FLORILEGII MAGNI,
SEU
POLYANTHEAE TOMUS SECUNDUS
JANI GRUTERI
PARTE SECUNDA.

FORMATUS CONCINNATUSQUE EX QUINquaginta minimum Auctoribus vetustis, Græcis, Latinis, Sacris, Profanis,

QUORUM TAMEN NULLUS FERE COMPARET IN TOMO PRIMO.

Ideoque non solum novitate sua omnibus passim ordinibus, ECCLESIASTICIS, POLITICIS, SCHOLASTICIS, futurus jucundissimus:

Sed & summè utilis & necessarius, pace, bello, tam Tyronibus quam Veteranis: non modò Apollinis atque Minervæ, sed & Martis & Bellonæ: Utpote complexus libros omnes Græcos Latinosque hactenus editos, de re militari.

Accessere & heic quoque nova Apophthegmata, Emblemata, Mythologica: item XXV Monostichorum Latinorum millia; totidem redolentia Definitiones, Sententias, Dogmata, Similitudines, Proverbia, Exempla, &c. decerpta penè ad verbum ex literati orbis Scriptoribus classicis.

ELENCHUS Titulorum totius Operis Epistolæ adjunctus.



Fesch

ARGENTORATI
Cum Gratia & Privilegio S. Cæsareæ Majestatis, nec non Christianiss. Regis Galliarum.
Sumptibus Hæredum Lazari Zetzneri.
ANNO M. DC. XXIV.

ELENCHVS TITVLORVM.

M.

N.

Elenchus Titulorum.

Saga-

Elenchus Titulorum.

Elenchus Titulorum.

LECTORI

LECTORI BENIGNO.

Vide Rodolphi Agricolæ Epistola de informando studio et Erasmi Ration colligendi exempla.

Sciendum, potuisse nos Indicem istum duplo facere grandiorem. nemini enim ignotum est
unumquodque enunciatum referri posse tàm ad prædicatum quàm subjectum. Exempli gra-
tia, ubi est: *Fæcundi calices quem non fecere disertum?* referri id potest æquè ad *facundiam garrulita-
temque*, atque ad *ebrietatem* ac *vinum*. Reliquimus igitur tibi, ô lector, ut pro re tua nata, inter le-
gendum alterum istud obiter faceres. Sed & sub integris illis unius materiæ dissertationibus
ac diatribis, infinita atque innumera occurrunt *paratitla*, quæque non minùs ad alium titulum et-
iam poni queant, quàm sub quo conspiciuntur. Exempli causa. Cicero libro de Amicitia, capite
19. & 20. multa habet super *Adolescentiorum morte*. Quis non videt ea aptè transferri posse, & habe-
re suum usum titulo de *morte*, titulo de *Adolescentia*? Hoc igitur age, attente lector, inter legen-
dum excerpe & enota hæc talia ad suum Lemma; & senties tibi obvenisse thesaurum verè in-
comparabilem. Fiet autem id facillimè, si aliquantulum chartæ huic Indici interserueris. Ali-
quoties ipsimet illud heic fecimus; sed quoniam accidit ante libri editionem; non etiam licuit di-
gitum intendere ad paginam, ad columnam, ad lineam; contenti indicare titulum, tu alterum
poteris, sine ulla difficultate. incipe tantùm, & ha-
bebis dimidium facti.

POLYAN-

POLYANTHEÆ TOMI SECVNDI LIBER UNDECIMUS.

Magiæ.

¶ SENTENTIAE PATRUM.

EGESIPPUS: Petrus & Paulus virtute suorum operum Neronem adversum fecerant, captum magi Simonis delinimentis, qui sibi animum ejus conciliaverat: cui adjumentum victoriæ, subjectiones gentium, vitæ longævitatem, salutis custodiam feralibus artibus pollicebatur: atque ille credebat, qui vim rerum nesciret examinare. Denique summum apud eum tenebat amicitiæ locum; quandoquidem præsulem suæ salutis, vitæque custodem arbitrabatur. *capite secundo libri tertij de excidio Hierosolymitano.*

Io. Sarisberiensis: Et quidem magi sunt, & ob magnitudinem maleficiorum sic appellantur, qui Domino permittente, elementa concutiunt, rebus adimunt species suas, ventura plerunque prænunciant, turbant mentes hominum, immittũt somnia, hominesque violentia carminis duntaxat occidunt. Varro autem quatuor species divinationis ab elementis mutuatus est, pyromãticam scilicet, aerimantiam, hydromantiam, & geomantiam; multasque species videbis ex his capitibus pullulare, sive arte, sive furore divinatio peragatur: inde sane nominantur, *incantatores*, qui artem verbis exercent; *arioli*, qui circa aras preces nefandas aut sacrificia faciunt; *aruspices* inspectorum horarum, extorumque; *Pythij*, quos spiritus Pythonicus implet, & præcipuè virgines; *vultivoli*, qui ad affectus hominum immutandos in molliori materia, cera forte vel limo, effigies exprimunt; *imaginarij*, qui per imagines fictas eliciunt dæmonum responsa, *coniectores*, somniorum, *chiromantici* manuum inspectores; *specularij*, speculorum pelviumque; *mathematici*, astrorum; *salissores*; ex saltu membrorum: *sortilegi* denique & *augures. lib. 1. c. 10. 11. 12.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Apollonius Euphr. Magos cẽses appellãdos esse, qui è Pythagoræ schola demanarunt Philosophi: sic etiam, qui ab Orpheo descendunt. Ego verò Iovis quoque posteros Magorum nomine nuncupandos judico, si modò divinè iusteque sese gerant. *Epist. 16.*

Idẽ: Magos appellare Deos Persæ consueverunt. Magus igitur administer cultorq; deorũ, est aut qui natura proximè ad divinitatẽ accedit. Tu verò non Magus: sed impius & scelerosus. *Epist. 17*

Libanius: Magus dictitat se supra alios scire Deos, atque illorum arcana, & quibus gaudeant, & quibus alliciantur, & quibus acceptis quæ remunerentur: omnemque molestiam ac miseriam per Deos illos solvere promittens, multas evertit domos, dum operam suam locat civium inimicitiis, & circa monumenta obversatur; ac proinde exitia in eos homines à quibus nulla in re læsus est, inducit, mortuos turbans, neque eorum manes suis in locis manere permittens. ac pleriq; certe eos qui aliquid secum simultatis & offensionis habuerant, perdiderunt, unius istius opera mercenaria. *Declamatione quadragesima tertia.*

Libanius: Non quantũ dicunt isti se posse, omnia ab his, cives, fieri posse existimetis, sed alia posse, alia nõ posse. atq; hæc quidem apprimè; illa verò minimè. etenim huic similibus, calamitatem tollere fas non est; sed struere tantum & comparare. ob id in odium potius incurrunt, quàm honore decorentur: sed enim felicem faciunt neminem, multos autem miseros. unde verò hoc ejusmodi est? alii dæmones genii ve peiores sunt, & ad male agendum à natura comparati: atque iis oblectantur quæ ab istis aguntur, & adstipulantes conficiunt dira istæc horrendaque; & quæ homines profligant. una cum his isti diffidere faciunt amicos; in ipsa cognatione bella serunt, opes dissiparunt; penuriam induxerunt; oculos effoderunt, linguam distorserunt; surdos fecerunt; pedes colligarunt; manus mutilarunt; corpus tabefecerunt: multa præterea patrarunt, quæ quomodo sanè possint, aut quid agendo, aut proferendo, hic quidem pulchrè novit: ego autem nunquam didici, me discere velim. hæc ergo sunt istorum muneris, & hoc opus est egregiè istius artis: quapropter pravorũ geniorũ amicũ se nũcupet: nihil contra dico, iis verò à quibus bona hominibus adveniunt, & malorum remedia, iste inimicus est, ex hac ipsa quam cum aliis cõtraxit amicitia. nam fieri non potest, ut unus idemque homo apud utrosque genios polleat. verùm quisquis aliqua in re per illos nocuit, hic potentia & emolumento ab his profecto se fraudavit. cæterum unum & alterum hominem lædunt: ac si maxima possint, domum & totam urbem; eo ipso quòd mali sunt, & pœnas non dant, damnum inferunt; arte autem & medicamentis minimè. *Declamatione 3. & 40.*

¶ POETARUM

Prudentius lib. 1. contra Symmachum, de Mercurio.

Nec non Thessalicæ doctissimus ille magiæ,
Traditur extinctas sumptæ moderamine virgæ
In lucem revocasse animas, Cocytia lethi
Iura resignasse, sursum revolantibus umbris:
Ast alias damnasse neci, penitusq; latenti
Immersisse chao. facit hoc ad utrumq; peritus
Vt fuerit, geminoq; armarit, crimine vitam:
Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque sepulcrales scitè excantare favillas:
Vita itidem spoliare alios, ars noxia novit.
Artificem scelerum simplex mirata vetustas
Supra hominem coluit, simulans per nubila ferri,
Aligerisq; leves pedibus transcurrere ventos.

Petronius Arbiter loquitur venefica.

Quidquid in orbe vides, paret mihi. florida tellus
Cùm volo spissatis arescit languida sulcis,
Cùm volo fundit opes, scopulisq; atque horrida saxa
Niliacas iaculantur aquas, mihi pontus inertes
Summittit fluctus, zephyrisq; tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes, mihi flumina parent
Hircanisq; tigres, & iussi stare dracones.
Quid leviora loquor? lunæ descendit imago
Carminibus deducta meis, trepidusq; furentes
Flectere Phœbus equos revoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. taurorum flamma quiescit
Virgineis exstincta sacris. Phœbeia Circe
Carminibus magicis socios mutavit Vlyssis:
Proteus esse solet quidquid libet. his ego callens
Artibus Idæo frutices in gurgite sistam,
Et rursus fluvios in summo vertice ponam.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad novandas res & ipsis incitamur à magis.
Ad oculos circumscribendos magica plurimum valet.
Arbitros timet tenebris seque credit vir magus.
Laudis est magum esse verum, criminis fictitium.
Posteros Iovis vocare fas magos verùm pios.
Promptius magum infamarit quisque quam probaverit.

¶ IAMBICA.

Cantaminum vi pollet enthea magus.
E mille verus vera vix dicet magus.
Divumque hominumque gnarus est summè magus.
Interpres est magus Dei ac cælestium.
Multi vocantur qui tamen non sunt magi.
Non auferunt mala urbium magi, creant.

Magisterij.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D. CHRYSOSTOMUS: Qui nullius mali sibi conscius est, pro alienis malis ingemiscit, ac pro iis quæ alii perperam admiserunt, deprimitur. hoc enim præsertim magistri munus est, discipulorum calamitatibus ad hunc modum affici, atque ob eorum quib. præest vulnera, in angore animi ac luctu versari. *Homilia 28. ad Corinthios 2.*

Chrysostomus: Quomodo in ludis literariis sunt etiam inter discipulos doctores & magistri; ita etiam in Ecclesia. Vult enim Apostolus nõ ab omnib. molestiam exhiberi doctori. quare? quoniam magna sic erunt, bona: non solum quoniam levis erit labor doctori, sed etiam quia unusquisque discipulus cùm fuerit sollicitus, citò potest evadere doctor & magister. *Homil. 5. ad Thessal. 2.*

Idem: Magistrum prius oportet docere seipsum. quemadmodum enim dux nisi antea miles optimus fuerit, ne dux quidem aliquando esse poterit: ita & doctor. *Hom. 5. ad Tim. 1.*

Isidorus Pelusiota: Ego duo ista, quoad ejus fieri potest, magistro inesse debere censeo; nempe vitæ puritatem, ac dicendi facultatem (quam si quis operum umbram esse diffiniat, haudquaquam mihi à vero aberraturus esse videatur) ut per illa discipuli mores ac vitam componat, per hanc autem contumacem ac refractarium ad meliorem mentem revocet. Vt enim Scribæ, accepto stilo quàm elegantissimè literas pingentes, eum tyronibus quoque suis præbent, ut, quantum facultas ferat, eas imitari possint: eodem modo magistris etiam & præceptoribus faciendum est, ut vitam suam, tanquam imaginem quandam scitè depictam, discipulis proponāt, quò eam, quantum vires tulerint, imitentur. Quòd si isti non modò ab omni reprehensione alienam, sed etiam admirabilem vitam intuentes, hinc tamen ad virtutem minimè inducuntur, hoc verò non jam magistro, qui nihil eorum, quæ facta oportuit, prætermisit, quispiam ascribendum putabit, sed discipulorum socordiæ.

Quoniam autem ajunt nonnulli, Quin discipulos suos metu à vitiis arcent? hoc respondemus, Et quis tandem magistri metu commovetur? Objurgare oportet? At hoc sæpe factum nullam vim habuit. Baculó persuadere? At non licet. Proscribere atque abdicare? At hoc quoque remedium frustrà adhibitum est. Civitate pellere? At istud ignavioribus fabulæ loco est. Iudicium minari? At cùm id audiunt, risum edunt. Ex Ecclesia ejicere? Id quidem promptum ac facile est: sed emendationem non habet. Nam si ei qui optimo jure ab aliquo condemnatus est, ad omnes etiam alias Ecclesias aditus clauderetur, cunctique unà cum eo qui sententiam tulisset, indignationem conciperent, fortassis ille castigatus, meliorem mentem indueret. Nunc autem, simulatque quispiam ab aliquo condemnatus est, ab alio persæpe colitur & observatur, aliaque ei Ecclesia patet, & satellitium, & munera: eique, qui ejectus est, in quæstum cedit loci commutatio. Ac deinde, quòd criminis convictus, ejectus sit, non commemorat: quòd autem sponte sua discesserit, hoc effingit. Ac si quis causam percunctetur, multa & gravia narrat, quæque Ecclesiæ, à qua exceptus sit, allubescant.

Hæc porrò quidam improbæ vitæ homines arripientes, ac velut culparum suarum patrocinium hinc se habere existimantes, amplificant, omniaque verbis ejusmodi complent, quæ iis congruant à quibus fabricata sunt. Ex quibus rebus efficitur, ut qui deliquit, nihilo melior reddatur: qui autem in eum animadvertit, impuri ac scelerati hominis opinionem referat.

Ob eam causam, probi etiam atque excellentes magistri (quorum exiguus est numerus) à flagitiosis castigandis veluti torpore quodam prohibentur: quòd videlicet ii, qui, non ut convenit, ad hujusmodi imperium irruperunt (multi autem hi sunt) aliorũ gloriam nominisque claritatem suam calamitatem esse ducentes, eorum qui justa iracundia inflammantur, sententias evertere cōnituntur: quò non modò improbitas non extinguatur, sed etiam ingravescat.

De quibus etsi minimè me fugit, quin molesta & gravia futura sint, quæ dicturus sum, dicam tamen. Fortassis enim correctio quædam hinc consequetur. Quid enim perditos deflere juvat, cùm, quantum in nobis situm est, salutem ipsis afferre liceat, quando facultas datur? Nam qui nec in subditorum classe censeri debent, hi ad doctrinæ thronum prosilire minimè verentur: & sacrario dominari præsumunt, qui ne seipsos quidem in potestate tenent: & aliis præesse se arbitrantur, qui ne sibiipsis quidem præesse potuerunt. Per quos factum est, ut res omnes Ecclesiæ sursum ac deorsum voluantur. *l. 3. Epist. 359.*

Basilius Seleuc. Qui tenues istas, ac per humum serpentes docent artes; tunc maximè discipulis probant artem perfectam eos esse consecutos, quando absque magistra manu per se ipsi magistrorũ opera præclara effingunt imitatione. Pistor lineamentis, & coloribus naturam simulat. Naupegus navem compingens per fluxum maris elementorum cursum machinatur. *Orationis 21. pr.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Magisterium stat de scientia, sed magisterii authoritas constat ex vita: docenda faciens obedientem perficit auditorem. Docere factis sola est norma doctrinæ: doctrina in dictis sciētia est, in factis virtus. Scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti: illa divina est, non humana, Evangelista probante, cum dicit, quæ cœpit Iesus facere & docere. Præceptor cum docenda facit, & auditu instruit, & informat exemplo. *Sermone 167. pr.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Arrianus: Fortasse etiam sapientem esse, non est satis ad regendam adolescentiam; sed & alacritas quædam scilicet ingeniique dexteritas requiritur, & certa corporis ratio, & quod primum est omnium, ut Deus ipse munus istud capessere suadeat: quemadmodum Socrati auctor fuit corrigendi errores; quemadmodum Diogeni, ut regio modo delinquentes objurgaret; quemadmodum Zenoni, ut doceret decretaque sanciret. Tu verò tabernam medicam aperis, cùm præter medicamenta nihil habeas: ubi autem & quomodo ea sint applicanda, neque noris, neque indagaris. Ecce ille ista habebat, & ipse collyria habeo. numquid etiam quomodo illis utendum sit nosti? scis quomodo, & quando, & quos juvent? quid ergo maximis in rebus aleam jacis? quid rem aggrederis tibi prorsus alienam? *c. 21. l. 3. Epicteti.*

Iulianus Imp. Doctrinam rectam esse arbitramur, non verborum linguæve magnificum & exquisitum sonum: sed mentis bene constitutæ sanam affectionem, & veras certasque de bonis & malis, honestis & turpibus sententias. Quare quisquis aliud sentit, aliud suos discipulos docet, is tantum videtur à scientia, quantum à probitate abesse. Ac si de parva re sit linguæ animique dissensio, in hoc ipso etiam est improbus, tametsi modum non excedat sceleris magnitudo: sin verò in maximis rebus aliud sentit, contraque ac sentit, docet, nonne hæc cauponum, non dico bonorum, sed nequissimorum vita est? quippe cùm id maximè doceant, quòd maximè malum existimant, fallentes atque inescantes eos laudibus, quibuscum sua, ut arbitror, mala commutare volunt. Quamobrem omnes qui quidvis docere profitentur, bonis moribus esse debent, neque opiniones novas & à sensu populari abhorrētes afferre: sed imprimis tales esse debent, qui adolescentes in veterum scriptis instituunt, sive sint Rhetores; sive Grammatici, & præcipuè Sophistæ, qui non solùm verborum, sed etiam morum magistros se esse volunt, & ad se philosophiam de administrandis Rebuspubl. pertinere contendunt. *Epist. 43.*

¶ Poetarum.

Plau. Curcul. 2. sc. 2. v. 8.

Facit hic quod pauci, ut sit magistro suo obsequens.

Magistratus.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

ALEXANDRINUS: Ad usum bonorum virorum, enata est vis eorum quæ data sunt divinitus. Quinetiam eorum cogitationes qui sunt virtute præditi, per divinam fiunt inspirationem, cùm anima aliquo modo afficitur, & divina voluntas in humanas animas transmittitur, dum qui sunt singulares divini administri, ad talia opem ferunt ministeria. Nam per gentes & civitates sunt distributæ Angelorum præfecturæ: fortasse autem etiam ex iis sunt deputati singulis. Pastor itaque & singularum ouium curam gerit: iis tamen maximè providendi & visendi tenet eum cura, qui sunt & præclaro ingenio, & populo multum possunt prodesse. Ii autem sunt, qui & ad regendum & docendum sunt apti, per quos providentiæ evidentia apertè ostenditur, quando vel per doctrinam, vel per magistratum aliquem, & administrationem vult Deus benefacere hominibus: vult autem semper, & ideo movet eos qui sunt apti ad ea utiliter efficienda quæ pertinent ad pacem & virtutem & beneficentiam.

Quicquid autem est ex virtute, & à virtute oritur, & refertur ad virtutem: & aut ad hoc datur ut sint boni, aut ad hoc ut ii qui sunt boni, utantur iis commodis quæ sunt secundum naturam: adjuvat enim & in universis, & in singularib. *lib. 6. stromatum.*

D. Nazianzenus: Submittamus nos tum Deo, tum alii aliis, tum iis, qui imperium in terra gerunt: Deo quidem omnibus de causis, alii autem aliis, propter charitatis fœdus: principibus denique, propter ordinem publicæque disciplinæ rationem: idque tanto etiam magis, quantò facilioribus illis ac benignioribus utimur.

Grave ac periculosum est, ignoscendi assiduitate clementiā exhaurire; ne alioqui acerbitatis illorum pænæ à nobis expetantur, ut qui ventis invectis tranquillitatem sustulerimus, & caliginem induxerimus, mellique absinthium admiscuerimus. Iam verò inter cæteras nostræ doctrinæ leges hanc quoque habemus comprimis laudandam, & à Spiritu, qui id, quod præstare possumus, cum eo quod pulchrum & honestum est, exploravit, legeque sanxit, præclarè constitutam, qua, ut servi heris suis, & uxores viris, & Ecclesia Christo, & discipuli magistris ac pastoribus dicto audientes esse atque obtemperare jubentur, ita nobis etiam præscribitur, ut sublimioribus potestatibus pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ut qui pendendo tributo simus obnoxii: nec committamus, ut ob scelera & flagitia nostrà legem odio habeamus ac vindicem gladium expectemus: quin potius id agamus, ut per timorem purgati, laudem à potestate consequamur. Vna atque eadem est regula: & tamen recto parcit, quod autem superfluum est, resecat. Vnus itidem Sol: & tamen ut sanis oculis splendorem affert, ita ægros & imbecilles obscurat.

Idem paulo post: At nos, fratres, dum officium ipsi deserentes, magistratus potestatem iniquo animo ferimus, perinde utique facimus, ac si quis certaminis præsidem ut improbum accuset, cùm ipse in palæstræ leges peccet, aut medicum ut indoctum & audacem, quòd sectionibus & cauteriis utatur, cùm ipse gravi morbo laboret, asperioribusque remediis indigeat. *Oratione decima septima.*

D. Nazianzenus : Sed fuerit, sanè tanta tamque illustri morum facilitate industria tamen, eaque virtute, quæ in rebus gerendis versatur, cuiquam alii cedebat? Minimè. Verùm idem ipse, & lenis ac placidus, ut si quis alius, erat, & ad agendum peræque aptus & appositus. Quamvis enim hæ duæ res ferè inter se pugnent & opponantur, simplicitas nimirum & asperitas, alteraque mansuetudinem cum inertia conjunctam habeat, altera rebus quidem gerendis apta sit, verùm humanitate careat, at in illo tamen mirificè hæc duo in unum convenerunt, nempe ut & tanquam asper ac vehemens rebus gerendis cum mansuetudine incumberet, & tanquam à rebus gerendis alienus, sese cum industria submitteret, in præsidiis ferendis, in sermonibus ab omni metu liberis, in omni denique gubernationis genere.

Nam cùm serpentis ad malum prudentiam cum columbæ ad bonum simplicitate conjunxisset, ita se comparavit, ut nec prudentiam in versutam improbitatem, nec simplicitatem in stoliditatem degenerare fineret; verùm ex ambabus, quoad ejus fieri poterat, unam virtutis speciem efficeret, numeris omnibus perfectam & absolutam. *Oratione 19. in funere patris.*

Idem : Da hoc nostro honori, atque humanarum rerum moveare fragilitate, clarumque & celebrem tibi ipsi magistratum tuum, per beneficentiam erga nos redde. *Epistola 44.*

D. Basilius Hegemoni : Scio maximam primamque tuæ dignitatis curam ad justitiam omnibus rebus colendam spectare, secundam deinde ad bene merendum de amicis, & ad supplices in fidem tutelamque tuæ celsitudinis recipiendos. In præsenti verò argumento conveniunt simul universa. Nam & justa res est, quam petimus, nobisque in ea gratum facies, quos in tuorum amicorum numero vis esse, & debetur iis, qui in suis periculis atque damnis à tua firmitudine opem auxiliumque poscunt. Frumentum enim quod solum ad vitam tuendam necessarium Charissimus frater Dorotheus habebat, quidam Verisensium Rempubl. tenentes, summæque potestatis, diripuerunt.

Sive facimus illud sua voluntate, sive aliorum instinctu designarunt, nihil ad excusandum crimen id pertinet. Quid enim levius delinquit, qui domo sua scelus allatum patrat, quam qui aliorum pravæ voluntati ministerium præstat. Nam his qui patiuntur injuriam, idem damnum infligitur. Qui rapuit, petimus, ut idem restituat, neque liceat in alios culpam audaciæ transferre. Hoc verò tuum beneficium, si nobis præstiteris, tanti apud nos erit, quanti æstimamus, egestatem annonæ, necessitatemque defugere.

D. Chrysostomus : Innumera bona civitatibus per magistratus proveniunt; quæ si sustuleris, omnia pessum ibunt, ita ut neque urbes, neque agri, neque domus, neque forum, aut aliquid aliud consistere queant, sed omnia simul subvertantur, potentioribus imbecilliores impunè devorantibus. *Homil. 23. ad Romanos.*

Idem: Hæc illis est vita, hoc studium, ut tu quoquo modo pace fruaris. Propterea & in alia epistola non solùm exigit ut illis subdamur, sed & ut oremus pro illis, communem hanc quoque & illic utilitatem ostendens ac dicens, ut placidam & quietam vitam agamus. Neque enim parum nobis ad præsentis vitæ statum conducunt, munimenta ponentes, hostes propellentes, seditiosos in urbibus cohibentes, quasvis ubique calamitates dissolventes. Nolo siquidem mihi objicias, quod subinde quis potestate hac abutitur: sed constitutionis ipsius decorum inspice, & multam ejus qui ista ab initio instituit, sapientiam videbis. *Homilia 23. ad Romanos.*

Idem: Et ab initio quidem unum fecit imperium Deus, dum virum præfecit mulieri. Postquam autem genus nostrum in multam decidit confusionem & ordinis defectionem, alia quoque constituit, nempe dominorũ & magistratuum, æque etiam propter charitatem. Nam quoniam vitium genus nostrum dissolvit & interimit, tanquam quosdam medicos judices constituit in mediis civitatibus; ut tanquam charitatis pestem vitium expellentes, omnes in unum cogant. *Homilia 34. ad Corinthios. 1.*

Idem: Quod autem dicit, Sufficientes fecit, magnum pondus ostendit. Ut si quispiam Rex factus fuerit, potest cui velit dare præfecturam, & hanc solam ei potest dare dignitatem, sed non eum reddere aptum & idoneum ad gerendum magistratum. Sæpe autem eum dignitas aptum fecerit ad honorem, & idoneum ad administrationem, tunc ea res est honor. *Homilia 2. ad Colossenses.*

Idem: Describamus vitam præsentem, ut videamus num omnia essent terra & aqua, & quæ essent hujusmodi ut instar Euripi fluerent & refluerent, essentque veluti pulvis, plane instabilia & diffluentia. Et si vultis, examinemus non priora, sed præsentia. Quid enim vis nos dicere magistratus & principatus? nihil enim in hac vita videtur esse magis æmulandum. Sed magis inveneris pulverem in aere stantem, quam hæc nunc maxime. Cui enim non sunt subjecti? Iis qui ipsos amant, Eunuchis, iis qui pecuniæ gratia faciunt omnia, iræ populi, potentiorum indignationi. Qui heri sublimis in tribunali habebat præcones alta voce clamantes, & multos præcurrentes, & in foro superbe & gloriose incedentes, est hodie vilis, humilis, abjectus, ab omnibus illis desertus, & nudus tanquam pulvis eventilatus, tanquam unda quæ præteriit. Sicut autem pulvis excitatur à nostris pedibus, ita etiam pariuntur magistratus & principatus ab iis qui versantur in pecuniis, & in tota vita locum & ordinem habent pedum: & sicut pulvis quidem quum extollitur, magnam partem tenet aeris, ipse autem est modicus: ita etiam principatus, & magistratus. & sicut pulvis excæcat oculos, ita etiam fastus principatus orbat mentis oculos. *Homilia 7. ad Colossenses.*

Idem: Plurimi homines nihil non agunt & moliuntur, ut apud magistratus, & eos qui sunt his majores, aliqua valeant gratia; & magnum hoc esse dicunt, & beatos se esse existimant, si id consecuti fuerint, cuius studio tenentur. *Homilia 2. initio ad Thessalon. 2.*

Idem: Is qui exteriore ac mundana potestate subnixus est, quoniam lege imperat, ac necessario illi obtemperatur; meritò sæpius cõtra subjectorum voluntatem atque sententiam dominatur. Porrò is qui volentibus atque hortantibus, & gratias agentibus præesse vult; si ea lege præsumit, ut consilio proprio tantum omnia faciat, quasi nemini rationem redditurus, tyrannicè potius quam populariter ejusmodi exercet officium. *Hom. 2. Epist. ad Titum.*

Idem: Magistratum ducemque & rectorem non habere malum est, & est argumentum multarum calamitatum, & principium defectus ordinis & perturbationis ac confusionis. Nam sicut si chori coryphæum & ducem sustuleris, non erit amplius chorus modo cõgruus & ordinatus: & si à phalange exercitus amoveris Imperatorẽ, non erit amplius numerosa acies: & si navigio ademeris gubernatorem, navem demerges: Ita etiam si à grege pastorem abstuleris, omnia evertisti & delevisti. Atque malum quidem est magistratus & rectoris defectus, & occasio eversionis. Non minus malum est etiam inobedientia eorum qui eis subjecti. Nam idem rursus accidit. Populus enim non parens rectori ac magistratui, est similis ei qui non habet, & fortè etiam deterior. Nam illic quidem etiam eis datur venia, si ordo & moderatio non observetur. Hic autem non ita, sed etiam puniuntur. At dicet fortasse quispiam, quod est etiam tertium malum, quando est malus rector & magistratus. Id quoq; scio, & non parvum malum, sed etiã longe pejus defectu rectoris ac magistratus. Melius est enim à nullo duci quã duci à malo. Nã ille quidẽ sæpe evasit salvus, sæpe autẽ venit in periculum. Hic autem omnino veniet in periculum, ne abducatur in barathrum. *Homil. 34. ad Hebr.*

Isidorus Pelusiota: Brevem & exiguam, non modò Præturam, sed etiam ipsam vitam habes. Quid igitur infinitè peccas, paucis horis sempiternum tibi cruciatum accersens? Quamobrem volubili omni ac multis mutationibus obnoxia rerum infidelitate animadversa, id potiùs da operam, ut probis atque honestis actionib. nobiliterisiquarum & laudes in hac vita celebrantur, & futura præmia nunquam intereunt. *l. 1. Epist. 31.*

Idem: Præturæ authoritas & potentia, nisi mansuetudine condiatur, ipsiq; suavitas Deo ministrans affulgeat, arrogantia potiùs est & immanitas. Si verò lenitatem admixtam habeat, ac per eam jus regat, & moderetur: tum demum & integritas & benignitas est, & æquitatis via, & rerum tranquillitas. *l. 1. Epist. 47.*

Idem : Multi ex aliis magistratibus ad alios migrant, hoc est ex minoribus fortasse ad majores & excelsiores, siquidem illos rectè gesserint. Nonnulli autem contrà non modò majores cum minoribus commutarunt, verùm etiam insuper miserè interierunt: ii nimirum quibus nullum à proba muneris sui administratione auxilium suppetebat. At te ex probi imperii ac præfecturæ thronis cælestes ordines accipient: quibus te charum reddidisti, dum & piorum pauperum commodis consulis, & omnia æquo ac recto posteriora ducis. *l. 1. Epist. 165.*

Idem : Ne legitimum imperium inconditis atque inconcinnis moribus barbarum reddas: verùm rebus ipsi consentaneis exornes: mœstis videlicet lenitatem, minoribusque cum majoribus æquabilitatem impertiens. Ac tum præclarum æquitatis & justitiæ ignẽ accende. siquidem prælucentis justitia probi imperii ac præfecturę igniculus est. *l. 1. Epist. 208.*

Idem: De Prætura tua urbi gratulamur: voluptateque afficimur nunc jus cernentes per mediam urbem incedens ac palmam ferens. Quo quidem nomine Deum quoque opitulatorem ac socium habiturus es, tum improbos homines tibi indicantem, tum probos demonstrantem. *l. 1. Epist. 225.*

Idem : Pelusii commodis Deus adhuc consulit. Adhuc divini cultus semen in ea existit. Adhuc curam miseræ gerunt martyres urbis conservatores. Venit vir eximia virtute præditus Simplicius, præturæ gubernacula tractans ac moderans. Aliam vobis vitam nuncio. Lubenti animo virum excipite, omnes ipsi molestias vestras & difficultates tragicis verbis exponite. Habet & sapientem mentem, & piam voluntatem, laboribusque mutationem dabit. A Deo enim robur nactus est: à quo plerisque, ut rem rectè ac præclarè gerant, præbetur. *libro primo Epistola 226.*

Idem: Aptè atque accommodatè omnes, qui tuam mutationem perspiciunt, illud divini Psalmistæ tibi accinunt, Transivi, & ecce non erat: quæsivi eum, & non est inventus locus eius. Nam qui vim aliquam à Domino acceperunt, eaque non ad beneficium rependendum, sed ad ulciscendum usi sunt, eò tandem rediguntur, ut vim nullam habeant, ac maleficæ potentiæ pœnas exposcũtur. *l. 1. Epist. 263.*

Idem : Imperiorum robur ac firmitas, Dei amicitia est. Ex quo sequitur, eum qui robustè imperium gerit, Dei amicum esse. Mihi enim, ait scriptura, honorati sunt ami-

mici tui Deus : nimis confortatus eſt principatus eorum. Quocirca ſi Dei amicus eſſe ſtudes , fac robuſtè præſis, hoc eſt , nec muneribus, nec amicitia : verùm dignitati ac merito jus præbens. *lib.1. Epiſt.290.*

S. Iſidorus Peluſiota: Illud ſcias velim , vir præſtantiſſime, quòd cùm in omni vitæ curriculo,tum nunc præſertim cùm ad fines, nõ tam imperii,ut tu exiſtimaſti, quàm officii ac miniſterii aſcendiſti,æquum ſit cupiditates jam tuas reprimere atque coercere:ita ut vitiorum eorum,quibus ſubditi laborant, nulli ſuccumbas. Turpiſſimum enim fuerit, ſi iis qui tibi ſubſunt, imperare cupiens, ita affectus eſſe deprehendaris, ut ne tibi quidem ipſi præeſſe queas. *lib.2.Epiſt.11.*

Idem: Pauca lacrymas fundens ſcribo. pleraque enim reſecabo, ne prolixitatis opi[illegible]ionem ſubeam. Vrbs univerſa, perſpicua tua flagitia tragicis verbis proſequens, ad hunc modum loquitur: Quã ob cauſam ſacras initiationes vendis? Ecquid ſacerdotium prodis? Quid affers,quod divino numine ad cauponarum quæſtum abuteris? Quid cauſæ eſt,quamobrem templa contaminas? Eccur averſis pauperum bonis opes colligis ? Quid eſt,cur in ſenectutis limine flagitiis & ſceleribus juveneſcis? Cur non in imperio permanſiſti, verùm vitio parere deprehenſus es ? Hoc igitur ſcito, te graviores hoc nomine pœnas daturum eſſe,quòd ea ipſe perpetraſti, quæ ne alii committerent,pro tuo munere atque officio,in quo collocatus es,prohibere debuiſti. *l.2.Epiſt.21.*

Idem: Multi ex his, qui pauperum curam ſuſceperunt, in privatum quæſtum tandem deſinunt. Quos haudquaquam imitari oportet, verùm corrigere, aut, ut amplius aliquid dicam , tanquam peſtiferos homines fugere. Illorum enim paupertatem,cui mederi debent,exulcerant. *l.3. Epiſt. 111.*

Idem : Commodè, vir ſumma doctrina & eloquentia prædite; imperium adminiſtraris,ſi æquitatis quidem firmus cuſtos fueris, ac peræquè & ab iniquo odio, & à gratia & favore teipſum removeas : ac denique immaculatum , quoad ejus fieri queat,gladium conſervaris , minis videlicet flagitia,antequam cõmittantur,coercens & reprimens. *l.3.Epiſt.263.*

Idem: Quoniam per litteras quæſiviſti,quo pacto Paulus,ſi conſilium dedit his verbis:Vis autem non timere poteſtatem , fac bonum,& habebis laudem ab eâ: paulò pòſt dicat : Reddite ei cui timorem (debetis) timorem:ſic exiſtimo:Si qui nolint fortè illud dictum eſſe de Deo(ſcriptum eſt enim : Honora Dominum , & potens eris.præter ipſum verò non timebis alium)illud quidem prius dixiſſe Paulum ideò , quia virtutis ſtudioſus timorem illum, qui à gladio facineroſis impendet,effugiat, & laudem magiſtratus conſequatur : hoc autem poſterius (protuliſſe eum) ideò,quia etiam metus quidam debeatur magiſtratibus ex reverentiâ & honore ipſis,quando nobis cum illis agendum eſt, debito. Neque enim is qui virtuti dat operam,immunis eſt à talis timoris (ut ſic loquar) reverentialis præſtatione, qui nullatenus ipſum lædit, quin potius venerabiliorem atque illuſtriorem declarat. Cedere enim oportet(magiſtratui) omnibus viribus,in illis rebus, in quibus neq; pietati neque virtuti ullum affertur detrimentum,imò etiam preſtãtior atq; inſignior ex cultorum ſuorum moderatione demonſtratur. *l.4.Epiſt.102.*

Syneſius: Virtutis in laude præmium eſt,quam in illuſtriſſimum Marcellinum conferimus, nunc cùm magiſtratu exiit, nunc cùm vacat omnis adulationis ſuſpitio , qui cùm bello vexatas urbes accepiſſet , foris quidem à multitudine , & furore barbarico , intus verò à militari inſolentia,& centurionum avaritia, tanquam Deus aliquis offerens ſeſe ; uno prælio hoſtes ; ſubditos quotidiana diligentia moderatiores effecit,& utriſque ab incommodis pacem civitatibus dedit , lucra aſpernatus eſt , quæ legitima jam uti haberentur, conſuetudo obtinuerat : non opibus inſidiatus eſt,non in paupertatem contumelioſè ſe geſſit , pietatem erga Deum, juſtitiam in cives,in ſupplices humanitatem coluit, ob id Philoſophus ſacerdos in eo prædicando non erubeſcit, à quo nullus corruptum gratia teſtimonium extorſit. *Epiſt.62.*

Idem : Athenienſes Themiſtoclem Neoclis filium laudarunt, quòd tametſi præ cæteris,qui iiſdem temporibus vixerunt , civilis potentiæ appetens foret ; imperium tamen omne detrectabat,in quo nihilo plus noti ignotis ac peregrinis conſequerentur. Tua verò virtus,quoniam iiſce temporibus experta eſt,ac propter te novum in Rempubl. nomen,novaque res introducta;& gaviſus equidem ſum,quòd facere par erat eos , qui jampridem neceſſitudinem tecum contraxiſſent,&c. *Epiſt.92.*

¶ Patrum Latinorum.

Egeſippus: Annuis vicibus Romani magiſtratus mutantur : quo fit,ut nec inſolens diu maneat,& moderatior citò ſuccedat. *c.9.l.2. exc. Hieroſ.*

S. Salvianus : Iam quàm alienum à barbaris, quam familiare Romanis , quod ſe invicem exactione proſcribunt ? imò non invicem (nam tolerabilius fermè eſſet , ſi pateretur quiſque quod fecerat) ſed illud gravius eſt, quod plurimi proſcribuntur à paucis, quibus exactio publica peculiaris eſt præda , qui fiſcalis debiti titulos faciunt quæſtus eſſe privatos : & hoc non ſummi tantum, ſed penè infimi,non judices ſolum, ſed etiam judicibus obſequentes. Quæ enim ſunt non modò urbes, ſed etiam municipia atque vici, ubi non quot curiales fuerint tot tyranni ſunt ? quamquàm forte hoc nomine ſibi gratulentur, quia potens & honoratus eſſe videtur.nam & latrones ferè omnes gaudent & gloriantur, ſi atrociores admodum quam ſunt eſſe dicantur.quis ergo ut dixi , locus eſt, ubi non à principalibus civitatum viduarum & pupillorum viſcera devorentur , & cum his fermè omnium ſanctorum. nam & hos quaſi viduas & pupillos habent , quia tueri ſe aut pro ſtudio profeſſionis ſuæ nolunt, aut pro innocentia atque humilitate non poſſunt.nemo itaque horum eſt tutus , nec ulli admodum præter ſummos à vaſtatione latrocinii populantis immunes, niſi qui ipſis latronibus par eſt in hac conditione.

Sed videlicet,cùm tot ſint qui bonos vaſtant, ſunt forte aliqui, qui eripiant egenum & pauperem. non eſt qui faciat bonum penè uſque ad unum. penè dixi ; quia tanta eſt raritas bonorum, ut penè unus eſſe videatur. Quis enim vexatis & laborantibus opem tribuat,cùm improborũ hominũ violentiæ etiam ſacerdotes Domini non reſiſtant ? nam aut tacent plurimi eorum , aut ſimiles ſunt tacentibus etiamſi loquantur:& hoc multi non inconſtantia, ſed conſilio ut putant ac ratione.

Exertam enim veritatem proferre nolunt , quia eam aures improborum ſuſtinere non poſſunt;nec ſolum refugiunt, ſed etiam oderunt & exſecrantur,& non modò auditam non reverentur , aut metuunt , ſed & majore ſuperbientes pervicacia perduellionem contemnunt? & ideo tacent etiam qui loqui poſſunt, dum ipſis interdũ malis parcunt,nec volunt eis vim apertæ promere veritatis, ne faciant eos ingeſta acrius veritate pejores. Inter hæc vaſtantur pauperes, viduæ gemunt,orphani proculcantur , in tantum ut multi eorum , & non obſcuris natalibus editi, & liberaliter inſtituti ad hoſtes fugiant, ne perſecutionis publicæ afflictione moriantur: quærentes ſcilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non poſſunt; & quamvis ab his ad quos confugiunt diſcrepent ritu, diſcrepent lingua, ipſo etiam, ut ita dicam , corporum atque induviarum barbaricarum fætore diſſentiant ; malunt tamen in barbaris pati cultum diſſimilem , quam in Romanis injuſtitiam ſævientem. itaque paſſim vel ad Gothos vel ad Bagandas,alioſve barbaros migrant , nec migraſſe pœnitet. malunt enim ſub ſpecie captivitatis vivere liberi , quàm ſub ſpecie libertatis eſſe captivi.

Itaque nomen civium Roman.aliquando non ſolum magno æſtimatum , ſed magno emptũ nunc ultrò repudiatur ac fugitur; nec vile tantum, ſed etiam abominabile penè habetur. Et quod eſſe majus teſtimonium Romanæ iniquitatis poteſt , quam quod plerique & honeſti & nobiles , & quibus Romanus ſtatus ſummo & ſplendori eſſe debuit & honori,ad hoc tamen compulſi ſunt , ut nolint eſſe Romani ? & hinc eſt , quòd etiam hi qui ad barbaros non confugiunt, barbari tamen eſſe coguntur ; ſcilicet,ut eſt pars magna Hiſpanorum , & non minima Gallorum,omnes deniq; quos per univerſum Romanum orbem Romana fecit iniquitas non eſſe Romanos.

De Bagandis nunc mihi ſermo eſt , qui per malos judices & cruentes ſpoliati, afflicti, necati, poſtquam jus Romanæ libertatis amiſerant, etiam honorem Romani nominis perdidere.& imputatur his infelicitas ſua , imputamus his nomen calamitatis ſuæ, imputamus nomen quod ipſi fecimus , & vocamus rebelles , vocamus perditos , quos eſſe compulimus criminoſos. quibus enim aliis rebus Bagandæ facti ſunt, niſi iniquitatibus noſtris, niſi improbitatib. judicum , niſi eorũ proſcriptionibus ac rapinis qui exactionis publicæ nomen in quæſtus proprii emolumenta verterant,& indictiones tributarias prædas ſuas eſſe fecerunt ; qui in ſimilitudinem immanium beſtiarum , non rexerunt traditos ſibi, ſed devoraverunt ; nec ſpoliis tantum hominum , ut plerique latrones ſolent,ſed laceratione etiam , & ut ita dicam , ſanguine paſcebantur:ac ſic actum eſt , ut latrociniis judicum ſtrangulati homines & necati , inciperent eſſe quaſi barbari , quia non permittebantur eſſe Romani : acquieverunt enim eſſe quod non erant , quia non permittebantur eſſe quod fuerant , coactique ſunt ſaltem vitam defendere , quia jam libertatem videbant penitus perdidiſſe , &c. *Libro quinto de gubernatione Dei.*

Ennodius. Serranum ſcipionibus aratra pepererunt:qui dum grandia ſulcis ſemina commendaret , honorum ei meſſis oborta eſt.Sed minus diligo proſpera, quæ ſumunt à deſperatione principium. *Paneg. Theod.c.5.a.f.*

Idem: Scimus,& profunda conſideratione perſpeximus , juvenem iſtum non oportere pro ætatis immaturitate cenſeri ; nec debere gravis conſilii hominibus teneros pro quadam obice annos afferri.

Vir namque cana morum integritate probabilis geminata laude dignus eſt , ſi illi ad venerabile mentis imperium puerile corpus obtemperet. *in Vita Epiphanij cap.12.m.*

Io.Sariſber. Quaſi qui mittit lapidẽ in ac[illegible]rvum Mercurii, ſic qui dat inſipienti honorem.Hoc à diverſis diverſo modo exponitur.Ego ſapientiorum venia impetrata , acervum credo Mercurii , in quo conſiſtit ratio calculandi , qua Mercurius numen eorum eſt, qui negotiationem exercent, & ratiociniis ſuis diligenter invigilant.

Mittere ergo lapidẽ in acervum, quo regitur ratio calculãdi, eſt totam

totam turbare calculi rationem:& honorem conferre inſipiēti, eſt reipublicæ ſubvertere vitam. Et impoſſibile eſt, ut alios utiliter regat, quem proprius ſubvertit error. Ait enim, ubi non eſt gubernator, populus corruet. Et alibi, Rex inſipiens perdet populum ſuum, & civitates habitabuntur per ſenſum prudentium.

Idem : Fertur dixiſſe Plato , perinde eſt cum ſubditos opprimit magiſtratus , ac ſi caput corporis intumeſcat, ut à membris aut omnino, aut ſine moleſtia ferri non poſſit. Hanc autem paſſionem ſine graviſſimo dolore membrorum tolerari vel curari, impoſſibile eſt. Si vero incurabilis fuerit paſſio, ſic vivere quàm mori miſerius eſt. Miſeris autem nihil utilius eſt, quam utcumque finire miſeriam. Idem quoque dixiſſe legitur, cum in ſubjectos poteſtas ſævit, idem eſt ac ſi tutor pupillum perſequatur, vel eum ſuo mucrone jugules, ob cujus defenſionem, ab eodem traditum tibi gladium accepiſti. Rem namque publicam frui jure pupilli percelebre eſt, & eam tunc demum rectè procedere, cum caput eius ſe in utile eſſe cognoſcit, niſi fideliter membris cohæreat. Hæc ille, & quidem eleganter & verè. Sed ut mihi videtur, cohærentia fidelis firma eſſe non poteſt, ubi non eſt unio tenax voluntatum, & quaſi ipſarum animarum conglutinatio. *Libro Policratici quinto, capite ſeptimo.*

Io. Sariberienſis : Tolle, inquit, cunctos principes populi , & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis. Peccaverat quidem populus, & fornicatio principum non exprimitur ; rapi tamen præcipiuntur principes ad patibulum , & in pœna eorum quies delinquenti populo reparatur ; eò quod ex negligentia præſidentium ſæpiſſimè provenit exceſſus ſubditorum. Refert itaque poteſtatis iſtorum cohibere malitiam & eiſdem de publico providere, ut omnis graſſandi occaſio ſubtrahatur. quod & in jure Romano antiquitus cautum eſt: alioquin auctor videtur maleficii, quod prætermiſſo officio emendare contemnit. *lib. 5. Policratici cap. nono.*

Idem: Rem politicam legitur Socrates inſtituiſſe, & in eam dediſſe præcepta , quæ à ſinceritate ſapientiæ, quaſi quodam fonte naturæ, manare dicuntur. hoc autem in ſumma colligitur, ut quæ in repub. humiliora ſunt, majorum officio diligentius conſerventur. *l. 6. c. 26. Policratici.*

Idem : Accedit ut adverſus ſtomachum membra omnia totius corporis conſpirarent, tamquam adverſus eum qui voracitate ſua labores omnium exhauriret. Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, laboribus inſiſtunt manus, pedes ab itinere callum induunt, ipſaque lingua utiliter ſermonem & ſilentium moderatur. omnia denique membra publicis invigilant commodis, & in tanta ſollicitudine omnium & labore, ſolus quieſcit venter ; & cum omnia parata fuerint quæ labor multiplex acquiſivit, ſolus omnia devorat & conſumit.

Quid multa ? Condixerunt ut à laboribus abſtinerent, & gravi inedia conficerent illum inertem & publicum hoſtem. Exacta eſt ſic una dies, ſecuta eſt altera tædioſior. Tertia adeo pernicioſa fuit, ut fere omnibus defectum indiceret. Vrgente itaque neceſſitate, fratres iterum in unum convenerunt, acturi de ſalute ſua, & hoſtis publici ſtatu. Cum vero omnes aſſiſterent , oculi languerunt, pes molem corporis non erexit, torpebant brachia, ſed & ipſa lingua iners & deficienti palato ſociata, cauſam communem exponere non præſumpſit. Ad cordis ergo conſilium omnia redierunt , ibique habita deliberatione , ratio patefecit, quoniam hæc mala ingerebat , qui ante denunciatus fuerat publicus hoſtis. Ex quo enim ei tributa ſubtracta ſunt, & ipſe quaſi publicus diſpenſator, omnibus alimenta ſubduxit. Et quia nemo poteſt ſine ſtipendiis militare, cum ſtipendia non procedunt, debilitatur & frangitur miles.

Sed nec in diſpenſatorem poterat culpa refundi , qui quod non acceperat, minimè potuerit aliis erogare. Longeque tutius eſſe, ut ei quod diſtribuat miniſtretur , quam illo evacuato omnia mēbra eſuriant. Factumque eſt ita: ſuadente ratione impletus eſt venter, refocillata membra, & pax omnium reformata. Abſolutus eſt itaque ſtomachus, qui licet vorax ſit , & avidus alieni, non ſibi tamen petit, ſed aliis, quæ eo exinanito nequeunt ſuſtentari. Tale eſt inquit frater ſi recte attendas in corpore reipublicæ, ubi licet plurimum appetat magiſtratus, non tam ſibi quam aliis coacervat. Si enim exinanitus fuerit , nihil eſt quod membris valeat impartiri. Nam ſtomachi in corpore, & principis in republica idem officium eſt, juxta illud Q. Sereni :

Qui ſtomachum regem totius corporis eſſe
Contendunt, vera niti ratione videntur
Huius enim validus firmat tenor omnia membra.
At contra eiuſdem franguntur cuncta dolore,
Quin etiam niſi cura juvet, vitiare cerebrum
Fertur, & integros illinc avertere ſenſus.

Noli ergo neque noſtrum, neque ſecularium principum duritiam metiri , ſed omnium utilitatem attende. *libr. 6. Policratici capite 24.*

¶ Philosophorum Oratorumq. Graecorum.

Phalaris Steſichoro. Tu Steſichore nec in carminibus, nec alibi mentionem noſtri facias. Nihil enim malo, quàm ut de noſtris rebus ſilentium agatur. De reliquis nihil equidem laboro, quæ vel tu in animum induxeris , vel in mentem memoriamque Deus redegerit. Rempublicam fuge vitaque, quantum poteris, omnium maximè. Nos enim ob oculos tibi pone. qui cùm fœliciſſima conditione videremur eſſe, his ipſis moleſtias malumque mihi paratum memini. Quòd ſi ego meritò in eum locum tibi deſidiſſe videor, quòd ultrò regnum affectarim: tibi verò, cùm in rem patriæ ſervādamque Democratiam Reipubl. negotia tractes, nihil eventurum infortunii damnique arbitraris , à nobis quidem jam animum averte Steſichore : in teipſum verò intentis oculis cogitationibuſq; reſpice. Non enim quiſquam honeſtioribus rationibus adductus, aut ſynceriore via profectus ad Rempubl. acceſſit, quàm tu. Sed tamen veniat in mentem tibi, quæ temporibus exactis paſſus ſis, quæque paſſurus fuiſſes, niſi me talem hoſtem habuiſſes. Atqui pulchrum eſt, & utile ; cùm facilibus proſperiſque ventis te fortunæ arbitrio committere.

Neque enim tu jam aut Tyrannus Himerenſium, aut infectus omnibus es, quemadmodum nos ſumus, verùm in Republ. gerenda verſaris & in amicorum cætibus: ut tute quidem putas, quorum cauſa noſtras immicitias in te recepiſti. Atque ego, cùm Tyrannidem obtineam & jam poteſtas detur neque ipſos propter te neque teipſum peto: ſed tamen quibus te malis afflixerint, perpende. Sin mavis hominem beneficiis plurimis à ſuis civibus affectum, malis verò nullis, nullamque ingratitudinem expertum ut tu , cōſidera. Diſces enim profectò, tales viros eſſe, quicunque relictis Rebuſpub. ad privatarum rerum curā ſe convertunt, quiq; ſuarum partium arbitrantur eſſe, nihil facere aliud quàm quòd delectationis voluptatiſq; habeat plurimum. *Epiſt. 146.*

Plato. Reor equidem hominem conſulentem ægroto & circa victum intemperato, in primis hoc ſuadere debere, ut modum vivēdi mutet: ac ſi ægrotus in hoc obediat, tunc alia jam illi ad medelā conferre. At ſi parere nolit, tunc conſulentem ipſum virum putabo & medicum ſi eum omiſerit: quòd ſi conſulendo ulterius perſeveraverit, contra putabo: ignavum ſcil. atq; artis expertem. Idē quoq; de civitate, ſive unus eam gubernet, ſive plures, exiſtimo. Si enim probabili quadam ratione rectaque via incedenti, populo utile aliquid conſulatur, id quidem agere, ſapientis officium arbitror. Sin autem penitus à civili ratione deſciſcat, neq; veſtigia quidem ejus ſequi velint, dicantq; conſultori: præſtare ut Rempub. omittat, neque quicquam in ea commoveat , utpote ſi commoverit perituro: voluptatibus autem libidinibuſq; ipſorum indulgeat: atq; ea ratione conſulat, qua facilimè ſemper celeriterq; ſatis eorum voluptatibus fiat: equidem eum qui in ejuſmodi gubernatione perſteterit, nequaquam virum putabo: ſed eum potius qui prorſus omiſerit. *Epiſt. 7. ad Dionis propinquos.*

Plato: Te narraverunt permoleſtè ferre, quòd à publicis civitatis occupationibus liberari non valeas. Quòd verò dulciſſimum vitæ genus ſit, agere ſua, præſertim ſi quis talia elegerit facienda, qualia tu, omnibus fermè eſt manifeſtum. Sed illud quoq; te conſiderare oportet: nullum noſtrûm ſibi ſoli natum eſſe : ſed ortus noſtri partem ſibi patriam vendicare : partem parentes: partem amicos. Multa inſuper pro temporum diverſitate nobis accidere : quibus vita noſtra occupata eſt. Vocante igitur te patria ipſa ad Rempubl. gubernandam, abſurdum forſan eſſet non parere, præſertim cùm ſimul accidat, ut aditus pravis hominibus relinquatur, qui nulla ipſius quod optimum eſt ratione proficiſcuntur ad publica. *Epiſt. Duona ad Architam.*

Xenophon: Cęterum Glauconem Ariſtonis filium, quum is necdum viginti natus annos oratoris uſurpare munus , ac præſes eſſe civitatis cuperet, nemo ab hoc inſtituto poterat abducere , quāquā alios & propinquos, & amicos haberet, ac de tribunali detraheretur, planeq; ridiculus eſſet. Hunc Socrates , qui ei bene cuperet ob Charmidem Glauconis filium, & ob Platonem, ſolus ab hoc inſtituto avertit. Nam quum in eum incidiſſet, primū verbis huiuſmodi prolatis detinuit hominem, ut ſe audire vellet. Præeſſe civitati noſtræ cogitas, mi Glauco ? Cogito equidem mi Socrates, inquit, Profecto, ait Socrates, ſi quid aliud humanis in rebus, hoc certe præclarum eſt. Perſpicuum eſt enim , futurum, ut ſi hoc impetres, & ipſe conſequi poſſis ea, quæ concupiveris , & amicis uſui eſſe, & familiam paternam extollere, & amplificare patriam. Præterea celebritatem nominis primum in hac urbe adipiſceris, deinde in Græcia, ac fortaſſis etiā, uti Themiſtocles, apud barbaros. Vbicumque autem fueris, nuſquam non eris illuſtris. Hæc quum audiret Glauco, efferebatur animo, lubenterque manebat apud Socratem, Is vero deinde: Planum eſt omnino, ait mi Glauco, neceſſarium eſſe, ut ſiquidem eſſe in honore velis, aliquam reipubl. utilitatem adferas. Omnino, ait. Non igitur rem cælaveris per Deos, inquit Socrates, ſed dicito nobis, unde principium adficiendi beneficiis rempubl. facturus ſis. Heic quum Glauco ſubticeret, ut qui tum conſideraret, unde potiſſimum inciperet: An non, ait Socrates, perinde ac, dum amici domum vis amplificare, locupletiorem efficere niteris, ita & civitatē conaberis opulentiorē reddere? Omnino, inquit. Fueritne igitur opulentior, ſi proventus ei plures accedāt? Hoc quidē conſentaneū eſt, ait. Dic ergo, quib. ex rebus nūc civitas hæc proventus habeat, & quanti ſint. Nam planū eſt, hæc te cōſideraſſe, ut ſi quidā ex eis exigui ſint eos tu expleas: ſi qui autem amittūtur, eos rurſus compares. Ego vero, ait Glauco, nunquam hæc profecto

cōſideravi. Quod ſi hoc neglexiſti, ait Socrates, ſaltim ſumtus, quos facit civitas, nobis exponito. Nam certum eſt, cogitare te iam, ut ſupervacaneos tollas. Ne his quidem, ait, umquam vacavi. Ergo, ſubjecit Socrates, differamus aliquantulum rationem locupletandæ reipublicæ. Nam qui poſſit fieri, ut harum rerum curam aliquā ſuſcipiat is, qui & ſumtus, & proventus ignoret?

Verum mi Socrates, inquit Glauco, poteſt etiam ab hoſtibus respublica reddi locupletior. Ac vehementer quidem, ait Socrates, ſi quis eos ſuperet. At ſi eis inferior ſit, etiam ſua amiſerit. Vere dicis, inquit. Ergo qui de bello gerēdo adverſus illos, quos oppugnari neceſſe eſt, deliberat; eum civitatis & adverſariorum vires habere cognitas oportet, ut ſi majores ſint civitatis, bellum ſuadeat: ſin eæ minores ſint quam hoſtium, auctor ſuis ſit, ut caute agant. Recte dicis, ait. Ergo nobis primum indicato, ſubjecit Socrates, quę huius civitatis tum pedeſtres, tum navales ſint copiæ; deinde, quæ adverſariorum. Ego vero, inquit, non poſſum hoc tibi profecto de memoria promptum exponere. At ſi quid conſcriptum habes profer, ait. Nam lubens hoc audiero. At ne conſcriptum quidem hoc umquam eſt à me, inquit. Ergo, ſubjecit Socrates, etiam deliberationem de bello nōnihil initio ſuſpendemus. Nam ob rei magnitudinem fortaſſe nondum explorati quidquam habes, præſertim quum nuper adeo præeſſe reipublicæ ceperis.

Ceterum cuſtodiam regionis hujus ſcio tibi curæ fuiſſe, teque tenere, quot ejus præſidia ſint opportuna: nec ne: quod præſidiarii milites ſufficiant, quot non: denique conſulere te, ut opportuna præſidia adaugeantur, ac ſuperflua tollantur. Immo vero, ſubjecit Glauco, equidem tollenda univerſa arbitror, quod ita cuſtodiant, vt ea quoque adtingantur, quæ noſtro in agro ſunt. At ſi quis præſidia tollat, inquit Socrates, an non exiſtimas civis rapiendi poteſtatem fore? Tu vero num profectus eo, rem inveſtigaſti, aut quomodo ſcis eos malas excubias agere? Conjicio, inquit. Ergo de his quoque tum deliberabimus, quum non amplius utemur conjectura, ſed cognitam rem habebimus. Fortaſſis hoc fuerit potius, ait Glauco.

In argentifodinas quidem certe, ſubjecit Socrates, non veniſſe te ſcio; ut dicere poſſis, quamobrem nunc minus inde, quam antehac, proveniat. Equidē eo non ſum profectus, ait. Profecto, inquit Socrates, fertur is locus eſſe gravis. Quamobrem ubi de hoc conſultandum erit, hæc tibi excuſatio ſufficiet. Hoc equidem meditor, ait Glauco. Et Socrates: Hoc autem, ait, non neglexiſſe te ſcio, ſed omnino conſideraſſe, quam diu frumentum, quod noſtro in agro naſcitur, ad alendam civitatem hanc ſufficiat, quantumque præterea in annum requiratur: nè te inſcio civitas ejus inopia laboret; ſed quia tibi de hoc conſtiterit, conſulendo reipublicæ de neceſſariis rebus proſpicere, eamque conſervare poſſis. Rem magnam dicis, ait Glauco, ſi quidem erit etiam talium habenda cura. Enimvero, ſubjecit Socrates, ne ſuam quidem domum recte quis adminiſtraverit, ſi non omnia, quibus opus ſit, teneat; & omnia diligēti cura ſuppleat. Sed quum civitas ex pluribus, quam decies mille domibus conſtet, ac difficile ſit, tot domuū curam ſimul habere, cur non patrui tui domum unam primum augere conatus es? Te quidem ille rogat. Id facere ſi poſſis, etiam ad plures animum adjicies. Sin uni prodeſſe nequeas, qui pluribus proſis? Quemadmodum ſi quis unum talentum geſtare nequeat, cui non manifeſtum eſt, huic ne conandum quidem eſſe, ut plura geſtet? Ego vero, ſubjecit Glauco, prodeſſem patrui familiæ, ſi mihi vellet obtemperare. Ergo, ait Socrates, quum patruum perſuadere non poſſis, effecturum te putas, ut Athenienſes univerſi, una cum patruo, tibi pareant? Cave mi Glauco, inquit, ne gloriæ cupiditate in contrariū prolabaris. An non vides, quam periculoſum ſit ea vel dicere, vel agere aliquem, quæ ignorat? Etiam de aliis, quoſcumque tales noſti, cogites velim, quales eſſe videantur, dum vel dicunt ea quæ neſciunt, vel tractant: num tibi videantur propterea laudem potius, quam vituperationem conſequi; atque utrum in admiratione magis, quam in contemtu eſſe. Itidem cogites velim de iis, qui norunt, quidquid vel dicunt, vel agunt. invenies, mea quidem ſententia, in omnibus actionibus eos, qui cum gloria ſunt, & in hominū admiratione, maxime ex illorum eſſe numero, qui rerum periti ſunt: inglorios autem hominumque contemtui expoſitos, ex imperitiſſimorum eſſe numero. Quamobrem ſi & clarus eſſe vis in republica, & in hominum admiratione, inprimis operam dato, ut ea noris, quæ ſuſcipere cogitas. Nam ſi ceteris in hoc præſtans, tractare negotia reipublicæ ceperis: mirum mihi non videbitur, ſi facile conſequaris ea, quæ concupiſcis.

Quum autem videret Charmidem, Glauconis filium, hominem eſſe quantivis pretii, multoque magis idoneum aliis rempublicam tunc gerentibus, qui tamen populum accedere, reique publicæ negotiis operam dare formidaret: Dic mihi mi Charmides, inquit, ſi quis, quum in certaminibus, quæ coronas præmii loco referunt, potiri victoria poſſit, eaque re tum ipſe honorem conſequi, tum patriam in Græcia illuſtriorem efficere, decertare nolit; qualem exiſtimes hunc hominem eſſe? Certe mollem, ait, ac ignavum. At ſi quis, quum poſſit negotia reipublicæ capeſſendo tum civitatem amplificare, tum ipſe hac via mereri honorem, hoc tamen facere reformidet; an non is merito pro ignavo habeatur? Fortaſſis, inquit. Ceterum quamobrem hæc tu me interrogas? Quod te, ait, poſſe quidem arbitrer negotia reipublicæ procurare, verum id præ ignavia reformidare: licet eorum participem eſſe te neceſſe ſit, quum ſis civis. At quonam ex facinore, ſubjecit Charmides, virtutem meam cognitam habes, qui hoc modo de me ſentias? Iis, inquit, ex congreſſibus, in quibus adeſſe ſoles illis, qui rempublicā adminiſtrant. Etenim ubi quid tecum communicant, video te rectum conſilium dare; atque ubi peccant, recte illos reprehendere.

Non idem eſt mi Socrates, inquit, privatim diſſerere, & apud multitudinem certare. Atqui, reſpondit Socrates, qui numerare poteſt, nihilo minus apud multitudinem, quam ſolus numerat: & qui privatim cithara canunt elegantiſſime, iidem apud multitudinem primas ferre poſſunt. Tu vero non vides, inquit, verecundiam ac metum à natura hominibus ineſſe, multoque magis hæc in publico, quam privatis in congreſſibus nobis eſſe moleſta? Ego vero te docere exorſus ſum, inquit, quod neque prudentiſſimos reveritus, neque potentiſſimos metuens, inter ſtultiſſimos ac maxime imbecillos verba facere erubeſcas. Num eos, qui ex illis fullones ſunt, vel ſutores, vel fabri, vel artifices ærarii, vel agricolæ, vel mercatores, vel qui negotiantur in foro, & quid minoris emere poſſint, ut pluris vendant, cogitant, revereris? Nam de his omnibus conſtat certe concio. Et quid intereſſe putas inter hoc, quod tu facis, atque ſi quis eorum qui adſiduo ſemet exercent, longe aliis ſuperior, imperitos metuat? nimirum quum inter principes reipublicæ, quorum nonnulli te contemnunt, facillime diſſeras, longeque ſuperes illos, qui magna cura perorare ad cives volunt, inter eos loqui reformidas, qui numquam rerum civilium ſtudioſi fuerunt, neque te contemſerunt, metuens ſcilicet, ne deridearis. Quid autē? reſpondit Charmides, an non tibi videntur in comitiis ſæpenumero recte perorantes irrideri? Nimirum ab illis aliis, reſpondit Socrates. Quæ cauſa eſt, quamobrem te mirer illos quidem, quum hoc faciunt, vincere: cum his autem putare te nullo modo poſſe agere. Noli teipſum, vir optime, ignorare: nec in illis delinque, in quibus maxima pars ſolet delinquere. Nam multi magno ſtudio excitati ad conſiderandum aliena negotia, non eo ſe convertunt, ut ſeipſos explorent. Itaque ne hoc per ignaviam negligas, ſed magis enitere, ut teipſum reſpicias: nec reipublicæ curam abjice, ſi qua parte poterit ea per te juvari. Nam ſi recte id curetur, non modo cives ceteri, ſed amici etiam tui non parum ex te utilitatis capient. *c. 20. l. 3. Memorabilium.*

Xenophon. Dicebat Socrates, ſtultorum eſſe hominum, magiſtratus civitati faba præficere: quando nemo fabarii navium gubernatoris opera velit uti, neque fabri, neque tibicinis, neque aliis in rebus talibus, in quibus ſi erretur, multo minora detrimenta capiantur, quam ſi peccetur in republica. *Lib. 1. Memorabilium cap. 6.*

Xenophon: Rurſus quum interrogaret Socratem Antipho, quo pacto ſe alios rerum civilium peritos efficere putaret, quum ipſe reipublicę negotia non adtingeret, ſiquidem ea ſe poſſe gerere ſciret: Vtro, inquit, modo reipublicæ negotia magis tracto, mi Antipho? an ſi ſolus id faciam, an vero ſi dem operam, ut plurimi ad ea tractanda ſint idonei? *c. 38. l. 1. Memorab.*

Xenophon: Socrates, ſtultum dixit exiſtimare, exigui quidem momenti artes abſque magiſtris idoneis percipi à ſtudioſis haud poſſe: cum imperio autem civitati præeſſe fortuitò poſſe homines quod quidem opus ſit omnium maximum. *c. 3. l. 4. Memorab.*

Lyſias: Denique operæ pretium fuerit conſiderare quo ingenio fuerit pater, quoſcunque enim ſumptus, præter neceſſarios, facere aggrediebatur, eo relati intelligentur, ut civitati inde honor accederet. Simulatque equitare cœpit, non ſolum exquiſitos ſibi equos comparavit; verùm etiam ita ſe geſſit, ut athletico certamine in Iſthmiis & Nemæis victor extiterit; ita ut civitatis laus prædicaretur, & ipſe coronaretur. *cap. ult. orat. de bonis Ariſtophan.*

Lyſias: Cleophontem omnes noſtis Reipublicæ negotia omnia in manibus habuiſſe, putabaturque prius quoq; multa poſſediſſe: illo autem mortuo nullæ inventæ ſunt opes: ſed propinquos & affines, quib. ſi quid erat, relictum fuit, conſtat eſſe pauperes. Adhæc ſcire vos exiſtimo, quod Alcibiades quatuor aut quinque annos cōtinenter militare imperium obtinuerit, Lacedæmonioſque vicerit, & altero tanto majus ſtipendium quam ulli Imperatorum alii, civitates ipſi dederint, itaq; exiſtimabant ipſum habere plus quàm centum talenta: quod hoc mortuo falſum eſt deprehenſum. Pauciores enim facultates liberis reliquit, quàm ipſe à tutoribus acceperat. *c. 14. & 15. Orat. de Ariſtoph. bonis.*

Lyſias: Equidem diligenti vitæ inquiſitione præmiſſa, ad magiſtratum admiſſus ſum. *c. 1. Orationis apologeticæ 20.*

Lyſias: Talem me Reipublicæ præbeo, ut privatim meis parcam, publicè lubens ſumptus faciam. *c. 7. orat. apologetica. 20.*

Lyſias cap. 8. orat. apologeticæ 20. Verùm dicat fortaſſe quis, quod ſæpius magiſtratu functus locupletior evaſerim; aut iniquis controverſiis in judicio alios oppreſſerim; aut inhoneſtæ alicujus rei auctor fuerim; aut ex Reipub. incommodis mea mihi commoda comparaverim & oblectamenta. At ego in omnibus tam privatis, quàm publicis ita me ſemper in Rep. verſatum eſſe confido, nec id vos ignorare; ut nulla mihi opus ſit excuſatione. Rogo igitur vos, Iudices, ut idem quod olim, de me nunc etiam ſentiatis, & non ſolum publicorum miniſteriorum, ſed privatorum quoque meorum ſtudiorum memineritis; puteti ſque illud eſſe non exiguæ operæ munus, ſemper ſe moderatum & temperantem

perantem præbere,ut neque à voluptate vincatur, neque quæſtu & pecuniis extollatur:ſed talẽ ſe exhibeat,ut nullus civium aut obtrectare,aut in jus vocare auſus fuerit.

Lyſias: Et accuſant quidem eum,quod ſæpe magiſtratu functus ſit. at nemo demonſtrare poteſt,quod eo malè functus ſit.Ego autem arbitror hos non delinquere,qui ita ſe gerunt,ſed eum potius, qui licet raro fuit magiſtratus, male adminiſtravit rempublicam. non enim qui bene præſunt, ſed qui malè perdunt civitatem. *c.2. orationis pro Polyſtrato 19.*

Lyſias: Non negligenter hoc probationis negotium tractare, neque vilipendendo minorem ejus curam gerere oportet,ſed diligenter potius obſervandum, quod in legitimo & juſto cujuſque imperio, tam Reipublicæ quàm univerſi populi ſalus conſiſtat. *Sap.4.orat. 25. de probatione Evandri.*

Lyſias cap.2.Orationis 29. in Nicomachum: Sed hic, ſumma ſibi auctoritate ſumpta, ſolus,inter omnes Magiſtratus,eorum, quæ geſſit, rationem non reddidit. Alii, Magiſtratus ſui rationes ad ærarium deferunt:tu autem, Nicomache, ne quatuor quidem annorum res in acta referri voluiſti;ſed uni civium tibi licere putas, Magiſtratu longo tempore fungi,nec rationem reddere, nec decretis parere,nec legibus teneri.

Lyſias cap.2.Orat.30.in Philonem: Ego aſſero nullos Senatui eſſe idoneos,cujus eſt de nobis ſtatuere,quàm qui huic negotio ſe totos dedunt,huic uni ſtudent: Qui maxime ad ſe pertinere putant, civitatem hanc Proſpere agere, etiam ſuo incommodo; ſibi perſuadentes fieri non poſſe, quin malorum in Rep. participes ſint, ſicut & bonorum. Nam qui natura quidem cives ſunt, ſed in ea ſunt ſententia,ut quamvis regionem ſibi eſſe patriam exiſtiment, in qua ſuis commodis conſulere queunt;de his ſatis conſtat, quod neglecto communi civitatis bono, privata ſua lucra ſunt quæſituri; cùm non civitatem, ſed facultates & divitias ſibi patriam cõſtituunt.

Apollonius AEſtiao: A Patriis laribus optima cum fortuna quàm longiſſimè abſumus. Adhuc tamen Reipubl.res ſtatumque mente ac memoria teneo. Fatum ad finem hominum properat, qui primum honorem ſunt conſecuti. Nam initium fit à pueris, & paulò poſt hos ſunt adoleſcentes.Hic jam periculum eſt ne perniciem & exitium rebus adoleſcentum gubernatio concilier. Tibi verò nihil eſt periculi,quoniam viximus.*Epiſt.80.*

Ariſtides Rhetor: Sola quoque urbs Athenarum jus non immutavit,nec ea quæ natura erant tertia, lege prima fecit, more quorundam,qui ſe Philoſophos vocant;& cùm de rebus his ita loquãtur,factis tamen reſiliunt, & potentiorib.ubiq; concedunt:ſed eos tũ ad magiſtratus evexit,tum honoribus omnibus eſt dignata, qui moribus eſſent probiſſimis, non qui cenſu maximo; quaſi virtutis præſtantia punctum omne ferret.Id autem in ſumma potentia ſua oſtendit maximè. etenim cùm in ipſa multi florerent iiſdem temporibus viri, qui partim eſſent omnium Græciæ familiarum ditiſſimi, partim pauperrimi; ex his quendam Græciæ præfecit, qui & ſibi rerum geſtarum,& ipſi judicii laudem pepererit.*circa finem orationis Panathenaicæ.*

Ariſtides Rhetor: Attamen Solon cùm poſſet in civitate ſeditione laborante alterutri parti imperare, ab utriſque maluit propter æquitatem odio haberi: ac tum à divitibus quantum opus erat,abſtulit, tum populo non,quantum volebat,conceſſit, ac medium fortiſſime pariter & juſtiſſime ſervavit, quaſi geometricos quoſdam circumſcriptos intueretur terminos: nec vel potentiorũ metus,vel honor populi, vel aliud eum quicquam dimovit, aut incitavit,ut aliquid præter id,quod optimum videretur, ageret.uſq; eo nec ipſe privati commodi cauſa concionandum putabat,&ut aliorum cupiditati ſerviret,ab eo aberat longiſſime.

Epictetus: Quod reipub.debetur, id ultrò confer priuſquam poſtuletur:ſic nunquam abs te poſtulabitur quod non debetur. *apud Stobæum.*

Epictetus apud Stobæum: Vt navim gubernaturus, omnino gubernandi artem perdiſceres: ſic rẽpubl. adminiſtraturus, urbis regendæ rationem diſcito. nam ut ibi quamvis navem; ita heic quamvis urbem,arte utriuſque rei cognita,regere poteris.

Arrianus: Omitte iſta homo; in principe urbe degis:ſunt tibi gerendi magiſtratus; eſt juſtè judicandum, eſt abſtinendum alieno:nulla tibi mulier præter tuam formoſa videri debet;nullus puer,nullum vas argenteum,nullum aureum. Verùm ego dives ſum, nec ulla re porrò egeo. Quid ergò adhuc philoſophari te fingis? Satis tibi ſunt aurea atque argentea vaſa, quid tibi opus eſt decretis? Imò & prætor Græcorum ſum.Noſti judicare? unde ſcientiam eam conſecutus es? Cæſar mihi codicillum ſcripſit. Scribat tibi,ut de Muſicis judices.Et quem inde fructum capies? Tamen quo pacto prætor evaſiſti? cujus manum oſculeris? Symphori an Numenii? Ante cujus thalamum dormiiſti?cui munera miſiſti?Non animadvertis tanti eſſe pretii præturam, quanti eſt Numenius?At quem voluero,in carcerem conjicere tanquam ſaxum poſſum. At poſſum fuſtibus cædere,tanquam aſinum. Non eſt illud imperiũ in homines: ſic impera nobis tanquam ratione præditis: oſtende nobis,quid expediat;& ſequemur &c. *c.7.l.3.Epict.*

Arrianus: Alius timet ne careat magiſtratu: tu verò ne ſit gerendus tibi magiſtratus. Nequaquam homo, ſed quemadmodum derides metuentem ne magiſtratu careat; ſic teipſum quoque deride. neque enim quidquam intereſt, ſive ſitire,ut febricitantem, ſive ut rabidum formidare aquam. nam alioqui Socraticum illud uſurpare quei potes: Si Deo ita viſum eſt, ita fiat. *capit.4. lib.4.*

Dio Pruſæus: Philoſophos,ajunt,dicere, quod ſolus ſapiens εὐδαίμων, hoc eſt felix ſit. Dicunt plane.Ergo ne vera tibi videntur dicere? Mihi ſanè. Quare ergo non mihi quoque indicas illorum ſententiam? Si tu mihi primum dixeris, quid exiſtimes eſſe δαίμονα,hoc eſt,Genium. Ego ſanè arbitror eſſe id quod cuique imperat, & ſecundum quod vivit hominum unuſquiſque tam liber quàm ſervus, tam dives quàm pauper,tam rex quàm plebeius,facitque quæcunque facit. Hoc autem in ipſo putas eſſe homine, quod cuique imperat, quem Genium vocas:an extra hominem, cujus imperator &dominus eſt?Extra equidẽ.Hominẽ ergo alterũ? Eſt enim alicubi homo qui uni imperet, eſt qui multis, ducitque quò & quomodo vult,ſive perſuaſione,ſive violentia, aut utroque. Dico autem nihil incognitum, ſed de oratoribus,quibus civitates in omnibus obediunt: & ùt illi exponunt & conſulunt, ita faciunt, ſive bellum ſuadeant ſive pacem, ſive mœnia ædificare, ſive triremes apparare, ſive ſacrificia facere, ſive ejicere quoſdam ex ipſis, ſive pecunias auferre, aut etiam jugulare & reges & tyrannos. Similiter autem & de ſervorum heris, qui vel dato argento, aut alio modo quem poſſident. ut ſi Lycurgum Lacedæmoniorum Genium voces. Eo enim jubente, etiamnum flagris cæduntur Lacedæmonii, & ſub dio excubant, & ceſtibus pugnant, aliaque multa, quæ ſæva aliis videntur,perferunt. Et Piſiſtratum, Athenienſium olim.Noſti enim haud dubie,quod Piſiſtrato præcipiente &imperante, in civitatem quidem non deſcenderunt populus,ſed in regione commorantes agricolæ facti ſunt:& Atticam antea glabram & arborib.carentem oleis conſeverunt,Piſiſtrato mandante:& alia ut ille voluit,ſic fecerunt.

Poſtea verò fortaſſe alios illorum Genios quis dicat fuiſſe, & Themiſtoclem & Periclem. Haud dubie enim de hiſce viris audiviſti. De illo quidem Athenienſes navali prælio certare coegerit, quum antea fuiſſent pedites: & regionem & civitatem barbaris dimittere,& deorum templa majorumque ſepulchra, atque in navibus omnia ſua facere negocia: & poſtea Piræum mænibus circundare amplius nonaginta ſtadiis,& alia ſimilia mandavit illis, quæ partim eo uſque fecerunt, donec ille ſuperfuit, partim quoque eo in exilium profecto & defuncto. Et poſt hæc alios quoſdam fortaſſe Genios dices fuiſſe Athenienſium, ſcilicet Alcibiadem Cliniæ,& Niciam & Cleonem & Hyperbolum: & quoſdam quidem moderatores forte, quoſdam autẽ valde pravos ſævoſq;.Præterea quoque Cyrum Perſarum aliquanto tempore fuiſſe Genium, regium quendam & liberalem, qui eos antea ſervientes Medis in libertatem aſſeruit dominoſque effecit omnium in Aſia habitantiũ. Præterea & Cambyſen, & Darium,& alios deinceps. Et Cambyſen quidem, pecunias illorum dilapidantem, ſagittiſque illos confodientem,expeditioneſque imperantem difficiles & aſſiduas, & nũquam ſinentem manere domi: Darium autem,pecunias quidem quantum poterat plurimas colligentem, autoremque factum ut regio excoleretur; bella & hunc cogentem gerere difficilia & periculoſa; ſicuti (opinor) id fuit adverſus Scythas & Athenienſes.

Sic etiam Romani Numam ſuum poſſent Genium dicere. Carthaginenſes autem Hannonem & Hannibalem. Macedones quoque Alexandrum aut Philippum, qui Macedonas humiles & infirmos,ſuoque patre concedente Olynthiis principatum, fortes fecit & bellicoſos,& propemodum totius Europæ dominos. Alexander autem poſt illum in Aſiam ducens exercitum, ditiſſimos quoque omnium hominum eos effecit, ſimul & pauperrimos, & pariter fortes,& pariter infirmos, exuleſque & reges eoſdem, AEgyptum & Babylolem & Suſa & Ecbatana imperio addens, Aegas verò & Pellam & Dion auferens. Carthaginenſes autem Hanno fecit pro Tyriis eſſe Libyes, & Libyam habitare pro Phœnicia, & pecunias multas poſſidere, & plurima emporia & portus & triremes, & dominari latè terra marique. Hannibal autem præbuit, ut ad Libyam etiam Italiæ haberent imperium ſedecim annos. Rurſuſque autor fuit ut vaſtarentur, & urbs ipſa ſubjiceretur Romanis, multis anteá perditis Romanis,& propemodum ipſa etiam Roma capta ab illo. Noluit autem (ut ajunt) propter adverſas ſibi domi factiones. Et hunc fortaſſe neque Carthaginenſibus neque Romanis bonum appellare Genium convenit. Numa autem Romam accipiens parvam & ignobilem, inſuper & in aliena regione conſtitutam, civeſque habentem mixtos & pravos, & vicinis omnibus hoſtes, & pauperes & agreſtes & periculoſe viventes propter Romuli ſævitiam,ipſe eos terram firmiter retinere fecit, & amicos eſſe vicinis, legeſque Deos & rempublicam conſtituit, & omnis autor fuit ejus, quæ poſtea conſecuta eſt, felicitatis. Poſſem autem & de aliis dicere civitatibus & familiis & hominibus eodem modo, qui bene & male vixerunt propter principes quoſdam & præfectos, qui illis obtigerunt:ſed ſufficienter his mihi videor meam ſententiam oſtendiſſe. An ergo has voces Genios, eorum qui ſubditi illis fuerũt, & per quos unuſquiſque bona aut mala fortuna uſus eſt, libenter audirem. *Oratione XXV.*

Dio Chryſoſtomus Pruſæus: Et nemo putet hæc me ſimpliciter dicere,voſque hortari ut omnes perferatis, omniaque patiamini: ſed ut experiti veſtrarũ rerum facti nunc quoque melius conſulteris. Et de cætero ita poſtulate ab eo qui huc ad conſulendum pro-

cessit, ut non negligenter vobis, & ut in mentem venerit, quum nihil sciat, autor suasorque sit: sed ut omnia norit, & antè de omnibus consideraverit. Nam & medicum, qui omnia ægrotantis accuratè exquisivit, ut nihil illum lateat, eum verisimile est optimè curaturum. Quod igitur præsentia, attentione & meliore consiliario opus habeant, non iis qui propter fortunas aut argenti copiam aut genus accedunt, hinc tandem perspicite. Cum enim ne ipsi qui dum solidè consentiatis, neque multæ in gyro civitatis erga vos amicè sint affectæ, sed partim invideant, jam olim eosdem vobiscum petentes honores: partim oderint, eo quod dissideant nobiscum ob regionem: partim verò, quod haud scio quomodo se molestiam passas dicant: prætor autem putet se quidem meliora sapere circa vos ipsos, coacti autem sitis & antea in mutuas incidere offensiones: præterea quoque illud accedat invidiosum, quod civitatis magnitudine censemini, multaque quæ supersunt recuperare possitis, quomodo non propter hæc diligenti & considerato undique consilio indigetis? Quid ergo? An hæc cives perspicere & admonere non possunt? Vnde quæso? Nam si id quod fieri oporteret in civitatibus invenire possent præfecti, & qui rem publicam gerunt omnes utique semper bene gubernassent, nihilque malorum fuissent passæ civitates, nisi qua ultro quibusdam calamitas advenisset.

Cæterùm arbitror & olim & nunc plura inveniri posse civitatibus acerba accidisse, eo quod quid utile esset ignorarent: & præfectorum delicta peiora sunt iis, quæ divinitùs & à fortuna immittuntur. Hi enim nihil rerum necessariarum cernere valentes, neq; prius ulla de illis habita sollicitudine, ne vicum quidem eo quo oportet modo gubernare possent: alioqui quoque ob pecunias duntaxat aut genus coeuntes, accedunt ad remp. Quidam autem hanc sibi impositam putant curam, ut pecunias comportent, præsertim vulgi. Quo igitur citius congregent, calumnias struunt, & exactiones tantum, nullaque in re sunt aliis meliores. Maximum verò in rep. gerenda, nempe ut suas ad optimum statum utilitatemque patriæ curas conferant, non attendunt. Reliquum est, quod quidam remp. gerunt per gloriam & honores, utque plus possint quam alii, & coronas & primas cathedras purpureasque vestes affectant. Ad hæc respicientes, & ex his suspensi, talia faciunt, dicuntque ex quibus ipsi nomen assequantur.

Quapropter coronatos quidem multos videre licet in unaquaque civitate, & sacrificantes in publico, & procedentes in purpura: generosum autem & prudentem virum, & revera curam suæ patriæ gerentem, & mente præditum, veraque dicentem, & per quem melius habitetur, & boni aliquid civitas illi obtemperans accipiat perquàm rarò invenire licet.

Et hoc quodammodo necesse est ita evenire. Quum enim putent eos qui munera publica gesserunt, aut gesturi sunt, sibi oportere consulere, etiam si quis sit gymnasiarches, aut opifex quidam: atque huic soli permittant dicere, aut (per Iouem) iis qui appellantur rhetores: simile est, ut si præcones vocarent solos, aut citharædos, aut trapezidas. Quapropter homines gaudent & stulti, & vanæ gloriæ cupidi, & multitudinis tumultui inhiantes, nihil tuto concinnatum consilio dicunt: sed quasi in tenebris euntes, juxta plausum semper & clamorem feruntur? Atqui navium gubernatorib. si quis dicat, ut semper quærant placere vectorib. & plausu demulsi ab illis agãt ut illi velint, qui ita gubernẽt, nõ magna illis opus erit tempestate ut subvertantur. Persæpe enim homo rusticanus nauseans, aut muliercula, si videat petram, terram sibi vidisse videtur, aut portum, & obsecrat appellere.

Ego vero bonum consiliarium, quique dignus sit præesse civitati, oportere animo ad omnia simpliciter esse instructum, quæ difficilia existimantur, maximè autem ad convicia, & multitudinis iram: & similem eum esse promontoriis portum efficientibus, quæ omnem pelagi vim excipiunt, interiora autem immota & tranquilla conservant: ita & illum expositum esse populo, etiamsi aliquando irasci voluerit, etiamsi malè dicere, etiamsi quidlibet facere: nihil autem affici ab iis tumultibus, neque si quis laudibus extollat, propterea elevari: neque si contumelia affici videatur, de animi dejici magnitudine.

Quæ enim apud vos fiunt, hujusmodi non sunt, neque ego æqualiter audio, remp. gerentes hoc habere propositum, neque amplius ulla rerum est publicarum cura: sed hi quidem prorsus urgent, illi autem obiter accedunt, negocium duntaxat attingentes, ut qui fœderibus percutiendis manus admovent, haud tutum esse dicentes sese reip. consecrare. Atqui navem gubernare, aut fœnus exercere, aut agros colere nemo utique sufficienter queat, perfunctorium illud opus existimans, rempub. verò gerere tanquam dato ocio conantur, & omnia huic proponunt rei.

Nonnulli autem simulac in magistratum fuerint constituti, in eo solum quærunt aliquid attingere negocium, unde discedant gloriosiores, atque hoc unum spectant. Quamobrem ad sex menses vobis se fortes præstant viros, nonnunquam ne ex civitatis utilitate quidem. Itaque nunc quidem est hic, cui dicere permittitur: & huic statim deinde succedit alius, deinde item alius: & ante xxx. dies splendidus est, solusque dicitur curam gerere civitatis, neque eum videas accedentem ad concionem. Quemadmodum, puto, inter eos qui in pompa se ostentant, unusquisque sese spectari concupiscit, studetque huic rei donec prætereat: cumque paulum à turba secessit, deponit personam, unusque est ex aliis, & quomodocunque tandem recedit.

Oportebat quidem eum qui consulem agit, sex menses magistratus sui mensuram esse putare, (hoc enim lex jubet) remp. verò gerentem, benevolentiam erga vos curamque & studium pro reb. communib. nullo unquam tempore deponere, præsertim tam brevi: sed ad hoc ipsum sese exuere, semperque perdurare. Nunc autẽ, quemadmodum qui ventis è terra consurgentibus, immò ex caligine potius navigant, ita fertmini viri Tarsenses: neque huiuscemodi reipublicæ, neque huius navigationis firmi aut tuti habentes quicquam. Sufficere enim usque in omne tempus aut intervallum, istiusmodi nequeunt impetus. Sæpenumero enim navem submerserunt intempestivè irruentes. Oportebat autem civitatem ita magnam & illustrem habere, qui verè providerent. Ipsa enim à talibus in unum diem, tempusquè modicum durantibus oratoribus, nihil boni sperare potest.

De his quidem, & sexcentis aliis, multa quis dicere queat. Quoniam autem & ego ex eo quo huc peregrinatus sum die, vobis factus sum orator, præsertim talia increpans, cogor dicere quæ promisi, quæque novi præsentibus de rebus. Et primùm quidem ea quæ ad prætorem pertinent.

Eadem autem mihi de omnib. erit oratio. Ajo igitur, eos qui in tali sunt statu, quali nunc res sunt apud omnes, sic sentire convenire, ut neque omnia perferant, neque semetipsos simpliciter præbeant abutendum potestate fungentibus, quoquo modo velint: & tametsi in quodcunque contumeliarum avaritiæque genus procedant: neque rursus ita animatos esse, ut omnino nihil laturos. Neque enim expectandum est, ut Minos aliquis vobis nunc adveniat, qui justè judicet, dignamque vestri gerat curam. In omni quidem re intutum esse sibi succurrere, ad mancipia pertinet: & difficile est, si nulla cunctatio neque suspicio relinquetur iniquis & ingratis.

Multitudinem autem exosam haberi, & omnia inquirere, non pro vobis est. Si enim absque ratione aliquando in judicium vocare videamini, quis vestrum tandem promptus sit? Propter multas enim causas hoc contingere solet, vereorque ne prorsus loquẽdi libertatem amittatis. Videte autem eos qui circa Ioniam habitant, qui plebiscito sanxerunt ne ullam ob rem magistratus accusare liceret.

Oportet igitur eos qui sapiunt, omnia hęc prospicere: neque sicuti inexpertos pugnæ facile armis præsentibus dimissis, inermes esse in posterum, ut nihil quod faciant, habeant, etiamsi quis occidat. Istud quidem in universum dico, talem evocationem nequaquam conducere, juxta quam nihil amplius facere statuentes, in suspicionem præfectis venitis: sed quemcunque elegeritis, eum eximite. Et si videatur tam injurius esse, ut prætermittere non conducat, adversus eum vos accingite ut convicturi: animumque statim habetote ut adversus hostem, vobisq; insidiantem.

Porrò qui nulla in re injuriam facit, aut certè non in magnis delinquit, ut propterea inutilis censendus sit, eum ne irritare, neq; eò ducite ut civitati irascatur. Quemadmodum onera hæc (opinor) siquidem valde premant, & sustinere nequeamus, quàm ocyssimè quærimus abjicere: mediocri autem molestia affecti, videntesque necessitatem incumbere, ferre solemus: aut si hoc illo majus animadvertimus, quàm levissima sequi. Hoc civitatis modestè se gerentis officium est.

Ita & diligent vos complures, metuentque omnes injuria afficere: & non iniquam multitudinem, neque turbam inconsideratam vos esse censebunt, cupiditate quadam & impetu utentem. Hoc enim quod nunc facit consul, & omnino fatuum erat, si statuissetis accusare. Nondum enim opportunum, manifestè ita dissidere & prædicere.

Cæterum quoniam vestrorum quidam civium necessario tempore semetipsum præbuit civitati, clarusque habitus est, quod duos præfectos ex ordine peregerit reos, multi cẽsent tale sibi quoddam opus convenire. Hoc autem perinde est, ac si quis medicum videns in quoddam salubre pharmacum, particulam aliquam & mortiferi miscentem: nihilque aliud sciens, neque quomodo compositum sit, neque quantum sit accipiendum, vellet imitari, & rem maximam ex tempore agere. Tum præesse civitati putatis cujusvis esse, qui speravit, quod longe à talibus remotum est. *Oratione 33.*

Idem statim post: Igitur contra Malotas si quid fecerunt iniquè, sicuti fecerunt, iram solventes, & pœnam quam vobis deberi censetis, illis condonantes, de re ipsa, deque regione disceptate. Huiusmodi perferre, atque patientia contendere, magnum, sicuti & est, existimate, & planè fortiorum virorum.

Atque si aliter res agatur à vobis, inferiores tanto eritis. Neque enim est periculum, ne Maloris superstitibus, infirmiores videamini. Neque audite hac re eos qui vos irritant: sed maximè quidem ipsi judices facti, remque diligenter perpendentes absque omni inimicitia, gratiaque erga eos, rem componite, non solum à contẽtione desistentes, cupiditateque plura semper habendi: sed etiam concedentes, & dimittentes illis quod mediocre fuerit. Quemadmodum enim & inter privatos laudatis eos qui sunt æqui & benigni, maluntque damnum accipere quàm cum quibusdam dissidere: ita & communiter hujusmodi civitates laudem consequuntur. Littora quidem illa, & illud lacui adjacens prædium, nullius sunt pretii.

Qui enim eſt illorum proventus? quæ utilitas? At verò benignos videri & magnanimos, dici non poteſt quàm ubique cenſeatur quovis precio dignum. Etenim certamen ſuſcipere cum omnibus hominibus pro juſtitia & virtute, & amicitiam atque concordiam inire, atque hiſce ſuperare alios & excellere, pulcherrima omnium & tutiſſima victoria eſt. Quærere autem quovis modo pugnando vincere, gallorum magis eſt generoſorum, quam virorum. Et ſi quidem propter litora illa propterque eam in arena paſcuam, Tarſus major eſſet aliquo modo futura, oporteret fortaſſe rem adeò ſeriò agere. Nunc autem pudor & riſus ſunt, pro quibus diſſidetis.

Quare ergò non illi contempſerunt? Quia non ſunt vobis meliores. At vos per Iovem vultis illis eſſe meliores. Quare ego dignum duxi increpare vos ſermone, ut eos dimittetis. Hoc enim eſt ſuperiorum, & prudentum. Magis autem quàm oportet commoveri, & confugere exemplò ad poteſtatem, cenſereque injuriam pati, hominum magis eſt in parvis oppidis habitantium. Similiter autem erga alias civitates vos præſtate rogo manſuetos, & paterna cura affectos atque liberales, non inimicos. Sic enim ſponte omnes vos ſequentur, admirantes & diligentes: quod majus eſt, quàm eſſe penes vos, inque veſtro eos foro judicari. Hæc enim haud ullam prorſus præſtant utilitatem, neque ſi huc ad ſacrificium occurrant vel Adanenſes, vel Aegæenſes: ſed faſtum potius, & fraudem, & ambitionem alioqui fatuam. Benevolentia verò, & videri præſtare omnibus virtute atque humanitate, hæc ſunt verè bona. Hæc ſunt verè æmulatione digna & ſtudio, in ea vos & oculos intendite: quandoquidem ea quæ nunc ſectamini, riſus ſunt. Et ſi vel Aegæenſes vobiſcum, ſive Apamenſes cum Antiochenſibus, ſive qui longius hinc diſtant, Smyrnenſes cum Epheſiis contendunt, de aſini umbra (ut ajunt) diſſident. Præeſſe enim, & imperium gerere, aliorum eſt.

Cæterum etiam olim erat Athenienſibus adverſus Lacedæmonios æmulatio, tuncque primum præfuerunt Lacones. Deinde contigit, ut Græci magis ad Athenienſes inclinarent, nempe poſt Medorum bellum. Quid igitur interea curavit Lacedæmonius? Et inſularibus & Ionibus & Helleſponto relicto, ſemetipſe modeſtè compoſuit, quæque Spartæ erant inſpexit: nimirum manifeſtè ſciens, quòd legibus & bonæ diſciplinæ nihil ſit præponendum. Quapropter illo tempore maximè fuerunt felices. Athenienſibus autem contigit, ut uſque dum civitates quidem erga eos familiariter erant affectæ, cum benevolentia præfuerint: poſt hæc autem, quum illis crimina & invidia conflata eſſet: neque eos amplius imperium tenere vellent, eò venerint, ut multa & difficilia paterentur: & primùm quidem omnium amitterent laudem, bonumque nomen; deinde & robur & pecunias; & poſtremò hoſtibus ſubjicerentur.

Similiter etiam Lacedæmonii, poſtquam & illi rurſus obtinuerant principatum, deſtiterantque à priore ſua ſententia, in eadem mala pervenerunt. At tamen illorum res veram habebant potentiam, magnaſque utilitates (ſi oportet plura habendi cupiditates ita appellare) præſentium autem diſceptationes, cauſaſque inimicitiarum ſi quis videat, pudore ſuffundi mihi videtur. Sunt enim conſervorum inter ipſos contendentium de gloria & principatu.

Quid ergo? Nihil ne boni eſt in hoc tempore, cui ſtudium ſit impendendum? Sunt maxima, ſolaque ſtudio digna, quæ etiam tunc erant præſtò, & nunc ſunt, ſemperque erunt: quorum nemo videlicet habet poteſtatem vel ut alteri ea præſtet, neque auferre poteſt ab eo qui utitur: ſed ſemper ſunt in eodem ſive plebeius ſit, ſive civis: de quibus fortaſſe longius fuerit apud vos loqui. Et me quidem non fugit, quod multi philoſophos exiſtimant omnia diſſolvere, ſtudiaque remittere negociis impendenda; & propterea magis obeſſe quàm prodeſſe. Quemadmodum ſi quis muſicum vellet hebere ſonos concordantem, deinde remittentem ſonorum quoſdam, & rurſum alios intendentem videat eundem. Habent verò & civitatum negocia hoc modo. Prava enim & inutilia ſtudia, & ambitiones, magis ſunt, quàm convenit, intenſæ, & quodammodo propter eas abrumpuntur omnia, ſtudia verò in rebus honeſtiſſimis omnino ſunt diſſoluta. Confeſtim verò, ſi vultis, avaritiæ ſpectare poteritis intenſionem, necnon intemperantiæ. Sed longius abripi videor; & ſicuti qui in tranquillitatibus longius provehuntur natando, quid futurum ſit, non providere. *Oratione 34.*

Dio Pruſæus: Humanis & eruditis hominibus injucundum eſt magiſtratum gerere, neque difficile. Delectantur enim nulla re magis, quàm ut bene faciant. Magiſtratui autem civitatis, aut gentis, aut etiam plurium hominum, non ſolum facultas maxima eſt ad bene faciendum, ſed ferè etiam neceſſitas. Quod ſi ita non ſit animatus, non perferunt damnoſum magiſtratum, non ſolum homines, quod ſanè videtur aſperrimum eſſe, ſed neque ſtolidiſſimæ beſtiæ. Neque enim boves facile tolerant bubulcorum negligentiam neque caprarum oviumque greges paſtores ad perdendum ſtudioſos. Partim enim aufugiunt, neque obediunt: partim vero ulciſcuntur malos præfectos. Porrò equi indoctos aurigas dejiciẽtes, multo pejus puniunt, quam illi cædentes ſcutica. Omnium autem horum animalium homo vehementiſſimum eſt, & plurimam habens intelligentiam. ideoque malo præſidi eſt inimiciſſimum, bono autem omnium benevolentiſſimum. Iucundum igitur ita eſt magiſtratum gerere ſcientibus. Difficilis autem nulla res fuerit, ab initio eam meditanti, ſeq; ad eam apparanti.

Qui autem verè philoſophus eſt, is nihil aliud videtur cogitaſſe, quam quomodo bene poſſit imperare, & ſibi & domui, & vel maximæ civitati, breviterque omnibus hominibus, ſi committant: & ipſe quidem nullo indigebit imperatore, niſi ratione atque Deo. Aliorum autem ſollicitudinem atque curam gerere, idoneus erit. Atque hoc ne reges quidem latuit, neque omnes poteſtate præditos, qui non planè fuere inſipientes. Eruditis enim opus habent maximis in rebus, ut ſibi ſint à conſiliis: quumque aliis mandata dent, ipſi ab illis mandata accipiunt, quæ facere & à quibus abſtinere conveniat. Quemadmodum Homerus Agamemnonem ait indiguiſſe Neſtoris conſilio: & quoties illi conſulenti non obtemperavit, lamentaſſe, confeſtimq; pœnituiſſe.

Philippus autem, qui videtur callidiſſimus fuiſſe regum, Ariſtotelem aſcivit filio Alexandro magiſtrum & principem, eo quòd ipſe ad docendam regiam artem idoneus non eſſet: ſed aliis quidẽ Macedonibus & Thracibus & Illyriis, omnibuſque Græcis volebat imperare, filium autem alterius tradidit imperio erudiendum: & quum tot hominum millibus mandata daret, ſoli illi mandata dare non ſuſtinuit.

Neque enim æquale ſibi diſcrimen putavit eſſe, ſi circa alios delinqueret, atque ſi quis circa filium. Et ipſe quidem antea Thebis quum eſſet obſes, verſatus erat apud Pelopidam, hominem eruditum, ita ut illius amatorem fuiſſe Pelopidam dicant: & Epaminõdæ facta viderat, audieratque ſermones, unde & intellexit eum non abſque cauſa tantum valuiſſe inter Græcos, tantamque rerum feciſſe mutationem, ut Lacedæmoniorum deſtrueret imperium, quod tanto tempore duraverat: ſed cum Lyſide conſuetudinem habuiſſe, Pythagoræ diſcipulo. Vnde opinor, multum præſtitit Philippus prioribus in Macedonia regibus. Attamen talem nactus eruditionem, non auſus fuit Alexandrum ipſe docere.

Invenias autem raro Philoſophos principatum quidem obtinuiſſe inter homines: dico autem inſignes principatus, nempe duces exercituum, aut ſatrapas, aut reges conſtitutos: ſubjectos autem plurimum & maximum ab illis fructum percepiſſe: à Solone quidem & Ariſtide Athenienſes, & à Pericle Anaxagoræ diſcipulo: Thebanos autem ab Epaminonda, Romanos quoque à Numa, quẽ ajunt quidam Pythagoricæ ſapientiæ fuiſſe participem. Italos autem, nonne omnes à Pythagoricis? Atque etiam tantiſper felicitate uſi ſunt, maximaque concordia & pace reſpublicas rexerunt, dum illi in civitatibus verſati ſunt. Et communiter fortiſſimæ gentes, quandoquidem non poſſunt ſemper à philoſophis regi, regibus hoſce aſſeſſores & principes inſtituerunt. Et Perſas, quidem puto eos inſtituiſſe qui appellantur Magi, quia naturæ habebant experientiam, noverantque quo pacto dii eſſent colendi. AEgyptii verò inſtituere ſacerdotes, eadem qua magi diſciplina eruditos, qui deorum gerebant curam, norantq; univerſa, quà & quomodo haberent. Indi autem Brachmanas continentia juſticiaque excellentes, atque ergà divinitatem amicitia: unde magis futura ſciunt, quã alii homines ipſis præſentia.

Celtæ verò, quos appellant Druidas, & hoſce divinationis ſtudioſos, atque alios ſapientiæ, ſine quibus nihil regibus licitum eſt facere aut conſulere: ut ita ſi quis verum dicat, illi regnent: reges autem illorum ſententiæ ſint miniſtri & ſervi, licet in thronis aureis ſedeant, magnaſque domos habitent, & ſumptuoſe conviventur. Nam & illum veriſimile eſt omnem principatum commodiſſime gubernare poſſe, qui difficillimum prius tractavit principatũ, poteſtque ſemetipſum abſque delicto exhibere.

Philoſophus igitur ſemper ſibi imperat, quod longè difficilius, quàm omnium Græcorum univerſorumque barbarorum regnum obtinere. Quod enim tam immane hominum genus eſt, ut ſunt iræ & invidiæ & contentiones, quas illum ſibi ſubjugare oportet? Quod etiam tam aſtutum & inſidioſum, proditoriumque, ut voluptates atque concupiſcentiæ, à quibus eum nunquam vinci oportet? Quod denique tam violentum ac formidoloſum, animoſque humilians, ut timores & triſticiæ, quibus nunquam eum cedere decet? Quæ autem arma, quæ munitiones, adverſum hæc oppoſitæ ſunt? Qualia nempe neque reges neque prætores civitatis adverſus hoſtes habent.

Quibus autem auxiliis aut ſatellitibus adverſus hec uti quis poſſit, niſi ſapientibus prudentibuſque ſermonibus? Quibus autem aliis mandare cuſtodiam, aut committere præſidium convenit, vel quibus uti miniſtris niſi illis? Nonne & illi, qui ſemper dies noctesque ſollicitus eſt, vigilatque eam vigiliam, ne quando ipſe videatur aut permotus à voluptatibus, aut perterritus à timore, aut ſeductus à concupiſcentia, aut abjectus ab ægritudine, deſiſtere ab optimis & juſtiſſimis factis, ſui factus ipſius proditor? Hinc autem qui hoc imperium fortiter & moderate regit, non difficile jam eſt omnium hominum fieri ſupremum.

Quando verò hæc narro de philoſophis, nemo me putet ad externum reſpicientem cultum dicere, adque nomen. Neque enim vinum ex dolio judicant prudentes. Sæpius enim invenias in concinno dolio vinum ex cauponis in vappam degeneraſſe. Neque etiam virum eruditum ex corporis cultu judicare convenit. Vulgus quidem non admiror hac in re decipi. Nam & Vlyſſem atque Irum commiſerunt proci, propter eundem corporis cultum, tanquam nihil inter ſe differentes. Dixit autem paulo ante hæc tempora

philoſo-

philoſophorum quidam non malus, Iſmenum ob hoc maxime indignari ſolitum, quod ſiticines appellarentur tibicines. At nequaquam res eſt indignatione digna, ut mihi quidem videtur. Nihil enim mortuis detrimenti adferunt ſiticines, neque illis ſunt moleſti. Quidam verò qui ſe philoſophos ſimulant, multa prorſus mala operantur. At hoc verè philoſophi officium eſt, & non aliud, quam hominibus imperare. Quiſquis autem cunctatur ſuam ipſius civitatem, volentem, & ad hoc vocantem, gubernare: ſimilis eſt, ut ſi quis ſe medicum profeſſus, ſuum ipſius corpus curare nolit, alios autem homines ſanet, argentum prompte aut honores accipiens: tanquam mercede alia minor ſit merces, propria valetudo. aut, ut ſi quis ſe idoneum ferat pædagogum, aut literarum doctorem, atque alienos quidem pueros velit docere, ſuos autem ableget ad alium quendam longe inferiorem: aut ſi quis ſuos negligat parentes, alienoſque velit fovere, ſi eos ditiores celebrioresve eſſe ſentiat. Neque enim juſtius, neq; jucundius, eſt neceſſariis præteritis, prodeſſe nihil ad ſe pertinentibus.

Proinde conſequens jam his ſermonibus illud eſt, ut ſibi ipſi imperet qui vobis velit imperare. At bene ſcitis, quòd niſi hoc eſſet impoſſibile, non expectaſſem ut vos rogaretis: ſed ipſe rogaſſem, obſecraſſemque. Vnum enim & hoc eſt honeſtorum modeſtorumque hominum, ut petentem, & pro electione gratias habiturū, magiſtratum inter cives gerere ſinant: non rejicientem, neque eā rem in gloriam exiſtimantem. Quid igitur eſt, quod fieri non poſſit in præſentia? Mihi & in aliis quæ dico apud vos fides eſt, nunquam enim vos decepi (ut ego arbitror) ulla in re: neque antea aliter dixi ac ſenſi, ſed ſemper in hanc uſque diem in animo habui plura negocia relinquere, ſed ea me invitum retinuerunt. Nunc autem id non amplius ferè fieri poteſt.

Neque enim mihi, neque etiam fortaſſe vobis bonum eſt, ut hic verſer. Proinde recuſo ſuffragium. Novi enim, quòd non indiguerim inquiſitione: ſed quemadmodum antea in propatulo omnes tuliſtis ſuffragia, quando ſuſpicabamini me id velle, ita etiā nunc feceritis. Sed non is mihi animus. Verùm ut magiſtratum quidem gerām, ſcio me non fuiſſe obſecrandum: ut autem dimittar, obſecrare ego non erubeſco. *Oratione 49.*

Dio Pruſæus: Nonne quum centum ſenatores deligentur, alii quidē ſuos introduxerunt amicos, effeceruntq; ut habeant fautores adjutoresque ad quæcunq; vellent: ego autē horum nihil feci, neq; collocutus ſum tale quid ut ſe mihi adjungerent, ſi voluiſſem, aut alteri alicui? Maximè enim volebam, ut neque alius quiſpiam talem introduceret conſuetudinem, neve reſpublica per factiones gereretur, neve civitas diſtraheretur in partes. Si ergo ipſe abſtinui ab his delictis, ſibique minus quam omnes valiturus fui, nullamque mei cupivi haberi rationem, quid in his peccavi, & quid à me prætermiſſum eſt? *Oratione 45.*

Simplicius: Iam magiſtratus ſine populo qui pareat, & miniſtris qui operam navent, conſtare non poteſt. In quibus verò civitatibus venales ſunt magiſtratus, multoque auro addicuntur, inops pecuniæ nullos ad magiſtratus habebit aditus, quantumvis eos appetat. *c.2. ad Epict.*

Philoſtratus: Dicebat Veſpaſianus: Ego divitiarū cupiditati, me nunquam ſuccubuiſſe; nec in ipſa quidem adoleſcentia memini. Dignitates verò & magiſtratus qui Romano imperio ſubſunt, adeo modeſtè temperateque geſſi, ut nunquam aut elatus nimis, aut rurſus humilis abjectusve apparuerim. *libro quinto Apollonij capit. 10.*

Idem: Cùm Apollonius vidiſſet hominem jam ſenio confectū, magiſtratum quendam curioſius affectare, atque eius potiundi cauſa, quaſi hominem ſervum ſeſe regi ſubmittere: Huic, inquit ô Damis, non perſuaſit Sophocles, ut agreſtem dominum ac furioſum profugeret. *l.7.c,12.*

Iulianus Cæſar: Igitur poſteaquam ad eam rem ſum inductus, atque & veſtem, & comitatum, & uſitata ſtudia commutavi; nec non habitationem ipſām, victumque quotidianum, ubi ex obſcuris ac tenuibus hactenus rebus omnia mihi majeſtatis ac ſplendoris plena ſucceſſerunt, tùm mihi præ huius rei inſolētia perturbari animus cœpit: non quod præſentium bonorum magnitudine ſtuperet. Nam neque iſta præ imperitia magna eſſe judicabam, ſed facultates potius quaſdam, quæ ut rectè utentibus commodi plurimum adferrent, ita ab recto uſu aberrantibus nocerent, & infinitas cùm familiis tùm civitatibus pleriſque calamitates conſciſcerent. Verùm perinde me habebam, ac qui aurigandi minimè peritus ne attingere quidem eam artem velit, & tamen ad egregii atque illuſtris cujuſpiam aurigæ currum regendum cogatur; eius, inquam, aurigæ qui bigas multas, & quadrigas nutriat, eaſque omnes præ naturæ vi, atque excellenti robore conſcendat; itemque omnium fræna firmiter contineat, tametſi unius in currus orbe reſideat, quamvis tamen non in eodem ſemper maneat, ſed inde illuc ſæpius commigret, atque ex curru alterum in currum tranſcendat, ſi quando laborantes equos, aut reluctantes animadverterit. Porro idem ille in eorum currum numero quadrigas unas habeat, quæ propter ſtupiditatem, atque audaciam contumacius reſiſtant: ac licet fatigatione continua premantur, nihilo tamen magis audaciā ſuam deponant, ſed ærumnis ipſis ferociores reddantur, & ad reluctandum magis, & recalcitrandum, ac detrectandum imperium excitentur; quæ non niſi præſente auriga progredi velint: ſed niſi hūc perpetuò videant, aut ſaltem quemlibet alium aurigæ veſtibus indutum, indignentur ac fremant: tanta eſt illarum naturæ vecordia. At ille earum, opinor, inſaniæ conſulens certum iis hominē præfecit, quem eiuſmodi veſtibus induit, & gravis ac ſcientis aurigę cultum accommodavit. Qui ſi prorſus deſipiat, atque inſaniat, gaudet nimirum & exultat, ac veſtium tanquam pennarum pulchritudine ſuperbus extollitur: ſin prudentiæ ac modeſtiæ vel nimirum habeat, hoc ipſum non mediocriter verebitur,

Ne ſeſe obladat forſan, currumque refringat:

Vnde & aurigæ jacturam, & ſibi turpem atque ignominioſam calamitatem arceſſat. Hæc ego dies noctesque cogitans, atque apud me conſiderans triſtis ibam ac contracta facie. *Oratione 2. ad Euſebiam Imp.*

Iulianus Imp. Quidam alteri injuriam fecit: quid ad te iſtud pertinet? cum poſſis ſumma cum gratia injuriarum quæſtum omittere, tamen inimicitias eligis. Atque hæc cùm facias, te tamen putas rectè facere, & præclarè tuis rebus conſulere. Cogitare debuiſti, à nemine de injuriis magiſtratus accuſari, ſed ipſum injuriæ auctorem. At qui facit injuriam, poſteaque coercetur, dimiſſo eo quem violabat, in magiſtratus odium convertit. Quare cùm tu iſta prudentia poſſis abſtinere ab imponenda aliis juſtè agendi neceſſitate, & unicuique poteſtatem facere, quicquid velit ac poſſit, agendi (tales ſunt ſiquidem, opinor, civitatis huius mores, id eſt liberi admodum) tu nihil quicquam ea de re cogitans, prudenter illos parêre vis: nec vides quanta ipſis etiam aſinis & camelis libertas ab ea tribuatur? Ducunt eas conducti homines per porticus, quaſi nymphas (nam neque angiportus patentes, neque latæ viæ eo factæ ſunt, ut iis aſini uterentur) ſed tamen illæ ornatus & magnificentiæ cauſa id habent: Aſini autem porticibus libere utuntur, neque quiſquam eos prohibet, ne libertatem iis eripuiſſe videatur: adeò eſt hæc civitas libera: & tamen ipſe adoleſcentes in ea quietos eſſe vis, & ea cogitare, quæ tibi placeant, vel certè loqui, quæ tu libenter audias. At illi comeſſari liberè didicerunt, ſemper id quidem effuſè ac licenter, in feriis autem liberiùs. *in Miſopogone, proſopopaia Antiochenſium.*

Idem: Etiam alia lex Platonis memet commonefecit mei, quæ ait oportere magiſtratus & ſenes temperantes eſſe, ut populus eorum exemplo diſcat modeſtè ac temperanter vivere. *In Miſopog.*

Libanius: Vt qui multa videre naufragia præternavigantium, qui à ſtationibus & portubus depulſi fuerant, ex quibus in altum ſubvehi oportuiſſet; navigare nihilominus audent; ſic etiam ego, cùm eorum qui ante publica adminiſtrarunt lapſus noverim, permiſi tamen me in adminiſtrationis publicæ altum mare provehi, *Declamatione 16.*

Idem: Si quis alius eorum qui ſe civilibus undis merſerunt, ego certè infelix fui: quia, cùm multa horrendaque exempla intemperantis erga populum affectus extarent, omnibus tamen neglectis audacius contra ivi: cùm nec illa me laterent quæ publica tractantibus moleſtiam exhibere ſolent ſuſpicio, æmulatio, livor, calumnia, pericula, judicia poſtulata: ſed quidquid mihi perpeti uſuveniret, libenter id pro Athenienſibus ſubibo. *Declamatione decima ſexta.*

Idem: Omnes quicunque condemnati unquam fuêre quaſi urbi injuriam intuliſſent, oratores iſti & duces & legati introducti ſunt ad vos Ariſtophon, Iphicrates, Pericles, Calliſtratus, quòd præter leges dixiſſet quis, aut populum decepiſſet, aut ſententiam inutilē pronunciaſſet: quòd naves amiſiſſet; quod civitas proventus aliquot perdidiſſet, aut ſocios è multis paucos qui præficerentur feciſſet? quod alter non ſecundum decreta legatione functus fuiſſet: aut magnarum utiliumque rerum occaſiones prætermiſiſſet, aut ignominioſa pacta aliis tranſegiſſet quorum unuſquiſque in rem populi & publicam tractantibus numeratur. *Declamatione decimaſexta.*

Idem: Quapropter quod à pueritia ad meliora animum appulerim: indicium ampliſſimum eſt ducendi exercitus præfectura. hac verò autoritate jam inſtructus quis, & maximis honoribus decoratus, ex ipſis virtutis præmiis; ad vitioſi ſtatum commigravit, & probitatis pretia, improbitatis initium ſtatuit? Atqui non hæc honores efficere ſolent: quin potius improbos redderent bonos, quàm in deteriorem partem probum impellerent: ita præfectura pulchre anteactæ vitæ pretium fuit, & invitatio ad tenacius virtuti adhærendum. *Declam. 28.*

Idem: Socrates nunquam ceſſavit quoſdam ex iis qui exercitus regere ac vobis imperare vellent, reprehendere, quia priuſquam diſcerent, quomodo veſtrarum rerum curam haberent, ſi qua ratione magiſtratus adipiſcerentur, contenderent. Hæc verò dicebat, non hercle quod eos infamia afficere vellet: ſed ut viderent eſſe aliquem, qui de negligentibus conquereretur; & ſingulos examinaturum, at rationes repetiturum, niſi ſe utiles exhibendo à veſtris abſtinerent, aut præbentes ſeaptos ad uſum vobis præfecti conferrent. *Declamatione. 29.*

Baſilius Imp. Præſtantiſſimus Medicorum ille eſt, qui accommodatas cuique morborum generi novit adhibere curationes: & Rex optimus, qui eos inſtituit Magiſtratus, qui à ſuis ſubjectis omnem injuriam arcere ac propulſare queant. Sicut enim equiſonis virtus propria eſt, equi cujuſque noſſe præſtantiam & venatoris intelligere quantum quiſque canum curſu valeat ad perſequendas feras:

ac Imperatoris milites ſuos cognoſcere, & qua quiſque eorum fortitudine ſit perſpectum habere, ut in inſtruenda acie intelligat, quo quemq; loco debeat collocare: ita boni Regis eſt ſubditorum ſuorum mores, animos, actus & ſententias perdiſcere, ut de ſingulis edoctus, unumquemque ſciat ſuo ordine diſponere: ac pravos quidẽ & peſtilentes homines à republica extorres ejicere: Probos autem & veritatis amantes, honoribus & publicis muneribus præficere. *cap.30.*

Idem: Auro & muneribus venales honores & dignitates cave ne habeas: ſed eas dignis largire gratis: qui enim Magiſtratum pretio emit, ſubjectos illi Magiſtratui multo magis emit, ut muneribus quæ dedit fretus, ipſe audacius munera capiat. Proba ergo atque explora prius diligenter, atque ita demum ad honores provehe eos qui ſine muneribus ambibunt; ſi vis à republica omnem ſordium & concuſſionis labem exulare. nam qui dat, ut Magiſtratum capiat, quæſtum ſibi à Magiſtratu captat: dat enim ut jus capiendi habeat; contra leges hoc agens, ut nullis legibus teneatur. Qui enim Magiſtratum mercari didicerit, is nunquam munera capere dediſcet, & ſine muneribus aliquid facere nunquam volet: te autem concuſſionis & ſordium habebit magiſtrum, quem debuerat habere vindicem: neque ipſe ſolùm munera capiet, ſed eos etiam qui ſub ipſo erunt, munera capere coget. *cap.43.*

❡ Romanorum.

Plinius Iunior: Aliquanto magis me delectat mandatum mihi officiũ, poſtquam par Cornuto datum video, neque enim augeri dignitate quàm æquari bonis, gratius. Cornuto autem quid melius? quid ſanctius? quid in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expreſſius. *Epiſt.15.l.5.*

Idem: Vt Cornuto, ſic mihi gratulor, nec privatim magis quam publice; quod tandem homines non ad pericula, ut prius, verùm ad honores virtute perveniunt. *Epiſt.15.l.5.*

Idem: Accedit quod tibi certamen eſt tecum. onerat te quæſturæ tuæ fama, quam ex Bithynia optimam revexiſti: onerat teſtimoniũ Principis; onerat tribunatus, prætura, atque hæc ipſa legatio, quaſi præmium data. quo magis nitendum eſt, ne in longinquam provinciam, quàm ſuburbanam, ne inter ſervientes quàm liberos, ne ſorte quàm judicio miſſus; ne rudis & incognitus quàm exploratus probatuſque, humanior, melior, peritor fuiſſe videaris; cùm ſit alioqui, ut ſæpe audiſti, ſæpe legiſti, multo deformius amittere quã non aſſequi laudem. *Epiſt.ult.l.8.*

Idem: Non fere quiſquam in Senatu fuit, qui non me complecteretur, exoſcularetur, certatimque laude cumularet, quod intermiſſum morem publicum conſulendi, ſuſceptis propriis ſimultatibus, reduxiſſem; quod denique Senatum invidia liberaſſem, qua flagrabat apud ordines alios; quod ſeverus in cæteros, Senatoribus ſolis diſſimulatione quaſi mutua parceret. *libri noni epiſtola decimatertia.*

Idem: Impensè rogo ut Actium Suram prætura exornare digneris, cùm locus vocet; ad quam ſpem alioqui quietiſſimum hortatur & natalium ſplendor & ſumma integritas in paupertate; & ante omnia felicitas temporum; quæ bonam conſcientiam civium tuorum ad uſum indulgentiæ tuæ provocat & attollit. *lib.10.Epiſt.7.ad Trajanum Auguſtum.*

Plinius: Miſeros ambitionis, qui ita conſules ſemper, ut ſemper Principes erant, quamquam non ambitio magis quam livor ac malignitas videri poteſt omnes annos poſſidere, ſummumque illud purpuræ decus non niſi præcerptum præfloratumque tranſmittere. *c.58.paneg.ad Trajan.*

Idem: Sed jam tempus eſt te ipſi conſulatui præſtare; ut majorẽ eum ſuſcipiendo gerendoque facias, nam ſæpius recuſare ambiguam, ac potius illam interpretationem habet, tanquam minorem putes. tu quidem ut maximum recuſaſti; ſed hoc perſuadere nemini poteris, niſi aliquando & non recuſaveris, &c. *cap.59.paneg.ad eundem.*

Idem: Vtriuſque adhuc oculis paulò ante dimiſſi faſces oberrabant; utriuſque ſolennis ille lictorum & prænuncius clamor auribus inſederat, cùm rurſus curulis rurſuſque purpura: ut olim cùm hoſtis in proximò & in ſummum diſcrimen adducta reſpubl. expertem honoribus virum poſceret, non conſulatus hominibus iiſdem, ſed iidem, homines conſulatibus reddebantur. *capit. 61. paneg. ad Trajan.*

Idem: In roſtris quoque ipſe te legibus ſubjeciſti, legibus Cæſar, quas nemo Principi ſcripſit. ſed tu nihil amplius vis tibi licere quã nobis. ſic fit ut nos tibi plus velimus. Quod ego nunc primum audio, nunc primum diſco, non eſt princeps ſupra leges, ſed leges ſupra principem; idemque Cæſari Conſuli quod cæteris non licet. Iurat in legem attendentibus Deis (nam cui magis quam Cæſari attendant.) jurat obſervantibus his quibus idem jurandum eſt, non ignarus alioqui nemini religioſius quod juraverit cuſtodiendum, quàm cujus maximè intereſt non pejerare. itaque & abiturus conſulatu juraſti, te nihil contra leges feciſſe; cùm ejus initio caput tuum, domum tuam ſi ſcienter fefelliſſet Deorum iræ conſecrares. Magnum hoc erat cùm promitteret, majus poſtquam præſtitiſti. *c.65.paneg.ad Trajanum.*

Idem: Et ſanè æquum eſt tantum cæteris præſtare conſulibus ipſum qui conſules facit. quippe etiam fortunæ videbatur indignũ, ſi poſſet honores dare qui gerere non poſſet. facturus, conſules doceat, accepturiſque ampliſſimum honorem perſuadeat ſcire ſe quid ſit quod daturus ſit: ſic fiet ut illi quoque ſciant quid acceperint. *c.77.paneg.ad Trajanum.*

Idem: Equidem incognitam quandam, proximaque majorem lętitiam pręſumo. quis enim eſt tam imbecilli ingenio, qui non tãto meliorem conſulem ſperet, quanto ſæpius fuerit. *cap.79 paneg. ad Trajanum.*

C L. Mamertinus: Gratias tibi ago, Imperator, ſi mereri me crediſti: & plures gratias ago, ſi tantum amaſti, ut me conſulem faceres etiam non merentem. Nec ignoro maximos honores ad parum dignos penuria meliorum, ſolere deferri: ſed non vereor ne quis malevolorum in conſulatu meo id autumet contigiſſe. Si quis hoc lividus jactitat, ipſo tempore refutatur: adverſus quem dixiſſe ſatis eſt, Iã tũ Principi noſtro Roma patebat. quid quod nihil ſperanti mihi de honoris augmento (neque enim ultra præfecturam ſe votorum meorum modeſtia porrigebat) perfertur nuncius, conſulẽ me creatũ ſine impendio, quod jam diu paucis, ſine labore, quod nunquam, ſine petitione, quod nemini, &c. *cap.15. Orationis ad Iulianum Aug.*

Symmachus: Quid tam rationabile eſt, quàm tribuere collegæ, quod tibi quandoque bonos cupias exhibere? *l.8.Epiſt.40.f.*

Idem: Stupere me fateor tantum tibi adminiſtrationis ejus faſtidium, cui fructus optabilis ex omnium amore reſpondet. An eſt aliquid tenacius gloria quæ laudem adjicit voluntati? *lib.1.Epiſt.36.*

Idem: Sit tibi animus æquus & patiens muneris imperati. Sæpe uſuvenit ut in ſecundos labores virtus probata reparetur. Quid tu? libenter Atilio factum putas quòd faſcibus aratra mutavit, & in medio ſementis opere anhelos boves ſtatuit ruſticus magiſtratus? Quiſque bonæ frugis eſt in publicum commodum vendicatur. Pone illas interim cogitationes felicis ocii tui. Quàm benè urbana opera novis faſtigiis excitabam! Vbi ager noſter? vel ille autumno omnis copiæ ferax, vel ille hyeme apricus, aut qui vere primo roſas humo exuit, aut qui æſtivo ſole de nemore & fonte frigeſcit? *l.1.Epiſt.52.pr.*

Idem: Notæ rei ceſſet aſſertio. nam & qui procul abſumus, curas ac vigilias tuas communis patriæ copiis & ſatietate ſentimus. *lib.1.Epiſt.55.*

Idem: Dignum eſt ut Auguſtus Imp. ęquet dignitatibus quos ſcit mentibus convenire. *l.2.Epiſt.62.f.*

Idem: Scis pro tua ſapientia, magnæ urbis magiſtratibus anguſtos animos non convenire. *l.4.Epiſt.61.*

Idem: Fructus laboris eſt placere melioribus, & pro induſtria atque integritate palmam judicii promereri. Quapropter Benignus VC. filius meus, rei frumentariæ negocium pervigili animo & puris manib. executus, ſolam de te mercedem juſti amoris exſpectat. Teſtatur inſomnes ejus curas imbecillitas corporis. Nihil enim de Sardinia reportavit, niſi bonam conſcientiam, & malam valetudinem: horreis autem tantum frugis invexit, quantum illi provinciæ anni fortuna contulerat. Nullus de eo rumor adverſus, nulla conqueſtio ſemper ad arguendum parata. Horum omnium locupletiſſimum pretium eſt, ſi amicitia tua dignus habeatur. *lib.9.Epiſt.39.*

Idem Functus es optimi civis officium, multa opera, perpeti ſollicitudine. Sed nolo pœniteat. Virtus durioribus negotiis eniteſcit, & aſpernatur declivem facilitatem, maximoque ſudore arduum laudis adnititur. *l.9.Epiſt.81.*

Idem: Bonorum virorum vena fœcunda eſt. Melius in poſterum urbi noſtræ conſuletis, ſi legatis invitos. *l.10.Epiſt.30.*

Idem; Cùm ad præfecturam urbanam, civilium rerum ſumma pertineat, minoribus officiis cetera quædam membra creduntur. Quibus regendis induſtrios & privatos oportet adhiberi: ut ſuum quiſque munus inculpata facilitate promoveat. *libr. 10. Epiſtol.30.*

Idem: Omitto injuriam præfecturæ & conſcientiæ meæ, quando eo proceſſit inſimulatio, ut vos quoque Impp. auctores honoris mei quadam reprehenſione perſtringat. Nam qui ſummi loci judices decolorant, ſacri teſtimonii facilitatem videntur inceſſere. *l.10.Epiſt.34.*

Idem: Omnes qui ad ampliſſimos honorum gradus judicio clementiæ veſtræ vel favore provehimur, ſummo ſtudio debemur eniti ut famam ſæculi ſuggeſtionum veritate tueamur, D. Imperator. Quod enim genus gratiæ beneficiis Principum rependendæ fortuna impar inveniet, ſi fidem deſerat quæ ſola munit imperiũ. *lib.10.Epiſt.47.*

❡ Poetarum.

Ariſtophanes Equitibus v.157.

—— O te felicem, ô divitem!
O qui hodie nullus cùm ſis, cras maximus eris.
O dux Athenienſium felicium! mox.
A. Dic obſecro, quo pacto ego

Qui fartor ſum, vir poſſum fieri maximus.
D. At propter hoc ipſum fies vir maximus,
Quod malus es & audax, unuſq; e foro.
Nam, nihil ad doctos pertinet res publica;
Nihil ad probos, ſed ad impuratos & rudes.

Ariſtoph. Equitib. v. 210.

Sed hoc miror, qui ego poßim præeſſe populo.
DE. Nullo negotio: nam ea, quæ nunc agis, age;
Involve res omnes, perturba omnia,
Quidvis ſimula apud plebem, blandiendo ei,
Et verbulis demulcendo coquinariis.
Inſunt tibi alia multa, quæ ad populum valent
Conciliandum, vox fœda, ingenium improbum:
Tum rerum item peritus es forenſium.
Habes omnia, quibus indiget Reſpubl.

Ariſtoph. Equitib. v. 255.

O trioboli vos contribules, judices ſenes,
Quos ego paſco, æqua & iniqua clamitans, opem mihi
Ferte, ſubvenite mihi, qui à conjuratis verberor.
CH. Meritò: quia Rempub. prius devoras, quàm accipis
Et ficulneus cùm ſis, quoſcunq; reos vides, premis,
Quicumq; illorum eſt crudus, ſeu ſit pepo, ſive non pepo.
Tum ſi noras ſimplicem & oſcitantem ex ipſis quempiam,
Hunc tu è Cherroneſo eductum, & oppreſſum calumniis,
Supplantaſti, & averſo humero deglutiviſti: ſed &
Cives obſervas, qui ſimplices ſunt, quique divites
Atque haud improbi, & qui maximè abhorrent à negotiis.

Idem ibidem verſu 390.

Atqui, cùm talis fuerit per omnem vitam, poſt tamen
Fortis eſſe viſus eſt, alienam meſſem demetens.
Nunc autem ſpicas, quas illinc attulit, palo alligat.
Areſacit, & populo vult rependere. CL. nil ego curo vos:
Quantiſper quidem hoc ſuperſtes eſt in urbe ſenaculum.
Et populi perſona ſurda ac muta ſtultè deſidet.
CH. Quam impudentem gerit ſe undique:
Nec colorem, qui adeſt, improbo Mutat in vultu homo!

Ibidem verſu 413.

At per Iovem etiam in me puero verſutiæ fuerunt.
Coquos enim fefelli, ſic doloſe ad eos locutus:
Spectate pueri: non videtis ver? nova adeſt hirundo:
Illi videbant. interim ego carnes furtim auferebam.
CH. O commodam carnem, ut lepidum dolū tu excogitaſti:
Quaſi qui urticas comedens, ante hirundines carnem au-
ferebas.
AG. Et hæc cùm admiſiſſem, latebam: ſin vidiſſet horum
Aliquis: occultaſſem ſub femore, Deoſq; peieraſſem.
Hoc cùm animadvertiſſet me quiſpiam feciſſe Rhetor:
Dicebat, non eſt, ut puer hic urbem non adminiſtret.

Ariſtoph. Equitib. v. 761.

Principio Deam ego Minervam, conſervatricē iſtius urbis
Veneror atque oro: ſi ego de civib. optima ſum meritus, poſt
Lyſiclem, & Cynnam, ac Salabaccham meretrices: ut nihil
æqui
Aut boni agendo, nihilominus in Prytaneo prandia ſumam.
Sin autem te exodi, & jam ſolus collato pede tecum
Non congrediar: diſpeream, diſtendar, diſſcindar inhabenas.
AG. Et ego mi popule, niſi te diligo & amo: diſſecer hic in
Fruſta, & coquar in minutali: ac niſi tu mihi credis amice,
Super his vaſis jam conterar in offa cum caſeo: & unca
Forcipe correptis teſticulis, hinc protrahar in Ceramicum.
CL. Et quomodo ſit alius civis, qui te plus diligat unum,
Quàm ego: qui, cùm primum tibi conſulerem, oſtendi pluri-
mum opimi
Argenti! alios torquendo, alios ſtrangulando, ab aliis repe-
tendo:
Nulli ex privatis parcendo: dummodo tibi gratificarer.
AG. Hoc ſanè, mi popule, nil habet in ſe laudabile. Namq;
Eadem iſthæc & ego tibi præſtabo: nam panes aliunde
Subreptos, apponam tibi. Sed quòd nec amet te hic, neq; fidus
Tibi ſit, hoc primùm oſtendam: niſi quia tuis prunis per-
fruitur: Nam
Te, qui cum Medis pugnaviſti pro patria, in Marathone;
Et qui hoſte ſuperato, feciſti, ut nos jam noſtra crepemus
Magnificè: te, inquam, in petra reſpicit ille ſedentem:
Sicut ego, qui hunc fero pulvinum tibi: ſurge popule, ſurge,
Et molliter hic reſide: ut ne atteras clunes in Salamine.
PO. Quinam es, mi vir? an unus de iſtis cognatis Harmodij
es tu?
Nam revera hoc facinus præclarum eſt, ac valdè populare.
CL. Quàm benevolus ob modicum blandimentum tu fa-
ctus es illi?
AG. At tu populum ineſcaſti antehac multo levioribus. eſcis.
CL. Imò ſi quiſquam alius ſit populi, quàm ego, ſtudioſior,
aut qui
Te plus, quàm ego, amet: caput auſim & vitam pro hac lau-
de paciſci.
AG. Quomodo ames tu populum: quem cava dolia inhabi-
tare vides &
Turriculas atque cavernas: tamen octo annis nil miſereris:
Sed eum, vi conſtrictum emulges. quid? cum dux bellicus urbi
Pacem offerret: tu diſjeciſti: & legatos repuliſti:
Pedibuſq; exploſiſti: qui hortabantur nos fœdera inire.
CL. Nempe ut Græcis omnibus imperitares, feci: quia divûm
Reſponſa hoc promittunt, quòd populus hic in media Arcadiæ
olim
Pro quinque obolis ſit judicium dictaturus: mala belli
Si forti animo toleret, ſed ego omnino populum alamq; co-
lamq;:
Et per fas atq; nefas inveniam, unde triobolum habeat ipſe.
AG. Non, ita me Deus amet, hoc tu proſpicis, ut populus domi-
netur
Arcadiæ: ſed magis, ut tu diripias, & munera captes,
Populus autem præ bello & tenebris non videat, quid agas, tu
Aſtute homo: ſed præ inopia, & mercede ad te ſpectet hianti
Ore. ubi verò in agrum hic digreſſus, pacificè degerit ævum,
Seque leguminibus recrearit, fraciumq; acceſſerit eſus.
Tum denique comperiet, qualia tu bona præcideris illi,
Propter militiæ ſtipendia: mox torvus, & ore ſeverus
At te veniet, & calculum iniquè adverſus te feret atrum.
Quæ cùm tu ſcias: populum decipis, & de te ſomnia captas.
CL. An non hoc grave, tam dura adverſus me convitia, totque
Crimina proferri ad populum? beneficia plura locavi
In Rempub. ita me amet Dea, quam præclara Themiſtoclis ar-
ma.
AG. O urbs Argi, auditin' quid dicat? tune Themiſtocli, opi-
nor,
Te æquipares: qui quam vacuam reperit, plenam reddidit urbē:
Et Piræum inſuper adjecit, piſceſq; novos epulanti
Appoſuit: de antiquis nihil ademit: tu verò indigenas nos
Extenuas, dirimendo muros, recitando oracula: qui te
Audes ipſi æquiparare Themiſtocli, tu furcifer amens,
Patriam ille quidem fugit: tu verò Achilleis veſceris ordeis
CL. Annon grave mihi, audire hæc, mi popule, ex iſto nebulone:
Propterea, quod amo te? POP. taceſis, nec malà convitia faxis:
Sat longo tempore jam, ex occulto tu mihi verba dediſti.

Ariſtoph. Equitib. v. 1016.

Hæc tibi de tripode Phœbus præfatur Apollo:
Te ſervare jubet ferratis dentibus acrem
Ille canem; qui te allatrans mordenſq; viciſſim;
Mercedem reddet ni fecerit iſta, peribit.
Multæ odio cornices cornicantur in illum

Verſu mox 1027.

Aſpice Erechtide, quis cerebrus iſte nefandus,
Aſſentans cauda, quoties cœnæ imminet hora:
Sudorem vorat ille tuum, te hiſcente aliorſum:
Et latitans intrat, catuli de more culinam,
Atque ollas noctu lambit, terraſq; mari altò.

Ariſtoph. Equitibus v. 1094.

Hei hei! nemo fuit hoc Glanide ſapientior
Ego certè memetipſum commendo tibi,
Vt me inſtituas ſenem, atque erudias denuo.
CL. Ne facias obſecro: ſed hic morare, dum
Frumenta, victumq; diurnum tibi largiar.
PO. Non ſuſtineo: cùm de frumentis audio.
Nam ſæpe deceptus ſum a te, atque à Theophane.
CL. At ego paratas tibi farinas jam dabo.
AG. Ego verò maceratas offas tibi dabo,
Piſceſq; aſſos: nec aliud eſt, niſi comede.
PO. Properate nunc perficere, quod vultis: ut ego
Illi quem beneficentiorem videro,
Habenas, & moderamen committam Pnycis.
AG. Ego te curſu prævertam. CL. minimè, ſed ego tē.
CH. O imperium qui habes
Pulcrum: te homines pople
Cuncti metuunt, velut
Virum urbe tyrannum hac.
At tu facile potes
Falli, facilè capi;
Palpumq; ſinis tibi
Obtrudier, ore hias,
Cum quis loquitur, procul
Sed corpore abeſt mens.
PO. Nil mentis ineſt comis
Veſtris, quia dicitis
Me deſipere: atqui ego
Sic deſipio ultro.
Ipſi volupe eſt mihi
Deludier indies,
Furemq; lubet dein
Præfectum alere unicum: At
Plenum volo poſtea,
Suſpendere quaſſum.

Ariſtoph. Equitib. v. 1209.

AG. Ego hoc dicam tibi, vade, & ciſtam meam
Clam ſurripe, & quæ ſunt intus perquirito:
Cape item Paphlagonis, ac tace: ſat commodè

Feres sententiam. PO. sine videam. AG. quid? an
Meam non cernis vacuam, mi patercule?
Nam ego omnia, quæ possederam, tibi obtuli.
PO. Hæc certè cista, quæ populi sunt, prospicit.
AG. Accede nunc ad hancce cistam Paphlagonis.
Viden? PO. proh Iuppiter, quibus completa est bonis?
Quantum Paphlago placentarum in ea reposuit?
Mihi, quod præciderat, tantillulum dedit.
AG. Atque hæc eadem ille factitavit ante hac.
Nam portiunculam minorem tibi dedit,
Ipse sibi majorem reservavit scelus.
PO. O fur scelestе, qui me his fraudasti dolis.
At ego coronatum te ornavi præmijs.
CL. Ego furatus sum propter urbis commoda.
PO. Depone jam coronam ilicet, ut huic eam
Imponam. AG. age depone coronam citò verbero.
CL. Minimè, quia mihi Pythicum est oraculum,
Quod dicit à quo uno vinci me oporteat.
AG. Nempe meum satis apertè nomen exprimit.
CL. Ego manifesto indicio te convincere
Volo, si quid responsis Dei consenties.
Iamque adeo hoc primum ex te percontari volo,
Puer cùm esses, quonam præceptore usus es?
AG. Ego pugnis in culinis aptabar probè.
CL. Quomodo dixisti? ut animum perculit modo hoc
Oraculum, age in ludo quam luctam didiceras?
AG. Furari, pejerare, adversum tuerier.
CL. O Phœbe Apollo, Lycie, quo afficiar malo?
Sed artem quam tu exercuisti jam adultior?
AG. Farcimina vendebam. CL. quid dein? AG. scortis item
Accumbebam. CL. hei mihi! nullus sum posthac ego:
Spes exigua superest mihi, quæ suffulciar,
Etiam hoc dicas mihi, revera ne vendere
Solebas in foro, an in Pylo farcimina?
AG. Immò in Pylo, ubi venalia salsamenta sunt.
CL. Hei mihi: verè completum est Phœbi oraculum
Volutate intrò isthunc infelicem. Vale
Corona, & abi, ego quidem invitus te desero:
Alius verò in potestate te habebit sua:
Si non maior fur, forsitan felicior.
AG. Tuum hoc est præmium victoriæ Iuppiter.

Aristophanes Pace v.68.

——Hyperbolum suffragio
Dolet creasse præstitem nulli rei.
T. Parcemus uti posthac: sed nuda plebs
Discincta inopsq; prorsus à tutoribus,
Hoc usa cinctu est, sic coacta tempore.

Aristophanes Ranis v.720.

Sæpè nobis visa est hæc Resp. æquis ac bonis
Civibus uti eodem quo nummis veteribus & novis
Vtitur modo. Neque enim hos, qui plumbei non sunt, sed hos,
Qui sunt omnium optimi, negligit hæc nostra civitas.
Nam solis probè cusis, probeque tinnientibus,
Nunc passim locorum, & apud Græcos, apudque Barbaros
Omnino non utitur: sed improbis & ferreis,
Qui nuper & heri sunt procusi, nota quam pessima:
Itidem & civium, quos scimus ingenuos & sobrios,
Et viros iustos, & honestos, & frugi, & per quàm probos,
In palæstra exercitatos, in choris, in Musica,
Hos expellimus: ferreis autem & peregrinis, & malis
Et malo genere natis, servisq; ad omnia utimur:
Qui quidem postremo advenerunt: quibus antehac civitas
Ne quidem usa fuisset temerè ac facilè pro unguentarijs.
At nunc saltem, ò stolidi, mores hos mutate perditos,
Et bonis utimini denuò viris, facientibus
Namque officium, etsi quid peccetis fortè, excusabile
Erit: à ligno enim pulcro etsi quid patiamini: tamen
Non inhonesta pati sapientibus videbimini viris.

Aristophanes Ranis. v.1469.

Quænam salutis spes est de republica
EV. Si quis Cleoritum applicet, pro alis, Cinesiæ:
Vtrumque venti mox in mare sustolerent.
BA. Hoc ridiculum quidem: at rationem tamen habet:
EV. Si qui navale facturi sunt prælium,
Acetabula teneant, & loculos hostium
Conspergant: ego novi, & dicam. BA. Dic obsecro.
EV. Si fida quæ sunt, pro infidis habeamus: &
Quæ infida sunt, pro fidis. BAC. non intelligo,
Rudius hoc dicas, & aliquantò planiùs.
EV. Si civibus, quibus iam nimium fidimus,
Post diffidemus: & quibus non utimur,
Illis utamur: erimus salvi forsitan.
Nam si nunc propter istam causam affligimur,
Quomodo contraria agentes non servabimur?

Terentius Heauton. prologo.

Eum esse quæstum in animum induxi maximum,
Quàm maximè servire vestris commodis.

In Ventidium Bassum Incerti

Concurrite omnes augures, aruspices!
Portentum inusitatum conflatum est recens
Nam mulos qui fricabat, consul factus est.

Guntherus lib. 2. v. 145. de Longobardis

——Consulibus rerum committere summam
Gaudet, & hos triplici sumptos ex ordine, fastum
Ne pariat diuturnus honos, mutare quotannis.

¶ Apologorum.

AEsopi Venter & Pedes: Venter & Pedes de viribus litigabant: Subinde autem subjicientibus pedibus, tantum se viribus præcellere, ut ventrem etiam ipsum gestarent, subjicit venter, sed, ò isti, nisi vobis cibum præberem, ne vos quidem gestare valeretis.

Gabriæ Περὶ Ὄνȣ βαςάζοντ☉ εἴδωλον.

Fol. 6.

Ὤμοις Ὄν☉ παρῆγεν ἀργυροῦν βρέτας,
Ὅπερ συναντῶν πᾶς τις αὖ ἐπροσκύνει.
Τύφῳ δ᾽ ἐπαρθεὶς μὴ θέλων μένειν Ὄν☉,
Ηκȣσεν, ȣ̓ Θεὸς σὺ, τὸν Θεὸν δ᾽ ἄγεις.

Επιμύθιον.

Ὅτι τȣ̀ς ἐν ἀξιώμασι τιμωμένȣς δεῖ γινώσκειν, ὅτι ἄνθρωποί εἰσιν.

De Asino gestante simulacrum.

Humeris Asinus gestabat simulacrum argenteum,
Quod unusquisq; occurrens adorabat.
Superbia verò elatus, nolens manere Asinus,
Audivit, Non es tu Deus, sed fers Deum.

Affabulatio.

Quòd oporteat eos, qui in dignitatibus constituti sunt, cognoscere se esse homines.

¶ Emblematis.

Batillius. CXCIV.

Magistratus hominem indicat.

Qualiter infuso prius explorata liquore
Qualia sint certam dant tibi vasa fidem,
Sic hominem imperij prodit mandata potestas,
Illius & mores ingeniumq; probat.

¶ Apophthegm. Sacr.

Evagrius: Quàm egregius (inquit) princeps quisque sit, & qualem naturam moresque habeat, ex ejus administratione considerandū est: quæ una res hominem solet perspicuè, qualis sit, ostendere: quādoquidem cùm libera sit ei vivendi potestas, ea quæ sunt in animi domicilio recondita omnium oculis subjicit ad contemplandum. *Eccl. hist. l.1. c.19.*

Iosua: Achani Israelitæ, anathematis reo, & sorte divinitus instituta deprehenso, Iosue dixit, Fili mi, tribue nunc gloriam Iehovæ Deo Israelis, & ede ei confessionem, & enuntiato nunc mihi quid feceris, ne celes me. Confessione autem edita, reo ad supplicium deducto dixit, Quàm perturbasti nos! perturbabit te Jehova hoc die, *Iosue 7.19.25.*

Iesus Christus Dominus noster. Cognita malitia Pharisæorum & Herodianorum, qui quærebant, liceret censum dare Cæsari an non? ait, Quid me tentatis hypocritæ, ostendite mihi numisma census. Et quum Cæsaris numisma esse agnovisset, dixit eis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. *Matth. 22.17.18* &c. Christianos oportet magistratibus etiam impiis & exactoribus parere, sed ita ut Deo salva sua autoritas maneat. Vide Epistolas D. Pauli Rom. 13. & D. Petri.

Reliqua prolixè descripta habes, in apophthegmatibus, *de Iudicibus, de Principibus, de Regibus.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Pius II. Pontifex. Magistratum Legem loquentem dicebat Tullius, sine cujus prudentia civitas esse non potest; quorum descriptione omnis Reipub moderatio continetur, ideoque magnoperè in ejus delectu insudandum. Ita Pius II. aliquando dixisse commemoravit: *Magistratus alios mereri, & non habere: alios habere quidem, & non mereri. Dignitates autem non viris, sed viros dignitatibus dandos.* Est enim ei, cui Respublica commissa est, necessaria oratio & sapientia, ut habet lib. 1. de Legibus Cicero. *Platina in Vita.*

Idem. Vide supra Affabilitas.

Fridericus III. Imp. At multa dissimulanda interdum ad publicā tranquillitatem conservandam, iis qui Reipub. clavum tenent, asserebat Imperator Fridericus; cui in ore persæpè:

Qui regnare volunt, multis dormire, sagaci
Multaq; consilio dissimulare solent.

Reinh. Hadam. In Instit. Princ.

Sigismundus Imperat: Et hunc, cùm cœnanti verbosus quidam & importunus senex nimium verbis obreperet, exclamasse ferunt:

Asinorum conditio longè potior, quàm Regum: illis enim dum pascũtur domini parcunt, Regibus nemo. Idem Alphonso tribuit AEneas Sylvius.

Vide Apoph. de Affabilitate, & Electione.

❡ Monosticha Trochaica.

A magistratu bono urbi nil oritur mali, ast malo.
A magistratu, & ruina est urbis, urbis & salus.
A magistratu haud movendus pauper est verùm malus.
A magistratu recede haud ditior sed clarior.
A peritis assuetisq; continemur promptius.
A stivis aratri Romam accersebantur Consules.
Abstinens sit continensq; rector multitudinis.
Ad jubendum, ad obsequendum juxta fac mores pares.
Ad magistratum admittendus nullus est qui fœnerat.
Ad navem haud venit regendam, qui artis exors nauticæ est.
Alterum dato magistratum unum qui gessit bene.
Alteros pauci; se multi haud offerunt, sed inferunt.
Annorum sat habet, Quirites, esse AEdilem quem volunt.
Ars difficilis admodum est rem regere rectè publicam.
Aut Deum offendes populumve publicam rem si geris.
Civium permitte habenas optimis non pessimis.
Civibus præesse nescit impatiens injuriæ.
Civibus præesse qui vult, iis virtute sit prior.
Cogitare quid gerendum sit, curæ est amplissimæ.
Consul ergo aquilâ ex eburnâ sumit arrogantiam?
Consul es? bene ergo privatis publicisq; consulas.
Consulatus fert repulsam cùm Cato repellitur.
Consules fiunt quotannis & novi proconsules.
Consulem tantò meliorem speres, quò est frequentius.
Corrumpit magistratum omnem solitudo vel Mora.
Cùm magistratus laudatur, publica dignus nota est.
Cùm praes populo, memento quod tibi præsit Deus.
Cura publici imponatur & bonis nolentibus.
Dignitas creet magistratum, haud pecunia atq; opes.
Ecce Bassus qui fricabat mulos Consul factus est.
Et magistratus pudentes Principum facit favor.
Et parere & imperare posse magistratus boni est.
Evehi ad sedem curulem ex piscium alveo, insolens.
Fert magistratus repulsam, cum Cato repellitur.
Haud magistratus mandandus ditibus sed optimis.
Haud potes placere cunctis si magistratum geris.
Heu molestiæ quot instant rem gerenti publicam!
In magistratu animi morbos nemo unquam texit diu.
Iam magistratum expetiscit quisq; messem ob auream.
Improbè iis præesse adfectas, queis prodesse non cupis.
Improbè ijs præesse quæris, queis prodesse non potes.
In magistratu locatus; est Dei certè haud suus.
Morbum animi cælare nescit qui magister civium est.
Ne magistratus creentur sorte sed suffragiis.
Ne magistratus legatur ex opibus, sed moribus.
Ne quidem citra magistratum ulla consistat domus.
Nil juvant leges bonæ magistratus sit si malus.
Non potes placere cunctis si magister civium es.
Non regit populus Periclem, quin Pericles hunc regit.
Non regunt verum reguntur qui magistratum gerunt.
Optimi magistratus sunt imperium qui haud ambiunt.
Promovendi erant qui per se gerere possunt publicum.
Publico eia vindicetur quisquis est frugis bonæ.
Publico magistratum pauci ambiunt, plures sibi.
Publico prodest, quotannis qui magistratus novat.
Qui magistratum coactus suscipit, rectè gerit.
Qui magistratum emit ære, rursus ære distrahet.
Qui magistratum emit auro, eundem & auro dein geret.
Qui magistratum emit ipsum quei vetetur vendere.
Qui magistratus malos fert Rex eosdem & approbat.
Qui magistratum sibi emit, quos vis vendet.
Qui magistratus subivit plures, nullum agit bene.
Servum fieri pessimorum quem, ut meliorib. imperet?
Sint magistratus per annos tres continui, haud perpetes.
Sis prior virtute quavis si magister civium es.
Sunt magistratus curare quos rem oportet publicam.
Sit magistratus virtutis certè non opulentiæ.
Temporibus malis rei fit publicæ pars quilibet.
Transiit ad Volscos vexatus à tribunis Marcius.
Turpibus plebs sceptra gaudet tradere, haud idoneis.
Turpiter rector alienæ quisquam eget facundiæ.
Venditat se magistratus quisquis munera accipit.
Vipera in sinu est, promotus ante tempus arrogans.
Venter æquè est otiosus, atque is qui clavo adsidet.
Vtile est potestatem omnem quæ magna est, esse & brevem.

❡ Iambica.

At Consularis ultra est adhuc quid quod velit?
An ultra habet quid Consularis quod petat?
Auspicia campi Fors & Ambitus regit.
Continua quem non efferat potentia?
Cunctis placere quei magistratus queat?
Custodia urbis in magistratus manu est.
Desiderant firmam frontem civilia.
Duos magistratus gerere anno uno nefas.
Fato Metelli Romæ fiunt Consules.
Fortuna sæpe virtutum loco omnium est.
Haud omnium est decus gestare purpura.
Iam consulatus non hominum est, mage est opum.
Ito ad forum, ac tutelam pauperi geras.
Male regitur populus juventa quem regit.
Mentis tumultus lictor ecquis submovet?
Meta est Magistratus calumniantium.
Nunquam tribuno oppessulata janua est.
Onus est honos qui sustinet rempublicam.
Quisnam magistratus faciat, nisi optimos?
Regum favor bonos magistratus facit.
Servit Senatus re populo, verbo imperat.
Si magnus est magistratus, sit perbrevis.
Subit invidiam, magistratum quisquis subit.
Vitare odium in magistratu rarissimum est.

Magnanimitatis.

❡ Sententiae Patrum Graecor.

D. *Nazianzenus.* Adhæc Julianum Constantius Cæsarem crearat, non tam istius fide, quam suis opibus & potentia nisus: quibus etiam ut opinor, fretus magnus ille Alexander, victo Poro non vitam modò dedit, idque cùm de imperio strenuè dimicasset, sed Indorum etiam regnum ipsi restituit: perinde atque non alia ratione magnanimitatis specimen editurus, qua vinci, cùm Alexander esset, turpius existimabat, quam armis superari: præsertim cùm in sua potestate esset, eum si malum beneficiique immemorem comperiret, rursus sub ditionis suæ jugum mittere. Ita benignitas hæc ab ingenti quadam animi præfidentia manabat. *orat. 3. in Iulianum stelitеutica prima.*

S. Isidorus Pelusiota: Aliud μεγαλοφροσύνη, hoc est animi magnitudo, aliud superbia, hoc est, arrogantia designat. Siquidem illa omnia, quæ accidunt, infra suam fortitudinem posita esse ducit: hæc autem omnes homines vilitate sua inferiores esse censet. Illa res mundo sublimiores ante oculos sibi proponit: hæc terrenas somniat. Illa divinam & præclaram gloriam expetit: hæc intereuntis cupiditate flagrat. *l. 3. Epist. 186.*

❡ Philosophorum.

Isocrates: Decet eos qui natura, & non fortuna magnis animis sunt, præclara suscipere facinora, &c. *Panegyrico.*

Idem: Magni & excellentis animi est, non ea suscipere quæ præstare quivis è populo possit; sed illa quæ nemo alius conari audeat, nisi & ingenio tibi par , & potentia. *Oratione ad Philippum regem.*

Seneca: Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum, infra quem nihil est. quid enim majus & fortius, quam malam fortunam retundere? hæc tamen magnanimitas in bona fortuna latiorem locum habet, meliusque in tribunali quàm in plano conspicitur. *lib. 1. de Clementia c. 5.*

❡ Poetarum.

P. Syrus Mimus.

Magnanimo iniuriæ remedium oblivio est.

❡ Apophthegmatum Sacrorum.

Caleb & Iosua: Ii terræ Cenahani exploratores fidelissimi, dum reliqui exploratores Israeliticum populum ab ingressu in illam terram deterrebant, dicebant, Immò ascendamus, ut hæreditariò possideamus eam: nam omnino prævalebimus adversus eam. *Numer. 13. 30.*

Et sequenti capite, versicul. 6. Iosua & Caleb audientes impia murmura populi, lacerarunt vestimenta sua, & allocuti sunt totum cœtum filiorum Israelis, dicendo, Terra per quam transivimus ad explorandum eam, terra est perquam optima. Si delectatur nobis Iehova, introducet quoque nos in terram istam, & dabit eam nobis, terram quæ est affluens lacte & melle. Tantummodo contra Jehovam ne rebellate:

præterea vos ne timete populum iſtius terræ, nam cibus noſter ſunt: receſſit umbraculum eorum ab eis, & Iehova eſt nobiſcum, ne timete eos. *Num.14.v.7.8.9.*

Anonymi. Duo viri exploratores à Ioſua miſſi, emenſis periculis variis, ad Ioſuam reverſi, poſtquam enarrarunt quæcunque obvenerant ſibi, dixerunt ad Ioſuam, Eamus: nam tradit Iehova in manus noſtras totam terram iſtam Cenahani: atque etiam diffluunt omnes habitatores iſtius terræ metu noſtri. *Ioſue 2. verſic.24.*

Ioſua. Captis & eductis è ſpelunca Makedæ quinque regibus Emoræorum, atque ad Ióſuam productis, vocavit Ioſua omnes viros Iſraelis, & edixit ductoribus virorum militantium, qui venerant cum ipſo, Appropinquate, imponite pedes veſtros cervicibus iſtorum regum. Quo facto, dixit ad eoſdem Iſraelitas Ioſua, Ne timete, neque conſternamini, & fortes eſtote: nam ſic facturus eſt Iehova omnibus hoſtibus veſtris, quibuſcum vos pugnaturi eſtis. *Ioſue 10.24.25.*

Saul rex Iſraelis. Audiens regem Ammonitarum opprobrium inurere velle Iſraeli, Spiritu Dei arreptus & ira juſta accenſus acceptum par boum membratim diviſit illud & tranſmiſit in totum terminum Iſraelis per nuncios, dicendo, *Quiſquis non exibit poſt Saulem & poſt Samuelem, ſic fiet armento eius.* Vnde incidit pavor Iehovæ in populum, ita ut exirent unanimes. *1.Sam.11.7.*

Ionathan. Ionathan filius Saulis ceſſante & inſcio patre atque exercitu, divino Spiritu incitatus, cum ſolo armigero ad Peliſchtæos accedens, dixit, Agedum tranſeamus ad ſtationem præputiatorum iſtorum: fortè faciet Iehova pro nobis. Non enim eſt Iehovæ impedimentum quin ſervet multis aut paucis. Reſpondenti armigero, Fac quicquid eſt in animo tuo, ecce me tecum, dixit Ionathã, Ecce nos tranſituri ſumus ad viros iſtos, & retegemus nos eis. Si dicent ita ad nos, Subſiſtite, donec pervenerimus ad vos, tum ſtabimus in loco noſtro, & non aſcendemus ad eos. Sin autem ita dicent, Aſcendite ad nos, utique aſcendemus: nam tradiderit eos Iehova in manum noſtram: hoc igitur eſto nobis ſignum. Vocatus à Peliſchtæis eos invaſit, viginti trucidatis, reliquos fugavit, &c. *Vide 1. Samuel.14.7.8.&c.*

David: Quum Goliath gigas Peliſchtæus provocaret Iſraelitas ad duellum, David ſuperbi iſtius minacia verba audiens, converſus ad quoſdam adſtantes, Quid fieret (inquit) viro qui percuteret Peliſchtæum illum & auferret opprobrium ab Iſraele? quis enim eſt Peliſchtæus præputiatus iſte, qui probro afficit acies Dei viventis? Objurgatus deinde ab Eliabo fratre maximo, reſpondit, Quid feci nunc? nónne negotium fuit? Tandem ad Saulem deductus dixit, Ne concidat animus ullius propter iſtum: ſervus tuus iturus eſt, & pugnaturus contra Peliſchtæum iſtum. Quum autem objiceret Saul robur Goliathi & Davidis pueritiam, reſpondit David, Paſcente ſervo tuo patri ſuo gregem, cùm accedens leo aut urſus auferret parvam pecudem è grege, egreſſus perſequebar illum, ut percuterem eum, aut eriperem ex ore ejus, inſurgentem verò in me prehendebam eum barba, & percutiens morte afficiebam eum. Tum leonem tum urſum percuſſit ſervus tuus: & nónne erit Peliſchtæus præputiatus iſte ut unus ex eis, cum probro affecerit acies Dei viventis? Dicebat item, Iehova qui eripuit me à leone & ab urſo, idem eripiet me è manu Peliſchtæi iſtius.

Tum dixit Saul ad Davidem, Abi, & Iehova ſit tecum. Quum autem à Peliſchtæo David inermis ſperneretur, Tu (inquit) venis ad me cum gladio, & cum haſta, & cum humerali: ego verò venio ad te in nomine Iehovæ exercituum, Dei acierum Iſraelitarum, quem probro affeciſti. Hoc ipſo die dedet te Iehova in manum meam, ut percutiens te amoveam caput tuum à te, & tradam cadavera exercitus Peliſchtæorum hoc ipſo die volatilibus cœli & beſtiis terræ: ita cognoſcent incolæ totius terræ Deum eſſe pro Iſraele. Et cognoſcent tota congregatio hæc, non gladio aut haſta Iehovam ſervare. Nam Iehovæ eſt hoc bellum, ideo tradet vos in manus noſtras. Verbis eventus reſpondit, Goliatho interfecto & Peliſchtæis fuſis fugatis. *Vide 17. capit. 1. libr. Samuelis.*

Sadrac, Meſac, Abednego, ſocij Danielis prophetæ. Nebucadnezare, imagini aureæ, quam curaverat, divinos honores jubente exhiberi, tres Danielis ſocii, qui conventui iſti intererant, recuſant pollui idololatria: quamobrem apud regem accuſati, & ab eo accepti minaciter dixerunt, Nebucadnezar, ut reſpondeamus tibi non ſumus ſolliciti de hoc negotio: ſive futurum eſt, ut Deus noſter, quem nos colimus, qui potens eſt ad eripiendum nos, à fornace ignis accenſa, & à manu tua, ô rex eripiat nos, ſive non: notum ſit tibi, rex, deos tuos nos non eſſe culturos, & imaginem auream quam erexiſti non adoraturos. *Dan.3.16.17.18.*

Nehemias. Iudæorum Hieroſolymam inſtaurantium hoſtes quum opus feliciter inchoatum & ad finem ferè perductum interturbare & deſtruere vellent, Nehemiam populi ducem perterrefacere vel tollere de medio cogitarunt: & quum per nuncios illi dicerent, Ineamus conſilium in aliquo vicorum in valle Onuntis, reſpondit per alios nuncios, *Opus magnum facio, ideoque non poſſum deſcendere: quamobrem ceſſaret hoc opus, cùm deſiſterem ab eo deſcendens ad vos?* Tentatus quater, reſpondit eis in eandem ſententiam. Tandem Sanballato, novos dolos cudenti, miſit qui hominem mendacii & vanitatis arguerent. Et pſeudoprophetæ cuidam mercenario qui pavorem in cor eius inſtillare ſtudebat, dixit, *An vir qualis ego ſum, fugeret? aut quis eſt qualis ego qui ingrediatur in templum ut vivat? non ingrediar.* Tandem evanuerunt hoſtium conſilia & artes. *Vide Nehem.c.6.*

Iudas Maccabæus. Quum rex Antiochus per Lyſiam miſiſſet exercitum XL. M. peditum, & VII. M. equitum adverſus Iudæos, Iudas & fratres ejus dixerunt quiſque alter alteri, Reſtituamus populum noſtrum ex dejectione hac, & pugnemus pro populo noſtro ac ſanctuario. Poſtquam verò humiliati eſſent coram Deo, caſtra metati ſunt ad Emmauntem. Et dixit Iudas Iudæorum turmis, Accingimini, & eſtote ſtrenui, ac eſtote parati manè ad pugnandum contra gentes iſtas quæ congregatæ ſunt adverſum nos, ad tollendum nos & ſanctuarium noſtrum: nam melius eſt nos mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ & ſanctuarii. Prout autem fuerit voluntas Dei in cœlo, ita faciat. *1.Macab.3.43.58.&c.*

Simon Macabæus. Mortuo Ionathane, cùm videret Simon frater eius populum eſſe trepidum & perculſum metu, aſcendit Hieroſolymam, & congregavit populum, & adhortatus eſt eos dicens eis, Ipſi noſtis, quanta ego & fratres mei ac domus patris mei fecerimus pro legibus & ſanctuario, & quæ prælia anguſtiaſque experti ſimus: propterea perierunt fratres mei omnes cauſâ Iſraelis, & ego ſolus reliquus factus ſum. Nunc autem abſit à me, ut parcam animæ meæ omni tempore anguſtiæ: non enim melior ſum fratribus meis. Verum vindex ero pro gente mea, & pro ſanctuario, & pro uxoribus liberiſque noſtris: quandoquidem congregatæ ſunt omnes iſtæ gentes, ut atterant nos infenſo animo. *1. Macabæor. 13.3. &c.*

Ioannes Baptiſta. Eius magnanimitatem invictam in taxanda Phariſæorum & Sadduceorum hypocriſi, ac coercendo Herodis inceſtu deſcribit Lucas pag.3.& Marc.c.6.

Apoſtoli. Magnanimitatem eorum poſt acceptum Spiritum ſanctum proponit Lucas, Act.3.5.13.&c. & paſſim in tota illa ſacra hiſtoria.

D.Cyprianus. Proconſul D.Cyprianum coram tribunali ſuo adductum intuitus, ait, Tu es Taſcius Cyprianus qui te Papam ſacrilegæ mentis hominibus præbuiſti? Iuſſerunt te ſacratiſſimi Imperatores ſacrificare. Conſule tibi ne pereas. Sanctus martyr reſpondit, Ego ſum Cyprianus, Chriſtianus ſum, & diis ſacrificare non potero: tu verò quod tibi præceptum eſt, fac. In re enim tam juſta, nulla conſultatio eſt. Deinde morti adjudicatum ſe audiens, dixit, Gratias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis huius corporis dignatur abſolvere. *Pontius Diaconus in Actis paſſionis D. Cypriani.*

Martyres trecenti. Paulo ante mortem D. Cypriani, ferunt à præſide clibanum calcis accenſum & in ore illius prunas cum thure exhibitas, & præſidem dixiſſe Chriſtianis: Eligite è duobus unum, aut thura ſuper his carbonibus offerte Iovi, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati, ſe ictu rapidiſſimo, Chriſtum Dei Filium fatentes, jecerunt in ignem, & inter vapores calcis pulverei ſunt demerſi, quos ſibi Chriſtus conſecravit. *Pontius Diaconus, in Actis paſſionis D.Cypriani.*

Lucius. Vrbicius Alexandriæ præfectus quum propter veræ Religionis profeſſionem Ptolemæum duci ad ſupplicium juſſiſſet, Lucius quidam, & ipſe Chriſtianus, tum ibi aſtans, improbato ejuſmodi judicio, Quæ (malum) hæc ratio eſt? inquit. Num quid infamis maleficii vir hic admiſiſſe convictus eſt? An quod Chriſtiani nomine tantùm is gaudet & gloriatur, propterea ad puniendum eum commotus es? Non hoc decet Imperatorem pium, non Imperatoris filium philoſophum. Non ita, ut ſacro ſenatui convenit, judicas Vrbici. Præfectus autem quum Lucium etiam duci juſſiſſet, ille, Se gratiam Vrbicio habere profeſſus eſt: à malis quippe dominis ſe liberari, & ad Deum Patrem & regem optimum tranſire. Ad quos tertius alius itidem acceſſit, in quem ſupplicio quoque eſt animadverſum. *Niceph.eccl.hiſt.l.3.c.34.*

Auxentius. Erat in palatio Licinii inter notarios Auxentius quidam vir nobilis. In imperiali autem quadam domo fons aquæ fuit, & ſuper eo fonte Bacchi ſimulachrum: tum autem vitis ampla, quæ locum eum omnem tegens, multa cùm amœnitate obumbrabat. Huc quum Licinius veluti deambulans, Auxentio, & multis præterea aliis eum officii gratia comitantibus, veniſſet, & botrum ingentem maturumque è palmite pendentem conſpexiſſet, Auxentio ut eum decerperet mandavit. Auxentius nihil prorſus ſubeſſe doli ſuſpicatus, pugione, quem ex femore ſuſpenſum geſtabat, ſtricto, botrum reſecuit. Tum Licinius, Ad pedes Dionyſii uvas depone, dixit. Auxentius verò, Minimè gentium, inquit, Imperator. Chriſtianus enim ſum. Licinius rurſum, Itaque ex aula, ait, confeſtim abibis, dignitate poſita. Alterum tibi duorum iſtorum neceſſariò faciendum. Enimverò Auxentius, nulla interpoſita mora, cingulum perquam libenter ſolutum poſuit, & aulæ diſcedens valedixit. Hunc aliquanto poſt, epiſcopi Mopſueſtiæ antiſtitem legerunt. *Suidas.*

Mulier Edeſſena, Anonyma. Modeſtus, Edeſſæ præfectus, cum ad locum quendam ut Chriſtianos ibi congregatos interficeret, juſſu Valentis armata manu properaret, mulierem cum filiolo feſtinantem, accerſit, & cauſam tantæ feſtinationis exquirens: Vti ocius, inquit illa, ad campum in quo populus Eccleſiæ catholicæ coactus eſt, veniam.

Túne ſola, ait præfectus, neſcia es me actutum eò perventurum, & quos offenderim interfecturum? Immò verò, inquit, au-

divi, & propterea curſu celerrimo mihi opus eſt, ne poſt tempus veniam, & ita martyrio à Deo oblato deſtituar. At cur quæſo, inquit Modeſtus puerum tecum ducis? Vt ille quoque (reſpondit mulier) communis afflictionis particeps fiat, parque præmium cõſequatur, &c. *Sozom. eccl. hiſt. l. 6. c. 18.*

Marcus Epiſcopus: Arethuſiorum Epiſcopus, Marcus quum poſt crudelia tormenta à perſecutoribus melle & liquamine unctus, in ſportulam impoſitus, ac in ſublimi ſuſpenſus eſſet, cùm veſpæ & apes ad eum advolarent, carnemque ejus exederent, ferunt eum carnificibus dixiſſe, ſe in ſublime poſitum eſſe, videreque eos humi infra repentes. *Sozom. eccl. hiſt. l. 5. c. 9.*

Liberius: Imperator Conſtantius cùm Liberius epiſcopus Romanus ejus iniquis imperatis reſtitiſſet, dedit mandatum ut in Thraciam, niſi intra biduum ſententiam mutaret, relegaretur. Cui Liberius, Mihi, inquit, ô Imperator, die ad deliberandum non eſt opus. Iam enim olim iſta & deliberata ſunt à me, & decreta. Itaque jam ab hinc diſcedendum paratus ſum. Fertur item, Imperatorem ei jam cùm in Thraciam abduceretur, quingentos aureos miſiſſe: illum autem eos non recepiſſe, ſed dixiſſe ei qui attulerat, Abi, & nuncia illi qui hoc aurum miſit, ut ipſum det ſuis aſſentatoribus & hiſtrionibus, quos continua egeſtas præ inſatiabili cupiditate in dies ſingulos graviter premit: quippe qui perpetuò appetant divitias, nec unquam ſatiari poſſint. Nos autem Chriſtus, qui Patri in omnibus rebus ſimilis eſt, nutrit, & omnia bona nobis ſuppeditat. *Sozom. eccleſiaſt. hiſtor. libr. 3. capit. 10.*

Leontius Epiſcopus. Cùm Euſebia Conſtantii Imperatoris uxor, ſuperbiâ elata, ab epiſcopis adoraretur: ſolus Leontius Tripolis Lydiæ epiſcopus domi manſit. Pollicetur ea ſe maximam Eccleſiam illi extructuram, & affatim pecuniæ præbituram, ſi ſe conveniret. Cui ille: Non mihi, inquit, ſed Deo gratificaberis, hoc faciens. Tu verò, ſi me ad te venire voles, ſic agito. Vbi in tuum venero conſpectum, de ſolio deſcende, caput benedictioni manuum mearum ſubmitte. Ego in tuo ſedens throno, tibi cùm videbitur ſedendi poteſtatem faciam. Illa vehementer commota rem marito exponens eum ad ſupplicium de epiſcopo ſumendum inſtigavit. Is, Leontii animo collaudato, uxorem in gynecæum ablegavit. *Suidas.*

Benivolus: Cum Iuſtina, Iunioris Valentiniani mater, Arianæ ſectæ patrona, impium quid à Benivolo ſcribarum præfecto; viro orthodoxo, poſtularet, precibus ac promiſſis ampliorum dignitatum additis, Benivolus detractum ſibi baltheum ante pedes Iuſtinæ abjiciens, dixit, Sibi neque præſentem hanc, neque ampliorem ullam dignitatem tanti fore, quam in mercedem impietatis affectaret. *Sozom. eccleſ. hiſt. lib. 7. c. 13.*

Valentinianus I. Imperator. Quum poſt Ioviniani mortem milites eum Imperatorem elegiſſent, & ſuo more vellent multa ſibi tribuere quæ minimè decebant, Valentinianus qui ethnicorum inſolentiam frænare & imperii ſtatum ordinare cupiebat, dixit eis:

In veſtra manu poſitum erat, milites, cùm Imperator non eram, mihi Imperii gubernacula tribuere: verùm cùm jam ea ſuſceperim, non veſtrarum partium, ſed mearum ſolum eſt de cætero communi Reipubl. adminiſtrationi conſilio & ſapientia providere. *Theodoret. eccleſ. hiſt l. 4. c. 5.*

Valentinianus II. Imperator: Quum adhuc multi non ſolùm Romæ, ſed etiam in Romano Senatu, errori gentilitatis addicti eſſent, imbecillitate Valentiniani II. pueri & Iuſtinæ matris ejus illecti, conſiliis communicatis petere ab eis ſtatuerunt, ut ara vetus in curia reponeretur, ad quam jurare ſenatores ſolebant de reb. publicis conſulturi, & ut ſacris faciendis ſumptus ante ſublati à Gratiano reſtituerentur.

Quod cum Chriſtiani, qui numero ſuperabant, clam moveri ſenſiſſent, libellum Damaſo pontifici obtulerunt, denunciantes, nihil ſe ejuſmodi cenſuiſſe, neque aſſenſione ſua probaſſe: ſi id concederetur, ſe in ſenatum non venturos. quem libellum Damaſus ad Ambroſium, ille ad Gratianum miſit. Occiſo Gratiano, Symmachus urbis præfectus, homo non tam eloquentiæ quàm gentilitatis ſtudio clarus, relationem ſenatus nomine ad Valentinianum miſit, petens, ut quod paulò ante agitari cœptum erat, ipſe aram Victoriæ reponere in curia ſineret: atque impenſæ ad ſacra facienda à Gratiano Auguſto ſublatæ reſtituerentur.

Quod ut Ambroſius epiſcopus Mediolanenſis audivit, proxima, ut ipſe inquit, legatione confiſus, Valentinianum ab ejuſmodi re indulgenda, quæ gentilitatem reduceret, avocavit: rogavitque, ut ſibi relationis exemplum remitteret, ut ei reſpondere poſſet. quemadmodum accuratè reſpondit, & legitur adhuc ſcriptum utrumque.

Cæterùm cùm in conſiſtorio Valentiniani omnes, qui aderant, Chriſtiani & Gentiles, ea reddenda eſſe contenderent, ſolus Valentinianus diſſenſit: ac Chriſtianis perfidiæ incuſatis, Gentilibus ita reſpondit, Quomodo quod pius frater eripuit reddere me ſuadetis? cùm & religonem læſurus ſim & fratrem, à quo nolo pietatis officio ſuperari? Subjicientibus autem illis, patrem illius nunquam ut eas eriperet adduci potuiſſe, occurrit: Patrem meum, inquit, laudatis, quia non abſtulit, nec ego abſtuli: neque idem reddidit, ut me debere reddere contenditis. &, ſi reddidiſſet, frater ademit, cujus in hoc genere imitatorem me eſſe malo.

Nam perinde hic Auguſtus ac pater fuit, & & par utrique debetur reverentia, & par utriuſque eſt erga Rempublicam gratia. Hac animi magnitudine juvenis Imperator impiam Gentilium petitionem irritam reddidit. *Sigonius, libro octavo & nono Imperat. occid.*

Oeniandus. Anaſtaſius Imperator audiens epiſcopum quendam, nomine O[illegible]niandum, diſertum eſſe, & qui ora omnibus ſententiæ de paſſo Deo aſſertoribus obturaret, eum ad ſe vocatum hortatus eſt, ut ad ſuam factionem deſciſceret, pollicens eum quidquid petiiſſet illico accepturum. Cui epiſcopus, Tu (inquit) potius ad orthodoxos tranſi: ne dum opiniones impiorum hominum Severi, Eutychis, & Dioſcori amplecteris, æterno igni addicaris. Simulque apprehendens Imperatoris chlamydem: hæc ait, Veſtis nequaquam te poſt mortem ſequetur, ô Imperator: ſed ſola te comitabitur pietas ac virtutum habitus.

Miſſam fac Eccleſiam quam Chriſtus redemit ſuo ſanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, neque ullum Eccleſiæ decretum perfectè intelligis: tantùm impoſturis & ſcurrilibus calumniis fatuos terres. Satis tibi ſit dignitatis quod Imperator es: antiſtites Eccleſiæ vexare noli. Adhæc Imperator pudore ſuffuſus, obmutuit. Pauperrimus autem cùm eſſet ille epiſcopus, ne obolum quidem ab Anaſtaſio voluit accipere: adeo liber erat, & ſolius in Deum fidei ac pietatis rationem habens, terrena calcans omnia. *Carolus Sigonius libr. 16. hiſtor. Imperat. Occ.*

Polyeuctus: Polyeuctus Conſtantinopolitanus patriarcha, Ioannem Zimiſcam poſt interfectum Nicephorum Phocam, Imperatorem deſignatum, & ob id magnum templum, ut manu patriarchæ ſibi diadema imponeretur, ingreſſurum, non admiſit, dicens: Non licet templum ſubire eum, cujus manus adhuc recenti cognati cruore ſtillant. Cùm Zimiſca, ſe manus Nicephoro non intuliſſe affirmaret, ſed ab aliis juſſu Theophanonis Auguſtæ trucidatum: Polyeuctus juſſit percuſſores regia pelli, una cum regina Theophanone, ac edictum contra præſules reſcindi: pœnitentiamque Zimiſcæ injunxit, ut quas privatas opes poſſideret, egenis diſpertiret. His omnibus factis natali Chriſti Servatoris, in magnam Eccleſiam progreſſus, diadematе coronatus eſt. *Cedrenus, Cuſpinianus.*

Agapetus: Theodatus rex Gothorum Conſtantinopolin miſerat Agapetum I. pontificem. Is, cum pacem impetraſſet ab Imperatore, tentabatur ut Eutychianam opinionem confirmaret. Verùm cùm Iuſtinianus ab ea re ſanctiſſimum hominem abhorrere cerneret, precibus minas addidit. Tum Agapetus, Ego, inquit, ad Iuſtinianum Chriſtianiſſimum principem venire optavi: ſed Diocletianum inveni, Chriſtianorum hoſtem acerrimum. Alii narrant Agapetum à Iuſtiniano rogatum ut Anthimum epiſcopum Eutychianæ hæreſeos fautorem ad ſalutationem admitteret, omnino id ſe facturum negaſſe, niſi catholicam ille confeſſionem exprimeret, ac ſuam ſedem repeteret. neque enim fas eſſe, ut in ſede Conſtantinopolitana, pravæ fidei atque alienæ Eccleſiæ epiſcopus reſideret.

Theodora verò Auguſta pro eo ſe interponente, & variè preces minaſque miſcente, Agapetus nunquam de ſuſcepta dimoveri ſententia potuit, quinetiam de criminibus Anthimi ab epiſcoporum & monachorum libellis edoctus, illum communione atque officio, quouſq; reſipiſceret exuit, eo nomine quòd contra leges Eccleſiam invaſiſſet, & ab Orthodoxis defeciſſet. *Cedrenus. Sigonius libr 17. hiſtoriæ de Occid. Imperio. Fulgoſus. Egnatius lib 6. cap. 2. Ioan. Magnus, l. 10. c. 10. Platina.*

D. Martinus: A convivio Maximi Imperatoris frequenter rogatus Martinus abſtinuit, dicens ſe menſæ ejus participem eſſe non poſſe, qui duos imperatores, unum regno, alterum vita expuliſſet. *S. Severus, lib. de vita B. Martini.*

Sanctius rex Navarræ. Memoriæ proditum eſt, Caſtellæ regnum in Hiſpania quondam à triginta barbarorum regibus, duce atque imperatore Smaragdo occupatum fuiſſe. Vnde quum illi magnum Chriſtianis terrorem injicerent, brevique ſe tota reliqua Hiſpania quæ Chriſtianorum erat, potituros eſſe confiderent, Sanctium Navarrenorum regem collecto forti magis quàm numeroſo exercitu, adverſus eos profectum eſſe, quum prius pulcherrimum, & clariſſimum jusjurandum juraſſet, nunquam ſe ex eo bello niſi parta victoria reverſurum.

Excogitaverant barbari cùm alia multa, ad prohibendas Chriſtianorum incurſiones aptiſſima, tum catenas quaſdam ferreas, quibus ita vias omnes occluſerant, ut equitatui, quo plurimùm Navarreni valebant, omnis adempta ſpes faciendæ in hoſtem irruptionis videretur.

Sed nihil virium habent adverſus prudentiam ſubdola & aſtuta conſilia: debiles ſunt omnes adverſus conſtantiam machinæ: imbecilla & inutilis adverſus fortitudinem multitudo. Deo duce per medios hoſtes ſibi & ſuis viã ferro faciens Sanctius, non prius deſtitit, quã barbaros fuſos, fugatos, caſtris exutos, docuit, victoriam non in munitionib. operibuſq; bellicis, ſed in cauſæ bonitate poſitã eſſe: q per Chriſti nomine dimicarent, eorum impetũ nõ poſſe, ne collatis qdẽ in unũ omniũ aliorũ viribus, ſuſtineri. Superatis igitur & in poteſtatem

testatem redactis hostibus, omnium ducum & militum incredibilis concursus ad Sanctium factus est: alius amplexari eum: alius ad genua accedere: alius fortem illam dextram barbarorum dominatricem, Hispaniarum liberatricem, victoriæ confectricem exosculari: qui propter multitudinem propiùs accedere non poterant, vultu, oculis manibus, corpore, quascunque poterant animi sui significationes dabant: una omnes voce, & bellatorem fortissimum & Imperatorem invictissimum consalutabant. Inde quum de dividenda præda agi cœptum esset, quæ tanta erat, quantam triginta potentissimorum Regum collatæ in unum locum opes coacervare poterant, nemo erat in universo exercitu, qui non ita sentiret, ita prædicaret, Quantamcunque sibi partem ex ea vel deposceret, vel etiam suo jure sumeret Sanctius, nunquam tantùm ad eum perventurum esse, ut non multò plus ipsius virtuti præclarisq; factis deberetur. Erat in castris barbarorum auri argenti facti infectique permagna vis, gemmarum maximi pretii admirabilis multitudo, multum tapetium, multum conchyliatæ vestis, multum peristromatum, ut est illa etiam in bellis luxuriosa gens, armorum omnis generis optimorum & exquisitissimo artificio fabricatorũ infinitus prope numerus, equi præstantes permulti, phalerarum, ephippiorum, cæterorumque ornamentorum equestrium incredibilis copia, captivi longè plurimi, ex quibus ingens pecunia confici posset: quibus omnibus ex rebus Sanctium, ut quantum vellet, sibi ipse sumeret, summo omnes consensu obsecrabant. Ille alacri vultu, quum gratam sibi esse illam exercitus voluntatem significasset, *Non me*, inquit, *barbaricarum opum cupiditas, ut in hoc bellum ingrederer, aut in prima acie stans corpus meum telis hostium objicerem, induxit: Christianæ mihi pietatis ardor, & huius pulcherrimæ regionis ab injusto immanium belluarum dominatio vindicandæ studium, faces ad eam rem & stimulos subdiderunt. Nunc quum id quod volui, divino beneficio, & vestra (milites) virtute consecutus sum, non committam, ut majori animo videar armatorum & stantium copias, quam inermium & jacentium spolia contemsisse. Ornamẽto ista sint primùm immortalis Dei nostri divorũq; tẽplis ac delubris, ut partim in sacrariis reposita, partim è tholis propẽdẽtia, ꝓpagent in omne tẽpus memoriã nostri, posterosq; nostros ad suscipiẽdã semper magno animo religionis nostræ defensionẽ exsuscitent: ditẽt cætera egenos & exhaustos pro suis quæque meritis, milites: ut quum juventutis suæ firmitatem in periculis & laboribus consumserint, habeant olim quo senectutis infirmitatem in tranquillitate atque otio sustentare possint. Ego quidem, quod ad me attinet, præter has catenas, quas spectantibus adjuvantibusq; vobis perfregi atque perrupi, & præter illam gemmam, quam manibus meis dejectam illic jacentem videtis* (hæc autem dicens ostendebat illis prostratum & in sanguine suo involutum exanimem Smaragdum) *nullam omnino mihi mercedem, nullum præmium aut postulo, aut appeto.* Ergo ad conservandam tam nobilis victoriæ memoriam, simulque & incitandos successorum suorum animos, & ipse postea catenas pro insignibus gestavit, & instituit, ut iisdem insignibus cæteri post se reges uterentur. At quoniam eo in prælio præcipuum barbarorum ductorem Smaragdum sua ipse manu obtruncaverat, eiusdem nominis gemmam medio illarum catenarum complexu voluit contineri.

Quin etiam propter hanc aliasque similes victorias, Regibus Navarræ honoris ergo tributum est, ut inungantur, coronentur, consecrentur, &c. *M. Ant. Muretus in sua oratione, quam Romæ ad Pium IV. habuit*, nomine Henrici Regis Navarræ.

Bruno dux Saxoniæ. Circiter annum Christi 840. Dani tunc ethnici magno agmine Holsatiam invaserunt, Saxoniam postea deprædaturi. Bruno autem ubi sensit adventare infinitam barbaræ gentis irritam & indomitam manum solicito acriùs ferocientem, convocatos suos ne multitudine terrerentur, putavit alloquendos: &, Videtis, inquit, commilitones barbariem nobis imminentem. Neminem moveat insolentium hostium multitudo: potens est Deus omnem illam colluviem ante pedes vestros prosternere. Memineritis non in pugnantium robore aut multitudine, sed de cœlo victoriam esse. Pro nobis facit justissima religionis causa quam defendimus: pro nobis pugnant lachrymæ miserabilium per provinciam Christianorum, qui nisi dextris hodie vestris defendantur, in prædam venient ferocissimorum hostium. Proinde memor quisque pietatis, pro qua sumpsistis arma, præsenti animo hostes invadite, certi victoriam esse in manibus. Nam si retrò perfidos egerimus, victores quisque redibimus in sua: sin aliter Deo placitum, sic quoque vincemus, causa superiores, apud Deum martyrium consummaturi. Bene igitur mortem, quam alioqui naturæ debemus, autori Deo impendimus, de necessitate facturi sacrificiũ. Ite mecum alacres in pugnam, cuius non potest esse exitus nisi gloriosus. Si superamus, terram nostram cum habitatoribus defendimus. At si visum est conditori Deo ut superemur, terram accipimus viventium possidendam. Hac oratione commonitos ducit in prælium, ubi maxima strage edita, tandem hostium innumera multitudine obruti, fortiter pugnando ad unum universi Christiani cæduntur. Placuitque Deo ex terrigenis augere sanctorum agmina cœlitûm, & de sanguine domesticorum martyrum ditare Saxoniæ inopiam. *Alb. Crantzius, in descriptione veræ historiæ de SS. Martyribus, in Ebbeckstorp monasterio.*

Vide Apophthegmata *de Constantia, de Fortitudine, de Generositate, de Martyrio.*

❡ Monosticha Trochaica.

Animi magnitudini finitima arrogantia est.
Magna anima, ut quietem alienam curet, despicit suam.
Magni animi est injurias summâ pati in potentiâ.
Magnificentia pauca insumit in se, cuncta in publicum.
Maioris animi est, qui risum quam qui lacrimas non tenet.
Nil jucundius maledicta hominum æqua mente quam pati.
Parvula in re magnus animus plus nocet quam proficit.
Perdere & dare, animi magni est: non dare atque perdere.
Sors cui est angusta, ei animus esse magnus non potest.

❡ Iambica.

Angusta animum fortuna magnum non capit.
Difficilius magnum animum præstes, quam exigas.
Magnanima ingenia supplicare nesciunt.
Magnanimitatis & comes jactatio est.
Magnanimitatis proxima Arrogantia est.
Magnanimus est omnis qui cedit tempori.
Magnanimi hominis non est iræ succumbere.
Magnos animos divitiæ magnæ procreant.
Nemo absq; magno egregius animo nascitur.
Nulli vigent sub rege magni spiritus.

Magnificentiæ.

❡ Apophthegm. Christianor.

Petrus Aldobrandinus Card. Nemo potest sine re amplâ verè esse magnificus. Id enim tam augustum nomen importat. Quod cũ nõ ignoraret Card. Aldobrandinus; rogatus, quis esset Magnificus, respondit: *Qui muros urbis, qui Navalia, Theatra, Porticus, eaque omnia exstruit, quæ ad communem usum faciunt civitatis. Domus verò*, inquiebat, *Magifici, non auro, non ebore* (ut sensit Homerus) *sed hostium spoliis adornanda est.* Sentiebat enim, illa esse Incontinentiæ blandimenta; hæc monumenta virtutis. *H. Farnes.*

Idem: Rogatus, quidnam sibi videretur maximum; *Non vinci*, inquiebat, *à beneficiis.* Illum magnificum existimabat, qui à rebus magnis non superatur. *ibid.*

Magnorum seu rerum Magnarum.

❡ Emblematum.

Batillius. CXXXVI.
Valet ima summis mutare, & insignem attenuat Deus.

Quærenti, æternus sibi quæ Deus otia præstet,
Queisq; illi in cœlo rebus adesse vacet,
Retulit Aesopus grandes confingere testas,
Inde alias illum mox reparare novas:
Infima sic mutat summis, obscuraq; promens
Sic solet insignes attenuare Deus.

Camerarius 9. Centur. 2.
Magnos vana fugant.
Non est ingentis vis expers ulla timoris.
Sic pavet infesto percitus igne Leo.

Camer. 5. Centur. 4.
Mole ruit sua, Balena terræ allisa.
Me mea ad interitum moles pertraxit acerbum:
Sic pereat, quisquis robore fidit atrox.

Camerarius 25. Centur. 4.
Rana oculos lupi invadens.
Astu non vi.
Lucius imbelli miserè succumbere ranæ
Cogitur: en vires vincimus ingenio.

Altum sapere periculosum. Embl. III.
Icarus & Phaeton nimium dum magna capessunt,
Occidit hic flammis, ille peremptus aquis.
Mens infirma hominum cœli perrumpere claustra
Cum studet: in tenebras præcipitata ruit.

Fl. Schoonhovius.

Decidens ex arbore. Embl. XII.
In medio fueram tutus; dum prendere summa
Nitor; in adversum culmine dejicior.

Flor. Schonhovius.

❡ Monosticha Trochaica.

Absque maximis periclis magna nulli præmia.

Alta capta unius horæ cuncta momento ruunt.
Altius multi elevantur ut cadant profundius.
Altius quanto cadis tanto altius cadens strepis.
Altius quanto elevaris hoc ruis deformius
Altius quo sors te vexit, hoc magis te supprimas.
Altius torrens it amne, non item perennius.
Amplitudo rerum & ipsis obfuit Quiritibus.
An non magnus, cuius haud est finis magnitudinis?
Apparatibus quoq; magnis magna egent negotia.
Arduum nil est ei qui tendit ad res arduas.
Arduum nil, res eunti ad arduas per ardua.
Celsa proterit dea Antij; in parvis minor furit.
Cognitum cuiq; illud est quod maximis accesserit.
Contumelia est in imo: summa habent periculum.
Cum periclo potius summa malim quam tutò infima.
Difficile est id continere, quod capere ipse non potes.
Est eorundem, excitare magna mala ac compescere.
Fortunæ Invidia eminenti perpes adsidet comes.
Fulmen in turres potentum sævit, ignorat casas.
Grandium momenta rerum temporis puncto ruũt.
Haud situm bonum est in magno: magnus est is qui bonus.
In magnis Fortuna major, in parvis minor furit.
Indigent negotia magna magnis adiutoribus.
Inter magna non desipere difficile est mortalibus.
Invidiam patitur metumq; quidquid orbe maximum.
Lata vela habent timorem plurimum, non parvula.
Magna ad parva, parva ad nihilum attentione deruas.
Magna credimus, quæ non sunt, magnorum ignorantia.
Magna magno item apparatu indigent negotia.
Magna multi cum minantur extricant tamen nihil.
Magna ne spires: invisa cuncta Diis superbia est.
Magna patrantes, sinistri ferre quidpiam decet
Magna qui petit, molestiam aut facit vel accipit.
Magna qui vult, aut dolebit, aut gravabit alterum,
Magna qui vult, aut molestus alteri, aut erit sibi.
Magna quid spiras homulle, vita cui diaria est?
Magna si quis est professus, ne minutis se implicet.
Magna virtus se experitur semper in minoribus.
Magnæ aguntur res patrando, providendo, haud otio.
Magnæ opes magnis ruinis subiacent: parvæ latent.
Magnitudo subsequens sua semper principia obruit.
Magnitudine quod laborat propria, non est bonum.
Magnus esse Dei in oculis vis? esto parvus in tuis.
Maximæ locum iacturæ maximæ faciunt opes.
Maximæ magnos hiatus res requirunt gutturis.
Maximæ mortalium res, sunt & incertissimæ.
Maximæ res comparantur maximis periculis.
Maximas res minimè opinio fine Fortuna excipit.
Maximis malis item res implicantur maximæ.
Maximis quibusq; maxima obvia infortunia.
Maximos gignitque honores summa vis periculi.
Mole quod suâ laborat esse non potest bonum.
Ne quidem mediocria aufert, ferre qui vult maxima.
Nec sudor minimis comes, nec maximis socordia est.
Nemo unquam fuit vir magnus abque afflatu Numinis.
Nemo unquam sine aliquo afflatu numinis magnus fuit.
Neminis magna absq; magnis consequi est periculis.
Non arundinem, sed altas ilices fulmen terit.
Non nisi ex alto ruina est: rarus in plano cadit.
Non omni cui Spiritus sunt magni sunt & utiles.
Occupat montes supremos, præterit fulmen casam.
Optimi pauci esse, plures esse quærunt maximi.
Pegaso excutitur Bellerophon alta dum nimis petit.
Perferendum utique aliquid est res magnas adfectantibus.
Pondere ipso magna sidunt, forsque oneri cedit suo.
Præter se spirare magna neminem sinit Deus.
Præterit casas iacentes fulmen, arces impetit.
Promptius res arduas inceptet quis quam finiat.
Prospere magnis viris usque usque eveniunt omnia.
Qui decus meditatur ingens mortis obliviscitur.
Qui de se usque scit loquendum nil abiectum cogitat.
Qui stat in locis præruptis, stet licet, tamen tremit.
Qui studet magnis, necesse est sæpe aberret de viâ.
Quidquid effert sors in altum, in altum effert ut mox ruat.
Quidquid effert Fors in altum, non nisi ut ruat levat.
Quo mage arx vicina cælo est, hoc mage excipit Notos.
Quo quis altiora spirat, hoc ruit profundius.
Quos fortuna effert in altum, paulo post & deprimit.
Quos levat Fortuna curru ad astra, sæpe corruunt.
Quos sors ad suprema vexit, deturbare inde & potest.
Se putat Fortuna magnam, cùm in solum è cælo trahit.
Sæpe fertur quis in altum, ut turpius ruens cadat.
Sæpe maximam inter sortem & ultimam nil interest.
Summa ad imum delabuntur promptius quam adscẽderant
Summa cuncta, livor aufert, aut vetustas temporis.
Suspice magna molientem decidat quamvis malè.
Tollitur nocens in altum quo ruat profundius.

§ Iambica.

Abrupta fermè semper altis adiacent.
Altè efferuntur, gravius ut ruant mali.
Audere magnum nil manus possunt rudes.
Cælo velim cecidisse, cadendum est si mihi.
Cernentibus prærupta vertigo imminet.
Constare parvo nulli magna res potest.
Cur alta quæris? vix vides sita ad pedes.
Excelsa ventos semper excipiunt iuga.
Fama alta metuit: non minus carpit tamen
Ferienda magno magna item sunt impetu.
Fortuna in altum nil levat, nisi ut ruat.
Fortuna ubi iam summa est ipsa in se ruit.
Grandes materias parva ingenia haud sustinent.
Haud immoratur animus altus vilibus.
Heu quam malis magna implicantur maximis!
Hoc melior esto, maior es quo cæteris.
In fortiorem sæpe fortis incidit.
Magnum esse quid refert, prodes si nemini?
Magnum esse, magnâ mole quod petitur scias.
Magnum omne magnas sortitur molestias.
Magnum requirit navis amnem grandior.
Magnus quidem torrens fluit, sed turbidus.
Maiora ubique habent opus minoribus.
Mala magna facere eiusdem est & depellere.
Medium obtinebis summo si adspiraveris.
Mortalium optimi, expetunt altissima.
Natura magnum nil voluit fieri citò.
Nemo fuit magnus sine adversario.
Non est bonum quod mole sudat sub sua.
Nonnulla fiunt magna haud summâ, ast tempore.
Nulla absq; magnis magna agas periculis.
Paucissimis tantum obveniunt res maximæ.
Præclara quænam non eadem sunt ardua?
Pulcrum eminere est, inter illustres viros.
Quæ magna sunt, vulgo putantur pro bonis.
Quærenda non est rebus ars in maximis.
Quantò altior quis est hoc fædius ruit.
Quanto altius ruis, doles profundius.
Qui cogitat de victu, altum nunquam sapit.
Qui magna quæque minantur, extricant nihil.
Quis esse magnus in pusilla re potest?
Quodcunq; magnum, est hoc idem vulgo bonum.
Quodcunq; magnum est, non caret periculo.
Res maximas emas periculis maximis.
Si mihi cadendum est, cecidisse è cælo velim.
Sub rege pravo quidquid excelsum est cadit.
Suis oneratur corpus grande viribus.
Summæ nihil tuti uspiam potentiæ est.
Suprema semper mutat infimis Deus.
Suspectat omne Rex, quod publicè eminet.
Vis esse magnus? iusta semper dilige.
Vix magna cuiquam & duratura sunt bona.
Vix ulla summis in rebus concordia est.
Vix unum & idem est optimum estque maximum.

Videantur plura titulo ***Curiositatis*** , ***Potentiæ, Regum, Principum, Tyrannorum, Fragilitatis, Parvi.***

Majestatis.

§ Sententiae Patrum Graecorum.

D. Nazianzenus: Ipsi præsides suos describant. purpura eos ornabit, & vittæ, & floridæ ac pulcræ coronæ. quandoquidem plerisque in rebus gravitatem & majestatem ab ipsis affectari comperi, idque eos studere, uti supra privatos ac plebeios emineant: tanquam videlicet id quod commune atque humile est, facile in contemptum veniat, quod autem elatum & tumidũ atque assecutu difficile, auctoritatem adferat. *Oratione 3. stelitentica 1. contra Iulianum.*

D. Chrysostomus: Nempe si quis dixerit; Ille purpuram habet; quãvis id scias, aurem obruis: & si arguere possis, protinus resilis, teque scire dissimulas, nolens gratis subire periculum. *2. ad Timoth. Homil. 2.*

§ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Læsio capitis, ad omnia membra refertur, & cujusque membri vulnus injuste irrogatum, ad capitis spectat injuriã. Cæterum quod adversus caput aut universitatem membrorum dolo malo malitia præsumit, crimen est gravissimum, & proximum sacrilegio: quia sicut illud Deum attentat, ita & istud principem, quem constat esse in terris quamdam imaginem Deitatis. Et ex eo quidem

quidem majeſtatis dicitur crimen, quod perſequitur illius imaginem, qui ſolus ſicut illuſtris Comes Legeceſtriæ Robertus modeſte proconſulatum gerens apud Britannias, dicere conſuevit, veræ & ingenuæ majeſtatis retinet veritatem. Puta cum quis adverſus principis ſecuritatem, aut populi, quid molitur, ſive per ſe, ſive per alium In huius autem perſecutione omnibus æqua conditio eſt: & plerumque fit, ut nec mortis beneficio, in his etiam quos nemo cōvenit in vita, liberentur. Sed convictis mortuis illorum damnatur memoria, & bona ſucceſſoribus auferuntur. Nam ex quo ſceleratiſſimum quis cōſilium cepit, exinde quodammodo ſua mente punitus eſt. Ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neq; manumittere poſſe conſtat, nec ei ſolvere jure debitorem. Famoſi quoque qui alias jus accuſandi non habent, ſine ulla dubitatione hic admittuntur; ſed & milites, qui alias cauſas defendere non poſſunt. Nam qui pro pace excubant, magis magiſque ad hanc accuſationē admittendi ſunt. Servi quoque dominos licenter deferunt, & liberti patronos. Hoc tamen crimen à judicibus non in occaſionem ob principalis majeſtatis venerationem habendum eſt, ſed in veritate. Nam & ſpectanda eſt perſona an potuerit facere, & an fecerit, an cogitaverit, & an antequam hoc præſumpſerit, ſanæ mentis fuerit, nec lubricum linguæ ad pænam facile trahendum eſt: quamquam enim temerarii pœna ſunt digni, tamen & illis parcendum eſt, ſi non tale ſit delictum, quod vel ex ſcriptura legis deſcendat, vel quod ad exemplum legis vindicandum eſt. Audiuntur & mulieres in læſæ majeſtatis quæſtione.

Nam conjurationem Sergii Catilinæ Iulia mulier detexit, & M. Tullium conſulem in judicium ejus inſtruxit. Tormentis quidem ſubdendi ſunt, ſi hoc ratio neceſſitatis, aut utilitatis inducat, qui criminis ejus rei eſſe creduntur, cum illis quorum conſilio atque inſtinctu ad accuſationem viſi ſunt acceſſiſſe, ut ab omnibus commiſſis conſciis vindicta poſſit inſtituta reportari. Sunt autem plurima, quæ majeſtatis informant crimen, ut ſi de morte principis tractetur, aut magiſtratuum, aut arma quis contra patriam tulerit, aut relicto principe de publico bello profugerit, aut concitatum in ſeditionem adverſus rempublic. ſollicitaverit populum, cujusve opera, dolove malo, hoſtes populi, reique publicæ; commeatu, armis, telis, pecunia, quave alia re adjuvantur, vel ex amicis hoſtes reipublicæ fiunt, cujusve dolo malo, opera factum erit, quo magis obſides, pecunia dentur adverſus rempubl. quo minus etiam gens extraneæ regionis reipublicæ obtemperet fecerit. Item qui confeſſum in judicio reum, & propter hoc in vincula conjectum emiſerit, & in hunc modum plurima, quæ longum aut impoſſibile eſt enarrare. *lib. 6. policratici c. 25.*

¶ Philoſophorum Principumque Graecorum.

Phalaris Periſthenes. Eubuli & Ariphanti qui mihi inſidias struxerunt conjuges, quas captas ad me miſiſti, tanquam morte pœnam luituras, cùm primùm omnino vita plectere ſtatuiſſem, poſtea ſervavi. Et fortaſſe mirum tibi videtur, me ab ira mitigatum eſſe. Quod ſi cauſam audieris, quod ob ſingularis ingenuitatis ſpecimē eas demiſi, multo vehementius admirabere. Cùm enim interrogarentur à me, nunquid maritis inſidiarum conſciæ fuiſſent, non ſolùm hoc affirmarunt, verùm etiam, ſeipſas ad evertendum Tyrannum unà paratas inſtructaſq; cum maritis fuiſſe, cumq; rogarem quam ob injuriam ſeu magnam ſeu parvam vobis privatim à me illatam: ob nullam quidem privatam, ſed ob publicam reſpondebāt. Se enim in communi injuria habere, civitates liberas in ſervitutem redigere. Quas verò pœnas, me rurſum quærente, pro iſto odio dignas mihi dependeris? ſubjecerunt mortis. Vitæ igitur non morti adjudicans, cum tanta virtute morituras, & tanta animorum magnitudine, Periſthenes, ego jure mihi videor eis peperciſſe. Tu quoque quæ cum hiſce rapuiſti, cùm caperentur, accerſitis illarum neceſſariis & amicis reſtituito. ne ſibi vel minimam factam injuriam poſſunt conqueri. *Epiſt. 72.*

Phalaris Himerenſibus. Steſichorum à me liberatum eſſe ſcitote Himerenſes, culpamque ſuſceptorum adverſus me conatuum ei remiſſam, non quidem ob veſtram petitionem aut veſtri cauſa: etiamſi ſæpè non ſemel periiſſet: ſed Deabus eum dimiſimus, quibus ſacer devotuſque eſt, cum omnibus, qui Himerenſium terræ præſident diis & Heroibus. Nam illos nihil habeo quod accuſem: vos autem complura Atque vobis ipſis notum eſt, quæ ſcelera facere aggreſſus ſit. Sed me puduit hominem ſacrum, & ſapientia illuſtrem, Muſiſq; reverà addictum eodem habere loco, quo ſcortatorem, & abominandum Cononem ac morte mulctare. Quod utinam tales fato quoque eripere liceret. Vos equidem obnixè rogo, iterum atque iterum Himerenſes, ne inexpectatum & diſſentaneum à primis molitionibus eventum, ei in contumeliæ loco exprobretis. Nec enim ultrò tradidit, ſeipſum quantum ex his qui Alæſæ fuerunt audio: ſed veſtra improbitate violentiaque victus. Proinde ceſſate eū indignis modis tractare & æquiores vos ei præbete, Steſichorum verò miſſum facite ſuæque lyræ operam navare permittite, neque cōtra me alios hoſtes excitate ſimiles illi, quamvis fortaſſe non ſimili cum illo fortuna uſuros. Quod ſi planè requiritis his rebus gerendis ſucceſſores, ejuſmodi quoſdam alios ex vobis deligite: Quos ego cum cepero prout mihi viſum fuerit & vobis gratum fecero, ſine ullo religionis impedimento morte plectam. *Epiſt. 93.*

Philoſtratus: O beatæ, inquit Demetrius, cicadæ, ac verè ſapientes! vos eam quam Muſæ docuerunt cantatis cantilenam, judiciis accuſationibusq; nondum obnoxiam. Nobis autem ne mutire quidē conceſſum eſt quæ ſentimus, ſed veluti crimen ſapientia nobis objicitur. Et Meliti quidem Anytique accuſatio Socratem culpabat, quod juventutem corrumperet, vanos Deos introduceret: noſtra verò accuſatio talis quædam eſt, quia vir eſt juſtus ac ſapiens, novitq; divina & humana omnia, & omnium rerum leges intelligat. Quanto autem tu ſapientior nobis es, tanto major erit te accuſandi facultas. Cupit enim Domitianus affinem culpæ te arguere eorum, ob quæ Nerva ejuſque comites exularunt. Quid eſt autem cur illi exularint, inquit Apollonius? Ob crimen, ait Demetrius, maximum omnium quod in quemquam cadere poteſt, ut illi videtur qui eos ejecit. dicit enim ipſos deprehenſos eſſe contra regnum ſuum inſidias machinantes; te autem illis facinoris hujus auctorem ſuaſorēque fuiſſe.

Paulo poſt: Solent tyranni ſuſpectos habere omnes qui in dignitate ſunt conſtituti, ſi cum iis loquantur, qui ſeriò philoſophantur. *l. 7. c. 5.*

Philoſtratus: Multi contra nos Anyti Melitique inſurgent, atq; accuſationes hinc, atque hinc adverſus Apollonii familiares ingerent: alius quidem quod is tyrannidem riſerit; alius quod adverſus eandem loquentem confirmaverit; alius rurſus quod dicendi aures præbuerit, aut quod audita laudaverit. *libr. ſeptimo capite ſexto.*

Philoſtratus: Aliàs, inquit Apollonius, concænabimus, ubi melius ſe habebunt res meæ. nunc enim vererer ne qua adverſus te inſtitueretur accuſatio, quod cum Imperatoris inimico cænaſſes. neque etiam nobiſcum ad portum deſcendere te volo, ne quis te mecum ſermones, aut arcana conſilia communicaſſe criminetur. *lib. 7. cap. 8.*

¶ Romanorum.

Iuſtinus: Erat Oropaſtes magus decorus, & corporis lineamentis Mergide occiſo ſimilis; ac nemine ſubeſſe dolum arbitrante, pro Mergide rex Oropaſtes conſtituitur, quæ res eo occultior fuit, quod apud Perſas perſona regis ſub ſpecie majeſtatis occulitur. *lib. 1. capite 11. ſub finem.*

Tacitus: Immotum adverſus eos ſermones fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque ſe remque publicam in caſum dare, &c. Per filios etiam pariter adiri, majeſtate ſalva: cui major è longinquo reverentia. *libro primo Annalium: capite quadrageſimo ſeptimo.*

Sed coram adire alloquique Velledam negatum legatis. arcebantur aſpectu, quo venerationis plus ineſſet. Ipſa edita in turre: delectus è propinquis, conſulta reſponſaque, ut internuncius Numinis, portabat. *Idem lib. 4. Hiſtoriarum: c. 65. f.*

Plinius: Iam quàm libera ſpectantium ſtudia, quam ſecurus favor! nemini impietas, ut ſolebat, objecta, quod odiſſet gladiatorem. nemo ſpectator ſpectaculum factus, miſeras voluptates unco & ignibus expiavit. Demens ille verique honoris ignarus qui crimina majeſtatis in arena colligebat, ac ſe deſpici & contemni, niſi etiam gladiatores ejus veneraremur, ſibi maledici, in illis ſuam divinitatem, ſuum numen violari interpretabatur, cùm ſe idem quod Deos, idem gladiatores quod ſe putabat. *capite 33. paneg. ad Traian.*

Plinius: Locupletabant & fiſcum & ærarium, non tam Voconiæ & Iulici leges, quàm majeſtatis, ſingulare & unicum crimen eorū qui crimine vacarent. Hujus tu metum penitus ſuſtuliſti; contentus magnitudine, qua nulli magis caruerunt quàm qui ſibi vindicabant. *c. 42. panegyrici ad Traianum.*

Traianus Imp. Potuiſti non hærere, mi Secunde, circa id de quo me conſulendum exiſtimaſti: cùm propoſitum meum optimè noſſes, non ex metu, nec terrore hominum, aut criminibus majeſtatis reverentiam nomini meo acquiri, &c. *apud Plinium Iuniorem lib. 10. Epiſt. 86.*

¶ Poetarum.

Ioan. Sariſberienſis præfat. policratici.

Omnia ſint ſuſpecta tibi: quia publicus hoſtis
Et maieſtatis diceris eſſe reus.
Ignis edax gladiuſq; ferox tibi forte parantur;
Aut te polluta ſubruet hoſtis aqua.

Guntherus l. 5. v. 44.

Scilicet hanc in ſe maieſtas regia iuſti
Vim terroris habet, procul an propè, præſtò, vel abſens;
Semper terribilis, ſemper metuenda, ſuoq;
Plena vigore manet, nulloq; impunè premenda
Creditur. & ſemper cunctis & ubiq; timetur.

Guntherus lib. 9. v. 257.

Ergo gravi princeps ex hoc quoq; concitus ira,
Maieſtate ſui ſecurus nominis, ultrò
Ingreditur trepidam paucis comitantibus urbem;
Regaleſq; minas, metuendaq; verba ſuperbis
Civibus incutiens, &c.

¶ Monosticha Trochaica.

Abſq; carcere abſq; mulcta regnum majeſtatis tenet.
Abſq; majeſtate tuta nulla principum eſt ſalus.
Accedente præceptore, Rex majeſtatem exſuit.
Auferes maieſtatem omnem ſi auferas clementiam.
Principes boni haud admittunt majeſtatis crimina.
Civiliſſima eſt maieſtas vera, non viliſſima.
Crimen læſæ maieſtatis quotquot tangit ſubruit.
Crimen maieſtatis eorum eſt, crimine omni qui carent.
Crimine maieſtatis involvuntur, crimine qui vacant.
Crimine pereunt maieſtatis crimine omni qui carent.
Detrahit regi maieſtatem, eſſe qui docet ferum.
E reverentia eque honore nata majeſtas dea eſt.
Intereunt ut innocentes maieſtatis qui rei.
Interit regi maieſtas, curarum ut ſubit cava.
Magna ibi viget maieſtas, magna ubi eſt benignitas.
Maieſtas ubi eſt, ibi carcer carnifexq; non adeſt.
Maieſtatis paſſim imago eſt, ipſamet iam quæritur.
Maieſtatem è medio tuleris promptius quam læſeris.
Maieſtatem fronte triſti haud munias, ſed moribus.
Maieſtate maxime carent qui maxime appetunt.
Maieſtate ſe tuentur, maieſtate qui carent.
Maieſtate ſe tuetur rex apum; ſine aculeo eſt.
Manca ei regi eſt maieſtas maieſtate qui utitur.
Maxima eſt ibi maieſtas nulla cerni ubi poteſt.
Mortua eſt dudum maieſtas, læſam ubi aula eam autumat.
Nulla ubi exeritur maieſtas, ibi maieſtas maxima eſt.
Non poteſt lædi maieſtas vera; falſa & interit
Non poteſt tangi maieſtas, nedum eam quis læſerit.
Perſonam hercle maieſtatis ſæpe agit crudelitas.
Auſpiciis fortuna ſumma plura, quam manibus gerit.
Principis iacet maieſtas, cum reis impingitur.
Rex ſuos maieſtate anteit una ſervus cætera.
Sæpe maieſtatis odio leges intereunt bonæ.
Sævities malis maieſtas fertur, eſtque maxima.
Sub tyranno maieſtates tot ſunt quot ſatellites.
Vera haud læditur maieſtas, falſa tota vulnus eſt.
Vim rex neſcit maieſtatis qui utitur illa erga reos.
Vrbium proſcriptio, eheu, dignitas ſublimium eſt.

¶ Iambica.

Auditione grande crimen contrahas.
Auditione & ſummum contrahas ſcelus.
Haud convenit cum maieſtate libidini.
Nulla eſt maieſtas ſi deſit benignitas.
Sine bonitate nulla maieſtas Deo eſt.
Tuta eſt parum maieſtas abſque viribus.
Vbi eſt tyrannus eſſe maieſtas nequit.
Vbi exſulat bonitas, maieſtas deficit.

Majeſtatis Dei.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Israelitae. Cum audiviſſent Dei vocem è medio tenebrarũ & montis ardentis igne, primores & ſeniores accedentes ad Moſem dixerunt, Oſtendit nobis Iehova Deus noſter gloriam ſuam & magnitudinem ſuam, & vocem eius audivimus è medio ignis: hodierno die vidimus iſta: ſi pergeret Deus loqui cum homine, an homo viveret? Nunc itaque quare moreremur? nam abſumeret nos ignis ille maximus: ſi pergeremus deinceps audire vocem Dei noſtri, utique moreremur. Nam quæ eſt ulla caro, quæ audita voce Dei viventis, loquentis è medio ignis, ſicut nos, poſſit vivere? &c. *Deuter.5.30.&c.*

Manoa & uxor eius. Quum Manoa cognoviſſet Angelum Iehovæ eſſe (id eſt, ſermonem æternum, ſeu Dei Filium) eum qui de Simſonis nativitate & fortitudine prædixerat, dixit ad uxorẽ ſuam, Omnino morituri ſumus: nam Deum vidimus. Sed dixit ei uxor, Si delectaretur Iehova morte afficiendo nos, non accepiſſet è manu noſtra holocauſtum cum munere, neque oſtendiſſet nobis omnia hæc: quinetiam hoc tempore non feciſſet ut audiremus huiuſmodi. *Iudic.13.22.&c.*

Bethſchemeſchitæ. Percuſſis à Deo ex Bethſchemeſchitis qui arcam Iehovæ inſpexerant, reliqui lugentes, eo quòd percuſſiſſet Iehova populum plaga magna, dicebant, Quis poſſet conſiſtere coram Iehova Deo ſanctiſſimo iſto? & ad quem aſcendet à nobis? Curarunt ergo ut Ieharimenſes arcam Iehovæ abducerent, &c. *1.Sam.6.20.*

Bildad Suhites. Is inter Iobi amicos Iobum confirmantem integritatem ſuam, ex comparatione majeſtatis divinæ, cœleſtiumque corporum puritate impura coram Deo, reprehendens, dicit, Dominatus & quidem formidabilis eſt penes Deum: colit pacem in excelſis ſuis. An eſt numerus exercitibus ejus? & ſupra quem non exurgit lux ejus? Quid ergo juſtus eſſet mortalis comparatus cum Deo forti? aut quis purus eſſet natus muliere? En uſque ad Lunam, non tamen ſplenderet: etiam ſydera non pura eſſent in oculis eius. Quantò minùs mortalis vermis, & filius hominis, lumbricus? *Iob.25.2.3.&c.*

Maledicentiæ.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Et rurſus cùm dixiſſet Homerus.

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ᾽ ἀνδράσιν εὐχετάασθαι,
De fato functis minimè ſe extollere fas eſt,

Scribunt Archilochus & Cratinus: ille quidem, Οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ᾽ ἀνδράσι. *Non enim decet defunctos proſequi cõuiciis.* Cratinus autem in Laconibus: φοβερὸν ἀνθρώποις τόδ᾽ αὖ, κταμένοις ἐπ᾽ αἰζηοῖσιν καυχᾶσθαι μέγα. *Terribile eſt hominibus de mortuis hominibus ſe valde jactare. Lib. ſtromatum 6.*

D. Nazianzenus: Nos omnibus non juſtitiæ portas, ſed maledicentiæ, mutuæque in nos ipſos audaciæ januas aperuimus. Atque hic apud nos optimus habetur, non qui, Dei metu præditus, ne verbum quidem otioſum emiſerit, ſed qui proximum ſuum plurimis maledictis, vel apertè, vel in ænigmatis fixerit, ac ſub lingua laborem & dolorem, aut, ut aptius loquar, venenum aſpidum verſaverit. Huc accedit, quòd alii aliorum peccata obſervamus, non ut lugeamus, ſed ut exprobremus, neque ut medicinam afferamus, ſed ut novum vulnus infligamus, atque à proximorum vulneribus excuſationem vitiis noſtris petamus. Iam vero malos & bonos, non vita, ſed diſſenſio, vel amicitia, tanquam notis quibuſdam inſigniunt: & quæ hodie laudamus, eadem craſtino die vituperamus: & quæ apud alios infamia notantur, eadem apud nos admirationis ſunt: omniaque flagitia impietatem amplectentibus facilè condonantur. *Oratione 1. de fuga in Pontum.*

Idem: Nec verò mihi mœrorem afferunt, aut Eccleſiæ occupatæ (id quod fortaſſe cuipiam ex iis, qui imbecilliore animo ſunt, accidere queat) aut aurum aliis fluens, aut pravæ linguæ, quod ſuum eſt facientes, malè videlicet loquentes, quoniam bene loqui non didicerunt. Neque enim metuendum eſt, ne Deus loco circumſcribatur, aut venalis exiſtat, ut totus ditiorum ſit. Nec item me vel laudatores, vel vituperatores immutabunt, quemadmodum qui cœno unguentum, aut unguento cænum admiſcent, ac per mixtionem qualitates confundunt, ut maledicos ſermones, tanquam à me ipſo mutatus, graviter & iniquo animo feram. Nam alioqui multas pecunias laudatoribus numerarem, ſi me laudando meliorem efficerent. Verum aliter ſe res habet. Quod enim ſum, hoc maneo, ſive maledictis afficiar, ſive laudibus in cælum ferar. Homo autem temere verbis natat, ut inquit Iob. Ac quantum petram ſpuma, aut pinum vel aliquam aliam denſam & proceram arborem auræ, tantum me linguæ circumfluunt. Ac ſimul huiuſmodi quiddam mecum commentor: Si falſa objicit accuſator, non me magis, quam eũ, qui loquitur, hæc oratio attingit, etiamſi me nominatim conviciis petat: ſi vera, meipſum potius, quàm eum, qui loquitur, accuſabo (à me enim illi ſermonis materia ſubminiſtratur, non autem illius ſermo cauſa eſt cur talis ſim:) ac vocibus præteritis, ut quæ nihil ſint, mei ipſius ero, hoc unum ex eorum improbitate commodi capiens, ut cautius vitam inſtituam. *Oratione 14.*

D. Chryſoſtomus: Maledicta in te ac probra alius conjecit: ſint ea vel vera, vel falſa, ingentem tibi lauream ille contexuit; ſi conviciũ, æquo animo tuleris. nam quiſquis in nos ſycophãta agit, is mercedẽ non parvam nobis conciliat. Gaudete enim, ait, & exultate, cùm malum verbum dixerint adverſum vos mentientes, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Rurſus qui, quod verum eſt, nobis exprobrat, is magno uſui eſt: ſi modò æquo animo tulerimus, quæ in nos dicta fuerint. Etenim Phariſæus quæ vera eſſent proferebat tum cùm Publicano malediceret: ſed tamen pro Publicano juſtum effecit. *Homilia 10. ad Romanos.*

Idem: Cùm quis in cruciatibus verſatur, corpus cum animo dolores partitur: hoc quippe habet dolor, ut & corpus & animam afficiat. at in probris & maledictis animus duntaxat vexatur. multi certè his ſolis proſtrati ſunt, animæque ſuæ jacturam fecerunt. atque ipſi quoque Iob vermibus & ulceribus graviora ea probra fuere quibus ab amicis oneratus eſt. Nihil enim eſt, nihil, inquam, eſt quod iis qui doloribus premuntur, acerbius accidere poſſit, quam ejuſmodi oratio, quæ eorum animos mordere ac vellicare queat. *Homilia 12. ad Corint.12.*

Idem: Si eſſet vis regium regiis cibis refertum, & ad hoc conſtitutum; deinde aliquis ex famulis eo uteretur ad ſtercora; auderet ne amplius reponere cum vaſis, quæ ſunt ad illa deſtinata, ipſum ſtercore repletum? hujuſmodi res eſt maledicentia, huiuſmodi res eſt contumelia, patrem vocas Deum, & fratrem ſtatim injuriaris. *Homilia 14. ad Epheſios.*

Idem: Qui ſibi ipſis nihil boni conſcii ſunt, veluti ſolatii cuiuſdam vice, aliorum opinionem violare nituntur: ac per id innumeris ſe peccatis atque ſceleribus implicant. *2. Timoth. Homil.8.*

Idem: Non ideo linguam Deus dedit, ut maledictis & contumeliis appetamus, ut nos invicem calumniemur, ſed ut Deum laudemus,

mus, ut ea loquamur, quæ dant gratiam audientibus, quæ ſunt ad ædificationem, quæ ſunt ad utilitatem. Maledicto quempiam es inſectatus, quid lucraris, qui te ipſum quoque cum illo damno implicas? ex eo enim es conſequutus ut reputeris maledicus. Nullum enim, nullum eſt malum quod ſe ſiſtat ad illum uſque qui patitur, ſed eum quoque qui facit comprehendit: ut, invidus quidem videtur alteri inſidiari, ipſe autem prior fructum accipit peccati, ut qui tabeſcat & corrumpatur & ab omnibus odio habeatur. Avarus alium privat pecuniis, ſed ſibi quoque aufert aliorum amorem, & efficit ut omnes eum maledictis inſectentur. eſt autem fama longè melior pecuniis: nam illam quidem non eſt facile abſtergere, has autem facile eſt acquirere.

Atque adeò, quod eſt amplius, illæ quidem ſi non adſint, nihil lædunt eum qui non habet. Hęc autem ſi non adſit; efficit ut ſit probroſus, & ridiculus, omnibuſque hoſtis & inimicus. Iracundus rurſus prius ſeipſum cruciat, ſe lanians ac diſcerpens, & tunc illum cui iraſcitur. Ita maledicus ſe priorem probro & dedecore afficit, & tunc eum quem maledicto appetit. An ne hoc quidem fortè poteſt: ſed abit quidem maledicus, nactus exiſtimationem quòd ſit ſceleratus & execrandus, efficiens ut cui ingeſſit maledictum magis ametur.

Quando enim malè audiens, non par pari referet, ſed laudabit & admirabitur, non illum laudabit, ſed ſeipſum. Nam ſicut prius dixi, quæ in proximos torquentur maledicta, ea prius attingunt eos qui inſidiantur. Ita etiam quæ in propinquos conferuntur bona, eos qui operantur prius delectant & gaudio afficiunt. Nam qui bonum parit & malum, eo meritò prior ipſe fruitur. Et quomodo aqua & ſalſa & potabilis, & vaſa implet eorum qui afferunt, & fontem non minuit ex quo emanat: ita etiam & vitium & virtus, illum unde exit & delectat & perdit. *Homilia 1. Epiſt. ad Hebræos.*

D. Io. Chryſoſtomus. Nec crimineris, inquit, ne calumnieris, an quid eſt minus laborioſum? contrarium quidem certè eſt labor. nã quãdo maledictis impetieris, ſtatim es in periculo, in ſuſpicione, ne forte audierit is de quo dixiſti, ſive is magnus, ſive parvus. nam ſi ſit magnus, ſtatim re ipſa venies in periculũ. ſin parvus, par pari referet, atq; adeo graviora rependet, & te majorib. appetet maledictis. *Homilia 13. Epiſt. ad Hebræos.*

S. Iſidorus Peluſiota: Ingentem hoc omnibus admirationem movet, quòd cùm ipſe in ſceleribus ac flagitiis ſolutus ſis, ac neq; fræno pareas, nec objurgatione caſtigeris, miſerum tamen Zoſimum, quem maximè imitaris, ſannis ac dicteriis inceſſas. Nam ſi non eadem, quæ ille, perpetrares, eum corrigere, non autem traducere, ac maledictis inſectari oportebat. Cùm autem pictoribus accuratiùs & expreſſiùs eum in hoc imitatus ſis, ea videlicet quæ imitari minimè conveniebat, imitando conſecutus, quid tu, cùm ipſius duntaxat ſtuporem ac væcordiam evulgare putes, tuum quoque ſtuporem in publicum effers? Nam qui hæc audiunt, utrumq; qui lapidibus obruatur, dignum eſſe exiſtimant, alterum nimirum ut vitiorum architectum, alterum ut diſcipulum. Quamobrem duorum alterum tibi faciendum eſt, nempe ut aut peccare deſinas, aut eum, qui in iiſdem, quibus tu flagitiis verſatur, ne cavillis impetas. Hoc enim quavis re gravi gravius eſt. *l. 1. Epiſt. 140.*

S. Iſidorus Peluſiota: Nonnulli te intemperantem linguam habere cavillantur, fontiumque maledicentiæ flumen eſſe, ipſius fluenta copioſè profuſeque tum excipiens, tum eructans: quæ quidem in ſupplicii & cruciatus mare hominem conjiciunt. Quem ſi effugere cupis, vivarum potius aquarum puteum inveſtiga: qui hoc affert, ut ne quis poſtea ſitiat, & linguæ cuſtodiam præbet, ne in malitiæ verba declinet. *lib. 1. Epiſt. 329.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam mirum tibi videri ſcripſiſti, quî fiat ut cùm grave atque atrox facinus ſit, Zoſimum, qui Presbyteri ſpeciem gerit, ſacris operari, ei tamen, à quo ſceleratè ordinatus eſt, haudquaquam grave eſſe videatur, hoc reſponderim. Tu quidem pro tuo in improbos odio atque in probos amore juſtè ſtomacharis (neque enim quiſquam inficias iverit) ego verò illud quoque te monere juſtum eſſe cenſui, ut linguam tuam à maledicentia puram ac liberam conſerves. Etſi enim ille innumeris, ut ſcripſiſti, mortis generibus dignus eſt, ut qui ne honore quidem melior factus ſit, verùm ſacerdotii dignitate tanquam armis quibuſdam ad vitium abutatur (unde etiam, niſi reſipiſcat,) graviſſimas ab eo incorruptus judex pœnas expetet: neque enim injuſtus eſt Deus: at minimè tamen dignum fuerit, te os tuum impuris ipſius flagitiis exponendis & inſectandis conſpurcare. *l. 2. Epiſt. 162.*

Idem: Si te ad pugnam adverſarius tuus extimulat, ſatius quidem fuerit nihil omnino reſpondere. Si autem hoc te, ut qui ſummè philoſophari minimè inſtitueris; facere poſſe negas, reprehenſionem ſaltem philoſophia tempera, his Oratoris verbis ad eum utẽs. Metuo, ne ea, quæ decent, de te dicens, in eos ſermones, qui me minimè decent, incidam. Sic enim & mediocriter philoſophaberis, & illum ulciſceris. *l. 2. Epiſt. 163.*

S. Iſidorus Peluſiota: Si nobis quidvis facientibus, atque omnem offendiculi materiam radicitùs evellentibus, quidam deſtinata malitia nos maledictis lacerant; & ſi hoc moleſtum eſt, tamen de eo haud magnoperè laborandum eſt. Nam cùm teſtimonium nobis conſcientia perhibet, & judex virtutem noſtram perſpectam habet, & boni viri laudes noſtras prædicant, ſpes quoque ſubeſt fore, ut improborum maledicentia extinguatur. *l. 2. Epiſtol. 282.*

¶ LATINORUM.

S. Valerianus: Amari oris ſtudio aliquoties venena componuntur, & nimia facilitate labiorum frequenter odia comparantur. nam inquieta naturaliter lingua, non parvum mortalibus adfert vitæ detrimentum; ut cùm bene compoſita diſſipat, aut diu pacata conturbat. Quando autem eſt, ut ſe rixa moveat, ſi ſe lingua cõpeſcat? aut quis ibi locus eſt inimicitiarum, ubi ceſſant venena verborum? hoc habet ſemper lingua malitioſa commercium, ut lites ſerat, odia moveat, mortes adquirat. *Et poſt pauca:* Magnum ſtudium eſt ſervandæ pacis, ſi amaritudinem alienæ linguæ blande proſequaris alloquio. citò autem inimicorum labia amicus ſermo confundit. Sed quod pejus eſt, facilius invenies, qui aut male ſemper dicere, aut libenter mala velit audire. Nihil eſt ſævius, nihil violentius amaris aſperiſque ſermonibus; quorum vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur. ferri ſpicula per cælum volantis facile ſcuti objectione contemnis: verborum verò jactus nec revocari poteſt, nec prohiberi; multo enim velociores ſagittis ſunt. quæ autem ibi propugnacula ſubveniant, aut quæ munitio tã parata ſuccurrat, ubi emiſſum telum penè ante percutit quàm procedit? Enumerari non poteſt, quantis ſit lingua jaculis accincta verborum, quibus ſatis promptum eſt etiam quæ ſunt animæ ſecretiora percutere. Quãcumq; autẽ aures injuriam ſuſcipiunt, illicò ad cordis ſecreta tranſmittunt: ubi ſi ſemel introierit, ſine mortis exitu non recedit. Res autem quæ nullius medicinæ beneficiis indagata excluditur, in perpetuo dolores operatur. Unde caſtigandus eſt linguæ ſonus, ne de facilitate verborum faciat venenum. Si reſpiciamus ad omnes qui corporibus dominantur dolores, nihil invenies quod non poſſit aut ferro ſanari, aut blanda medicaminis confectione molliri. Latere neminem poteſt quam graves ſint luporum morſus, quam periculoſum ſerpentum virus: ſed his facile obſiſti poteſt, aut herbarum ſucco, aut arte medicorum. verborum verò intolerabile vulnus eſt. Difficile autẽ ſanare poteſt alius doloris cauſam, quæ ſemel pectori infixa ſedem animæ latenter invaſerit. Audite Prophetam dicentem: Mors & vitæ in manibus linguæ. verò, ſi ad interiora reſpicias, & tumorem exaſperati cordis diligenter inquiras, invenies verborum vulnera mortes operari. Quid mihi aliquis in comparatione malicioſæ linguæ artificium veneficii increpet, & noxias poculorum compoſitiones accuſet? exceſſit illa res omne genus veneni, quæ non poteſt niſi morte compeſci. Omnis quidem malicia ex corde deſcendit, ſed hæc ipſa quamvis ſit noxia, facile poteſt tolerari, ſi res iniquo nutrita conſilio non provocetur in litem, ſed aut tacita doleat, aut in ſuis volutata ſedibus conquieſcat. tamdiu enim ſanari poteſt iniquarum valetudo cogitationum, quamdiu id quod corde concipitur ore tacito continetur. verùm ubi ſemel lingua rotante proruperit, fruſtra medicum quærit. ſine remedio eſt culpa verborum, quia deleri non poteſt quidquid lacrimarum inſerta per aures propagavit injuria. *Homilia 5. de Oris inſolentia.*

S. Valerianus: Scitis quam ſint periculoſæ verborum ſagittæ, quæ non ſine dolore percutiunt, non ſine fatigatione diſcedunt. *Homilia 16.*

Salvianus: Iuſſit Salvator, ut nemo malediceret. cujus non ſermo maledictio eſt? prima enim ſemper irarum tela maledicta ſunt; & quidquid non poſſumus imbecilli, optamus irati; ac ſic in omni animorum indignantium motu votis malis pro armis utimur. Vnde unuſquiſq; hominum evidentiſſimè probat, quidquid fieri adverſariis ſuis optat, totum ſe facere velle ſi poſſet. Sed videlicet quia omnes hac improbitate linguarum facile utimur, qui juſſis Dominicis non obtemperamus, idcirco etiam apud Deum facile hoc putamus eſſe qui juſſit ne maledici regnum ejus obtinerent. hinc intelligere poſſumus, quam gravis ſit & pernicioſa maledictio, quando, etiamſi alia bona adfuerint, ſola excludit à cælo. *libro tertio de gubernatione Dei.*

Io. Sariſberienſis: Iulius Cæſar, cùm calvitium iniquiſſimè ferret, & deficientem capillum à cervice revocaret ad frontem, ab irato milite ei dictum eſt: Facilius eſt, Cæſar, te calvum non eſſe quàm me in exercitu Romano quidquam egiſſe, vel acturum eſſe, timidius. Præterea margaritarum cupidiſſimus erat, quas pondus earum interdum manu conferens, diſcernebat. Cùm ergo Cæcilio Balbo invito, rem ut faceret Senatus auctoritate denunciaſſet, ut ei videbatur injuſtam, Ante, inquit, ſatiaberis margaritis. *libro tertio c. 14. Policratici.*

Io. Sariſberienſis: Quantum à virtute majorum ætas noſtra degeneravit, perſpicuum eſt, cum ſine patientia aut nullum aut rarũ eſſe opus virtutis verbis docuerit, & exemplis. Vnde & Ariſtippus à maledicente ſe diſcedẽs, dixiſſe legitur; ut tu linguę tuæ, ſic & ego mearum aurium dominus ſum. Antitanes quoque cuidam dicenti, maledixit tibi ille, non mihi, inquit, ſed illi qui in ſe quod ille culpat agnoſcit. Sed etſi mihi maledicere curet, nõ curo, quia auditus lingua debet eſſe robuſtior, cũ ſingulis hominibus linguæ ſint ſingulæ, ſed aures binę. Aliquatenus tamen curo, quia eo ipſo, me fatetur eſſe ſuperiorẽ, quoniã ſuperioris perſonæ uſus eſt detractionib. ſubjacere, inferioris inferre. Gauderem itaque niſi urgente humanitate compaterer infelici. Item T. Tatius maledicenti ſibi Metello, facile, inquit, eſt in me dicere, cùm nec ſim reſponſurus. Quid Xenophon? Tu, inquit, cuidam, maledicere didiciſti, & ego conſcientia teſte didici maledicta contemnere. Sed & Diogenes, cùm ei nunciaſſet

ciasset amicus, te amici cuncti vituperant, oportet, inquit, sapientiã ab insipientibus feriri, esse enim meliorem indicat mala lingua quem carpit. Quid Plato? totius philosophiæ robur, patientia est. Cum & Socrates non modò verbo neget sapientem posse offendi, sed adversus omnem fortunam robore virtutis suæ manere immobilem. *l.3. Policratici capite 14.*

Idem: Sunt qui Senecam contemnunt, Quintiliani auctoritate freti, suum ex eo nobilitantes judicium, si ei detrahant qui pluribus placet, ut apud indoctos eorum gloriam videantur præcedere, quorum virtutem nequeunt imitari. *l.8. Policratici c.13.*

❡ Philosophorum Oratorumq. Graecorum.

Phalaris Aristolocho. Si, quoniam Stesichorus apud nos aliquando captivus, impunitatem veniamque consecutus est, hoc te ad scribendum adversus nos Tragœdias incitat, credisq; me similiter omnib. poetis mitem placatumque fore, plurimum à veritate reque ipsa aberras. Non enim omnes ad unum poetas; sed præclaros celebresq; duntaxat amplector, neque qui inimicitias contra me gesserunt: sed inimicorum generosissimos. Tu verò cùm malus poeta sis & instrenuus hostis, tamen & animi magnitudine, & facultate poetica te cum Stesichoro comparas. At brevi & statim cognosces, quantum inter te & commemoratum intersit, non quod in me talia scribis: Omnium enim essem ignavissimus, si tui me dramatis moverent: verùm quoniam cum sis ejusmodi & inimicus & poeta, tamen eodem & temetipsum & Stesichorum honore dignum existimas. *Epistola 63.*

Lysias: Illiberale nimium existimo & litigiosum, maledicentiæ aliquem accusare. *c.1. orationis contra Theomnestem primæ.*

Dio Chrysostomus Prusæus: Dixit quidam, quod & male audire, cum benefeceris, regium sit. *Orationis 47. extremo.*

Aristides Rhetor: Si quis invitus audit maledicta, id ei gratum non est: sin libens, malignitati adsuescit; quod est nequitiæ principium, nec vel privatis cuiusdam vel etiam civitatis totius crimẽ esse majus possit, quam malis gaudere. Etenim invidia, quæ supremum in humanis delictis obtinet locum, nec ullam meretur veniam, corripi, eamque in se ipso augere oportet eum, quicumque talium rerum desiderio tenetur: cui quidem rei argumento hoc est, quod ejus quem diligit, cuique bene vult, infamia nemo delectatur. *Oratione de non agendis Comœdijs.*

Aristides Rhetor: Quin etiam Socrati arbitror jussisse hoc Apollinem, cùm eam jussit musicam tractare, ut studium acerbitatis in dicendo deponeret. ut enim aliud nihil in eo quis facile reprehendat, ita hoc sæpe multis displicuit. Quid quod in crimine, cujus agebatur reus, hoc ei maximè videtur nocuisse? *Orat. 2. Platonica.*

Idem paulo post: Etenim si vivis ipsis haberetur sermo, videretur fortassis admonendi causa institui: mortuos vero qua ratione increpemus? Cum enim non debuerit, etiam si vivos reprehendere voluisset, vel absentes accusare, vel coram aliis, quam ipsis, sermonẽ instituere. absurdum profecto sit, ita desertam causam agere. Etenim quorum necessarios propter ipsos dicebat eum revereri, eos nõ oportebat ipsos contemnere. Quin etiam, quam sit humana Solonis lex, consideremus: quæ vetat mortuo maledici, etiamsi quis à liberis ipsius male audiat. Itaque qui tantopere studeat eos, à quorum nec liberis nec propinquis aliis male unquam audierit, improbitatis convincere, eum longe dixerit aliquis ab huius legis observatione distare. Quid quod, qui coram liberis illorum non erat eos ausurus insectari, eum absurdum est inter posteros omnes, cives, & peregrinos hæc objicere crimina: quique eos, quorum parentes obierant in Sicilia, revereatur, ac donationes iis procuret; eorum, qui in Græcos atque Vrbem maxima contulerunt beneficia, ne nomini quidem parcere. Et si quidem eorum statuas à populo positas moveret, omnes indignarentur: postquam bonam famam, quæ fuit illis charior, tollit, quid dicemus? Iam si pictorem professus, turpiter eos & ridicule expressisset, abusus arte diceretur: cum eos verbis interpretatur pessime, & veras mentis imagines corrumpit, & cum alienissimis eos comparat, quis lætetur? Quinimo si statuis vel sepulcris eorum imposita exculperet elogia, vel maledica pro faustis reponeret, eos à plebe propter adulationem & improbitatem dicens ejectos, magnam ipsis injuriam quivis & contumeliam diceret illatam: cum in opus tam serium talia inseruit probra, atque hæc propriore ipsorum laude rescripsit, & omnibus audienda præbuit, num parum videtur à musica sua dissensisse?

Aristides Rhetor: Omnino vulgarius est male quam bene loqui. *Oratione tertia Platonica ad Capitonem.*

Aristides Rhetor: Quid quod leges etiam prohibent maledicere, nõ tamẽ prorsus, verũ falsò. quare sicut de altero male loqui vitiosũ non est, nisi falsò fiat; ita si quis de se benè, modo verè, nunquam jure reprehendatur. si quidem qui verax est, is nec alteri injustè maledicet, non seipsum cum opus erit, laudare verebitur. *orat. de paraphthegmate.*

❡ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 3. præceptis ad Virgg.

Advigila ne te Momus scelerataque lingua
A tergo incautam feriat, famamque veneno
Inficiat, laudesque tuas, carpatque maligne.
Namque duplex duplici vita est obnoxia probro:
Altera criminibus gravis est, nec dispare fine
Clauditur: egregium contra tenet altera cursum,
Tandemque optatus, sicut decet, exitus illam
Excipit. At momus petulans arrodit utramq;
Dente pari. Quid enim lingua præstantius esset,
Pectora si tantum morsu vitiosa protervo
Impeteret? Verum nullo discrimine in omnes
Evomit hac rabiem. Quare prudenter utramque
Explorare tuum est, ac totis viribus illam
Effugere, in scelerata suum qua pectora virus
Diffundit, puramque tueri à crimine mentem,
Commoda quod linguis furialibus arma ministrat.
Altera, qua recti lacerat malus hostis amicos,
Non mage te turbet, quam vis asperrima venti
Æquoreos agitat scopulos, undaque minaces,
Quas facile infringit petra firmissima moles.

Aristophanes Equitibus v.1271

Non est odiosum malos homines convitiari,
Sed bonis laudi datur, si quis rem rectè ponderet.

Plautus Bacchid. 1. sc. 2. v. 10.

Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.
Tu Deis nec-rectè dicis: non æquum facis.

Plautus Bacchid. 3. sc. 3. v. 60.

Stultus es, qui illi malè ægrè patere dici, qui facit.

Plautus Curcul. 4. sc. 2. v. 27.

——Hau! male meditate, male dicax es.
C. Indignis si male dicitur, maledictum id esse duco.
Verùm si dignis dicitur, benedictum est meo quidem animo.

Plautus Menæchm. 3. sc. 1. v. 30.

Adolescens, quæso, quid tibi mecum est rei?
Qui mihi maledicas homini hic ignoto insciens?
An tibi malam rem vis pro maledictis dari
Postea?

Plaut. Menæchm: sc. 1. v. 8.

Adibo: atque hominem accipiam, quibus dictis meret.

Ibidem versu 14.

Non tu scis mulier, Hecubam quapropter canem
Graij esse prædicabant? M. non equidem scio.
ME. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis.
Omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat.
Itaq; adeo jure cœpta appellari est canis.

Plautus Persa 2. sc. 4. v. 8.

S. Malidicis maiori. P. prior promeritus perpetiare.
Servam operam, linguam liberam herus meus me jussit habere.

Plautus Persa 2. sc. 2. v. 25.

Mitte male loqui. P. cùm ut digna es, dico: bene, non male, loquor.

Plautus Pænulo 3. sc. 3. v. 13.

Istic est thesaurus stultis in lingua situs,
Vt quæstui habeant male loqui melioribus.
L. Viam qui nescit, qua deveniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem sibi.
Ego male loquendi vobis nescivi viam,
Nunc vos mihi amnes estis, vos certum est sequi.
Si bene dicetis, vestra ripa vos sequar:
Si maledicetis, vestro gradiar limite.

Plautus Pseudoli 2. sc. 2. v. 18.

Non soles respicere te, cùm dicas iniustè alteri?

Plautus Pseudolo 4. sc. 5. v. 21.

Malum, & scelestum, periurum aiebat esse me.
S. Pol haud mentitum est. B. ego haud iratus fui.
Nam quanti refert te nec-rectè dicere,
Qui nihil faciat, quique inficias non eat?

Plautus Rudente 3. sc. 2. v. 25.

Quei lubet maledicere? equidem tibi bona exoptavi omnia.
D. Bona equidem tibi dico, qui, te digna ut eveniant, precor.

Plautus Trinummo 1. sc. 2. v. 67.

Hæc cùm audio in te dicier, excrucior miser
C. Est, atque non est mihi in manu Megaronides,
Quin dicant non est: meritò ut ne dicant, id est.

Plautus Trinummo 4. sc. 2. v. 79.

Te potius bene dicere æquum est homini amico, quàm male.
S. Satin intra labra atque dentes latuit vir minimi pretii?
C. Ne male loquaris ei præsente amico.

Terentius Prologo Andriæ.

Dehinc quiescant porrò moneo, & desinant
Maledicere, malefacta ne cognoscant sua.

Terentius Andria 5. sc. 3.

Quis me vult? perii! pater est. S. quid ais omnium? CH. ah!
Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.
S. Quasi quippiam in hunc jam gravius dici possiet.

Terentius Phormionis prologo.

Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene.
Quod ab illo allatum est, sibi esse id relatum putet.

De illo iam finem faciam dicendi mihi,
Peccandi cùm ipse de se finem non facit?

§ APOLOGI.

De viro, qui vicino conviciante vesicam concutiebat.

Fab. 120.

Vir quidam prudens mitis ac tranquilli ingenii, habebat vicinũ maledicum, jurgiorum amantem, qui eum quotidie conviciis & maledictis ad iram provocabat. Vt igitur illius petulantiam & procacitatem retunderet, quoties eum conviciantem audiebat, nil respondebat, sed vesicam vento plenam, in qua fabas concluserat, concutiebat, cujus sonitu illum erubescere, & à conviciis desistere compellebat.

Fabula indicat, maledicis & stultis viris minime respondendum, ne eis similes iudicemur. L. Abstemius.

§ EMBLEMATIS.

Camerarius V. Centuria 3.

Ergo movebor:
Nunquam Aquila imbelles cornices celsa fatigat,
Nec generosum animum lingua maligna movet.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

David rex: Quum Semei eum conviciis & lapidibus impeteret, ac isti maledico Abisai vellet caput auferre, dixit rex. Quid mihi vobiscum, filii Serviæ? Si maledicit, atque si Iehova edixit ei, maledic Davidi, ecquis dicit, quare sic facies? Deinde dixit Abisaio & omnibus servis suis; Ecce filius meus, qui prodiit è visceribus meis quærit vitam meam, quanto igitur magis nunc Benjaminita iste? Sinite eum ut maledicat, quia edixit ei Iehova. fortasse respiciet Iehova ad afflictionem meam, & reddet Iehova mihi bonum loco maledictionis eius, hodierno die. *2. Sam. 16. 10. &c.*

Idem: De adversariorum suorum malitia & spe sua loquens, & in Deum respiciens, dicebat, Ipsi maledicent, tu verò Domine benedices: quum erubuerint qui insurrexerunt in me, tunc lætabitur servus tuus. *Psal. 109. 28.*

Iesus Christus Dominus noster: Maledicentiam Iudæorum describunt Evangelistæ variis locis, quam filius Dei Servator noster ineffabili quadam patientia pertulit, & misericordia quadam commotus erga sceleratos istos benignè repressit. Vocatus enim Samaritanus, dæmoniacus, diabolorũ socius, graviter & validis argumentis, summa cum animi moderatione veritatem & innocentiã suam tuetur, adversariis non obloquens. Deniq; ut ait Petrus, *epist. 1. cap. 2.* 23. convitiis affectus non vicissim convitiabatur, quum malis afficeretur, non minabatur: sed committebat causam suam ei qui justè judicat, nobis relinquens exemplar, ut insequamur vestigia ipsius.

Vide Apophthegmata de patientia, de pietate.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Adrianus VI. Pontifex, & Ludovicus Suessanus. Ad Pasquillum deducimur, cuius statua, Romæ potissimum, omnium rerum novarum, licet remotis arbitris fiant, & dicteriorum ferax. Quare quòd in ea toties famosis carminibus laceraretur, indignatus est ADRIANUS PONT. eamque demoliri & in Tiberim conjici mãdabat. at negabat id facto fore utile LUDOVICUS SUESSANUS. dicebat enim: *Pasquillus etiam ranarum more in imo vado non erit tacitus. Ergo,* inquit, PONT. *exuratur in calcem. Rectè id quidem,* intulit SUESSANUS *sed tam crudeliter necato Poetæ clientes non deerunt, qui Patroni cineres invidiosis carminibus prosequantur, & supplicij locum quotannis concelebrent.* quibus verborum lusibus, Pontificis mentem sedavit. *Pont.*

Anonymus. Non ineptè itaque quispiam conspicatus PASQUILLUM, tanquam clandestinum internuntium, minuta quæque aulicorum delicta suo dorso exhibere legenda, dixit: *Cùm hìc loquendi libertas adempta sit; mirum, lapideis statuis, cuncta etiam occultissima enuntiantibus, obturari os non posse. Phil. Camerar. cap. 66. Medit. histor.*

S. Basilius. Quod Bonasus animal, id homo maledicus: ille enim, si Plinio fides, quoniam cornibus implexis lædere non valet, fimum aufugiens reddit, cujus contactus insequentes adurit: ita hic, dum coràm non audet, à tergo sparsis probris, proximum contaminat. & nihilominùs percontanti, ánne maledici diligendi essent; BASILIUS respondit: *Omnino diligendi. Quia eorum opera eam beatitudinem consequimur, de qua Christus dixit: Beati estis cùm maledixerint vobis homines. Collig. ex Reg. fus. disp. q. 176.*

Pius II. Pont. Maximam quoque MALEDICENTIAE tolerantiam in PIO II. PONT. arbitrari debemus fuisse. Numquam enim malè de se opinantes aut loquentes coercuit. Volebat namque in libera civitate omnes liberè loqui. Conquerenti verò cuidam, quòd maledictis laceraretur; *De me etiam,* inquit, *qui malè sentiant, si ad campum Floræ te conferas, multos audies.* Volebat omnium Principũ mores privatorum imprudentiæ impudentiæq; subjectos esse. *Platina in Vita.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

A malis prodire factis, verba nesciunt bona.
Ad benedicendum creati, haud ad maledicendum sumus.
Ad canum latratum immanis lenta respicit fera.
Admodum est illiberalis qui male dicit alteri.
Antequam linguæ venenam exivit, ore percutit.
Aures ad malè audiendum sunt probis semper rudes.
Barbare alios insectari, est probrum audientium.
Conscientiæ haud bonæ signum est maledicere omnibus.
Contumelia audientium est barbara insectatio.
Distat tantum occasione maledicus à maleficio.
Ecquis impetitus calce, mulæ unquam dixit diem?
Et de Diis licet loqui male omnium nequissimis.
Haud curæ Indico est elephanto, punctulũ insecti, Pulex.
Haud facilè ad pœnam trahatur lubricũ linguæ malæ.
Haud ullũ solet puniri in maledico mendacium.
Hoc agas ut nemo verè de te ausit loqui malè.
Impium est jam luce functos insequi conviciis.
Improbi crescunt potentum criminationibus.
Improbi oblatrationes vindices silentio.
In Deos datum unicuique cuncta fari quæ velit.
Infantis sui maledictis ipse item arridet parens.
Innocentes allatrare pro nocentibus, canum est.
Is demum maledicit, verum ab alio audire qui nequit.
Larvarum solummodò est luctarier cum mortuis.
Mortuo ne maledic etsi à nato eius male audias.
Mortuis illudere omnes se student jacentibus.
Ne boni quidem est, amicis per jocum injustè loqui.
Nil mage est jucundum, hominum maledicta quàm æquo animo pati.
Nil novi est, si amara passus, ore amara item vomit.
Nil refert nec recte ei dicere, id qui infitias non eat.
Nil refert sursum an deorsum vox sonet vecordium.
Non malum est audire probra; illa ipsa reddere est malũ.
Non soles respicere te, cum dicis injustè alteri.
Præstat esse calamitosum quempiam, oris quàm mali.
Pulcrius nil quàm ridere cùm nobis maledicitur.
Quæritant cædis causam atque principium improbi probris.
Quæstui stultis habetur malè loqui melioribus.
Quis linguam suam haud cruentat proximorum sanguine?
Quos palam ore carpimus clam animo sæpe extollimus.
Remaledicere maledicentibus, ad causam parum facit.
Res ubi bonæ tractantur, dictis temperes malis.
Seu maledictis afficiare laudibusve, idem manes.
Si mihi pergit quæ vult dicere, ea quæ non vult audiet.
Stultitiæ est eum insectari velle, quem omnes diligunt.
Stultus es qui illi male ægre patere dici, qui facit.
Verba cui excutiunt quietem quemnam fortem dixeris?
Vinceris mordaciorem qui improbo dente adpetis.
Zoilus omnibus male dicit, quoniam facere non potest.

§ IAMBICA.

Æqua atque iniqua audire passim, regium est.
Æquè bonos arrodit Momus ac malos.
Agnoscit is probrum probro qui irascitur.
Animæ pusillæ est ad maledicta deijci.
Apud inferos tantummodo unus Cerberus.
Audire præstat non benè, quàm malè dicere.
Audire qui non vult malè, haud dicat malè.
Bellum gerendum nemini cum mortuis.
Benè dictum id est, si dignis dicitur malè.
Benè dictis si certasset audisset benè.
Bene puto dici, cùm malis dictum est male.
Canem acriorem objecto lenies cibo.
Cùm cuncta Momus cernat, ipsum se haud videt.
Cùm dico ut digna es, non loquor male, sed benè.
Cùm dixeris quod vis, quod haud vis audies.
De mortuis nihil loquendum quam bene.
Equus latranti attendere haud suevit cani.
Et si oderis, incessere haud jus mortuum est.
Ferrum quidem penetrat, at sermo magis.
Homines mali sunt, qui bonis dicunt malè.
Ignavus ut quisq; animo ita etiam ore est procax.
Inimicitiæ principium maledicentia est.
Injurium ulli est insultare mortuo.
Insanit is maledicit qui ipsemet sibi.
Lacerat lacertum largi mordax Memmius.
Latrat magis, canis quàm mordet, degener.
Linguâ bonos malosq; Momus impetit:
Magno viro maledici deesse non queunt.
Malè audies, malè invicem si dixeris.

Male illicò audibis, si male dixis mihi.
Maledica lingua mentis est judex malæ.
Maledicere de quo, signum malevolentiæ est.
Maledictum id est, indignis si male dicitur.
Maledicta justi ridet conscientia.
Mordent magis maledicta, facta quàm malè.
Mortalis irridere parce mortuum.
Morsu canem qui repetit, an constat sibi?
Multi canes latrant pro consuetudine.
Nemo maledicit mortuis nisi improbus.
Nemo loquatur sequius de mortuis.
Nimium libenter homines de aliis garriunt.
Non respicit se qui dicit male alteri.
Non vulneratur improbis verbis probus.
Pecudem nigra gestare caudæ, noxium,
Quanquam audias indigna, indigna haud dixeris.
Qui quæ cupit loquitur, ea audit quæ haud cupit.
Qui verba gestant, sunt genus hominum pessimum.
Quicumque soli obloquitur, obloquitur sibi.
Rem potius ipsam dic, ac mitte malè loqui.
Scelus videtur, ni scelus dicat, malo.
Si non latrant at hirriunt tamen canes.
Vitam maledicus usque vivit anxiam.
Vivo maledicere iniquum est, mortuo impium.

Maledictionis.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

NOE *Patriarcha*: Quum evigilasset è vino suo, rescivit quid fecisset ipsi filius suus minimus: & dixit, Maledictus esto Cenahan, servus servorum erit fratribus suis. *Genes. 9. 25.*

Isaac patriarcha: Benedicens Iacobo filio suo, quem primogenitum esse credebat; Esto herus, inquit, fratribus tuis, & incurvent se tibi filii matris tuę: maledicentium tibi quisque maledictus esto, &c. *Genes. 27. 31.*

Iacob Patriarcha: Simeonis & Levi filiorum violentiam in Sichęmitas damnans, moribundus dicebat, Maledicta ira eorum, quia vehemens, & furor eorum, quia sævus fuit, dispertio eos per Iacobi & dispergo eos per Israelis posteros. *Genes. 49. 7.*

Moses Legislator: Maledictiones jussu Dei in transgressores Legis prolatas à Levitis, populo adstante, & respondente Amen, proponit Deuteron. 27. 15. *&c.* Vide etiam *c. 28. & Levit. 26.*

David: Saul accepto à Ziphæis nuncio Davidem in colle quodam latitare, ducit in eum copias: sed ita divinitus sopitur noctu cum exercitu, ut David uno comitatus ad Saulem usque penetrarit, ejusque hastam & phialam abstulerit, se in montem recipiens, unde inclamatis castris Abnerum objurgat, & Sauli excitato dicit, Quãobrem persequitur Dominus servum suum? quid enim feci? & quid mali est in manu mea? Si Jehova incitavit te contra me, odoretur munus: sin autem homines, maledicti sunt coram Jehova, quia expellunt me hodie, ne cooptatus hæream possessioni Jehovæ, dicentes, Abi, cole Deos alienos, &c. *1. Sam. 26. 18. &c.*

Idem: Quum audisset Abnerum à Joabo fuisse dolo interfectũ, dixit, Insons ego sum & regnum meum apud Jehovam usque in seculum à sanguinibus Abneri: maneant super caput Joabi, & super caput totius domus paternæ ejus: neque deficiat è domo Joabi fluxum patiens, aut leprosus, aut qui nitatur scipione, aut cadens gladio, aut carens cibo. *2 Sam. 3. 28. 29.*

Idem: Salomoni filio dans præcepta & mandata de regni administratione dicebat, Ecce apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione acerrima, &c. Nunc eum sontem ne absolvito, cùm vir sapiens sis: sed cognosce quid sis facturus eo, ut deducas canitiem ejus cum sanguine in sepulchrum. *1. Reg. 2. 8.*

Maledictiones seu imprecationes istæ Davidis & aliorum Sanctorum non pugnant cum dicto Christi, Benedicite his qui maledicunt vobis, aut cum præcepto de patientia. Primùm enim discernenda est res seu causa à personis. Petunt sancti, ut Deus causam malam, cujus patrocinium impii suscipiunt, funditus deleat & exstirpet. Nam causa quam impii tuentur, severissimè damnanda est, atque adeo ipsi impietatum & iniquitatum propagatores. Secundò, discernendi sunt gradus personarum. Alii ignoranter peccant & sunt sanabiles. Pro iis qui sunt sanabiles sunt vota facienda, exemplo Christi, Stephani & aliorum. Blasphemi, impii manifesti, execrandi sunt, tanquam Dei hostes, & Satanæ organa. Sicut Paulus, 1. ad Cor. 16. Qui non diligit Dominũ Iesum Christum sit anathema maranatha. Et ad Galat. Vtinam excindantur qui turbant vos. Tertiò, tales imprecationes in Patriarchis, Prophetis, Davide, Christo & Apostolis, non proficiscuntur ex humana indignatione seu impatiẽtia: sed sunt voces Spiritus Sancti ferentis ultimam sententiam de blasphemis & impiis, ac pios consolantis, ut sciant veritatem & innocentiam fore victricem, atque Deum exstirpaturum esse impietatem, iniquitatem, & homines impios ac profanos. Vota enim Sanctorum habent vim promissionum & vaticiniorum. *Hæc D. H. Mollerus Comment. in Psal. 54.*

Iesus Christus Dominus noster: Maledicit *ficui sterili*, Matth. 21. 9. Et *Iudæ*, Marc. 13. 21. & *divitibus*, Luc. 6. 24. & *civitatibus gratiam Dei in evangelio oblatam respuentibus*. Luc. 10. 15. & *Pharisæis*, Luc. 21. 42. &c. & *mundo* propter scandala; Matth. 18. 7.

Apostoli: Dira denuntiat Petrus *Ananiæ, Sapphiræ, Simoni mago*, Act. 5. & 8. Paulus *Elymæ* Act. 13. & *pseudodoctoribus qui Galatiæ Ecclesias turbabant*, Galat. 5. 12. & Iudas Apostolus, *impiis*, vers. 11.

Mali & Malitiæ.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Greg. Nyssenus*: Ego sacerdotes simulacrorum ærumnosos esse judico, & ut vanæ actionis ministros miseror: pontificum verò multo magis me & miseret, & abominor eosdem. inter malos enim qui major est ac primum locum tenet miserior est, ut inter injustos injustior; ut inter homicidas qui crudelitate ceteros præcedit; ut inter lascivos & libidinosos, qui petulantior ac protervior est. *Oratione de S. Theodoro martyre.*

D. Greg. Nyssenus: Malum, extra consilium positum, ac per se cõstans, in omni natura nullum est. Nam Dei opus omne bonum, neque detestandum: cunctave, quæ Deus effecit, sunt admodum bona. sed posteaquam eo, quem diximus, modo in vitam hominum non sine maxima pernicie irrepsit peccandi consuetudo; atque ex prava causa, quæ in infinita hominum mala latius manavit divina illa animi pulchritudo, quæ ad exemplaris imitationem fuerat expressa, quasi ferrum, rubigine vitii est consumpta, non tantam quidem, quanta certe, sibi ex natura inerat, conservavit imaginis gratiam, sed ad peccandi turpitudinem sese tota convertit. Itaque magnum illud & preciosum homo, ut à scriptura est appellatus, cum à dignitate sua excidisset, quod accidit iis qui in cœnum illapsi, facie omni limo oblita, ne à familiaribus quidem agnoscuntur: eodem modo ille in peccati sordes præcipitatus, incorrupti Dei imaginem perdidit, mutatoque habitu corruptam quandam peccatique labe inquinatam imaginem induit, quam ratio deponere suadet ei qui incorrupta vitæ disciplina se quasi aqua quadam abluerit: ut hoc sanè terreno abjecto integumento, animi rursus appareat pulchritudo. Aliena verò abjicere, in eo est, ut ad sua quisque atque ad naturam redeat: quod profectò assequi non aliter licet, nisi talis rursus quis fiat, qualis principio effectus est: non enim nostrum est, neque facultatis hominum officium, ut divinitatis similes fiant: sed hoc sanè contingit maximo munere Dei, qui à primo statim ortu nobis sui est similitudinem largitus. At hominum studii tantum illud sanè est, ut quas sibi sordes postea ex peccato ipsi contraxerant, eas omnino eluant, pulchritudinemque illam illustrent, quæ in animo occultata est. *c. 12. de virginitate.*

Chrysostomus: Nullus unquam malitia possit in bonum uti; non scortatione ad pudicitiam, non invidia ad benevolentiam. *cap. 1. ad Gal.*

D. Io. Chrysostomus: Quemadmodum modestos dominos subditi maximè tremunt; ita & impudici quilibet & intemperantes, eos qui virtute sunt clari, scientes quibus ipsi exciderunt. *Homil. 4. Epist. ad Titum.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Cùm duo sint maxima mala, si homo aut seipsum perimat, aut Deum lædat; hoc utrumque in ludis publicis agitur. *l. 6. de gubernatione Dei.*

Chrysologus: Malis patientia brevis est, bonis tarda ultio. quod læsis longum est, angustum est ad lædentes. *Sermone 16.*

Chrysologus: Semper offendunt bona malos, pia impios, sancta profanos: aut quando non lascivus disciplinam, virtutem vitiosus, innocentiam criminosus accusat? *Sermone 33.*

Ennodius: Dicite, præsules libertatis, quem potius habuimus, qui animos nostros possedit, in tubarum clangore terrorem; dum ferri seges equorum fremitu minaretur exitium? Credo, ne libera patrũ colla catenarum rigor adstringeret: ne inviolabilis matribus pudor civitatis excidio deperiret: ne votiva virginitas sacris mancipata culturis prædonis igne raperetur: ne famula castitas hosti pretium fieret insultanti: ne corporibus ex humana conditione libertatis, vis inimica subriperet, & adversariæ pudicitia libidini ad ultimum deducta, serviret. Quæro à te, heroa magnanime, quid de patria tua mali depuleris, si hæc quæ timui victor optasti. *circa finem Dictionis 16.*

Io. Sarisberiensis: Difficile est malitiam, cùm superbiæ fomento coaluerit, verbis & exhortatione curare. *cap. 27. l. 2. Policr.*

¶ Philosophorum Oratorumq. Graecorum.

Aristides Rhetor: Mala, ærumnæ, calamitates, nec sunt inter Deos,

nec

nec esse possunt;cùm in hunc terrestrem locum relegata sint. *Oratione Isthmica in Neptunum.*

Dio Prusæus: Convinci aliquem quod pravus sit, omni ex parte acerbius est,quàm lapidari aut comburi.*Oratione 46.*

Hierocles: Sciendum malorum nomine ea non intelligi, quæ laboriosam, & difficilem vitæ viam nobis efficiunt, morbum, verbi gratia , paupertatem, liberorum amissionem,dedecus in civitate. Hæc enim gravia quidem sunt,nec ad ferendum in vita facilia:non mala tamen re vera,nec animo perniciosa; nisi illorum impulsu ad vitia deflectat:quod in iis etiam,quæ bona videntur, ipse patietur, nisi illis uti rectè statuat; sanitate nimirum,divitiis,atque dominatu. Istis enim etiam licet malè agere; virtutemque adipisci contrariis. Quæ autem re vera mala sunt, ea ipsa sunt,quæ voluntate peccantur;quibuscum conjungi virtus natura non potest. Sunt autem ea,injustitia,intemperantia;cæteraque omnia,quæ recti, atque honesti conjunctionem non admittunt. Neque enim hujusmodi quicquam rectè fieri dixeris , verbi gratia; non recte aliquem injuriam facere: non honestè libidinari: sicut de malis externis loquimur; cùm rectè ægrotare, rectè item paupertate laborare dicimus; quoties bene atque justè generis hujus aliqua pati hominem significamus. At in animi vitiis ideo recte non adhibetur, quod aversiones sint,atque errata rectæ rationis;quam natura sibi insitam atque insculptam hominum animis, cùm sunt perturbationibus occæcati,aspernatur.*c.17.carm.Pythag.*

Hierocles: Ad quamcunque rem alicui ostendendam duarum personarum actiones in unum constat debere concurrere: (qui enim cæco quod cupis ostendas, etiam si similes proferas? aut qui videnti demonstres, quod non proferas?) utrumque certè adesse convenit; & bonum, quod ab eo proponitur; qui ostendit. & ejus videndi capacem oculum, cui res ipsa ostenditur:ut hinc quod in videndi sensum cadit;inde autem visio ipsa, ad ostensionis effectũ concurrant. Quæ cum ita sint;ponamus fore,ut omnes simul malis liberentur, si omnibus ostendat opifex, atque largiatur suæ naturæ notitiam, & quo dæmone utantur. At non omnes tamen simul malis liberabuntur. Sequitur ergo non omnibus eum ostendere;sed iis tantùm, qui per se ad malorum liberationem accedunt; quique sponte oculos ad ejus quod ostenditur,contemplationem intendũt. Non est igitur ipse in causa, cur omnibus minimè ostentatur; sed illi ipsi,qui vicina bona neque vident, neque audiunt unde spontanea mala pati diximus. Est ergo in causa qui eligit, non Deus,qui omnibus quidem semper quæ bona sunt,quantum potest, antè indicat: non ostendit tamẽ semper omnibus; quia, quo tempore porriguntur, plurimorum morbo caligent oculi, & deteriorum occupatione deorsum defixi hæreant. Congruit autem isthæc propositorum versuũ explicatio, & cum veritate ipsa,& cum eorum mente,qui præcedunt. Si enim Dei est homines etiam invitos ad veritatem pertrahere;quid rursum litem exitiosam non excitare, sed fugere,suademus? quid item casus adversos moderatè ferre, & remedia quærere? omnino enim quæ disciplinæ via est ad virtutem,illis intercluditur,cùm arbitrii tollitur libertas. Non enim eorum quicquam deceat, vel agere, vel curare, vel studiosè sectari,quæ recta sunt;si Dei sit ab iniquitate nos servare,virtutibusque implere nihil ex nobis conferentes. Quòd si ita se haberet,esset ita vitiorum causa in permultis divinæ culpæ tribuenda. Sin autem malorum culpa vacat Deus, ut etiam dictum est: haud jam dubium est, quin ipsi à bonis defecerimus,quæ,cùm vicina habeamus,& in nobis secundũ naturales notitias posita, eadem ipsi neq; intuemur,neq; audimus. est verò cæcitatis hujus,atq; surditatis autor perniciosa ista contentio sponte damnum amplectens:quam non decet amplius augere; sed cedendo vitare; & malorum liberationem nosse, viamque ad Deum revertendi invenire. Ita enim Dei quælibet indicatio, si eidẽ intuitus noster accedat,ostensio evadit. Sunt verò ostensionis opera,quies animi, liberatio laborum,quos toleramus; divinorum præterea bonorum fruitio, & paternæ conversationis communicatio. *cap.61.Carm.Pythag.*

Simplicius:Nullum augurium est,quin tibi prospera significet,si ipse vis:quia penes te est bonum ac malum tuum Atque adeo fieri potest,ut mala quę videntur,in reb.externis,tibi ꝓsint,&tãto magis ꝓsint,quanto majora vidẽtur si rectè ea tractaris.atqui si ea tua mala essent,nocerent,non juvarent. Quoniam igitur iis & juvari potes;nec tibi quidquam accidet mali,nisi ipse velis.etiam ea que portendi mala videntur;si volueris,non tua mala erunt, sed eorum alicuius quæ extra te,& à te sejuncta sunt.*ad cap.25.Epict.*

*Tyrius:*Alexandrum ajunt Macedonem,cum Jovis Ammonis accessisset templum,atq; ab eo filii appellatus esset nomine,credidisse Deo,idq; exHomeri sentẽtia,q̱ JovemDeũ hominumq; patrẽ dicit. Admisso autem eo oraculo,nihil amplius è patre suo voluisse quærere:non de Darii fuga,nõ de imminente pugna,nõ deGræciæ calamitatibus,nec deAsię turbis,Sed tanquam in reliquis nihil esset periculi,de Nilo rogasse:è quib.videlicet ortus fontib. in Ægyptũ feratur. Hoc enim vnum, si Diis placet, ad felicitatem illi deerat:eoq; cognito sat beatus futurus erat Alexander. Cum me hercule,non si cum Nilo ipsum quoq; Istrum aut Oceanum, & quæcunq; de illo dicuntur,cognita habuisset, quicquam hoc illi conferre potuisset. An nimirum fluvius sit qui universam ambit terram, an mediterranei maris principiũ,aut palus poti⁹ in quã sol & luna occidere solẽt,& id genus alia q̃ poetæ tradiderunt. Sed multo sapientius,meo judicio,fecisset,si fluvios eorumq; aquas in eam abire partẽ sivisset, in quam eos Jupiter abire voluit,ipse vero Ammonem adiisset: aut Thesprotos,eorumq; quercũ,aut Parnassum eiusq; oraculũ, aut Ismenium Apollinẽ ejusq; responsum,autDelum,ejusq; choros,aut si ꝙ aliud in tota Græcia aut Barbarorũ terra fatidicũ,delubrũ est:ibique aut è Jove aut ab Apolline,universum ac cõmune toti humanó generi impetrasset oraculũ. Plus,nisi fallor,cunctis contulisset hæc legatio hominibus,quã cũ de Peloponneso Dorici, aut de Jonia Athenienses,aut de Sicilia quæsiverunt Corinthii. Quid,si nos ergo legatos illos imitemur,q̱ communi gentis alicujus nomine ad oraculum mittuntur,atq; ex Jove hoc quæramus. Quis hominib. bonorum pater est & autor,q̃ principia,qui fontes,unde huc deferantur? Nisi de his forte similibusq; rebus,non obtũdendus est Deus, cum præsertim ipsæ appareant causæ,cum oculis occurrat origo eorum, & ipse se nobis fons offerat,cum patrem horum omnium opificẽq; videamus. Illum dico qui cœli disposuit ordinem, qui solem lunãq; aurigatur,siderum circuitus certosq; lapsus & choreas cursusq; voce sua motuq; tanquam præcentor aliquis in choro moderatur: qui anni distinguit tempora,ventos gubernat, mare formavit, fabricavit terram,fluvios emittit,fructus educat,animalia gignit: qui Natalicius,Pluvius,Fructifer,Patrius, Progenitor à nobis dicitur. Cuius mens solida & incorrupta,nusquam dividitur,sed incredibili velocitate,tanquam unico oculi intuitu, quodcunq; tangit,ornat,atq; illustrat. Non secus quam radii solares in terram ubi inciderunt, quamcunque ejus invasere partem,eam illustrant. Quomodo autem id fiat,mihi nec promptum est dicere, Homerus tamen occulte innuit,cum inquit:

Dixerat hæc,nigrisq; oculis Saturnia proles Annuit.

Una cum nutu Jovis terra constitit, & quicquid terra educat:mare constitit, & quicquid mare producit: aer constitit, & quicquid aer fert: cœlum constitit,& quicquid in cœlo movetur. Omnia hæc opera Jovis nutus perfecit. Hactenus nullum oraculum requiro. Homero fidem habeo, Platoni credo,Epicuri me miseret. Quod si vicissim ad mala me converto & de iis cogito, non possum quin quæram,unde ea tandem huc pervenerint. Qui fontes eorum,quæ origo prima. An ex Æthiopia cum peste, aut Babylone cum Xerxe, aut ex Macedonia cum Philippo? Non enim è cœlo me hercules,nõ è cœlo. Exulat enim illic invidia Hic certe,hic oraculo opus habeo. Consulamus ergo Deos. Jupiter & Apollo,aut si quis prætereaDeus fatidicus es,qui humani generis curam geris, hanc nobis quæstionem explicate. Vnde malorum est initium, quæ causa, quo pacto vitare ea aut effugere possimus.

Nulla etenim invidia est longe mala cunctá fugere.

Quis enim non videt,quam multa passim circa terram versentur, quam multis luctibus suspiriisque terram impleant:quæ omnia tãquam fato quodam vitam humanã comitantur? Deplorat morbos suos à quib.obsidetur hoc corpusculũ, deplorat incertã valetudinis conditionem,& ambiguitatẽ vitæ. Quę namq; ætas aut tempus est, quo non à malo oppugnatur aliquo? Nonne simulac natum est,humidisq; matris è locis recẽs evulsum,luto sordibusq; diffluit, vagitu omnia complet ac lachrymis? Postea si ad ætatis florẽ adolescat, fervore quodam & intemperie agitur. Si perveniat ad pubertatem, præ ardore animi & vehementia,nullis consiliis in officio contineri potest,nullis monitis. Si ad senectutem,paulatim moritur,& deflorescit. Nihil deniq; aliud quam inutile morosumq; fit ac difficile animę hospitium. ꝙ nec imbres fert amplius,nec ventos, nec solem: de omnib.deniq; cœli tempestatib.cõqueritur, & cum ipso Jove in certamen venit. Si hyems adveniat; veste multa tegitur:si ęstas, refrigerari petit. Si cibis se repleverit, evacuare se optat:si evacuaverit, rursus se replet. Deniq; ut Euripus aliquis aut maris refluxus, nunquam consistit,nunquam quiescit. Insatiabile est, cõtumax est, vorax est. Vestib.eget,eget calceis,unctionib.eget,eget medicamẽtis,eget lavacris. Cumq; mille equos equiso un⁹, infinitas oves pastor unus,infinitas boves unus regat bubulcus, uni corpori manus plurimæ,plurimę inserviunt artes. Quin ne hęc quidem sufficiunt omnia. Quam enim hactenus artem invenire potuerunt homines, qua aut pestem avertere,aut cœlo cadentem vim pluviæ cohibere, aut terræ motum sistere; aut ignem è terra surgentem possent extinguere? Vides malorum seriem successionemque mutuam, vides continuationem periculorum.

Nil nutrit tellus homine infelicius uno.

Quod si ad animam venias,videbis & hic morborum agmen,quibus obsidetur ea. Si mœrorẽ absterseris, metus succedit. si metus recesserit,ira excitatur,si ira desinit, invidia accedit. Ad manum est calamitas,in vicinia mala sunt. Nec ulla unquam certa quies contingit. Quid quæso ad ista aut Jupiter,aut Apollo respondebit,aut alius fatidicus Deus? Audiamus quid eorum interpres dicat:

Asscribunt superis homines mala,cum tamen ipsi
Criminibus propriis sibi talia damna crearint.

Quæ est ergo improbitatis hujus causa? Cum cœlum & terra, duæ diversissimę sint sedes: alteram omnis mali immunem, alteram ex utroq; mixtam esse sciẽdum est. Ita ut bona quidem, è cœlo veniãt: mala vero ex innata illi improbitate oriantur. Improbitas vero ea duplex est:aut enim corrupta materiæ affectio est,aut animę licentia. Ac de priori quidem prius dicendum est. Vides ergo materiam, circa quam versatur artifex optimus.

Quę si quod ornamentum accipit, id totum arti acceptum est ferendum. Sin vero quædam in terris, minus quam oportebat bene constituta,aliquid ab arte aliẽnũ admittant, cave in causa esse dicas

artem, (nunquam enim magis artificis ab arte, quam legislatoris à juſtitia cōſilium diſcedit) ut omittam divinam mentem multo magis quam humanam artem ſcopum ſuum attingere. Sicut autem in mechanicis artibus quædam primario ipſa ars agit, dum finem ſuū reſpicit: quædam ſua ſponte ſequuntur opus, q̄ non artis opera, ſed affectiones ſunt materiæ, ut cum ſcintillæ ab incude, è fornace favillæ, aut aliunde ſimile quid ſequitur, ꝙ operis reſpectu neceſſarium eſt, opifici tamen non eſt primarium. Eodem modo in terrenis illis malis q̄ humanis intervenire reb. dicimus, liberanda omni culpa ars eſt: cum nihil aliud ea, quam neceſſariæ quædam affectiones ſint, quæ cum univerſi totius fabrica cohærent. Quæ enim nos mala, quæ corruptiones dicimus, quæ lugemus, ea conſummationem totius vocat opifex. Quia totum reſpicit, cujus cauſa neceſſe eſt corrumpi partes. Peſte Athenienſes affliguntur, motu terræ Lacedæmonii, inundantur Theſſali, Ætna accenditur. At vero quando Athenienſibus immortalitatem promiſit Jupiter? (Nam ſi peſtis deſinat, nonne in Siciliam Alcibiades vehere poteſt populum?) Quando Lacedæmoniis terram à motu immunem, aut ab inundatione Theſſalis, aut Siculis ab igne? Sunt hæc quaſi partes corporum & membra. Eas autem affectiones corruptionem tu vocas, quia ea quę intereunt reſpicis: ego conſervationem, quia ea quæ ſuccedēt iis & ſequentur. Vides mutationem corporum novaſque generationes: quæ nihil ſunt aliud, quam quædam, ut Heraclitus dicebat, ſurſum deorſumq; currens ſemita. Vt alius alterius vivat vitam, alius alterius vita moriatur. Ex interitu terræ, ignis oritur: ex ignis interitu oritur aer. Ex aeris interitu, aqua oritur: ex aquæ interitu, oritur terra. Vides ſucceſſiones vitarum, ad alterum malorum principium innatum nobis veniamus? quod animæ licentia tanquam mater concipit, & conſummat: cui improbitati nomen eſt. Hanc qui aſſumit, culpam ſibi aſcribat, Deum extra noxiam relinquat. Cum enim terram creari neceſſe eſſet, quæ & fruges daret, & animantes pluraq; educaret alia, eamq; oporteret ipſa intra ſe cōtinere mala, factum eſt, ut illa cœlo ejecta, hunc ſibi vindicarent locum. Cæterum diverſa & omnigena conſtituit animalia: quorum primam bifariam diviſit naturam: ut altera omni & vivendi ratione & corporum forma diſſimilis inter ſe eſſet, & diverſa; ſine ratione aut prudentia: ita ut alterum in perniciem alterius natum, improvidum, divinæ virtutis expers, ſoloq; ſenſu in diem gauderet & duceretur: corporis viribus excelleret, intellectu autem nihil poſſet. Altera vero, quæ eſt hominum, ejuſdem eſſet generis, ſocialis ac una, corpore quidem imbecillis, ratione vero inexpugnabilis, Dei capax, civilis adminiſtrationis compos: quam juſtitiæ, quam legum, quam amicitiæ habere guſtum voluit. Quod quidem genus, omnibus quæ terram quidem colerent præſtare animalibus, Deo autem minus oportebat eſſe, ut arbitror. Et quāvis mortale ſit, nihil tamen propterea de ejus præſtantia decedere: cum id ꝙ vulgus mortem vocat, nihil aliud quam immortalitatis exordium, futurę vitæ ſit natalis. Quandoquidem ſua lege ſuoq; tempore corpora quidem intereunt, animæ vero ad locum ſuum ſuamq; vitam revocantur. Id vero quo humana à divina vinceretur natura, tale excogitavit Deus. Animam mortali corpori impoſuit, tanquam aurigam plauſtro: traditiſq; aurigæ in manum habenis, curſu ſuo ferri permiſit. Vim illi præterea roburque addidit, ut vel arte ſua uti poſſet ſi vellet, vel abuti ſi mallet. Ibi felix, & quam vere beatam dicas anima, memor illius à quo plauſtro impoſita eſt frænoſque accepit, nimirum Dei, habenas manu arripit, currum regit, impetumque caſtigat equorū. Illi cōtra in diverſa ruunt, aliuſq; alio contēdit. Alius enim in intēperantiam, ingluviem, ac libidinem: alius in bilem temeritatemq; & inſaniam propendet: alius tardus ac mollis, alius illiberalis ac dejecti humiliſq; eſt animi. Ita currus in diverſa diſtractus aurigam turbat. Quod ſi equis auriga feratur, nec currus habenas audiat, ibi potentioris equi impetum axis ſequitur. Qui ſi intemperantiæ addictus eſt, una cum auriga ipſo in libidinem, vinolentiam, ac Venerem, aliaſq; nec honeſtas nec ſinceras voluptates arripitur. Sin ferox, in ærumnas quaslibet & calamitates. *Diſſertatione 25. Cum Deus bona faciat unde veniant mala.*

¶ ROMANORUM.

Plinius: Habet has vices conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcantur. occultat utrorumque ſemina Deus; & plerumq; bonorum malorumq; cauſæ ſub diverſa ſpecie latent. *c. 5. panegyrici Trajano dicti.*

¶ POETARUM.

D. Greg. Nazianzenus, in vita ſua.

Οὐ ῥαδίως γὰρ κάμπτεται πονηρία.
Vix ulla flecti pravitas unquam poteſt.

D. Greg. Nazianzenus in vita ſua.

At nunc videtur hic quidem quieſcere:
Aſt eſt verendum, ne gravi quæ grandine
Eſt fœta nubes, aſpero vento incita,
In non putantes grandinem effundat ſuam:
Nec enim quieti pravitas unquam ſtudet.

D. Nazianzenus Carmine 62.

Ἶσον ἐμοὶ κακόν ἐστι βίος καὶ μῦθος ἀλιτρός,
Ὁππότερον κεν ἔχοις, καὶ θατέροιο τύχοις.

Par mihi ſermo malus, ſceleratáq; vota: duorum
Alteruter tibi ſit, mox comes alter erit.

Ariſtophanes Avibus v. 1563.

Πικρὰν ταχ' ὄψει στρεψοδικοπανουργίαν.
Amaram citò videbis verſionem pœnæ malitiæ.

Ariſtophanes Equitibus 682.

Omnia effeciſti, quæ facere auſpicatò oportet:
Repperitq́; verſutus alium verſutiorem,
Pluribusq́; præditum
Et dolis & vocibus,
Valde blandulis.

Ariſtophanes Pluto v. 490.

Principio hoc omnibus ex æquo puto perſpicuum & manifeſtum
Quod fas ſit & æquum frugi homines rebus gaudere ſecundis:
Pravos ex adverſo & ſceleratos, fortuna premi iniqua.

Plautus Pſeudolo 4. ſc. 3. pr.

Pejorem ego hominem, magisq́; verſutè malum
Nunquam edepol unquam vidi, quam hic eſt Simia.
Nimisq́; ego illum hominem metuo & formido malè,
Ne malus item erga me ſit, ut erga illum fuit:
Ne in re ſecunda nunc mihi obvertat cornua,
Si occaſionem capſit qui ſiet malus.

Terentius Adelph. 3. ſc. 3.

Id miſero reſtat mihi mali, ſi illum poteſt
Qui alicuius rei eſt, etiam ad nequitiam abducere.

Terentius Phorm. 2. ſc. 1.

Quot me cenſes homines jam deverberaſſe uſq́; ad necem
Hoſpites? tum cives? quo magis novi, tanto ſæpius.
Cedo dum! en unquam injuriarum audiſti mihi ſcriptam dicam?
G. Quid iſtuc? P. Quia non rete accipitri tenditur neq́; milvio,
Qui malefaciunt nobis: illis qui nil faciunt tenditur.
Quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur.
Alijs aliunde eſt periculum, unde aliquid abradi poteſt.
Mihi ſciunt nihil eſſe. dices, ducent damnatum domum.
Alere nolunt hominem edacem: & ſapiunt mea quidem ſententia.
Pro maleficio ſi beneficium ſummum nolunt reddere.

Auſonius, verbis Biantis.

Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖστοι κακοί.
Latine dictum ſuſpicor: plures mali.
Dixiſſe nollem, veritas odium parit.
Malos ſed, imperitos dixi & barbaros,
Qui jus & æquum, & ſacros mores negligunt.
Nam populus iſte quo theatrum cingitur
Totus bonorum eſt. hoſtium tellus habet.
Dixiſſe quos me creditis, plures malos.
Sed nemo quiſquam tam malus judex fuat,
Quin non bonorum partibus ſe copulet.
Sive ille verè bonus eſt, ſeu dici ſtudet,
Iam fugit illum nomen invisum mali.

¶ APOLOGI.

De Anguilla conquerente, quod magis quam ſerpens infeſtaretur.
Fab. 17.

Anguilla interrogabat ſerpentem, quare cum ſimiles eſſent atque cognati, homines tamen ſe potius, quàm illum inſequerentur: cui ſerpens, quia rarus, inquit, me lædit impune.

Fabula indicat, minus lædi ſolere, qui ſeſe ulciſcuntur. Laur. Abſtemius.

¶ EMBLEMATIS.

Impotens malitia. Emblem. XXXII.

Tempore brumali ſi calcibus urſeris anguem,
Non nocet, at mens eſt prona nocere tamen:
Sic multos videas homines tali indole, qui non
Sunt animo, ſed vi deficiente, boni.

Florent. Schonhovius.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Salomon: Malos deſcribit Salomon variis locis.

Eorum genera varia, Proverb. 30. 11. 12. 13. 14.

Qui ſint maximè odioſi Deo. Prov. 6. 16. &c.

Eorum *delectatio*, Proverb. 10. 23. & 14. 16. & 15. 21. & 18. 2. & 21. 15. *Sermones*, Proverb. 12. 6. *Actiones*, Proverb. 6. 12. &c. & 8. 13. & 12. 23. *Vota*, Proverb. 21. 10. *Cogitationes*, Proverb. 24. 9. *Conſcientia mala*, Proverb. 28. 1. *Verba*, Proverb. 26. 7. 9. *Exitium*, Proverb. 12. 12. & 22. 5. *Occurſus*, Proverb. 17. 12. *Vita & via*, Proverb. 2. 10. & 4. 18. 19. 23. & 6. 15. & 8. 3. & 15. 9. 26. & 19. 3. *Domus*, Prov. 3. 33. & 12. 7. & 14. 11. & 21. 12.

Multiplex malorum miſeria. *Proprijs peccatis perdentur*, Prov. 5. 22. 23. & 12. 13. & 14. 14. 32. & 16. 27. & 29. 6. *Non ſtabilientur malitia*

ſua,

ſua, Proverb.12.3.& 10.25.& 11.31. *Peribant in afflictione*, Proverb.11.21. *Alij aliis ſunt exitio*, Proverb.14.9. *Bonos inviti honorabunt*, Prov.14.19.& 21.18.

Ieſus Chriſtus, Dominus noſter. Bonus homo, inquit, ex bono theſauro cordis ſui profert bona: & malus homo ex malo theſauro profert mala. *Matth.12.35.*

Apoſtoli. Malitiam hominum, qui diebus ultimis, id eſt noſtro hoc ſeculo, poſtremæ & immenſæ Dei patientiæ ſpeculo vivunt, Apoſtoli graphicè depingunt 2. ad Timotheum 3. & 2. Petr.2.

Baſilius Magnus: In malitiæ ſeu improbitatis certamine, inquit, miſerior victor quàm victus, propterea quòd ille pluribus peccatis onuſtus diſcedit.

Noviſſima in improbitate etiã ſecum ipſa diſcrepant. Id eſt mali ſemper à ſeipſis diſſident, fiuntq; poſteriora ſemper deteriora prioribus, & mala conſilia conſultoribus peſſima.

Complures ſunt qui malas actiones approbent, ſcurram nominantes gratioſum, & eum qui obſcœnis verbis utitur civilem, acerbum & iracundum minimè contemnendum vocant: parcum & alienum à liberalitate, quaſi rei familiaris adminiſtrandæ peritum laudant: prodigum, quaſi liberalem: ſcortatorem & libidinoſum, delicatum & remiſſiorem: iſtiuſmodi laudatores illis ore quidem bene precantur, at corde execrantur. Nam in illa verborum pulchra commemoratione, omnem execrationem in illorum vitam inducunt, imò eos æternæ damnationi obnoxios efficiunt, ipſa vitia approbantes. *Ant. & Maxim. Serm. de malis & improbis.*

Gr. Nazianzenus: Dicebat malitiam facilè ſui ſtudium excitare atque in promptu eſſe: nihilque tam facilè quàm fieri malum. *Item*, Difficiliter bonum comprehendi à natura hominum, quemadmodum ignem non concipit humidior materies: at ad maleficium paratos plurimos, & ad ipſum quaſi factos eſſe. *Eodem Sermone.*

Chryſoſtomus: Animis profanis & malis nihil honeſti ſatis dignũ videri dicebat, cui perſuadendos ſe præberent.

Qui ſæpe peccant, inquit, nec puniuntur, metuere & vereri debent: augentur enim illis ſupplicia per ſupplicii tarditatem & divinam lenitatem.

Non tantùm ii qui ſceleratè aliquid faciunt, verùm etiam qui eos laudibus afficiunt, eorundem cum illis vel etiam graviorum participes erunt ſuppliciorum.

Sanctos quidem viros lucidi cingunt Angeli, malos autem & improbos tenebroſi. *Item:* Abundantia cognitionis ſapientiæ nobis multos conciliat Angelos: malus autem & impurus, etiam ab eo qui ipſi à puero datus eſt, ſeparatur. *Eodem Sermone.*

Noli cogitare te malis videri præſtantiorem: ſed triſtare quòd bonis ſis inferior. *Anton. Serm. de zelo & imitatione prava.*

Philo: Malus, inquit, & improbus aliud ſentit, aliud loquitur: aliæ ſunt enim ejus actiones: denique diverſa ei & omnino pugnantia ſunt omnia. non enim loquitur quæ ſentit, & contraria decrevit iis quæ ſe facturum narrat, nec his conſentanea exequitur: ut propriè dicere liceat, mali & improbi viri vitam ſecum bellum gerere.

Malis nulla re gaudere conceſſum eſt, teſte Propheta, Non eſt pax impiis. Sermo enim divinus verus & utilis eſt, tetricam & triſtitiæ deditam, ac infelicitatis plenam eſſe improbiſſimi cujuſque vitam.

Inſtabiles ſunt malorum hominum ſpes, qui ſibi quidem commoda proponunt cogitatione, quibus tamen adverſa, & illis digna contingunt.

Quibus vires deſunt, tyrannicæ naturæ homines, rem aſtu & inſidiis moliuntur. *Eod. Serm. & Serm. Antonij de verſuto & doloſo.*

Pernicioſæ ſunt malorum intelligentia carentium congreſſiones: & animo ſæpe audienti, illorum dementiæ ſimulachra imprimuntur.

Non rus improbos, non urbs bonos efficit: ſed ſimilium congreſſio & conſuetudo. *Anton. Serm. de vitando malorum conſortio.*

Nilus: Boni viri, inquit, ad malos accedentes multò faciliùs vitia trahunt: quàm virtutem impertiunt. *Eodem Sermone.*

Tertullianus: Quum bonitatem Chriſtianæ ſectæ ex multorum hominum ad eam confluxu probaſſet, *occurrens adverſariorum objectioni*, Non ideo ideſſe bonum quia multos convertit: quanti enim ad malum transformantur, quanti transfugæ in perverſum? *Reſpondet*, Quis negat? & *addit*: tamen quod verè malum eſt, ne ipſi quidem quos rapit defendere pro bono audent. Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit. Denique malefici geſtiunt latere, devitant apparere, trepidant deprehenſi, negant accuſati, ne torti quidem facilè aut ſemper confitentur: certè damnati mœrent, deonerant ſemetipſos, mentis malæ impetus vel fato vel aſtris imputant: nolunt enim ſuum eſſe, quia malum agnoſcunt. Chriſtianus verò quid ſimile? neminem pudet, neminem pœnitet, niſi planè retrò non fuiſſe. Si denotatur, gloriatur: ſi accuſatur, non defendit: interrogatus, vel ultrò confitetur: damnatus, gratias agit. Quid hoc mali eſt, quòd naturalia mali non habet? timorem, pudorem, tergiverſationem, pœnitentiam, deplorationem. Quid hoc mali eſt, cujus reus gaudet, cujus accuſatio votum eſt, cujus pœnæ felicitas? *Apologet. adverſus Gentes, c.1.*

Idem: De Chriſtianorum veterum moribus agens, Nullum bonum, inquit, ſub exceptione perſonarum adminiſtramus, qui non ab homine aut laudis aut præmii expenſum captamus, ſed à Deo exactore & remuneratore indifferentis benignitatis. Idem ſumus Imperatoribus, qui & vicinis noſtris. Malè enim velle, malè facere, malè dicere, malà cogitare de quoquam ex æquo vetamur. *Eod. lib. cap.36.*

D. Bernardus: Eleganter tumoris & livoris nomina ad ſuperbiam & invidiam accommodavit prius ille pater.

Stephanus Abbas: Quum ex agello, quem unicum habebat, Stephanus Reatinus abbas meſſem ad aream congeſſiſſet, & quidam ipſam incendiſſet, accurrenti diſcipulo, ac ſucclamanti, Væ, væ, pater Stephane, quid tibi accidit? Imò, væ illi (inquit) mi fili, per quem accidit: nam mihi nihil accidit mali. Nihil malum eſſe arbitrabatur præter peccatum. Itaque illi qui damnum intulerat indoluit, nõ ſibi qui paſſus fuerat: cùm tamen nihil aliud ad victum ei ſupereſſet, niſi quod à Domino nunquam ſe deſertum iri confideret. *Sabellic. l.5. c.7.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad mali ſummum cacumen per gradus aſcenditur.
Ad malum citò redibit, qui metu a malo abſtinet.
Ad pejora calle valde declivi deſcenditur.
Cui Deus cordi eſt, nocere non poteſt Malignitas.
Cum pecuniarum honore mala omnia pariter deſinent.
Cum bonis ſatius jacere eſt, quam malis convivere.
Cum bonis ſatius moriri, cum malis quam vivere.
Dum probis nocere quærit, commodus fit ijs malus.
E malis multis, malum quod minimum eſt id minimum eſt malum.
Effera eſt, unquam domari nec poteſt malignitas.
Eſt malus malum qui laudat, aut bonum redarguit.
Fabricat malum ſibi ipſi quiſquis alteri ſtruit.
In loco multum eſt puſillo unus aut alter malus.
In malis abſurda ſequimur magis quam conſentanea.
Longius malum pateſcit quam bonum mortalium.
Maximam partem veneni malitia ebibit ſui.
Maximum omnium malorum eſt alteri malum dare.
Nec maculas pardus mutarit, nec ſuam pellem AEthiops.
Nemo dici ex aſſe debet dum vivit damnabilis.
Nemo malum ſervat malo, aſt bono malum.
Nemo peſſimus repentè factus: eſt opus mora.
Nil mali a Deo obvenit, quin adſit & bonum ſuum.
Nil mali eſt, admixta cui non portio quadam boni.
Non poteſt malus vocari qui ſibi tantum eſt malus.
Non tantos malicia vires quantos conatus habet.
Nullus ubi locus malitia eſt, nullus eſt finis boni.
Numini caris nocere vult, at haud poteſt, malus.
Nunquam autumnus uber abſque æſtate urente provenit.
Omnia ad crimen malignus quæ audit ac videt trahit.
Peior factus, haud ſibi tantum eſt noxius, ſed publico.
Perpetratio malorum, proprie eſt imbecilitas.
Peſſimus ſibi ſuis eſt peior omnibus malus.
Plus nocet malum haud puniri, quam exhonorari bonum.
Quæ mala in terris putantur, hæc ſunt in cœlo bona.
Quam malũ eſt, cum quis bonis quæ nota habet non utitur.
Quei ſe amaritudo poſſit vertere in dulcedinem?
Quiſquis a malo recedit in bonum illico incidit.
Quidnam abſurdius, curare velle quam malum malo?
Quo malum a bono diſcernas, heu, quod nulla ſit nota!
Quod malum eſt feciſſe, animo quo facias, intereſt nihil.
Quod malum, eſt ſere indicatur ne det ignaris malum.
Quod malum nobis videtur, ipſi mundo non malum eſt.
Rem bonam impediri præſtat, quam rei concedi malæ.
Sæpe de malo ſupremo ſumma nata ſunt bona.
Segnius bonum profectò quiſq; ſentit quam malum.
Semper e malis duobus id legas quod eſt minus.
Submittunt tigres feritatem ſæpe, nunquam at exuunt.
Sunt mali plures; in vitium nam duce abſq; labimur.
Tam malus nemo eſt quandoq; quin aliquid patret.
Tam malus nemo eſt, quin aliquid faciat aut dicat boni.
Tam malus nemo, invenire ſe peiorem quin queat.
Tam malum nihil ei quin mixta gutta ſit boni.
Vel pudore vel timore miſcuit malum Deus.
Viperam ponas in auro, permanebit vipera.
Vir malus, membrum ut caducum, ſegreget ſe à civibus.
Vix bona invenis ſi quæris: ſponte ſed mala irruunt.
Vſque & uſque floret, ævo vixque ullo ſenetur malum.
Vt mali eſt brevis voluptas, ſic perennis eſt dolor.
Vt mali fuimus, ſumusq; ſic erimus porrò mali.
Vt ruat majore lapſu in altum tollitur malus.
Vult Deo gratis nocere, ſed tamen nequit malus.

¶ JAMBICA.

Ægrè eſt malis, habere aliquem ipſi quo carent.
Anas venenis vulgo vivit pontica.
Animus malus ſua proximis tradit mala.
Bonum ſuum qui noluit, malum ferat.
Canis ſuum ad vomitum ſtatim revertitur.
Contactibus quoq; polluimur nocentium.
Deterrimum eſt quod diſſimilimum optimo.

Eſt plena tellus, plenus eſt pontus malis.
Etiam ad ſalutem converti poteſt malum.
Exoritur aliquid majus è magno malum.
Fieri nequit vir ſemper ut lateat malus.
Frangi poteſt malignitas; non flectitur.
Fructus malorum, nil timere, maximus.
Hei vereor ne quid Andria adportet mali.
Hominum malitiam detegit tandem dies.
Id peſſimum eſt quod vituperatur omnibus.
Latrina ſæpe à podice ipſo vincitur.
Laudabile valde eſt eſſe cum malis bonum.
Libentius ſectamur omnes peſſima.
Malignitati frater & Dolus malus.
Malignitatem nulla flectit lenitas.
Malis vitia inſunt omnia etiamſi latent
Malis bene uti poſſe ſolius Dei eſt.
Malitia paucis, omnibus virtus prodeſt.
Malum alterius ne cum malo miſceas tuo.
Malum eſſe non putat malus quod eſt malum.
Malum malo ſi jungis, noxiam duplas.
Malus prius nocet ſibi quàm proximo.
Malus ſibi, alteri eſſe quei queat bonus?
Malus videri mavult, eſſe quàm bonus.
Multis malitia vicem habet prudentia.
Multum nocet malis ſi praſto eſt unitas.
Nemo abſq; damno proximi ac ſuo eſt malus.
Nemo malo uſus eſt adhuc ad rem bonam
Nemo omnium malus ſua abſque noxia eſt.
Nemo ſua abſque noxia manet malus.
Nihil male feciſſe, non bonum at malum eſt.
Nil eſt malum, à natura quod datum omnibus.
Nihil malum viro videtur diviti.
Nil proprium dicas Dei quod eſt malum.
Nil tam malum, in quo non ſit quippiam boni.
Nil eſt facilius quàm è bono fieri malum.
Noli malum movere ſi ſitum eſt bene.
Non ſunt mala niſi quæ mentem crimine implicant.
Non eſt malignus, qui aliis dat ſibi quod negat.
Non facilè condemnatur improbo probus.
Nulli magis nocet malitia quàm ſibi.
Nullum eſt malum cui non effugia ſint ſua.
Nullum facinus ratione ſubſiſtit malum.
Nullum malum eſt, cui non bonum admixtum ſuum eſt.
Nunquam coire cum bono malum poteſt.
Odio malos qui non habet, ipſus eſt malus.
Omnis ſtatim premitur ſuo exemplo nocens.
Omnes mali ſunt, eſſe vel deſiderant.
Omnes mali, non ſunt mali ſpontanei.
Omnes mali vivunt: jam contextum eſt ſcelus.
Penè antequam ſe noverint, amant mali.
Perſæpe, vepres inter, naſcitur roſa.
Perſæpe res mala in bonam convertitur.
Proprium Dei eſt, malum omne mittere ſub jugum.
Putere cuncta credit, os cui putidum eſt.
Quo pejor eſt hoc tutior degit malus.
Quo mota plus cloaca, plus & fætida eſt.
Rebus malis gaudere crimen ultimum eſt.
Saxo ſub omni delitesſcit Scorpius.
Se læſum queritur, ipſe cùm læſit malus.
Semel malus, præſumitur ſemper malus.
Semper ſuum ſervat venenum vir malus.
Semper nocere quod poteſt, verè malum eſt.
Semper malitia clam nocet plus quàm palam.
Semper ſuperſtes, interitq; vix malum.
Stultus malum ſibi jumento arceſſit ſuo.
Tolli bonum neceſſe ſublato malo.
Verſutius nihil maligno pectore.

Mandati.

❡ Sententiae Patrum Graecor.

D. *Chryſoſtomus*: A Deo eorum quæ aguntur rationem nunquam exigamus. Verùm quicquid ordinaverit, id omne admittamus: nihil anxiè indagantes, nihil curioſè perſcrutantes, ut etiam in humani animi rationem non cadat, quod ille mandaverit. quid enim, quæſo, abſurdius fuerit, quàm parentem jugulare unigenitum ſuum filium, eundemque legitimum? ſed tamen juſtus ille id facere juſſus, non curioſè de mandato ſciſcitatus eſt, ſed jubentis dignitate perpenſa, mandatum duntaxat admiſit. Et alius item juſſus à Deo prophetam percutere, quandoquidem quod illi res abſurda eſſe videretur, curioſiùs de ea perſcrutatus eſt, ac ſimpliciter non paruit, pœnas extremas dedit, percuſſor autem probatus eſt. Et Saul item, hominem quem præter Dei placitum ſervaſſet, regno privatus eſt, incuranda mala perpeſſus. Jam & alia præter hæc permulta exempla invenias, per quæ omnia edocemur, & quidem magnopere, divinorum mandatorum rationem nunquam eſſe exigendam, ſed cedendum tãtùm ac parendum. Quòd ſi periculoſum eſt quæ ille mandaverit, de iis curioſiùs indagare, extremumque ſupplicium curioſis propoſitum eſt: quamnam tandem defenſionem habituri ſint, qui ea curioſè perſcrutantur, quæ ſunt his multò & ſecretiora & horribiliora? Verbi gratia, quomodo Deus filium generavit, & quanam ratione? quænam porrò in Deo ſubſtantia? *fine Homilia 2. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Quæ fiunt quidem ſupra mandatum, ex ipſo habet multam mercedem. quæ autem fiunt ex mandato, non tantam. *Homilia 21. ad Cor. 1.*

Chryſoſtomus: Illorum verborum maximè meminimus, quæ audivimus ultima ab iis qui excedunt, heredibuſque eorum ſi mandata tranſgredi auſi fuerint, eis pudorem incutientes, dicimus: Cogitate quod poſtremam hanc vocem apud vos emiſit pater, & ad veſperam uſque qua erat exſpiraturus hæc mandavit. *Homilia 27. ad Corinth. 1.*

S. Aſterius: Quin manus quoque meminiſſe mandatorum debet, ac cavere ne promiſcuè qualiacunque contractet. protendantur ad faciendam eleemoſynam, non ad furtum; tueatur propria, neque colligat aut comportet aliena; corpora ægra ac male adfecta ad opem ferendam attingat; non vegeta ac libidinibus ſemper prurientia. *Homilia de Oeconomo iniquitatis.*

S. Iſidorus Peluſiota: Libenti animo, ut quod abs te imperatum fuerit, exequatur, amicus venit, pro certo videlicet habens ea, quæ abs te imperantur, ad pietatem & juſtitiam ſpectare. Quamobrem animi promptitudinem admiratus, benevolentiam ipſi repende. *l. 3. Epiſt. 409.*

❡ Latinorum.

Io. Sariſberienſis: Craſſus quod architectus aliam trabem miſiſſet, quam juſſerat virgis multum cecidit. Quid quæſo amplius in monachum arctioris regulæ dictaſſet abbas ſeverus? In eo namque ſolo deliquerat, quod non paruerat mãdato, etſi forte reipſa utilius eſſet quod fecit. Nam ſicut in religione degentibus, prælatorum mandata, dum præceptionem perpetuam non impugnant, à ſubjectis non oportet diſcuti, ſed impleri; ſic in re militari, circa mandata ducis, nulla eſt examinatio militaris, niſi forte quod præcipitur, expreſſim ſaluti reipublicæ inveniatur adverſum. Nam in eo non obtemperat niſi perfidus & impius miles. Quid enim iniquius, quid deteſtabilius, quam ſine fidei reverentia aggredi quicquid dictaverit imperator? Nonne apud omnes vox funeſta eſt, & crudelis, plenaque perfidiæ,

> *Pectore ſi fratris gladium, juguloq; parentis*
> *Condere me iubeas, plenaq; in viſcera partus*
> *Coniugis, invita peragam tamen omnia dextra.*
> *Caſtra ſuper Tuſci ſi ponere Tybridis undas,*
> *Heſperios audax veniam metator in agros.*
> *Tu quocumq; voles in planum effundere muros,*
> *Hic aries actus diſperget ſaxa lacertis.*
> *Illa licet penitus tolli quam iuſſeris urbem,*
> *Roma ſit.*

Quid nequius dici potuit, & unde magis deberet, ſi fidelis eſſet, Romanus Imperator offendi? In eo namque ſceleratus miles fidei ſuæ fidem facere ſtuduit, unde ſeipſum maximè infidelem & perfidum eſſe convincit. Magna quidem reverentia debetur duci, ſed fidei religione ſervata. Quædam ita neceſſaria ſunt, ut mandatum nec expectent; alia ſic deteſtabilia, ut nullum omnino mandatum admittant. Media quidem quæ neque ſunt neceſſaria bona, nec deteſtabilia mala, conſiſtunt in arbitrio præſidentis. Velit nolit præfectus, ex neceſſitate boni, diligendus eſt Deus. Velit nolit præfectus ex malitia iniquitatis, eſt adulterium declinandum. At militare, vel non militare, egredi vel non egredi, cæteraque quæ philoſophi in differentia reputant, ad præpoſiti diligentiam & reverentiam ſpectant.

In his niſi mandato præſidentis, oculum aperire, inſtar criminis eſt, aut ex ſcientia ſua ad cujuſcumque operis fructum manum irreverenter extendere. Sit cæcus in hac parte objectus ut vivat, quia quacumque die quaſi propria diſcretione ad arborem ſcientiæ, quã ſibi & prælatis reſervat dominus, temerariam manum miſerit, laqueum mortis incurrit. Quid enim bonum, aut malum in talibus ſit, non licet judicare ſubjectis, dum plena reverentia præpoſitis exhibeatur, & fidelis obedientia mandatorum. Militem ergo in omnibus his quæ ad ſtatum publicum pertinent, nihil omnino tentare licet, niſi ducis juſſu vel licentia, quod ipſe faciendum decreverit, roboretur.

Vnde hi plerumque, qui ducum contempto vel non expectato imperio, congredientes cum hoſte reipublicæ victoriam contulerunt, ſæpe non tam gloriam aſſecuti ſunt de victoria, quàm de temeritate, vel negligentia pænam. Quid ergo merebitur transfuga, ſtationisve deſertor, ſi ex diſciplina militari tanta ſeveritate corripitur triumphator? *libro ſexto capite duodecimo Policratici.*

❡ Oratorum Graecorum.

Libanius: At verò potius ego quidem hodie in judicium vocor: il-

le

Ne autem auctor meus Pythius accusationem sustinet. nam si quòd crimen sit in iis, ad quæ jussus quis aggressus fuerit; non ipse qui fecit, jure in reatu fuerit; sed is cui jubendi auctoritas fuit. Quandoquidem si servus peccet consilio heri, & miles jussu imperatoris, in utroque profectò, atque in aliis itidem omnibus, is qui commisit, inculpatus & indemnis est; condemnatio verò contra præfectos instituitur. Ne dicas herclè quod patratum est, sed causam specta, & Pythium cogita: & si nos Dei voluntati inservientes compe-rias, nosce animi tui sensa, & Apollinem nobiscum venerare. *Orestes pro patre.*

¶ Romanorum.

Symmachus: Scio ad indicium amicitiæ pertinere, quòd religionem tuam participem nostræ necessitatis assumo. Suscipe igitur, quæso te, proclive mandatum, quod pro mutua diligentia & non rogatus curare deberes. *l. 7. Epist. 21.*

Symmachus: Successit aliud, ut obitu Martianæ mandatum diceretur exstinctum. Sed contra, venerabilis Iuliani sanctio, stare procuratorum jussit officia, causarum dominis viventibus inchoata. *lib. 10. Epist. 32. m.*

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 2. sc. 1. v. 75.

Non soleo ego somniculosè heri imperia persequi.

Ibidem versu 83.

Sed vide ex navi efferantur quæ imperavi iam omnia.
S. Et memor sum, & diligens, ut quæ imperes compareant.
Non ego cum vino simitu ebibi imperium tuum.

Plautus Bacchid. 2. sc. 2. v. 18.

Sed tu quid factitasti mandatis super?
P. Egon' ut quod ab illo attulisset nuncius,
Non impetratum id advenienti redderem?
Regiones colere mavellem Accheronticas.

Plautus Bacchid. 4. sc. 4 v. 74.

Quæ imperavisti, imperatum bene bonis, factum illico est.
C. Quid paravisti? P. parata quæ tu iussisti omnia.

Plautus Captivis 2. sc. 3. v. 85.

Tibi commendo spes opesque meas. P. mandavisti satis.
Satin' habes mandata quæ sunt, facta si refero? T. satis.

Plautus Captivis 2. sc. 2. v. 92.

At nihil est ignotum ad illum mittere: operam luseris.
Hunc mitte: hic omne transactum reddet, si illuc venerit,
Nec quemquam fideliorem, neque cui plus credat, potes
Mittere ad eum, neque qui magis sit servus ex sententia.

Plautus Mercatore 2. sc. 3. v. 39.

Ergo adepol palles, si sapias, eas, ac decumbas domi,
C. Otium non est: mandatis rebus prævorti volo.
D. Cras agito, perendie agito. C. sæpe ex te audivi, pater,
Rei mandatæ omnes sapientes primum prævorti decet.

Plautus Mercatore 3. sc. 4. v. 41.

——Perdidisti me, & fidem meam.
E. Dij sciunt culpam meam istanc non esse ullam. C. euge! papæ!
Deos absentes testes memoras. quei ego istuc credam tibi?
E. Quia tibi in manu est quod credas: ego quod dicã, id mihi in manu est.
C. Istac de re argutus es, ut par pari respondeas.
Ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas te os sublinere meo patri. ego me credidi
Homini docto rem mandare: is lapidi mando maximo.
E. Nec tibi istuc mage dividiæ est; quam mihi hodie fuit.

Terentius Phorm. 4. sc. 4.

Vt te quidem omnes dij deæque, superi, inferi,
Malis exemplis perdant. Hem! si quid velis,
Huic mandes, qui te ad scopulum è tranquillo inferat.
Quid minus utile fuit, quam hoc ulcus tangere?

¶ Apologi.

De Cane & Hero. Fab. 36.

Canem quidam habens, quo magis ab illo diligeretur, semper suis pascebat manibus, ligatumque solvebat. Ligari autem & verberari jubebat à servo, ut beneficia à se, maleficia autem à servo in illum viderentur esse collata. Ægrè autem ferens canis se assidue ligari verberarique aufugit, & cum increparetur à domino ut ingratus, & tantorum beneficiorum immemor, qui se fugisset, à quo semper dilectus pastusque fuisset, ligatus autem, verberatusque nunquam, respondit: Quod servus tuo jussu facit, à te factum puto.

Hæc fabula indicat, eos malefactores habendos, qui maleficiorum causa fuere. Laur. Abstemius.

De Morione crucifixum pro thuribulo afferente. Fab. 135.

Sacerdotes complures in quoddam templum ad solennia celebranda convenerant, ubi thuribulum non erat. Miserunt ergo Morionem quendam ad aliud templum propinquum, ut inde thuribulum afferret, qui profectus, quum quid esset thuribulum nesciret, crucifixum ligneum, quem ibi forte offendit, humeris tollens attulit sacerdotibus: qui ridentes quum non crucifixum, sed thuribulum velle dicerent. At ego, inquit fatuus, nihil ibi hoc magis tribulatum inveni.

Fabula indicat, res peragendas fatuis non committendas. Laur. Abstemius.

¶ Monosticha Trochaica.

Ah! violat fidem amicitiamque, qui mandata negligit.
Cui rata est res gesta, mandati actione obstringitur.
Non par est, facis quod ipse, & quod facis per alterum.
Rei mandatæ omnes sapientes primum prævorti decet.
Sive mandes, sive habeas ratum aliquid, haudquidquam interest.
Verus obediens mandata neutiquam procrastinat.

¶ Jambica.

Culpa caret, mandata quisquis perficit.
Huic mandes, qui te ad scopulum è tranquillo inferat.
Omnino aliter agere quam mandatum est nocet.
Quæ non potes per te, potes per alterum.
Qui deijci mandavit, idem & deijcit.
Quod quis facit per alterum ipsemet facit.

Mandatorum Dei.

¶ Apophthegm. Christianor.

IESUS CHRISTUS: Qui veram requiem post hanc vitam quærit, etiam hîc eam inter amarissimas vitæ molestias gustabit, si ejus, qui eam promisit, Præcepta dilexerit. quare Æternus Dei Filius, quo nos coheredes haberet, rogante Thadæo postquã de se manifestando locutus esset, Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? respondebat: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan. c. 14.*

Idem: A discipulis solicitatus ut manducaret, dicebat: *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* Cumque non intelligerent, subjecit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* Innuebat veram Christiani hominis alimoniam consistere in observatione MANDATORUM DEI. *Ioan. c. 4.*

Idem: Sciscitanti insuper adolescenti, Magister bone, quid faciã ut habeam vitam æternam? *Si vis,* respondit, *ad vitam ingredi, serva mandata. Matth. c. 19. Mar. 10. Luc. 18.*

Idem: Dum rursus loqueretur ad turbas, mittunt mater & fratres, qui eum vocarent ut sumeret cibum. At ille nuntianti, *Quæ est,* ait, *mater mea, aut qui fratres mei:* (non negans aut contemnens cognationem, sed causæ præsentis, videlicet Evangelicæ prædicationis, executionem urgens) & extendens manum in discipulos; *Ecce,* inquit, *mater mea, & fratres mei,* (quos scilicet diligo ut fratres, & honoro ut matrem) *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* insinuans talem sibi fore conjunctissimum *Matth. c. 12. Mar. 3. Luc. 8.*

S. Hugo Episc. Lincolnien. Vide Convivium.

S. Dorotheus. Cùm de mandatorum Dei, & præsertim eorum quæ Decalogo continentur, observatione, sermo apud eum fieret; *Hæc,* ait, *verè sunt vectigalia magno Regi debita: quæ, qui non persolvit, malè multatur. S. Doroth. doctr. 1.*

Saba Abbas. *Vide* Gratitudo.

Mansuetudinis.

¶ Apophthegm. Sacror.

DAVID. Suscipit mansuetos Dominus, deprimit improbos in terram usque. *Psal. 147. 6.*

D. Augustinus: Sicut arborem (inquit) ut sursum crescat profundas subtus radices agere oportet: ita quisquis in humilitatis & mansuetudinis radice fixum animum non habet, in ruinam suam extollitur. *In Homiliis.*

Chrysostomus: Ille mansuetus est, qui cùm provocatus fuerit, nec malum cogitat facere, nec facit. *In Matthæum.*

D. Martinus: Quum presbyter quidam nomine Brictio, multis apud B. Martinum magnisque criminibus persæpe premeretur, cogi non potuit, ut eum à presbyterio submoveret, ne suam persequi videretur injuriam: illud sæpe commemorans, Si Christus Iudam

paſſus eſt, cur ego non patiar Brictionem? *S. Severus, dial. 3.*

Ioannes abbas. Ioannes monaſterii in Scythi poſiti abbas, cùm ad Peſium anachoretam viſendum veniſſet, & ab eo quæreret, Quantum in ſolitudine per annos 40. quibus in ea permanſerat, profeciſſet? iſque referret, quòd Sol omnia colluſtrans nunquam ſe conſpexiſſet manducantem; *Nec me,* inquit Ioannes, *iratum.* Præerat ille monachis compluribus, & illorum errata ex charitatis officio ſeverè puniebat, non tam quòd deliquiſſent, quam ne in poſterum indulgentia allecti delinquerent. *Marull. l. 3. c. 6.*

Vide apopht. *de Humilitate, & de Patientia.*

Mare.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus:* Jã verò mare, ſi nõ magnitudine ſua mirabile mihi occurreret, lenitatem utique & placiditatem admirarer, quoque pacto fiat, ut, quamvis liberum ac ſolutum, finibus tamen ſuis conſiſtat: quòd ſi non lenitatem, magnitudinem certè ſuſpicerem. Quoniam autem utraque laude excellit, utramq; vim & facultatem prædicabo. Quis tantam aquarum molem conjunxit? quis quaſi vinculis quibuſdam adſtrinxit? Quî fit, ut attollatur, & tamen loco ſuo ſe contineat, perinde ac vicinam terram reverita? Quî fit, ut cum fluvios omnes excipiat, ob exuberantes tamen opes & copias, aut quo verbo id appellandum ſit, neſcio, nullam amplitudinis acceſſionem faciat, ſed eadem ſemper ſuique ſimilis maneat? Quî fit, ut tantum elementum arenam pro termino habeat? Poſſuntne hoc expedire Phyſici, atque inanis eruditionis laude celebres, ac verè cyatho mare, hoc eſt, res tantas ingenio ſuo metientes? An faciam ipſe, ut pauciſſimis verbis hoc ex Scriptura ſacra explicem, idque probabilius ac verius, quàm ipſi cum prolixis ſuis diſputationibus? Præceptum circumdedit ſuper faciem aquæ. Hoc humidæ naturæ vinculum eſt. Jam quomodo terreſtrem nautilum exiguo ligno ac vento ducit (hoc tu cum cernis, non admiratione defigeris? non mens extra ſe rapitur?) ut mare ac terra commoditatibus & commerciis inter ſe vinciantur, eaque, quæ natura adeò inter ſe diſſident, ad hominis uſum conjungantur? Qui porrò fontium primi fontes, quæras velim, ô homo ſi quid horum inveſtigare aut invenire potes: tum quis campos & montes diſſecuit, ac liberum curſum eis conceſſit? quo etiam pacto ex contrariis rebus miraculum exiſtat, dum nec mare unquam regurgitat, nec fluvii labi deſinunt? Adhæc quæ aquarum alimonia, quodque hujus diſcrimen? quippe res quædam ſunt, quæ deſuper rigantur, quædam rurſus, quibus potus per radices ſuas ſuppetitatur (date enim hoc mihi quoque, ut delicioſo dicendi genere utar, dum Dei delicias oratione complector. *Oratione 34.*

Baſilius Seleuc. Poſt Deus nudat aquis terræ dorſa, quibuſdam velut in cellis maria concludens, dum imperio in abyſſum utitur pro clauſtro, & arenâ quaſi habenâ formidabili mare continet, terram liberam ſervatis à pelagi eluvione: eſto, ventorum impetu ad terram mare propellatur. Fertur illud quidem fluctibus altè elatum; ubi verò terminos attigerit, revertit, refugitque & Domini vocem litoribus inſcriptam cùm intuitum fuerit, curvatis fluctibus termini poſitorem adorat; cumque terram violentè feriat, referitur, ac divini imperii memor refertur in fugam.

Quare placidè purpuraſcens adulatur vicinæ continenti, quaſi mollibus ulnis terram complecti occupet; ſemper Domini præcepto cohibitum, & tantum non ſingulis momentis audire ratum: Congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida. Et manet præcepti memor arena vinctum, nec præ vinctoris reverentia vincula violat, vocemque Prophetæ ratam facit: Terminum poſuiſti, quem non transgredietur. *Sermone 1. m:*

Brutus Cois: Neque mare ſine navigiis, neque inculta terra quicquam utilitatis habet. Quare in conficiendis navibus operam ponite, quoniam ſi his fueritis deſtituti, non plus emolumenti ceperitis ex mari quàm ex mediterraneis. *Epiſt. 15.*

Coi Bruto: Et agricolationi nonnunquam & navigationi tempus eſt impedimento. Sed neque terra, neque mari deſtituuntur, qui hæc natura tenent. Non enim eſt idem, non omnino poſſidere & etiam ſi nonnunquam deficiat, ad commodos & opportunos uſus. *Epiſtol. 16.*

¶ Oratorum Philosophorumq. Graecorum.

Dio Pruſæus: Et optimam incolunt regionem, & mare fructuoſiſſimum. Terram autem neglexerunt, propter maris virtutem. Illa enim longo intervallo illis fructum adfert, & eum quidem laboribus partum: mare autem adfert ex ſe ſtatim, abſque labore. *Orationis 35 fine.*

Ariſtides Sophiſta: Quid homo ab arboribus ſponte natis, dum in terra tantum erat, diſtabat? quidve illi jucundum eſſe potuit, antequam Neptunus mare aperiret primum, deinde etiam expanderet? quid porrò viſu illi vel auditu dignum, qui ne terram quidem in qua verſabantur norat, præter ea quæ ante pedes erant poſita, nedũ ejus fines, aut alteram vel oppoſitam continentem cognoſceret. Quin ferarum more antiqui illi qui beati vocantur in latibulis, cavernis & arbuſtis victitabant, quibus nihil potuit eſſe miſerius, cùm nec noviſſent nec vidiſſent quidquam, & in diem more beſtiarum viverent. Poſteaquam verò Deus hic ad ſe commeare, & mare nos incolere juſſit, monſtrata ſimul ratione ejus rei exequendæ & motum hominibus exemit, quo antea ſemper erga mare tanquam mõſtrum aliquod ferum & horrendum, affecti fuerant, unà cum terra tota & ventis vivos ſe abreptum iri aſſiduè metuentes: tum verò immenſa bonorum copia ex mari in terram effuſa eſt, maximoque Neptuni beneficio in unum hæc ambo coierunt, & amicitia inter ipſas convenit. cumque antea inimica inter ſe fuiſſent terra & mare, nunc ab hoc Deo in commune domicilium cooptata ſunt, qui & urbes ibidem, quas inſulas vocamus, hominibus extruxit, ut ne in mari quidem terram requirerent, vel alibi quam in terra verſarentur: & omnia produxit, tum animalia omnis generis, tum ſtirpes tã ad uſum, quam voluptatem hominum. Menſam quoq; copioſiorem terreſtri inſtruxit; & ut verbo dicam, alatum hominem effecit, qui per mare quaſi alis volaret, & cum ventis ferretur. *Orat. in Neptunum.*

Ariſtides Rhetor: Mare quidem ipſum nullus adhuc vel poetarũ vel oratorum in univerſum celebravit: ſed Homerus quidem violaceum vocat, & magnum pontum, Euripides verò mare purpureũ vocat, & aliud: verùm plerumque conviciantur mari, ſalſum & fremebundum & ſimilibus appellantes nominibus. Nos autem eam, quæ de toto mari habetur oratio, quantam videlicet hominibus utilitatem adferat, quantiſque de cauſis à Deo creatum ſit, in præſens omittemus, Ægeo debitum perſolventes. *Oratione in pelagus Ægeum.*

Epictetus: Quid eſt mare? iter incertum. Quid eſt navis? domus erratica: numina Neptuni: anni curſuum tabellarius. Quid eſt nauta? amator pelagi, firmi deſertor, contemptor vitæ mortiſque; undæ cliens. *altercat. cum Hadriano Aug.*

Alciphron: Bona eſt terra, & gleba extra periculum conſtituta eſt. Proinde non malè vocarunt eam Athenienſes Ἀνησιδώραν, quod dona ex ſe proferat ac mittat, quibus ad vitam ſalutemque tuendã utimur. Grave rurſus eſt mare, & navigatio periculis omnibus expoſita eſt. Rectè quidem ego judicium hoc fero, qui experiundo, diſcendoque cognoverim. Etenim cùm aliquando piſces vendere inſtituiſſem, audivi quendam ex his qui in Pœcile verſantur, diſcalceatis, & lurido colore præditum qui carmen recitabat, quo navigãtium deſperatio decantabatur. Dicebat enim hoc eſſe cujuſdam in Meteororum diſciplina peritiſſimi. Et hoc modo, quippe quaſi in memoriam redigens tantum nõ totum proferebat, dictum habuit.

> ὀλίγον δὲ διὰ ξύλον ἀΐδη ἐρύκει.
> *Ligno exiguo demittit ad orcum.*

Quid igitur ô conjux non ſapienter agimus, & ſerò tandem mortis viciniratem fugimus, idque cum liberis ſuperſtites, quibus, quãquam ob inopiam & paupertatem nihil magni præſtare poſſumus, tamen illud poterimus & largiemur, ut procellas & è profundo ſolita venere pericula ignorent, & in agricolatione educentur, atque ſecuram, & metu carentem vitam amplectantur? *Glaucus Galatia. Epiſt. 3.*

¶ Romanorum.

Symmachus: Mare adhuc juſtis curſibus patet, & nondum in hiemem præcipitat Autumnus. *l. 4. Epiſt. 54. f.*

Symmachus: Quatuor ex grege Laudicianorum quadrigas ad me opto deduci, cùm primum mare navigatio verna patefecerit. *lib. 4. Epiſt. 64.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 10. adv. Epiſc. falſos.

Hanc ego laudo ratem, non qua depicta venuſtè eſt,
Et vario in puppi tincta colore micat:
Artificis ſed qua manibus constructa periti,
Per mare, per fluctus non timet ire graves.

Oppianus lib. 2. ἁλιευτ. v. 43.

In piſcibus neque iuſtitia reperitur, neq; pudor,
Neq; amicitia: omnes enim infeſti invicem
Hoſtes natant. Qui verò robuſtior, ſemper
Vorat imbecilliores: alij verò imminet alius
Mortem afferens, alteriq; alter præbet eſcam.
Nam alij quidem maxillis & viribus vim faciunt
Debilioribus: alijs verò venenum habet os, alijs verò ſpina
Ictibus mortiferis ulciſci natæ ſunt,
Amaræq; acutæq; iræ igneæ cuſpides.
Quibus autem neq; vim Deus tribuit, neq; aliquis aculeus
Acuitur ex membris, his ex animo arma inſevit
Inſidias callidas & verſutas: illique dolis
Sæpè etiam robuſtum & validiorem ſe perimunt piſcem.

Oppianus lib. 5. ἁλιευτ. v. 336.

Terra amica nutrix, tu quidem peperiſti atq; educaſti (me)
Eſca terreſtri, ſinibus autem in tuis moriar.
Dies quando occurrit fatalis: opera autem maris

Propitius

Propitia sint (mihi:) Terrâ autem Neptunum venerer,
Neque me in periculosis parvum lignum fluctibus mittat:
Neq; ventos nubesq; in aere inhiem.
Non enim maris fluctuum tantus metus, neq; molestæ
Hominibus navigationis, & calamitatis, qua laborant,
Semper gravisonis coequitantes procellis.
Neque satis (est) pereuntibus humida mors: sed adhuc tales
Convivatores expectant: insepulti verò sepulcri
Ferini rictus latebras implent incidentes. Sed (tu) mare
Salve mihi ex terra: procul autem mihi mite sis.

Plautus Curcul. 1. sc. 1. v. 85.

Quis nam istic fluvius est, quem non recipiat mare?

Plautus Pænulo 3. sc. 5. v. 9.

Magis me benignè nunc salutas quam antehac.
L. tranquillitas evenit quasi navi in mari,
Vtcunq; est ventus, exin velum vertitur.

Plautus Rudente 2 sc. 6. pr.

Qui homo sese miserum & mendicum volet,
Neptuno cedat sese atq; ætatem suam.
Nam si quis quid cum eo rei commiscuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum domum.
Edepol Libertas lepida es, qua nunquam pedem
Voluisti in navem cum Hercule una imponere.

Plautus Rudente 4. sc. 3. v. 33.

——Ecquem esse dices in mari piscem meum,
Quos cùm capio, siquidem cepi, mei sunt, habeo pro meis,
Nec manu asseruntur: neq; illinc partem quisquam postulat:
In foro palam omnes vendo pro meis venalibus.
Mare quidem commune certò est omnibus. T. assentio,
Quei minus hunc communem quæso mihi esse oportet vidulum?
In mari inventum est, commune est. G. næ impudenter impudens.
Nam si istuc jus sit quod memoras, piscatores perierint:
Quippe cùm extemplo in macellum pisces prolati sient,
Nemo emat: suam quisq; partem piscium poscat sibi:
Dicat in mari communi captos. T. quid ais impudens,
Ausus est comparare vidulum cum piscibus?
Eadem tandem res videtur? G. in manu non est mea:
Vbi demisi rete atq; hamum, quidquid hæsit extraho.
Meum quod rete atque hami nacti sunt, meum potissimũ est.
T. Imo hercle haud est, si quidem quod vas excepisti. G. philosophe!
T. Sed tun' unquam piscatorem vidisti venefice,
Vidulum piscem cepisse? aut protulisse ullum in forum.
Vel te mihi monstrare oportet, piscis qui sit vidulus,
Vel quod in mari non natum est, neque habet squamas, ne feras.
G. Quid? tu nunquam audivisti esse antehac vidulum piscẽ? T. scelus,
Nullus est. G. imò est profectò: ego qui sum piscator scio:
Verùm raro capitur: nullus minus sæpe ad terram venit.

Plautus Trinummo 4. sc. 1. pr.

Salsipotenti & multipotenti Iovis fratri, & Nerei Neptuni,
Lætus lubens laudes ago, & grates gratiasq; habeo, & fluctibus salsis,
Quos penes mei potestas, boniq; mei foret, & mea vita,
Cùm suis me ex locis in patriam urbisq; mœnia reducem faciunt.
Atque ego Neptune tibi ante alios Deos gratias ago atque habeo summas.
Nam te omnes sævum severumq; atque avidis moribus commemorant,
Spurcificum immanem, intolerandum, vesanũ. contra opera expertus.
Nam pol placido te & clementi, meo usq; modo, ut volui usus sum, haud alio.
Atque hanc tuam gloriam jam ante auribus acceperam, & nobiles apud homines:
Pauperibus te parcere solitũ, divites damnare atq; domare.
Abi, laudo, scis ordine ut æquum est
Tractare homines. hoc Deis dignum est, semper mendicis modesti sint.
Fidus fuisti: infidum esse iterant. nam absq; foret te, sat scio in alto
Distraxissent disq; tulissent satellites tui me miserum fœdè,
Bonaq; omnia, item unà mecum passim cæruleos per campos.
Ita jam quasi canes, haud secus, circumstabant navem turbines venti,
Imber, fluctusq; atq; procella infensa, frangere malum,
Ruere antẽnas, scindere vela, ni tua pax propitia foret præstò
Apage me sis! dehinc certũ est otio me dare. satis partũ habeo.
Quibus ærumnis eluctavi, filio dum divitias quæro?

Petronius Arbiter.

——Hei mihi! fata
Hos inter fluctus quis raptis evocat armis?
Cui non est mors una satis? Me vincite pontum;
Gurgitibusq; feris alios immittite fluctus.

Ausonius de Narbone.

Te maris Eoi merces & Iberica ditant
Æquora, te classes Libyci Siculiq; profundi:
Et quidquid vario per flumina, per freta, cursu
Advehitur, toto tibi navigat orbe cataplus.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad piraticam pellectat, & maris vicinitas.
Fontium concrescit humor: non timet gelu mare.
In mari magno phaselus quolibet vento utitur.
Interit maris malacia se inter ut venti furunt.
Martij mare cauda aperitur, fronte Octobris clauditur.
Navigato juxta terram, juxta pelagus ambules.
Ne quidem à pecuniæ avaris liberum est ipsum mare.
Nemo non graviora pelago damna quam bello abstulit.
Nemini maris perennis adfuit malacia.
Nescis quid mali præterieris qui haud ingressus marees.
Non fit illicò æquor æquum flare Libs ut desiit:
Non redit statim mare ad se post ventorum prælia.
Omne immundum ac stercorosum littori impingit mare.
Omne quod mari occupatum est, illico fit publicum.
Omnibus commercium inter se populis ventus dedit.
Pauper esse mavelim in terra, esse dives quam in mari.
Plurimum potest cui classis & maris potentia est.
Plurimis ventis vagari fas cui est magno in mari.
Post Notos, & volutatus plurimi sunt æquorum.
Quam magis mare ingredimur, tanto est etiam profundius.
Qui mare haud intravit, ille nescius periculi est.
Qui mari imperat, marinis imperat quoque insulis.
Qui mari potitur, omnium & potitur urbium.
Qui mari vitam tuetur, mente semper anxia est.
Quid periculum sit ignorat ingressus nunquam mare.
Quidnam habeat mare delicatum, cuius unda nec proba est?
Quod terra est cultoris orba, hoc est mare absq; navibus.
Vel merus terror cuivis cernere è terrâ mare.

§ JAMBICA.

Agitata ventis unda venturis tumet.
Etiam positis mare inquietum est flatibus.
Mali nihil vidit, qui non passus mare est.
Nil tam capax fortuitorum est quam mare
Quod occupatum est à mari fit publicum.
Rerum potitur ille qui mare obtinet.
Sal confici absque dulci aqua nullum potest.
Sine mari homo animal fuisset omnium ferissimum.
Suave est salutare arida è terra mare.
Suspecta cui non sit maris serenitas?
Terra est fidelis, infidele sed mare est.
Terra est quidem ingens, verùm eâ maius mare est.
Ventis agitata etiam tepescunt æquora.

Martyrii.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

ALEXANDRINUS: Quicunque autem Servatoris mandata exequuntur, in unaquaq; actione sunt martyres, id est, testes facientes quidem quod vult, consequenter autẽ nominantes Dominum, & reipsa testantes cui credunt, esse, cui carnem suam cũ concupiscentijs & passionibus suis cruci affixerint. Si spiritu vivimus, inquit, spiritu ambulemus. Qui seminat in suam carnem, ex carne metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritum, ex spiritu metet vitam æternam. Miseris autem hominibus, quod præbetur per sanguinem de Domino testimonium, videtur esse mors violentissima, nescientibus hanc mortis januam, esse veræ vitæ principium. Et nec honores post mortem eorum qui sancte vixerunt, nec supplicia eorum qui injuste & libidinose se gesserunt, volunt intelligere: non ex nostris solum dico scripturis, hæc enim omnia fere mandata significant, sed nec suorum scriptis volunt aures præbere. Scribit enim Theano Pythagorica: Esset enim revera malis vita epulum, qui postquam omnia commiserunt scelera, deinde moriuntur. si non esset anima immortalis, mors esset lucrum. Et Plato in Phædone: Si esset enim mors à toto liberatio. &quę deinceps sequũtur. Non est ergo cogitandum ex sententia Telephi apud Æschylũ, simplicẽ ac unicã viã ferre ad inferos: sunt enim viæ multæ, & multa quæ abducũt peccata. Errabundos hos, ut est verisimile, infideles comice ludificans Aristophanes: Agite, inquit, obscuræ vitæ homines, generationi foliorum similes, imbecilli, ceræ figmenta, genus instar umbræ, evanidi, involucres, unius tantum diei vitam habentes. Et Epicharmus; Ipsa, inquit, hominum vita sunt utres inflati. *stromatum libro quarto.*

Clemens Alexandrinus: Iam consummationem vocamus martyrium, non quod vitæ finem homo acceperit, ut reliqui; sed quod perfectum opus ostenderit charitatis. Porro autem Græci quoque veteres laudant finem eorum qui mortui sunt in bello non quidem mortem suadentes violentam, sed quod qui in bello vitam finit, mortem non timens recessit, amputatus à corpore, cum nec prius animo laborasset, nec emollitus esset, cu-

jusmodi solent in morbis accidere hominibus: recedunt enim ef-
fœminati & vivere cupientes, & ideo neque puram emittunt ani-
mam, sed quæ, veluti notas plumbeas, secum effert cupiditates, nisi
fuerint eorum aliqui docti & ex virtute circumspecti. Sunt etiam
qui moriuntur in bello cum cupiditatibus, quod perinde est ac si
morbo contabuerint. Si itaque quæ est apud Deum confessio,
est testimonium: quæcunque enim anima se pure & syncere gessit
cum agnitione Dei, & quæ præceptis paruit; & vita & sermó-
ne est testis, quomodocunque liberetur à corpore, fidem, tanquam
sanguinem, per totam vitam, & etiam in exitu profundens. *libro
stromatum 4.*

Isidorus Pelusiota: Si te istud offendit, quòd martyricorum cor-
porum cinerem, propter eorum erga Deum charitatem atque con-
stantiam honore afficiamus: eos, qui ab ipsis medicinam accipiunt,
interroga: atque, quot morbis remedium afferant, intellige, Sic fiet,
ut non modò id quod à nobis fit, non irrideas, cavillisque incessas,
verùm etiam quod rectè & cum laude fit, imiteris. Quod si mortua
ossa contingere detrectas, ut scripsisti: scelecratorum hominum, qui-
que improbitatis nomine clari ac celebres sunt, reliquias execrare,
quas in Ephesiæ Dianæ templo Gentiles defoderunt, turpissimas
videlicet res veneratione afficientes, atque improborum hominum
sepulchris pestiferos cineres consecrantes, iisque divinos honores
tribuentes. *Epist. 55. lib. 1.*

Isidorus Pelusiota: Pulchrum quidem est pietatis martyres voti-
vis donis ornare, quemadmodum tu facis. Pulchrius autem ac præ-
stantius fuerit, eos, per ea quæ cum virtute ac laude gesserunt, cole-
re. Quamobrem quibus ornatum obtulisti, fac iisdem quoque mo-
res offeras. *lib. 1. Epist. 189.*

S. Asterius: Planum perspicuumque est, zelo pietatis dies festos
constitutos, publicosque hos solennesque conventus, esse ludos
quosdam & pædagogia animarum: ut & Martyres colentes in signē
eorum pietatem imitemur, & Doctoribus ea occasione congrega-
tis aurem præbentes, profuturum aliquid ignoratumque nobis
antea discamus, quod ad dogma confirmandum, aut ad ambigu-
um obscurumve scripturæ locum explicandum, aut ad morum
& vitæ emendationem pertineat. *Homilia adversus Avaritiam.*

D. Naz. ianzenus: O singularem Juliani stultitiam, si gloriæ cu-
piditate ac non veritatis studio & amore, nos periculum adire exi-
stimabat. Hæc sanè apud illos velut animi causa faciant Emped-
cles, & Aristæi, & Empedotimi quidam, ac Trophonii, atque hujus-
modi miserorum hominum chorus. Ex quibus ille, cùm per Sicula
foramina divinitatem, ut sibi opinione fingebat, comparasset, seque
ad meliorem sedem transmisisset, charissimo calceo, ignis æstu eje-
cto, proditus est: atque ita non Deus post hominem ostensus est, ve-
rùm inanis gloriæ studiosus, philosophiæque post mortem expers,
ac ne communi quidem sensu præditus: hi autem, cùm eodem mor-
bo gloriæque amore affecti, in penitissimos quosdam terræ reces-
sus sese abdidissent, deprehensa postea fraude non plus honoris ex
hujusmodi furtivo secessu adepti sunt, quàm contumeliæ ob com-
pertam fraudem. At Christianis, jucundius est pietatis causa pati,
etiamsi nemo id resciturus sit, quam aliis cum pietate florere, atque
in gloria versari. Hominibus quippe placere, parum admodum cu-
ramus: id unum experentes, ut honorem à Deo consequamur: imò
sublimius etiam assurgimus: (de iis loquor, qui verè Philosophi, ve-
roque Dei amore præditi sunt:) quippe qui summo bono conjungi
propter ipsam summum bonum exoptantes, non autem propter
honores in altero ævo reconditos. Secundum enim hic honestorum
& laudabilium virorū gradus est, pretio ac mercede aliquid facere,
quemadmodum in tertia classe collocandi sunt, qui pœnæ metu à
scelere & maleficio deterrentur: *Oratione tertia stelitentica in Iu-
lianum prima.*

D. Greg. Naz. ianz. enus: Marcus Arethusius ducebatur, senex sa-
cerdos, athleta voluntarius; per mediam civitatem, omnibus, præter
persecutores & carnifices, tum ob ætatem venerabilis, tum ob vitæ
probitatem venerabilior. Ducebatur porrò ab omnibus, cujuslibet
ætatis, & conditionis ac fortunæ, omnibus æquè urgentibus, viris &
feminis, adolescentibus & senibus, tam qui publica negotia admi-
nistrabant, quàm qui honoribus ac dignitatibus præditi erant. At-
que hoc unum certamen cunctis propositum erat, ut furoris adver-
sus senem immanitate sese mutuò superarent, omnibusque pieta-
tis pars esse censebatur, quam plurimis cum malis afficere, pugilē-
que senem adversus totam civitatem decertantem superare. Rapta-
batur per plateas, protrudebatur per cloacas: crinibus, & quavis a-
lia corporis parte (admixta nempe tormento contumelia) ab iis
trahebatur, qui in Mithræ sacris hujusmodi suppliciis justè crucian-
tur.

A pueris ad pueros pendulus remittebatur: cultris pennariis ge-
nerosum illud corpus excipientes, atque hanc tragædiam instar ludi
habentes. Tormentis etiam tibiæ illius ad ipsa usque ossa compri-
mebantur: lineis filis aures amputabantur, & quidem tenuissimis &
firmissimis, ipso interim sporta in altum sublato. Melle & jusculo
undique perfusus, apibus & vespis meridiano tempore pungebatur,
ardentissimo sole lucente, atque huic quidem carnes colliquante, il-
lis autem beatarum illarum carnium (non enim dixerim misera-
rum) esum acriorem efficiente. Hic enim verò, ut hoc quoque lite-
ris mandem, senex ille, idemque ad certamina juvenis, (nam ne in
tormentis quidem animi hilaritatem reliquerat, verùm ex ipsis et-
iam cruciatibus delicias capiebat) celebratum illud & memorabile
dixisse fertur: nimirum signum illud sibi placere, quod sublimem se
perspiceret, illos contra abjectos atque humi sitos. Usque adeò su-
perior iis erat, à quibus tenebatur, adeoque à doloribus & molestiis
remotus, non aliter ac si alienis periculis interesset, suppliciumque
suum pompam, non calamitatem esse duceret. *Oratione 3. stelitеu-
tica 1. in Iulianum.*

D. Naz. ianz. enus: Cùm multa nos ad melioris vitæ studium du-
cant atque ad virtutem erudiant, ratio, lex, Prophetæ, Apostoli, ipsi-
que adeo Christi, primi martyris, cruciatus; non minus tamen ad vi-
tam rectè instituendam nobis utilitates afferunt martyres, holo-
causta ratione prædita, victimæ perfectæ, oblationes Deo gratæ &
acceptæ, veritatis præconia, mendacii proscissiones, legis quæ spi-
rituali modo intelligitur expletio, erroris oppressio, vitii insecta-
tio, peccati diluvium, mundi lustratio. *Oratione 18.*

D. Naz. ianz. enus: Lex martyrii hæc est, ut nec nos ultra ad cer-
tamen accedamus; hac nimirum ratione tum persecutoribus, tum
imbecillioribus athletis consulentes; nec cùm præsentes sumus, cer-
tamen detrectemus: illud quippe temerarii ac præcipitis est ani-
mi, hoc timidi atque ignavi. *Oratione vigesima, in funere D. Basi-
lij Magni.*

D. Naz. ianz. enus: Imperatoris religionem minimè colis, omni-
bus aliis jam inclinatis ac superatis. Non enim, inquit Basilius, hæc
vult Imperator meus: nec rem ullam creatam adorare sustineo, cū
& ipse à Deo creatus sim, & Deus esse jubear. Nos vero, inquit ille,
quid tandem tibi videmur? Nihil sanè, inquit, Basilius, dum hæc
jubetis. Age verò, inquit ille, non magnum & honorificum existi-
mas ad nostras partes adjungi, sociosque nos habere? Ad hæc Ba-
silius: Vos quidem præfecti estis, & quidem illustres, non inficias eo:
minimè tamen Deo præstantiores. Socios autem vos habere mihi
quidem amplum & honorificum fuerit (quidni enim, cùm ipsi quo-
que Dei creaturæ sitis?) sed ut alios quosdam ex his, qui nobis sub-
jecti sunt. non enim personarum dignitate, sed fide Christianis-
mus insignitur.

Hac oratione commotus præfectus, ac majori ira succensus, de
subsellio surrexit, atque asperioribus verbis cum eo agere perrexit.
Quid? Potestatem hanc non pertimescis? Cur verò pertimescam,
inquit Basilius? Quid fiet? quid patiar? Quid patieris, intulit ille?
unum è tam multis, quæ meæ sunt potestatis. Quænam hæc, sub-
jūxit Basilius? fac enim intelligamus. Bonorum, inquit ille, pro-
scriptionem, exitium, cruciatus, mortem. Tum Basilius: Si quid a-
liud habes, id nobis minitare. Horum enim, quæ adhuc commemo-
rasti, nihil nos attingit. Quonam modo, inquit ille? Quoniam, in-
quit Basilius, bonorum proscriptioni obnoxius non est, qui nihil
habet: nisi fortè laceris & detritis hisce pannis indiges ac paucis li-
bellis, in quibus omnes mihi facultates & copiæ sunt. Exilium au-
tem haud cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum, ac neque
terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in
quam projectus fuero, pro mea duco: imò, ut rectiùs loquar, uni-
versam terram Dei esse scio, cujus advena ego sum & peregrinus.
Jam tormenta quid accipere queant, cum corpus desit, nisi forte
primam plagam dixeris: hujus enim solius penes te arbitrium &
potestas est.

Mors porrò beneficii mihi loco erit: citius enim me ad Deum
transmittet, cui vivo, & munere meo fungor, maximaque ex parte
mortem obii, & ad quem jampridem propero. Quo sermone obstu-
pefactus Præfectus, Nemo, inquit, me (nomenque suum adjunxit)
ad hunc usque diem ita est allocutus, nec pari verborum libertate.
Neque enim, ait Basilius, fortasse in Episcopum incidisti. Alioqui
hoc prorsus modo disseruisset, pro hujusmodi rebus in certamen
veniens. Nam cæteris quidem in rebus, ô præfecte, mansueti, &
placidi sumus, atque omnium abjectissimi, quemadmodum hoc no-
bis lege præscriptum est, ac non dicam adversus tantum Imperato-
rem, sed ne adversus plebeium quidem quemquam & infimi ordi-
nis hominem supercilium attollimus. Verùm ubi Deus nobis pe-
riclitatur, ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo pu-
tantes, ipsum solum intuemur. Ignis autem, & gladius, & bestiæ, &
ungulæ carnem lacerantes, voluptati nobis ac deliciis potiùs sunt,
quàm terrori. Proinde contumeliis nos affice, comminare, fac quic-
quid collibuerit, potestate tua fruere: audiat hæc etiam Imperator:
nequaquam profectò nos vinces, nec efficies, ut impiæ doctrinæ
assentiamur: ne si his quidem atrociora miniteris. *Oratione 20. de
Basilio Magno, erga Valentis Imp. præfectum.*

D. Naz. ianz. enus: Unum spirantes, unum spectantes, unum ad
vitam iter, hoc est mortem pro lege Dei opperitam, agnoscentes,
non minus animis quàm corporibus fratres, mortis causa inter se æ-
muli, (O rem admirandam!) tormenta, non secus ac thesauros
quosdam, præripientes, ac pro magistra lege periculum suscipien-
tes: admota tormenta non magis formidantes, quàm, quæ supere-
rant, requirentes: unum hoc metuentes, ne fessus tyrannus finem
cruciandi faceret, sicque nonnulli ex ipsis coronæ expertes abscede-
rent, atque à fratribus inviti disjungerentur, ac malam victoriam
referrent, eò videlicet adducti, ut periculum esset, ne non crucia-
rentur. Illic fortis & strenua mater, filiorum simul & Dei amans,
atque ita affecta, ut materna ipsius viscera preter naturæ morem di-
storquerentur.

Non enim filiorum, qui supplicio afficiebantur, vicem dolebat;
verùm solicito atque anxio animo erat, ne non ipsis supplicium
inferretur: nec eos, qui excesserant, magis desiderabat, quam reli-
quos

quos illis adjungi optabat:ac de his in majori cura erat, quàm de illis, qui jam è vita migrarant. Horum enim dubium atque anceps certamen erat:illorum autem ſecurus vitæ exitus. Atque illos quidem jam Deo commendarat:hos autem ut Deus acciperet, laborabat. O virilem animum in muliebri corpore. O præclarum & admirandum munus! O ſacrificium, Abrahæ ſacrificio majus ac præſtantius! *Oratione 22, de fratribus Machabæis.*

D. Greg. Nyſſenus: Quoniam in confinio boni & mali humana vita poſita eſt, ſicuti is qui à ſublimi ſpe delapſus eſt, ad juſtitiam pariter & incorruptibilitatem accedit. Itaque perſecutionis, qua martyres à tyrannis agitantur, ſpecies quidem prout prima fronte apparet, ſenſui acerba eſſe videtur:ſed id quo ſpectant ea quæ fiũt, omnem beatitudinem ſuperat. Quis ignorat quanto gravius & moleſtius eſſe judicetur, inſidiis peti, quàm diligi? hoc tamen quod moleſtum eſſe videtur ſæpe etiam felicitatis per hanc vitam cauſa multis exiſtit. quale de Ioſepho ſcriptura indicat; qui à fratribus inſidiis petitus, & ab eorum convictu contubernioque remotus, per venditionem Rex eorum, quorum inſidiis petitus erat, deſignatus eſt: forſan ad tantam dignitatem non progreſſurus, niſi invidia per inſidias illas iter ad regnum patefeciſſet, &c.

D. Greg. Nyſſenus: Quid dicit ſcriptura de Eva? (provehor enim longius etiam quàm res poſtulat percurrere facta primorum parentum.) Vidit, inquit, quòd eſſet gratum oculis, & maturum ad guſtum, deinde iſtorum gratiam & illecebram cum paradiſo commutavit. At his pro deguſtationis voluptate erant ea quæ ſub viſum cadunt: cælum, ſol, terra, homines: patria, mater, fratres, amici, cognati, æquales, quibus rebus quid viſu quidem dulcius? quid verò magis expetendum, quàm ad guſtum & fructum iſtarum rerum pervenire? noſtis liberi amorem adverſus parentes? noſtis patres erga filios affectionem: noſti qui intueris dulce lumen Solis, non ignoras qui fratrum ſtudioſus es, naturalem erga fraternam neceſſitudinem, affectionem: ſcis juvenis, quàm grata atque jucunda cõſuetudo æqualium ſit, quantopere vitã tuam delectent. At illis omnia inimica, omnia aliena erant. Vnum illis bonum videbatur Chriſtus, omnia repudiarunt, ut hunc lucrifacerent. *Oratione 2. in 40. martyres.*

D. Greg. Nyſſenus: Perſecutione ceſſante deſcendit rurſus ad urbem, & omni circa regione undique peragrata ac perluſtrata additamentum & quaſi corollarium ſtudii erga numen divinum inſtituebat apud omneis ubique populos ſanciens, ut nomine eorum, qui pro fide decertaſſent, dies feſti atque ſolemnes conventus celebrarentur: cumque alius in alium locum corpora martyrum diduxiſſent, per anniverſarium circuli ambitum congregari lætabantur in honorem martyrum ferias agentes. Etenim etiam hoc nimirum magnæ ſapientiæ atque ſolertiæ ejus documentum eſt, quod cùm omneis ſuæ prorſus ætatis ac gentis homines ad novum vitæ inſtitutum transformaret, & tanquam auriga quidam naturæ præfectus fidei ac Dei agnitionis frenis eos firmiter ſubjugaret, indulgebat, ut paululum quiddam ſubditi ſub jugo fidei lætitia exultarent.

Cum animadvertiſſent enim, quòd propter corporis voluptates ſimplex & imperitum vulgus in errore ſimulachrorum cultus permaneret, quo maximè id, quòd præcipuum eſt, interim in iis aſſequeretur, nempe ut vanis ſuperſtitionibus relictis ad Deum converterentur, permiſit eis, ut in memoriam ſanctorum martyrum ſeſe exhilararent & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur: quòd ſucceſſu temporis aliquando futurum eſſet ut ſua ſponte homines ad honeſtiorem & exactiorem vitæ rationem tranſirent: præſertim cum etiam fides ad illam rem viam præmonſtraret, quæ res nimirum jam etiam in pleriſque ſucceſſit, atque confecta eſt, omni voluptate à corporis oblectamentis ad ſpiritualem lætitiæ formam traducta. *in vita Thaumaturgi.*

Chryſoſtomus: Sed apud eos quoque, inquit, fuerunt multi mortẽ contemnentes. Quinam quæſo? Num is qui bibit cicutam? Sed ſi velis, ex eccleſia tales exhibebo innumerabiles. Si enim liceret cùm ingruerit perſecutio epota cicuta excedere, eſſent omnes illo clariores. Quanquam ille quidem bibit, cùm non eſſet in poteſtate bibere aut non bibere: ſed veller nollet hoc eum oportebat pati; quod jam non erat magni animi virtutis, ſed neceſſitatis. Nam & latrones & ſicarii & parricidæ ſententiam ſubeuntes, graviora paſſi ſunt, quã juſti. Apud nos autem contrarium omnino accidit. Non enim martyres paſſi ſunt inviti, ſed lubentes: & cùm eſſet in eorum poteſtate non pati, quovis adamãte firmiorem ac fortiorem oſtenderunt magni animi virtutem. Non eſt ergo hoc mirandum, ſi ille bibit cicutam, cùm in ejus poteſtate non eſſet non bibere, & ad extremam provectus eſſet ætatem. Dicebat enim ſe eſſe ſeptuaginta annos natum, quando vitam contempſit; ſi hoc eſt contemnere: ego enim non dixerim, imò verò nullus alius. Sed oſtende mihi quempiam qui pro pietate ac vera religione tormenta fortiter ſit perpeſſus, quomodo ego innumerabiles ubique per totum orbem terræ. Quis cùm ei effoderentur ungues, forti & generoſo animo tulit? Quis cùm eruerentur articuli? Quis cùm particulatim corpus diſcerperetur & ſepararetur à capite? Quis cùm oſſa extraherentur? Quis in ſartagine frequenter poſitus? Quis in lebetem injectus? Hæc mihi oſtende.

Cicuta enim mortem obiiſſe, perinde eſt atque permanſiſſe dormientem: dicitur enim ea mors eſſe ſomno ſuavior. Quòd ſi qui etiam tormenta pertulerunt, verumtamen eorum quoque laus periit: nam pro turpi cauſa perierunt. alii quidem, vt qui arcana enunciarint: alii autem, ut qui tyrannidem affectarint; alii autem, ut qui ſint deprehenſi in rebus turpiſſimis: alii autem; ut qui temerè & inconſideratè, cùm nulla eſſet cauſa, ſe detulerint. Sed non ſic apud nos. Propterea quæ ab illis quidem facta ſum, mandata ſunt ſilentio: quæ ab his autem, florent & creſcunt quotidie. *Homilia 4. ad Corinthios 1.*

Chryſoſtomus: Vitam noſtram is non extinguit, qui nos oppugnat, ac morte afficit: ne timeas. Fidentem animum præbe, cùm conciderís atque obtruncaris. Neque enim ille dumtaxat te à corruptione vindicat, ac gravi ſarcina levat: ſed etiam ad Dominum confeſtim transmittit. *Homilia 10 ad Corinth. 2.*

D. Chryſoſtomus: Dæmones non tam dolent dum fide expelluntur à nobis, ut quando viderint nos mali aliquid pati, propter Chriſtũ, & vinciri: hoc. n. majorẽ dat libertatẽ & fiduciã. Nõ propterea bonum eſt, vinctum eſſe propter Chriſtum, quòd ea res regnum concilier, ſed quòd ea fiat propter Chriſtum. Non propterea beata ſentio eſſe vincula quòd tranſmittant in cælum, ſed quòd ea ſint propter dominum cæli. Quanta eſt gloriatio ſcire quòd propter Chriſtum ſit vinctus, quanta voluptas, quãtus honor, quantus ſplendor? *Homilia 8. ad Epheſ.*

Chryſoſtomus: Sẽper q̃dem Sancti ſunt admirabiles, & multa pleni gratia: maximè autem quando in periculo verſantur propter Chriſtum, quãdo ſunt vincti. quomodo miles fortis & ſtrenuus eſt ſemper & abſolutè jucundum cernentibus ſpectaculum maximè autem quando juxta ipſum regem ſteterit, & in acie fuerit. *Homilia 9. ad Epheſios.*

§ THEOLOGORUM LATINORUM.

Zeno: Ingens ſupplicium aliquotiens ingenitor proſequitur gloria, maximè divinis in rebus: in quibus felices obnixa devotione ſuam religionem cuſtodiunt potius, quàm ſalutem. Igitur cum audio tres pueros incenſos, prius vehementer horreſco, mox deinde eorum particeps optaverim fieri, cum cognoſco inter flammas roſculentos hymnum Deo ceciniſſe ſecuros: tanta eſt enim fidei virtus, tantaque poteſtas, ut cultoribus ſuis etiam ipſa elementa contra ſuam naturam famulari compellat. Vnde fratres atrociſſimæ rei non vos terreat contemplatio: non enim ulla eſt metuenda jam pœna, cum incenſorum ſuperſtes inſultet ignibus vita. *Sermone de tribus pueris.*

Zeno: Martyri quodammodo pars eſt, martyres non horruiſſe ſupplicium. quantum enim multiformis crudelitas lugubris contemplatio retrahit à corona, tantum generoſa ac perfecta fides, quique illi fuerit cruciatus, ſua complicat vota. *Sermone 1. de Daniele.*

S. Valerianus: Hoc eſt verè eximiæ virtutis indicium, plus morti favere quàm vitæ: licet æternæ vitæ locum faciat, quem in confeſſione Chriſti voluntaria crucis pœna commendat. *Homilia 15.*

Salvianus: Chriſtiani priores ad cæleſtis regiæ januam gradibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de eculeis cataſtiſq; fecerunt. *l. 3. de gubernatione Dei.*

Chryſologus: Natalem ſanctorum cùm auditis chariſſimi, nolite putare illum dici, quo naſcuntur in terram de carne, ſed de terra in cælum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, ſed fortes & ſtabiles & æternas: de mundanis riſibus ad coronam & gloriam. Tales natales digne martyrum celebrantur. Cum ergo huiuſmodi feſtivitas agitur, noli æſtimare chariſſime, quod in ſolis prandiis & profuſioribus epulis natales martyrum celebrentur: ſed imitandum tibi proponitur quod in memoria martyris celebras. *Sermone 129. pr.*

Chryſologus: Idcirco natales martyrum annua lætitia celebrantur, ut quod ſemel actum eſt, per omne ævum in memoria maneat devotorum. Geſta res eſt: ne te diceres ignorare. celebrantur annua, ne dicas, oblitus ſum. Ad hæc ergo imitanda vos animate. *Sermone 129 m.*

Chryſologus: B. Andreas meritò natus hodie creditur, quando nõ ad præſentem vitam materno eſt effuſus ex utero, ſed conceptu fidei, martyrii partu, cæleſtem noſcitur generatus ad gloriam. Quando non eum materna cunabula ſuſcepere vagientem, ſed ſuperna triumphantem ſecreta receperunt: quando non infirmum lactis paſtum genitricis traxit ex pectore: ſed pro rege ſuo devotiſſimus miles virtutis ſanguine fudit. Vivit, quia mortem cæleſtis militiæ bellator occidit. *Sermone 133. pr.*

Chryſologus: Martyr comprehenſus debet tenere conſtantiam, non comprehenſus debet fugere perſequentem: ut & perſecutori indulgeat reſipiſcendi tempus, & ſibi tempus non auferat ſupplicandi, dicente domino: Si vos perſecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam. Perſecutorem, qui provocat, facit: corrigit qui declinat. Fugere debemus ergo, provocare non debemus, ſi ſalvari perſecutores noſtros volumus, pro quibus præceptum eſt nos orare. Orate, inquit, pro perſequentibus vos. Orandum eſt, fugiendum eſt, ut & ille qui per ignorantiam furit, ſanetur: & ille qui patietur de patientia palmam ſubeat, non ſubeat de temeritate diſcrimen. Fratres ſi Paulum martyres non fugiſſent, Paulum non feciſſent. Hoc faciendum docuit Chriſtus: hoc nobis reliquit exemplũ, ut fugiente domino, fugere indignum non putet ſervus. *Serm. 151. ante finem.*

Chrysologus: Verè vivunt, qui ꝓ Christo merētur occidi. Beati ventres qui portaverunt tales; beata ubera quæ se talibus infuderunt: beatæ lachrymæ quæ pro talibus fusæ flentibus gratiam baptismatis contulerunt. Nam diverso modo, dono uno, in lachrymis suis matres, & sui filii suo sanguine baptizantur. In martyrio filiorum passæ sunt matres: nam gladius filiorum pertransiens membra ad matrum corda pervenit; & necesse est ut sint præmii consortes, quę fuerunt sociæ passionis. Arridebat parvulus occisori, gladio adiocabatur infantulus, nutricis loco attēdebat lactās percussoris horrorē, nescia lucis ætas moritura gaudebat: infans filius omnem hominē non hostem respicit, sed parentem. Matres tulerunt quicquid & angoris extitit, & doloris: & ideo non martyrii gaudio, martyrii lachrymas quæ fuderunt. Hoc loco attendat auditor, attendat, ut intelligat martyrium non constare per meritum, sed venire per gratiam.

In parvulis quæ voluntas, quod arbitrium, ubi captiva fuit & ipsa natura? De martyrio ergo demus totum Deo, nil nobis. Vincere diabolum, corpus tradere, contemnere viscera, tormenta expendere, lassare tortorem, capere de injuriis gloriam, de morte vitam, non est virtutis humanæ, muneris est divini. *de infanticidio Herodis Sermone 152.f.*

Chrysologus. Ecce eo die quo tu finisti tuum, ille sibi natalem cælitus conquisivit: quia quando tuus ortus mersit in finem, tunc illius finis ortus est in natalem. Justus enim tunc inchoat vivere, cum pro Christo meretur occidi: transfertur ista morte vita martyris, non aufertur: morte magis claruit, qui ob hoc mortuus est ut viveret in æternum. Ecce tu jaces in morte: Joannes vivit occisus. Tu fucatam murice purpuram perdidisti, Joannes cruore suo fulgenti purpura semper gloriatur indutus. Tui convivæ nunc participes efficiuntur in pœnis, Joannes cælesti mensa cum choris vescitur angelorum. Ille audit cælestem jugiter symphoniam, tu audis inferni semper gemitum & stridorem: ille meretricis tuæ, saltatricis tuæ addictus in precium, nunc regno, nunc præmiis cælestibus honoratur: tu mercedem sententiæ tuæ cum tua filia in tartaro percepisti. *Sermone 174. circa finem de Ioanne Baptista occiso Herodis die natali.*

Ennodius: Quot habeat Christus milites, certamen ostendit. qui triumphum mereantur, per bella cognoscitur. *libr. 2. Epistol. 14. a.m.*

¶ Poetarum.

Prudent. hymno in Vincentium.

Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensq; flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum ultima
Mors, Christianis ludus est.

Idem hymno in Fructuosum, &c.

Mecum state viri! vocat cruentus
Ad pœnam coluber Dei ministros;
Nec Mors terreat: est parata palma.
Carcer Christicolis gradus coronæ est:
Carcer provehit ad superna cæli:
Carcer conciliat Deum beatis.

Eodem hymno:

Non est, credite, pœna quam videtis,
Quæ puncto tenui citata transit:
Nec vitam rapit illa, sed reformat.
Felices animæ, quibus per ignem
Celsa scandere contigit Tonantis:
Quas olim fugiet perennis ignis.

Prudentius passione Romani.

Nam membra parvipendo quo pacto cadant,
Casura certè lege naturæ suæ.
Instat ruina. quod resolvendum est: ruat.
Nec distat ignis & fidiculæ sæviant,
An corpus ægrum languor asper torqueat,
Cùm sæpe morbos major armet sævitas.
Non ungularum tanta vis latus fodet
Mucrone, quanta dira pulsat pleuresis.
Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Vt febris atro felle venas exedit,
Vel summa pellis ignis obductus coquit,
Papulasq; fervor æstuosus, excitat:
Credas cremari stridulis cauteribus.
Miserum putatis, quod retortus pendeo
Extentus ulnis, quod revelluntur pedes:
Compago nervis quod sonat crepantibus.
Sic ejulantes ossa clamant dividi,
Nodosa torquet quos podagra & arthresis.
Horretis omnes hasce carnificum manus.
Num mitiores sunt manus medentium,
Lanciena quando sævit Hippocratica?
Vivum secatur viscus, & recens cruor
Scalpella tinguit, dum putredo abraditur.
Putate ferrum triste chirurgos meus
Inferre costis, quod secat salubriter.
Non est amarum, quo reformatur salus.
Videntur isti carpere artus tabidos.
Sed dant medelam rebus intus vividis.
Quis nescit autem quanta corruptela sit
Contaminatæ carnis ac solubilis?
Sordet, tumescit, liquitur, fœtet, dolet:
Inflatur ira, solvitur libidine:
Plerunq; felle tincta livores trahit.
Aurum regestum nonne carni adquiritur?
Illusa vestis, gemma, bombyx, purpura,
In carnis usum mille quæruntur dolis.
Luxus vorandi, carnis arvinam fovet:
Carnis voluptas omne per nefas ruit.
Medere quæso carnifex tantis malis,
Concide, carpe fomitem peccaminum:
Fac ut refecto debilis carnis situ,
Dolore ab omni mens supersit libera,
Ne gestet ultra quod tyrannus amputet.
Ne terrearis, turba circumstantium
Hoc perdo solùm quod peribit omnibus,
Regi, clienti, pauperiq; & diviti.
Sic vernularum, sic senatorum caro
Tabescit imò cùm sepulcro condita est.
Iactura vilis mordet ac damnum leve,
Si quo carendum est, perdere extimescimus.
Cur quod necesse est, non voluntas occupat?
Natura cur non vertit in rem gloriæ?
Legale damnum deputemus præmiis.
Sed præmiorum forma quæ sit fortibus
Videamus: illa nempe quæ nunquam perit:
Cælo refusus subvolabit spiritus,
Dei parentis perfruetur lumine,
Regnante Christo stans in arce regia.
Quando cælum ceu liber plicabitur,
Cadet rotati solis in terram globus:
Sphæram ruina menstrualem destruet:
Deus superstes solus, & justi simul
Cum sempiternis permanebunt Angelis.
Contemne præsens utile, ô prudens homo,
Quod terminandum, quod relinquendum est tibi:
Omitte corpus, rem sepulcri ac funeris:
Tende ad futuram gloriam: perge ad Deum.
Agnosce qui sis: vince mundum & sæculum.

Prudentius martyrio Romani.

Christus. Regem perennem rex perennis protulit
In se manentem, nec minorem tempore:
Quia tempus illum non tenet, nam fons retrò
Exordiorum est & dierum & temporum,
Ex parte Christus, hoc pater quod filius.
Hic se videndum præstitit mortalibus.
Mortale corpus sumpsit immortalitas:
Vt dum caducum portat æternus Deus,
Transire nostrum posset ad cælestia.
Homo est peremptus, & resurrexit Deus.
Congressa mors est membra gestanti Deo:
Dum nostra tentat, cessit immortalibus.
Stultum putatis hoc Sophistæ sæculi,
Sed stulta mundi summus eligit Deus,
Vt stultus esset sæculi prudens Dei.

Ennodius Carmine 17.m.

Flammas, flagellum, carnifices rotas,
Cui crux sequenda est, non metuit nimis.

Plautus Captivis 3.sc.5.v.83.

Post mortem in morte nihil est quod metuam mali,
Et, si pervivo usque ad summam ætatem, tamen
Breve spatium est perferundi quæ minitas mihi.

¶ Emblematum.

Adeod. Seba.

Faber incudem ipsam tundens.

Scilicet incudem insanit qui frangere duri
Conetur ictu mallei.
Et non insanit Christo qui perdere sacra
Se posse speret agmina?

Idem.

Phœnix intra flammas.

Phœnicem, si vera ferunt, mors ipsa refingit,
Huic sit ut unus avi vitaq; morsq; rogus.
Ite, ô carnifices, Sanctorum sancta cremate
Corpora, quos vultis perdere flamma parit.

Adeod. Seba.

Ænea machina dissiliens jaculatori noxia.

Cernis ut in cœlum fuerat quæ machina torta,
Fit jaculatori mors properata suo?
In sanctos quicunq; Dei ruis, impie, servos,
Conatus merces hæc manet una tuos.

Idem.

Luna Soli subjecta lumen illius terris eripiens.

Luna velut fratri propius conjuncta,periisse
Stultis videtur funditus,
Quæ tamen admoti spectans tunc lumina Solis,
Ipse refulget clarior.
Sic periisse pij vulgo qui morte videntur,
Absit periisse dixerim,
Ipso qui potius Christo propiore potiti,
Quod quæsierunt obtinent.

¶ Apophthegm. Sacror.

Iesus Christus Dominus noster : Beati, inquit quos persequuntur homines justitiæ causa: quoniam ipsorum est regnum cælorũ. Beati eritis quum vos conviciis affecerint, & persequuti fuerint, & mentientes dixerint quidvis mali adversum vos,propter me. Gaudete & exultate.quoniam merces vestra multa est in cælis.Ita enim persequuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. *Matth. 5. 10. 11.12.*

Ecce ego mitto vos ut oves in medio luporum. Cavete ab hominibus: tradent enim vos in consessus,& in conventibus suis flagellabunt vos.Sed & ad præsides ac reges ducemini mea causa, ut hoc sit eis & Gentibus testimonium. Sed quum tradent vos,ne estote solliciti,quomodo aut quid loquamini:dabitur enim vobis illo momento quod loquamini.Non enim vos estis qui loquimini,sed Spiritus Patris vestri is est qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem ad mortem,& pater filium: & insurgent liberi in parentes, & morte multandos eos curabunt. Et eritis exosi omnibus propter nomen meum:verùm qui sustinuerit ad finem usque, is servabitur. *Matth.10.16. &c.*

Dicebat omnibus, Si quis vult me sequi, abdicet semetipsum, & attollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis verò perdiderit animam suam mea causa,is servabit eam.*Luc.9.23.24.*

Ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus , & postea non habent quod amplius faciant. Præmonstrabo autem vobis quem timeatis : timete eum qui postquam trucidarit, potestatem habet conjiciendi in gehennam : utique dico vobis,hunc timete. *Luc. 12.4.5.*

Hæc loquutus sum vobis,ut ne offendamini.Movebunt vos Synagogis,imò veniet tempus, quum quisquis trucidabit vos,putabit se cultum præstare Deo.Et hæc facient vobis,quia non noverunt Patrem,neque me,&c.Flebitis vos & lamentabimini , mundus autem gaudebit:vos verò tristes eritis,sed tristitia vestra evadet in gaudiũ. In mundo oppressionem habebitis:sed confidite,ego vici mundum. *Ioan.16.1.2.3.20.33.*

D. Paulus & Barnabas. Confirmabant animos discipulorum, hortantes ut permanerent in fide, & dicentes oportere per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei. *Act.14.22.*

D.Paulus Apostolus : Discipulos alloquens,Spiritus sanctus, inquit,oppidatim etiam atque etiam testificatur, dicens vincula & afflictiones me manere. Sed nullius rei habeo rationem,neque vita mea mihi ipsi cara est, ut peragam cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi à Domino Iesu, ad testificandum Evangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce, ego scio, non ampliùs visuros faciem meam ullos ex vobis omnibus,&c. *Act.20.23.&c.*

Quis nos separabit,inquit , à charitate Christi? num afflictio, num angustia , num persequutio, num fames, num nuditas, num periculum,num gladius? (sicut scriptum est, Tui causa occidimur totum diem:habiti sumus velut oves destinatæ mactationi) imò in his omnibus plus quàm victores sumus per eum qui dilexit nos. *Roman.capite octavo, versic.trigesimo quinto,tricesimo sexto,tricesimo septimo.*

Ad hoc usque tempus & esurimus & sitimus,& nudi sumus,& colaphis cædimur,& incertis sedibus erramus:& laboramus,operantes propriis manibus , conviciis affecti, bene precamur: persequutionem patientes,sustinemus:infamati,bene precamur: tanquam purgamenta mundi facti sumus,& tanquam omnium sordes nunc usque.*1. Cor.4.11.12.13.*

In omnibus affligimur,at non coarctamur : hæsitamus, at non prorsus hæremus: persequutionem patimur, sed in ea non deserimur:dejicimur,at non perimus:quolibet mortificationem Domini Jesu in corpore circumferentes,ut etiam vita illa Jesu in corpore nostro manifesta fiat.Semper enim nos qui vivimus morti tradimur propter Jesum,&c.*2.Cor.4.8.9.10.11.*

D.Petrus: Si quid perpetimini propter justitiam,beati estis,&c. Melius est,ut bene agentes,si ita velit Dei voluntas,malis afficiamini quàm male agentes. Charissimi, ne tanquam hospites, exploratione illa per ignem quæ fit in vobis ad vestri experimentum , percellimini,ut si peregrinum aliquid vobis accideret:imò in eo quod consortes estis afflictionum Christi,gaudete, ut quum patefiet ejus gloria gaudeatis exultantes. Si probris afficimini in nomine Christi,beati estis: quoniam & illæ gloriæ & ille Dei Spiritus super vos requiescit : qui quod ad profanos quidem attinet, blasphematur: quod ad vos autem , glorificatur. Sed enim nemo vestrum malo afficiatur ut homicida,aut fur,aut maleficus, aut alienarum rerum inspector:sed si ut Christianus, ne pudefiat, imò glorificet Deum hac in parte.Nam tempus est, ut incipiat judicium à domo Dei, &c *1.Pet.3.14.17.& 4. 12.&c.*

Ignatius : Martyrii pro Christo desiderium pius ille episcopus exprimit his verbis,Ab ipsa Syria Romam usque terra marique, diu noctuque cum bestiis mihi depugnandum est:cum decem videlicet leopardis, hoc est militum manipulo , qui beneficiis affecti longè etiam deteriores fiunt.Verùm injuriis eorum magis magisque erudior. Attamen ea de causa justificatus non sum. Quàm velim mihi jam adesse, quæ in fine destinatæ paratæque sunt bestiæ,quas etiam ut quamprimum reperiam opto. Eas per assentationem & palpationem demulcebo,ut me quàm celerrimè devorent. Atque etiam si id facere nolunt,ego eas vim illis inferens incitabo. Date mihi, quæso,hanc veniam.Quid mihi expediat,novi. Nunc enim demum discere incipio,nihil optare aut desiderare rerum omnium & invisibilium & visibilium,nisi ut ad Iesum Christum veniam. Ignes, cruces, bestiarum cohortes, dissipationes ossium,membrorum cõcisiones, totius corporis commolitiones, diaboli tormenta & supplicia in me progrediantur,ut modò ad Jesum Christum perveniã. *Niceph.eccl.hist.lib.3.c.19.*

Origenes: Literis ad martyrium Origenes patrem Leonidem impellens,his ferè vocibus hortatus est: Obfirmato pater, martyrium fortiter sustine: nec aliud quicquam nostra causa molire. *Euseb.Eccles.hist.l.6.c.2.*

Romanus Diaconus: Cum judex Romano Cæsariensis Ecclesiæ Diacono & exorcistæ mortem ignis incendio infligendam pronũtiasset, ille vultu hilari & animo maximè læto sententiam lubens amplexatus, ad supplicii locum abducitur. Deinde ubi alligatur ad palum, & dum ligna illi circumcirca coacervabantur, & hi qui incenderent rogum,Imperatoris jam sententiam expectabant,clamavit, Vbi mihi ignis, quæso? Eadem animi constantia linguæ abscissionem paulo post, deinde longos carceres & tandem crudele supplicium perpessus est. *Euseb.l.8.hist.Eccl.c.12.*

Laurentius & Sixtus: Laurentius,sub Sixto secundo,Romanæ Ecclesiæ episcopo gazophylacii pauperum præfectus, cùm videret Sixtum episcopum ad martyrium duci,flere cœpit, non passionem illius,sed suam remansionem. Itaque his verbis eum compellans: *Quò progrederis,*inquit,*sine filio pater? Quò Sacerdos sancte,sine Diacono properas?* Tunc Sixtus, *Non eo te,fili, relinquo ac desero,sed majora tibi debentur certamina. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum persequimur,te sicuti juvenem decet manet gloriosior de tyranno triumphus. Mox venies,flere desiste,post triduum me sequeris.* Post triduum itaque Laurentius à Decio ad supplicium raptus, & impositus super craticulam,cùm lento igni exureretur, illuso tyranno, Assum est, inquit, versa & manduca. Ita animi virtute vincebat ignis naturam. *Ambros.l.1.Off.c.41.& l.2.c.28.*

Romanus Miles: Is cum aliis Christianis militans sub Juliano apostata, fraude quadam ad idololatriæ speciem pellectus, vitæ dispendio hanc maculam eluere studuit, & edita apud Imperatorem ipsum libera Christianæ fidei professione ad supplicium capitis deductus est,cum alio quodam natu majore. At cum parati essent pro Christo mortẽ alacriter subire,& carnifex ensem vagina eduxerat, nuncius quidam accurrit , illis veniam indicaturus : qui cùm longo intervallo à loco abesset, clamore vetuit cædem fieri.Tum ille natu minus molestè ferens se à cæde liberatum: *Scilicet,* inquit, *Romanus indignus erat , qui martyr Christi appellaretur.* Atqui malitiosus ille tyrannus,tametsi cædem athletis illis inferri idcirco prohibuit, quòd invidia inflammatus illos voluit martyrii gloria privare:tamen non sivit eos suas ipsorum incolere civitates, sed ad extremas imperii Romani oras relegavit. *Socrat. hist. eccl.libr.3. capit.16.*

Veterum Theologorum de Martyrio & Martyribus Christi scitè dicta quædam subjicimus.

Tertullianus: Vanos conatus persecutorum sanctè irridens, eorumque turpem crudelitatem & martyrum constantiam aperiens, dicebat, Hoc agite boni præsides, meliores multò apud populum, si illis Christianos immolaveritis. Cruciate,torquete, damnate, atterite nos. Probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur , nec quicquam proficit exquisitior quæque crudelitas vestra. illecebra est magis sectæ. plures efficimur quoties metimur à vobis,semen est sanguis Christianorum.Illa ipsa obstinatio quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur, ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit,accedit?ubi accessit, pati exoptat?ut totã gratiam Dei redimat , ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donãtur. Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus. ut est æmulatio divinæ rei & humanæ,cùm damnamur à vobis, à Deo absolvimur. *Apologet.ad vers.gentes,c.ult.*

Idem: Libellum prorsus aureum scripsit ad martyres,ex quo hæc scitè dicta sequuntur.

Non hoc vos consternet, quòd segregati estis à mundo ipso. Si enim recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos è carcere , quàm in carcerem introisse intelligemus. Majores tenebras habet mundus quæ hominum præcordia excæcant. Graviores catenas induit mundus,quæ ipsas hominum animas constringunt. Pejores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures postremò mundus reos continet, scilicet universum hominum genus.Iudicia deniq; non proconsulis,sed Dei sustinet.

Carcer habet tenebras,ſed lumen eſtis ipſi. Habet vincula, ſed vos ſoluti Deo eſtis. Triſte illic exſpirat,ſed vos odor eſtis ſuavitatis. Judex expectatur, ſed vos eſtis de judicibus ipſis judicaturi. Contriſtetur illic qui fructum ſeculi ſuſpirat. Chriſtianus etiam extra carcerem ſeculo renunciavit; in carcere etiam carceri. Nihil intereſt ubi ſitis in ſeculo qui extra ſeculum eſtis. Et ſi aliqua amiſiſtis vitæ gaudia,negotiatio eſt aliquid amittere, ut majora lucreris.

In carcere non vides alienos Deos,non imaginibus eorum incurris,non ſolennes nationum dies ipſa commixtione participas, non nidoribus ſpurcis verberaris,non clamoribus ſpectaculorum, atrocitate,vel furore,vel impudicitia celebrantium cæderis:non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt:vacas à ſcandalis, à tentationibus,à recordationibus malis,jam & à perſecutione.

Hoc præſtat carcer Chriſtiano,quod eremus Prophetis.Ipſe Dominus in ſeceſſu frequentibus agebat,ut liberius oraret, & ſeculo cederet.Gloriam denique ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtravit.Auferamus carceris nomen, ſeceſſum vocemus.

Vocati ſumus ad militiam Dei vivi,jam tunc quum in ſacramenti verba reſpondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit:ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis,ubi omnis duritia, & imbonitas, & inſuavitas conſtitit. Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati jam ediſcit, in armis deambulando,campum decurrendo,foſſam moliendo,teſtudinem deſignando.Sudore omnia conſtant,ne corpora atque animi expaveſcant:de umbra ad ſolem,de ſole ad gelu,de tunica ad loricã, de ſilentio ad clamorem,de quiete ad tumultum.

Ad mulieres Chriſtianas converſus, ait:

Quodcunque hoc durum eſt, Benedictæ, ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate.Bonum agonem ſubituræ eſtis, in quo Agonothetes Deus vivus eſt;Xiſtarches,Spiritus ſanctus:corona, æternitatis brabium,angelicę ſubſtantiæ politia in cœlis,gloria in ſecula ſeculorum.

Epiſtates veſter Chriſtus Ieſus,qui vos Spiritu unxit, & ad hoc ſcamma produxit,voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere, ut vires corroborarentur in vobis. Nempe enim & athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, ut robori ædificando vacent: continentur à luxuria,à cibis lætioribus,à potu jucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur: quanto plus in exercitationibus laboraverint,tanto plus de victoria ſperant. Et illi,inquit Apoſtolus,ut coronam corruptibilem conſequantur.Nos æternam conſecuturi,carcerem nobis pro palęſtra interpretemur, ut ad ſtadium tribunalis bene exercitati, incõmodis omnibus producamur:quia virtus duritia extruitur, mollitia deſtruitur.

Timebit forſitan caro gladium gravem, & crucem excelſam, & rabiem beſtiarum, & ſummam ignium pœnam,& omne carnificis ingenium in tormentis. Sed Spiritus contra ponat ſibi & carni, acerba licet iſta, à multis tamen (ethnicis) æquo animo excepta,imò & ultrò appetita, famæ & gloriæ cauſa, nec à viris tantùm, ſed etiam à fœminis, ut vos quoque Benedictæ ſexui veſtro reſpondeatis.

In medium prolatis Lucretiæ, Didonis, uxoris Asdrubalis, Meretricis Athenienſis, Mutij, Heracliti, Empedoclis, Reguli, puerorum Spartanorum exemplis ſelectis, addit,

Si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, beſtias, tormenta contemnant ſub præmio laudis humanæ, poſſum dicere, modicæ ſunt iſtæ paſſiones ad conſecutionem gloriæ cæleſtis & divinæ mercedis.

Quot otioſos affectatio armorum ad gladium locat? Certè ad feras ipſas affectatione deſcendunt,& de morſibus,& de cicatricib. formoſiores ſibi videntur. Jam & ad ignes quidam ſe autoraverunt, ut certum ſpatium in tunica ardente conficerent. Hæc, Benedicti, non ſine cauſa Dominus in ſeculum admiſit,ſed ad nos & nunc exhortandos, & in illo die confundendos, ſi reformidaverimus pati pro veritate in ſalutem,quæ alii affectaverunt pro vanitate in perditionem.

Convertamur ad ipſam conditionis humanę contemplationem, ut & illa exempla nos inſtruant, ſi quâ conſtanter adeunda ſint,quę & invitis evenire conſueverunt. Quotiens enim incendia vivos cremaverunt? quotiens feræ & in ſylvis ſuis & in mediis civitatibus elapſæ caveis, homines devoraverunt? quot à latronibus ferro, ab hoſtibus etiam cruce extincti ſunt,torti prius, imò & omni contumelia expuncti? Nemo non etiam hominis cauſa pati poteſt, quod in cauſa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel præſentia nobis tempora documenta ſint,quantæ qualeſq; perſonæ inopinatos natalibus,dignitatibus,corporibus,& ætatibus ſuis exitus referunt,hominis cauſa,aut ab ipſo, ſi contra eum fecerint,aut ab adverſariis ejus, ſi pro eo ſteterint. *Hactenus Tertullianus.*

D. Cyprianus: De Martyrio & martyribus inſignia extant ejus dicta,quorum non nulla ſequuntur.

Ex epiſtola ad Martyres & confeſſores, de Mappalico.

Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulſantes ac laniantes ungulas pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidẽ ſuperare nõ potuit ſæviens diu plaga repetita,quamvis rupta compage viſcerum torquerentur in ſervis Dei jam non membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis qui incendium perſecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret.

Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors juſtorum ejus:pretioſa mors hæc eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accepit coronam de conſummatione virtutis.

Quàm lætus illic Chriſtus fuit,quàm libens in talibus ſervis ſuis & pugnavit & vicit protector fidei,dans credentibus tantum, quantum ſe credit capere qui ſumit:certamini ſuo adfuit, præliatores atque aſſertores nominis ſui erexit,corroboravit,animavit.Et qui pro nobis mortem ſemel vicit,ſemper vincit in nobis.

Vox plena Spiritu ſancto de martyris ore prorupit,cùm Mappalicus beatiſſimus, inter cruciatus ſuos proconſuli diceret, Videbis cras agonem. Et quod ille cum virtutis ac fidei teſtimonio dixit, Dominus implevit.Agon cæleſtis exhibitus,& Dei ſervus in agonis promiſſi certamine coronatus eſt.

Dominus non ſic eſt, ut ſervos ſuos tantùm ſpectet, ſed & ipſe luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & coronat pariter,& coronatur.

O beatam Eccleſiam noſtram,quam ſic honor divinæ dignationis illuminat,quam temporibus noſtris glorioſus martyrum ſanguis illuſtrat! Erat ante in operibus fratrum candida: nunc facta eſt in martyrum cruore purpurea. Floribus ejus lilia nec roſæ deſunt. Certent nunc ſinguli ad utriuſque honoris ampliſſimam dignitatẽ, ut accipiant coronas vel de opere candidas, vel de paſſione purpureas. In cœleſtibus caſtris & pax & acies habent flores ſuos,quib. miles Chriſti ob gloriam coronetur.

Lib.5. Epiſt.4. Martyres non faciunt Evangelium,ſed per Evangelium fiunt.

In martyrio omne fidei robur expenditur, tunc crudelitas comprobatur, cùm in ſermones vulgi atque in opprobrium veneris: cumque te contra illas populares inſanias religioſa mente firmaveris,convincens ſcilicet ac repugnans, quidquid ſuper perſona tua in injuriam Chriſti profanus ſermo jactaverit: ut cum adverſo mari moles oppoſita reluctatur,feriant licet fluctus,& revolutum æquor identidem pulſet,tamen hæret immobilis virtus,&c.

In martyrio ſpes futuri temporis cernitur,in eo Chriſtus ipſe operatur,cujus aguntur exempla quæ petimus,cujus & virtus eſt qua repugnamus.

Non dubium eſt quantum à Domino conſequantur, qui ſaluti ſuæ nomen Dei prætulerunt, ut in illa judicii die meliores cruor faceret,quos ſanguis ſuus martyres eſſe monſtraret. Mors quippe integriorem facit vitam:mors magis deducit ad gloriam.

Martyrii caſus morte vitam condemnat, ut vitam morte cuſtodiat. Quid enim tam eximium atque ſublime eſt,quàm inter tot inſtrumenta carnificum devotione robuſta cunctam fidei reſervare virtutem? quid tam magnum atque pulcherrimum, quàm inter tot circunſtantium gladios, libertatis ſuæ Dominum ac ſalutis auctorem repetita ſæpius voce profiteri? & maximè ſi ante oculos tuos ponas,nihil deteſtabilius eſſe dedecore,nihil fœdius ſervitute, nihil aliud te debere jam petere,aliud optare,quàm eripiendum eſſe cladibus ſeculi,exuendum malis mundi, & inter ruinas orbis jã jamque perituri alienum à terrena contagione verſari? Quid enim tibi cũ hac luce,cui lux æterna promiſſa eſt? quid cum hoc vitæ naturæ,quæ commercia, quem cœli amplitudo depoſcit?

Martyrum ſanguini patet cœlum, & gehennæ cedit habitaculum.

Contemnenda tibi mors eſt, cui Chriſtus occiſus eſt.

Cœlo martyres gaudent:veritatis inimicos & abnegatores æternus ignis abſumit.

Magna eſt claritas, vitam ſalutis æternæ honeſtate paſſionis ornare.

Martyrium hodie magis eſt neceſſarium, quando mundus ipſe ſubvertitur,partimq; orbe concuſſo natura deficiens ultimi exitus monumenta teſtatur.

Virtus eſt tanta martyrii, ut per eam credere etiam ille cogatur qui te voluit occidere.

Solam veritatem,ſalutemque ſolam inter magnos complectendam eſſe cruciatus, ſuo Chriſtus jure conſtituit: in quo conjux, & liberi,& nepotes, in quo omni viſcerum ſobole relicta uſurpanda victoria eſt.

Si injuriis ageris, prior actus eſt Chriſtus: ſi contumeliis prémeris,Dei munus imitaris.

Nihil tam magnum atque venerandum,quàm martyrium,quod liberat morte & facit vivere, & dat perpetuò regnare cum ſanctis. Hoc divitibus aptum, miſeris neceſſarium, omnibus gratum; quo lætantur boni,relevantur abjecti, coronantur electi. Etenim Deus omnium cultor martyrio velut quoddam vitæ remedium dedit, quando aliis illud pro merito eorum tribuit, aliis pro miſericordia ſua tradidit.

Martyres frequẽter aſpeximus interritos ſtetiſſe, ut admiſſa peccata redimentes cruore ſuo, toti haberentur in ſanguine, & reviviſcerent interempti,qui viventes computabantur occiſi. Mors quippe integriorem facit vitam,mors amiſſam invenit gloriam.

Non poteris optare martyrium niſi ante oderis ſeculum:nec pervenire ad Dei præmium,niſi amaveris Chriſtum. Qui autem amat Chriſtum,non amat ſeculum. Chriſtus enim abjectus eſt ſeculo, ſicut & ſeculum Chriſto:ut ſcriptum eſt, Mundus mihi crucifixus eſt,& ego mundo. Nemini fuit amabilis mundus, quem non ante damnaverit Dominus: nec ſalute potuit frui æterna, qui mundi gloriatus eſt vita.

Si

Si justus es,& Deo credis,quid pro eo sanguinẽ fundere metuis, quem pro te toties passum esse cognoscis? In Esaia sectus, in Abel occisus,in Isaac immolatus,in Joseph venundatus, in homine crucifixus est.

Martyrii inæstimabilis est gloria, infinita mensura, immaculata victoria,nobilis virtus,inæstimabilis titulus, triumphus immensus, quippe quo & propria confitentis laude præfertur velut socio Christi cruore decoratus.

Hæc Cyprianus, inter cujus opera extat libellus de duplici martyrio,incerti autoris,varia continens de martyribus.

Basilius Magnus: Ex sermone in 40. martyres. Hæc est martyrum vera laus,alios ad eorum virtutem æmulandam invitare.

Quadraginta illi (*quorum eo sermone meminit Basilius*) cùm præfectus Imperatoris literas ostendisset,& obedientiam requireret,libera voce,audacter & fortiter,in medium procedentes Christianos se esse fassi sunt,& horum quilibet sublata voce clamavit, En,Christianus sum. Præfecto muneribus & promissis eos evertere tentanti,dixerunt, Quid muneribus tuis nos demulcere studes, Dei hostis, ut discedamus à Deo vivente, ac idolis serviamus? Putásne tantum te daturum,quantum eripere contendis? Tua respuo dona, quæ nocumentum mihi conciliant, non accipio honorem unde mihi nascitur ignominia. Pecuniam da, quæ permaneat ac continuò duret: gloriam,quæ semper floreat. Me,Imperatori vis facere familiarem: sed me à vero rege alienare quæris. Quid enim hæc minima,quæ tu vocas magna,ex mundo polliceris: cùm mundus universus à nobis despiciatur? Non sunt omnia quæ videri possunt spei paria quam cõtinuò retinemus. Vides hoc cœlum ut aspectu pulchrum, ut magnum: & terram quanta est,quótve in ipsa admirabilia? Nihil horum justorum felicitati ac beatitudini æquiparari poterit. Illa namque velociter transeunt, hæc continnò durant. Unam tantum justitiæ palmam expecto,circa unam gloriam quæ in regno est cœlorũ solicitor. Honoris superni cupidus sum,pœnas vanas gehennæ metuo. Illius ignis mihi formidolosus. Nam ignem eum quem vos nobis intentatis,conservus est. Novit & ipse vereri eos, qui idola contemnunt. Sagittas infantium vestras plagas existimamus. Corpus enim cædis, quod eò clariorem assequetur coronam, quò magis tibi resistet. Si verò defecerit,eò citiùs à judicibus violentis solutum abscedet,qui quoniam corporeum Dominum accepistis,etiam animabus dominari contenditis:& nisi Deo nostro præferamini,non secus indignamini, quàm si ad extremum usque à nobis vituperemini,& hac ratione horrenda hæc supplicia intentatis,ut pietatem nostram culpabilem reddatis. At nacti estis non meticulosos,neque hujus vitæ cupidos,nec qui facilè consternantur. pro charitate proque fide in Deum & in rota poni, & cruci affigi, & flammis uri,ac omnibus demùm modis torqueri parati sumus.

Damnati ad aquæ frigidissimo Borea & gelu concretæ suppliciũ, loco cum summa lætitia conspecto, ultimum nuditatis amictũ alacriter rejicientes, per frigus ad mortem properarunt nõ tanquã ad supplicium, sed tanquam ad gloriosissima spolia rapienda, se invicem hortando descendentes. Non enim, inquiunt, amictum exuimus,sed veterem hominem, concupiscentiæ deceptione corruptũ deponimus. Gratias agimus tibi Domine,quod cum isto amictu simul & peccatum exuere licet: quoniam ob serpentem eum induimus,Christum verò exuimus. Relinquamus hunc amictũ propter paradisum, quem perdideramus. Quas Domino, qui pro nobis est spoliatus,dignas gratias reddemus? Quid magnum servo, si ea quæ passus est Dominus subeat? Nos causa sumus, ut illi vestis detraheretur,longè magis quàm militũ audacia, qui eam diripuêre ac sortiti sunt. Durum profectò frigus,sed dulcis paradisus. Affligens glacies,sed delectabilis requies. Brevi tempore durantes, sinus Abrahã nos perpetuò fovebit. Unam noctem cum ęvo sempiterno commutabimus. Incendatur frigore pes, ut cum Angelis continuò saltet. Torpescat frigore manus, ut facultatem habeat in Deum attollendi. Quot enim nostri commilitones ceciderunt, fidem mortali regi servantes? Nos pro fide in verum Deum servanda hanc vitam non projiciemus? Quot item malefici homines mortem tulerunt in scelere deprehensi? nos verò pro justitia mortem non subeamus? Ne obsecro commilitones emolliamur,ne terga Diabolo demus. Quãdo semel mori oportet,moriamur ut vivamus. Fiat sacrificium nostrum coram te Domine: & velut hostiæ viventes tibi placentes, nosmet hoc sævo gelu immolantes abs te recipiamur. Pulchrũ quidem sacrificium,pulchra oblatio, pulchrum holocaustum:non quidem per ignem,sed per frigus absumptum

Porrò invicti illi martyres veluti quãdam in bello custodiam instruentes, eam noctem sævos cruciatus sustinendo atque algendo præterierunt,tantum spe certa gaudentes, & hostem continuò deridentes. Unum erat omnium votum: Quadraginta in stadium intravimus,totidem Domine coronas tribue. Non desit numero, nec unus quidem. Preciosum est tempus,quod quadraginta dierum jejunio ornasti,per quod divina lex in orbem transivit. Quadraginta item dierum jejunio Helias Dominum exquirens videre meruit. Et oratio quidem eorum talis.

Unius illorum mater alios jam penè frigore cõsumptos aspiciẽs: suum verò filium ob vires aliquantulum validiores,& adversus dura constantiam,adhuc vivum: & permittentibus lictoribus, vitæ consulere valentem: ipsum propriis accepit manibus, ac currui in quo reliqui jacentes ad pyram ferebãtur,apposuit martyris vera mater. Nõ enim lachrymam indecoram effundere,aut aliquid humile loqui,vel indignum agere visa est. Sed ô nate,inquit, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum,ne à chorea deseraris,néve inferior aliis Domino appareas. O matrem felicem, ô bonæ radicis bonum germen! Ostendit generosa parens, quemadmodum pietatis institutis eum magis quàm lacte educaverat. Et hic quidem sic nutritus, sic elevatus est à pia genitrice.

Sermone in Gordium martyrem, cujus anteà in apoph. de Constantia meminimus. Pium illum militem,anteà Imperatoris centurionem,ad Christum deserendum solicitatum, ita loquentem inducit, Num militaris ordo desperatam habet salutem? Nullúsne centurio pius erit? Primi centurionis exemplum succurrat, qui cruci servatoris assistens, ejus divinitatem per prodigia facta cognoscens, non est veritus adhuc Judæis furentibus, in cæde nomen ejus palam fateri. Quod enim animo sensit,id ore subitò manifestavit: Verè Dei Filius erat iste. Alius item Centurio, Christum adhuc in carne existentem Deum regem virtutum esse novit, qui posset solo verbo opem suam per ministros spiritus egentibus adferre,cujus & fidem Dominus universo Israeli prætulit. Cornelius item Centurio angelum Domini videre, & per Petrum salvus fieri meruit, cujus Dominus preces simul & eleemosynas respexit. Horum igitur Cẽturionum libenter discipulus & imitator esse cupio. Negem ergo Deum meum, in cujus cultu sum educatus? Nónne cœlum, sol, & astra omnia lumen mihi clauderent suum? Credam profectò, humum quam pedibus tero mihi ruituram. Nolite errare. Deus nequaquam irrideri potest,ex ore nostro nos judicat,ex nostris, inquã, verbis nos servat & damnat. Nónne tremendam Domini sententiã audivistis: Qui me negabit coram hominihus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est? Mihi consulitis ut Deum nôsse dissimulem? Quamobrem? ut vitam prorogem? mortem differam? dies adjiciam? At supernæ vitæ longæ vos ego perdam annos. An ut corporis cruciatus effugiam? At sic non videbo bona justorum. Nam iri perditum dedita opera & fraude ac dolo, sævas tartari pœnas mercari, manifesta insania est. Vobis igitur consulo, qui malè sapitis, sapientiam ac veritatem discite. Si verò dissimulatis, temporique obsequimini,vos hortor rogóque, ut relicto mendacio vera loquamini. Discite quoniam Dominus noster Jesus Christus est in gloria Dei patris. Nam hanc vocem emittet omnis lingua, quando in nomine Jesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Omnes profectò morti sumus obnoxii sed non omnes inclytam martyrii mortem sortiuntur. Non igitur naturalem vitæ cursum præstolemur,mundana funera, supremas nostrorum lachrymas despiciamus, cœlestem gloriam violenta immaturaque morte præveniamus. Velociter ex hac vita,quæ potius est interitus longus dicenda, brevi quidem labore ad veram vitam commigremus. Quid miseri supremum ætatis finem inutilem, sterilem,infructuosum, stultum, vanum, hominibus pariter & brutis communem expectatis? Quicunque enim nati sunt, aut senio tabescunt,aut ægritudine corporis resolvuuntur,aut violento, improvisóque casu aliquo concidunt. Quando igitur omnino semel è vita migrandum est,martyrium pro Christi nomine, ut semper vivatis, alacriter assumite:ac vitæ,quam omnino relinquere oportet,ne parcite:sit pro necessitate voluntas. Quanquam etiam si sempiterna essent terrena ista, nihilominus sic quoque pro cælestibus commutanda essent. Verùm quoniam fluxæ fragilesque sunt, & illorum comparatione magnoperè indignæ, quis furor in his invigilare, & illorum studio spem illam beatam credentibus repositam negligere? Hæc ubi dixit Christi miles,crucis se signo communit, & animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad supplicium hilaris contendit: ubi tantam cordis præ se ferebat alacritatem,ut non lictorum,sed angelorum manibus se committere videretur,qui subitò post interitum sublimem eum in cęlum deferrent. Ad hæc tantus illius populi clamor ac tumultus est factus, ut vel tonante cælo nunquam similis sit auditus. Hoc igitur hujus pręclari martyrii certamen fuit.

Gr. Nazianzenus. Orat. 3. adversus Iulianum. Marci Arethusii Episcopi crudeles cruciatus, invictum animi robur, & eximium apophthegma referens dicit, Ducebatur senex sacerdos, athleta voluntarius, per mediam civitatem, omnibus, præter persecutores, & carnifices, tum ob ætatem venerabilis, tum ob vitæ probitatem venerabilior. Ducebatur porrò ab omnibus,cujuslibet ætatis; & cõditionis ac fortunæ,omnibus æquè urgentibus, viris & fœminis, adolescentibus & senibus, tam qui publica negotia administrabant, quàm qui honoribus ac dignitatibus prædití erant. Atque hoc unũ certamen cunctis propositum erat, ut furoris adversus senem immanitate sese mutuò superarent, omnibusque pietatis pars esse cẽsebatur, quàm plurimis eum malis afficere, pugilemq; senem adversus totum oppidum decertantem superare. Raptabatur per plateas,producebatur per cloacas: crinibus & quavis alia corporis parte (admixta nempe tormento contumelia) ab his trahebatur,qui in Mithræ sacris hujusmodi suppliciis justè cruciantur. A pueris ad pueros pendulus remittebatur, cultris pennariis generosum illud corpus excipientes,atq; hanc tragœdiam instar ludi habentes. Tormentis etiam tibiæ illius ad ipsa usq; ossa comprimebantur: lineis filis & quidem tenuissimis & firmissimis aures amputabantur, ipso interim sporta in altum sublato. Melle & jusculo undique perfusus, apibus & vespis meridiano tempore pungebatur, ardentissimo Sole lucente,atque huic quidem carnes colliquante, illis autem beatarum illarum carnium (non enim dixerim miserarum) esum acrio-

rem efficiente. Hìc ſenex ille, idemq; ad certamina juvenis (nam ne in tormentis quidem animi hilaritatem reliquerat, verùm ex ipſis etiam cruciatibus delicias captabat) celebratum illud & memorabile dixiſſe fertur: nimirum *ſignum illud ſibi placere, quòd ſublimem ſe perſpiceret, illos contrà abjectos atque humi ſitos.* Uſque adeo ſuperior iis erat, à quibus tenebatur, adeoque à doloribus & moleſtijs remotus, non aliter ac ſi alienis periculis intereſſet, ſuppliciumq; ſuum pompam non calamitatem eſſe duceret.

Orat.9.de ſuis ſermonibus. Nónne animadvertemus, inquit, quam ob cauſam ſancti martyres vulnera, vincula, cruciatus, ignis minas, gladiorum aciem, belluarum furorem, tenebras, famem, voragines, pecuniarum direptiones, membrorum abjectiones, mortem deniq; atque extrema omnia prompto & alacri animo, tanquam in alienis corporibus dimicantes, ſuſtinuerunt?

Orat.18.in laudem S. Cypriani martyris. Quum multa (inquit) nos ad melioris vitæ ſtudium ducant, atq; ad virtutem erudiant, ratio, Lex, Prophetæ, Apoſtoli, ipſique adeo Chriſti, primi martyris, cruciatus, qui crucem conſcendit, meque ſecum duxit, ut peccatum meum affigeret, & de ſerpente triumpharet, & lignum martyrii ſanctificaret, & voluptatem vinceret, & Adamum ſalute afficeret, ac prolapſam imaginem erigeret atque inſtauraret: cùm tot, inquam, tantaque habeamus, non minùs tamen ad vitam rectè inſtituendã nobis utilitatis adferunt martyres, holocauſta ratione prædita, victimæ perfectæ, oblationes Deo gratę & acceptæ, veritatis præconia, mendacii proſciſſiones, Legis (quæ ſpirituali modo intelligitur) expletio, erroris oppreſſio, vitii inſectatio, peccati diluvium, mundi luſtratio.

Eadem oratione: Summam eorum quæ à Cypriano propoſita ſunt, ut piorum animos ad martyrium roboraret, proponit his verbis ſcitu digniſſimis:

Admonebat (inquit) ne patriam, ne genus, ne facultates & copias, ne opes & potentiam, aut aliud quidpiam eorum, quæ humi ſtrata & caduca ſunt, veritati præmiiſque illis, quæ virtutis cauſa periculũ adeuntibus in cælo recondita ſunt, anteponamus. Hanc negotiationem omnium præſtantiſſimam eſſe, qua exigui ſanguinis pretio cæleſte regnum emitur, ac brevia & fragilia bona cum ſempiterna gloria commutantur. Unam magnis & excelſis viris patriam eſſe, nempe Hieruſalem illam quæ mente percipitur, non eas, quas hìc anguſtis finibus circumſcriptas eſſe, atque ab aliis aliiſque hominibus ſubinde incoli videmus. Unum generis ſplendorẽ in eo cõſiſtere, ut divinam imaginem conſervemus, atq; exemplar noſtrum imitemur, quantum quidem iis, qui carnis vinculis aſtricti ſunt, ac perexiguos duntaxat primarii boni rivulos accipere queunt, aſſequi datur. Vnum principatum in hoc poſitum eſſe, ut adverſus improbum illum palmam obtineamus, ac ne in iis certaminibus, quæ pietatis cauſa ſuſcipiuntur, animos noſtros frangi atque expugnari ſinamus, ubi vitium cum virtute confligit, & fluxus ac fragilis mundus cum firmo & ſtabili, & acerbus ac truculentus certaminis præſes cum fortibus athletis, & Belial adverſus Chriſtum aciem inſtruit. Ob eaſque cauſas & gladios contemnere, & frigidum ignem, ac feras, quamlibet immanes & truculentas, mites exiſtimare, & famem pro ſummis deliciis ducere, amicorum autem & propinquorum lachrymas & luctus ac gemitus, ut diaboli illecebram, viæq; ad Deũ ferens impedimenta, præterire ſuadebat. Hęc enim virilium & ſtrenuarum animarum eſſe, graviſque conſilii ac prudentis. Atque harum rerum exemplum propinquum ille ipſe erat, qui hęc dicebat ac ſcribebat, utpote qui omnia pro ſtercoribus duxiſſet, ut Chriſtum lucraretur.

Orat.10.in laudem Cæſarii. Malis, (inquit) temporibus Cæſarius cedit, in eoque legi noſtræ obtemperat, quæ hoc ſancit, ut urgente quidem tempore pro veritate periculum adeamus, nec pietatem per ignaviam prodamus: quandiu autem licet, pericula ipſa ne provocemus: ſive animarum noſtrarum metu ſive ut iis cõſulatur, qui periculum nobis inferunt. *Huius Legis de martyrio amplectendo aut fugiendo meminit etiam Nazianzenus, Orat.20.de Baſilio.*

D.Athanaſius: Unde ſit Martyrum fortitudo & conſtantia oſtẽdit, dicens, Ex ſanctorum martyrum tolerãtiſſimo propoſito & fortitudine oſtenditur, Deitatem non fuiſſe in timore, ſed noſtrum illum fuiſſe timorem, quem ſuſtulit Salvator. Ut enim morte mortẽ abrogavit, & humanitas omnia humana: ita ſolito pavore noſtrum pavorem ademit, illudque effecit, ne homines mortem timerent. *Serm.4.contra Arianos.*

D.Ambroſius. Martyr, inquit, cùm patitur, non ſibi tantùm patitur, ſed & civibus. Sibi patitur ad præmium, civibus ad exemplum. Sibi patitur ad requiem, civibus ad ſalutem. Exemplo martyrum didicimus Chriſto credere, didicimus contumeliis vitam æternam quærere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debeamus, in quo alter tortus eſt, ut alius ſalvaretur: alter carnificem pertulit, at ut Chriſtum alter agnoſceret: alter morti addictus eſt, ut alius vita potiretur æterna: poſtremò, Sanctus occiſus eſt, ut peccator evaderet. Beati martyres nec ſibi vixerunt, nec ſibi ſunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt: bene vivendo, converſationis: fortiter tolerando, paſſionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diverſis in locis pati martyres voluit, ut tanquã idonei teſtes nos præſenti quodam fidei exemplo ſuæ confeſſionis urgerent, ut humana fragilitas quæ prædicationi Dominicæ auditu longiore vix credit, vel præſenti oculorum teſtimonio beatorum crederet martyrio, *Serm.77.qui Maximo epiſcopo tribuitur.*

Idem: Quid, inquit, de martyrum dicam paſſionibus? Non minorem de ſuperbo rege Antiocho Macabæi pueri revexerunt triumphum, quàm parentes proprii. Si quidem illi armati, iſti ſine armis vicerunt. Stetit invicta ſeptem puerorum cohors, regiis cincta legionibus: defecerunt ſupplicia, ceſſerunt tortores, non defecerunt martyres. Alius corium capitis exutus, ſpeciem mutaverat, virtutẽ auxerat. Alius linguam juſſus amputandam promere, reſpondit, *Nõ ſolos Dominus audit loquentes, qui audiebat Moſem tacentem. Plus audit tacitas cogitationes ſuorũ, quã voces omniũ. Lingua flagellũ times, flagellũ ſanguinis non times: Habet & ſanguis vocẽ ſuã, qua clamat ad Deum ſicut clamavit in Abel.* Quid de matre loquar, q̃ ſpectabat læta filiorum quot funera tot trophæa, & morientium vocib. tanquam pſallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris ſui cytharam in filiis audiens, & pietatis harmoniam omni lyrę numero dulciorem? Quid de bimulis loquar, qui ante palmam victoriæ acceperunt quàm ſenſum naturæ. Quid de ſancta Agne, quæ in duarum maximarum rerum poſita periculo caſtitatis & ſalutis, caſtitatem protexit, ſalutem cum immortalitate commutavit? Non prætereamus etiam ſanctum Laurentium, qui cùm videret Sixtum epiſcopum ſuum ad martyrium duci, flere cœpit, non paſſionem illius, ſed ſuam remanſionem. Itaq; his verbis appellare cœpit, *Quò progrederis ſine filio pater? Quò ſacerdos Sancte ſine diacono properas? Nunquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras. Quid in me ergo diſplicuit, pater? Num degenerem probaſti? Experire certè, Vtrum idoneum miniſtrum elegeris. Cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem, cui conſummandorum conſortium ſacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas? Vide ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abjectio diſcipuli, detrimentum eſt magiſtri. Quid quòd illuſtres & præſtantes viri diſcipulorum certaminibus magis quàm ſuis vincunt? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmiſit. Et tu pater oſtende in filio virtutẽ tuam, offer quem erudiſti, ut ſecurus judicii comitatu nobili pervenias ad coronam.* Tunc Sixtus, *Non ego te fili relinquo ac deſero: ſed majora tibi debentur certamina. Nos quaſi ſenes levioris pugnæ curſum recipimus, te quaſi juvenem glorioſior manet de tyranno triumphus. Mox venies, flere deſiſte: poſt triduum me ſequeris. Inter ſacerdotem & Levitam hic medius numerus decet. Non erat tuum ſub magiſtro vincere, quaſi adiutorem quæreres. Quid cõſortium paſſionis meæ expetis? Totam tibi hæreditatem ejus dimitto. Quid præſentiam meã requiris? Infirmi diſcipuli magiſtrum præcedant, fortes ſequãtur. Vincant ſine magiſtro qui jam non indigent magiſterio. Sic & Helias Heliſæum reliquit. Tibi ergo commendo noſtræ virtutis ſucceſſionẽ.* Talis erat contentio, digna ſanè de qua certarent Sacerdos & miniſter, quis prior pateretur, pro Chriſti nomine. Laurentius poſt triduum, cùm illuſo tyranno impoſitus ſuper craticulam exureretur, *Aſſum eſt*, inquit: *verſa & manduca.* Ita animi virtute vincebat ignis naturã. *Officiorum lib.1.c.41.*

Idem: Quum ſanctus Vitalis cogeretur à perſecutoribus ut Chriſtum negaret, & ille amplius profiteretur Dominum Jeſum Chriſtum, omnia tormentorum genera in eum exercentes, ut non eſſet in corpore ejus ſine vulnere locus, orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Jeſu Chriſte, Salvator meus, & Deus meus, jube ſuſcipi Spiritum meum: quia jam deſidero ut accipiam coronam, quã Angelus tuus ſanctus mihi oſtendit. Et completa oratione emiſit ſpiritum. *Exhortat.ad virgines.*

D.Auguſtinus: Martyribus templa, ſacerdotia, ſacra & ſacrificia non conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum, tanquam Sanctorum Dei hominum, qui uſque ad mortem corporum pro veritate certarunt, ut innoteſceret vera religio, falſis religionibus fictiſque convictis, etcæt. Apud eorum memorias offertur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & ſanctis ſuis Angelis cœleſti honore ſociavit: ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atq; palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. *l.8.de civit.Dei, c.27.*

Non ex paſſione certa eſt juſtitia, ſed ex juſtitia paſſio glorioſa eſt. Ideoque Dominus, ne quiſquam in hac re nebulas offunderet imperitis & in ſuorum damnatione meritorum laudem quæreret martyrum, non generaliter addit, Beati qui perſecutionem patiuntur, ſed addit magnam differentiam, qua vera à ſacrilegio pietas ſervatur. Ait enim, Beati qui perſecutionem patiũtur propter juſtitiã. nullo modo autẽ patiũtur propter juſtitiã qui Chriſti Eccleſiam diviſerunt, & cum ea quaſi ſimulata juſtitia conantur ante tempus à palea ſeparari, ac frumenta ejus falſis criminationibus inſectantur, dum ipſi ab ea potiùs, tanquam leviſſima palea, variis rumorum flatibus ſeparati ſunt. *l.1.contra epiſtolam Parmeniani, c.7.*

Dominus voluntate paſſus eſt, non neceſſitate: ille miſeratione, nos conditione. Proinde illius voluntaria paſſio noſtra neceſſaria eſt conſolatio: ut quando fortè talia perpetimur, intueamur caput noſtrum, ut ejus exemplo commoti dicamus nobis, Si ille, quid nos? Et quemadmodum ille, ita & nos. Quantumlibet enim ſævierit inimicus, uſque ad mortem corporis accedere potuit, quod corpus nec ipſum extinguere potuit in Domino, quia tertia die reſurrexit. quod in illo factum eſt die tertio, hoc in noſtro fiet in fine ſeculi. Spes reſurrectionis noſtræ differtur, nunquid aufertur? Sed quoniã multi hìc patiuntur & pro peccatis & pro ſceleribus ſuis, magna vigilantia diſcernenda eſt cauſa, non pœna. Sceleratus enim poteſt habere

martyris similem pœnam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant in cruce, unus Salvator, alter salvandus, alius damnandus: omnium par pœna, sed impar causa. *Enarrat. in Psal. 34. Conc. 2.*

Martyres non facit pœna, sed causa. Nam si pœna martyres faceret, omnia metalla martyribus plena essent, omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur coronarentur. Ergo discernatur causa. Nemo dicat, Quia patior, justus sum: quia ipse qui primò passus est, ideo magnam exceptionem addidit, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Nam multi habentes bonam causam faciunt persecutionem, & habentes malam causam patiuntur persecutionem. *In eundem Psalm.*

Dominus ideo addidit, Propter justitiam, cùm diceret, Beati qui persecutionem patiuntur, ne quisquam persecutionem patiens ex ipsa pœna quæreret gloriam, non habens bonam causam. *In Psalm. 43.*

Martyres in Ecclesiis locum summum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt. *In Psal. 67.*

Martyres vivificati sunt secundum Dei misericordiam, ne amando vitam negarent vitam: & negando vitam, amitterent vitam. Ac sic qui pro vita veritatem deserere noluerunt, moriendo pro veritate vixerunt. *In Psal. 118.*

Purpurata est universa terra sanguine martyrum, floret cœlum coronis martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis martyrum, insignita sunt tempora natalibus martyrum. *In Psal. 118.*

Martyres sancti jam evaserunt, & in exultatione cum Christo recepturi sunt corpora jam incorrupta, eadem ipsa quæ primò erant corruptibilia, in quibus passi sunt pœnas. Inde illis fient ornamenta justitiæ. *In Psalm. 123.*

In sanguine Christi sancti martyres amici sponsi stolas suas laverunt, candidas eas fecerunt, ad nuptias agni venerunt invitati, à spōso calicem acceperunt, biberunt, eique propinaverunt, sanguinem ejus biberunt, sanguinem suum pro illo fuderunt. *De Symbolo ad Catechumenos, lib. 2.*

Martyres non solum viri, sed etiam mulieres, pueri & puellæ, vicerunt in Christo in quem crediderunt, quem non videntes dilexerunt, & quo dominātc in cordibus suis pessimo dominatore caruerunt: & hoc totum per gratiam, hoc est, per donum Spiritus sancti. *De Verbis Domini, Serm. 60.*

In martyrum glorioso agone duo sunt præcipuè consideranda: sævitia tortoris, ut eam detestemur: patientia martyris, ut eam imitemur. *De uno martyre, Serm. 1.*

Solēnitates martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis. Qui enim sanctos martyres in quantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. *De pluribus Martyribus, Serm. 3.*

Licet sint multa in quibus Christum & beatos martyres imitari debemus, ista tamen duo præcipua sunt: ut mites simus & humiles corde: & inimicos nostros totis viribus diligamus. *Eod. Serm.*

In omnibus martyribus Christus patitur. *Serm. 5.*

Per passionem translationem magis credunt esse quàm finem.

Qui in Christo patitur, omnino non moritur: confessionis enim supplicium mors non est, sed hæreditas vitæ.

Martyrium est indulgentia criminum, virtutum caput, occasio justitiæ, dominicæ passionis imitatio.

Diabolus facit martyres quos occidit, & cùm Dei servos vincere contendit, contemnitur ipse dum sævit. *Eod. Serm. 5.*

Ista est vox martyrum, Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, angustia, persecutio, fames, nuditas, periculum, gladius? sed intus omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Hæc est vox martyrum omnia tolerare, de se nihil præsumere, & illum diligere qui glorificatur in suis. *Serm. 6.*

Sicut solus Filius Dei factus est filius hominis, ut nos secum filios Dei faceret: ita pro nobis solus suscepit sine malis meritis pœnam, ut nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur indebitam gratiam. *Lib. 4. ad Bonifacium, c. 4.*

D. Leo Episcopus Romanus. Quamvis, inquit, multorum sanctorū in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Accepêre justi, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla sunt nata patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuere, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, quum inter filios hominum solus Dominus noster Jesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati. *Epist. 83. ad Palæstinos.* Eadem verba repetit. *epist. 97. ad Leonem Augustinum.*

Chrysostomus: Tolle inquit, persecutores, & non erunt martyres: tolle congeriem malorum, & non erit plenitudo virtutum: tolle ebriosos, & non laudamus sobrios, &c. *Homil. de Adam & Heva, & homil. de lapsu hominis.*

Diabolus nesciebat finem certaminis Jobi. Non enim tentasset, ne majorem secum traheret confusionem: sed & quæ in sanctis passus est martyribus, eadem & in Jobo passus est: trucidavit martyres, ut deleret Ecclesiam, nesciens quòd post martyres floreret Ecclesia. *De patientia Iobi, Homil. 4.*

De calice Christi bibit Ecclesia. hic calix inebriavit martyres, ut non agnoscerent proximos carnis suæ, nimio amore Christi: neque patres ipsi filios, neque filii parentes. Inebriati vino sanctitatis, non vino erroris, non agnoverunt suos & sanguinem suum fuderunt. De illo calice inebriati erant Apostoli, de quibus dicebatur (Act. 2.) Hi ebrii sunt musto, cùm esset hora diei tertia. Sed quàm præclarus est iste calix, videte quanta est claritas in toto mundo ex passionib. Apostolorum & martyrum. *Homil. in Psal. 22.*

Exercitatio pietatis est martyrium. *Ibid.*

Si quis dum examinatur martyrii tempestatibus, dicit, Num hîc mihi vita circumscripta est? num expectavi bona terræ? annon expectabam regnum? annon respectavi resurrectionem mortuorum? annon magnificam angelorum vitam? annon vitam illam senii nesciam? Quid itaque me lædit mors auferens bona æterna? non perturbor temporariis, quum expectem sempiterna. Qui hæc expendit in animo, Deum habet suæ cogitationis judicem, habet patronum pium animum, habet tribunal metum, habet testem consciētiam, quæ ipsi justitiæ plectit coronā, & Deum cœlitus præmia distribuentem operariis pietatis. *Ibidem.*

Martyrium non eventu tantùm æstimatur, sed etiam proposito. Non quum martyr decollatur tum fit martyr, sed ex quo propositū ostendit profitendi, martyr est, etiam si non patiatur quæ martyres solent. *Ibidem.*

Timenda sunt Christianis præsentis seculi gaudia: & optanda pro devotione mœstitia, quæ cælesti lætitia pensetur. Pro amore Dei odia humana optanda sunt: pro dilectione Christi, inimicorum assectatio appetenda. Nemo enim amatur à mundo, nisi qui odio fuerit Christo: nec diligitur à seculo, nisi qui execrabilis fuerit Deo. seculi enim est quodcunque lætatur: dei est, quod pro justitia affligitur. *Serm. de martyribus.*

Tu Christiane, delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare.

Considera præsente Deo te cum hoste pugnare.

Favet Deus ut vincas, favet ut obtineas.

Cùm pugnas adest: tantum virium de ejus præsentia concipis, quantum inimico debilitatis accedit.

Tu erigeris in virtutē, hostis incidit in debilitatē: tibi arma divinitus ministrātur, illi malitię tela franguntur, tibi conspectus Dei virium adhibet incrementa, hosti præsens majestas adimit nocēdi venena: tibi Angeli applaudunt, illi formidinem adhibent: tibi enim fortitudo tribuitur, illius malitia infirmatur. Quibus tu foveris, ille opprimitur: quibus tu erigeris, ille prosternitur. In tua pugna Dominus congreditur, dimicat, præliatur, & victoria tibi adscribitur.

Feliciter vincit, qui post victoriam vinci non novit: qui diabolū & mundum post victoriam dereliquit: qui proficiscens è mundo diabolum quem in præsenti devicit, in futuro cum Christo judicabit. *Hac Chrysostomus, Serm. de martyribus quòd aut imitandi, aut nō laudandi sint.*

Persecutores Ecclesiæ aliquoties movere bellum manifestè nolunt: dicunt enim pios ad martyrium, quasi apes ad alvearium volaturos. *Serm. de in Iuvent. & Maximum martyres.*

Sicut plantæ rigatæ magis crescunt, ita & martyrum fides oppugnata magis floret, & seditione agitata incrementa majora sumit. Neque horti aquis irrigati ita germinant & fœcundi sunt, ut Ecclesiæ, si martyrum irrigentur sanguine.

Juventinus & Maximus, pii milites, propter Christum exuti facultatibus & nudi in carcerem conjecti exultabant, dicentes, Quid nobis divitiis pretiosaque veste opus? Si & indusium intimum, nēpe caro, propter Christum exuendum est, non obluctabimur, sed sponte concedemus.

Quum impii quidam Juventino & Maximo dicerent, Nónne vidistis & alios vestri ordinis religionem deseruisse? illi responderūt, Atqui nos hac potissimum ratione viriliter stabimus, & pro illorū ruina nosmetipsos in sacrificia offeremus. Benignus & misericors nobis Dominus est: solet etiam uno accepto sacrificio toti orbi reconciliari. Dicebant præterea, Etiamsi nunc non morimur, moriendum tamē omnino est non multò posthac. Satius igitur fuerit mori pro rege angelorum, quàm pro rege impio. Hîc etsi moriatur quis pro rege, nihil à rege accipiet sua dignum fortitudine. Et quid posset defuncto præstare, si vel maximè vellet? Atqui eis sæpenumerò ne sepultura quidem contingit, & non rarò à canibus devorātur: Quod si pro rege angelorum mortui fuerimus certi sumus, nos accepturos corpus multò gloriosius, majore gloria conspicui erimus, longe majora nobis erunt laborum pręmia. Proinde accipiamus arma spiritualia: non opus jaculis & sagittis: sufficit pro omnib. lingua. Sunt enim sanctorum ora pharetræ, è quibus diabolico capiti continui & crebri ictus inferuntur.

Habet & sanctorum martyrum sanguis suam vocem, quę non per aures auditur, sed occidentium conscientiam invadit & perstringit. *Eod. Serm.*

Martyres non passi sunt inviti, sed lubentes: & cùm esset in eorū potestate non pati: quovis adamante firmiorem ac fortiorem ostēderunt magni animi virtutem. *Homil. 4. in 1. c. 1. ad Corinth.*

Martyrii tempus nūquam abest, sed semper oculos nostros versatur, siquidem vigilantem animum præstemus. Neq; enim tantū in ligno pendere martyrem facit. Neque ad tribunal Job adductus est, nec judicis vocem audivit, nec carnificem vidit: & tamen multis martyribus acerbiora passus est. Opum amissio martyrii genus est, cum quis earum amissionem perfert forti animo. *Homil. 1. in c. 2. ad Corinth.*

Martyres amamus, non quòd cruciantur, sed quòd ob Christum cruciatus ferunt: contra latrones detestamur, non quia puniuntur, sed quòd ob malefacta puniuntur,. *Orat.1.adu.Iudæos.*

D.Gregorius magnus. Maximæ tribulationes tanquā flumina per totum orbem super martyres ebullierunt,& ad extinguendum charitatis ignem grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter hæc flumina adeo charitatis vigor vixit,ut potius flumina consumeret,quā se ab illis extingui permitteret; ideo multi etiam persecutorum ad eādem charitatem se convertebant, ita ut dimitterent quicquid in mundo possidebant,& seipsos morti darent quam prius patientibus crudeliter inferebant. *Exposit.in Canti.Canticorum,c.8.*

D. Bernardus: Terreantur licet martyres, rident: feriuntur, & gaudent:occiduntur, & ecce triumphant. Quare?quia morte charitatis intus in corde jamdudum mortui peccatis,mortui mundo, tāquam insensibiles facti,nec minas,nec tormenta, nec mortem sentire potuerunt. Quid mirum? mortui erant. Mortui enim estis,ait Apostolus, Col.3. Qualem mortem quidam stultus(Balaam, Num. 23.)sapienter optabat,dicens,Moriatur anima mea morte justorum, &fiant novissima mea horum similia. Bona mors mortem contemnens:bona mors vitam conferens sempiternam. *Tract. de passione Domini.*

Sulp. Severus. Diocletiano,inquit, & Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta,quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata est: qua tempestate omnis ferè sacro martyrū cruore orbis infectus est : quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur,multoque avidiùs tum gloriosis mortibus martyria quærebantur quàm nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. *Hist.sacræ,lib.2.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S.Paulus Apostolus: Non ita recenti pluviâ rigatum semen incrementum sumit, veluti recenti Martyrum sanguine conspersa, sese erexit ac dilatavit Ecclesia. ut verè Martyrum sanguinem, semen Christianorum nuncuparit Tertull. nec falso cecinerit quidam:

Sanguine mundata est Ecclesia,sanguine capit,
Sanguine succrevit,sanguine finis erit.

Quod intuiti viri sancti, nihili duxerunt pro nomine Jesu calamitatum mole opprimi. Ita Paulus, cùm monerent eum ceteri Apostoli,ne ascenderet Jerosolymam, eò quòd graves eū persecutiones manerent,respondit: *Quid facitis flentes & affligentes cor meū? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu. Act.c.21.*

S. Dominicus: Quid autem iste? Sicariis hæreticis sibi mortem minitantibus, *Nondum*,inquit,*martyrij gloria dignus sum: utinam dignus aliquando evadam! In Vita eiusdem.*

S.Callopius: Nec minùs hoc desiderio pro Christo quævis patiēdi tenebatur Callopius. cui dum pœnarum ac tormentorum quodvis genus objiceret Tyrannus, alacri voce,vultuque: *Hoc*,inquit,*tota aviditate concupisco. Quanto me gravioribus exercueris tormentis, tanto splendidiorem mihi coronam contexes. Sur.in Vita.*

S. Basilius. Æquali ardore succensus hic, cùm ad Valentis tribunal judicandus duceretur,mortemque minitaretur Præses; *Vtinam*, ait,*id mihi contingat,ut pro veritate vitam effundam!* Et ecce dierum aliquot inducias maturæ deliberationi permittit: at, *Ego*, inquit Basilius, *cras idem ero, qui hodie: utinam tu quoque idem! Socrat.l.4.c.21.*

S.Romanus Miles. Alius à priore isto, sed verè etiam hoc facto dictoque Romanus. Dum enim plumbatis & equuleo tortus cæderetur,fuerunt qui mollius cum eo agendum dicerent,quòd nobili esset genere oriundus. Quibus ille: *Nequaquam nobilitatis nomine mihi parcite. Absit ut me nobilem sanguis parentum præstet, aut lex curia:generosa Christi secta est,quæ nobilitat viros. Prud.in Hymno.*

S. Lucius Alexander: Et hunc tacitus silebo? En, dum liberè redarguit Vrbicium, quòd Ptolomæum Christianum indictâ causâ condemnasset,ad supplicium raptus,clamabat; *Hac ratione à malis dominis me liberandum scitote, & ad bonum patrem ac regem proficisci. Euseb.l.4.c.17. & Iustin.in Apolog.*

F. Ioan. Forestus: Finem facerem, nisi me unus Forestus teneret, quem priori sæculo fortiter occumbentem vidit Anglia, & invidit. Flammis adjudicatus,quòd Henrici decretis acquiescere recusaret, condolenti sibi Catharinæ Aragoniæ Reginæ, cui fuerat à confessionibus,respondit rogavitque: *Quæso continuis precibus instantem meum agonem & certamen sublevate. Quo facto, nolim de constantia dubites. Parum enim decet hos canos meos, istis puerorum terriculamentis in causa Dei moveri: & virum qui 60.jam & quatuor annis vixi, mortem turpiter formidare: ac religiosum Franciscano habitu 43.annis discentem & docentem terrena contemnere, non amare, & quovis conatu adspirare ad cælestia. Sanderus libr.1.de Schism. Anglic.*

S. Agatha. Ad fæminas transeo: sed quantus hîc etiam dicendi cāpus aperitur! Una Agatha exemplo sit & experimēto. Minabatur extrema Quintianus Siciliæ Proconsul, ni Idolis immolaret. at illa, *Deo*, inquit,*non Dæmoni sacrifico.* Equuleo subjicitur, cæditur,torquetur. an ejulatus ad quos pronus ille sexus,emissos desideras? Nequaquam: sed, *Quantum*, inquiebat, *hisce pœnis oblector! Sicuti enim triticum non reconditur in horreum, nisi tritura ventilationeq; purgatum: ita scio me ad patientiæ præmia minimè perventuram, nisi suppliciis purgatam.* O verum Evangelici frumenti granum; quòd priùs in terra emortuum, fructum centuplum attulit! *Sur. tom.1.in Vita.*

Mulier anonyma: Digna item quæ cum ceteris collata,splendoris sui radios hîc etiam emittat. Edessæ in Mesopotamia Valentis decreto cautum erat, ne quis ad Basilicam die postero accurrere præsumeret,nisi & eâ & vita simul cedere vellet. Taceo quid à viris eâ tempestate præstitum:certè Mulier orthodoxa,natum manu trahens,citato cursu, ad dictam Basilicam properat. Indignatus Præfectus,eam duci ad se jubet. Et quid, inquit, mulier tam indecenti gressu curris? ánne decreti nostri es conscia? omnes videlicet neci dandos, qui in illa Basilica reperientur, *Et hoc est,* respondit illa, *quod me evocat; hæc properationis causa, ut etiam inter eos inveniar.* At quò parvulum trahis? instat. Illa, *Eodem*,ait, *ut & ille martyrij fiat particeps.* Maluit certè pia Mulier mortem cum prole pro Christo oppetere, Deoque juge cum Abrahamo sacrificium offerre,quàm se impiis Præfecti legibus submittere. *Hist. Trip. lib. 7. cap.32.*

S. Theodora virgo & martyr. Require Apophthegmata de Animi Fortitudine,& Fide erga Deum.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; persecutione nullus servus est Dei.
Esse martyr non potest qui non est in Ecclesia.
Martyres non colimus,colimus eum cuius sunt martyres.
Martyrum Deum tot laudant ora quot sunt vulnera.
Mente præmium intuentur,non crucem altam martyres.
Nemo honorat accuratè,quam qui imitatur,martyres.
Nil suis bonus negavit Christus unquam testibus.
Nobilis per vulnus amplum porta justis panditur.
Non crucem Martyr,sed ipsam mente obit victoriam.
Non dolorem martyr; ipsam respicit victoriam
Non noces bono nece ipsa: civis astris additur.
Non potest quisquam esse martyr cui profana Ecclesia est.
Non sibi martyr modo, idem civibus patitur suis.
Qui fert martyrium suomet baptizatur sanguine.
Socratem calix veneni è carcere in cælum tulit.
Tollite persecutionem,sustulisti martyres.
Vita cui non Christiana est,nec ei mors martyrum est.

¶ Jambica.

Fas est,sine ferro & sanguine esse martyri.
Favere plus morti quam vita Martyrum est.
Non pœna, verùm causa martyrem facit.
Possunt mori, sed non & vinci martyres.
Quos subtrahis numero hominum adijcis Deis.

Matrimonii.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Quoniam autem voluptas & cupiditas videtur cadere in matrimonium,de his quoque tractandum est. Est ergo matrimonium,prima legitima viri & mulieris conjunctio, ad liberorum procreationem. Menander itaq; Comicus : Ad seminandos liberos tibi, inquit, meam trado filiam. Quærimus autem an sit uxor ducenda. Quod quidem est ex iis quæ secundum aliquid dicuntur. Est enim alicui ducenda uxor. quod est ac si dicas, aliquo modo se habenti, & aliqua uxor ducenda, & quæ quo modo se habeat. Neque enim est uxor ducenda cuilibet, neque semper:sed tempus quoque est, in quo convenit: & persona cui cōvenit:& ætas ad certum usque terminum. Neque ergo est cuilibet uxor quælibet ducenda,neque semper:sed neque omnino & impudēter ac temere, sed ei qui aliquo modo se habet, & qualis, & quando oportet,& liberorum gratia,& ea quæ est in omnibus similis,& non vi aut necessitate virum amantem diligit. Vnde dicit Abraham, de uxore,sororem esse similans: Mihi soror est ex patre,sed non ex matre, fuit autem mihi quoque in uxorem:docens eas quæ ex eadem matre natæ sunt, non esse ducendas uxores. Paucis autem hanc persequemur historiam.

Plato ergo matrimoniū collocat in bonis externis,adstruēs nostri generis immortalitatē,& quandā perpetuitatē qua posteritas posteritati lampadē quasi vicissim in manus tradit. Democritus autē repudiat matrimonium,& procreationē liberorum, propter multas q̄ ex ipsis oriuntur molestias, & quod abstrahant ab iis quæ sunt magis necessaria. Ei autem Epicurus quoque assentitur, & quicunq; in voluptate molestiæq; & doloris vacuitate bonum collocant. Præterea ex Stoicorum quidem sententia est indifferens,& matrimonium & liberorum susceptio:ex Peripateticorum vero,bonum. Vt semel autem dicam, illi linguatenus sua deducentes dogmata, voluptatibus servierunt, alii quidem pellicibus, alii vero meretricibus, plurimi autem utentes adolescentulis. Sapiens autem ille quaternio,

ternio, in horto cum meretrice, factis voluptatem colebat. Non ergo eam quę eſt de bove jungendo effugerint execrationem, qui cum ſibi aliqua non conferre judicent, alios ea hortentur facere, vel cōtra. Hoc breviter ſcriptura ſignificavit, dicens: Quod odio habes, alii ne feceris.

Cæterum qui matrimonium approbant, Nos, inquiunt, fecit natura aptos ad matrimonium, ut liquet ex compoſitione corporum maſculorum & fœminarum: & frequenter illud acclamant, Creſcite & multiplicamini. Etſi autem hæc quoque ita ſe habeant, ipſis tamen turpe videtur, quod homo quem Deus eſt architectatus, ſit animantibus brutis intemperantior, quæ cum multis & impudēter non congrediuntur, ſed cum uno, & quod eſt ejuſdem generis: cujuſmodi ſunt columbæ & palumbes, & genus turturum, & q̄ ſunt his ſimilia. Præterea, inquiunt, qui caret liberis, eſt ea perfectione defectus quæ eſt ſecundum naturam, ut qui ſuum ſucceſſorem in ſuum locum non ſubſtituerit. Perfectus enim eſt qui ex ſeipſo fecit ſimilem: vel potius quando illum idem feciſſe viderit, hoc eſt, quādo in eandem pervenerit naturam filius, cujus eſt qui eum genuit. Eſt ergo omnino uxor ducenda, & patriæ cauſa & liberorum ſucceſſionis, & mundi, quantum eſt in nobis, perfectionis. Nam alicujus etiam matrimonii miſerentur poetæ, quod eſt ſemiperfectum & caret liberis: beatum autem ducunt id quod floret & germinat undiquaque.

Morbi autem corporis maxime indicant neceſſarium eſſe matrimonium. Uxoris enim cura, & aſſidua ejus perſeverantia, videtur, aliorum neceſſariorum & amicorum tantum ſuperare tolerantiam, quanto ea mutua doloris conſenſione & miſericordia antecellit, & vult omnium maxime lubenter adeſſe & præſentia ſua ſuccurrere. Et revera ex ſcripturæ ſententia eſt neceſſaria adjutrix. Menander itaque Comicus cum matrimonium eſſet inſectatus, alia etiam utilia opponens, reſpondet ei qui dixerat:

Affectus in rem ſum male
Nam tu ſiniſtre, nec bene, hanc quidem capis.

Deinde ſubjungit:

Gravia fuerunt & moleſta quæ tibi,
Vides in ipſo, ſed bona haud contra vides.

& quæ deinceps ſequuntur. Fert autem opem quoque matrimoniū iis qui ætate proceſſerunt, ut quod exhibeat uxorem curam gerentem, & alat qui ex ea ſuſcepti ſunt liberos, ut in ſenectute parentes ſuos nutriant;

Nam liberi ſunt fama defuncto viro.
Et ex profundo retia, ut ſuber trahunt,

fila ſervantes lino, ex tragici Sophoclis ſententia. Non permittunt autem Legiſlatores maximos magiſtratus gerere iis qui uxorem nō duxerint. Jam vero Laconum Legiſlator, non ſolum pœnam impoſuit ei qui uxorem non duxiſſet, ſed etiam ei qui unam tantum, & ei qui duxiſſet, ſerius, & ei qui ſolus viveret. Præclarus autem Plato jubet uxoris quoque alimentum publico pendere ærario, cum qui uxorem non duxiſſet, & ſumptus quos oportet dare magiſtratibus. Si enim ductis uxoribus liberos non ſuſceperint, quod in eis quidem ſitum eſt, hominum raritatem invehent, & civitates diſſolvēt, & qui ex eis conſtat ornatum. Eſt autem hoc impium & eorum qui divinitus inſtitutam ſolvunt generationem. Jam vero eſt ignavi & imbecilli animi, fugere conjunctionem vitæ & conſuetudinem cū uxore & liberis. Cujus enim eſt amiſſio malum, ejus omnino poſſeſſio bonum eſt: ita autem ſe habet etiam in reliquis. Atqui liberorū amiſſio, inquiunt, eſt ex ſupremis malis: filiorum ergo poſſeſſio, bonum eſt: quod ſi ita eſt, etiam matrimonium.

Namq; abſq; patre liberos nemo tulit.
Nec abſq; matre filij conceptio.

Patrem autem nuptiæ efficiunt, ut vir matrem, Maximum itaque votum ſtatuit Homerus, virum & familiam, ſed non abſolute, verū cum bona conſenſione & concordia.

Nam aliorum quidem matrimonium in voluptate conſentit & delectatione: eorum autem qui philoſophantur matrimonium, deducit ad eum qui eſt in verbo conſenſum, quod non formam ſed mores permittit ornare mulieribus: præcipitque maritis ne utantur uxoribus tanquam iis quæ amantur mulieribus, unum ſibi proponentes ſcopum, ut corpori probrum afferant, ſed ad totius vitæ auxilium, & optimam temperantiam, matrimonium uſurpent. Frumenti enim & hordei, ut arbitror, ſeminibus, quæ convenientibus dejiciuntur temporibus, præſtantior eſt ac precioſior homo qui ſeminatur, cui omnia à natura producuntur. Atque illa quidem ſemina agricolæ ſobrii dejiciunt. Si quod ſit ergo ſordidum & ſpurcum ſtudium, id eſt à matrimonio expurgandum, ne nobis probro dari poſſit, quod brutorum animantium congreſſus, magis naturæ conveniat quam humana conjunctio in ipſo calore veneris. Nonnulla certe eorum quo tempore jubentur ſtatim recedunt, relinquentia adminiſtrationi opificium. A tragicis autem ſcriptum eſt, Polyxenam, etſi interficeretur, moriendo tamen magnam adhibuiſſe diligentiam ut honeſte caderet. Illa tegens mares quæ haud licuit cernere.

Fuit autem illi quoque calamitas matrimonium. Succumbere itaque & cedere vitiis & animi perturbationibus, eſt extrema ſervitus: ſicut ea certe vincere, ſola eſt libertas. Divina itaque ſcriptura, eos qui præcepta tranſilierunt, dicit eſſe venundatos alienigenis, hoc eſt, peccatis, quæ naturæ non conveniunt, donec converſi agant pœnitentiam.

Conſervandum eſt ergo matrimonium, tanquam ſacra aliqua ſtatua, mundum ab iis quæ polluunt, utpote qui à ſomnio quidem expergiſcamur cum Domino, eamus autem dormitum cum gratiarum actione, & oremus,

Cum ſomno indulges, lux & cum fulſerit alma,

tota noſtra vita Dominum teſtantes: pietatem quidem ac religionē anima poſſidentes, temperantiam autem etiam uſque ad corpus deducentes. Deo enim revera gratum eſt, à lingua ad opera traducere moderationem. Ad impudentiam autem via eſt, turpis ſermo: & utriuſq; finis eſt turpium rerum perpetratio.

Quod autem conſulit ſcriptura uxorem ducere, & nec à conjugio unquam permittit diſcedere, legem aperte conſtituit: Non dimittes uxorem, præterquam propter fornicationem. Adulterium autem exiſtimat conjungi matrimonio, vivo altero ex ſeparatis. A ſuſpicione autem & criminatione alienam oſtendit uxorem, eo quod nō ornetur ac cometur plus quam ſit decorum, aſſidue attendens precibus & orationibus: quodque multos domus exitus cuſtodiat: à ſui autem aſpectu, quoad ejus fieri poteſt, excludat eos qui ad eam non attinent, ducatque domus cuſtodiam intempeſtivis nugis conducibiliorem. Qui autem dimiſſam accipiat uxorem, mœchatur, inquit: ſi quis enim dimiſerit uxorem, mœchatur ipſam, hoc eſt, cogit eam mœchari. Non ſolum autem, qui dimiſit, eſt ejus cauſa, ſed etiam qui eam ſuſcepit, præbens mulieri peccandi occaſionem: ſi enim nō ſuſcipiat, revertetur ad virum. Quid vero lex? Vt reprimat ad vitia propenſionem, jubet de medio tolli eam quæ adulterata, & adulterii fuerit convicta: ſin autem fuerit uxor Sacerdotis, jubet eam igni tradi. Obruitur autem adulter quoque lapidibus, ſed non in eodem loco, ne mors quidem ſit eis communis. Neque vero lex cum Evangelio pugnat, ſed ei conſentit: quidni enim cum ſit utriuſque unus ſuppeditator Dominus? Quæ enim eſt fornicata, vivit quidem peccato, ſed mortua eſt mandatis: quæ autem ducta eſt pœnitentia, ut quæ ſit regenerata per vitæ converſionem, habet vitæ regenerationem, mortua quidem vetere fornicatrice, in vitam autem rurſus ingreſſa ea quæ genita eſt per pœnitentiam. Iis quæ dicta ſunt fert ſpiritus teſtimonium, dicens per Ezechielem: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur. Jam vero obruuntur lapidibus, ut qui propter duritiem cordis ſint legi mortui, cui non paruerunt. Sacerdotis autem uxori augetur ſupplicium, quia cui plus datum eſt, plus ab eo exigetur. *lib. 2. Stromatum extremo.*

Clem. Alexandrinus: Ac Valentiniani quidem, qui ab alto ex divinis productionibus deduxere conjugationes, acceptum habent matrimonium: Baſilidis autem ſectatores, cum interrogaſſent, inquiunt, Apoſtoli, num ſit melius uxorem non ducere, dicunt reſpōdiſſe Dominum: Non omnes capiunt verbum hoc. Sunt enim eunuchi alii quidem ab ortu, alii vero à neceſſitate. Hoc dictum autem ſic interpretantur: Quidam ex quo nati ſunt, naturaliter fœminā averſantur, qui quidem hac naturali utentes temperatura, recte faciunt ſi uxorem non ducant. Hi, inquiunt, eunuchi ſunt ex quo nati ſunt. Qui autem ſunt à neceſſitate, ij ſunt theatrici exercitatores, qui ut ſibi bonam famam & gloriam attrahant, ſe continent. Qui autem exciſi ſunt impellente aliqua neceſſitate, eunuchi facti ſunt per neceſſitatem.

Qui itaq; eunuchi fiunt per neceſſitatem, non fiunt eunuchi per verbum ſeu rationem. Qui autem regni cœleſtis gratia ſeipſos caſtrarunt, propter ea, inquiunt, quæ ex matrimonio eveniunt, cogitationem hanc ſuſcipiunt, in neceſſariis rebus comparandis veriti negocia. Et illud: Melius eſt nubere quam uri, ajunt dicere Apoſtolum: ne animam tuam in ignem injicias, noctu & interdiu reſiſtens, & timens ne à continentia excidas. Nam cum in reſiſtendo occupata fuerit anima, à ſpe eſt diviſa. Apprehende ergo, inquit his verbis Iſidorus in Moralibus, robuſtam mulierem, ne à Dei gratia avellaris, & cum ignem in ſemine excreveris, cum bona ores conſcientia. Quando autem, inquit, tua gratiarum actio inciderit in petitionē, & deſtiteris deinceps non recte agere, ſed non errare, duc uxorem. Sin eſt aliquis juvenis, vel pauper, vel ad venerem proclivis, & non vult verbo ſeu rationi convenienter uxorem ducere, is à fratre ne ſeparetur: dicat, ingreſſus in ſancta, nihil poſſum pati. Sed ſi habeat ſuſpicionem, dicat, Frater impone mihi manum, ut non peccem: & accipiet auxilium tam quod mente poteſt percipi, quam ſenſile. Velit tantum quod bonum eſt petere, & aſſequetur. Nonnunquam autem ore quidem dicimus, nolumus peccare: cogitatio autem noſtra defixa eſt in peccato. Qui eſt ejuſmodi, propter metum quod vult non facit, ne ei imponatur ſupplicium. Humanitas autem habet quædam neceſſaria & ſolum naturalia. Quod indumentis egeat, habet & neceſſarium & naturale: eſt autem res venerea naturalis, ſed non neceſſaria.

Has voces adduxi ad reprehendendum Baſilidianos qui non recte vivunt, ut qui vel peccandi poteſtatem habeant propter perfectionem, vel omnino quidem natura ſalvi futuri ſint, etſi peccent, propter innatam electionem, quoniam nec hæc quidem eis facere concedunt eorum dogmatis primi parentes. Ne ergo Chriſti nomē ſuſcipientes, & ijs qui ſunt in gentibus intemperantiſſimi incontinentius viventes, nomini maledictum inurant. Qui enim ſunt ejuſmodi, pſeudapoſtoli, operarii doloſi, uſque ad illud, Quorum finis erit ſecundum opera eorum. Eſt ergo continentia, corporis di-

ſpicientia convenienter pactis cum Deo initis: non ſolum enim in
rebus venereis, ſed etiam in aliis quæ anima perperam concupiſcit,
non contenta neceſſariis, verſatur continentia. Eſt autem & in lin-
gua, & in acquirendo, & in utendo, & in concupiſcendo continentia.
Non docet autem ea ſolummodo eſſe temperantes, ſiquidem præ-
bet nobis temperantiam, ut quæ ſit divina poteſtas & gratia. Dicē-
dum eſt ergo, quidnam noſtris videatur, de eo quod eſt propo-
ſitum.

Nos quidem caſtitatem, & eos quibus hoc à Deo datum eſt, bea-
tos dicimus: monogamiam autem, & quæ conſiſtit in uno ſolum
matrimonio, honeſtatem, admiramur, dicentes tamē oportere alio-
rum miſereri, & alterum alterius onera portare, ne quis cum recte
ſtare videatur, ipſe quoque cadat. De ſecundis autem nuptiis: Si u-
raris, inquit Apoſtolus, jungere matrimonio. Qui autem à Carpo-
crate deſcendunt & Epiphane, cenſent oportere uxores eſſe com-
munes, à quibus contra nomen Chriſti, maximum emanavit pro-
brum. Hic autem Epiphanes, cujus etiam ſcripta feruntur, filius erat
Carpocratis, & matris Alexandriæ nomine, ex patre quidem A-
lexandrinus, ex matre vero Cephaleneus. Vixit autem ſolum ſe-
ptendecim annis, & Samæ, quæ eſt urbs Cephaleniæ, ut Deus eſt
honore affectus. Quo in loco templum ex ingentibus lapidibus, al-
taria, delubra, muſeum, ædificatum eſt & conſecratum, & cum eſt
nova Luna, convenientes Cephalenei, tempore quo natus & in
Deos relatus eſt Epiphanes, ſacrificant libantque & convivantur, &
hymnos canunt. A patre autem didicit & orbem diſciplinarum, &
Platonis philoſophiam. Fuit autem author & princeps monadicæ
cognitionis. A quo etiam profluxit hæreſis eorum qui nunc ſunt
Carpocratianorum.

Is ergo dicit in libro de juſtitia, juſtitiam Dei eſſe quandam cum
æqualitate communionem. Æquale quidem certe cœlum undiqua-
que extenſum, totam terram continet in orbem. Et nox ex æquo
ſtellas omnes oſtendit, & diei authorem & lucis patrem, Solem,
Deus ex alto æqualem effudit omnibus qui poſſunt aſpicere. Illi
autem omnes communiter reſpiciunt, quoniam non diſcernit divi-
tem vel pauperem vel populi principem, inſipientes & ſapientes,
fœminas & maſculos, liberos, ſervos. Sed neque ſecus facit in bru-
tis. Cum autem omnibus animantibus æque ipſum communem
effuderit, bonis & malis firmam ac ſolidam efficit juſtitiam, cum
nemo poſſit plus habere, neque auferre à proximo, ut ipſe illius lu-
cem habeat duplicatam. Sol facit omnibus animantibus commu-
nia exoriri nutrimenta, communi juſtitia ex æquo data omnibus:
& ad ea quæ ſunt hujuſmodi ſimiliter fit genus boum, ut boves, &
ſuum, ut ſues, & ovium, ut oves, & reliqua omnia. Juſtitia enim in
iis apparet communitas. Deinde per communitatem omnia ſimili-
ter ſeminantur in genere, & commune nutrimentum apertum eſt
humi paſcentibus jumentis omnibus, & omnibus ex æquo, ut quod
nulla lege teneatur: ejus autem qui donat jubentis ſuppeditatione,
convenienter juſteque adſit omnibus. Sed neque habent ſcriptam
legem generationis, eſſet enim abolita: ex æquo autem ſeminant &
generant, habentia innatam à juſtitia communionem: ex æquo
communiter omnibus oculum ad videndum, creator & pater o-
mnium, ſua juſtitia legem ferens præbuit, non diſcernens fœminā
à maſculo, non id quod eſt rationis particeps ab experte rationis: &
ut ſemel dicam, nullum à nullo, æqualitate autem & communitate
viſum ſimiliter dividens, uno juſſu omnibus eſt largitus.

Leges autem, inquit, hominum, cum ignorationem caſtigare nō
poſſent, contra leges facere docuerunt: legum enim proprietas diſ-
ſecuit divinæ legis communionem, & arrodit, non intelligens di-
ctum Apoſtoli dicentis: Per legem peccatum cognovi. Et meum &
tuum dicit ſubiiſſe per leges, ut quæ non amplius communiter fru-
antur (ſunt enim communia) neque terra, neque poſſeſſionibus,
ſed neque matrimonio. Fecit enim vites communiter omnibus,
quæ neque paſſerem, neque furem abnegant, & frumentum ſimi-
liter, & alios fructus. Violata autem communio & æqualitas, genu-
it furem pecorum & fructuum. Cum ergo Deus communiter o-
mnia feciſſet homini, & fœminam cum maſculo communiter cō-
junxiſſet, & omnia ſimiliter animantia conglutinaſſet, pronuncia-
vit juſtitiam, communionem cum æqualitate. Qui autem ſic nati
ſunt, communionem, quæ eorum conciliat generationem, abne-
gaverunt. Et dicit, ſi unam ducens habeat, cum omnium poſſint eſ-
ſe participes, ſicut reliqua fecit animantia.

Hæc cum his verbis dixiſſet, ſubjungit rurſus his verbis: Inten-
ſam enim & vehementiorem ingeneravit maſculis cupiditatem ad
generis perpetuitatem, quam nec lex, nec mos, nec aliquid aliud
poteſt abolere: eſt enim Dei decretum. Et quomodo amplius hic in
noſtra examinetur oratione, cum legem & Evangelium per hæc a-
perte deſtruat. Illa enim dicit: Non mœchaberis. Hoc autem dicit,
Quicunque reſpicit ad concupiſcentiam, jam mœchatus eſt. Illud
enim, Non concupiſces, quod à Lege dicitur, oſtendit unum eſſe
Deum, qui prædicatur per Legem & Prophetas & Evangelium. Di-
cit enim, Non concupiſces uxorem proximi tui. Proximus autem
non eſt Judæus Judæo: frater enim eſt, & eundem habet ſpiritum:
reſtat ergo ut propinquum dicat eum qui eſt alterius gentis. Quo-
modo autem non propinquus, qui poteſt ſpiritus eſſe particeps?
Non ſolum enim Hebræorum, ſed etiam gentium pater eſt Abra-
ham. Si autem quæ eſt adulterata, & qui in eam fornicatus eſt, ca-
pite punitur: clarum eſt utique præceptum quod dicit, Non concu-
piſces uxorem propinqui tui, loqui de Gentibus: ut cum quis ex lege
& ab uxore proximi & à ſorore abſtinuerit, aperte audiat à Domi-
no, Ego autem dico non concupiſces. Additio autem hujus particu-
læ, Ego, majorem præcepti vim oſtendit.

Quod autem cum Deo bellum gerat Carpocrates & Epiphanes
in eo qui vulgo jactatur libro de Juſtitia, patet ex eo quod ſujungit
his verbis: Hinc ut qui ridiculum dixerit, legislatoris hoc verbum
audiendum eſt, Non concupiſces: & ut magis ridicule diceret, Res,
inquit, proximi tui. Ipſe enim qui dedit cupiditatem, ut quæ conti-
neat generationem, jubet eam auferre, cùm à nullo eam auferat a-
nimali. Illud autem, Vxorem proximi tui, communionem cogens
ad proprietatem, dixit adhuc magis ridicule. Et hæc quidem do-
gmata conſtituunt egregii Carpocratiani. Hos dicunt & aliquos a-
lios ſimilium malorum æmulatores, ad cœnas convenientes (neque
enim dixerim agapem eorum congreſſionem) viros ſimul & mu-
lieres, poſtquam ſatietate venerem excitante exatiati fuerint, lumi-
ne amoto, quod eorum fornicatoriam hanc juſtitiam pudore affi-
ciebat, averſa lucerna coire quomodo velint, & cum quibus velint:
meditatos autem in ejuſmodi agape communionem, interdiu jam,
à quibus velint mulieribus exigere Carpocrateæ (divinæ enim ne-
fas eſt dicere) legis obedientiam. Has leges, ut ſentio ferre oportuit
Carpocratem, canum & ſuum & hircorum libidinibus.

Mihi autem videtur, Platonem quoque male intellexiſſe in Re-
publica, dicentem, oportere eſſe communes omnium uxores: ut qui
diceret eas quidem quæ nondum nupſerant, eſſe communes eorum
qui eſſent petituri, quemadmodum theatrum quoque eſt com-
mune ſpectatorum: eſſe autem unamquamque uniuſcujuſque qui
præoccupaſſet, & non amplius communem eſſe eam quæ nupſiſſet.
Xanthus autem in iis quæ inſcribuntur Magica: Coeunt autem, in-
quit, Magi cum maribus & filiabus: & fas eſſe ajunt coire cum ſoro-
ribus, & communes eſſe uxores, non vi & clam, ſed utriſque con-
ſentientibus, cum velit alter ducere uxorem alterius. De his & ſi-
milibus hæreſibus, exiſtimo Judam Prophetice dixiſſe in epiſtola:
Similiter quidem hi quoque ſomniantes (non enim revera ad veri-
tatem ſe applicant) uſque ad illud, Et os eorum loquitur ſuperba.
Jam vero ſi & ipſe Plato & Pythagorei, ſicut etiam poſtea Marcio-
niſtæ, malam exiſtimarunt eſſe generationem, longe abfuit ut cō-
munes ipſe poneret uxores.

Sed Marcioniſtæ quidem dicunt malam eſſe naturam, ex mala
materia, & juſto factam opifice ac creatore. Qua quidem ratione
nolentes implere mundum qui factus eſt à creatore, volunt abſti-
nere à nuptiis, reſiſtentes ſuo creatori, & contendentes ad bonum
qui vocavit: ſed non ad eum qui, ut dicunt, Deus eſt alio modo. Vn-
de cum nihil hic velint relinquere proprium, non ſunt ex electio-
ne & ex inſtituto continentes, ſed propter odium conceptum adver-
ſum eum qui creavit, nolentes iis uti quæ ab ipſo ſunt creata.

Sed hi quidem qui propter impium quod cum Deo gerunt bel-
lum, emoti ſunt ſecundum naturam, Dei longanimitatem contem-
nentes & benignitatem, etſi nolunt uxorem ducere, cibis tamen u-
tuntur creatis, & aerem reſpirant creatoris, ut qui & ejus ſint ope-
ra, & in iis quæ ſunt ejus permaneant, & novam quandam & alienā,
ut ajunt, annunciant cognitionem, etiam ſi hoc nomine mundi
Domino deberent agere gratias, quod hic acceperint Evange-
lium.

Philoſophi autem quorum mentionem fecimus, à quibus cum
malam eſſe generationem impie didiciſſent Marcioniſtæ, tanquam
ſuo dogmate gloriantur, non eam volunt eſſe natura malam, ſed a-
nima quæ id quod verum eſt tradidit. Animam enim quæ eſt divi-
na, in hunc mundum deducunt tanquam in locum ſupplicii. Opor-
tet autem animas in corpus immiſſas expiari ex eorum ſententia.
Non convenit autem amplius hoc dogma Marcioniſtis, ſed iis qui
cenſent in corpora intrudi, & iis alligari, & quaſi ex vaſe in vas ali-
ud transfundi animas. Adverſus quos fuerit aliud dicendi tempus,
quando de anima tractabimus. Videtur itaque Heraclitus, maledi-
ctis inſequi generationem. Quoniam autem, inquit, nati volunt vi-
vere, & mortes habere, vel potius quieſcere, filios quoque relin-
quunt ut mortes fiant. Clarum eſt autem cum eo convenire Empe-
doclem quoque dicentem:

Deflevi & luxi, inſolitum cernens miſer orbem.

Et amplius:

Mortua nam ex vivis fecit, ſpecies commutans.

Et rurſus:

Hei mihi quam infelix hominum genus atque miſellum,
Litibus ex quantis prognati & planctibus eſtis.

Dicit autem Sibylla quoque:

Mortales homines, caro qui tantum, & nihil eſtis.

Similiter atq; poeta qui ſcribit:

Haud homine infelix tellus mage quicquam alit alma.

Quinetiam Theognis malam oſtendit eſſe generationem, dicens
hoc modo:

Optima non naſci res eſt mortalibus ægris
Nec nitidi Solis luce micante frui,
Extemplo aut natum portas invadere Ditis,
Tellure & multa condita membra tegi.

His autem conſequentia ſcribit quoque Euripides poeta Tragi-
cus:

Nam nos decebat convenire publice, &
Deflere natum, quod tot ingreditur mala.

AN

Ast mortuum, cuique jam quies data est,
Efferre lætis gratulationibus.

Et rursus:

Quis novit an vivere quidem siet mori,
Siet mori autem vivere?

Idem quod hi, videtur Herodotus quoque inducere dicentem Solonem: O Crœse, quivis homo nihil est aliud quam calamitas. Jam vero de Cleobide & Bitone fabula nihil aliud vult manifeste quam vituperare generationem, laudare autem mortem.

Et qualis folij, est hominum generatio talis,

ait Homerus. Plato autem in Cratylo, Orpheo tribuit id quod dicitur, quod anima puniatur in corpore. Etenim nonnulli ipsum dicunt esse monumentum animæ, ut quæ in præsentia sit sepulta: & quoniam significat quæ significat anima, ideo recte appellari σῆμα. Videtur quidem certe Orpheus hoc nomen maxime imposuisse, ut quæ eorum propter quæ luit, luat pœnas. Operæprecium est autem meminisse etiam eorum quę dicit Philolaus. Sic enim dicit hic Pythagoreus; Testantur autem veteres quoque Theologi & vates, ad luenda supplicia animam conjunctam esse corpori, & in eo tanquam in aliquo monumento esse sepultam. Quinetiam Pindarus de iis quæ sunt in Eleusine mysteriis loquens, infert: Beatus, qui cum illa sub terra viderit communia, novit quidem vitæ finem, novit autem datum Jovis imperium.

Et Plato consequenter in Phædone non veretur hoc modo scribere: Porro autem hi qui nobis hæc constituerunt mysteria, non aliquid aliud, &c. usque ad, Et cum diis habitatione. Quid vero cum dicit: Donec corpus habuerimus, & confusa nostra fuerit anima cũ ejusmodi malo, illud quod desideramus, nunquam satis possederimus: an non significat generationem esse causam maximorum malorum? Jam vero in Phædone quoque testatur: Evenit enim ut qui recte philosophantur, non animadvertantur ab aliis in nullam rem aliam suum studium conferre, quam ut emoriantur & sint mortui. Et rursus: Ergo hic quoque philosophi anima corpus maxime vili pendit, & ab eo fugit, ipsa autem secum seorsim esse quærit. Nunquid autem consentit cum divino Apostolo, qui dicit: Infelix ego homo quis me liberabit à corpore mortis hujus? nisi forte eorum consensionem qui detrahuntur in vitium, corpus mortis dicit tropice.

Atque coitum quoque, qui est principium generationis, vel ante Marcionem videtur Plato aversari in primo de Republica: infert enim laudans senectutem: Velim scias quod quo magis flaccescunt aliæ voluptates, eo magis studiorum ac doctrinæ cupiditates crescunt & voluptates. Et cum rei venereæ injecta esset mentio: Bona verba quæso, inquit: ego vero lubenter isthinc tanquam ab insano aliquo & agresti domino effugi. Rursus in Phædone, vituperans generationem dicit: Quæ ergo de his in arcanis dicitur, hæc est oratio, quod nos homines sumus in custodia aliqua. Qui autem visi fuerint in vita sancte agenda excelluisse, ij sunt qui ab iis quidem quæ sunt in terra locis, tanquam à carceribus, liberantur & solvuntur: ad puram autem sursum veniunt habitationem.

Sed tamen quamvis ita se habeat, recte se gerentem administrationem sentit & providentiam, & dicit: Non oportet autem seipsum solvere & effugere. Et ut paucis dicam, non dedit Marcioni occasionem ut malam existimaret materiam, cum ipse pie de mundo hæc dixerit: Ab eo enim qui construxit, habet omnia bona: à priori autem habitu, quæcunque in cœlo fiunt mala & injusta, ea & ipsum ex illo habet, & efficit in animantibus. Adhuc autem subjungit manifestius. Eorum autem ei causa est corporea temperatura, quæ coalita est cum ea quæ olim fuit natura, quoniam magnæ confusionis & perturbationis erat particeps, priusquam veniret in eum qui nũc est mundum.

Nihilominus autem in legibus quoque deflet humanum genus, sic dicens: Dii miserti hominum generis, quod fuerat natum laboriosum, ut à laboribus conquiescerent, dierum festorum constituerunt eis vicissitudines. Et in Epinomide sic quoque persequitur causas cur sint miserti, & sic dicit: Ab initio ipsum esse genitum, est grave cuilibet animanti: primum quidem quod eorum constitutionis sint participes qui in utero gestantur, deinde ipsum nasci, & præterea nutriri & erudiri, per innumerabiles labores universa fiunt, ut omnes dicimus.

Quid vero, non Heraclitus generationem quoque dicit esse mortem? Pythagoras autem similiter atque Socrates in Gorgia, cum dicit, Mors est quæcunque experrecti videmus: quæcunq; autem dormientes, somnus.

Cæterum satis dilucide ostensas esse existimo, externorum alienorumque dogmatum occasiones, Marcionem ingrate & indocte accepisse à Platone. Nobis autem procedat sermo de continentia. Dicebamus autem Græcos, cum haberent suspectam in utendo difficultatem, in filiorum generationem multa dixisse: cum ea autem impie excepissent Marcionistæ, eos fuisse ingratos in creatorem. Dicit enim tragœdia:

Non nascier præstat homines quam nascier.
Dein filios acerbis cum doloribus
Enitor, ast enixa, si stolidi sient,
Afflictor intuendo, quod servo malos
Bonosq; perdo. Si bonos servo, tamen
Mihi misellum cor timore liquitur.
Quid hic boni ergo est? unicam an non sufficit
Effundere animam, nisi crucieris amplius.

Et adhuc similiter:

Vetus stat mihi persuasio,
Plantare filios nunquam hominem oportuit,
Dum cernit ad quot gignimus natos mala.

In his autem quæ deinceps sequuntur, malorum quoque causam evidenter reducit ad principia, sic dicens:

O qui miser natus malisq; obnoxius
Editus homo es, vita tuaq; miseriam
Hinc inchoasti: cœpit æther omnibus
Spiramen unde alens tradere mortalibus.
Mortalis ergo natus, haud sis immemor.

Rursus autem his similia sic tradit:

Mortalium omnium beatus non fuit
Quisquam, molestia & nemo carens fuit.

Et deinde rursus:

Heu quanta quotque hominibus eveniunt mala,
Et varia, quorum terminus nullus datur.

Et adhuc similiter:

Nemo beatus semper est mortalium.

Hac itaq; ratione dicunt etiam Pythagoreos abstinere à rebus venereis. Mihi autem contra videntur uxores quidem ducere ut liberos suscipiant; velle autem à venerea voluptate se continere post susceptos liberos. Hac ratione mystice uti fabis prohibent, non quod sit legumen flatum excitans & concoctu difficile, & somnos efficiat turbulentos, neque quod hominis capiti sit similis, ut vult ille versiculus,

Idem est namq; fabam atque caput corrodere patris.

sed potius quod fabæ, si comedantur, steriles efficiant mulieres. Theophrastus quidem certe in libro de Causis naturalibus, fabarũ siliquas, si ponantur ad radices arborum quæ nuper sunt plantatæ, refert plantas exsiccare. *l. 3. stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Quod vellet lex viros uti moderate uxoribus, & propter solam liberorum susceptionem, ex eo clarum est, quod prohibet quidem eum qui non habet uxorem, statim cum captiva habere consuetudinem. Quod si semel desideraverit, ei cum tonsa fuerit capillos, permittere ut lugeat triginta diebus. Si autem ne sic quidem emarcescat cupiditas, tunc liberis operam dare, cum quæ dominatur impulsio, probata sit præfinito tempore consentanea rationi appetitio. Vnde nullum ex veteribus ex scriptura ostenderis, qui cum prægnante rem habuerit, sed postquam gestavit uterum, & postquam editum fœtum à lacte depulit, rursus à viris cognitas fuisse uxores. Jam hunc scopum & institutum invenies servantem Mosis patrem, cum triennium post Aaronem editum intermisisset, genuisse Mosem. Et rursus Levitica tribus servans hanc naturæ legem à Deo traditam, aliis numero minor ingressa est in terram promissam.

Non enim facile multiplicatur genus, cum viri quidem seminãt qui legitimum ineunt matrimonium, expectant autem non solum uteri gestationem, sed etiam à lacte depulsionem. Vnde merito Moses quoque Judæos paulatim provehens ad continentiam, cum tribus diebus deinceps consequentibus venerea voluptate abstinuissent, jussit audire verba Dei. Nos ergo Dei templa sumus, sicut dixit Propheta: Inhabitabo in eis, & inambulabo, & ero eorum Deus, & ipsi erunt meus populus, si ex præceptis vitam instituamus, sive unusquisque nostrum, sive tota simul ecclesia. *libro tertio Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Et ut in summa dicam, omnes Apostoli epistolæ, quæ moderationem docent & continentiam, cum & de matrimonio, & de liberorum procreatione, & de domus administratione innumerabilia præcepta contineant, nusquam honestum moderatumque matrimonium prohibuerunt aut abrogarunt, sed legis cum Evangelio servantes convenientiam, utrunque admittunt: & eum qui Deo agendo gratias, moderate utitur matrimonio: & eum qui, ut vult Dominus, vivit in castitate, quemadmodum vocatus est unusquisque inoffense & perfecte eligens. *lib. Stromatum tertio.*

Clemens Alexandrinus: Circumscribit cupiditates is qui est cognitione præditus, & in possessione, & in usu: non transiliens terminum eorum quæ sunt necessaria. Hic ergo vivere necessarium existimans ad augendam scientiam & parãdam cognitionẽ, non vivere sed benè vivere, faciet plurimi. Neq; filios, neq; rursus matrimoniũ, aut parẽtes præferens charitati in Deũ, & ei quæ est in vita justitiæ. Uxor autem ei soror post liberorum susceptionem, judicatur tanquam quæ sit eodem patre nata, tunc solum viri recordans, quando filios aspexerit, ut quæ sit revera futura soror post carnis depositionem, quæ dividit & distinguit cognitionem spiritualium, proprietate sexuum. *Libro 6. Stromatum.*

Nazianzenus: Mulierum ornamentum est, morum probitate & elegantia florere: domi ut plurimum manere; colloquium cum divinis oraculis habere, fuso ac lanæ operam dare; hoc enim feminarum munus est; ancillis opera mandare, ac servos vitare, labiis, oculis, genis vinculum injicere; pedem limine non admodum frequenter afferre; pudicis quidem omnibus mulieribus oblectare, ceterùm eo duntaxat viro, qui tibi legitimo matrimonio virgineam zonam

solvit. Quin ipsi quoq; licentię audaciæque modus imponendus est.
sic enim ipsi fidem facies, te ab alienis oculis & amoribus abhorre-
re. *Elegia adversus mulieres.*

D. Nazianzenus : Nunc demum, Pharisæe, illud agnoscis, non
expedire nubere? An prius id nesciebas, cum viduitates atque orbi-
tates videres, & præmaturas mortes, & luctus plausibus succedentes,
& funera thalamos excipientia, & sterilitates, & infelices liberorum
procreationes, & imperfectos partus ac matris expertes, atque o-
mnem hujusmodi rerum comœdiam sive tragœdiam (utrumque
enim appositissimè dici potest.) Expedit nubere? Id ipse quoque
probo (honorabile enim connubium & thorus immaculatus) sed
moderatis expedit, non petulantibus & libidine perditis, quique plus
æquo carnem colere in animum inducunt. Cùm matrimonium ni-
hil aliud est quàm matrimonium &, conjunctio, & prolis ac suc-
cessionis cupiditas: tum bonum est matrimonium. Plures enim in-
troducit, qui Deo placeant. At cùm carnis molem inflammat, &
spinis circumdat, vitiique quasi via invenitur: tum ipse etiam dico,
Non expedit nubere. *Oratione 31.*

D. Gregorius Nyssenus: Igitur rerũ omniũ quas in nuptiis homi-
nes expetunt, caput illud est, ut convictũ, vitæq; societatem jucun-
dissimam assequatur. Atque hæc quidem ita se habeant: nuptiæque
omni ex parte quam beatissimæ describantur: generis nobilitas, di-
vitiarum satis, apta utriusq: ætas, pulchritudinis flos, charitas sum-
ma, & quanta maxima cogitari potest utriusque erga alterum: dul-
cis illa contentio, cum alter alterum in amore studet vincere. Acce-
dant ad hæc gloria, opes, potentia, splendor, & omne denique, quod
addi lubet. Attamen tu velim videas ægritudinem quandam, quæ
sensim hominem conficit, unaque necessario iis rebus inest, quæ in
bonis numeratæ sunt. Prætereo invidiam, quæ concitari in eos so-
let, qui gloriæ assequuti sunt splendorem: neque commemoro, quã
facile hominum insidiis illud expositum sit, cùm quis in vita rebus
secundis uti videtur; quamve paratus sit omnis, cui bonorum æqua-
tio non contingit, naturale quoddam odium habere in eum,
qui plus adeptus est: atque propterea iis, qui optima ani-
mi constitutione esse videntur, propter suspicionem quan-
dam molestiarum plus vita hæc, quam voluptatum affert. Mis-
sa hæc facio, quasi contra eos omnis languescat invidia. At non
facile invenire quempiam licet, in quo hæc duo simul convene-
rint, ut secundioribus, quàm multi, reb. utatur, & invidiam declinet.
Sed tamen faciamus esse, ut ab his omnibus, si videtur, vacua sit,
& libera hominum vita: videamusque an fieri possit, ut qui hoc se-
cundo rerum cursu utuntur, tranquillo, rectoque animi statu sint.
Quid igitur erit, inquies, quod molestiam afferat, nisi florentissi-
mos homines attigerit invidia? Hoc ipsum dixerim, cùm illorum
vita omnibus circumfluit bonis, quod est doloris incitamentum.
Nam quàm diu homo res mortalis est, & caduca; sepulchraque
eorum, à quibus ortus est intuetur; si paululum modo rationis est
particeps, in dolore est, qui cum hac vita conjunctus separari & a-
velli non potest. Nam assidua, quotidianaq; mortis expectatio nul-
lis certis, neque definitis signis cognita, sed propter incertos casus
semper, veluti præsens, perterrefaciens, hanc vitę jucunditatem per-
petuo turbat, atque rerum, quæ sperantur, metu lætitias omnes per-
vertit.

Si enim fieri posset, ut ante periculum rerum, quas postea quis
est expertus, disceret, aut aliqua alia conjectura is, qui in hac vita
versatur, res perspicere posset, quantus profectò fieret illorum con-
cursus, qui ad virginitatem à nuptiis confugerent? quanta cautio
provisioque animi adhiberetur, ut inexplicabilibus iis laqueis nun-
quam se irretissent, quorum difficiles nodos non potest alius accu-
ratè cognoscere, nisi qui retibus ipsis illaqueatus tenetur? Cerneres
enim, si hoc tamen sine periculo liceret, multam rerum inter se
dissimilium perturbationem, risum luctu admistum, mœrorem cũ
lætitia confusum, semperque iis, qui nati sunt, propter spes, quas si-
bi proponunt, mortem impendere, ac singula, quæ in voluptate
posita sunt, attingere. Sponsus honestam faciem, & amabilem cùm
cernit, continuò eum metus invadit, ne à se disjungatur: cum sua-
vissimam vocem auribus percipiet, ei in mentem statim veniet, à se
nunquam amplius auditum iri: formoso & liberali aspectu cùm de-
lectatus est, tum luctus expectationem horret: ac denique quæ ado-
lescentes in pretio & in honore habent, quæve insani expetunt, si
ea intuebitur, verbi causa, oculum palpebratum venustate insignẽ,
supercilium oculi decore circumfusum, genas forma & lepore e-
leganti affluentes, labrum naturali rubore suffusum, comam auro
intextam, capitis verticem variis coloribus gemmisque refulgentẽ,
& omnem illum deniq; venustatis splendorem qui ad tempus ma-
net: tum omnino, si vel paulum rationis in eo sit, illud simul mente
intuetur, omnem illam venustatem aliquando prorsus interituram
esse, ad ossa deformia, turpia, ac fœda redactam, amissa pristina spe-
cie, nullum autem vestigium, nullum monumentum, nullas hujus
floris reliquias afferentem.

Si igitur hæc cæteraque hujusmodi secum quis animo reputarit,
num jucunde vivet: num in iis, quæ ipse bona possidet fiduciam,
spemque ponet, quasi illa perpetuo maneant? nonne ex his explo-
ratum habet, se veluti insomniorum fallaciis incertum fore, nihil
in iis, quę ad hanc vitam pertinent, se fidei habiturum, cùm in eas
res quæ videntur esse, tanquam in alienas incumbat? Jam planè
intelligis, si rerum, quæ sunt, aliquam rationem tenes, nihil eorum,
quæ in hac vita speciem aliquam præbent ita, ut est, videri, sed o-
mnia ex opinionis errore diversa sese nobis ostendere; spe eos illu-
dendo, qui illis intenti sunt, occultandoque sese specie quadam eo-
rum, quæ videntur, dum è vestigio in commutationibus aliquid a-
liud compertum sit præter hominum spem, quæ stultis errore quo-
dam innascitur.

Ergo qua voluptate ei, qui hæc ratione secum cogitat, digna vi-
dentur? num vitæ jucunditates is verè sentiet, qui hæc intelligit? &
iis rebus, quas putat in bonis habere, omnino gaudebit? non vicis-
situdinis perpetuo metu affectus, gustum, qui ex his rebus capitur,
sine sensu voluptatis habebit? Prætereo signa, prodigia, somnia,
vaticinationes, cæterasque id generis ineptias: quæ omnia stulta
hominum consuetudine observata in pejorem partem conjectura
trahuntur. Sed tempus pariendi instat, laborat puella è dolore: neq;
pueri ortus, sed quia mors tum imminet, hoc negotium putatur:
mors enim prægnantis propter incertum partus exitum timetur:
eosque sæpe hæc mala divinatio non fefellit: ante verò quàm diem
natalem egerint, bonumque ullum, quod in spe esset, degustarint,
omne gaudium in mœrorem repente cõmutarunt. Præterea qui a-
more flagrant, neque dum rerum, quæ in vita jucundissimæ sunt,
quasi specie voluptatis aliqua in somnis oblata, sensum ceperunt: hi
ab omnibus, quæ in manibus tenent, subito divelluntur. Ad hæc il-
lud etiam, quòd eorum cubiculum à domesticis, ut ab hostibus, di-
ripitur: cubiculique loco funeris exequiæ exornantur: insanæ in his
lamentationes ac plangores, inanes manuum percussiones, anteactę
vitæ commemorationes, diræ detestationes eorum qui nuptias sua-
serunt: querelæ gravissimæ de amicis, qui non prohibuerunt: in ma-
gna culpa parentes, si adsunt, sin minus, stomachatio, & deploratio
humanæ vitæ, naturæque omnis reprehensio, & contra Dei ipsius
providentiam criminationes, & accusationes multæ: secum pugnæ,
bellum cum iis qui adhortati sunt: nullis aut verbis aut rebus insul-
sissimis abstinent.

Quos enim perturbatio mentis superaverit, & qui præ dolore sę-
pe mente deseruntur, pejori termino eorum tragœdia sæpe con-
clusa est, cum dolori resistere minus potuerint. Sed hæc mittamus,
ponamus meliora: laborum in pariendo periculum fugit, natus est
ei scitus puer, imago ipsa parentum formæ. Vides perfectè, quanto
in bono tibi ex argumenti ratione gratificetur oratio. Quid? est-
ne propterea deplorandi materia imminuta, an non potius adau-
cta? Nam cùm superiores illi formidines sustinent, tum hanc etiam
filii causa assumpserunt: metuunt enim, ne quid in educatione rei
acerbæ accidat, ne qua communis mala fortuna impendeat, neve
fortuitus aliquis casus aut morbum, aut febrim, aut periculum ei a-
liquod importet.

Atque hæc quidem utriusque communia: illa verò, quæ uxoris
sunt propria, quis commemoret? ut prætereamus ea, quæ in prom-
ptu sunt, atque omnibus notissima, veluti prægnantis molestias,
pariendi periculum, educationis labores, & quandam denique cor-
dis ipsius præ amore filii quasi convulsionem. Si verò complurium
liberorum mater est, ejus animus in totidem curas distrahitur, quot
illi numero sunt, tanquã, q̃ illis accidant, ipsius viscerib. infixa pla-
nè hæreant. Hæc autem, quæ perspecta omnes habent, quis oratio-
ne complectatur? Sed quando illa ex divino præcepto non est sui
juris, verùm ab ejus voluntate, in cujus arbitrio propter nuptias est,
omnino pendet: si exiguo tempore est ab eo relicta, quasi capite à
se convulso solitudinem ferre non potest, & tanquam vitæ solitu-
dinem, viduitatemque exiguam viri separationem interpretatur:
continuò metus efficit, ut in nulla sit rerum expectatione melio-
rum.

Atque eam ob causam oculus ejus plenus perturbationis ac for-
midinis in ædium aditum ostiumque conjectus est: aures autem su-
surrationes obloquentium observant: rerumque terribilium metu
perculsum cor ejus disrumpitur: ante verò quàm rerum novarum
aliquid allatum sit ostii vel solus concrepitus, sive factus, sive cogni-
tione comprehensus, quasi malarum rerum nuncius evestigio ejus
animum commovit: fortasseque nihil absenti marito adversi acci-
dit, aut metu dignum: sed animi consternatione, nullo accepto nũ-
tio, mentē à jucundis rebus ad contraria convertit. Hæc est felicium
hominum vita, valde scilicet digna: non enim cum virginali liber-
tate comparatur. Atqui multa, quæ graviora sunt, percurrens præ-
terit oratio.

Nam sæpe illa cùm adolescentula est, atque in sponsæ splendore
elucet, fortasseque adhuc sponsi adventu rubet, & pudens limis a-
spectat: quandoquidem cùm animi cupiditates pudore quodam cõ-
primuntur, quo minus sese ostendant, acriores fieri contingit: tum
de improviso viduitas, ærumna, solitudo: quæve horribilia sunt, no-
mina sibi imponit, & ecce, quæ lauta modo erat amicta candido, or-
natuque insigni, repente quæ incidit calamitas, eam pulla veste, a-
troque habitu induit, dilaceratoque sponsæ ornatu, in luctum illam
& squalorem conjicit: deinde pro luce in nuptiali cubiculo caligo,
& tenebræ, luctus, lamentabiles ploratus, atque odium in eos, qui
dolorem lenire conantur: cibique abstinentia, corporis tabes, con-
tractio, demissioque animi, mortis cupiditas, quæ sæpe ad ipsam us-
que mortem perdurat. Sin autem aliquo modo fit, ut tempore miti-
getur calamitas, rursum alia exoritur ærumna, sive liberos habet, si-
ve caret: etenim si habet, orbi omnino sunt, propterea commisera-
tione digni, atque ex his ipsis doloris affectus renovatur: sin omni-
no caret, mortui memoria funditus tollitur; graviusque est solatio
malum.

Reliqua, quæ ſunt viduitatis propria incommoda, omitto: quotus enim quiſque eſt, qui omnia accuratè enumeret? ut inimicos domeſticos, tam eos, qui in calamitatem incidunt, tum illos, qui ea ſolitudine gaudent, ſenſuq; quodam oculorum iniquo, & cum voluptate labentem domum, ſervoſque omnia negligentes aſpiciunt, cunctaſq; alias res adverſas, quas multas in iis quidem cernere licet: quarum cauſa non paucæ mulieres, cùm eas deridentium iniquitatès non ferrent, ex neceſſitate iterum ſe ſimilium malorum periculo objecerunt, quaſi malis ſuis pœnas petierint ab iis, à quib. dolorem acceperint. Complures vero ſuperiorum malorum recordatione quidvis ſuſtinere, ac perpeti maluerunt, quàm in ſimiles rurſùs calamitates incurrere. Sin autem communes hujus vitæ difficultates cognoſcere cupis, velim audias, quæ commemorent mulieres, quæ illud vitæ genus expertæ cognoſcunt, quam beatiſſimas eas eſſe, quæ virginalis vitæ rationem delegerunt, neque ex ulla calamitate, quid melius eſſet, didicerunt: quoniam ab omnibus his malis vacua eſt virginitas: non orbitate luget, non viduitatem lamentatur, unaq; ſemper eſt cū incorrupto ſponſo, & fructibus pietatis perpetuò gaudet, ac domum verè propriā omni rerum optimarum genere continenter inſtitutam videt, propterea quod harum ædium dominus una ſemper eſt, atque incolit, ubi non ſejunctionem, ſed conjunctionem cum eo, cujus deſiderio tenetur, mors efficit: cum diſſolvitur, inquit Apoſtolus, tum eſt cum Chriſto. Sed quoniam quæ ad lætos homines pertinent, ſunt aliqua ex parte à nobis indagata; tempus jam eſt, ut hac oratione ceteras vitæ rationes perſequamur, quæ paupertatibus, rebus adverſis, reliquiſque malorum humanorum ſunt implicatæ peſtibus: quales omnino ſunt febres, morbi, & quæcunq; id generis humanæ vitæ acciderunt: quorum omnium periculum aut declinat, aut eorum calamitatem æquiùs fert is, qui ſibi vivit, utpotè cùm omnis ejus mentis cogitatio in ipſo hæreat, neque alienarum rerum curis abſtrahatur. Qui verò uxoris, ac liberorum cogitatione deſtinetur, propter rerum ſibi chariſſimarum curam, quæ in alienis malis animum occupat ſæpe nec otium quidem is habet, ut ſuis ipſe doleat incommodis. Sed fortaſſe ſupervacaneum eſt hæc commemorare, quæ exploratiſſima ſunt. Etenim ſi tantus labor, tantave miſeria cum iis conjuncta eſt, quæ in rebus optimis eſſe videntur, quid aliquis de rebus contrariis opinabitur? quandoquidem eſt veritate inferior omnis illa ſermonis explicatio, qua quis hanc vitam ob oculos omnium ponere conatur: attamen multas fortaſſe hujus vitæ injucunditates ex paucis demonſtrari licet: quoniam quibus hoc vitæ genus contingit, ſi comparentur cum iis, qui beati eſſe videntur, è rebus contrariis dolorem, ac mœſtitiam capiunt. Nam his qui gaudenti ſunt animo, aut expectata, aut quæ jam inſtat mors perturbationem affert, illis verò calamitas eſt dilatio mortis: vitaque eorum inter ſe contraria eſt, quaſique interjecto diametro diſtat: utriuſque tamen imbecillitas animi eodem termino commiſcetur. Quamobrem multiplex, & varia eſt copia malorum, quæ à nuptiis exiſtunt: dolorem enim liberi nati æquè important, ac non nati; & rurſus tam vivi, quam mortui. Hic enim liberorum multitudine gaudet, cum non ſatis habeat unde alat: ille verò hærede caret facultatum ſuarum, in quibus maximè elaboravit: atque unius quidem bona forma alterius calamitatem efficit, cùm ſibi uterque illud evenire velit, quo alterum cruciari videt.

Ac huic mortuus eſt ſuaviſſimus puer: illi ſuperat prodigus. uterque ſanè commiſeratione dignus: unus quidem filii mortem, alter verò vitam luget. Prætereo, quibus affectibus, & calamitatibus ſuſpiciones, & rixæ, vel ex rebus veris, vel è falſis cogitationibus exortæ, terminentur: quis enim omnia diligenter narrare poſſet? Tu verò ſi ſcire vis, ut his reb. vita ſit hominū implicata: ne mihi repetas antiquas narrationes, quæ poetis fabularum argumenta præbuerunt. Nam propter incredibilem quandam inſulſitatem fabulæ illæ quidem putantur: in his enim liberorum cædes, ac voracitates, fratrum trucidationes, virorum neces, matrum interemptiones, nefarii coitus, & varia denique naturæ perturbatio, cujus commemorationem ii, qui vetera narrant, à nuptiis exordiuntur, hujuſmodique calamitatibus narrationem ipſam concludunt. Verum omnibus his prætermiſſis, tu velim in hujus vitæ theatro tragœdias ſpectes, quarum omnino miniſtræ hominibus nuptiæ ſunt. Veni ad judicia: pertracta de his leges: invenies in illis res de nuptiis nefarias: quemadmodum enim, cum medicos de variis morbis diſſerentes audieris, animadverteriſque, quibus, quotve morbis corpus humanum affici poteſt, illius miſerias cognoſcis: ita ex legibus, cùm perſpicias multa, & varia, quæ in nuptiis ſcelera committuntur, quorū pœnæ legibus ipſis definiuntur, accuratè intelligis, quæ ſunt nuptiarum propria: neque enim aut medicus eos, qui non ſunt, morbos curat: nec delicta item quæ non committuntur, leges puniunt. *c.3. orationis de Virginitate.*

D. Greg. Nyſſenus: Ut gladii capulus politus ille quidem, tactu facilis, & ornatu undique cinctus apparet: reliquum vero ferrum mortis eſt inſtrumentum (formidoloſum hoc certè eſt videre: illud tamen formidoloſius multo eſt, ſi ad aliquem vel pugnæ, vel cædis uſum adhibetur) hoc in genere nuptiæ ſunt: quæ quaſi capulum aliquem artificioſo opere illuſtratum, politam quandam voluptatis ſpeciem guſtui contrectationique noſtræ præ ſe ferunt. Cùm verò in manibus ejus ſunt, qui illas attigerit, luctus, miſeriarumque ipſæ mortalibus cum effectrices exiſtant; rerum omnino gravium, quæ ſecum connexæ ſunt, aditum aperuerunt. Hæ miſerabilia ſpectacula, lachrymarumque plena edidere. Videmus enim ſæpe liberos immatura ætate ſolos relictos, potentiumque hominum prædæ propoſitos, qui ob malorum imperitiam plerumque in rebus adverſis rident. Viduitatis verò principium & cauſa quæ alia eſt? an non nuptiæ, *cap.13. de Virginitate.*

D. Chryſoſtomus: Matrimonium & nobis & externis videtur eſſe honorabile: & eſt honorabile. Sed cum celebrantur nuptiæ, tot fiūt res ridiculæ, quot ſtatim audietis. Nam multi à conſuetudine occupati & decepti, ne earum quidem diſcernunt abſurditatem, ſed egēt aliis qui doceant. Nam & choreæ, & cymbala, & tibiæ, verbaque & cantica turpia, temulentiæque, & cōmeſſationes ac ludificationes, & multa diaboli farrago tunc invehitur. Quomodo enim non fuerit hoc ſummè condemnandum; virginem, quæ perpetuò vixerat in thalamo, & ab ineunte ætate didicerat verecundiam, repentè cogere omnem ſimul effundere pudorem, & ab exordio matrimonii docere impudentiam, & viris petulātibus & impudicis, ſcortatoribuſque & mollibus eam in medium adducere? Quodnam enim malū illo die non inſeretur ſponſæ? Impudentia, audacia, inverecundia, indecoræ amor gloriæ. Volent enim omnes dies habere his ſimiles. Hinc ſunt mulieres profuſæ & ſumptuoſæ, hinc impudentes, hinc mala illis innumerabilia. Neque mihi dicas conſuetudinem. Nam ſi res quidem eſt mala, ne ſemel quidem fiat; ſin autem bona, ſemper fiat. Nam dic mihi, ſcortari, non eſt malum? Concedemúsne ergo hoc ſemel fieri? Nequaquam. Quare? Quoniam etſi ſemel tātùm fiat, malum eſt ſimiliter. Quamobrem ſic quidem oblectari ſponſam, ſi eſt quidem malum, ne ſemel quidem fiat; ſin autem non eſt malum, ſemper fiat. Cur ergo, inquit, de nuptiis, detrahis? Abſit non ſum adeò inſanus. ſed ea quæ malè attrahuntur ad nuptias, nēpè attrita pigmenta & fucos, & quidquid eſt in eis curioſum & ſuperfluum. Nam ab illo die multos accipiet amatores, etiam ante eū qui cum ipſa eſt habitaturus. At multi propter ſpeciem admirabūtur mulierem. Et quid tum? Nam ſi ſit pudica, vix effugiet ſuſpicionem. Sin autem ejus nulla geratur cura, citò capietur, ex illo die accepta occaſione libidinis. Sed tamen cùm tot ſint mala, quando hęc non facta fuerint, contumeliam rem appellant, qui pecoribus nihilo ſunt meliores; & indignantur ſi non vulgo appareat mulier, nec exhibeatur videntibus commune ſpectaculum. Vide quæ hinc ſequuntur. Non ſolùm interdiu, ſed etiam veſperi viros ebrios & crapula gravatos, & à voluptate & deliciis incenſos, qui ſe parant ad videndam pulcritudinem vultus virginalis; & non domi, ſed per forum traducunt ad oſtentationem; cum lampadibus eam profunda veſpera deducentes, ut eam omnibus oſtendant; per ea quæ faciunt nihil aliud ſuadentes, quàm ut de cætero omnem exuant pudorem. & nec hactenus ſiſtunt, ſed cum verbis turpibus eam ducunt. Hæc quoque vulgo lex eſt. fugitivi, & maſtigiæ, & pernicioſi homines ſecurè & cum ſumma licentia dicunt quæ volunt, & in ſponſam, & in eum qui eſt cum illa habitaturus. & nihil quidem honeſtum, omnia autem turpia, probroque plena & dedecore: bonam autem temperantiæ & moderationis doctrinam non habebit ſponſa, quæ hæc audit & videt. & eſt quædam diabolica contentio eorum qui hæc ſuadent, ut alii alios ſuperent probrorum ac turpium verborum glorioſa prolatione, per quæ eos qui conveniunt probro afficiunt ac dedecore; & illi victoria parta recedunt, qui plura probra & majores congeſſerunt turpitudines. Quomodo enim, dic quæſo, non eſt injucundum; contumelia & maledicto affici, & ab omnibus cum ſponſa dedecore & ignominia notari? Et ſi quiſpiam quidem ex foro tuæ conjugi maledixerit; lites & jurgia moves innumerabilia, & vitam non exiſtimas eſſe vitalem: tota autem civitate præſente, probro & ignominia cum futura conjuge appetitus; lętaris & exultas: quantæ hæc ſunt inſaniæ? Sed ea res, inquit, eſt uſurpata cōſuetudine. Propterea eſt maximè lugendum, quòd rem conſuetudine concluſerit diabolus. Nam quoniam res honeſta eſt matrimonium, & noſtrum genus conflat ac conſtituit, & cauſa eſt multorum bonorum; dolore punctus ille malignus, & ſciens munitum eſſe propugnaculum adverſus ſcortationem, aliter ſcortationem inducit univerſam. Nam in his quidem certè conventibus multæ virgines etiam dedecore ſunt affectæ. Si autem non ſemper: interim tamen dæmoni illa verba ſufficiunt, & improba illa cantica; & ſpōſam traduxiſſe, & ſponſum transvexiſſe per forum. Deinde quoniam hæc fiunt veſperi, ut ne tenebræ quidem his malis velum obtendant, multæ inferuntur lampades, quæ non ſinunt latere turpitudinem. Quid enim ſibi vult multa turba? Quid verò ebrietas? Quid fiſtulæ? An non eſt perſpicuum, ut ne ii quidem qui ſunt in ædibus, & gravi ſomno obruuntur, hæc ignorent: ſed à fiſtula excitati, & ſupernè ex feneſtris deſpicientes, ſint teſtes illius comœdię. Quid dixeris de ipſis canticis? quæ ſunt plena omni impudicitia, & amores pravos, & concubitus illegitimos ac nefarios, & domorum everſiones, & tragædias inducunt innumerabiles, & frequens habent nomen amici & amantis, & amicæ & dilectæ: & quod eſt omnium graviſſimum, eis adſunt virgines omni exuto pudore ad ſponſæ honorem, vel potiùs ignominiam, & ſuam projicientes ſalutem, & inter impudicos adoleſcentes, incompoſitis laſcivientes & indecorè ſe gerentes cantilenis, verbiſque turpibus & ſatanica conſonantia. Et adhuc me rogas, unde ſint adulteria, undenam ſtupra, unde matrimoniorum corruptiones? At non hæc, inquit, faciunt ingenuæ & honeſtæ. Quomodo ergo me irrides, cùm ipſe hanc legem ante me ſcias? Nam ſi ſunt bona & honeſta quæ fiunt, ſine illas quoque hæc facere. Num enim quoniam in paupertate vitam agunt, non ipſæ

quoque sunt virgines, & non ipsos quoque gerere oportet curam
continentiæ ac pudicitiæ? Nunc autem saltat virgo in communi
theatro juvenum impudicorum. & non tibi videtur esse magis in-
famis, quàm meretrix? Sin autem dicis, Hæc faciunt ancillæ: ne sic
quidem te absolvo à reprehensione. neque enim eis, oportebat per-
mitti. Omnia enim mala ex his oriuntur, quòd familiæ nullam ha-
bemus rationem. *Homilia 12. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus. In aliis quidem, inquit, plus habeat maritus: ubi au-
tem de pudicitia & continentia agitur, nequaquam. Vir sui corpo-
ris potestatem non habet, neque mulier. Magna est honoris æqua-
litas, & nulla est exuperatio. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex
consensu. Quid hoc est? Ne contineat, inquit, mulier invito marito;
neque maritus nolente uxore. Quare? Quoniam ex hac continen-
tia magna nascuntur mala. Nam & adulteria, & stupra, & domorũ
eversiones sæpe hinc ortæ sunt. Nam si etiam habentes suas uxores
fornicantur, multo magis si eos privaveris hoc solatio. Et rectè di-
cit, Nolite fraudare: fraudationem heic, & debitum superiùs appel-
lans; ut dominii ostenderet incrementum. Altero enim invito con-
tinere, est alterum privare; volente autem, minimè. Non enim si me
persuaso ex meis aliquid acceperis, dico me fraudari aut privari.
Qui enim ab initio aut per vim coacta accipit, fraudat ac privat.
Quod quidem multæ faciunt mulieres, quæ majus peccatum fa-
ciunt quàm justitiam; ut quæ ea ratione sunt reę maritorũ libidinis
& impudicitiæ, & omnia divellunt & trahunt ad dissidium. Oportet
autem omnibus præferre concordiam, quoniam hoc est quod o-
mnium maximam habet potestatem: & si vis, id in rebus ipsis exa-
minemus. Sit enim uxor & maritus: & contineat uxor invito mari-
to. Quid ergo si ille quidem hinc fornicetur, aut non fornicetur
quidem; doleat autem, & conturbetur, & uratur, & pugnet, & uxori
innumerabilia exhibeat negotia? Quid ei prodest lucrum ex con-
tinentia, si rupta sit charitas? Nihil. Quot enim maledicta, quot ne-
gotia, quot turbas, quantum bellum hinc oriri necesse est? Quando
enim domi inter maritum & uxorem fuerit dissidium: non meli-
ùs se habebit domus, quàm navis agitata tempestate; dissidente gu-
bernatore ab eo, qui regit proram. *Homilia 19. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Ut autem non solùm in civitatibus, sed etiam in
singulis domibus multa sit concordia; cùm virum quidem imperio
honorasset & excellentia; mulierem autem armasset cupiditate, fi-
liorum autem procreationis donum ambobus posuisset medium,
multa etiam alia constituit quæ charitatem conciliarent. Neque e-
nim omnia viro permisit, neque omnia mulieri, sed ea unicuique
divisit: ut qui mulieri quidem domum, viro autem forum tradide-
derit. & viro quidem dedit ut aleret, nam agros colit: mulieri autem
ut vestiret, tela enim & colus sunt mulieris. Ipse enim dedit mu-
lieri texendi artem & industriam. Sed pereat avaritia, quæ non sinit
hoc apparere discrimen. Nam multorum ignavia & mollities etiã
viros ad telas deduxit, & radios eis in manum tradidit, liciumque &
stamen. Sed tamẽ sic quoq; resplendet administrationis divinæ pru-
dentia. nam & muliere valde opus habemus in magis necessariis: &
minoribus indigemus in iis, quæ vitam continent. ususque tanta
est necessitas: ut etsi quis sit omniũ hominũ ditissim⁹, ne sic quidẽ
sit liber ab hac cõjunctione, & opus habeat inferiori. *Homilia 34. ad
Corinth. 1.*

Chrysostomus: Uxor timeat virum! quid ni? est enim secundus
principatus; neque ipsa exigat æqualitatem honoris, est enim sub
capite: neque ille eam despiciat tamquam subjectam, est enim cor-
pus. Si caput corpus despiciat, ipsum quoque peribit. Sed afferat di-
lectionem, quæ tanquam in æquilibrio respondeat obedientiæ; ut
puta, ministrent ei manus, pedes, reliqua omnia membra. Illud eis
provideat & eorum curam gerat, ut quod in se omnem habeat sen-
sum. Nihil est hoc conjugio melius & præstantius. Et quomodo, in-
quit, fuerit dilectio, si est metus? Maximè tunc fuerit. Nam quæ
timet, etiam diligit. Quæ diligit, timet tanquam caput, diligit tan-
quam membrum. Nam caput quoque est membrum totius corpo-
ris. Propterea illam quidem subjecit, hunc verò præfecit & supra
posuit, ut esset pax. Ubi enim est honoris æqualitas, pax nunquam
fuerit; neque si domus populari regatur imperio, neque si omnes
imperent: sed necesse est ut sit unus principatus. *Homilia 20. ad
Ephesios.*

Chrysostomus: Non est tanta viri cum viro necessitudo & conjun-
ctio, quanta mulieris cum viro, si sit rectè conjugatus. Propterea
vir quidam beatus summam significans dilectionem & lugens quẽ-
dam ex suis amicis & qui erant unanimes; non dixit patrem, non
matrem, non filium, non fratrem, non amicum. sed quid? Cecidit
dilectio tua super me, inquit, tanquam dilectio mulierum. Revera
enim revera hæc dilectio est magis tyrannica quàm quævis tyran-
nis. Nam aliæ quidem sunt vehementes: hæc autem cupiditas habet
& vehementiam, & quòd non possit marcescere. Inest enim qui-
dam amor in natura delitescens, & nos latens connectit hæc corpo-
ra. Propterea & ab initio ex viro mulier, & postea ex viro & muliere
vir & mulier. Vides cõjunctionẽ & cõnexionẽ? Quomodo nõ siverit
aliã extrinsecus ingredi essentiã. Vide autem quàm multa admini-
strarit & dispensarit? Passus est ipsum suam sororem ducere uxorẽ
vel potiùs non sororem sed filiam, vel potiùs non filiam sed plus
quàm filiam, nempe suam carnem. Totum autem fecit ab alto pe-
tita origine, sicut in lapidibus, eos cogens in unum. Non enim eam
fecit extrinsecùs, ne tanquam alienæ ei adhiberet animum. Neque
rursus ad ipsum usque stitit matrimonium, ne seipsum coercens &
cogens separaretur à ceteris. Et sicut in plantis illæ sunt longè o-
ptimæ & præstantissimæ, quæ habent unum stipitem, & extendun-
tur ad multos: quo fit ut si omnia temerè solùm vertantur circa ra-
dicem, & multas etiam habeant radices, non est utique arbor digna
admiratione. Ita heic quoque ex uno Adamo fecit ut plantaretur
universum genus, id ad magnam redigens necessitatem, ut non di-
velleretur nec separaretur, & magis contrahens, fecit ut sorores &
filiæ non ampliùs ducerentur uxores: ne rursus dilectionem in u-
num contraheremus, & aliter separaremur à nobis ipsis. *Homilia
20. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Revera matrimonium magnum est mysterium;
eo qui procreavit, qui genuit, qui educavit, ea quæ concepit, quæ
cum dolore peperit & afflictione? qui tot & tantis affecere benefi-
ciis, cum quibus diuturnus fuit usus & consuetudo, relictis, ei adhę-
rere, quæ ne visa quidem fuit, & cum eo nihil habet commune &
eam omnibus præferre. Et parentes cùm hæc fiunt non ægre ferũt,
sed potius ægrè ferunt si non fiant: & cum impenduntur pecuniæ, &
fit sumptus lætantur. *c. 20. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus. Non vides quod etiam in carne multos habemus
defectus? hic quidem est claudus, ille perversos habet pedes; alius
manus aridas, alius aliquod aliud membrum infirmum & invalidũ,
neque dolet, neq; id exscindit, sed & ipsum sæpe præfert alii: & me-
ritò, est enim ejus. quantam enim unusquisque habet in se dilectio-
nem, tantam vult Deus nos habere in uxorem. sumus unius natu-
ræ participes &c. *Homil. 20. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Ab uxore ergo ne quæras copiam pecuniæ, & alia
omnia facilè invenies. Quis, dic quæso, dimissis iis quæ sunt præci-
pua, minorum curam geret? Sed hei mihi, hæc nobis semper usu-
veniunt, & ita afficimur, & si filium habeamus, non studium poni-
mus ut evadat bonus, sed ut ei divitem accipiamus uxorem; non ut
bonis sit moribus, sed ut abundet opibus. Et si vitæ institutum per-
sequamur, non quęrimus, ut sit nobis à peccatis liberum, sed ut ma-
gnum nobis afferat lucrum, & pecunię sunt omnia: propterea per-
eunt & corrupta sunt omnia, quoniam tenemur illo amore. *Homi-
lia 20. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Vis tibi obedire uxorem, sicut Christo ecclesiam?
ipse quoque ejus curam gere, sicut Christus ecclesiæ. Etiamsi ani-
mam pro ipsa dare oporteat, etiamsi millies cõscindi, etiamsi quod-
vis sustinere & pati; non recusabis: & si hoc passus fueris; nihil ad-
huc tale fecisti, quale Christus. Nam tu quidem jam conjunctus
hæc facis: ille autem pro ipsum aversante, & eum habente odio.
Quomodo ergo ipse eam, quæ ipsum aversabatur, oderatque, & de-
spicatui habebat, ac cõspuebat, & per lasciviam ei insultabat, magna
sua cura suis subjecit pedibus; non minis, nec cõtumeliis, neque me-
tu, neque ullo alio ejusmodi: Ita tu quoque te gere in tuam uxorẽ:
etiamsi eam videris despicientem, etiamsi per lasciviam insultan-
tem, etiamsi contemnentem; poteris multa ejus cura & providen-
tia, dilectione & amicitia eam tuis pedibus subjicere. Nihil est his
vinculis magis tyrannicum, & maximè marito & uxori. Nam fa-
mulum quidem poterit quispiam metu alligare; imò verò ne illum
quidem, fortassè enim resiliet & abibit: vitæ autem sociam, liberorũ
matrem, & quæ est causa & occasio omnis lætitię, non oportet me-
tu & minis ligare, sed dilectione & affectione. Quænam enim est
conjunctio, quando uxor exhorrescit maritum? Quanam autem
voluptate fruetur ipse maritus; cum uxore habitans tanquam cum
ancilla, & non tanquam cum libera? Et si quid præ ea passus es, ne
exprobres. Neque enim Christus hoc fecit. Et seipsum tradidit pro
ea, ut illam sanctificaret. Erat ergo immunda: erant in ea sordes &
maculę: erat turpis ac deformis; vilis erat & abjecta. Quamcunque
ergo acceperis uxorem: non talem accipies sponsam, qualem Chri-
stus ecclesiam; neque quæ à te tantum absit, quantum ecclesia à
Christo. Sed tamen non est abominatus, neque eam odio habuit
propter summam deformitatem. *Homilia 20. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Dilectio magis obtinet principatum in conjugio
quàm timor. nam si hæc sit, sequuntur omnia alia: si ille sit, non o-
mnino. quippe qui uxorem diligit, etsi non admodum morigeram,
omnia tamen sustinebit: adeo res est difficilis & ardua concordia,
quando non fuerint colligati tyrannide dilectionis. timor autem
non omnino in hoc se rectè gerit. Et tamen mulier, cui videtur af-
ferri damnum quod jubeatur timere, lucratur: viro enim præceptũ
est id quod præcipuum, & magis dominatur, nempe diligere. *Hom.
20. ad Ephes.*

Chrysostomus: Nihil est hac pugna acerbius, quando viri fuerit
pugna adversus uxorem. Nam quæ adversus personas quæ diligun-
tur sunt pugnæ, eæ sunt acerbæ, & ostendit hoc fieri ex magna acer-
bitate, quum alicui adversus suum membrum est dissidium. Atque
diligere quidem est virorum, illarum vero cedere. Si ergo unusquis-
que quod suum est afferat, stant omnia firma & stabilia. Ex eo ergo
quod diligatur, fit mulier amica & benevola. ex eo autem quod sit
subdita, vir fit mitis & clemens. Vide autem quod hoc quoque na-
tura sic sit comparatum, ut vir quidem diligat, mulier autem obe-
diat. Nã quãdo is qui imperat, diligit eũ qui paret imperio, tũc consi-
stũt omnia. Nõ tã ab eo qui paret imperio, quæritur dilectio, quã ab
eo qui imperat adversus eũ qui paret: ab illo enim est obedientia.
Nam quod mulieri est pulchritudo viro autem cupiditas, & desi-
derium, nihil aliud ostendit quam quod sic fiat propter dilectionẽ.
Ne ergo quoniam subjecta est mulier, sis insolens: neque tu quoniã

vir diligit,intumeſce. Neque viri amicitia extollat mulierem:neq; mulieris ſubjectio inflet virum. Propterea ſeipſam tibi ſubjecit, ut magis diligatur. Propterea te fecit amari,ô mulier,ut facile feras ꝙ ſis ſubjecta. Ne timeas ſubjectum. Etenim qui amat eſſe ſubjectum, nullam habet difficultatem. Ne timeas amans: habes enim ipſam cedentem. Non alias ergo eſſet vinculum. Habes neceſſarium à natura imperium. Habe etiam vinculum quod eſt ex charitate. eam enim quæ eſt imbecillior, ſinit eſſe tolerabilem. *Homilia 10. ad Coloſſenſes.*

Chryſoſtomus: Ecce rurſus myſterium charitatis & dilectionis. Si duo non facti fuerint unum, non faciunt multos, quamdiu duo mãſerint: quando autem venerint ad unitatem, tunc faciunt. Quid ex hoc diſcimus? Quod unionis magna ſit vis. Solers Dei artificium unum in duo divisit ab initio. Et volens oſtendere quod etiam poſtquam ſit diviſus manet unum, non ſinit unum ſufficere ad generationem. non eſt enim unus qui nondum eſt, ſed dimidium unius. & perſpicuum eſt quod filios non procreat ſicut prius. Vidiſti myſterium ſacramenti. Fecit ex uno unum, & rurſus quum hos duos feciſſet unum, ſic facit unum. Quamobrem ex unoquoque naſcitur homo. Mulier enim & vir non ſunt duo homines, ſed homo unus. Idque poteſt probari ex multis: ex Jacobo, & ex Maria matre Chriſti, ex eo quod dicat, Maſculum & feminam fecit eos. Si hic quidē eſt caput, illa vero corpus, quomodo duo? Propterea hæc quidem diſcipuli, ille vero locum tenet magiſtri. Ille quidem principis, hæc vero ejus qui paret principi. Porro autem ex ipſa quoque corporis formatione videris eſſe unum. Facta eſt enim ex latere, & tanquam duo ex dimidio diſſecta. Propterea eam quoque vocat adjutricem, ut oſtendat eos eſſe unum. Propterea & patri & matri præfert conjunctionem & cohabitationem, ut oſtendat quod ſint unum. Et pater ſimiliter lætatur & filia & filio junctis matrimonio, utpote quod corpus properet ad ſuum membrum. Fitque tantum ſumptus, & pecuniæ detrimentum, & tamen non ſinit videre non junctum matrimonio. Tanquam enim ipſa abſciſſa carne, uterque eſt imperfectus ad liberorum procreationem: uterque eſt imperfectus ad præſentis vitæ conſtitutionem. Propterea dicit etiam Propheta, Defectus ſpiritus tui. Quomodo autem ſunt etiam in carne una? Quomodo ſi auri ademeris quod eſt puriſſimum, & alteri auro admiſcueris: ita hic quoque, id quod eſt pinguiſſimum, tanquam fundēte voluptate, ſuſcipiens mulier alit & fovet, & quum ea quæ ſunt ſua contulerit, viro reddit. Et eſt infans inſtar pontis. Quamobrem tres fiunt una caro, infante utrinque utroſque conjungente. Quomodo enim ſi quum duæ ſint civitates, & fluvius eas omnino dividat, una fit civitas ponte utrinque conjungente: Ita eſt hic quoque, & magis, quando ipſe pons ex utriuſque eſſentia, ea ratione ut corpus & caput ſunt unum corpus. collo enim dividitur, ſed non magis dividuntur quam conjunguntur. Nam quum ſit medium, utrũque conjungit, & perinde fit ut ſi chorus ſit diſtractus, una quidem ejus parte hinc accepta, altera autem à dextera, unum fecerit. Aut ſicut qui fuerint in unum contracti, etiam manus extendentes ſunt unum. Manus enim extenſæ non ſinunt eſſe duos. Propterea exacte & accurate dixit, non, Erunt una caro, ſed in unam carnem, nempe infantis, conjuncti. Quid vero, quando non fuerit infans, non erũt? Hoc enim facit coitus. confundit & commiſcet amborum corpora & ſicut qui in oleum injecit unguentum, totum facit unum: ita hic quoque. *Homilia 12 ad Coloſſenſes.*

D. Chryſoſtomus: Primum quidem virum quære virgini, qui vere ſit vir tutorq; ejus & defenſor, tanquam corpori caput impoſiturus, ut qui non mancipium, ſed filiam ei ſis traditurus. Ne quæras pecuniam, non generis ſplendorem, non patriæ magnitudinem, ſunt hæc omnia ſupervacanea: ſed animi pietatem, manſuetudinē, veram prudentiam, Dei timorem, ſi vis filiam vivere cum voluptate & lætitia. Quærens enim ditiorem, non ſolum eam non juvabis, ſed etiam lædes, ſervam facies pro libera. Non tanta enim ex aureis fruetur voluptate, quanta moleſtia ex ſervitute. Sed hæc ne quæras, ſed eum quidem qui ſit paris conditionis: ſi fieri autem poſſit, pauperiorem magis quam ditiorem, ſi non domino vendere, ſed marito vis tradere filiam. Quando viri virtutem exacte examinaveris, & eam es traditurus, roga Chriſtum ut adſit, non enim illum pudebit. myſterium quidem eſt ſuæ præſentiæ. Atque maxime quidem tunc roga ut talem det ſponſum. Ne ſis ſervo Abrahæ deterior, qui ad tantam miſſus peregrinationem, vidit quo eſſet confugiendum, & ideo omnia eſt conſequutus. Quando tu es ſolicitus, & virum quæris, precare: dic Deo, quem tu velis provide, rem totam ei trade & committe. Hoc autem à te ornatus honore, te remunerabitur. Duo certe oportet facere, nempe & ei mandare ac committere, & talem quærere qualem ipſe vult, nempe probum & honeſtum. *Homilia 12. ad Coloſſenſes.*

Chryſoſtomus: Vide quantum miniſterium affert mulier. Domũ cuſtodit, & curam gerit omnium quæ domi ſunt, ancillis inſtat & eas urget ad opus: veſtit ſuis manibus, efficit ut voceris pater filiorũ, te liberat à proſtibulis, dat auxilium ad modeſtiam & temperantiã: ſedat œſtrum naturæ. Sed tu eam quoque beneficio affice. Quomodo? In ſpiritualibus ei manum porrige. Quæ audieris utilia, ea non ſecus atque hirundines ore portans, affer & pone in ore matris & pullorum. Quomodo enim non eſt abſurdum, te in aliis quidem primas velle obtinere, & locum tenere capitis, in doctrina autem ordinem deſerere? Eum qui imperat iis qui parent oportet excellere, non in honoribus, ſed in virtutibus. Nam illud quidem eorum qui parent, hoc vero ejus qui imperat eſt officium. Si multo honore fruaris, hoc nihil ad te: accepiſti enim ab aliis. Si multa virtute refulgeas, hoc totum eſt tuum. Es caput uxoris, concinna, corrige & compone reliquum corpus. Non vides quod caput non tantum loco ſuperat reliquum corpus, quantum cura & providentia, ut quod ipſum regat ac dirigat tanquam gubernator? In capite enim & corporis & animæ ſunt oculi. Illinc ad eos affluit vis perſpiciendi, illinc vis regendi quæ tenet principatum. Et reliquum quidem corpus cõſtituitur ad miniſtrãdum: hoc vero collocatum fuit ad imperandũ. Omnes ſenſus illinc habent principium & fontem: illinc inſtrumẽta emittuntur vocalia, facultas videndi, facultas odorandi, tactus univerſus: Illinc orta eſt radix nervorum & oſſium. Vides quod providentia magis excellit, quam honore? Ita nos etiam imperamus mulieribus: eas vincimus, non quod plus honoris quæramus, ſed ꝙ ipſæ à nobis majori afficiantur beneficio. Oſtendi eas non parvis nos afficere beneficiis, ſed ſi velimus eas remunerari ſpiritualibus, nos vincimus. Nam in corporalibus non poſſumus aliquid afferre quod eis ex æquo reſpondeat. Quid enim affertis? Multas pecunias? Sed illa ſervat. Ipſa autem illius providentia propendet ex æquilibrio: & adeo ea opus habet, ut multi qui multa poſſidebant, quoniã non habebant qui ſervaret, omnia perdiderunt. Sed propter liberos eſt inter ambos ſocietas. Par quoque eſt utriuſque beneficium, imo vero illa in his laborioſius obit miniſterium, ut quæ perpetuo ferat fætum, & partus vexetur laboribus. Quamobrem in ſolis ſpiritualibus eam potes vincere. Ne curemus ut ſint nobis pecuniæ, ſed ut quæ nobis creditæ ſunt animæ, eas cum fiducia coram Deo ſiſtamus. In illis enim corrigendis & concinnandis nobis quoque multũ profuerimus. Nam qui alium docet, ſi nihil aliud, in dicendo compungitur, dum videt ſeipſum iis eſſe obnoxium de quibus alios reprehendit. Quoniam ergo & nobis ipſis & illis proſumus, & propter illas domui, & hoc Deo eſt gratum, in primis ne nos pigeat & noſtræ, & eorum qui nobis miniſtrant, animæ curam gerere. *Homilia 5. ad Theſſal. 2.*

D. Io. Chryſoſtomus: Præcipuum eſt domeſticę pacis, ac bonorum omnium fundamentum, ſi uxor viro per omnia conſentiens ſit. nã ubi hoc fit, nihil triſte contingere poterit. Quo pacto enim cùm caput corpori connexum conjunctumq; ſit ulla poſſit exoriri diſſenſio? neceſſariò profectò omnia in pace ſunt. Principibus namque pacatis, quis jam pacem dividere poſſit atque diſcindere? Quemadmodum è contra his invicem diſſentientibus, nihil ſalubre eſſe poterit, totaque ſimul nutabit familia. Nihil igitur hac re majus, nihilque magis neceſſarium. verùm præſtat id & pecuniis & ingenuitati, & potentiæ, & cæteris omnibus longe utiliſſimum eſt. *Homilia 4. Epiſt. ad Titum.*

D. Io. Chryſoſtomus: Quæ virum contemnit, etiam rei domeſticę negligens erit. ex ea autem dilectione viri etiam pudicitia naſcitur, & ex ea charitate omnis contentio tollitur. *Homilia quarta ad Titum.*

S. Iſidorus Peluſiota: Nulla legum Apoſtolicarum præmio caret: nulla earum utilitatis eſt expers, quemadmodum improbi ac ſtulti Manichæi criminantur, qui diabolum impietate longè ſuperant. Tempus enim breve eſt, inquit Paulus Reliquum eſt, ut qui uxores habent, tanquam non habentes ſint. Quibus verbis non legitimum concubitum prohibet, verùm præpoſteram atque inordinatam voluptatem coercet: ſimulque etiam temporis complementum ſignificat. Si vita celeri curſu tranſit, inquit, ei, tanquam firmæ ac ſtabilî propenſos deditoſque nos eſſe minimè oportet. *libr. 1. Epiſtol. 413.*

S. Iſidorus Peluſiota: Habeat ſanè ſuas laudes honorabile conjugium, ut quod à Deo datum ſit, & ab hominibus in honore habitum: Sed cum virginitate ne contendat, verùm intra ſuos ſe terminos contineat. Quamquam enim, quòd velles ipſum ultra quàm fas ſit exornare atque extollere, dixiſti, Cœlum etiam terræ per pluvias in cœtum convenire, & Solem lumen ſuum impartiri Lunæ, & flumina mari commiſceri, omniſque generis animalia, terreſtriũ, & aeri vagorum & marinorum ab hoc gubernata ſucceſſionibus cõſervari ac perpetuari: Sed cum Angelorum vita comparatum ſuperari, quibus conjugii uſus ſupervacaneus eſt neq; expetendus: Tamen multa oſtendere poſſumus genera, quæ etiam in terra gignuntur ſine commixtione corporum. Sed hoc facere ſuperſedebo: Verùm & utilem & neceſſariam hanc rem eſſe pronuntio, ſi ad liberorum procreationom, & non ad libidinem explendam referatur. Hoc autem potius affirmaverim, Indignam eſſe quæ cum cœleſti dignitate comparetur. Mundanis quidem exemplis ſeſe jactet matrimonium: ſupra mundanis autem excellentiis ne utatur. Mundani igitur & ſunt & vocantur illi, qui id amplexi fuerunt: At veri germanique virginitatis amatores & ſectatores in Angelorum ordinatas adſcripti ſunt dignitates. Ait enim arcanum illud Canticum, Stuporem ipſis adeſſe tanquam ordinatorum. Nihil enim apud illos eſt inordinatum, nihil inæquale; ſed omnia ordine & rhythmo atque harmoniâ concentuque pulcerrimo exornata ſunt. Sicut ergo cœlum terrâ, & anima corpore, ſic etiam virginitas conjugio præſtantior eſt. Nam caſtitate quidem angelis homo fit ſimilis; Conjugio autem nihil differt à brutis animalibus, quibus corporũ commixtio neceſſaria eſt, & ſucceſſionem perpetuitatemque generis moliri videtur. *lib. 4. epiſt. 192.*

§ PATRUM LATINORUM.

S. Salvianus: Uxorem, inquit Socrates, propriam nullus habeat: matrimonia enim cunctis debent eſſe communia. ſic namque major erit concordia civitatum, ſi omnes viri feminis ſine diſcretione omnibus miſceantur, & omnes ſe ſcilicet feminæ omnibus viris ſine diſtinctione ſubſternant; ac ſic fiant omnes viri omnium mulierum mariti, omnes feminæ virorum omnium uxores. Quid frenetice aut dæmoniace, tu dicis hac ratione omnes viros eſſe feminarũ omnium maritos, & omnes feminas virorum omniũ uxores, & parvulos omnes omnium filios? at ego dico hac ratione, neq; ullum virum ullius feminæ maritum, neque ullam mulierem ullius maſculi uxorem, neque ullum pignus ullius parentis filium. Ubi enim promiſcua omnia & confuſa ſunt, nemo eſt qui ſuum poſſit aliquid vindicare, nec ſuffecit ſapientiſſimo, ut quidam ajunt, Philoſopho docere hoc, niſi ipſe feciſſet: uxorem enim ſuam alteri viro tradidit; ſicut & Romanus Cato, alius Italiæ Socrates. Ecce, quæ ſunt & Romanæ & Atticæ ſapientiæ exempla: omnes penitus maritos, quantum in ipſis fuit, lenones uxorum ſuarum fecerunt: ſed vicit tamen Socrates, & quantum ad doctrinam ſuam attinet, lupanar fecit è mundo. Cõferantur cum iſtis quæ ſtatuere Wandali. ſtatuit ille, ut nullus haberet uxorem ſuam; iſti ut nullus penitus non ſuam. ille ut omnis femina viris omnibus ſubjaceret; iſti ut nulla femina alium quam ſuum virum noſceret. ille generationem mixtam atq; confuſam; iſti puram & ordinatam. ille omnes domos ſcortari voluit; iſti nullam. ille in cunctis habitaculis lupanaria eſt conatus ædificare; iſti etiam è civitatibus ſuſtulerunt. ille proſtare voluit omnes virgines; iſti caſtas fecere meretrices. Atque utinam hic Socratis tantum error fuiſſet, non & complurium Romanorum, ac penè omnium: quia & complures viri uxores plurimas ſinguli, & innumeræ mulieres viros complures ſingulæ habent. omnes denique civitates nunquid non luſtris plenæ ſunt, ac lupanaribus fætent. quid dixi omnes? certè nobiliſſimæ quæq; ac ſublimiſſimæ adeo dignitate: quæ etiam prærogativa eſt honorum in magnis urbibus; ut quantum præcellant ceteris magnitudine, tantum preſtent impuritate. *fine l. 7. de gubernatione Dei.*

Chryſologus: Eſt nova felicitas, eſt conjugium ſingulare, quando manet in duobus mens una, una ſanctitas in duobus, conſtabat mẽte, quod diſtabat in ſexu: & in moribus erat unum, quod geminabat aſpectus: ac virtus reddebat pares, impares dederat quos natura *Sermone 89. m.*

Chryſologus: Honor conjugii matrimonii dignitas eſt, procreatio dulcium liberorum ſatis enim grave eſt & ſatis triſte, & virginitatis carere præmio, & filiorum ſolatia non habere; ſuſtinere onera matrimonii, & ad fructum matrimonii non venire. *Sermone 92. f.*

Chryſologus: Virum foris expectat labor. intus mulierem domeſtica cura conſtringit. *Sermone 99. m.*

Io. Sarisberienſis: Nihil melius, nihil utilius muliere pudica, nihil eorum quæ poſſunt excogitari jucundius his qui continere nõ poſſunt aut nolunt. ſed deſipientis eſt ab his laudem ſperare, quæ veniam rectius merentur quam gloriam, ſi tamen moderationis bono fuerint temperata. alioquin non venia, ſed pœna, ſed ignominia utriuſque libidinis maculam proſequetur: niſi forte decorus habendus ſit, qui in hircum transformatur aut ſuem. *fine cap. 11. Policr. l. 8.*

Egeſippus: Hanc regis potentiam proſperis affluentem ſucceſſibus unius mulieris expetita ſocietas inclinavit, mœſtiſque infregit doloribus, ex quo adverſum jus faſque conjugum dignitate potius generis, quam charitate uſu quodam Regio metiendum exiſtimavit. Habuerat autẽ in conſortio, Doſidem nomine, Hieroſolymitanam feminam privato ſibi ante ſociatam, quæ gratior eo eſſe debuerat, quo fuerat felix marito, cum qua regale fuerat adeptus faſtigium. Verum immemor gratiæ projecit Doſidẽ, ſociat Mariamnem Ariſtobuli neptem, Alexandri filiam. Itaque dum ſequitur nobilitatem, perturbationem incidit: qua ſibi domus propria non cõveniret, cui diverſarum Provinciarum multiplex obtemperaret populus. ac ne oculi novæ nuptæ odio novercali domi poſito eo, quẽ Doſis generaverat, offenderetur ejectus, non ſolum paternis ædibus, ſed tota quoque urbe Antipater (id enim juveni nomen) infauſtis nuptiis locum fecit, quas pater unici filii exilio concelebravit, vixque feſtorum dierum ſolennitatibus arceſſebatur. *cap. 36. lib. 1. de excid. Hieroſol. de Herode.*

Zeno: Pudet me dicere in populo gravi, anus ſæpe videri novas nuptas, quarum pene plures ſint nuptiæ, quàm natales: quæ non rogantur, ut nubant, ſed, ut dormiant, invitantur propiores ſepulchro, quàm thalamo: quæ ipſæ cum pereunt, deteſtabili exemplo adoleſcentulas quoque perire compellunt. Quis has diligat filius? quis maritus confundentes ſanguinis jura, delentes merita maritorum, adulantes vivis, mortuis ſuſpirantes, nunc odientes veteres, nunc novos filios ſimiliter, & maritos. At è diverſo ipſæ æſtiment, quid ſit, quòd in tuam ſolennibus votis ſæpe contingit, ut nec filios habeant, nec maritos. Talis eſt etiam cauſa maritorum: ad quos aliquid loqui ſuperfluum eſt, quia ſi uxor, & maritus in carne ſunt una, dubium non eſt: quia quod alter audit, amborum eſt. *Serm. de continentia.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRAECORUM.

Theano: Tua ſponte videris mihi virtutis copia abundare. Nam quòd ſummoperè cupis aliquid de muliebri decoro audire, id verò bonam ſpem præbet, te velle cum virtute ſeneſcere. Oportet igitur modeſtam & liberam, viro legitimo modeſtè ornatam eſſe, non magnificè, & veſtitum quidem candidum, mundum ac tenuem, non autem ſplendidum ac ſuperfluum geſtare. Nam rejiciendæ ſunt illæ pellucidæ totæ & purpureæ, & auro intertextæ veſtes, quoniam hæ lupas & ſcorta decent, ut quàm plurimos pelliciant atque capiant. Ejus verò mulieris, quæ uni marito placere debet, ornatus in moribus ac induſtria poſitus eſt, non in ſtolis. Decorum eſt enim & pulchrũ, liberam uni marito placere, non quibuſvis obviis. In vultu autem pudorem ruboremque poſſis ſignum verecundiæ loco fuci adhibere. Probitatem verò, modeſtiam, & ingenuitatem, pro auro atque ſmaragdo. Non enim in veſtium magnificentia pulchritudinis amantem eſſe oportet, quæ ſtudet modeſtiæ: ſed in domus reique familiaris adminiſtratione, & mariti favorem ejus voluntati morem gerendo, conciliare. Voluntas enim mariti, pro lege non ſcripta debet eſſe honeſtæ mulieri, ad quam ei vita eſt exhibenda, putandumque ſe dotem aliquando ſecum pulcherrimam & ampliſſimam attuliſſe obedientiam & integritatem. Magis enim animi pulchritudini atque opibus, quam formæ pecuniarumque credendum eſt. Hæc enim invidia morboque eripiuntur. Illa verò uſque ad ſupremum diem inſita permanent ac præſtò ſunt. *Epiſtola ad Claretam.*

Xenophon: Quumque ſe complexi ſalutaſſent, primum Cyrus Cyaxari dixit, domum & curiam ei Babylone ſelectam eſſe: ut ſi etiam eo veniret, tamquam in ſua divertere poſſet. Deinde munerib. aliis permultis & inſignibus eum donavit. Acceptis his Cyaxares filiam ad ipſum mittit, quæ ei coronam auream, & armillas, & torquem, & Medicam veſtem, quam fieri potuit, pulcherrimam adferebat. Ac dum puella Cyrum coronaret, Cyaxares ait: Equidem hãc ipſam tibi, Cyre, uxorem trado, quæ mea eſt filia. Nam & pater tuus patris mei filiam uxorem duxit, qua tu natus es. Atque hæc illa eſt, cui tu puer ſæpenumero id temporis, quum apud nos eſſes, more nutricis blandiebare: quumque interrogabatur ab aliquo, cuinam eſſet nuptura: Cyro nupturam, reſpondebat. Addo nomine dotis Mediam univerſam: quum natam ex me ſubolem ſexus virilis nullam habeam. Hæc erant Cyaxaris verba, cui reſpondens Cyrus: Equidem, ait, mi Cyaxares, & genus laudo, & puellam, & munera. Sed in his tibi de ſententia patris ac matris adſentiri volo. Et quamquã hæc ita Cyrus diceret, puellæ tamen omnia donabat, quæcumque grata Cyaxari futura putabat. *c. 41. lib. 8. Cyropædiæ.*

Lyſias: Pater meus cum eſſet in ætatis vigore, facultaſque eſſet cum multis opibus ducendi aliam, matrem meam accepit nihil dotis ſibi adferentem; quod Xenophontis eſſet filia, filii Euripidis; qui non ſolum privatim bonus eſt habitus, ſed, ut audio, etiam exercitibus veſtris eum præeſſe voluiſtis. Atque meas ſorores quibuſdam ex ditioribus ſine dote ducere volentibus non dedit, quod è parentibus minus probatis orti viderentur: ſed unam quidem Philomelo Pæanienſi, qui vulgo magis bonus, quam dives habetur; alteram viro ad paupertatem redacto, non quidem ſuo vitio, ſed qui nepos erat Phædro Myrrhinuſio locavit. *cap. 4. Orationis 18. pro bonis Ariſtophanis.*

Lucianus: Propoſita autem utriſque ſorte, utrum priore loco dicere oporteret: poſteaquam Charicles priorem locum ſortitus eſt, continuò ut orationem auſpicaretur, hortatus ſum. Ille verò poſtquam faciem dextra paululum attriviſſet, ac pauliſper hæſiſſet, ad hunc modum orditur. Te domina Venus, te auxiliatricem mihi pro te dicenti meæ preces vocant. Nam cuicunque operi, vel tantillum propriæ ſuadelæ inſtillaveris, abſolutiſſimum eſſe ſolet. Tum verò amatorii ſermones tua opera magnopere indigent: quorum es maximè germana mater. Ades itaque mulieribus patrona, tu cùm ſis fœmina. Largire autem & viris ut maneant mares quales nati ſunt. Ego igitur ſtatim ab initio orationis, primam omnium matrem, primamque generationis radicem, eorum quæ propono, teſtem advoco. Dico autem ſacram illam Univerſorum naturam, quæ primis illis inter ſe conglutinatis mundi elementis, terra videlicet, aere, igne, & aqua, mutua illorum & temperata commixtione, omne procreavit animatum. Deinde ſciens nos eſſe materiæ mortalis opificium, & breve vitæ tempus unicuique præſtitutum, effecit ut unius interitus, alterius eſſet ortus, & morienti quod naſcitur rependit, ut mutuis ſucceſſionibus in perpetuum vivamus. Quoniam verò fieri non poterat, ut ex uno aliquid procrearetur, duplicem in unoquoque genere naturam effinxit, largitus maribus ſeminis propriam emiſſionem, fœminam verò ceu genituræ receptaculum faciens. Communi igitur utrique generi indito deſiderio, illos inter ſe conjunxit, ſancta neceſſitatis lege præſcripta, ut in propria natura uterque maneat, nec præter naturam marem fœmina, nec mas fœminam turpiter agat. Atque hoc pacto virorum cum mulieribus conſuetudines, in hoc uſque tempus, hominum vitam ſucceſſionibus immortalem conſervant.

Nullus vir ex viro ſe natum eſſe gloriatur: ſed intra duo venerabilia nomina, omnis honor manet, eorum qui ex æquo patrem ac matrem adorant. Initio igitur cùm adhuc heroica ſaperet vita, & vicinam Deorum coleret virtutem, legibus à natura conſtitutis

ob-

obtemperabat. Ac servato ætatis modo, cum mulieribus conjuncti, generosorum patres fiebant liberorum. Verùm paulatim tempus ab illa magnitudine ad voluptatis voragines descendens, novas & cõmutatas fruendi vias aperuit. Deinde, quæ nihil non audet voluptas, naturæ legem violavit. Quare aliquis primus oculis marem conspexit, tanquam fœminam, duorum alterum, aut tyrannica vi cogens, aut dolosis verbis inducens. Venitque una in unum lectum natura: nec cùm se coeuntes conspicerent, eorum quæ faciebant, aut patiebantur, ipsos puduit. Et quod ajunt, semine per steriles rupes projecto, brevem voluptatem magna infamia permutarunt. Dixeris verò tyrannicæ violentiæ audaciam eò usque esse progressam, ut jam sacrilego ferro naturam deprædentur. Et masculo maribus exhausto, supervacaneos voluptatis modos invenerunt. Miseri autẽ illi & infœlices, ut eò magis pueri sint, non ampliùs viri manent, ambiguum naturæ duplicis ænigma, cùm neque ad quod nati sunt, conserventur, neque, id quod transière, habeant: & flos ille qui in juventute permanet, eos in præmaturum senium tabefacit. Simul enim pueris annumerantur, & consenuerunt: nullum virilis ætatis intervallum habentes. Ita scelesta illa, & omnis mali magistra mollities, voluptates impudicas, aliam ex alia, excogitãdo, in eum morbum, qui neque decorè dici possit, prolapsa est, ut nullam obscœnitatis partem ignoraret.

Quòd si in iis, de quibus Providentia legem sancivit, unusquisque nostrûm sese firmaret, mulierum congressu contenti essemus: & ab omni probro pura foret vita. Certè inter ea animantia, quę nihil ex mala affectione depravare possunt, illibata naturæ lex custoditur. Leones non insaniunt in leones, sed venus tempestiva, libidinem eorum in fœminam excitat. Taurus armenti dux cum bobus miscetur: & Aries totum gregem masculo implet semine. Quid autem? annon suum cubilia sectantur apri, lupas autem ineunt lupi? Et ut in summa dicam, neque quæ aerem perstrepunt aves, neque quæ humidam aquæ sortita sunt mansionem, neque etiam aliquod in terris animal congressum maris appetit, sed manent inter ea immota Providentiæ decreta. Vos verò homines qui frustra nomine sapientiæ bene auditis, animal revera malum, quonam novo morbo delinquentes in mutuum flagitium provocati estis? Quonam animi cæco stupore effuso, adeò utraque aberratis à via, ea fugientes quæ sectari, & sectantes ea quæ fugere oportebat? Quæ si quisque singulatim imitari velit, ne unus quidem supererit. At enim hîc Socraticis præclara illa renascitur oratio, qua pueriles aures, perfectis ratiocinandi viribus adhuc carentes, decipiuntur.

Illud autem quod jam per prudentiam ad summum evasit, subduci facilè nequit. Animi enim amorem quendam comminiscuntur, & cùm corporis pulchritudinem amare vereantur, virtutis sese vocant amatores: ob quæ mihi sæpe accidit, ut in cachinnos erumpam. Quare ô venerandi philosophi, quod jam longo tempore sui experimentum præbuit, quale sit, cui canities conveniens, & senectus virtutis dat testimonium, per negligentiam dimittitis? omnis autem præclarus ille amor in juvenem concitatur, cùm vis ratiocinandi nondum habeat ad quæ judicium convertat? An lex hæc est, ut omnis quidem deformitas pravitatis damnetur, quod verò pulchrum est, id statim tãquam bonum laudetur? At juxta magnum illum veritatis interpretem Homerum,

> *Alius pulchro minus enitet ore,*
> *At formam eloquio Deus ornat, eumq; tuentur*
> *Læti omnes: suavi intrepidus commixta pudore,*
> *Hic fatur, medioq; in cœtu præstat honore,*
> *Perq; urbem aspiciunt gradientem numinis instar.*

Rursum alibi dixit.

> *At tibi formoso sub corpore nulla fuit mens.*

Certè formoso illo Nireo cordatus Ulysses magis laudatur. Quo pacto igitur sapientiæ quidem, aut justitiæ cæterarumque virtutum, quæ cum perfectis viris consortem natæ sunt ordinem, nullus amor incessit, illa verò quæ pueris inest forma vehementissimos affectuum impetus excitat? Prorsus igitur Phædrum ô Plato amare oportebat propter Lysiam, quem prodidit: aut Alcibiadis virtutem diligere par erat, quia Deorum statuas mutilabat, & in sacris Eleusiniis inter potandum voces mysteria produnt. Quis confitetur se amatorem factum esse, cùm Athenæ proderentur, & Decelia muris cingeretur, vitæ tyrannidem videret? At donec quidem barba nondum, juxta sacrum illum Platonem obsitus erat, omnibus fuit amabilis. Sed postquam à puero in virum transiit, qua ætate intellectus, qui hactenus fuerat imperfectus, integram ratiocinandi vim obtinebat, ab omnibus odio habebatur. Quid igitur turpibus affectibus vocabulorum inscribentes verecundiam, animi virtutem appellant corporis elegantiam, juvenum isti amatores magis quam sapientiæ?

Atque hæc quidem à nobis dicta sufficiant, ne clarorum virorum nimis invidiosè mentionem facere videamur. Parumper autem à vehementiori studio, ad vestram Callicratida, voluptatem descendens, ostendam puerorum consuetudine muliebrem multò esse potiorem. Ac primum omnem ego delectationem censeo jucundiorẽ esse, quæ diuturnior est: siquidem voluptas quæ celerrimè prætervolat, priusquam sensu percipiatur, desinit. Id verò quod oblectat eo præstantius, quò magis abundat. Utinam & vitæ longos terminos parca illa Parca nobis præfinivisset, totumq; hoc spatium perpetua esset sanitas, quæ mentis edaci molestia vacaret. Nam quasi festum, & celebritatem aliquam totum hoc tempus duceremus. Verùm postquam malignus dæmõ majora bona nobis invidit, in præsentibus utique rebus, dulcissima illa sunt quæ protrahuntur. Itaq; mulier à virginitate ad mediam usque ætatem, priusquam extrema illa senectutis ruga incurset, viris amplexu digna est consuetudo, ac quamvis præterierit venustas, experientia tamen habet aliquid dictu sapientius quàm juvenes. At verò siquis puerum viginti annorum aggrediatur, is mihi affectione pathica laborare videtur, ambiguam venerem sectando. Nam & duri sunt membrorum thori jam adulti & viriles, atque asperum quidem, pro eo quod molle fuit olim, obsitum crebra lanugine mentum, & femora pilis pullulãtia quasi squallerent. Quæ verò sunt his occultiora, vobis, qui periculum ejus rei fecistis, cognoscenda relinquo.

In omni autem muliere, semper coloris resplendet gratia, & largæ cirrorum capitis texturæ, perinde ac pulchrè florentes hyacinthi, nigricantes, aliæ quidem per tergum effunduntur, scapularum decus, aliæ verò secundum aures, & tempora, multò quàm in pratis apium est, crispiores. Reliquum verò corpus, ne minimo quidem ipsis subnascente pilo, Electro, ut ajunt, aut vitro Sidonio lucidius effulget. Cur autem non & mutuos voluptatum affectus persequar, quandoquidem ex æquo cum iis qui agendo afficiuntur, patientes quoque oblectantur? Ferè enim non ut bruta animantia, solitarias commorationes amamus, sed amica societate conjuncti, & quæ bona sunt, inter nos mutuo jucundiora, & adversa, inter nos mutuo leviora ducimus. Unde & inventa est mensa communis, & apposita amicitiæ mediatrice illa, debitam ventri voluptatem admetimur, non soli Thasium, si contingat, bibentes vinum, neque singuli per se preciosis cibis nos implentes, sed illud videtur delectabile, quo quisque cum alio fruitur. Ac voluptatibus inter nos communicatis, majori lætitia afficimur. Illi igitur cum mulieribus congressus similem delectationis permutationem habent. Nam illi sese mutuo æqualiter afficientes, majori cum voluptate digrediuntur: nisi Tiresiæ judici est attendendum, quòd videlicet muliebris delectatio, tota parte masculam superat.

Honestum autem esse arbitror, non nimio sui amore frui volendo, quo pacto privatim aliquid commodi auferant, spectare, totam ab aliquo voluptatem accipientes, sed illo, quod percipiunt diviso, similia retribuere. Atqui nemo adeò insanus est, qui hoc de pueris possit dicere. Sed alter quidem affectus, quocunque tandem modo hæc existimat, eximia voluptate percepta abit: illi verò qui contumeliam hanc passus est, principio quidem dolores & lachrymæ oboriuntur, verùm ubi per tempus paulum remisit, nequaquam, ut ajunt, majorem molestiam intuleris: voluptas autem ne ulla quidẽ est. Quòd si aliquid etiam curiosius oportet dicere, oportet autem in Veneris delubro, muliere licet Callicratida, pueri modo utendo delectari, aperta illius fruendæ duplici via. Nullo enim modo masculus muliebrem voluptatem præbet. Quare siquidem & vobis placere possunt mulieres, nos alii in alios munitionẽ extruamus. Si verò masculos cũ masculis cõgredi decet, mulieres quoq; sese mutuo in posterũ ament. Age nunc ô junior ætas, & novarũ voluptatũ legislatrix, posteaquam novas masculæ mollitiei vias excogitasti, parem quoque mulieribus largire potestatem. Congrediantur & illæ inter se, quemadmodum viri: commisso autem lascivorum instrumentorum machinamento, prodigioso seminis expertium ænigmate mulier concumbat, ut vir. Et quod in aurem raro venit vocabulum, pudet etiam dicere, illius Tribadum obscœnitatis, impudenter agitetur. Omne verò gynæceum nostrum, sit Philænis, semimares quosdam amores turpiter usurpans. Et quanto melius est in masculam libidinem cogi mulierem, quàm generosum illum virorum animum in mulierem effœminari? Talia cum magna cõtentione, inter dicendum indignatus, postquam dixisset Charicles finem fecit, horrendum & ferinum oculis intuens. Videatur autem *titulo Amorum.*

Halicarnassæus: Matrimonium plane omnibus curę est, ab omnibusque summo studio colitur, & nuptias cuipiam frequentanti, virorum mulierumque conventui, & calendarum celebrationi, & civitatis solenni festo similes existunt. *capit. 2. præceptorum de epithalamiis.*

Halicarnassæus: Dii invenere ostendereq; hominibus. Jupiter enim & Juno, primi conjungentes & copulantes. Proinde hic quidẽ omnium Pater vocatur; illa verò, Juga nũcupatur, quod mari feminam conjungat: & ab istis diis reliquorum Deorum, qui in nuptiis celebrantur, ac nuptiales natalesq; appellantur, cætus in mortalium vitam prodiit. Et nuptiæ sunt in causa, ut Dii ita nominentur, colãtur, maximoq; in honore habeantur. Nam absq; nuptiis, neq; horũ Deorum cultus celebrationesq; ad homines pervenissent. Deinceps orationem de natura oportet inducere, quod hoc ipsius est opus, generare scilicet, concipere, & partum ferre. idque per omnia ipsius opera & animalia & plantas transire. Adducemus postea differentiã quę est in hominũ coitu atque societate: quod alia sanè imprudenter & temere miscentur; homo autem ordinem quendam matrimonii & institutum invenit, non ut gregatim ferarum more coire concedat, sed qui duorum maximè commodorum conjunctionem societatẽque per universam vitam excogitaverit. In qua planè re commemoranda attinges, à fera agrestique ac erratica vita discessisse, & ad humanum, mansuetum, ordinatumq; victum per matrimoniũ dedu-

ctos fuiſſe & hominum genus cum mortale ſit, ex matrimonii cõjunctione atque ſocietate, propter continuationis ſeriẽ, immortale effectum fuiſſe. nam ſuſceptione poſterorum, veluti lumen accenditur: quod & poſteritati per generationem hominis permanet, ac numquam exſtinguitur. Et hoc utique ſymbolum optimum, non pecuniarum, aut poſſeſſionum, ſed ipſius naturæ & generis, nõ injuria quiſpiam dixerit. Scrutaberis & quæres prӕterea poſt hæc, quot bona eis contingant qui uxores ducunt. Primum quidem, ad gloriæ exiſtimationem. Nam temperantiæ fructum, quæ nimirum optima virtutis eſt pars, ſtatim ab ipſis nuptiis aſſequi incipiunt. Matrimonium enim, continuo temperantes homines reddit: quoniam ij qui ad id ſeſe contulere, ab illegitimo inordinatoque coitu liberati, ad ſolam propriam uxorem reſpicere videntur. Ex hoc namque homines honoratiores evadunt, fideliores, benevolentioreſq; omnib. in rebus erga patrias cenſentur: eo quod ſuos ipſorum liberos, tamquam obſides, patriis dederint: propter quos inprimis neceſſarium eſt, ut in conſilium adhibeantur recipianturque. Ad dolores etiam & difficilia quæ ſunt in vita, nuptiæ ſunt utiliſſimæ: quippe quæ hӕc tamquam onera reddant leviora, cum moleſtiarum omnium uxores faciamus participes, & ex ſocietate & communicatione nõ minimam capiamus conſolationem. Hinc ea quæ ſuavia & jucunda ſunt, neceſſe eſt uti videantur jucundiora: cum ipſi non nobiſmetipſis tantum lætemur, ſed filios, uxores, alioſq; cõſanguineos habeamus, quibus cum hæc communicemus, qui profecto hæc nobiſcum celebrent, nobiſcum gaudeant, ac lætitia ſimul efferantur. Hac de cauſa dies feſti, ſolennes celebritates, ludi, conventus publici, jucũdiores ſunt: quia inter multos fiunt, & cũ multis cõmunicantur. Ex qua nimirũ re affinitates augeri neceſſe eſt. Inquies etiam, ꝙ ex hoc primum habitationes domuſq; ſunt ædificatæ, ædificia conjuncta, poſtea pagi viciq; facti, & deinde civitates conſtitutæ. Ex matrimonio verò quam plurimorum cognitio, & cum externis hominib. affinitas cognatioq; eſt conſecuta. Ad ꝙ comprobandum, apponendӕ erunt & commemorandæ celebres & glorioſӕ nuptiӕ, vel antiquӕ: & bona quæ propterea hominib. provenere, explicanda: & difficilia atque moleſta ferè omnia matrimonio depelli, nec nõ fugari, demõſtrandũ. & quo pacto Menelaꝰ ꝓpter nuptias Helenӕ immortalis factꝰ ſit, & Peleus ob Theditis matrimoniũ & Admetꝰ ꝓpter Alceſtim fatalem mortem evitaverit. Ubi autẽ de his ſatis dictum fuerit, precibus, q̃ bonorum petitionẽ ꝑ nuptiis ac ſuſceptione liberorũ habeãt, uteris. Præterea tibi erit effingenda malorum averſio, veluti p̃dicenti qualis vita ſit futura cum liberis, & ꝙ eorum chorus, ſi contingat, erit inſpiciẽtis jucundiſſimus, & ꝙ rurſus inſtaurabitur quodammodo, & una cum propriis liberis iterum adoleſcet. Tum etiam memorare oportebit, ea q̃ & ipſe aliquãdo in juventute geſſerit: ſuavis enim & jucunda eſt eorum q̃ in pueritia noſtra fecerimus, recordatio: nec aliud eſt ꝙ rurſus faciat reviviſcere. Si verò quiſpiam ſuã ipſius imaginem inanimatam inſpiciens delectatur, quando hanc non inanimem, verum expreſſam, vivam & ſpirantem intuetur, & non unam, ſed multas, (ſi ita contingat) quanto magis lætari debebit? Hinc rurſus diſcedẽdum, & attingendæ ſunt atq; commemorãdӕ aliquӕ hiſtoriӕ, in quibus ſint, quotquot mortales propter liberos floruerint, & propulſatis atq; averſis malis, felices fortunatiq; evaſerint, ut Anchiſæ, Æneæ opera, contigit. Opus eſt etiã perſonas illorum qui matrimonio conjunguntur, nequaquam ſilentio præterire, ſed harum quoq; laudes in medium afferre. *cap. 2. præceptorum de oratione nuptiali.*

Arrianus: Ecce enim ducta conjuge, præſtanda ſunt ei quædam ſocero; ſunt quædam tribuenda affinibus; quædam ipſi uxori. Jã curanda valetudine, tuenda re familiari, velut in ordinem cogitur: ut mittam cetera, fornace opus eſt, ubi puerum calefaciat, ut lavet in alveo. uxori poſt partum præbenda eſt lana, oleum, lectulus, poculũ. ſic augentur vaſcula. Quid de reliquis occupationibus dicam & ſollicitudinibus? *cap. 22. l. 3. Epict.*

Idem paulo poſt: Unde tantum otij ſuppetit ei qui privatis muneribus eſt occupatus? nonne illi parandæ ſunt tuniculæ pueris? nonne ad ludimagiſtrũ mittendi ſunt, cum tabellis, cum ſtylo & pennis? nonne parandus eis eſt lectulus? neque enim à primo ſtatim ortu pueri Cynici eſſe queunt: nam alioqui expoſuiſſe illos, præſtitiſſet quam ita educare. Quei ergo, inquit, conſervabit ſocietatem? Per Deum tuum! num ij qui binos vel ternos malӕ frugi liberos ſuo loco relinquunt; an vero ij qui omnes homines obſervant quid agãt, qua ratione vivant, quid curent, quid contra officium negligant, plus proſunt vitӕ mortalium? Num Thebanis plus ij profuerunt qui liberos eis reliquerunt, quam Epaminondas, qui orbus deceſſit? Nũ Priamus plus ad vitæ communiatem cõtulit, aut Danaus, aut Æolus quinquaginta liberis relictis iiſq; impuriſſimis, quàm Homerus?

Iulianus Cæſar: Cum Imperator ad liberos ſuſcipiendos, quos honoris ac potentiæ hæredes relinqueret, uxorem vellet ducere, eã hac communione dignam judicavit, cum propè totius orbis terrarum imperium obtineret. Quare quod illuſtrius quæri poteſt non modò nobilitatis in ea femina teſtimonium, ſed & reliquorum omnium ornamentorum, quæ quidem velut dotem quandam afferre ſecum illam oporteat, quæ cum Principe tanto copulanda ſit? Cujuſmodi ſunt recta quædã inſtitutio, ſcita ac congrua animi prudentia, corporis vigor, ac ſpecies & pulchritudo tanta, ut aliӕ virgines obſcurentur; quemadmodum fulgẽtes illӕ ſtellæ Lunæ jam pleno orbe micantis luce colluſtratӕ ſpeciem omnem ac lumen amittunt. Neque enim unum illorum dumtaxat ac ſolitarium ad ineundam illam cum Imperatore conjunctionem ſufficit: ſed univerſa ſimul (quodam quaſi numine prӕſtantiſſimo Principi pulchram ac caſtiſſimam conjugem effingente) in unum coeuntia eminus, nec ipſo ſolum aſpectu, attractum atque illectum ſponſum illum longè feliciſſimum adduxerunt. Siquidem pulchritudo generis nobilitate cæteriſq; bonis deſtituta ne privatum quidem, etiam libidinib. deditum, impellere poteſt, nuptialem ut facem accendat. Cæterũm ambo illa in unũ convenientia licet ſæpe nuptiarum fœdera per ſeſe conjunxerint, tamen quoties ab morum concentu atque concordia & gratia ſeparantur, non adeo prӕclara, aut commentabilia fuerunt. Hæc cum optimè Princeps noſter frugi homo, ac temperans intelligeret, merito illum dixerim poſt longam conſultationem tandem eas ſibi nuptias elegiſſe: cum opinor de ea partim audiſſet, quæ auditu percipienda fuerant, partim ejus temperantiӕ conjecturam de illius Matre feciſſet. *Panegyr. 2. ad Euſebiam Imp.*

Libanius: Age, ne ſolus matrimonium dedecores, inquit, quod Numen eſt, & inter Deos maximè cenſetur. *Declamat. 6.*

Libanius: Mihi non erat animus, Judices, uxorem ducere, dum reputarem impenſas negotii, & quod priuſquam aliquid accipiatur, ſumptus facere oportet, pueros ementem, jumenta conducentem, convivio excipientem domeſticos, tribulibus ſportulam nuptialem inducentem. item terrebat me, & quod multæ mulieres luxurientur, & temerè inſumant ad id quod nulli uſui eſt, ad bombycina veſtimenta, & byſſima, & pellucidas tunicas, & crocotas & theriſtria, atq; ejuſmodi nugas circa corpus impenſas. *Declam. 37.*

Paulo poſt: Quis fuit legislator ſupervacaneorum Hymenӕorum? tot facibus opus eſt, tanto comitatu, tanta vini copia, unguenti, croci? Nonne licebat una lucerna ſponſam deducere? nonne melius id fieret abſq; tumultu? nonne decretius eſſet abſque ſpectatoribus? at niſi multi ante fores ſtarent, neſciret ſponſus quæ ſibi facienda eſſent apud virginem? nihilominus pertuli, ut id facerem à dote perſuaſus.

Libanius: Si ab initio nuptias averſatus fuiſſem, non caruiſſem rationibus, quæ ita ſentire ſuadent. enarraviſſem adulteria, memoraſſem liberorum amiſſionem, uxorum temulentiam, incontinentiam, loquacitatem, ſuperbiam: tragædias plures è nuptiis excitatas. *Declamatione 38.*

Libanius: Liberos, inquit, volo ex te naſci & ſucceſſores generis. Dic mihi, mi pater, ſequiturne recta conjugium, liberorum procreatio? quot tibi cives oſtendam, qui uxores quidẽ ſuas ducere queunt, patres verò non appellati fuerunt; tametſi ad extremam uſq; ſenectutem venerint, & ſpe rei inſuper ſunt fruſtrati? ergo ſi tibi in his omnibus obtemperem: conjux autem intus fuerit; & liberi nuſquã conſpiciantur; nonne neceſſe eſt me improbum eſſe, patrem autem non fuiſſe: & ingratum quidem animum oſtendiſſe: ſucceſſores verò non habuiſſe? Par autem eſt utiq; etiam genium his infenſum futurum, & pœnas irrogaturum, orbitatem videlicet. Et ſanè demus citò liberos exorituros: quiſnam ergo Deorum ſponderet ad ſtatum & florem ætatis perventuros? viſne tibi iterum enumerem eos, qui cum liberorum magnum habuiſſent numerum, ad ſolitudinem redacti ſunt, & momenta loco liberorum oſtendunt? ſi porrò nos modo ſacra faciamus, ut liberi naſcantur, paulo verò poſt eos ſepeliamus: non exiſtimas majorem ob hoc ipſum mœſtitiam futuram? non enim tam angit non guſtaviſſe bona, ut poſt fruitionem eorũ privatio. Sed erunt liberi, & vivent, & hoc vates pollicentur? probè quis igitur erit fidejuſſor morum, nonne vides alios vino, alios ſcortis incumbere, alios effodere muros, alios occurrentibus plagas incutere; alios formæ mercedem accipere? itaq; utrum hos melius eſt vivere quam mori, & utrum ſuperſtites oblectant an dedecorant? at enim multos ego patres novi, qui dum liberi vivunt, occultantur; & iiſdem mortuis caput erigunt. *Declamat. 38.*

Libanius: Cùm aliis multis in rebus vulgus hominum à vera ratione aberrare mihi videtur; tum verò maximè ij qui conjugium, ut unam omnium rem deterrimam fugiunt; deinde ſuperbiunt, quaſi ſapientiſſimo conſilio optima delegerint. Ita fit, ut multos habeant imitatores; duplici malo vitam humanam afficientes, & ſuo facto, & aliorum cohortatione. Æquius autem erat homines cum Deis conſentire, neque abducere judicium ſuum ab illorum judicio: neque velle ab iis diſcedere, penes quos eſt ſumma rerum omnium. Quæ igitur Jovis de conjugio ſententia? quæ univerſorum cæli incolarum? nonne ille Junonem duxit, Venerem Vulcanus, alius aliam? Nonne patris & fratrum nomina his quæſita? Quod ſi inhoneſtum eſſet conjugium, neq; ipſi hoc Dei uſurpaſſent, & ab eo deterruiſſent ſuos. Nunc re ipſa docuere divinam eſſe liberorum ſuſcipiendorum cauſa conjunctionem. Naturæ qui bellum indicit, an non deſipere hunc dicemus? Quid igitur naturam jubere cenſes aliud, quam mixtiones, generationes, partum? Argumento eſſe poteſt, quod animalia quoque expertia rationis, hac neceſſitate trahuntur, & fœtus edunt. Rectè igitur apud præclariſſ. urbes Græciæ crimini datus fuit cælibatus. Hoc a. miror, patres gratiã procreationis habere velle nõ a. velle liberaliter relinquere. quin rem paternam noſtro loco ſuccedant. An verò indignum fuerit, pecuniam debitam non ſolvere, corpora verò debita nõ conſerere laudabile? Tanta igitur iniquitas eſt eorum qui nuptias fugitant, qui maximè honeſta contaminant, ſibiq; adeo & patriæ ipſi obſunt, & omnem in terris honeſtatem confundunt. Quæ enim jam ſacra Deorum, quæ judicia, q̃ conciones, q̃ expeditiones terrӕ, q̃ claſſes? ipſarum urbium qui ſtatus eſſe poterit, ſi quis incolas ſuſtulerit? erunt deſertæ urbes ubiq;. nã ſi prӕſen-

tes

tes interant, neq; sint qui his succedant, qui aliter fieri queat? Nec verò dici queat, conjugium in commune urbib. utile, privatim inutile: cùm singulis quoq; hac ex re multa existant commoda. Nā hinc divitib. facultates duplicantur: pauperibus sæpe pecunia accedit, aut hujus loco mores uxoris commodæ, castæ, sedulæ. In bonis maritus participem habet gaudii. Versatur ille in foro & rem facit; accipit; & domi custodit illa, non servi, frustrantes laborem domini. Etiā mēsa jucundior marito, dum reversus splendorem externum uxori refert. Certè si cujus animus fert terras multas & maria obire, & urbes cognoscere, & hominū mores perdiscere, is securus de domo & navigare & pedibus iter facere poterit. Quod idem si cogatur & domesticam rem curare, & gerere publicam, non bonus administrator simul reipub. & custos familiæ futurus sit, distracto utraq; sollicitudine animo, atq; ideo neutrū rectè exequens. Quid hominib. tristius ægrotatione & morbis? At in his reperitur maxima illa consolatio assidens mulier. quæ si omnes ægrotum curent fratres; avunculus, consobrinus, alii cognati, necessarii, tribules, sola adamantina quadā firmitate adversus omnes labores sufficit, plorat, trepidat, discurrit, medicos obtestatur, Deis vota facit, malum viri vel in se ut trāsferant; fieri etiam nequit, quin maritorum servitia quoq; sint probiora. Illa enim residet intus, opusq; facere cogit, nō finit otiari, omnia q̄ geruntur cōtemplatur, & huc illuc oculos circumfert. Quod si præclarum amicis abundare, quis neget prestare genus adjungere generi? nihil enim aliud quam murus putandus maritorum cœtus familiarium. Hi illius inimicos communiter persequuntur: adsunt si causa dicenda est. opitulantur in vi & injuria; consulunt in deliberationibus. ideoq; multa possunt tum perspici, multa cognosci, multa provideri, multa adversa vitari.

Omnium verò maximus uberrimusque ac pulcerrimus conjugii fructus, liberi sunt, nunc participes negotiorum, nunc senum nutricii. postea verò & sepeliunt parentes, & deinde busta vertentibus annis ornant. Si jam etiam filii in fortes viros evaserint, & virtute inclaruerint, quantum hoc patri bonum acciderit? Quamvis enim ille clarus & genere nobilis non sit, communicata tamē procreationis nobilitate celebratur. Ut autem primum unicuiq; opera danda, ut ipse patriæ ornamento sit; ita annitendum, tales ut relinquat liberos, quibus hæc illustretur. Quid igitur jam q̄ felicitatis efficientia putantur omnium, cum hoc bono comparare aliquis ausit? nū Rhetoricam? num Philosophiam? legationes? expeditiones? satis enim esse debet ad summam felicitatem parentib. si apud alios de sobolis suę facinorib. in admiratione sint. Vetus quidē verbū est, difficilia esse q̄ pulchra. Istud autem tantum quātum diximus, ex eorum est numero q̄ facta facilia sunt. ubi quis enim ad nuptias animū appulerit, accedit ad eos qui hujusmodi agere solent, quidq; velit exponit, mittitq; ad eum qui virginem nutrit. Ille abiens laudat adolescentē, genus, naturam, modestiam, opes. Et vel discedit voti compos, vel secundus aut tertius accessus rem perficit; præsertim si fortunæ suæ cōvenientem appetit; nempe pecuniæ indigens, non eximiæ sortis illam. etsi scimus divitiis præstante aliquando uxore dignos habitos pauperes. Jam cum ipsis nuptiis & melior existimatio accedit. nam ante laudatus, fit deinde admirabilior, habeturq; pro modestiore. quiq; ante conjugium in criminib. fuere illis, postea liberantur. Omninò decorum hoc expetenti speciem liberalem, ab uxore ad rempub. procedere, & ab hac ad illam reverti. Tali in consilijs adhibent animo, legationes decernunt, omnem administrationem committunt. Videtur enim liberûm educator, & Deos metuere, & homines vereri, laudis esse cupidus, & justitiæ cultor. Existimatio abhorrentem à nuptiis deterior; maritum melior necessario sequitur. tantumque hoc in utrisq; potest, ut cælebs etiam in castitate contrariam fortunam sibi accersat: maritus vero etsi in voluptates deferatur, calumniis tamen impeti credatur. magnam enim necessitatem habet ad castitatem uxor. Qui igitur nuptias fugitāt, his q̄ diximus convicti, q̄ maximè expetendis ipsi se privent, adulteria, inquiunt, extimescimus, & onus grave amissionem liberorum esse statuimus. Quasi verò hæc omnia conjugium sequantur. Imò quis nescit adulteria admodum rara, castitatem autem in plurimis existere? deq; liberis idem affirmo. plures enim scimus conservari quàm mori. Quanta igitur absurditas, cùm exemplis comprobetur, magis esse expositum jucundis ut fruamur, quàm in tristia incidamus, hanc rem extimescere potius quā persequi? præsertim ad hęc ambo cùm tot ostendantur a[illegible]ilia. non parum enim ad castitatem mulierum possunt cohortationes & custodia. neq; parum valent ad salutē prolis sacrificia ac munera, oblata Deis. Omnino autē si quis in hac vita rem ullam quęrit nulla contaminatā difficultate, is ignorat ea se quærere, q̄ solius Dei sunt. quid enim omnium non adjunctū habet aliquid triste? Audis agricolas interdum accusare siccitatem, interdum nimios imbres. Nonne qui rem quærunt per mare accusant fulmina, fluctus, prædones, alia innumerabilia? Nonne hodie incolumis est orator, postero autem die in postulationibus ac periculis? Athletæ in pancratio excussus fuit humerus; non tamen alii à certaminibus mente absterrentur. Quod si, ut vos propter adulteria nuptias fugitis, ita alii agrum colere, alii navigare, alii à republ. & communibus negociis refugerent; dissolverentur omnia quibus ornatur vita hominum. proinde affirmo, cogitanda potius, hymenæum, plausus, deductores, convivia, tædas, epulones, spem posterorum, quibus nihil potest esse prudentibus hominibus jucūdius. *laude nuptiarum.*

Heliodorus: Ceterum præsenti instituto convenienter fecerimus, si quæ sit puellæ hac de re sententia cognoverimus. si enim imperii lege utendum fuisset, prorsus mihi velle suffecisset. quibus enim vi cogere licet, percontari supervacuum est, verùm cum nunc de legitimo agatur conjugio, utriusq; voluntatem congruere necesse est. *primo Æthiopicorum libro.*

Heliodorus: Aliquem mihi dexterum exemisse oculum putabam. Quam metuo ne te hoc insomnium petat, quem ego oculum & animam, & fortunas meas omnes esse duxi. *libro AEtiopic. altero.*

Heliodorus: Verùm hæc mala mihi omnium carissimus, præsens levabat. nunc & his sum orbata. perit particeps mearum calamitatum, mecum dolores, tanquam onera partiri solitus. *lib. 5. AEthiopic.*

§ ORATORUM ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Pessimus maritus videreris, si habens uxorem pudicam, obsequentem, fidelem, amorem in aliquam meretricem deflexisses; si ancillarum cupiditas à geniali toro avocaret. Jam tum non eras maritus, cum animus tuus spectaret vacantes. *Declam. 262.*

Quintilianus Senior: Acrius incalescunt ignes legitimi, utique cum inciderunt in rudes animos. *Declamationis 286. fine.*

Quintilianus Senior: Majores habet vires ignis qui legitimis facibus accenditur. non est tam facile desinere quam cedere. *Declam. 291.*

Quintilianus Senior: Non puto te objicere, quod nuptias optavit; nec ego imputo; sicut ne gratulor quidem huic matrimonio. Mihi magis convenisset gener, cum quo mihi par convictus, apud quem si forte cænarem uxor ministraret. Tu tamen quid circumscriptione ista perdidisti? uxorem non habes locupletem. nihil enim magis, quam pecuniam desideras. O te dignum qui duceret parem. Tunc scires quæ discordiæ, quæ contentiones, quàm frequens mentio dotis, quam erecta ex æquo cervix. Utique in his tuis delitiis, in his cupiditatibus tibi liceret amare aliquam ancillam, deperire aliquam ministrarum. At nunc habes uxorem non ambitiosam, non exacturam comitatus: sed quæ tota ex tuo vultu pendeat. Laborare consuevit: habebis ancillam. *Declamatione 301.*

Quintilianus Senior: At tu si quietem mavis, duc uxorem parem. Bene dictum, compositis ætatibus coacta matrimonia, tamen facilè fastidiunt: sive non habet omne quod licet, voluptatem: seu continuis vicina satietas: sive durum est, quod necesse est. Quid si affert impares annos? in hac ætate ne olim quidem juncti, se amant. Operies flammeo canos? ut inducta in cubiculū, quomodo blandiatur? quomodo appellet? nam tu matrem vocabis. Inter pares quoque annos, citius femina senescit: neque amatur anus uxor, nisi memoria. Tu fortasse nunc velis. Illum annum expecta qui veniet non eundē gradum ultima ætas facit: nec decedit suprema vita, sed corruit. Nō ipsam petis. *Declam. 306.*

Quintilianus Senior: Cur ergo non nubit? ætatem suam intelligit: quàm impares sitis videt. Est quædam etiam nubendi impudicitia. A viro suo secubaret. *Declamatione 306. a. f.*

Quintilianus Senior: Necesse est maritus plurimum uxoris moribus tribuat, ex qua liberos quærit. *Declamat. 327. p.*

Idem statim post: Expecto ex his aliquid novercalib. factis. Venenum paravit? insidiata est liberis tuis? vel (quod levissimum est) expugnare animum tuum voluit? nihil horum. Novum & inauditum antea crimen, Noverca nimium dicitur amare privignos, sterilitatis medicamentum bibit. Si tu liberos non haberes, poteram tamen illa dicere, Periculum timuit, documentis quarundam infeliciter parientium mota est. fortassè malè sensit de temporibus ipsis: vidit eam luxuriam, ea vitia, ut penè educare liberos amentis esset. Tu porrò in uxore nihil aliud expectas quàm fæcunditatem? Nō parit: sed obsequium, sed fidem præstat.

Quintilianus Senior: Velut exprobrare mihi visa est fortuna, quare uxorem post juvenem filium duxissem. *Declam. 335. a. m.*

Quintilianus Senior: Sed quid abdicato objicis? uxorem, inquit, non ducis, quam volo. Quid tum? nescis nostri arbitrii esse matrimonia? Affectus nostri vobis non serviunt. Non potes efficere imperio, ut vel amem quem velis, vel oderim. Matrimonium verò, tum perpetuum est, si mutua voluntate jungitur. Cùm ergo quæratur mihi uxor, socia tori, vitæ consors, in omne sæculum mihi eligenda est. alioqui quid proficis invitum cogendo? repudiabo. *Declamatione 366.*

Quintilianus Senior: Matrimonia sunt ab ipsa rerum natura inventa. Sic mares feminis junguntur, ut imbecillior sexus præsidium ex mutua societate sumat. *Declamatione 368.*

Quintilianus Senior: Et quales futuræ nuptiæ, quæ perjurio junguntur? *Declamationis 376. fine.*

Quintilianus: Idem vos putatis efficere noctium merita, & affectus osculis blandiciisque quæsitos, quod natalium pignorumque reverentias? Nullas ego facilius perire crediderim quàm corporum charitates. & licet matrimonijs paulatim reverentia gravitatis accedat; possunt tamen distrahi facilitate qua coeunt. Uxor est quam jungit, quam diducit utilitas; cujus hæc sola reverentia est, quod videtur inventa causa liberorum. Aspicimus matrimoniorum singula momenta rixantia: mutant quotidie domos, & per amplexus lectulosque discurrunt. Placet etiam post liberos alius maritus: & unde deprehendas omnium scelerum facilitatem; possunt non

amare viventem. Quid si huic uxoriæ utilitati novercale nomen adjungas. Mulieri quæ post liberos inducitur, matrimonij non contigit tota reverentia; Quanto alios præstat affectus, diligere vitæ lucisque auctorem? Liberi ac parentis, non alius mihi videtur affect⁹, quàm quo rerum natura, quo mundus ipse constructus est. *Declam.2.§.5.*

Quintilianus: Ita non justè quereretur uxor, si diceret: adulterium de me facilè suspicatus es, cito credidisti? Matronalis pudor tutelam non ex sua tantùm innocentia habet, infirmitas hujus sexus non potest totam improbitatis existimationem debere tãtum moribus suis: omnis in feminas venit maritorum prædicatione reverẽtia: omnes sermones originem de vestris pectoribus accipiunt. Tristior vultus, querela, fastidium, fatum est conjugij. De pudore pronunciat, mittit in fabulas. hoc proxima ministeria narrant, hoc exteri putant. Nemo pejore exemplo temerè de uxore credit quàm cui omnes credituri sunt. Sanè faciat vos pronos ad suspiciones nimia charitas, & ex impatientia diligendi plerumque descendat, ut credas facilè quod timeas. Furtiva stupra raptosq; concubitus objiciat vel falsò maritus, fas est, fieri solet, parcius tamen si jam sit & mater, si in fidem castitatis uxoria fœcunditate profecerit. Quid si sit jam juvene quoque filio severa? jam nurum nepotesque prospiciat? Miserrimi temporum, ne alienæ innocentiæ interpretationem de suis quisque moribus trahat. *Declamatione 18.§.7.pr.*

Calpurnius Flaccus: Ego primus in domo mea, fateor, erravi, qui uxorem duxi senex, cùm jam esset in domo filius, & quidem juvenis. *controversia 22.*

Calpurnius Flaccus: Ducat dives aliquam, sed æqualem; ducat volentem. velis enim nolis, suspecta res est amator inimicus. Pauper & dives inimicum est matrimonium. ne pecora quidem jugum nisi paria succedunt. *Controversia 29.*

Plinius: Multis illustribus dedecori fuit aut inconsultius uxor assumpta, aut retenta patientius: ita foris claros domestica destruebat infamia; & ne maximi cives haberentur hoc efficiebat, quod mariti minores erant. Tibi uxor in decus & gloriam cedit. *cap.83.paneg. ad Traianum.*

Incertus Panegyrista Maxim. & Constantino Impp. Maximas itaque vobis, æterni Principes, publico nomine gratias agimus, quod suscipiendis liberis, optandisque nepotibus seriem vestri generis propagando, omnibus in futurum sæculis providetis, ut Romana res, olim diversis regentium moribus fatisque jactata, tandem perpetuis domus vestræ radicibus coalescat, tamque sit immortale illius imperium, quàm sempiterna soboles Imperatorum. Hæc est vera pietas, hæc voluptas conservandi generis humani, exemplum dare gentibus ad matrimonia studiosius expetenda, & liberos educandos; ut substituendis successionibus singulorum nihil obsit unumquemque esse mortalem, cùm immortalis sit posteritate Respublica. Quare si leges hæ quæ mulcta cælibes notaverunt, parentes præmijs honorarunt, verè dicuntur fundamenta reipublicæ; quia seminarium juventutis, & quasi fontem humani generis semper Romanis exercitibus ministrarunt, quod huic vestro in remp. merito possumus dignum nomen adscribere: qui non plebeio germine sed Imperatoria stirpe rempubl. propagatis? &c. *cap. 3.*

Idem paulo post: Quo enim magis continentiam patris æquare potuisti, quàm quod te, ab ipso fine pueritię, illicò matrimonij legibus tradidisti, ut primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres; novum jam tunc miraculum, juvenis uxorius? *c.4.*

§ Poetarum Graecorum.

D. Nazianzenus Carm.2. de Virginitate.

Femina non parva mercatur dote maritum,
Quodque etiam gravius, vitiosum sæpe & inertem.
Rursus emenda viro coniunx, nec moribus illa
Prædita sæpe bonis, quæsita attractaq; pestis,
Pestis quam nulla liceat ratione fugare.
Nam si concordes animis iustiq; coirent
Iure thori, levius sulcarent æquora vitæ,
Nimirum duplici vento impellente carinam.
At vitijs fœdos thalamus cum fœdere iungit,
Immanis labor est, dolor hic præcordia rodit.
Omnia dissidijs flagrant: nec enim inter iniquos
Firma coire potest concordia, certus amorque
Aspera quinetiam thalamos persæpe recentes
Fata subiverunt: nunc sponsus, deinde cadaver.
Nunc thalamus tumulus, lætis iunguntur acerba.
Exiguum cantum sequitur mox nænia tristis.
Connubij tædas alius succendit, easdem
Extinxit manus alterius, fædusq; iugale
Sustulit. Hic teneræ pater est à prole vocatus:
Ille repente rogo sobolem dedit, ac sterilescit,
Non secus ac ramus ventorum turbine fractus.
Nunc virgo, coniux demum, mox orba marito:
Vno hæc sæpe die, sunt una hæc nocte frequenter.
Dilaniatq; comas, sponsalemq; eiicit à se
Ornatum, laceratq; genas, sævoq; dolore
Perdita virgineum pellit de corde pudorem,
Extinctumq; vocat miseranda morte maritum,
Desertamq; domum luget, viduumq; cubile.
Et præmaturo sublatum funere deflet.
Nec vero partus pergam memorare dolores,
Atque onera in matrum vulvis extincta referre,
Et tristes fructus, & fœtus matre carentes,
Quæ prius est tumulus natis, ac deniq; mater,
Infœtosq; etiam fœtus, partuq; priores
Interitus. Taceo eductos ad lumina vitæ
Ante diem, mentisq; inopes, atque horrida monstra,
Dedecus humani generis, ludibria carnis.

D. Greg. Nazianzenus Carmine 2. de Virginitate.

Ac primum Deus est rerum generator & auctor;
Mox amor & thalamus. nam terra, & pontus, & aer,
Munere connubij producta prole virescunt.
Quin, si vera ferunt, nec palma libidinis expers.
Namq; maritata sub verni temporis horam,
Egregios tum deinde solent producere fructus.
Quod si etiam ex coitu saxorum saxa creantur,
Vt memorant, lapidum quibus est perspecta facultas,
Res quoque tangit Amor rigidas, vitaq; carentes.
Sed quid ergo externos verbis complector amores?
Quis gravibus claras instruxit legibus urbes?
Oppida quis struxit? quis doctas attulit artes?
Quis fora, quisve domos implevit, quisve palæstras,
Convivis epulas, armata bella cohorte,
Quis cœtusq;, Dei præconia magna canentes?
Quis sine connubio vitam moresq; ferinos
Depulit, & docuit proscindere vomere terram?
Perspice iucundæ quænam sint munera tædæ.
Quis Sophiam docuit? quis repperit abdita cuncta,
Quæ mare, quæ tellus, cælumq; volubile claudit?
Quis plantas serere, & navem committere ponto,
Sulcantem gelidas rapidis Aquilonibus undas?
Quis mare cum terris undoso tramite vinxit,
Et multum inter se disiuncta elementa ligavit?
Ac ne præsenti tantum prodesse putetur
Coniugium vitæ, non hic sua commoda sistit.
Nam merita illius multo maiora supersunt.
Præstat enim ut nobis auresq; manusq; vicissim
Atque pedes simus: languentes corporis artus
Roborat, ingentiq; hostilia corda dolore
Angit, lætitia contra diffundit amicos:
Afflictis animis communis cura medetur:
Delectatque magis communis utrumq; voluptas.
Gratior in thalamo concordi copia rerum:
Rursusq; in thalamo melius toleratur egestas.
Tuta pudicitia, Veneris quoque, clavis utriq;
Coniugium, obsignans violenti fœdus amoris.
Vnus amicitiæ pullus, qui pectora saltu
Exhilaret, proprij sintque unica pocula fontis,
Qui nec cuiquam alij pateat, nec diffluat extra.
In thalamo concors animus, concordia membra,
Inque vices acuunt solida pietatis amorem.
Nam neque coniugium à Christo veraq; salute
Abducit: verum stimulos quoque subdit & urget.
Vtque perexiguam venti vis parvula puppim
Incitat, expassis velis maria alta secantem,
Aut etiam remis impulsa, per æquora cursu
Fertur: at ingentem non fert levis aura carinam,
Quæ nisi pergravibus ventis agitata quiescit.
Sic etiam innupti, quoniam levioribus ævum
Traiiciunt pedibus, leviore videntur egere
Numinis æterni auxilio, afflatuque minore.
At qui consortem thalami, qui pignora chara
Curat, opesq; suas, & vastum navigat æquor,
Arctius ille Deo, quia pluribus indiget, hæret.
Hæc thalamus. Contra manca est sine coniuge vita,
Dura, petens montes, improvidaq;, & laris expers.
Non animi morbis adhibet senioq; medelam,
Non facit ut primos vita renoventur ad annos,
Atque repubescant suscepta prole parentes:
Non dulcem in terra contendit figere vitam.
Non fora delectant miseram, non prodiga mensa,
Non epulæ. verum in lachrymis luctuque perenni
Versatur, fluxique horret contagia mundi,
Et cum sit vita, tamen odit otia vitæ.
Denique cum reliquis animo non vivit eodem.
Ac ne forte thoro, virtutis amore, iugali
Abstineat quisquam, thalamo contermina virtus:
Non modo quod sanctis thalamus mortalibus olim
Cunctis charus erat, contempta cælibe vita,
Verum etiam thalamo quia sunt genitore creati
Vates, sacrifici, doctores, & Patriarchæ,

Lauri-

Laurigeri graves, omni virtute gravesq;.
Non etenim egregios homines, ut vasta gignantum
Corpora commemorant, luci dedit arida tellus,
Omnes sunt sacræ fætusq; & gloria tædæ.
Quis generi humano nomen patefecit Olympi
Omnipotens supera quamvis procul absit ab arce?
Quis mentes hominum divino implevit amore,
Et terra abstractas tulit ad præstantius ævum?
Quis claras animas purgavit sordibus atris?
Alma fides pietasq; ad fidem vexit Enochum.
Noe perexiguo numero & semente natante
Mortiferis orbem totum servavit ab undis.
Inclytus Abrahamus, numerosæ gentis origo,
Haud trepidus natum mactandum admovit ad aram.
Quin etiam Moses miracula magna patravit,
Dum populum ærumnis, duraq; tyrannide pressum
Extrahit, & sanctos leges, mandataq; saxis
Iura capit, numenq; adverso lumine cernit.
Inter sacrificos veteres fulgebat Aaron.
Et Phœbæ & Phœbo cursum produxit Iesus,
Dum sequitur fractas fusasq; per arva phalanges.
Tu quoque fidus eras, Anna prognate, sacerdos,
Et Domini Christi cornuq; oleumq; ferebas.
Quid David? regum quo non præstantior ullus.
Quid Salomon sophiæ vertex, omnesq; prophetæ,
Ardentiq; Elias abreptus ad æthera curru?
Quis non suspiciat veterisq; noviq; sequestrum
Fœderis, & qui mox ventura luce suprema,
Nuncia læta ferens mortalibus ante cucurrit?
Quis non discipulos Christi, fidosq; sequaces?
Quis non cælipetæ robur mirabile Pauli?
Atque omnes alios, quorum clarissima virtus
Vel prius illuxit, vel nostro tempore fulget,
Præsidium fidei plebis columen, decus orbis,
Quos omnes nobis Christus thalamusq; dedere?
Sed neque femineo in sexu quotcunq; potentem
Egregia pietate Deum coluere, fidesq;,
(Quarum non parvum numerum Scriptura recenset)
Sunt sine conjugio tam magna laude potita.
Vtq; etiam in thalami quiddam genialis honorem
Altius adjiciam, licet omni labe carenti,
Attamen humano Christus se corpore junxit,
Et desponsatæ per viscera casta parentis
Fluxit, conjugijq; humani cum deitate
Dimidium junxit. Sed & hic quoque maxima nobis
Vis posita est, quod si superet pars conjugis expers,
Hinc tamen a nobis genus & vitalis origo est.
Non etenim ex agamis ortum traxere jugati:
Verum illi contra nexu fluxere jugali.
Quocirca nati quamprimum sistite pugnam.
Quanquam etenim patrum minime vos nomen habetis:
Attamen a patribus traxistis semina vitæ.

D. Nazianzenus Carm. 56. ad Olympiadem.

Primò Dei numen, posthac venerare maritum,
Vitæ oculum, & tua qui sapiens consulta gubernat.
Hunc & semper ames unum, lateris & uno:
Idque magis, flammas si senseris illius in te
Ardentes, stabilisq; tui conservet amorem.
Ne tibi sit, quantam cupit hic, fiducia tanta,
Sed quantum decet ac fas est. namq; omnia tandem.
Tædia ferre solent animis. non expedit autem
Conjugis ut saturum capiat fastidia pectus.
In molem, mulier cum sis, ne assurge virilem.
Ne genus & proavos memora: ne pulcher amictus
Sit tibi vel vani sapientia causa tumoris
Legibus est thalami sapientia cedere magna.
Cuncta etenim nexus communia reddit utriq;
Conjugij. Tu cede viro, cum bile movetur,
Atq; laboranti fer opem, molliq; loquela
Admonitisq; probo mœrentia pectora fulci,
Cum lea sæva furit, rabidaq; exæstuat ira,
Robore corporeo domitor non comprimit illam,
Sed manibus mulcens domat hanc & voce suavi.
Ne damnum improperes, quamvis irata, marito.
(Pluris enim ille tibi est, quam commoda cuncta putandus)
Nec finem adversum votis (namq; haud decet istud.
Sæpe fit ut non sit prudentibus exitus idem
Consiliis, verum male vertant optima cœpta)
Nec teneras vires. nam magnum robur in ense.
Namq; alias etiam fit oportet femina simplex.
Virq; etiam, sed plus mulier. majoribus ipsa
Debet in hanc etenim studijs incumbere laudem.
Sint tibi lætitiæq; omnes, sæviq; dolores,
Sint tibi communes charo cum coniuge curæ.
Nam domus his veluti gradibus se tollit in altum,
Dic quoque quid placeat, sed sit sententia victrix
Coniugis; hanc contra nimium contendere noli.
Cum jacet in luctu, paulum quoq; contrahe frontem.
Ac sociam luctus te da. nam mæror amici
Afflicto esset solet dulcis medicina doloris.
Protinus at vultum sumens cum mente serenum,
Mordaces animi curas luctusq; revelle.
Nam mœsto est uxor statio benefida marito.
Pro studio, arguto tibi sit cum pectine tela,
Diviniq; tuam teneat meditatio mentem
Eloquij: coniux externa negotia curet.
Limine, Nata, pedem nisi raro efferre caveto.
Nec tu publica festa, inhonestos nec pete cœtus,
Namq; verecundis etiam de fronte ruborem
Hæc adimunt, oculisq; procacia lumina iungunt,
Extincto porro subeunt mala cuncta pudore.
Ad functos autem iubeo te tendere cœtus,
(Dum prudens matrona tibi se iungat eunti)
Egregium medio sermonem ut pectore condas,
Quo tua vel virtus crescat, vel noxa necetur.
Vrbs tibi sint ædes: tibi sint viridaria læta
Non cerni. excipio charos castosq; propinquos,
Atque sacerdotem, & senium iuvenilibus annis
Vtilius multo ac melius Quin, nata, monebo
Hoc quoque, feminei ut vites consortia sexus,
Si qua sit extenta cervice atque ore procaci.
Nemo sit usqueadeo sanctus, mea nata, priusq;
Cui pateant aditus ad te, si forte maritus
Oderit hunc nolitq; suis admittere tectis.
Quæ tibi tanta ferat, dic sodes, commoda quisquam,
Quanta feret thalami socius ferventer amatus?
Alto animo sis ipsa, licet, non mente superba.
Hæc mihi laudatur mulier, quam turba virilis
Omnino ignorat. Fuge connubialia festa,
Atque dapes natalitias, ubi vina bibuntur
Largius, atque chori regnant, turpesq; cachinni,
Ac lepor illepidus: quæ vel castissima mulcent
Pectora, tamq; cito penetrant, quam fervida ceram
Lux Phœbi penetrare solet. Sed & ipsa caveto,
Ne præsente viro, vel eodem absente, Lyæo
Des operam. inque tuis agites convivia tectis.
Forte queat venter rabidos compescere motus,
Dum modico gaudet victu: at si frena recuset,
Indomitusq; ruat, timeo hunc, timet huncq; maritus.
Ne gena subsultet lascivis motibus unquam,
Aut ira tumefacta gravi nam dedecus istinc
Femina virque trahunt: at matus & illa fit inde
Fœda etenim facies, turpiq; simillima monstro.
Iam suus auriculis mundus quoque constet, ut illa,
Quæ bona sunt, tantum excipiant, adversa repellant.
Sint castæ & foribus clausis, & rursus apertis.
Virgineum tæda sociato funde pudorem:
Atque hominum aspectus tingat ruber ora: oculiq;
Vt tibi sint cæci, & fixi tellure labora.
Quinetiam linguæ nisi frænum imponere cures,
Coniugis offendes animum. mala plurima sæpe
Innocuis etiam peperit male prodiga lingua
Præstat, cum verbis locus est tempusq; silere,
Mittere quam vocem, cum vox & lingua premendi est.
Fac tua vox cupidas semper labatur in aures.
Quin pes elatè gradiens negat esse pudica
Pectora. namq; etiam est ingressu sæpe libido.
Hoc quoque consilium capias charissima nata.
Effrenis ne te carnis trahat impetus: omni
Tempore nec lecti genialis gaudia quæras
Ipsum virum dictis moveas, ut tempora sancta
Sic colat, ut Veneris procul absit blanda voluptas.
Cedere divinis placitis nam debet imago
Numinis: humana quamvis de stirpe creatis
Connubij legem dederit Patris unica proles,
Ferret opem ut nobis: manibus quos finxerat ipse:
Vt dum alij abscedunt, alij veniuntq;, trahatur
Vita fugax hominum, violenti fluminis instar,
Ob mortem instabilis, stabilisq; ob pignora rursum.

D. Nazianzenus Carm. 2. de Virginitate.

Quid sequitur? natis senium curantibus agrum,
Canicie posita rursus florere parentes
Incipiunt, uxorq; viro, contraq; maritus
Coniugis auxilio primos renovatur ad annos.
Communis porrò magis est iucunda voluptas.
Communes curæ minus angunt atque dolores.
Et rectè gradiens titubantem fulsit amicum.

Aristophanes Nubibus v. 40.

Vtinam male pereat isthæc Pronuba pessima,
Quæ me impulit, ut matrem olim duxerim tuam.
Nam rure agebam vitam prius suavissimam,
Squalentem, incomtam, humi proiectam temerè, apum
Refertam copia, & fracibus, & pecudibus.
Post uxorem duxi hanc Megaclis, ex anu

Sorore neptem rusticus ego ex urbe scilicet:
Magnificam, sumtuosam, delicatulam.
Vbi hanc duxissem, uno accumbebam lectulo,
Ego quidem olens fecem, ficum, lanas, opes:
Illa autem unguentum, crocum, obscœna basia,
Et sumtum, & crapulam, & Venerem, & genium suum.
Non jam dicam, quod ociosa ipsa fuerit:
Quippe in texendo erat opera suæ prodiga.
At ego illi palliolum hoc, prætextus nomine,
Commonstrans, dicebam, tu nimium texis hic.
Post ubi mihiq́; & uxori meæ bonæ
Hic natus est filius: altercati sumus
Primo omnium de imponendo illi nomine:
Mater quidem ab equo nomen indebat, vocans
Xanthippum, vel Charippum, vel Callippidem:
Ego verò ab avo dicebam ipsum Phidonidem.
Diu cùm dissensissemus: tandem temporis
Progressu inter nos convenimus, & filio
Nomen dantes, vocavimus Phidippidem.
Atque hunc, manu prehendens mater, filium,
Occœpit abblandiri ei, quando, inquiens,
Tu grandiusculus fueris, age currum agas
Ad urbem, veste succinctus curuli, uti
Megacles. at ego contra illi dicebam, ubi
Grandior eris, capellas agito è Phelleo,
Pelliceam amictus penulam, ut & pater tuus.
Sed ipse monitis nihil obtemperat meis:
Et morbum equestrem effundit meis pecuniis.
Itaque nunc totam hanc noctem cogito de via:
Vnamque reperi commodissimam omnium,
Supra modum: quam si huic persuasero, illico
Salvus sim.

Aristophanes Thesmophor. v. 479.

Quid hæc vitia habentes Euripidem accusamus?
Graviterq́; ferimus, si duo nostrum vel tria
Mala cognoscens dixit, cùm fecerit infinitas fabulas?
Ego enim ipsa primum, ut ne aliam dicam,
Conscia sum mihi ipsi multorum. Illud verò certè
Indignissimum est, cùm sponsa quidem fui tres dies,
Et maritus apud me erat dormiens, erat mihi amicus,
Qui quidem me vitiavit septem annorum existentem.
Hic desiderio & amore mei leviter pultabat, cùm venisset
fores,
Et deinde protinus agnovi, deinde descendo clàm.
Vir autem rogat, quonam tu descendis? quò?
Tormina me habent circa ventrem ô marite, & dolor,
Ad latrinam igitur eo vade nunc.
Et deinde hic quidem terebat fructus cedri, anethum &
sphacam,
Ego verò cùm infudissem supra cardinem aquam,
Egressa sum ad mœchum, deinde innixa sum
Iuxta viam fortiter adhærens lauro.
Hæc nunquam deprehendit Euripides:
Neque quod a servisq́; & mulionibus
Subagitamur, si non habuerimus alterum, non dicit:
Neq́; quòd cùm maximè ab aliquo subagitatæ fuerimus
Nocte, manè allia mandimus,
Vt olfaciens vir, à muro urbis ingressus domum,
Nihil mali facere suspicetur. hæc videns
Nunquam dixit. si verò Phædra maledicit,
Nobis quid hoc est? neque illud dixit unquam,
Quòd uxor ostendens viro circularem tunicam,
Ad radios solis qualis est, occultatum
Adulterum emisit, non dixit unquam:
Alteram vero novi, quæ dicebat dolores partus habere mulier
Per decem dies, donec emit infantem.
Maritus autem obibat urbem medicamenta celerem partũ
facientia emens,
Intulit autem anus in olla infantem,
Vt ne clamaret cerula obturatum.
Deinde ut annuit capite anus quæ ferebat, uxor statim cla-
mat,
Abi abi: jam enim ô vir mihi videor
Parituræ esse, imum ventrem enim infans calcibus percussit.
Et hic quidem lætatus cucurrit, hæc vero traxit
Ex ore infantis cerulam, ille verò clamavit.
Deinde scelesta anus quæ ferebat infantem,
Currit ridens ad maritum, & dicit,
Leo leo tibi natus est, ipsa effigies tua,
Et in reliqua omnia, & membrum virile
Tuo persimile tortum & compactum quemadmodum nuca-
mentum.
Hæc si facimus mala per Dianam,
Nos quidem contra Euripidem irascimur,
Nihil passæ plus quam fecimus.

Aristophanes Thesmoph. v. 551.

Non per Iovem, ne millesimam quidem partem eorum quæ
facimus,
Deinde quidem non dixi: vides, quod strigiles accipientes,
Postea quasi per siphonem & fistulam attrahimus cibum.
MV. Perdaris.
SO. Quodq́; ipsas carnes Apaturiis festis lenis dantes,
Deinde felem dicimus abstulisse. MVL. Miseram me, nuga-
ris.
SO. Neque quòd maritum securi uxor percussit,
Non dixi: neque quòd potionibus altera maritum insanire
fecit,
Neque quod sub solio defodit olim. MVL. Pereas.
SO. Acharnica patrem. MVL. Hæc verò tolerabilia sunt ne
ad audiendum?
SO. Neque quòd tu ancilla pariente marem, deinde tibi ipsi
Hunc supposuisti, tuam verò filiolam dimisisti ipsi.
MVL. Non per deas tu impunè feres, dicens hæc,
Sed evellam tui pilos.

Nonnus lib. 5. Dionysiac. Actæon loquitur.

Vtinam pater me servasses insolentem venationi:
Nunquam desiderassem solitudine gaudentem Dianam:
Nunquam vidissem cæleste corpus. Vtinam verò puellæ
Mortalis habuissem amorem! terra natas mulieres
Relinquens aliis, & citò morientes nuptias,
Immortalem expetii. irata verò Deâ
Præda meorum canum factus sum.

¶ Romanorum.

Plautus Menæchmis 4. sc. 2. v. 56.

Nunquid servorum deliquit? num ancillæ aut servæ tibi
Responsant? eloquere; impunè non erit.

Terentius Adelph. 5. sc. 8.

Ego novus maritus anno demum quinto & sexagesimo
Fiam, atque anum decrepitam ducam? id ne estis auctores
mihi?
Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, alienum à vita
mea
Videtur: si vos tantopere istud vultis, fiat.

Ausonius Epigr. 18. ad uxorem.

Vxor, vivamus quod viximus; & teneamus
Nomina, quæ prima sumpsimus in thalamo.
Nec ferat ulla dies, ut commutemur in ævo,
Quin tibi sim juvenes, tuque puella mihi:
Nestore sim quamvis provectior, æmulaq́; annis
Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben.
Nos ignoremus, quid sit matura senectus,
Scire ævi meritum, non numerare decet.

Ausonius in Monosyllabis.

Sexus uterq́; potens; sed prævalet imperio mas.

¶ Apologorum.

Dabrias. Περὶ Ἀνδρὸς καὶ Γαλῆς γυναικός. Fab. 16.

Ἀνὴρ γαλῆν γυναῖκα πρὸς δόμους ἄγε.
Παρῆν δὲ Κύπρις εἰς ἑορτὴν τοῦ γάμου.
Νύμφη δὲ μῦν βλέψασα, συντόνῳ τάχει
Δίωκε τοῦτον, μὴ τραπεῖσα τὴν φύσιν.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι τὸ ἐκ φύσεως ὂν οὐ μεταστρέπεται.

De viro & fele uxore.

Vir felem uxorem in domum duxit,
Adfuit Venus in nuptiarum solennitate,
Sponsa verò viso Mure, contenta celeritate
Eum persequuta est, non mutata natura.

Affabulatio.

Quòd id quod à natura est, non transmutetur.

De vidua virum petente. *Fab. 31.*

Vidua quædam dives à vicina petebat, ut maritum sibi inquireret, quem non coitus gratia, qui ingratus admodum sibi erat, sed ne bona sua dilapidarentur, exoptare se dicebat. Mulier sagax, & viduæ versutias intelligens, se inquisituram pollicetur. Paucis post diebus viduam conveniens, reperi, inquit, tibi virum ex animi tui sententia. Est enim vir prudens, & ad res gerendas natus, & genitalibus caret, quæ tibi cordi non sunt. Cui vidua, abi hinc, inquit, in malam rem cum isto marito tuo lepido, etsi enim coitus appetens non sum, volo tamen habeat, quod nos reconciliet, si quando cœperimus esse discordes.

Hæc fabula indicat, nullum matrimonium felix, si clavus defuerit, qui virum & mulierem arctissimè constringit. *Laur. Abstemius.*

De Leone & Mure. *Fab. 52.*

Leo laqueo captus in sylva, cum se ita irretitum videret, ut nullis viribus se inde posse explicare consideret, murem rogavit, ut abroso laqueo eum liberaret, promittens tanti beneficii se non imme-

morem futurum. Quod cum mus promptè fecisset, leonem rogavit, ut filiam ejus sibi traderet in uxorem. Nec abnuit leo, ut benefactori suo rem gratam faceret. Nova autem nupta ad virum veniens, cum eum non videret, casu illum pede pressit, atque contrivit.

Hæc indicat fabula, matrimonia, & cætera consortia improbanda, quæ ab imparibus contrahuntur. *Abstemius.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Uxor Philonis Iudæi. Viri in uxorem imperium, veluti animi in corpus esse oportere, olim dicebat Plutarchus: eamdemq; in illis, veluti in his, naturæ conjunctionem. Ac veluti hujus ornamentum est animus, ita illius vir. Testata hoc præclaro ac memorabili testimonio Philonis conjux: quæ interrogata, cur non ut mulierum genus monilibus compta & vestium varietate ornata incederet, prudenter & supra mulierem respondebat: *Potissimum pudicæ uxoris ornamentum vir bonus & sapiens.* Non minùs sanè eleganter, quã illa Phocionis Probi: cui semper in ore, *Meus mundus sunt præclara gesta mariti.* Æmulamini has ô matronæ; quæ spretis his ornamẽtis, de quibus verè vobis gloriandum, vanis & ad pompam dumtaxat exteriorem destinatis lenociniis inhæretis. *Anton. Serm. de muliere forti.*

Eugenia Philippi filia. Vide Conjugium, & Bonus vir.

Fæmina anonyma. *Pauperis uxor erat, sed honesti civis: ad illam*
Vestibus & gemmis splendida venit Anus:
Cuius sacrilega ditatus fraude maritus,
Turpiter immensas accumularat opes.
Hæc ait, En quantum sum divite splendida cultu,
Tu quid inops inopis conjugis uxor habes?
Opportuna dedit verbis responsa modestis
Pauper honorato FAEMINA *juncta seni:*
Te decorant Tyriæ vestes gemmæque nitentes,
Fama boni decorat me sed honesta viri.

Ex Epigramm. Sabini.

Iesus Christus: Honorabile Connubium à Deo in Paradiso institutum, sine quo humana societas consistere diu nequit, brevi compendio perstringimus. Cujus bonum paucis insinuavit Christus Dominus, dum Pharisæis calumniandi animo accedentibus, rogãtibusque multa de libello repudii à Moyse concessi, Matrimonium ad primam institutionem revocasset. dicebat enim: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* distinctè matrimonialis vinculi indissolubilitatem pronuntians. *Mat. c. 19.*

Idem: Cùm plurima de Matrimonii nexu dixisset, Discipuli quasi stupefacti; *Si ita est*, inquiunt, *causa hominis cum uxore, non expedit nubere*, Qui respondit eis; *Non omnes capiunt*, id est approbant & admittunt, *verbum istud; sed quibus datum est*: scilicet, speciali gratiæ dono. Benè Hieron. lib. De viduis: Copula nuptialis non est quasi copula vitanda, sed quasi necessitatis sarcina declinanda. Nam, ut Theodectus, Similes sunt senectus & nuptiæ: utraque enim consequi desideramus: postquam verò nacti fuerimus, tristamur. *Matth. c. 9.*

Alphonsus Arrag. Rex: Huic aliquando in ore: *Tum demum matrimonia tranquille exigentur, si vir surdus, uxor cæca sit.* Significabat autem, plerasque rixas quæ in hoc statu interveniunt, excitari potissimùm ex zelotypiâ conjugum. quorum si hic surdus foret, ne alterius profusam garrulitatem audiret; illa cæca, ne mariti intemperantiam videret; non tam frequens etiam foret querelarum ansa. *Panorm. de Dict. ejusd.*

Marianus Sozinus. Et quia is qui cum uxore est, juxta Apostolũ, solicitus est quomodo placeat uxori, & divisus est: ideò rogatus Marianus, vir alioquin eruditus, cur minùs post conjugium, quàm ante illud, libris litterisque incumberet; respondit: *Quia uxorem duxi.* dicentique: Etiam Socrates uxoratus erat, cur non & ille Philosophiæ studia aspernatus? *Xantippe*, ait, *morosa erat, & deformis: mea autem proba est, & forma decenti. Æneas Sylu. de Dict. Sigism. & Frederici Imp.*

Anonymus: Hinc benè quidam, inquirenti an viro sapienti ducenda foret uxor, responso hoc satisfecit, inquiens: *Si pulchra, si benè morata, si honestis parentibus, quid obstaret?* At quia hæc rara avis, sapienti ducenda vix erit. nam, ut Varro in Menippæa,

Vitium conjugis aut tollendum est, aut ferendum.

Auct. Serm. memor.

Anonymus: Duxerat hic uxorem sine ullâ omnino dote, cùm tamen honestiores & opulentiores matronę se crebriùs offerrent. Roganti verò, cur his spretis, illam in conjugem acciperet; *Ne*, inquit, *dotium freno constrictus, uxori meæ nupsisse ego videar: & ita contra Apostoli doctrinam viri caput fiat mulier.* Sed quantùm hoc ævo ille morbus invaluit, quas non radices egit? Pulchrè simul & facetè *Martialis, l. 8. ad Priscam:*

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? Uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Non aliter fiunt fæmina viróq; pares.

Ut verò insinuet quænam tandem uxor ducenda, ita ad Flaccum loquitur:

Qualem Flacce velim, quæris, nolímve puellam?
Nolo nimis facilem, difficilemq; nimis.
Illud quod medium est, atq; inter utrumq; probatur,
Nec volo quod cruciat, nec volo quod satiat.

Ioan. Petrosius in Serm. conviv.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; sacro fortunatum minimè matrimonium est.
Adversus mariti edictum quidvis faciunt feminæ.
Aut amat mulier vel odit: nil in ipsa tertium est.
Cælo item suum per imbrem cum Terra connubium.
Caupo si propè adsit, atra tota bilis femina est.
Esse iniquas socrus omneis, induxere animum viri.
Exhilarant sanos maritos, curant ægros fæminæ.
Familiæ decus polluitur matrimonio impari.
Femina absq; viro, absq; labore spes, nihil parit boni.
Femina haud promptè discedit in statum concordiæ.
Feminæ bonæ marito nil pretiosius suo.
Feminarum studium æquè est sint ut adversæ viris.
Ferre divitem, tormentum est: arduum alere pauperem.
Ita animum viri induxere iniquas esse omneis socrus.
Matrimonium arctè in unum bina jungit corpora.
Matrimonium juventæ vinculum tutissimum.
Matrimonium magistra est omnis temperantiæ.
Matrimoniumq; princeps numen est inter Deos.
Ne quidem jugum succedunt pecora sortis imparis.
Nitenti ad maiora robur matrimonium est ac decus.
Non licet viris adæquè feminis quod non licet.
Non mariti ætatem aut corpus diligas sed gloriam.
Non me tu argento dedisti, opinor, nuptum, sed viro.
Nulla ideo ducit maritum, ut cum marito haud dormiat.
Nulla non spectare gaudet pellicis lacrimas suæ.
Numen est, interq; Divos grande Matrimonium.
Pauci sunt mariti, plures sunt amatores suis.
Pica pulvinaris admodum efficax os obtinet.
Pignus ingens est fidei uxor, pignus majus liberi.
Quolibet stupro pudicæ polluas famam domus.
Si jubar solis recusat aquilæ pullus, est nothus.
Sæpius malum perenne de brevi verbo feras.
Sub iugo bos atque asellus uno aratra ne trahant.
Tam malum est habere maritam, non habere quã malũ est.
Vel sterile est vel imbecillum procreat quidquid senex.

¶ Jambica.

Arbitrij sui omne matrimonium est.
Divesq; inopsq;, matrimonium inimicum est.
Ducit sibi ac vicinis coniugem senex.
Etiam volucres faciunt matrimonia.
Haud victimæ adsit fel Iunonis pronubæ.
Hei quam molesta res est matrimonium.
Impar marito, par marito femina est.
Mirè viros honestat matrimonium.
Mœchatur intus, quæ virum aut legem timet.
Mulier viri sui pudica gloria est.
Mortalitas æterna matrimonio est.
Mortalitatem æternat matrimonium.
Omnes animo uno socrus oderunt nurus.
Quod fucus est api, hoc viroq; fæmina est.
Senex maritus, servus infimissimus.
Tanaquil marito rege notior suo est.
Vitam monili Eriphila vendidit viri.
Vox feminæ viriq; pulcre consonant.

Matrimonialiorum Præceptorum.

¶ Sententiae Patrum Graecor.

CLEMENS ALEXANDRINUS: Quocirca & aurum gestare, & molliori uti veste, non omnino rescindendum est: sed frænandæ sunt rationis expertes affectiones, ne per nimiam dissolutionem abripiẽtes ad mollem nos ac luxuriosam vitam impellant. Quæ enim in satietatẽ impegerunt delitiæ, mirandum in modum exultant, & resistunt, aurigamq; & pædagogum excutiunt, qui procul habenas retinens, equum humanum fert & agit ad salutem: animæ scilicet partem à ratione alienam, q̃ in voluptates, & vituperãdas appetitiones, & gemmas, & aurum, & vestem variam reliquũque luxum efferatur. Illud autem memoria maximè tenendum est, quod sanctè dictum est: Conversationem vestram in gentibus habentes honestam, ut in quo de vobis malè loquuntur, tanquam maleficis, ex honestis operibus suspicientes, Deum glorificent. Nobis ergo concedit pædagogus frugali veste uti, albo colore, ut diximus, ut non arti varieganti, sed naturæ generanti, nos accommodantes,

quicquid eſt fallax, & veritatem ementitur repellentes, quod eſt ſimplex & uniuſmodi veritatis amplectamur. Nimis luxurioſe ac delicate viventem reprehendens Sophocles dicit,

Quæ fœminarum ſunt amictæ veſtibus,

Quemadmodum enim militis & nautæ, ita etiam viri temperantis eſt propria veſtis, quæ eſt minimè elaborata, & eſt decora ac munda. Unde etiam q̄ in lege per Moſem de lepra lata eſt lex, rejicit id quod eſt varium, & multis maculis notatum, perinde ac nefarium, ut quod ſit ſerpentis variis ſquamis ſimile. Eum ergo qui varietate colorum minimè effloreſcit, totus autem à vertice capitis uſque ad extremos pedes eſt candidus, mundum eſſe vult, ut quemadmodum in corpore, varia quoque ac verſipelli relicta mentis affectione, qui non eſt varius nec anceps, ſimplicem veritatis colorem diligamus.

Qui autem in hoc quoque Moſis eſt imitator longè optimus, Plato, illam texturam admittit, cui non amplius operis eſt adhibitū, quàm pudica mulier poſtulet. Albi verò colores honeſtati conveniunt. Alibi quoque dicit: Et in textura non adhibere tincturas prætorquam ad ornamenta belli. Pacificis ergo hominibus & lucidis album convenit. Quemadmodum ergo ſigna quæ ad cauſas proximè accedunt, ſi adſunt, ipſum rei effectum ſignificant, vel potius judicant: quemadmodum fumus ignem, bonus autem color bonuſque pulſus ſanitatem: ita etiam talis qui eſt apud nos amictus, indicat qualis ſit noſtrorum morum conſtitutio. Pura, autem eſt & ſimplex temperantia, quoniam munditia eſt habitus, puram vitæ rationem præparans, & minimè mixtam turpibus. Simplicitas autem eſt habitus, qui tollit ſuperflua. Solida autem veſtis & à fullonico artificio maximè eſt aliena, & protegit calidum quod eſt in corpore: non quod in ſe veſtis habeat caliditatem, ſed quòd quæ eſt in corpore exeuntem revocet, & ei non præbeat exitum. Quod ſi etiam aliqua in ea fortè inſit, ipſam in ſe comprehenſam continet, & ab ipſa excalefacta corpus viciſſim calefacit: quapropter hyeme ea maximè utendum eſt. Ea autem eſt facilis. Facilitas autem eſt habitus, ab ijs quæ ſunt ſuperflua alienus, qui ad hoc ut nihil deſit, ſuſcipit ea quæ ſufficiunt ad numerum eorum, quæ pertinent ad ſanitatem, & ad beatam vitam.

Porrò autem utatur etiam fœmina veſte frugali & honeſta, magis autem molli quàm viro conveniat, ſed non quæ pudorem omnino abjecerit, nec planè mollitie diffluat. Congruant autem veſtes ætati, perſonæ, figuris, naturæ, ſtudijs. Pulcherrimè enim nobis præcipit divinus Apoſtolus, ut Jeſum Chriſtum induamus, & ne carnis curam geramus in deſiderijs. Prohibet autem Verbum, ne auriculas ſauciemus vim naturæ afferentes. Cur non enim itidem narem? ut illud etiam impleatur quod dictum eſt: Quemadmodū inauris in nare ſuis, ita improbæ fœminæ pulchritudo. In ſumma enim, ſi quis auro ornari exiſtimet, is eſt auro inferior: qui autem eſt auro inferior, is non eſt ejus dominus. Se autem Lydio ramento minus eſſe honeſtū & inferiorem fateri, quomodo non eſt abſurdiſſimum? Quemadmodum ergo polluitur aurum ſuis immunditia cœnum roſtro ſuo conturbantis, ita quæ ſunt paulo magis luxui deditę mulieres, ſi à nimijs copijs incitentur ad libidinem & impudicitiam, probro ac dedecore veram pulchritudinem afficiunt, eā inquinamentis veneris polluentes. Dat ergo eis annulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, ſed ut ea obſignet quæ domi digna ſunt quæ cuſtodiantur, propterea quod ſervandæ domus ad eam cura pertinet. Si enim rectam pædagogi inſtitutionem omnes probe ſequerentur, nihil opus eſſet ſignaculis, cùm omnes eſſent ex æquo juſti & ſervi & domini. Sed quoniam ignorantia & mala educatio præbet occaſionem magnam propenſionis ad injuſtitiam, fuit opus ſigillis.

Sed nonnunquam etiam de illa ſevera & accurata vitæ ratione eſt aliquid remittendum: nonnunquam enim concedendum eſt illis, q̄ in conjugem minus continentem incidunt, ornari, ut marito ſuo placeant. Hic autem eis conſtituatur terminus, ut à ſolis ſuis maritis laudari & eis placere ambiant. Atque ego quidem nollem eas corporeum exercere decorem, ſed eos quibus nupſerunt pudico maritorum amore inducere, qui quidem eſt violentum & juſtum medicamentum: ſed quoniam ij volunt eſſe miſera & infelici anima, permittatur eis, ſi pudicæ & caſtæ eſſe velint, à ratione alienas maritorum cupiditates & appeditiones paulatim lenire ac ſedare. Ipſi autem ad frugalitatem ſenſim ſunt inducendi, paulatim aſſuefaciēdo ei ꝙ eſt moderati⁹ ac tēperati⁹. Honeſtas enim nō ejus ꝙ eſt putidum & importunum adjectione, ſed ejus quod eſt ſupervacaneum detractione accedit. Ea ergo q̄ à fœminis ad luxum comparātur, ab eis tanquam pennæ detrahenda ſunt, ut q̄ inſtabilem ſuperbiam ac mollitiem inaneſq; voluptates procreent, quibus excitatæ & quodammodo alatæ, ſæpe à matrimoniis reſiliunt. Quocirca fœminæ honeſtè ornandæ, & pudico pudore aſtringendæ ſunt, ne à veritate propter mollitiem diffluant.

Atque honeſtum quidem eſt ut viri uxoribus ſuis fidem habētes, eis domus cuſtodiam permittant, ut q̄ eis ad id opitulatrices datæ ſunt. Quòd ſi oporteat nos quoque, dum rempublicam gerimus, & in agris etiam alia opera exercemus, & ſæpe etiam ſumus ſine uxoribus, nonnulla ut ſint tutiora obſignare, dat nobis quoque unū ad hoc ſignaculum: alij autem ſunt abjiciendi annuli. Ut vult enim Scriptura, Aureus prudenti mundus eſt diſciplina. Quæ aurum autē geſtant mulieres, mihi videntur timere, ne ſi quis aurum ab eis abſtulerit, exiſtimentur ancillæ, ut quæ non ſint ornatæ. Nobilitas autem veritatis, q̄ in eo ꝙ eſt natura pulchrum ac honeſtum in anima dijudicatur, non emptione & venditione, ſed illiberali mente ſervitutem diſcrevit. Nobis autem non videri, ſed liberos eſſe convenit, qui à Deo quidē tanquā pædagogo inſtituti, à Deo verò adoptati ſumus⁹. Et ideo ſtat⁹, & mot⁹, & inceſſus, & veſtit⁹, & univerſa, ut ſemel dicā, vita eſt quā maxime libera ſuſcipienda. Sed neq; eſt à viris annulus in articulo ferend⁹: hoc. n. eſt muliebre: ſed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte eſt collocandus: ita. n. erit man⁹ maximè ad operandū expedita, in quib. ea egemus: neq; facilè excidet ſigillū, ꝙ majore articuli ligamento cuſtoditur. Sint a. nobis ſignacula, columba, vel piſcis, vel navis q̄ celeri curſu à vento fertur, vel lyra muſica, qua uſus eſt Polycrates, vel anchora nautica quam inſculpebat Seleuc⁹: & ſi ſit aliquis qui piſcetur, meminerit Apoſtoli, & puerorū qui ex aqua extrahūntur. Neq;. n. idolorū ſunt imprimendæ facies, quib. vel ſolū attēdere prohibitū eſt: ſed nec enſis, vel arc⁹ ijs qui pacē perſequūtur: nec pocula, iis qui ſunt moderati ac tēperantes. Multi a. libidinoſi nudatos habent eos quos amāt, vel amicas, ut ne ſi velint quidem, amatorias ex animo deponere perturbationes poſſint, quod libido & intemperantia eis perpetuo in mentem revocetur.

De pilis a. ita videtur. Virorum quidem caput ne ſit hirſutum, niſi forte pilos criſpos habeat. barba autem hirſuta. Intorti a. capilli ne à capite nimium demittantur, in comam muliebrē dilabentes: viris. n. barba ſufficit. Quòd ſi quis etiā barbam nonnihil tondeat, ea tamen nō eſt omnino denudanda, eſt enim turpe ſpectaculum: barbæq; ad cutē uſq; tonſura, nō videtur multū abeſſe à vulſione & lævore. Statim enim ecce Pſalmographus barbę coma delectat⁹: Sicut unguentū, inquit, ꝙ deſcendit in barbam, barbam Aaron. Is cū barbæ cōduplicatione decorem laudaſſet, vultū exhilaravit unguento Domini. Quoniā a. nō decoris gratia tōſura, ſed propter alias accipitur circūſtantias, pili quidē capitis, ne ſicceſcant, deſcendentes viſum impediant, & fortè qui in ſuperiori labri parte inter comedendū polluūtur, tōdēdi ſunt, nō novacula, eſt. n. illiberale. ſed duab. tōſorum forficib. Barbæ autem pili, qui nihil moleſtię afferunt, non ſunt vexandi, ut qui vultui gravitatē afferāt, & quēdā paternū terrorē incutiāt.

Porrò autem multos quoq; docet nō peccare figura & habit⁹, ne facilè deprehendantur. Iis autem qui nolunt manifeſte peccare, occultus habitus & non inſignis eſt graviſſim⁹. Quod veriti ij quib. licet peccare, propterea ꝙ non cognoſcantur, multis aſſimulati ut ſecurè poſſent pecare conſecuti ſunt. Nō ſolum ergo ſeverum virum oſtendit capillorum raritas, ſed etiam efficit ut minus facilè lædatur cranium, cum & frigori & æſtui ipſum aſſuefaciat, & incommoda q̄ ab eis proficiſcuntur repellat, quę quidem coma inſtar ſpongiæ in ſeipſam recipiens, perpetuam ex humore noxiam cerebro infligit. Mulierib. autem crines mollire ſufficit, & tenui aliqua fibula comā alligare frugaliter, ſimplici cultura pudicas comas in veram & germanam pulchritudinem alentibus. Meretricij enim pilorum plex⁹, & catenarum nexus cum eas deformes reddunt, tum etiam pilos diſcerpūt, artificioſis inſertis vinculis evellentes. quo fit, ut ne ſua quidem tangant capita, ne capillos confundant pertimeſcentes. Quin etiam non ſine metu eas invadit ſomnus, dum timent ne texturæ figuram imprudentes ſpolient.

Alienorū a. capillorū appoſitiones ſunt omnino rejiciendæ, & externas comas capiti adhibere eſt maximè impium, quæ mortuis pilis cranium induunt. Cui enim manum imponit presbyter? Cui autem benedicet? Nō mulieri quæ eſt ornata, ſed alienis capillis, & per ipſos alij capiti, Si autem mulieris quidem caput eſt vir, viri autem caput eſt Chriſtus: quomodo non eſt impium, eas in duplex peccatū incidere? Per immodicam enim comam viros decipiunt: Dominum autem quantum in ipſis eſt, dedecore afficiunt, dum meretriciè ornantur in fraudem veritatis, & caput ꝙ verè pulchrum eſt ut maledictum ſit efficiunt. Nec ergò pili ſunt tingendi, nec cani colorandi. Neq; enim veſtem variare conceſſum eſt: & maximè ætatis ſeniū, & id ꝙ maximæ autoritatis eſt, non eſt tegendum. Dei autem decus in lucem proferendum eſt, ad hoc ut id honorent adoleſcentes. Cum enim impudenter ſe gerentib. apparuiſſet aliquando inſtar pędagogi canicies, eos traduxit ad modeſtiam, & viſus fulgore iuvenilem terruit & repreſſit cupiditatem: ſed neq; earum vultib. ſunt callidę ſapientiæ illecebræ illinendæ, Pudicum autem eis ornatum oſtendemus. Pulchritudo enim optima primùm eſt pulchritudo animæ, ut ſæpe ſignificavimus, quādo fuerit Sancto Spiritu & ijs q̄ ab eo oriuntur ornata lætitijs anima, juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore & pudore, quo nullus color nitidior unquā viſus eſt. Poſtea autem exerceatur quoq; pulchritudo corporis, apta membrorum competentia & partium cum bono colore. Hic eſt ſanitatis aptus & compoſitus ornatus, per quem ficti ſimulachri accedit ad verum tranſitus, convenienter figuræ quæ à Deo data eſt.

Ad ornandum autem ſecundum naturam magno prædita eſt artificio potus temperatura, & cibi commoderatio. Non ſolùm enim corpus ex his ſanitatem obtinet, ſed etiam facit ut ex his appareat pulchritudo. Ex igneo enim, fulgor & ſplendor accedit: ex humido autem, nitor & gratia: ex ſicco autem, virtus & ſtabilitas, ex aere autē, ſpirandi facilitas, & par æquilibrium: ex quib. concinna & pulchra hæc rationis ſtatua ornata eſt. Sanitatis a. liberalis flos eſt pulchritudo: ſanitas enim intus operatur, exterius autem effloreſcēs pulchritudo bonū colorem manifeſtum oſtendit. Pulcherrimæ ergo & ſaluberrimæ vitæ agendæ rationes, corpora exercentes, germanam & firmam efficiunt pulchritudinem, calore in ſeipſum attrahente ſuccum omnē & frigidum ſpiritum. Ad ſe autem trahit caliditas vētilata motibus: poſtquam autem attraxerit, excalefactū; paulatim per

ipſas

ipſas carnes exhalat nutrimēti ſuperabundantiam, aliquanta quidē humiditate, ſed inſigni caliditate: & ideo prius quoq; exinanitur nutrimentum. Corpori autem immobili cibus minime adhæreſcit, ſed excidit: quemadmodum à frigido clibano panis, vel totus, vel ſolum fundum relinquens. Jure ergo ijs qui per exercitiorum abſterſiones nō excernūt, & urinæ & ſtercora redundant. Redundant etiā eis alia excrementa, & præterea ſudores, cùm alimentū minimè diſtribuatur corpori, ſed effundatur in ea quæ ſunt ſupervacanea. Hinc etiam ad partes genitales excitantur libidines, cùm moderatis motib. affluat ſuperfluitas. Quocirca liquefacere oportet hanc ſuperfluitatē, & eam in concoctionem effundere, per quam rubeſcit ſpecies. Eſt autē abſurdum eos qui ad Dei imaginem & ſimilitudinem facti ſunt, tāquā archetypū exemplar contemnentes, externum ornatum inducere, improbum humanum artificium Dei opificio preferentes.

Jubet autē pædagogus eas in veſtitu honeſto cum pudore & modeſtia prodire, & ſeipſas exornare, ſubjectas viris propriis, ut etſi qui verbo non pareant, per uxorum converſationem abſq; verbo lucrifiant. Cùm viderint, inquit, caſtam veſtram q̃ eſt in verbo converſationem. Quarum ſit, non qui eſt extrinſecus plicaturæ vel auri appoſitionis, vel veſtium indumenti ornatus, ſed occultus cordis homo, in incorruptibilitate mitis & quieti ſpiritus, qui eſt coram Deo preciosus. Quæ à mulierib. autem per ſe inſtituitur operatio, eis veram & maximè germanam affert pulchritudinem, ut q̃ earum corpora exerceat, & ipſas per ſe ornet: non ab alijs laboratum immundum ſordidumq; ac illiberalem & meretricium afferens, ſed mundum uniuſcujuſq; pudicæ mulieris, qui per manus ejus, quādo maximè opus fuerit, & ſuppeditatur & texitur. Neq; enim unquam convenit ijs q̃ ex foro emūtur, ſed proprijs ac domeſticis videri ornatas operibus, q̃ ex Dei legibus vitam ſuam inſtituunt. Res eſt enim pulcherrima, mulier domus cuſtos, q̃ & ſe & maritū proprijs ornamentis induit, per quæ omnes exultant, filij quidem propter matrem, maritus autem propter uxorem, ipſa autem propter eos, omnes vero propter Deum.

Ut paucis igitur dicam, virtutis penus eſt fortis mulier, q̃ cibos ocioſa non comedit: eleemoſynæ autem leges ſunt in ore ejus: quæ os ſuum ſapienter & legitimè aperuit. Quam beatam dixerunt filij ſurgentes, maritus autem ejus laudavit, ut ſanctum Verbum dicit per Solomonem. Mulier enim pia benedicitur, ipſa autem laudet timorem Domini. Et rurſus: Mulier fortis corona eſt marito ſuo. Corrigendæ autem ſunt quam maximè & figuræ & aſpectus & inceſſus & voces. Non. n. eas ita ſe gerere oportet ut nonnullæ, q̃ geſtus comœdiæ imitantes, & ſaltatorum fractos motus ſervantes, effœminatis motibus mollibuſq; ingreſſib. & fictis vocibus, veluti in proſceniū prodeunt, ſcintillantib. oculis intuentes, ad ineſcādum voluptate instructæ. Mel enim à labris mulieris meretricis diſtillat, q̃ ad gratiam loquens guttur ſuum impinguat. At id quidem certè poſtea felle amarius invenies, & magis acutum quàm gladium ancipitē. Inſipientiæ enim pedes deducunt eos qui illo utuntur poſt mortem ad inferos. Generoſum certè Sampſonem vicit fornicaria: & virum ſuum totondit alia mulier. Sed non ita decepit Joſeph alia mulier: victa eſt autem Ægyptia fornicatrix. & ſumens vincula temperantiæ, potentior apparet ſoluta poteſtate. Optime autem ſe habere videtur id [illegible] dictum eſt. In ſumma, neſcio ego ſuſurrare, neq; fractus in obliquū reflexo collo ingredi, quemadmodum alios hic cinædos multos video in civitate, vulſoſq; ac picatos. Muliebres autem motus, luxus, & delitiæ ſunt omnino arcendæ. Mollis enim in incedendo motus, effœminatiq; ac enervati inceſſus, ut ait Anacreon, ſunt valde meretricia. Dicit quidem, ut mihi videtur, Comœdia, meretricia veſtigia relinquere formam & delitias. Fornicatoria autem veſtigia minimè figuntur in veritate, vias enim vitæ non ingrediuntur: ſunt autem lubricæ ac periculoſæ ejus orbitæ, & quæ non ſunt cognitu faciles.

Porrò autem oculis maxime parcendum eſt, quoniam melius eſt labi pedibus quam oculis. Dominus itaq; quam fieri poteſt compēdioſiſſimè medetur huic vitio: Si te tuus, inquiens, ſcandalizat oculus, exſcinde eum, ex imo evellens cupiditatem: laſcivi autem aſpectus, & verſatilibus ac tanquam conniventibus oculis intueri, nihil eſt aliud, quam oculis mœchari, cùm per eos cupiditas ineat primæ pugnæ præludia. Ante totum enim corpus corrumpuntur oculi. Pulchra autem ac bona contemplans oculus, cor lætitia afficit; hoc eſt, qui rectè contemplari didicit, lætitia afficit. Annuens autem oculo cum dolo, viris dolores congregat. Talem utiq; effœminatum Sardanapalum, regem Aſſyriorum, in lecto pedibus ſurſum ſublatis ſedentem, purpuram carpentē, & albuginē oculorum verſantem, introducunt. Quæ hæc exercent mulieres ſuo intuitu ſuiipſarum lenæ ſunt: Lucerna enim corporis eſt oculus, inquit Scriptura, per quem apparent interna, q̃ luce cernitur illuſtrata. Fornicatio autem mulieris in elevatione oculorum. Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, perturbationem, cupiditatem malam, & avaritiam, q̃ eſt idolorum cultus, propter q̃ venit ira Dei ſuper filios inobedientiæ, clamat Apoſtolus.

Nos autem perturbationes animi excitamus, & non erubeſcemus? aliæ qdem ex ijs maſtichem devorantes, circūeuntes, diductis labris arrident ijs qui ad eas accedunt: aliæ verò, perinde ac ſi digitos non haberent, fibulis quas ferunt, capita ſcalpentes, deliciantur, & ut eas vel ex teſtudine, vel elephante, vel aliquo animali mortuo factas habeant magno ſtudio procurant: aliæ autem, tanquam quæ habeant pullulantes quoſdam flores, ut decoræ videantur aſpectantibus, floridis coloribus ornatæ vultus ſuos commaculant. Stultam & audacem vocat hujuſmodi mulierem per Solomonem, quæ neſcit verecundiam: Sedit in foribus domus ſuæ apertè ſuper ſellam, vocans eos qui in via prætereūt, eos ſcilicet qui vias ſuas recte dirigunt. Vocat autem per ſuam ſpeciem & univerſam vitam, dicens ſcilicet: Quis eſt veſtrum ſtultiſſimus? ad me declinet. Ijs autem qui egent prudentia, præcipit dicens: Abſconſos panes jucundè tangite, & dulcem furti aquam: furtivam hanc intelligens venerem. Hinc adjutus Pindarus, Dulcis eſt, inquit, furtiva cura Veneris. Miſer autem neſcit eam mortem afferre terrigenis, & quod ad tignum inferorum tendit. Sed reſilias inquit pædagogus, neque in loco diutius habites, neque in eam tuos defigas oculos: ita enim aquam alienam trajicies, & tranſibis Acherontem. Quocirca hæc dicit Dominus per Eſajam: Propterea quod ambulaverunt filiæ Sion erecto collo, & in nutibus oculorum, & ſimul cum inceſſu trahentes tunicas, & pedib. ludentes, & humiliabit Deus filias Sion & revelabit figuram earum, figuram indecoram.

Ego quidem cenſeo ne ancillas quidem quæ probas ſequuntur fœminas, oportere turpia dicere aut facere: ſed ipſas debere caſtigari à dominis. Valde itaque acriter dicit Comicus Philemon: Cùm liceat poſt mulierem liberam quæ aſpicitur, ancillam retro ſequi pulchram, & ex Platæico conſequentem quempiam, eam limis intueri. In dominam enim retorquetur ancillæ intemperantia, quæ concedit ut qui minora aggrediuntur, non vereantur ad majora conſcendere, cùm eo quod ignoſcat turpibus, domina præ ſe ferat ſe eam non damnare. Non ſuccenſere autem ijs qui ſe dedunt libidini, eſt indicium animi ad ſimilia propenſi. Qualis enim domina, talis eſt (ut dicitur in proverbio) catella.

A deambulatione autem nobis procul eſt amandandus furioſus inceſſus, ſed honeſtus & lentus nobis eſt eligendus, non autem nimis tardus. Sed neque in via fluctuare, nec ſupina cervice obvios reſpicere, an ipſum aſpiciant, tanquam pompam in ſcena traducentem, & digitis monſtratum: nec ſi in locum decliviorem detrudatur, eos oportet à famulis in priſtinum locum reduci, ut nonnullos videmus delicatiores qui videntur eſſe robuſti, ſed ſunt ab animi mollitie effœminati. In fortis autem viri vultu nullum eſſe oportet ſignum mollitiei, ſed neque in ulla parte corporis. Neque ergo in motu neque in habitu inveniatur unquam magni animi & excelſi dedecus. Neque verò tanquam jumentis famulis utendum eſt, ei qui fuerit ſanæ mentis. Quemadmodum enim illis præcipitur, ut cum omni metu dominis, non ſolùm bonis & clementibus, ſed moroſis etiam & pravis, ait Petrus, ſubjiciantur: ita æquitas, & patientia, & benignitas dominis pulchrè convenit. In ſumma, eſte, inquit, omnes unanimes, miſericordes, fratrum amantes, bonis viſceribus præditi, humiles, & quæ ſequuntur, ut bonæ cujuſdam & amabilis benedictionis hæredes ſitis.

Adoleſcentulæ imaginem volens deſcribere Zeno Citticus, eam ita effingit: Sit, inquit, pura facies, ſupercilium non demiſſum, nec oculus ſublimis, neque fractus, cervix minimè ſupina, nec remiſſa membra corporis, ſed erecta, & intenſa, & erectè extenſa: ad ſermonem promptitudo, & bona eorum quæ dicta fuerint memoria, habituſq; & motus qui nullam ſpem præbat impudicis. Reſideat quidem in vultu pudor, & virum aſpectu præ ſe ferat. Procul autem abſit myropolarum, aurificum, lanificum, cæterarumque officinarum caligo, in quibus ornatu meretricio ornatæ, tanquam ſedentes in proſtibulo, totum diem tranſigunt.

Neque ergo viri in tonſtrinis & cauponis verſantes, ſuavibus blandiſque verbis nugentur, & aſſidentes mulieres ceſſent quandoque venari, qui etiam ut riſum moveant non ceſſant maledicere. Jam verò prohibendus quoque eſt teſſerarum ludus: & præterea ex talorum ludo lucri ſtudium, quod nonnulli acriter ſequuntur. Talia enim inconſideratus luxuriæ amor ocioſis oblectamina ſuppeditat. In cauſa enim eſt deſidies. Amat autem quis inania quæ ſunt à veritate ſejuncta: neque enim aliter poſſunt recreare animum abſque damno. Uniuſcujuſque autem hominum mentis imitatio eſt vitæ electio. Cæterum, ut eſt conſentaneum, ea demum vitæ prodeſt conſuetudo, quæ intercedit cum viris bonis. Rurſus autem vitæ uſum cum improbis hominibus planè ſuillum, agnoſcens ſapientiſſimus per Moſen pædagogus, ſeniori populo porcis veſci prohibuit: ſignificans non oportere eos qui Deum invocant, cum impuris verſari hominibus, qui porcorum inſtar corporalibus voluptatibus, obſcœniſq; cibis, & impudicis titillationibus prurientes, damnoſa veneris voluptate perfunduntur. Sed neque milvium, raptoque veſcentem avem, & aquilam dicit eſſe comedendam: Non appropinquabis ijs, inquiens, qui rapina victum ſibi comparant.

Porrò autem alia quoque ſimiliter eandem habent allegoriam. Cum quibúſnam autem, nempe juſtis, vitæ habenda ſit conjunctio, rurſus dicit per allegoriam: Quicquid enim bifidam habet ungulam, & ruminat, eſt mundum. Quod bifidam enim habet ungulam, juſtitiæ oſtendit æquilibrium. Quod ruminat autem, proprium juſtitiæ nutrimentum, nempe Verbum, quod extrinſecus quidem ingreditur per catacheſin, quemadmodum nutrimentum: ex cogitatione autem tanquam à ventre ad rationalem reminiſcentiam intrinſecus revocatur. Ruminat autem juſtus ſpiritale nutrimentum, cùm Verbum habet in ore. Bifida autem jurè eſt juſtitia, ut quæ & hic ſanctificet, in ſæculumque futurum tranſmittat.

Ne ad ſpectacula quidem ergo nos pædagogus deducet. Nec inconcinne ſtadia & theatra peſtilentiæ cathedram quis vocaverit, nam

nam hic quoque scelestum est consilium, quemadmodum adversus justū, & ideo maledictis devovetur quæ ibi fit congregatio. Magna itaque confusione & iniquitate hi cœtus pleni sunt, & occasio conventus causa est turpitudinis, cùm viri & fœminæ mixtim conveniant, alter ad alterius spectaculum. Hic perperàm jam agitur cōcilium. Dum enim lasciviunt oculi, calescunt appetitiones, & oculi proximos impudentiùs respicere assuefacti, quod concessum sibi vident ocium, intendunt cupiditates. Prohibeantur ergo spectacula & acroamata, quæ nequitia, verbisque obscœnis & vanis temerè profusis plena sunt. Quod enim turpe factum non ostenditur in theatris? quod autem verbum impudens non proferunt qui risum movent scurræ & histriones? qui autem ex vitio quod in se est delectationem aliquam perceperunt, evidentes domi imagines imprimunt. Contra autem qui his demulceri & his affici nequeunt, in ignavas, voluptates non prolabentur. Si dixerint enim, pro ludo assumi spectacula ad recreandos animos: dicemus non sapere civitates, quibus ludus pro re seria habetur. Neque enim ludi sunt inanis gloriæ cupiditates, quæ morte aliorum tam vehementer delectantur. Sed neque vana studia & inconsideratæ ambitiones, & præterea suarum facultatum impensæ. Neque vero quæ his de causis excitantur seditiones amplius ludi sunt. Vano enim studio numquam emendum est ocium: neque enim qui sapit, id quod est jucundum, ei quod est melius prætulerit.

At non omnes, inquit, philosophamur. Nunquid ergo nec omnes vitam persequimur? Quid tu dicis? quomodo ergo credidisti? Quomodo autem Deum amas & proximum, si non philosopharis? quomodo autem teipsum amas, si non sis vitæ cupidus? Literas, inquit, non didici. Sed si non didicisti legere, non est quòd de auditu te possis excusare, quoniam is nequit doceri. Fides autem non sapientum secundum mundum, sed eorum qui secundū Deum sunt sapientes, est possessio. Illa autem etiam absque literis discitur. Ejus autem scriptum quod & ad rudes ignarosque homines pertinet, & est divinum, charitas vocatur, quæ est decretum spiritale. Licet etiam audire divinam sapientiam, & licet in administranda republica versari. quinetiam quæ sunt in mundo, honestè ex Dei sententia auferre minimè est prohibitum.

Qui aliquid vendit aut emit, eorum quæ à se venduntur aut emuntur, nunquam dicat duo pretia. Unum autem ac simplex dicens, & vera dicere studens, si id non consequatur, dum veritatem assequitur, dives est recta animi affectione. Absit autem jusjurandum, author omnium quæ venduntur. Absit autem etiam in aliis jusjurandum, & ita philosophentur negociatores forenses & caupones: Non assumes nomen Domini in vano: neque enim eum mundaverit Dominus, qui nomen ejus in vano assumit. Eos autem qui præter hæc faciunt, qui sunt avari, mendaces, hypocritæ, qui veritatem cauponantur, ex paterna aula expulit Dominus, nolens injustæ negociationis, vel verborum, vel materialium possessionum domum esse, sanctam domum Domini.

In Ecclesiam autem venire oportet virum & mulierem, honestè indutos, non simulato incessu, silentium amplectentes, charitatem non fictam possidentes, castos corpore, castos corde, ad Deum rogandum aptos. Hoc amplius habeat mulier: semper tecta sit, nisi domi fuerit. Est enim honestus habitus, & ex quo nihil possit offensionis suscipi. Ipsa enim numquam labetur, si & verecundiam & vestem ante oculos posuerit: nec ad peccati lapsum alium provocabit, dum vultum suum aperit. Hoc enim verbum requirit, quandoquidem convenit eam tectam orare. Dicunt autem Æneæ uxorem propter insignem honestatem, ne cùm Troia quidem caperetur perterritam se detexisse; sed etiam dum ab incendio fugeret, mansisse coopertam. Oporteret autem tales in tota vita & videri & effingi eos qui Christo initiantur, quales se in ecclesiis ad gravitatem & honestatem componunt, & esse, non autem videri esse tales, adeò mites, adeò pios ac religiosos, adeò charitati deditos.

Nunc autem, nescio quomodo, una cum locis figuram, habitumque & mores mutant, non secus ac Polypos dicunt petris quibus adhærescunt assimilatos, videri quoque colore esse tales. Postquam itaque excesserunt è congregatione, deposita illa quæ in ea erat divinitus inspirata quasi sanctitate, multitudini cum qua versantur assimilantur: vel potius deposita falsa ac simulata gravitatis persona, deprehenduntur quales esse ignorabantur: & cum qui de Deo habitus est sermonem venerati sunt, eum illinc relinquunt ubi audiverunt: foris autem impiis modis & amatoriis canticis se oblectant, tibiarum cantu, plausu, temulentia, & quovis cœno ac sorde oppleti. Hoc autem dum cantant & recantant, ij qui immortalitatem antea celebrabant, tandē pernitiosissimam mali malè canunt pallinodiam. Comedamus & bibamus, cras enim morimur. Ij autem non cras verè, sed jam Deo mortui sunt, sepeliētes suos mortuos, hoc est, seipsos in mortem infodientes. Eis autem fortiter resistit Apostolus: Ne erretis, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, & quæcumque alia his adjungit, regnum Dei possidebunt. Præterea in regnum Dei vocati sumus, dignè regno ambulemus, Deum diligentes & proximum.

Dilectio autem non in osculo censetur, sed in benevolentia. Illi autem nihil aliud osculo quam ecclesias conturbant, cùm ipsam non habeant intus amicitiam. Etenim hoc utique turpem movit suspicionem & maledicentiam, quod impudenter osculo uterentur, quod esse oportebat mysticum. Id sanctum vocavit Apostolus. Regno dignè gustato, ore modesto & clauso benevolentiam animi ostendamus, per quod maxime se exerit mansuetudo morum. Est autem aliud quoque osculum, incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis quod etiam phalangia, si ore tantùm tangant, graves dolores hominibus afferunt? Oscula autem impudicitiæ sæpe virus immittunt. Manifestum itaque nobis factum est, osculum non esse dilectionem: dilectio enim est Dei. Hæc est autem dilectio Dei, inquit Joannes, ut mandata servemus: non ut nos invicem ore demulceamus: & mandata ejus gravia non sunt.

Cæterùm dilectorum quoque in via salutationes, qui volunt per res externas sese ostentare, ne minimam quidem habent gratiam. Si enim in adyto mysticè Deum orare convenit, consequens fuerit proximum quoque, quem secundo loco jubemur diligere, similiter ac Deum, mysticè intus amanter & benignè alloqui, occasionem redimentes: nos enim sumus sal terræ. Qui autem amico mane magna voce benedixit, ab eo qui execratur & maledicit nihil videbitur differre.

Videtur autem super omnia esse aversandus mulierum aspectus: non solùm enim si tangantur, sed etiam si spectentur, peccari potest: quæ maximè vitare oportet eos qui rectè & syncerè instituuntur. Oculi enim tui recta videant, supercilia autem recta annuāt. Etsi enim fieri potest ut quamvis viderit se fortiter gerat, veruntamen ne cadat cavendum est. Fieri enim potest, ut qui viderit, labatur: sed fieri non potest, ut qui non viderit, concupiscat. Non solum enim pudicos ac temperantes satis est esse puros, sed etiam adhibēda est opera, ut quod est extrinsecus, sit ab omni reprehensione & vituperatione alienum, omni exclusa suspicionis causa, ut in summam quandam contrahatur castitas, ut non simus solum fideles, sed etiam videamur fide digni. Etenim hoc quoque cavendum est, ut ait Apostolus, ne quis nos reprehendat. Providentes enim, inquit, bona non solum coram Domino, sed etiam coram hominibus. Averte autem oculum à muliere gratiosa, & ne discas alienam pulchritudinem, inquit Scriptura. Et si causam roges, ipse tibi enarrabit: In pulchritudine enim mulieris multi seducti sunt, & ex eo, tanquam ignis, accenditur amicitia, quæ ad ignem nunquam cessaturum deducit propter peccatum: amicitia, inquam, quæ ex igne oritur, quam appellarunt Amorem.

Ego vero iis quoque qui uxores duxerint consuluerim, ne unquā uxores suas coram famulis osculentur: nam nec famulis quidem unquam arridere permisit Aristoteles, tantum abest ut in eorum conspectu videri osculari ac complecti uxorem. Melius est autem ut à domo incipiamus honestatem ostendere matrimonii: temperantiæ enim maximum est vinculum, quæ puram spirat ac redolet voluptatem. Admodum enim pulchrè dicit tragœdia:

O fœmina, quam in rebus humanis nihil,
Non regna & aurum, non opum vis maxima
Tot comitates tot voluptates ferunt,
Quot temperantis fœmina & viri boni,
Mens justa, si non illa negligit virum.

Hæc præcepta justitiæ, quæ ab ijs qui mundanam sequuntur sapientiam dicta sunt, sunt minimè recusanda. Scientes ergo suum cujusque officium, in timore conversemini tempore vestri incolatus, scientes quod non corruptibilibus, argento & auro redempti sumus ex vana conversatione à patrib. tradita, sed pretioso sanguine, tanquam agni immaculati, & in quem nulla cadit reprehēsio, Christi. Satis ergo fuit præteritum tempus, ait Petrus, ad faciendam Gētium voluntatem, dum ambulavimus in lasciviis, concupiscentiis, temulentiis, comessationibus, potationibus, & nefariis idolorum cultibus. Limitem habemus crucem Domini, cui crucifigimur, & à prioribus peccatis reprimimur. Regenerati ergo, in veritate affigamur, resipiscamusq; atq; sanctificemur: Quoniam oculi Domini super justos, & aures ejus in deprecatione ipsorum. Vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est qui sit nobis malè facturus, si bonum secuti fuerimus? Optima autem educatio seu institutio, est moderatio, quę est decorum undiquaq; perfectum, firmaq; ac stabilis & ordinata potestas, ea quæ sunt inter se invicem conjuncta & cohærentia factis recte distribuens, virtute insuperabilis. *lib. 3. Pædagogi, c. 11. & 12.*

Maturitatis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

In summum perducta nullum incrementi habent locum.
Indicium exitij imminentis proximè est maturitas.
Incrementa ubi sunt consumpta, quid nisi finis adpetat?
Non habent locum incrementi queis sua est maturitas.
Perdidit locum incrementi cui sua est maturitas.
Quæ statim maturuere, tempus ultimum haud manent.
Quidquid ad summum pervenit, semper spectat exitum.
Spectat ut maturitatem quæq; res intercidit.
Occasus vicinus est, ubi incremento haud est locus.

¶ JA-

§ JAMBICA.

Maturitas celerata, celerius occidit.
Nil eſt quod ipſo haud concoquatur tempore.
Quod maximum eſt, iam ſurgere ultro non poteſt.
Recedit omne quod procedere haud poteſt.
Tunc ſtatur, ubi non eſt incremento locus.
Ut quæque res matura facta eſt, interit.

Medicinæ.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D. *Gregorius Nyſſæus*: Quanto animus corpore præſtantior eſt, tantò magis qui animis medetur iis qui corpora curãt, honorandus eſt. *Orat. 7. de beatitudinibus.*

D. Chryſoſtomus: Infantuli medicum dum vident vel ignem vel ſectionem apparare, fugitant ac reſtitant, ejulantes ac ſeſe lacerantes: maluntque perpetuæ corporis vomicæ ac purulentiæ immori, quam temporarium laborem perpeſſi, ſanitatem in poſterum aſſequi. At qui mentis compotes ſunt, probè intelligunt ægritudinem ſectione eſſe perniciosiorem; quemadmodum & ſceleratum eſſe, ſupplicio deterius eſt. hoc enim curari eſt, ac ſanum eſſe; at illud perire, atque perpetuo eſſe in morbo. *Homilia 9. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Medicinæ finis eſt ſanitas. Igitur qui ſanum facere poteſt, etiamſi medendi artem non habuerit, totum tamen habet. qui verò curare non novit, etiamſi videatur artem exercere, prorſus tamen excidit. *Homilia 17. ad Rom.*

Chryſoſtomus: In pueris uſu venit, ut cùm grave aliquod ipſis & acerbum medicamenti genus adhibitum ſit, ſectio puta vel uſtio, vel amara potio quædam, tutò jam iis blandiamur. *Homilia 15. initio, ad Corinthios 2.*

D. Chryſoſtomus: Medicinæ finis ſanitas eſt. itaq; cum adeſt ſanitas, curatione multa nihil opus eſt. *Homil. 2. ad Timoth. 1.*

D. Chryſoſtomus: Sicut arbor, cùm plures ictus acceperit, & uno poſtmodum repente corruerit; non uni illi tantum, ſed ceteris pariter imputatur: quod ille animadvertit qui radicem intuetur: ita medici ſæpe plurimi cùm plura medicamenta ægroto obtuliſſent, nihil profecerunt; cùm demum repente quiſpiam accedens totum perfecit. non eſt autem ea curatio illius tantum munus qui poſtremus acceſſit, verùm eorum etiam qui remedia priores morbo adhibuerunt, *fine Homiliæ 5. 2. ad Timoth.*

D. Io. Chryſoſtomus: Num ignoratis, quod ſæpe medicus, poſtquam deſperavit infirmum, alius quiſpiam ex conjunctis ita illum hortatur: Rurſum curam adhibe, ac nihil omittas, ut nullus contra me detur crimini locus, ut nemo queratur, atque ipſe culpæ non pateã. Non videtis quanta ſit hominibus ſeculi, neceſſarii cujuslibet cura, quanta providentia, quàm multa quotidie gerant? Orant medicos, pecunias impendant, aſſident ſemper infirmis, atque in ea diligentia perſeverant. Nos vel eos, qui ſunt ejuſmodi, imitemur, quanquã non pro eiſdem rebus eſt cura: multum enim invicem differunt. Languet ecce corporaliter filius, nemo erit qui longinquam peregrinationem ſubire detrectet, ut illum abſolvat morbo. Infirmatur anima, nullus eſt cui ea res curæ ſit, verùm omnes deſidemus, omneſque negligimus: uxores, filios, ac nos ipſos morbo tabeſcere videmus, atque negligimus, atque utinam vel ſerò reſipiſcamus. *Homilia 5. Epiſtolæ ad Titum.*

Baſilius Seleuc. Ubi ulcus eſt immedicabile, ibi pharmacum inutile: ubi autem curationis ſpes, ſectionem induco curationi. *loquitur Chriſtus. Sermone 31. m.*

S. Iſidorus Peluſiota: Etiam optimis medicis, qui ex alienis calamitatibus proprios mœrores carpunt (nam multi ipſorum quæſtus duntaxat cauſa artem exercent) nihil optatius eſt, quàm ut confectis medicamentis, ægroti his opus minimè habeant. Eodem igitur ipſe quoq; modo illud quidem opto, ne quis veſtrum hac admonitione indigeat. Si autem (quod utinam ne accidat) ea vobis ſit; ſecunda vobis, ut dici ſolet, navigatio haud inutilis erit. *libr. 2. Epiſtol. 71.*

S. Iſidorus Peluſiota: Superbiæ te arceſſo, quoniam Zoſimo Preſbytero obvius factus, ut audio, ipſius morbis velut adhibitis quibuſdam fomentis, minimè mederis: verùm Hippocrati morem gerens, ut incurabili morbo laboranti manum haudquaquam admoves. Quamvis enim in corporibus verum hoc eſſe quidam exiſtiment (etſi alioqui perſæpe falſum inventum eſt: & complures enim medici, admota manu iis, qui incurabili morbo affecti eſſe videbantur, rem ex ſententia geſſerunt) in animis tamen hoc magis adhuc falſum eſſe reperitur. Nonnullos enim novimus, qui ex profundo vitii gurgite ad ipſam virtutis arcem aſcenderint. Corpora quippe naturæ neceſſitate, tanquam vinculis quibuſdam conſtringuntur: animæ autem voluntatis atque arbitrii poteſtate ornatæ ſunt. Quamobrem quò facilior eſt voluntas quàm natura, eò quoque facilius ac proclivius eſt animum è morbo recreare. At proinde ſubmota omni deſperatione illud cura & enitere, ut eum ſanitati reſtituas. Neque enim parva tibi apud Deum gloria futura eſt, ſive iſtud perfeceris, ſive ſecus. Nam id omne, quod tuarum partium eſt cumulatè præſtiteris. Quare, ut omnino laudem & gloriam cõſecuturus, ſi eum, ut ex improba vitæ ratione emergat, monueris, ſic affectus eſto: nec te aut noctu aut interdiu hæc cura deſerat. Fortaſſe ipſe quoque ſalutem obtinebit: & qui ejus vitiis offenduntur, erigentur: & qui eum ſuggillant compeſcentur: & tu ſempiternam gloriam adipiſceris. *lib. 2. Epiſt. 79.*

S. Iſidorus Peluſiota: Etſi medicinæ officina communis eſt, vir optime, communiaque omnibus adjumenta propoſita ſunt: non tamen propterea curatio ipſa communis eſt: quandoquidem pro utentium voluntate atque animi inſtituto efficitur. Etenim qui auxilium adhibuit, ac vulneri impoſuit, ex medicamento fructum capit. Qui autem id facere neglexit, majorem gravioremque morbum reddit, ac miſerrimo fine vitam claudit. Quocirca ne ad curationẽ animis diſcruciemur: verùm amarulentas hujuſmodi medicinæ artes feramus. Jucundiſſimum enim fructum poſtea res hæc paritura eſt. Neceſſe quippe eſt, peccata ea, quæ per ſocordiam cõtracta ſunt, laborum ope delere atque extinguere: cladeſque acceptas periculis multis ſarcire. *lib. 3. epiſt. 177.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quemadmodum optimus medicus ad ægrotantis naturæ ſubſidium arte inſtructus & armatus, cùm variis morborum generibus corpus obſidetur, adverſus eum, qui acriùs urget, in procinctu ſtans (qui enim cùm ſalutem afferre liceat, id facere negligit, interitus ſcilicet cauſa eſt) eos, qui moram ac dilationem admittunt, in poſterius ſervat, ne alioqui dum hos viciſſe ſibi videtur, ab illo, qui etiam victoriam eam, quæ extitiſſe videbatur, in cladem convertit, imprudens ſuperetur: eodem modo tu quoque medendarum animarum ſcientiam prudentia temperans, ad id, quod ampliùs urget, oculorum aciem intende. Nam eo ſanato, ſpes eſt fore ut reliqua etiam ſanentur. *libro 3. Epiſtol. 337.*

§ LATINORUM.

Zeno: Oſtendere ægro magnitudinẽ morbi, & per hoc concitare ejus ſollicitudinem, ne languoris vim negligat, pars videbitur medicinæ. Verùm ſi in hoc eum reliqueris gradu, nec remediorum oſtenderis viam, nihil aliud eſt, quam ſalutem prodidiſſe languentis. *Sermonẽ de Livore.*

S. Valerianus: Quid prodeſt ſcire valetudinis cauſam, ſi neſcias medicinam? aut quid juvat noſſe auxilium ſanitatis, ſi nulla ſit cõpeſcendi cura languoris. *Homilia 14.*

S. Valerianus: Aſſerunt auctores, omnium curationum diverſis doloribus, medicinæ beneficia diverſa competere, & ſingulis infirmitatibus ſingula quæque beneficium peculiare præſtare: ita ut doceant tumentia aut ferro debere compeſci aut medicaminis confectione molliori; latentia melius eſſe poculis indagari; frigida corporum ferventibus paſci; calidiora frigidioribus temperari, *Homilia 20. principio.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Hippocrates: In arte Medica quæ rectè fiunt, plærunque quidem hominum vulgus non admodum laudat, ſæpe verò diis attribuit. At ſi in aliquo repugnans natura eum qui curatur interemerit, numen prætermittens, Medicos incuſat. Et ego ſanè plus reprehenſionis quàm honoris ex arte mihi conſecutus videor. Neque enim quantumvis jam ſenex, ad artis Medicæ ſummam perveni: neque etiam ipſius inventor Æſculapius, ſed & ipſe à ſeſe in multis diſſenſit, velut eorum qui ſcripſerunt libri nobis tradiderunt. *Epiſtola 14. ad Democritum.*

Hippocrates: Cùm & ex verbis, & ex aſpectu ipſo feſtinare videretur Ameleſagoras, credens, re vera, urgere negotium epiſtolam veſtram legi, & miratus ſum, quòd de unius hominis ſalute, non ſecus ac ſi unus eſſet in civitate conturbati eſſetis. Et certè beati ſunt populi, qui viros bonos ſua eſſe propugnacula intelligunt, non turres, non mœnia, ſed prudentium virorum prudentia conſilia. At verò artes duorum eſſe munera cùm mihi perſuadeam, viros autem naturæ opera, ne indignemini, viri Abderitæ, ſi naturam, non vos, me vocare exiſtimem, ad opus ſuum conſervandũ, quod periclitatur ne morbo corruat.

Quare naturæ & Diis potiùs quàm vobis auſcultans, feſtino Democritum ægrotantem ſanaturus, ſi ſanè hic morbus eſt, ac non potiùs (quod exopto) errore hallucinamini. Ac certè majus fuerit benevolentiæ veſtræ teſtimonium, ſi vos ad hanc ſuſpicionẽ conturbati fueritis. Mihi verò ad vos venienti, non Natura, neque Deus argentum promiſerit.

Ac neque vos (viri Abderitæ) per vim obtrudite, ſed liberæ artis libera eſſe ſinite opera. Qui autem mercede operam ſuam locant, hi ſcientias tanquam ex priore libertate mancipio dantes ſervire cogunt.

Deinde probabile eſt eos mentiri poſſe, velut in magno morbo, & negare ut in parvo, aut ubi promiſerint, non venire, rurſuſque non vocatos venire. Miſerabilis ſanè eſt humana vita, quòd ad eam totam intolerabilis argenti cupiditas, velut

hybers

hybernus flatus pervaserit, ad quem morbum insania graviorem curandum, utinam Medici omnes potiùs concurrerent, quæ tamen beata censetur, cùm morbus sit, & malè affligat. Equidem omnes animi morbos vehementes insanias reputo, cùm opiniones quasdā & visa rationi suscitant, ex quibus sanescit qui per virtutem repurgatur. Ego verò si omnibus modis ditescere voluissem viri Abderitæ, ne decem quidem talentorum gratia ad vos venirem, sed ad Magnum Persarum Regem proficiscerer, ubi urbes totæ opibus humanis refertissimæ occurrissent, illorum autem pestilentem morbum curassem. Sed regionem Græciæ inimicam malo morbo liberare recusavi. Et ego his quidem totis meis viribus Barbaros navali prælio superavi, Regias autem opes ignominiæ mihi futuras, & opulentiam patriæ aut in arborum umbraculis, Græciæ destructor existerem. Divitiæ non sunt pecuniæ undecunque comparatæ. Magna enim sunt virtutis sacra, quæ à justitia non teguntur, sed in apertum se proferunt. An non reputatis æquale peccatū esse, hostes servare, & amicos mercede curare? At non ita se habent res nostræ. Ex morbis quæstum non facio, neque ex animo Democriti demētiam audivi, qui sive sanus sit, amicus est, sive ægrotet, curatus magis amicus futurus est. Eum autem gravibus & firmis moribus esse præditum intelligo, & urbi vestræ esse ornamento. Valete. *Epistola ad Abderitanos.*

Magnus Artaxerxes Rex regum Pato. S. Morbus pestilens dictus nostris exercitibus se applicuit, nobisque crebro multa moliētibus nihil dum remisit. Quare prorsus te pro meis in te collatis beneficiis oro, ut quàm primùm aliquod ex ingenio tuo excogitatum præsidium, aut aliquod ex arte remedium, aut alicujus qui mederi queat consilium ad nos mittas. Propulsa oro hanc affectionem. Publicè enim nostras copias magna invasit anxietas, easque multùm & sæpè suo afflatu inficit. Non oppugnantes oppugnamur, cùm hostem habeamus feram istam gregem nostrum devastantem, quæ multos acerbis jaculis immissis sauciavit, & immedicabiles reddidit. Angor animo, neque habeo quid jam consilii cum familiaribus capiam. Solve omnia, neque nos tuo optimo consilio destitue. Vale.

Patus Regi regum Magno Artaxerxi. Quæ à natura Præsidia petuntur, morbum pestilentem populariter grassantem non solvūt. Morbos autem ex natura ortos, natura ipsa per judicationem curat. Qui verò populariter grassantur, eos ars ex artificio corporum mutationem discernens curat. At Hippocrates Medicus hunc morbum sanat, à Doriensibus oriundus, & civitate Co, patre verò Heraclide Hippocratis filio, ex Gnosidico, Nebro, Sostrate, Theodoro, Cleomyttada, Crisamida. Hic divina natura præditus, ex parvis ac vulgaribus initiis in magnam artem Medicinam provexit. Ortu igitur divinus est Hippocrates, novus quidem à Crisamide rege, ab Æsculapio verò decimusoctavus, à Jove vigesimus, matre verò Praxithea Phænaretes filia ex Heraclidarum familia. Quare ex utroque semine à diis oriundus divinus Hippocrates ex patre quidem Asclepiadarum familiam attingens, ex matre verò Heraclidarum. Artem verò tum ex patre Heraclide, tum ex avo Hippocrate didicit. Verùm ab his quidem, ut par est, primùm artis mysteriis initiatus, quæ eos tenuisse credibile est, ipse deinde divino ingenio præditus universam artem didicit, tanto ingenii dexteritate majores suos superans, quantò etiam iis artis excellentia præstitit. Expellit autem non ferarum quidem, sed ferorum & agrestium morborum genus, & per magnos terræ & maris tractatus Æsculapii auxilia, non secus ac Triptolemus Cereris semina dispergit.

Rex regum Magnus Artaxerxes Hystani Hellesponti præfecto. Hippocratis Medici Coi, ab Æsculapio oriundi, artis etiam gloria ad me pervenit. Auri igitur quantùm volet, reliquaque quibus indiget effuse ei exhibeto, & ad nos mittito. Cum Persarum enim optimatibus eodem erit honore. Et si quis alius in Europa prudentia excellit, eum in familiam Regiam nihil divitiis parcens asciscito. Neque enim viros qui consilio valeant, invenire est facile. Vale.

Hystanes Hellesponti Præfectus Hippocrati ex Asclepidarum familia oriundo S. Rex magnus Artaxerxes tua præsentia opus habet, & ad nos præfectos misit, imperans ut tibi argentum & aurum, cæteraque quibus opus habes, & quæcunque voles abundè exhibeamus, teque ad se brevi mittamus. Te enim Persarum optimatibus honore æqualem fore. Tu igitur facito ut quamprimum advenias. Vale.

Hippocrates Medicus Hystani Hellesponti Præfecto S. Ad Epistolam quam misisti & à Rege venisse asseris, Regi quæ respondeo quàm celerrimè rescribe. Nos victu, vestitu, domo, omnique re ad vitam necessaria cumulatè frui. Persarum autem opibus uti, neque mihi æquum est, neque barbaros morbis liberare, cùm sint Græcorum hostes. Vale.

Hippocrates: Cùm in omni arte aliena sit procrastinatio, tum verò maximè in medicina; in qua dilatio vitæ periculum adfert. *Epistola 11. ad Crateuam.*

Phalaris Alciboo. Polyclitus Messenius, quem tu apud cives proditionis arcessis, meum gravissimum morbum sanavit. Non autem sum nescius, hoc nuncio tibi dolorem & lachrymas cieri. Te verò, ne ipse quidem Asclepius hujus artis præses cum omnibus Diis curare possit. Corporis enim infirmitatem, ars curat. Animi verò morbo, sola medetur mors, quam justissimam pro tuis sceleribus, non animo invito designatis, cujusmodi mihi objicis: sed à voluntate profectis, cujusmodi tu perpetrasti, expecta. *Epistola prima.*

Apollonius Critoni: Maximè cælestem ex omnibus Pythagoras medicinam dicebat. Quòd si medendi facultas maximè cœlestis est, animæ cùm corpore simul habenda ratio est: aut animal laborans præstantissima parte, non satis valeret. *Epist. 23.*

Aristides Rhetor. Quod eadem diæta ac res eædem, Deo quidem jubente atque indicante, salutem, vires, levitatem, facultatem, tranquillitatem, omniaque bona corpori atque animo concilient: alio verò suadente nec Dei mentem assequente, omnia proferant contraria; id verò maximum est divinæ potentiæ signum. *Orat. 2. Sacror. Sermon.*

Philostratus: Aniculæ comprehenso cribro farinario, ad pastores bubulcosque veniunt, ægrotantibus pecoribus medicinam allaturę ex arte vaticinandi, ut ajunt, acceptam; voluntq; sapientes vates videri applicarique, imo verò sapientiores iis qui verè sunt vates. *li. 6. Apollonii c. 6.*

Iulianus Imp. Artem medicam hominibus salutarem esse, usus ipse demonstrat. Quare eam è cælo delapsam non immeritò philosophi prædicant. Etenim naturæ nostræ infirmitas, & valetudinis offensiones quæ quotidie incidunt, per hanc corriguntur. Quamobrem sicut æquitatis ratio postulat, nos superiorum regum auctoritatem & vocem secuti, pro nostra humanitate jubemus vos Senatoriis muneribus liberos in posterum vivere. *Epist. 26.*

Iulianus Imp. Quanquam æquum erat istos, tanquam impotentes & insanos etiam invitos ac repugnantes curare; attamen liceat omnib. per nos isto morbo detineri. docere enim amentes non punire opus est. *fine Epist. 43.*

Libanius: Si ars medendi non fuisset, & ægrotantibus non subvenisset, pauci admodum profectò ad senectutem pervenirent; cùm morbi, quæ vetant eò pervenire, magna ex parte prævalerent. *& paulo post:* Si unus è medicorum numero velis esse, nactus doctores, vide ut artem planè & sedulo percipias, probitatem exerceas, humanitatem colas, vocatus accurras, ingressus domum tota mente ægrotum contemplare: condole cruciatis; gratulare convalescentibus. participem te morborum esse puta. Move omnia, quæ scis ad hoc certamen conferre. Arbitrare te coævorum & æqualium tuorum esse fratrem: seniorum verò filium; juniorum autem patrem. Quod si quis præ socordia horum negligens fuerit, tibi tamen hoc licere ne credas, imò id te oportere judica morbo laborantibus esse quod Castor & Pollux navigantibus. *item deinde:* Medici gloriam victoria potiundi potius quam pecunias persequūtur. Novi equidem plerosque in corpora pauperum impensas fecisse, tantum abest ut acciperent, neque id injuria. quandoquidem ars ipsis reverentiam conciliat in urbibus; atq; eximios eorum suspiciunt tanquam Deos, dum in ipsis salutis spem post Deos collocatā habent. *Progymnasm. in Medicum Veneficum.*

Libanius: Quot è molestioribus ærumnis servatos novi? jam verò quot qui prope abfuerant à morte iterum cum vita se conciliarunt? Ergo hos nobis omnes Æsculapius suscitavit? Unde ergo medicorum copia ad angustias redigimur? eccur inaniter isti per urbē versantur? unde verò locupletari putant? aut unde quæstus ad eos accedit? an ex eo quod ægrotantes solantur? igitur industria ipsorum perit, si solus Æsculapius pecunias sumat. *Declamatione trigesima nona.*

Heliodorus: Nostra ars affecti corporis curationem profitetur, animi verò non principaliter, sed tum tantum, cùm compatitur corpori afflicto. vicissim illo sanato juvatur simul & convalescit. ceterum puella morbo quidem laborat, sed non corporis. non enim humor aliquis redundat, non capitis dolor illam gravat, non febris inflammat, non aliud quidquam in corpore, neque pars neque totum morbo detinetur. *libro quarto Æthiopicarum rerum.*

§ Romanorum.

Quintilianus Senior: Sit Philosophia res summa: ad paucos pertinet. sit eloquentia res admirabilis: non pluribus prodest quam nocet. sola est medicina, qua opus sit omnibus. *mox:* Ergo & æqualiter ad omnes medicina sola pertinet, & nulla tam necessaria est omni generi hominum quàm medicina. *Declamationis 268. principio.*

Quintilianus Senior: Medicinæ auctores ante omnia accepimus Deos: sive (ut maximè reor) ut hæc infirmitas hominum haberet adjumenta aliqua, atque solatia: sive tantum huic arti tribuêre majores, ut eam vix crederent humanis potuisse ingeniis inveniri: sive ipsa medicina per se sacrum est. Contendamus sane apud securos. Si quem (quod absit omnibus) subita deprehenderit valetudo, oratoremne consulet? Quid nunc ego enumerem, contra quot fortunæ injurias Medicina advocetur? Illam valetudinem qua spiritus frangitur? an illam qua visus periclitantur? an illam qua vulnera curanda sunt? an illam qua debilitati occurritur? removeam medicinam, tu philosophe consolaberis? Quod hominum genus est, qui sexus, quæ ætas, quæ non utilitatem ex hac petat? *Declamationis 268. extremo.*

Quintilianus. Si viſcerum nimius ardor ſtricta circa ſe membra duravit, adhibe remedia laxantia. Si fluitat nimis æger humoribus, præſto ſint per quæ preſſis cluſiſque venis in novas vires corpus areſcat. Si parum prodeſt abſtinentia, rurſus ciborum qualitate foveatur. Si ſpiritus receptis premitur alimentis, ad puriores meatus jejunio fameque tenuetur. *Declamatione. 8. §. 21.*

Quintilianus. Quàm multas artes miſera mortalium ſolicitudo feciſti! Fato vivimus, languemus, convaleſcimus, morimur: medicina quid præſtas, niſi ut juxta te nemo deſperet? Dicturum me putas, non credo renunciantibus, non accedo cùm deſerunt relinquuntque languentes. Ego verò medicis non credo ſperantibus. Aſpicite maiorem partem generis humani, & ſi me interroges, illam robuſtiorem, illam adhuc in prima rerum naturæ veritate viventem, nullos artis huius novit antiſtites: nec minus viventem, nullos artis huius novit antiſtites: nec minus tamen bellorum vulneribus, morborumque medetur incurſibus, non diſputationum vanitate ſolerti, ſed experimentis: & invicem per ſimiles diſſimileſque caſus obſervatione ducente, tradita ratione ſuccurrit. Non medicina ſanat, ſed quicquid videtur ſanaſſe, medicina eſt. Quod vultis animo feram, quòd ars (quantum dicitis) inventa pro vita, ſi dijs placet, autoritatem formamque captat, ut longe ventura ſuprema proſpiciat? ut adeſſe fata denunciet, quæ nec timentur? & maxima ſcientiæ pars eſſe cæpit, ſanare non poſſe. Quiſquamne ab homine qui adhuc loquitur, ſpirat, intelligit, ſic recedet, quemadmodum relinquitur exanime corpus? & ibi finem vitæ putabit, ubicunque ſcientiæ ſubſtiterit infirmitas? Si fragilitatem mortalitatis, incertoſque velimus æſtimare caſus, tantundem periculi habet omnis æger. Iniquiſſimum eſt deſperationes vocari, quoties remedium medicina non invenit: & anguſtias ſive artis, ſive mentis humanæ, ad invidiam referre fatorum. Nihil magis intereſſe omnium puto, quàm ut ſpes pro homine tam longa quàm vita ſit. Vnde putatis inventos tardos funerum apparatus? Vnde quòd exequias planctibus, ploratu, magnoque ſemper inquietamus ululatu? quàm quòd facinus videtur credere tam facile vel morti? vidimus igitur frequenter ad vitam poſt conclamata ſuprema redeuntes.

Plerique convaluerunt negligentiæ bono, quoſdam explicuit quicquid alios fortaſſis occideret. Hos indulgentiæ temeritas, illos adjuvit deſperationis audacia. Datur fortaſſis huic arti perſpicere morbos, profutura meditari, ſed unde ſciet quantum inter viſcera, latenteſque pectoris ſinus, unicuique animæ natura conceſſerit? quam proprietatem ſpiritus, quam corpus acceperit? Non tam variæ mortalibus formæ, nec in vultibus noſtris ſedet tanta diverſitas, quanta latet in ipſis diſſimilitudo vitalibus. Inenarrabile, indeprehenſibile eſt quicquid nos elementorum varia compago formavit. Et prout in nos plura ſe rariora de terrenis ſeminibus cæleſtibusque coierunt, ita vel duramur tacita ratione, vel ſolvimur. *Declamatione. 8. §. 10.*

Quintilianus: Mortuorum medicina ſera eſt. *Declam. 12. § 34.*

Quintilianus: Arrogantiſſime miſerorum! u ſperabas ardoris immodici felicem ſtatim ſanitatem? Quid ſi queratur æger abſtinentiæ dolore ſanatus? excuſſa ſunt plerumque languentium verberibus, redemptaque debilitate vitia, ignibus, vulneribus interdum prof.tura graſſata ſunt; & quæ fuiſſent mala ſanitatis, in gratiam remediorum, de maioris periculi comparatione redierunt. *Declamat. 15. §. 13. m.*

Symmachus: Stabias ire deſiderant, ut reliquias longæ ægritudinis armentali lacte depellant. Sed maiorem iudicant in tuo congreſſu eſſe medicinam. Tibi igitur aſſignabitur eorum ſanitas, ſi remedijs herbarum ſalubrium fomenta benignitatis adieceris. *6. Epiſtola 18.*

Symmachus: Solent qui medicinam callent, cùm jam forti uſu in magiſterium provehuntur, ac fiunt artis emeriti, proximis imperare, & feriata manu curationem juvare præceptis. *lib. 10. Epiſt. 1. m.*

¶ Emblematis.

Hac. Iunius Emplemate 25.

Sceptriger, & lauro, baculoque inſtructus acerno,
Quid Draco, quid Gallus vult ſibi, quid ve Canis?
Imperat hic ægris, operoſaque arte medetur,
Sedulus, & fidus, dignus honore, Vigil.

¶ Apophthegm. Sacri.

Hilarion. De Facidia, vico Rhinocoruræ vrbis Ægypti cæca mulier adducta eſt ad Hilarionem eremitam miraculis clarum, oblatáque ei à fratribus omnem ſe ſubſtantiam expendiſſe ait in Medicos Cui Hilarion, Si quæ in medicis perdidiſti dediſſes pauperibus, curaſſet te verus Medicus Ieſus. *Hieronymus in vita Hilarionis.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Ieſus Chriſtus. Medicina, quam Altiſſimus de terra creauit, quãque vir prudens non abhorrebit, inueſtiganda. Ejus enim neceſſitatem commendant Sacræ litteræ, & in ijs humani generis verus Medicus & reformator Chriſtus: qui, cauillantibus Phariſæis, quòd ad Matthæum ingreſſus eſſet; hac ſimilitudine vſus, ait: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus. Matth. cap. 9.*

Pius II. Pont. Inciderat apud eum ſermo de imperitis medicis & ſacerdotibus: qui inter eos diſcrimen aſſignans, *Imperiti*, aiebat, *medici corporis duntaxat; ſed ſacerdotes indocti, animæ interfectores ſunt.* Vide vtrumuis è duobus elegeris. *Auct. Serm. memor.*

Idem. Vt erat in dicendo mirè facetus, dicere quandoque ſolebat: *Peccare exiſtimo medicos, quòd ab ægris ſtipendium accipiant, qui malint eis carere: at potiori ratione à ſanis accipiendum, ne illis vti compellantur.* Vnde quidam non illepidè de Medicis ita luſit:

Accipit oblatum Medicus, dare non ſolet aurum:
Pharmaca dat Medicus, non ſolet accipere.
Ordonner *Medicos, ægros* or donner *oportet:*
Alterius ſic res altera poſcit opem.

Corozet. de Dict. Fact. memorab.

Adrianus VI. Pont. Dum inter domeſticos hæc quæſtio ventilaretur, expedirétne Reipub. eſſe medicos: ac varij varia dicerent, nonnulli etiam negantem partem amplecterentur, eò quòd Roma eorum ope 600. annis caruiſſet aliquando: ille ſubridens, *Imò*, ait, *expedit eos eſſe: ne tandem ipſe mundus ab inhabitantibus opprimatur, qui alias nimis magno numero futuri.* Significabat autem praxim medicinæ, priuſquam ad vnguem caſtigata ſit, euidenti multorum periculo exerceri. *Floreſta in Dict. memor.*

Maximilianus Imperator. Detinebatur hic graui morbo, & ecce vndique accurrunt Medici, rem, vt videbatur, magnam acturi. Ille meliuſculè ſe ſentiens, ſingulos ſeorſim introduci ad ſe mandat. quos omnes hac voce compellabat; *Medice quot?* mirantur omnes, & vocem faucibus detinent; donec tandem introgreſſus quidam experientiâ & doctrina clarior ceteris, Imperatori roganti, *Quot?* reſpondit; *Tua pace dixerim Cæſar, innumeros.* Ridet Imperat. tam liberam confeſſionem, inquiens: *Ingenua confeſsio te medicum Cæſareum fecit: ſed tu porrò experimentis per mortes abſtine, inuentis ex fide vtere. Theatr. Vitæ humanæ.*

Iovianus Pontanus. Ille item vt erat Alphonſo Regi à ſecretis, vnico duntaxat cibi genere vtebatur. rogatus, cur id ageret; *Vt ſic*, inquit, *medicorum manus effugiam.* Legerat fortaſſis illud Hippocratis, Diverſitate ciborum nihil nocentius. *Hadr. Barlan.*

Monosticha Trochaica.

Admodum officioſè indocti medici occidunt languidos.
Ægros medici non frequentant, in morbum una ut incidant.
Æque crepitus eſſe oportet atque ructus liberos.
Ægri à morte, de morbo ipſo ſera diſputatio eſt.
Æquius medico morem æger, ægro quam medicus gerat.
Æſtuas? tene ore acedum, aut frigentiorem aquam.
Anne vivit quis, cui arte non opus medentium?
Ars ubi vilet medentum rarus eſt ibi medens.
Aſperis medici graviores curant morbos pharmacis.
Carnificisne mitiores ſunt manus medentium?
Corpori quod integro infers id minus corrumpitur.
Corporum deprendere vires in venis medici queunt.
Cui calor tremorque, ei ſaluti erit delirium.
Cujus effectus ſaluti, dura haud eſt curatio.
Debita eſt medicina vivis: mortuis ſuperfluit.
Debitum cælo Deiſq; eſt omne alexipharmacum.
Deſperare ne curet, medici improbi eſt; non optimi.
Duplicatur morbus ægris ſub medente garrulo.
E cælo Medicina venit, profit ut mortalibus.
Eſt Dei medicus ſatelles, imo quidpiam eſt amplius.
Ex malis medicus alienis comparat ſibi bona.
Imperitis inſtrumenta medicis ſunt vel aurea.
Imperitis medicis unum ad qualibet collyrium eſt.
Imputanda medico non eſt ægri intemperantia.
Imputatur, quicquid peccant medici, intemperantiæ.
In morbo cubans, de morbo ne ferat ſententiam.
Interdum medicus quiete plus quam curis proficit.
Ipſi ne quidem novere medici quam artem venditant.
Medicamenta auſteriora Medicus ſacchar o oblinit.
Medico tantum hominem occidiſſe lucroſa fit impunitas.
Melle pocla amara tinge; ſuavius curaveris.
Mente moribusque cures omne corporis malum.
Munus eſt medicina cæli munerum utiliſsimum.
Nemo ubi ſe habet male, illic medicus ipſe habet male.
Non modò lingua eſto promptus medicus, eſto etiam manus.
Non tractant modo medici omnes uno eodemque clinicos.
Omne juſtum eſt in medicina, corpori quod utile eſt.
Paullulum ægrotas? medicum pete: ægrotas graviter? voca.
Peſsime ipſimet medenti eſt, ſi alteri malè nemini eſt.
Pharmacum ſi ſpernit æger, duplicat morbum ſibi.
Pharmaca animi cunctis proſunt, corporum multis.
Plurimi Medici ſtupore vulgi fiunt nobiles.
Poſt cibum ſemper quieſcant alvus eſt quibus cita.
Purus eſt medens ægrum ſi non volens interficit.
Quam malè heu habent, medenti qui ingerunt convicia?
Qui poteſt alijs mederi, is medetur & ſibi.
Quod ſumus Dei eſt, medicinæ quod valemus debitum eſt.
Sæpe convaleſcit ars quem jam medentum deſerit.
Sectionis cauſſa non eſt medicus, cauſſa eſt clinicus.
Si ſanare non potes, ſaltem dolores mitiga.
Sol videt laudes medicorum, terra culpas occulit.
Turpiter medeatur alteri, in morbo ipſe qui cubat.
Vim mali aſperat medela ſumpta tempore haud ſuo.

§ Jambica.

A nausea cibo abstine, aut parum accipe.
Æger medelam nemo rectè impartiat.
Ægris medentem arcesse, amicum testibus.
Aliter mulierem ægram cures, aliter virum.
Aliud medicina, aliud est incantatio.
Alvum citam salso mero incitaveris.
Animi medicina melior est Sapientia.
Capiti nihil æquè prodest frigida atq; aqua.
Contrariis medici curant contraria.
Dejectio omnis lippienti commoda est.
Et dentibus nervisq; frigidum nocet.
Et turba regem sustulit medentium.
Etiam medicus occultè ægros curat suos.
Exaggerat morbos medens non elevat.
Facit medicinam ignoto vel sutor loco.
Fit & stupore vulgi medicus nobilis.
Lethale vulnus qui curat, non fit reus.
Malvæ admodum graves salubres corpori.
Medicæ artis expers nullus est Ægyptius.
Medicina, ab, artium omnium vilissima est.
Medicina apud ægros usus; apud sanos honor.
Medicina non æquè est sua atq; temporis.
Medicina opem sceleratis etiam suppetit.
Medicina sola ad universos pertinet.
Medicina sola est, quæ una prodest omnibus.
Medicus petitur ab ægris, ægros non petit.
Nedicus loco demum ultimo ferro utitur.
Medicus nihil, communis est quam carnifex.
Medicus Philosophus ipsi æqualis est Deo.
Medicus quoq; ille est sanitatem qui regit.
Medici frequentant januas languentium.
Medicum esse oportet sæpe cum dispendio.
Medicos ad ægrum non vates adducimus.
Morbo medicina haud fit, nisi cùm jam est cognitus.
Morbos medicina haud vincit insanabiles.
Nimis male est medico, male est cùm nemini.
Mortem medens haud tollit, ipsam protrahit.
Mortem moratur vir medens non præterit.
Nemo es, cui facit medicinam, irascitur.
Non semper ægro medicus unus sufficit.
Officiosissimè homines medicus enecat.
Parum valenti emittitur sanguis malè.
Pauci senes fierent medicina ni foret.
Physico nihil nugace est arrogantius.
Præbere causas mortis, haud medentium est.
Quærenti opus medico nil est insamius.
Quamplurimos morbi medicinam perdocent.
Quandoq; medici Reges dum secant, necant.
Qui sanus est medicos habet contemptui.
Si nemini malè est, male est medentibus.
Spe præmij non curat Æsculapius.
Stultus fugit medentem, sapiens appetit.
Suspecta cuinam medici fiat potio?
Vermes necat cuicunque amarior cibus.
Vrunt secantq; medici, sed rarissimè.
Vsu peritum quære medicum, haud garrulum.
Vulgi fit & stupore medicus nobilis.

Medici.

§ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Greg. Nyssenus:* Etiam illi boni ac commodi medici sunt, qui adversus excellentes & exsuperantes dolores artem adhibendo consistunt, eorum quæ minus doloris faciunt, malorum curationem differentes. *in funere pulcheriæ.*

D. Greg. Nyssenus: Qui ut curentur, secantur & uruntur, irascuntur iis quos curant, ut quibus acris & aspera sentiatur sectio. quod si acciderit, ut per id sani fiant, & dolor transeat sectionis, habebunt gratiam iis qui ipsos curaverint. *Capit. 26. fine orationis catecheticæ.*

D. Chrysostomus: Nonne vides medicos eos, qui curiosiores quidem sunt, cùm ægroti lavantur, & ipsos quoque lavari, quamvis alioqui lotione non egeant? *sub finem Homiliæ 7. ad Rom.*

Chrysostomus: Præstantissimi medici ægritudinum radicem curiosius semper indagant, atque ad ipsum mali fontem ante omnia accedunt. *Hom. 10. initio ad Roman.*

Chrysostomus: Imitatur in hoc medicorum optimos, qui tantum largiuntur ægrotis quantum ipsa infirmitatis natura concesserit aut exegerit. *Hom. 19. ad Rom.*

Chrysostomus: Quando infans qui laborat ægritudine, ferit escibus & aversatur cibos qui afferuntur à medicis, patre aut pædagogo accersito qui assideat, eos jubent à medici manibus acceptos præbere; ut & ob illorum timorem accipiant & quiescant. *initio Homil. 12. ad Cor. 1.*

Chrysostomus: Optimus medicus incisionem facit congruentes vulneribus; neque quæ profundo ictu opus habent secat in superficie. *Homil. 27. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Medici ægrotis multa quidem remedia adhibent: sed qui sagaci ingenio est, non hoc perpendit quod hoc atque illo medicamento usus sit is qui adversa valetudine laborat, sed quam utilitatem hinc sit consecutus. *Homilia quarta ad Corinthios secundo.*

Chrysostomus: Parcit illis, nec vult ferire, nec vulnera vulneribus addere, quemadmodum eruditi medici eos qui in longum incidunt morbum, non protinus ac semel, sed ex intervallo curant, ne despondentes animum pereant. *Cap. 4. ad Galat.*

Chrysostomus: Medicus ægroto quidem dicit quæ sunt facienda; quod si præstare non sustinuerit, non tamen eum despicit, sed persuadendo adhibens consilium rursus curat. qui autem despicit, gloriam solùm quærit & ægrè fert quod sit contemptus: qui autem semper quærit sanitatem laborantis, hoc unum solum spectat ut jacentem restituat. *Homil. 14. ad Ephesios.*

D. Io. Chrysostomus: Medicum tunc in primis admiramur, cùm desperatum ab omnibus, & omni auxilio destitutum, neque ab improbis concupiscentiis se continere valentem, verùm illis ipsis involutum atque inversantem, ad sanitatem revocaverit, morbumq; correxerit. *Homil. 5. ad Titum.*

D. Ioan. Chrysostomus: Et medici febre laborantes eo incendio liberant, non ut sanitate abutantur in malum atque in perniciem suam: nam præstaret morbo consenescere, quam ea ratione sanum fieri, ut in lectum deterius decidat: sed ut discentes infirmitatis incommoda & mala, non jam in eadem incidant: ut sanitatem charius amplexi, omnia gerant quæ ad eam conferre possint. *Hom. 3. Epist. ad Philemonem.*

D. Io. Chrysostomus: Medicus, cùm non sit necesse ut gustet cibos ægroto paratos: propter curam illius quam gerit, ipse prior gustat, ut persuadeat ægro, ut confidenter audeat sumere cibum. *Hom. 4. Epist. ad Hebræos.*

D. Io. Chrysostomus: Præstantissimi medici cùm profundam fecerint incisionem, & per plagam dolorem intenderint, id quod laborat consolantes, turbatamque foventes & recreantes animam; non amplius aliam adhibent incisionem, sed & datam mitibus leniunt medicamentis, & quæ doloris multum possint adimere. *Homil. 21. initio Epistolæ ad Hebræos.*

Basilius Seleuc. Qui mentis furore correpti sunt, cum per insaniam nullum curationis sensum percipiant, medico gladium intentant, medicum pro hoste ulciscentes. *Oratione 18. m.*

Basilius Seleuc. Medicus absque pharmaco Christus Dominus ad ægrum hominum genus diversatus est; non famularibus artis instrumentis usus, non herbas, quæ potestatem in poros insinuent, advocans, non cum igni, & ferro partitus industriæ laudem, non usus curatione, cujus initia supplicia sint, non spe mercedis contra morbos armatus: contrà verò curatis cælum pollicitus in mercedem.

Quorum enim fuerat conditor, eorum & medicus apparuit; verbo quidem naturam producens, verbo autem iterato naturæ traducens ægritudines. Et videre erat omnigenos morbos exterminari: vox emittebatur, ac morbus pellebatur. *Oratione 35. pr.*

§ Latinorum.

D. Chrysologus. Peritus medicus, quoties vario languore defessis plenam desiderat conferre medicinam, altas aperit morborum causas, latentes pestilentiæ exponit incursus, pestiferas caveri commovet regiones, quamplurima remediorum genera demonstrat, herbarum vires pandit, medicamentorum loquitur qualitates, obediẽtibus promittit longissimam sanitatem: sic ægros arduas & asperas suadet, & perducit ad curas. *Sermone 44. pr.*

Chrysologus: Gratior medicus qui anticipat morbos, quàm qui morbis inserit feram, & non sine dolore, medicinam. *Sermone 31. m.*

Chrysologus: Nunquam curat qui infirmantis quærit & expectat arbitrium? Nam cum ex humore frigido semper ignis succendatur in corpore: & rigor nimius dum membra vexat & concutit, acrius ipse efficit & gignit incendium: ita ægrotus ad augendam flammam quæ suis semper æstuat & anhelat in venis, dari sibi aquam frigidam impatienter expectat nesciens quòd tunc calor calore restinguitur frigore nutritur, incendium. *Sermone 114.*

Ennodius: Sana pectora iter curationis inveniunt: nemo alterum, unde ipse laborat, absolvit. *Lib. 9. Epist. 28. a. f.*

Ennodius: Et cum grandior per dies singulos appareret infirmitas, adjuta est imperitia medicorum. *Vita Epiph. cap. 56.*

Ennodius, titulo legati, qui patriam prodidit: Tale est ac si ægris sub febrium jactatione languentibus allaturus salutem curator adveniat, & animam in penetralibus suis sub medicinali specie exclusurus inquirat. quis rogo huic non pandat secreta vitalium, & in quibus adhuc locis vigor subsistat, adnunciet? facilis extinguendi ministratur occasio illi, à quo sanitas postulatur. Sic te, impurissime hominum, adversus nos intimorum reseratione munivimus.

Ennodius: Quoties morborum violentia celeri gressu ad animæ secreta festinat, obvias manus afferre non potest salutare consilium, nisi ex collatione multorum. *Apolog. pro synodo.*

Io. Sarisberiensis: Quid de medicis practicis dicam? Absit ut de his quicquam perversum loquar. In manus enim eorum exigentibus peccatis meis, nimis frequenter incido. Non sunt exasperandi verbis, sed potius demulcendi obsequio. Nolo me tractent durius; nec etiam sentire audeo, quod omnes clamant. Dicam ergò cum Sancto Salomone: Quia medicina à domino Deo est; & vir sapiens non contemnet eam. Nemo siquidem magis necessarius est aut utilior medico, dummodo sit fidelis & prudens. Quis enim præconia illius declamare sufficiat, qui salutis artifex, procreator vitæ, in eo dominum imitatur, & vices eius agit, qui salutem, quam ille operatur, & quasi dominus & princeps donat, iste œconomos & minister procurat & dispensat? Nec ad rem attinet, si qui pseudogratiam vendunt, & qui justiores videri volunt, dum nihil accipiant, antequam æger convalescat, in eo iniquiores sunt, quod beneficium temporis, imò munus Dei, manibus suis adscribunt, cum ille quem Deus erigit & vigor naturæ convalescentis, citra operam eius fuerat erigendus. Quamvis istud jam paucorum sit, sibi invicem suadentibus & replicantibus medicis, Dũ dolet accipe. Nec moveor si opera eorum in se compugnent, cum scientia contrariorum plerumque esse eundem affectum.

Sed cum inter manus eorum quis in fata collapsus est, tunc necessarias producent rationes, quibus apparebit, quod vita eius non fuerat ulterius protendenda. Et ut dicitur, quos longa afflixerunt inedia, jam mortuis sorbitiunculas faciunt, & utiles & delicatos præparant cibos. Exspectas forte ut dicam quod dicit populus, quia hi sunt qui homines officiosissimè occidunt. Sed frustra. Absit enim, ut hanc contumeliam proferam, quam si forte audire volueris, Senecam, Plinium adeas, & Sidonium, qui hoc in auribus tuis clamore valido replicabunt. *Libro secundo capit. 29. Policratici.*

¶ Philosophorum Oratorumq. Graecorum.

Heraclitus: Convenerunt Amphidama medici, summo etiam cum studio ac promptitudine ad meam ægrotationem, neque artem tenentes neque naturam. Sed alterum ne volebant quidem alterum verò putabant: at utrunque ignorabant. Nihil equidem aliud quam mollierunt meum ventrem attractibus, perinde ac utrem. Alij verò curationem etiam eius se suscepturos profitebantur. at ego non concessi, sed morbi rationem primùm ab illis petebam, nec mihi reddere poterant, neque me superabant sed ipsos ego. Quomodo igitur aiebam possitis fistulandi magistri esse, cùm à non fistulatore victi sitis. Citiùs ipse me quàm vos curavero, si me docueritis, quomodo sit ex humiditate siccitas efficienda. At illi non intellecta quæstione, quiescebant & in sua scientia perplexi & ancipites hærebant. Cognovi etiam alios non illorum arte sed à fortuna in pristinam sanitatem restitutos. Hi impiè faciunt Amphidama, mentiti artes, quas non tenent, & curantes, quæ nesciunt, atque mortem hominibus afferentes artis prætextu ac nomine, qui faciunt injuriam cùm naturæ tùm arti. Turpe est, inscitiam profiteri. Turpius adhuc, artem, quam non possideas. Quam eis voluptatem adfert mentiendi ratio, nisi ut per dolum ac fallaciam opes cumulent. Meliores essent, si mendicarentur. Tribueretur enim eis misericordia.

Nunc verò mentiendo & lædendo in odium hominum incurrunt. Fœliciores reliquæ sunt artes. Statim arguuntur. Difficiliùs arguuntur quæ sunt præstantiora. Huiusmodi in ciuitate moti sunt erga me misericordia. Nemo illorum medicus. Omnes quadruplatores & impostores, qui artis sophismata vendunt argento, Heracleodorum auunculum meum hi mercede accepta necauerunt, qui non poterant caussam mei morbi proferre, neque quemadmodum ex humoris redundantia, siccitas efficeretur. Nesciunt in mundo Deum magna corpora curare, dum inæqualitatem eorum ad exæquationem reuocat, fracta in integrum restituit, labentia priusquam concidant reprimit, sparsa in vnum corpus redigit. Indecora expolit & ornat, capta custodiæ mandat, fugientia persequitur. Lumine tenebricosum illustrat, infinitum certis finibus terminat, informatis formam addit, quæ non sentiunt, visu imbuit. per omnem enim naturam commeat rumpendo, concinnando, soluendo, iungendo, fundendo, Aridum liquefacit, & illud soluit, guttas euaporat, condensat laxatum aërem; & continenter superna quidem summouet, inferiora verò stabilit. Hæc ægrotantis mundi curatio. Hunc egomet imitabor in me ipso. Reliquis vale dico. *Epistola ad Amphidamantem.*

Phalaris Mesenis. Polycletum vt audio medicum vestrum, accusatis quasi proditorem Agrigentinorum factum, quod cùm ægrotantem me accepisset, posséṫque morte afficere, ex gravissimo morbo eripuerit: & laudem eius iustitiæ vitio ponitis, atque hoc palàm fateri non erubescitis. Ego verò magis adducor ad admirandam eius artis vim & naturam, quod cùm ei moribundum me tradidissem; non quasi Tyrannum interemerit: sed vt ægrotum sua cura diligentiáque seruauerit. Atque vestra querimonia & accusatio nullo ei detrimento fuit. Mea verò gratitudo, sic eum divitiis auxit, ut primoribus in Sicilia nihil concedat. Nec verò me latet, propter hanc remunerationem ab animo grato profectam, nullum esse vestrûm, qui non malit proditor Agrigentinorum, quàm Tyrannicida Phalaridis appellari. *Epistola 21.*

Phalaris Polycleto. Incertum habeo, mi Policlete, utrum magis vim in te facultatemque medendi, an animi constantiam fidemque admirari debeam. Ars enim superavit interfectorem Tyranni morbum. Fides autem honores Tyrannicidæ propositos per hæc utraq; decurrens tua justitia, hominem duobus maximis periculis ad perniciem mortemque projectum, incurabilis morbi detrimento & inimicorum honoribus servasti & ad incolumitatem vitamque reduxisti. Solus enim tu poteras, aut si morbo extinctus fuissem, etiãsi nihil ad id ab arte contulisses, Tyranno mortem obtulisse videri, aut si etiam morbus me non sustulisset; cum quidvis, quod dabatur, vidè tanquam ad salutem pertinens sumerem, morte afficere. Et cædis gloria, cum parum præmiorum amplitudine, certabat. Verùm injustam atque iniquam mercedem, justæ famæ atque opinioni præponere nolebas. fortè enim temporis ejus, quod ob adversam valetudinem tibi me tradiderat, non fuit ea conditio, ut pietatem Tyrannocidium habuisset aliquam. Ego itaque qui sic in tua potestate fuerim, ut quicquid in mentem tibi veniret, agere de me licuisset, cum pro tanta virtute magis dignas gratias referre non possim, hoc unum novi, Deo qui creavit hanc scientiam, consentaneum dignũ animum & facultatem te gerere. Attamen unà cum medicinæ & fidei laudibus, misi ad te gratissimi mei animi pignora. phialas auri puri quatuor, Crateres argenteos non operis domestici duos, & poculorum vitreorum decem juga, & pueros imberbes viginti & Argenti quinque myriades atticas. Scripsi etiam Teucro præfecto pecuniarum, ut tantum salarium tibi numeret, quantum navarchis & satellitibus, reliquisque centurionibus datur; exiguam sanè, pro maximo beneficio remunerationem. Adferat autẽ hoc etiam aliquid adjumenti, ei qui non est par referendæ gratiæ, quod simul fatetur parem pro meritis gratiam se reponere non posse. *Epist. 70.*

Idem eidem. Callæschrũ tui causa dimisi, sic manifestò mihi insidiatum, ut non modò conatum fassus sit: verùm etiam conjuratores prodiderit: & præter significationem hanc, adjecerit locum, in quo, & quando, & quomodo rem agressuri fuissent. At est hominis ingrati, ut apparet, non dare salutem ei, à quo ipse donatam eam acceperit. Simul etiam meum esse cogitabam, eiusmodi beneficium dare medico, qui me saluasset. Multò vero tibi convenientius fuerit accipere, facultatis medicæ professori & omnes homines, qui petãt, curatione servanti. De indignitate rei Callæschrus viderit, quod cũ alteri vitam per injuriam eripuisset, tuo beneficio vitam adeptus sit. Eripuit enim non cunctando, reliquis verò rebus erravit. *Epist. 71.*

Democritus: Medicum igitur non solùm ex aspectu, sed ex re ipsa affectus judicare decet & modulos ut plurimùm, & num morbus incipiat, aut in medio sit, aut in fine, discernere, & considerata temporis & ætatis differentia, ac universa totius corporis natura affectus curare. Ex his enim omnibus facilè morbum deprehendas. *Epistola ad Hippocratem.*

Lucianus: Proinde peregrè profectus, ac probatissimorum, quos in peregrinis regionibus nancisci potui, medicorum doctrina usus, plurimo labore, vehementiq; animi studio artem perdidici. Postea reversus, invenio patrem manifesta insania iam laborantem, & ab huius loci medicis desperantibus destitutum: qui non altiùs introspiciunt, nec admodum exactè morbos dijudicant. At ego sanè, sicuti par erat facere frugi filium, neque abdicationis injuriam memini; neq; dum accerserer expectavi. Neq; enim erat quicquam, quod illi propriè imputare possem: verùm peccata illa omnia fuerant aliena: morbi nimirum, ut modò dixi. Cùm igitur non vocatus accessissem, nõ ilico sum medicatus, neq; enim id nostri est moris, neque id præcipit ars. Verùm omnium primum observare docemur, sanabilísne sit morbus, an insanabilis, transiliatq; artis terminos. Ac tum si eiusmodi sit malum, ut commodè possimus aggredi, aggredimur, totoq; adhibimur studio, ut ægrotum servemus. Sed si affectum jam invaluisse, superasseque viderimus, nec manum omnino admolimur, idq; vetustam quandam primorum medicinæ parentũ legem observantes: qui negant tentandos esse morbos qui jam invaluerunt. Itaq; cum patrem adhuc intra spem esse cognoscerem, neq; affectum arte potiorem, diu observatis ac pensitatis singulis, ita demum aggressus sum, atq; cum fiducia pharmacum porrexi. Quanquam multi qui aderant, hanc pharmaci administrationem suspectam habebant, & meam medicationem calumniabantur, iamq; ad accusandum se comparabant. Aderat etiam noverca pavida, & diffidens, nõ quòd me odisset, sed quòd metueret, cùm probè sciret, illũ graviter laborare. Nam sola noverat omnia, quippe familiaris, assiduoq; ægrotanti cõvivens. Attamen ego nulla re deterritus, siquidẽ sciebam fore ut neq; signa me fallerent, neq; ars me proderet, observato tempore opportuno adhibui medelam. Quanquam nõnulli ex amicis mihi suadebant ne fiderem, ne fortè si res malè succederet, majorem calumniam mihi accerserem, quasi acceptarum injuriarum memor, patrem veneno ultus essem.

In summa, protinus ille convaluit, pristinæque redditus sanitati, omnia cognovit. Familiares admirabantur, laudabat noverca, palamque gaudebat, & quòd inclaruissem, & quòd ille resipuisset. At hic quidem, nam id de ipso testari possum, neque cunctatus, neque quoquam his de rebus adhibito in consilium, re ex familiaribus cognita, irritam fecit abdicationem, ac denuo me filium fecit: servatorem ac beneficum appellans, sese certum mei experimentum cepisse confitens, deque illis ante factis semet excusans.

Hoc factum multos quidem, quotquot boni aderant, exhilaravit: sed eos afflixit, quibus abdicatio filij erat revocatione jucundior. Proinde tunc vidi non eodem modo ea re gaudentes omnes, sed colorem alicujus mutatum, vultum perturbatum, faciem iracundam, quemadmodum ex invidia, odioque solet accidere. Nos igitur ut consentaneum est, altero alteri reddito, in lætitia, animiq; gaudiis versabamur.

Cæterùm noverca paulò post, statim ægrotare cœpit, morbo Iudices gravi, & inopinato: quem statim ab ortu tetrum observavi. Neque enim simplex, & levis insaniæ species, sed vetustum quoddam jamdudum in anima delitescens malum erupit, victoriaque parta in apertum prodiit. Sunt autem nobis multa quoque alia insanabilis insaniæ signa. Verùm illud unum commune in hac muliere animadverti, quòd erga cæteros pacatior est ac mitis, illisque præsentibus conquiescit morbus: sed si quem medicum viderit, vel si de medico tantùm audierit, in hunc supra modum exasperatur. Quod & ipsum argumento est, illam maligno & insanabili malo teneri. Hæc cùm perspicerem, equidem acerbè ferebam, miserebarque mulieris ut debui, præter meritum tanto laborantis infortunio. At pater ob inscitiam, neque enim novit, vel originem mali quo tenetur, vel causam, vel affectus magnitudinem, jussir ut medicarer, ac simile pharmacum exhiberem: arbitratus idem esse insaniæ genus, eundem morbum, eandem invaletudinem, quæ similem curandi rationem admitteret.

Verùm ubi, quod verissimum est, dico fieri non posse ut servetur mulier, meque morbo imparem esse fateor, indignatur, & succenset, aitque me studio detrectare, ac mulierem destituere, mihi crimini vertens artis imbecillitatem. Atque huic quidem accidit quod dolentibus solet: liberè verum dicentibus succensent. Verùm ego pro viribus illi respondebo, tum meo ipsius nomine, tum artis. *Titulo Abdicati.*

Lucianus: Quàm multa me fuisse passum arbitramini, quantum & exhausisse laborum? dum assideo, dum obsequor, dum opportunitatem observo, nunc cedens patris vehementiæ, nunc artem admovens, morbo paulatim inclinante. Est enim hoc omnium quæ sunt in medicina periculosissimum, hominibus huiusmodi mederi, & ad sic affectos accedere.

Fit enim non rarò, ut exæstuante malo, rabiem in proximos emittant. At nihil horum subterfugi, nihil reformidavi: sed cum ipso conversans, morboque adversans modis omnibus, tandem pharmaco superavi. Ne verò quisquam hoc audito protinus cogitet, quis quantúsve labor miscere pharmacum. Etenim multa sunt prius facienda, præstruenda via potioni, præparandum corpus, quò faciliùs recipiat medicationem, totiusque corporis habitus curandus, inaniendo, extenuando, cibis idoneis alendo, ad quidvis utile movendo, somnos considerando, quietes ciendo: quibus in rebus alio morbo laborantes facilè pareant. At qui laborant insania, ob animi libertatem intractabiles sunt, gubernatu difficiles, ipsi medico periculosi, & curatione vix expugnabiles.

Proinde sæpenumero cùm effecerimus, ut jam adesse morbi finem speremus, leve aliquod erratum incidens, renovato malo, cuncta illa superiora facilè subvertit, curationem impedit, artem fallit. *Titulo Abdicati.*

Aristides: Omnibus perspectum est, sine pædotribis quidem multa hominum genera facile degere: ut autem vigeat medicina, omnium prorsus interesse. *Orat. I. Platon.*

Aristides Orator: Medicus qui experientia quidem valet, pharmacisque ac diætis jam utitur, naturam autem & temperamentum singulorum ignorat, nonne conjectura utens ægroto singula propinabit, sequens id quod est verisimile? equidem existimo. An verò possit illorum quisquam præcisè dicere, si quis rebus utatur quibusdam, eum ab omni periculo ac molestia liberum fore? quin imò de singulis, nisi fallor, conijciunt; sin etiam privatim aliquod sunt assecuti, per experientiam conijciunt, id quod cuique profuturum est deligentes. nec enim eadem omnibus corporibus tam in morbo quàm in bona valetudine conveniunt: nec magis etiam in quovis morbo bonaque valetudine eadem ab iisdem accipies medicis. difficulter autem singulorum dignoscuntur naturæ. nam quemadmodum singuli inter se homines forma differunt, ita & natura corporis in singulis est per totum genus diversa. At jubet ars, quicunque occurrat, eum curare, quamvis ab extrema terra recens veniat. quid ergo præter conjecturam restat? etenim si nec omnes cognoscet, atque omnes curabit, & id sciet saltem non omnia omnibus convenire, id quod dico relinquitur. *Oratione priore Platonica, de Rhetorica.*

Arrianus: Quis medicus rogat, ut aliquis se ab ipso curari sinat? etsi enim audio Romæ nunc medicos etiam ad se vocare; meo tamen tempore ipsi vocabantur. *Cap. Vigesimo tertio libri 3. Epicteti.*

Simplicius: Et sectiones & ustiones amplectimur, ac mercedem pro iis solvimus, & gratias medicis agimus: haud utique facturi, si eas res malas judicaremus. *ad Cap. 34. Epict.*

Iulianus Imper. Cùm multæ aliæ res testificantur, te ad summum medicæ artis gradum pervenisse; eique morum parem ac vitæ temperantiam adjunxisse: tum verò hoc tempore maximum omnium testimonium accessit; quod Alexandriam absens universam in te convertis; tantumque ei tuo decessu aculeum tanquam apis reliquisti. *Epist. 46.*

Libanius: Quisnam medicum admitteret, qui cùm toti corpori succurrere deberet, in plurima ejus parte morbum conservaret? *Declamatione 29.*

Libanius: Corporum medicus, non tantum pecuniam exigere jure potest ab ægrotantibus quos sanat; verùm etiam ab ijs quibus victus regimen tradit, quod liberum à morbis corpus conservet, in suspicione & timore morbi. Age verò, per Deos, si lue grassari in urbem properante; & agros jam occupante, par medicorum accederet; quorum alter medicamentis cruciantibus & eduliis fastidium utenti gignentibus, & potionibus ipsa siti molestioribus, & adustionibus, & incisionibus, remedium polliceretur, quando premeret vos morbus: alter verò promitteret vobis se pestem, priusquam in urbem grassaretur aversurum ac soluturum: uter, auditores, jucundior & majore dono dignior videretur? Non desines (merito quis mihi diceret) de iis interrogare quorum in promptu est responsum? Nam quis cùm sanum esse liceat, morbum qui incideret, mallet evitare? Quod si orationem nostram diutius immorari decet in Æsculapij alumnis; atque alterum hinc argumentum excogitare: is qui luem dum adhuc immineret arcuit, communem omnibus incolumitatem suppeditat: qui verò pestem intus serpentem, & corpora flammæ instar depascentem extinguere conatur, multos quidem fortassis eruere ab incendio poterit: multis etiam frustra auxilium omnis generis admovebit; arte medica concedente morbo. Pratereaille quidem sanitatis jucundæ & puræ & in qua nulla morbi vestigia subsint, auctor omnibus existit: hic verò abit sæpe relictis reliquiis morbi quibus jam insitis in corporibus eorum, qui vix conservati sunt. quantum igitur in his discrimen est inter se, tanto præstantior est is qui futurum bellum amolitur, quàm is qui excitatum dirimit. *Declamatione 31.*

Themistius: Nobis quidem qui apud sapientes, magnaque ex parte sanos homines disputamus prudentiores, imitandi sunt medici, qui amariora medicamina melle circumlitis poculis propinant. Ac fortasse vos ipsi orationi nostræ tractabiliores facilioresque præbeatis, si cum voluptate medeatur: non secus quam aurigæ alicui perito, qui habenis currum regere malit, calcaribus ac flagello parcere. *Orat. 7.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus: Non novi, inquit, languoris genus. Post hans vocem me hercule non deberes committere ægros, etiamsi vellet experiri potionis haustus, ciborum fomentorumque novitates. *Declamatione 8. SS. 18.*

Latinus Pacatus: Faciam ergo quod facere præstantes scientia medicos sæpe vidi, altorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo. *Cap. 3. Paneg. Theodosio Aug. dicti.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Pluto. v. 408.

An non oportet medicum aliquem huc adducere?
C. Quis hac in urbe sit medicus? ubi medicis
Neque præmium est ullum, neque magni ars ipsa fit.

Plautus Mercatore 2. sc. 4. v. 21.

Sanus ne es? C. Pol sanus si sim, non te medicum mihi expetam.

Ausonius Edyllio 2. ubi pater eius loquitur.

Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ.
Officiumque meum cum pietate fuit.

¶ FABULA.

Æsopi Fabula Ranæ. Rana quædam superbe valde medicam jactabat artem, omnia se quidem quæ in terra sunt remedia nosse professa; se solam, omnibus, ut revalescant, opitulaturam. quæ cùm diceret, adstans forte vulpes, falsitatem è colore vultus arguit. Quid igitur alios, inquiens, à morbo quidem liberas, tu vero ipsa in facie præfers morbi indicia?

Rana & Vulpes. Avienus 6.

Edita gurgitibus olimque immersa profundo,
Et luteis tantum semper amica vadis,
Ad superos colles, herbosaque prata recurrens,
Mulcebat miseras turgida rana feras,
Callida quò posset gravibus succurrere morbis,
Et vitam ingenio continuare suo.
Nec se Pæonio jactat cessisse magistro,
Quamvis perpetuos curet in orbe Deos.

Tunc Vulpes pecudum ridens aſtuta quietem
Verborum vacuam prodidit eſſe fidem.
Hæc dabit ægrotis, inquit, medicamina membris,
Pallida cæruleus cui notat ora color.
Ne ſibimet quiſquam de rebus inaniter ullis
Quas nequit, imponat, iſta fabella docet.

De viro clyſteria recuſante. Fab. 63.

Vir quidam natione Germanus, dives admodum, ægrotabat, ad quem curandum plures acceſſerant medici (ad mel enim catervatim convolant muſcæ) quorum unus inter cætera dicebat, opus eſſe clyſteribus, ſi vellet convaleſcere. Quod cum vir huiusmodi inſuetus medicinæ audiret, furore percitus, medicos domo eiici jubet, dicens: eos eſſe inſanos, qui cùm caput ſibi doleret, podici vellent mederi.

Hæc fabula innuit omnia etiam ſalutaria inſuetis & inexpertis aſpera & ôbfutura videri. *Abſtemius.*

Mediocritatis.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Greg. Nyſſenus.* Virtus omnis in mediocritate conſiſtit: id quod in contrarias partes convertitur, eſt vitium. Qui enim in omnibus rebus, & eius quod parum, & illius quod nimiũ eſt, mediocritatem capit, hic vitium à virtute diſtinxit. Metus & audacia, duo è regione poſita vitia putantur; hic quidem quoniam confidentiæ modum deſerit, illa quia ſuperat, mediocritatem continent quæ in fortitudine cernitur. Rurſus, qui pietatem colit, is neque impius eſt neque ſuperſtitioſus: in utroque enim æquè ineſt impietas; alter quia Deum negat; alter quia opinatur eſſe multos. Qui in avaris ac prodigis eſſe recuſat, contrariis inter ſe affectibus remotis, liberalitatem habitu quodam rectè coluit. Liberalitas enim in eo elucet, ut ne quis in ſumptus immoderatos minimeque utiles temerè profuſeque eroget, néve in rebus neceſſariis parcus ſit & remiſſus. Atque ita in cæteris omnibus, rerum inter ſe pugnantium mediocritatem in virtute poſitam eſſe, ratio definivit. *cap. 8. de virginitate.*

S. Iſidorus Peluſiota. Ut corporeæ pulchritudinis norma, membrorum apta proportio eſt: ita etiam extrema ſpiritualis pulchritudinis linea in virtutum mediocritate conſiſtit. Nam ſi extremitates, ut quidam ſapientes viri pronunciarunt, in vitium degenerant (cupiens enim quiſpiam probus rei familiaris diſpenſator eſſe, in tenacitatem & avaritiam labitur: cupiens liberalis eſſe, in prodigalitatem cadit. Unde etiam virtutes mediocritates eſſe definierunt. Inter ſuperſtitionẽ enim & impietatem mediũ locum pietas obtinet) haud abs re Sapiens quoque monuit, Noli eſſe juſtus multum. Quòd ſi hoc quoque præcipit, caveas velim ne in iis, in quibus alii adverſum te peccant, ſeverum & acerbum judicem te præbeas: verùm juſtitiam bonitate vince, iis nimirum, qui venia indigna peccata in te admittunt, veniam tribuens. *Lib. 3. Epiſtol. 131.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam inter profuſionem & ſordes media eſt liberalitas: Animi autem magnitudo inter ſuperbiam & humilitatem interjecta eſt: Pietas denique inter ſuperſtitionem & impietatem: (quæ cauſa quoque eſt, quod ſapientes, cum vitia virtutibus vicina definiviſſent, medium locum virtutibus tribuerunt:) mihi etiam ad omnes virtutes media via optima eſſe videtur. Atque hoc illud eſt, quod diſcere voluiſti: Ne declines ad dextram neque ad ſiniſtram. Regia via incedito. Quia enim deflexiones virtutum in vitium deſinunt (Sæpè enim aliquis, dum frugi & bonus paterfamiliâs eſſe voluit, in ſordes incidit: aut dum honoris ſtudium adamavit, in profuſionem) meritò viam mediam non ſolùm meliorem, ſed etiam maximè regiam eſſe ſtatuerunt. *Libr. 4. Epiſtola 210.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Hierocles. Utere victus ratione munda, quæ deliciis careat: & cave facere quæ ſuſtinent invidiam: nec ſumptus alieno tempore, ut qui recti ignarus eſt. neque tamen eſto ſordidus, in omnibus autem modus erit optimus. Non ſolum, inquit, in cibo, & potu, modus bonus eſt; ſed quibuslibet etiam aliis in rebus; tanquam iis liberet, quæ vel exceſſu, vel defectu peccantur. Poſſunt enim in omnibus, quæ diximus, multa fieri præter modum; partim quidem, cùm ad luxum abducimur; partim verò, cum ad ſordes compellimur. Eſt verò utrumq; vituperandum, nec philoſophi moribus congruum: immò verò à recta etiam corporis moderatione alienum. Abit enim in luxum atque mollitiam munditia, quæ nimia eſt: in ſordes autem atque ſpurcitiam, tenuitas, quæ ſumma. Ut illa igitur minimè patiamur, propter munditiam; nec iſta etiam, propter tenuitatem: medii incidamus adjacentia utrique vitia declinantes; & altero in alterius remedium utentes: ita nimirum victus tenuitatem amplexi, ut ſordibus careat: ita rurſum munditiam, ut à deliciis remota ſit.

Modum igitur in rebus omnibus, quæ corporis nomine molimur, imprimis adhibeamus: non veſtitum ſolùm eligentes, qui mundus ſit, atque deliciis carens; ſed quodlibet etiam aliud, quod ad ipſum pertineat. Decet enim, quia rationis particeps animus corpori moderatur, omnia etiam, quæ corporis ſunt, cum duce ratione congruere; quæ nec luxus; nec ſordium patiens, omnia judicat ſuæ dignitati conſentanea eſſe debere. Ne ergo ad ſumptuoſorum uſum pertrahatur; quod deliciis caret amplectitur. Ne deinde ſordibus, rerumque deformitati aſſueſcat, munditiam eligit. Verbi gratia, veſtimenta quidem nequaquam vilia, ſed munda. Supellectilem non auream; non argenteam: ſed ex parabili materia confectam. Non domum fulgentem lapidibus exquiſitis; non eximia pulcritudine atq; magnitudine conſtructam: ſed corporis uſui congruam, atque reſpondentem.

Omninò autem mundities in tota victus ratione, Delicias, tanquam præter uſum ſint, reſpuit: admittit verò quod deliciis caret, tanquam neceſſitati ſubſerviat. Nam & veſtimenta, & domus, & ſuppellex omnis, tum demùm ſui uſum præbent optimè, cùm apta, mundaque ſunt. Quid enim magna lance opus eſt, ſi parùm ſit obſonii? quid immunda, ſi obſonium labefactet? Quid domo etiam illis ampliore, quàm uſus poſtulat; qui unico ejus angulo capi poſſunt? Quid ſordida, quæ habitationis uſum non præbeat? Id ipſum verò in cæteris etiam utrinque inutile reperias, quod ſordes cum luxu non vitat. Simul enim modus in uſu præteritus eſt, & ad cupiditatum immenſitatem delatus. Quò fit, ut omnia in vita ejusmodi mediis tibi metienda ſint, quæ vitia declinent adjacentia. Aſſueſce autem victui mundo, inquit.

Poſtea verò, cùm proclivitatem ad delicias animadverteret; qui luxu careat adjecit. Quòd ſi luxu carentem prius dixiſſet; quia videbat etiam ad ſordes devenire facilè; mundum quoque addidiſſet, alterius oppoſitione, proclivitatem alterius perpetuò retinens, vt ex ambobus præſtans victus ratio, & homine digna conſtaret. Ita ergo ſi vitam noſtram inſtituamus, & aliud quoddam ingens bonum ipſi conſequemur. Invidiam enim, quæ ſummis rebus adnaſcitur, hac ratione vitabimus, ſi ne quid nimis intuentes eos, quibus cum degimus; ita adverſum nos non excitemus; ut nunc quidem nobis indignentur; tanquam luxu diffluamus: nunc verò arguant; tanquam ſordes amplectamur: Reprehendant etiam aliquando; tanquam nequiter profuſos: & aliquando etiam; tanquam in minima inquirentes. Tales enim omnes exceſſus nomine ab iis, quibuscum degunt, argui certum eſt. Nam hoc ipſum eſt, quod nunc invidiæ vocabulo ſignificat: tanquam ea facere prohibeat, Quæ invidiam ſuſtineant; id eſt, quæ juſtam habeant, vulgò reprehenſionem. Sunt verò non immeritò ex vulgi etiam ſententia vituperatione digna luxus, & ſordes in victu: in pecuniarum autem uſu profuſio, atque tenacitas.

Oſtendant igitur in rebus externis omnibus prudentem animi habitum, & modum in omnibus optimum liberalitas, atque mediocritas. Decet enim, quantùm poteſt, ab iis, quæ invidiam pariunt, eum abſtinere, qui tranquillitatis amator eſt: nec illam, tanquam feram, provocare: quò in iis liceat, quæ honeſta ſunt, nulla perturbatione movere. Vitam autem ſine invidia degemus; ſi tenuem, & ſordibus carentem amplectamur: ſique faſtum illum reprimamus, qui ex decori ignoratione proficiſcitur; unde mala duo naſcuntur, rerum profuſio ſcilicet; atque parcimonia intempeſtiva: quorum alterum diſſoluti quidem animi eſt; alterum verò anguſti atque parvi. Sed utrumque declinat liberalitas, quæ in dandis, accipiendisque pecuniis occupata, eo quod decet in facultatibus atque impenſis reperto, externa omnia rectæ rationi ſubjecit, atque copulavit. *Cap. 35. Carm. Pythag.*

¶ Apologorum.

De Mure Vrbano & Ruſtico. Anonymus.

Ruſticus urbanum mus murem ſuſcipit, ædem,
Commodat & mentem, menſaque mente minor
In menſa tenui ſatur eſt immenſa voluntas,
Nobilitat viles frons generoſa dapes.
Facto fine cibis, urbanum Ruſticus audit
Vrbani ſocius tendit in urbis opes.
Ecce penu ſubeunt, inſeruit amicus amico;
Invigilant menſæ; fercula menſa gerit.
Emendat conditq; cibos clementia vultus,
Convivam ſatiat plus dape frontis honor.
Ecce ſeræ clavis immurmurat, oſtia latrant,
Ambo timent, fugiunt ambo, nec ambo latent.
Hic latet, hic tenebras curſu mendicat inepto
Aſſuitur muro reptile muris onus.
Blanda penu clauſo parcit Fortuna timente,
Ille tamen febrit: teſte tremore timet.
Exit qui latuit, timidum ſic lenit amicum
Gaude carpe cibos, hæc ſapit eſca favum.
Fatur qui latuit, latet hoc in melle venenum.
Fellitumq; metu non puto dulce bonum.
Quam timor obnubit, non eſt ſincera voluptas.
Non eſt ſollicito dulcis in ore cibus.
Rodere malo fabam, quam cura perpete rodi,
Degenerare cibos cura diurna facit.
His opibus gaude, qui gaudes turbine mentis,
Pauperiem ditat pax opulenta mihi.

Hæc bona solus habe, quæ sunt tibi dulcia soli,
Dat precium dapibus vita quieta meis.
Finit verba, redit; præponit tuta timendis,
Et quia summa timet, tutius ima petit:
Pauperies si lata venit tutissima res est,
Tristior immensas pauperat usus opes.

¶ Apologorum.

De Malo arbore ingentia poma procreante. Fab. 181.

Malus arbor oleam irridebat, quòd exiguas procreasset baccas, cum ipsa & ingentia & quæ vix sui rami ferrent, mala produxisset. Sed vehementi exorto vento, cum pomorum onere, tum vi turbinis, & poma ferè cuncta ceciderunt, & rami contracti sunt: Olea autem illæsa permansit. Tunc secum malus: quanto, inquit, melius mihi fuisset, minores fœtus edidisse.

Fabula indicat, nos debere modicis rebus esse contentos, quum amplæ opes & nimiæ divitiæ sine ingenti periculo nequeant possideri. Abstemius.

¶ Emblematis.

Catsius Emblemate Ethiro 39.

In vulnus majora patent.

Dum laxos gracili pede tendit aranea casses,
Et nimium latè futile pandit opus;
Aut laqueos tecto lapsi rupere lapilli,
Aut citò prateriens retia findit avis:
Et modo crebro plagis, modò turbidus ingruit Auster
Sic aliqua semper parte lacuna patet.
Armamenta sua nimium qui pandere fortis
Aggreditur, semper quo feriatur habet.

¶ Apophthegm. Christianor.

Petrus Aldobrantinus Card. Dabis veniam illustrissime Præsul, si Alphonsum tibi extra ordinem præponam. Tu etiam huius virtutis non laudator tantùm, sed & sectator, dicere solitus; *Virtus sine modo fit vitium.* Hinc cùm filias Archidami donasset pretiosis vestibus Dionysius, noluit pater eas induerent, ne turpiores apparerent. Benè ergo suum Licinium hortatur Horatius:

Rectius vives Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.

¶ Monosticha Trochaica.

Abstinet malva Noti aura: pervetus turbat nemus.
Alta ne spiremus, ultro nos monet mortalitas.
Apprime utile arbitrator in vita, ne quid nimis.
Calceus maior subvertit, calceus torquet minor.
Dædalorum gens pusilla est: Icarorum orbem replet.
Dum petit nimium alta, nomen eripit freto Icarus.
Dum spernis pedum, Icare, usum, & aëre & terrâ excidis.
Ex fortunâ possidentis, aliquid fit modicum, aut nimis.
Funiculum nimis si intendis tandem aliquando rumpitur.
Infirmissimæ haud gelantur arbores, sed maximæ.
Largitatis est modus, modusq; parsimoniæ.
Moribus justissimis sunt quos regit Mediocritas.
Nec nimis gaude secundis, nec nimis dole asperis.
Omnia nimia homini nimium ex sese exhibent negotium.
Si vides quot te antecedant, quot sequantur cogita.
Sortis ex mediocritate minus vulgo periculi est.
Tam malum est abuti nummis, quam non uti eis malũ est.
Tam malum est amare nullum, quàm omniũ est amor malũ.
Tam malum assentatio ipsas, quam malum convitium est.
Tam malũ est audacia nimia, quam malũ est nimius pavor.
Tam malũ est audere semper, quàm malũ est semper pavor.
Tam malum auscultare cunctis, quàm auscultare nemini.
Tã malũ est cantare semper, quam malum est semper queri.
Tam malum est diffluere luxu, quàm diffluere sordibus.
Tam malum est dolere cuncta, quàm dolere nil malum est.
Tam malum est dormire nunquã, quam dormire perpetim.
Tam malum est dormire semper, quã malum est insomnia.
Tam malum est favere cunctis, quam favere nemini.
Tam malum est jacere semper, stare semper quàm malũ est.
Tam malum est ignoscere nulli, quam punire neminem.
Tam malum est labor perennis, quàm otiũ perpes malũ est.
Tam malum est laudare quosvis, quàm laudare neminem.
Tam malum est mandare multis rem suam, quam nemini.
Tam malum mitem esse cunctis quam mitem esse nemini.
Tam malum est nil se curare, quam curare nimis malũ est.
Tam malum est nimis esse justũ, quam minus justum malũ.
Tam malum est nimis studere cuipiam, quàm neutiquam.
Tam malum est nimis Venerem timere, quam cupiscere.
Tã malũ est nimiũ omne, id omne quã malũ est quod est minus.
Tam malũ est nimium quẽ odisse, nimium amare quàm malũ est.
Tam malum est non credere ulli, quàm malum omni.
Tam malum est nullum sequi velle, omnes quam sequi malũ est.
Tam malum est nummis abuti, quàm bene uti eis bonũ est.
Tam malum est odisse cunctos, nullum odisse quàm malum est.
Tam malum otio torpere est, quàm obteri negotijs.
Tam malum est placere cunctis, quàm placere nemini.
Tam malum potare per vim, quam malum est per vim sitis.
Tam malum est probare cunctos, quàm probare neminem.
Tam malum est prodesse nulli, quam nocere cuilibet.
Tam malum est profusio omnis, quàm malum est tenacitas.
Tam malum est ridere semper, quam queri semper malum est.
Tam malum est satagere semper, quam otio usq; alto immori.
Tam malum est sedere semper, ire semper quam malum est.
Tam malum est semper gaudere, dolere semper quàm malum est.
Tam malum est timere cuncta, quàm timere nil malum est.
Tam malum est timere cunctos, quam timere neminem.
Tam malum est vigilare semper, quam malum perpes sopor.
Tam malum est voluptatem omnem quærere, quam nullã sequi.
Tam malum est uti secundis usq;, adversis quam malum est.
Tarditas æque punitur atq; festinatio.
Tempera laudatione, tempera convitiis.
Tuta meme vita mediâ decurrens vehat viâ.

¶ Jambica.

Amplexus media, virtutes amplectitur.
Discernit a malis bonos mediocritas.
Fiat moderate, quod faciendum est sapius.
Mediocritas in rebus optima omnibus.
Mediocritas plerumq; rebus optima est.
Mediocritatis regula omni in re est optima.
Mediocritati nunquam Livor obfuit.
Moderationis nemo non fructum tulit.
Nec fide multum; spem nec omnem proijcere.
Nec liberalis esto nec tenax nimis.
Nec prodigè spargas, nec serves sordidè.
Plerumq; modicis rebus ævum est longius.
Quæ modica sunt manent, immodica diffluunt.
Ruina magna non nisi ex alto venit.
Sortis mediocris homini, multa commoda.

Videantur alia titulo *Abstinentiæ, Frugalitatis, Gulæ, Luxus, Modi, Sobrietatis.*

Meditationis.

¶ Emblematum.

Camerarius 20. centur. 2.

Major post otia virtus. Vrsus sugens pedes.

Ceu lustris latitant ursi & sua membra relinquunt;
Sic meditatur opus doctus in arte novum.

Camerarius 51. cent. 3.

Pinguescit dum eruit. Gallina in sterquilinio.

Rimatur vigili Sophia secreta labore,
Qui cupit Aonia frondis honore tegi.

¶ Apophthegm. Sacri.

Stephanus abbas. Tres Senes ad Stephanum abbatem accedentes loquebantur de salute animæ: illo autem tacente, dixerunt, cur nihil respondes, cùm utilitatis gratia venerimus ad te? Respondens Stephanus dixit: Ignoscite mihi, usq; modò non animadverti quid locuti sitis, verumtamen quod habeo, hoc dico vobis: Ego die noctuque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Iesum Christũ in ligno pendentem. Quod cùm audissent, multùm ædificati recesserunt. *Ioan. Moscus, in prato Spirituali, cap. 64.*

¶ Monosticha Trochaica.

Esse quæ in lustris merces, commentatio potest?
Nil in posterum valescit, quàm meditatio ac labor.
Posteriora cogitata plus habent sapientiæ.
Quod meditatio polivit omnibus sese approbat.
Tota vita virûm bonorum mortis commentatio est.

¶ Jambica.

Discit probus meditari, dediscit loqui.
Meditare mortem; vix unquam peccaveris.
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda.
Meditatio mortis quid est? suspirium.
Meditationi omni est opus mendacio.
Nullum requirit præmeditari veritas.
Nunquam expavesce mortem: semper cogitas.
Præsumere dulce est res, quas optes adsequi.
Prius meditere probè negotium quam geras.
Venit meditatus qui ex solo venit loco.

Videantur alia titulo *Cogitationis, Contemplationis, Vitæ activæ, &c.*

Memoriæ.

¶ Sententiae Patrum Graecor.

D. Nazianzenus. Ac priùs quidem ista, & quid tandem hilaritatis tempore molestiam quispiam reduceret, acerbis rebus immorans, quarum non modò detestanda est experientia, sed memoria etiam ipsa fugienda: præstatque sermoni silentium, obortam nobis calamitatem profunda oblivione conterens atque obruens, nisi quis tamen hanc unam ob causam acerbarum rerum memoriam renovandam putet, ut exemplo erudamur, ac, velut in morbis, causas, ex quibus in hæc incidimus, fugiamus. *Oratione duodecima.*

D. Nazianzenus: Hujus quoque viri, Cypriani scilicet vel sola recordatio sanctitate animum imbuit, maximumque pondus ad excitandum virtutis studium habet oratio. *Oratione. 18.*

D. Chrysostomus: Vt continenter aliquem in memoria circumferamus, fieri non potest, nisi à magno quodam amore ac charitate: assiduè verò in precibus habere, & indesinenter habere; considera quantum ea res affectum amoremque requirat. *Homilia 2. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Poterit & mensa in qua comedit sanctus, & cathedra in qua sedit, & lectus in quo jacuit, etiam digresso illo susceptorem illius compungere. Quomodo putas Sunamitidem compungi in conclave illud superius, ubi manserat Elizæus, ingressam; mensamque & lectum in quo sanctus ille jacuerat videntem? quantam inde pietatem concepit? Si enim nos post tantum temporis illuc ingressi ubi paulus mansit aliquando, ubi vinctus fuit, ubi consedit & disseruit, alacres aliquo modo reddimur, & ad memoriã dici ab ipsis locis mittimur; quid non patientur rebus adhuc recentibus, qui cum pietate sanctos hospitio suscipiunt? *Hom. 30. ad Rom.*

¶ Latinorum.

Epesippus: Dulce est inter majorum versari habitacula, & veterum dicta factaque recensere memoria, atq; eorum inhærere gratiæ. *Cap. 18. libri 4. de excidio Hierosolymitano.*

Ennodius. Nollem fateor, morarum causas aperire, ne animus meus sera in pace cum lætitia reductus, mœsta iterum relatione turbetur; & habeam tristitiæ meæ redivivum in narratione principium. Penè enim sibi debet angustias suas, qui earum relegere transacta non refugit. Quis ad calcem perductas anxietates suas reparet intempestivi necessitate sermonis? *Lib. 1. Ep. 14. pr.*

¶ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Arrianus: Et nunc Socrate mortuo, nihilo minus aut magis etiam utilis est hominibus, memoria eorum quæ vivens aut fecit, aut dixit. *Cap. 1. lib. 4. de Epicteto.*

Philostratus: Hymnum Simonidis in memoriæ laudem compositum frequenter decantabat Apollonius, in quo omnia consumi tempore marcessérique scribit; ipsum verò tempus nec senescens, nec corruptibile, circa Memoriam hærere ac permanere *Lib. 1. c. 11.*

Heliodorus: Ego alioqui sponte refugio negotium, quod me ad recordationem eorum ex quibus dolorem capio, ducit. *Libro Æthiopicorum tertio.*

¶ Romanorum.

Sallustius: Omnes homines qui sese student præstare cæteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit. Sed omnis nostra vis in animo & corpore sita est. animi imperio, corporis servitio magis utimur. alterum nobis cum Deis; alterum cum belluis commune est. Quo mihi rectius esse videtur, ingenij quam virium opibus gloriam quærere; & quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostri quam maximè longam efficere. nam divitiarum, & formæ gloria, fluxa atque fragilis est. virtus clara æternaq; habetur. *Cap. 1. Catilinaria.*

Symmachus: Ferè memores sumus etiam procedente ævo, puerilium feriarum. *Lib. 5. Epist. 85. f.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Nubibus v. 480.

—— *Sed pauca ex te interrogare volo. valen*
Memoria? ST. ita per Iovem, & gemino sanè modo.
Nam si mihi quis debet, memor sum scilicet:
Sin ego cui debeo; obliviosus sum nimis.

Nonnus lib. 5. Dionysiac.

Tacebo illa omnia. quid enim secundum proferam dolorem?
Ne te & dormientem iterum ad luctus adigam.

Plautus Mercatore 5. sc. 4. v. 51.

—— *Suam rem quisq; homo meminit.*

P. Syrus Mimus.

Post calamitatem memoria, alia est calamitas.

P. Syrus Mimus.

Misera est voluptas, ubi periculi memoria est.

¶ Apophthegm. Christianor.

Petrus Aldobrandinus Card. Rerum magistra & Musarum parens *Memoria* in proscenium quoq; educenda. de quâ præclarè aliquando locutum Illustriss. Cardinalem Aldobrandinum legimus. Rogabatur, quænam esset *optima Sapientiæ schola*; *Memoria*, respondit. addens, *Estque hæc non magistra modò, sed & mater veteribus constituta Musarum. Henr. Farnes. Apophth. de Princ.*

Idem. Quantus verò Memoriæ defectus in addiscente sit, eiusdem sententiã probat. Sciscitanti namque, qualis in addiscente deberet esse Memoria; *Quale*, inquiebat, *in Apollinis simulachro olim erat tricipitium.* Unum enim erat lupi, ob rapacitatem: leonis alterum, ad tenacitatem: tertium canis, ad fidelitatem. Eam ergo memoriam requirebat, quæ sua rapacitate omnia devoraret, eademq; firma tenacitate retineret, & sibi fidentem non falleret. *Ibidem.*

Idem. Interrogatus etiam, quémnam è veteribus ut maximè ad literarum studia idoneum reputaret; *Hortensium*, respondit. ille enim (Cicerone teste) in tantum valuit memoria, ut, quæ secum pluribus egisset, sine scripto, verbis iisdem redderet. *Ibidem.*

Idem. Cùm insuper de memoriæ præstantia sermo fieret, & hic Mithridatis regis (qui duarum & viginti gentium linguas calluit) ille Themistoclis aut Cyri (quorũ prior non poterat oblivisci quorum nollet; posterior, totius exercitus nomina singulatim referebat) memoriam laudaret; *At ego*, inquit, *eam memoriam probo, qua quis sui nunquam obliviscitur.* Præclarum profectò, & tam illustri pectore dignum Apophthegma. *Ibidem.*

Monosticha Trochaica.

Admodum dulce est meminisse quod fuit durum pati.
Benefacti statim memoria; malefacti nunquam interit.
Dulcior memoria melle vitæ transactæ bene.
Eheu quàm citò omnis aret mortuorum gratia?
Felle tristior memoria vitæ transactæ male.
Firmius memoriæ inhærent quæ pu[e]lli discimus.
Mortuorum vita, vivorum à memoria pendula est.
Pro mei memoria quisquam nec roget nec consulat.
Publico operi non qui id fecit, sed qui ei præest inscribitur.
Sortis est memor sinistræ quisq;, nemo dexteræ.
Vitæ transactæ bene, & memoria melle dulcior.

¶ Jambica.

Ærugo quod ferro, memoriæ hoc est quies.
Certissima est memoria nex insomnia.
Dulcis miseriarum memoria est in bonis.
Ecquis nisi ut queratur meminit mortui?
Etiam memoria absentes præsentes facit.
Frequens timiditas stupidam memoriam facit.
Levis exoletam memoriam revocat nota.
Meminisse dulce est, quod fuit durum pati.
Meminisse malorum quæ quis passus est, juvat.
Memoria culta crescit, inculta interit.
Memoria & Vsus genuerunt Sapientiam.
Memoria facinorum vacua nunquam est metu.
Memoria honorat mortuos, non lacrima.
Memoria post iram, ira adhuc est altera.
Memoria quidnam, quæso prodest mortuis?
Memoriâ sunt tardâ, quibus velox stilus.
Minimum tribuit memoriæ qui spei plurimum.
Nemo uspiam est homo quin rem meminerit suam.
Noverca infida memoriæ est oblivio.
Pejora inhærent animis pertinacius.
Quæ quis puer didicit, meminit licet senex.
Quicunq; mortis est memor, memor sui est.
Quis non memor suæ est adhuc pueritiæ?
Reges memoriam sceleribus improbi merent.
Suavis laborum præteritorum memoria.

Mendacij.

¶ Sententiae Patrum Graecor.

CLEMENS ALEXANDRINUS: Mendaces ergo sunt reverà, non ij qui se accommodant propter negocium salutis: neque qui labuntur in aliquibus ex iis quæ sunt singularia, sed qui concidunt in iis, quæ sunt vel maxime principalia, & Dominum quidem, quoad eius fieri ab eis potest, infirmant & abrogant: auferunt autem veram Domini doctrinam: quia non pro dignitate Dei & Domini scripturas disserunt & tradunt. Depositum enim quod Deo redditur, est convenienter Domini doctrinæ, per eius Apostolorum piam traditionem, intelligentia & exercitatio. *Libro 6. Stromatum.*

D. Chrysostomus: Sola virtus res vera est: vitiositas autem mendacium est. nam & voluptas ipsius comes, & gloria, mendacium est; & mundana omnia nihil aliud sunt quàm mendacium. *Hom. 14. ad Philipp.*

D. Io. Chrysostomus: Ne alia quidem dicamus, alia verò sentiamus. hoc est enim mendacium. *Homilia 19. Epist. ad Hebræos.*

Isidorus Pelusiota: Mendax, jurans etiam mentietur. *Lib. 1. Epistola 155.*

S. Isidorus Pelusiota: Melius est ut ab idiota ac plebeio homine veritatem, quam à sophista mendacium discamus. alter enim simpliciter ac breviter quod res est dicit: alter obscuritate sua cùm veritatis occultat pulcritudinem, tùm sua suaviloquentia ornans mẽdacium, in aureo vasculo venenum miscet. *Lib. 4. Epist. 67.*

¶ Latinorum.

Ennodius. Nemo illi mentitur, cui serviunt qui convincant. *Epiphanij vita cap. 54. f.*

Ennodius: Nemo sub oculis præsentia penè & nimium nota commemorat, nisi qui de veritate confidit: ut quos forsitan ficta dicturus, velut impudentiæ meæ conscius, evitarem, eorum auribus relegam illa quæ cognovit aspectus. *cap. 2. Epiphanij vitæ.*

¶ Philosophorum Oratorumq. Graecorum.

Xenophon: Primum, Armenie, consulo tibi, ut in hac causæ cognitione vera dicas, quo unum illud saltim absit à te, quod odium maximum meretur. Nam certo scire te volo, esse hominibus impedimento ad consequendam veniam maximo, si in mendacio deprehendantur. Præterea liberi tui, & hæ mulieres, & Armenij, qui adsunt, omnium abs te actorum tibi sunt conscij: qui si te senserint alia dicere, quam facta sint, arbitrabuntur te tuamet ipsius sententia suppliciis extremis addici, si veritatem ego rescivero. *Cap. 3. li. 3. Cyropædiæ.*

Xenophon: Ergo, inquit, Socrates inter homines est mendacium? Est, ait Euthydemus. Utra in parte hoc collocabimus? Etiam hoc perspicuum est, inquit, nimirum ad injusticiam. Num & inter homines est fallere? Omnino, ait, Utrubi vero id collocabimus? Etiam hoc palam est, inquit, ad injustitiam esse referendum. Quid damno adficere? Eodem, inquit. Quid in servitutem redigere? Eodem. Ad justiciam vero, mi Euthydeme, nihil horum à nobis collocabitur? Mirum sane id esset ait. Quid autem, si quis imperator lectus injustam & infestam urbem in servitutem redigat, hunccine quidpiam in hoc injusti perpetrare dicemus? Nequaquam, ait. At juste agere dicemus? Omnino, inquit. Quid si decipiat eos, dum bellum adversus illos gerit? Hoc quoque justum est, inquit. At si furtim adimat, ac rapiat ipsorum res non juste aget? Omnino, ait. At ego primum arbitrabar hæc te, quantum ad amicos adtineat, solummodo interrogare. Quæcunque igitur ad injustitiam retuleramus, ea sunt omnia ad justitiam quoque referenda? Sic videtur, ait. Vis igitur, his ita positis, iterum definiamus, adversus hostes quidem justum esse facere quædam hujusmodi; sed injustum, adversus amicos, omninoque ergo hos quam simplicissimos esse oportere? Volo, inquit, Euthydemus.

Quid igitur? subjecit Socrates, si quis imperator dejectis animis esse copias suas videat, & conficto mendacio dicat adventare socios, atque hoc mendacio militibus animi dejectionem adimat, quanam ex parte fraudem hanc collocabimus? Videtur mihi ad justitiam, inquit referenda. Si quis autem filium suum indigentem usu pharmacorum, & pharmacum respuentem, ita deceperit, ut pharmacum ei det loco cibi, eoque usus mendacio, valetudini eum restituat; hæc item fraus ubi erit collocanda? Videtur, inquit, ea quoque mihi eodem referenda. Quid autem, si quis amicum habeat, qui magno sit in mærore, metuens ne manus ille sibi adferat, suffuretur aut eripiat gladium, vel quid eiusmodi, utro id quoque loco ponendum? Nimirum ad justitiam, inquit. Ergo tu dicis, ait, non debere nos etiam erga amicos in omnibus nosmet simplices exhibere. Non profecto, ait: immo quæ dixi retracto, si quidem licet. Atqui, subiecit Socrates, multo magis hoc licere debet, quam non recte aliquid constituere. *Lib. 4. Memorabilium cap. 8.*

Dio Chrysostomus Prusæus: Evenit autem & hoc plerumq; mentientibus ut de re alia quidem dicant, illisque immorentur: alia verò quum maxime abscondere velint, non inhærentes, neque attento dicant auditori, nihilque suo ponunt loco, sed ubi maximè fallere queat, tam hujus gratia, quàm quod mendacium pudorem iniicere soleat, faciatque cunctabundos ad se accedere volentes, præsertim quum fuerit maximis de rebus. Unde neque magna voce dicunt mentientes, & si quando ad mendacium pervenerint quidam eorum aut balbutiunt, aut obscurè loquuntur: alij autem, non quasi ipsi quicquam norint, sed quasi ex aliis audierint. Quicunque autem veraciter quid dicit, audacter & nihil dissimulans dicit. Neque igitur ea quæ circa Helenæ raptum acciderunt, Homerus confestim dixit, neque libertate in illis usus est, neque de civitatis expugnatione, tametsi (ut dixi) audacissimus esset: sed succubuit & victus est, quod iam contraria veris diceret, & circa totius negocij summam mentiretur. Unde enim potius auspicari decuit, quam ab ipsa iniuria & stupro Alexandri, ob quod conflatum est bellum? Hinc enim ad iram commoti essent omnes, qui in illius poesim incidissent, simulque de fine contendissent, neque quisquam miseratus esset Trojanos ob ea quæ petulissent. Ita nempe benevolentiorem & promptiorem habiturus fuerat auditorem. Rursum id decuerat, si voluisset maxima & formidolosissima dicere, & varias passiones atque calamitates. Præterea autem, quod præ omnibus unusquisque desideravisset audire, quid majus poterat aut atrocius dicere, quàm urbis expugnationem? *Oratione 11.*

Dio Prusæus: Homerus cùm instituisset dicere bellum Trojanum, non statim incepit à primordio, sed aliunde; id quod fere omnes faciunt mentientes, implicantes & circumplicantes, nihilque ordine dicere volentes: minus enim ita manifesti fiunt: sin minus ab ipso negotio redargũntur. Hæc videre licet, & in judiciis & alibi fieri, ubi artificiose mentiuntur. At qui facta ostendere volunt, ita recitant, uti quidque factum est, primum primò, secundum secundò, & alia similia ex ordine. *Oratione undecima.*

Dio Prusæus: Cum Homerus nihil haberet veri quod diceret, propter veritatis inopiam in res impossibiles & impias incidit: quod ferè plerisque omnibus accidit qui repugnant veritati. *Oratione undecima.*

Epictetus: Mentimur quidem: quomodo autem demonstretur, non esse mentiendum, in promptu habemus. *cap. 76. Enchiridij.*

Simplicius: Enimverò cum didicissemus quare mentiri non oporteret, non esset mentiendum; inq; eo perpetuò elaboraremus. *ad cap. 76. Epicteti.*

Philostratus: Apud Indos mos obtinet; si quis in mendacio deprehensus aut deceptus ipse unquam fuerit, hac mulctatur pœna, ut nullo amplius magistratu aut dignitate fungi possit; quia communem hominum societatem mentiendo fraudaverit. *Lib. 2. Apollonij cap. 12.*

Libanius: Fieri non potest ut mendacium sit inexpugnabile. *Declamatione. 31.*

Heliodorus: Pulcrum est inprimis mendacium, cùm auctori commodat, & audienti non nocet. *Libro Æthiopicorum primo.*

Basilius Imperator. cap. 29. Maximi pendito & veracem te esse in sermone, & veraces homines in familiaritatem admittere: ita enim firmus & constans in omnibus & factis & dictis æstimaberis, & verã ac non suspectam tuorum erga te benevolentiam retinebis: Si autem vanitatis & mendacitatis in suspicionem veneris, indigna facere imperatoria Majestate, qua auctus es, convinceris; efficiesque ut subjecti semper formidolosi, rerumque omnium incerti & titubantes vacillent. quantùm enim veritatis oratio amabilem hominem reddit, tantùm mendacij deprehensa, aut etiam suspecta, odiosum qui ea utitur facit.

¶ Latinorum.

Petronius Arbiter: Cùm deinde vultu atque ipsa trepidatione mendacium prodidissem. *Satyrico.*

Calpurnius Flaccus: Modum non habet iracundia mentiendi. *Controversia 12. f.*

¶ Poetarum.

Plautus Mercatore 1. sc. 2. v. 95.

——————*Non credet pater,*
Si illam matri meæ emisse dicam. Post autem mihi
Scelus videtur me parenti proloqui mendacium.

Plautus Mostellar. 2. sc. 1. v. 135.

Calidum hercle audivi esse optimum mendacium.
Quidquid Dei dicunt, id rectum est dicere.

Plautus Rudente 3. sc. 6. v. 30.

Mendicitatem mihi obtulisti opera tua,
Dum tuis ausculto magnidicis mendacijs.

¶ Emblematis.

Camerarius XLVII. centur. 4.

Hac eludit retia fraude. Sepia.
Hic niger est piscis, fallitq; cruore sequentes,
Nempe etiam mendax fallit ubique niger.

¶ Monosticha Trochaica.

Creditur mendacio illi ni statim respondeas.
De remotis confidenter dicimus mendacia.
De vetustis, de longinquis mentiendi licentia est.
Divites nil mentiuntur; pauperes contrà omnia.
Fronte ac vultu sustinere haud arduum est mendacia.
Homini amico ac familiari non est mentiri meum.
Imbecilla res & ævi parvuli mendacium est.
Imperatoris salubre semper est mendacium.
Impetus durare longum non potest mendacij.
Impium est mentiri coram se præstantioribus.
Implicatur explicari dum studet mendacium.
Iudicio ac pudori cuivis est odio mendacium.
Libero cuicumq; summum est dedecus mendacium.
Malim vinci vera dicens, quàm superare mentiens.
Malit interire liber, quam loqui mendacia.
Mancipium spe libertatis firmes ad mendacium.
Maximè omnium perjurus persequitur mendacia.

Mendax quis etiamſi verum dicat, amittit fidem.
Ne quidem bono dicenda per jocum mendacia.
Ne quidem cum vera dicunt credimus mendacibus.
Ne quidem refellere dignum eſt impudens mendacium
Nolo mentiare: apertè narrato ut res ſeſe habet.
Plurimos læſere, peſſum imò dederunt mendacia.
Quam magis ſeſe ornat hoc eſt nudius mendacium.
Qui ſemel mentitur, aut bis, omni dein caret fide.
Quisquis eſt mendax, is idem peierabit judici.
Quo magis mendacium ſeſe occulit, magis patet.
Quod figuratè profamur non tamen mendacium eſt.
Quod neceſſitate fit laudabile eſt mendacium.
Sæpe plus prodeſt popello falſitas quam veritas.
Si mendacium eſſe non vis, eius tolle præmium.
Tempore expugnare quævis ac mora mendacia eſt.
Turpe libero mentiri, patritio turpiſſimum eſt.
Turpe privato mentiri, ſed non turpe publico.
Vaſe in aureo venenum eſt eloquens mendacium.
Vel timet vel eſt egenus qui utitur mendacio.
Vera fantibus, negetur quod fides, mendax facit.
Veritas per magna diva haud vincitur mendacio.
Veritati item poëtica ſerviunt mendacia.
Vir bonus haud mentitur, prudens nec dicit mendacium.
Vix virile in veritatem robur eſt mendacio.
Vt fallas noceasve, turpe quodvis eſt mendacium.
Vtitur malus primùm ipſa veritate, dein dolis.

§ JAMBICA.

Adſueſce verum dicere, haud mendacium.
Aliud loqui, ſentire aliud, mendacium eſt.
Cum vera poſſis, falſa noli dicere.
Diu latere non queunt mendacia.
Durare fructus neſciunt mendacij.
Et obſtetrix poëſis eſt mendacij.
Et vera fanti derogat mendax fidem.
Facillimè expugnaveris mendacium.
Fas pro ſalute proloqui mendacium.
Foro, nedum Aulâ, excluditur mendacium.
Ignota ubi extera, ibi locus mendacio eſt.
In exiguo ponunt mali mendacium.
Interpres animi lingua: mentiri nefas.
Longinquitatem haud facilè quis redarguat.
Memoriâ oportet ſit bonâ mendacium.
Mendacium calidum, mendacium optimum eſt.
Mendacium Deis quoq; eſt inutile.
Mendacium nil differt a perjurio.
Mendacium odit qui vir eſt frugi ac ſapit.
Mendacium ſuperatu perfacillimum eſt.
Mendacij non permanet tectorium.
Mendacia hoc habent ut non cohæreant.
Mendaciorum non diurnant gloriæ.
Mendax ubi verum dicit amittit fidem.
Mendacem inopia quem concinnat aut timor.
Mentimur etiam cauſa conſuetudinis.
Nec amat Deus, nec adjuvat mendacium.
Nemo ſibi, nemo eſt Deo mendax ſuo.
Neſcit Iovis mentiri os; quæ fatur facit.
Nil vanitate mentiendi turpius.
Nunquam bona anima diligit mendacium.
Nusquam cohærent gentium mendacia.
Odere Divi, odere homines mendacium.
Pejus meditari, quàm loqui, mendacium.
Perlucet omne ſi inſpicis, mendacium.
Quisquis timet Deum abſtinet mendacio.
Quod dicitur figura, vix mendacium eſt.
Quod ſimile vero, peſſimum eſt mendacium.
Res imbecilla ſemper eſt mendacium.
Semper latere non poteſt mendacium.
Semper timetur rex, uſus mendacio.
Sentire aliud quàm dicere, eſt mendacium.
Servo nefas, ſapienti fas mendacium.
Tacere præſtat, quàm loqui mendacia.
Trepidante vultu proditur mendacium.
Vbi vera mendax loquitur, haud fidem invenit.
Vbi eſt avaritia, eſt ibi & mendacium.
Vel uſque fallit, vel nocet mendacium.
Veracis eſt, ne mentiri quidem joco.
Virtutis eſt loco malis mendacium.
Vtare ad inſtar toxici mendacio.

Mendacitatis.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* An leproſos mendicos, ut pernicioſiſſimos quosque ſerpentes ac feras deſeremus? Alienum id ab humana natura, quæ commiſerationem veluti lata lege ſanxit, utpote ex eadem infirmitate ad pietatem & humanitatem erudita. Quid? illine ſub dio vexabuntur, nos autem ſplendidiſſimas domos incolemus, omnis generis lapidibus exornatas, atque auro & argento coruſcantes, ac tenuium calculorum diſpoſitione, varioque picturæ artificio; fallacibus oculorum illecebris: atque alias quidem incolemus, alias autem extruemus? Quibusnam autem? ne hæredibus quidem fortaſſe noſtris, ſed exteris & alienis, iisque ne amicis quidem fortaſſe noſtris, ſed inimiciſſimis, maximaque in nos invidia flagrantibus, quod quidem malorum omnium extremum eſt. Quid? Illine in aſperis & laceris pannis obrigeſcent, immò ne eos quidem fortaſſe habebunt, nos autem in mollibus & circumfluentibus veſtibus, telisque ex tenuiſſimo lino ac ſerico contextis laſciviemus; atque in aliis quidem indecorè potius quàm honeſtè atq; ornatè nos ipſos geremus (ſic enim quicquid ſuperfluum & curioſum eſt, voco) alias autem in arcis recondemus curam inutilem & incommodam, à tineis exedendas, & à tempore, quod omnia conficit, abſumendas? Atque illis ne neceſſaria quidem alimenta ſuppetent (ô profuſas meas delicias! ô gravem illorum afflictionem!) verum pro foribus noſtris jacebunt, languentes & fame laborantes, ac ne inſtrumenta quidem ad petendum à corpore habentes, vocibus privati, quibus miſeriam ſuam lugeant, manibus, quas ſupplicandi cauſa protendant, pedibus, quibus ad divites accedant, reſpiratione, qua lugubre carmen contenta voce fundant, atque, quod malorum omnium acerbiſſimum eſt, leviſſimum eſſe judicantes, oculisque duntaxat gratiam habentes, quòd ipſorum labem minimè videant.

Atque hi quidem ad hunc modum: nos autem in altis & ſublimibus lectis, eximiisque, & quæ penè tangere nefas ſit, ſtragulis, ſplendidi ſplendidè recumbemus, ſi vel ſolam petitionum vocem audiamus, ſtomachantes. Atque etiam illud oportebit, ut & pavimentum noſtrum floribus, plerumque etiam extra tempus, fragret, & menſa ſuaviſſimis & ſumptuoſiſſimis unguentis perfundatur, quo magis etiam effœminemur! pueri etiam aſtent, partim ornatè ac ſuo quisque ordine, comis ſoluti & effœminati, ac cæſarie ad faciem expoliti, magisque quàm impudicis oculis conducati, exornati, partim pocula extremis digitis tenentes, quàm fieri poteſt decentiſſimè ſimul ac tutiſſimè, partim follibus ventum ſuper caput excitantes, atq; auris manu conflatis obeſas carnes refrigerantes: menſa inſuper carnibus redundet (elementis omnibus nobis prolixè & copioſè ſubminiſtrantibus, aere nempe, terra, aqua) nosque coquorum & eorum, qui epulas inſtruunt, lenociniis comprimamur, omnesque de eo concertent, ecquis avido & ingrato ventri quàm maximè blandiatur, gravi omnino ſarcinæ, & malorum authori, belluæ prorſus inſaturabili, ac perquam infidæ, huic, inquã, cùm cibis qui abolentur, jam jamque abolendo. Et quidem illi præclarè ſecum agi putabunt, ſi vel aqua expleantur: nos autem vini pocula usque ad temulentiam hauriemus, imò etiam ultra temulentiam, ſaltem ij, qui majore intemperantia laborant: atque ex pluribus vinis alia reiiciemus, alia, ut ſuavia & grata, probabimus, de aliis etiam philoſophabimur, atque in detrimento ponemus, niſi ad patrium vinum exoticum etiam quoddam velut tyrannus accedat.

Nos quippe lautos & delicatos, & profuſiores quàm uſus exigat, aut eſſe, aut haberi oportet, perinde atque vereamur, ne non mali exiſtimemur, ac ventris, & eorum, quæ ſub ventre ſunt, mancipia. Quid hæc, ô amici & fratres? quid nos quoque animorum morbo tenemur, hoc eſt morbo longè graviori, quàm quo corpora premuntur? Hic etenim præter voluntatem exiſtit: ille à voluntate manat. Atque hic una cum hac vita extinguitur: ille, cum hinc migramus, nobiſcum abſcedit. Hic denique miſerationi, ille odio eſt, apud eos quidem, qui mentis ſunt compotes. Cur naturæ, dum tempus habemus, non ſuccurrimus? Cur, cùm carnes ſimus, carnis humilitatem non contegimus? Cur in fratrum calamitatibus deliciis ſtudemus? Abſit hoc à me, ut vel opibus abundem, his inopia rerum laborantibus, vel commoda valetudine fruar, niſi horum vulneribus opem feram, vel victum atque amictum ſatis amplum habeam, ac ſub tecto requieſcam, niſi & panem egentibus pro facultatum modulo porrigam, & veſtem impertiam, eosque tecto excipiam. *Oratione 16.*

D. Nazianzenus: Non jam oculis noſtris triſte & miſerandum ſpectaculum proponitur, homines ante mortem vita functi, ac plurimis corporis membris mortui, civitatibus expulſi, domibus, foro, aquis, hominibus etiam ſibi chariſſimis, nominibus potiùs quàm corporum lineamentis agnoſcendi: nec in publicis cœtibus & conventibus per ſodalitia & contubernia offeruntur, non jam miſericordiam ob morbum, ſed odium ſui concitantes, miſerabilium cantionum artifices, ſi quibus tamen vox quoque ipſa ſupereſt. Quid res noſtras omnes tragicis verbis proſequar, cum nulla oratio huic calamitati par inveniri queat? At ille omnium maximè nobis perſuaſit, ut cùm homines ſimus, homines ne contemnamus, nec per noſtram in illos crudelitatem, Chriſtum, unum omnium caput, ignominia afficiamus: ſed in alienis calamitatibus nobis ipſis optimè conſulamus, Deoque miſericordiam, qua ipſi egemus, fœneremus. *Oratione 20.*

D. Greg. Nyſſenus: Ubique licet protenſas opum implorantium manus aſpicere. his aer ſub Dio tectum præbet: porticus & bivia, & partes fori magis deſertæ ſunt, hoſpitia nycticoracum & noctuarum

rum

rum more in cavernis latitant. Pannosis, attritis ac laceris teguntur
indumentis. Agriculturæ fructus est illis miserantium animus, be-
nignitas. cibus, si quid accedente quopiam impetraverint. portio
eadem quæ rationis expertis animantibus, nimirum fontes. Pocu-
la manuum volæ. penu sinus ipse, nisi planè diffluat, sed possit ea
quæ iniiciantur operire. mensa, contracta genua. lectulus solum,
balneum, id quod Deus omnibus commune & sine industria con-
structum dedit, flumen aut palus. Vagam & agrestem traducunt vi-
tam, non quod initio sic instituerint, sed quod ad eā calamitatibus&
necessitate compulsi sint. his necessaria victui suppedita tu qui je-
junas, quod ventri subtrahis, trade esurienti. *Oratione de amandis pauperibus.1.*

D. Greg. Nyssenus: Vides homines Nomades & vagos, tanquam
pecora ad cōparanda cibaria dissipatos. his vestimenta sunt lacerata,
ex attritis centonibus consuta; in manibus baculus, non ab ipsis di-
gitis comprehēsus, sed loris quibusdam ad palmas alligatus. hoc eis
pro gladio, hoc pro vehiculo utuntur: sacculus adest, & frustū panis
situ carieq; confectum. pera rimosa; in hac illis & focus, & domus, &
stragulum, & lectulus & penu, & mensa, & omnis deniq; supellex in
hac pera consistit. At tu hæc aspicis, & quis in illis sit, minimè cogi-
tas. hic enim, si nescis, est homo, factus ad imaginē Dei. huic ut terrę
dominetur concessum est: huic in reliqua animalia datum imperiū.
mox ? Vides homines injucundos, flebilem tristemq; chorum effi-
cientis. At verò ut ipsis sese quodammodo jactitant calamitatibus?
ut in seipsis naturam ostentant deturpatam! ut varios convenienti-
bus tanquam præstigiatores quidam morbos demonstrant? poetæ
carminum luctuosorum, tristium narrationum inventores, graviū
illarum modulatores cantionum, auctores novæ miseræque tragœ-
diæ; in qua non ex alienis, sed ex propriis calamitatibus exempla su-
munt ad permovendos animos, & ita sibi audiētiam faciunt. O quæ
figuræ bone Deus! quæ narrationes! quid ipsos dicentes audimus!
paulò post: Propter ægritudinem ministris egent, à quibus manu
ducantur; sed ob inopiam sese vicissim confirmant: sic enim alter
alterius utitur membris, pro iis quæ sibi desunt, ut qui per se singuli
sunt imbecilli, multa illa accessione fulciantur. Itaq; in hominum
conspectum sigillatim non veniunt, sed (adeo egestas etiam ad pa-
randum victum ingeniosos & solertes facit) universi atque inter se
congregati conspici volūt. Inde fit, ut cùm singuli miserabiles sint,
ita conjuncti magis miserandi coadjuvandique videantur. Aliquid
enim quisque in commune confert, & alius ex alia calamitate mise-
ricordiam comparat. Hic prætendit mutilatas manus: ille tumidum
ventrem ostendit: alius dilaniatam faciem: crus putrescens alius. quā
denique quisque ægrotat corporis parte, eam denudat & suam mi-
seriam ostendit. *Orat. 2. de pauperibus amandis.*

D. Chrysostomus: Itaque hæc expendentes, mendicos paupertate
liberemus. qui si etiam negotium nobis facessant, ne quid plus justo
indagemus: ejuscemodi enim & nos quoq; salutis indigemus, vide-
licet quæ venia, humanitate, misericordia magna cōjuncta sit. Fieri
enim non potest, fieri inquam non potest, salvi ij ut evadant, quorū
vita summo actiq; examine fuerit excussa: sed supplicio omninò af-
ficiantur, ac pereant ij necesse est. Absit igitur ut cum aliis summo
jure agamus, & severissimo judicio utamur, ut hic & nos quoq; exactè
rationem reposcamur. peccata enim habemus quavis venia majora.
quapropter illos potiùs misereamur, etiam si ea peccata perpetrent,
quæ veniam non mereantur, ut & ipsi quoq; talem misericordiam,
veluti per nos priùs reconditam, recipiamus: quanquam quantum-
cunq; liberales, munifici, ac misericordes fuerimus, certè talē cōfer-
re benignitatem nunquam poterimus, quali ipsi nos à benigno Deo
indigemus. *Homil. 14. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Rodat, inquit, tinea, & non rodat pauper. Exedat
vermis & non induatur nudus. Omnia consumantur tempore, & nō
alatur Christus, idq; esuriēs. Et quis hoc dixit, inquit? Hoc n. est grave
admodum, quòd hæc non verbis dicuntur, sed factis. minus n. esset
grave si diceretur verbis, quàm fieret factis. Annon n. quotidie cla-
mat inhumana, sæva, & tyrannidem exercēs avaritia suis servis? Ap-
ponantur nostra comedenda & sycophantis, & latronibus, & insidia-
toribus; non autem esurientibus, & egentibus nutriendis. Nō enim
vos facitis latrones? Non vos invidorum igni præbetis escam? Non
vos fugitivos facitis & insidiatores, tāquam escam eis vestras appo-
nentes divitias? Quæ est hæc insania? est enim insania & manifestū
delirium: arcas quidem implere vestibus; eum autem qui factus est
ad Dei imaginem & similitudinē, nudum & præ frigore trementē
& vix rectum stantem despicere. At simulat tremorem & imbecilli-
tatem. Annon times, ne fulmen ab hoc verbo accensum ex alto deji-
ciatur? ira enim disrumpor, ignoscite. Tu enim ventri indulgens, &
te impinguās, & ad profundam usq; vesperam compotationem ex-
cendens, & mollibus fotus stragulis; non censes te daturum pœnas,
adeò gravè & iniquè utens Dei donis? Non enim ut inebriemur, vi-
num, neq; ut ventri indulgeamus, factum est alimentum; neq; cibi,
ut ventrem distendamus. A paupere autem, ab infelice, ab eo qui nō
meliùs est affectus quàm mortuus, exactam exigis rationem? Et nō
times illud horrendum & terribile Christi judicium? Nam si simu-
lat, ex necessitate & egestate simulat, propter tuam crudelitatem &
inhumanitatem, quæ hujusmodi opus habet personis, quæ non fle-
ctitur ad misericordiam. Quis est enim adeò miser & infelix; ut si
nulla premat necessitas, pro uno pane tam indecorè se gerat, pulse-
turq; ac laceretur, & tantas luat pœnas? Illius itaq; simulatio circuit,
tuam pronuncians & prædicās inhumanitatem. Nam quoniam ob-
secrans & supplicans, & verba profundens miserabilia, lamentansq;
& lacrymans, & per totum diem circumiens, ne necessariū quidem
invenit alimentum: excogitavit fortè hanc quoq; rationem & ma-
chinationem, quæ non tantum illi, quantum tibi affert dedecus &
vituperationem. Æquum est enim ut illius misereamur, quòd ad
tantam redactus sit necessitatem. nos autē innumerabilia meremur
supplicia, quòd pauperes ea pati cogimus. Nā si facilè flecteremur,
ille nunquam in animum induxisset, ut ea pateretur. Et quid dico
nuditatem & tremorem? Dicam enim quòd est eo horribilius. Coa-
cti sunt quidam suos excæcare filios ætate immaturos, ut pertinge-
rent ad nostrum stuporem & sensus egestatem.

Nam quoniam videntes & nudi circumeuntes, neq; ætate, neque
calamitate attraxerunt immisericordes: tot & tantis malis adjece-
runt aliam graviorem tragœdiam, ut famē sedarent; levius esse exi-
stimantes hac communi luce privari, & eo qui omnibus datus est
radio, quàm cum perpetua fame luctari, & subire mortem maximè
miserabilem. Nam quoniam nō didicistis misereri paupertatis, sed
delectari calamitatibus: implēt insatiabilem vestram cupiditatem;
& sibi, & vobis gehenna graviorem accendentes flammam. Et ut
sciatis, quòd hæc & quæ sunt hujusmodi ideò fiant: dicam vobis cer-
tum, & de quo constat argumentum, & adversus quod nemo con-
tradicat. Sunt alij pauperes leves & animis sublimes, & qui nesciunt
ferre famem, & quidvis potiùs quàm hoc sustinent. Isti cùm mise-
rabilibus & gestibus & verbis sæpe vos interpellassent, cùm id nihil
eis profuisset: relictis illis supplicationibus, præstigiatores de cæte-
ro vobis longè superarunt; alij quidem mandentes coria calceorum
detritorum; alij autem acutos clavos in caput traiicientes; alij autem
in aquis gelu concretis nudo ventre immorantes; alii autem his a-
cerbiora & absurdiora sustinentes, ut vobis improbum exhibeant
spectaculum. Tu autem cùm hæc fiunt stas ridens, & admirans, &
aliorum malis traducens commune probrum & dedecus naturæ.

Et quidnam plus quàm hæc faceret sævus & immanis dæmon?
Deinde & hæc faciat promptiùs & alacriùs, pecuniam das abundan-
tiùs. & ei quidem qui precatur, & Deum invocat, placideque & leni-
ter accedit; ne vis quidem respondere, nec eum aspicere: sed etiam
graviora illa & importuna verba ei dicis, quando tibi assiduè fuerit
molestus. Hunc vivere oportet, aut omninò respirare, aut hunc solē
videre? Apud illos autem es & lætus, & alacris, & liberalis; ut qui sis
quidam agonotheta illius ridiculæ & satanicæ turpitudinis. Quam-
obrem justius iis qui hæc proponunt certamina, & nihil effundunt
donec viderint alios puniri, hæc verba dicerentur: Hos autem vive-
re, aut omninò respirare, & solem hunc videre; qui in communem
delinquunt naturam, & qui Deum contumelia afficiunt? *Homilia 21. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Non medicus manum extendens, & ferrum im-
mittens putrefacta vulnera æquè excindit; ut pauper extendens dex-
teram & accipiens eleemosynam, amputat & tollit vibices vulnerū:
& quod est mirabile, absq; dolore & angore hanc pulchram efficiunt
curationem: & non minùs quàm nos qui populo præsidemus, & vo-
bis utilia suademus, differit is qui sedet ante fores ecclesiæ, per silē-
tium & aspectum. Nos enim singulis diebus hæc personantes dici-
mus: Ne superbi & insolentes tibi sint spiritus ô homo. Fluxa & ca-
duca est hominum natura: juventus properat ad senectutem, pul-
chritudo ad deformitatem, vires ad imbecillitatem, honor ad con-
temptum, sanitas ruit ad morbum & ægrotationem, gloria ad vilita-
tem & abjectionem, divitiæ ad paupertatem. Res nostræ sunt simi-
les vehementi fluento, quòd nusquam vult consistere, sed fertur fe-
stinans ad declive. Eadem illi quoq; & his plura per aspectum con-
sulunt, & per ipsam experientiam, quæ est manifestior & apertior
admonitio. Quàm multi ex iis qui foris sedent, floruerunt in juvē-
tute, & res magnas effecerunt? Quàm multi ex his deformibus
multos longo intervallo superarunt, & viribus corporis, & specie ac
decore vultus? Sed nec his fidem detrahite, nec illudite: nam innu-
merabilibus ejusmodi exemplis plena est vita. Nam si ex humilibus
& abjectis multi sæpe facti sunt reges: quid mirum, si ex magnis &
gloria præclaris ac illustribus redditi sunt abjecti ac humiles? Nam
illud quidem est admirabilius, & magis præter opinionem. hoc au-
tem est ex iis quæ semper accidunt. Quamobrem non oportet fi-
dem non adhibere; si qui ex his floruerunt, & in artibus, & in belli-
cis expeditionibus, & in pecuniæ copiis; sed cum magno doloris
consensu eorum misereri, & nobis ipsis metuere, ne quandoque ea-
dem nobis accidant. Nam nos quoque sumus homines, & huic cele-
ri subjecti mutationi. *Homil. 30. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Si ij qui sunt apud nos offenduntur, multò magis
externi, invenientes mille accusandi & reprehendendi ansas, quan-
do vident hominem sanum & qui sibi potest sufficere, mendicare &
aliis opus habere. *Homil. 6. ad Thessal.*

Chrysostomus: Quando in paupertatem & morbum incideris, si
non aliunde, à mendicis quidem certè qui per compita & angipor-
tus ingrediūtur disce Domino agere gratias. Isti enim totam vitam
in mendicando consumentes, non irascuntur, nec ægrè ferunt, sed
omnem suam mendicitatem recensent cum gratiarum actione,
Deum magnum facientes clementemque & benignum. Qui famo
quidem perit, vocat benignum. Tu autem, qui vivis in maxima re-
rum omnium copia, nisi res omnium acceperis, vocas crudelem.
Quanto est ille melior? Quomodo nos condemnabit? Nobis cōmu-
nes calamitatum doctores, & consolationem per universum orbem
terræ Deus dimisit, pauperes. Passus es aliquid quod nolebas, sed ni-
hil con-

hil conferendum cum eo, quod ille passus est. Orbatus es oculo: sed ille ambobus. Laborasti morbo diuturno: sed ille incurabili Amisisti pedes? sed ille etiam sanitatem sui corporis. Magnum accepisti damnum: sed nōdum eo es redactus ut aliis egeres. Deo age gratias. Vides illos in fornace paupertatis, & ab omnibus quidem petentes, à paucis autem accipientes. Quando defessus es orando & nihil accipis, cogita quoties pauperem audieris vocantem, & non exaudieris: ille autem nec succensuit, nec te contumelia affecit. Atqui tu hoc quidem facis ex crudelitate: Deus vero etiam ex benignitate facit quod non audiat. Si ergo tu quum cōservum non audias ob crudelitatem, non æquum censes, ut reprehendaris: Dominum servi, qui propter benignitatem non exaudit, reprehendis? vides quanta sit inæqualitas, quanta iniquitas & injustitia. Hæc perpetuo cogitemus, & inferiores, & eos qui in majoribus sunt calamitatibus, & ita poterimus Deo agere gratias. multis eiusmodi exemplis plena est vita: non parvam autem habet doctrina qui est sobrius & vult attendere, vel ex domibus orationis. Propterea enim & in ecclesiis & in martyriis ante vestibula sedent pauperes, ut nos ex illorum aspectu magnam capiamus utilitatem. Cogita enim quod in terrenas regias nobis ingredientibus nihil licet videre ejusmodi: sed viri graves, honesti & magnifici, præclarique divites & intelligentes quoquo versus excurrunt: In vere autem regias, ecclesiam, inquam, & Martyrū domos oratorias ingredientibus obversantur dæmoniaci, manci & mutili, pauperes, senes, cæci, & qui sunt perversis membris. Quamobrem? Vt ex horum aspectu erudiaris.

Primum quidem, ut si ingressus fueris extrinsecus aliquem fastū attrahens, quum illos aspexeris, & animi elationem deposueris, & cor contriveris, ita ingrediaris, & audias quæ dicuntur. Fieri enim non potest ut audiatur, qui precatur cum fastu. Ut quando senem videris, non efferaris & tibi placeas ob juventutem. Nam isti quoq; senes fuerunt juvenes. ut quando propter militiam & potestatem regiam te valde jactaris, cogites quod ex his sunt qui in aulis regiis præclari & illustres evaserunt. Quando in sanitate corporis fueris confidens, hos attendens tuam comprimas insolētiam. Etenim qui huc assiduè ingreditur, qui est quidem sanus, non valde sibi placebit de sanitate corporis: qui autem laborat, non levem accipiet consolationem. Non propter hoc autem solum hic assident, sed ut te quoque reddant misericordem, & flectaris ad misericordiam: ut Dei admireris benignitatem. Si enim Deum illorum non pudet, sed eos statuit in vestibulis: multo magis nec tu, ne propter terrenas regias insolescas & superbias, erubescas, si voceris à paupere: & si accesserit, si genua prehenderit, ne repellas. Sunt enim isti canes quidam admirandi aularum regiarum. Non enim eos probro afficiens vocavi canes, absit. sed etiam valde laudans. Aulam servant regiam. eos ergo nutri: honor enim ascendit ad Regem. Illic omnia sunt fastus & superbia, in regiis, inquam, quæ sunt super terram. Hic omnia sunt humilitas. Quod nihil sint res humanæ, ex ipsis maxime discis vestibulis. Quod divitiis non delectetur Deus, doceris ab iis qui ante ipsa sedent. Eorum enim sessio & congregatio est propemodum admonitio ad omnium hominum naturam, claram vocem emittens & dicens, Nihil sunt res humanæ nisi umbra & fumus. Si bonum essent divitiæ, Deus non fecisset pauperes sedere ante sua vestibula. Si autem admittit etiam divites, ne mireris. Non enim ideo admittit ut maneant divites, sed ut discedant à fastu & elatione animi. Audi enim quid eis dicat Christus; Non potestis Deo servire & mammonæ. Et rursus, Dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et rursus, Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum.

Propterea excipit divites, ut hæc verba audiant, ut æternas desiderent divitias, ut concupiscant ea quæ sunt in cælis. Et quid miraris si non dedignatur ut ij sedeant in vestibulis, non dedignatur enim vocare ad mensam spiritualem, & illos eo impertiri convivio. Sed & claudus & mutilus, senex & pannis obsitus, sordibus & mucosus, simul cum pulchro juvene, & qui se induit purpura, & cui redimitum est caput diademate, venit mensæ particeps futurus, & dignus censetur spirituali convivio, & ijsdem fruuntur utrique, & nulla est differentia. Deinde Christus quidem non dedignatur eos simul cū Rege vocare ad mensam: ambo enim simul vocantur. Tu autem fortasse dedignaris videri dare pauperibus, aut etiam eos alloqui. Papæ; quanta est insolentia, quantus fastus. Vide ne eadem nobis accidant quæ diviti. Dedignabatur ille vel aspicere Lazarum, & ne domus quidem tecto cum impertiebatur, sed foris erat abjectus in vestibulo. Sed nec verbis quidem eum est dignatus. Sed vide quemadmodum quum eius opus haberet auxilio, id non sit assequutus. Si enim nos eorum pudet, quorum Christum non puduit, Christi nos pudet, dum nos pudet eius amicorum. Impleatur mensa tua claudis, mancis ac mutilis. Per eos advenit Christus, non per divites. Fortassis rides audiens.

Ne ergo existimes meum esse verbum, audi ipsum Christum dicentem, ut non rideas, sed ut horrescas. Quando, inquit, facis prandium aut cænam, ne voces amicos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites, ne & ipsi te vicissim invitent, & fiat tibi retributio. Sed quando facis convivium, voca mendicos, mancos, claudos, cæcos & beatus eris, quia non habent vnde tibi retribuant: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. Est autem hic quoque maior gloria, siquidem eam amas.

Nam ex illis quidem est invidia, accusationes, & maledicta, & & metus plurimus ne quid præter hoc fiat, & ita adsistis tanquam servus domino, & si sint maiores, timens eorum querelas & ora. In his autem nihil est huiusmodi, sed quæcunque eis obtuleris lubenter accipiunt: & magnus est plausus, splendida gloria, maior admiratio. Sed non illis ita applaudunt, sicut his, omnes qui audiunt. Si autem nō credis, fac periculum tu dives qui vocas duces & principes, voca pauperes, & his imple mensam, ut videas num ab omnibus tibi applaudatur, num diligaris ab omnibus, num te omnes tanquam patrem sint habituri. Nam jllarum quidem cænarum nullum est lucrum: pro his autem repositum est cælum, & bona quæ sunt in cælis. *Homilia 11. ad Thessalonicenses.*

D. Io. Chrysostomus: Quid est turpius & magis indecorum, quàm mendicare? satius est mori quàm mendicare. Mendicus vult nutriri. si vis quidem da: sin minus, amanda; nihil hæsitans, & disceptans cur sit miser, cur infelix: Cur nec ipse misereris, & eos qui volunt avertis? nam quando hic vel ille à te audierit, quod iste quidem mendicus est deceptor, ille verò hypocrita & simulator, iste autem fœnerator; neque his dat neque illis. Suspicatur. n. omnes esse tales. Scitis enim quod quæ sunt mala, facile suspicamur: quæ autem bona, nequaquam. &c. *Homilia 11. Epistolæ ad Hebræos.*

D. Io. Chrysostomus: Si audierimus aliquem deplorantem naufragium, judicium iniquum, furtum, morbum, casus alios qui pauperarunt, si valde vociferantem, & nudum in cælum suspicientem, & promissam comam alentem, & pannis obsitum, statim eum impostorem, planum, & simulatorem appellamus. Non te pudet? Quemnam vocas impostorem? Nihil dederis, & ne eum accuses. Sed habet, inquit, & simulat. Hoc est tui non illius accusatio. Scit sibi rem esse cum crudelibus, cum beluis magis quàm cum hominibus, et quòd etiam si verbum eloquatur miserabile, neminem poterit attrahere: & ideo necesse habet se miserabiliori habitu inducre, ut tuum frangat animum. Et si viderimus quempiam in liberali habitu accedentem, Iste, inquit, est impostor, & ut videatur honesto loco esse natus, ita accedit. Si viderimus in habitu contrario, eum etiam vituperamus. Quid jam facient? ô sævitiam, ô insolentiam! Cur membra aperiunt mutilata? Propter te. Si essemus misericordes, non esset eis opus his artibus. Si à primo accessu persuasissent, non tam multa essent machinati. Quis est adeo miser ut tantum velit vociferari, ut se velit indecorè gerere, vt velit publicè dextere & lamentari cum nuda uxore, cum filijs conspergi cinere? Hæc sunt quavis paupertate deteriora. Sed propter hæc nos non solùm eorum non miseremur, sed etiam eos accusamus. *Homilia. 11. Epistola ad Hebræos.*

❡ Patrum Latinorum.

S. Valerianus: Satis illum negotiatorem constat stultum, qui reconditum sacculo tenet nummum, de quo inde potest habere commercium. Sed quod peius est, avaritiæ multa consentiunt. hic ne misereatur pauperi, obstrepit vocem postulantium, conturbatione sermonum: ille ne audiat, aliud audisse simulat. Satis misera est ista vivendi conditio, vt homo dum studet avaritiæ, auribus suis gravitatem conetur imponere. Sunt aliqui qui miserabilem mendicitatem se procrastinatæ humanitatis illudunt: qui cum excusare postulantibus erubescunt, miseros promittendo decipiunt. Ecce hic dicit, clavis deest, custos absentat: cum primum fueris reversus accipies. At vnde scis quid confingat sequenti die. Quando est illud esurienti, ut villicus tuus redeat, qui forte te volente frequenter abest? quando est ut ad clamantem illa fastidiosa secretorum tuorum claustra dissiliant, quæ dum tuæ serviunt voluntati, nesciunt aperiri. Reversus accipies. Quid si nudum gravior solito tempestas cædat. Quid si deficientes fame artus exitus vicinæ mortis excipiat? Quis non judicet tuo judicio deputatum morti, quem videt tuo beneficio potuisse servari? Cum fueris reversus accipies. Cuius fide redit, quem virtus tota destituit? aut qua spe domum repetit, qui pridie confusus abscessit? deponamus quod promissioni tuæ redeundo satisfaciat, forte sub hac qua pridie cōditione venturus. Iustius planè est statim negasse, quam esurientem spe promissa decipere. *Medio Homiliæ nonæ.*

Ennodius: Ne inter parentes, quod est captivitatis sorte amarius subsidia vivendi liber peterem, extemplò porrexisti consuetam dexteram. *Eucharistico. cap. 7. m.*

❡ Oratorum Graecorum.

Dio Prusæus: Sane mendicos qui nunc bibunt, nihil sani ferunt dicere; neque ullus illorum quempiam testem aliqua in re adhibuerit, neque laudes ab illis profectas accipiunt vt veras. norunt enim quod omnia adulantes dicant, compulsi necessitate, *Oratione. 11.*

Libanius: Hesterno die quidam sub vesperam angebatur & ingemiscebat, cum mendicos numeraret, hos quidem stantes, illos vero stare non valentes; alios nec sedere: & illos quidem mutilatos, hos verò tabe magis consumptos quàm plerique mortui. Aiebatque miserandum esse in eiusmodi lacernis tantum perferre frigus, cùm aliis tunicæ solum essent, atque hæ dilaceratæ: alij autem ab inguinibus & humeris summis, pedibusque & manibus nudi prodirent, nonnulli etiam viderentur, qui nullam corporis partem obtectam haberent. Frequentes porro supplicationes ab unoquoque fierent, ut præteriens aliquid daret: ac magnum illis foret non panem tantum accipere, verum etiam obolum.

Interim

Interim dum vir ille gemeret, & appellaret ærumnosos reapse homines, lauti quidam & fastuosi viri iverunt facibus prælatis ad epulas, omnia præter ambrosiam & nectar habentes. Tum ille: ô felices viros, exclamavit: & auri multam vim aurum parientem enumerabat. Ego vero negavi eos qui divitijs affluerent beatos omnino judicandos esse: quandoquidem nonnulli valde opulenti maiori commiseratione digni sunt, quàm ij quibus dextera per totam diem supina extenditur, provocans daturum. Etenim his malum in eo constitit quod erogaturum quærant, non tamen caret utique daturo. Vivunt saltem. Ac nullus judex neque in terra neque sub terra pœnam reposcit â mendico ob mendicitatem â fortuna profectam. neque leges ullæ latæ sunt in eos vel qui non magnas â suis facultates acceperint, aut qui non ipsi comparare potuerint, sed adversus eos qui cum acquisiverint, minus tamen honestis modis rem fecerunt, & delationes & accusationes & judicia & lites, & odia, tum ab hominibus, tum â numinibus comparantur: & cum ipsi consistoria quæ hic sunt effugerint, nihilo præclarius cum ipsis agitur: sed is quem transilire nefas est, judex consider Minos, Iovis filius, qui intuitus extemplo discernit animum justum ab injusto. nulla verò ex parte auxilium malo venit: neque â dicendi virtute; neque â pecuniarum copia; neque â cognatis aut amicis, sed eo impulsum quo statutum est, proferre supplicium quo afficitur necesse est. Igitur ei quicunque rectè misericordia utetur; videbuntur potius isti locupletes miserandi, quàm illi pauperes: tametsi hi admodum esurire jurejurando asseverent. Enimverò multo certè gravius est in argenteis lectis non bene partis dormire, quàm cum canibus in immunda colluvie jacere. quare ex ijs qui magnas sibi opes compararunt, non paucos reperias, qui alios spoltaverunt; non istorum grassatorum more qui in parvis injuriam faciunt: verùm qui famulos plerosque & junctas domos eripuerunt; multa prædia, multas onerarias naves, aurum, argentum, vestimenta; alij verò fana, & delubra, ac templa sibi tanquam possessiones suas vindicarunt: deinde facillimè prostratis sacris Deorum sedibus & signis, templa lignis aut paleis impleverunt: fortiori autem animo præditi, etiam subversis ædibus, domos ex illis lapidibus constructas habitarunt: quorum alij jam pœnas dederunt, alij verò nondum. ceterum fieri non potest, vt quicquam ipsos eximat: dum autem ipsos dico, etiam liberos intelligo, & natos natorum: in quemcumque verò eorum venerit qui plagas infert, animosus & fortis ille ictus est. Igitur hos commiseratione potius prosequi opus fuerit, quam eos qui in aliorum digito, avidè inspiciunt: quandoquidem his interitus faciet, ut suppeditantibus non egeant: at illis pro exiguo voluptatis tempore immortalis mulctæ ærumna incumbet. *Dissertatione, quod inique dives miserior sit paupere.*

Heliodorus: Cum fugeremus ex insula bubulcorum, placuerat permutato habitu, pannosos & ad mendicorum similitudinem versari in pagis et urbibus. Quamobrem si placet, resumamus eum habitum & mendicorum personam agamus. sic & minus erimus obnoxij insidiatorum injuriis. securitas n. inter eiuscemodi, tenuitate comparatur, commiserationique ferè propior est paupertas quàm invidiæ: et quotidie facilius necessarium victū adipiscemur. Etenim in peregrina terra empturis, ignorantibus loci consuetudinem, omnia carius venduntur; mendicantibus verò promptius dantur: *Lib. 6. Æthio.*

Idem: Chariclia & Calasiris in mendicorum fictum habitum se transformarunt, pannis sese vilibus admodum operientes. Postea verò Chariclia, & faciem conspurcavit, intersa fuligine et luto illito contaminans, & fasciæ conspurcatæ oram desuper à fronte demissam, circa oculos incompositè, loco tegmenti jactari sinens. Porro peram sub ala eo prætextu, tanquam buccellarum & viatici promptuarium esset, re ipsa vero receptaculum vestis: Calasaris a. pharetram Chariclæ inutili involutam corio, tanquam onus aliquod in humeris ferebat, arcus verò erat pro scipione. Et aliquo obvio, dedita opera maiorem gibbum simulabat quam senium cogebat, & altero pede claudicabat, à Chariclia manu ductus: *ibidem.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Iste aliquid & mendicantibus porrigit: iste & multos fortunæ injuria lapsos sustentat et erigit. Quid faciam, inquit, animo meo? quoties infelicem vidi aliquem, & necessarij etiam victus egentem, lacrimas tenere non possum. Invidiam mihi facere videtur patrimonium meum: pulsant frontem meam cæduntque etiamsi taceant, ipso habitu, ipsa tristitia, ipso silentio. sed et rogant, & provolvuntur ad genua: nec mihi saltem illa simulata, ut plerisque, excusatio superest, ut dicam Non possum. *Declamatione. 260. a. m.*

¶ Poetarum.

Plautus Trinummo 2. sc. 2. v. 57.

De mendico male meretur, qui ei dat quod edat aut bibat.
Nam et illud quod dat perdit, & illi producit vitam ad miseriam.

Plautus Trinummo. 4. sc. 1. v. 12.

—— Hæc dijs dignum est, semper mendicus modesti sint.

¶ Monosticha Trochaica.

De mendico male meretur, et qui dat quod edat aut bibat,
Inter agnatos cuique tristior mendicitas.
Mendicare haud est pudori: faciunt id & Principes.
Mente mendico obvenire vix queat pecunia.
Ne quidem parens amicus mendicanti filio est.
Nil donare vis mendico: at nec convitio excipe.
Pallio persæpe amictus et Thales egentium est.
Præstiterit mori quam petere panis frustum ab improbo.
Veste sub mendici obire qualibet queas loca.
Veste sub mendici Vlysses abstulit Palladium.

¶ Jambica.

Cælum universum mendicantium est domus.
Est libera a dispendio mendicitas.
Haud facile peram mendicantis impleas.
Inanis usque pera mendicantium est.
Malim moriri meos, quam mendicarier.
Mendicitas magistra temperantiæ est.
Mendicitatis initium est, nil parcere.
Mendicitate haud quidpiam impudentius.
Mendicus omnis quamvis urbem dedecet.
Multus sophos sub veste mendicantium est.
Quæ pulcra sunt pulcris constant laboribus.
Regnum reliqui septus mendici stola.
Terra universa mendicantium est torus.

Mentis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Greg. Nyssenus:* Ponamus aquam quæ à fonte aliquo manat, in diversas fluxiones, ac rivos, ut fit; dispergi, atque dissipari: quàm diu certè ita fertur, ad nullas eas res, quæ agriculturæ expediant, erit accommodata: cum illius aquæ in multas partes dissipatio exiguum id efficiat, quòd in singulis partibus tenue est, vixque præ tenuitate movetur: sin autem quis omnes eius dispersos rivos colligat, quodve passim dissipatum est, in unum alveum concludat, ad multas vitæ commoditates, & eas quidem necessarias uberiore uteretur aqua, quæ in unum sit locum derivata. Ita hominum mens, si passim diffunditur, eoque potissimum, quò sensuum illecebris rapitur, perpetuò diffluit, ac dissipatur, nullam planè mihi magnam vim habere videtur ad eum cursum, qui ad verum bonum pertinet. sed si undique sese collegerit, atque in se receperit, totaque ad eam, quæ sibi propria est, ac naturalis muneris functionem impellatur, nihil quidem impedimento erit, quo minus ad superiora feratur, atque rerum, quæ verè sunt, veritatem attingat: ut enim magna aquæ vis aquæ ductibus obtecta, & conclusa, sæpe, cum vis illa erumpat, in sublime fertur, quoniam non habet, qua diffundatur, idque cùm motus eius naturalis ille sit, ut deorsum feratur: sic humana mens, quasi angusto quodam aquæ ductu, cùm undique continentia ipsa comprimatur, neque habeat, unde erumpat, agitatione ipsa naturali ad rerum cælestium quodammodo excitabitur appetitionem: nam neque animus qui perenni agitatione movetur, consistere potest, cùm ab eo, qui illum effecit, hujusmodi motus naturam sortitus sit: neque, si prohibetur, quo minus ad res inanes eo motu utatur, dubium est, quin cùm undique à rebus absurdis repellatur, ad veritatem recta omnino contendat: in multis enim itineribus viatores maximè videmus recta via non aberrare, cum reliquorum itinerum errore antè instructi omnino caveant, ne aberrent, veluti is, qui in itinere faciendo cùm se ab incertis, transversisque semitis abduxerit, magis in recta se via conservabit: ita animus noster à rebus inanibus aversus, in rebus quæ sunt, veritatem planè agnoscet. *Cap. 7. de virginitate.*

D. Greg. Nyssenus: Vt aër hic, qui omnem terram complectitur, vi spirituali in sublime pulsus, cum ætherisque puro splendore commutatus, luminosus existit, ita hominum mens, cùm turbulentam hanc vitam, ac cænosam deseruit, quoniam spiritus vi jam pura effecta est, cum sublimi illo veroque puro splendore commixta, in illo quodammodo perlucet, radiorumque coruscationes impleta est, atque ex Domini promisso lumen quodammodo efficitur: promiserat enim is justos viros ad solis similitudinem refulgentes fore. Atque id ipsum quidem in terris fieri videmus, vel in speculo, vel in aqua, vel in ceteris rebus, quæ præ tenuitate relucendi vim habent. Cum enim res aliqua ejusmodi radios solis excipit, alios rursus in se radios ipsa efficit: quod utique non factum esset, si pura illius rei splendidaque superficies sordibus quibusdam inutilis facta. Ergo nos sive terrenis relictis his tenebris in sublimi versemur, ibi jam lucidi efficiemur veræ Christi luci appropinquantes: seu lux illa vera, quæ vel in tenebris lucet, ad nos descendat, etiam nos lux erimus, ut Dominus quodam loco discipulis ait: nisi quibusdam malitiæ impuritatisque sordibus propius cordi admotis, luminis nostri obscurabitur gratia. *Capite undecimo de virginitate.*

Chry-

Chrysostomus: Cùm mens justitia prędita est, ac peccata exuit, Dei domus efficitur. cùm autem in ea domicilium sibi constituerit, nihil posthac humanum erit; sicque divina mens redditur, divinitus omnia proloquens, ac veluti domus Dei in ea habitantis. Ex quo colligitur, eum mentem divinam non habere, qui turpibus sermonibus utitur; nec castam cogitationem, qui scurrilitate ac risu delectatur. *Homil. 2. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Quemadmodũ oculus turbatus aliud pro alio cernit; ita mẽs pravarũ cogitationum confusione perturbata idem pati consuevit. Itidem & qui laborant insania alias pro alijs rerum species se videre credunt. verum hæc insania periculosior est quam illa, quæ noxam affert non in rebus sensibilibus, sed in rebus intelligibilibus, non in pupilla corporalium oculorum, sed in oculis animi distorsionem gignens. *cap. 1. ad Galat.*

D. Chrysostomus: Possunt esse tenebræ, etiamsi lux luxerit, quando imbecilli sunt oculi. Fiũt a. imbecilli, aut malorũ humorũ affluxu, aut defluxûs redundãtia. Ita heic quoq; quãdo mult⁹ impet⁹ rerũ quæ ad hanc vitam pertinent, obruerit perspicacem mentis nostræ facultatem, ea est in tenebris. & sicut in profundo jacentes in aqua, Solem videre non potuerimus, multa aqua veluti quodam septo supernè imposita: ita etiam in mentis oculis fit cordis excæcatio, quando nullus timor animam concutit. Non est, inquit, timor Dei ante oculos ejus. Et rursus: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Non aliunde autem fit excæcatio quàm ex sensus defectu. *Homilia 13. ad Ephesios.*

D. Io. Chrysostomus: Ubique quidem pia & religiosa mente est opus; maximè autem quando de Deo aliquid dicimus & audimus: quandoquidem neque lingua dicere, neque cogitatio aliquid audire de Deo potest pro dignitate: neque enim mens quæ hæc longè superat, potest aliquid exactè comprehendere, quando de Deo aliquid volumus eloqui. Nam si mens Dei exuperat omnem mentem & intelligentiam, & quę sunt parata iis qui ipsum diligunt, in cor hominis inascenderunt, multò magis ipse Deus pacis, universorum opifex, nostram exsuperat rationem. *Homilia 2. Epist. ad Hebræos.*

D. Io. Chrysostomus: Aves pernicissimæ, & montes, & saltus, & maria, & scopulos brevi momento temporis illæsæ prętervolant. Talis est etiam mens cùm fuerit alata, quando abscesserit ab iis quæ ad hanc vitam pertinent. nihil eam potest apprehendere, omnibus est altior, etiam ignitis jaculis Diaboli. Neque enim tam ręctè telum conjicit Diabolus, ut possit hanc attingere altitudinem: sed jacula quidem emittit (est enim impudens) non tamen assequitur, sed telum ad ipsum inane revertitur, & non solum inane, sed etiam revertitur in ipsius caput. *Homilia 22. Epistolæ ad Hebræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Fac, vir sapiens, probam gratamque mentẽ, ac firmum animum habeas: atque omnia ea, quæ accidunt, ad gloriam tuam, hostiumq; ignominiam redigentur. Id si facere contẽpseris, cùm tuam ipse gloriam delebis, tum lætitiam adversariis, ac mœrorem necessariis tuis accerses. *lib. 3. Epist. 174.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Quàm est rerum nescia mens humana! quæ dum pretium propriæ ambitionis intelligit, assuescit plus amare ad quod tardè pervenit: & dum abundat in præsentia quo delectetur, magis superest quod requirat. *lib. 2. Epist. 9. m.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Epictetus: Quemadmodum in ambulando caves, ne clavum calces, pedemve distorqueas: sic in degenda vita cave, ne gubernatricẽ actionum, mentem tuam lædas. quod si in re unaquaque observabimus, omnia cautius aggrediemur. *c. 60. Enchiridij.*

Arrianus: Nonne intelligis quantula pars sis mundi, collatus cũ universitate? ratione corporis dico: nam mente quidem considerata neque Diis immortalibus es deterior aut minor. mentis ènim magnitudo nõ proceritate aut altitudine judicatur, sed decretis. *c. 12. lib. 1. Epict.*

¶ Romanorum.

Petronius Arbiter: Adolescens, quoniam sermonem habes non publici saporis, & quod rarissimum est, amas bonam mentem, non fraudabo te arte secreta. *Satyrico.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 10. contra falsos Episc.

Pectore corpus erit clausum: sed libera curret
Mens mea, quam nemo qui remoretur erit.
Libera mens etenim est, quæ vexit ad æthera sese,
Taliáq; hanc ut vis tangere nulla queat.

Synesius Hymno primo.

Humani spiritus origo
Individuè divisa est:
Ac mens dèlapsa in hylam,
Mens immortalis parentum
Divinorum propago,
Exigua quidem: sed illorum
Tota ista & una ubiq;
Tota in totum infusa,
Vastam cavitatem cælorum torquet:
Universumq; hoc conservans,
In diversas formas
Distributa adest
Pars eius, stellarum cursus,
Pars, Angelorum cœtus,
Pars etiam gravi nexu
Terrenam sortita est formam,
Disiunctaq; à parentibus
Tenebrosam hausit oblivionem,
Cæcis solicitudinibus
Terram admirata iniucundam
Deus humana intuens
Inest tamen, inest aliquid lucis
Opertis oculis:
Inest etiam ijs qui huc delapsi sunt,
In cælum revocans quædam vis,
Quum fluctibus emersi
Vitæ, læti
Sanctum ingrediuntur iter
Ad regiam parentis.
Beatus, qui voracem hylæ
Vitans latratum, & è terra
Emergens, saltu levi
Vestigia ad Deum dirigit
Beatus, qui post fata,
Post labores, post acerbas
Terrenas curas:
Ingressus mentis vias
Altitudinem vidit divina refulgentem luce.
Laboriosum est totum intendere
Animum totis alis
Cælestia affectantium cupidinum
Tu modò confirma conatum
Ad intellectualia ferente impetu:
Ille verò tibi propiùs in conspectum se dabit
Parens, manus porrigens.
Præcurrens enim aliquis radius
Illustrabit semitas,
Pandetq; tibi intellectualem
Campum, pulchritudinis originem.
Eia mihi ô anima, bibens
Ex bonorum perenni fonte,
Conceptis suppliciter precibus ad parentem
Ascende, neque cunctare,
Terræ terrena linquens:
Mox verò juncta cum Patre
Dea in Deo exultabis.

Prudentius posteriore lib. contra Symmachum.

Quin & corporibus versat mens viva regendis
Summum consilium, fida ut tutacula nudis
Invalidisq; paret, metuenda pericula vitet:
Utile prospiciat, varias agitetur ad artes.
Consultet cui se domino submittat & orbis
Quem putet auctorem quem rerum suma sequatur.

¶ Apologi.

De Lupo & capite invento. Anonymus.

Dum legit arva lupus, reperit caput arte superbum:
Hoc beat humanis ars pretiosa genis.
Hoc lupus alterno voluit pede, verba resolvit,
O sine voce genas, ô sine mente caput!
Fuscat & extinguit cordis caligo nitorem
Corporis, est animi solus in orbe nitor.

¶ Emblematis.

Camerarius LXXXVII. Centuria I.

Dum volvitur iste. Aloe, seu sempervivum.

Sol prius à cursu, quam mens proba tramite rectò
Flectatur, semper vindice tuta Deo.

Sobrietate Venus superatur. Embl. LVII.

Vipera jejunis hominum consparsa salivis
Exspirat, medicis si sit habenda fides:
Sic lasciva Caro, si tractes durius illam,
Concidet, & Mentis sub juga colla dabit.

Florent. Schonhovius.

¶ Monosticha Trochaica.

A Baccho entheata Baccha, mentis haud plus est sui.
Ad bonam venire mentem fas citra viaticum.
Alta mens nescit quietem: perpeti motu viget.
Arbitranda minimè forma verùm mens mortalium est.
Captus mente animi, nec linguâ competit nec auribus.
Condidit vivam sibi ipse in mente hominis sedem Deus:
Corpus unò hæret loco: ire quolibet menti licet.

Corporis cui cura summa, cura mentis vix sua est.
Corporis cuicumque membro mens inest æqualiter.
Corporis robur senescit, mens per annos se erigit.
Cui cupit nocere Numen mentem ei eripit suam.
Cuncta rebus dant secundis Dei mentem præter bonam.
E statu mentem voluptas, è statu dolor movet.
Flumen iis fere verborum est, mentis est queis guttula.
Forma mentis est æterna, hominum simulacra intercidunt:
Heu quam multa mens mortalis adsequi nequit omnino.
Inquinantur morbidæ artus mentis a contagio.
Maxima est res in minima re, sana mens in corpore.
Mens bona ac fortuna felix, sedem eandem haud obtinent.
Mens bona ac fortuna raro dantur humanis simul.
Mens bona agnoscitq; culpam, culpa nulla ubi subest.
Mens bona est chorus Dei, mens prava Dæmonum est chorus.
Mens bona omnibus patet: omnes nobiles ad hoc sumus.
Mens ei ferè imbecilla, frons cui est honestior.
Mens, Fides, Virtus, Concordia, à Deis ad nos venit.
Mens probis mirè polita est, improbis picta est domus.
Mens semel malignitate capta stulta maximè est.
Mens videt, mens audit: absque mente truncus est homo.
Mentis à censu politus nobiles animas censeat.
Mentis actu non vigore corporis quid vis patres.
Mentis ignavo vigore est, cui nimis corpus viget.
Mentis oculi tunc acutum cernunt, corporis cùm hebent.
Mentis omne robur unà postum est in prudentiâ.
Mente vulsa plurimi sunt, ora queis sunt horrida.
Monte in alto collocatur omne, mens quo hominis sapit.
Muta mentis actio omnis est cui desunt manus.
Nusquam mens ac Voluptas unius sunt copulæ.
O felix nigredo, mentis quæ meram parit nivem!
Obruit vim mentis omnem cura major corporis.
Quæ fuere, suntque eruntque mens vel ictu uno videt.
Queis caput nimis pusillum, ei esse magna mens nequit.
Sæpe calculum reducit mens cui non est quies.
Sæpe mente congregantur ignoti ante corpore.
Si foret venalis emptorem haud haberet mens bona.
Tam mentis oculos quam frontis splendor auri.
Turpe quem captare laudes corporis cui mens bona est
Ventripotenti perpusilla mens latet sub corpore.
Vis virtusq; in mente sedem, non in corpore, occupat.
Vix apud se, animi commota mens metu, spe, gaudio.

§ JAMBICA.

Ad mentis aciem utare quo cibo interest.
Ad neminem ante mens venit bona, quam mala
Cani indicant ætatem, mens prudentiam.
Cui læta mens est corpus esse ægrum nequit.
Cui mens bona est, Divorum quilibet favet.
Cui mens bona est, sors esse non potest mala.
Est corpus omne morbidum ni mens valet.
Et mente item senescimus cum corpore.
Expers sepulcri mens est, expers gloria est.
Homo malus mentis dominus non est suæ.
Loquacium mens nulla inest sermonibus.
Mala mens emitur quotidie, nunquam sed bona.
Mens est ubi bona, esse ibi luxus nequit.
Mens imperat bono, mens servit improbo.
Mens prava semper vivit in laboribus.
Mens recta nulla est absq; Numinis metu.
Mens sana sano in corpore, optimum bonum.
Mens tanta inest Centauris, quanta feminis.
Mens turpis omne corporis delet decus.
Mentis bonæ, paupertas germana soror.
Mentis senectus haud minor quam corporum est.
Menti bonæ fatale paupertas onus.
Menti tenebras mæror offundit graveis.
Mentem bonam cum sorte haud copules bona.
Mentem bonam diligere, res rarissima.
Mentem bonam omnes discere erubescimus.
Mentem malam, mentem bonam præstat Deus.
Mentem bonam sudore venditat Deus.
Mentem sapientis inhabitat ipsemet Deus.
Mentem videre non promptum cuiquam est Dei.
Mentes humanas efferat felicitas.
Mentes malæ se facile vendunt, non bonæ.
Mentes scelestas vastat conscientia.
Mærorq; mentem de gradu movet gravis.
Mutare mentem cum fortuna, improvidi est.
Nec multa venter nec simul mens concoquit.
Nil mente sanâ in orbe regium magis.
Non aures, non oculi: mens audit, mens videt.
Paucis opus est ad mentem literis bonam.
Præstat voluptate & mens & scientia.
Præstate mente quod nequitis corpore.
Quem vult Deus perire mente orbat bona.
Semper regressus est viro ad mentem bonam
Ubi bona est mens sors bona esse vix potest.

Mercaturæ.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

D. *Io. Chrysostomus:* Caupones, mortalisque vitæ negotiatores, si quos fallere queant, vilia quæque carius vendunt. *2. ad Timoth. Homil. 6.*

Chion: Archepolis Lemnius ad mercaturam in Pontum proficiscens tibi has literas reddet. Is rogavit me, ut se tibi commendarem: libenter id recepi; neque tamen antea inter nos aliqua intercessit amicitia, sed lucro reputavi, si occasionem acciperem, qua amicum efficerem, qui antea non fuisset. Ad quod lucrum percipiendum me adjuvabis, si hominem humaniter exceperis. Credo illum esse mercatorem frugi, qui prius philosophiæ dedit operam, nunc verò mercaturam exercet. *Matridi.*

Dio Prusæus: Conveniunt autem ad publicos mercatus hi quidem propter historias, & alia spectacula, & certamina. Et ex his si qui valde hujus rei sunt studiosi, nihil aliud à summo diluculo faciunt. Multi varia adferunt venalia, turba forensis. Alii suarum specimẽ edituri artium, & opificii. Alij suam proponunt sapientiam. Multi quoque poemata ostentant Tragædiarum & carminum heroicorum. Multi verò soluta oratione scripta commentaria legunt, ocij gratia venientibus, animumque oblectare volentibus molesti. Hi maxime similes sunt vibrissantibus, cantatibusque in compotationibus, quos audire necesse est velis nolis. Inter hos, si quis potest sermones dicere utiles atque conducibiles, & totum conventum honestiorem melioremque reddere, is ob tumultum aliorumque multitudinem cogitur quiescere, secumque habitare. Plurimi enim perinde affecti sunt erga philosophiæ sermones, ut erga medicorum (opinor) pharmaca. Neque enim quis statim ad hæc accedit, neque mercatur prius quàm inciderit in manifestum morbum, membrumque aliquod corporis doluerit. Neque etiam illos sermones audire sustinent ferè, nisi triste quid cui acciderit, aut res quæpiam visa atrox. Cæterùm fortunatum hominem (qualiter vulgus fortunatum appellat) nempe multas ex fænore pecunias & latifundia possidentem, ipsumque bene valentem, & liberis salvis & uxore, & quandam potentiam aut principatum habentem, magnum absque bello & seditione manifestisque periculis, non invenias qui ad tales facile accedat, aut dignetur negocium habere cum philosophicis sermonibus. Si cui verò detrimentum acciderit circa vitam, sive pauper ex divite factus sit, aut infirmus & invalidus ex valido, aut aliam quandam habet tristiciam, hi familiarius quodammodo dispositi sunt ad rem, & aliquo modo philosophorum sustinent sermones, & quodammodo fatentur se indigere consolatione. Et si quis fortè perdat aliquos domesticorum, aut uxorem, aut filium, aut fratrem, rogant, veniat Philosophus, & hortetur ad æqua consideranda, & quomodo quis ferat mediocriter ea quæ sunt facta, cæterisq; possit resistere. Antea autem non. Ita enim & circa corpus ferè affecti sunt fatui. Nam alio quidem tempore nullæ illis curæ est, qui possint bene valere: neque de aeris mutationibus sunt solliciti, sed cibis & vino, & rebus Venereis, & alia victus ratione quàm intemperantissimè & securissime utuntur. At si quis apprehenderit morbus, tum requirunt medicum, & se curare jubent, pleni multa confusione, morbisque validis. quales par est, ejusmodi homines apprehendere, qui ut ne medicis opus sint habituri, ab initio non considerant. *Oratione 27.*

Philostratus: Cùm videret mercatores à pluribus cum admiratione quadam aspici, quod ex pauperibus divites evasissent; odiumque ab iisdem adeo contemni, ut lucri causa ab omnibus odio haberi parvi facerent: adolescentes ab eorum congressu abducebat: & si qui ad eum colloquendum venissent, gravibus verbis castigabat, ut inustam illis maculam deleret. *lib. 8. Apollonij c. 8.*

§ LATINORUM.

Salvianus: Quid aliud est cunctorum negotiantium vita, quàm fraus atq; perjurium? *lib. 3. De gubernatione Dei.*

Egesippus: Denique una nocte duo millia fere virorum discissa sunt tali flagitio, divisisque visceribus, quæstus suos Syria numerabat: Arabia negotiationis recensebat emolumenta, quæ sine transfretati maris periculis novo crudelitatis commento in usum lucri verterant, & mercem putabant: Quod etiam nunc in hujusmodi hominum genere reperias, & nonnullis sæpe Ægyptiorum, ut curandis funeribus negotientur, & officia humanitatis vendant mercaturæ compendiis. Misera fames auri, nihil sequendum putat, nisi quod ad præsens lucrosum: nihil honestum, quod pecuniæ vacuum. Gravis jamdudum, gravis inolevit humanis affectibus quærendi cupido, & mercatura facta est vita hominum: veno & empto vivitur. Serpsit itaque vitium in innumeros, ut jam tolerabilior commutatio mercium sit, quam morum animorumque. Infecit Syrorum avaritia etiam Romanorum exercitum. Nihil enim facilius in alterum transit, quam amor pecuniæ, & desiderium habendi: præsertim finitimas opes, quibus vicinus abundaverat. Nec est ulla passio, quæ magis virtutem animi effæminet, quam cupiditas divitia-

divitiarum. Denique versutia laudi datur, paupertas probro habetur. *cap. 24. lib 5. exc. Hier.*

Quintilianus: Solent negotiatores, præter hæc aperta pretia, privatum aliquid ac proprium stipulari; utique cum alienam rem vẽdunt. *Declamatione 12. §. 37.*

¶ Poetarum.

Ausonius Epistola 1. v. 16.

Quam tener exerces Medulorum in littore vitam?
Mercatusne agitas, leviore numismate captans,
Insanis quod mox pretijs gravis auctio vendat?

¶ Monosticha Trochaica.

Civitates tolle, tollis cuncta item commercia.
Haud queunt commercia esse absque civitatibus.
Lucra spectant mercatores, non maris pericula.
Malim egere in terra, herũ esse quam in mari quorumlibet.
Merce cur tumes in undis cui Notus quivis herus?
Nemo nundinis finitis rem auget mercimoniis.
Nunquam extra metum est mercator in mari qui navigat.
Pauper esse mavelim in terra, esse dives quam in mari.
Res suas navi quis universas credidit?
Si fidem abrogas, hominum omne tollitur commercium.
Stultus est mercator uni cuncta qui credit trabi.

¶ Jambica.

Astutiâ mercator avaritiam excolit.
Commercium omne cum fide aut stat aut cadit.
Lux convenit negotiationibus.
Niloggeras: merx putrida est ultronea.
Nullus rudentum est quem mercator non quatit.
Præbet viam flumen majus commerciis.
Reperta victus gratia commercia.

Mercedis.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Chrysostomus*: Est magna merces Christo placere in omnibus, etiam absque remuneratione, magna est merces propter ipsum adire pericula. *Homil. 40. ad Corinth 1.*

D. Chrysostomus: Sis virtute præditus, & accipe mercedem, etiamsi mercedem debeas. Sed sicut parentes, quando fecerint ut filij vivant ex virtute, tunc etiam eis dant mercedem: sunt enim debitores, quod eos constituerunt in voluptate. Ita etiam Deus: Mercedem, inquit, accipe si sis virtute præditus. Nam patrem lætitia afficis, & hujus tibi debeo mercedem. Sin autem malus, nequaquam. irritas enim eum qui te genuit. *Homilia 2. ad Thessalon.*

S. Isidorus Pelusiota: Non est iniqui judicii, quemadmodum putas, iis, qui plurimos labores & ærumnas pertulerãt, ac domos extruxerant, imperasse, ut Ægyptios spoliarent, aureaque atque argentea vasa ab illis acciperent, quibus labores suos impenderant: verùm perquàm etiam integri ac religiosi judicis, dignum cibo esse operarium sancientis. Nam si quis nostrûm cognitionis spiritum assecutus esset, illud utique invenisset, mercedem hanc, atque ad hunc modum datam, laboris in conficiendis lateribus suscepti acerbitate, ac luctuosa ædificatione ob quam justus judex ipsis quoque gratiam ad res hujusmodi commodato accipiendos indidit, longè inferiorẽ fuisse. *lib. 1. Epist. 196.*

¶ Latinorum.

S. Chrysologus: Fac me sicut unum de mercenariis tuis. Ut locatione annua servitus innovetur, ut labore jugi conditio conducta deteratur, ut die toto in opere suspiret miseræ verna mercedis, ut sit semper venditor sui, nec unquam negare valeat servitutem. *Sermone 2.*

¶ Philosophorum Oratorumq. Graecorum.

Xenophon: Ne avaros quidem efficiebat eos Socrates, qui cum ipso versabantur. Nam & alijs à libidinibus eos revocabat, & à studiosis sui pecuniam non exigebat. Qua in re quum abstinentem se ostenderet, liberalitatem exercere se judicabat. Qui autem colloquiorum & conversationis causa mercedem caperent, sui met quosdam quasi plagiarios adpellabat, propterea quod necessario disserere cogerentur ad eos, à quibus mercedem acciperent. Mirum ipsi videbatur eum, qui virtutem profiteretur, pecuniam exigere; neque maximum lucrum ducere, quod egregium amicum sibi adjungeret; potiusque metuere, ne is, qui probus & honestus vir factus esset; homini optime de se merito non etiam maximam gratiam haberet. Econtrario nemini Socrates umquam tale quid policebatur, sed futurum credebat, ut qui de numero familiarium suorum amplexi fuissent, ea quæ probabat ipse, toto vitę tempore tum sibi, tum aliis insignes amici essent. *l. 1. Memorabil. c. 5.*

Xenophon: Socrates nullam umquam mercedem doctrinæ causa exegit, sed omnibus abunde citraque invidiam sua communicabat: & eorum tamen aliqui partes exiguas quasdam gratis ab eo consequuti, magno aliis vendebant; nec erant, ut ipse, populares. Quippe cum iis, quibus ad largiendum pecunia deesset, sua disserendo communicare nolebant. Socrates autem huic civitati ad alios homines etiam multo majus ornamentum conciliabat, quam Lichas Lacedæmoniorum urbi; qui eo nomine celebritatem adeptus fuit. Nam ludis illis, qui à nudis exhibebantur, Lichas hospitibus Lacedæmonem peregre venientibus, cœnam præbere solebat: Socrates autem, quum per omnem vitam impenderet sua plurimum omnibus non nolentibus proderat. Etenim eos, qui ad ipsum accedebant, reddebat meliores, ac deinde dimittebat. *cap. 15. lib. 1. Memorabilium.*

Xenophon: Justum equidem, ait Antipho, esse te judico, mi Socrates, verum ne tantillum quidem sapientem: quod etiam ipse mihi non videris ignorare. Nam à nemine mercedem exigis eo nomine, quod tecum versetur. Atqui si vestẽ, vel domum, vel aliud quiddam, quod in bonis tuis est, pretio dignum esse putares: non dicam gratis, sed ne minori quidem accepto pretio, quam quanti ea res esset, dares. Itaque patet te, si existimares ullius esse pretii doctrinam tuam, ex dignitate ejus pecuniam exacturum. Sis ergo sane justus, quod ob avaritiam neminem decipis: nequaquam vero sapiens, quũ nullius pretii sint ea, quæ nosti. Ad ea respondit Socrates: Apud nos, Antipho, existimatur eodem modo posse aliquem & forma, & sapientia, vel honeste, vel turpiter uti. Nam quum aliquis formam pecunia cuivis prostituit, exoletum adpellant: eum vero, qui quemcumque intellexerit rerum honestarum & bonarum amatorem esse, amicum sibi adjungit; à modestia non alienum ducimus. Itidem qui sapientiam pro pecunia cuivis prostituunt, sophistas, quasi quędam scorta, vocant: quicumque vero, illum, quem egregia præditum esse indole animadvertat, quidquid boni scit, docet, ut amicum eum faciat; hunc facerę putamus, quod civem honestum ac probum decet. Quamobrem & ego, mi Antipho, perinde atque alius quispiam vel equo bono, vel cane, vel ave delectatur, sic majorem ex bonis amicis voluptatem capio; eosque si quid habeo boni, doceo, atque alijs commendo, à quibus nonnihil eos habituros adjumenti ad virtutem arbitror. Præterea thesauros priscorum sapientum, quos illi litteris mandatos nobis reliquerunt, una cum amicis revoluens percurro. Quod si qui in eis boni videmus, id seligimus. magnique lucri loco ducimus, amicitia nos inter nos conjungi. *cap. 28. lib. 1. Memorabilium.*

Apollonius Platonicis: Si quis Apollonio pecunias dederit, & is qui dat habeatur dignus, accipiet, cùm opus fuerit. At Philosophiæ mercedem, non accipiet, ne quidem si necessitas ususque postulet. *Epistola 42.*

Lucianus: Quin illud mihi considera quam magno hæc inter se discrimine distent, videlicet in divitis alicujus familiam ingressum mercede servire, quæque meus recenset libellus perferre, atque publicè rem populi tractantem, ac pro virili rempub. administrantem, hoc nomine stipendia ab imperatore accipere? Quare percurrens & seorsim utrumque disponens considera. Comperies enim (Musicorum illud proverbium, bis per omnes) hoc est, *longissimo intervallo ea inter se dissidere*: tum has duas vitæ rationes tantum inter se convenire, quantum cum argento plumbum, æs cum auro, anemone cum rosa, cum homine simia. Siquidem & illic & hîc merces accipitur, & alteri est parendum. Sed in rei ratione ingens est dissonantia. Illic enim manifesta est servitus, & qui ad officium hujusmodi se conferunt, non multum emptitijs servis, & vernis præstant. Qui verò rempub. tractant, seque urbibus, ac totis gẽtibus utiles præbent, nullo jure ob solam mercedem traducantur, inque criminis similitudinem & communitatem trahantur. Alioqui fieri non poterit quin hac ratione præfecturæ omnes exautorentur, ut neque tot tantarumque gentium præsides, neque civitatum rectores, neque ordinum militarium ductores, imò nec ipsi totius exercitus imperatores rectè facere videantur: quando horum omnium laboribus proposita sunt præmia. Cæterùm unico mercedis nomine non oportet opinor, omnia evertere, nec mercedem accipientibus æqualem conditionis gradum tribuere. Denique non omnes mercenarios in vili vitæ ratione versari dicebam: sed eos qui in familijs doctrinæ prætextu serviunt miserabar.

At nostrum negocium, ô amice, penitus est diversum: quanquam quæ ad domesticam vitam pertinent, nobis paria sunt cum illis: publicè tamen summi imperij participes sumus, ejusque partem cum rege administramus. Equidem ego, si consideres, videbor tibi non minimam Ægyptiaci regni portionem obtinere, dum lites instituo, ipsasque compono, dictorum factorumque omnium commentarios scribo, & litigantium orationes corrigo, principisque ipsius decreta in sensu dilucidissimo simul & exactissimo summa fide conservo, & in omne ævum reponenda reipubl. trado. Deinde non à privato, sed à principe mercedem accipio, eamque non exiguam, sed multorum talentorum. Postea, si recta ratione res procedat, spes non inanis superest, ut alicui provinciæ præficiar, aut regium aliquod negotium mihi demandetur.

Volo igitur loquendi libertate ingenti utens, & cum objecto crimine cominus congrediens, illud præstantissimè refellere. Equidem affirmo tibi neminem gratis quicquam facere. Nec summarũ rerũ administratores excipias, quando nec ipse rex mercedis est ex-

pers. Non dico tributa, neque vectigalia quæ quotannis penduntur à ſubditis: at regi merces fuerit maxima ſi laudetur, ſi ab omnibus celebretur, ſi pro collatis beneficiis adoretur. Imagines etiam, templa, delubra quæcunque à ſubditis habent, mercedis loco ſunt & ipſa, pro curis, & providentia quâ reipub. ſemper proſpiciunt, eamque in melius provehunt. Et ut magnis parva componam, ſi initio à cumuli cacumine ducto, per ſingula ex quibus conſtat, deſcendere velis, nos non niſi magnitudine & parvitate à ſummis differre videbis: cæterùm mercenarios pariter omnes eſſe.

Quòd ſi legem hanc tuliſſem, ut nemo quicquam ageret, non injuria iniquitatis reus viderer. Sin hoc in libello nullibi à me dictum eſt: virum autem bonum alicui operi decet eſſe intentum: quid aliud eſt in quo ſuam operam collocare debeat, quàm in juvãdis ad res optimas amicis, inque medio ſub dio ſpecimen ſui dando, quanta fide, diligentia & benevolentia demandata munia proſequatur, ne ſit illud Homericum, *Pondus inutile terræ.* Ante alia autem, meos objurgatores meminiſſe oportet, ſe non ſapientem virum (ſi modo aliquis alius eſt ſapiens) objurgaturos, ſed plebeiũ, in orationibus exercitatum, qui mediocrem ex iis laudem comparavit: at verò ad ſummam illam procerum virtutem, non eſt admodum inſtitutus. Quanquam ne hoc quidem nomine dolere debeo per Jovem, quòd in neminem incidi, qui omnes ſapientiæ, quam profitebatur, numeros expleret. Te verò, quòd hanc vivendi rationem mihi vitio vertis, non poſſum non mirari, ſiquidem eum objurgaveris, quem olim noſti pro cauſis publicè agendis mercedes maximas accepiſſe, quo tempore ad viſendum Occidentalem Oceanum profectus peragrata ſimul Gallia in nos incidiſti, cùm quęſtuoſis rhetoribus annumeraremur. *Apologia pro mercede conductis.*

Ariſtides Rhetor: Nec multum ego nec parum unquam à quoquã popoſci; nec ad largitiones unquã acceſſi, niſi cùm quis ultrò quid miſit. Sed & Socratis ſive ſapientiam, ſive ſapientiæ ſtudium, cùm in alijs tum in hoc ſector, quòd cauponari nolo, neque emptoribus me addicere; nec ita me eruditum cenſere, ut meipſum ſervitutis condemnem. *Oration. pro Quatuor Viris.*

Ariſtides: Et quamvis nec in auro nec in argento merces, ſed in alia re cernatur, non alia tamen eſt ratio. Etenim Rerump. formas, credo, ſequuntur etiam ſtipendia. Nam nec Byzantini, cum ferreo utantur numiſmate, Græcos merito ridere poſſunt, aut ſtipendium ſe non accipere putare, quod nec aurum nec argentum accipiant: nec Carthaginenſes, qui coriaceo: niſi etiam qui argentum acceperint, quod aurum non habebant, ſtipendium ſe negabunt accepiſſe. Sed hæc nemo conceſſerit, opinor. Nam nec omnes eadem ſumunt alimenta, cum tamen omnibus ſitijs opus. Similiter & heic non quæ ſit merces, ſed an mercedem dixeris, quæritur. Alioqui & Euneum dicemus gratis miſiſſe Græcis vinum, quod ei non pecuniam numerarint, ſed alij æs, alij candentia ferra. *Orat. 2. Platonica.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: Temporum iſtæ momentis, aut pretioſa fiunt, aut vilia. Vis ſcire quantum inter hoc tempus & illud interſit? tenta igitur forum tuum; totum hoc non potes dimidio vendere. *Declamatione 12. § 34. f.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Hilarion: Quamvis naturâ duce cuilibet bono operi ſua debeatur merces, eam tamen charitatis intuitu crebriùs recuſarunt in terris viri ſancti, quo ampliorem magiſque ſecuram in cælis præparatam reperirent. Unde Hilarion ſibi dona offerenti, quòd dæmonum phalange eum liberaſſet, dicebat: *Non legiſti, quid Giezi, quid Simon, paſsi?* cumque Orion flens diceret: Accipe in uſus pauperum. reſpondit: *Tu id rectius præſtiteris, qui urbem indies obambulas: ego qui reliqui mea, cur appetam aliena? Hieron. in Vita.*

Idem: Ita in Sicilia cuidam ſibi auri pondus danti, quòd gravi eum morbo curaſſet, depromebat eam Domini ſui vocem: *Gratis accepiſtis, gratis date. Ibidem, c. 14.*

S. Leonardus: Pari conſtantia iſte, oblatam à Regina Galliæ mercedem, quòd eam precibus difficili partu liberaſſet, renuit: offerentique Regi, *Nequaquam,* ait, *illis mihi opus. nihil enim defuturum eſt ei, qui omnium opifici libenter ſervit. cùm ipſa Veritas dicat, Quærite primùm regnum Dei. Iac. Ianuenſ.*

S. Martinus Epiſcopus: Et hic Leontij cujuſdam familiam contagioſo morbo, divinâ adjutus ope, liberarat. qui, cùm pro beneficio centum argenti libras rependeret, recuſavit accipere. quare indignati comites. Ad quos Martinus, *Nos,* inquit, *Eccleſia & paſcat & veſtiat: dummodò nihil uſibus noſtris quæſiſſe videamur. Sulpit. in Vita.*

Meretricis.

¶ Sententiae Patrum Graecor.

D. *Chryſoſtomus:* Non videtis hos qui amant, quàm multis damnis affecti, ſunt affixi, ardentque & uruntur, & eas magis amant quàm ſuas animas, pernoctantes in illarum veſtibulis? Illinc accipiamus exemplum: non ut eas amemus, meretrices, inquam, ſed ut ita diligamus inimicos. Nam dic mihi, non contumelioſiùs in eos ſe gerunt quàm omnes inimici? non diſſipant facultates? non in eos contumelias ingerunt, & eis ſerviliùs imperant quã ſuis miniſtris? Sed tamen non abſcedunt. Atqui nullus talem habet hoſtem, qualis amator amatam. Illũ enim ludificatur & diſſimulans irridet, eò ſæpe abutitur amica, & quò magis amatur, eò magis deſpicit. Atqui anima ſic affecta quid eſt magis beluinum? Illi tamen amant. *Homilia 7. ad Epheſios.*

D. Chryſoſtomus: Veſtem quidem quam habet ſervus nunquã ferre & animum induxeris, eam abhorrẽs propter ſordes. Sed malueris eſſe nudus quã illa uti. Corpore a. immundo & ſordido, & q̃ nõ ſolũ tuo puero, ſed etiam alijs innumerabilib. eſt uſui, abuteris, & nõ abhorrebis? Pudore affectis eſtis audiẽtes, ſed in factis pudore afficimini nõ in verbis. Alia omnia p̃termitto: mores perverſos & impuros: aliã vitæ agẽdę ſervilem & illiberalẽ rationem. Dic mihi, tu eandem inis & ſervus tu⁹, & utinã ſolus ſervus, ſed nõ etiam lictor. Et lictoris quidẽ manus tenere nõ tuleris, eã a. quæ unum cũ illo corp⁹ facta eſt amplecteris & exoſcularis, & nõ horres, nõ extimeſcis, nõ pudore afficeris, nõ erubeſcis, nõ angeris ac cõturbaris? Dixi quidẽ parentibus veſtris ut vos cito ducerent ad nuptias. Sed tamẽ nec vos quidẽ eſtis nõ obnoxij ſupplicio. Nã ſi nõ alij eſſent multi adoleſcẽtes pudice & caſte viventes, & olim, & nũc, eſſet vobis fortaſſe aliqua excuſatio ac defenſio. Si a. ſunt, quomodo poteritis dicere, nõ potuiſſe vos cohibere flammã cupidinis? Illi vos accuſant qui potuerũt, q̃ ſint ejuſdẽ naturæ participes. Audite Paulũ dicentẽ, Sectemini pacẽ & ſanctificationẽ, ſine qua nemo videbit dominũ. Non ſufficiunt hæ minæ ad vos terrendos? Vides alios perpetuo eſſe pudicos, caſteq; & honeſte degere, & tu ne ad juvẽtutis quidẽ tẽpus te fortiter geris? Vides alios cũ voluptate eſſe millies colluctatos: & tu ne ſemel quidẽ ſuſtines? Si vultis dicã cauſam. Nõ enim cauſa eſt juventus: alioqui omnes juvenes futuri erãt impudici & incõtinẽtes. Sed nos ipſos in rogum injicimus. Quãdo. n. in theatrũ aſcẽderis, & ſederis nudis mulierũ membris paſces oculos, ad tẽpus quidem lætaris, poſtea autẽ illinc magnã alis febrẽ, quũ videris mulieres tanquã in ſpecie corporis apparẽtes & ſpectacula, & cantica, q̃ nihil aliud habent quam amores nefarios. utpote, Illa, inquit, hũc amavit, & nõ eſt potita, & ſe ſuffocavit, & ad matres nefarios devolutos eſſe amores: Quãdo & aurib. hæc acceperis, & per mulieres, & per geſt⁹, habit⁹ & figuras, jã vero etiã per viros ſenes: multi. n. perſonis ſibi impoſitis illic agũt mulieres, quomodo poteris de cætero eſſe pudicus & tẽperãs, quũ illa ſpectacula, illæ auditiones animũ tuũ occupẽt ac detineant, & de cætero talia ſomnia excipiãt. A natura enim eſt inſitũ, ut anim⁹ multa ejuſmodi viſione apprehẽdat, cujuſmodi interdiu vult & cõcupiſcit. Quũ ergo illic & res obſcœnas videas, & verba audias obſcœniora, & vulnera q̃dẽ accipias, medicamẽta a. nõ imponas, q̃ fieri poteſt ut nõ meritò augeatur putredo, & morb⁹ nõ intẽdatur, & multo magis quam in noſtris corporib⁹? Levius enim, ſi vellemus, quã corpora, liberũ arbitrium ſuſciperet correctionẽ. Nã illic q̃dem & medicamẽtis, & medicis, & tẽpore opus eſt. Hic a. ſufficit, ſi volueris & bon⁹ eſſe & mal⁹. Quamobrẽ morbum magis accepiſti. Quãdo ergo ea q̃ lædũt q̃dẽ congerim⁹, eorũ autẽ q̃ juvant nullam ducimus rationẽ, quãdo erit ulla ſanitas? Propterea Paulus quoq; dicebat, Sicut gẽtes q̃ Deũ nõ norũt. Pudore ſuffundamur, terrore afficiamur, ſi gentes quę Deũ non norunt ſæpe ſunt pudicæ & temperantes, erubeſcamus quum illis fuerimus deteriores. Facile eſt in pudicitia & temperantia nos recte gerere, ſi velimus, ſi nos ipſos abducamus ab ijs q̃ lædunt. Alioqui nec ſcortationem facile eſt fugere, ſi nolimus. Quid eſt enim facilius quã ire ad forum? ſed ob noſtram ignaviam & mollitiem fit difficile, nõ ſolum in feminis, ſed etiam in viris. Quid eſt facilius quam dormire? ſed hoc quoque effecimus difficile. Multi quidem certe divites tota nocte circumaguntur, eo quod non expectent uſum ſomni, & tunc dormiant. Et in ſumma nihil eſt difficile ſi nos velimus: nihil facile ſi nolimus. Omnia enim ſunt in noſtra poteſtate. *Hom. 5. ad Theſſal.*

D. Chryſoſtomus: Noli eas imitari, quę meretricio ferũtur inceſſu. Namq; illę per exteriorẽ cultũ atq; habitũ, plurimos poſt ſe trahũt amatorum greges, atq; hinc plurimæ peſſima ſæpius ſuſpicione nõ carent nihilque prorſus ejuſmodi lucrantur ornatu, imò & plurimis ex ea opinione nocuerunt. Nam quemadmodum impudica, etiamſi pudica videatur, nihil ex hujuſmodi opinione lucratur, quum judex ille noſter occulta omnia tũc in medium producturus ſit: ita ne pudica quidem, ſi per habitum ſtudeat adulterij opinione notari, quicquam ex pudicitiæ opinione lucrata eſt. Plurimos enim & ipſa ex hac opinione violavit. Verũ quid agam, inquies, ſi alius de me peſſime ſuſpicetur? Tu huic ſuſpicioni, per habitum, per inceſſum atque aſpectum, & omnem corporis motum fomenta miniſtras. Quocirca & Paulo ingens cura eſt, hujuſmodi ſuperfluum ornatum ad honeſtiorẽ modum componendi, ac tuẽdo pudori plurimũ ſtudij impendit. Quod ſi ea q̃ opum tantum indicia ſunt, tãto ſtudio circumcidit, aurũ ſcilicet, margaritas, & veſtimenta pretioſa: quanto magis ea q̃ immodico ſtudio & arte quęruntur, cujuſmodi ſunt, purpuriſſo vultus inficere, & ſtibio oculos pingere, fracto incedere greſſu, vocẽ formare molliorẽ, laſcivum obtutum, & q̃ libidinis jaculetur incẽdia, ſuperfluã pallij ac tunicæ jactationem, cingulum exquiſita arte ſtudioq; confectum: ſtridentes ſoccos, & cætera irritamẽta laſciviæ? Hæc enim omnia uno verbo ſignavit quum diceret, in habitu ornato, & cum verecundia ornare ſe. Iſta quippe & à verecundia remotiſſima ſunt, & plena dedecoris turpitudiniſque cenſentur. *Homilia 8. ad Timoth. 1.*

Syneſius: Lais enim (ut eſt à quodam olim authore proditum) Hyccaricum erat mãcipiũ è Sicilia emptum: è qua felix illa p̃le ſua

mulier orta eſt nobilis viri mater. Ipſa autem olim quidem naucleri domini pellex fuerat, tum Oratoris, & hujus etiam Domini Tertii ſecundum hos conſervi: & clam quidem in urbe proſtabat, demùm palam in urbe; artique præfuit, quàm ſimul prælaxæ cutis rugis exercere deſiit ætate maturas edocet, ſuique loco peregrinis ſubſtituit. Nam ejus filius Orator neceſſitate ait ſe legis exſolvi, quominus meretricem alat matrem. Apage hanc legem: Nam qui ita in lucem editi ſunt; his pro certo comperta mater eſt: alter è parentibus ambiguus. Itaque quantum utriſque ab bene natis debetur, hoc ab incerto patre natis in matres conferri oporteret. *Epiſtola tertia.*

¶ LATINORUM.

S. Salvianus: Mollities paucorum labes eſt plurimorum, etſi pauci ſunt qui dedecoroſa ſuſtineant, multi tamen ſunt qui paucorum ſordibus polluantur. quemadmodum enim una meretrix multos fornicatores facit; ſic plurimam populi partem inquinat paucorum effeminatorum abominanda permixtio. *lib. 7. de gubernat. Dei.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Xenophon: Socrates, quum ſcortum ſumtuoſe ornatam videret, ac matrem, cum ea in veſte & cultu non vulgari, itemque multas ac formoſas ancillas, ne illas quidem neglectim habitas, aliiſque rebus abunde inſtructas ædes: Dic mihi, ait, mea Theodota, prædiumne quoddam habes? Non habeo, inquit. At domum habes cum proventibus? Ne illam quidem. At ſervos manibus tibi lucrum quærentes? Ne illos quidem, ait. Unde igitur habes neceſſaria? Si quis, inquit, amicus mihi factus, bene mihi facere velit, is mihi facultatum inſtar eſt. Profecto, ait Socrates, mea Theodota, præclara illa poſſeſſio eſt; multoque potius eſt amicorum habere gregem, quam ovium, boum, caprarum. Verum, ait, an fortunæ rem committis, ut aliquis ad te amicus inſtar muſcæ advolet, an ipſa nonnihil artis adhibes? Qui poſſim ego, inquit, artis aliquid ad hoc invenire? Multo, inquit Socrates, convenientius profecto, quam araneæ. Noſti enim, quo pacto illæ victum venentur. Telas enim tenues texũt, & quidquid in eas inciderit, eo cibi loco utuntur. Ergo mihi quoque, ait Theodota, das hoc conſilii, ut rete aliquod texam? Non enim ſcilicet adeo te ſine arte putare debes prædam longe pretioſiſſimam, nimirum amicos, venaturam. Non vides eos, qui lepores, rẽ non magni æſtimandam venantur, multa artificioſe moliri? Nam quum illi noctu paſcantur, comparatis canibus ad operas nocturnas aptis, eos venantur. Et quia interdiu aufugiunt, alios adquirunt canes, qui ex odore ſentientes, quo ſe ex paſtu ad cubile receperint, eos reperiant. Quia vero pedibus celeres ſunt, ut etiam ex oculis effugere currendo poſſint; rurſus alios canes veloces comparant, ut è veſtigio capiantur. Rurſum quia lepores nonnullis hos quoque effugiunt, retia ſtatuunt iis in ſemitis, per quas fugiunt, ut in ea delapſi compedibus quibuſdam implicentur.

Et Theodota: Qua igitur, ait, re tali poſſim amicos ego venari? Si profecto canis loco, ait Socrates, comparaveris aliquem tibi, qui indagando tibi formæ ſtudioſos ac locupletes inveniat; atque ubi invenerit, hoc machinetur, ut eos in retia tua conjiciat. Et qualianam, inquit, retia mihi ſunt? Unum rete, ait, corpus ipſum eſt, ad amplectendam prædam aptiſſimum; atque in hoc animus, quo intelligere potes, quo pacto homines intuendo grata eſſe poſſis, quid dicens adferre poſſis læticiam: ac præterea ſuſcipiendum eſſe comiter illũ, qui tui ſit ſtudioſus; excludendum vero, qui te habeat ludibrio: magna cum ſollicitudine inviſendum amicum, qui adverſam in valetudinem inciderit: vehementer congratulandum ei, qui præclare quid geſſerit: denique toto pectore gratificandum illi, cui admodum curæ ſis. Amoribus quidem certe ſcio te non modo molliter inſervire noſſe, ſed etiam magna cum animi benevolentia: quodq; præſtantiſſimos amicos habeas, id te ſcio non oratione, ſed ipſa re perſuadendo efficere.

Ego vero, ſubjecit Theodota, nihil profecto his artibus moliri ſoleo. Atqui, ait Socrates, multum refert, prout natura fert, ac recte hominem adgredi. Nam vi quidem neque capere, neque retinere amicum poſſis: ſed hæc fera tum beneficio, tum voluptate capi poteſt, & ut maneat, retineri. Vere dicis inquit. Quamobrem oportet, ait, primum ab iis, qui ſtudioſi ſunt hujuſmodi petere, qualia minimi ſint facturi: deinde ut tu quoque gratificando vicem eodem modo referas. Nam hoc pacto maxime tibi amici fient, ac diutiſſime diligent, & plurimis te beneficiis adficient. Gratificaberis autem maxime, ſi tua, quum eis indigent, conceſſeris. Vides enim, etiam ſuaviſſimas eſcas adlatas prius, quam adpetantur, inſuaves videri: exſaturatis vero etiam faſtidium parere. At ſi quis eas porrigat iis, in quibus famem excitaverit: etiamſi viliores ſint, perſuaves videntur. Quo igitur pacto, ſubjecit Theodota, famem ego in aliquo mecum verſante poſſim excitare? Primum profecto, ait, ſi ſaturatis neq; porrigas, neque eos commonefacias prius, quam fine repletionis facto rurſus egeant. Deinde ſi commonefeceris indigentes colloquio maxime decoro, atque declarando, quaſi gratificari velis; interimq; elabaris, donec maxime opera tua indigeant. Tunc enim longe præſtat eadem dona concedere, quam prius, quum necdum expeterentur. Et Theodota: Quid ergo? inquit, non tu mihi, mi Socrates, opem in venandis amicis ferre velis? Profecto, ait, ſi tu me perſuaſeris. Quo igitur pacto, ait, te perſuaſerim? Quæres, inquit, hoc ipſa tu, & excogitabis, ſi quà in re mea tibi opus futurum ſit opera, &c. *lib. 3. Memorabilium cap. 32.*

Lucianus in Dialogis.

GLYCERA ET THAIS.

Glycera.

Militem iſtum Thai, Acarnanem, qui quondam Abrotonum habebat, poſtea verò me amavit, purpuratum iſtum dico, noſti-ne ipſum, an oblita es hominis? *Th.* Quid-ni noſſem, Glycerium: cùm anno ſuperiore vobiſcum in feſtis arvalibus potarit. Sed quid iſtud? Videris enim neſcio quid de illo narratura eſſe. *Gl.* Gorgona ipſum, ſceleſtiſſima iſta, quæ amica mea videbatur, ſubductum à me abſtraxit. *Th.* Et nunc ille tecum non amplius converſatur, ſed Gorgonam amicam aſcivit? *Gl.* Iſta eſt, Thai, nec me res hæc mediocriter afficit. *Th.* Malum quidem hoc eſt, Glycerium, non tamen inopinatum, ſed à nobis meretricibus fieri ſolitum. Proinde neque nimis mœrendum, neque de Gorgona conquerendum. Neque enim Abrotonum tibi priùs ob hoc ſuccenſuit: quanquam amicæ inter vos eratis. Sed illud miror, quidnam adeò laudet in ea miles iſte: niſi omnino cæcus eſt, qui non viderit illam raro, & in multam frontem deducto eſſe capillitio: deinde lividis, emortuiſque labiis, exili collo, & extantibus in eo venis, longoque naſo. Unum ſolum habet, quòd procera eſt, & recta, ridetque illecebroſum admodum. *Gl.* An tu putas, Thai, Acarnanem illam formæ cauſa amaſſe? An neſcis, quòd venefica eſt Chryſarium, mater illius, quæ Theſſalas quaſdam incantationes callet, ac lunam deducit? Ajunt autem ipſam etiam volare noctu. Illa in inſaniam vertit hominem, ei temperato pharmaco quod biberet, & nunc ipſum vindemiant. *Th.* Tu quoque, Glycerium, alium vindemiabis: iſtum autem valere ſinas.

MYRTIUM, PAMPHILUS, ET Doris.

Myrtium.

Ducíſne uxorem, Pamphyle, Philonis naucleri filiam? imò jam duxiſſe te ajunt. Tot autem juramenta quæ præſtitiſti, & lachrymæ illæ, brevi momento evanuerunt omnia, & Myrtii nunc es oblitus, idque Pamphile, cùm octavum jam menſem ex te prægnans ſim. Scilicet hoc ſolum ex tuo amore conſecuta ſum, quòd tam ingentem uterum gero: & me propediem oportebit prolem alere, rem meretrici graviſſimam. Neque enim fœtum exponam, præcipuè ſi mas naſcatur: ſed eo nominato Pamphilo, equidem amoris ſolamen habebo. Tibi verò exprobrabit aliquando accedens ille ad te, quòd perfidus fueris in miſeram ipſius matrem. Cæterùm non formoſam virginem ducis. Vidi enim nuper ipſam in Theſmophoriis unà cum matre, nondum ſciens quòd propter ipſam Pamphilum amplius viſura non eſſem. Proin tu quoque antea ipſam contemplare, faciemque & oculos ipſius vide, ne te poſtea diſcruciet, quòd eos admodum cæſios habet, neque quòd diſtorti ſunt, & ſe mutuò aſpiciunt. Imò verò Philonem vidiſti, patrem puellæ. Faciem igitur illius noſti: quare nihil amplius opus erit filiam videre. *Pam.* Adhuc te, Myrtium, nugantem audiam, ac nuptias neſcio quas nauticas commemorantem. Egon' autem, aut ſimam aliquam, aut formoſam ſponſam novi? aut Philonem Alopecẽſem (illum enim opinor te dicere) filiam habere nubilem? At neque patri amicus hic eſt. Memini enim de pacto nautico eum cum hoc nuper judicio cõtendere. Nam talentum opinor debens patri, ſolvere nolebat. Pater autem ipſum apud nautarum judices accuſavit: tum ægrè illud exſoluit, neq; totum, ut ajebat pater. Quòd ſi uxorem ducere mihi viſum eſſet, Demeæ relicta filia, ejus qui ſuperiore anno exercitum duxit, idque cum mihi ſit conſobrina, Philonis filiam uxorem ducerem? Tu verò unde iſta audiſti? an fortè ipſa, Myrtium, hoc effinxiſti, cum novis quibuſdam zelotypiis umbratilem pugnam exercendo? *Myrt.* Nunquid eam uxorem non ducis Pamphile? *Pam.* Inſanis Myrtium, aut certè temulenta es, atqui heri non admodum inebriati ſumus. *Myrt.* Doris hæc mœrore iſto affecit me. Miſſa enim ut lanas ad ventrem emeret mihi, & Dianæ vota pro me faceret, Lesbiam, ait, fortè conveniſſe ſe. Quin potiùs huic narra Dori, quæ audiſti, niſi tute finxiſti ea. *Dor.* At vapulem hera, ſi quicquam mentita ſum. Cùm enim ad Prytaneum veniſſem, obviam fit mihi Lesbia ſubridens, atque ait, Amator veſter Pamphilus, uxorem ducit Philonis filiam. Ac ſi credere nollem, juſſit ut in angiportum veſtrum intrò aſpicerem omnia ſertis ornata, tibicinas, tumultum, & aliquos qui canerent hymenæum. *Pam.* Quid igitur? introſpexiſti Dori? *Do.* Ita ſanè, vidique omnia quæ illa dixit. *Pam.* Intelligo errorem: neque tibi omnia, Dori, Lesbia mentita eſt: & tu vera quoque Myrtio renuntiaſti: verùm fruſtra turbatæ eſtis. Neque enim nuptiæ illæ apud nos fiunt. Sed nunc in mentem venit quod ex matre audivi, quando à vobis heri domum reverſus fui. Nam dixit, tuus hic æqualis Charmides, Pamphile, vicini Ariſtæneti filius, uxorem jam ducit, & reſipiſcit: tu verò quouſq; tandem cum meretrice conſueſces? His negligenter auditis, in ſomnum ſum prolapſus. Dein mane exurgens, domo ſtatim exivi. Itaque nihil eorum vidi, quæ poſtea Doris vidit. Quòd ſi mihi non credis, denuo hinc abiens Dori, diligenter inſpice, nõ angiportũ, ſed ja-

januam, utra sertis exornata sit: vicinorum enim illam comperies. *Myrt.* Servasti me Pamphile. Strangulassem equidem me, si tale quid factum fuisset. *Pam.* At factum non est: neque ita insanivero, ut Myrtij obliviscar, præsertim cùm ex me uterum jam gerat.

MATER, ET PHILINNA.

Mater.

An insanivisti Philinna, vel quid heri in convivio tibi accidit? Venit enim ad me Diphilus mane lachrymans: & mihi acceptam à te injuriam narravit. Ebriam enim fuisse te, & in medium progressam saltasse ait, ipso prohibente: postea etiam sodalem suum Lampriam osculatam fuisse, & quòd tibi succensuerit, ipso relicto ad Lampriam transiisse, eumque amplexatam esse: sese verò disperiisse cùm hæc fierent. Sed neque noctu, opinor, concubuisti cum eo, relicto autem lachrymante, sola in proximo grabbato jacuisti, cantillans, & ægrè faciens illi. *Phil.* At ea quæ ipse fecit, mater, tibi nequaquam narravit: neque enim, cùm fuerit adeò contumeliosus, patrocinareris ipsi: qui me relicta, sermones subinde cum Thaide amica Lampriæ conferebat: cum ille nondum adesset. Postquam autem videbat indignè ferre me, & hominem, eorum quæ faciebat nutu admonebam, ille summa auricula apprehensam, & cervice ad se reclinatã Thaidem osculatus est, ita impresso ore, ut vix inde labia retraheret. Proinde ego quidem lachrymabar, ille verò ridebat, multaque in aurem Thaidi susurrabat, de me videlicet. Et Thais quoque ad me respiciens, subridebat. Ubi autem advenire Lampriam animadverterunt, tandemque osculis mutuis satiati fuerunt: ego tamen accubui cum ipso, ut ne in posterum etiam hoc causari posset. Surgẽs a. Thais, prima saltavit, nudatis multum malleolis, quasi sola pulchros eos haberet: q̃ postquã desijt, tacebat Lãprias, & nihil dicebat. Sed Diphil⁹ laudib. extollebat cõcinnitatẽ gestus, recteq; actam saltationem, quodque ad citharam pes esset aptus, pulcherque malleolus, & alia infinita, perinde ac si Calamidis Sosandram laudaret, non Thaidem, quam tu quoque nosti satis qualis sit, cùm nobiscum nuper lauaret: quæque in me probrose statim dixerit. Siquam enim, inquit, non pudet gracilium crurum quæ habet, surgat & saltet ipsa. Hic tibi quid dicam mater? surrexi equidem atque saltavi. Quid enim facto opus erat? perferre scilicet, idque dicterium silentio comprobare, ac permittere ut sic in convivio regnaret Thais? *Mat.* Nimia quidem fuit hæc æmulatio, ô filia. Nam ne curare quidem hæc oportebat. Dic tamen quæ sequuta sunt. *Phil.* Alij quidem laudabant, solus autem Diphilus, jacens supinus ad lacunar respexit, donec ego defessa destiti. *Mat.* Quid autem quòd Lampriam osculata, quumque deflexisses, amplexa esse diceris, verum ne istud fuit? quid taces? nam hæc non amplius digna sunt venia. *Phil.* Atqui volebam ipsi ægrè facere vicissim. *Ma.* Deinde neq; cum ipso concubuisti, sed ipso lachrymante cantillasti. Non intelligis filia pauperes esse nos: neque meministi quàm multa ab eo accepérimus: aut quo pacto hyeme superiore nobis fuisset vivendum, nisi Venus hunc nobis obtulisset? *Phil.* Nunquid igitur ob hoc ab eo affici me contumelia sustinerẽ? *Mat.* Irascere quidem, at contumeliam ne repende. An nescis læsos amatores desinere amare, & semet ipsos objurgare? Tu verò homini semper difficilis fuisti. At vide, ne quod vulgò fertur, intensum nimis funiculum abrumpamus.

MELISSA, ET BACCHIS.

Melissa.

Si quam, Bacchi, anum nosti, quales multæ Thessalæ perhibentur esse, incantatrices, quæ amabiles reddunt, etsi prorsus odio habeatur mulier, eam acceptam ad me adducas quæso. Vestes enim omnes, atque hoc aurum lubenter amiserim, si solùm ad me denuo reversum videam Charinum, odio Simmichen perinde habentem, ac me nunc habet. *Bac.* Quid ais Melissa? non amplius tecum consuetudinem habet, sed ad Simmichen divertit Charinus? cujus gratia tantas parentum iras sustinuit, cùm divitem illam, quinque talenta, ut ajebant, in dotem allaturam, uxorem nollet ducere: memini enim me ista ex te audire. *Mel.* Cuncta hæc evanuerunt Bacchi, & jam quintus dies est, ex quo illum prorsus non vidi. Sed potant apud æqualem Pammenem, ipse & Simmiche. *Bac.* Acerba tibi accidunt Melissa. Sed quid vos ad dissidium impulit? nam hoc non exiguum videtur esse. *Mel.* In universum, neque dicere possum. Sed nuper ex Piræo reversus (eò namque descenderat, à patre missus, puta ut debitum exigeret) neque me ingrediendo est intuitus, neque pro more accurrentem excepit, sed amplexari volentem repellens, abi, inquit, ad nauclerum Hermotimum, aut ea quæ in Ceramico parietibus inscripta sunt lege, ubi incisa sunt vestra nomina. Quem Hermotimum, quem inquam? aut quam columnam dicis? Sed ille nihil respondens, atque incœnatus, dormiebat aversus. Quàm multa hìc me putas machinatam fuisse, amplectendo, convertendo, & osculando aversi illius cervicem? At ille ne ullo quidem pacto deliniri se passus est: sed si mihi, inquit, plus satis molesta fueris, abibo hinc, etiamsi nox intempesta sit. *Bac.* Attamen noras Hermotimum? *Mel.* At me videas, ô Bacchi, miseriorem multò quàm nunc sum, degere, si ullum ego nauclerum Hermotimum novi. Verùm ille summo mane à me discessit, statim ad galli cantum experrectus. Ego verò memineram dictum ab ipso, parieti cuidam in Ceramico inscriptum esse nomen meum. Tum misi statim Acidem, quæ illud videret. Illa verò nihil aliud, nisi hoc solum inscriptum reperit, juxta Dipylum ad dextram ingredientibus, Melissa amat Hermotimum: ac rursum paulò inferius, Nauclerus Hermotimus amat Melissam. *Bac.* O adolescentes ineptos! Intelligo enim: ægrè facere quispiam Charino volens, inscripsit hæc, zelotypum eum esse sciens. Ille verò statim credidit. Eum autem sicubi videam, alloquar. Imperitus est, & puer adhuc. *Mel.* At ubi videas illum, qui conclusus cum Simmiche conversatur? Parentes autem eum etiamnum apud me quærunt. Sed Bacchi, siquam anum invenire possem, ut dixi, apparens ea me servaret. *Bac.* Est quædam venefica, ô dilectissima, ad hoc apta, gente Syra, cruda adhuc, & bene compacta, quæ mihi aliquando Phaniam, cùm & ille temerè succenseret, quemadmodum Charinus, post quatuor solidos menses reconciliavit, cùm jam planè desperarem. Ille autem incantationibus compulsus ad me redijt. *Mel.* Sed quid exegit anus, si modò adhuc meministi? *Bac.* Non magnam accipit mercedem, Melissa, sed drachmam, & panem: & sali oportet imponi obolos septem, & thyum, & facem. Ista quidem anus accipit. Craterem quoque ei misceri oportet, eamque solam bibere. Oportebit & ipsius viri aliquid adesse, uti vestem, aut crepidas, aut pauculos crines, aut id genus aliud quidpiam. *Mel.* Habeo crepidas illius. *Bacc.* Has ex palo suspensas thyo suffit, aspergens igni salem quoque. Ad hæc amborum nomina, illius & tuum pronuntiat. Deinde è sinu proferens rhombum, huc & illuc convertit, incantationem quandam dicens volubili lingua, barbara videlicet, atque horrenda vocabula. Hæc illa tum fecit: ac non multò pòst Phanias, cùm illum pariter & æquales ob hoc reprehenderent, & ipsa Phœbis, cum qua rem tum habebat, multum postularet, venit mihi, incantatione ista prorsum attractus. Præterea etiam hanc odij conciliandi rationem me docuit adversus Phœbidem, ut observato, & quum discessisset, deleto ejus vestigio, in sinistrum illius pede dextro insisterem, contrà in dextrum, sinistro, & dicerem, te conscendi, & superior sum. Fecique ut illa præcepit. *Mel.* Ne morare, ne morare Bacchi, voca jam Syram illam. Tu verò Aci, panem, & thyum, & cætera omnia, quæ ad incantationem pertinent, appara.

CLONARIUM, ET LEAENA.

Clonarium.

Nova de te audimus Leæna. Lesbiam videlicet Megillam, divitem illam, amare te, perinde ut virum, vosque coire, nescio quid una facientes. Quid istud? erubuisti? Sed dic mihi, vera ne ista sunt? *Le.* Vera Clonarium. Pudet autem me. Alienum enim quiddam est. *Cl.* At per Cererem, quid hoc negotij, aut quid sibi vult mulier? Quid verò agitis quando coitis? Vides? non amas me: neque enim celares me talia. *Le.* Amo equidem te, quantum ullam aliam. Mulier autem illa, virilis supra modum est. *Cl.* Non intelligo quid dicas, nisi si tribas quæpiam est. Tales enim mulieres in Lesbo esse perhibent, quæ à viris quidem illud pati nolint, cum mulieribus autem ipsæ, perinde ac viri, congrediantur. *Le.* Tale quidpiam est. *Cl.* Proin Leæna, etiam hoc ipsum expone, quo pacto te solicitarit primum, quoque modo adducta sis ut morem gereres: & quæ secuta sunt deinceps. *Le.* Cùm ipsa compotationem quandam instituisset, & Demonassa Corinthia, dives & ipsa, in eadem arte exercitata cum Megilla, me assumpserunt ut ipsis cithara canerem. Postquam autem satis cecineram, & jam intempesta nox erat, cubitumque ire oportebat, illæque erant ebriæ. Tum Megilla, Age, inquit, Leæna, Jam enim dormire æquum est, hìc nobiscum cuba, media inter utramque. *Cl.* Concubuisti-ne? Quid postea factum est? *Le.* Osculabantur me primò, perinde atque viri solent, non ipsa modò labia applicantes, sed os quoque subaperientes: deinde & amplexabantur, & papillas premebant mihi. Demonassa autem, etiam inter osculandum, mordebat. Ego verò quidnam rei esset, conjicere non poteram. Cæterùm cum jam incaluisset Megilla, galericulum quidem à capite removit. Ipsa autem incumbebat, similis & æquiparanda athletæ alicui vehementer virili, & robusto, & cute ad vivum detonsa: quam ubi aspexi, perturbata sum. Illa verò, Leæna, inquit, ecquem adolescentem ita pulchrum unquam vidisti? At non video, inquam ego, ullum hìc adolescentem Megilla. Tum illa: ne me, inquit, mulierem facias. Megillus enim vocor ego, & jam olim Demonassam hanc uxorem duxi, estque ea uxor mea. Risi equidem ad hæc, Clonarium: & dixi, Proinde Megille, virum esse te nesciebamus: quemadmodum ajunt Achillem inter virgines abditum fuisse: habes & virile illud, ac Demonassæ idem facis quod viri solent. Idem ergo Leæna, inquit, nec eo admodum opus. Peculiari autem modo, suavius aliquanto congredi me videbis. At num hermaphroditus es, inquam ego, quales perhibentur esse multi, utrumque membrum habentes? rem enim ô Clonarium, adhuc ignorabam. Neque hoc, inquit illa, sed per omnia vir sum. Tum ego, audivi, inquam, ex Bœotia tibicina quadam Ismenodora nomine, quæ apud ipsos sunt ephestria, narrante, quendam Thebis factum fuisse ex muliere virum, qui idem vates quoque fuit optimus: Tiresias nimirum. Num tibi tale quid accidit? Haudquaquam Leæna, inquit: sed vobis alijs

nata

nata sum similis. Animus autem, & libido, cæteraque omnia, virilia mihi sunt. Sufficiens saltem, inquam, est tibi libido. Tum illa: præbe igitur, inquit, Leæna, & cognosces me viris esse nihilo inferiorem. Nam aliquid loco virilis habeo. Sed præbe: nam videbis. Præbui itaque Clonarium, cùm illa diu multumque supplicasset, & pretiosum monile dedisset, & tenuia velamina. Tum ego illam perinde atque virum complectebar. Illa autem, & faciebat, & osculabatur, & anhelabat, & summa voluptate affici videbatur. *Cl.* Quid faciebat Leæna? aut quomod?ohoc enim in primis dicas. *Le.* Ne accuratiùs inquiras: turpia enim sunt. Qu3re per Uraniam, nolim dicere.

CROBYLE, ET CORINNA.

Crobyle.

Non ita grave esse, Corinna, ceu tu putabas, ex virgine mulierem fieri, jam didicisti: siquidem cum formoso adolescente fuisti, & pro prima mercede minam accepisti, unde monile statim tibi comparabo. *Cor.* Ita amabo. Habeat autem splendoris ignei lapillos, cujusmodi Philænidis est. *Cro.* Erit ejusmodi. Sed audi etiam cætera ex me, quæ te facere, & quo pacto viris accommodare te oportet. Nam alia victus ratio nobis nulla est, filia: sed per duos hosce annos, ex quo pater tuus, piæ memoriæ, defunctus est, an nescis quo pacto vitam egerimus? At quando ille adhuc vivebat, abundè nobis omnia suppetebant. Artem enim ferrariam exercebat: magnumque erat nomen ejus in Piræo. Ac plerosque audire licet dejerantes, nullum ampliùs post Philinũ, talem fore ferrarium fabrum. Post mortem autem ejus, principio quidem divenditis forcipibus, incude, & malleo, duabus minis, ex illis tum vitam sustentavimus. Postea autem, aliàs quidem texendo, aliàs verò tramam deducendo, aut stamina nendo, ægrè victum parabam: te verò, filia, nutriebam, spem expectans. *Cor.* Minam istam dicis? *Cro.* Non: verùm ita rationem inibam, quòd cùm ad istam ætatem pervenisses, & nec facilè, alere postea, & te ipsam exornare posses: dives ipsa futura, purpureas vestes, & ancillas habitura. *Cor.* Quomodo hoc mater? aut quid dicis? *Cro.* Si cum adolescentibus rem haberes, & cum ipsis potares, & pro mercede concumberes. *Cor.* Sicut Daphnidis filia Lyra? *Cro.* Ita. *Cor.* At illa meretrix est. *Cro.* Hoc nihil grave. Nam & tu, perinde ac illa ditesces, multosque amatores habebis. Quid fles Corinna? an non vides quàm multæ sint, & magno studio ambiantur meretrices? & quantum pecuniæ accipiant? Daphnidem enim, ô chara Adrastia, novi ego, quæ priusquam ad ætatem adultam pervenisset, pannosa erat. At nunc vides, qualis prodit, ut illi aurum, floridæ vestes, & ancillæ quatuor. *Cor.* Sed quo pacto hæc acquisivit Lyra? *Cro.* Primùm quidem exornando se eleganter, & facilem, hilaremque erga omnes se gerendo, non soluto, ut tu soles, cachinno, sed suave quiddam & blandum arridendo. Postea dextrè conversando, neque decipiendo, siquis accedit, aut accersit eam, neque viros increpando. Ac si quando ad cœnam it accepta mercede, neque inebriatur, ridiculum enim hoc, & viri oderunt tales, neque rusticè impletur opsonio: sed attingit quidem summis digitis, tacitè autem edendo non obturat utramque maxillam ingestis buccellis: bibit etiam sensim, non affatim, sed interquiescendo. *Cor.* Etiamsi sitiat mater? *Cro.* Tum præcipuè, Corinna: & neque plus æquo loquitur, neque in quenquam eorum qui adsunt, dicteria torquet. Eum solum à quo conducta est, respicit. Et ob hoc illi amant ipsam. Et postquam eundum est cubitum, nihil petulans, nihil ineptum admittit, sed ex cunctis unum hoc aucupatur, ut illum alliciat, suique amatorem reddat. Hoc enim nomine ipsam cuncti laudant. Quòd si tu etiam hæc didiceris, nos quoque felices erimus. Nam cætera quidem multò ipsa. Sed nihil, ô chara Adrastia, addam amplius: vivas modò. *Cor.* At dic mihi mater, ij qui mercede nos conducunt, omnes-ne tales sunt, qualis est hic Eucritus cum quo heri concubui. *Cro.* Non omnes: sed alij quidem meliores, alij jam viriles: nonnulli verò non admodum liberali forma præditi. *Cor.* Et cum istis concumbere oportebit? *Cro.* Maximè, filia: nam hi plura quoque dant. Formosi autem, hoc solum, pulchri esse volunt. Tu verò ejus quod plus est, rationem semper habeas, si cupis ut omnes brevi te commonstrent digito, ac dicant. Annon vides Corinnam Crobylæ filiam, ut est ditissima, & matrem reddit fœlicissimam? Quid ais? facies-ne ista? facies, novi ego, & facilè omnibus anteibis. Nunc autem ito lotum, si fortè veniat, etiam hodie adolescens ille Eucritus: ita enim pollicitus est.

MATER, ET MUSARIUM.

Mater.

Si talem amatorem posthac inveniamus, Musarium, qualis Chęreas hic est, oportebit nos immolare, Publicæ quidem Veneri capram candidam, Cœlesti autem, & ei quæ in hortis est, juvencam utrique: sertis quoque coronare opum largitricem. In summa, beatæ, terque fœlices erimus. Quippe vides nunc ab adolescente isto quam multa accipiamus, qui ne obolum quidem tibi dedit unquam, neque vestem, neque soleas, neque unguentum: sed apud ipsum semper excusationes, & pollicitationes, & spes longæ, & illud crebrum, Si pater, &; si paternarum opum fiam dominus, &, omnia tua. Tu etiam jurasse ipsum dicis, quòd lege uxorem te suam sit facturus. *Mu.* Juravit, mater, per Cererem, & Proserpinam, & Minervam. *Ma.* Et credis illi scilicet? & ob hoc nuper, cum non haberet unde daret symbolum, annulum illi me inscia dedisti? at hunc ille venditum absorbuit. Et rursum duo monilia ista Jonica, quorum utrumque pendebat duos Daricos, quæ tibi Chius ille nauclerus Praxias attulerat, Ephesi mercatus. Oportebat enim ut Chæreas cœnam collatitiam cum adolescentibus dependeret. Nam vela, & tunicas quid attinet dicere? In summa, lucrum inopinatum, magnumque commodum iste nobis obvenit. *Mu.* At pulcher est, & imberbis, & amare se ait, & lachrymatur, & Dinomaches, Lachetisque Areopagitæ est filius: dicitque uxorem me ducturum se: denique spes magnas facit, si modò senex ille oculos clauserit. *Ma.* Proinde Musarium, ubi calceis opus erit, & sutor didrachmum poposcerit, dicemus & nos illi, argentum quidem non habemus, tu autem spes quasdam exiguas à nobis accipe, eademque pistori. Et quum pensionem domus deposcemur: expecta, dicemus videlicet, dum Laches Colyttensis moriatur: exoluemus enim tibi post nuptias. Non pudet te quòd sola meretricum, neque inaures habes, neque monile, neque vestem Tarentinam. *Mu.* Quid igitur, mater, fortunatiores-ne illæ me, & pulchriores sunt? *Ma.* Non: sed prudentiores, & sciunt meretricari: nec verbis credunt, & adolescentulis, in summis labiis juramentum gerentibus. Tu verò fidelis es, & amans viri: nec admittis alium quenquam, pręterquam solum Chęream. Ac nuper quando Acarnensis ille agricola venit, duas minas afferens, ipse quoque imberbis (vini autem pretium hoc retulerat, à patre missus) tu verò etiam subsannasti hominem, dormis autem cum isto tuo Adonide Chærea. *Mu.* Quid igitur? relicto-ne Chærea, mihi admittendus erat operarius ille hircum olens? Lævis mihi, ut ajunt, Chæreas, & porcellus Acarnanius. *Ma.* Esto rusticus ille, hircum oleat: cur neque Antiphontem Menecratis filium, minam tibi pollicentem non admisisti? Annon formosus erat, & urbanus, æqualis Chæreæ? *Mu.* At interminatus erat Chæreas, se jugulaturũ ambos, si me cum illo deprehenderet. *Ma.* Quã multi alii eadem minãtur? An tu igitur sine amatorib. ob hoc manebis? & pudicè ages, perinde ac si non meretrix, sed Cereris quæpiã sacerdos fores? Cætera omitto. Hodie verò Aloa sunt: quid ergo tibi dedit in hoc festum? *Mu.* Non habet ô mater. *Ma.* An solus iste nullam artem adversus patrem potest invenire? non servum immittere, qui illum decipiat? non à matre ipse postulare, minitando se in militiam navigaturum, nisi accipiat? Verùm sedet, nos atterens, neque ipse quicquam dans, neque à dantibus accipere sinens. Tu verò, Musarium, an putas te octodecim annorum semper fore, aut eodem animo semper futurum Chæream, quando ipse dives erit, & mater opimas ipsi nuptias invenerit? An ille tum, putas, meminerit lachrymarum, aut osculorum, aut juramenti, quum dotem quinque fortassis talentorum aspiciet? *Mu.* Meminerit ille. Cujus rei argumẽtum est, quòd neque nunc uxorem duxit, sed cùm à patre cogeretur, & vim propè pateretur tamen recusavit. *Ma.* Utinam non decipiaris. Sed tamen admonebo te, Musarium, aliquando horum.

AMPELIS, ET CHRYSIS.

Ampelis.

Siquis, ô Chrysi, neque zelotypus est, neque irascitur, neque alapas inflixit unquam, aut capillos conscidit, aut vestes laceravit, estne adhuc pro amatore habendus? *Chr.* Nunquid, Ampeli, sola sunt ista amantis indicia? *Amp.* Maximè. Hæc sunt viri fervidi. Nam cætera illa, oscula, lachrymæ, juramenta, & crebrò ventitare, incipientis, & adhuc crescentis amoris signa: sed totus ignis zelotypia constat. Quare si te, ut ais, Gorgias alapis cædit, & zelotypus est, bene speres licet, optesque ut eadem semper faciat. *Chr.* Eadem-ne? quid dicis? ut ille me semper alapis cædat? *Amp.* Non: sed ut semper illi ægrè sit, si non ad solum ipsum aspicias. Siquidem nisi amaret te, quid quæso irasceretur, si quempiam alium amatorem haberes? *Chr.* At equidem non habeo. Ille verò nequicquam suspicatus est, divitem istum à me amari, eò quòd mentionem ipsius fortè feci. *Amp.* At hoc suave est, putare ipsum te à divitibus observari. Ita enim majori dolore afficietur, & magis æmulabitur, ne à rivalibus superetur. *Chr.* At ille solùm irascitur, & alapis cædit, nihil autem dat. *Amp.* At dabit postea: nam zelotypi vel maximè dolore afficiuntur. *Chr.* Nescio quo pacto, mea Ampeli, velis ut alapas accipiam. *Amp.* Non: sed ut arbitror, magni fiunt amores, etiamsi audiat se negligi. Quòd si credat, se solum habere te, elanguescet hæc libido. Atque hæc tibi dico, quæ jam totos viginti annos meretricem egi. Tu verò annos, ut puto, decem & octo, vel pauciores etiam nata es. Quòd si velis narrabo tibi, quæ mihi acciderunt aliquando, non multos ante annos. Amabat me Demophãtus, fœnerator ille, qui pone Pœcilen habitat. Hic nusquam plus dedit quam drachmas quinque: & dominus putabat esse. Amabat autem levi quodam amore, neque ingemiscens, neque lachrymans, neque intempesta nocte ad fores ventitans: sed interdum tantùm, idque post longum intervallum mecum dormiebat. Posteaquam autem venientem aliquando exclusi (nam tum Calliades pictor intus erat, datis decem drachmis) primùm quidem abiit verbis me insectatus. Et cùm jam multæ dies transiissent, neque ego ad illum mitterem (rursus autem tum Calliades intus erat) incalescens tum tandem Demophantus, etiam ipse ad rem inflammatur.

tur: & cùm aliquando ſuperveniſſet, obſervata patente janua, flebat, percutiebat, minabatur ſe occiſurum, lacerabat veſtem, omniaque faciebat. Et poſtremùm talento dato, totos octo menſes habebat me ſolus. Uxor autem ipſius cunctis dicebat, ipſum medicamentis ad inſaniam à me redigi. Et hoc medicamentum, erat zelotypia. Quare ô Chryſi, & tu contra Gorgiam eodem medicamento utere. Porrò dives erit hic adoleſcens, ſi quando patrem ipſius mori contingat.

DORCAS, PANNYCHIS, PHILOSTRAtus, Polemon.

Dorcas.

Periimus, ô hera, periimus. Polemon ex militia reverſus eſt, ditatus, ut ajunt. Ego autem ipſum vidi paludamento purpureo, & fibulato indutum, multoſque unà pediſequos. Quod ut viderunt amici, ad eum ſalutaturi accurrebant. Interea autem ſervum conſpicata, à tergo ſequentem, qui cum ipſo profectus erat, interrogabam: ac dic mihi Parmeno, inquiebam, ſalutato priùs ipſo, quo pacto rem geſſiſtis? &, num quid bello dignum conſequuti rediiſtis? *Pan.* Non decebat hoc ſtatim: ſed illa primùm. Quòd ſervati eſtis, multa Dijs gratia, & in primis Jovi hoſpitali, & Minervæ militari. Cæterùm ſemper rogitabat hera, quidnam ageretis, & ubi eſſetis. Quòd ſi etiam hoc addidiſſes, quòd & fleret, & Polemonis mentionem ſemper faceret, id fuerat multò ſatius. *Dor.* Omnia ſtatim à principio ſum præfata: ſed tibi nolim dicere. At quæ audivi, ea dicere volebam. Nam ad Parmenonem ita incepi. Nonne Parmeno, vobis tinniebant aures: ſemper enim cum lachrymis hera veſtri reminiſcebatur: & maximè ſiquis ex pugna venerat, multique dicebantur interfecti, tum crines evellebat, & pectus percutiebat, & ad unumquodque nuntium lugebat. *Pan.* Rectè Dorcas, ita decebat. *Dor.* Deinde non multò pòſt illa interrogabam ordine. Ille autem, admodum ſplendidè è bello reverſi ſumus, inquit. *Pan.* Sic & ille nihil præfatus, quòd & mei meminerit Polemo, vel deſiderarit, vel optarit, vel optarit vivam deprehendere? *Dor.* Multa certè hujuſmodi dicebat. Quod igitur rei eſt caput, narravit divitias multas, aurum, veſtes, ſervos, ebur. Nam argentum quidem adferre ipſum dicebat non ad numerum, ſed ad menſuram, multos videlicet plenos modios. Habebat autem, & ipſe Parmeno annulum in parvo digito maximum ac multiangulum: eratque inſertus tricolor lapillus, & in ſuperficie rubebat. Sed reliqui ipſum, cùm vellet mihi narrare quo pacto Alyn tranſiiſſent, & ut occidiſſent Tiridatem quendam, & quomodo ipſe Polemo in pugna contra Piſidas verſatus eſſet: accurrique domum ut hæc tibi renuntiarem, ut de rebus omnibus tecum deliberares. Nam ſi quum venerit Polemo (veniet enim quum notos illos à ſe amoverit) reſciſcens, apud nos intus Polyſtratum deprehenderit, quid ipſum facturum eſſe putas? *Pan.* Tum Dorcas, aliquam ex re præſenti ſalutem inveniamus. Nam neque hunc ablegare honeſtum fuerit, ut qui talentum nuper dederit: præterea ſit mercator, & multa promiſerit: neque Polemonem, qui talis eſt reverſus, utile non recipere. Nam præter hæc etiam zelotypus eſt: & cùm pauper adhuc, intolerabilis fuerit, quid nunc illum non putes facturum? *Dor.* At etiam accedit. *Pan.* Deficio, ô Dorcas, conſilii inopia, & tremo. *Dor.* Sed & Philoſtratus accedit. *Pan.* Quæ igitur fiam? quomodo terra me abſorbeat? *Ph.* Cur non potamus Pannychi? *Pan.* Perdidiſti me, ô homo. Tu verò ſalve Polemo, viſus longum pòſt tempus. *Pol.* Quis igitur eſt iſte qui ad vos accedit? taces? euge abeas Pannychi. Ego verò ex Pylis quinto die huc advolavi, ad talem mulierem adproperans. Ac meritò ſanè hæc mihi accidunt, tibique gratiam habeo: neque enim poſthac amplius abs te rapiar. *Ph.* Tu verò quiſnam es bone vir? *Pol.* Nimirum audis, quòd Polemo ſum, Stirienſis ille, ex tribu Pandionis: qui primùm fui tribunus militum: nunc autem totius dux legionis, amator Pannychidis, cùm ipſam humana adhuc ſapere putarem. *Ph.* At nunc Peregrinorum dux, Pannychis hæc mea eſt, & talentum accepit: jamque etiam alterum accipiet, ubi onera diſpoſuerimus. At nunc ſequere me Pannychi: & iſtum apud Odryſas ſine copias regere. *Dor.* Libera eſt iſta, & ſequetur, ſi volet. *Pan.* Quid faciam Dorcas? *Dor.* Præſtat ingredi, nam irato Polemoni adeſſe non poſſum: & zelotypia magis incendetur. *Pan.* Ingrediamur ſi vis. *Pol.* At prædico vobis, vos hodie poſtremùm bibituros. Aut ego fruſtra adſum tot cædibus exercitatus, Thracas huc Parmeno. *Par.* Armati venerunt, phalange cingentes angiportum. In fronte ſunt gravis armaturæ milites: in utroque latere, funditores & ſagittarii: à tergo verò cæteri. *Ph.* Hæc, ô ſtipendiarie, nobis tanquam infantibus dicis, & veluti larvis territas. An tu aliquando gallum gallinaceum occidiſti, aut bellum vidiſti? Caſtellum cuſtodiebas, fortè dux quiſpiam manipularis, ut hoc tibi gratificando concedam. *Pol.* At verò ſcies paulò pòſt, quum nos ad haſtam venientes videbis, armis reſplendentes. *Ph.* Adventate modò inſtructi. Ego verò & Tibys iſte: nam hic ſolus me ſequitur, ſaxis, teſtiſque vos petendo, ita diſpergemus, ut neque quò vertamini, ſcire tum poſſitis.

CHELIDONIVM, ET DROSE.

Chelidonium.

Non amplius, Droſe, ad te venditat adoleſcens ille Clinias. Non enim ipſum longo jam tempore apud vos vidi. *Dr.* Non amplius Chelidonium: nam præceptor prohibuit ipſum amplius ad me accedere. *Chel.* Quiſnam iſte? nunquid ludimagiſtrum Diotimum dicis? Nam is certè amicus mihi eſt. *Dr.* Non: ſed perditiſſimus iſte Philoſophorum Ariſtænetus. *Chel.* Tetricum illum dicis, & hirſutum? profunda barba? qui cum adoleſcentibus in Pœcile conſuevit ambulare? *Dr.* Arrogantem illum dico, quem utinam peſſimè perire videam, barba tractum à carnifice. *Chel.* Quid accidit illi, ut talia perſuaderet Cliniæ? *Dr.* Neſcio Chelidonium. Sed cùm antea nulla nocte non dormiret mecum, ex quo cum muliere rem habere cœpit (primùm autem mecum rem habuit) tribus hiſce diebus ne ad angiportum quidem acceſſit. Poſtquam autem contriſtari cœpi (nam mihi neſcio quid ob ipſum accidit) Neuridem miſi, quæ illum circumſpiceret, vel in foro, vel in Pœcile commorantem. Illa autem, ubi eum cum Ariſtæneto deambulantem vidiſſet, illi procul innuiſſe ſe dicit: illum verò erubuiſſe, defixis in terram oculis, nec amplius ad ipſam aſpexiſſe: exinde ambos ad urbem ijſſe. Ipſa verò ad Dipylum uſque ſequuta, cùm ille prorſus neque converteret ſeſe, domum rediit, nihil planum habens quod renuntiaret. Quomodo igitur affectam poſtea me putas, quæ conjicere non poſſem, quidnam huic adoleſcenti accidiſſet: ideoque dicebam, num ipſi ægrè aliquid feci, aut num aliam amat, me peroſus? at nonne pater vetuit ipſum? multa hujuſmodi volvebam. Porrò ſub veſperam venit Dromo, has literas ab illo afferens. Accipe Chelidonium, ac lege: literas enim noſti. *Ch.* Age videamus. Literæ non admodum ſunt planæ, ſed incompoſitæ, feſtinationem ejus qui ſcripſit, indicantes: Sicque loquuntur. Quo quidem pacto te amarim mea Droſe, Deos teſtes facio. *Dr.* Væ ve mihi miſeræ, neque ſalutationem adſcripſit. *Ch.* Nunc autem non odio, ſed neceſſitate coactus te deſero. Nam tradidit me pater Ariſtæneto, ut apud illum Philoſophiæ dem operam. Atque ille (cognovit enim cuncta quæ ad nos pertinent) multis admodum objurgavit me, inhoneſtum eſſe dicens, cum meretrice rem habere me qui eſſem Architelis & Eraſicleæ filius. Longè enim melius eſſe virtutem anteponere voluptati. *Dr.* Ut nunquam ad maturitatem perveniat nugator ille, qui adoleſcentem talia docet. *Ch.* Itaque ei parêre neceſſe mihi eſt, Aſſequitur autem me diligenter obſervans: & in ſumma, ne aſpicere quidem alium quenquam præter ipſum ſolum, mihi licet. Quòd ſi temperanter vivam, ipſique per omnia obtemperem, pollicetur prorſus beatum fore, & præclarum virtute redditurum me, laboribus ad hoc præexercitum. Hæc tibi vix ſcripſi, me paululum ſuffuratus. Tu verò fœlix dege, & memineris Cliniæ. *Dr.* Quid tibi Chelidonium, videtur hæc epiſtola? *Ch.* Quod ad cætera quidem attinet, Scythica eſt oratio: illud autem, memineris Cliniæ, ſpem quandam reliquam habet. D. etiam mihi ita videtur: proinde pereo amore. Cæterùm Dromo dicebat Ariſtænetum eſſe pæderaſtem, & prætextu doctrinæ, conſuetudinem habere cũ pueris venuſtiſſimis, & privatim verba facere apud Cliniã pollicitationes quaſdam faciendo, quòd videlicet Dijs ſimilem illum redditurus ſit. Quin & amatorios quoſdam ſermones veterum Philoſophorum ad ſuos diſcipulos, cum ipſo legit. In ſumma, totus eſt circa adoleſcentem. Eſt autem interminatus ſe patri Cliniæ hæc dicturum. *Ch.* Oportebat, Droſe, lautè accipere Dromonem. *Dr.* Lautè accepi: & ſine hoc, meus eſt. Nam & Neuridem amavit ille. *Ch.* Bono ſis animo, rectè ſe habebunt omnia. Ego verò in pariete inſcribere volo, in Ceramico, ubi Architeles deambulare ſolet, Ariſtænetus corrumpit Cliniam: ut ex hoc quoque aliquid concurrat cum Dromonis delatione. *Dr.* At quomodo id clam facies? *Ch.* Noctu Droſe, carbone alicunde ſumpto. *Dr.* Rectè ſanè. Auxiliare mihi Chelidonium, adverſus arrogantem iſtum Ariſtænetum.

TRYPHAENA, ET CHARMIDES.

Tryphana.

Accepta-ne quiſpiam amica, & quinque drachmarum mercede data, averſus dormit lachrymans & gemens? Sed neque libenter potaſti, opinor, neque ſolus cœnare voluiſti. Flebas autem etiam inter cœnandum, aſpiciebam enim: & nunc, ut infans, ululare non deſinis. Quorſum igitur hæc facis Charmide? quæſo ne me celes, ut hoc reportem ex nocte qua tecum vigilavi. *Ch.* Amor me perdit Tryphæna; neque huic malo amplius reſiſtere poſſum. *Try.* At quòd me quidem non ames, manifeſtum eſt: neque enim ita negligeres me, quam habes: neque me repelleres, quoties amplexari te volo: denique quod inter nos eſt ſpatii, veſte non intercluderes, metuens ne te tangam. Dic tamen quænam illa ſit. Fortaſſis enim etiam ipſa nonnihil ad amorem iſtum tibi contulero. Scio enim quomodo res huiuſmodi ſint adminiſtrandæ. *Ch.* At verò ipſam apprime noſti, & illa te: neque enim obſcura eſt meretrix. *Try.* Dic nomen Charmide. *Ch.* Philematium Tryphæna. *Try.* Utram dicis? nam duæ ſunt. Illam-ne ex Piræo, quæ nuper devirginata fuit, quam nunc amat Damyllus, ejus qui nunc imperator eſt, filius: an alteram, quam cognomento Pedicam vocant. *Ch.* Illam equidem, atque miſer ab ea captus ſum, & comprehenſus. *Try.* Num ob illam plorabas. *Ch.* Ita ſanè. *Try.* Jamdudum illam amas, an nuper cœpiſti? *Ch.* Non nuper, ſed menſes propè ſeptem ſunt à Dionyſiis, ex quo primùm ipſam vidi. *Try.* Vi-

diſti-ne

disti-ne ipsam accuratè totam: an faciem solùm, easque corporis partes quæ in aperto sunt, quæ vidisti Philematij-ne erant, atque uti conveniebat esse mulierem quinque & quadraginta annos jam natam? *Ch.* At illa dejerat se proximo Decembre secundum & vigesimum esse completuram. *Try.* Tu verò, utrum credis juramento illius, an tuis oculis? Contemplare enim diligenter, aspiciens aliquando ejus tempora, ubi suos duntaxat crines habet. Nam cætera, profundum est galericum. Circum tempora autem, quoties medicamentum quo infici solet, languescit, plerunque albescit. Quanquam quid hoc attinet? coge aliquando ut se nudam tibi præbeat spectandam. *Ch.* At nunquam hoc mihi concedere voluit. *Try.* Meritò sanè. Sciebat enim abominaturum esse te canos ipsius. Cęterùm tota à collo ad genua usque pardali est similis: & tu lachrymareris, quòd cum tali non coeas? An fortè tibi ægrè faciebat, teque despiciebat? *Ch.* Ita sanè Tryphæna, quamvis à me acciperet tã multa. At nunc quia mille petenti, facilè dare non potui, ut pote qui parcum habeam patrem, Moschione intrò ad se recepto, me exclusit. Ob quæ dum illi vicissim ægrè facere volo, te assumpsi. *Tr.* At ego, per Venerem, haudquaquam venissem, siquis prædixisset mihi, ob id solum assumptam esse me, ut alteri ægrè facere, præsertim huic Philematio, capulo videlicet. Verum abeo: jam enim tertium hoc cecinit gallus. *Ch.* Ne tam celeriter utique mea Tryphæna. Nam si vera ista sunt, quæ de Philematio dicis: coma videlicet supposititia, & quòd tingitur, atque illæ vitiligines, ne aspicere quidem amplius illam possim. *Try.* Quære ex matre tua, num aliquando cum ea laverit. Nam de annis, etiam avus, si vivit adhuc tibi poterit narrare. *Ch.* Ergo siquidem illa talis est, septum hoc jam auferatur, nosque mutuò amplexemur, osculemur, & verè coëamus. Philematium verò longum valeat.

IOESSA, PYTHIAS, ET LYSIAS.

Ioessa. Ludos me facis Lysia? Rectè sanè, siquidem pecunias abs te nunquam poposci, nec alterum intus esse dicendo te venientem exclusi: neque, uti facere solent aliæ meretrices, te coëgi, ut decepto patre, aut suppilata matre, aliquid mihi afferres: sed inde statim ab initio te immunem gratis intrò recepi. Scis quàm multos amatores dimiserim? Ethoclem, qui nunc est senator, & Passionem nauclerũ, & coætaneum tibi Melissum, etsi nuper sit mortuus pater ejus, & facultatum dominus evaserit. Ego verò te, Phaonem meum, solum habebam, neque aspiciens, neque admittens alium quenquam prętér te. Demens enim ego, vera esse arbitrabar, quæ jurabas: & ob hoc animum tibi advertens, perinde atque Penelope illa, castè me gerebam, increpante ob hoc matre, & apud amicas accusante me. Tu verò posteaquam intellexisti me tibi esse addictam, quæ tui amore contabuerim, nunc quidem cum Lycæna colludebas, me vidente, ut mihi ęgrè faceres: nunc verò mecum accumbens, Magidiũ psaltriam illam laudabas. Ego verò ob hæc lachrymor, & sentio contumeliam. Paulò autem antè, quando compotabatis, Thraso, & tu, & Diphilus, aderant & tibicina Cymbalium, & Pyrallis quæ inimica mihi est. Quod cũ scires, non valdè curavi quòd Cymbaliũ quidem osculatus es quinquies: talem enim osculando, te ipsum contumelia afficiebas: Pyrallidi autem quàm multa innuebas: ac bibens, illi quidem poculum commonstrabas, puero autem reddens, in aurem jubebas, ut nisi Pyrallis id postularet, alteri nemini infunderet. Postremò autem, etiam demorso malo, quum videres Diphilum occupatum (tum enim cum Thrasone loquebatur) inclinatus, aptè in sinum ipsius jaculabaris, ne operam quidem dans ut me lateres. Illa autem exosculata, inter mammas sub fascia illud insertabat. Quorsum igitur hæc facis? Qua te seu parva, seu magna injuria affeci? aut quid ægrè tibi feci? Quem alium aspexi? an non tibi soli vivo? Non magni facis hoc Lysia, quòd miseram mulierculam tui amore insanientem mœrore afficis? Dea est Adrastea, quæ talia videt Tu verò mœrebis aliquando, quum fortè audieris, me jacere, vel laqueo à me ipso suffocatam, aut in puteum præcipitatam, aut quemcunque mortis modum invenero, ne videre me tibi amplius sit molestum. Ac tum gloriaberis tanquã gesta re magna & splendida. Quid me limis oculis aspicis, & dentibus infrendes? Nam si quid est, cur me accuses, dicas licet. Pythias hæc inter nos judicet. Quid hoc? ne dato quidem responso, hinc abis me relicta? Vides Pythias qua injuria afficiar à Lysia? *Pyt.* O feritatem! nam qui lachrymis non flectitur, lapis est, non homo. Sed si verum profiteri convenit, tu Joessa, perdidisti ipsum perditè amans, & illud ipsi palam faciens. Oportebat autem ipsum non nimis amare. Insolentes enim fiunt, quũ hoc sentiunt. Desine lachrymari misera: & si me audies, semel, atq; iterum exclude venientem. Ipsum enim inflammari, & vicissim verè insanire videbis. *Io.* At ne dixeris quidem, apage, ut ego excludã Lysiam? utinam ne ipse à me deficiat modò. *Py.* At rursus huc revertitur. *Io.* Perdidisti nos Pythias, fortassis audiit te de exclusione verba facientem. *Lys.* Non hujus causa, Pythias, huc reversus sum, ut quam ne aspexero quidem amplius, talis cùm sit: sed tui gratia, ut ne damnes me, ac dicas, iracundus est hic Lysias. *Py.* At equidem dixissem Lysia. *Lys.* Ferre igitur me vis Pythias, Joëssam hanc, quæ nunc lachrymatur, cùm ipse supervenerim ei aliquando cum adolescente concumbenti, & à me desciscenti? *Py.* Lysia, in universum quidem est meretrix. Sed quando concumbentes ipsos deprehendisti? *Ly.* Sextus ni fallor dies hic est, per Jovem, sextus utique (fuit enim mensis ineuntis secundus) hodie verò septimus est. Pater igitur cum sciret, me probam hanc videlicet amare jam olim, domi me conclusit, dato janitori mandato ne aperiret. Ego verò, non enim ferebam ab hujus congressu prohiberi me, Dromonem jussi, ut muro atrij, qua parte humilimus erat, acclinatus in tergum me reciperet: nam hoc pacto minori negocio ascensurus eram. Quid multis opus est? transcendi, veni, atrium diligenter occlusum offendi. Jam enim nox erat media. Itaque neque pulsavi tum, sed attollens, sensim januam (jam autem illud aliàs feceram) transversum acto cardine, sine strepitu sum ingressus. Dormiebant autem omnes, atque ita contrectato pariete, (ut fit in tenebris) ad lectum adstiti. *Io.* Quid dices? ô Ceres, nam ferè deficio. Cum autem animadverterem non unum esse anhelitum: principio quidem putabam Lyden unà cum ipsa dormire: sed aliter multò res erat Pythias. Nam ubi contrectare cœpi, deprehendi imberbem quendam, tenerum admodum, ad cutem usque detonsum, unguenta etiam ipsum olentem. Hoc ubi sensi, si gladio instructus venissem, segnis non fuissem, sat scitote. Quid ridetis Pythias? an risu digna dicere vobis videor? *Io.* Hoccine Lysia acerbum tibi fuit? Pythias hæc mecum dormiebat. *Pyt.* Ne dicas illi Joessa. *Io.* Cur non dicam? Pythias erat, ô charissime, à me tum accersita, ut unà mecum dormiret. Ægrè enim erat mihi quòd te non habebam. *Ly.* Pythias erat, ille ad cutem usque detonsus? Ita-ne multam intra sex dies, iterum produxit comam? *Io.* Eo quòd ægrotavit, abrasa est: nam ipsi defluebant crines: nunc autem galericum gerit. Ostende Pythias, ostende rem ita habere se, ac fidem illi fac. En tibi mœchum illum adolescentem, quem zelotypia prosequebaris. *Ly.* Quid? an hoc non decebat, præsertim amantem qui ipse contrectaverat? *Io.* Nunquid tu jam adductus es ut credas? porrò vis ut etiam ipsa meritò vicissim irascens, vicissim ægrè tibi faciam? *Ly.* Nequaquam: sed bibamus jam, Pythiasque hæc unà nobiscum: æquum enim est ipsam iciendo fœderi interesse. *Io.* Aderit. Qualia mihi propter te acciderunt, ô generosissime adolescentum Pythias! *Py.* At idem ipse vos reconciliavi. Quare noli mihi succensere. Cæterùm vide quæso Lysia, ne cui de coma quicquam dixeris.

LEONTYCHVS, CHENIDAS, & Hymnis.

Leontychus. In pugna autem contra Galatas, dic ô Chenida, ut ante cæteros equites, equo candido insidens, cursu prævectus sum: ut Galatæ, quanquam fortes bellatores, continuò trepidarunt, ut me viderunt, nec ullus ampliùs substitit. Tunc igitur ego contortà hasta, ipsorum equitum præfectum, equumque transverberavi. Contra eos autem ꝗ conferti resistebant (erant enim nonnulli qui persistebant, phalange quidem soluta, in quadrangulam autem aggregatis ipsis) contra illos stricto gladio, totisque animis impetu facto, septem circiter ipsorum præfectos equi incursu subverto: & impacto gladio, unius manipularij ducis caput unà cum ipsa galea, in duas partes disseco. Vos autem Chenida fugientibus jam illis, paulò pòst supervenistis. *Ch.* Quum enim Leontiche, circa Paphlagoniam, singulari prælio cum satrapa illo congressus es, an non tum quoque magnum facinus edidisti? *Le.* Pulchrè commonuisti facinoris etiam illius nequaquam ignavi. Nam cum is satrapa maximus, omniumque sententia inter gravis armaturæ milites præstantissimus, contemptis Græcis, in medium prosiliens, provocabat siquis cum ipso singulari prælio decertare vellet, alij quidem metu perculsi sunt, manipularij, præfecti, centuriones, & ipse imperator, homo alioqui non ignavus. Nam Aristæchmus tum Imperator exercitum ducebat, Ætolus, idemq; jaculator optimus. Ego verò tum adhuc tribunatum gerebam: sed tamen fidens animo, & socijs qui me prehensum detinebant, amotis: metuebant enim mihi, aspicientes barbarum illum inauratis armis resplendentẽ, magnumque & crista terribilem, hastamque quatientem. *Ch.* Nimirum ego quoque tum metui Leontiche, & scis quo pacto instabam tibi precando, ne primus in periculum venires: quòd te mortuo vita mihi non vitalis erat futura. *Le.* At ego audacter in medium prodivi, non deteriùs illo Paphlagone armatus, sed & ipse totus auro collucens. Quare clamor statim & à nostra, & à barbarorum parte coortus est. Nam illi me conspicati in primis ex pelta, & phaleris, & cristis agnoverunt. Dic Chenida, cum quonam me tunc comparabant? *Ch.* Cum quonam alio, quàm cum illo Thetidis & Pelei filio Achille per Jovem? Ita decebat quidem te galea, efflorebat autem purpura, & rutilabat pelta. Postquam autem congressi sumus, barbarus ille prior vulnerat me, hasta tantillum attingens, paulum supra genu. Ego verò adacta per clypeum lancea, pectus ipsius transverbero. Inde accurrens cervicem quoque gladio facilè amputo: ejusq; reportatis armis redij, unà etiam caput hastæ infixum ferens, cæde madẽs. *Hy.* Apage Leontiche, fœda hęc, & terribilia de te narras: neq; verò te amplius, ne aspexerit qdẽ aliquis, ita cruore gaudentem, nedum bibat tecũ, aut cõcumbat. Ego igitur hinc abeo. *Le.* Duplicẽ accipe mercedẽ. *Hy.* Nõ possim cũ homicida cõcumbere. *Le.* Ne metuas, Hymni, nã illa apud Paphlagonas sunt gesta: nunc a. pacẽ ago. *Hy.* At es homo detestandꝰ: & cruor ex illiꝰ barbari capite, ꝙ infixum lancęę portabas, in te distillabat. Ego-ne talẽ virum amplectar, & osculer? absit ô Gratię: neq; enim hic melior est carnifice. *Le.* At si me in armis vidisses, Hymni, sat scio amasses. *Hy.* Audiẽs solũ hæc, Leõtiche, nauseo, atq; horreo, & umbras, manesq; cæsorũ videre mihi videor: in primis manipularii illiꝰ p̄fecti miseri, cujꝰ caput in duas partes disse-

quisti.

euiſti. Quid putas igitur? ſi ipſum opus aſpicerem, & cruorem manantem, & jacentium cadavera? emoritura certè mihi videor, ut quæ ne gallum quidem gallinaceum occidi viderim unquam. *Le.* Ita-ne mollis es Hymni, & puſillanimis? At ego te his audiendis delectari putabam. *Hy.* At hujuſmodi narrationibus oblecta, ſi quas Lemniades, aut Danaides invenias. Ego verò hinc ad matrem curriculo abeo, dum adhuc dies eſt. Tu quoque Gramme, ſequere: tu verò vale tribunorum optime, & quotquot hominum volueris, occiſor. *Le.* Manè quæſo, Hymni, mane, abijt. *Ch.* Nempe Leontiche, puellam ſimplicem territaſti, concutiendo criſtas, & incredibilia quædam præclarè facta commemorando. Ego verò ſtatim videbam ut expalleſcebat, cùm adhuc ea quæ in manipularium illum præfectum geſſeras, narrares, & contrahebat vultum, & ſubhorreſcebat, poſtquam etiam diſſecuiſſe te caput ipſius dicebas. *Le.* Putabam me ipſi amabiliorem viſum iri. Sed & tu me perdidiſti Chenida, qui me ſingularis certaminis ſubmonuiſti. *Ch.* Annon decebat me quoque mentiri tecum quando cauſam arrogantiæ iſtius videbam? Sed tu longè terribilius illud feciſti. Eſto enim, amputaris infœlicis iſtius Paphlagonis caput, cur idem etiam lanceæ affixiſti, ita ut cruor in te deſtillaret? *Le.* Hoc revera eſt fœdum, Chenida. Nam cætera quidem non malè conficta fuerant. Abi igitur, & perſuade illi ut mecum dormiat. *Ch.* Dicam-ne te iſta omnia mentitum eſſe, dum generoſus ipſi videri affectas? *Le.* Turpe hoc, Chenida. *Ch.* At non redibit alioqui. Proinde alterum ex his elige, ut vel odio habearis dum præclarus bellator videri vis, vel hæc te mentitum eſſe confitearis, & cum Hymnide dormias. *Le.* Difficile ſanè utrumque eſt: ſed tamen Hymnidem habere malo. Abi itaque, ac dic illi, Chenida, mẽtitum quidem eſſe me, non tamen omnia.

DORIO, ET MYRTALE.

Dorio. Nunc me excludis Myrtale? nunc quando propter te inops evaſi? At quando tibi afferebam tam multa, amaſius, vir, dominus, eram omnia. Sed poſtquam ego planè jam ſum exhauſtus, & tu Bithynum illum mercatorem inveniſti, qui te amet: ego quidem excludor, & ante fores ſto lachrymans, ille verò tota nocte baſiatur, & ſolus intus eſt, & tecum pernoctat, & te ex eo prægnantem eſſe dicis. *Myr.* Iſta me enecant Dorio, & maximè quum dicis te multa mihi dediſſe, & ad inopiam propter me redactum eſſe. Omnia igitur à principio ſupputa, quæ mihi attuliſti. *Dor.* Rectè ſanè Myrtale, ſupputemus. Primum calceos Sicyonios, duabus drachmis emptos. Pone duas drachmas. *Myr.* At concubuiſti noctes duas. *Dor.* Et quando ex Syria veni, alabaſtrum unguenti Phœnicij, duabus & hoc drachmis emptum, per Neptunum. *Myr.* At ego tibi cùm hinc navigares, parvam illam tuniculam dedi, ad femora uſque demiſſam, qua remigando utereris, quam Epiurus proreta, quando mecum dormierat, per oblivionem hîc intus reliquerat. *Dorio.* Verùm cognitam illam in Samo, nuperà me rurſum abſtulit Epiurus, non ſine magna, ô Dij, pugna. Cepas autem ex Cypro, & ſaperdas quinque, & percas quatuor, tibi attuli, quum ex Boſporo navigavimus. Quid ergo? etiam panes octo nauticos, in caniſtro ſiccos, & caricarum dolio-lum ex Caria: & poſtea ex Pataris inaurata ſandalia, ô ingrata. Magnum etiam caſeum aliquando memini afferre me tibi ex Gythio. *Myr.* Quinque fortaſſis drachmarum, Dorio, omnia hæc. *Dor.* O Myrtale, quantum equidem potui, homo nauta, mercede navigans. Nunc enim jam lateri dextro ſum præfectus, & tu nos contemnis? Nuper autem quando Aphrodiſia celebrabantur, nonne drachmam argenteam, tui cauſa poſui ante pedes Veneris? & rurſum matri duas drachmas ad calceos dedi: & huic Lydæ in manum ſæpe nunc duos, nunc quatuor obolos. Hæc omnia in unum computata, viri nautæ ſunt facultates. *Myr.* Cepæ illæ, & ſaperdæ, Dorio? *Dor.* Ita certè, non enim plura afferre potui. Non enim remigarem, ſi dives eſſem. Cæterùm matri meæ, ne caput quidem unum allii unquam attuli. Libenter autem ſcirem, quænam à Bithyno illo dona acceperis. *Myr.* Primùm tunicam hanc vides? eam ille emit, & hoc monile craſſius. *Dor.* Ille-ne? nam ego te jam habere noram. *Myr.* At quod tu noras, multò tenuius erat, nec ſmaragdos habebat. Deinde & has inaures, & tapetem: & nuper duas minas. Penſionem quoque domus pro nobis exoluit, non ſandalia Patarica, & caſeum Gythiacum, & id genus nugas. *Dor.* At non dicis quali cum viro concumbas? uxorem duxit ſupra annos omnino quinquaginta natus, calvus, & colore ſimilis carabo. Neque etiam dentes illius vides? Nam gratiæ quidem ô Dioſcuri, multæ. Et præcipuè quoties cantat, & delicatus eſſe vult, aſinus ad lyram, ut dici ſolet. Sed tu digna utique, eo fruere: ac puer vobis naſcatur patri ſimilis. Ego verò & ipſe inveniam Delphidem, aut Cymbalium aliquã meæ conditionis: aut vicinã veſtram tibicinam, aut omnino aliquam. Tapetas autem, & monilia, & duarum minarum mercedem, non omnes habemus. *Myr.* O beatam illam, quæ te amatorem habebit, Dorio. Siquidem illi ex Cypro cepas afferes, & caſeum quum ex Gythio navigabis.

COCHLIS, ET PARTHENIS.

Cochlis. Quid ploras Partheni? aut unde fractas haſce tibias affers? *Parth.* Miles Ætolus ille magnus, qui Crocalen amat, alapas impegit mihi, cùm me apud Crocalen tibia canentem inveniſſet, à rivali ſuo Gorgo conductam: & meas haſce tibias fregit, ac menſam inter cœnandum evertit, & craterem irrumpens effudit. Et agreſtem quidem illum Gorgum, ex ſympoſio capillis abſtractum verberarunt circunſtantes, cùm ipſe miles (Dinomacho, opinor, nomen illi eſt) tum ipſius commilito. Itaque neſcio an victurus ſit homo, Cochli. Nam & cruor multus è naribus manavit, & tota facies ejus intumuit, lividaque eſt. *Co.* An inſanijt homo, an hæc temulentia fuit, & ex ebrietate inſolentia? *Par.* Zelotypia fuit, Cochli, & amor enormis. Crocale autem petitis, opinor, duobus talentis, ſi ſolus ipſam habere vellet, quia nihil dabat Dinomachus: ipſum quidem venientem excluſit, illiſa utique illi janua, ut ferebatur: Gorgum autem Oenoenſem, agricolam quendam prædivitem, jamdiu amantem, facilem probumque hominem admittens, potabat cum eo, me quoque aſſumpta, ut tibia canerem apud ipſos. Cæterùm cùm jam procederet convivium, ego quidem Lydium quoddam carmen cantillare cœpi: & ruſticus ille jam ſurgebat, ut ſaltaret. Crocale verò applaudebat: & jucunda erant omnia. Interim ſtrepitus exauditur, & clamor, domuſque janua exterior effringitur. Paulò pòſt irruerunt octo circiter adoleſcentes, admodum robuſti: & inter eos Megarenſis ille. Ilico igitur everſa ſunt omnia: Gorgus, ut dixi, verberatus, & conculcatus cùm jaceret humi. Crocale verò neſcio quo pacto protinus ad Theſpiadem vicinam aufugit. Mihi verò Dinomachus, inflictis alapis: diſpereas, inquit: & fractas tibias mihi abjecit. Et nunc currens abeo, ut hæc hero meo dicam. Abit etiam agricola quoſdam ex urbe amicos viſurus, qui Megarenſem illum magiſtratibus tradant. *Co.* Hic ille eſt fructus quem ex militaribus hiſce amoribus percipere licet, plagæ ſcilicet, & lites. Cæterùm cùm ſe duces & Tribunos eſſe jactitent, ſiquid dandum ſit, expecta, ajunt, dum tributum conferatur, & ſtipendium accipiam, atque omnia tum præſtabo. Itaque pereant hi jactatores: & rectè ego facio, quæ ipſos omnino non admitto. Obveniat mihi piſcator aliquis, vel nauta, vel agricola paris conditionis, qui parum adulari norit, multaque afferat. At hi qui criſtas quatiunt, & prælia commemorant, nihil ſunt aliud, Clartheni, quàm inanes ſtrepitus. *Hactenus Luciani Meretricum Dialogi.*

Libanius: Valeat mihi genus lenonum: non amplius duobus aut tribus obolis accedenti veneo. Auferet aliquis amatorum donaria Veneri à me appenſa: præteritorum memoria mihi tædio eſt, deque ea conqueror. Roſam rapiebam, inverecundiam exercebam, pejora ſomniabam. Id operam dabam, ut noctem die fœdiorem redderem. Cum adhuc quempiam amplexarer, vicinum venabar, cavillabar in propinquum inſuſurrans. Mens erat graſſator: amabam & oſculabar abdicatum. Domum refertam habui viris obſcænis. Sed jam animum expio mentemque purgo. Venerem, fugio, amo Minervæ æquitatem, ex legis præſcripto, thure ſacra faciam, ut hoc ſcripti vim habeat. Fas tibi mulier & continere te & fugere Salaciam, ne impietati tuæ prætexas mihi Venerem. non occluſum eſt temperantibus delubrum ſupplicandi cauſa. Vitat etiam Cypris conjugium petulans, & laſcivum: ubi ſæpe pater ignorat ſatum quem ſevit. Secundus prioris ſemen ſibi vindicat: ac promiſcua ſunt genera, atque omnia profanus cultus procreat. hæc & ſcribo & ſcribam, hiſque utar. forte an aliarum turpem & acerbam officinam de medio tollam. *Verbis meretricis reſipiſcentis.*

Libanius: Quot nuptæ dum maritos una cum Laide degentes cernerent, viduitatem deflerunt, quæ ne cum liberis quidem calamitatem ſolari queunt? Hæc obſtitit quominus multi liberos ſuſciperent, quibus præſidium & ſecuritatem urbes accipere ſolent; & eorum copia ſuperiores hoſtibus fieri. copiæ certè florent adjecta ſemper ætate quæ labores ſuſtinere poſſit, & militantes pro ſobole ſua periclitando honeſtè procumbere malunt, quàm cum liberis vivendo ſervire. horum curam Lais præſens civibus eripit. *Declamat. 25.*

Libanius: Genius quidam pravus Laida in urbem invexit, ad venandam juventutem, & ad illicitas voluptates inſtigandam, admodum peritam, itemque idoneam ad locupletem civitatem inopem reddendam. Nam meretrix juventutis eſt illecebra, & ad rem faciendam ex ejuſmodi quæſtu edocta: hæc multas pecuniis domus ſpoliavit: interdum fingens divitem adoleſcentem amare, donec ſuccenderit deſiderio quo carebat: interdum verò fugiens amatorem, & propenſa in alium: ad profuſiorem pecuniarum largitionem provocat: interdum ad bellum rivales irritans, & ad decertandum inter ſe muneribus, per quæ tantum victoria paratur ei qui dando alterum ſuperavit. talem ſiquidem artem callent meretrices, ineſcando juvenes, ut facultates in eas impendant.

Nam qui veſanè amat, tolerabilem putat egeſtatem: quin mallet, credo, cum penuria vivere, quàm rivalem cernere à deſiderata honoratum. hinc fit ut urbs utraque ex parte ab ipſa vaſtetur: omnes enim opes ad ipſam ferebantur, cupidè largientibus amatoribus, & conantibus ipſam pecuniarum profuſione magis familiarem & addictam ſibi reddere: proinde juventus nulla in re amplius utilis urbi fuit, exercitationis bellicæ negligens, & ad Laidis januas occupata. ſæpenumero mulie-

mulieres graves & ſtolatas ad æmulationem vitæ excitavit hæc opulenta valde & expetita pleriſq;. *Declam.25.*

Libanius: Conſuetum eſt ijs qui ſcortum appetunt, ut id quo maximè uxores oblectari cernunt, ſurripiant, ſcortillis amiciſque donent, indicantes quanto meretricem ei præferant quæ à lege data eſt. *Declam.25.*

Mox: Solet meretrix etiam frugalem & temperantem ad virtutis contemptum adducere, & elegantibus dictis allicere ad amores.

Simocatta: Meretriciis voluptatibus nihil inconſtantius. Infida ſunt tuorum labiorum oſcula. Amor enim non planè inſitus, citiùs areſcit. Ego pudicitiam inpoſterum voluptatis expertem apud vulgus magis probabo. Promittit enim ſtabilitatem, & dotibus conjugium emam. Nam meretriciam fidem emere difficile eſt ac arduum. *Epiſtola 75.*

Ælianus: Ipſum etiam nomen cauſa eſt pecuniæ colligendæ ab his qui mecum conſuetudinem habere volunt. Docet enim me pulchritudinem etiam corporum, fructibus ſimilem eſſe. Donec igitur viget, conſentaneum eſt etiam atque æquum, beneficium pro eo recipere. Si verò defluxerit, quid aliud nos erimus quàm arbor fructibus & foliis juxta carens. Atqui natura datum eſt illis ut revireſcere poſſint, Meretricis autem unum eſt frugum tempus. Hinc igitur oportet providere ac conſulere ſenectuti. *Epiſtola octava.*

Idem: Serò tandem cognovi te mihi optimum conſilium dediſſe, docentem ut fugerem ac vitarem meretrices. Ad accipiendum enim inhiant, & ſe amare ſimulant, atque excludunt continenter, & quod omnium eſt mihi graviſſimum, antequam impleantur, & ſaturæ efficiantur, nolunt concumbere. Sed tergiverſantur ac ſeipſas comminuunt, deinde comedunt rurſus & clàm omnia comminuunt ac devorant, plus etiam quàm qui opus ruri faciunt. Nobis verò præſentibus deliciantur. *Epiſt.9.*

Alciphron: Fugis me ô Phœbiana fugis, idque cùm nuper totum agrum abſtuleris. Quid enim ex meis bonis non accepiſti aut non habes? non ficus, non caſeum ex corbibus: non duæ gallinæ, non reliquæ tibi delitiæ omnes ſunt à me? Adeò me totum tu juxta proverbium everſum ſub jugum coegiſti. Tu verò nullam habes formã me medullitus ardẽte. Sed vale, & abi. Ego verò graviter quidem feram, at feram tamen ignominiam. *Epiſt.27.*

Alciphron: Vellem meretricis familiam lachrymis ali ac ſuſtentari. Etenim ſplendidè mecum ageretur, cùm affatim his abs te fruerer, Nunc verò auro nobis eſt opus, veſtibus, ornatu, ancillis. Hinc pendet omnis vitæ ratio atque cura. Non eſt mihi in Myrrhinunte paternum prædiolum, neque in argento aut ære metallum, ſed ſtipendiola & hæc infœlicia, deplorataque væcordium amatorum munera. Tecum verò annum nunc conſuetudinem habens, moleſtia afficior, & ſordidum habeo caput, quòd toto hoc tempore ne viderit quidem unguentum. Veteribus autem & laneis Tarantinidiis me veſtitam pudet apud amicas. Ita mihi bonum aliquod obveniat; & tu putas me tibi aſſidentem alicunde quæſituram? Sed lachrymaris? At Brevi deſines. Ego verò niſi quis donum adferat, pulchritudinem deſiderabo.

Admiror autem tuas etiam lachrymas. Nihil enim proficiunt. Domina Venus, amas homo dicis & vis Amaſiam tecum loqui. Nam ſine illa vivere non poſſe: cur igitur non ſunt pocula in ædibus vobis, non aurum matris, non æs patris allaturus? Beata Philotes, faventioribus oculis illam aſpexerunt Charites, qualem amatorem habet Meneclidem, qui quotidie dat aliquid. Melius eſt enim quàm flere. Nam ego miſera lugubrem cantorem non amatorem habeo. Coronulas mihi & roſas importuno ſtupore mittit, & ſe totam noctem lachrimando dicit conſumere. Si quid attuleris, veni ſine lachrymis. Sin minùs, teipſum non etiam nos mœrore affliges. *Epiſtol.36.*

Alciphron: Non meo amori vacat Diphilus, ſed totum ad impuriſſimam Thettalen ſe inclinavit, & uſque ad Adonia quandoque commeſſabundus ad nos & dormiturus veniebat. Nunc verò quaſi tergiverſatur & Amaſium ſeipſum facit, & ut plurimum cum inebriatus eſt, ab Helice ducitur. Nam ille Herpyllidis amori deditus apud nos tempus & otium terere ſolebat. Jam verò perſpicuum eſt eum omnino nos conventurum. Quatuor enim ex quo die in Lyſidis horto cum Thettala & perditiſſimo Strongilione, qui hanc Amaſiam ei præparavit, mihi inimicus, commeſſatur. Literæ verò & famularum diſcurſationes fruſtrà fuerunt, neque quicquam emolumenti pepererunt. Immo videtur mihi potiùs ob hæc animũ extuliſſe & nobis illudere.

Reliquum eſt igitur ut excludamus, etiamſi dormitum ad nos venerit, ſiquidem in illius amore velit perſiſtere. Etenim ſuperbia contempta atque neglecta frangitur. Quòd ſi ne ſic quidem aliquid effectum fuerit, vehementiore nobis, utpote graviter laborantibus, remedio eſt opus. Minimè enim ferendum eſt non ſolùm, ſi privabimur ſtipendiis, quæ ab eo proficiſcuntur, verùm etiam ſi Thettalæ ridendi nos materiam præbebimus. Eſt tibi probatum, ut ais perſæpe in adoleſcentia Philtrum. Ejuſmodi quodam indigemus auxilio, quòd nimium ejus faſtum, atque etiam temulentiam tollat atque extinguat.

Denunciabimus autem ei & lugebimus ad veritatem aptiſſimè, & ultionem oportere eum videre, ſi me ſic negliget ſui amantem, aliaque id genus dicemus atque fingemus. Veniet nimirum adductus miſericordia, quæ tantopere eum depeream. Meminiſſe enim præteriti temporis & conſuetudinis, æquum & honeſtum eſſe dicit inflans ſeipſum Laſtaurus. Accommodabit etiam ſuam operam nobis Elix. Ad illum enim Herpyllis ibit. At ſolent includere Philtra & conjicere in interitum. Id parùm curo. Oportet enim eum aut mihi vivere, aut Thettalæ mori. *Epiſt.37.*

Alciphron: Diſceſſit Bacchys formoſa Euthycles amiciſſime, diſceſſit relictis mihi innumerabilibus lachrymis & amoris ſuaviſſimi fine, non mali memoria. Nunquam enim me Bacchidis capiet oblivio. Non veniet illud tempus. Quantum dolorem oſtendit. Defenſionem illam vitæ meretricum ſi quis appellet non aberraverit. Et ſi convenientes ex omnibus terrarum partibus univerſæ, ſtatuam quandam ei in Veneris, aut Gratiarum templò erigant, dextrum quoddam & juſtum facinus mihi facere videntur.

Etenim quod vulgò jactatur, malitioſas eſſe, infidas, ad lucrum duntaxat reſpicere, ſemper danti adhærere, omnis denique mali cauſas eſſe his qui cum ipſis verſantur, id ſuo exemplo vitaque injuſtam eſſe calumniam redarguit. Adeò ſuos mores infamiæ communi opponebat. Noſti Medium illum qui à Syria navigans huc appulerat, quanta cum famulorum turba & apparatu incedebat, Eunuchos pollicebatur, & famulas, & mundum quendam Barbaricum. At tamen eum invita admiſit, ſed ſub mea quamvis tenui & vulgari hac veſtè requieſcere volebat, & noſtris muneribus levidenſibus acquieſcẽs, illa ſatrapica, & aurata dona repudiabat. Quid verò Ægyptium negotiatorem quemadmodum rejecit, quantam dij boni ſummam argenti promittentem. Nihil ſat ſcio melius illa fieri potuit. Quàm bonum animum non ad fœlicem vitæ conditionem aliqua fortuna extulit. Tum diſcedit nobis relictis, & jacebit in poſterum ſola Bacchis, quàm iniqua res ô charæ parcæ. Oportebat cum illa me nunc etiam jacere, quemadmodum tunc. At ego ſuperſtes ſum & victu fruor, & cum ſodalibus ſermones miſcendo. Illa verò non ampliùs hilaritatis plenis oculis me ſubridens, aſpiciet, neque propitia atque benevola noctem perdet jucundiſſimis illis ſuppliciis.

Nuper quidem quemadmodum loquebatur, quemadmodum vidit, quot in ejus colloquiis inerant Sirenes. Quàm verò ſuave & immortale nectar ab oſculis manabat, in ſummis ut mihi perſuadeo ejus labris ſuada ſedit. Toto illa ceſtu cincta erat, totis Gratiis Venerem complexa. Evanuerunt illæ inter potandum cantationes, & eburneis digitis pulſari ſolita Lyra evanuit. Jacet omnibus adamata gratiiſque muta, lapis & civis. Et Megara quidem immane ſcortum vivit, quæ Theagenem ita crudeliter deprædata eſt, ut ex tam ſplendidis facultatibus miſer arrepta Chlamydula & ſcuta in militiam profugerit. Bacchis verò ſuum amatorem amore proſecuta vitam obiit. Certè levatus ſum tibi conquerendo ac deplorando Euthycles amiciſſime. Volupè namque mihi eſt de illa loqui tum ſcribere, quandoquidem prẹter memoriam nihil relinquitur. *Epiſt.38.*

Dionyſius Sophiſta: Scio ſuperbas & inſolentes meretrices ita facere ſolere, & quidvis amatoribus imperare velle. Sed illæ norunt etiam obedire cùm jubent. Tu verò Laidem Corinthiam, promptè quidem jubendo, imitaris, vix autem obediendo. *Epiſtola 39.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus: Sive, judices, malignitas eſt perſuaſionis humanæ, formam vacantem vocare meretricem, ſeu miſeræ nomen id impoſuit aliquis amator, cui cùm corporis bonis fortuna non dederat unde ſeveri matrimonii caſtitati ſufficeret, laboravit neceſſitatum ſuarum cuſtodire probitatem. Nullius unquam per hanc matrimonii turbata concordia eſt. Nemo queſtus eſt pro filio pater. Nemo exhauſtas facultates in avidiſſimos ſinus pœnitentiæ dolore deflevit. *Declam.15.§.1.*

Quintilianus: Ac iſta ſeria, gravis, quæ nunc amari recuſat, ô quam voluit amari! quibus artibus, qua calliditate, miſeram ſimplicitatem meam ſollicitavit primùm, deinde tenuit, donec quantulamcumque ſubſtantiam in hujus ſinus, credulus jam, jamque ſecurus amator egererem. Pauperem me fecit, deinde ferre non potuit. *Declam.14.§.2.*

Quintilianus: Veneficium, judices, tota vita meretricis eſt. Parum ſe lenociniis, parum putant agere mendaciis. Et cum omnis ad expugnandas mentes cura collata ſit, non ſufficit tamen ut de ſui charitate corpori credant. In hoc noctium dierumque ſolicitudo conſumitur; quemadmodum de libidinibus fiat affectus, qua ratione tranſcurrentia cotidie deſideria teneantur: ne cui proſit offenſa, ne quem explicet pudor, ne quem ſatietas aliquando dimittat. *Declam.14.§5.*

Quintilianus: Dii Deæque, quantum in hoc contumeliæ eſt, quod ſibi meretrix videtur adamata? Tu tibi cujuſquam affectus cenſoria gravitate præſtabis? Tu tibi æſtimare permittes, quàm frequenter aliquis lupanar intret? Tu cui non licet excludere debilitates, faſtidire ſordes, expoſita ebrietatibus, addicta petulantiæ, &, quæ noviſſima vilitas eſt, noctibus populoque conceſſa, mores juventutis emendas? *Declamatione decimaquarta §.1.*

Idem: Non ego alicujus matrimonij corruptor invigilo, nec efferas cupiditates per illicitos duco complexus. Inventas credo meretrices, ut esset aliquid quod liceret amare pauperibus. nullam ego circa corpora ista consistere impatientiam puto. Diliguntur immodicè sola quæ non licent. Ut in furorem charitas aliqua convalescat, opus est difficultatibus. Brevis de concessis, sed statim satietati vicinus affectus est. non fovet, non nutrit ardorem concupiscendi, ubi frui licet; & quæcumq; in mentibus circa permissa coalescunt, non sunt desiderii sed voluntatis. *Declam.14.§.9.*

§ POETARUM.

Aristophanes pace v.980.

Accipe pretiosissima per Iovem,
Accipe: nec fac quod facere solent
Dum mœchantur femina adulteræ:
Quæ reclusis paulum foribus
Vix se ostendunt despicientes,
Si quis ad ipsos studiose venit.
Regrediuntur:
Qui si abscesserit, iterum intervident.
Tu nihil in nos fac Dea ejusmodi.
Quin potius te pandas totam,
Prout decet ingenuas.

Plautus Asinariæ 1.sc.3.

Solus si ductem referre gratiam nunquam potes.
L. Solus ductato, si semper solus quæ poscam dabis.
Semper tibi promissam habeto hac lege dum superes datis.
A. Qui modus dandi? nam nunquam tu quidē expleri potes.
Modo quidē accepisti: haud multò aliqd post q poscas paras.
L. Quid modi est ductandi, amandi? nunquā ne expleri potes?
Modo remisisti: continuò jam ut remittam ad te rogas.
A. Dedi equidem quod mecum egisti. L. & tibi ego misi mulierem.
Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.
A. Male agis mecum. L. quid me accusas, si facio officium meum?
Nam neque usquam fictum, pictum, scriptumve in poematis,
Vbi lena bene agat cum quiquā amante, quæ frugi esse vult.
A. Mihi quidem te parcere æquum est tandem, ut tibi durem diu.
L. Non tu scis, quæ amanti parcet, eadem sibi parcet parum.
Quasi piscis, itidem est amator lenæ, nequam est nisi recens.
Is habet succum, is suavitatem, eum quovis pacto condias,
Vel patinarium, vel assum, verses quo pacto lubet.
Is dare vult, is se aliquid posci. nam ubi de pleno promitur,
Neque ille scit quid det, quid damni faciat: illi rei studet:
Vult placere sese amicæ, vult mihi, vult pedissequæ,
Vult famulis, vult etiam ancillis, & quoque catulo meo
Subblanditur novus amator, se ut eum videam gaudeat.

Plautus Bacchid.1.sc.1.v.20.

Quid est quod metuis? ne tibi lectus malitiam apud me suadeat?
Magis illectum tuum quàm lectum metuo. mala tu es bestia:
Nam huic ætati non conducit, mulier, latebrosus locus.

Mox versu 28.

Quid amabo obticuisti? P. quia istac edepol lepida sunt memoratui:
Eadem in usu, atq; ubi periculum facias, aculeata sunt:
Animum fodicant, bona destimulant, facta & famam sauciant.
Apage à me, apage! B. ah, nimium ferus es P. mihi sum. B. malacissandus es.
Quid ab hac metuis? P. quid ego metuam rogitas? homo adolescentulus
Penetrare hujusmodi in palæstrā, ubi damnis desudascitur,
Vbi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus.
B. Lepide memoras. P. ubi ego capiam pro machæra turturē,
Vbiq; imponat in manum alius mihi pro cestu cantharum.
Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,
Pro hasta talus, pro lorica malacum capiam pallium,
Vbi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto accubet.
Apage à me: apage!

Plautus Bacchid.2.sc.2.pr.

Mirum est, me ut redeam te opere tanto quæsere:
Qui abire hinc nullo pacto possim si velim:
Ita me vadatum amore vinctumq; attines.

Mox versu 14.

Quia illa inventa est quam ille amat, vivit rectè & valet:
Si non inventa est, minus valet, moribundus est.
Anima est amica amanti. si abest, nullus est:
Si adest, res nulla est: ipsus est nequam & miser.

Plautus Bacchid.1.sc.1.v.46.

Quid? si apud te eveniat, de subito prandium aut potatio
Fortè, aut cœna, ut solet in istis fieri conciliabulis,
Vbi ego tum accubem? B. apud me, mi anime, ut lepidus cum lepida accubet
Locus hic apud nos, quamvis subitò venias, semper liber est.
Vbi tu lepidè voles esse tibi, mea rosa, mihi dicito.
Dato, quei bene sit: ego ubi bene sit, tibi locum lepidum dabo.
P. Rapidus fluvius est hic: non hac temerè transiri potest.
B. Atq; ecastor apud hunc fluvium aliquid perdundum est tibi.
Manum da, & sequere. L. aha, minimè. B. quid ita?
P. Quia istoc illecebrosius
Fieri nihil potest, nox, mulier, vinum adolescentulo.

Plautus Bacchid.2.sc.2.v.40.

Edepol, Mnesiloche, ut rem hanc natam esse intelligo,
Quod ames paratum est: quod des invento est opus.
Nam istic fortasse auro opus est. P. Philippeo quidem.
C. Atq; eo fortasse jam opus est. P. imo etiam prius.

Plautus Cistellariæ 1.sc.1.v.24.

Decet pol, mea Silenium, hunc esse ordinem
Benevolentem inter se, beneq; amicitia utier:
Vbi istas videas summo genere natas,
Summates matronas, ut amicitiam colunt,
Atq; ut eam junctam bene habent inter se.
Si idem istud nos faciamus, si idem imitemur,
Ita tamen vix vivimus cum invidia summa.
Suarum opum nos volunt esse indigentes:
Nostra copia nihilo volunt nos potesse,
Suiq; omnium rerum nos indigere,
Vt sibi simus supplices. eas si adeas
Abitum quam aditum malis: ita nostro ordini
Palam blandiuntur: clam si occasio usquam est,
Aquam frigidam subdole suffundunt:
Viris cum suis prædicant nos solere:
Suas pellices esse ajunt: eunt depressum

Plautus Cistellariæ 1.sc.v.78.

Sed ego mea culpa & stultitia pejus misera maceror:
Quia ego illum unum mihi exoptavi, qui cum ætatem degerem.
G. Matronæ magis conducibile est istud, mea Silenium,
Vnum amare, & cum eo ætatem exigere, cui nupta est semel.
Verùm enim meretrix fortunati est oppidi simillima:
Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.

Plautus Epidici 2.sc.1.v.36.

Cum illa, quam tuus gnatus annos multos deamat, deperit:
Vbi fidemq; remq; seq; teq; properat perdere.

Plautus Menæch.1.sc.3.v.10.

Superas facile ut superior sis mihi, quàm quisquam qui imperant.
P. Meretrix tantisper perblanditur, dū illud quod rapiat videt.
Nam si amabas, jam oportebat nasum abreptum mordicus.

Plautus Menæchmis 1.sc.3.v.19.

——Pallam
Cape tibi hanc, quando una vivis meis morigera moribus.
P. Hoc animo decet animatos esse amatores probos:
Qui quidem ad mendicitatem se properent detrudere.
M. Quatuor minis ego emi istanc annò uxori meæ.
P. Quatuor minæ periere planè, ut ratio redditur.

Plautus Menæchmis 2.sc.2.pr.

——Sternite lectos, incendite odores.
Munditia illecebra animo est amantium.
Amanti amœnitas malo est: nobis lucro.

Ibidem versu 26.

——Sunt hic meretrices omnes illecebræ argentariæ.

Plautus Menæchmis 2.sc.1.v.62.

Sed miror, quei ille noverit nomen meum.
M. Minimè mirum. morem hunc meretrices habent:
Ad portum mittunt servulos, ancillulas,
Si qua peregrina navis in portum advenit,
Post illæ extemplò se applicant, adglutinant,
Si pellexerunt, perditum amittunt domum.

Plautus Menæchmis 4.sc.2.v.105.

Male mihi uxor se fecisse censet, cùm excludit foras.
Quasi non habeam, quo intromittar, alium meliorem locum.
Si tibi displiceo, patiundum: at placuero huic Erotio,
Quæ me non excludet à se, sed apud se occludet domi.

Plautus Mostellar.1.sc.3 v.6.

Hæc illa est tempestas mea; mihi quæ modestiam omnem
Detexit, tectus quà fui, quam mihi amor & cupido
In pectus perpluit meum: neq; jam unquam obtigere possum
Madent in corde parietes: periere hæ oppido ædes.

Plautus Persa 2.sc.2.v.48.

Tempori hanc vigilare oportet formulam atque ætatulam:
Ne ubi capillus versipellis fiat, fœdè semper servias.
Tu quidem haud etiam es octoginta pondo. P. at confidentiæ
Illa militia militatur multo magis quam pondere.

Plautus Pœnulo 1.sc.2.v.77.

Ita me Dij ament, ut illa me amet malim quàm Dij, Milphio.
Nam illa mulier lapidem silicem subigere ut se amet, potest.

Plautus Sticho.5.sc.5.v.1.

——Ita me Venus amœna amet,
Vt ego hic jamdudum exissem simitu vobiscum foras.

Nisi

Nisi me vobis exornarem. nam ita est ingenium muliebre,
Bene cùm lauta est, tersa, ornata, ficta est: infICta est tamen
Nimioq; sibi mulier meretrix reperit odium ocyus
Sua immunditia, quàm in perpetuum ut placeat munditia
sua.

Plautus Truculenti prologo v.13.

Hæc hujus sæcli mores in se possidet:
Nunquam ab amatore suo postulat, id quod datum est:
Sed reliquum dat operam ne sit reliquum,
Poscendo, auferendo, ut mos est mulierum:
Nam omnes id faciunt, cùm se amari intelligunt.
Ea se peperisse puerum simulat militi,
Quo citius rem ab eo auferat cum pulvisculo.

Plautus Trucul.1.sc.1.pr.

Non omnis ætas ad perdiscendum sat est
Amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis.
Neq; eam rationem eumpse unquam edocet Venus,
Quam penes amantum summa summarum redit:
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis
Pereat, quotq; exoretur exorabulis.
Quot illic blanditiæ, quot illic iracundiæ
Sunt? quotq; pericla vitanda? Dii vestram fidem, hui!
Quid pejerandum est etiam præter munera?
Primum dum mirus annua, is primus bolus est.
Ob eam tres noctes utor, interea loci,
Aut aræ aut vinum, aut oleum, aut triticum
Tentat, benignúsne an bonæ frugi sies.
Quasi in piscinam rete qui jaculum parat,
Quando abiit rete pessum, tum adducit sinum.
Sin jecit rete, pisces ne effugiant, cavet.
Dum huc, dum illic reti eos impedit.
Pisces usque adeo donicum eduxit foras.
Itidem est amator, si id quod oratur dedit,
Atque est benignus potius quàm frugi bonæ.
Adduntur noctes, interim ille hamum vorat.
Si semel amoris poculum accipit merè,
Eaq; intra pectus se penetravit potio,
Extemplò & ipsus periit, & res, & fides.
Si iratum est scortum forte amatori suo,
Bis periit amator, ab re abque animo simul.
Sin alter alteri potitus est, itidem perit
Si raras noctes ducit, ab animo perit:
Sin increbravit, ipsus gaudet, res perit.

Plaut. Trucul.1.sc.1.v.58.

Nam mihi hæc meretrix quæ hic habet Phronesium,
Suum nomen omne ex pectore exmovit meo.
Nam me fuisse huic fateor summum atque intimum,
Quod amantis multò pessimum est pecuniæ.
Eadem postquam alium repperit qui plus daret,
Damnosiorem me exinde amovit loco.

Plautus Trucul.1.sc.2.v.59.

O Astaphium haud istoc modo solita es me ante appellare,
Sed blandè, cùm illuc, quod apud vos nunc est, apud me habe-
rem.
A. Dum vivit, hominem noveris: ubi mortuus est quiescas.
Te dum vivebas, noveram. D. an me mortuum arbitrare?
A. Quei potis est amabo planius? qui ante hac amator summus
Habitus est, istunc ad amicam meras querimonias referre.
Vestra herclè factum injuria, quæ properavistis olim
Rapere. otiose oportuit, diu ut essem incolumis vobis.
A. Amator similis oppidi est hostilis. D. quo argumento?
Quam primũ expugnari potis est amator, optimũ amica est.

Plautus Trucul.1.sc.2 v.71.

Non hercle occiderunt mihi etiam fundiq; & ædes.
A. cur obsecro ergo ante ostium pro ignoto alienoq; astas?
I intro; haud alienus tu quidem es. nam ecastor neminem ho-
diè
Mage amat corde atq; animo suo, siquidem habes fundum
& ædes.
D. In melle sunt linguæ sitæ vestræ atque orationes,
Lacteq;: corda felle sunt lita atq; acerbo aceto.
E linguis dicta dulcia datis, corde amarè facitis,
Amantes siquidem non danunt.

Plautus Truculento 2.sc.1.

Huic homini amãti mea hera apud nos dixit næniã de bonis:
Nam fundi & ædes obligatæ sunt ob amoris prandiũ. Verùm
Apud hunc mea hera cõsilia summa loquitur liberè. magisq;
Adeo ei consiliarius hic amicus est, quam auxiliarius.
Dum fuit, dedit, nũc nihil habet: quod habebat nos habemus.
Iste nũc id habet quod nos habuimus. humanũ facinus est factu.
Actutum fortunæ solent mutarier. varia vita est.
Nos divitem eum meminimus, atq; iste pauperes nos.
Verterunt sese memoriæ. stultus sit qui id admiretur.
Si eget, necesse est nos patiatur ali. ita æquum factũ est.
Piaculum est, misereri nos hominum rei male gerentum.
Bonis esse oportet dentibus lenam probam: arridere
Quisquis veniat, blandeq; alloqui, male corde consultare,
Bene loqui linguâ. Meretricem esse similem sentis condecet:
Quemq; hominẽ attigerit, profectò aut malũ, aut damnũ dari.
Nunquam amatoris meretricem causam noscere,
Quin ubi nil det, pro infrequente eum mittat militia domum.
Nec unquam quisquam probus erit amator, nisi qui rei inimi-
cus est suæ.
Nugæ sunt, nisi qui modò cum dederit, dare jam lubeat denuò.
Is amatur apud nos, qui quod dedit is oblitus est datum.
Dum habeat tum amet: ubi nil habeat, alium quæstum capiat.
Æquo animo ipse, si nihil habeat, aliis qui habent, det locum
Probus est amator, qui relictis rebus, rem perdit suam.
At nos male agere prædicant viri solere secum,
Nosq; esse avaras quæso, numqui malè nos agimus tandem?
Nam ecastor nunquam satis dedit suæ quisquã amicæ amator:
Neq; pol satis accepimus, neq; ulla satis poposcit.
Nam quando sterilis est amator à datis, improbus est.
Si negat se habere quod det, soli pernoctandum est.
Nec satis accipimus, satis cùm quod det, non habet,
Semper datores novos oportet quærere,
Qui de thesauris integris demum danunt.

Plautus Truculento 2.sc.4.pr.

Num tibi nam amabo janua est mordax mea,
Quò introire metuas, mea voluptas? D. ver vide!
Ut tota floret, ut olet, ut nitidè nitet!

Versu 18.

Benéne ambulasti? D. huc quidem herclè ad te bene,
Quoniam tui videndi est copia. P. Amplectere.
D. Libens. ah hoc est mel melli dulci dulcius.
Hoc tuis fortunis, Iuppiter, præstant mea.
Dáne suavium? P. Imo vel decem. D. haud istoc pauperæ es.
Plus pollicere tu quàm ego à te postulo.
Utinam à principio rei item parsissem mea,
Ut nunc reparcis suaviis. P. Si quid tibi
Compendii facere possim, factum edepol velim.

Plautus Trucul.2.sc.4.v 71.

Non audes aliquod dare mihi munusculum?
D. Lucrum hercle videor facere mihi, voluptas mea,
Ubi quippiam à me poscis. P. at ego, ubi abstuli.
D. Iam faxo heic aderit: servulum huc mittam meum.
P. Sic facito. D. quidquid autem erit, boni consulas.
P. Ecastor, munus te curaturum scio,
Ut cujus me non pœniteat, mittas mihi.
D. Num quippiam me vis aliud? P. ut quando otium
Tibi sit, ad me revisas. D. valeas. P Vale.
D. Pro Dii immortales! non amantis mulieris,
Sed sociæ unanimantis, fidentisq; fuit
Officium facere, quod modo hæc fecit mihi.
Suppositionem pueri quæ mihi credidit,
Germanæ quod sorori non credit soror.
Ostendit sese jam mihi medullitus,
Se mihi infidelem nunquam, se viva, fore.
Egone illam ut non amem? egóne ali ut non bene velim?
Me potius non amabo, quàm desit huic amor.
Ego isti non munus mittam? jam modò ex hoc loco
Iubebo ad istam quinque perferri minas:
Præterea obsonari duntaxat ad minam.
Multò illi potius bene erit, bene quæ vult mihi,
Quàm mihimet, omnia qui mihi facio mala.

Plautus Trucul.2.sc.7.v.16.

——Meretricem ego item esse reor, mare ut est, quod des devo-
rat, nec unquam
Abundat, at hoc saltem servat mare, quod illi subest, apparet.
huic des
Quantum vis, nusquam apparet neq; datori, neq; acceptrici.
Velut meretrix meum herum miserum sua blanditia intulit in
Pauperiem: privavit bonis, luce, honore atq; amicis.

Plautus Trucul.3.sc.1.v.15.

Eradicare est certum cumprimis patrem,
Post id locorum matrem. nunc hodie efferam
Ad hanc argentum, quam magis amo quàm matrem meam.

Plautus Trucul.4.sc.4.v.34.

——Militem
Hunc ego ecastor mage amo quam me, dum id quod cupio inde
aufero.
Quæ cùm multũ abstulimus, haud multũ apparet quod datũ est:
Ita sunt gloriæ meretricum.

Terentius Adelph 4.sc.7.

——Proh Divûm fidem!
Meretrix & materfamilias unà in domo?

Terentius Andriæ 4.sc.6.principio.

In hac habitasse platea dictum est Chrysidem,
Quæ sese inhonestè optavit parare hîc divitias
Potius, quam in patria honesta pauper vivere.

Terentius Eunuchi 1.sc.1.initio.

Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem
Cùm accersor ultrò? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?

Exclusit. revocat. redeam? non si me obsecret.
PA. Si quidem hercle possit: nihil prius, neque fortius:
Verùm si incipies, neque perficies gnaviter:
Atque ubi pati non poteris, cùm nemo expetet,
Infecta pace ultro ad eam venies, indicans
Te amare, & ferre non posse: actum est, ilicet
Peristi: eludet, ubi te victum senserit.
Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita,
Here. Quæ res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes,
In amore &c. quære Amor Veneris.

Terent. Eunuchi 1. sc. 2.

Ego non ex animo misera dico? quam joco
Rem voluisti à me tandem, quin perfeceris?

Terentius Eunuchi 1. sc. 2.

Miseram me! vereor ne illud gravius Phædria
Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. Ph. totus Parmeno,
Tremo horreoq; postquam aspexi hanc. PA. bono animo es:
Accede ad ignem hunc: jam calesces plus satis.

Terentius Eunuchi 1. sc. 2.

Ego cum illo, quocum uno rem habebam tum hospite,
Abij huc, qui mihi reliquit hæc quæ habeo omnia.
PA. Vtrumque hoc falsum est. effluet. T. qui istuc? PA. quia
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamq; partem ad te attulit.

Terentius Eunuchi 2. sc. 2.

Tum tu igitur paululum da mihi operæ: fac admittar
Ad illam. PA. age modò! nunc tibi patent fores hæ, quia istam ducis.
GN. Num quem evocari hinc vis foras? PA sine biduum hoc prætereat.
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Næ tu istas faxo calcibus sæpe insultabis frustra.

Terentius Eunuchi 2. sc. 3.

—— An id flagitium est, si in domum meretriciam
Deducar, & illis crucibus, quæ nos nostramq; adolescentiam
Habet despicatam, & quæ nos semper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam, atque itidem eas fallam, ut ab illis fallimur?

Terentius Eunuchi 5. sc. 8.

Quid nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid inceptas Thraso?
TH. Egóne? ut Thaidi me dedam, & faciam quod jubeat. GN. quid est?
TH. Qui minus huic, quàm Hercules servivit Omphale? GN. exemplum placet.
Vtinam tibi commitigari videam sandalio caput!

Terentius Heautont. 2. sc. 2.

—— Miserè quendam offendi ibi militem
Ejus noctem orantem. hac arte tractabat virum,
Cupidum ut illius animum inopia incenderet:
Eademq; ut apud te esset ob hoc quam gratissima.

Terentius Hecyræ 4. sc. 1.

Multo prius scivi quam tu, illum amicam habere Myrrhina:
Verùm id vitium ego nunquam decrevi esse adolescentiæ.
Nam id omnib. innatum est. at pol jam aderit cùm se quoque oderit.

Terentius Hecyræ 1. sc. 1.

Per pol quam paucos reperias meretricibus
Fideles evenire amatores, Syra.
Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi
Quàm sanctè, ut quivis facile posset credere,
Nunquam illa viva ducturum uxorem domum:
Hem duxit. S. ergo propterea te sedulo
Et moneo, & hortor, ne cujusquam misereat,
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquem nacta sis.
P. Vtin' eximium neminem habeam? S. neminem:
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret sese, abs te ut blanditijs suis
Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.
Hiscéne tu amabo non contra insidiabere?
P. Tamen eandem pol esse omnibus injurium est.
S. Iniurium est autem ulcisci adversarios?
Aut qua via captent te illi, eadem ipsos capi?
Eheu me miseram! cur non aut isthæc mihi
Ætas & forma est, aut tibi hæc sententia?

Terentius Hecyræ 5. sc. 1.

—— Meum receptas filium ad te Pamphilum. nunc hic uxorem habet.
Quære alium firmiorem tibi, dum consulendi tempus est.
Nã ille neq; animo hoc erit ætatẽ, neq; pol eadẽ ista ætate tu:

Terentius Hecyræ 5. sc. 2.

Phidippe, Bacchis dejerat sanctè. PH. haccine est? L. hæc est.
PH. Nec pol istæ metuũt Deos, neq; has respicere Deos opinor.

Ibidem post.

Eo, etsi scio pol his meum conspectum invisum hodie:
Nam nupta meretrici hostis, a viro ubi segregata est.

Terentius Hecyræ 5. sc. 3.

Hæc tot propter me gaudia contigisse lætor:
Etsi hoc meretrices aliæ nolunt. neque enim est in rem nostrã
Vt quisquam amator nuptijs lætetur. verùm ecastor,
Nunquam animũ quæsti gratia ad malas adducam partes.

P. Syrus Mimus.

Meretrix est instrumentum contumeliæ.
Muneribus, non lacrimis meretrix est misericors.

Martialis lib. 1. Epigr. 25.

Incustoditis & apertis Lesbia semper
Liminibus peccas; nec tua furta tegis.
Et plus spectator, quam te delectat adulter:
Nec sunt grata tibi gaudia, si qua latent.
At meretrix abigit testes veloq; seraq;:
Raraq; Summœni fornice rima patet.
A Chione saltem vel ab Helide disce pudorem.
Abscondunt spurcas & monumenta lupas.

Idem lib. 1. Epig. 26.

Quis Floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

¶ Apologorum.

De Thaide & Juvene. Anonymus.

Arte sua Thais juvenes irretit, amorem
Fingit, & ex ficto fructus amore venit.
A multis fert multa procis, ex omnibus unum
Eligit, huic veri spondet amoris opes,
Sim tua sisque meus cupio: plus omnibus unum
Te volo, sed nolo munus habere tuum.
Percipit ille dolos, & reddit qualia sumsit,
Sis mea, simque tuus, nos decet æquus amor.
Vivere non vellem, nisi mecum vivere velles.
Tu mihi sola salus, Tu mihi sola quies.
Sed falli metuo, quia me tua lingua fefellit:
Præteriti ratio scire futura facit.
Vitat avis taxum, quem gustu teste probavit,
Fallere vult hodie signa fefellit heri.
Thaida si quis amat, sua non se credat amari.
Thais amore caret, munus amantis amat.

De Muliere amatoris discessum flente. Fab. 15.

Mulier impudica amatorem suum abeuntem, quem omnibus ferè rebus spoliaverat, multis lachrymis prosequebatur. Interrogãte autem eam vicina, cur ita inconsolabiliter fleret: non discessum ejus, inquit, sed pallium, quod ei reliqui, fleo.

Fabula indicat, non amatores, sed eorum bona à meretricibus amari. *Laur. Abstemius.*

¶ Emblematum.

Batillius CLXIV.

Meretrix Remora.

Qualiter impulsas velis aut remige puppes
In medijs Remoræ sæpe morantur aquis,
Sic ore & manibus, sic complexuq; tenaci
Quos addit meretrix detinet implicitos.

Batillius CLXV.

Meretricis facies.

Sphyngis, an hæc potius vera est meretricis imago,
Quæ fera crura Leæ, Virginis ora gerit,
Semper ut inducat, blandos quæ callida vultus,
Sævitiæ præbet post monumenta suæ?

Camerarius XC. Centuria 4.

Venus improba.

Sic pereat quisquis meretrici turpiter hæret,
Per Venerem ut nimiam vipera morsa perit.

¶ Apophthegm. Sacr.

Salomon. Descriptionem meretricis proponit, Proverb. 2. 16. 17. & 5. 3. usque ad 21. *eius item blanditias fraudes & mores*, Proverb. 6. 3. &c. & 7. à v. 6. ad 28. *fugienda est*, Prover. 6. 8. 9. &c. & 7. 1. 2. 3. 4. 5. & 9. 13. &c. & 23. 26. 27. 28. & 29. 3.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad dandum qui potior est, utique meretriculis est prior.
Ad tinnitum auri atq; argenti gens meretricium advolat.
Bacchides non Bacchides sed Bacchæ sunt acerrimæ.
Dignitatis nomen uxor est, voluptatis Lupa.
Esse blandam, non matronarum officium, at meretricium est.
Fornicantium cohortes una vel Thais facit.
Gratius nihil sui est, quam se volutare in luto.
Illectum magis meretricis sapiens quam lectum timet.
In meretricum rem non est, ut quis lætetur nuptiis.

Ita sunt gloriæ meretricum: haud multum apparet quod datum est.
Lingua poscit, corpus quærit, animus orat, res monet.
Mage meretricem pudorem quam aurum gerere condecet.
Mel in ore, fel in corde gestitant meretriculæ.
Melleæ mucrone vocis quemlibet Siren necat.
Meretrix tantisper blanditur dum illud quod rapiat videt.
Meretricem pudorem gerere mage decet quam purpuram.
Nec metuunt Deos meretrices: has neque respiciunt Dei.
Nisi feras argentum, frustra ducere scorta non potes.
Nullus prensus est pro mœcho unquam in domo meretriciâ.
Ob pecuniam præbebit Lais & Philonidi.
Qualitate noscas habitus quamque quæstuariam.
Quamdiu quid ducis aut fers meretricum patent fores.
Quando sterilis est amator à datis, est improbus.
Quanto fœdior meretrix quæque est, tanto est pulcrior.
Quis meretricem introduxit in matronarum chorum,
Quis meretricios amores nuptiis conglutinet?
Quis pro mœcho unquam deprehensus in meretricia est domo?
Quo meretricem plus amas, hoc illa te plus despicit.
Quod familiam capere oportet, meretrix omne intercipit.
Rem, fidemque, se suosque, perdit, qui meretricem amat.
Scorta dum foris sunt esse nil videtur mundius.
Scorta nec timent Deos: nec opinor respicere has Deos.
Scorta non levi pudoris diligas impendio.
Scortorum manus oculatæ sunt: ea credunt quæ vident.
Si non est quod des aperta minimè ædes lenonia est.
Si parum assentaris atque multum amicæ das, places.
Si sic aliis mœchis fiat, minus heic mœchorum fiet.
Sublandirier viris alienis, pol meretricium est.
Sunt meretrices elecebræ clam palam argentariæ.
Tolerabilius est homini uni prostitui quam pluribus.
Vt facilius alia, quàm illa unde est, puerum alienum parit!

¶ JAMBICA.

An præter pretium dulce quid meretricibus?
Aufer lupanar, atque adulter non erit.
Bene consulere in concilio, non meretricium est.
Blanditia meretricum nil quam viscus merus.
Cui vivere non est, fornicari illi haud libet.
Divortunt mores virgini longè ac lupæ.
Etiam viros frugi meretrix fascinat.
Exclusit: revocat: redeam? non si me obsecret.
Fames facit meretrices, non pecunia.
Fideles pauci amatores meretricibus.
Haud flumen ullum est, quod non recipiat mare.
Mare haud mare est: meretrix mare est acerrimum.
Meretrix amantem nullum habet, quam transfugam.
Meretrix habet sub vestimentis retia.
Meretrix minus virum amat, magis marsupium.
Meretricum amores sunt pusilli temporis.
Meretricis vita tota, tota venefica est.
Meretricum quæstus aucupii simillimus.
Meretricia inventu fides rarissima est.
Mœchus putandus est, eis qui subvenit.
Non perpeti est meretricum contumelias.
Procax libido spurca mendicat stupra.
Pudere posse magnus est scortis pudor.
Quæ amanti parcet, eadem sibi parcet parum.
Vadatum amore meretrix, vinctum attinet.
Vulgare corpus, vilitas non comitast.

Metus.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D. *Greg. Nazianzenus:* Maximè quidem inopinato rei eventu percussus, quemadmodum qui ad repentinos sonitus percelluntur, rationem tenere non potui; ac propterea pudorem, cui per omne vitæ tempus assueveram, solvi ac propuli. *Oratione 1. apologetica.*

¶ LATINORUM.

Zeno: Quantum ad communem humanæ imbecillitatis trepidationem, metuentis est, id perpeti, quod sibi nolit accidere. Existit autem, & commovetur in nobis de reatus conscientia, de jure potioris, de impetu fortioris, de ægritudinis casu, de feræ occursu, de omnis mali passione. Hic ergo timor non docetur, sed ex naturæ infirmitate occurrit. Neque quid timendum sit, discimus, sed terrorem suum ipsa illa nobis injiciunt, quæ timentur. At verò de timore Domini ita scriptum est: Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. Discendus ergo timor est, quia docetur: non enim in terrore, sed in ratione doctrinæ est. Neque ex trepidatione naturæ, sed præceptorum observantia, & operibus vitæ innocentis, & cogitatione veritatis ineundus est. *in Psalm. 127.*

Egesippus: Et revera nullus nuncius tantæ cladi superfuerat; & hoc ipsum supremi excidii fama, quia nullus index supererat, astruebat perisse omnia, nihilque resedisse, vel ad indicium rerum gestarum. Manebat opinio quovis major relatu, quod ipsa incertos dum tenet silentia, credebantur omnia, quæ timebantur; tantumque aberat, quo verius omnia nunciarentur, ut etiam quæ gesta non fuerant adjicerentur. *c. 21. lib. 3. de excidio Hierosolymitano.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Xenophon: An ignoras, inquit, nunc etiam patrem tuum nos fefellisse, neque pactis inter nos conventis stetisse, quamvis sciret nos nihil eorum, quæ Astyages pepigit, violasse? Equidem nec ipse dico, solum hoc homines frugi reddere, quod se meliores norint: si non hoc etiam accedat, ut se potioribus pœnas dent, quemadmodum patri meo nunc usuvenit. At enim, ait Cyrus tuus pater nihil adhuc mali perpessus est omnino: metuit quidem, sat scio, ne gravissima quæque patiatur. Ergo tu quidquam existimas, inquit Tigranes, vehemente metu magis homines servilem in modum demissos reddere? Num ignoras eos, qui ferro cæduntur, quod animadversionis genus gravissimum existimatur, tamen adversus eosdem pugnare velle? At quos admodum metuunt homines, eos ne quidem benigne adloquentes audent intueri? Hoccine dicis, inquit, metum hominibus majori esse supplicio, quam si reapse adfligantur? Tu quoque verum me dicere, ait, nosti. Scis enim eos, qui metuunt, ne in exsilium è patria pellantur, & qui pugnaturi metuunt, ne succumbant, in mœrore degere. Itidem qui inter navigandum metuunt, ne naufragium faciant, & qui servitutem ac vincula timent, ne cibo quidem ac somno præ metu frui possunt. At qui jam sunt exules, quique jam victi sunt, ac servitutem qui serviunt, nonnunquam possunt etiam magis, quam fortunati homines, cibo, potu, somno uti. Præterea manifestius est etiam in his, quale onus sit metus. Quippe nonnulli dum metuunt, ne capti morte multentur: præ metu mortem prius oppetunt, vel in præcipitium acti, vel strangulati, vel sibi ipsis manus adferentes. Usqueadeo metus inter omnes res terribiles maximo impetu animos percellit. Ac patri quidem meo, ait, quid esse nunc animi putas, qui non solum sua, sed etiam mea, & uxoris, & omnium liberûm causa servitutem metuit? Et Cyrus: Credo equidem, inquit, haud difficulter, sic modo hunc affectum animo esse. *c. 6. l. 3. Cyropædiæ.*

Libanius: Ibi jam Pellenæ eram; sed magnus adhuc metus incessit; atque omnia non præter spem sum perpessus, quæ potestate eorum qui me tenebant pati poteram. vincula conspexi, flagra, tormenta cuncta, enses & secures Macedonicas. existimabam aliquem linguam mihi rescissurum. Interea dum hæc cogitarem, malis omnibus refertus eram. timor verò doloris experientia molestior: quia perpessio concise fit, & parvo celerique momento sedatur: metus autem in cunctando suspensus longiorem acrioremque sensum habet. ac perturbatio quidem dira est: confirmo tamen animum ad perferendum. *Declam. 16.*

Heliodorus: Cùm sint meticulosi & solliciti animi de eis quæ carissima sunt, facile etiam acerbiora augurantur. *lib. 6. AEthiopic.*

Onosander: Metus scilicet falsus vates esse solet, quæque timentur, ea priusquam fiant, facta esse creduntur, omniaque vel levissima maximum incutere solent obsessis terrorem. Nemo enim ob superfusam noctis caliginem, se aliquid vidisse referre potest: quilibet verò se audivisse ait. Et si fortè unus & alter supra muros hostis apparuit, totum jam exercitum urbem invasisse existimant, urbemque & murorum propugnacula deserentes, aufugiunt. *cap. 42. Strategici.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Supervacui sunt metus? nihil imminet. Sed & spectat ista plerumque sapientia gravior. Quid tu accidere credis illis qui liberos habent? quid maritis? *Declam. 288. pr.*

Quintilianus Senior: Ego te interrogavi, quis vulnerasset? non, fili, maligne: sed quo modo excidunt multa his qui expaverunt, perculsus illo metu, ignoravi, quid facerem. mali istud aliter accipiunt. *Declam. 335. a. f.*

Plinius Iunior: Ne quid inundationis similis istic, pro mensura periculi vereor: teque rogo si nihil tale est, id quoque nunties. nam parvulum differt patiaris adversa an exspectes; nisi quod tantum est dolendi modus non est timendi. doleas enim quantum scias accidisse; timeas quantum possit accidere. *fine Epist. 17. l. 8.*

¶ POETARUM

D. Gregor. Nazianzenus de vita sua.

Ο γὰρ φόβος δίδαγμα καιριώτερον
Metus Magister est enim longe optimus.

Thales apud Ausonium.

Crux est si metuas, vincere quod nequeas.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad bonum quos non traducit ratio, continet metus.
Continet metus, voluntas continere quem nequit.
Dura sors sedendo vires duplicat paventibus.
Est metus parens modestiæ atque temperantiæ.
Falsa per metum auguramur, vera scire nescii.
Impetrat metus simulatio, quod virtus vix impetret.
Mente semper est serena, cui metum mors non facit.
Multa cernit pluraque audit, vera quæ non sunt, metus.
Nil metus boni auguratur: quod potest pati timet.

Ob metum, à victore, gentes nominantur plurimæ.
Pronus ad fidem eſt habendam deterioribus metus.
Quod metu magnum eſt alieno, non vacat à metu ſuo.
Tam metus ſervilis eſt affectus quam aſſentatio.

¶ JAMBICA.

Ad res inhoneſtas, ſis meticuloſiſſimus.
Alvo ſtatim fiunt citâ formidines.
Concepta rabies temerè, non cadet metu.
Et procreator eſt metus modeſtiæ.
Metus quidem eſt velox, ſed ſpes velocior.
Metus regionis munimen firmiſſimum eſt.
Metus ſiniſtra uſque augurat de abſentibus.
Metus uſque ſpem, metumq; ſpes interpolat.
Moleſtior ſæpe eſt metus periculo.
Mortis timorem morte ſtultus effugit.
Multum ſæpe in re ſed mali plus in metu eſt.
Nefaria ferè miniſteria fiunt metu.
Nemo poteſt vacare ſpe, nemo metu.
Nil in metu minus prodendum quàm metus.
Non diſcitur nobis Metus, ſed naſcitur.
Omnem latebram mortis pervadit metus.
Plerunque plus eſt in metu quam in re mali.
Pulcerrimum indulgere formidantibus.
Quæ non videt, videre ſe putat metus.
Quæ viſa non ſunt, viſa credidit metu.
Quo quis metum tegit mage hoc mage emicat.
Rebus malis augere cuncta amat metus.
Sævos facit quoſcunq; Principes metus.
Tuâ ſponte rectè facias, non alieno metu.
Vates quidem eſt, ſed vera qui haud dicat, metus.
Veros fatetur, qui pavet vanos, metus.
Via omne pejori augurium trahit metus.

Militum reique Militaris.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECOR.

D. *Nazianzenus:* Joannes militem juſſit contentum eſſe ſtipendijs ſuis. ſtipēdij porro eo nomine regiam annonam ſignificat, muneraq; ea, quæ ijs qui dignitates obtinent, lege conſtituta ſunt. *Orat. 9.*

D. Greg. Nyſſenus: Miles qui armis partem aliquam corporis munierit, reliquum corpus armis nudum periculo objiciet; quid enim ei lucri eſt ex parte corporis armata, ſi in partibus nudis lethalem plagam accipiat. *c. 17. de virginitat.*

Chryſoſtomus: Quis noſtrum eſurijt propter verbum Dei? quis fuit in ſolitudine? quis lōgam confecit peregrinationem? quis ex doctoribus vivēs ex ſuis manibus, aliis opem tulit? quis mortem ſuſtinuit quotidianam? Hinc etiam qui ſunt nobiſcum fiunt ſocordiores. Etenim ſi quiſpiam viderit & milites & duces exercitus luctari cum fame, & ſiti, & morte, & malis omnibus, ferreque & frigus & pericula, & tanquam leones omnia forti & magno animo rectè gerere; deinde illa abducta philoſophia & fieri molliores, & amare pecuniam, & negotiationib. ac cauponationibus eſſe deditos, & vinci ab hoſtibus: extremæ eſſet amentiæ eorum cauſam quærere. Hoc autem reputemus in nobis & in noſtris majorib. effecti enim ſumus omnib. imbecilliores, & vitæ præſenti affixi ſumus. Quod ſi etiam inventus fuerit quiſpiam habens veſtigium aliquod veteris ſapientiæ: is urbibus & foro relictis, & inter homines ceſſans verſari, & aliorū mores componere, montes occupat. Et ſi quis ſciſcitetur cauſam receſſus, invenit prętextum cui nō eſt ignoſcendum: Ne, inquit, peream, ne ſim hebetior & obtuſior ad virtutem, reſilio. Quantò autem eſt melius te obtuſiorem fieri & hebetiorem, & alios lucrari; quàm in alto manentem fratres deſpicere pereuntes? Quando ergo alij quidem nullam virtutis curam gerunt; qui autem gerūt, recedunt procul ab acie: quonam modo expugnabimus & capiemus inimicos? Nam etſi nunc eſſent ſigna, quiſnam perſuaderetur, aut quis ex externis nobis animum adhiberet, cùm ita extet & ſupereminet vitium? etenim recta noſtra vita multis videtur eſſe magis fide digna. Nam ſigna quidem apud impudentes & ſceleſtos homines etiam in malam venient ſuſpicionem: vita autem pura vel ipſum os diaboli abundè obſtruere poterit. Hæc dico & iis qui imperant, & iis qui aliorum parent imperio, & præ cæteris mihi ipſi, ut vitam oſtendamus admirandam: & cùm nos ipſos compoſuerimus & in ordinem redegerimus, præſentia omnia deſpiciamus, contemnamus pecuniam, & non contemnamus gehennam: deſpiciamus gloriam, & non deſpiciamus ſalutem. Subeamus heic laborem & dolorem, ne illic incidamus in pœnam & ſupplicium. Ita bellum geramus cum gentibus: ita eos redigamus in captivitatem; captivitatem, inquam, libertate meliorem. Sed hæc quidem dicuntur à nobis aſſiduè & ſæpe, rarò autem fiunt. *Homilia 6. ad Cor. 1.*

Chryſoſtomus: Hoc eſt ergo quod dicit, quod ne externi quidem principes qui ſunt ſævi & iniqui, poſtulant ut milites militent & pericula adeant ſuiſmet ſtipendiis; ita ut domi ſuæ alantur. *Homilia 21. ad Cor. 1.*

Chryſoſtomus: Si quis imperator ſtrenuiſſimum militem habeat, etiam ipſa gerēdorum armorum dexteritate, ipſa ſtatione, ipſo impetu hoſtem metu percellit. *Homilia 3. ad Cor. 2.*

Chryſoſtomus: Eſt quidem & ille dignus reprehenſione, qui poſt longum temporis ſpatium deficit. ceterùm qui ad primam irruptionem, & in ipſo ſagittarum è longinquo volantium jactu concidit, extremæ imbecillitatis de ſe ſpecimen præbuit. *c. 1. ad Galatas.*

D. Chryſoſtomus: Vires adverſariorum quo à nobis apertius renūciantur noſtris, eo etiam noſtros reddunt diligentiores. *Homil. 22. ad Epheſios.*

D. Chryſoſtomus: Quemadmodum Deus pro exiguis ac nullius pōderis rebus regnū largitur: ita & illius ſervi pro exiguis ac ſenſilibus ſpiritualia impartiunt. imò verò ipſe eſt; qui per hos, & hæc, & illa dat: non potes jejunium ferre? non ſolitudinem? non humi cubare? non integras noctes vigilare? licet tibi harum omnium rerum mercedem accipere, ſi alia quadam ratione rem tuam geſſeris: nempe ſi eum, qui iſtos labores capit, cures, recrees, foveaſque aſſiduè; & laborem, qui in illis certaminibus ſuſtinetur, levem reddas. Ille quidem ſtat pugnans, ac vulnera accipiens: tu verò à certamine redeūtem cura, obvijs manibus ſuſcipe, ſudorem abſterge, recrea, ſolare, laſſam animam fove, ac refice. Profectò ſi tanta cum alacritate ſanctis inſerviamus: participes mercedum, quæ illos manent, erimus. Hoc & Chriſtus docet: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis; ut recipiant vos in æterna tabernacula. *Homilia 1. ad Philipp.*

Chryſoſtomus: Iis qui in exercitu ſunt ac bellum gerunt, ab ijs qui domi in pace vivunt debentur cibaria, & quidquid ijs neceſſarium eſt in ſumptum: illi enim pro his in acie ſtant. *Homilia 9. ad Philipp.*

Chryſoſtomus: Neſcitis quod miles quando mille plagas & vulnera oſtendit, tunc poterit eſſe illuſtris apud regem: ſin autem nihil poſſit oſtendere rectè & fortiter geſtum; etiamſi nihil offenderit, inter extremos collocabitur? *Homil. 3. ad Theſſ.*

D. Chryſoſtomus: Belli quoq; tempus eſt totum vitæ noſtræ. Quomodo & quanam ratione? Imminet & inſtat diabolus. Audi quid dicat, Circuit rugiens ut leo, volens arripere. Innumerabiles corporis affectiones nos invadunt, quas quidem neceſſe eſt recenſere, ne nos temere decipiamus. Quid enim, dic quæſo, non nobiſcum bellū gerunt divitiæ, pulchritudo, deliciæ, poteſtas, invidia, gloria, inſolētia? Non ſolum enim noſtra bellum gerit gloria, prohibens, ne nos demittamus ad humilitatem, ſed aliorum quoq; gloria educens nos ad invidiam. Sed quid contrarium? paupertas, ignominia, deſpici, abjici, nullas habere vires. Hæc quidem in nobis. Quæ autem ſunt ab hominibus, pravitates, inſidiæ, doli, calumniæ, mille circumventiones. Quæ ſunt à dæmonibus, principatus, poteſtates, mundi rectores tenebrarum hujus ſeculi. Spiritualia nequitiæ. Alij ſumus lætantes: alij dolentes: utraq; ſunt declinatio, aliud ſanitas, aliud infirmitas. Undenam non peccabit quiſpiam? Vultis ut & ab ipſo Adamo incipiens, dicam ſtatim ab initio? Quid protoplaſtū cepit & expugnavit? Voluptas, & cibi, ambitioq; & imperandi deſiderium. Quid illius filium qui eum eſt ſequutus? Invidia. Quid eos qui fuerunt tempore Noë? Corporū voluptates, & quæ ex eis naſcuntur mala. Quid ejus filium? Petulantia & nimia licentia. Quid Sodomitas? libido & ſalacitas & panum ſaturitas. Sæpe autem hoc quoque facit paupertas. Propterea dicebat quidam ſapiens, Divitias & paupertatem ne dederis mihi. Imo vero nec paupertas nec divitiæ, ſed quod his utriſque uti non poteſt liberum arbitrium. Agnoſce, inquit, quod tranſis in medio laqueorum. Admirabiliter dixit Paulus. In hoc poſiti ſumus. Pro eo quod eſt, Ad hoc nati ſumus. Hoc eſt noſtrum munus & officium: hæc eſt vita noſtra, & tu quæris quietem & recreationem? Non inſtat lictor latus lacerans, & cogens ſacrificare, ſed inſtat vehemens pecuniæ cupiditas & avaritia, nobis effodiens oculos. Nullus miles nobis accendit rogum, nec nos imponit craticulæ, ſed corporū inflammatio magis quàm ille accendit animam. Non adeſt rex bona promittens innumerabilia, & pudore afficiens, ſed adeſt inſanus amor gloriæ, quæ plus quam ille titillat & allicit. Magnum revera bellum, & valde magnum ſi ſapiamus & ſimus ſobrii. *Homilia 3. ad Theſſalonicenſes.*

D. Io. Chryſoſtomus: Si qui hanc vitam degunt militarem, omnib. ſubjiciuntur, & quo bellum vocaverit illic adſunt, & iter ineunt, & alacri animo omnia tolerant; multo magis nos, qui ſumus Chriſti milites, ita paratos & inſtructos eſſe oportet, & aciem ſtruere adverſus bellum vitiorum. Non eſt nunc perſecutio, & abſit ut ſit unquam; ſed eſt aliud bellum cupiditatis pecuniarum, bellum invidiæ, bellum animi perturbationum. Magnum eſt bellum per linguam, per oculos. hoc ergo cohibeamus. *Homilia 5. Epiſtola ad Hebræos.*

D. Io. Chryſoſtomus: Miles fortis non ſibi ſolùm poteſt ſufficere in prælio, ſed etiam qui eſt juxta eum ſocium conſervare, & ab hoſtiū noxa liberare. *Homilia 8. Epiſtola ad Hebræos.*

Iſidorus Peluſiota: In pace arma geſtare minimè decet, nec bellicum habitum in medio foro circumferre, nec in civitate cum enſe verſari; verùm & terrorem, & ejuſmodi experimentum in bello adverſus hoſtes exercere. Quare ſi bellico habitu delectaris, ac præconis voce celebrari, ſtatuaſq; conſequi cupis, ad exercitum, qui cum barbaris pugnat, te confer: ac non militiæ fugam pecuniis redimēs, domiq; deſidens, bellum illic debitum, hîc tanquam per ludum adumbra. *Epiſt. 40. lib. 1.*

Iſidorus Peluſiota: Si gladiorum cuſpides, & galeam, ac thoracem præſidio tibi ad bene vivendum eſſe exiſtimas, prædas agens ac vias deſer-

deſertas reddens, hoc ſcito, multos firmiùs te ſeptos & armatos miſerrimam mortem retuliſſe. Exemplo ſint, ex iis, qui apud nos literarum monumentis conſignati ſunt, Oreb, Zeb, Zebee, Salmana, Abimelech, Goliath, Abſalon, aliique his ſimiles: apud exteros autem, Hectores & Ajaces, atque ipſi Lacedæmonii, qui roboris nomine ſupra omnes mortales gloriati ſunt: quoniam juſtitiam potentiæ comitem haudquaquam habuerũt. Quare niſi vanus miles eſſe vis, ad ſpirituale bellum quamprimùm te converte: atque id potiùs age, ut adverſus inordinatos tuos motus bellum geras. *l.1. Epiſt.78.*

Iſidorus Peluſiota: Clamabat perdix congregavit quæ non peperit, diteſcens non cum judicio, inquit Prophetarum omnium calamitoſiſſimus Hieremias, ſceleratum belli ducem deſcribens, adverſus veritatem in extremis temporibus arma induentem, atq; omnes item eos, qui temerario animo, ac non ad commodum & utilitatem, militaris imperatoris munere funguntur. Cùm igitur hæc ita ſe habeant, ecquid tu, non monachorum, ſed pugnatorum globos ac phalanges paras? Æquum enim fuerit, te illud perſpicere, inconditæ turbæ deſidiam atque inertiam in cogitationum perturbationẽ prolabi. Quamobrem aut eos operari doce, aut multitudinem hanc minue, ne alioqui tibi deprecationis labor ſubeundus ſit, armiſque indigeas, cùm eos crapula cum otio conjuncta ad rerum novarum ſtudium incitarit. *Lib.1. Epiſt.298.*

Syneſius: Theodoſius Imperatoris armiger, ſi quidem diuturnitatem temporis, & aſſiduitatem militiæ ſpectes, jamdudum præeſſe provinciæ debuerat. ſed & favor & gratia plus quam annorum ratio valet. *Epiſt.75.*

Syneſius: Nihil Pentapoli utilius eſſe poteſt, quàm ut boni viri juxtà, & milites Unnigardæ cæteris militibus anteponãtur, non indigenis modò, ſed quotquot unquam auxilij gratia ad ea loca profecti ſunt: hi enim multo plures cum paucioribus hoſtibus nunquã audacter manum conſeruerunt, illi verò bis jam, aut ter cum hominibus amplius mille, triginta toti Deo teque imperatore freti congreſſi ſunt, maximaſque & inſignes victorias reportarunt. Ex barbaris verò quicumque comparuerunt aliis cæſis, pulſis aliis, in editis provinciæ locis oberrant, & irruptiones obſervant, canum in morem è caulis proſilientes, ne cum impetu fera in gregem irrumpat. Sed pudet nos egregiorũ militum, qui in laboribus noſtri cauſa toleratis lachrymentur. Quæ enim, hominum fidem! ad nos ſcripſerunt? Equidem non ſine gravi mœrore cum legerentur audire potui. Æquum autem arbitror neque à te illorum preces negligi. Te enim per nos, ac per te, imperatorem obteſtantur. Quam poſtulationem vel ipſis tacentibus offerre nos pro illis decebat; nec inter indigenarum copias cenſeantur: ſibi enim & nobis inutiles erunt, ſi Imperatoris donatione ſpolientur, ſi neque equorum ſupplementum habeant, nec armorum apparatum, nec ſumptum militaribus hominibus competentem. Ne quæſo tu, qui cum iis omnium fortiſſimè te geſſiſti, ne milites patiare inferiorem in ordinem redactos: ſed illi præmiis nequaquam fraudati, integra ac ſtabili dignitate perſiſtant. Quod quidem fiet, ſi ex tua relatione humaniſſimus Imperator didicerit, quàm ij Pentapoli utiles extiterunt. Quin aliud nobis tuis literis ab Imperatore poſtulato, uti C. & LX. quadraginta illis adjiciantur: Deo enim opitulante quis non audacter dixerit, ducentos Unnigardas animo ijs ac manu ſimiles, quorum imprimis humanitatem collaudamus, duce te Imperatori ad depugnandum cùm Aſſyrijs idoneis futuros? nam quid delectibus multis opus eſt & annuis ſumptibus in hujus loci exercitus? manibus ad bellum opus eſt, non multis nominibus. *Epiſt.78.*

Syneſius: Egregium Comitem ſaluta, quem ex perſona propria ſalutare, nobis ipſis permittere noluimus. Hoc enim ex poëſi ductum,

Incipe: natu etenim tu junior,

Ad bellum quidem, ac ſeditionem præire junioris eſſe dicit, ad humanitatis verò officia, ſenioris. Etſi apud me ſanè in honore ille eſt, eumque permagni facio, qui doctrinam atque militiam ingentibus ſeptis à ſe invicem diſcluſas primus in unum adduxit, antiquã utriſque ſtudiis quandam neceſſitudinem inveniens: cumq; magnificentia tanta præditus ſit, quanta nemo unquam militiæ addictus, in magnificentiæ confinio poſitam arrogantiam devitat. Talem igitur virum, etſi nihil ſcribam, diligo; etſi obſequium nullum impendam, honore proſequor. *Epiſt.141.*

Baſilius Seleuc. Quæ bellicum inſonuit tuba, militis dexteram animumque in aciem concitat. *Orationis 32. principio.*

Baſilius Seleuc. Quorum honor indiſcretus, eorum communis eſt contumelia. *Orationis 32. med.*

¶ PATRUM LATINORUM.

S. Valerianus: Voluntarium militem in conflictu pugnæ citò protegit corona victoriæ. *Homilia 15. circa finem.*

Salvianus: Quid aliud eſt omnium militantium vita, quam rapina? *l.3. de gubernat. Dei.*

Egeſippus: At verò Syros & Arabes increpare, quod immemores Romani nominis, dictu quoque horrida excogitaſſent. veniſſe eos ad belli ſocietatem, non ad exercitium flagitiorum. in exercitu Romano non ſolum virtutem corporis, ſed etiam mentis requiri: nec tantummodo fortitudinem in hoſtem, ſed etiam diſciplinæ normã ſpectari; ne crudelis, ne impius, ne inſolens miles ſit; ne prædæ potius quam victoriæ intentus. ea gravia videri militiæ flagitia, & vindicari atrociter. inter arma quoque leges valere: fide melius bella geri, quæ ſervetur etiam hoſtibus. ſi ergo & armatis debetur, quanto magis precantibus? proinde caverent ab hujuſmodi flagitiis, ne & victoriæ expertes & ſalutis fieret: neque enim ſe diutius paſſurũ, ut eorum ſceleſta flagitia Romanis adſcriberẽtur, q plus oneri quã uſui forent. *cap.24. l.5. de excid. Hieroſ.*

Chryſologus: Præliorum peritis, militaris tuba perſonat diſciplinam; imperitis tantum terrificum dat clamorem. ut magiſtra bellorum dat ſuis vires, hoſtibus dat pavorem. Qui ſine tuba dimicat, miles non eſt: fertur furore, non prælio. virtute non agit ſed periculo: quærit perire, non vincere. *Sermone 14. princ.*

Chryſologus: Evidens eſt deſidia militis, ſi deſerat aciem, ſi greſſum retrahat, ſi confligere pertimeſcat, ubi unum numeroſo hoſte fortiorem pervidet eſſe captivum. *Serm.17. f.*

Chryſologus: Rationem reddet & miles, ſi paruit imperatis, ſi cõcuſſit neminem, ſi accepta ſtipendia juſtiſſimo labore penſavit. *Sermone 26. m.*

Chryſologus: Fidelis eſt ille miles, qui regis ſui præſentiam ſitit, exoptat regnum, expetit & concupiſcit triumphos. *Serm.68. m.*

Chryſologus: Quis ſine titulo militari, militem ſe auſus eſt profiteri? quis ſine dignitatis infulis, nomen dignitatis invadit? *Sermone 109. m.*

Chryſologus: Devoti militis eſt, regis ſui tacere fugam, referre cõſtantiam, virtutes loqui, timores ſilere, aperire fortia, infirma reticere, adverſa delere, prædicare victorias: quo & hoſtium frangere auſus poſſit, & ſociorum excitare virtutem. *Serm.150.*

Ennodius: Sub pio principe nulla militem decolorat abjectio. *Dictionis quintæ fine.*

Ennodius: Ducis erit, non originis, ſi de viri fortis ſtirpe editus, habeat inter bella formidinem. *Dictione 14. f.*

Io. Sariſberienſis: Manus Reipublicæ, aut armata eſt, aut inermis. Armata quidem eſt, quæ caſtrenſem & cruentam exercet militiam. Inermis, quæ juſtitiam expedit, & ab armis feriãdo juris militiæ ſervit. Neq; enim militant ſolum Reipubl. illi, qui galeis thoracibuſq; muniti, in hoſtes exercent gladios, aut tela quælibet; ſed & patroni cauſarum, qui glorioſæ vocis confiſi munimine, lapſa erigunt, fatigata reparant: nec minus provident humano generi, quàm ſi laborantium vitam, ſpem poſteroſq; armorum preſidio ab hoſtibus tuerentur. Militant & publicani, apparitores & officiales omnium judicium. Sicut enim alia ſunt officia pacis, alia belli; ita eadem neceſſe eſt per alios & alios expediri. Armata itaq; manus in hoſtem duntaxat exercetur; at inermis extenditur in civem. Porrò utriuſq; neceſſaria eſt diſciplina, quia utriuſq; ſolet inſignis eſſe militia. Uſus quoque manuum capitis ſui proteſtatur imaginem; quia, ut ait Sapientia, Rex iniquus omnes miniſtros impios habet: & qualis eſt rector civitatis, tales ſunt & inhabitantes in ea. Oportet, inquit Pericles collegam Sophoclem arguens, prætorem non modò manus: ſed oculos habere continentes. Eſt autem præſidentium continentia illa laudabilis, cùm ab exactionibus & injurijs continent manus ſuas, & cohibent alienas. Manus tamen utriuſque militiæ, armatæ videlicet & inermis, manus eſt principis, & utrumque cohibeat, parum continens eſt. Et quidem arctius compeſcenda eſt inermis; eò quod cùm armati præcipiantur abſtinere ab exactionibus & rapinis; inermis etiam à muneribus arcetur. Si tamen pæna alicui irrogatur legitima, ſi exigitur aut excipitur quod jure ſtatutum eſt vel conceſſum, nequaquam punitur aut reprehenditur, hoc enim quidquid ſit, exactionis nomẽ non recipit, neq; cadit in muneris rationem, quod officiales prohibentur; ſed dum ſub prætextu muneris ſui injuncti aut ſpoliant, aut vexant privatos. *c.1. l.6. Policratici.*

Io. Sariſberienſis: Manus armata ſine delectũ, ſcientia, & exercitatione non convaleſcit. quovis enim iſtorum ceſſante, non prodeſt inutilis manus. Oportet igitur tyrones docere jus armorum, & quotidiano exercitio roborare doctrinam; hoc eſt, quæcunq; poſſunt in acie & prelijs evenire, prænoſſe meditatione campeſtri, utiq; in deſides ſeveritate vindictæ. *c.2. Policratici l.6.*

Io. Sariſberienſis: Erubeſcent forte milites glorioſi, & qui Thraſonem comicum potius vita & moribus, quam profeſſione & nomine repræſentent, hæc armatæ militiæ munia, quæ non tam (ut eis videtur) diſciplinam redolet militarem, quàm ignominioſę ſervitutis anguſtias. In eo namq; militarem gloriam conſtare opinantur, ſi nitidiori ſplẽdeant habitu, ut lineas ſuas veſteſve ſericas ſic perſtringant & torqueant, ut quaſi cutem ceruſatam, alijſve fucis obnoxiam cani faciant cohærere, ſi gradarijs equis inſidant mollius, ſi calamiſtrati, curative Acteo non cedant Apollini, & delitijs ſint magis, quã virtute præſignes. Eorum ſi forte conſtruxeris aciem, caſtrũ Thaidis, quam Hannibalis tutius expugnabis. Quiſquis eorum in aula jactantior eſt, cum ad prælij diſcrimen acceditur, Lacones duce Sanga turmatim præmittet ad pugnam, noviſſimos præſidij cauſa ſubſequens, cum fundatoribus alijſque, qui in hoſtem tela eminus mittere, quam manum conſerere volunt. Cum vero ſine vulnere & cicatrice (quod frequentius evenit) domum redeunt,

Tunc exhaſta canunt prælia Marte gravi.
Illic Aeacides, illic tendebat Achilles.
Et pingunt fluido Pergama tota mero.

Et quiſque mortes mille circa tempora ſua erraſſe gloriatur. Exinde gloriam eorum ferre non poteris. Fabula hæc in annum

centeſimum protelabitur. Filii quoque qui naſcentur & exurgent; enarrabunt filiis ſuis. Si haſtas aliquot, quas ad modum canabis fragiles, diligens inertia, procuravit, quis fregerit; ſi aurum, minium, color iræ alius, quocunq; ictu, caſuve à clypeo excidit, hoc garrula lingua, ſi licuerit, memoriale faciant in ſæculum ſæculi. Iſti primos recubitus habent in cænis, epulantur ſi fortuna permittit, quotidie ſplendide, omnemque laborem & exercitationem, quem non invincibilis neceſſitas ingerit, cane & angue deterius fugiunt, & quicquid imminet difficultatis, rejiciunt in ſubjectos. Interim clypeos ſic inaurant, ſic exornant omnia inſtrumenta caſtrorum, ut quemlibet eorum non tam cultorem quam præſidem Martis credas. Cuivis iſtorum clypeus detrahatur aut galea, ſpolia ejus ipſum Martem poterũt honorare. Sed nec faſtum illorum perferre poteris, niſi fueris patientiæ grandioris. Nam ut ineptias eorum non rideas, nulla modeſtia poterit cohibere. Quis Octaviano Auguſto felicior aut major? Filios & ſi non genuerit, adoptavit, quibus etſi ſufficere poſſet clarus ſanguis ad gloriam, & bona hæreditaria magis ad copiam, quam ad uſum, ea tamen diligentia inſtituti ſunt, ac ſi ſua retineri, vel aliena acquiri nequaquam poſſint, niſi per virtutem. Eos ergo ad gradum militarem, & curſum, & ſaltum fecit excitari, uſumque natandi, & cæſim & punctim feriendi & jaciendi miſſilia, & lapides manu vel funda docuit, & qualiter bellum omne aut ſuſtineri debeat, aut inferri. Novit enim prudentiſſimus & diligens imperator, quia

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu,

Et quod non tantum celerius ſed etiam perfectius imbuuntur, quæ diſcunt à pueris. Deinde militaris alacritas ſaltus, & curſus, ante, comparanda eſt, & temperanda, quàm corpus ætate pigreſcat. Velocitas enim quæ percepta & firmata eſt exercitio, ſtrenuum efficit bellatorem. Nec multum refert ſi cætera probitatis concurrant inſignia, proceri ſint, an ſtaturæ brevioris. Utilius eſt enim milites fortes eſſe, quam grandes. Delectori ſuo fertur dixiſſe Pyrrhus: Tu grãdes elige, ego eos fortes reddam. Ad tumulum Archemori dum ludos ſolemnes Græcia celebraret, Tydeum Capaneo præſtitiſſe percelebre eſt, quia

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

De exercitio Magni Pompeij memorat Salluſtius, quod cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte, certabat. Neque enim ille aliter potuiſſet par eſſe Sertario, niſi ſe & milites ſuos frequentibus exercitiis præparaſſet ad prælia. Recedendi, aſſultandi, inſiliendi ars non mediocris eſt, cujus beneficio illa ſervatur cautela, ut miles ad inferendum vulnus, ſic inſurgat in hoſtem, ut eidem ex aliqua parte non pateat ad plagam. Exercitium natandi percommodum eſt, cum in terreſtri prælio vel navali, quod cui neceſſitas paret, nemini perſpicuum ſit, nec eſt promptum quempiam artem, quam non didicit, à periculis expediri. Miſſilium quoque uſus maximus eſt, quibus hoſtis eminus læditur, aut terretur; & exercitio eorum, lacertis robur accreſcit, & jaculandi peritia atque uſus acquiritur. Hoc autem tanti exercitij aſſidua meditatio conferebat, ut in tumultu bellico utiliter verſarentur intrepidi, q̃ in pace fuerant tam ſtudioſe inſtructi. Filias quoque legitur pręfatus Auguſtus ſic in lanificio feciſſe inſtitui, ut ſi præter ſpem eas in extremam paupertatem fortuna projeciſſet, vitam poſſent arte deductis facultatibus exhibere. Nam & nendi, texendi, & acum exercendi, veſteſq; formandi, fingendi, componendi, non modo artem ſed uſum habebant, & conſuetudinem. Utique qui ocia non indulgebat virginibus, nequaquam permittebat milites ociari, quorum profeſſio inſtituta eſt ad laborem. Nec credo eum de molliori habitu militum gloriari, ad quem niſi ſecuriori vultu & honeſtiori habitu accedere, filia non audebat. Lucanus brevi quodam præconio commendat Catonem, & militiam Romanorum, adjiciens inter cætera, quod ei veſtiri fuerat pretioſe.

Hirtam membra ſuper, Romani more Quiritis,
Induxiſſe togam.

Quod profecto non diceret, niſi durioris togæ uſus, de Quiritum conſuetudine proceſſit. Sed modo qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt, imò in caſtris, & ſic ad bella procedunt, quaſi ad nuptias dealbati. Magnis antiquæ militiæ privilegiis ſe tuentur, quoniam in eo imitantur plurimum quod jura ignorant. Et hoc quidem tolerabile eſſet, niſi æquè divinas & humanas contemnerẽt leges, ut velis nolis, Satyricum illud tibi frequenter occurrat,

Dinomaches ego ſum, ſuffla, ſum candidus, eſto.
Dum non deterius ſapiat Pannucia Baucis,
Cum bene diſcincto cantaverit ocyma verna.

lib.6.cap.3. & 4. Policr.

Io. Sarisberienſis: Rectè vero militantium privilegia multa ſunt, quę de jure antiquo latius patent. Nam & uberiores ſunt, & pluribus immunitatibus gaudent. Ab angariis & parangarijs, & ſordidis muneribus alieni. Jura quoque licenter ignorant, & licet in poteſtate ſint, in caſtrenſi peculio teſtari poſſunt, & ex publica ſolicitudine, quod maximum eſt, nõ permittuntur egere, & in hunc modum plurima quæ longum eſt enarrare. Licet autem ſint, qui ſibi non teneri videntur eccleſiæ ex ſacramento ſolenni, quia jam ex conſuetudine plerumque non præſtatur, nullus tamen eſt qui ſacramento tacito vel expreſſo eccleſiæ non teneatur obnoxius. Et fortè ideo ceſſat ſolennitas juramenti, quia ad hoc omnes invitat & coarctat neceſſitas officij, & ſinceritas fidei. Unde jam inolevit conſuetudo ſolennis, ut ea ipſa die qua quiſque militari cingulo decoratur, eccleſiam ſolenniter adeat, gladioque ſuper altare poſito & oblato, quaſi celebri profeſſione facta, ſeipſum obſequio altaris devoveat, & gladij, id eſt, officij ſui jugem Deo ſpondeat famulatum. Neque neceſſe eſt ut hoc profiteatur verbo, cum legitima profeſſio militiæ, facto ejus videatur inſerta. Quis enim in homine illiterato, & qui magis arma debeat noſſe quam literas, profeſſionem exigat literarum? Nam Epiſcopi, & Abbates profeſſione ſcripta vel dicta, ad fidem & obedientiam videntur, arctari. Et revera arctantur, quia Deo mentiri non licet. Sanè aut plus eſt, aut non minus, quod milites faciunt, qui non ſcedulam, ſed gladium offerunt, & quaſi primitias officij redimunt ab altari, unde eccleſiæ in perpetuum famulẽtur. Nam ſicut eis pro eccleſia plurimum, ita contra eccleſiam, licet nihil.

Refert Lucas, quod milites ut baptizarentur acceſſerunt ad Johannem, interrogantes, Magiſter quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, qui deceat præambulum gratiæ, præconem veritatis, domini præcurſorem. Noverat enim manum militarem promptam ad injurias, rapinis aſſuetam, & cui nunquam aut raro ſufficiunt ſua, quin appetat aliena. Concuſſione ergo prohibita, excluſit injurias, rapinas exterminavit, excluſa calumnia. Avaritiam quoque damnavit, dum præcepit unum quemque contentum eſſe ſtipendijs ſuis. Sicut enim dictum eſt, militem egere non licet, cui dum militat, militiæ ſuæ præſtantur ſtipendia, & cum emeritus eſt, prædia, vel alimenta quoad neceſſitas exigit, de publico providentur. Si verò contra prohibitionem Johannis & legitimas ſanctiones, in furta dilabitur & rapinas, durius caſtigandus eſt, ut qui ſemper furum, duraque tractaverit, & ita cohibenda eſt audacia ejus, ut in ſeipſo diſcat quanta animadverſione feriendi ſunt, qui legem impugnant, quam ſuſceperant defendendam. Sicut enim multis immunitatibus & eminentioribus privilegijs militia gaudet, ita acerbioribus pænis ſubdenda eſt, ſi ſua demeruiſſe privilegia convincatur. Nec in ea ſibi parte prodeſt ignorantia juris, cum etſi jure publico permittatur, ſuum tamẽ officiũ nõ liceat ignorare. Licet enim ſacerdos in ordinatione ordinis ſui difficultatẽ ignoret, eo ipſo ꝙ ſine contradictione oneroſo ſuccedit officio, ſuſcepti tamen ſacerdotij onera cogitur ſuſtinere. Si vero negligit, aut malignatur, corripitur gravius; eo quod majori pæna digni ſunt hi, quibus cum multum debeatur honoris, aut occulto aut manifeſto inveniuntur in crimine. Aliter tamen crimina, aliter puniuntur exceſſus, quoniam illa plerumq; pœnam irrogant ſanguinis, hęc quaſi medicinalem pro qualitate delicti exigunt curam. Ipſa vero nunc ſimplex eſt, nunc quaſi quandam acrimoniam miſcet. Verumtamen cum in omni profeſſione diſciplina neceſſaria ſit, nuſquam magis, quam in clero & re militari. At res militaris, quæ minus exercitatur in ſpiritum, acerbius eſt corporaliter punienda.

Nihil eſt autem quod utrumque magis impugnet, quam luxuria, quia omnis intemperantia ordinationi plurimum adverſatur. Porro ubi ordo non eſt, confuſio locum habet, & niſi reprimatur correctionis ſtimulo, procul dubio ignominiam ex neceſſitate importat. Quid enim faciet fortiter, quem luxuria & intemperantia non tam exarmavit, quam exanimavit? *libri ſexti nugarum curialium cap.10.*

Io. Sarisberienſis: Cingulo ſpoliatis, nec æra procedunt, nec militaribus privilegijs gaudent, nec habent aliquod cum gladio telove commercium. Ideoque provida conſtitutione majorum eſt gladius inſertus cingulo, ut collato honore cinguli, poteſtas quoque ipſius gladij aliquatenus intelligatur collata. Et recte cingulo decoratur, ad militiam quiſquis accedit, quia eum expeditum eſſe ad munia reipublicæ, officij ſui neceſſitas exigit. Accingi namque ſolet, cui gerenda iminent; & cui vacatio datur, licet eſſe diſcinctum. Unde illud in libro Regnorum; Non æquè glorietur accinctus, ut diſcinctus. Quia ſolicitudo laboris imminentis, gloriandi licentiam non admittit, & ociandi libertas & ſecuritas quietis plerumque extollentiam parit. Cingulum ergo indicium eſt laboris, labor honoris meritum, ut liqueat omnibus, quod qui laborem indictum militiæ, ſubire detrectat, honorem gladij in militari cingulo fruſtra portat. Ipſius quoque cinguli caſſa eſt ſignificatio, niſi fidem ejus roboret & ſolidet labor. Videas multos cinguli honore tumentes, ſed niſi honorem laborioſa impleant merita, idem eſt ac ſi pro ſolida ſubſtantia quis vendicet ſpumam. Profecto dignus eſt privilegium perdere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate. Abutitur autem quis, vel non faciendo quod oportet, vel faciendo quod fieri non oportet, & cum utrumque ſit malum, ut dicitur, peccatum delicto gravius eſſe ſolet. Delinquit enim qui non implet officium; ſed planè peccat, quiſquis committit contrarium. Albo ſiquidem nigrum magis opponitur, quam non album, & triſtitia lætitiam magis impugnat, quam ſpes aut timor, quæ neque in lætitiæ rationem cadunt, nec ei maximè adverſantur. Et cingulo quidem abutitur, tam ille qui non implet quod oportet ex militiæ ſacramento, quam ille qui impugnat militiæ ſacramentum. Delinquit tamen gravius, qui impugnat, ſicut hoſtis verus ignavo milite odibilior eſt. Unde qui rempubl. & inermem manum militaribus armis impugnat, juſtiſſimè exautoratur, tanquam ille qui figuram hoſtilem induerit. Sed

præ

præ cæteris omnibus divino & humano jure gravius feriuntur ſacrilegi, & hi qui varijs perturbationibus impugnant eccleſiam Dei, quibus lex non præciſionem dexterarum, ſed pœnam irrogat capitalem. Si patrocinium illorum aſſumant Cicero, & Demoſthenes, ſi in defenſione eorum linguam acuat,& totius ingenij ſui vires exhauriat Quintilianus, ſi jura viguerint, quod poſt Deum in manu principis eſt, fortunas eorum & capita, qui legitimis ſuppliciis feriantur,tueri non poterunt. Quod ſi gladium ſuum adverſus tales non exerit princeps, in ſeipſum proculdubio provocat gladium, bis acutum, quem in ore ſuo gerit filius hominis, gladium utique qui vivus & efficax eſt, qui corpus fundit, & animam mittit in gehennam, ad quem obtuſus eſt omnis gladius, & omnis armatura fragilis,& fluida & infirma, præter illam quam ſola conſtruxit gratia in bonorum fabrica meritorum. Sunt autem plurimi,qui malorum clamore operum,quando militiæ conſecrandi cingulum altari obtulerunt,videntur proteſtari, ſe eo tunc animo acceſſiſſe, ut altari, & miniſtris ejus, ſed & Deo, qui ibi colitur, bellum denunciarent. Facilius crediderim hos malitiæ execratos, quam & legitimam militiam conſecratos. *lib.6.Policratici.cap.13.*

Io.Sariſberienſis: Sed & deliberationes caſtrenſes, fictitiæ tamen frequentius agitentur;ut in his exercitatus miles,cùm uſus exegerit quid maximè expediat ſciat eligere.*lib.6.Policratici c.19.*

¶ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Xenophon: At nobis, ô viri nequaquam hoc uſuveniat: ſed quum ipſimet nobis conſcij ſimus,inde uſque à puerili ætate nos & honeſtarum & laudabilium actionum ſtudiis exercitos, eamus in hoſtẽ, quem ego viſum me ante hac, certo ſcio pugnandi adverſum nos rudem eſſe. Non enim idonei ſunt prœliatores, qui vel ſagittandi, vel jaculandi, vel equitandi ſunt illi quidem periti: ſed ubi labores perferendi ſunt,deficiunt. Quippe quod labores attinet, rudes hi ſunt. Neque item, qui vigilare, quum opus eſt, nequeunt: quippe qui rudes adhuc ſint, ſomnum quod adtinet. Neque item illi, qui licet ad hæc præſtanda ſint idonei:quo tamen pacto vel erga ſocios, vel hoſtes gerere debeant, non didicerunt. Nam & hos maximæ diſciplinæ rudes eſſe conſtat: vos autem nocte perinde, atque alii die noſtis uti: labores ad jucunde vivendum duces exiſtimatis: famem pro obſonio habetis: aquæ potum facilius quam ipſi leones fertis:denique rem omnium pulcherrimam, maximeque bellatoribus convenientem, animis veſtris adquiſiviſtis eam, quod laude magis,quam aliis rebus omnibus delectamini. Laudis autem amatores neceſſe eſt ejus adipiſcendæ gratia laborem omnem, omneq; periculum quàm lubentiſſime ſubire:*cap.35.lib.1.Cyropædia.*

Xenophon: Præterea Cyrus hoc quoque ſtudioſe curabat,ne umquam niſi prius ſudaſſent,ad prandium cœnamve accederent. Nam vel in venationem productos ad ſudorem uſque exercebat, vel ejuſmodi ludos excogitabat,qui ſudorem elicerent: vel ſi quid etiam ipſi forte agendum eſſet,ita ſe ducem ad eam rem agendam præbebat,ut abſque ſudore non redirent. Hoc enim & ad perceptionem cibi gratiorem, & ad bonam valetudinem, & ad laborum tolerantiam,utile putabat. Quin ad hoc etiam conducere labores arbitrabatur,ut inter ſe manſuetiores eſſent:idque propterea, quod etiam equi labores eoſdem ſuſtinentes, placidius eodem loco ſtare conſueverint. In hoſtes quidem certe redduntur animoſiores,qui mutuo ſibi conſcii ſunt,quam egregie ſe ſimul exercuerint. *cap.10.lib.2.Cyropædiæ.*

Xenophon: Poſtridie Cyrus militibus univerſis convocatis, hujuſmodi orationem habuit. Prope, amici, à certamine abſumus, quum hoſtes adveniant. Victoriæ vero conſtat hæc futura præmia, ſi nos quidem vicerimus,ut hoſtes noſtri, & omnia hoſtium bona noſtra ſint. Sin ipſi vincamur(nam & hoc indicari ſemper oportet) itidem noſtra ſuperatorum bona omnia victoribus, ut præmia, propoſita erunt. Sic ergo vobis eſt exiſtimandum, homines belli ſocietate junctos, ſi apud ſe ſinguli ſtatuant, res agendas minime ſucceſſuras,niſi quiſque ſuo loco ſit alacer:brevi & multa, & præclara geſturos,idque propterea, quod ab his nihil eorum, quæ peragenda ſunt:per ſocordiam negligatur. Quum autem quiſque cogitat,alium fore,qui rem gerat,ac pugnet,licet ipſe ſegniter agat:tum vero ſcire vos volo, hujuſmodi hominibus univerſis omnia ſimul adverſa imminere. Atque hoc ipſius quodam modo Dei opus eſt. Is enim illis,qui ſibi ad elaborandum res bonas & egregias imperare labores nolunt, alios dat,qui imperent. Quapropter aliquis heic jam prodeat,deque hoc ipſo verba faciat: vtro modo futurum exiſtimet, ut magis virtuti colendæ noſmet demus: an ſi is, qui plurimum laboris & periculorum adire velit, plurimum etiam honoris conſequatur: an vero, ſi nihil referre ſciamus, quod aliquis ignavus ſit, quum omnes pariter æqualibus præmiis potituri ſimus.

Heic unus ex Æqualium numero Chryſantas ſurgens, vir neque ſtatura magnus, neque ſpecie robuſtus,ſed excellente prudentia, in hunc modum loquutus eſt. Ego vero te Cyre arbitror,ait, de hoc ad nos retuliſſe,non quod apud animum exiſtimares,æqualia fortibus & ignavis deberi:ſed uti periculum faceres,an quiſquam ſit, qui declarare velit hoc eſſe ſe animo, ut tametſi nihil ipſe præclare faciat, parem tamen ex ijs fructum capiat, quæ aliorum virtute parta fuerint. At ego neque pedum celeritate, neque manuum robore valeo: & futurum intelligo, ut propter illa, quæ meo corpore geram,neq; primum, neque ſecundum, neque milleſimum,ut arbitror, immo ne quidem inter alios decies mille, judicio de me facto, locum ſim habiturus. Sed nihilominus hoc quoque certo futurum ſcio, ut ſi præſtantes viribus alii rem fortiter geſſerint, etiam ipſe boni alicujus in partem veniam, quantum quidem jure merebor. Sin & deſides nihil facient,& fortes ac robuſti minus animis alacres erunt:vereor,inquit,ne potius alterius alicujus rei,quam boni cujuſpiam,futurus ſim particeps,& quidem majorem ejus portionem conſequuturus,quam ipſe velim.

Hunc in modum Chryſantas quum loquutus eſſet, Pheraulas Perſa poſt eum ſurrexit, homo plebeus, Cyro quodammodo de cõſuetudine domeſtica familiaris & acceptus, corporis habitu non ineleganti, nec degeneris animi viro ſimilis: atque is orationem hanc habuit. Equidem Cyre,ac vos Perſæ,quotquot adeſtis, exiſtimo nos omnes jam æquali ſtudio virtutis ad certamen contendere. Quippe conſimili nos univerſos victu curare corpora, & univerſos pariter ad congreſſus familiares admiſſos eſſe,& eadem nobis omnibus eſſe propoſita virtutis & honeſti decora,video. Nam iis parendum eſſe, qui cum imperio ſunt, communiter omnibus eſt propoſitum: & quiſquis hoc ſine recuſatione in oculis omnium præſtat,hunc ornari à Cyro animadverto. Itidem fortiter & animoſe adverſus hoſtem ſe gerere,non huic convenit, illi non convenit: ſed eſt jam ante judicatum, cuivis hoc honeſtiſſimum eſſe. At nunc, ait, etiam pugna nobis indicatur. Hanc homines equidem univerſos à natura noſſe video, quemadmodum & aliorum animalium quælibet aliquam pugnam norunt,quam non aliunde, atque ab ipſa natura didicerunt. Verbi gratia bos cornu ferire novit,equus ungula,canis ore,dente aper. Atque etiam omnia hæc animalia cavere ſibi ab iis norunt, à quibus eſt cavendum maxime, tametſi nullius umquam magiſtri ludum frequentarint. Ego etiam ſtatim à puero noram aliquid ei objicere, à quo percuſſum iri me putabam: ac ſi nihil aliud habebam, poteram, impediebam: atque hoc faciebam non modo docente nemine, ſed etiam vapulans ea parte, quam objeciſſem. Gladium quidem puer adhuc ſtatim, ubi vidiſſem, arripiebam: edoctus à nemine,quo pacto prehendendus eſſet extraquam à natura,ut equidem cenſeo. Nimirum hoc quoque faciebam, quum facere vetarer,non docerer:quemadmodum & alia quædam ſunt,quæ patre matreque vetantibus,facere tamen à natura cogebar. Ac gladio profecto cædebam, quidquid clanculum poteram. Non enim in hoc naturæ ductum modo ſequebar, ſicut in inceſſu curſuque: ſed præterquam quod ingenitum erat,etiam volupe mihi factu videbatur.

Quando igitur hæc nobis dimicatio reſtat, in qua plus alacritas animorum, quam ars effectura eſt: cur hoc adverſus iſtos Æquales certamen cum voluptate non ſuſcipiamus, quum paria fortitudinis præmia ſint utriſque propoſita,& à nobis tamen, haudquaquam paria periclitantibus in diſcrimen eatur? nimirum illis, vitam honoratam, quæ una eſt omnium jucundiſſima: à nobis vero laborioſam quidem illam,ſed honorum expertem, quam equidem moleſtiſſimam duco. Maxime autem,commilitones, hoc me ad ſuſcipiẽdum alacriter adverſus hoſce certamen excitat, quod Cyrum habituri judicem ſumus,ab omni alienum invidia: quem ego juratus ajo,vere mihi videri, quoſcumque fortiter gerere ſe animadvertat, nihilo minus, quam ſeipſum diligere. Nam equidem eum video, quidquid habet, jucundius his ipſis dare, quam ſibi retinere. At enim Æquales iſtos,non ignoro elatis eſſe animis, quod inſtituti ſint ad famem,ſitum,frigus tolerandum:quum ipſis parum compertum ſit nos eadem à magiſtro etiam potiori, quam ipſos, didiciſſe. Nullus enim magiſter in his potior eſt neceſſitate, quæ nos hæc ut accurate admodum diſceremus, docuit. Hi ſe ad labores conſuefaciebant ferundis armis, quæ omnes homines ejuſmodi excogitarunt, ut geſtatu quam commodiſſima ſint: nos ſub magnis oneribus & incedere cogebamur & currere;ut jam mihi quidem armorum geſtamina ſimiliora videantur alis,quam oneribus. Quamobrem,Cyre, me ſcito & in certamen hoc deſcenſurum, & (qualis qualis tandem ſum) ut ex dignitate præmiis orner,poſtulaturum. Vos quoque populares,hortor ad pugnam hanc adverſus benè inſtitutos hoſce magna contentione ſuſcipiendam. Nimirum nunc hi homines in hoc populari certamine capti ſunt. Hæc Pheraulæ fuit oratio. Surrexerunt autem & complures alii, qui amborum ſententiam oratione ſua comprobabant. Itaque decretum fuit,ornandum quemque ex dignitate,judiciumque Cyro permittendum eſſe. Atque hæc ſanè in hunc modum ceſſerunt. *capit.19.20.21.22.libri 2. Cyropædiæ.*

Xenophon: Quia vero exiſtimabat Cyrus etiam totam Babylonẽ præſidiatorios requirere, qui cuſtodiendæ ſufficerent, ſive adeo ad urbem eſſet ipſe, ſeu abeſſet peregre: idoneum Babyloni quoque præſidium impoſuit, cui ſtipendium à Babyloniis numerari juſſit: quod eos quam maxime inopes eſſe vellet,ut abjectiſſimi fierent, ac in officio contineri facillime poſſent. Atque hæc, quæ tunc & circum ipſum, & Babylone collocata fuit cuſtodia, nunc etiam in eodem ſtatu manet.*cap.36.lib.7.Cyropedia.*

Plato: Eo autem tempore Dionyſius veteranis militibus ſtipendia minuere tentavit,præter parentis conſuetudinem. Irati verò milites in unum convenerunt,neque id ſe toleraturos comminabantur. Itaque ille clauſis arcis ipſius portis coercere illos conabantur. At illi repentè adventarunt ad mœnia, clamorem quendam barbarum ac bellicum attollentes. Quo metu conterritus Dionyſius cuncta il-

li conſueta,atque etiam plura confluentibus illis conceſſit. Rumor
autem fuit,Heraclidem tumultus omnis cauſa extitiſſe. Quod He-
raclides quidem perſentiens clam fugam arripuit. *Epiſtola 7. ad Dio-
nis propinquos.*

Lyſias: Neque enim ſolùm quæ imperabantur lubens feci, ſed
etiam periculis ultrò me obtuli. *mox:* Neque ego in ulla militia vel
ſtatione, officium meum neglexi; ſed inter primos ſemper ad
pugnam exii, & cum ultimis inde receſſi. *capit.5. orat. pro Manti-
theo.*

Ariſtides Rhetor: Quin quod aptiſſimos quoſque milites eligitis
undecunque,in eo non parum rebus veſtris conſuluiſtis. Cùm e-
nim ad publicos conventus & certamina coronaria ſoleant ij qui
naturæ bonitate corporiſque habitu ceteris præſtant deligi & exer-
ceri,putaſtis eos qui maxima veraque certamina obituri eſſent, &
ex ijs victoriam relaturi, quibuſcunque id contigiſſet, non debere
ex tempore colligi,verùm longe ante de maximis & aptiſſimis qui-
buſque ad exercitum deligi,ut è veſtigio reliquis præſtarent. Eos
deinde luſtratos,delectis Imperatoribus, non abſque ante dictis,nec
ut inviderent eis qui in urbe remanebant,quaſi pari jure non eſſent;
ſed ut honoris cauſa civitate donari ſe crederent; ſic inquam inven-
tos ac diſpoſitos ad imperii fines produxiſtis, ubi eorum aliis alia
ſeorſim tribuiſtis cuſtodienda. *Encomio Romæ.*

Idem Ariſtides: Milites ex omnibus delectos produxiſtis,cum ſpe
facta iis,qui fortiter ſe gererent, fore ut eos non pœniteret: nam &
primum quemque inter patricios fore, & ſecundum altero loco, &
reliqua loca pro dignitate quemque adepturum, ſi quidem hic non
verbis,ſed factis de virtute judicium fieret: tum exemplis eorum il-
luſtribus propoſitis, adeo ut omnes & ignaviam pro damno,& facta
pro conſequendi voti occaſione habeant: atque ut contra hoſtes
unanimes ſunt,ita inter ſe per omnem vitam de priore loco decer-
tent, ſolique inter omnes homines hoſtium occurſum exoptent.
quæ fit,ut ſi quis ad exercitum & ordinem militarem reſpiciat, jux-
ta Homericum illud exiſtimet,

——Quamvis decies tot ſint hoſtes numero,

omnes ad unum confeſtim captum iri: ſin plenitudinem ad dele-
ctum conſideret,quamdiu orbem terrarum locum ſuum obtinebit,
nunquam vobis milites defuturos; verùm ex omni terra quanto-
cumque velitis numero ſuppeditandos. *Encomio Romæ.*

Ariſtides: Quin etiam in militari diſciplina reliquorum omni-
um inſcitiam coarguiſtis. neque enim eam contra hoſtes duntaxat
milites ac duces,ſed contra ſe primum exercere juſſiſtis: ita fit ut
quotidie ſtent in acie,nec unquam quiſquam loco cedat,ſed ut eter-
no aliquo choro, ſtationem ſuam quiſque cognoſcat atque ſervet,
& inferior ut ſuperiori non invidet,ita quibus ipſe præeſt, eos recte
gubernet. Atque hoc mihi dolet,alios id de Lacedæmoniis prius di-
xiſſe, eorum exercitum præter paucos, è ducum ducibus conſtare;
cùm id vobis reſervari ac primum tribui debuerit, quod ille ante
tempus protulit. Verum enim verò Laconicus exercitus tantum
fere numerum complectitur, quantus facile ad id, ut omnes ſint
duces,ſuffecerit: ſed cùm in tanta ordinum & gentium quas vel e-
numerare ſit difficile copia, ab uno qui cuncta pervadat & perſpi-
ciat,gentes, urbes, caſtra, duces ipſos, exorſis, in uno, qui quatuor
imperet viris (nam quæ in medio ſunt interjecta omittimus) deſi-
nere & ut in fili glomo, ſemper à pluribus ad pauciora devenire
contingat,itaque alios ſub aliis collocatos ad finem uſque evolve-
re;id ſane omnem ſuperat humanum ordinem. quocirca Homeri-
cum illud paulum immutatum lubet proferre,

Tale equidem ſummi Iovis imperium eſſe putarim.

Etenim ibi unus tot imperat hominibus, qui autem ſub ipſo ſunt
miniſtri & legati, ut ipſo longè inferiores, ita reliquis quorum cu-
ram gerunt longè ſunt ſuperiores,omniaque ſine tumultu modeſtè
peragunt, ſublata quidem invidia,juſtitia rurſus ac pudore ubique
introductis,nec fructu virtutis quiſquam caret; omnino debet hic
verſus locum habere. *Encomio Romæ.*

Ariſtides Rhetor: Non enim qui nuper coriarij & fabri,hodie pe-
dites ſunt & equites; nec ut in ſcena,qui prius erat agricola, mox in
militem trāsformatur, nec quemadmodum in tenui familia,iidem
& cibis coquendis, & domui ſervandæ, & lectis ſternendis vacant; i-
ta & vos omnia permiſcuiſtis, neque eos qui fuerant alijs rebus de-
diti,milites per neceſſitatem reddidiſtis,nec hoſtibus vos convocan-
dos permiſiſtis. Ad ſeparationem quidem militum pervenerunt et-
iam Ægyptii, quemadmodum & in aliis multis cæteris habentur
ſapientiores. Hoc autem cum vos æquè ſciretis, non tamen eodem
modo peregiſtis;ſed eo pulcrius ac prudentius iſta diſtinxiſtis;quod
apud illos omnes non poterant æqualem æquitatis fructum cape-
re,cùm qui militarent pejore eſſent quam ceteri conditione, quan-
doquidem ſoli perpetuò laborabant, ideoque non erant optimè er-
gò eos affecti. apud vos autem cùm perpetua ſit inter omnes æ-
qualitas,militibus ſeparatim locus relinquitur. ita fit ut Græcorum,
& Ægyptiorum,& aliorum quorumcunque facinus veſtro ſit infe-
rius;& cùm ab armis veſtris omnes longè ſuperentur, tum animi
prudentia longius etiam vincantur. Nam cives quidem ſi milita-
rent & ærumnas ferrent,nullum eos imperii & felicitatis præſentis
fructum ſumpturos idoneum exiſtimaſtis: peregrinis verò fidem
non habuiſtis,cùm tamen militibus maturè opus eſſet. Quid ergo
feciſtis? peculiarem inveniſtis exercitum non gravatorum civiū,
quem vobis id,quod de toto inſtituitis imperio,conſilium præbu-
it, & quod nulla in re quam obire poſſint ac debeant, peregrinos
excernitis. quæ fuit ergo deligendi ratio? omnem peragrantes vo-
bis ſubjectam terram,qui hoc munus obirent,perquiſiviſtis, eoſque
inventos ſimul & ſua quemque patria liberaſtis, & veſtra civitate
viciſſim donaſtis; ut non auſint deinceps præ pudore antiquam
profiteri originem. civitate verò donata, milites eos effeciſtis; ut
jam nec cives veſtri militent,& qui militant cives nihilominus ſint,
cùm & antiquam civitatem unà cum militia perdiderint, & veſtræ
ſint ab eodem tempore cives ac præſidiarij conſtituti. hanc porrò
rationem ſequuntur omnes, nec civitas id ægre fert ulla, cùm tan-
tum hominum numerum è ſingulis ſumſeritis, quantus nec dantes
gravaret,nec ad exercitum ſeparatum conſtituendum ſufficeret: ita
ut urbes quidem omnes eos qui ſunt emiſſi communi benevolen-
tia tanquam ſuos proſequantur;privatim verò nullæ per ſuos quid-
quam valeant, nec qui emittuntur aliò,quam ad eos qui ſolùm de-
ſtinati ſint reſpiciant. *Encomio Romæ.*

Epictetus: Quid eſt miles? Murus imperii: defenſor patriæ: glo-
rioſa ſervitus: poteſtatis judicium. *alterc. cum Imp. Hadriano.*

Simplicius: Atque etiam militis officium, inquit, ex affectione
erga Imperatorem eſt repetiendum. Convenit autem & jubenti ali-
quid ſtatim parere, ob ſubitas bellicæ rei converſiones: & fortiter
pugnare cum juſſerit Imperator, quaſi in ipſo poſita ſit victoria ex-
ercitus: & pro ejus ſalute diſcrimen capitis adire, quod uno milite
cæſo parum in bello ei parti nocetur: duce autem interfecto, vel
victores ejus milites ſtatim & animis concidunt,& non ſecus atque
oves opilione carentes,lupis invadentibus alii alio diffugiunt, ut nō
caſtra tantum,ſed ipſe etiam patria, duce in bello cæſo periclitetur.
Idq; declarant ea quæ Cyri mortem,ut à Xenophonte ſcribitur,cō-
ſecuta ſunt. *prope finem c.37. Epict.*

Maximus Tyrius: Poſſiſne dicere, qui ſint illi, quos Homerus in
poëſi ſua,Jove genitos,Diis ſimiles, paſtoreſque populorum vocat,
ut alia omittam nomina, quibus in extollenda alicujus virtute uti
ſolent poëtæ? Eoſne qui terram ſtiva & ligone exercent, qui arare,
qui plantare,qui meſſem colligere, vitem ordinare eleganter poſ-
ſunt? An potius has ſimileſque curas, ne leviter quidem in libris
ſuis attingere dignatus eſt, niſi quatenus inſulanum ſenem, qui à
contumelioſis aliquot juvenibus regno ſuo ejectus erat, introducit,
quem in

——Vitiferæ procul ubere terræ,

humi in frontibus decumbere, æſtivoque tempore quieſcere fecit.
At vero quos beatos putat, quos commendare ſolet Homerus alii
certe ſunt: alia ſunt eorum opera,alia ſtudia. Qualis Achilles eſt,cū
hoſtem inſequitur,aut Ajax cum ſingulari certamine congreditur:
Teucer cum ſagittis, Diomedes cum animi virtute excellit: aut ſi
quis alius, qui ſtrenue rem gerit. Nihil enim in toto ejus opere au-
dis, quam magnos clypeos,ſplendidas galeas, longas haſtas, pul-
chros currus, equos currentes: &, ut verbo abſolvam, viros fortes
qui mactant,timidos qui mactantur. Quid quod ipſum Agamem-
nonem,communem omnium Græcorum principem, laudare non
potuerit aliter, quam ut bellatorem ſimul eum regemque dicat:
quaſi hoc maxime dignum ſit imperio: Utrunque enim facit Aga-
memnonem,

——Fortem regemque ducemq;,

Nam & Menelaus rex non minus erat,quam Agamemnon, verum
remiſſior in bello,quæ cauſa eſt cur tam parcus in exornandis poë-
tarum more ejus laudibus fuerit Homerus. Illum vero de quo lo-
quimur Agamemnonem, putaſne gloria & exiſtimatione nominis
reliquis anteſtare potuiſſe, ſi Argis manere ubi optimam habebat
terram,eam colere,& Ægyptiis quam habent fœcunditatis laudem
præripere maluiſſet? Cum audias ipſum Ulyſſem, qui his verbis Ita-
chen ſuam prædicat,

——Aſpera, ſed nutrix hominum bona.

Minime enim fugit eum, ut pote ſapientem, longe majores eſſe
fortitudinis fructus, quam aut triticum aut hordeum, aut ſi quis a-
lius terræ cibus eſt. Homerum relinquam: metuo enim ne parum
gratum ſit tibi, ſi teſtimonio utar hominis, qui plus quam par eſt
fortaſſe bello delectetur. Vis potius poſt Homerum, Laconum, At-
ticorum, Cretenſium aut Perſarum conſideremus Remp.? Præcla-
ras videlicet Spartæ leges laudas. Atqui ne eget quidem præconio
tuo Lycurgus, quem prius his verbis Apollo in colloquio cum eo
commendaverat,

Quæro tene Deum compellem, hominemve,
Lycurge.

Ille ergo Lycurgus,quem Deo ſimilem Deus ipſe pronunciat,poſt-
quam leges civibus ſuis tulit,oraculum Apollinis adiit,ut cognoſce-
ret ex eo,quam Reip. potiſſimum formam populo ſuo proponeret.
An illam quæ magna ex parte ex agricolis conſtaret, quæ parcam,
humilem, reſtrictamque amplectitur vitam, quæ in minutis & ab-
jectis illis actionibus verſatur. An potius hæc & ſimilia Helotis ſer-
vilique hominum turbæ, Lacedæmoniorumque finitimis relin-
queret: veros autem legitimoſque Spartæ incolas, liberos ab omni
nexu,intrepidam erectique animi gentem,ſolamque ad libertatem
natos, flagris verberibuſque exerceret, venationibus, montanis iti-
neribus,aliiſque infinitis laboribus virtuti præpararet. Donec ſatis
jam tolerantiæ aſſuefacti,cum haſta clypeoque, non alium ducem
quàm legem ſecuti,pro libertate pugnarent, Lycurgo auxilium fer-
rent, Deo morem gererent. Quod ſi agricolæ fuiſſent Spartani
omnes,quis unquam ad Thermopylas Leonides pro iis in acie ſte-
tiſſet? quis unquam Othriades ad Thyream virtutis ſuæ ſpecimen
dediſſet?

dedisset? Sed nec agricola erat Brasides, nec qui Syracusas servavit, recens ex arvorum cultu Gylippus veniebat, nec à vitibus suis Agesilaus. ille inquam qui Tissaphernem domuit, terramque regiam populatus est, qui Jonas ipsumque Hellespontum vindicavit. Non à bidente Callicratides, non à ligone Lysander, non ab aratro Dercyllides. Servi sunt, Ilotæ sunt, quos clypei tegunt, pro quibus arma pugnant: qui serviunt victoribus. Hæc est illa militaris virtus, quæ agrum Atticum toties vastavit, Argivorum terram diripuit, Messenios subegit. Qua virtute simul ac destitui cœperunt Spartani, armis suis depositis, ex liberis hominibus agricolæ facti sunt. Cretenses quando liberi fuerunt? cum arma gererent, cum sagittare gauderent, cum venari. Servi quando? cum agriculturæ operam darent. Quando liberi fuerunt Athenienses? cum Cadmeos oppugnarunt, Jonas in colonias miserunt, Heraclidas exceperunt, ejecerunt Pelasgos. Servi quando? cum ereptis armis Pisistratidæ agriculturæ incumbere populum coëgerunt. Qui rursus, cum Medorum adventaret classis neglecta terra sua, arma in manum sumpserunt, armis libertatem suam vindicarunt. Agricola non fuit Cynægirus, qui Athenas liberavit, neque rusticus Callimachus, qui Medos ejecit, neque agricolis præfuit Miltiades. Ab armatis præclara facinora edũtur: pugna victoriam, victoria parit libertatem. Ubi rursus mare vocabat, terram hostibus, domos igni remisere, servatisque solum armis, in triremes migrarunt. Totæ Athenæ navigabant, gens mediterranea in mari erat: ubi & navigando pugnavit, & navali pugna vicit, & vincendo terram suum rursus vindicavit mare. Laudo & Periclem in armis, qui agricolis neglectis cum vastari cerneret Acharnas solis libertatem conservabat Atheniensibus. Salva enim libertate, salva terra, salvæ plantæ, salvæ sunt segetes. Relinque Græcos, & ad Barbaros transi. Agricolæ sunt Ægyptij, milites Schytæ; fortes Schytæ, meticulosi Ægyptii. Agricolæ sunt Assyrij, milites Persæ. serviunt Assyrij, imperant Persæ. Lydi olim milites erant, postea agricolæ fuerunt. Quamdiu liberi fuerunt, militarunt, cum servire potuerunt, ad agriculturæ studium iverunt. Perge ad animalia. Nam & in ijs libertatem invenies & servitutem, vitamque in qua virtus libera locum habet, & vinculum. Bos arat, equus certat. quod si eorum opera mutes, naturę injuriam facis. Quæ timidissima sunt, vitam herbis sustentant, quæ fortissima, venantur. Herbis cervus vivit, venatur leo: fruges legunt graculi, aquilæ venantur. quæ fruges legunt, serviunt, serviunt quæ herbis pascuntur: libera sunt quæ venantur. Quod si & fabulis Deorum credendum est, neque Jupiter, neque Minerva, aut Apollo, aut Mars, qui inter omnes Deos maxime regales sunt, agricolarum more vivunt. Sed sero multosque post errores terram colere Ceres incepit, sero Bacchus, post Cadmum & Pentheum, sero Triptolemus, post Erichtonium, post Cecropem. Quod si Saturni regnum videamus, quis usus ibi artis illius? quanquam ne nunc quidem eo opus esse video. Nec enim plane terra spontaneos ferre fructus desiit. Quin & hodie cibum profert, fagos pyrosque: quin & hodie potum genuinum præbet: Nilum, Istrumq; Acheloum & Mæandrum; aliosque crateras perennes, qui purum nobis sobriumque suppeditant humorem. Agricola qui hæc coluit, non est senex Icarius, nec Bœotius ille aut Thessalus, sed sol ipse, sed lunæ tepor, sed imbres vitales, venti suspirantes, tempestatum vicissitudines, terræ fœcunditas. Hi sunt immortales agricolæ, hi sunt qui fructus arboresque nobis sine ulla hominum arte suppeditant. Hanc agriculturam nec fames nec pestis nec bellum ipsum inhibet,

Quæ sine seminibus curvoq; hæc præbet aratro.

Nam si lotum Libycam, aut triticum Ægyptium, aut Atticam olivam, aut vitem Lesbicam, desideras, non artem, sed voluptatis studium nobis dicis. Nunc denique labores ingenuos cum servilibus, ingenuam fortitudinem cum servili confers agricultura. Nec enim pacem confers cum bello. Nam si talis est agricultura, tollatur bellum, terram colamus omnes. Hastam qui volet abjiciat, & ligonē sumat: virtutem in terram convertat, excellat inter agricolas. Præconium illi fœcunditatis tribuamus:

Hic homines inter victor, dux maximus hic est.

Nunc bello omnia, omnia injustitia plena sunt. Ubique enim cupiditates oberrant, ubique immoderatum habendi appetitum excitant, ubique exercitus qui alienam terram invadunt. Celebratur mulieris cujusdam ex Peloponneso forma? continuo Barbarus homo ab Ida usque adnavigat: non agricola tantum, sed qui mitiores agricolis esse solent, magisque ocio & quieti addicti, magis pacis studiosi, pastor, bubulcus. Terram Ægyptiorum Cambyses concupiscit; bellum excitat illa cupiditas. Terram Schytarum Darius petit: oppugnantur Schytæ: Transit Athenis Eretriam cupiditas, & una cum cupiditate classis. Eretria obsidetur, classe invaditur Marathon. Lacænas Argivasque & Atticas ancillas uxor Xerxis desiderat: hujus cupiditatis causa transmarina classis instruitur. Deseritur Asia, turbatur Europa. Siciliam Athenienses petunt, Joniam Lacedæmonij, imperium Thebani. O noxias vehementer Græciæ cupiditates! quem dabis locum, ubi secure agricultura exerceri possit? Aut ubi aureum tandem pacis vultum invenies? Quæ pars terræ non abs aliquo petitur.

——*Ascra æstate gravis, hyeme est infesta.*

At populis abundat Bœotia: eatur ergo Ascram. Libya remota est, sed pasturæ pecudum idonea. Remotissima est Indorum regio: nec minus amatorem suum invenit: Macedonem illum, qui post multas alias gentes, post multa bella, eò tandem pervenit. Quò abire vis, ubi securam tutamque agriculturam invenias? Omnia bellis, omnia armis plena sunt. Quamobrem,

Hastam quisque sibi clypeumq; in bella parato,
Cornipedisq; tui pastu præsepia comple.

Res præclara est agricultura: præclara fateor; si manere possit, si ocium imperet, si ab alio custodiatur. Nunc metuo ne hæc ipsa res tam præclara sit, quæ ubique bella, quæ seditiones excitat. Ait antiquus quidam scriptor: terram uberrimam maxime incolarum vicissitudini esse obnoxiam: Atticam contra quod sterilis esset, sine ullo motu ab iisdem hominibus habitatam esse. Audisti quo pacto bella oriri soleant. Cave agrum tuum colas, quisquis es, mi homo: desertam incultamque terram relinque tuam. Nisi velis contentioni ansam dare: nisi velis excitare bellum. *Dissertatione 13. Utri in Rep. utiliores sint milites, an agricolæ.*

Iulianus Imp. Milites ad eam rerum omnium copiam perduxisti, ut neq; satietate insolentes esse, aut inopia quippiam peccare cogerentur. *Panegyr. 1. ad Constantium.*

Libanius: Ac vos alii universi eos erga patriam vos pręstatis, quos æquum est, conferentes in illam quæ conferre quisque potest. hic triremem attribuit, ille talentum. alius legem utilem tulit, alius decretum perscripsit præclarum. isti cum laude functi sunt legatione, alij auctores fuere juris exequendi. omnia quidem laudabilia. Sed longè præstantiores ij qui periculis vocantibus, armis sumptis, vel vincere vel cadere volunt, declarantes corpore suo benevolentiam. *Progymnasm. in Proditorem.*

Libanius: E Comœdia cognitum perspectumque habes, tumidũ, fastuosum, arrogantiæque refertum quiddam esse militarem virũ. Si cui vestrum Menandri Thrasonides animo obversatur, scit quid dicam. hunc enim hominem ait insulsitate militari laborantem in odium sui amicam concitasse. & germana fuit utique illi fabulæ appellatio, Thrasonidis tædium. *Declam. 31. theoria.*

Libanius: Neq; aurum neque statuas postulo à republ. quam voce mea eripui hostibus. quid igitur? ut liberi vestri ad ludum meum ventitēt, & oratores potius quā milites instruantur. cùm enim multos juvenes militiæ dare nomen video; perpaucos autem Mercurio ac Musis consecratos, id me torquet. Verùm experientia edocti, quanto sermones patriæ utiliores sint quàm arma, complete mihi adolescentium cœtum. *Declamatione 31.*

Libanius: Quid filium culpas? non exigua res est miles fortis. ne sumptibus offendaris; non improbandum tributum recipies. insignes bellum fructus edit; non per arincam & hordea, quæ pusilla longo temporis spacio colligendo defessus es: sic habeto, multos milites aurea gestantes arma pugnare: qui eos occidit, spoliat, & dux nescius est. quòd si strenuè se gerat filius, explebit herclè cupiditatem tuam, muneris dies: & ne per totam quidem vitam tantas dices te usuras accepisse. heus, unà exerce & adjuva, ac procura quæ ad apparatum adolescentis pertinent. quid cunctarer, inquam, siquidem præmiis inhiavi. proinde ego militarium studiorum prohibitor, incitabam, exhortabar, precabar, ut in armis acquiesceret. age, inquiebam, suffura in castris mortuorum armillas, & torques, sed ita ut neminem habeas hujus rei conscium, & longe ante multos præsili; aut enim morieris (quod certè commune est) aut facies me prorsus opulentum. *Declam. 37.*

Simocatta: Lucanos iterum adventare dicunt, & abjecta falce, hastam iterum & remum fabricabo, atque marinum opificium excercebo. Non enim permittit quiescere nos fortuna. Mihi æstas est hyeme horribilior. Quid enim fieri potest horribilius bello. Apparente vere lachrymatus sum, quòd ornatus floribus ager, quòd flagrans Myrrhinis prædium, quod decora foliis platanus. Viret seges. Omnia mihi ad ubertatem annonæ properant. Sed injuriam nobis hostes inferunt. Optatior enim est eis gladius aratro. *Epistola 71.*

Onosander: Si copias pabulatum mittat Imperator, summoperè cavere debet, ne per uberes divitesque hostium regiones huc illucque prædas opimas perquirendo oberrent: ne hac ratione in maximas aliquando strages incidant. Palantes enim ac dispersi, prædas insolenti lætitiâ abigentes, ab hostibus opprimuntur ac profligantur. Nimirum indigesta illa turba, quæstibus prædisque onusta & gravis, neque armis uti, neque mutuum sibi ferre auxilium potest. Quotquot igitur injussu Imperatoris aliqua deprædari ausi fuerint, plectantur. Ipse verò siquando prædatum mittere voluerit, vacuis & inermibus aliquot armatos equites peditesq; adjungat: qui quidē abigendâ prædâ non occupabuntur, sed ordine dispositi pabulatores munient ut tutò se ad suos cum prædâ recipere possint. *capit. 9. Strategici.*

Onosander: Bonus igitur Imperator, priusquàm urgeat consistendi in acie necessitas, præparet quæ utilia sibi fore videbuntur, immò & militum corporibus exercendis, imperet quoque minùs utilia. Satis enim illis, quamvis ærumnosis ac miseris, concedetur ocij, si tantisper à gravibus verisque bellorum periculis vacare liceat. His autem modis exerceantur. Disponantur singuli in armis, illisque præcipua curarum ista sit assiduo usu permanere in ordine, ut adsuescant de facie ac nomine sese invicem nosse. Item ut discant quis progredi debeat, quo imperante, quo loco, quot socijs comitatus. Denique vel levissimo nutu & signo, adstent in ordine singuli. Tũ verò doceantur agmen producere, contrahere, inclinare in lævum, in dextrum latus, manipulos traducere, dividere, condensare; vel etiam

iam

jam vicibus alternis accedere & recedere. Itemque adſuefiant aciei diſtributionibus & diſpoſitionibus, ſive in phalangem componenda ſit acies, ſive confertim colligenda, ſive longâ ſerie protendenda, ſive, ita ut poſtremi adverſus circumvenientes obverſo vultu prœlientur, pugna biceps ac bifrons pugnanda, ſive etiam receptui ſigno audito ſecedendum. Ut enim qui muſicorum inſtrumentorum principiis adhuc erudiũtur, quando aut tibiarum foramina, aut nervorum intervalla, digitorum pulſu diſcernenda ſunt, ſæpenumerò alia aliis digitis, abſque ullo concentu premunt inconditè, ac languidè ponendo articulos, ſegniter quoq; tollendo, vix nervos intendunt: At qui jam frequenti curâ & uſu totam artem probè callent, manu ad numeros compoſitâ, celeri levitate ſubtiliter agitatâ, tibiarum flatus, ut lubet, aut comprimunt, aut laxant, fidibuſque facilè perſtrepunt: Conſimili quoque ratione, ordinum ſervandorum inſueti & ignari, trepidi admodum, poſt multos errores & amfractus, vix tandem diſpoſitè conquieſcunt: Qui verò communibus animis conſpirare edocti ſunt, dato ſigno, derepentè, quaſi naturali motu ipſi per ſe feruntur in ordines, aciemque pulcrè concinnatam componunt.

Porrò exercitu ita diſtributo, commiſſos & compoſitos ordines ad conflictum educat Imperator, ut datis ferulis aut rudibus, & jaculorum arundinibus, pugnam ſine ferro & ſanguine depugnent. Si in arvo ſint, glebis, ut miſſilibus uti jubeat. Item crudo ceſtu, loriſq; bubulis. Deſignet quoque illis colles, cacumina, & ardua loca celeri curſu conſcendere imperet; tùm etiam ſubmittat cum telis quæ modò indicavi alios quoſdam qui illos exturbare contendant; eoſq; laudibus efferat qui vel permanſerint fortiter reluctando, vel qui conſtanter oppugnando adverſarios dejecerint. Hujuſmodi ludo & exercitatione militum valetudo confirmabitur, eritque illis cibus potuſque etſi tenuis & parcus, jucundior; nec magis opiparè epulari exoptabunt. Nam labore quæſita fames ac ſitis, multa ſibi ac ſuaviſſima condimenta poculaque miſcet. Hinc etiam corpora ipſa adverſus defatigationes obdurantur, periculis adſuefiunt ſudando, nitendo, anhelando; atq; in ferventi ſole caloribus, & algoribus ſub dio perferendis exercentur.

Similes equitum quoque exercitationes erunt, aut certatim pugnando, aut curſim inſequendo, aut mixtim prœliando, aut tumultuariè velitando, in campis ſcilicet patentibus ac planis; atque etiam circa collium radices, quantum per arduas aſperitates attingere licebit. Nec enim cogi debent per inacceſſa juga, aut per præruptos deſcenſus equitare. *cap. 10. Strategici.*

Onoſander: Mandata omnia, ſigna, teſſeras dari oportet per ordinum ductores. Obeundo enim mandata cuique nuntiare, privati & imperiti hominis eſt; & ita ſingulos admonendo tempus abſumitur, ac tumultus quoque ſuboritur, percuntantibus ex ſeſe invicem omnibus. Jam hic addere aliquid Imperatorijs præceptis, ille per ignorantiam nonnulla detrahere. Dari igitur mãdata debent primis Ducibus, qui mox proximis ſibi nuntiabunt, iſti quoque ijs qui poſt ſe, ceterique pariter deinceps ſequentibus; donec ultimi, quæ primi ſciverunt, hoc modo reſciverint. Sic enim omnia tam celeriter decenterque ac placidè cognoſcentur, quàm ſi facibus à cuſtodia ſublatis ſignum aliquod daretur. Illic enim ubi primus facem extulit, ſtatim alter ab illo ignem quoque ſuum ſuſcitat, & ita deinde tertius quarto, & quintus ſexto index facillimè eſt, eaque ratione ꝙ primi ſignificare voluerunt, per multa ſtadiorum ſpacia manifeſtũ fit. *cap. 25. Strategici.*

Idem: Signum illud quod præter teſſeram dabitur, voce pronuntiari non debet, ſed corporis motu exprimi, ut manus nutu, geſtu, aut armorum colliſione, aut haſtæ inclinatione, aut enſis coruſcatione; ut coorto aliquando tumultu non ſolùm pronuntiatæ teſſeræ credant milites (illam enim hoſtes quoque audiendo accipere poſſent) ſed aliquod adhuc ſignum exſpectẽt. Quod etiam magnopere juvabit alienigenas diverſæ linguæ ſocios: qui enim extraneam linguam nec effari, nec intelligere poterunt, hoc ad teſſeram addito ſigno, ſocios amicoſque ab hoſtibus facilè diſcernent. Dari etiam debent hujuſmodi ſigna militibus in caſtris, etſi pugnaturi nõ ſint, ſcilicet ad evitandas incertas ſeditiones ac trepidationes. *cap. 26. Strategici.*

1. *Leo Imperator:* Res militaris eſt ſcientia bellicorum motuum. Motus autem belli duplices ſunt: alij enim terra, alij mari fiunt.

2. Res militaris eſt ars quædam imperatoria acierum inſtruendarum, & armorum & motuum militarium.

3. Ars imperatoria eſt in quibus exercitatio vel ſtudium aut induſtria ponitur, cum ϛϱατηγημάτων, id eſt, conſiliorum imperatoriorum & trophæorum collectione.

4. Propoſitum rei militari eſt, ut opportunis commoditatibus & rebus geſtis vincat hoſtes.

5. Utilitas rei militaris eſt, ordinata quadam ac diſpoſita acie cum hoſtibus confligere.

6. Finis rei militaris eſt, quoad ejus fieri poteſt, ſine ulla offenſione exercitum inſtruere.

7. Bellicus apparatus perfectus duplex eſt, alter quidem terra terreſtris, alter verò mari navalis. De re navali poſtea dicemus. Hominum autem qui ad bellum confluunt multitudo, altera quidem prælians eſt ſeu bellatrix, altera verò ad uſus belli veniens imbellis. Et bellatores milites ſunt qui adverſus hoſtes inſtruuntur. Imbelles reliqui ſunt, Medici, adminiſtri, mercatores, & alii qui ad neceſſarios uſus conſequuntur. Pugnantis partis ſeu bellatricis alia eſt pedeſtris, alia equeſtris. Pedeſtris eſt, quæ humi conſiſtit. Equeſtris eſt, quæ equis vehitur, & quæ olim curribus falcatis & elephantis turres hominibus refertas geſtantibus vehebatur. *capit. 1. Tacticorum.*

Leo Imperator: Deinceps jam quæ abs te gerenda ſunt, dum nec opinatas incurſiones hoſtilem in terram facis, & quemadmodum hoſtiles impetus declinare in tua ipſius regione poſſis, ſi quando belli tempus ſubitum ac improviſum fuerit, pauciſſimis quantum pro hac materia fieri poteſt, expediam.

2. Antiqua nos oratio hoc docet, quam & prudentiſſimi imperatores olim ſervaverunt, nuncque adeò quicunque ſervant, in rebus gerendis florent & potiores habent, ſine noſtra offenſione incurſiones atque irruptiones in hoſtilem terram faciendas. Nam adverſus pares numero ac viribus copias perſepe hoc valet, atq; etiã adverſum majores nonnunquam aliquid efficit.

3. Propterea ſemper atque ubique idoneas occaſiones opportunitateſque temporum, quæ adjuvare rem noſtram poſſunt, non ꝑtermittes, ſed hoſtes tuos anticipes priuſquam parati ad occurſum promptique eſſe poſſunt, illos in primis, quos putaveris tum plures, tum fortiores te eſſe.

4. Improviſis enim incurſionibus, dolis molitionibuſque hîc magis opus eſt, potius quàm apertis ac manifeſtis præliis, è quibus pericula graviſſima, inevitabilia eſſent.

5. Cùm hi doli diverſi variiq; ſint, iſtis utêris idoneè pro temporum, locorum, perſonarum, rerum opportunitate.

6. Legatis hoſtium ad te miſſis, mollem humanamq; reſponſionem illis adhibebis, & benignè atq; humaniter dimittes, confeſtimq; illos conſequêris, & opinione citius hoſtes adorieris.

7. Legatos tuos ad hoſtes mollioribus cum verbis mittens, incurſionem ſubitò facies.

8. Interdum etiam hoſtium caſtra, ſive in tua, ſive in hoſtili terra coacti fuerint, conſiderabis diligenter, quemadmodum ponãtur. Quòd ſi ulla occaſio inveniri poteſt, noctu luna lucente duas aut tres horas ante diem in hoſtes cum ſagittariis bonis ac multis invadas: horum enim maximus uſus eſt his temporibus.

9. Ubi cognoveris in itinere confuſos diſperſoſq; hoſtes ambulare in medio viæ, invades in eos lædeſq;.

10. Interdum diſceſſionem ſimulans ex ijs locis in quibus verſabaris, ſubitò converſus in hoſtes irruptionem facies.

11. Interdum in locis quibuſdam occultans teipſum cum militũ multitudine, ſubitò hoſtes invades.

12. Quidam armenta boum atque aliorum animantium exponentes, atque hoſtes ad horum direptionem invitantes, ubi viderint ad armenta diripienda diſſipatos eſſe ſtatim in illos invadunt.

13. Aptè fiunt incurſiones, quando in intervallo hoſtium fluvius ad tranſeundum incommodus invenitur. Hoc ſolent equites potiſſimum facere: ibi enim pontem conficiunt vel ex trabibus magnis, quemadmodum mos eſt multos pontes fieri: vel parvis quibuſdam navigiis, id eſt, ratibus: turreſque ligneas vel aridorum lapidum, vel ex aggere quodam ad extremas oras pontis excitant, ut quando uſus fert, per eum ſecurè tranſeant, rurſumque diſcedant quando volunt, ut pro imperatoris arbitratu permaneat pons quandiu ille voluerit, & confligat cum hoſtibus vel diſcedat iterum ſecurè, ponte jam diſſoluto.

14. Sed in iis invaſionibus incurſionibuſque in hoſtilem terram, neque incendendæ neque populandæ eæ partes ſunt, per quas iterum rediturus es, ut ne teipſum hoc pacto affligas.

15. Hujuſmodi etiam pontes fiant in publico prælio, & caſtra propter tales fluvios ponantur, ſi altus & minimè permeabilis ulla ex parte inveniatur, ut hujuſmodi fluvii ripam habeas ex adverſo hoſtium, ut ſine ullo impedimento & offenſione ipſo die prælii aciem educas: fugæ autem tempore in caſtris maneant ſecuri ac ab omni terrore liberi, neque cogantur hoſtibus jam imminentibus inviti ac feſtinabundi pontem facere. Ac propterea caſtra in ripis ex adverſo hoſtium ponant.

16. Nocturnæ incurſiones ab antiquis imperatoribus excogitatæ ſunt; è quibus nos tibi hæc ſuggerimus, ut ubi ab hoſtium caſtris, unis tantùm caſtris diſtas, legationem unam atque alteram pacificã ad eos mittas, & ſpem illis pacis injiciens, illoſq; liberos ſolutoſque à timore reddens, de improviſo in illos irruas noctu ante diem iter ingreſſus.

17. Interdum ſi noctu volueris eos adoriri, dies antè aliquot prope hoſtium caſtra ponens quaſi ad prælium publicum committendum, ſi tum ſimulaveris te timere hoſtes, neque propinquius audere accedere caſtris illorum, ſupinos reddes eos & negligentes, atque adeo noctu invades.

18. Hoc autem Chaganum Abarorum feciſſe novimus Heraclio imperante, cùm ad Heracliam Thraciæ civitatem Romani equites nollent in foſſato tutò cùm peditibus caſtra ponere, ſed in circumſpectè extra caſtra. Prudenter quoque feceris ſi cùm ſtrenuos forteſque milites tecum habeas, impuleris unum atque alterum ad hoſtes confugere, atque illis narrare magno in timore noſtrum eſſe exercitum: deinde ſimules te retroire velle, & ad alium locum paulò ab illis longius caſtra transferas, & ſubitò tum noctu hoſtes invadas.

19. Nocturnas incurſiones in hoſtes facies peditibus & equitibus, ſagittariis & jaculatoribus, ſi qui pedites aut equites ſunt qui non in foſſato caſtra ponunt, ſed ſparſim & diſiectè cubant extra caſtra.

20. Has

20. Has potiſſimum incurſiones in eos facies, qui neque arcus neque jacula habent, ſed cominus congredi ſolent: qui enim arcubus teliſque utuntur, minus inſidiis iſtis appetendi ſunt, niſi diſſipati fuſique caſtra ponant.

21. Noctes elige tibi ad has nec opinatas incurſiones: hoc eſt, quando noveris lumen totius noctis ſatisfacere ad univerſum iter tuum, vel quando ſtellæ lucent, ut ne exercitus in tenebris ambulãs, adflictus perturbatuſq; vagetur.

22. Expeditum paratumq; exercitum ſemper moveto, qui nihil ſupervacaneum ſecum geſtet. Sic autem pro loci intervallo iter tuum aptabis, ut moderatè ambulando exercitus de via laſſus non ſit, ſed duas ante lucem horas uno aut altero ſigno ab hoſtium caſtris abſis, atque ibi clàm collocabis quietiq; trades exercitum, ut priuſquàm dies illuceſcat, hoſtes invadas.

23. Ad hujuſmodi itinera duces viæ habeas, qui accuratè viam noverunt, ut ne erret exercitus.

24. Summo in ſilentio ſint, neque buccina perſonet, neque tumultus quiſquam alius fiat. Sed ſi ſigno aliquo ad excitandum exercitum opus fuerit, vel ſibilo, vel ſcuti ſtrepitu, vel voce ſignificetur exercitui, quemadmodum vel procedere vel ſtare oportet.

25. Ut verò ſtrepitus ac ſtridor nullus ſit, nec in longitudinem aliquam producta acies errorem atque inæqualitatem faciat, quæ res clamorem & mandata ad gubernandum exercitum multa requirit, & cognitum hoſtibus copiarum noſtrarum adventum facit, propterea ne ad frontem, id eſt, ad latitudinem multam, ſed ad cornu, id eſt, ad directam aciem, quemadmodum in contubernio & manipulo ſit, altitudine copiarum ſtudioſe adſervata.

26. Ubi prope hoſtes venerit exercitus, clàm atque occultè ad requietem dabis exercitum, & pro loci ratione aciem inſtrue: deinde per duos aut tres dies incurſionem facito, non in omnes partes & quatuor latera exercitus, ne obſeſſi undique atque interclusi, cogantur in denſitatem & contrahantur, ſed ſecuritatem habeant, poteſtatemque una ex parte quà velint aufugiendi.

27. Si multitudinem magnam exercitus tui habeas, una ſola aut altera buccina ſonet, ut hoſtes te putent parvum habere exercitum, & decipiantur. Sin parvum habeas exercitum, plures buccinæ ſonent, ut magnam multitudinem hoſtium venire arbitrentur.

28. Copias quaſdam conſtitues eo tempore ad manus conſerẽdas habiles, quæque ſuos iterum redeuntes excipiant.

29. Incurſiones in hoſtes, ſi equites ſint, tutò facias, quaſi ad publicam pugnam procederes, ut ſi progreſſio tua minus feliciter procedit, ſed hoſtes præſentientes adverſum te inſtruantur, in ſuſcepto prælio quaſi imparatus aut diſſipatus non ſupereris.

30. Si hoſtes pedites fuerint, tui autem equites, certum eſt vel te hoſtes læſurum, vel ſine offenſione diſceſſurum, cùm pedites inſequi alios equites non poſſint.

31. Sin equites hoſtes fuerint, oportebit te ad omnes caſus adverſos promptum & paratum eſſe.

32. Si interdiu aut noctu incurſio in caſtra, in impedimenta, in milites iter facientes fuerit, ſeparatas quaſdam cohortes ad rerum direptionem habere oportebit, ut ne omnibus hac in re occupatis, incurſio ab inimicis fiat & periclitetur.

33. Incurſiones majores & abſolutas tu ipſe per te facies. poteris etiam per turmarchas ad hanc rem idoneos hoc efficere, qui vicem tuam fortitudine ſolertiaq; ſua explere poſſint.

34. Si ad depopulationẽ & prędationem hoſtilis terræ iter ſine offenſione tua facturus ſis, primùm idoneum aptumque tempus eligito. Hoc autem idoneum opportunumque tempus erit, cùm ſi vel confligere cum hoſtibus cogitas, minus habiles ad reſiſtendum tibi reperientur, vel imparatos vel omiſſos illos invenies, quemadmodum antè admonuimus.

35. Ante omnia irrupturus in hoſtilem terram, commeatus ac rerum neceſſariarum exercitui curam geres, vel ut aliqua vectura communi, vel ut à militibus ſingulis deportentur; aut alia quavis certa via tum hominum tum jumentorum pabulum vehatur, ut ne ſua in regione hoſtibus omnia ad commeatum ſpectantia vaſtantibus, in magnas anguſtias tuus adducatur exercitus.

36. Hoſtili in regione ne coneris nocturna itinera facere, niſi ſemel, idque clanculum neceſſitate impellente, ut hoſtes lateas, & difficilem aliquem locum munitionis gratia anticipes, vel ut ad alium locum inſcientibus hoſtibus tranſeas.

37. Primò perſcrutandæ perluſtrandæque viæ ſunt, deinde tutò ingrediendæ.

38. Omnino elaborandum abs te eſt, ut quoſdam ex hoſtibus capias, atque ex illis hoſtium copias conſiliaque, & quid agendum ſuſcipiant, cognoſcas.

39. Ad eos qui capiuntur explorandos & exanimandos teipſum adhibebis, neque per alios delectos viros facias. Sæpe enim neceſſaria quædam præter opinionem incidunt, & ab iis examinatis proficiſcuntur quæ multis patefieri non debent.

40. Iis qui ad te confugiunt ne nimis facilè credas, neq; iis qui repentina quadam incurſione capiuntur: ſæpe enim tum qui ad te confugiunt, tum qui capiuntur, permulta falſa loquuntur.

41. Neque iis quæ ab uno aliquo dicuntur, ſed quæ à pluribus memorantur, credas. Eorum autem conſenſionem potius attendas qui bello capiuntur, quàm qui voluntarii ad te confugiunt.

42. Eos qui ab hoſtibus ad te confugiunt, & ſecreta atque abdita quædam ſe enunciare velle dicunt, in cuſtodia teneas, aut alia tutà ratione apud te ſerves: & promittas, ſi vera loquantur, te illos muneraturum: ſin mentiantur, mortem minitaberis.

43. Si hoſtium exercitus cogitur, tuque extra munitionem ſis, ne militem ullum ad prædationem direptionemque hoſtium mittas, ſed primò invade illos, & ſi bene belli exitus proceſſerit, ne differas tempus, ſed dum in tumultu timoreque fuerint, impreſſionem in illos facies, donec omnino diſiecti diſperſique fuerint, tuque in tuto ac extra periculum fueris.

44. Sin hoſtes coacti fuerint, prælium tamen ac dimicationem rejecerint, contende junctis copiis atq; adunatis adverſum eos prodire, & quæ ante pedes ſunt omnia vaſtare.

45. Si per eandem viam reditio tua erit, neq; alimenta aut paſtiones ullæ ſint præterea, ne tum hæc alimenta quę ante pedes ſunt populaberis, ſed ubi reverſus fueris tum potius vaſtabis.

46. Ut ne aliena in regione erres, in diverticulis & ambiguis viis ſigna pones: ſi ſylvæ ſint, in arboribus: ſin plana expoſitaque loca, in acervis lapidum: aut ſuffoſſionibus quibuſdam parvis notabis, ut qui poſtea ſequuntur ex tuis, minus aberrent.

47. Quos ad præliandum ſegregaveris atque emiſeris, præcipe ut ne omnes prædationibus occupentur, ſed diviſi ſint, ut alii prædentur, major pars illorum inſtructa ad cuſtodiam, vel conſiſtat, vel ſequatur, ſive in regionẽ, ſive in caſtra hoſtium, ſive in armẽta, ſive in impedimenta incurſio ulla fiat.

48. Hoc autem facies quando univerſis cum copiis ad præliandum procedis, ut ne omnes ſimul in prædationibus occupentur.

49. Atque ubi pabulandi tempus fuerit, alii pabulum colligãt, alii apparati inſtructique ſequantur, ut ne ſi omnes ſe ad pabulum colligendum converterint, & ſubita quædam irruptio, aut inſidiæ fuerint, ipſi imparati ſparſiq; opprimantur, quia ſe revocare ad ordinem ſtationemq; ſuam non poſſunt.

50. Quando repentinas aliquas incurſiones vel contra Scythicas nationes, aut alias hujuſmodi gentes facturus es, ut omnia magis ſuſpicione careant, cõdenſa loca difficultateſque regionum ſpeculatori alicui prius perluſtrandæ ſunt, itaque acies inſtruendæ, ut ſciant omnes quæ cohors prima, quæ ſecunda, quæ tertia eſſe debeat: atque ita ex ordine ambulent, ſi per anguſtias aliquas tranſituri ſunt, tum ut ne confundantur, tum etiam ut ne tardius ubi in ordinem adducendi ſunt, inſtruantur.

51. Subita incurſio aliqua ſi futura ſit, ſi per duo loca iter commodum fieri poteſt, in duas partes exercitus dividatur, & alteri parti præſit μεράρχης, quem antiqui ὑποστρατηγὸν, id eſt, Principem ſive proprætorem vocabant, qui etiam turmarcha dicitur. Quotcunque enim & qualeſcunq; homines fuerint qui incurſionem facturi ſunt, duos illos præfectos primum ſecundumque deliges. Atque altera quidem pars, quemadmodum antè dixi, expedita & ſine ullis impedimentis procedat, & poſtquam ad quindecim vel viginti milliariũ intervallum ab aliis abfuerint, per loca incognita atque ex obliquo poſita prædari incipiant, quaſi ad imperatorem venire vellent. Imperator autem reliquam partem habens, aliunde regionis incipiens irruat & prædetur, atque adeo utrique cominus ad ſe mutuò venientes, quæ in medio poſita ſunt loca depopulentur, donec ad veſperam unum in locum perveniant. Hoc modo fiet ut tuta incurſio in illos fiat, & hoſtes qui alteram partem aufugerint, in alteram de improviſo incidant, neque convenire unum in locum poſſint.

52. Si una tantum idonea via ſit, per quam irruptio in hoſtes facienda ſit, hoc modo exercitus dividatur: Beſſis ejus aut eo amplius ab hypoſtratego, id eſt, principe ſive proprætore ſtrenua atque expedita capiatur, & ſub eo quoque ſuum bandum ſit: princeps autẽ aſſumptis reliquis omnium cohortium ſuarum præfectis, ante reliquos omnes procedat, atque ubi primo in loco conſtiterit, è copiis ſuis unam atque alteram cohortem ſegreget, ut alii prædentur, alii prædatores ab injuria conſervent.

53. Quamvis ſpacioſa loca fuerint, ne tamen multas cohortes primis in locis ſepares: feſtinante enim à tergo exercitu, nullus locus relinquitur adverſus eos ſe inſtruẽdi, & ſine ulla mora princeps ſemper ulterius progrediatur. Similiter reliquis in locis hoc faciat, quamdiu illi cohortes traditæ adfuerint. Principem verò ipſum ante omnes alios procedentem, tria aut quatuor banda ad mille virorum numerum ſecum habeat uſque ad perfectum rei hujus ſive incurſionis exitum, ut excubiæ cæteris accuratæ, tutæ fiant.

54. Hęc à principio ſi fiant, tu imperator, aut ſi quis alius incurſionis hujus adminiſtrationem habeat, ſequêris eos qui prædantur, & diſperſos congregabis, & ulterius ad principem ſive turmarcham progredieris. Similiter ille hoc idem faciat, tranſeundoque colligat diſperſos prædatores, atque eodem in loco noctu conveniant & caſtra ponant. Itaque plus quindecim aut viginti milliaribus à ſe ſeparati, hujuſmodi ſubitas incurſiones ne faciant, ut eodem die & prædam diripiant, & eadem nocte ſimul caſtra ponant.

55. In hujuſmodi incurſionibus hoſtes objectos non utile fuerit vivos capere & comprehendere, ſed omnes tales vel interficiẽdi, vel prætereundi ſunt, ut ne mora aliqua iter facientibus afferatur, & tempus temerè abſumatur.

56. Si caſtellum aut arcem aut munitionem aliquam capere cogitas, ne illud in vulgus efferas, donec in ipſo loco fueris, & negotiũ ipſum in manus ſumpſeris. Sin neceſſe fuerit prope munitionem hoſtium copias tuas tranſire, vel etiam caſtra ponere, unum aliquẽ prȩfectũ cũ expeditis viris in ipſo trãſitu collocabis, qui incurſiones hoſtium

hoſtium prohibeat. Hoc quoque etiam in anguſtiis locorum fieri abs te debet.

57. Prope munitionem hoſtium aut ſylvam ne caſtra ponas. Sin neceſſe ſit tibi habere caſtra, accuratè excubias & cuſtodias propter hoſtium incurſiones adhibebis, & diligentiſſimè providebis, ut in expoſito & editiore munitioreque loco caſtra ponas.

58. Quando hoſtilem in terram ingrederis, apparatum omnem atque impedimenta à tergo te conſequi facies: imminentibus autē hoſtibus in medio exercitus tui ea procedere facies.

59. Ab armatis militibus impedimenta reliquique apparatus, atque etiam captivi, ſi qui fuerint, ſeparentur: neque in itinere hoc ſolùm fiat, ſed etiam quando caſtra ponas, ne hoſtibus adverſum inſtructos milites venientibus magno impedimento fiant.

60. Hoſtili in terra menſuratores incircunſpectè ad loca anticipanda, ſine idoneo prçſidio ne mittas, ſed per transfugas qui ſponte ſua ad te defecerunt, locorum naturam tutò perſcrutaberis.

61. Quando exercitus caſtra poſiturus eſt, ne perturbatè aut cōfuſe ad caſtra foſſati tranſeant, ſed ſi hoſtes immineant, & pedites exercitui noſtro adfuerint, currus omnes ex ordine ponant, & foſſas undique ad modum valli ducant. Expediti autem milites, id eſt, qui gravi armatura non utuntur, omnes parvo intervallo inſtructi ab illis diſtent, tumque apparatus & impedimenta ex ordine ingrediātur in caſtra: ubi autem excubias vigiliaſque emiſeris, tunc armati ipſi ex ordine ingrediantur & caſtra ponant, quemadmodum tibi in cap. de caſtris ponendis explicuimus.

62. Sin hoſtes propè non adfuerint, ſatis erit uno drungo, id eſt, cohorte milliaria, inſtructo, hanc formam obſervari, ut ea quemadmodum prædiximus conſiſtente, reliqui caſtra ponant.

63. Hoſtibus jam imminentibus atque unum in locum propè congregatis, ſi munitio aliqua propè fuerit aut ſylva, aut aliqua locorum difficultas, ne equos temerè ad paſtum emitti ſinas, ſed & excubias tutò mitte, equos autem intra valli ambitum retine. Effice autem ut manibus ſuis quod frumenti pabulique eſt, finitimis in locis congreget, ſed ita, ut cum impedimentorum adminiſtris omnibus ex partibus armati milites circum illos obambulent, ad ſubitas hoſtium incurſiones repellendas.

64. Sin uno in loco diutius commoratus fueris, & tempus idoneum locuſque ſimiliter ad alimenta opportunus eſt, hoſtiumque copiæ eminus abfuerint, equi tum ad paſtum emittantur, excubiis duabus aut tribus longo intervallo emiſſis, frequenterque commutatis.

65. Si quos ad prædam emiſeris, hi ſoli exeant. Sin quidam ex militibus illis admiſti fuerint, propria tua autoritate mandatum divulgari facies, ut nemo alius præter eos qui conſtituti ſunt ad prædandum exeat. Poſt hoc mandatum ſi qui transgreſſores fuerint, capiantur, & ad ſuos ipſorum præfectos mittantur, ut ab illis caſtigentur, ne ſi hi impuniti ſint, reliqui cum ſecuritate quadam ad prçdandum excurrentes, deſerant exercitum, atque adeo in periculo exercitus ſic relictus ſit.

66. Exquiſitè diligenterque providebis, ut ſi vinum aut panis inveniatur; non confeſtim edant aut bibant, niſi per captivos prius exploraveris, utrúmne ſalubria atque integra ſint: quòd ſi ita eſſe inveneris, tum fruantur illis milites. Sed neque aqua in puteis aut ciſternis aut aliis in vaſis niſi exploratò utantur: ſæpe enim veneno hujuſmodi inficiuntur, & lethalia ſunt.

67. Hordeum enim ſæpe ſic veneno imbutum inveniebatur, & cùm reliquo pabulo deficerentur, milites ad equos aſportando, inde pabulantes, equiſque afferentes, complures equos perdiderunt.

68. Præcipies etiam exercitui, quemadmodum in capite de itinere faciendo explicuimus, ut ſi ſæpe tumultus aliquis aut perturbatio in exercitu fuerit, ne huc illucque exercitus circuncurſet & circunferatur, ſed illuc ruant omnes ubi tumultus eſt: ex eo enim fiet ut adverſus hoſtes parati ſint, ſi quid tale contingat, neque confuſe inter ſe aut perturbatè miſceantur.

69. Excubias quando in hoſtilem terram immittis, non ſolùm in anteriorem partem emittas, eamque tutam conſervabis, ſed etiā à tergo expeditos armatoſque milites, id eſt, idoneas copias aliquo cum honeſto præfecto inſtructas, (qui νωτοφύλακες, id eſt, tergiſtites nominabantur) ad decem vel quindecim milliariū intervallum cum excubiis accuratis collocabis, propter eos qui vel per infirmitatem, vel alia de cauſa tardantur, & deſeruntur ab exercitu, ut ne hoſtes ſubitò irrumpentes illos intercipiant.

70. Incurſiones enim ab hoſtibus tum fieri conſueverunt, quando ſecurè & ſine timore tranſeunt hoſtes, & qui anteriore in parte ſunt, poſteriorem partem minus juvare poſſunt.

71. Hoc ſi noſtra in regione feceris, haud inutile fuerit, multis præſertim huc illucque palantibus militibus, & præter præfectorū ſuorum mentem à ſtatione ſua recedentibus: ex eo enim cognoſces, qui milites in ordine fuerint, & qui à ſtatione ſua recedant.

72. De locorum anguſtiis, & difficilibus ad tranſeundum locis, mentionem fecimus in cap. de itinere faciendo, quare de illis iterū verba facere ſupervacaneum eſt, cùm inde harum rerū petere poſſis cognitionem, ut ne temerè & inconſideratè condenſa difficiliaq; loca tranſire coneris.

73. Sin aliqua neceſſitas impellat, quemadmodum in cap. de itinere faciendo præſcripſimus, ea cautio adhibenda eſt ad ea loca prætergredienda, maximè ſi in hoſtili terra fueris, hoſteſque immineant.

74. Si hoſtes in terram veſtram irruperint, ne coràm & apertè cum illis dimices, ſi vel æquales hoſtium copiæ tuis fuerint, ſed inſidieris, ſtructis inſidiis, & aliis molitionibus, ſive noctu ſive interdiu, viaſque illorum obſtruas, munitioneſque anticipes, vel per pedites, vel equites, vel per utroſque, & pabulum in medio hoſtibus poſitum populare.

75. Si cum hoſte confligere cupis, tum potius facito quando à prædatione redit, quàm cùm ad prædandum diſcedit: tum enim in præda occupatus eſt, & præterea labore laſſatus: idque potiſſimum ſi prope tuos fueris, tum enim cum illis confliges, ſi quando tibi videbitur confligendum.

76. Qui enim ſua ipſius in terra eſt, negligentior ad pugnandū eſt, & multas occaſiones habet vel ut ſervetur, vel periclitetur. Qui verò alienam terram invadit & depopulatur, ſi in tali perturbatione fuerit, in magnis ærumnis eſt, hoc ſecum reputans, fugam & tergiverſationem non modò periculum, verùm etiam internicionem afferre.

77. Teipſum ab omni vulnere offenſioneque integrum ſecurūque ſervabis omni loco & tempore, hoſtibus potiſſimum imminētibus. Hoc enim diligenter obſervato, neque ſe hoſtes ad depopulādam regionem noſtram facilè diſſipant, neque facilè munitionem aliquam obſidendo oppugnant. Exercitum enim noſtrum colligi congregarique unum in locum exiſtimant.

78. Quanquam autem conſtitutum tibi ſit minimè te velle cum hoſtibus confligere, aſſimulato tamen id te velle facere, & apparanda tibi omnia ſunt, opinioque afferenda tuæ cum illis dimicationis. Hoc autem illi audientes magis excruciabuntur vexabunturq;.

79. Si hoſtibus veſtram in regionem irrumpentibus, locus & ſitus regionis illorum ad incurſionem idoneus eſt, per alium locum contende magis exercitum ducere, ut hoc modo magis hoſtes perturbes.

80. Omnino autem, quemadmodum dixi, & ſitum advertes & intervalla, ut ſi incurſio noſtra cognita hoſtibus fuerit, & impetum in eos conantur hoſtes facere; exercitus noſter per alias vias ſecurus diſcedat, ut ne hoſtes irruentes in conſpectum illorum veniant.

81. Tale quippiam Nicephorus dux noſter feciſſe memoratur. Nam cùm Apulpher Saracenorum dux Cappadociam depopularetur, ipſe Tarſum univerſamque Ciliciam vaſtabat, & multa damna Saracenis inferebat.

82. Hoſtibus regionem tuam, ſi id ita contingat, incurſantibus, omnia quæ neceſſaria ſunt, ad munitiones, caſtella, & loca ad capiēdum difficilia conferantur: jumenta autem omnia ex ea parte regionis amandentur, ut ne ſi ab hoſtibus capiantur, fortiores hoſtes faciant.

83. Si plebs res bonaque ſua ad loca quæ munita fortiaque videntur eſſe, non tamen ſunt, adduxerint, providentia tua efficiendū eſt ut ad fortiora munitioraque loca traducantur, ubi ſecura illis rerum ſuarum cuſtodia erit.

84. Quæcunque natura minus munita ſunt vel caſtella vel alia loca, firmanda jam ſunt: & ſi partem aliquam exercitus ſui ad ea oppugnanda hoſtes reliquerint, occultè ad repellendos ulciſcendoſq; eos, quoſdam emittes, neque hoſtes permittas liberè pabulari, ſed eos qui pabulatum eunt adoriaris, & capias, atque adeo hoſtes affliges.

85. Atque hæc quidem de incurſionibus, ſive tu in hoſtilem terram irruperis, ſive hoſtes tuam invadant, ſatis nobis dictum ſit. Nūc alia quæ ad militiam pertinent, explicanda ſunt, atque hoc in primis, quemadmodum ſpeculatores in hoſtilem terram immittere, & quemadmodum hoſtium ſpeculatores in exercitu noſtro clàm latentes exquirere poſſumus.

De Speculatoribus.

86. Omnino tibi hoſtium copiæ quantum potes cognoſcendæ ſunt, quanta magnitudine, quantiſque viribus ſint, atque ita tibi ſuſcipienda adminiſtrandaque contra illos omnia ſunt. Nam equeſtrium pedeſtriumque copiarum formæ, locorumque ſitus, magnā differentiam virium ac roboris in exercitu habent, & infinitum quendam errorem afferunt iis qui ſimpliciter atque imperitè iſta æſtimant. Hoc autem quod dico, verum eſſe quæ ſequuntur facilè demonſtrabunt.

87. Pone autem ſexcentos equites in longitudinem, & quingētos in latitudinē inſtrui, qui numer⁹ continet trecēta millia equitū: unūquēq; equū loco ſuo conſtitutū habere, ꝙ ad latitudinē ſpectat, pedes tres, ex quo fiunt pedes mille octingenti: unumquenque quod ad altitudinem ſpectat habere pedes octo, ex quo fiunt pedum quatuor millia: itaque quadrata in forma propter longitudinem mille octingentorum pedum, & propter latitudinem quatuor mille pedum, ſeptingentæ viginti myriades pedum integrorum: ambitus autem externorum pedum circum per latera, undecim millia, ſexcenti pedes. Et quando ſex pedes faciunt ulnam, centum ulnæ faciunt ſtadium, ſeptem ſtadia & dimidium faciunt milliare, conficitur ambitus univerſus undecim millia ſexcenti pedes, duo milliaria & ſexcenti paſſus. Hac igitur forma capiuntur trecenta millia hominum, ſi perfectè addenſentur. Sin rariores fuerint, ex denſitatis ratione raritatis intervallum reputandum eſt, atque adeo ex loci ſpatio multitudinem populi animadvertere.

88. Trecenta hæc millia hominum in ſimplici extentoque contubernio inſtruemus. Unoquoq; equo in longitudinem aciei inſtructo,

structo, fiunt pedum nongenta millia, quæ in directum producta, duo millia passuum juxta perfectæ densationis rationem faciunt. Quòd si dispersi dissipatique ambulent, multiplicem longè magis hoc loco locum possident: longeque plures videntur esse, cùm dispersi sunt, quàm si ordinem stationemque suam servarent. Sin in deflexo quodam loco eminentioreque incedant, longè plures esse putantur.

89. Itaque qui ad speciem aliquam pompamque exercitum demonstrant, vel tenuiore cum altitudine instruunt eum, vel eminus fusum dispersumque. Antiquiores autem rei militaris periti, pedestrem aciem quando instructa est, quatuor cubitorum unicuique viro spatium dabant. Ubi densabatur acies, duorum cubitorum spatiũ tribuebant in perfecto συνασπισμῷ, id est, aggregatione militum, ut cubitum unum haberet unusquisque: qua ex mensura unusquisque bonus speculator, & ex spacio loci facilè reputabit non modò equitum, verùm etiam peditum numerum.

90. Cùm igitur tanta sit differentia in acie instruenda, atque in forma exercitus, minimè imperitis excubiis speculatoribusque aut fortuitis quibusdam hominibus fides adhibenda est: minimè enim hoc percipi vulgò, comprehendique à plebeis potest, idque præsertim si supra ducenta aut trecenta millia hominum fuerint. Ethnicæ enim nationes, equos suosque arctissimè in acie adjungunt. Itaque peritis viris tali in causa credendum est.

91. Ne nimis præcipitanter dimices adversus tenues longasque acies, propter opinionem multitudinis: quamvis enim certa quadã cum proportione non collocantur, neque altitudinem pro numero suo justam habent, speculatores tamen diligenter altitudinem exquirant, utrum impedimenta omnia à tergo aciei collocata sint, an soli armati ibi constituti fuerint.

92. Res hostium abs te melius cognoscantur, vel per eos qui ad te profugerunt, vel per hostes qui capti sunt, vel si quis voluerit per angustorum locorum transitum, vel etiam per castra, si contingat illos uno in loco ea ponere.

93. Si hostium fossatum nullum fuerit, in angustioribus locis pro locorum situ paucos homines ad excubias collocabis: sin in æquabilibus expositisque locis diversas in partes distribuantur, plures ad excubias emittes, tum intervallo locorum distantes, tum continuè se mutuò admonentes, noctuque potissimum, quando facilè hostis poterit per eum locum quem voluerit clàm progredi, & nec opinatam incursionem facere. Præparabis autem excubias, ut quãvis paucæ fuerint, per intervalla tamen locentur, & diversis idoneisque in locis se mutuò frequenter commutent.

94. Bonorum speculatorum hoc officium est, prudentia & vigilantia, loca motusq; hostium pernoscere.

95. Hi levi atque expedita armatura utantur, equosque habeant celeres, ut sine offensione aliqua iter faciant. Exploratores autem sive speculatores securius in hostium copiis castrisque versentur, ut populares illorum esse videantur. Excubiæ autem fideles sint, & robusta corporis specie, animo alacri atque incitato, armatura splẽdida etiam reliquis militibus anteeant, ut vel aliqua præclara strenuaque re gesta domum redeant, vel si ab hostibus capiantur, ab illis tamen in admiratione sint.

96. Præfectum excubiarum vigilantem, prudentem, experientem, & non fortuitum quemvis eligas: neque enim tantum fortitudine, quantum prudentia ac vigilantia in excubijs agendis opus est.

97. Speculatores solos emittes hostibus jam eminus existentibus, si volueris vel motus hostium, vel situs viarum, vel locorum munitionem cognoscere.

98. Quando ad capiendos aliquos incursio fit, tum permissos hos exploratores cum excubiis mittes, atque hi quidem antecurrãt, expeditioribus locis speculentur, excubiæ sequantur, & ducantur ab illis.

99. Excubias temporibus necessarias non unas simplices facies una aliqua ex parte, sed diversas & pro loci situ, idoneoque intervallo inter se positas, ut si hostes aliquos illorum lateant, tamen in alios incidentes cognoscantur. Atque in primis excubiis paucos collocabis, in secundis plures, in tertiis his etiam plures.

100. Excubiis præcipies ut neque sedeant, neque recubent, quemadmodum antea alibi præcepimus, ut ne socordiores in re gerenda peccent. Sessio enim & recubatio, somnum maximè afferunt: qui autem hoc faciunt, vigilare non possunt. Sed neque si per totam noctem se vigilaturos recipiant, illis credas: natura enim quod ad se pertinet semper requirit, & tu quod tutissimum facto est facies, si excubiæ alias excubias excipientes noctem transmittant.

101. Pedibus omnino excubiæ consistant: hæc enim pedum statio somnum depellit, magis vigilantes eos qui stant facit. ubi verò lassati fatigatiq; sunt, commutentur, opportunis descriptisque horis noctis. Nisi enim diligenter ad vigilandum laboraverint, naturãque à somno refrænaverint, facilè ab hostibus trucidentur.

102. Itaque exquirendæ vigiliæ sunt, fideles præfecti mittendi, qui subitò excubias invadant, & pervideant quemadmodum serventur, & negligentes puniantur: quia magnum imperatori sua negligentia inferunt periculum.

103. Prudentes excubiæ quibusdam signis priusquam videant hostes animadvertere, multitudinem hostium ex equorum collocatione & castris illorum possunt.

104. Si fossatum feceris aut vallum, & vel fossa circummuniveris illud, vel aliqua alia materia, decretumque est equites intra fossatum deducere, ne longo intervallo ab illis excubias disiunxeris, ut ne importunè equi affligantur.

105. Eis qui ad excubias emittuntur præcipies ut capiant aliquos ex hostibus vivos, si possunt: & quemadmodum in venando, sic conentur & studeant excubias antè agere occultè & clanculum, ut hi quidem qui pauci sunt in conspectum solùm veniant, & discedant iterum, alii autem abditi pro locorum commoditate includere eos, si possunt, conentur, atque uno in loco se tantum ac si pauci essent demonstrare, alio ex loco cum pluribus clanculum invadere, & pernoctent, maximè quando hostes eminus fuerint, & opinionem alicuius talis facti habuerint.

106. Excubias tuas non modò hostes tui, sed ne milites tui, si fieri possit, agnoscãt, ut si quidam profugere ad hostes tuos voluerint, imprudentes in excubias tuas incidant.

107. Si hostium speculatores capere studes, communicandum cum reliquis præfectis tuis hoc negotium est, ut unusquisque militibus suis reliquisque præcipiat ad horam diei secundam aut tertiam, & ad buccinæ primum sonitum, sive miles sive administer sit, singuli ad sua tentoria veniant, nemoque audeat extra tentoria esse, ne supplicio constringatur. Ubi omnes ingressi in tentoria sua fuerint, præfecti foris maneant, & si quos viderint foris, eos comprehẽdant. Eos verò qui in tentoria ingrediuntur, unumquodq; contubernium capiet, & suo præfecto tradet. Unum enim è duobus necesse est fieri: vel ut foris speculator maneat, & nesciat quô se conferre debeat, vel si ingredi audeat cum aliquo contubernio, quasi hospes cognoscatur, & contubernii præfecto tradatur.

108. Omnes autem qui hoc modo inveniuntur, exquiri atque examinari oportet, sive Romani sive alienigenæ fuerint, atque adeo veritatem ab illis quæri.

109. Hæc res fieri possit in fossatum coacto exercitu vel pedestri vel equestri, vel dispersis divisisque separatim castra ponentibus, vel rursus per cohortes castra habentibus.

110. Aliis quibusdam hujusmodi & similibus signis diversis prædictorum speculatorum comprehensio esse solet, quæ necessariò efficienda sunt, ut diversa signa præceptaque adhibeantur. Simul enim hoc modo speculatores hostium tenentur, & milites præfectis suis obedire assuefiunt, & imperata illorum studiose facere, si vel mediocriter castigentur qui negligentes mandatorum fuerint. Si enim mandatum aliquod detur militibus à præfecto, qui curiosius in hoc inquirit, is speculator hostium deprehenditur, alienus à tessera, & socialis exercitus signo carens.

111. Non abs re fuerit formas & mandata dare militibus quando maximè vacat, ut explorentur milites, atque ad ea custodienda assuefiant.

112. Si speculatores hostium ceperis, ne uno atque eodem modo illos tractaveris: sed si copias tuas hostium exercitu imbecilliores esse judicaveris, vel interfice eos, vel firma in custodia detine. Sin armaturam habeas bonam, apparatum idoneum, copias multas, robur justum, firmitatem corporum, obedientem exercitum, strenuos milites, experientiam acrem, omnes copias tuas ordine quodã ad pompam instrues, easque hostium speculatoribus demonstrabis: quod ubi feceris, illos salvos atque integros ad suos remittes. Nam eò cùm venerint, quæ viderunt omnia commemorabunt. Ac sæpe omnium rerum exoptata affluentia hostes in timorem conjicit, quemadmodnm si subsidiis omnib. destituere, magnam illis alacritatem afferret.

113. Quocirca si te meliores multò habere judicaveris, illos domum abire permittas, ut hæc narrantes perturbationem aliquam hostibus invehant. Sin deteriore in loco quàm hostes fueris, trucidentur, nec permittantur ad suos redire.

114. Si transfugæ aliqui ab hostibus ad te defecerint, & vel tempus incursionis vel viam promittunt se monstraturos, & duces futuros, & modis quibusdam haud cognitis ad exercitum hostium ducturos, ne omnino credas illis, sed ligatos eos duces tecum, promittens illis, si verum dixerint, & ad salutem victoriamque exercitus nostri omnia fecerint, se multa dona muneraque à nobis recepturos: sin mentiantur & deceperint, & in periculum conjicere nostros voluerint, illo ipso tempore ibi in vinculis ab iis qui in periculum venerint trucidandos esse. Nam transfugæ fides certissima est, tum hostis ad te, tum tui ad hostem, si minimè suiipsius vitæ dominus sit, sed potestatem illius habeant vel ad quos confugit, vel à quibus aufugit. Atque hæc quidem de illis nobis dicta sunto. *cap. 17. rei bellica.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Contemnunt hominem militarem, nihil minus quàm litibus idoneum. *Declam. 310. pr.*

Quintilianus: Quantâ curâ robora militum legeris Imperator, ut hostibus prope humanas vires excedentibus, opponeres parem delectum, vel ex eo manifestum est, quod cùm scires non ex censu esse virtutem; præterita facultatum contemplatione, vires tantum animosque spectasti. *mox*: Militaris ætatis certissima mensu-

ra eſt, poſſe fortiter facere. *Declamatione tertia §. quarti pr.*

Plinius Iunior : Erat antiquitus inſtitutum, ut à majoribus natu, non auribus modò, verùm etiam oculis diſceremus quæ facienda, mox ipſi, ac per vices quaſdam tradenda minoribus haberemus. inde adoleſcentuli ſtatim caſtrenſibus ſtipendiis imbuebantur; ut imperare parendo, duces agere, dum ſequuntur, aſſueſcerent. *mox:* At nos juvenes fuimus quidem in caſtris; ſed cùm ſuſpecta virtus, inertia in pretio, cùm ducibus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia, nuſquam imperium, nuſquam obſequium; omnia ſoluta, turbata, atque etiam in contrarium verſa, poſtremò obliviſcenda magis quàm tenenda. *Epiſt. 14. lib. 8.*

Nazarius Orat. in Conſtantinum Imp. Talis igitur ad liberandã Italiam, & tam tutus accedis, ut cùm res bellica cæcos habeat eventus, in te tamen dimicandi voluntatem pro victoriæ pignore tenebas, etſi abeſſent auxilia divina. aderat enim robuſtus & florens, plenus virium, animi plenus exercitus, lætus armis, & militiæ munia exequens ſtudio magis quàm neceſſitate; quippe cui ſtipendia ſunt pauciora quàm prælia, cùm dico prælia ſignifico victorias: præterea tam amans tui quàm tibi carus. ignoſce enim ſuperba virtus, quantumvis fiduciæ & ſpiritus capias, amor Principis facit militem fortiorem. Antiqua admodum res eſt, ſed non indigna memoratu. Illyrij quõdam deſpicientes Eropi regis infantiam, Macedonas bello laceſſerunt, & prima quidem congreſſio ſecundum illos fuit: verùm Macedones cùm bellum reficerent, regem ſuum in cunis ad aciem detulerunt. cùm illos ira, hos miſeratio, illos ſignorum cantus, hoc pueri vagitus accenderet, mutata eſt ratio certaminis; vicerunt qui amore pugnabant. Quanto igitur eſt amor fidelior accepti beneficij memoria quam præſumptione futuri, quod illic percepta res juvat, hic expectata blanditur; tanto tui animoſius dimicarunt, qui non puero ſpem gratiæ munerabatur, ſed Principi poſt natos homines benigniſſimo meriti debitum rependebant. *c. 20.*

Latinus Pacatus : Summatim tuum illud attingam cum patre divino caſtrenſe collegium, actas ſub pellibus hiemes, æſtates inter bella ſudatas, dies, noctesque præliando, aut vigilando conſumptas; graviſſimas pugnas terra marique pugnatas. Non tam patiens Africanus prima rudimenta militiæ ſub Paulo patre toleravit, nec pari indole Annibal puer in tentoria Hiſpana ſucceſſit, nec futurarum ſpe certiore virtutum Philippæa caſtra Alexander nondum magnus implevit. *c. 8. Paneg. Theodoſio dicti.*

Vegetius: In omni a. prælio non tam multitudo & virtus indocta, quã ars & exercitiũ ſolẽt præſtare victoriã. Nulla enim alia re videmus populũ Romanũ orbẽ ſubegiſſe terrarũ, niſi armorũ exercitio, diſciplina caſtrorum, uſuq; militiæ. Quid. n. adverſus Gallorũ multitudinem paucitas Romana valuiſſet? Quid adverſus Germanorũ ꝓceritatẽ brevitas potuiſſet audere? Hiſpanos quidẽ non tantũ numero, ſed etiam virib. corporũ noſtris prẹſtitiſſe, manifeſtũ eſt. Aphrorum dolis atq; divitijs ſemper impares fuimus. Græcorũ artib. prudentiaq; nos vinci, nemo unquã dubitavit. Sed adverſus omnia profuit tyronem ſolertem eligere, jus (ut ita dixerim) armorum docere, quotidiano exercitio roborare, quæcũq; evenire in acie atq; in prœlijs poſſent, omnia in campeſtri meditatione prænoſcere, ſeverè in deſides vindicare. Scientia enim rei bellicæ, dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit, ꝙ ſe bene didiciſſe confidit. Etenim in certamine bellorũ, exercitata paucitas ad victoriã prõptior eſt: rudis & indocta multitudo, expoſita ſemper ad cædem. *l. 1. de re milit. c. 1.*

IN QVOT GENERA DIVIDATVR res militaris.

Vegetius : Res igitur militaris (ſicut Latinorum egregius autor, carminis ſui teſtatur exordio) armis conſtat & viris. Hæc in tres dividitur partes, Equites, Pedites, Claſſes. Equitum alæ dicuntur, ab eo quod ad ſimilitudinem alarum ab utraque parte protegant acies: quæ nunc vexillationes vocantur à velo, quia velis, hoc eſt, flammulis utuntur. Eſt & aliud genus equitum, qui legionarij vocantur, propterea quòd connexi ſunt legioni: ad quorum exemplum ocreati equites ſunt inſtituti. Claſſium item duo genera ſunt. Unum liburnarum, aliud luſoriarum. Equitibus campi, claſſibus maria & flumina, peditibus colles, urbes, plana, & abrupta ſervantur.

Ex quo intelligitur, magis reipublicæ neceſſarios pedites, qui poſſunt ubique prodeſſe. Et major numerus peditum, ſumtu & expenſa minore nutritur. Exercitus ex re ipſa atque opere exercitij, nomen accepit, ut ei nunquam liceret obliviſci, quod vocabatur. Verùm ipſi pedites, in duas diviſi ſunt partes, hoc eſt, in auxilia & legiones. Sed auxilia à ſocijs, vel fœderatis gentibus mittebantur. Romana autem virtus, præcipuè in legionum ordinatione præpollet. Legio autem ab eligendo appellata eſt : quod vocabulum eorum deſiderat fidem atque diligentiam, qui milites probant. in auxiliis minor, in legionibus longè amplior conſuevit militum numerus aſſcribi. *libr. 2. cap. 1. rei militaris.*

Quid inter legiones & auxilia interſit.

Denique Macedones, Græci, Dardani, phalanges habuerunt, ut in una Phalange armatorum octo milia cenſerentur. Galli atque Celtiberi, pluresque barbaricæ nationes, cateris utebantur in prœlio, in quibus erant ſena milia armatorum. Romani legiones habent, in quibus ſinguli ſena milia, interdum amplius, militare conſueverunt. Quid autem inter legiones & auxilia intereſſe videatur, expediam.

Auxiliares conducuntur ad prœlium, ex diverſis locis, ex diverſis muneribus venientes. nec diſciplina inter ſe, nec noticia, nec affectione conſentiunt. Alia inſtituta, alius inter eos eſt uſus armorum. Neceſſe eſt autem tardius, ad victoriam pervenire, qui diſcrepant, antequam dimicent.

Denique cùm in expeditionibus plurimum proſit, omnes milites unius præcepti ſignificatione converti, non poſſunt æqualiter juſſa complere, qui antè pariter non fuerunt. Tamen hæc ipſa ſi ſolennibus diverſiſque exercitijs prope quotidie roborentur, non mediocriter juvant. Nam legionibus ſemper auxilia, tanquam levis armatura in acie jungebantur, ut in his prœliandi magis admiraculum eſſet, quàm principale ſubſidium.

Legio autem propriis cohortibus plena, cùm gravem armaturam, hoc eſt, principes haſtarios, triarios, anteſignanos: item levem armaturam, hoc eſt, ferentarios, ſagittarios, funditores, baliſtarios; cùm proprios & ſibi inſitos equites legionarios, iiſdem matriculis teneat: cum uno animo parique conſenſu caſtra muniat, aciem inſtruat, prœlium gerat, ex omni parte perfecta, nullo extrinſecus indigens adjumento, quantamlibet hoſtium multitudinem ſuperare conſueverat.

Documentum eſt magnitudo Romana, quæ ſemper cum legionibus dimicans, tantum hoſtium vicit, quantum vel ipſa voluit, vel rerum natura permiſit. *c. 3.*

Quæ cauſa exhauriri fecerit legiones.

Legionum nomen in exercitu permanet hodieque, ſed per negligentiam ſuperiorum temporum, robur infractum eſt cum virtutis præmia occuparet ambitio, & per gratiam promoverentur milites, qui promoveri conſueverant per laborem.

Deinde contubernalibus, completis ſtipendijs, per teſtimoniales ex more dimiſſis, non ſunt alij ſubſtituti. Præterea neceſſe eſt, morbo aliquantos debilitari atque dimitti, aliquantos militiam deſerere, vel diverſis caſibus interire: ut niſi annis ſingulis, imo ſingulis pene menſibus in decedentium locum juniorum turba ſuccedat, quamvis copioſus exhauriatur exercitus.

Eſt & alia cauſa, cur attenuatæ ſint legiones. Magnus in illis labor eſt militandi, graviora arma, ſera munera, ſeverior diſciplina. Quod vitantes plerique, in auxiliis feſtinant militiæ ſacramenta percipere, ubi & minor ſudor, & maturiora ſunt præmia. Cato ille major, cùm & armis invictus eſſet, & conſul exercitus ſæpe duxiſſet, plus ſe reipubl. credidit profuturum, ſi diſciplinam militarem conferret in literas. Nam unius ætatis ſunt, quæ fortiter fiunt, quæ verò pro utilitate reipublicæ ſcribuntur, æterna ſunt. Idẽ fecerunt alij complures, ſed præcipuè Frontinus divo Trajano ob ejuſmodi comprobatur induſtriam. Horum inſtituta, horũ præcepta, in quantum valeo, ſtrictim fideliterque ſignabo. Nam cùm eaſdem expenſas faciat & negligenter & diligẽter exercitus ordinatus, non ſolùm præſentibus, ſed etiam futuris ſeculis proficiet: ſi proviſione majeſtatis tuæ, Imperator Auguſte, & fortiſſima diſpoſitio reparetur armorum, & emendetur diſſimulatio præcedentium. *cap. 3.*

Quotenas legiones antiqui ad bellum duxerunt.

In omnibus autoribus invenitur, ſingulos conſules adverſus hoſtes copioſiſſimos, non amplius quàm binas duxiſſe legiones additis auxilijs ſociorum. Tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, ut cuivis bello duæ legiones crederentur poſſe ſufficere.

Quapropter ordinationem legionis antiquæ ſecundum normam militaris juris exponam. Quæ deſcriptio ſi obſcurior aut impolitior videbitur, non mihi, ſed difficultati ipſius rei convenit imputari. Attento itaque animo ſæpius relegenda ſunt, ut memoria intelligentiaque valeant comprehendi.

Neceſſe eſt enim invictam eſſe rempublicam, cujus Imperator militari arte percepta, quantos voluerit faciat exercitus bellicoſos. *cap. 4.*

Quemadmodum legio conſtituatur.

Diligenter igitur lectis junioribus, animis corporibuſque præſtantibus, additis etiam exercitijs quotidianis, quatuor vel eo amplius menſium, juſſu auſpicijſque invictiſſimi principis legio formatur. Nam puncturis in cute punctis milites ſcripti & matriculis inſerti jurare ſolent. Et ideo militiæ ſacramenta dicuntur. Iurant autem per Deum, & per Chriſtum, & per Spiritum ſanctum, & per majeſtatem Imperatoris, quæ ſecundum Deum generi humano diligenda eſt & colenda.

Nam Imperatori, cùm Auguſti nomen accepit, tanquam præſenti & corporali Deo fidelis eſt præſtanda devotio, & impendendus pervigil famulatus. Deo enim vel privatus, vel militans ſervit, cùm fideliter eum diligit, qui Deo regnat autore. Iurant autem milites, omnia ſe ſtrenuè facturos, quæ præceperit Imperator, nunquam deſerturos militiam, nec mortem recuſaturos pro Romana Republica. *cap. 5.*

Quot cohortes in una ſint legione, item quot milites in una cohorte.

Sciendum eſt autem, in una legione decem cohortes eſſe debere. Sed prima cohors reliquas, & numero militum, & dignitate præcedit. Nam genere & inſtitutione literarum viros lectiſſimos

quærit.

quærit. Hæc enim ſuſcipit aquilam, quod præcipuum ſignum in Romano eſt ſemper exercitu,& totius legionis inſigne. Hæc imagines imperatorum,hoc eſt,divina & præſentia ſigna veneratur. Habet pedites mille centum quinque. Equites loricatos centum triginta duos:& appellatur cohors miliaria. Hæc caput eſt legionis, ab hac,cùm pugnandum eſt,prima acies incipit ordinari. Secunda cohors habet pedites 555. Equites 66. & appellatur cohors quingentaria. Tertia cohors ſimiliter habet pedites 555. Equites 66. ſed in hac cohorte tertia,validiores probari moris eſt, quia in media acie conſiſtit. Cohors quarta habet pedites quingentos quinquaginta quinque. Equites 66. Cohors quinta habet pedites 555. equites 66. Sed & quinta cohors ſtrenuos deſiderat milites: quia ſicut prima in dextro,ita quinta in ſiniſtro ponitur cornu. Hæ quinque cohortes in prima acie ordinantur. Sexta cohors habet pedites 555. Equites 66. In ipſa quoque enucleati aſſcribendi ſunt juniores: quia ſecunda acie poſt Aquilam & Imagines cohors ſexta conſiſtit. Cohors ſeptima habet pedites 555. Equites 66. Cohors octava habet pedites 555. Equites 66. Sed & ipſa animoſos deſiderat viros : quia in ſecunda acie conſiſtit in medio. Cohors nona habet pedites 555. Equites 66. Cohors decima habet 555. Equites 66. quæ & ipſa bonos accipere conſuevit bellatores: quia ſicut in ſecunda acie Sexta dextrum, ita Decima ſiniſtrum poſſidet cornu. His decem cohortibus legio plena fundatur, quæ habet pedites ſex milia centum, equites ſeptingentos viginti ſex. Minor itaque numerus armatorum in una legione eſſe non debet. Major autem interdum eſſe conſuevit, ſi non tantum unam cohortem, ſed etiam alias miliarias fuerit juſſa ſuſcipere. *c.6.*

Nomina & gradus principum legionis.

Antiqua ordinatione legionis expoſita, principalium militum, & (ut proprio utar vocabulo) principum nomina & dignitates ſecundum præſentes matriculas indicabo. Tribunus major per epiſtolam ſacram Imperatoris judicio deſtinatur. Minor tribunus provenit ex labore. Tribunus autem vocatur à tribu: quia præeſt militibus, quos ex tribu primus Romulus legit. Ordinarii dicuntur, qui in prœlio primos ordines ducunt. Auguſtales appellantur, qui ab Auguſto ordinariis juncti ſunt. Flaviales item tanquam ſecundi auguſtales, à divo Veſpaſiano ſunt legionibus additi. Aquiliferi, qui aquilam portant. Imaginarii vel imaginiferi, qui Imperatoris imagines ferunt. Optiones ab optando appellati, quòd antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati, atque eorum vicarii ſolent univerſa curare. Signiferi, qui ſigna portant: quos nunc draconarios vocant. Teſſerarii, qui teſſeram per contubernia militum nunciant. Teſſera autem dicitur præceptum ducis, quo vel ad aliquid opus, vel ad bellum movetur exercitus. Campigeni, hoc eſt, anteſignani, ideo ſic nominati, quia eorum opera atque virtute exercitii genus creſcit in campo. Metatores, qui præcedentes, locum eligunt caſtris. Beneficiarij, ab eo appellati, quòd promoventur beneficio tribunorum. Librarii, ab eo, quòd in libros referant rationes ad milites pertinentes. Tubicines, Cornicines, & Buccinatores, qui tuba vel ære curvo, vel buccina committere prœlium ſolent. Armaturæ duplares, quæ binas conſequuntur annonas. Simplares, quæ ſingulas. Menſores, qui in caſtris ad podiſmum dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figant, vel hoſpitia in civitatibus præſtāt. Torquati duplares; Torquati ſimplares, quibus torques aureus ſolidus virtutis præmium fuit, quem qui meruiſſet, præter laudem interdum duplas conſequebatur annonas: duplares duas, ſimplares unam. Erant & ſecundum annonam candidati duplares, candidati ſimplares. Hi ſunt milites principales, qui privilegiis muniuntur. Reliqui munifices appellantur, quia munia facere coguntur. *capit.7.*

Nomina eorum, qui antiquos ordines ducebant.

Vetus autem conſuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis, promoveretur Centurio primipili: qui non ſolum aquilæ præerat, verum etiam quatuor centurias, hoc eſt, quadringentos milites, in prima acie gubernabat. Hic tanquam caput totius legionis merita conſequebatur & commoda. Item primus haſtatus duas centurias, id eſt, ducentos homines ducebat in acie ſecunda, quem nunc ducenarium vocant. Princeps autem primæ cohortis centuriam ſemis, hoc eſt, centum quinquaginta homines gubernabat. Ad quem propè omnia, quæ in legione ordinata ſunt, pertinent. Item ſecundus haſtatus centuriam ſemis, id eſt, centum quinquaginta milites regebat. Triarius prior, centum homines gubernabat: ſic decem centuriæ cohortis primæ, à quinque ordinariis regebantur: quibus magnæ utilitates, & magnus honor eſt à veteribus conſtitutus: ut ceteri milites ex tota legione omni labore ac devotione contenderent ad tanta præmia pervenire. Erant enim centuriones, qui ſingulas centurias curabant: qui nunc centenarii nominantur. Erant decani, denis militibus præpoſiti: qui nunc caput contubernii vocantur. Secunda cohors habebat centuriones quinque. Similiter tertia, & quarta, uſque ad decimam cohortem: in tota autem legione erant centuriones quinquagintaquinque. *capite 8.*

De officio præfecti legionis.

Sed legati Imperatoris ex conſularibus ad exercitus mittebantur, quibus legiones & auxilia univerſa obtemperabant in ordinatione pacis vel neceſſitate bellorum, in quorum locum illuſtres viros conſtat magiſtros militum ſubſtitutos, à quibus non tantum binæ legiones, ſed etiam plures numero gubernantur. Proprius autem judex erat præfectus legionis, habens comitivam primi ordinis dignitatem, qui abſente legato, tanquam vicarius ipſius poteſtatem maximam retinebat. Tribuni vel centuriones, ceterique milites, ejus præcepta ſervabant. Vigiliarum ſive profectionis teſſera ab eodem petebatur. Si miles crimen aliquod admiſiſſet, autoritate præfecti legionis deputabatur à tribuno ad pœnam. Arma omnium militum, item equi, veſtes, & annona, ad curam ipſius pertinebant. Diſciplinæ jus & ſeveritas & exercitatio, non ſolum peditum, ſed etiam equitum legionariorum, præcepto ejus quotidie curabatur. Ipſe autem cuſtos diligens & ſobrius, legionem ſibi creditam aſſiduis operibus ad omnem devotionem, ad omnem formabat induſtriam: ſciens ad præfecti laudem ſubjectorum redundare virtutē. *cap.9.*

De officio præfecti caſtrorum.

Erat etiam caſtrorum præfectus, licet inferior dignitate, occupatus tamen non mediocribus cauſis: ad quem caſtrorum poſitio, valli & foſſæ deſtinatio pertinebat. Tabernacula vel caſæ militum, cum impedimentis omnibus, nutu ipſius curabantur. Præterea ægri contubernales & medici, à quibus curabantur, expenſæ etiam ad ejus induſtriam pertinebant. Vehicula, ſagittarii, necnon etiam ferramenta, quibus materies ſecatur vel ceditur, quibuſque aperiuntur foſſæ & aquæductus, vel vallum contexitur. Item ligna vel ſtramina, arietes, onagri, baliſtæ, ceteraque genera tormentorum, ne deeſſent aliquando, procurabat. Is poſt longam probatamq; militiam peritiſſimus omnium legebatur: ut rectè doceret alios, quod ipſe cum laude feciſſet. *cap.10.*

De officio præfecti fabrorum.

Habet præterea legio fabros lignarios, inſtructores, carpentarios, ferrarios, pictores, reliquoſque artifices ad hybernorum ædificia fabricanda: ad machinas, turres ligneas, ceteraque, quibus vel expugnantur adverſariorum civitates, vel defenduntur propriæ, præparatos: qui arma, qui vehicula, ceteraque genera tormentorum, vel nova facerent, vel quaſſata repararent. Habebant etiam fabricas ſcutarias, loricarias, arcuarias, in quibus ſagittæ, miſſilia, caſſides, omniaque armorum genera formabantur. Hæc enim erat cura præcipua, ut quicquid exercitui neceſſarium videbatur, nunquam deeſſet in caſtris: uſque eò, ut etiam cunicularios haberent, qui ad morem Beſſorum, ducto ſub terris cuniculo, muriſque intra fundamētā perfoſſis, improviſi emergerent ad urbes hoſtium capiendas. Horum judex erat proprius præfectus fabrorum. *cap.11.*

De officio tribuni militum.

Decem cohortes habere legionem diximus: ſed prima erat miliaria, in qua cenſu, genere, literis, forma, virtute, pollentes milites mittebantur. Huic tribunus præerat, armorum ſcientia, virtute corporis, morum honeſtate præcipuus. Reliquæ cohortes, prout principi placuiſſet, à tribunis vel à præpoſitis regebantur. Tanta autem ſervabatur exercendi milites cura, ut non ſolùm tribuni vel præpoſiti contubernales ſibi creditos, ſub oculis ſuis juberent quotidie meditari, ſed etiam ipſi armorum arte perfecti, ceteros ad imitationem cohortarentur exemplo. Tribuni autem ſolicitudo per hanc laudatur induſtriam: cùm miles veſte nitidus, armis bene munitus ac fulgens, exercitij & uſu diſciplina eruditus incedit. *capite 12.*

De centurijs atque vexillis peditum.

Primum ſignum totius legionis eſt Aquila, quam aquilifer pòrtat. Dracones etiam per ſingulas cohortes à draconariis feruntur ad prœlium. Sed antiqui, quia ſciebant in acie commiſſo bello celeriter ordines acieſque turbari atque confundi, ne hoc poſſet accidere, cohortes in centurias diviſerunt, & ſingulis centuriis ſingula vexilla conſtituerunt: ita ut ex qua cohorte vel quota eſſet centuria, in illo vexillo literis eſſet aſcriptum, quod intuentes vel legentes milites, in quantovis tumultu, à contubernalibus ſuis aberrare non poſſent. Centuriones inſuper, qui nunc centenarii vocantur tranſverſis caſſidum criſtis, ut facilius noſcerentur à ſuis, ſingulas juſſerunt gubernare centurias: quatenus nullus error exiſteret, cùm centeni milites ſequerentur, non ſolum vexillum ſuum, ſed etiam cēturionem, qui ſignum habebat in galea. Rurſus ipſæ centuriæ in contubernia diviſæ ſunt: ut decem militibus ſub uno papilione degentibus, unus quaſi præeſſet decanus, qui caput contubernii nominatur. Contubernium autem manipulus vocabatur, ab eo quòd conjunctis manibus pariter dimicabant. *cap.13.*

De turmis equitum legionariorum.

Quemadmodū inter pedites cēturia vel manipulus appellatur, ita inter equites turma dicitur. Et habet una turma equites 32. Huic

qui præeſt, Decurio nominatur. Ut enim centum pedites ab uno cē-
turione, ſub uno vexillo gubernantur, ſimiliter 32. equites ab uno
decurione, ſub uno vexillo reguntur. Præterea ſicut centurio eli-
gendus eſt, qui ſit magnis viribus & procera ſtatura; qui haſtas vel
miſſilia peritè jaculetur & fortiter; qui dimicare gladio, & ſcutum
rotare doctiſſimè noverit; qui omnem artem didicerit armaturæ, vi-
gilans, ſobrius, agilis, magis ad facienda, quæ ei imperantur, quàm
ad loquendum paratus: qui contubernales ſuos ad diſciplinam re-
tineat, & ad armorum exercitium cogat, ut bene veſtiti & calceati
ſint, ut arma omnium defricentur ac ſplendeant: ſimiliter eligen-
dus eſt decurio, qui turmæ equitum præponatur, imprimis habili
corpore, ut loricatus & armis circundatus omnibus, cum ſumma
admiratione equum poſſit aſcendere; equitare fortiſſimè; conto ſci-
enter uti; ſagittas doctiſſimè mittere; turmales ſuos, id eſt, ſub cura
ſua equites poſitos erudire ad omnia, quæ equeſtris pugna depoſcit:
eoſdem cogere loricas ſuas vel cataphractas, contos ſuos & caſſides
frequenter tergere & curare. Plurimum enim terroris hoſtibus ar-
morum ſplendor importat. Quis credat militem bellicoſum, cujus
diſſimulatione, ſitu ac rubigine arma fœdantur? Non ſolùm au-
tem equites, ſed etiam ipſos equos aſſiduo labore convenit edoma-
ri. Itaque ad decurionem & ſanitatis & exercitationis tam hominū
quàm equorum pertinet cura. *cap. 14.*

*Quemadmodum ſanitas gubernetur ex-
ercitus.*

Vegetius: Nunc (quod vel maximè providendum eſt) quemad-
modum ſanitas cuſtodiatur exercitus, admonebo: hoc eſt, locis, a-
quis, tempore, medicina, exercitio. Locis, ne in peſtilenti regione
juxta morboſas paludes, ne aridis & ſine opacitate arborum campis,
aut collibus, ne ſine tentoriis æſtate milites commorentur: ne tar-
dius egreſſi, & calore ſolis, & fatigatione itineris contrahant mor-
bum, ſed potius in æſtate luce cœpto itinere ad deſtinata perveni-
ant. Ne ſæva hyeme iter per nives ac pruinas noctibus faciant, aut
lignorum patiantur inopiam, aut minor illis veſtium ſuppetat co-
pia. Nec ſanitati enim, nec expeditioni idoneus miles eſt, qui algere
compellitur. Nec pernicioſis vel paludoſis aquis utatur exercitus.
Nam malæ aquæ potus, veneno ſimilis, peſtilentiam bibentibus ge-
nerat. Jam verò ut hoc caſu ægri contubernales oportunis cibis re-
ficiantur, ac medicorum arte curentur, Principum Tribunorumque
& ipſius Comitis, qui majorem ſuſtinet poteſtatem, jugis quæritur
diligentia. Malè enim cum his agitur, quibus neceſſitas & belli in-
cumbit & morbi. Sed rei militaris periti, plus quotidiana armorum
exercitia ad ſanitatem militum putaverunt prodeſſe, quàm medi-
cos. Itaque pedites ſine intermiſſione imbribus vel nivibus ſub te-
cto, reliquis diebus exerceri in campo voluerunt. Similiter equites
non ſolum in planis, ſed etiam in abruptis, & foſſarum hiatu diffi-
cillimis ſemitis, ſeque & equos ſuos aſſiduè exercere juſſerunt, ut
nihil iis in neceſſitate prœlii accidere poſſet incognitum. Ex quo
intelligitur, quanto ſtudioſius armorum artem docendus ſit ſem-
per exercitus, cùm ei laboris conſuetudo & in caſtris ſanitatem, & in
conflictu poſſit præſtare victoriam. Si autumali æſtiuoque tempo-
re diutius in iiſdem locis militum multitudo conſiſtat, ex contagio-
ne aquarum & odoris ipſius fœditate vitiatis hauſtibus & aere cor-
rupto pernitioſiſſimus naſcitur morbus, qui prohiberi non poteſt a-
liter, niſi frequenti mutatione caſtrorum. *libr. 3. rei militaris ca-
pit. 2.*

*Quanta cura providenda ſint atque ſervanda
pabula & frumenta.*

Ordo poſtulat, ut de commeatu pabuli frumentique dicatur. Sæ-
pius enim penuria, quàm pugna conſumit exercitum, & ferro ſe-
vior fames eſt. Deinde reliquis caſibus poteſt in tempore ſubveni-
ri, pabulatio & annona in neceſſitate, remedium non habent, niſi
antè condantur. In omni expeditione unum & maximum conſiliū
eſt, ut tibi ſufficiat victus, hoſtes frangat inopia. Antè igitur quàm
inchoëtur bellum, de copiis expenſiſque ſolers debet eſſe tractatus,
ut pabula, frumentum, ceteræque annonariæ ſpecies, quas à pro-
vincialibus conſuetudo depoſcit, maturius exigantur, & in opportu-
nis ad rem gerendam, ac munitiſſimis locis, amplior ſemper mo-
dus quàm ſufficit aggregetur. Quod ſi tributa deficiunt, prærroga-
to auro comprobanda ſunt omnia. Neque enim divitiarum ſecura
poſſeſſio eſt, niſi armorum defenſione ſervetur. Frequenter autem
neceſſitas geminatur, & obſidio ſæpe fit longior quàm putaris, cùm
adverſarii etiam ipſi eſurientes circumſidere non deſinant, quos fa-
me ſperant vincendos. Præterea quicquid in pecore, vel quacun-
que fruge vinoque hoſtis inferens bellum ad victum ſuum pote-
rit occupare, non ſolum admonitis per edicta poſſeſſoribus, ſed et-
iam coactis per electos perſcrutatores ad caſtella idonea, & armato-
rum firmata præſidiis, vel ad tutiſſimas conferendum eſt civitates,
urgendique provinciales, ut ante irruptionem ſeque & ſua mœni-
bus condat. Reparatio etiam murorum tormentorumque omnium
antè curanda eſt. Nam ſi ſemel hoſtis præuenerit occupatos, metu
univerſa turbantur. Et quæ ex aliis urbibus petenda ſunt, intercluſis
itineribus denegantur. Sed fidelis ſervatorum cuſtodia, & erogatio
moderata, conſuevit ſufficere pro copia, maximè ſi ab initio pro-
curentur. Ceterùm ſera parſimonia eſt, tum ſervare cùm deficit. In
arduis expeditionibus, per capita magis militum quàm per dignita-
tes ab antiquis præbebantur annonæ, ita poſt neceſſitatem eiſdem à
republica redderentur. Hyeme lignorum & pabuli, æſtate aquarum
vitanda eſt difficultas. Frumenti verò, vini & aceti, nec non etiam
ſalis omni tempore neceſſitas declinanda ita ut urbes atque ca-
ſtella ab iis militibus, qui minus promti inveniuntur in acie, armis,
ſagittis, fuſtibalis, fundis etiam & ſaxis, onagris, baliſtiſque defen-
duntur. Præcipueque cavendum videtur, ne adverſariorum dolo at-
que perjuriis decipiatur provincialium incauta ſimplicitas. Frequē-
tius enim conventionum paciſque ſimulatio credulis, quàm arma
nocuerunt. Qua ratione famem collecti patiuntur hoſtes, diſperſi
verò crebris ſuperventibus facilè vincuntur. *c. 3.*

*Quemadmodum oporteat providere, ne milites
ſeditionem faciant.*

Interdum movet tumultum ex diverſis locis collectus exercitus:
& cum pugnare nolit, iraſci ſe ſimulat, cur non ducatur ad bellum:
quod ij præcipuè faciunt, qui in ſedibus ocioſe delicateque vixe-
runt. Nam aſperitate inſoliti laboris offenſi, quem in expeditione
neceſſe eſt ſuſtinere, præterea metuentes prœlium, qui armorum
exercitia declinant, ad ejuſmodi præcipitantur audaciam. Cui vul-
neri multiplex medicina conſuevit opponi, ut dum adhuc ſeparati
ſunt in ſedibus ſuis, tribunorum vel vicariorum, nec non etiam
principum ad omnem diſciplinam arctiſſima ſeveritate teneantur,
nihilque aliud, niſi devotionem moderationemque cuſtodiant,
nullis commeatibus vacent. Ad nomen, ad ſigna obſervare non de-
ſinant. Campi curſionem (ut ipſi appellant) inſpectionemque ar-
morum aſſiduè faciant. Ad ſagittas jaciendas, ad miſſilia dirigenda,
ad jactandos lapides, vel funda, vel manus: Ad armaturæ geſtum, ad
vectes jactandos: pro ſimilitudine gladiorum, punctim cæſimque
feriendo, multo die uſque ad ſudorem ſunt frequentiſſimè detinen-
di. Curſu etiam & ſaltu ad tranſmittendas foſſas nihilominus im-
buendi. Seu mare, ſeu fluvius vicinus eſt ſedibus, æſtivo tempore ad
natandum cogendi ſunt omnes. Præterea ſilvam cædere, iter per
dumoſa & abrupta facere, materiam dedolare, aperire foſſam, occu-
pare aliquem locum, & ne à contubernalibus detrudantur, in ſcutis
invicem obviantibus niti. Ita exercitati atque eruditi in ſedibus mi-
lites, ſive illi legionarii, ſive auxiliares, ſive equites fuerint, cùm ad
expeditionem ex diverſis convenerint locis, æmulatione virtutis,
prœlium magis neceſſe eſt, habeant optare quàm ocium. Nemo co-
gitat de tumultu, qui fiduciam de arte vel viribus gerit. Dux autem
debet eſſe attentus, ut in omnibus legionibus, ſive auxiliis, vel ve-
xillationibus, à tribunis, vicariis, principibuſque, ſi qui turbulēti vel
ſeditioſi fuerint milites, nō pro invidia ſuggerentium, ſed pro rerū
veritate cognoſcat, eoſque prudentiori conſilio ſegregatos à caſtris,
ad agendum aliquid, quod ipſis propè videatur optabile: aut ad ca-
ſtella urbeſq; deputet muniendas atque ſervandas, tanta ſubtilita-
te, ut cum abjiciuntur, videantur electi. Nunquam enim ad contu-
maciam pari conſenſu multitudo prorumpit, ſed incitantur à pau-
cis, qui vitiorum ſcelerumq; impunitatem ſperant peccare cū plu-
rimis. Quòd ſi fieri medicinam neceſſitas extrema perſuaſerit, re-
ctius eſt more majorum in autores criminū vindicari: ut ad omnes
metus, ad paucos pœna perveniat. Laudabiliores tamen duces ſunt,
quorum exercitus ad modeſtiam labor & uſus inſtituit, quàm illi,
quorum milites ad obedientiam, ſuppliciorum formido compellit.
cap. 4.

De belli ſtatu cuſtodiendo.

Frontinus: Alexander Macedo, cum haberet vehementem exerci-
tum, ſemper eum ſtatum belli elegit, ut acie confligeret.

C. Cæſar bello civili cùm exercitum veteranum haberet, hoſtiū
autem tyronem eſſe ſciret, acie ſemper decertare ſtuduit.

Fab. Maximus adverſus Annibalem, ſucceſſibus prœliorum in-
ſolentem, recedere ab anticipiti diſcrimine, & tueri tantummodo I-
taliam conſtituit, Cunctatoriſque nomen, & per hoc ſummi ducis
meruit.

Bizantii adverſus Philippum omne præliandi diſcrimen vitantes,
omiſſa etiam finium tutela, intra munitiones oppidi ſe receperunt:
aſſecutique ſunt, ut Philippus obſidionalis moræ impatiens rece-
deret.

Haſdrubal Giſgonis filius, ſecundo Punico bello in Hiſpaniam
ductum exercitum (cùm P. Scipio inſtaret) per urbes diviſit: itaque
factum eſt, ut Scipio, ne oppugnatione plurium oppidorum diſtrin-
geretur, in hyberna ſuos reduceret.

Themiſtocles adventante Xerxe (quia neque prœlio pedeſtri, ne-
que finium tutelæ, neq; obſidioni credebat ſufficere Athenienſes)
autor fuit eis liberos & conjuges Trœzena, & in alias urbes emit-
tendi, relictoque oppido, ſtatum belli ad navale prœlium transfe-
rendi. Idem fecit in eadem civitate Pericles adverſum Lacedæmo-
nios.

Scipio manente in Italia Hannibale, tranſmiſſo in Aphricam ex-
ercitu, neceſſitatem Carthaginenſibus impoſuit revocandi Hanni-
balem: ſicque à domeſtibus finibus hoſtile tranſtulit bellum.

Athenienſes cùm Deceleam caſtellum ipſorum Lacedæmonij
communiſſent, & frequentius vexarentur, claſſem, quæ Pelopone-
ſum infeſtaret, miſerunt: conſecutique ſunt, ut exercitus Lacedæ-
moniorum, qui Deceleæ erat, revocaretur.

Imperator Cæſar Domicianus Auguſtus, cum Germani more
ſuo è ſaltibus & obſcuris latebris ſubinde impugnarent noſtros,
tutumque

tutumque regreſſum in profunda ſilvarum haberent, militibus per centum viginti millia paſſuum actis, non mutavit tantum ſtatum belli, ſed ſubjecit ditioni ſuæ hoſtes, quorum refugia nudaverat. *lib. 1, Stratagematum cap. 3.*

De diſtringendis hoſtibus.

Frontinus: Coriolanus, cùm ignominiam damnationis ſuæ bello ulciſceretur, populationem patriciorum agrorum inhibuit, deuſtis vaſtatiſque plebeiorum: ut diſcordiam moveret, qua conſenſus Romanorum diſtringeretur.

Hannibal Fabium, cui neque virtute, neque artibus bellandi par erat, ut infamia diſtringeret, agris ejus abſtinuit, ceteros populatus. Contrà ille ne ſuſpecta civibus fides eſſet, magnitudine animi effecit, publicatis poſſeſſionibus ſuis.

Fabius Maximus quintò Coſ. cùm Gallorum, Umbrorum, Etruſcorum, Samnitiumque, adverſus P. R. exercitus coiſſent, contra quos & ipſe trans Apennium montem caſtra communiebat, ſcripſit Fulvio & Poſthumio, qui in præſidio urbi erant, copias ad Sitium moverent: quibus aſſecutis, ad ſua defendenda Etruſci, Umbrique deſcenderunt: relictos Samnites Galloſque Fabius & collega Decius aggreſſi, vicerunt.

M. Curius adverſus Sabinos, qui ingenti exercitu conſcripto, relictis finibus ſuis, noſtros occupaverant, occultis itineribus, manu miſit, quæ deſolatos agros eorum vicoſque, per diverſa incendit. Sabini ad arcendam domeſticam vaſtitatem receſſerunt. Curio contigit & vacuos infeſtare hoſtium fines, & exercitum ſine prœlio avertere, ſparſumque cædere.

T. Didius paucitati ſuorum diffidens, cum in adventum earum legionum, quas expectabat traheret bellum, & occurrere eis hoſtem comperiſſet, concione advocata aptari juſſit milites ad pugnam, ac de induſtria negligentius cuſtodiri captivos: ex quibus pauci, qui profugere nunciaverunt ſuis pugnam imminere. At illi, ne ſuſpicione prœlii deducerẽt vires, omiſerunt occurrere eis, quibus inſidiabantur: legiones tutiſſimè, nullo excipiente, ad Didium pervenerunt.

Bello Punico quædam civitates, quæ à Romanis deficere ad Pœnos deſtinaverant, cum obſides dediſſent, quos recipere antequam deſciſcerent ſtudebant, ſimulaverunt ſeditionem inter finitimos ortam, quam Romanorum legati dirimere deberent, miſſoſque eos velut contraria pignora retinuerunt, nec antè reddiderunt quàm ipſi recuperarent ſuos.

Legati Romanorum cum miſiſſent ad Antiochum regem, qui ſecum Hannibalem victis jam Carthaginenſibus habebat, conſiliumque ejus adverſus Romanos inſtruebat, crebris cum Hannibale colloquiis effecerunt, ut is regi fieret ſuſpectus, cui gratiſſimus alioqui erat, & utilis propter calliditatem & peritiam bellandi.

Quintus Metellus adverſus Iugurtham bellum gerens, miſſos ad ſe legatos ejus, corrupit, ut ſibi proderent regem. Cum etiam alii veniſſent, idem fecit. Eodem conſilio uſus eſt & adverſus tertios. Sed de captivitate Jugurthæ res parum proceſſit, unum enim tradi ſibi volebat, plurimum tamen conſecutus eſt: nam cùm interceptæ fuiſſent epiſtolæ ejus ad regios amicos ſcriptæ, in omnes eos rex animadvertit, ſpoliatuſque conſiliis, amicos poſtea parare non potuit.

C. Cæſar per exceptum quendam aquatorem, cùm comperiſſet Afranium Petreiumque caſtra noctu moturos, ut citra vexationem ſuorum, hoſtilia impediret conſilia, in initio ſtatim noctis vaſa conclamare milites, & præter adverſariorum caſtra agi mulos cum fremitu, & ſonum juſſit continuare, quos retentos volebat arbitrari caſtra Cæſarem movere.

Scipio Africanus ad excipienda auxilia cum commeatibus, Hannibali Venticium Termum dimiſit, ipſe ſubventurus.

Dionyſius Syracuſanorum tyrannus, cum Aphri ingenti multitudine trajecturi eſſent in Siciliam, ad eum oppugnandum, caſtella pluribus locis communiit, cuſtodibuſque præcepit, ut ea advenienti hoſti dederent, dimiſſique Syracuſas occultè redirent. Aphris neceſſe fuit, capta caſtella præſidio ibi tenere, quos Dionyſius redactos ad quam voluerat paucitatem, penè jam par numero aggreſſus vicit, cùm ſuos contraxiſſet, & adverſarios ſparſiſſet.

Ageſilaus Lacedæmonius, cum inferret bellum Tyſapherni, Cariam ſe petere ſimulavit: quaſi aptius locis montuoſis, adverſus hoſtem equitatu prævalentem pugnaturus. Per hanc conſilii oſtentationem advocato in Cariam Tyſapherne, ipſe Lydiam, ubi caput hoſtium regni erat, irrupit, oppreſſiſque qui illic agebant, pecunia regia potitus eſt. *Lib. 1. Stratagem. c. 8.*

De moderatione militari.

Frontinus: Quintus Fabius hortante filio, ut locum idoneum paucorum jactura caperet, Vis ne, inquit, tu ex illis paucis eſſe?

Xenophon, cùm equo veheretur, & pedites jugum quoddam occupare juſſiſſet, unum ex eis obmurmurantem, quòd diceret, facilè tam laborioſa ſedentem imperare, deſiliit, & gregalem equo impoſuit, curſuque ipſe pedeſtri ad deſtinatum jugum contendens pervenit; cujus facti ruborem cum perpeti miles non poſſet, irridentibus commilitonibus ſponte deſcendit. Xenophontem vix univerſi perpulerunt, ut conſcenderet equum, & laborem ſuum in neceſſaria duci munera reſervaret.

Alexander, cùm hyeme duceret exercitum, reſidens ad ignem recognoſcere prætereuntes copias cœpit, cumque conſpexiſſet quendam propè exanimatum frigore, conſidere loco ſuo juſſit: dixitque ei, Si in Perſis natus eſſes, in regia ſella reſediſſe tibi capital foret, in Macedonia nato conceditur.

Divus Auguſtus Veſpaſianus, cùm quendam adoleſcentem honeſtè natum militiæ inhabilem, anguſtiarum rei familiaris cauſa deductum ad longiorem ordinem reſciſſet, cenſu conſtituto, honeſta miſſione exauctoravit. *l. 4. cap. 6. Stratag.*

Regulæ bellorum generales.

Vegetius: In omnibus prœliis expeditionis conditio talis eſt, ut quod tibi prodeſt, adverſario noceat: quod illum juvat, tibi ſemper officiat. Nunquam igitur ad illius arbitrium aliquid facere, aut diſſimulare debemus, ſed id ſolum agere, quod nobis utile judicamus. Contra te enim incipis eſſe, ſi imiteris quod fecit ille pro ſe: & rurſus quicquid pro tua parte tentaveris, contra illum erit, ſi voluerit imitari.

In bello, qui plus in angariis vigilaverit, plus in exercendo milite laboraverit, minus periculum ſuſtinebit.

Numquam miles in aciem producendus eſt, cujus antea experimenta non ceperis.

Aut inopia, aut ſuperventibus, aut terrore melius eſt hoſtem domare, quàm prœlio: in quo amplius ſolet fortuna poteſtatis habere, quam virtus.

Nulla conſilia meliora ſunt, quàm illa, quæ ignoraverit adverſarius antequam facias.

Occaſio in bello amplius ſolet juvare, quàm virtus.

In ſollicitandis ſuſcipiendiſque hoſtibus, ſi cum fide veniant, magna fiducia eſt: quia adverſarium amplius transfugæ frangunt, quàm peremti.

Melius eſt poſt aciem plura ſervare præſidia, quàm latius militem ſpargere.

Difficilè vincitur, qui verè poteſt de ſuis, & de adverſarii copiis judicare.

Amplius juvat virtus, quàm multitudo.

Amplius prodeſt locus ſæpe, quàm virtus.

Paucos viros fortes natura procreat, bona inſtitutione plures reddit induſtria.

Exercitus labore proficit, ocio conſeneſcit.

Nunquam ad certamen publicum produxeris militem, niſi cum cum videris ſperare victoriam.

Subita conterrent hoſtes, uſitata vileſcunt.

Qui diſperſis ſuis inconſultè inſequitur, quam ipſe acceperat, adverſario vult dare victoriam.

Qui frumentum neceſſariumque commeatum non præparat, vincitur ſine ferro.

Qui multitudine & virtute præcedit, quadrata dimicet fronte, qui primus eſt modus.

Qui imparem ſe judicat, dextro cornu ſuo ſiniſtrum cornu pellat inimici, qui eſt ſecundus modus.

Qui ſiniſtram alam fortiſſimam habere ſe noverit, dextram alam hoſtis invadat, qui eſt tertius modus.

Qui habet exercitatiſſimos milites, in utroq; cornu pariter prœlium debet incipere, qui quartus modus.

Qui levem armaturam optimam regit, utranque alam hoſtis invadat, ferentariis ante mediam aciem conſtitutis, qui eſt quintus modus.

Qui nec numero militum, nec virtute confidit, ſi depugnaturus eſt, de dextra ſua ſiniſtram alam hoſtium pulſet, reliquis ſuis porrectis in ſimilitudinem veru, qui ſextus eſt modus.

Qui pauciores infirmioreſque habere ſe novit, ſeptimo modo ex uno latere, aut montem, aut civitatem, aut mare, aut fluvium, aut aliquod debet habere ſubſidium.

Qui confidit equitatu, aptiora loca quærat equitibus, & rem magis per equites gerat.

Qui confidit pedeſtribus copiis, aptiora loca peditibus quærat: & rem magis per pedites gerat.

Cùm explorator hoſtium latenter oberrat in caſtris omnes ad tentoria ſua per diem redire jubeantur, & ſtatim deprehenditur explorator.

Cùm conſilium tuum cognoveris adverſarii proditum, diſpoſitionem mutare te convenit.

Quid fieri debeat, tractato cum multis: quid verò facturus ſis, cũ pauciſſimis ac fideliſſimis, vel potius ipſe tecum.

Milites pœna & timor in ſedibus corrigunt, in expeditionibus ſpes & præmia faciunt meliores.

Boni duces publico certamine nunquam niſi ex occaſione, aut nimia neceſſitate confligunt.

Magna diſpoſitio eſt, hoſtem fame magis urgere, quàm ferro.

De equitatu ſunt multa præcepta, ſed cum hæc pars militiæ, uſu exercitii, armorum genere & equorum nobilitate profecerit, ex libris nihil arbitror colligendum, cùm præſens doctrina ſufficiat.

Quo genere depugnaturus ſis, neſciant hoſtes: ne aliquibus remediis reſiſtere moliantur. *lib. 3. cap. 26. de re militari.*

§ POETARUM.

Aristophanes Equitibus v.562.

Prædicare volumus majores nostros: quoniam viri
Fuerant & terra hac, & festivo peplo dignissimi,
Qui mari & terra viriliter conseruerunt manus
Cum hoste, semper victores, ubique hunc decorantes locum,
Neque quisquam illorum conspectis hostium unquam copiis
Cessavit: sed animus defensor eis inerat illicò.
Si fortè in pugna caderent in humerum, tum hanc rem protinus
Abstergebant: post cecidisse se negabant firmiter.
Mox iterum in pugnam redibant: neque quisquam veterum ducum
Postulabat publicum victum, orato Cleæneto. At
Nunc, nisi ubique primas teneant, unà cum cibariis
Se pugnaturos negabant. Nos verò æquum esse ducimus,
Gratis, & patriæ, & Diis indigenis opitularier.
Hic nihil amplius requirimus, præterquam hoc unicum:
Si quando pax restituatur, & a bello sit ocium:
Ne nobis invideatis bene comtis & tersis viris.

Plautus Epidici 3.sc.4.v.6.

Virtute belli armatus promerui, ut mihi
Omnes mortales deceat agere gratias.

Plautus Milite 2.sc.6.v.19.

An quia latrocinamini, arbitramini
Quidvis licere facere vobis, verbero.

Plautus Pseudolo 4.sc.2.v.45.

Video & cognosco signum, sed in epistola
Nullam salutem mittere ne scriptam solet?
S. Ita militaris disciplina est, Ballio,
Manu salutem mittunt benevolentibus,
Eadem malam rem mittunt malevolentibus.

Ausonius Epigr.24.de Lacæna.

Mater Lacæna clypeo obarmans filium:
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

Prudentius libro poster. in Symmachum.

——Exultare libet. quid tale repulso
Panorum quondam duce contigit? ille petitæ
Postquam pertulerat tremefacta repagula portæ,
Bajanis resolutus aquis, durissima luxu
Robora destituit, ferrumque libidine fregit.
At noster Stilico congressum cominus, ipsa
Ex acie ferrata virum dare terga coegit.
Hic Christus nobis Deus adfuit & mera virtus.
Illic lascivum Campania fertilis hostem
Deliciæ vicere tuæ. non Iupiter acrem
Protexit Fabium, sed vicit amœna Tarentus,
Quæ dedit illecebris domitum calcare tyrannum.

Guntherus lib.7.v.243.

Vtque Ducis totæ subierunt castra cohortes,
Nequid inhumanum, linguis, ac moribus illa
Dissona barbaries, castris impunè moveret,
Consensu procerum tales a Cæsare leges
Compositæ, stabili castrorum jure feruntur.
Ne quis rixari ferro, pugnamque movere
Audeat in castris: neu mota lite vocatus
Cum telo veniat, lorica tutus, habensque
Quo tantum rixæ dirimat certamina fustem.
Neu belli signum nisi fortè domestica quærens
Agmina, vociferet. miles si fecerit ista,
Electo castris, & turpia plurima passo.
Eripietur ei castrorum tota supellex:
Armiger exusta candenti fronte metallo,
Detonsaque coma post verbera pulsus abibit.
Vel domini spoliis redimetur, & omnibus armis.
Vulneris, aut cædis convictus voce duorum,
Qui modò non fuerint violato sanguine juncti,
Hic caput, ille manum perdet. si teste carebit
Altera pars, facinusque volet formidine pœnæ
Abiurare reus poterit jurare volentem
Quilibet oblato licite reprobare duello,
Passurus similem non victo crimine pœnam.
Miles equo cursore carens, clypeoque vel hasta,
Sit licet oppositæ partis, regalia castra
Tutus adire potest: si quis violaverit illum,
Sicut & in socio pacem violasse feretur.
Si fuerit bellator equus, clypeusque vel hasta,
Non erit ille nocens, pœnamve merebitur ullam.
Institor à nostro spoliatus milite, cuncta
Conduplicata feret: maxilla servus adusta:
Vertice detonso, supponet terga flagellis:
Aut erit a domino prædicto more luendus.
Qui spoliare sacras aliquem conspexerit ædes,
Si prohibere potest facinus prohibere laboret:
Si prohibere nequit, maneat securus: at ille
Iudicis arbitrio pœnam pro crimine pendet,
Vrbem, vel castrum nostro sub nomine tutum,
Impugnans, poterit pacis violator haberi:
Non erit in nostris nobiscum fœmina castris,
Qui rem extiterit spoliis nudatus abibit
Turpiter, & naso mutilabitur illa reciso.
Servus deprensi convictus crimine furti:
Si fur antè fuit, probrosa morte peribit:
Sin minus, abraso signatus vertice frontem
Verbera dura feret, castrisque fugatus abibit,
Nisi fuerit domini spoliis, armisque redemptus.
Si continget equum cuiquam reperire vacantem,
Nec dominum norit, non detondebit, ut illum
Ignotum faciat, nec clausum fraude tenebit,
Sed stabulatori nostro denunciet, ac sic
Invento ut proprio, nullo prohibente, fruatur.
Quem si fasce novo dominus deprendet onustum,
Non erit hoc licitum deiecto pondere raptum
Tollere: portantem patiens in castra sequatur,
Iamque ministerio liceat revocare peracto.
Si quis pacificæ plebis villasve, domusve
Vsserit abrasis signabitur ora capillis,
Et pulsus castris post verbera multa recedet.
Lex eadem pœnæ præscripta, minoris ementi
Teutonico, castris ut pluris vendere possit.
Hoc tamen adiecto, quicquid venale ferebat
Eripiet cameræ turpi pro fœnore custos.
Miles Teutonicus socium de gente Latina
Non habeat, nisi notitiam sermonis habentem
Teutonici: quod si præsumpserit, omnia perdat.
Inventor foveæ, nullo prohibente repertis
Gaudeat: at si quis vim fecerit improbus illi,
Id noster digna stabulator corrigat ira,
Nemo parùm cautè, nimiumve potenter agendo,
Conterat educto vinaria vasa liquore,
Quæ præstare suum possunt castrensibus usum.
Has, aliasque sacro dictatas Principis ore,
Consensere patres, servare per omnia, leges.

§ FABULA.

De Asino tubicine & Lepore tabellario. Fab. 95.

Leo rex quadrupedum adversus volucres pugnaturus, suorum acies instruebat. Interrogatus autem ab urso, quid ei asini inertia, aut leporis timiditas ad victoriam conferre possent, quos ibi inter cæteros milites adesse cernebat, respondit: Asinus tubæ suæ clangore milites ad pugnam concitabit, lepus verò ob pedum celeritatem, tabellarii fungetur officio.

Fabula significat, neminem adeo contemptibilem, qui aliqua re nobis prodesse non possit. Abstemius.

De Delectore militum. Fab. 150.

Delector quidam missus à duce suo ad milites deligendos, qui rebus bellicis magis idonei viderentur: inter cæteros quendam eligere volebat procera statura & qui aspectu ipso præ se ferebat strenuum bellatorem, Tum ille: falleris, inquit, ô delector: Non sum enim is qui videor.

Fabula indicat, ex ipso corporis habitu homines non esse iudicandos. Laur. Abstemius.

De Cane, qui societatem cum asino adversus lupum inivit. Fab. 152.

Canis molossus cognoscens se lupo, cum quo magnas exercebat inimicitias, imparem, statuit aliquem sibi socium adsciscere, ut mutuo auxilio lupum superaret. Videns autem asinum lupo vocaliorē, majorem, clitellisque velut thorace armatum, magnasque pilas podice tum magno tonitru emittentem, ratus est eum strenuum esse bellatorem. Quare contracta societate, lupum ad pugnam provocavit. Sed ubi ad primum lupi conspectum asinum fugientem vidit, nilque aliud, quàm inconditos clamores & magnos ventris crepitus edentem, ipse quoq; fugiens, socium in ipsa pugna deseruit, pabulū lupo, vulturibusque futurum.

Fabula indicat, stultos esse, qui hominum virtutem ex verborum ampullositate, & corporis proceritate diiudicant. Laur. Abstemius.

De Miluo & Accipitre, apud Aquilam de præstantia contendentibus. Fab. 183.

Miluus cum accipitre apud Aquilā de præstantia certabat, dicens, ob corporis magnitudinem sese illi præferendum. Contra accipiter, non staturam, sed vires spectari oportere, dicebat. Tunc aquila: ite, ait, venatum, & uter vestrum digniorem mihi attulerit prædam, eū præstantiorem judicabo. Cum autem milvus exiguum murem, accipiter verò columbam apportasset: inquit aquila, quanto columba major est mure, tanto accipitrem miluo præstantiorem esse pronuncio.

Fabula indicat, ex operum, non corporum magnitudine homines metiendos. Abstemius.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad Ducum mutationes lætus est miles malus.

Restum

Æstum ferre, ferre frigus si nequis, ne milites.
Ante discrimen feroces, in periculo pavent.
Artifices iniquè numero censeantur militum.
Audiens Ducis dicto haud est miles re gestâ male.
Castra militum penates, castra eorum patria.
Prodit ceteros, sibimet miles qui uni consulit.
Citius instruas novos, perterritos quam corrigas.
Cogitatio perversa est otiosi militis.
Commodè uti miles telis non potest ubi pluit.
Compares castrense quodvis imperium pecuniâ.
Copiæ si distrahantur, victima agri es hostici.
Corpore adverso cicatrix militi forti est decus.
Corrigas pœna ac timore milites in sedibus.
Cuncta sunt loca honesta queis rē quis tuetur publicā.
Damna quæ das sarci miles, aut duplum dein solvito.
Est ubi imperator, esse ibidem oportet militem.
Et suum eruditionis militiæque vinculum est.
Exequere haud interpretare jussa miles Principum.
Exterus miles ne multis sit tibi, aut uno in loco.
Ferrū ubi est milesque, ibi esse nec pudor nec lex potest.
Fide militi cui uxor filijq; sunt domi.
Fortiorum militum est pugnare moriq; fortiter.
Fustuarium meretur furta miles qui facit.
Gladiatori non eadem est quæ militi constantia.
Gloriosè cuncta quis fert quæ patitur ductor suus.
Hasta militis stridore vidua, non est militis.
Haud amantium est olere allium, est pugnantium.
Hostes aggredi in tenebris, signum ignavi militis.
Iam potest quisq; esse miles, ferre ferrum qui valet.
In belli procinctu nullæ militum sunt feriæ.
In libidinem ac sævitiam lixis nil corruptius.
In manu suâ spem ponit strenuus victoriæ.
In mari gubernatorem, militem in aciem probes.
In suam peccat salutem qui Duci haud obtemperat.
Ius legionis est, nec fugere facilè, facilè nec sequi.
Incorrupto honore, Princeps, misceare militi.
Liberalitate miles fit duci suo alipes.
Libero res militaris digna, digna rustica est.
Liberos nutrire sat pauperibus est stipendij.
Mercenarium ære, amicum suadâ ac moribus, pares.
Miles ante prælium asper, pugna in ipsa erit fugax.
Miles est malus ductorem qui gemens sequitur suum.
Miles est malus quicunque cupiā haud infert malum.
Miles haud occupatus otio atq; abdomini.
Miles hinc dispersus atq; hinc nemini fit utilis.
Miles inutilis labori, promptus ad discordias.
Miles iratus viam per ense stricto hostem quæritat.
Miles optimus terrori est hostibus, agricolam timet.
Miles unus, quæso armorum pars quota est civilium?
Militis adversus ducem omnis capital contumacia est.
Militis bonum privatum publico gliscit malo.
Militis jacere in umbra haud est decus, sed feminæ.
Militi addis gloriam, si ceu potissimum, eligas.
Militi æqua ei neganda, rem qui iniquam postulat.
Militi cicatrix, est impressa virtutis nota.
Militi cui lassus est pes, prælio torpet manus.
Militi fas in mercede summâ mercenario est.
Militi haud dantur parentum dona nomine, ast suo.
Militi minor devicto quam domestico fides.
Militi nimis ne crede qui alteri æs debet grave.
Militi pugnæ cupido convenit: Dux providet.
Militi quidem sua est, sed gloriosa servitus.
Militi spes in sinistra parva, magna in dextera est.
Militem confirmat, ille qui periculum indicat.
Militem ferit securis qui loco cessit suo.
Militem fessum viâ quis hostibus dux obijcit?
Militem imbecillum terra fructus uberis feret.
Militem magis pudore quam cruciatu corrigas.
Militem melius pudore quam malo coerceas.
Militem quandoque solus à fuga tenet pudor.
Militem quei continebis cui deest stipendium?
Militem tuba ad pugnam urget: ad virtutem oratio.
Militem validum, esse non vis turbidum? dispergito.
Milites corrumpit, ijs qui labores subtrahit.
Milites etiam togatos castra quævis continent.
Milites ex otio animi ac copiâ lasciviunt.
Milites in hostico uno continendi sunt loco.
Milites pacis venentur, haud & belli tempore.
Milites solum cælumq; effeminat clementius.
Militum est miscere stupra cædibus, cædes stupris.
Militum consilia non tam perpetres vi quam dolo.
Militum fames pavorq; consilij expers est boni.
Militum fides profectò fluxa per discordias.
Militum jam mortuorum danda merces liberis:
Militum mage est antiqua quam impedimentū salus.
Militum mage sunt favoris quam virtutis præmia.
Militumne disciplinæ quid quiete hostilius?
Militum peccata jure centurio ipsemet luat.
Militum vitiat dilectum, hinc ambitio inde præmium.
Militum urbis præda capta est, præda deditæ ducum est.
Militandum armis manuq;, haud nuntijs & literis.
Militant pauci decori, præda plures convocat.
Militiæ ordinem confundas pravitate aut ambitu.
Militiam juvenes licenter vertunt in lasciviam.
Militare nomen inter otiosos prægrave est.
Militaris ars ignota redditur per otium.
Militaris impudentia ipsissima impudentia.
Militaris natio, hostis est communis omnium.
Militaris res parendo haud sciscitando nititur.
Militarem vitiat dilectum ambitio atq; præmium.
Militari à re senectæ utiq; ultima vacatio est.
Militaribus ferè deest ingeniis subtilitas.
Millies perire præstat quam vexillum amittere.
Mollior cultus decorus militi esse quei queat?
Mors ultronea actionum ne fuga sit, sed actio.
Multitudo militaris fertur mobili impetu.
Multitudo virtuti impar qua salo est, & quà solo.
Multos armat sacramentum, paucos splendor gloriæ.
Ne quidem Deus iratis evadat fortissimus.
Neminem miles veretur disciplinæ nescius.
Nil mali passum esse, grande, pol! trophæum est militū.
Non audet peccare miles, cui statum stipendium est.
Non facit Natura fortem militem ast Industria.
Non meretur esse miles qui caret modestia.
Non ornas sed oneras armis segniorem militem.
Non quicumq; amittit arma miles, arma & abijcit.
Non sunt in ducis omnia, aliquid est & militum in manu.
Nuda militis voluntas testamenti habet vicem.
Nulla militem in recentem Regis est auctoritas.
Nullus gaudio aut dolori militantium est modus.
Obsitum plagis laudamus, non deflemus, militem.
Obviis posse abstinere quæ placent, vix militum est.
Optimè miles gerit rem conscientiæ optimæ.
Otio lascivit miles assuetus laboribus.
Otij ac patriæ cupido est fessis militiâ irritâ.
Otiosior quo miles hoc & est ignavior.
Otiosam haud lascivere armatorum manum, arduum est.
Parce amico semper agro miles; haud in hostico es.
Parce miles agro culto, nec per hortos transeas.
Peior miles est qui fidit armis quàm qui corpore.
Plus est in dextra Quiriti quam læva fiduciæ.
Plura agit miles manu, forique spernit callida.
Plures sunt de fæce plebis milites quam nobiles.
Plurimum juvat bellanteis claudi exemplum militis.
Plurimum nocet prodestq; militaris tessera.
Præliatorum bonorum pace nulla copia est.
Præsidium domestici, quàm externi militis, tutius.
Præterit malos Mars semper, semper obterit bonos.
Præstat exemplo præesse militi quam legibus.
Prospero additur labore militi fiducia.
Publicare noli, habe illam militum infortunia.
Publici salus reposta est in salute militum.
Quàm mage insolens voluptas, hoc mage haurit militem.
Qui diu est amici in agro miles, haud amicè agit.
Quidquid invenis, ne habeto clam, Duci sed tradito.
Quis molestè exauctorari sanus unquam se tulit?
Quo mage est miles quietus, hoc & idem est fortior.
Quo quietior quis est, hoc miles est præstantior.
Quod canis domui privatæ est, miles hoc est publicæ.
Rara res est eruditus miles, rarior pius.
Rarò amant pacem innutriti bellicis victoriis.
Raro amorem militum arte quispiam quærit bona.
Rex pius clemensq;; miles fortis esto atq; obsequens.
Reges prodidere multos milites extranei.
Regnat in suos cui miles in manu ac pecunia est.
Sæpe minus virtute tuorum, quàm hostium vitiis vales.
Sæpe munimenti adinstar fit loci ipsa angustia.
Sæpius fames expugnat milites, quam prælium.
Scio ego multos memoravisse milites mendacium.
Segnities, vitium in pagano, crimen est in milite.
Semper à Ducis mandato miles quisque pendeat.
Si ducem ipsum non vis audire miles, arma concute.
Si potes tuo utere, ô rex, milite, haud item extero.
Signum simplex haud fidele est, est fidelius duplex.
Sit prope hasta dormienti cui caput scuto excubat.
Spem salutis in alienâ ponere virtute, improbum est.
Spiritus alas honore ac largitione militum.
Tam malum est licentia nimia, quam nimia animadversio est.
Tam sunt quæ nescire oportet, quàm quæ scire milites.
Tempestate gubernatorem, militem in acie intelligas.
Terribilis sit hosti miles obtutu, sono, manu.
Tormentis dominorum miles res scrutatur abditas.
Traijci absq; nave flumen altum à milite haud potest.
Tum duci tum militi pretiosa est temperantia.

Turpe post pugnam venire militi, magis duci.
Tutus est miles quadrato qui facit viam agmine.
Vera falso vel majora vero miscent milites.
Vita nulli longa Martis est trucis satelliti.

¶ JAMBICA.

Alacritatem incendit insectatio.
Alibi minatur miles, alibi percutit.
Animis utendum militum, spe dum calent.
Armata gens magnam haud capit sapientiam.
Ars militaris plurima fortunæ eget.
Audire plus quam fari militem decet.
Aurum decet mulieres, horror milites.
Bello parum habilis miles est exterritus.
Benè incitatur ficta miles fabulâ.
Benè militem virtus legit, non gratia.
Clamore miles invicem accendit suos.
Corpus tegatur ferro an auro nil refert.
Cui arma splendent militi, animus ei nitet.
Cui militi pudor, cui est modestia?
Cur militi enses sunt dati? ne serviat.
Difficile Spartano fodere armato latus.
Dignum triumpho militem bellum indicat.
Dispersus ac rudis, bellum illicò arripit.
Effectum obedientia properat militis.
Emollit urbis milites amœnitas.
Est obedire, haud imperare militis.
Et computandi miles artem noverit.
Et paucitatem militum loco adjuves.
Etiam chlamis contorta clypeat brachium.
Etiam in procinctu mors habenda est militi.
Ex confragoso fortior miles venit.
Ex militum fit otio protervia.
Exercitatus miles est sanissimus.
Fidelius miles paret domesticus.
Firmatus usu miles omnia obtinet.
Flagro admonetur paululo grandis trio.
Haud flere timidi mater militis solet.
Honestior mors nulla quam devotio.
In prælio ardent irati oculi militis.
Infamiam qui metuit miles optimus est.
Inutilis miles quisque absque pollice est.
Interque paganos miles corruptior.
Labore floret miles, languet otio.
Mandata miles cur inquirat in ducis?
Metus fugam moratur qui cogit fugam.
Miles bonus, pudorem amat & gloriam.
Miles Ducem qui metuit, hostem non timet.
Miles ferè animum sumit ex vultu Ducis.
Miles cum Duce quem fert labor, non est labor.
Miles legendus, non emendus est duci.
Miles malus est ductorem qui sequitur gemens.
Miles nitidus in primo pulvere deficit.
Miles procul à domo, miles præstantior.
Miles profecto non est arma qui abjicit.
Miles subitus parum valet, multum vetus.
Miles temerè collectus haud multum juvat.
Miles vetus celeriter animum colligit.
Minimè molesta Mavorti arma sunt sua.
Modestia summa; militum modestia est.
Mortem effugit miles, qui mortem non fugit.
Mortem facit lucri, laudatus qui perit.
Mortem oppetere ante oculos Regis, pulcerrimum est.
Multarum opum instar hasta & ensis militi est.
Nec recipiendus adulter inter milites.
Nemo ante tempus miles in bello occidit.
Nihil timendum dimicandi pro Deo.
Nil damnabilius est in milite quàm otium.
Nil militis impudentiâ impudentius.
Nil militum non virtus consequi queat.
Omnis homo miles est in hostes publicos.
Oppignerare miles arma non potes.
Parere miles qui scit consilio, utilis est.
Parum prodest miles tumultuarius.
Pericula belli militum sint, non Ducis.
Plura in viis, quàm in acie pericula militi.
Primi ad periclum ad honores sunt ferè ultimi.
Prius Metus *devincit homines, quam Labor.*
Parum valet statura, cassa viribus.
Punctim ferire, non casim hostem, militis est;
Qui moritur in armis, moritur, non vincitur.
Qui non suos male lædit hostes, adjuvat.
Qui non timet miles ducem, corrumpitur.
Quis miles ad bellum exijt cum conjuge?
Quo plus laborat miles, hoc fit fortior.
Res falsa, si credas, vicem veri obtinet.
Res militaris, armis constat & viris.
Res militaris lege pacta non fluit.
Rei militari haud quidquam peius otio.
Rei militari, literæ viaticum.
Sæpe imputamus militi alterius scelus.
Sæpius veterane miles vicisti post sanguinem.
Sermone pugnax, vix erit pugnax manu.
Si miles es ne te implices civilibus.
Successus auget militarem audaciam.
Suspectus omnis miles mercenarius.
Suum erubescit haud sequi miles ducem.
Tam laudibus gaudet miles quàm præmijs.
Vastati agri diu militem non sustinent.
Vel imperandis miles nutum intelligit.
Venalia habent mercede conducti omnia.
Vix militi ulla vere aquæ penuria est.
Usu levantur armorum onera militi.

Militarium præceptorum.

¶ SENTENTIÆ PHILOSOPHORUM.

LEo *Imperator*: Deinceps post hæc præcepta institutionesque, in has sententias diligenter intueberis, quas ex multis & antiquis de re militari libris collegimus, & hîc brevitatis causa collocavimus: ex iis enim ad majorem rei militaris scientiam pervenire poteris: quemadmodum Sapiens Rex proverbiorum conficientissimus dicit: Hæc enim si sapiens vir non adsit, sapientiorem tamen te facient.

2. In primis autem aliquod negotium suscepturus, ne te ab iis segreges qui laborem alicujus rei conficiendæ suscipiunt, sed & ipse quoque laborabis, & illos quantum potes in opere faciundo promovebis, sive fossas duces, sive eas ductas exaggeres, sive obsidionem, sive armorum apparatum, sive machinationum instructionem adhibeas, sive castella capienda tibi sint, sive aliquod opus publicum atque utile excogitaveris, aut in exercitum aut in civitatem faciendum, hoc primum tuis manibus incipias: nam illi in pudorem conijcientur, nisi in opere diligentes fuerint, & alacrius tibi obtemperabunt, & negotium susceptum facilius conficietur. Sin aliqua commeatus inopia exercitum vexaverit; primus tu temperantiam ac moderationem in victu demonstrato, ut reliquis militibus leviorem & faciliorem rerum necessariarum perpessionem efficias. Sed in cominus conferendis manibus, à dimicatione teipsum retrahe, ut consilio & descriptione rerum, reliquaque administratione, in ipsa temporis opportunitate exercitum juvare possis. Neque verò incircumspectè aut periculosè, nisi si necessitas vehementer urgeat, cum hostibus conferas manus: non enim tantum, quemadmodum suprà dixi, pugnando aciem adjuvabis, quantum cadendo lædes. Quod futurum est autem, incertum est.

3. Mores tui & rerum agendarum studium militibus tuis legis vice sint: ita enim, qui tibi subjecti sunt, imperatoris sui virtutem animo repetentes, Deum colent, imperata facient, & ea quasi divinitus proposita explebunt.

4. Ubi militum magna multitudo unum aliquem in locum convenerit, illorum delicta leniter & sedato animo feras, neque judicia nimis severa crudeliaque facias, ut ne communis dolor in magnam perturbationem & ordinis confusionem illos conijciat, sed pedetentim in autores horum flagitiorum animadvertere oportet.

5. Sobrius ac vigilans sis imperator, tum multis aliis de causis, tum vel maximè, ut in victu simplex, in reliqua vita militibus tuis expositus sis. Paternum geras erga illos adfectum: cum omni lenitate omnia tum facito, tum dicito, nisi necessaria aliqua causa te ad severitatem vocet. De rebus necessariis semper per te apud illos verba facias. Procurabis etiam, ut nulla cura rerum necessariarum sollicitentur, aut commeatus aliorumque inopia premantur. Neque enim ordine aliquo contineri possunt, nisi hæc necessaria omnia illis ad manum sint. In justis suppliciis inferendis terribilis aliis sis. Initia & causas tumultuum & seditionum præcidas, neque expectes dum in majus crescant. Hæc enim imperatoria virtus est, constantem & justum militibus videri, & ex suis finibus injustitiam omnem expellere, injurios homines coercere, milites municipesque suos tutos ab aliorum insultibus conservare.

6. Neque humanitas neque severitas importuna, sed digna imperatore sit, & omnia opportunè dimetiatur, atque ita supplicia inferat, & agentis animum, tempus, locum, modum rei gerendæ, causam, ipsius rei gestæ magnitudinem consideret, & pro istarum rerum ratione puniat.

7. Magna imperatoria laus est, temperantem in victu & vigilantem esse: noctu enim de rebus gravibus magis deliberamus, faciliusque noctu concluditur, quando animus ab omni externo rerum tumultu quiescit.

8. Alia inimicis dicito, alia ipse facito. Res graves atque secretas cum multis ne communices, sed paucis, iisque fidelioribus amicis tuis. Ita enim hostes decipere, sæpe necessarium esse diximus.

9. Tardè ac circunspectè deliberare, & ea quæ deliberata constitutaque sunt, alique cunctatione aut formidine non reiicere, necessarium

ceſſarium eumprimis eſt: timor enim non ſolùm tuta res non eſt, ſed etiam rebus bonis inventis adverſiſſima eſt.

10. Neque rebus proſperis efferri, nec adverſis deijci, firmi animi conſtantisque eſt, qui poſſit tutò ad omnem rerum eventum conſilium ex tempore capere.

11. Iisdem aggreſſionibus hoſtes ſemper invadere, quanquam illis ſæpenumero feliciter uſus ſis, utile non eſt: hoſtes enim cùm te aſſiduè uti iiſdem vident, aliquid adverſum molientur & excogitabunt, & permulta damna inferent tibi utenti.

12. Conſilio & prudentia imperatoria hoſtes ſuperare potius, quàm manu & vi & pugna conſerta, tutum mihi videtur eſſe & utile. Illud enim ex animi ſententia & quemadmodum optimum judicaveris procedit, hoc autem ſemper aliqua cum offenſione belli exitum habet.

13. Reijcere bellum aut differre, quoniam fama aliqua mali aut doli aut inſidiarum percrebuit, neque juſtum neque decorum eſt: neque contrà fama hæc omnino contemnenda eſt, ſive de hoſtibus ſive de noſtris commemoretur, ſed adverſum hæc omnia potius aliquid moliendum conficiendumque eſt, priusquam ea in opus aliquod exeant.

14. Animabit milites magnopere, ſi belli tempore hic rumor differatur, hoſtes in aliis locis à nobis victos eſſe: ita enim fiet ut timidæ mentes excitentur, & fortes magis exacuentur. Bonum enim omen eſt victoriæ nomen, & felicitatem eius à Deo capimus.

15. Hoſtes decipies, ſi per profugos tuos contraria iis quæ facturus es aut deliberas facere, narraveris: ſi enim non credant, negligent: ſin credant, ab eo tamen quod tu propoſuiſti aberrabunt, & conſilia quæ tu ſuſceperis proficient, illorum autem conatus irriti erunt.

16. Infortunia, & ſi quæ alia hujusmodi in exercitu accidunt, occultare, & quæ veris contraria ſunt militibus divulgare, conſilij imperatorij & prudentis viri eſt, qui dejectos militum animos ſublevare poſſit.

17. Exercitui iam ſuperato robur afferre poteris, ſi variis modis, ſpe bona, tum re tum verbo illos pertractes: exprobrare enim & vehementer inſultare iis qui jam offenſionem acceperunt, animorum debilitationem deſperationemque affert, quod in primis mihi periculoſum noxiumque eſſe videtur.

18. Quando belli tempore à militibus aliquid peccatur, diſſimulandum ad tempus & tegendum eſt: poſt belli exitum autores ſeditionum ſi cognoſcas, pœna illos juſta afficias.

19. Militum ignavia diſſimulanda, non exprobranda eſt, ne animi illorum concidant admodum, ac quotidie magis magisque debilitentur.

20. Magnam animi perturbationem hoſtibus tuis inijcies, ſi poſt bellum ubi commodiſſimè poteris tuos in prælio cadentes congregaveris, hoſtium cadavera inſepulta jacere permittas, ac ſecurè iterum diſcedas, ſi opportunitas talis incidat. & id clam hoſtes facere poteris, ſi ignes multos uno in loco accenderis, & alio in loco ipſe requieveris. Hoſtes enim ad ignes accedent & decipientur, tu verò quod propoſuiſti efficies.

22. Ut diſſenſionem & ſuſpicionem inter primarios & optimates belli inijcias, quando agros hoſtium popularis; illorum agros non vaſtabis, ſed quædam cum illis ſigna amicitiæ vel per literas vel aliis modis oſtendes. Hoc idem facies ſi per captivos, quos ad exercitum ſuum iterum remittis, occultè illis ſecreta quædam narraveris. Hæc verò ſi ſæpe abs te fiant, quanquam dolus hoſtibus ſolum atque illuſio fiant, in ſuſpicionem tamen & dubitationem quandam illorum incidit.

23. Deditionem hoſtium abs te obſeſſorum facilè comparabis, ſi ſagittis literas alligaveris quas in civitatem aut munitionem jacies, & libertatem illis ſecuritatemque promittas. Hoc idem feceris ſi per captivos illis libertatem promiſeris.

24. Neque hoſtium humanitate, neque diceſſionis & fugæ ſimulatione decipiaris: doloſa enim hoſtiū ſunt conſilia, & ad ſuam utilitatem hoſtes omnia excogitant. Itaque utilitas illorum tibi magnæ offenſioni erit: & dolus illorum, noxa tua erit.

25. Suſpicioſum eſſe debet hoſtes per ea loca inſequi, quæ ad inſidias capiendas opportuna ſunt: quare recedendum celeriter eſt, & incurſio impetuoſior facienda eſt ad tempus: quod conſilium imperatorium laudandum in primis eſt.

26. Suſpicionem timoris habet cunctatio & pallor: ubi igitur tales videris milites, à dimicatione prælij illos ſemoveas, & ad opus aliquod neceſſarium faciendum amandabis.

27. Caſtra munire ſemper tutum eſt, & amicitiæ pacisq; tempore. Si prope hoſtes fueris, foſſatum circunducito vel ex lapidibus vel ex lateribus circumvallatum, & ita caſtra tua in tuto ponas. Si enim aliquid adverſum contingat, minus imperatorium erit dicere aliquando, non putaram.

28. Quando ſine deditione hoſtium civitas aliqua aut munitio capiatur, jube aperiri portas ut multi aufugiant, & non in ſummam animi deſperationem cadant. Hoc idem foſſato hoſtium capto præſtabis. Neceſſarium autem hoc eſt & ſecurum in primis ad captivos retinendos.

29. Suſpicionem proditionis & opinionem falſitatis inijcies hoſtibus de iis qui abs te ad eos profugerunt, ut illis vel diffidant, vel interficiant, ſi literas ad eos miſeris, ut ſtatim poſt has literas perlatas hoſtes invadant, & proditionis tempus inter te & profugos cæteraque probabilia conſtituta videantur. Hoc pacto fiet, vel ut in cuſtodia teneantur profugi, vel ut fides illis non habeatur, vel ut ad te iterum redeant.

30. Timiditatem militum tuorum in aliqua neceſſaria & nec opinata incurſione hoc modo explorabis, ſi infirmos & eos qui debiles equos habent jubebis ab aliis ſeparari: timidi enim vel valetudinem, vel equorum imbecillitatem ſimulabunt, atque adeo ab hac bellica incurſione ſeparabuntur. Tales vel ad caſtelli, vel ad alterius munitionis cuſtodiam, vel ad alios uſus ſecuros emittes, ut ne ignavia ſua etiam ſtrenuiores milites labefactent. Sin acie iam inſtructa ad prælium mandaveris, ut qui præſtes diſcedere vult diſcedat, & qui vult in illius locum ingrediatur, non modò timidos milites cognoſces, ſed etiam fortes ſtrenuosque ſcies. Timidi enim initio prodent ſe priusquam bellum incipiat, fortes autem poſt bellum incœptum ſimul periclitari cupient.

31. Temporis opportunitas, niſi aliter neceſſitas urgeat, abs te conſervanda eſt, atque adeò hoſtes invadas, ut neque tui commeatu deficiantur, & hoſtes magis vexentur omni labore, & agris iam depopulatis.

32. Victis iam hoſtibus idonea abs te cuſtodia ad tuos defendendos collocanda eſt: vitandæ enim ſubitæ incurſiones hoſtium ſunt: non enim quieſcunt hoſtes ullo tempore, ſed belli offenſionem, occaſionem ſibi ad res melius & cautius gerendas accipiunt.

33. Hoſtium legati, quamvis magnitudine copiarum admodum valeas, abs te minimè violandi ſunt: ſociali enim modo adſunt tibi, & quanquam ab hoſtibus mittuntur, ſeipſos tamen quodammodo in manus tuas tradunt. Sanctum & juſtum quod eſt, erga omnes ſervandum eſt. Aliàs enim de ſua ſalute laborantes Legati nunquam ad te venient, & legationis genus ipſum apud omnes nationes minus uſitatum erit.

34. Quando magnis cum copiis civitatem aut caſtellum obſides, caſtra tua haud munita cuſtodiis relinquere non oportet, neq; ſolo vallo aut foſſis ad cuſtodiam contentum eſſe, ſed & excubias habeas accuratas, & exercitus tuus ad portas civitatis ſedeat, propter excurſiones quæ è portis fiunt, & propter irruptiones quæ ab externis locis eò confluunt.

35. Proditores quidam perſæpe in exercitu tuo eſſe timentur. Vt igitur ex iis utilitatem capias, percommodum fuerit contraria eorum quæ facturus es illis narrare, ut hoc modo deceptis hoſtibus facilius & melius conſilia tua procedant.

36. Sine ingenti utilitate aut neceſſitate periculum ingrediendum non eſt. Qui enim talia ſuſcipiunt pericula, ſimiles hominibus ſunt, qui auri impoſtura ineſcantur, & propter coloris ſolùm ſuavitatem aurum hoc poſſidere vehementer cupiunt.

37. Vigilans & ſobrius in omnibus rebus gerendis, & adverſus omnes hoſtium aggreſſiones ſis, ut neque intermiſſionis belli tempus, ſocordiæ tempus putes, neque ante pacis perfectæ tempus ullam rem tibi negligendam arbitreris, ſed hoſtium inſidias ſedulò vitabis, & prudenter illorum perfidiam qualis ſit cogitabis: ubi enim malum acceperis, hæc ſera pœnitentia nullum momentum afferre poteſt.

38. Qui ad te ab hoſtibus profugerunt, facilè tibi hoſtium conſilia nunciare poſſunt: ſed certius cognoſces, ſi qui in incurſionibus abs te capti ſunt, ad te de hoſtibus aliquid referant. Quòd ſi quæ à transfugis & captivis dicuntur conveniant, veritatem magis eorum quæ quæruntur intelliges.

39. Nullo modo nullâve de cauſa jusjurandum hoſtibus firmatum violes: magnum enim malum perjurij crimen eſt. In quibus enim rebus Deus intercedit, firma neceſſe eſt pacta eſſe. Ignominia enim magna eſt Romanis ac Chriſtianis, ſi cum reliquæ nationes jusjurandum fidemque conſervent, ij perfidi Deo intercedente ac mediatore deprehendantur.

40. Vallo aut foſſato circumſeptus, ſi quando res exigat, ne in ſola munitione ſpem ſalutis reponas, quaſi ad te defendendum idonea, ſed ſecundum Deum armis tuis confidas: neque quamvis tutiſſimo in loco fueris, cætera arma contemnas, ſi verè Romanus ſis. Prima enim & extrema vero militi ſalus erit armorum ſuorum cura & conſervatio: reliqua omnia præ hoc plebeia & vulgaria exiſtimanda ſunt. Antiquos enim Romanos murorum vice foſſam & arma uſurpaſſe legimus. Et Lacedæmonius miles olim interrogatus, ubi ditionis ſuæ termini eſſent, dixiſſe fertur, hîc, haſtam vibratam manu oſtendens.

41. Adhortaberis milites ſemper ut ita parati ſint, ut omni tempore, ſereno, pluvio, noctu, interdiu, ubi uſus fert, adverſum hoſtes inſtruantur: talibus enim temporibus ne horam quidem aliquam conſtitutam aſſignare oportet, ut in promptu omnino ſint.

42. Victoria tibi in publico prælio à Deo objecta, ſi fortè hoſtes vel ad vallum, vel ad aliquem munitum locum confugiant, nullum relaxandi tempus illis tribue, ſed terrore recente impendente illos adoriaris, ne relaxatione aliqua illis conceſſa, firmiores & paratiores fiant ad victoriam amiſſam quantum poſſunt recuperandam.

43. Si qui ſervi hoſtium ab illis ad te confugerint, ne quosvis ſtatim recipias: ſæpe enim ab hoſtibus dolo mittuntur quaſi ſervi & cæterarum rerum egentes, atque adeo illis qui ſe recipiunt inſidiantur.

44. Cavendum ſedulò obſervandumque eſt ab iis qui ab hoſtibus ad obſeſſas urbes veſtras dilabuntur: ſæpe enim hujusmodi civita-

civitates solent incendere, & civibus in restinguenda flamma occupatis, obsessores civitatem melius invadunt.

45. Bello proposito si speraveris te habilem ad oppugnandos hostes esse, illorum in regione prælium committas: hoc enim magis idoneum erit, quàm si in tua ipsius regione pugnes, & animos tuorum strenuiores facit: & de sua natione bellum non erit, sed de sua ipsorum salute. Noverunt enim, se, si non strenuè atque alacriter in bello cum hostibus dimicent, in fugam vertendos esse, & de salute sua nullam spem esse posse. At regione in sua contrà sperant: nam & fuga salutem quærere se posse sperant, & ad munitiones venire, quibus serventur: atque adeo cùm strenuè hostibus resistere non necesse habent, ad fugam securam se convertunt.

46. Vbi belli nulla perturbatio est, non ocio torpescant milites, sed hæc agant potius: ocium enim militibus, magnarum seditionum & turbarum causa est.

47. Colendus omnino Deus est. Bellorum autem in exordiis maximè illum veneraberis: si enim illum colueris purè ac religiosè, sicuti fas est, in omnibus periculis & perturbationibus supplicabis illi quasi amico, & salutem ab illo comparabis.

48. Vigilans imperator & exercitum suum contentione corporis & laboribus occupatum tenens, minus in omnibus bellicis motibus periclitabitur.

Milites in prælium educendi non sunt priusquam illorum periculum feceris, sed cognoscendus unusquisque miles est, quam ad rem, & qua in acie sit utilis, itaque instruendus est.

49. Hæc sola adversus hostes deliberabimus quæ incognita illis sunt, antequam à nobis gerantur: si enim aliquam harum rerum notitiam habeant, facilè adversus conatus nostros aliquid molientur.

50. Dolis, incursionibus, fame, hostes lædendi vexandiq; sunt, & crebrioribus aggressionibus insultibusque adoriendi: neque ad commune publicumque prælium evocandi, ubi valere fortunæ instabilitas solet, potius quàm ulla virtutis constantia.

51. Milites laboribus assuefacti strenuiores indies fiunt, ociosi autem magis ac magis debilitantur. Efficiendum igitur est, ut laboribus exercitati sint, quemadmodum tibi aliàs præscripsimus.

52. Ad omnes vitæ partes, præterquam in bello, incallidum te esse præcipimus. Ibi autem & in iis te imperatoriis consiliis dolus adjuvat, ubi hostes eo decepturus es.

53. Cognosce & expende tuas vires atque hostium diligenter: hoc si feceris imperator, & singula diligenter fideliterque perlustraveris, ægrè in bellicis rebus superaberis aut expugnaberis.

54. Fortitudine ac instructione militari longè majores res in bello geruntur, quàm multitudine militum ignavorum confusa.

55. Locorum situs sæpe pugnantes vehementer juvant, & imbecillioribus victoriam promovent. Itaque iis in locis te ad pugnandum præpares, in quibus cognoveris exercitum tuum meliores, hostium autem deteriores habiturum.

56. Imperatoris solertia generosos milites reddit: natura enim paucos fortes creat, cura autem & industria, si imperatoria solertia adjungatur, multos strenuos facit.

57. Bonum mihi videtur esse justam habere causam bellandi: nam qui injuriam illatam propulsat, hic justus est, & divinam justitiam adjutricem habet, dum injurios homines repellit. Qui verò primus injuriam intulerit, divina vindicta ac justitia à victoria belli abest.

58. Circumspectè post victoriam hostes insequaris, neq; dissipatis copiis tuis illos in acie instructa fugientes persequaris: qui enim hoc facit, victoriam suam hostibus prodit: nam hostes acie instructa conversi in tuos confusè & disjectè insequentes, facilè te superabunt, & momenta victoriæ ad se transferent.

59. Hostes maximè expugnabis, quando in locorum temporumque opportunitates & hostium pugnantium vires intueris, atque ad omnem usum bellicum consilia conatusque tuos conferas.

60. Neque congregare simul exercitum consilij causa par est: neque idoneum ut singulos ociosos milites & nulla in re occupatos ad te voces atque increpes: hæc enim seditionis, & importunarum turbarum causa esset. Magna prudentia imperatoria est, quando ijs socijs ad regionem suam defendendam utitur, qui minores & non plures proprijs copijs existunt, quosque aliàs inimicos sibi maximè futuros arbitretur, ne si plures fuerint, & inter se consenserint, eam invadant regionem & superent, propter quam in societatem tuam asciti sunt. Qui verò pecuniarum causa pro te periclitari volunt, fortassis majoris summæ causa contra te ex contraria parte dimicarent.

61. Quando exercitui commeatum & res necessarias non præparas, facilè absque hostibus superaberis: egestas enim & inopia commeatus, tum milites tum equos etiam contabefacit.

62. Si quando equestribus copiis tuis fretus es, & ijs in primis qui hastati sunt, angusta atque inæqualia loca devita, & loca plana expositaque exquire, hæc enim sunt ijs qui sic instruuntur idonea, ibique committe prælium. Sin pedestribus copiis fretus sis, inæqualia, condensa & asperiora loca elige, & in illis bellum geras.

63. Si de te tuisque copijs adversum hostes aliquid deliberaveris, & consilium tuum hostibus patefactum esse intellexeris, omne consilium tuum quod intenderas sive in acie instruenda, sive in alij præceptionibus formisque sit, repudiato.

64. Cum plurimis de rebus gerendis delibera: quid tu ipse facturus sis, cum paucis, ijsque fidelibus admodum communica. Quid verò potissimum factu sit, & quod ex omnibus consilium est optimum, apud teipsum solum serva.

65. Vt exercitus integer ac sine ulla perturbatione sit, vel eò exercitum ducito, ubi commeatus rerumque necessariarum abundantia est, aut ipsum commeatum & res necessarias exercitui apportabis.

66. Non per speculatores solùm perlustranda via exercitus tui est, sed & tu imperator, si commodè & clàm poteris, tuis ipsius oculis omnia loca pervestigabis: neque vias solùm, sed etiam hostium adventantium multitudinem & illorum aciem, ut inde tu instructus possis ad tuorum salutem & hostium offensionem omnia excogitare.

67. Formidinem militum ac animorum demissionem ad magnitudinem animi revocabis & artibus variis ac modis illos exuscitabis, interdum oratione, interdum donis sublevabis, & abiectas illorum mentes ad aliquam tranquillitatem ac strenuitatem eriges.

68. Aliqua etiam sacrorum templorum atque asylorum religio sit, & conserventur qui ad ea loca profugerunt: neque tu neque ex tuis quisquam eos qui ad sacra confugerunt violes. Eos autem qui tale aliquid patrant, justo supplicio coercebis.

69. Ab omni negocio domestico atque injuria liberam plebem tuam conservabis, quæcunque in exercitu est, & quæ exauctorata est. Satis enim illis est tributum publicum péndere, nullaque alia re premi. Si castellum aliquod, aut porta, aut pons conficiendus sit, vel via aliqua sternenda, aut aliud quid publicum extruendum est, neque publicis ærarij expensis absolvi potest, unusquisque tum ex æquo huic operi inserviat, nemoque ab hac re excusetur neque amicitia neque donis, ut ab officio suo absit, sed justa & certa cum proportione unusquisque tum dives tum pauper pro viribus suis publicum servitium præstet.

70. Militum in bello cadentium, atque eorum potissimum qui strenuè se gerunt, & pro fide Christiana mortui sunt, corpora honestè sepeliantur, eosque bona atque honesta commendatione mortuos prosequamur. Sed & liberi illorum & conjuges, universaque familia, tua providentia ac præsidio alantur. Ita enim milites alacres atque incitati ad bellica pericula suscipienda erunt, si in illorum excessu è vita cernant, quid postea se ac suis fiat, si se strenuos in bello gesserint.

71. Ea quæ ad bellum pertinent hyeme parabis, ut vere ineunte nulla re defectus aut destitutus prælium inire possis.

72. Oratione blanda ac benigna milites semper appellabis, & exhortaberis ut inter se consentiant, & benevolo animo toto hoc prælij tempore inter se sint, ut alacrius se mutuò defendant.

73. Vbi publicam aliquam aciem & permistam ex equitatu & peditatu instruis, peditatum ad decem virorum altitudinem per contubernia instrues, equites autem quasi duo cornua hinc atque illinc peditum collocabis.

74. Spectati milites hoc modo explorantur, si imprudentibus illis, sonus quidam ac strepitus vel tympani vel alterius novæ atque inauditæ rei de improviso personet. Eos enim qui intrepidi sunt, neque ad hunc sonitum expavescunt, quasi stabiles fortesque eliges, & præfectos ex illis deliges.

75. Initio belli preces Deo adhibendæ sunt, adjutorque invocandus est, ut ne in discrimina aliqua delabantur, aut aliquid quod facto opus sit prætermittant. Nam Deo propitio, manus admovendæ ad res agendas sunt, & quasi instrumenta obedientia, corpora nostra præbenda sunt. Neque enim qui non manet, sed fugit hostes, superabit: neque qui rem non incœptat, fortunatus erit, sed precandum est ut victoriam belli à Deo consequamur, ut armis nostris utamur, & in pugna adjutorem illum habeamus.

76. Signorum quorundam & portentorum spectra, milites in timorem conijciunt: quæ si contingant, exquires & ipse aliquid, quo possis illorum mentes in contrariam sententiam vertere, & oratione tua aliquò traduces, ut quibus rebus in animi dimissionem inciderunt, iisdem iterum in alacritatem & spem bonam erigantur.

77. Rumore de victoria injecto, alacrior ad prælium suscipiendum exercitus erit. Si igitur tali rumore alacritatem militibus attuleris, & fortiter ac strenuè in bellum ingressus fueris, bonam spem habe propitio Deo victoriam affuturam.

78. Scipio olim Rom. communibus suffragiis cùm 18. annorum esset, imperator delectus est. Initio autem magistratus sui jussit omnes lectulos, mensas, varia pocula, & reliqua vasa omnia amandari, præter ollam æneam & subulam ferream, & poculum aliis argenteum, aliis ligneum. Vt verò nemo lavaret se, aut ullo oleo inungeret, præcepit: & ut omnes obsonium in prandio incoctum, quod ad ignem nunquam admovebatur, haberent, in cœna autem carnes aut coctas aut elixas, & parvo sub tegmine præfectus recubaret. Itaque universum tempus imperij sui transmittens, victoriis & prudentia imperatoria cumprimis illustris habebatur. Astrologiam autem, & prædictiones rerum, & portentorum præsentiones, & auguria, & insomniorum divinationes, reliquasque hujusmodi prænotiones & judicationes, aliaque omnia quæ providentiam, solertiam imperatoriam reprimere possent, repudiavit, atque abdicavit. Hunc si imiteris, consimilem gloriam, similia victoriæ trophæa reportabis.

79. Arcus & sagittæ arma sunt parabilia, & ubi usus requirit

magnam afferunt utilitatem. Præcipimus igitur tibi, ut mandes omnibus tuis qui in castellis, vicubus, & aliis locis sub imperium tuum subjectis habitant, atque adeo omnibus ut si fieri possit, unusquisque vir, sin minus, unaquæque saltem domus arcum habeat & sagittas quadraginta, illisque se exerceant, tum in locis planis atq; asperis, tum in condensis. Milites enim in bello illis utantur: alij autem suis locis, si quando contingat subita aliqua incursio in illos esse. Nam & in saxis præruptis, & in angustijs locorum, & condensis in sylvis viri stantes, magna damna hostibus sagittas jacendo inferent, neque audebunt hostes fortiter illos invadere. Itaque hujusmodi sæpe loca tuta, & sine aliqua noxa conservantur, hostibus præ timore sagittarum eò accedere formidantibus.

80. Ubi Deus tibi pugnanti victoriam dederit ut hostes tuos profliges, ne permittas ut milites dissipata & disiecta acie vel arma diripiant, vel apparatum hostium populentur, ut ne conversi hostes damnum inferant ijs qui insequebantur. Superati enim prælio, ne apparatum quidem proprium retinebimus, victores autem tum nostrum tum hostium arma habebimus.

81. Imperator munera capiens res gravis ac perniciosa civitati est: nam & milites attenuati ex eo pauperiores fiunt, & præfecti omnes tum majores tum minores, hoc malo latius serpente, minus strenui ad res gerendas redduntur.

82. Speculatores elige firmos, celeres, fideles, industrios, existimationis suæ gloriam pecuniis anteponentes. Nam qui tales fuerint, veritatem ad nos referunt. Qui autem levi animo, timidi, pecuniæ cupidi sunt, veritatem nobis explicare non possunt: itaque magnarum offensionum autores sæpe fiunt tum imperatori, tum universo exercitui.

83. Facilè milites in expeditionibus, donis ac spe bona illustriores redduntur: pacis tempore, vel timore vel pœna eorum qui deliquerint, à nefariis factis reprimuntur.

84. Scias te imperator fame & frequentibus incursionibus hostes magis læsurum, quàm si armis coneris illos opprimere.

85. Si res tuas firmas, robustas, & perturbationi minus obnoxias cognoveris, & hostium speculatorem aliquem belli tempore ceperis, ne eum apud te retineas, sed permitte ut ad suos redeat, & universas copias tuas atque apparatum illis ostendat: ea enim res illorum animos vehementer perturbat. Sin imbecilles tuæ fuerint copiæ, hunc ita coerceas, ut tibi hostium secreta consilia enunciet, & ad extremum vel illum trucidabis, vel aliquò aliò ablegabis.

86. Ea quæ geri abs te possunt, & magna sunt, cum provisa ac circumspecta deliberatione, quid maximè ex usu tuo sit, suscipias: ubi susceperis, sine ulla dilatione quæ deliberata sunt conficias. Nam Alexander aliquando rex, quomodo paucis annis tot tantasq; res administrasset interrogatus, respondisse fertur, quia nihil quod hodie faciendum fuit, in proximum diem distulerim.

87. Ubi tibi societate opus est, eam cum exercitu tuo non miscebis, tumque minimè, si fide ac religione alia sit quàm tu es: sed castra atque itinera illorum à tuis longè separabis, & consilia conatusque aciei tuæ ab illis quantum potes occulta, ut ne si ea cognoverint, ubi inimicitiæ inter vos postea fuerint, ad profligendum tibi habiliores sint. Sed neq; majorē societatem asciscas, quàm tuæ ipsius copiæ sunt, ut ne, quemadmodum antea diximus, vel tibi insidientur, vel locum abs te expugnatum præripiant.

88. Imperator qui pacem affectat, ad bellum se præparet. Si enim volueris facere ut hostes abs te aut dimicationis tempus aut pacem petant, teipsum paratum ad bellum demonstrato: ita enim timidiores reddentur, & pacem amplectentur.

89. Luxum nunquam amabis, tum autem minimè, quando cum exercitu es: communis enim clades ea exercitui & imperatori est.

90. Neque prosperitate rerum elatus sis, neque adversis rebus deprimaris. Neque enim mollis aut fractus exercitui tuo videri debes, sed constans & gravis, & ad omnem fortunam accipiendam fortis. Nam cui facilè lætitia gestit, facilè etiam dolore contrahitur, & languidæ mentis effœminatæque hoc magnum argumentum est.

91. Quicquid immoderatum est, haud probandum est. Itaque neque admodum terribilis subjectis tuis, neque nimis facilis sis: utraq; enim minus apta imperatori in exercitu sunt. Multus enim timor odium ingenerat, magna facilitas contemptum parit. Moderatio igitur quædam adhibenda est, ut in utramq; partem moderatus sis, neq; supplicia nimis crudeliter atq; iracundè inferas, neque rursus omnia soluta atq; impunita relinquas, ut ne magna in confusione ac perturbatione rerum exercitus tuus videatur esse.

92. Belli tempore noctu de rebus agendis deliberabimus, interdiu autem deliberata faciemus. Neque enim idem tempus esse debebit consilij & actionis suscipiendæ.

93. Victor terribilis hostibus imperator censebitur, non qui verbo solum adversus hostes gloriari poterit, sed qui re ipsa firmare quod verbis dixit poterit.

94. Si quando parvum habes exercitum, & hostium tuorum copiæ longè plures sunt, minorem angustioremque locum capito, & copijs tuis idoneum. Itaque fiet ut multitudo hostium inutilis fiat, ubi locus multitudinis minus est capax.

95. Inducias & fœdera belli cum hostibus faciens, ne propterea in negligentia aliqua aut socordia sis, sed maioribus atque accuratioribus custodijs castra aut regionem tuam munias. Si enim fœdera violare hostes voluerint, præter indignationem iramque Dei, perfidiam sibi accersunt, tu verò undique munitus & Dei præsidium habes & fidem conservas, & honesto in loco apud omnes propterea es. Turpe est enim imperatori dicere, non putaram.

96. Hoc etiam ad imperatoriam laudem magnopere pertinet, reputare tecum & experientia certa cognoscere hostium castra quanta sint. Hoc fiet, si teipsum exercueris ut cognoscas, quantus unusquisque locus & qualis sit, quotque milites, quemadmodum nobis antè descriptum est, capere possit.

97. Par est autem, quemadmodum hostium copias studeas cognoscere, sic & hostibus minus cognitæ tuæ sint. Vbi verò multitudinem copiarum tuarum clàm hostes esse cupis, militibus præcipies ut densati ambulent: addensatio enim & contractio hebetat hostium oculos, & perfectè numerum tuorum comprehendere non sinit. Contrà autem, si exiguas copias tuas efficere cupis ut plures videantur, rariores inambulent & consistant milites, & ampliorem spatiosioremque locum quàm multitudo illorum requirit, exigant. Utraque enim horum si idoneo tempore locoque fiant, ad decipiendos hostes magnopere valebunt.

98. Si æquales tuæ hostiumque copiæ fuerint, ille melius instruit exercitum imperator, sive tu, sive hostis fuerit, qui plurimis ad bellum consilijs factisque imperatoriis valuerit.

99. Ne patiaris ut hostes suas copias priusquam tu instruant, sed contende ut ante illos tuæ paratæ sint. Si enim prior instruxeris pro arbitratu tuo, jam paratus quidvis suscipias: hostis autem fortasse ne tempus quidem seipsum armandi, jam nunc tuam metuens incursionem, habebit.

100. Si igitur ita te ad confligendum præparaveris, hostes tuos tutò ac idoneè adorieris, & audaciam copiis tuis afferes, & timorem hostibus inijcies.

101. Maximæ tibi curæ sint milites sauciati ut serventur. Si enim eos neglexeris, militum animos à prælio abhorrentes & deiectos efficies: neque id solum, sed etiam qui diligentia & cura conservari poterant, negligentia amittes.

102. In fugam jam conversis hostibus, præcipe militibus ut præda abstineant, ne dum illi dispersi in præda colligenda occupati sint, hostes illis insidientur atque opprimant: sed milites illos in acie instructi tutò insequantur. Qui ad colligendam prædam instructi sunt milites, in prælio sauciatos colligent & accurabunt, & cadaverum spolia decanis tradant, qui, quemadmodum suprà à nobis præscriptum est, diligenter procurabunt, ut ad supradictum modum æquabiliter tribuantur.

103. Qui sæpius consilia conjectat imperator, is ad bellum & apparatum bellicum maximè idoneus esse videtur.

104. Maximum imperatoris peccatum est, uno prælio omnes copias superandas tradere. Si enim prudenter se adversum hostes instruxerit, ita exercitum apparabit, ut si quæ offensio ei contingat, vel ordinatè discedat, vel facilè offensionem belli recuperet.

105. Hostes maximè excruciat ordinatè atque æquabiliter acies instructa, quæ sic totum tempus prælij permanet. Caput enim omnium in acie est & ad salutem firmissimum, ut milites in bello tum aciem tum intervalla locorum conservent.

106. Solem & ventum & pulverem à tergo tuorum habeas, & ex adverso faciei hostium: hoc enim in primis utile est: siquidem hostium oculi vel sole hebetati, vel spiritus pulvere obstructus, vel corpora vento transverberata, facilè tibi victoriam concedent.

107. Temerarium hostem tuum ad temeritatem & motus quosdam inanes evoca: sin timidus fuerit, continuis incursionibus & nec opinatis illum adoriaris. Imperatoris enim hostium natura cognoscenda est, & pro eius ratione consilia factaque tua omnia institues.

108. Qui ad dicendum instructus imperator est, timidos multorum animos ad prælium accendit, & calamitatibus acceptis facilè suos consolatur, & strenuos viros magis roborat, & multorum bonorum universo exercitui autor est.

109. Sobrius sis & vigilans, & omnium militarium laborum perferentior cæteris militibus. A lucri cupiditate absis: ita enim benevolentiam & cupiditatem bonam tibi apud omnes comparabis, & cùm ab illis diligeris, prompti ad omnes labores suscipiendos erunt.

110. Ubi victoriam tibi Deus dederit, & hostis pacem utilem exoptat, ne nimis durus sis, sed concede hoc illi, & pacem cum illo facias. Cogitare enim debes ancipitem belli exitum, & quotidianam rerum mutationem atque conversionem.

111. Hoc autem quod sæpe commemoravi, in primis memoria teneas. Majorem te curam provisionemque armorum facere debere, quàm aliorum quæ ad arma pertinent. Nam commeatus cæteraque necessaria vel ex hostium regionibus suppeditari possunt: sine armis autem, aut etiam ijs deficientibus, hostes profligare non potes.

112. Clamosus & vocalis exercitus, atque ad ovandum idoneus, hostium aciem magnopere perturbabit.

113. Si multitudine arcuum hostes freti sunt, humidius cœlum observabis: tum enim languidiores illorum arcus fient. Quòd si

tum

tum cum hostibus conflixeris , minus de illorum sagittis labo-
rabis.

114. Qui suis rebus gestis prælucet, non qui generis dignitate
commendatur,illustris imperator est : quemadmodum neque au-
rea hasta utilis ad bellum,sed ferrea & acuta est.

115. Magna gravitate videberis esse, quando non præsentia so-
lùm rectè gubernas, sed quæ futura etiam sunt prospicis, illaque
idoneè administras.

116. A voluptatibus se temperare, omnibus est optimum, im-
peratori autem præcipuè , bellicis verò temporibus in primis ne-
cessarium est.

117. Neque anceps prælium & multam habens varietatem lu-
benter inchoa : neque eos qui temerè vel insidiosè potius rebus
suis usi sunt,& propter fortunam suam in admiratione sunt, imite-
ris,sed quando bellum futurum est,hostes excipias quam tutissimè
poteris: insidiis adversum eos utaris , quemadmodum opportunis-
simum esse judicaveris. Fortuna si semel vicerit, multas iterum
offensiones accipit. Ars imperatoria autem quæ consilio artificio-
que utitur,persæpe vincit,rarò aut nunquam expugnatur.

118. Pecuniæ cupidus si fueris, non solùm milites tuos perdes,
& perniciem ingentem illis afferes, sed hostibus etiam contemptui
eris.

119. Circumspectè magnaque cum industria bellum suscipias.
Nam reliquis in rebus si damnum est , recuperari facilè potest: in
bello offensio semel accepta perpetuò permanet:mortui enim cor-
rumpuntur.

120. Castrorum loca vtrum ne salubria sint & salutar ia , an
morbida & infesta, diligenter considerandum est : & num res ne-
cessariæ , cuius generis sunt , aqua , lignum , fœnum , propè sint: si
enim eminus fuerint , perdifficilis erit comparatio , hostib. præser-
tim imminentibus. Collemque aliquem propè adesse oportet,
quem conscensuri sunt, priusquàm irruentes hostes eum anticipa-
verint.

121. Si hostes immineant , & simulaueris te contraria eorum
quæ facturus sis facere , non parum tibi ipsi proderis. Nam si vide-
aris interdum vel vallum ducere , vel aliam quampiam munitionē
extruere , & tali conatu tuo ad simile factum suscipiendum hostes
impellantur , poteris instructus in dissipatos illos atque operi in-
tentos securè irruere , vel si id necesse est , ex locis asperis difficili-
busque exercitum educere.

122 Quemadmodum bonum luctatorem, ita bonum impera-
torem par est alia præ se ferre , & alijs modis conari hostes decipe-
re , & ijs quæ tempori maximè idonea sunt vti , quibus hostes ipsos
superare possis.

123. Cùm victoria & offensio in incerto ponantur , optimus &
prudentissimus Imperator habendus est , qui in bello & omnibus
hostium aggressionibus , ea quę ad offensionem belli & adversos
casus spectant,præparat,& quasi ea imminerent, omnia in promp-
tu habet. Nam si quid adversum contingat , ad illud jam paratus
meditatusque est.

124. Cautus imperator non modò quæ verisimiliter accidere
possunt , sed etiam quæ præter opinionem incidunt , prospicienda
& propulsanda iudicat.

125. Si quis ex præfectis tuis in rebus maioribus & gravioribus
sæpius hallucinatus fuerit , illi ne minimarum quidem rerum ad-
ministrationem tutò committes.

126. Tales deliges præfectos, qui subiectis suis præstantiores
sint. Solet enim subditorum vulgus semper se ad magistratuum su-
orum mores accommodare : vetus enim verbum ita verum fiet, nō
ceruos leonibus imperare , sed leones cervis.

127. Robustum efficies exercitum, si omne intermissionis bel-
li tempus ad exercitationem & laborem militarem assuefacias :
nam belli tum tempore non studium , sed peritiam & scientiam
militarem demonstrabunt.

128. Dum cubitum is , rerum necessariarum cogitatio animū
tuum subeat. Neque prius in somnum te tradas , quàm repetieris
animo, quid sit, quod faciendum fuit , & à te tamen prætermissum
est:aut quid crastino die agendum sit,& hoc diligenter facias.

129. Contemptui habeberis , si cuivis promittenti fidem ha-
bueris,& surdo deterior esse putaberis. Sin expendas atque exquiras
quæ proponuntur ; vilis unusquisque ac plebeius vir tuam pruden-
tiam ac solertiam veritus,nihil ad dolum loqui audebit : sed & ani-
mi tui constantiam subjecti tui admirabuntur.

130. Bellicæ incursiones quæ judicio susceptæ sunt, bonos exi-
tus habere solent. Temerarij autem & præcipites imperatores,
quemadmodum experientia ipsa indicat, magnas sæpe offensiones
habent.

131. Si consilia tua clam hostes tuos esse volueris , ne familiari-
bus quidem multis ea communicabis. Ægrè enim occultatur,quod
multorum hominum labijs custodiendum creditur.

132. Vniuscujusque affectum motumque animi cognoscas , &
ad quid unusquisque maximè idoneus sit , ut unumquemque ordi-
nè instruere possis : horum enim ignoratio confusas atque inæ-
quales facit acies.

133. Imperator bonus ac similiter malus , exemplum subjectis
suis rerum gerendarum est. Te igitur cohortamur,ut militibus tuis
bonum te exemplum præbeas, tum ad optima te assuefaciens, tum
quæ facienda sunt suscipiens,& iis rebus abstinens,à quibus milites
tui omnes abstinere debent.

134. Nobilis res atque in primis utilis,militaris est scientia : nā
sine bello facilè hostes vincit. Hanc igitur omni studio cogno-
scere oportet. Hujus disciplina multæ aggressiones hostium susci-
piendæ sunt. Vbi verò hæc nihil efficere amplius potest, tum labo-
re corporis ac dimicatione periclitandum est , & cum hostibus de-
certandum.

135. Non modò scientia imperatoria , sed etiam actionibus il-
lius roboreque corporis florere imperator debet. Veteri enim con-
suetudine,qui imperatores futuri fuerant , non modò genus duce-
bant ab illis gentibus & familijs quæ strenuitate & rebus in bello
gestis claræ essent , sed omnia alia atque adeo nomen ipsum victo-
riæ omen habebant.

136. Consilium perutile tibi narrabo , quod olim legeram. Si
quando cum hostibus tibi res fuerit longè numero pluribus,neque
cum illis propter multitudinem contendere audeas , sed securè di-
scedere vis,observa si fluvius aliquis vicinus sit , hunc tu aliò trans-
ferens in hostes derivabis,per eum campum ubi conflictatio futu-
ra est,atque adeo bellum omne irritum facies.

137. Facilè reprimet hostium consilium imperator , si & ipse
tum terra tum mari habeat suo imperio obedientes quosdam : &
hostes qui in continente habitant , insulas quasdam aut maritima
quædam loca oppugnare se velle dicant. Si enim percrebescat te
velle illos in continente terra oppugnare , perterrefacies eos, & re-
primes à navali classe instituenda.

138. Pium admodum religiosumque est , communibus in ne-
gocijs privatarum inimicitiarum recordationem deponere, neque
propter privatam aliquam malevolentiam , rem communem im-
pedire. Sed in republica procuranda, omnia hujusmodi abijcienda
sunt , tum quod ad personas, tum quod ad res pertinet , & n solum
id quod utile est,intuendum,atque id agendum est : hoc enim sæpe
neglectum, permagnas offensiones attulit.

139. Vbi opus fuerit si artificio utaris , magnum adjumentum
ex eo habebis. Si enim solertia aliqua , quæ futura sunt provideris,
maximè autem ex syderum ortu, hæcque prædixeris bonum omen
vobis portendere , in rebus vestris agendis magnopere milites ani-
mabuntur,quasi de cœlo bonum aliquod illis portenderetur : quod
illi approbantes , animosiores adversum hostes ferocioresque e-
runt.

140. Pedites tuos armatos, & adversum hostium equitatum in
plano campestrique loco instructos , ne permittas , quanquam ma-
gnas perturbationes sustineant, aciem deserentes figere : quandiu
enim permanent, aliqua victoriæ spes est:ubi aufugerint,nullus sa-
lutis locus reliquus est , dissipatis jam peditibus , & equitibus inse-
quentibus.

141. Quemadmodum vita jucunda expetenda est , sic bellica
pericula lubenter à militibus suscipienda sunt : ea enim tranquillā
suavemque vitam afferunt. Tum enim felices belli exitus speran-
tur,quando patientes ac tolerantes laborum sunt : hæc enim nobis
jucundam vitam pacemque suppeditant.

142. Minore cum labore castra locaque hostium incursioni-
bus terra populaberis,si milites tuos indigenis illorum locorum si-
miles ut sint apparaveris. Mari autem , si navale prælium faciens,
vel naves hostium compares, vel alias naves iis persimiles facias, &
in ijs milites tuos imponas , & ad terram hostium cum illis naviga-
veris. Ita fiet , ut ad eas quasi ad sociales naves hostes accedant , &
facilius capiantur.

143. Materiam tibi nunc & quasi sylvam præceptorum osten-
dam , quibus accuratè omnia circa te gerantur. Accurata erit no-
cturna custodia & excubiæ quæ fossatum defendunt,si dixeris, vel-
le te certis & diversis temporibus faces accendere in excelso quo-
dam & constituto loco,ut custodes ad unamquanque facem tuam,
contrà suas faces sustollant & demonstrent : itaenim fiet , ut tem-
pus quo facem ostensurus es ignorantes,& assiduè expectantes , vi-
gilent , & diligenter excubias suas observent. Sin quidam tardent,
statim deprehendentur.

144. Desperatorum hominum pugnas devitare,prudentis Im-
peratoris est. Desperatio enim , necessitate quadam impellente,
audacissimos fortissimosque milites facit. Desperatio autem est,
quando quis salutis locum nullum inveniens,in hostem ruit, & vel
vincere cogitat,vel mori. Si castra posueris contra hostes , & ventus
illorum castra versus spirat , incendendæ segetes agrorum sunt , ut
flamma ad illos perlata,in fugam conijciantur. Quando in regio-
nem hostium incursionem facturus sis,circa lumen insidias diver-
sas diversis in locis collocato : ita enim diversis locis in illos irruēs,
vehementius conturbabis,& dispersos eos facilius capies. Hoc præ-
terea tibi præcipiendum est,ut huiusmodi nec opinatis incursioni-
bus tribulos ferreos noctu circùm conijcies , & pedites tui ligneas
soccas vice corij calceorum habeant. Ita fiet , ut si qui ex hostibus
pedites aut equites,reijcere tribulos voluerint,facilè prohibeantur,
& pedites tui officium suum faciant.

145. Preciosa res est temperantia tum imperatori tum exerci-
tui,stuprum contrà perniciosum & fœdum,captivarum potissimū.
Hujus rei testimonium dat Phineis factum,quod in Madianitidem
& Zambre suscepit: unius enim fœminæ captivæ constupratio, vi-
ctorem exercitum penè delevisset, nisi stetisset Phinees, & utrunq;
peccatorem transfodisset,& illorum morte Deum placasset. Itaque
cessavit plaga,& habitum est ei ad justitiam.

146. Alacritatem ad pugnam militibus attuleris, si ipso belli die
manè

manè conſurgens, inſomnium quoddam divinitus tibi immiſſum eſſe dicas, quod te ad invadendos hoſtes incitet, & auxilium quoddam ad pugnandum tibi monſtret.

147. Pecunia ſæpe, ſine prælio, victoriam de hoſtibus reportabis. Ubi alij hoſtes illis immineant, eos pecunia tua adduces, ut bellum illis inferant: vel enim ſe mutuè vaſtabunt, vel altera pars ſuperiores habebit, prælio cum altera dimicans, & multos tamen ex ſuis amittet. Utriſque igitur ſic imminutis, tu omnium malorum vacuus, illis fortior robuſtiorque eris.

148. Si qui aciem tuam tempore prælij perrumpere volunt, tranſitum illis liberum dato, & ubi tranſierint, à tergo illos quaſi fugitivos adoriaris, & facilè capies eos.

149. Ut nullus timor exercitum tuum pervadat per eos qui aciem deſerunt, celeriter illos ex acie tua amoveas, atque ad alios uſus transferas.

150. Robur Imperatoris manus in prælio conſerentis nihil aut parum adjuvat, niſi ubi exercitum relangueſcentem excitare iterum, & ſocietate periculorum animare ſtudet. Sin in prælio cadat, magna incommoda univerſo exercitui afferuntur. Conſilia autem & facta imperatoria, ſi importunè adhibeantur, maxima præſidia univerſo exercitui apportant.

151. Magnum numerum & multitudinem militum præ te feres, ſi quando tibi hoc commodum videbitur, jumentis, aſinis & bobus vehantur quidam equites: nam hoc in loco perutile eſt.

152. Vehementer admodum hoſtium aciem perturbabis, ſi copias tuas primò pedetentim cum ordinis quadam conſervatione progredi facias: ubi verò intra ſagittæ jactum fueris, cum curſu & celeritate ad illos contendas. Ita fiet, ut ab hoſtium telis & ſagittis non lædaris, & ſecurè irruptione facta cum hoſtibus confligas.

153. Prudentis hoc eſt imperatoris, ſi quando, quod ſæpe fit, tonitru magnum fiat, & copiæ ad eius auditum expaveſcant, quaſi malum omen ſit, contrà afferre, hoſtium cauſa hoc fieri, quos Deus attonitos faciens, nos jubet bono animo in illos impetum facere.

154. Hoſtes in contemptum adduces, ſi populares illorum qui in ditione tua ſunt, cùm in gymnaſiis luctantur, inferiores, tuos autem ſtrenuiores effeceris.

155. Ubi occultare à cæteris volueris eos qui ex tuis prælio interfecti ſunt, quamvis hoc poſt belli exitum fiat, ne permittas contubernia ſimul cibum capere, ſed ſparſim & fortuitò, quemadmodum caſus tulerit: itaque non in timorem aliquem cadent, ſed animo ſtrenuo fortique erunt.

156. Hoſtium imperator quaſi caput viperæ eſt in exercitu tuo. Omnem igitur diligentiam adhibebis, ut vel multitudine armatorum in illum ſolum omni impetu ruente, vel telis omnium in eum quaſi in ſcopum jactis, aut alio quopiam conatu molitioneque tua cadat & è medio tollatur. Nam ſi caput viperæ ſemel comminuatur, reliquum corpus inane atque inutile eſt.

157. Belli tempore familiares, amicos & cognatos, prope inter ſe collocabis: amor enim mutuus illos ad pericula ſubeunda animat, & ad res bene gerendas incitat. Suſpicionem ſui mutuò in hoſtium aciem inijcies, ſi nobiliſſimorum & præſtantiſſimorum virorum agros incolumes eſſe permittas, cæteris finitimis locis populatis.

158. Exercitus tibi idoneus juſtusque ſit: qui autem ibi ad bellum idonei non ſunt, illi ad ſervitutem, ad multitudinem augendam, ubi uſus fueris, aſciſcendi ſunt, vel jam imminuto exercitu ad integrum numerum explendum recipiendi ſunt, ut ad oppugnandos hoſtes valeant. Vetus enim verbum eſt, ubi Leonina pellis non ſufficit, aſſuenda vulpina eſt.

159. Si contingat tibi, ubi iam in hoſtium regione es, teſſeram aliquam ſcribere, in tabellis ſine cera quodcunque volueris exarato, deinde cera quod ſcripſiſti tegito, & in cera quidvis fortuitum ſcribito, in quo nulla ſuſpicio eſſe poſſit: ita teſſeram tuam occultè quò velis mittes.

160. Conſilium quis proditionis inſtituens, ubi cognoſci rem intelligit, & ſe manifeſtò teneri, conſilia hoſtium ſuis indicat, & quemadmodum vitanda ſunt conſulit: hoſtes contrà hujus inſidias oſtendunt, facta autem inſidiis contraria demonſtrant, cui credes magis? Illi certè qui proditor fuit, & indicavit, potius quam ſermoni hoſtium: hic enim quamvis proditor ſit, popularis tamen eſt, & ejuſdem nationis, & pecunijs corruptus fuit, quas vel omnino non accepit, vel ubi acceperit iterum rejecit: illi autem natura inimici, & omnino alieni ab illis ſunt.

161. Timiditas militum ex pallore & tarditate cognoſcitur. Tales igitur occultè ab exercitu ſepara, & aliquò amanda, ut illinc reportent quæ oblivione relicta ſunt: hoc ubi feceris, reliquos milites cohortaberis, ut iam ignavis mancipijs illis aliquò ablegatis, illi ſtrenuè ſe gerant, & præmia digna ſtrenuitatis ſuæ reportent.

162. Timiditatis militum tuorum argumenta alia tibi monſtrabo. Vniverſo exercitu tuo unum in locum coacto, ſi tuba perſonueris quaſi hoſtes immineant, in media hac turba timidi ſtatim fugient, ſtrenui ſe in acie inſtruent.

163. Si cum imperitis ad pugnam hoſtibus tibi dimicatio eſt, ipſe milites habens exercitatos, ne ſtatim ſubitò illos adoriaris, ſed obſervandum tempus ad confligendum eſt, atque defatigandi hoſtes ſunt, qui parum ad labores aſſuefacti erant. Sin exercitati hoſtes fuerint, tui autem milites belli imperiti, ſubitò & ſine deliberatione confligendum cum hoſtibus eſt: impetus enim illorum ad pugnandum ſtrenuos eos reddet.

164. Opinio quædam tuæ in aliquo loco permanſionis hoſtibus afferetur, ſi diſceſſurus decipias hoſtes quaſi maneres. Arbores cædes, vel ſi ibi arbores non ſunt, alia quædam ligna collocabis, illiſque ſcuta quaſi armatis viris aptabis.

Hic deſunt aliquot verba.

Ita fiet, ut virorum tuorum ſalutem antiquiorem armis habens, temporibus neceſſariis ſic evadere poſſis.

165. Omnem rem quam ſuſceperis, non ſine juſta cauſa incipere oportet: ſed belli cauſam juſtam ſemper eſſe oportet, neq; juſtam ſolùm, ſed etiam prudenter ſuſceptam. Tum enim propitius Deus magno præſidio in bello erit; & homines alacriores erunt, qui juſtam cauſam defendunt, cùm ſciant ſe injuriæ autores non eſſe, ſed injurios homines ulciſci.

166. Si juſtè bellum incœptaveris, exercitum tuum accuratè inſtrues, & copias tuas quam tutiſſimè poteris educes, & aliquid de victoria melius ſperare poteris: quemadmodum gubernator à portu ſoluens omnia quæ facto opus ſunt cùm præſtat, univerſum navigationis ſuæ exitum Deo commendat.

167. Hanc legem tibi ipſi præſcribas, ut in finem motus tui bellici intuearis, atque adeo bellum inchoes. Turpe enim & indecorum eſt bellum initio movere, deinde rurſum domum exercitum re infecta ſtatim reducere: unuſquiſque enim temeritatem tuam irridebit. Hoſtes inconſideratam ſimplicitatem tuam contẽnent, non quaſi nolles, ſed quaſi non poſſes cum decoro & prudentia res tuas tractare.

168. Quando copias tuas ad bellum educturus es, oportet liberas & ſolutas à peccato eſſe, & pia juſtaque mente Deum colere, atque adeò ad bellum procedere.

169. Cum omni aciei apparatu, ordine, bellica ſcientia, iter faciat exercitus tuus, quanquam nondum cum hoſtibus conflicturus, ſed ſolum iter ingreſſurus, & multorum dierum viam confecturus es, ſive in tua, ſive in hoſtili terra fueris: ita enim aſſuefiet exercitus in acie manere, & locum ſuum conſervare, & præfectos ſuos ſequi, & ad omnes necopinatas incurſiones hoſtium paratus eſſe.

170. Tutius iter faciet exercitus tuus, ſi paucis quibuſdam præmiſſis viæ explorentur, aut per eos quos Romani menſuratores & anticenſores vocant, indagentur.

171. Si exercitum tuum ad laborem aſſuefacias, paratos & obedientes eos tibi ſemper habebis, & aciem ſervantes, & corpore robuſtos. Ocium enim languida & infirma facit corpora, timidas effœminataſque mentes reddit: exercitatio autem & labores, corpora ſtrenua ac robuſta, mentes viriles atque alacres facit. Ante tempus igitur omnia ad res agendas idonea præparentur, ut neceſſarijs temporibus omnia in promptu ſint.

172. Audaces ſæpe milites perijſſe novimus, quia præfectis ſuis minus obedientes fuerint. Quare ſi qui milites ſine tuo aut præfectorum ſuorum imperio vel ad prædadum exeunt, vel aciem ſuam in qua ſunt tranſgredi audent, flagris coerceantur, & puniantur abs te, quaſi ſuæ ipſorum cladis autores eſſe vellent.

172. Prudens is imperator eſt, qui omnia conſilia factaque imperatoria, quę hoſtes moliuntur, declinat. Hæc cognoſcet ex ijs quę ipſe adverſus hoſtes conatur: quæ enim ſe oportere adverſus hoſtes facere cogitat, hæc provideat diligenter, ne ab hoſtibus patiatur. Experientiæ enim ſingulorum adverſus alios intentatæ, aliorum hominum ingenia ad contraria illis excogitanda incitat.

174. Si quid clam hoſtes facere volueris, vel caſtra movere, vel aliquid aliud gerere, nulli hoc conſilium niſi uni alicui ex præfectis credas: talibus enim temporibus permulti ſunt, qui remunerandi cupiditate conſilia tua hoſtibus proditurì ſunt.

175. Nullum mihi inſomnium videtur eſſe firmum: perſuadendi tamen milites ſunt, ut tuis credant inſomniis, quæ aliquam victoriæ ſpem aut opinionem afferre poſſunt: videbuntur enim quaſi oracula à Deo immiſſa militum animos in hoſtes impellere, & fortitudinem corporis alacritate rerum gerendarum exacuere.

176. Hoſtium conatus inſcitè perſequi, lubricum valde & periculoſum eſt: ſæpe enim hoſtes dedita opera multa conantur, vel ut inſidijs, vel ut reverſionibus, in tuos confuſos diſſipatoſque irruant, & vehementer admodum te lædant. Ubi igitur fugientes hoſtes inſequeris, ne diſſolvas aciem donec perfectè cognoveris hoſtes de ſalute ſua penitus deſperare.

177. Militum animos demiſſos & in timorem prolapſos prudens imperator ſuo aſpectu hilarabit, & vultu læto, verbis etiam ſuavibus illorum animos leniet, ut militum animi ad imperatoris audaciam excitentur. Vna aciei bellicæ forma non eſt, ſed multæ & diverſæ, pro varietate armorum, militum, hoſtium, locorum, temporum. Horum differentias ex ipſis rebus optimè cognoſces. Non enim quemadmodum volueris, ſed quemadmodum neceſſitas poſtulaverit, aciem inſtrues atq; armabis tum antè tum retro tum ad latus, & quemadmodum uſus tulerit, ſic omnia vel conſtitues vel commutabis.

178. Ubi pedeſtrem aciem inſtruxeris, vel gravium, qui ſcutati ſunt, vel levium, cujus generis ſagittarij & funditores ſunt, & hoſtes qui ex adverſo pugnant vel fundis vel arcubus tela conijciunt, vel ſcutis majoribus quadratis & oblongis, qui thyrei ſunt, aut minoribus, ſeipſos & capita tegant & quaſi incruſtent, ita fiet ut nihil mali accipiant quotcunque in illos tela conijciuntur. Exercitu ho-

ſtium lunato, id eſt, ad ſemicirculi ſpeciem inſtructo (nam hæc forma tuta & firma videtur eſſe, & hoſtes hinc atque illinc cornua extendens in mediam aciei quaſi C. literæ cavitatem excipiens circumcludit, & milites vehementius ac robuſtius ad pugnandum cũ illis incitat) ſi adverſus eum copias tuas apparaveris, in tres partes aciem tuam divides, & duas partes adverſum duo cornua hoſtium collocabis: mediam partem non adverſum cavitatem hoſtium inſtrues, ſed ad ſubſidium duarum partium pugnantium conſtitues. Itaq; illorum lunatus exercitus irritus erit, vel hoſtis cogetur aciei formam commutare. Sin tu diſceſſum & fugam mediæ partis ſimulaveris, & hoſtes ad te inſequendum provocaveris, non modo acies illorum diſſolvetur, ſed etiam confusè tuam inſequetur. Itaq; inſtructus exercitus tuus reverſione quadam ſubita & conferta illos adoriens, inſequentes te in fugam conijciet.

179. Inſidiæ omnes vehementiores habent impetus quàm cæteræ incurſiones: eæ tamen quæ à tergo fiunt, longè vehementiſſimæ. Nam hujuſmodi inſidias aliquando ſi comparaveris, longè meliores efficacioresque videbis eſſe iis quæ à latere fiunt.

180. Mandata, præcepta, teſſeræ, ac alia huius generis, per præfectos tuos, & non per te tradenda militibus ſunt. Per te enim hoc velle facere, imperiti hominis atque admodum inſciti eſſet: nam & tempus multum in præcipiendo conſumetur, & magnus tumultus erit militum ſe mutuò interrogantium, & fortaſſis in commemorandis illis alius interdum aliquid adijciet, alius detrahet.

181. Boni imperatoris & admiratione digni eſt, poſſe potius celeriter aliqua neceſſitate premente, quid maximè opus facto ſit, deliberare, quàm ante neceſſitatem contingentem de ea deliberare. Neque enim deliberare antè poteſt quis de omnibus, quæ belli imminens caſus afferre ſolet.

182. Quando in acie ſole contrà lucente cum hoſtibus conflicturus es, priusquam prælium committatur, jube milites ſurſum arma, nudos gladios, ferrea ſcuta & illuſtria, & haſtarum cuſpides tollere: hæc enim ſi admodum fulgeant, in aliquam perturbationem hoſtes conijcient. Quando verò jam manus conſerturus es, magno cum clamore vocis & armorum contra hoſtes contendant, itaque prælium cum hoſtibus ineant.

183. Multitudine equitum hoſtibus ſi inferior fueris, aſpera loca & anguſta & montoſa elige, per quæ loca hoſtium equi copias veſtras perſequi nequeant: hoc enim in adverſos caſus intuendo, conſiderare diligenter oportebit, quod prudentis imperatoris maximè proprium eſt.

184. Magis utile putes eſſe, ut acies in prælio ſtet & periclitetur, quàm ut fugiat & exagitetur. Nam dum ſtat, victoria potius ſperanda eſt: dũ terga vertit, ne ſpes quidem ulla reliqua eſſe poteſt.

185. Deo tibi victoriam largiente, hoſtium ſpolijs, ſive equi ſive arma ſint, aut alia eius generis, milites munerandi ſunt, & convivijs epulisque accipiendi: ijque qui ſtrenuè ſe geſſerunt, pro dignitate ſua provehendi, & donis cohoneſtandi ſunt: timidi autem & ignavi & aciem deſerentes, vel gravi pœna coercendi, vel ſumma cum ignominia repellendi. atque adeò fractos animo atque debilitatos eriges & excitabis, fortes autem & ſtrenuos ad ſubeunda pericula animabis.

186. Quando de hoſtibus trophæum collocas, ex legibus noſtris ſpolia ad hunc modum diſtribues. Quintam partem pro communi ærario ſeparabis: reliquæ quatuor partes inter præfectos & ſubjectos, quoniam æquales labores in bello ceperunt, ex æquo dividantur. Quòd ſi quidã ex præfectis aut præſtitibus, aut alius quis ex militibus ſtrenuè præter cæteros ſe geſſerit in prælio, tum ex hac parte quæ communi ærario tribuitur, ſecurè illi aliquod munus defer quod juſtum tibi æquumque videbitur. Similem etiam qui ad impedimenta cuſtodienda ſeparati ſunt portionem habeant, ac illi qui in reliqua militia fuerunt.

187. Exercitus ex equitatu & peditatu miſtus corpori ſimilis eſt, qui manuum vice habet leves, id eſt, ſagittarios, jaculatores, & funditores. Pedum inſtar, equites. Capitis autem te, qui præcipuus ex omnibus es. Reliquorum membrorum inſtar, graves, id eſt, ſcutatos, qui integram armaturam geſtant. Itaque tu quaſi caput, magnam curam habere debes tum tui ipſius, tum totius etiam corporis: illique ſimiliter tum tui, tum ſui ipſorum quoque curam gerant.

188. Vtile autem hoc in primis in bello eſt, ſi exercitum magnum certis de cauſis minorem videri cupis, ut contubernia inter ſe jungas, & in unam Camardam, quam vocant, duo contubernia conferas, & arma propè inter ſe poni jubeas. Quando parvum habes exercitum, unum contubernium in duo divides, aut etiam plura, ſi ita uſus ferat, atque adeo major numerus eſſe videberis, ut ne propter paucitatem contemptui hoſtibus ſis. Celeriter autem ab uno loco in alium caſtra movebis, ut hoſtium vim ita cognoſcens, cum illis prælio dimices.

189. Fictis & ſimulatis irruptionibus milites aſſuefacti, facilius & ſtrenuius veras ſuſtinebunt: ut, præſidij parte altera contra alteram dedita à nobis opera conſtituta, aut proditione, inſidiis, clamoribus, ſtrepitu, transfugis, incurſionibus, & aliis hujuſmodi ſimulatis & fictis exercitati, à veris certaminibus, ſi quando incidant, non abhorrebunt.

190. Navalis claſſis hoc memorabile conſilium putari debet. Quando ad loca arenoſa & minimè portuoſa claſſem tuam navalis prælij tempore applicaturus es, ſaccos multos arena complebis, & funibus eos quot ſatis eſſe videbuntur ex unaquaque triremi propendere faciens, quaſi ferreæ anchoræ eſſent, & ubi hunc quaſi portum tibi confeceris, ex eo loco noctu progreſſus, conſtitutam incurſionem facere poteris.

191. Loca ſicca atque arida tranſiturus, aquam quantam potes tecum perfer: noctuque à veſpera ad mane iter facito: diem autem totum ſomno requietique dato: ita fiet, ut minus jumenta ſitiant, & ſatis idonea tibi aquæ copia ſit.

192. Auſpiciis exercitus olim cæterisque hujuſmodi divinationibus animum & fidem adhibebat: ſternutãte autem quodam, milites ſtatim dimiſſo animo erant, quaſi malo omine quodam objecto. quod imperator animadvertens, Minimè mirum, inquit, eſt, ſi ex tot circumſtantibus unus ſternutet. Hoc dictum cum riſu omnes exceperunt. Riſus autem victoriæ ſignum eſt. Itaque prudens imperator hoc omen convertens, militum animos magnopere excitavit.

193. Vide num quo die anni aut menſis victoriam aliquam reportaſti, & eodem die iterum, ſi ita uſus ferat, bellum ſuſcipias, ut alacriores milites ſint, & meliore cum ſpe prælium ineant, & putent Deo propitio hoſtes eodem die ſe in fugam [illegible]rum verſuros. Et de loco in quo quis vicit, ſimiliter ſtatuendum e[illegible].

194. Nihil te quod nunc dico perturbet. Verus & ſtrenuus Imperator cognoſcitur, quando non quod in rem ſuam eſt quærit, ſed quod ex uſu publico militum eſt illud ſpectat: nam cum ſalute publica ſuam quoque ſalutem procurat. Ubi enim paſtor gregi ſuo diligenter proſpicit, is compendium ex eo habet: ſin gregem negligit, non modò verus paſtor non habebitur, ſed grege neglecto damnum ſibi ipſe accerſit.

195. Si hoſtibus claſſis fuerit, tu cum copijs tuis inſtructus lũatam claſſem appares, & paululum retrocedere in medio videaris: id enim non omninò ad fugiendum, ſed poſt fugam ad pugnandum potius valet, & paratas habebis naves, ut rurſum proratim, ſi id neceſſitas poſtulet, illos invadas. Neque enim audebunt in civitatem loci ingredi, nimirum id timentes ne circumcludantur ab hoſtibus.

196. Victoria tibi à Deo conceſſa, ne ſtatim turbulentè & confusè illos inſequaris, ſed inter inſequendum ne converſi te rurſus adoriantur providebis. Nam effuſa & intemperans inſectatio, opportunos ad offenſionem facit eos qui inſequuntur.

197. Circumſpectè loca anguſta tranſibis. Quòd ſi ab hoſtibus diſceſſeris, robuſtos ac ſtrenuos milites à tergo in extremo agmine, quàm οὐραγίαν vocant, collocabis, ut incurſantes hoſtes poſſint repellere: & nemo in anteriorem partem fugiat, ubi tu inſtructus eris. Itaque utrinque exercitus firmus ac munitus erit.

198. Ut robur exercitui inſeras præcipe, ut ſi hoſtes cum clamore contra tuos veniant, tui ſtatim cum ſilentio & taciturnitate præcedant: ſin illi ſilentes ac taciti ambulaverint, tum clamore ac ſtridore armorum tui illos invadant.

199. Ubi armatura eges, ijs divitibus, non qui in prælio ſunt, ſed qui à prælio abſunt, præcipe, ut ſi nolint ad arma venire, virum pro ſe equumque mittant: ita quidem fiet ut pauperes ſtrenui armentur, divites ignavi ex æquo ac cæteri qui in bello ſunt, bello inſerviant.

200. Mixtum ex peditibus & equitibus ſi exercitum habeas, leves equis perſæpe vehi jubebis, ut opportunis in locis agiles atque expediti de equis deſilientes, excelſa altaque loca anticipent, & fundis, ſagittis, reliquisque armis utantur, ut ad omnem hoſtium occurſum parati ſint.

201. Si quis qui ſtrenuè ſe in exercitu geſſit, aliquid abs te contendat, vel de ſalute ſua vel amici vel cognati, ne difficilis in pernegando ſis, ſed pro rebus illius geſtis, hoc illi de ſalute amici aut ſua condones: nam & pium factum hoc erit, & alios talis remunerationis ſpe ad res bene gerendas excitabis.

202. Boni præfecti indicium & magna virtutis ſignificatio eſt, ſi ſubjecti milites voluntario animo illi obtemperent, & ſi labores ſponte ſua ſubieſint, & in illis duraverint. Nam qui neceſſitate & vi ſubijciuntur, qui indignè ſe ac contra quàm præfectum par eſt gerunt, illi inſidiatores, non amici, perfugæ, non periclitantes, exiſtimari debent.

203. Imperatori bono nulla ſtudia ita laudanda ac provehenda ſunt, ut agricultura & militia: altera, quæ rempublicam & milites alit, altera quæ rempublicam defendit, & agricolas laborantes conſervat. Itaque tanto magis hæ cæteris ſunt artibus proponendæ, quanto illæ interdum ſupervacaneæ eſſe cernuntur: hæ ſemper ſalutares ſunt & neceſſariæ.

204. Ut ſuſcipiendus & honoratus ab omnibus habeare, communem utilitatem rei privatæ, quemadmodum ſuprà præcepimus, antepone. Bonus enim imperator eſt, non qui bene ſuam ipſius vitam degit, ſed qui ſubjectis ſuis autor ſalutis eſt. Imperator enim non ideo à nobis deligitur ut ſibi ſoli provideat, ſed ut cæteri qui ſub imperio eius ſunt, melius vitam traducant. Nam ideo ad militiam eunt omnes, ut ſibi melius ſit: & imperatoribus ideo obediunt, ut ad ſalutem viam illis muniant. Exercitus univerſi labes eſt, immodeſtiæ & luxui deditus imperator. Modeſtia enim & ordinis cum temperantia conſervatio, militibus in primis utilis eſt. Nihil enim ad vitæ cultum in bello aliud afferendum eſt, quàm quod neceſſarium eſt: luxum autem neque bellum neque pax ſobria admittit. Quid enim cauſæ eſt cur non turpiſſimum ſit

virum

virum ex equo cauponari? Omne enim robur illius corrumpitur, & damnum non mediocre infertur. Itaque præfectos omnino induſtrios viros eſſe oportet, juſteque imperantes, & in re militari potiſſimum. Subitum enim tempus & ſubitæ res in bello geſtæ eſſe ſolent: idque præcipuè in navali prælio cernitur, quia navibus tota dimicatio tranſigenda eſt.

205. Si bellum tibi cum exercitu futurum eſt è multis regionibus collecto, ne præſtoleris donec in unum locum congregetur, ſed diſperſi adhuc abs te vel ſua in regione, vel aliis in locis antequam ſimul cogantur adoriendi ſunt. Nuneque adeò cùm ex Ægypto, Syria, Cilicia, barbari adverſus Romanas copias ſe inſtruant, navali claſſe ac navarchis Cyprus occupanda, & priuſquam barbarica claſſis in unum coëat, ſatis juſta & commoda claſſe noſtra ea diſperſa adhuc invadenda eſt: vel priuſquam è regione ſua exeant, claſſis illorum ſi fieri poteſt incendenda eſt.

206. Exercitus tui univerſi corporis quaſi medicum te arbitror eſſe: itaque quaſi cauſæ morborum ab exercitu per te abigendæ ſunt, ocium, luxus, ſumptus, intemperantia, divinationes, auſpicia, auguria, inſomnia, quæ omnia abs te veræ pietatis cultore contemnenda ſunt, niſi ad victoriæ ſimulationem interdum illis abutaris. Neque enim par eſt ut ad victoriæ ſalutis ſpem ejuſmodi ſigna imperatores quærant, ſed cautione proviſioneque ſua ad omnes res ſuſcipiendas quantum poſſunt utantur. Sed & lucri cupiditas eijcienda quantum poteſt ex exercitu eſt: multa enim per hanc cupiditatem detrimenta in militiam importari, tum ex antiquis tum ex recentioribus ſcriptoribus cognovimus. Divinationibus autem & inſomnijs quidam freti, decepti ſunt, & ſalutem ſuam miſerè prodiderunt.

207. Liberos tuos & nobilium virorum militumque filios tecum in expeditione habeas: hoc enim illos longè prudentiores reddet, ſi cognitionem ſimul & experientiam rei militaris atque imperatoriæ habeant. Ludus enim neceſſarius, diſciplinæ neceſſariæ bellum eſt. Itaque florentes jam ætate amicorum familiariumque tuorum liberos quaſi generoſos catulos tecum in expeditione habeas, ut diſcant tolerare laborem, audaciores eſſe, cadavera mortuorum tangere, plagas videre, & clamores bellicos perferre, & in initio prælij bellico tumultui intereſſe, ut ad omnia negocia bellica ab ineunte ætate aſſuefacti ſtrenui eſſe diſcant. Fortem ac prudentem imperatorem te indicabunt, opportuna audacia, & bonum conſilium, & amicorum alacris laborum ſuſceptio, & in periculis obeundis confidentia, & in rebus gerendis firmitas animi atque conſtantia. Hæc enim ſtrenui ducis ac nobilis ſunt, ut & ipſe opportuno tempore quod optimum factu ſit facias, & conſilij tui benevolentiæque adjutores, & omnibus in rebus voluntarios defenſores habeas.

208. Quoniam venator bonus lupos & vulpes artificio venatur, ſic & tu hoſtium ſpeculatores ſolertia capies. Si enim extra vallum tuum cuſtodias locaveris, deinde juſſeris ut unumquemque ignotum teneant, & interrogent, neque dimittant priuſquam præfecti nomen & contubernij, unde ſit, & teſſeram eius contubernij commemoraverit, & eos qui hæc facere nequiverint, exploraveris qui nam ſint, facilè ſpeculatores illorum invenies.

209. Imperator qui eloquentiam cum prudentia conjunxerit, quid in exercitu præſtare non poteſt? Majora enim ſæpe diſerta cohortatione efficiet, quàm viribus ſuis, & plus verbis quàm robore milites ad ſtrenuitatem incitabit, idque maximè ſi perſuadeat cum hoſtibus ſibi rem eſſe, qui ex carne & ſanguine, quemadmodum cæteri homines, conſtituti ſint, quique omnia humana facilè pati poſſunt.

210. Utile tibi cumprimis erit imperator, ubi manus conſerunt cum hoſtibus milites tui, prætergrediendo milites ijs verbis appellare: Semel tantùm conflige cum hoſtibus & vincemus: atque item ſimiliter ſemel: Iterum cum hoſte conflige & vincemus. Tertiò autem obequitando hoc faciat. Itaque magnum momentum ad victoriam afferes, ſi alacriter & aſſiduè hos tres impetus milites faciant, & hoſtes animoſè invadant. Hoc abs te faciendum eſt quando primum belli ingreſſum Deo propitio bene vides procedere.

211. Ut verò propter multarum rerum memoriam ab hoſtibus in admiratione habearis, & propterea ab illis timearis, ſi ad te legati miſſi fuerint, interrogabis eos nunquid antè legatione uſi fuerint, & quibus de cauſis, quibus cum hominibus, quo loco, quo tempore. Legatione item propoſita providendum animo eſt, num quæ ſimilis fuerit vel apud te, vel aliam quamvis nationem, ut interrogationibus & ſermone tuo videaris multarum rerum memor & peritus eſſe.

212. Ad quæ loca vel civitates claſſem emiſſurus es, nemini indicare oportet, ſed occultanda loca, occultandæ animo civitates ſunt, ut nemo de claſſis itinere quicquam præſentiat. Mandatum autem quoddam litteris conſcribes, quod ubi ſcriptum fuerit obſignabis, & Nauarcho trades, præcipiesque illi, ut ubi mare ingreſſus fuerit, ſigillum aperiat, & cognoſcat quò iturus ſit. Ita clam hoſtes quo volueris pervenies.

213. Leges militares atque imperatoriæ ſi cuſtodiantur, victores duces honoratos & memorabiles facit, & regibus lætitiam oblectationemque afferunt, & ad deditionem pacemque hoſtes cogunt, & ab omnibus perturbationibus ſubjectos noſtros liberant, imò verò multorum bonorum atque ſalutarium cauſæ ſunt, & Dei erga illos benevolentiam augent, & ad laudandum Deum omnes homines pios impellunt. Has igitur leges quaſi maximas, omnium bonorum ſecundum Deum conſervatrices, & communis ſalutis proſpicientiſſimas, omni diligentia atque obſervantia coles, & ante omnia divinas leges, veraque illius præcepta quibus pietas continetur, ſummo ſtudio & perpetuò ſequàris: ita enim optimum imperium fiet, & Deo univerſitatis Regi Dominoque noſtro JESU CHRISTO, & nobis qui per illum regnamus, complacitus eris.

Recapitulatio.

Ut igitur omnia quàm breviſſimè à nobis concluſa, ſummatim repetamus, hoc in primis Dignitati tuæ præcipimus, ut qua de cauſa imperator es, quantum potes efficias, ut omnes qui ſub imperio tuo ſunt, vitam quàm maximè tranquillam & ſecuram degant. Ac primum, quicquid dicturus facturúſve es, à Deo principium habeant, nihilque ſine illius commemoratione ac deprecatione agatur. Cur enim non principium omnium rerum agendarum à Deo capiendum ſit, cùm Deus pater noſter factor & inſpector dictorum factorumque omnium, judex cogitationum omnium, notionumque cordis, nullaque creatura abdita corã eo ſit, ſed omnia nudata & explicata ante oculos eius ſint, quemadmodum diviniſſimus Paulus loquitur? Itaque præter ſententiam ejus nihil à nobis agendum eſt. Cognatio enim quædam nobis cum illo eſt, taliſque affectus qualis erga patrem eſſe debet: nam illius munere in lucem aſpectumque venimus, pro illo & vivere & mori debemus, benignitate illius alimur, in ipſo vivimus, movemur & ſumus, tantum illi obedimus, quantum ſubjecti præfecto, ſervi Domino, magiſtratus Regi: omnes illius ſumus, qui omnium habet imperium: nobis per illum omnia ſubjecta ſunt, tum animata, tum inanima, nos verò illum colimus: univerſa beſtiarum natura à nobis gubernatur, nos verò ab illo paſcimur principe paſtorum, qui noſtra cauſa noſtram naturam induit. Nemo autem qui mente depravata perditaque non eſt, Deum eſſe negare poteſt.

2. Omnia Dei plena ſunt, qui ea quæ non ſunt eduxit ut eſſent, qui omnia complet, omnia agit, omnia providet & adminiſtrat. Opera manuum eius quæ ab illo facta ſunt, cœlum, & quæ cœlo continentur, terra, & quæ terra continentur, mare & quæ mari continentur, veritatem factoris indicant, & certa teſtimonia dant divinæ erga nos benevolentiæ & prudentiæ. Ipſe reges deſignat: dicit enim; per me reges regnant. Imperatores ab eo eliguntur, qui omnis poteſtatis atq; imperij autor eſt. Itaque nemo imperium aut magiſtratum in ſe recipiat, priuſquam prece & ſupplicatione ſeipſum quaſi Deo conſecraverit, & illius providentiæ voluntatem ſuam ſubjecerit. Quæ igitur ad Dei cultum pertinent, in primis obſervanda & conſtituenda ſunt, ut qui ſpiritus eſt, in ſpiritu & veritate ab omnibus colatur: & quæ fidei vitæque præcepta reliquit, ea precibus impetremus ut faciamus, quæ divinis literis imperat ut agamus, & fide in illum, amore ac dilectione omnium in Chriſto Ieſu renatorum, ad Chriſtum perfectionem Legis aſpiremus, ut per illum in quo omnia Deo complacita ſunt, nos quoque Deo placeamus, & juſtitiam erga omnes, etiam inimicos, æquitatemque teneamus.

3. Religione in Deum non modò cognita, verumetiam culta, & honoribus regi ſecundum Deum delatis, qui gladium à Deo ſibi commendatum non temerè geſtat. Deinde ſacerdotibus Dei, qui quantum in ſe eſt paſcere debent gregem Chriſti, aliqua in veneratione habitis, atque adeo divinis fidei legibus ſumma obſervantia omnique animi inductione ab omnibus obſervatis, Regias leges minimè tranſgrediamini, ut juſtitia & judicium in medio terræ noſtræ fiat.

4. Militarem laborem & arma bellica ſic accurabis, non ut injuriam alicui inferas, aut iniuſtum bellum moveas, aut prædationes & iniquas adverſus integros homines incurſiones facias, ſed ut religioſè vivens, & cum hoſtibus etiam, quantum in te eſt, pacem habens, ita piè & Deo complacitè vitam tranſigas, ut ad injurioſorum hominum vim depellendam arma abs te ſumantur. Si enim vitam religioſam ac piam degas, & juſta de cauſa bellum moveas, Deum juſtum in omni bellandi ratione adjutorem habebis. Si enim quis certò ſtatuat non ſe injuriam alicui inferre, ſed injuria affectum eſſe, & ad bellum neceſſariò ſuſcipiendum, ad depellendam injuriam provocatum eſſe, is omnino credere debet juſto bello bonum finem à Deo imponi, injuſto autem contrarium. Quemadmodum enim qui injurius homo eſt, non poteſt non iniquitatis ſuæ pœnam à Deo juſto reportare: ſic is qui injuriam propulſat, fieri haud poteſt quin à Deo victoriam aſſequatur: Dominus enim juſtus judex eſt, & cum juſtitia pertractat omnia. Hujus rei gratia arma abs te exercenda ſunt, reliqua militaris induſtria huc referenda eſt. Belli ipſius tempore hoſtium tuorum natura & conſtitutio diligenter abs te cognoſcatur, utrum illorum copiæ primo congreſſu impetuoſiores ardentioreſque ſint, an patientes plagarum, & telorum initio, poſtea autem ad prælium dimicationemque vehementiores exiſtant.

5. Bellum etiam ipſum cognoſcendum eſt, nunquid breve, propter celeritatem dimicandi, & propter commeatus, pecuniæque inopiam, an potius impetu animorum & incitatione celere exiſtat & vehemens: talibus in bellis pro hoſtium natura & conatu,

natu, & pro universis illorum copiis, exercitum tuum apparabis, vel ad fortitudinem celeritatemque illorum, vel contrà ad audaciam timoremque, iras & supplicia, studia gloriæ & ignaviam teipsum comparabis, ut hujusmodi affectiones animi sive in tuo exercitu, sive in hostium copiis sint, vel augere vel minuere possis. Præcepta autem tua potissimum, simulatio prædictionum, cultus divinus, disertæ cohortationes tuæ opportunè per tempus adhibeantur, ut mentes omnium oratione permotæ, voluntariæ in hoc statu affectuque consistant, neque necessitate inviti ad dimicandum pertrahantur. Qui enim milites minus ad pugnandum parati sunt, ijdem confusionem ordinis & perturbationem in prælio afferunt. Antequam igitur pericula subeunt milites, animi illorum ita pertractandi sunt, ut ad omnem impetum sustinendum alacres sint: hostium autem mentes perturbandæ sunt, & in formidinem, mollitiem, desperationemque conijciendæ, atque adeo tum adoriendi hostes, & sine ulla dilatione invadendi. Nulla enim alia ratione hostes superabis, nisi in aliquas angustias illos prius deducas. Neque in hujusmodi pericula hostes impellantur, in quibus, ut in desperatis rebus solent, meliores quàm illorum natura fert & impetuosiores sint. Sin induciæ fœderaque sint, nullo modo abs te violentur. Ex rerum eventu si prospera tibi omnia & secunda sint, & hostium victoriæ potitus fueris, ne nimis animo efferaris: neque in rebus gerendis ita tardus sis, ut post initia negociorum confecta, circumspicias & deliberes quid deinceps agendum sit: nec rursus si adversæ res ingravescant, stupidus & attonitus vel tuis vel hostibus videaris. Sed neque iis temporibus cede hostibus ubi poteris illis resistere, & incursiones illorum propellere, nisi pacem hostes utilem ex te petant: magnæ enim rerum offensiones hujusmodi ex causis oriuntur.

6. Exercitus tuus ad bellum educendus est, multitudinem justam habens, cæteris armis bellicis minimè defectus, nullaque alia re ad bellum necessaria destitutus: quibus in rebus mali imperatores facillimè reprehensiones habent. Industrius admodum debes esse, præcipuè autem in iis administrandis quæ ad procurationem rei bellicæ pertinent. Sumptus quàm minimos & frugales admittes, & rem communem diligenter asservabis: deinde quæ facto opus sunt, omnia accures. Itaque historias antiquorum & recentiorum diligenter cognoscas & omnium factorum consiliorumque imperatoriorum quæ digna cognitione sunt, rationem teneas. Quòd si quis vel artifex vel plebeius aliquid præ se ferat dictu rum quod ad rem militarem atque imperatoriam pertinet, illum admitte lubenter, & eorum quæ loquitur judex sis. Consilium tibi cum senibus capiendum est, & iis qui rei bellicæ periti sunt, & qui aliqua dignitate ac nobilitate prælucent, & qui cum benevolentia consilium fidele in rebus gerendis dare possunt. In periculis bellicis nunquam dimices aut manus conseras, sed cautionem tui ipsius diligentem habeas, & universo exercitui præscribas quid gerendum in universa dimicatione sit. Consiliorum & factorum imperatoriorum excogitator sis, & in aggressionibus tuis solers existas, tum quando hostes invasurus, tum quando ab illis invadendus es: ad repellendas hostium incursiones habilis, ad machinationes hostibus inferendas gravis, & ad id quod futurum est animo anticipandum solers: ad tesseras quasdam contra hostes excogitandas diligens & assiduus, prudentia, ingenio, industria, cæteris omnibus præfectis antecedens, corpore robustus, & ad omnem armaturam utendam habilis atque expeditus: forma decora ac liberali, omni armorum constructione decorus atque illustris, ætate florens, corpore atque animo strenuus, abstinens pecuniæ, continens voluptatum omnium, laboriosus ad res tolerandas, fortis ad pericula sustinenda, intrepidus ad discrimina subeunda, ad justas res persequendas alacris, magnanimus in rebus cum militibus obeundis, gerendis: magna in existimatione existens, non propter generis nobilitatem, civitatem aut rempublicam ab aliis bene administratam, sed sua virtute, & in omni usu bellico diligenti sedulitate gloriam sibi comparans benevolentia ac animi promptitudine: cæteros omnes in singulis negociis suscipiendis superans, & perinde ac de privatis rebus negocium esset, publicos labores tolerans. Disertus præterea & eloquens sis, & verissimis rationibus in re vera utens, nisi ubi interdum ad excitandos militum animos, & ad mentes illorum præsenti rerum opportunitati aptandas, mentiri interdum & fictam orationem adhibere oporteat, quo melius in contrariam sententiam traducantur.

7. Erga illos qui in bello ceciderunt, & erga bonos viros potissimum, magnificus, liberalis & munificus sis, & honores illis tum beando, tum memorabili sepultura afficiendo habebis: ægrotos quàm diligentissimè sanari curabis, erga pauperes de tuo liberalis, gloriæ non nimis expetens, & liberalis tum in privatis tum in communibus hominum consuetudinibus, neque contentiosus, neque curiosus, neque loquax. Vestitu, habitu, incessu moderatus sis: invidiam ex omnibus rebus summè devita: neque militibus strenuè rem aliquam gerentibus ea te moderat, sed laudes eos potius & imiteris & adiuves ad honesta omnia suscipienda. Unumquemque Imperatorem par est adversus ullam nationem bellum suscipientem, cogitare & cognoscere, quænam forma aciei illorum sit, & quibus potissimum artificiis machinationibusque in bello utuntur. Sin navali classi præficiatur, provideat ut ne classis aliquibus sali tempestatibus jactetur, & astrorum aërisque motus observet. Ultima agmina classis aut aciei ordinatè ad se colligat, ne locorum importunitate, aut tempestate maritima, aut hostibus oppressa pereant. Cognoscendum tibi præterea est, quibus modis prælia committuntur, vel in acie ad frontem instructa, vel ex dolo quadam circuitione, vel loca occupanda munitiora, vel regionem incursione diripiendo, vel ligna cædendo, vel fruges populando, vel ædes incendendo, vel agros vastando, vel captivos abducendo, vel aquas illorum detrahendo, vel insidiis adoriendo, bella cum hostibus geruntur. Committuntur etiam gladij in bello, quando subitò invadit exercitus exercitum, & fluvium transeuntem hostem adoritur, & è spaciosis locis in angustum compellit, & ex angustis locis in spaciosiora hostem nondum instructum educit, & quando commutatio subita est eius qui hostes vicerat, & quando in locis includuntur ad exeundum difficilibus, & quando rebus necessariis destituuntur, & quando in aliquam offensionem valetudinis hostium copiæ cadunt, quando adventante hyeme graviter perturbantur, aut ipsa in hyeme defecti necessariis sunt, quando diurnis laboribus lassati, inedia cibi potionisque vexantur: vel si iter magnum contingat, tum homines tum jumenta lassentur, vel quando nimis vigiles certis de causis sunt, vel quando prælium navale illis accidit, vel quando hostes naufragium fecerint, vel quando hyeme excruciantur. Hæc omnia horumque contraria imperator cognoscat. Divisiones præterea exercitus, acies, deductiones acierum, ut facilè obtemperent, genera quoque mandatorum cognoscant. Præter has prædictas omnes belli irruptiones, prudenter ut hostes adoriaris præcipimus, quantum subitæ rerum aggressiones prudentiam admittere possunt. Hostium autem incursiones quantum potes devites, & omnia hujusmodi quæ incidere possunt propulses. Quæ enim in hostes inferre cogitas, eadem sæpe numero ab illis patieris, & aliis quoque quibusdam molitionibus ab hostibus invaderis, nisi cautè & prudenter circumspicias, & quæ facto opus sunt illis opponas.

8. Ijs anni temporibus excursio facienda, quando fruges sunt. In acie instruenda solem à tergo & ventum habeas, & in hostium oculis utrunque collocabis: vocalis in mandandis rebus eris, animosus, concinnam habens vocem. Naturam belli artes ipsæ adiuvant, cujus generis sunt disciplinæ armandi, rationum subducendarum, acierum instruendarum, architecturæ, astrorum, medicinæ. Disciplina armandi hoc in se continet, ut corpora armis moderatis, idoneis, firmis, exquisitè confectis tegantur. Eligenda hujusmodi corpora sunt, quæ ad arma capienda idonea sunt. Quantus qualisque armorum usus esse debeat, demonstrandum militibus est, horumque exercitationes & contentiones ad omnem necessitatem & apparationem prælij ostendendæ sunt. Cura etiam sit honorum, dignitatum, & abundantiæ pecuniarum quibus arma reliquæque expensæ necessariæ adhibendæ suppeditentur. Et de armatura hactenus.

9. Disciplinæ rationis subducendæ munus erit, exercitum in cōtubernia, acies, turmas, drungos, cohortes, quincurias, decurias, cēturias, reliquasque partes atq; acies dividere: atque ex ijs omnibus eos separare, qui & quot castra custodiant, qui & quot minores natu & provectiores, quique claudi sunt, aut propter ægritudinem languentes, quique ad civilem magistratum & ad rem publicam gerendam delecti sunt: corporà præterea florentia à languidis secernere, & horum quoque rationem habere, tum magnitudinis tum parvitatis corporum: Præfectos provecta ætate homines constituere, stationem tum quod ad longitudinem, tum quod ad altitudinem spectat collocare: quali cum numero & quibus cum partibus unaquæque pars ad necessarios motus belli constituatur. Hæc omnia hujus disciplinæ sunt. Disciplina acierum instruendarum hæc in se habet: Formas acierum demonstrare, quibus aut invadas alios, aut ab aliis invadare: & quæ ad hostium impetum excipiendum valent, & quæ ad impressionem in hostes faciendam maximum momentum habent, quemadmodum singula fiant: qualem armaturam adversus hostem fabricare, quemadmodum acies moveri debeant, quo loco temporeque utendum. Atque hæc de aciebus instruendis. Architecturæ est castrorum formas describere, quemadmodum fossa aut vallo obsepienda sunt: interiora loca aptè distributeque sejungere, exitus aperire, maximi exercitus intervalla, minimi autem angustias tenere: ubi utrorumvis aliquis usus fuerit, loca eligere quæ hostium insidiis minimè appetantur, quæque in reversionibus disjunctionibusque idonea esse possunt.

Hujus artis præterea sunt, muros civitatum aut munitionum ab hostium machinationibus integros servare, aut aquarum inundationes ab illis repellere, arma ad muros defendendos parare, ut manganica, toxobolistras, & reliqua hujus generis, quæcunque vel ad muros defendendos vel oppugnandos spectare solent. atque hæc de architectura. Astronomiæ est tempestivitates anni prædicere, in quibus frigorum & calorum commutationes fiunt, aut imbrium & aquarum pluviarum proluvies, vel ventorum ingentium flatus, è quibus magni exercitus in summa sæpe discrimina venerunt: diei noctisque partes ita commodè dividere, ut requietis ac incursionis tempora facillimè cognoscantur, quibus non observatis, universæ copiarum summæ sæpe in rebus aggrediendis irritæ atque inanes fuerunt: terræmotus reliquorumque signorum & portentorum eventus præmonstrare, illaque ad nostros milites animandos transferre,

ferre. Sed de Astrologia satis. Medicina, ulcera quæ ex vulneribus orta sunt, vel plagas quæ lapidibus aut telis aut aliis hujusmodi rebus infliguntur, sanat, & pharmaca iis parata habet, ægritudines quæ ex calore aut frigore, labore, aquarum mutatione, locorum situ, aëris temperie, corporis curandi negligentia, alimentorum improbitate, ut novarum frugum & fructuum cæterorumque hujus generis insalubritate oriuntur, arte sua pellit. Ad artem rationis subducendæ præterea pertinent, sumptus militum, summa spoliorum, pecuniarum accumulatio, & quemadmodum iterum in armorum machinationumque apparatum & in alios militiæ usus consumantur: horum omnium dijudicatio ratioque ad artem hanc spectat. Ad apparatum igitur salutemque exercitus constituendam hæ artes atque iis artibus instructi homines pernecessarij sunt. In armorum ratione elaborant, qui armorum conficiendorum periti sunt. In ratione subducenda, literarum & summarum faciendarum periti homines. In acierum instruendarum ratione tu imperator atque alij qui sub te præfecti constituti sunt. In architectonica, qui architecti & mechanici sunt, & longo tempore in usu harum rerum versati sunt. In astrorum ratione, qui cœlestia corpora scrutati sunt, quique in astrorum ortu atque obitu, conversionibus planetarum, operam suam collocant, qui Ptolemæum diligenter cognoscunt, & Chaldaicas quasdam observationes, Arati Φαινόμενα, Ioannis Lydi divinam menstruamque observationem tenent. Genethlialogias autem quæ iis in libris sparsæ sunt, & ab Ecclesia Dei reiiciuntur, nos nostro quoque regno expellimus. Leges igitur imperatoriæ ac militares à nostro regno tibi militibusq; qui sub imperio tuo sunt, hæ præscriptæ sint, quæ abs te assiduè custodiantur, & ad eas servandas omni studio ac labore enitaris: magna enim & præclara hinc adjumenta reportabis. Quando enim consilia factaq; imperatoria ad aciem tuam firmandam excogitaveris, si illis iisdem hostes utantur, facilè horum peritus contraria usurpare potes.

Hæc autem pro ratione ingenij nostri partim usu bellico, partim ex scriptoribus antiquis collecta, ad communem utilitatem hunc in librum contulimus, neque ornamenta dicendi, neque curiosam aliquam verborum inanitatem conquirentes, sed verbis tantùm communibus planisque usi, militarem dicendi formam potissimum secuti sumus. Quæcunque autem alia vel ad tempus belli gerendi, vel alterius alicuius apparatus adversum ullas nationes & Saracenos potissimum, quorum gratia hic liber à me, ut antè dixi, conscriptus est, suscepti caput pertinent, ea quanquam hoc libro contenta non sunt, in iis tamen si quis se exerceat, usu aliquo belli & naturæ rerum perscrutatione facilè ea quæ desiderantur colligere comprehendereque poterit. Neque enim fieri potest, ut ego aut quisquam alius, quantocunque ingenio eruditioneque sit, omnia complectatur, quæcunque industria ac solertia humana excogitantur: aut viam doceat qua hæc caveantur, quæ infinita atque immensa genere rebusque circumstantibus sunt. Neque enim similiter eodemque modo hostium consilia factaque imperatoria ab illis suscipiuntur: itaque ne hæc quidem quæ ad usum semper necessaria sunt indicare quis potest: sed cùm neque una mente omnes imperatores sunt, sed magnæ varietates rerum ab hostibus susceptarum sunt; diversæ etiam rerum aggressiones ad eos moliendæ sunt. Astuta enim & solers humana natura cùm sit, multa excogitare, multa moliri nec opinata potest. Unde par est te Imperator supplici mente semper Deo preces adhibere, & in omnibus autori salutis, pro iis quæ maximè salutaria sunt, supplicare.

§ EMBLEMATIS.

Camerarius 70. cent. 4.

Cœlo turbato alacrior. Salamandra aquatilis.

Sunt pluviæ mihi vita, necem sed Sirius affert;
In pace & languent, quos fera bella fovent.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Ioannes Baptista. Interrogarunt eum milites dicentes, Et nos, quid faciemus? Et ait eis, Neminem concutite, neque calumniemini: & contenti estote stipendiis vestris. *Luc. 3. 14.*

D. Paulus Apostolus. Iubet Christianos esse subditos magistratib. quorum munus est parcere subditis, debellare superbos. *Rom. 13.*

Constantius Imperator. Non oportere milites (ajebat) hastis uti, & rerum suarum spem in armis aut corporũ viribus ponere: sed universitatis Deum, rerum omnium bonarum & ipsius victoriæ authorem agnoscere, &c. *Eusebius de vita Constant. lib. 4. cap. 19.*

D. Martinus. Quum esset annorum duodeviginti, ad baptisma convolavit. Nec statim militiæ renuntiavit, Tribuni sui precibus victus, qui & ipse transacto tribunatus sui tempore, renunciaturum se sæculo pollicebatur. Qua Martinus expectatione suspensus, per biennium ferè, posteaquam est baptisma consecutus, solo scilicet nomine militavit. Interea irruentibus in Gallias Barbaris, Iulianus Cæsar coacto in unum exercitu apud Vangionum civitatem, donativum cœpit erogare militibus, & ut est consuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tum verò opportunum tempus existimans, quo peteret missionem (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donativum non militaturus acciperet) Hactenus, inquit ad Cæsarem, militavi tibi, nunc patere, ut militem Deo: donativum pugnaturus accipiat. Christi ego miles sum: pugnare mihi non licet, &c. *Sulpit. Severus, de vita D. Martini cap. 4.*

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

D. Ludovicus Franc. Rex. Vide Apophth. de Admonitione.

Carolus V. Imp. Ille *tres rerum nervos* dicebat, *Pecuniam, Commeatum, & Militem.* E quibus si unus eligendus: *Malim,* inquiebat, *veteranum militem. eius namq; promptitudine quævis ab hoste impetrabimus. In Vita eiusd.*

Minarum.

§ SENTENTIÆ.

P*Halaris Herodico.* Alius fortè, læsus damnoque affectus, nihil apud eum qui intulisset, de relatione confiteretur, ut nihil omnino suspicans minore negotio posset illaqueari. At ego hominem illiberalem judico, qui imprudentem ignorantemque capiat. Ego verò prius abs te passus injuriam prædico moneoq; ut impudẽtem tibi à nobis ultionem caveas: sic enim & ante supplicium, te periculi metus puniet, & post metum, ipsa pœna & supplicium. *Epist. 13.*

Symmachus: Nam quando clementia vestra vim veteris comminationis in mortuum tetendisset, cùm gravium etiam noxarum pœna fine vitæ solvatur? At verò iste terror Divi Principis litteris comprehensus, ne viventem quidem posset urgere. Gravia enim subjectis sæpe minitamini, acuendi potiùs studio quàm nocendi. Hoc etiam Divus genitor tuus, in omnium semper animis & ore victurus, pia lege constituit: qui sententiam quoque sub comminatione depromptam, effectu atque executione vacuavit. *Libr. 10. Epistol. 47.*

§ POETARUM.

P. Syrus Mimus.

Multis minatur qui uni facit injuriam.

§ APOLOGORUM.

Phædrus Fab. 45. Muscæ ac Mulæ.

Musca in temone sedit, & Mulam increpans,
Quàm tarda es, inquit: non vis citius progredi?
Vide ne dolone collum compungam tibi.
Respondit illa: verbis non moveor tuis;
Sed istum timeo sella qui prima sedens
Iugum flagello temperat lento meum,
Et lora frenis continet spumantibus.
Quapropter aufer frivolam insolentiam:
Nam ubi strigandum & ubi currendum est, scio.
Hac derideri fabula meritò potest,
Qui sine virtute vanas exercet minas.

Aphthonius: Nutrici flendo molestus erat infans. cum vero ab importunitate non absisteret, minata est lupo se projecturam, nisi sileat, quod cum lupus forte adveniens audiret, exspectavit dum fieret quod dixerat nutrix. & infans quidem obdormivit, lupus autem spe prædæ deiectus abiit, & præsentis simul prædæ, & quam aliunde adepturum se speraverat.

Avienus.

Immitis Boreas placidusq; ad sidera Phœbus
Iurgia cum magno conseruere Iove,
Quis prior inceptum peragat, (mediumq; per orbem
Carpebat solitum fortè viator iter.)
Convenit hanc potius liti præfigere causam,
Pallia nudato decutienda viro.
Protinus impulsus ventis circumtonat æther,
Et gelidus nimias depluit imber aquas.
Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
Turbida summotos qui trahit aura sinus.
Sed tenues radios paulatim increscere Phœbus
Iusserat, ut nimio surgeret igne jubar,
Donec lassa volens requiescere membra Viator,
Seposita fessus veste sederet humi.
Tunc victor docuit præsentia numina Titan,
Nullum præmissis vincere posse minis.

De Rustico amnem transituro. Fab. 5.

Rusticus torrentem transiturus, qui forte imbribus excreverat, quærebat vadum. Et cùm primum eam fluminis partem tentasset, quæ quietior placidiorque videbatur, reperit eam altiorem, quàm animo erat opinatus. Rursus ibi breviorem, tutioremque adinvenit, ubi majore aquarum strepitu fluvius decurrebat. Tum secum, quàm tutius, inquit, clamosis aquis, quàm quietis & silentibus vitam nostram credere possumus.

Hac admonemur fabula, ut minus verbosos & minaces, quam quietos extimescamus. Abstemius.

De Merula miluum extimescente. Fab. 159.

Merula suspiciens miluum magno ambitu aera circinantem, ingentesque ejulatus edentem, vehementer exterrita est. Cui turdus: ne trepida soror, inquit, tantos pugnæ apparatus, totque minas in exiguum murem, aut in pullum gallinaceum tandem effundet. Cavendum nobis est ab accipitre, cujus prius ungues, quam vocem sentire solemus.

Fabula indicat, magis quietos & tacitos homines, quàm minaces & verbosos extimescendos. Abstemius.

❡ Apophthegm. Christianor.

Fredericus I I. Imperator. Quemadmodum quod sine fulmine erumpit tonitru, quamvis aliquem terrorem incutiat, periculo vacat: ita quorundam imbelles Minæ. Sentiebat id Fredericus Rogerius; qui, ut erat totus Martialis & acer, nihil minoris æstimabat, quàm imbelles quorundam comminationes, cumque ad eum horum aut illorum Principum minæ dicteriáve deferrentur; *Minarum*, dicebat, *strepitus, asinorum crepitus. Nicol. Reusn.*

Petrus Aldobrandinus Card. Viro autem forti nihil derogare minantis auctoritatem, suo dicto asserebat iste, erat autem tale: *Vir fortis adamanti persimilis, qui neq; ferro infringi, neq; igne absumi potest.* Ita Leonidas Persæ cuidam minitanti, quòd Lacedæmonij die postero ex telorũ imbre solẽ visuri non essent, In umbra igitur, respondit, cõmodè pugnabimus. *Henr. Farnes. in Apophth. de Princ.*

❡ Monosticha Trochaica.

Adversario minaris? ut caveat sibi, mones.
Comminatio Dei infert sæpius clementiam.
Ense fortis, at ignavus utitur minaciis.
Ingentes ferè vertuntur in ludibrium minæ.
Ore quid minaris hosti? da manu potius malum.
Principis punire non est; pœna principis mina est.
Promptius magni faciant quid quam minentur Cæsares.
Stultus est qui ei minatur cui nocere cogitat.
Vix canis mordere suevit, usquequaque qui latrat.

❡ Jambica.

Minimè timenda natio minantium.
Multi potius tormenta quam minas ferant.
Muti canes mordent, timidi canes latrant.
Nil non minantis mortem extorqueat metus.
Persæpe in ipsos hostes vertuntur minæ.
Potentioris pauper haud suffert minas.
Regum minæ, tantum acuunt, haud etiam nocent.
Verbis reos minisq; sæpe corrigas.

Ministerij & Ministrorum Ecclesiæ.

❡ Apophthegm. Sacr.

Samuel. Comitiis Gilgalem indictis coram populo & Saule rege anteactam suam administrationem censuræ subiicit: qua probata, populum ingrati in Deum animi arguit, & cœlitus edito signo eorum animos percellit: deinde consternatos & resipiscentes erigit & confirmat, atq; ad constantiam in Dei cultu hortatur. Occurrunt autem in præstantissima illa oratione apophthegmata quædam illustria: nempe, Ecce me, testificamini contra me coram Iehova & coram uncto eius, cuius bovem aut asinum acceperim, aut quem fraudaverim, aut quem concusserim, aut è cuius manu acceperim redemptionis pretium, ut abderem oculos meos propter illud. Deinde. Si timueritis Iehovam, & colueritis eum, & auscultaveritis voci eius, neq; occasionem dederitis mutandi præstitutũ Iehovæ, utiq; permanebitis tum vos, tum etiam rex ipse qui regnat super vos, sequentes Iehovam Deum vestrum. Sed si non auscultaveritis voci Iehovæ, quin mutaveritis præstitutum Iehovæ, utiq; erit manus Iehovæ contra vos, ut contra patres vestros. *Et paulò infrà:* Ne recedite à Iehova: nã sequeremini ipsas inanitates, (i. idola.) quæ non prosunt, neque eripiunt, quia sunt inanitas. Non enim deseret Iehova populum suum propter nomen suum maximum: quia placuit Iehovę, vos sibi efficere populum. Quod ad me, absit ut peccẽ Iehovę, ut desinam supplicare pro vobis: imò instituam vos in via optima & rectissima. Verumtamen timete Iehovam & colite eum verè ex toto animo vestro: nam considerate res magnas quas fecit erga vos. Quòd si ultrò malefeceritis: tum vos, tum rex vester, consumemini. *Hæc & alia continentur 12. cap. 1. Samuelis.*

Elias & Elisæus. Elias paulo antequam turbine sublatus esset in cœlum dixit ad Elisæum; *Pete quid faciam tibi cùm nondum assumor à te.* Cui dixit Elisæus, *Sit quæso portio dupla de tuo spiritu penes me.* Cui dixit, *Rem difficilem petisti: si videris me assumi à te, futurum est tibi sic: sin vero minùs, non est futurum.* Elia autem ascẽdente in cœlum, Elisæus videns clamabat, *Pater mi, pater mi, currus Israelis & equites eius:* donec non videret eum ampliùs. *2. Reg. 2. 9.* Elisæus petit donorum spiritualium prærogativã, inter Prophetas, prout ad novã functionem ipsi erat necessaria. Aliàs jubet eum attentè observare signum, si videlicet videret Elię assumptionẽ, impetraturũ à Deo quod petebat. Porrò, etsi Elisæus viderat exemplũ vitæ immortalis propositum in Elia, & hac spe damna sua levabat, tamen orbitatem suam & Ecclesiæ deplorabat, & verè appellat Eliã currum & equitatum Israelis. Nam Elias res majores gessit doctrina & precatione, quàm omnes reges armati curribus & equitatu.

Iosias rex. Constituens Sacerdotes in custodiis suis confirmavit eodem ministerio domus Iehovæ. Edixit verò Levitis præparantibus pro toto Israele res sanctas Iehovæ: Ponite eas coram arca sancta in ista domo quam ædificavit Salomon filius Davidis rex Israelis: non incumbit vobis onus deportandi humero: nũc servite Iehovæ Deo vestro, & populo eius Israeli. Et præparate per familias paternas vestras, secundum distributiones vestras, ex præscripto Davidis regis Israelis, & ex præscripto Salomonis filij eius. Et assistite in Sancto classibus familiarum paternarum, fratribus vestris popularibus: ut est partitio cujusque familiæ paternæ Levitarum. Ita jugulate Pascha: cumque sanctificaveritis vos præparate pro fratribus vestris, facientes secundum verbum Iehovæ per Mosem. *2. Chronic. 35. cap.*

Iesus Christus Domtnus noster. Post resurrectionem suam Dominus Iesus apparuit discipulis suis, qui gavisi sunt viso Domino. Et dixit eis iterum, Pax vobis: Sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos. Et quum hæc dixisset, afflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum. Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt. Et quum tertia vice patefactus esset eis dixit Simoni Petro, Simon fili Ionæ, diligis me plus quàm hi? dicit ei, Certè, Domine, tu nosti quòd amem te. dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei rursum secundò, Simon fili Ionæ, diligis me? Ait illi, Certè Domine, tu nosti quòd amem te. Dicit ei, Pasce oves meas. Dixit ei tertiò, Simon fili Ionæ, amas me? Tristis fuit Petrus, quòd tertiò dixisset ipsi, Amas me? Dixitque ei, Domine tu omnia nosti: tu nosti quòd amem te. Dicit ei Iesus, Pasce oves meas. *Ioan. 20. 21. 22. 23. & 21. 15. 16. 17.* Augustinus de dicto Petri loquens, *Tract. 123. in Ioannem*, dicit, Redditur trinæ negationi trina confessio, ne minùs amori lingua serviat, quàm timori. *Et paulò post:* Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas esse velint, non Christi, se convincuntur amare, non Christum: contra hos ergo vigilat toties inculcata ista vox Christi, Pasce oves meas, &c. *Lib. de Pastortbus.* Multi erant Apostoli, & uni dicitur. Pasce oves meas. In ipso Petro unitatem commendavit, &c. Ipse ergo pascit unus in his, & hi in uno.

Idem. Discipulis suis dicebat, Nisi abundaverit vestra justitia plus quam justitia Scribarum & Pharisæorum, vos nequaquã ingressuri estis in regnum cœlorum. *Matth. 5. 10.* Iustitiæ nomine intellige sinceram tum doctrinam tum vitam, cũ verbo Dei videlicet, quod est justitiæ vera norma, congruentem. Per regnum cælorum intelligit Ecclesiam, q. d. Indigni eritis qui in Ecclesia doceatis. Nec enim de quorumvis piorum officio, sed de solis doctoribus agit, & nomine regni cœlorum, ut alibi sæpe, non triumphantem, sed adhuc militantem, & ministerio pastorum egentem Ecclesiam intelligit.

D. Paulus Apostolus. Non me pudet, inquit, Evangelij Iesu Christi: potentia siquidem est Dei ad salutem cuivis credenti. *Rom. 1. 16.*

Quid dicit Scriptura? prope te verbum est, in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei quod prædicamus. *Rom. 10. 8.*

Sermo ille de cruce iis quidem qui pereunt stultitia est, iis autem qui servantur, id est nobis, potentia Dei est. *1. Cor. 1. 18.*

Oratio mea & prædicatio mea non versata est in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis: sed in demonstratione spirituali & potente: ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei. *1. Corinth. 2. 4. 5.*

Quis est Paulus, quis Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & ut cuiq; Dominus dedit? ego plantavi, Apollos rigavit, sed Deus dedit incrementum, &c. Dei sumus administri: Dei arvum, Dei ædificium estis. *1. Cor. 3. 5. 6. 7. 9.*

Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis lapsus ipsorum: posuitque in nobis sermonem ipsum reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur, & velut Deo vos precante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo. *2. Cor. 5. 19. 20.*

Christus dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores: ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi. donec evadamus omnes in unitate fidei & agnitione Filij Dei, in virum adultum, ad mensuram staturæ pleni Christi, &c. *Ephes. 4. 11. &c.*

Attende animum tibiipsi & doctrinæ, & permane in istis. id enim si feceris, & teipsum servabis & eos qui te audierint. *1. Tim. 4. 16.*

D. Petrus Apostolus. Verbum Domini manet in æternum. Hoc autem est verbum illud quod evangelizatum est vobis. *1. Petr. 1. 25.*

Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei: si quis ministrat, ministret tanquam ex viribus quas suppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen. *1. Petr. 4. 11.*

D. Augustinus. Dicebat, malle se ex collationibus plebis Dei vivere, quàm illarum possessionibus, de quibus victum colligebat, curam vel gubernationem pati, & paratum se esse illis cedere: ut eo modo omnes Dei servi & ministri viverent, quo in veteri testamẽto leguntur altari deservientes de eodem comparticipari. *Possidonius in vita Augustini, cap. 23.*

Chrysostomus. Ne intermittas ea quæ officij tui sunt, in ea quam ab initio cœpisti admiratione adimplere: superstitionis exterminationem dico, templorum ædificationes, animarum curam. Neque te supinum aut socordem rerum difficultas faciat. Neque enim gubernator, ubi mare ipsum concitari & furere videt, à navis clavo & gubernaculis discedit: neque medicus, ubi ægrum morbo corripi cernit, curatione supersedet: sed tum maximè uterque istorum artem suam & promptitudinem adhibet. Non te ad socordiam redigant præsentia mala. non enim de eis quæ nobis inferuntur calamitatibus rationem reddemus, quin potiùs mercedem accipiemus.

Si verò ea quæ in nobis sunt, in Ecclesiam non contulerimus, sed desides fuerimus, nihil nos ea in re adjuvabit aut defendet malorū tumultus: quandoquidem & Paulus carcerem incolens in vinculis officio suo functus est, &c. *Niceph. eccl hist. l. 13. c. 27.*

Acacius: Quum Ariani rumorem sparsissent, Julianum, sanctæ vitæ & doctrinæ monachum, sectæ suæ favere, Acacius & Asteri⁹, Ecclesiæ Dei lumina, ad Julianum in solitudine missi sunt; quem cùm salutassent, Dic mihi, inquit Acacius, ô Pater, quanam de causa totum hunc laborem tam lubenter toleras? Cùm is autem respōdisset, Et corpore, & anima, vitaque, & omnibus quæ ad vitam pertinent, est mihi Dei cultus pretiosior. Conor autem, quoad ejus à me fieri potest, illi à sorde mundum offerre ministerium, & ei perpetue placere. Ostendam tibi, inquit Acacius, rationem, per quam ei plus quàm nunc servies. Idque dicam, non sola utens ratiocinatione, sed ut qui ab ejus doctrina. Cùm enim Petrum aliquando rogasset, an eum amaret plus quàm alij, & didicisset id quod sciebat vel ante Petri vocem. Tu enim, inquit, nosti Domine, quòd amo te. Ostendit ei quidnam agens eum magis coleret. Si enim, inquit, amas me, pasce oves meas, & pasce agnos meos. Hoc quoque tibi, ô pater, est faciendum. Periculum enim est, ne oves à lupis vorentur: eas autem valdè amat, qui à te valdè amatur. Est autem proprium amantium illa facere, quæ cùm fiunt, eis qui amantur grata sunt. Et alioqui non parvum est periculum, multorumque & magnorum illorum sudorum detrimentum, si neglexeris & tacitus præterieris veritatem graviter oppugnari, & eos qui ei adhærent captari: ad eos autem venādos escam esse tui nominis appellationem. Te enim habere socium suæ impietatis gloriantur & jactant præsides Arianæ abominationis. Hoc cùm primùm audijsset Julianus senex, quietem quidem jubens valere ad tempus, neque civitatis strepitū, quòd ei non esset assuetus, refugiens, accurrit Antiochiam. *Theodoret. hist. sanct. patrum.*

Chrysostomus: Non est æquum, inquit, ut sacerdotali honore fruantur hi qui vitam verè sacerdotum non studiose invitantur. *Theodoret. Eccl. hist. l. 5. c. 20.*

Liberius: Dicebat virorum Ecclesiasticorum manus sanctificationi vacare debere. *Theodoret. Eccl. hist. l. 2. c. 16.*

Valentinianus Imperator: Posteaquam Ambrosius Mediolanensium Episcopus creatus est, Valentinianus imperator, qui huic electioni intererat, Gratia, inquit, sit tibi Domine Deus omnipotens & Servator noster, quòd cùm ipse corpora huic viro commisissem (antea enim Ambrosius urbis præfecturam gerebat) tu etiam animas ei commendasti: indeque declarasti meam justam fuisse sententiam. *Theodoret. l. 4. Eccl. hist. c. 6.*

Martyrius: Nectarius, Episcopus Constantinopolitanus, Martyrium, quem ut medicum familiarem, ita commissorum in juventute delictorum conscium habuerat, quum cogitaret diaconum ordinare, Martyrius id adversatus est, indignum se esse ministerio divino asseverans, actæq; sibi antea vitæ testem Nectarium ipsum citans. Cui Nectarius, Nunquid ego, inquit, idem qui nunc Sacerdos sum, vitam meam hactenus multò magis dissolutè traduxi, quā tu tuam: cùm tu vel ipse id testari possis, qui frequenti intemperantiæ meæ opem persæpe tulisti? Tum ille vicissim, Atqui tu, ô beate, recens baptizatus ac purificatus (Nectarius enim non priùs baptizatus est quàm ad episcopatus dignitatem capessendam vocaretur) & mox insuper sacerdotio auctus es. utraq; autem hæc peccatorum expiatoria esse Deus constituit. Ac proinde, ut mihi quidem videris, tu ab infantibus jam recens natis nihil differs: ego verò jam olim sacri baptismatis factus particeps, in usu vitę meę semper antiquum obtinui. Atque ille quidem talia causatus, ordinationem non admisit. *Sosom. eccl. hist. l. 7. cap. 10.*

Moses Eremita: Moses, Saracenus genere, monachus maximæ pietatis, & solitudine eductus Alexandriam, uti illic sacerdotij dignitatem capesseret, deductus, ubi ad Lucium, qui ibi tum Ecclesijs præerat, adventavit, illius repudiavit designationem, sicque illum est allocutus: Ego quidem meipsum sacerdotij dignitate indignum existimo: sed tamen si hæc res videatur ex usu Reipublicæ fore, tu, Luci, manus mihi nequaquam impones. Tua namq; dextera cæde & sanguine redundat. Ac Lucio ad illum vicissim dicenti, non oportere ita contumeliis ipsum afficere, sed discere potiùs ab ipso religionis dogmata, respondet Moses: At jam non dogmatum ratio quæritur, sed facinora tua contra fratres edita, quæ planè convincunt, te vera Christianæ fidei dogmata omnino non habere. Nam Christianus non percutit, non obtrectat cuiquam, nō pugnat: quippe servus Domini pugnare non debet. At tua facta per eos, quos in exilium expuleris, quos bestijs objeceris, quos igni cremandos tradideris, tanquam voce emissa contra te loquuntur, certioraque habent indicia quæ oculis cernuntur, quàm quæ accipiuntur auribus. *Socrat hist. Eccl. l. 4. c. 29.*

Gr. Nazianzenus: Ars quædam artium, inquit, & scientia scientiarum, mihi esse videtur, hominem regere, animal omnium varium & multiplex. *Et paulo ante.* Homini cùm difficile sit scire parere, tum multò difficilius esse videtur, scire hominibus imperare, ac præsertim in hoc nostro imperio, quod in lege divina situm est, & ad Deum ducit: cujus quo majus est fastigium, majorque dignitas, eo etiam majus periculum est, prudenti utique homini & cordato. quippe cui primum illud curandum erit, ut argenti atq; auri instar, omni ex parte versatus, atque in omnibus temporibus & rebus, nusquam adulterinum aut suberratum quiddam tinniat, nihilque deterioris materiæ, flammaque acriori dignæ, seipso gestet. nam alioqui tanto gravius malum fuerit, quanto pluribus imperarit. Si quidem major est ea improbitas, quæ ad multos serpit, quàm ea quæ in uno defixa hæret. *Apologet. sentent. Orat. 1.*

Sulp. Severus: Levitis, inquit, in sacerdotium assumptis nulla portio data est, quo liberius servirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitus præterierim, legendumque ministris Ecclesiarum libenter ingesserim. Etenim præcepti hujus non solùm immemores, sed etiam ignari mihi videntur: tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit: inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntque, quæstui per omnia student. At si qui melioris propositi videntur neque possidentes, neque negotiantes, quod est multò turpius, sedentes munera expectant, atque omne vitę decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præferunt sanctitatem. *Severus Sulp. sacræ hist. li. 1.*

Vide Apophthegmata *de Pastoribus Ecclesiæ.*

Miraculi.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Greg. Nyssenus*: Ne igitur unà cum orationis exilitate miraculum deprimatur & extenuetur, ejusque quam nunc unusquisq; de eo conceptam habet opinionem, per eos qui laudare conati fuerint, aliqua diminutio fiat; commodius fuerit silentio potius in nobis augere miraculum, quam oratione imminuere laudem. *in laudem fratris Basilij.*

D. Chrysostomus: Aut in verbis, aut in factis sunt miracula. *Homilia 32. ad Corinth.*

S. Isidorus Pelusiota: Quòd lapides à Christo in panes minimè conversi sint (vir præstantissime) non idcircò factum est, quòd edēdorum miraculorum tempus nondum adesset, quemadmodum malè feriati homines garriunt: sed quia petitio vana erat, & petitore digna. Deus enim omnia cum pondere, mensura, & necessitate largitur. Ubi autem quod quæritur supervacaneum est, illic quoq; miracula edere prorsus intempestivum est. *lib. 1. Epist. 76.*

S. Isidorus Pelusiota: Si miracula essent res, quæ vulgi sermonibus jactantur, ac per spem in Deum perpetrata fuissent: perpetuò procul dubio ab omni mutatione aliena permansissent. Sin autem spectra duntaxat, quæ præstigijs quibusdam extiterint, ea nec consistant, nec vim ullam habeant. Quicquid enim humano ingenio atque solertia novo modo efficitur, quàm ocyssimè deletur, nisi divina gratia conservetur. *lib. 1. Epist. 397.*

S. Isidorus Pelusiota: Vas electionis (id est electum) mihi est iste, de Paulo inquit Christus, quando Apostoli cum ipsi præconium committebat. Neque enim Ecclesiam, pro quâ pretiosum sanguinem suum effuderat, magistro temerè tradidisset tali, qui virtutem industriamque suam parem & respondentem gratiæ allaturus non esset: Sed neque hoc testimonium ei perhibuisset, si non vidisset paribus velut passibus progredientem ipsius animi promptitudinē cum ipsa rei magnitudine. Ubique enim locorum currere volebat præconium, non solùm sermone, sed & moribus præconium facientium velut quibusdam nervis compactum. Nam miracula quidem etiam suspicionem pravam recipere possunt (quasi scilicet à Dæmone potius quàm à Deo patrentur.) Vita autem recta ipsius etiam Diaboli os obturat. Quare qui nullam vitæ probæ curam suscipere volunt, non est quod existiment, per sola miracula affectum fuisse, ut præconium (Evangelij) obtineret. Cooperabatur enim illis quæ fiebant ac dicebantur, etiam vita præconium illud facientium, nemini ullam reprehendendi ansam præbens. Si igitur hodieque vita doctorum Ecclesiæ Apostolicam illam vivendi rationē æmularetur, fortasse miracula etiam fierent. Sin autem & nulla fierent, sufficere ad illuminandos spectatores vel sola vita. *lib. 4. Epistol. 80.*

Basilius Seleuc. Vani quidem stultique adulterinæ sapientiæ amatores, quique sola lingua sapientiam excolunt, propriæ doctrinæ fallacijs colorata dictione delirant invexerunt insaniam, quæ mille Deos procudit, ac mendacia coloribus, atque fallaci veritatis prætextu vestiētes, persuasos devinxere, abripuere. Christus autem veritatis magister orationi permiscens miracula, fidem genuit rerum divinarum prædatricem. Quem secuti Apostoli verbis prædicantes, factis prædicationem formabant. *Oratione 21. p.*

§ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Philostratus: Miraculorum ostentatione, aut arte violenta, non indiget veritas. Licet enim intueri Apollinem Delphicum, qui medium Græcæ tenens, vaticinij responsis clarus habetur. Ibi igitur, qui ab oraculo aliquid poscit, brevi admodum oratione, quid poscat exponit. Apollo autem nullis portentis præmissis, quæ sibi videntur respondet: quamquam ei facillimum esse totum concutere Parnassum, & mutatis Castaliæ fontib. vinum effundere, Cephisique cursum morari. ille verò nihil horum jactanter faciens, purè veritatem profert. *lib. 6. Apollonij cap. 5.*

§ Apophthegm. Sacrorum.

Eliſæus Propheta: Rex Syriæ literis ad regem Iſraelitarum miſſis petebat ut Nahaman præfectus militiæ Syriacæ à lepra ſanaretur. Quibus lectis, ille lacerans veſtimenta ſua dixit, An Deus ſum, ad morte afficiendum, & ad reſtituendum vitæ, quòd iſte mittit ad me ut reſtituam virum à lepra ſua? Quum id audiviſſet Eliſæus, miſit indictum regi, *Quare laceraſti veſtimenta tua? jam veniat Nahaman ad me, & experietur Prophetam eſſe in Iſraele.* Miſit deinde ad Nahamanem nuncium dicentem, *Abi, & lavato te ſepties in Iordane: ſic reſtituetur caro tua tibi, & mundus eris.* Nahaman mãdatum illud tandem exequens, mundus factus eſt. *2. Reg. cap. 5.*

Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Ut oſtenderet miracula & alia quævis excellentiſſima dona ſine pietate nihil eſſe, ait, Multi dicent mihi die illo, Domine, Domine, nónne per nomen tuum prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus? Tunc autem profitebor eis, Certè nunquam novi vos, diſcedite à me qui operam datis tranſgreſſioni legis. *Matth. 7. 22.*

Phariſæis petentibus ſignum, dixit, Generatio mala & adultera ſignum quærit. *Matth. 12. 39.*

Excitabuntur pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna & prodigia: ita ut ſeducant (ſi fieri poſſit) etiam electos. Ecce prædixi vobis. *Matth. 24. 24. 25.*

Dicebat diſcipulis ſuis, De eo ne gaudete quòd ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete verò potiùs quòd nomina veſtra ſcripta ſint in cœlis. *Luc. 10. 20.*

Regio cuidam dicebat, Niſi ſigna & miracula videritis, non credetis. *Ioan. 4. 48.*

D. Ioannes Apoſtolus: Multa alia ſigna edidit Jeſus in diſcipulorũ ſuorum conſpectu quæ non ſunt ſcripta in hoc libro. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum & Filium illum Dei, & credentes vitam habeatis per nomen ejus. *Ioann. 20. 30. 31.*

Iudæi: Videntes divina Chriſti miracula dicebant, Bene omnia fecit: Surdos fecit audire, & mutos loqui. *Marc. 7. verſic. 37.*

Quum vidiſſent aliud miraculum ab eo editum in locò deſerto, Hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum. *Ioan. 6. 14.*

D. Cyprianus: De miraculis adverſus eos omnes qui pacem Eccleſiæ turbant, id eſt qui in Evangelii doctrina & Orthodoxæ fidei veritate non permanent, diſſerens, ait, Ad præmia Chriſti non poterit pervenire qui dilectionem Chriſti perfida diſſenſione violavit. Qui charitatem non habet, Deum non habet. Cum Deo manere Schiſmatici & Sectarii non poſſunt, quia eſſe in Eccleſia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet, flammis ignibus traditi, vel objecti beſtiis animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari nõ poteſt. Sic ſe Chriſtianum eſſe profitetur, quomodo & Chriſtum Diabolus ſæpe mentitur, ipſo Domino præmonente & dicente, Multi venient in nomine meo dicentes, Ego ſum Chriſtus, & multos fallent. Sicut ille Chriſtus non eſt, quamvis fallat in nomine illius, ita nec Chriſtianus videri poteſt, qui non permanet in Evangelii ejus & fidei veritate. *Nam & prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, ſublimis utique & admirabilis res eſt: non tamen regnum cæleſte conſequitur, quiſquis in his omnibus invenitur, niſi recti & juſti itineris obſervatione gradiatur.* Dominus denuntiat & dicit, Multi mihi dicent in illa die, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? & in tuo nomine dæmonia excluſimus? & in nomine tuo virtutes magnas fecimus? & tunc dicam illis, Nunquam vos cognovi, recedite à me qui operamini iniquitatem. *lib. de unitate Eccleſiæ.*

D. Auguſtinus: Cur, inquietis (ait) miracula modò non fiunt? quia non moverent niſi mira eſſent: ſi autem ſolita eſſent, mira nõ eſſent. Hoc dixit, quia non tanta nec omnia modò, non quia nulla fiunt etiam modo. *Retract. libr. 1. cap. 16. De utilitate credendi ad Honorat. c. 16.*

In ipſa religione Deus tentatur, cùm ſigna & prodigia flagitantur, non ad aliquam ſalutem, ſed ad ſolam experientiam deſiderata. *Confeſſ. lib. 10. cap. 35.*

Chriſtus dixit regulo cujus filius infirmabatur, Niſi ſigna & prodigia videritis non creditis: uſque adeo ſuper omnia mirabilia volens mentem credentis attollere, ut nec ipſa miracula, quę quamvis divinitus de mutabilitate corporum fiunt, à fidelibus quæri velit. *De conſenſu Evangeliſtarum, c. 10.*

Signa & virtutes idcirco ab Apoſtolis facta ſunt, ut infidelitas cogeretur ad fidem, ut vidẽtes facta quæ hominib. impoſſibilia ſunt, Dei ex hoc eſſe prædicationem agnoſcerent, & rationem eſſe in fide, virtute probarent, ut quoniam verbis ſemper contrahitur, teſtis virtus poſita eſſet, cui cùm verba cedunt, rationem eſſe in fide ſignificat, quæ verbis exprimi non poteſt. Inter fideles igitur ſigna & prodigia non ſunt neceſſaria, ſed ſpes firma. *Lib. quæſtionum ex novo Teſtamento. c. 63.*

Dominus monuit ne factis atque miraculis decipiamur, arbitrãtes Dei eſſe inviſibilem ſapientiam, ubi miraculum viſibile viderimus. Ait ergo, Multi mihi dicent in die illa, Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus? &c. At non cognoſcet niſi eum qui operatur æquitatem. Nam & ipſos diſcipulos ſuos prohibuit gaudere ex talibus, id eſt, quòd dæmonia illis ſubjecta eſſent: ſed gaudete, inquit, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Sed fortaſſe quis dicat, nõ poſſe iniquos viſibilia illa miracula facere, & mentiri potiùs illos credat, qui dicturi ſunt, In nomine tuo prophetavimus, & dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus. Legat ergo quanta fecerint magi Ægyptiorum: legat quæ Dominus dicit Matth. 24. Surgent pſeudoChriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem etiam ducantur electi, ecce prædixi vobis. *Lib. 2. de Serm. Domini in monte. c. 40.*

Quæcunque miracula, ſive per angelos, ſive quocunque modo ita divinitus fiunt, ut Dei unius in quo ſolo beata vita eſt, cultum religionemque commendent, ea verò ab eis, vel per eos, qui nos ſecundum veritatem pietatemque diligunt, fieri ipſo Deo in illis operante credendum eſt. *Item:* Quamvis miracula viſibilium naturarum videndi aſſiduitate valuerint, tamen quum ea ſapienter intuemur, inuſitatiſſimis rariſſimiſq; majora ſunt. Nã & omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum eſt homo. *lib. 10. de civit. Dei, c. 12.*

Cur inquiunt nunc illa miracula quæ prædicatis facta eſſe, non fiunt? Poſſem quidem dicere neceſſaria fuiſſe priùs quàm crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quiſquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit. *Lib. 22. de civit. Dei. c. 8.*

Chriſtus miracula facere ſine Petro poterat, Petrus niſi in Chriſto non poterat: Quia ſine me, inquit, nihil poteſtis facere. Aliquis objicit, Non es juſtus, quia non facis miraculum. Poſſis & auri dicere, Non es in corpore, quia non vides. At faceres, inquit, & tu ſicut & Petrus fecit. Sed ipſe Petrus & mihi fecit, quia in eo corpore ſum, in quo Petrus fecit. In illo quod poteſt poſſum, à quo diviſus non ſum. Quod minùs poſſum, compatitur mihi: & quod plus poteſt, congaudeo illi. *Item:* Et qui facit miracula, & qui non fecit miracula in corpore Chriſti, non debet gaudere niſi de facie Dei. *Item:* Non omnes Chriſtiani boni dæmones ejiciunt, omnium tamen nomina ſcripta ſunt in cælo: Chriſtus noluit Apoſtolos gaudere ex eo quod proprium habebant, potentia videlicet miraculorum, ſed ex eo quod cum cæteris ſalutem tenebant. Inde voluit gaudere Apoſtolos, unde gaudes & tu. *In Pſal. 130.*

Si ſciam, inquit Paulus, omnia ſacramenta, & habeam omnem prophetiam & omnem fidem: & quantam fidem? ita ut montes trãſferam, & charitatem autem nõ habeam, nihil ſum. Nemo ergo vobis fabulas vendat: & Pontius fecit miraculum, & Donatus orauit, & reſpondit ei Deus de cælo. Primò aut falluntur, aut fallunt. Deinde, fac illum montes transferre, charitatem autem nõ habet, nihil eſt. Videamus utrum habuerit charitatem. Crederem, ſi non diviſiſſet unitatem. nam & contra iſtos, ut ſic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicẽs, In noviſſimis temporib. exurgent pſeudoprophetæ, facientes ſigna & portenta, ut in errorem inducant, ſi fieri poteſt, etiam electos: ecce prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit ſponſus, quia & miraculis decipi non debemus. Teneamus ergo unitatem, fratres mei: præter unitatem, & qui facit miracula, nihil eſt. *Item:* Petrus dæmonia excluſit: neſcio quis homo qualiſcunque laicus habens charitatem, tenens integritatem fidei, non facit hoc. Petrus in corpore oculus eſt, ille in corpore digitus: in eo tamen corpore eſt in quo & Petrus: & ſi minùs valet digitus quàm oculus, non eſt tamen præciſus à corpore. Melius eſt eſſe digitum, & eſſe in corpore, quàm eſſe oculum, & evelli de corpore. *Tract. 13. in Ioannem.*

Omnia miracula quæ Chriſtus corporaliter fecit valent ad admonitionem noſtram, ut percipiamus ab eo ꝙ non eſt tranſiturũ, neq; finem habiturum. Quæcunq; ad ſalutem corporum fecit, non ad hoc fecit, ut ſempiterna eſſent, cùm tamen daturus ſit etiam ipſi corpori in fine ſempiternam ſalutem. Sed quia illa quę non videbãtur, non credebãtur, per iſta temporalia quæ videbantur ædificavit fidem ad illa quæ non videbantur. Nemo itaq; dicat, non facere iſta modò Dominum noſtrum Jeſum Chriſtũ, & propter hoc præſentibus Eccleſiæ temporibus priora præponere. Quodam quippe loco ipſe Dominus videntib. & ideo credentib. præponit eos qui nõ vident & credunt. *De verbis Dom. in Evang. ſec. Matth. Ser. 18.*

Nemo dubitet qui Chriſtianus eſt, etiam nũc mortuos ſuſcitari. Sed omnis homo habet oculos, quib. videre poteſt mortuos reſurgere, ut reſurrexit filius viduæ. Unde autem videãt homines reſurgere mortuos in corde, non omnes habent, niſi qui jam reſurrexerunt in corde. Ampliùs eſt reſuſcitare ſemper victurum, quàm ſuſcitare iterũ moriturum. De juvene reſuſcitato gauiſa eſt mater vidua: de hominib. in Spiritu quotidie ſuſcitatis, gaudet mater Eccleſia. *De verbis Dom. in Evang. ſec. Ioan. Ser. 44.*

Mirati ſunt homines Dominum Deum noſtrum Jeſum Chriſtũ de quinque panibus ſaginaſſe tot millia, & non mirantur per pauca grana impleri ſegetibus terras. Quæ aqua erat vinum factum viderunt homines & obſtupuerunt: quid aliud fit de pluvia per radicem vitis? Ipſe illa fecit, ipſe iſta: illa ut paſcaris, iſta ut mireris. Sed utraque miranda ſunt, quia opera Dei ſunt. Videt homo inſolita, & miratur: nec miratur quod ipſe mirator ſit magnum miraculum. *Libro 50 homiliarum, homilia 32.*

Fulgentius Epiſcopus: Mirabilia, ajebat, non conferunt homini

juſtitiam,

justitiam, sed hominum notitiam. Quisquis autem hominibus fuerit notus, nisi fuerit justus, ad æterna perveniet supplicia cõdemnatus. Ille verò qui misericordiæ cælestis opera justificatus, in conspectu solius Dei vixerit justus, etiam si parum sit hominibus notus, beata sanctorum gaudia percipiet coronatus. *Autor Vitæ Fulgentij episcopi, cap. 36.* Paulò ante dicit autor: ille Fulgentius nihil propriis tribuens monitis, eorum potius fidei pro quibus exaudiebatur, omnia deputabat, neque sibi, sed illis hoc esse concessum dicebat.

Chrysostomus: In scripturis vides, inquit, Solem retrocedentem, & Lunam rursus cum eo stantem, & multa alia miracula. Quando enim Dei cognitio nondum extensa fuerat, hæc fiebant: nunc autem non est amplius opus hac doctrina, cùm res ipsæ clament, & ostendant Dominum. *in Psalm. 142.*

Vide ejusdem *homiliam 25. in 7. caput Matthæi.*

Si Apostoli & Apostolici viri veluti nos genio indulsissent, & à morte innumeros homines suscitassent, non solùm nihil utile fecissent, verum etiam seductorum atque impostorum nomen non effugissent. Vivendi disciplina est quæ ubique fulget, quæ spiritus etiam gratiam attrahit. *Homil. 47. in cap. 13. Matthæi.*

In miraculis sæpe sub veritatis umbra decipi possumus: certa autem prædictio futurorum immortalis Dei duntaxat opus est. quòd si quando dæmones aliquid prædixerunt, stultum & incautum vulgus deceperunt: eorum namque vaticinio passim falsa deprehenduntur. *Homil. 18. ex 1. cap. Ioannis.*

Christus in novissimo die remuneraturum se promittit, non eos qui signa & prodigia, sed eos qui sua præcepta fecerint. Vita bona & actus probi etiam sine signis & mirabilibus obtinent coronam: iniqua autem conversatio, etiamsi signa & prodigia fecerit, non evadet: ideo superfluè signa quæruntur, imò & periculosè. *De coniunctione cordis, lib. 2.*

D. Bernardus: Miraculorum quæ fecit non se authorem, sed ministrum tantùm esse credidit, solique Deo quicquid fecit adscripsit, imò se nihil boni aut velle aut posse, nisi inspirante & operante Deo, & sensit & dixit: miracula non ad sui commendationem, sed potiùs aliorum commonitionem fieri asserens. Aliquando ad suos domesticos oratione conversa dixit, Plurimum miror quidnam sibi hæc miracula velint, aut qui Deo visum sit talia actitare per talem. Nihil mihi videor in sacris paginis legisse super hoc genere signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa super sanctos homines & perfectos, facta sunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum nec fictionis. Scio enim sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur: confido autem, nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorantur. Tale fuit D. Bernardi de suis miraculis judicium, ut testatur *auctor Vitæ ipsius, libro 3. capit. 6.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Iesus Christus: Si invisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciantur, multo ampliùs ea ipsa elucere dicenda erunt, in ijs quæ illustriora & magis admiranda. Ita cùm de Nathanaële dixisset Christus, eum verum Israëlitam; deinde quòd sub ficu eum vidisset dum à Philippo vocaretur; & diceret Nathanaël, Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Israel: respõdit; *Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: maius videbis.* scilicet, ut magis & firmiùs credas, Sunt enim miracula signa non fidelium, sed infidelium. *Ioan. c. 1.*

Idem: At non semper oportunum tempus edendi miracula. Dicebat enim Jesus, deficiente in Cana Galilææ vino, ac monente matre, Vinum non habent: *Quid mihi, tibi & est mulier? nondum venit hora mea.* Quasi dicat, Tempus miracula operandi, & per ea meipsum mundo manifestandi nondum adest. Aderat autem, cùm jam omnibus de vini inopia constaret. ut advertit. *Iansen. in Concord. c. 18. Ioan. c. 2.*

Idem: Neque solùm admiranda Christi opera eum ab insania dæmonioque, quod habere eum objiciebant, vindicarunt; sed & verum Messiam à sæculis promissum fuisse testata sunt. Cum enim Hierosolymis ambularet in porticu Salomonis, eumque circumdedissent Judæi, requirentes, Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm. respondit: *Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Ioan. c. 10.*

Iudæi Evangelici. Vera autem miracula veram etiam divinitatẽ arguere, palàm testati Judæorum quidam præ ceteris benigniores. Postquam enim cæcum à nativitate sanasset Jesus, seque bonum Pastorem dixisset, ortum inter Judæos dissidium. quorum alij dicebant, Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis? alij verò sanioris mentis: *Hæc verba non sunt dæmonium habentis. numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? Ioan. c. 10.*

Anonymus: *Vide* Christi potentia, & nomen.

¶ Monosticha Trochaica.

Gignitur raro, usitatum quidquid excedit modum.
Mucius quem manu armata non quit exusta fugat.
Nec nimis miraculo habenda, detrahenda nec fides.
Strenui hostem non debellant dextera, at miraculo.
Triduum durare ficta vix queunt miracula.
Vera si sunt, falsa certe plura sunt miracula.
Voce adæque ut actione perpetres miracula.

¶ Jambica.

Cuius ratio minime est palam, id miraculum est.
Etiam tyrannos permovet miraculum.
Miraculum est cuius ratio reddi nequit.
Miraculo plerisque res sunt frivolæ.
Nunquam insolescunt qui patrant miracula.
Præstare quod nequimus, hoc miraculum.

Miseriæ.

SENTENTIÆ GRÆCORUM.

D. Greg. Nyssenus: Miseria in eo vel maximè consistit, quod beatitudinem quis consequi non possit. *Oratione contra fatum.*

Arrianus: Nos esse miseros alijs alij de causis opinamur, alius quod ægrotet, nequaquam, sed quod anticipationes non accommodat: alius quod sit mendicus, alius quod patrem durum aut matrem, alius quod Cæsarem sibi male propitium habeat. Sed horum omnium unica & sola causa est, anticipationes nescire accommodare. Quis enim notionem mali non habet? Id esse noxium, esse fugiendum, modis omnibus propulsandum esse. Notio notioni non repugnat. Sed cum ad accommodationem ventum est: quid ergo est malum istud, noxium & fugiendum? Respondet, Non esse Cæsaris amicum. Abit, accommodatione excidit, angitur, quærit ea quæ ad institutum nihil attinent: quia Cæsaris amicitiam adeptus, nihilo minus ejus quod quærebatur expers est. Quid enim est, quod quivis homo quærit? Facile agitare, prospera fortuna uti, arbitratu suo facere omnia, non prohiberi, non cogi. Igitur Cæsaris amicus factus, an prohiberi desiit? Desiit cogi? facile agitat? rebus secundis utitur? Quem percontemur? Quem vero habemus fide digniorem eo ipso, qui Cæsaris amicus factus est? Prodi in medium: nobis dic, quando tranquillius dormivisti? nunc, an priusquam Cæsaris amicitiam nactus esses? statim audis: Desine, quæso per deos, insultare animo meo: haud nosti qualia perpetiar miser. Ne somnus quidẽ mihi obrepit. Sed alius dicit, eũ jã vigilare; jã prodire: mox tumultus, mox curæ. Age quãdo suavius pransus es, nunc an prius? Audi illum, de his etiam quid dicat: si non vocetur, angi sese: sin vocetur, cænare ut servum apud dominum: interim solicitum, ne quid stulte dicat aut faciat. Quid vero tibi videtur? Timet scilicet, ne vapulet ut servus? Unde ei tam bene esset? Imo ut decet tantum virum, Cæsaris amicum, ne caput amittat. Quando autem suavius lavisti? Quando majore otio te exercuisti? Denique utram vivere vitam malles? hanc an illam? Jurare ausim, neminem adeo vel stupidum, vel à veritate alienum esse, quin magis fortunas suas miseretur, quo amicior Cæsari fuerit. Cum ergo hi qui reges dicuntur, non ita vivant ut volunt: quinam restant qui sint liberi? *cap. 26. l. 3. Epicteti.*

Libanius: Adeo infelices sumus, ut nostra infortunia omnibus nota sint. adversitatum insignium etiam casus affectusq; omnibus promulgantur. *Oratione Orestis.*

¶ Poetarum.

Plautus Captivis. 3. sc. 4. v. 49.

Quia tute ipse eges in patria, nec tibi qui vivas domi est,
Omnes invenire similes tibi vis. non mirum facis.
Est miserorum, ut malevolentes sint, atque invideant bonis.

Plautus Curcul. 2. sc. 1. v. 25.

Facile est miserum irridere.

Seneca Troade.

Nullus est miser nisi comparatus.

P. Syrus Mimus.

Miser dici bonus vir, esse non potest.
Miseri est nescire sine periculo vivere.
Miserum te judico, quod nunquam fueris miser.
Miserrimum est arbitrio alterius vivere.
Miseriam nescire, sine periculo est vivere.
Miserrima est fortuna quæ inimico caret.
Miserrima est fortuna quæ inimicos latet.
Heu, quã miserũ est discere servire, ubi dominari doctus es!
Heu quam miserum est ab eo lædi, de quo non ausis queri!

¶ Fabula.

Æsopi Fabula Leporum.

De morte sua suffragia tulerant lepores, mori quidem placuit, sed ubinam, reliquum erat inquirere. mortem igitur & locum jam designaverant. Quare ad mortem idoneo loco palude constituta, cucurrerunt omnes quasi ibidem morituri. Advenientum vero strepitum cùm ferre non possent, quæ in ripa sedebant ranæ, abditos in palude sinus petiere: quod cùm lenior aliquis videret lepus. Nulla, inquit, sunto mortis nostræ suffragia: timidiores enim, quam nos simus, invenimus.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Acquiescunt miseri certis: dubia plus torquent mala.
Ad malum, misero mala res plurima se adglutinant.
Ah miser, mortem quid optas? prima mors miseros fugit.
Auribus sunt delicatis sors quibus non prospera est.
Dant animum miseriæ ultimæ adloquendum liberè.
Est crudelis sorti miseræ quisquis haud suadet mori.
Est miser profectò sponte qui pravum omne amplectitur.
Est miserorum, ut malevolentes sint atque invideant bonis.
Gratiosus fit miseriâ, invisus ante injuria.
Hoc vitium est miserorum, nunquam rebus lætis credere.
In vado est, exire cujus non queunt ultra mala.
Is demum miser est, cujus nobilitas miserias nobilitat.
Is miser demum est, ærumnam qui suam tegere haud potest.
Miser homo est, qui ipse sibi quod edat quærit, & ægrè invenit.
Ne scelestum omnem putato qui miserè heic affligitur.
Nemo ita est beatus, esse quin queat dein miser.
Non potest fieri ut miser sit, qui virtute est præditus.
Non pusillum homini est levamen nosse quo pereat malo.
Non sat est miser, pudoris cura cui ac modestiæ.
O miserrimos quibus nec fas mori, nec vivere!
Optima in malis supremis res est, pœnæ terminus.
Optime miseria fertur cuilibet quæ absconditur.
Pectore in miserrimorum mortis solus est amor.
Plurimum sapere atque posse nil, miserrimum est.
Pœna nulla major, quàm esse, nec videri exercitum.
Quam mage in statu insalubri tam mage est tutus miser.
Quam miser est cui ex miseriâ quæritur invidia sua!
Qui miser queratur de quo nescit est miserrimus.
Quod videt dubitat videre misera mens: incredula est.
Sciebam ut esse me deceret, facere non quibam miser.
Sæpe fortunam misellus mutat, ast mores manent.
Sortis ictus ad recentes non movet se diu miser.
Tam nihil miserabile usquam est, quàm ex beato vir miser.
Ter misero, gradus futuri est finis alterius mali.
Torqueri malis alienis miseria est intermina.
Vindicatur quisque eo modo optimè, ipse quo est miser.

§ JAMBICA.

Apertus est fælix, opertus est miser.
Apud miseros dolore nil potentius.
Etiam voluptas miserorum aliqua est in malis.
Ferè adsita est miseriæ maledicentia.
Ferre optimè miseriam aves? abscondito.
Fortuna miserum neminem facere potest.
Fortunæ quidquid præcipit miseris, decet.
Leve est miserias ferre: perferre est grave.
Libens juvat miseros malo ante exercitus.
Malim omnibus miser videri quam improbus.
Malitia vitam sola miseram conficit.
Mens incorrupta miseriâ corrumpitur.
Miserabiles semper discerne ab improbis.
Miser esse mavult, esse qui potest felix:
Miser potest dici, esse non potest bonus.
Miseri futura præferunt præsentibus.
Miseri omnia ad contumeliam accipiunt magis.
Misero datur quodcumque Fortuna datur.
Misero, modum tenere verborum, grave est.
Miseros magis fortuna conciliat suis.
Miserrimum est inimicorum arbitrio mori.
Nemo est miser, nisi comparatus alteri.
Nemo miser, nemo felix extra Deum est.
Nemo miser, placatus est cui Deus.
Nemo miser tantummodò est præsentibus.
Nemo nisi culpâ mortalis miser sua.
Nihil juvat miseriæ alienæ accessio.
Non est miser, quicumq; non merito est miser.
Non qui dolet sed subvenit misero est pius.
Novissimum malum tolerabile maximè.
Nulla est miseria tanta, humanus quin ferat.
Nullum malum magnum est, quod est & ultimum.
O quàm difficile est, vel miserrimis, mori!
Opinione nemo quàm suâ est miser.
Opus innocentiâ est, ut miserum faciat dolor.
Passus mali es nil, si boni illud consulas.
Præstat semel mori, habere semper quàm male.
Quemcumq; fortem videris, miserum neges.
Quemcumq; miserum videris, hominem scias.
Quid miserius est in vitâ, velle quàm mori?
Quis sponte quæso factus est miser sua?
Sapiens miser, miser mage est quàm rusticus.
Sensu perempto haud esse quis potest miser.
Tam quisq;, sese quam esse credit est miser.
Tanti malum quodq; est, quanti taxavimus.
Tutissima est fortuna quæ miserrima est.
Verè est miser, suo hosti quisquis est miser.
Vixisse misero satius est quàm vivere.

Infinita huc pertinentia extant titulo, *Adversitatis, Calamitatis, Infortunij, Afflictionis, Tribulationis, &c.*

Misericordiæ.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

CLEMENS ALEXANDRINUS: Misericordia autem non est, ut quidam existimarunt philosophi, molestia propter alienas calamitates, sed est potius bonum quid, ut dicunt prophetæ. Misericordiam, inquit, volo, & non sacrificium. Misericordes autem esse vult, non solum qui faciunt misericordiam, sed etiam qui misereri volunt, etsi non possint, quibus adest ut sponte & libera voluntate operentur. Nonnunquam enim volumus, vel dando pecuniam, vel corpoream adhibendo operam, facere misericordiam, utpote egenti opem ferre, vel ægrotanti inservire, vel ei adesse qui est in aliqua calamitate, nec possumus vel propter paupertatem, vel morbum, vel senectutem (nam ea quoque morbus est naturalis) exequi institutum: cùm ea quæ cupimus, & ad quæ interno animi motu ferimur, non possimus efficere. Eundem autem honorem consequentur ij qui voluerunt, cum ijs qui potuerunt, quorum est voluntas æqualis, etsi alii superent facultatibus. *libro Stromatum quarto.*

D. Nazianzenus: Non res humanas cum animis nostris considerabimus? Non in aliorum malis rebus nostris consulemus? Natura quippe nihil est in rebus humanis firmum & æquabile ac diuturnum, atque eodem statu constanter, verum rerum nostrarum velut orbis quidam volvitur, aliâs alio tempore, sæpe etiam uno eodemque die, atque etiam interdum eadem hora, mutationes ferens: adeò ut instabilibus ventis, ac navis per mare iter facientis vestigiis, & fallacibus noctis insomniis, brevem voluptatem afferentibus, iisque figuris, quas pueri per ludum in arena fingunt, fides potius haberi possit, quam hominum prosperitati. Quo sapientiores habendi sunt, qui quoniam præsentibus minimè fidunt, futura sibi coacervant, atque ob humanæ prosperitatis incertitudinem & inconstantiam benignitatis nunquam collapsuræ studium amplexantur: ut ex tribus his commodis unum saltem omnino adipiscantur, nimirum ut vel nunquam in mala incidant (quandoquidem secundis quoque hujus vitæ rebus Deus homines pietate præditos sæpe complectitur, ut benignitate sua eos ad sublevandas aliorum miserias invitet) vel fiduciam in seipsis apud Deum habeant, ut qui non propter scelus ac flagitium, sed propter dispensationem quandam in calamitate versentur: vel denique humanitatem eam & beneficentiam, quam, dum secundis rebus uterentur, egentibus priùs contulerunt, ab iis, quibus res prosperè fluunt, suo quodam jure reposcant. Ne glorietur, inquit ille, sapiens in sapientia sua, nec dives in opibus suis, nec fortis in viribus suis; ne si ad summum [illegible] viderentur, partim sapientiæ, partim divitiarum, partim potentiæ pervenerint. Ego verò ea, quæ his consentanea sunt, adjiciam, nec clarus & celebris in gloria nominisque splendore, nec qui incolumi valetudine est, in sanitate, nec pulcher in formæ præstantia, nec juvenis in juvenili ætate, nec, ut rem uno verbo complectar, in ulla alia re ex iis quæ apud mortales laudi ducuntur, is, qui ea intumescit: verùm qui gloriatur, hac una in re glorietur, quòd Deum cognoscat ac requirat, & calamitosorum vicem doleat, atque ad futuram vitam boni quidpiam sibi recondat. Cætera enim omnia fluxa & fragilia sunt, ac velut in calculorum ludo aliàs ad alios jactantur & transferuntur, nec quicquam est ita possidentis proprium, quod non vel temporis tractu finem capiat, vel livore ad alios traducatur: hæc verò certa & fixa sunt, nec unquam recedunt ac dilabuntur, nec spes eorum, qui fiduciam in his collocarunt, frustrantur. Ac mihi hæc quoque causa esse videtur, cur nullum hujusce vitæ bonum hominibus certum sit ac diuturnum, atque hoc, ut si quid aliud, rectè ab artifice Verbo & Sapientia illa mentem omnem superante factum esse, ut nos in iis, quæ in aspectum cadunt, atque aliâs aliter mutantur, & mutant, ac sursum deorsumque feruntur & invertuntur, ac priusquam manu teneantur, fuga se proripiunt, eludamur, nimirum ut perspecta eorum instabilitate ac varietate ad futuræ vitæ portum contendamus. *Oratione 16.*

D. Nazianzenus: Fit ferè ut qui opibus ac potentia præcellit, ad infirmi afflictiq; miseriam sublevandam maximè inflectatur, ac spontaneo benevolentiæ affectu, ad eum qui dignitate imminutus est, se adjungat. *Orat. 23. in laudem Heronis.*

D. Nazianzenus: Miseratio pudori conjuncta amorem procreat. *Oratione 27.*

D. Greg. Nyssenus: Ex contrario, videlicet humanitate, misericordia intelligitur. ut igitur ferus, sævus & immitis appropinquantibus inaccessus est: ita misericors, & incommodis proximi cōdolescit, & affectione quasi contemperatur cum eo, qui vel aliqua re opus habet, ad id sese dolenti atque sollicito accommodans; quod mens anxia molestiisque circumventa requirit. Ergo misericordia est, voluntaria tristitia, quæ conflatur ob incommoda aliena. misericordia est erga eos qui ob res aliquas tristes ac molestas sese discruciant, cum dilectione conjuncta affectio. Ut enim inhumanitas ac feritas, ab odio

dio oriuntur:ſic enaſcitur ex dilectione miſericordia. *Orat.5.de beatitudinibus.*

D. Greg.Nyſſenus: Miſericordia eſt intentio & vehementia diligendæ affectionis,cum effectu triſtitiæ commixta.Nam participationem quidem bonorum omnes ſimiliter appetunt & amici & inimici : at ut incommodorum & rerum triſtium atque acerbarum participes eſſe velint,eorum duntaxat proprium eſt, qui dilectione tenentur.dilectionis enim intentio atq; incrementum miſericordia eſt. *orat.5.de beatitudinib.*

D.Greg.Nyſſenus: Nemo in ſolis materiis illam virtutem ſpectet: ſic enim non cujuſque hominis eſſet hujuſmodi rei ſucceſſus, præterquam ejus qui opes aliquas haberet ad benefaciendum : quin imò mihi æquius & verius videtur, hujuſmodi virtutem ex ſtudio ac voluntate æſtimare. nam qui bonum voluntate duntaxat in animo ſibi propoſuit, ac deſtinavit : ſed inopia, quo minus id quod honeſtum eſt ſequatur , prohibitus eſt,animi deſtinatione nihilo inferior eſt eo,qui per opera voluntatem ſuam oſtendit. *Orat.5.de beatitudinibus.*

Greg.Nyſſenus: Miſericordia benevolentiæ mater eſt,dilectionis pignus,vinculum omnis amicę affectionis.hac vera cautione ac ſecuritate,quid in vita firmius ac tutius excogitari poſſit. *Orat.5.de beatitudinib.*

Greg. Nyſſenus : Si omnibus ejuſmodi animi affectus eſſet erga inferiores , non amplius in diverſa nomina vita diduceretur: non moleſta homini paupertas erit,non ſervitus deprimet , non ignominia anget:omnia enim omnibus fuerint communia:ęquilibritas & æquabilis tributio juris,tum in faciendo , tum in dicendo in vita hominum exerceatur:cùm is,cui quid ſuperfuerit,cum eo qui defuerit,ſponte ſua ſe exæquet. Quod ſi accideret, nulla amplius inimicitiarum materia relinqueretur:ceſſaret invidia, mortuum odium,extorris injuriarum tenax memoria:mendacium,fraus,bellum (quæ omnia ſoboles atq; propago plus habendi cupiditatis ſunt) ſublata eſſent. Illâ autem incompatibili condolentiæque experte affectione exterminata:unà planè ejicientur, velut cum prava quadam radice,etiam vitioſitatis germina.in locum autem exemplorũ ſuccedet bonorum caterva,pax & juſtitia,omniſque eorum,quæin meliorem partem intelliguntur,comitatus atq; ſequela. Quid igitur magis beatum fuerit judicãdum,quàm ſi ita vivatur, ut nõ amplius vectibus ac lapidibus vitæ noſtræ ſecuritas credatur, ſed mutuis officijs muniti ſimus? Sicut enim immitis & efferatus infenſos & inimicos effecit eos,qui feritatem & ſævitiam ejus experti ſunt: ita ex contrario miſerẽti omnes benevoli efficimur, miſericordia participantib. dilectionẽ naturaliter ingenerãte. *Ora.5.de beatitud.*

D.Greg.Nyſſenus: Nemo eſt qui ſapiat, quin putet id quod in alterius calamitatibus benigne confertur,reconditum tanquam præmium egregium.humana ſanè omnia moderatur una eademque natura:& ſibi perpetuò proſperas res fore,nemini certum eſt. quare expedit meminiſſe illud præceptum, quæ volumus faciant nobis homines,eadem faciamus. Quandiu ergo feliciter navigas,naufrago manũ porrigito:commune eſt mare, tẽpeſtas cõmunis,communis fluctuũ perturbatio,ſaxa ſub undis latentia,ſyrtes,ſcopuli,& omnia denique hujus vitæ navigationis incõmoda parem cunctis navigantibus metum injiciunt. Dum integer es, dum vitæ pelagus tutò tranſiſ,ne inhumanè prætereas eum, qui priꝰ navẽ illiſit. Quis tibi ſpõſor,ut felicẽ navigationem perpetuò ſis habiturus? Nondũ in portum quietis appuliſti. nondum extra fluctuum periculum es conſtitutus.adhuc in vitæ pelago jactaris obnoxius tẽpeſtati. Qualem erga naufragum te pręſtiteris,tales erga te eos qui ſimul navigant experieris. Omnes igitur in quietis portum ſecundo ſancti Spiritus afflatu tendamus per gubernaculum Charitatis. *orationis 2. de amandis pauperibus ipſo fine.*

Chryſoſtomus: Utrumque oportet miſerturo adeſſe,& ꝙ abundè, & ꝙ cũ voluptate det. Quanam gratia cùm eleemoſynam das , ploras? Quid doles,omnem boni operis fructum prodẽs ? Si namq; doles,nõ miſereris utiq;,ſed crudelis es & inhumanꝰ. Quomodo enim eũ q in triſtitia eſt refocillabis, ſi tu doles? Satis. n. fuerit ſi ille mali nihil ſuſpicetur,etiam ſi cum gaudio dederis. Nam quoniam nihil adeò videtur hominib. turpe, atque ab alijs accipere,niſi excellenti hilaritate ſuſpicionẽ illam ſuſtuleris, oſtẽderiſq; ꝙ magis accipias quàm des,magis dejicies accipientem quàm refocillabis. Propterea dicit,qui miſeretur in hilaritate. Quis enim regnum accipiẽs mœſtus eſt ? Quis peccatorum remiſſionem recipiens, in mœrore manet? Noli itaq; pecuniarum reſpicere ſumptum,ſed magis eum qui ex illo ſumptu eſt proventum. Si enim qui ſeminat,gaudet, tametſi in incertum ſeminet:multò magis qui cælum quaſi agrum colit. Nam ſic etiam ſi modica dederis , multa tamen dediſti : quemadmodum & ſi cum mœſtitia dederis, licèt multa dederis,ex multis tamen pauca feciſti. *Homilia 21.ad Romanos.*

D.Chryſoſt. Quamvis Deus miſericordiam erga nos adhibiturus eſt,nobis tamen iſtud prius faciendum eſt , ut miſericordia dignos ipſos præſtemus.quamvis enim miſericordia ſit, dignos tamen requirit. *Homilia 2.ad Cor.2.*

D. Chryſoſtomus: Miſereri omnibus à natura inditum eſt, quantumvis crudelis ſit quis & ſævus. Et quid mirum ſi ergà homines hanc animi inductionem oſtendamus ? ferarum etiam miſeremur: adeò nobis redundanter indita eſt miſericordia: vel leonis catulum aſpicientes,nonnihil commovemur. Quanto igitur magis erga id, quod ejuſdem nobiſcum generis eſt? Hem quot cæci, & corporibus mutilatis ! ſæpe dicimus:non ignorantes id ſatis aptum eſſe , quod nos ad miſericordiam adducat. Nihil æquè Deum delectat, ac miſericordia. Quamobrem ſacerdotes, Reges,Prophetæ, oleo ungebantur. Oleum enim ꝓ ſymbolo Dei miſericordiæ habebant. Præterea diſcebant in Principe plus miſericordiæ requiri:itemq; oſtẽdebatur,ſpiritum propter miſericordiam venturũ eſſe in hominẽ. Deus enim hominum miſeretur,humaneque & benignè cum ipſis agit, propterea oleo inungebantur. Nam & ſacerdotium ipſum ex miſericordia inſtituit. Verùm Reges etiam oleo inungebantur. Miſereris enim omnium,inquit,quia omnia potes. Et ſi quis Principẽ laudet;nihil,ꝙ æquè ipſum deceat,afferet,ac miſericordiam. Principatus enim ꝓprium eſt miſereri. Cogita ex miſericordia eſſe cõditum mundum, & imitare dominum. Miſeratio,inquit,hominis circa proximum ſuum:miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem ſive peccatores, ſive juſtos protuleris ; omnes egemus miſericordia Dei,omnes ipſa fruimur;ſive ipſe ſit Paulus,ſive Petrus, ſive Joannes. *Homilia 4.ad Philippenſes.*

Chryſoſtomus: Cùm nos noſtri ipſorum non miſereamur, quis, dic quæſo miſerabitur ? Si videris quempiam ſe enſe tranſadigentem,eine poteris unquam parcere? Nequaquam. Multo magis quũ adſit recte gerere,& non recte geramus,quis nobis parcet ? Nemo. Noſtri miſereamur.quũ Deũ precemur,dicentes, Miſerere mei domine,nobis ipſis dicamꝰ,& noſtri ipſorũ miſereamur. Eſt in noſtrà poteſtate,ut Deꝰ noſtri miſereatur. Ipſe hoc nobis donavit. Si agamꝰ q̃ ſunt digna miſericordia,q̃ digna ſunt ejus benignitate & clementia,Deus noſtri miſerabitur. Si a. noſtri ipſorum non miſereamur,qs nobis parcet? Miſerere proximi,& Deꝰ ipſe tui miſerebitur. Quã multi quotidie accedunt dicentes , Miſerere mei, & ne cõverteris quidẽ. Quot nudi,quot mãci & mutilati:& nõ inflectimur, ſed amandamus eorum ſupplicationes? Quomodo ergo vis miſericordiam conſequi,quum ipſe nihil facias dignum miſericordia? Simus clementes & benigni. *Homilia 4.ad Theſſal.*

D.Io.Chryſoſt. Ideo miſericordiam minimè conſequimur , quoniam non miſeremur? Sed dices: At iſtud quoq; ad miſericordiam pertinet,eis qui non miſerentur miſereri. Cur id quæſo. Imò qui crudelem,qui immitem & qui proximum mille affecit incommodis,humanitatis officijs fovet, quo pacto miſericors erit? *Homilia 3. Epiſt.ad Philemonem.*

D.Io.Chryſoſtomus: Non eſt,inquit, qui res noſtras ignoret;ſicut multi Pontifices,qui neſciunt eos qui ſunt in afflictionibus , neque quidnam ſit afflictio. Nam apud homines fieri non poteſt, ut ejus qui malis vexatur,norit vexationem is qui non fecit periculum, & non tranſijt per ſenſilia. Omnia enim ſuſtinuit noſter Pontifex. *Homilia 7.Epiſt.ad Hebr.*

S.Iſidorus Peluſiota: Velim hoc ſcias,vir eximie , judicium miſericordiæ expers huic fore,qui miſericordiam non fecerit. non ex alienis duntaxat muneribus ac beneficijs,quibus tu pauperes ſpolias, verùm etiam ex proprijs, quæ tu ultrò ac ſponte cum alijs communicare teneris. *lib.1.Epiſt.492.*

S.Iſid.Peluſiota: Audio te poſteaquam miſericordiam conſecutꝰ eras,quum tuus animus ab omni fœdere ac reconciliatione abhorreret,commonſtraſſe:ut qui,non quia beneficio affectus ſis, moderatiùs te geras,ſed eum,qui de te benè meritus eſt,idcirco oderis,q malè te mulctandi poteſtatem habuit. Quod ſi verum eſt,omnibus illud proclamas,te miſericordia indignum eſſe. Nam ſi beneficium non in grati animi officium,ſed injuriarum recordationem atq; ulciſcendi ſtudium vertis,quis in eum beneficium conferre ſuſtinebit,qui feras etiam immanitate ſuperat ? Sunt enim inter eas,quæ beneficium & ſentiunt & memoria retinent , & quantum licet , retaliare ſtudent. *l.2.Epiſt.105.*

S. Iſidor.Peluſiota: Miror equidem tuã,quã debes,imprudentiam. Neq; enim eò te dementiæ ꝓlapſum eſſe arbitror,ut exiſtimes, eos qui miſericordię opera exercent,ſed ea oſtentant,deteriores eſſe illis,qui ea planè non exercent. Ego verò,quid hac de re ſentiam,exponam. Ille propriè maximeq; eſt miſericors , qui beneficẽtiam q.dem exercet;non tamen divulgat eorum quibus benefit calamitates ac miſerias. Si quis id faciat ipſius honeſti cauſa, is majorem habebit mercedem,eo,q mercedis ergò idem facit. Si verò ob mercedem divinam:is in ſecundâ claſſe collocabitur. Si quis autem laudis apud homines conſequendæ gratiâ id facit,is hoc ipſum,cujus gratiâ faciebat habebit. At qui neq; ipſius honeſtatis cauſa, neq; ꝓpter divinam mercedem, neq; ꝓpter humanam laudem facit officium: is mihi ne homo quidem eſſe videtur , ſed pernicioſus quidam & noxius Dęmon. Quare igitur tu,qui divina oracula audiviſti,admonentia,ne faciamus eleemoſynam coram hominibus, cum ipſe ne quidem gloriæ cupiditate adductus quicquã boni facere ſuſtiñeas, eos q per ambitionem aliquid faciunt reprehendis ? Quantò enim melior eſt is qui propter hominum gloriam colit caſtitatem & tẽperantiam, eo, qui ne quidem propter hanc temperans & caſtꝰ eſt: tantò etiam is qui facit eleemoſinam gloriæ conſequendæ ſtudio, altero qui planè non facit,melior eſt. Alter enim homines ſaltem, alter verò neque homines neque Deum eſt reveritus. *l.4.Epiſt.41.*

¶ PATRUM LATINORUM.

Egeſippus: Ita quodam furore occiderant pietatis officia,crudeſcebant impietatis miniſteria ; nihilque in tantis calamitatibus perierat quam miſericordia, quæ ſola ſolet allevare miſerias, ſolare ærumnas. *capite ſecundo libri quinti de excidio Hieroſolymitano.*

S.Vale-

S. Valerianus: Multi quidem gradus sunt misericordiæ; sed re-
quirendum est, qui potissimum existant. Principatus misericordiæ
est quidem lapso manum porrigere, erranti viam salutis ostende-
re, infirmos visitare, in tribulatione posito solatijs inhærere: sed illa
est præsipuè expectanda misericordia, esurientem pascere, nudum
vestire, captivum redimere, ad tempus nõ habenti necessaria com-
modare. Invenim⁹ aliquoties præterea multa genera misericordiæ,
quibus se vulgo studia humana commendant, quę cùm nullum ex-
hibeant misericordiæ fructum, misericordiæ tamen mentiuntur
effectum. Quis non oderit tale genus misericordiæ, ubi oris ele-
gantia infirmo pietas otiosa blanditur, & infructuosæ cælo lacrimę
porriguntur? Quid juvat alienum flere naufragium, si negligas
corpus expositum? quid prodest animum excruciare dolore alie-
ni vulneris, si deneges poculum sanitatis? non pascunt esurientem
blanda colloquia, nec vestiunt alienam nuditatem infructuosa cõ-
silia. Quid juvat fomentis mollibus palpasse mendicum, si non re-
ficias fame moriturum? Quod istud genus est misericordiæ, ut ho-
minem velis vivere, & nolis in necessitate servare? Crudelis est pro-
fecto pietas, quæ scit dolere miseris, & nescit subvenire perituris.
Homilia 7.

Chrysologus: Clamat Deus, Misericordiam volo. Qui quod vult
Deus Deo negat, à Deo sibi quod desiderat, vult negari. Misericor-
diam volo. Homo petit Deus, sed tibi, non sibi. Misericordiam vo-
lo. Humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam. Est in
cælis misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur.
Domine, inquit, in cælo misericordia tua. Dicturus causam in judi-
cio Dei, patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, as-
sume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit secu-
rus, de absolutione non dubitet. Misericordia non solum causam
prævenit, anticipat cognitorem, sed etiam sententiam revocat, ab-
solvit addictos. *Sermone 8. f.*

Chrysologus: Beatus qui fænerando pauperi, ipsum sibi judicem
præstitit debitorem. *Sermone 14. f.*

Chrysologus: Misereatur qui misericordiam sperat: pietatem qui
quærit, faciat: qui præstare sibi vult, præstet. Improbus petitor est,
qui quod alijs negat, sibi postulat. Homo esto tibi misericordiæ
forma, sic quomodo vis, quantum vis, quàm cito vis, misericordiã
tibi fieri: tam cito alii, tantum, taliter, ipse miserere. Ergo oratio,
misericordia, jejunium, sint unum patrocinium pro nobis ad De-
um, pro nobis hæc advocatio sint una, una hæc pro nobis oratio sit
triformis.

Chrysostomus: Misericordiam qui non dat alteri, tollit sibi: mise-
ricordiam sibi serit, qui pargit pauperi. *Serm. 42.*

Ennodius: Nunquam misericordiam nisi periclitata laudatur.
quo pudore cessante effectu prædicatur affectio? Num quid sem-
per secretum pectoris innotescit veraciter clave sermonis? pietas
quæ non etiam muta rebus tenetur, ostentum est. Inter omnes ho-
mines incõvulsa amor radice subsistet, si valet ista jactatio. *Dictio-
ne 21. §. 6. pr.*

❡ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Dio Prusæus: Quod miseratus sum populares quando miserabi-
les erant, & quantum possibile erat conatus sum relevare, hoc nul-
lum est signum, me erga illos familiarius affectum esse: quando &
corporis semper eam partem quæ laborat curamus, majoremque
habemus rationem pedum quam oculorum, cùm illi dolent ac ma-
le affecti sunt, hi autem sani sunt. Quod autem dixi, populares mi-
serabiles, nemo me suspicetur dicere, quasi injusta & iniqua sint
passi: quando & eos qui à medicis secantur aut uruntur & hoc pro
ipsorum salute tolerantes, miseramur; & lacrimantur super sectio-
ne & ustione, & matres & patres, licet eam sciant prodesse. *Orat.
quinquages.*

Libanius: Recte Chryses filiam suam exercitui tradendam cen-
suit. ea enim est multitudo quæ celeriter ac facilè ad misericordiã
ac mollitiem flectatur. *in progymnasmatis.*

Libanius: Jam verò faciet quod solent qui jure destituuntur:
plorabit, & de misericordia multa differet. Ego verò quid ajo? Si
miser es tu, conservari te æquum. sin improbus, noli post designa-
ta maleficia miseriæ debita requirere. Æquabilis enim reip. admi-
nistratio illud servat deceptis errore: hoc utitur erga eos qui desi-
gnarunt qualia nunc tu. quod si te conservarint, in quem postmo-
do jure animadvertent. utrum in minus te maleficum? *Progymnas.
in Proditorem.*

Libanius: Vos igitur cùm teneatis latronem, qui hoc unum spe-
ctavit, aliquid ut adquireret, honestè an secus, minimè cogitans, di-
mittetis? quamobrem quæso? quia lacrimabitur, producet pue-
ros suos, obsecrabit ne orbos constituatis. hoc reliquum est, quod
miseris tribui, non etiam improbis par est. Multum interest, utrum
quis immerito suo miser sit, an jure puniatur. alterum enim est ira-
ti Numinis, alterum voluntatis nefariæ. Quare noli præripere alijs
debitam misericordiam, multas sprevisti preces eorum quos pro-
turbasti. cur igitur tu quod impertiri noluisti, id ab alijs obtinere
cupis? multas obsecrationes respuisti eorum qui vulnera excipie-
bant. ne quæras igitur clementiam quam sustulisti. *Progymnasm.
contra Homicidam.*

Ibidem mox: Omnino, si plus quam oportet, lacrimæ valebunt,
cur aperta sunt patentq; judicia? quid enim refert convinci male-
ficos; si damnatis, in lamentis salus relinquitur?

Libanius: O miseriam patris! adhuc ei invidetur; ac minimè eos
exsatiavit qui graviter atque iniquè erga eum affecti sunt; tanta
malorum congeries. Et tamen calamitates conciliare solent eos qui
lapsi sunt, & valde infensos. itaq; ego eos qui tunc accusatores fue-
rant, patronos hodie existimabam inventurum. *Declamatio-
ne 18.*

Libanius: Invidia quidem bene feliciterque rem gerentes pun-
git: misericordia autem nemo prosequi infelices novit. *Declam. 11.*

Mox: Nemo benignus, nemo misericors. quidam cachinnat in-
tuens; alter insultat infeliciter agenti. Quod si quis honestis fuerit
moribus, verborum tenus comitatem ostendit: benignitas vero est
miserari male agentem. nullus autem aptus est & paratus ad vocã-
dum ad compotationem aut viscerationem.

Libanius: Quamvis in alijs multis degenerantes de majorum
moribus, leges tamen de cultu aræ accuratè observastis: quod pro-
bè sciretis urbi gloriam non hostes terra marique superari posse,
magis attulisse, quàm benigna mente affectum esse, & ad commi-
serationem propensum, & Misericordiam inter Deos numerare.
Declam. 14.

Libanius: Ejusmodi certè homines servandi potius à vobis es-
sent, Judices, quàm perdendi: cùm reputaretis eum qui bonus in
suos esset, fortassis etiam erga alios talem fore: eum verò qui in
suos sævus est, communem omnium perduellem esse. egóne fra-
tris non misertus essem, civis miserer? si minus civis, at inquilini? si
minus inquilini, at peregrini? si minus eorum qui apud nos, at a-
liorum certè Græcorum: si minus Græcorum, at barbarorum. dum-
taxat qui nullius miseretur, jure vivus confoderetur. Non cernis,
pater, in bellis, eos qui telis confossi sunt, sæpenumero à victoribus
sepeliri? quam ob causam? quia post prælium qui male rem gessit,
misericordiam consequitur. Itaque cum apud hostes misericordia
locum habeat, ego in fratrem immisericors fuissem? pater infe-
stus erat: sed is qui iræ periculum subibat, frater erat. Pater mulctã
irrogabat: frater puniebatur. Igitur illa commiseratio pertraxit me
ad ærumnosam partem. Ut vero si quod periculum utrique impen-
disset, & succurrere utrique non licuisset; sed alteri tantum; servare
patrem præstitisset: ita nunc illo sæviente, hoc verò cladibus affli-
cto; quod oneri succumbebat, momentum ad se vocabat. reduc in
mentem, pater, ut cùm pueri adhuc parvi essemus, & pueriliter de-
linqueremus, quando minitabaris, ad matrem confugiebamus. il-
la verò nos excipiebat, & auxiliabatur, ac rogabat ne verberares; &
tu veniam dabas: tale profectò quiddam etiam nunc occurrit: tu
nimirum succensebas fratri verò periculum ingens imminebat: e-
go frater cùm essem auxilium tuli: condona ergo nunc etiam. *De-
clamatione 40.*

❡ ROMANORUM.

Quintilianus: Nihil minus convenire videtur partibus advoca-
ti, quam reo capite periclitanti subsidiũ miserationis auferre. *De-
clamat. 3. sub princ.*

Quintilianus: Dicam miseremini? dicam succurrite? sic rogari
contra mortem solet. *Declam. 4. §. 22. p.*

Quintilianus: Famem ipsam infamavimus, &, quod miseris ul-
timum est, miserationem quoq; perdidimus. *Declamat. 12. §. 3. m.*

Plinius Iunior: Annotatum experimentis, quod favor & miseri-
cordia acres & vehementes primos impetus habent, paulatim con-
silio & ratione quasi restincta, considunt. unde evenit, ut quod mul-
ti clamore permixto tuentur, nemo tacentibus ceteris dicere velit.
patescit enim cùm separaris à turba contemplatio rerum quæ tur-
ba reguntur. *lib. 2. Epist. 11.*

Eumenius: Quemadmodum præstantes scientia medici non a-
spernantur vulnera inspicere quæ sanant: ita nunc tu paulisper au-
dias Æduorum labores quos sustulisti. neq; enim potes sine expe-
rimento misericordiæ ad laudem clementiæ pervenire. *cap. 5. grat.
act. Constantin.*

Symmachus: Interim dum major ab illis salubritas petitur, hu-
manitas tua foveat exhaustos, & tanquam particeps doloris alieni,
persuadeat laborantibus, sibi accidisse quidquid provinciæ pertule-
runt. *lib. 4. Epist. 75. f.*

Symmachus: Te familiariter rogo, ut auditis infelicium implo-
rationibus, in eam partem quæ est juri & miserationi amica mo-
vearis. *lib. 10. Epist. 12. f.*

❡ POETARUM.

Plautus captivis 3. sc. 5. v. 106.

——Neminis

Misereri certum est, quia mei miseret neminem.

Plautus Rudente 2. sc. 7. v. 26.

——Venales ille ductitavit quisquis est:

Non est misericors.

Plautus Trinummo 2. sc. 2. v. 60.

——Præmonstro tibi,

Vt ita te aliorum misereat, cave tui alios misereat.

L. Deserere illum & deiuvare in rebus adversis pudet.

P. Pol pudere, quam pigere præstat totidem literis.

Plautus Trinummo 2. sc. 4. v. 30.

Miseret te aliorum: tui te nec miseret, nec pudet.

P. Syrus Mimus.

Bona comparat præsidia misericordia.

Misericors civis, patria est consolatio.
Homo qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui.

§ APOLOGI.

De Cane pluviam timente, quia ferventi aqua fuerat excoctus. Fab.119.

Canis quidam quoties pluebat, domo egredi non audebat. Interrogatus ab alio cane, cur hoc faceret: Qui, inquit, quoniam ferventi aqua excoctus sum.

Fabula indicat, gravia mala expertis, levissima quaque timori esse. Abstemius.

§ EMBLEMATIS.

Camerarius XXXIX. Centur. 4.

Miseris succurrere prompta.
Sum pietatis amans, hominis nam Raja cadaver
Non patior pelagi monstra vorare fera.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Aufert misericordiam omnem & exitus deformitas.
Extremo timor in periclo rejicit misericordiam.
Firmat oleum corpus, animam firmat misericordia.
Gratior nullus cultus Deo est quam misericordia.
In summo timor periclo haud recipit misericordiam.
Maximum est apud cælesteis numen misericordiæ.
Maximum malitiæ signum est tollere misericordiam.
Misericordia innocenti, non nocenti subvenit.
Militiæ ratio æquè ab armis pendet atque à tempore.
Militiæ probrum quandoque vertit fors in gloriam
Misericordia nunquam causam, semper fortunam inspicit.
Misericordiam debet multis, à multis qui eam tulit.
Misericordiam qui absumpsit, quidnam speret amplius?
Misericordiam qui non dat alteri, tollit sibi.
Misericordiam qui spargit pauperi, serit sibi.
Misericors non est qui curat illum quem ante læserat.
Neminis misereri certum est, quia mei miseret neminem.
Noxia est quandoq; sævo in bello misericordia.
Numen est, cæliq; primum, dia commiseratio.
Nulla non virtus dat ultrò misericordiæ manus.
Orbis periret, nisi iram misericordia solveret.
Ornat ara templum, sed cor hominis misericordia.
Perdit misericordiam quæ ignoscit post injuriam.
Romulo Remoq; mammas orba præbuit lupa.
Sæpe qui misereri potuit, misericordiam rogat.
Supplicantis nunquam attendit Misericordia moribus.
Versa in metum, manca ipsa misericordia est.
Vita humana tollitur si tollis misericordiam.
Voce, vultu, lacrimis, elicias misericordiam.

§ JAMBICA.

Cultus Deo vel summus misericordia est.
Deformitas scelerum aufert misericordiam.
Est principatus proprium commiseratio.
Esto misericors, sed tantum adversus bonos.
Et fraude multi quærunt misericordiam.
Facile subit populo ipsi commiseratio.
Gratissima est virtutum misericordia.
Haud jam hominem habere oportet misericordias.
Ipsas etiam misericors ærumnas amat.
Miseratio non est malis in publicis.
Miserationem perdere miseris, ultimum est.
Miseratione melior invidentia est.
Miseris maior constantia, ac plus impetus.
Nemo imperitus misericors, sed qui sapit.
Nil turpius est venali misericordiâ.
Nullam merentur misericordiam mali.
Numen benignum est misericordia mortuis.
Proclivis ultrò passim misericordia est.
Prona ad miserationem est invidentia.
Proprium Dei misereri, proprium parcere.
Rebus secundis, ira fit miseratio.
Simul sapere atq; misereri res ardua est.
Sola allevat miserias misericordia.

Misericordiæ Dei.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

G*ad & David:* Postquam malo consilio impulsus David populum omnem jussisset numerari, Gad propheta Dei mãdato ad Davidem accedens, & propositis tribus flagellis, fame videlicet, bello, & peste, ut unum, ex tribus eligeret quo castigandus erat: *Nunc cognosce*, inquit, *& vide quid responsurus sim ei qui misit me.* Dixit verò David ad Gadẽ, *Angustia est mihi valde: incidamus quæso in manum Iehovæ, nam magnæ sunt miserationes eius: in manum autem hominis ne cadam.* Itaq; posuit Jehova pestem in Israele, &c. *2. Sam. 24.13.14.*

Iesus Christus Dominus noster: Advocatis discipulis suis, & videns turbam multam, dixit, Commoveor misericordia erga turbã: quia jam triduum permanent apud me, & non habent quo vescantur: dimittere eos nolo, ne viribus deficiant in via. *Matth. 15 32.* Divino prorsus miraculo confirmat Christus, se nunquam defuturum iis qui etiam per deserta ipsum sequuntur.

D. Maria Virgo, mater Iesu Christi: Celebrans erga se immensum Dei favorem, dicebat, Magnificè mecum egit potens ille cujus sanctum est nomen, & cujus misericordia in omnes ætates parata est, timentibus ipsum. *Item:* Suscepit Israelem puerum suum, ut esset memor misericordiæ suæ. *Luc. 1.49.50.54.*

Zacharias Pater Io. Baptistæ: Commendans ineffabilem Dei gratiam erga electos, quos per Christum (cujus Joannes Baptista futurus erat præcursor) invisere & redimere volebat, dicit, Benedictus Dominus Davidis, quod inviserit & redemerit populum suũ, & erexerit cornu salutis nobis in domo Davidis pueri sui: prout loquutus est per os sanctorum qui à seculo fuerunt, prophetarũ suorum, fore ut nos servaret ex inimicis nostris, & è manu omniũ qui oderunt nos: ut uteretur misericordia erga patres nostros, ac memor esset fœderis sui sancti, &c. *Ad filium deinde recens natum Ioannem conversus*, Tu puerule, inquit, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, ut pares vias ejus: & des cognitionem salutis populo ejus per remissionẽ peccatorum ipsorũ: ex intima misericordia Dei nostri, qua invisit nos is qui prodit ex alto, ut appareat iis qui in tenebris & in umbra mortis positi sunt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Luc. 1.68. &c.*

Porrò quemadmodum misericordia Dei repleta est terra, ut canit Psaltes, ita Ecclesia Christi innumeris misericordiæ divinæ testimoniis, in redẽptione, justificatione, sanctificatione, protectione, liberatione & glorificatione sua fruitur. Inde tot piorum exultationes passim in scriptis Propheticis, Apostolicis & Ecclesiasticis: quorum summa hæc est, Misericordiam Dei immensam esse & omnium humanarum mentium captum longissimo intervallo superare: Electis Dei in Christo omnia simul adjumento esse ad bonum: Deum Patrem, qui proprio suo filio non pepercit etiam cum eo omnia nobis daturum: Plus quàm victores nos esse in omnibus tentationibus per eum qui dilexit nos: Nihil posse nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro: Minimè esse paria quæ præsenti tempore perpetimur, gloriæ in nobis retegendæ: Electis bona parata esse prorsus incomprehensibilia. *Sed quis Oceanum manu exhaurire poterit? is misericordias Domini nobis enumeret.*

Quod ad Scripturæ S. testimonia, vide inter cætera Exod. 34. 6. & Deuteron. 4.31. & 7.9. & Psalm. 86.5.15. & Psal. 103.4.6.11. & Psal. 117.1. & Psalm. 118.5. & Psalm. 145. 8. & totum Psalmum 136. & Isaiæ 54.10. & 55.7. & Ierem. 3.22.32. Thren. & Joel. 2.9. & Joan. 4.2. *In novo Testamento*, præter infinita Evangelistarum de Christi Dei hominis misericordia erga peccatores & afflictos, vide 2. ad Corinth. 1.3. Ephes. 2.4. & 1. Petr. 1.3. & insignem illum D. Pauli ad Titum, 3.5. Vide etiam parabolas filii prodigi, ovis perditæ, drachmæ amissæ apud Lucam: & exempla Adami & Evæ, Davidis, Manassis, Apostolorum, Latronis in cruce: Piorum denique omnium.

Nunc pauca quædam de misericordia Dei scitè dicta, ex Apostolicorum virorum scriptis desumpta subjiciamus.

D. Hieronymus: Ego, inquit, cunctis peccatorum sordibus, inquinatus, diebus ac noctib. opperior cum tremore reddere novissimũ quadrantem. Sed tamen quia Dominus solvit compeditos, & super humilem ac trementem ad verba sua requiescit, forsitan & mihi in sepulchro scelerum jacenti, dicet, N. veni foras. *in epist.*

Nullum tempus est, quo non ædificetur misericordia Dei in singulis quibusque sanctorum, & his qui de peccatis transeunt ad virtutes. *Item.* Misericors & miserator Dominus, longanimis & multæ miserationis, suavis Dominus omnibus, & misericordia ejus super omnia opera illius. Tantas audis misericordias, & in tua audes virtute confidere? *lib. 2. advers. Pelagianos.*

D. Ambrosius: Cur illorum non misertus & horum misertus sit Deus, quæ scientia comprehendere potest, quæ potest investigare sapientia? Latet discretionis ratio: sed non latet ipsa discretio. Non intelligimus judicantem, sed videmus operantem. Quid calumniamur justitiæ occultæ, qui gratias debemus misericordiæ manifestæ? Laudemus, & veneremur quod agitur, quia tutum est nescire quod tegitur. *Lib. 1. de vocat. gentium.*

Ille vincit, qui gratiam Dei sperat, non qui de sua virtute præsumit. Cur non pręsumas gratiam, cùm habeas pręsulem certaminis misericordiam? Superabundent peccata, superabundat misericordia. *in oratione de obitu Theodosii.*

Etsi longè est à peccatoribus salus, tamen nemo desperet, quia multæ sunt misericordiæ Domini. Qui suo peccato pereunt, misericordia Domini liberantur. Palam apparuit non quærentibus, vocavit fugientes, congregavit ignotos, pro omnib. se obtulit passioni. Non ergo multum misericors? *Serm. 20. in Psalm. 11.*

D. Augustinus: Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. Consequuntur misericordiam Domini qui ignorantes fecerunt, & qui scientes consequuntur non quãlibet misericordiam, sed magnam misericordiam. Misericordia est ut Deus ignoscat peccanti: justitia est, ut puniat peccatum. Quid ergo si quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Respondeat David, respondeant lapsi, respondeant cum Davide, ut misericordiam obtineant sicut David, & dicant: Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum. Novi justitiam ejus,

cujus quæro misericordiā. Non impunitum erit:sed ideo nolo ut tu me punias,quia ego peccatum meum punio.Ideo peto ut tu ignoscas,quia ego agnosco.*In Psal.50.*

Accipite quid sit veritas & misericordia, quia non parvum est ꝙ dictum est,universæ viæ Domini misericordia & veritas. Misericordia dicitur,quia non merita nostra attendit Deus, sed bonitatē suam, ut peccata nobis omnia dimitteret, & vitam æternam promitteret.&c.*in Psal.60.*

Potestatē Dei timete,misericordiā ejus amate: nec sic de misericordia ejus præsumatis,ut potestatē contēnatis:nec sic potestatē timeatis,ut de misericordia desperetis.Hunc humiliat, & hunc exaltat:hunc humiliat potestate,illum exaltat misericordia. *in Psal.61.*

Etsi post judiciū,quo in fine seculi vivi & mortui judicandi sunt missis justis in vitam æternam,iniquis autē in ignē ęternū,non sint deinceps futuri quorū misereatur Deus, rectè tamē intelligi potest in æternum futuram misericordiā ejus,quā suis sanctis fidelibusq; largitur,non quia in æternum miseri erunt,& ideo in æternum misericordia ejus indigebunt: sed quia ipsa beatitudo quā misericorditer miseris præstat, ut esse miseri desinant, & beati esse incipiant, non habebit finē:ideo in æternū misericorda ejus. Quod enim justi erimus ex iniquis, sani ex infirmis, vivi ex mortuis, immortales ex mortalib⁹, & beati ex miseris, misericordia ej⁹ est. Hoc a. ꝙ ita erimus in æternū erit:ergo in æternū misericordia ejus. *In Psalm.135.*

Gratia,inquit Apostolus, salvi facti estis per fidē. Ubi audis gratiam,gratis intellige. Si ergo gratis,nihil tu attulisti,nihil meruisti. Nā si meritis aliquid redditū est, merces est, non gratia. Gratia,inquit,salvi facti estis per fidem. Expone illud apertius propter arrogantes,propter sibi placentes,propter ignorantes Dei justitiā,& suā volentes constituere. Audi hoc idē apertius. Et hoc,inquit,ꝙ gratia salvi facti estis,non ex vobis, sed Dei donū est. Sed & nos fortè aliquid fecimus,ut dona Dei mereremur. Non ex operibus inquit: ne fortè quis extollatur. Quid ergo? Nos bene non operamur? Imò operamur. Sed quomodo? Ipso in nobis operante, quia per fidē locū damus in corde nostro,ei qui in nobis & per nos bona operatur. Audi enim unde opereris bona. Ipsius enim sumus figmentū,creati in Christo Jesu in operibus bonis,ut illis ambulemus. Ista est suavitas abundans memorię ipsius circa nos.*Item.* Attende ad teipsum:quid merebaris,peccator? Contemptor Dei,quid merebaris? Vide si occurrit tibi nisi pœna & supplicium. Vide ergo quid tibi debebatur, & quid dederit qui gratis dedit. Data est venia peccatori, datus est Spiritus & spes justificationis,data est charitas & dilectio,in qua omnia bona facias,& super hæc dabit & vitam æternā & societatem angelorum. Totū de misericordia. Merita tua nusquā jactes,quia & ipsa tua merita (i.opera bona.) illius dona sunt,*in Psal.144.*

Chrysostomus: Misericordia Dei subsequetur Ecclesiam, quandiu erit mundus.*homil.in Psal.22.* Dei misericordia est cōmunis portus omniū qui peccarunt:est peccatori solatium & justo ingens securitas. Ubi misericordia est,pœnæ non expetūtur, in salutem minimè inquiritur,excusationem adferre nihil necesse est. Quòd misericordia Dei magna sit perspectū habeo:quanta sit cōprehendere nequeo. Magnitudinis quantitatem ignoro. Nisi ingēs ipsius magnitudo esset,pauci ad salutem pervenissent. Magnus peccatorū meorū cumulus est:sed ingens benignitatis Domini mei securitas. Homo factus est Christus: hoc misericordiæ est. Factus est id ꝙ ipse eras,ut quod non eras efficiaris. Hoc rursum misericordię. Cū Christus venisset,statim quosdam vocavit, magos nempe. Quē autem post illos? publicanū. post hunc, meretricē: post illā,latronem: post eū,quē? blasphemū. O res novas & inauditas! Primitiæ vocationis ij fiunt,qui peccati tyrannidem tenebant. Impius es? Magos ob animum tibi propone. Raptor es? Publicanum cogita. Impurus es? animo tuo meretrix sese objiciat. Sicarius es? latro ille ante oculos tuos versetur. Flagitiosus es? in mentē tibi veniat Paulus, qui prius blasphemus erat,postea Apostolus: prius persecutor, postea Evangelista: prius adulter, postea pronubus: prius zizanium, postea triticum: prius lupus, postea pastor: prius plumbū,postea aurū: prius pyrata,postea gubernator: prius Ecclesiam diripiebat,postea Ecclesiæ curam suscepit: prius vineas excindebat, postea eas excolebat: prius templum evertebat,postea extruebat. Vidisti singularem improbitatem? vidisti rursus florentem ac vegetam virtutem? Vidisti servi contumaciam? vidisti rursum Domini benignitatem? Ne mihi dicas, Blasphemus sum, persecutor, impurus. Habes horū omniū exempla. Ad quē voles,potes confugere. Vis in veterē? Davidē habes. Vis in novum? Paulum. Ne tergiverseris,ne cuncteris. Peccasti? Resipisce. millies peccasti? millies resipisce. *Homil.in Psal.51.*

D. Gregorius Magnus: Nisi misericors Deus cum viribus tentamenta modificet, nullus profectò est qui malignorū spirituum insidias non corruens portet.*lib.10.eiusd.exposit.c.34.*

Vitam nobis & misericordiam Deus tribuit, quia eā misericordia qua nos ad bene vivendum prævenit, etiam subsequente custodit. Nisi enim misericordiam subroget, servari non valet vita quā præbet. Ipso quippe quotidiè usu humanæ vitę veterascimus:& nisi nos superna visitatio vel ad amorē cōpungendo vivificet,vel ad timorem flagellando restauret, repentino lapsu mens funditus tota destruitur,quæ longo virtutis studio innovata videbatur. *Eod.l.10. cap.38.*

Ex Christi incarnatione nobis datū est, ut qui ex voluntate propria in corruptionem cecidimus,vocanti nos Deo ad incorruptionis gloriam respondere valeamus. Qua in re largitatem divinæ misericordiæ pensare quis valeat, quod ad tantam perduxit gratiam hominem post culpam? *lib.12.c.10.*

Misericors Deus diu peccata hominū tolerat,& cū jā vicinum finē respicit,plerunq; mentes peccantium immutat.*lib.38.c.5.*

Mittamus oculos fidei in mundum universum, consideremus quanti peccatores diebus ac noctibus per lamenta in fonte misericordiæ Dei lavantur: quanti post tenebras ad lucē, quanti post maculas ad munditiam redeunt.*Homil.20.in Ezechielem.*

Arsenius & Pambo: Abbas Arsenius cùm à Satana infestaretur, ardentes ad Deum preces in cella sua fundebat,inquiens, *O Domine protector & Deus meus,ne me deseras. Nunquam quod bonum esset in oculis tuis, quicquam sum operatus. O mi Deus, tu secundum magnam tuam misericordiam largire,ut tandem facultas mihi detur aliqua,quòpiè vivere incipiam.* Sic quoque de abbate Pambone legitur,quòd jam moriturus ad fratres & reliquos qui adstabāt, omnium bonorum operum oblitus, dixerit, *Discedo jam hinc ad Deum meum:sed ita,ut qui in hac vita nunquam vel inceperim Deum verè & rectè colere.* Ex his collige, quòd pii isti patres non in operibus suis, quemadmodum justitiarii, sed in misericordia Dei per Christum parta,consolationem & salutem sibi quæsiverint. *D. Andreas Hondorffius in theatro historico,in vitis Patrum.*

D. Martinus: Testabantur aliqui ex fratribus audisse se dæmonē protervis B. Martinum vocibus increpantem,cur intra monasteriū aliquos ex fratribus,qui olim baptismum diversis erroribus perdidissent,conversos postea recepisset,exponentem crimina singulorum: Martinum diabolo repugnantem respondisse constanter, antiqua delicta melioris vitæ conversatione purgari,& per misericordiam Domini absolvendos esse peccatis,qui peccare desinerent. cōtradicente diabolo, non pertinere ad veniam criminosos, & semel lapsis nullam à Domino clementiam præstari: tunc in hanc vocem fertur exclamasse Martinus, Si tu ipse, ô miserabilis, ab hominum infectatione desisteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore, cùm dies judicii in proximo est, pœniteret, ego tibi, verè confisus in Domino, Christi misericordiam pollicerer. *Sulp. Severus, lib. de vita B. Martini.*

Idem: Quum B. Martinus à latrone quodam interrogaretur, quisnam esset? respondit, Christianus sum. Quæsivit deinde,an timeret? tum verò constantissimè professus est, nunquam se fuisse tam securum, quin sciret misericordiam Domini in tentationibus affuturam: se magis illi dolere,qui Christi misericordiâ, ut pote latrocinia exercens, esset indignus. ingressusque evangelicam disputationem verbum Dei latroni prædicabat. Ille autem credidit, prosecutusque Martinum viæ reddidit,& postea religiosam agens vitā visus est.*Eodem libro.*

D. Bernardus: Omnes, inquit, peccavimus, & egemus gloria Dei, & Prælati,& continentes,& conjugati. Si dixerimus, Quia peccatū non habemus,nos ipsos seducimus. Quia ergo nemo mundus à sorde,necessarius est omnibus fons divinæ in Christo misericordiæ,& pari voto debent ad hunc fontem Noe,Daniel & Job properare.*Serm.1.in die natalis Domini.*

Multæ sunt Domini misericordiæ,teste Propheta,videlicet quia multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Unus est Dei Filius, unum verbum:sed miseria nostra multiplex non modò magnam misericordiam,sed & multitudinē quærit miserationum.*Serm.5.in eadem die.*

Quisquis desolationem non novit,nec consolationem agnoscere potest. Quisquis consolationem ignorat esse necessariam, superest ut non habeat Dei gratiam. Inde est quòd homines seculi negotiis & flagitiis implicati, dum miseriam non sentiunt,non attendunt misericordiam. Vos qui non ignoratis exilium, audite quia de cœlo venit auxilium: vos quos non detinet occupatio secularis, attendite quænam sit consolatio spiritualis. Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei,&c. Ecce quasi saccum plenū misericordia sua Deus pater demisit in terram: saccū,inquam, in passione concidendum,ut effundatur quod in eo latet pretiū nostrū. Saccum utiq;,etsi parvum, sed plenum. Parvulus quidem datus est nobis,sed in quo habitat omnis plenitudo Deitatis.*Item.* Quid tantopere declaret ejus misericordiam,quàm quod ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum,quàm quod Dei verbum propter nos factum est fœnum? *In Epiphania Domini.Ser.1.*

Septem in me video misericordias Domini.

1. A multis peccatis adhuc in seculo positum me custodivit.
2. Peccabam,& Deus dissimulabat:non continebā à sceleribus, & Deus à verberibus abstinebat, prolongabā multo tēpore iniquitatē meā, & Deus pietatem suam.
3. Visitavit cor meū & immutavit, ut amara fierent quæ malè dulcia prius erant.
4. Pœnitentem misericorditer suscepit.
5. Emendatius vivendi præstitit virtutem, ne recidiuū paterer, & esset novissimus error pejor priore.
6. Odium creavit in me præteritorum malorum,contemptum præsentium bonorum,& desiderium futurorum.
7. Spem dedit obtinendi vitam æternam.

Prima misericordia,consistit in occasionis subtractione, resistēdi data virtute,affectionis sanitate.

Secunda, complectitur longanimitatem quam Deus exhibuit, electionē prædestinationis suæ quam impleri voluit,& immensam charitatem qua nos dilexit.

Tertia,

Tertia, De⁹ (inquit Bernard⁹) cõcussit cor meum excitans illud ut adverteret suorum vulnera peccatorum & vulnerũ sentiret dolorẽ: terruit, deducẽs ad portas inferi, & pręparata iniquis supplicia mõstrans: mihi consolationem inspirans spem indulgentiæ dedit.

Quarta, Deus nõ dãnat ulciscendo: non confundit improperando: nec minùs diligit imputando.

Quinta, Deus tuetur nos adversus carnis, mundi, Satanæ insultus omnes. Sexta, exposita est.

Septima. Nulla, inquit, penuria meritorum, nulla cõsideratio ꝓpriæ utilitatis, nulla æstimatio cælestis beatitudinis, me ab altitudine spei dejicere possit, in ea firmiter radicatum. In tribus tota spes mea consistit, charitate adoptionis, veritate promissionis, potestate redditionis. Murmuret jam quantum voluerit insipiens cogitatio mea, dicens, Quis es tu, aut quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras? Ego fiducialiter respondebo, Scio cui credidi, & certus sum q̃a in charitate immensa adoptavit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione: licet enim ei facere quod voluerit. Hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur, quem nobis à patria nostra in hunc carcerem usque dimissum firmiter obsecro teneamus: ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat & pertrahat usq; ad conspectum gloriæ magni Dei, qui est benedictus in secula. Amen. *Hæc Bernardus de septem misericordiis, Serm. 2. & 3. explicat. historiæ de septem panibus quibus turba refecta est.*

Perfecta & secura gloriatio est, cũ veremur omnia opera nostra, sicut testatur beat⁹ Job de seipso, & cũ Esaia propheta omnes justitias nostras non aliud quam pannũ menstruatæ repurandas esse cognoscimus. Nihilominus tamen confidimus etiam & gloriamur in Domino, cujus misericordia tanta est super nos, ut à graviorib. q̃dẽ, & q̃ ad mortem peccata sunt, custodiat nos, & tam benignè ipsa imperfectionis nostræ delicta & conversationis impuritatem nobis manifestare, & agnitam condonare dignetur, quatenus in humilitate & solicitudine & gratiarum actione firmiter radicati, jam non in nobis, sed in Domino gloriemur. *Serm. de triplici gloria.*

Misericordiæ erga proximũ.

❡ Apophthegmatum Sacrorum.

T*Heodosius Iunior:* Cõstantinopoli in Amphitheatro pugnas cũ bestiis quodã tẽpore ꝓ spectaculo cùm ederet Theodosius junior, populusq; sublato clamore postularet, ut aliquis ex eorũ numero, quorũ insigniter eminebat audacia, cum fera quadã decertaret: respondit, Annon exploratè cognitum habetis, nos ita assuefactos esse, ut nulla crudelia spectacula contemplari possimus? quæ cùm populus ex ejus ore audivisset, de reliquo à crudelibus spectaculis abstinere didicit. *Socrat. hist. eccl. l. 7. cap. 22.*

Anonymus: Christianus quidam in solitudine degens dicebat, non alia re faciliùs, quàm misericordia erga ægrotos & pauperes terrores & pavores nocturnos extingui. *Niceph. eccl. hist. l. 11. c. 43.*

Senatores Constantinopolitani: Leo, Basilii Macedonis Imperatoris filius, à quodã monacho Theodoro Sandabareno, apud patrẽ insidiarum causa delatus, in carcerẽ conjectus fuerat. In palatio psittacus in cavea suspensa degebat, ut spectatores oblectaret, Avis vociferari solebat, Heu heu Domine Leo. Quodam tempore cùm ad convivium Imperator senatores præcipuos vocasset, eamq; vocem avis sæpiusculè ederet, mœstitia oborta, convivæ cibo potuque omisso cogitabundi assederunt. Cumq; id animadvertẽs Imperator, causam rei perquireret, ij oculos lacrymis oppleti: *Qui* inquiũt, *Imperator cibum capiamus, voce bestiæ hujus objurgati nos, qui rationis compotes & dominorũ studiosi credimur? Bruta hæc avis domini sui nomen invocat: nos luxui dediti, insontem oblivioni mandamus.* His verbis mitigatus Imperator, Leonẽ carcere eductũ in cõspectũ suũ admisit, vestẽ lugubrẽ demsit, comę superflua, q̃ per luctũ creverãt, auferri jussit, dignitatemq; Cæsaris pristinam reddidit. *Cedrenus.*

Germanus Episcop. Iter faciens Germanus Episcopus, nudum iminẽte nocte viatorẽ recepit. Quũ simul in diversorio quievissent, asellũ, quo German⁹ ferebatur, ille subtraxit. Illucescente die furtũ patratũ inveniunt discipuli: patri condolẽt ꝙ pedib. iter facere cogeretur. Nondum tria millia passuum cũ sociis cõfecerat, quum è discipulis unus Germanũ è vultu lætitiã ꝓdere cõspiciens, patrẽ hilaritatis causam rogat. At ille quũ pedẽ omnes aliquãtulum sistere imperasset, Ecce latro clamitans festinato gradu subtractũ jumentum adducit. Fur ad pedes illius ꝓvolutus, exorat furti veniã & impunitatẽ, dum facinus profitetur: se tota nocte irretitum fuisse asserit, neq; quoquã progredi potuisse, nisi quà ad reddendum jumentũ pateret iter. Cui Germanus, vultu renidẽre, animoq; placato, Si hesterna, inquit, die tibi nudo togulam dedissem, ne furandi quidẽ te necessitas incessisset, & exuta mox togula, Accipe (inquit) ꝙ deest: redde ꝙ nostrũ est. Sic cõfessorẽ criminis resipiscẽtẽ, nõ modò venia, sed pręmio quoq; & benedictione dignũ cẽsuit. *Bõfin. l. 4. Dec. 1.*

Moderationis.

Moderationum consiliorum.

Apophthegm. Sacri.

G*Amaliel Legislator:* Videns Judices paratos rapere ad cædem, Apostolos, tanquam seditionis authores, ab hoc facinore eos revocavit, dicens, Absistite ab hominibus istis & sinite eos: quoniam si est ex hominibus consilium sive opus hoc, dissolvetur. Sin ex Deo est, non poteritis illud dissolvere: & videte ne etiam cum Deo pugnare comperiamini. Assensi sunt Judices huic cõsilio. *Act. 5. 35. 36.*

Moderationis in luctu.

❡ Apophthegm. Sacri.

D*avid:* Nathan propheta ad Davidem missus post adulterium cum Bathseba commissum, & Uriæ cædem, eum ad facti sui conscientiam revocat, & resipiscenti veniam promittit, sed castigationibus conjunctam, de quarum una nimirum infantis morte, David sperans Deum exorari posse, fletu, jejunio, precibusq; eum sollicitat, donec audita infantis morte voluntati divinæ acquiescit. Dicentibus autem servis ejus ad eum, Quæ est hæc res quam fecisti? propter istum infantem viventem jejunans flebas? postquam verò mortuus est infans, surgens comedisti cibum: respondit, *Dum infans viveret jejunans flebam: quia dicebam, Quis scit? gratiam potest facere mihi Iehova ut vivat infans. At nunc mortuus est: quorsum ego jejunarem? possémne revocare eum denuo? ego sum abiturus ad ipsum: at ipse non est reversurus ad me.* Itaque David consolatus est Bathsebam uxorem suam. *2. Sam. 12. 21. 22.*

Videantur plura titulo *Modi & Modestiæ.*

Modestiæ.

❡ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Chrysostomus:* Accidit interdum ut & intempestiva modestia quispiam utens detrimentum adferat; & contra eximium aliquid de se opportunè prædicans prosit. *Homilia 22. ad Corinthios 2.*

Isidorus Pelusiota: Ecquis te absurditatis non accuset, quòd cùm, & opes, & genus, & adumbratum hunc honorem contempseris, multisque ad humilitatem iter præmonstraveris, nunc tamen superbia laborare deprehensus sis, velut divinæ legi insultans, quæ cũ qui extolli velit, deprimi jubet? Quamobrem nisi arrogantiæ fluctibus omninò depressus es, animum ad ea, quæ promisisti, excita. Neq; enim hoc te fugit, modestiam animiq; summissionem, unà cum virtutibus crescentem, Dei imitatores eos efficere, qui sic vivunt: arrogantiam autem non modò præsentia virtutis officia evertere, sed etiam eum, qui alta cervice est, ex ipsis cælis exturbare. Id quod Lucifero, qui manè oriebatur, accidit. *lib. 1. Epist. 15.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui, cùm nullum in se bonum agnoscat, verborum modestia utitur, ignoscens, vel agnoscens potiùs, ac non modestus est. At qui post multas virtutes summisse de se sentit, is demum propriè est, qui modestum se præbere novit. *l. 2. Epist. 232.*

S. Isidorus Pelusiota: Eum, ô modestiæ nativum simulacrũ, haudquaquam laudo, qui in privata quidem vita perquàm summissum & humilem se præbet, in imperio autem ac magistratu majora quã pro naturæ humanæ conditione, opinionis errore sibi fingat (ignavi enim profectò atque ingenerosi & plebei hoc esse existimo:) verùm eum, qui, cùm in privatorũ numero est, sublimẽ & excelsum, cùm autem præsul creatus est, facilem se ac modestũ præstat, morbosq; utrique rei insidiantes vitat, illi nimirum humilitatem, huic autem superbiam, *l. 3. Epist. 48.*

S. Isid. Pelusiota: Ad modestię summissionisq; animi fastigiũ hac demũ ratione conscendemus (neq; enim eum ego descensum sed ascensum esse statuerim) si pestiferum & exitialem superbiæ fastũ, atq; ad orcum detrahentem arrogantiæ tumorem extinguamus, & in omnib. rebus modestiam colamus, nec quicquã, tanquã nullum hinc detrimentum accepturi, contemnamus. Etenim ea, q̃ fiunt, anima sequi consuevit: atque naturæ vi ad ea quæ studio habet, sese informat & effingit. Quamobrem sit nobis & gravis habitus, & mitis obtutus, & demissum supercilium, & minimè superbus incessus, & necessarius vestitus, & humilis cathedra, & frugalis ac plebeius victus, & stragulũ nihilo præstantius quã necesse sit, & supellex ad tenuitatem ac vigilitatẽ cõparata, & domus Christianis digna, itẽque & sermo, & vox, & congressus cũ aliis ad modestiã potiùs quã ad tumorẽ & arrogantiã spectet. Sic enim in omnibus rebus modestiam colentes ad cælestem arcem ascendemus *lib. 3. Epist. 179.*

S. Isid. Pelusiota: Ego, & si mirum esse videatur id ꝙ dicturus sum, tamen *μεγαλοφροσύνην* (hoc est animi magnitudinẽ) *τὴν μετὰ λόγου φρόνησιν* (id est animi affectum cum ratione conjunctum) esse statuo. Neq; enim si quis ab assentatione abhorreat, hunc inter arrogantes numerare oportet: nec rursum si quis adulator & sordidus atq; ignavus sit, modestum hunc existimare convenit: verùm eum demum, qui cũ ea q̃ cõsentanea sunt, facit, tamẽ adversus alios minimè inflatur, nec se omnib. anteponit, verũ eo gradu atq; ordine, q̃ ingenuos viros decet, seipsum cõtinet. Magnanimũ enim esse oportet, non superbũ & arrogantẽ: fortem, non temerarium: suavem ac facilem, nõ abjectum & servilem: modestum, nõ humilitatis simulatorẽ, ingenuũ & liberalẽ, nõ servilẽ. Cujusmodi videl. Abrahã erat, q̃ Persicas quidẽ manubias & barbarica spolia contẽnebat, in excipiendis autem hospitibus quibusvis hominibus humiliorem

se præbebat,servilia nimirum munera exequens: atque cùm ad divinum colloquiũ admitteretur,dicebat,Ego sum terra & cinis. Hoc autem verè modestiam & humilitatem ac sublimitatem in unum colligere est. Hoc inquam est ingenuitatem à superbia puram ac liberam demonstrare. Contrà qui vitijs virtutum nomina imponunt, omniaque permiscent, ut virtus ægrè internosci queat, virtutem ipsam meo quidem judicio velut in exilium mittunt. *l.3. Epist. 264.*

S. Isidorus Pelusiota : Is quidem, qui virtutem colit, præclaram coronam habet : at qui virtutis officia præstans, minimè tamen se præstitisse existimat, hoc etiam ipso, quòd ita affectus sit, splendidiorem coronam habiturus est. Non minoris enim, quàm virtutes ipsæ, laudis est, cùm ex virtute aliquid geras, minimè tamen te gessisse arbitrari. Imò, ut rectiùs loquar, hoc cùm adest, illa quoque magna esse judicat:cùm autem abest,etiam maxima quæque imminuit. Quamobrem qui virtutes suas magnas reddere cupit, ne eas magnas esse existimet : ac tum magnæ erunt. *lib.3. Epist.373.*

S. Isidorus Pelusiota:Ego modestum & animi magnitudine præstantem eum voco, qui cùm maximis virtutis muneribus fungatur,non tamen ob magnas & præclaras actiones gloriam affectat, verùm virtutes suas silentio tegit,nec in proximos insultat. Quatenus enim magna efficit, magnificè sensit: quatenus autem ea occultavit,modestè. Siquidem is, qui parvo animo est, magnanimo opponi debet:non autem qui summisso & humili. Exiguè enim sentit,qui terrena insomnii errore sibi fingit, magnè autem & excelse,qui ea,quæ mundo sublimiora sunt, quærit. Unde etiam à magna quidem & sublimi mente animi summissionem ad modestiam procreari contingit:à parva autem & vili arrogantiam. At enimverò eum judicii sinceritate prȩditum, nõ autem modestum, vocare debemus,qui cùm peccet, id confitetur, ac pœnitudine ducitur,ut Publicanus. κενόδοξον autem, hoc est inanis gloriæ morbo laborantem, qui ob ea, quæ minimè agit, gloriam consequi cupit: φιλόδοξον verò,id est gloriæ amantem,eum,qui ob ea,quæ agit,sibi placet:insolentem item,qui facit quidem,sed eo nomine gloriatur, aliosque probris afficit:magnanimum porrò,eum,qui & res secundas moderatè,& sinistras fortiter ac strenuè fert: μικρόψυχον denique,hoc est parvi animi hominem, qui contraria magnanimo facit,ac moderatur. *l.3. Epist.381.*

❡ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Crates:Ne abstineas à pulcherrimo ornamento.Sed orna te quotidie ut excellas.Pulcherrimum verò ornamentum est,quod ornat pulcherrimè.Ornat autem pulcherrimè, quod ornatissimam reddit.Ornatissimam autem reddit modestia,qua mihi videtur Penelope & Alcestis ornatæ fuisse, quarum etiamnum virtus celebratur,& colitur.Ut igitur etiam tu eis par fias,totis viribus incumbe, ut hanc adhortationem exequaris. *Epist.9. Mnasi.*

Epictetus:Divitiæ non sunt in bonis.Luxus in malis est, modestia in bonis.Modestia vocat ad frugalitatem & paranda bona: opulentia ad luxum, & abstrahit à modestia. Difficilè igitur est,vel in divitijs modestiam colere, vel in modestia parare divitias. *apud Stobæum.*

Simplicius:Modestiam enim bono viro suaviorem videri quam luxuriam improbo, illud ostendit, quod multi improbi modesti fiunt. Qui vero ratione & consilio modesti sunt, nunquam luxum amplectuntur. Enimvero nisi talis vita modestis insigniter jucunda esset:non eam ultro amplecterentur, nec in ea suaviter acquiescerent. *fine cap.4. in Epictetum.*

Heliodorus:Deinde indolem & ingenium probum & modestum certis argumentis perspicio. si enim forma superat omnes & aspectus verecundia, etiam illam intuentes ad gravitatem quandam invitat,an non egregiam quoq; de se existimationem meritò relinquet? *libro Æthiopicorum primo.*

❡ Poetarum.

D. Nazianzenus de vita sua.

Πᾶσιν γάρ ἐστι προσφιλὲς τὸ μέτριον.
Amica certe est omnibus modestia.

Periander apud Ausonium.

Si fortuna juvat, caveto tolli;
Si fortuna tonat,caveto mergi.

Ausonius de Agathocle Siciliæ rege.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto,
Fercula gemmatis cùm poneret horrida vasis,
Et misceret opes pauperiemq; simul.
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ,figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe,quicunq; repentè
Dives ab exili progrediere loco.

❡ Emblematis.

Camerarius LXXI. Centur. I.

Modesta juventus, Honesta senectus. Hemerocallis.

Disce puer virtutem ex me nec flore superbi:
Matura tollat fruge senecta caput.

Quò felicior,eò modestior. Embl. XXIII.

Quo se quadrigis altius tollit suis,
Diale lumen Cynthij:
Hoc & vagantum de suis rotis jacit
Umbras minores corporum.
Benè præparatum pectus, & prudentiæ
Succis recoctum:quo magis
Fortuna vultu lubrico favet,catè
Hoc se gerit submißius.

Flor. Schonhovius.

❡ Apophthegmatum Sacrorum.

Abrahamus rogat modestè Hetthæos, ut apud Ephronem pro agri emptione intercedant, dicens: det mihi cavernam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui:pecunia tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri. *Genes.23.9.*

David:Saul à Davide sine causa formidans filiam natu majorem in uxorem ei assignavit.Dixit verò David ad Saulem, Quis sum ego?aut quis autor vitæ meæ?aut familia patris mei in Israele,ut sim gener regi?Servis autem Saulis qui de regis benevolentia multa efferebant,dicebat,An videtur leve in oculis vestris affinitate jungi cum rege,cùm ego sim vir pauper & vilis? Hac modesta responsione præclaris rebus gestis deinde sancita,David sibi prudenter consuluit. *1.Sam.18.17.22.*

Abigail:Nabale mortuo,David ad Abigailem viduam ejus misit per quos alloqueretur ad ducendam eam sibi uxorem. Illa ad hunc nuncium surgens incurvavit se facie demissa ad terram,& dixit, *Ecce ancilla tua in famulam ad lavandum pedes servorum Domini mei.* Deinde secuta legatos Davidis fuit ei uxor. *1. Samuel. 25. 41.*

Iesus Christus Dominus noster : Postquam lavisset pedes discipulorum suorum,dixit eis, Intelligitis quid fecerim vobis ? Vos me vocatis,præceptor,ac Domine,& rectè dicitis:sum enim. Itaque si ego lavi pedes vestros dominus & præceptor, vos quoque debetis alij aliorum pedes lavare. Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis,ita & vos faciatis.Servus non est major domino suo, neque Legatus major eo qui ipsum misit.Si hæc noveritis, beati eritis si ea feceritis. *Ioan.13.12. &c.*

D. Paulus Apostolus : A Festo præside, ob piam eruditionem insaniæ insimulatus, respondit modestè, Non insanio,optime Feste: sed veritatis & sobrietatis verba loquor. *Act. 26. 25. Vide epist. ad Philem.v.14.*

Gr. Nazianzenus: Gregorius Nazianzenus quum in templum deductus esset,& Imperator rogaretur ab adstantibus,ut Nazianzenum Episcopum in throno collocaret, ille per quendam (præ vitæ continentia enim & corporis infirmitate exilem vocem habebat) his verbis multitudinem affatus est. O filij,nunc tempus est ut beneficium à Trinitate acceptum agnoscamus,gratiasque ipsi agamus.De throno autem aliâs agemus. Hæc verba audiens populus mitescebat:Imperator verò hominis modestiam ad stuporem usque mirabatur. *Gregorius Presbyter in vita Gregor. Nazianzeni.*

Cantacuzenus:Cantacuzeno Magno Domestico cùm res feliciter succederent, fortunam non lacessivit, neque immodicè supercilium erexit : sed retenta animi gravitate, intra modestiæ limites immotus mansit. Nunc verò,inquit,me sobrium esse oportet,cùm alij non ebrij esse non possunt. Prosperi enim successus humana ingenia cum primis explorant,& vecordes tam insolentes reddunt, quàm cordatos constantiæ & gravitatis laudibus cumulant. *Niceph. Gregoras,l.9.*

❡ Apophthegm. Christianor.

Alphonsus Aragonum Rex: Modum in rebus esse,& certos fines, auctor est Horatius; & post eum,idem testatus Alphonsus : quem cùm Lucas vir disertissimus, gravi Oratione laudasset, hoc ab eo responsum accepit: *Si vera sint quæ de me prædicas, Deo gratias ago: sin aliter se habeant, ut vera aliquando sint, rogo.* *Panorm. lib. 1. de Gest. Alphon.*

Idem : Infectâ in quâ versabatur urbe sanguinis profluvio, jaspidem quem secum ferre solitus, ad mulierem quamdam eo morbo laborantem misit. quæ ubi sanitatem recepit, venit gratias actura; quodque jaspidem sinistro casu perdidisset, insinuat. veniam Rex daret. Increpant eam Proceres, & ingratitudinis meritò arguunt. At Alphonsus nihil mutato vultu summa cum Modestia *Matrona*,inquit, *ij qui parvam suæ valetudinis curam habent, mirantur si tu ut valere poßis, lapidem retinuisti.* O prædicandam cum humanitate conjunctam Modestiam. *Bapt. Fulgos. lib.5.*

Require Apophthegm. de Mediocritate,& Cognitione sui.

❡ Monosticha Trochaica.

Accipienda pro modestia, crebri oris confusio.
Consulit sibi bene, imo & alteri modestia.
Cum felicitate raro convenit modestia.
Cum virtutibus quoque una crescit & modestia.
Cuncta longioris ævi sunt quibus modestia est.
Cuncta perferunt præter contumeliam modesti.
Damnum si saltem haud parit metum parit modestia.

Deprimit

Deprimit nullum, imò tollit quemlibet modeſtia.
Eſt modeſtus qui peccare tunc negat cùm liberum eſt.
Fœminæq; & adoleſcenti pulcra res modeſtia eſt.
Frena riparum contemnit magni curſus fluminis.
Hoc modeſtia eſt toleranti, quod mari ſcintillula.
Hoc viri eſt, fortunam habere cum modo & modeſtia.
Iam ſuperbia expleta famam appetit modeſtia.
Impiæ rei injuſtave nil modeſtus perpetrat.
Invidet nemo beatis queis comes modeſtia eſt.
Morbus eſt nobis magiſter ſerus ad modeſtiam.
Ne quidem modeſtia ſummis ſpernitur mortalium.
Ne quidem omnis proſtitutas deſerit modeſtia.
Non jacet, mage elevatur qui litat modeſtiæ.
Nil lædentes ſic refrenat læſi quam modeſtia.
Nulla dos animi eſt, cui non det decus modeſtia.
Nunquam una domo morantur Faſtus ac modeſtia.
Ob modeſtiam unam Atrides factus eſt gener Iovis.
Ornamentorum omnium pulcerrimum eſt Modeſtia.
Pax parens protervia, eſt in triſtibus modeſtia eſt.
Principum finisq; virtutum omnium modeſtia.
Pulcrum habere mentem innexam vinculo modeſtiæ.
Qui de ſe ſentit modeſtè commendatur omnibus.
Quis poteſt tumere cùm ſe cinerem aquamq; cogitat?
Raròpax Felicitasq; honorem habet modeſtiæ.
Rectè facta nil commendat æquè quam modeſtia.
Strenuè geras tuam rem ſed ſine immodeſtia.
Supplici clemens, in hoſtes pervicax modeſtia eſt.
Terræ inſtat, ſupraq; cælos tollitur modeſtia.

¶ JAMBICA.

Acceptius nihil Deo eſt modeſtia.
Aliud modeſtia, aliud eſt conſcientia.
Animo modeſtus eſto, non ſermonibus.
Caput bonorum eſt omnium modeſtia.
Cognata prima Charitas modeſtiæ eſt.
Confuſio oris crebra, index modeſtiæ.
Corona virtutum omnium modeſtia eſt.
Donum Dei pulcerrimum modeſtia.
Eſt proſtitutis aliqua etiam modeſtia.
Etiam æſtimata a Dijs fama eſt modeſtia.
Etiam ut modeſtus ſis jubet mortalitas.
Illuſtrat animi dotem omnem modeſtia.
Immanem animum tegit modeſtia ſubdola.
In orbe nil anguſtius modeſtia eſt.
In Regibus moderatio res rarior.
In urbe ubi eſt metus eſt ibi modeſtia.
Intra ſuam fortunam, qui ſapit, manet.
Luxuria ubi eſt, inde exulat modeſtia.
Mater bonorum, es omnium modeſtia.
Mater bonorum, io, actuum modeſtia!
Modeſtia exſors eſt pax ac felicitas.
Modeſtiæ fama æſtimatur & a Deis.
Modeſtiæ formæq;, rara copula eſt.
Modeſtiam a ſe omnis fugat felicitas.
Modeſtior ſapienti inceſſus convenit.
Nec ſpreta ſummis regibus modeſtia eſt.
Periclitatur inter opes modeſtia.
Quam ſe premit, tam ſe elevat modeſtia.
Quis exigat, quam non præſtat modeſtiam?
Quo maior eſt quis, hoc ſit & modeſtior.
Quò maior ipſius es, tanto ſpira minus.
Rebus ſuperbis detrahas ſuperbiam.
Sæpe eſt metus, non indolis, modeſtia.
Simulat tamen modeſtiam immodeſtia.
Tam clara Regis quàm rara eſt modeſtia.
Vbi eſt modeſtia ibi eſt item dilectio.
Vbi negotium eſt, ibi eſt modeſtia.
Virtutum omnium eſt penus modeſtia.
Virtutis omnis vis caput? modeſtia eſt.

Modi.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

Greg. Nyſſenus: Quis neſcit virtutem eſſe menſuram, quam metitur medium eorum quæ juxta eam conſiderantur? nō enim poteſt eſſe virtus, cui vel deeſt, vel cui excedit conveniens menſura: ut in magni & excelſi animi virtute, cujus quod deficit quidem eſt timiditas; quod exuperat autē eſt audacia. Quamobrem externæ ſapientiæ nonnulli, à noſtris forte ſuffurati, alius quidem, ut nihil deeſſet conſuluit in apophthegmate: alius verò quod nimium eſt, prohibuit. nam hic quidem eſſe menſuram optimam pronūciavit; alter verò, ut ne quid eſſet nimis, lege ſanxit. per utrumq; autem oſtenditur, quod nō aſſequi menſuram quæ ex virtute quæritur, eſt ex ijs quæ ſunt reprobata, & convenientem exſūperare modum, eſt rejiciendum. *Homil. 5. in Eccl.*

S. Iſid. Peluſiota: Virtutis labor moderatus ſit: ne immoderatus mutationis modus exiſtat. *lib. 2. Epiſt. 45.*

S. Iſid. Peluſiota: Animi moderationi, optimi viri, ſtudendum eſt. Per moderationem autem, non aſſentationes & blanditias majoribus adhibitas, ſed demiſſionem ad inferiores, non ſervilem affectū, ſed lenitatem ac morum facilitatem, non hypocriſi plenam, ſed ſimplicem & ingenuam, cauponariæq; artis ignaram intelligo. *lib. 3. Epiſt. 222.*

S. Iſid. Peluſiota: Nec vanum & arrogantem eſſe oportet, nec adulatorem, verùm utriuſq; vitij exceſſum fugientem, liberum eſſe: ſic nempe ut nec in faſtidium & inſolentiam quiſpiam declinet, nec in ſervilem quandā animi affectionē prolabatur. *l. 3. Epiſt. 379.*

¶ LATINORUM.

Io. Sarisberienſis: Ne declinet rex in partem dexteram vel ſiniſtram. Ad dexteram declinare, eſt virtutibus ipſis vehementer inſiſtere. ad dexteram declinare, eſt in virtutis operib. quæ in modo cōſiſtit, modū excedere. omnis verò vehementia ſaluti inimica eſt, & exceſſus omnis in culpa, bonarumq; rerum conſuetudo nimia peſſima eſt. Unde Ethicus:

Inſani ſapiens nomen feret, æquus iniqui,
Vltra quàm ſatis eſt, virtutem ſi petet ipſam.

Et Philoſophus: Cave quod eſt nimiū: quia ſi hæc ipſa cautela modeſtiam deſerit, eo ipſo à tramite virtutis, incautè recedit. Salomō quoq;: Noli, inquit, nimis eſſe iuſtus. Quid ergo nimium prodeſt, ſi regina virtutem juſtitia in ſui nimietate obeſt? Alibi quoq;, nimia humilitas maxima pars ſuperbię eſt. Ad ſiniſtram declinare, eſt per abrupta vitiorum à via virtutum declinare vel deviare. item deflectitur ad ſiniſtram, qui in ſubjectorum culpis nimis pronus eſt ad vindictam; & ad dexteram greſſum torquet, qui diligentibus ex māſuetudine nimis indulget. Iter autem utrumque devium eſt: ſed id quod ad ſiniſtram vergit, pernicioſius eſt. *l. 4. Policratici c. 9.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Hippocrates: Equidē nō ipſum morbū eſſe puto, ſed nimis exuperantē doctrinā, q̄ revera modū ſuperare, nō poteſt, ſed ita vulgò exiſtimatur, cū neq; modū exuperās virtus unquā ſit noxia. Quòd verò exuperat, ꝓpter eorū q judicāt inſciſciā, morbi opinionē prębet. Quiſq; a. ex his q̄ nō habet, ꝙ in alio abūdat, modū excedere opinatur. Ita ſanè timidꝰ fortitudinē, & avarꝰ animi magnitudinē modū excedere ſentit, omniſque defectus virtutis moderationem exceſſum eſſe putat. *Epiſtola ad Dionyſium.*

Epictetus: Modꝰ pecunię corpꝰ eſt unicuiq;, ut calcei pes. Si igitur in eo inſtiteris, modū ſervabis: ſin prӕterieris, jam veluti per p̄cepſ te ferri neceſſe erit. ut & in calceo, ſi ultra pedē ꝓgreſſus fueris, fit auratus calceus, deinde purpureus, deinde interpunctus. Ejus enim quod ſemel tranſierit modum, nullus eſt terminus. *c. 61. Enchiridij.*

Simplicius: In reb. corporis, ut veſtibꝰ, victu, poſſeſſionibus, pecunijs, duo hęc ſunt: eorū acq̄ſitio, & uſus. Priꝰ igitur de uſu locutꝰ, eatenꝰ ijs utēdū eſſe quatenꝰ ad nudam corporis curationē faciant, omne ſupervacuū ꝙ ad gloriā aut delitias pertineat, removēdo: nūc de acq̄ſitione eorū docet & hujus quoq; modū dicit eſſe corpus. Nā & acq̄ſitionis modꝰ eſt uſus (eo. n. acq̄rimus, ut utamur) & ipſius uſus modꝰ eſt corpus, ejuſq; neceſſitates. Perſpicuū igitur etiā acq̄ſitionis modū eſſe corpꝰ. cujuſq; neceſſitates. Quare ſi quis ad eas neceſſitates reſpexerit, pellib. ſimplicib. erit cōtētus: quarū ſuperiores foveāt pedē & muniant, ſoleæ vero id p̄ſtent ne pede nudo calcētur noxia. Sin q̄s id ꝙ pes exigit exceſſerit, & ad ornatū delitias deflexerit, auratꝰ fit calceꝰ, inq̄t: deinde purpureꝰ, poſt interpunctꝰ. Tāta a. fuiſſe videtur apud Romanos in cōficiendis calceis purpureis & interpūctis curioſitas, ut auratis etiā p̄ferētur. Eadē eſt & rei familiaris ratio ac rerū corpori neceſſariar. Si q̄s. n. mēſurā neceſſitatis trāſierit, ejuſq; terminū: jā ſine termino vagabitur, alia alijs adjiciēdo, donec ad extremas delitias & vanitatē pręceps feratur. Per hęc enim fit quoddā quaſi divortiū à regula: & q̄ id ſeq̄tur, inexplebilis egeſtas, & ejus comes afflictatio. Nā ſi decē paravimꝰ, volumꝰ habere viginti: ſi hæc, quadraginta, & ſic deinceps, nec ullus finis eſt prolabēdi in vaſtū illud atq; immēſum pelagus inſatiabilis cupiditatis. Cōſtat enim, in ſingulis ijs, q̄ ad uſum corporis adhibētur, poſſeſſionē q̄ limites excedit, recidere in infinitum, ut jam ſcopi & uſus obliviſcatur ad quē pertinet, qui corporis eſt curatio. Quare ſępe ipſum corpus amittimus, dum iſta ſine modo cumulamꝰ. Quid vero ſi calcei exēplum eo adhibuit, ꝙ is, niſi magnitudini pedis reſponderit, quamvis ornatu modū nō exceſſerit, ſæpe nos allidet, ꝓſternet, deniq; in præcipitū aget? Ex ijs porro q̄ de uſu dicta ſunt, ea quoq; diſtinguenda ſunt quæ ad acquiſitionem pertinent. *ad cap. 61. Epict.*

Hierocles: Neq; verò negligenda cura eſt valetudinis, ſed modus adhibendus potioni & cibo atq; exercitationi. fore a. modum eum optimū aſſero, qui tibi moleſtiā non pariat. Mortale corpus, ꝙ nobis inſtrumēti loco ad vitā in terris agēdam datū eſt, nec decet immodicis curationib. ſaginare; nec vexare neceſſariorū ſubſtractione. Officit. n. ex ęquo utrumq;, & uſum ipſius adimit. Quò fit ut mediocriter ipſis inſervire; neq; negligere, cū inſultat; aut morbis etiā agitatur, verſus adhortetur: ut, cū ſecundū naturā conſtiterit, operā ſuā, nullo avertēte animo navet principatū gerēti; eoq; duci queat, quò ipſe voluerit. Eſt enim animus ipſe, qui utitur: corpus autem, ꝙ ſui p̄ber uſum; cujuſq; artifici cura eſſe debet. Neq;. n. eo tantū velle uti neceſſariū eſt: ſed juſtā etiā dare operam, ut rectè ſe habeat, quo nobis inſerviat. Quoniā a. natura ipſius in aſſidua generatione, atq; corruptione verſatur; ipſumq; nutricātur repletio, & inanitio, partim q̄dē alimēto refundēte ꝙ effluxit; partim verò exercitationib. ꝙ abūdat expellētibꝰ: modus eorū, q̄ cùm ingeſta, egeſtaq; ſunt, im-

pletionem atque vacuationem faciunt, ſtatuendus eſt. Fuerit verò modus iſte, ratio illa, quæ corporis habitum cum animi operationibus, ad cogitationem, commentationemq; pertinentib. cõjungit, & ob id valetudinis curam habet, quæ ſapientiæ ſtudioſum deceat. Eliget igitur iſte & exercitationes, & alimenta, quæ nec immodicè ſaginent corpus; nec ipſum ſupra modum ab animi cogitationibus avertant. Non enim corporis curam gerit ſimpliciter; ſed corporis animi cogitationib. inſervientis. quò fit, ut Athleticam victus rationem aſpernetur; quæ corpori famulatur, neglecto animo: omnemq; fugiat corporis curationem, quæ σωμασκία dicitur, tanquam intelligenti animi luci contrariam. Verùm, quantùm poteſt ad diſciplinarum tractationem, & ad præclara opera bonus inſervire corporis habitus; eum ille adipiſci conabitur, qui prudenter vitam agere inſtituit. Ad eum ſiquidem referuntur quæ habentur, ubi modum ſe dicere ait, qui te non lædat. Quaſi dicat; te (qui animus es rationis particeps) damno non afficiat habendi corporis modus: te, inquam, eorum, quæ ſuperiùs præcepta ſunt, obſervatorem atq; cuſtodem, cibos ejuſmodi, & potiones, atq; exercitationes adhibere oportet, q̃ docile corpus ad virtutum opera efficiant: quæque quod eſt rationis expers ad reſpuendas moderantis animi habenas nequaquam impellant. Eſt verò magna attentione curandi corporis, expendenda ratio: tanquam motuũ, qui ab ipſo prodeunt, cauſam ſuſtineat. Ingraveſcit enim vitij particeps equus, non ſimpliciter; ſed ſi ab ijs male educatus fuerit, à quibus regitur. In modi autem ratione circa opus aſſignanda, cibo potionem ideò præmiſit, quòd difficilius ab ea caveatur; quodque in proclivi magis ſit; & quod bonam corporis habitudinem conturbet. Imprudens enim ſupra modum potioni facilius quis indulſerit, quàm cibo. Addidit autem tertio loco exercitationis præceptum, tanquam ea repletionem, quæ fit ab alimentis, corrigi, & rurſus ad ſalubrem nutritionem viam præparari ſignificet. Circulo enim veluti quodam in ſeſe mutuò redeunt alimentum & exercitatio, itemque exercitatio & alimentum. Vires namque ad exercitationem nutritio ſuggerit, quæ idonea eſt: ad nutritionem autem, quæ firmum corporis habitum efficiat, exercitationis temperatio. Sed eſt iſtorum modus alius alij, pro cujuſq; curandi corporis ratione, quæ ſpectat ad inſtitutum. Dant enim operã omnes ut ipſum ad id commodum efficiant, quod amplexi ſunt. Palæſtricus quidem ad luctæ motus: agricola vero ad labores agriculturæ ſuſtinendos Et alius deniq; ad aliud, corporis obſequiũ trahit, atq; fingit. Quidnam igitur Philoſophus? At quid intentus volet corpus dirigere? Cujus inſtrumentũ potiùs, quàm philoſophię, atq, operum ipſius, ſtudebit efficere? Qua ratione igitur prudentiæ inſtrumentum corpus poteſt evadere; ſic ipſum modis omnibus educabit, atq; inſtituet; animi imprimis curam habens, corporis autẽ propter iſtum Neq; enim illud ei prætulerit, qui utitur. neq; omnino ejus curam rurſum negliget, propter utentem; ſed ſuo loco ejus, tanquam organi, curam geret, ad ipſius robur, qui utitur, corporis etiam valitudinem referens. Itaque non quibuslibet rebus ipſum educabit; ſed quibus ſolis oportet. Sunt enim nonnulla, quibus veſci non decet, tanquam illis corpus ingraveſcat & qui animo cognatus eſt ſpiritus ad viliores affectiones pertrahatur; Quorum autem veſci licet, quantitatem, & tempus metietur; &, ut inquit Hippocrates, diligenter cõſiderabit anni tempeſtatem, regionem, ætatem; cæteraque hujus formæ omnia: neq;, niſi excuſſa ratione, ijs impleri concedet, quibus veſci fas eſt: nec eadem juveni atq; ſeni victus rationem temerè præſcribet; aut ſano atq; ægroto: aut tyroni in philoſophia, atq; in eadem maxime provecto. Hæc verò omnia menſura Pythagorica complexa eſt; cùm ne tibi moleſtiam pariat, adjecit. Cuncta enim, quæ ad vitæ felicitatem ſapientiæ ſtudioſo conferũt, verborum iſta brevitate ad corporis curam retulit: & ad ea, quæ antè dicta fuerant, corporis etiam valetudinem nequaquam eſſe negligẽdam adjecit: ut ibi utentis virtutem ſignificari demonſtraret; hic autem inſtrumenti incolumitatem. Iſta igitur illis conjunge, & invenies, quiſquis ſis, cui præcipitur; eum debere modum exiſtere regẽdi corporis, Qui tibi moleſtiam non adferat: qui rectum vitæ inſtitutum non remoretur: ſed qui animum ad virtutem contendentem opera ſua adjuvet. Quòd autem potionis, atque cibi modum dixit; exceſſum atq; defectum vetare ſe verſus innuit; amplecti autem ꝙ medium ſit, atq; temperatum, unde & gulæ moderari; & ſomno, & veneri, & iræ nullo negotio conceditur. Quod enim hoc loco modi nomine ſignificatur, exceſſum reprimit, qui in illis exiſtit; dolorẽque non adimit tantùm, ſed illud etiam, quod feſtinantem ad Deũ, qui mens eſt, animum retrahit, atque deprimit. Decet enim ipſum, cùm ad mẽtem aſcendit, tranquillum exiſtere, nec perturbationem ventis agitari; ſed habere recte compoſita quæ inferiora ſunt, ad quietam ſuperiorum contemplationem. hic ipſe modus eſt, qui dolorem non pariet. Hoc ipſum, quod & ventrem ſimul continebit, & organi incolumitatem pręſtabit. Oſtendit pręterea animi virtutem; nec corporis ſolvet habitum. Pars enim virtutis eſt, & ſervandi organi rationem non ignorare, & commodum reddere ad uſum, qui ſapientiæ ſtudioſo conveniat. Quoniam autem non in alimentis tantum, atque exercitationibus, verſatur corporis cultus, ſed multis etiam rebus alijs indiget (cujus generis veſtimenta ſunt, & calceamenta, & ſupellex varia, atque domus, qua continentur iſta omnia: opus autem eſt in iſtis etiam mediocritate, quæ luxum atque immunditiam à tota vitæ ratione removeat) non immeritò ſubjecit. *cap.32. Carm. aur. Pythag.*

Libanius Hoc apprimè humanum & tutum eſt, modum non excedere. *Declam. 1. & 40.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Optimus tamen modus eſt, quis negat? ſed nõ minus non ſervat modum qui infra rem quàm qui ſupra; qui adſtrictius quàm qui effuſius dicit. *lib. 1. Epiſt. 20.*

Plinius Iunior: Non vereor in amore ne modum exceſſerim. neque enim periculum eſt, ne ſit nimium, quod eſſe maximum debet. *fine Epiſtolæ ultima. lib. 8.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 58. de Virtute humana.

Miſſilibus telis ſemper pete providus album.
Non ultra Chriſti tendat præcepta ſagitta:
Non etiam citra. ſic namq; utrinq; feretur
Irrita. ſæpe etenim immodicus conatus ab omni
Deficitur fructu, vana dum laudis amore
Tela, modum præter, curvato mittimus arcu.

D. Nazianzenus Carmine 62.

Μήτε δικαιοσύνην τὶν ἀκαμπέα μήτε φρόνησιν
Ἀγκυλόεσσαν ἔχειν μέτρον ἄριστον ἅπαν
Νωμᾶσθαι καὶ θάρσος ἐπεὶ θράσος οὐ κράτος ἐστί.
Ἐστι σαοφροσύνης καὶ τι γαληνὸν ἔχειν.

Nec tibi jus rigidum, tibi nec prudentia rurſus
Subdola ſit. melius nil queat eſſe modo.
Fortis in audacem migrat moderamine dempto:
Iucundiq; aliquid caſtus habere poteſt.

Auſonius ludo VII. Sapientum.

Cleobulus auctor ſum inclitæ ſententiæ:
Ἄριστον μέτρον quem dixiſſe exiſtimant,
Modus optimus. poeta dixe iſtoc loco
Afer videtur veſter, Vt ne quid nimis.
Et noſter quidam μηδὲν ἄγαν. huc pertinet.
Vterq; ſenſus, Italus ſeu Dorius:
Fandi, tacendi, ſomni, vicinus modus,
Beneficiorum, gratiarum, iniuriæ,
Studij, laborum. vita in omni quidquid eſt,
Iſtum requirit optimæ pauſæ modum.

Auſonius Edyllio 3.

Parvum herediolum fateor: ſed nulla fuit res
Parva unquam æquanimis: adde etiam unanimis.
Ex animo rem ſtare æquum puto, non animum ex re.
Cuncta cupit Craſſus, Diogenes minimum.
Spargit Ariſtippus medijs in Syrtibus aurum.
Aurea non ſatis eſt Lydia terra Midæ.
Cui nullus finis cupiendi eſt: nullus habendi.
Ille opibus modus eſt quem ſtatuas animo.

¶ Apologi.

De Ovibus immoderatè ſegetem depaſcentibus.

Fab. 186.

Agricola conquerente, quod oves univerſam ſegetem depopularentur: Jupiter eis præcepit, ut modeſte depaſcerent. Quæ quum præceptis non obtemperarent, lupo injunctum eſt, ut oves moderatè puniret. Sed paſtore conquerente, totum ovium gregem à lupo occiſum, Jupiter iratus venatori imperavit, ut lupum perimeret. Quod ille impigre eſt executus.

Fabula indicat, nullum immoderatum eſſe diuturnum. Abſtemius.

¶ Emblematum.

Camerarius XVI. Centur. I.

Ne rumperer. Quercus ſciſſa vimine iterum juncta.

Conſilio moderato animos frænato furentes,
Vt rigidas quercus vimina lenta ſolent.

Camerarius LXIV. Centur. 3.

Idem cantus gemitusq; Turtur

Fortis in adverſis, timidus ſed vive ſecundis,
Neu te hæc extollant, illave dejiciant.

Camerarius LIX Centur. 4.

Tutus per ſumma, per ima.

Nautilus ut placidum & ſævum mare ſuſtinet æquè,
Sic itidem fortis ſorte in utraque animus.

Catſius Emblemate ſacro IV.

Ne quid nimis.

Pan, ſatis eſt modico caleat ſi corpus ab igne:
Quid miſer in flammas & tua damna ruis?
Omnis amor vehemens, malus eſt: nimis uxor amari,
Et puer, & genitrix, & pater ipſe poteſt.
Omnis in alterius (procul hinc prætextus amici)
In propria nimius coniuge ſordet amor.
Ni modus, & ratio juvenilibus imperet auſis,
Quiſquis es, in propria coniuge mœchus eris.

Monosticha Trochaica.

Ad virtutem eunti oportet adſit & modus ſuus.
Admodum humanum atq; tutum eſt, egredi nuſquã modũ.
Arduum eſt ſervare rebus proſperantibus modum.
Eheu, cur ego plus minuſq; feci, quàm æquum fuit!
Eſt modus re in omni, cuiq; haud transgredi prudentiũ eſt.
Ex ſapientia retinere difficillimum eſt modum.
Hauriendum haud cuiq; quantum quærit, at quantũ capit.

In bonis servare rebus & modi legem aureum est.
Instabili loco omne pendet quidquid excessit modum.
Largior cùm sit avarus, illicò excedit modum.
Maximè sapit, secundis rebus qui statuit modum.
Ne quid plus minúsve faxis, quod te pigeat postea.
Nec parum nimiumq; faxis: optimus passim est modus.
Non quantum velis sumendum est tibi sed quantum debeas.
Nulla res est, luculenter cui modus non commodet.
Optimum modum putato qui vacat molestia.
Pœna dicenda haud voluptas, cui modus jam haud est suus.
Quidquid excessit modum omne pendet instabili loco.
Re secundâ, animum ne tolle: neu dimitte, re mala.
Satietas morbosa res est, res morbosa est otium.
Si modum servare nescis, commodus jam nemini es.
Sive læta sive tristis sors sit, idem permane.
Terminum fige incrementis semper aliquem, aut cades.
Tutum ubiq; est atq; honestum nuspiam egredi modum.
Viribus modum quæ imponit tuta ea est potentia.
Vix potest cui displicere, qui tenet se intra modum.

¶ Jambica.

Amplecti vis virtutes? media amplectere.
Conducit ipse rebus omnibus modus.
Edas, bibas, exerceare, cum modo.
Etiam bonum molestum est, si nimium est bonum.
Etiam in dolore adhibendus est suus modus.
Etiam modus suus ipsimet Sapientiæ est.
Etiam secundis suus oportet sit modus.
Etiam suis bona includuntur finibus.
Etiam suus sit oportet in lucro modus.
Fortuna raro servat in rebus modum.
Grave est modum rebus tenere prosperis.
Habitu optimum est in rebus omnibus modus.
Heu, quod secundæ res habent nunquam modum!
In omnibus rebus modus res optima est.
In rebus omnibus, optimum est habitu, modus.
In tristibus mage serves, quàm in lætis modum.
Iucunda non sunt quæ supra fiunt modum.
Modus dolorem non parit, magis necat.
Ne literarum sit satias, sed sit modus.
Nil non nocet quodcunq; excesserit modum.
Nulla in modo molestia est, nullus labor.
Perarduum est modum tenere in omnibus.
Raro modus rebus lætis intervenit.
Rerum omnium nil est utilius quàm modus.
Rebus modus faciendus est in omnibus.
Rebus secundis qui sapit ponit modum.
Rebus secundis sapiens imponit modum.
Semper aliquem incrementis figas terminum.
Sermone potior vitæ sanctimonia est.
Servandus etiam, eunti ad virtutem, modus.
Teneto medium perdere si non vis modum.
Tutissima est res unus omnium modus.
Virtus bene ante desinit, quam deficit.

Mœroris.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Chrysostomus:* Qui ob amissas opes in mœrore est, incommodum acceptum hac ratione minimè sarcit. Qui mortem alicujus mœrore prosequitur, jacentem minimè excitat. Qui ob morbum discruciatur, is eum adeò non depellit, ut etiam augeat & exasperet. At cui peccata mœrori sunt, is solus è mœrore fructum capit. Peccata enim absumit ac delet. Quoniam enim medicamentum istud ad hoc tantùm comparatum est, idcircò heic etiam duntaxat vim habet, utilitatemque suam exerit: in alijs rebus non modò non juvat, sed etiam obest. At, dicet aliquis Cain ob eam caussam in mœrore jacebat, quòd apud Deum laudem minimè consequeretur. Imò non eam ob causam, sed quia splendentem fratrem cernebat. Nam si ob illud doluisset, fratris virtutem imitari, eique gratulari debebat. Nunc autem ad hunc modum dolens, perspicuum illud faciebat, se mœstitia huic mundo consentanea teneri. At non ita David, non Petrus, non cæteri justi: qui proinde omni laude florebant, quòd aut propter sua, aut propter aliena peccata dolerent. Quanquam quid mœrore gravius? sed tamen, cùm juxta Deum suscipitur, lætitia ea, quæ in mundo sita est, potior ac præstabilior est. Hæc enim in nihilum desinit: hæc pœnitentiam in salutem, cujus nos nunquam pœniteat, gignit. Hoc enim ille mirum habet: quòd qui sic doluerit, eo nomine nunquam pœnitentia ducetur: id quod maximè tristitiæ mundanæ proprium ac peculiare est.

Quid enim legitimo filio charius atque jucundius? Quid rursus hujusmodi morte acerbius fingi potest? & tamen parentes, qui in ipsa doloris flamma nullius consolationem admittere sustinent, seque ipsos excruciant: ijdem posteà ob immodicum luctum pœnitudine afficiuntur; ut qui non modò nihil inde commodi ceperint, sed graviùs etiam seipsos vexarint atque obtriverint. At minimè talis est pius mœror, ac juxta Deum susceptus. Quin potiùs duplex emolumentum habet: alterum videlicet, quia hoc efficit; ut is, qui dolet, minimè pœnitendum unquam sibi putet, quòd doluerit: alterum, quia hujusmodi mœror in salutem tandem desinit. quorum utroque mundana mœstitia orbata est. Nam qui ita dolent, & in perniciem suam dolent: & postquam doluerint, sibiipsis succensent. quod quidem maximo argumento est, eos non sine incommodo ac detrimento in ejusmodi mœrorem incidisse. At contrà omninò in altero illo mœroris genere usu venit. Unde etiam dicebat Paulus, pœnitentiam in salutem non pœnitendam operatur. Neque enim futurum est, ut quisquam unquam sibi eo nomine succenseat, quòd ob peccata sese mœrore luctuque afflixerit atque obtriverit. *Hom. 15. ad Cor. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Animum mœrore oppressum & profligatum nihil perinde oblectare potest, ut Dei memoria. Atque hoc est quod ex me scire voluisti, Renuit consolari anima mea: Memor fui Dei & delectatus sum. Quemadmodum enim mulieris illius cruēto profluvio laborantis morbus, qui nec exinaniri, nec à medicis tractari ac sedari poterat, temporis puncto depulsus est (ea enim fimbriam tetigit, Christus id passus est ac morbus profugit) sic etiam humana mœstitia consolationem propellens, ut cui nihil solatij adhiberi queat, ad solam Dei recordationem facessit & evanescit. *Lib. 3. Epist. 129.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Nullæ noctis tenebræ, caligini mœroris ac formidinis comparantur: quia nullo possunt aut consolationis, aut consilij lumine temperari. *Sermone 84. pr.*

¶ Philosophorum.

Epictetus: Cùm ejulantem quempiam videris in luctu, sive peregrè profecto filio, sive rebus amissis; cave ne te visum illud moveat, ut existimes versari eum in malis ob externa: sed statim ipse secum distinguito, sitque in promptu, ut dicas: Istum affligit, non casus ille, (alium enim non affligit) sed concepta de eo opinio. Ac oratione quidem tua, eius perturbationi subservire ne dubita; imò si res ita tulerit, simul congemisce: cavebis autem ne intrinsecus etiam congemiscas. *Cap. 22. Enchiridij.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzeni carmine 13.

Aura susurrabat tenuis, volucresq; canoræ
Fundebant avido gutture mille sonos.
Quin etiam cantu circum nemus omne sonabat,
Quem rauca viridi fronde cicada dabat.
Deniq; per tacitam labens sine murmure silvam,
Tingebat nostros frigida limpha pedes.
Ast ego, læta licet, prorsus nihil ista morabar;
Tantus amor luctus pectore fixus erat.
Nam cùm mens querulo semel est obsessa dolore,
Ad læta occlusas tunc habet illa fores.

¶ Monosticha Trochaica.

Intempestiva est jocorum mentio mœrentibus.
Omnium quæ audit viditq; mœror obliviscitur.
Pharmacum mœroris unum atq; unicum est oratio.
Sæpius mœror plus affert commodi quam gaudium.

¶ Jambica.

Aliquando mœror obstupescit per metum.
Benevola verba medela sunt mœrentibus.
Creare morbos plurimos mœror solet.
Est majus alio quolibet mœror malum.
Falsos pavores facile mœror induit.
Haud ulla mæstis est viris fiducia.
Lux una luctus expers, sat magnum lucrum est.
Mentem vel ipsam de statu mœror movet.
Mœrentium curas migratio discutit.
Mœror bonorum, pessimos mirè incitat.
Mœrore nullum gravius hominibus malum est.
Nullum arctius mœrore cordis vinculum est.
Penè innocens est qui mœrore labitur.

Videantur plura titulo *Doloris, Luctus, Tristitiæ.*

Molestiæ.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus:* Quis me secundum pristinorum illorum dierum statum constituet, in quibus ego tecum afflictionem pro delicijs habebam? quandoquidem molestia sponte suscepta, voluptati minimè voluntariæ præstat. *Epistola nona.*

D. Nazianzenus: Molestis rebus ne nimis discrucieris. Si

enim minorem ex his mœrorem capiamus, minus molestæ erunt. *Epistola 35.*

¶ Philosophorum.

Simplicius: Nihil aliud nobis est molestum, nisi duo hæc; frustratio eorum quæ volumus & eorum quæ nolumus perpessio. Ut enim rerum expetendarum facti compotes, & evitatis contrarijs delectamur: sic rebus expetendis frustratos, aut in aversandas delapsos, dolere necesse est & queri de auctoribus earum rerum; alias de hominibus, alias de ijs qui universitatem administrant. *ad cap. 4. Epicteti.*

¶ Poetarum.

Plautus Rudente 1. sc. 2. v. 27.

Et impudicum & impudentem hominem addecet
Molestum ultro advenire ad alienam domum;
Cui debeatur nihil.

Terentius Eunuchi 4. sc. 2.

Cùm rus eò, cœpi egomet mecum inter vias;
Ita ut fit ubi quid in animo est molestiæ,
Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in
Pejorem partem.

¶ Monosticha Trochaica.

Esse quos minus decebat sunt molesti maxime.
In quibus nihil molesti est, plurimum est molestiæ.
Maximè id vulgò molestum, quod vacat molestia.
Maximè iis molesta mors queis cuncta sunt molestiæ.
Maximè nobis molesta quæ carent molestijs.
Nec sibi Deus molestus, nec molestus alteri est.
Nemo adhuc in orbe vixit orbus à molestiis.
Quod molestum est celerius venit illo quod cupidè petis.
Vix alijs facilem se præbet, qui molestus est sibi.

¶ Jambica.

Molestiæ exsors Principum molestia est.
Natura fugitans omnis est molestiæ.
Nihil molestum homini est quod haud desiderat.
Nil est molestum eius quod non desideres.
Qui ferre apes gravatur, is nec mel feret.
Vitæ genus nullum exsors est molestiæ.

Monarchiæ.

¶ Sententiae Graecorum.

D. *Nazianzenus:* Quod nullius imperio gubernatur, confusum est ac perturbatum: & quod à pluribus dominis & principibus administratur, factionibus dissidiisque obnoxium est; ac proinde nec à quoquam gubernatur, nec ordine ullo & disciplina continetur. ambo etenim ista eodem tendunt, nimirum ad statum ordinis omnis expertem: hic autem ad solutionem. perturbatio quippe solutionis meditatio est. At nos unius Dei principatum colimus. *Sub initium orationis tricesimæ quintæ.*

Dio Prusæus. Diogenes Sinopensis, postquam fugit ex Sinope, perveniens in Græciam, vivebat nunc quidem Corinthi, nunc autem Athenis. Dicebat autem, se imitari regis Persarum vivendi rationem. Quippe ut ille hyeme quidem in Babylone & Susis interdum autem in Bactris, in serenissimis totius Asiæ locis, æstate autem in Ecbatanis Medicæ provinciæ viveret, ubi ferè semper aer frigidissimus est, similisque æstas hyemi circa Babylonem: ita etiam se mutare habitationem, juxta anni tempora. Atticam enim regionem neque montes habere magnos, neque flumina irrigantia, quemadmodum in Peloponneso & Thessalia. Esse enim regionem mollem & aerem levem, ut neque crebrò pluat, neque aqua diu subsistat, sed absorbeatur. Circumdari autem propè omnem mari, unde & nomen acceperit, quasi ἀκτή quædam, hoc est, littus sit. Alteram autem contrà, in humili sitam, adque meridiem. Signum autem hujus esse, quod solventis à Sunio, in Piræeum non aliter possint appellere, nisi Austro flante.

Meritò igitur hyemem in Corintho mitem fieri, & æstatem ventis temperatam, propter ingredientes sinus, semper ferè ventis illic coeuntibus. Idque etiam Acrocorinthus efficit, & in ea parte magis, qua ad Lechæum & ad Arctum declinat. Multo pulchriores autem esse has civitates, quam Ecbatana & Babylonem: multoque melius Cranium & Athenis arcem vestibulumque Minervæ, constructa esse, quam illic domum regiam. Sola autem magnitudine esse inferiores has civitates. Et quidem ducenta stadia conficere circuitum Athenarum, adjuncto Piræeo & mœnibus intermediis ad urbis ambitum. Olim enim etiam hæc universa habitata fuisse, ita ut dimidium Babylonis habeant Athenæ: si modò de Babylone vera sunt quæ dicuntur. Sanè quod ad portuum pulchritudinem, præterea & statuas picturasque, & aurum & argentum ac æs, nomismataque & supellectilem, ac ædium apparatum attineat, vincere quidem ea quæ ibi sunt: verùm se non multum curare huiusmodi. Porrò viæ longitudinem illi, ut redire possit, valde magnam esse. Namque illi in via transigendam esse fere æstatis & hyemis majorem partem: se autem in propinquo divertentem Megaris, postridie admodum facilè Athenis esse posse, siquidem velit versus Eleusinem: sin minus, breviore via per Salaminem, & desertas stationes euntem, ut hac etiam parte regem superet, magisque delicietur: melius enim sibi habitationem esse præparatam.

Hæc ille solebat quidem ludens dicere: attamen ostendebat admirantibus Persæ divitias, jactatamque illam felicitatem, quod illius res non tanti essent, quanti æstimarentur. partim enim ad nihil esse utiles, partim autem licere similia & valde pauperibus facere. Neque enim ille (ut existimarunt nonnulli insipientium) nullam gerebat corporis curam. Sed illi quum viderent eum frigus pati, atque sub dio dormire, & sitire frequenter, putabant nullam valetudinis vitæque habere rationem. Ille verò talia patiens, magis quàm qui semper pleni sunt, magisque quàm qui domi manent, & nunquam frigus neque æstum experiuntur, & bona valetudine fruebatur, & vivebat. Præterea jucundius apricabatur in sole, cibumque sumebat jucundius. Maximè vero temporum quoq; plus quàm alij mutationibus gaudebat: & nunc quidem delectabatur æstate ineunte, quando jam discuteretur aer frigidus: neque contristabatur ea desinente, utpote à fervore liberatus vehementi. Temporibusque se accommodans, paulatimque illis assuescens, absque molestia perveniebat ad alterutram hyperbolem. Supra modum autem vel umbra, vel tegumento rarum utebatur, præoccupans opportunitatem.

Neque se gerebat quemadmodum alij homines; quibus quia semper licet, ignem accendere, copiamq; habent vestium, habentque ædes, si vel modicum sentiant frigus, continuò aerem fugiunt, corporaque faciunt inutilia & impotentia ad hyemem perferendam: quando autem æstate illis licet calore uti abundanti, ædes subeunt, bibuntque vinum quantum libet: propter hoc solis inexperti degunt, inexperti quoque separatæ actionis secundum propriam naturam, aeremque fugitant, non minus quam mulieres, corpora habentes laborum inexpertia, molliaque, replentes animos crapula atque oblivione. Unde etiam machinantur sibi pravas causas, atque balneas. Hanc ob rem in una eademque die, sæpenumero indigent vento, indigent veste, indigentque pariter nive atque igni. Et quod omnium est absurdissimum, concupiscunt famem & sitim. Cumque sint libidinosi, nullam ex venere capiunt voluptatem, eo quod non expectent naturalem & tempestivum appetitum. Unde quærunt ingratas & injucundas voluptates.

Ille autem fame & siti utebatur ante cibum semper, & existimabat hoc esse aptissimum & acerrimum obsoniorum. Quapropter jucundius comedit offam, quàm alij preciosissimos cibos: jucundiusque bibit fluentem aquam, quàm alij vinum Thasium. Deridebat autem eos, qui quum sitirent, præterirent fontes, quærerentque unde omnino emerent Chium, vel Lesbium: & multo hos dicebat esse insipientiores jumentis. illa enim nunquam, quum sitiunt, fontem aut fluentem purum præterire: neq; quum esuriunt, abstinere à tenerrimis folijs, & herba quæ possit nutrire. Domos autem se habere dicebat in omnibus civitatibus apertas, nempe templa atque gymnasia. Vestis autem una sufficiebat ei & hyeme & æstate. Aerem enim facilè ferre poterat, utpote qui assuevisset. Pedes autem nunquam velavit. Neque enim aiebat eos esse delicatiores oculis & facie. Etenim hæc quum infirmissima sint natura, maximè tamen frigus sustinere, eo quod semper nudentur. Neque enim esse hominibus possibile, ut oculis obligatis incedant, quemadmodum pedibus.

Dicebat autem, divites similes esse nuper natis infantibus: semper enim eos indigere fasciis. Pro quo autem maxima homines habent negocia, plurimasque expendunt pecunias, multæque vastatæ sunt civitates, & cujus gratia multæ gẽtes miserabiliter perierunt, illud illi minimo sumptu & pecunijs constabat. Neque enim usquam illi eundum erat ob rem veneream, sed jocans dicebat, ubique sibi adesse venerem gratis. Et poetas mentiri adversus deam, propter suam ipsorum intemperantiam, quum auream vocarent. Quomodo autem multi hoc non credebant, in propatulo ea utebatur, atque omnibus videntibus dicebatque: Si homines ita fuissent animati, nunquam capta esset Troja: neque Priamus Phrygum rex, prognatus à Jove, super Jovis aram esset interfectus. Achivos vero ita videri insipientes, ut & mortuos existimarint indigere mulieribus & Polyxenam occiderint super Achillis sepulchrum.

Dicebat autem & pisces nonnihil prudentiores apparere, quã homines. Quũ n. illis opus est ut semẽ emittãt, egredi & affricare sese ad aspera. Et se homines admirari, quòd pedem nolint dato argento fricari, neque manum, neque aliam corporis partem, neque valde divites hujus expenderent causa ne drachmam quidem. Unam autem illam corporis partem fricari multis talentis, nonnullos autem & anima ipsa comparare. Dicebat autem jocans, & coitum hunc inventum esse Panos, quando amatam Echo non potuit comprendere, sed erravit in montibus noctes ac dies. Tunc Mercurium docuisse eum, miserantem scilicet eius desperationem, ut sui filij. Qui postquam didicit, liberatus est ab ea miseria. Ab illo deinde didicisse pastores, atque eo uti. Talia interdum dicebat, deridens alios inflatos, fatuosque.

Maximè autem vituperabat sophistas, qui honesti videri vellent,

lent, seque plus aliis, scire putarent. Dicebat autem, propter molliciem homines miserius vivere quàm bestias. Illas enim aqua uti in potum, in cibum autem herba, & multas earum nudas esse per annum, & nunquam subire tectum. Igne autem nihil utentes partim quidem si nemo occidat, tantum vivere temporis, quantum natura cuique constituit: partim verò fortes, beneque valentes, similiter omnes degere. Nihil autem prorsus opus habere medicis, neq; pharmacis. Homines autem ita planè vitæ amantes plurimaque studiose excogitantes pro mortis dilatione, permultos quidem, neque ad senectutem pervenire: vivere autem morborum plenos, quos, nec nominare facile: terram autem illis non sufficere ad præbenda pharmaca, indigere autem & ferro & igne, neque tamen eos sanari posse neque à Chirone, neque ab Æsculapio, neque ab Æsculapij nepotibus. propterque suam ipsorum pravitatem atque intemperantiam nihil illis prodesse, neque divinorum divinationes, neque sacerdotum purgationes. Convenire autem eos in civitates, ne qua ab externis injuria afficiantur: deinde eregionè sese injuria invicem afficere, & pessima quæque operari, quasi ad hoc ipsum convenerint. Ea propter putabat & Fabulam dicere, quod Iupiter Prometheum puniret, ob inventionem & traditionem ignis, quod nempe hic causa sit & occasio hominibus molliciei & deliciarum. Neque enim Iovem odisse homines, neque illis invidere quicquam boni.

Quum autem quidam diceret, hominem non posse vivere similiter ut alia animalia, propter carnium teneritatem, eoque quod nudus sit, neque pilis tectus, quemadmodum multæ bestiæ, neque pennis, neque pellem fortem indutus: ad hæc contradicebat: Quòd ita teneri essent, id propter vivendi accidere rationem. fugere enim eos ferè semper à sole, fugere & à frigore: corporis autem nuditatem nihil adferre molestiæ. Monstrabat autem & ranas, & alia non pauca animalia longè homine teneriora, longeque nudiora: & quędam ex his tamen sustinere non solum aerem, verùm & in frigidissima aqua vivere posse hyeme. Monstrabat quoque ipsorum hominum oculos atque faciem nihil indigere tegumento. In summa autem, nullo in loco animal nasci, quod non in eo vivere possit. Aut quomodo conservati essent primi illi nati homines, quum neque ignis usus esset, neque domorum, neque vestimentorum, neque alius cibi quàm sponte nati? Astutiam autem posterioribus, & quod multa invenerint machinatique sint ad victum, nihil prorsus conferre. Neque enim ad fortitudinem, neque ad justitiam homines uti sapientia, sed ad voluptatem. Persequentes igitur suavia, semper vivere injucundius & laboriosius: & volentes videri providentiam gerere sui ipsorum, pessimè perire, propter multas curas, maltamque providentiam. Atque ita Prometheum justè dici alligatum petræ, ejusque jecur devorari ab aquila.

Quæcunque ergo magno constabant, indigebantque negocio atque miseria, illa auferebat, utentibusque noxia esse affirmabat. Quæcunque autem facile licebat, nulloque negocio subministrare corpori, & adversus hyemem & famem, & ad saturandum quemvis corporis appetitum, non prætermittebat illorum quicquam: sed & locos eligebat salubres potius quàm insalubres, & immunitos unoquoque tempore. Et ut cibum sufficientem haberet, curabat, & vestem mediocrem. A negociis vero, & causis, contentionibusque & bellicis atque seditionibus longè aberat. Et maxime imitabatur deorum vitam. illos enim solos ait Homerus facilè vivere: quasi homines laboriosè & difficulter viverent. Similia autem dicebat & bestias facere. Ciconias enim locis calidis in æstate relictis, in aerem temperatum se conferre, & inibi commoratas quantum libuit temporis, deinde agminatim recedere, hyemem fugientes. Grues autem advenire ad sementem, quod hyemem mediocriter ferre possint. & cibi gratia. Cervos vero, & lepores, frigoris tempore in campos & cava loca ex montibus descendere, atque inibi sese submittere locis mitibus & minime ventosis: æstus autem tempore discedere in sylvas, regionesque Boreæ expositas.

Quum videret autem alios homines totius vitæ tempore perturbari, omnesque sibi invicem insidias struere, semperque in plurimis versari malis: nunquam etiam posse quiescere, neque in sacris mensium solennitatibus, neque quum inducias pacti sunt: & hæc universa ob aliud nihil vel facere vel pati, quàm ut vivere possint (nam maximè reformidare, ne quando ipsos deficiant, quæ dicuntur necessaria) prætereà sollicitos esse, & quærere, ut suis liberis multas relinquant pecunias: admirabatur quod ipse nihil tale faceret, sed solus inter omnes liber esset, nemoq; alius intelligeret summam ipsius felicitatem.

Quare jam nolebat cum Persarum rege comparari: multum enim ajebat interesse. Illum enim esse omnium miserrimum, timentem in tanta auri copia paupertatem, timentem morbos: nec tamen morbidis abstinere posse, consternatum ad mortis memoriam, existimantem omnes sibi struere insidias, usque ad liberos & fratres. Propter hæc autem, neque vescentem lætari, etiam si suavissima sint parata, neque bibentem oblivisci rerum molestarum: nullam quoque diem facilè transigere, in qua non videatur gravissima pati: & nunc quidem sobrium concupiscere ebrietatem, tanquam se ita liberari posse à calamitatibus: nunc autem ebrium putare se perijsse, ut qui impotens sit sibi ipsi succurrere: prætereà vigilantem optare obdormitionem, ut obliviscatur timorum: dormientem autem surgere ocyssimè, veluti à somniis pereuntem. Platani verò aureæ, & ædificiorum Semiramidis, & murorum in Babylone, nullam capere utilitatem. Et quod præter omnem rationem est, timeri ab eo inermes, & credere se armatis, & explorare accedentes ne quis habeat ferrum, & in medio eorum vivere qui ferrum gestant, & fugere ab inermibus ad armatos, & ab armatis secedere ad inermes, & adversus multitudinem custodiri à satellitibus adversus autem satellites ab eunuchis. Non habere autem quo se vertat, aut quibus credat, quo unam diem vivere queat absque timore. Suspectare cibum & potum, & prægustatores horum habere, quasi in via hostium plena præscrutatores. Quin neque etiam necessariis confidere, neque liberis, neque uxori. Quumque monarchia res sit tam difficilis, atque infelix, ab ea tamen liberari neque velle, neque posse.

Atque omnia quæcunque hominibus gravia sunt, consolationem habere, quod paulùm fortasse ab illis sint quieturi. nam qui vinctus est, sperat aliquando se liberatum iri: & qui exulat patria, potest aliquando redire: & qui ægrotat usque ad mortem, sperare potest sanitatem. eum autem liberari non posse à negocio, immo ne optare id quidem. Quicunque etiam in ægritudine sunt ob amicum quempiam mortuum, manifestè norunt, tempus aliquando dolorem ablaturum: ei autem ediverso, magis semper supervenire mala. & non facile hominem tyrannum ad senectutem pervenire. Gravis autem tyranni est senectus; non qualis equi, ut ajunt, Partim enim ab eo mala sunt passi, & hi quidem plures: partim autem eum despiciunt. ipse autem sibi corpore suppetias ferro non potest.

Omnia quidem dura naturaliter magis exterrent expectantes, quàm contristant expertos: ut est paupertas, exilium, & vincula, ignominiaque. Mortis autem si quis abstulerit metum, nihil illi relinquitur difficile. non solum enim ipsa mors non exhibet molestias expertis, sed neque illi amplius contristantur. Metus autem ita difficilis res est, ut multi jam opus præoccuparint: hi quidem in navi tempestate pressi, non expectaverunt navis submersionem, sed semet prius interfecerunt: hi autem ab hostibus comprehensi, licet manifeste scirent se nihil gravius passuros.

Hæc ita difficilis res, semper cohabitat monarchis pariter & noctes & dies. Et condemnatis quidem, dies certa præstituitur, qua ipsis sit moriendum: his autem & hoc incertum, an paulo post, an modò: & nullum tempus, quamvis brevissimum, liberum est ab hoc metu: verùm iis & comedentibus, necesse est timere, diisque sacrificantibus. Et si quando hujusmodi homini venit in mentem ludere, & rebus uti vult Venereis, tametsi valde amet, tamen illi mortis incidit memoria, quasi forsan ab amata periturus: atq; hoc timore simul in symposio bibens, simulque dormiens in lecto premitur. Itaque mihi videtur tunc gaudere vir tyrannus, quando occiditur; tanquam à maximo liberatus malo. Quod autem omnium absurdissimum est, alij qui in insanabilibus sunt calamitatibus sciũt non multum temporis illos affligi, quibus non sit impossibile mori: Tyranni autem, maxima habentes mala, existimant se in maximis bonis esse, decepti (opinor) in negocio aliorum hominum opinione. Et hanc illis Deus ignorantiam conjunxit, ut diu durent pœnas sufferentes. Videtur autem hominibus bene viventibus vita esse melior, mors autem acerbior: qui vero malè vivunt, vitam difficilius ferre, mortem autem iam præstolari. Porrò tyrannis hæc utraque difficiliora, quam aliis. Vivunt enim multo injucundius, quam qui omnino desiderant mori: mortem autem ita timent, tanquam suavissimè degentes in vita.

Cumque ita natura comparatum sit, ut magis delectent suavia, si fuerint rara: ijs vero qui continuè utuntur, in tristiciam convertantur: mala autem graviora sint, quæ nunquam recedant: propemodum ambo tyrannis, & suavia & acerba, semper adhærent. ut quum contristantur, nunquam desinant; quum fruuntur voluptate, nunquam sentiant. Meruit autem semper fere divitum potentiam, indigentium autem divitiarum cupiditatem. Et solis monarchis nemo beneficio affectus habet gratiam: nunquam enim putant se digna consecutos. Qui autem non consequuntur quæ volunt, omnium maxime oderunt illos. Et sanè maxima ille laborat invidia, qui plurima etiam justè possidet. quare nemo majore laborat invidia quàm tyrannus.

Accedit huc, quod illi necesse est donare his qui circa ipsum sunt: sin minus, velocis s. perditur. Frequenter autem donare multis, haud facile, nisi ab alijs auferat. Haber autem & eos à quibus quid abstulit inimicos, eosque qui acceperunt suspectos, ut qui quærant quam ocyssime ab ipso liberari. Ea quæ procul absunt, propter longum intervallum, timet: quæ vero propè, eo quod ipsi sint propinqua. Et à longinquis suspicatur sibi inferri bellum, à propinquis autem dolum. Et pacem quidem existimat infructuosam, propter hominum ocium: bellum autem quod subditos necesse sit perturbare exigendis pecunijs, & ad militiam compellendo. Proinde quando bellum geritur, pacem amat: facta autem pace, statim studiose apparat bellum. Et nunc quidem quum rerum necessariarum magna præsto est copia, multitudinis formidat injuriam: nunc autem si qua inopia apprehenderit, iram. Arbitratur autem sibi neque peregrinari esse tutum, neque manere, neque progredi, neque intus vivere: imò neque ascendere ea quæ tuto etiam ascenduntur, sed omnia esse plena insidiarum atque doli.

Recogitat autem horum quisque, & tyrannorum mortes & insidias, atque discrimina quæ unquam acciderunt, eaque universa sibi imminere existimat, atque ita metu corripitur, quasi omnibus illis

moriens

moriens mortibus: unde ſemper circumſpicit atque circumvertitur, deliberatque ab omni ſe parte percuſſum iri putans. Idipſum autem non licet facere, propter pudorem pariter & timorem. Quãto enim meticuloſior aut timidior fuerit vir tyrannus, hoc magis illi ſtruunt inſidias, contemnentes eius timiditatem. Eſt igitur eius vita ejuſmodi, ut ſi quis compingat aliquem in arctum carcerem, gladiis partim ſupernè dependentibus, partim in gyro fixis, cutemque attingentibus.

At gladij non ſolum corpori, ſed etiam animæ tyranni infixi ſunt: ut Tantalus apud inferos, quem ajunt ſaxum capiti imminens formidare, facilius degat neque enim Tantalus amplius timet, ne moriatur. Tyranno autem vivo hoc accidit, quod illi mortuo dicunt accidere. Quicunque ergo unius facti ſunt tyranni civitatis, aut parvæ regionis, iis non licet aufugere ex principatu, atque alibi uſquam refugium habentibus vivere. Nemo enim virum tyrannum diligit, ſed oderunt omnes, ſuſpectumque habent, & facile tradunt injuriam paſſis. Quicunque autem multis imperant civitatibus gentibuſque atque infinitæ terræ, quemadmodum rex Perſarum, iis nunquam tantum contingit boni ut mala ſua intelligant: & tametſi deorum aliquis ab illis auferat ignorantiam, non poſſunt tamen effugere.

Videtur autem tyrannus nunquam ſecure poſſe vivere, neque ſi aheneus aut ferreus fiat: nam ſic quoque conciſus & conflatus periret. Si quis ergo cum eo loquitur confidenter, iraſcitur, metuitq; illius loquendi libertatem: ſin vero obſervanter & ſubmiſſe, ſuſpectam habet obſervantiam. Et à liberis quidem accedentibus ſe putat contumelia affici, ab humilioribus autem decipi. Conviciis proſciſſus multipliciter contriſtatur, maximè quod quum tyrannus, male audiat: laudatus autem non lætatur, non enim eos ex animo putat dicere. Optimæ autem & utiliſſimæ poſſeſſionis omniũ egentiſſimus eſt, nempe benevolentiæ atque amicitiæ. Nihil enim boni à quoquam ſperare poteſt: ſed prius ab altoribus ſævi diligerentur Leones, quàm tyranni à miniſtris, aque ijs qui eos conveniunt. Ego autem vado quo lubet noctu, vado & interdiu ſolus: audacter quoque ſi ſit opus, per caſtra iturus ſine caduceo, perq; latrones.

Nullus enim mihi eſt inimicus, nullusque hoſtis eunti. Et ſi deficiat omne aurum, & omne argentum, omneque æs, nullo ego damno afficiar vel modice. Et ſi omnes domus cadant à terræ motibus, ut quondam in Sparta; & omnes diſpereant oves, ut nemo veſtem conſequi queat; & non ſolum Atticam, ſed & Bœotiam & Peloponneſum, & Theſſaliam egeſtas apprehendat, quemadmodum jam ante factum ajunt, nihil ego pejus, neque majori vivam indigentia. Quanto enim futurus ſim nudior quàm nunc ſum, quantoque domo magis cariturus? Sufficiunt autem mihi ad alimenta, mala, & milium, & ordea, & orobi, leguminum viliſſima, & fagus ſub cinere, & corni fructus, quo Homerus ait Circen Vlyſſis ſocios paviſſe, à quibus & maximæ beſtiæ nutritæ conſervantur. *Oratione ſexta.*

Philoſtratus: Sicut vir unus alios virtute ſuperans, popularem gubernationem ita transmutat, ut unius hominis imperium eſſe videatur: ita unius hominis principatus ad communem utilitatem omnia dirigens atque diſponens, inſtar populi merito habendus erit. *Lib.5. Apollonij cap.12.*

Plinius Iunior: Sunt quidem cuncta ſub unius arbitrio, qui pro utilitate communi, ſolus omnium curas laboresque ſuſcipit, quidam tamen ſalubri temperamento ad nos quoque rivuli ex illo benigniſſimo fonte decurrunt, quos & haurire ipſi, & abſentibus amicis quaſi miniſtrare epiſtolis poſſumus? *Libri 3. Epiſt. 20. fine.*

Monaſticæ Rei.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

C*Lemens Alexandrinus:* Et revera vir probatur, non in eo quòd vitam elegerit monaſticam: verum ille viros vincit, qui in matrimonio, & liberorum procreatione, & domus cura ac providentia, citra voluptatem & dolorem ſe exercet, & cum in familiæ verſetur curatione, indivulſus tamen eſt à Dei charitate, inſurgitque adverſus omnem tentationem quæ affertur per filios, uxorem & famulos, & poſſeſſiones. Ei autem qui domum non habet, magna ex parte evenit ut non tentetur. Qui ergo ſui ſolummodo curam gerit, vincitur ab eo qui cùm ſit inferior quidem in iis quæ pertinent ad ſuam ſalutem, ſuperior autem in iis quæ ad vitæ ſpectant diſpenſationem, exiguam revera conſervat imaginem, veritatis providentia. *Libro ſtromatum ſeptimo.*

D. Nazianzenus: Athanaſius ad ſacra illa & divina Ægypti monaſteria ſe confert: in quibus homines à mundo ſe diſtrahentes, ac ſolitudinem amplectentes, Deo vivunt, magis quàm cæteri omnes, qui in corpore verſantur. Quorum alij vitam prorſus ſolitariam, & ab hominum ſocietate remotam agunt, ſui ipſorum tantùm & Dei colloquio fruentes, atque hanc duntaxat terræ partem pro mũdo habentes, quam in ſolitudine cognitam habent Alij autem charitatis legem per communionem & ſocietatem colentes, ſolitarij ſimul & cœnobitæ ſunt, ac cæteris quidem hominibus negotiisque, ijs omnibus, quæ in medio volvuntur, verſantque ſimul & verſantur, ac nobis per repentinas & crebras mutationes impoſturam faciunt, mortui & extincti: ſibiipſis autem invicem mundi loco ſunt ac per comparationem mutuò inter ſe virtutem acuunt & extimulant. *Oratione vigeſima prima.*

D. Nazianzenus: Ea quæ rectè & cum laude gerimus, à juſto & benigno rerum noſtrarum judice ſemper ad vitæ noſtræ ſtudia atque inſtituta, tanquam ad amuſſim quandam exiguntur. Atque ita plerunque accidit, ut qui in civili vita & in medio poſita aliquid honeſtè atque ex virtute fecerit, in meliore cauſa ſit, quàm qui à publicis muneribus feriatus, officio ſuo non uſquequaque perfunctus fuerit: quemadmodum, ut mea fert opinio, mirabilius eſt hominem compedibus vinctum nonnihil progredi, quàm nullo onere impeditum currere: mirabilius item, eum qui per cœnum incedat, leviter aſpergi, quàm eum qui pura via iter faciat, purum ab omni macula manere. *Orat. 40.*

D. Greg. Nyſſenus: Quemadmodum amnis, qui ſua natura ſatis profluens, incitatis aquarum profluxionibus rapidior fertur, lignaque, & lapides, & omnia quæ ſibi obviam fiunt, in alveum rapit, calamitatemque his & periculum iis importat, qui propè incolunt; illis verò fruſtra defluit, qui longè remoti eum vitant: ita qui ſibi hujus vitæ perturbationem peperit, eam ſolus ſuſtinet, & ſolus eos ſua ſponte recipit affectus, in quos natura, quæ ſuo quodam curſu fertur, cùm his vitæ malis circumfluat, illos impellit qui ejus curſum tenent. Sed ſi quis torrentem hunc relinquit, hic planè liber erit. *Orat. de virginitate cap. 4.*

Iſidorus Peluſiota: Quarum rerum divina oracula accuratam & perfectam rationem ſignificant, ſupervacanea eſt curioſior inquiſitio, iis qui prudenter in eorum lectione verſantur. Quocirca ſi cibos & veſtitum monaſticæ vitæ, juxta Deum perfectæ, omnibusque numeris abſolutæ, in Ioanne Baptiſta didicimus: pilis, ſi fieri poteſt, ad obtegendum corpus contenti erimus: herbarum autem ac foliorum ſummitatibus ad exiguam minimeque redundantem alimoniam, ac vires. Sin autem hæc imbecillitatem noſtram excedunt, tum neceſſitatis omnis, tum rationis vivendi, ac perfectionis adipiſcendæ forma nobis ac regula ſit, quod Antiſtes cenſuerit atque imperârit. *Epiſtola quinta libri primi.*

Iſidorus Peluſiota: Quo tempore ad ſublimis & excelſæ vitæ mõtem accedebas, atque abluta veſte ac ſenſibus, ad divinorum dogmatum auditionem pectus adornabas, terrenarum rerum memoriam prorſus abijcere conſtituiſti: ut ad virtutum arcem pervectus, tum Deum oracula edentem audires: tum eo veterem legem in carnalibus tabulis inſcribente, tabula ipſe divinitus confecta exiſteres. At verò nunc illud de te omnium ore decantatur, te quidem ſalutis aratrum prompto atque alacri animo arripuiſſe, verùm per ignaviam ac torporem retrorſum rurſus converſum eſſe. Quamobrem ſi te Simonis exemplum nõ terret, qui cùm baptizatus fuiſſet, ac miniſtris Chriſti comitem ſe præbuiſſet, rurſus ad res eas, quæ ex materia conſtant, reverſus eſt (ob idque etiam ex alto miſer in mortem multorum ſermone celebratiſſimam præceps ruit: ut ex una ipſius ruina perſpicuum omnibus fiat, quibus ſuppliciis digni ſint, qui cæleſte curriculum mentiuntur) Simonis veſtigiis animique inſtituto hære. Sin autem quiſquis mentis ac rationis compos eſt, hanc pœnam in hoſtibus quoque horret, ac deprecatur; pacta cum Deo inita exple, ipſiusque vineam diligenter ac ſedulò cole. Nam merces cum eo eſt, quam unuſquiſque ſecundum ſuum laborem accipiet. *Epiſtola 13. libri 1.*

Iſidorus Peluſiota: Quid tibi utilitatis affert Ioannis in locum deſertum ſeceſſio, quam olim ſtudioſè imitatus es, cùm nunc eum minimè imiteris: verùm ad privatas curas te referas, atque in ſolitudine tumultueris, & ab hominum cœtu remotus perturberis? Etenim externo habitu ac ſpecie quieſcere, mentis autem mutationibus ac perturbationibus inquinari, tum ſenſum caligine perfundit, tum ſuſceptos jam labores extinguit, atque perturbationibus animi pronam ac facilem victoriam reddit, efficitque ut miles abjecto ſcuto fugiat. Porrò nemo militans implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat, à quo in militiam aſcitus eſt: verùm arma omni ex parte geſtat: ad id certamen, quod tribuno militari placuerit, ſe comparans. *Libri 1. Epiſt. 25.*

Iſiderus Peluſiota: Leporem, meticuloſum animal, & naturâ timidum, hoc perpeti ajunt, ut ex cubili in cubile ſubinde migret, propterea quòd ad omnem motum & clamorem perturbetur. At non item monachũ, qui fiduciam in Deo poſitam habere, ac Sion, tanquam montem, conſcendiſſe debet. Quid igitur, pro eo quòd Domino tutò inniti, ac crucem religioſæ vitæ comitem habere debebas, loca ſubinde commutas? pinguiorem potiùs, ut videtur, menſam, quàm firmiorem ac ſolidiorem eruditionem quærens? Ac tibi, ni fallor, iſtud continget, ut omnibus Iſraelis urbibus, atque omnibus terræ receſſibus, cùm hujuſmodi ventre atque animi inſtituto, peragratis, Euripus quidam ſis, omni nidoris ciborum vento circumactus, ac perpetua inſtabilitate laborans. *Epiſtol. 41. libri primi.*

Iſidorus Peluſiota: Ingentem, ut ad me allatum eſt, fratrum multitudinem collegiſti, qui rectè quidem ac præclarè vivere ſoleant, verùm inertes ac deſides manus habeant. Hoc autem nec à Chriſto factum, nec à Paulo ſapienti doctore obſervatum reperiſti. Nam ille & vineam, & operam, ac laborem, & mercedem ob eum pollicetur: hic autem manibus operari, ut nullius auxilio opus habeamus, docuit. Quocirca ſi & Chriſto Deo obtemperas, & ſa-

pientiæ

pientiſſimum Paulum imitaris, aut eos laborare doce, aut cauſam & prætextum aliquem oſtende, ob quem & alentur, & quietem obtinebunt, & improbis cogitationibus vacabunt: qui nec Chriſto obedientes ſe præbent, nec Pauli veſtigia ſequuntur. *Libr. 1. Epiſtola 49.*

Iſidorus Peluſiota: Philoſophia ſtrepitum averſatur, atque exercitatio Monaſtica extra tumultum & confuſionem perficitur: ut ad humilitatis faſtigium attingendum hac veluti ſcala utatur, ac per ſolitudinis otium, & moleſtorum negotiorum & turpium ſermonum omnem prorſus oblivionem hauriat. Quòd ſi pallium & promiſſam barbam, & baculum ad angelicam vitam omnibus partibus explendam nobis ſufficere arbitramur, atque inter medias turbas & ſpectacula, & acroamata urbica verſamur, de ſolis victoriæ organis gloriantes: luctam ac pugnam, quibus victoria comparatur, defugientes, vel potiùs certaminis cauſas in nobisipſis accendentes, non animadvertimus nos canes eſſe ad vomitum revertentes, aut ſues in veteris conſuetudinis cœno ſeſe volutantes. *Lib. 1. Epiſt. 92.*

Iſidorus Peluſiota: Qui religioſam vitam profiteri ſtudet, ac ſalutis cupiditate flagrat, omnia, quæ in ea dura & laborioſa ſunt, quæcunque tandem illa ſint, prompto animo amplectitur. Qui autem in religioſa exercitatione ipſiusque miniſteriis non pro merito ſuo ac dignitate ſecum agi exiſtimat, externo faſtu indutus eſt: quem deponere non poteſt, niſi illud meminerit, unde corpus ipſi ortum ſit, & quò tandem revertatur. *Lib. 1. Epiſt. 110.*

Iſidorus Peluſiota: Dei regnum monaſtica vita eſt, ut quæ nulli vitioſæ affectioni ſuccumbat, verùm alta ſapiat; ac virtutes cœlo ſuperiores præſtet. Hanc tù complectens, da operam ne quod te delictum in ſervitutem addicat, ac regiis templis & palatiis exturbet. Difficile enim factu eſt, ut qui prolabuntur, ad eam rurſum revocentur. Deus autem, qui efficax oſtium aperuit, ac ſeipſum oſtium vocat; per quod ad ſalutem aditus patet, det tibi, & mentem minimè palantem ac diſtractam, & ſermonem reprehenſionis expertem, gratia conditum: quibus videlicet rebus & planam ac facilem hanc vitam reperias, & futurum ævum placidum ac ſalutare. *Lib. 1. Epiſt. 129.*

Iſidorus Peluſiota: Neſcit ſaturitas vigilare: neſcit faſtus quieſcere. vigilantiam & manſuetudinem monaſtica vita requirit. Si igitur hanc profiteris, fac illa deleas. Sin autem ventrem imperio minimè tenes, quid & locum occupas, & decertantium animos frangis? *Lib. 1. Epiſt. 130.*

Iſidorus Peluſiota: Ad numeros omnes religioſæ vitæ abſolvendos, Ioannis cibus ac potus & cubile minimè ſufficit: verùm ad perfectionem adipiſcendam Ioannis quoque animus requiritur. Quocirca ſi frugalitatem noſtram ac victus tenuitatem laudas, lenitatem conſequi ſtude: quæ improbitatem omnem vitat. *Lib. 1. Epiſtola 162.*

Iſidorus Peluſiota: Monaſticæ vitæ tirones, nec regulæ jugo immodicè onerare oportet, ne ſtatim in ipſis præludiis animis frangantur, ac deficiant: nec rurſus indomitos ac laborum expertes relinquere, ne in ſocordiam & ignaviam prolabantur: verùm paulatim ad altiora provehere: ut, quemadmodum Iſaac, ſenſim progredientes, in majorem magnitudinem evadant. Nam quod immodicus labor efficit, hoc quoque ingens negligentia incuriaque præſtat: ille videlicet proſternens, hæc autem eneruans & emolliens. *Lib. 1. Epiſt. 258.*

Idem: Monaſtica vita, ô amice, omnium Dei mandatorum imitatio eſt, ac receptaculum. Etenim ab ira, improbitate, faſtu, pecuniarum ſtudio, ſui ipſius amore, remota eſt: obedientiam colit, omnibus inſervit, à corpore omnino aliena eſt, ac ſpiritus duntaxat propria: linguam ad gratiarum actionem proclivem, atque orationem utilem habet: ad maledictum immota eſt: perſuaſione & obſequio cuncta facit, atque ad moderatoris nutum & arbitrium, quem & tempus, & labor, & divinus calculus ad antiſtitij gubernacula collocavit, ut qui ventorum impetus & cognitos habeat, & vitet. *Lib. 1. Epiſt. 278.*

Iſidorus Peluſiota: Grave jugum ſubiiſti, jugi adhuc expers. Ac periculum eſt, ne ad aratri Dominici jugum elangueſcas ac deficias, illiusque ſocius eſſe videaris, qui viribus ſuis ac facultatibus minimè antè perpenſis & exploratis, turrim exædificandam ſuſcipit. Quare ſi probus monachus fieri ſtudes, ne eam rationem ineas, ut tuo ipſius arbitrio vivas, ac mores tuos tibi uni probatos eſſe velis: quin potius iis mentem tuam & conſilium ſubmitte, qui & vita, & tempore, & labore divinam vineam jam antè foderunt & coluerunt: à quibus munus iſtud facilè perdiſces. Ridiculum enim planè eſt, cùm, ut vilium ac mechanicarum artium magiſtros nanciſcamur, huc atque illuc oberremus, divinam tamen philoſophiam, tanquam vile aliquid ac deſpicandum, nobis ipſis committamus. *Lib. 1. Epiſt. 260.*

Idem: Bonus ille Euſebius, rebus omnibus aliis rectè ac præclarè conſtitutis, id quoque Peluſio adventu ſuo præbuit, ut bubulcis quibusdam & caprariis, ac fugitivis mancipiis (qui neminem unquam ex iis, qui Monaſticam vitam aut coluerint, aut omnino ament, magiſtrum habuerunt, nec etiam de hac philoſophia quicquam unquam audierunt, aut habitu tenus didicerunt) monaſticas palæſtras opprimendas ac præfocandas committeret. Qua quidem in re perinde fecit, ut ſi quis, cùm prælio undique urgeatur, ac magna telorum vis emittatur, inermibus hominibus ac rei militaris imperitis inſtruendam adverſus ea aciem mandet, victoriamq; ſua ſponte in perniciem ſuam prodat. *Lib. 1. Epiſt. 262.*

Iſidorus Peluſiota: Quam tu mihi quæſtionem obtuliſti, eandem alius etiam quiſpiam Domino obtulit: ille nimirum, cùm dixit, Quid faciens, vitam æternam poſſidebo? tu autem cùm ſcripſiſti, Quanam ratione omnes Monaſticæ vitæ numeros explebo? verùm ille, ut puerili animo præditus, ad legem mittebatur: ego verò te, ut perfectionis cupidum, ad aſcenſionis faſtigium porrecta manu duco. Abnega teipſum, & tolle crucem tuam, ac mei inſtar fuge. *Lib. 1. Epiſt. 266.*

Idem: Religioſæ vitæ certum argumentum haud eſt, Fratres, pallij ac promiſſæ barbæ oſtentatio. Seceſſionis Monaſticæ cupiditas non eſt, in urbibus ac tumultibus immoratio. Nemo Chriſti arvum ſulcat; ſpinarum feracem voluptatem amplexans. Philoſophiam conſequi non poteſt, qui in verborum pugnis & certationibus operam ſuam collocat. Per continentiam purgari non ſuſtinet, qui ciborum ſuavitates ac delicias quærit. Quamobrem ſi legitimè certare volumus, per habitum à faſtu & oſtentatione alienum, & monaſticum otium, & tranquillitatis virtutem, quietiſque cuſtodiam, ac victus tenuitatem, bonum certamen certemus. *Lib. 1. Epiſtol 220.*

Iſidorus Peluſiota: Athenas non rectè miraris, & Porticum, & inambulationem, atque Atticam pompam, in quibus ob nugarum ſtudium olim aſſiduus eras, tu inquam, qui res terrenas contempſiſti, ac nihil eorum, quæ hic ſunt, amare juſſus es. Quocirca ſi cum Chriſto reſurrexiſti, quæ ſurſum ſunt, ſapias, ubi ipſe eſt. Nam qui vilem tuam veſtem ac philoſophiam in ſolo habitu ſitam conſpiciunt: mentis autem perverſitatem ac linguæ arrogantiam, adverſus diviniſſimam religionem impias & contumelioſas voces jactant. *Lib. 1. Epiſt. 227.*

Idem: Philoſophiæ regula tibi ſit, athletarum, in quorum numerum te aggregaſti, exercitatio. Quæ autem nunc in illis cernis, ea etiam imitare ac præſta; ut quæ ingenti ſapientia referta ſint, multaſque iis, qui hujuſmodi certamine funguntur, coronas nectant. *Lib. 1. Epiſt. 302.*

Iſidorus Peluſiota: Salve à nobis, Abrahame, animoque attento eſto, ad bellum excubans. Bellum enim & exiſtima & crede eſſe, Monaſticæ vitæ ſtudium, gravioribus ac pericoloſioribus, quàm ſint ij gladij, qui in ſenſum cadunt, ſpiritualibus telis undique cinctum: quæ etiam ignita is vocat, qui eorum experimentum probè cognitum & exploratum habebat. *Lib. 1. Epiſt. 308.*

Idem: Te caducam & corruptioni obnoxiam vitam fugiſſe, atq; ad Monaſticum ſtudium curſu contendiſſe audio: atque interim tamen procacem ac petulantem linguam habere, ac temerè loqui. Quod quidem nihil aliud eſt, quàm murum firmum atque hoſtibus inacceſſum extruere, ipſiſque portam ad ingreſſum relinquere. Quòd ſi & murum ab omni periculo liberum ſervare cupis, atque hoſtibus te firmum ac robuſtum oſtendere, linguam, quàm maximè poteris, in poteſtate tene: à qua & celeres & ingentes ruinæ contingunt. *Lib. 1. Epiſt. 309.*

Iſidorus Peluſiota: Cani effuſi ſunt in Ephraim, & ipſe ignoravit, vitioſis nimirum affectionibus juveneſcens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitiem invexit: & tamen rigidum atque inflexum animum habes, ex alio monaſterio ad aliud ſubinde migrans, atq; omnium menſas perſcrutans & explorans. Quamobrem ſi tibi carnium nidor, atque obſoniorum condimentum curæ eſt, iis, qui magiſtratus gerunt, potiùs blandire, atque urbium caminos veſtiga. Neque enim homines eremitæ facultates eas habent, ut te, quemadmodum tibi gratum eſt, excipere queant. *Lib. 1. Epiſt. 314.*

Idem: Si nec naturæ pudorem atque ipſam Monaſticam vitam curatis, nec mollitiem eam, quam civitates & oculis & auribus afferunt, metuitis, nec futuram comminationem huic rei denuntiatam perhorreſcitis, præclarè facitis, ad urbem crebrò cõmeantes. Sin autem & illam retinetis, & ſuppliciorum periculum facere minimè vultis, tumultuum bellum fugite, quod religioſæ ac Deo conſecratæ vitæ exercitationem gravibus ac pericoloſis ſagittis inſectatur. *Lib. 1. Epiſt 367.*

Iſidorus Peluſiota: Quemadmodum hoc natura minimè conceſſit, ut ovis cum leæna pabuletur: ſic nullo omninò modo fieri poteſt, ut faſtus idem cum Monaſtica vita domiciliũ habeat. Nam ille belluinus eſt, frænique impatiens: hæc autem bona omnia obſequenti animo excipit, reſque moleſtas, & acerbas toleranter admodum ac fortiter admittit. Quamobrem ſi te ad hujus ſtudium atque exercitationem accinxiſti, ab illo abſcede, ne te per eum malo aliquo is mulctet qui adverſum Dominum cervicem erexit, atq; id agit ac ſtudet, ut omnes ſuperbiæ ſuæ & ruinæ imitatores habeat. *Lib. 1. Epiſt. 368.*

Idem: Prudentem atque cordatum Monachum, probum libripendem eſſe oportet, neutram lancium partem propendere permittentem: hoc eſt, nec inediam in languorem ac virium imbecillitatem, nec profuſum victum in petulantiam & libidinem. *Lib. 1. Epiſt. 424.*

Iſidorus Peluſiota: Obduruiſti, Monachorum ac ſacerdotum vitam perſcrutans, atque ejusmodi in ea ſtatum, qui ab omni peccato alienus ſit, quærens. quòd quidem ſolius Dei eſt: nec, qui id conſequatur, mortalium quiſquam eſt. Si autem ea, quæ naturæ congruant, inveſtigare cupis, hæc ſunt: Nullum voluntarium ſce-

lus

lus attingere: quod quidem pij hominis eſt. Non in multa involuntaria peccata incidere: quod eorum proprium eſt, qui ad Deum appropinquare ſtudent. Et (quod illis inferius eſt, ac multis perfacile) non quàm diutiſſimè in peccatis permanere. *Lib.1. Epiſt.435.*

Iſidorus Peluſiota: Ad comparandam virtutem haud ſatis eſt Monaſticam vitam profiteri: verùm ad id quoque modeſtia accedat neceſſe eſt. Nam ſi lenitatis certamen obeuntes, turbulenta mente illud interrumpamus, hoc nihil aliud fuerit, quàm ſalutem quidem conſequi velle: ea autem, quæ ad ipſam conſequendam adminiculo ſunt, efficere nolle. *Lib.1. Epiſt.468.*

Idem: Omnibus viribus, optime vir, ipſam virtutem conſectari oportet: ac non in ea opinione verſari, ut tibi ſatis eſſe putes, quòd Monaſticam vitam colere videaris. *Lib.2. Epiſt.9.*

Chryſoſtomus: Virtus non eſt laborioſa, non eſt difficile ut ex ea rectæ ſint actiones. non vides eos qui ſunt in montibus? illi & domos dimittunt & uxores & liberos, & omnem præfecturam atque adminiſtrationem, & extra mundum ipſi à ſe poſiti, ſacco induti, ſubſtrato cinere, collo ſuſpenſis aſperis boiis, cùm in parva ſe concluſerint domuncula, ne ad hoc quidem uſque conſiſtunt, ſed & jejuniis & fame perpetua ſe affligunt. Quid dico viros? puellæ nondum viginti annos natæ, quæ in thalamis & in vita umbratili totum tempus tranſegerant, & jacebant in thalamis refertis unguentis & ſuffitibus, & in molli cubili, ipſæ & natura molles, & multa curatione effectæ molliores; quibus toto die nullum aliud erat opus, quàm ut ornarentur, & aurum geſtarent, & omnibus fruerentur deliciis; quæ non ipſæ ſibi miniſtrabant, ſed multas habebant ancillas quæ aſſiſtebant; & molles habebant veſtes, ipſo corpore molliores, utpote lineas, ſubtiles & delicatas, & aſſiduè agebant in roſis & hujuſmodi ſuavibus odoribus: ipſæ verò repentè à Chriſti igne correptæ, cùm omnem illam exuiſſent mollitiem & naturam, educationis & ætatis oblitæ, tanquam ſtrenui quidam Athletæ, mollibus illis exutæ, in media ingreſſæ ſunt certamina.

Et videbor quidem dicere incredibilia, ſed tamen vera. Has quidem adeò molles puellas audivi ſe ad tantam redegiſſe vitæ duritiem & aſperitatem: ut aſperrimis ciliciis nuda ſua corpora induerent, & molles illi calcanei nullis alligati eſſent calceis, & in toris cubarent gramineis; imò verò majorem noctis partem vigilarent, & nec unguentum, nec quidquam ex illis priſtinis curarent; ſed & caput, quod priùs ita curabatur & ornabatur, negligeretur, temerè & indiſcriminatim ita vinctis capillis, ut nihil incideret indecorum. Menſa autem eſt eis ſolùm veſpertina. Menſa autem eſt neque olus, neque panis; ſed ſimila, & fata, & cicer, & oleæ, & ficus. Perpetuum quoque eſt eis lanificium: & ſunt earum opera longè graviora, quàm ancillarum domeſticarum. Suſceperunt enim eas curandas, quæ laborant corpore; lectos portantes, pedes lavantes. Multæ quoque ex eis coquorum funguntur officio. Tantum poteſt ignis Chriſti. Ita naturam ſuperat animi alacritas. *Homilia 13. ad Epheſios.*

Chryſoſtomus: Verè domus luctus monaſteria ſunt, ubi cinis atq; cilicium, ubi ſolitudo, ubi riſus nullus, nullus negotiorũ ſecularium ſtrepitus, ubi jejunia, ubi terrenorum duritia lectulorum: Ibi munda ſunt omnia, nullus ibi nidoribus locus, abſunt procul ſanguinis rivi, perturbationes, curæ, tumulus, tranquillo in portu navigant, ac veluti luminaria ſunt, ſublimi de loco navigãtib. fulgore ſuo iter aperientes. In littore placito ſedent, omnes ad quietem ſuam invitantes ac pertrahentes, neque naufragium pati ſinentes eos qui ſe intuentur, non permittunt in tenebris degere eos, qui ſuas aſpiciunt ſedes.

Perge itaque ad illos, quære, hoſpitio ſuſcipe, accede, tange ſacros pedes. Longè enim honorabilius eſt illorum pedes, quàm aliorum caput attingere. Nam, quæſo, ſi ſtatuarum pedes plerique tenent quod effigiem habeant regiam: tu illi, qui Chriſtum ipſum in ſe habet, pedes non tenebis ut ſalvus fias? Sancti ſunt pedes, etiamſi viles ſunt: at verò profanorum ne caput quidem honorabile. Sanctorum enim pedes virtutis eximiæ ſunt: idcirco etiam cruciant, quando pedum excutiunt pulverem. *Homil.14. ad Timoth.1.*

D. Chryſoſtomus: Sancti omnes ſunt qui fidem rectam ſanctitati vitæ conjunctam habent. & ſi ſigna illi non faciant, neque eiiciant Dæmonas, ſancti ſunt. *Homil.14. ad Timoth.1.*

Chryſoſtomus: Quaſi de terra in cœlum, ita ad ſancti cujuslibet viri monaſterium de propriis domibus itur. Non ibi conſpicis ea quæ domi, mundus eſt locus ille, alta ibi quies, atque ſilentium eſt. Meum & tuum inde prorſus eliminatum eſt. Illic vel ſi diem unum, aut duos manſeris, tunc vero voluptatis majore ſenſu perfunderis. Luceſcit, imo ante lucem gallus emittit vocem, non ubi velut in ſecularium domibus ſtertit familia, clauſæ ſunt januæ, omnes alto ſopore proſtrati, mortuis ſimiles ſunt, mulio tintinnabula quatit, nihil illic ejusmodi eſt: verum omnes cum reverentia, diſcuſſo ſopore conſurgunt, à præſule excitati ſuo, adſtantque ſacro inſtituto choro, protinusque expanſis manibus ſanctos concinunt hymnos. Neque enim illi ut nos, ut excutiant ſomnum horis plurimis indigent. Nos quippe ſimul atque ſurreximus, diutius occupamur, imus ad requiſita naturæ: deinde manus lavamus & faciem, poſtea calceamenta ſumimus, ac veſtes, multumque in his temporis terimus: ibi nihil hujusmodi videas. Nullus illic famulum vocat, quiſque enim ſufficit ſibi, non eget veſtibus plurimis, nihil opus habet excutere ſomnum: ſimul enim atque oculos aperit, diutius vigilaſſe videtur: quod illi ſobrietatis ratione contingit.

Niſi enim cor prægrave cibis infra mergatur, levi ſalubrique ſomno expergiſcitur facile: moxque precum repetit vices, manus puræ tenduntur, quia ſomnus præceſſit honeſtus atque moderatus. Nemo ſtertentes audit hic, aut hiantes ſomno, nullus jactari quempiam per ſoporem videt, neque nudari, ſed dormiunt honeſtius vigilantibus compoſiti. Hoc autem totum ex animi diſciplina & honeſtate proficiſcitur. Iſti profecto ſunt ſancti, atque inter homines Angeli. Summus namque Dei timor non ſinit hos profundo ſopore demergi, animumque à ſuo vigore laxari, ſed ſeme in ſuperficie eſt, ipſosque reficit ſolum. Hujuſmodi illorum quoque ſunt ſomnia, non phantaſias, aut portentoſas imagines referunt: ſed, ut dixi, galli cantu continuo [præpoſitus] aſſiſtit, pulſatque modico pede jacentem, ſicque omnes una protinus excitat, neque vero nudos ibi dormire fas eſt. Inde ubi ſurrexere, divinis laudibus inſtant, hymnosque propheticos canunt, magno ſuavique concentu, & canticis numeroſis. Non fiſtula, non cithara, non ullum aliud inſtrumentum muſicum tam dulces efficit modos, quam ſancti illi ſumma in ſolitudine & quiete pſallentes. Ipſa quoque illorum cantica, convenientiſſima ſunt, & amorem Dei, divinarumque rerum ſtudium ſpirant.

Quando cum Angelis canunt, nam & Angeli tunc etiam pſallunt, laudate Dominum de cœlis: nobis oſcitantibus, prurientibus, atque ſtertentibus, ſive etiam ſupinis jacentibus, & fraudes innumeras cogitantibus: quale eſt illos noctis totius ſpatium in Dei laude conſumere. Ubi vero lux diei jam vicina eſt, pauſant illi puſillum, & quum opera nos aggredimur, illi quietis ſibi vendicant tempus. Jam vero ubi illuxit, quiſque noſtrum alium vocat, ſermonemque de impendiis texit, inde irrumpit in forum, magiſtratui adſtat, tremit ac ſupplicia metuit. Alius in ſcenam abit, alius ad opus ſuum proficiſcitur: illi contra matutinis precibus, hymniſque peractis, ad ſanctarum ſcripturarum ſtudia ſe convertunt.

Sunt & qui libros ſcribere didicerunt. Unusquisque vero præſtitum habens domicilium, ſilentio perpetuo ſtudet. Sicque nemine texente nugas, aut aliud aliquid loquente, tertiam, ſextam, nonam, veſpertinamque conſummant ſynaxin: quippe quatuor in partes diem ſcindentes, impletis partibus ſingulis, pſalmodiis atque laudibus honorant Deum: cæteriſque prandentibus, ridentibus, ludentibus, ciboque diſtentis immodico, hi laudibus vacant. Minima his inſtruendæ menſæ cura, & omnium quæ ſenſui ſubjacent: poſt cænam rurſus divinis inſerviunt laudibus, ſicque ſobrij ſomnum capiunt. At ſeculares quidem & die dormiunt: hi noctu quoq; pervigiles durant, ut re vera lucis filij. Et illi ubi ſomno plus indulſere, gravati prodeunt: contra, hi ſemper ſobrij ſunt ſine cibo perſiſtentes, & hymnis intendentes. Ad veſperam rurſus inclinante die illi ad lavacra & requiem properant: hi verò à ſeipſis laborem ſpiritualis exercitij laxantes, cibum ſumunt, non famulorum excitantes gregem, non domum diſcurrentes, turbasque & tumultus commoventes, neque pretioſas dapes & coquorum arte laboratas apponentes: ſed alij panem tantum, & ſal, alij & oleum ſumunt, plerique infirmiores olera atque legumina in cibum accipiunt.

Inde ubi paululum ſederint, tempus omne hymnis concludentes, ſinguli thoris requieſcunt, ad quietem ſolum, non ad delicias factis. Nullus ibi principum terror, nulla arrogantia dominorum, non ſervorum timor, non turba mulierum, non parvulorum inquietus clamor, non ſcriniorum multitudo, non veſtis ſuperflua, non aurum, non argentum, nullæ cuſtodiæ, non fiſcus, non aliud hujusmodi quicquam: ſed omnia orationibus fervent, hymnis omnia reſonant, omnia ſpirituali fragrantia redolent. Nihil ibi carnale eſt, non latronum illic timetur incurſus: neque enim habent quod eis poſſit auferri, pecuniis carent, corpus tantum & animam poſſident. Ea qui tulerint, non modo læſerunt nihil, verum & plurimum profuerunt. Mihi enim, inquit, vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Abſolverunt nexibus corporis: profecto enim, vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum. Non illic auditur ululatus & gemitus, vacant his omnibus tecta illa felicia, his triſtibus, his clamoribus libera. Moriuntur quidem & in ipſis, neque enim corpore ſunt immortales: cæterum mortem illi nec ducunt, nec exiſtimant mortem, cum hymnis proſequuntur abeuntes, eamque rem non elationem funeris, ſed pompam & præmiſſionem vocant.

Denique ubi quiſquam nunciatus fuerit mortuus, magna oritur exultatio, ingensque voluptas omnium. Imo ne mortuum quidem aliquis appellare præſumit, ſed conſummatum. Inde gratiarum actio ſequitur, & gloria, ingensque lætitia, ſingulis orantibus ſe hoc fine donari, ſic exire certamine, & à laboribus ſudoribusque quieſcere, Chriſtumque videre. Quod ſi quis infirmatus fuerit, non lamenta, non lacrymæ, ſed perpetuæ funduntur preces: non ibi medicorum operatur manus, ſed fides ſæpe ſola ſanavit infirmum. Nempe & ſi opus fuerit medicis, magna & hic oſtenditur philoſophia, ingensque oſtenditur tolerantia. Non adſtat ſolutis crinibus uxor, non parvi pupillaris incommodi, quæ nec dum contigere, mala deflentes, non familia expirantem importunis precibus pulſans ut ſe cuiquam tuto commendet: ſed his impedimentis omnibus exutus animus, unum inſpicit ſolum, quo pacto majore cum gratia extremum Deo ſpiritum fundat. Sed & ſi contigerit morbus, non ex gulæ prodiit vitio, non ex vinolentia, ſed ipſæ quoque morborum occaſiones plenæ ſunt laudibus, non criminibus ullis obnoxiæ. Aut enim ex vigiliis jugibus, aut ex continuato jejunio, aut ex aliquibus hujuſmodi infirmitas naſcitur: quocirca etiam facile liberantur.

ſatis

satis enim illis est ad evadenda languoris incommoda, si vel modice de pristino rigore relaxent. *Homil.14.ad Timoth.1.*

Chrysostomus: Nempe complures sæpe obscuro loco nati, & qui victum antea manuum suarum labore quærebant, necessariisq; alimentis agebant, cùm se ad monachorum vitam contulissent, illustriores omnib. evaserũt, & à regib. honorati sũt. *hom.11.ad Tim.1*

¶ Theologorum Latinorum.

Ennodius. Plus est in acie vicisse sæculum, quàm vitasse. resignat timorem fuga certaminis, nec spes est ulla virtutis, quando ante congressionem declinatur adversarius. Conscientia roboris paucis adquiescit ad latebram: hoc est secretum eligere quod ostendisse formidinem. *Lib.7.Epist.14.m.*

Io. Sarisberiensis: Sicut præputium nihil est, & circumcisio nihil, sed observatio mandatorum Dei: sic, ut religiosorum pace dicam, monachatus nihil est, & canonicatus nihil, mandatorum observatione deducta. hæc igitur tandem prosunt, si quis legem observet. Si verò sine his quispiam observat legem, eum nequaquam dixerim secularem. *Lib.7.cap.23.Polit.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus de vita sua:

——— hoc videns
Rebus gerendis quos juvat se addicere,
Alijs quidem esse commodos, non at sibi,
Versentur ut qui gravibus in tumultibus,
Mentis quietem qui velut fluctus movent:
At qui foris sunt, hos quidem tranquillius
Vivere, Deumq; mente placida cernere,
Ast esse solis utiles sibi; asperam
Vitamq; nimis & segregem traducere:
Media inter illos hosq; procedo via;
Meditans ut isti, commodum illorum æmulans.

D. Nazianzenus Carm. 2. de Virginitate.

Concordes etenim affectus motusq; caduca
Corpora habent: ideoq; sciunt sibi mutua ferre
Gaudia, quæ Veneris parit illecebrosa voluptas.
Differta est tibi mensa epulis: me frustula pascunt,
Per loca sola velut numerosæ millia turbæ
Multa Dei quondam pavit clarissima proles.
Pocula læta tibi vitis fœcunda ministrat:
At fontes fluvijq; sitim, puteiq; perennes
Nostram discutiunt, effusaq; pocula præbent.
Est tibi præpinguis facies, ornataq; vestis:
Sordida cæsaries decor est mihi, vilis amictus,
Vestis, quam mire movet aurea fimbria, Christus
Est mihi, tectum animæ decus, ornatusq; refulgens.
Te juvat in molli noctem consumere lecto:
At saccus mea membra tegit, mihi stragula præbet,
Inque solo humenti lachrymis do membra sopori.
In pretio est auri tibi vis: mihi pulvis amori.
Est tua, quam vituli teneri, lascivia major:
Tristis ego in terram mœrentia lumina flecto.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgg.

Non mihi si grandes auri donaris acervos
Electrumq; nitens, immensaq; jugera terræ,
Et latas vestes: & splendida tecta, simulq;
Alcinoi regis mensam, non deniq; vita
Altera si detur rugosæ ignara senectæ,
Sic tamen amplectar deformem crimine vitam,
Turpiter atq; velim deserto vivere Christo.
Exiguus mihi sit panis, sint pocula lymphæ,
Et ficus folijs, primos velut ante parentes,
Me tegat, & vili corpus convoluat amictu,
Ac mihi sit quædam tecti vice concava rupes,
Aut fagi latebræ, sit simplex vita levisq;,
Atq; feris prorsus similis, vel ad atria quædam
Divitis ipse jacens, incommoda sarcina terræ,
Pauper & ulceribus plenus languentia membra
Mœrentemq; traham vitam, luctuq; refertam.
Ista quidem in terris: post vero chasma profundum:
Atq; voluptates vindex rogus excipit omnes.
Sis saturo tu ventre, meos dolor occupet artus:
Omnia post paulo memori de mente recedent.
Vnum omnes erimus tumulato corpore, pulvis
Vnus, & æqualis locus est, sedesq; parata
Regibus & servis: terram properamus ad unam.
Quocirca nec te præsentis commoda vitæ
Immodicæ oblectent, nec rursus tristia frangant,
Tristia quippe tibi simul & jucunda necesse est
Linquere cuncta brevi. quid enim, mihi dicito, longum
Hæc mortalis habet fatoq; obnoxia vita?
Hospes es in misera peregrinus & incola terra:
Post vero ad patriam divina potentia sedem
Te vehet, in fragili postquam certaveris ævo.
Præmia sunt porro longe majora labore.

D. Nazianzenus Carm. 4. de animæ calamitatib.

Sunt alijs studio convivia læta, jocique,
Atq; chori, ætatis ludicra florigeræ.
Conjugibus gaudent alij, natisq;, opibusq;,
Quarum abit in ventos gloria cuncta leves.
Balnea delectant alios, luciq;, nemusq;:
Altusq; in celebri spiritus urbe juvat.
Laudibus atq; suis gaudent, comitumq; catervis,
Ac frontem attollunt desuper? tabulis.
Multa etenim humano generi sunt gaudia vitæ:
In vitio addictis fusaq; lætitia est.
Ast ego jam mundo sum mortuus, hincq; pusillum
Iam spiro, atq; urbes vito, hominumq; genus.
Cum scopulis, trucibusq; feris ego dego, domumq;
Petram habeo: hic vitæ tempora solus ago.
Non mihi calceus est, non est focus, unica vestis,
Spe vivo, ut labes sum quoque terrigenis.
Pro lecto mihi sunt paleæ, pro tegmine saccus.
Et madidus lachrimas pulvis ob assiduas.
Ferrea permulti gestantes vincla gemiscunt.
Est alijs sursum sordidus esca cinis.
Pocula sunt alijs fletu permixta calenti,
Altera brumali pars petiturq; nive.
Statq; quater denis, velut arbor, recta diebus,
Subvectum ad cæli culmina pectus habens:
Nilq; aliud prorsus, quam Christum, mente volutans.
Linguam alius freno pressaq; labra tenet:
Sic tamen, ut pateant hymnis, atq; ut lyra viva
Pulsentur digitis pneumatis ætherei.
Ast alius, voti ut Christo persolvat honorem,
Intonsum servat tempus in omne caput.
Aures atq; oculos alius conclusit, ut omne
Obseptum stimulus mortis haberet iter.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 16. de Beatitudinib.

Monticolæ atq; inopis monachi celsissima vita est,
Stravit at hunc fastus sæpe superbus humi.
Nam dum non aliis, decorat quos maxima virtus,
Se confert, temerè sæpius alta petit;
Ferventiq; animo currens atq; impete magno,
Metam ultra fertur, more ferocis equi.
Quare vel levibus cinctus pete sidera pennis;
Vel tutam infirmus carpe per ima viam;
Ne nimio in terram vergat tibi pondere penna,
Ac miserè, dum tu tendis ad alta, cadas.

D. Nazianzenus Carm. 50. Nicobuli ad filium.

Laudãdum & vitæ sulcant iter hi quibus haud est
Vita sita in terra. felix ô terq; caterva
Et quater æthercam quæ vitam in corpore ducit,
Quæ tædas calamosq; fugit mundumq; ruentem
Contemnens, aulis sese cælestibus infert
Pauperiem quæ sancta colit, mæretq;: cubatq;
Semper humi, vestes nec plures possidet una.
Quæ paulum quiddam fruitur vitalibus auris
Obsequiumq; negat ventri, quæ tegminis expers:
Cui decus hoc unum est mundi famamq; decusq;
Spernere: cui magnus durissima census egestas,
Atq; oculis tantum superum proponere numen.
Hos ego, cujus humi sunt lumina fixa, tremisco
Non secus atq; Deum: cum nobis ipse propinquat:
Namq; super cunctos homines chorus eminet ille,

¶ Apologi.

Aesopus. Luscinia & Hirundo. Lusciniæ consulebat Hirundo, ut hominibus fieret contubernalis, iisque, ut ipsa, cohabitaret. At illa, nolo, inquit, veterum calamitatum memoriam refricare; Ideò deserta colo. Hirundo hominibus qui in mundo sunt, assimilatur. Luscinia verò, solitudinem amantibus monachis secundum Deum; qui mundum effugere volunt.

¶ Emblematis.

Batillius 66. In mutulares Ecclesiæ statuas.

Vt quæ abacos inter magnis simulacra columnis
Imposita, Atlantis nomine ut ore tenus,
Pressa ferendo oneri tota insudare videntur,
Queis mens & sensus non tamen ullus inest:
Sic dare pene animam rerum sub fasce sacrarum
Lapsurisq; humeros obijcere usque suos,
Qui stolidæ in templis statuæ sunt verius ipsi,
Et queis cura Dei, non nisi quanta lubet.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

Anonymus. Monachus inter veteres dicebat, Monachum; qui non laborat, pro fraudatore & fure esse habendum. *Socrat. hist. eccl. lib.4.cap.18.*

Elias abbas. Venit frater quidam ad abbatem Eliam solitarium in cœnobio antiqui patris Sabæ, & ait illi, Dic mihi verbum, pater. Senex verò dixit fratri: diebus patrum nostrorum tres istæ virtutes in amore & studio apud monachos erant, Nuditas rerum omnium, mansuetudo, & continentia: nunc autem avaritia, gula & audacia. Quod horũ tibi placet, arripe. *Io. Moscus, in prato spirituali, cap.52.*

Athanasius abbas. Fratribus suis dicere solebat, Patres nostri continentiam, & paupertatem, ac nuditatem rerum omnium usque ad mortem servaverunt: nos autem ventres nostros & crumenas nostras dilatavimus. *Ioan. Moscus in prato spirituali, c.130.*

Alexander abbas. Senex factus junioribus dicebat, Patres nostri deserta & tribulationes persequebantur: nos autem civitates & requiem sequimur. Sub patribus nostris virtutes istæ vigebant, nuditas & humilitas: in nobis autem avaritia & superbia regnat. Patres nostri nunquam facies suas lavabant: nos autem lavacra publica balneaque frequentamus. Conversationem verè angelicam destruximus. Corpore robusti sumus, sed anima nostra est imbecilla. Multum comedere, multum bibere, & sumptuosè vestiri possumus, abstinere autem & humiliari non valemus. Subiiciebat deinde. Væ tibi, væ tibi, Alexander: quanta erit confusio tua, quando cæteri coronabuntur? *Ioan. Moscus, in prato spirituali, c.168.*

Nivardus D. Bernardi frater. Guido primogenitus fratrum in familia Bernardi Clarevallensis abbatis, videns Nivardum fratrem suum minimum puerum cum aliis pueris in platea: Eia (inquit) frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. Ad quod puer non pueriliter motus respondit, Vobis ergo cœlum, mihi terra? Non ex æquo divisio hæc facta est. Quo dicto, abeuntibus illis, tunc quidem domi cum patre remansit: sed medico post evoluto tempore fratres secutus, nec à patre, nec à propinquis seu amicis potuit retineri. *Author vita D. Bernardi, lib.1.c.3.*

D. Bernardus. Quum jam Clarevallis abbas esset ordinatus, adventantibus novitiis & festinantibus ingredi, audire eum soliti sumus prædicantem ac dicentem: Si ad ea quæ intus sunt festinatis, hîc foris dimittite corpora quæ de seculo attulistis. Soli Spiritus ingrediantur, caro non prodest quicquam. Quod cum novitiis ad novitatem verbi perterritis, parcens teneritudini eorum, clementius exponendo quod dixerat, carnalem concupiscentiam prædicare solebat foris dimittendam. *Author vita lib.1.cap.4.*

Anonyma. Soror D. Bernardi, in seculo nupta & seculo dedita, cùm in divitiis & delitiis seculi periclitaretur, tandem à Deo inspirata iter iniit visura fratrem suum. Adstans autem cum comitatu & apparatu superbo Bernardus detestans & execrans eam tanquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquievit exire ad videndum eam. Quod audiens illa confusa & compuncta vehementer, cùm ei nullus fratrum suorum occurrere dignaretur, cùm à fratre suo Andrea, quem ad portam invenerat monasterij, ob vestium apparatum, stercus involutum argueretur, tota in lacrymas resoluta: Et si peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco consilium & colloquium bonorum requiro. Etsi despicit frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei animam meam. Veniat, præcipiat: quicquid præceperit, facere parata sum. Hanc promissionem tenens, exiit ad eam cum fratribus suis Bernardus. Et quia eam separare à viro non poterat (nec enim quos Deus conjunxit homo Christianus separare præsumit) primo verbo ei mundi gloriam in cultu vestium & in omnibus seculi pompis & curiositatibus interdixit, formam vitæ matris suæ, in qua multo tempore vixit cum viro ei indixit, & sic eam à se dimisit. *Author vita D. Bernardi, lib.1.c.6.*

Publius. Monachos ex variis domunculis in unam congregare cupiens Publius, sic allocutus est, Quomodo in plateis civitatum alius quidem vendit panes, alius olera, alius habet vestes venales, alius calceos: à se autem invicem id quo opus habent comparantes, vitam agunt jucundiorem. Ita nos oportet invicem permutare virtutis partes preciosissimas. Hic enim illius imitabitur mansuetudinem, ille verò mansuetudinem hujus zelo temperabit, alius communicans vigilias accipiet jejunij disciplinam sic à nobis invicem id quod deest sumentes, perfectissimam efficiemus virtutem. *Theodoret. hist. S. Petrum.*

¶ Apophthegm. Christian.

S. Antonius Eremita. Quod olim à sanctis illis Eremi cultoribus Monachorum nomen derivatum sciret magnus ille solitudinis amator Antonius; commissis sibi fratribus dicere solebat: *Quod piscis in arido, hoc Monachus in opido.* proprium Monachorum (si tales re, ut nomine sint) domicilium locúmve, claustrum ac solitudinem reputans. *Niceph. lib.8.c.4. Hist. Eccles.*

Elias abbas. Vide Admonitio.

S. Hugo Episc. Lincolniens. Neque minùs nobile Hugonis Antistitis dictum. Inita pace inter Franciæ & Angliæ reges, domum Aruetiam Carthusiani instituti venit. Rogatus autem de pacis conciliatæ conditionibus, respondit: *Rumores audire & referre, etsi Episcopus licet; Monachis tamen non licet.* Dictum non solùm hauriendum auribus, sed verè etiam insculpendum inscribendumque eorum animis. *Surius tom.6. in Vita.*

S Laurentius Patriarcha Ven. Æquè laudabile illud Laurentij Patriarchæ: qui, *Tribus Monacho est opus,* ajebat, *desiderio, moderatione, & gratia: ubi enim horum aliquid deest, ibi perseverantia esse non potest. Sur. tom.1. in Vita.*

S. Aegidius. Quodam illum consulente, num relicta mundi vanitate satius esset se Deo in monasterio consecrare, respondit: *Si extremà inopià laborans, reconditum quis thesaurum in agro sciret; putásne requisiturum ab aliquo, an eum offendere deberet?* Quo dicto insinuavit, multo ampliùs nobis properandum ad ea loca, in quibus æternæ salutis thesaurus. *Sur. tom.2. in Vita.*

Balderichus Episc. Spirensis. At non omittendum quod de Balderĭcho asserit Bruschius. In Episcopum enim Spirensem ob raras ingenij dotes, &

Compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto,

à clero & populo, ex monasterio Hirsaviensi, in quo B. Augustini regulam voverat, adscitus, summo conatu restitit: adiiciens nobilem illam sententiam: *Ex quo in Cœnobium me contuli, fastui Principum mundique pompæ valedixi.* Verùm nihil excusatio profuit. invitus enim ad Episcopatum pertractus, à reprehensione immunem & planè monasticam vitam in eo egit.

Adolphus Holsatia comes. Admirandum etiam monasticæ humilitatis exemplum præbuit Adolphus Holsatiæ comes. Hic enim manus cum hoste conserturus, voto se adstrinxerat, ut si victor evaderet, Institutum D. Francisci, Comitatu abdicato, sequeretur. Itaque voti compos, paupertatem Christi æmulaturus, sacram vestem Minoritarum, & simul vivendi normam assumpsit, votoque se soluit. Sacris initiatus, Monasterium sui ordinis in opido Kyl ædificari curavit: collectis etiam ostiatim eleemosynis in subsidium. Factum autem, ut cùm hydriam lactis ad socios deferret, filios suos Holsatiæ comites splendido cultu obvios habuerit. Quid faceret? vitam declinare non poterat: pudorem tamen vicit constantia, seque totum lacte perfudit, dicens: *Infelix homo, Christi paupertatem baiulare erubuisti: nunc te monachum exhibe, ostende quid portaveris.* iterque suum, nil filiorum moratus præsentiam, totus lacteus absolvit. *Hieron. Ziegl. in hist. Illust. German.*

Monosticha Trochaica.

An monachi est miscere semet rebus ipsum publicis?
Est monachi vel prima virtus judicia hominum spernere.
Larvarum multus usus gente sub monasticha est.
Nemo cautius malus est quàm sub pietatis infulâ.
Qualis est qui per foramen intuetur? scit Deus.
Relligio plerisque tegmen turpis est ignavia.
Vnius monachus cubilis omnis esto, ceu lepus.

¶ Jambica.

Monachus Deo uni militet silentio.
Monachus Duci uni militet, non pluribus.
Monachus ubi est, ibi multiplex hypocrita est.
Monachus vocari si cupis, monachum exhibe.
Monacho favere fama vix vulgi queat.
Pauci Deum quærunt, plures inertiam.
Perfectus in patria esse monachus non potest.
Qui per foramen intuetur, hic niger.

Monitionis.

¶ SENTENTIÆ LATINORUM.

E*Nnodius.* Pereunt monita quæ in alia constitutis deliberatione præstantur. *Lib.2. Epist.12.*

Ennodius. Fit æquitati proximus, qui justi viri monitis obsecundat. *Lib.7. Epist.1.pr.*

Ennodius. Nemo rectè monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conversatione demonstrat.. nam adjacet etiam publicanis, amica moribus vitia damnare sermone, & sceleratioribus linguæ officiis punire quod diligant: quasi non quoddam genus majorum excessuum, dare rei affectum labiis, quam mente despicias, & ingenij virus colloquij melle vestire. *Apolog. pro synodo.*

Ennodius: Frustra monitoris personam suscipit, qui impacti non prævalet æstimare pondus officij. Vilissimis comparandus est, nisi præcellat doctrina, qui est honore præstantior. *Dictione 3.m.*

Ennodius. Ille sine fuco monitorem & feriato ore diligit, qui ejus instituta sectatur. *Dictione 5.m.*

Ennodius: Vos diligentiam pectoris mei expendite consideratione verborum. non phaleratus sermo, non illecebrosa tantum, & depicta fucis narratio delectet. quærite apud me non blanda sed necessaria; non delitiosa, sed fortia. Nunquid juvat pompam texere præcepta daturum? qui probari non magis sensibus, quàm sermone disponit, affectum monitoris evacuat. Ponderibus ornetur dictio castigantis. lancem in exhortatione teneat, qui gestit audiri. Institutor virtutis plausus excludat. benè morata oratio imperat quod suadet. *Dictione 7. ante finem.*

Ennodius: Vellem ad hunc paulisper verba convertere: sed reor perire monita, quæ profligatis moribus exhibentur. *ante finem Dict. 10.17.*

Symmachus: Religiosus animus monitorem alterum non requirit. *Lib.10. Epist.14.*

Videatur titulus *Adhortationis, Admonitionis, Castigationis, Reprehensionis.*

Monstri.

¶ Monosticha Trochaica.

Monstra fato pestilenti, moribus scelera imputes.

Monstra cuncta seculi atras detegunt libidines.
Monstra plura quo creantur hoc homo est scelestior.
Monstruosa res homo, unquam cui nihil mali accidit.

¶ JAMBICA.

Monstrum omne belli tempore extat crebrius.
Portendit iram quodlibet monstrum Dei.
Pro monstro extemplo est, quando qui sudat tremit.
Ubi monstra sunt, ibi ira non procul Dei est.

Moræ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

D. *Nazianzenus*: Quando igitur hæc erunt, inquient homines ad omnia celeres, nec satis cauti, facile ædificantes & diruentes? quando lucerna supra candelabrum? ubi talentum? sic enim gratiam vocant. Hæc ij, qui amicitia, quàm religione, fervidiores sunt. quæritis, quando hæc erũt? Ne extrema quidem senectus huic rei præstituta, longum tempus censeri debet. Senectus enim cum prudentia conjuncta imperitæ juventuti præstat, & considerata tarditas inconsultæ temeritati, & breve regnum diuturnæ tyrannidi, quemadmodum & exigua portio maximi precij, multis vilibus & periculosis opibus, & parum auri multis plumbi libris, & parva lux densissimis tenebris. Alioqui verendum est, ne lubrica hæc celeritas præcepsque studium, non absimile sit seminibus illis quæ in petras ceciderunt, aut fundamento in arena jacto, quod pluviæ ac vento ne tantillum quidem restitit. *Oratione 1. de fuga in Pontum.*

D. Nazianzenus: Iam igitur hoc donum & primum beneficiũ habemus, quod quàm celerrimè ad mutuos amplexus ipsi accurrimus. neque enim zelus dilationem fert, totiusque vitæ instar est unius dieculæ spatium desiderio laborantibus *Orat. 10. & 8.*

Io. Sarisberiensis: Non solent ad unguem grandia sine mora lustrari; nec facile est provinciarum longitudinem & latitudinem & in momento transcurrere. Sic res magna, succinctè quidem à sapiente interdum proponitur, sed nunquam perfectè sub angustia sermonis nimia explanatur. Quid autem humanis rebus majus est principatu, cujus officium quodammodo omnia circumit, implet, & penetrat, & quasi robore virtutis suæ, totius Reipubl. molem portat. *Prologo libri policratici quinti.*

¶ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Epictetus Enchir. cap. 75. Accepisti præcepta quæ amplectenda tibi fuerunt, eaque amplexus es. Qualem igitur adhuc doctorem exspectas? cuius in adventum tui correctionem differas. Non tam adolescens es, sed natura ætate vir. Itaque si neglexeris & cessaris, ac subinde moræ moram, proposito propositum adjunxeris & dies alios post alios constitueris: nam animadvertes nihil te profecisse, sed hominem plebeium fore tam viventem quam morientem? Nunc igitur viri perfecti & proficientis vitam tibi sume, ac quicquid tibi visum fuerit optimum, ea lex sit inviolabilis. Ac si quid laboriosum, aut suave, aut gloriosum, aut ignominiosum ingruerit: memento tum adesse discrimen, tum instare Olympia, nec licere differre: ac profectum una clade ac remissione vel perire, vel retineri. Ita Socrates in eum evasit qui fuit, cum in omnibus se ipse promoveret: cum nemini auscultaret, nisi rationi. Tu vero etsi nondum es Socrates, sic tamen ut qui Socrates esse velis, debes vivere.

Heliodorus: Multum sæpe intermissus dies unus aut alter momenti ad salutem attulit, & prosperos casus præbuit, quos nullis consiliis homines consequi potuissent. *Lib. 1. Æthiopicorum.*

Heliodorus: Si absurdum judicas esse id quod petitur, finge tamen te assentiri, & alens promissis barbaræ cupiditatem, dilatione præcide, ne præcipitanter durius aliquid in nos statuat, spe deleniens & molliens pollicitatione, iræ incendium. consentaneum est enim aliquod remedium, Deo volente, interjectum tempus pariturum esse. *Lib. 7. Æthiopic.*

¶ ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Tardum est differre quod placet. *Satyrico.*

Symmachus: Cedant gaudia divisa conjunctis. Uberiorem fructũ mihi præstitit mora. Iam non queror quod epistolæ tuæ seræ sunt. Iucunda dilatio est quæ simul bona plura restituit. *3. Epist. 24.*

Symmachus: Quæso ne mihi fraudi sit mora alieno studio aut torpore contracta. *Lib. 10. Epist. 49. f.*

Ausonius: Oblata per antiquarios mora, scio promissi mei gratiam, expectatione consumptam. *Epist. 16. ad Probum.*

¶ POETARUM.

Plautus Mercat. 1. sc. 2. v. 10.

——— *Nugas ago:*
Quam resisto, tam maximè res in periclo vertitur.

P. Syrus Mimus.

Mora cogitationis diligentia est.
Mora omnis odio est, sed facit sapientiam.

¶ APOLOGI.

De Grammatico docente asinum. Fab. 133.

Grammaticus quidam gloriabatur adeò in arte sua se excellentẽ esse, ut si digna daretur merces, non modò pueros, verumetiam asinum docere profiteretur. Princeps audiens hominis temeritatem, interrogabat eum, an si quinquaginta ei daret aureos, intra decennium docere asinum confideret. Respondit vir impudens, non recusare se ab eo interimi, si hoc spacio temporis asinus ille legere & scribere nesciret. Amici hoc audientes admirabantur, increpabantque hominem, qui non modo rem arduam, atque difficilem, verum etiam impossibilem facere promisisset, timebantque ne exacto hoc tempore à principe occideretur, quibus ille respondebat: Antequam hoc tempus elabatur, aut asinus morietur, aut princeps, aut ego.

Fabula indicat, in periculo constitutis moram sæpe auxilio esse solere. Laur. Abstemius.

¶ EMBLEMATIS.

Had. Iunius Emblemate LXX.

Quid volat admissus passu celerante veredus,
Sessorem & rapiens ilia pulsa trahit?
Tolle moram, loquitur, nil quidquam in crastina differ,
Nam trahit offensam sæpe nociva mora.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Centies potest moriri qui moram mortis rogat.
Differ eia! emolumenta magna parvæ insunt moræ.
Fluminis cursum lapillus non moratur perpetis.
Gentium novarum animos & transitus terret mora.
Nec properandum est ante tempus, nec morandum in tẽpore.
Nil ita est leve, impedire quin queat res maximè.
Non facit moram, haud dolose qui ad judicium provocat.
Non moratur navis unum, cùm vocat ventus ferens.
Pro facto est, in quo per alium fit mora, quo fiat minus.
Respuit moram, impotenter cui malum ingens incubat.
Sæpe qui virtute frangi non poterat, cedit moræ.
Victus est mora ille invictus prælijs dux Annibal.

¶ JAMBICA.

Cum detrimento lucta plurima est Moræ.
Est mora honesti sera semper ac nocens.
Etiam malorum insunt remedia ipsâ in morâ.
Ignaviæ prætextus est ferè mora.
In expeditis mora periculum trahit.
In pluribus vacat periculo mora.
Lentum mali præcipitis remedium mora est.
Majora ubi urunt, non licet pati moras.
Quod ratio nequiit, sæpe sanavit mora.

Morbi.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: Si quidem ita affectus es, ut ne medicinam quidem exquiras, nec morbi curãdi rationem intelligas, heu plagam planè gravissimam, calamitatemque altissimè grassantem. sin salus tua nondum desperata est, nec immedicabili morbo laboras; ad medicum accede; obsecra &c. *Sub finem orationis 16.*

D. Nazianzenus: De anima, haud percunctabor ecquid valeat. scio enim bellissimè valere; quãdoquidem in corporis morbo strenuè philosopharis, quasi non materiæ & humorum intemperiem, sed virtutis explorationem eam rem acceperis: ut sic calamitas tua aliorum sanitate & incolumitate beatior sit. *Epist. 41.*

D. Nazianzenus: Per te, omnibus clamo ac prædico, malos nobis potius ob internum morbum lugendum esse, quam nos illis ob externum, siquidem nobis eo laborare contingat: illudque insuper, præstabiliorem esse morbum cum sapientia conjunctum effrenata prosperitate. *fine Epistola 66.*

D. Nazianzenus: Nolim neq; honestum esse censuerim Phliagrium eodem modo affici, quo pleriq; ægri solent, nec simul cum corpore deijci, atque afflictionem, ut incurabilem deplorare; verùm dolori resistere, atque animo vel nunc maximè perpurgari, vinculisque superiorem te præbere: ac morbum nihil aliud esse ducere, quàm utilem quandam disciplinam, huc videlicet tendentem, ut & corpora omnia, & quidquid fluxum ac turbulentum est, interiusq; obnoxium contemnens ac pro nihilo putans, toti te cælesti parti addicas, nec præsenti tempori, sed futuro ævo vivas, mortisque meditationem, ut Plato ait, hanc vitam existimes: atque ab hoc, sive corpore, sive sepulcro, ut idem loquitur, animam quoad eius fieri potes solvas. Si hæc philosopheris, atque hunc animum geras, tum maximam ipse utilitatem inde capies, tum mœrorem nostrum ex morbo tuo conceptum levabis, tum etiam multis ad dolores sapienter ferendos documentum præbebis: denique, si & hoc tibi curæ est, non parum lucri facies: nempe quod in admiratione apud omnes eris. *Epistola 70.*

D. Chrysostomus: Si tibi persuaseris hunc morbum esse gravem, optimum jam correctionis initium feceris. tum enim ęgrotus confestim de medico cogitat, cùm ante omnia primum ægrotare se cognoverit. *Homil. 17. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Latrones quamdiu in carcere vivunt, absque metu degunt: ubi verò ad velum sisti cœperint, solvuntur metu. Ita quam-

quamdiu hîc ſumus, anima voluptatum illecebris delinita, triſtia ægrè admittit animo. Cùm verò migratura ex corpore eſt, tum jam minore continetur metu; quippe quæ ad ipſa judicij pervenerit limina. Cùm enim pulſare animam metus mortis incipit, ignis inſtar præſentis vitæ omnia ſuccidens, philoſophari eam cogit, & futura ſollicita mente verſare. nullus jam pecuniæ inceſſit amor, nullum urget avaritiæ ſtudium, nulla ſtimulat libido concubitus. &c. *2. ad Tim. Homil. 5.*

Chryſoſtomus: In morbum gravem incidiſti, & multi adſunt qui cogunt, alij quidem incantationibus, alij vero amuletis, alij verò quibusdam aliis ſedare malum: tu verò propter Dei metum forti & magno animo tuliſti ac immobili, & maluiſti quidvis pati, quã ſuſtinere ut aliquid ageres ex iis quæ pertinent ad cultum idolorum. Hoc tibi affert coronam martyrij. Nec dubita quomodo aut quanã ratione. Ego dico, quod ſicut ille magno & forti animo fert dolores tormentorum, ut non adoret ſimulachrum, ita tu quoque fers dolores morbi, adeò ut nullo opus habeas eorum quæ ille præbet, neque facias quæ jubet. At ſunt dolores illi vehemẽtiores. Sed iſti longiores. Quamobrem par eſt eorum exitus & terminatio. Sæpe autem ſunt etiam vehementiores. Quid enim, dic quæſo, quum ardens febris, nempe cauſon, te intus vexat & urit, & aliorum ſuadentium excutis incantationem, an non es ridimitus corona martyrij? *Homilia 3. ad Theſſalonicenſes.*

S. Iſidorus Peluſiota: Cùm qui in graviſſimo morbo verſatur, integra valetudine ſe eſſe exiſtimat, perſpicua hæc atq; incurabilis inſania eſt. Quonam enim pacto hujusmodi homo medicum conquiret, qui ne hoc quidem cognitum habet quòd ægrotat? Quare primùm ipſi perſpicuum morbi ſenſum afferre oportet, atq; ita deinde medicum, qui hunc pellat, accerſere. *Lib. 2. Epiſt. 238.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Quamvis ego ne hanc quidem tibi quam pertuliſti terreſtris vaſculi infirmitatem obfuiſſe exiſtimem; cujus fortitudo, ut ſcis, menti ſemper inimica eſt; ut te jure nunc tanto fortiorẽ ſpiritu putem, quando imbecillior carne eſſe cæpiſti. Et certè imbecillitas carnis mentis vigorem acuit, & affectis artubus vires corporũ, in virtutes transferuntur animorum: ut mihi genus quoddam ſanitatis eſſe videatur, hominem interdum non eſſe ſanum. nulla enim admodum tum ſpiritui cum corpore, id eſt, nulla divinę indoli cum terreno hoſte luctatio eſt. non turpibus flammis medullæ æſtuant, non male ſanam mentem latentia incentiva ſuccendunt, non vagi ſenſus per varia oblectamenta laſcivunt; ſed ſola exultat anima, læta corpore affecto, quaſi adverſario ſubjugato, &c. *Epiſt. 5.*

Ennodius. Vos remedia conſueta præſtate, & uſum illum ſanctæ converſationis impendite: ut quidquid medicina mortalium non valet, fuſis ad Deum precibus impetretis. *Lib. 8. Epiſt. 14. f.*

Ennodius lib. 8. epiſt. 22. m. Indico me, cæleſti beneficio, poſtquam ceſſavit humana curatio, mox ſanatum. revocavit ad ſpem proſperitatis res illa, quia medici deſtiterunt. *Idem Epiſt. 24. m.* Digreſſis à vobis, acrior me calor exuſſit, & ad omnem deſperationem præcipitante diabolo vela patuerunt, Venit ad me medicus, & dixit ſe quod faceret non habere. Hinc mihi major ſpes, quando homo ceſſaverit. Continuo me cum lacrymis ad cœleſtis medici auxilia converti; & domini Victoris oleo totũ corpus, quod jam ſepulcro parabatur, contra febres armavi Scit Deus meus: mox affuit magni militis imperator, & quod per teſtem eius idoneum popoſci, incunctanter obtinui. Mox fervor ille æterni frigoris procurator intepuit.

Ennodius. Verè, ceſſantibus medicis, illius, qui innocẽtia & lacrimis emitur, medicina non defuit. Credite mihi: niſi mihi ſubveniſſet deſtitutio curantium, nil valerem. Nam quia ægreſcebam hominum ſtudiis, cæpi negligentia jam ſanari. *Lib. 8. Epiſt. 25.*

¶ Philoſophorum Oratorumq. Graecor.

Arrianus cap. 10. lib. 3. Epicteti. Quid ergo cuiq; in qualibet aſperã re dicendum eſt? Hujus rei cauſa exercitatus ſum: ad hoc certamẽ me paravi: Deus demonſtrare te jubet, an rite pugilem egeris? An ederis quantum oportuit? An exercitatus ſis? An aliptæ auſcultaveris? Tu vero in ipſo certamine mollem te præbes? Nunc febricitandi tempus eſt. Hoc recte fiat. Sitiendi. Recte ſiti. Eſuriendi. Recte eſuri. An non id penes te eſt? Quis te prohibuit? Ne bibas, prohibebit te medicus: ne autem recte ſitias, prohibere non poteſt. Ne edas, te prohibebit: ne autem recte eſurias, prohibere non poteſt. At literis non incumbo? Qua vero de cauſa literis incumbis? Mancipium: nonne ut res tibi proſperè ſuccedant? Nonne ut conſtantiam tuearis? Nonne ut naturæ congruenter vivas? Quid autem obſtat, quo minus febricitans rationem incolumem tuearis? Hic res arguitur: hic philoſophus exploratur? Febris enim, ut deambulatio, ut navigatio, ut iter, pars quædam vitæ eſt. Nunquid inter deambulandum legis? Nõ. Sic neq; in febri. Sed cum bene deambulas, id habes quod deambulantis eſt. Cum bene febricitas; id quod febricitantis eſt habes. Quid eſt bene febricitare? Non Deum culpare, nõ hominem: non excruciari iis quæ accidunt, recte & pulcre exſpectare mortem, agere quæ agenda ſunt: cum intrat medicus, non timere quid dicturus ſit, nec exſultare lætitia, ſi te bene habere dixerit. Quid enim boni tibi dixit? Cum enim valeres, quid tibi erat boni? nec ſi te male habere dixerit, animo deiici. Quid enim eſt male habere? Appropinquare animi ſegregationi à corpore. Quid ergo in eo mali eſt? Si nunc non appropinquaveris; poſt non appropinquabis: At mundus me mortuo corruet. Quid ergo adularis medico? Quid dicis: Si voles, domine, bene habebo? Quid ei erigendi ſupercilij occaſionẽ præbes? Quin potius ut ſutorem, quod ad pedem, ut fabrum, quod ad ædes: ſic medicum quoque, quod ad corpuſculum attinet; quod meum nõ eſt, quod natura eſt mortuum, pro dignitate tractas? Hæc opportuna ſunt febricitanti, atq; in promtu habenda: hæc ſi præſtiterit, habebit quod ſuum eſt. Neq; enim philoſophi munus eſt, externa iſta conſervare, ſive villum, ſive oleum, ſive corpuſculum, ſed ſuam rationem. Externa vero quomodo? Eatenus hæc tuenda ſunt, ne inconſiderate tractentur. Quæ cum ita ſint, quæ porrò cauſa eſt timoris? quæ cauſa iracundię? quæ ſolicitudinis de alienis? de nullius pretij rebus.

Arrianus fine c. 26. lib. 3. Epicteti: Quid ergo ſi ægrotabis? Ægrotabis honeſte. Quis me curabit? Deus, amici. Duriter decumbam. Sed ut vir. Domicilium commodum non habebo. In incommodo ægrotabis. Quis aũt mihi victum parabit? Qui etiam aliis parant: ut Manes ægrotabis. Quis verò erit morbi exitus? Quis niſi mors. Non igitur cogitas, caput hoc malorum omnium homini & degeneris animi, & timiditatis eſſe; non mortem, ſed potius mortis metum.

Simplicius ad cap. 9. Epict. Vehementiſſimos cruciatus in morbis, etiam plebeij homines ultro admittunt, cum ſe, mercede etiam medicis numerata, ſecandos & urendos præbent. Etſi enim hoc vitæ cauſa faciunt, mortemque majus malum judicant: at ferri poſſe dolores, ſi expedire videatur, hoc ipſo declarant.

Libanius: Cujusnam criminis hasce pœnas damus? nonne & templa & ſacra & delubra, & aræ, & omnia, ex antiquis legibus Diis conſervata ſunt? nonne hoſtias mactamus? nonne libamus? nonne initiamus ſacris? nonne feſtos dies & conventus celebramus? nonne ipſorum conſulto numine ad prælia proficiſcimur? nonne victoria parta, donaria appendimus? nonne pacta cuſtodimus? nonne juramentis ſtamus? nonne jura erga accolas, finitimosque obſervamus? cur ergo morbo vexamur? alij quidem hæc quæritantur. Ego verò nunquam admirandum eſſe duxi, nos ea quæ patimur, perpeti: non quòd civitatis mores damnaverim: neq; impij cuiusquam acti vobis ſim conſcius; neq; ſævi ullius facinoris (abſit ut ſic urbem ignoraverim) ſed cùm viderem hunc hominem ex terræ cultu aut maris proventu, aut aliquo alio honeſto moderatoq; quæſtu vivere nolẽtem; verum malam iſtam artem excolentem, ac dictitantem ſe ſupra alios ſcire Deos, atq; illorum arcana, & quibus gaudeant, & quibus alliciantur, & quibus acceptis quæ remunerentur. duntaxat execrandus iſte, ſocium ſe & amicum Deorum appellat. *Declam. 43.*

Libanius verbis hominis ſummè avari: Vultis aliquid arcani dicã? attulit mihi morbũ etiam lucrum. non enim ad ſatietatem cœnabam: neq; omnis generis obſoniis utebar: neque ſumptus facere oportuit. quid opus eſt plura dicere? Deorum munus morbum eſſe arbitrabar. ſæpenumero apud me clamabam, feliciores ſunt ſanis qui ægrotant! nam ſani in foro promercali jactantur; plura emunt: ego verò domi maneo, nulla in re ab ullo offenſus: raro alloquens, eos tantum qui petebant aurum: uni ſtudio contio ſe incubui; ut ſemper aliquid amplius adderem uſuræ. hinc accedentes dolere mihi quodammodo videbantur, cùm ignorarent quod ex hoc nobis lucrum contingeret. loquutus etiã aliquid eſt ipſe filius, exiſtimans aliquid boni, dum medici mentionẽ faceret, & diceret, Quæſo visne, mi pater, medicum properanter tibi adducam? parum ergo abfui: quin eum exhęredarem, etiam in ipſo morbo: attribuebam autem ipſi lapſum tempori. Quid hoc, inquam, fili mi? Quid illorum fraudem nobis minitaris; dum nos ſervare vis? nihil nos illorum indigemus arte: præſtigiæ & nugæ: & verbis ſanitatem, non arte firmant. merces ſuper his multa: ſi tantiſper quis cunctatus fuerit; non effugiet ex comminatione mortem. antevertunt enim artem nece. mihi quovis medico morbus eſt præſtantior. huic majorem fidem habeo: hic me citò exurgere faciet, indigentiæ cogitatione. *Dec. 49.*

Maximus Tyrius: Jam inde antiquitus carmen quoddam circumfertur, quod votum continet huiusmodi,

Divarum Dea ſanitas
Tecum ſit mihi vivere
Vita quod ſupereſt mea.

Velim equidem ex autore ipſo audire, quænam ſit illa ſanitas, cuius ſibi optat cõtubernium. Ego quidem & divinam eſſe rem arbitror, & quæ merito petatur. Nec n. veriſimile eſt, aut fruſtra à poëta celebratam eſſe, aut ſine ratione hoc ab omnibus quotidie cani. Quod niſi me augurium fallit, vereque de ea judico, reſpondeat nobis pro poëta ipſa ratio. Duo cum ſint quæ conſtituunt hominem, anima & corpus, ſiquidem probari poſſet nullum eſſe morbum animę, neceſſario ſequeretur corporis hoc votum eſſe, quod & incidere in morbum poteſt, & è morbo convaleſcere: ſin verò ita ſe res habet ut utrunq; ſimul beneficio naturæ quam aptiſſime ſit mixtum, & facillime ſingulorum inſolentia concitari ſoleat membrorum, cum autem aliquid plus æquo ſibi vindicat eorum, ut in urbe tota populus aut tyrannus, non ſibi modo ſed & aliis officit, totumq; quo inter ſe cohærent amiciſſime vinculum diſſolvit, nec minus hæc quã illa injuſta dicitur cupiditas, quamvis animæ altera, altera ſit corporis, & reſpectu quidem ſui utrique æque ſanitate opus eſt, reſpectu vero alterius non eadem definiri poteſt æqualitas, quæro utrius cõgruentia ſalusque, auguſtiſſima Dearum ſit appellanda? Quare ut ex collatione utriusq; morbi conſtet de utroque, uter major ſit, hoc modo rem totam decidamus. Homo totus anima & corpus eſt; illa imperat, hoc paret: quemadmodum in urbe interdum magiſtratus,

Interdum populus. Non minus autem urbis pars eſt qui paret quam qui imperat. Utrius vero morbus plus nocet urbi? Laboret in ſtatu populari populus, recte valeat Pericles imperator optimus, facile hunc populi morbum curabit. Laboret Syracuſis morbo tyrannico Dionyſius, populus tametſi valeat rei conſervandæ par non eſt futurus. Quid ſi igitur populum cum corpore, cum anima cõferamus principem? Hoc fac: & in utroq; cõtẽplare ſingula. Maior eſt populus quã imperator, & corpus quam anima. Stolidus eſt populus, tale eſt & corpus. Populus eſt multiplex, nec diverſa tãtum loquitur, ſed & ſentit. Ex diſſimilibus conſtat populus & variis. Populi ira vehemens, lubido violenta, voluptas eſt diſſoluta: mœret ſine ſpe, inflãmatur ſine modo. Invenies eadem in corpore. Nã & lubidine facile accenditur, & quidvis petit: nec voluptatem tantum ſequitur, ſed & impetum. Cum principe viciſſim conferamus principem. Princeps lubenter ſibi vindicat imperium, honorem, poteſtatem: princeps natura cogitabundus eſt, & ratione abſtruſa colligit: eodem modo & anima. Quæ cum ita ſint, uter gravior cenſendus morbus, & in urbe & in homine eſt? An non pars melior male affecta plus nocet toti? Salvo enim magiſtratu æger populus nõdum libertatem amiſit. Et, ut breviter dicam, anima corpori præfertur ab omnibus. Iam quod præfertur bonum majus eſt. Quod autem majori bono contrarium eſt, majus eſt malum. Sanitas autem animæ corporis ſanitate majus bonum eſt: morbus ergo animæ morbo corporis majus eſt malum. Et corporis ſanitas artis opus eſt: animę vero, virtutis. Animæ morbus eſt improbitas: corporis externa calamitas. Voluntaria eſt improbitas, invito evenit calamitas. Quæ invito eveniũt miſericordia, quæ à volente fiunt odio proſequimur. Miſericordiam auxilium, odium verò ſequitur ſupplicium. Iam quæ auxilio digna judicamus, meliora, quæ ſupplicio pejora ſunt. Rurſus ſanitatem utriuſque in utroque videamus. Altera quidem omnibus eget, altera nullo. Altera beatitudini confert omnia, altera infelicitatem ſuſtinet. Altera mali immunis eſt: propendet ad improbitatem fere altera Alterius perpetua ſanitas, alterius in diem eſt. Alterius ſolida, alterius incerta eſt. Immortalis alterius, mortalis alterius. Vide & morbos viciſſim. Morbus corporis curatur facillime, malum animę lege difficulter reſtituitur. Alter dolore ſuo efficit ut curari æger deſideret, alter eo redigit, ut & leges cõtemnat. Alteri ſubſidium à Diis paratum eſt, alteri odium. Nullius unquam belli cauſa morbus extitit corporis, plurimorum animæ. Nemo corporis vitio ſycophantias ſtruit, aut tumulis mortuorum, aut viventium inſidiatur bonis: aut atrox aliquod committit facinus. Ægrę tantummodo parti nocet morbus corporis: animæ, vicinæ quoque. Quod ut magis intelligas, è Rep. aliqua exemplum petamus. Magiſtratu Athenis Atticis Pericle, quo tempore & populi poteſtas ea in urbe fuit ſumma, neq; minor hominum frequentia, & tam imperij magnitudine opumq; vi quam ducum copia militarium floreret Reſp. urbem forte fortuna peſtis invaſit. Hæc peſtis ex Æthiopia ortum ſumpſit, per Perſiã deſcendit, Athenis vero quaſi ſtatione fixa deſedit, totamq; graviſſime urbem afflixit. Huic malo Peloponneſiacum acceſſit bellum. Ergo & ager ab hoſtibus diripi, & urbs interire, nec homines tantũ, ſed & imperij paulatim defloreſcere potentia: totum denique malo ſuo civitatis corpus ſuccumbere. Reſtabat urbis anima Pericles ille: qui cum morbi immunis eſſet ipſe, Remp. afflictam conſilio erexit ac ſuſtinuit, extinctam propemodum excitavit: ſolus denique cum peſte congreſſus eſt & bello. Accipe & alterius exemplum. Cum jã peſtis remitteret, populus valeret, Reip. de integro floreret potentia: Magiſtratus contra morbo conflictari cœpit graviſſimo & qui parum ab inſania abeſſet. Hic morbus & plebem invaſit, & populũ contagione ſua infecit. Quid enim? Nonne & inſaniam Cleonis & morbum Hyperboli, & ardorem Alcibiadis ſecutus eſt populus? donec cum ducibus poſtremo ſuis defecit paulatim, cecidit, interiit. Cum alius alio afflictam civitatem vocaret:

Huc age Nympha veni, divinaq; conſpice geſta.

Et ut febricitanti fontes qui monſtrat & puteos, ita Siciliam Alcibiades, Sphacteriam Cleo, alius denique terram aliam oſtendit aut mare. Hæc, ſcelesti, geſta veſtra ſunt, quæ divina dicitis: pernicies manifeſta & everſio, mali vis maxima ac fomes morbi. Idẽ morbus poteſt animi, ſi cum morbo conferatur corporis. Fac laborare corpus, torqueri, corrumpi: præſit illi vegeta anima & robuſta, facile morbum contemnit, facilè contemnit malum. Non aliter quam Pherecydes cum in capulo decumberet, ſupra morbum tamen erat: & cum paulatim carnes eius liqueſcerent, erecta tamen ſtabat anima, nec aliud quam tempus expectabat, quo miſerrimas has deponeret exuvias. Auſim ego dicere, ne invita quidem quæ generoſa ſit anima corpus corrumpi. Ut ſi vinctũ tibi propõnas hominem, qui dum carceris ſui putreſcere ac defluere paulatim muros videt & ruinam minari, ſtat tantiſper exitumque è vinculis expectat, & libertatem: ut è multa illa denſaque in qua ſepultus jacet caligine cœlum ſuum videat, puraq; luce penitus fruatur. Niſi forte hominem qui multis ſe validiſq; corporis ad robur exercuit laboribus, laceras cũ veſtes ſuas intuetur, commoveri poſſe animo arbitreris, ac non abjecturum eas potius libenter: ut corpus ſuum aëri, nudum nudo, amicum amico, liberum libero permittat. Quid autem aliud animæ reſpectu eſſe hanc pellem, hæc oſſa, has carnes, quam diei unius penulam aut pannos tenues vel ſcruta, arbitraris? Hæc & ferrum ſcindit, & ignis conſumit, & depaſcuntur vulnera. Præclara igitur multiſque ac validis ſubacta laboribus negligit ea anima: nec aliud petit quam ut actutũ exuatur. Vt merito aliquis qui fortem corporis in morbo deprehendit virum, illud ꝙ de Vlyſſe dicitur, de eo uſurpare poſſit:

E pannis quantos genuum pater exhibet orbes.

Degener vero ſepulta in corpore latet anima, luſtrumq; amat ſuũ, non ſecus quam quæ humi ſerpunt luſtra ſua belluæ. Nec mutat illud unquã, nec erepit, ſed comburitur, diſcerpitur, dolet cum corpore & exclamat. Vt Philoctetes ille, *Ten' pes relinquam?* Tu vero relinque eum, mi homo, nec amicis propterea tuis maledicas, aut Lemniorum terræ infeſtus eſto: *O mors malorum medice!* Si quidem hæc quaſi malum commutaturus cum malo dicis, votũ tuum non accipio. Sin revera exiſtimas, mortem non aliud quã medicum vindicemque improbi huius eſſe corporis, quod nec expleri unquam poteſt nec convaleſcere, recte ſentis. Perge ſupplicare, medicum implora. Verum enimvero ejus quod probandum erat nobis exemplum ipſa ſua ſponte ſuppeditavit diſſertatio. Vigebant enim inter Græcos infinita tum temporis corpora, quot

Vere novo frondes aut flores parturit annus.

Quæ cum valerent optime & ſine morbo viverent ullo, robore prętere membriſq; eſſent integris, urbem obſidebant novenniũ, fruſtra & labore irrito. Nec quicquam effecit Achilles dum hoſtes perſequitur, nec Aiax dum ſuſtinet, nec Diomedes dum mactat, non arcu Teucer, non conſilio Agamemnon; nec oratione Neſtor, nec divinatione Calchas, nec dolis Vlyſſes. Verum aliud illis conſiliũ dat Deus. Audite præſtantiſſimi, inquit, Græciæ alumni; fruſtra laboratis, fruſtra fugatis hoſtem, fruſtra ſagittas emittitis, fruſtra cõſilium initis. Nec enim ſpes eſt ulla, hæc ut expugnetis mœnia, niſi auxiliũ impetretis ab homine, cujus recte valet anima, corpus vero graviter affectum, male putet, claudicat, morbo exhauſtum eſt. Illi dicto audientes ſunt Deo, ſociumque belli è Lemno adducunt, hominem cui ſana anima, ægrum eſſet corpus. Iam vice verſa, ſi placet, animæ morbum in ſano conſidera corpore. Voluptatis morbo anima affligitur, liquitur, tabeſcit. Quid facias hoc ægro? Quid corpus prodeſt animę ejusmodi? hoc morbo Sardanapalus laborat. Gliſcit malum; tranſit ad corpus. Fricat ſe miſerrimus mortalium & depilat: oculi libidine tabeſcunt. Donec de morbo deſperat ſuo & in ignem ſemet jacet. Laborat & Alcibiades: magna vehemensque inflammatio ſimilis furori hominem depaſcitur, mentem turbat, huc illuc impellit. E Lyceo ad concionem abit, è concione ad mare, illhinc in Siciliam, è Sicilia Lacedæmonem; Lacedæmone Perſiã, è Perſia Samum petit. Samo relicta Athenas, Athenis iterum ad Helleſpontum abit, & quo non tandem? Laborat & Critias, gravi morbo varioque: quem nec ſanare medicus, nec ferre urbs poteſt. His tamen nihilo minus ſana concedes eſſe corpora, membra integra. Mollis enim Sardanapalus, pulcher Alcibiades, robuſtus eſt Critias. Quorum tamen mihi non probatur ſanitas. Æger ſit Alcibiades, dummodo ne in Siciliam Athenienſes vehat. Æger ſit Sardanapalus: melius enim morbus uret eum quam voluptas. Imo funditus potius intereat, cui nova ſemper ac perpetua ſuppullulat improbitas. Nam ut vulnera ea quæ ſerpunt, corpus ſi ſemel invaſerint, pergunt ſemper partemq; ſanam corrumpunt medicisq; præbent difficilem, donec fundamentum mali ſedemq; ars excidat. Eodem modo cum partem aliquam purulenta morboque infecta ſuo ac corrupta invaſit anima, latiusq; ſerpere & afflare vicina cœpit, corporis commoditas parteſque ſunt tollendæ idoneæ, ut in latrone manus ſolent, in libidinoſo oculi, in helluone venter. Si judicem enim ſolummodo carceremque adhibere huic morbo paras & tortorem, fruſtra es. Vivet malum ſerpetque ſemper & gliſcet. Inexpugnabilis enim improbitati eſt velocitas, poſtquam ſemel animã occupavit, in eaque dignam ſe materiam, licentiam nimirum impudentem atq; effrænam invenit audaciam. *Diſſertatione 41. Corporisne an animi graviores ſint morbi?*

Aeneas Sophiſta: Meus Procopius. Sit autem tui Elpidij filius, quẽ velim adhuc in vita permanere, propter quem viguit apud nos medendi ſcientia. Etenim difficile eſt diſciplinis ſtudium operamque navare & corpus integrum conſervare. Quæ igitur paſſus ſum, ego quidem depinxi. Vos autem quaſi ſpectatores incommodi & calamitatis vos præbuiſtis. Sed quid faciam? Graves enim ſunt renum dolores & moleſti. Vos autem tardi, ut apparet, ad dandum beneficium, aut quamdiu etiam ſcribo. Ægrotanti verò dies unus etiam annorum eſt circuitus. Annon philoſophanti morbus graviſſimus? Non ars apud te non inſtructa eſt medicamentorũ apparatio. Quid igitur obſtat, niſi quod amicitiæ ac benevolentiæ oblitus es? Melius eſt enim imprudentiæ quàm malitiæ aſcribere. Succenſet igitur judex, non qui per imprudentiam, ſed qui ultrò ac ſua voluntate ſcelus patravit. Sed quaſi amiciſſimorum proditio ſit, morbus adhuc eſt mecum, remedium verò tecum: ſed inter loquendum morbo perculſum. *Epiſtol.18.*

Aeneas Sophiſta: Donec morbi latent; etiam remedia in medio poſita latent, & dominatur in curatione error. Morbi verò cognitio, quaſi lumen quoddam arte refulget & aperit remediorum copiam, neque dubiam ampliùs & ancipitem curationem adfert. *epiſt.19.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus: Decla.5. §.17. Languor eſt tamen. Languor cui meritò ceſſerint cunctę calamitates, in cuius cõparatione conſolari ſe poteſt genus omne miſerorũ. Stringat licet manus ſæva captivitas, profunda carceris nocte mẽbra claudãtur, datur tamẽ colludere catenis, artus extrahere nexibus: & habet aliquid æquanimitatis, cũ pœna ſua poſſe rixari. Sæviunt regna tormẽtis, bella vulneribus, ſed lævius afficit quicquid viribus feras: & cùm in plenũ adhuc ſanguinẽ adverſa ceciderunt, repugnantis roboris colluctatione vincũtur.

Quos cruciatus compares, quem dolorem, cùm penitus visceribus immissa tabes cotidie aliquid ex homine præmittit in mortem? cũ cibos, haustus, & omnia blandimenta vitæ fames fastidit, & poscit? desiderare assidentium officia, dehinc ferre non posse? gravari quos appetieris attactus? per totum cubile corpus velut super ardentes exagitare flammas? Lux fatigatis luminibus gravis, vox sola de gemitu. Cum ex duobus captivis languet alter, una est inæqualitas patris eligere sanum.

Quintilianus: Omnibus equidem mortalibus majorem crediderim de languore venire reverentiam: & illorum quoque quos inter supplicia pereuntes avido spectamus assensu, juxta valetudines tamen morborumque violentiam quodam innocentiæ favore miseremur. In carceribus, & in illa profunda nocte pœnarum, irreligiosus ille anheli pectoris pallor inspicitur, non sic confundunt obvios gravibus catenis colla stridentia, & diutino squallore concreta facies, ut ille quem ad singulos conatus gressusque labentem vix trahit impellitque longus ordo vinctorum, & inter tot destinatos, totque perituros, omnium tamen in se retorquet oculos unus æger. *Declam. 8. §. 9.*

Quintilianus: Nullum natura morborum genus solis visceribus abscondit: & quicquid causas valetudinis de vitalibus trahit, in corpus emanat. Inde macies, quòd ad interiorem dolorem superposita consentiunt. Non invenio cur hominem vulneribus exquiras, cur remedia quoq; vitalibus per corpus immittas, & in latentes meatus per hæc quibus tegimur, medicina descendat. Cur ego non eadem ratione languor admittit intellectum sui, qua sanitatẽ prodit? Abditos profundosq; morbos, aut citatior clausi sanguinis cursus, aut crebrior anhelitus laborantis animæ indicat. Crede de his ante omnia sensibus, oculis tuis: & ipsos de quibus agitur, modò singulos, modò pariter interroga, cui potissimum parti grave tacitæ pestis pondus insederit, unde prorumpat in gemitus conscius dolor. Medicus qui per hæc non potest invenire languorem, non invenit nec remedium. Quid si aliquid sanato medicina potest præstare rationis? Sufficit quòd aliquando jam facta ex unius hominis inspectione, ad totius intellectum naturæ medicina profecit. Quid allaturus huic ægroto es, quod non tot seculorum, tot languentium experimenta deprehenderint? *Declam. 8. §. 20. pr.*

Quintilianus: Quidquid nos in vitia morborum à naturali sanitate commutat, facit aut nimij sanguinis pondus exæstuans, aut est perfluus calor, aut ultra naturalem modum humor exundans, aut spiritus per tacitos meatꝰ nõ solita laxitate discurrẽs. *Dec. 8. §. 22. pr.*

Plinius Iunior: Tertio & tricesimo anno pedum dolore correptus est. patrius hic illi. nam plerumque morbi quoque per successiones quasdam, ut alia, traduntur. *Lib. 1. Epist. 12.*

Plinius Iunior: Terret me hæc tua tam pertinax valetudo, & quãquam te temperatissimum noverimus, vereor tamen ne quid illi etiam in mores tuos liceat. proinde moneo, patienter resistas. hoc laudabile hoc salutare admittit humana natura. Quod suadeo, ipse certè sic agere sanus cum meis soleo. Spero quidem, si fortè in adversam valetudinem incidero, nihil me desideraturum vel pudore, vel pœnitentia dignum: si tamen superaverit morbus; denuncio ne quid mihi detur, nisi permittentibus medicis; sciantque si dederint, ita vindicaturum, ut solent alij quæ negantur. Quinetiam cùm perustus ardentissima febri, tandem remissus unctusque acciperem à medico potionem, porrexi manum, utq; me tãgeret dixi, admotũq; jam labris poculum reddidi. Postea cùm vicesimo valetudinis die balineo præpararer, mussantesq; medicos repente vidissem; causam requisivi; responderunt, posse me tutò lavari, non tamen omninò sine aliqua suspicione. Quid, inquã, necesse est? atq; ita spe balinei, cui jam videbar inferri, placidè leniterq; dimissa, ad abstinentiam rursus, non secus ac modò ad balneum, animum vultumq; composui. *Lib. 7. Epist. 1.*

Plinius Iunior: Nuper me cujusdam amici languor admonuit, optimos esse nos dum infirmi sumus. quem n. infirmum aut avaritia, aut libido sollicitat? non amoribus servit, non appetit honores; opes negligit, & quantulumcunque, ut relicturus, satis habet. tunc Deos, tunc hominem esse se meminit. invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit: ac ne sermonibus quidem malignis attendit, aut alitur. balinea imaginatur & fontes. hæc summa curarum, summa votorum, mollemq; in posterum, & pinguem, si contingat evadere, hoc est, innoxiam beatamq; destinat vitam. Possum ergo, quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus philosophi docere conantur, ipse breviter tibi mihique præcipere, ut tales esse sani perseveremꝰ, quales nos futuros profitemur infirmi. *li. 7. ep. 26.*

Plinius Iunior: Triste illud, quod Iulius Valens graviter jacet: quanquam ne hoc quidem triste, si illius utilitatibus æstimetur; cujus interest quàm maturissimè inexplicabili morbo liberari. *Epistol. 9. lib. 5.*

Symmachus: Optavi ad oculos tuos raptim venire: sed fessus virium quas diu morbus exhausit, itiones longas, & mansiones asperas, tum accessiones frigorum, & decessiones dierum, quæque sunt noxæ opportuna vitavi. *Lib. 1. Epist. 15. f.*

Symmachus: Omnis internus dolor corporis, hiemali crescit injuria: ac nisi iter apricis diebus & auris salubribus egeris; malè metuo ne vitio contemptus exaggeret. *Lib. 1. Epist. 94.*

Symmachus: Andromachus dum te expetit, iter imbecillis grave, gracilitatis suæ oblitus intravit. hæc illi maximè causa fuit pro viribus, ut solet plerunque animus spe & gaudio morbũ levare. *2. ep. 79.*

Symmachus: Valetudinis meæ vigor cœpit assurgere. Fas est ut & de me scribendi assiduitas exigatur: maneat tantùm sanitatis fides, quam plerumq; sollicitat hyemis injuria. Nimis enim tenera atque imbecillis ratio est convalescendi, & antè medicas manus opem cœli clementioris expectat sanitas; ne tibi videar medendi arte morbo diuturnitatem dedisse. *Lib. 3. Epist. 39.*

Symmachus: Mea valetudo caret interim doloribus, sed indiget firmitate; maximè accedentibus curis, quas proximè facta à Senatu auxit oblatio. *Lib 6. Epist 54. m.*

Symmachus: Dehinc te filia precor, saluti adversa declines & interpellatam totiens valetudinem repares auxilio temperantiæ. Quia non solùm sanitati commodat, verumetiam ad testimonium prudentiæ pertinet noxiis abstinere.

Symmachus: Postquam Sebidius nuncius fuit, quãtus filiam meã vexet corporis dolor, meus quoque animus ægrescit. itaque literas nihil moratus emisi, anxiè petens, medica ope & abstinentia noxiorum ad sanitatem juvetur. *Lib. 6. Epist. 58.*

Symmachus: Nunc quoque nuncio, si dictum nullus fortunæ livor effascinet, in concordiam mecum sanitatem redire. Sed nondum sensum meum penetrat amœnitas littoralis. nam ut ex longa maris jactatione stabilis gressus seriò reparatur; sic tempore opus est ut mali discessio locum faciat voluptati. *Lib. 6. Epist. 77. m.*

Symmachus: Quæso custodes bonorum deos valetudini tuæ medicas applicent manus: ne optimi Senatoris longa vexatio fidem faciat nihil curare cœlestes. à qua opinione dissentio, teq; protinus ope salutarium potestatũ solidæ sanitati præsumo reddendũ, si modò ipse plenus spei lætis cogitationib. eluctaris adversa. *lib. 8. ep. 6.*

Symmachus: Mihi suburbanitas pedum ægritudine laboranti magis solatio quàm voluptati est. nullam jucunditatem tristis morbi sensus admittit. *Lib. 8. Epist. 18. m.*

Symmachus. Credo arbitreris circumsessum me Campaniæ amœnitatibus, scribendi ad te hactenus negligentem fuisse. Non est ea fortuna horum locorum, ut seriam curam sepeliant voluptates. Insolitis omnia necessitatibus strepunt, & oneri cessêre deliciæ. Quare negocium pro ocio repperi. *Lib. 8. Epist. 25.*

Symmachus: Exultavi gaudio ob amicitiæ honorem, quum litteras tuas sumerem. Sed ubi Annius noster quàm sis dubius valetudinis indicavit, in gravem curam lætitia derivata est. Video enim peregrinationi, quæ morbi instar est, damnum sanitatis adjectum. Solatur tamen sollicitudinem meam, quòd parsimonia tibi familiaris est, quod cognata sapientia, & adversis fortunæ animus ingẽtior: quæ bona reducere solent valentiam corporis, & vigoris serenum. *Lib. 8. Epist. 31.*

Symmachus: Spero tantumdem accessurum sanitati meæ ex conspectu vestro, quantum sperari possit ex otio. *Lib. 8. Epist. 45. f.*

§ POETARUM.

Prudentius Martyrio Laurentij.

Hi sunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile;
Ne per salutem viscerum
Mens insolescat turgida.
Cùm membra morbus dissicat,
Animus viget robustior:
Membris vicissim fortibus
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
Minus ministrat virium.
Si fervor effætus malis
Elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmento membrorum pati,
Et pulcer intus vivere.
Committe formas pestium,
Et confer alternas lues,
Carnisne morbus fœdior,
An mentis, & morum ulcera?
Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt.
Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errorq; mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
Quemvis tuorum divitum
Qui veste & ore pranitet,
Magis probabo debilem,
Quam quis meorum pauperum
Hunc qui superbit Serico,
Quem currus inflatum vehit;
Hydrops aquosus lucido
Tendit veneno intrinsecus.
At hic avarus contrahit
Manus recurvas & volam
Plicans aduncis unguibus,
Laxare nervos non valet,

Istu

Istum libido fœtida
Per scorta tractum publica
Luto & cloacis inquinat,
Dum spurca vendicat stupra.
Quid ille fervens ambitu,
Sitiq; honoris æstuans,
Mersisne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quisquis tacendi intemperans,
Silenda prurit prodere,
Vexatur & scalpit iecur,
Scabiemq; cordis sustinet.
Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta & livida
Malignitatum vulnera?
Tute ipse qui Romam regis
Contemptor æterni Dei,
Dum Dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio.

Martialis lib.3.Epigr.42.

Lomento rugas uteri quod condere tentas
Polla, tibi ventrem, non mihi labra, linis.
Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum:
Quod tegitur, maius creditur esse malum.

¶ Apologi.

Æsopus. Feles & Gallina. Feles in villa ægrotare Gallinas audiēs, medici assumpto habitu, instrumentisque arti necessariis, accessit: stansque ante villam, rogavit quomodo se haberent. Illæ verò, Bene quidem, subjecere, dummodo tu hinc discedas.

¶ Apophthegm. Christianor.

Senex anonymus Quid de corporis infirmitate dicam? quam providus aliquando immittit Deus iis, quib. utilius est frangi languoribus ad salutem, quàm remanere incolumes ad damnationē. Venerat Senior tam pietate quàm annis ad discipulum suum: quem cùm infirmæ valetudinis reperisset, *Fili,* inquit, *ne propter corporis infirmitatem angaris, pro quâ Christianum decet Deo gratias agere.* Quo dicto, & morbi vehementiam leniit, & infirmi tolerantiam non parum auxit. *Simon Goulartius ex Vitis SS.PP.*

Eremita anonymus: Et hujus quoque spiritum Dei visitatio custodiebat. quotannis enim variis infirmitatum generib. affligi solitus. accidit ut uno anno à morbis omnino immunis foret: quam sortem altis suspiriis deplorans subinde, exclamabat: *Domine Deus, cur me deseris? cur me desolatū hoc anno non visitasti?* Ita vir sanctus, ea q alij pro flagello habēt, solatii loco, quoad vixit, reputabat. *Idē.*

Theodoricus Episc. Colonien. Erat ille auctoritate & prudentiâ inter Electores facilè Princeps. Quærenti autem Sigismundo Cæsari, quónam pacto felicitatem consequi posset; *Inter mortales,* ait, *frustrà requiris.* Instanti rursus: *Ad cælestem ergo quo itinere pergā?* *Rectà,* respondit ille. urgentique tertiò, quid agendo rectà tenderet; *Si,* ait, *ita vitam institueris, quomodo facturum te promisisti, dum calculus aut alia invaletudo te oppressit.* Docuit autem, morbum quemvis, si acrior sit, esse certum ad meliorem vitam incitamentum. *Æn. Syl. lib. 2 de Gest. Alphonsi.*

Anonymus religiosus: Sed & divinæ probationis ac miserationis argumentum est corporis per ægritudinem afflictio. hinc quidam ex Patribus adolescenti à se sanitatem postulanti, respondit: *Rem tibi necessariam cupis auferri: si enim aurum es, per ignem probaris: si ferrum rubiginem amittis.* Sanè idipsum nobis omnibus dictum putemus, ut alacri animo feramus,

Cùm gravis excruciat morbus, vel sæva podagra
Cùm premit, aut lectus debile corpus habet:
Et morbi auctorem merito celebremus honore.
Vulneris hæc nobis certa medela datur.

Refert. L. Granat. Serm. de Commem. Annunt. ex vitis PP.

Require Tit. de Tribulatione.

¶ Monosticha Trochaica.

A capite morbus qui venit, gravissimus.
A laborifero sudore potio rigens nocet.
Ambulare sub dio mage prodest quam abstinentia.
Antidoti vim scire non est, nisi venena inspexeris.
Bilis atra delirantes homines concinnat cito.
Causa morbi si palam est non jam anceps est curatio.
Cogitatio atque rixa post cibum est inutilis.
Corpus informari totum per partem haud citò potest.
Corporis morbum medicina: morbum animæ mors amovet.
Corpori minus tyrannis noxia est quam insanitas.
Corpora pluribus majora morbis, brevia quam patent.
Cui loquacitas subitò est, ei timenda insania.
Desperationis crimen est mederi quod nequit.
Diversis diversa morbis conveniunt medicamina.
Dives æger esse malim, quam sine morbo egentior.
Divitem male ægrotantem quidnam opes juvant suæ?
Ejulent nodosa torquet quos podagra & arthresis.
Ex amaris dulcibusq; temperandum poculum est.
Ex curis facilè ac labore morbum in ingentem incidas.
Ex eis morbi creantur nobis ex queis vivimus.
Febrienti urina fetida, atra, crassa, pessima est.
Febris ut cessat statim non robur & prius redit.
Fulmine ista Serpenti omne toxicum consumitur.
Haud citò morbum internum cures, externum citissimè.
Illico morbi elanguescunt marcessente corpore.
In malis jam est æger, extra pars friget cùm corporis.
Inquietudo febrilem haud discutit vim, provocat.
Invenit medicinam Apis, excoluit Æsculapius.
Lippitudinis tollendæ gratiâ venam secas.
Malim pauper esse sanus, quàm ingens cum morbo Deus.
Morbus est nobis magister serus ad modestiam.
Morbus is gravissimus est, à capite qui diffunditur.
Morbus omnis diviti est quam pauperi molestior.
Morbus qui brevis præcepsq;, exstinguit, aut exstinguitur.
Morbi ubi reperta causa, prompta jam curatio est.
Morbum egestatemq; ei optes, cui cupis quam pessimè.
Morbo in quolibet fortuna non minus quam ars vindicat.
Morbis qui nati nobiscum subvenitur ægrius.
Mors salusq; in morbo acuto nullam habet certam notam.
Mortis est nota in febre ultro sanguinem ore si vomis.
Multi a morbo convalescunt curâ diligentia.
Multiplex ubi medicina est, pulcra item vis est mali.
Nestoris vis vivere annos? abstine medentibus.
Ne oculos ungas non dolentium aliis lippientibus.
Nil edas potu a nimio, nil a nimio cibatu agas.
Nil novum est eum cui sanguis salsus est tabescere.
Nocte ut ire & ambulare quis queat dies facit.
Non quærit curationem qui caret sensu mali.
Nosse originem doloris, spes salutis maxima est.
Noxia est mora omnis, in medicina plus quam noxia est.
Nullus æger est sui quin mittat adventus notas.
Odiosa quævis corpori ægro offensio.
Pharmaca animi cunctis prosunt, corporum multis nocent.
Pluribus sumus animi morbis subditi, quàm corporis.
Plurimos diæta sanat una morbos ac quies.
Præco morbi, difficultas motus, præco cruditas.
Principium est sanationis morbi consistentia.
Purulentum ulcus curatur sectione, haud carmine.
Quæ malè obducta est cicatrix, purè incocto rumpitur.
Qui sibi æger non videtur, estq; pessimè hercle habet.
Qui suum morbum fatetur sanitati est proximus.
Quilibet morbus Mortis venturæ est acer nuncius.
Sæpe corpus perfricandum est parte eâ quàm ubi dolet.
Sæpe futili procures maximas res herbulâ.
Sæpe obit de quo securus primo ipsus medens fuit.
Sæpe vix integro in anno morbus quem petit sacer.
Sit latens licet, deprendi suppuratio potest.
Solvit adstrictam, solutam vomitus alvum comprimit.
Spiritum intendit periculum & metus periculi.
Sternutationes crebras sulphuris vis commovet.
Strenuè præstat mori, quam tardè convalescere.
Sunt malo pulmone sanguinem excreant qui spumeum.
Tactus blandus non tam vulnus curat quam asperat recēs.
Tam juventam quam senectam morbus æger occupat.
Tam malum est calor immodestus quàm moderatus est.
Tempus in cibo spectandum est, est spectanda quantitas.
Tolle causam originemq; morbi, & æger jam valet.
Vivere haud potest cui os jam spumat ab incendio.
Vivit omne corpus sese sponte quod movet loco.

¶ Jambica.

A febre quartana & vales fidelius.
A febre quis non factus est infirmior.
Ægrum prius cures vomitu, inde pharmaco.
Ægris diu, capillus ipse defluit.
Ægris medentem arcesse, amicum tristibus.
Ægros ubiq; exaudit Æsculapius.
Altos nimis morbus refrenat spiritus.
Amaram amaro pharmaco bilem eluas.
Auris dolore acuto insaniam incidas.
Auruginoso amara sunt gustu omnia.
Aut vincit hominem morbus, ipse aut vincitur.
Coniuncta morbo pauperies gravissima est.
Curantur & morbi curâ incurabiles.
Delirium time capitis a vulnere.
Deo propinqua est anima morbis obsita.
Deterior animi morbus est quam corporis.
Dilatio mali est propè incurabilis.
Diuturnus esse morbus vehemens non potest.
Est peior animi morbus morbo corporis.
Et sanguis in pus vertitur.
Etsi recessit febris, viribus cares.
Exasperat medela morbos perpetes.
Febri laboranti ullus haud sapit cibus.
Fecēre multos multa morbos fercula.
Gravior animorum morbus est quam corporum.
In febre acutâ frigidus sudor necat.
In febre linguam habere teneram perbonum est.
Intendere ipsam vis sitim? cepas ede.

Interna febris febrium gravißima est.
Magnis patent majora morbis corpora.
Miscenda cunctis est aloe catharticis.
Morbus gravis, medicinam postulat gravem.
Morbus molestus & longus multa imperat.
Morbum gravat quicumque fert acerbius.
Morbis alimentum suppeditat silentium.
Morbos parit mutatio in contrarium.
Mortale nil est quod non morbis subditum est.
Nemo supra morbum est aut infortunium.
Nocet dolenti corpori gestatio.
Non morbus est, morbi sed appendix febris.
Non omne morbo cuilibet corpus patet.
Nullus calenti vulneri subest dolor.
Obnoxius morbis vir, at plus femina.
Obnoxium est morbis, caret quidquid modo.
Oculis cave vim fumi amicam dixeris.
Omnis ratio futuri hominis in semine est.
Periculosa nulla vis cucurbitæ est.
Persæpe morbus corporis non est, loci est.
Plerumque nobis morbus ipse est utilis.
Plures animo sunt morbidi quàm corpore.
Plures animorum morbi sunt quàm corporum.
Purgare si corpus cupis, sit humidum.
Purgato longis alba morbis corpora.
Quandoque morbus est loci, non corporis.
Qui crudus exit corpori haud prodest cibus.
Quo pejus animo quis se habet, sentit minus.
Quod tristitiam habet, morbus est mortalium.
Remißionis est dies lux septima.
Sensu mali carere, in morbis peßimum.
Stultè timet morbos, morbosa qui adpetit.
Sumpto repentè sanguis haud fit à cibo.
Tam genere nullo ægrotamus quàm vivimus.
Toto potest quis ægrotare sæculo.
Vbi Auster est, ibi est gravedo verticis.
Vicina plerumque ulceri consentiunt.

Morionis.

❡ Apophthegm. Christianor.

FRedericus Imp. Moriones, ut hominum omnium communem fæcem, breviter transcurrimus, & simul eos despiciẽtẽ Fredericum Cæsarem. qui rogatus, an illud hominũ genus in convivium admittendum esset; sapienter respondit: *Neque stultis delectari possum, neque superbis esse amicus.* Considerabat illud Poëtæ:

——Sapientia prima est
Stultitia caruisse.——

Æn. Syl. lib. 1. de Gest. Alph.

Alphonsus Rex Arag. Ille in omnes munificus, præterquam in has sordes hominum. dicebat enim: *Huiusmodi homines persimiles sunt cisternæ rimosæ, quam ut nullus implet imber, ita hos nulla rerum compendia exsatiant. Pont. de Liberal.*

Moris & Morum.

❡ Sententiæ Græcorum.

D. Chrysostomus: Quemadmodum nemo obscurum diceret Solem, ne si cæcus quidem fuerit; erubescit quippe opinionibus omnium adversarii: ita & eum qui nimio fuerit decoro cõspicuus, atque morum honestate illustris, nullus profecto culpare præsumit. Fulgore enim vitæ illustrem, etiam inimici verebuntur: quippe & ipsis quoq; ora obstruit veritas. *Homil. 10. ad Timoth. 1.*

Egesippus: Non solent diversa inter se studia, diversique mores convenire. similitudo enim morum facit voluntatum societatem, & cognata studia sibi nectit. *cap. 7. libri 4. de excidio Hierosolymitano.*

❡ Philosophorum Oratorumq. Graecor.

Dio Prusæus: Deinde irascimini Aegeensibus & Adanensibus, quum vos conviciis proscindunt: eos autem ex vestris civibus, qui illis, quod vera dicant, testimonium perhibent, non ejicitis è civitate. Nescitis, quod rerum quid infandarum & præter naturam facere, suspicionem duntaxat plurimarum faciat, & nemo quicquam videat ex vulgo, sed in tenebris latentes & clam impie agant infeces: hæc autem intemperantiæ symbola de moribus indicium faciunt, deque affectu: nempe vox, intuitus, habitus: quinetiam ea, q̃ videntur esse parva, & nullo in numero, ut tonsura, deambulatio, oculorum commutatio, collique inclinatio, sermocinatio manibus supinis. Ne existimetis enim tibiarum modulationes atque sonos cantusque partim quidem virilem declarare animum, partim vero muliebrem: motus autem & actiones nihil referre quales sint, neque ullum esse in his indicium.

Porrò ego sermonem vobis quendam narrare volo, quem fortasse & aliàs audivistis. Ajunt enim venisse in civitatem quandam, acutum quendam ex iis, quibus illud est studium, ut statim cujusq; mores norint, & enarrare possint animi affectus, nullaque prorsus in re aberrent: sed quemadmodum nos animalia ex aspectu cognoscimus, quod hoc est ovis, (si res ferat) illud autem canis, hoc verò equus, aut bos: ita ille homines ex aspectu norat, poteratque dicere, quod hic quidem esset fortis, ille vero timidus: hic petulans, ille superbus, aut cynædus, aut adulter. Vt igitur specimine artis exhibito admiratione fuit, & nusquam aberravit: adducunt illi quendam corpore durum & superciliis junctis hominem, squallentem, maleque dispositum, callosq; habentem in manibus, fuscum quoddam & asperum indutum vestimentum, pilosum usque ad pedis plantã, & vitiose tonsum: deque hoc rogabant, ut pronunciaret. Ille verò, ut longo tempore inspexerat, tandem cunctatus opinor quicquam ex tempore dicere, se nescire dixit, jussitque illum abire. Qui quum recederet, sternuit. tum ille statim exclamavit, esse cinædum. Itane ergo hominis mores sternutatio redarguit, valuitque eo ut fallere non posset: civitatem autem nullum horum calumnia onerare queat, opinioneque prava impleat: præsertim ubi non acuto interprete est opus, quid cuiusque judicium & signum sit? *Oratione 33.*

Iulianus Imp. in Misopog. Quare nulla invidia esse debet, si nepotes avum generis vel certè nominis auctorem imitantur. Nam quemadmodum in plantis verisimile est diffundi qualitates quàm latissimè, ac fortasse etiam in totum similia nasci ea quæ gignuntur, iis unde orta sunt: sic etiam in hominibus credibile est, nepotum mores avitis affines esse. Equidem Athenienses omnium Græcorum liberalissimos atque humanissimos esse animadverti. Quanquam probitatem quidem certè in omnibus Græcis vidi, possumque de iis affirmare, omnium eos religiosissimos & humanissimos erga hospites esse: veruntamen è Græcis ipsis uberius certe & majus hac de re testimonium Atheniensib. dare possum. Quòd si ij virtutis ac morum effigiem antiquam retinent, quid est cur Syri, Arabes, Galli, Thraces, Illyrii, & inter hos ipsos ad ripas Istri interjecti Mysi idem facere non possint? At mihi genus ab istis est penitus agreste, durum, rusticum, inamœnum, pertinaciter adhærens ad ea quæ semel judicavit: quæ omnia duritiem ingenii mirabilem ostendunt. Quamobrem primum veniam pro me deprecor, deinde vobis eandem vicissim concedo, qui patrios mores vitamq; persequimini: neque probri loco jam illud profero,

Mendacesque, bonique leves saltare choreas:

imò contra potius in magna laude pono, quòd tam arctè accurateque patrum vestrorum mores & instituta teneatis.

Libanius: Nescitis civitatum mores decretis agnosci? & pro sociorum virtute aut vitio, etiam morum existimationem esse? *Declamatione 42.*

❡ Romanorum.

Plinius: Liceat experiri an aliquid superbiæ tibi ille ipse secundus consulatus attulerit. multum in commutandis moribus hominum medius annus valet, in Principum plus. *c. 59. panegyrici ad Trajanũ.*

Plinius: Soror tua, ut se sororem esse meminit! ut in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor agnoscitur! ut si quis eam uxori tuæ conferat, dubitare cogatur, utrum sit efficacius ad rectè vivendum, bene institui, aut feliciter nasci. *cap. 84. paneg. ad Trajanum.*

❡ Poetarum.

D. Gregor. Nazianzenus de vita sua.

Ἔθος γὰρ ἐγχρονίζον εἰς νόμον τελεῖ.
Mos jam vetustus obtinet legis locum.

Prudentius priore libro contra Symmachum.

——Sic observatio crevit
Ex atavis quondam male cœpta, deinde secutis
Tradita temporibus serisque nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconsulta catenam.
Mosque tenebrosus vitiosa in sæcula fluxit.

Prudentius 2. lib. contra Symmachum.

An veterem tantum morem, ratione relicta
Eligis? & dici id patitur sapientis acumen,
Ingeniumque viri? potior mihi pristinus est mos
Quam via justitiæ, pietas quam prodita cœlo,
Quamque fides recti, recta quam regula secta.

Prudentius lib. poster. adversus Symmachum.

Si quicquid rudibus mundi nascentis in annis
Mos habuit, sanctè colere ac servare necesse est:
Omne revolvamus sua per vestigia seclum
Vsque ad principium: placeat damnare gradatim
Quidquid posterius successor repperit usus.
Orbe novo nulli subigebant arva coloni.
Quid sibi aratra volunt? quid cura superflua rastri?
Ilignis melius saturatur glandibus alvus.
Primi homines cuneis scindebant fissile lignum.
Decoquat in massam fervens strictura secures
Rursus, & ad proprium restillet vena metallum,
Induvia casa pecudes: & frigida parvas
Præbebat spelunca domos: redeamus ad antra,
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus.

Immanes

Immanes quondam populi, feritate subacta,
Edomiti iam triste fremant, iterum ferinos
In mores redeant, atque ad sua prisca recurrant.
Præcipitet Scythica juvenis pietate victum
Votivo de ponte senem: sic mos fuit olim.
Cædibus infantum fument Saturnia sacra,
Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ.
Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo:
Sic tradunt habitasse Remum. regalia fœno
Fulcra supersternant: aut pelle Libystidis ursæ
Compositam chlamydem villoso corpore gestent:
Talia Trinacrius ductor vel Tuscus habebat.
Roma antiqua sibi non constat, versa per ævum
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis;
Multa colit, quæ non coluit sub rege Quirino.
Instituit quædam melius: nonnulla refugit.
Et morem variare suum non destitit: & quæ
Pridem condiderat jura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus solitos, Romane Senator,
Objectas? quin scita patrum, populique frequenter
In stabulis placiti sententia flexa novarit?
Nunc etiam, quoties solitis decedere prodest;
Præteritosque habitus cultu damnare recenti;
Gaudemus compertum aliquid, tandemque retectum
Quod latuit. Tardis semper processibus aucta
Crescit vita hominis, & longo proficit usu.
Sic ævi mortalis habet se mobilis ordo:
Sic variat natura vices. infantia repit,
Infirmus titubat pueri gressusque animusque:
Sanguine præcalido fervet nervosa iuventa:
Mox stabilita venit maturi roboris ætas:
Vltima consiliis melior, sed viribus ægra;
Corpore succumbit, mentem purgata senectus.
His genus humanum per dissona tempora duxit
Curriculis ævum mutabile. sic hebes inter
Primitias, mersumque solo titubavit, & instar
Quadrupedis pueri lactantia viscera traxit.
Mox tenerum docili ingenio, iamque artibus aptum
Noscendis, varia rerum novitate politum est.
Inde tumens vitiis, calidos adolevit in annos;
Donec decocto solidaret robore vires.
Tempus adest, ut iam sapiat divina, serena
Mentis consilio, vivacius abdita solers
Quærere, & æternæ tandem invigilare saluti.

Aristophanes vespis 1445.

Felix quidem est ille senex,
Si desinat mores suos,
Victumque siccum atque rudem,
Aliaque si doctus erit,
Atque animum applicet ad
Mollitiem & delicias.
Vereor ut ad se redeat;
Adeo naturam atque habitum
Facile vertere haud poteris.
Quamvis multis accidit hoc;
Suos ut mores, moniti
Ab amicis, reliquerint.

Plautus Trinummo 1. sc. 1. v. 6.

Nam hic nimium morbus mores invasit bonos;
Ita plerique omnes iam sunt intermortui.
Sed dum illi ægrotant, interim mores mali,
Quasi herba irrigua succrevere uberrimè,
Neque quidquam heic vile nunc est, nisi mores mali:
Eorum licet iam messem metere maximam.

Plautus Trinummo 4. sc. 3. v. 22.

Atque utinam veteres mores, veterumque parsimonia;
Potius maiori honori heic essent, quàm mores mali!
Neque istis quidquam lege sanctum est. leges mori serviunt:
Mores autem rapere properant quà sacrum quà publicum
Nonne hoc publicè animum advorti? nam id genus hominũ hominibus
Vniversis est adversum. illis quoque abrogant etiam fidem,
Qui nihil meriti. quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.

¶ Apologi.

Æsopi.

Iupiter & Vulpes. Versutiam & prudentiam Vulpis admiratus Jupiter, imperium ei in cæteras feras tradidit. scire autem cupiens an mutata mente, commutasset etiam tenacitatem; in lectica dum vehitur Vulpes, crabonem ante oculos dimisit. illa continere sese non potis, è lectica desiliens prætervolantem turpiter comprehendere conata est. Jupiter verò ei, succensens, priori rursus reddidit ordini.

¶ Emblematum.

Batillius CCVII.

Divitiæ & honores mutant mores.

Nudo equitem in tergo quemvis residere sinebat
Nullius indignans iussa manumve sequi,
Qui nisi Alexandrum phaleris instratus & ostrò
Sessorem Dominum ferre negabat equus.
Sic tenuem dives sæpe aspernatur amicum,
Consuêrat tenuis quem colere ipse prius.

Batillius. CXCVIII.

Vita ad leges corrigenda.

Ad normam legum vitæ componere mores
Conveniens vitæ moribus esse puta.
Non bene quadret opus si quid delirat amussis
Et ni structuram dux bene firma regit.

¶ Apophthegm. Christianor.

Franc. Borgia. Non parva modestię prudentiæque nota, cujusvis Moribus se facilem præbere, temporis ac loci ratione habita. Claruit autem hoc splendore Franc. Borgia: qui, dum iter faciens divertisset ad ea loca ubi eum à quotidiano Sacrificio arcebant, etiam tabulis Societatis prolatis; socio urbanè in aurem insusurrabat: *Nunc per me licet pristinos titulos nomines. Civili namque hîc iure agendum. Lib. 4. Vit. eiusd. c. 1.*

Idem: Modum titulis statuere solitus, in iis tamen dandis liberalis; si quem aulico hoc fumo libenter denigrari conspicaretur, ajebat namque: *Si peccandum alterutram in partem est, titulorum ubertate quam raritate offendere malo. ibid. cap. 8.*

Ludovicus XII. Gall. Rex. Ille ut in aliis, ita & hîc facetus. Dicenti conjugi, futurum ut claudicantem leviter filiam gener, cui eam Rex se invita desponderat, planè contemneret; illud Nasonis ingeminabat:

Certus amor morum, formam populabitur ætas.

P. Æmil. in Vita.

Carolus V. Imperator. Hic etiam cum regali majestate facetâ urbanitate præditus, frequenti suos Proceres apophthegmate reficiebat. Factum autem, ut de cogendo milite sermo fieret. cùm ille ita orsus: *Ego dum militem & castra colligo, assumo caput Italicum, humeros & manus Hispanicas, Germanum pectus, ventrem & pedes aliarum nationum.* Solertiam Principis in eo potissimum consistere significabat, quòd cujusvis nationis mores & humores habeat sibi perspectos. *Chytr. Orat. de vita Caroli.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absque moribus magistri noxia eruditio est.
Adfliguntur opibus mores sæculi vel optimi.
Conditionem assignat casus: quisque dat mores sibi.
Cuiquámne institutis vita patriis est charior?
Disparis studii sequuntur iura mores dispares.
Diversos parit mores tot gentium commixtio.
Fas malorum ubique morum messem metere maximam.
In malis diu versati mores imbibunt bonos.
Ingenio si haud pœnitendo es, ipsum adorna moribus.
Litere urbem non decorant, sed magis mores boni.
Lydius lapis Dies est atque hominum mores probat.
Mentis haud malæ magister cicurat mores feros.
Mente moribusque cures omne corporis malum.
Mitiorum studia pravis corrumpuntur moribus.
Mos, necessitasque, lexque cuncta ubique perpetrant.
Mos perennis est, qui ab ipso fonte naturæ fluit.
Mos tyranno pro lege: at lex principi pro moribus.
Moribus Romana plus gens subiugat quam viribus.
Moribus splendere præstat, quàm bonorum adoreis.
Moribus virisque antiquis, res Romana floruit.
Moribus vivas vetustis: nil moror mores novos.
Multo quanquam onustus auro asellus, at rudit tamen.
Nemo est qui tenere alienum moribus queat suis.
Nemo sic mores vetustos æstimat ut rusticus.
Non modò natura mores: disciplina item facit.
Plurimum lex sana, mores plus tamen possunt boni.
Plus ibi boni mores valent, quam alibi leges bonæ.
Publicos mores necesse est æmulare aut oderis.
Qualibus quis moribus sit, tunc patet cùm est mortuus.
Quot figuræ in orbe utroque, tot mores sunt pectorum.
Rebus è gestis cuiusque rite mores colligas.
Sperne mores transmarinos, mille habent offucias.
Succrescunt uberrimè ut herba mores irriguæ mali.
Sufficit domus vel una mores Orbis ut scias.
Sunt ibi mores lascivi, ubi est lasciva oratio.
Tot ritus sunt atque mores quot cœtus mortalium.
Transit in mores avorum mos suus nepotum.
Viperam ponas in auro, permanebit vipera.
Vix idem animus in pauperie est, qui olim in divitiis fuit.
Vllane est gens quæ perenne utatur iisdem moribus?
Vltimum vis Romanorum nosse? scito Cassium.
Vrbium vis scire mores? scita earum perspice.

¶ Jam-

¶ JAMBICA.

Disparia studia sequuntur mores dispares.
Diversius nil moribus est mortalium.
Durant diu mores, exempla diutius.
Durare mores haud queant ficti diu.
Cum moribus simul fortuna vertitur.
Iam moris antiqui mera est oblivio.
Longa arguit tantum mores hominum dies.
Mos est cuiq; cuiq; ritus est suus.
Morem prout conducat rectè accommodes.
Mores boni fructum bonum progerminant.
Mores boni nascuntur, artis nescii.
Mores bonos haud ulla mutat servitus.
Mores honesta verbis, verba moribus.
Mores honesti inimicos & capient tuos.
Mores mali quid sunt humores quam mali?
Mores opibus haud tradere admodum arduum est.
Mores pij donum Deo gratissimum.
Mores probi sunt fortibus, pro mœnibus.
Mores sequuntur temperamen corporis.
Mores suos diutius quis occulat?
Mores suos multi produnt signaculis.
Morum argumentum etiam capere ex minimis licet.
Morum bonorum vita finis est bona.
Mutare mores nemo vult domesticos.
Mutat quidem pilos, sed non mores lupus.
Nemo tenet quid moribus alienum suis.
Non ducitur flagitium, quod fit moribus.
Nunc vile passim nil est, nisi mores mali.
Nunquam exuunt mores leo aut vulpecula.
O optume hospes pol, Crito, antiquum obtines.
Placent sibi mores boni atque permanent.
Pro lege mores sunt sui viro probo.
Pro lege mos est civibus vetustior.
Quacunq; lege mos bonus perennior.
Quævis solutis dura lex est moribus.
Quam multa iniqua ac prava fiunt moribus!
Quo vivis in loco, illius morem cole.
Vbiq; morum verba sunt imagines.
Vrbs nulla crescit mos ubi regnat malus.
Vt temporum, sic morum vertuntur vices.
Vulpes pilum mutare potest, animum haud potest.

Mortis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus:* Sapientum verbis adducor ut credam, pulchram omnem animam & Deo charam posteaquam corporis vinculis soluta, hinc excesserit, protinus bonum, quod eam manet, persentientem & contemplantem (utpote eo, quod tenebras offundebat, vel purgato, vel deposito, vel, quo verbo ea res appellanda sit, nescio) mirabili quadam voluptate affici, & exultare, atque hac vita, tanquam gravi quodam ergastulo, liberatam, compedibusque illis, quibus mentis alæ deprimebantur, solutam, summa cū hilaritate ad dominum suum tendere, ac reconditam beatitudinē jam velut per imaginem & simulachrum percipere: post etiam aliquantò, cùm cognatam carnem à terra, quæ & dederat, & in fidem acceperat, receperit (quod quo modo fiet, is novit, qui ea inter se cōjunxit atque dissolvit) dum demum eam quoque ad glorię cælestis hæreditatem secum admissuram, & quemadmodum ob naturæ cōjunctionem ærumnarum ipsius particeps fuerat, sic etiam jucunditates suas cum ipsa communicaturam, totum videlicet corpus in se ipsam absumentem, & cum eo unum effectam & spiritum, & mentem, & Deum, absorpto nimirum à vita eo, quod mortale & caducum erat. *Oratione 10.*

D. Nazianzenus: Non est eadem Dei & hominum natura, aut, ut in genere loquar, superorum & terrestrium. Apud illos enim constans & immortale est, tum ipsum esse, tum quæcumque ad illud pertinent. Firmorum enim res firmæ sunt. Res autem nostræ quo pacto se habent? Fluunt & corrumpuntur, atque alias aliam mutationem capiunt. Vita quippe & mors, & tametsi plurimum inter se dissidere videantur, inter se tamen quodammodo immeāt, atque altera in alterius locum subit. Illa enim à corruptione, matre nostra, incipiens, ac per corruptionem, hoc est perpetuum ejus, ꝙ præsens est, excessum, gradiens, in corruptionem tandem, hoc est in hujus vitæ finem desinit: hæc autem, quæ præsentibus malis liberat, atque etiam sæpe ad supernam vitam traducit, haud scio an propriè mors appellari queat, utpote nomine magis quam re formidabilis. Atque absurdè quodammodo & præpostere affecti esse videmur, qui ea, quæ minimè horrenda sunt, extimemus, quæ autem metuenda sunt, ut optabiliora, complectimur. Una vita est, ad vitam respicere. Una mors, peccatum, est enim animæ interitus. Alia autem, ob quæ nonnulli animis efferuntur, insomniorum visio sunt, veris rebus illudens, & fallacia animæ spectra. Si hac mente fuerimus, ô mater, nec ob vitam animos attollemus, nec ob mortem nimium angemur, Quid igitur grave nobis accidit, si hinc ad veram vitam migravimus, si conversionibus, vertiginibus, saturitatibus, ac turpi illa tributi exactione liberati, cum stabilibus rebus, minimeque fluxis & caducis, parva lumina futuri sumus, circum lumen illud magnum tripudiantes? *Oratione 19. sub finem in funere patris.*

D. Nazianzenus: Quod navigātibus tranquillus portus est, hoc iis qui hujus vitæ procellis agitantur, migratio ad alteram vitam existit: aut etiam, quemadmodum qui longum iter priores confecerunt, minus difficultatis ac molestiæ habent, quàm qui adhuc iter faciunt, atque in labore versantur: ita tolerabilior & melior eorum est conditio, qui ad illud hospitiū jam pervenerunt, quàm qui sinuosum adhuc & præceps hujus vitæ iter emetiuntur. *Oratione 19. in funere patris.*

D. Nazianzenus: Quanto in periculo versaris? quot quamque inopinati rerum casus? vel bellum oppresserit, vel terræmotus obruerit, vel mare exceperit, vel bellua rapuerit, vel morbus extinxerit, vel mica panis transversè per fauces curreris, res vilissima (quid enim hominis interitu facilius, quantumvis ob divinam imaginē glorieris?) vel immodica crapula, vel ventus in præceps agens, vel equus sessorem secum abripiens, vel pharmacum de industria ad insidias comparatum, fortasse etiam pro salutari pestiferum invētum, vel inhumanus, vel inexorabilis carnifex, vel denique quidquā eorum quæ celerem mortem atque omni ope & auxilio validiorē efficiunt. *Oratione 40.*

D. Greg. Nyssenus: Caput jam canescit, prope est æstas vitæ; in nos forte falx acuitur, & timeo ne nobis dormientibus, & in una spe occupatis, repente accedat messor terribilis. Sed dices, tu qui es juvenis, nondum consenui. Noli ergo decipi, non definitur mors certo tempore ætatis, neque timet eos qui sunt in ipso flore ætatis, in solos autem senes obtinet dominatum. Hujus autem accipe magistram quotidianam experientiam. vides enim quo mortui efferūtur feretrum, quam inæqualiter, & ut contingit, omnē effert ætatem, hodie senem, cras florentem & elegantem adolescentem, paulò post cui cæperat apparere lanugo. rursus virum robustum & valentem viribus, & rursus vetulam simul & virginem. Hæc aspicientes nos muniamus, ut non simus metu vacui. Video quando aliquis terræ motus exortus fuerit, aut fames pestisve sævierit, aut irruptio facta sit inimicorum, festinare omnes ad baptisterium, ne vacui gratia excedant ab hominibus. Quid verò an non alii varii & inopinati casus eandem vim habent quam illa mala? apoplexiæ, syncopæ, inopinatæ suffocationes, ventorum irruentes procellæ. Non videmus eos qui currunt, cadere, & qui comedunt planè cessare à nutrimento, & qui dormiunt duci ad mortem somni sororem? confirma & stabili vitæ instabilitatem & incertitudinem. *orat. contra baptismum delatum.*

D. Greg. Nyssenus: Sciendum est naturam assiduè non mortem incumbere, vitæque tempore antecedenti mortem prorsus instare atque inhærere. Etenim cùm vita præteriens semper ad futurum contendat, nec ad præteritum unquam revertatur, quid aliud est, quam mors, id, quod vitalem actionem usque subsequitur? Quare cum in tempore, quod antè fluxit, desinat motus omnis in actio vitalis, mortisque proprium sit, res ad interitum, nihilumque redigere, quod quidem semper actioni præteritæ omnino contingit, non mentitur, qui huic vitæ mortem dicit esse conjunctam. Hoc autem res ipsa verum esse confirmat, quandoquidem, quod ad subjectam materiam pertinet, homo non est idem hodie, qui heri fuit. Aliquid enim ex eo momentis singulis moritur, & fæter, & corrūpitur, & abjicitur: cùm tetrum natura fœtorem ex corpore, tanquā funus ex aliqua domo, efferat, & quod vitalē facultatem jam exuit, terræ tradat. Quamobrem, ut Paulus ait, quotidie morimur: quippe qui non iidem semper manemus in ipso corporis domicilio, sed accessione decessioneque continua alii ex alio reddimur, & in novum assiduè corpus immutamur. Quid igitur cum morte nos ut hospites peregrinosq; gerimus, cum demonstratum sit, vitam hāc quam in carne degimus, nihil aliud esse, nisi perpetuam mortis cōmendationem ac studium? Quid? ipse somnus, atque vigilia, quid aliud sunt, nisi mortis, vitæque complexus, atque conjunctio? cum & dormientes tanquam extinctos sensus nos deserat, & excitatos vigilia speratæ resurrectionis admoneat? *Orat. de mortuis.*

D. Greg. Nyssenus: Sit ex omni genere ciborum opiparum quoddam ac dubium convivis epulum propositum, huic præsit ex convivis is, qui exactè cujusque naturæ proprietatem noverit, quid tali quidem temperamento atque complexioni commodum, quid itē noxium & incommodum sit: addita sit item huic cum authoritate potestas & officium quoddam, ut ad suum arbitrium alium quidē uti & frui appositis sinat, alium verò prohibeat, & omnia faciat ad hoc, quo quisque suo temperamento atque complexioni commoda convenientiaque attingat, ne vel morbo obnoxius per esculenta materiam morbo adjiciēs conficiatur, vel robustior incommodo cibo molestiam ex humorum abundantia contrahat atque laboret. In his aliquis vinolentiæ addictus, vel ex medio convivio educatur, vel cum incipiat inebriari: vel in finem usque permaneat in cœna, hæc ita præfecto administrante, ut nullum ex abundantia atque ebrietate mentisque depravatione malum existens in medio relin-

quatur,

quatur, sed perpetuus decor & honestas in mensa servetur. Quemadmodum igitur ei, qui à nidore condimentorum avellitur, privatio eorum, quæ cordi sunt, ingrata atque injucunda est, atque importunitatis ac temeritatis cujusdam præfectum condemnat, quasi invidia quadam & non providentia ab appositis arcentem. Sed si ad eos, qui prorogatione ebrietatis vomendo, caputque gravatũ jactando, ac temere quæ non decet proferendo, etiam nunc se turpiter gerentes respiciat, gratiam habet ei, qui antequàm talia sibi acciderent, ab immoderata repletione eum prohibuerit. Si igitur similitudo à nobis intellecta est, facile fuerit in ea comprehensam à nobis speculationẽ ad propositũ sensũ accõmodare. Quid.n. erat propositum? Cujus rei gratia cùm plurimum studii parentes in hoc ponant, ut suarum sibi facultatum successor reservatur, Deus sæpe ante tempus ac præmaturè in imperfecta ætate abripi sivit id quod natum est? His qui ita interrogant, referemus convivalem illam similitudinem, quòd cùm multum ac varium esculentorum apparatum vitæ mensa habeat (intellige autem mihi secundum peritiam rei culinariæ artisque condiendorum ciborum, non omneis vitæ partes voluptatis melle dulcescere, sed alicubi etiam acerbioribus casibus vitam condiri: qualia nimirum artifices voluptatũ ad epulas & ventrem pertinentium excogitant & tractant, vel acrioribus, vel salsuginosis, vel astringentibus appetitus convivarum excitantes) quoniam ergo non per omnia negocia officiaque vita suavis & jucunda est, sed in aliquibus etiam salsamentum obsonium est, vel astrictiva, vel acetosa, vel mordax quædam & acris qualitas ingesta, & rebus intrita sumptu difficilem efficit vitæ cibũ conditum, pleni item variæ mixturæ fraudis crateres sunt: quorum alii quidem inflationis vitium per fastus fraudem ingenerant, alii vero in temeritatem ac vecordiam devocant eos qui imbiberint, aliis item malè quæsitorum vomitum per turpem solutionem movent: ne ergo in tali mensæ apparatu diutius immoretur, qui non rectè ac decenter convivio utatur, citius educitur ex cætu atq; consessu convivarum, id lucri faciens, quod in illa molestia atque turpitudine non versetur, quarum rerum immoderata sumptio helluonibus conciliatrix existit. Hoc est, quod dico perfectæ atque absolutæ providentiæ opus esse, non solum contractos curare morbos, verùm etiam prohibere antequam contrahantur. Quam adeò opinionem etiam de morte infantium modò natorum habemus, quod is, qui ratione omnia facit humanitate adductus vitiis materiam aufert, spatium temporis voluntati per vim præsciam notatæ & animadversæ non dans, ut per opera in nequitiæ vitiisque excellentia ostendatur, qualis sit cùm ad malum impetum habeat & effectum. *Oratione de infantibus præmature mortuis.*

Chrysostomus: Vitio sublato multò magis mors cessabit, neque enim fuerit consentaneum, ut si fons arescat, qui ex eo manat consistat rivulus, & si evanescat radix, maneat fructus. *Homilia 39. ad Corinthios.*

Chrysostomus: Et ipsa mors in numero rerum indifferentium est. non mors malum est, sed post mortem pœnas dare hoc malum est: neque verò bonum est mors, sed postquam decesseris cum Christo esse, id bonum est; ita planè, ut quę post mortem ea demum sint vel bona vel mala. *Homil.3.ad Philippens.*

Chrysostomus: Omnes horremus mortem, partim quidem peccatorum multitudine gravati, partim vitæ cupidi, & mori miserum ducentes. *Hom.4 ad Philip.*

Chrysostomus: Tametsi nihil calamitatis vitæ accidisset, nonne tamen oportebat incerta futuri temporis pertimescentem ad portum aliquem contendere? Ecquis mercator navi vectus innumerabilium thesaurorum plena, si liceat subire portum ac requiescere, mari adhuc jactari malit? Ecquis athleta, cùm liceat corona potiri, adhuc certare postulet? Ecquis pugil, cùm coronam possit induere, malit rursus in certamen descendere, & suum ipsius caput concidẽdũ præbere? Ecq̃s dux, q̃ à bello cũ gloria & trophæis liberari queat, & cũ Rege in regia q̃etus degere seq; oblectare; adhuc & sudare põptet, & in aciem prodire? Quomodo igitur adeò acerbam vitam vivens adhuc vis in terris manere? *Homilia 4.ad Philipp.*

Chrysostomus: Quid superbit terra & cinis? neque enim mihi oris florem commemora, nec erectam cervicem, nec egregiam vestem, & equum & asseclas; sed ubi hæc omnia desinant considera. Quod si ea quæ oculis cernuntur, dixeris, ego quæ in picturis sunt, longeque hęc splendore superant, proferam. at quemadmodum illa ob aspectum minime admiramur, gnari nihil esse præter lutum, sic ne hæc quoque: nam & ista lutum sunt; priusque adeo quam intereant & in pulverem dilabantur. Ostende mihi hunc elata cervice hominem febre laborantem, supremumque spiritum edentem; ac tunc te alloquar & percontabor, quò ingens ille ornatus reciderit, quo ingens illa assentatio, ac servorum obsequium abierit, opumque ac prædiorum copia: quis ventus obortus omnia flatu suo excusserit. At etiam in lectulo jacens, opum ac fastus signa circumfert imposita nimirum ipsi vestę luculenta, pauperibus juxta ac divitibus funus prosequentibus, populis fausta omnia illi precantibus. Maxime quidem hæc quoque merus risus sunt. Verum utcumque sit, hæc tamen protinus etiam instar floris diffluere constat. Nam simulatque ex urbis portis excesserimus, traditoque vermibus cadavere redierimus, rursus ex te quæram, quonam ingens illa turba se contulerat, quo clamor ille ac tumultus evaserit, quo lampades, quo feminarum cœtus. An non insomnium ista sunt? Quo clamores abscesserunt? Quo multa illa ora vociferantia, atque ad concipiendã fiduciam adhortantia, quia nulla mors est? Atqui non nunc hæc accinere oportebat haud quaquam audienti: verum tum, quum aliis sua eripiebat, eosque per avaritiam circumscribebat tum demum, verbis nonnihil immutatis, dicere oportebat, Non est quod fidenti animo sis: nemo immortalis est. Amentiam istam comprime: cupiditatem extingue. Verum etsi illi, ut qui è stadio excesserit, nihil hæc utilitatis afferunt: at illi tamen divites, qui eodem morbo laborant, atque eum ad sepulchrum prosequuntur, audiant. Quandoquidem enim hoc illis opum ebrietas prius afferebat, ut nihil ejusmodi cogitarent: at eo certe tempore, quum ipse etiam jacentis aspectus fidem verbis adstruit, castigentur & erudiantur, illud secũ reputantes, paulo post fore, ut illi veniant, à quibus ipsi quoque ad horrenda illa loca abducantur, ubi referendę rationes erunt, pœnęque subeundæ ob ea quæ rapuerunt, atque usurparunt.

Chrysostomus: Si vultis audire cur sit occultus dies extremus, & cur tanquam fur veniat in nocte, ego dicam, ut ipse recte se habere existimo. Nemo unquam virtutis per totam vitam curam gesserit, sed quum sciverit diem suum extremum, innumerabilibus admissis sceleribus, quum tunc ad baptismum accesserit, excedit. Nam si nunc quum diei incerti metus omnium concutit animos, omnes, præcedente vita in vitiis consumpta, in extremo halitu se dant baptismati: si eum sibi esse extremum plane habuissent persuasum, quis unquam curam gessisset virtutis? Multi excesserunt absque illuminatione; nempe baptismate, & ne hic quidem metus eos erudiit, ut curam gerant eorum quæ Deo placent. Si etiam ablatus esset metus, quis unquam esset modestus? Quis bonus & æquus? Nemo. Porro autem alium rursus nunc continet & reprimit metus mortis, & amor vitæ. Si autem sciret unusquisque futurum, ut cras moreretur, nihil ante eum diem recusaret facere, sed & interficeret quos vellet, & se recrearet ulciscens inimicos, & alia scelera faceret innumerabilia. Homo enim impurus & sceleratus, qui hujus vitæ spem abjecit, ne ejus quidem habet rationem qui est indutus purpura. Qui ergo habet persuasum fore ut omnino excedat, & ulciscetur inimicum, & suo prius satiato animo sic mortem accipit. Dicam etiam aliquid tertium. Qui vivendi sunt cupidi, & quę sunt hic valde appetunt, animi ægritudine & dolore perirent. Si quis enim juvenis sciret se extremum diem clausurum ante senectutem, sicut debilissima & languidissima animalia, postquam fuerint comprehensa, ea sunt ejusmodi finem expectantia; sic is ad hoc fuisset affectus. Neque viri fortes habuissent mercedem. Si enim scirent quod omnino post tres annos oportet excedere, nec ante illos posset fieri, quamnam haberent mercedem, si res graves & asperas auderent aggredi? Eis enim quispiam dixerit, Quoniam pro tribus annis bono & fidenti estis animo, propterea aditis pericula. Qui enim expectat fore ut ex quovis periculo moriatur, & scit fore quidem ut vivat, si non præceps & temerarium capiat consilium: ut moriatur autem, si ea temere & audenter aggrediatur, maximũ protulit indicium animi sui alacritatis, & quod hanc vitam despiciat. Exemplo autem hoc vobis faciam manifestum. Si patriarcha Abraham præsciens fore ut filium non occideret, eum sursum duxisset, habuissetne aliquam mercedem? Quid vero si Paulus, quum præscivisset fore ut non moreretur, despexisset, quonammodo fuisset admirandus? Sic enim vel ignavissimus in ignem desiluerit, si aliquem fide dignum haberet sponsorem quod tutus sit futurus. Sed tres pueri non sunt ejusmodi, verum audi eos dicentes, Est Deus in cælo qui nos eripiet è manibus tuis, & ex hac fornace. Quod si non, tibi notum sit quod diis tuis non serviemus, & auream statuam quam statuisti non adorabimus. Vide quam multa sint lucra, & his plura, ex eo quod ignoretur decessus? Interim autẽ sufficit hæc didicisse. Propterea tanquam fur sic venit in nocte, ne nos in vitium præcipites demus, ne in socordiam, ne mercedem nobis amputet. *Homil.9.ad Thessal.*

Io.Chrysostomus: Amico omnium maximè vel mæstissimum est, ne vicino quidem mortis tempore frui posse carissimo suo. non enim ita præterito tempore gratificamur contuberniis, sicut graviter fecimus; cùm defunctis propinqua mortis hora destituimur. *2.ad Timoth.princip.Homil.9.*

D.Io.Chrysostomus: Mortis tyrannis, & verè est illa mors, quando mortuo non est amplius concessum, ut redeat ad vitam. quando autem vivet post mortem, idque vita meliore, hoc non est mors sed dormitio. *Homilia 17.Epistola ad Hebræos.*

D.Io.Chrysostomus: Diem mortis nobis Deus fecit incertum, neque nobis aperuit, an hodie an cras, an post totam annum, an post multos annos sit affuturus; ut propter incertã expectationem, nos in virtute perpetuò contineamus. *Homil.4.ad Hebr.*

S.Isidorus Pelusiota: Vehementer miror ac stupore defigor, qui fiat, ut ii, quos peccata delectant, cùm semper moriantur, nunquã tamen mortuos se esse existiment. Unde etiam, quemadmodum scripsisti, in quæstionem illud venire potest, quod ad primò fictos homines dictum est, In quacunque die de ligno comederitis, morte moriemini. Facinorosus enim ac sicarius tum demum propriè moritur, cùm leges violat ac scelus admittit: quantumlibet alioqui vitæ usura frui videatur. Nam & si nondum reipsa, at, si sententiam ac jus spectes, mortuus est: etiamsi nondum in legum laqueos incidisse videatur. Quòd si quis etiam immortalis animæ mortem Spiritus sancti abscessionem esse definit (neque enim in corpore peccatis obnoxio domicilium habebit) sic quoque hunc locum intelligere licet. Ut enim corpus præsente anima vivit: sic etiam ani-

mus divino Spiritu præsente. Et quemadmodum recedente anima corpus mortuum manet: sic etiam recedente Spiritu sancto, anima beatam vitam amittet : non quidem illa in nihilum dilabens; verùm morte quavis acerbiorem vitam ducens. Sine enim, inquit Christus, mortuos sepelire mortuos suos. Ac rursum : Filius meus hic mortuus erat, & resurrexit. *li.3. Epist. 252.*

S. Isidorus Pelusiota: Neque enim fortasse dicere fas est, mortuus est. Nam proborum virorum (quorum numerum ipse quoque augebat) somnus, molestiarum quidem finis est, bonorum initium. Siquidem certaminum finis, coronarũ principium existit. *lib.3. Epist.311.*

S. Isidorus Pelusiota : Quia multi mortem, ut quæ in nihilum prorsus eos redigeret, metuentes, multa etiam contra animi sententiam tam facere quàm pati turpia sustinuerunt, ne videlicet à potentioribus punirentur (animantes enim, & scopum non assequuti, dolos atque insidias mortem parientes struxerunt: ut ostendunt gesta Josephi, & historia Susannæ.) Venit Christus, instituturus homines, Mortem esse magis eligendam, quàm vitium aliquod in nos admittamus & illam potius libenti animo oppetendam, quàm aliquid rerum turpissimarum vel faciamus vel patiamur. Nam mors quidem à resurrectione extinguetur; probra autẽ illa in supplicia desinent. *lib.4. Epist.146.*

§ PATRUM LATINORUM.

Egesippus: Superioris fuit tẽporis eligere quid sequeremur: nunc oportet pro libertate mori. Cõmodius fuit ante bellum, pacẽ mortı præferre: sed quia bellũ in cervicibus, multi jam ex fratribus capti, alii necati, aliis dolor ex mortuis, gemitus ex revinctis; eligenda magis eligenda mors, quam vita captivitatis. *cap. 7. libri 4. de excid. Hieros.*

Egesippus: Et populus quidem malebat sibi consulere: sed principes seditionis reputantes quæ in plebem gravibus flagitiis perpetraverant; dum nullum veniæ locum sperarent, perire cum omnibus levius arbitrabantur, quàm si soli auctores perirent. *cap.24. lib.5. de excidio Hierosol.*

Egesippus: Victus est Josias priorum instaurator sacrorum, vicit Nechao omnium sceleratissimus: sed ille victus, nunc cum Angelis est, hic victor in suppliciis. Quis enim nescit, non in hac vita repositam esse mercedem hominibus, sed post hujus absolutionem certaminis? Hic enim currimꝰ, ut illic ad palmã perveniamus: hic certamen, illic premiũ est. Non ergo illa hic longævæ ætatis gratia est. Deniq; Abel cito occidit, Cain supervixit: ita mors innocentiæ fuit, & vita ærumnę. Ex illo in eandem successimus, ut vivere miserrimũ fieret, mori beatũ. Quid est enim vita, nisi carcer animæ, quod intra hoc ergastulũ clauditur, & carnali adhæret consortio? Cujus infirmitatibus quatitur, labore affligitur, ira conteritur, accenditur cupiditatibus, vexatur furore, nec se facile attollere potes humi nexa, concreta pulvere, stricta vinculo, nervis irretita. Non mediocris tamen potestas, ut corpus vivificet, atque infundat insensibili materiæ sensus vigorem, & in hoc invisibiliter singulis anima sua conferat, totumque hominem regat, atque ultra mortalem provehat fragilitatem, ut cognitionem capiat cælestium secretorũ, ut mentem intendat futuris. Itaque ad imaginem similitudinemque sui Principis non videtur, cum sit in corpore sita, sed nec corporalibus oculis cernitur : nec ingressus ejus, aut exitus ullo aspectu deprehenditur: instar quoddam divini muneris repræsentans : Cum ingreditur, vitam infundit: cum excedit corpore, mortẽ operatur. Ubi anima, ibi vita: ubi ea defuerit, ibi mors est. Quicquid inviserit, exuscitat: quicquid reliquerit, statim solvitur, & continuo marcescit: infusione animæ, mortuus resurgit: discessione, vivus exanimatur. Quis ergo dubitet, quod ei inesse videatur immortalitatis operatio, cui virtus sit mortem avertere? Ea tamen sibi oneri est quamvis aliis ad usum redundet. Et quod corpori donat, sibi detrahit. Gravatur enim & quasi in terram inclinatur cum isto mortali corpore. Itaque vita corporis, mors est animæ: & rursus corporis mors animæ libertas videtur: dũ enim sumus in isto corpore, servit anima nostra; ac misera quidẽ servitute, quæ de paradiso exulat, & à suo principe peregrinatur. Ubi autem fuerit istius carnis absoluta vinculis, in illũ purum, & splendidum superioremque revolat locum, atque adest Domino Deo suo, sanctorumque habitaculis fruitur, & beatorum gaudet consortiis: quod nullam jam habeat cum mortuo societatem, & contubernium cadaveri dereliquerit, aspiret ei cælestis gratia, nec ulla eam curarum humanarum solicitet exagitatio. Indicio nobis est quies, quantam anima post obitum corporis resumat gratiam: sopito enim corpore, & quasi mortuis ejus cupiditatibus, atque universis motibus, cũ sanctis sæpius conversamur: recipimus, quos amisimus: ut nobis & absentes adsint, & mortui vivant, & omnis quiescat dolor. Appropinquemus & confabulemur Deo, cognoscamus futura. Affectis requies, servis libertas sit. Quod igitur dormientes somniamus, hoc defuncti adipiscimur, Et quod in somno imago, hoc in morte veritatis passio est, & libertatis gratia. Unde nonnullis gentibus mos est, ut ortus hominũ fletibus, occasus gaudiis prosequantur: quod illos ad ærumnam generatos doleant, hos ad beatitudinem rediisse gratulentur: illorum animas ad servitutẽ venisse ingemiscant, istorũ ad libertatẽ remissas gaudeant. Indorũ quoque sapientes feruntur, cũ moriendi affectũ induerint, protestari quod discedere velint, neque ullũ obstrepere. Deinde ubi apparatus mortis processit, insilire lætos ardentẽ pyrã, & astantibus valedicere: dolere mulieres, quasi obsidio destitutas, vel liberos parvulos quod derelinquantur: benedicere alios; nec invidere, quod ad meliores habitatores ad splendidiora loca purioraque festinent consortia. Quid igitur de vobis aliud opinari possum cũ etiam barbaris gentibus libertatẽ sequendi mos sit? *lib. 5. cap.53. excid. Hieros.*

Orosius: Philippus Macedoniæ rex, pridie quàm occideretur, interrogatus, quis finis homini esset magis optandus, respondisse fertur, cum esse optimum, qui viro forti post virtutum suarum gloriam in pace regnanti, sine conflictatione corporis & dedecore animi, subitus & celer inopinato ferro potuisset accidere. quod ipsi mox contigit. *lib.3. adv. Paganos c.14.*

S. Chrysologus : Non potest de morte conqueri, qui mortem dignatus, non coactus assumit. Potestatis insigne est, cùm pro multis volens quis moritur. nolens cùm moritur, est necessitatis extremæ: quia venit de contemptu mortis alterum, alterum de conditione naturæ. *Serm.23.*

Chrysologus: Et verè apud Deum mors somnus est: quia velocius Deus mortuum ad vitam suscitat, quam de somno dormiens ab homine suscitetur, & ante Deus frigentibus morte membris vivificantem refundit calorem quàm homo sepultis somno corporibus vigorem possit infundere: audi Apostolum, In momento, in ictu oculi, mortui resurgent. *Serm.34.f.*

Chrysologus: Sermone 64. ante finem: Mors cùm satis viventibus sit amara, satis turbat ipso exitu, plus conturbat exemplo. Mortuũ quoties quis viderit, toties se morti ejulat destinatum. *Sermone 64.m.*

Chrysologus : Mors est, desperationis domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, inferni parens, diaboli conjux, omnium malorum regina, quæ omne genus hominum tali ordine inexplebili impugnat: ut primum susurratricem suam desperationem præmittat talia suadentem. Homo, cur tua perdis tempora? Ecce domina mors tua venit animam tuam in nihilum redigens, carnẽ tuam putredine, ossa tua vetustate consumens: ut te qui non fuisti antequam nascereris, faciat non esse post mortem. Redde ergo debita ante mortem, moriturus cito, tibi, ætatibus tuis: da lusibus infantiam, da deliciis adolescentiam, da voluptatibus juventutem, da senectutem mihi, ne sine causa de spe cogites desperatus. Post istam mittit incredulitatem suam filiam, sic minantem. Quasi non moriturus, quasi evasurus mortem, sic de vita disponis. Homo, te decipit fides, tu fidei credis, quæ ut tollat præsentia, futura promittit, & ut auferat quæ sunt ante mortem, nescio quæ invisibilia pollicetur esse post mortẽ. Quis inde venit, aut quis sapiens credit tot sæculis promissa nec reddita? O si manduces & bibas, manduca, & bibe, cras enim morieris. Tertiam germanam nequitiæ suæ corruptionem tali dirigit cum furore, ut aspectus hominũ invadat, attrahat, occupet, per sepulchra extremos ostendens carceres, suos jacere ibi demonstrat immobiliter vinculatos: & ut homines sensus hominis horrore toto, pavore conturbet, effundit putredinem, eructat saniem, spargit fœtores: atque ad unum corpus hominis innumeros carnifices ob se vermes dedisse proclamat. *Sermone 118.*

Chrysologus : Mors interficit omnes quos natura præsentem perducit ad vitam, ducit reges, trahit populos, gentes impellit, non divitiis redimi, non flecti precibus, non lacrimis molliri, non viribus unquam potuit ista superari. *Serm.118.m.*

Ennodius: Nemo dubitat mundi istius mala advocata nece sepeliri; & communem sortem votum esse inter adversa constitutis. necesse est optari, quod modum ponit amaritudinis. Rogo quibus est belluis conferendus, qui procuratione sua infert dura sine termino? *Dictione 17.m.*

Io. Sarubertensis : Ipsa veritas mortem indicit non timeri, & ad eam excipiendam, nos horis omnibus præparari, ut quo minus de diuturnitate vitæ præsumitur, in cultum honestatis virtutum gradibus avidius curatur. Mors siquidem necessarium munus est, naturæ jam corruptæ. Corruptio namque mortis origo est, Tolle corruptionem, sectare integritatẽ munditiæ & virtutis, jã immortalitatis viam ingressus es; & quandam divinitatis tuæ arcam apprehendisti. Apprehendisti inquam an accepisti? Sed ut fidelius loquamur, & accepisti & apprehendisti. Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Quis scit quando veniet, serò, an media nocte, an galli cantu, an mane? Ut enim ait ille, Nihil morte certius est, nihil hora incertius. Quæ utique non timenda est quasi malum, sed quasi malorum finis, cum venerit gratanter amplectẽda. Unum est quod totis mentis & corporis viribus fugiendum est. Quid illud sit quæris? Turpitudo, & totius species inhonesti. Hæc enim faciunt mortem terminum esse malorum, sed antecedentiũ & succedentium copulam. *lib.2.c.27.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Phalaris Aristomeni : Ne te mea vulnera, quæ in bello accepi, perturbent. benevolentiam enim & dolorem tuum, amplector & amo. Tantum autem abest hæc me molesto animo ferre: tametsi parum abfuit, quin mihi mortem consciscerent: ut cùm omnibus mortalibus mors detestabilis & invisa habeatur, mihi sit in votis, fato citiùs, etiamsi plus ad vivendum spacii concessurum esset, in

prælio

prælio mortem obire. Quid enim viro generoſo præclarius, quàm de virtute & victoria concertando, vitam repellere. *Epiſt.28.*

Xenophon: Socrati equidem fatum diis acceptum obtigiſſe arbitror. Quippe moleſtiſſimam vitæ partem valere juſſit, & mortis genus inter alia tranquilliſſimum obiit. Idem robur animi ſui declaravit. Nam quum intelligeret, magis ex re ſua eſſe, ut moreretur, quam ut diutius viveret; quemadmodum ad alias res bonas ſe non difficilem ac tardum, ita nec ad mortem lentum mollemve præbuit: immo hilariter eam & exſpectabat, & obivit. Sapientiam quidem certe, animique magnitudinem quum in hoc viro conſidero: non poſſum non ejus meminiſſe, nec ubi meminerim, non etiam laudare. *cap.ult.Apologia.*

Xenophon: Mihi vero mors ipſa nec turpe quiddam, nec honeſtũ eſſe videtur: ſed tantum eſſe vitæ terminus, non idem omnium, inæqualitatem annorum ferens ex diſſimilitudine ipſius ortus, & pro ratione roboris aut infirmitatis: occaſionem vero nonnunquam turpem, interdum pulchram ac decoram, homini mortem adtrahere. *Epiſt.ad Sotiram.*

Idem ad eandem: Ne quidem mortis cauſa tantum luctum excogitare convenit, quum ſcias, initium viæ mortalium exiſtimari debere nativitatem; finem vero, mortem. Eſt autem mortuus, quod cuivis etiam invito contingit: præclare vero mortuum eſſe, hominis voluntarii, & ut convenit, inſtituti, opus eſt. beatus eſt igitur Gryllus, & quicumque non longiſſimam, ſed cum virtute conjunctam vitam eligit: etſi breve tempus ætatis Deus ei conceſſerit.

Lyſias: Occurrunt Athenienſes pauci barbaris multis; quod exiſtimarent mori quidem ſibi eſſe commune cum multis; virtute verò præſtare, cum paucis; ſicut & aliorum vitæ ac ſaluti ſua morte conſulere & periculorum memoriam apud poſteros ſibi propriam relinquere. *c. 8. Orationis 31. funebris.*

Idem: Sed neſcio an talia nobis deploranda ſint, cùm non ignoremus nos eſſe mortales. Itaque quid ea dolere oportet, quę aliquãdo nobis eventura exſpectamus? aut nimis graviter ferre hanc naturæ miſeriam, cum ſciamus mortem tam peſſimis quàm optimis eſſe communem. Neq; enim malos negligit, neq; bonis parcit, aut præ cæteris indulget, ſed ſeſe æquam & eandem omnibus præbet. Si enim fieri poſſit, ut, qui belli pericula evaſerunt, immortales ſint reliquo tempore, æquum eſſet in omne ævum mortuos lugeri à viventibus: Nunc autem & natura morbis, ſenioq; ſuperatur; & naturæ genus nobis fata impertiens eſt inexorabilis. Quapropter hos decet exiſtimare feliciſſimos, qui pro rebus maximis & præclariſſimis dimicantes, ita vitam finierunt, ut neque fortunæ arbitrio ſua committerent, neque mortem ultro ad ſe venientem exſpectarent, ſed pulcherrimam honeſtiſſimamq; eligerent. Nam profectò memoria ipſorum nunquam exſtinguetur, nec ſeneſcet; & honor eorundem ſemper omnibus expetendus erit & prædicandus. Qui quidem ob humanæ naturæ conditionem lugentur ut mortales, laudantur verò, & ob virtutem carminibus celebrantur ut immortales. Idcirco ſanè publicis ſumtibus ſepeliuntur, &, ludi, ac certamina virium, ſapientiæ, & divitiarum in honorem ipſorum celebrantur, quod, qui in bello ceciderunt, eodem cum immortalibus honore digni videantur. Ego igitur beatos prædico ipſos mortis cauſa, & laudo, ſoloſque hos inter mortales eſſe duco, quos vixiſſe, pœnitere non debet; qui mortalia corpora ſortiti immortalem ſuæ virtutis gloriam ſibi reliquerunt. *cap.22.*

Halicarnaſſæus: Nihil in rebus humanis ſtabile ac certum, niſi mors ipſa; nullique ſive recens natus ſit, ſive provectiori in ætate, vitæ curſum agat, extra hanc noxam vivere licet. *cap.1. præceptorum funebrium.*

Halicarnaſſæus: Si adoleſcens periit, Diis carum eſſe dicemus. Tales eum amare Dii ſolent qui juniorum quoſdam è vivorum numero abripuerunt, ut Ganymedem, Titonum, Achillem, qui nequaquam eos in humanæ vitæ fluctibus diutius volutari permiſerunt: quos & cum in mortali corpore quaſi ſepulchro quodam & carcere animam ſepultam habere viderent, atque injuſtis parere dominis; ex ea ſervitute in libertatem morte vindicarunt. Felices autem eos prædicamus, quod vitæ huius calamitatibus nunc erepti ſint, & variis atque innumerabilibus, qui homini frequenter accidunt caſibus, ut oculorum cæcitate, pedum, vel alterius membri humani mutilatione, ac morborum incidentium, intollerandis ſint doloribus liberati. Si quis media ætate obiit, in flore vitæ, quo virtutis ſuæ ſpecimen dederat, quod à ſuperis deſideratus ſit, non verò ſenectutis cauſa inviſum ſuis, ſed virili ætate è vivis abiiſſe. At ſi ſenex migravit, ſortem illi bonorum omnium hujus vitæ uſum benigne dediſſe referes. *cap.5. præceptorum funebrium.*

Lucianus: Diogenes. Do tibi, Pollux, in mandatis, ut quum primum ad ſuperos aſcenderis (tuum enim eſt, ni fallor, die craſtino reviviſcere) ſic ubi Menippum canem videris (invenies autem ipſum Corinthi circa Craneum, aut in Lyceo, contendentes iſtos inter ſe Philoſophos deridentem) dicas illi: Menippe, jubet te Diogenes, ſi ſatis ea quæ in terris geruntur, deriſiſti, huc multò plura deriſurus venias. Illic enim in ambiguo tibi adhuc eſt riſus, & in ore frequens iſtud. Quiſnam omnino novit quæ poſt vitam futura ſunt? Hic autem non deſines conſtanter ridere, quemadmodum ego nunc: & maximè cùm videris divites iſtos, ac ſatrapas, & tyrannos ita humiles & obſcuros eſſe, ſoloque ejulatu ab aliis dignoſci. Tum ut molles & ignavi ſunt, eorum quæ apud ſuperos geruntur reminiſcentes. Hæc illi dicas, ac præterea ut pera lupino multo impleta veniat: & ſicubi poſitam in trivio, Hecates cœnam, aut ovum ex luſtratione relictum, aut tale quid inveniat. *Poll.* At hæc illi renunciabo Diogenes. Sed quò meliùs illum agnoſcere queam, cujuſmodi eſt facie? *Diog.* Senex eſt, calvaſter, pallio indutus lacero, & vento cuivis pervio, & diverſorum pannorum aſſumentis variegato. Ridet autem ſemper, ac plerumque Philoſophos iſtos arrogantes acerbè perſtringit. *Poll.* Facile erit illum ex his ſignis invenire. *Diog.* Viſ-ne ut ad illos etiam philoſophos aliquid mandem tibi? *Poll.* Mandes licet: neque enim hoc mihi grave fuerit. *Diog.* In univerſum adhortare illos, ut deſinant nugari, & de toto contendere, & cornua ſibi mutuò affingere, & crocodilos facere: nec hujuſcemodi inepta mentem doceant interrogare. *Poll.* At indoctum me & ineruditum eſſe dicent, qui doctrinam illorum reprehendam. *Diog.* Tu verò meo nomine ipſos plorare jube. *Poll.* Et hæc nunciabo illis Diogenes. *Diog.* Divitibus autem, ô chariſſimum Polluxium, noſtro nomine hæc renũcia. Quid ô vani aurũ cuſtoditis? quid vos ipſos excruciatis, uſuras ſupputando, & talenta talentis accumulando, quos unicum obolum habentes brevi venire oportet? *Poll.* Hæc etiam illis dicentur. *Diog.* Sed & formoſis illis & robuſtis dicas, Megillo puta Corinthio, & Damoxeno palæſtritæ, apud nos neque flavam comam, neque cæruleos nigróſve oculos, neque faciei ruborem ampliùs ullum eſſe: neque rigidos nervos, neque validos humeros: ſed omnia unum, ut ajunt, pulverem, calvarias pulchritudine nudatas. *Poll.* Neque moleſtum erit, hæc dicere formoſis illis, & robuſtis. *Diog.* Pauperibus etiam ô Lacon (multi autẽ ſunt, quibus & ea res perquam moleſta eſt, & inopia luctum movet) dicas ut ne lachrymentur, neque ejulent, expoſita illis huius loci æqualitate, qua futurum eſt, ut videant eos qui fuerunt illic divites, nihilo ſe ipſis hîc eſſe meliores. *Dialogis mortuorum.*

Lucianus: Antilochus. Quænã ſunt illa, Achilles, quæ de morte Ulyſſi pridie dicebas, nec generoſa, nec ambobus tuis præceptoribus Chirone & Phœnice digna? Etenim audiebam cum diceres tè malle ruſticam vitam agendo, inopi cuipiam cui victus non ſuppeteret multus, operam locare, quàm defunctis omnibus imperare. Hæc certè ignavi hominis verba, Phrygem quempiam meticuloſum, atque vitæ amatorem immodicum pronunciare forſitan decuiſſet. Sed Pelei filium, & in adeundis periculis heroum omnium alacerrimum, tam humilia de ſe cogitare, pudendum valdè, & rebus in vita præclarè ab ipſo geſtis planè contrarium. Nam cùm in Pthiotide ad longã uſque ſenectam regnare tibi licuiſſet, ſed citra gloriam, lubens tamen glorioſam mortem prætuliſti. *Ach.* At ô Neſtoris fili tunc ignarus eram eorum quæ hîc ſunt, & utrum eorũ eſſet præſtantius, neſciebam: itaque infœlicem illam gloriolam vitæ anteponebã. At nunc tandẽ intelligo quã ea ſit inutilis: & ſi ſint apud ſuperos, qui quàm maximè res præclare geſtas carmine celebrent. Mortuorum autẽ unus eſt omnium honos. Nec illa pulchritudo Antiloche, nec robur corporis adeſt. Sed ſimiles omnes, & alii ab aliis nihil diſcrepantes ſub eadem caligine jacemus: nec me Trojanorum manes verentur, nec Græcorum venerantur: ſed exquiſita eſt juris æquabilitas, ſimiliſque alter alteri defunctus, ſive ignavus, ſive ſtrenuus fuerit. Hæc ſunt quæ me torquent & ob quæ doleo, ꝙ non potiùs vivo & operam loco. *Ant.* At verò Achilles, quid agat quiſpiam? Naturæ namq; viſum eſt ut omnes omnino moriantur. Itaq; par eſt te legi obtẽperare, nec ſtatutis diſcruciari: præſertim cùm videas tuos fuiſſe ſocios quotquot adſumus, & paulò poſt adventurus ſit Ulyſſes. Affert autem ſolatiũ ſocietas in ferendis malis. Vides Herculem, Meleagrum, alioſque admirabiles viros, qui ni fallor redeundi conditionem non acciperent, ſi quis eos mittere vellet ad inopes, & victus indigos, ut illis pro mercede ſervirent. *Ach.* Hæc ſociorum quidẽ eſt admonitio: ſed neſcio quo pacto memoria eorum quæ in vita fiunt, impendiò me cruciat, & veſtrum unũquemq; ita affici arbitror. Quod ni confitemini, eò deteriores eſtis, ꝙ hæc toleratis. *Ant.* Minimè: ſed lõgè meliores Achilles: quippe qui intelligimus quã ſit inutile de iis verba facere. Silere enim, & caſus patienter ferre nobis cõceſſum eſt, ne ſi talia in votis habeamus, ridiculi quemadmodum tu, ſimus. *Dialogis Mortuorum.*

Lucianus: Menippus. Heus Cerbere, quandoquidem mihi tecũ cognatio quædam intercedit, cùm & ipſe ſim Canis, dic mihi per Stygem, qualis eſſe Socrates cùm huc deſcenderet. Veriſimile eſt autẽ te, Deus cùm ſis, non latrare modò, ſed etiam humano more loqui, ſi quando velis. *Cer.* Cùm procul adhuc abeſſet, Menippe, videbatur vultu prorſus conſtanti accedere, ac ſi mortem nihil omnino formidaret, iiſque qui extra ſpecum ſtabant hoc ipſum indicare vellet. Verùm ſimul atque deſpexit in hiatum, viditque caliginem hanc, ſimulq; ego cunctantem illum aconito mordens, pede correptum detraxi, infantiũ ritu ejulabat, ſuoſq; deplorabat liberos, nihilque non faciebat in omnem ſpeciem ſe convertens. *Men.* Num igitur ille erat ſophiſta, nec verè mortẽ contemnebat? *Cer.* Haud verè. Cæterùm ubi vidit id eſſe neceſſe, audaciam quandam præ ſe ferebat, quaſi verò volens id eſſet paſſurus, ꝙ volenti nolẽti erat ferendum: videlicet ut ſpectatoribus eſſet miraculo. Atque in univerſum, de omnibus hujuſmodi viris verè dicere poſſim: ad fauces uſque ſpecus, intrepidi ſunt & fortes: intus verò quum ſunt, nihil mollius neque fractius. *Men.* Ego verò quonã animo tibi viſus ſum deſcendiſſe? *Cer.* Unus mortalium deſcendiſti, ut tuo genere dignum erat, & prior te Diogenes: ſiquidem nec

coacti, nec intrusi intrastis: verùm ultronei ridentes, atque omnibus plorare renunciantes. *Dialogis mortuorum.*

Dio Prus. de Melācoma: Et mihi illū valde videtur dii dilexisse, & maxime morte honorasse, ut nihil sentiret atrociū. Necesse enim erat, progredientibus annis illum pro pulcherrimo turpiorem fieri, proque fortissimo imbecilliorem, forsan & alicubi comprehendi. Quisquis autem maximis perfruitus bonis, rebusque optime gestis discedit è vita, ille felicissime moritur. Invenias autem & ex antiquis quosdam diis charos, qui cito sunt defuncti. Quosnam (inquit) hosce dicis? Achillem (inquam) & Patroclum, & Hectorem, & Memnonem, & Sarpedonem. Quum autem & alios insuper nominarem: Hæc quidem (inquit) bene dixisti ad hominum consolationem. & vellem sanè te amplius audire: *Oratione 28.*

Dio Prusæus de Melancoma: Verùm, qui ita omnia inter homines bona possedit, dignus etiam est, ut morte beatus prædicetur. Nam si longissimum tempus hominibus optimum foret, hac ratione quis eum sanè deplorare posset: nunc verò, quum hominibus brevissimum omne vivendi tempus datum sit, plurimos invenias, quibus longè melius fuerat cito decessisse: tot calamitates apprehendere solent. Præterea & ex antiquis eminentissimos audimus, neminem multos vixisse annos, Patroclum & Antiochum, insuper & Sarpedonem & Memnonem, & Achillem & Hippolytum: & Bœotos illos Othum & Ephialten, quos maximos & pulcherrimos fuisse ait Homerus, post Orionem, atque illum ipsum. Sed hi quidem per insipientiam perierunt. Alios verò, quos dixi, deorum filios & nepotes appellaverunt. Non ergo dii suis ipsorum liberis, & quos maxime dilexerunt, velocem præstitissent mortem, nisi bonum hoc hominibus existimassent. Hæc igitur, ô viri, vos cogitare, atque illum beatum censere convenit: vosque ipsos nihilo minus propter hoc labores laudemque ex strenuis factis appetere, ut si cui acciderit ocyus hinc decedere, ne se putet aliquo bono privatum iri: (qui enim insignem gloriam consecutus est, plenus bonorum hinc decedit) sed exercere vos alacriter in certaminibus, laboresque capessite: ac juniores quidem existimate vobis illius relictum, locum; seniores vero condigne propriis operibus bene de illis sentite: ut convenit viros qui ad laudem & gloriam vivunt, & virtutis sunt studiosi. Defunctum verò memoria honorate, non lachrymis. non enim decet hic honor generosos à generosis: neque Homerum laudaverim, quod dicit irrigatam esse arenam & arma Achivorum lachrymis. Sed ille quidem poeticam secutus est voluptatem, lamentorum excellentiam ostentans: vos autem, ferte id quod accidit moderate. *Oratione 29.*

Aristides Sophista: Cùm mors omnibus sit proposita, illud certe ut quis præclarissima quæque consecutus, gloriose obeat, nec Deis nec hominibus invisus, non omnibus est, sed paucis admodū concessum. *in obitum Etionei.*

Epictetus altercatione cum Hadriano Aug. Quid est mors? Perpetua securitas; timenda nulli, si sapiens degat: inimica vitæ: numē amantium: metus parentum: liberorum præda: testamenti gratia: post obitum sermo: supremæ lacrimæ: post memoriam oblivio: fax rogi: onus sepulcri: titulus monumenti. Mors omnium malorum finis est.

Arrianus: Demetrius Neroni dixit; Tu mihi mortem minitaris, natura tibi. *c.25. l.1. Epicteti.*

Arrianus: Et quò fugiam mortem? ostendite mihi locum: ostendite mihi homines ad quos me conferam: ostendite incantationem. si non habeo, quid me vultis facere? non possum effugere mortem. metuendo quidem eam non effugiam. *capit. 27. lib. 1. Epict.*

Arrianus: Qua de causa nascuntur spicæ? nonne ut arescant, ut demetantur? neque enim absolutæ sunt. quod si sensum haberent, votáne facerent ut ne unquam demeterentur? ea verò spicis exsecratio esset, numquam eas demeti. Sic hominib. etiam exsecrationem esse sciendum est, numquam eos emori; neque aliud id esse, quam neque maturescere unquam, neque demeti. Nos autem cùm iidem simus, quos & demeti oportet, & istuc ipsum intelligere nos demeti, propterea succenseremus? neque enim scimus qui simus, neque res mortales ita meditatas habemus, ut equites res equestres. Chrysantas quidem percussurus hostem, cum receptui cani audivisset, cohibuit impetum. Adeo præstantius ei visum est, imperatoris dicto esse audientē, quā explere animum. Nostrum a. nemo vult vel necessitatem vocanti alacriter obtemperare: sed plorantes & gementes sic affecti sumus, ut sumus, & περιστάσεις ista vocamus. Quales περιστάσεις homo? Si περιστάσεις ea vocas quæ te circumstant, omnia sunt περιστάσεις. Sin res asperas sic appellas, quid in eo est asperum, ut ortus qui sit idem intereat? Id autē quod interimit, aut gladius est, aut rota, aut mare, aut testa, aut tyrannus. Quid tu curas, qua via descendas ad Orcum? Omnes viæ pares sunt. Quod si verum audire studes compendiosior ea est, qua te tyrannus mittit. Nunquam ullus tyrannus semestri quēquam jugulavit. Febris autē, sæpe totum annum. Strepitus hæc omnia sunt & jactatio inanium verborum. In periculo capitis sum apud Cæsarē. Ego vero nō periclitor, qui Nicopoli habitem, ubi tot terræmotus sunt? & tu ipse, cum Adriam transmittis, quid periculi adis? Non capitis, sed existimationis discrimen adeo. Tuæne! Quomodo? Quis enim te cogere potest opinari quod nolis? An alienæ? Quod vero tuum est periculum, si alii falsa opinentur? At in periculo relegationis sum. Quid est relegari? Alibi esse. Romæne? Etiam. Quid ergo, si in Gyara mittar? Si tibi visum fuerit, abibis. Sin minus, habes quo pro Gyaris abeas: quo & ille veniet, sive nolens sive volens, qui te in Gyara mittit. Quid ergo jam tamquam ad magna venis? *libro 2. c. 6. in Epictetum.*

Arrianus: An nescis & morbū & mortem debere nos invadere? Qua re occupatos? Agricolam terræ colendæ intentum, nautā navigantem invadunt. Te autem quid agentem oportet invadi? Si quid habes melius, cui te deditum morbus & mors invadant: illud agito. Nam mihi quidem optabile est invadi nulla alia re, nisi voluntate mea curanda occupato, ut perturbatione vacuus, & citra impedimentum, ut citra coactionem, ut liber, ea quæ volo agens prehendar: ut dicere possim Deo. Nunquid præcepta tua violavi? Nunquid ad alia sum abusus facultatibus, quas mihi dedisti? num sensibus? num anticipationibus? num te unquam incusavi? num gubernationem tuam reprehendi? Ægrotavi, quia voluisti. Ægrotarunt & cæteri, sed ego volens, pauper fui te volente, sed lætus. Nō imperavi, quia tu voluisti. Nunquam appetivi imperium. Nunquid me unquam hac de causa tristiorem vidisti? Nunquid unquā vultu minus hilari te accessi? Paratus, si quid mandes, si quid imperes: vis me nunc ludorum celebritate abire? Abeo. Gratiā quam possum maximā habeo, quod me dignatus es ad ludos tuos admittere, & ad spectanda opera tua, & administrationem tuā intelligendam. Hæc me cogitantem, hæc scribentem, hæc legentē occupet mors. Atqui mater mea ęgrotanti mihi caput non tenebit. Abi ergo ad matrem. dignus enim es, qui dum caput tuum teneatur, ægrotes. Atqui in eleganti lectulo domi decumbebam. Abi ad lectulum tuum. An dignus es qui sanus in tali recumbas? Noli ergo perdere ea quæ illic facere potes. Socrates autem quid dicit? Quemadmodum alius, inquit, delectatur cum agrum suum meliorem facit, alius cum equū: sic ego quotidie delector, cum me fieri meliorem deprehendo. *cap. 5. l.3. Epict.*

Arrianus: Sanitas bonum est, morbus malum: non, mi homo. Quid ergo? recte sanitate uti, bonum est; male, malum. Licet ergo vel è morbo capere fructum Deo tuo. an non & è morte? an non & è mutilatione? Parum fructus cepisse Menæceum censes, cùm mortem oppeteret? numquis factum ejus imitatus, fructum ex eo ceperit? Eja homo; nonne pietatem erga patriam conservavit? non magnitudinem animi? non fidem, non indolem generosam? Quid si diutius vixisset, non ne istis omnibus amissis in contraria incidisset? nonne ignaviæ crimen incurrisset? non animi degeneris, non patriæ desertoris? non mortem reformidantis? Age num parvum tibi fructum cepisse videtur è suo interitu? non. Sed Admeti pater magnum fructum cepit è vita sua tam degenere & misera. numquid enim postea mortuus non est? Desinite tandem Deos vestros è materia fabrefactos admirari. desinite vosmetipsos conjicere in servitutem, primum rerum ipsarum, deinde hominum eorum propter res, qui eas vel conferre, vel eripere possint. fructus ex istis omnibus capi potest, etiam è conviciatore. *cap. 20. libr. 3. Epicteti.*

Arrianus: Ostende mihi gladios satellitum, vide quanti sint, & quam acuti? Quid ergo faciunt magni isti gladii, & acuti? Occidunt. Febris autem quid facit? Aliud nihil. Tegula quid facit? Aliud nihil. Vis ergo ut ista omnia admirer & adorem, & istorum omnium servus obambulem? Absit: sed cum semel didicerim, id quod ortum est, etiam interire oportere, ne mundus stet aut impediatur: nihil mea refert, febris ne id faciat, an tegula, an miles. Sed si contentio facienda sit, scio minore cum molestia & celerius id facturū esse militem. *c.7. l.4. Epict.*

Simplicius: Ostendit mortem immaturam humana vi illatam, quæ omnium atrocium rerum atrocissima videatur, non esse atrocem. Ostendit autē paucis ille quidē, sed accurate & efficaciter, hac argumentatione. Quæ natura terribilia sunt, omnibus terribilia videntur: ut natura calida, frigida, pulcra, & alia id genus, omnibus talia videntur, iis præsertim quorum natura integrior est, & prudentia major. Mors non omnib. videtur terribilis, nā Socrati terribilis visa non est, qui cū eā effugere posset, sustinuit tamē: totumq; illum diē apud amicos immortalitatē animorū declaravit, & qualis sit repurgatrix philosophorū vita edocuit. Conclusio quoq; ex iis quæ posita sunt perspicua est, mortē suapte natura non esse formidabilē. Itaque mors ipsa nos non perturbat: sed opinio de mortis atrocitate, ea est quæ nos perturbet, neque mel amarum est: sed icterici affectio id amarum videri facit, ob redundantem in eo amarum humorē, Is humor expurgandus est, ut naturales rerum qualitates percipiamus. Ita hic etiam opiniones de rebus corrigendæ sunt, adhibita regula nostrarum & alienarum rerum, quæq; in potestate nostra sunt aut non sunt, qua bonum & malum nostrum judicemus. *ad cap. 9. Epict.*

Philostratus: Philosophiæ conveniens mors est, si civitatē suā in libertatē vendicans aliquis moriatur, aut parentes & filios & fratres agnatosve ulciscens, aut amicorum causa decertans, quos cognatis præferunt sapientes viri, aut amore venundatis. Sin verò quis fictis de causis, & jactantię gratia mortē quęrat, ut sapiens videatur, sicut de Ixione fabulæ narrant. *lib. 7. c. 5. de vita Apollonij.*

Philostratus: Vir sapiens pro eis quæ enumerasti morietur; sed pro his & non sapiens quispiam moreretur. Nā pro libertate mori leges jubēt; pro agnatis verò & amicis, ac pro iis omninò quos amaveris

idem

idem esse faciendum, natura ipsa præfinivit. Legi autem naturæque omnes homines serviunt; naturæ quidem sponte, legi autem quandoque etiam inviti. Sapientes autem magis decet pro iis mori, in quibus sese exercuerunt. Quæ enim nulla jubente lege, nec impellente natura, ipsi fortitudine quadam animi eligere ausi sunt, pro his, si quis ea solvere tentarit, mori non recusabunt, sive ignis admoveatur sapienti, sive accedat securis, nihil horum profectò vincet sapientem; nec ad aliquod dicendum mendacium compelletur, & in his omnibus quæ didicit constans, nihilominus permanebit quàm in sacris quibus est initiatus.

Mox: Intelligo tamen in hominibus me periclitari, quorum sive principium, sive additamentum me facit tyrannus, ero quidquid ipse voluerit. Sin autem hos perdidero, aut negligentius, aut mollius eorum causam agendo, qualisnam studiosis viris esse videbor? aut quis non justè me interficiet, qui viros deluserim, quibus, quæ à Deis petebam, tributa sunt? *lib.7.c.6.*

Philostratus: O rex, inquit Ælianus, quam pleni sermonum inanium sunt sophistæ, quantaque est in eorum arte jactantia; quia quoniam in vita nullius boni compotes sunt, mortem appetunt; nec ipsam sponte sua venientem expectare sustinent, sed eam vi quadam ad se trahunt, eos lacessendo qui gladios in manibus habent. Hoc ipsum, ut arbitror, Nero cùm animadvertisset, Apollonium interficere noluit. ubi enim mortem affectare sensit, non veniæ gratia mortem remisit, sed illum despiciens, non est dignatus occidere. Musonium quoque multis in rebus imperio suo adversatum, oculis suis subduxit, relegato in insulam Tyaram: adeoque Sophistas ejusmodi amant Græci, ut tunc quidem ad ejus colloquio fruẽdum, omnes eò navigarẽt: nunc autem fontis, quem fecit, visendi causa, eodem omnes accedant. nam in insula aquis carente Musonius fontem invenit, quem Græci nunc laudibus efferunt, nõ minus eo, quem in Helicone ab equo inventum fabulantur. *l.7. Apoll.c.8.*

Philostratus: Sicut pugnaturis ac jam armatis, non audacia solũ opus est, verùm etiam ordine quodam, qui pugnandi opportunitatem illi demonstret: pari modo philosophantibus meditanda sunt tempora, in quibus mori possunt; ne imparati improvisiq;, sed cum optima electione ad mortem ferantur. *lib.7. Apollonii cap.13.fine.*

Philostratus: Consueverat in omni vita Apollonius frequenter hanc sententiam proferre: Late cùm vixeris: sin minus id poteris, late cùm sis è vita discessurus. *l.8.c.11.*

Libanius: Ita sunt fortes & præstantes aliis, ut si non liceat honestum vitæ statum tenere, interitum levem esse existiment. *de armis Achillis.*

Libanius: Quæso te, utra major est calamitas semel emori, an subinde ad mortem propius accedere? concedes primum illud esse tolerabilius. *Declamatione 6.*

Libanius: Atheniensis sum: Demosthenes sum. age sis, ut decorè, ut honestè! omnibus certè hominibus necessarius est exitus: mortẽ natura minitatur. communem necessitatem evitare non licet. ne in septis quidem munitus obtectisq; abditum. verùm bonos fortesq; viros decet altæ spei adhærescere, ac placidè quidquid Deo visum fuerit admittere. *Declam.16.*

Libanius: Institutum est Spartanorum, cùm ad bella ventitare, tũ per labores, æstimationem, gloriamque semper comparare. hinc videre est Laconas honestam mortem turpi vitæ præferentes. hac vos mente præditi ubique terrarum trophæa ereximus; cùm ne esse quidem nos censeremus, quando non cum virtute arma sumeremus. melius enim videbatur gloriam immortalem obtinere, quam inertem salutem. hoc urbem nullis mœnibus cinctam conservat. *Declam.24.*

Libanius: Omnino quibus vita gravis est, mori adfert emolumẽtum: *Declam.26.*

Libanius: Equidem si hortarer vos occidere me tanquam omniũ mortalium miserrimum, & probos & benignos, & de me bene meritos eos, qui istæc facerent, existimarem. Nam quibus necesse est in summo mærore vitam degere, iis quæstus non exiguus mors est. *initio Declamat.27.*

Simocatta: Fratrem nuper te sepulchro mandasse ferunt, & intolerabiliter hanc cladem & insolabiliter ferre. Et quomodo te virum sapientiæ studiosum admirabor, qui tantum ab affectione te vinci passus sis? Somnus enim quidam est, quæ apud nos celebratur mors, hoc quidem solito, & consueto longior, ad futurum verò diẽ brevissimus. Exiguam peregrinationem mortui suscipiunt. Paulo post & nos secedemus. Suffer disjunctionem, expectatione futuræ conjunctionis, Ne tibi accidat quod animo plus æquo corporis amanti. Nam & Plotinus videbatur pudefieri, quòd esset in corpore, adeò molestè philosophum habebat, hoc mortale integumentum. Hucusque mihi siste luctum. Terminos pone dolori, prudentia affectionem moderare. Medicus time ipsi sis. Habes in promptu medicamentũ, nẽpe rationẽ; Nepenthes bile carens, omniũ malorum obliviosum. Non à meliori ad pejus deducere solet, faber opera. Mortalibus mortalia relinquamus. Fœdissimis enim maculis hic regia vis animi notatur. Ego nativitatem potiùs quã mortẽ deplorandam censeam. Illa enim lachrymarũ est initium. Hæc verò dolentiũ liberatio. Ignorantia nos egenos facit. Et mortẽ exhorrescim⁹, nõ quia mala, sed ꝙ hominib. nõ est nota. Qui enim notitiã nõ tenet, facillimè ad eã accusandã adducitur. Ne igitur similis Niobæ fias, ne tu quando videaris etiã in lapidẽ humanam naturam transmutare. *Epist.25.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Qui causa mortis fuerit, capite puniatur. Satis ostendit ipsa pœna, eum demum teneri hac lege, qui idem cõmiserit, quòd si occidisset. Neque enim gravius quicquã adversus eum qui sua manu interfecerit, constituere potuit legumlator, quã adversus eũ qui causam præstitisset. Ergo & similitudine pœnæ, etiã crimen par exigere debetis. Hoc quò pertinet? ne existimetis verã illã esse finitionẽ, quã pars diversa cõplectitur: ut per quæcumq; steterit, uti homo occidatur, si continuò causa mortis fuisse videatur. Alioqui ista ratione & ille qui nocentẽ accusavit, causa mortis fuit: & ille qui testimoniũ in reũ dixit, etiãsi verum id fuit, causa tamen mortis haberi potest: & ille qui adulteros marito prodidit, causa mortis haberi potest: & ille qui sceleratũ produxit in publicũ. Cur igitur hi accusari ista lege non possunt? quoniã non per ipsos tantũ stetit: quoniam jure perierunt hi, quibus mors allata est. Sed hanc partem reservemus. Interim videamus quid sit causa mortis. Nos id dicimus causam esse mortis, quod homini mortem attulerit, quod solũ nullis extrà accidentib. causis noxiũ fuerit, quo homo periturus fuerit, etiam si nihil ipse fecisset. *Declamat. 270.pr.*

Quintilianus Senior: Filiam perdidisse hoc minimum esse malorũ meorum. Sunt qui gravius: esse unum de filiis perdere quàm unicum: sunt qui gravissimum existimant, unicos perdere: & quotiens non habeant solatium, ad quod respiciant, calamitatis videtur sine medicina dolor. Hoc gravius est, judices, perdere alteram è geminis: quotidie mihi occurrit imago funeris mei quo magis placet filiæ verecundia, quo magis probitas, hoc validius subeunt cogitationes. talem miser perdidi. *Declam.270.circa finem.*

Quintilianus: Videamus tamen, an ubi animus accusari non debet, jus hæreat. quæritur quid sit causa mortis. Accusator dicit, Per quem factum sit, ut aliquis moreretur: si quis quod natura mortiferum sit adversus aliquem fecerit. Quæ si sequenda diffinitio est, accusabitur & ille qui alicui suaserit peregrinationem, deinde is aut naufragio perierit, aut latrocinio: ipsi convictus infamabuntur, ex quibus cruditas & interitus. Nihil igitur hic factum est, quod omnibus mortiferum: nam sicut telum omnibus mortiferum est, ita causa mortis est, quæ occidit omnes. Detrahe hinc amorem, nihil erit propter quod moriatur. *Declamatione 289. Amator filiæ.*

Calpurnius Flaccus: Idem eris in ævum, qui supremo die fueris. *Controversia 27.fine.*

Petronius Arbiter: Adhuc tanquam ignotum deflebam, cùm inviolatum os fluctus convertit in terram, agnovique terribilem paulo ante & implacabilem Licam, pedibus meis pene subjectum. Non tenui igitur diutius lacrimas, imo percussi semel iterumque manu pectus: &, ubi nunc est, inquã, iracundia tua? ubi impotentia tua? nempe piscibus belluisque expositus es; & qui paulò ante jactabas vires imperii tui, de tam magna nave, ne tabulã quidẽ naufragus habes. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite cauti, & opes fraudibus captas per mille annos disponite! Nẽpe hic proxima luce patrimonii sui rationes inspexit, nempe diẽ etiam quo venturus esset in patriam animo suo finxit. Dii deæque quã longè à destinatione sua jacet! Sed non sola mortalib. maria hanc fidẽ præstant, illũ bellantẽ arma decipiunt. illũ Deis vota reddentẽ Penatum suorum ruina sepelit. ille vehiculo lapsus properantem spiritum excussit. cibus avidum strangulavit, abstinentem frugalitas. Si bene calculum ponas, ubique naufragium est. *Satyrico.*

Quintilianus: Fas est vita periclitari, qui natum se meminit lege pereundi. Neque in militiam gravissimo asperrimoq; bello ita venit, ut nesciret sibi mortem in procinctu habendam. *Declam 3.pr.*

Quintilianus: O mors laudanda fortibus, expetenda miseris, nõ recusanda felicibus, quantum te quæsivimus in bello! *Declamat. 4. §.3.*

Quintilianus: Sive hoc est sepulturæ suæ magna reverentia, pessimæque additæ pectoribus humanis infirmitates, ut esset quod timeret, qui non timet mortem; sive decuit innocentiæ amore pereuntem tranquillitas magna pereundi, ignoscite quæso cunctationi, patientiæ, morte. *mox:* Non debet hoc vetari, quoties habet causas; non potest, quoties non habet. Scilicet verendum est ne ad hoc inconsultè, ne temerè levitas humana prosiliat, & credibile est, ut quidquid apud hominem pro vita dici potest, ipsa sibi vita non dixerit. *Declamatione quarta §. septimo.*

Quintilianus: Quoties jam putatis noluisse me mori? Primum hoc maximum, quod pro incolumitate hominis Natura commenta est, ut periremus inviti: & contra tot adversos casus, patientiæ nobis æquanimitate succurretet. Inde est quod inter luctus & desperationes fæda vivacitate duramus. *Declamatione 4. §.8.*

Quintilianus: Homini qui semel renunciavit rebus humanis, non redditur vita, sed tempus: & ipsa cupiditas ratioque pereundi, hoc ipso quo vetamur accrescit. Felicior mehercule qui moritur antequam debeat, antequam velit. penè serò renunciat vitæ, quisquis sic ad exitum pervenit, ut hoc eum facere nemo miretur. Illi tantum debet mors negari, de quo non sufficit hoc pœnæ genus, ut ipse se potius occidat. Nam quod lex jussit, ut moriturus redderet causas; quod insepultum voluit abjici, si sic properasset erumpere, ut non

nunciaret hoc prius, non fateretur; fallitur quisquis ideo factum putat, ut teneremur inviti. Illa verò non timet pereundi temeritatem, nec secretum doloris alieni libenter inquirit. Sciebat illos non aliter ausuros proferre causas, quos sceleris conscientia, quos majoris cruciatus metus, in suprema compelleret. Igitur ne supplicia properato lucrarentur obitu, rursus in pœnam nocentis, insepulti corporis revocavit injuria. Lex placida, mitis, causas mortis reddi voluit, non æstimari. *Declamation. 4. §. 9.*

Quintilianus: Neque verò plurimum fuit præstitisse mortem. illud verò exi-
namque interim specioso titulo bene vita pensatur. illud verò exi-
stimo gravius, nomen gladiatoris accipere, subire dominum lani-
stam. *Declam. 9. §. 30. a. f.*

Quintilianus: Nihil aliud esse in potestate miserorum, quàm ut mori velint. Ego cùm dico, mori volo: non hoc dico, moriturus sum: de animo meo respondeo, non promitto de fato. Miraris quod quamvis jam teneam venenum, multum tamen adhuc casibus incertisque superest accupere perfossis plerumque visceribus vitam tamen ab ipsa desperatione redeuntem. Strictos circa colla laqueos, aut nexus, aut ipsius corporis ruina decepit rotatos per abrupta molis jactus explicuit. Tam consentaneum est ne moriatur qui velit, quàm quòd morimur inviti. *Declamatione 17. §. 19.*

Quintilianus: O mors semper imparata miseris, negata cupientibus, quando succurres? *Declamationis 17. fine.*

Plinius Iunior: Ex his causis necesse est tanquam immaturam mortem Virginii in sinu tuo defleam: si tamen fas est aut flere, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita quàm vita est. vivit enim vivetque semper, atque etiam latius in memoria hominum & sermone versabitur, postquam ex oculis recessit. *lib. 2. fine Epist. 1.*

Plinius Iunior: Mihi videtur acerba semper & immatura mors eorum qui immortale aliquid parant. nàm qui voluptatibus dediti, quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt: qui verò posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est; ut quæ semper inchoatum aliquid abrumpat. *lib. 5. Epist. 5 medio.*

Plinius Iunior: Publicius Certus intra paucissimos dies quo eum accusaram in Senatu, implicitus morbo decessit. Audivi referentes, tanquam videret me sibi cum ferro imminere. Veráne hæc, affirmare non ausim. interest tamen exempli, ut videantur. *sub finem Epist. 13. lib. 9.*

Incertus Panegyristes Constantino Aug. Nisi forte jam sentiens diem sibi venisse fatalem, ad solatium suę mortis voluit secum trahere quamplurimos, ut omnes essent exitus sui comites qui scelerũ participes extitissent. *cap. 16.*

Symmachus: Etiam crimina morte solent terminari. *libr. 9. Epistol. 121. m.*

Idem: Nam quando clementia vestra vim veteris comminationis in mortuum tetendisset; cùm gravium etiam noxarum pœnæ, fine vitæ solvatur? *lib. 10. Epist. 47.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 6. de vitæ vanitate.

Viribus eximijs erat ille, & flore juventæ
Conspicuus, socijq; gregis columenq;, decusq;,
Altigradus, valido membrorum robore florens.
Luciferum hic rursus forma referebat honore,
Cunctorumq; oculos ad se mentesq; trahebat,
Inque viris id erat, quod Ver in partibus anni.
Hic bello horrendum Mavortem æquabat & armis,
Ille palæstrites clarus, venatibus alter
Nobilis, atque feras doctus prosternere ferro.
Festivis epulis alius dapibusq; vocabat,
Indomito quærens & ab æquore pabula ventri,
Et cælo & terra, servus Genijq; gulæq;.
Nunc stratæ vires, vultum quoque ruga senilem
Turpis arat. celeri fluxerunt omnia cursu.
Accessit senium, diffugit grata venustas,
Atque voluptates carnis, paulumq; moratur
Iam superos apud, at maiori ex parte sub orci
Imperio est mortiq; caput submisit acerbæ.
Hic rursus varia doctrinæ laude tumescit.
Hic generis splendore sui, magnisq; sepulchris,
Exiguo aut nactus diplomate nobilitatem.
Consilij primas media tenet alter in urbe,
Illiusq; omnes una præconia voce
Concelebrant. alius stulto inflammatus amore
Condit opes, animoq; augendis instat acervis.
Hunc juvat excelso solio dare jura sedentem,
Atque utrimque pari causas expendere lance.
Sanguineo hic rursus panno & cervice revincta,
Imperio totam moderans & legibus orbem,
Ipsa quoque excelsi contemnit culmina cæli,
Ac spes mortalis male sana mente perennes
Concipit, & veluti certo sibi plaudit honore.
Hæc modo: post autem tenuis pulvisculus omnes,
Omnes sorte pari, servíq; & sceptra ferentes,
Pauperies quos dura premit, quos copia rerum
Effert. nos omnes eadem caligo domusq;
Excipiet. nec plus quicquam est in morte superbis,
Quam mage quod celebri luctuq; celebrantur eorum
Funera, magnificumq; magis tegit ossa sepulchrum
Nominaq; in gravibus saxis incisa relinquunt.
Et quanquam sero: tandem tamen omnibus una
Sors iacet, ut morti pensum est fatale tributum,
Ossa infirma sumus cuncti putredine fœda,
Et capita horrenda aspectu, spoliataq; carne.
Iam cessat fastus, iam tristem ærumna laborque
Pauperiem linquit, iam nec febris ulla dolorve
Nec sævum auditur crimen, nec fœda simultas
Nec gravis improbitas, nec habendi plura cupido.
Omnia nobiscum mors obruit, omnia claudit,
Donec nos aliud tandem comitentur ad ævum,
Credita cogetur cum reddere corpora tellus.

D. Nazianzenus Carm. 14. de hominis vilitate.

Horrida miscebant certamina, seq; necabant
Argivi, atque Phrygum, pro meretrice phalanx.
Aspera Curetes Aetolis bella movebant,
Pro capite, agrestis crinibus atque feræ.
Aeacidæ celebres: sese tamen illa premit
Vesanus: mœchi est casus at iste manu.
Herculis est ingens nomen: nam cuncta domabat:
Carnivoris periit vestibus ille tamen:
Aspera non Cyris, non Crœsis Parca pepercit:
Hisq; etiam, nuper sub quibus orbis erat.
Te quoque, Alexander, Victor grassate per orbem,
Perdidit immodici copia sumpta meri.
Inter defunctos quidnam est discriminis? ossa
Et cineres Iri, Tantalidisq; pares.
Par Constantino famulus meus (hic ego tantum
Excipio tumulum) dives, inopsq; pares.

Nazianzenus Carmine 62.

Ὡς αἰεὶ χρυσέοιο παρεσταότος θανάτοιο
Μνώεο, καὶ θανάτου ἧσσονος ἀντιάσεις.
Fac tibi mors nunquam memori de mente recedat:
Mors tibi sic veniens haud gravis hostis erit.

Plautus Bacchid. 4. sc. 7. v. 18.

——— *Quem Dij diligunt*
Adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit,
Hunc si ullus Deus amaret, plus annis decem,
Plus iam viginti, mortuum esse oportuit:
Qui terræ odium inambulat, & iam nihil sapit,
Nec sentit: tanti est, quanti est fungus putidus.

Plautus Pœnulo 5. sc. 1. v. 23.

Eum fecisse aiunt, sibi quod faciendum fuit.

Plautus Rudente 3. sc. 3. v. 12.

Sed nunc sese ut ferunt res fortunæq; nostræ,
Par est moriri, neq; est melius morte in malis
Rebus miseris.

Terentius Andriæ 2. sc. 1.

Omnia experiri certum est prius, quàm pereo.

Terentius Heautontim. 5. sc. 2.

Emori cupio. CH. prius quæso disce. quid sit vivere.
Vbi scies: si displicèbit vita, tum istuc utitor.

Martialis lib. 6. Ep. 29.

Immodicis brevis est ætas, & rara senectus.
Quicquid amas, cupias non placuisse nimis.

Petronius Arbiter in calvum.

Infelix! modò crinibus nitebas
Phœbo pulcrior, & sorore Phœbi.
At nunc lævior ære vel rotundo
Horti tubere quod creavit unda,
Ridentes fugis & times puellas,
Vt mortem citius venire credas;
Scito iam capitis perisse partem.

Ausonius Heroum Epigrammate 22.

Nobilitas quid tanta iuvat? quo clarius istis
Est genus, hoc mortis conditio gravior.

Ausonius Epigr. 34.

Miremur perijsse homines? monumenta fatiscunt:
Mors etiam saxis nominibusq; venit.

Ausonius Epig. 53. de Cræso & Diogene.

Effigiem rex Cræse tuam ditissime regum
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit utque procul: solito maiore cachinno
Concussus dixit: Quid tibi divitiæ

Nunc

Nunc prosunt, regum rex ô ditissime, cùm sis
Sicut ego solus, me quoque pauperior?
Nam quacunq; habui mecum fero: cùm nihil ipse
Ex tantis tecum Crœse feras opibus.

§ APOLOGORUM.

AEsopi Lupus & Agnus. Lupus agnum insequebatur. At ille in templum confugit: evocantique Lupo dicentique, fore ut eum mactaret sacerdos, respondit, mihi acceptius longe est deo victima si fiam, quàm si abs te macter.

Æsopi Rosa & Amaranthus. Rosæ adsitus Amaranthus dixit: Qualis flos quàm formosus es, & amabilis diis hominibusque! beatam te ob formam & odorem arbitror. At illa: ego verò, ô Amaranthe ait, ad breve tempus vivo, & quamvis me decerpat nemo, tabesco nihilominus: Tu verò flores continuò, & recens sic vivis.

De Institore & Asino. Anonymus.

Dum fora festinus lucro petit, instat asello
Institor, & pressum pondere, fuste premit.
Ille necem sperat, nece promittente quietem,
Sed nece completa, vivere pœna potest.
Nam cum bella facit, & timpana pulsat aselli,
Hic lassatur, & hac pulsa tonante manu.
Cui sua vita nocet, caveat sibi rumpere vitam.
Non nece, sed meritis iure quiescit homo.

Vitulus & Bos. Avienus.

Pulcer & intacta vitulus cervice resultans
Scindentem assiduè viderat arva bovem.
Non pudet heus, inquit, longævo vincula collo
Ferre, nec expositis otia nosse jugis,
Quum mihi subiectas pateat discursus in herbas,
Et nemorum liceat rursus opaca sequi?
At senior nullam verbis compulsus in iram,
Vertebat solitam vomere fessus humum,
Donec deposito per prata liceret aratro
Molliter herboso procubuisse toro.
Mox vitulum sacris innexum respicit aris,
Admotum cultro comminus ire prope.
Hanc tibi tristis ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem nostri qua facit esse jugi.
Proderit ergo graves quamvis sufferre labores,
Otia quam tenerum mox peritura pati.
Est hominum sors ista magis felicibus, ut sit
Mors cita, quum miseros vita diuturna regat.

Lupus & Hœdus. Anonymus.

Fortè lupum melior cursu deluserat hædus,
Proxima vicinis dum petit arva casis.
Inde fugam recto tendens in mœnia cursu
Inter lanigeros constitit ille greges.
Impius hunc raptor mediamq; sequutus in urbem
Tentat compositis sollicitare dolis:
Nonne vides, inquit, cunctis ut victima templis
Immerita pecudum morte cruentet humum:
Quòd nisi securo valeas te reddere campo,
Heu mihi vittata tu quoque fronte cades.
Ille refert modò, quam metuis, precor exue curam,
Et tecum viles improbe tolle minas.
Nam sat erit sacrum divis fudisse cruorem,
Quam rapido fauces exsatiare lupo
Sic quotiens duplici subduntur tristia casu,
Expedit insignem promeruisse necem.

De Cygno in morte canente comprehenso à Ciconia. Fab. 13.

Cygnus moriens, interrogabatur à Ciconia, cur in morte, quàm cætera animalia adeo exhorrent, multo suaviores, quàm in omni vita emitteret sonos, quum potius mœstus esse deberet. Cui Cygnus, Quia inquit, neque cibi quærendi cura amplius cruciabor, neque aucupum laqueos extimescam.

Hac fabula nos admonet, ne mortem formidemus, qua omnes vitæ præsentis miseriæ præciduntur.

De Porco & Equo. Fab. 48.

Porcus conspiciens equum bellatorem, qui cataphractus ad pugnam prodibat: Stulte, inquit, quò properas? in pugna enim fortasse morieris. Cui equus: At tibi inter lutum, sordesque impinguato; quamvis nihil dignum laude gesseris, cultellus adimet vitā: mortem verò meam comitabitur gloria.

Hac fabula innuit, honestius esse rebus præclarè gestis occumbere, quam vitam turpiter actam protrahere.

De Sene mortem differre volente. Fab. 99.

Senex quidam mortem, quæ eum è vita raptura advenerat, rogabat, ut paulum differret, dum testamentum conderet, & cætera ad tantum iter necessaria præpararet. Cui mors, cur non, inquit, hactenus præparasti toties à me admonitus? Et quum ille eam nunquam à se visam amplius diceret: Quum, inquit, non æquales tuos modò, quorum nulli ferè jam restant, verum etiam juvenes, pueros, infantes quotidie rapiebam, non te admonebam mortalitatis tuæ? Cum oculos hebescere, auditum minui, cæterosque sensus indies deficere, corpus ingravescere sentiebas, nonne tibi me propinquam esse dicebam? & te admonitum negas? Quare ulterius differendum non est.

Hac fabula indicat, ita vivendum, quasi mortem semper adesse cernamus. Abstemius.

De Viro decrepito arbores inserente. Fab. 167.

Vir decrepitæ senectutis irridebatur à juvene quodam, ut delirus, quòd arbores insereret, quarum non esset poma visurus. Cui senex: Nec tu, inquit, ex iis, quas nunc inserere paras, fructus fortasse decerpes. Nec mora: Juvenis ex arbore, quam surculos decerpturus ascenderat, ruens collum fregit.

Fabula indicat; mortem omni ætati esse communem. Abstemius.

De Turdo per viscum capto. Fab. 178.

Turdus visco captus ab aucupe, seipsum afflictabat; dicens: non tantum mortis dolore excrucior, quantum quod meæ res me perimunt. Ajunt enim viscum ex turdorum stercore procreari.

Fabula indicat, homines tunc vehementer commoveri, quum rebus suis intereunt. Abstemius.

§ EMBLEMATUM.

Batillius. I. *Parca.*

Mors sua quemque manet.

Una colum molli lanâ sibi sumit amictum,
Altera deducit, tertia fila secat:
Sparsi hinc inde solo succincti stamine fusi,
Qui multo, aut modico, qui breviore iacent.
Sic dominæ fati, fato quæ debita complent
Tempora, sic, vitæ quæ data pensa, regunt.
Longius aut propius sic serior ocyor, ut sors
Cuique expleta sua est, mors sua quemque manet.

Batillius VII.

Mors vitæ terminus hæret.

Communem cunctis Mors ultima linea rerum
Præscriptis vitam finibus una regit:
Terminus hæc verê est, nulli qui cedere novit,
Quâ positusq; tenax in statione manet.

Batillius. CCVI.

Nec dives secum amplius asportabit.

Funeris hæc pompa est Saladini regia magni,
Quam moriens duci iusserat ipse sibi.
Et qui tot regnis tumidus, partisq; trophæis
Nil nisi pertenuem syndona morte tulit:
Quid nunc divitias, quid census Crœsule iactes,
De quibus ad manes nil ferat umbra tuos?

Camerarius C. Centuriæ primæ.

Spes altera vitæ. Spicæ inter ossa.

Securus moritur, qui scit se morte renasci:
Non ea mors dici, sed nova vita potest.

Jac. Catsius Emblemate sacro X.

Quod crudum, idem & pertinax.

Villicus irrigui dum munera colligit horti
Prodiga maturum sponte dat arbor onus.
Si qua legi renuunt ramisq; tenacibus hærent,
Scilicet ingrati poma saporis erunt.
Corpora Mors hominum manibus cùm vellit avaris,
Mens bona, ne sævi: sponte sequemur, ait.
Qui negat avelli se posse, Deoq; resistit,
Exhibet, heu! crudi pectoris ille notas.

Catsius Emblemate sacro XXVI.

Tremor hinc, nihil inde maligni.

Id Mors est homini, trepidis quod larva puellis:
Excitat ingentes frons utriusq; metus.
Larva fugat pueros frontem non terga videntes:
Ast aliis risum posteriora movent.
Sensibus incurrit cùm lurida mortis imago,
Hei mihi! quam multis spes animusq; cadit,
At cui terga necis melior doctrina revelat,
Clamat: ades vitæ Mors melioris iter.

Catsius Emblemate Sacro L.

Mortalibus morientes destituimur.

Fila ruinosis abrumpit Aranea tignis;
Omnis ab exanimi corpore vermis abit.
Nos miseros! homini quidquid dum vivit adhæret,
Hoc hominem, simul ac mors venit atra fugit?

Cessat honos, abeunt qui te coluère sodales,
Cumq; tuo finem funere munus habet.
Omnia morte ruunt. cùm res opis indiga nostra est,
Hei mihi! tum vastus nil opus orbis habet.

Phœnix in rogo. Emblem. 45.

Confectus senio Phœnix se mittit in ignem,
Vt propriis iterum pullulet exequiis:
Discite Mortales Parcarum spernere fila,
Nam, quò vivamus, vivere desinimus.

Florent. Schonhovius.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Salomon. Bonam esse mortem dicit, Eccl. 7.3. esse meditandam, Eccles. 7.6.10.

Iesus Christus Dominus noster. Audiens Lazarum ægrotare, dixit, Morbus iste non est mortifer, sed immissus pro Dei gloria, ut per eum morbum glorificetur Filius Dei. *Item*, Lazarus amicus noster dormit: sed proficiscor ut à somno excitem eum. Hoc dicebat de Lazari morte, at discipuli putarunt eum de dormitione somni dicere. *Ioan. 11.4.11.*

D. Paulus Apostolus. Vide supra in Apopht. *de Luctu.*

Epiphanius. In morte proximorum, inquit, id quod est inevitabile & prorsus à Deo constitutum, generoso animo perferre oportet. *Sozom. eccl. hist. Lib. 7. cap. 2. 26.*

D. Abrosius. Calligonus, cubiculi præpositus, mandare aliquoties Ambrosio ausus est, Me vivo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Respondit Ambrosius: Deus permittat tibi ut impleas quod minaris. Ego enim patiar quod Episcopi: tu facies quod spadones. *Ambr. epist. 33.*

D. Irenæus. Martyres contemnunt mortem, inquit, non secundum infirmitatem carnis, sed secundum quod promptus est Spiritus. *Lib. 5. adv. hæreses. cap. 9.*

Tertullianus. Mors est finis omnium quæstionum, inquit, publica totius generis humani sententia, naturæ debitum. *Lib. de anima, cap. 50.* Discretio corporis & animæ, *cap. 51.* Mors non ex natura secuta est hominem, sed ex culpa, ne ipsa quidem naturali, *cap. 52.* Evenit sæpe animam in ipso divortio potentiùs agitari, sollicitiore obtutu, extraordinaria loquacitate, dum ex majore suggestu, jam in libero constitura, per superfluum quod adhuc cunctatur in corpore, enuntiat quæ videt, quæ audit, quæ incipit nosse. *cap. 53.*

Firmissimas consolationes adversus mortis metum proponit idem, toto libro de resurrectione carnis.

D. Cyprianus. Expectat militem suum Christus ubique pugnantem, & persecutionis causa pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit, &c. *Epist. lib. 6. epist. 4.* Hoc est robur virtutis & fidei, credere & scire quòd Deus à morte præsenti liberare possit, & tamen mortem non timere, nec cedere ut probari potiùs fides possit. *Ibidem.*

Tunc est pax Dei servis, tunc libera & tranquilla quies, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. *Serm. de mortalitate.*

Quum videre Christum gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum nisi cùm viderimus Christum, quæ cæcitas animi, quæve dementia est, timere mortem, amare pressuras, pœnas & lachrymas mundi, & non festinare potiùs ad gaudium, quod nunquam possit auferri? *Ibidem.*

Christus dicens discipulis suis (Ioan. 14.) Si me dilexissetis, gauderetis, quoniam ad Patrem vado, docet & ostendit, quum chari quos diligimus de sæculo exeunt, gaudendum esse potiùs quàm dolendum. Cuius rei memor Apostolus dicit, Mihi vivere Christus est & mori lucrum: maximum computans lucrum jam sæculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri: exemptum pressuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci. *Ibidem.*

Mori timeat qui ex aqua & spiritu non renatus gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Christi passione & cruce censetur: mori timeat qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat, quem de sæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus eius & gemitus interim differatur. *Ibidem.*

Per mortem ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti: datur velociùs tutela fidentibus, perfidis pœna. *Ibidem.*

Quàm præposterum est, quamque perversum, ut cùm Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus! Nitimur, reluctamur, & pervicacium more servorum ad conspectum Domini cum tristitia & mœrore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis. & volumus ab eo præmiis cœlestibus honorari, ad quem venimus inviti? Quid rogamus & petimus, ut adveniat regnum cœlorum, si captivitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & poscimus ut acceleret dies regni, si maiora desideria & vota potiora sunt servire istic diabolo, quàm regnare cum Christo? *Ibidem.*

Plura de morte toto illo tractatu habet pius lector.

D. Basilius Magnus. Valens Imperator ubi venit Cæsaream, præfectus civitatis accersito Basilio Magno, Ecclesiæ pastori, jubet opinionẽ Imperatoris ut amplectatur, & sectæ Arrianæ adhæreat: contradicentique mortem minatur. Basilium tum dixisse ferunt, se illud magni facturum, & summi beneficij loco habiturum, si quàm primùm ex corporis vinculis eximeretur. Præfectus autem quum jussisset, ut tum ea die tum nocte sequenti consilium caperet, nec inconsideratè se in apertum coniiceret periculum, sed postridie adesset denuo, suamque sententiam declararet: Mihi, inquit, consilio non est opus: nam idem qui jam sum, cras etiam futurus sum. Cùm enim sim creatura, animum non queo inducere, ut vel mei similem adorem Deumque confitear, vel tibi & Imperatori me in religione socium adjungam. Etenim quanquam estis viri cum primis illustres, & non exiguæ orbis terrarum parti imperatis, non tamen propterea vestræ voluntati, cùm sitis homines, obsequi oportet, & fidem in Deum negligere: quam nunquam vel publicatione bonorum, vel exilio, vel morte denique mulctatus, proditurus sum. Siquidem horum nihil me excruciare poterit. Etenim opes non habeo, præterquam vestem laceram & paucos libros: sicque terram incolo, quasi semper ex ea migraturus. Corpus autem præ imbecillitate, una sola plaga accepta, & sensum doloris & tormenta superabit. *Sozom. eccl. hist. lib. 6. cap. 16.*

Eutychius Episcopus. Quum in quinta Synodo universali quæsitum esset, An jam olim defunctos anathemate ferire liceret? Eutychius, episcopi Amaseni à responsis, neque concilio, neque deliberatione ulla eam rem egere dixit: propterea quòd & Iosias rex non tantùm viventes dæmonum sacerdotes olim jugularit, sed & eorum qui longo ante tempore mortui fuerant, sepulchra effoderit. *Niceph. hist. eccl. hist. lib. 17. cap. 27.*

Anonymus. Quidam per tres horas in uno stans loco, oculos sursum in cœlum fixos habebat, interim gemitibus & voce querula suam deplorans miseriam. Quem cùm discipuli eius interrogarẽt, quidnam animum eius solicitum haberet? respondit, *Mortem horreo.* Quem consolaturi discipuli, vitam ei in memoriam revocabãt, quam egisset sanctissimam, & quanto cum fervore mandata Dei usque esset executus. Ad quæ ille, *Verè dico vobis quòd mortem horream. Sedulo quidem, ut dicitis, juxta divini verbi regulam vitam & mores composui, attamen a tali metu animum liberare nequeo. Scio enim judicia Dei longo alia esse quam sint judicia hominum.* Hic in suis meditationibus eò progressus est, ut cognoverit urgente mortis hora judicium Dei adeo esse acre, severum & grave, ut omnia nostra opera coram eo nequaquam subsistere possint, nec in iis ulla salus nobis se offerat. *In vitis Patrum.*

D. Basilius Magnus. De morte scitè dicta quædam hujus sequuntur.

Auditores monet Propheta, inquit, ne mortem metuant. Preciosa est, ait, in conspectu Domini mors sanctorum eius. Ne detrectetis, homines, certamina laboresq; adire, ne horrete mortem. Non enim corruptio, aut finis est, sed vitæ initium & occasio. Apud viros divitiarum appetentes, lapilli quidam pulchris fulgentes coloribus, preciosi nominãtur: sed verè preciosa mors Sanctorum eius. quando anima purgata in vita à carnis sordibus, & inquinamentis libera, ex laboribus pro pietate sumptis probata, justitiæ corona redimita, & omnium demum horum pulchritudine refulgens, & lapide quocunque precioso splendidiorem claritatem ex gratia possidens, Domino ac omnium judici adstiterit: quomodo huius viri mors coram Deo preciosa non fuerit? *Serm. in Psal. 116.*

Olim Sanctorum mors planctu ac lachrymis cohonestabatur, Mortuum Jacobum deflevit Joseph, &c. Nunc verò morientibus sanctis exultamus. Tristium namq; post crucem Domini immutata est natura. Jam non ampliùs sanctorum obitus lamentationibus persequimur, sed tripudiis divinis circum ipsorum sepulchra veluti choreas ducimus. Somnus autem justus est mors: imò magis migratis ad vitam meliorem. Hinc est quod martyres exultant dũ trucidantur: nam desiderium felicioris vitæ jugulationis dolorem extinguit, & emortuum reddit. Pericula non respicit martyr, coronas respicit: plagas non horret, sed præmia numerat. Non videt lictores infernè flagellantes, sed ad angelos supernè lætis ominibus acclamantes attendit: non spectat temporaria pericula, sed præmiorum æternitatem. *Serm. de Barlaam martyre.*

Idem. Decet etiam incipientem vivere, ob oculos habere mortem. *Anton. & Maxim. serm. de morte.*

Quotidie nos paratos esse oportet ad discessum ex hac vita, & nutum Domini fixis oculis expectare. Sint enim, inquit, lumbi vestri accincti, & ardentes candelæ, & estote similes hominibus expectantibus Dominum suum redeuntem ex nuptiis. *Ibidem.*

Quemadmodum qui in navigiis dormiunt, à ventis ultrò aguntur, etiamsi nihil sentiant, sed cursus eos ad exitum & portum defert: sic & nos, tempore vitæ nostræ præterfluente, quasi motu quodam perpetuo & indefesso, ad suum quisque finem occulto cursu vitæ nostræ festinamus. *Eod. Serm.*

Gr. Nazianzenus. Unum adversus omnia mala & pericula remedium habeo, unum ad victoriam iter (in Christo gloriabor) nimirum ut pro Christo mortem oppetam. *Apolog. seu Orat. 1.*

Piorum mors, non mors dicenda est, sed migratio ad Deum, vel desiderij cumulus, vel vinculorum solutio, vel oneris excussio. *Oratione 18.*

Per mortem ad bonum Dominum properamus: habitatio in cœlis peregrinatione in terris melior ac præstantior est: quodq; navigantibus tranquillus portus est, hoc iis qui hujus vitæ procellis agitantur, migratio ad alteram vitam existit: aut etiam quemadmodum qui longum iter priores confecerunt, minus difficultatis ac molestiæ habent, quàm qui adhuc iter faciunt, atque in labore versantur: ita tolerabilior & melior eorum conditio est, qui ad illud hospitium iam pervenerunt, quàm qui sinuosum adhuc & præceps hujus vitæ iter emetiuntur. *Orat. 19.*

Vita & mors, tametsi plurimum inter se dissidere videantur, inter se tamen quodammodo immeant, atque altera in alterum locũ subit. Illa enim à corruptione matre nostra incipiens, ac per corruptionem, hoc est perpetuum eius quod præsens est, excessum gradiens, in corruptionem tandem, hoc est in huius vitæ finem desinit: hæc autem, quæ præsentibus malis liberat, atque etiam sæpe ad supernam vitam traducit, haud scio an propriè mors appellari queat, utpote nomine magis quàm re formidabilis. Atque absurdè quodammodo & præposterè affecti esse videmur, qui ea, quæ minimè horrenda sunt, formidemus, quæ autem metuenda sunt, ut optabiliora complectimur. *Eadem orat.*

Chrysostomus. Inter innumera eius scitè dicta de morte, hæc occurrunt.

Mors est portus tranquillus, vera quies, somnus, ad meliora migratio, à malis liberatio, migratio à terra ad cælum, ab hominibus ad Angelos, & ad ipsum Angelorum Dominum.

Mortis portæ, peccata.

Mors invitis imperat: volentibus servit.

Est horrendum quid & formidolosum, sed non iis qui supernam contemplantur sapientiam.

Mortem qui timet, id est, qui non sperat vivere post mortem, nihil operatur bonum.

Quæ videtur malorum omnium gravissima, non lædit, imò juvat.

Mortis contemptio mortem fugat.

Mors in arboris non pendebat fructu, sed in hominis primi contemptu.

Non simpliciter corpus, sed corporis corruptionem mors abolet.

Animam à carne separat, animæ autem propositum non immutat.

Mortis regio, mundus. *Ex variis homiliis.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absurdum minimè est, animanti si cui prodes mortuus.
Ad diem rursus vocari non potest vir mortuus.
Admodum est juvenis qui mortem sæpius non ambiit.
Æquo animo sapiens, iniquo stultus vitam deserit.
Alligat summos & imos mortis trux necessitas.
Alterius gaudere morte, non est animi nobilis.
Amplius nusquam est, juratos qui tetigit Superis lacus.
An veniat mors ad nos, an vero ad eam nos quid interest.
Ante mortem consummare vitam, res pulcerrima est.
Arma nil dolive contra mortis impetum valent.
Arte eadem forti mors, quâ vita ignavo quæritur.
Attulit profectò mortem causa mortis qui fuit.
Cæsa nascitur rursum arbos; mortuus nunquam viret.
Cerbero favente Orcum intras: exeuntes devorat.
Certius nil morte, mortis hora nil incertius.
Cogitur timere mortem qui illam ponit in malis.
Cognitus profectò nulli terminus morti est sua.
Cui mori semel decretum; haud vita, tempus redditur.
Cujus vita est indecoris, fugere mortem haud convenit.
Cuncta despicit, se semper qui moriturum cogitat.
Dedecus letho arce; mortem perq; pectus excipe.
Definita mors humanis singulis atq; omnibus.
Destinamur omnes morti, quotquot ad vitam edimur.
Dulcis ad securitatem quædam mors ipsa est via.
Emori nolo; sed me esse mortuum, nihil æstimo.
Emori satius alieno scelere, scelere quam suo.
Est mala, at terenda cunctis atra mortis semita.
Est solutio finisq; mors dolorum omnium.
Et suis bonus reliquit oculis Ancus lumina.
Exeat prius de vita qui in vitam venit prius.
Ferre mortem quis suorum non malit quam dedecus?
Finis est solutioq; mors dolorum alma omnium.
Gloriosa mors vitæ omne tollit actæ dedecus.
Impares licet nascamur; attamen morimur pares.
Imputat dies pereuntes, Mors super dum stat caput.
In freto hactenus vita acta est: liceat in portu mori.
In vado locat salutis quemlibet pulcrum mori.
Maxime mors iis timori est qui minime officium istã timẽt.
Maximum vitæ bonum mors est bono, ut malum malo.
Meta mortis sanguisuga cuiq; stat viventium.
Moribus dignum suis quisque exitum vita invenit.
Mors aliud nil est caloris omnis quam privatio.
Mors cita usque Heroas aufert ante maturum diem.
Mors mala haud ea est putanda, vita quam anteiit bona.
Mors eis minus timori est qui ante maxime hanc timent.
Mors eis parata nunquam est, semper ipsam qui vocant.
Mors honesta omnem probrosæ delet ei vitæ notam.
Mors honesta præferenda vitæ utique est ingloriæ.
Mors honesta sæpe vitæ ornatui est turpissimæ.
Mors honesta ubiq; vita turpi potior fortibus.
Mors mala haud putanda, vita quam antecessit non mala.
Mors pietati juncta longe suavior vitâ impia est.
Mors quidem pravo timenda, est innocenti optabilis.
Mors virilis antehabenda vitæ utique est turpissimæ.
Mors viris non est molesta; mors molesta in gloria est.
Mortem homo cur pertimescis? ecce Olor moriens canit.
Mortem quam improbi timent, voto optant improbo probi.
Morte dignus est cui vita jam non utilis sua est.
Morte honestâ multa vitæ fas redimere crimina.
Mortui haud solùm viri laudantor, ast & feminæ.
Mortuo male dicere noli, eius licet nati increpent.
Mortuum tandemque anilis cepit Herculem sinus.
Ne quidem vitæ finitæ certa sat cuiquam nota est.
Nec manu nec voce honestum est inquinare mortuos.
Nec vovet diem supremum, nec timet, prudentia.
Nil mage in promptu omnium ipsa quam mors est mortalib.
Non mage ipsâ in morte quàm post ipsam inest molestia.
Non modo aufert mors homullos: imminet quoq; urbibus.
Non mori vult qui mori optat; potius optat vivere.
Non potest mori malè, egit omnem vitam qui bene.
Non potest non esse grata mors quibus vita est gravis.
Non potest non esse tristis mors, quibus vita optima est.
Non refert quæ sit homini ætas, meta quam sit refert.
Non secus mors cuique tanquam Tantalo saxum imminet.
Nulli non dolet cum iam dissolvitur de corpore.
Omnis ætas, omnis ordo currit ad mortis domum.
Omnis ætas, omnis ordo morte nil peius putat.
Omnium mortalibus Mors est bonorum maximum.
Omnibus jacet par, tellus quem parem genuit Iovi.
Omnibus tandem ingravescit mortis inclementia.
Perfugium vitæ ærumnosæ mors est optatissimum.
Pignerari electiorem Mors solet florem virûm.
Plurimis malis vexatus in lucro mortem putat.
Ponderanda quaq; mors est gestæ vitæ ex actibus.
Præparandi omnes ad mortem ante, quam ad vitam sumus.
Præstat cum Catone mori, quàm cum Antonio vivere.
Præstat vel semel mori, quam ad mortem accedere sæpius.
Præstat longè obire honestè, turpiter quam vivere.
Pro focis arisq; mors est fortis ac probi viri.
Qui mali nihil patravit quæso, cur timeat mori?
Qui mortem timebit, unquam pro vivo faciet nihil.
Qui mortem timet videtur scire, quod nescit, sibi.
Quid lætum esse ei potest suum exitum qui cogitat?
Quid novi est mori, cujus vita omnis ad mortem est iter?
Quidam è morte nomen majus, quam è vitâ omni cõparant.
Quis scit utrum vita sit mors, ac mori sit vivere?
Quisq; ibi moritur libenter ante ubi vixit libens.
Quo facilius mors obrepat, nomine sub vitæ latet.
Quo laudabilior mors est, eo auditur velocius.
Obsequi viro, maledicere mortuo, vulpeculæ est.
Sæpe acerba mors rapit queis vita longa bonũ unicum est.
Sæpe vivus quod negavit, tribuit ultro mortuus.
Satius est mori, patrare digna quam mortis metu.
Serius citiusve mortis cuiq; calcanda est via.
Sola mors fatetur quantula hominum sint corpuscula.
Spes quibus nulla est a morte, maximè mortem timent.
Stultè mortuos beatos censet, vitam qui adpetit.
Si quis hodiè mortuus est, & cras perendieq; erit.
Talis sæculo omni eris, te in morte qualem gesseris.
Tam malum invocare mortem quàm timere eã malum est.
Tela contra mortis arma nil resistunt, nil doli.
Triste nil ei est, qui adultæ mortis effugit metum.
Viceris metus quoscumq;, mortem ubi contempseris.
Vita si prærepta, fas mortem approbare posteris.
Vita tota si beata est, mors beata non erit.
Vita turpis morti honestæ ne quidem linquit locum.
Vt boni nil est in morte, sic contrà nihil est mali.
Vt somnus, sic nec mors gravior est foris cui quàm domi.

¶ Jambica.

A morte pœna præmiumve omnes manet.
A morte Regum producuntur crimina.
Abducit à malis mage nos mors quam a bonis.
Ad mortuum nullus venit sensus mali.
Æqualis hinc est transitus mortalibus.
Æquè ad juvenem mors, quam ad senectam pertinet.
Amore mortis terminum inquiro mali.
Animo est sereno semper, cui mors spernitur.
Aut gloriosa mors, aut vita libera.
Casus, Aegror ac Senectus, tres sunt mortis nuntii.
Charontis unda enaviganda est omnibus.

Certissima est mors omnibus securitas.
Consummat hora mortem extrema, non facit.
Contentionum terminus mors omnium est.
Cui durior vita est, minus mortem timet.
Cum mortuo bellum haud geras: turpissimum est.
Cuncta experiri præstat quam mori male.
Cunctis terendum est hoc iter lethi semel.
Curam gerunt rerum humanarum & mortui.
De morte sapiens moriens fert sententiam.
Dimittimus functos, imò præmittimus.
Dulce est mori, cùm dulce adhuc est vivere.
Emorimur herclè spissius quam nascimur.
Est etiam & illud ex vita officiis, mori.
Et ante mortem excepit Herculem rogus.
Et verba stultum est fabulari mortuo.
Extra malum mors, imo & malorum est metum.
Felix, suo cui mors arbitrio obtigit.
Felicium mors omnium est gravissima.
Haud facile quisquam ad vitam revocari potest.
Haud turpe cui mori est, sed turpiter mori.
Honesta mors, vel voto petitur fortibus.
Hos præter artus, debeo morti nihil.
In morte nil mali est nisi ipsius timor.
In mortuos Fortuna certè nil potes.
In mortuos nemo impius fit quam malus.
Injustè alimento vivum privet mortuus.
Instar procellæ mors subit mortalibus.
Invictus est quem mortis haud flexit metus.
Iram Deorum mors repens subindicat.
Lex constituta est omnibus, semel mori.
Locis & ipsis fata sunt item sua.
Lucrosa quævis mortis est dilatio.
Magnifica verba mors propè admota excutit.
Mala qualibet dissolvit Mors mortalium.
Male morietur nemo qui vixit bene.
Malo imperari, quàm eripi mortem mihi.
Minimè mori cupit, quicumq; optat mori.
Miserrimum est alterius arbitrio mori.
Mori male non potest qui non malè vixerit.
Mori necesse est, quidquid usquam nascitur.
Mori optimum cuiq; antequam mortem invocet.
Mori optimum est, cum adhuc juvat quem vivere.
Morientium suprema nemini vox excidit.
Moritur honestè quem premunt injuria.
Mors a malis mage, quam a bonis nos abstrahit.
Mors, ad quietem perpetem, tutum est iter.
Mors corporisq; animæq; separatio est.
Mors divites mage occupat quàm pauperes.
Mors est tributum, officium mors mortalium est.
Mors id homini est, quod portus navigantibus.
Mors improbis est pœna, portus est probis.
Mors, innocentem sola Fortuna eripit.
Mors intermittit vitam, non vitam eripit.
Mors misera non est. aditus ad mortem est miser.
Mors nec peramplo mitigatur munere.
Mors non mala est quam vita præcessit bona.
Mors non opina mortium longe optima.
Mors non timetur, at ejus cogitatio.
Mors nostra somnus, nostra mors dormitio est.
Mors nuda fama fortibus spreta est viris.
Mors optima est perire, dum lacrimant sui.
Mors portus est humanis tempestatibus.
Mors portus omnis omnium est mortalium.
Mors præstò ubiq; est: mors occurrit undiq;.
Mors quaq; vilis duriter viventibus.
Mors, sæpe donum in pluribus venia fuit.
Mors sola menteis delegit mortalium.
Mors sola, portus ærumnis datur loco.
Mors sustinenda est omnibus tandem semel.
Mors ultimum est, ad quam ire non pigrè, est satis.
Mors una portus est mortalium omnium.
Mortis dolorem vir modestè fert pius.
Morti decus quærendum ut vita transiit.
Morti nihil debemus, vitæ plurima.
Morti, velint, nolint, vacandum singulis.
Mortem aliquid ultra est? vita, si cupias mori.
Mortem expavescis? at laborum est terminus.
Mortem facilius quis, dolorem quàm ferat.
Mortem misericors sæpe pro vitâ dabit.
Mortémne formidamus, auspicem boni?
Mortem sequuntur homines fugere dum volunt.
Morte appropinquante animus est divinior.
Multum boni mors opportuna possidet.
Multis celeritas moriendi sensum abstulit.
Nil Deus fecit facilius quam mori.
Nil homini mors est somnus quàm longissimus.
Nil ipsa mors quam somnus absq; termino.
Nil morte melius à superis homini datur.
Nil morte melius dare homini potest Deus.
Noctu diuq; ad ultimam horam respice.
Non est animo suprema mors sed corpori.
Non est mala mors quam vita præcessit bona.
Non est malum mors, mortis est malum timor.
Non est mori, sed turpiter mori, malum est.
Non interit, virtute quisquis interit.
Non nos relinquunt; antecedunt mortui.
Non omnibus datur mori quando volunt.
Non pœna, sed natura hominis propria est mori.
Non pœna, sed natura finis est, mori.
Non vult mori mortem invocans: vita timet.
Nullum animal absq; mortis editur metu.
Nullo redibis pacto ab imo Tartaro.
O mors doloris portus, & mali quies!
O mors laboris una laxamen gravis!
Omnis mali remedium mors vel unicum est.
Omni carent odio invidiâq; mortui.
Optanda mors est, sine metu mortis mori.
Optare mortem, nec viri, nec fœmina est.
Optare mortem plurimos cogit dolor.
Pejus cruci omni, illudere homini mortuo.
Persæpè causa moriendi est, timidè mori.
Persæpe mortem incurrit, illam qui fugit.
Post fata nemini inferas injuriam.
Post mortem in morte nil est quod metuam mali.
Præstat mori quam turpe quid facere aut pati.
Pro morte aliquando vis calamitatum valet.
Quæ nata sunt, denasci oportet omnia.
Quævis remittit mors mali patientiam.
Quamquam bonus fato interit, non interit.
Quàm, mori nescire, res miserrima est!
Queis dura vita est, esse dura mors nequit.
Queis tædio ipsa vita, mors est quæstui.
Qui luxuriatur an non vivens mortuus est?
Qui non mori cupiscit, contempsit mori.
Qui non timent mortem omen ij mortis timent.
Quibus gravis vita ipsa, mors est quæstui.
Quid mirum iniquè si quis noluerit mori?
Quis quæso se quotidie intelligit mori?
Quisquis libenter moritur, & moritur bene.
Quo natus es modo, illo item dissolveris.
Quodcunque natum est hoc etiam poterit mori.
Res magna non est vivere, magna res mori est.
Regina eadem mors quæ eius ancillæ imminet.
Saltem mori liceat si vivere haud licet.
Sapientis animus in mortem omnis prominet.
Semper pijs contingit finis dulcior.
Sensu perempto num pote esse quis miser?
Sero perit, salvum esse quem nolunt sui.
Si displicebit vita tunc morte utitor.
Simulata mors, quandoq; à morte liberat.
Simulatione mortis, mors evaditur.
Stultè timet mortem, qui vitam negligit.
Stultum est properare ad mortem vitæ tædio.
Stultum precari mortem, mortis ob metum.
Stulti est fugare mortis morte ipsâ metum.
Summum diem felix nec optat, nec timet.
Tam pessimis communis est mors quàm optimis.
Tam proxima est morti juventa quàm senex.
Telum est abunde, quidquid in mortem trahit.
Terribilis haud mors, mortis terribilis timor.
Timore mortis summa stultitia est mori.
Turpis fuga mortis, omni morte turpior.
Valde illibenter moritur, haud doctus mori.
Vbique mors est, ergo ubique & hanc mane.
Vbique mors est: mille ad hanc aditus patent.
Vbique præsto est mors; occurrit undique.
Vilissima est mors duriter viventibus.
Vita debemus multa homines; morti nihil.
Vitæ ferè mors ipsa consentanea est.
Vitam immerenti nemini eripit Deus.
Vitare mortem nemini hactenus datum est.
Vix est bene ut moriatur, qui vixit male.
Vmbram increpare mortui vanissimum.
Vita undecunque eademque ad inferos via est.
Vt supplicium non sit nasci, mors efficit.

Mortis piæ qualis.

Martyrum & Confessorum piè in Domino morientium.

§ Apophthegm. Sacro.

QVum multa occurrant in historiis Ecclesiæ Martyrum & Confessorum in Domino morientium eximiè dicta, quæ singularem spiritus

ſpiritus ſancti in Chriſti membris præſentiam teſtantur, paulò prolixiores in his deſcribendis fortaſſe videbimur: at non pijs lectoribus, qui tam egregiis exemplis & dictis confirmati, dicent ex animo, Anima noſtra juſtorum morte moriatur. Quum verò Ieſus Chriſtus Dominus noſter & Apoſtolus noſtræ confeſſionis, ſit omnium Martyrum & Confeſſorum caput, meritò ab eodem hic initium facimus. Cui poſtea Martyres, deinde Confeſſores ſubjungemus.

Dominus & redemptor noſter Ieſus Chriſtus Deus-Homo. Summus Pontifex noſter Ieſus Chriſtus, moriens in crucis ara, has voces protulit:

1. *Pater remitte eis, neſciunt enim quid faciunt.* Luc.23.24.
2. Latroni converſo, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc.23 43.
3. Matri, *Mulier* (ait) *ecce filius tuus.* Ioanni autem, *Ecce mater tua.* Ioann.19.26.27.
4. Luctans cum tentatione de deſertione: *Deus*, ait, *Deus meus, cur deſeruiſti me?* Matth.27. 46.
5. Salutem noſtram ſummè deſiderans: *Sitio*, inquit. Ioann. 19.28.
6. Nihil à ſe quod ad nos ſervandos faceret prætermiſſum innuens, dixit, *Conſummatum eſt*: Ioan.19. 30.
7. Ad Patrem tota mente converſus, *Pater* (ait) *in manus tuas depono ſpiritum meum.* Luc.23.46.

Zacharias Sacerdos. Zacharias filius Iojadæ, quum lapidaretur permiſſu ingrati Ioæ regis Iudæ, in agone exclamavit, *Videat Iehova, & requirat.* 2. Chron. 24.22.

Stephanus Protomartyr: In agone ſuo dixit, 1. *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis adſtantem ad dexteram Dei.* 2. *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum.* 3. *Domine, ne ſtatuas eis hoc peccatum.* Act.7.verſ.56 59.60.

D. Paulus Apoſtolus. Quum eſſet in vinculis & morti proximus, ſecundam contexuit ad Timotheum epiſtolam, in qua tum prioris cauſæ ſuæ defenſionis, tum migrationis ex hac vita, quæ è veſtigio inſequuta eſt, mentionem facit. Inter cætera autem, liberatus ſum, inquit, ex ore leonis. *& illud*, Liberabit me Dominus ab omni opere malo, ſervabitque in regnum ſuum cæleſte. In quo quidem ſuum mox futurum declaravit martyrium. Quod etiam pleniùs in eadem epiſtola paulò antè prædixerat: Ego enim iam delibor, inquit, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Certamen illud præclarum decertavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, juſtus ille judex: non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui expetiverint illuſtrem ipſius adventum. *2. Timoth. 4. Euſebius lib. 2. hiſt. eccleſ. cap. 21.* Sub Nerone Paulum capitis ſupplicio affectum fuiſſe tradunt unanimiter Scriptores Eccleſiaſtici.

Iacobus cognomine Iuſtus. Tradunt hunc fuiſſe primum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ antiſtitem conſtitutum ab Apoſtolis, & quòd ſinceram de Chriſto doctrinam palàm prædicaſſet à Iudæis tumultuantibus trucidatum. Ex ſublimi loco enim eum præcipitem dederunt, & quoniam ita dejectus non ſtatim mortem obiit, ſed vultu ſurſum ſublato, genibusque flexis dixit, *Obſecro Domine Deus Pater, da illis veniam: neſciunt enim quid faciunt*, cœperunt ſaxa in eum coniicere: & tandem vecte, quo panni à fullonibus premuntur, mactatus eſt. *Euſeb. ex Egeſippo, hiſt. eccl. lib. 2. cap. 22.*

D. Petrus Apoſtolus. Ajunt, beatum Petrum, cùm uxorem ſuam ad necem abductam conſpiceret, magna geſtiſſe lætitia, tum quòd vocaretur à Deo, tum quòd in proprium domicilium reverteretur. Eam verò admodum & hortatus & conſolatus, ſic nomine compellavit: Heus, tu, memor eſto Domini. Tales ſunt beatorum nuptiæ, & tàm perfectus amor inter amiciſſimos intercedit. *Euſebius ex Clemente, eccl. hiſt. lib. 2. cap. 24.*

Idem. Cruci, propter Evangelij profeſſionem affixus, paulò antequam ſpiritum emitteret, Gratias, inquit, tibi Domine Ieſu, Fili Dei vivi, non ſolùm voce & corde ago, ſed etiam ſpiritu, quo te diligo, quo te alloquor, quo te interpello, quo te teneo, quo te intelligo, quo te video. Tu mihi omnia, & in omnibus, tu mihi totum, & nihil mihi aliud præter te ſolum, qui es verus Dei Filius, & verus Deus: cui cum æterno Patre & Spiritu ſancto honor & gloria in cuncta ſemper ſeculorum ſecula. *Hiſtoria Chriſtiana veterum Patrum.*

D. Andreas Apoſtolus. Propter nomen Chriſti in cruce ſuſpenſus, ubi per multas horas vixit, inter multa, Ego quidem, inquit gratias habeo Domino meo Ieſu Chriſto, qui me tandem legatione ſua functum, migrare corpore vult, ut per bonam confeſſionem perpetuam conſequar miſericordiam, dilectusque & notus eius efficiar, qui me miſit ad vos. Manete autem in verbo vobis tradito, docentes alij alios, ut & ipſi cum Deo in perpetuùm habitetis, promiſſionumque eiuſdem fructum recipiatis. Porrò quum Chriſtiani precibus præfectum emollirent pro Dei ſervo, ille agens animã exclamavit, Ne permittas famulum tuum, Domine Ieſu Chriſte, qui propter te pendet in ligno, ſolvi, & humanis converſationibus iterum tradi: ſed ſuſcipe me tu quem cognovi, quem dilexi, quem retineo, quem videre deſidero, in quo ſum quod ſum. Hæc dicens migravit ad Dominum. *Eadem hiſtoria.*

Ignatius Epiſcopus Antiochenus. Quum propter teſtimonium quod Deo perhibuerat eſſet ad beſtias condemnatus, ſic loquutus eſt, Dei frumentum ſum, & beſtiarum dentibus molor, ut purus & ſincerus panis reperiar. *Euſeb. ex Irenæo, eccl. hiſt. lib. 3. cap 30.*

Germanicus. Temporibus Polycarpi Apoſtolorum diſcipuli, Germanicus, divina gratia roboratus, imbecillitatem animi naturaliter inſitam virtute S. ſancti erexit, ita ut primus inter Chriſti martyres palmam tuliſſe memoretur. Nam cùm proconſul illi perſuadere conaretur, rationem ætatis haberet, & cùm eſſet in ipſo adoleſcentiæ flore conſtitutus ſuiipſius miſericordiam caperet, illud conſilium minimè curavit, imò ſine cunctatione feram parato animo ad ſe attraxit; quo celeriùs ab hac injuſta & impia vita liberaretur. *Euſeb. eccl. hiſt. lib. 4. cap. 14.*

Polycarpus. Quum judices eum à Chriſti fide vellent abducere, & dicerent, Quid mali eſt, iſtud dicere (Domine Cæſar) & illic ſacrificare; & ſic tandem ſalvum evadere & incolumem? Polycarpus primò nullum dedit reſponſum, ſed illis magis inſtantibus, ſic tandem locutus eſt: Non facturus ſum aliquando quod mihi conſulitis. Iſti igitur ſpe illius in ſuam ſententiam pertrahendi dejecti, contumelioſa verba in eum faciunt: & tanta cum celeritate de curru præcipitant, ut inde delapſus, tibiam magnopere laceraret, læderetque. At ille de ea re minime laborans, quaſi nihil mali fuiſſet perpeſſus, lubenti animo à ſatellitibus ductatus, ſatis incitato gradu ad ſtadium proficiſcitur.

Polycarpo igitur in ſtadium ingredienti, vox è cœlo demiſſa dixit: Fortis eſto Polycarpe, & excelſo animo rem gere. Eum à quo eſſet vox profecta, vidit nemo: vocem autem multi è noſtris audiverunt: ſed propter multum in ſtadio comitatum, multitudo omnino eam audire non potuit. Illo igitur ad judicem deducto, ſimulatque intellectum erat, Polycarpum fuiſſe comprehenſum, ingens tumultus ciebatur. Ex quo proconſul, ubi acceſſit, ſciſcitatus eſt: Tune es Polycarpus? Polycarpus, ſe eundem eſſe fatebatur. Tum ſuadere proconſul, ut Chriſtum negaret, ſic locutus: Reverere ætatem tuam. & alia his ſimilia, quæ ab ejuſmodi viris dici ſolent. Iura per Cæſaris fortunam: Reſipiſce: dic, Tolle impios.

Polycarpus gravi & conſtanti vultu in univerſam multitudinem, quæ erat in ſtadio, intuens, & manum verſus eos intendens, cum gemitu oculis in cœlum ſublatis, dixit: *Tolle impios.* Præſidi, cùm amplius inſtaret, diceretque: Iurato, conviciis Chriſtum afficito, & te dimittam: reſpondit Polycarpus, *Octoginta ſex annos illi jam inſervivi, & nullo me hactenus affecit incommodo: quomodo igitur regem meum qui me ad hoc usq; tempus ſervavit incolumem, contumelioſis verbis poſſum afficere?*

Proconſule denuò urgente, ac dicente: Iura per Cæſaris fortunam, Polycarpus, *Si*, inquit, *ad inanem oſtentationem requiris, ut per Cæſaris fortunam jurem, (ſic enim vocas) & me qui ſim ignorare præ te fers; ſic; ut liberè & ingenuè loquar, accipito: Chriſtianus ſum. Quod ſi placet Chriſtiani profeſſionem cognoſcere, da mihi diem, & audies.* Tum proconſul. Iſtud, inquit, perſuade populo. *Tibi equidem*, inquit Polycarpus, *rationem & ſententiam meam, (magiſtratibus enim; & poteſtatibus à Deo conſtitutis, eum honorem, qui noſtrorum animorum ſaluti noſtræq; religioni nihil afferat detrimenti, pro dignitate tribuere docemur) impertire non gravabor: ſed illos non ſatis dignos exiſtimo, quibus de fide noſtra per reſponſum ſatisfaciam.*

Et proconſul: Beſtias, inquit, habeo in promptu: iſtis te obiiciam laniandam, niſi te maturè pœnituerit. *Accerſe*, inquit: *nam nobis rata ac decreta ſtat ſententia: & multum ab eo abſumus, ut aliquando animo mutato, nos meliorum pœniteat, quo deteriora ſequamur. A ſævitia & crudelitate, ad æquitatem & modeſtiam traduci, eſt pulchra ſanè mutatio.* Ad quem rurſus proconſul: Te, inquit, ardentibus flammarum incendiis domitum & manſuetum reddam, ſi beſtiarum laniatus contemnas, ni reſipiſcas ocyùs. Tum Polycarpus: *Ignem*, inquit, *mihi minitaris, qui ad tempus exardeſcit ille quidem; ſed paulò poſt penitus extinguitur. Verum ignem illum futuri judicij, ad perpetuum impiorum ſupplicium & cruciatum reſervatum, omnino ignoras. Sed quid cunctaris? Profer beſtias, aut aliud quod lubet.*

Iſta & alia complura locutus, tanto vultus decore & gratia imbutus eſt, tantaque animi fidentia & alacritate expletus, uti his quæ ei eſſent tam minaciter objectata, non modò non conturbatus ſuccumberet; ſed contrà illum ipſum Proconſulem admirabili ſua conſtantia & gravitate prorſus obſtupefaceret.

Ad ignem damnatus tandem, id requirente populo ethnico, qui furenter vociferabatur, cùm illum clavis vellent affigere, dixit, *Sinite me hoc modo: nam qui mihi patientiam ad ignis flammas ſuſtinendas pro ſua clementia largitur, largitur etiam ut ſine commiſſuris clavorum, quibus me affigere ſtatuitis, conſtans absque ulla corporis commotione rogo adhæreſcam.*

Illum igitur non clavis ſed vinculis tantummodo colligarunt. Qui manibus à tergo circumplicatis conſtrictisque, tanquam aries inſignis ex immenſo grege delectus, ut holocauſtum gratum & acceptum fieret Deo omnipotenti, ſic locutus eſt: Pater dilecti & benedicti filij tui Ieſu Chriſti, per quem tui cognitionem accepimus, Deus Angelorum & poteſtatum, Deus totius creaturæ & juſtorum cujusq; generis qui vivunt in conſpectu tuo, *Tibi gratias ago quòd me huius diei hora & celebritate donaſti, in qua cùm in martyrum numero, tum in calice paſſionis Chriſti tui, tormentorum particeps fiam in reſurrectionem vitæ æternæ*, tam animæ quàm corporis, per immortalem Spiritus ſancti virtutem: inter quos, quæſo martyres, hodie in conſpectu tuo pro hoſtia pingui & accepta admittar: ſicut præparaſti, præſignificaſti, & iam tandem complevisti, qui Deus

verus

verus es & omnis mendacij expers. Ac propterea præ cæteris omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per Iesum Christum dilectum tuum filium, pontificem æternum, per quem tibi cum eo in Spiritu sancto gloria nunc & in futura secula seculorum. Amen. Hac oratione finita, carnifices rogum incenderunt: sed cùm ab igne Polycarpum minimè attingi aut lædi viderent, unus illorum Christi martyrem ense confodit. *Euseb. histor. Eccl. lib. 4. cap. 14.*

Iustinus Martyr. Paulò ante mortem dicebat, Equidem expecto ut vel ab aliquo istorum qui nomine tenus sunt philosophi, vitæ meæ parentur insidiæ, & fuste conquassatus obterar: vel à Crescente saltem non philosopho, sed philocompo, id est, avido inanis gloriæ. Non enim philosophus dici meretur, qui Christianos velut impios insimulat, &c. *Euseb. hist. Eccl. lib. 4. cap. 15.*

Lucius. Quum Vrbicium præfectum, invicta quadam animi generositate increpasset, quod Ptolemæum Christianæ fidei assertorem iniquè afflixisset & damnasset, ab eodem Vrbicio morti adjudicatus, gratias egit dicens, A malis se dominis liberari, & ad Deũ patrem & regem optimum transire. *Nicephor. eccl. hist. lib 3. cap. 3. Euseb. lib. 4. cap 16.*

Blandina tormentis omnibus excruciata, perdurabat: laxamentumque ei, & (ut ita dicam) indolẽtia plagarum & cruciatuum erat, quod subinde Christianam se proclamabat.

Sanctus verò & ipse tanta animi præsentia, & tam fortiter se carnificibus opposuit, plurimamque eorum sævitiam & pœnis incutiendis felicitatem adeo superavit, ut ab illis interrogatus, non gentem suam, non patriam, non nomen, non aliud quicquam, sed unicum hoc in omni certamine & lucta tormentorum, Christianum se esse, diceret. Vstulatus ita ut nidor & aruina proflueret, constans & immotus permanebat, apertum omnibus exhibens exemplum, nihil ibi esse terribile, & metuendum, ubi adsit Dei patris dilectio, nihil ærumnosum atque dolendum, ubi Christi gloria.

Bibliadem produxerunt deinde, eam flagris crudelem in modum conscindentes, eique persuadere conabantur, ut Christianorum sacra piaculum esse diceret. Illa autem veluti è somno excitata, longè aliud diversumq; magis quàm ipsi expectantes volebant, professa est, illud insuper adiiciens, Quomodo verò Christiani infantes vorẽnt, qui etiam ab animantium ratione carentium sanguine abstineant? De ea Christianorum veterum abstinentia ab animalium sanguine, vide Apostolorum decretum, Act. 15. quod fuit temperarium, tantisper dum Ethnici plenius edocti ad Christi notitiam pertraherentur. Porrò quum Biblias talia pateretur, & diceret generoso admodum animo, ordini martyrum est allecta.

Pothinus, ecclesiæ Lugdunensis Episcopus, quum pulchram professus esset professionem, à tribuno quisnam esset Christianorum Deus interrogatus, Quum Christianus (inquit) fueris, scies. Quapropter violentiùs statim acceptus, crudeles plagas tulit, & in carcerem demissus biduo post spiritum Deo decedens commendavit.

Attalus quum iam in ferreo sedili ureretur, nidorque ab eo prodiret, illud tantùm Romana lingua effatus est, En hoc ipsum est humana vesci carne, quod vos facitis: nos verò neque homines voramus, neque præterea mali quidquam facimus. Interrogatus etiam, quod esset Dei nomen? respondit, Deus nomen non habet, ut homo. *Nicephor. eccl. hist. lib. 4. cap. 17.*

Apollonius. Is senator Romanus, imperante Commodo, cùm judex obnixè ab illo petiisset, flagitassetque ut fidei suæ rationem coram Senatu redderet, simulatque orationem apologeticam pro fidei quam profitebatur defensione coram omnibus recitasset, sententia Senatus securi percussus, decessit è vita. Huius coram judice verba, & responsa quæ palam ad Perennij rogata dabat, & orationem apologeticam apud Senatum habitam, descripserat Eusebius libro de veteribus martyribus, qui temporum iniuria excidit. *Euseb. eccl. hist. lib. 5. cap. 20.*

Babylas, Antiochenus episcopus, post fidei confessionem in vinculis vitam deseruit. Ferunt eum jussisse discipulis ut cathenas suas pugnæ & victoriæ per Christum reportatæ testes cum eo sepelirent. Alius Babylas martyr, quum cervicem feriendam præberet: Revertere, dixit, anima mea ad requiem tuam: quia Iehova benefecit tibi: eripuit animam meam à morte, oculum meum à lachrymis, pedem meum à lapsu. Ambulabo coram Iehova in terra viventium. *Ecclesi. hist. scriptores. D. Io. Iacobus Grynæus in apopht. morientium*

Martyres Alexandrini. Sub Decij imperio Ethnici in Alexandria senem quendam Metram nomine, arreptum, impia verba contra Deum loqui mandant: cuius corpus, propterea quod eorum voluntati repugnabat, fustibus cædunt, vultum oculosque præacutis arundinibus pungunt, ipsumque adeo ad suburbia abductum lapidibus obruunt.

Deinde fidelem mulierem, quæ vocabatur Quinta, ad idolorum delubrum ducere, & ad falsos deos venerandos impellere cœperunt, eamque cùm se averteret, & talem cultum detestaretur, pedibus constrictis, per universæ urbis plateas asperis saxis constratas raptare, & simulac corpus eius ad saxa molaria allisissent, & flagris pariter lacerassent, ad suburbia trahere, ibiq; crebro saxorum conjectu obterere.

Piorum ædibus direptis Apolloniam virginem id temporis cùm primis admirandam, & admodum provectam ætate, comprehendunt, & maxillis eius crudeliter diverberatis, omnes dentes illi excutiunt: atque rogo in suburbiis extructo minantur, nisi verba blasphemiæ unà cum ipsis palam eloqueretur, se eam vivam crematuros. Illa paululum temporis ad respondendum precata, & dimissa ex eorum manibus, sine mora insilit in rogum, sicque flammarum incendio absumpta est.

Serapionem proprio lare abstractum diris concîdunt tormentis, & omnibus membrorum articulis confractis, ex loco edito præcipitem deiiciunt.

Aliorum martyrum, nempe Iuliani, Cronij, Besæ militis, Macaris, Epimachi Alexandri, quatuor mulierum, Heronis, Atteris, Isidori, Dioscori pueri 15. annorum, Nemesis, Ammonis, Zenonis, Ptolemæi, Ingenis, Theophili, Ischyrionis, invictam constantiam & crudeles cruciatus pro Christi nomine fortiter perpessos describit. *Euseb. lib. 6. cap. 34. hist. eccl.*

D. Cyprianus. Morti adjudicatus propter Christianæ religionis constantem professionem dixit, Gratias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis hujus corporis absoluere dignatur. *Pontius diaconus in actis passio. D. Cypr.*

Martyres Cæsarienses. Priscus, Malchus, Alexander, Cæsareæ Palestinæ bestiarum rictibus velut præda objectati, divino & cœlesti martyrio non sine maxima commendatione decorati fuerunt. Fertur verò, istos ruri degentes, primùm seipsos tanquam inertes & desides probris affecisse, quod cùm temporis opportunitas præmium vitæ æternæ his qui cœlesti eius desiderio flagrabant dispertire videretur, ipsi, præ negligentia quadam & segnitie, martyrij coronam non præripuissent. Deinde, cùm inter se ita deliberassent, absque mora Cæsaream versus ire pergunt, ibiq; extemplo adeunt judicem, & fœlicem vitæ exitum assequuntur: edita nempe Christianæ fidei professione. *Euseb. eccl. hist. lib. 7. cap. 11.*

Marinus. Marinum Romanum militem ad Centurionatus honorem elatum sub Galieno, alius, pro tribunali comparens, in crimen vocat, tum quòd esset Christianus, tum quòd imperatoribus non immolasset: ac propterea, inquit, ex veterum legum institutis, illi non licet eum dignitatis gradum apud Romanos adipisci, sed illud quicquid est muneris mihi jure impertiri debet. Vnde judex commotus, primò sciscitatus est cujusnam sententiæ & religionis esset Marinus. Quem ut animadvertit, constanter se Christianum esse confitentem: trium horarum spatium ei ad deliberandum dat. Hunc è judicio egressum Theotecnus qui illic erat Episcopus, ad se colloquendi causa invitat: & prehensa manu recta deducit in templum. Quem cum interius ad ipsum Sanctuarium collocavisset, læva paululum in alteram partem dimota, gladium quo cingebatur ostendit, simulque divinorum Evangeliorum librum adferens ex adverso proponit: præcipitque, ut ex illis duobus, quod magis esset ex animi sententia, deligeret. Vbi verò absque cunctatione porrecta manu dextera Marinus sacrum librum accepit, Theotecnus sic illum affatur: Tene, & adhæresce Deo. Sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, pro certò assequere. Abi in pace. Illum statim inde redeuntem preco pro tribunali advocat. jam enim tempus illi præstitutum ad deliberandum erat completum. Sistit se pro tribunali, ubi cùm majorem iam, quàm antea, fidei ardorem ac studium declarasset, acturum inde, ut erat, ad mortem recta abductus, martyrio è vita excessit. *Euseb. eod. lib. cap. 14.*

Martyres Thebaidis. Sub Diocletiano, & Maximiliano Imperatoribus innumerus ferè apparet martyrum numerus per varias Imperij Romani provincias. Inter eos autem qui fortiter pro Christo occubuerunt, prætereundi minimè videntur Thebaidis martyres. Simulatque enim contra quosdam sententia mortis pronuntiata esset, alij aliunde ad judicis tribunal prosiliebant, se Christianos confitentes, acerbitates & multiplicium tormentorum modos pro nihilo putantes, absque metu & terrore liberè pro Religione & cultu Dei loquentes, cum gaudio denique, risu & lætitia, postremam mortis sententiam excipientes, sic ut psalmos & gratiarum actiones in Deum totius mundi conditorem, quoad extremum spiritum edidissent, lætis animis decantarent. *Euseb. lib. 8. cap. 9.*

Philoromus & Philæas. Philoromus procurator Imperatoris in Ægypto, & Philæas Thmuitensis Ecclesiæ episcopus, in carcerem conjecti sunt propter Christi nomen. Cùm autem permulti & cognati, & alij amici eos obsecrassent, viri primarij orassent, ipse judex denique hortatus esset, ut sui ipsorum caperent misericordiam, liberorumque & uxorum curam ducerent: nequaquam eiusmodi virorum precibus adduci potuerunt, ut vitæ cupiditate aliqua ex parte delectarentur, & divinas leges de confessione, & negatione Servatoris nostri penitus contemnerent: sed virili animo, & mente digna philosophis, imò verò pia & digna Deo, contra omnes judicis minas, contra contumelias fortiter se opponentes, ambo capitibus abscissis abierunt è vita. *Euseb. eod. lib. cap. 10.*

Procopius. Ex Palæstinæ martyribus primus fuit Procopius, qui antequam carceris satis magnum fecisset periculum, statim à primo ingressu cùm in judicio coràm præsidibus sisteretur, & ei imperatum esset, ut diis eorum immolaret, unum solum Deum se scire dixit: cui, sicut ab ipso præceptum est, soli esset sacrificandum. Postquam verò quatuor Imperatoribus hostias etiam offerre illi mandatum esset, sententiam quandam, illis parum gratam elocutus, hoc scilicet Homeri carmen,

Non bona res multi domini, Rex unicus esto:

extemplò securi percutitur. *Euseb. eod. lib. cap. 12.*

Alphæus & Zachæus. Post Procopium Alphæus & Zachæus, cùm

post

post verbera & novaculas, post vincula aspera gravesque in eisdem dolores, post alias diversas in tormentis quæstiones, post pedes dies noctesque compedibus ligneis quatuor foraminum intervallo interposito distentos distractosque decimo septimo die mensis, qui vocatur Dius, hoc est, apud Romanos ad decimum quintum Calend. Decembris, unum solum Deum, & solum Iesum Christum regem liberè essent confessi, velut aliquid locuti blasphemiæ, pari ratione cum martyre superiore, capitibus abscissis ex hac luce decedunt. *Euseb. ibid.*

Romanus. Iste Palæstinus genere, ecclesiæ Cæsariensis diaconus, & exorcista, cùm pariter Antiochiæ in ecclesiarum vastatione fortè versaretur, complures viros simul cum uxoribus & liberis acervatim ad idolorum delubra properantes, & iisdem hostias immolantes intuitus, spectaculum neutiquam tolerandum arbitratus est, & propterea singulari pietatis studio incensus, accedit propiùs, & magna voce exclamans, eos graviter redarguit. Qui propter hoc tam audax facinus prehensus, generosissimus (si quisquam alius) testis declaratur veritatis. Nam cùm Iudex mortem illi ignis incendio infligendam pronunciasset, ille vultu hilari, & animo maximè læto, sententiam lubens amplexatus, ad supplicij locum adducitur. Deinde ubi alligatur ad palum, & dum ligna illi circumcirca coacervabantur, & hi, qui incenderent rogum Imperatoris iam præsentis sententiam expectabant, clamavit, Vbi mihi ignis quæso? Hæc locutus, accersitur ad Imperatorem, quò novum, & inusitatum genus supplicij sustineret, ut lingua nimirum illi amputaretur: quod fortissimè perpessus, aliis omnibus declaravit, divinam vim illis, qui aliquid pro pietate subeant acerbitatis, opem semper apportare solere, cùm labores & ærumnas allevando, tum animi alacritatem firmè corroborando. Iste enim, simulatque novum illum supplicij modum intellexit, præ generosa animi alacritate neutiquam obstupefactus, lubens extendit linguam, & paratissimo animo eam lictoribus, quasi instructam præbet. Post quod supplicium in vincula coniectus, longinquo temporis spatio ibi afflictatus, tandem cùm vigesimus annus regni Imperatoris adventaret (quo ex decreto concessum erat, ut libertas omnibus, qui vinculis ubiq; constricti tenebantur, palàm prædicaretur) solus iste in compedibus jacens, utroque pede ad quintum foramen distracto, laqueo collo circumjecto strangulatus, martyrio demum, sicut ei erat in optatis, decoratur *Euseb. lib. 8. cap. 12.*

Octo Martyres Cæsareæ. Dum Gentiles publica festa inter se celebrabant, & consueta agebant spectacula, inter alia quæ magnoperè ipsis in optatis erant ad contemplandum, crebro hominum sermone ferebatur: Christianos qui dudum erant ad bestias damnati, certamen confecturos. Cùm verò hujus rei fama latiùs manaret, & apud omnes passim vagaretur: adolescentes numero sex, quorum unus genere Ponticus, nomine Timolaus: alter ex Tripoli, urbe Phœniciæ, qui Dionysius nuncupatus fuit: tertius ecclesiæ Diospolis subdiaconus, qui Romulus dictus est: quartus Pausis, & quintus Alexander, uterque Ægyptius: sextus hujus gentilis Alexander, ex urbe Gaza: proprias manus, quo ardentem martyrij cupiditatem significaret, antè colligantes, ad Vrbanum, qui jam bestias ad Christianos dilaniandos emissurus esset, curriculo currunt, seque Christianos liberè confitentur: atque ipsa sua propensione tanquam ad aciem instructa, & ad quodque discrimen admodum parata, liquidò declarârunt, eos qui in vero Dei omnium rerum fabricatoris cultu gloriantur, violentas immanium ferarum incursiones nequaquam formidaturos. Vnde profectò tum præsidem, tum illos qui cum eo erant, in repentinam admirationem traducentes, extemplò in carcerem contruduntur. Non multis diebus pòst alij duo fuère in eorum numerum ascripti: unus, qui acerba & varia tormenta propter fidei suæ confessionem variis temporibus ostentatam, antea exhausisset, Agapius nomine: alter, qui res ad corporis usum necessarias illis martyribus subministrasset, Dionysius appellatus. Omnes isti, octo numero, uno die, nempe vigesimo quarto mensis Dystri, hoc est ad nonum Calend. Aprilis, in ipsa Cæsarea securi percussi obeunt.

Apphianus. Cùm tertio anno persecutionis Christianæ, regnante Maximino, secundus in Christianos cieretur tumultus, & tyranni literæ, tum primum ad Vrbanum perlatæ essent, ut omnes cuiusq; generis & ætatis (magistratibus in quaque civitate omni cura ac studio in eam rem incumbentibus) diis eorum immolarent, & præcones per totam urbem Cæsaream viros cum uxoribus & liberis ad idolorum delubra ex edicto præsidis convocarent, & tribuni item quemque ex scripto nominatim appellarent (unde omnia loca inexplicabilibus miseriarum fluctibus redundabant) Apphianus (nemine quid esset facturus, ei conscio) clam universa præsidis cohorte, fidenti animo ad Vrbanum jam sacrificantem accedit: atque audacter & absque formidine eius dextram prehendens, extemplò ab immolando coercui, prudenterque admodum & graviter cum divina quadam animi confessione & alacritate ab errore desistere hortatus est. nam parum rectum esse, ut uno & solo vero Deo relicto, idolis & dæmonibus hostias offerret.

Istud planè, ut videtur, adolescentulus aggressus est, divina vi & potentia ipsum ad hanc rem impellente, & per facinus ab illo admissum penè in aures omnium inclamante: tantum abesse ut Christiani, qui hoc nomen verè usurpant, à pietate in Deum omnium authorem, qua semel sunt imbuti, abducantur, ut non modò minas, terrores, & omnia suppliciorum genera, quæ eosdem sequi solent, strenuè superent: sed deinceps etiam magis fidenter loqui, & lingua ingenua, ac neutiquam metu hæsitante, fidem liberè confiteri, & si fieri posset, etiam persecutores ipsos & carnifices ab ignorationis cæcitate avocare, & ad unum solum Deum agnoscendum impellere audeant.

Hac igitur de causa, iste de quo instituitur oratio, confestim (quod verisimile erat homini in tali facinore deprehenso eventurum) à præfecti stipatoribus, tanquam agrestibus belluis in eum furentibus, dilaniatus, & infinitis plagis, toto corpore, quas fortissimè sustinebat, excruciatus, ad tempus in carcerem concluditur. In quo unum diem noctemque utroque pede compedibus ad cruciatum paratis, longè à se mutuò distento divexatus, postridie ad judicem educitur. Ac simulatque compellebatur ad sacrificandum, restitit, & summam animi tolerantiam ad ærumnas horrendosque dolores ferendos monstravit: adeò ut carnifices latera eius non semel atque iterum, sed sæpius ad ossa usque & intima viscera dilacerare, plagas & verbera in os & cervicem infligere pergerent, uti vultus eius verberum vibicibus intumescens, ab iis qui illum probè & accuratè antè de facie novissent, ne agnosci quidem amplius posset.

Verùm cùm ne huic quidem dolorum cumulo ulla ex parte succumberet, tortores ex mandato præsidis, pedes lino tincto oleo, eoque incenso obvoluentes, afflictârunt, unde quantos & quàm graves dolores beatus ille exhauserit, mihi videtur non posse dicendo exprimi. Pervasit enim per carnes illius, easque absumpsit, & in ossium penetravit medullas, usque adeò ut totius corporis humor instar ceræ tabefactus liquesceret, distillaretque. Cæterùm ne in his quidem cruciatibus demisit animum, sic ut iam adversarij & carnifices incredibili eius tolerantia, quæ communem hominis naturam longè superavit, ferè defessi essent: unde rursus in vincula compingitur. Triduò post ad judicem denuò productus, & eandem pietatis confessionem liberè exprimens, licet jam deinceps propè mortuus esset, maris tamen fluctibus submergendus traditur.

Miraculum autem quod statim post est consecutum, si à nobis commemoretur, verisimile est nullam fidem habiturum, apud eos præsertim qui eadem oculis minimè ipsi conspexerunt: at licet homines vix fidem illi adhibituros satis intelligamus, ratio tamen non patitur quin omnino rem ut gesta est, scriptis prodamus: quippe cum omnes (verè dixerim) qui Cæsaream incolunt, eiusdem testes habere videamur. nulla enim ætas Cæsariensium ab isto admirabili spectaculo abfuit. Simulatque igitur sanctissimum illum & beatissimum Christi martyrem medio mari, ut illis videbatur, in profundissimos vortices coniecerant, ex improviso tanta procella, non usitata illa quidem, tanta etiam turbatio, non per mare solum, sed per universam continentem se diffundebat, ut cùm terra, tùm tota civitas, eius impetu & violentia concuteretur, atque una cum isto mirando & repentino terræmotu, ipsum mare martyris cadaver, utpote tam sacrum pondus sustinere non valens ante portas civitatis eijceret. *Ibid.*

Aedesius. Non longo tempore pòst Ædesius non solùm Apphiani secundum Deum, sed etiam secundum sanguinis conjunctionem ex patre germanus frater, germana ferè & similia cum illo tormenta perpessus, post infinitas fidei confessiones, post diuturnas vinculorum afflictationes, post latam à præside sententiam, qua ad metalla in Palæstina erat damnatus, post vitæ rationem, quam pallio vestitus amore philosophi (etenim plus politioris eruditionis, plusque cognitionis in philosophia fuerat, quàm frater adeptus) sanctissimè traduxerat: tandem cum judicem in urbe Alexandria sententiam de Christianis pronunciantem videret, & plus æquo in eos furentem (quippe viros interdum graves & modestos variis ignominiæ notis affecit, interdum & mulieres summe continentiæ, & virgines quæ sua sponte Dei cultui se consecraverant, ad turpem ipsarum contumeliam lenonibus tradidit) idem cum fratre aggressus est. & quoniam illa facinora intoleranda ei videbantur, fidenti & erecta animi magnitudine accedens ad judicem, turpitudinis & ignominiæ, quàm cùm verbis, tum rebus ipsis præstitisset, eum coram coarguit: unde variis tormentorum cruciatibus divexatus (quæ quidem constanter & sedatè admodum pertulit) ad extremum fuit in mare projectus, & eundem cum fratre exitum consecutus *Euseb. lib. 8. cap. 15.*

Agapius. Hic veræ & divinæ pietatis athleta, primùm à tyranno accersitur: deinde inficiationem suæ voluntatis & instituti rogatus est: promittitur ei libertas. At ille magna voce palàm testatur, non turpis & nefarij criminis causa, sed pietatis in Deum, omnium rerum opificem, libenter & voluptate omnia supplicia quæcunque sibi imponerentur, se pacato & tranquillo animo subiturum. Atq; hoc elocutus, dicto citiùs factum exequitur: & urso in illum dimisso, ex adverso veluti curriculo factus obviam, seipsum libentissimè vorandum dat. Post adhuc superstes spiritum ducens, in carcerem mittitur, ubi uno die vita commoratus postridie lapidibus ad pedes eius appensis in medium mare demergitur. *Euseb. lib. 8. cap. 17.*

Mulieres Gazenses. Inter martyres Gazenses, una quædam corpore mulier, animi autem magnitudine planè vir, cùm stupri minas ferre non posset, & tale verbum esset contra Tyrannum locuta, nempe *rectionem Respub. judicibus admodum crudelibus ab eo commissam*: primùm verberibus cæditur: deinde sublimis in ligno erecto suspensa, acerbos laterum cruciatus perfert. Ubi autem, qui ad

cam

eam rem erant designati, ex judicis mandato acria acerbaque cruciamenta illi incusserant, alia mulier quæ multò majorem laudem quàm illi quos Græci *μαχητὰς*, vocant, hoc est, pugiles (qui ob alacrem & erectum in dimicando animum pleno ore prędicantur) promerita est, quęque pari ratione cum illa priore virginitatis scopum sibi proposuerat, corporis forma vt videbatur admodum sordida, vultu quidem abiecta, sed animo revera robusta, & maiorem animi celsitatem quàm corporis species pręse ferebat, in pectore complexa, cùm pati non posset vt tam dirè, crudeliter, & inhumanè cum illa ageretur, è media turba sic in judicem vociferatur: *Quousque tam acerbè sororem meam torques*? Ille iracundia magis exæstuans, statim illum hominem comprehendi iubet: ea deinde rapitur in medium. Quam quidem liberè venerandum Servatoris nomen profitentem, primùm verbis ad immolandum sollicitavit. Verùm vbi resistebat vi ad altare trahitur. Illa tum suæ indoli germana & conventientia obiens, & nihil de priore animi alacritate remittens, pede intrepido & fidenti in aram ruit, in eámque insultat calcibus, & quæ in ea erant, vnà cum lignorum strue penitus euertit. Vnde judex tanquam truculenta bellua, bile & rabie excandescens, primum tot tormenta in eius latera impingi præcepit, quot nemini vnquam antea: & præ furore propemodùm crudis eius carnibus se saturare gestiit. Postea autem quàm eius insania satietatem cœperat, ambas simul iunctas, hanc nempe cum ea quam sororem antè appellaverat, flammarum incendio absumendas addixit. *Euseb. eod. lib. 18. c. 8.*

Paulus martyr. Eodem temporis articulo Paulus cum illis mulieribus una sententia morti adjudicatus, ad extremum à lictore, cùm eius caput esset jamjam amputaturus, paululum temporis sibi concedi postulavit. Quo impetrato, primùm clara & canora voce à Deo exposcit, ut Christiani tribules sui eius gratia reconciliarentur, & ut quàm citissimè illis daretur libertas, supplex obtestatur deinde pro Iudæis, ut ad Deum per Christum se totos transferrent, orat: deinceps paululum in oratione progressus, eadem pro Samaritanis efflagitat: tum ut omnes gentiles qui in errore & cæca Dei ignoratione versabantur, ad Dei cognitionem venirent, & veram pietatem reciperent, deprecatur.

Neque universam multitudinem, quæ undique circumsistebat, omnino tanquam neglectam & precatione sua destitutam reliquit: post quos universos, etiam pro judice qui illum morti addixerat, pro imperatoribus, pro carnifice item, qui mox esset caput eius cervicibus abcissurus, eo ipso (carnificem dico) & omnibus qui aderant audientibus, Dei omnipotentis numen imploravit, ne illis hoc facinus in se admissum peccati loco numeraret.

Hæc & eiusmodi alta voce precatus, tanquam qui immeritò planè neci addictus fuisset, omnes propemodum ad misericordiam & lacrymas attraxit: ipse tamen seipsum ad mortem adornans, & cervicem nudam gladio feriendam libenter submittens, beato martyrio 8. Calend. Augusti, eximiè fuit decoratus. *Eusebius eod. lib. & capite.*

Antonius, Zebinas, Germanus, Aegyptij martyres. Hi tres sub Maximino Imperatore uno animorum consensu contra Firmilianum præfectum immolantem insiliunt, & alta voce tali errore atq; amente desistere hortantur: non alium esse Deum, præter eum, qui omnium rerum effector & architectus est asserunt. Rogati ergo, quinam essent? Christianos se audacter confitentur. Qua de causa præfectus vehementiùs concitatus, absque ullo alio supplicij genere, capite mulctandos tradidit, idibus Novembris. *Euseb. eod. lib. cap. 19.*

Anonymus. Sub eodem præfecto Firmiliano duodecim martyres cum Pamphilo presbytero pro Christi nomine martyrio coronati sunt. Horum unus interrogatus, cuiâs esset, respondit Hierusalem patriam suam esse, eam certè intelligens, de qua apud Paulum dicitur. Quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum. *Item,* Accessistis ad montem Sion, & civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem. is quidem hanc planè intellexit. Sed Firmilianus cogitatione sua humi abjecta, quæ tandem civitas illa esset, & ubi terrarum sita, accuratè & curiosè disquirit, tormentis etiam adhibitis. Martyr affirmat eam piorum solùm patriam esse: neque alios præter hos solos illius fore participes: illamque ad Orientem, ubi Sol primo mane suos radios fundere incipit, positam. Nihil aliud præfectus à Constanti juvene obtinens, securi eum percuti jussit. *Euseb. eod. lib. cap. 21.*

XX. M. Martyres Nicomedienses. Imperante Diocletiano, persecutione variis locis, Nicomediæ præsertim, accensa, quum natalis Christi festus adesset dies, & multitudo ætatis omnis, quæ Christi nomine censetur, in templo natalem eum celebratura convenisset, tyrannus veluti opportunum tempus & lucrosam occasionem nactus, per quam furorem suum adimpleret, misit eò qui templum clauderent, & ignem circumcirca accenderent. Aderat ibi præco, qui voce clariore promulgebat, ut qui vivere vellet, ex templo exiret, & in proxima Iovis ara thura adoleret: alioqui nisi hoc fecisset, unà cum domo ipsa conflagraturus. Tum verò in templo ipso quidam pro multitudine ea omni, cum insigni libertate propalam respondit, & pulcherrimam illam edidit vocem, *Omnes nos Christiani sumus, unum eumq; solum Deum & regem credimus esse Christum: & ipsi, Patriq; ejus, & Spiritui sancto sacrificare, atq; nos omnes una offerre facilè parati sumus.* Vix hæc ille dixerat, & ignis est accensus, qui in temporis veluti momẽto templum omnę complexus, illos omnes viginti millium numerum explentes, in cinerem redegit. *Nicephor. hist. eccl. lib. 7. cap. 6.*

Euphrasia. Nobilis illa puella, quòd idolis sacrificare nollet, ad prostibulum damnata, mirando modo sibi consuluit: quum enim inter eundum Anthimus Ecclesiæ Nicomediensis minister obvius fieret, ab illa interrogatus, quod sibi è duobus illis imminentibus malis magis eligendum videretur? respondens ille, Filia, inquit, Euphrasia, pulcherrimum quidem est castæ virginitatis donum, sed majus præstantiusque fidei præceptum. Quandoquidem enim, si casus aliquis aut necessitas ita ferret, multò magis pallam ipsam præstaret quàm corpus diripientibus dare: in præsentibus quoque malis & tentationibus eodem modo rem dispicere convenit. Et si permissum non est, ut utrumque retineas, ut saltem animam incontaminatam conserves, faciendum tibi esse duco: ut scilicet mente ipsa per fidem confirmata, carnem iniuriis & contumeliis improborum permittas. Consilio viri eius cognito, animo etiamnum in utramque partem fluctuante, tandemque se ut utrumque salvum retineret confirmante, quò abducebatur, sequitur. Atque ubi jam in eodem est conclavi cum improbo juvene clausa, techna quadam illum circumvenit. Veneficam se esse profitetur, mercedemque ingentem conservatæ pudicitiæ pollicetur, quæ eum à morte conservet: pharmacum scilicet, quo ille perunctus, in bellorum certaminibus & præliis nullo prorsus telo aut ferro violari vel confici posset. Quod si de tali remedio, inquit, vis facere periculum, illicò id tibi manifestè exhibebo. Ille id statim parari permittit. Tum illa verè sapiens, ceram oleo liquefactam manibusque subactam collo suo circumcirca inungens illinit: quod ubi perfecit, petere eum jugulum suum ense quibus posset virib. adacto, remedijque eius vim & efficaciam experiri jubet. Ille quàm potuit validissimè ensem in eam demisit, caputque eius uno ictu resecuit. Eo modo Euphrasij corporis & animi florem illibatum conseruans felici strategemate dæmonum & impiorum artibus elusis immortalem coronam obtinuit. *Nicephor. eod. lib. cap. 13.*

Martyres in Persia. Constantino Magno imperante Sapores Persarum rex crudelem adversus Christianos persecutionem excitavit, præfectos illis viros sævos constituens, & tributa gravia imponens, ut scilicet egestate & exactorum crudelitate expugnati religionem repudiarent: id quod ei magnopere studio fuit. Deinde sacerdotes atque episcopos, tanquam eorum præfectos jugulare, ecclesias demoliri, sacra donaria publicare, & Symeonem, Seleuciæ Ctesiphontis primariarum in Perside urbium, episcopum, perinde atque religioni simul & regno Persarum insidiantem corripi jussit.

Magi Persici Iudæis adjuvantibus templa Christianorum statim solo æquant, & Symeones ferreis compedibus vinctus apud regem sistitur: ubi virum se fortem & pium præstitit. Post multa namque verbera introductus, non amplius, ut consueverat, adorare Saporem sustinuit. Quapropter ira percitus tyrannus, quid id tandem esset, quod nunc præter morem faceret, interrogat. Cui ille, Quod nunquam antea, inquit, sicuti nunc, productus sum, vi mihi illata, ut verum Deum prodam. Quãdo nullum inter nos erat dissidium, quæ moris Persici sunt feci: nunc autem nefas id esse duco. De veritate namque & fide nobis est certamen.

Sapores illi, ut Solem adoraret, necessitatem imponit: quod nisi faceret, non ipsum modò, verùm etiam omnem quæ ibi esset Christianorum gentem interituram esse minatur. Sed enim cùm neq; minis illum territans, neque promissis demulctus, quidquam proficeret, ac nulla spes esset reliqua, illum vel sacra sua proditurum, vel Solem adoraturum, vinctum remittit in custodiam.

Quem, dum abducitur, Vsthazanes vetulus eunuchus, Saporis olim pædagogus, primam in aula regia obtinens dignitatem, assurgens, ut martyrem adoret: (tum enim fortè pro aulæ palatio considebat.) Symeones verò ne verbo quidem eum dignatus, quasi injuria affectus præteriit: illud in eo detestans, quod non ita pridem coactus Solem adorandum duxerit.

Tum eunuchus ille lachrymis obortis ingemiscit, vestem splendidam ponit, pallam sumit, atque pro ædibus considens luctum gemitu & lachrymis mistum continuat, talia subinde verba referens: O me miserum, qualem erga me futurum sperem, qui à me nulla adhibita vi pernegatus est Christum? quando Symeones iste veteri consuetudine mihi conjunctus, ea de causa, ne aspectu quidem me dignatus, præteriit? Hæc Saporem latêre non potuerunt. Itaq; accito eunucho, num quid domi suæ ei diversi acciderit, rogat. Ille, nihil infortunij domi esse dicit: felicitatis quippe id esset, si quid domi esset mali. Facilius namque id futurum fuerat, quàm tanta opprimi calamitate. Lugeo autem, inquit, quòd & vivo, & Solem aspicio, jamdudum qui morerer meritus: propterea quòd non ex animi sententia, tua gratia, divinum Soli exhibui honorem. Itaque utroque nomine me mori debere judico, tum quod tantopere desideratum, rerum longè pulcherrimarum proditor factus, negaverim Christum: tum quòd te quoque ipsum decepi. Atque his dictis, adjurat, haudquaquam se posthac mutaturum sententiam.

Sapores ad tantam eunuchi mutationem consternatus, Christianis quàm maximè succenset, imposturis atque incantationibus talia ab eis agi existimans. Et propter familiarem consuetudinem gratiamque qua nutritium suum prosequebatur, modis omnibus à proposito illum deducere tentat, crudelitatem mansuetudine temperans. Ut autem perficere, quod voluit, non potuit, Vsthazane non

tam se esse simplicem aut stupidum dicente, ut pro factore, & creatore, creaturam colendam esse statuat: ira victus Sapores caput ei amputari jubet.

Enimuerò cùm jam ille abduceretur, fidelissimum quendam ex eunuchis ad regem mittens, hæc renuntiari ei jubet. Qua ab ineūte ætate, ô rex, benevolentia in te, patrem tuum, & familiam omnem fuerim, alacriter vobis inserviens, nihil mihi testibus opus esse credo: scire enim te omnia novi. Sed enim pro eo quod semper gratificari vobis studui, unam hanc peto gratiam: quam te quidem, qui multas acceperis, reddere est æquum. Graviter enim moriturus fero, quod perinde atque infidus, maléque de familia vestra meritus, pœnas pendam. Quapropter præconem publicè omnibus promulgare jubeto, Vsthazanem morte mulctari, non qui in regiam, aut regnum quidquam admiserit, sed qui sacra Christianorum professus, minimè regi parere voluerit, vt quem ardenter coluerit Deo negato, pro illo Soli divinum ferret honorem, propterea supplicium sustinere. Atque internuncius hæc ita significat.

Sapores autem petitionem implet. Rectè namque promulgationem ejuscemodi casuram putabat. Etenim si Christiani cum animis suis reputarent, nulli de cætero parsum iri, quando nutricius & tam charus regi vir necaretur, celerrimè eos Christum colere desituros. Præterea verò factum id Vsthazani quoque commodum accidit. Quemadmodum enim, cùm timore adductus Solem adoravit, multos ex Christianis transversos egit: ita imitatores ejus rursum futuri fuerant illi, quum pro veritate religionis cæsum esse cognoscerent. Atque Vsthazanes quidem ita præclarè vitam suam finijt.

Symeones de Vsthazanis morte certior factus in carcere, Deo gratias egit. Postridie ejus diei, qui erat sextus hebdomadæ, in quo ante celebrem diem festum resurrectionis memoria salutaris Christi passionis quotannis recoli solet, decernit rex, vt Symeones gladio feriatur. Nam ante denuò è carcere adductus ad Saporem forti & magno animo de fide Christiana cum eo disseruit: & neque illum neque Solem adorare voluit.

Eodem die centum alios quoque, qui erant in carcere, rex idem obtruncari jubet. Ad extremum Symeonem, cum cæterorum omnium mortem oculis aspexisset, trucidari. Horum pars Episcopi, pars presbyteri, pars ex alio clericorum ordine fuerunt. Cùm omnes ad locum, in quo erant necis supplicium subituri, deducerentur, princeps Magorum percunctatur ab illis, an velint viuere, & eandem cum rege religionem colere, Solémque venerari? At vbi nemo eorum his conditionibus vellet in vita manere, rectà ad locum, in quo erant securi feriendi, deducuntur.

Dum lictores in opus incumbunt, & in cæde martyrum occupantur, Symeones astans illis, dum interficiuntur, jubet bono animo esse, verbáque facit de morte, de resurrectione, de pietate: & testimonijs ex sacris literis depromptis, confirmat ita mori esse verè viuere: atque præ ignauia Deum prodere, esse verè mori. Eos enim, etiamsi nemo ipsis necem afferret, brevi morituros: quandoquidem à nemine in lucem hanc edito hic finis vitari potest. Post mortem verò ea quæ sunt æterna, non eodem modo omnibus eventura: sed singulos velut trutina quadam examinatos, accuratam anteactæ vitæ rationem reddituros: & hos pro rectè factis præmia percepturos immortalia, illos pro maleficijs pœnas sempiternas luituros: denique, pro Deo velle mori, esse in bonis summum, & rem multò beatissimam.

Dum ista Symeones dicendo percurreret, & tanquam magister gymnasij præciperet, quomodo in certaminibus se gererent, singuli aures attentas ei præbentes ad necem cupidè gradiebantur. Lictor autem postquam centum illos interemit postremo in loco Symeonem obtruncavit: atque Abedechalaam & Ananiam unà, ambos senes, presbyteros Ecclesiæ, cujus Symeones erat Episcopus, pariter cum illo & comprehensos, & in vincula conjectos.

Eodem temporis momento. Pusices, præfectus omnium regis artificum, ibi fortè stans, cùm videret Ananiam, cui jam cædes parabatur, contremiscentem, Paulisper (inquit) ô senex oculos occludito, & bono animo esto: nam statim lumen Dei videbis. Vix est hæc locutus, cùm comprehensus & ad regem deductus est. Atque cùm se Christianum esset confessus, quoniam libero ore apud regem pro religione Christiana, & pro martyribus, verba fecerat: idcirco, quasi aliquod nefas dixisset, dabatur lictoribus mandatum, ut admodum peregrino & crudeli inprimis mortis genere afficeretur. Lictores igitur, collo eius circa tendinem perforato, illac linguam extrahunt. Porrò autem eius filia virgo, falsò à quibusdam in crimen vocata, comprehenditur, eodemque temporis articulo occiditur. *Sozomen. histor. eccles. lib. 2. cap. 8. 9. 10. & Niceph. eccl. histor. lib. cap. 36.*

Macedonius, Theodulus, Tatianus. Temporibus Iuliani Cæsaris, cognomento Apostatæ, erat quidam Meri urbis Phrygiæ provinciæ præfectus, nomine Amachius, qui delubrum in ea civitate extructum aperire, sordes jam longo tempore in eo coacervatas expurgari mandavit, simulacraque in eo cultu & observantia prosecutus est. Quod illius factum Christianorum animis acerbum incussit dolorem. Idcirco Macedonius, Theodulus, Tatianus, zelo pietatis Christianæ inflammati, istam ægritudinem ferre non poterant: sed flagranti erga virtutem studio præditi, noctu in delubrum irruunt, simulachra confringunt. Quo quidem facinore cùm præses graviter animo esset commotus, & propterea complures in civitate, qui criminis omnino erant expertes, neci dare contenderet, authores facinoris ultrò illis se obtulere: proque veritate ipsi mortem multò maluêre oppetere, quàm ferre ut alij ipsorum causa vitam amitterent. Quibus comprehensus, præses mandatum dat, ut pro facinore ab ipsis admisso, se simulachris immolando purgarēt: minaturque se illos, si istud facere recusarent, acerbo mulctaturum supplicio. Illi, utpote excelso & magno animo præditi, neglectis eius minis, ad omnem cruciatum sufferendum se paratos ostenderunt: malueruntque multò vitam deserere, quàm se sacrificiorum labe ipsi polluere. Præses igitur, ubi aliis omnibus tormentorum generibus eos exercuerat, ad extremum craticulis imponit, ignemque subdi jubet: quo quidem cruciatu oppressi è vita migravêre. Et ut pro rebus tam fortiter pro veritate ab se gestis insigne quasi fastigium imponerent, hæc sunt verba ad præsidem locuti: *Si cupiditate duceris, Amachi, carnes assas degustādi: Verte nos in altera latera, ne in ipso gustu tibi semiassi videamur.* Hunc isti vitæ habuêre exitum. *Socrat. eccl. hist. lib 3. cap. 13.*

Vitalis. Hic cùm à persequentibus cogeretur, ut Christum negaret, & audacius Christianismum profiteretur, omni tormentorum genere excarnificatus est, ut non esset in eius corpore sine vulnere locus. Forti autem animo cruciatus perferens martyr, preces fundens ardentissimas dixit, *Domine Iesu Christe, Servator meus & Deus meus, jube suscipi spiritum meum, quia jam desidero accipere coronam, quam angelus tuus sanctus mihi ostendit.* Peracta oratione emisit spiritum. *Ambrosius & Hieronymus in exhortat. ad Virgines.*

Iuventinus & Maximianus milites. Iulianus Cæsar, cognomine Apostata, ut Christianos omnibus modis vexaret, sceleratis victimis fontes aquarum contaminavit. Deinde jussit quæ in foro exponebantur inquinari: nā panes, carnes, fructus, olera, & alia omnia esculenta, aqua lustrali aspergebantur. Quę cùm viderent Christiani, etsi non poterant non gemere, & scelera illa impensè detestari, tamen præcepti Apostolici memores: (Quicquid in macello venditur comedite, nihil dijudicantes propter conscientiam) iisdem emptis vescebantur. At Juventinus & Maximianus, viri re militari pręstantes, (erant namque scutati milites & satellites Imperatoris) in quodam convivio accerbiùs & majore cum animorum ardore horrenda illa scelera deplorant: verbisque trium puerorum planè admirabilium, qui Babylone olim se tam præclarè gesserant, utuntur, nam inquiunt, Tradidisti nos regi iniquo, qui te deseruit supra omnes gentes terræ. Quæ verba unus ex convivarum numero indicavit Imperatori. Ille confestim optimos illos viros ad se adduci jubet: percunctatur, quid dixerint? Illi tum occasionem ex Imperatoris rogatu sibi oblatam arbitrati, liberè quid sentirent eloquendi, insigni quodam zelo incitati, dixerunt ista: Nos in vera educati religione, ô Imperator, & legibus in primis præclaris, quas Constantinus & ejus filij tulerunt, obsecuti, non possumus non graviter & acerbè jam lamentari, cùm videamus omnia impio scelere referta, & tum esculenta tum poculenta nefandis & execrabilibus victimis contaminata. Ista nos & domi ingenti vim lachrimarum profundere, & coram te jam flebiliter conqueri coëgerunt. Ista solùm in tuo imperio nos malè habent. Quę cùm audivisset mansuetissimus ille scilicet, & sapientiæ studio deditissimus (ita enim à sui similibus appellabatur) exuit personam modestiæ, & se impium atq; scelestum prodidit, jussitq; graves & acerbas plagas illis imponi, atq; sic hac vita privavit: imò verò iniquo illo & calamitoso tēpore eripuit, & coronas victoriæ eis conciliavit. Causam autem cur eos supplicio affecisset, non in veram pietatem, pro qua erant è medio sublati: sed in petulantiam transtulit. Siquidem eos propterea multatos dixit, quòd ipsum contumeliis vexarant. Atq; ista idcirco divulgari mandavit, quòd veritatis athletis & nomen martyrum, & honorem invideret. *Theodor. hist. eccl. lib. 3. cap. 14.*

Tarbula Virgo. Hæc fuit soror Symeonis episcopi, cuius antè meminimus. Regina Persarum in morbum delapsa, Tarbula sancta virgo, simul cum ancilla idem vitæ genus colente, & sorore ejus, quæ post viri mortem abstinuit à nuptiis, & eandem vivendi rationem tenuit, comprehenditur. Causa autem, cur hæ mulieres fuerint comprehensæ, fuit, falsa criminatio à Iudæis in eas conficta, quòd videlicet ob mortem Symeonis iratæ, venena reginæ insidiosè parassent. Regina verò (solent enim ægrotantes malis omnibus facilè aures accommodare) calumniam veram esse, & maximè quidem, quòd erat à Iudæis objecta, existimavit. Nam eiusdem erat cum Iudæis opinionis, ad eorum morem vitam instituebat, & veraces illos sibique maximè benevolos putabat. Magi igitur Tarbulam & reliquas duas arreptas, morte condemnant. Ac cùm serra dissectas patibulis suffixissent, effecerunt, uti regina spatium inter patibula intermissum transiret, perinde quasi morbus eo pacto depelleretur. Fertur hanc Tarbulam forma valdè liberali & honesta fuisse, magum quendam eam deperisse, mercedemque, uti cum illa rem haberet, clàm misisse: promisisse denique, si vellet ipsius parêre libidini, tum eam, tum socias saluas fore. At illam hanc turpitudinem ne audire quidem voluisse: sed nuncios verbis contumeliosis excepisse, intemperantiæ crimen cum probro illis objectasse: se multò libentiùs velle mori, quàm virginitatem prodere, respondisse. *Sozom. hist. eccl. lib. 2. cap. 11.*

Benjamin Persa. Is erat Diaconus in Ecclesia, qui propter Christianæ professionis constantem professionem, jussu regis Gororanis in carcerem conjectus est. Biennio verò post, legatus Romanus venit ad regem de aliis rebus cum eo acturus.

Qui de diacono certior factus, impetrat à rege liberationem. Rex autem jubet Benjamin polliceri, se doctrinam Christianam cum nullo mago communicaturum. Legatus quidē recipit, Benjamin, regis mandata effecturum. At Benjamin, cùm legatum hac de re ipsum admonentem audivisset, respondit: Non posse fieri, ut doctrinam lucis, quam à Deo acceperat, non aliis impertiret. Nam abscōdere talentum, quantum mereatur supplicij, historiam Evangeliorum apertè docere. Verùm Rex id temporis hujus responsi ignarus, jubet illum è vinculis eximi. Qui quidem, ut solebat, homines ignorationis tenebris obcæcatos, inde eripere, & ad lucem, quæ sola intelligentia percipitur, adducere non cessavit. Anno autem pòst, res ab eo gestæ regi indicantur. Qui jubet eum adduci, & eũ, quem colebat, denegare. Tum ille sciscitatur à rege, quo supplicio mulctandus sit is, qui eius regnum deserat, & alterius ditioni se subjicere animum inducat? Mors, inquit rex, & pœna gravissima. Cui rursus sapientissimus vir: Quo pacto igitur, inquit, coercendus est homo ille, qui effectorem & opificem omnium derelinquat, & unum è conservis Deum consecret, eique cultum vero Deo debitum tribuat? Quibus verbis Rex graviter commotus, viginti arũdines præacutas per ungues manuum ac pedum trajici jubet. Ubi autem vidit eum hunc cruciatum habere pro ludo, aliam rursus arundinem in membrum genitale intrudi mandat: quæ sæpius extracta, insertaque, dolores ei incussit planè inexplicabiles. Post illud inflictum supplicium, impius ille, & immanitate efferatus tyrannus, virgam robustam, crassam, & propter ramos undiq; eminentes valdè asperam, in imam alui sedem infigi jubet. Quo cruciatus genere generosus Christi athleta oppressus extremum spiritum edidit. *Theod. hist. eccl. lib. 5. cap. 38.*

Martyres in Africa. Sub Vandalorum Regibus, Genserico, Hunericho & aliis principibus Arianicæ hæresi faventibus crudeles persecutiones excitatæ sunt in Africa adversus Orthodoxes, quas Victor Uticensis peculiari libro edito enarravit. Martyres quamplurimi gravia quæque, ac mortem acerbam denique pro Christi professione fortiter passi sunt. Quæ autem ab eis inter moriendum dicta sunt, spiritum Dei in eis peculiariter regnantem & loquentem testantia, ut & nōnulla aliorum veteris & primitivæ Ecclesiæ martyrum morientium Apophthegmata, lector pius reperiet descripta in locis. *De Constantia, de Fortitudine, de Generositate, de Martyrio.*

Iacob Patriarcha. Inter cygneas Iacobi Patriarchæ voces, quas moriens edidit, hæ principatum obtinent. 1. *Non recedet sceptrum à Iuda, neq; Legislator è medio pedum ejus usq; dum venerit filius eius* (Christus videlicet, ut Chaldæa paraphrasis utraque, & Hebræi interpretes ferè omnes consentiunt cum Christianis Theologis) *& sit ei obedientia populorum.* 2. *Salutem tuam expecto, Iehova.* 3. *Cùm ego* (inquit ad filios ei morienti adstantes in terra Gosenis in Ægypto) *aggregatus fuero ad populum meum, sepelite me cum patribus meis, in spelunca illa quæ est in agro Hephronis Chitæi.* Hæc verba de fide & spe Iacobi luculentum fuerunt testimonium. *Vide Genes. cap. 49. v. 10. 18. 29.*

Ioseph Patriarcha. Paulò ante obitum dixit ad fratres suos, Ego brevi moriturus sum. Deus autem omnino visitabit vos, & faciet ut ascendatis ex hac terra in regionem illam quam juramento dedit Abrahamo, Isaaco, & Iacobo. Omnino visitabit vos Deus, adiuro ut deportetis ossa mea ex Ægypto. *Genes. 50. 24. 25.* Tam anxia sepulchri electio huc spectavit, ut redemptionis sigillum foret. Postquã enim Ioseph fidelem esse Deum asseruit, qui præstiturus esset suo tempore quod Patriarchis erat pollicitus, continuò post fratres suos adjurat, ut ossa sua transferant ex Ægypto in terram Canaan, quod postea factum est ab Israelitis. Illæ utiles fuerunt reliquiæ, quarum aspectus clarè personabat morte minimè extinctum esse æternum Dei fœdus, in quo Ioseph tutò quiescere jussit posteros. Nam jusjurandum Dei adducere satis habuit, ut de suo exitu nihil dubitarent.

Moses, Iosue, David. Mosis ultima verba habentur, Deut. cap. 31. & 32. *Iosuæ ducis*, 24. cap. libri eiusdem. *Davidis regis*, 2. Sam. 22. & 23. cap. Item 1. Reg. 2.

Elisæus Propheta. Quum Elisæus ægrotaret morbo suo quo mortuus est, descendit ad eum Ioas rex Israelis & flens ante faciem eius dicebat, *Pater mi, pater mi: currus Israelis, & equites ejus.* Cui dicente Elisæo, *Sume arcum & sagittas*, sumens attulit ad eum arcum & sagittas. Tum dixit regi Israelis, *appone manum tuam ad arcum*: qui apposuit manum suam: imposuit verò Elisæus manus suas manibus regis. Ac dixit, *aperi fenestram istam antrorsum*, quã aperuit: cumque dicente Elisæo *jaculare*, jaculatus esset, dixit Elisæus, *sagitta salutis erit Iehova, sagitta, inquam, salutis contra Syros. quare percutito Syros fortiter usq; in consumptionem.* Deinde edicente, *accipe reliquas sagittas*, accepit Ioas: iterum edicente regi Israelis, *percutiendo impete illis terram:* cùm percussisset ter, destitit. Quamobrem efferuescens contra eum vir Dei, dixit, *percutiendum fuisset quinquies aut sexies: tunc percussisses Syros usque ad consumptionem: nunc verò tantùm ter percussurus es Syros.* Postea Elisæus mortuus & sepultus est. *2. Reg. 13. cap.*

Mattathias. Mattathiæ patris Macabæorum præclara oratio ante mortem ad filios habita extat *1. Mac. 2.* In ea autem & exempla virtutis in fide, & hæc de hostibus piorum sententia præclara occurrit: Hodie extollitur, qui cras non comparebit, propterea quòd in suum pulverem redierit, eiusque cogitatio perierit.

Basilius Magnus. Circa Basilium ægrotantem effusa erãt tota civitas, jacturam hanc ægerrimæ ferens, & discessum perinde ac tyrannidem accusans, cjuique animam non secus ac si retineri, atque vel manibus vel precibus cogi posset, arripere studens. Dementes enim eos calamitas reddebat, nec quisquam erat, qui non aliquam vitæ suæ partem, si fieri posset, illius vitæ addere esset paratus. Sed victi sunt (oportebat enim eum hominem deprehendi) & Basilius his postremis verbis habitis, In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum, animam lætus exhalavit, non ante tamen quàm sacrosancta doctrina eos qui aderant nonnihil instruxisset, extremisque alloquiis meliores effecisset. *Nazianzenus, Oratione 20.*

Greg. Nazianzenus. Seipsum quibusdam lineis veluti depingens, paulò ante migrationem ad Christum, *altera ad Cledonium epistola* dicebat, Si quis nos iocò scribere vel docere arbitratur, non autem coactos, atque unitatem & concordiam adurgentes. in eamque omni studio incumbentes, velim hoc sciat, se malè existimare, nec desiderij nostri scopum assequi, quibus pace nec est quicquam, nec fuit unquam antiquius, quemadmodum res ipsæ fidem faciũt: quamvis ea quæ sectarij adversum nos faciunt & designant, concordiam prorsus excludant.

D. Hieronymus. De morte sua, & de novissimo die cogitans, dicere solebat:

Ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem. Attamen quia Dominus soluit compeditos, & super humilem ac trementem ad verba sua requiescit, forsitan & mihi in scelerum sepulchro jacenti, dicet, N. veni foras.

Quoties dies illum considero, toto corpore contremisco. Sive enim comedo, sive bibo, sive aliquid facio, semper videtur mihi tuba illa terribilis sonare in auribus meis, Surgite mortui: venite ad judicium. *In Epist.*

Anonymus. D. Augustinus cujusdam Coepiscopi & familiarissimi sui amici, in extremis vitæ frequētissimum referebat dictum. Quum ad visitandum eum jam morti appropinquantem ventitasset Augustinus, & ille manus gestu se de seculo exiturum significaret, atque à se illi esset responsum, adhuc eum Ecclesiæ necessarium vivere posse, illum ne putaretur vitæ teneri cupiditate respondisse ei, *Si nunquam, bene: si aliquando, autem, quare non modò?* Et talem sententiam mirabatur & laudabat hominem protulisse, Deum quidem timentem, veruntamen in villa natum & nutritum: sed multa lectionis eruditum scientia. *Possidonius, in vita Augustini, cap. 27.*

D. Ambrosius. Indicavit D. Augustinus discipulis suis se D. Ambrosij beatæ memoriæ viri, in ultimo vitæ fine constituti, audisse sapientissimum & piissimum responsum, & multum laudabat ac prædicabat. Nam cùm ille venerabilis ultima jaceret ægritudine, & à fidelibus honoratis lecto eius adstantibus, & videntibus eum de seculo migraturum ad Deum, & ob hoc mœrentibus tanti ac talis antistitis Ecclesiam posse privari verbi & Sacramenti Dei dispensatione: cùm lachrymis rogaretur ut sibi à Domino vitæ posceret commeatum, eum illis dixisse, *Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Et in his noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur & laudabat verba. Ideo enim eum dixisse (inquiebat) intelligendum est, *Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus,* ne crederetur præfidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Dixit etiam, *Non sic vixi ut me pudeat inter vos vivere*, ad illud respiciens quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examen æquitatis divinæ, de bono Domino se dixit magis quàm de meritis suis confidere: cui etiam in oratione quotidiana Dominica dicebat, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Possidonius, in vita D. Augustini, cap. 27.*

D. Augustinus. Paulò ante ex hac vita discessum, Africanarum provinciarum & Ecclesiarum videns vastationes & dissipationes, lachrymis continuis iram Dei deprecabatur, & se inter publica mala cujusdam sapientis sententia consolabatur, dicentis, *Non erit magnus, magnum putans quod cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales.* Hippone, cujus erat episcopus, ab hostibus crudelissimus obsessa, alij episcopi vicinarum Ecclesiarum illic confugientes, super his infortuniis cum Augustino sæpissime colloquebantur, & Dei tremenda judicia præ oculis posita considerabant, dicentes, *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Hæc refert *Possidonius in vita Augustini, cap. 8.*

Idem. Dies fermè decem antequam exiret de corpore postulavit à præsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantùm horis quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cùm ei inferretur refectio. Omni ille tempore orationi vacabat. verbum Dei usque ad ipsam extremam suam ægritudinem imprætermissè, alacriter, fortiter, sana mente, sanoque consilio in Ecclesia prædicavit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, amicis adstantibus, ac cum eo orantibus, obdormivit in pace cum patribus suis, annos natus 70. in Episcopatu vixit annis 46. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Christi non habuit. *Possidonius in vita Augustini, cap. 40.*

Chrysostomus. Paulò ante mortem, exul ad Innocentium scripsit, Nos tertium jam annum in exilio versamur, expositi pesti-

lentiæ.

ſtitiæ, fami, bello, continuis incurſionibus, ſolitudini inenarrabili, quotidianæ morti & Iſauricis gladiis.

Moriens dixit, Gloria tibi Domine de rebus omnibus. *Nicephorus lib.13.cap.37.*

D. Martinus. Quum D. Martinus lethali morbo oppreſſus in cinere & cilicio recumberet, à diſcipulis rogatus eſt, ut ſaltem ſibi vilia ſineret ſtramenta reponi. Non decet, inquit, filij, Chriſtianum, niſi in cinere mori. Ego ſi aliud vobis exemplum relinquo, ipſe peccavi. Oculis igitur ac manibus in cælum ſemper intentus, invictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. & cùm à presbyteris rogaretur ut corpuſculum lateris mutatione relevaret: Sinite, inquit, ſinite me, fratres, cælum potiùs reſpicere quàm terram, ut ſuo iam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur. Hæc loquutus, Diabolum propè vidit aſſiſtere: Quid hîc, inquit, aſtas, cruenta beſtia? nihil in me, funeſte, reperies. Abrahæ me ſinus recipit. *Sulp. Severus de Vita B. Martini. epiſt. 3.*

D. Fulgentius. Quum repentè incidiſſet in corporalis infirmitatis acerrimas paſſiones: ubi ſeptuaginta propè diebus ægritudine fatigatus eſt, hoc ſolùm frequenter dicebat: Domine, da mihi modò hîc patientiam, poſtea indulgentiam. Nec ab iſto ſermone aliquantulum ceſſavit, ſive dolor affligeret, ſive febris incenderet, ſive laſſitudo diſſolueret. Perſuadentibus autem medicis ut lavacris balnearibus uteretur: Nunquid balneæ, inquit, facere poterunt, ne homo mortalis expleto vitæ ſuæ tempore moriatur? Si verò proximam mortem, nec aquarum calidarum poſſunt fomenta repellere: cur mihi obſecro perſuadetis, ut vigorem diu ſervatæ profeſſionis in fine diſſoluam? Sic ſalutem ſuam ſupernæ voluntati fideliter credens, poſtquam ſe ſenſit ſine aliqua dubitatione diſſolvendum, vocans univerſos clericos ſuos præſentibus monachis, alloquutus eſt eos, dicens: Ego, fratres, animarum veſtrarum ſaluti proſpiciens, moleſtus apud vos forſitan & difficilis extiti. Et ideo obſecro vos, ut ignoſcat mihi quiſquis aliquid dolet. Et ſi forſitan ſeveritas noſtra modum transgreſſa eſt debitum, orate ne mihi hoc Dominus imputet peccatum. Cumque talia beato Fulgentio lachrymoſis ſingultibus exprimente, cuncti ſimul ſuper genua eius caderent, ſemper bonum, ſemper affabilem, pro omnium ſalute, ſicut decuit, invigilaſſe clamantes: Provideat ergo vobis, ait, Dominus Deus meus paſtorem dignum ſe. Tunc imperato ſilentio, paululùm requievit. Et deinde pauperum curam gerens, requiſita ſumma pecuniæ, de qua fideliſſimus diſpenſator quotidie egentibus miniſtrabat, totum juſſit expendi, per ſeipſum memoriter recolens viduarum, pupillorum, peregrinorum, cunctorumque illic indigentium nomina, quibus quid ſigillatim daretur, propria deliberatione conſtituit: hæredes in hoc ſeculo non habens, hæreditatem tamen hujus benevolæ ſollicitudinis pauperibus derelinquens. Sed nec ſuos clericos debita benedictione fraudavit: ipſorumque paupertati miſericorditer conſulens, ac ſecretè omnia præordinans, orans jugiter & intrantes ſingulos benedicens, uſque ad extremam horam ſana mente permanſit. *Author Vitæ, cap. 30.*

Theodoſius Magnus, Imp. Theodoſius magnus, quum adverſa valetudine premeretur, imperium inter filios Arcadium & Honorium diviſit, ita ut major Conſtantinopolitanum imperium, alter Europæ ſceptra obtineret. Utrumque ad veram pietatem exhortatus eſt, monens ea & pacem ſervari, & bella confici, & hoſtes fundi, & trophæa ſtatui, & victoriam parari. *Cedrenus Analium pagina. 264.*

Ambroſius ait, Theodoſium dicere conſueviſſe: Magis ſe gaudere, quòd membrum Eccleſiæ Dei eſſet, quàm quòd in terris regnaret.

De Theodoſio: Dilexi, ait Ambroſius, virum, qui quum corpore ſolveretur, magis de Eccleſiarum ſtatu, quàm de ſuis periculis angebatur.

D. Gregorius Magnus. Non multò ante obitum, ſuam conditionem deſcribens in *Epiſtola ad Ruſticanam patriciam:* Me (inquit) ita amaritudo animi & aſſidua exacerbatio, atque podagræ moleſtia afficit, ut corpus meum tanquam in ſepulchro ſiccatum ſit: unde fit, ut jam raró de lecto ſurgere valeam.

Item, *ad eandem:* Ego in tanto gemitu & occupationibus vivo, ut ad dies quos ago perveniſſe me pœniteat, ſolaque mihi in conſolatione ſit mortis expectatio. Unde peto ut pro me orare debeatis, quatenus de hoc carnis carcere citiùs educar, ne tantis laboribus diutiùs torquear.

Anaſtaſio Antiocheno: Rogo ut pro mei cordis infirmitate enixiùs oretis, quatenus omnipotens Deus mentem meam à malis omnibus pro veſtra interceſſione tueatur, & citiùs me de tot procellis hujus tempeſtatis eripiat, atque in æternæ quietis litore perducat.

Beda Venerabilis. Anno Chriſti 734. quo die Aſcenſionis Chriſti memoria celebratur, inter diſcipulorum manus Dei laudes canens, & orans, Deo qui dederat ſpiritum reddidit, magno ſui deſiderio apud omnes relicto. Inter diſcipulos vir ſanctus ſæpe illud Apoſtoli uſurpare ſolebat, Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. quod faciebat, ut eos à ſomno animæ excitaret, & ad Dei timorem provocaret.

Eoſdem quoque ad diligentiam hortabatur his verbis, Diſcite feſtinanter, quandiu ſim vobiſcum futurus.

Ægrotans identidem, illud repetebat, Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Item & illud Ambroſij, Non ſic vixi ut me pudeat inter vos vivere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. *Auctor Vitæ, primo tomo operum eiusdem præfixæ.*

Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus. Quum Dominica die palmarum lethali morbo decumberet, unus ex diſcipulis dixit ei, Domine pater, ut nobis intelligi datur, ad Paſchalem Domini tui curiam relicto ſeculo vadis. Reſpondit, Equidem ſi voluntas eius in hoc eſt, voluntati eius non contradico. Verùm ſi mallet me adhuc inter vos ſaltem tandiu manere donec quæſtionem quam de animæ origine mente reuoluo abſolvere poſſem, gratioſius acciperem: eo quod neſcio utrum aliquis eam me defuncto ſit abſoluturus. *Auctor Vitæ, lib. 2.*

Hilarion. Quum lethali morbo premeretur, omnes amicos adſtantes adjuravit, ut ne puncto quidem horæ poſt mortem reſervaretur, ſed ſtatim eum in hortulo cellulæ in qua ægrotabat proximo, operirent, ſicut veſtitus erat in tunica cilicina, cuculla, & ſago ruſtico. Iamque modicus calor tepebat in pectore, nec, præter ſenſum, quidquam vivi hominis ſupererat: & tamen apertis oculis loquebatur, dicens, Egredere, quid times? egredere anima mea. quid dubitas? ſeptuaginta prope annis ſerviſti Chriſto, & mortem times? In hæc verba exhalavit ſpiritum, ſtatimque humo obrutum, ante ſepultum quam mortuum urbi renunciaverunt. *D. Hieron. in Vita Hilarionis.*

D. Bernardus. Bernardus Claræuallenſis ægrotans, ſuos fratres admonuit, ut in tuto divinæ clementiæ ſinu, ſpei anchoram fideique ſuæ per inconvulſibilem caritatem firmius radicarent. Addidit: Quia non arbitror me magna vobis religionis relinquere poſſe exempla, tria vobis imitanda commendo, quæ in ſtadio quo cucurri, me pro poſſibilitate mea memini obſervaſſe. 1. Minus ſenſui meo quàm alterius credidi. 2. læſus de lædente vindictam non expetivi. 3. nemini ſcandalum facere volui: & ſi quando incidit, ſedavi ut potui.

Idem. Exitu jam imminente dictavit epiſtolam ad Arnaldum Bonævallis abbatem, quæ ſancti illius viri cor piis omnibus exhibet.

Pedes, inquit, & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere ſolet. Et in his omnibus ne quid lateat amicum de ſtatu amici ſolicitum, ſecundum interiorem hominem (ut minùs ſapiens dico) ſpiritus promptus eſt in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempeſtivum iam exitum non differat, ſed cuſtodiat. *Curate munire votis calcaneum nudum meritis:* ut is qui inſidiatur invenire non poſſit ubi figat dentem & vulnus infligat. *Author Vitæ lib. 5. cap. 2.*

Gerardus Claræuallenſis. Gerardus, D. Bernardi Claræuallenſis abbatis frater conjunctiſſimus & procurator fidiſſimus, in ipſo agone erupit in illud Davidicum, Laudate Dominum de cœlis, laudate Dominum in excelſis: ita ut ſtupentes omnes Bernardum vocarēt. Iam cùm extrema Pſalmi clara voce compleviſſet, addidit, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et ſæpius repetito eodem ſermone, converſo ad Bernardum hilari vultu: Quanta (inquit) dignatio Dei, patrem hominum eſſe: & quanta hominum gloria, Dei filios eſſe & hæredes! Nam ſi filij, & hæredes. Intentus gloriæ fratris propriæ ſuæ obliviſceretur miſeriæ Bernardus, ut ipſemet teſtatur, *Serm. 26. Super Cantica.*

Io. Gerſon. Retulerunt viri graves & fide digniſſimi D. Ioannem Gerſon (qui temporibus Conſtantienſis concilij floruit) ante obitus ſui diem, in ea urbe in qua tū habitabat, multos collegiſſe puerulos, quorum tanquam præceptor erat, quos quotidie in templum adduxit: clauſisque undique oſtiis, ipſe in medio eorum ſtans, jubebat ut verbis gallicis poſt ſe in hunc modum loquerentur, *Mon Dieu, mon Createur, ayez pitié de voſtre pauure ſeruiteur, Iean Gerſon*: hoc eſt, Deus meus, Creator meus, miſerere pauperis famuli tui Ioannis Gerſon. *Ad finem 4. tomi operis eiusdem.*

Fernandus. Fernandus, Aſturum & Caſtellæ rex, finem vitæ imminere ſentiēs, in templum deferri voluit, ubi impoſito capiti diademate, & indutus regalibus indumentis, coram adſtantibus clamavit ad Dominum voce clara: Tua eſt potentia, tuum eſt regnum, Domine: tu es ſuper omnes reges, tuo imperio omnia ſunt ſubjecta. Quod te donante accepi, reſtituo tibi regnum: tantum animam meam in æterna luce jubeas collocari. His dictis exutus regalibus indumentis, indutus cilicio & conſperſus cinere, duobus diebus in pœnitentia atque lachrymis ſupervixit. *Rodericus Toletanus, lib. 9. rerum Hiſp. cap. 14.*

Carolus Rex Aragoniæ & Siciliæ. Ejus oratio ante mortem ſcitè & piè dicta continens ita refertur à Lucio Marineo Siculo. Mox reſpirans, & jam recluſis oculis omnes qui aderant aſpiciens, O vanas, inquit, hominum cogitationes! ô miſeros omnes qui ad principatus aſpirant! qui divitias, opes & nimios honores affectant! ô felicem pauperum conditionem, & illorum ſecuram vitam atque beatam, qui panem comedunt cum ſudore ſui vultus, qui vivunt labore manuum ſuarum! Nam mihi miſero quid regnum, quid homines, quid obſequia plurimorum contulerunt? Quid? Labores ſcilicet magnos, & multa corporis & animæ pericula, nec unquam ætate tam longa potui mihi dies aliquot videre bonos! ô me miſerum & infelicem, qui tam ſerò fallacem mundum cognoſco! qui vitam certè vixiſſem multò meliorem, ſi non rex, ſed pauperis agri cultor fuiſſem.

Hæc magno cum dolore animi referebat, Alphonſi fratris, ut arbitror, recordatus atque ſecutus exemplum, qui Neapoli olim

morienś eadem protuliſſe verba memoratur. Hæc *Marineus, de rebus Hiſpanicis, lib. 18. prope finem.*

Petrus Terralius, cognomine Bayardus. Is ſub Franciſco I. Galliarum rege dux belli clariſſimus, de Hiſpanis præclara trophæa ſæpius retulit variis Italiæ locis. Tandem in quodam prælio, dum munere ſibi cómmiſſo ſtrenuè fungitur, hoſtibus ſemel & iterum fortiter repulſis, ſub latere dextro glande plumbea ictus corruit: ac ſeſe circa vicinam quercum proſternens, Chriſtum, Optimum Maximum obteſtatus eſt, ſe circumdaret, ſe complecteretur, ſe tueretur: purgataque præteritorum memoria animam ad ſe euntem exciperet, ablueret ſua gratia ſordes, parceret miſero, vultu placido intueretur, ſeu ſervum, ſeu reum mallet: gratia ſe filium adoptatum ab eo, culpa reum factum, vinceret gratia culpam: ut divina clementia majore in ſcelere creſceret, malè quidem tot annis numen divinum cognitum, parum abeſſe quin gratia ſuperaretur ſceleribus: ſe tamen excuſſo dæmonum jugo, nihil non beneficio ſanguinis effuſi, patrocinioque, Chriſti optimi Maximi ſperare. Semianimiſque adhuc, venienti Borbonio (qui Galliæ partibus relictis ad Carolum V. defecerat) eumque conſolanti, nihil aliud reſpondit. Quam ſerò: &, Vbinam fides, Here? *Arnold Ferronus, de reb. geſtis Francorum. lib. 7.*

Mortis ejusque memoriæ.

¶ Apophthegm. Christianor.

S. *Hugo Epiſc. Lincolnien.* Vltimam rerum humanarum lineam, Mortem, attigimus: quâ, ut inquit Seneca, nihil natura præſtitit melius, & cuius frequentius nullum eſt votum. Hinc benè Lincolnienſis Antiſtes Hugo, multa de Mortis horrore dicentibus, reſpondiſſe fertur: *Heu quàm miſerè nobiscum ageretur, ſi nunquam hoc exilio excederemus!* Voluebat animo vir ſanctus, quòd juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigero erit. *Sur. tom. 6. in Vita.*

S. Hieronymus. Et ob id jugem eſſe & ſalutarem mortis memoriam dicebat Hieronymus, dum ait: *Facilè omnia contemnit, qui ſe cogitat moriturum.* brevi, ſed ſolido dicto vitæ noſtræ fragilitatem inſinuans. Præclarè Martialis:

Pange toros, pete vina, roſas cape, tingere nardo:
Ipſe jubet mortis te meminiſſe Deus.

Fulgoſ. lib 7. cap. 2.

Religioſus Anonymus. Narrat de iſto Ioan. Climachus, quòd, cùm negligentiùs viveret quàm Religionis ſtatutum poſtularet, morbo ad extrema deductus, integram pænè horam quaſi in extaſin raptus jacuerit; ac tandem ſibi redditus, ut omnes qui aderant à ſe egrederentur poſtularit. Quo facto, antri quod incolebat aditum ſaxis obſtruxit, in eoque duodecim annos tam aſperam vitam duxit, ut nulla colloquia admitteret, nullum, præter aquæ & panis pauxillum, cibum corpori indulgeret, ac ſolùm animo volueret, quę in illo ſuo mentis exceſſu fuerant ſibi obverſata. Quo tempore autem fatalem ſibi diem, quando ex hoc carcere exeundum, inſtare advertit; reſerato aditu, alios ſuos collegas admiſit. Qui dum ſupplices peterent mnemoſynum aliquod, quo ad virtutis ſtudium incitarentur, ille iā oculos pænè in morte gravatos attollens; *Ignoſcite*, inquit, *fratres. Nemo, qui reverà mortis memoriam agnoverit, peccare unquam poterit.* Quàm appoſitè monet in Epiſt. Horat.

Inter ſpem, curamq́ue, timores inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Refert ex Climacho *Guil. Baldeſanus lib. 2. Stim. virt. cap. 17.*

Abbas Ioſeph. Egregiè quoque, apud Caſſianum, Abbatem Ioſephum ſenſiſſe fatendum erit. à quo frequenter audita hæc vox: *Poſtremum illud, quod generaliter vitiorum omnium peremptorium eſſe nemini dubium eſt, ut ſe de hoc mundo quis credat quotidie migraturum*, & verè,

Flante velut valido nubes Aquilone fugantur,
Sic meditata ſcelus Mors procul omne fugat.

Conſtantinus Imp. & Hormisdas. Require Apophth. de Roma.

Maxæmilianus I. Imp. Sed & memori mente voluebat Maxæmilianus, quod ſub Mortis, ut canit Claudianus,

——purpurei veniant veſtigia Reges
Depoſito luxu, turbâ cum paupere mixti.

Nam poſtremo ſui Imperij luſtro, cùm palatium apud Oenipontem magno ſuo ære conſtrui mandaſſet, & operis præfecti leviores quoſdam in eo errores commiſiſſent, ſecretiùs in aurem cuidam ſibi adſtanti ſuſurrabat: *Parum hi faciunt quod me delectet: aliam domum conſtruam mihi placituram.* eoque die feretrum omni quæ ad ſepulturam neceſſaria foret ſupellectili inſtructum parari juſſit, ac ſecum, quocunque pergeret, clanculum deferri. Cumque curioſiùs conjectarent Proceres de uſu illius ſcrinij; Cæſar ſubridens, ac ſibi conſcius, *In rei*, dicebat, *mihi ſupra omnes alias chariſſima uſum, mecum hoc defero.* Ita aſſiduè ſepulchrum adeſſe ſibi voluit, ut eiuſdem perpetua recordatio, ſuæ menti faſtum mundi eximeret, æternitatis bravium infunderet. *Reinhard. Hadamar. in Inſtit. Principum.*

Idem. Juſſerat adhuc ſuperſtes, ut quando inter vivos deſiiſſet, cadaver ſuum omni hominum, etiam infimæ, ſorti conſpiciendum proponeretur: ac cauſam percontanti, *Vt ita*, dicebat, *vel meo exemplo diſcant omnes, nulla diademata, opes nullas, nec ulla imperia à morte eripere poſſidentem.* Hæc enim

——ſolâ ultricibus armis
Elatos frenans animos, communia toti
Genti ſceptra tenens, æternaq́ue fœdera ſervans,
Et magnos parvosq́ue terit: nam fortibus æquat
Imbelles, populisq́ue Duces, ſeniumq́ue juventa.

Ibidem.

Fredericus Imperator. Vide Iudicium Dei.

Cæſar Borgia. Hic totius Italiæ imperium animo conceperat ac ſublatis è medio omnibus quos ſibi impedimento futuros ſuſpicabatur, tandem quod aliis miſcuerat, venenum hauſit inſcius: & moriturum ſe ratus, *Adverſus omnia*, inquit, *pericula me munivi, præterquam adverſus mortem. quippe qui nunquam cogitavi me tam cito moriturum.* immemor ſanè illius Democratis: Imprudenter & impiè vivere, non tam eſſe malè vivere, quàm diu mori. *Machiavellus.*

Franc. Borgia Dux. Ejuſdem nominis & generis iſte, at vitæ notæque melioris. Præfuerat funeri Auguſtæ jam functæ, & miratus quòd exiguus tumulus ſceptra, coronas, ac Regiam majeſtatem exciperet & concluderet, dicere ſolebat; *Auguſta mors mihi vitam attulit.* & verè,

Si cupis adverſus ſcelerum fœdiſſima quæq́ue
Vulnera, perfacilem dem tibi promptus opem:
Cùm te turpe aliquid tentat, fac illicò mentis
Seſe mors oculis efferat atra tua.

Ribad. lib. 1. Vit. eius, cap. 9.

Idem. Cùm decumbenti graviter, & extra medicorum ſpem, adeſſent qui lachrymas funderent: ille inopinatò: *Cur lachrymas fruſtra funditis? An illa me morti eripient; ſi Deo viſum, ab hoc vitæ exilio me in patriam revocare?* Sciebat egregius Princeps, ſtatutos à ſummo Principe Deo vitæ cuiusvis terminos, qui præteriri non poterunt. & quòd

Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urna, ſeriùs, ocyùs
Sors exitura.

Ribadin. in Vita eiusd. lib. 2. cap. 13.

Mortis contemptvs.

S. Thomas Apoſt. Ad Mortem itaque libenter ſubeundam, inſtigare nos debent quotidianæ vitæ moleſtiæ, & amicorum obitus inopinati, ac maximè ea quæ poſt hanc vitam ſecutura eſt retributio. Et priora quidem illa conſiderabat Thomas Apoſtolus. nam cùm ex Domino intellexiſſet quomodo Iudæi voluiſſent eum lapidare, ac Lazarum jam inter vivos deſiiſſe; & ſubjungeret, Gaudeo propter vos, ut credatis (id eſt, ut fides veſtra in me augeatur, & creſcat) quoniam non eram ibi, ſed eamus ad eum: dicebat ad condiſcipulos; *Eamus & nos, ut moriamur cum eo* (nempe Lazaro jā mortuo.) Non enim tantùm diffidebat ipſos ſecundùm Domini promiſſa præſervandos ab offendiculo, ſed & Lazarum poſſe inter vivos redivivum vocari, ut benè notat Ianſen. *Ioan. cap. 11.*

S. Hilarion. Quæſiverant eum tota nocte latrones, ac manè repertum, rogant; Quid faceres ſi latrones ad te venirent? ille: *Nudus latrones non timet.* atqui occidi potes, inferunt: *Poſſum*, ait Hilarion, *& ideò latrones non timeo, quia mori paratus ſum.* quam animi conſtantiam conſpicati, culpamque confeſſi, reſipuerunt. *Hier. in Vita.*

Idem. Vide Conſcientia bona.

Reginaldus Polus Card. Intellexerat ab Edeuardo Leodienſ. Antiſtite, Henricum Anglię regem præmium aureorum aliquot conſtituiſſe ei, qui illi necem inferret. & miratus Regis dementiam, dicebat; *Iam dudum hujus vitæ tædio affectus, mortem optavi: & cùm Henricus Rex tanto eam ſtudio efficere contendat, nihil aliud facit, quam ſi eunti dormitum, veſtimentum ſubtrahere conetur.* Non poteſt enim (ut cum Auguſtino loquar) malè mori, qui benè vixerit: & vix benè mori, qui malè vixit. *N. Sander. lib. 1. de Schiſm. Angl.*

Mortis generosæ.

Carolus IX. Franc. R. Non paruam apud poſteros laudem ſe relicturos arbitrati ſunt Principes quidam viri; ſi, cùm mors oppetenda tandem ſit, eam cum gloria oppeterent. quibus etiam pulchrum mori ſuccurrit in armis. Carolus IX. certè F. R. circumventus à ſeditioſo rebellium equitatu, ad legiones auxiliarium Helvetiorum converſus, inter cetera vocem illam edidit: *Malim mori Rex, quàm vivere captivus. Annal. Franc.*

Ludovicus Ludovici F. R. Filius. Non minùs generosè iſte. erat & viribus & armis robuſtus, cùm eos qui Patri optimo rebelles extiterant, bello vindice laceſſeret. quâ tempeſtate crebriùs dixiſſe commemoratur: *Pulchrius mori juvenem crudelitate honeſta, & ob bonum finem: quàm cum dedecore vitam protrahere. Corozet. de Dict. Fact. memor.*

Lege Apophth. de Bellica & Animi fortitudine, conſtantia, &c.

Mortis æqve ferendæ.

S. Eliſabeth Reg. Æquo animo ferendum quod neceſſariò ſubeundum eſt, ac vitari nequit. unde æquiſſimo animo ferenda tam noſtra, quàm noſtrorum Mors. manendi namque aliquantum, non habitandi diverſorium natura hîc dedit. Vultis exempla, & quidem ab utroque ſexu? Eliſabetha Lantgravij Turingiæ conjux, animi fortitudine & ſanctitate pænè ſpari, marito vita functo, dixiſſe ad

suos fertur; *Vt viveret vir meus, nulli labori parcere volui: verùm eo nunc Deo ita volente sublato, ne minimum capitis dederim capillum, ut mihi vivus restituatur. Sur. tom. 6. in Vita.*

Melania Marcelli Cos. Filia. Et ne unicam duntaxat hac fortitudinis coronâ insignitam arbitremini; en Melaniam. hæc marito nondum humato, cùm binos amisisset insuper filios, ita se ab omni dolore temperavit, ut aliud diceret nihil, quàm, *Magis expeditè tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Hier. in Epistola ad Paulam.*

Lambas Auria Genuensis. Et ne unico contenti exẽplo videamur, aliud adiiciam. Erat Lambas classis Genuensium Præfectus, idq; eo bello quod cum Venetis habuêre. Cùm itaq; in medio prœlij ardore ei esset nunciatum, filium in pugna cecidisse; nihil turbatus, *Vos,* inquit, *fortiter prœliamini. Ad filium quod attinet, eius cadaver in mare deÿcite: nullo enim nobiliori tumulo condi potest, quàm illo, ubi pro patria pugnans, bello superior occubuit. Bapt. Fulgos. lib. 5.*

Anonymus. Commemorat verò Socrates in historia Ecclesiastica, quendam, dum patris ei subitá mors nuntiaretur, exclamasse: *Desine loqui blasphemias, nam pater meus immortalis est.* parvi admodum pendens eam mortem, quæ tantùm esset separatio animæ à corpore. *Socrates.*

P. Franc. Borgia. Dignus qui ceteros comitetur Borgia. Nuntiabatur mors Isabellæ filiæ. at ipse, *Depositum,* inquit, *acceperam, repetÿt Dominus.* Accedens autem Comestabilis solatium aliquod laturus, rogansq;, Quid? téne amissâ filiâ nihil moveri? hoc responsum accepit: *Ex quo me Deo dicavi, illi cor obtuli, ut nihil in humanis rebus turbare illud posßit. Ribadin lib. 4. cap. 6.*

MORIENTIVM MONITA,
& dicta.

Dionysius Areopagita. Vsuvenire solet, ut ij quorum vita laudabilis, & sine querela, etiam aliquod in morte suæ virtutis post se vestigium relinquant: ita ut eorum mors, vitæ anteactæ symbolum sit & nota. Morti adjudicatus Dionysius, eam fortiter amplexus est; & se adstantium probra despiciens, *Vltimum,* inquiebat, *verbum Domini mei Iesu in cruce, sit ultimum mihi in hac luce: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Segerus in Chron.*

Ioannes abbas. Vide Actio, eiusque necessitas.

Constantinus Imper. Ille item moriens; *Trium,* inquit, *me pœnitet: cædis propinquorum, collati in Iulianum Imperatoris tituli, & mutatæ Religionis.* defecerat namq; ad Arrianos. *Zon. tom. 3. Annal.*

Theodosius M. Vnicum quoque huic in votis, filiorum pectori veram pietatem, quoad vixit, instillare. quod ut præstaret moriens, vocatis Honorio & Arcadio filiis; *Pietatem,* inquit, *excolite: eâ enim pax conservatur, bellum extinguitur, trophæa eriguntur, omnis deniq; victoria constat. Theod. lib. 5. Hist. Eccl. c. 25.*

Lotharius Franc. Rex. Lotharium etiam audiamus. Iam pænè animam agebat, &, *Hem!* inquiebat, *quam magnus ac potens est Rex ille cælestis, qui reges terrenos lentâ morte è solio deturbat. Corozet. de Dict. Fact. memorabil.*

Fredericus Dux Saxon. Iste etiam moriturus, se piè SS. Eucharistiæ & sanctarum precum viatico munivit. Cumque quidam eum solaretur, & ad fortiter ferendum, quod jam & Ducatu & vita excederet, incitaret: illud Patriarchæ respondit; *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen eius benedictum.* In Orat. funebri de eodem post mortem habitâ.

Henricus Marchio Misniæ. Piè pariter & religiosè illustris Marchio Henricus vitam finiit. Cùm enim jam jam morituro adessent cives sui, & fletus ac suspiria ingeminarent, ille eructans (ut est in Psalmo) verbum bonum, se Virgini matri, & Sanctorum cœtui, piorumque precibus commendabat, iisque qui circumstiterant fatalem thalamum; *Orate,* inquiebat, *ut beatus mihi in cælum ascensus detur. Ioan. Garz. de Reb. Saxon.*

Mortificationis.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

ARsenius abbas. Quemadmodum multum ad exuendum veterem hominem, & induendum novum, fit mortis secura meditatio: ita ut non parum ad idem conducit propriæ carnis, quoad in corpore situs, Mortificatio. Senserat id Arsenius. qui rogatus, cur aquam rariùs mutaret, cùm fœtore totam cellulam inficeret; respondit: *Lubens fœtorem hunc excipio, in locum odoramentorum, quibus in palatÿs Regumq; domicilÿs fui olim oblectatus: ut in Iudicÿ die, de inenarrabili illo gehennæ fœtore liberet me Dominus. In Vitis PP. par. 2. c. de virt. Patientiæ.*

S Franciscus. Attendebat & hic illud Apostoli; Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis: hinc tanto disciplinæ rigore sensus coercebat, ut vix necessaria naturæ ministraret. *Difficile,* dicebat, *necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parêre. D. Bonavent. in Vita eius, cap. 5.*

Idem. Rogatus, quásnam preces Deo gratiores existimaret; *Illas,* ait, *quas propriæ carnis comitatur mortificatio.* Hinc doctè & benè Iac. Billius in Emblem.

At tua ne fructus pede claudo vota sequantur,
Fac tua cum vitiis ut caro morte cadat.

Ara dup'ex templi quondam hoc sine voce docebat,
Thus una, at cæsas altera habebat oves.
Obtulit hic cæsas pecudes, qui membra necavit;
Qui pia vota facit, thus dedit ille Deo.

Motus.

§ JAMBICA.

Laxata somno mens ubi est motu caret.
Nihil sine motu, nec perit, nec nascitur.
Nulla ars sine motu, nullave est mutatio.
Per Deum, in Deo, movetur orbis, ejusq; omnia.

Mulieris.

§ SENTENTIÆ PATRUM
GRAECORUM.

CLemens Alexandrinus. Plena est ergo tota ecclesia iis qui per omnem vitam sunt meditati mortem, quæ excitat ad Christũ, sicut virorum, ita etiam mulierum temperantium. Licet enim ei qui ex more nostro vitam instituit, etiam absque literis philosophari, seu sit barbarus, seu Græcus, seu servus, seu senex, seu puellus, seu mulier. Est enim temperantia communis omnium hominum, qui eam suo arbitrio delegerint. Est autem apud nos extra controversiam, eandem naturam in vnoquoque genere, eandem etiam habere virtutem. Non aliam ergo habet naturam mulier, quod attinet ad humanitatem, aliam vero videtur vir habere, sed eandem: quare etiam virtutem. Si autem viri vtique virtus est temperantia & iustitia, & quæcunque eas consequi existimantur: soli viro convenit esse virtute præditum, intemperantem autem & iniustam mulierem. Atqui turpe est hoc vel dicere. Temperantiæ ergo & iustitię & cuiusuis alterius virtutis, similiter quidem virum & mulierem, liberum & servum, curam oportet gerere, quoniam accidit vt sit vna & eadem virtus eiusdem naturæ.

Atque, quod sit quidem eadem natura fœminæ quæ viri, quatenus est fœmina, non dicimus. Omnino enim convenit vtrique eorum esse aliquam differẽtiam, per quam vnum quidem eorum fœmineum, alterum vero factum est masculinum. Vterum ergo gestare & parere, fœminæ adesse dicimus, quatenus est fœmina, non quatenus est homo. Si autem viri & fœminæ nulla esset differentia, utrumque eorum eadem ageret & pateretur. Quatenus ergo est idem, eo quod sit eadem anima, veniet ad eandem virtutem: quatenus autem diversum per proprietatem corporis, ad vtero gestandos fœtus, & servandam domum. Volo enim, inquit Apostolus, vos scire, quod cuiusuis viri caput est Christus, caput autem mulieris vir. Non est enim vir ex muliere, sed mulier ex viro. Sed neque mulier est separata à viro, neque vir separatus à muliere in Domino. Sicut n. virum esse temperantem, & vincere voluptates oportere dicimus: ita etiam censemus mulierem esse oportere temperantem, & in pugna adversus voluptates exercitatam.

Dico autem, spiritu ambulate, & desiderium carnis non feceritis, præceptum consulit Apostolicum. Caro enim concupiscit adversus spiritum, Spiritus autem adversus carnem. Hæc ergo opponuntur, non ut malum bono, sed ut quæ pugnant utiliter. Subiungit itaque: Vt non quæ volueritis ea faciatis. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, idolorum cultus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut & prædixi, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, continentia, bonitas, fides, mansuetudo. Carnem, ut existimo, peccatores, sicut spiritum justos dixit.

Iam vero assumenda est fortitudo & magni animi virtus, pro animi fiducia & pro tolerantia, ut ei qui pulsat maxillam porrigatur alia, & ei qui aufert pallium, cedatur etiam tunica, iram coërcendo fortiter. Non enim tanquam Amazones aliquas ad bellicam virtutem exercemus fœminas, cum etiam homines velimus esse pacificos. Audio autem mulieres quoque Sauromatidas, non minus belligerari quam viros: & alias Sacides, quæ à tergo sagittant, simulantes fugere, æque atque viri. Scio etiam fœminas Iberiæ propinquas, & factis & laboribus virilibus vtentes, etiamsi vterum gestent & iam parturiant, nihil de ijs quæ sunt agenda remittere, sed sæpe in ipsâ laborum contentione, mulier quę peperit, infantem sublatum domum portat. Iam ergo mulieres, non minus quam masculi, & domum custodiunt, & venantur, & greges pascunt,

Acriter & cervi vestigia Cressa secuta est.

Est ergo philosophandum mulieribus similiter ac viris, etiamsi præstantiores masculi primas in omnibus partes ferant, nisi evaserint molles & effœminati. Universo ergo hominum generi necessaria est disciplina & virtus, si quidem tendant ad felicitatem.

Quomodo autem non temere scribit Euripides nunc hoc, nunc illud? Aliquando quidem, Est quævis viro conjux deterior, etiamsi optimus ducat probatissimam. Aliquando autem: Quævis pudica mulier est viri serva. Quæ autem non est pudica, eum qui una versatur superat amentia.

nil melius nil est præstantius usquam,
Concordes quam cum in tecto versantur eodem
Vir simul & mulier.

Caput ergo est id quod est principale, & quod principatum obtinet. Si est autem Dominus viri caput, mulieris autem vir, vir est Dominus uxoris, ut qui sit imago & gloria Dei. Quocirca dicit etiam in epistola ad Ephesios, subjecti invicem in timore Dei. Mulieres suis viris subjectæ sint, sicut Domino, quoniam vir est caput mulieris, ut etiam Christus caput ecclesiæ, ipse Salvator corporis: sed sicut ecclesia subjecta est Christo, ita etiam mulieres propriis viris in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam. Ita etiam viri debent diligere suas uxores, ut sua corpora. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim carnem suam unquam odio habuit. Iam vero in epistola quoque ad Colossenses inquit: Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri diligite uxores, & nolite esse amari in illas. *Libro quarto Stromatum.*

Idem paulò pòst: Ex his ergo nobis est aperta quæ est ex fide unitas, & ostensum est quis sit perfectus. Quare vel invitis aliquibus & valde resistentibus, etiamsi à marito vel à Domino impendeant supplicia, philosophabitur servus & mulier. Quin etiam liber quoque, etiamsi tyrannus ei mortem minitetur, etiamsi ducatur ad judicia, & trahatur ad ultima supplicia, & de facultatibus ac fortunis suis omnibus veniat in periculum, nullo modo abstinebit à pietate & vero Dei cultu, neque unquam ab eo dissentiet: mulier quidem quæ cum malo marito habitat, filius autem si malum habeat patrem, vel improbum dominum servus, forti ac generoso animo virtutem persequentes. Sed ut viro pulchrum & honestum, & pro virtute, & pro libertate, & pro seipso mori, ita etiam mulieri. Non est enim hoc proprium masculorum naturæ, sed bonorum. Et senex ergo & juvenis, & mulier & servus, mandatis obediens fideliter vivet, & si opus fuerit, morietur, quod quidem fuerit per mortem vivificari. Scimus quidem certe & filios & mulieres & servos sæpe invitis parentibus & maritis & dominis evasisse optimos. Non minus ergo prompto & alacri animo eos esse oportet, qui pie vitam sunt acturi, cum visi fuerint aliqui eos arcere: sed multo magis convenit contendere & egregie decertare, ne victi excidant ab optimis & maxime necessariis consiliis. Neque enim existimo ullam admittere comparationem, utrum sit melius adscribi in consortium omnipotentis, an dæmonum tenebras eligere. Quæ enim à nobis aguntur propter alios, ea semper agemus, ad illos conantes respicere propter quos videntur fieri, mensuram esse ducentes id quod est illis gratum. Quæ autem propter nosipsos potius quam propter alios aguntur, æquali studio à nobis fient, sive videantur aliquibus placere, sive non videantur. Quod si nulla ex iis quæ sunt indifferentia, tantum honorem sunt assecuta, ut etiam aliquibus invitis videantur esse expetenda ac eligenda, multo magis existimandum est esse pro virtute decertandum, non ut aliud aliquid respiciamus, quam id quod recte honesteque geri potest, sive id aliquibus aliis videatur, sive non.

Isidorus Pelosiota: Siquidem mulieres, cùm necessitas urget, diligentioribus, quàm viri, artibus uti, sinceriusque ad Deum perfugere consueverunt. *Lib.1. Epist.125.*

S. Isidorus Pelusiota. Mulierum congressus, vir optime, quantum fieri potest, fuge. Nam eos qui Sacerdotum munere funguntur, sanctiores ac puriores illis esse oportet, qui ad montes se contulerunt. Siquidem illi, & sui, & plebis, hi autem sui duntaxat curam gerunt. Atque illi in hujusmodi dignitatis fastigio collocati sunt, omnesque vitam eorum perscrutantur & explorant: hi autem in spelunca sedent, aut sua vulnera curantes, aut vitia obtegentes, aut etiam coronas sibiipsis texentes. Quòd si etiam, ut cum ipsis congrediaris, necessitas aliqua te obstringat, oculos humi dejectos habe, atque ipsas quoque, quônam pacto spectandum sit, doce (non enim duntaxat docendum est, quônam modo cernere oporteat, sed etiam, ut oportet, cernere.) Cumque pauca quæ ipsarum animos astringere atque illustrare queant, locutus fueris, statim avola: ne fortè diuturna consuetudo vires tuas emolliat, & infringat, atque, velut horrendum quendam & elatum leonem nacta, comam quidem quæ leonem verè leonem efficit, regiamque dignitatem ipsi conservat, amputet: dentes autem eripiat, atque ungues, quorum adminiculo robustissimas etiam feras vincit, evellat, ac deinde deformatum ac ridiculum redditum (animal inquam illud horrendum & intolerandum ac vel solo rugitu montes percellens) pueris etiam illudendum præbeat. Quòd si à mulieribus honore affici cupis, maximè quidem hoc spiritualem virum haudquaquam decet. Utut autem se res habeat, nihil tibi cum fœminis commercij sit, ac tum ab illis honorem consequêris. Tum enim hoc præsertim nobis aderit, cùm à nobis minimè quæretur. Solet enim quivis eos quidem à quibus colitur ac delinitur aspernari: eos autem, à quibus assentatione minimè demulcetur, admiratione prosequi. Ac muliebris natura huic potissimum affectui obnoxia est. Intolerandam enim se præbet, cùm quis ipsi blanditur: ac contra eos omnium maximè suspicit & admiratur, qui majore libertate præditi sunt, amplioreque authoritate apud eas utuntur. Quòd si te frequenter cum ipsis versari, nec ullo inde detrimento affici dixeris, id quidem fortasse mihi persuaderi sinam. At illud item velim, omnibus fidem adhiberi, à quibus lapides extenuari, ac rupem aquæ guttis continenter cadentibus excavari dicunt. Quorum verborum huiusmodi sensus est: Quid rupe durius fingi queat? Quid item aqua mollius, & quidem aquæ guttula? Et tamen assiduitas naturam vincit. Quòd si natura, quæ ægrè dimoveri potest, dimovetur, idque, quod minimè debebat, perperitur, qua tandem arte ac ratione voluntas, quæ facilè movetur, à consuetudine non vincatur & evertatur? *Lib.2. Epist. 284.*

S. Isidorus Pelusiota: Fœmineum genus magna ex parte loquax & curiosum est. *Lib.3. Epist.152.*

S. Isidorus Pelusiota: Mulier virgo quoque appellatur, etiamsi intacta sit: mulier ob formam, etiamsi integra sit: mulier ob naturam etiamsi masculi congressus expers sit. Quòd autem hoc à scopo minimè aberret, hinc liquet, quòd Paulus, cujus dictum nonnulli subdola interpretatione depravare minimè dubitant, de eo loquens, quòd Salvator secundum carnem ex sancta virgine Maria natus sit, his verbis usus est, factum ex muliere. Quid ais Paule? Virginē mulierem appellas? Ita, inquit: mulierem ob naturam appello, virginem autem mente teneo. Mulier enim est virgo, etiamsi alioqui à virili contactu aliena sit. Mulier ob speciem & effictionem: virgo propter integritatem & puritatem. *Lib.3. Epist.176.*

¶ Oratorum Graecorum.

Lysias: Tandem verò mater ipsorum supplicabat & obsecrabat, ut patrem suum & amicos convocarem, dicens, quamvis hactenus insolitum esset mulierem habere orationem inter viros; calamitatis tamen magnitudine se coactum iri, ut omnium suorum incommodorum ipsos faciat certiores. *Cap. 4. Orationis 34. contra Diogitonem.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Lysistr. v.9.

Mihi Calonica, pectus imum accenditur,
Nostrique sexus multa contristor vicem,
Quod versipelles esse nos putant viri
Vafrasque. C. tales quippe, per Iovem, sumus.

Ibidem versu 42.

Quod facinus ausint feminæ illustre aut catum?
Cultu sedentes quæ nitemus florido,
Comptis capillis, & crocota lutea,
Tunicam gerentes rectam & altos mulleos,
Et purpurissum, transque lucentes sinus.

Mox versu 54.

Nonne heic adesse feminas oportuit?
C. Imo volantes convenire jam diu.
L. At prorsus ipsas esse noris Atticas;
Nil non agentes, præter id quod expedit.

Deinde versu 138.

Quàm feminæ omnes urimur libidine?
Abominantur jurè nos tragœdiæ:
Nam præter æquor alveosque nil sumus.

Versu 143.

——— Durum est nimis
Dormire solas mentula absque feminas.

Aristophanes Lysistr. v.687.

Quippe si quis vel pusillum feminis ansam duit
Nil remittent impudentis postmodum ferociæ,
Quin statim instruentque classem, seque mox ad prælium
Comparabunt navigantes instar Artemisiæ:
Sin equestris cura pugnæ, Trossulos nihil moror,
Namque equis perita gaudet, invehitque firmiter
Femina, haud cursu movetur: non vides Amazonas
Quas Micon equis sedentes pinxit, & contra viros
Præliantes fortiter. Quid multa? cervix omnium
Feminarum perforato est vincienda stipite.

Aristophanes Thesmophoriar. v.398.

Multas patitur ab Euripide contumelias, qui
Dolosas, mores occultantes, meretricesque vocat,
Vinolentas, proditrices, loquaces,
Nihil sanum vel bonum, magnum viris malum.
Quare statim ingredientes à tabulatis theatri
Torvè aspiciunt nos, explorantque protinus,
Num mœchus intus sit aliquis occultatus.
Facere autem amplius nobis nihil quemadmodū & ante hac
Licet. Talia iste docuit mala
Viros nostrum, ut si aliqua texat
Mulier coronam, amare videatur. & si ejecerit
Vasculum aliquod per domum errans,
Maritus interrogat, cuinam fracta est olla?
Non est, quomodo non Corinthio hospiti.
Laborat morbo virgo aliqua. statim frater dicit,
Color hic mihi non placet puellæ

Esto, mulier aliqua supponere vult,
Carens filijs: ne hoc quidem licet occultum esse.
Viri enim jam assident propè.
At senesque, qui antehac puellas
Ducebant, vituperavit, ut nullus senex
Ducere velit uxorem propter carmen hoc,
Domina enim seni sponso uxor.
Deinde ob id mulieribus cubiculis
Signacula injiciunt, & obsignant jam & pessulos,
Observantes nos, & insuper molossos
Alunt, larvas ac terricula adulteris canes.
Et hæc quidem cognoscite affatim nobis antehac,
Ipsis cellam promptuariam custodiri proponentibus & volentibus accipere
Farinam, oleum, vinum, ne hæc quidem amplius
Licet viri enim iam claviculas
Ipsi gestant occultas, callidissimas, ac maxime malignas,
Laconicas quasdam treis habentes claviculos.
Sed prius quidem certè licebat aperire fores,
Facientibus annulum triobolo & vili precio.
Nunc verò iste ipsos verna Euripides
Docuit minuta, & quasi à tineis corrosa habere sigilla
Appensa habentes.

Aristophanes Thesmophoriarum. v. 537.

Verùm est impudentibus natura mulieribus
Nihil peius ad omnia, præterquam mulieres.

Ibidem versu 547.

——Vnam non scilicet diceres
Huius ætatis mulierum Penelopen, Phædras simul omnes.

Plautus Amphitr. 2. sc. 2. v. 72.

Non tu scis, Bacchæ bacchanti si velis adversarier,
Ex insana insaniorem facies: feriet sæpius.
Si obsequare, una resolvas plaga.

Plautus Cistellariæ 1. sc. 1. v. 66.

——At mihi
Cordolium est. G. quid id? unde est tibi cordolium? commemora obsecro.
Quod neque ego habeo, neque quisquam alia mulier, ut perhibent viri.

Plautus Cistellariæ 4 sc. 2. v. 12.

Nil sum scitior, quæ hos rogem, aut quæ fatigem,
Qui semper malo muliebri sunt lubentes?

Plautus Curcul. 5. sc. 1. pr.

Antiquum poetam audivi scripsisse in tragœdia:
Mulieres duas peiores esse quàm unam. res ita est.

Plautus Milite 2. sc. 2. v. 36.

Domi habet animum falsidicum, falsificum, falsiiurium,
Domi dolos, domi delenifica dicta, domi fallacias
Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala.
Domi habet hortum & condimenta ad omnes mores maleficos.
Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam,
Qui arguet se, eum contra vincat iureiurando suo.

Plautus Milite 2. sc. 3. v. 14.

Non ego possum, quæ ipsa sese venditat, tutarier.

Plautus Milite 2. sc. 5. v. 54.

Neque eques, neque pedes profectò quisquam tãta audacia,
Qui æquè faciat confidenter quidquam, quã quæ mulieres
Faciunt.

Plautus Milite 3 sc. 3. v. 14.

Si quid faciendum est mulieri male atque malitiose,
Ea sibi immortalis memoria est meminisse & sempiterna.
Sin bene quid aut fideliter faciendum est, eò deveniunt,
Obliviosæ extemplo uti fiant: meminisse nequeunt.

Plautus Milite. 4. sc. 7. v. 9.

Mulier profectò nata est ex ipsa mora
Nam quævis alia, quæ mora est æquè, mora,
Minor ea videtur, quam quæ propter mulierem est,
Hoc adeo fieri credo consuetudine.

Plautus Pœnulo 1. sc. 2. pr.

Negotij sibi qui volet vim parare,
Navem & mulierem hæc duo comparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negotij
Habent, fortè si occeperis exornare.
Neque unquam satis hæ duæ res ornantur,
Neque eis ulla ornandi satis satietas est.
Atque hæc ita loquor, nunc modò doct a dico.
Nam nos usque ab aurora, ad hoc quod diei est,
Postquam aurora illuxit, nunquam cessavimus
Ex industria ambæ nunquam concessavimus
Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi & unà
Binæ singulis quæ datæ nobis ancillæ:
Eæ nos lavando, eluendo operam dederunt:
Aggerundaque aqua sunt viri duo defessi.
Apage sis negotij quantum in muliere una est:
Si verò duæ, sat scio, maximo uni
Populo cuilibet plus satis dare potis sunt.
Quæ noctesque diesque omni in ætate semper
Ornantur, lavantur, terguntur, poliuntur.
Postremò modus muliebris nullus est,
Neque unquam lavando & fricando scimus
Facere. en iam! quæ elauta est, nisi
Perculta est, meo quidem animo quasi illauta est.

Plautus Pœnulo 1. sc. 2. v. 33.

Soror, cogita amabo, item nos perhiberi
Quasi salsa muriatica esse autumantur
Sine omni lepore, & sine suavitate,
Nisi multa aqua, & diu, macerantur,
Olent, salsa sunt, tangere ut non velis: item nos sumus
Eiuscemodi, mulieres sunt insulsæ
Admodum atque invenustæ sine munditia & sumptu.

Plautus Pœnulo 5. sc. 3. v. 26.

Tace, atque parce muliebri supellectili.
A. Quæ ea est supellex? P. clarus clamor, sine modo.

Plautus Pœnulo 5. sc. 4. v. 31.

Multa sunt mulierum vitia: sed hoc è multis maximum est,
T. Eò tacent, quia tacita bona est mulier semper quã loquẽs.

Plautus Rudente 4. sc. 4. v. 69.

Quid? istæ mutæ sunt, quæ pro se fabulari non queant?
T. Eò tacent, quia tacita bona est mulier semper quam loquens.

Plautus 1. sc. 2. v. 46. Sticho.

——Vostrum animum adhiberi volo,
Nam ergo ad vos nunc imperitus rerum & morum mulierum,
Discipulus venio ad magistras. quibus matronas moribus,
Quæ optimæ sunt, esse oportet, sed utraque ut dicat mihi.
P. Quid istuc est, quod huc exquisitum mulierum mores venis?
A. Pol ego uxorẽ quæro, postquam vestra mater mortua est.
P. Facile invenies & peiorem & peius moratam, pater,
Quàm illa fuit: meliorem neque tu reperies, neque sol videt.
A. At ego ex te exquiro, atque ex istac tua sorore. P. edepol pater,
Scio ut oportet esse, si sint ita, ut ego æquum censeo.
A. Volo scire ergo, ut æquum censes. P. ut per urbem cùm ambulent,
Omnibus os obturent, ne quis meritò maledicat sibi.
A. Dic vicissim nunc iam tu. Q. Quid vis tibi dicam pater?
A. Vbi facillimè spectatur mulier, quæ ingenio est bono?
Q. Cui malefaciundi est potestas, quæ ne faciat, id tẽperat.
A. Haud male istud. age tu altera, utra sit conditio pensior,
Virginem an viduam habere? P. Quanta mea sapientia est,
E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.
Qui potest mulieres vitare, vitet: ut quotidie
Pridie caveat, ne faciat quod pigeat postridie.
A. Quæ tibi mulier videtur multo sapientissima?
Q. Quæ tamen cùm res secundæ sunt, se poterit noscere:
Et illa, quæ æquo animo patietur sibi esse peius quam fuit.

Plautus Trinummo 3. sc. 3. v. 62.

Vxorem quoque ipsam hanc rem ut celes, face.
Nam pol tacere nunquam quidquam est quod queat.

Plautus Trucul. 2. sc. 8. v. 9.

Num quippiam avarum, ut ad mores mulierum?

Terentius Andriæ 4. sc. 4.

——Ha, ha, ha!
Mirum verò, impudenter mulier si facit.

Terentius Eunuchi 4. sc. 7.

Quid nunc agimus? GN. quin redeamus: iam hæc tibi aderit supplicans
Vltrò. THR. Credis? GN. Imò certè, novi ingenium mulierum:
Nolunt ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultrò. TH. bene putas.

Terentius Hecyræ 2. sc. 1.

Proh Deum atque hominum fidem, quod hoc genus est? quæ hæc coniuratio,
Vt omnes mulieres eadem æquè studeant, nolintque omnia?
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias:
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus. viris
Esse adversas, æquè studium est, similis est pertinacia.
In eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.

Terentius Phorm. 4. sc. 5. fine.

——Mulier mulieri magis congruet.

P. Syrus Mimus.

Cùm sola cogitat, male cogitat.
Mulier quæ multis nubit, multis non placet.
Feminarum curam gerere, desperare est otium.

Floridus.

Omnis mulier intra pectus celat virus pestilens.
Dulce de labris loquuntur, cordè vivunt noxio.

¶ Apologi.

De Muliere à viro verberata, quæ se mortuam simulabat. Fab. 182.

Mulier quædam à viro multis verberibus affecta, se mortuam simulabat, quò marito timorem incuteret, retento enim anhelitu, immobilis resupina jacebat. Vir sagax & mulieris fraudum non ignarus: bestia, inquit, mortua pelle nudanda est: arreptoque cultro, à pedibus pellem diripere cœpit: Uxor sentiens quorsum sua tenderet simulatio, pedem retrahens, ilico resurrexit.

Fabula indicat, quod viro prudenti frustra muliebres tenduntur insidiæ. Abstemius.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

Salomon: De Muliere placida & leni disserit, Proverb. 11.16. & Eccles. 7.29. de sapiente Proverb. 14.1. de timente Deum, Prover. 31. 30. Quòd sapiens & bona rara sit aut nulla, Eccl. 7.29.30. de lasciva & stulta, Proverb. 11.22.

Ephraim Syrus: Fama est, mulierem quandam parum pudicam, Ephraimo Syro, monacho eximiæ vitæ & doctrinæ, in angiportu data opera aut mercede à malis hominibus conducta occurrisse, illumq; intentis oculis aspexisse. Eum autem acriter increpasse mulierem, jussisseque ut terram intueretur. Mulierem verò respondisse: Quomodo possum ipsa istud facere, quæ non ex terra, sed ex te edita sum? est enim æquius ut tu terram aspicias, ex qua ortum habes: ipsa autem ut te intuear, unde procreata sum. Itaque Ephraim mulierem valde admiratus, quod inter eos acciderat, libro quodam accuratè descripsit. *Sozomen. lib. 3. eccl. hist. c. 15.*

Pambo: Ferunt Pambonem, monachum Ægyptium, Athanasii episcopi accersitu ex solitudine Alexandriam profectum, cùm ibi videret mulierem in pompa sumptuosiùs exquisitiusque ornatam, quo homines ad se spectandam invitaret, lachrymas profudisse: atque quibusdam ex illis qui aderant rogantibus, quid esset causæ cur lachrymaret? respondisse, se duabus rebus fuisse commotum, una quòd mulierem videret sibi exitum parare: altera, quòd ipse non tanta cura ac studio ad placendum Deo, quanto illa ad hominibus flagitiosis blandiendum, incumberet. *Socrat. eccl. hist. libr. 4. capit. 18.*

Idem: Fœminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, nec quidem germana soror, quæ vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui sui filia, & fratris sui filiæ quæ pariter Deo serviebant: quas personas sanctorum episcoporum concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò, quia & si de sorore & neptibus secum commorantibus nulla nasci possit mala suspicio, tamen quoniam illæ personæ sine aliis necessariis secumque manentibus fœminis esse non possent, & quòd ad eas etiam aliæ afforis intrarent, de iis posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci, & illas qui cum episcopo vel quolibet clerico manerent, ex illis omnibus fœminarum personis una commorantibus aut adventãtibus, tentationibus humanis posse perire, aut certè malis hominũ suspicionibus pessimè diffamari: ob hoc ergo dicebat nunquam debere fœminas cum servis Dei, etiam castissimis, in una manere domo: ne (ut dictum est) aliquod offendiculum, tali exemplo, poneretur infirmioribus. Et si forte ab aliquibus fœminis, ut videretur vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis unquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset. *Possidonius in vita Augustini, c. 26.*

D. Martinus: Mulier virorum castra non adeat, acies militum separata consistat: procul fœmina in suo degens tabernaculo sit remota. contemptibilem enim reddit exercitum, si virorum cohortibus turba fœminea misceatur. Miles in acie, miles pugnet in campo: mulier se intra murorum munimenta contineat. Habet & illa gloriam suam, si pudicitiam viro absente servaverit: cujus hæc prima virtus, & consummata victoria est, non videri. *S. Severus, dial. 2.*

Icasia: Theophilus Imperator, uxorem ducturus, multas formosas puellas undecunque accersivit: inter quas & Icasia virgo, tum forma præstantior cæteris, tum erudita, tum illustri genere nata. Dum igitur eas spectans circumit, aureum pomum manu tenens, quod ei, quę placuisset, conjugi pignus daret: cùm ad Icasiam venisset, ejus pulchritudinem admiratus: *A muliere*, inquit, *emanarunt mala.* cui illa placidè & cum honesto rubore solerter respondit, *Sed & res meliores è muliere exuberant.* At ille virginis oratione velut attonitus, ea præterita, malum aureum Paphlagoniæ Theodoræ dedit. Icasia repulsæ dolore monachalem vestem induit, &c. *Cuspinianus ex Zonara.*

Mulieris ejusque fugæ.

¶ Apophthegm. Christian.

A*Rsenius Erem. Abbas:* Mulier, quam malum necessarium & exornatam Scyllam dixit Secundus Philosophus, levi calamo circumscribamus. ne quæ Sapientiæ principibus plerisque, nobis etiam suave at execrandum nepenthes propinet. Quare eam cane pejus & angue evitant omnes ij, qui ad honoris veræque virtutis apicem conscendere enituntur. Venerat longis itineribus matrona Romana Arsenium videndi tacta desiderio: cui postquam se conspiciendum præbuisset, rogat illa, sui memoriam in precibus haberet. qui, *Imò verò*, inquit, *dabo operam, idq; seriò, ne tui umquam ampliùs meminisse queam. Surius in Vita.*

Ioannes Anachoreta: Di! quàm iste etiam magnus in hac cautela! rogabat eum Tribunus ut se uxori suæ præberet vel semel conspiciendum. Jam enim pio ejus desiderio aliquamdiu tenebatur: *Nequaquam ita fecero*, ait; *sed per quietem me illi appariturum spondeo.* verum fuisse declaravit eventus. O magnæ perfectionis virum, qui imaginem sui dormienti fæminæ conspiciendam mittere potuit, ad quam accedere non potuit. *Marul. l. 4.*

Sabas Monachus: Erat in itinere cum altero monacho sibi collega. & ecce in occursum venit juvencula venusta & lascivis oculis. Sabas sui comitis ingenium tentans, rogat; Qualis tibi videtur illa? mihi certè lusca, unoque oculo visa. Negat ille, & pertinax contrarium sustinet, eò quòd accuratiùs eam esset intuitus. Tum Sabas: *Numquam legisti*, inquit, *Nec capiaris nutibus illius?* cumque longo tempore in claustro detinuit. *Sur. in Vita.*

Pion Abbas: Ille etiam in tantum à fæminarum aspectu abhorruit, ut ad sororem ab Antonio missus, illius cubile oculis clausis ingressus fuerit, abieritque. Illa verò inclamante, & iteratò invitãte; *Et fui*, inquit, *tecum, & quod optaveras, vidisti me.* Ita abiit. *Marul. lib. 4.*

S. Augustinus: Percontanti, cur sororem cohabitare sibi nollet; *Quia*, inquit, *quæ cum sorore mea sunt, non sunt meæ sorores.* Ejusdẽ etiam præclarum illud: *Malum est mulierem videre, peius alloqui, pessimum tangere.* Causam indicat Hieron. lib. 1. cont. Jovin. Quia mulieris amor insatiabilis est, & semper accenditur, & post culpam rursum est inops, animumque virilem effæminat: & excepta passione quam sustinet, aliud non finit cogitare. *Posid. in vita August. c. 26.*

Clotarius II. Franc. Rex: In regem electus, fines Austrasiæ animi gratia visitavit. at Bruchenildis plurimorum cæde audax, legatos ad eum mittit, Gallia cedat. cui ille, fæminæ temeritatem & superbiam indignatus; *Moris est fæminam viris subiici: neq; de distribuẽdis regnis, invitis inscijsq; Proceribus agere.* Benè & verè Juvenalis Sat. 6.

> *Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,*
> *Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm*
> *Auribus extensis magnos commisit elenchos.*

Gaguin. lib. 2. De reb. Gall.

Quære Apopht. de Uxore.

Multitudinis.

¶ Sententiæ Græcorum.

D. *Chrysostomus:* Λογίαν, id est collectam vocat collectionem, statim ab initio faciens rem levem. nam quando ab omnibus confertur, unicuique fit leve quod constituitur. *Homilia 42. ad Corinth. 1.*

¶ Romanorum.

Ennodius Paranesi didascalica: Fides sicut in emendatis moribus principem locum obtinet, ita suis spoliata dotibus non tenetur: nec fas est quasi singulare occupari, quod constat ex pluribus. Nobilia serta nisi multiplicibus pratorum non componuntur spoliis: ex variis gemmis una diadematis solet constare formatio. Semper admirabilis electri corpus numerosa metallorũ membra pepererũt.

Plinius Iunior: Nec verò ego dum recito, laudari, sed dum legor, cupio, itaque nullum emendandi genus omitto; ac primum quæ scripsi mecum ipse pertracto: deinde duobus aut tribus lego: mox aliis trado annotanda, notasque eorum si dubito, cum uno rursus aut altero pensito. novissimè plurib. recito; ac si quid mihi credis, tunc acerrimè emendo. nam tanto diligentius quãto sollicitius intendo. Optimè a. reverentia, pudor, metus judicãt. idq; adeo sic habe. nonne si locuturus es cũ aliquo, quamlibet docto uno, tamẽ minus commoveris quàm si cum multis vel indoctis? nonne cùm surgis ad agẽdum tũ maximè tibi ipsi diffidis? tũ cõmutata non plurima, sed omnia cupis? utiq; si latior scena, & corona diffusior. nam illos quoq; sordidos pullatosq; reveremur. nõne si prima quęq; improbari putes, debilitaris & cõcidis? opinor. quia in numero ipso est quoddã magnũ collatũq; cõsiliũ; quibusq; singulis judicii parũ, omnib. plurimũ. Itaq; Põponius secũdus scriptor tragædiarũ, si quid forte familior amicꝰ tollẽdũ, ipse retinẽdũ arbitraretur, dicere solebat. *Ad populum provoco:* atq; ita ex populi vel silẽtio vel assensu, aut suã, aut amici sentẽtiã sequebatur. tantũ ille populo dabat. rectè an secꝰ, nihil ad me. ego n. nõ populũ advocare, sed certos electosq; soleo, quos intuear, quib. credã, quos deniq; & tanquã singulos observẽ, & tanquã nõ singulos timeã. nã ꝙ M. Cicero de stylo, ego de metu sentio, Timor emẽdator acerrimꝰ. hoc ipsum ꝙ nos recitaturos cogitamꝰ, emẽdat. ꝙ auditoriũ ingredimur emẽdat, ꝙ pallemꝰ horrescimꝰ circumspicimꝰ emẽdat. proinde nõ pœnitet me cõsuetudinis meę, quã utilissimã experior. adeoq; nõ deterreor sermũculis istorũ, ut ultrò te rogem, mõstres aliqd ꝙ his addã; nihil. n. curæ meæ satis est. Cogito quã sit magnũ dare aliquid in manꝰ hominũ; nec persuadere mihi possum, nõ & cum multis & sæpe tractandum, quod placere & semper & omnibus cupias. *Epist. 17. lib. 7.*

¶ Po-

¶ Poetarum.

Phœdrus Fab.63.pr.

Plus eſt in uno ſæpe quam in turba boni.

& fine:

Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Vnius hominis repperit ſolertia.

¶ Apologi.

Æſopi Leana & Vulpes. Leæna convicianti & objicienti Vulpi, quod unicum omnino ederet catulum. Unicum reſpondit, ſed Leonem.

¶ Emblematis.

Camerarius XIII. Centur. I.

Me copia perdit

Rumpitur innumeris arbos uberrima pomis.
Et ſubito nimiæ præcipitantur opes.

¶ Monosticha Trochaica.

Copia eſt ubi improborum ibi improbitas nullo eſt probro.
Haud gravis nota eſt quam turba damnatorum ſublevat.
Lympha ponti paula flammas non ſopit, mage excitat.
Imperita multitudo quando non duce indiget?
In turbam conjecta tela ſemper aliquem vulnerant.
Multitudo conſternata jam regi imperio nequit.
Multitudo non ratione ducitur ſed impetu.
Multitudinem facillimè in infortunium inferas.
Non ſtat ſed ruit, judicio qui ſtat multitudinis.
Pro nullo ſapienti mille ſunt, unuſque ei mille ſunt.
Promptius fœnum ſecatur rariore ſpiſſius.
Pronius tecum trahere omnes, quam cavere ſingulos.
Sarcina haud gravat ferentes colla multa quam tenent.
Turbam rerum hominumq; quærũt, qui ſe neſciunt pati.

¶ Jambica.

Culpam minimè minuit numerus peccantium.
Curas duas ægrè ſimul mens ſuſtinet.
Damnum facile eſt, ſuperante multitudine.
Feram ne ſolus ferre quod cuncti abnuunt?
Lepores duos qui ſequitur, neutrum intercipit.
Mens una prudens mille vincat dexteras.
Mox multitudo accenditur licentia.
Multis rei perit pudor peccantibus.
Nil multitudo contra virtutem poteſt.
Non elevat delictum turba errantium.
Numerus ſceleri cuicumq; pondus adjicit.
Patrare multa, multam habet moleſtiam.
Pro millibus centum, mihi unus eſt Cato.
Quo denſius fœnum hoc ſeces ſuavius.
Tollit rei pudorem agmen peccantium.
Vbiq; turba eſt argumentum peſſimi.
Vexatur inter plurimas canes Lupus.
Virtus nequit ſuccumbere multitudini.

Mundi.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus:* Crede mundum univerſum, tam qui oculis cernitur, quàm qui oculorum obtutum fugit, à Deo ex nihilo creatum eſſe, & creatoris providentia gubernari, foreque aliquando, ut in præſtantiorem ſtatum immutetur. *Orationis 40. ferè extremo.*

D. Greg. Nyſſenus: Terrei quidam planè parietes ſunt omnia, quæ in univerſitate rerum ſub ſenſum cadentia conſpiciuntur, minus alto animo præditis quaſi pariete per ſeſe objecto earum rerũ, quæ mente atq; intelligentia cernuntur contemplationi officientia & obſtantia. Terram, qui talis eſt, aquam, aërem, ignem dumtaxat intuetur: unde autem horum unumquodque ſit, aut per quẽ, aut à quo coerceatur, comprehendatur & contineatur, perſpicere præ animi exiguitate non poteſt. Ac veſtem quidem aliquis conſpicatus, rationibus eo adducitur, ut textorem agnoſcat, per navem, fabricatorem ejus intelligit: itemque ſimulatque ædificium conſpectum fuerit, manus opificis ſpectantium menti obſervatur: iſti verò dum mundum intuentur, ad eum, qui per illum declaratur, cæcutiunt & hallucinantur. *de anima ac reſurrectione.*

D. Chryſoſtomus: Sicut Sol in multas maculas immittens radios, rurſus eos contrahit & reddit mundos; ita nos quoque, & multo magis in mundo verſantes puri & mundi permanemus ſi velimus, quo etiam majores vires habemus. *Homilia 25. ad Cor. 1.*

D. Chryſoſtomus: Neque enim quidquam hîc magni momenti eſt, non læta, non moleſta, non ſcommata, non humanæ laudes. *Homilia 3. ad Corint. 2.*

S. Iſidorus Peluſiota: Ubicunq; ordo aliquis eſt, ibi neceſſarius eſt ordinis auctor & princeps: Et ubicunque equitium aliquod, ibidem præfectus equorum requiritur: Et ubi navis, ibi gubernator atque artifex: Et ubi muſica inſtrumenta, ibi & muſicus eſt manifeſtus. Oportet igitur etiam in opificio mundi illum inviſibilem (ejus opificem) contemplari, ratiocinationibus, non oculis; mente, non aſpectu corporeo. *lib. 4. Epiſt. 186.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Quot modis vis probemus mundum regi, ratione, an exemplis, an teſtimoniis. Si ratione, quis non agnoſcat pulcerrimum iſtud opus & ineſtimabilem ſupernarum infernarumque rerum magnificentiam ab eodem regi à quo creata ſit; quemque elementorum fabricatorem, eundem etiam gubernatorem fore; qui cuncta ſcilicet qua poteſtate ac majeſtate condiderit, eadem etiam providentia ac ratione moderetur? præſertim cùm etiam in his quæ humano actu adminiſtrantur, nihil penitus ſine ratione conſiſtat, omniaque ita à providentia incolumitatem, quaſi corpus ab anima vitam trahant. Ideoque in hoc mundo non ſolum imperia atque provincias, remque civilem ac militarem, ſed etiam minora officia, & privatas domos, pecudes deniq; ipſas & minutiſſima quæque domeſticorum animantium genera, non niſi humana ordinatione atque conſilio, quaſi quadam manu ac gubernaculo contineri. Et hæc omnia ſine dubio voluntate ac judicio ſummi Dei, ut eo exemplo omne genus humanum particulas rerum & membra regeret, quo ipſe ſummam mundani corporis. Sed in principio, inquis, creaturarum hæc ſunt à Deo conſtituta. ceterum patrata univerſitate, removit à ſe cunctam terreſtrium curam, laborem forte fugiens, & moleſtiam fatigationis, aut occupatus negotiis aliis, partem rerum reliquit, quia totum obire non poſſit. Et quæ ergo nobis divinæ religionis eſt ratio, quæ vel cauſa Chriſtum colendi vel ſpes propitiandi? Si enim negligit Deus in hoc ſeculo genus hominum, cur ad cælum quotidie manus tendimus, cur orationibus crebris miſericordiam Dei quærimus, cur ad eccleſiaſticas domos currimus, cur ante altaria ſupplicamus? nulla enim nobis ratio ſupplicandi, ſi ſpes tollitur impetrandi. Forte dices, nos metu futuri judicii Deum colere. Quid ergo ſibi vult Apoſtolus Paulus, præcipiens quotidie Deo offerri orationes, ut quietam & tranquillam vitam agamus in caſtitate? pro præſentibus ſupplicari jubet, quod non faceret, niſi exorare poſſe confideret. Quomodo ergo aliquis qui obtinendis futuri temporis bonis apertas Dei aures, pro præſentibus autem clauſas & obſtructas putat? aut quomodo nos in Eccleſia ſupplicantes, præſentem nobis ſalutem à Deo poſcimus, ſi audiendos nos penitus non putamus? nulla ergo nobis pro incolumitatibus atque proſperitatibus vota facienda ſunt: quin potius ut modeſtia ſupplicationis vocem conciliet poſtulantis, dicendum nobis eſt fortaſſe: Domine non proſperitatem vitæ iſtius petimus, nec ſupplicamus pro præſentib. bonis; ſcimus aures tuas heic clauſas: ſed pro his tantummodo petimus quæ ſunt futura poſt mortẽ. Eſto; poſtulatio talis utilitate non careat, quomodo ratione ſubſiſtit? ſi enim Deus à reſpectu huius ſeculi curam removit; qui non audit nos pro præſentibus, non audit etiam pro futuris: niſi forte credimus pro precum diverſitate aures ſuas Chriſtum vel tribuere vel negare. ſed tam ſtulta hæc ſunt & frivola, ut cavendum ſit, ne id ipſum quod pro honore Dei dicitur injuria Dei eſſe videatur. tanta quippe eſt majeſtatis ſacræ reverentia, ut non ſolum ea quæ ab illis contra religionem dicuntur horrere, ſed etiam quæ pro religione nos ipſi dicimus, cum grandi metu ac diſciplina dicere debeamus. Igitur ſi ſtultè atque impiè creditur quod curam humanarum rerũ pietas divina deſpiciat, non deſpicit, ſi non deſpicit regit. ſi regit, hoc ipſo quod regit, judicat: quia regimen eſſe non poteſt, niſi fuerit jugiter in rectore judicium.

Sed parum eſt fortaſſe, quod hæc ratio declarat, niſi probetur exemplis. Videamus qualiter mundum à principio Deus rexerit, & ita eum omnia ſemper gubernaſſe monſtrabimus, ut ſimul etiam judicaſſe doceamus. Quid ſcriptura dicit? formavit Deus hominem de limo terræ, &c. Quid poſtea? poſuit in paradiſo. Quid deinceps? Dedit legem, præceptis imbuit, inſtitutione formavit. Quid poſt hoc ſecutum? præteriit homo mandatum ſacrum, ſententiam ſubiit, paradiſum perdidit, pœnam damnationis excepit. Quis non in iis omnibus & gubernatorem Deum videat & judicẽ? Conſtituit Adam in paradiſo innocentem, expulit reum. in conſtitutione ordinatio eſt, in expulſione judicium. quando eum in loco voluptatis poſuit, ordinavit: quando eum de regno expulit, judicavit. Ergo hoc de primo homine, h.e. de patre: quid de ſecundo, h.e. de filio? Factum eſt, inquit ſcriptura ſacra, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primitiis gregis ſui, & de adipibus ejus. Et reſpexit Dominus ad Abel & munera ejus: ad Cain verò & munera ejus, non reſpexit. In hoc quod unius ſacrificium Deus ſuſcepit, alterius excluſit, evidentiſſimè utique & de unius juſtitia, ac de iniquitate alterius judicavit. Sed hoc parum eſt. cùm igitur futuro facinori viam ſternens, fratrem in ſolitudinem trahit, ſecretis patrocinantibus ſcelus peragit, impiiſſimus pariter & ſtultiſſimus, qui ad perpetrandum maximum ſcelus ſufficere ſibi credidit, ſi aſpectus vitaret hominum, fratricidium Deo teſte facturus, unde puto, quod hæc in illo jam tunc opinio fuerit, quæ nunc in multis eſt; Deum terreſtria non reſpicere, & actus ſceleratorum non videre. Nec dubium eſt, cùm poſt facinus admiſſum,

admissum, Dei sermone conventus, nihil se de fratris cæde conscium responderit; adeo inscium facti sui Deum arbitrabatur, ut crederet feralissimum nefas tegi posse mendacio.

Nam Deum, à quo non existimavit videri scelera cùm occideret, sensit videre cùm damnaretur. Hic nunc requirere ab illis volo qui negant res humanas vel respici à Deo, vel regi, vel judicari; an cuncta in his quæ diximus diversa sint? Puto enim quod præsens est, qui sacrificio interest: & regit, qui Cain post sacrificia castigat: & sollicitus est, qui ab interfectore interfectum requirit: & judicat, qui percussorem impium justa animadversione condemnat. In quo quidem etiam illud non incommodè, verùm ne miremur nunc sanctos homines quædam aspera pati, cùm videamus quod jam tunc Deus etiam per maximum nefas primum sanctorum sivit occidi. quæ quidem qua ratione patiatur, neque humanæ imbecillitatis est plena indagine cognoscere, neque hujus temporis disputare: interim probare satis est, omnia istiusmodi non negligentia aut incuria Dei fieri, sed consilio ac dispensatione permitti, &c.

Postque quindecim adhuc exempla, sequitur initio libri 2. Veniamus ad testimonia: Loquens in voluminibus suis Sermo divinus sic ait: In omni loco oculi Domini contemplantur malos & bonos. Ecce habes præsentem, habes intuentem, habes in omni loco cura ac provisione vigilantem. idcirco enim & bonos ab eo considerari & malos dixit, ut probaret scilicet, nihil ab eo negligi, quē ostenderet universa rimari. quod ut plenius capias, audi quid alio loco idem testatur Spiritus sanctus: Oculi Domini super timentes eum, ut eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Ecce cur aspicere justos homines Deus dicitur: utique ut conservet, ut protegat. aspectus enim divinitatis propitiæ, munus est conservationis humanæ. nam & alibi idem divinus spiritus, oculi, inquit, Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.

Vide qua benignitate agere cum suis Deum scriptura dicit. in hoc siquidem quod ait, oculos Domini super justos esse, affectus aspicientis ostenditur. inde autem quod aures in precibus paratas, semper exaudientis largitas demonstratur. quamvis id quod dicit divinas aures in precibus semper esse justorum, non audientia, tantum Dei, sed quædam quasi obedientia designetur. quomodo enim in precibus justorum divinæ aures sunt, nisi ut semper erudiant, nisi ut promptè audita tribuant, nisi ut illicò exaudita concedant? &c. *qua multis paginis sequuntur. lib. 1. de mundi gubernat.*

S. Salvianus: Quid tam furiosum est, quam ut aliquis cùm Deum creatorem rerum omnium non neget, gubernatorem neget; & cùm factorem esse fateatur, dicat negligere quæ fecit? quasi verò hæc ei faciendorum omnium cura fuerit, ut negligeret quæ fecisset: Ego autem in tantum eum curam creaturarum suarum habere dico, ut probem priusquam etiam crearet, habuisse.

Res ipsa hoc evidenter ostendit. nil enim faceret, nisi curam faciendi habuisset antequam faceret: præsertim cùm etiam in ipso humano genere nullus sit ferè tam hebes, qui ad hoc aliquid agat atque perficiat, ut quæ perfecta sint non curet. Nam & qui agrum excolit, ad hoc colit ut culta conservet: & qui vineam plantat, ad hoc plantat ut plantatam custodiat: & qui initia gregum præparat, ad hoc parat, ut curam multiplicandis gregibus impendat: & qui domum ædificat, vel fundamentum locat, etsi nondum habitationem paratam habeat, jam tamen ipsa quæ adhuc facere molitur, spe futuræ habitationis amplectitur.

Et quid de homine loquar, cùm etiam minima animalium genera, futurarum rerum affectu omnia diligant. Formicæ in subterraneis latibulis varia frugum genera condentes, ad hoc cuncta contrahunt, quia affectu vitæ suæ diligunt quæ recondunt. Apes cùm fundamina favis ponunt, vel cùm è floribus natos legunt, qua causa vel thymum jam, nisi studio & cupiditate mellis, vel flosculos quosdam nisi futuræ sobolis caritate sectantur? Deus ergo qui etiam minimis animantib. hunc affectum proprii operis inseruit, se tantummodo solum creaturarum suarum amore privavit? præsertim cùm omnis in nos rerum bonarum amor, ex illius bonitatore descenderit.

Ipse est enim fons & origo cunctorum; & quia in ipso & vivimus & movemur & sumus, ab ipso utique affectum omnem, quo pignora nostra amamus, accepimus. totus namque mundus, & totum humanum genus, pignus est creatoris sui: & ideo ex hoc quoque affectu, quo amare nos fecit pignora nostra, intelligere nos voluit, quantum ipse amaret pignora sua. Evidens quippe res est, quod super affectum filiorum nos diligit, qui propter nos filio non pepercit, filio justo, filio unigenito, filio Dei: & hoc pro nobis, id est pro malis, pro impiissimis, pro iniquis. *libro 4. de gubernatione Dei.*

¶ PHILOSOPHORUM.

Alcinous: Quoniam eorum quæ natura sensibilia sunt & singularia, definita quædam esse oportet exemplaria, ideas nimirum: quarum & scientiæ sint & definitiones (præter omnes enim homines, hominem aliquem animo concipimus, & præter equos omnes, equum aliquem, & ita deinceps præter animalia cuncta, immortale animal & ingenitum: quemadmodum ab uno sigillo plurima exprimuntur signa, & unius hominis imagines possunt esse multæ, quibus omnibus idea ipsa causa est, ut hujusmo. i fiat, cujusmodi & ipsa est,) Necesse est universum hunc mundum, opificium Dei pulcherrimum, ab ipso ita fabricatum esse Deo, ut ad aliquam ideam, quæ exemplar ejus esset, ipsa in fabricatione respexerit, dum mira quadam providentia atq; optima norma, ad hujus constructionem machinæ sese accingeret Deus: quia bonus erat.

Ex omni ergo ipsum materia genuit: quam quidem sine ordine ullo ante cœli generationem temere disjectam, ex confusione deformi, in pulchrum revocavit ordinem, numerisq; decentibus & figuris, ejus undiq; exornavit partes: donec ita distinxit, quēadmodū & nunc, ignis & terra, ad aerem atque aquam sese habent. quorum tunc solum vestigia, & aptitudinem quandam ad recipienda elemētorum potestatem habebant: atq; ita sine ratione ulla aut concinnitate concutiebant materiam, ab illaq; concutiebantur vicissim. Ex singulis enim quatuor elementis eum compegit integris: ex toto scilicet igni & terra, aqua atq; aere, nulla alicuius parte prætermissa aut potestate. Videbat enim corporeum debere esse & generari, tactuq; omnino ac visu percipiendum. Absq; verò ignis & terræ præsentia, nihil tangi viderive posse. Quare ratione optima, ex igne eum terraq; construxit.

Quoniam verò vinculum quoddam horum requirebatur medium, divinum autem vinculum est quod secundum rationis proportionem, simul seipsum & ea quæ vinciuntur unum efficit, planusq; nequaquam mundus esse poterat, (huic enim unum sufficeret medium) sed globosus: ideo duobus ad constitutionem ejus opus fuit mediis. Inter ignem ergo & terram ex rationis præscripto aer interjectus & aqua: ut quemadmodum se habet ignis ad aerem, ita se habeat aer ad aquam, utque aer ad aquam, sic & aqua ad terram: & contra. Quia autem nihil exterius relinquebatur, etiam unicum fecit mundum, ideæ videlicet suæ quæ unica est & ipsa, numero parem. Talem præterea, ut nec morbus unquam infestare illum possit aut senectus, quippe cùm nihil cadat in illum, à quo corrumpi esse videatur; tum ita se ipso contentum, ut nulla re externa opus habeat. Figuram autem illi dedit globosam, utpote omnium pulcherrimam capacissimamq; & ad motum facillimam. Et quoniam nec auditu, nec visu, nec ceteris indigebat sensibus, ideo sensuum ad ejusmodi ministerium nulla prorsus instrumenta addidit. Cæteras item motus species procul esse jussit, solumque qui in orbem incitatur concessit, ut qui mentis & prudentiæ sit proprius.

Et cum duo sint ex quibus constructus est mundus, corpus scilicet atque anima, quorum illud videtur & corrumpitur, hæc neq; videri potest nec tangi, utriusq; quoq; & vis diversa est & constitutio. Corpus siquidem ex igni, terra, aqua, compactum est & aere. Quæ quidem quatuor mundi artifex, cum nihil minus antea quam elementorum obtinerent ordinem, pyramide atque cubo, octaedro, atq; icosaedro, præcipue autem duodecaedro formavit. Quatenus ergo pyramidis figuram induit materia, ignis emicuit. Ea quippe figura secando maxime ac dividendo præ cæteris est apta, & ex paucioribus constat triangulis, ideoq; omnium figurarum est rarissima. Quatenus autem octaedron, aeris qualitatem assumpsit. At verò qua icosaedron, aquæ qualitatem accepit. Cubi verò figuram terræ est largitus, vt quæ solidissima atq; omnium sit elementorum stabilissima. Figura deniq; duodecaedri ad universi fabricam usus est. His vero omnibus magis ad principiorum naturam accedunt plana. Siquidem ea solidis priora sunt. Illius autem naturæ duæ quidam quasi genitores sunt trianguli, qui pulcherrimi rectanguli sunt, vnus Scalenus, alter Isosceles. Et Scalenus quidem est triangulus, qui vnum rectum habet angulum, alterum qui duos vnius recti trientes habet, tertium vnius recti triente finitur. Scalenus ergo triangulus pyramidis, & octaedri, atq; icosaedri elementum fit: cum Pyramis ex triangulis quatuor omnia latera æqualia habentibus constituatur, quorum quilibet in sex triangulos, quales modo dicti sunt, Scalenos, distribuitur. Octaedros verò ex octo similibus, quorum quisq; in sex triangulos Scalenos dividitur. Icosaedros ex viginti similiter. Isosceles autem triangulus, cubicæ elementum est figuræ. Quatuor enim hujus speciei concurrentes trianguli, quadratam absolvunt: sicut sex quadrata, cubum. Duodecaedron verò ad universi constitutionem adhibuit Deus: unde & animalium formæ duodecim in zodiaco conspiciuntur, quorum quodlibet in triginta secatur partes. Similiter quoq; in duodecaedro quæ ex pentagonis constat duodecim, quorum in triangulos dividuntur singuli, singulis rursus triangulis, sex Scalenos continentibus, atque ita in tota dodecaedro trecenti sexaginta reperiuntur trianguli, quot in zodiaco sectiones sunt.

His cum ab ipso Deo figuris esset materies formata, primo quidem rudibus vestigiis absq; ordine movebatur: donec in ordinem reducta est ab eo: singulaq; inter se apta conjuncta sunt proportione & composita. Neq; tamen hæc loco discreta manent, sed & ipsa in motu sunt perpetuo, eundemq; materiæ afferunt: ab ambitu enim mundi constricta pelluntur, atq; alternis ipsa pulsibus agitata feruntur, tenuia semper in regionem solidorum. Qua de causa nihil omnino inane relinquitur, nihil corporis vacuum: atque in illis permanens concussionem affert inæqualitas. Ab iis enim materia, & ista vicissim agitantur à materia.

Ex corporibus itaq;, animæ vires investigari voluit. Nam cum res singulas anima discernamus, rerum omnium merito huic indidit principia, ut quicquid occurreret, per id quod cognatū est ac vicinum illi contemplaremur, consonamque functionibus essentiam

tiam illi subjiceremus. Ergo cum intelligibilem quandam indivisibilemque esse diceret, alteram quoque circa corpora dividuam posuit essentiam: ut tam hujus quam illius parari intellectu cognitionem posse ostenderet. Et quia in rebus iis quæ ad intelligentiam iisque quæ ad sensum pertinent, aliud atque idem esse cognovit, ex iis omnibus jure constituit animam. At enim simili simile (ut Pythagoreis placet) aut quemadmodum Heraclito physico, dissimili semper dissimile cognoscitur. Cum verò genitū vult esse mundum, non hoc eum voluisse putandum est: ut tempus fuerit aliquod, quo mundus non esset: verum quia semper in generatione persistit, essentiæque suæ præstantiorem aliquam magisque principalem esse causam indicat. Anima præterea mundi, quæ semper fuit, non efficitur à Deo, sed ornatur tantum, eaque ratione illam facere nonnunquam asseritur, quod excitat eam, & ad seipsum ejus mentem velut ex torpore & profundo quodam somno convertit; ut intelligibilia ejus intuens, ejusque notiones affectans, species inde recipiat formasque. Unde perspicuum est, & anima esse & mente donatum esse mundum à Deo. Nam quum optimum hunc esse vellet, meritò quoque animatum atque intelligentem efficere debuit. Siquidem opus animatum inanimato, totum toto est præstantius, ut & non intelligente, id quod inelligit. Fortè etiam nec sine anima mens potuisset subsistere.

Cumque anima à mundi medio ad extrema usque diffunderetur, totum mundi circumcirca corpus est complexa. Ita ut per totum extendatur universum, atque eo modo jungat totum & conservet. Adeo ut externa ejus præsint internis. Quippe cum illa quidem non dividantur, hæc vero in septem divisa sint circulos, à principio secundum dupla & tripla distributa intervalla. Et illa quidē, quæ ab individua comprehenditur sphæra, eidem respondet: quæ secatur autem, alteri. Motus enim cœli qui comprehendit omnia, cum minime vagetur, unus est & ordinatus. At verò interiorum varius, ortibusque permutatur & occasibus: unde & erraticus nuncupatur. Et extimus quidem orbis, ad dextra, ab ortu in occasum fertur. Interior autem contrà ad sinistra ab occidente in orientem, mundo occurrens. Stellas præterea & astra Deus ipse condidit, & horum quædam inerrantia, ad cœli, noctisque ornatum: quorum numerus est maximus. Quæ vagantur autem numero septem, ad numeri temporisque originem, & omnium quæ sunt demonstrationem. Tempus etenim mundani motus intervallum fecit, veluti quandam æternitatis imaginem. quæ æternæ mundi mansionis mensura est. Errantium quoque syderum vis non est eadem. Quorum Sol dux est omnium, qui illustrat exhibetq; oculis res omnes. Luna deinde, quod ad potestatem, secundum obtinet ordinem. Cæteri verò Planetæ secundum proportionem pro sorte propria singuli. Luna siquidem mensis mensuram conficit: eo spatio circulum permensa suum, solemq; assecuta. Sol autem anni mensura: quippe Zodiaco ter peragrato circulo, anni complet tempora.

Cæterorum quoque syderum quodlibet proprios conficit ambitus. Qui quidem non à quibuscunque, sed ab eruditis videntur hominibus. Ex omnibus demum revolutionibus absolutus numerus tempusque completur, cum ad idem punctum omnes regressi, cum habebunt inter se ordinem, ut si animo recta concipiatur linea, ab inerrante sphæra in terram ad perpendiculum producta, omnium in hanc lineam concurrere puncta videantur. Cum igitur septem sphæræ sint in sphæra errante, in iis corpora septem conspicua mundi conditor ex materia quam plurima fabricavit ignea, eaque sphæris ex altero vagoque circulo participantibus adnexuit. Ac Lunam quidem circulo à terra primo dicavit. Solem verò secundo. Luciferum deinde & sacrum Mercurii sydus in eo cujus cum sole par est & velox æque conversio, ab hoc verò recedit, imposuit. Supra verò reliqua, secundum propriam cujusque sphæram. Tardissimam quidem omnium Saturni stellam in proxima inerrantibus sphæra collocavit. Ab hac tarditate secundam, quam Jovis dicunt. Huic Mars deinde successit. Octava demum quæ suprema est potestas hæc circumplexa est omnia. Hæc autem omnia, animalia intellectu prædita, & Dii, & globosa sunt figura prædita. *libri de doctrina Platonis cap. 12. 13. 14.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 62.

Πλϑτεῖν δ' αὐθεότητα μόνην, καὶ κόσμον ἅπαντα
Ισον ἀραχναίοις νήμασιν αἰὲν ἔχειν.
Sit tibi pro cunctis opibus Deus. at bona mundi
Semper arachnæi staminis instar habe.

Prudent. contra Homuncionitas.

Quis cumulare potest epulas in grandia parvas?
Quis? nisi qui corpus pastumq; & corporis omnem
Condens ex nihilo nulla existente creavit
Mundum materia? non sicut sculptor ab æris
Rudere decoctam consuevit fungere massam.
Sed Deus omnipotens orbem sine semine finxit.
Nil erat omne quod est: nil id, procedere & esse
Atque novum fieri, mox & grandescere jussum est
Parvum de nihilo primum fuit, addita parvo
Incrementa modis auxerunt omnia plenis.
Ergo ego cùm videam manibus sic crescere Christi
Parva alimenta hominum, possum dubitare per ipsum
Exiguas rerum species, elementaq; mundi
Ex nihilo primum, modica, & mox grandia
Sensim crevisse, ex modicis quæ consummata videmus?

¶ Emblematum.

Ad. Seba. Nauclerus navem suam perfodit.

Insanum hunc quicunq; vides sese suosq;
Rate perforatâ mergere,
Ah, quam vera vides! nam quod pictum aspicis, horum
Viva est imago temporum.

Camerarius LIV. Centur 4.

Orbis iter.

Miraris cancri dorso consurgere mundum?
Desine: sic hodie vertitur orbis iter.

Catsius Emblemate Sacro XXII.

Mediis immixtus in undis.

Esse ferunt, medium qui per mare volvitur, amnem;
Is tamen equorei nil trahit inde salis.
Nos mundi pelagus, nos vastum currimus æquor,
Nos tenet in salso Doris amara sinu.
Omne latus ferit unda, furit celer æstus arenis.
Ah! quid agat tantas Rivulus inter aquas?
Alme Deus, liceat nulla salsugine tinctis
Reddere corpus humo, reddere corda tibi!

¶ Apophthegm. Sacr.

Cuidam ad Antonium justum accedenti, quærentique quo pacto vitam posset sustentare, solatio illô, quod ex libris capi solet, orbatus? respondit, Meus liber, ô Philosophe, est natura rerum à Deo conditarum: quæ, quotienscunque animo lubitum sit meo, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat. *Socrat. Eccl. hist. libr. 4. cap. 18.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Apollo Abbas: Mundum, Mundiq; vanitatem fugiendam, Mulieri subjungimus. cujus, veluti & illius, venustas & decor transeunt, numquam reditura; seque amantem splendidâ circumveniunt servitute. Vocabat Apollinem Abbatem quidam è fratribus, ut bovē cœno immersum secum extraheret. qui, Cur, inquit, vicini tui prætergresso habitaculo, ad me divertisti? eoque respondente, vicinū illum jam ab annis quindecim defunctum; *Et mihi,* ait, *anni viginti, & amplius sunt, ex quo mundo sum mortuus.* Tantum temporis in religione religiose exegerat, & didicerat in hoc mundo supra mundum esse; & licet corpus gereret, volitabat tamen in eo ales interior. *Caßian. Marul.*

S. Macarius, & Anonymus: Transiturus erat Nilum Ægypti fluvium cum altero Macario, totus pannosus & squalidus. quos cùm Tribunus regionis esset intuitus; *Beati,* inquit, *vos, qui mundum illuditis.* At Macarius, ut erat urbanus, *Nos,* inquit, *mundum illudimus: sed vos mundus. Pallad. in Hist. Laus. c. 20.*

S. Tyburtius Martyr. Erat ille Tyburtius, quem Valeriani fratris & Cæciliæ virginis preces & verba ad Christi fidem pertraxerant. quam ob rem ab Almachio Præfecto insaniæ arguitur. cui ille: *Vtinam dignentur nos referre in numerum suorum, qui respuerunt id quod videtur esse, & non est: & invenerunt illud, quod videtur non esse, & est.* Ecquid, infert Almachius, videtur esse quod non est? *Omnia,* ait, *illa quæ in mundo sunt, quæ & cultores suos ad æternum exitium per brevis temporis lætitiam ducunt.* Quid verò, inquit tuo judicio, quod non videtur? *Vita iustis,* respondit, *& supplicium iniustis. Sur. tom. 6. in vita Cæciliæ.*

S. Rumoldus Archiep. Spectandum hîc etiam se præbet Machliniensis opidi tutelaris Divus: quem (ut erat Scotorum Regis primogenitus) numquam adduxêre parentes, ut regni postuma gubernacula animo, minùs reipsa, susciperet. ajebat enim: *Dominus Iesus qui mundanum respuit imperium, mandavit ipsum sequerer nudus. Ex Vita eiusd.*

Rex Iosaphat: Hic verò ab exilio, criptisque quibus latitaverant, reverentes Sanctos, summo honore & candore excipiebat. cumque ob id immeritas calumnias sustineret, thecas adferri jussit: è quibus pretiosiores vili implevit arena, viliores autem rebus admodū sumptuosis. & redarguenti se, Elige, ait. Qui externa specie pretioque deforis apparente nimium captus, pretiosas thecas accepit. Tum Josaphat: *Qui magni in mundo apparent, his persimiles sunt: interiùs viles exteriùs pretiosi.* Certè,

Quisquis ad excelsi pervenit culmina montis,
Iam cuncta ex alto vertice parva putat:
Sic quoq; virtutis tetigit qui culmina, parvi
Iam pretij, quidquid cernit in orbe, putat.

Damasc. in Hist. eiusd.

Thomas Morus: Quid autem talia memorem, quæ prior illa ætas vidit? ad nostrum sæculum venio, & invenio Thomam Morum carceri mancipatum, ita eos qui ad se consolandum venerant, alloquentem: *Mundus hic,* inquiebat, *carcer est, ex quo omnes ad causam dicendam suis singuli diebus evocantur. Quod autem meus carcer aliorum Principum carcere sit minor, beneficii loco habeo: cùm è malis*

pluribus,

pluribus, minimum semper sit eligendum. N. Sander. lib. 1. de Schism. Anglic. Th. Stap. in Vita, c. 11.

S. Elisabeth Hung. Reg. Filia. Digna quæ inter priores locum teneat. Intellexerat ex Sophia parente, maritum diem ultimum obiisse. & vix perculsa ad tam infaustæ rei nuntium, dicebat: *Si mortem frater meus obijt, & mihi quoque posthac mundo ejusq; vanitatibus defuncta, morietur mundus ipse.* & sanè ut cuivis ille moriatur, monet Boetius de Consolatione, ubi dicit:

Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vices:
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat, æterna positumq; lege est,
Vt constet genitum nihil.

Sur. tom. 6. in Vita.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ægritudo Gaudiumq;, Spes Timorq;, orbem regunt.
Condita est rerum ob hominem unum inclita universitas.
Contrahunt amicitiam omnia, dissipant Discordiam.
Cuncta mundi elementa parvo corpore humano vigent.
Cuncta risu prosequenda, quæ orbi educunt lacrimas.
Cuncta sunt in orbe vana, cuncta fumus ac vapor.
Est pila orbis, cunctaq; eius more volvuntur pilæ.
Facta hominũ sunt causa, quæ sunt in mundo isthoc omnia.
In dolorem desinis, Munde, incipisq; à gaudio.
Ira, cupiditas, libido, cuncta orbis creant mala.
Magna mundo jam bonorum civium penuria est.
Mortalem videre terram, mortis est solatium.
Mundus est communis instar & Deum & hominũ domus.
Mundus est velut communis Divorum atq; hominũ domus.
Plena fraudis perfidiæq;, plena insidiarum omnia.
Quæ figura omnes figuras continet, pulcerrima est.
Qui regit mundi ratem expers is sit ut scientiæ?
Quid potest ei esse magnum, mundus ipse cui est nihil?
Quidquid est in orbe, vanum est, ac caret constantia.
Respicit tandem cælestis orbem providentia.
Sede nil quæ erat reliquit orbis homini pervius.
Totum jure mundum spernas animæ damna ne feras.
Vel regit natura vel lex, orbis hanc magnam domum.
Vnius proles parentis sunt homines una ac Dei.
Vt nihil vacuum est in mundo abundat sic nihil.
Vnus dies humanum olim condet genus.

§ JAMBICA.

Ad universum terra vix puncti loco est.
Exercet omnis orbis cauponariam.
Exercet orbis omnis histrioniam.
Fieri cupis melior? tantum Orbem ipsum adspice.
Hic mundus omnis una Numini est domus.
Id quod creatum, conditorem orbis nega.
Mundus meliora nondum effœtus edidit.
Mundo magis placent, Deo quæ displicent.
Mundum sibi sapiens professus patriam est.
Negat Deum, gubernatorem qui negat.
Nil cogitari pulcrius mundo potest.
Nunquam è manu orbis dimittit clavum Deus.
Parvum videre mundum aves? hominem vide,
Rursum potest non esse quod quondam haud fuit.
Sunt magna multa, mundus est at maximus.
Sunt pulcra multa, sed nil orbe pulcrius.

Videantur plura titulo Dei, Hominis, Providentiæ, Vanitatis.

Munditiei.

§ SENTENTIAE GRAECORUM.

Arrian. Disputant quidam, an natura humana societatis appetitionem complectatur: & tamen iidem isti dubitare mihi non videntur, munditiem utiq; natura humana comprehendi: & si qua re alia, ista certe à brutis eam separari. Cum igitur aliud quoddam animal purgare se viderimus, cum admiratione dicere solemus, facere id tanquam hominem: vicissimq; si quis animal aliquod vituperat, statim quasi id defensuri, dicere solemus, non scilicet esse hominem. Adeo eximium quiddam hominem esse statuimus, idque à Diis ipsis primum accipimus.

Nam cum illi natura mundi & synceri sint: quatenus homines ad eos ratione prope accedunt, eatenus etiam puritatis & munditiarum studium habent. Sed quia fieri nequit, ut natura eorum prorsus munda sit, è tali materia permista: ratio adhibita, quoad ejus fieri potest, eam reddere mundam conatur.

Prima igitur & suprema puritas est quæ in animo oritur: eodemque modo impuritas. Animi autem sordes, tanquam corporis non deprehendes. Quatenus vero animi, quid aliud deprehendes præter id quod eum ad functiones ejus sordidum facit? Animi porro functiones sunt, incitari, abhorrere, appetere, aversari, præparari, suscipere, assentiri. Quid ergo est quod eum in his functionibus sordidum efficiat, & impurum? Nihil aliud, nisi prava ejus judicia.

Itaque animi impuritas est in pravis posita opinionibus: purgatio, rectis inserendis. Ac purus animus est, qui decreta habet qualia decet. Solus enim is in suis functionibus confusione & pollutione caret. Est autem simile aliquid huic etiam in corpore (quatenus res sinit) solerter excogitandum. Fieri nequit quin hoc temperamento corporis pituita fluat. Hac de causa manus fecit natura, & ipsas nares, tanquam canales ad exercendos humores. cum ergo aliquis mucos resorbet, nego eum fungi hominis officio. Fieri non potuit, quin polluerentur pedes & contaminarentur, cum lutum & pulvis transeunda sint. Propterea præbuit aquam, propterea manus. Fieri non potuit, quin à cibo sordium aliquid dentibus adhæresceret. Quare dentes lavare jubet. Cur? Ut homo sis: non bestia, non porcellus. Fieri non potest, quin à sudore & vestium applicatione, sordium aliquid relinquatur in corpore, quod purgationem desideret. Ideo præsto est aqua, oleum, manus, linteolum, Xystra, vitrum, reliquus omnis apparatus, ad id repurgandum. Non: At faber ferramenta repurgabit, & instrumenta ad hoc parata habebit: & tabellam ipse tu esurus lavas, nisi prorsus immundus & sordidus fueris: corpus autem non lavabis, neque purgabis? Cur? inquit. Rursus tibi dico, primum ut quod hominis est, facias. Deinde ne molestus sis convictoribus. Tale quid etiam hic facis, nec tamen animadvertis. At te ipse dignum censes, qui fœteas? Esto, sis dignus. Num etiam ij qui tibi assident, qui tecum accumbunt, qui te deosculantur? Aut in solitudinem abi qua dignus fueris: aut etiam solus vive, tuoque fœtore oblectare. Æquum enim est, te immunditie tua solum frui. Cum autem in urbe sis adeo inconsiderate & inciviliter vitam agere, cujus tibi esse videtur? Quod si equum natura tibi credidisset, num prorsus eum neglexisses? Ergo nunc etiam puta tibi corpus tanquam equum esse traditum: Lava id, absterge, facito nequis id avertetur, ne quis abhorreat.

Quis vero non abhorret ab homine sordido, fœtente, fætiore aspectu, eo qui fimo est oblitus? Ille fœtor extrinsecus est accersitus: iste vero ab interna profectus negligentia & velut putredine. At Socrates raro lavabat. Aliud fuit ejus corpus, & adeo suave, ut eum pulcerrimi & nobilissimi quique adamarent, & cum illo potius quã cum formosissimis cubare vellent. Licuit illi neque lotionibus, neque balneis uti, si voluisset. Et tamen raræ lotiones vim habuerunt. Si calida lavare non vis, lavato frigida. At Aristophanes ait: Pallentes istos atque planipedes loquor. Ait etiam, cum in aere ambulare, & è palæstra furari vestes. Nam omnes quidem qui de Socrate scripserunt, contraria omnia asserunt: fuisse illum non modo auditu jucundum, sed etiam suavem aspectu. De Diogene scribunt eadem. Decet enim, ne corporis quidem specie vulgus à philosophia absterrere: sed ut in cæteris hilarem & tranquillum se præbere, ita etiam habitu corporis.

Videte homines, me nihil habere, nulla re egere: videte mihi nec domicilium esse, nec civitatem, & (si salus ita tulerit) exsul & extorris omnibus patriciis & divitibus tranquillius vivo, & felicius. Quin etiam corpus videtis austera diæta non corrumpi. Si quis autem ista mihi dicat hominis condemnati habitu & vultu: quis deorum mihi persuadebit, ut me ad philosophiam conferam, quæ tales efficiat? Absit, nollem, tametsi sapiens evasurus essem. Ego medius fidius adolescentem primo impulsu animi ad me accedere malo comtum, quam capillis turbatis & sordidis. Cernitur enim in eo quædam pulcritudinis cogitatio, & appetitio decori. Ubi autem id esse putat, ibi etiam elaborat.

Illud igitur unum restat, ut ei demonstretur & dicatur: Adolescentule, pulcritudinem quæris, & in eo recte facis. Noris ergo ibi eam nasci, ubi rationem habes. Illic enim quære ubi concitationes & aversationes habes: ubi appetitiones & declinationes. Hoc enim habes eximij. Corpusculum autem suapte natura lutum est, quid in eo frustra elaboras? Ut nihil aliud, tempore certe cognosces, id nihil esse. Si vero me accesserit stercoribus oblitus & sordidus, mystace ad usque genua promisso: quid ei dicere possum? Qua eum similitudine alliciam? Qua enim in re, quæ pulcri speciem habeat aliquam, elaborat, ut eum alio traducam, & dicam: Non est hic pulcrum, sed illic? Vis ei dicam: Pulcritudo non posita est in sordibus, sed in ratione? An vero pulcrum appetit? An pulcri speciem quandam animo impressam gerit? Abi, cum porco disputa, ne cœno volutetur.

Propter hoc etiam Xenocratis rationes Polemonem pupugerunt, ut elegantem adolescentem. Ingressus enim est, cum haberet fomites studii honestatis. Sed eam alibi quærebat. Atque adeo ne animalia quidem, quæ consuetudine hominum utuntur, natura sordida fecit. Num equus volvitur in cæno? Num canis generosus? Non: sed sus, sed putidi anseres, vermes, aranei, quæ longissime remota sunt à consuetudine humana. Tu ergo qui homo sis, ne animal quidem esse vis ex eorum numero quæ convictu humano utuntur, sed vermis potius, aut araneolus? Nunquamne lavabis? Nunquam ne balneo uteris? Non mundus venies, ut familiares te delectentur? Sed & una nobiscum templa ingredieris tali habitu, ubi exspuere, aut nares emungere religio est, cum totus nihil sis nisi

sputum

ſputum & mucus? Quid ergo? Nunquis me comtum atque exornatum eſſe vult? Abſit, niſi quatenus natura noſtra fert: ornetur ratio, decreta, actiones, corpus ad munditiem uſque, eatenus ne alijs te abhorreant. At cum audieris non ferendam eſſe purpuram: abito, & ſtercore inquinato pallium tuum, aut lacerato. At unde habeo pulcrum pallium? Homo, aquam habes, lavato illud. Ecce juvenis amabilis, ecce ſenex, dignus qui & amet & redametur, cui filium in diſciplinam trudas: quæ filiæ, quem adoleſcentes accedant, ut ſi res ita tulerit, in fimeto ſuam doctrinam explicet. Abſit: omnis exorbitatio recedit ab humanitate. Iſta verò, parum abeſt quin humana non fit. *cap.11.lib.4.Epicteti.*

Muneris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Naz ianzenus:* Ac talia quidem ſunt quæ tibi à nobis offerũtur, ſi autem parva, & meritis tuis inferiora; Deo gratum eſt, quod fit pro viribus. *Oratione 10. in funere fratris.*

D. Greg. Nyſſenus: Senectuti prorſus ignoſces, ſolamque animi noſtri propenſionem, qua tibi gratum facere cupimus, approbabis. Etenim Xerxem illum, qui univerſam propemodum, quæ ſub ſole eſt, terram una caſtra fecit, & omnem terrarum orbem ſecum movit, cum adverſus Græcos expeditionem fecit, tenet fama, pauperis cujuſdam munus cum voluptate accepiſſe: Id autem donum aqua erat: eaque non in fictili vaſe ferebatur, ſed in cava manuum palma continebatur: ſic ergo tu quoque pro ea, qua præditus es animi magnitudine, prorſus illum imitaberis, cui pro munere voluntas fuit, ſi noſtrum domum & exiguum & aqueum fuerit inventum. *de infantibus præmaturè mortuis.*

Chryſoſtomus: Qui à rege quidem accepit, hanc maximam habuerit conſolationem quod ipſe ei dederit. qui autem à ſervo, tunc magis dolet, quando quiſpiam ei obtulerit. *Homilia 29. ad Corinth.1.*

Iſidorus Peluſiota: Ne ad calculos dona exigas: verùm duntaxat offer. Nam nec is, qui tibi aliquid attulit, curioſiùs explorat, ubi & quonam pacto illud inſumas. Sufficit eum duntaxat dediſſe, atque tibi honorem, ac ſibiipſi fiduciam præbuiſſe. *lib.1.Epiſt.186.*

¶ LATINORUM.

Io. Sarisberienſis: Debent officia omnium eſſe gratuita, ut nihil ultra ſtatutum exigatur, ſed nec recipiatur. Sed forte quid ſtatutum ſit, quæris. Plebiſcito continetur, ne quis præſidium munus donumve caperet, niſi eſculentum poculentumve, & id quidem intra dies proximos prodigatur. Quod & ad proconſules, alioſque magiſtratus ex mandato Principis tranſit. Non verò in totum debent à xenijs abſtinere, ſed modum adhibere. Ut vero nec in totum abſtineant, nec avarè modum Xeniorum excedant, Divus Severus, & Imper. Antoninus elegantiſſimè ſunt epiſtola moderati. Cujus epiſtolæ verba ſunt hæc: Quantum ad Xenia pertinet, audi quid ſentimus. Vetus proverbium eſt, nec omnia, nec ſemper, nec ab omnibus. Nam valde inhumanum eſt, à nemine accipere; ſed paſſim, viliſſimum; & per omnia avariſſimum. Quod autem mandatis continetur, ne, donum vel munus ipſe Proconſul, vel qui in alio officio erit, accipiat, ematve quid, niſi victus quotidiani cauſa, quod ad Xenia jam non pertinet, ſed ad ea quæ edulium excedant uſum. Sed nec Xenia producenda ſunt, ad munerum qualitatem. Licet enim patrocinium juſtum poſſit vendere advocatus, & peritus juris ſanum conſilium, judicium vendere omnino non licet.

Cicero cùm in Palatio domũ vellet emere, & pecuniam in præſens non haberet, à Sylla qui tunc reus erat, mutuo ſeſtertium vicies tacitè accepit. Ea res priuſquam emeretur prodita eſt, & in vulgus exivit, objectumque eſt ei, quod pecuniam domus emendę cauſa, à reo accepiſſet. Tunc Cicero inopinata opprobratione permotus, accepiſſe ſe negavit, dicens ſe domum non eſſe empturum. Atque adeo falſum eſt quod objicitis, ut verum ſit me pecuniam accepiſſe, ſi domum emero. Sed cum poſtea emiſſet, & hoc mẽdaciũ in Senatu ei ab inimicis objiceretur, riſit ſatis, atque inter ridendũ, imprudẽtes, inquit, homines eſtis, cum ignoratis prudentis & cauti patris familias eſſe, quod emere velit, ſe empturũ eſſe negare, propter competitores emptionis. Sic itaq; quod inficiari non poterat, urbano facetoque diluit dicto, rem magis dignam faciens riſu, quã crimine. Familiare ſiquidem habebat, ut quotiens objectum turpe abnegare non poſſet, reſponſione joculari illud eluderet.

Amplectendæ memoriæ, & imitandæ ſanctitatis ſummus Pontifex Eugenius, quem vidiſti; nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat, aut cui litem crederet imminere. Unde cum in adventu ſuo Prior quidam modicæ facultatis, cujus cauſam nondũ audierat, ei marcam auri devotione multa inſtanter offerret, nondum inquit domum ingreſſus es, & jam vis corrumpere dominum? Corruptionem namque vir ſanctus credidit, quicquid offerebatur judici lite pendente. Bernardus Clarevallenſis, Romæ degens in excelſis, ſingulariter habitavit, excutiens manus ſuas ab omni munere, ut nondum natus ſit, cujus aurum, vel argentum in munus acceperit. Quid referam Martinum, qui contra morem à legatione rediens pauper, cum ab Epiſcopo Florentino equum ſocio neceſſarium magna compulſus inſtantia, accepiſſet, eundem reſtituit donatori, ex quo cum ab initio dati muneris, cauſam in Romana eccleſia ventilandam habuiſſe cognovit. Taceo quod venerabilis pater Gaufridus Carnotenſis, legatus Aquitaniæ provincialium munera non recepit, niſi in cauſa eſculenti & poculenti, & hoc cum ſumma frugalitate; ſed omnia quæ in Xeniorum ratione offerebantur, ut ſtercora contemnebat. Teſtatur ſanctus Clarevallenſis, quod piſcem, quem vulgo ſturionem dicunt, à devoto quodam legationis ſuæ clerico gratis acipere noluit, nec ante acquievit offerentis improbitati, quam ei pro admiſſo Xenio pretium numeraret. *lib.5.cap.15.Policratici.*

Io. Sarisberienſis: Samuel inquit, ſi de manu cujuſquam munus accepi, contemnam illud hodie, reſtituamque vobis. Quid quæſo expreſſius dici poterat? Ut in ſumma omnem avaritiæ ſuſpicionem tollat, nullius muneris conſcientiam docet ſe habuiſſe, paratus contemnere & reſtituere, ſi quid omnino exigi poſſet. Malebat enim illud reſtituere in præſenti quam cum uſuris reddere in futuro, & contemnere illud hodie, ſatius judicabat, quam in cõſpectu Dei & omnium electorum ex ea cauſa in ævum contemptibilis apparere. Sed quid ad hanc conſtitutionem ejus reſpondit auditor? Audi. Et dixerunt, Qui? Utique totus Iſrael. Nam ad omnes ſermonem direxerat. Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicujus quippiam. Si quis proconſulum, præſidumve, aut tribunus, aut centurio, decuriove, aut omnino aliquis magiſtratus tale teſtimonium à provincialibus meruit, ad provinciam noſtram quæſo accedat, ut noſtros doceat magiſtratus. Nam de vicecomitibus & juſtitiis, quæ ut vulgari noſtro utar, recte dicuntur, errantes, nihil tale auditur, eo quod diligunt munera, & ſequuntur retributiones, nec liberant pauperem à potente, advenæ & pupillo non judicãt, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos. Porro nec judices eccleſiaſtici ſequuntur Samuelem, ſed ſicut populus, ſic & ſacerdos. *lib.5.c.16.Policratici.*

Symmachus: Humanitas Xeniorum tuorum debet eſſe moderatior. Religio enim animis potius quàm muneribus æſtimatur. 9. *Epiſt.61.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Euripides: Argentum iterum ad te remiſimus, quod Amphias nobis attulit, non vanam gloriam aucupantes. Alioquin enim certè vos ægrè laturos magis quàm probaturos exiſtimabam, alios verò maximè vitio mihi vertere conaturos, & oſtentationem ſpeciemque magis in vulgus, quàm ullam magnificentiam rem eſſe dicturos. Quare horum utrorumque cauſa accepiſſem. Et Clito nobis ſcripſit, ut acciperemus, ſeque iratum fore niſi accepiſſemus, minatus eſt, ſed quod in præſentia ſatis nobis amicíſque ſuppeteret, miſſum verò à te munus ſplendidius eſſet & majus, quàm quãtum noſtræ poſſeſſioni conveniret, & nos facilè poſſemus cuſtodire. *Epiſt. ad Archelaum.*

Phalaris Niciþpo: Accepiſſe te munera mea, magnam habeo gratiam. Ego verò quod affirmabas te metuere Syracuſios, ne tibi malum aliquod ab illis infligetur, ob recepta à me munera ſignificatione eis data, hoc efficere volebam, ut ſi non accepiſſes, acceptorũ inſimularem, ut ſive acciperes ſive non ſub fortunam eandem venires: immò ſi illud feciſſes, leniorem, ſin hoc, omnibus modis pejorem. Si enim non accepiſſes, dum ego ne dediſſe contenderem, prorſus acceptorum tibi dies diceretur. Sin revera accepiſſes, cùm ego dediſſe me negarem, non pariter, ſed revera crimine liberatus eſſes. *Epiſt.111.*

Phalaris Polyſtrato: Ego qui ſint in quos mea aliqua conſtent officia & merita, neque tibi, neque cuiquam alii homini planum fecero. Non enim, ut tu noſtra munera ſuſcipias, quæ miſſa contemnis, alios etiam, qui ceperint, indicare pulchrum eſt. Adhæc iis, qui ceperunt, noſtram largitionem exprobraremus, nihil tale ſuſpicantibus. Prorſus enim ad exprobrationem nil intereſt, ſive quis ipſe, beneficia ſua commemoret: ſive ex aliis narrantibus, audire cupiat & velit. Qui verò præter noſtram ſpem per vim & injuriam magna ex parte noſtra profligarint per temetipſum conſiderare potes. At contra non paucos eſt invenire, qui cùm plurimi facerent jus & æquitatem, conſervarunt: quanquam aliqui reſtituerint, non id tamen ſponte ac voluntate, ſed belli armorumque metu & neceſſitate coacti fecerunt. Quidam enim ſumma cùm ſanctimonia ac potiùs religione retinuerunt, quoad viribus ſuis freti confiſique ſunt. Nunquam enim polluta, & prophanata munera tanto ſuo periculo, conſervare voluiſſent, qualia ſi ut acciperent. vis eis adhiberetur, tamen eſſent repellenda & rejicienda; Quæ igitur per Jovem te ratio movit, ut noſtrum donum recipere non velles: ſiquidem hæ res quas tu objici & impedimẽto eſſe prætextus & recuſationis cauſa dixiſti, cùm hoc modo, tum aliis innumerabilibus refutantur.

Nam & hostes ipsi sunt argumento, pecunias esse sanctas & puras, nisi id erit discriminis: quod illi injusto rapinæ nomine, possident, & eo scelus cumula tuis patrant, tu verò justissima ratione ab amico fideli ultrò oblata tenebis. *Epist.140.*

Simplicius: Numina esse ac consulere rebus humanis quidam fatentur, sed eadem muneribus & donariis & stipis distributione à sententia deduci autumant; ut injusti avari, rapaces, sint indemnes. si partem exiguam in hæc impenderint, & in eos erogarint qui ob hæc vota se facere profitentur, quique exorari Deum perhibent, permittique facinora eadem, nec dandas esse peccati pœnas. E quibus sunt, qui id bonitate Dei dignum esse dicant, connivere & dare veniam delictis: in quo non satis explicate, mihi quidem, & sentire videntur, & dicere. Quid ergo isti rationi respondebimus? Sed cum duplex ea sit, dividenda est in eum, qui facit injuriam, & qui accipit: & consideranda ista quæ jactatur indulgentia & venia, quid & injustis faciat, & quo modo affectos injuriis tractet.

Nam si bonum atque utile est injustis permitti injurias, neque pœnas eos dare: fortassis à Deo proficisceretur ista indulgentia. Bona enim omnia inde ad omnia perveniunt. Sin id malo est, & adjuvari ad injuriam, & non dare pœnas delictorum: quo pacto istorum auctor erit Deus, ut omnium bonorum auctor, ita mali nullius, ut multis verbis est demonstratum? Injuria porro, avaritia, luxuria, contumelia, cum affectiones sint, animi naturæ contrariæ, siquidem horum contraria naturæ sunt consentanea: morbi nimirum & probra & vitia sunt animorum. Quæ qui sua indulgentia fovet atq; alit, nec medicinam adhibet: malitiam auget scilicet. Idque si muneribus etiam delinitus facit: an non mediocribus etiam hominibus deterior habeatur? Quis enim est qui suscepta rei alicujus curatione, ob largitiones eam corrumpi sinat? Numquis ergo germanus medicus, eum qui cibis & potionibus aliquibus læditur, pretio aut precibus adductus, rebus noxiis audacter frui patietur, & ad earũ usum adjutabit? Num ea quę sectionẽ ustionemve desiderant, acceptis muneribus incurata relinquet? Quod si medicina quædam improbitatis est vindicta divina: humana medicina quo pacto deterior erit? Jam cum eorum etiam qui injuriis afficiuntur, rationem habere dicatur, curamq; suscipere: videamus & hos quomodo tractet, cum injurios quodãmodo & incitet & adjuvet ob largitiones? Age vero qs vel mediocris imperator hostib. ob largitiones prodat exercitũ? Quis oves lupis opilio? Quid opilionẽ dico? Nũ pastorales canes accepta laceratarũ oviũ parte, diripiendum reliquũ gregem lupis concedent? Et qui non erit impia ratio, quæ Deo id tribuat, ꝙ & canibus sit indignum? Deniq; ab injustis Deũ seduci, quid habet rationis? Nam à religiosis quidem hominibus sæpe munera Deus acceptat, non quod his egeat scilicet, sed quia ita quibus offeruntur, ut animis, ita etiam externis rebus ad eum se convertunt. Quod si munera & improbi offerrent, orantes pænam sibi irrogari, & adhiberi medicinam: fortassis ne ipsorum quidem munera Deus repudiaret. Sin ut deteriores fiant: quæ ratio esse possit? Nam si nihil aliud peccarent, illud satis esset, quod sperant se Deum muneribus corrupturos, quo magis etiam ab ejus familiaritate removeantur. Quæ est igitur ista ratio, pervulgata illa quidem, & unde ortum suum habet, quæ muneribus & donariis & precibus & beneficiis & supplicationibus ait à sententia deduci Deum, & veniam dare peccantibus? Fortassis enim non temere fides ei adhibetur.

Videndum igitur, ne si hoc ita simpliciter dicatur, & dictu nefas sit, nec sine scelere probari possit. Nam cùm eos qui peccarunt, ex animo delictorum pœnitet: ista conducunt ad cõversionem ad Deum, cum sint argumenta pœnitentiæ: quippe non animo tantum summisso, sed etiam corpore inflexo & prostrato, & rebus externis consecrandis, & in ea quæ Deo probantur impendendis. Neque enim nobis delinquentibus Deus aut avertitur, aut irascitur, aut recedit à nobis: neque pænitentibus nobis, ipse revertitur, aut accedit nos placatus. Humana enim ista sunt, & à divina beatitate, ab omni parte immutabili, remotissima. Sed nos depravari, & contra naturam prolapsi, divinæque bonitatis dissimiles facti per injustitiam, impietatem atque amentiam: nos inde avellimus. Neque enim unquam ad omnia pertinentem ejus providentiã effugere possumus: sed tum velut ægroti per illas res improbitatis medicinæ, vindictæ aditum in nobis ipsis præbemus: nos ad eam providentiam curationem Dei attemperantes atq; accommodantes: recuperataq; natura nostra, & ad Dei similitudinem contendentes (ea vero Dei similitudo est. sapientia duce fieri justum & sanctum) Deum accedimus, & cum Deo conjungimur. De hac autem nostra ad eum conversione perinde loquimur, ac si Deus ad nos converteretur: non secus atque ii qui fune marinæ petræ injecto, quia per illum & seipsos & naviculam ad rupem attrahunt, ob imperitiam ejus rei non se putent ad rupem accedere, sed rupem paulatim ad ipsos appropinquare. Nam pœnitentia, supplicationes, vota, & similia funis rationem habent. Per eas enim res avulsis reditus datur: qui fit non dictis, sed factis, cum læsos à nobis injuria, aut contumelia ludibriove quovis modo affectos placamus, vel ipsos vel eorum posteros: cum odimus injuriam: cum injustos aversati, eorum consuetudinem qui justitiã venerantur, expetendo, nosmetipsos castigamus, donec plane repurgemur. Hac ratione continenter est utendum, nullis intervallis intertumpenda, ut ipsi in nos vendicemus.

Evidens autem argumentum atque affectus est verę pænitentię, rursus nec eadem committere, nec minora illis. Debemus enim inæquali inclinatione, tanquam navigantes, in contrariam transire partem. Veram autem pœnitentiam satis ad perfectam purgationem esse, constat ex eo, quod & Deus hunc purgationis finem spectat. Omnis enim castigatio & ultio tam hic, quam apud inferos, eo fine adhibetur, ut animam suarum calamitatum pigeat, utque improbitatem & vitam naturæ repugnantem oderit, atque ultro amplectatur & diligat virtutem. Suntque certissimæ rationes, & mentis perfectiones cum quis ipse sibi fit vindicta. Atque hic fortassis citius rem bene gerit, quod ultro & sua sponte castigatur. Cruciatum enim & dolorem animi postulant, qui delitiis & voluptatum illecebris inescati peccaverunt. Quos enim vere delictorum & peccatorum pœnitet, in acerbissimis conscientiæ cruciatibus seipsos mulctant: qui magis dolorifici mordacioresque sunt quam corporis cruciatus, & consolationem minus admittunt. *ad c.38. Epict.*

Philostrates: Rectè fecisti qui etiam strato usus fueris rosis: Nam voluptas erga missa munera, magnum argumentum est honoris, qui mittenti habetur. Itaque ego te per ipsas attigi. Sunt enim amatoriæ & versutæ, quæque formæ elegantia uti sciant. Vereor autem ne quietem tibi non permiserint, sed dormienti molestæ fuerint, quemadmodum aurum Danaæ. Quòd si quid amico vis gratum facere, reliquias ipsarum remitte, nunc ampliùs non rosas solùm, verùm te etiam spirantes. *Epist 31.*

Iulianus Imp. Parvum certè munusculum, si cum tuo conferatur, omninoque æs pro auro reddimus: sed tamen quo possumus munere nostrum Mercurium prosequimur. Theseus quidem certè mensam Hecales, licet tenuem, non est aspernatus: sed necessitati obsecutus, exiguo contentus fuit. Pan ille Nomius non erubuit, cùm pueri bubulci fistulam suis labris admovit. Quare tu quoque librum nostrum amico animo accipe, neque te pœniteat exiguo carmini magnam aurem præbere: sed si quid erit boni, & liber felix est, & ejus auctor, ut cui Minerva ipsa testimonium laudis dederit: sin extremam manum, quò perficiatur, desiderat, ne sit tibi grave, quod deest, addere. Sic olim sagittario invocanti Deus affuit, & telum unà direxit; Sic citharædo, Orthium canenti, cum nervus deficeret, Apollo ipse cicadæ specie respondit. *Epist.42.*

Procopius Sophista: Quantum in nos olim iræ immisisti per literas, tantùm nunc bonitatem nostram expectationem vicisti. Nam præterita corrigere, & consolari eum qui amicitiæ confidens injuriam patitur, quomodo non sapienti animo præditi viri sit, & qui molestiam ac dolorem sanare possit? Unum ex vestris duntaxat mihi dolorem attulit, quòd tantum me passum arbitraris, ut etiam muneribus opus sit, quæ sententiam mutarent, quemadmodum Agamemnon alibi Thessalum militem. Attamen lubenti ac proclivi animo dona capio, non his magis permotus, quàm ejus qui misit voluntate & consilio. *Epist.32.*

Simocatta: Si munera quæris, non amas. Incorrupti sunt enim amores, & amantes tales efficiunt. Si igitur amas, dare tibi quàm accipere promptiùs est. Si pecunias cupis, & propter opes amare te fingis, animum lingua prodidit, vendens auro voluptates cuicunq; volenti. *Epist.42.*

¶ Romanorum.

Plinius: Sed quis ante te laudem istam pecuniæ prætulit? quotusquisque Principum ne id quidem in patrimoniis nostris suum duxit esse, quod esset de suo? nonne ut regum, ita Cæsarum munera illitos cibis hamos, opertos præda laqueos æmulabantur, cùm privatis facultatibus velut hausta & multiplicata retrò secum quidquid attigerant referrent? *c.43. panegyr. ad Traianum.*

Symmachus: Solent impatientes dilationis esse qui sperant in se aliquid muneris conferendum. *mox:* Suarum rerum munificiſmoram ferunt largiendi. *l.1. Epist.3.*

Symmachus: Malui tibi probari mei muneris celeritate, quàm alieni operis examine. *lib.1. Epist.18.*

Symmachus: Fit plerunque ut levia rerum portitor festivus exornet. *l.1. Epist.84.m.*

Ausonius: Non satis habes, ut largitionum magistri ex more fungantur: eligis ipse de multis, & quam elegeris, munera tua verborum honore prosequeris. *Panegyr. ad Gratianum.*

Ausonius: Penelope etiam munera sibi à procis, pro opibus cujusque conferri, singulorum studia experiens, deposcit, quæ maturè, utpote à cupientibus, offeruntur. *Periocha 18. Odyssea.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Pace v.424.

Οἴμ' ὡς ἐλεήμων εἰμ' ἀεὶ τῶν χρυσίδων.

Pateris & auro semper, heu, sum infirmior.

Aristophanes Equitibus versu 436.

Ego te decem talenta è Potidæa jam habere novi.
A. Quid? vin' tu unum accipere talentum a me, & postea tacere?
C. Homo iste lubens acceperit:

Terentius Eunuchi 3. sc.1.

Magnas vero agere gratias Thais mihi?
G. Ingentes. T. ain tu, læta est? G. Non tam ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse, id verò serio
Triumphat.

Terentius Eunuchi 3.sc.2.

Perpulcra credo dona : haud nostri similia.
P.A. Res indicabit. heus! jubete istos foras
Exire, quos jussi. procede tu huc.
Ex Æthiopia est usq; hac. TH. hic sunt tres minæ.
G. Vix. P. ubi tu es Dore? accede huc. hem! eunuchum tibi,
Quam liberali facie, quàm ætate integra!
TH. Ita me Dij ament, honestus est. P. quid tu ais Gnatho?
Nunquid habes quod contemnas? quid tu autem Thraso?
Tacent: satis laudant. fac periculum in literis,
Fac in palæstra, in musicis: quæ liberum
Scire æquum adolescentem est, solertem dabo.

Terentius Eunuchi 2.sc.1.

Munus nostrum ornato verbis, quod poteris.

Ovidius epist. Helenæ ad Paridem.

Aut ego perpetuò famam sine labe tenebo:
Aut ego te potius, quam tua dona sequar.
Utq; ea non sperno: sic acceptissima semper
Munera sunt auctor quæ pretiosa facit.

Guntherus lib.2.v.275.

Inque sui sceleris consensum, flectere mentem
Principis invicti (quid enim non imperat auri
Gratia?) si posset multa mercede parabat.

Guntherus lib.6.v.191.

Fœdera nostra tamen, regniq; minoris, amico
Affectu, non spernis opes, missisq; frequenter
Muneribus, sceptrisq; potens nos rector honoras.
Munera grata quidem: sed longe gratior illa,
Quæ facit ut nobis sint munera grata, voluntas.

¶ APOLOGORUM.

AEsopi Iupiter & Serpens. Nuptias celebranti Jovi animalia quælibet munera, quæque pro viribus, adferebant. Serpens igitur rosam legit, illamque ore gestans ascendit. Quem Jupiter animadvertens, cæterorum inquit munera accipio, ab ore verò tuo nequaquam accipio.

Dabrias. Περὶ Ἱππότου καὶ Ἀγροίκου. *Fab. 37.*

Ἠτειλαβεῖν Ἀγροῖκον λαγὼν Ἱππότης.
Λαβὼν δὲ χερσὶ τοῦτον, ἠρῶτα, πόσου;
Καὶ πῶλον ἐξήλαυνεν. Ἀγροῖκος δ᾽ ἔφη,
Μὴ σπεῦδε, σοὶ δώρημα τοῦτο προσφέρω.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς ἐξ ἀνάγκης παραιτουμένους τὰ ἴδια.

De Equite & Agricola.

Petebat Leporem ab Agricola ut acciperet Miles.
Accepto eo manibus rogabat, quanti?
Et equum admisit. Agricola autem ait,
Ne festina, tibi donum hoc offero.

AFFABULATIO.

Adversus eos qui necessario recusant res suas.

¶ EMBLEMATUM.

Batillius CCI.

Munerum corruptela.
Ad Franciscum Pithoeum, Trecass. J. C.

Quæ propero cursu, refugit dum conjugis usum,
Vincebat quosvis antè puella procos,
Tollendi aureoli remorata cupidine mali
Victori Hippomeni mox potienda venit.
Pauci adeo qui non protecto munere capti
Declinent cursus sustineantve suos.

Camerarius XLV. Centur. 2.

Prœmia digna feram. *Capreolus moschum proferens pascuorum domino.*

Munera quæ dominis fuerint data, tempore fiunt
Uberiora, velut Moschus odore placens.

Camerarius XL. Centur. 4.

Munera sic animum. *Torpedo per setam piscatoris manui noxia.*

Anne manus torpent tibi cum clam munera sumis?
Non sentis? certè mens animusq; stupent.

Catsius Emblemate nuptiali XXIX.

Donare, est perdere.

Principio tibi turpe puta dare munus amanti:
Sit procul à casta virgine larga manus.
Is cui parva dabis, credet majora daturam:
Pauca licet dones, cetera sumet amans.
Adde quod ostendens cuivis tua munera, dicet
Hæc dedit ardoris pignora ferre sui.
Ignis, ubi paulum pinguedinis ejicit olla,
Irruit, & totas depopulatur opes.

Idem Emblemate XXXI.

Amator cùm dat, rapit.

Cura sit ergo tibi, si sit tibi cura pudoris,
A donis avidas abstinuisse manus.
Nonne vides? ut nudus Amor, sic pingitur aptè,
Nil præter pharetram telaq; pauca gerat.
Nil precium quo condat habet, Deus odit amantes
Qui Veneris turpi munere munus emunt.
Non adamas tanti est, non gemma, nec aurea torques,
Non Tyriæ vestes, vilis ut esse velis.
Intectos admisit hians quia Concha lapillos,
A Cancro patulæ diripiuntur opes.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Abstineto munere omni, ceu Deûm donariis.
Animo dantis æstimantur munera, haud pretio sui.
Contumelia est, non munus, si quod das id imputas.
Munus id gratum, ambienti quod datum, atq; tempori.
Munus ut datum est, senescit illicò omnis gratia.
Muneris dator coactus perdit omnem gratiam.
Muneri ne attende dantis, sed voluntatem inspice.
Muneri queat pusillo magna inesse gratia.
Munera haud pretio Deus sed animo dantis æstimat.
Munerum omnium, voluntas atq; affectio optimum est.
Munificus nemo putandus, nisi qui sit pariter volens.
Munifici rerum suarum, muneris haud ferunt moram.
Non placant Deum malorum munera, avertunt magis.
Omne munus mente illius æstimatur qui accipit.
Parva, ex offerentis voto, magna fiunt munera.
Pensionem primam solvit, qui munus gratè accipit.
Prosequi sermone suavi munus, munus alterum est.
Qui verborum honore munus prosequitur, munus duplat.
Quidquid concinnat dolorem, minimè munus duxerim.
Quod dolet, munus vocari non potest, quamquam inclutum.
Sæpe fraudi præparata sunt, quæ muneri accipis.
Unico Bacchus racemo munerari se sinit.

¶ JAMBICA.

Credas veneno munera illita hostium.
Damnosa nemo auferre quærit munera.
Dantis Deus mentem adspicit, non munera.
Homóne quisnam Divum spernat munera?
Immune munus omne, quod dato haud placet.
Lenocinium antecedens muneri est timor.
Mors sola Divûm, non admittit munera.
Munus Cyclopis, pœna crudelissima est.
Munus lucrosum est fers quod à volentibus.
Munus parum est dedisse, si non & foves.
Munus pusillum affectione fit grave.
Munus roganti qui dedit, serò dedit.
Munus superbi, haud munus est, iniuria est.
Munus suum multiplicat ultro qui oggerit.
Nil non potest jam muneris suffragium.
Nocet magis quam prodest, munus improbi.
Parum est dedisse munus, si non & foves.
Persæpe pondus muneri imponit fides.
Placant Deos, nedum homines ipsos, munera.
Quærit magis Deus te quam munus tuum.
Qui munus ornat ore, dat munus duplex.
Spernenda nulli sano Divûm munera.
Tinea regiminis, muneris est oblatio.
Verborum honore auctum munus, munus duplex.
Vocanda non sunt munera, munera hostium.

Munerum contemptus.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

E*Lisæus Propheta:* Nahaman Syrus, per Elisæum lepra mundatus, ad Deum convertitur, & edita præclara confessione, dixit Prophetæ, Nunc accipe quæso munus à servo tuo. Respondens verò Elisæus ait, *Ut vivit Iehova ante quem sto, non sum accepturus.* Et quamvis Nahamani instaret apud eum ut acciperet, renuit. 1. *Reg. 5. v. 16.*

Daniel Propheta: Ad Belsasarem Babyloniæ regem adductus, ut scripturam ad parietem interpretaretur, regi multa pollicitanti dixit, Dona tua tibi sint, & honoraria tua alii da: verùm scripturam istam legam regi, & interpretationem notam faciam ei. *Dan. 5. 17.*

Hilarion: Orionus vir primarius & ditissimus urbis Ailæ, possessus à legione dæmonum, post aliquot menses à S. Hilarione non sine miraculo curatus est. Non post multum temporis cum uxore & liberis venit ad monasterium, plurimam quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui Sanctus, *Non legisti,* inquit, *quid Giezi, quid Simon passi sint? quorum alter accepit pretium, alter obtulit, ut ille venderet gratiam Spiritus Sancti, hic mercaretur?* Cumque Orionus flens diceret, Accipe, & da pauperibus, respondit: *Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas & nosti pauperes. Ego qui mea*

reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum occasio avaritiæ est: misericordia verò artem non habet. Nemo melius erogat, quā qui sibi nihil reservat. Tristi autem & in terra jacenti, *Noli*, inquit, *contristari fili: quod facio pro me, & pro te facio. Si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio revertetur.* Alius demoniacus ab Hilarione curatus, simplicitate rustica decem auri libras offerens ab eo panem hordeaceum accepit, dicente, *Qui tali cibo aluntur, aurum pro luto ducunt.* D. Hieronymus in vita S. Hilarionis.

Idem : Quum in Sicilia de primoribus quidam, tumens morbo intercutis, eodem die quo ad Hilarionem venerat sanatus esset, postea ei offerens infinita munera audivit ab Hilarione dictum Salvatoris ad discipulos, Gratis accepistis, gratis date. *D. Hieronym. in vita Hilarionis.*

Liberius: Quum Eusebius Eunuchus auri summam vim Liberio Episcopo Romano à Constantino Cæsare exulare jusso, ejusdem Cæsaris mandato, causa commeatus attulisset, recusavit Liberius, addens, Tu Ecclesias orbis terræ expilasti: & jam mihi ut damnato & egenti affers eleemosynam? Abi primùm, & Christianus ipse fias. *Theodoret. eccl. hist. l. 2. c. 16.*

D. Martinus: Cùm Christi virtute domum quandam à peste liberasset, centum argenti libras pro honorario munere obtulerunt, quas cùm recipere detrectaret, discipuli ejus id ægrè ferentes, suæ dicebant inopiæ ea pecunia succurri potuisse, nec temerè tantum munus egenis fuisse abjiciendum. Ad quæ respondit ille, Ecclesia Christi nos vestit & pascit. Gratis accepistis, gratis date. *Sever. Sulpitius, dialog. 3.*

¶ Apophthegm. Christian.

S. Bartholomæus Apost. Munera quæ juxta Poëtam hominesq; deosque placant, calamo nunc oberramus: quantumque eadem aspernati prima illa nostræ Religionis columina. D. Bartholomæus Polemo Indiarum regi camelos auro argentoque onustos sibi offerenti, quòd filiam ejus Energumenam immundo spiritu liberasset, dicebat: *Nequaquam his mihi opus. neque enim ad te veni munera accepturus, sed ut in Christum credentibus viam salutis pandam.* Quo dicto commotus Rex, baptismum suscipit, & Christi discipulus efficitur. *Abdias in ejus vita.*

S. Thaddæus: Ille quoque regi Edisseno Abgari sibi aurum & munera offerenti, quòd plura admiranda divinâ ope apud eum patrasset, respondit; *Si nostra relinquimus, quomodo accipiemus aliena? Euseb. l. 1. histor. c. 15.*

S. Basilius M. Quid iste? Suadebat Cæsareæ Præfectus, Christi fidem negaret, factoque non exigua munera proponit. at non persuasit, dicente eo; *Hæc Christiano homine indigna sunt: adolescentulis hæc conveniant, & ijs qui ad talia promissa respiciunt. Trip. hist, l. 7. c. 36.*

Spiridion Monachus: Dum hæc intueor, etiam Spiridion se menti manuique objicit. Ille enim, dum à Constantino (qui per manus impositionem sanitatem ab eo acceperat) grave auri pondus offerretur, dicebat; *Non sic oportebat, Imperator, odio remunerare amicitiam. ego magnis itineribus huc veni, ut T. M. parerem: & tu mihi aurum, omnis mali causam, reddis? Sur. in vita S. Spiridionis.*

S. Martinus: Non esse verò despiciendum munus quia exiguum sit, sed magis attendendum donantis affectum docuit Martinus Episc. Acceperat namque à sacra virgine munusculum: cumque id præter morem facere videretur; *Benedictio*, inquiebat, *illius à sacerdote respuenda non est, quæ multis sacerdotibus præferenda est. Sulpit. 2. Dialog. c. 12.*

Require Mercedis neglectus.

Musicæ.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus : Præterea exemplum Musicæ simul psallens & prophetans ponatur David, Deum concinne & numerose laudans. Doricæ aut harmoniæ maxime convenit genus ἐναρμόνιον, id est, concinnum, & Phrygiæ διάτονον, quod est vehemens aut acutum, ut ait Aristoxenus, Barbari itaque Psalterij harmonia, modorum ostendens honestatem & gravitatem, cùm sit antiquissima, maximè fuit exemplum Terpandio ad Doricam harmoniam, Jovem laudanti hoc modo: Jupiter omnium principiū, dux omnium, hoc hymnorum principium ad te mitto Jupiter. Potuerit autem à psalmographo allegorice accipi cithara, in primo quidem significato, Dominus: in secundo autem ij qui proximè ac continenter pulsant animas, canticum præeunte Domino. Populus quoque qui fit salvus, dici potuerit cithara per Dei inspirationem. Et qui per Dei cognitionem musice glorificat, exauditur, verbo pulsans ad fidem. Aliter quoque acceperis musicam consonantiam, nempe Ecclesiasticam, legis & Prophetarum simul & Apostolorum, una cum Evangelio, & concentum qui in uno quoque Propheta est positus, dum ab una persona ad aliam transilitur.

Sed plurimi, ut videtur, ex iis qui nomine sunt inscripti, non secus ac socii Ulyssis, rustice aggrediuntur doctrinam: non Sirenes, sed numeros & modos prætereuntes, obstruentes ora propter inscitiam, quoniam sciunt, si Græcis disciplinis aurem semel præbuerint, futurum ut nunquam possint reverti postea. Ei autem qui decerpit id quod est conducibile ad usum Catechumenorum, & maximè eorum qui sunt Græci, Domini autem est terra & plenitudo ejus, non est abstinendum à studio doctrinæ, instar brutorum animantium. Sunt autem plurima iis qui audiunt, quoad ejus fieri potest, suppeditanda auxilia. Sed nequaquam est in his immorandum, præterquam ad id quod ex iis accipi potest commodi, ut cùm id acceptum possederimus, possimus domum reverti ad veram philosophiam, quæ est firmum animę refugium quod ab omnibus præbet securitatem. Est ergo attingenda Musica ad mores ornandos & componendos. Certè etiam in convivio nobis invicem psallendo propinamus, nostram incantantes cupiditatem, & Deum glorificantes propter copiosam donationem eorum quibus utuntur & fruuntur homines, & quod perpetuò suppeditata fuerint nutrimēta ad augmentum corporis & animæ. Est autem supervacanea respuenda Musica, quæ frangit animos & variè afficit, ut quæ sit aliquando quidem lugubris, aliquando verò impudica & incitans ad libidinem, aliquando autem limphata & insana. *libro Stromatum 6.*

Clemens Alexandrinus: Musæ autem, quas Alcander ait genus ducere à Jove & Memoria, & reliqui poëtæ & scriptores, ut Deas eas habent & colunt, quin & totæ civitates Musis musæa extruunt: eas, cum essent servæ, emit Megaclo filia Macaris. Macar autem erat rex Lesbiorum: semper autem contendebat cum uxore. Matris autem vicem dolebat Megaclo. Quid ni enim doleret? & Musas has ancillas tot emit numero, & Mysas vocat lingua Æolica. Has docuit canere, & vetera facta numerose ad citharā modulari. Illæ vero cū cithara assidue sonarent, & pulchre incantarent, Macara demulcebant, & ejus iram sedabant. Qua de causa Magaclo, ut pro matre eis referret gratias, posuit columnas æneas, & per omnia jussit templa honorari. Et sunt Musæ quidem tales. Historia autem apud Myrsilum extat Lesbium. *Protreptico ad Græcos.*

D. Nazianzenus: Quoniam silentium & rusticitatem mihi objicis, vir belle & urbane, age fabulam minimè inscitam tibi effingam: ut experiar, num hac saltem ratione ineptam istam loquacitatem compescere queam. Hirundines quondam cygnos cavillis incessebant, propterea quòd nec cum hominibus consuetudinem habere, nec canendi artem in publicum proferre vellent, sed circa prata solùm & flumina canerent, ac solitudinem amplecterentur, nec pauca solùm canerent, sed etiam quod canerent, sibi ipsis canerent, perinde atque eos Musices suppuderet. At nostræ, inquiebant, sunt urbes, nostri homines & thalami: atque apud homines garrimus, resque nostras ipsis exponimus nimirum vetera illa & Attica, Pandionem, Athenas, Tereum, Thraciam, peregrinationem, affinitatem, contumeliam, linguæ exectionem, literas, præterque omnia Itym, & quo modo ex hominibus in aves mutatæ sumus. At cyngni, quod earum garrulitatem exosam haberent, vix quidem eas sermone dignas duxerunt: ut autem dignas duxerunt, At, ô præclaræ, inquiunt, causa nostra in solitudinem quoque quispiam libens se contulerit, ut Musicam audiat, cùm Zephyro pennas nostras inflandas permittimus, ut suave quiddam & concinnum inspiret. Quare, si non multum, nec apud multos canimus, at illud certè in nobis pulcherrimum est, quod modum in canendo tenemus, nec Musicam tumultibus permiscemus. Vos autem & in ædes admissas homines fastidiunt, & canentes aversantur, idque optimo jure, quippe quæ ne excisa quidem lingua silere queatis, verùm ipsæ amissam vocem & calamitatem vestram lugentes, quavis alia ave profusa lingua prædita & canora, loquaciores sitis. Intellige quid loquar, ait Pindarus, ac si taciturnitatem meam tua loquitandi facilitate præstantius esse inveneris, silentium nostrum ineptè carpere atque insectari desine. Alioqui proverbium dicam, ut verissimum ita etiam brevissimum, Tum cantabunt cygni, cum graculi tacuerint. *Epist. 1.*

Basilius Seleuc. Multa sunt, quæ ad laudem Dei homines moveant; multa, quæ ad gratiarum actionem bene animatos impellant. Nam quocunque oculos quis circumferat, beneficentiæ fontes semper patere videt. Sol & imperium divinum excurrit, ac per terram incedentibus radios effundit: luna faciem lucet, & noctis horrorem lenit, crescit, ac decrescit pro sua instantia, itaque aëris temperationem bene temperatam efficit: stellæ cæli decursu tempestatum signa hominibus existunt; Terra pro fulcimento pedes subit, potestati usibusque hominum substrata est: emicantes verò fructus uni producit homini. Nam etsi brutæ animantes in hujus muneris communionem veniunt: homini tamen principaliter mensa telluris adornata est. Idque probè lyricen Propheta novit, dum lyram pulsat: Producens, inquit, fænum jumentis, & herbam servituti hominum. Bestiarum genus alit, & hominis sint honestamenta.

Quare horum causa gratiam debet solus homo, & gratitudinis adversus Dominum solus est debitor, multa sunt, inquam, quæ hymnos creatori concinendos moveant; verùm animi vitio fit, ut homines sæpe bene merentem Deum ut insidiatorem accusent. Nonnulli beneficiorum causas idolas affingunt: alii ad

malè

malè dicendum linguam excitant: quidam eum divina providentia bellum gerunt imprudentissimè: nec desunt, qui rationum machinis divina consilia comprehendere violenter affectent. *Orationis 9. initio.*

S. Isidorus Pelusiota: Cùm divinum numen victimas & cruores ob puerilitatem, in quarum homines versabantur tolerarit, quid miraris, quòd eam quoque quę per citharam & Psalterium celebratur, Musicam tolerarit: quæ ut nonnulli ajunt, turbulentos animi motus propulsat, simul & mœrorem lenit, & iram mitigat, & luctus per lachrymas levat. Multi enim, ut ferunt, quod lacrymas per vim compresserit, in varios morbos inciderunt. *libr. 2. Epistol. 176.*

S. Isidorus Pelusiota: Cum præses Musicæ Apollo, ut ajunt (oportet enim ipsos ex suis ipsorum nugis refellere) omnibus adhibitis modis musicis non potuerit capere atque subigere castam puellam: ex his etiam ratio Musicæ ac vis depingitur quanta sit. Nam fortasse θέλγει demulcet, hoc est si græci verbi etymon spectam*, θέλοντα ἄγει. volentem quidem ducit: non tamen animum hominis in servitutem redigit, neque cògit, neque tantam vini habet, ut non volentem quoque subigat. Quoniam autem de creatione quoque rerum, ut scribis, nugantur, dic ad eos talia quædam: Quomodo, quæso, is, quem vatem optimum esse affirmatis, cui etiam Solis nomen affingitis, omnia cernentis, ignoravit castam esse puellam illam, nec voluptate capi posse? Nam vel artis vaticinandi beneficio, vel ex suâ sapientiâ, quodque potentissimus esset omnium, qui, ut dicis, hæc aut faciunt aut significant, scire profectò ipsum oportebat. Quòd si omnium ignoratione infelix fuisse deprehensus est: desinite, ô miserrimi mortalium, per ea quæ profertis tàm stulta, vosmetipsos refellere. *Lib. 4. Epist. 194.*

Synesius: Qui mox tibiam audire desierint, eorum aures etiam cessante modulatione, sonitu quodam personant, ac tibiæ cantib. longiusculè detinentur. *Oratione De Dione.*

§ LATINORUM.

S. Valerianus: Invenimus frequenter ita impudicitiæ viam muniri, atque ex hoc fomenta adulteriis administrari; cùm hic agili plectro tinnientis citharæ sonos expedit, ille docili digito laborantis organi blandimenta componit. Isti sunt laquei quibus famulantibus inter cetera vulnera diabolus hominum mortes operatur. Nā quotiescunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus. Nemo insidiosis cantibus credat, nec ad illa libidinosæ vocis incitamenta respiciat; quæ cùm oblectant, sæviunt; cùm blandiuntur occidunt. Sic frequenter videmus blandis sibilis aves decipi, & hebetes feras in laqueum mortis dulcedine vocis impelli. In hoc proficiunt varietates vocum & producta sine syllabis verba, ut homo aut capiatur aut capiat. Explicari non potest, quam periculosos laqueos exhibeant mimicæ studia voluptatis. nam si aliquis posset humani pectoris secreta perquirere, inveniret ad singulos sonos fistulæ corda infelicium suspirare. Intelligite ergo, quod inter viros ac mulieres nimium familiaris ac secretus sermo faciat, quid juncta vicinia, quid jocis mixta colloquia; quid gula deliciis invitata, quid auri fames ad omne facinus prostitutionis exposita, si alienum furorem etiam mutæ vocis blandimenta decipiant. Refugiendus est ergo erro iste vocis sonus, qui humanis pectoribus dulcedine sua amaritudinem fecit, & persuasione quadam melliflui cantus frequenter mortifera ægris venena commiscuit. *Serm. 6.*

Io. Sarisberiensis: Musica, disciplina quidem liberalis est, & sive Pythagoram, sive Moysen, sive Tubal patrem canentium in cythara, editionis suæ laudat autorem. Ingenuum habet ortum, & virtutis suæ potentia, specierumque varietate, & sibi famulantibus numeris, universa complectitur, omnium quæ sunt & quæ dicuntur, dissidentem & dissonam multitudinem, proportionum suarum, id est, inæquali quadam æquitatis lege concilians. Hac etenim cælestia temperantur, mundana sive humana reguntur: hæc instrumenta mores instruunt & informant, ipsiusque vocis articulatæ vel inarticulatæ substantiam miro quodam naturæ opificio, melicis picturis rithmorum metrorumque coloribus vestiunt, & quadam cultus venustate perornant. Hanc, ut suffragio commendationis nostræ non egeat, sancti patres multis laudum præconiis extulerunt. Denique in ejus virtute maligni spiritus violentia cohibetur, & illius etiam in subditis suis minuit musicæ gratia potestatem. Cum enim spiritus malus Saulem invasisset, psallebat David in cythara in manu sua, donec spiritus à regis infestatione quiesceret. Ut vero non dum reveletur spiritus, qui latet in litera, æquissimum est animam cognati generis gratia mansuescere, & omnem dediscere alienationem, cum ei proprie concentus originis, & naturæ melioris arcana resultant.

Eam ex consonantiis musicis esse compositam, quam plurimorum opinio vel sententia est, Totius enim Philosophiæ princeps Plato, (si tamē Aristotelici acquiescunt) cū eā ex substātia dividua & individua finxisset, & eadem natura plasmaret & diversa, ipsam non posse constare credidit, nisi limitum, qui utrimque multifaria sectione ab unitate profluxerant, dissidentiam, emioliis epitritis & epogdois uniret. Limatis & commatis habita ratio ut sub expressione paucorum, ei quantacumque distantia repugnantium concordia, incognati generis societate doceatur esse finitima. Unde arcano quodam meatu naturæ, secretisque cuniculis, vivacitatis suæ vigore per universa discurrit, & cujvis naturæ substantiæque conformis, rationis, sensus, vitæ in singulis pro divinæ dispensationis decreto efficaciam modulatur. Omnibus itaque alimenta dispensat, & sui puritate viget in singulis, nisi molis corporeæ gravitate prematur; aut tranquillitatem spiritus, exteriorum tumultuum spiritus concutiat. Qua irruente, quid potest esse salubrius, quàm si, ut ita dicam, suis naturæ vocibus à compressione turbarum ad se ipsam anima revocetur? Quid denique nostrorum spiritui potest esse similius voce? quæ cùm hic formetur, tam facili, quam invisibili & ineffabili transitu multorum circumquaque replet auditum, & vi sua corporum integram penetrat densitatem, & quasi tactu quodam movet animum, & pro arbitrio suo nunc dejicit, nunc extollit. Certe, etsi nulla ratione sit spiritus, eam quoddam vehiculum spiritus esse certissimum est. Et nunc quidem humanum, nunc divinum, nunc & pythonicum gerit. Cùm vero modis suis elegantius fuerit collocata, venustate sui mentes etiam severiores capit, & quadam inductæ hilaritatis gratia pellit tristitiam: & si quid pulveris, aut turbinis, aut nebularum cogitationibus ipsis inhæserat, potenter abstergit.

Ad mores itaque instruendos & animos exultatione virtutis trajiciendos in cultum Domini, non modo concentum hominum, sed & instrumentorum modos censuerunt sancti patres domino applicandos, cum templi reverentiam dilatarent. Et si militantis ecclesiæ tibi parva videtur autoritas, vel triumphatrix illa præconia musicæ non tacebit, cujus seniores vidit, & tibi monstravit tonitrui filius, & voces eorum sicut cytharœdorum cytharizantium in cytharis suis. Quod si illos nondum audisti, regem audias exultantem, qui te regni & exultationis suæ vult esse participem. Ait enim: Sumite psalmum, date tympanum, psalterium jucundum cum cythara. Ad quid, inquis? Ut laudetis dominū in tympano & choro, in chordis & organo. Hic est enim usus Musicæ aut solus, aut præcipuus.

Phrygius verò modus, & cætera corruptionis lenocinia, sanæ institutionis non habent usum, sed produnt malitiam abutentis. Dolet igitur & ingemiscit species laudabilis disciplinæ, se ab alieno vitio deformari, & quod facies meretricis facta est ei, quæ viriles quoque animos accendere consueverat ad virtutem. Amatoria bucolicorum apud viros graves esse, fuerat criminis; Nunc verò laudi ducitur si videas graviores amatoria, quæ ab ipsis dicuntur elegantius stulticinia, personare. Ipsum quoque cultum religionis incestat, quod ante conspectum Domini, in ipsis penetralibus sanctuarii, lascivientis vocis luxu, quadam ostentatione sui, muliebribus modis notularum articulorumq; cæsuris, stupentes animulas emollire nituntur. Cum præcinentium, & succinentium, canentium, & decinentium, intercinentium, & occinentium, præmolles modulationes audieris, Sirenarum concentus credas esse, non hominum, & de vocum facilitate miraberis, quibus philomena vel psittacus, aut si quid sonorius est, modos suos nequeunt coæquare.

Ea siquidem est ascendendi descendendique facilitas; ea sectio vel geminatio notularum, ea replicatio articulorumque consolidatio; sic acuta vel acutissima, gravibus & sub gravibus temperantur, ut auribus sui judiciis fere subtrahatur autoritas: & animus, quem tantæ suavitatis demulsit gratia, auditorum merita examinare non sufficit. Cum hæc quidem modum excesserint, lumborum pruriginem, quam devotionem mentis, poterunt citius excitare. Si verò moderationis formula limitantur, animum à curis redimunt, exterminant temporalium solicitudinem, & quadam participatione lætitiæ, & quietis, & amica exultatione in Deum, mentes humanas trajiciunt ad societatem angelorum. Sed unde hanc moderationis formulam tenes? Exultabunt, inquit, cùm cantavero tibi, labia mea. Si ergo ex abundantia cordis os tuum laudem Domini moduletur, si spiritu psallis & mente, psallis denique sapienter, etiam citra articulatæ vocis intelligentiam, rectissimam modestiæ regulam tenes, & non tam vocis, quàm mentis jubilo aures mulces altissimi, & indignationem ejus prudenter avertis. Qui autem voluptatis aut vanitatis affectus exprimit, qui vocis gratiam prostituit concupiscentiis suis, qui lenociniorum clientulam musicam facit, ignorat quidem canticum Domini, modis Babyloniis festivus in terra aliena.

Qui nescio quo pacto plus placeant, nisi quia
Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata.

Et aquæ furtivæ dulciores, & panis absconditus suavior est. Et quidem Phrygius modus, decreto Philosophorum, ab aula Græciæ jam pridem missus est, & ceteri quibus descensus fit in lasciviam & corruptionem. An non recolis Ciconum matres & nurus, totam indignationem suam in Orpheum, qui mares modis suis effœminaverat, usque ad Parcarum invidiam effudisse, licet ille flexerit manes, duritiamque. Ditis mollierit, Euridicemque suam vocis gratia, etsi infausta sorte meruerit? Exinde hujusmodi hominum quæstus plerumque felicem exitum non exspectat, & forte, quia

Non habet eVentus ſordidaprada bonos.

Quæ verò mentes emolliunt, moreſque ſubvertunt, à noſtra ætate undique aſciſcuntur, licet ipſa ultra, quam ſatis eſt, vitijs ſuis abundet. Si quemquam eorum qui vehementius his inſiſtunt, gravem videris, ſi modeſtum, ſi pudicum, viris fortibus noſtrorum temporum ipſum connumerare memineris. Quandoquidem hæc rara avis eſt. Proinde quidam venerabilis vir, circiter ſeptingentarum monialium pater, hanc monaſteriis ſuis præſcripſit legē, ut omnia earum cantica, totius melicæ pronunciationis exuant modos, & ut ſola pſalmorum & laudum ſint ſignificativa pronunciatione contentæ. Suſpecta equidem fuit ſancto viro voluptati cognata mollities, eo quòd voluptas parens libidinum eſt. Quid quòd hæc ipſa quotidianorum conviviorum malitiam acuit; ac ſi venena, niſi toxicata ſint, nocere non poſſint? Igni ſtipulam addere, oleum camino, ſerpentem toxicare, nonne dementia eſt? Licet rerum vitia obtegantur velo verborum, quorum eadem ſubſtantia eſt, nulla profecto differentia eſt. Quæ apud Græcos coëpulationis aut compotationis cenſentur nomine, à nobis honeſtiore nomine convivia nominantur. Cætus ſiquidem conviventium, quam coepulantium aut compotantium venerabilior eſt. Convivia vero nonne per ſe ſatis inſaniunt, niſi carminibus excitentur? Nonne iſtud arguit Dominus, dicens: Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, vinum in convivijs veſtris; & opus domini non reſpicitis, & opera manuũ ejus non conſideratis. Quid ꝙ rex Babylonis nō niſi in convivio vidit manum, ſcribentis in pariete MANE, THEKEL, PHARES, quo regnum dinumeratum, appenſum denunciatur & ſciſſum. Divino ſiquidem judicio principatu judicatur indignus, qui vaſa domini, humana videlicet corpora, in vanæ voluptatis gaudia exponit, & ſponſi thalamum maligni ſpecie immundiciis aperit.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:

quæ omnia unius fiſtulæ voluptate, non tam ſopita ſunt, quàm extincta. Tu quis es, qui te circumſpectiorem eſſe confidis? *lib. 1. Policratici c. 6.*

Io. Sarisberienſis: Teſte Quintiliano, Valerio, Flaviano, & aliis multis, Socrates etiam in ſenectute didicit Muſicam, credens ſi ea deforet, ſibi cumulum ſapientiæ defuturum. In ea tamen nimium occupari, citra philoſophicam gravitatem eſt. numquid enim virum decebit ſapientem, id quod etiam in ſexu muliebri turpitudinis non effugit notam? Nam & Salluſtius Semproniam reprehendit, non quidem quod ſaltare & pſallere, ſed quod optimè ſcierit. ait enim pſallere & certare elegantius quàm neceſſe eſt probæ. optimè tamen cantare, ſi citra levitatem poſſet haberi, planè deſiderabile eſt. in omnibus enim quæ ſimpliciter expetibilia ſunt, quo intenſiora ſunt in qualitate boni, eo expetibiliora ſunt. Sed ex adjunctis poſſunt nonnulla eſſe ſuſpecta. L. Sulla vir tanti nominis, optimè cantaſſe traditur; ſed dotem libidinis & crudelitatis nota perſtrinxit. Catoni quoque viſum eſt, bene cantare non ſerij hominis eſſe. Unde nimirum Marcus Senatorem non ignobilem Cæcilium, ſpatiatorem & feſcennium vocat, cumque ſtaticulos dare, his ait verbis: Deſcendit de cantherio: inde ſtaticulos dare, ridicularia fundere. & alibi: Præterea cantat ubi collibuit; interdum Græcos verſus agit, jocos dicit, voces demutat, ſtaticulos dat. *lib. 8. cap. 12.*

¶ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Halicarnaſſæus: In confertiſſimis theatris, quæ omnigena & incondita hominum turba implet, viſus ſum obſervaſſe, naturalem quandam ineſſe omnibus nobis inclinationem & familiaritatem, ad percipiendos concentus, & numerorum concinnitates: citharædumque optimum & apprimè nobilem, vidi à multitudine explodi, quod unicam chordam minus concinnè pulſaſſet, concentumque proinde corrupiſſet: nec non aulœdum, quamquam ad exactiſſimum modum, inſtrumentis ſuis uteretur, idem quoque paſſum: quod cum non aptè inflaſſet, aut os non ſatis compreſſiſſet, murmur & ſuſurrum, aut eam quam vocamus diſſonantiam accineret. Quod ſi quis aliquem hominem rudem juberet, quandoquidem argueret peccantes artifices, ut ſumpto inſtrumento idem faceret: nequaquam id præſtaturum. Quid ita? Quia id artis eſt quam non omnes callent: illud verò affectus, quem omnibus tribuit natura; Idem quoque circa rythmos contingere vidi: omnes indignari & averſari, quoties aliquis aut pulſum aut motum, aut vocem non congruis protuliſſet temporibus numeroſque obſcuraſſet. Idcirco exploratum eſt: quæ cum modulatione & numeris proferuntur jucunda eſſe omneſque his demulceri. *cap. 30. de collocatione verborum.*

Halicarnaſſæus: Quantum apud muſicos à ſummæ & gravis chordæ ſono, ipſe acutus & imus diſtat; tantum Lyſiana dictio à Thucydidæa? hæc enim animum percellere, illa demulcere valet; hæc contorquere mentem & incitare, illa diſſolvere & languidam reddere; hæc concitatos & graves affectus, illa lenes & mites in animum ingerere. *capit. 3. de vi dicendi Demoſthenis.*

Dio Pruſæus: Verùm abibitis indignantes, meque nugas effutiiſſe dicentes, quod tantum ſermonem fruſtra compoſuerim, adque, nihil, quod ex uſu futurum ſit. Nullum enim ex his damnum emergere, neque pejus habitari civitatem. Porro apud Græcos antea intolerandum viſum eſt, muſicam immutare: & vociferabantur omnes contra eos, qui aliam conſonantiam introducerent, magiſque varioſque facerent cantus, quaſi per eos Græcia corrumperetur in theatro. Sic illi vehementer cuſtodiebant aures: & tantam exiſtimabant auditum habere virtutem, quod effœminaret animos, & modeſtiæ officia injuria afficerentur, ſi vel paulum remitteretur harmonia. Quapropter ajunt. Lacedæmonios, poſtquam Timotheus ad eos venit, jam inſignis & potens in muſica, & citharam illi abſtuliſſe, & ſuperfluas incidiſſe chordas. *Oratione 33.*

Iulianus Apoſtata initio Miſop. Enimvero barbaros eos qui trans Rhenum incolunt, vidi ruſtica carmina verbis facta ſimilibus clangorum, quos aſperè clamantes aves edunt, ſtudioſe amplecti, & carminibus delectari. Solent enim opinor, mali muſici ingrati moleſtique eſſe iis à quibus audiuntur, cùm ſibiipſi natura ſint jucundiſſimi.

¶ ROMANORUM.

Symmachus: Liceat inter olores canoros anſerem ſtrepere. *lib. 1. Epiſt. 18.*

¶ APOLOGI.

Aphthonius: Vir dives anſerem ſimul alebat & olorem. alebat autem non eodem fine: ſiquidem hunc canendi gratia, illum menſæ. ut verò mori oportuit anſerem, ad quam rem alitus erat, cum quidem nox eſſet, nec tempus alterum ab altero dignoſci pateretur, cycnus pro anſere ſublatus, cantu ſignificat naturam: & ita mortem effugit ſuavitate canendi.

Sic muſica mortis dilationem parit.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A Muſis alienum id omne eſt Iupiter quod non amat.
Abſq; Muſis inVia omnis carmen ad bonum Via eſt.
Ad ſolatium laboris cantilena homini data eſt.
Ægrimoniam deformem cantico ac mero leVes.
Aula ubi Thalia muta eſt, principale nil ſonat.
Conſecrat roſæ corollas Muſis, qui ipſas diligit.
Quod eſt corpori gymnaſtica, id quoque animæ muſica eſt.
Cuncta cum Muſis poetæ cantant cumq; Gratiis.
Cymbalis tubisq; longe ſuaVior Vox tibia eſt.
Fallitur labor canendo: ſi graVe eſt opus canas.
Fallitur ſenſus doloris carminum molli ſono.
Fortium entheo furore pectus implet muſica.
Haud poeta es, cura habendi corde eraſa ſi haud tua eſt.
Igneum telum Tonanti Delia excutit lyra.
In pœnam cecinit ſuam ceciditq; Priſcus Marſyas.
In caſſum metuas luſciniæ deſiat ne cantio.
InVitante cantu ſponte in retia currunt belluæ.
Multum habet præclara Virtus noctis, expers Aonum.
Multa de magnis profari Muſa amat Virtutibus.
Multa Muſæ ſunt, ut multa multi ab eis bona auferant.
Muſa docta, actis quibusVis bis ter eſt ViVacior.
Muſas ipſas criminatur, qui poetis derogat.
Muſicam docet Cupido Muſices rudiſſimos.
Nemo credit uſpiam actum Muſa de quo conticet.
Neminem Camœna dignum laudibus ſiVit mori.
Nocte Viſis Muſis unà Aſcreus Vates exilit.
Non conſtat chorus ſibi unus ſi modo eſt qui exorbitat.
Nulla nox Vacet dies Ve quin Dominum canas Deum.
Nulla tam grata audienti eſt cantilena quam recens.
Nullus in cælo Deorum eſt Muſa quem non mulceat.
Nullus uſus eſt ipſammet ſe occulentis Muſicæ.
Pacis ac belli adminiſtra eſt ambidextra Muſica.
Palma poſita in medio cuiVis tractanti artem Muſicam.
Præpotentium Virtutum Muſa ſidus aureum eſt.
Publicè intereſt faVores ampliari Muſicæ.
Qui colit Muſas, earum amplectiturq; Antiſtites.
Raro Muſis in Palatio offeruntur lautia.
Regium nil rege in illo eſt qui Camœnas negligit.
Si Bacchum inVenire veſcis, inter Muſas quærito.
SuaVis eſt Siren: Camœna ſuaVis atq; innoxia eſt.
Tela Muſarum Volucria uſq; per cælum Volant.
Vinum ama Vetus, recenteis hymnorumq; adoreas.
Vis aedonas tacere? claude clathris carceris.
Vox aëdonum tacebit clauſa triſti carcere.
Voce ſaltem concelebres, ſi meritis nequis, Deum.
Vt Valet Spartanus armis, ſic Valet quoq; muſica.

¶ JAMBICA.

Abſconde muſicam, & uſus eius non erit.
Athleta, ineptè iudices de muſica.
Coniuncta regno maxima eſt res Muſica.
Cui Iupiter eſt iratus, Muſas intelligit.
Effeminat Viriles animos Muſica.
Eſt liberalis diſciplina Muſica.

Et literarum Musica antiquissima est.
Et Musica artium omnium antiquissima est.
Etiam cicada musicam Eunomi adjuvat.
Examinare libra Musicam nequit.
Haud facile quis excutiat dulcem animo sonum.
Hominem merum furiat minus quam musica.
Hortatur etiam cantus ipsos remiges.
Indoctus, à Musis abest & Gratijs.
Malus choraules, symphoniacus est bonus.
Minus grave est quibusque qui canunt onus.
Musæ eleganter copulantur Gratijs.
Musæum ab urbe sit procul, nemus propè.
Musis amicus somnus ac Pallantias.
Non lata currere ad Musas datur via.
Nullus fuit sibi unquam ingratus Musicus.
Psaltes bonus, cupediarius bonus.
Præstare in arte Musica vix regium est.
Quale est theatrum, talis est & musica.
Qui liber animo est, sentiet vim carminis.
Quicunque cantat mage lætatur quàm dolet.
Quis mane cantum unquam exaudivit tibiæ?
Quisnam canat tacente olore Musicè?
Regi tacet cui Musa, non est regius.
Respectus occultæ esse Musica nequit.
Si musica est abscondita, haud est utilis.

Mutationis.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Greg. Nyssenus:* Quo modo potest his vitæ rebus addictus assiduè id habere, quod in rebus, quæ maximè expetuntur, optabile est ut perpetuò maneat? quod adultæ ætatis robur? quæ virium aut formæ integritas, quæ opes, quæ gloria, quæ potentia? nonne omnia hæc vel exiguo tempore cùm floruerint, rursus diffluunt, atque in contrariam nominis appellationem defluxa considerunt? quis omni tempore in adolescentia? cui perpetuò suppeditarunt vires? annon pulchritudinis florem citius vel illis ipsis floribus. qui se primo vere ostendunt, interiturum natura efficit? quæ sanè tempore suo natura consevit, cùm brevi tempore floruerint, rursus surgunt, rursus diffluunt, rursus frondescunt, atq; hanc quidem pulchritudinis speciem adulta in ætate natura ostendit: quam verò hominum pulchritudinem in adolescentia, quasi primo vere, planè demonstravit, senectutis postea hyeme extinxit, eodemque modo reliqua omnia, quæ ad quoddam tempus carnis sensum deceperunt, posteaquam cursum ea perfecerunt, oblivione simul occultata sunt. Quoniam igitur ejusmodi commutationes, quę quadam naturæ necessitate eveniunt, dolore illum afficiunt, qui in affectione versatur: una certè est horum malorum declinatio, ut ne ullis rebus, quæ animum concitent, sese adjungat, sed, quantum fieri potest, se ab omni vitæ consuetudine avocet, quæ ad vitiosam disciplinam, carnique deditam adducat, vel potius ab ea convenientia conjunctioneque naturæ se removeat, qua suo quisque corpori astrictus tenetur, ut ne vita, quæ è carne est, sit carnis obnoxia calamitatibus: hoc autem est, soli animæ vivere. *Capite quarto de virginitate.*

¶ Philosophorum Oratorumque Graecor.

Xenophon: Quæ mutatio paullatim declinando fit, ea facit, ut quælibet natura mutationes ferat. quod quidem Deus ipse nos docet, qui paullatim ab hyeme nos ad perferendum vehementes calores abducit, & ab æstu ad acrem hyemem: quem imitando pervenire ad id, quo necesse est, jam ante condocefacti debemus. *Cap. 14. lib. 6. Cyropæd.*

Aristides Rhetor: Nihil est, ut ajunt, inter homines immutabile: sed & terra mare recipit, & mare in continentem transit: urbesque aliæ sub terram discesserunt, aliæ per imbres vel cælestes vel quosvis evanuerunt. propriæ namque sunt humano generi mutationes, ac multa sunt temporis miracula. *Smyrnæ gratulatio.*

Philostratus: Eos qui non deliciosè molliterque inter se degunt, eumque qui revera vir est, nulla contingens res permutabit, aut in servitutem rediget. *Lib. 6. Apollonij cap. 15.*

Symplicius ad cap. 6. Epict. Ij qui à prava consuetudine ad meliorem vitæ rationem transire incipiunt, primum evomere debent malæ vitæ venenum & dum demum bonæ vitę cibis ali. Nam quod Hippocrates de impuris corporibus ait, quo magis alantur, eo magis ea lædi: id de animis multo magis est verum. Nam prius inhærens improbitas bona oblata corrumpit & aversatur, alias ut molesta, alias ut noxia, alias ut inutilia & supra vires. Simulque augetur, ut judicio contemnere meliora videri velit, & fit insanabilis: ut denique meliores rationes & actiones, etsi facile posset, non admittat. Perinde ac si quis in morbo regio mel amarum ratus, post etiam id gustare recuset. Itaque ordo postulat, ut recta disciplina admittatur.

Simplicius ad cap. 7. Epict. Monet à parvis, atque adeo minimis esse incipiendum, ne, ut proverbio dicitur, figlinam à dolio auspicemur. Nam qui majora initio suscipit, facile succumbit, frustratur, fractis viribus fit imbecillior, desperat. Qui vero à minimis incipit, semel utique fit aliquanto robustior fidentior & melior quam ante fuit: ut jam & paria facile superet, & paulo majora tutius aggrediatur. Nam qui eodem die quater edere consuevit, si totum jejunare diem statim conatus fuerit: & corpus mutatione subita turbabit, & ipse ærumnose molesteque vivet. Itaque talis progressio & periculosa & inconstans esse consuevit. Sin à quaternario ad ternarium descenderit, eique assueverit: facile assuescet bis, & multo facilius, atque etiam tutius & constantius semel tantum edere consuescet.

Simocatta: Philippi filius Alexander nequaquam se prosperis successibus efferebat, sed ad philosophiam fortunæ flatus maximis cum laudibus revocabat, non solitus inescari ac capi. Propterea cùm videret in belli inclinatione Darium cecidisse, chlamyde hostem contegebat, virtutis ac fortunæ nobilitatem ostendens. Hinc subditus populus Alexandrum convitiis afficiebat, & pietas regi in criminis loco habita est. Alexander itaque tanquam philosophus, metuebat fortunæ, ut apparet, incertitudinem. Qua de causa cùm ei plurima secunda sub unum nunciarentur, ajebat, ô Juppiter, misce bonis etiam aliquod infortunium! Adeò metuebat extremæ prosperitatis in fortuna successus prudentissimè Alexander. Si igitur vicinam immutationibus naturam ignoras, non multò pòst experientiam videbis præceptorem, & cognitionis habebis antiquiores disciplinas. Sin ultrò ac lubens cæcutis, graviorem pœnam sortieris, cùm delictorum, & cognitionis à te supplicia repetentur. *Antisthenes Pericli. Epist. 22.*

¶ Romanorum.

Plinius Junior: Plerisque mutatis, ea quoque mutata videntur quæ manent. *Epist. 21. fine libro 8.*

¶ Poetarum.

Terentius Adelph. act. 4. sc. 7.

Ceterùm placet tibi factum Mitio? N. non, si queam
Mutare: nunc cùm non queo, æquo animo fero.
Ita certâ est hominum, quasi cùm ludas tesseris:
Si illud quod est maximè opus factu, non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

P. Syrus Mimus.

Mutat se bonitas irritata injurijs.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque perturbatione nulla fit mutatio.
Arbores vetustiores difficulter transferas.
Corpori mentique pestis vel repens mutatio est.
Difficulter quis mutatur in virum bonum improbus.
In pluviam ventumque nubes se resolvunt sordida.
Omnis est introducenda paullatim mutatio.
Omnium mutatio omnis plena res periculi est.
Planta nunquam convalescit sæpe quæ mutat locum.
Propositum mutare aliquando est virtutis non criminis.
Vix ad duriora vertas, diu curatos molliter.
Vix coalescit ulla planta, quæ transfertur sæpius.

¶ Jambica.

Aliter migramus corde, aliterque corpore.
Arbos anus translata mox exstinguitur.
Aut nullus, aut concursus rarus montium est.
Crebra usui regno nulli mutatio est.
Et multa mutat una temporis dies.
Instabilis est animi frequens migratio.
Mutatio nisi in malis, res pessima est.
Naturæ inimica qualibet mutatio est.
Odiosa cuivis quævis est mutatio.
Omnis repens, improspera est mutatio.
Periculosa qualibet mutatio est.
Periculosa vitæ omnis mutatio.
Rei malæ minime improba est mutatio.
Vario modo mutantur humana omnia.

Videatur & titulus *Morum, Honorum, Divitiæ, Inconstantiæ, Legum, Rerumpublicarum.*

Mutui.

¶ Sententiae Patrum Graecor.

D. *Greg. Nyssenus:* Ad mutuum quoque exhortor: altera enim donationis est species. sed addo, dandum esse mutuum sine fœnore. Æquè sanè obnoxius est pœnæ divinæ, qui non dat mutuum, & qui dat sub conditione usuræ. illius namque inhumanitas; hujus verò cauponarius quæstus condemnatus est. *Orationis sine contra usurarios.*

Chrysostomus: Si quid mutuo dare velimus, disquirimus à quibus multum carpere possimus, eosque circumspicimus quos gratos futuros speravimus. *Homilia 7. ad Romanos.*

§ PRINCIPUM.

Phalaris Melitensibus. Quanquam in hoc præsenti tempore, non admodum divitiis abundant, quoniam continuis bellorum impensis absumptę sunt: tamen adduci me passus sum ut vobis rogantibus mutuò pecunias darem. Non enim, ut dici solet, excusatio erga amicos prætendenda est. Neque verò faciatis idem, quod vulgò fieri consuevit, ut mutuum sumentes blandissima oratione utantur, repetiti verò, probrosissima difficillimaq; rem & à justitia & à gratitudine abhorrentissimam agentes. Eum enim qui ceperit, meminisse creditorum par est & usque ad persolutionem de his semper eodem modo sentire; atq; si bonus sit, ut bono persolvere: sin malus ut malo. Nam & æquo & iniquo creditum reddere convenit. Ego itaque Melitenses, & cùm do & cùm repeto sum idem & mihi similis. Debitores verò & ad tempora & ad ingenia, perinde ac Chamaleontes ad locum colorem, se commutant & fingunt: atq; sumentes quidem ut beneficium & Deum laudibus extollunt, cùm verò debitum exigitur, ut Tyrannum & sceleratum calumniantur. Adhæc neq; illud me præterit, melius esse multò ab homine privata, quàm ab urbe, mutuata pecunia spoliari. Si enim ab uno homine quis fraudatus sit, unum solummodo possidet inimicum eumque imbecillem. Sin à repub. damnum quidem simile facit, hostes verò complures non unum tantùm habet. Verùm nihil eiusmodi de vobis sentio: sed extra suspicionem omnes pecunias concedo. Nã cùm in aliis rebus vestra mihi gratitudo, tum etiam in contractibus iustitia fidesque cognita est. Præsertim verò cùm hoc vos non latere sciam, majus crimen in iis esse, qui multi uni injuriam inferunt, quam qui unus à multis injuriam patitur. Non enim credibile est ab uno multos, sed unum à multis contemptui neglectuique haberi, verisimilius est. *Epistola 83.*

§ POETARUM.

Plautus Pseudoli 1 sc. 3. v. 59.

——Nullus est tibi quem roges mutuum
Argentum? C. *quin nomen quoq; jam interijt mutui.*

Plautus Trinummo 3. sc. 3. v. 31.

——Natu illud verbum actutum inveneris.
Mihi quidem hercle non est quod dem mutuum.

Plautus Trinummo 4. sc. 3. v. 44.

Si quis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum.
Cùm repetas, inimicum amicum beneficio juvenis tuo.
Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio;
Vel illud quod credideris perdas, vel illum amicum amiseris.
C. Mens hic est quidem Stasimus servus. S. nã ego talentũ mutuũ
Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absq; proxeneta vix est invenire mutuum.
Ante cogita unde solvas, & sic sume mutuum.
Iupiter nec mutuam dat, nec sumit pecuniam.
Mutuum est quod quantitate restitui solet pari.
Mutuum quicumq; sumpsit, libertatem vendidit.
Mutuum omne sumit à se, quod domi non est, probus.
Mutuum repetis? inimicum beneficio invenis tuo.
Mutuum sumas ab ipso te, si quid desit tibi.
Mutuo talento inimicum mihi emi, amicum perdidi.
Pessimo in statu Reges sunt cùm reposcunt mutuum.
Possideat quis qua profert, an mutuetur, interest.
Quod datum usui est, repetendi copia est quando libet.
Si quis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum.
Vtrum ab homine, an forte ab ipsa mutuere, haud interest.

§ JAMBICA.

A mutuo malo, & concordia mutua est.
A scelere mutuo, mutuum & silentium est.
Et mutuo uxor dat viro pecuniam.
Et mutuis auxiliis constant omnia.
Haud mutuantur formica, haud hirundines.

Mysteriorum.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECOR.

CLemens *Alexandrinus*: Memoriæ ergo causa, & brevitatis, & quod se extendant ad veritatem, talia barbaricæ Philosophiæ sunt scripta. Eorum enim qui sæpe ad eos accedunt, & dederunt sui experientiam, & in fide, & in vita universa, solum esse volunt eã quę vere est Philosophiam, & veram Theologiam. Iam vero nos quoq; volunt opus habere aliquo interprete & duce: sic enim fore ut majus in eam studiũ conferatur, & minime decipiantur cum accipiant ab iis qui norunt, & prosint iis qui se sunt digni, existimarunt. Et alioqui omnia quæ ostenduntur per aliquod velamentum, majorem & præclariorem ostendunt veritatem, sicut fructus qui in aqua pellucent, & formæ quæ per tegumenta cõcedunt aliquam sui evidentiam. Aliquid enim addunt splendori, præterquam, quod quæ sunt manifesta, uno modo intelligantur. Cum ergo liceat pluribus modis accipere, sicut certe accipimus in iis quæ dicta sunt cum occultatione, ea cum ita habeant, fallitur quidem indoctus & imperitus, comprehendit autem qui est cognitione præditus.

Jam ergo nec quibuslibet volunt omnia exponi temere, nec communicari bona sapientiæ, iis qui ne in somnis quidem sunt animá expurgati (neque enim fas est quibuslibet obviis ea expetere quæ parata fuere cum tot certaminibus) neque profanis verbi narrare mysteria. Ajunt certe Hipparchum Pythagoreum accusatum quod aperte scripsisset decreta Pythagoræ, expulsum fuisse è schola, & ob id ipsum, tanquam mortuo, impositam columnam fuisse. Quocirca etiam in barbara philosophia vocant mortuos, eos qui exciderunt à dogmatibus, & mentem subjecerunt animæ perturbationibus. Quæ est enim participatio justitiæ & injustitiæ? ut ait divinus Apostolus: aut quæ societas luci cum tenebris? Quæ autem est conventio Christo cum Belial? aut quæ pars est fideli cum infideli? Olympiorum enim & mortuorum sunt separati honores. Quocirca egredimini è medio ipsorum, & separemini, dicit Dominus, & immundum ne tangatis, & ego suscipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias.

Non soli autem Epicurei & Plato multa occultabant, sed etiam Epicurei dicunt quædam esse apud se arcana, & non permittere omnibus ut ea scripta legant. Quinetiam Stoici dicunt à Zenone primo quædam fuisse conscripta, quæ non facile permittunt legere discipulis, quorum non prius fuerit factum ab ipsis periculum, an germane & syncere philosophentur. Aristotelei quoque dicunt, ex suis scriptis alia quidem esse ἐσωτερικὰ, id est, interna: alia vero communia & ἐξωτερικὰ, hoc est, externa. Quinetiam ij qui fecere mysteria, cum essent philosophi, sua dogmata obscuraverunt fabulis, ut non essent manifesta omnibus: deinde illi quidem humanas celantes opiniones, arcebant indoctos ne ad eas adirent: eorum autem quę vere sunt sanctam & beatam contemplationem, non multo magis celari conferebat.

Sed neque ea quæ sunt barbaræ philosophiæ, neque fabulæ Pythagoricæ, neque quæ apud Platonem in Republica ab Armenio, & in Gorgia ab Æaco & Rhadamanto, & in Phædone fabula Tartari, & in Protagora Promethei & Epimethei, & præterea fabula belli gesti inter Atlantinos & Athenienses in Atlantico, non sunt in omnibus exponendæ allegorice, sed quæcunque vniversam ac generalem significant sententiam. Atque hæc certe inveniemus significari per symbola sub velo allegoriæ. Quin etiam Pythagoræ consuetudo, & quæ cum familiaribus erat duplex conjunctio, vocans quosdam ἀκουσματικοὺς, id est, Auscultatores, quosdam vero Mathematicos, qui syncere ac germane attingebant Philosophiam, significabat aliud quidem dictum fuisse, aliud vero fuisse, à multis occultatum. Fortassis autem illud quoque duplex orationis genus Peripateticorum, nempe & quod opinabile, & quod ἐπιστημονικὸν, id est, scientiam constituens vocatur, non multum abest quin dividat opinionem ac famam à vera gloria quæ dicitur εὔκλεια, & à veritate.

Mortale à seclo flores decerpere honorum,
Te minimè subiget, prapossis quo mage fari.

Musæ certe Ionicæ dicunt dilucide vulgus quidem hominum, & eos ex populis qui sibi videntur sapientes, sequi poëtas, & uti legibus, vt qui sciant multos esse malos; eos autem qui sunt optimi, gloriam persequi: eligunt enim, inquit, optimi omnium contraria, perennem gloriam mortalium. Multi autem se explent & exaturant, tanquam pecora, ventre & pudendis, & rebus ex ijs quæ sunt in nobis turpissimis, metientes beatitudinem. Magnus quoque ille Parmenides Eleates, introducit duarum viarum doctrinam, sic scribens:

Vna quidem veri est, bene quam cor credere constans
Possit, opinio sed nimium levis altera vulgi,
Cui non certa fides, nec inest persuasio vera.

Merito ergo dicit divinus Apostolus: Per reuelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut prius scripsi paucis, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc revelatum est sanctis ejus Apostolis & Prophetis. *Lib. 5. Strom.*

Idem mox: Quinetiàm poëtæ qui à prophetis didicere Theologiam, per arcana sensa multa philosophantur, Orpheus, inquam, Linus, Musæus, Homerus & Hesiodus, & qui ea sunt ratione sapientes. Velum autem eis apud vulgus est poëtica delectatio, somniaque & symbola, quæ sunt omnia hominibus obscuriora, non propter inuidiam, nefas enim est Deum intelligere patibilem (sed vt) ænigmatum notionem subiens inquisitio, ad inveniendam recurrat veritatem. Ea ratione dicit vtique Sophocles poëta tragicus:

Deum ipse credam semper esse eiusmodi,
Oracula vt sapientibus det abdita,
Malum scelestis, multa qui paucis docet.

Malum ponens pro simplici. Aperte itaque de tota nostra Scriptura in Psalmis scriptum est, vt quæ dicta sit in parabola: Audite populus meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Præclarus quoque Apostolus sic dicit quodammodo similia: Loquimur autem sapientiam inter perfectos. Sapientiam autem non hujus sæculi, neque principum hujus mundi qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam præfinivit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nullus ex principibus hujus sæculi cognovit.

Clemens Alexandrinus: Omnes ergo, ut semel dicam, qui de rebus divinis tractarunt, tam barbari quam Græci, rerum quidẽ principia occultaverunt: veritatem autem ænigmatibus, signisque ac

symbo-

symbolis, & allegoriis rursus & metaphoris, & quibusdam talibus tropis modisque tradiderunt, cujusmodi sunt etiam apud Græcos oracula: Et Apollo quidem Pythius dicitur λοξίας, id est obliquus. Quin etiam Apophthegmata eorum qui apud Græcos vocantur sapientes, paucis dictionibus rem majorem significant. *Libro Stromatum quinto.*

Idem post multa: Et ideo Ægyptij ante templa ponunt Sphingas, quia doctrina quæ de Deo, ænigmatica est & obscura. Forte autem quod Deum oporteat amare & timere: amare quidem, ut sanctis benignum & propitium: timere autem, ut qui sit impiis justus inexorabiliter. Feræ enim simul & hominis imaginem Sphinx significat. Longum autem fuerit omnia persequi prophetica & legalia, ea afferendo quæ dicta sunt per ænigmata: ferè enim universa hoc modo oracula sua effert divina scriptura. *Libro Stromatum quinto.*

D. Nazianzenus: Quod si hæc quidem Poetarum figmenta & nugas esse dicent, duo hæc, hoc est carmen & fabulam, ad conciliandam poesi jucunditatem adhibentium, iisq; autem velut delinientium, cæterum altiorem & abstrusiorem in iis sensum reconditum esse; atque ejusmodi, ut sapientiorum pauci ad eum penetrare possint: videte quam simpliciter & æquè de his rebus disseram. Primum, cur eos, qui contumelias inferunt, laudant, divinisque pene honoribus afficiunt, quibus impietatis pœnam non persolvere, satis amplum lucrum erat? Nam cum eos, qui unum quempiam Deorum, privatim etiam, ac levi maledicto affecerint, capitalis pœna legibus constituta sit: quas tandem eos pendere oportebat, qui in omnes simul, & publicè, & ob fœdissima flagitia poësis suæ aculeos strinxerunt, atque hanc comœdiam posteris in longum tempus tradiderunt? Tum hoc quoque considerare operæ pretium fuerit.

Etenim apud nos quoque abditi quidam & abstrusi sermones sunt, (nec enim inficias ivero, verùm quænam duplicis eorum sensus est ratio, & quæ vis ac facultas: Nec externa species indecora & honesta est: &, quod occultatur, admirandum est, iisque, qui in penetralia ipsa inducuntur, mirè splendidum: ac pulcherrimi cuiusdam corporis instar, haud aspernanda veste contegitur.

Rerum enim divinarum, mea quidem sententia, ne indicationes quidem ipsas externasque species inhonestas esse convenit, rebusq; significatis indignas, ac denique tales, ut homines quoque ipsi eas de se prædicari permolestè laturi sint: verum aut maximam omnino pulchritudinem habere, aut certè à summa turpitudine abesse: ut partim eruditiones oblectent, partim vulgi animos minimè labefactent. Apud vos contra, nec quod intelligendum proponitur, fidem meretur: & quod externè oculis objicitur, funestum & exitiosum est. Quæ porro prudentia est per cœnum ad urbem ducere, aut per saxa & scopulos ad littus contendere? Quid enim ex eo accidet, & quis verborum finis futurus est? Tu quidem jurgaberis, tuasque calamitates, aut animi figmenta sensu allegorico explicabis: qui autem tibi fidem habeat, non erit. Nam quod oculis cernitur, majorem ad persuadendum vim habet. Ita nec auditori utilitatem attuleris: & spectatorem perdideris, nimirum ei, quod oculis oblatum cernit, assensum præbentem. At contemplationis quidem locus apud eos talis est, tamque ab hypothesibus eorum & principiis remotus: prius ut omnia inter se copulare quis possit, atque ea, quæ longo intervallo disjuncta sunt, in unum adducere, quam ut hæc componat atque conciliet, eiusdemque viri esse affirmet, figmenta nimirum, & eorum involucra. *Oratione tertia, quæ est in Iulianum stelit. prima.*

D. Nazianzenus: Si inimicitias atque odia exstinguere non possumus, illud saltem inter nos conveniat, ut mystica mysticè, & sancta sanctè proloquamur, nec in profanas aures, quæ in vulgus efferri nefas est, proiiciamus: ne alioqui constet eos qui dæmones adorant, & turpium fabularum ac rerum cultum profitentur, nobis gravitate superiores esse. quippe qui his qui non iisdem sacris initiati sunt, cruorem potius suum, quàm sermones quosdam impertirent. *Oratione 33.*

D. Chrysostomus: Mysterium non eget confirmatione: sed quod est, solùm annunciatur. Nam non est mysterium divinum & integrum, quando à teipso aliquid addideris. Quanquam vocatur etiam mysterium: quoniam non quæ videmus aspicimus; sed alia videmus, alia credimus. Est enim etiam huiusmodi natura nostrorum mysteriorum. Aliter enim ego, & aliter infidelis de iisdem afficimur. Audio enim quòd Christus fuerit crucifixus; & statim admiror ejus benignitatem, & in homines charitatem: audit ille, & existimat imbecillitatem. Audio factum fuisse servum, & quam nostri curam gerit admiror: audit ille, & reputat infamiam. Audio esse mortuum, & stupeo virtutem ac potentiam; quòd cùm à morte teneretur, non fuerit victus, sed mortem etiam fregerit: audit ille, & suspicatur imbecillitatem. Audiens ille resurrectionem, dicit esse fabulam: ego autem suspiciens ipsas quæ per res fiunt demonstrationes, adoro Dei consilium & dispensationem. Audiens ille lavacrum, aquam solùm esse existimat: ego autem non aspicio solùm id quod videtur, sed etiam mundationem animæ quæ fit per spiritum. Ille existimat solum mihi totum esse corpus: ego verò credo animam quoque factam esse mundam & sanctam: & repeto sepulturam, resurrectionem, sanctificationem, justitiam, redemptionem, filiorum adoptationem, regnum cœlorum, suppeditationem spiritus.

Non enim visu judico ea quæ apparent, sed mentis oculis. Audio corpus Christi: aliter ego intelligo quod dictum est, aliter infidelis. Et quomodo puelli videntes libros, non norunt vim literarum, neque norunt quæ vident; imò verò & si quis sit imperitus litterarum, hoc ipsum ei accidet; peritus verò inveniet magnam virtutem in litteris reconditam, integras aliquorum vitæ conscriptiones & historias: & si epistolam quidem acceperit imperitus, putavit esse chartam & atramentum, peritus autem & vocem audiet, & cum absente differet, & quod voluerit rursus dicet per litteras: Ita etiam fit in mysterio. Infideles quidem licet audiant, non videntur audire: fideles autem habentes peritiam quæ fit per spiritum, vident vim ac potestatem eorum quæ sunt recondita. *Homilia 7. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Hoc est revera mysterium, quod nemo novit, quod est admirabile, quod est præter communem expectationem, quod absconditur. *Homil. 5. ad Coloss.*

Chrysostomus: Caveamus propalare mysterium, neque ipsum ubique proferamus. Digni tanto mysterio vivere studeamus. Hi nempe, quibus mysteria creduntur, magni utique sunt. Nam si rex nobis temporalis mysterium crederet, nonne id singularis amicitiæ ac familiaritatis indicium; certumque argumentum haberemus. At nunc Deus nobis mysterium credidit. Et quomodo, inquies, mysterium dicitur, quod est omnibus notum? *Homilia 11. ad Timoth. 1.*

Isidorus Pelusiota: Scitè & eruditè divinam scripturam evoluere debes, ipsiusque vires ac facultates prudenter investigare, nec mysteria ea, quæ attrectare nefas est, quæque comprehendi nequeunt, temerè atque impudenter aggredi, manibus indignis ea committens: Ad hunc enim modum audacissimus Osias, cùm rebus iis, quas aggredi minimè licebat, manum inijcere minimè dubitasset, temeritate sua lepram retulit, invitusque à templo projectus est. Quandoquidem lex quoque iis, qui lepra compuncti atque infecti erant, aditum ad templum claudebat. Hæc porrò, admonendi nostri causa litteris mandata sunt, ut & temeritates fugiamus, & pœnas minimè patiamur. *Lib. 1. Epist. 2.*

Idem: Et ob crebras tuas literas pudore suffundor: & rursus ob parum honestas & laudabiles actiones te aversor. Atque quidnam tibi respondeam, ancipitis animi sum. Non quòd, id quod quæris, explanare nequeam: verùm quòd auribus tuis, ut indignis, parcam. Neque enim canibus sancta dare nobis licet. Si autem insanire desinas, & quæ à me quæsiisti exponam, & ostendam quonam pacto id, cui tu fidem abrogas, extra dubitationem sit. Nam nec lippiens oculus in solis orbem aciem defigere potest, & si eam defigat, frustrà id agit: nec sordida mens sanctarum rerum quicquam utiliter perscrutari potest. *Lib. 1. Epist. 304.*

S. Isidorus Pelusiota: Sæpenumero eos miratus sum qui cùm fidei atque optimæ vitæ curam nullam gerant, ea quærunt ac solicitè investigant, quæ nec inveniri possunt, & cùm quæruntur, divinam iram concitant. Nam cùm ea, quæ Deus nobis minimè nota esse voluit, tanquam per vim scire contendimus, nec eorum scientiam consequemur (quonam enim modo, Deo nolente?) atque ex huiusmodi investigatione præter periculum nihil percipiemus. Quamobrem hujusmodi rerum explorationem, ut natura nostra præstantiorem, captumque omnem excedentem, missam facientes, atque ad rectæ fidei, optimeque vivendi rationis portum confugientes, hinc nobis securitatem comparemus. *Lib. 2. Epist. 93.*

S. Isidorus Pelusiota: Etsi vos, qui optimæ vivendi rationis expertes atque ignari estis, ea, quæ hominibus vestri similibus minimè exponenda sunt, sermone declarari petentes vestrum de rebus judicium vobis surripi non animadvertitis: at ego tamen non eò temeritatis & audaciæ prorumpam, ut ea, quæ nunc vobis audire nefas est, vobis exponam, atque ea, quæ aurium vestrarum captum excedunt, verbis complectar. Non enim fas est, aut eos, qui à sacris alieni sunt, res sacras audire: aut prophanos adyta contueri. Neque enim hoc per mores licet, imò etiam ne divinum quidem oraculum hoc permittit, apertis verbis clamans: Nolite sanctum dare canibus. Ac propterea, cùm ipse dicere quidem possim, vobis autem dicere non possim, vos potiùs moneo & hortor, ut à vitio abstineatis, ac virtuti studeatis. Quod si feceritis, earum rerum, de quibus ad me scripsistis, interpretationem audietis. *Lib. 2. Epist. 253.*

S. Isidorus Pelusiota: Neque enim fas est, naturæ arcana, quæ ipsa abdita esse voluit divulgare. *Lib. 4. Epist. 117.*

Synesius: Sed quisquis ad divinam aliquam faciem, quæ sub viliori forma lateat, dignoscendam minimè rudis est, & inexercitatus, (quemadmodum Athenis artifices factitabant, qui Venerem, aut Gratias, cæterasque id genus Numinum pulchritudines, Silenorum, ac Satyrorum simulacris vestiebant:) facilè is deprehendet illo in opere innumera dogmata ex sacris arcanisque declarari, quæ quòd supervacuorum atque inutilium speciem habeant, quodque temerè, atque ut videtur, simpliciter orationi inspersa sint, cæteros facillimè lateant. Quemadmodum enim quæ à luna oriuntur refrigerationes, ab iis duntaxat, qui Comitiali morbo laborant sentiuntur: sic notionum mentis illustrationes soli illi capiunt, quibus sanum mentis oculum ac defæcatum habentibus cognatum Deus lumen accendit, quæ & intelligentia præditis, intelligendi; & iis quæ intelliguntur, causa est ut intelligantur. velut nostrum illud aspectabile lumen oculum cum colore conjungit, quo præsente, si lumen sustuleris, otiosa illius videndi facultas & sine actione manet. *Epistola 153.*

Synesius Episcopus: Vetustissimum illud, & cumprimis Platonicum institutum esse arbitror sub vilioris argumenti specie, quæ sunt in Philosophia magna, atque præstantia dissimulare; ut neque quæ difficulter inventa sunt, rursum ex hominum memoria excidant, neque tamen, eadem in profanum vulgus edita, corrupta, ac depravata reddantur. *Præfatione de Insomnijs.*

¶ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Lysis Pythagoræus. Postquam ex hominum consortio Pythagoras decessit, nunquam in animum induxi, ut discipulorum congregationem dispersum iri putarem. Quoniam verò præter spem, quasi à navi magna, Phortide in deserto pelago abstracta, alius aliò delati disgregati sunt, sanctum est etiam me divinorum & gravissimorum eius præceptorum memorem esse, neque communicare sapientiæ bona, his qui ne in somnio quidem animis mundati sunt ac purgati. Non enim fas est quibusvis porrigere, quæ tantis laboribus comparata sunt, neque enim prophanis duarum Eleusiniarum Dearum mysteria commemorare. Æquè verò sunt injusti & impij, utriq; qui hæc faciunt. Par est autem animo reputare, quàm longum tempus emetientes consumpserimus, abiiciendis maculis, quæ in pectoribus nostris insederant, donec quinque præteritis annis, capaces eius disputationum ac sermonum evaderemus. Quēadmodum enim tinctores ea vestimenta quæ tincturam accipere debent stringendo expurgant ut inelutam tincturam imbibant, & quæ nunquam eximi possit: ad eundem modum vir divinus, præparabat eos qui amore philosophiæ tenerentur, ne falleretur ab his, quos bonos honestosq; futuros esse spem habuisset. Non enim adulterinam eruditionem tractabat, neque laqueos quibus sophistarum vulgus adolescentes implicat, nihil boni aut veri docentes, sed divinarum humanarumque rerum scientiam tenebat.

Illi verò in prætextum adhibentes eius doctrinam, multa & mirabilia faciunt irretitis non ritè ac temerè adolescentibus. Quæ causa est quamobrem difficiles & impudentes efficiant suos auditores. Inculcant enim moribus confusis & turbidis, Theoremata & orationes liberas. Quemadmodum, si quis in profundum puteum cœno ac luto plenum, infundat puram, & dilucidam aquam, & cœnum perturbat, & aquam ad nihilum redigit, eadem etiam ratio est eorum, qui sic docent & docentur. Densi enim ac profundi cespites circa mētem & cor eorum qui non purè initiantur, innati sunt, quæ omnem modestiam & mansuetudinem ac rationem obscurāt, in conspectu quidem & foris auctam: subeunt autem huic cumulum, omnis generis malitiæ, excrescentes, & impedientes, neque sinentes prospicere rationem. Nominabo autem primùm matres earum, recensens intemperantiam & avaritiam. Ambæ verò sunt fœcundissimæ. *Epistola ad Hipparchum.*

Plato: Cave tamen ne excidant hæc unquam in aures hominum disciplinæ eruditionisque expertium. Nulla sunt enim, ut mea fert opinio, quæ dicta ad populum magis ridicula videantur: neque quæ apud ingeniosos prolata, magis mirabilia & divina. Sæpe verò dicta semperque audita & multis annis, vix tandem velut aurum cum magno labore purificantur. Nam quod in hac re mirabile contingere consuevit, id audi. Sunt complures homines qui ista jam audierunt: pollentes docilitate, pollentes memoria, in examinando & judicando solertes: provecti jam ætate neque minus triginta annis hæc audierunt, hi tamen affirmant quæ auditu quondam incredibilia maximè videbantur, ea sibi nunc primùm valde credibilia videri atque perspicua: & quæ tunc probabilissima, ea nunc sibi contrà videri. Hæc igitur intuens, cave ne quando te pœniteat eorum quæ tibi indignè ac temerè nunc exciderint. Maxima verò hujus rei custodia est, nihil scribere, sed addiscere. Nam quæ scribuntur, contineri non possunt. hac de causa nihil ego de diis scripsi unquam, neque est Platonis opus præscriptum aliquod, neque erit. *Epistola.*

Aristides Rhetor: Mysteria porrò cùm alia propter antiquitatem, nonnulla necessitatis, quædam etiam celebritatis causa in honore sint, omnibus utique modis præstant Eleusinia. *sub finem Orationis Panathenaicæ.*

Arrianus: Homo impiissime, nihílne differunt mysteria? pro ratione loci & temporis prosunt. item adhibito sacrificio, adhibitis precibus, castitate, animoque sic affecto, quod sis ad sacra accessurus, vetustasque ceremonias. Sit initia sunt utilia, si eam præbeant opinionem, quod erudiendæ & corrigendæ vitæ causa hæc ab antiquis omnia fuerint inventa. Tu verò ea enuncias & prodis, alieno tempore, non in loco, sine sacrificiis, absque sana mente. Non ea tibi vestis est, quæ sacrorum antistitem deceat; non coma, non strophium quale requiritur, non vox, non ætas: non castè vixisti, ut ille, sed cùm solas voces memoriæ mandaveris, dicis: Sacræ sunt voces illæ ipsæ per se. Alio modo ad hæc accedendum est: magna res est: arcanum est, non pervulgatum, nec eius generis quod cuivis communicetur. *Cap. 21. lib. 3. Epict.*

Iulius Firmicus præfatione libri 7. Matheseos: Cùm ignotis hominibus Orpheus sacrorum cerimonias aperiret, nihil aliud ab iis, quos initiabatur, in primo vestibulo, nisi jurisjurandi necessitatem, & cum terribili quadam auctoritate religionis exegit, ne profanis auribus inventæ, ac compositæ religionis secreta proderentur. Sed & Plato Timæum perpetuo apud se frequenter continuit, ne secretarum disputationum veneranda commenta, imperitis aliquando intimaret, patiuntur enim hæc omnia jacturam, cum perditis & desperatis animis ingeruntur. Apud Pythagoræos etiam noster Porphyrius, religiosa epulantem animum nostrum, silentio consecravit. Unde & ego horum virorum legem secutus, convenio te jurejurando Mavorti decus nostrum, per fabricatorem mundi deum, qui omnia necessitate perpetuitatis excoluit, qui solem firmavit & lunam, qui omnium syderum cursus, ordinesque disposuit, qui maris fluctibus, intra certos terræ terminos coartavit, qui ignem ad sempiternam sibi substantiam inflammavit, qui terram in medio collocatam, æquata moderatione suspendit, qui homines, feras, alites, & omnia animantium genera, divina artificij majestate composuit, qui terram perennibus fontibus rigat, qui ventorum flatus cum quadam facit necessitatis moderatione variari, qui ad fabricationem omnium quatuor elementorum, diversitate composita, ex contrariis & repugnantibus cuncta perfecit, qui ortum & occasum, ac omnium terræmotuum, per animæ descensum, & ascensum, immortalitate æternæ perpetuitatis ordinavit, ne hæc veneranda cōmunia profanis, vel imperitis auribus intimentur, sed iis tantum, quos animus incorruptus, ad rectum vivendi ordinem casto ac pudico præsidio mentis instituit, quorum illibata fides, quorum manus ab omni sunt facinorum scelere separatæ, integris scilicet, pudicis, sobriis, ac modestis, ut puro tantum mentis splendore decoratis, integra se scientia divinationis insinuet.

Iulius Firmicus libri 8. Matheseos: Tu præcedenti admonitione conventus, ac religiosa jurisjurandi auctoritate commonitus, hos libros puro animo, puraque mente custodi; ne imperitis & sacrilegis auribus scientia istius operis intimetur. Celari enim & abscondi plurimis tegumentis natura divinitatis ab initio voluit, ne omnibus facilis esset accessu, neve cunctis patefacta maiestatis suæ origine, panderetur. Hoc etiam nos in his libris facere convenit, ut scilicet eorum lectio religiosis tantum pateat; profanis autem semper & sacrilegis denegetur; ne veterum occultanda commenta, nefariis quodammodo editionibus polluamus.

¶ POETARUM.

Lucianus in Mysterium.

Fac arcana premat tacita custodia linguæ:
Sermonum custos est mihi major opum.

¶ EMBLEMATIS.

Had. Iunius Emblemate 23.

Immatura sitim Pharia arcet Palma, eadem
Sensus præpedit, & linguam matura ligat.
Scrutans celsa Dei mysteria, lingua, animo
Hæret; at ille sapit qui vestibulum haud superat.

Catsius Emblemate sacro 20.

Tegenda non detegenda.

Fida tibi nutrix hac pyxide sacra latere
Dixerat, & satis hoc debuit esse tibi.
Quid tractare manu, quid cernere virgo requiris,
Quaq; tenere manu, quaq; videre nefas?
Sacra Dei reverenter habe. quid fœderis Arcam
Tangis? io cohibe stulta puella manus.
In multis nescire juvat, scivisse nocebit.
Sæpe perire fuit, quod reperire vocant.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

De mysteriis non oculus ullus, ast mens judicat.
Divulgare noli qua natura vult esse abdita.
Haud promiscuè omnibus monstrantur ceremoniæ.
Improbis pro velo obtenta dogmatum est obscuritas.
Naturæ secreta vulgo publicare ingens nefas.
Nil notant ferè imperiti quàm quod oculis incidit.
Non potes videre solem salvo lumine extra aquam.
Qui solem extra aquam intuetur lumina amittit sua.
Sanctius de actis Deorum quisq; credat quàm sciat.
Tam malum est videre Divûm, quàm ipsa prodere orgia.
Vt quis umbram post solem intrat, cæca sunt ferè omnia.

¶ JAMBICA.

Dixisse pauca sit satis de mysticis.
Furere ac rotari, jus putatur mysticum.
Multi student plus alta quàm apta promere.
Silentij fides sua est mysteriis.
Silentio tuta hactenus mysteria.
Sordere vis divina? vulgo fac palam.

POLYANTHEÆ TOMI SECVNDI LIBER UNDECIMUS.

Narrationis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ecquid est quin male narrando poßit depravarier?
Est voluptati referre præterita infortunia.
Imperitiæ nota alta, longior narratio est.
Tam bonum nil est narrando quin queat corrumpier.
Voce mutata accentuque qualibet corruperis.
Vota quam ditant mendica habenda haud est narratio.

§ JAMBICA.

Dulce est referre quidquid acerbum olim fiat.
Levata vis adversa? ea narra alteri.
Leves miserias, si alteri narraveris.
Nil non boni malè narrando corrumpitur.

Nationis.

§ SENTENTIÆ GRÆCORVM.

S. *Isidorus Pelusiota*: Indigni quidem sunt, ut ais, veterum sanctorum patrum virtute, Cappadocum, qui nunc ubique decantantur, mores. Ac propterea illos ex his ortum traxisse minimè existimas. Ego verò sanctos illos viros è Cappadocia extitisse assentior. Atque hoc potissimùm istorum improbitatis argumentum est. Nam si illi ex istis minimè effulsissent, malè feriata natio generalem improbitatem, tanquam à natura sibi insitam, suis vitiis prætexere potuisset, ac rerum omnium parentem & effectorem vitij authorem fortasse constituisset. Cùm autem in viris illis natura emicuerit, in his perspicuè animi propensio ac voluntas agnoscitur. *Lib. 1. Epist. 352.*

Heliodorus: Quod afficior conditione rerum vestrarum, non est, quod miremini. Videmini enim mecum communi esse fortuna, simulque vos qui Græci estis miseror, cùm & ipse Græcus sim natus. Græcus, Dij immortales! exclamarunt repente præ voluptate hospites. Græcus, inquit profectò voce & genere. *Lib. 1. Æthiopic.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad diem sitis nascentem in corpore est noctis color.
Æthiops Phœnica vivum, mortuum Ægyptus colit.
Afer omnis impudicus: sin minus, non jam est Afer.
Ante Germanos nec armis quispiam est, ut nec fide.
Ante terram nata alauda est, ante Lunam at Arcades.
Ceteros terrent naufragia, solùm exercent Saxonas.
Corpore ingentes pusilloque ingenio sunt Pannones.
Dives esse & bellicosa nulla natio potest.
E viris quidem fiunt Galli; haud item è Gallis viri.
Fas triumphare est Germanos, sed nefas nos vincere.
Fit caprarius quicunque maximi Mendesiis.
Francorum gens infidelis, Saxonum gens effera est.
Gallus impetu primo vir, exitu vix femina est.
Gallus in re cuncta haud regitur consilio sed impetu.
Gens Ægyptia est novandis quàm gerendis aptior.
Græca natio tenere seriò nescit fidem.
Græcorum ingenia inspexisse sufficit: haud perdiscito.
Haud multum rationis est Germanis ac solertiæ.
Haud tolerat mutationem Germanus cæli ac soli.
Horret aut silva aut palude multa pars Germaniæ.
Hunnus impudicus, audit, mente truci Gepida est.
In stramentis Romæ veteri somnus ac quies erat.
Ira Gallos impetusque, non ratio, non ars regit.
Iunctis inter sese abhorret sedibus Germania.
Magna virtus, at fortuna major est Quiritium.
Multi obliti originis queis imperarunt serviunt.
Munerum captatio haud est infrequens in Græcia.
Natio leges communes nulla habet cum ceteris.
Ne Dei quidem immortales esse pares Suevis queunt.
Nec fidelis pace, fortis nec bello Britannia est.
Non potest vinci armis Italus disciplinâ Græcia.
Nulla pacis nulla belli nota lex Ætoliæ est.
Pervicax Romanus instat, donec hostem vicerit.
Pœnus Italo non est par robore atque audacia.
Pristinos gerunt Romani spiritus, victi licet.
Quàm magis senescit hoc est Cappadox velocior.
Quo minus videt terrarum Ægyptus, hoc læta est magis.
Seriò fidem servare Græca nescit natio.
Sermo mosque obliteratur gentis, annorum situ.
Solæ opes pecus Germanis sunt, & sunt gratissima.
Spiritum gerit Germanus vastiorem corpore.
Tanquam tela & arma bellis reservato Battavos.
Teutonum est tranare in armis vasta quamvis flumina.
Vinolentia Allemannis imperat, fraus Syricis.

§ JAMBICA.

Ad impetum tantum valida est Germania.
Atheniensis si est probus, valde est probus.
Danaus timendus est etiam cùm munerat.
Danaum carere dona quis putet dolis?
Effusa gens in gloriam quæque est suam.
Et fertilis tyrannidis Britannia est.
Et separantur mutuo gentes metu.
Et viribus Gallus suismet concidit.
Ex servitute solâ vivit Cappadox.
Hominum genus imbelle ac leve est Asiaticum.
In Cretâ equorum haud usus est suus frequens.
In natione non levis cognatio est.
In plaustro equoque vita tota Sarmatum est.
Invicta gens foris, ferè est fragilis domi.
Minus ingenij Thebano inest, quàm virium.
Palmam labore ex omni ferre Cantabri est.
Patrare fortia ut est Romanum, ita & pati est.
Quo ditior gens tanto item est imbellior.
Quo Galle scutum, te nisi integrum tegit?
Quod Attica haud potest, Ionia nutriat.
Sapientiâ gentem anteit quamque Æthiops.

Nativitatis.

§ SENTENTIAE GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: Triplex nativitatis genus agnoscit Scriptura, primum ex corporibus, alterum ex baptismo, tertium ex resurrectione. Horum primum nocturnum & servum est, ac cum libidine conjunctum: alterum diurnum & liberum ac depellendarum vitiosarum affectionum vim habens, omne id, quod à nativitate contractum est, velamen amputans, & ad supernam vitam nos revocans: postremum formidabilius ac brevius creatas res omnes temporis momento in unum cogens, ut Creatori, sistantur, suæque servitutis, & vitæ actæ rationem reddant, sive carnem solùm secutæ fuerint, sive sese una cum Spiritu in altum evexerint, atque instaurationis gratiam coluerint. Has porrò cunctas nativitates honore à Christo meo affectas fuisse constat, primam, per primam illam & vitalem insufflationem, secundam per incarnationem & baptismum, quo ipse baptizatus est, tertiam denique per resurrectionem, quam ipse auspicatus est, nimirum ut primogenitus inter multos fratres extitit, ita primogenitus quoq; ex mortuis fieri non dedignatus. *Initio orationis 40.*

§ ROMANORUM.

Symmachus: Ævum maneat hic dies qui te nobis, filia, dedit, hunc ego & gaudiis mentis, & verborum honoribus per multos annorum recursus vobiscum opto celebrare. *6. Epistol. 79.*

Symmachus: Natalem filiæ meæ, quem per annorum recursus optamus esse numerosum, vobiscum agere & participare voluissem, nisi proposito obstitisset imbrium continuatio. *Lib. 6. Epist. 80.*

Idem: Quare & vobis & communi pignori, cujus solennem diem sedula religione celebrastis, uberes precamur annos, & recursum in hæc eadem festa numerosum. Decet enim pios parentes inoffensa felicitas. *Lib. 6. Epist. 18.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cum nascentibus oriuntur Pietas ac Felicitas.
E malis boni creantur sæpe ut è bonis mali.
Eligit genus beatus, fortis at facit genus.
In lucem edito vita dux cuique Genius est bonus.

Mem-

Membra nostra in hunc ejecta sunt mage Orbē, quàm edita.
Natus est ut quisque, vita dux ei adsistit comes.
Non genus virum ornat: generis vir fortis loco est.
Non nasci optimum; secundum paulò post dein mori.
Optimum non nasci, aut natum quam citissimè mori.
Optimum est hominis, non nasci; proximum, statim mori.
Prima vox homini nascenti terræ contactu datur.
Quem putas emortualem, natalis vita est dies.
Qui mali sunt, non fuerunt, matris ab alvo mali.
Quid generatio clara prodest ei quem mores sordidant?
Quid generatio vilis illi, quem mores decorant, nocet?
Solus aut Rex, aut poëta non quotannis nascitur.

§ JAMBICA.

Certè optimi sunt procreati ex optimis.
Cui contingit nasci, illi item restat mori.
Cuicumque rector Genius homini jungitur.
Dei colendi gratiâ homines nascimur.
Exire magnus vir potest vili è casa.
Fortis genus facit, beatus eligit.
Fortuna quamvis maxima, haud mutat genus.
Homini bonum, non nasci, aut mox nato mori.
Homini prius necesse nasci quàm mori.
Impunè nasci nulli unquam alibi contigit.
Indigna genere admittere, indignissimum est.
Majus facere genus est, eligere quam genus.
Mors efficit, ne pœna sit nativitas.
Mors est minus deflenda quàm nativitas.
Mortem timere noli: et omnes nascimur.
Nemo aliter exit è vitâ, quàm nascitur.
Nemo esse tam potest pauper, quam nascitur.
Non ad stultitiam sed sapientiam nascimur.
Non tam moritur aliquis tardè quam nascitur.
Nullum nefas putant creati per nefas.
Par omnibus mors, etsi impar nativitas.
Primum bonum, non nasci; obire citò alterum est.
Primum ipse fletus omen est nascentium.
Servanda item reverentia est natalibus.
Sine missione homines in orbe nascimur.

Videatur **Hominis generatio** & Censorinus integro libro *de die Natali*.

Naturæ.

§ SENTENTIÆ THEOLOGORUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus*: Difficiliora atque insuaviora ea sunt quæ præter naturam fiunt. quapropter ne voluptatem quidem se capere dicere possint. vera enim ac germana voluptas ea demum est, quæ secundum naturam est. *Homil. 4. ad Roman. sub princip.*

D. Chrysostomus: Quando factum fuerit aliquid supra naturam, & longè supra naturam, ita ut cum eo adsit quod decet & quod est utile; est perspicuum quod hæc fiant divina quadam virtute & ope. Considera autem, piscator, tabernaculorum contextor, publicanus, imperitus, illiteratus, cùm venissent ex regione Palæstina procul sita, philosophis, oratoribus, & iis qui magna dicendi facultate erant præditi, expulsis omnibus, eos parvo temporis spatio vicerunt, cum multis periculis; populis & regibus resistentibus, ipsa pugnante natura, temporis antiquitate, & longa acriter adversante consuetudine, dæmonibus armatis, & diabolo stante in acie, & nihil non movente. vicerunt, inquam, reges, principes, populos, gentes, barbaros, Græcos, philosophos, oratores, sophistas, & qui soluta scribunt oratione, leges, judicia, varia supplicia, innumerabile & omne genus mortis. Sed tamen hæc omnia refellebantur & cedebant loquentibus piscatoribus; non secùs atque pulvis tenuis, qui vehementium ventorum ferre non potest impetum. *Hom. 3. ad Cor. 1.*

D. Chrysostomus: Si essent naturalia, non essent mutata. Etenim cùm natura simus patibiles, nullo studio & diligentia fieri poterimus impatibiles. Nam quod natura est aliquid, non exciderit ab eo quod est secundum naturam. Nullus quidem certè ita transmutari potuerit, ut non dormiat. Nullus ab interitu ita mutari poterit, ut ab eo sit liber. Nullus ab esurie convertetur ad id, ut non esuriat. Et ideo non sunt hæc crimina: neque nobis ea exprobramus. Neque aliquem reprehensurus quispiam dixit, O interitui obnoxiè & patibilis! sed vel adulterium, vel stuprum, vel aliquid ejusmodi reis semper objicimus, & ad judices adducimus; qui criminantur & puniunt, & propter ea quæ sunt his contraria honore afficiunt. Quando ergo & ex iis, quæ inter nos facimus, & ex iis quæ patimur in judicio contendentes, & ex eo quòd leges scripsimus, & ex eo quòd nos condemnamus, etsi nullus accuset & extollat; &, si pigri quidem simus & ignavi, deteriores, si timeamus autem, meliores reddimur; & ex eo quòd videmus alios se rectè gerere, & ad summam venire philosophiam, est perspicuum, quod in nostra potestate situm est rectè & ex virtute nos gerere. cur temerè nos magna ex parte frigidis fallimus prætextibus & excusationibus; quæ non solùm nullam veniam, sed intolerandum etiam afferunt suppliciū: cùm oporteat diem illum terribilem habentes ante oculos, virtutis curam gerere; & cùm parùm laboraverimus, quæ non marcescunt coronas accipere? Nihil enim nos tuebuntur hæc verba: sed conservi & qui contraria rectè gesserint, condemnabunt omnes qui peccant; crudelem misericors, improbum probus, audacem modestus, invidum benignus ac benevolus, cum qui inanem sectatur opinionem philosophus, ignavum gnavus & industrius, impudicum pudicus. *Homil. 2. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Mundus malus non est. Quod si mihi memores homicidas, adulteros, & monumentorum suffossores: ista demonstro tibi nihil ad præsentem vitam attinere. Neque enim hæc peccata sunt vitæ quam agimus in carne, sed corruptæ voluntatis. Etenim si ista sic essent vitæ præsentis, ut sorte fatóve quodam illi essent affixa: nullus ab his malis liber esset neque purus. Proinde considera neminem effugere posse quæ propria sunt hujus vitæ. Quæ, porrò sunt hæc? Edere, bibere, dormire, crescere, esurire, sitire, nasci, mori, cunctaque his similia. Hæc nullus unquam vicerit, non peccator, non justus; non rex, non plebejus: sed omnes subjacemus naturæ necessitati. Itidem & scelera perpetrare, si pertineret ad sortem conditionemque naturæ, nullus hæc effugere posset, quemadmodum nec illa. Nec enim mihi dixeris, raros esse qui rectè vitam gerunt. Nam nullum omninò reperies, qui naturalibus necessitatibus unquam fuerit superior. Itaque donec vel unus invenietur, qui virtutem præstiterit, constabit undique illæsa nostra ratio. Quid ais miser & infœlix? Num hæc vita mala, in qua Deum agnovimus, in qua de futuris philosophamur, in qua ex hominibus facti sumus angeli, cumque cœlestibus virtutibus simul choros ducimus? Et quod tandem aliud quæremus malæ perversæque mentis argumentum? Cur igitur, inquis, Paulus seculum præsens dixit malum? Nimirum communi hominum more sic locutus est: quandoquidem & nos ad eum modum loqui solemus, malum habuit diem; non ipsum tempus, sed circumstantiam & actionem incusantes. *Cap. 1. ad Galatas.*

D. Chrysostomus: Neque enim ad ea quæ sunt naturæ, sed ad ea quæ sunt voluntatis pertinent vel coronæ, vel supplicia. *Cap. 6. ad Galatas.*

Isidorus Pelusiota: Humana natura vir eximie, nec ejusmodi est, quæ vitium admittere nequeat: nec rursum vi naturæ vitia habet. Verùm mens ac voluntas hæc admittens, prolapsionem à virtutibus sustinet. *Lib. 1. Epistol. 271.*

Idem: Natura omnia in se habet, ut quæ beneficia & dona à Deo acceperit, ac profluentem in omnibus suis sensibus bonarum rerum delectum. Quisquis igitur probis actionibus studet, atque operibus docet, quinque talenta conduplicavit, ac quinque civitatibus præesse jubetur, hoc est Dei mansionibus ac tabernaculis, non autem tabernaculis duntaxat. Ille enim uni, hic autem pluribus præficietur: quisque videlicet pro sui laboris atque operæ ratione. *Lib. 1. Epist. 287.*

Isidorus Pelusiota: Humana natura, vir eximie, nec ejusmodi est, quæ mala omnino non admittat: nec rursum vi naturæ mala habet: verùm per animi negligentiam ac socordiam, prolapsionem à bonis sustinet. Quod etiam primo homini accidit, perindeque salutis finibus dejectus est: quam tamen rursum secundus homo, ex eo ortus, qui veram naturam nostram in seipso suscepit, ipsi reddidit. Nam cùm verè Deus esset, homo verè effectus est, ex duabus naturis unus Dei Filius existens, haudquaquam ab eo, quod erat, immutatus, cùm id, quod sumus, factus est. *Lib. 1. Epist. 303.*

Idem: Quòd pietas naturæ vi in nobis insita sit, atque earum rerum, quæ diuturnis pòst annorum curriculis eventuræ erant, cognitio iis, qui Deo vitæ suæ rationes probabant, perspicua fuerit, tum Enos te doceat, qui se magistro cognitionem Dei consecutus est: tum Enoch, qui ipse quoque solus Deo vitam suam ac mores probavit, & etiam ad præstantiorem vitam migravit, atque etiamnum in vivorum numero censetur: tum denique Melchisedech, panibus ac vino sacerdotis munus obiens, per quæ divinorum mysteriorum typum adumbrabat, *Lib. 1. Epist. 432.*

Isidorus Pelusiota: Cum hominum natura virtutis ac probitatis semina jam olim habuerit (unde etiam quidam iis excultis claruerunt: quidam autem iisdem oppressis & extinctis pœnas dederunt) nunc, cùm ea in melius ornata, sexcentisque beneficiis, tanquam coronis redimita, atque ad virtutem obsequentior tractabiliorque reddita sit; annon illa quoque in ea integra & incolumia mansisse existimas: iis autem, qui ipsis utantur, opus habere? Neque enim scilicet putandum est, cùm alias dotes insuper accepit, tum eam prioribus bonis atque commodis orbatam fuisse. est enim vero similius, à præsenti gratia, illa quoque cùm priùs abessent, concessa fuisse: quàm cùm priùs adessent, nunc deleta & de medio sublata. verùm idem multis usu venisse reor, quod segnibus & ignavis naucleris, qui, cùm prospero vento frui liceat, in portu manentes, atque in cauponis sese volutantes, tempus accusent, ut quod ventos haudquaquam opportunè subministrarit. Ad quos optimo jure quispiam hæc verba habuerit: Nautarum segnissimi, illud quidem legem suam servabat: vos autem temporum commoditate minimè usi estis. Est autem divinæ quidem providentiæ, navigantibus opem ferre: opera autem à se ipso quemque exigere oportet. Ad eundem igitur modum nos quoq; cùm divinæ manus munere propen-

sionem

sionem ad virtutem naturæ tributam esse perspectum habeamus, labores ipsi conferamus. Sic enim lætus ac faustus finis consequetur. *Lib. 2. Epistola 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Laude quidem digni sunt illi, qui naturali lege instituti atque imbuti officium fecerunt. Habet enim in se natura ipsa virtutum exactum & incorruptum judicium: quod Christus quoque ipse exhortationis & consilij causâ proposuit, cum dixit: Omnia quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, vos etiam similiter facite illis. Deinde cum demonstrâsset, hanc esse omnis & pietatis & humanitatis regulam, addidit: Hæc enim est lex & Prophetæ. Posteaquam verò claudicavit, & de statu integritatis delapsa est natura hominum, virtutisque notas oblitteravit: tum & Lex scripta data est. Quia verò hæc quoque violata est hominum transgressione, tūc Prophetarum cœtui commendata est generis humani correctio ac restitutio. At quia hic quoq; abnegavit, dicens: Medicinam fecimus Babyloni, & non est sanata: huc in terras venit is, qui & virtutis semina insevit naturæ, & per legem docuit eandem, & per prophetas præconium fecit. Postquam igitur cœlorum rex advenit in carnem, necessariò & dogmata cœlo digna sancita sunt, eaque vivendi ratio ac norma, quæ angulis potiùs conveniat, quam hominibus placeat, in sanctis Euangeliis, non secus ac in regiis mandatis & edictis, est promulgata. *Lib. 4. Epist. 53.*

¶ LATINORUM.

Ennodius: Frustra pastum beneficio legis imploras, qui factis tuis naturæ jura solvisti. *Dictione 21. §. 1.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Aristides Rhetor: Si naturam sequemur, ipsi Dei ordini ac voluntati parebimus. nam quæ secundum naturam sunt, ubique Deo putantur esse gratiora. *Oratione in Sarapim.*

Aristides Rhetor: Quanto Deus homine, princeps privato, dominus servo, vir muliere præstantior est & perfectior: tanto melior, tanto plenior est arte natura, nisi cuncta sursum deorsum inverti placet. *Orat. 1. Platonica, de Rhetorica.*

Halicarnassæus cap. 4. Examinationis orationum. Demus itaque Græcum vel fingamus Barbarum eadem naturæ divisione esse, & utrumque simul hic agere oportet: Barbarum quidem ut Thracem, truculentum. Barbarum quoque & Scytham crudeli ingenio patrem. Ponamus altera ex parte Græcam indolem: sit Græcus mosque communis Græcorum. Græcus, sit Atheniensis, ergo vehemens, facundus, sapiens. Græcus, ex Ionia, ergo mollis & remissus. Bœotus simplex itaque & obtusus. Thessalus est è Græcia duplex itaque & varius. Hinc etiam Philosophi & qui naturas gentium perspectas habent jacere convitia probri loco solent, tametsi irrisione indigni sint: sed ab emergentibus ad summa ingeniis, calumniæ sæpe nationum existunt. Demosthenes enim Thracem, ut non constantem & firmum in fide atque amicitia Charidemum introducit, sed omne in eo positum convitium, Thrax est. Plura addere quid attinet. Rectissime enim Plato ait è cæli loco atque conditione etiam indolis cujusque temperamentum existere. Hinc fieri ut alij disciplinis perdiscendis aptiores sint ut Græcaneis Græci. Quidam ad argentariam accommodi ut Phœnices & Ægyptij. Alij iracundi, ut Barbari bellicis semper rebus dediti. Et vere hæc dicit. Loca etenim naturam ingenerare affirmat, & singulatim in moribus cuiusque. Propterea, & à variis Reip. formis diversæ quoque indoles exsistunt, quasi à Rebuspublicis naturæ, & contra à naturis Respublicæ procreentur. Quapropter in indole duplicem spectamus nationem Græcam & Barbaram.

Philostratus: Quæ præter naturam sunt, effectum raró sortiuntur; sortita quoque citò corrumpuntur. *Libr. 1. Apollonij cap. 16. fine.*

Iulianus Cæsar paneg. 1. in Const. Aug. Nullum adversus hominis virtutem, & prudentiam posse natura ipsa videtur libidinosis ac timidis hominibus munimentum constituere: quæ quidem prudentiæ cum fortitudine pari consensu imminenti cedere, atque subiici cogit omnia: ac jam olim artes excogitavit, quibus eorum quæ hactenus fieri non posse videbantur planam viam, atque expeditam habuimus: ac singulis in rebus gerendis quod plerisque non posse perfici videtur, ab homine prudente ad exitum finemque perducitur. Quod cum reipsa tùm, Imperator, ostenderis, non immeritò institutas de illis orationes comprobaveris.

Libanius: Probum me, pater, genuisti, misericordem, ad commiserationem propensum, condolentem casibus domesticorum. expostula cum natura. hic violentus, alius crudelis; quidam aliter affectus. ego sum benignus hominumque amans. Nefas est repugnare naturæ. *Declam. quadragesima prima.*

¶ POETARUM.

Petronius Arbiter.

Sic contra rerum naturæ munera nota,
Corvus maturis frugibus ova refert.
Sic format linguæ fœtum cùm protulit ursa;
Et piscis nullo junctus amore parit.
Sic Phœbæa chelys, vinclis resoluta parentis,
Lucinæ tepidis naribus ova fovet.
Sic sive concubitu textis apis excita ceris
Fervet, & audaci milite castra replet.
Non uno contenta valet natura tenore,
Sed permutatas gaudet habere vices.

Guntherus lib. 6. v. 92.

At rex invictum, quod suscepisset agendum,
Nil patiens, ipsam quæ cunctis imperat, acri
Ingenio fervens, naturam vincere tentat.

¶ APOLOGORUM.

Æsopi Fabula Æthiopis: Æthiopem emit aliquis, persuasus eum ex negligentia eius qui prius habuerat, contractum esse colorem. cùm verò domum duxisset, omnia quidem ei adhibuit purgamenta, omnimodisque lotionibus conatus est ad pristinum, ut putabat, nitorem reducere. Sed cum colorem transmutare non posset, morbum labore attulit.

Æsopi Fabula Corvi: Cùm cycnum vidisset corvus, æmulari colorem voluit. Sed arbitratus è lavacris eum provenire; relictis aris, unde nutriebatur, ad lacus & flumina vitam egit; & cùm lavaret, corpus quidem non mutavit, pastu verò destitutus, mortuus est.

De Asino & Catulo. Anonymus 17.

Murmuris & caudæ studio testatur amorem,
Nunc lingua catulus; nunc pede calcat herum.
Gaudet herus comitq; canem, comitemq; ciborum
Efficit; alludit turba ministra cani.
Arte pari, similesq; cibos, similemq; favorem
Lucrari cupiens, inquit asellus iners.
Me catulo præfert vita nitor, utile tergum.
Nec placeo fructu, sed placet ille ioco.
Ludam, ludo, places, sic ludi tempore viso,
Vt ludo placeat, ludit & instat hero.
Blandiri putat ore tonans, humerosq; priorum
Pressit mole pedum, se putat esse pium.
Clamat herus: vult clamor opem; subit ordo clientum,
Multa domat multo verbere clava reum.
Quod natura negat, nemo fœliciter audet:
Displicet imprudens, unde placere putat.

¶ EMBLEMATUM.

Batillius XXXVIII.

Naturam furcâ expellas, tamen usque recurret.

Toto omnis quæsita licet sollertiâ ab orbe
Inq; unum artificum confluat omne genus:
Nunquam ita dedoceant naturæ assuescere feles,
Vnca ut non visis muribus arma ferant.
Nescia mutari ad mores Natura *recurrit,*
Et sequitur studij semina quæq; sui.

Camerarius Emblem. XXI. Centuria 2.

Natura potentior ars. Vrsi partus informis.
Ars polit, haud fingit, natura utrumq; ministrat:
Quantum dissideant indicat hic catulus.

Catsius Emblemate Ethico XVI.

De facili natura recurrit.

Ansa vapore levi tremulis alludere flammis
Fax exstincta, novo protinus igne calet.
Pierijs fomes sua lumina reddit alumnis,
Vix bene scintillam cùm dedit icta silex.
In veterem flecti quàm cerea corda figuram!
Crimen in antiquum pectora sponte fluunt.
Dum veteris scintilla mali modò parva supersit,
Semper ad ingenium unus male sana redit.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Salomon. Quid sit Natura ostendit Salomon, nempe vicissitudo nascendi & moriendi, & motus perpetuus. Eccles. 1. 9. 10. & 3. 2. 15. *Qualis sit:* Eccles. 1. 14. & 7. 15. & 11. 3. *Ejus duratio.* Eccles. 3. 11.

S. Antonius. Naturam, quâ duce errare nemo potest, (juxta illud Juvenalis Satyr. 14.

Nunquam aliud Natura, *aliud Sapientia docet.*) investigamus: & simul Antonium præclarè de ea sentientem, Rogatus quippe, quomodo vitam sustentaret destitutus omni solatio quod ex libris habetur, respondit: *Meus liber est natura rerum à Deo conditarum quæ, quoties libet, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat.* Quid: enim, inquit admodum Christianè Seneca, est aliud Natura quàm Deus, & divina ratio, toti mundo partibusque eius inserta? *Socrat. lib. 4. hist. eccles. cap. 18. Ex Evagrio.*

Anonymus. Quærenti, quinam defectus difficillimè curarentur; *Illi,* inquit, *quos* Natura *rerum novatrix indidit.* Illa enim, etsi furca expuleris, sua sponte recurret.

Nec poteris rectum caneris inducere gressum,
Nec leves horrentis echini reddere sentes.

Ioan. Petrosius.

¶ Monosticha Trochaica.

A peccantium illecebris natura arcet integra.
Arboris ramos distortos arte nulla corrigas.
Ars potest laborq́; multum, plus tamen natura agit.
Ad leges hominum natura rerum non componitur.
Bellum etiam naturæ jura mutat in contrarium.
Bruta naturam sequuntur mage quam gens mortalium.
Bruta nulla sunt naturæ transeunt quæ terminos.
Cedit & natura rerum singulari industriæ.
Cuncta deferunt naturæ bruta, voluptati nihil.
De naturâ etiam triumphat cupiditas pecuniæ.
Detegi Natura non vult Naturæve conditor.
Est quidem Doctrina fortis, sed Natura est fortior.
Et capit natura, unquam ætas nulla adhuc dum quod tulit.
Efferis item verendum naturæ numen feris.
Efficit natura cuncta, mirabilium ovans parens.
Fortunam queas mutare; sed naturam non queas.
Imperat natura cunctis: solum ab arte vincitur.
Improbos natura paucos, sors premens plures facit.
Ingenuis natura quod dat, nulla fortuna eripit.
Insitum à naturâ homini internoscere hinc bona hinc mala
Inspici potest naturæ vis ac jus in bestiis.
Lex nequit mutare mores sponte naturæ insitos.
Maximum sanctissimumq́; Natura ipsamet sacrum.
Natura absque lenimento non diu duraverit.
Naturam tuam intuere, nullaq́; in mala incides.
Nemini natura servit: serviunt ei omnia.
Nil aliud natura suadet quam ipsamet sapientia.
Non facit natura quod vult quisq́;, regula est sibi.
Non habet natura legem: illi omne quod libet, licet.
Non habet natura legem: lex sibi una atq́; unica est.
Nulla lex metusq́; eis quæ insunt naturâ plus valet.
Perditis calvum capillis non est cur subeat pudor.
Planta honesta sponte in altam crescit illicò arborem.
Postulat natura duci, non trahi aut cogi malo.
Qui suæ memor naturæ est, nil mali infert alteri.
Quidquid ingenitum est, lenitur arte, non & vincitur.
Quid invitâ Minervâ dicitur vel fit, cadit.
Quoq́; quo natura ducit ferri eo ferè solet.
Quod latrat natura, jus haud invidum mutaverit.
Quod necessitas naturæ fert, malum esse non potest.
Quod negat natura, nemo fine claudet inclito.
Quod negat natura, nemo perficit feliciter.
Scire nos natura pauca, multa mirari jubet.
Scorpius repostus aureo vase, scorpius manet.
Simia etsi aurea induatur veste, simia permanet.
Tempore ac ratione vertas omne in naturam bonum.
Vis naturæ humana jura cùm libet nauci facit.
Vt rerum omnium Natura, sic vivendi habet modum.

¶ Jambica.

Abigere cura natura naturam potest.
Ad id natura quod requirit, sufficit.
Agas asellum; currere haud docebitur.
Ars non docet naturam, naturam ars juvat.
Bellare contra vim naturæ amentia est.
Culpanda nulla sunt Naturæ munera.
Et bestias ligat naturæ gratia.
Et bruta naturæ audiunt leges suæ.
Fingit sua ex natura cæteros probus.
Lenitur arte omne ingenitum, non vincitur.
Mores leo vulpesq́; non mutat suos.
Mutare naturam admodum res ardua est.
Natura ad id quod poscit sola sufficit.
Natura ad similitudinem rapitur sui.
Natura animos in amorem formavit sui.
Natura consuetudo est adventitia.
Natura cuiq́; in altero placet sua.
Natura cuiq́; uni imperator est sua.
Natura cùm se homini dedit, multum dedit.
Natura dicit idem illud quod Sapientia.
Natura dux sequenda cuiq́;, ceu Deus.
Natura est unica omnibus mortalibus.
Natura, Fatum, Fors, Dei sunt nomina.
Natura ferri ne quidem igne tollitur.
Natura fœtus procreat, non abjicit.
Natura magnum nil voluit fieri cito.
Natura nobis insita est sapientia.
Natura non docetur; ars eam adjuvat.
Natura nulla est, diligens quæ haud sit sui.
Natura nulli amicum aut hostem sufficit.
Natura nulli est serva; cunctis imperat.
Natura nulli non rei dedit parem.
Natura prava nemini mutabilis.
Natura prolis est amans nimis sui.
Natura quæq́; è semine gignitur suo.
Naturæ quem mage disciplina quam trahit.
Natura, quod nulla unquam ætas tulit, capit.
Natura quod desiderat parabile est.
Natura sequitur promptius quam ducitur.
Natura simplex pollet unius Dei.
Natura vim, eheu, quàm obtines tyrannicam!
Natura vincit omne doctrinæ genus.
Naturæ eris, respexeris si te memor.
Parum ars valet, natura quam non adjuvat.
Parum petit natura, multum opinio.
Parum valent naturæ jura apud malos.
Pervertitur natura pravis moribus.
Pugnare contra grandè naturam nefas.
Semper natura cum virtute convenit.
Sequitur suæ naturæ quisq́; semina.
Vt formâ homines sic & natura differunt.

Naufragij.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Greg. Nyssenus:* Neque enim qui mare navigant, mercaturamque mari exercent, hi ab instituto spei cursu desistunt, naufragio deterriti quod quispiam fecerit; sed bona sua spe ipsi excitati ad perfecti muneris finem festinant. *cap. 24. de virgin.*

D. Chrysostomus: Quid dicis? an non vides eos qui in mari navigant, quomodo pecunias non curent si orta sit tempestas, sed etiam suas abjiciant facultates? Quid dicis, ô homo? Tu tempestati opem fers & naufragio. Priusquam fluctus tibi ademerit divitias, tu tuis manibus hoc facis? Cur ante naufragium te in naufragium injicis? Sed hæc quidem dixerit rusticus, & maris tentationum jgnarus. Rei autem nauticæ peritus, & qui exacte scit & accurate, quid efficiat tranquillitatem, quid tempestatem, eum qui hæc dicit etiam irridebit. Propterea enim, inquit jacio, ne fluctus obruant. Ita etiam rerum & tentationum, quæ in hac sunt vita, peritus, quum viderit jmminere tempestatem, & spiritualia nequitiæ quæ volunt facere naufragium, abjicit quod est reliquum pecuniæ. Admissum est in te furtum, fac eleemosynam, & levius reddis navigium. Rapuerunt latrones, tu Christo da reliquias. Sic quæ prius extitit solaberis paupertatem. Levius redde navigium: ne retineas ea quæ manserunt, ne scapha obruatur. Illi ut servent corpora, ejiciunt suppellectilem, nec expectant dum ingruens fluctus evertat scapham. Tu ut serves animas, non reprimes naufragium? *Homilia. 3. ad Thessalonicenses.*

Synesius: Media tandem nocte suaptè sponte ad gubernacula sese admovet. Nunc enim, ait, lex facere istud permittit, quoniam planè de vita periclitamur. Ad hoc sublatus denuò tumultus, virorum planctus, mulierum ululatus: Quiritari omnes: Deorum fidem implorare, carissimos quoque recordari. Vnus hilaris erat Amarandus, quasi mox creditores fraudaturus. Me verò in tantis malis (per numen illud juro quod philosophia veneratur) Homericum illud terrebat, ne fortè verùm istud esset, mortem in aquis præfocatorum, animorum unà interitum esse. Ait enim quadam in operis parte.

Interijt salsis epotis fluctibus Ajax:

lethum in mari, summum omnium exitium esse significans. sanè neminem interijsse ait, sed unusquisque,

Moriens delapsus ad Orcum est.

Ac propterea in duabus inferijs, minor Ajax nusquam toto dramate inducitur, quasi apud inferos ejus anima non esset. Quin etiam Achilles ille fortissimus, ac in periculis subeundis audacissimus, mortem nihilominus in aquis perhorrescit, quam exitialem etiam nuncupat. Hæc dum apud me animo revoluo, ecce tibi milites omnes strictis gladijs video, sciscitatúsq; ab illis audio: optimum esse quandiu in foris ad huc stant, animum in auras effundere, non in fluctus, oscitantes. Hos ego sponde editos illos Homericos arbitrabar, eique sententiæ adscribebam. Tùm proclamatum à quodam est, suspenderent è collo, quibuscùmq; auri aliquid esset. Quibus erat, suspensum est, non aurum modò, sed quicquid auro æstimabile fuit. Mulieres ipsæ cùm adornabant sese, tùm funiculos ijs qui indigerent, dividebant; pridem ad id faciendum edoctis omnibus. hujus autem rei gratia fit. Sepulturæ pretium conferri à naufragis convenit. Qui enim in eos inciderit, & compendij istud fecerit, Adrastiæ leges verebitur, ne non exiguam ei lucri partem aspergat, à quo tantò plura sit consecutus. Atque illi quidem iis rebus occupabantur.

Ego verò sedens infelix illud marsupium, hospitis depositum deflebam: Novit hospitum præses Deus, non quòd moriendum mihi esset, sed quòd concreditis pecuniis Thrax ille defraudandus, quem vel mortuus erubescerem. Hîc igitur, & emori lucrum erat, & unà emori & moriendi sensum effugere. Quod verò discrimen adeò in proximo faciebat, nihil erat aliud, quàm quòd passis velis navigium ferebatur.

Contrahere autem non licebat. Nam cùm sævius rudentes aggrederemur, fatigati eramus, admordentibus trochleis: nec levior inceus incessebat, ne vel è tempestate emersi ita comparatis omnibus noctu littori succederemus. Commodùm interea dies exoritur, solémque aspicimus, atque haud scio an unquam jucundiùs. Remittere deinceps flatus cœpit, augescente tepore, atque euanidus paulatim ros moliri rudentes, ac vela tractare permisit. Cæterùm subdititium alterius loco velum supponere minimè potuimus, oppigneratum quippe erat, Refecimus ergo istud ipsum, perinde ac tunicarum sinus: Et ante horas quatuor ad desertam quandam solitudinem appellimus nos, quibus mors singulis momentis obversabatur, cui neque ager vicinus, neque civitas erat, centum fermè & triginta ab agro stadijs dissitæ. Ac navis quidem in alto fluctuabat: locus enim ille importuosus erat, & vna in anchora fluctuabat, altera quippe distracta erat: Tertiam verò Anchoram Amarandus non habuit. Itaque simul optatissimam tellurem attigimus, amplecti, veluti spirantem matrem, cœpimus, hymnósque Deo gratulatorios de more concinentes, adiecimus & recentem illam fortunam è qua præter opinionem servati fuimus, biduum deinceps ibidem commorati dum pelagus desæviret.

Sed cum iter facere nusquam possemus nemine mortalium comparente, rursum mari nos commisimus, statímque prima luce solventes secundo vento tota illa & insequenti die navigavimus, qua inclinante vna & flatus defecit, magnóque in mœrore fuimus. Optari verò rursum à nobis serenitatem oportebat: erat tum exeuntis mensis tertius decimus. Tanto autem impendente discrimine, cùm in idem astrorum coitus & famosa, illa fortuita, concursura essent quibus, vt ajunt, nemo securus unquam se commisit; cúmque in portu consistere oporteret impudentes rursum in altum evecti sumus. Ipsa porrò tempestas à Septentrionalibus ventis cœpit, plurimúmque ea interlunij noctè pluit.

Deinde flatus ruebant, & mare admodum agitabatur. Circa nos verò ea fiebant, quæ in talibus accidere est, ne bis eosdem casus recenseam. Profuit tum ipsa nonnihil tempestatis magnitudo: fragor primum ex antenna auditus: Cúmque intentis rudibus firmare navem institissemus, subinde media illa confracta propè nobis omnibus exitio fuit. Sed cū exitio non fuisset, hoc ipsum nobis salutem attulit. Neque enim alio modo ventorum vis sustineri poterat. Rursum autem tractatu difficile velum erat, nec ad contrahendum volubile.

Hunc ferè in modum, excusso mirum quantum violento impetu deinceps diem noctémque continuato cursu ferebantur: Qua circiter secundum Galli cantum non animadvertimus tantillum abfuisse quin scopulo illideremur in tantum prominenti, brevem vt Chersonesum efficeret: Ad hæc clamore sublato simul atque quidam ad terram vt appelleremus hortatus est, ingens coorta vociferatio est, miniméque consentiens: Nautis quidem perhorrescentibus, nobis præ ignorantia manus complaudentibus, invicémque complectentibus nec gaudij magnitudinem capientibus. Dicebatur maximum hoc omnium hactenus fuisse periculum. Cùm jam diluxisset, homo quidam rustico habitu nobis innuit, manúque infida loca demonstrat, quibus tutò committere nos possemus: Tandem & ipse biremi veloce advectus est, quâ navigio alligata gubernaculum accipit. Nec ægrè Syrus hoc illi honore cessit: qui cum non plura quinquaginta stadijs relegisset navem vix ad exiguum quendam, sed amœnum portum appellit (Azarium opinor vocant) & nos ad littus exponit, servator, ac genius bonus ab omnibus appellatur. *Epistola quarta.*

Aristides: Non potest vectorum cuiquam præcipere gubernator ut mortem contemnat, & sponte se in mare proijciat; sed hactenus imperare potest, ut onera quis eijciat, idque ad homines servandos. at in universum jubet cum ars omnia servare. *Oratione 2. Platonica pro Quatuorviris.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Alciphron: Mare quidem vt vides glacie congelatum est, & cœlum obscuravit caligo, & ex omni parte sunt omnia nubila, ventíque mutuò conflictantes quantùm nunquam antehac, se perturbaturos mare promittunt. Sed & Delphines exilientes, & intumescente mari leviter saltantes, tempestatem & turbines significant. Tauri verò perhibent ortum in cœlo, qui Meteororum sunt periti, hoc tempore stare. Sæpe fit igitur vt securitate incolumes serventur qui curam adhibent, vt periculum caveant atque declinent. Sunt autem qui temeritate impulsi se pelago audacter committant, & fortunæ gubernationem clavorum permittant. Vnde audimus alios ad Maleæ promontorium, alios ad mare Siculum, alios ad fretum Lyciacum impetu delatos naves frangere vel submergi. At his Capherense nihil est ad tempestates & periculum æquius. Expectantes igitur donec turbo sedetur, & aer pura serenitate lustretur, revertemur vsque ad ipsa Capharensis littora, ut si quod alicubi ex naufragio ejectum inueniatur corpus, id compositum sepulturæ mandemus. Non enim gratis confertur beneficium, etiamsi non confestim benefacti compensatio apparet. Nihilominus autem alit homines, præter sperata bona, & conscientia cor perfundit, maximè verò cùm in contribules non amplius superstites officium collocetur. *Pontio, Epistola 10.*

§ POETARUM.

Plautus Rudente 2. sc. 2. v. 27.

—— leno quidquid domi fuit, in navem imposivit.
Ea perierunt omnia. T. oh Neptune lepide, salve!
Nec te aleator ullus est sapientior profectò
Nimis lepidè jecisti bolum: perjurum perdudisti.
Sed nunc ubi est leno Labrax? A. perijt potando opinor.
Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit.
Credo hercle ananeao datum quod biberet.

Versu 42.

Novi. Neptunus ita solet. quamvis fastidiosus
Ædilis est: si quæ improba sunt merces jactat omnes.

Plautus Rudente 2. sc. 4. v. 29.

Vt etiam nunc misera timeo, ubi oculis intueor mare.

Plautus Rudente 2. sc. 6. v. 18.

Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio?
Quidve hinc abitio? quidve in navem inscensio?
Vbi perdidi etiam plus boni quàm mihi fuit.
C. Pol minimè miror navis si fracta est tibi.
Scelus te, & scelestè parta quæ vexit bona.

Plautus Rudente 2. sc. 6. v. 44.

Edepol Neptune, es balneator frigidus.
Cum vestimentis posteaquam abs te abij, algeo.
Ne thermopolium quidem illum ille instruit,
Ita salsam prabet potionem & frigidam.

Plautus Rudente 2. sc. 6. v. 54.

Sed nunc jure optimo me lavisse arbitror.
L. Quei? C. quia auderem tecum in navem ascendere,
Qui à fundamento mihi usque movisti mare.

Horatius 3. Ode 2. v. 26.

—— Vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcana sub iisdem
Sit trabibus, fragilemq; mecum
Solvat phaselum. sæpe Diespiter
Neglectus, incesto addidit integrum.

Lucianus de Naufragis.

Glauce, tibi & Nereo, Inoq; tibi & Melicerta,
Et Neptune tibi, & quos Samothraces habent;
Servatus pelago Lucillius, hanc ego tonsus,
Nil aliud quum sit, dedico cæsariem.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Calculum si rectè ponas; est homo omnis naufragus.
Canicula natus oriente non morietur in mari.
Dulce laborem è terra alterius intueri naufragum.
Dum ferente duceris aurâ naufragio ipsi prospice.
Ecquis pro salute jacta Neptuno imputaverit?
Egrediens statim de portu navem impingit nauta iners.
Frustra metuis tempestatem nauta vector Cæsaris.
Futilem alveum quis altis credat unda fluctibus.
Haud fame interit cui navis juxta littus frangitur.
Ignaris parent periti cùm ventis sævit mare.
Naufragus semel mare horret omne, quāquā inturbidū est.
Naufragus sine auro terram vix cadaveri invenit.
Naufragus Zeno, secundè nagivasse se autumat.
Naufragos miserare: semper anceps navigatio est.
Navitis vis nulla fiat, ulla nec fraus naufragis.
Parcit pauperibus Neptunus, dites damnat ac domat.
Quanta ponti est amplitudo, tantus & mortis timor.
Qui servari avet navigio fracto ad tabulam respicit.
Quidquid è Navi mergendâ subtrahi potest, lucrum est.
Quisnam ad unam in tempestate stare suevit ancoram?
Sæpe & in portu superbis interit navis sua.
Sæpe plus aura una eodem temporis puncto viget.
Tempestate non perit cui Christus est portus loco.
Victima illicò Deæ fit Taurica vir naufragus.
Vtilis jam gubernator puppe non est naufragâ.

§ JAMBICA.

Ecquando non humana vita naufraga est?
Iactura quævis, instar lucri naufrago est.
In saxa ducas perfidâ classem face.
Iuxta mare ambulare jucundissimum est.
Naufragium vita aliquando facit, semper timet.
Naufragia tutum est intueri è littore.
Ne nave fractâ disputes de mercibus.
Propinquus est naufragio quisquis navigat.
Quando enatavit naufragus cum sarcinis?
Vbiq; hominis naufragium est, haud tantum in salo.

Navigationis.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus*: Dum ſecundo vento navigas, naufragium time: & tutior à naufragio eris, adjutorem ac ſocium tibi timorem adſciſcens. *Oratione quadrageſima.*

D. Gregor. Nyſſenus: Qui trans mare peregrinationem opum parandarum cauſſa ſuſcipiunt, cùm jam navim è portu in altum provehunt, & in mare per gubernacula proram convertit is qui ad clavum ſedet; votum faciunt, quaſi quoddam procœmium navigationis, ac petunt uti Deus ipſis dux ſit ad navigationem felicem ac proſperam: adeoque voti totius ſumma eſt, ut ventus levis & idoneus navigationi in velum incidat, ad eum gubernatoris ſcopum qui in puppi conſiſtit. Is a. ventus ſi ex ipſorum voto eis adſpiret, & mare jucundum fit ipſis, fluctibus placidis ſeſe leniter erigens, neque pelagi amplitudo quidquam affert moleſtiæ, cùm magna facilitate navis in ipſis undis quaſi volet, & opes oculis obverſantur, quas ex mercatura ſperant, jam ipſa navigationis proſperitate, etiam antequam periculum factum ſit, magnam rerum copiam pollicente. *Initio Homiliæ 13. in cant. canticor.*

¶ Latinorum.

S. Valerianus: Requiramus cujus ſit vitium, quod tenui tabulato hominis vita committitur, & dubiis caſibus pelagi incerta tentantur. nonne cupiditati adſcribendum eſt, cùm ſuperveniente procella altum mare nauticus clamor incuſat? nonne ad cupiditatis recurrit invidiam, cùm ſcrupeis rupibus naufragum corpus illiditur, & tumentia aquis membra ignotis littoribus jactantur? Nunquam ſe profecto nauta navigio crediſſet, niſi navigandi deſiderium negotiandi cupiditas incitaſſet. fertur denique homo undis voto quadruplicandæ pecuniæ. portatur aurum ut reportetur cum falſitate perjurium. nunquam eum negotium ſine fraude agitur, ubi ad hoc ſolum vilius emitur, ut carius diſtrahatur in qua re etſi votis hominum navigatio quieta ſucceſſerit, non ſine naufragio eſt, cùm inter vendentem & ementem iniquis aut ponderibus aut menſuris quis aut operatur aut patitur. *Homilia 28.*

Chryſologus: Gubernator prudens à littore cùm navem ſolvit, cùm mare tranſiturus intrat fluctus, domus, patriæ, conjugis, pignorum curas deponit: & ita totus mente, corpore, ſenſu, nauticis laboribus occupatur, ut & fluctuum poſſit ſuperare diſcrimina, & ſtationem lucroſi portus periculi victor intrare. *Sermone 8. pr.*

Chryſologus: Gubernatoris peritiam non probat temperies ſerena, ſed procelloſa tempeſtas. blandiente aura navim regit ultimus nauta. In confuſione ventorum primi quæritur ars magiſtri. *Sermone 20.*

Ennodius: Remis opus eſt, quoties nullo flaminum puppes juvantur impulſu. his non eget cui ſecundam navigationem facit conſpiratio devota votorum. *Lib. 2. Epiſt. 9. m.*

¶ Oratorum Graecorum.

Lyſias: Atque opinor vos ſcire, quod exercitus claſſiſque ductor, cui navem quam vult eligere licet, non conſcenſurus ſit aliam quando ſe periculo eſt commiſſurus, niſi quam in navigando noviſſet optimam. *Apologetico 20.*

Philoſtratus: Apollonius Indi pavorem deridens; Is, inquit, mihi facere perinde videtur, ac ſi quis longum pelagus emenſus, ubi ad portum pervenerit, terram odio habeat, & ſe in portu eſſe timeat. *Lib. 3. cap 3.*

Philoſtratus: An verò miſerior ulla gens eſt, quam negotiatorum & naviculariæ deditorum? Primùm enim hujusmodi homines omnes nundinas circumeunt, ut quam minimo emant quæ ſibi ſunt opus: deinde cum hoſpitum conciliatoribus & cauponibus degentes, aſſiduè aliquid emunt venduntque & ſceleratis uſuris capita ſupponentes, ad priſcum malum feſtinant. Quòd ſi res proſperè ſucceſſerint, bene navigat navis, & multis illis ubique eſt ſermo, quòd neque inviti neque volentes unquam damnum acceperint: ſin ex mercatura non conſequantur utilitatem, minora navigia conſcendentes naves perfringunt, & cauſam in Deos impiè referentes, non inviti alienis opibus potiuntur. Quod ſi etiam tale non eſſet maritimum ac nauticum genus; nonne ſummo dedecori tribuetur virum Spartiatam, his parentibus ortum qui in media Sparta vitam duxerunt, in concava navi latitantem, oblitum Lycurgi Ephitique & ceterorum, de ſarcinis naviculaque ſollicitum eſſe? Quod ſi nihil aliud, ſaltem Spartam ipſam cogitare oportet; quamdiu terreſtribus negociis intenta fuit, ad cælum uſque gloriam extendiſſe: poſtquam verò maritis ſtudiis ſeſe dedit, in profundo merſam, & propemodum exſtinctam eſſe, non in mari ſolum, verum etiam in terra. *Lib. 4. Apollonij cap. 10.*

Libanius: Neque enim ſecundo vento navigantem, auris tradere clavum convenit. *Præloquio orationis Patrocli ad Vlyſſem.*

Libanius: At enim magna dona ſunt maris, ſed periculum non abeſt, & fluctus proſperitates antevertunt, ac ſæpe quidem mare opus diſſipavit, poſſeſſoribus autem exutis ac nudatis, eos conſervavit, quibus lucro fuiſſet ſubmergi cum ſarcinis. *Declam. 27.*

Libanius: In navigatione & re maritima multa horribilia, in agricultura vero omnia maxima ineſſe cernemus. Ipſa quidem agricultura res eſt antiquiſſima, ſimulq; cum hominum ortu in vitam proceſſit. Fieri enim aliter non potuit, quàm ut geniti, nutrimentum ſtatim de terra requirerent, & ideo ad colendam terram aggrederentur. Navigandi autem ſtudium, & curſus maritimos, in vitam introduxit avaritia. Nam ut navigare vellent, ad hoc adegit homines cupiditas acquirendi plura. In quo audacia ineſt, & prima opera navium prædationes, & rapinæ mutuæ. Ac nunc quoque res periculo non caret, totaque adeò fugienda. Quæ cum ſit talis, plenum quidem mare periculis, terra autem & hujus cultura periculis vacat. Quid enim metus habeat, junctis bobus terram proſcindere, aut ſemina in terram jacere? At nautæ ubi jam ſolverint, & oſtia portuum reliquerint, ita feruntur, ut vicinus illis ſit interitus, tenui admodum in ſpe ſalutis de lignis quibus feruntur. Quid habet verò admirationis jucunditatem majorem, agro, vitibus, Minervæ dono, fructibus, ſtirpibus, ſegete? Triſtius autem fit mare irruentibus ventis, fluctibusque ſe incurvantibus, & ventorum terroribus, per quæ ſi quis forte incolumis pervaſerit, injuria conſervatus eſſe videatur. Jam cum res optima ſit juſtitia, injuſtitia verò peſſima, agricultura juſti, navigationibus injuſti homines redduntur. Nam ſeminibus ſparſis, invocatisque diis, fruges expectat agricola, & vices recipit à terra, nemini moleſtus omnium. At mercatores perjuriis rem augent, & artificium quæſtus in contemtu deorum excercent, navigantque ad omnes urbes, facientes improbitatis opus, mentientes, decipientes, fraudantes: atq; is qui horum eſt peritiſſimus, domum locupletiſſimus redit.

Sanitas eſt agricolarum, in laborum aſſiduitate, cùm opus faciendum ſit & in æſtate, & hyeme, & aliis annis temporibus. Moveri autem continuò, & artibus ſtudere, morbos excludit, ſanitatemque cuſtodit. At nautæ jacent plerumq; ocioſi. Hyeme quidem, in cauponis & fumo: æſtate verò, ubi bene ſucceſſit. Quod ſi venti ſecundi ſint, reſidentes in tranſtris potant aſſiduè, & immodico cibo utuntur, quæ certè corporibus morborum eſſe cauſæ conſuevêre. Quàm ſuave eſt agricolæ, in ſiti de fonte bibere, admoto ore ſcaturigini? Quam triſte contra nautæ poſt diutinos labores maris, aquam potare nihilo puriorem cœno? Agricolam reverſum noctu domum exhilarat uxor, liberique, quorum aſpectu ipſe, & cujus illi recreantur.

Nauta verò cùm de ſe in metu eſt, tum incertis ſuorum caſibus perturbatur. Lucroſum eſt mare, & navigatio. Ego vero magis agricolas copioſos quosdam, quàm nautas reperi. Sed donemus, plura ſuppeditare lucra mare. Ipſum tamen rurſum & aufert, cumque mercibus ſæpe etiam vitam. Aliquisque provectus cum magnis opibus, aut unà cum his ſubmerſus, aut ſine his nudus conſervatus fuit: id quod plurimis uſu venit in mari. Præterea omnium copioſiſſimus mercator, dum adhuc navigat, dives non eſt, neque quicquam proprium poſſidet.

Sed in poteſtate ventorum eſt cum ipſe, tum quicquid tenet. Ac jam aliqui cum haberent in conſpectu domum ſuam, appropinquantes portubus, ſubitò fracta navi animam exhalarunt, miſerabilius quàm ij qui ſuffocantur. Jucundiſſimum eſt ſepeliri in patria, & diſcedere è vita, allocutum ſuos, hujus copiam terræ cultus facit agricolis. At nautarum plurimorum nuſquam locorum ſepulchrum extat, qui de naufragiis ventres piſcium replent. *Comparatione navigationis atq; agriculturæ.*

Ælianus: Agriculturam, & agri colendi opificio relicto vicinus Laches, navem conſcendit, & Ægæum, ut ajunt, navigat, aliaque maria metitur, & in fluctibus verſatur, ac Lari vitam vivit, atque cum variis ventis præliatur, & promontorium eum à promontorio decernit. Circumſpiciens enim lucrum ingens, & divitias maximas animo verſans, longum vale dixit illis caprariis, & paſtorali priſtinæque vitæ. Sordidè enim & parcè ex agris vivere non poteſt, neque præſentibus contentus Ægyptios ac Syros imaginatur, & circumſpicit argentum, multumque in eo eſt ut uſuras uſuris auctas reputet, & pecunias pecuniis annumeret: atque inflammat ejus animum & exurit lucrum nauticum. Hyemes verò non conſiderat, neque ventos contrarios, neque maris inſtabilitatem, neque temporum importunitates. Nos verò tametſi lucrum exiguum facimus magnos labores obeundo, tamen multò ſtabilior ac firmior eſt terra quàm mare, & hæc fidelior ſolidiorem de ſe ſpem cultoribus præbet. *Epiſtola 18.*

Æneas ſophiſta: Quòd è navigatione ſaluus evaſeris, probè ſcio. Non enim conſtituendi latrocinij cauſa navem cōſcendiſti, quemadmodum apud veteres, qui potentia valebant præ cæteris, neque verò negotiandi, quemadmodum hoc noſtro ſeculo plurimi mortales, ſed deſiderio amiciſſimorum hominum ac locorum, ut Philium non tibi inter navigandum adfuiſſe, dicere nefas ſit. Sed precor ut etiam civitas tibi poſt mare propoſita ſit, & amore munitus, ab amicis ad amicos revertare. *Epiſtola 8.*

Alciphron: Cum terra nihil dignum laboribus adferat ac rependat, ſtatui meipſum committere mari ac fluctibus. Etenim vita ſimul & mors fato nobis conſtitutæ ſunt. Neque effugi lex fati poteſt, etiamſi aliquis incluſum ſe domi contineat. Nam illa dies efficax eſt, & quod fato deſcriptum eſt, id eſt inevitabile. Iraque non ab his vita ponderatur, ſed à fortuna regitur & adminiſtratur. Sunt enim, quibus in terra citò morituris. In mari quā maximè diuturna vita contingit. Quare cùm ſciam ita hæc eſſe, ad naves agendas ac-

cedam, & inter ventos fluctusque versabor. Melius enim est reverti è Bospero & Propontide novis divitiis auctum, quàm sedentem in extremis plagæ littoralis partibus jejunum palustres sordes ac cænum eructare. *Eustol. Elation. Epistola 25.*

§ ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Vnus ex vectoribus qui exonerabat stomachum nausea gravem, notavit sibi ad lunam tonsorem intempestivo inhærentem ministerio, execratusque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum votum, in cubile rejectus est. *Mox:* Audio non licere cuiquam mortalium in nave, neque ungues neque capillos deponere, nisi cum pelago ventus irascitur. *Satyrico.*

Petronius Arbiter: Nisi forte putatis juvenes casu in has plagas incidisse; cùm omnis vector nihil prius quærat, quàm cujus se diligentiæ credat. *Satyrico.*

Quintilianus: Dicam nunc ego per quos navigaverit fluctus, quos accesserit scopulos, quantos lustraverit sinus? Faciliora ista putant qui nunquam navigaverunt. *Declam. 9. §. 5. pr.*

§ POETARUM.

Oppianus lib. I. ἁλιευτ. v. 338.

Est autem quidem concava contectus testa piscis
Forma polypis similis, quem vocant
Nautilum, propriis cognominem navigationibus.
Habitat quidem in arenis: prodit vero summam in aquam
Pronus, ne ipsum impleat mare.
At quando natat fluenta supra Amphitrites,
Statim conversus navigat, tanquam navis
Gnarus aliquis: geminos quidem sursum pedes velut funes
Extendit, media autem diffluit tanquàm velum
Tenuis membrana, vento verò expanditur: sed infernè
Bini pedes mare attingentes similes gubernaculis,
Ducesq; dirigunt domum, & navem; & piscem.
Verùm ubi metuit ex propinquo malum, non amplius ventis
Fugit se committens: contrahit autem omnes frenos,
Velaq; gubernaculaq;: Copiosumque intus recipit
Fluctum: gravatus autem deorsum trahitur aquæ impetu.
O amici, qui primus vehicula maris invenit naves,
Sive quis Deorum immortalium excogitavit, seu quis homo
Audax primus optavit mare trajicere:
Fortassè illius conspecta navigatione, piscis, simile opus
Ex ligno coagmentatum sculpsit: alia quidē flabris expandēs
Ex rudentibus: alia verò à tergo gubernacula navium.

Plautus Epidici 1. sc. 1. v. 47.

Vtcunq; in alto ventus est, Epidice, exin velum vertitur.

Plautus Menæchmis 2. sc. 1. pr.

Nulla est voluptas navitis, Messenio,
Major, meo animo, quam quando ex alto procul
Terram conspiciunt. M. major, non dicam dolo,
Quàm si adveniens terram videas quæ fuerit tua.

Plautus Mercatore 2. sc. 3. v. 37.

Per mare ut vectus nunc oculi terram mirantur tui
Magis. C. opinor: id est profectò; verùm actutum abscesserit.

Plautus Mercatore 2. sc. 3. v. 53.

Vsq; ne valuisti? C. perpetuo rectè, dum quidem illic fui.
Verū in portū huc ut sum advectus, nescio quei animus dolet
D. Nausea edepol factum credo: verùm actutum abscesserit.

Plautus Mostellar. 2. sc. 2. pr.

Habeo Neptune gratiam magnam tibi,
Cùm me amisisti vix à te vivum modò.
Verùm si posthac me pedem latum modò
Scies imposuisse in undam; haud causa est, illicò
Quod nunc voluisti facere quin facias mihi.
Apage, apage te à me, nunc jam post hunc diem.
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.

Plautus Rudente 4. 3. v. 76.

Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.

Martialis lib. 10. Epigr. 104.

Navem, scis puto, non moratur unus.

Martialis lib. 11. Epigr. 6.

Ardua res hæc est, opibus non tradere mores:
Et cùm tot Crœsos viceris, esse Numam.

Auctoris incerti.

O littus, vita mihi dulcius: ô mare felix,
Cui licet ad terras ire subinde meas.
O formosa dies hac quondam rure solebam
Iliadum armatas sollicitare manus.
Hic fontis lacus est: illic sinus egerit algas.
Hic statio est tacitis victa Cupidinibus.
Pervixi. neq; enim fortuna malignior unquam
Eripiet nobis, quod prior hora dedit.
Illic alternis depugnat pontus, & aër,
Hic rivo tenuis pervia ridet humus.
Illic divisas complorat navita puppes:
Hic pastor miti perluit amne pecus.
Illic immanes mors obsita solvit hiatus:
Hic gaudet curva falce recisa Ceres.
Illic inter aquas urit sitis arida fauces:
Hic dat perjuro basia multa viro.
Naviget, & fluctus lasset mendicus Vlysses:
In terris vivet candida Penelope.

Idem.

Qui mavult pro parte mori, nec cogere Fata
Mollia præcipiti rumpere fila manu:
Hactenus iratum mare noverit. ecce refuso
Gurgite securos abluit unda pedes.
Ecce inter virides jactatur Myrtibus algas:
Et rauco trahitur lubrica concha sinu.
Ecce recurrentes qua versat fluctus arenas,
Discolor attrita calculus exit humo.
Hæc quisquis calcare potest, in littore tuto
Ludat: & hoc solum judicet esse mare.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absq; portu nullus usus est navalis copiæ.
Ad piraticam pellectat & maris vicinitas.
Artis est in navigando tempestati atræ obsequi.
Aura qualis sit veli nota, ut ruas tuto mari.
Classibus ferè advehuntur qui ambiunt sedes novas.
Dives sis licet, dives non es tamen dum navigas.
Festinare nauta quæstus assolet causa sui.
Fune pendula è pusillo vita navigantium est.
Haud facilè est retro redire cùm medio auferris mari.
Iam fretum es trans Gaditanum? vela colligas licet.
Ignis impetu est minori nauticâ insolentiâ.
Ingredi cum gente tota navigium unum amentia est.
Insularum esse imperator absque classe non potest.
Mille vix jumenta navis unius ferat onus.
Multas naviga circa urbes? præstantissimam incole.
Nave trajice optima, ampla navium si copia est.
Navigans vivos nec inter est, nec inter mortuos.
Navigare atque ire res est pestilentia bona.
Navigare avemus omnes cum sua est mari quies.
Navigare vis? procellosum ante cogites mare.
Navigatio secunda semper esse non potest.
Navigationi Orion æquè iniquum est quàm Canis.
Navigatione nata deseruit terram Æquitas.
Nauta ne sis præter anni tempus: haud diu vivitur.
Ne versoriam cape, auræ quàm diu spes est bonæ.
Nil mage in mari quàm terra navitis formidini est.
Non potest dici quam re ipsa navigare incommodum est.
Nulla res æquæ, quàm veli summa pars cursum adjuvat.
Nullus ventus est suus portum ignoranti quem petat.
Obsecundari fas ventis nautæ, at non quibuslibet.
Plurimum potest, cui classis & maris potentia est.
Prorâ utrinque pari hinc illincve appellere est innoxium.
Qui navem in portu subvertit omne naulum perdidit.
Remigi otium est profundum credita ut vento est ratis
Sæpe navem unam non unus admodum clavus juvat.
Se mari mortique nauta lucri tradit gratiâ.
Semper est incerta hyberni navigatio maris.
Si caret navis suburra, quæque ei aura imperat.
Solvit è portu nauclerus quàmprimum Notus favet.
Terra quod cultoris expers, hoc mare absq; navibus.
Tunc de proreta est agendum, cum jam coctus panis est.
Væ navi gubernatore destituta quæ suo est.
Vector omnis in tempestate ad nauclerum respicit.
Ventus utcumque est in alto, ex imo velum vortitur.
Vix digitis à morte distant quatuor qui navigant.

§ JAMBICA.

Animo viri bono este: terra cernitur.
Commune communis navis periculum est.
Furente vento vela malo detrahas.
Iucunda, juxta littus, navigatio est.
Lunâ silente solum infelix navigat.
Navem gubernare è terrâ vecordium est.
Navem regit malè gubernator nauseans.
Nave à vitiosâ plus pericli est quàm à domo.
Nautis timori maximè in salo solum est.
Nec vivus es nec mortuus cum navigas.
Neptune, navem hanc nunquam nisi rectam auferes.
Nunquam moratur vector unus navitam.
Nunquam nisi plenâ nave vector tollitur.
Nunquam tua uni cuncta navi credito.
Qui navigant medio solum exoptant mare.
Qui navigat sæpe, idem sæpe naufragat.
Semper marina incerta navigatio est.

Semper timet naufragia nauta, sæpe obit.
Serenitatem tempestate prospice.
Si classem habes mox idem habebis insulas.
Suavissima est propè terram navigatio.
Trabs cæsa post solstitium æstivum non putret.
Vetusta tutò haud trajicit navis mare.
Vitam malam vivit cui est navis domus.

Necessarij.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Conditum nil a Deo est quod sit supervacaneum.
Est necesse, quo sine esse salvus aut liber nequis.
Id necessitate habendum est, quicquid est domi satis.
Nemo eâ re cedit ultrò cuipiam ipse quâ indiget.
Qui necessaria anteponit gloriosis, justè agit.
Quod hominis vita est necesse, & obvium & parabile est.
Quod necesse est comparato, ceterum omne sperniito.
Quod necesse homini, invenire quolibet loco licet.
Tædio caret natura quod sitit necessitas.

¶ JAMBICA.

Ad id natura quod requirit sufficit.
Commune id omne est, quo indigemus maximè.
Cuncta ad manum sunt queis eget mortalitas.
Haud ventitandum est qualibet caussa ad fabrum.
Necessitatis nuspiam fastidium est.
Quantum est suis necessitatibus obsequi!
Quod est necesse, cura constat simplici.
Turpe est nescire homini sibi necessaria.

Necessitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Basilius Eustathio*: Si igitur negotiorum multitudine non impediremur, non tam sedulò ab illa scribendi suavitate nos contineremus. At vos, qui levioribus curis estis occupati, quantum fieri potest, sæpissime nos literis vestris recreate. Etenim puteos ferunt exhauriendo meliores reddi. Videntur autem tuæ ex Medicina desumptæ admonitiones in vanum abire non quod nos ferrum non adhibeamus, sed quod illi emanans subipsis abhorreant & detrectent. Itaque Stoicus, inquit, *Quoniam res non ita eveniunt ut volumus, quemadmodum eveniunt sic velimus.* Ego verò sententiam rebus accommodandam esse non probo: Sed tamen ut nonnunquam præter voluntatem aliquis, quod necessitas imperat, faciat, id vero non improbo. Neque enim vos medici ægrotantibus adustiones & alios dolores ex voluntate admonetis, sed persæpe tamen, cum difficultas rei postulat, facitis. Neque navigantes libentibus animis, quæ navi vehuntur onera, eiiciunt: Sed ut naufragium evadant, patiuntur erectionem fieri, vitam cum inopia morti præponentes. Sic statue nos quoque separationem defectorum tolerare quidem ægrè & cum immensis gemitibus, sed tamen ferre.

D. Nazianzenus: Infirmos quoque sæpe necessitas ipsa pugnaces efficit. *Epistola 32.*

D. Chrysostomus: Age ergo, hoc ipsum examinemus, peccatáne fiant ex necessitate & violentia, an ex multa socordia & negligentia. Non occides, inquit, Quænam ergo necessitas? Quænam vis eò adigit? Vis est ergo occidere. Quis enim sua sponte elegerit intingere ensem in gutture proximi, & cruentare dexteram? Nemo. Vides quòd contra peccare est magis necessitas & violentia. Indidit enim Deus naturæ nostræ quoddam amatorium, ut alter alterum invicem diligamus. Omne enim, inquit, animal diligit simile sibi, & homo suum proximum. Vides quòd ad virtutem semina habemus à natura? Vitium autem est præter naturam. Si autem vitia magis dominantur, hoc est argumentum nostræ imbecillitatis & & ignaviæ. Quid verò, quænam necessitas nos ducit ad admittendum adulterium? Certè, inquit, tyrannis libidinis. Quare, dic quæso? Non licet tibi tua uti uxore, & libidinem sedare & compescere? Sed capior, inquit, quodam amore uxoris proximi. Non est hoc utique necessitatis. Non est enim amor necessitatis. Nemo amat necessitate, sed sponte & libera electione. Atque ad coitum quidem fortasse impellit necessitas: ut hanc autem aut illam ames, non est necessitatis. Neque ea res desiderium coitus, sed inanis gloria, & contumelia, & quę modum excedunt deliciæ. Nam utrum magis est rationi consentaneum, cámne habere quæ est desponsa, quæ est socia filiorum procreationis, an eam quæ non est cognita? Nescitis quòd consuetudines pariunt amicitias? Quamobrem non est naturæ. Noli accusare concupiscentiam. Data est propter matrimonium, exhibita est ad liberorum procreationem; non propter adulterium, neque propter stuprum. Sciunt etiam leges ignoscere peccatis quæ fiunt ex necessitate. Imò verò nullum est quod fit ex necessitate, sed omnia à contumelia. Non enim Deus sic fabricatus est naturam, ut necesse habeat peccare: alioqui si ita esset, non esset pœna.

De iis enim quæ vi fiunt & necessitate, ne nos quidem exigimus rationem, nedum Deus, qui est adeò clemens, benignus & bonus. Sed quid, furari est necessitas. Hoc enim facit paupertas. Imò verò paupertas affert necessitatem operandi, non furandi. Paupertas ergo facit contrarium. Furari enim est otij & desidiæ. Paupertas autem non solet parere otium & desidiam, sed laboris amorem. Quare illud quoque est segnitiei & socordiæ. Idque sic didiceris. Quid enim, dic quæso, est difficilius, quid injucũdius, noctésne obire vigilantem, & muros perfodere, & in tenebris ambulare, & animam habere in manibus, & instructum esse ad cædem, & tremere, & mori metu: an quotidianis operam dare laboribus, & in tuto esse cum securitate? Hoc est facile. & quia hoc est facile, plures hoc faciunt quàm illud. Vides quòd secundùm naturam quidem sit virtus, præter naturam autem vitium, sicut morbus & sanitas? Quid verò mentiri & pejerare, quamnam habent necessitatem? Nullam, nec vim: sed lubenter ad id venimus. Nobis, inquit, fides non habetur. Quoniam volumus. Licebat enim nobis magis fidem habere ex moribus, quàm ex juramentis. Nam cur, dic mihi, aliis ne jurantibus quidem credimus; alios autem etiam injuratos fide dignos censemus? Vides quòd nequaquam opus sit juramentis. Si hic aut ille, inquit, dixerit, credo etiam injurato: tibi autem, si juraveris.

Est ergo juramentum supervacaneum. & hoc est magis argumentum incredulitatis quàm fidei. Proclivem enim esse ad jurandum, non sinit ut bona concipiatur opinio pietatis. Quare qui maximè jurejurando assiduè utitur, is juramenti usum nequaquam habet necessarium. Qui autem minimè utitur, is ejus usu fruitur. Juramento, inquit, opus est ut credatur. Videmus autem, quòd qui non jurant, iis maximè creditur. At contumeliosum esse est necessitatis. Certè, inquit. Movet enim ira, & inflammat, nec sinit ut quietus & tranquillus sit animus. Contumelia afficere, ô homo, non est iræ, sed pusilli & abjecti animi. Si autem esset iræ, Omnes homines irascentes non intermitterent contumelia afficere. Iram habemus, non ut proximos contumelia afficiamus, sed ut eos qui peccant convertamus, ut nos excitemus, ne simus ignavi & hebetes, Ira nobis inest tanquam quidam stimulus: ut adversus diabolum dentibus strideamus, ut in eum simus vehementes; non ut alter in alterum stemus. Arma habemus; non ut nos ipsos bello impetamus, sed ut adversus hostem utamur armatura. Esne iracundus? Sis talis adversus tua peccata, increpa animum, flagella conscientiam.

Sis vehemens judex, ut acerbus arbiter in tua peccata. Hoc est lucrum iræ. Propterea Deus eam nobis indidit. At rapina est ex necessitate? Nequaquam. Quid enim est, dic quæso, necesse capere? Quænam vis te impellit? Paupertas, inquit, & timor de rebus necessariis. Tu propterea quidem certè non debes rapere. Non sunt enim stabiles & firmæ ejusmodi divitiæ. Tu autem idem facis, atque si quis rogatus cur in arena domus fundamenta jaciat, dicat, Propter frigus & propter pluviam. Propter hoc quidem certè non oportebat fundamenta jacere in arena. Ea enim citò evertunt & procellæ & venti. Quare si vis esse dives; ne sis avarus, nec plura habendi cupidus. Si vis filiis tradere divitias, posside justas, si ullæ sint tales: eæ enim manent, stantque firmæ ac stabiles. Quæ autem non sunt ejusmodi, citò pereunt & intereunt, *Homilia 2. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Non sunt paria, eum qui est necessitate perpessus, & qui sua sponte & volens est passus, à malis liberasse. nam ille quidem dignus est misericordia: hic autem dignus est qui odio habeatur. *Homil. 4. ad Coloss.*

D. Chrysostomus: Res est adeo necessaria, ut ne doctrina quidem egeat: nam quæ sunt valdè magna, sunt omnibus manifesta. *Homil. 6. ad Thessalon.*

¶ LATINORUM.

S. Salvianus: Quod non ubique agantur quæ acta sunt prius, miseriæ est beneficium, non disciplinæ. denique facile hoc probo. da prioris temporis statum, & statim ubique erunt quæ fuere. plus addo: quantum ad vota hominum, etsi jam non ubique sunt, ubiq; ad hoc sunt: quia ubique ea populus vellet esse. Cùm enim ab homine mala res sola necessitate non agitur, ipsa rei turpis cupiditas pro actione damnatur. nam si reus est qui mulierem vidit ad concupiscendum, etiamsi res turpes & damnabiles necessitate non agimus, pro ipsa tamen rerum turpium voluntate damnamur. *Lib. 6. de gubernatione Dei.*

Chrysologus: In adversis necessitas, voluntati non potest comparari. acquiescere necessitatis est, velle virtutis. *Serm. 110. f.*

¶ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Phalaris Tyrseno. Si qui necessitate coacti leges prætereunt, eos de futura vita spem malam habere oportet, quemadmodum Ægestenses ad Dei providentiam omnia mea referens, docuisti, quid tibi de teipso tandem expectandum est, qui non necessitate ad scelus, impelleris, sed ultro meditatoque ad omnem impietatem proruis. *Epistol 3.*

Simplicius ad cap. 8. Epicteti: Ceterùm si res necessaria non erit, eam ne suscipiet quidem. Nam Cato major & hoc unum è suis erratis

satis fuisse dicebat, quod aliquando navigasset, cum iter terra conficere potuisset. Ut autem nihil gravius accidat, si tamen ea negotij natura sit ut sequi possit & soleat: tam suscipere id cum necesse nō est, quā cū tutiore via insistere liceret, periculosiorē ingredi, ꝙ & eā incolumes multi conficiāt, peccatū erit. Si vero necessitas urgeat omnino, ut aut in insulā navigandum sit, aut ex insula: ut patri & amico ferendæ suppetiæ, ut pugnandum pro patria: ipsum quidem opus reformidandum non est, sed natura ejus præmeditanda, & ea quæ consequi solent: ut promeditatione ad illa assuefacti, cum advenerint non perturbemur. Nam qui ita se parat, is & cum non acciderint illa, gaudebit, ut evitatis iis quæ meditatione ipsius jam quasi acciderant: & cum acciderint aliquando, eo tranquillius & tutius ea suscipiet, quod expectavit. *ad cap. 8. Epicteti.*

Simplicius: Enimverò cogitandum erat, si ab aliquo robustiore coactæ animæ cædem fecerint, aut adulterarint; aut id genus aliquid aliud perpetrarint, eas illa malorum impulsione, & non sponte delinquere. nam quæ vi & ab invitis fiunt, iis & à Deo & à legibus ignoscitur; neq; peccatum est. *ad cap. 34. Epict.*

Simplicius: Necessitas est, quę ad superna divinamq; causam reducat omnia, tam invita quam voluntaria. cui assentitur & comitatur, nec renititur sed strenuè sequitur, verè sapiens est, rerumque naturam, & partium, & totius discrimen satis intelligit; & honorem habet eum qui decet divinæ potentiæ. *ad cap. 77. Epicteti.*

Libanius: Occasio mihi nunc Brisei filiam reddidit, periculum, formido, perturbatio, Barbarorum res prosperæ. Ne igitur ita de Agamemnone, quasi æquus bonus factus esset, verba mecum facias. Qui enim sponte non facit, quomodo is probus existimaretur? Si profectò rebus nondum ad difficultatem redactis, mutavisset se; ratio forte postulasset aliquid concedere, ac meliorem factū esse hominem arbitrari: sed quia nihil ex æquo & bono fecit ante tumultum, ne vindicet sibi ea quæ necessitas egit. Achillis oratione ad Ulyssem ab Agamemnone rege delegato.

Mox idem: Illud autem mecum reputa: nunc Hector in navibus castrametatus est, & ignem tantum non admovet, & periculis nox sola est in mora. tentoriis igitur flagrantibus necesse quoque fuit puellam emori. ergo quam non potest tutò retinere, tradit, atque earum rerum liberalitate gaudet, è quibus ipsi omninò fuit excidendum. Quemadmodum si quis tempestate agitatus, supellectili pro salute jacta, hoc grati animi judicio & munere Neptuno tribueret. nunquid sermonum absurditatem sentis Ulysse? ut rebus quidem omnibus privatus supplicat: ut compos stabilium & firmorū pollicetur; & à fastu ne in terroribus quidem recedit. *Achillis oratione adversus Vlyssem Agamemnonis legato.*

❡ Romanorum.

Calpurnius Flaccus: Tolerabilis vis est, ubi ad consuetudinem mali, causa necessitatis emergit. *Controversia 13.*

Quintilianus: Intellexit hominem qui explicari ratione non poterat, necessitate servandum. *Declam. 15. §. 2. f.*

❡ Poetarum.

Euripides.

Necessitati qui probè se accommodat
Sapit, estq; rerum divinarum conscius.

Plautus Bacchid. 4. sc. 9. v. 126.

Quid ego istuc quod perdundum est properem perdere?

Plautus Cistellar. 2. sc. 2. v. 82.

Nunc mihi bona necessum est esse ingratijs,
Quanquam esse nolo.

Plautus Rudente 1. sc. 4. v. 34.

Siccine heic cum uvida veste grassabimur?
A. Hoc quod est, id necessarium est perpeti.

Terentius Heautont. 2 sc. 2.

Sed istum exora, ut suam esse assimulet. CL. scilicet
Facturum me esse. in eum jam redijt res locum
Vt sit necesse.

C. Laberius Mimus.

Necessitas, cujus cursus transversi impetum
Voluere multi effugere, pauci potuere:
Quo me detrudis penè extremis sensibus?

P. Syrus Mimus.

Necessitas ab homine quæ vult impetrat.
Necessitas dat legem, non ipsa accipit.
Necessitas egentem mendacem facit.
Necessitas quàm pertinax regnum tenet!
Necessitas quod calat, frustra quæritur.
Necessitas quod poscit, nisi das eripit.
Necessitatem ferre, non flere addecet.
Necessitati quodlibet telum utile est.
Necessitati sapiens nil unquam negat.
Necessitatis est remedium parcitas.

❡ Apologi.

Babrias. Περὶ Αλώπεκος καὶ Σταφυλῆς.

Fab. 18.

Κερδὼ βότρυν βλέπουσα μακρᾶς ἀμπέλου,
Πρὸς ὕψος ἥρτο, καὶ καμοῦσα πολλάκις
Ελεῖν ἀπεῖπε πρὸς δὲ ἑαυτὴν ταῦτ' ἔφη,
Μὴ κάμνε ῥάγες ὀμφακίζουσιν μάλα.

Επιμύθιον.

Πρὸς τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνάγκην φιλοτιμίαν.

De Vulpe & Vua.

Vulpes racemum proceræ videns vitis,
In altum elevabatur: quumq; sæpe laborasset
Vt caperet, defatigata est: sed secum hæc loquuta est:
Ne labora, acini uvæ exacerbescunt admodum.

Affabulatio.

In eos qui de necessitate voluntatem faciunt.

❡ Emblematis.

Batillij CXXI.

Necessitas virtute superanda.

Fatalem si quâ possent divellere nodum
Annosæ multos detinuère moræ:
Hunc (quæ tanta sui merito est fiducia forti)
Emathij solvit dextra animosa ducis.

❡ Monosticha Trochaica.

Ædium ignem etiam ruinis opprimit necessitas.
Cui necessitas agendi est, non quiescit cùm libet.
Consuetudo, necessitasq;, lexque, patrant omnia.
Cum necessitate dextras ne quidem Dij conserant.
Dum famet flagella rodit ipse polypus sua.
Eunuchos castret voluntas, ne castret necessitas.
Felix est votis quæ præstat obsequium necessitas.
Fiunt cuncta Necessitate, Lege, Consuetudine.
Fortiter excipienda mundi quæ imperat necessitas.
Fortius necessitate nil: ei subsunt omnia.
Fortius necessitate nil est: vincit omnia.
Haud necessitas volenti fit: repugnantissimi est.
Humanæ infelicitati patrona est necessitas.
Impar, ah, necessitati est omnis vis mortalium.
Impetum necessitatis effugere haud multis datum.
Improbus malusve non est, cui peccat necessitas.
In malis non tam efficax est ratio quam necessitas.
In necessitate nulli vivere est necessitas.
Multa tela sunt sed maximum omnium est necessitas.
Ne quidem necessitatem Iupiter coegerit.
Ne quidem necessitati vis repugnet Numinis.
Nil Deus necessitate, pro potestate omne agit.
Non Deus necessitati paret, imò ei imperat.
Non nimis crudele habendum est quod cogit necessitas.
Non prius nata est voluptas, dura sed necessitas.
Obsequium votis quæ præstat felix est necessitas.
Quæ necessitate recepta, in argumentum queis trahas?
Qui necessitatem mutat in virtutem haud desipit.
Qui necessitatis à sese exigit pœnam, facit.
Qui necessitatē ductus deficit, non deficit.
Qui servit necessitati, contumeliis favet.
Quod necessitate peccat quispiam, pœnam haud habet.
Rebus in duris magistra est efficax necessitas.
Sæpe virtus quod nequivit perpetrat necessitas.
Servili manu pugnare cogit & necessitas.
Serviunt necessitati protinus mundi omnia.
Valet apud bonos honestas, apud alios necessitas.
Victitant succo suomet cochleæ cum non pluit.
Virtus est acerrima, summa quam eruit necessitas.
Vivere in necessitate nemini est necessitas.

❡ Jambica.

Ab arte nulla vincitur necessitas.
Ad multa nos cogit necessitas mala.
Aliquando geminat virtutem Necessitas.
Cur quod necesse est, non voluntas occupat?
Et sæpe naturam superat necessitas.
Etiam boum pro lignis fimus uritur.
Etiam lupum nix alta circa urbeis trahit.
Etiam in rationem vertitur Necessitas.
Etiam Orci effugium reperit necessitas.
Etiam sibi necessitas infert manus.
Feras libenter quod jubet necessitas.
Honesta lex est temporis necessitas.
Honestum agit quoq; ad inhonesta Necessitas.
In rebus arctis plurimum est audacia.
Ipsâ necessitate nil pugnacius.
Legem dat ipsa haud accipit necessitas.
Magni duo Dij sunt, Suada ac Necessitas.
Navigia jactu exonerat ipsa necessitas.
Necessitas legem dat ipsa, haud accipit.
Necessitas quam proxima est potentiæ.
Necessitas quem cogit ut fiat malus.

Necessitas quod cogit infirmissimum est.
Necessitas, ratione in arctis plus valet.
Necessitas servat, quem ratio haud explicat.
Necessitas virtutis desperatio est.
Necessitatis lex malum gravissimum est.
Necessitatis unus est faber Deus.
Necessitati etiam obsequuntur cælites.
Necessitati inique quis succenseat.
Necessitatem nec Dei coegerint.
Necessitate haud quidpiam est potentius.
Necessitate nil gravi est valentius.
Necessitudo vel timidos fortes facit.
Nihil pudendum ibi est ubi est necessitas.
Nil non docet naturæ vim Necessitas.
Præsentis est lex temporis necessitas.
Quamvis docet natura artem necessitas.
Quantum est suis necessitatibus obsequi!
Quasvis profanat res sacras necessitas.
Quidquid jubet, tuetur & Necessitas.
Quod imperat necessitas & impetrat.
Quod imperat, tuetur & Necessitas.
Sequamur ultrò quò trahit necessitas.
Sua ipsemet Deus sibi est necessitas.
Subjecta non est legibus necessitas.
Sunt valida multa, necessitas validissima est.
Telum ultimum est, sed maximum necessitas.
Tuetur omne id, quod jubet Necessitas.

Necromantiæ.

❡ MONOSTICHA.

Morte digni sunt qui à morte mutant scientiam.
Prodesse vivis quomodo possent mortui?
Vivum a mortuo remedium petere res præpostera.

Negandi.

❡ Monosticha Trochaica.

Ecquis esse nocens queat usquam, si negasse sufficit?
Qui nihil negare suevit florem ætatis prodidit.
Quod palam abnuis cur inter, rex, secreta conferas?
Sæpe quod vivus petenti denegat, dat mortuus.
Turpiter pueritiam egit, qui negare nil potest.

❡ Jambica.

Auferre quid cui, quàm negare acerbius.
Differ potentem: nam inferet vim si negas.
Docet negare, qui quod vult, timidè rogat.
In re manifesta est impudens negatio.
Negationis est species dilatio.
Non sunt preces, ubi negare non licet.
Objecta verbo quid ni item verbo neges?
Præstat parum quid dare petenti quam nihil.
Quisquis dubitavit, est neganti proximus.
Quidquam quisquam cuiquam quod conveniat neget?
Quod alteri negas tibi improbè petis.
Sæpe abnuit quis mente, quod voce adnuit.
Sat est negare verbo, qui verbo arguit.
Vix divitibus tanti videmur, ut negent.

Negligentiæ.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus:* Hoc vitiositatem ipsam attraxit, hoc januas reseravit prædoni, hoc urbis mœnia dejecit. nimirum quoties ad unumquodque peccatum dicis, Non hoc ad rem magnopere pertinet: sic & in ipsis corporibus usuvenire videmus, ut magnæ ægritudines augeantur, quoties parvas negligimus. Esau, nisi primogenita prodidisset, nunquam benedicentiis indignus habitus fuisset: nisi se ipse benedicentiis indignum reddidisset, non concupivisset ad fraternam necem progredi. Cain si primigenia nõ amasset, sed Dei arbitrio illa permisisset, secundas non habuisset: secundas habens, si admonitioni auscultasset, cædem non parturiisset: rursus cæde patrata, si, Deo ipsum vocante ad pœnitentiam redijsset, ac non impudenter respondisset, mala ea non tolerasset quæ postea toleravit. *Homilia 12. ad Romanos.*

❡ LATINORUM.

S. Salvianus: Cùm Deum incuriosum & negligentem blasphement, quid aliud quam inertiæ & abusionis & iniquitatis accusant! humanæ insipientiæ cæcitatem! ô insanæ temeritatis furorem! Si quemlibet ingenuorum hominum hac contumelia læderes, injuriarum insolentium reus esses: certè si illustriorem quempiam aut sublimiorem, etiam censuram juris publici sustineres. Pupillis enim vel maximè prodigis hæc objiciuntur opprobria. perditorum hoc adolescentium speciale convicium est, ut abusores scilicet & incuriosi ac negligentes rerum suarum esse dicantur. *lib. 8. initio de gubernatione Dei.*

S. Valerianus: Omnibus sine dubio periculis subjacet, qui vitam suam quolibet tempore negligentiæ tradiderit. Numquam denique equis otio deputatis bene frena laxantur. Ita & post hyemis rigorem citò inebriata aquis terra luxuriat. Vidimus etiam frequenter navigia maris portu proximo, quiesce ntibus rebus, subita vi incurrisse naufragia. *Homil. 19.*

❡ Philosophorum Graecorum.

Arrianus: Cùm ad breve spatium attentionem remiseris: noli fingere, te eam ubi volueris esse recepturum: sed illud in promptu tibi sit, propter hodiernum delictum necessario restituas in posterum etiam pejus habituras. Ac primum quidem gravissima cõsuetudo negligentiæ tibi accedit, deinde consuetudo differendæ attentionis. Et subinde in aliud atque aliud tempus differetur prosperitas, dignitas, naturæ obedientia. Quod si rei alicujus procrastinatio est utilis, eam rem omnino prætermittere utilius erit. Sin utilis nõ est, cur non perpetuam attentionem conservas? Hodie ludere volo. Quid ergo? An id cum attentione faciendum non est? Volo canere! Quid vetat, quo minus attente id facias? Nunquam enim vitæ pars excipitur, quo attentio non pertingat? Num eam attentione pejorem reddes, socordia vero meliorem? Quid autem in vita sit melius à negligentibus? Num faber negligens, melius ædificat? Num gubernator negligens, cautius gubernat? Num aliud aliquod minorum operum, per incuriam melius perficitur? Non animadvertis, cum animum relaxaris, non jam penes te esse, ut eum vel ad honestatem, vel ad verecundiam, vel ad constantiam revoces? Quicquid in buccam venerit facies, animi alacritati indulgens. Quibus ergo rebus intendendus est animus? Primum illis generalibus, quæ ita in promtu sunt habenda, ut sine illis non dormias, non surgas, non bibas, non edas, non homines adeas. Nam alienæ voluntati nemo dominatur. In hac vero sola bonum & malum est positum. Nemo igitur ea auctoritate est, ut vel bonum in me conferat, vel in malum me conjiciat, sed ego ipse (quod ad hæc attinet) in mea potestate sum solus. Cum ergo hæc tuta mihi fuerint, cur rebus externis perturber? Quis tyrannus est formidabilis? quis morbus? quæ paupertas? qualis offensio? At non placui isti. Num ergo iste meũ opus est? num meum judicium? Non. Quid ergo mea refert? At videtur esse aliquis. Viderit ipse, & ij qui eum magnifaciunt. Ego vero habeo cui me placere oportet, cui obnoxium esse, cui obtemperare: Deum & eos qui proximum ab eo locum tenent. Is me mihi ipsi commendavit, meamque voluntatem mihi soli subjecit, datis ad rectum ejus usum: quas si in ratiocinationibus secutus fuero, non curo quemquam aliud quid dicentem. *cap. 12. lib. 4. Epict.*

Arrianus: Fuerit absurdissimum, qui rem aliquem curet, eum deteriore conditione esse illo qui eandem negligit. Quid ergo rationi magis consentaneum est, quam eos qui aliqua in re elaborãt, ea in re meliore conditione esse in qua elaborant? *cap. 6. lib. 4. Epictetι.*

Simplicius: Nec verò ullius dies est negligendus, ne ulla res, quod ex ejus contemptu nihil ad te damni rediturum existimes. Ob unũ enim diem & unam rem, tua, inquit progressio & conservatur, & perit. Quomodo istud? An quod is qui uno die & in una re cessarit, segnior fit atque remissior ut alia re incidente minus habeat viriũ quam prius, & magis ei succumbat quam prius idque indies magis, dum aucta paulatim socordia funditus perierit rectæ rationis progressio? quæ ratione contraria conservatur atque augetur. Nam ab uno die & una re, nota quædam imprimitur, & qualiscumque fit accessio, ut quicquid postridie inciderit, eo minus offendaris, & minus etiam die tertio. *ad c. 75. Epict.*

❡ Romanorum.

Symmachus: Dudum parcus es literarum; sed non imitabor exemplum: ut qui noverim viro in specula honorum locato, & ideo varia & magna curanti, non tam studium deesse quàm copiam. Ea quippe est rerum natura, ut quæ præter industriam negliguntur, ignoscenda ducantur. *lib. 1. Epist. 20.*

❡ Monosticha Trochaica.

Assecla est rei secundæ negligens incuria.
Eruditionis est noverca negligentia.
Est egestas, est ærumna gnata negligentia.
Fis inops, citò esse dives si velis & negligens.
Ingenio licet decoro negligentia officit.
Invadendi incuriosos semper est occasio.
Negligentia magna, culpa est: magna culpa item est dolus.
Quod malum est, bonum arbitratur sæpe negligentia.
Sæpius bonum putatur negligenti quod malum est.
Valde amat qui iram ex pusilla sumit negligentia.

❡ JAM-

§ JAMBICA.

Certi parens periculi est Incuria.
Comes rei secundæ negligentia est.
Deus bonos non negligit, cùm negligit.
Felicitatis gnata negligentia est.
Nil negligendum, certè non tempus probis.
Qui negligens est, esse dives non potest.
Qui negligens est omnibus despectui est.
Securitas germana negligentia est.

Negotij.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

HEliodorus: Non oportet brevis frustrationis causa, & quæ ad tempus tantum acciderit, omnem spem ac curam eorum quæ præ manibus sunt, abjicere. *lib. 6. Æthiopicor.*

Heliodorus: Magna negotia magnis indigent apparatibus. quorum enim variè intricata initia Numen posuit, horum necesse est & fines longioribus ambagibus peragi. alioqui ea quæ longum tempus conflavit, brevi temporis momento retegere haudquaquã conducit: præsertim capite & fundamento toto, ex quo prorsus hoc negotium & inventio pendet, Persina, inquam, matre mea absente. *lib. 9. Æthiopic.*

§ ROMANORUM.

Seneca: Circumcidenda est concursatio, qualis est magnæ parti hominum, domos & theatra, & fora pererrantium. Alienis se negociis offerunt, semper aliquid agentibus similes, &c. *cap. 12. de tranquill.*

Seneca: Contentus esto negociis in quæ descendisti, vel incidisti. non est quod ad ulteriora nitaris aut perdes excusationem, & apparebit te non incidisse. Ista enim quæ dici solent, falsa sunt, Non potui aliter. Quid si nollem. nulli necesse est, felicitatem cursu sequi, &c. *Epist. 22.*

Seneca: Mentiuntur qui sibi obstare ad studia liberalia turbam negociorum videri volunt. simulant occupationes & augent, & ipsi se occupant. Vaco, mi Lucili, vaco, & ubicunque sum mens sum. rebus enim me non trado, non commodo: nec consector perdendi temporis causas, quocunque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo salutare verso. *Epist. 62. p.*

Symmachus: Aptius est negotiis mutuò intimandis vivæ vocis indicium. *lib. 3. Epist. 30.*

§ POETARUM.

Ausonius Epig. 109. Epicuri opinio.

Quod est beatum, morte & æternum carens,
Nec sibi parit negotium nec alteri.

§ APOLOGI.

Babrias. Περὶ ἀνδρὸς μιξότριχος καὶ δυοῖν ἑταίραιν.
Fab. 24.

Ἐρωμένας δύ' εἶχεν ἀνὴρ μιξότριξ.
Χρόνῳ δ' συνηνοχῦιαι πάντῃ καὶ τρόπῳ.
Η μὲν μελαίνας, ἡδὲ λδυκὰς ἐκφερον,
Ἐξ ὧν ψιλωθεὶς, πᾶσιν ὡράθη γέλως.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς εἰς δύο ἐναντία πράγματα ἑαυτοὺς ἐμβάλλοντας.

De viro misticapillo, & duabus amicis.

Amicas duas habebat vir misticapillus,
Ætate autem & moribus omnino dissimileis.
Altera nigros capillos, albos altera, evellebant.
Quapropter depilatus, omnibus ridiculo fuit.

AFFABULATIO.

Adversus eos qui in duas res contrarias sese injiciunt.

§ EMBLEMATIS.

Batilius XVII.

Negotiorum respiciendus exitus.

Dædaleum hoc iter est, jam istinc jam comprime gressum,
Ignotas & ne carpere perge vias,
Aut tibi mox cæcis illudet flexibus error,
Vnde pedem sospes nec revocare queas.

§ APOPHTHEGM. SACRORUM.

D. Bernardus: Dicere solebat *se non esse suum, sed aliorum servitio deputatum.* Quoties nihil foris erat quod ageret, domi meditationi Scripturæ totum sese dabat, adeo ut sæpe alia nec audiret, nec videret. Rursus quoties foris alicui succurrendum erat, intermissis studiis seriò id fecit. Nullo unquam tempore fuit otiosus. Aut enim legit aliquid, aut meditatus est, aut oravit, aut concionatus est. *Author vitæ, l. 2. c. 4. & 7.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cum periculo magna magno suscipis negotia.
Et negotiis tractandis apta sæpe femina est.
Indigent negotia magna magnis apparatibus.
Nec sibi Deus alterive contrahit negotium.
Nemo magna agit quin ante cogitet, negocia.
Omnibus Deum interesse quis neget negotiis?
Præ metu contempta egestas ad negotium omne hebet.
Publico malo abstineto bonum negotium est.
Stultus est qui sese alienis oggerit negociis.
Summa summos apparatus quæritant negotia.
Vir probus sibi alterive non parit negocium.

§ JAMBICA.

Bene otio distinguitur negotium.
Negotium geris, per alium quod geris.
Negotium quis non agit semper suum?
Negotium unus unicum optimè patrat.
Negotia magnis magna egent paratibus.
Negotiorum Tempus iudex optimus.
Nunquam simul sunt otium & Negotium.
Qui non habet quærit sibi negocium.
Quin potius, cùm tute ades, tuam rem tute agas.

Videatur & Otium, & Mercatura; Occupatio, Studia.

Nequitiæ.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

FOrtis est quidem nequitia: at ipsa virtus fortior.
Maximam partem veneni nequitia ebibit sui.
Nemini nequitia, cunctis fructus nequitiæ placet.
Nequam homo sibi molestus alteri est molestior.
Pœna summa nequitiæ est, quod displicet sibi ac suis.

§ JAMBICA.

Hominis nequam parvi pendenda gratia.
Ita sunt homines nequam esse eos ut addecet.
Nequam sui similes habere omnes velit.
Nequitia aperitur opere, non etiam incipit.
Nequitia, cuique pœna magna sat sua est.
Nequitia fortis est quidem, at virtus magis.
Nequitia magna, pro meritis plecti nequit.
Nequitia non est fortior virtutibus.
Nequitia semper subiacet virtutibus.
Opere aperitur nequities, non incipit.
Nulli bonus profectò erit nequam sibi.
Res est profectò stulta, nequitiæ modus.
Retrahi nequitur quoquo progressa est semel.
Vis & nequitia quidquid oppugnant, ruit.

Neutralitatis in bello.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

D. *Nazianzenus:* At nunc alii perquam misere simul pugnant, & simul oppugnantur, adeo ut mundus, qui diuturno labore vix tandem & paulatim, nec sine multorum sanguine collectus fuerat, in duas jam contrarias partes distinctus sit: quicunque autem paci student, mediosque se profitentur, ab utrisque male mulctantur, utpote qui vel contemptui sint, vel etiam bello lacessantur. A qua parte cum nos quoque hodierno die stemus, qui hæc reprehẽdimus, ac propterea cathedram certaminis & invidiæ plenam accepimus, haud mirandum erit, si ab utrisque conteramur, ac post multos labores & sudores de medio submoveamur, ut sublato intermedio pariete atque omni obstaculo, cominus jam atque omni animorum impetu sese mutuo convulnerent. *Oratione 14.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Civium in discordia, omnis noxia est neutralitas.
Hinc & inde præda est hosti, neutri qui se accommodat.
Hinc & inde verbera aufert qui rixantes segregat.
Impugnatur vento ab omni cautior neutralitas.
In discordia civili noxa est solitarius.
Mirum angustè eum sedere qui sellis binis sedet.
Nulla bello, nulla pace commoda est neutralitas.
Optimi in dissensione quavis citò consentiunt.
Præda fit victoris partes qui sequi neutras cupit.
Qui sedet sellis duabus plurimum utranq; excidit.

§ JAMBICA.

Ab hoc, ab isto carpitur neutralitas.

Habet

Habeo quidem quem fugiam: haud habeo quem sequar.
In seditione pessima est neutralitas.
Inter duas quandoque sellas corruas.
Inter duas qui se locat sellas ruit.
Neutralitas in seditione pessima est.
Sellis duabus qui sedet utraq; excidit.

Necis.

❡ Monosticha Trochaica.

Arbor cæsa potest renasci: cæsus vir semper jacet.
Cædis orto principio, ejus difficilis valde est modus.
Conjuges, natos, parentes, quis non vitæ præferat?
Fortibus miserrimum mori est ad arbitria hostium.
Heu quàm immane est ante patris ora necare liberos.
In castris perire Martis præstat, quam Cupidinis.
Membra mox casura parvipendo quo pacto cadant.
Multa vivi possunt, at ne mortui mordent quidem.
Occidendi finem fecit Sullæ inopia hostium.
Prosapia haud facit necem injustam, ipsa at innocentia.
Qui vitam suam contempsit, est vitæ dominus tuæ.
Sævius à suis necatur quisq; quàm exterraneis.
Sanguine illustri cometas expiare Neronium est.
Socratis non fugio mortem, dummodo famam adsequar.
Sperne mortem, & cuncta ad ipsam quæ ferunt contempseris.
Spiritum tibi tam tollet unus, unus quam dedit.
Stultus est qui patre cæso liberis pepercerit.
Turpe nemini putandum est ob bonam causam mori.
Vis dolere, vis gaudere parcius? vivas tibi.

❡ Jambica.

Alieno scelere præstat, quam mori suo.
Cædes, licet hostis, inquinat tamen manum.
Cædes ubi multa est, esse justa desinit.
Cæsim moriaris an punctim parum interest.
Cum fine belli, finis fiat cædium.
Dum ne ob malefacta peream, parvi id æstimo.
Felicius occidisse, quem timeas, palam.
Haud esse cædes justa si multa est potest.
Malim perire ab hostibus quam civibus
Occidere subitò, misericordiæ est genus.
Patre interempto, stultum parcere liberis.
Persæpe melior à peiore occiditur.
Titulo specioso vita pensatur bene.

Nimij.

❡ Monosticha Trochaica.

Corpori nimis si impendis, notus ipse nec tibi es.
Omnia nimia nimium hominibus ex se negotium exhibent.
Plus minusq; spernit à se segregatq; æqualitas.
Possides, si sat colis agrum: possideris, si nimis.
Quod nimium est aures animumq; plus offendit quàm minus.
Tam mala est punitio nimia, quàm nimia indulgentia est.

❡ Jambica.

Damnosa res, si nimius est homini pudor.
Etiam pietatis invenias nimiæ reos.
Nec quid nimis facias, nec quid facias minus.
Nemo minus sapit, nimis quam qui sapit.
Nimia est miseria pulcrum esse hominem nimis.
Nimium magis quemcunq; offendit quam parum.
Nimio fit ipso injustus justus qui est nimis.
Plus quàm nimium est privatis, quod Regi est satis.
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.
Rex omne vitet, ceu scopulum, quod est nimis.
Supra modum quisquis sapit, bis desipit.
Ubiq; vitio vertitur, quidquid nimis.
Vehemens in utramq; partem Menedeme es nimis.

Nobilitatis.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Si Basilij majores patriaque arbitratu nostro commemorare liceret, nihil essent Pelopidæ, nec Cecropidæ, Alcmæones, nec Æacidæ, nec Heraclidæ, nec alij quibus nihil est sublimius: qui quidem, cùm nihil proprium habeant, quod apertè prædicent, ad obscura confugiunt, dæmones videlicet quosdam, & deos, ac fabulas, majoribus suis attribuentes: quorum ea est ratio, ut quod in ipsis maximè speciosum & illustre est, fide careat: quod autem creditur, probrum & contumelia sit. Sed quoniam de eo viro mihi oratio instituta est, qui nobilitatem virium expendi vult, nec, cum formæ atque colores, & equi, tam nobilissimi, quàm abjectissimi ex seipsis explorari soleant, nos contrà per ea, quæ extra nos posita sunt, depingi, posteaquam unum aut alterum ex ijs, quæ à majorib. ipse habuit, quæq;, & ipsius vitæ conveniunt, & maximam ei, si cōmemorentur, voluptatem allatura sunt, exposuero, ad ipsum confestim me convertam. Aliarum quidem familiarum, vel etiam sigillatim cujuslibet hominis, alia sunt insignia, & narrationes, vel majores, vel minores, quæ instar paternæ cujusdam hæreditatis, vel longinquius, vel propinquius exosæ, ad posteros devolvantur: huic autem utriusque generis decus pietas fuit. *Oratione 20. in funere Basilij Magni.*

D. Nazianzenus: Hic ex optimis optimus, & ex nobilib. nobilissimus. Nobilitatem autem dico, non quam pleriq; existimāt: absit. Non enim nostrum est, nec philosophicū, eam admirari, quæ à fabulis & sepulchris, ac supercilio jampridē putrefacto manāt: nec eā, q̄ ex sanguinib. & literis oritur, quā noctes largiuntur, ac regū, ignobiliū quoq; fortasse, manus, nobilitatē, velut quiddā aliud, jubentiū: sed quā pietas & mores notāt atq; indicant, & ad primum illud bonum, ex quo originem traximus, ascensio. Hujus nobilitatis hoc unum argumentum est. Non enim Martyr duntaxat ipse est, sed etiā ex Martyribus. Itaque virtutis exemplum ipse domi habuit. *Oratione 23. de laudib. Heronis.*

D. Nazianzenus: Philosophꝰ nobili loco natꝰ est? Probitatē morū generis splēdori opponet, atq; ex adverso spectandā ꝓducet. Ita duplici nomine clarꝰ erit, nēpè, & majorū imaginibus, & ꝓpria virtute, ac privatim inspectꝰ. Obscuro & ignobili genere ortus est, quātum ad statuā & lutū attinet? (si quid tamē magni inter lutū ac lutū interest:) at spiritualē nobilitatē illiꝰ loco afferet & qua sese quisque, vel in meliꝰ, vel in deterius effingit: reliquas autē nobilitates, q̄ vel feruntur, vel principū diplomatib. cōparātur, ut viles & adulterinas, nulloq; in pretio habēdas, ꝓcul submovebit. Est enim triplex genus. Unū, ꝙ supernè originē traxit: quod quidem si cōsideremꝰ, omnes peræq; nobiles sumus, quippe ad imaginem Dei creati. Alterum, ꝙ à sanguine proficiscitur: cujus ratione haud quidē scio, an quisquam nobilis dici possit, cùm corruptione constet. Tertium à virtute aut vitio agnoscitur, cujus vel uberius vel exilius participes efficimur, prout, opinor, divinam imaginem vel integram servaverimus, vel corruperimus. Atque hanc demum nobilitatem amplectetur, quisquis verè sapiens ac Philosophus fuerit. Nam quartum illud nobilitatis genus, ꝙ in principum diplomatibus & edictis cōsistit, tū ullo loco ac pretio habebo, cū pictam quoq; pulchritudinē laudandam duxero, simiamque ob id venerari cæpero, quod leo esse jussa sit. *Oratione 28.*

D. Greg. Nyssenus: Unꝰ Christianis splēdor, una generis amplitudo, ꝓpinquitas cū Deo: q̄ nō casu fortuito ac temerè cuiquam contingit, sicuti mūdana generis claritudo, q̄ sæpe etiam ad improbos & malos per hanc fortuitam vicissitudinem ac seriem temerè manās defertur; sed q̄ nō aliter atq; liberæ voluntatis electione acquiri potest. Quotquot enim receperunt eum, inquit divina vox, dedit eis potestatē ut filij Dei fierent. qua nobilitate quid splendidius, qd honestius, quid augustius esse possit. *Thaumaturgi vita initio.*

S. Isidor. Pelusiota: Vera nobilitas à probis morib. cōflari nata est, ac firma & stabilis dignitas virtute comparatur. Quòd si quis nec à splēdidis majorib. ortum trahēs: nec morū probitate ornatus dignitatem (quam spadones vendunt, atq; imperatorum, ne nobilium quidem fortasse, manus largiūtur, pecunia sibi comparet, haud est, quamobrem ille meritò glorietur. Quòd si nō modò glorietur, sed etiā eos, qui splendidissima virtutis dignitate præditi sunt, cōtēnat, ac pro nihilo putet, hic ut non tantum ipse, sed etiam majores sui, velut obscuri atque ignobiles, traducantur, efficit. Quamobrem ne quid ejusmodi tibi accidat, fac teipsum noscas. *l. 2. Epist. 291.*

S. Isidor. Pelusiota: Qui humanā nobilitatē tueri atq; cōservare instituūt, celerē naturæ mutationē animo voluētes, immodicā, tum mœstitiā, tū lætitiā coercere debēt, ac nec nimio mœrori, nec gaudio sese dedere. Nā ille, nisi ratione tēperetur, ac prudētiæ fræno cōprimatur, in mortē erudit: hoc contrà nisi impendentis mutationis habenis tradatur, præcipites nos aget, atque, ut ab officio ac decore excidamus, efficiet. *lib. 3. Epist. 204.*

Isidor. Pelusiota: Illud ignorare videris, Poetas, eos, qui veris nobilitatis dotibus eminere non poterant, incredibilibus fabulis exornasse. *lib. 3. Epist. 350.*

❡ Latinorum.

Salvianus: Non aliud videtur nobilitas in omni mundo, quam unus homo in grandi populo. *lib. 3. de gubern. Dei.*

Idem statim: Sed aut ijdem sunt nobiles, qui & divites aut si divites præter nobiles; & ipsi tamen quasi jam nobiles: quia tanta est miseria hujus temporis, ut nullus habeatur magis nobilis, quā qui est plurimum dives.

Salvianus: Quis est vel nobiliū omnino aut divitum, horrens crimina? quāvis in hoc fefellerim. multi enim horrēt, sed paucissimi evitāt. in alijs quippe horrēt, ꝙ in se semper admittunt, mirū in modū & accusatores eorundē criminū & excusatores. Execrātur publicè quod occultè agunt: ac per hoc dum damnare se ceteros putant, ipsos se magis propria animadversione damnant. Sed; relinquamus istos qui magis rei sunt. quis est vel dives omnino vel nobilis,

nobilis, aut innocentiam ſervans, aut à cunctis ſcelerib. manus abſtinens? quanquam ſuperfluè cunctis dixerim. utinam vel à maximis, quia volunt ſibi id forte majores quaſi privilegium vindicare, ut jure ſuo crimina vel minora committant. itaq; de peccatis facilioribus nihil dico. Videamus ſi vel à duobus illis quaſi capitalibus malis ullius immunis eſt, id eſt vel ab homicidio, vel à ſtupro. quis enim eſt aut humano ſanguine non cruentus, aut cœnoſa impuritate haud ſordidus? Unum quidem ex his ad pœnam æternam ſufficit: ſed prope nullus divitum non utrumq; commiſit. Sed cogitat forte aliquis de hoc numero, ego jam iſta non facio. laudo ſi non facis: ſed tamen forte ante feciſti, & non eſt nunquam omnino feciſſe, facere ceſſaſſe. quod ſi ita eſſet, quid proderat unum à ſcelere deſiſtere, & multos in ſceleribus permanere? non ſanat unius converſio crimina plurimorum: nec ſufficit ad Deum placandum, quod unus peccata deſerit, quem univerſitas totius humani generis offendit; præſertim cùm is qui convertitur, ut mortem æternam poſſit evadere, magnos converſionis ſuæ profectus capiat ſi evadat, nedum contingere ei poſſit, ut ab aliis pœnam damnationis avertat. quia & hoc intolerabilis ſuperbiæ, atque immanis piaculi crimen eſt, ſi tam bonum ſe aliquis eſſe credat, ut etiam exiſtimet per ſe poſſe ſervari malos. *lib. 3. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Argentum, id eſt nobilioris materiæ metallum, iiſdē ignibus datur, quia naturæ nobilioris ingenium vita degenerante damnatur. *lib 7. de gubernatione Dei.*

Ennodius: Eſt hæc claritas dominorum inſerta natalibus, ut culmina ſua dignatione ſubliment. Vultis quaſi æquales, tractare famulos, ut ab ipſa vobis per amorem conditione plus debeant. *libr. 4. Epiſt. 10.*

Ennodius: Non eſt cum vitijs ſociata nobilitas, nec adſtringitur ad illecebras lex naturæ vitæ. *Epiphanij. cap. 49. pr.*

Ennodius: Splendor ſanguinis, & ſi communionem criminum incurrit, neſcit tamen ducem ſe præbere peccantibus. Habet forſitan reatum de neglecta cautione: non habet dignum ſupplicium de ſcelerum principatu, Sub quadam verecundia jungitur delinquentibus, qui ad adulta jurgia convocatur. non meretur deſperationē perditi, in quo facilis tantùm credulitas improbatur. *Apol. pro Synodo.*

Ennodius: B. Antonius, quamvis de ſplendore natalium conſciētiæ jubar hauſerit, tamen fulgorem ſtirpis præcipuæ morum radiis obumbravit; vincens decorem ſanguinis ingenii claritate; dum coruſcantem germinis ſui lampadem actum ſerenitate tranſcendit; & factus eſt victor ſtemmatis ſui, per quod univerſos naſcendo ſuperavit. *in vita ejuſdem c. 2.*

Ennodius: Reddite vos ſtudendo origini reddite natalibus lectione. naturæ lucem jubar actionis oſtentat. multiplicare ſuffectu ſcientiæ parentum titulos: ornate eruditione decora majorum. Fulvi nobilitatem metalli niſi ad unguem manus ducat artificis, maternis pene hebetatur tenebris: & ſi non magiſtra politione venuſtetur, nihil ei prodeſt ſublimitas, quam vena cōceſſit. Adjuvatur quidem doctoris inſtantia dotibus ſanguinis mundioris; ſed niſi limata non rutilant illa, quæ ſe erigunt prærogativa naſcendi. Incremētum ruſticum matris mammas inter ſulcos evacuat; & per paſcua pecus agere, dum ab uberibus pendet, aſſueſcit: patris brachiis, dum juvencos fatigat, adjungitur: prenſat dexteram grandia terris ſemina committentem; & ſudorem originis ſuæ in ipſo lucis limine meditatur. Quid vos faciatis, quos liberalibus pepererunt matres optimæ diſciplinis? peregrinandum vobis eſt à germine ditiori, niſi vos nobiles inſtituta monſtraverint. Habetis prævium eloquētiæ, morumque doctorem. currite proſapię ſtimulis incitati, & cùm vos ad agonem præmia promiſſa perduxerint, mei meminiſſe dignamini. *Dictione 7. m.*

Ennodius: Quoties amomi floſculus, aut meſſis caſſiæ per deprædationem laſcivi pollicis viduantur, & ad dotem manuum humanarum nobile germen adjungitur, meritum ceſpitis odore ſignificat, & naturæ genium prima viſione teſtatur. occultari ſe non patitur fætura ſublimis: decus clari ſanguinis non tenetur abſcondito: vox mundæ originis, licet in receſſibus, ſemper auditur. *Initio Dictionis 8.*

Ennodius: Nullo teſte nobilitatis utitur, cujus ſanguinem non prodit inſtructio. *Dictione 9. §. 1.*

Mox: Bonorum ſemper meritorum labes eſt habere lucem ſanguinis, & nocte ruſticitatis includi: prodi ſtemmatum vocibus, & imperitia fuſcante deliteſcere. Aurum nihil eſt, niſi manu componatur artificis, & fulvo pretium metallo lima fabricante jungatur. ceſſante induſtria, exigua eſt claritas, quæ venerit à natura. Fabrilibus debet ſtudijs, quòd in partu ſuo terra laudatur. fornacis beneficio de latentium fæcibus venarum quod in ſolidi traxit ſpeciem ferro dominatur; & effera hominum corda, domitrice affectione captiva, victum, niſi exercerentur, mortalibus non præberent. Artis eſt, quod liquidum maris elementum homo ſecurus ingreditur; & parvo diſcrimine per ingenia iter mortis exſuperat. magiſtra agricolarum ſimplicitas telluris faciem dum brachiis diſtinguit, vinera componit, & de prole arborum liquorem, quo ſalus nutriatur, extorquet. Multis manifeſtatur indicijs, operantium diligentia, aut infundi quod origo non tribuit, aut quod bona tribuit cuſtodiri.

Io. Sarisberienſis. Omnino iniquum eſt nobiliora ingenia ſtudiis dehoneſtari minoribus, & eos quos ardua & graviora manent officia, voluptatis aut vanitatis occupationibus agitari. Unde ſi licenter exerceatur venatio, artificium vel officium; ſi contra levitatem eam eſſe aut maleficium cenſuerunt, edicto punientes eos, qui eam contra officium uſurparent. *lib. 1. Policrat. c ap. 3.*

Io. Saruberienſis: Clarus ſanguis elationem parit, potentiam affectat, conculcat inferiores, pares contemnit, ſuperiores habere dedignatur, loquitur grandia, totus tumet alto magnoque ſanguine, tanquam fecerit ipſe aliquid, propter quod nobilis eſſe debeat, ſui immemor eorum qui retro eſſe videntur obliviſcitur, & ſe in anteora ſine cultu virtutis ridiculus Thraſonis imitator extendit. Inquit Ethicus:

> *Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis*
> *Aeacidæ ſimilis, Vulcaniaq; arma capeſſas:*
> *Quam te Therſitæ ſimilem producat Achilles.*

Nolo tamen ut in injuriam ſuam dictum noſter Simonides opinetur, atavis quidem editus regibus, & Capitolinis generoſior & Marcellis, & omnibus ad podium ſpectantibus, & quaſi à purioribus ovis excluſus erupit, germanis & uterinis, ut ei atteſtantur, longe nobilior eſt. Crediderim facile quicquid ſincerum, & defæcatioris naturæ in maſſa generis ejus ab initio extitit, in ipſum ut quaſi gētis ſuæ ſtella præfulgeat, confluxiſſe, quod vero fæculentius & obſcurius, reſediſſe in germanis & uterinis. Lætantur tamen ſicut in claritate illius, ſic in propria abjectione, ne nobilitate generis, cum res exegerint, ex cauſa cognationis prohibeantur cum finitimis matrimonio copulari. Ceſſerunt ergo Simonidæ reges, & præſides, principes, tribuni, centuriones, & primi provinciarum ſua mediocritate contendi, nituntur virtute ſua, nihil in officiis legitimis vile ducunt, aut ignominioſum; & culinæ, ſi res exegerit, non dedignantur habere memoriam, aut peritiam exercere. Recolunt quia animalia muta non generoſa putat quis, niſi fortia;

> —— *nempe volucrem*
> *Sic laudamus equum, facili cui plurima palma,*
> *Fervet & exultat rauco victoria Circo.*
> *Nobilis hic quocumq; venit de gramine, cujus*
> *Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis.*
> *Sed venale pecus Corythæ poſteritas &*
> *Hirpini, ſi rara jugo victoria ſedit.*
> —— *Dominos pretiis mutare jubentur*
> *Exiguis, tritoq; trahunt epiredia collo.*

Siquidem

> —— *Nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.*

Ergo generoſitas & clari ſanguinis lumen, etſi ea magnum quid eſſe per ſe Simonides glorietur, nihil aliud ſunt quàm morum manifeſtatio, glorioſa quidem, ſi boni fuerint, ignominioſa ſi mali. Hoc tamen unum meo judicio, quicquid ille ſentiat, bonum habet generoſitas, quod neceſſitatem indicit probitatis. *libr. 8. nugarum Curialium cap. 15.*

¶ PRINCIPUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Dio Pruſæus: Primum quidem ex vera nobilitate genus ſortitus eſt. non enim ſi cui contigit à divitibus originem trahere majoribus, imò neque à regibus cetera ignaris, ille bene natus eſt; ſed qui naſcuntur ex ſtrenuis, quemadmodum hic Melancomas. *Oratione 29.*

Ariſtides Rhetor: Illuſtrium virorum filiis ſufficit ex talibus ortos eſſe, licet ipſi plerunque in deliciis vivant. *Orat. contra criminantes quod non declamet.*

Iulianus Cæſar: Quod ſi ideo quòd primus ille generi ſuo ſplendorem ac gloriam conciliarit, minus eum quàm cæteri dignitatis aſſecutum, quiſpiam putet, quantùm hic opinione fallatur nemo non videt. Etenim præſtantius omnino eſt, & ad gloriam, & prædicationem majus, poſteris ſuis tanti ſplendoris authorem ac principem fuiſſe, quàm eundem relictum à majoribus accepiſſe. Quēadmodum urbis ampliſſimæ conditorem eſſe melius eſt, quàm eſſe civem, & boni aliquid ab alio capere, quàm dare longè inferius videtur. Atqui & à parentibus liberi & cives ab urbibus ſuis gloriæ ac dignitatis velut primordia quædam & occaſiones accipiunt. Quicumque verò rurſus ex ſe majorem quandam honoris ac gloriæ ſegetem Maioribus ſuis ac Patriæ conciliat; quique & illuſtriorem illam ac ſplendidiorem, & Parentes ſuos inſigniores facit, hic nullum aliis de nobilitate certandi locum relinquit: neque ullus eſt qui ſe eo præſtantiorem audeat dicere. Nam ex bonis bonum naſci convenit: qui verò ex illuſtribus illuſtrior oritur, cùm in unum virtus, & fortuna conveniunt, nemini hic dubitandi locum relinquit, debeatne ſibi nobilitatem jure tribuere. *Panegyr. ad Euſebiam Imperatricem.*

Libanius: Is profectò multas hominum filias vitiavit & miſeras reddidit, quod Neptuni filias eſſet, quaſi auſa ad jus violandum arrepta. namque hoc etiam tacitè ingemiſcere damno affectos cogebat. Et cùm nihil ſplendidum ac generoſum eſſe cenſeret apud liberos hominum audaciæ ſpecimen dare; oculos emiſſitios & injuſtos in Alcippen Martis filiam conjecit, & fugiente correpta, cùm perſuadere non valeret, vim intulit. *Declamatione vigeſima tertia.*

Baſilius Imperator: Injuriam ſummam facit corporis nobilitati, qui animi nobilitatem negligit. Tu ergo cum iſta regia generoſitate corporis, quam habes, fac ut acquiras etiam animi, quæ ſumma eſt: illa enim à natura & ſine præmio habetur: iſta verò à con-

sulta voluntate, & magno cum præmio acquiritur. Honora ergo & lauda, non eos qui corpore sunt nobiles, sed potiùs eos qui sunt animo varijs virtutibus exornato: neque enim debet homo sola corporis nobilitate, sicut cætera animantia, contentus esse: nam Equi nobilitas est, ut ferox sit atque interritus: Canis, ut latrator acer in persequendis feris: & de cæteris animantibus similiter: hominis verò nobilitas est, ut animum habeat omni genere virtutũm exornatum. Corporis ornatus est, ut forma & robore & valetudine polleat: animi verò generositas in dicendi facultate, morum probitate, & omnium virtutum perfectione spectatur. *cap. 58.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Scio quantopere bonis artibus faveas, quantum gaudij capias, si nobiles juvenes dignum aliquid majoribus suis faciant: quo festinantius nuncio &c.

Mox: Dij faciant talia tibi sæpius nunciem. faveo enim sæculo, ne sit sterile & effœtum: mireque cupio, ne nobiles nostri nihil in domibus suis pulcrum, nisi imagines habeant: quæ nunc mihi hos adolescentes tacitè laudare, adhortari, & quod amborũ gloriæ satis magnum est, agnoscere videntur. *fine Epist. 17. lib. 5.*

Plinius: Tandem ergo nobilitas non obscuratur, sed illustratur à Principe, tandem illos ingentium virorum nepotes, illos posteros libertatis nec terret Cæsar nec pavet: quinimò festinatis honoribus amplificat atque auget, & majoribus suis reddit. Si quid usquam stirpis antiquæ, si quid residuæ claritatis, hoc amplexatur & refovet, & in usum reipubl. promit. Sunt in honore hominum & in ore famæ magna nomina ex tenebris oblivionis indulgentia Cæsaris: cujus hæc intentio est, ut nobiles & conservet & efficiat.

Mox: Cur enim te Principe, qui generis tui claritatem virtute superasti, deterior esset conditio eorum qui posteros habere nobiles mererentur, quàm eorum, qui parentes habuissent? *cap. 70. Panegyrici ad Trajanum.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 52. in Nobilem male moratum.

Nobilis, at gravibus vitijs adopertus, honesto,
Non tamen illustri, commemorabat avos.
Risit ad hæc alter, sciteq; hoc retulit: Vt me
Dedecori genus est, sic quoque tu generi.
Hoc memori condas animo, repetasq; subinde:
Vt virtute tibi nil prius esse queat.
Quod si te salibus quisquam probrisq; lacessat,
Quod tibi cum facie sit quoque fœdus odor:
An dices, Forma genitor præstabat, odorq;,
Quem dabat è toto corpore, gratus erat?
An multas dices, timidus si forte voceris,
Imbellisq;, atavus vicit Olympiadas?
Sic quoq;, si quis te nequam stolidumq; vocarit,
Ne mihi, quos rapuit mos fera, profer avos.
Pulchra rudes modulos dedit uni barbitus: uni
Vilis at egregios edidit ista sonos.
Dic mihi quis fidicen melior censendus eorum?
An non qui docta barbiton arte ferit?
Ergo animos tollis, quod sis licet improbus ipse,
Diceris auratis patribus ipse satus?
An tibi nobilitas sunt prisca cadavera, ficti
Sermones, & quos garrula fundit anus?
Ludis? ego at tantum specto (par omnibus ortus
Argilla est etenim) sis bonus anne malus.
Omnibus est eadem pellis: nos patria, opesq;,
Nos tamen & tumidos reddit inane decus.
Vana quid ergo refers, patriam, genus? haud mihi ficta,
Haud mihi busta placent. temet ego inspicio.
Omnibus est idem pulvis, fictorq;: tyrannis,
Non natura, homines scidit in ista duo.
Qui malus, hic servus: quisquis bonus, hic mihi liber.
Quid facit ad clarum mens nimis alta genus?
Quod probrum est multis asino fluxisse parente?
Quod mulos asinis est genuisse decus?
Quin parit, at fœtus nido Iovis eijcit ales.
Ergo te misso quid mihi promis avos?
Esse probus malim, quamvis ignobilis ortu:
Quam claros, vitiis plenus, habere patres.
Ex spinis etenim rosa nascitur: ignibus at tu
Dignus es, è molli spina creatus humo.
Cur caput instar equi molitor sustollis aselle,
Obque atavos, cum sis improbus ipse, tumes?

Prudentius passione Romani.

Si prima nostris quæ sit incunabulis
Origo, textu stemmatis recenseas,
Dei parentis esse ab ore cepimus:
Cui quisq; servit, ille verè est nobilis:
Patri rebellis invenitur degener.
Honos deinde stemmati accedit novus,
Et splendor ingens, ut magistratus venit:
Si confitendi nominis testem probum
Signent inusta ferri & ignis vulnera,
Et vim dolorum mors sequatur inclita.
Cave benignus esse perverse velis:
Nec mî remissus leniter peperceris.
Incumbe membris tortor, ut sim nobilis.
His ampliatus si fruar successibus,
Genus patris matrisq; flocci fecero.
Hæc ipsa vestra dignitatum culmina,
Quid esse censes? nonne cursim transeunt,
Fasces, secures, sella, prætexta, toga,
Lictor, tribunal, & trecenta insignia
Quibus tumetis, moxq; defumescitis?

Ennodius Epigr. 150.

Vt valeant aquilæ formatos prodere fœtus,
Vitalis tenerum frangit tepor insitus ovum.
Tunc pius artatam lacerat pater impiger ædem,
Vt pariat rursus studio, quod edidit alvo.
Mox generis testem Phœbum ciet arbiter idem,
Invenit internam rimatus lumine lucem.
Non aliter celso pueros de stemmate cretos
Doctrinæ radijs opponit cura parentis.
Quàm bene flammarum constanter, respice, bellæ
Excipiunt teneri, vincentes fulgura visu.

Aristophanes Ranis v. 740.

Næ per Iovem servatorem, vir nobilis
Tuus est herus. X. quomodo enim non sit nobilis,
Qui scortari & potare novit unice?

Plautus Trinummo 3. sc. 2. v. 16.

Itáne tandem maiores famam tradiderunt tibi tui,
Vt virtute eorum antepartaper flagitium perderes?
Atque honori posterorum tuorum ut vibex fieres?
Tibi paterq; avusq; facilem fecit & planam viam
Ad quærendum honorem. tu fecisti ut difficilis foret,
Culpa maximè & desidia, tuisq; stultis moribus.
Præoptavisti, amorem tuum uti virtuti præponeres.
Nunc te hoc pacto credis posse obtegere errata? LE. ah, non
ita est.
LI. Capesis virtutem animo, & corde expelle desidiam tuo.
In foro operam amicis da, haud in lecto amicæ, ut solitus es.

Plautus Pseudolo 2. sc. 1. v. 16.

Eo sum genere natus, magna me facinora decet efficere,
Quæ post mihi clara & diu clueant.

Terentius Adelph. 3. sc. 5.

——hem!
Illæc fidem nunc vostram implorat Demea:
Quod vos ius cogit, id voluntate impetret.

Paulo post

Sed Demea hoc tu facito cum animo cogites,
Quàm vos facillimè agitis, quàm estis maximè
Potentes, dites, fortunati, nobiles:
Tam maximè vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos vultis perhiberi probos.

Solon apud Ausonium.

Pulcrius multo parari, quàm creari nobilem.

¶ Emblematis.

Camerarius XXVIII. Centuria prima.

Triumphali è stipite surgens.

Hoc monet annoso lauri ortus stirpite ramus:
Magnis natus avis non nisi magna paret.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Romanus Martyr. Vir generosus & nobilis, sed, quod palmaris fuit, pius & invictus martyr Jesu Christi,

Post quam inter ictus hymnum dixit plumbeos,
Erectus infit, Absit ut me nobilem
Sanguis parentum præstet, aut lex Curiæ:
Generosa Christi secta nobilitat viros.

Prudentius poeta Christianus, libro Peristephanῶn, seu de coronis.

Generis splendor in eo consistit, ut divinam imaginem conservemus, atque exemplar nostrum imitemur, quantum quidem iis, qui carnis vinculis adstricti sunt, ac perexiguos duntaxat primarij boni rivulos accipere queunt, assequi datur. *Orat. 18.*

Eiusdem pater: Unam nobilitatem in pietate sitam esse censebat, atque in eo, ut unde ortum habuimus, & quò tandem perventuri simus, intelligamus. *Nazianzenus oratione 19.*

D. Augustinus: Undecunque, inquit, homines nascantur, si parentum vitia non sectantur, honesti & salvi erunt. Semen enim hominis, ex qualicunque homine, Dei creatura est, eo autem malè utentibus malè erit.

Sponsus ille, qui vocaturus erat ad nuptias bonos & malos, congruens invitatis nasci etiam voluit de bonis & malis. Quo exemplo discant filij, parentum suorum iniquitates sibi obesse non posse. *Dist. 56. hæc inferuntur. can. Vndecunq; & sponsus.*

Benevolus: sub Valentiniano memoriæ scriniis præsidens, decreta imperialia adversus fidem patrum, ex Justinæ Valentiniani ma-

tris

tris instinctu dictare jussus, abnegat se impia verba posse proferre, & contra Deum loqui. Tunc verò, ne incœptum reginæ frustrari videretur, celsior ei honor promittitur, si impleret injuncta. Ille, qui nobilior in fide esse quàm in honoribus cuperet, Quid mihi, ait, pro impietatis mercede altiorem promittitis gradum? hunc ipsum quem habeo, tollite, tantùm mihi conscientia fidei maneat illæsa. Hæc dicens, ante pedes impia præcipientium cingulum abjecit, *Ruffinus lib.2.c.16.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Urbanus III. Pont. Summa & sola apud Deum Nobilitas est, clarum esse virtutibus.

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Unde exprobranti cuidam generis humilitatem, dicebat Urbanus Pont. *Magni viri non nascuntur sed virtute fiunt.* quod satis appositè hoc Epigrammate expressit Codrus Urceolus, dum sic habet:

Sint tibi Gallorum rex & regina parentes,
Et maneat virtus pectore nulla tuo:
Non pluris faciam te, quàm tibi rustica mater
Si sit, & ignotus rusticus ipse pater.

Cranz. lib.9. Metropol.

S. Romanus Miles. Vide Martyrium.

Maxæmilianus Imperator: Æquè præclarè Maxæmilianus. Venerat ad eum quidam obscuro loco natus, at supra modum dives; supplicans, ut datis aureorum millibus, nobilis designaretur. Cui Imperator: *Ditare quidem te possum, at nobilitare, non nisi te propria virtus potest.* Insinuabat autem illud Ausonii:

Pulchrius multo parari, quàm creari nobilem.

Corozetus.

Fredericus Thuen: Hic sensus, ea mens prisco illo ævo, nervum nobilitatis esse virturem. at nostro hoc,

——*Virtus sine censu languet ubiq;.*

Solabatur quidam Fredericum Thuen, quòd ex illustri stirpe suam traheret originem. at ille: *Quid nobilitatem mihi objectas? Etsi tam nobilis forem, ut perdicum pennæ mihi per nares erumperent, & pecuniæ deessent, numquid misertimus futurus?* Ita hoc ævum est, ut soli divites nobiles habeantur, & stemmata sine opibus vilipendãtur. *Georgius Richterus, in Axiom. Oeconom.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; re, virtus genusq; vilior spuma est maris.
Altero nemo est nobilior nisi cui ingenium rectius.
Est tamen necesse, quis sit ultimus stirpis suæ.
Et genus virtusq;, res si desit, algâ est vilior.
Ex quibus sit quisq;, non quis ipse item sit quæritur.
Gloriosior non qui nobilior, at qui fortior.
Literas nescire res est ter pudenda nobili.
Magnus est honos vetustâ ducere a domo genus.
Multa nequam facta splendor nobilitatis protegit.
Munus abjurat cæleste ineruditus nobilis.
Ni propriis juvemur, ineptè nitimur titulis patrum.
Nobilis Deo esse quæris? moribus ceda bonis.
Nobilis felixq; verè est, qui litat virtutibus.
Nobilis mage obsequatur quàm plebeia uxor viro.
Nobilis minimè est, virtute qui genus suum haud probat.
Nobilis nunc est qui dives, qui potens: non qui bonus.
Nobilis quicumq; sponte pronus est ad optima.
Nobilis si & dives est nunquam indiget superbia.
Nobilis simulq; dives, fumen est superbiæ.
Nobilis nemo est ab ortu: nobilem ars virum facit.
Nobilis sine auro egenorum inserendus ordini est.
Nobilem mali trucidant Principes, boni efferunt.
Nobilem invenire nusquam est indigum superbiæ.
Nobilem punire non est Iudicis, sed Principis.
Nobiles cedunt ferè urbe attritis facultatibus.
Nobiles animo æquo maximè æqua oportet noscere.
Nobiles domi vix aliquid pulcrum habent, quam imagines.
Nobiles inertes umbrâ sub majorum delitent.
Nobilis innoxiè egenos sustine rex, aut ruis.
Nobiles inter commune est malum superbia.
Nobiles nulli magis sunt, quam qui sunt & divites.
Nobilissimus Deo est, clarissimus virtutibus.
Nobilitas adversa augmentis est novitatis omnibus.
Nobilitas quæcumq; cedit grandi patrimonio.
Nobilitatis atq; Fastus nullum adhuc divortium est.
Nobilitate sub superba, multa pravitas latet.
Obruit virtutem egestas: quærimus cunabula.
Pace durior quàm bello servitus est nobili.
Pulcrius multo parari, quàm creari nobilem.
Qui Deo servit libenter, ille verè est nobilis.
Qui suo est peior parente, nobilis dici nequit.
Quidquid in mentem venit statim est in ore nobilis.
Si qui habent Deum patrem sunt nobilissimi omnium.
Simia haud leæna fiat regio diplomate.
Subvenit inopiæ Senatus, non item hebeti ignaviæ.
Virtutis meritum nisi addis, generis splendore excidis.
Vita si labat, parentum quid juvant imagines?
Vix honestum se juvare gloria natalium.
Vix vocanda nostra sunt quæ non ipsimet fecimus.

¶ Jambica.

A nobili plebeium exsequiæ separant.
Aliena laudat, qui genus iactat suum.
Aliena laus est genere prognasci bono.
Auctore Phœbo genitus an generis pudet?
Dextrè sedere in equo, nota prima nobilis.
Et claritudo gentis intermittitur.
Et stirpis incendare falsâ gloriâ.
Extollit animum à matre & patre nobilis.
Fortissimum quoque, est & nobilissimum.
Geminam meretur pœnam, peccans nobilis.
Multi satu sunt nobiles, pauci indole.
Natus bene, omnes ferto casus fortiter.
Nescire ius pudenda res est nobili.
Nobilitas animi maior est quàm corporis.
Noti magis patricij sunt quàm nobiles.
Nullis paratur nobilitas pecuniis.
Oratio atq; vita prodit nobiles.
Per avaritiam nomen nobilitas repperit.
Pro nobile uno mille sunt ignobiles.
Qui pauper est, non est profectò nobilis.
Quisquis studet rebus bonis, est nobilis.
Quod optimum est, id est & nobilissimum.
Semper superbit nobilis cui sunt opes.
Solus bonus vir autumandus nobilis.
Turpe est eandem nobilem esse ac mobilem.
Venaticam novisse nobili est satis.

Nominis.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus:* Quemadmodum Christus hujus dator, multis ac diversis nominibus appellatur, ita ipsum quoq; donum varia nomina sortitur: sive id nobis ob miram quandam rei lætitiã accidat (fit enim ferè ut qui rem aliquam impensissimè amant, nomina quoque ipsa libenter usurpent) sive quod multiplex hujus beneficii utilitas, multas quoque appellationes nobis peperit. *Orat. 40.*

D. Chrysostomus: Ipsa quoque nominis adjectio magnæ amicitiæ ac ferventis affectus specimen habet. nam & eorum quorum amore flagramus, nuda nomina nobis identidem in ore versari solent. *Homilia 13. ad Corinth. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Et modulum nostrum exploratum habemus, & eo loco positi sumus, ut coarguendos improbos habeamus Quòd si eorum, quę facis, commemorationem fugis, actioni finem impone, & commemorationi locus non erit. Nam quòd quis facere non erubescit, non est cur mœrore consternetur, cùm id appellatur. Quod si sola quoque appellatio contumeliæ habitus est, an non ejus actio contumelia existet? *l.1. Epist. 175.*

S. Isidorus Pelusiota: Sapiens Presbyter Eustathius, qui, pro divino suo in improbos odio, etiam idem sibi cum impuro & scelerato, ut nosti, Eustathio nomen esse graviter & molestè ferebat, ac nomen suum immutare cupiebat, hinc abscessit. *l.3. Epist. 311.*

Basilius Seleuc. Cur appellationi, cujus virtute cares, contumeliam irrogas? quid gestas cognomen quod personæ probro sit? factis appellationem impugnas, & calumnia nomen tuum afficis? *Orat. 19. m.*

B. Synesius: Quamvis autem post meam inde profectionem tertiò jam navis in Thraciam mittatur, nunc tamen primùm à me mittitur. Quare nunc cùm primùm licet debitum per te reddo. Gratificare mihi quæso, & hominem investiga. Cujus quidem nomen, & artem antea significavi: verùm plura his indicia subjungẽda: fieri enim potest, ut ejusdem cum illo, & nominis quispiam, & artis inveniatur. In eundem autem omnia convenire difficile est: sed in hoc fortassis tempore fuerit. Natione Syrus, colore niger, facie macilenta, statura mediocri. Prope regias ædes habet, non publicas, sed quæ ponè illas sunt, quæ ad Ablavium quondam, nunc ad Placidam Imperatorum sororem pertinent: sin alio commigraverit (fieri enim nonnunquam solet) tu verò Marcum quærito notissimum hominem, ex Prætoris cohorte: hic tum ordini scribarum præerat, in quo Asterius numerabatur. Itaq; per Marcum ordinem ipsum reperies, in quo non postremus erat Asterius, sed tertius fermè, vel quartus nunc fortasse primus. Huic crassum illum tapetem dabis, eiq; expones quæ de tempore ad te scribimus. *Epist. 61.*

¶ Latinorum.

Salvianus: Fit ut nos qui Christianos esse dicim⁹, perdamus vim tanti nominis vitio pravitatis. Omnino enim nihil prodest nomen sanctum habere sine moribus: quia vita à professione discordans ab-

abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem. *Id. de gubernatione Dei, fine.*

Idem: Qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videtur. nomen enim sine actu atque officio suo nihil est. nam sicut ait quidam: Quid est aliud principatus, sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? itaque ut iisdem verbis etiam nos utamur, quid est aliud sanctum vocabulum sine merito nisi ornamentum in luto? Sicut etiam per divinas literas sacer sermo testatus est, dicens; Circulus aureus in naribus suis, mulier pulcra & fatua. Et in nobis itaque Christianum vocabulum, quasi aureū decus est: quo si indignè utimur, fit ut sues cum ornamento esse videamur. Denique qui vult plenius scire, vocabula nihil esse videamur. Denique qui vult plenius scire, vocabula nihil esse sine rebus, respiciat quomodo innumerabiles populi cessantibus meritis etiam nomina perdiderunt. Duodecim Hebræorum &c. *Initio lib. 4. de gubern. Dei.*

Ennodius: Singulare est, actibus implere sanctissimum, & venerandа nomina non habere. *Paneg. Theod. c. 22. f.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Apollonius Ionibus: Græcos vos appellandos esse putatis propter genus, & pristinam coloniam. At Græcis quemadmodum consuetudo legesque certæ sunt; & lingua vitaque propria: sic etiam forma speciesque hominum. Vobis autem ne nomina quidem compluribus manent: sed hac nova fœlicitate incitati, majorum symbola perdidistis. Rectè illi ne sepulchris quidē vos reciperent, quippe qui sitis ipsis ignoti. Nam priùs Heroum erant nomina., naumachorum & legislatorum. Nunc verò Lucullorum Fabriciorum, Leucaniorum, Teatorum. Mihi verò potiùs Mimnermo nomen esse velim. *Epistola 78.*

Apollonius Estiæo. Parens noster Apollonius tribus ordine Menodotis erat natus. Tu verò semel appellari vis Lucretius aut Lupercus. Cujus horum in filiis aut posteris es. Turpe est, alicujus nomen tibi usurpare cujus nihil habeas simile. *Epist. 79.*

Arrianus: Nunquam ob communia signa quemquam laudaveritis, aut reprehenderitis, neque artem aut inertiam illi tribueritis. Ita simul & à temeritate & à malevolentia eritis immunes. Hic celeriter lavat. Male ergo facit? Non utique. Quid facit? Celeriter lavat. Male ergo facit? Non utique. Quid facit? Celeriter lavat. Ergone rectè fiunt omnia? Nequaquam: sed quæ à rectis decretis proficiscuntur, ea rectè fiunt: quæ à pravis, prave. Tu vero donec decretum cognoris, ex quo quisque singula facit: factum nec laudato, nec reprehendito. Decreta autem è rebus externis non facile judicantur. Hic faber est, quia securi utitur. Quid ergo hoc est? Hic musicus, quia canit. Et quid hoc? Hic philosophus. Quare? Quia pallium habet, & comam. Præstigiatores vero quid habent? Propterea si quis eos aliquid indecore facientes videt, statim dicit, Ecce philosophus facit: cum potius ob indecore facta negandum esset, eū esse philosophum. Nam siquidem philosophi institutum esset atq; professio, habere pallium & comam: rectè dicerent. Sin illa potius, quia professioni suæ non respondet, appellationem istam ei adimunt? Sic enim cæteris quoque artibus fit, cum quis aliquem male dolantem ligna viderit: non dicit, quis est fabrilis artis usus? Ecce fabri quam multa perperam agunt? Sed contra potius: Iste non est faber, male enim dolat. Eodem modo, si quis aliquem male canentem audierit: non dicit, quomodo canunt Musici? sed potius: Iste non est musicus. Verum in sola philosophia ita sunt affecti, cum aliquem contra philosophiæ professionem vivere vident, non ei adimunt appellationem: sed statuentes philosophum eum esse, ex ipso facto indecoro probatione sumpta, concludunt, nullam esse philosophię utilitatem. Quid in causa est? Quod fabri & Musici notionem curamus, eodemque modo cæterorum artificum: philosophi autem non item, sed ut confusam & indistinctam extrinsecus judicamus. *cap. 8. lib. 4. Epict.*

Herocles: Qui primi nomina rebus indiderunt, propter summam sapientiam; velut statuam quidam optimi nominibus ipsis, tamquam formis, vires earum indicarint. Effecerunt enim ut quæ in voce nomina existerent, cogitationum symbola fierent, quæ animo continentur: cogitationes autem ea indicarent; quæ cogitarētur. Cùm enim assiduo intelligibilium usu contemplatione abundarent, unde gravidi effecti, cogitatione parturiente, ad voces accederent; ea nomina rebus imponebant, quæ voce ipsa & elementis q̄ ad ejus expressionem assumerentur quantum fieri posset, rerum formas, quibus nomina tribuerentur, exprimerent eosque, à quibus rectè audirentur, ad earum naturam atque substantiam ita cōverterent: ut qui illorum contemplationis finis existebat, principium nobis ad assequendam rerum notitiā fieret. *c. 6. carm. Pythag.*

Libanius: Anyto quidem ex coriis locupletari dirum non videbatur, sed operationis mentione indignatur, atque opus quidem nō eviravit, verumtamen nomen fastidit. *Declamat. 29.*

Themistius: Philosophum neq; me opinor esse, & qui ita esse opinantur, aberrare censeo. Alioqui ridiculus plane sim, perinde atq; aliena tunica longeque majore indutus, quam mihi conveniat. Et utiq; primus ego ridere illos soleo, qui eo morbo detinentur, ut dici velint q̄ nō sunt, nec multū carbonarii alicuius aut fabri ferrarii dissimiles eos arbitror, qui fumo atq; fuligine respersus, tamen carbonarium se appellari succenseat, & si quos teneat concidere non dubitet. Vatis autem aut Medici, aut alterius honestioris artificis nomen appetat. Nam nec Asinum Æsopicum probo, audiens hunc qui asinus esset, pelle nihilominus leonis indutum, atq; idcirco cōcurrentes pueruli eum & fustibus cædunt, & pellem juxta atque audaces illos spiritus eripiunt. *Oratione 1.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Recumbebat mecum Fabius Rufinus, super eum municeps ipsius qui illo die primum in urbem venerat. Cui Rufin⁹ demōstrans me, Vides hunc, multa deinde de studiis nostris: & iste, Plinius est, inquit. Verum fatebor: capio magnum laboris mei fructum. An si Demosthenes jure lætatus est quod illum anus Attica ita demonstravit, Οὗτος ἐστι Δημοσθένης, ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? ego verò & gaudeo, & gaudere me dico. neque enim vereor ne jactantior videar, cùm de me aliorum judicium, non meum profero: præsertim apud te, qui nec ullius invides laudibus, & faves nostris. *lib. 9. Epist. 23.*

Eumenius: Nihil tam insuperabili vallo natura præcludit, quod non penetret audacia, cui aliqua conandi spes relinquatur. ille est inexpugnabilis murus quem exstruit fama virtutis. *Et paulo prius:* Inde est igitur, Imp. pax ista qua fruimur: neque enim Rheni jam gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur. *cap. 11. initio Paneg. Constantino Aug.*

Symmachus: Solis quædam speciosa nominibus, usu & experiundo plurimum nocent. *lib. 5. Epist. 9. m.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carmine 62.

Σῆτες ἔδουσιν ἅπαντα, λίπης τὰ σὰ μηδὲ τάφοισιν.
Ἐξοχὴ τιμή, δεξιὸν οὔνομ' ἔχειν.

Cuncta vorant tineæ: nec tu tua linque sepulcris.
Egregium est funus nomen habere bonum.

Jo. Sarisberiensis præfat. Policratici.

Cùm de re constat, non sic de nomine pugna:
Ne foveat litem lana caprina diu.

Plautus Trinummo 4. sc. 2. v. 73.

At enim multi Lesbonici sunt heic: nisi nomen patris
Dicis, nō monstrare possum istos homines, quos tu quæritas.

¶ APOPHTHEGM. SACR.

Attalus: Attalus martyr rogatus quod nomen Deus haberet? respondit, Deum nomen non habere more hominum. *Eusebius l. 5. historia Eccl. c. 5.*

S. Hilarius: Nihil æquè valere ad rei cujuspiam naturam & rationem explicandam, ac congruam Nominis impositionem, docet in sua Logica Philosophus. quinimò pluribus nominibus sua omina inesse, testantur Sacræ literæ. Certè B. Hilarius, dum quidam per calumniam eum Gallum nuncuparet: *Non sum,* inquit, *natus Gallus, sed ex Gallia. Tu verò Leo es* (erat enim hoc nomine) *sed non de tribu Iuda. Ioan. Selethus c. 22.*

Pomponius Lætus: Romæ custodiæ traditus, accusabatur quòd (veluti hac ætate apud plerosque Novatores in usu) proprio abdicato, alienum nomen antiquitatis desiderio affectasset. Pro Petro enim se Pomponium appellavit: & accusanti se Vianesio Antistiti, ait: *Quid tibi & Paulo Pontifici, si mihi fœniculi nomen indidissem? Sabell. in Vita.*

Anonymus: Addam aliud, sed in re jocosa. Cuidam Mercurii nomen inditum erat: quem, quòd incompositis esset moribus & lingua, ac parvæ fidei, alius hoc scommate illusit:

Te magis elinguis cùm sit nec agrestior alter,
Quare Mercurij nomen inepte geris?
Non ita quòd præstas dicendi laude, vocaris:
Sed potiùs, turpi furta quod arte facis.

Coll. ex Epigramm. G. Sabini.

Idem: Non absimili modo alium, cui Urbanus nomen, parum admodum urbanum potorem perstrinxit. dicebat enim,

Diceris Vrbanus: sed nominis immemor huius,
Semper inurbanus, cùm bibis, esse soles.

Ibidem.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A vitio suo vitiosum nominari dispudet.
Cuncta mutant nomen: sola virtus semper est bona.
Cur voces si non reapse sim Furius Bibaculus?
Extrema est malitia quam bonitatis titulus arguit.
Debeat cur nam videri, quod vocari idem haud potest?
Heu quàm multi dignitatem nominis opere destruunt!
Mortuis jam consecratis immutantur nomina.
Nemo ferre nomen eius vult quod est domi ac foris.
Nomina mutat in virtutum vitia amici charitas.
Nominum magis nociva sæpe quàm rei indignitas.
Nominum officit quandoq; plus quàm rerum atrocitas.
Nomenclator iis imponit nomen, reddere cui nequit.
Percipi res ipsa nescit, si haud capis vocabula.
Plurimi nomen remittunt vim complexi Principis.
Quàm bonum est homini potenti multa habere agnomina!
Quid refert habere sanctum nomen absq; moribus?
Quod bono virtus vocatur sæculo, id malo est scelus.

Res

Res easdem eadem non semper indicant vocabula.
Rebus ignotis non possunt esse nota nomina.
Sæpe bellum triste pacis delitet vocabulo.
Sæpe nominum quàm rerum plus gravat calumnia.
Sæpe non honesta honesto delitent sub nomine.
Sæpe res latent scelestæ sub venusto nomine.
Sæpe vitia sub virtutum delitescunt nomine.
Supra opes terrasq; cunctas nomen est probo bonum.

¶ JAMBICA.

Alibi fama est infamia: alibi honor nota est.
Celare nomen non decet nec patriam.
Cuicumq; rei nomen bonum, nomen malum est.
Etiam improbi vitiorum nomen respuunt.
Laudi datur versutia, paupertas probro est.
Merita nova honores & novis vocabulis.
Mihi crede, falsis magna nominibus placent.
Multi erubescunt si haud ferunt nomen mali.
Nemo satis solo indicatur nomine.
Nomen remittit callidus, vim amplectitur.
Operi tuo nomen quoque inscribas tuum.
Persæpe pacis nomine bellum involvitur.
Persæpe rebus apta dantur nomina.
Res nomini fidem dat, non nomen rei.
Rebus novis & nova ponenda nomina.
Respondet ipsis sæpe nomen moribus.
Rex nomine est quis sæpe, vim alter obtinet.
Sub nomine honesto, sæpe inhonesta res latent.
Sub nomine humili, sæpe regia vis latet.
Sub nomine ipso vita, & ipsa mors latet.
Sub nomine otij, sæpe servitus latet.

Novatoris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: Dissentientibus Episcopis, Ecclesiarum negotia etiam deterius se habebant: utpote quæ in partes ac studia scinderentur. homines quippe rerum novarum studio quodammodo delectantur, ac libenti animo noxas suas obiter elucrantur: faciliusque est constituta labefactare, quã labefactata in pristinum reducere. *Oratione 20.*

D. Chrysostomus: Plato qui voluit novam instituere rẽpublicam, vel potius partem reipublicæ, & non leges Deorum transmutans, sed planè alias pro aliis inducens actiones, venit in periculum, ne Sicilia ejectus morte afficeretur. Quoniam autem non hoc factum est, ipsam amisit libertatem: & nisi quidam barbarus fuisset Siciliæ tyranno clementior, nihil obstitisset quò minùs philosophus in regione aliena perpetuò serviret. Atqui non sunt paria; ea quæ ad regnum pertinent innovare, & quæ ad religionem: hoc enim maximè conturbat & tumultu replet homines. Dicere enim, Ille & iste hanc & istam uxorem ducant, & custodes hoc modo sint custodes, non admodum sufficit ad perturbandum; & maximè quando hæc in libro sita fuerint, nec magnum studium ponat legislator ut quæ dicuntur in opus exeant. Cæterùm dicere quòd non sunt Dii qui coluntur, sed Dęmones; quòd qui in crucem actus fuit est Deus: scitis quantam accenderit iram, quantum fecerit luere supplicium, quantum excitarit bellum. Etenim apud eos Protagoras, quoniam ausus est dicere, Non novi deos, idque ausus est dicere, non solùm orbem terræ non obiens & in eo prædicans, sed in una civitate; in extremum venit periculum: & Diagoras Milesius, & Diodorus qui dicitur ἄθεος, id est, Deo carens, quamvis amicos haberent, & dicendi facultate essent præditi, & haberentur in admiratione propter philosophiam: nihil tamen eorum ipsos juvit. Magnus quoq; Socrates, & qui omnes qui apud ipsos erant vincebat philosophia, propterea bibit cicutam: quòd in iis quæ dicebat de Diis, venerat in suspicionem quòd aliquid transmoveret. Si autem sola quam de iis conceperant opinio innovationis tantum attulit periculum philosophis & sapientibus: & qui ab innumerabilibus fuerant culti & observati, non solùm non potuerunt efficere quæ volebant, sed ipsi & vitam & patriam amiserunt: quemadmodum non miraris & obstupescis: cùm videas piscatorem in orbe terrarum tanta fecisse, & ea in quibus studium posuit præclarè gessisse, & superasse omnes barbaros & Græcos? *Homilia 4. ad Corint. 1.*

¶ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Libanius: At enim quis nescit istos reipublicæ statum præsentẽ movere, & præteritum appetere: qui quidem in eo qui nunc est pejus se habent, & spe quadam sustentantur in mutatione præclarius secum actum iri? Nimirum qui urbe tyrannide oppressa projectus fuit, leges & æqualem libertatem desiderat, eaque reducere conatur. contrà, cui leges valere non confert, eas solvere aggreditur. ergo quinam adversantur legibus? quorum scilicet patres juxta illas puniti sunt: qui publico debendi rei sunt: qui infamiæ nota insusti: quos anteacta vita à suggesto arcet: qui multorum maleficiorum sibi conscii sunt: qui, dum leges valent, fieri non potest quin pœnas nõ subeant. quanam igitur in serie, calumniator, me collocas? quid me inimicum reipublicæ fecit? nunquid carcerem incolebam? erãne inter ære alieno adstrictos: an decreto libertate privatus fuerã? an facultates meę subhastatæ fuerant? improbusne deprehẽsus erã? & quia aliquid diri passurus essem, ad omnia movenda me impellebat? an nihil quicquam ejusmodi fuit? sed probus cum essem in væcordia ingratique animi vitio mores meos traduxi. nonne laudabar? nonne in admirationem veneram? nonne armis insistebã? nonne copiis imperabam? nonne æmulatione dignus habebar? nõne beatus? nonne apud vos illustris? nonne hostibus eram terrori? estne igitur aliquis qui tot ac tantis bonis semetipsum fraudare vellet? per Jovem is compos sui non esset, quamobrem enim qui saperet, id faceret? ecquid requireret, pro his quæ adessent? *Declamatione 28.*

¶ EMBLEMATUM.

Batillius XXIII.

In Cleones nostri sæculi.

Vt quando cælum nigrescere cœpit ab Austris,
Et ruit effusâ turbidus imber aquâ,
Carpere tum demum vitales incipit auras,
Temperie cæli post Salamandra perit:
Sic motus inter patriæ, bellique procellas,
Quum nostris fervent omnia dissidiis,
Emergunt multi pars ignotissima vulgi,
Sole iterum pacis qui redeunte latent.

Camerarius XV. Centur. 2.
Turbata delectat.

Turbat aquam sitiens cum vult haurire Camelus,
Sic pacem ex bellis, qui lucra fœda sitit.

Camerarius XLV. Centur. 4.
Turbato flumine capta.

Turbato anguillæ capiuntur flumine. sic res
Turbare in patria seditiosus amat.

¶ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Sophronius: Nova fidei formula quum ab Acacio episcopis Seleuciæ congregatis obtruderetur, Sophronius Paphlago, Si (inquit) propriam ac suam voluntatem exponere, sit idipsum quod fidei formulam edere, accurata veritatis cognitio nos planè deficiet. *Sozomenus eccles. histor. lib. 4. c. 21.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Auferatur dux & auctor: qui novet quid, concident.
Arduum non est ad bella concitare pessimos.
Ad novandas res, & ab ipsis incitamur à magis.
Commoda ob privata quisque turbidus fit publica.
Commovet quidvis novator turbidus; sed rem ob suam.
Dux & auctor auferendus est cupientibus nova.
Factiosis, in procella est portus, in turbis quies.
Improbe haud noves quid, honestum dum sit, dum sit utile.
Musicâ innovatâ legum insequitur innovatio.
Nemo quid cupit novare, quàm cui est domi nihil.
Non malum est quid innovare, dummodo haud sit noxium.
Publicè novant propritim res quibus nulla est domi.
Quidquid usquam ægrum est, novator clam palam, movet, quatit.
Res novæ domos evertunt, regna evertunt, res novæ.
Res quibus privata non est, cuncta turbant publicè.
Regibus populi suspecta gratia est erga bonos.
Sæpe iam res novaturus præ se fert inertiam.
Si cupis captare anguillas antea turbes lacum.

¶ JAMBICA.

Ab inquieto sæpe simulatur quies.
Ad res novandas proni semper pauperes.
Ad res novandas semper est pronus miser.
Æquè novas res pauper ac ferox movet.
Antehabenda novis vetera, & quieta turbidis.
Consilia egenis suggerit improba otium.
Duce destitutâ gens, novare quid queat.
Facile invenire est motis iam rebus ducem.
Ferè novant res, nulla res quibus domi est.
Haud improbè noves, modò honestum & utile.
Homo otiosus res novas desiderat.
Homo ociosus res novas requiritat.
Movet quieta, cui nec res, nec spes bona est.
Mutare quærunt cuncta, odere qui sua.
Non cogitantur uno socio res novæ.
Novum aucupantur quos metus frenat ducem.
Pœnam timenteis ceu novatores time.
Præsentium odio res nimis placent novæ.
Quærit novas res vulgus, atq; idem pavet.
Res expetunt novas, quibus nulla est sua.
Turbare pergunt usq; queis res turbida est.
Vix alia quam in rebus novis spes prodigo est.

Videatur statim Novitatis.

Novercæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORVM.

Isæus: Solent ut plurimum inter se dissidere novercæ & privigni. *apud Halicarnassæum c.18. de iudicio super Isæum.*

Philostratus: Timasion cùm excessisset pubertatem, pulcritudine adhuc summa vigebat; cumque esset natura permodestus, noverca illum amans insequebatur, patremque adversus ipsum irritaverat; non tamen idem quod Phædra crimen fingens; sed illum accusabat, quod feminæ quàm viro similior esset, & amatorib. magis quã mulieribus gauderet. *lib.6. Apoll.c.2.*

Libanius: Novi profectò quam horrenda res sit noverca, & natura hostilis. Etenim ad insidiandum apta est, & ad beatam domum penitus profligandam: perita quoque calumnijs injustis & fabricis dolosis, aut venenis ac præstigiis paternam benevolentiã dirimere, atque inter cognatos & affines bellum serere, & quavis ratione odia inter amicissimos excitare. aliquid denique cruentum & tragica scena dignum habet. nempe his plena sunt dramata; plena etiam est hominum vita. verùmtamen consilium ei dabis, & admonendo leniorem facies, quamvis natura ad pejora trahat. sed & frustra insidiantem, coargues; neque enim quidvis molientem patieris, neque calumniis & sermonibus adversus filium confictis fidem adhibebis. accuratè tuam erga nos benevolentiam novi, accuratius etiam ipse nostram in te animum expertus es. *Declam.44.*

Heliodorus: Cum mater mea è vita discederet, patre ad secundas
nuptias animum adjecit; indignum ratus propter me unum filium
incerto animo atque parum constanti vivere. Introducit itaque in
ædes mulierculam urbanam quidem sed inveteratæ malitię. ut pri-
mum ingressa est, totum in sua potestate redigere conabatur, & ad
id quod ipsa vellet faciendum adducebat, forma senem alliciens, &
cùm aliis in rebus ambitiose observans (nam si ulla alia mulier,
maximè poterat furibundum sui desiderium excitare; & artem al-
liciendi exactius quã credibile est noverat) tum egressib. patris mei
ingemiscens, & ad ingressus accurrens, & tardius venientem accu-
sans, ꝙ videlicet periisset, si paulum commoratus fuisset & ample-
ctens post singula verba; deniq; lacrimas addens osculis. Quibus o-
mnibus pater irretitus totam illam & spirabat & contuebatur. illã
verò & me primum non secus ac si suus essem filius, in oculis ferre
simulabat, hoc etiam sibi patrem devinciens; & interdum osculata
est accedẽs, & subinde ut mecum se oblectare posset optavit. Quod
ego admittebam, nihil eorũ quæ suberant suspicans; admirans autẽ
ꝙ maternum erga me declararet affectum. Cùm verò petulantius
accederet, & calidiora essent oscula quam decebat, & aspectus mo-
destiam excederet, in suspicionem jam apud me illam multa addu-
cebant: quare subterfugiebam abblandientemque repellebam. O-
mitto alia quæ molestum est prolixius commemorare, quibus ra-
tionibus me adorta sit, quas pollicitationes proposuerit, nunc pu-
sionem, nunc suavissimum appellãs, & rursus hęredẽ, & paulo post
animam suam cognominans. denique pulcra nomina illecebris ad-
miscens, & quibus potissimum rebus caperer considerans: ita ut in
gravioribus negotiis simularet matris habitum, in ludicris amare
se manifestè declararet. *1. AEthiop.*

¶ ROMANORUM.

Ennodius: Ante flagris, fame, frigore inimicum corpus afflixit. postrema est in novercali indignatione, necis executio. *Dictione 15. m.*

Quintilianus: Occidit ergo aliquis patrem, & novercæ pepercit?
Maximum omnium nefas fortiter fecit, minori sceleri statim par
non fuit? Omnia humana sacra confudit: violare non est ausus pe-
ctus odiorum? Incredibile est, sine fide est, non occidere novercam,
cui imputes quod patrem occidat. Tu si facere parricidium posses,
ideo patrem tantum occidisses, ut tibi & novercam liceret occidere.
Declamat.1. §.9.

Idem: Miserrimus est maritus quisquis inducit filio novercam; quod uxori non videtur posse utrumq; amare. *Declam.1. §.12.*

Quintilianus: Facinus est, Judices, quod bonos privignos novercæ facilius decipiunt, nec levius oderunt. *Declam.2. §.13.*

Quintilianus: Notum hoc ac vulgare facinus est, quod plerunq;
contra liberos amantur uxores; & sequentium matrimoniorum nõ
aliunde quàm de damno pietatis affectus est. Genus infirmissimæ
servitutis est senex maritus; & uxoriæ charitatis ardorem flagran-
tius frigidis concipimus affectibus. *Declamat.2 §.2.*

Plinius Iunior: Acciola Variola, femina splendidè nata, nupta prætorio viro, exhæredata ab octogenario patre intra undecim dies quam ille novercam ei, amore captus, induxerat &c. *Epist.33. libro 6.*

¶ EMBLEMATUM.

Catsius Emblemate nuptiali XLII.

Conjugum dissidia, privigni.

Cedite Privigni: nunquam bene virgo noverca est:
Quid tibi cum viduo bella puella viro?
Donet Hymen socij communia pignora lecti,
Illa tibi pignus virginitatis erunt?
Ingentem tenera quid figis in arbore ramum,
Inviso quem jam pondere mala gravant?
Poma caduca fluent, calathis indigna coloni,
Inq; pari damno ramus & arbor erit.
Si sapis, arboribus ramum sine prole marita:
Poma autumnum sic magis apta feres.
Quin age dum viridi turgent in cortice gemmæ,
Nil, nisi communes arbor adoptet opes.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Grandius malum novercâ nullum in orbe adhuc fuit.
Nulli non adhuc noverca constitit magno bona.
Sive amat noverca oditve, semper est deterrima.

¶ JAMBICA.

Cave à noverca mortua, imo saxea.
Dolum noverca haud caveris cùm caveris.
Etiam noverca odiosus privignus proba est.
Noverca privignum interemit saxea.

Novitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: At quæ ab hominibus excogitantur, tam res quam verba, modum nullum habẽt. Ac verborum magna quidem est copia, at fructus nullus ab errante loquacitate & nugacitate. Verum ita natura cõparata est hominum ratio, ut inexplebilis sit eorum & loquendi & audiendi sitis: ac præterea vanis oculis ea omnia, quæ accidunt, intuendi cupiditas. Quid autem in posterum fieri queat, quod non jam confectum fuerit, aut geratur ab hominibus? Quid novum, quod nondum experimento compertum fuerit, dummodo insigne sit & memorabile? Ut quidẽ mea opinio fert, quisquis secum reputabit atq; considerabit, nihil novum aut recens inveniet, priscisque incognitum. Quemadmodũ autem præterita oblivione tecta sunt: sic præsentia quoq; progressu temporis ad posteros in obscuritatem ibunt. *Oratione 53.*

D. Chrysostomus: Non absolute male audit & vituperatur id quod est veterum; neque absolute laudatur id quod est novum; sed ratione habita ad subjecta. Dicit enim alibi: Vinum novum, novus amicus: sin autem inveteraverit, tunc dum gaudio bibes ipsum; in amicitia magis laudans vetustatem, quàm novitatem. Et rursus, Antiquus dierum sedebat; heic quoque rursus antiquum seu vetus sumens pro maximæ gloriæ encomio. Alibi autem pro probro & vituperio vetus sumit scriptura. Nam quoniã res sunt variæ ex multis compositæ, iisdem utitur & in bonis & in malis; non in eodem significato. Vide ergo & alibi vituperari vetus: Inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis. Et rursus inveteravi in omnibus inimicis meis. Et rursus, Inveterate dierum malorum. Ita etiam fermentum sæpe accipitur pro regno cælorum, quamvis heic malè audiat ac vituperetur. Sed illic ad aliud, & heic ad aliud refertur. *Homilia 15. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Novitas omnium animos offendit; ea verò acerbitatem majorem affert, quæ priscorum rituum fundamenta effringit, ac leges radicitus evellit. *Homilia 9. ad Corinth.2.*

D. Io. Chrysostomus. Hi qui novitatibus student, nusquam erroris finem invenient, sed nova semper, commẽta, & corruptum dogma proferent. ea est enim erroris vis, ut sisti non queat. *2. ad Timoth. Homil. 8.*

Egesippus: Quibus præsentia vilitate sui displicent, rerum novitas invitat; ac si turbentur negotia, lucrum putatur. *libro 2. cap.9. excidij Hierosol.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Themistius: Jam illud mihi in medium prodeuntes dicant oportet, num tandem ita statuant: Novi aliquid ulla in re facere, atque excogitare perpetuò scelus videri; an tum solum, cum istud ipsum quod agitur, malum est, perniciosum, ac noxium. Si enim quicquid extra consuetudinem est, sceleratum est, cur non artes omnes criminantur, & accusant, quod non prima inventione contentæ, ac circumscriptæ sunt, sed augent eas insuper, ac novi semper aliquid veteribus attexentes in hunc usque diem perseverant? Etenim ante Dædalum non modo Mercurii quadrupedes, sed reliqua etiam simulacra fingebantur. Ubi vero Dædalus simulacrorum pedes distinxit, viva ac spirantia fabricare creditus est. Mare autem ipsum nonne primum ratium opifices humano generis navigabile, ac pervium reddiderunt? Deinde Harmonide fabricante, aut aliquo ante Harmonidem alio, rotundæ naves atque onerariæ visæ sunt? Atque interjecto deinceps tempore Corinthii apud Isthmum Triremes construxerunt: Deinde ad Samios Aminocles navium apud Corinthum fabricator pervenit. Jam quæ ad cibum pertinent, ac victum omnem hominum, num universa simul ad tam exquisitam, ac subtilem rationem perducta sunt? Nonne principio glande pasti homines in speluncis nudi, sine stragulo ac

calceatu

calceatu jacebant;poſtea alio aliud inveniente tempore ad præſentis felicitatis ſtatum vita perducta eſt? Niſi forte ſordidæ, atque illiberales artes neceſſario propter uſum novitatem illam tulerunt, elegantiores vero,& quæ ad oblectationem pertinent, integræ abſolutæq; repente prodierunt. Neq; aut ad Picturā Apelles quicquā contulit,aut ad Citharam Terpander, aut ad Tibiam Timotheus; Imo & gravis ipſa,ac ſevera Tragœdia cum omni ſimul apparatu, cum Choro,& Actoribus in Theatrū pervenit. Nec Ariſtoteli credimus, cum ait initio Chorum ingredientem in Deorum aliquid præconium cecinisse,Theſpin vero Prologum , ac ſermocinationē inveniſſe.Æſchylum vero,tertium Actorem, & pulpitum; cætera nos à Sophocle,& Euripide accepiſſe.

Sic Veterum nobis audita eſt fama decusq;:

Qui ab obſcuris,atq; imbecillis olim primordiis deductam,atq; excitatam Philoſophiam cum accepiſſent,quod pręſenti ſtatu nequaquam ſe continerent, aut quieſcerent, ſed aliquid in dies adjicerēt, poſtremo omnia perſecuti ſunt ac ſibi Divina pariter,atque humana vindicarunt. Nō ante Thalem Mileſium pauca verba circumferebantur cum Thaletis ipſius,tum aliorum Sapientum,quib. hodie parietes,ac tabellę ſcatent. Et erant optima illa quidem,atq; idoneā ſententiam complectebantur,quanta maxima in duob. eſſe voculis potes;ſed præcepti atq; imperii ſimilia erant, & ad exiguam virtutis partem cohortabātur. Poſtea Thales, nec non & Pythagoras naturæ cōtemplationē princeps ingreſſus eſt,& in cælū ſuſpexit,ac ſiderum naturā ſcrutatus eſt, & aliquando collectis in unum Mileſiis omnibus noctem interdiu fore prædixit, nimirum ut ſupra terram ſol occideret,ac ſubtus eum Luna ſic ſubiret,ut ſplendorem illi⁹,ac radios interciperet, Thales igitur cum tot,ac tanta repeiſſet, nihil tamē eorum q̄ excogitaverat,ſcriptis committere voluit,nō modo, inquam,Thales ipſe:ſed neq; alius quiſquā eorum q ad illud uſque tēpus illi⁹ ſtudia,ac doctrinā æmulati ſunt. Anaximander vero Praxialis filius nō omnia ſimiliter imitatus eſt, ſed hoc immutavit ſtatim,atq; ab uſitata ratione deflexit, ꝙ primus Græcorum quos ſcimus omniū auſus eſt. Librū de Natura ſcriptum à ſe in publicū ꝓferre. Antea.n.libros conſcribere ignominioſum habebatur, neq; apud veteres Græcos uſu,ac conſuetudine receptum erat. Nā Anaxagoram Clazomenium omitto:nec illud dico,quātum is in eo genere novitatis attulerit, q primus Deo Mundi fabricam,& opificiū attribuit,neq; omnia ad naturam corporum referenda putavit. Socrates vero pręclarus vir atq; eximius,num tandem tritum illud vetuſtate iter ingreſſus eſt? aut Archelai veſtigiis adhæſit? An major adhuc illius ambitio,atq; audacia fuit,ut non ſolum adinveniret aliquid,& emendaret, ſed etiam univerſam diſciplinæ rationem, ac propoſitum immutaret,ac transferret? Siquidem cum omnes fere ante eum de cælo philoſopharentur,deq; ſitu illius,ac figura , ac de eo quęrerent,quibus nam ex principiis gignantur animalia,ac ſtirpes oriantur;hæc ille nequaquam inveniri ab homine poſſe credidit,ſed vitam conterere,atq; ab utilioribus impedire. Sed undenam honeſtum,ac probum eſſe hominem oporteat, hæc & cogitavit, & propoſuit prior,ac quid tandem hominis virtus ſit,& quomodo ſuperat,quid vitium ſit,& quonam pacto devitari poſſit. Sunt hæc quidem ab Socrate facta,ſanè quam audacter. Illud vero audacius multo,ꝙ diſputationes ejuſmodi non ſecreto, atq; inter ſolos diſcipulos,ſed ad omnes penitus mortales, ut alicubi ille dicit,ubivis diffuſos,ac diſſipatos inſtitueret; ſive ad Menſas, ſive in officinis ſive in Gymnaſiis:Ad eumq; circumquaq; fluebant imaginum fictores,& ærarii fabri,cum aut Imperatori negotium faceret, periculum ejus faciens,ſi quid de fortitudine ſciret,aut Concionatori,num de recta adminiſtratione quidpiam noſſet,aut Oratori, ſciretne ecquot reb. animus hominis perſuadetur,atque impellitur , aut Poetæ cum id quæreret, quæ poëmata aliquid utilitatis haberent. Ex quo factum eſt,multorum ut in ſeſe concitaret odia, eumque caperet ex hominum amore fructum,quemcunque demum reportavit. Num igitur propterea Magnus ille Plato in lectulo cubiculoque ſuo quiet⁹ permanſit? Quis vero æquè curioſus, ac novitatis appetens fuit? Qui principio ſparſim habitantem Philoſophiam coëgit , atque in unum contraxit,quemadmodum Athenas olim Theſeus. Hactenus vero trifariam,vel quadrifariam potius diſſipata fuerat. Ac ſeorſim & Jonicæ chorum ſuum habebant. Quarum aliæ in ſolarum rerum Divinarum inveſtigatione conſtiterant , aliæ quæ naturam ſuperant,indagabant:ſed ab iis procul diſſidæ erant, quæ in vitii, ac virtutis cognitione verſantur. In Ægypto dumtaxat hærebant,ac conſtanter manebant Mathematica ſtudia. Quæ quidem unus ille primum omnia coagmentavit,velut unius animalis membra diſſipata,atque inter ſe conjuncta, ac conſentientia demonſtravit: nec fieri unquam poſſe,ut qui unam ab his divulſerit, non mancam eā, ac mutilatam habeat. Præterea vero alia quamplurima invexit, atq; intulit:orationis genus ex Poëtico ac ſolutim numeris adſtricto temperans,nec non interrogantes,ac reſpondentes,& ea narrātes introducens : quibus correpti omnes à terra procul evehimur. Poſtremo deniq; Ariſtoteles ipſe num ad novi aliquid excogitandum rudis,ac minime ſolers fuit? Aut non primis diſputationes ſeparatim,ac per genera ſingulas, & ſermones inſtruxit vel unius certaminis cauſa comparantur, vel ad eorum quæ ſunt ſcientiam referuntur,vel ad virtutem conſequendam viam , ac rationem declarant? Antea vero confuſa tumultuariè erant omnia, velut Medorum exercitus, antequam Cyaxares eos Dejocis nepos ordinaret.

Illud vero peculiare Ariſtotelis, ac proprium, quòd non eoſdem ſermones credidit vulgo eſſe, ac Philoſophis utiles,ſicut nec medicamenta, ciboſve iis, qui ſumma ſanitate fruuntur, & qui lubrico admodum, ac periculoſo ſunt corporis habitu. Sed ut illis ea conveniunt, quæ revera ſalubria ſunt, ſic his ea quæ præſenti corporis diſpoſitioni,atque affectioni congruūt. Ob id alios externos vocavit, atque expoſitos omnibus eſſe voluit:alios intus cōcluſit, & cum paucis tuto communicavit. Horum vero clauſtra, quibus aperiuntur, aut clauduntur , perſpicuitas eſt, & obſcuritas: quibus, velut Horis , commiſſum hoc munus eſt, nubem ut aperiant, aut rurſus opponant. Et vero qui ex ipſis publice utiles ſunt, & ad vulgi captum accommodati, luce pleni, atque perſpicui ſunt,eorumque utilitas à delectatione, ac voluptate penitus non abhorret,ſed affuſa Venus eſt, ac Gratiæ refulgent, quo velut illecebris quibuſdam attrahant. Alii vero Myſtici ſunt, & ſacras initiationes continent.

Atque hoc idcirco fecit ille , ut qui adhuc profani eſſent, etiam cum eos habuiſſent, non haberent. Quæ cauſa eſt,cur tametſi omnium ad pedes volutentur ij libri, Regia illa , quæ Ecbatanis eſt munitiores ſint. Sed & novum illud ab Ariſtotele eſt excogitatum , quod Organum quoddam velut ſermonum amuſſim molitus eſt, qua quod reipſa verum eſt, ab eo quod ſimilitudine quadam fingitur diſcernere poſſimus. Etenim idem nobis in ſermonibus, quod in genere hominum evenit. Nam illic alii,& ſunt,& eſſe videntur boni: Alij non ſunt,cum eſſe videantur. Quod eodem modo in ſermonibus contingit, ut alii reipſa ſint , & appareant veri. In aliis vero etſi occulta falſitas inſit , nihilominus veritatem ſimulent, & imponant. Quare quo illorum vanitas,atque impoſtura deprehendatur, primus ad id inſtrumentum quoddam fabricavit Ariſtoteles. *Oratione 15.*

Lucianus: Sed hoc mihi non ſatis eſt,ſi nova fingere videar: nec quiſquam dicere poſſit aliquid hoc figmento vetuſtius, cujus iſtud ſit progenies. Verùm niſi etiam pulchrum videretur, puderet me ſanè,ſat ſcias,illius,& conculcando libenter abolerem. Nec eò prodeſſet illi apud me novitas,quo minùs contereretur,ſi deforme eſſet. Ac niſi ita ſentiam, dignus mihi videor qui à ſedecim vulturibus attondear:ut qui nō intelligam longè deformiora eſſe, quæ cū novitate conjuncta,ſibi tamen confidunt. Ptolemæus Lagi filius, quum aliquando duas res novas in Ægyptum deduxiſſet, camelum videlicet Bactrianam totam nigram, & hominem bicolorem,cuius altera pars planè nigra, altera excellenter candida erat, corpori æqualiter permixta, congregatis in theatrum Ægyptiis, exhibuit illis cum alia multa ſpectacula,tum inter poſtrema, hæc quoque, camelum videlicet,& ſemialbum hominem , putavitq; ſe magnā admirationem hoc ſpectaculo eſſe concitaturum. At illi ad cameli cōſpectum deterriti ſunt , ac propemodum exilientes profugerunt: quanquam tota auro exornata , ac purpura inſtrata erat, gemmatumq; frænum habebat, ex Darij alicujus , aut Cambyſis,aut ipſius Cyri theſauris depromptum. Ad hominis autē obtutum alii ridebant,alii verò ut monſtrum averſabantur. Itaq; Ptolemæus, cùm intellexiſſet ſe nihil gloriæ ex his adeptum eſſe,nec Ægyptios rerū novitatis admiratione capi,ſed ab iis,quæ numeris omnibus & forma ſunt abſoluta,huic anteponi,ipſa oſtendi prohibuit,nec amplius hominem eo honore habuit,quo antea. Tum neglecta camelus interiit:bicolorem verò hominem Theſpidi cuidam tibicini , cùm ad pocula bellè ceciniſſet,dono dedit. *Tomo 1. tit.* in eum qui dixerat, *Prometheus es in Verbis.*

Lucianus: Cum nuper habita apud vos oratione domum me conferrem,eorum qui me audiverant multi me convenerunt (nihil enim prohibere puto quò minus etiam iſta vobis dicam,qui jā amici mei eſtis,)& tanquam mirabundi ſalutarunt. Qui dum itinere multo me deducerent , alius aliunde exclamabat & laudabat, ita ut erubeſcerem,metuens ne laudum meritis longè inferior eſſem Fuit igitur illis hæc laudationum ſumma : & omnes unum idemque approbabant,cum inuſitatam ſcriptorum materiam, tum multum in ea novitatis ſtudium. Multò verò ſatius eſt referre eadem quæ illi pronunciarunt. O novitatem! ô admirabilem orationem! Ingenioſus homo eſt: nihil quiſquam hoc tuo artificio novius eſſe dixerit. Illi talia multa dicebant,prout oratione mea commoti fuerant. Nam quid eis cauſæ fuiſſet cur mentirentur,atq; his laudibus blandirentur homini extraneo:cæterùm ipſis nō multum curando? Verumtamen me,neque enim diſſimulabo , non mediocriter laus illorum cruciabat:& hæc ſolus ab illis relictus apud me cogitabam. Ergo ſolum meis ſcriptis hoc ineſt jucundum, quòd conſuetæ compoſitionis non ſunt,neque communi cum aliis pede procedunt. Sed fortè procul à meis ſcriptis remota ſunt pulchra vocabula, ad veterem regulam compoſita , ingenii acumen & ſolertia , & gratia Attica, & ſermonis cohærentia, & ars quæ in omnibus exiſtit. Non enim omiſſis illis, ſolam inſtituti novitatem, & inſolentiam collaudaſſent. At ſtolidus ego quum ſubſilientes me laudarent , ſtatim quidem id ipſum etiam addituros putabam. Verum enim illud Homeri , Novam quamque cantilenam audientibus eſſe gratam. Nec tantum,nec totum novitati tribuendum ſentiebam, quæ eſt veluti quædā ornamenti acceſſio, & laudis complementum:illa verò eſſe quæ revera laudantur, & ab auditoribus acclamatione excipiuntur. Itaq; non modicè commovebar eò penè adductus ut iis crederem, qui unum ac ſolum inter

Græcos esse me prædicabant: aliaque id genus. Sed quod vulgo fertur, Carbones erant noster thesaurus. Ac propemodum ut præstigiator aliquis ab ipsis laudor.

Volo itaq; pictoris institutum vobis explicare. Zeuxis ille omnium pictorum præstantissimus, popularia illa, & communia, aut quę perpauca sunt, Heroas, aut Deos, aut bella non pingebat, sed novi quippiam comminisci semper conabatur, cùmque insolens & novum quid excogitasset, in eo solertiam artis ostendebat. Inter cætera audacia opera Zeuxis fœminam Hippocentaurum fecit, pueros hippocentauros geminos admodum parvos nutrientem. Hujus imaginis exemplum nunc est Athenis, ad veram imaginem accuratissimè expressum: ipsum verò archetypum Sylla Romanorum imperator, cum rebus alijs in Italiam misisse ferebatur. Deinde circum Malcam submersa navi oneraria, omnia, ipsamq; picturam perisse. At verę imaginis imaginem vidi, quam oratione quoad fieri poterit, vobis ostendam: non per Jovem quòd facultate graphicè exprimendi sim prędicus, sed quia planè memini, quippe quã nuperrime in pictoris cujusdam ædibus viderint Athenis. Ipsa verò admiratio in quam tunc ars me rapuit, fortasse mihi etiam nũc ad rem dilucidiùs declarandam adminiculo erit.

Hæc Centaurus in virenti gramine facta est: eaque parte quà equam refert, humi jacet tota, pedesque posteriores retro extenduntur. Qua verò mulier est, sensim exurgit, & cubito incumbit. Pedes autem anteriores non sunt itidem porrecti, ut pote quæ super latere jaceat: sed alter, in genu inflexo est similis, subtracta ungula curvus: alter contrà exurgit, & solum prehendit, quod fere faciunt equi, quando subsilire conantur. Infantium autem alterum desuper ulnis complexa humano more nutrit, muliebrē mammam ori applicans: alterum equino lactat ubere equarum in morem. Cæterum ex superiori tabulæ parte velut è specula, mulieris illius infantes utrinque nutricantis maritus Hippocentaurus, inclinatus ridet, nec totus apparet, sed media parte equi catulum leonis extra sustinet, & supra se attollit, ut hoc lusu pueros territet. Porrò reliquæ picturæ partes, quanquam nobis rudibus & idiotis, non sunt planæ & conspicuæ, omnem tamen artis virtutem habent: Uti linearum quàm rectissimos ductus, & colorum scitam mixtionem, & eorum opportunam applicationem, & commodam inumbrationem. At magnitudinis proportionem, & mensurarum ad totum æqualitatem atque compagem pictores commendent, quorum muneris est talia scire. Ego verò Zeuxidis illam industriam potissimũ laudarim, quòd in uno eodemque argumento variè artis excellentiam demonstravit: ut pote qui virum fecit prorsus terribilem, ac vehementer agrestem, coma superbum, multa ex parte hirtum, non solùm quà equus, sed etiam quà homo est, & sublimibus finxit humeris, vultu, quanquam ridentis, tamen planè ferino, & montano, & immansueto. Sicquidem illum expressit. Porrò fœminam ad equæ pulcherrimæ speciem extulit, quales potissimum sunt Thessalæ indomitæ, & sessoris expertes. Dimidiam verò mulieris partē, summa elegantia formavit: exceptis auribus, quas solas habet satyricis similes. Cæterùm mixtio, & commissura corporum quatenus muliebris pars cum equina coit & conjungitur, sensim, non affatim transiens, & paulatim descendens, aspectu non percipitur, ita ex altero in alterum lenis fit deductio. Porrò infantum alter, nō secus ac pater, agrestis est, & in tenera ætate jam terribilis. Et hoc mihi visum est admiratione dignum, quòd uterque dum ubera tenent, cuti matris affixi, leoninum catulum pueriliter respiciant.

Itaq; cùm hæc singulari artificio expressisset Zeuxis, existimavit se artis præstantia spectantes in admirationem tracturum. Illi autē actutum exclamabant. Quid enim facerent pulcherrimum nacti spectaculum? Enimvero laudibus illum extollebant omnes, ob quę me nuper illi, nempe ob insolens inventum, novumque picturæ consilium prioribus ignotum. Ut verò Zeuxis animadvertit eos argumenti novitate capi, & ab artis contemplatione avocari, ita ut rerum scitè expressarum industriam parvipenderent, Age Miccio, dixit ad discipulum, picturam involue, & sublatam domum auferte. Hi namque nostræ lutum artis laudant: sed mentis & scopi, num rectè, & ex arte factum sit opus, nullam rationem habent. Verùm argumenti novitas operis præstantiam gloria vincit. Ita quidem se gessit Zeuxis, forsan quàm par erat iracundiùs.

Cæterùm Antiocho, cui cognomen Soteri, simile quiddam in pugna adversus Galatas accidisse fama est. Quam historiam vobis narrabo si vultis. Cùm sciret Galatas viribus pollere, magnasque videret esse eorum copias, phalangem fortiter conjunctam, in fronte propugnatores loricis æneis instructos, in medio cataphractos quatuor & viginti ordinatos, in cornu utrinque viginti millia equitum, porrò è medio currus octoginta falcatos erupturos, præterea bis totidem bigas. Hæc cùm videret, malum pugnæ eventum expectabat, ut cui cum invictis militibus esset decertandum. Ipse enim ob brevitatem temporis cum exercitu, nec magnifice, nec pro belli dignitate instructos venit, perpaucos adducens, eosque peltatos plerosque, & levis armaturæ milites, plus mediam partem exercitus. Itaque videbatur ipsi jam fœdus iciendum esse, & decoram belli solutionem inveniendam.

Verùm Theodotas Rhodius, vir generosus, aciei instruendæ peritus, eum se præsente animis cadere non sivit. Antiochus sedecim elephantos habebat, quos Theodotas occultari jussit, quandiu fieri posset, ne exercitum supereminentes apparerent: sed posteaquam tubicen signum dedisset, & congrediendum atque ad manus veniendum esset, & equitatus hostium procederet, & Galatæ aperta, divisaque phalange currus immitterent, tunc cum quaternis elephantis utrinque occurrere equitibus & reliquos octo aurigis, & bigarumque ductoribus immittere. Hoc enim facto, inquit, ipsorum equi perterrebuntur, & in Galatas impetum facient fugientes. Talisque fuit consilii eventus.

Cùm enim nec Galatæ, nec ipsorum equi elephantos antea vidissent, ita novo elephantorum spectaculo turbati sunt, ut quanquam adhuc procul erant illæ belluæ, quum tantùm stridentes audiverunt, & dentes insigniter candentes viderunt, velut ex toto nigro corpore, & proboscides tanquam ad rapinam sublatas, priusquam emissum fuisset telum, versis retrò habenis, nulloque ordine aufugerint. Sed enim pedites se invicem hastis configentes, ab equitibus in ipsos prolapsis conculcabantur. Currus autem subversi, denuo in suos non sine sanguine ferebantur: ac juxta illud Homeri. Sursum ac deorsum volvebantur currus. At verò equi cùm semel à recta via declinassent, elephantorum impetum non sustinentes, sessores excutiebant, & currus strepebant proscindentes per Jovem, & dissecantes falcibus, quoscunque ex amicis dejecissent: multi autem, ut in tanto tumultu, dejiciebantur: quos elephanti sequebantur conculcantes, & in altum suis proboscidibus projicientes, unaque rapientes, & dentibus transfigentes. Tandem illi suo robore victoriam Antiocho tradiderunt. Galatæ autem alii, magna clade edita, occubuerunt: alii vivi capti sunt, paucis exceptis qui in montes confugerunt.

Porrò Macedones quicunque cum Antiocho in prælium descenderant, pæana canebant, & accurrentes aliunde alius, victorem regem clamantes coronabant. At ille lachrymatus, ut ajunt, Pudeat nos, inquit, ô milites, quibus harum sedecim beluarum ope salus obtigit: ita ut nisi spectaculi novitas hostes perterruisset, quid nos præ ipsis fuissemus? Trophæo autem nihil nisi elephantum insculpere jussit. Itaque jam tempus est ut considerem, num ego sim Antiocho similis. Cætera quidem quæ pugna non sunt digna: sed tantùm sunt elephantes, & nova terriculamenta spectantibus metum & admirationem parientia, tamen ab omnibus laudantur. At quibus confidebam, horum rationem non habent: sed hoc solum mirantur, depictam videlicet Hippocentaurum fœminam: idque, sicut est, novum & monstrosum ipsis videtur. At cætera nequicquam à Zeuxide facta sunt. At non nequicquam. Etenim vos qui estis pingendi periti, etiam cum arte singula expenditis, dummodo digna sint quæ in theatro spectanda proponantur. *titulo Zeuxidis.*

Libanius: Nova quæ sunt, ubique magna habentur sive bona sint sive adversa. nam quod nullum sit rei factæ exemplum, excellentiam sumit alterutrum. Novum etiam est certè quod urget, vel in hoc ipso, quod soli mihi ex omnibus contigit. in prosperis rebus infortunatus fui; in lucris sum mulctatus; in quibus inveni perdidi. me solum ex omnibus thesaurus reddidit miserum. *Declamatione 10.*

Heliodorus: Haud scio an tales videris, quales illo die Græcia & sol est conspicatus; adeo conspicuos, adeo beatos ut hujus quidem viris, illius mulieribus optabilis esset felicitas. illorum enim conjũctum par immortalitatem esse ducebant: præterquam quod adolescentem indigenæ virginem autem Thessali magis adjurabantur; id quod primum videbant utrique præcipuè suspicientes. Novus enim & inusitatus conspectus, facilius quam consuetus animum potest percellere. *lib. Æthiop. 3.*

Libanius: Quædam erit memoria eorum quæ labore meo perfecta sunt. Quod si forte aliorum quis immemor fuit, quî hujus postremi facinoris oblivisceretur? nova enim minimè oblivione delentur. *Declam. 15.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus: Natura quidem omnibus novitatis incrementis adversa nobilitas. *Declam. 3. §. 17. m.*

Plinius Junior. *Si verum est Homericum illud Odysseæ.*

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥπερ ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται,
Illam cantilenam magis celebrant homines
Quæ audientibus recentissima sit;

apud te providendum est mihi, ne gratiam novitatis & florem, quæ oratiunculam meam vel maximè commendet, epistolæ loquacitate præcerpam, *fine Epistolæ 22. lib. 5.*

§ POETARUM.

Prudentius passione Romani.

Quidquid novellum surgit, olim non fuit.

§ APOLOGORUM.

De Milite & Equo. Fab. 40.

Miles equum habens optimum, emit alium nequaquam illi bonitate parem, quem multo diligentius, quàm priorem nutricabat, tunc priori sic ait: Cur me dominus quam te impensius curat, quum tibi neq; pulchritudine, neq; robore, neq; velocitate cōparādus

dus

dus ſim? Cui ille, Eſt hæc, inquit, hominum natura, ut ſemper in novos hoſpites benigniores ſint.

Hæc fabula indicat hominum amentiam, qui nova, etiamſi deteriora ſint, ſolent veteribus anteponere. Abſtemius.

De Vidua & Aſino viridi. Fab. 80.

Vidua quædam cœlibatum exoſa, nubere cupiebat, ſed non audebat, verita vulgi irriſiones, qui maledictis eas ſolet inceſſere, quæ ad ſecundas tranſeunt nuptias. Sed commater eius, quàm contemnendæ eſſent populi voces, hac arte monſtravit. Iuſſit enim aſinum album, quem vidua habebat, viridi colore depingi, & per omnes urbis vicos circumduci. Quod dum fieret, tanta admiratio ab initio omnes invaſerat, ut non ſolum pueri, verum etiam ſenes hac re inſolita moti, aſinum animi gratia concomitarentur. Deinde cum hujusmodi animal quotidie per urbem duceretur, deſierunt admirari. Itidem, inquit ad viduam commater, eveniet tibi: ſi enim virum acceperis, per aliquot dies eris fabula vulgi, deinde hic ſermo conticeſcet.

Hæc fabula indicat, nullam rem eſſe tanta dignam admiratione, quæ diuturnitate temporis, non deſinat eſſe miraculum. Abſtemius.

¶ Monosticha Trochaica.

Magna pars apud imperitos, novitas ipſamet, mali eſt.
Nemo non rerum novarum tangitur cupidine.
Quis novi populi haud indignè ſufferat ſuperbiam?
Quod novum eſt, livore multo proximorum cingitur.
Semper humanis cupido rebus imminet novis.
Vetera ſordent, agminatim convenitur ad nova.

¶ Jambica.

Aliquid novi profert quotannis Africa.
Aliquid novi ſemper progignit Africa.
Aliquid novis auditis auctor adjicit.
Adverſitati pondus novitas adjicit.
Antiqua ſordent, convolat quisq; ad nova.
Gentis novæ, ſuperbia, inviſiſſima eſt.
Homini nova ſunt mage magna quam miraculo.
Nil tam vetuſtum eſt, quin aliquando novum fuit.
Obnoxia omnis novitas eſt ſermonibus.
Quandoq; res fiet vetus, quæ nunc nova eſt.
Quidquid novellum ſurgit, olim non fuit.
Rebus novis nova imponenda nomina.
Sunt magna ſemper nova, ſeu bona ſunt, ſeu mala.
Sunt nequiores nummi veteribus novi.
Varia ferè ſamâ inſtituta ſunt nova.

Noctis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

N*Azarius orat. in Conſtantinum Aug.* Libertate cædis exultans, donum noctis ducebas, quod pugnantem nemo ſervaret. *Cap. vigeſimo ſexto.*

Idem eod. cap. Nox ipſa juſtiſſima bellantibus cauſa terroris, vehementiorem te agendis ſtragibus fecerat. quod ſolum enim virtutis tuæ impedimentum eſt, miſerationem tenebræ non habebant.

D. Chryſoſtomus: In nocte illuni, ſi quis peregrina via ingredi conetur, aut mare navigare, non ſolum non perveniet ad finem deſtinatum, ſed peribit protinus. *Sermone 3 ad Roman.*

Chryſoſtomus: Eorum quæ ſita ſunt in tenebris nihil videt is qui eis eſt circumfuſus: ſed ſæpe viſo fune exiſtimat ſponte enatum ſerpentem. rurſus à ſæpi retentus, putat aut dæmonem aliquem aut hominem ſe retinere; multusque eſt tumultus, multa perturbatio. *Homilia 13. ad Epheſios.*

Chryſoſtomus: Ne nos dies ille tanquam fur comprehendat. Heic tenebricoſam & impuram dicit vitam. Quomodo enim impuri & ſcelerati homines omnia nocte faciunt, omnes latentes, & ſe in tenebris includentes. Nam dic mihi, non veſperam obſervat adulter, non fur noctem? & qui ſepulcra effodit, non nocte id totum operatur? *Homilia 9. ad Theſſalon. 1.*

Baſilius Seleuc. In transfigurat. Domini pr. Quod hominum vita & laborioſa ſit, & laboribus obſtructa, mundi opifex diem labori aptavit: vox autem irruens, & delaſſatum nacta hominem, quò quietem indulgeat, lecto tradit; membra quidem illa ſomno reſolvit, naturæ verò concedit ſolemne tempus, quo vires paulatim colligat.

¶ LATINORUM.

Egeſippus lib. 5. cap. 35. excidij Hieros: Iudæi dum clauſtris atque anguſtiis nituntur, ne circumvenirentur, percurſabant diverſa: ut frequentius ſibi à ſuis eſſet periculum, dum in tenebris non cognoſcerentur, & plerumque transfigerentur à ſociis, dum hoſtes putantur. Quis enim nocte diſcerneret, ſocio an hoſti occurreret? cum interrogare ſerum eſſet, cavere utile, conſultum prævenire: & tolerabilior culpæ exitus errare in alieno vulnere, quam propriũ eligere periculum, ubi hoſtis timetur. Ancipiti itaque per noctem periculo laborabant Iudæi, vel quod inferret hoſtis, vel in quo ſocius erraret. Nec minore per diem pernicie affligebantur, nocte plus erat periculi à ſuis: per diem Romanus vehementior aderat, quem totius ſpectator certaminis Titus vel tacitus urgebat.

¶ PRINCIPUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Epictetus: Quid eſt nox? laboranti quies: graſſanti lucrum. *altero cum Hadriano.*

Heliodorus: At Cnemon cum Thermuthim reliquiſſet, non prius reſpiravit in fuga quam nocturnæ venientes tenebræ impetum eius cohibuerunt. eodemque loco ubi nox illum occuparat ſeſe abſcondit, & foliorum quantum poterat ſuprà ſe accumulavit: ſub quibus jacens, magna ex parte inſomnem ducens noctem excruciabatur, omnem ſtrepitum & quamlibet auram, aut foliorum motum, Thermuthim eſſe exiſtimans. Quod ſi quando vincebatur paululum à ſomno, fugere ſe putabat, & ſtatim convertebat ſeſe, & circumſpiciebat à tergo eum qui nuſquam inſequebatur: & dormire volens averſabatur id quod volebat, in graviora ſomnia quam res ipſa erat incidens. Ad extremum nocti iraſci videbatur, longiorem eſſe cæteris exiſtimans. *Libro Æthiopic. ſecundo.*

Heliodorus: Theagenes qui arbitrabatur præſens imminere ſupplicium: Euge piaculum Arſace! exclamat. Nocte ac tenebris ſua nefaria facinora ſe abſcondituram putat. Cæterùm acris eſt juſtitiæ oculus in redarguendo, & in occultis, abſconditis, & nefandis rebus in lucem proferendis. *Lib. 8. Æthiopic.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Ante lucem Avunculus meus ibat ad Veſpaſianum Imp. (nam ille quoque noctibus utebatur) inde ad delegatum ſibi officium. *Lib. 3. Epiſt. 5.*

¶ Poetarum.

Prudentius hymno matutino.

Fur ante lucem ſqualido
Impunè peccat tempore.
Sed lux dolis contraria:
Latere furtum non ſinit.
Verſuta fraus & callida.
Amat tenebris obtegi.
Aptamq; noctem turpibus
Adulter occultus fovet.
Sol ecce ſurgit igneus:
Piget, pudeſcit, pœnitet;
Nec teſte quisquam lumine
Peccare conſtanter poteſt.
Quis manè ſumptus nequiter.
Non erubeſcit poculis?
Cùm ſit libido temperans.
Caſtumq; nugator ſapit.
Nunc nunc ſe verum vivitur:
Nunc nemo tentat ludicrum:
Inepta nunc omnes ſua
Vultu colorant ſerio.

Martialis lib. 4. Epigr. 7.

O nox quam longa es, quæ facis una ſenem!

Auſonius in Monoſyllabis.

Longa dies operoſa viro: ſed temperies nox;
Qua caret Æthiopum plaga, pervigil, irrequies gens,
Semper ubi æterna vertigine clara nitet lux.

¶ Emblematum.

Camerarius XX. Centuria I.

Muſis aurora benigna. Geniſta Hiſpanica.

Noctis odorata eſt magis iſthac tempore planta:
Tu quoq; noctem adde his, ſi qua placere voles.

Camerarius LXXXIX. Cent. 3.

Inter utrumque. Veſpertilio.

Vita fugit lucem diræ male conſcia culpæ.
Vt quæ avis ſero veſpere nomen habet.

Noctua Minervæ. Emblemate XVIII.

Nocte vigent ſenſus; hinc eſt ſacrata Minervæ.
Noctua, quæ triplici lumine nocte videt.

Floren. Schonhovius.

¶ Monosticha Trochaica.

Abſq; Sole nox perennis adforet mortalibus.
Ah, moleſtiora noctu quam die ſunt vulnera.
Damna tandem cuncta noctis triſtis oſtendit dies.
Nox ubi eſt, velo mariq; ventus incumbit magis.
Nulla nox tutos receſſus regibus præbet malis.
Quàm facit nox cunque ſtragem proxima oſtendit dies.
Perficit noctis ſilentis multa cogitatio.
Pleiadem ſub ortu nox eſt omnium breviſſima.
Sæculum integrum videtur una nox triſtantibus.

¶ Jambica.

Conducit æque corpori nox quàm dies.
Consilium in atra nocte candidum latet.
De nocte surgit ut jugulet hominem latro.
Dies laborem, nox quietem sufficit.
Etiam metum nauclero nox bono incutit.
Latere fax pusilla nocte non potest.
Nonnulla nox quoq; operit ipsa in feminis.
Nox eadem aliis audaciæ, aliis formidini est.
Nox & sacrorum nata cæremoniis.
Nox tam diu est, illucescit quamdiu dies.
Noctem requirunt furta, lucem veritas.
Noctem requirunt quæ geruntur cum metu.
Portus laborum salve nox mortalium.
Quem texerat dolum nox prodidit dies.
Quod suggerit nox consilium, haud est pessimum.
Vel multa nocte perpetramus unica.
Veteres vias noctu obruas, pares novas.

Nuditatis Christianorum.

¶ Apophthegm. Sacro.

XL. Milites Martyres. Quum Romani Imperatoris præfectus in quendam locum venisset cum edicto, ne quis Christum profiteretur, confessus autem, omnis generis suppliciis ac tandem etiam morti obnoxius esset: quadraginta milites liberè se Christianos profitentur. Præfectus blando eos sermone aggressus, admonet ut ætatem suam respiciant: pecuniam pollicetur & honores. Sed ea illi omnia præ Christo floccifaciunt. Barbarus præses dispicit stagnum quoddam in media civitate, frigori vehementi, & Boreæ flatibus horridis expositum, in quo nudos sub dio pernoctare cogit. Illi in hoc supplicij genus alacres descendunt, exhortantes se mutuò, ac, Non amictum (inquiunt) exuimus, sed hominem veterem concupiscentiæ deceptione corruptum deponimus. Gratias agimus tibi, Domine, quod cum isto amictu simul & peccatum exuere licet. Quoniam ob serpentem eum induimus, ob Christum verò exuimus. Post hæc nudati in eum locum deducuntur, rigescunt membra omnia gelu. Posteaquam illuxit, adhuc spirantes igni traduntur: ac cineres eorum in fluvium projiciuntur. Fortè ex illis unus validior vivus manserat. Cuius miserti lictores ad matrem eius, quæ tunc aderat, se vitam ei donaturos ajunt. At illa propriis filium apprehendens manibus, currui eum, in quo reliqui jacentes ad pyram inferebantur, imposuit, admonens ut cum cæteris contubernalibus iter beatum perficeret. *Basilius, orat. de 40. martyribus.*

Nugarum.

¶ Sententiæ Poetarum.

Plautus Trinummo 4. sc. 2. v. 129.

Abi sis nugator; nugari nugatori postulas.

Ioan. Sarisberiensis Præfat. Policratici.

Si jubet, ut nugas agites, nugare decenter:
Nam sibi per nugas seria credet agi.
Vtilibus nugas sic aptes, seria ludis,
Vt tibi sit gravium nulla timenda manus.

Idem postea.

Omnia, si nescis, loca sunt plenissima nugis,
Quarum tota cohors est inimica tibi.
Ecclesiæ nugæ regnant, & principis aulæ;
In claustro regnant, Pontificisq; domo.
In nugis clerus, in nugis militis usus;
In nugis juvenes, totaq; turba senum.
Rusticus in nugis, in nugis sexus uterq;
Servus & ingenuus, dives, egenus, in his.

Nuntij.

¶ Sententiæ Patrum.

Ennodius: Flagitat quasi debitam retributionem, qui profligatis Principum jussionibus, ipse quid actum sit auctor annuntiat. *Vita Epiphanij. cap. 52. m.*

Ennodius: Ascribo peccatis meis, quod majoribus (dum temperatis alloquio) sum iactatus angoribus. Mihi uni in adversum provisa contingunt, dum graviora semper in mærore æstimo, quæ tacentur: quia credo quod de mediocribus sæpe communicentur verba languoribus; cùm proximitas funeris imperet silentia citò rumpenda. *lib. 1. Ep. 3. m.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Arrianus cap. 18. lib. 3. Epict. Si quid turbulenti nuntiatum tibi fuerit illud habeto in promtu: nuntium ad nihil eorum pertinere, quæ tui arbitrij sint. Nunquis enim nuntiare tibi potest, te perperam sensisse, aut prave appetivisse? Nequaquam. Sed mortuum esse aliquem, nuntiare potest. Quid ergo ad te? Aliquem tibi maledicere. Quid ergo ad te? Patrem nescio quid moliri. Contra quem? nunquid contra institutum tuum? qui potest? At contra corpusculum, contra reculam? Salvus es: non contra te: Enim vero judex pronunciat te numen violasse. An non & Socratem judices impietatis condemnarunt? Nunquid tui arbitrij est, quid illi pronuntient? Non. Quid ergo istud curas? Est quoddam patris tui officium, quod nisi præstiterit, nomen patris, nomen pietatis, nomen mansuetudinis amiserit. Nihil eum aliud, ea quidem de causa, perdidisse existimato. Neque enim unquam in alio peccatur, in alio detrimentum capitur. Vicissim munus tuũ est, causam dicere constanter, verecunde, placide. Nam alioqui & tu filij pietatem, verecundiam, probitatem amiseris. Quid ergo? judex ne periculi expers est? Non, sed & ille in eodem periculo versatur. Quid ergo, etiam num times, quidnam ille pronuntiet? Quid tibi cum alienis malis? Tuum malum est, causam tuam male agere: unum hoc caveto. Judicium vero de te fieri, aut non fieri, ut alterius munus, sic alterius quoque malum est. Iste tibi minatur. Mihi? Vituperat te. Ipse viderit, quẽadmodum munus suum administret. Est te condemnaturus: ob id ipsum miser est.

Heliodorus: Ergo Theagenes, inquit, occubuit? Exponite, per Deos, quamprimum, si quid habetis; neque augeatis mihi calamitatem nuncij dilatione. Cum humanitate quadam conjunctum est festinum adversæ fortunæ indicium; ut quod animum ad resistendum magnitudini mali præparet, & satietatem doloris cito adferat. Quæ malum est, inquit Cnemon, ista consuetudo Chariclia? proclivis es quodammodo in augurium deteriorum, sed falsorum utique. Theagenes enim vivit. *Lib. 6. Æthiopic.*

¶ Romanorum.

Symmachus lib. 1. Epist. 10. m. Fratris mei Hesperij honore exsulto, taciturnitate convulneror. Nam si me sui amantem usu rerum probavit, scriptis famam decuit prævenire, quæ diu incerta fluxam fidem gaudiis exhibebat. Ipse igitur nuntius communis boni esse debuerat, ut epistolæ assertio nihil relinqueret opinionis ambiguo. Sed dices eum pudore præstrictum, successuum suorum vitasse jactantiam. Quisquamne cùm de se apud seipsum loquitur, erubescit? Quid quòd eam rem mihi supersedit ingerere, quam justè ad utrumque noverat pertinere?

Symmachus lib. 2. Epistol. 7. Fortunatum te cum primis hoc in tempore judicarem, quod exemptus patriæ incommodis ociaris: nisi scirem bonos cives & tui similes gravius ferre adversa quæ non vident. Ea quippe rerum natura est, ut quidquid ab altero cognoscitur, asperius & majus habeatur. Adde quod integer animus putat innocentiam suam minui, si periculosis eorum desit. Hæc ego, non ut celerem reditum tibi suadeam, sed ut noveris in communibus malis nihil esse quod præferas. Quid enim rempub. juvares, quanquam omnium prudentissimus, si redires? Iam primum consilio locus nullus est.

Symmachus: Lætarum rerum nuncius esse maluerã, DD. Impp. sed ratio officij publici necessitatem mihi nuncij tristis imposuit. Prætextatus vester, invida morte subtractus est, vir omnium domi forisque virtutum. *Lib. 10. Epist. 23.*

Idem epistola sequenti: Licet arbitrer meas litteras nunciis ut rumore præventas: quid enim fama potest esse velocius, D. Imperator? ego tamen officij publici necessitate cogente, excessum viri illustris crudo adhuc dolore non sileo Vettium Prætextatum veteribus parem, virtutum omnium fata rapuerunt, summo patriæ gemitu, cui decus insigne præstabat.

¶ Poetarum.

Aristophanes Acharn. v. 1069.

Sed & hic superciliis elatis huc pedem
Infert; quasi rem sit nunciaturus gravem.

Aristophanes Thesmoph. v. 591.

Nugaris. ego enim non venissem nunciaturus,
Nisi audivissem hæc ab ipsis qui certò sciunt.

Plautus Mercatore 1. sc. 2. v. 65.

Credo, si quid boni ad te nuntiem, instes acriter,
Qui nunc cum malum audiendũ est flagitas me ut eloquar.

¶ Fabula.

Æsopi Iaculator & Leo. In montem venatum profectus est quidam jaculandi peritus. Animalia ubi eum animadvertere, quælibet sibi fuga consuluère. Leo solus eum provocavit in pugnam. Ille jaculum emittens, & Leonem feriens, dixit: Nuncium hunc suscipe & vide eum qualis est; postea ego adveniam. Vulneratus Leo fugæ se credidit, ajens: Nequaquam me decipies. si talem quippe habes nuncium, quum ipse veneris, minimè ego ipsum te sustinuerim.

¶ Monosticha Trochaica.

Auribus mortalium citiùs mala quàm bona accidunt.
Istos invidos Dij perdunt, qui hæc libenter nuntiant.
Fama semper de suo quid nunciis addit mali.

Feſtinare noli triſti deſtinatus nuncio.
Nunciorum plurimos ſua interemit tarditas.
Nuntiis nolito temerè accendi criminantium.
Sæpe aliud quàm reſpondetur internuncius refert.

¶ JAMBICA.

Malum accipit qui hero malum renunciat.
Quis eſſe magni nuncius vellet mali?
Res eſt bonus magni momenti nuntius.
Serò pateſcunt proſpera, adverſa illicò.
Vix nuntiet bonus, nedum Deus mala.

Nuptiarum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Greg. Nyſſenus:* Quemadmodum non poſſumus manuum munere actioneque duas ſimul artes exercere, velut & navigationi ſimul operam dare, ferrariamque ſimul & liguariam facere; ſed ſi quis uni rectè ſeſe daturus eſt, alteram deſerat neceſſe eſt: Ita cùm binæ nobis propoſitæ ſint nuptiæ, quarum unæ carnis opere conficiuntur; alteræ in ſpiritu conſiſtunt; ſtudium quod in unis ponitur, ab alteris nos neceſſario ſeparat. *cap. 20. de Virginitate.*

Chryſoſtomus: Nemo veſtrum ſtudeat uxorem ducere ditiorem, ſed potiùs pauperiorem, Non enim ingredietur afferens ex divitijs tantam occaſionem voluptatis, quantam introduxit moleſtiam ex probris, ex eo quòd plura exigat quàm intulerit; ex contumelijs, ex magnis ſumptibus, ex impenſis, ex verbis moleſtis & importunis. Fortaſſe enim dicet: Nihil adhuc conſumpſiſti ex tuis: méis adhuc induor, ex ijs quæ mihi donarunt parentes. Quid dicis, ô mulier; tuis es adhuc induta? Et quid hoc verbo fuerit miſerius? Corpus non habes ampliùs proprium, & pecunias babes proprias? Non eſtis ampliús duæ carnes poſt matrimonium, & facti eſtis in unam: & duæ ſunt facultates, non una? O amor pecuniæ! Vnus hono, unum ambo facti eſtis animal, & adhuc dicis mea? Execrandum hoc verbum & ſceleratum à diabolo eſt invectum. Deus omnia nobis fecit communia, quæ ſunt his magis neceſſaria: & hæc non ſunt communia? Non licet dicere; lux eſt mea, ſol eſt meus, aqua mea, Quæ ſunt majora, omnia nobis ſunt communia: pæcuniæ autem non ſunt communes? Pereant pecuniæ, imò verò non pecuniæ ſed animi inſtituta & voluntariæ electiones, quæ neſciunt uti pecunijs; ſed eas omnibus præferunt. Et hæc doce cum alijs, ſed cum multa grátia.

Nam quoniam ipſa per ſe ad virtutem exhortatio multum habet triſtitiæ, maximè apud puellam teneram & juvenculam: quando verba fient de philoſophia, multam excogita gratiam: & hoc maximè ex illius anima extermina & amanda, meum & tuum. Si dixerit, mea: dic: Quænam dicis tua? Neſcio enim, cùm ego nihil habeam proprium. Quomodo ergo dicis mea, cùm omnia ſint tua? Condona ei hoc verbum. Non vides quòd in parvis pueris hoc facimus? Quando nobis tenentibus aliquid puer rapuerit; et vult aliquid aliud accipere, concedimus et dicimus, Certè tuum eſt hoc et illud. Hoc etiam facimus in muliere: eſt enim mens ejus magis puerilis: et ſi dicat mea, dic, Omnia ſunt tua & ego tuus. Non eſt verbum adulationis, ſed multæ prudentiæ. Sic potes ejus iram reprimere, & extinguere animi ægritudinem: eſt enim adulatio, quando propter malum aliquid feceris indecorum & illiberale, hoc eſt maxima philoſophia. Dic ergo; Ego quoque ſum tuus, ô filiola. Hoc mihi ſuaſit Paulus dicens: Vir proprij corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Si mei corporis non habeo poteſtatem, ſed tu: multo magis pecuniæ.

Sedabis eam ſi ſic fueris locutus: flammam extingues: diabolum probro afficies: ancillam magis eam facies, quàm quæ eſt empta pecunia. His verbis eã alligabis. Quamobrem ex ijs quæ loqueris, doce eam nunquam dicere meum & tuum. Nec eam tantùm voces, ſed cum blanditijs, cum honore, cum multa dilectione. Honora eam, & non opus habebit vt honoretur ab alijs: non egebit ab alijs danda gloria, ſi ea fruatur qua tu eam effeceris. Eam præpone omnibus, propter omnia, & propter pulchritudinem & ſapientiam, & eam orna laudibus. Ita ei perſuadebis: vt nulli extraneo animum adhibeat, ſed alios omnes irrideat. Doce Dei timorem: & omnia tanquam à fonte affluent, & erit domus referta bonis innumerabilibus.

Si ea quæramus in quæ non cadit interitus, ea quoque advenient in quæ cadit. Quærite, enim, inquit, primùm regnum Dei: & hæc omnia adijcientur vobis. Quales conſentaneum eſt eſſe famulos talium dominorum? quales eos qui illis appropinquant? An non continget eos quoque eſſe plenos bonis innumerabilibus? Nam maxima ex parte ex moribus dominorum ſervi mores ſuos componunt, & aſſimilantur eorum deſiderijs: ea amant quæ didicerint, eadem loquuntur, in ijsdem verſantur. Si ſic nos ipſos componamus, & ſcripturis attendamus: plurima ab illis docebimur. Ita poterimus Deo placere, & totam vitam præſentem cum virtute tranſigere, & aſſequi bona promiſſa ijs qui ipſum diligunt. *Fine Homiliæ 20. ad Epheſios.*

Chryſoſtomus: Qui neque tibias neque ſaltantes neque fractos cantus ſuſtinuerit, idque tempore nuptiarum, vix ipſe in animum induxerit, ut turpe aliquid unquam aut faciat aut dicat. *Homilia. 20. ad. Epheſios.*

D. Chryſoſtomus: Hæc vobis non temere dicta ſunt, ſed vt vos nec nuptijs, nec ſaltationibus, nec choris adſitis Satanicis. Vide enim quid invenerit diabolus. Nam quoniam à ſcena, & ijs quæ illic ſunt turpia & indecora, ipſa natura abduxit mulieres, quæ ſunt theatri abduxit in gynæceum; molles, inquam, ſeu pathicos & meretrices. Hanc peſtem invexit lex nuptialis; imo vero non lex nuptialis, abſit, ſed lex noſtræ mollitiei. Quid facis ô homo? Neſcis quid agas. Mulierem ducis ob temperantiam & liberorum procreationẽ. Quid ergo ſibi volunt meretrices? Vt ſit, inquit, major lætitia. Atqui non ſunt iſta intemperantiæ & inſipientiæ? Probro afficis ſponſam; probro afficis invitatas. Nam ſi his delectantur, res eſt probrum & contumelia. Nam ſi videre meretrices ſe turpiter & indecore gerentes, aliquam affert magnificentiam, cur non attrahis ſponſam ut illa quoque ſpectet? Omnino turpe eſt & indecorum, viros molles & ſaltantes, & omnem pompam ſatanicam domum introducere. Memores eſtote, inquit, vinculorum. matrimonium eſt vinculum. Vinculum à Deo conſtitutum. Solutio eſt meretrix & diſſolutio. Licet aliis exhilarare nuptias, utpote lautis menſis & copioſis, veſtimentis. Hæc non amputo, ne videar eſſe valde agreſtis.

Quanquam Rebeccæ ſufficit ſolum theriſtrum. Sed non amputo. Licet exhilarari veſtibus. Licet præſentia venerandorum virorum, & reverendarum mulierum. Quid ludibria illa, quid monſtra inducis? Dic quæ audis ab ipſis. At erubeſcis dicere? Cur erubeſcis, & illos cogis facere? Si pulchrum eſt & honeſtum, non ipſe quoque facis? Si autem eſt turpe, cur alium cogis? Omnis oportet eſſe plena temperantia ac modeſtia, gravitate & honeſtate. Contrarium autem video, ſaltantes tanquam camelos, tanquam mulos. Virgini ſolus eſt aptus thalamus. At eſt, inquit, pauper. Quoniam eſt pauper, debet etiam eſſe modeſta & honeſta. Habeat mores pro divitiis. Non poteſt dare dotem. Cur eam etiam alias reddis contemnendam ex hac perverſione? Laudo quod adſint virgines æqualem ſuam honorantes, quod adſint mulieres eam honorantes, quæ in ſuum numerum eſt relata. Hoc rectè eſt conſtitutum. Sunt enim hi duo chori: chorus virginum, & chorus earum quæ nupſerunt.

Illæ tradunt, hæ ſuſcipiunt. Sponſa eſt inter eas, neque virgo, neque mulier. Nam illinc quidem egreditur, in hanc autem aſcendit claſſem. Quid autem meretrices? quum oporteret eas præ pudore tegi quum eſſent nuptiæ, quum oporteret eas infodi: matrimonij enim corruptio eſt ſcortatio. Nos autem eas ducimus ad nuptias. Et quando aliquid quidem facitis etiam verbis tenus contraria omnia deprecamini: ut quando ſeminas, quando vinum hauris ex torcularibus, ne reſponderis quidem quæ vappam ſignificant.

Hic autem quum ſit moderatio & temperantia vappam introducitis. hoc enim eſt ſcortatio. Quando unguentum componitis, nihil male olens ſinitis appropinquare. Matrimonium eſt unguentum, cum cœni fœtorem inducis in compoſitionem unguenti? Quid dicis? Saltat virgo, & non eam pudet ſuæ æqualis? oportet enim ipſam hac eſſe honeſtiorem & graviorem, ex ulna enim egreſſa eſt, non ex palæſtra. Non oportet enim omnino virginem apparere in nuptiis: Non vides quod in regia qui ſunt quidem honorati, ſunt intus circa Regem: ij autem quorum non eſt tam bona exiſtimatio, ſunt foris? Sis itaque intus circa ſponſam, ſed caſta mane domi. Ne transvehas & in pompam ducas virginitatem. Adſtat uterque chorus: ille quidem qualem det oſtendens: hic autem, ut eam conſervent. Cur dedecore afficis virginitatem? Si ergo, inquit, neque virgines ſaltant, neque quæ nupſerunt, quis ſaltabit? Nullus. Saltationis enim quænam eſt neceſſitas? In myſteriis Græcorum ſunt ſaltationes. In noſtris autem, ſilentium, honeſta gravitas, pudor & modeſtia.

Magnum peragitur myſterium: foras meretrices, foras prophani. Quomodo eſt myſterium? Conveniunt, & duo faciunt unum. Cur quando ingreditur quidem, non eſt ſaltatio, non ſunt cymbala, ſed multum ſilentium, multa quies. Quando autem conveniunt, non inanimatam imaginem, non alicujus ex iis quæ ſunt in terra, ſed ipſius Dei facientes imaginem & ſimilitudinem: tantum introducis tumultum, & eos qui ſunt perturbas, & dedecore animam afficis & conturbas? Veniunt futuri unum corpus. *Homilia 12. ad Coloſſenſes.*

D. Chryſoſtomus: Quando es facturus nuptias, ne domos ob eas, ſpecula & veſtes commodato accipiens. res enim non fit ad oſtentationem, neque filiam adducis ad pompam: ſed iis quæ in ea ſunt domum exhilarans, voca vicinos, & amicos, & cognatos. Quos noſti quidem bonos & probos, eos voca, & ut iis quæ adſunt contenti ſint admone. Ex iis qui ſunt ex orcheſtra adſit nullus. Illic enim eſt ſumptus ſupervacaneus & indecorus. Ante alios omnes voca Chriſtum. Scis per quem eum vocabis? Qui fecerit, inquit, uni ex minimis, mihi fecit. Ne putes rem eſſe gravem & moleſtam, pauperes vocare propter Chriſtum. Res eſt gravis & moleſta vocare meretrices. Pauperes enim vocare, ea res eſt occaſio & adminiculum divitiarum, illud autem everſionis & exitij. Orna ſponſam, non aureis ornamentis, ſed manſuetudine & pudore, & conſuetis veſtibus.

Pro

Pro quovis mundo aureo, & implicaturis & intexturis, induẽs pudorẽ & verecundiã, & quod illa non quærat. Nullus ſit tumultus, nulla perturbatio. Vocetur ſponſus, accipiat virginẽ. Prandia & cœnæ nõ ſint plena ebrietate, ſed ſatietate cum voluptate. Vide quã multa ex hoc ſunt bona, quando viderimus ea quæ ſunt illorum. Ex ijs autem quæ nunc fiunt nuptijs, ſi nuptiæ & non potius pompæ ſunt dicendæ, quot mala? Soluta ſunt Cenacula, ſtatim inceſſit cura & metus, ne quid interciderit ex ijs quæ accepta erant commodato, & voluptatem excipit intolerabilis animi ægritudo. At hic angor & hæc moleſtia eſt eorum qui ſunt affines? Imo vero ne ipſa quidem ſponſa eſt ab his libera. ea quidem certe quæ ſuccedunt poſtea ſponſæ ſunt omnia. Videre enim diſſolvi omnia, ſunt argumentum triſtitiæ & animi ægritudinis: videre domum deſertam. Illic Chriſtus, hic Satanas. Illic triſtitia, hic cura. Illic voluptas, hic dolor. Illic ſumptus, hic nihil tale. Illic probum & dedecus: hic modeſtia. Illic invidia, hic nulla plane eſt invidia. Illic ebrietas, hic ſobrietas, hic ſalus, hic temperantia. *Homilia 12. ad Coloſſenſes.*

D. Io. Chryſoſtomus: Impudicos non permittit Paulus poſt ſecundas nuptias ad eccleſiæ regimen dignitatemque paſtoris ſubvehi. nam qui defunctæ uxori benevolentiam nullam ſervaſſe deprehenditur, quo pacto hic Eccleſiæ præceptor eſſe optimus poterit? Imo quibus criminibus non ſubijcietur in dies? Noſtis n. profectò omnes, quod etſi per leges ſecundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accuſationibus patet. nullam ergo occaſionem præbere ſubiectis præſulem vult. *2. Homilia Epiſt. ad Titum.*

¶ LATINORUM.

Chryſologus: Quia ſemper nuptijs amicæ ſunt faces? luminum teſtimonio celebratur caſtitas nuptiarum. Sicut enim fugit lucem, illicita qui præſumit, ſic multiplici coruſcat in lumine licita qui requirit. *Sermone 22.*

Chryſologus: Qui quærit ſponſam, jejunia ſeponit, relinquit auſtera, totum ſe dat gaudijs, epulis indulget: totus blandus, totus amabilis, totus feſtivus incedit; & facit totum quod ſponſæ tenera requirit affectio. *Sermone 32. m.*

¶ ORATORUM GRÆCORUM.

Xenophon: Atque his rebus peractis, Cyrus diſceſſit: quumque in Mediam perveniſſet, de patris ſui matrisque ſententiam Cyaxaris filiam uxorem ducit. *Cap. 23. libri 8. Cyropædiæ.*

Æſchines: Nobis multos dies Ilij commorantibus: neque tamen pergamorum ludis finem accipientibus, mihi verò animus erat manere, donec univerſa carmina Iliadis ad ea ipſa, de quibus conſcripta ſunt accommodata finijſſem: dies intervenit, in qua plurimi connubium puellarum tentarit quibus lex & ætas nubere permittit. Numerus itaque earum quæ deſponderentur, frequentiſſimus erat. Sed moris eſt in Troade regione, ut virgines quæ nubunt ad Scamandrum accedentes abluant de hoc quaſi ſacrum quoddam carmen accinant λάβε μου σκάμανδρε τὴν παρθενίαν: Accipe meam Scamandre virginitatem. Proinde inter cæteras Calliroa nomine virgo magna, & genere nobilis lotum ad fluuium venit. Et nos vnà cum deſponſatarum amicis alijſque turbis, ex longinquo ſolennitatem & lotiones virginum, qua fas erat extrinſecus intueri ſpectabamus. Ibi tum probus ille bonuſque Cimon ſub arbuſtis Scamandri latet abditus & ſe ipſum frondibus velat. Hoc nempe ſtratagema, & hæ inſidiæ contrà Calliroam interdiu commodæ erant. Cum interim illa lauaret, & conſuetum carmen, ut poſt mihi cognitum pronuntiaret λάβε μου σκάμανδρε τὴν παρθενίαν, protinus ex arbuſto ſe proripiens Scamander Cimo: Libenter verò inquit admitto, & ego Scamander Calliroen accepto, multáque bona tibi largiar. Hæc ſimul dicens & puellam raptans, evanuit è conſpectu. Non tamen eodem modo ſcelus evaneſcit. Sed quatuor diebus poſt pompa Veneri ducebatur. Eam nuper nuptæ agitabant. Nos autem ſpectatores pompæ aderamus, Ibi ſponſa, cum fortè vidiſſet Cimonẽ quaſi nullius peccati ſibi conſciũ, & mecũ unà ſpectantẽ, in genua prolabens adorabat, atq; ad nutricẽ conversa, vides inquit mea nutrix Scamandrũ, cui meã virginitatẽ tradidi. Quo audito nutrix exclamare: & flagitiũ in vulgus manare. Ego verò domum reverſus aſſumo Cimonẽ, & quod par erat facio ſceleſtum appellato propter ejus flagitium nos interijſſe dico. At illi nihil ex eo formidinis, neque verò pudoris quicquam: ſed fabulas prolixas ordiebatur, omnes, qui ullibi cruce digna perpetraſſent, commemorans, & recenſens. Nam & in Magneſia iuxta Mæandrum fluuium hoc idẽ à quodam ejus terræ juvene factum eſſe narrabat. Vnde pugilem Attalum hodie quoque pater non ſuum, ſed Mæandri filium arbitratur, & ob eam cauſſam benè corpulentum & robuſtum exiſtimet. Quòd ſi plagis acceptis diſcedat victus, fluvium ei ſuccenſuiſſe dicit, quoniam victor eum non parentem ſalutarit. Neque enim ſuperatus, non protinus excuſationem aliquam excogitat. Et eodem modo iuxta Epidamnum. Poſtremo, *Muſicum ajebat ob ſtoliditatem perſuaſum Herculis, ex adulterio ſibi natum credidiſſe. At ego non liberos inquit genui: ſed cum puella jam præmatura ſemel tantum, ubi cum una quadã anu lavare conſpexiſſem, ſum collocutus. Tum verò, inquit, viſum eſt mihi, ne prorſus Ilij Tragica, horrendaq; forent omnia, nos etiam aliquid præſtare oportere, & comœdiarum ritu Scamãdrum effingere. Atq; ego nihil, niſi quorſum evaderet impudentia tanta, expectans, lapideus propemodum ſtupore & miraculo rei factus ſum. Ille verò tertium etiam Apollinis & Bacchi videbatur adulterium adducturus, donec ego cernens agglomeratam ad oſtiũ turbam, hoc ipſum dicerem. Hi combuſtũ nos adſunt, & elabens per poſteriores ædium partes ad Melannipidam fugerem. Inde ſub veſperam mari rectam viam tenuimus.

Heliodorus: Nuptiæ cum victoria conjunctæ, & poſt res bene geſtas celebratæ, omnino ſunt hilariores. *Lib. 1. Æthiopic.*

Heliodorus: Si forte tibi adhuc eſt, pretioſi aliquid in repoſito, aut veſtis auro intertexta, aut monile magno conſtans, hæc tanquam ſponſalia alter à ſponſo, & donis Placa Charicliam. Irrecuſabilem habet apud mulierem faſcinum, aurum & lapis. *Lib. 4. Æthiop.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Socer Pompejus Iulianus, cùm cætera vita, tum vel hoc uno magnus & clarus, quod ipſe provinciæ princeps, hunc Euphratem, inter altiſſimas conditiones, generum non honoribus principem, ſed ſapientia elegit. *Lib. 1. Epiſt. 10.*

Plinius Iunior: Eſt illi facies liberalis, multo ſanguine, multo rubore ſuffuſa, eſt ingenua totius corporis pulcritudo, & quidam Senatorius decor: quæ ego nequaquam arbitror negligenda: debet enim hoc caſtitati puellarum quaſi præmium dari. Neſcio an adiiciam, eſſe patri ejus amplas facultates. nam cùm imaginor vos, quibus quærimus generum, ſilendum de facultatibus puto: cùm publicos mores, atq; etiam leges civitatis intueor, quæ vel inprimis cenſus hominum ſpectãdos arbitrantur, ne id quidem prætereundum videtur: & ſanè de poſteris & his pluribus cogitanti, hic quoque in conditionibus deligendis ponendus eſt calculus. *Lib. 1. Epiſt. 14.*

Plinius Iunior: Dicit Regulus ſe velle ducere uxorem; hoc quoq; ſicut alia perverſè. audies brevi nuptias lugentis, nuptias ſenis: quorum alterum immaturum, alterum ſerum eſt. *Lib. 4. Epiſt. 2.*

Plinius Iunior: Quamvis & ipſe ſis continentiſſimus, & filiam tuam ita inſtitueris, ut decebat filiam tuam, Tutilij neptem. cùm tamẽ ſit nuptura honeſtiſſimo viro Nonio Celeri, cui ratio civiliũ officiorum neceſſitatem quandam nitoris imponit; debet ſecũdum conditiones mariti veſte, comitatu, quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen, inſtrui. Te porrò animo beatiſſimum, modicum facultatibus ſcio. itaque partem oneris tui mihi vindico; & tanquam parens alter, puellæ noſtræ confero quinquaginta millia nummûm; plus collaturus, niſi à verecũdia tua munuſculi ſola mediocritate, impetrari poſſe confiderẽ ne recuſares. *Epiſt. 32. Lib. 6.*

Symmachus: Proſericius cùm premeretur extremis, & præſentem me, & per epiſtolam ſummis precibus obſecravit, ut impetrata ſacri auctoritate reſcripti, filia eius fratris ſui filio copuletur: quod multis eſſe conceſſum, manifeſta teſtantur exempla. *Epiſt. 14. Auctuarij.*

¶ POETARUM.

Plautus Aululariæ 2. ſc. 2. v. 43.

Filiam tuam mihi uxorem poſco. promitte hoc fore.
E. hei Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Vt inopem atq; innoxium abs te atq; abs tuis, me irrideas.
Nam de te, neq; re, neq; verbis merui, ut faceres quod facis.
M. Neq; edepol ego te deriſum venio, neq; derideo;
Neq; dignum arbitror. E. cur igitur poſcis meam gnatam tibi?
M. Vt propter me tibi ſit melius, mihiq; propter te & tuos.
E. Venit hoc mihi in mentem Megadore; te eſſe hominem divitẽ,
Factioſum; me item eſſe hominem pauperum pauperrimum.
Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem eſſe, & me eſſe aſellum, ubi tecum conjunctus ſiem,
Vbi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego aſinus in luto.
Tu me bos magis haud reſpicias, gnatus quaſi nunquam ſiem.
Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
Neutribi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid divortij fuat.
Aſini me mordicibus ſcindant, boves incurſent cornibus.
Hoc magnum eſt periculum, ab aſinis ad boves tranſcendere.
M. Quam ad probos affinitate proximè te adjunxeris,
Tam optimum eſt. tu conditionem hanc accipe; auſculta mihi,
Atq; eam deſponde. E. at nihil eſt dotis quod dem. M. ne duis,
Dummodo morata rectè veniat dotata eſt ſatis.

Plautus Sticho 1. ſc. 1. v. 47.

Nolo ego ſoror, me credi eſſe immemorem viri;
Neq; ille eos honores, mihi quos habuit perdidit.
Nam pol mihi grata acceptaq; hujus eſt benignitas.
Et me quidem hæc conditio nunc non pœnitet.
Neq; eſt cur ſtudeam has nuptias mutarier.
Verùm poſtremò in patris poteſtate eſt ſitum.
Faciendum id nobis quod parentes imperant.

Terentius Adelph. 4. ſc. 7.

——— *jam verò omitte Demea.*
Tuam iſtanc iracundiam, atq; ita, uti decet,
Hilarem ac lubentem fac te in gnati nuptiis.

Terentius Andr. 1. ſc. 5.

Proh Deûm atq; hominũ fidẽ! quid eſt, ſi non hæc cõtumelia eſt?
Vxorem decrevit dare ſeſe mihi hodie. nonne oportuit
Præſciſſe me ante? nonne prius communicatum oportuit?

Terentius Andriæ 2. ſc. 2.

Redeunti interea ex ipſa re mihi incidit ſuſpectio;
Paullulum obſonij; ipſus triſtis, de improviſo nuptiæ;
Nõ cohærẽt. P. quorſumnã iſtuc? D. egomet cõtinuò ad Chremem,
Cùm illò advenio, ſolitudo ante oſtium. jam id gaudeo.
P. Recte dicis, perge. D. maneo. interea introire neminem
Video, exire neminem; matronam nullam; in ædibus
Nil ornati, nil tumulti. acceſſi, introſpexi. P. ſcio.
Magnum ſignum. D. num videntur convenire hæ nuptijs.

Non opinor, Dave. D. opinor, narras? non rectè accipis.
Certa res est. etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera & pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.
Ch. Liberatus sum Dave hodie tua opera.

Terentius Andriæ 2. sc. 6.

Subtristis visus est esse aliquantulum mihi.
D. Nihil propter hanc rem; sed est quod succenset tibi.
S. Quidnam est? D. Puerile est. S. quid est? D. nil. S. quin
dic, quid est?
D. Ait nimium parcè facere sumptum. S. méne? D. te.
Vix inquit drachmis obsonatus est decem:
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, vocabo ad cœnam meorum æqualium
Potissimum nunc? & quod dicendum hîc siet,
Tu quoque perparcè nimium, non laudo.

§ Apologi.

De Juvene ducturo uxorem, rogante amicos, ut pro se orarent. Fab. 166.

Juvenis quidam desponsurus uxorem, quum interrogaretur, an eam vellet, convertit se ad amicos & propinquos, qui ibi aderant, dicens: Quid ut muti siletis? Cur non Deum, ut me hodie adjuvet, oratis? Si enim sternutantibus Deum adesse precamur, ubi nullum est periculum, quanto nunc magis pro me orare debetis, cui tantum videtis imminere discrimen.

Fabula indicat, ducentes uxorem maxima adire pericula. Abstemius.

§ Emblematum.

Batillius CLXXIV.

Omnis fortunæ casus communiter nuptis subeundis.

Ignem & aquam tangit (fieri queis tum nova conjux
Censetur) justo nupta puella viro.
Nempe ut non vanâ se discat imagine dici
Consortem vitæ quæ sociata toro est;
Sed quam fors sortem dederit, debere tueri,
Vel quæ etiam exulibus lege ferenda, pati:
Sicque ambo sibi se casus constanter in omnes,
Sic comitem præstent tempus ad omne fidem.

Jac. Catsius Emblemate Amatorio II.

Nil, nisi mota, dabit.

Dulcis amica placet; placet uxor, & oscula castæ
Conjugis, & multa prole beata domus.
Cura sed ulterior tibi nulla. quid? anne moraris,
Dum ruat in gremium sponte puella tuum?
Nil agis: intenso demum clamore movetur,
Sueta viatoris quæ modo voce loqui.
Nil dare sponte sua suevit resonabilis Echo:
Nec dare sponte sua bella puella solet.

Jac. Catsius Emblemate amatorio XXIV.

Qui captat capitur.

Læda vagis juvenes vocat in certamen ocellis,
Vidit, & insidias, Nerva paremus, ait.
Dat faciles aditus, dat basia, fertque vicissim,
Qualia vel passer, vel dare concha solet.
Omnia cùm fervent, dextram petit illa fidemque:
Igne furens juvenis, quod petis, inquit, habe.
Ostrea non aliter rostro penetrantur acuto,
Et quæ captabat capta remansit Avis.

Idem adhuc Emblem. XVI.

Cedit honor ramis, succi tamen arbor origo est,
Et decus hoc, ex se quod dedit, alter habet.
Si fortasse tuo rutilent à dote penates,
Arcula cùm modico sit gravis ære viri;
Pone supercilium, bona nec tua laudibus effer:
Inque viri lateat nomine tota domus.
Turpiter, Hæc mea sunt, mulier furibunda reclamat.
Ah! nunquam proprias femina jactet opes.
Lex dominos rerum pronunciat esse maritos,
Idque viri juris quà patet orbis habent.

Catsius Emblemate nuptiali XXIV.

Fallimur ignotis.

Indice me, præstat tedas celerare jugales:
Conjugium scatiò fida pudoris erit.
At patet insidijs levis & properata voluntas:
Decipitur propero qui vorat ore cibum.
In scrobe tecta latet visco maculata papyrus,
Cùm Palamedeam, rustice, fallis avem.
Delicia volucrum medico jacet esca cucullo,
Quam properans rostro dum male captat avis,
Mox oculos lento premit illita charta veneno,
Ridet & in prædam læta caterva ruit.
Fallitur & totam fit fabula justa per urbem,
Credulus ignoto si quis amore perit.

Idem nuptiali Emblemate XLV.

Quæ proprijs quondam vergebat in aëra ramis
Planta, peregrina non nisi fronde viret.
Vertice truncato, jam non sua, germina monstrat;
Quodque suum non est, sustinet arbor onus.
Arbitrio, nova Nupta, tuo desiste moveri:
Certa tibi vitæ norma maritus erit.
Ille dabit leges, quas non aversa sequeris:
Si sapis, his succos pectoris adde tui.
Obsequium sint regna tibi; parendo gubernas:
Sensibus alterius disce puella regi.

§ Monosticha Trochaica.

Absque consensu parentum uxorem ut ducant liberi!
Æternare vis genus tuum? illigator nuptijs.
De Casinâ, certum est concedere homini nato nemini.
Filiam superbum est reddere, cui vitij dicas nihil.
Filias des honoratis, non opulentioribus.
Hac utinam viri carere possemus molestia.
Haud locus illi in nuptiis, cui animus non est ad nuptias.
Ita ut decet, hilarem ac lubentem fac te in nati nuptiis.
Moribus dedecoroso filiam quis offerat?
Nemo filiæ moratur nuptias parens suæ.
Nihil à meretrice differt sæpe nupta femina.
Nil minus decet nupturam pulcrior quàm pronuba.
Non nisi ex eo parit data est cui nuptum femina.
Nupta omnis meretrici est hostis, segregata ubi à viro est.
Nuptiæ malæ sunt queis non it comes modestia.
Nuptiarum fructus, plorans puer & uterus tumens.
Nuptias consensus ipse, non concubitus perficit.
Nuptias facit consensus; copulatio haud facit.
Nuptias qui quærit instat pœnitentiæ viam.
Nuptialis Fescenninos expetit celebritas.
Pauperem alere difficile est; tormentum ferre divitem.
Pulcra sæpe ab haud venusta carpitur manu rosa.
Pulcrior nuptam novellam decolorat pronuba.
Solitudo convenire non videtur nuptijs.
Tam malum est habere nuptam, nõ habere quàm malũ est.
Tanta spes in nuptijs non est boni, quantum mali.
Vita ei fit serva quisquis cogitat de nuptiis.

§ Jambica.

Admixta multa nuptijs incommoda.
Ardere Dido maluit quàm nubere.
De nuptiis qui cogitat, malè cogitat.
Ducenda nondum uxor juveni; nunquam seni.
Duos puella amare non potest simul.
Et mente solâ casta nubit femina.
Faces ubique sunt amicæ nuptiis.
Hilarem ac lubentem fac te in gnati nuptijs.
Iam sponsa non est patris, conjugis sui est.
Incestuosis turpius nil nuptiis.
Mors ipsa sinus nuptiarum est omnium.
Nemo suæ natæ moratur nuptias.
Præcipere castitatem qui nupsit nequit.
Prodi ac roga: perit procari, si latet.
Quas credis esse, non sunt veræ nuptiæ.
Quid nuptias requiris liberos si habes?
Vinculum juventæ, nuptiæ tutissimum.

Nutricij.

§ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Si in Christo regenerati sumus, qui nos regeneravit, proprio lacte nutrit, nempe Verbo. Quicquid enim generavit, ei quod generatur, protinus alimentum præbere, est consentaneum. Quemadmodum autem regeneratio cõvenienter, ita etiam nutrimentum fuit homini spiritale. Omni ergo ratione nos in omnibus Christo conjungimur, & familiares reddimur, & in cognatione, per sanguinem eius quo redimimur: & in consensione, per nutritionem quæ ex verbo efficitur: & in incorruptione, per eius ipsius institutionem, & vitæ agendæ rationem. Aluisse autem inter homines sæpe affert plura amoris incitamenta, quàm procreasse liberos. *Lib. 1. Pædagogi, cap. 6.*

D. Chrysostomus: Nutrix ea quæ infantem alit regium, illo ad paternum principatum evecto, & ipsa quoque bonorum fructum percipit. *Homilia 14. ad Roman.*

§ Latinorum.

Chrysologus Sermone 62. pr. Nutritor prius nisi totus fuerit redactus in parvulum, nunquam parvulum perfectum perducit in virum: denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, sensus

sepenit

ſeponit, infirmat viſcera, abiicit vires, membra diſſolvit, greſſum tardat, geſtit non ambulare, ſed repere: ridere ſimulat, timere fingit, flere mentitur, quia eſt in illo mendacium pietas, deſipuiſſe prudentia eſt, eſt infirmitas virtus. Hoc reor beatum Paulum feciſſe cum dicit, factus ſum parvulus in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos. Sed forte aliquis ſtupeat, cum videat nutriculum iſta facientem: non irridet ſi eſt parens, ſi pater eſt non miratur: hoc ſtultitiam dicere non poteſt qui ſcit amare.

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Theano: Cùm mater liberorum facta ſis, hæc te moneo, ut nutricem deligas aptiſſimam atque mundam præterea verecundam & ſomno non deditam, neque temulentiæ. Talis enim optima ac præſtantiſſima judicatur, ad pueros ingenuè & liberaliter educandos, ſi lac ad alendum idoneum habeat; & ut cùm viro concumbat impelli nullo modo poſſit. Magna enim pars in hoc & prima & evidentiſſima ad totam vitam poſita eſt in nutrice, præter reſtam nutritionem. Faciet enim omnia ſuo & opportunò tempore; ut pupillam mammamque & nutrimentum non temerè cùm in mentem venit, præbeat: ſed cum cura & prudentia. Sic enim valetudinem infantis confirmabit, ut non illi collibitum eſt ſomnum capiat, ſed cùm infantem quieſcendi deſiderium inceſſit. Non enim exiguam puero ſanitatem adferet. Neque verò iracunda ſit nutrix, neque balba, neque in ſumendo cibo nullam rationem aut diſcrimen adhibens, ſed compoſita & moderata. Itèm ex potentibus non Barbara ſed Græca. Optimum verò, ſi probè lacte impletus infans, ad ſomnum convertatur. Iucunda eſt enim junioribus remiſſio, & ejuſmodi cibi facilis concoctio. Quòd ſi alius etiam dandus eſt, iis ſit ſimpliciſſimus. Vino autem prorſus abſtinendum eſt, quoniam fortiorem vim habet, aut quòd raro admittat temperaturam crepuſculum lacteum. Balnea verò non ſunt continuanda. Nam rarorum, eorumque bene paratorum uſus, melior eſt. In ipſis verò ſit aër idoneus ex frigoris & caloris juſta proportione conſtans & habitatio, neque nimium flatibus obvia, neque nimium tecta. Sed & aqua neque dura neque mollis. Et ſtrata non aſpera, ſed quæ concinnè ſint ad corpus apta. In omnibus enim his ſuam quandam vim natura requirit, non magnificentiam. Hæc igitur in præſentia non ab re fuit tibi præſcribere ſpei nutritiones, quippe ad præeuntis arbitrium accommodatas. Deo verò juvante de pueri educatione, quas poterimus etiam aliquando proprias adferemus admonitiones. *Epiſtola ad Myam.*

Ariſtides Sophiſta: Antiqua viget inter Græcos lex & inter barbaros, ut opinor, pleroſque, qua jubentur ſinguli nutriciis ſuis quas poſſunt maximas referre gratias. Nutricios autem vobis antiquiores, Athenienſes, nemo facile ſibi repererit, qui quidem inter Græcos cenſeatur. Primùm enim conſueti hujus & communis alimenti auctores ab initio fuiſtis vos & cognomines. quare cùm alij ſint aliorum nutricij privatim, prout fortuna & concurſus temporum tulerit, vos meritò ſoli poteſtis communes omnium nutricij vocari, atque ipſis etiam nutriciis priores, ut quos poëtæ vocant patrum patres. quia quidem vel ſola de causa omnes vobis benevolentiam ſuam & ſtudium debent. Jam eius alimenti, quod verè purum eſt, & hominis proprium, artes dico & literas initium à vobis ortum eſſe & in omnes propagatum; nemo tam illarum rudis eſt quin ignoret. *Orationis panathenaicæ initio.*

Ariſtides Sophiſta: Cum urbs Græciæ altrix eſſet, contra legum præſcriptum ſe geſſit. nam cùm ab iis quos educavimus, jubeat lex præmia repoſcere, illa præter alimenta quæ principio præbuerat, libertatem inſuper cùm periculo ſalute ſuo Græciæ comparavit; tanquam ei perpetua, quaſi ex pacto per priora inito, beneficia deberet. *Oratione Panathetica.*

¶ POETARUM.

Terentius Hecyræ 5. ſc. 2.

Nihil apud me tibi deſieri patiar, quin quod opus ſit
Benignè præbeatur.
Sed cùm tu ſatura, atq; ebria eris, puer ut ſatur ſit facito.

P. Syrus Mimus.

Secundus eſt à matre nutricis dolor.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Charitate ſumma alumnos diligit nutrix ſuos.
Ecqua nutrix non amore ſummo alumnum diligit?
Impium eſt ſuam nutrici non referre gratiam.
Non refert mores alumnus matris aſt nutritiæ.
Non ſecus nutrix alumno diligenda eſt quam parens.
Plus amoris naſcitur dum nutris quàm dum procreat.
Plus dolet nutrix parente, ſi modo & mammam dedit.

¶ JAMBICA.

A matre nutrix ſolo differt nomine.
Nec dormiat nutrix nimis nec potitet.
Secundus eſt à matre nutricis dolor.

POLYANTHEÆ TOMI SECUNDI LIBER DECIMUSTERTIUS.

Obedientiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

DIVVS NAZIANZENVS: Dei filius, ut Verbum, nec obediēs erat, nec inobediēs. hæc enim iis, qui aliorum imperio tenentur conveniunt, quiq; ſecundæ claſſis ſunt: illud nimirum probis atque honeſtis; hoc improbis ac ſupplicio dignis. *Orat. 36.*

D. Chryſoſtomus: Non eſt hoc ignobilitas, ſed prima nobilitas, ſcire eſſe inferiorem & modeſtè ſe gerere, & cedere proximo. & liberi liberis cum multo timore & tremore ſerviunt. *Homil. 22. ad Epheſios.*

¶ LATINORUM.

Ennodius: Perfecta obedientia eſt, quidquid ſummus exigit, non negari. *Lib. 6. Epheſ. 9. a. f.*

Ennodius: Suſpecta eſt obedientia quæ famulatur indignis: & quoties prælatos convenit conſcientia ſtirpis ultimæ, & illud metuunt quod timentur. *Paneg. Theod. cap. 7. f.*

Io. Sariſberienſis: Qui ſub poteſtate conſtitutus eſt, ſi ſapit obtemperat imperio præſidentis. *Prologo lib. 3. Policratici.*

Io. Sariſberienſis: Perſuaſus ſum devotos humeros ſupponere poteſtati; neque modò fero eam, ſed grata eſt, dum Deo ſubjecta eſt, & illius ordinem ſequitur. Alioqui ſi divinis reluctetur mandatis, & metheomachiæ ſuæ velit eſſe participem, libera voce reſpondeo, Deum cuivis homini præferendum. Sic ergo cohæreant inferiora ſuperioribus, ſic univerſa membra ſe ſubjiciant capiti, ut religio ſervetur incolumis. *Lib. 6. Policratici cap. 23.*

¶ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Xenophon: Accidit aliquando nobis ad animum, quot populares adminiſtrationes ab iis, qui aliter potius, quam in populari reipublicę ſtatu degere vellet, everſæ; quot item vel ſingulorum, vel paucorum principatus, à plebeis ſublati ſint: quotque regnum invadere conati, partim perquam celeriter imperio ſint dejecti, partim ut viri ſapientes & felices, in admiratione ſint: quantocumque tandem ſpacio temporis principatum retinuiſſent. Quin & pleroſque videbamur animadvertiſſe, qui domi ſuæ familiam, alij majorem, alij ſane modicam alerent: quum tamen iidem domini etiam perpaucos illos magnopere ſibi obſequentes habere non poſſent. Præterea veniebat in mentem nobis, ut bubulcis in boves, ſic equariis in equos, adeoque omnibus, quos paſtores dicimus, illæc in animalia, quibus præſunt, non abs re videri imperium eſſe. At vero videre videbamur, greges hos omnes lubentius paſtoribus ſuis parere, quam homines magiſtratibus. Pergunt enim greges, quocumque paſtores dirigunt: atque ut in locis paſtum quærunt, in quæ illi loca eos immittunt: ſic ab iis abſtinent, à quibus arcentur. Quinetiam fructibus, qui ex eis proveniunt, uti paſtores pro libitu ſinunt: nec unquam accepimus ullum gregem adverſus paſtores coiviſſe, quo vel minus eis pareret, vel eos uti fructu non permitteret. Imo quibus aliis infeſtiores ſunt greges, quam iis, qui & imperium in eos habent, & emolumenta ex iis capiunt: quum homines in nullos majori coeant impetu, quam quos in ſe regnum adfectare ſentiunt. Hæc quum apud animum expenderemus, ita de his arbitrabamur: ut homini nato facilius exiſtimaremus eſſe, quibusvis animantibus aliis, quàm hominibus imperare. Sed ubi cogitavimus, fuiſſe Cyrum Perſam, qui complures homines, complures civitates,

tes, complures etiam nationes sibi pa[illegible]tes habuerit: tum deinde relicta sententia priori, sic statuere coacti sumus; ut hominibus imperare, neq; illarum in rerum numero, quæ res fieri nequeunt, ponendum, neque factu esse difficile censeremus, modo scite quis hoc agat. Quippe Cyro sponte sua paruisse novimus homines, qui partim ab eo complurium dierum, partim mensium intervallo abessent, partim nunquam ipsum vidissent, partim certo scientes, se non visuros, nihilo tamen ei minus obœdire vellent.

Etenim cæteris ille regibus tantum præstitit, quum iis, qui accepissent paternos, tum qui sibi principatus ipsi acquisivissent: ut quum Scytha, quamvis amplissimæ Scytharum copiæ sint, nullam regno suo nationem aliam adijcere possit, satisque sibi ducat, si suæ gentis imperium retineat, & Thrax, si Thracum, Illyricus, Illyricorum; itidemque de ceteris eadem nationibus audiamus: (nam in Europa quidem etiam nunc sui juris, & à se invicem distinctæ gentes esse perhibentur) Cyrus unus, qui nationes Asiæ similiter suis utentes legibus liberasque reperisset, exigua cum Persarum manu domo profectus, Medis quidem Hyrcaniisque non invitis imperavit: Syros vero, Assyrios, Arabes, Cappadoces, Phrygas, utrosque, Lydos, Cares, Phœnices, Babylonios subegerit: atque etiam Bactrios, Indos, Cilices, Sacas item, Paphlagonas, Magadinos, gentes alias complures, quarum ne nomina quidem referre quis possit, in ditione habuerit. Idem Græcos incolentes Asiam, & Cyprios, & Ægyptios, ad mare quum descendisset, suam in potestatem redegit. Harum igitur gentium imperio potitus est, quibus neque cum ipso, neque inter se lingua communis erat. Nihilominus ita metu sui tantum terrarum obire potuit, ut omnibus formidine percussis, adversus ipsum nemo quidquam moliri auderet. Idem tantum in hominum animis excitare potuit desiderium præstandi ea, quæ essent ipsi grata: ut omnes ipsius arbitrio regi perpetuo cuperent. Tot nationes ut ex ipso penderent, effecit, quot etiam enumerando percurrere fuerit operosum, quacunque scilicet ex parte à regia quis ordiatur, sive ad ortum, seu occasum, sive ad septemtriones, seu meridiem. *Lib. 1. Cyrop. cap. 1. & seqq.*

Xenophon: Chrysantas adsurgens, hoc modo locutus est: Etiam aliis in rebus, commilitones, animadverti sæpius: nihil inter principem bonum, & patrem bonum interesse. Nam & patres liberis prospiciunt, ne unquam eos bona deficiant: & Cyrus iam mihi videtur ea nobis consulere, de quibus felicitatem perpetuam maxime consequuturi simus. Quod autem minus mihi, quam oporteret, declarasse videtur: id equidem ignaros edocere conabor. Cogitate enim, quænam urbs hostium ab iis capi possit, qui nolint imperio parere? quæ amicorum urbs conservari possit ab iis, qui nolint imperio parere? qui militum contumacium exercitus victoria potiri possit? quonam modo facilius possint in præliis homines vinci, quam ubi cœperint seorsum singuli salutis propriæ consilia capere? quid aliud rei præclaræ perfici possit ab iis, qui se potioribus haud parent? quæ urbes legitime administrentur? quæ domus servari queant? quo pacto naves eo perveniant, quo tendunt? Nos ipsi ea commoda, quæ modo nobis adsunt, quanam alia re magis comparavimus, quam principi parendo? Nam ita factum est, ut celeriter & noctu, & interdiu, quo erat necesse, perveniremus: & dum repente totis copiis principem sequeremur, nemo vim & impetum nostrum sustinere potuerit: eorum denique nihil semiperfectum reliquerimus, quæ nobis erant imperata. Ergo si parere imperio, maximum esse bonum manifesto paret, ad comparandum bona cetera: certo sciendum vobis est, etiam idem hoc bonum esse maximum ad conservandum ea, quæ conservari necesse sit.

Et antea quidem multi nobis imperabant, quum nullis nos imperaremus: nunc res omnium, quotquot adestis, sic comparatæ sunt, ut imperetis alij pluribus, alij paucioribus. Quemadmodum igitur æquum existimatis esse, vos potestati vestræ subjectis imperare: sic & ipsi pareamus eis, quibus officij ratio parere nos jubet. Tantum autem inter nos & servos interesse oportet, quod illi quidem inviti suas heris operas exhibent: nos vero siquidem liberi esse volumus, sponte nostra facere convenit, quod maxime dignum laude videatur. Invenietis autem, inquit, etiam civitatem, quæ unius imperio non administratur, si magistratibus, omni studio parere velit, minime per vim eo posse adigi, ut hostium imperium accipiat. Quamobrem ad hanc, uti Cyrus præcipit curiam præsto simus, nosque in iis exerceamus, quibus retinere potissimum queamus ea, quæ conservari necesse est: & operam Cyro nostram exhibeamus, ut ea, quamcumque ad rem opus hac fuerit ipsi utatur. Nam id quoque scire debemus, non posse Cyrum quidquam reperire, cuius usus ad sua tantum, non etiam nostra commoda pertineat. Etenim eadem nobis conducunt, & ijdem nobis hostes sunt. Quæ Chrysantas ubi dixisset, alij tum Persæ, tum socij complures adsurgebant, qui hæc oratione sua quoque comprobarent. *Cap. 1. & 2. Lib. 8. Cyropædia.*

Simplicius fine cap. 37 Epict. Populi etiam cum principibus civitatis quandam esse effectionem, perspicuum est, & officia illi affectioni congruentia. Legitimus autem & germanis principibus parere in omnibus populus debet, & alacriter obtemperare, & venerari eos, ut qui proxime & secundum Deum maxima in rempublicam beneficia conferant. Veri enim principes ab animo suæ curationis munus auspicantur, & hominis partes pervagantur: & quod de medicis dixit: Hippocrates, in principibus copiosius videre licet. Nam ob alienos casus privatis non quidem doloribus afficientur, si Epicteto pareant: sed curas & labores subeunt, rem familiarem negligunt, occupationibus detinentur, quibus & à sui & rerum meliorum cura abstrahuntur. Neque verò magistratibus obsequi tantum, sed & operam qui possunt navare debent, atque existimare in iis niti salutem civitatis. Sin autem verbo tantum principes erunt, & magistratus officia negligent: improbandi illi quidem erunt, ut sunt improbi: sed quod magistratui convenit, eis præstabitur, ut & principatum eis deferamus, & iis in rebus pareamus, quibus animus non læditur.

Basilius Imperator. Cap. 59. Irasci adversus Deum ulla unquam in re nefas esse ducito: hanc enim impatientiam, animi exilitas sæpenumero generare solet: sed æquo animo excipe omnia quæ tibi contingent, & obsequere absque ulla cunctatione iis omnibus, quæ Deus à te fieri voluerit: si gaudere, gaude: si mœrere, mœre: si secunda uti fortuna, secunda utere: si adversa, patere. omnibus cede, & omnibus acquiesce: à peccato duntaxat abstine. hoc enim unum est, quod te nunquam admittere oportet: quoniam à Deo non est, immo ex eo ferè nascitur, quòd Deo non paretur. Neque ergo secundis rebus extollere, neque adversis deprimere. si enim in omni rerum acerbitate fortiter ferendo animi æquitatem ostenderis, patientiæ mercedem à Deo feres: si verò mœrore te conficiens repugnare Dei consilio & dispensationi de te volueris, invitus tamen patieris quæ Dei providentia de te statuerit: & patientiæ præmium simul amittes.

¶ POETARUM.

P. Syrus Mimus.

Omnes aque animo parent, digni ubi imperant.

¶ APOLOGI.

De Muliere ob Turdos verberata. Fab. 122.

Vir quidam iracundus emens merulas, dederat uxori coquendas, dicens: Coque hos turdos; Cui uxor: Merulæ sunt, non turdi. Quum autem maritus contenderet esse turdos, neque uxorem posset inducere, ut turdos esse assentiretur, plurimis eam verberibus affecit. Exacto autem anno, cum dies certaminis illuxisset, mulier verberum memor, hæc est, inquit, illa dies, qua me superiori anno ob illas maledictas merulas tam malè tractasti. Adhuc, inquit vir, negare audes illos fuisse turdos? & quum rursus mulier viro non cederet, iterum vapulavit, sicque quotannis eadem die redeunte vapulavit.

Fabula indicat, stultum esse adversus potentiores se, ob minimam rem, velle contendere. L. Abstemius.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Siphra & Puha obstetrices Hebrææ. A rege Ægypti obiurgatæ, quòd vivos conservassent natos mares Hebræorum, contra quàm eis edictum fuerat, dixerunt, Hebræas non esse sicut mulieres Ægypti: sunt enim (inquiunt) vividæ, ideo cùm nondum venit ad eas ulla obstetrix iam pepererunt, &c. *Exod. 1. 18. 19.* Certum est ex vers. 17. obstetrices infantibus vitam conservasse, quia timebant Deum: iam verò quòd regi respondent, si verum est, quod magis probandum videtur, Hebrææ mulieres de mandato regis aut verbo aut alia significatione certiores factæ ante pariebant quàm obstetrices vocarent: sin autem id confictum est, callidè verum tegunt metu regis, & causam à se in matres infantum derivant, gravius malum minore redimentes.

Anonymus. Iarobeamo regi, Idolorum patrono, Prophetam qui idololatriæ excidium prædixerat, invitanti his verbis, Veni mecum domum & refice te: deinde dabo tibi donum, respondit illi Propheta, *Si dares mihi dimidiam domum tuam, non irem tecum, neq; comederem panem, neq; biberem aquam in hoc loco. Sic enim præcepit mihi verbo suo Iehova, &c.* 1. Reg. 13. 9. Postea verò quum idem Propheta mandatum istud esset transgressus, cibum capiendo in terra Israelitica, interfectus est à leone: ut eodem capite refert sacra historia.

Iesus Christus Dominus noster. Quidam ex discipulis dixit ei, Domine, permitte mihi primum abire, & sepelire patrem meum. Iesus autem dixit, Sequere me, & sine ut mortui sepeliant mortuos suos. *Matth. 8. 22.* Cessent quæcunque hominibus debemus officia, ubi jubet Dominus operam sibi impendi.

D. Petrus & Ioannes Apostoli. Sacerdotes Hierosolymitani vocatis ipsis post diem Pentecostes, denuntiarunt ne omnino loquerentur vel docerent in nomine Iesu. Petrus autem & Ioannes dixerunt eis, An iustum sit apud Deum vobis potius auscultare quàm Deo, judicate. Non enim possumus quæ vidimus & audivimus non loqui. *Act. 4. 19. 20.*

Apostoli. Quemadmodum Christus quæ sunt Cæsaris distinxit ab iis quæ Dei sunt, & utraque reddenda esse ait quibus reddenda sunt: ita Apostoli Petrus & Paulus diligenter obedientiam Deo & hominibus debitam distinxerunt, & de utraque præcepta tradiderunt: ita ut Deo debita primarium locum teneat, quemadmodum in decalogo præceptum de Deo adorando, & sequendo, & colendo, mandatum de honore parentibus debito longè præcedit.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Paralyticus Euangelicus. Obedientia, quæ propriæ voluntatis sepulchrum, & melior quàm victimæ, sola menti ceteras virtutes in-

serit, insertasque custodit, exemplis illustranda. Et quidem SS. litterarum testimonio clarum est, Paralyticum, qui annis 38. in infirmitate decubuerat, jussum à Christo, qui eum sanitati restituerat, lectum tollere; & Judæis insultantibus, Sabbatum est; non licet tibi lectum tollere, respondisse: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula.* Pulchrè sanè: quasi dicere voluisset: Qui me hominem desperatæ valetudinis, verbo sanitati restituit, tantæ auctoritatis est, ut etiam necessitate servandi Sabbathi me absoluere possit. hinc meritò illi pareo. *Ioan. cap. 5.*

S. Paulus Apost. Quid verò Gentium doctor? factus ex persecutore Christi miles & athleta, dum in terram prostratus audiret: Saule quid me persequeris? ait extemplò: *Domine, quid me vis facere?* quasi fundamentum suæ conversioni substernens, obedientiam. *Actor. cap. 9.*

Cornelius Centurio. Haud secùs ille, viderat Angelum Dei ad se introeuntem, sibique dicentem, Corneli. ac timore correptus ait, *Quis es Domine?* & paulò pòst ad eum ingressus Petrus, cùm visionis suæ historiam brevibus percurreret, adiecit: *Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt a Domino. Act. cap. 10.*

S. Petrus Apost. Et iste cùm à Principibus sacerdotum redargueretur, quòd contra mandatum illorum Christum annuntiasset, nil cũctatus; *Oportet*, inquit, *magis obedire Deo, quàm hominib. Act. c. 5.*

Pambo Abbas. Venerant ad visendũ eum Religiosi numerò tres: quorum hic jejunij, ille charitatis, tertius obedientiæ laude clarus. de quibus sententiam suam dicens, tertium ceteris prætulit: *Vnusquisque vestrûm*, ait, *virtutem quam possidet, voluntate propria retinuit: hic autem sua voluntati renuntians, etiam aliena se servum fecit. In vitis PP. cap. de Obedient.*

S. Syncletice. Ille verò ad suos verba faciens, *Cuilibet*, dicebat, *in congregatione versanti, magis obedientiam quam continentiam proponimus: quia hæc arrogantiam habet, illa humilitatem congruã pollicetur. Ibidem part. 2.*

S. Franciscus. Quàm spectabilis in eo hæc virtus fuit? qui commissum sibi gregem instruens, quomodo Prælatorum dicto, imò nutui parere deberent, ajebat: *Subditus prælatum suum, non hominem considerarè debet, sed illum, pro cujus est amore subvectus. Quãto enim contemptibilior præsidet, tanto magis obedientis humilitas placet. Sur. tom 5. in Vita.*

Idem. Quin idem ipse ad eiusdem virtutis sectãda vestigia quosvis cohortabatur, dicebat autem: *Tantus est sanctæ Obedientiæ fructus, ut eis qui jugo illius sua colla submitterent, nihil temporis sine lucro transiret. Bonau. in Vita, cap. 6.*

B. Ignatius Loyola. Quis hunc Obedientię castris excludat, quem ad nutum summi Pontificis quidvis facturum, etiam mare sine cõmeatu trajecturum fuisse, accepimus? cumque rogaret vir quidam magnus, quæ isthæc esset prudentia; respondisse: *Prudentia non tam est parentis, quam imperantis. Ribad. in Vita.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cùm pavent mali, libenter quisq; paret optimus.
Dedecus viro est postremum obtemperare feminæ.
Est parens felicitatis ipsa obedientia.
Est parenti obtemperandum, sed tamen magis Deo.
Haud sat est Dei imperata nosse: oportet exsequi.
In cunctis Regi obedite dum ne sint contra Deum.
Insolentiâ parendi, ipsum parere tollitur.
Ne quidem expectat flagelli prompta vis equi sonum.
Nemo se paret minori: rarus imò fert parem.
Nemini parere non est liberi: est mage servitus.
Omnia si tibi vis subjecta: te rationi subjice.
Pareat juvenilis ætas, rugis obsita imperet.
Procreatrix libertatis ipsa obedientia est.
Qui paret modestè, dignus est aliquando qui imperet.
Qui rationi rectè obedit is Deo ipsi obtemperat.
Qui sapienti non parebit is parebit nec Deo.
Quid ibi agas ubi si quid bene præcipias nemo obtemperat?
Rarus est obtemperare qui capiatur alteri.
Rebus in malis parere Principi, res pessima est.
Regno legibus mos servit: mori lex tyrannide.
Sæpe amor desit parendi ei virium quem haud pœnitet.
Sive mandet æqua princeps sive iniqua, obtempera.
Vt juvenem juveni, senem sic æquum senibus obsequi.
Vt pavent mali, audientes sunt statim dicto optimi.

¶ Jambica.

Asperrimè rectorem patitur pessimus.
Audisse, in morem geras, non proficit.
Beneficiis teneas, quos non tenes metu.
Dicto audientem oportet esse potentibus.
Etiam feræ subjectionem ultrò induunt.
Felicitatis mater obedientia est.
Haud difficulter optimo paret bonus.
Haud obsequi fas imperanti turpia.
Iumenta detrectant jugum habita sæviter.
Nemo liberis obtemperat minoribus.
Transire non est absq; nave altum mare.
Nemo volens concedit imperium alteri.
Nil integri est, ubi non obedientia est.
Non omnia sunt præstanda vel parentibus.
Obtemperet juventa: senectus imperet.
Oportet emere, obedire quem tibi velis.
Pare Deo libenter, & parentibus.
Pare haud modò, ipsi assentiare sed Deo.
Parere dignis quisque avet, non infimis.
Parcere nemo non vult præstantissimis.
Parere nemo se cupit minoribus.
Parere oportet regibus bonos, malos.
Paret suis placidius quis quam extraneis.
Parete populi regibus: reges Deo.
Quo pejor est quis hoc minus se fert regi.
Regi & magistro debita obedientia est.
Summum Deo sacrificium obedientia est.

Objurgationis.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus:* Hic nullum temporis momentum inter objurgationẽ & veniam fluere patiebatur: adeo ut ignoscẽdi celeritate mœror quoque ipse penè surriperetur. Ac nos quidem iræ divinæ fæcem quandam, & credimus, & audimus, hoc est commotionis adversus eos, qui ea digni sunt, reliquias: quandoquidem Deus ultionum Dominus. Quamvis enim pro sua benignitate atque clementia ex severitate ad facilitatem & veniam inclinet peccantibus; tamen non omnino ignoscit, ne benignitate deteriores fiant. At pater, iis, à quibus concitabatur, nihil reservabat, vir alioqui ab iracundiæ vulneribus non prorsus immunis, ac præsertim in rebus spiritualibus, in quibus à zelo vincebatur: nisi fortè paratus & armatus esset, atque adversus id, quod molestiam allaturum erat, tanquam adversus hostem è longinquo instructus & expeditus. Sic enim ne à myriadibus quidem, ut dici solet, emotus fuisset. *Orat. 19. in funere patris.*

D. Chrysostomus: Sensim & paulatim fieri debent increpationes: impudentes enim facit peccatum. propterea si statim quidem vehementer increpaveris immitem effeceris & impudentem. sin autem pudore affeceris; genu flexeris; loquendi nimiam detraxeris licentiam, deorsum aspicere feceris. *Hom. 3. ad Corinth. 1.*

Idem: Etsi is, qui objurgationem adhibet, in ea causa sit, ut virtutes quoque ipsi suæ ac res præclarè gestæ venerationem concilient: tamen cùm suam etiam erga eos, quibus succenset, benevolentiam declarat: hoc assequitur, ut minùs gravis ac molesta sit ipsius oratio. *Homil. 13. ad Corinth. 2.*

D. Io. Chrysostomus: Si quis fert amicũ, qui vehementius, quàm par sit invehitur; examinans ejus scopum & institutum, & quod hoc animo facit benevolo, non per arrogantiam; multo magis ferre debetis magistrum increpantem, qui nec hæc dicit ex auctoritate, neq; instar principis sed curatoris. *Homil. 5. Epist. ad Hebræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Gravibus verbis, ut ad me perlatum est, pietas tua præsentibus quibusdam amicis me accusavit, quòd liberioribus acrioribusque literis minimè (quandoquidem blandæ ac suaves admonitiones nihil valuerunt) quibus etiam nolentem Episcopum Eusebium corrigere potuissem. Hoc igitur scias velim, ô mihi sacrosanctum caput, (me enim purgem oportet) me nullum non medicinæ genus tam blandius, quàm asperius tentasse, nec eorum, quæ morbum revellere debebant, quicquam omnino prætermisisse: nec tamen id potuisse: quòd videlicet morbus omnibus remediis superior ac valentior inventus sit, atq; in stuporem exciderit. Quãquam autem ea minimè divulgare attinet, quæ oblivione atq; alto silentio conterenda sunt, pauca tamen ex iis quæ privatim ad eum adhibita verborum libertate scripsi, tibi patefaciam, ut eum hanc quoque partem contempsisse intelligas, meque criminari desinas. *Lib. 2. Epist. 21.*

Idem: Enimvero honestorum quidem virorum aures offendere minime pulchrum est: at eos, qui sine ullo metu, ea, quæ nefas est perpetrant, objurgare summoperè conducit. Ingentis enim ignavię ac timiditatis esset, si is, qui malum aliquod radicitùs evellere pararet, ne vocem quidem mittere conaretur: perinde atque silentio solo vitium curari ac propulsari posset. Cæterùm, quam maximè licuit tectè atque adumbratè scripsi: ut meliore mente induta, crimina ea, quæ & naturæ adversantur, & modum omnem excedunt, cõmittere desinatis: ne immodicæ quoque pœnæ à vobis expetantur. *Lib. 2. Epist. 171.*

¶ Poetarum.

Plautus Trucul. 4. sc. 3. v. 60.

Scio equidem quæ nolo multa mihi audienda obnoxia.
Ego me tibi obnoxium esse fateor, culpæ competem.

Terentius Andr. 1. sc. 1.

Nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit,
Quid facias illi qui dederit damnum aut malum.

Terentius Phorm. 5. sc. 8.

—— Adeone indignum tibi videtur, filius
Homo adolescens unam si habet amicam? tu uxores duas?
Nil puderet? quo ore illum objurgabis, responde mihi?

Oblationis.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECOR.

D. *Nazianzenus*: Nihil eorum quæ Deo offeruntur, tam parvum est, quamvis etiam minimi momenti sit, quamvis longè infra illius dignitatem, quod non omnino accipiat, gratumque habeat; tametsi justo judicio misericordiam ponderare soleat. *Orat. 9.*

D. Nazianzenus: Illud quidem minimè dubium est, quin etiamsi omnia contulerimus, minus tamen collaturi simus, quàm accepimus. Quandoquidem divini beneficij est, quod sumus, quod Deum cognoscimus, quodque etiam, quod offeramus, habemus. Atque illud pulcherrimum humanissimumque censendum est, quòd Deus largitionem non oblatæ rei pretio & dignitate, sed offerentis affectu & facultate metitur. Proinde noli benignitati tuæ moras producere, sed jam benignus esto: nec quia satis dignum munus offerre non potes, idcirco officium omnino desere. Quin potius ita te compara, ut alia statim offeras, ad alia te pares, de aliis infirmitati tuæ veniam petas. Non apparebis, inquit, coram me vacuus. Nemo igitur vacuus, & infructuosus sit, nec anima ulla sterilis & infœcunda. Vnusquisque, quod in promptu habet, & quod Deo convenit, muneris loco offerat: qui peccat, vitæ mutationem: qui rectè currit, acrimoniam & contentionem: adolescens continentiam, senex prudentiam, dives largitionem, pauper gratiarum actionem: qui potentia pollet, modestiam: qui exigit, mansuetudinem. *Oratione 9.*

D. Nazianzenus: At verò qui pro nobis passus est ac resurrexit, offeramus, aurum fortasse me dicere putatis, aut argentum, aut texturas, aut pellucidos & ingentis pretij lapides, fluxam fragilemque terræ materiam humique manentem, & cuius majorem partem improbi ferè possident, & servi rerum terrenarum ac mundi principis. Imò verò nosmet ipsos offeramus, hoc est, opes Deo clarissimas maximèque congruentes. Imaginis decus imagini reddamus; dignitatem nostram agnoscamus; exemplar nostrum honore prosequamur; mysterij vim intelligamus, & pro quo Christus morte functus est. simus ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos. efficiamur dij propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo. *Oratione 41.*

Chrysostomus: Oportet primitias esse meliores cæteris quorum sunt primitiæ. Ergo dixit, eos fuisse primitias, ostendens quod cum fide vitam etiam optimam ostenderunt; tanquam ex fructibus se omni ex parte dignos exhibentes. *Hom. 44. ad Corinth. 1.*

Basilius Seleuc. Deus dona offerentem conspicatus, oblata quoq; amplectitur. primum animum, deinde donationem admittit. *Oratione 4. m.*

S. Isidorus Pelusiota: Præclarè Dominum ornas, cùm nobis fructuum tuorum primitias tribuis, decimamque partem ex ubertate terræ tuæ, ei, à quo eam accepisti, pendis. Quam quidem tu in multa tempora habiturus es, nunc quidem eorum, quæ opus sint, sufficientem usum tibi custodientem: pòst autem sempiternam voluptatem afferentem. *Lib. 1. Epist. 317.*

S. Isidorus Pelusiota: Lex hæc & sanctio de divina natura obtinuit, non ut ipsi pro ipsius dignitate ab humano genere honores tribuantur, (neque enim id fieri potest) verùm ut pietas eorum, qui conferunt, potentia ponderetur. Quamobrem nemo ex iis qui paupertate conflictantur, mœsto animo sit: verùm potiùs lætetur. Nam quod solum divina natura requirit (hoc autem potissimum virtus est) prorsus offerre poterit. *Lib. 3. Epist. 16.*

§ LATINORUM.

Chrysologus Sermone 103. ante finem: Adoraturi occurramus omnes: & muneribus sacris Deum, regemque virgineo processisse fateamur. extemplo offeramus munera, quia nascenti regi semper publica paratur oblatio, offeramus munera, quia indevotus satis est vacuus adorator. H[illegible] probat Magus, qui onustus auro, succensus thure, sacratus myrrh[illegible], Christi cunabulis inclinatur. Quale est, si quod fecit Magus, non faciat Christianus? Quale est, si ad gaudium nascentis Christi fleat pauper, captivus gemat, hospes lamentetur, ejulet peregrinus? Festa cœlestia Iudæus decimis semper honoravit, Christianus quid de se sentit, si vel centesimis non honorat? Fratres, nequis me hoc dicere existimet declamantis studio, non dolentis affectu. Doleo, certe doleo, quando lego Christi cunabula Magos rigasse auro: & video altare corporis Christi Christianos vacuum reliquisse & in tempore hoc præsertim, quando se pauperum fames vastat: quando se fundit turba lamentabilis captivorum. Non habeo nemo dicat, quando Deus ex eo quod habes, non ex eo quod non habes, quærit: quando duo æva viduæ in acceptum dignanter asscribit. Devoti simus creatori, ut nobis devota sit creatura. Proximorum nostrorum sustentemus angustias, ut à nostris liberemur angustiis. Repleamus altare Dei, ut nostra horrea repleat fructuum plenitudo. Certè si non damus: quia non accipimus non que tamur. Ipse autem Deus noster donet vobis tam præsentia, quàm futura bona.

§ PHILOSOPHORUM.

Simocatta: Tribunus ovium egregius mihi aries interiit, & pastorio ductu oves carent. Maximum damnum fecimus. Et mihi quidem Pan infensus quodammodo videtur ac infestus. Non enim alvearum primitiis eum venerati sumus. Itaque ad urbem proficiscor, ut iratum placem, & civibus crudelitatem narrabo dicens, ob apiariam placentam mihi ducem gregis à Pane perditum esse. *Dorcon Moschoni Epistola secunda.*

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Hazarias Sacerdos. Quum Ezechias rex & Principes vidissent acervos Decimarum, benedixerunt Iehovæ & populo eius Israeli: percunctatusque est Ezechias sacerdotes & Levitas de illis acervis. Alloquens verò eum Hazarias sacerdos primarius in familia Sadoci dixit, Ex quo cœptum est istam oblationem efferre in domum Iehovæ, comedimus ac saturati sumus, ac superest quam plurimũ: quia Iehova benedixit populo suo, ita ut quod superest sit multitudo hæc, *2. Chronic. 31. 10.*

Oblectationis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

COnveniunt facillimè in unum error & oblectatio.
Cùm dolet mens, cuncta oculorum spernit oblectamina.
Finis auditus visusq; quid nisi oblectatio est?
Frivolis cuncti oblectamur, nemo quærit seria!
Haud diu voluptatum ulla durat oblectatio.
In librorum lectione maxima oblectatio est.
Maximè libri delectant liberiq; parvuli.
Mulceri hilaritate modestâ quidni vir possit probus?
Nemo regi vult ab quoquam cui par fuit.
Nulla libro oblectamenta dulciora serio.

§ JAMBICA.

Cordi anxio nulla oculorum oblectatio est.
Diurna pulcræ vix rei oblectatio est.
Etiam Herculi oblectando prosunt Cercopes.
En literis suavissima oblectatio.
Nulla usquiam absq; gaudio oblectatio est.
Securitatis mater oblectatio est.

Obligationis.

§ SENTENTIAE PATRUM LATINOR.

S. *Salvianus*: Sed dicis, generale in his omnium hominum esse debitum, & in hoc universorum hominum genus indiscretè obnoxium. Verùm est: sed nunquam aliquis ideo minus debet, si & alius idem debeat? aut si centum hominum cautiones de centenis sestertiis scriptæ sunt, num idcirco allevatur unius debitum, si omnes sint eiusdem numeri debitores? Vnusquisque, inquit Apostolus, suum onus portabit, & unusquisque pro se rationem reddet. nequaquam ergo unius pondus pondere allevatur alterius, nec absolvitur reus societate multorum: neque ideo minus est cuilibet tetra damnatio, si multos videatur complices pœnæ habere damnatus. *Libro 2. contra avaritiam.*

Chrysologus Sermone 25. f. Vsura mundi centum ad unum, Deus unum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione soliciti Quare? Nonne homo homini exiguæ chartulę obligatione constringitur? Deus tot, & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur?

§ ORATORUM ROMANORUM.

Plinius: In Principe rarum ac propè insolitum est, ut se putet obligatum, aut si putet, amet. debes ergo Cæsar, & solvis; & cùm ter consules facis, non tibi magnus princeps, sed non ingratus amicus videris. Quinetiam perquam modica quædam civium merita, fortunæ tuæ viribus in majus attollis. efficis enim ut tantum tibi quisq; præstitisse videatur quantum à te recepit. quid isti benignitati precer, nisi ut semper obliges, obligeris, incertumque facias, utrum magis expediat civibus tuis, debere tibi, an præstitisse. *Cap. 60. fine paneg. ad Trajanum.*

Symmachus: Cùm prioribus officiis tuis adhuc solvendo non sim, denuò aliud posco quod debeam. *Lib. 9. Epist. 103. pr.*

§ POETARUM.

Terentius Heauton. 4. sc. 4.

——— num illa oppignerare filiam
Meam me invito oportuit?

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Astringas meritis mage gnatos quàm obligationibus.
Esto ad liberandum quam obligandum homines propensior.
Liberis cedit parentum quævis obligatio.
Nemo se fert obligari creditori parvulo.

Non putat rex se obligari, aut si putat certe haud amat.
Obligatione parva chartula homo homini obstringitur.
Pignore obliga tibi illum decipi per quem times.
Præsenti die debetur, absq; die obligatio.
Quod verbis non est contractum, verbis tolli non potest.
Syngraphorum veterum flamma lucidissima omnium est.

§ JAMBICA.

Factum esse debet propter me, quod me obliget.
Impossibilium nulla est obligatio.
Melius beneficio quam metu homines obliges.
Non omne quod prodest homini, etiam hominem obligat.
Quo colligatum quidq; est, & dissolvitur.
Simulacra habendi nil nisi vacua syngrapha.
Vix Rex amat cui obligatum se putat.
Votum obligat faventes, haud rei exitus.

Oblivionis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

S. *Isidorus Pelusiota:* Oblivio citra humanum vitium haudquaquam contingit: contingit tamen, quemadmodum & alij morbi. Eorum enim animos subit, à quibus memoria sejuncta est. Tum autem fugit & evanescit, cùm quispiam eam memoriæ armis profligarit. Quoniam igitur, cùm nobiscum esses, virtus tibi perpetuò in memoria versabatur: posteaquam autem abscessisti, teipsum, ut audivimus, oblivioni dedisti, necessarium duximus eam Epistolarum jaculis petere, ut extinctam ac deletam memoriam reducamus. Abeat itaque in præceps oblivio, ut memoriæ gratia rursum explendescat. *Lib. 2. Epist.*

Synesius: Quæ fieri minimè decebat, ea oblivione deleri consultissimum est. *Epist. 67.*

§ LATINORUM.

Ennodius: Reliqua objectionum vestrarum capita non revolvam. præstat silentio damnanda sepeliri. nobilitatem dat facinoribus, qui ventilationem ipsorum multiplici ad aures posteras relatione transmittit. *Apol. pro Synodo.*

§ ORATORUM ROMANORUM.

Plinius: Sed quid singula consector aut colligo? quasi verò aut oratione complecti, aut memoria consequi possim, quæ vos patres conscripti, ne qua interciperet oblivio, & in publica acta mittenda, & incidenda in ære censuistis. has enim acclamationes & in vulgus exire & posteris prodi, cùm ex utilitate tum ex dignitate publica fuit. *Cap. 75. panegyr. ad Trajanum.*

Symmachus lib. 8. Epist. 60. Iter Capuam promovemus; forsitan suspicemini interventuram soliti in vos officij oblivionem per longitudinem viæ. Vulgati quippe proverbij est, Enavigato Maleo oblimari eorum memoriam quos domi reliqueris. Me quoquò versum pedem tulero, amicorum cura comitatur. Sperate igitur honorem huius muneris circa vos esse mãsurum, si optatis fortuna consenserit.

§ POETARUM.

Plautus Trinummo 4. sc. 2. v. 68.

Vide homo ut hominem noveris. S. tanquam me. istuc fieri solet,
Quod in manu teneas, atq; oculis videas, id desideres.

P. Syrus Mimus.

Civilis belli oblivio, defensio est.
Injuriarum remedium est oblivio.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Et voluptati est pusilla calamitatum oblivio.
Hacine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tam diu?
Haud decet Deos regesve memoria injuria in crastinum.
Heu quam multa involvit una gesta Regum oblivio!
In malo majore casus obliviscimur levis.
In potestate est tacere nostra, non oblivio.
Nil solet rex oblivisci lenior quam injurias.
O oblivio malorum, grata quam es qui te invocant?
Obliviscimur facile id quod evenire nolumus.
Obliviscimur leviorum, mala majora ubi ingruunt.
Pluribus summa est curarum, quidnam edãt, quidve bibãt.
Qui sapit nunquam suamet sortis obliviscitur.
Recte factorum thesaurus est eorum oblivio.
Rectè oblivioni tradas facta quæ haud oportuit.
Stultum eius meminisse, propter quod tui oblivisceris.
Tristia, eia, obliviscamur, læta dum sunt præ manu.
Vita bellum, & peregrinatio: fama à morte oblivio est.

§ JAMBICA.

In laude summâ injuriarum oblivio est.
Malè obliviscimur omnia, nisi injurias.
Nemo oblivisci ejus potest quod diligit.
Noverca infida memoriæ est oblivio.
O grata quàm res es malorum oblivio!
Oblivionis mater negligentia est.
Oblivionis utiq; Bacchus est parens.
Oblivioni honestus haud datur labos,
Oblivionem tempus affert omnium.
Oblivione ulciscere, eja, injurias.
Semper doloris remedium est oblivio.
Silentio tegenda, oblivio deleat.
Summum remedium ærumnarum, est oblivio.
Vetustiora oblivio, haud nova occupat.

Obmurmurationis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

C*Hrysostomus:* Est iniqui ac stupidi servi obmurmurare. Equis enim, dic mihi, filius est; qui in bonis paternis, ac sibi ipse laborem capiens obmurmuret? Cogita, inquit, te tibi ipsi laborare, tibi ipsi colligere. Illorum vero proprium est obmurmurare; qui aliis laborant, aliis sudant; qui autem sibi ipse colligit, cur obmurmurat? quod ipsius divitiæ non crescunt? minime id quidem. Qui sponte nulla imposita necessitate facit; cur obmurmurat? satius est nihil agere, quam murmurando agere: Nam & hoc ipsum, quod fit, perit. An non vides in ipsismet domibus nostris hæc nobis semper in ore esse; satius est isthæc minime fieri, quam obmurmurando fieri? Ac sæpe malumus ministerio, quod nobis exhibetur, carere, quam murmurantem ferre. Gravis enim res, gravis est murmuratio; ac prope ad blasphemiam accedit: alioqui cur tantum de illis supplicij sumptum fuisset? vitium istud crimen ingrati animi est. Qui murmurat; ingratus est erga Deum: qui vero erga Deum ingratus est; profecto blasphemus etiam est.

§ LATINORUM.

Salvianus: Sine murmure & querela nos Deus esse præcepit. quando hæc in humano genere non fuerunt? Si æstus est, de ariditate caussamur: si pluvia, de inundatione conquerimur. Si infœcundior annus est, accusamus sterilitatem; si fœcundior, vilitatem. Adipisci abundantiam cupimus; eandem adepti accusamus. quid dici hac re improbius, quid contumeliosius potest? etiam de misericordia Dei querimur, quia tribuit quod rogamus. *Libro 3. de gubernatione Dei.*

§ POETARUM.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 5. de suis calamitatibus.

Sæpe, fatebor enim, in mentem mihi venit, iniqua
Carpere voce Deum. namq; & servile frequenter
Murmur fert dominus tacito de pectore manans.
Durius & si quid soboles fortassè locuta est,
Fert pater æquo animo, nec justa exæstuat ira.
Ergo etiam nostras facili precor aure querelas
Obrutus, æthereum tibi, rex bone, mittit ad axem.
Accipe, quas mœrens animus sævoq; dolore
Eructare suos quædam est medicina dolores.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

S. Aegidius. Verus sacratæ Obedientiæ adversarius se hîc objicit, Obmurmuratio. Ut enim illa dicto parere, ita hæc tergiversationes quærere, & ab obedientia resilire parata. Hinc benè S. Ægidius cuidam coram se obmurmuranti, quòd graviorem pro culpæ modo pœnitentiam imposuisset, dicebat: *Quanto plus murmuras, tanto ampliùs te oneras: & quanto humiliùs sanctæ obedientiæ jugo caput submiseris, tanto tibi levius futurum erit onus. Ex Sent. aur. S. Aegidij.*

Moses & Aaron. Israelitis in deserto ob metum famis murmurantibus, dixit Moses & Aaron, Vespere utique cognoscetis Jehovam eduxisse vos è terra Ægypti. Manè quoque, cùm videritis gloriam Iehovæ, quandoquidem audit murmurationes vestras contra Iehovam. Nos enim quid sumus, ut murmuretis contra nos? Dixitque Moses, Cognoscetis cùm dederit vobis Iehova hoc vespere carnem ad edendum, & panem ipso manè ut saturemini, quandoquidem audit Iehova murmurationes vestras, quibus murmuratis contra se: Nos enim quid sumus? non sunt contra nos murmurationes vestræ, sed contra Iehovam. *Exod. 16. 7. 8. 9.*

Obscœnitatis.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

C*Lemens Alexandrinus:* A turpiloquio autem & nos omnino abstinere oportet, & eis qui illo utuntur os obstruere, & aspectu severiore, & vultus aversione, & ea quæ vocatur subsannatione, & sæpe etiam asperiori oratione. Quæ enim, inquit, ex ore exeunt, coinquinant hominem. Communem, & gentilem, & indoctum, intemperantemque & petulantem eum ostendunt: non autem proprium, modestum, honestum, & temperantem.

Cum

Cum autem turpia æque in audiendo versentur & in spectando, divinus pedagogus eadem ratione pueris luctantibus, ne aures eorum offendantur, pudicos & modestos sermones, veluti quędam aurium munimenta adhibet, ne possit ad frangendam animam pervadere pulsatio fornicationis: oculos autem dirigit ad rerum honestarum spectaculum, melius esse dicens labi pedibus quam oculis. Hoc turpiloquium propulsans Apostolus, Omnis, inquit, malus sermo ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus. Et rursus, Sicut decet sanctos, ne nominetur in vobis turpitudo, & stultiloquiũ, vel scurrilis urbanitas, quæ ad rem non pertinent: sed potius gratiarum actio. Si autem qui stultum dixit fratrem, obnoxius est judicio, quid de eo qui stulta loquitur pronunciabimus? An non etiam de eo scriptum est: Qui locutus verbum fuerit ociosum, reddet rationem Domino in die judicij? Et rursus: Ex sermone tuo justificaberis, inquit, & ex sermone tuo condemnaberis: Quænam sunt ergo salutares aurium defensiones, & quænam sunt lubricorum oculorum disciplinæ? Quæ cum justis sunt conversationes, auresq; præoccupant, & eis prius obstruunt, qui volunt abducere à veritate. Bonos mores perdunt malæ coñsuetudines, inquit, Poetica. Præclarius autem Apostolus: Estote, inquit, odio habentes malum, adhærentes bono. Qui enim cum sanctis versatur, sanctificabitur.

Omnino ergo abstinendum est à turpibus auditionibus, & verbis, & spectaculis: sed multo magis à factis turpibus mundos esse oportet: partim quidem in ostendendis & nudandis aliquibus partibus corporis quas non decet: partim autem in contemplandis secretioribus partibus. Neque enim turpem justi denudationem in animum induxit aspicere modestus filius: sed texit mod estia, quod nudarat ebrietas, spectandum lapsum inscientiæ. Mundos autem nihilo secius esse oportet & à vocum prolationibus, quibus nullum esse oportet aditum ad aures eorum qui in Christo crediderunt. Hac ratione mihi videtur pædagogus nihil quod sit indecorum & inhonestum nobis loqui permittere, longe ante nos præmuniens adversus incontinentiam.

Præclare enim & mira arte solet vitiorum radices exscindere illud, Non mœchaberis, per illud, Non concupisces. Adulterium enim fructus est concupiscentiæ, quæ quidem est mala radix. Similiter ergo hic quoque pædagogus nimiam nominum licentiam tanquam usum reprehendit, securam intemperantiæ congressionem amputãs: insolenter enim se in vocibus gerere, facit ut meditemur inhoneste facere. In vocibus autem esse modestum, est seipsum exercere ad fortiter sustinendam libidinis impressionem. Prolixiori autem oratione tractavimus, quod neque in nominibus, sed neque in partibus ad coitum pertinentibus, & nuptiali congressione, in quibus obtinent nomina quæ usu minime trita sunt, eius quod vere turpe est ponitur appellatio.

Nam neque genu & tibia, & huiusmodi membra, & quæ eis imposita sunt nomina, sunt turpia, nec quæ per ea fit actio: membra autem & hominis verenda, verecundia quidem plena, non autem turpia censenda sunt. Turpis autem res est, quæ fit præter leges, eorum operatio, ideoque probro digna & supplicio. Turpe enim solum revera est vitium, & quæ per ipsum aguntur. His ergo consequenter jure vocetur turpiloquium, quæ de vitiosis factis habetur oratio. Ejusmodi est, si de adulterio vel de puerorum amore disseratur, & quæ sunt huiusmodi. Quanquam ineptæ quoque nugæ sunt silentio prætermittendæ. Ex multiloquio enim, inquit, non effugies peccatum. Luet ergo pœnas linguæ vitium. Est enim tacẽs qui invenitur sapiens, & est qui odio habetur propter multam loquacitatem. Quinetiam ipse nugator affert sibiipsi fastidium ac satietatem. Qui enim multiplicat sermonem, odit animam suam. *Lib. 6. pædagogi cap. 6.*

D. Chrysostomus: Si quid reverenter dicas, haudquaquam possis auditorem perstringere: quod si rursus vehementer perstringere volueris, necesse tibi est aperta ac nuda oratione rẽ designare, quod utrumq; beata Pauli anima exactè præstitit. *Homil 4. ad Roman.*

D. Chrysostomus: Vis igitur scire, quantum malum sit turpia loqui? Animadverte, quemadmodum eos, qui te audiunt, obscœnitatis tuæ pudeat. Quid enim vilius, quid contemptius homine turpia proloquente? Nam qui tales sunt, in histrionum classem, atque in prostitutæ pudicitiæ mulierum ordinem sese contrudunt. Imò etiam plus illis, quàm vobis, pudoris inest. Quonam autem modo uxorem ad pudicitiam erudire queas, cùm per huiusmodi verba eam ad libidinem instituas? Præstat saniem ex ore emittere, quàm verbum obscœnum. At nunc, si fœteat os, ne ad communes quidem cibos admitteris: cùm autem anima usque adeò fœteat, heus tu, mysteria percipere non dubitas? Ac siquidem aliquis vas impurum acciperet, atque in mensa tua collocaret; fustibus quoq; cæsum illum exigeres: tu verò Deum, cùm in ipsius mensa (mensa enim ipsius os nostrum est, cùm gratiarum actione plenum est) quovis impuro vase fœtidiora & execrabiliora verba profers; quæso te, non eum ad iracundiam abs te provocari putas? Et quî aliter fieri queat? Nihil enim æquè sanctum illum ac purum exacerbat, ut verba hæc. Nihil ita temerarios & impudentes homines reddit, ut huiusmodi verba loqui & audire. Nihil æquè pudicitiæ nervos infringit, ut flamma quæ per ea excitatur. Deus unguentum ori tuo imposuit: tu verò cadavere fœtidiora verba in eo recondis, atque animam ipsam obtruncas & immobilem reddis. Etenim cùm aliquem contumelia afficis; hoc non animæ, sed iracundiæ vox est: cùm obscœna loqueris, non illa, sed libido locuta est; cùm obtrectas, invidia; cùm insidias struis, avaritia. Hæc enim non animæ sunt, sed perturbationum ipsius ac morborum. *Homilia 6. ad Corinthios 2.*

Chrysostomus: Obscœnus sermo ac scurrilitas, vehiculum est scortationis. ne dixeris urbana & scurrilia, nec turpia feceris, & flãmam exstingues. sermones enim sunt vię rerum. *Hom. 17. ad Ephes.*

Chrysostomus: Licet urbanè & lepidè loqui, sed cum ea qua par est honestate & decore. *Homil. 11. ad Coloss.*

Chrysostomus: Rogo autem vos, si qua est in vobis charitas, ut quæ de his verba fiunt perpetuo versetis. nihil poterunt nocere, etsi non prosint: certo autem scio quod proderunt. Nam ex sermonibus qualitatem suscipit anima. Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava. Prosunt ergo bona colloquia. Modestos ergo & temperantes reddũt colloquia terribilia: est enim anima veluti quędam cera. Nam si frigidas quidem induxeris colloquutiones, callũ obduxeris & induraveris. Sin autem ignitas, mollieris. mollitam autem ad quodcumque vis formaveris & effinxeris, & regiam imaginem insculpseris. Obstruamus ergo aures ad temerarios sermones. Non est parvum malum: ex eo nascuntur mala omnia. Si meditata esset mens nostra attendere divinis sermonibus, non attenderet aliis. Non attendens autem aliis, neque res malas aggrederetur. Ad facta enim via est sermo. Primum cogitamus. Deinde loquimur. Deinde agimus. Multi sæpe etiam frugi & moderati à turpibus verbis venerunt ad turpes actiones. Non enim anima nostra natura est bona nec mala, sed libero arbitrio & animi electione, & hoc fit, & illud. Quomodo ergo velum quodcumque spiraverit ventus illuc defert navem, vel potius sicut clavus transfert navem si ventus sit secundus: ita etiam cogitatio, si bona verba secundo vento ferantur, navigabit absque periculo. Si autem contraria, sæpe etiam submergent cogitationem. Quod enim navigiis sunt spirantes venti, hoc animis sunt verba. Quocunque vis ipsam traducis & convertis. *Homil. 2. ad Thessal. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Ne verba loquaris obscena. hocne est difficile? Etiamsi non esset præceptum, an non oporteret nos ita gerere, ne hoc nobis esset probro? nam quod cõtrarium sit difficile, verba, inquam, loqui obscęna, est perspicuum ex hoc, quod pudore afficitur & erubescit animus, si adductus fuerit ut tale quid dicat: & neque lætatur, nisi sit ebrius. Cur enim in foro sedens, etiamsi domi facias, illic non facis? propter eos qui adsunt. Cur si adsit uxor tua, protinus id non facis? ne eam contumelia afficias. Quod ergo propter uxorem non facis, Deum contumelia afficiens non erubescis? adest enim ubique & audet omnia. *Homil. 13. Epist. ad Hebræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Quamvis, ut abs te dictum est, quodvis horum criminum usque adeò grave atque atrox sit, ut qui hoc admiserit, non modò exauthorari, sed etiam capite mulctari mereatur: tamen id tacitum tenere præstitisset. Nam ea demum dici debent, quæ auditu digna sunt, atque ad justitiæ & castitatis studium auditores acuunt, ac tanquam inungunt. *Lib. 3. Epist. 178.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Simplicius ad cap. 53. Epict. Iam eum qui utcumque profecerit, ab obscœnis verbis sibi temperaturum, in promtu est: ac ne alios quidem ferendos, si vitare possis, monet: sed ita, si tempus ferat: hoc est, si adolescens eo provectus fuerit, non inverecundus neque divitiis & dignitate inflatus. Quem & increpabis, neque enim vel ipsi turpiloquo, vel iis qui aderunt videberis arrogans. Sin natu grandior & insolens fuerit, & ob divitias elatus, aut dignitatem: increpare quidem grave fuerit, & præter inanem operam & odium ac simultatem: ridicula etiam libertas illa videbitur. Quid tum ergo faciendum? Silentio, molestiam præ te ferto.

¶ Romanorum.

Seneca pater: Longe recedendum est ab omni obscœnitate & verborum & sensuum. quædam satius est causæ detrimento tacere, quam verecundiæ dicere. *Lib. 1. Controversia secundæ extremo.*

Quintilianus: Non audeo dicere Imperator: concipe animo temporis illius habitum, reforma cogitationes tuas. In aliis forsan caussis permittatur indignitatem rei oratione exaggerare: de injuria nostra Latinè queri non possumus. parcendum est verbis. inhibenda magna ex parte veritas. prævaricandum mihi est, si pudorem habeo. *Declam. 3. §. 5.*

Quintilianus: Obscœnitas Oratori non à verbis tantum abesse debet, sed etiam à significatione. Nam si quando obijci potest, non in omni loco exprobranda est. *Lib. 6. Instit. Orat. cap. 3.*

¶ Monosticha Trochaica.

Femina præsente verbum turpe dicere, ah! pudet.
Fœda dictu, fœda visu inde exulent ubi est puer.
Fœda factu, fœda visu; fœda dictu censeas.
Improbus qui existit dictis, moribus minus est probus.
Improbi sermonis usus res ad ipsas est via.
Impudentiam turpiloquij fulcias licentiâ.
Impudica verba sunt ad impudicas res via.
Non modò nil facit impudicum, sed nec nominat pudens.
Præparant obscœna verba rebus obscœnis viam.
Quæ patramus clam illa audire propalam erubescimus.

Quam magis moves cloacam fœtida hoc item eſt magis.
Qui libenter turpia audit, & libenter perpetrat.
Semita ad res impudicas impudica dictio eſt.
Sordium narratio, oris haud fit abſque injuria.
Spurca qui libenter audit, & libenter exprimit.
Spurcitias loquatur ſpurca qui poteſt committere.
Totus eſt corde impudicus, impudicus verbulo.
Turpe quid loqui vereris? nil patrabis turpius.
Turpe quod factu, decorum id eſſe dictu non poteſt.
Vel nefas eſt cogitare quæ fari vetat pudor.
Vocibus libidinoſa turpibus mens proditur.

❡ Jambica.

Arce cinædum Principum à vultu ſacro.
Cibum matellæ tantum immittit improbus.
Cloaca quo commota plus, plus fœtida eſt.
Coram ſacerdote homines obſcœno abſtinent.
Etiam improbis ſuus ad verba improba eſt rubor.
Etiam pudori eſt vulgo vocum obſcœnitas.
Licentiora dicta nil probos movent.
Membris cinædi queis ſitis nil intereſt.
Obſcœna dicta moribus frugi nocent.
Obſcœna factu, dictu item ſunt turpia.
Obſcœna lingua? obſcœna conſcientia eſt.
Obſcœna quis non cum pudore protulit?
Obſcœna vox, obſcœna vita; par ſcelus.
Quæ facere te pudet, pudeat & dicere.
Quod nequit malus, fraude obtinet.
Sermone pravus pravus eſt vita quoque.

Videatur titulo *Turpitudinis, Sermonis, Silentij, Oblivionis, Verecundiæ, Honoris.*

Obſequij.

❡ Sententiae Patrum Latinor.

S. *Salvianus:* Ego ſic arbitror, ſi quando de officio deferẽdo parvis, ut ego ſum, apud ſuperiores, ut vos eſtis, ſancta contentio eſt, melius eos facere ſi præoccupent ſcripto patronos ſuos, quam ſi ab his præoccupẽtur. nam cùm ipſa ſcribendi reſcribendique aſſiduitas dandis vel maximè & reddendis obſequiis deferatur, multò neceſſe eſt humilius ſit & obſequẽtius, dare quempiam operam, ut officium prius deferat, quam expectare ut prius capiat. quia delatio officij fugere honorem, diſſimulatio affectare videatur. Cõgruè ergo actum eſt, ut ad vos prius ſcriberem: quia turpiter ad honorem ambiſſe viderer inferior; deinde quod vos ab omni hujusmodi opinionis nota morum veſtrorũ dignitas vindicat, poſtremo quod etiamſi hoc conſilio vos ad me non ſcripſiſſetis, ut ego prius deferrem officia quam ſumerem, pio magis id vos conſilio feciſſe exiſtimandum erat quam arroganti. *Epiſtola 7.*

S. Salvianus. Quamvis honeſtum & religioſum ſtudium ſit, præoccupare humilitate & vincere; tamen quando inter tales ut nos ſumus, id eſt, inter ſummos atque infimum, huiuſcemodi negotium eſt; abundantioris caritatis rem maior facit ſi minori cedat officio. *Epiſtola 7. ſub finem.*

Chryſologus Sermone 190. ſub finem: Obſequium ratione calens, fervor eſt: furor eſt, quod ratione non frænatur. Hinc Iudaicus populus Deum dum ſibi præter rationem quærit, Deum cui cum ratione ſerviebat, amiſit. Hinc filij Aaron dum rationis ſunt immemores, dum præſumunt terrenos ignes divinis ignibus admovere, flammam ſacrificij ſalutaris in pœnale ſibi incendium commutarunt. Hinc Saul tremens regali vertice, dum putat ſibi, & de ſacerdotio quid licere, regnum quod acceperat altaris temerator amiſit. Hinc Iudæus dum legem ſine legis ratione excolit, legis interemit auctorem. Hinc gentilis dum deorum populis, & deorum monſtris neſcius rationis obſequitur, ad Dei qui unus & verus eſt, pervenire non meruit ſervitutem. Hinc Arrius patri ſe putat obſequi filium blaſphemando: & dum filio dat initium, patri finem miſerandus imponit. Hinc Photinus dum coæternum patri filium negat, pater ut pater non ſemper fuerit elaborat. Hinc omnes hæreſes dum feruntur ad divinitatis injuriam, dum Trinitatem mentiuntur vocabulis, blaſphemiis obſequuntur.

Ennodius: Supercilium eſt celſioribus non parere: majus, ſi quæ noveris deſcendiſſe ab obſequente, deſpicias. Improbi deſiderij putatur aſſertio, non amare quod exigit. Adſtipulatur judicio ſuo, qui cenſuram de obtemperante ſuſpendit. Malè pertinax diſtrictio eſt, quæ meritum in parente conſiderat. *Lib. 3. Ep. 24. m.*

Idem: Qui me humilitatis putat ignarum, obedientem probabit, ſi juſſa conſideret. Præſumptio eſt, ſi dominorum beneficia famuli non ſequantur: obſequium æſtimandum puto, quod pariturus impendo. *Lib. 4. Ep. 8.*

Ennodius: Invitat ad famulandum plurimos, qui quamvis longè poſitum diligit obſequentem. *Lib. 4. Ep. 29. f.*

Idem: Difficile eſt præter Deum deprehendere, quidquid obſequendi argumentis involvitur. proinde flagitium celat objectio: rarò in lucem erumpunt crimina, quæ auctor obtemperandi ſcierit fuco ſepelire. *Vita Antonij cap. 7. f.*

❡ Philoſophorum Oratorumq. Graecorum.

Xenophon: Quæſo, inquit, mi Sambaula, quo tandem facto vir hic tuam ſibi benevolentiam conciliavit? Et Sambaulas: Dicam profecto vobis ait. Quoties eum vel noctu, vel interdiu vocavi: nunquam mihi neque occupationem ſuam prætexuit, neque pedetentim, ſed curſim perpetuo paruit. Quoties item ut aliquid faceret, imperavi: nihil eum vidi unquam ſine ſudore facere. Quin & reliquos mihi duodecim tales effecit, nõ verbis, ſed re demonſtrando, quales eſſe oporteat. *Cap. 18. lib. 2. Cyropædiæ.*

Ariſtides Rhetor: Præſtat in obſequiis exhibendis nimium eſſe, quam quæ minimè oporteat prætermittere. *In Aeſculapium oratione.*

Ariſtides Rhetor: Si quis medicum ſe profeſſus, cùm optima quæque deberet ægrotis perſcribere, eorum ipſe libidini obtemperaret, & gratificatione artem metiretur: & illos perderet, & apud prudentes judices periret. Quin etiam à natura præſcriptum eſt, ut militibus dux imperet, non eos ſequatur; choro ſimiliter coryphæus, nautis gubernator, bigis auriga. *Orat. contra proditores myſteriorum.*

Arrianus lib. 4. cap. 2. Epicteti: Hoc in loco ante omnia teattentum eſſe decet, ne cui veterum familiarum aut amicorum ita ſis addictus, ut ad ea deſcendas quæ illi cordi ſunt. Alioqui teipſum perdes. Sin illud tibi ſubit, Videbor illi homo ſiniſtri ingenij, neque ut prius erga me affectus erit: cogita, nihil parari gratis: neque poſſe fieri, ſi non eadem agas, idem ut ſis qui aliquando fueris. Elige igitur utrum voles, ut vel eodem modo diligaris à veteribus amicis, taliſque ſis qualis ante fuiſti: vel, ut præſtantior ſis, nec eadem conſequaris. Nam ſi hoc melius eſt: ſtatim ad hoc inclina, neque te aliæ cogitationes diſtrahant. Nemo enim huc atque illuc inclinans, proficere poteſt. Sed ſi hoc aliis rebus omnibus anteponis: ſi huic ſoli inſiſtere vis: ſi in hoc elaborare: miſſa fac cætera omnia. Alioqui iſta inconſtantia & vacillatio bifariam tibi incommodabit: neque ita promovebis, uti par erat: nec illa conſequeris, quæ prius conſequebaris. Nam cum ante haud diſſimulanter, nullius pretij res deſiderares, jucundus eras amicis. Neque utroque in genere excellere potes: ſed neceſſe eſt quatenus alterius, particeps fueris, eatenus altero te deſtitui. Non potes, niſi potes cum iis quibus cum potabas, æque jucundus illis videri. Optio datur, maliſne ebrioſus eſſe, atque illis jucundus: an ſobrius, & injucundus. Non potes, ſi non canas quibus cum canebas, æque ab illis diligi. Elige ergo & hic, utrum malis. Nam ſi præſtat verecundum eſſe ac modeſtum, quam ab alio, O lepidum caput: omitte cætera, repudia, averſare, nihil tibi cum illis rei ſit. Sin iſta non placuerint, totus ad contraria inclinato: eſto cinædus, eſto mœchus, cæteraque facito, iſti vitæ rationi conſentanea. Sic voti compos fies. Exſili atque acclama ſaltatori. Sed perſonæ tam diverſæ non miſcentur. non poteſt & Therſiten agere, & Agamemnonem. Si Therſites eſſe vis, gibboſum te eſſe & recalvaſtrum oportet. Si Agamemnon, magnum & pulcrum, ac diligere populum. Quæ quibus commutanda ſint.

❡ Romanorum.

Symmachus: Præter æquum cenſet, qui inter diſpares par obſequium requirit. *Lib. 1. Ep 1.*

❡ Poetarum.

Plautus Milite 3. ſc. 1. v. 17.

Ecce nos tibi obedientes. P. facile eſt imperium in bonis.

Terentius.

Obſequium amicos, veritas odium parit.

P. Syrus Mimus.

Obſequium nuptæ citò fit odium pellicis.

❡ Emblematum.

Camerarius XCV. Centur. 1.

Flectimur non frangimur.
Flectitur obſequio, ſic vincit arundo procellas.
Læditur adverſum qui ſua fata furit.

Camerarius XXIX. Centur. 3.

Sponte mea, non vi. Accipiter.
Sponte mea redeo, mihi cum victoria parta eſt;
Nec vis me vocat, aſt aucupis obſequium.

❡ Apophthegm. Chriſtianor.

S. Malachias Epiſcop. Nemo negaverit, nihil æquè gratum homini eſſe, ac voluntarium Obſequium. Illud enim eſt quod amicos parit: partoſque adamantino nexu devincit. Civis Eborenſis in Anglia, intellecto quòd Malachias Antiſtes Romam peteret, equũ obtulit: hoc dolere ſe teſtatus, quòd durus eſſet. adiecitque: Libentiùs dediſſem, ſi melior fuiſſet. Cui Malachias: *Non poteſt mihi vile eſſe, quidquid tam pretioſa voluntate offertur. S. Bern. in vita Malachiæ.*

Borſo Dux Ferrar. Neque infimo loco habendus Borſo Dux inclytus. rogatus namque quánam re vinci & ſuperari poſſent corda hominum; *Obſequio,* reſpondit, *magis quàm armis aut vindictâ. Corozetus.*

Ittai Gittæus. In conspiratione Absalomi, Ittai accessit ad Davidem comitatus sexcentis viris; quem cum rex dimittere vellet à se, respondens Ittai dixit, *Ut vivit Iehova, & vivit Dominus meus rex, tantummodo in loco ubi erit Dominus meus, sive ad mortem, sive ad vitam, ibi futurus est servus tuus.* Itaque Davidis permissu, transivit Ittai cum omnibus qui erant secum, &c. 2. *Sam.* 15. 21.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Contra obsequia sortis haud est cauta sat mortalitas.
Corpus est ut obsequatur, sola mens est quæ imperat.
Cuncta regibus fac, cuncta dic eis ad gratiam.
Demerentes plus peccamus sæpe, quam ubi delinquimus.
Dum studeo obsequi tibi, penè illusi vitam filiæ.
Exacerbat non placat ratione obsequium quod caret.
Frontis obsequijs fucatæ præfer contumelias.
Impetres cultu obsequioque quod vis consequi haud queat.
Iura nil legesque prosunt, obsequij si abest modus.
Ne quidem ipsis obsequendum in re improba est parentibus.
Nostrum est intelligere, utcumque atque ubicumque opus sit obsequi.
Obsequi fas est animis, bono id fiat dum cum modo.
Obsequium carens ratione haud fervor est verùm furor.
Obsequium longè fidelius est amoris quàm metus.
Obsequium malim securum anxiâ contumaciâ.
Obsequium par quis requirit inter ævo dispares?
Obsequio tutum esse ignari est: præliis, valentium est.
Quæ famulatur indignis, suspecta obedientia est.
Perpeti nil non malimus quàm obsequi usque alteri.
Sunt mites quidam quam diu nil dicitur aut fit quam volunt.

§ JAMBICA.

Et obsequij specie vecordem rexeris.
Genus obsequij est vitia æmulari Principum
Imperia mitigat civium obsequentia.
Nec obsequendum est omnibus iussis patris.
Nimium obsequi præstat Deo, quam obsequi minus.
Obsequium amicos, veritas odium parit.
Par obsequium malè inter dispares viget.
Potius parenti oportet, amori quam obsequi.
Sola obsequij relicta vulgo gloria est.

Obsidionis.

§ SENTENTIÆ ORATORUM GRÆCORUM.

L*ibanius:* Potidæis certamen erat pro dura servitute & subversione, atque omnibus maxime horrendis, sibi propositum videbat; & istos nihil moderatum & benignum animo agitantes, & effecturos. nam cum iis qui nondum defecerant, talia injunxissent, nempe muros effodere, statum civitatis mutare; quid expectare oportebat facturos, postquam defecissent? nonne urbem mancipaturos? nonne liberos & mulieres adducturos? nonne ipsos regionem occupaturos? & quòd hæc meritò formidarent, ipsæ res gestæ testantur. nam simulatque urbem tradere cœpissent, etiam exemplò rerum egeni expellerentur, nudi, omnibus destituti, republica, patria, possessionibus; lamentabile secunda fortuna utentibus spectaculum! errantes cum reliquis liberis & conjugibus: ac ne ullus quisquam miserias illorum oratione exprimere posset, multis id tentantibus. & profectò, qui ne infelices quidem adeò ipsos in obsidione miserati sunt; quid non præstitissent, si felices nacti fuissent? Qui porro corporibus tunc pepercissent, qui netum quidem ignoverunt, cùm depascerentur? Ita non satis erat tot consumptos esse, & quamplurimam populi partem in populo impensam fuisse? Non satis erat ferarum instar homines nutritos esse? sed hos super his egregiis oportebat etiam alia flagitiose moliri, exilium, egestatem, cuncta quæ nunc sufferunt. Nunquid cernitis & reputatis pro quot & qualibus infortunati resisterent? Majusne quiddam est homim inclementia? tolerabiliorem Atheniensium tyrãnide obsidionem comprobaverunt. mutuo se comederunt: sed enim horum crudelitatem capti exsatiare non potuissent. hæc sanè probus populus declaravit: tantum enim abest, ut perpessos ob ea quæ patiebantur miserarentur, aut duces qui ad id coëgerant utique culparent: ut ex adverso tanquam benignos condemnaret. in reatu fuerunt Ætiodorus & Phanomachus & Xenophon, non propter cœnas, neque propter mensas: sed quia reliquos sub conditione egredi siverant. *eadem orat.* 19. *Declam.* 19.

Libanius: Obsidio certè fuit, verùm Græci intus inclusi erant, quòd si hoc minus placet, homines, hoc vero cum dico, misericordiam dico, benignitatem humanitatemque dico. at quid est horrẽde nutriri homines? missos facio obsessos; sed vos si exercitus Scytharum fuissetis aut Numidarum barbarorum, Tauri quidam, aut atrati Melanchlæni, ritu ferarum vagantes, & neque hominum statuta, nec jura gentium scientes, neque naturæ consentientes, verùm agresti & violento more degentes: si tales, inquam, estis qui Potidæam obsedistis, nihil intolerabile perpetratum est. olim certè etiam à Schythis servati sunt Græci hospites; ac Scythis ipsis talia testificantur convivia; ipsi autem Græcanicam apposuerunt etiam apud illos mensam. attamen Potidæam non quæro; mitto curiose cibos expendere; susque deque habeantur omnia obsessis, peregrina alimenta, cibi piaculares; consolatur calamitatem, quòd Barbari sint qui sic ad incitas redegere, quibus nec aliud quicquam honestorum cognitum ac perfectum est. sed si civitas Atheniensium hæc peregit, quæ originis antiquitatem jactat, legum constitutiones, Deorum cultum, alimenta ipsa; qui sunt hæc aut perpessis aut aliis nobis ferenda? ubinam porro usuvenit bellum objicere Græca benignitate sublata, ejusque vice inductis talibus ærumnis? non est enim; non profectò impiè agentes & naturæ vim inferentes, bello suos mores imputare: neque iis quæ hostilibus legibus facta sunt, pietatem adversus Deos præscribere. res ejusmodi est. omnes qui bella gerunt, inter se expostulationes habent, & dissidia: alii ob minora, alii ob majora. Deos autem neque in parvo, neque in magno criminari queunt. quorsum verò hæc dixi? quia bellantibus nequaquam humanam inimicitiam transcendere convenit: sed adversus hostes, & milites alere, & triremes complere. verùm ubi jam quod geritur deorum interest, non amplius abutendum est bello: sed quamvis minus feliciter illis cedat, bellum solvendum est: siquidem multo melius est hostibus pepercisse deorum nomine, quàm propter hostes in Deos impiè se gerere: sic igitur belli prætextus hisce rationibus sublatus est. atenim non pro Potidæatis, sed pro pietate accusatio instituta est. quid deinde sequatur nobis animadvertendum est: si non tam oratio est quàm accusatio: & non minus erga Deos, horrenda quàm erga homines. itaque palam & apertè dico nullum esse Deorum, cujus numen non violatum, & contumeliose exagitatum sit, ejusmodi obsidione: ac primum omnium Naturam antiquissimam & potentissimam Deam consideremus. nos enim homines fabricata est ad pulcherrima & clementissima & benignissima opera: alias verò animantes ac belluas, venenatas quidem & letiferas repressit ac removit quam longissime, ad solitudines relegans: ad usum verò commodas nobis subjecit: partim ut alimento essent, & mortuæ comederentur. hominem autem adjutorem quidem & socium vitæ effecit: alimentum minimè. hæc natura constituit; Athenienses autem quid? legem hanc antiquare contenderunt: ut iidem essent nutrientes nutriti, alimenta aliti; cuncta ipse homo. atque hæc sanè prima dea est, quam cum Potidæatis eripuerunt Potidæâ; detruserunt palam, & ut adversariam expugnarunt. altera est Tellus quã institerunt contaminati, qui parens etiam hominum generis & est & censetur. hæc quidem certè & prima nos orientes excipit, & morientes contegit; mortis dedecus decorè velans: sed ob istos Telluris etiam gratia evanescit. in corporibus corpora deposuerunt: & inanis quidem terra est, viventes autem mortuis referti sunt. *Declam.* 19.

Libanius: Atqui, quo minus impia atque horrenda sint hæc, tametsi dicendo plurimum valeant, haudquaquam inficiarentur. verumtamen ipsos fortasse ærumnosos. Potidæatas incusabunt: atque ob illos, pollutos scelere esse affirmabunt, qui cõtigerint ipsos, nam hoc restabat ad ea quæ perpessi sunt, ut crimen etiam ipsorum sustinerent. Equidem quo minus illi quoque fuerint & sint piaculares, post ejusmodi alimenta, non repugno: dico tamen id majus judicium esse impietatis Atheniensium. at enim si qui vim passi sunt, puri non existunt, quomodo qui intulerunt mundi essent? si item quos omnes jure misericordia prosequuntur ob clades quas acceperunt, odisse necesse est; qui non istos magis, qui illos ad piaculum traxerunt? quemadmodum verò, opinor, furiosis, etiamsi ad maxima peccata provecti sint, errores non tribuimus, sed furori: sic etiam neque Potidæatis, sed auctoribus impietatem imputamus: nam ab his & propter hos furor in urbem manavit, civesque se invicem ignorare fecit, atque istæc dira exequi. ceterum quomodo illi sapere potuissent, quodque malorum perfugium invenire, tam rigidè custoditi: & vos videntes ardua obsidione cingentes, naves appellentes, alios super aliis exercitus duces navigantes: nullis quæ ad salutem requirebantur inferentibus, cuncta quæ intus erant absumpta? undenam ergo alimenta habuissent? an è cælo? risus & jocus istæc sunt, super iis quibus afflicti sunt miseriis. sed integrum erat (ait ille) urbem tradere. Etenim hoc dicent, sermone utentes valde benigno vel modesto. *Declam.* 19.

Libanius: Etenim plebs tumultum excitabat: & nietum tumultus: multa quidem juventute: multa verò canitie introeunte, jumẽtis, pecoribus & armentis insequentibus, porro turbarum caput erant mulieres lamentantes & plangentes & supplicantes obviis quibusque, si qua juvare possent, & liberos trahentes cum parvulis reptare recens edoctis: & bajulantes eos, qui nondum per ætatulam incedere poterant: utrosque miserabiles lachrymas effundentes: illos quidem jam sapere incipientes, quòd tristium sensu afficerenter: & recens editos infantes, quod matres lamentantes viderent. ac primum quidem civium cœtus fuit, in quo sententiam quisque quam utilem esse putaret, dabat, rumusculi ubique & convicia, hinc oratorum qui duces exercitus criminabantur: inde ducum qui nos increpabant. *Declam.* 31.

Heliodorus: Cives ad opem sibi ferendam, quantum facultatis præsentis status ratio dabat, sese apparabant. In primis autem ubi

tabulatas circa portas diſceſſerant,ſtupa & bitumine obmuniebant
& obturabant: deinde murum,ut firmiori in ſede maneret contra
inundationem ſuffulciebant. Hic humum, ille lapides, non nemo
ligna, & quilibet id quod obvium erat aggerens. denique nemo
quieſcebat,ſed mulieres & pueri perinde ac ſenes, in opus incum-
bebant.nullius enim ſexus, nec ætatis opem repudiat periculum de
vita,&c.*lib.9.Æthiop.*

Onoſander : Urbium oppugnatio obſidioque Imperatoriam
virtutem prudentiamque una cum machinarum apparatu deſi-
derat. Non eſt autem temerè ſuſcipienda, nec minùs occultare
ſua conſilia obſidentes debent, quàm qui obſidione urgentur.
Quibus enim inſidiæ fiunt,periculorum quæ ſibi parantur haud i-
gnari,diligentiùs illis proſpiciunt. qui verò faciunt inſidias, rati ſe
extra periculum eſſe, quidquid agere decreverunt, ut lubet,pera-
gunt. At qui ſe quoque in diſcrimen vocari cogitant, pericula
effugere,& aliquid contrà ſtruere,ſi ſe offerat occaſio, annituntur.
Urbem igitur aliquam oppugnaturus Imp.exercitum ſuum foſsâ,
vallo, cuſtodiiſque muniat. Nam obſidentium quidem militum
molitiones ab hoſtibus è muro facilè conſpici poterunt: obſeſſi
verò objectis mœnibus tecti, improvisâ ſæpenumero eruptio-
ne per portas effuſi, vel machinis ignem ſubjicient,vel militum
ſtrages edent, vel denique quidquid tumultus ſuadebit, aude-
bunt.

Secus ſi ad portas & oſtiola milites diſponat Imperator, ſubi-
tis hoſtium excurſionibus coercendis: quandò erumpentium im-
preſſiones eos qui extra obſident ſæpe fallere ſolent. Noctur-
næ autem oppugnationes omnino ſunt obſidentibus utiles. Ob-
ſeſſi enim quæ ab hoſtibus parentur in tenebris cernere neque-
unt,ideoque graviora & periculoſiora eſſe, quàm reapſe ſint, exi-
ſtimant. Unde & tumultus excitantur, quum nemo quid in
iis rebus prudentis conſilii det, habeat. Imò damnum infectum,
jam factum eſſe plerique putant, nec ſcire poſſunt quo modo ho-
ſtis urgeat,aut cujuſmodi ſcalis admotis inſtet. Quare & ſeditiones
paſſim,clamoreſque, ac trepidationes cum panicis terroribus ex-
citantur.*cap.40.& 41.*

Leo Imperator : Deinceps de obſidione, quæ ex antiquis re-
centioribuſque rei militaris ſcriptoribus delibavimus, demon-
ſtrandum tibi eſt, quæ agenda tibi ſunt, ſi vel hoſtes obſideas, vel
ab illis obſeſſus fueris,ut iſtorum mediocrem peritiam habeas,qua
effici abs te poſſit, ut quæ hoc loco memorata non ſunt, fieri ta-
men poſſunt,uſu omnia tum locis tum temporibus idoneis mon-
ſtrante, horum non omnino rudis videaris.

2. Obſidio igitur fortem requirit animum, celeritatemque mentis, & peritiam militarem, & machinationum multarum copiam præparatam, firmitatem in obſidenda civitate,caſtello aut munitione:& multa cum cautione ac diligentia firmitatem hanc parari oportet.

3. Dum igitur aliquid ex prædictis obſides, foſſatum munitum reddes, vel foſſa alta, vel aliqua exædificatione lapidum, laterum aut lignorum, vel quemadmodum optimè excogitare poſſis ad teipſum ab hoſtibus defendendum. Excubias multas diligenteſque habeas iis in locis ubi ſuſpicio minima ſit, ut ne obſeſſi cives vel externi hoſtes ſubitò irrumpentes, vel noctu vel interdiu periculum exercitui inferant, quod ab obſeſſis civitatibus fieri ſolet. Nam qui foris obſident, neſciunt quid cives intus obſeſſi moliantur: ij autem è muro vident, quid alij contra eos ſuſcipiant. Itaque exercitum tuum quam tutiſſimè potes conſervabis.

4. Bene feceris ſi juxta portas, aut portulas minutas civitatis aut caſtelli, vel ad vias cæterarum munitionum milites collocaveris qui repentinas hoſtium incurſiones prohibeant. Noctu autem potiſſimum ejuſmodi præſidia habeas, tum enim incurſiones maximè fieri ſolent.

5. Quòd ſi noctu hanc obſidionem adhibeas, terribilior eris iis qui intus obſidebuntur: neque enim cùm tenebris omnia circumfunduntur, cernunt quid geratur, magiſque animo perturbantur, vireſque illorum elangueſcunt: multaque & gravia noctu fieri credunt, quæ adeò ne tu ipſe quidem excogitaveris. Quicquid enim noctu fit, quanquam leve ſit, obſeſſis tamen terribilius videri ſolet, itaque celerius remittunt, & ad deditionem ſeipſos tradunt. Si enim poteris efficere ut unus atque alter murum conſcendat, qui intus ſunt putabunt univerſum exercitum in mœniis eſſe, atque adeo retrocedent, & deſtituta mœnia relinquent.

6. Iis in rebus alacritas & ſtrenuitas imperatoria oſtendenda eſt:hæc enim laborioſa obſidionis facta, ſuis manibus ſuſcipienda gerendaque ſunt.Exercitum enim pudor invadet, ut ne jam amplius quaſi imperatus,ſed ſua voluntate, quaſi amicus,ad res difficiles graveſque alacrius ſuſcipiendas ſe ipſe impellat.

7. Qui obſidionem inchoat, accuratè conſiderabit,num rerum neceſſariarum aditum illis intercludere poſſit,vel aquam, vel commeatum,vel aliquid ejus generis:ſin iſtis copioſius abundaverint,tum bellicæ machinationes admoveantur.

8. Perterrefacies admodum hoſtes, ſi optimos quoſque milites & præfectos, ætate atque aſpectu liberales armiſque fulgentes, ex aliquo loco prope murum aut munitionem, iis qui obſeſſi ſunt tranſeundo demonſtres: reliquos qui magis plebei fuerint, cum cæteris impedimentis eminus locabis, ut ne hoſtes utrum homines an jumenta fuerint planè internoſcant: ita fiet, ut omnia quæ vident, homines eſſe exiſtimabunt, taleſque quales cominus euntes armatos vident.

9. In primis enim utile eſt multos loricatos & cataphractos videri eſſe obſeſſis, eoſque qua galeas & caſſides non habent, aliquo artificio efficere ut loricati & cataphracti eſſe videantur, ut omnes ſi tales eſſe putentur, magnum timorem obſeſſis apportet.

10. Caſtra eminus in longitudinem ponantur, ut omnia quæ videri poſſint, ab iis militibus qui intus ſunt cernantur.

11. Primò igitur iis qui in civitate aut in caſtello ſunt ſignificandum eſt,& ad inquiſitionem quandam deditionis proponendum aliquid clemens ac facile, ut cum jumentis aut curribus, aut rebus utenſilibus acceptis diſcedant, ut rei propoſitæ æquitate & ſalutis ſpe animi illorum diſtrahantur, & ad reſiſtendum periculaque obeunda omiſſiores ſint.

12. Statim enim à principio dura & gravia proponere, minimè prudentis imperatoris eſt. Nam moleſtia & difficultate propoſitæ orationis, minorem putabunt laborem minuſque periculum, obſideri: ac propterea una ac firma mente ad reſiſtendum ſe præparent.

13. In longis obſidionibus ante omnia commeatum idoneum cæteraque neceſſaria parabis, ut nulla re defectus exercitus, ſine ulla anguſtia ac perturbatione obſideat.

14. Segregabis etiam ad omnem uſum ſingulorum negotiorum homines ad ea elaboranda idoneos,aſſignabiſque quis quodq; opus ſuſcepturus ſit.

15. Ubi ſemel obſidionem tuam inchoaveris, univerſum exercitum quotidie ad bellum ne ducas, ut ne omnes fatigentur, ſed in diverſis partes exercitum divides, aſſignabiſque qui & quot horas diei elaborabunt: deſcribeſque qui noctu & qui interdiu in laboribus erunt. Interdiu enim obſeſſi bello aſſiduo ſucceſſione militum vexandi ſunt: noctu autem ſimiliter terroribus quibuſdam ſunt exagitandi, delectis quibuſdam viris ad hoc inſtitutis, quales & quot ad perterrefaciendos eos excogitare poſſis.

16. Si exercitum tam magnum habeas ut noctu etiam in obſidione verſari poſſis, bene feceris ſi exercitum tuum in quot tibi commodum videbitur partes dividas: & alii quidem certum noctis tempus dormiant, alii invadant: & qui antè in labore obſidionis verſabantur, requieſcant: qui dormierunt, ad laborem obſidendi ſe præparent, ut alternis tum die tum nocte ſine ulla intermiſſione illos vexes, ut ne vel minimam quidem requietem obſeſſi capiant. Itaque nimiis vigiliis laborumque moleſtiis preſſi, facilè adhibitis machinationibus atque artificiis, vel voluntariè ſeipſos tradent, vel inviti capientur, ſi vel parum omiſſiores fuerint, propter imminentium periculorum aſſiduitatem.

17. Ac proditoribus, ſi qui ſunt, in conſilio adhibitis, melius & facilius illos capies ſi eos adoriaris ex inopinato aliquo loco,aut modo per proditores demonſtrato.

18. In hujuſmodi obſidionum viciſſitudine, ipſe quoque imperator paululum & exiguè requieſcas, ut ad idoneos labores adminiſtrationeſque tuas vigiles.

19. Si exercitum tuum fortem adhuc & ſtrenuum in plures partes diviſeris, & unamquamque partem præparaveris ut ſcalas ad muros adhibeant, optimè feceris: undique enim cùm irruptio in obſeſſos fiat, in magnam anxietatem animorumque perturbationem conjiciuntur, tumque potiſſimum cum præter ſcalas, alias quoque machinationes adhibueris, ut arietes, teſtudines, turres, & ſi quod præterea obſidionale inſtrumentum fuerit: ſi enim ſimul machinationes adjunxeris, & ſcalas quoque ad muros adduxeris, omni ex parte qui intus obſeſſi ſunt ſolicitabuntur: ſi enim reliquorum murorum partes negligant, & adverſus machinationes ſe totos conferant, qui ſcalas adhibent,nemine violenter impediente,facilè murum conſcendent:ſin ad ſcalas machinationeſque impediendas ſe diviſerint, tum qui obſidionalia inſtrumenta adhibent, impetuoſiores & vehementiores inſultus facient,neque obſeſſi poterunt utrunque impetum facile declinare.

20. Quæ firmiſſima ſæpe videntur loca, & ad capiendum difficillima, magna ſæpe ut capiantur ſubſidia afferent. Nam qui obſeſſi ſunt, propter opinionem quandam firmitatis ac ſtabilitatis, hujuſmodi loca ſine ulla cuſtodia relinquunt. Tu verò ſolertia tua laborioſaque induſtria hujuſmodi loca animadvertens, machinationem & artificium facilè invenies ad hujuſmodi loca neglecta capienda, vel ſcalis quibuſdam, vel aliqua violenta aſcenſione, audacibus viris eò pervenientibus, & munerum promiſſione ad id faciendum protractis. Ubi enim de improviſo cernunt talia loca occupata eſſe, animos jam dimittent, & armis abjectis vel ſalutem petent, vel protinus perimentur. Qui enim per has difficultates locorum murum conſcenderunt,vel tuba canent,& terrorem maximum obſeſſis hoc videntibus afferent, vel poſtquam ingreſſi ſunt deſcendent, portaſq; militibus qui foris ſunt aperient, vel aliis quibuſdam molitionibus ut civitas aut caſtellum capiatur efficient.

21. Si civitas aut caſtellum, magnum numerum virorum habuerit, audeantque illi iis qui ingreſſi ſunt obviam ire & occurrere, altiora atque æditiora loca conſcendant, vel arcem ipſam civitatis occupent, indeque propugnantes, hos qui ingreſſi ſunt iterum repellant.

22. Proclamabunt ſtatim, ut nemo quemquam arma non habentem interficiat, ſed ſolos eos qui arma geſtant. Hanc autem rem illorum lingua proclamabis: hoc enim audito, vir unuſquiſque ſaluti ſuæ conſulens, in ipſo terroris periculique puncto arma abjicient. Horum reſiſtentium numerus cùm minuitur, obſeſſores omnino victores erunt: obſeſſi autem ad hunc modum intercepti, ubi parvam ſalutis ſpem reliquam habeant, ſupplices obſeſſorum confeſtim fiunt.

23. Si diuturna fuerit obſidio, & quoſdam extra civitatem ceperis florentes ætate juvenes, apud te, quemadmodum commodiſſimum videbitur, retine. Fœminas autem, pueros, ſenes & infirmos homines ad civitatem iterum remittes. Ita fiet, ut inutilis hæc ætas, & alimenta civitatis abſumat, & obſeſſos nihil adjuvet, imò potius lædet, & opinionem humanitatis animis eorum qui obſidentur, afferes, ut mentes eorum & ſententiæ diſtrahantur, & occaſionem aliquam deditionis facilius quærant.

24. Quemadmodum in omnibus obſidionibus ingens ſolet eſſe tumultus tũ vociferantium hominum, tum perſonantium ſcutorum, ut ne hac re exercitus tuus perturbetur, uno aut altero milliari ab eo loco caſtra tuorum ponantur, quò hic ſonitus tumultuantium exaudiri non poſſit.

25. Ne periculoſe & inconſiderate irruptiones ullas fieri permittas, ne ſi aliqui ex tuis occidant, exercitus tuus fracto magis animo ſit, & obſeſſi multò alacriores ſint, quod perſæpe uſuvenire videmus: frequenter enim ſtrenuus miles à muliere fortuita atque imbelli, aut lapide aliquo conjecto, aut teſta immiſſa, aut ligno aliquo delato percuſſus interimitur.

26. Si parva quædam caſtella obſideas, & damnoſam periculoſamque invaſionem putes eſſe, & intelligis commeatu eos non egere, contende ut illos dies noctesque turbes, ut hac perturbatione qui obſeſſi pauci ſunt perpetuò fatigentur, univerſo exercitu noſtro adverſum illos ſine ulla intermiſſione alternis & viciſſim dimicante.

27. Si ædes in caſtello ad comburendum idoneæ fuerint, ſagittis igniferis per multa & varia loca ſparſis, idque potiſſimum vento ingenti aliquo flante, incendes. Saxa etiam quadrata igne plena, & manganica alacatia quæ ſaxa emittunt atque ejiciunt adhibebis, & in ædes quæ facile incendium recipiunt conjicies, & dum illi in extinguendo igne occupati ſint, ſcalas tu interea admove, & milites jubeto eas audacter conſcendere.

28. Sunt autem in obſidionibus diverſa inſtrumenta obſidionalia, quæ tum antiquiores tum recentiores paulò ante nos excogitarunt, pro loci temporiſque opportunitate. Neque enim nunc tempus eſt commemorare, quibus machinationibus obſidebis, ſed temporis commoditas ſingula te docebit.

29. Sunt enim arietes, quibus admotis mœnia rumpuntur.

30. Sunt & turres ligneæ, pellibus aliaque materia tectæ, ut igne minimè deflagrent: quæ & rotis adductæ ad muros, homines ex alto cum iis qui in muro ſunt pugnantes habeant.

31. Teſtudines quoque ad murum adjunctæ, fundamenta ejus evertunt.

32. Scalæ quoq; junctæ vel ad murum adductæ, vel erectis trabibus impoſitæ, & rotis cominus applicatæ.

33. Cuniculi foris à muro longè abſint: intus autem per fundamenta murorum ingreſſi, & terram etiam intra civitatem perforent, ſi inæquali loco ſita ea ſit.

34. Atq; ut paucis dicam, aliæ ſunt machinationes, quæ aliis in hiſtoriis, imò verò in libris militaribus potius invenies, quemadmodum teguntur, quemadmodum adducuntur, & ad quæ loca obſeſſorum adhibentur.

35. Iſtarum machinationum apparatus & præparationes non ſolùm abs te fiant, ſed etiam manganiorum & idoneorum hominum ſolertiis, ut & tu quas potes machinationes omnes excogites, & illi artificio ſuo, & experientiæ ſuæ felicitate, tibi opem ferant.

36. Eos qui proditores dicuntur vel civitatis vel alicujus firmæ munitionis, vel viæ quæ in hoſtilem terram fert, accipito benignè, & fidem cum illis promiſſaque ſervato, ſi veri erga te fuerint, non ſui cauſa, ſed aliorum, quos ad te hoc modo invitare poſſis. Nam qui proditori aliquid tribuit, plus ab eo accipit, potius quàm dat. Neque enim judex civitatis es, cui injuria à proditore inferatur, ſed imperator: & multis modis ad tuos conſervandos & hoſtes ſuperandos laborare debes. Inſcitum eſt enim, videri nolle in malos homines tali de cauſa beneficium conferre. Omnia enim opportuna bona ſunt. Proditor autem quamvis erga hoſtes tuos malus ſit, tamen erga te populumque tuum bonus eſſe deprehẽditur.

37. Si civitas Deo jam propitio tibi ſubjecta fuerit, aut munitio aut caſtellum, vel propter timorem obſidionis, vel alia quavis de cauſa, mitis ac benignus erga illos opprimas, neque crudeliter miniteris, aut aliquo ſupplicio perterrefacias, neque injuriis ullis vexes, ſed bonus potius benignuſque erga illos ſis, ut cæteri manſuetudine tua provocati, voluntariè ſe tibi ſubjiciant, nullum malum aut incommodum abs te proficiſci putantes, quod non ſuſtinere & perferre commodè poſſint.

38. Hoc enim Nicephorum imperatorem feciſſe novimus, cũ adverſus Longobardorum nationem mitteretur, ut eam in poteſtatem noſtram redigeret. Non ſolùm enim rebus bellicis aptè inſtructis, ea natio ſubjecta nobis fuit, verùm etiam ſolerti quadam juſtitia ac comitate adverſus omnes uſurpata, & libertate illis omnis ſervitutis, & reliquorum tributorum condonata.

39. Non enim lucri cauſa regnum noſtrum hoſtium ſubjectionem quærit, ſed gloriæ noſtræ honoriſque cauſa, & ſalutis beneficentiæq; & libertatis ſubjectorum gratia.

40. Benevolus igitur ſubjectis atque imperio tuo parentibus ſi fueris, alios quoque tibi ut ſe ſubjiciant conciliabis: efferatus enim animus & crudelis, ſubjectos tibi in magnam mœſtitiam pœnitentiamque ſubjectionis ſuæ adducit, & eos qui nondum tuo imperio ſubjecti ſunt, alio avocat, & alacriores ad periclitandum de ſua ſalute facit, potius quàm in manus tam crudelis imperatoris veniant: & multum obſidendo laborabis, atque ad extremum nihil proficies. Sin bonum te intellexerint eſſe, facilè ſe tibi dedent.

41. Rectionis noſtræ benignitatem, bonitatem, & pacem, laudabis apud eos qui per te ſub imperium noſtrum veniunt, ſive civitas ſive caſtellum, ſive natio aliqua fuerit, & in miſerationis noſtræ viſcera intueberis, ut mitia ſalutariaque mandata noſtra recipiant atque obſervent.

42. Non ſine cauſa hoc abs te elaborandum eſt, ut quemadmodum divina tempora, ſic etiam nocturna ſpatia agnoſcas ex lunæ ſtellarumque motu, ut ad horæ promiſſæ tempus ſivè à proditore poſitum, ſive à teipſo excogitatum vel in obſidione vel in itinere, certus de pacto definitoque tempore eò pervenias. Nam vel celerius vel tardius aliquò pervenire quàm conſtitutum eſt, propoſitum perſæpe noſtrum intervertit.

43. Ad obſidionem egreſſus vel pro proditore, vel pro alia quavis ratione, quos in via offenderis, omnes quibuſdam equitibus ad hoc præmiſſis anticipa, vel per milites tuos hoc facias, ut ne per illos incurſio tua indicetur: talia enim bellica negocia ſubitò & de improviſo fiant.

44. Quando enim de improviſo adverſus hoſtes ruit exercitus, quamvis exiguus ſit & hoſtibus longè minor, tamen propter nec opinatam incurſionem hoſtes multò etiam plures perturbat: atque adeo ſi pluribus quàm hoſtes ſunt illos invadas, poteris antequam ipſi ſe colligant, in poteſtatem tuam redigere.

45. Ubi civitatem aut caſtellum aut aliquam munitionem ceperis, & exitum belli felicem habueris, ne ſis propter res bene geſtas, vel infortunatis hominibus gravis, vel illis qui ſimul tecum ad bellum profecti ſunt. Neque faſtu aut arrogantia efferaris, ſed humanus, benignus ac comis ſias: humanus erga captivos atque infortunatos tum eos qui nunc ſunt, tum eos quoque qui abs te aut oppugnandi aut obſidendi ſunt: comis erga propinquos & amicos. Propinquos enim & amicos, non ad individiam movebis, ſed ad imitationem & æmulationem rerum geſtarum tuarum excitabis. Eos quos obſeſſurus es, obedientiores tibi magiſque ſubjectos, benignitatis tuæ bonitatiſque ſpe efficies. Hæc abs te conſervanda ſunt, ubi alios invadens obſidere eos cogitas.

46. Si, quod ſæpe contingit, civitas aut caſtellum, aut ulla alia munitio tua ab hoſtibus obſidenda eſt, ſi hoc efficere acceſſione tua potes, ut illorum conſilia conatuſque eleves, Deo gratiæ agantur: ſin minus, omnibus rebus eos apparabis atque inſtrues qui obſidendi ſunt, ſive ipſe neceſſitate quadam affuturus ſis, ſive alius quiſpiam è tuis præfectus prudens & peritus.

47. Primò igitur omnia ad commeatum neceſſaria iis qui obſidione incluſi ſunt, præparabis, quod ſatisfacere illis omne tẽpus obſidionis poſſit. Præparata jam rerum neceſſariarum abundantia, proximum eſt, ut inutilem omnem ætatem, mulieres, ſenes, debiles, pueros, ante hoſtium adventum è munitione ejicias, ut reliquis qui robuſti habileſque ſunt, alimenta ſufficiant: tum machinationes quædam ad depulſionem manganorum ſaxa conjiciẽtium, ab iis qui obſidentur comparandæ ſunt.

48. Hujuſmodi conjectionibus objiciuntur cilicia pendentia è pinnis extra muros, vel ſarcinæ, vel funes contorti, vel pontila, vel ligna prominentia, aut lateribus agger ante pinnas extructus. Arietibus autem telaria, & ſacci pleni palea atque arena opponuntur.

49. Ad teſtudines, harpages præparandi ſunt, id eſt, ligna magna cuſpidata picata, ut vel avertant eas, vel levent & nudent interiores teſtudinis partes, & in illos ex ſuperiore loco nudatos invadant.

50. Pix adſit, qua nudatæ teſtudines incenduntur, & ignis lapideſque graves acuminati mãganis quibuſdam è ſuperiore loco vel funibus vel catenis demiſſi, & aliis quibuſdam ponderibus altero in fine mangani ad ſublevandos iterum lapides poſitis.

51. Ad turres adductas, ignem & ſaxa ejicientia inſtrumenta aptabis: ſin hoc modo non proficitur, alias turres vel ex lignis, vel ex alia quapiam materia erigere eos qui intus includuntur, adverſum eos qui foris obſident, vel adverſus quaſcunque illorum machinationes, alias novas contra illos moliri oportet, quemadmodũ diligenter pertractanti animo facilè factu fuerit.

52. Turres propugnatrices virorum minimè tectas eſſe oportet,

tet,ut milites liberè ex eo loco pugnare poſſint, & mangana facilia ponantur & conficiantur.

53. Portulæ autem hujuſmodi in turribus ad latus anguſtæ, dextram in partem aperiantur, qua hoſtium mangana emittuntur,ut pedites è portulis exeuntes, & ſcutis aptè ſe tegentes, ſuperioribus adjuti mangana depellere poſſint. Habeant portas etiam quas tempore claudant,neq; apertæ maneant.

54. Ad pinnas murorum apponantur ligna gravia admodum, trunci,lapides molares,ut funibus aut catenis hæc appenſa in hoſtes conjiciantur, & opprimant illos. Hoc autem circumcirca murum fiat,neque pinna ulla prætereatur, ſi fieri poſſit,quæ non lapidem aliquem pergravem molarem habeat, vel lignum longum & grave,quod perfringere valide poterit tum ſcalas, tum illos qui eas conſcendunt.

55. Hæ & hujuſmodi aliæ graves res per univerſum murum dividantur, aliaſque copias in promptu habeant, ut adflictæ parti ſicubi opus fuerit ſuccurrant, & ne à loco ad locum murorum cuſtodes excurrant, locaque quædam nudentur præſidiis, quod valde periculoſum eſt.

56. Si diſſenſio aliquorum in civitate aut caſtello aliquo fuerit; illos pacificare, & in muri pedaturis cum cæteris conjungere oportet:ita fiet ut neque ſeditionem moliri vel contra rempublicam, vel contra ſeipſos poſſint. Cùm enim cuſtodia civitatis illis commendata ſit, rebus novis ſtudere erubeſcunt. Sin hoc fieri nequeat, aliò educantur ipſi, & provideatur ut ne quid ſeditionis hoc obſidionis tempore per illos concitetur, aut proditionis aliquid ſuſcipiatur, aut hoſtibus aliquid perſcribatur, aut cum illis communicetur, niſi hæc conſilio & autoritate ſenatus fiant, cui cuſtodia & ſumma rerum hoc toto obſidionis tempore concredita eſt.

57. Portulæ civitatum fidelibus viris committantur, neque initijs obſidionis audeant ulli vel milites vel cives fidenter extra portas egredi & pugnare, quamvis multi ac ſtrenui intus obſeſſi atque incluſi fuerint,niſi ſi aliqua occaſio fuerit mangani periculoſe è muro conturbantis ſervandi, aut alia quævis neceſſitas quæ ad exeundum urgeat:ſed omnes ex ſuperioribus locis defendant, & non foris percutiantur aut periclitentur.

58. Si enim tale aliquid fiat, inferiore ex loco viris vel interfectis vel vulneratis.

59. Reliqua turba animo debilitata, facilè ſuperari ab inimicis poteſt. Manifeſtum eſt enim quòd quamdiu viri ſervantur,murus integer conſiſtit:illis jam proditis,reliqua turba in periculo eſt.

60. Si enim propugnaculum aliud habeat vel civitas vel munitio,haud abſurdum fuerit excubias ibi fortes & accuratas collocare,noctuque potiſſimum, cum vel quidam deficere ad hoſtes ſtudeant,vel inſidiæ clanculum muris ſtrui poſſint.

61. Conjectiones ſagittarum aut lapidum aut telorum, inaniter & temerè è muro ſæpe fiant:ex eo enim fiet ut hoſtes ſe deſpici contemnique putent,quaſi inertes atque ignavi. Sin ex ciſterna aquam habeant potabilem, non ex fonte aliquo jugem, aut ex piſcina quotidiana exhauſtione minuentem, dividatur aqua omnibus proviſione quadam,neque quivis fortuitus poteſtatem habeat pro arbitratu ſuo eam abſumere.

62. In reliquo commeatu ſimiliter omnia cum moderatione diſtribuantur, ut & omnibus ſatis ſit, & obſeſſi firmi forteſque cuſtodiantur.

63. Excubiæ diligenter & accuratè cuſtodiantur. Obſervetur etiam cuſtodia quædam commeatus,ut ne facilè à quovis plebeio decipiatur.

64. Præfectus diligenter adhortatione ſua reliquos intus obſeſſos animet, & alacriores ad pericula laboreſque ſuſtinendos faciat,donec vel copiis tuis impulſi, vel alia quapiam de cauſa concitati hoſtes ab obſidione diſcedant. Incurſiones quoque quàntas maximas poteſt imperator in obſeſſores faciat, diverſiſque quantū poteſt irruptionibus invadat: rumoreſque diſpergat,alium maximum exercitum adventare:& quæcunque talia perterrefacere hoſtes poſſunt.

65. Hæc quæ à me commemorata ſunt obſeſſus faciat, & alia quædam adverſus ſingulas obſeſſorum machinationes præparabit, & ad prædictas hoſtium machinationes ſuas adhibens, confeſtim intelliget quemadmodum adverſum ſingulas machinationes pugnare poſſit.

66. Non prætermittam hoc loco quod mihi inquirenti diligenter cognitum atque inventum eſt (quanquam hoc tempore minimè uſitatum frequentatumque ſit) quomodo clanculum & celeriter munitionem aliquam extruere in hoſtium finibus imperator poſſit. Conſiderandus primùm locus aliquis firmus, qui decem aut duodecim diebus arido ligno circumjici poſſit, ſi quando gravis aliqua incurſio hoſtium timetur: deinde ſi abundantia aliqua lignorum, lapidum, laterum in promptu ſit, & ſi aqua ibi vel præſtò ſit, vel parari poſſit.

67. Parabis artifices idoneos, portas & mangana murorum, & præſidia idonea peditum armatorum ſtrenuorum, præfectorumque prudentum ac nobilium: curruum quoque ſubſidia quaſi ad foſſatum inſtruendum & firmandum: commeatum præterea trium aut quatuor menſium,vel ſi opus ſit univerſæ æſtatis: paſtus vicinos ac finitimos omnes incendes:ſin ad comburendum difficiles fuerint, abſumant univerſos,rumoreſque diſperges, velle te alio in loco incurſionem adverſus hoſtes facere,& præſidia quædam ad eum locum de quo rumor eſt mittes, ut ibi te expectando hoſtes vexentur, tumque ſubitò ante diem unum animabis eos qui in hanc munitionem ingreſſuri ſunt, & quædam dona illis ad impellendos eos dabis,quædam verò etiam præterea promittes, ac ſubitò hoſtibus jam alio in loco occupatis, univerſo cum exercitu ad definita loca pervenies, & excubias tutas collocabis, & pedites circumcirca munitionem inſtrues, & foſſam altiſſimam, ſi id locus admittat,facies.

68. Si lapides aut lateres ibi fuerint, locum aridum exædificabis,ligniſque tutò ac aſſiduè illigabis:ſin ligna ſolùm fuerint, includendus locus lignis eſt firmanduſque.

69. Ubi hic locus ad prædictum modum incluſus fuerit, hoſteſque eum locum adoriantur, neque illorum impetum ſuſtinere potes,ante adventum hoſtium diſcedes, homines ſatis multos atque idoneos ibi relinquens: vel propè eum locum caſtra pones,ut neque propè cùm ſis,præliari cum hoſtibus cogaris: neque longius de munitione diſcedas,ut ne opportunitatem hoſtes nacti vehemēter incluſos hac munitione invadant.

70. Signum aliquod illis certum interdum dabis,atq; aliud certum noctu,quo cognitum tibi erit quonam in ſtatu ſint.

71. Si pedeſtri prælio repelli milites poſſunt, ubi aliqua moleſtia incluſos circumſtat, ne hoc quidem prætermittendum eſt, ut ne in aliquod periculum veniant.

72. Ubi aliqua ſecuritas jam eſt, paulatim ædificare oportet ſuſceptam munitionem firmamque eam ac robuſtam facere, omniumque neceſſariarum rerum ſuſcipere.

73. Hujuſmodi rerum aggreſſiones idoneè adverſus equeſtres copias, Iulio, Auguſto aut Septembri menſe ſuſcipiuntur, quando herba omnis arefacta exuſtaque eſt,equiteſque hoſtium impediantur diu in eo loco conſiſtere.

74. Si defectus hic locus aqua fuerit,neque natura ibi ſit,neque in foſſa ulla inveniatur, vel dolia teſtacea vel buttia integra parare atque aqua explere,& cochleas fluviatiles conjicere, quæ illis ad hybernum tempus ſufficiant,ciſternæque ædificentur ad aquam pluviam excipiendam.

75. Ut ne aqua oleat immota ſtans, ſub vaſis receptacula quædam ponantur, ut paulatim defluens aqua motum capiat: ubi autem completa hæc receptacula fuerint, rurſus in dolia & buttia infundantur,ut hoc motu aqua perflata minimè corrumpatur.

76. Utile autem fuerit aſſeres præparare craſſiores, & in foſſa eos conjungere, tum ſarpio,pice, ſtuppa, juncturas omnes firmare nodoſque idoneè aptare, tum ordine quodam ciſternas mediocres apparare viginti numero, decem pedum latitudine, altitudine autē octo aut decem, donec omnes ciſternæ ad aquam omnem capiendam habiles fuerint. In majoribus enim vaſis diutius aqua permanet. Tranſtra autem quædam lignea trabeſque ad continenda latera ciſternarum adhibeantur, ut ne aquæ multitudine diſrupti aſſeres diſcedant,aquaq; omnis effundatur.*cap.15.rei tacticæ.*

¶ ROMANORUM.

Egeſippus:Poſtremò bellum retulerunt,quibus ſpes omnis nō in mœnibus, ſed in viribus erat:cùm ſit maximè omnium miſerabile claudi obſidione;quæ etiamſi bene procedit, ſæpius augere quam minuere pericula ſolet.*præfatione lib.1.de excidio Hieroſol.*

Frontinus: Philippus, cùm Trinaſſum caſtellum nuda vi capere poſſet,terram ante ipſos muros aggeſſit, ſimulavitque agi cuniculum:caſtellanique,quia ſubrutos ſe exiſtimarant,dediderunt.

Pelopidas Thebanus Magnetum duo oppida ſimul oppugnaturus,non ita longo ſpacio diſtantia,quo tempore ad alterum eorum exercitum admovebat, præcepit, ut ex compoſito ab aliis caſtris quatuor equites coronati, notabili alacritate velut victoriam annunciantes, venirent:ad cujus ſimulationem curavit, ut ſilva, quæ in medio erat,incenderetur, præbitura ſpeciem urbis ardentis:præterea quoſdam captivorum habitu eodem juſſit perduci. Qua aſſeveratione perterriti,qui obſidebātur dum in parte jam ſe ſuperatos exiſtimarent defecerunt.

Cyrus rex Perſarum, incluſo Sardibus Crœſo, qua præruptus mons nullum aditum præſtabat,ad mœnia malos exæquantes altitudinem jugi ſubrexit: quibus ſimulachra hominum armata Perſici habitus impoſuerat,noctuque eos monti admovit. Tum prima luce ex altera parte muros aggreſſus eſt, ubi orto Sole ſimulachra illa,armatorum referentia habitum, refulſerunt,oppidani captam urbem à tergo credentes,& hoc in fugam dilapſi victoriam hoſtibus conceſſerunt.*lib.2.cap.8.ſtratagem.*

Frontinus: Clearchus Lacedæmonius exploratum habens Thracas omnia victui neceſſaria in montes comportaſſe,una quoque ſpe ſuſtentari,quòd crederent eum commeatus inopia receſſurum, per id tempus quo legatos eorum venturos opinabatur, aliquem ex captivis in conſpectu juſſit occidi, & membratim, tanquam alimenti cauſa in contubernia diſtribuit. Thraces nihil non facturum perſeverantiæ cauſa eum credentes, qui tam deteſtabiles epulas ſuſtinuiſſet experiri,in deditionem venerunt.

Tyberius Gracchus,Luſitanis dicentibus, in decem annos cibaria ſe habere, & ideo obſidionem non expaveſcere, Vndecimo, inquit,anno vos capiam. Qua voce praterriti Luſitani,quanquam inſtructi commeatibus,ſtatim ſe tradiderunt.

Aul. Torquato Græcam urbem oppugnanti, cùm diceretur, juventutem ibi studiose jaculis & sagittis exerceri, Pluris eam, inquit, propediem vendam. *lib.3.c.5. Stratag.*

Circa tutelam obsessorum, de exercitanda cura suorum.

Frontinus: Alcibiades Atheniensis, civitate sua à Lacedæmoniis obsessa, veritus negligentiam vigilum, denunciavit his, qui in stationibus erant, ut observarent lumen, quod nocte ostensurus esset ex arce, & ad conspectum ejus ipsi quoque lumina attollerent. In quo munere qui cessasset pœnam passurum: dum solicitè expectatur signum ducis, pervigilatum ab omnibus & suspectæ noctis periculum evitatum est.

Iphicrates dux Atheniensium, cum præsidio Corinthum teneret, & sub adventum hostium ipse vigilias circumiret, vigilem quem dormientem viderat, transfixit cuspide, quod factum quibusdam, tanquam sævum increpantibus, Qualem inveni, inquit, talem reliqui.

Epaminundas Thebanus idem fecisse dicitur.

De emittendo & recipiendo nuncio.

Idem: Romani obsessi in Capitolio ad Camillum ab exilio implorandum miserunt Pontium Cominum, qui ut stationes Gallorum falleret, per saxa Tarpeia dimissus, transnato Tyberi Veios pervenit, & perpetrata legatione similiter ad suos rediit.

Campani diligenter Romanis, à quibus obsessi erant, custodias agentibus, quendam pro transfuga subornatum miserunt, qui occultatam balteo epistolam inventa effugiendi occasione ad Pœnos pertulit.

Venatione quoque & pecoribus quidam insuerunt literas, mẽbranis mandatas.

Aliqui & jumentum in adversam partem infulserunt, dum stationes transeunt. Nonnulli interiora vaginarum inscripserunt.

L. Lucullus Cyzicenos obsessos à Mithridate, ut certiores adventus sui faceret, cùm præsidiis hostium teneretur introitus urbis, qui unus & angustus ponte modico insulam continenti jungit, militem è suis sciolum nandi, & nauticæ artis peritum, jussit insidentem duobus inflatis utribus, literas insutas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter se distantibus commiserat, ire septem millium passuum trajectum. Quod ita peritè gregalis fecit, ut cruribus velut gubernaculis dimissis cursum dirigeret, & procul visentes, qui in statione erant, marinæ specie beluæ deciperet.

Hircius Cos. ad Decimum Brutum, qui Mutinæ ab Antonio obsidebatur, literas subinde misit plumbo scriptas, quibus ad brachiũ religatis, milites Scultellam amnem transnabant.

Idem columbis (quas inclusas antè tenebris & fame affecerat) epistolas seta ad collum religabat, easque à propinquo in quantum poterat mœnibus loco emittebat: illæ lucis cibique avidæ, altissima ædificiorum petentes excipiebantur à Bruto, qui eo modo de omnibus rebus certior fiebat: utique postquam disposito quibusdã locis cibo columbas illuc devolare instituerat. *cap 13.*

De introducendis auxiliis & commeatibus suggerendis.

Idem: Bello civili, cùm Ategua urbs in Hispania Pompejanarũ partium obsideretur, Maurus interrex, tanquam Cæsarianus Tribuni cornicularius vigiles quosdam excitavit, è quibus aliquos evitans, constantia fallaciæ suæ per medias Cæsaris copias præsidium Pompei traduxit.

Hannibale obsidente Casilinum, Romani farinam doliis secunda aqua Vulturni fluminis demittebant, ut ab obsessis exciperetur, quibus cùm objecta per medium amnem cathena Hannibal obstitisset, nuces sparsere, quę cùm aqua ferente ad oppidum defluerent, eo commeatu sociorum necessitatem sustentaverunt.

Hircius Mutinensibus obsessis ab Antonio, salem, quo maximè indigebant, cuppis conditum, per amnem Saniturnum intromisit.

Idem pecora secunda aqua dimisit, quæ excepta sustentaverunt necessariorum inopiam. *lib.3.c.14.*

Quemadmodum efficiatur, ut abundare videantur, quæ deerunt.

Idem: Romani, cùm à Gallis Capitolium obsideretur, in extrema jam fame panem in hostem jactaverunt: consecutique, ut abũdare commeatibus viderentur, obsidionem, donec Camillus subveniret, toleraverunt.

Athenienses, adversus Lacedæmonios idem fecisse dicuntur.

Hi qui ab Hannibale Casilini obsidebantur, ad extremam famem pervenisse crediti, cùm etiam herbas alimentis eorum Hannibal sæpe arato loco, qui erat inter castra ipsius & mœnia præriperet, semina in præparatum locum jecerunt: consecuti, ut habere viderentur, quo victum sustentarent usque ad satorum proventum.

Reliqui ex Variana clade, cùm obsiderentur, quia defici frumẽto videbantur, horrea tota nocte circumduxerunt: captivos deinde præcisis manibus dimiserunt, hi circumsidentibus suis persuaserũt, ne spem maturæ expugnationis reponerent in fame Romanorũ, quibus alimentorum ingens copia superesset.

Thraces in arduo monte obsessi, in quem hostibus accessus nõ erat, collato viritim exiguo tritico, aut caseo paverunt pecora, & in hostium præsidia dimiserunt: quibus exceptis occisisque, cum frumenti vestigia in visceribus eorum apparuissent, opinatus hostis magnam vim tritici superesse eis, qui inde etiam pecora pascerent, recessit ab obsidione.

Thrasybulus dux Milesiorum, cùm longa obsidione milites sui angerentur ab Aliatte, qui sperabat eos ad deditionem fame posse compelli, sub adventum legatorum Aliattis frumentum omne in forum compellere jussit: & conviviis sub id tempus instructis per totam urbem epulas præstitit: atque ita persuasit hosti superesse ipsis copias, quibus diuturnam sustinerent obsidionem. *Libr.3. capit.15.*

De eruptionibus.

Frontinus: Romani, qui in præsidio Panormitanorum erant, veniente ad obsidionem Hasdrubale, raros ex industria in muris posuerunt defensores: quorum paucitate contemta, cùm incautus muris succederet Hasdrubal, eruptione facta, ceciderunt eum.

Æmilius Paulus, universis Lyguribus improviso adortis castra ejus, simulato timore militem diu continuit, deinde fatigato jam hoste, à quatuor portis eruptione facta, stravit cepitque Lygures.

Velius præfectus Romanorum, arcem Tarentinorum tenens, misit ad Hasdrubalem legatos, uti abire sibi incolumi liceret: ea simulatione ad securitatem perductum hostem, eruptione facta, cecidit.

C. Pompeius circumsessos ad Dyrrachium, non tantum obsidione liberavit suos, verum etiam post eruptionem, quam opportuno & loco & tempore fecerat, Cæsarem ad castellum, quod duplici munitione instructum erat, avide irrumpentem, exterior ipse circumfusus corona obligavit, ut ille inter eos, quos obsidebat, & eos, qui extrà circumvenerant medius, non leve periculum & detrimẽtum senserit.

Flavius Fimbria in Asia apud Hildinacum adversum filium Mithridatis brachiis à latere ductis, deinde fossa in fronte percussa, quietum in vallo militem tenuit, donec hostilis equitatus intraret angustias munimentorum, tunc eruptione facta sex millia eorum cecidit.

C. Cæsar in Gallia deletis ab Ambiorige Titurii Sabini & Cottæ legatorum copiis, cùm à Q. Cicerone, qui & ipse oppugnabatur, certior factus, cum duabus legionibus adventaret, conversis hostibus metum simulavit, militesque in castris, quæ ampliora solito industria fecerat tenuit: Galli præsumta jam victoria velut ad prædam castrorum tendentes, fossas implere, & vallum detrahere cœperunt: quâ re prœlio aptatos, Cæsar emisso repente undique milite trucidavit.

Titurius Sabinus, adversus Gallorum amplum exercitum continendo militem juxta munimenta præstitit eis suspicionem metuentis: cujus augendæ causa perfugam misit, qui affirmaret exercitum Romanum in desperatione esse, ac fugam cogitare. Barbari oblata victoriæ spe concitati, ligni sarmentisque se oneraverunt, quibus fossas complerent: ingentique cursu castra nostra in colle posita petiverunt, unde in eos Titurius universas immisit copias, multisque Gallorum cæsis plurimos in deditionem accepit.

Asculani oppugnaturo oppidum Pompeio, cùm paucos senes ægros in muris ostendissent, ob id securos Romanos eruptione facta fugaverunt.

Numantini obsessi, ne pro vallo quidem instruxerunt aciem, adeoque se continuerunt, ut Popilio Lenati fiducia fieret, scalis oppidum aggrediendi. Quo deinde suspicante insidias (quia ne tunc quidem obsistebatur) ac suos revocante, eruptione facta aversos & descendentes adorti sunt. *cap.17. lib.3. Stratag.*

De constantia obsessorum.

Idem Romani assidente mœnib. Hannibale ostentandæ fiduciæ gratia, supplementum exercitibus, quos in Hispania habebant, diversa porta miserunt.

Idem agrum, in quo castra Hannibal habebat, defuncto fortè domino, venalem ad id precium licendo perduxerunt, quo is ager ante bellum venierat.

Hi dum ab Hannibale obsiderentur, & ipsi obsiderent Capuam, decreverunt, ne nisi capta ea, revocaretur inde exercitus. *cap.18.*

De fallendis iis, qui obsidentur.

Frontinus: Domitius Calvinus, cùm obsideret Lucam oppidum Ligurum, situ non tantum & operibus, verum etiam propugnatorum præstantia tutum, circuiri muros frequenter omnibus copiis instituit, easdémque reducere in castra. Qua consuetudine inductis ita oppidanis, ut crederent exercitationis id gratia facere Romanũ, & ob hoc nil ab eo conatu caventibus, morem illum obambulandi in subitum direxit impetum: occupatisque mœnibus expressit, ut seipsos dederent & oppidum.

C. Duillius Cos. subinde exercendo milites remigesque, consecutus est, ut securis Carthaginensibus usque in id tempus innoxiæ consuetudinis, subitò admota classe, murum occuparet.

Hannibal in Italia multas urbes cepit, cùm Romanorum habitu quosdam suorum ex longo belli usu Latinè quoq; loquentes præmitteret.

Arcades Messeniorum castellum obsidentes, factis quibusdā armis ad similitudinem hostilium, eo tempore quo successura alia præsidia his exploraverant, instructi eorum, qui expectabantur ornatu, admissique per hunc errorem, ut socij possessionem loci, strage hostium adepti sunt.

Cymon dux Atheniensium, in Caria insidiatus cuidam civitati, religiosum incolis templum Dianæ, lucumque qui extra muros erat noctu improvisus incendit: effusisque oppidanis ad opem adversus ignes ferendam, vacuam defensoribus cepit urbem.

Alcibiades dux Atheniensium, cùm civitatem Agrigentinorum egregiè munitam obsideret, petitio ab eis consilio, diu tanquam de rebus ad commune pertinentibus disseruit in theatro, ubi ex more Græcorum locus consultationi præbebatur, dumque consilii specie tenet multitudinem, Athenienses, quos ad id præparaverat, incustoditam urbem ceperunt.

Epaminūdas Thebanus, in Arcadia die festo effusè extra mœnia vagantibus hostium fœminis, plerosque ex militibus suis muliebri ornatu immiscuit: qua simulatione illi intra portas sub noctem recepti, ceperunt oppidum, & suis aperuerunt.

Aristippus Lacedæmonius, festo die Tegeatarum, quo omnis multitudo ad celebrandum Minervæ sacrum, urbe egressa erat, jumenta saccis frumentariis palea refertis onusta, Tegeam misit, agentibus ea militibus, qui negociatorum specie inobservati portas aperuerunt suis.

Antiochus in Cappadocia ex castello Suenda, quod obsidebat, jumenta frumentatum egressa intercepit: occisisque calonibus, eorundem vestitu milites suos, tanquam frumentum reportantes, submisit. Quo errore illi custodibus deceptis, castellum intraverūt, admiseruntque milites Antiochi.

Thebani, cùm portum Sycioniorum nulla vi redigere in potestatem suam possent, navem ingentem armatis compleverunt, exposita super merce, ut negociatorum specie fallerent: ab ea deinde parte murorum, quæ longissimè remota erat, apparere paucos disposuerunt, cum quibus è nave quidam egressi inermes simulata rixa, occurrerunt: Sycioniis ad dirimendum id jurgium advocatis, Thebanæ naves & portum vacantem & urbem occupaverunt.

Thymarcus Ætolus occiso Charmade Ptolomæi regis præfecto, chlamide interemti & galero ad Macedonicum ornatus est habitum: per hunc errorem pro Charmade in Samniorum portum receptum, occupavit. *lib.4.c.2.*

❡ Poetarum.

Guntherus lib.3.v.168.

Quis referat miseræ squalorem plebis, & ægra
Tabida membra situ, detestandumq; colorem?
Cùm velut è tumulis permissu Regis, ab arce,
Non homo, sed pallens hominis prodiret imago?
Tunc licuit miseris, quàm sit miserabile longa
Obsidione premi proprio perpendere casu.

❡ Fabula.

De Milite timente includi in oppido obsidendo, ob auxilia à longè ventura. *Fab.196.*

Miles quidam prudens invitatus à commilitonibus suis, ut cuidam Italiæ oppido, quod ad regem Gallorum defecerat, unà cum eis vellet esse præsidio: si propius, inquit, loci dominus oppidum obsidebit, quis nobis suppeditabit auxilium? Tunc illi: rex, inquiunt, Gallorum. Miles tumulum quendam conscendens, ô rex Gallorum, ter alta voce clamavit. Quum autem nullum sibi redderetur responsum, conversus ad invitantes, nolo, inquit, illuc accedere, ubi qui mihi suppetias daturus est, auxilium implorantem non audiat. Cæteri, qui illuc accesserunt, à proprio oppidi domino obsessi, expugnato oppido, capti & jugulati sunt.

Fabula indicat, stultos & amentes esse, qui sese periculis imprudenter objiciunt. Abstemius.

❡ Monosticha Trochaica.

Antequam obsidebis, alta mœnia an sint noveris.
Arietis vel maximi ictum laqueo tenui illuseris.
Aut neglecta aut ævo fluxa cominus mos aggredi est.
Civitas quæ jam inclinari cœpit, haud debet quati.
Coniugesq; liberosq; tuta transfer in loca.
Expugnare vis obsessum? aquam undiquaque intercipe.
Mœnibus valloq; virtus se haud tenet, verùm pavor.
Obsidens quandoq; obsessi ferre cogitur mala.
Obsidio clausos supremam lenta cogat ad famem.
Obsidio intuta est, dilapsis jam senectâ manibus.
Obsidum parentes urbe, eta illicò obsessa exeant.
Obteris sedendo, egestas copiarum quem premit.
Qui prior muros ascendit, auro ei nubas caput.
Sæpe ficta obsessum servat copiarum copia.
Tardius venire præstat ante muros quam citò.
Vrbe obsessâ fortis ante muros acie obviat.

❡ Jambica.

Claudi obsidio miserabile maximè omnium est.
Haud facile telum transit fluctuantia.
Hostem dolabra vince si pugnam abnuit.
Pax est etiam in obsessâ pauperi via.
Periculosa murorum oppugnatio.
Quævis ferant obsessi, præterquam famem.
Res esculenta quæque, obsessis urbibus.
Scalæ altiores ipsis junto mœnibus.
Sæpe obsidetur arctè is, qui alterum obsidet.
Statua Deorum, tela desperantium.

Obsidum.

❡ Sententiæ Theologorum.

E*Gesippus:* Hyrcanus comitantibus qui bello reliqui fuerant, confugit in Antoniam; repertisque filiis & uxore Aristobuli, per obsides salutem invenit: quia ne quid asperum in suos fieret, Aristobulus pacto consuluit. *l.1.c.13.de excid.Hier.*

Egesippus: Antipater adversus Aristobulum decernere prælio parās, Arabum regi quasi mutuæ charitatis pignora filios suos direxit: quos ille quasi depositum inviolabile susceptos, eo cultu quo liberos domi habuit, & postea repetitos patri reddidit. *lib.1.c.22.de exc.Hier.*

❡ Philosophorum Graecorum.

Xenophon: Ergone fidei pignus aliquod habetis, quo planum nobis fiat, vos in eis, quæ dicitis, veraces esse? Obsides, inquiunt, actutum hinc profecti, hac nocte vobis adducere volumus. Tu modo Diis testibus fidem nobis dato, dextraq; jungito, ut quæ abs te acceperimus, ad alios etiam adferamus. *cap.7.l.4.Cyropædiæ.*

Xenophon: Secundum hæc jussit ut duces itineris Hyrcanii præirent. Illi vero interrogantes: Cur non exspectas, inquiunt, donec obsides adducamus, ut & tu fide prius nobis accepta, progrediaris? Respondisse tum Cyrus fertur: Equidem cogito, habere nos omnes fidei pignus in animis & manibus nostris. Sic enim instructi nobis videmur, ut abunde nobis suppetat facultas adficiendi vos beneficiis, si veraces inveniamini: sin uti fraude velitis, ita nos comparatos existimamus, ut minime nos in potestate vestra, sed potius in nostra, Diis volentibus, futuri sitis. *cap.9.l.4.Cyropæd.*

❡ Poetarum.

Aristophanes Acharn.v.324.

Moriturum te iam scias. D. at ego probe mordebo vos:
Nam vicissim interficiam, vobis amicos intimos,
Quos apud me habeo obsides: hos prendam & jugulabo illicet.

Guntherus lib.5.v.63.

At populus claræ possessor & incola sedis,
Non tantum iurare Duci, sed obside multò
Securam præstare fidem, compulsus ab illo
Paruit. hæc siquidem maiori fœdera cura
Sunt exacta Duci, quod plebs ea fida priori,
Atq; novo poterat Domino suspecta videri.

❡ Monosticha Trochaica.

Ad patientiam servilem submittas diu obsides.
Confitetur se minorem quisquis offert obsides.
Cultu eo domi tenebis obsides quo liberos.
Filiæ obsides adæque firmant animos ac mares.
Fœdera haud infirmè firmant nobilissimi obsidum.
Liberi pace atque bello sunt parentium obsides.
Mutuò pares quoq; inter obses hinc & hinc datur.
Obsides ab hoste victo non poposcit Scipio.
Obsides cape, ad nocendum vis quibus potissima est.
Obsides culpam suorum pœnâ capitis expiant.
Obsides dantur puellæ vilescente masculo.
Obsides multi didicere plura peregre quam domum.
Obsides nunquam necantur absq; sævitia nota.
Obsides quoq; instruantur artibus parentium.
Se minorem confitetur ultro, qui dat obsides.
Suspecti æmulationis sæpe dantur obsides.

❡ Jambica.

Amicitiæ firmandæ item dati obsides.
Crudeliùs neces, quàm verius, obsidem.
Diuturnus obses mancipium patientia est.
Haud facilè res novant parentes obsidum.
Nec firmitatis fidus obses est timor.
Nefas violare sana corpora obsidum.

Obtre-

Obtrectationis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Nunquamne sophisticæ huic obtrectationi & maledicentiæ finem statuemus? An expectabimus dum mors ab hac improbitate nos abrumpat? Inveni enim fortasse, honoris cupiditate flagranti opibusque inhianti, qui hæc modò parce faciat, nonnihil veniæ dari possit. Hominem autem id ætatis, atque hoc rerum statu, publicè alium infamari, intempestivum prorsus, & pertinacis contentionis plenum: non solum quia hoc animo inhonestum ac sordidum est, sed etiam quia mira est hujus rei facilitas. Etenim, ut cum Homero loquar, Dictum tale feres, quale ante interseris ipse. Radentem verò vicissim radere, nequaquam reprehendendum est. Quæ igitur hæc sapientia est, cùm virtute vincere liceat, vitio superari, aut etiam superare, quod multo pejus est. At hoc quoque nomine, ut verè loquar, judices accusandos censeo, quod quæ pro tribunali damnant, eadem cùm audiunt laudant. nec id solum sed multos etiam habent qui simul laudent, ac vitium accendant, atque huc usque in partes & studia dissecti sint. Atqui convenit, ut si hæc falsa existimentur, non laudentur: Sin vera esse creduntur, publicè judicentur: aut etiam hanc rationem adhibere, ut si falsa objiciuntur, accusatores coarguantur: sin vera, ij adversos quos oratio habetur: non autem permittere, ut nobilium virorum existimatio, res maximi ponderis, tam facile ludibrio adhibeatur. *Epist. 61.*

¶ HISTORICORUM.

C. Cornelius Tacitus: Ambitionem scriptoris facile adverseris: obtrectatio & livor pronis auribus accipiuntur. *cap. 1. libri 1. Historiarum.*

¶ POETARUM.

Phædrus Fabularum libri 2. fine.

Si Livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.

¶ EMBLEMATUM.

Had. Junius Emblemate LV.

Exsorbet saniem hulcerum atra musca:
Mel dulce haurit apis thymo ex amaro.
Doctos ingenuus decore candor,
Obtrectatio lividos putatur.

Batillius. CXXXI.

Obtrectatio invidiæ plerosq; lacerare solet.

Aspicis, ut rabido leo perfidus ore magistrum
Cui blandè dextram lambere suetus erat,
Dilaceret super ipse jacens, feritate reversâ,
Seu dolor, aut illum bilis & ira movet?
Tam diro exitio intra aulas & limina regum
Invidia, atq; illis stat metuenda magis,
Queis mage propenso sua sunt innixa favore
Omnia, habent ventos & sua vela suos.

¶ APOPHTHEGM. SACR.

D. Bernardus: Cum episcopum quendam fuisset hortatus, ut de quibusdam regem admoneret, & Episcopus D. Bernardum à Spiritu blasphemiæ impulsum esse diceret, respondit Bernardus, Dæmonium non habeo, neque Spiritum blasphemiæ in me habere credo: sed nec maledixisse cuiquam, aut maledicere velle me scio, præsertim Principi populi mei. Nec tamen postea minus propter hæc dilexit episcopum quam antea. *Auctor vitæ.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Æquo animo ferre obtrectantes non vacat culpâ suâ.
Alterum apud te criminatus, ne quidem tibi vult bene.
Carpere absentem canino dente non suevit probus.
Criminatione anteire non malos haud arduum est.
Heu quàm pronis exauditur obtrectatio auribus!
Improbe absentis canino dente famam roseris.
Improbe absentis notatur fama & excellentia.
Influunt prona aure livor, diraq; obtrectatio.
Lædere absentes ubique est oris improbissimi.
Nemo non ad arguendum promptus est, licet niger.
Non bene vult tibi, alium apud te quisquis falsò criminat.
Non tam alios viles facit quam semetipsum, detrahens.
Nulla falsa probra ultra viri aurem procedunt probi.
Nunquam detrahes alijs, si te bene ipse inspexeris.
Obloqui alteri arduum haud est, sed reprendi à nemine.
Pauperes quoque mentiuntur multa de potentibus.
Pauperum oblocutiones haud ferunt prædivites.
Turpius nil quàm lacerare dente torvo mortuos.
Vindicant servi dolores obtrectationibus.

¶ JAMBICA.

Etiam cavenda falsa criminatio.
Expers lucri ferè mala obtrectatio est.
Falsum probrum aures fortè, mentem non subit.
Nec detrahas, nec detrahentes audias.
Non pergit ultra aureis probrum falsarium.
Omni potentia adsita obtrectatio.

Alia invenies titulo, Calumniæ, Invidiæ, Delationis, Detractionis, Sycophantæ.

Occasionis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Omnes hortor ne ignavia laborent, ne moras nectant; certè ne occasionem, quam nulla postea ratione nancisci liceat, abjiciant. Laboris enim præsens hoc tempus est; futurum præmiorum. *Oratione 9.*

Aristides Rhetor: Quin quantum ad classis splendorem & copiam attinet, nihil est omissum; verùm per fortunam lapsi sumus, & adjumentum maximum, ipsum scilicet tempus, perdidimus, nec in ipso metu Syracusas oppressimus. proinde Niciam, vel quemcūque quis volet accuset. ceterùm occasio periit, neque potest, etiamsi alteros tot mittamus milites, recuperari. Ut enim hi subito conspectu multos pauci, ac fortiores perterrefaciunt imbecilliores; ita cùm per otium bellum gerunt illi, qui gravissima quæque metuerant, multo facilius se, quam à quibus oppugnantur, defendūt, cùm ira de metu, tum viribus ex otio assumptis. *Oratione Sicula posteriore.*

Heliodorus: Hegesias Dux, inquit: O vos qui adestis, Charicli quidem & postea lugere licebit. nos verò ne mergamur hujus dolore, neque inconsiderate illius lacrimis, tanquam aquæ impetu auferamur, occasionem negligentes, quæ cùm omnibus in rebus, tùm in bellis maximum momentum habet. *l. 4. Æthiop.*

¶ ROMANORUM.

Seneca: Subjicit Epicurus, nihil esse tentandum, nisi cùm aptè poterit tempestiveque tentari. sed cùm illud tempus diu captatum venerit, exiliendum ait. Dormitare de fuga cogitantem, vetat, & sperat etiam ex difficillimis salutarem exitum, si nec properemus ante tempus, nec cessemus in tempore. *Epistola vigesima secunda.*

Symmachus: Occasionem arripere prudentis est. *Epist. 3. Auctuarij.*

¶ POETARUM.

Plautus Asinariæ 2. sc. 2. v. 12.

Nam si huic occasioni tempus sese subterduxerit,
Nunquam edepol quadrigis Argis indipiscet postea.
Herum in obsidione linquet, inimicum animos auxerit.
Sed si mecum occasionē opprimere hanc, quæ obvenit, studeti
Maximas opimitates gaudio effertissimas
Suis heris ille unà mecum pariet gnatoq; & patri,
Adeo ut ætatem ambo, ambobus nobis sint obnoxij
Nostro devincti beneficio.

Plautus Bacchid. 4. sc. 4. v. 22.

Quid igitur stulte? quoniam occasio ad eam rem fuit,
Mea virtute parta, ut quantum velles, tantum sumeres,
Sic hoc digitulis duobus sumebas primoribus?
An nesciebas, quàm ejusmodi homini rarò tempus se daret?

Plautus Persa 2. sc. 3. pr.

Iovi opulento, inclito, ope nato, supremo, valido, viripotenti,
Opes, spes, bonas copias commodanti, lubens meritoque vitulor:
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt argenti mutui, uti egenti opem afferam.
Quod ego non magis somniabam, neq; opinabar, neq; censebam,
Eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de cælo.

Plautus Pœnulo 4. sc. 2. v. 92.

At enim nihil est, nisi dum calet, hoc agitur. M. lepidus cū mones,
Et hoc ita fiet. S. proba materies data est, si probum adhibes fabrum.

Terentius Eunucho 3. sc. 5.

Quid tum? C. Quid tum fatue? A. fateor. C. egon' occasionem
Mihi ostētatam, tam brevem, tam optatā, tam insperatam,
Amitterem? tum pol ii essem verè, qui assimulabar.

Phædrus. Fab. 88. Tempus.

Vir sit, volucri pendens in novacula
Calvus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis teneas; elapsum semel
Non ipse possit Iupiter reprendere.
Occasionem rerum significat brevem.

Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere talem antiqui effigiem Temporis.

Ausonius. loquitur Pittacus.

Mitylenæ oriundus Pittacus sum Lesbius,
Γίγνωσκε καιρὸν qui dixi sententiam?
Sed iste καιρὸς, tempus, ut noris, monet.
Et esse καιρὸν, tempestivum quod vocant.
Romana sic vox est, veni ipso in tempore.
Vester quoque ille comicus Terentius,
Rerum omnium primum esse tempus autumat.
Reputate cuncti, quoties offensam incidat,
Spectata cui non fuerit opportunitas.

P. Syrus Mimographus.

Occasio ægrè offertur, facilè amittitur
Occasio receptus difficileis habet.
Deliberando sæpe perijt occasio.

§ EMBLEMATUM.

Camerarius XXXIX. Centuria 2.

Aut capio aut quiesco. Pardalis feram omittens, nisi tertio ferè saltu assequatur.
Advigila, prensa: momento occasio constat.
Elapso hoc, frustra quod facis, omne facis.

Catsius Emblemate nuptiali X.
Occasio premenda.

Dum favet ac læto ridet Venus aurea vultu,
Quæ bona fert, avida sunt capienda manu.
Cauta Fulix summo dum ludit in æquore piscis
In prædam celeri dexteritate ruit.
Ista verecundis avis est imitanda puellis:
Mollia qui captat tempora, victor abit.
Fronte capillatum magno colo Numen honore:
Hoc tu si fugias, te Venus ipsa fugit.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Eremita Anonymus: Veluti temporibus medicina valet, ita suo quæque tempore rapienda est quidvis faciendi Occasio. Refert de quodam Eremi incola Cassianus, quòd in tantum boni operis Occasionem captaverit, ut nunquam eam præterire fuerit passus. Quare cùm è patria litterarum fasciculum acceperit, ne aperire quidem eum dignatus; at igne suscitato, universum (ut erat) in illum conjecit, dicens: *Ite cogitationes patriæ, pariter concremamini: nec me ulteriùs, ad ea quæ fugi, revocare tentetis. Cass. Monast. instit. l. 5. c. 32.*

S. VVolstanus Episc. VVigorniensis. Non minùs sapienter egregius Antistes Wolstanus, cuidam frequentiùs eadem peccata confitenti, dixisse fertur: *Opportunitas, ut video, latrones facit: ideo ut vitiorum importunitate careas, id unum necessarium, Religioni, dũ potes, te dedas.* Præclarè Cato:
Rem tibi quam noris aptam dimittere noli,
Fronte capillatâ post est occasio calva.
Sur. tom. 1. in Vitâ.

Monachus AEgyptius: Require Apopht. de Ira.

Religiosus Anonymus: Quàm prudens etiam istius verbum fuit! Cùm namque indomitæ carnis stimulos, jejunii & mortificationis cote attereret, rogatus, quam ob causam se tam graviter affligeret; *Vt,* inquit, *exsurgentes libidinum aculeos superem, & cum ijs furoris occasionem tollam. novi enim furorem semper pro libidine litigare.* Pulchrè Greg. More ignis libido succenditur, etsi negligenter extinguitur, adjacens stipula velociter inflammatur. *Socrat. Trip. hist. l. 8. c. 1.*

Anonymus: Concertantibus nonnullis quænam res majorem adferret molestiam; cùm hic litem forensem, ille morosam conjugem diceret, intervenit alius, qui, *Illud ego*, inquit, *ubique molestum reputo, quod tempestivè & in loco factum non fuerit.* Ita olim è Græcis Comicis Menander:
Ἅπαντα καιρῷ χάριν ἔχει τρυγώμενα.
Omnia tempestivè gratiam habent.
Georg. Richterus in Axiom. Polit.

Evagrius: Præceps est occasio, inquit, quæ ut cum ad pedes accedit forsan capi potest: sic cùm quasi ex manibus elapsa est, in sublime subvolat, ridetque insequentes, ac de reliquo omnem aditum ad se illis penitus præcludit. Itaque qui fingendi pingendique artẽ norunt, solent quidem in illius syncipite comam adhibere, in occipiti velut abradere ad cutem: scitè admodum innuentes, quod dum adhuc à tergo est, ab illis qui comam ejus præhendunt, teneri potest: verum ubi à fronte est, penitus evolat, nihil habens à quo persequente capi queat. *Evagr. lib. 3. hist. eccl. c. 26.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Arripe eia! occasionem: mira ei est velocitas.
Commoditatis articulos scire omnes, non est omnium.
Diligenter exspectanda occasio conantibus.
Multa perficit quidem vis, plura verùm occasio.
Multa vis potest dolusque, plura sed occasio.
Ne semel quæ præterivit quærites rursus rosam.
Perperam tuam occasionem damnum alienum feceris.
Rectè occasione oblata uti hominis est industrij.
Sæpe occasio periculi est secundorum parens.
Vna eademque nec semper nec diu obvia est occasio.
Vt semel elapsa est reprendi non potest occasio.

§ JAMBICA.

Anima actionum hercle omnium est occasio.
Anima, rei gerundæ sæpe occasio est.
Belli ferè est hera absoluta Occasio.
Consilia vincit omnium una occasio.
Est plurimarum causa rerum occasio.
Et temporis brevissimi est occasio.
Facit potentem aut calamitosum occasio.
Facit viros qui non erant occasio.
Magistra rerum occasio omnium optima est.
Momenta constant belli occasionibus.
Morâ interit rei gerendæ occasio.
Mutationem affert repente occasio.
Nullam moram belli abnuit occasio.
Occasio nequicquam amissa quæritur.
Occasiones respuunt omnem moram.
Opus perit cujus perit occasio.
Patefacere terga occasioni, haud arduum est.
Qui cùm potest non vult, non poterit cum volet.
Qui cùm potest non vult: tunc cùm vult non potest.
Rerum omnium potissima est occasio.
Sæpe efficit, cui impar vis, occasio.

Occupationis.

§ SENTENTIÆ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Mirum est quàm singulis diebus in urbe, ratio aut constet, aut constare videatur; pluribus cunctisque non cõstet. nam si quem interroges, Hodie quid egisti? respondeat, Officio togæ virilis interfui, sponsalia aut nuptias frequentavi: ille me ad signandum testamentum: ille in advocationem, ille in consilium rogavit. ita hæc quo die feceris necessaria: eadem, si quotidie fecisse reputes, inania videntur; multò magis cùm secesseris. tunc enim subit recordatio, quot dies quàm frigidis rebus absumpsi! *Lib. 1. Epist. 9.*

Plinius Iunior: Numquamne hos arctissimos laqueos, si solvere negatur, abrumpam? numquam puto. nam veteribus negociis nova accrescunt, nec tamen priora peraguntur; tot nexibus, tot quasi catenis majus indies occupationum agmen extenditur. *Lib. 2. Epist. 8. fine.*

Symmachus: Dudum mihi nullus literis tuis honor factus est. quererer de silentio tuo, si de religione dubitarẽ. Sed quia amicitia usu credita & expensa documentis à periculo suspicionis aliena est, intelligo quidem per occupationes publicas inhibitam diligẽtiam scriptionum tuarum. verùm quæso intermissum munus instaures. stabit apud me gratia tributi officii, quasi nulla negati culpa præcesserit. *l. 1. Epist. 92.*

§ POETARUM.

Plautus Mercatore 2. sc. 1. v. 16.

Quamquam negotium est, si quid vis Demipho,
Non sum occupatus unquam amico operam dare.

Plautus Rudente 1. sc. 2. v. 20.

—— Dij dabunt
Tibi quidem hercle quisquis es, magnum malum,
Qui oratione hic nos occupatos occupes.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Errat in multis necesse est qui se multis occupat.
Ex unâ occupatione sæpe plures exeunt.
Munia occupare noli plura: ferre nam nequis.
Munia perperam otiosi ab occupato postules.
Nil minus homini occupato congruum est quam vivere.
Non amicus est, amico occupatum qui se ait.
Nulla res bene exerceri ab occupato homine est potis.
Occupatio indivisa est Dignitatis adsecla.
Occupato vel æstivus conditur citò dies.
Occupatis opere vario nunquam longi sunt dies.
Otiari satius est quem, quam occupari turpiter.
Qui simul semelque tractat multa, tractat haud bene.
Qui suis tantum occupatur, vectitat suavissimè.
Res duas vix tempore uno cogites, nedum explices.

§ JAMBICA.

Ab occupato exerceri benè nil potest.
Horæ occupato non eunt, magis volant.
Nemo occupari serijs semper potest.
Nemo occupatus est amicis intimis.

Nemo occupatus pervenit mentem ad bonam.
Nihil bene exercet vir occupatior.
Nil occupati hominis minus est quam vivere.
Nil uspiam mente occupatius malâ.
Non sum occupatus unquam amico operam dare.
Nullus profectò agenti longus est dies.
Nunquam occupatus temporis sentit moras.
Obire multa munia unus quei queat?
Vita occupatorum, omnium brevissima est:
Turpe occupari in improbis rebus manum.
Videatur Titulus Curæ, Negotii.

Oculorum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Gregor. Nyssenus:* Quid inter membra nostra præstantius est oculis? per quos nimirum lucis fit perceptio, quib. & amica & hostilia agnoscimus, per quos ab alienis nostra secernimus, qui nobis omnium operum magistri sunt & doctores, nobiscum nati ac inseparabiles, expertes omnium errorum, itinerum duces, quorũ denique situs ipse collocatorum videlicet supra reliquorum sensuum organa præstantiorem in vita nobis usum horum esse demonstrat. *Hom. 7. in cantic. canticor.*

Basilius Seleuc. Qui à recenti oculorum ægritudine relevatos docent cum luce dimicare, à solaribus radiis sic affectos abjungunt, & usu veli alicujus affectam partem mitius proritant. *Oratione 9. ante finem.*

S. Isidorus Pelusiota: Impudentibus atque intemperantibus oculis omnia perlustrare, vir beate, haudquaquam oportet: verùm pudoris frænum ipsis injicere: ne alioqui posthac improbæ cupiditatis pœnas pendamus, quæ animum in hac quoque vita carnificibus quibusvis acerbiùs lacerat, & cruentat, ac naturæ portum, hoc est somnum, velut aggesta humo obstruit, efficitque ut perpetuis fluctibus jactemur, ac laboremus. Eaque etiam de causa Salvator, negotiis molestiisque ac supervacaneis laboribus nos liberans, atque absque iis castitatis studium percurrere nos cupiens, iis qui curiosis oculis aliquam intueri student, atrocem pœnam denunciavit: præsertim quidem id agens, ut vitii radicem reprimat, deinde autem ne aspectus telo sauciati, gravem, aut etiam lethalem morbum nobis ipsis accersamus. Non modò enim puriùs atque integriùs, sed etiam faciliùs, is qui non spectat, cupiditatem vincet ac profligabit. *lib. 3. Epist. 199.*

¶ LATINORUM.

S. Salvianus: Quam castos nos esse Salvator voluerit, inde liquet, quod etiam licentiam visionis abscidit. sciens enim fenestras quodammodo esse nostrarum mentium lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos, introire, exstinguere eas penitus foris voluit, ne intus orirentur: & lethaliter crescentibus fibris convalescerent fortasse in animo, si germinassent in visu. idcirco ait Dominus, petulcos impudicorum intuitus noxa adulterii non carere: scilicet, ut qui bona fide fugeret adulterium, custodiret aspectum. *lib. 3. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Ad exprimendam teneritudinem pietatis suæ Deus tenerrimam partem humani corporis nominavit; ut apertissimè intelligeremus, eum tam parva sanctorum suorum contumelia lædi, quam parvi verberis tactu humani visus acies læderetur. sub finem *libri 8. de gubernatione Dei.*

¶ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Philostratus: Oculi consiliarii sunt amandi, tu verò auditione ac rumore solùm amas Jonicum adolescentulum, cùm habites Corinthi. Hoc a. furiosum apparet iis qui nondum sciunt, mentem oculis præditam ac videre. *Epist. 3. ad Athenodorum.*

Philostratus: Unde meũ animũ cepisti, quàm nimirũ ab oculis, à quib. & castella reges, & alta dii capiunt. Sic etiã amor oculorũ arce nõ lignis neq; lateribus, sed solis palpebris firmata paulatim atque sensim in animũ ingreditur, celeriter q.dẽ, ut volucris, liber verò ut nudus, pugnax ut sagittarius. Oculi verò quamprimum pulchritudinẽ sentiunt, ob hanc ipsam utuntur maximè, deo quodã credo volente eandem eis viam esse, cùm voluptatis ad videndũ, tũ ad mœrendũ occasionis. Quid enim ô pessimi faciferi, amoris & corporũ elegantiæ testes operosi, primi nobis pulchritudinẽ igneã reddidistis, primi meminisse animũ docuistis, extraneæ influxionis primi coegistis, sole præterito, alienum ignem laudare. Itaq; vigilate & utimini atq; liberationem eorum q̃ delegistis cogitate, quam reperire non potestis. Beatos ô dii à nativitate cæcos, ad quos amor aditum aut accessum nõ habet. *Epist. 51.*

Idem: Clauserunt tibi oculos, quomodo tibi dicam quas portas oppugnantes, & tu clàm præsidio intus es. Dic quis te introduxit, nisi qd oculi habẽt amatorium atq; animo repugnãs, qui olim sola cogitabat q̃ volebat, & in pulcherrimis philosophiæ præceptis operã ac diligentiam consumebat. Atq; hic eum incesserat amore, ut cœli terga contemplaretur & de substantia circa hæc minimè, falsa inquireret, & qui universi circuitiones, quæque regeret hæc necessitas, quæstio videbatur jucundissima, cum sole unà currere, & cum luna recedente quidem periclitari, completa verò gaudere, & cum reliquo syderum choro simul errare, nihilque invium aut inconspectum relinquere ex iis quæ circa hæc sunt, mysteriis. A quo verò humano amori dedit operam & formositatis aspectu captus est, omnibus illis posthabitis atque neglectis, in hanc ùnam rem omne studium impendit, & quantùm ab exteriore forma traxerit, tãtum intùs concinnat & componit, atque monumenta mãdit. Quòd autem intrò accesserit, lumen quidem interdiu est, nocte verò in somnium abit. *Epist. 52.*

Idem: Tuos equidem oculos, amo. Mei verò mihi sunt exosi. Nã in illis magnã intelligẽtiam ac prudentiam animadverti, in his nimiam ac penè sceleratam operositatem. Impudentes sunt, sed neque occultum habere quicquam possunt, quod semel viderunt. Nõ igitur desierunt animo meo dicere. Non vidisti illam coma excellentem formæ singulari elegantia præditam? Veni, ascende, sed & scriptis rem age, lachrymis ac precibus. At ille promptissime morẽ gerit. Morem a. gerit, quia non potest negligere mandata cupidissimorũ satellitum. Etenim nolentem extrahunt & per vim adigunt in eam sententiam, quam ipsi laudibus antea vexerunt. Equidem priusquam amor in terrã devolaret, nihil præter unicũ solẽ animus pulchrũ noverat. Atq; in eo contẽplationem omnem & admirationẽ ponebat. Degustata verò pulchritudine humana, ab illo studio recidit, & in acerbã servitutẽ deductus est, cujus opera sunt Thyraulica, recubitiones humi, & cum æstu atque frigore certamen & ἢ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγώ σε: aut me roga aut ego te, cũ rivali contentio. Horum omnium tu es remediũ, pro opere diurno, poemata sempiterna, & pro brevi corporis voluptati perpetuã memoriã adipiscens. Quæ enim dabis cõmunia sunt & facilia omni fœminæ. Quæ verò ꝓ his cõsecutura es, ne dicendo quidẽ exprimere possim, quanta benevolentia, & memoria & nox quibus mater ac pater efficitur. *Epist. 52.*

Arrianus: Ergone frustra tibi Deus oculos dedit? frustra spiritũ eis indidit adeo fortem & artificiosum, ut etiam eminus conspectarum rerum formas repræsentet? Quis nuntius æque celer ac diligens est? Frustra ne interjectum quoque aerem tam idoneum & intentum fecit, ut visus per eum penetret? Frustra ne lumen condidit, sine quo cætera omnia essent irrita? Homo: nec ingratus esto, neq; etiam præstantiorum immemor: sed cum de visu & auditu, atque adeo de ipsa vita vitæq; adjumentis (cujusmodi sunt frumẽta & legumina, cujusmodi vinum & oleum) gratiam habeto Deo: tum aliud ab eo his omnibus præstantius tibi datum esse memẽto, quod illis utatur, ꝙ probet, ꝙ pretium cujusq; statuat. *c. 23. l. 2. Epict.*

Iulianus Imp. Cæs. Augustus Cæsar oculorum fulgore proximè ad Solẽ accedere videri volebat, nec quenquam se ex adverso intueri sustinebat.

Libanius: Excidite obsecro execrandos oculos, Quingenti viri, qui fortitudinis meæ proditores fuerunt. etenim hi malum primi acceperunt, & pulcritudo per ipsos infusa rationem meam mancipavit. *Declam. 9.*

Libanius: Egone uxorem, sic affectus? ut quibus eam oculis intuear? quonam intuitus aspectu continuo meam in illam benevolentiam confirmabo? Nam per oculos principium benevolentiæ & consuetudinis itemque amicitiæ ac desiderii; ac pulcherrimorum omnium primordia per eos comparari solent. Qui ergo visu privatus hæc assequi potero? qui me uxor ita constitutum videbit? qui benevolens erit? qui animorum consensus inter nos fuerit? ecquodnam mihi inaspectatæ societatis fuerit emolumentum? liberorum procreatio; dicet aliquis. atqui hoc prohibet potius conjugium. non prosperum, inquam, est, ô pater, ꝙ jã studiose quæritur? suavissima enim res & charissima liberi sunt, quo par est modo instituti, & cum benevolentia parentes curare edocti & ita à natura facti: sed iis qui vident, & possessione uti frui possunt. mihi verò quæ utilitas; quod emolumentum, qui neque conspicere, neque agnoscere ipsos queo; q cæcus & infelix, & omnibus bonis fraudatus sum? qs enim liberorũ mihi similis erit, non cernam; quis avis aut proavis: quis etiã mihi gratior & jucundior fuerit? doleo q̇dum hæc dicere cogor, & quod calamitate magis dirum est cogito. An ut hereditatem ipsis relinquam? mihi ignotis; & alienis? suspectos enim ipsos habebo, & spurios censebo. hæredem habeo magis amicum, populum, civitatem. *Declamat. 44.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Pareo, & infirmitati oculorum, ut jubes, consulo. nam & huc tecto vehiculo undique inclusus, quasi in cubiculo perveni: & non stylo modò, verum etiam lectionibus, difficulter, sed abstineo, solisq; auribus studeo: cubicula obductis velis opaca, nec tamen obscura facio. Cryptoporticus quoque adopertis inferioribus fenestris, tantum umbræ quantum luminis habet. sic paulatim lucem ferre condisco. balineum quia prodest; vinum quia non nocet: parcissimè tamen. ita assuevi; & nunc custos adest. *Epist. 21. libri septimi.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 2. de virginitate.

Quin etiam latomi solertes quiq; fabrilem
In lignis artem exercent, cùm linea recta

Quæritur, exactaq; opera captatur amuſſis,
Ex oculis unum claudunt, & lumine toto
In ſocium fuſo, viſus acieq; coacta,
Recta ſequente tenent duro veſtigia ferro.

P. Syrus Mimus.

Nil peccent oculi, ſi oculis animus imperet.

§ EMBLEMATUM.

Adeod. Seba. Domus undique arcendis ventis clauſa.
Objectis ventos foribus, clauſiſq; feneſtris,
Eſtque etiam tota mos prohibere domo.
Aſt aures, oculiq;, hæ ſunt utrinq; decebat
Quas Satanæ clauſas oppoſuiſſe fores.

Camerarius XXXIV. Centur. 4.

Violento abſumitur æſtu. Acarnanis æſtate macer.
En radij poſſint quid ſolis, & æſtus amoris,
Ii torrent piſcem, torret at hic homines.

Jac. Catſius Emblemate amatorio IX.

Captis oculis, capitur bellua.

Mox Leo captus erit, ſi lumina capta leoni:
Si neſcis oculis vincitur omnis amans.
Senſibus ergo tuis ubi dulcis inhæſit imago,
Perq; oculos intrans corde reſedit Amor,
Mox domita cervice jugum, gratoſq; labores
Dulcia mox tergo verbera nempe feres:
Et licet aut leoſis, aut tigride ſævior orba,
Accipies leges quas tibi dictat Amor.

Catſius Emblemate ethico IX.

Primi vincuntur ocelli.

Vincere ſi ſævum cupis & vincire leonem,
Fac oculos vincas, & leo captus erit.
Dum vocat in pugnam validas tuba rauca cohortes,
Ferreaq; horrendo fulminat are ſeges,
Dux oculos viſu, dux murmure territat aures
Hoſtibus, & pavidos excitat arte metus.
Inpugnis oculi primum vincuntur & aures.
Lumina qui potuit vincere, victor abit.

Catſius Emblemate ſacro IX.

Nequitiæ duces oculi.

Qui modò liber erit, victis leo ſervit ocellis:
Quiſquis es à victo lumine victus eris.
Credite peccati ſunt lumina noſtra feneſtra:
Hac & Avarities, & levis intrat Amor.
Pande fores, ſubit hoſtis, & omnia cæde cruentat:
Pande oculos, Satanas cordis in arce furit.
Cura ſit ô teneri tibi ne capiantur ocelli,
Ni ſervum vitijs ſubdere pectus amas.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

S. Hugo Gratianop. Epiſcopus: Oculorum, qui frequentiùs peccati feneſtram aperiunt, Cuſtodiam commendamus: idque imprimis Hugonis Gratianopolitani Antiſtitis exemplo: qui adeò fidelis hujus membri cuſtos, ut cùm R. P. Guidonis mater eum ſalutatum veniſſet, & poſt ejus ab eo receſſum quæreret Guido, Numquid mea mater ſenio debilitata eſt & fracta? paululum ſecum præmeditatus; *Neſcio,* inquiebat, *planè cuius ætatis ſit, neq; enim faciem eius intuitus ſum.* Sciebat vir pius, quòd ſi oculus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Lucerna namque corporis tui eſt oculus tuus. *Guido in Vita eius.*

S. Ephrem, & Meretrix: Ut autem ad S. Ephrem deveniamus: ingreſſurus Edeſſam oppidum, Deum orabat, ut primo occurſu in talem hominem incideret, quem & doctrina ſua reficere poſſet, & ad meliorem vitæ normam iter præbere. Ecce cogitabundo, ut portas ingreditur, obvia fit mulier, notoria illius loci peccatrix: quam intuens vir ſanctus, conſtitit fixis in eam oculis. ſed hæc viciſſim attentiùs in eum intuetur. Ille verò conatus eam pudore ſuffundere; *Quid,* inquit, *non erubeſcis mulier tam acutùm nos intuens?* E contra hæc; *Me,* ait, *convenit te ſic adſpicere: nam de tuo latere ſumpta ſum. Te verò terram, non me adſpicere fas eſt: nam tu primùm ex eâ formatus & ſumptus.* quod ſtratagema verſu redditum hîc adjungo:

Adſpexit iuvenem formoſa puella modeſtum,
Illius in vultu lumina fixa tenens.
Hic ait: In terram potiùs tu dejice ocellos,
Non oculos habeat caſta puella vagos.
Imò, *ait hæc*, magis in terram tu lumina figas:
Ex terra primùm nam tua facta caro eſt.
Noſtri principium fuit ortus coſta virilis,
Hanc quæro ut jungi me velit ipſa ſibi.

Sur. in Vita tom. 1.

Anonymi: Nec aſpernandum hoc loco, quod de his apud Guiliel. Baldeſanum lib. 3. de Stimulis virtutum Adoleſcentiæ legiſſe me pridem memini. Accidit, inquit ille, nuper viro illuſtri, quòd adſtaret alteri non inferioris dignitatis in templo: cumque ingreſſa eſſet adoleſcentula, genere & forma nobilis, oculos (ut hoc ævo plerique faciunt) illicò in ejus adſpectum reflexit: quod cùm alteri illi diſplicuiſſe animadverteret, ejus ſeveritatem comprimere auſus illo Pſalmi verſu; *Delectaſti me Domine in factura tua.* ſed ille ex tempore, ſuaviter ſanè, *Perge,* ait, *& vide quæ eodem in Pſalmo ſequantur, & invenies: Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Attonitus ille inopinato reſponſo, obmutuit.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Aliis oculis virginem leno æſtimat, aliis Pontifex.
Ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.
Et verecundia eſt oculorum tenera adhuc in perditis.
Cordi ineſt corruptelarum cauſa non in re illice.
Heu quam magnis oculis dolorem pulcræ faciunt Perfides.
Impudici oculi impudici cordis internuncij.
Inflammato oculo medicina noxia & leniſſima eſt.
Pulcram aliter formā tuentur probi oculi, aliter improbi.
Pulchritudo alia eſt ocellis perprobis, alia improbis.
Qui magis timet hominum oculos quam Dei, omninò furit.
Qui metuit oculos hominum magè quam Dei, eſt miſerrimus.
Quidquid mente fugimus oculis ingeſtum vix cernimus.
Sive oculis quid intuare, ſive animo amplectare, idem eſt.
Sunt oculi formoſi? animo quonam regantur quærito.

§ JAMBICA.

Cordi haud dolet quod oculus ipſe non videt.
Gladium ac venenum femina eſt videntibus.
Fideliores longè oculis ſunt auribus.
In orbe quod Sol, oculus hoc in corpore eſt.
Laſcivior viſus trahit, forma haud trahit.
Multi per oculos animo accipiunt vulnera.
Non voce tantùm loquimur, aſt & pupulis.
Oculus ſibi membriſq; lucet ceteris.
Oculo Dei patent vel maximè abdita.
Oculi magis fideles ſunt homini auribus.
Oculi vident quæ mens, ubi alia non vident.
Oculi profectò ſunt feneſtræ mentium.
Oculorum aciem fallit ferè longinquitas.
Oculi fides habenda maior quam auribus.
Oculis viros venatur pulcra femina.
Oculos pudor demittit uſque, haud elevat.
Oculos quidem fugis Dei, non effugis.
Pluris fides oculorum habenda quam aurium.
Procedere poſſunt mentes quam oculi longius.
Quidam gladium faciliùs recipiunt quam vident.
Quod Sol in orbe, hoc oculus eſt in corpore.
Regem ſequuntur aures atque oculi omnium.
Solem intueri non poteſt oculus malus.
Sub oculis hominum vix veniunt cæleſtia.
Terit cibos oculis vorax edacitas.
Totius oculus unus eſt dux corporis.
Vitiis in animum noſtris per oculos via eſt.

Odii.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Greg. Nyſſenus:* Reputa atque perpende, qualis ſit vita eorum qui mutuis odiis atque ſuſpicionibus laborant: quorū occurſus quidem atque congreſſus infauſti, abominabilia autem & deteſtabilia ipſis inter ſe omnia: ora item voce carentia, obtutus adverſi: aures ad vocem odio proſequentis & odio habitis obturatæ: quidquid alterutri eorum eſt, id alteri inviſum: atque è contrario, quidquid inimicum & hoſtile, id adverſario acceptum eſt. *oratione 7. de beatitudinibus.*

D. Greg. Nyſſenus: Viſi ſunt mihi, qui nulla de cauſa, nullove prætextu adverſus nos odium ſuſceperunt, haud diverſum facere ab eo, ꝗ eſt in Æſopica fabula. Nam ille fingit lupum, dum puderet eū, nimirum, ſi abſq; juſta cauſa videretur occidere eum, à quo nulla unquam injuria laceſſitus, crimina quædam objicere agnello: atq; illo omnem facile calumnioſe illatam criminationem diluente, nihilo magis impetum remittere lupum, ſed jure quidem vinci, dentibus vero ſuperare. Itidem illi, qui odium noſtri quaſi aliquam bonam rem expetiverunt, erubeſcentes enim fortaſſe, ſi abſq; cauſa odiſſe videantur, cauſas adverſum nos & crimina fingunt, nec in ullis ſuis dictis uſquequaque manent, ſed nunc hoc, mox illud, rurſus aliud inimicitiarum adverſum nos cauſam eſſe dicunt, ut nuſquam firmiter conſiſtit eorum malitia. Sed cùm ab uno aliquo crimine repulſi fuerint, alteri adhærent: & ab illo rurſus aliud arripiunt, & ſi omnia crimina diſſoluta fuerint, odiſſe non deſiſtunt. *Oratione de S. Trinitate.*

D. Chryſoſt. Quid? ſi ſint inimici & ethnici, nō oportet odiſſe? Odiſſe quidem, nō a. illos, ſed illorū dogma, nō hominē ſed pravam actionem

actionem, & mentem corruptam ac perditam. nam homo quidem eſt opus Dei, error vero opus Diaboli. ne ergo miſceas quæ ſunt Dei, & quæ ſunt Diaboli. *Homil.33.ad Corinth.1.*

S. Iſidorus Peluſiota: Chriſtus quoque odia hominum diſſolvit, neque enaſci ea permittens, & ſi forte germinaverint, radicitus illa concutiens atq; evellens, ait enim; Noli iraſci fratri temere, &c. *l.4.Epiſt.111.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Non ſatisfaciendum odiis, quoties fide deſeritur qui laceſſit. *fine Dictionis primæ.*

Ennodius: Odiorum incendia, quę non ex impugnati merito, ſed ex ſtudiorum fomentis arſerunt, nec ſanctæ deliberationis poterunt fonte reſtingui. *§.7. Dictionis primæ.*

¶ Oratorum Romanorum.

Quintilianus: Odii potionem contra ſe nemo dabit homini, niſi quem oderit. *Declam.14. ſub principium.*

Quintilianus: Poſſimus fortaſſe aliorum accidentium ſperare finem: non habent proximorum odia regreſſum. Quæcumque nexus accipere naturæ & quæ ſanguine viceribuſque conſtricta ſunt, non laxantur diducta, ſed pereunt. Quæ de primo tenore naſcendi vix in contrarium victa deflectunt, diuque, pravitatis ſuæ rigore durata, mox in priſtinum curſum remiſſa non redeunt, ſed totum pondus omneſque vires inclinata traxerunt: vigore quo ſibi permiſſa creviſſent, in ipſius vitii robur adoleſcunt. In hoc tota eſt difficultas, ut incipiat non amare filium pater, hoc cum frontem confeſſionis accipit, reliqua præcipiti furore decurrunt: & redituris charitatibus obſtat, quicquid obſtiterat odiis. Semel ſibi parentes liberique multantur, ſemel auferuntur. Felices qui habent in conſcientia ſua quod debeant emendare, corrigere. Illa demum poteſt ira deſinere quæ coaluit ex vitiis liberorum. Ego quid facio, cui non luxuria, non eſt mutanda petulantia? cujus abdicatio non de meis, ſed de patris moribus venit? *Declam.17.§.15.*

Plinius: Hoc primum erga optimum Imp. pior. civium officium eſt, inſequi diſſimiles: neque enim ſatis amarint bonos Principes qui malos ſatis non oderint. *cap.53. panegyrici Traianum.*

¶ Poetarum.

Terentius Hecyræ 3.ſc.2.

Qui amat cui odio ipſus eſt, bis facere ſtultè duco.
Laborem inanem ipſus capit, & illi moleſtiam affert.

¶ Monosticha Trochaica.

Blanditijs velare falſis odia dira regium eſt.
Et ſuis remittunt odia inimicis fato proximi.
Ingenij proprium eſt humani, odiſſe eum quem læſeris.
Nemo eum poteſt amare quem odio proſequitur truci.
Non habet oculos nec aures ipſum odium, monſtrum horridum.
Non potes cunctos odiſſe, quin odio ſis omnibus.
Nulla opes ſunt quæ communi odio reſiſtant civium.
Odia aperta fas cavere eſt, odia operta clam obterunt.
Odia quorumcunque acerrima, proximorum maximè.
Præpares privatam adverſus publicum odium gratiam.
Proprium humani ingenij eſt odiſſe eum quem læſeris.
Quid mage eſt amore felix, quid odio felix minus?
Sæpe de brevi odia verbo provenere maxima.
Tamquam amicus ſit futurus inimiciſſimum oderis.
Vix videre, vix audire poſſumus quos odimus.

¶ Jambica.

Etiam ſimiles ſui odio habent vel peſſimi.
Exoſa ſunt quæ formidantur omnia.
Fit ſæpius cauſa odij amor flagrantior.
Graviora ſunt longinqui temporis odia.
Hoc unum agas ut nemo jure te oderit.
Immunis odio? immunis es doloribus.
Iniquius quo odium eſt, eò eſt acerbius.
Nullum gravius ſupplicium eſt odio publico.
Nunquam bonos odiſſe quis poteſt bonus.
Odia abſque damno qui moratur morus eſt.
Odia ferè ſunt proximorum acerrima.
Odijs regreſſus proximorum non patet.
Odiſſe non poteſt hominem, qui amat Deum.
Odiſſe, quam donare, conſtat vilius.
Odiſſe, res eſt omnium liberrima.
Odiſſe turpe eſt, dignum laude quem putas.
Odiſſe turpe eſt quidpiam quod adjuvat.
Odit ſuperbos Numen humiles diligit.
Offendere quem quàm odiſſe, pol honeſtius eſt.
Plerunque etiam odia acerba comprimit metus.
Privata falſis odia criminibus latent.
Privata fas remittere odia publico.
Profeſſa produnt odia vindictæ locum.
Quem maximè odimus, ei obſequimur maximè.
Quicunque cunctos odit, odio eſt omnibus.
Quidam odia habuerunt, queis inimicus defuit.
Res deſinit eſſe inviſa, ubi eſſe deſiit.
Semper bonos odit malorum factio.
Sic oderis, tanquam iterum amare quem queas.
Vbi Dominus odit, ſit nocens, non quæritur.

Odoris.

¶ Sententiæ Patrum.

CHryſoſtomus: Noſtis quantum ex odoris ſuavitate afficiatur anima noſtra, quantum jucunditatis, & voluptatis capiat. *Homil.15. ad Philipp.*

S. Aſterius: Ac naribus quoque & odoratui modus adhibeatur, ne voluptati deditæ nimium ſint, unguentorumque pretioſorum fragrantes halitus conſectentur. in tales enim Eſaias acriter invehitur capite 3. verſic. 20. & 24. *Homilia de œconomo iniquitatis.*

¶ Poetarum.

Martialis lib.2 Ep.12.

Hoc mihi ſuſpectum eſt quod olet bene, Poſtume, ſemper.
Poſtume, non bene olet, qui bene ſemper olet.

Martialis lib.6. Epigr.55.

Quod ſemper caſiaque cinnamoque,
Et nido niger alitis ſuperbæ
Fragras plumbea Nicerotiana,
Rides nos Coracine nil olentes.
Malo quam bene olere nil olere.

¶ Monosticha Trochaica.

Eſt magis viri hircum olere quàm Sabæa aromata.
Fœtidum quid eſt in illis qui abſque odore haud exeunt
Optime hercle olent maritis fœminæ quæ nil olent.
Quàm magis teruntur hoc ſunt ſuaviora aromata.

¶ Jambica.

Ecaſtor mulier rectè olet, ubi nil olet.
Effeminantur ſpiritus odoribus.
Haud piſcem olere cuncti vel florem queunt.
Matrona ſuave tunc olet, cum nil olet.
Odoris expers nonne odoris optimi eſt?
Odore quis nam glorietur, ceu ſuo?
Sexus muliebris rectè olet, cùm nil olet.
Venuſta virgo rectè olet cùm nil olet.

Videantur huc ſpectantia, titulo Deliciarum, Luxuriæ, Voluptatis, Ornatus, Unguenti.

Oeconomicæ rei.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Chryſoſtomus:* Si conjuges ſint in concordia, & rectè aluntur filii, modeſtique ſunt famuli, & ordinem non deſerunt; & bono eorum odore fruuntur vicini amicique & cognati. ſin autem contra, evertuntur & confunduntur omnia. & quomodo cùm duces exercitus inter ſe pacem agunt, omnia ſuam ſervant conſequẽtiam; & ſi turſus illi furbentur, ſurſum & deorſum aguntur omnia, ita nunc quæque. *Hom.20.ad Epheſ.*

D.Chryſoſtomus: Poſtquam tibias, ſaltantes, & fractos catus ſuſtuleris à matrimonio, recte te geras, pudorem quidem in longum tempus extendens, & non citò diſſolvens. Nam etſi inverecundior ſit puella: ſcit tamen ad tempus ſilere; mariti mota reverentia, & rerum quibus non aſſuevit novitate. Hunc ergo pudorem non citò diſſolvas, quod faciunt viri impudici; ſed extendas ad longum tempus: hoc enim tibi magnum afferet lucrum. Interim non accuſabit, nec queretur de iis quæ tu ſtatueris. Leges ergo conſtitue toto illo tempore: quo pudor tanquam quoddam frenum animæ impoſitus, non ſinit de aliquo conqueri & ea quæ fiunt accuſare. Nam quando fiduciam & dicendi libertatem apprehenderit, cum multa ſecuritate omnia evertit & confundit. Quando ergo erit aliud tempus æquè aptum ad fingendam & formandam uxorem; atque illud quo reveretur maritum, & adhuc timet, & pudore ſuffunditur? Tunc ei impone leges omnes: & parebit, lubens, & invita. Quomodo autem non ſolves pudorem? Quando cerneris ipſe quoque non minùs quàm illa erubeſcens; pauca quidem loquens, eaque cum magna gravitate & animadverſione. Tunc apud eam depone & ei commenda verba de amicitia: ea enim accipit anima. Ad pulcherrimum & optimum hàbitum, nempe pudorem, eam redige. Cum multa gratia oportet ei dicere: Nos, ô filiola, te vitæ ſociam accepimus, & te introduximus ad ſocietatem in iis quæ ſunt præſtantiſſima & maximè neceſſaria; nempe in liberorum procreatione, &

domus cura & administratione. Quid ergo, te rogamus ? Imò verò anteà loquere quæ pertinent ad dilectionem. Nihil enim æquè confert ad persuadendum auditori, ut accepta ei sint quæ dicuntur; atque scire, quòd ea dicantur ex multa dilectione & benevolētia. Quomodo ergo ostendes dilectionē & benevolentiam? Si dixeris: Cùm multas liceret accipere & ditiores, & ex illustri genere natas, non eas elegi; sed amavi tuam vitæ agendæ rationem, honestatem, modestiam, temperantiam. Deinde statim ab his para viam ad dicendum de philosophia: & reprehende divitias, cum quadam ambage & circuitione. Nam si orationem solùm extendas in vituperandis divitiis, eris gravis & importunus; sin arrepta occasione, omnia efficies. videris enim id facere pro defensione & excusatione; non tanquam austerus quispiam, injucundusque, & illiberalis, & sordidus, sed quando ex iis quæ sunt ejus sumpseris occasionem, etiam gaudebit. Dices ergo: Cùm liceret ducere divitem & locupletem, non induxi in animum. Quamobrem ? Non temerè, nec inconsideratè. Sed rectè didiceram; divitias nullam esse possessionem, sed rem contemnendam & despiciendam, & quæ adest & latronibus & meretricibus, & sepulcrorum effossoribus. Propterea his missis veni ad tuæ animæ virtutem, quam cuivis auro præfero. Sapiens enim & ingenua puella, pietatis curam gerens, totius orbis terræ pretio est æquiparanda. Propterea & te sum amplexus, & te diligo, & meæ etiam animæ præfero. Nihil est enim vita præsens: oroq; & hortor, & omnia facio; ut nos ita digni habeamur qui præsentem agamus vitam, ut illic etiam possimus in futuro seculo cum magna securitate simul versari. Nam præsens quidem tempus est breve, caducum & fragile, sin autem digni fuerimus habiti, ut cùm Deo placuerimus ex hac vita excedamus: semper erimus & cum Christo, & cum nobis invicem cum plurima voluptate. Ego dilectionem tuam præfero omnibus: neque est quidquam mihi æquè molestum, quàm à te unquam dissidere. Etiamsi me oporteat omnia amittere, etiamsi Iro esse pauperiorem, & extrema subire pericula, & quidvis pati: mihi sunt omnia ferenda & toleranda, donec tu in me benè fueris affecta: & mihi tunc optandi erunt liberi, quando tu benevola in me affecta fueris. Oportebit autem te quoque hoc facere. Deinde admisce etiam verba Apostolica; quòd Deus sic vult esse conjunctam inter nos benevolentiam. Audi enim scripturam dicentem: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Nulla sit nobis sordium & illiberalitatis occasio. Valeant pecuniæ, & multitudo servorum, & honores externi: hoc mihi est omnibus præferendum. Quod non auro, quibus non thesauris erunt hæc verba uxori magis desiderabilia ? Ne timeas, ne quando dilecta adversus te insolescat: sed confitere, te eam diligere. Nam meretrices quidem, quæ nunc cum illo conjunguntur meritò extollentur adversus amatores, quando hæc verba audierint: mulier autem libera & puella ingenua his verbis nunquam extolletur, sed multò magis his inflectitur. Ostende te magni facere cum ipsa consuetudinem, & malle te domi esse propter ipsam, quàm in foro: & eam præpone omnibus amicis & liberis, quos ex ea suscepisti: & ipsi quoque à te propter ipsam diligantur. Si boni quid fecerit, lauda & admirare: si quid continget absurdi & tanquam juvenile, suade & admone. Omni ex parte accusa pecunias, & sumptus nimis magnificos: & doce eam ornamentum quod existit ex decore & modestia, & quod ex gravitate & honestate: & assiduè doce ea quæ conferunt. Sint preces vobis communes: unusquisque eat ad ecclesiam; & eorum quæ illic dicuntur & leguntur, & maritus ab uxore partem domi exigat, & illa à marito. Si premit paupertas: produc in medium sanctos viros Paulum & Petrum, qui in majori fuerunt existimatione quàm omnes Reges & divites; & quomodo vitam egerunt in fame & siti. Erudi eam; nihil in vita esse terribile, præterquam Deum offendere. Si quis sic & propter hæc uxorem duxerit, monachis non erit valdè minor; nec is qui uxorem duxit, iis qui non duxerunt. Si etiam facere prandia, & convivia celebrare velis; nihil sit inhonestum, nihil indecorum. Si sanctum quempiam inveneris, qui possit domui vestræ benedicere, & pedum ingressu valeat universam inferre Dei benedictionem: eum voca. *Homilia 20. ad Ephes.*

Chrysostomus: Nullus sit fidelis maritum apud uxorem calumnians. Sed neque vir leviter & inconsideratè credat adversus uxorem. Neque uxor leviter & curiose scrutetur ingressus & exitus. Sed nec maritus seipsum præbeat dignum suspicione. Cur enim, dic mihi, toto die te das amicis, uxori autem vespere? & nec sic ipsi potes satisfacere, nec amovere suspicionem. Et si te accuset uxor, ne ægrè feras: est id amicitiæ, non insolentiæ. Accusationes hujusmodi sunt ardentis amicitiæ, & affectus inflammati, & timoris. Timet enim ne quis suffuretur suum cubile, ne quis in bonorum summa ei detrimentum afferat, ne caput auferat, ne lectum perfodiat. Est aliud quoque argumentum & occasio pusilli & abjecti animi. Nemo præter modum famulos sibi vendicet, nec puellam maritus, neque uxor famulum: hæc enim satis sunt ad pariendas suspiciones. *Hom. 20. ad Ephes.*

Chrysostomus: Nemo proximo exprobret paupertatē: nemo amet pecunias: & soluta sunt omnia. Neq; dicat uxor marito: Ignave & timide, torpore plene & hebetudine, piger & somnolente, hic aut ille humilis & abjectus, & humili loco natus, aditis periculis & susceptis peregrinatiōib. magnas paravit facultates, & uxor ejꝰ gestat aurū, & recta in curru mulorū alborū ꝓgreditur, in omnē partē circūfertur: habet greges famulorū & agmina Eunuchorum: tu a. metuis, frustraq; vivis & inutiliter. Ne hæc dicat uxor, & q̄ sunt his similia. est enim corpus, non ut imperet capiti, sed ut pareat & obediat. Quomodo ergo, inqt, feret paupertatē? quomodo inveniet solatiū? Eligat q̄ sunt se pauperiores: reputet quot rursus puellæ nobiles & nobili loco natæ non solū à maritis nihil acceperunt, sed etiā eis dederūt, & sua omnia consumpserunt. Cogitet q̄ ex his divitiis nascantur pericula, & amplectetur vitā otiosam & q̄ nullis agitatur negotiis. In summa, si sit in maritū benevola & benè affecta, nihil dicet ejusmodi; sed magis eliget eū habere ꝓpe se nihil acquirentē, quàm decies mille talentam curis & solicitudinibus, q̄ semper adsunt mulieribus ex peregrinationibus. Sed neq; maritus hæc audiens, ut qui habet principatū, convertatur ad cōtumelias & plagas: sed suadeat, admoneat, tanquā imperfectiori rationib. persuadeat manus in eā nō extēdat. procul hæc sint à libera anima: sed nec contumelias, nec ꝓbra, nec maledicta ingerat; sed, ut q̄ sit insipientior, eā componat & corrigat. Quomodo autem hoc erit? Si veras discat divitias, si supernā philosophiā, nihil eorum damnabit. Doceatúr ꝙ paupertas nullū sit malum: doceatur non solùm per ea q̄ dicit, sed per ea q̄ facit: doceatur despicere gloriam, & nihil hujusmodi dicet mulier nec concupiscet. Tāquam accipiens imaginem, ab illa vespera qua eam excipit thalamo, eam doceat temperantiam, modestiam, lenitatē: ut statim ab exordio, & ab ipsis vestibulis vivat, pecuniæ amorem dejiciens: & in philosophia erudiat: & suadeat ne si aurū pendēs ex auribus, nec eo induatur in genis & in collo, nec id repositum habeat in thalamo, neq; vestes aureas & sumptuosas, sed sit quidem elegans ornatus, sed non ad ꝓbrum & contumeliā recidat elegātia. Verùm his dimissis histrionibus scenicis, orna domum cum multa honestate ac decore, spirantem temperantiam, imò vero multum etiam bonum & suavem odorem. Ex hoc enim erunt duo aut tria bona. Primùm quidem non dolebit sponsa, dum solutis nuptialib. thalamis remittuntur ad singulos vestes & vasa aurea & argentea. Secundò quòd sponsus non erit solicitus ne pereant, & ut custodiātur quæ sunt comparata. His accedit tertium, quod est summa bonorum: ex his ipsis ostendit mentem suam nullo horum delectari, & se etiam cetera omnia dissoluturum, neque unquam concessurū, ut fiant saltationes, & canantur impudica cantica. *Hom. 20 ad Ephes.*

Chrysostom. Uniuscujusq; domus est civitas. unusquisq; est princeps & rector suæ domus. Et id qdem est evidens in domo divitum: ubi sunt & agri, & procuratores, & præfecti supra præfectos. Ego a. etiam domum pauperum dico esse civitatē. Sunt enim heic quoq; principatus: ut puta, maritus principatum obtinet in uxorem, uxor in servos, servi in mulieres, rursus viri & mulieres in pueros. An nō tibi videtur esse veluti Rex quispiam, cùm tot habeat sibi subjectos principes, & oportet eum esse omnium peritissimum administrādæ domus & regendæ civitatis. Nam qui scit variè & differēter his uti, scit aptos eligere principes, & eliget præclaros. Ut puta, uxor erit domi Rex alius, dempto diademate. Qui scit hunc Regem eligere, alia omnia rectè reget & dispensabit. *Hom. 24. ad Ephes.*

S. Asterius: Notū fac mihi Domine finē meū, & numerū dierum meorum, qs est, ut sciā qd desit mihi. Vides in his verbis tanquam in imagine clamātis animū & affectionē, quā sit timidꝰ, quā in futurū longè ꝑspiciens, quā curiose judicii supremæq; lucis in inqsitione versetur, ne signū abitus imparatū eū offendat & opprimat: utq; præcognito, ꝙ superest incolatꝰ spatio, diligentia ac studio officiū suū implere possit, priusquā veniat q abducat. Est.n. verè cujusq; nostrū exitꝰ, œconomi quædā ac dispēsatoris effigies, si sigillatim examinemꝰ & inter se contēdamus, qd patiatur q vita defungitur, & q dispensatione abdicatur. nam q moritur ad eundē planè modū aliis administrationē tradit, atq; œconomus claves: hic ejicitur ex agro, ille ex toto terrarū orbe, tanquam ex uno aliquo fundo, cedit. œconomus labores suos, vineas, hortos, domos, mœstus invitusq; relinqt; ille. a. cui vita deserēda, quēadmodū affici tibi videtur? nonne bona sua suspirat ac deplorat? nonne supellectilem thesaurosq; deamatos miserabiliter circūspicit: cū nec inopinatò lōgè ab iis abstrahitur, & ad locū ei destinatum traducitur, talibusq; aures ejus vocibus personant, Redde rationē villicationis tuæ: ostēde quo animo erga conservos, leni ac benigno fueris, an contra sævo & inhumano, tyrāni in morē pugnis ac verberib. in eos sæviens, eleemosynæq; demēso miseros defraudās. & bene se res habebit, si ꝓpitium reddere dominū, bonumq; se servorū apꝓbare potuerit; sin minus, nō illic ei paratæ virgæ & flagra, nō obscurum pistrinū, nō cōpedes ferreæ, sed ignis inextinguibilis, &c. *Hom. de œconomo iniquitatis.*

S. Asterius: Malꝰ fuit vitæ hujus dispensator, vir ille dives, cujꝰ qdē ager quāquā uberes fructꝰ reddiderat, nihil tamē in tāta fortuna, copiaq; rerū, boni vel cogitavit vel fecit: sed hiante vētris desiderio, latisq; & ꝓfundis cupiditatis & avaritię finib. apertis, suū ipsiꝰ in usum atq; voluptates omnia cōvertit, talia subinde dicēs; destruā horrea mea &c. & dū loqueretur, ecce adstitit q abduceret: accessit specie terribili cōservꝰ deturbatū dispēsatorio munere rapturꝰ ad pœnā. & qd tū quæso ꝓdest voluptariæ vitæ ꝓpositum? Jā verò qd experiētia quotidiana? nōne hæc assiduè quoq; talia vociferatur? dum hūc qdē q meridie firmꝰ & valēs, ante ortum hesperi mortuū nobis ostendit; illū q vesperi bene sanꝰ & incolumis, ante radiū matutinū conclamatum atq; dispositū: alium itē in accubitu superq; mēsam animā efflantē. Et qs tādē obsecro tā stupidꝰ atq; stolidꝰ, ut nō animadvertat quotidie nostrū aliquē, aliū aliàs, ex hujus vitæ dispensatione quasi loco moveri, &c. *Hom. de œconomo iniquitatis.*

¶ Pri-

§ Philosophorum Graecorum.

Xenophon: Socrates amicorum difficultatibus, ex ignoratione profectis, consilio mederi conabatur: quæ vero ex egestate proficiscerentur, eis medebatur docendo, ut pro viribus alter alterius inopiæ subveniret. Dicam autem, quid hac etiam in parte mihi de ipso constet. Nam quum aliquando Aristarchum tristem cerneret: Videris, ait, mi Aristarche, quidnam moleste ferre. Debes autem molestiam hanc cum amicis communicare. Fortassis enim aliqua huius molestiæ parte nos quoque te sublevaverimus. Et Aristarchus: Enimvero mi Socrates, ait, magna in difficultate versor. Nam quia seditiones hac in civitate motæ sunt, multis in Piræum confugientibus, convenerunt ad me relictæ tot sorores, sororum filiæ, consobrinæ, ut meis in ædibus XIV. homines ingenui sint. Neque vero vel ex agro quidquam accipimus, quo potiuntur adversarij: neque ex ædibus, quod hominum exiguus in urbe sit numerus, & supellectilem emit nemo, neque usquam mutuum capi potest, sed citius in via quis argentum quærendo inveniat, quam mutuum accipiat. Grave quidem certe est mi Socrates, propinquorum interitu nihil moveri: sed fieri non potest, ut in tanta rerum perturbatione tot homines aliquis alat.

Hæc quum audiisset Socrates: Quid est causæ, inquit, quod Ceramo complures alens, non sibi solum atque illis suppeditare necessaria potest; sed etiam tantum præterea lucrum facit, ut dives sit: tu multos alens metuis, ne ob necessariorum inopiam omnes pereatis? Quia profecto, ait, servos alit Ceramo, ego liberos homines. Vtrum vero, subjecit Socrates, putas ingenuos, qui tecum sunt, meliores esse, an Ceramonis servos? Nimirum meliores sunt ingenui, qui mecum vivunt. An non igitur est turpe, ait Socrates, illum per homines viliores rerum adquirere copiam: te, qui multo meliores habeas, inopia premi? Minime vero, inquit. Nam ille artifices alit, ego liberaliter educatos. Artifices ergo sunt, inquit, qui facere aliquid possunt, quod utile sit? Maxime, ait. Ergo farina est utilis? Ac vehementer quidem. Quid panes? Nihilominus. Quid vestes viriles ac muliebres, & tuniculæ, & chlamydes, & exomides? Admodum, ait, utilia sunt hæc, & quidem omnia. Jam vero, inquit Socrates, qui tecum sunt, nihil horum possunt elaborare? Immo vero omnia, ut arbitror. Ergo tu ignoras Nausicydem facienda farina, quod unum ex his est, non solum seipsum & domesticos alere, sed præterea multas sues, & vaccas, atque etiam lucrari tantum, ut nonnunquam in usum civitatis sumtum suppeditet: Ciribum pane faciundo familiam omnem nutrire, & vivere largiter: Demeam Collytensem, conficiundis chlamydibus: Menonem, penulis: Megarensium maximam partem exomidum confectione sese alere? Vero, inquit. Nam illi barbaros quosdam emtos habent, quos possunt cogere ad elaborandum ea, quæ ipsis expediant. Ego mecum liberos homines, & cognatos habeo.

Ergo, subjecit Socrates, quod ingenui sint, ac tibi cognati, propterea putas eis aliud nihil faciendum esse, quam ut edant ac dormiant? Num & inter alios ingenuos homines, si qui ita vivant, eos commodius degere vides, felicioresque prædicas illis, qui eorum curam habent, quæcumque ad vitam utilia norunt? An otium & negligentiam prodesse animadvertis hominibus ad discendum ea, quæ scire convenit; & ad reminiscendum, quæ didicerint; & ad valetudinem, roburque corporum; & ad parandum ac conservandum ea, quæ ad vitam utilia sunt: opus autem facere, ac diligentiam adhibere, nihil prodesse putas? Num ea, quæ dicis illas tenere, sic didicerunt, ut neque ad vitam utilia ducerent, neque quidquam eorum facerent: an è diverso, ut & diligenter in eis elaborarent, & utilitatem inde caperent? Utra homines ratione modestiores sint, in otio degendo, an curam iis impendendo, quæ expediant? Vtro modo justiores fuerint, si opus faciant, an si in otio de victu deliberent? Quin etiam, mea sententia, neque tu jam illas diligis, neque illæ te: tu, quod eas esse tibi detrimento existimes: illæ, quod te sua caussa gravari videant. Ex his periculum est, ne & majus odium oriatur, & pristina gratia minuatur. At si te præside operas faciant, tu quidem eas diliges, quia videbis ipsas tibi esse utiles: & amabunt illæ te contra, ubi animadvertent, te delectationem ex eis capere. Atque etiam priorum beneficiorum cum voluptate recordantes, gratiam eis partam augebitis, ac deinceps amicius familiariusque vosmet mutuo complectemini. Jam si turpe quid eis esset agendum, mors potius esset eligenda. At vero norunt illæ, ceu par est, quæcumque videntur mulieri honestissima esse, maximeque decere. Quivis autem quæ novit, tum facillime, tum celerrime, tum elegantissime, tum summa cum voluptate facit. Quapropter tibi cunctandum non est, inquit, ut ad ea sis illis auctor, quæ tum tibi, tum illis expediant: in quo quidem, ceu par est, perlubenter tibi obtemperabunt.

Profecto, inquit Aristarchus, tam mihi præclare dicere videris, mi Socrates, ut quum ante à mutuo sumendo abhorrerem, quod scirem me absumta mutuo data pecunia, solvendo non futurum: nunc mihi videar id facturus ad operarum impensas. Inde comparata fuit impensa, emtæ lanæ: mulieres inter operas prandebant, ac operis absolutis cœnabant. Jam pro tristibus hilares erant, proque eo, quod prius suspicionibus indulgebant, lubenter sese intuebantur. Aristarchum illæ curatoris loco diligere, Aristarchus ipsas tanquam utiles sibi, vicissim complecti. Tandem ad Socratem quum accessisset, narrabat & hæc cum voluptate, & quod se solum inter omnes, quotquot essent in domo, reprehenderent: ut qui cibis otiosus vesceretur. Tum Socrates: Tu vero non canis fabulam eis narras? Aiunt enim, id temporis, quum voce uterentur animalia, dixisse ad herum suum ovem: Facis sane mirum quiddam, qui nobis lanas, agnos, caseum tibi suppeditantibus, nihil das extra id, quod è terra consequimur: cani vero, qui nihil tale tibi præbet, cibum illum communicas, quo ipse vesceris. At canem his auditis dixisse: Non abs re profecto. Nam ego is sum, qui vos ipsas conservat, ut neque furto ab hominibus auferamini, neque à lupis rapiamini. Vos quidem certe, nisi pro vobis ego excubarem, ne pastum quidem habere possetis; veritæ scilicet, ne periretis. Atque hoc modo perhibetur oves ipsas permisisse, ut canis potiori conditione frueretur. Itaque tu etiam illis dicito, te canis instar custodem esse, curamque gerere: cuius opera læsæ à nemine, secure suaviterque suas operas obeundo vivant. *Cap. 32. & seqq. Libri 2. Memorabilium.*

Xenophon: Audivi etiam Socratem aliquando de administratione rei familiaris huiusmodi quædam disserentem. Dic mihi, mi Crotibule, inquit, est ne rei familiaris administratio scientiæ alicujus nomen, ut ars medendi, ut ærariorum, ut fabrilis? Mihi quidem esse videtur, ait Critobulus. An etiam ut de his artibus singulis dicere possumus, quod sit opus cuiusque, sic etiam quod domesticæ administrationis opus sit, indicare possimus? Videtur eius, ait Critobulus, qui rationē administrādæ rei domesticæ bene teneat, opus esse, domum suam recte regere atq; administrare. An nō ēt alterius domū, inquit Socrates, si quis hāc ei cōmittat, & velit ipse, recte colere perinde possit, ut suā? Nam qui artem fabrilem tenet, etiā alij possit elaborare, quod sibi: idemque de administrationis familiaris perito dici potest. Ita mihi mi Socrates, inquit, videtur. Ergone peritus aliquis artis huius, etiamsi facultates ipse nullas habeat, domum alterius administrando, perinde ut ædificando, pro mercede operam suam locare potest? Ita certe, ait Critobulus: adeoq; mercedem amplam accipere potest, si domum sibi traditam perficiendo, qua parte sic poscit usus, ubere rerum augere copia queat. Et quid tibi videtur esse domus? num idem quod domicilium, an vero etiam illa omnia, quæ extra ædes suas quis possidet, domus appellatione veniunt? Mihi sic videtur, ait Critobulus, omnia domo comprehendi, quæ possidet aliquis, etiamsi non sint in eadem civitate, in qua possessor. An non etiam hostes aliqui habent? Etiam multos profecto nonnulli, ait. Num igitur etiam hostes in bonis eorum esse dicemus? Ridiculum fuerit, inquit Critobulus, si quis hostes augendo, præterea mercedem eo nomine accipiat. At nobis videbatur, idem esse domum alicuius, & possessionem. Quidquid scilicet, ait Critobulus, boni quis possidet. Nec enim ego quod malum est, possessionem & facultates adpello.

Videris eas facultates adpellare, quæ cuique sint usui. Omnino, ait. Nam quæ nocent, magis esse detrimentum arbitror, quam facultates. At si quis equum emens, uti eo nesciat, sed ab eo delapsus damnum accipiat, non facultates ei sunt hic equus? Non, siquidem, facultates esse bonum aliquid necesse est. Ergo ne solum quidem ei facultates sunt, qui suo cum detrimento solum colit. Itidem solum esse facultates nego, si, quum debeat alere: ut esuriamus, efficit. Ergo idem de ovibus statuendum, si quis propterea, quod ovibus uti nesciat, damnum accipiat, ne oves quidem ei facultates esse? Mihi sane non videntur esse, inquit. Ergo tu, quemadmodum videtur, ea quæ utilitatem habent, facultates esse ducis: quæ vero noceant, minime. Sic est. Eadem igitur illi, qui usum eorum teneat, facultates sunt: eundem ignoranti, non sunt facultates. Quemadmodum tibiæ illi, qui canere tibiis egregie norit, facultates sunt: qui vero nesciat, nihilo magis, quam inutilia saxa, nisi eas vendiderit. Rursus scilicet videntur nobis tibiæ, si quidem vendantur, facultates esse: si non vendantur, sed retineantur ab illis, qui usum earum ignorant, haudquaquam. Sane consentanea ratione, mi Socrates, nostra progreditur ratio, quando dictum est ea, quæ utilia sint, facultates esse. Nam si tibiæ non vendantur, non sunt facultates, quippe quæ nullam ad rem utiles sint: venditæ vero, sunt facultates. Ad quæ Socrates: si quidem, ait, etiam vendere quis sciat. Si vero vendat ei, qui uti nequeat; ne venditæ quidem facultates sunt, uti tu ais.

Videris dicere, mi Socrates, ne argentum quidem esse facultates, nisi quis uti eo norit. Tu quoque mecum fateri videris, eas res facultates esse, de quibus utilitatem aliquis capere possit. Ergo si quis argento sic utatur, ut verbi gratia, scortum emat, propter quod minus bene adfecto sit corpore atque animo, & domus etiam peius administretur, quo pacto possit huic argentum esse usui? Nequaquam, nisi si & hyoscyamum, quam vocant herbam, inter facultates quis recenseat, qua qui vescuntur, apud sese non sunt. Argentum quidem certe, mi Critobule, nisi quis uti eo norit, adeo procul amoveatur, ut nec in bonis habeatur. Quid vero amicos esse dicemus, si quis ita sciat eis uti, ut fructum aliquem ex ipsis percipiat? Facultates profecto, ait Critobulus, ac multo quidem magis, quam boves: siquidem utilitates majores adferant, quam boves. Ergo etiam hostes, tua quidem sententia, facultates sunt ei, qui capere fructum aliquem ex hostibus potest. Ita mihi quidem videtur, inquit. Est igitur boni administratoris rei domesticæ, hostibus etiam uti scire, quo fructum ex ipsis capiat. Maxime vero. Nam vides certe, mi Critobule, quot privatorum hominum domus bello auctæ sint, quot à tyrannis. Sed enim hæc, mi Socrates, præclare mihi dici videntur, inquit Critobulus: illud autem quam speciem habet, quod nonnullos videmus scientia quidem illos ac facultatibus instructos,

quibus faciendo quæſtum augere domos poſſent: verum id eos facere nolle animadvertimus, ac propterea ſcientias ipſis uſui nulli eſſe cernimus? Num quid eſt aliud, quam his ſcientias illas neque facultates eſſe, neque poſſeſſiones?

De ſervis, mi Critobule, diſſerere inſtituis? Minime vero, ait, ſed ſunt nonnulli, qui valde videntur eſſe bono loco nati, quorum alios video rerum bellicarum, alios pacis artium peritos eſſe, quas tamen exercere nolint eam ipſam ob cauſam, mea quidem ſententia, quod dominos non habeant. Qui dominis carere poſſint, ait Socrates, quum felicitatem adipiſci cupientes, eaque gerere, de quibus capere fructus utiles poſſint, in hoc conatu ab illis impediantur, qui eis imperant? Et quinam illi ſunt, ait Critobulus, qui quamquam non cernantur, eis tamen imperant? Immo, inquit Socrates, obſcuri non ſunt, ſed conſpici manifeſto poſſunt. Ac improbiſſimos quidem eſſe, ne te quidem latet, ſiquidem ignaviam, & mollitiem animi, & negligentiam eſſe putas improbitatem. Sunt & aliæ fraudulentæ quædam dominæ, quæ ſe pro voluptatibus venditant, aleæ luſus, & inutiles hominum inter ſe converſationes, quæ temporis progreſſu manifeſto deprehendunt etiam illi, qui decepti ſunt, dolores eſſe implicatos undique voluptatibus. Atque hæ poteſtatem in ipſos nactæ, ab operibus eos utilibus impediendo avocant. At enim alij, ſubjecit Socrates, ab his non impediuntur, quo minus quæſtum faciant, ſed ad eum faciundum excogitandosque proventus vehementer incitati ſunt. Nihilominus & rem familiarem adterunt, & rerum inopia conflictantur. Nimirum & illi ſervi ſunt, ait Socrates, ac per profecto moleſtos habent dominos, alij luxum, alij libidines, alij temulentiam, alij ſtultas quasdam & ſumptuoſas ambitiones, quæ quidem adeo graviter in eos homines, quos occupaverint, imperium exercent: ut quamdiu cernunt eos adhuc vegetos eſſe, quæſtumque facere poſſe, quidquid lucri fecerint ad ſe deferre cogant, ac ſuas in cupiditates impendere. Verum poſteaquam animadverterint eos propter ſenectutem nihil amplius comparare poſſe, relinquunt eos miſere ſenectutem exacturos, atque aliis uti ſervis inſtituunt. Oportet autem, mi Critobule, non minus de libertate adverſus hæc dimicare, quam adverſus eos, qui armati nos in ſervitutem redigere conantur. Etenim hoſtes virtute præſtantes quum in ſervitutem aliquos redigunt, caſtigando multos meliores fieri cogunt, atque etiam efficiunt, ut facilius deinceps vivant. At huiusmodi dominæ corpora hominum, & animos, & rem familiarem fœde perdere non deſinunt, donec imperium in eos conſequantur. *Cap. 1. & ſeqq. lib. 5. de œconom.*

Idem cap. 8. Quum aliquando animadverterem, iisdem operibus faciundis alios quidem inopes admodum eſſe, alios opulentos: fuit ea res mihi admirationi, adeoque digna viſa, de qua, quid eſſet, diſpiceretur. Itaque conſiderans ipſe mecum reperi, per illa convenienter fieri. Nam qui agerent ea temere, ſuo cum damno factitare videbam: at qui contento animo curam adhiberent, eos tum celerius faciliusque, tum majori cum lucro ſua facere animadvertebam, A quibus te quoque arbitror, ſi velis, & ſi Deus non adverſetur, diſcere poſſe; ut rei faciundæ peritiſſimus fias. Ea quum Critobulus audiiſſet: Nunc ego te mi Socrates, ait, non miſſum faciam prius, quam mihi quod pollicitus es horum in amicorum præſentia, demonſtres. Quid ergo mi Critobule, ſubjecit Socrates, ſi demonſtrabo tibi primum quosdam ædes inutiles ingenti pecunia, quoſdam longe minore domos eiuſmodi exſtruere, quæ ab omnibus inſtructæ ſint; à quibus eſſe debent; an non videbor tibi unum aliquod opus ex iis, quæ ad domeſticam adminiſtrationem pertinent, oſtendere? Omnino, ait Critobulus. Quid autem, ſi, quod conſequens huius eſt, deinceps commonſtrem tibi? nimirum quoſdam, qui ſupellectilem multam ac variam poſſideant, nec ea, quum opus eſt, uti poſſe, neque ſcire, an omnia ſint eis integra, easque ob cauſas magna moleſtia tum ſe, tum familiam adficere: quosdam vero, qui nos his ampliorem, ſed tenuiorem etiam poſſideant, ad uſum omnia parata habere, quum eis opus eſt. Quæ vero cauſa ſit alia, mi Socrates, niſi quod illis quidem fortuito proiecta ſingula, his ordine collocata jacent? Ita profecto eſt, ait Socrates. Immo ne fortuito quidem in loco, ſed eo diſtributa ſingula ſunt, quo ſita eſſe par erat. Videris mihi hoc quoque proferre, ſubjecit Critobulus, unum ex iis, quæ ad rem domeſticam pertinent.

Quid autem, ſi & famulos demonſtrem tibi iſtic quidem vinctos, ut ita dicam, ac nihilominus frequenter aufugientes: heic vero ſolutos, non tamen invite vel laborantes, vel manentes, an non illud etiam opus conſideratu dignum in adminiſtratione domeſtica tibi oſtendere videbor? Maxime quidem certe, ait Critobulus. Quid ſi diverſos conſimili ratione colentes agrum, quorum alij ſe per agriculturam perditos dicant, & inopes ſint: alij abunde commodeque omnia neceſſaria ex eadem agricultura habeant? Ita eſt, inquit Critobulus. Nam fortaſſis impenſas faciunt non in ea modo, in quæ fieri par eſt; ſed etiam in alia, quæ tum ipſis, tum familiæ damnum adferant. Sunt fortaſſe nonnulli tales, ait Socrates, verum ego non de his loquor: ſed de iis, qui quum agriculturam exercere ſe fateantur, non tamen ne quidem in res neceſſarias ſumptum facere poſſunt.

Et quænam, inquit, eius rei fuerit cauſa, mi Socrates? Deducam ego te, ait Socrates, ad hos quoque: tu eos contemplatus, rem animadvertes. Profecto ſi quidem poſſim, inquit. Neceſſe eſt igitur periculum tui contemplando facias, an intelligere poſſis. Memini vero te ad ſpectandos comœdiarum actores admodum aliquando mane ſurrexiſſe, ac valde longam viam confeciſſe, mihique auctorem fuiſſe, ut una tecum ſpectator eſſe non recuſarem. Verum ad rem quandam huiuſmodi nunquam me es cohortatus. Ergone tibi, mi Socrates, ridiculus eſſe videor? Immo tibimet profecto multo magis ridiculus. Quid autem, ſi tibi quosdam commonſtrem, qui ex re equeſtri ad rerum neceſſariarum inopiam redacti ſint; itemque alios qui per eandem rem equeſtrem magnam rerum copiam paraverint, atque de hoc lucro mirificam voluptatem capiant? Eos vero ipſe quoque video, & utrosque novi, quanquam nihilo ſim magis eorum in numero, qui lucrum faciunt. Nimirum ſic eos ſpectas, ut tragœdiarum & comœdiarum actores, non illos quidem, mea ſententia, ut poeta fias: ſed ut videndo atque audiendo nonnihil, voluptatem capias. Ac fortaſſis id quidem recte. Nec enim poeta vis fieri. Quum autem neceſſario rem equeſtrem tractare cogaris, non te ſtultum exiſtimas eſſe, ſi non conſideres, quo pacto ea in re minime rudis ſis, præſertim quum eadem heic ad uſum commoda ſint, & ad vendendum fructuoſa? Pullos equorum domare me jubes Socrates? Nihilo magis, ait, quam emere quos à pueris ad colendum agrum præpares. Sed quædam mihi tam equorum, quã hominum ætates eſſe videntur, quæ ſtatim utiles ſint, & in melius proficiant. Poſſum etiam commonſtrare quoſdam, qui nuptas ſibi uxores ita tractant, ut earum adjumento rem familiarem augeant: alios, ut damna maxima accipiant. &c. *Vide ſequentia titulo Vxoris.*

Xenophon: Ac de ordine quidem vaſorum, ac uſu, cum ea me hujuſmodi quædam colloquutum eſſe meminiſſe videor. Quid autem? num uxor, inquam ego, mi Iſchomache, viſa tibi eſt adtendere ijs, quæ tu docere cupiebas? Quid aliud, quam quod polliceretur, diligentiam ſe adhibituram, ac præ ſe ferret, quaſi maximam voluptatem caperet, uti quæ magna ex inopia inſignem copiam rerum inveniſſet? Etiam me rogabat, uti quamprimum eo, quem explicaſſem, modo ſingula ordine diſponerem. Et qui tãdem mi Iſcomache, inquam ego, diſpoſuiſti? Qui aliter, quam quod initio ipſi oſtendendum arbitrarer, quæ domus eſſet noſtrę commoditas? Nec enim varijs ea picturis eſt ornata, mi Socrates, ſed omnes cellæ tali conſideratione ſunt exſtructæ, ut quam commodiſſima ſint ijs receptacula, quæ in eis collocanda ſunt. Itaque tunc ipſæmet ſibi convenientia velut arceſſebant. Nam penetralia loco ſita munito, veſtes ſtragulas vaſaq; maximi pretij ſibi depoſcebant: quæ vero partes ædificij ſiccæ ſunt frumentum; quæ frigidæ, vinum; quæ plena lucis, opera & vaſa maxime lumen requirentia. Præterea demõſtrabam ei loca hominum uſui & habitationi deſtinata, eaq; perpulchre ornata, ut per æſtatem eſſent frigida, per hiemem calida. Adeoq; domum univerſam ei commonſtrabam, meridiem verſus apertam: de quo obſcurum eſſe non poſſet, hieme illam ſat habere ſolis, æſtate umbrarum. Et gynæcei fores per balneum à virorum contubernio ſecretas ei oſtendebam, ne vel foras aliquid efferretur, quod non deberet; vel famuli abſque conſenſu noſtro liberis operam darent. Nam qui probi ſunt, poſtea quam liberos procrearunt, plærumque ſunt benevolentiores: perverſi vero inter ſe copulati, ad malefaciendum fiunt inſtructiores. Poſteaquam hæc percurriſſeremus, inquit, ita deinde ſupellectilem per claſſes diſtinximus.

Ordiebamur autem primum à colligendis iis, quibus ad rem ſacram utimur. Secundum id mundum muliebrem, qui feriis conveniret, diſtinguebamus: itemque veſtes viriles tam feſtorum, quam belli: ſtragula in gynœceo, ſtragula virorum in contubernio: calceamenta muliebria, calceamenta virilia. Claſſis alia armorum, alia inſtrumentorum lanificij, alia neceſſariorum ad molendum frumentum, alia ad conficienda obſonia, alia ad lavationem, alia vaſis piſtoriis, alia ad menſas. Atque hæc omnia locis diſtinximus, tum quibus ſemper utendum eſt, tum quæ ad epulationes feſtas pertinent. Seorſum etiam ab aliis auferebamus, quæ menſtruo ſpatio abſumerentur; & ſeorſum, quæ rationibus ſubductis in annum eſſent deſtinata, collocabamus. Sic enim minus obſcurum eſt, qui futurus ſit exitus. Poſteaquam ſupellectilem univerſam in claſſes ſecrevimus, ad convenientiam loca ſingula detulimus. Deinde vaſa omnia, quibuscumque cottidie famuli utuntur, verbi gratia, quibus cibi conficiuntur, quibus obſonia, quæ ad lanificium pertinent, & ſi qua ſunt eiuſmodi, tradidimus iis, qui uti his deberent, commonſtrato loco ubi ea reponerent: ſimul imperavimus, ut ea nobis integra præſtarent.

Quibus autem ad feſtos dies, vel ad hoſpites excipiendos, vel ad negotia quædam rara utimur, ea tradidimus promæ, locisque horum indicatis, & adnumeratis conſignatisque ſingulis: juſſimus, ut quidvis horum ei daret, cui dandum eſſet, & cuinam quid daret, memoria complecteretur, & ubi quid reciperet, rurſus unde ſingula ſumſiſſet, reponeret. Minus autem promæ mandavimus alicui, poſteaquam conſideraſſemus, quæ nobis videretur, & gulam quod attinet, maxime temperans, & in vino, & ſomno, & virorum conſuetudine. Præterea quam memoria plurimum valere judicaremus, & proſpiciendo, ne ob negligentiam à nobis puniretur, & conſiderando, qua ratione gratum aliquid nobis faceret, ac viciſſim ipſa honore à nobis adficeretur. Eandem ut benevolo eſſet erga nos animo conſuefaciebamus, communicando cum ea lætitiam noſtram, quoties læti eſſemus: ac viciſſim, ſi quid accidiſſet triſte, ad hoc illam quoque advocando. Inſtituebamus itidem, ut cupida & alacris eſſet ad augendam rem noſtram familiarem, dum quæ illa eſſet, non cælaremus, noſtræque fortunæ proſperæ participem faceremus

ceremus

caremus. Etiam justiciæ studium excitabamus in ea, dum majori justos honore, quam injustos prosequeremur: eosque vitam agere tum opulentiorem, tum magis liberalem, quam injustos, declararemus. Atque huic tali locum hunc adtribuebamus.

Cæterum præter hæc omnia mi Socrates, ait, uxori meę dixi, nullum esse horum omnium usum, nisi studiose daret operam ipsa, ut hic ordo in singulis maneret. Quinetiam docebam illam, in urbibus præclare constitutis non videri civibus satis esse, si leges egregiæ scribantur: sed deligi quoque custodes earum, qui omnes inspiciendo, legibus obtemperantes laudent, & adversus eas delinquentes puniant. Quamobrem, inquit, hortabar ut existimaret, uxorem domo præfectam esse quasi legum custodem: ac ubi visum ipsi sit, lustrare vasa debere, quemadmodum præsidij magister vigulum copias lustrat: eidem explorandum esse, num recte habeant omnia, quemadmodum senatus equos & equites explorat: etiam laudari ac ornari ab ipsa debere dignos tanquam à regina, pro ea quidem copia, quæ adsit, & probris incessi ac puniri eos, quos par esset. Præterea docebam, inquit, eam, non esse cur merito moleste ferret, si fortunas quod nostras adtineret, plus ei laboris imponerem, quam famulis. Ostendebam enim, servos herilium facultatum catenus participes esse, quatenus eas gestent, aut curent, aut custodiant: quum nemini concessus illarum sit usus, nisi cui tribuat hoc is, cuius sunt in potestate. Heri autem omnia sunt, ac eiusdem est, uti singulis pro libitu suo. Qui ergo ex conservatis hisce facultatibus commodum maximum perciperet, & maximum ex dissipatis detrimentum: ei curam quoque de his maximam convenire declarabam.

Quid autem, Ischomache? inquam ego, quum audiisset hæc uxor tua, quo pacto tibi obtemperabat? Quid aliud, inquit, nisi quod respondit mihi, mi Socrates, non recte me de ipsa judicare, si dum eam docerem fortunarum nostrarum curam habendam esse, molesta me ipsi mandare putarem. Nam gravius longe futurum, dixisse illam ajebat, si præciperem, suarum ut rerum esset negligens potius, quam ut bona propria studiose curaret. Sic enim à natura comparatum esse videtur, inquit, ut quemadmodum pudicę modestæque mulieri suorum liberum curam habere facilius est, quam eos negligere: ita etiam fœminæ modestæ curam suscipere fortunarum suarum, quæ quia propriæ sunt, exhilarant nos, jucundius esse arbitrer, quam easdem negligere. Quæ quum uxorem ei respondisse, ait Socrates, audivissem: Ita me Iuno amet, inquam, mi Ischomache, virilem uxoris tuæ animum esse demonstras. *Cap. 34. & seqq. lib. 5. Oeconomiæ.*

Offensionis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Nec eos reprehendo qui de fide ac supremis primariisque quæstionibus pugnant: imo insuper etiam laudo, iisque gratulor. atque utinam ex eorum numero sim, qui pro veritate decertant, atque in offensionem & odium incurrunt. imò etiam in hoc numero esse gloriabor. Melius enim est laudabile bellum, pace à Deo disjungente. ob eamque causam lenem & mansuetum hominem Spiritus ad pugnam armat, ut qui bellum recte gerere queat. Nunc autem nonnulli sunt, qui de parvis etiam rebus, nec quidquam utilitatis afferentibus, digladiantes, socios mali quoscunque possint, admodum imperitè ac temerè asciscant. posteaquam his omnibus fides prætexitur: sanctumque & venerandum hoc nomen privatis etiam contentionibus distrahitur. Atque proinde, ut consentaneum est, odio quidem apud Gentes flagramus, quodque gravius est, causam nullam afferre possumus, quin jure ac meritò. apud nostros autem, etiam probiores & faciliores infamia laboramus: non enim mirum, si apud multitudinem, quæ vix aliquid boni probarit. *Oratione 1. de fuga in Pontum.*

D. Chrysostomus: Non solum sunt offendendi fratres, sed etiam quoad eius fieri potest, ne externi quidem. nam si sumus lux & fermentum, & luminaria, & sal, illuminare, non tenebras offendere oportet; constringere, non dissolvere, ad nos ipsos attrahere infideles, non fugare. *Homil. 25. ad Cor. 1.*

D. Chrysostomus: Ne mea opinione simus, ut grave esse judicemus pœna affici, sed peccare. nam qui hominem sibi carissimum læsit tum maximè acquiescit, cùm à se ipso pœnas exegerit, ac mali aliquid perpessus fuerit. Ad eundem igitur ipsi quoque modum, cùm in eum peccamus, in quem peccare minimè oportebat, pœnam de nobis ipsis sumamus. An non eos videtis, qui charissimis filiis orbati sunt, quemadmodum propterea discruciantur ac capillos vellunt, quoniam solatij loco illis est, pro iis quos amant, sese afflictare? Quòd si, cùm nihil sceleris in homines nobis charissimos admiserimus; levamur tamen, cùm ex eorum calamitatibus dolore ipsi afficimur: an non cùm ipsi sumus, qui Deum ad iracundiam concitavimus, ipsique injuriam intulimus; multò magis nos juvabit ac recreabit pœnas dare, qua pœna non affici? Nemini profectò id dubium est. Si quis erga Christum eo amore est, quo debet: quid dicam intelligit; quoque modo, ne ipso quidem ignoscente, quin in sepsum animadvertat non sustinebit. Maximum enim supplicium eo ipso pendit, quòd ipsum ad iracundiam extimulavit. Nec verò me fugit, incredibilia plerisque videri quæ dico: sed tamen ita se res habet, ut dixi. Quocirca si Christum ita amemus, ut amandus est: peccatorum nostrorum ipsimet vindices erimus. Iis enim qui cujusvis hominis amore flagrant, non illud molestum est, quòd pro offenso ejus, quem amant animo gravius aliquid patiantur: sed illud ante omnia graviter acerbeque ferunt; quòd eum, quem diligunt, offenderint. Ac siquidem ille ita commotus, injuriam acceptam minimè ulciscatur; hoc ipso amicum graviùs excruciat: contrà si quid pœnarum sumat, plus ei levationis affert. Quæ cùm ita sint: ne gehennam perhorrescamus; sed id potiùs timeamus, ne Deum offendamus. Hoc enim illo atrocius est, cùm nobis infensus vultum suum à nobis avertit: hoc quovis supplicio gravius atque acerbius. *Homil. 11. ad Cor. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Illud, ô amice, quàm maximè time, ne cuiquam offensionis causam præbeas. Temulentum est enim quodammodo inter mortales bonum: ac, nemine etiam concutiente, vix consistit. *Lib. 2. Epist. 126.*

§ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Aristides Rhetor: Iam cùm hominis cuiusvis defensionem cum facto conjunctam omnes recipiant, miror eos urbis res gestas tot ac tantas, quibus illa se purgat, non considerare. An verò Solem quidem ac Lunam, non ob damna quæ nobis dant accusabimus, sed propter commoda ab ipsis profecta mirabimur; de Vrbe non ex universa ejus natura, & cum omnibus consuetudine ac familiaritate, sed ex offensionibus aliquot judicabimus? non puto. nisi quis etiam fulmina Deorum ac tonitrua, motusque terræ velit calumniari, neglectis communibus atque universis beneficiis. *Oratione Panathenaica.*

Simplicius ad cap. 34. Epict. Si amicis offensi magis succensemus quam aliis; cùm ob cogitationem familiaritatis, tum quod præter exspectationem id nobis accidit; multo absurdius erit à semetipso lædi.

§ APOLOGI.

De Asino, qui hero ingrato servierat. Fab. 68.

Asinus, qui viro cuidam ingrato multos annos inoffenso pede servierat, semel, ut fit, dum sarcina pressus esset gravi, & salebrosa incedit via, sub onere ceciderat. Tunc dominus implacabilis multis verberibus surgere compellebat, pigrum animal & ignavum nuncupans. At ille miser inter verbera hæc secum dicebat: Infelix ego, quàm ingratum sortitus sum herum, Nam quamvis ei multo tempore sine offensa servierim, tamen non hoc unum delictum tot meis pristinis beneficiis compensat.

Hæc fabula in eos conficta est, qui beneficiorum sibi collocatorum immemores, etiam minimam benefactoris sui in se offensam atroci pœna prosequuntur. L. Abstemius.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ante facta mille honesta culpa vel minima obterit.
Est favilla offensio omnis: flamma fit si spernitur.
Magna offensæ initium, magnæ initiũ aliquando gloriæ est.
Nemini bona offensaclo sunt res quàm menti malæ.
Nil reperio quam ob rem laudes, qui suum officium facit.
Sæpe in ignem offensionis, dum cavet, quis incidit.
Vna servi offensa mille facta corrumpit bene.

§ IAMBICA.

De gratia ipsa nasci offensa non potest.
In corpore ægro odiosa cuncta offensio est.
Mage cogitanda est veritas quam offensio.
Mage metuimus offendere hominem, quam Deum.
Mitem esse cum iis, quam mitem isto nomini.
Nil interest quo quempiam offendas modo.
Offendere quosdam quàm obligare tutius.
Offensiones mens heroa despicit.
Omittet hic offensas, ille differet.
Qui sine periculo offenditur, haud offenditur.
Quis quæso non offenditur vita sua?
Sæpe quis in offensas, dum vitat, incidit.
Veterem novis offensam meritis corrigas.

Officij.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Age, quasdam vobis merces offeramus, si minus communi huic vestræ animorum alacritati pares, viribus certe nostris haudquaquam inferiores. illa enim majora postulat: hæ autem mediocra solum præstant atque afferunt. Porrò satius est, id quod per facultates licet, afferre, quàm officio prorsus deesse. non enim qui huiusmodi res non potuit, in judicium vocandus est, sed qui noluit in culpa hæret; sive de divinis, sive de humanis loquamur. *Oratione 26.*

D. Nazianzenus: Acerbè feram, si nec ipse quid officij sit perspicis,

ſpicis, quæ prima bonorum hominum claſſis eſt; nec alium rectè monentem ſequaris, qui ſecundus ordo eſt. *Epiſtol. 43.*

D. Chryſoſtomus: Officia in multorum utilitatem collata, longè ſunt præſtantiora, quam quæ in unum contrahuntur. *Homil. 6. Epiſtol. ad Titum.*

¶ LATINORUM.

S. Salvianus: Probat etiam in maioribus, ſi res exigat, executorem ſe idoneum fore, à quo minora complentur. *Lib. 3. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Neque enim juſta cauſſatio eſt, cur præferantur aliqua, ubi facienda ſunt omnia. *Lib. 3. de gubernatione Dei.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Brutus Cauniis. Tametſi Coorum officia, videantur in ſpeciem magis ab aſſentatione & metu proficiſci: tamen quod expediti promptique mandata quæcumque jubeo, faciunt: id verò ſummæ firmitudinis argumentum eſt. Vos igitur de his quæ ſcripſimus etiam judicate, utrum alia quoque veſtra officia neceſſitatis magis quàm benevolentiæ cauſa ſint probanda. veriſſimum enim pignus ſtabilitatis ſemper erit: ſi continenter ad veſtros uſus parati promptique fueritis. *Epiſt. 31.*

Cauniorum ad hac reſponſio. Pignus benevolentiæ, non eſt aſſiduè inſervire. hoc enim ſolarum virium eſt opus: verum non negligere, cùm occaſio poteſtaſque obvenerit. Nobis verò ſi ex intermiſſione, priſtinum quoque ſtudium non ſatis fidele judicaretur fruſtrà nos antea labores ſubijſſe putaremus. Neque enim veriſimile eſt tum nos amicitiam erga te ſimulare, quam metus etiam non exiſtentem omnino ambiret, aſſentatio verò exiſtentem etiam perderet. *Epiſtol. 32.*

Smyrnenſibus Brutus. Subditorum in obſequendo alacritas. ſi continuata ſit & diuturna ſtabilem firmamque benevolentiam erga principes declarat, omiſſa verò neglectaque tum etiam cùm ſtrenuè & libentius animis eſt inſervitum, id magis ob imbecillitatem propriam quàm ex ſententia factum eſſe coarguit. Quare curam adhibete, ut, quæcunque vobis ad bellum imperavi, perficiatis: quoniam ſi iam rebelles & inobedientes videbimini, teſtimonium etiam illud, quod antè conſecuti eſtis, amitteris. Non enim iiſdem rebus ornatos videri decet, qui non omni tempore ſibi conſtantes inveniuntur. *Epiſt. 41.*

Smyrnenſium reſponſio. Vota quidem facere licet, ut poſſis continenter. Verùm tempus aliquando fert, ut par eſſe nequeas. Miniſtra verò non ſolùm eorum qui jubentur, infirmitas, verùm etiam mandatorum crebritas & multitudo perſæpe impedit & retardat. Nos autem ſi olim metu & timore commoti ad obeunda munera fuiſſemus ne iam quidem recuſare & renuere auderemus. Sed longè quàm videtur alia res eſt. Tunc enim propenſus erat & proclivis animus. Jam verò impotentia in crimine ponitur. Turpe eſt igitur ſi potiùs intermiſſione in reprehenſionem incurrent officia, quàm intermiſſio propter officia boni conſuletur. *Epiſt. 42.*

Arrianus cap. 9. lib. 1. Epict. Res non vulgaris eſt, vel hominis præſtare officium. Quid enim eſt homo? Animal (inquit) rationis particeps, mortale. Jam rationis uſu, à quibus ſeparamur? A feris. A quibus præterea? Ab ovibus, & aliis eius generis. Cave igitur, ne quid forte inſtar feræ facias. alioqui hominem amiſiſti: non præſtitiſti officium. Cave, ne quid inſtar ovis. alioqui & ſic homo perierit. Quæ igitur agimus more ovis? Cum ventris cauſa, cum propter inguem, cum temere, cum ſordide, cum inconſiderate. Quo declinavimus? Ad oves. Quid amiſimus? Rationis uſum. Cum pugnaciter, noxie, iracunde, impetuoſe, quo declinavimus? Ad feras. Jam alij magnæ beſtiæ ſumus, alij beſtiolæ malitioſæ & parvæ: de quibus dici poſſit, Leo me vel devoret. His autem rebus omnibus perit hominis officium. Nam quando conſervatur complexũ? Cum ſuum munus exſequitur. Itaque conſervatio complexi eſt, ſi ex veris ſit complexum. Quando disjunctum? Cum munere ſuo fungitur. Quando tibiæ? Quando lyra? Quando equus? Quando canis? Quid ergo mirum, ſi homo etiam eodem modo & conſervatur, & perit? Augent autem & tuentur unamquamque rem opera conſentanea, fabrum fabrilia: grammaticum grammatica. Quod ſi contra artis rationem ſcribere aſſueveris neceſſe erit corrumpi & perire artem. Sic hominem verecundum verecunda facta conſervant, impudentia perdunt: fidelia fidele perdui contraria. Contrarios autem viciſſim augent contraria: impudentem impudentia, perfidum perfidia, convitiatorem convitia, iracundum iracundia: . . . rationes, quibus & minus reddat quam acceperit, & plus accipiat quam dederit. Quamobrem philoſophi monent, non in ſola doctrina acquieſcendum eſſe: ſed & ſtudium adjungendum, & exercitationem. Longo enim tempore contraria facere conſueſcimus, & opiniones rectis contrarias uſu accepimus. Quod ſi nec rectas opiniones ad uſum contulerimus: non aliud niſi alienorum decretorum interpretes futuri ſumus.

Arrianus: Hæc duo in promtu eſſe debent; præter voluntatem, nihil vel bonum eſſe, vel malum: neque antecedendum eſſe rebus, ſed ſequendas eſſe res. Non ita me tractare debuit frater. Non: verùm illi curæ erit: ego verò utcunque ille me tractarit, officii mei meminero. hoc enim meum eſt; illud alienum. hoc prohibere nemo poteſt, illud prohibetur. *fine cap. 10. lib. 3. Epict.*

Arrianus cap. 24. lib. 3. Epict. Quid ergo? Vis iſtum à me coli? Vis me fores eius frequentare? Si ratio poſtulat, pro patria, pro cognatis, propter homines: cur non accedas? Cum non pudeat ſutoris tabernam ingredi, cum calceis eſt opus: neque convenire holitorem, cum opus eſt lactucis: cur divites accedere, cum ſimili quapiam re indiges, graveris? Recte. Sed ſutorem non admiror, nec holitori adulor. Ne diviti quidem. Quo pacto ergo impetrabo quod peto? Num vero ego te abire jubeo, tanquam voti tantum compotem futurum, non etiam eo animo ut dignitatem tuam tueare? Cur ergo abeam? Ut abeas, & munere civis, fratris, amici fungaris. Denique ut memineris, te ad ſutorem, ad holitorem veniſſe qui nullius magnæ præclaræve rei poteſtatem habeat, quamvis eam magno vendat. Tanquam ad emendas lactucas abis, quæ obulum valent, talentum non valent. Ita hic etiam, negotium tanti ſit, ut fores frequentes: abibo & colloquar. Sic eſto: colloquar. Sed & manus eius deoſculanda eſt, & laude aliqua conciliandus animus. Apage. talentum hic eſt: nec mihi, nec Reip. nec amicis expedit. perdidiſſe bonum civem & amicum. At re non confecta, videberis non adhibuiſſe diligentiam? Iterumne oblitus es, qua cauſa veneris? Neſcis virum bonum nihil facere, ut feciſſe videatur: ſed ut fungatur officio? Quem ergo fructum ex rectè factis capit? Quem vero fructum is qui Diogenis nomen rectè ſcribit, capit? Ipſam ſcripturam. Præmium ergo nullum? Tu vero viro bono majus præmium quæris honeſtis & juſtis actionibus? Olympiæ nonne aliud nihil petis? Nonne in Olympiis te coronatum eſſe, tibi ſatis eſt? Num parvum quid & rem nullius momenti judicas, eſſe virum bonum, juſtum & beatum? Adhæc munera, à Diis in urbem hanc introductus, cum jam virilia munera tibi obeunda eſſent, tu nutrices & mammam deſideras, teque inflectunt & effœminant ſtultæ mulierculæ ploratu ſuo. Ita nunquam deſines infans eſſe: quo natu maior, eo magis ridiculus fies.

Arrianus cap. 12. lib. 4. Epict. Primùm externum nihil, nihil alienum expetendum: ſed quemadmodum is qui poteſt conſtituit, ea quæ noſtri juris ſunt, ſemper perſequenda ſunt, cætera vero prout res tulerit. Poſthæc tenendum eſt, qui ſimus, & quo nomine appellemur: & danda opera, ut officia ad facultates affectionum dirigamus. Expendendum, quod tempus ſit cantilenæ: quod tempus doctrinæ: quibus præſentibus? Quid negotium conſecuturum ſit? Num contemturi nos ſint convictores? Num nos illos? Quando dicteriis utendum? Quinam ſint deridendi? Cui & qua de cauſa ſit obſequendum? denique in obſequio quomodo decorum ſit tuendum. Ubi autem ab horum aliquo declinaveris, ſtatim exſiſtit damnum, non aliunde, ſed ex ipſa actione. Quid ergo? Jamne fieri poteſt ut peccato caream? Fieri hoc nequit: ſed illud fieri poteſt, ut perpetuo in id intentus ſis, ne pecces. Boni conſulendum enim eſt, ſi nunquam remiſſa hac induſtria, vel paucis peccatis caruerimus. Si vero dixeris, Cras animadvertam: ſcito illud te dicere, Hodie ero impudens, importunus, abjectus: penes alios erit me dolore afficere, iraſcar hodie, invidebo. Vide quanta mala ipſe tibi indulgeas. At cras bene erit. Quanto præſtantius eſt hodie? Si cras conducit, multo magis hodie, ut & cras poſſis, nec in tertium diem reijcias.

Simplicius ad cap. 37. Epict. Officia ſunt ea quæ fiunt ut decet & convenit, & quæ quoque digna ſunt: & hæ juſtitiæ munera ſunt, quæ omnem vitam continet. eſt enim juſtitia, quæ ab aliis virtutibus diſtinguitur: eſt & quæ reliquas in ſe complectitur omnes. nam juſtitiæ eſt, ſuum cuique tribuere. quare & diſciplina morum, & civilis facultas in officiis verſatur. juſtitia, cùm eſt animi gubernatrix, cuique animi parti ſuum officium præſcribit. juſtitia civitatis moderatrix, & ipſa cuivis reip. parti id tribuit quo quæque digna eſt. Officia porrò partim ſunt adverſus homines & ſimiles, partim adverſus præſtantiores, partim adverſus deteriores, partim etiam fortaſſis adverſus nosipſos.

Procopius Sophiſta: Boni officium facientes, exemplum propoſitum ſunt eis qui delinquere volunt. *Epiſtol. 10.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Cùm eſt omnium officiorum finis aliquis, tum optimè libertati venia obſequio præparatur. *Lib. 3. Epiſt. 4. fine.*

Idem: Noviſſimè Silius, ita ſuadentibus annis, ab urbe ſeceſſit, ſeque in Campania tenuit, ac ne adventu quidem novi Principis inde commotus eſt. Magna Cæſaris laus, ſub quo hoc liberum fuit, magna illius qui hac libertate auſus eſt uti. *Lib. 3. Epiſt. 7.*

Plinius Iunior: Non ideo tamen eximiam gloriam meruiſſe me, ut ille prædicat, credo, ſed tantùm effugiſſe flagitium. *Lib. 3. Epiſtol. 11.*

Idem: Nec tuæ naturæ eſt, translatitia hæc & quaſi publica officia à familiaribus amicis contra ipſorum commodum exigere: & ego te conſtantius amo, quam ut verear, ne aliter ac velim accipias, niſi te Kalendis ſtatim Conſulem videro: præſertim cum me neceſſitas Tuſculanorum prædiorum plures annos ordinatura detineat, &c.

Mox: Vides quam non delicata me cauſa obire primum Conſulatus tui diem non ſinat; quem tamen heic quoque, ut præſens, votis gaudio, gratulatione celebrabo. *Epiſt. 37. lib. 9.*

Symmachus: Nihil malo quàm honeſti officij diligens judicari. *Lib. 3. Epiſt. 38. f.*

Symmachus: Qui ab alio poſcit officia, ſui quoque ſtudij frequentem operam pollicetur. *Lib. 3. Epiſt. 64. f.*

Symmachus: Ostentator mei in te studij esse non debeo. Officiam quippe ex debito religionis profecta jactationem recusant. *Lib.5.Epist.64.*

Symmachus: Revera ita natura comparatum est, ut expetiti diu officij querela decedat, si potiamur optato. *Lib.4. Epist.66.m.*

Symmachus: Minus molesta sunt quæ perveniendi spem proximam pollicentur. *Lib.4. Epist. 70.f.*

Symmachus: Quid facto opus sit vestro relinquo judicio: ut sit vobis laudabilius, mihi gratius quod spontaneus affectus elegerit. *Lib.6.Epist.38.f.*

Idem: Scio plerumque non amicitiæ negligentia, sed obstrepentibus curis officia retardari. *Lib.7.Epist.117.m.*

Idem: Silentium mihi duci vitio non debet: familiarium quippe officiorum usus inter adversa negligitur. *Lib.8.Epist.72.*

Idem: Ibi summo cultu omnium plausuque susceptus, tanto honore celebrabar, ut iam gravarer officiis. Sedulitas enim quæ non compensatur, onerosa est. *Epist.6. Auct.*

Symmachus: Amicitia mutuis gaudet officiis. *Epist.11.Auct.*

¶ Poetarum.

Plautus Casinæ 1.sc.1.v.11.

—— Quin ruri es in præfectura tua?
Quin potius quod legatum est tibi negocium,
Id curas, atq; urbanis rebus te abstines?
Abi rus: abi directus tuam in proVinciam
OL. Chaline, non sum oblitus officium meum.
Præfeci rure rectè qui curet.

Plautus Casinæ 2.sc.3.v.41.

Mirum me castor te senecta ætate officium tuum
Non meminisse. ST. quei id ais? CL. quia si facias rectè
& commodè
Me sinas curare ancillas, quæ mea est curatio.

Plautus Sticho 1.sc.1. v.34.

An id doles, soror, quia Viri suum officium
Non colunt, cùm tuum facis? P. ita pol.
P. Tacesis, caVesis audiam ego istuc,
CaVe posthac ex te. P. nam quid jam?
P. Quia pol meo animo omnes sapientes
Suum officium æquum est colere & facere.
Quamobrem ego te hoc soror, tametsi es major,
Moneo, ut tuum memineris officium.
Et, si illi improbi sint, atq; aliter
Nos faciant, quàm æquum est, tamen pol,
Ne quid magis simus omnibus obnoxiæ opibus,
Nostrum officium meminisse decet.

Plautus Trinummo 3.sc.2.v.71.

Is est honor homini pudico, meminisse officium suum.

Plautus Trinummo 5.sc.2.v.4.

Si quid amicum erga benefeci, aut consului fideliter,
Non Videor meruisse laudem; culpa caruisse arbitror.
Nam beneficium, homini propriè quod datur, proprium
sumpserit:
Quod datum est utendum, id repetendi copia est, quando
Velis.

Terentius Phorm.4.sc.5.

Non sat tuum officium te fecisse, si non id fama approbat?

Martialis lib. Epigr.

Semper inhumanos habet officiosus amicos.

Ausonius Edyll. 2.ubi pater eius loquitur.

Officia in multos diVerso debita cultu,
Personis, meritis, tempore, distribui?

¶ Emblematum.

Batillus XVI. Sedulo officium colendum, nec post se respiciendum.

Vrge propositum, simul & cum lumine mentem
ObVerte officio sedulus usq; tuo.
Dum Versâ cerVice oculos reflectit arator,
Sulcos obliquant destituuntq; boVes.

Batillius LXXIX. Officia mutua.

Fune Velut ducto junctis Mineides alis
Vt sibi se præstant, auxilioq; leVant,
Sic nostris junctos & nos præstemus amicis,
Alterum & alterius mutua cura premat.

Batillius CXV. Qui serviens aliis, seipsum conterit.

Nocturnos qualis diffundens cereus ignes
Dum tibi se præstat, deperit ipse sibi;
Qui serVis aliis, sic tandem & tabida sensim
Vita tibi officijs solVitur ipsa suis.

¶ Monosticha Trochaica.

Admonitorem non requirit, sponte qui officium facit.
Alloquiis & comitate quæq; officia proVoces.
Colere & facere omnes sapientes æquum est officium suum.
Haud diuturnus est magister officij ullius timor.
Muneri suo insudantes adjutorem habent IoVem.
Non sat te tuum officium fecisse, nisi & fama adprobat?
Nulla amicitia est, ubi officia haud item sunt mutua.
Nunquàm adhuc pium prohibuit ullus officium metus.
Prospera ut jam exaruere, maximè officio est locus.
Quei tantopere quempiam laudes qui officium suum facit.
Quis libens officium obeat, quod cepit ab injuriâ?
Sæpe plus est quàm molestus qui officiosum præstitit.
Sanctius cesses quàm per scelus officio quæras locum.

¶ Jambica.

Ab alio officia poscens, præmittit sua.
Alia Viri sunt, alia officia feminæ.
Amicitia sanatur officio illico.
Amor officiosi animi, nullum inVenit modum.
Etiam feræ ipsæ officia præstita sentiunt.
Laudem haud meretur, qui suum officium facit.
Nec imperiti Deus officium respuit.
Officia delata sapienti, haud occidunt.
Officia læta obire lugentes nefas.
Officia nobis nostra quidam ultrò imputant.
Officia quæ non præstant, Votis suppleas.
Præclara res est muneri immori pio.
Sequere officijs, nescis sequi quem corpore.

Ominis.

¶ Sententiae Patrum Graecor.

D. *Chrysostomus:* Sicut infantes gestati à nutricibus manus quidem in ignem ex improViso & in lucernam audacter immittunt, virum autem sacco indutum extimescunt. Sic isti quoq; Græci, ut qui sint revera infantes; sicut etiam quidam dixit apud eos, Græci semper pueri: timent quidem quæ non sunt peccata; utpote sordes corporis, mortui funus, cubile, dierum observationes, & quæ sunt hujusmodi: quæ autem sunt verè peccata, pædicatus, adulterium, scortatio, eorum nullam habent rationem. Sed videris quidem eam à mortui contactu lavari, à mortuis autem operibus nequaquam; & pro pecuniis quidem multum ponere studium, existimare autem uno gallo totam esse compositam litem ac controversiam: mente adeò sunt obscurata. Multis terroribus plena est eorum anima. Ut puta; hic aut ille primus mihi occurrit domo exeunti, Omninò contingere oportet mala innumerabilia. Nunc servus execrandus dans mihi calceos, primùm porrexit partem sinistram: graves significantur calamitates, probra & contumeliæ. Ego ipse exiens sinistro priori processi pede: hoc quoque est signum calamitatum. Et hæc quidem domi sunt mala. Foras autem egresso dexter mihi oculus infernè salit: hoc est indicium lacrymarum. Porrò autem mulieres quoque quando sonant calami ad texturæ rectum lignum allisi, tunc cùm ipsæ pectine discriminant, hoc pro signo habent. Rursus quando subtemen pectine concutiunt, & id faciunt vehementiùs. Deinde qui sunt supernè calami ob intensum ictum edunt strepitum, allisi ad rectum texturæ lignum, hoc habent pro signo, & alia innumerabilia, digna quæ rideantur. Et si asinus exclamaverit, & si gallus, & si quis sternutavit, & quodvis aliud, tanquam decies mille vincti vinculis, ut dixi, tanquam qui teneantur in tenebris, omnia habent suspecta, & sunt magis serviles, quàm innumerabilia mancipia. *Homil.12.ad Ephesios.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Lucianus: Ne dederis utique & mihi per Adonidem, comparare hominem perditum, omnique malitiæ assuetum diei atro, & inauspicato. Nos etiam auspicato die claudos aversamur, maximè si mane videamus ipsos. Si quis etiam spadonem, aut eunuchum aspexerit, aut simiam, simul atque domo egreditur, converso pede regreditur, ominans sibi haudquaquam prosperas fore diei illius res & actiones, præ mala hac prima, & infausta ominatione. In principio autem, & in foribus, & in primo egressu, & mane per omnem annum: si quis viderit cinædum, & nefaria facientem ac patientem, notum ob hæc, & enervatum, & tantum non eorum quæ agit nomen ferentem, deceptorem, præstigiatorem, periurum, pestem, catastam, barathrum, num fugiat, neque hunc cum atra die compares? An verò tu non es talis? Haudquaquam negabis, si tuam fortitudinem novi, qui certè & animum ob hæc attollere mihi videris, videlicet quòd tibi gloria ista rerum tuarum non prorsum perit: sed omnibus es notus, & passim celebris. Quòd si contendas, & inficieris talem te esse, quibusnam hæc credibilia dices? an civibus tuis? *E.Pseudologista.*

¶ Romanorum.

De dissolVendo metu, quo milites ex adVersis ominibus conciderunt.

Frontinus: Scipio ex Italia in Aphricam transportando exercitum, cùm egrediens navem prolapsus esset, & ob hoc attonitos milites cerneret, id quod trepidationem afferebat, constantia & magnitu-

gnitudine animi, in hortationem convertit: Et ludite (inquit) milites, Aphricam oppressi.

C. Cæsar cùm fortè conscendens navem lapsus esset, Teneo te terra mater, (inquit) qua interpretatione effecit, ut repetiturus illas, à quibus proficiscebatur, terras videretur.

T. Sempronius Gracchus, Cos. acie adversus Picentes directa, cùm subitus terræmotus utrasque confudisset, exhortatione confirmavit suos, & impulit, ut consternatum superstitione hostem invaderent, adhortatusque devicit.

Sertorius, cùm equitum scuta extrinsecus, equorumque pectora cruenta subito prodigio apparuissent, victoriam portendi interpretatus est, quoniam illæ partes solerent hostili cruore respergi.

Epaminundas Thebanus, contristatis militibus, quod ex hasta eius ornamentum infulæ more dependens, ventus ablatum in sepulchrum Lacedæmonij cuiusdam depulerat: Nolite (inquit) milites trepidare, Lacedæmoniis significatur interitus. Sepulchra enim funeribus ornantur.

Idem cùm fax de cœlo nocte delapsa, eos qui adverterunt, terruisset: Lumen (inquit) hoc numina ostendunt.

Idem instante adversus Lacedæmonios pugna, cùm sedile, in quo resederat, succubuisset, & id vulgò pro tristi significatione confusi milites interpretarentur: Immo (inquit) vetamur sedere.

Lucius Sulpitius Gallus defectum Lunæ imminentem, ne pro ostento exciperent milites, prædixit futurum, additis rationibus causisque defectionis.

Agathocles Syracusanus adversus Pœnos simili eiusdem sideris diminutione, qua sub diem pugnæ, ut prodigio milites sui consternati erant, ratione qua id accideret exposita, docuit quicquid illud foret, ad rerum naturam, non ad ipsorum propositum pertinere.

Pericles, cùm in castra eius fulmen decidisset, terruissetque milites, advocata concione, lapidibus in conspectu omnium collisis, ignem excussis, sedavitque turbationem, cùm docuisset similiter nubium attritu excuti fulmen.

Timotheus Atheniensis, classe dimicaturus adversus Corcyreos, gubernatori suo, qui proficiscenti iam classi signum receptui cœperat dare, quia ex remigibus quendam sternutantem audierat: Miraris (inquit) ex tot millibus unum perfrixisse.

Chabrias Atheniensis classe dimicaturus, excusso ante navem ipsius fulmine, exterritis per tale prodigium militibus: Nunc (inquit) potissimum ineunda pugna est, cùm Deorum maximus Iupiter adesse numen suum classi nostræ ostendit. *Lib. 1. Stratagematum cap. 12.*

¶ Emblematis.

Camerarius LXXVII. Centur. 34.

Sortem ne despice fati. Bubo.

Non temere, quicunque sapit, læva omina spernit;
Cum ferat & spretum sæpius exitium.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absonos canum latratus ominis scias mali.
Aeris quamvis sereno nigra hyems prædicitur.
Ansa rebus est novandis crebra vaticinatio.
Corvus a dextrâ, a sinistrâ rem ratam cornix facit.
Curam homini maiore cura tantum hariolus aggravat.
Galli cantus vespertinus ominis minus boni est.
Nulla fit mutatio in pejus absque Numinum notis.
Omen omne prosperum illi est pugna cui pro patria.
Plus aruspex ex alieno jecore sapit quam ex suo.
Vir bonus, quamquam otiosus, ales ominis boni est.

¶ Jambica.

Exercitum læto omine totum erigas.
Exercitum tristi omine omnem exterreas.
Interpretando omen malum reddas bonum.
Mali ominis quandoque sternutatio est.

Oneris.

¶ Sententiae Patrum.

ENnodius: Estote unanimes: onus meum mecum dividite. fit enim ad portandum facilis sarcina, quàm multorum colla sustentant. *Vita Epiph cap. 14. m.*

Ennodius: Titubat sub gravi fasce portitor immaturus. *Vita Epiph. cap. 17. f.*

¶ Poetarum.

Plautus Pœnulo. 4. sc. 2. v. 29.

—— Syncerastum qui vocat?
M. Tuus amicus. S. haud amicè facis, qui cum onere offeras moram.

¶ Apologi.

Æsopi Boves & Axes. Boves currum trahebant, Axes verò striduli. ad eos conversi isti inquiunt; integrum onus dum ferimus, quid clamatis?

ONERUM LEVATIONIS.

¶ Apophthegm. Sacri.

Nehemias. Expostulantem populum, servitutis, æris alieni, & bonorum oppignerationis, Nehemias onere liberari curat: & ipse exemplo suo præiens de suo remittit, populum publicis oneribus sublevans, & sua cum ipsis communicans. In quo boni Principis facies depingitur. Ejus autem dicta observatu dignissima, præcipuè à viris principibus & principum consiliariis, hæc sunt. Cùm apud se consilium iniisset, contendit cum clarissimis & antistitibus, dixitque eis, *Omnis unusquisque impositum alteri vos exigitis.* Deinde edixit illorum causa congregationem magnam, ubi dixit eis, *Nos comparamus* (id est, tenemur comparare ex lege Levitic. 25. 47. &c.) *fratres nostros Iudæos, qui venditi sunt gentibus, prout est in nobis: & etiam vos venderetis fratres vestros, aut venderentur nobis?* Illis autem silentibus, nec quod responderent invenientibus, dixit, *Non est bona hæc res quam facitis: an non in timore Dei nostri ambulaturi estis, potius quam in probro istarum gentium, inimicarum nobis? At etiam ego, cognati mei, & pueri mei exacturi essemus ab eis pecuniam aut frumentum: emittamus quæso, onus istud. Restituite, quæso, eis hoc ipso die, agros eorum, vineas eorum, olivetaeorum, ac domos eorum: præterea centesimam pecuniæ, aut frumenti, mustique aut olei, quam exacturi essetis ab eis.* Quum illi verò dixissent, Restituimus, & ab eis non repetemus, &c. convocavit sacerdotes, per quos adjuravit primarios illos ut promissis starent, & excusso pallio, brachioque porrecto dixit, *Sic excutiat Deus omnem virum qui non præstiterit verbum hoc, à domo eius & a labore ejus: & ita sit excussus.* dixeruntque tota congregatio, Amen, laudantes Iehovam: fecitque populus secundum verbum istud. *Nehem. cap. 5.*

¶ Monosticha Trochaica.

Aptiora oneri jumenta sunt equi quàm nobiles.
Esse debet in latore plus quàm in onere virium.
Multa colla quam sustentant facilè fertur sarcina.
Nemo se metitur: hic fert quam potest plus, ille minus.
Pervenire ad alta non est grandi onustos pondere.
Plurium scabiosa asinorum fert Camelus pondera.
Quæ fortuna homini ipsa imponit perferenda fortiter.
Qualibet gravis tenella pars jugi est cervicula.
Quidquid usum excedit, pondus bajulantibus grave est.
Quod fers cum voluptate atque gaudio, non est onus.
Sarcinæ premant jumenta: nobiles vacent equi.
Verticem rectum teneto rectè onus ut perferas.
Viribus non existimatis sarcinam ferens ruit.
Viribus pondus nisi aptas; limine ipso concidis.
Vt queas perferre pondus grande, tende verticem.

¶ Jambica.

Aptato onus subeunti, onus ne detrahas.
Equo senenti onus minutum convenit.
Imponito nulli, ipse ferre quod nequis.
Insueto onus grave est licet parvissimum.
Magnanimus omni rectus stat sub pondere.
Majora quæ ferente sunt onera opprimunt.
Minus gravat quod dexterè portas onus.
Non ante suetis quodlibet grave est onus.
Non est onus quod quisque fert cum gaudio.
Onus libenter quisque quod fert, non gravat.
Onus regendi cuncta, maximum est onus.
Onus sine onere est quod subis cum gaudio.
Quid ferre possis, quidve non, dignoscito.
Quidvis feras, præter fortunam prosperam.
Quod ferre non potes subire noli onus.
Quidvis potius feramus sortem quam bonam.
Rectè suum fert pondus, qui ante examinat.
Scitè ferentes gravia non multum premunt.

Opum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Ne ex aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus) absit ut tam longè à divina æquitate recedamus) nec divitias nostras cum aliorum lacrimis misceamus, à quibus tanquam à rubigine consumentur. Quod si ad rem avidiores sumus quam par sit, nihil prohibet quo minus laudabili avaritia teneamur. paullum quiddam heic demus, ut divites ac copiosi simus in cœlo. *Oratione nona.*

D. Io. Chrysostomus: Sicut in parvis pueris, quando puer quidem desiderat ludicra puerilia, propere admodum ea occultamus, utpote globum, & cætera huiusmodi, ne impediatur à necessariis. Quando autem ea despexerit, & non amplius ea desiderat, ipsum eis securè impertimur, ut qui sciamus inde nullam deinceps ei esse noxiam, quum illud desiderium non amplius possit eum abducere à necessariis. Ita Deus quoque quum viderit non amplius cupere quæ hic sunt,

ſunt, de cætero ſinit nos eis uti: ea enim habemus tanquam liberi & viri, non tanquam pueri. *Homil. 15. Epiſt. ad Hebræos.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quæ & rarò atque ægrè comparantur, ut ingentis pretii, & cum difficultate conſervantur, ut inſidiis obnoxia, & eundem, quem vilia, exiguique pretii, uſum habent; hęc non modò à Chriſtianorum opibus & poſſeſſione, verùm etiam ab oculis atque affectu remota eſſe convenit: ut quæ & conferendis in pauperes beneficiis labem afferant, & iis, à quibus poſſidentur, ſalutem invideant. *Lib. 1. Epiſt. 455.*

❡ Latinorum.

Io. Sariberienſis: Rerum copia nunc avaritiam incendit, nunc in exitium & exterminium ſui luxuriam inſtruit. huius ingenioſa gula eſt: hæc ad prędam ſtrepitumque lucri ſuffragia vertit, ut ſit venalis populus, venalis curia patrum. hæc vires ſolvit, & utrunq; ſexum frangit in venerem, legisque ac naturæ imperio reluctatur: hanc abrogat, extinguit, ſepelit. hanc infatuat, enervat, ſubvertit. lex ergo ipſi non eſt, & ei natura ferè otioſa & ebria eſt. *Libr. 8 Policratici cap. 15.*

❡ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. Græcorum.

Apollonius Euphrati. Quamprimum ad Ægas perveneris, & ibi navem evacuaris redeundum tibi quamprimum erit in Italiam, & ſimiliter adulari oportebat ægrotantibus, ſenibus, anibus, pupillis, divitibus, ſuperbis, Midis, Getis. Omnis enim rudens ut aiunt mercatori quatiendus eſt. Mihi verò in domo Themidis ſalinum terere detur. *Epiſt. 7.*

Libanius: Tametſi multos offendam pecuniæ amantes, de opibus vera dicens, nihil quicquam veritati anteponam. Aio ergo opes ab iis amari qui male animis affecti ſunt, malaque mente præditi: atque adeò maximum eſſe poſſidentibus malum. Ac primum quidē hinc facile quis opum vim naturamque noverit. Opulentia non eſt apud deos, neque argentum neque aurum, nec vaſa nec veſtes: nec ullus locupletior eſt alio. Atqui ſi præclarum quiddam eſſet, neceſſario apud illos foret: veluti alia quæ natura pulchra ſunt, ut juſtitia & cōcordia & amicitia. Enimverò ne celeberrimos quidem deorum liberos, inveniremus pecuniis ſtudentes, ut Herculem & Theſeum & Pirithoum & pleroſq; alios: ac licet maxime præſtent aliis ac facillime poſſint, ſi quidem velint, aliorum bona tenere: Noluerunt tamen ex eo quod multa poſſiderent nomen habere ſuum.

Equidem avidiam avaritiamve opulentiæ matrem eſſe cenſuerim: & non æqualitatem in æqualitatem amare, opulentia bella dedit: ipſa prædationes fecit. Etenim quæ vicinorum ſunt habere velle, pecuniæ cupidos ad arma compulit: & prælia oſtendit & acies & fugas & machinas fabricasq; & urbium everſiones. ac ne mare quidem pecuniæ avidus purum liberumque malis eſſe ſinit: quin navigia prædatoria cōpegit, & facinoroſos piratas in ea induxit, & vulnera & terrores in æquor invexit. tyrannus ab opulentia conſtituitur: ut qui ampliores divitias paret, appetit principatum. at rerum compos factus, inopes quidem ſinit: opulentos vero jugulat: itaque penuria ſaluti illis eſt, his copia pernicies. Jam verò murorum effoſſores locupletum circumſpectant muros, atque ad eos accedunt cum molibus, quibus multa capere queant. quòd ſi ſuccurrere his velint injuria affecti, cum pecuniis vitæ quoque jacturam faciunt, ut reapſe diſcant, multo melius fuiſſe pauperiem pati.

Præterea quisquis eſt locuples invidiæ inſidiisque obnoxius eſt: ac ſi quando ullo crimine urgeatur, & in periculum vocetur, pleroſque ſibi incumbentes infeſtosque habet: qui fortaſſe quidē nihil quod criminentur habent: pungit vero mordetque illos quod major apud illum ſit affluentia. opulentos etiam mortuos miſeriæ ſequuntur: nam cum pro dignitate & fortuna ſepulti fuerint, multos habent qui tumulum intactum manere non ſinunt, ut neceſſe ſit corpus jactari, & ſecunda opus fuerit ſepultura. liberi vero ampliſſimarum facultatum hæredes, multos habent exagitantes & vellicantes, ac percupidos aliquid ab ipſis corradendi: dum formidant, niſi quid conceſſerint; & anſam dant alterius rapinæ iis etiam qui acceperint. Ergo divites trahi, turbari, vexari, atque à ſtudiis abduci præ multitudine malorum prementium. Atque ab hujusmodi caſibus opulentia ad ea quæ in humanis periculis maxima ſunt occaſionem aucupatur. Ita contaminantur conjugia largitione pecuniarum: Ita perit juvenile decus, propoſita mercede. Hinc proditiones oriuntur. & modò ductor exercitum vendidit: modo Legatus; uterque lucri cupidus.

At Deorum contemptores, & qui ſacra deprædantur, monimenta mortuorum movent, & ſepulchra perfodiunt: undenam ad tanta flagitia audenda concitantur? ab inſano opum ſtudio. Expende mihi audaces, petulantes, laſcivos, & quotquot obvios quosque deſpuunt. Hos quippe è locupletibus prodire invenies, non ex iis qui mediocre vitæ genus colunt. Divitiæ non ſinunt temperantiam exercere: ſed ad amandum impellunt. Dives eruditionem negligit, quaſi ſufficerent ipſi pecuniæ. ac vicinum lædit, dum affluere vult facultatibus. ſi quidem modum nullum acervi opum novit. Hinc timiditas ipſis contubernalis eſt. Nam adulari ſemper, luxuriæ, deliciis, ebrietati deditum eſſe, atque in jucundis recitationibus degere, non permittit inſignium periculorum avidum eſſe. Quod ſi ſanum jucundiſſimum eſt: opulenti certe gemunt ſub morborum pondere. etenim comedere affatim, abdomini inſervire, nec ullis corpus exercere laboribus, omne morborū genus attrahit. Ad hæc in præliis ordines deſerunt, fugam arripiunt, ac ne clypeorum quidem ſtrepitum ſuſtinent. Ilium auro onuſtum à Græcis minus opulentis expugnatum eſt. Xerxes Aſiæ dominator, qui terram in mare, & æquor in terram mutabat, parva virorum manu expulſus eſt. Athenienſes tunc admodum infelicem rerum exitum habuiſſe comperias, cùm plurima poſſederunt. Conſtat etiam Lacedæmonios qui lege patriæ penuria laborabant: principatum tamen Græciæ tenebant; Pythij Apolliniis oraculo monitos fuiſſe, ut caverent ſibi ab Avaritia tanquam exitium allatura. Inſania profectò dirum malum eſt: ſed animi crimen non eſt. errantem enim fortuna crimine liberat. At opulentia ipſam depravat mentem, ac vitioſum reddit poſſeſſorem. Et furoris quidem nemo pœnam unquam dedit. Verum ob divitiarum iniquitatem multos ſupplicia luiſſe videmus. *Opum vituperio.*

Libanius. Cùm audiviſſem opulentiam eſſe ſponſam, nihil aliud ſcire mihi opus fuit: noveram quippe opulentiam omnia in ſe præclara comprehendere. itaque ſtatim ad eam ducendam in uxorem paratus fui. In talentis autem accipiendis mirum quantum gaudij perceperim! aderat tamen etiam aliquid triſtitiæ, ob impenſam. *Declamatione ſeptima & trigeſima.*

Libanius: Etenim cùm divitiæ alioqui præclaræ ſint, multam quoque poſſeſſoribus ſuis felicitatem largiuntur. finge enim duos eſſe quosdam belli duces, aut oratores, pares inter ſe, quorum alter valde pauper, alter locuples ſit: quo cum præclarius ageretur? & cuinam plures teſtificari volunt? quonam vero omnes accurrunt? quē item dicentem potius laudant? quocum jus videtur ſtare? opulentus certè, ſæpe in lite iniqua ſuperior fuit. Abiit verò mulctatus inops, ac, ſi fors ita tulerit, condemnatus. Quamobrem cùm tam præclara hominibus commoda ex divitiis oriantur: ego cum pecuniis etiam libertatem ac fiduciam perdidi. *Declam. 39.*

❡ Poetarum.

D. Nazianzenus ſub finem Carm. 49. ad Nicobulum patrem.

Quæ tibi dic quæſo genitor perſancte voluptas.
Hæc erit humana ſub imagine ſi tibi turpis
Simia ſit, collo innexum quæ funibus aurum
Geſtet? non enim ſpecies ridenda leviſq;
Mutatur, fulvo licet hanc decoraveris auro.
Quid prodeſt aſinis auri geſtare talenta?
Auri namq; etiam nummis oneratur aſellus;
More rudit tamen ipſe ſuo. quid juverit enſes
Ex plumbo factos vagina condere pulchra,
Ex quibus utilitas in bellis nulla redundat?
Talis enim eſt, quisquis verarum cum ſit inanis
Prorſus opum, externis tantum fluxisq; ſuperbit.

❡ Emblematum.

Camerarius LXXXV. Centuria I.

Divitiæ haud aliter.

Vt volucres dementat Hyoſcyami gravis herba,
Sic inſana ſtupent pectora divitiis.

Carſius Emblemate Ethico XXIV.

Fortunam citius reperias quam retineas.

Tegminibus patulis jacet ingens littore concha:
Dum petit hanc, roſtrum preſſa tenetur avis.
Capta quidem premitur volucris, ſed capta repugnat,
Et ſalit, & pennis oſtrea dura quatit.
Concha diu luctata, nequit retinere volucrem:
Dumq; fugit, clamat, præda moleſta vale.
Parta per incertos numeroſa pecunia caſus,
Aut perit, aut onus eſt, ars niſi ſervet opes.

❡ Monosticha Trochaica.

Ad magnas opes procedes per flagitia maxima.
Ad malos fors atq; indignos usq; opes confert ſuas.
Ad probitatem haud pravitatem opibus miniſtris utitor.
Ah opum vis, ah cupido gloriæ, quid non patras?
Artibus malis opes facile aſſequi eſt, non bonis.
Artibus vix eſt parare maximas opes bonis.
Aſſecla eſt opum alma virtus, aſſecla alma Gloria eſt.
Cacæ opes non ſunt ſequuntur ſi ducem prudentiam.
Cacæ opes ſunt, excæcantq; maximè ipſos quos beant.
Caſus huc fert caſus illuc fert levis magnas opes.
Dilatare opes anguſtas fas libris & liberis.
Dulce virtutum eſt opumq; ubiq; contubernium.
Eſt echinus numus, haud ſic contines bene ut capis.
Evomas opes neceſſe eſt, non bono portas modo.
Excolunt opes diſerti linguâ mercenariâ.
Fontis inſtar opes augeſcunt quam mage inde ſumitur.
Heu quam multis cauſa mortis ſunt opes mortalibus!
Heu quot hinc & inde vinclis nos opes circumligant!
Heu, quot nos opes malorum exponunt tempeſtatibus!
Inferunt opes ſupremum poſſidentibus malum.
Magnæ opes cuſtodiuntur maximis periculis.
Maximæ nec urbibus nec civibus proſunt opes.
Illicò virtus emigrat inde, ubi immigrant opes.
Mentis admodum eſt puſillæ ferre opes qui non poteſt.
Nemo opes exoſculatur quam cui cor eſt nigrum.
Nemo opes ſuas ſine certo publicet periculo.

Nil juvant opes sacra absque purpura prudentia.
Non ita ullum lucet astrum ut juncta Opes Virtutibus.
Non opes reddunt beatum quem sed innocentia.
Non opes modò spinosa: spina, spina sunt mera.
Non viaticum malorum, subsidium sunt vita opes.
Nulli opes exosculantur quàm mali, aut orti malis.
O opes, utinam pariter terrâ arceamini ac mari!
Ob voluptatem obque luxum, multa opus pecuniâ.
Occulas opes domi, atq; corde aperto obambula.
Optimè vis custodire opes? amicis des tuis.
Plus opum caussa delinquunt divites quam pauperes.
Possidentibus se summa sunt opes molestia.
Promptius invenias qui carpat quam qui opes fastidiat.
Quæ Proserpinæ parens, est & parens Opulentiæ.
Quanam opes sunt quas à tergo non sequatur inopia?
Quæritur quidem jam virtus, sed repertas post opes.
Quanto opes quæris labore, quanto habes periculo!
Quei bona esse Opes queant, obnoxia usq; pessimis!
Quid stupes opes? sunt pompa; transire dum placent.
Quisnam opes amet alienis deferendas, non suis?
Quos Deus cupit punire, iis affatim objicit opes.
Rege sub licentioso causa cadis sunt opes.
Seculis priscis armenta sola habebantur opes.
Solum ad hoc opes habentur, gaudia ut dent alteri.
Sunt opes perinde ut animus eius est qui possidet.
Tam malum est opes habere, non habere quàm malum est.
Tādem opes aliquē ad gradum ultimum evehūt tyrannidis.
Temporibus bonis infirma semper est opulentia.
Vis opum ambitusq; prox, fas omne vertit ac nefas.

§ JAMBICA.

Auctoramenta servitutis sunt opes.
Carpas opes facilius quàm fastidias.
Carere opibus tormentum, cùm jam senseris.
Causa omnis inter mortaleis opes mali.
Cui sunt opes ei mille sunt incommoda.
Cui sunt opes, illi orbis adsunt omnia.
Dicunt opes multi spernendas, & habent.
Et cæca opes, & cæca sors quæ has objicit.
Etiam hoc malum est opum, creant amentiam.
Etiam quotidie qui incusant, cupiunt opes.
Facile est homini despicere opes, opes cùm habet.
Flagitia cuncta alumni semper sunt opum.
Formicæ opes abscondant; Reges publicent.
Fructus opum, uti iis ad salutem plurium.
Ibi est opum cupido, ubi usus est opum.
In maximis opibus jactura maxima est.
Incerta valde opum omnis est possessio.
Infirma opes mortalibus sunt anchora.
Is maximè opibus fruitur qui minimè indiget.
Magnas opes labore parvo compares.
Magnas opes magnus sæpe animus anteit.
Multis opes obveniunt dormientibus.
Nil non habet præclari in sese opulentia.
Nil sunt opes ferè quàm onus mentis bona.
Non respuit sapiens opes, sed continet.
Nullus leone alio leo est opulentior.
Opes amicos ingerunt mortalibus.
Opes avaro pœnæ sunt, non sunt opes.
Opes avaro sunt pro peste & pro cruce.
Opes bonum generis humani maximum.
Opes creant invidiam; opes vitæ nocent.
Opes ferè omnis sunt operculum mali.
Opes homini plus dant quam pauperies mali.
Opes in animo pone, haud in patrimonio.
Opes iniquè nemo justus colligit.
Opes invisæ meritò sunt forti viro.
Opes malis contingunt sæpius quàm bonis.
Opes mali facilius quam boni obtinent.
Opes malis frequentius sunt quàm bonis.
Opes malis usq; adfluunt, rarò bonis.
Opes oculatas efficit prudentia.
Opes onus profectò mentis sunt bona.
Opes, opes, scelerum omnium nutriculæ.
Opes profectò neminem in cœlum evehunt.
Opes quibus nulla sunt, invident bonis.
Opes sapientis sunt, insipiens est opum.
Opes senectæ subsidium seræ optimum.
Opes sapienti serviunt, stulto imperant.
Opes suas prodit qui ostentat hostibus.
Opes suas qui publicat, fures vocat.
Opes suas urget præceps licentia.
Opes ubi sunt, nulla ibi est securitas.
Opum appetitus sapientiæ est exclusio.
Opum cupido factionum nutricula est.
Opum facit latrones indigentia.
Opum, voluptas atq; luxus adseclæ.
Opibus homini bene uti difficillimum.
Parvas opes magno labore compares.
Parvas opes tardè pares, magnas citò.
Parum adde sæpè parvo, opes magnas strues.
Paucos opes faciunt bonos, plures malos.
Persæpe opes non adjuvant, sed opprimunt.
Plures opum condi, promi paucissimi.
Quæras opes florentum diffisus tuis.
Quærendæ opes quidem, modò verùm bono.
Quicunq; opes contempsit est dignus Deo.
Quid sunt opes nisi fomites ignaviæ?
Quovis die dominos opes mutant suos.
Stulto imperant opes; sapienti serviunt.
Summas opes, summam virtutem existimes.
Sunt verè opes, quæ serviunt virtutibus.
Totius orbis vota nil spectant quàm opes.
Vbi est opum vis esse ibi virtus nequit.
Vbi sunt opes, ibi est & immodestia.
Veniunt opes abeuntq;, tanquam æstus maris.
Virtus opum certè perennis adsecla est.
Virtuti opes minus quàm Vitio serviunt.
Vita malo reperta humana sunt opes.
Vitam ad tuendam, non regendam, opes data.

Opinionis.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECOR.

C*Lemens Alexandrinus*: Omnis, ut videtur, hæresis ab initio habet aures quę non audiunt id quod est utile, sed solùm patent iis quæ dicuntur ad voluptatem. Nam curatus utique esset eorum aliquis, si tantùm voluisset parêre veritati. Est autem triplex ratio curandæ opinionis, sicut etiam cujusvis affectionis: causæ cognitio, & quomodo ea possit auferri, & tertium, animæ exercitatio, & assuefactio ut possit sequi ea quæ rectè judicata fuerint. Quemadmodum enim oculus turbatus, ita etiam anima conturbata iis dogmatibus quæ sunt præter naturam, non potest veritatis lucem perfectè videre. Quinetiam ea quæ sunt ante pedes ægrè intuetur. Dicunt itaque anguillas quoque excæcatas capi in aqua turbida. Et sicut improbi pueri excludunt Pædagogum, ita etiam hi arcent Prophetias à sua Ecclesia, suspectas eas habentes propter reprehensionem & admonitionem. Quia quàm plurima consarciunt mendacia & figmenta, ut jure videantur non admittere scripturas. Hac ergo ratione non sunt pij, ut qui divinis præceptis non acquiescant, hoc est, sancto spiritui. Quemadmodum amygdalæ dicuntur inanes, non in quibus nihil inest, sed in quibus id quod inest est inutile: ita etiam hæreticos dicimus qui sunt inanes Dei consiliorum & Christi traditionum, qui non aliter amari sunt ac agrestis amygdala, & sunt principes authoresque dogmatum, nisi si quæ propter veri evidentiam deponere & occultare non potuerūt.

Quemadmodum ergo in bello non est ordo deserendus quem dedit imperator militi: ita nec deserendus est ordo quem dedit nobis Verbum, quem accepimus principem ac Ducem cognitionis & vitæ. Vulgus autem ne hoc quidem examinavit, an sit sequendus aliquis, & quisnam hic, & quemadmodum. Quale enim est Verbum, talem quoque vitam esse convenit fideli, ut possit sequi Deum qui ab initio omnia recta via dirigit. Postquā autem transgressus fuerit Verbum quispiam, & per id, Deum, si imbecillior fuit, propterea quòd aliqua repentina se obtulerit visio, efficiendum est ut sint prompta visa quæ sunt ex ratione. Sin autem more qui prius invaluit, victus fuerit, ut ait scriptura, is qui est ex vulgo, curandum est ut mos conquiescat in eo quod est perfectum, & omni ex parte absolutum, & ut contrà eum dicat, exercenda est anima. Si autem pugnantia quoque aliqua dogmata videtur attrahere, ea sunt subducenda, & eundum est ad eos qui quieta dogmata efficiunt, & divinis scripturis eos incantant qui sunt rudes & imperiti, & strepitum pertimescunt, per testamentorum consequentiam eis veritatem explanantes. Sed, ut videtur, magis declinamus ad ea quæ sunt opinabilia, etiamsi sint contraria, quàm ad veritatem: est enim austera gravisque ac severa.

Atque cùm sint quidem tres animæ affectiones, ignoratio, opinio, scientia: qui in ignoratione quidem versantur, sunt gentes: qui autem in scientia, vera Ecclesia: qui verò in opinione, ij qui sectantur hæreses. Nihilo ergo apertiùs videmus affirmantes eos qui sciunt de iis quæ sciunt, quam hos de iis quæ opinantur, quod attinet ad affirmandum absque demonstratione. Se itaque invicem despiciunt & irrident, fitque ut eadem intelligentia ab aliis quidem in maximo honore habeatur, ab aliis autem damnetur amentiæ. Atqui didicimus aliud quidem esse voluptatem, quæ est attribuenda gentibus: aliud autem contentionem quæ in hæresibus præponitur: aliud gaudium, quod, ut proprium, est ecclesiæ assignandum: aliud autem, lætitiam, quæ danda est ei qui est ex veritate præditus cognitione. Quemadmodum autem si quis Ischomacho se dederit instituendum, eum faciet agricolam: & si Lampidi, nautam: & Charidemo, imperatorem: & Simoni, equitandi gnarum: & Perdici, cauponem: & Crobylo, opsoniorum conditorem: & Archelao, saltatorem: & Homero, Poetam: & Pyrrhoni, contentiosum: & Demostheni, oratorem: & Chrysippo, dialecticum: & Aristoteli, physicum: & Platoni, philosophum: ita qui paret Domino, &

no, & per eum datam sequitur Prophetiam, efficitur ad magistri imaginem Deus qui in carne versatur.

Hanc ergo altitudinem minimè assequuntur, qui non sequuntur Deum eos ducentem: ducit autem per scripturas divinitùs inspiratas. Et cum sint innumerabilia quæ fiunt ab hominibus, sunt utique duo cuiusvis peccati principia, ignoratio & imbecillitas: est autem utrumque in nostra potestate, cùm nec velimus discere, nec cupiditatem continere. Ex his autem, unum quidem est per quod non rectè judicant, alterùm verò, per quod non possunt exequi quæ rectè sunt judicata. Neq; enim si quis fuerit deceptus in sententiâ, rectè agere poterit, etiam si sit satis potens ut agat ea quæ fuerint cognita: neque qui potest id quod oportet judicare, se ab omni reprehensione alienum præbebit, si ad res gerendas sit impotens. Cõsequenter ergo duæ quoq; genere disciplinæ traduntur utriq; peccato utiles: illi quidem, cognitio, & ex scripturarum testimonio evidens demonstratio: huic verò, quæ est ex Verbo exercitatio, quæ à fide & timore tanquam Pædagogis docetur. Crescunt autem ambo in perfectam charitatem. Eius enim qui est præditus cognitione, est hîc quidem, ut arbitror, duplex finis: in aliquibus quidem, contemplatio ex scientia: in aliis verò, actio. Ac fieri quidem potuerit, ut hi hęretici si quæ in his traduntur commentariis didicerint, corrigantur, & convertantur ad Deum omnipotentem: sin autem tanquam surdi serpentes (quod novè quidem dicitur, est autem antiquissimum) non exaudiant canticum, à Deo certè castigentur, paternas admonitiones quæ ante judicium fiunt patienter sustinentes, donec pudore affecti ducantur pœnitentia: non autem per immanem inobedientiam seipsos iniciant in perfectum judicium. Fiunt enim singulares quoque quædam disciplinæ, quas vocant castigationes, in quas multi ex nostris qui in delicto fuerunt, ex populo Dominico dilabentes incidunt. Verum sicut à magistro vel patre pueri, ita nos castigamur à providentia. Deus autem non punit (est enim punitio, mali redditio) castigat autem & communiter & privatim ad utilitatem eorum qui puniuntur. *Libro stromatum 7.*

Divus Nazianzenus: Quò fervidiore fide præditi sunt auditores, eò etiam acrius orationi adversantur concionantis, ac veritatis proditionem, non autem pietatem, obedientiam esse interpretantes, prius omnia projecerint, quam opiniones quas domo secum afferunt, & dogmatum, quibus innutriti sunt, consuetudinem. Atq; hic affectus moderatiorum hominum est, nec prorsus malorum, qui etiamsi à veritate aberrent, tamen quia ob religionis studium, & quod zelum quidem habeant, sed non secundum scientiam, hoc patiuntur, ex eorum fortasse numero erunt, qui non tam graviter condemnabuntur, ut ij, qui ob improbitatem & pravitatẽ à Domini voluntate excidêre. Atque hi quoq; forsan de sententia quandoq; deduci, & ab eadem illa religione, ob quã prius repugnabant, immutari queant, si quis sermo eos attingat, qui aut internè aut externè, ut ferrum silicem, sic gravidam mentem ac luce dignã opportunè feriat; in qua etiam celerrimè fortasse, ex parva scintilla veritatis flamma exsplendescat. *Orat. 1. de fuga in Pontum.*

Idem: Atqui plerisque secus videtur, inquies. Quid vero mea interest, qui rei veritatem magis curo, immò solùm curo? hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit: hoc miserum vel beatũ reddiderit. At, quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videtur, ais. Quid verò? an iis, qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur? an ebriis sobrij integra mente esse, ac non potius in caput incedere, ac sursum deorsumque moveri? An non quibusdam interdum hominibus mel amarum est, nempe morbo laborantibus, maleque affectis? At non propterea res ita se habent, ut, qui hoc statu sunt, arbitrantur. Quocirca fac prius fidem sanos eos esse, qui de nobis ita sentiunt: ac tum nos admone, ut meliorem mentem induamus: aut condemna, nisi consilio tuo pareamus, sed in eadem sententia perstemus. Non ita multis videor, at Deo ita: immò non videor, sed perspicuus atq; manifestus sum ei, qui omnia, priusquam oriantur, novit, qui corda nostra sigillatim fingit, qui in omnia opera nostra, omnes motus & cogitationes cum quibus res à nobis gerũtur, intelligit, quem nihil eorum, quæ sunt, latet, aut latere potest, qui aliter res nostras intuetur, atque mortales solent (Homo enim videt in faciem: Deus autem intuetur cor. *Orat. 27.*

D. Chrysostomus: Plerisq; omnibus, quod est in proverbio, quæ deteriora sunt arrident; & ea illis repudiatis melioribus malunt. id quod videre est tum in cibi genere, tum in vitę instituto, atq; æmulatione, tum in voluptatis fruitione, tum in mulieribus, tum in domibus, tum in mancipiis, tum in agris, tum aliis item in omnibus. tametsi enim quæ secundum naturam fiunt iis sunt suaviora quæ adversante natura; tamen pleriq; existunt, qui quæ execranda sunt, atque insuavia, quæq; supplicio non carent, ea ut suavia persequantur. *Homil. 9. ad Romanos.*

Chrysostomus: Quando scortamur, homines magis timemus quã Deum. Quoniam ergo sic nos eis subjecimus, & ipsos dominos nostros fecimus: multa his dominis videntur esse bona quæ non sunt, & alia videntur esse mala quę non sunt mala; & illa rursus fugimus similiter. Vt vivere in paupertate multis videtur esse turpe: & fugimus paupertatem, nõ quoniam res est turpis, nec quoniam hoc nobis sit persuasum; sed quoniam dominis nostris hoc videtur esse turpe, & illos timemus. Rursus ignominia affici, & contemptui haberi, & nullam habere potestatem; vulgo videtur esse turpe, probrosum, & vile admodum & abjectum. hoc rursus fugimus; non id damnantes, sed propter dominorum nostrorum sententiam. Rursus è contrario idem malum patimur. Divitem enim esse, videtur esse bonum: & fastus, & gloria, & supplici, & haberi in admiratione. Hoc autem rursus persequimur: ne heic quidem rerum naturam esse bonam speculati, sed id persuasum habentes à dominorum nostrorũ opinione. Dominus enim noster est populus: & multa turba sævus est dominus, & immanis tyrannus. Neq; enim ei opus est, ut mandata à nobis audiantur; sed satis est tantùm ut sciamus quid velit, & absq; ullo mandato cedimus: tanta est nostra in eum benevolentia. Et Deus quidem quotidie nobis minitans & nos admonens, non auditur. Turba autẽ multa incomposita & incondita, & quæ est veluti quædam fex & quisquiliæ, ne mandato quidem opus habet: sed sufficit solùm ostendere, quænam ei placeant: & statim in omnibus obedimus. Et quomodo, inquit, effugerit quispiam hos dominos? si majores quàm licet eorum concipiat spiritus: si rerum inspiciat naturam: si vulgi condemnet sentẽtiam: si ante alia omnia in rebus turpibus erudiat seipsum, non extimescere homines, sed oculum qui non obdormiscit: & in bonis rursus ab illo quærat coronas. Sic enim neq; in aliis eos sustinebimus. Qui enim quãdo se rectè gerit, ne illos quidem censet dignos, qui bonas suas norint actiones: sed contentus est Dei sententia: ne in contrariis quidem ipsorum ullam habebit rationem. Et quomodo, inquit, hoc erit? Cogita quid sit quidem Deus, quid autem homo: & quo dimisso ad quem confugias: & citò universum corriges. Homo eidem peccato, cui tu, est obnoxius, & judicio & supplicio. Homo vanitati similis factus est: neque justum habet judicium, & eget superna correctione. Homo est terra & cinis. Et si sæpe laudaverit: planè laudabit aut ad gratiã, aut ex odio: aut si criminetur rursus & accuset, id eodem facit animo. Sed non sic Deus; sed reprehendi non potest ejus sententia, & purum est eius judicium: & propterea oportet semper ad eum confugere. Non solùm autem propter hæc: sed quòd & ipse te creavit, & omnium maximè tibi parcit, & te magis diligit quàm tu ipse. Quid ergo mittentes eum habere laudatorem, ad hominem confugimus; qui nihil est, qui temerè & inconsideratè facit omnia? Dicit te improbum & scelestum, cùm non sis talis. Ea ratione eius magis miserere, & eum defle quòd interierit, & contemne ejus gloriam: occæcati enim sunt ejus oculi. Nam hæc quoque audierant Apostoli, & irrideant eos qui ipsos calumniabantur. At te vocat bonum & honestum. Si talis quidem sis, ne propterea extollaris à gloria: si non sis autem talis; magis despice, & existima rem esse ridiculam. *Homil. 12. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Eum qui est labefactaturus & in contrariũ conversurus, firmiter & stabiliter conceptam opinionem, non oportet statim dicere contrarium. esset enim ridiculus apud eos, quos contraria præoccupavit sententia. Nam quod est valdè admirabile & præter opinionem, non facilè admitti poterit ab initio: sed oportet, cùm per alia priùs rectè suffoderis & irrepseris, sic convertere in contrarium. *Homil. 36. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Pudet hominem qui ea existimatione est, ut ne consilio quidem egere videatur, mortalium de se opinioni imparem reperiri eique deesse. *Homil. 19. ad Cor. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Cùm ab antiquis viris illud apertè admodum didiceris, quòd opinari aliquid esse, non est aliquid esse: cura potiùs ut facias, ac non tantùm dicas. *Lib. 1. Epist. 3.*

Idem: Illud compertissimum & exploratissimum habeo, te, magnos quidem esse virtutis fructus, quamvis magno constent periculo, existimare: verùm eo nomine mœrere ac discruciari, quòd plerisq; miser esse videaris. At si non vulgi opinioni ac suspicioni, verùm accurato rationis examini rem permiseris, huiusmodi mœror evanescit, imò etiam lætitiæ causam tibi allaturus est. Siquidem pro certaminum hujus vitæ ratione, virtutis quoque coronæ nectuntur. *Lib. 2. Epist. 258.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Quantus est fascis invidiæ: quam facilis nocendi via, quoties præcedenti opinione laborat imperitus! Nemo quid factũ sit, ut video, quidve infectum respicit. ad impugnationis fidem solum advocatur pro teste propositum. *Lib. 1. Epist. 7. pr.*

Heraclitus: Ephesij verò Dei testimonio contradicunt. Luent suam ipsorum injuriam, & nunc morte afficiuntur, cùm prava sententia & opinione nos replent. Non punit Deus ablatione divitiarum: imò concedit etiam & largitur malis, ut cùm sit quibus scelera perficere passim redarguantur, & affluentes opibus sua flagitia ob omnium oculos ponant. Paupertas verò tegumentum est. Ne vos relinquat fortuna, ut omnium probris & conviciis vestra nequitia pateat. *Epistola ad Hermodorum.*

¶ Philosophorum Oratorumq. Graecorum.

Dio Prusæus: Novi equidem propemodum, quid omnes homines docere difficile sit: in errorem autem inducere, facile. Et discunt quidem homines tarde, si quid modò discunt à paucis scientibus, in errorem autem inducuntur ocissimè à multis nescientibus & hoc non solum ab aliis, verum etiam ipsi à semetipsis. Veritas n. amara est, & injucunda stultis: mendacium autem dulce, & blandum. quẽadmodum (opinor) iis quibus dolent oculi, lumen videre molestũ est: tenebrę autem absq; tristitia sunt, & amicæ, eo quod videre non sinant. Aut quomodo ita sæpe invaluissent mendacia, quum veritas esset præstò, nisi per voluptatem vicissent? Quum autem difficile sit (ut dixi) docere, longe tamen difficilius est dedocere: præsertim eos qui longo tempore mendacia audiverunt, neq; ipsi soli in errorem inducti sunt, sed & patres eorum, & avi, & omnes fere majores.

Non enim facile est horum auferre opinionem, etiamsi quis manifeste convincat. Quemadmodum puto & iis qui suppositionis pueros alunt, difficile est tandem eximere opinionem, etiamsi quis vera dicat: quæ quidem initio si quis dixisset, nunquam eos suscepissent. Porro hoc ita validum est, ut multi mala potius sibi vendicent, & confiteantur adversum sese, si prius sint persuasi, quam bona, post longum tempus, audientes. Proinde neque vos (viri Ilienses) mirabor, si fide digniorem putaveritis Homerum, qui pessima adversum vos mendacia finxit, quam me, vera dicentem. Namque si credideritis eum divinum fuisse virum atque sapientem, vestrosque pueros statim à principio illius carmina docueritis, nihil aliud quam execrationes vestræ civitatis continentia, easque non veras: me vero non sustinueritis, ea quæ vere sunt facta dicentem, eo quod multis annis post Homerum natus sim. *Oratione 2.*

Arrianus: Quæ est causa offensionis? opinio veritatis: neque enim fieri potest ut assentiamur, nisi verum aliquid esse videatur. quamobrem? quia hæc ipsa est natura mentis, ut & veris annuat, & falsa adversetur, & in obscuris cohibeat assensum. Huius rei quod argumentum est? persuade tibi si potes non esse noctem. fieri non potest. persuade non esse diem. fieri non potest. Si quis igitur mendacio assentitur, scito eum assentiri mendacio non voluisse, sed mendacium pro vero habuisse. Omnis enim animus, ut Plato affirmat, invitus privatur veritate. Jam opinio, aut bona, aut mala est: si bona, crimine caret: si mala, ipse pœnam sustinet: neq; enim potest alius decipi, alius damno affici. itaque nemini irascetur, nemini succensebit, nemini conviciabitur, neminem oderit, neminem offendet. Ergo tam ingentia & atrocia facinora pendent ab ipso opinionis principio: Ab isto, inquam, non ab alio. Ilias nihil aliud est, nisi visum, & usus visorum. Visum est Alexandro, Menelai uxorem abducere. visum est Helenæ eum sequi. Quod si Menelao visum esset, expedire tali carere muliere, quidnam accidisset? perijsset Ilias, neque ea duntaxat, sed & Odyssea. Ergo à tam parva re, res tantæ pendent? quas verò res tantas ais? bella, & seditiones & multorum mortalium interitum & urbium excidia. Et quid ista magni habent? nihil. quid enim magni habet multorum boum, multorumq; ovium interitus? quid si multarum hirundinum aut ciconiarum nidi sive incendio sive eversione destruantur? &c. *Cap. 28. lib. 1. Epict.*

Arrianus: Et tamen curo adhuc, quid alij de me dicant? an eis alicujus pretij esse videar? an videar beatus? miser. non videbis quid ipse de te dicas? quid tibi videaris? Nam si quidem persuasum haberes, te potiri bonis, illos verò aberrare; ne in mentem quidem venisset, cogitare quid illi de te dicerent. *Cap. 6. lib. 4. Epict.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 3. præc. ad Virg.

Καὶ χθὼν ἔμπεδος ἐστιν, ἐλιγδινῶσι δ' ἄπιστος.

Quamvis omnino tellus immota quiescat,
Volvitur ipsa tamen cæca vertigine captis.

¶ Apologi.

Aesopi Fabula aucupis. Auceps audita cicada, magnam aliquam prædam capturum se speravit: quam, cùm fortè præteriret, æstimabat ex cantu. Sed cùm arte adhibita cepisset, nihil equidem præter cantum reportavit. opinionem verò incusavit, ut mendax, multis in rebus ferens judicium.

¶ Emblematum.

Camerarius XXXVI. Centur. 2.
Fallit imago sui.

Ambigua splendens nos fallit imagine forma,
Fallitur ut vitreo Tigris acerbo globo.

Catsius Emblemate Ethico XXIII.
O demens! ita servus homo est?

Multa quidem totam patrantur inepta per urbem
Cùmq; petis causam, mos jubet ista, ferunt.
Anne igitur stolidis nos stringat opinio vulgi?
Regula num vitæ factio plebis erit?
Stamine sic fragili, vel stramine morio vinctus
Vah! sibi compedibus crura sonare putat.
Serviles vilesq; sumus. proh vincimur, imò
Vincimur miseri, causa nec ulla subest.

Catsius Emblemate Sacro XXIII.
Stultitia ligamur, non compedibus.

Spiritus excelso se tollit in astra volatu:
At Caro compedibus deprimor, inquit, humi.
Tu quid vincla voces, age, nunc videamus, inepta.
Morio, vel stramen compedis instar habet.
Vile lucrum, popularis honos, fugitiva voluptas,
Haccine sint pedibus pondera justa tuis?
Proh viles animas, devotaq; crura catenis!
Vincimur, nervus nec tamen ullus adest.

¶ Monosticha Trochaica.

Aura ut utrem, sic & inflat stultum opinio aurea.
Cedit opinio naturæ, veritati vanitas.
Cuncta vulgi ad opinionem dirigunt qui judicant.
Diu recepta è mente tolli vix potest opinio.
Exiguum natura, immensum opinio desiderat.
Haud capit morbus medelam quo obsita est opinio.
Mundum opinio gubernat; sub jugum stat veritas.
Nemo adhuc opinioni sustulit febrem suam.
Nil opinio, cuncta dextre perficit Scientia.
Nil opinionis ergo; conscientiæ omnia.
Non regit ratio alma mundum: clavum opinio tenet.
Plurimos ludit figura falsa veri opinio.
Præstat falsâ opinione simplex ignorantia.
Res malas bonasve cunctas efficit una opinio.
Rebus in sacris popelli nil potest opinio.
Se putare doctum, haudq; esse; morbus est gravissimus.
Veritas paucis spectatur, plurimis opinio.
Vulgi opinionem adorat stultus, irridet sophus.

¶ Jambica.

Auctoritati nisa nulla opinio est.
Differt parum ipsa à fabulis opinio.
Est veritas curanda non opinio.
Etiam facit malos opinio boni.
Ex mente tolli hominum haud potest opinio.
Miserrimum est, quod singuli nunquam sumus.
Morbo mederi opinionibus quis queat?
Opinio populum ducit non veritas.
Opinio semper favet pejoribus.
Opinionis morbus, incurabile est.
Opinionis pertinax vulgus sua est.
Opinionem malis quam vitam bonam.
Opiniones alterius quis ponderet?
Plerumq; vulgi erronea est opinio.
Quandoq; plus opinio est quam veritas.
Quorum improbas opinionem, hos improbas.
Si sapis, parere falsis noli opinionibus.
Vim veritati sæpe infert opinio.

Opportunitatis.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Greg. Nyssenus:* Neque id quod prævenit opportunitatem, neque quod fit tardius, bonum censetur. Quid prodest agricolæ, cui mandata est cura secundæ segetis, si priusquam sit seges matura, eam secet, aut metere differat, donec ex culmis effluxerint semina? Id ipsum etiam usuvenit in navigatione, sive quispiam prævenerit opportunitatem, sive tardius accesserit. Quid autem dicendum de medendi arte, cùm damnum afferat exuperatio & defectus temporis & mensuræ, quæ convenit curationi. *Hom. 5. in Ecclesiasten.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui rerum opportunitatem prodiderit, cōmoda minimè assequetur. Ecquis enim agricolam probet, qui, cùm arandi ac serendi tempus sit, ut posteà uberem segetem habeat, otio & inertia torpet, ac pro foribus desidet? Quis vinitorem, qui, cùm vitem colere liceat, ut eam uvis abundantem, ac temulentum torcular habeat, aliorum laboribus insidias struit? Quis deniq; nautam, qui cùm opportuna tempestate navigare debeat, ut majorem quæstum faciat, in portu manet, atq; in cauponis volutatur? Nemo profectò. Cùm igitur hæc ita se habeant, quis Christianum hunc probet, qui certaminum tempore coronas requirit? Res enim hujus vitæ, certaminum ac non coronarum, materiam præbent: res autem futuræ, honorum & præmiorum. Quocirca rerum occasionem & commoditatem ne prodamus: ne alioqui in futura vita inutili pœnitentia afficiamur. *Lib. 3. Epist. 60.*

Idem: Quòd ille, qui negotiorum opportunitatem prodit, res pulchras & cum laude conjunctas minimè assecuturus, perspicuè constat. Quòd autem bona & commoda cuncta sint in tempore sito, Ecclesiastes docuit. Cùm igitur hæc ita se habeant, quid est quamobrem novum ac mirum tibi videatur, quòd Salvator prudentem ac fidelem dispensatorem cibum opportunè daturum esse dixerit? Nam quod intempestivè fit, semper molestum est: & beneficium opportunitate destitutum, beneficij quoque nomen amittit. Verbi gratia, idem panis fame laboranti gratus ac jucundus est: saturato autem non item: atque idem poculum siti affecto suavissimum est, temulento autem molestissimum. Quid igitur efficit, ut iisdem rebus non eodem modo animi nostri afficiantur? Opportunitas scilicet, quæ etiam id, quod datur, majus & amabilius reddit. Quocirca non tantùm dare convenit (exiguum enim istud fortasse) sed etiam opportunè. Hoc quippe & parvum munus augebit: & si magnum sit, maximum atque amplissimum reddet. Eaque de causa Psaltes divina beneficia prædicans, illud etiā adjecit, Omnia ad te expectant Domine, ut tu des illis escam tempore opportuno. Non enim duntaxat alit, sed etiam tēpestivè. Hoc quippe potissimum est, quod omnia alit, nempe quòd tempestivè porrigatur.

Ac si hoc in iis quoque fructibus, qui ex terra nascuntur, fieri conspicere cupis, vide quemadmodum non uno eodemque tempore frumentum, & vinum, & oleum, & poma, variique flores existant: verùm prata quidem antecedunt, sequuntur autem segetes,

quas

quas deinde vinea excipiat, ac deniq; agricolam ad oleam racemus transmittat: anni videlicet partibus, tanquam optimum quendam chorum agitantibus, ac per temporis longinquitatem agricolam recreantibus. Nam si cuncta confertim ad vigorem suum pervenirent, profectò agricolæ industria ob temporis brevitatem in angustias adduceretur, atque omnia corrumperentur & interirent, quòd ille uno eodemque tempore colligendis & comportandis omnibus rebus minimè par esset. *Lib. 3. Epist. 170.*

¶ POETARUM.

Plautus Captivis. 4. sc. 2. v. 56.

——— *oh! mihi*
Quantū est hominum optimorum optime! in tempore advenis.
Cedo manum. gaude. dij te omnes adjuvant.

Plautus Cistellariæ 4. sc. 1. v. 16.

—— *unde obsecro hac cistellagentium?*
Aut quis Deus objecit hanc ante ostium nostrum? quasi
Dedita opera, in tempore ipso spes mihi sancta subvenit.

Plautus Menæchmis 1. sc. 2. v. 30.

Non potuisti magis per tempus mihi advenire quàm advenis.
P. Ita ego soleo: commoditatis omnes articulos scio.

Plautus Milite 4. sc. 3. v. 41.

Satin' ut commoditas usq; quaq; me adjuvat?
Nam quos videre exoptabam me maximè,
Vnà exeuntes video hinc è proximo.

¶ EMBLEMATUM.

Camerarius XCVII. Centuriæ 2.

Tempore & loco
Nosse modum tempusq; doces, Crocodile magister,
Et ventura diu tempora prospicere.

Camerarius LV. Centur. 3.

Nobis sunt tempora nota.
Ni via tuta maris, navem ne credito ventis;
Provida ut exemplo te monet Alcyone.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Qui rerum opportunitatem prodit, & lucro excidit.
Quidvis temporum ac locorum patrat opportunitas.
Transitus rerum opportuni magnis sunt conatibus.
Viribus plerunq; præstat temporum opportunitas.
Vnicum rerum est moderamen omnium Opportunitas.

¶ JAMBICA.

An aliud est Fors ipsa quam Opportunitas.
Corrumpitur morâ ingens opportunitas.
Nil non potest in tempore opportunitas.
Plus ipsa quàm Fors præstat opportunitas.
Primum omnium rerum, ipsa est opportunitas.
Prudentia administra est opportunitas.

Oppugnationis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

O*Nosander*: Cùm multæ variæq; sint obsidionales machinæ, iis Imp. ut poterit utatur. Nec enim mei instituti est, docere adhibendos esse arietes, parandasque helepoles, & sambucas, & turres subiectis rotis ambulatorias, & testudines aggestitias, & catapultas. Nam pro varijs bellorum casibus, próque opibus & facultatibus parari debent: atque ad fabrorum mechanicorum industriam solertiámque pertinent. Sed illud Imperatoriæ prudentiæ est, si machinæ admovendæ sint, certam seligere loci partem, vbi illis commodè uti milites possint. Nec enim muros machinis admotis vndique cingere facile est, nisi urbis admodùm angustæ. Imperator autem exercitum multifariàm dividat, & ad quasdam simul murorum partes scalas erigi jubeat. Sic enim obsessos ad consiliorū inopiam desperationémque rediget. Nam si ceteris murorum partibus derelictis, ad machinarum impetus obtundendos omnes cōcurrerint, tùm, qui in scalis erunt, nemine prohibente, facilè in muros ascendent. Aut si in varios tributi ordines, opem operamq; singuli separatim ferre velint, qui machinarum viribus resistere conabuntur, vehementiore illarum impetu discutientur, pugnámq; sustinere non poterunt. Imperator igitur strenuum se athletam præbeat, seséque in species varias conformet, huc illúcque adversarios distrahendo fallendoque: unum interea præcipuè moliatur, ut totum urbis corpus validâ vi comprehensum, evertere tandem ac supplantare possit. *capite 42. Strategici.*

Idem statim. Si aut opidum, aut arcem, aut vallum celeriter & in continenti expugnare cupiat, metuátque ne milites suos vires deficiant, nec tamen pugnæ ullam intermissionem fieri velit, copias suas in agmina certa dividat, prout hostium & urbis habitâ ratione sufficere existimabit. Noctu autem producto primo agmine oppugnationem incipiat, jubeátque secundum subsidere, paratumque esse in primi agminis defessi gratum substituitat tertium & quartū, & quintum, si tot fortè sint agmina, indulgere quieti permittat: atque ita postquam à primo agmine oppugnatio aliquandiu tentata fuerit, revocet illud & ad somnum capiendum mittat, dato simul signo secundo agmini ut è castris prodeat. Interea temporis tertij ordinis ductor ad arma sumenda suos excitet: Et postquam secundi agminis milites tandiu in oppugnatione permanserint, quandiu primi, ducatur agmen tertium, secundum verò ad somnum è pugna recedat: Exinde quartum excitetur, ac deinceps quintum, singulis ita vicissim quiescentibus. Similiter autem exoriente die, qui noctu primi pugnaverunt, primi quoq; manè iterum per duas horas, si quidem sex fuerint agmina, pugnaturi prodeant: Si quinque, paulò diutiùs: Si quatuor, per tres horas: Si tria, quatuor horarum spatia oppugnando sustineant: redeuntes à certamine prandeant, & sic deinceps alij usque ad ultimos, ut ita res in orbem veluti convertatur.

Atque hoc pacto, & noctu & interdiu, absque vlla intermissione, oppugnari civitas poterit, ac milites alternis vicibus recreati, validis semper novisque viribus concertabunt. Nec verò quis putet, obsessos, etsi permulti numero sint, eodem contrà uti posse stratagemate. Nam qui in periculis versantur, ij, ne si permittatur quidem, somno frui velint. Nam metu periculi, etiam quo tempore licet quiescere, veluti urbe jam jam capiendâ, vigilare coguntur. Quique oppugnantur, obsidentium copias, quamvis exiguæ sint summo studio propulsare nituntur. quotquot verò intra mœnia sunt, mentis agitatione anxij, metuunt semper, supremumque exitium, si vel leviuscula neglexerint, exspectant. Ideoque curis atteri necesse est, neque ullo temporis momento quiescere, nimiisque vigiliis ac laboribus fatigatos ærumnis ita confici, ut res suas deinceps præ infirmitate defendere nequeant cogaturque oratores mittere urbis deditionem postulaturos. *Strategici cap. 42. §. 2.*

Onosander: Interdum verò partes urbis aliquæ salebris ac rupibus confragosæ, quæque munitiores videntur, muris hominum arte operaque constructis, commodiorem hostibus urbis capiendæ ansam præbuêre. Huiusmodi enim loca, quasi à naturâ satis præmunita, nescio quomodo negligi, & minus accuratis vigiliis custodiri solent. Et facilè tum peritus Imperator quid faciundum sit excogitabit: atque audacissimorum nonnullos, tum præmiis, tum pollicitationibus faciet, ut vel per ardua illa loca evadant, vel scalis admotis aliquid emoliantur, & in mœnia taciti subeuntes, aut ostium perfringent, aut portam reserabunt. *Cap. 42. §. 5.*

¶ ROMANORUM.

Egesippus: Josephus saccos paleis repletos in eum dimitti locum præcepit, in quem aries à Romanis intorquebatur; ut laxo saccorum sinum, lusa plaga omnis arietis emolliretur. illisa enim solidis solida nocent, solutioribus evacuantur. denique facilius solidiora mollioribus cedunt, quam molliora solidioribus. nam & aquæ alluvione scopuli solvuntur: nec ruina rupis ullum est damnum aquarum, & jactis in freta molibus, aqua suos usus reservat: sed petra inter nudas reservare suos nescit. Arenam quoque marmoris ruina non frangit, & marmor arenæ ruina comminuitur. *Cap. 11. libri 3. de excidio Hierosolym.*

Eumenius: Sed ô singularem tuam, Constantine, pietatem, & sua semper officia inter arma servantem! signum receptui dedisti, & victoriam distulisti, ut omnibus tibi liceret ignoscere, neu quid atrocius faceret miles iratus, quam clementiæ tuæ naturæ pateretur. In quo licet optimi Imperatoris sollicitudine caveris, ut inducti in fraudem milites pœnitendi tempus acciperent, atque ultrò veniam precarentur: nos tamen qui mitissimos sensus tuos intuemur, (nihil enim est tam perspicuum quam in pectore tuo bonitas, illi te intelligimus pepercisse, quem si prima copiam habuisset irruptio, eripere ferro nemo potuisset. Ita (quod ad pietatem tuam attinet) & illum Maximianum, & omnes quos receperat servasti. Sibi imputet, quisquis uti noluit beneficio tuo, nec se dignum vita judicavit, cùm per te liceret ut viveret. tu, quod sufficit conscientiæ tuæ, etiam non merentibus pepercisti. *Cap. 20. Panegyr. Constantino August.*

Frontinus: Scipio apud Carthaginem sub discessum æstus maritimi secutus Deum (ut dicebat) ducem, ad muros urbis accessit: & cedente stagno, quà non expectabatur, irrupit. *De irruptione ex diversa parte quàm expectamus.*

Fabius Maximus Cunctatoris filius, apud Arpos præsidio Hannibalis occupatos, considerato situ urbis, sexcentos milites obscura nocte misit: qui per munitam eoque minus frequentatam oppidi partem scalis evecti in murum, portas revellerent: hi adiuti decidentium aquarum sono, qui operis strepitum obscurabat, jussa peragunt, ipse dato signo ab alia parte aggressus, cepit Arpos.

C. Marius, bello Iugurthino apud flumen Mulucham, cùm oppugnaret castellum in monte saxeo situm, quod una & angusta semita adibatur, cetera parte velut consulto præcipiti, nunciato sibi per Lygurem quendam ex auxiliis gregalem militem, qui fortè aquatum progressus, dum per saxa montis cochleas legit, ad summū pervenerat, eripi posse castellum, paucos centuriones, quibus perfectissimos cum velocissimis militibus æneatores immiscuerat, misit: capite pedibusque nudis, ut prospectus visusque per saxa facilior foret, scutis gladiisque à tergo aptatis, hi Lygure duce & telis & clavis, quibus in ascensu nitebantur adiuti, cum ad posteriora & ob id vacua defensoribus castelli pervenissent, concinere & tumultuari, ut præceptum erat, cœperunt: ad quod constitutum Marius constantius adhortatus suos, acrius instare castellanis cœpit: quos ab imbelli multitudine suorum revocatos, tanquam capti à tergo essent, insecutus castellum cepit.

Lucius Cornelius Cos. complura Sardiniæ cepit oppida, dum firmissimas partes copiarum noctu exponit, quibus præcipiebat, ut delitescerent, operirenturque tempus, quo ipse noctu appelleret: occurrentibus deinde adventanti hostibus, & ab ipso per simulationem fugæ longius ad persequendum avocatis, illi in relictas ab eis urbes impetum facerent.

Pericles Atheniensium dux, cum oppugnaret quandam civitatem magna consensu defendentium tutam, nocte ab ea parte murorum, quæ mari adiacebat classicum cani, clamoremq; attolli jussit: hostes penetrari illac in oppidum rati, reliquerunt portas, per quas Pericles destitutas præsidio irrupit.

Alcibiades dux Atheniensium, Cyzicum oppugnandi eius causa nocte improvisus accessit: & diversa parte mœnium cornicines canere jussit: sufficere propugnationi murorum poterant ad id latus, à quo solo se tentari putabant, cùm confluerent, quà non obsistebatur muros transcendit.

Thrasybulas dux Milesiorum, ut portum Sycinioruṁ occuparet, à terra subinde oppidanos tentavit: & illo quo lacessebatur conversis hostibus, classe inexpectata portum cepit.

Philippus in obsidione cuiusdam maritimæ urbis, binas naves procul à conspectu contabulavit, superstruxitque eis turres: aliis deinde turribus adortus à terra, domibus propugnatores distrinxit, turritas naves à mari applicuit, & quà non resistebatur, subijt muros.

Pericles Peloponesorum castellum oppugnaturus, in quod duo omnino erant accessus, alterum fossa interclusit, alterum munire instituit: castellani securiores ab altera parte facti, eam solam, quam muniri videbant custodire cœperunt. Pericles præparatis pontibus, injectisque super fossam, qua non cavebatur subijt castellum.

Antiochus adversus Ephesios, Rhodijs quos in auxilio habebat præcepit, ut nocte portum cum magno strepitu invaderent: ad quam partem omni multitudine cum tumultu decurrente, nudatis defensore reliquis munitionibus ipse aggressus, ex adverso civitatem cepit. *Lib. 3. cap. 9. stratagematum.*

Optationis.

¶ Monosticha Trochaica.

Alteri potest optare quis quod ipse perdidit.
Dignitatem optamus omnes, rectè ea at quis utitur?
Divitias optamus omnes: nacti eas profundimus.
Heu, suis quantum parentes liberis optant mali!
Liberos optamus omnes; sed bene hos quis educat?
Sæpe forte temere eveniunt, quæ neq; optare audeas.
Sanitatem optamus omnes; nacti eam, omnes perdimus.

¶ Jambica.

Minimè est capital necem optare adversario?
Optamus omnes cælum; eo at quis suspicit?
Optamus omnes otium, sed quisnam agit?
Optamus omnes res merè superfluas.
Optamus omnes senium, nemo colit at id.
Optanda tantum quæ perire non queunt.
Optare quod nusquam est, gravis dementia est.

Operis aut Operum.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus:* Facite ut gloria mihi sitis, & gaudium, & gloriæ corona, defensioque ad eos qui me examinant: quẽadmodum iis, qui fabricandi aut pingendi artem profitentur, cùm artis rationem exposcuntur, fabrile aut pictorium opus ostendere sufficit, ut negotio omñi ac molestia liberentur: opus enim, inquit ille, sermone fortius est. *Orat. 27.*

D. Chrysostomus: Quemadmodum vitam vestram esca continet, atque istam vita vicissim dispensat: ita si bona opera habuerimus, Spiritum sanctum habebimus: & si Spiritum sanctum habuerimus, bona etiam opera habebimus. Quemadmodum & è contrario, si opera non habuerimus, Spiritus sanctus avolabit: si verò à Spiritu sancto vacui fuerimus, etiam circa opera claudicabimus. Abeunte siquidem illo accedit spiritus immundus: id quod in Saule liquet. Quid enim quod non æquè nos agitat & suffocat quemadmodum illum? Verùm alio modo nos strangulat, nimirum malis actibus. Cithara itaque Davidica nobis opus fuerit ut animæ oppressæ divina canamus carmina, & ea quæ Davidicæ sunt citharæ, & quæ ex bonis sunt operibus. Nam si alterum horum solum fecerimus, Davidicamq; cantionem audientes, psallenti malis operibus repugnaverimus; quemadmodum & ipse Saul tum faciebat: & ad judicium nobis serviet hoc pharmacum, & immanior erit nostra insania. Nam antequam carmina illa audiamus, timet quidem malus illæ dæmon; ne quando postquam audierimus, vitam nostram rectè instituamus: quando verò auditâ sacrâ cantione eosdem nos manere videt qui fueramus antea, etiam isto protinus timore exuitur. *Homil. 28. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Quemadmodum in se mente, qui seminat non potest ex hordeo metere triticum; eò quòd oporteat & sementem & messem eiusdem esse generis: sic & in operibus. Qui in carne deposuerit delicias, temulentiam, concupiscentiam absurdam, quæ hinc proveniunt, metet. Quæ autem sunt ista? supplicium, ultio, probrum, risus, corruptio. Siquidem mensarum sumptuosarum & condimentorum nullus alius proventus est, quàm corruptio. Nam simul & ipsa corrumpuntur, & corrumpunt corpus. Quæ verò sunt spiritus, haud sunt eiusmodi, sed his omnibus omninò diversa. Cõsidera verò, seminasti eleemosynam, manent te thesauri cœlestes gloriaque sempiterna. Seminasti pudicitiam: excipiet te honor, & brabium, & ab angelis gratulationes, & ab agonotheta, coronæ. *Cap. 6. ad Galatas.*

Chrysostomus: Non semel sed perpetuò placere oportet. Qui currit, si decem circuitionibus, quas Græci δολίχυς vocant, jam factis, postremam omittat; totum perdidit: ita & nos si ab incœpto bonorum operum cursu defecerimus, totum perdidimus, totum corrumpimus. *argum. ad Philippens.*

Chrysostomus: Nihil excelsum & philosophum animum æquè ad bona opera obeunda excitat, ac si intelligat hac re Deo se similem fieri. quid enim æque atque hoc, ad cohortationem valeat? *Initio Homiliæ 6. ad Philippenses.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Meritum meum regnator cælestis si attenderet, aut exigua bona adipiscerer, aut magna supplicia. *Lib. 2. Epist. 10. p.*

¶ Oratorum Graecorum.

D. Prusæus: Opere autem facto atque absoluto, spectandum præbuit hunc qui existit mundum, à principio speciosum & pulchrum, immensum quanto splendidiorem, quàm qualis nunc videtur. Omnia enim & alia opificum opera, quæque ab arte statim & facientis manibus veniunt, meliora sunt, splendidioraque. Plantæque juvenes virentiores sunt veteribus, & quæcunque germinibus sunt similia. Quin etiam animalia gratiosa & aspectu mitia sunt post nativitatem, non solum pulcherrima ex illis, pulli & vituli, catulique, verum etiam bestiarum catulus ferocissimarum. Hominis quidem natura infantilis est, & aquosa, similis imperfectæ frumenti herbæ: quum autem ætatis mensuram & juventutem adepta fuerit, omni manifestè planta melius illustriusque germen est. *Orat. 36.*

Aristides, Orator: Nullum potest auctore suo opus esse antiquius. *Hymno in Iovem.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Ego verò huic comparare ne illos quidem timeo qui aliqua in Rempublicam opera posuerunt. Hæc enim muta, & humanis constructa manibus, & speciem modò, & brevem quandam usum voluptatibus nostris adferunt. *Declam. 260. a. m.*

Plinius Iunior Trajano Imp. Intuenti mihi & fortunæ tuæ & animi magnitudinem, convenientissimum videtur, demonstrare opera, non minus æternitate tua quàm gloria digna, quantumque pulcritudinis, tantum utilitatis habitura.

Mox: Ego per eadem loca invenio fossam à rege percussam: sed incertum utrum ad colligendum humorem circumjacentium agrorum, an ad committendum flumini lacum; est enim imperfecta: hoc quoque dubium, intercepto rege mortalitate, an desperato operis effectu. Sed hoc ipso (feres enim me ambitiosum) pro tua gloria incitor & accendor, ut cupiam peragi à te quæ tantum cœperant reges. *Epistola quinquagesima libri decimi.*

¶ Poetarum.

Prudentius contra Homuncionitas.

Omne opus egregium, per quod solertia pollens
Emicat, ingenij est aut roboris. illud acuto
Corde viget: duris excellit viribus istud.
Mortale est, sed utrumq; homini. nam cana senescunt
Ingenia, & validos consumunt secla lacertos.

Plautus Milite 4. sc. 4. v. 38.

Meum opus ita dabo expolitum, ut improbare non queat.

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Ioan. Baptista. Nihil æquè testimonium perhibet de homine, ac Operis ab eo exerciti qualitas. Hinc Dominici Præcursor adventus, dum Iudæi se ex stirpe Abrahæ progenitos dicerent, & de eo gloriarentur, dicebat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ: nec velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham, &c. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur. Matth. cap. 3.*

Marcellus II. Pont. Vide Juramentum & Perjurium.

Religiosus Franciscanus. Post Domini Præcursorem, non indecorè se Religiosi cuiusdam virtus offert. dum namque Ludovicum Siciliæ regis filium, qui voto servandi institutum S. Francisci se obstrinxerat, ut palàm eo se solueret, incitaret; ajebat: *Qui in occulto benè vivit, sed alieno non studet profectui, carbo est: qui verò rectitudinis lumen ex se multis demonstrat, lampas est: sibi ardet, aliis lucet. Honesta bonis viris, non occulta quæruntur.* Revocabat in memoriam illud Christi, Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut

videant

videant opera vestra bona. *Ex Vita Ludovici, impressa apud Moretum, cap. 11.*

Ioan. Princeps Lusitaniæ. Audiverat ille Franciscum Borgiam de divinis rebus disserentem. ac templo egressus, ad Dynastas se convertens; *Hic*, ait, *mihi demum Ecclesiastes placet, qui reipsa quæ docet, præstat.* Illud quippe Doctoris munus, ut sit potens in opere & sermone. *Ribad. in Vita Borgiæ, lib. 2. cap. 7.*

Require Actio, ejusque necessitas.

¶ Monosticha Trochaica.

Inchoat opera honesta voluntas, perficitque occasio.
Instrumenta opifices à se mutuantur invicem.
Intrò abite: opera huc conducta vestra, non oratio est.
Maxima est operis peracti remora transitus frequens.
Qui deliberat ante opus, minime hæsitat quando est opus.
Vix in uno opere eminere summi homo ingenij queat.

¶ Jambica.

Dignus cibo saltem est operarius suo.
Fortis quidem est sermo, sed opus est fortius.
In novo opere omnis durior molitio est.
Maiora sunt multò opera animi quam corporis.
Opus bonum præco est suus silentio.
Opus novum minimè facit qui refficit.
Operis reprehensio opificis contumelia est.
Peccare non vis? quod non scis noli aggredi.
Post factum opus, res est quies dulcissima.
Quod nemo culpet nullum adhuc natum est opus.
Quod nemo culpet, nullum reperias opus.
Vbi opus ad unguem spectat, arduissimum est.
Virum bonum sine opere esse ullo dedecet.

Operum manu exercendorum.

¶ Apophthegm. Christianor.

SYlvanus Abbas: Satius multò est aliquid agere, quàm nihil agere: modò quod agitur, honesti limites non excedat. Ita Apostolos, aliosque viros sanctos, indultum sibi otium in honestum negotium commutasse constat. Quod & Sylvanus Abbas lepido exemplo docuit. Erat in cœnobio ejusdem Religiosus, qui fratres manibus laborantes nonnunquam redarguebat; & solicitudinem illã, tamquam rem superfluam, cavillatus, *Maria*, inquit, *optimam partem elegit, sedens secus pedes Domini.* Ita horâ cœnæ, de industria non vocatur: mirantique, cur præter solitum non esset vocatus, respondit Sylvanus: *Vere existimabam, tibi qui totus spiritualis es, cibo potuque opus non esse.* Eoque errorem confitente, subjunxit: *Scias igitur Mariam Marthæ etiam ministerio indigere, auxilioque juvari. In Vitis PP.*

Marcus Anachoreta: Hic quoque operi nocturno diurnoque, ab oratione vacans, insudabat. ita ut quibusdam ei eleemosynam offerentibus, diceret; *Minimè accepero: manus enim istæ me nutriunt, & eos qui ad me propter Deum divertunt. In Prat. Spirit. c. 3.*

Vide Apophth. de Labore.

Oraculi.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORVM.

D. *Nazianzenus:* Pythagoreo illo; Ipse dixit, hoc intelligimus, non licere iis quæ ab hominibus divino numine afflatis dicta sunt, fidem abrogare; verùm pro sermonis & doctrinæ confirmatione illorum auctoritatem esse omni logica facultate atque contradictione validiorem. *Orat. 3. stelitentica prima.*

Libanius: Vinctus adsum à Philippo. viden' ergo, mi homo, oracula, ut nunc quidem vaticinia edant; nunc verò cohibeant & taceant. Eadem faciunt colligati silentio. Ne me concutias, ne me frustra commoveas. non conscendo ad suggesti tripodem; neque vaticinor. à me discessit afflatus divinus, inanis Dei sum; jam ab illa me die deseruit. Quod si mihi vim intuleritis, citis, ficta loquar, mentienti Pythiæ similia. *Declam. 16.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Lucianus: In ipsa autem æde ad sinistram ingredientibus, positum est primùm quidem solium solis, sed ejus effigies non adest. Solius enim solis & Lunæ simulachra non exhibent. Cur autem id ita faciendum putent, id quoque ego didici. Cæteris quidem Dijs fas esse ajunt simulachra facere, quorum species non sunt omnibus conspicuæ. Sol autem & luna planè sunt manifesti, nec illos nemo videt. Quorsum igitur eorum, cùm in aëre appareant effigiem effinxissent? Ac post solium hoc, positum est Apollinis simulachrũ, non quale vulgo consuevit fieri. Nam cæteri quidem omnes Apollinem juvenem putant, & cum prima lanugine effingunt: Hi verò soli barbati Apollinis simulachrum exhibent. Quod quum faciũt, se ipsos quidem laudant, Græcos verò vituperant, & alios, quicunque Apollinem puerum fingunt, & colunt. Videtur autem ipsis inscitia magna, causa esse cur imperfectæ Deorum formæ fingantur. Nam juvenem esse, ipsi adhuc imperfectum putant. Quinetiam Apollini suo aliud quiddam novum affingunt. Soli Apollinem vestibus ornant. De cujus operibus, multa quidem dicere possem, sed id dicam, quod potissimùm est admiratione dignum. Primùm quidem de oraculo verba faciam. Oracula multa sunt apud Græcos, multa quoque apud Ægyptios: multa etiam in Africa, multa item hac in Asia: sed illa nec sine sacerdotibus, nec sine interpretibus responsa dant. Sed hic per se movetur ipse, & vaticinia plenè per se peragit: idque hoc modo. Quando vult vaticinari, in sede sua primùm movetur: tum protinus sacerdotes ipsum attollunt: quòd si non attollant, ille sudat, & in medium sese emovet. Quum verò eum illi suppositis humeris portant, illos ducit, sese undiquaque circumagendo: atque ex alio in alium transilit. Tandem primarius sacerdos supplicans, de rebus omnibus illum interrogat. Ille verò siquid non vult fieri, retrocedit. Contrà siquid approbat, agit in anteriorem partem gestantes, perinde ac qui habenas moderatur. Ita quidem coacervant oracula, neque rem ullam sacram, neque privatam absque hoc gerunt. Prædicit autem illis & de anno, & de tempestatibus omnibus, & quando amplius futuri non sint. Prædicit quoque de signo, quando oporteat illud quam dixi profectionem suscipere. Aliud quoque dicam quod me præsente fecit. Sacerdotes illum in humeros sublatum ferebant: ille verò iis inferius in terra relictis, solus in aere ferebatur. *titulo Deæ Syriæ.*

¶ Romanorum.

Heliodorus: Hæc ut Deus elocutus est, multiplex dubitatio eos qui circumstabant, subibat, quid vellet oraculum, interpretari nequeuntibus. alius enim aliò responsum detorquebat; & ut quisque volebat, ità & conjecturam faciebat. nondum autem quisquam verum assequebatur. Oracula enim & somnia, ut plurimum judicantur ex eventibus. *fine libri Æthiopicor. 2.*

Seneca: Ipsa quæ præcipiuntur, per se multum habent ponderis: utique si aut carmini intexta sunt, aut prosa oratione in sententiam coarctata. Sicut illa Catoniana: Emas, non quod opus est, sed quod necesse est. Quod non opus est, asse carum est. Qualia sunt illa, aut reddita oraculo, aut similia: Tempori parce. Nosce teipsum. *Epist. 94. §. 6.*

C. Cornelius Tacitus: Germanicus adpellit Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Et ferebatur per ambages ei, ut mos oraculis, maturum exitum cecinisse. *lib. 2. Annal c. 54.*

¶ Monosticha Trochaica.

Delphica ut bibit de fonte, non sua est, sed Numinis.
Flexa non falsa autumare dictio Delphis solet.
In manu mortalium haud est quid Dei respondeant.
Plus fugit loquacitatem quam tenebras Pythius.
Putida est oratio omnis post Dei sententiam.

¶ Jambica.

Absque ære mutum Apollinis est oraculum.
Credenda quæ sunt, si haud fides oraculo est?
Cui mens sua est, oraculis non indiget.
Cui profuere vatum a seclo oracula?
Oraculum omne cum silentio excipe.
Oracla pauca vera, si non omnia.
Quis non domo rex promptitat oracula?
Veneranda non interpretanda, oracula.
Verba audienda non sunt post oracula.

Orationis sive precum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Gregor. Nyssenus:* Oratio pudicitiæ præsidium ac tutamen est, iræ moderatio, superbiæ sedatio atque repressio; injuriarum tenacis memoriæ expurgatio, invidiæ profligatio, injustitiæ sublatio, impietatis correctio. Oratio corporum robur est, abundantia domus, recta juris ac legum in civitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, conjunctorum conservatio. Oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium salus. Oratio reorum & causam dicentium patrona, noxiorum ac vinctorum relaxatio ac solutio, fatigatorum quies, mærentium consolatio, gaudentium animi delectatio, lugentium solatium, nuptias contrahentium corona, natalitii festi celebratio, morientium funus. Oratio, conversatio sermocinatioque cura Deo est, visum effugientium contemplatio, eorum quæ concupiscuntur certa fides, ejusdem cum Angelis con-

ditio, bonorum progressus & argumentum, malorum subversio, peccatorum emendatio &c. *Hom. de Oratione.*

D. Greg. Nyssenus: Stultissimum fuerit, si quis accedens ad Deũ, à sempiterno temporaria roget, à cælesti terrena, ab altissimo humilia atque abjecta, ab eo qui regnum cælorum largitur, hanc terrenam & humilem felicitatem; ab eo qui donat ea, quæ eripi nequeunt, ad exiguum tempus alienarum rerum usum; quarum necessaria quidem ademptio, temporarius verò usufructus & periculosa administratio est. Pulcrè autem per adjectionem ostendit absurditatem, cùm dixit, Sicut gentiles. nam in res apparentes studium conferre proprium est eorum, qui nullam sibi futuri sæculi spem proponunt, non judicii metum, non gehennæ minas, non bonorum exspectationem, non aliud quidquam eorum quæ tempore resurrectionis sperantur: qui sicuti pecora ad præsentem vitam intenti quodcunque gulæ ac ventri, reliquisque corporis voluptatibus indulgere possint, id in parte bonorum locant vel principatum inter alios tenere, & reliquis præstare videri, vel multis incubare talentis; aut si quid aliud, de hujus sæculi fraudibus est, quibus si quis de futura spe dicat, planè nugator esse videtur: paradisum & regnum & cælestem habitationem ,, & hujusmodi res exponens. *sub finem Homiliæ de precibus ad Deum.*

S. Isidorus Pelusiota: Oratio ea, quam Dominus discipulos suos docuit, nihil terrenum habet, sed omnia cælestia, ad animæ utilitatem tendentia. Non enim imperium, non opes & copias, non pulchritudinem, non robur, non aliud quicquam ex his, quæ citò flaccescunt, postulare docet. Nam à quibus, etiam cùm præstò sunt, abstinere jubemur, iis, cùm absunt, ut fruamur postulare, supervaneum est. Quin hoc etiam ipsum quod parvum esse atque in sensum cadere videtur, potissimum de divino sermone (qui animam corporis expertem alit, atque in ipsius essentiam quodammodo miscetur, & manat: unde etiam supersubstantialis panis dictus est, substantiæ nimirum vocabulo animæ potiùs quàm corpori congruente) intelligendum esse doctis viris placuit. Atque, ut etiam de quotidiano pane, qui ad tuendum & conservandum corpus accommodus est, dictum esse demus, ipse quoque, si modum spectes, spiritualis efficitur. Etenim nihil præter panem requirere, spiritualis proculdubio, ac præclaræ & philosophicæ mentis fuerit. Quæ cùm ita sint, ea, quæ edocti sumus, postulemus: ac non ea, quæ facilè extinguuntur. Ingentis enim miseriæ atque amentiæ fuerit hęc petere, quæ etiam cùm habemus excutere jussi sumus. *lib. 5. Epist. 281.*

S. Isidorus Pelusiota: Videris tu quidem precationis Dominicæ brevitatem mirari: Ego verò cùm ante hac semper veneratus sum, tùm etiam nunc veneror ac suspicio incredibilem in brevitate verborum latentem sapientiam. Nam tametsi verborum illorum pronuntiatio facilis sit, vocum tamen ac sensuum non item. Non enim verborum tantùm auditorem, sed etiam operum effectorem esse convenit eum, qui rectè eam recitare velit. Quocirca quâvis superiorem audaciâ eum esse arbitror, qui cùm nihil eorum faciat, quæ laudabilem deceant filium, tamen ausit patrem appellare omnium rerum Dominum; quique cum ea agat, ex quibus malè audiat divinum nomen, dicere tamen aggrediatur: Sanctificetur nomen tuum: & cum satelles clarissimus sit Diaboli, qui tyrannidem in genus humanum invasit & exercet, tamen dicat: Adveniat regnum tuum: hoc est, Conspiciaris tyrannide oppressis rex victoriosus, adversus peccatum opem insuperabilem ferens: Præterea, nihil cùm facias eorum quæ vult Deus, tamen simulare virtutem, ac dicere: Fiat voluntas tua, ut in cœlo, & in terrâ: Cumque teipsum deliciis ac luxui mancipatis, & multa non solùm ad victum sed etiam ad luxuriam reposita jam habeas viatica vitæ, tamen orare: Panem nostrum quotidianum, (hoc est, animæ convenientem, aut carnis sustentationi sufficientem) da nobis hodie. Nam particula Hodie, quotidianum administrationem significat. Intelligentem enim facultatem animæ in supremam philosophiam perducens, ipsum quoque petitionis tempus definit. Adhæc, cum implacabilis atque crudelis ipse sis, dicere: remitte nobis debita nostra: cumque malorum tenacem serves memoriam, & ultionis omnem excedas modum, dicere: Sicut & nos remittimus debitoribus nostris: Quique in tentationes seipsum conjiciat, & nullam non secet viam, quę ad pericula ducat, tamen hunc dicere: Ne inducas nos in tentationem: id est ejusmodi, ut non modò risum verùm etiam omnem indignationem mereatur. Porrò cùm volens lubensque hostem generis humani sequare (neque enim per vim, neque per tyrannidẽ, sed dolo ac fraude nostri potitur) dicere: Sed libera nos à malo: omnem exsuperat illusionem. Denique dicere quidem, Quia tuum est regnum, & potentia & gloria: sed eum interim pro nihilo putare, à quo omnis potentia & gloria tanquam ex fonte profluit, tale est, ut veniâ majus in se crimen complectatur.

Quapropter illi soli post admirandum illum, qui in divino baptismate contigit, partum, & post novam ac peregrinam puerperiorum legem, hanc Orationem ritè ac jure recitare poterunt, Deum patrem appellantes, qui filiorum germanam indolem ostendunt: illi poterunt dicere: Sanctificetur nomen tuum, qui nihil scelerati committunt: Illi, & hoc: Adveniat regnum tuum, qui ea fugiunt, quæ Tyranno voluptatem pariunt: Illi & hoc, Fiat voluntas tua, qui ipsis factis hoc se operam dare declarant: Illi etiam, Panem quotidianum da nobis hodie, qui luxui ac deliciis nuncium remiserunt: Illi & hoc, Remitte nobis debita nostra, qui veniam iis tribuunt, qui in ipsos deliquerunt: Illi & hoc, Ne inducas nos in tentationem, qui neque semetipsos neque alios in hanc conjiciunt: illi & hoc, Libera nos à malo, qui cum Satanâ perpetuum & irreconciliabile gerunt bellum: Illi denique verè dicere poterunt, Quia tuum est regnum, & potentia & gloria, qui ad ipsius verba contremiscunt, eaque re opere ostendunt. Non enim tantùm efficere valet ipsa hujus precationis notitia, quantum mores & vita precantis. *lib. 4. Epist. 24.*

¶ Apophthegm. Sacr.

Moses Dux Israelitarum: Israelitis per desertum proficiscentibus, cum profectura esset arca dicebat Moses, Surge Jehova, & dispergantur inimici tui, fugiantque osores tui à facie tua. Cum verò consisteret illa, dicebat, Da quietem, Jehova myriadibus milliũ Israelis. *Num. 10. v. 35. 36.*

Salomon: Quorum *Oratio* sit grata docet, Proverb. 15. 29.

Quomodo fieri debeat, Ecclés. 5. 7. 2.

Optimæ orationis formula Proverb. 30. 7. 8. 9.

Rogatus à disciplinis ut precari formulam illis præscriberet, dixit eis, Quando oratis, dicite, Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c. Petitionibus ea oratione inclusis comprehenditur in summa quicquid pii omnes à mundo condito ad finem usque expetiverunt gemitibus, votis & vocibus à Deo optimo maximo, à qua qui vel tantillum recedunt, præcipuo pietatis exercitio privantur. *Vide Matth. 6. & Luc. 11.*

Macarius: Fratres quidam consulebant beatum Macarium, quomodo orandum esset? Quibus ille, *Verborum*, inquit, *prolixitate opus non est, sed sublatis cœlum versus manibus dicendum, O Domine, fiat secundum voluntatem tuam. Cùm autem tentatio aut persecutio urget, dicendum: ô Domine & Deus benignissime, tu secundum magnam tuam misericordiam nobis succurre, tu solus nosti, quid in nostram salutem vergat, tu nobiscum agito secundum magnam tuã misericordiam.* Georg. Major, in vitis Patrum, part. 2.

Idem, Caput, inquit, totius boni instituti ac vertex honestarum actionum est perseverare in oratione, cujus beneficio reliquas etiam virtutes postulantes à Deo quotidie obtinere possumus. *Homil. 40.*

Agathon: Quidam ex abbate Agathone quærebant, quinam labor in terris esset & gravissimus & optimus? Ad quæ respondit, *Persuasum mihi habeo, eximium maximeq; utilem esse laborem rectè orare: nam omnibus modis Satan obstacula objicit oranti ne suus Deo præstetur honos, nec homini, quæ bona & salutaria sunt, eveniant. Quare quisquis rectè Deum invocare volet, is ante omnia vitam suã emendans peccata abjiciet, deinde nihil quod justè negari queat à Deo petet, postremò ex intimo cordis affectu & in vera fide ad Deum orabit. Et certò eius oratio exaudietur.* In vitis Patrum.

Macedonius: Quum Theodoreti mater ad Macedonium eremitam accessisset, pollicitus est vir ille divinus se pro ea preces conceptuum, & eam filium accepturam (antea enim erat sterilis) quem Deo dicaret. Illa autem rogabat tantummodo ut salutis æternæ fieret particeps, & à gehenna liberaretur. Præter hoc, inquit, liberalis & munificus Deus tibi dabit filium. Iis enim qui purè & sincerè petunt duplices largitur petitiones. Illinc reversa est mulier afferens promissi benedictionem, *Theodor. hist. Sanct. patrum, vita 13.*

Anianus: Atila Hunnorum rex, obvia quæque subvertens, Aureliam ad Ligerim sitam accessit, eamque urbem se dedere recusantem, ac victoriam suam inhibentem, omni mole oppugnare, ac variarum machinarum pulsu, verberare constituit. Ea re territi cives, cùm quidnam consilii caperent, in incerto haberent, Anianum episcopum suum consuluerunt. Ille monuit ut spem in Deo defigerent, atque opem ejus suppliciter implorarent. Quod cùm illi humi prostrati fecissent, tum ad eos conversus dixit, *Prospicite de muris, num subsidium adveniat.* Putabat enim Aetium adventare. Prospicientes autem, neminem viderunt. At ille, Orate iterum cum fide: vos enim Dominus hodie liberabit. Et, cùm fecissent, *Prospicite iterum*, inquit. Nemine autem apparente, dixit illis, *Si cum fide orabitis, Dominus sine dubio nobis aderit.* Illi verò cum fletu magno misericordiam Dei invocare cœperunt. Inde ex sancti episcopi præcepto de integro prospicientes, nebulam, quasi de terra surgentem, viderunt. Quod renuntiantibus, dixit, *Atqui hoc Domini auxilium est.* Hunnis proinde id oppidum invadentibus, tanta vis aquæ de cælo decidit, ut coacti sint in castra reverti. Sequenti die trementibus ac fatiscentibus assiduis jam ictibus arietum muris, ecce Aetius Valentiniani III. dux, & Theodoricus Gothorum rex, ac Thorismundus filius ejus, cum suis quisque exercitibus prodierunt, commissoque certamine Atilam ab urbe propulerunt. Hæc ita acta Gregorius Turonensis refert lib. 2. cap. 7. Sidonius verò Atilam urbem etiam irrupisse, sed Aetio superveniente, non dirupisse prodit. *Sigonius l. 13. de Occidentali imperio.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Iesus Christus: Age, sanctarum Precum exempla perscrutemur, ut si quem eadem considerasse non piguerit, imitari etiam non pigeat. Nihil autem in tantum se sequentibus Dominus commendavit, ac Orationem. nam & orandi formam præscripsit, & discipulos suos ad orandum incitavit, dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Ioan. c. 14. & 16.*

S. Fructuosus Episc. Ab eo verò dum quispiam peteret, pro se apud Deum intercederet, respondit; *Orare necessum mihi pro Ecclesia*

Catho-

Catholica paſſim diffuſa. quis enim oret pro ſingulis? attamen neminem ſingulorum præterit, qui pro univerſis deprecatur. Cæſar Baron. Aug. de diverſ. Serm. 101. c. 2.

Ludovicus Epiſc. Toloſ. Huic item ſæpè in ore, cùm de temporis jactura ſermo incideret; *Omne tempus perdidiſſe exiſtimo, quod ſine oratione & divinis contemplationibus conſumpſi. Ex membrana manuſcr. Vitæ ejus.*

S. Franciſcus: Quære Apophth. de Mortificatione.

S. Bernardus: Sed de iis etiam qui attentum in oratione animum habuerunt, Claræ vallenſis Abbas fuit. hunc enim, ſi templum ſubiret, quo meliùs orationi invigilaret, ſolitum ferunt, apprehenſo ejuſdem limini exteriorum rerum curas hoc dicto demandare: *Ceteras meas curas tibi committo, donec hac me curâ liberaverim.* Multum enim orationis puritatem juvare inſinuabat, ſi de ea ſola cogitet, qui orat. Recenſuit ex Navar. de Orat. inter alia præclara Reverendiſſ. Dominus Joannes Miræus Epiſc. Antuerpien. in inſigni ſua Oratione, quam ad Clerum ſuæ urbis habuit, anno 1608. Fer. 2. Mai. hebdom.

Ludovicus Palatinus: Erat venandi ſtudio deditiſſimus, & publico edicto diſtrictim caverat, ne quiſpiam cervis aliiſque feris nocumentum inferret. Factum autem, ut illis omnia paſſim vineta vaſtantibus, querelæ deferrentur ad Proceres, & per eos ad ipſum Ludovicum. Dicebant enim, Niſi edictum hoc mitiges, eris poſthac expers precum tui populi. Quo audito ille; *Si ita fore exiſtimatis, malim carere*, ait, *etiam totâ vitâ ferinis ferculis, quàm meorum precibus.* Sciebat ſanè, quanta eſſet puræ Orationis virtus, quæ eò pergit & penetrat, quò caro pervenire & penetrare nequit. *Timoth. Berch. in Orat. Ludovici Principis.*

Balthaſar Gerardi: Fuit is qui Guilielmo Principi Auriaco necē attentavit, & tulit. Qui, dum quævis tormenta infracto animo ſuſtineret, rogatus quomodo tantis cruciatibus non ſuccumberet; reſpondit: *Tantum efficaciæ præſtant piorum pro me preces. In Hiſtoria eiuſdem.*

Orationis aſſiduæ.

F. Ægidius Minorita: Multum autem valere apud Deum Orationem juſti aſſiduam, teſtis eſſe poteſt D. Jacobus, etiam apud Judæos ſanctitatis opinione celebris. quippe in oratione tam fervens & aſſiduus, ut ejus genua quaſi callo obducta, & inſtar pellis camelorum indurata fuiſſe, Hieronymo auctore referantur. Audiamus ergo quid B. Franciſci comes & imitator Ægidius, de hac orandi perſeverantia ſe dignum dixerit aliquando. Rogabatur, cui ſimilem exiſtimaret eum, qui ab orando deſiſtit ingruentibus diſtractionibus mentis: *Fugienti è prælio*, reſpondit. Pugnamus namque in oratione contra hoſtes noſtros, mundum, carnem, & maximè Satanam, qui propterea orantes propoſitis variarum rerum imaginibus perturbat. Memores itaque ſimus illius Paulini. *Auſon. Epiſt 15.*

Quæ non miſſa Deo, vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant ſuperi ſtellantem Regis in aulam.

Sur. tom. 7 in Vita.

Idem: Ab eodem etiam profectum accepimus: *Si gratiam in precibus ſentis, ora ut augeantur: ſi non ſentis, ne ceſſes idcirco à precibus. Gratos enim habuit Deus etiam caprarum pilos, qui ei iuxta præceptum legis* (Exodi 25.) *offerebantur.* ibid.

Idem: Denique ad orationis aſſiduitatem perſuadendam, iſto ſimilitebatur: *Cùm primum plantata eſt arbor, non illico grandeſcit, & fructus profert maturos: neque, ſi eos profert, omnes ab hominibus eduntur. Ita quis ad me fructus redire queat, ſi vel decem annis cæleſtem Regem deprecor pro æterno regno, nec finem perſevero?* Nempe anima Deo reconciliata quaſi novella arbor, non ſtatim bona deſideria producit, & per ea fructificat: nec ſi fructum ullum adferat, illico ad Dei gloriam cuncta operatur. Perſeverandum itaque in oratione, ut fructum quem optamus, tandem conſequamur. *Th. Stapluz t. Dom. infra Oct. Nat. Dom. in Prompt. Morali.*

Orationis ſeu Rhetoricæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Periclitabantur animæ, quod neminem haberent, qui ipſos ad certamen erudiret animiſque obfirmaret. nec enim ad augendum animi robur leve momentum iis affert oratio, qui ad virtutis ſtadium accinguntur. *Oratione Decima octava.*

D. Nazianzenus: Quid iis oratio afferre poſſit, quorum gloria ipſis actionibus rebuſque geſtis nititur? *Oratione 22.*

D. Nazianzenus: Sermonis ſaturitas non minus auribus inimica eſt, quàm immodicus cibus corpori. *Orationis 40. initio.*

D. Nazianzenus; Has res tu ſublimius exaggerabis, nempe calamitatibus orationis magnitudinem tibi ſuppeditantibus. *Epiſtola 8.*

D. Chryſoſtom⁹: Qui ſtatim à proæmio gravia & importuna loquitur, imbecilliores excludit ab auditione. nam & ſi honore pares ſunt qui audiunt, indignantur; & ſi longè inferiores, dolore afficiuntur, ne ergo hoc fiat, ab iis quæ videbantur eſſe encomia incipit. *Homilia 2. ad Corint. 1.*

Baſilius Seleuc. Jeſus rebus ipſis auctoritatem manifeſtat. Hoc ejus ſapientiæ eſt, verbis demiſſionem animi, factis poteſtatem demonſtrare. *Oratione 42. m.*

¶ LATINORUM.

S. Salvianus: Non tam illud quod unuſquiſque eorum cupiat audire, quam quod nos dicere deceat conſiderandum eſt. *Principio lib. 8. de gubern. Dei.*

S. Chryſologus: Licet fandi ſterilitas ſilentium mihi indicere videtur; loqui tamen vehementia cogit & ſanctitas imperantis. præſtantius eſt enim imperitum prodere eloquium, quàm officioſum negare ſermonem. *Serm. 107. pr.*

Ennodius: Nunquam pauper vena timeatur ingenii, ubi dives eſt cauſa dicendi. Tranſit hominem, quotiens cæleſtibus militat mens noſtra culturis: nec in anguſtum redigitur narrationis exilitas, ſi opifici ſuo obſequium referat narraturus. Poteſt enim linguā facundiæ dotibus ornare, qui contulit; & dare verbis genium, quem fatemur dediſſe ſermonem. Nam Prophetici dudum maciem juvit eloquii, dum ad perfectam magiſtri eloquentiam, & fortiſſimi monitoris tubam imbecilla Moyſi erigeretur infantia: qui nullis gradibus dum peritiam meditatur effloruit, nec per ætatis alicujus ſcientiam ad meſſem perfectionis adſcendit: qui diu militem infabricato portavit ingenio: officium ducis juſſus arripere, quia verecundè renuit; conſtanter implevit. Sic nos dedicationis feſta celebrantes, inter ſpiritualis lætitiæ bona præſtolamur gratiam, dum paremus. Abſit formido debilis: removeatur fiducia inaniter concepta per ſtudium. Nos de humanæ perfectionis ſchemate nec præſumimus aliquid, nec timemus. *Dictionis 4. pr.*

Ennodius: Notum cunctis pene mortalibus, quod dicendi laborem negotiorum feriæ pariant, & eliminatis curarum procellis orationum ſerena plus rutilent. Diem ſuum ingenia, niſi occupationum nebulis fuſcata, non perdunt. ſententiarum jubar cura vacuos reſpicit, & expeditus animus declamationum pompam commendat. Qui cæca remis temerarius freta proſcindit, nudum ſollicitudine gubernaculis pectus accommodat: & clavi regimen ſola, qua magiſtrum navis convenit, inquiſitione perpendit. Tunc ſtuppea in ventos ex voto fræna laxantur, tunc rudentum vinculis diu libera maria vinciuntur; & imperioſis undarum cumulis homo dominaturus ingreditur, viarum incerta aſtris recludentibus agniturus. Tunc Phoſphorum, Pleiadas, Cynoſuram, & quicquid iter monſtrat inſpiciens, ad cæli ductum callis hominis ordinatur; ſi tamen mens nullo extraneæ occupationis mordeatur ambiguo; nec peregrinantem notitiam magiſter inertiæ mæror affligat. Quod ſi aut pigro torpore hebetatus animus domiat, aut diverſis excitatus ſtimulis per devia diſtrahatur, neſcit ad propoſitum ſuum totus occurrere, cujus membra prudentiæ laniſta animarum cura diſcerpit. Inefficax ſemper eſt, & à molis ſuæ valitudine diſſociatus oſtēditur, qui non poteſt, quantus eſt, una tractatuum forma monſtrare. *Dictionis 9. pr.*

Ennodius: Sicut ingenio facundorum creſcunt modica; ita ſiccitate devenuſtantur ampliſſima: & niſi æſtimatis viribus aggrediaris ſarcinam, ſubjacebis. *Dictione 13.*

¶ ORATORUM GRAECORUM.

Ariſtides Rhetor: Nil opus eſt ut perſuadeamus, pejora dicere; ſed optima dicere conandum, ut moveamus quàm plurimos. Etenim ſicut incantationes optimæ ſolent eſſe efficaciſſimæ; ſic orationes optimæ plurimum ad perſuadendum valent. *orat. contra proditores myſteriorum.*

Idem paulo poſt: Ut machinæ ſolent efficaces eſſe, etiamſi nullus ex inimicis earum compoſitionem intelligat: ita oratio rectè conſtituta munere ſuo fungitur, quamvis in imperitiſſimos incidat. Nec poſſum non mirari, cùm vinum, frumentum, oleum, mel, carnem, bellaria, lac, unguenta, aquam, ligna, lapides, nemo corrupta dixerit integris eſſe ſuaviora; ſi quis orationes puriſſimas & ſinceriſſimas corruptis inſuaviores judicet. *orat. contra prodit. myſteriorum.*

Ariſtides Rhetor: Maximā cum felicitate dicendi facultas à Deis primum ad homines devenit; atque inter ſumma bona & nunc & in poſterum cenſenda eſt. *Oratione priore Platonica, de Rhetorica.*

Ariſtides: Cùm recens creati eſſent homines, & animantes aliæ, magnus erat per terram tumultus. Nam nec ipſi ſeſe poterant uti, cum nihil eos conjungeret, verum minores à majoribus tegerentur: nec aliis reſiſtere animantibus quibus in omnibus rebus inferiores erant, ac aliis in aliis, ut celeritate volucribus (quod enim inquit Homerus Pygmeos à gruibus pati, id omnibus tum ab omnibus contingebat fortibus avibus) robore leonibus, apris, atque aliis multis. Itaque fiebat, ut nullo defendente morerentur. Quinimo corporis compoſitione non ab avibus modo, ſed à cochleis quoque ſuperabantur, ſicut nemo ſibi poſſet ipſe ſufficere. Hac ratione cùm vaſtaretur hominum genus, ac paulatim difflueret, Prometheus id animadvertens, cum ſemper humanus eſſet, ad legationē pro hominibus obeundam aſcendit, non ab hominibus miſſus, qui

ignorabans

ignorabant etiam tum quid eſſet legatos mittere, ſed ſua ſponte profectus. Tum Jupiter & Promethei juſtum ſermonem admiratus,& ſimul apud ſe rem conſiderans, Mercurium, filium ſuum, jubet cum Rhetorica ad homines ire. Et quoniam Prometheus ſingillatim omnibus antea ſenſus & alia corporis membra formarat, Mercurio præcepit, ne ita quaſi theatralem pecuniam diſtribueret, ut omnes ex ordine Rhetoricam quaſi oculos, manus, aut pedes cõſequerentur; ſed optimos quoſque & nobiliſſimos ac natura validiſſima præditos ſeligeret, quibus hoc donum impertiret, quo ſe pariter & alios ſervare poſſet. Ita cum à diis eſſet ad homines delata Rhetorica, tum & beluarum terrore potuerunt effugere, & inimicitias mutuas undique depoſuerunt, ac ſocietatis inv. nerunt initium. De montibus itaque deſcendentes, alii ad alia loca ſibi invicem appropinquarunt, ac primum quidem ſub dio: poſtea vero, invaleſcente jam ſermone, urbem conſtruxerunt, ac diviſionem ſui inſtituerunt non fortuitam, ut olim, ſed ad ordines collegiorum redactam. Deinde leges, civitatum principes, tulerunt, ac præfectos & Remp. inſtituerunt, diiſque gratias retulerunt, primitias ſermonum primas offerentes, quibus etiamnum deos maxime delectari vincit ratio, cum ex iis prima deorum cognitio ſit profecta. Atque hoc pacto magnus ex imbecilli & victo redditus eſt homo: quique prius ut res nihili contemnebatur, ex hoc omnibus, quæ ſunt in terra, pro ſuo poteſt uti arbitrio, unico munitus orationis propugnaculo. *Oratione 1. Platonica.*

Ariſtides: Ego vir præclare, hanc facultatem à pueris colui, omnibusque lucris & actionibus præpoſui, non ut adularer populo, aut vulgus ſpectarem, aut opes acquirerem, verum qui ad ea ſe comparat, ac mancipat, eum voco mercenarium, non oratorem, & in felicitatis contentione, ſi eam ſibi tribuit, multis aliis ajo cedere: ſed cum ipſis capiar orationibus, ac decoram eſſe poſſeſſionem exiſtimem eloquentiam: ita pro viribus me exerceo. Cur ergo mihi objicis adulationem, qui ab ea tantum abſum, ut id etiam, ne mihi adulentur alii, caveam? Neque vero quicquam curo, ſi populus me non admiratur: ſed ut ebrioſi nihili faciunt, ſi eos nemo ſciat bibere: nec puerorum aut mulierum amatores ad aliorum arbitrium voluptati ſuæ ſtudent, verum ſi amatis potiantur, ſufficit: ſic & ego in eloquentiæ ſtudio verſatus, & eo reliquorum loco uſus, eam percipio, quæ liberum fortaſſis hominem magis deceat, voluptatẽ ac delectationem, ut etiam ſi nemo ſit vicinorum conſcius, jacturã non faciam. cumque tu etiam eum, qui ſit artis medicæ peritus, voces medicum quamvis artem publice non exerceat, & politicum, qui civilem habeat ſciẽtiam, quamvis alioqui ſuas res agat: idcirco non tibi potius quam mihi licet quærere, quomodo is, qui ſit ita affectus, adulationem exercere dici poſſit, aut alicui rei turpi ſtudere, quem ſi ob nihil aliud, ob ea ſaltem ipſa, quæ colit & perſequitur, ab omni turpitudine oportet eſſe remotiſſimum. Præclare enim cum aliquo agetur, ſi his omnibus omiſſis ac ſepoſitis, & hac una ſibi propoſita voluptate, poſſit eam demum juvante Deo conſequi. Quod enim de re nautica dixit Thucydides, id eloquentiæ magis etiam convenire dicet: non poſſe videlicet hæc obiter pro re nata exerceri: ſed nihil potius ad hæc obiter aliud exerceri. Quocirca non adulatione ſolum vacare eum neceſſe eſt, nec quicquam habere in animo adulterinum, ſed etiam ab omnibus adulatoribus, & omnibus inhoneſtis conventibus atque colloquiis eſſe alienum. *Oratione 1. Platonica.*

Halicarnaſſæus: Oratio ad omnia utilis eſt & accommoda, valetque in univerſum. ſic & in pugna & inſtructa jam acie ducum indiget oratione miles, ſimul & exhortatione atque incitatione: cũ ſint hi Mercurii atque Herculis diſcipuli & æmuli; quorum ille quidem ſermonis eſt inventor, aut re vera ipſa oratio; hic verò adjutãte Minerva omnia quæ præſcripta erant, correxit. *cap. 2. præceptorũ athleticorum, &c.*

Halicarnaſſæus: Architectus cùm materiam paraverit, ex qua domum ædificaturus eſt, lapides, ligna, tegulas, & id genus alia, dum ex his opus ſuum conſtituerit, tria hæc ſatagit. Primò cum quali lapide, vel ligno, vel latere, qualem connectere lapidem, lignum, laterem oporteat: deinde quomodo unumquodque eorum conformatum, & in quo latere collocandum ſit; tertiò ſi aliquid non ſit ſuo loco aptum, id abjicit, recidit, & cõgruum reddit. Navium quoque artifex hæc eadem facit. His, inquam, ſimilia opus eſt ut faciãt ii, qui cupiunt bene partes orationis collocare. Imprimis conſiderabunt, quale nomen aut verbum, aut alia orationis pars, cum quali conjuncta convenienter ponitur: ita ut melius poni non poſſit. non enim omnia omnibus adnexa æquè aures ſolent afficere. Deinde diſcernent quo modo conformatum nomen vel verbum, vel quidpiam aliud elegantius collocetur: utrum numero ſingulari vel plurali accepta meliorem capient copulam? rectone caſu an obliquo prolata, ex maſculinis feminina facta, an ex feminis maſculina, vel neutra melius ſecum congruant? & cætera his ſimilia. Ex verbis etiam quænam potiora ſunt, ut aſſumantur: utrum recta an ſupina, tum per quas conjugationes prolata, quas nonnulli caſus verborũ vocant, optimam ſedem capiant, & quales differentias temporum repræſentent, & cætera quæ ſolent verbis accidere. *cap. 22. de collocatione verborum.*

Philoſtratus: Time populum apud quem multum potes. *Epiſtola 7. ad Epictetum.*

Idem: Scias Græcos tuarum orationum memoriam retenturos, cùm tu è vita exceſſeris, qui verò nihil ſunt, cùm ſunt, qui putas hi futuri ſunt, cùm non ampliùs ſunt? *Epiſt. 8. ad Charitonem.*

Libanius: Orationes ſubita dictione compoſitæ, virtutes ab iis deficiunt, quæ per otium ſunt conſcriptæ. verumtamen eas oratoris characterem oſtendere convenit: quando ne Demoſthenes quidem ubique æqualis eſt; ſed ubique agnoſcitur. *Proloquio Declamationis 38.*

Idem ipſo fine: Non eorum eſt, qui animo perturbati ſunt, oratione uti prolixa. quippe affectus & motus prolixitate ſolvuntur.

Themiſtius: Omnino orationum pulcritudo non talis eſt, ut in novis recenſque editis vigeat; in vetuſtis marceſcat: ſed taleſcunq; tandem fuerint initio conſtitutæ, tales in omne tempus perſeverãt. *fine Orationis 8.*

¶ ROMANORUM.

Plinius: Ames illum diem, & tamen vincas; nova merearis, nova audias, eadem enim dici niſi ob eadem facta non poſſunt. *cap. 75. panegyrici ad Trajanum.*

Plinius Iunior: Invenire præclarè, enunciare magnificè, interdũ etiam barbari ſolent. diſponere aptè, figuratè, variè, niſi eruditis negatum eſt. Neque verò affectanda ſunt ſemper elata & excelſa. nam ut in pictura lumen non alia re magis quàm umbra commendat, ita orationem tam ſubmittere quàm attollere decet. *lib. 3. Epiſt. 13.*

Incertus Panegyriſtes Conſtantino Imp. Quamvis conſcius mihi infirmitatis ingenitæ, & inchoati potius ſtudii, quàm eruditi, cohibere me ſilentio, nequeo, quo minus de recuperata urbe, imperioque Romano, & tandem ex diuturna convulſione ſolidato & ipſe aliquid coner effari, ut inter tantos ſonitus diſertorum mea quoq; vox tenuis exaudita videatur. Etenim ſi in rebus bellicis ipſiſque præliis non ſolum tubæ ac litui, ſed etiam Spartanæ tibiæ incentivum aliquid feruntur habuiſſe; credo quia magnos animos parvo licet modulo ſufficit incitari: cur ego in me de tuo favore diffidam, ut ſermonem meum ſtudio potius tui cultus, quàm ſuis viribus metiaris? *fine capitis primi.*

Ennodius panegyrico dicto Conſtantino Aug. Conſidero neque mediæ ætatis hominem oſtentare debere ſubitam dicendi facultatem; neque aures tanti Numinis quidquam niſi diu ſcriptum & ſæpe tractatum afferri oportere. nam qui apud Imperatorem populi Rom. dicit ex tempore, quantum ſit non ſentit imperium. *limine orationis.*

Symmachus: In defectu rerum nihil opus eſt indulgere verbis. *lib. 1. Epiſt. 9. pr.*

Symmachus: Quid agat, quo ſe vertat, ubi immoretur caſſa rebus oratio? Odi in parvo corpore longa velamina. illa veſtis decenter indutui eſt quæ non trahit pulverem, nec humum demiſſa calcatur. *lib. 3. Epiſt. 10.*

Symmachus: Elegiſti materiam proniorem. accommodatior eſt enim querelæ oratio humana quàm gratiæ. *l. 3. Epiſt. 20. pr.*

Symmachus. Sic ſe ratio habet, ut res maximæ magnos hiatus oris requirunt. *lib. 3. Epiſt. 47.*

Latinus Pacatus. Huc accedit auditor Senatus, cui cum difficile ſit pro amore quo in te præditus eſt, de te ſatisfieri, tum difficilius ꝑ ingenita atque adeo hereditaria orandi facultate, non eſſe faſtidio rudem hunc & incultum tranſalpini ſermonis horrorem: præſertim cùm abſurdæ ſiniſtræque jactantiæ poſſit videri his oſtentare facundiam, quam de eorum fonte manantem in noſtros uſque uſus derivatio ſera traduxit. quibus equidem cogitatis adeo ſollicitor, ut non eos tantum hodie arbitrer intereſſe quos cerno, ſed aſſiſtere obverſarique dicturo Catones ipſos & Tullios & Hortenſios, omneſque illos oratores putem, qui me in poſteris ſuis audiunt. Ita multiplici circumventus metu, quaſi parum habeam timere quod video, video quod timeam, &c. *capit. 1. panegyrici Theodoſio dicti.*

¶ POETARUM.

Ariſtophanes Nubibus v. 97.

Docent hi, modo quis argentum illis det, hominem
Orantem cauſas, æquum, & iniquum, vincere.

Verſu 111.

Ajunt penes illos eſſe ſermonum duo
Genera: unum ſuperius, & inferius alterum.
Et ex his alterum ſermonem, qui ſiet
Inferior, vincere perorando iniquiſſima.
Quod ſi ergo iniuſtum hunc ſermonem addiſcas mihi,
Quæcunq; tua cauſa conflavi debita.
Horum ne obulum quidem cuiquam ego perſolvero.

Ariſtophanes Nubibus. v. 1065.

Vide ſis mi adoleſcens, & perpende omnia, quæ in illa
Caſta inſunt vita: & quantis te voluptatibus eadem
Sis privaturus: liberis, mulieribus, atq; ludis,
Et cottabis, obſoniis, conviviis, cachinnis.
Quibus omnibus ſi orberis: quid proſit tibi caſta vita.
Sed bene nunc tranſeo hinc ad naturæ neceſſitatem.
Peccaſti, amaſti, adulteraſti, ſi ſis deprehenſus,
Iam periiſti illico, neque enim eloquentia vales. ſed
Si mecum verſari optas, natura utere, lude, ride,

Nihil

Nihil pro turpi ducito. Nam si fueris adulter
Comprehensus, ea contra adversarium tuum loqueris:
Quibus demonstres te nullam injuriam cuiquam intulisse.
Sed & culpam in Jovem rejicies: quòd item amore victus
Inierit feminas: & quomodo tu, qui homuncio sis,
Plus possis, quam Deus, qui summa cæli templa fulcit?
Terentius Heauton. 2. sc. 3.
Minimè, ita me Dij ament, miror, si te sibi quisq; expetit:
Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio tua.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absq; voce audaciaq; orator esse quis queat?
Affectum induit quemcunq; Orator, populus accipit.
Allicit plus corda mitis quam violenta oratio.
Auribus prolixa est permolesta oratio.
Commodius nil est quam semper cum sapientiâ loqui.
Consequare oratione viribus quod non queas,
Est quidem ferrum omne forte, at fortior est oratio.
Formam tradere quis loquendi, nisi loquendo non potest.
Gloria oratorum obscura mores est inter bonos.
Grata oratio jucunda homini, est amara ingratior.
Haud cuiuslibet est, quæ in rem suam sint, ut possit loqui.
Imperat quodcunq; suadet bene morata oratio.
Magna de parvis, de parvis magna orator conficit.
Mensa paucos una replet: gentem integram oratio.
Misce cælum terra, orator, dives esse si cupis.
Moribus placet corruptis & corrupta oratio.
Musica in luctu quod est, hoc importuna oratio est.
Non a verbis, verùm a mente ponderanda oratio est.
Non modò est jus condiendum, & condienda Oratio est.
Nulla illustris absq; causa illustriore oratio est.
Nunquam deerunt qui diserti malint esse quàm boni.
O flexamina, ô omnium regina rerum, oratio!
Odiosa est oratio, cum rem habeas, longinquum loqui.
Orator de magnis parva, magna de parvis facit.
Oratori auctoritatem minime derogat locus.
Oratori gestuosa minimè conveniunt manus.
Ore quæ semel profecta verba, revocare haud queas.
Plus bono sit oratori fidei quàm facundia.
Pulcra quæ semel fuit, pulcra usque atque usq; oratio est.
Qualis est homo ipse, talis eius est oratio.
Quidquid è muro profugit dentium, iam non tuum est.
Res carere oratione non potest bonâ optima.
Rebus omnibus humanis una præest oratio.
Sæpe mendax contra veram causam stat oratio.
Sæpe pluris fellea est oratio quam mellea.
Scurrarum est, narrare habenda queis fides non est sua.
Tam finire posse virtus est, quam posse dicere.
Temporis ratio ac decori habenda Oranti maxima.
Veritate orationis tota constat claritas.
Vita qualis est honestis, talis est oratio.
Vita si cui est, ei est & turbulenta oratio.
Vox decora est oratori magna itemq; audentia.
Vt nomisma, sic oratio alia est alio tempore.

§ JAMBICA.

Ad facta quævis, semita est oratio.
Æquare res oratio summas nequit.
Auro loquente quævis muta oratio est.
Cum rem animus occupavit, verba ultrò ambiunt.
Est administra oratio rerum omnium.
Et rhetores fecêre multos femina.
Ferrum penetrat corpus, mentem oratio.
Generale dictum, intelligas generaliter.
Habena equum moderatur: hominem oratio.
In corpore quod forma, est in animo oratio.
Magis loquendum est ore cuivis quàm labris.
Minimi est laboris sensa animi ore proloqui.
Ne plus iniquum possit quam æquùm oratio.
Orant sapientes Græci, stulti judicant.
Oratio mentis bonorum nuntius.
Oratio omnis mentis internuntia est.
Oratio, secreta animi palàm facit.
Orationis forte vinculum est metus.
Orationis vinculum ingens est timor.
Oratione haud uspiam est divinius.
Oratione quidnam in orbe fortius?
Orator alius curâ, alius viget impetu.
Orator esse non potes, nisi sis bonus.
Os percolas: orationis janua est.
Plerumq; mores præ se fert oratio.
Plus viva cui vox proficit, quam oratio.
Quale ingenium habeas, indicio est oratio.
Quod bene morata oratio suadet imperat.
Quod forma corpori hoc in animo oratio est.
Res maximæ, verba exigunt æqualia.
Regnum tenent in concionem rhetores.
Si deficit fides, oratio perit.
Sollicita non decet Philosophum oratio.
Time popellum oratione quem regis.
Timidissimis etiam audax est oratio.
Vbi ratio est abesse oratio haud potest.
Verissimus animi vultus est oratio.
Vita à ferinâ oratio nos segregat.
Viri character ejus est oratio.
Vita homini qualis, talis & iam oratio est.

Oratoris.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Quid laudabilem ordinem solvitis? Quid linguæ, legi servienti, vim affertis? Quid sermonem spiritui cedentem provocatis? Quid relicto capite ad pedes accurritis? Quid Aaronem prætereuntes, Eleazarum in medium producitis? Non patior fontem obstrui, & torrentem currere: Solem occultari, & stellam lucere: caniciem se subducere, & juvenilem ætatem leges ferre: sapientiam silere, & imperitiam insolenter se jactare. Nam profectò nec major pluviæ vis minore utilior est (quonam enim pacto, cum illa ob vehementiam suam terram abstrahat, atque ipsa etiam sorte agricolam mulctet: hęc autem sensim ac leniter labens, & ad ima usque penetrans, agrum pinguem reddat, atque agricolã commodo afficiat, spicamque ad maturum fructum alat) nec item in sermonibus, is, qui uberior ac copiosior est, sapientiore fructuosior & conducibilior est. Ille enim postea quàm exigua fortasse voluptate auditorem affecit, abscessit, simulque cum percusso aere solutus est, nihil aliud supra hoc virium habens: ac per linguæ leporem auribus tanquam præstigias quasdam offudit: hic autem in mentem penetravit, ac dilatatum os spiritu implevit, ortuque suo longior extitit, atque ingentem paucis syllabis segetem edidit. *Orationis 15. principio.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui sermonis facultatem improbant, non est obscurum quin inscitiæ suæ ac infantiæ probrum in eam derivare audeant. Qui autem eam probant, cùm veritatis patrocinium suscipit, vituperant autem, cùm improbitati operam navat, hi nimirum & humanæ naturæ nobilitatem, ut quæ sermone donata sit, cognitam atque perspectam habent, & malignitatis eorum, qui sermonibus non rectè utuntur, absurditatem haudquaquam ignorant. *lib. 3. Epist. 393.*

§ ORATORUM GRAECORUM.

Lysias: Hujus causæ contentio, Judices, longe languidior est, quàm exspectaram. Multi enim minabantur, & dicebant se accusaturos Philocratem, quorum nullus nunc comparet. Atque hoc mihi certissimum videtur indicium, quod non injuria sit delatus Philocrates. Nisi enim plurimas Ergoclis facultates haberet, nequaquam tam facilè accusatores à se potuisset avertere. *initio orationis 28. contra Philocratem.*

Lysias: Quis Atheniensium ignorat, tria talenta ab Ergocle oratoribus apud sequestrem fuisse deposita, ut ipsorum, si posset, opera, servaretur, & non oppugnaretur? *cap. 2. orat. 28. contra Philocratem.*

Lysias: Ad improborum delicta oratores recepta pecunia connivent; & à quibus nihil accipiunt, iniquos esse declarant: & æquè graviter accusant, tam eos qui in Senatu tempore Triginta virorũ sententias non dixerunt, quam qui dixerunt. *cap. 2. orationis pro Polystrato.*

Lysias: Neque enim si quis non optima dicendo persuadeat vobis, vos estis auctores mali, sed qui vos in fraudem inducit. *Orat. pro Polystrato.*

Apollonius, Scopeliano Sophistæ: Quinque sunt in universum orationis characteres. Philosophicus, Historicus, Forensis, Epistolaris, Commentatorius. Cùm igitur generales characteres in ordinem sunt redacti rursus fit primus qui uniuscujusque, facultate aut natura, proprius est. Secundus verò qui consistit in imitatione optimi eorum, qui in natura insunt, si quis deficiat. Optimum autem inventu judicatuque difficilimum est. Itaque familiarior unicuiq; stilus proprius, quemadmodum & firmior. *19. Epist.*

Aristides Rhetor: Jam quod ait Plato, oratores ea quæ populo placeant suadere, atque id solum spectare, id omnino sophisticum est. nam mihi nec Rhetorica quidquam habere magis proprium videtur, quam ut ea quę populo videantur, non statim fieri permittat, nec oratores quidquam potius quàm optima quæque spectare: nec vel ipse populus diffiteri, quin in rebus considerandis, ac toto vitæ habitu & conditione præstent ipsi oratores: idque ex honoribus, quos eis tribuit manifestum fieri. si enim verum esset quod objicit Plato, nec populum ducerent oratores, sed ab eo regerentur, quemnam primùm honorem ab eo consequerentur, aut ubi prærogativam haberent aliquam? nemo enim ministros tanquam se meliores admiratur, nec ejus, ante quem de rebus deliberavit, senten-

ſententia ſequitur. Deinde quis vel præco vel legatus nunquam oratorem deſideraret, ſi id oratorum eſſe proprium, ut populo placita ſuaderent conſtaret? nam quæ civitas mittens eum qui nullius eſſet pretii vellet colere: vel quis legatus veniens ad eum, populo ut perſuaderet, accederet, cujus eam ſciret eſſe profeſſionem, ut populi volũtatem ſequeretur, atque ejus vocem, ut pueri magiſtrorum, expectaret? contra profectò atq; in choris accideret, ſi orator populi judicium, non populus exſpectaret oratorem. Quis præterea vel publici vel privati criminis reus oratorem defenſionis cauſa quæreret, ſi nihil ille aliud quam quod judicibus videretur, eſſet dicturus? Ita certè ii, qui in maximo verſarentur diſcrimine (quales ſunt quibus infeſti ſunt auditores, quique calumniis ſunt præventi) quique de maximis rebus diſceptarent, minimè omnes oratores, curarent. Et ſi ea quæ placerent auditoribus, oratores dicere ſtuderent & augere, domo ſecum perniciem mehercule afferret, ſi quis oratorem in tali cauſa adhiberet, tanquam ſi quis carnificem ſecũ adduceret. Num igitur hæc ita ſe habent, ac qui maximè mortem iniquitatemque metuunt, ij ſummopere oratores contemnunt? minimè verò; nec nunquam tam abſurdè loqueretur Plato. quin ad fores accedunt, obſecrant, advolvuntur, omnium remedium eſſe malorum exiſtimantes Rhetoricam, mortis, exilii, metus ipſius, iræ judicum, populi contentionis, ceterorum. cur obſecro? niſi quia non ad judicum voluntatem ſciunt eos orationem ſuam inſtituere (alioqui nec hoc ipſis liceret, ſi eò ſpectarent) verùm procul rem conſiderare, & pro ejus ratione orationem inſtituere, atque ad ejus naturam, non auditorum ſpectare, aut ſi etiam auditorum, non tamen ut eorum cupiditati obſequatur, aut quantum audire velint dicant, ſed ut poſtquam quæ dicenda fuerunt, dixerint, perſuadere poſſint: quemadmodum & medicos videmus corporum ſpectare naturas, non quidem ut hominum cupiditatibus ſubſerviat, ſed ut optima quæque non temerè, verùm ut ea facillimè poſſit ægrotus accipere, propinent, &c.

Paulo poſt: Quod pueris præceptores, id populo præſtant oratores. monſtrant quid faciendum ſit: ſententiis ac decretis inſtituunt. Atque hæc ita ſunt à natura conſtituta. non accommodat ſe Coryphæus ad ſaltatorum voluntatem, ſed ſi quid alicubi gratificatur, illud etiam ne quid abſonum canat obſervat. verùm non ſuppeditant ei ſaltatores procœmia, nec pro illorum imperio cantum & numeros inſtituit, neque quid eos docere debeat ab ipſis diſcit, non magis quàm à nautis gubernator quid faciat docetur. imò audiunt præcepta nautæ, loquitur autem gubernator, non ſi quid nautis videatur, ſed ut ipſe dominus univerſorum exiſtens. ita ſit ut ubi ue penes duces ſint omnia, & eorum voluntati pareant omnes, partim inviti, uti plerique choro coryphæus imperat, nautis gubernator, dux militibus, orator populo, &c. *Videantur plura oratione priore Platonica, de Rhetorica.*

Libanius: Oratorem cùm dico, hominem dico, qui valeat de magnis parva facere dicendo, deque parvis magna. item que de injuſtis juſta, & de juſtis contraria *progymn. de armis Achillis.*

Libanius: Nihil utile vobis omnino de oratoribus occurrit. Non ij profectò terram vobis colunt, & mare navigant, neque in artibus ad vitam neceſſariis elaborant; neque horum collationibus & ſuppeditationibus urbs illuſtratur, neque eorundem armis conſervatur. ignava gens & curioſa, ſupervacanea & loquax, & à militia aliena. quippe qui timidi, & ſuperbi, & litigioſi, & belli amantes, tumore ac tumultu complent omnia; mente autem vacui & rationib. neceſſariis deſtituti; linguæ tantum; quas ſi quis eis eripuerit velut tibias, cetera nihil ſunt niſi verba & umbræ. Quid ex meis aut alterius cujusvis oratoris ſermonibus commodi exſtitit? cùm ſuggeſtum aſcenderunt, quando uſus venit, vos increpuerunt: majores laudaverunt: vobis aut odio vel gratia impulſi, verba fecerunt, aut gravius malum patrarunt. Ejuſmodi ſunt oratores; ſani verò aut probi nihil: ne ad conſulenda quidem quæ par eſt, nullus tantus eſt oratorum uſus. nam populus ipſe optime id conſequitur. *Oratione Demoſthenis, declamatione 16.*

Libanius: Qui multa ex hoc ſuggeſtu ſæpe dixit, aut facinoroſos accuſans; aut injuria affectis ſuccurrens; nunc in ſilentio conſtitutus in aliorum linguis ſpem ſalutis ſuæ collocat. *initio declamation. 42.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Relinquere aculeum in audientium animis is demum poteſt, qui non pungit, ſed infigit. *l. 1. Epiſt. 20.*

Quintilianus: Tranſeo ad oratorem: quem intelligo fiducia eloquentiæ ad hanc deſcendiſſe cauſam. Multum ſe valere in judiciis putant: rapiunt malas aliquando cauſas. Et ſanè ſi Juſtitia valeat, quid eſt eloquentia? quid ergo civitati conferunt? Illa enim ſanè remittamus: omne circa verba ſtudium, & (cùm rerum natura beneficio ſuo ita homines inſtruxerit, ut nulla res non voce explicetur) ſupervacuum quendam in exorando laborem. Eodem redeunt omnia. Quid civitati profuiſti? Advocatione tua defenſus eſt aliquis. ſed læſus qui ex diverſo erat. Eripuiſti periculo reum. unde ſcio an nocentem? Innocentia quidem per ſe valet. Damnatus eſt aliquis accuſante te. unde ſcio an eloquentiæ vitium ſit? Quid ego de privatis loquor? Civitatum ſtatus ſcimus ab oratoribus eſſe converſos: ſive illam Athenienſium civitatem quondam latè principẽ intueri placeat, acciſas ejus vires animadvertemus vitio concionãtium: ſive P. R. ſtatum excutere voluerimus, nonne graviſſimas ſeditiones, nonne turbidiſſimas conciones eloquentiſſimus quiſque habuit? Nonne illi Gracchi ad evertendam Rempublicam, his veluti armis ſuccincti, acceſſerunt? Quid ego dicam, quantum civitati profuerit Eloquentia? ſibi nocuit. Summos utriuſque partis oratores videamus. Nonne Demoſthenem illum oppreſſum veneno ſuo ſcimus? nonne Ciceronem in illis in quibus totiens placuerat roſtris, pænæ ſuæ expoſitum? *Declam 268. ante finem.*

Eumenius: Conteſtatum eſſe initio apud audientes volo, temporarium me dicendi munus meis ſtudiis peculiariter commodare, non ad incognitam mihi ſectam forenſium patronorum alienæ laudis cupiditate tranſire. neque enim tanta me aut negligentia aut confidentia tenet, ut neſciam quanta ſit inter hanc aciem fori, & noſtra illa ſecreta ſtudiorum exercitia diverſitas. ibi armantur ingenia, hic præliantur: ibi præluſio, hic pugna committitur. hic plerunque velut ſudibus & ſaxis, illic ſemper telis ſplendentibus dimicatur. hic ſudore & quaſi pulvere ſordidus, illic inſignis ornatu laudatur orator: ut ſi uterque experiundi cauſa officia commutent, alium quidem tubarum ſonus & ſtrepitus armorum, alium quidem triumphi deterreat. *capite ſecundo pro reſtaurandis ſcholis.*

Monoſticha Trochaica & Iambica videatur titulus Orationis.

Orbitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chryſoſtomus:* Orbati, quod eſt filiorum patres quærentium. Quid vero, illine erant orbati? Non, inquit, ſed nos. Nam ſi quis deſiderium examinaverit, ſicut parvi pueri, quorum nullus curam gerit immaturam ſubeuntes orbitatem, in magno ſunt parentum deſiderio, non ſolum propter ipſam naturam, ſed etiam propter ſolitudinem: Ita nos quoque. *Homil. 3. ad Theſſal.*

¶ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Arrianus: Enimvero qui præ amore aliquid contra animi ſui ſententiam facere cogitur, ſimulque quid melius ſit perſpicit, ſimulque non tantum virium habet ut id poſſit perſequi, cum ego venia digniorem judicavero: quippe qui à te violenta & propemodum divina detineatur. Te autem quis ferat, aniculas & ſenes deamantem, illaſque extergentem, & abluentem, & muneribus conciliantem, ſimulque eas ægrotantes ſervilem in modum curantem, ſimulque mortem earum exoptantem, & percontantem medicos, ſitne morbus lethalis. *circa finem c. 26. l. 3. Epicteti.*

Simplicius: Orbitas expedita eſt, vacare ſinit rebus pulcrioribus, nec de copiis poſt obitum relinquendis curare cogit: & quod meo judicio maximum eſt, non neceſſe habet liberos interdum malos aviare. tum enim fit, ut improbitas ametur. *ad c. 65. Epicteti.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Infelices quidem qui liberos ſuos ad rogũ deflent. Summum orbitatis eſt malum deſiderare. hoc verò intolerabile eſt, lugere viventem; quoties occurrit flere; plenas quaſdam ducere exequias dignitatis. *Declam. 344. a. m.*

Seneca: In civitate noſtra plus gratiæ orbitas confert quàm eripit: adeoque ſenectutem ſolitudo, quæ ſolebat deſtruere, ad potentiam ducit. ut quidam odia filiorum ſimulent & liberos ejurent, & orbitatem manu faciant. *Conſolationis ad Marciam c 19.*

Petronius Arbiter de Crotoniatis: In hac urbe omnes aut captantur, aut captant. nemo heic liberos tollit. quia quiſquis ſuos hæredes habet, nec ad ſcenas, nec ad ſpectacula admittitur, ſed omnibus prohibetur commodis, interque ignominioſos latitat. Qui verò nec uxores unquam duxerunt, nec proximas neceſſitudines habent, ad ſummos honores perveniunt: id eſt, ſoli militares, ſoli fortiſſimi, atque etiam innocentes habentur. Videbitis oppidum tanquam in peſtilentia campos, in quibus nihil aliud eſt niſi cadavera quæ lacerantur, aut corvi qui lacerant. *Satyrico.*

Quintilianus: Aſpicis collapſum, & ex omni calamitatum genere miſerum, & ultra quod accidentium menſura non exit, in orbitate mendicum. *Declam. 5 §. 9. pr.*

Quintilianus: Inter eos qui liberorum mortibus deſtituti, cuncta vota & præparatas ſpes in ſenectutem, ante ſe egerunt, id ferè acerbiſſimum certamen conflictationis oritur, ut unuſquiſque luctibus ac lacrimis ſuis credat accedere quandam dignitatem, ſi miſerrimus eſſe videatur. *Declam. 10. pr.*

Plinius Iunior: Sunt Fundano liberi plures. nam in hoc quoque functus eſt optimi civis officio, quod fæcunditate uxoris largè frui voluit, eo ſæculo quo plerique etiam ſingulos filios orbitatis præmia graves faciunt: quibus ille deſpectis, avi quæque nomen aſſumpſit. *Lib. 4. Epiſt. 15.*

Plinius: Dignum eſt, Imperator, manſuetudine tua minuere orbitatis injurias, nec pati quemquam filio amiſſo inſuper affici alio dolore. ſic quoque abundè miſera res eſt, pater filio ſolus hæres. *cap. 38. ad Trajan.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cui ſuus non extat hæres, plurimum dives poteſt,

Gratia orbitas plus confert sæculo omni quàm eripit.
Hoc à pluribus coletur orbus est quo ditior.
Liberis carens, beatus infortunio est suo.
Liberis carere felix admodum infortunium est.
Orbitas bono maloq; sæculo juxta valet.
Orbitas pecuniosa mille subdita est dolis.
Orbitas pecuniosa quævis impunè patrat.
Orbitas pecuniosa plenam habet semper domum.
Temporibus bonis malisq; juxta regnat orbitas.
Vltimum omnium malorum est orbitas egentior.

¶ JAMBICA.

O triste fractis orbitas annis malum.
Plus gratia confert quam tollit orbitas.
Rex orbus esse, salvo populo non potest.

Ordinis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Non est dissensionis & confusionis Deus, sed pacis & ordinis. Ne quis igitur caput sit, qui vix, aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est: verùm, quo vocatus est, in eo gradu quisque maneat, etiamsi alioqui præstantiori dignus sit, plus utique laudis habiturus ex eo, quòd præsenti gradu acquiescit, quam si eum quærat, quem non accepit. Ne quis, cum sine periculo alium sequi liceat, præire cum periculo expetat: nec obedientiæ lex, quæ, tam terrena, quàm cælestia tuetur atque conservat, infringatur: neque committamus, ut præfectorum multitudo in dissolutam sine ullis præfectis vivendi licentiam recidat. *Oratione 9.*

D. Nazianzenus: Illud malum est ac molestum quod jam nemo fidelis & virtute simplex, atque à fuco & simulatione immunis esse creditur, quantumvis etiam animi firmitate ac syncera pietate præditus sit; verùm alius apertè quoque malus est, alius pro larva tantum & colore quodam morum facilitatem habet, ut virtutis specie fallat. Cumque non ideo statim omnes nigri judicentur, quia nonnulli tales sint, nec ignobiles aut deformes, aut ignavi, vel intemperantes, & libidinosi, quòd plures ita se habeant, verùm per se quisque ac privatim expendatur, nec eorum quicquam, quæ vel vitio, vel laudi dantur, communiter omnibus attribuatur, hic contra vitium ad omnes facilè diffunditur, atque ob multorum, vel etiam quorundam culpam universus ordo in invidiam & crimen vocatur. *Oratione 14.*

D. Nazianzenus: Asciscitur in sacrum Presbyterorum ordinem Basilius; sic nempe ut eum non subitò ad hunc gradum subveheret, nec simul eum & ablueret, & sapientia instrueret, quemadmodum plerosque eorum qui nunc Antistitum munus appetunt: verùm ordine, ac spiritualis progressionis lege, hoc eum honore afficeret. Nec enim mihi perturbatio illa temeritasque probatur, quæ apud nos nonnunquam, & in nonnullis Ecclesiæ præsidibus existit, non enim eo audaciæ progrediar, ut omnes accusem: iniquè enim facerem. Verùm nauticam legem laudo, quæ gubernatori futuro primùm remos tradit, deinde ad proram eum collocat: sicque prioribus muneribus ipsi commissis, tandem eum post diuturnam remigationem ac ventorum observationem ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio: miles primùm, deinde Centurio, tum Imperator. Hic optimus ordo est, iisque, qui absunt, in primis conducibilis. Quàm præclarè nobiscum ageretur, si idem rerum nostrarum status esset? Nunc autem periculum est, ne ordo omnium sanctissimus omnium maximè sit ridiculus. Non enim virtute magis, quàm maleficio & scelere sacerdotium paratur: nec digniorum, sed potentiorum, throni sunt. Samuel inter Prophetas, ille inquam futura prospiciens: Sed & Saul, vilis ille & rejectitius, Roboam Salomonis filius inter Reges: sed & Hieroboam, servus & apostata. Cumque, nec medici, nec pictoris nomen quisquam obtineat, nisi priùs morborum naturas consideravit, aut multos colores miscuerit, variasque formas penicillo expresserit, Antistes contrà facilè invenitur, non elaboratus, sed recens quantum ad dignitatem, simul satus & editus, quemadmodum poëtæ gigantes finxerunt.

Uno die sanctos fingimus, eosque sapientes & eruditos esse jubemus qui nihil didicerunt, nec ad sacerdotium quicquam prius contulerunt, præter velle. Atq; ille quidem inferiori sede acquiescit, humilisque stat, qui sublimem promeretur, atq; & multum diuque in divinorum sermonum meditatione versatus est, & multùm diuque carni leges sanxit ad spiritui parendum: hic contrà superbè & arroganter præsidet, superciliumq; adversus meliores attollit, nec thronis intremiscit, nec ex aspectu horrorem concipit, hominem continentiæ studiosum infra se videns, verùm simul cũ imperio sapientiorem quoq; se esse existimat; pravè utiq; sentiens, atq; à potentia & authoritate de mente deturbatus. At non ita magnus & insignis Basilius, verùm ut aliarum omnium virtutum, sic etiam ordinis in his rebus & disciplinæ aliis exemplar se præbet. Nam cùm prius sacros libros populo lectitasset, qui eos postea enarravit, nec hunc sacerdotii gradum indignum se duxisset, ita demum in Presbyterorum, ac deinde in Episcoporum cathedra Dominum laudat, non hanc potestatem furatus, nec ea per vim potitus, nec honorem persecutus, sed ab honore quæsitus; nec humano favore, sed divinitus ac Dei gratia sacerdotium consecutus. *Oratione 20. in funere Basilij Magni.*

D. Nazianzenus: Ordo in Ecclesiis quoque constituit, ut alii oves sint alii pastores, alii præsint, alii subsint ac pareant, alius velut caput sit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum, ad totius Ecclesiæ concinnitatẽ & utilitatẽ, vel inferi⁹, vel præstãtius. Et quemadmodũ in corporib. nec membra inter se divulsa sunt, verùm cuncta unũ corp⁹ sunt ex diversis mẽbris conflatũ, nec rursum idem omnium munus est, tametsi alioqui ad benevolentiæ concordiæque necessitatem, honorisq; parẽ in disparibus rationẽ, alia aliorum opera ex æquo indigeant (neq; enim ocul⁹ ambulat, sed viã cõmonstrat, nec pes prospicit, sed ingreditur ac loca permutat, nec lingua voces accipit, id. n. auriũ est, nec rursus auris loq̃tur, quod linguæ officiũ est: & nasus quidẽ eorũ, q̃ olfactu sentiũtur, organum est, guttur autẽ, velut Job ait, cibos degustat: manus porrò dandi atq; accipiendi instrumentũ est: mens deniq; omnib. p̃est atq; imperat, nimirũ à qua vis sentiẽdi ꝓficiscitur, & ad quã sensus omnes referuntur, ad eundẽ quoq; modũ apud nos, hoc est, in cõmuni Christi corpore, res se habet. Omnes. n. corpus unũ in Christo sumus, singuli autẽ Christi, atq; alii aliorũ mẽbra. Alii enim dominantur & p̃sunt: alii parent ac reguntur. Et quãvis non eadẽ sit utrorumq; actio, nisi quis idẽ esse contẽdat, præesse, quod parere: fiunt tamen utriq; in unum Christum, ab eodem Spiritu constructi atq; compacti. Ac rursus, quemadmodum inter eos, qui subsunt, permagnũ discrimen reperitur, ut qui, & doctrina, & usu atq; exercitatione, & ætate inter se differant: eodẽ modo inter præfectos quoq; non parva differẽtia est, ac Spiritus prophetarum prophetis subjici cùm Paulus ipse affirmet, non est cur de ea re dubites. Et quosdã quidem, inquit, posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò prophetas, tertiò pastores & doctores: primum propter veritatẽ, alterum propter umbrã, postremũ propter utilitatis & illuminationis divinę mensurã. Et Spiritus quidem unus est, nõ a. pares gratiæ: quandoquidẽ nec paria Spiritus conceptacula. Alii enim per Spiritum datur sermo sapientiæ & speculationis, alii sermo scientiæ & revelationis, alii fides certa minimeq; dubia, alii virtutum sublimiũq; miraculorũ editiones, alii gratiæ curationum, opitulationes, hoc est defensiones & patrocinia, gubernationes, hoc est carnis castigationes, genera linguarum, interpretationes linguarum, aliis denique præstantiores, aliis inferiores gratiæ, pro fidei nimirum ratione & proportione. Hunc ordinem revereamur, ô fratres, hunc tueamur & conservemus. Alius auris sit, alius lingua, alius manus, alius aliud quiddã. Alius doceat, alius discat, alius propriis manibus bonum operetur, ut habeat quod egentibus impertiat. Alius præsit ac plebem moderetur: alius justitiæ laudem per ministerium consequatur. *Oratione 26.*

D. Nazianzenus: Respicite in cælum sursum, & in terram deorsum, atq; animadvertite quo pacto tota hæc rerum moles constructa & coagmentata fuerit, unde originem habuerit, quid ante exornationẽ erat, & quo jam nomine universum appelletur. Ordine omnia concinnata & distincta sunt, & quidem concinnatore Verbo: non quòd, ut una res, ita omnes simul produci non possent (nam qui ea, quæ non erant, in ortum produxit, productisq; formam & speciem dedit, idem profectò nequaquam infirmitate prohibebatur, quo minus omnia in lucẽ ederet & exornaret (verùm ob hanc causam aliud primum, aliud secundum & tertium numeratur, ac sic deinceps, ut simul cum rebus creatis ordo statim ingrediatur. Ordo itaq; omnia constituit & colligavit. Ordo cælestia & terrestria continet. Ordo in iis, quæ ratione & animo intelliguntur, locum habet: ordo in iis, quæ sensibus percipiũtur: ordo in angelis, ordo in astrorum motu, magnitudine, mutua relatione, & splendore. Alia enim Solis gloria est, alia Lunæ, alia stellarum, Stella enim à stella claritate differt. Ordo in anni partibus & temporibus, aptè & distinctè, tum progredientibus, & recedentibus, ac per mediocritatem asperitatem mitigantibus. Ordo in diei & noctis mensuris & intervallis. Ordo in elementis, ex quibus corpora constant. Ordo cælum in orbem duxit, aërem exporrexit, terram supposuit, aut etiam superposuit, humidam naturam fudit, atque in unum locum contraxit, ventos emisit, sed non ad hominum perniciem immisit, aquas in nubibus astrinxit, sed non retinuit, verùm in totius terræ faciem aptè & æquabiliter sparsit: idque non ad exiguum tempus, vel unum aliquem temporis articulum, verùm ab ipsis mundi primordiis in finem usque eandem viam recto rursu tenentia, & circumeuntia, fixaque simul & motu agitata, illud vi Verbi & facultate, hoc rei fluxæ & caducæ naturá. Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit. Illud fixionis & soliditatis: at si quid ortum habuit, aut habiturum est, hoc fluxionis. Atque ordine quidem florente ac dominante mundus est. Universum hoc, ac pulchritudo certa & stabilis. Contrà autem, perturbatio & confusio, in aëre tonitrua, in terra motus, in mari naufragium in urbibus domibusque bella & dissidi, in corporibus morbos, in animis peccata procreavit. Hęc enim omnia, non pacis nec ordinis, sed confusionis

& perturbationis nomina sunt. Quin celebrem quoque illam, atq; omnium sermone tritam, & in expectatione positam labem & corruptionem, haud quicquam aliud esse existimemus, quàm profusam quandam & redundantem omnium rerum confusionem (ut enim ordo constringit, ita perturbatio solvit, ac dissipat) cùm videlicet ei totam hanc rerum machinam dissolvere, aut in præstantiorem statum commutare visum fuerit, à quo conjuncta, & tanquam vinculis quibusdam constricta est. Ordo cunctis animantib. ortum, & alimentum, sedesque unicuique aptas & congruentes indixit, & quasi lata lege præscripsit. Ac nec delphinum quisquā arva sulcantem vidit, nec bovem per aquas lubricum iter carpentem, quemadmodum nec solem noctu decrescentem vel augescentem, nec rursus lunam mortalibus interdiu prælucentem. Montes excelsi cervis: petra refugium herinaciis. Fecit lunam in tempora: sol cognovit occasum suum. Simulatque nox terram caligine obduxit, statim homo somno contrahitur, feræ a. liberè vagantur, ac pabulum à Creatore concessum quærunt: Simulatque Sol illuxit, statim bestiæ congregantur, atque homo ad opus properat. Ita ordine inter nos juxta naturæ legem cedimus. Addam, quod maximum est, maximeque proprium. Ordo ex mixtura partim ratione prædita, partim rationis experte, hominem, ratione utens animal, construxit, atque arcano modo, & qui nullis verbis explicari queat, terram cum mente, mentem cum spiritu vinxit. Quin, ut mirabilius aliquid in figmento suo atq; opere patraret, idē ipsum & cōservavit & dissolvit. Alterū n. superinduxit, alterū subduxit, non sec⁹ atq; in aquarum fluxu, corporique mortali immortalitatē per dissolutionem comparavit. Ordo nos à mutis animantibus distinxit, civitates condidit, leges instituit, virtutem honoribus, vitium pœna affecit, artes excogitavit, matrimonia conciliavit, ac per acrem erga susceptos liberos amorem feram & agrestem vitam ad humanitatem excoluit, & quod terreno hoc & carnali amore majus est, divinum amorem animis nostris infixit. Quid autem singula commemorare attinet? Ordo omnium rerum pater & præsidium est. *Oratione 26.*

Chrysostomus: Ille quoque est honor maximus, suum servare ordinem, sicut etiam magnum est dedecus inter se dissidere. *Homilia 26. ad Corint. 1.*

D. Chrysostomus: Nihil æque ædificat, ut ordo rectus, ut pax, ut charitas: sicut etiam contraria diruunt. Non solùm autem in spiritualibus, sed etiam in aliis omnibus hoc videris. Nam sive in choro, sive in navigio, sive in curru, sive in castris, ordinem confundas; & majoribus suo loco ejectis, in illorum ordinem minora induxeris: omnia corrumpis. & sic quæ sunt suprà fiunt infrà. Neque nos ergo ordinem corrumpamus: neque caput infrà statuamus, neque pedes suprà. Hoc autem fit, quando rectam quidem rationem infernè dejecerimus; concupiscentias autem, iram & excandescentiam, & voluptatem rationi præfecerimus. Unde magnus existit fluctus, magna perturbatio, & magna tempestas; cùm omnia occupēt tenebræ. *Homilia 37. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Is qui ante elementa docet legere, nunquam ne elementa quidem docebit. *fine Homiliæ 4. ad Coloss.*

Chrysostomus: In scalis primus gradus transmittit ad secundū: à primo autem non licet venire ad quartum; & iste ad illum, ut ille ad istum sit via. neque ante primum fieri potest ut veniatur ad secundum. *Hom. 5. ad Coloss.*

¶ LATINORUM.

S. Valerianus: Quando potest fieri, ut non confusione multarū rerum, aut dicentis aut audientis impediatur ingenium? *initio Homiliæ 8.*

¶ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Xenophon: Ego vero, quum tu nos rationes ordinum edoctos dimisses, ac jussisses, uti quisque suam cohortem ea doceret, quæ nos abs te didicissemus: & ipse discedens abs te, quemadmodum facere videbam ceteros, manipulum unum erudiebam. Quumque loco primo statuissem præfectum manipularium, ac post hunc juvenē quemdam collocassem, itidemque ceteros, quo quemque loco putabam disponendum: stabam deinde ab anteriore parte, versusque manipulum respiciens, quum opportunum mihi visum esset, progredi jussi. Ibi tum juvenis ille progressus ante manipularium, prior incedebat. Quod ego videns: Heus tu quid agis? inquam. Et ille: Progredior, ait, uti jubes. Ego vero non te, inquam, solum jubebam progredi; sed omnes. Id ille quum audiisset, ad socios manipulares conversus: an non auditis, ait, jubere hunc, ut procedamus omnes? Tum illi omnes manipularium prætergressi ad me accedebant. Quum autem manipularius eos priorem in locum reduceret, stomachabantur; & utri parendum erit? quærebant. Jam enim hic progredi jubet, ille vetat. Hæc ego ferens æquo animo, deque integro quemque suo loco disponens, ne quis se posteriorum prius commovere edicebam, quam anterior præcederet: adeoque unum hoc spectarent omnes, ut anteriorem sequerentur.

Quidam vero profecturus in Persiam, quum ad me veniret, epistolamque posceret, quam ad meos perscripseram: jubeo manipularium (is enim quo esset loco sita epistola norat) currere adlatum eas litteras. Ibi tum hos currente, juvenis ille cum lorica copideque manipularium sequitur, idque videns ille manipulus universus, una currebat: atque hoc pacto epistolam omnes adferunt. Sic adeo meus, inquit manipulus omnia tenet accurate, quæ abs te nobis imperata sunt. Heic alii quidem, ut par erat, propter hoc satellitium epistolæ ridebant. Cyrus autem: Proh Jupiter, vosque Dii omnes ait, cujusmodi nobis socii sunt, quos tam facile demereri liceat, ut multorum ex ipsis amicitia etiam exiguo conciliari obsonio queat: & qui adeo sunt obœdientes ut prius, quam norint, quid imperetur, obtemperent. Equidem qui potius optandi sint, quam hujusmodi milites, nescio. Atque hoc modo Cyrus simul ridens, milites hosce collaudabat. *cap. 13. lib. 2. Cyropediæ.*

Xenophon: Etiam alium cohortis cujusdam præfectum aliquando vidit, qui cohortem suam à fluvio singulis singulos subsequentibus ad prandium ducebat, & ubi tempestivum ei videbatur, posteriorem manipulum præterito tertio, & quarto, in frontem procedere jubebat. Quumque jam in fronte manipularii duces essent, mandabat in binos explicatum manipulum ducerent. Itaque deinde decuriones in frontem perveniebant. Rursus quum opportunū ipsi visum esset, imperabat in quaternos explicatum manipulum ducerent. Atque ita quinarii procedebant, ut in quaternos explicatus manipulus iret. Postquam vero perventum esset ad fores tabernaculi, tum signo dato jubens, ut rursus singulatim incederent, manipulum primum introducebat, & alterum jubebat hunc pone subsequi, itidemque tertio & quarto præcipiens, ducebat intro: & hunc in modum introductos in cœna discumbere volebat, sicuti videlicet ingressi essent. Hunc ergo Cyrus admiratus ob mansuetudinem, & institutionem hanc, & diligentiam: una cum præfecto cohortem ad cœnam invitat. Ibi quum & alius quidam cohortis præfectus, ad cœnam vocatus adesset: Meam vero, inquit, cohortē ad tuum hoc tabernaculum Cyre, non invitas? Illa tamen quoties ad cœnam venit, hæc omnia facit: & ubi contubernii finis est, extremus ultimi manipuli ductor suum manipulum educit, qui quidem postremos habet primo ad pugnam loco dispositos: deinde post hos, qui alterum manipulum cogit: similique ratione tertius & quartus: nimirum ut quum ab hostibus reducendi sunt, quo pacto sit abeundum norint. Postquam vero jam constitimus in curriculo, ubi deambulamus: si quidem versus ortum progredimur, ego præire soleo, & primus manipulus locum primum habet, alter itidem suum & tertius, & quartus, ac manipulorum etiam tum decuriæ tum quiniones, donec signum à me detur. Quum vero versus occidentem recedimus, tum qui ultimum agmen cogit, & cum eo postremi primo loco duces in abitu sunt: ac nihilominus mihi, qui sum ultimus parent: ut & sequi, & præcedere pari cum obœdientia consuescant. Et Cyrus: Hoccine semper, ait, facitis? Profecto, respondit ille, quoties cœnam instruimus. Vos igitur, inquit, ad cœnam invito, partim quod & in accedendo & in abeundo studiose servatis ordines, partim quod illud & interdiu & noctu facitis, partim quod & corpora deambulando exercetis, & animos docendo meliores redditis. Et vero quum omnia duplicia faciatis, æquum est vobis etiam duplex epulum præberi. Minime profecto, ait cohortis illius præfectus, uno quidem die: nisi nobis duplices etiam ventres dabis. Ac tum quidem hoc pacto finis contubernio huic impositus fuit. Cyrus vero illum ordinem quemadmodum dixerat, & postridie, & sequenti etiam hunc die vocavit. Quæ quum & ceteri animadverterent, universi deinceps hos imitabantur. *cap. 24. lib. 2. Cyropadiæ.*

Xenophon: Cyrus cum prima diei luce oppidum ingressus, ne qs ordines desereret, edixit. Crœsus autem seipso intra regiam occluso, Cyrum inclamabat. Cui Cyrus custodibus relictis, ad arcem occupatam contendit: ubi quum Persas arcem, ut oportebat, custodire videret, Chaldæorum vero arma sola conspiceret, quod illi decurrissent, ut ex ædibus prædam facerent: mox, præfectos eorum convocavit, & ab exercitu quamprimum ut discederent, jussit. Non enim, ait, tolerare possim, ut qui ordines deserunt, majoribus, quam alii, commodis potiantur. Adeoq; vos certo scire volo, jam in hoc me fuisse, ut vos, qui signa mea sequimini, tales efficerem, quos universi Chaldæi felices prædicarent. Verum jam vobis mirum non videatur, si quis vos hinc discedentes viribus potior adoriatur. Quæ Chaldæi quum audissent, metu perculsi orabant, ut irasci desinere: ajebantque, se pecunias & opes omnes velle restituere. Cyrus his sibi non opus esse dixit, sed si me vultis, ait, ab indignatione desistere, date illis omnia, quæ cepistis, qui arcis in custodia mansere. Nam si milites ceteri animadvertent eos, qui ordines servarunt, majora commoda consequi: præclare se meæ res habebunt. Itaque Chaldæi sic, uti Cyrus edixerat, fecerunt: & qui obœdienter sese gesserant, magnam rerum opumque variarum copiam consequuti sunt. *ca. 14. lib. 7. Cyropadiæ.*

Xenophon: Nihil est autē, mea uxor, in rebus humanis vel utilius, vel pulchrius ordine. Nam & chorus ex hominibus constat. Verum ubi quisq; qꝫ temere visum est, facit; turbæ cujusdam species se exhibet, ac spectatu quiddam injucūdum. At quum omnia recte atq; ordine proferunt & agunt, eadē opera faciūt, ut & spectatu, & auditu digni esse videantur. Itidē exercitus, inquam, mea uxor, dum necdum in ordines digestus est, longe quiddam est turbulentissimū; ac hostium quidem victoriæ maxime expositum, suis autem spectatu fœdissimū, & ad usum minime accommodatū: ubi simul sunt, asin⁹, gravis armaturæ pedes, lixa, veles, eques, plaustrū. Nam quo pacto

progre-

progredi poterunt, si quidem in hac perturbatione mutuo sese impedient, gradatim incedens, currentem; currens, stantem; plaustrũ, equitem; asinus, plaustrum; lixa, gravis armaturæ peditem: Quod si etiam dimicandum sit, quomodo tali omnium perturbatione dimicare possint? Nam qui necessario invadentibus terga dare cogũtur, illi dum fugiunt, proterere milites etiã armatos possunt. At instructa recte acies quiddam est suis spectatu pulcherrimum, hostibus vero gravissimum. Nam cui suorum non volupe sit multos videre gravis armaturæ pedites instructis ordinibus incedentes? quis non admiretur equites, qui ordines inter equitandum observent? qs hostium metu non percellatur, si recte dispositos gravis armaturæ pedites, equites, cetratos, sagittarios, funditores viderit, eosdẽque suos imperatores composite sequentes? Immo etiamsi multa millia sint, tamen quamdiu sic incedunt, ut ordines servẽt, pergunt omnes placide non aliter, atq; singuli progrediuntur, succedentib. semper vacuum in locum illis, qui à tergo sunt.

Etiam triremis hominib. onusta quam aliam causam vel hostib. est terrori, vel amicis jucunda spectatu, nisi ob navigationem celerem? Quam aliã ob causam molesti sibi mutuo non sunt vectores, nisi ꝙ ordine sedeant, ordine propendendo in remos incumbant, ordine se retro flectant, ordine tum ingrediantur, tum egrediãtur? Ordinis autem perturbatio quiddam mihi simile videtur esse, ac si agricola eodem loco conjiciat hordeum, triticum, legumina. Deinde si vel offa, vel pane, vel obsonio sit opus, necesse sit eum singula seligere qro eo, ꝙ jam secreta sumere ad usum debebat. Itaq; tu etiam, mea uxor, ut hoc modo te conturbari necesse non sit, & ut studeas scire administrandi facultates nostras rationẽ, ac sine difficultate sumas id, quo utendũ sit, mihiq; si quid poposcero sic tradas, ut gratam mihi rẽ facias: inqramus sane locũ singulis cõvenientẽ, eoq; posita re quavis moneamus ancillã ut inde sumat, ac rursus ibidem collocet. Ita nimirum sciemus, q̃ nobis supersint, quæ sint amissa. Nam locus ipse ꝙ abest, requiret: quoq; curandũ erit, adspectus ipse arguet: deniq; ꝙ sciamus, ubi quodque sit, id ipsum singula nobis exhibebit, ut ad usum nihil desideraturi simus.

Atq; equidẽ, mi Socrates, pulcherrimũ aliquando, longeq; accuratissimum instrumentorum ordinem inspicere mihi visus sum, quum spectandi causa ingentem illam navim Punicam ingressus essem. Armamenta namq; plurima separatim collocata exiguo in receptaculo contẽplabar. Etenim navis ligneis & intortis instrumẽtis in portum deducitur, ac vicissim solvit: multorũ adjumento, quę pensilia vocant, impellitur: multis machinamentis adversus hostiles naves armatur: multa etiam hominum arma vehit: omnia vasa, quibus in domo utuntur homines, pro quolibet una victitantiũ cõtubernio vehit: deniq; præter hæc omnia referta est oneribus, quæ naviculator quæstus causa secum vehit. Atq; hæc omnia, q̃ dico, nõ multo ampliori loco sita erant, quam sit conclave decem lectulorũ mediocriter capax. Animadverti autem sic omnia fuisse condita, ut nihil alteri esset impedimento, neq; vestigatore egeret, nec imparatum esset nec solutu difficile, quo morã adferret, ubi subito esset aliquo utendum Ministrum autem gubernatoris quem proretam in navi vocant, ita cujusq; loci gnarum reperi: ut vel absens dicere posset, ubi singula sita essent & quã essent multa; non minus atq; is, qui litteras norit, quot in Socratis nomine litteræ sint dicere possit, & ubi singulæ sunt collocatæ. Eumdẽ etiam vidi, ait Ischomach⁹, per otium omnia lustrantem, quibus utendum in navi esset. Quũque hanc ejus inspectionem admiratns essem quærebam quid agere? Respondebat ille: Inspicio, mi hospes, si forte quid accidat, quo pacto sita sint omnia in navi, ac nũ quid absit, vel inconcinne collocatum sit. Nec enim ubi tempestatem Deus in mari excitat spatii quidquam reliquum est vel inquirendi, quocumq; tamdem opus sit vel tradendi, ꝙ incondite collocatum sit. Nam minis terrere Deus & punire stolidos homines solet, ac si quidem illos qui nihil perperam agunt saltim non perdit bene cum eis agitur. Quod si etiam rectissime omnia administrantes servat, magna Diis habenda est gratia. Quamobrem quum collocationem ego tam accuratam inspexissem, dicebam uxori, admodum in nobis stolidum fore, si isti in navigiis, quæ exigua sunt, loca tamen invenirent; magnis tempestatibus jactati, nihilominus ordinem servarent; ingenti metu perculsi, nihilominus ea, quæ sumere necesse sit, reperirent: nos quum cellas habeamus in ædibus amplas, easq; singillatim distinctas, & in ædium pavimento sitas, non singulis aptum & inventu facilem locum reperire: quonam modo non magna sit istæc inscitia?

Dictum hactenus, quam utile sit ordine collocatam esse vasorũ supellectilem, quamq; sit facile singulis invenire locum, quo in ædibus reponantur. Quam vero pulchra species est calceamẽta, qualiacumq; sint, ordine collocata esse: pulchrũ, vestimẽta seorsum cõdita videre, qualiacumq; sint: pulchrũ, idem in stragulis, in vasis æreis, in iis, quæ ad mensam pertinẽt: pulchrum etiam, licet maxime ridiculum sit non homini gravi, sed faceto, ꝙ illas quoq; concinnitatis quamdam habere speciem, si distincte collocatæ sint, ajunt. Jã cetera quoq; deinceps pulchriorem speciem exhibent, decenter reposita. Nã singula quidem quasi chorus vasorũ esse videntur. Quin etiam ꝙ medio loco est interjectum, pulchrũ est, remotis inde ceteris; quemadmodum chorus circularis non ipse modo pulchrum spectaculum est, sed etiam id, quod in ejus est medio, pulchrum purumq; cernitur. An autem hæc à me verè dicantur, licet mea uxor, inquam, periculum faciamus nullo cum nostro neque detrimento, neq; labore magno. Ne hoc quidẽ, inquã molestum animo nostro esse debet, uxor, ꝙ sit difficile reperire aliquẽ, qui loca cognoscere discat, & meminerit singula suo loco reponere. Scimus enim, hac civitate decies millies amplius contineri, quam apud nos: & nihilominus, quemcumq; famulorum jusseris è foro emtum aliquid adferre, nemo dubitabit; sed quemvis scire adparebit, quo ire debeat, atq; unde singula petere. Cujus rei nulla est alia causa, inquam ego, quam quod certo sita loco sint, At si hominem quęras, qui quidem nonnunquam vicissim & ipse te quærat; sæpenumero citius re desperata desines, quam ipsum invenias. Atq; ejus etiã alia nulla causa est, quam quod constitutum non sit, ubi quemque exspectare oporteat. Ac de ordine quidem vasorum, ac usu, cum ea me hujusmodi quædam colloquutũ esse meminisse videor. *cap.30. & seqq. lib.5. de œconomia.*

Themistius: Enimvero ordo imbecillitatis indiciũ nõ est, sed naturæ omnis mutationis ac perturbationis vacuæ: & quanto regia vis illa propius abest ab universitate, tanto magis ordine perfruitur: tumultus autem & motus & agitatio. in minima parte ejus ꝙ revera est locum habet: duntaxat ob defectum atq; infirmitatẽ, & ꝙ appellationem rei existentis non meretur. *Orat.16.*

Lucianus: Præclarum enim est unumquemq; in Deo manere ordine quem sortitus est: at ea, quæ non licet, transcendere, ejus est ꝗ jus & æquum violat. *tomo primo tit.* Judicium Vocalium.

§ POETARUM.

Aristophanes Equitibus v.539.

——Hæc metuens noster, cessavit: quia dicit
Remigem oportere ante esse aliquem, quam clavũ in puppe tenere:
Ac postea demum proretã agere, atq; observare Aquilones,
Et deinde gubernare ipsum se ipso.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

A Favonio ver astroq; incipit, non à rosâ.
A gradu scalæ secundo haud est venire ad septimum.
Ægrius divulsa adaptes, quam ordinata dissipes.
Ægrius soluta adaptes, apta quam dissolveris.
Carnifici prabeto cervicem ordines si deseris,
Copias inordinatas absq; ferro viceris.
Deserere ordinem in acie non est militis, sed transfugæ.
Fortitudo & ordo plus quam multitudo perficit.
Militum ordines turbare vis? eis fossam objice.
Omnis inordinatus animus pœna sibimet est sua.
Ordinem modumq; nescit grandior dilectio.
Ordinem obtinent locustæ, & tamen carent duce.
Ordinem tenere nullum, heu, ordo nunc est militum.
Ordinem servare, tractos nuncio falso, haud nocet.
Prima quæ sunt, nec media esse, nec queunt esse ultima.
Quæ rectum ordinem relinquunt, raro habent lætum exitũ.
Qualibet confusione præstat ordo quilibet.
Quidquid ordinem relinquit, terminat malo exitu,
Sæpe totus ordo crimen unius pœnis luit.
Sive amici sive inimici sis agro, obtine ordinem.
Vis corrumpere cuncta in orbe? unum ordinem corrumpito.

§ JAMBICA.

Bene ordinati pugna militis bona est.
Capitalis est vel ordinis desertio.
Cuius res ordo est, est item prædictio.
Deglubit [illegible]te stultus quam mactet pecus.
Haud ulius ordo attenditur in proximis.
Iam contribulis redditus, serva ordinem.
In persequendo hoste etiam serves ordines.
Nil aptius Deo est quam consonantia.
Nil ordinatum est sub manu quod nascitur.
Nil pulcrius, nil orti utilius ordine.
Præscripta mors est ordinem egredientibus.
Rerum ordinem non servat felicitas.
Rerum omnium ordo præsidium est, si non parens.
Servandus ordo rebus est in omnibus.
Sub sole nil est quod non constet ordine.
Vel deserat Deos, desertor ordinis.
Ubi aliquis ordo, ibi est & auctor ordinis.

Originis.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

S. *Valerianus:* Facile est quamvis profundi gurgitis undam siccari, si ortus aquæ possit excludi. *Homilia 6.*

§ ROMANORUM.

Prudentius contra Marcionitas.

Nemo animum summi memorem genitoris in altum.
Excitat: ad cælum mittit suspiria nemo:
Nec recolens apicem selij natalis, ad ipsum
Respicit auctorem, nec spem super aera librat:
Sed mentem gravidis contentam sternere curis.

Indigno ſubdit domino, perituraq; pronus
Diligit, & curvo quærit terreſtria ſenſu.
Hoc pulcrum quod terra parit, quod gloria confert
Lubrica, commendat quod pernicioſa voluptas,
Præterit, exemplo tenuis quod transvolat umbra.
His ægras animas morborum peſtibus urget
Prædo potens, tacitis quem viribus interfuſum.
Corda bibunt hominum. ferit ille medullitus omnes
Nequitiæ ſpargitq; ſuos per membra miniſtros.
Natuq; illic numeroſo cohors ſub principe tali
Militat, horrendiſq; animas circumſidet armis:
Ira, ſuperſtitio, mæror, diſcordia, luxus,
Sanguinis atra ſitis, vini ſitis, & ſitis auri,
Livor, adulterium, dolus, obtrectatio, furtum.
Informes horrent facies, habituq; minaces,
Ambitio ventoſa tumet, doctrina ſuperbit,
Perſonat eloquium, nodos fraus abdita nectit.
Inde canina foro latrat facundia toto:
Hinc gerit Herculeam vilis ſapientia clavam,
Oſtentaq; ſuos vicatim gymnoſophiſtas.
Incerat lapides fumoſos idololatrix;
Religio, & ſurdis palleus advolvitur aris.

Videātur plura titulo *Medici, Morbi, Nobilitatis, Patriæ.*

Ornatus corporis.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

C*Lemens Alexandrinus*: Si ergo Dominus de veſte & delitiis rebuſque ſupervacaneis tanquam non neceſſariam omnino curam tollit, quid cenſendum eſt eum dicere de nimio ornatus ſtudio, de tinctura lanarum, varietate colorum, ſuperflua cura gemmarum, auri elaboratione, capillis artificioſis & intortis crinibus? Quid de fucata oculorum pictura, quid de vulſionibus, purpuriſſi ac ceruſſæ fucationibus tinctiſque pilorum coloribus, improbiſque hujuſmodi artificiorum fraudibus? An non quoque rectè conjiciendum eſt, id quod de fœno, de his ornamentorum amatoribus, qui à temperantia & vero animi ornatu alieni ſunt, optimè poſſe dici? Ager enim eſt mundus & nos herba, qui ſumus Dei gratia irrigati: tonſi autem rurſus exorimur. Fœnum autem turba promiſcua allegoricè dicitur, quæ ſe ad momentaneam lætitiam applicat, quæ floret parvo tempore, quæ ſuperflua ornamenta, quæ gloriam, quæ quidvis potius, quàm veritatem, ſectatur: quæ non ad aliud apta eſt, quàm ad ignis incendium. Homo quidam, dicit narrans Dominus, erat valde dives, qui induebatur purpura & byſſo, qui oblectabatur quotidie ſplendidè. Hic erat fœnum. Mendicus autem quidam nomine Lazarus, abjectus erat in veſtibulo divitis, ulceratus, cupiens repleri iis quæ cadebant de menſa divitis. Hic eſt herba. Sed ille quidem dives puniebatur apud inferos, ut qui eſſet ignis particeps: hic autem rurſus germinavit in ſinu Patris.

Laudo ergo & admiror veterem Lacedæmoniorum civitatē, quæ ſolis meretricibus floridas veſtes & aurum mundum geſtare permiſit, à probis mulieribus mundi ſtudium auferens, quod ſolis meretricibus ſe ornare concederet. Contrà autem Athenienſium magiſtratus, qui civilem vitæ formam expulerant, loci quaſi & cōverſationis virilis obliti, aurum geſtabant. Et talaribus tunicis amiciebantur: crobulo, quod eſt veſtimenti genus, aureo induebantur, adjunctis cicadis ornati: ortum ſuum revera terreſtrem, cinædico quodam faſtu & arrogantia monſtrantes. Horum autem principum æmulatio ad alios quoque Jonas pervaſit, quos Homerus eſſe effœminatos oſtendens, vocat ἑλκεσί πέπλους, hoc eſt, veſtimenta trahentes. Ij ergo qui pulchri ſimulachrum, nimium ſcilicet ornatus ſtudium, non autem ipſum pulchrum & honeſtum attendunt, ſpecioſo nomine ſimulachrorum cultum rurſus inducentes, à veritate longè ſunt relegandi, cùm opinione non ſcientia, pulchri naturam ſomnient; & eſt vita quæ ab eis hîc agitur, profundus ſomnus ignorantiæ. An non oportet nos excitatos, ad id quod verè pulchrum eſt & ornatum contendere? & id ſolum aſſequi deſiderare, relinquentes quæ hîc ſunt mundana, ipſo mundo, hoc eſt, vero ornatu gaudentes, priuſquam perfectè obdormiamus?

Dico ergo hominem non alia de cauſa opus habere veſtimentis, quàm ut tegatur corpus, ad maxima frigora & vehementes æſtus propulſandos, ne nos lædat ambientis aëris immoderatio. Quòd ſi hic eſt veſtis ſcopus, vide ne non alia quidem viris, alia verò fœminis veſtis tribuenda ſit: tegi enim utriſq; cōmune eſt, quēadmodum comedere & bibere. Cùm uſus itaq; ſit communis, conſtructionē ſimilē comprobamus. Quemadmodum enim utriſque commune eſt ut egeant iis quę tegunt, ita à quibus tegendi ſunt eſſe oportet ſimilia, etſi oporteat hujuſmodi tegumētum aſſumere, quo ſunt fœminarum celādi oculi. Etſi enim fœmina propter imbecillitatem longè plura concupiſcat, id malæ educationis conſuetudini tribuendum eſt, per quam ſępenumero viri in malis vitæ inſtitutis educati, evaſerunt mulieribus magis effœminati: non eſt igitur eis hac in re credendum. Quòd ſi ſe eis aliquantulum accommodare oporteat, veſtib. quidem paulò mollioribus eis uti concedēdum eſt, dummodo nimis ſubtiliter per ſummam ſtultitiam laborata opera, curioſæq; in texturis plicaturæ, longiſſimè amandentur: auri fila, & Indicos ſeres, & operoſos bombyces valere jubentibus.

Eſt autē bombyx primùm vermis, deinde aſpera ex eo naſcitur eruca, poſtquam in tertia metamorphoſi innovatur papilio, quem nonnulli Græcè appellant νεκύδαλον, ex quo longum ſtamen naſcitur, quemadmodū ex aranea tela araneæ. Superflua enim hæc perſpicua mentē minimè conſtātem arguūt, q̄ exigui expaſſione veli, tanquam quodā lenocinio, ꝓbrum corporis illiciunt. Non eſt enim amplius tegumētum mollis ac delicata veſtis, quæ nudam figuram non poteſt occulere: ejuſmodi enim veſtis in corpus incidens, mollius ipſi corpori imprimitur & applicatur, figuræ carnis inſtar adhærens: & mulieris typum ita exprimit, ut vel non videnti manifeſta ſit tota conſtitutio corporis.

Rejiciendæ quoq; ſunt veſtimenti tincturæ: ipſæ enim & ab uſu & à varietate longè remotæ ſunt, præterquā q̄ ex eis morū oritur reprehenſio: neq; enim eſt earū uſus utilis: nā nec ad frigus propulſandū eſt paratus, neq; ad tegumentū habet aliqd amplius quā alia veſtis niſi ſolum vituperium. Coloris autē delectans ſuavitas malè habet avidos, eos ad ſtultā impellēs lippitudinē: atq; eos quidem q̄ ſunt candidi, & non intus adulterini, candidis & minimè curioſis ac operoſis veſtib. uti eſt convenientiſſimum. Apertè certè & purè Daniel Propheta: Poſiti ſunt, inqt, throni, & ſedit ſuper ipſos tanquam vetus dierū, & ejus veſtimentū albū ſicut nix. Tali veſte utentē Dominum, in viſione ſe vidiſſe dicit Apocalypſis: Vidi animas eorum qui teſtes fuerāt ſub altari, & data eſt unicuiq; veſtis candida. Quòd ſi oporteat etiam aliquem alium colorem quærere, naturalis veritatis per ſe tinctura ſufficit. Veſtes autē q̄ ſunt floribus ſimiles, Bacchicis nugis & initiorū myſteriis relinquēdæ ſunt: deinde verò purpura, & vaſa argentea, ut dicit Comicus, *Multum tragœdis conferūt, vitæ nihil.* Vita autem noſtra quid vis potius quàm pompa eſt exiſtimanda. Tinctura itaq; Sardiniaca, & alia omphacina ſeu oleagina, & alia viridis; roſacea & coccina, & aliæ innumerabiles tincturę, excogitatæ ſunt à pernicioſis delectationibus quo fit ut ad viſum conferatur jam veſtis non ad integumentum. Quæ autem ex auro affabre facta, & q̄ purpura tincta ſunt, & hæ animaliū q̄ vento ferūtur delitiæ, & ille unguentis delibutus Crocotus, ſuſpiciendarum mēbranularum precia ingētia, & variegatæ veſtes, q̄ in purpura habent animalia, cum ipſa arte valere jubenda ſunt. Quid enim prudenter ac præclare fecerint mulieres, quæ, ut ait Comœdia, floribus tinctæ, *Cinctæ crocotis atque fucatæ ſedent*?

Aperte itaque ſuadet pædagogus, In amictu veſtis ne glorieris, neq; in omni gloria quæ eſt præter leges efferaris. Eos certe irridēs qui mollibus veſtibus induti ſunt, dicit in Evangelio, Ecce qui in veſtitu glorioſo & delitiis degunt, ſunt in terrenis regiis. Regias dicit terrenas, mortales ac incorruptibiles, ubi eſt vana honeſti opinio, inanis gloriæ ambitio, error & adulatio. Qui aulam autem cœleſtem obſervant quæ eſt circa omnium regem, incorruptibilem animæ veſtem, nempe carnem ſanctificant, & per eam induunt incorruptionem. Quemadmodum ergo quæ non nubit, ſoli Deo dat operam, & ejus cura non dividitur: pudica autem quæ nupſit, vitam cum Deo & cum marito dividit: quæ autem aliter fertur, tota conjugii, hoc eſt, vitij efficitur: eodem modo pudica mulier, ut ego quidem ſentio, quæ marito dat operam, pia eſt & religioſa citra ullam fictionem: quæ autem immoderato ornatus ſtudio tenetur, & à Deo & à pudico conjugio excidit, ut quæ maritum ornamento permutet. Quemadmodum Argiva illa meretrix, Eriphyle inquam, *Auri quæ pretium ſumpſit pro coniuge charo.* Quocirca Ceum ſophiſtam jure approbo, qui virtutis & improbitatis aptas deſcribit imagines: quarum hanc quidem fecit ſimpliciter ſtantem, candida veſte indutam & puram, nempe virtutem, ſola verecundia ornatā: talem eſſe oportet fidelem mulierem, nempe virtute præditam cū verecundia. Alteram autem contrà inducit, nempe improbitatem, ſuperflua quidem & varia veſte indutam, alieno autem colore exultantem: motuſq; ejus & habitus comparatus ad delectationem deſcribitur, non ſecus ac meretricis. Qui ergo rationem ſequitur, nulli turpi voluptati adhærebit. Et ideo quod in veſte uſum præbet, præferendum eſt: etſi Verbum hoc canit, per David dicens de Domino: Delectaverunt te filiæ regum in honore. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, & fimbriis aureis circūamicta: quibus verbis, non luxurioſas ac delicatas veſtes, ſed integrum ac incorruptum, ex fide contextum ornatum, eorum qui conſecuti ſunt miſericordiam, nempe Eccleſiæ, ſignificavit, in qua Jeſus à dolo alienus ſplendet ut aurum, & fimbriæ aureæ ſunt electi.

Quod ſi etiam propter fœminas ſit aliquid relaxandum, texēda quidem eſt ſuavis veſtis & tactu mollis, ſed non ſicut picturæ eſt ad viſus delectationem colorum variegāda florib. Pictura.n. tēpore evaneſcit: abluitiones autē, extersiones, ac cōſtipationes, q̄ venenatis tincturæ ſuccis lanas inficiunt, imbecillas veſtium texturas efficiunt: hoc autem nec ad bonam quidem domus adminiſtrationem aptum eſt. Eſt autē maxime ineptum & indecorum, pepla, xyſtides, ephaptides, lenaſq; ac tunicas ſtupere & admirari, & quæ, ut ait Homerus, velant circumquaq; pudorem. Pudet me, ut vere dicam, cum videam tantum opum effundi ad tegenda pudenda. Vetus enim homo qui erat in paradiſo, ramis & foliis tegumentum dimetiebatur pudoris: nunc autē cum nobis oves factæ ſint, ne ſimiliter ac oves ſimus inſipiētes. A ratione autem ſeu Verbo inſtituti, ſumptuoſas veſtes redarguamus, dicētes, eſtis pili oviū. Etiāſi ſe jactet Miletus,

nus, etiamsi laudetur Italia, etiamsi sub pellibus pili custodiantur quorum nonnulli insano amore tenentur, nobis quidem certe nullum est studium in ea conferendum.

Beatus autem Joannes despectis quoq; ovium pilis, qui delitias redolent, pilos camelorum elegit, & eis se vestiit, simplicem vitam & à dolo alienam repræsentans. Mel enim comedebat & locustas, dulcem & spiritalem cibum, à fastu alienas & moderatas vias Domini pręparans. Ille enim videlicet purpurea se induisset, qui omnē urbanum erat aversatus fastum: sed cum in solitudinū quietis, tranquille cum Deo versaturus se recepisset, ab omni inani studio, unaque boni specie, sordidoque ac illiberali decore se removit. Ovina autem pelle Helias utebatur indumento, & ovinam pellē stringebat zona facta ex pilis. Esaias vero alius propheta, nudus erat, & nullis utebatur calceis: sæpe autem sacco quoque utebatur, ꝙ est indumentum humilitatis. Quod si etiam vocas Hieremiam, is cingulum solum habuit lineum. Quemadmodum autem bene nutrita corpora, si nuda sint, vires ac vigorem apertius indicant: ita etiā pulchritudo morum, si ineptis nugis non involvatur, magis indicat animi magnitudinem & magnificentiam.

Trahere autem vestes ad summos usq; pedes demissas, valde est arrogans & superbum, quod ambulandi actionem impedit, cum vestis instar verriculi, quæ in soli sunt superficie sordes secum attrahat: ne fractis quidem & enervatis his saltatoribus, qui Cinædicam turpitudinem mutam in scenam transferunt, vestem cum tanto dedecore diffluentem despicantibus, quibus exquisitæ vestes, fimbriarumq; dilatationes, & curiosi figurarum numeri, illiberalem ac sordidam syrmatum mollitiem indicant. Quod si quis talarem Domini vestem adducit, variegata illa tunica ostendit flores sapiētiæ, variasque & quæ non flaccescunt Scripturas, eloquia Domini, quæ veritatis splendoribus refulgent. Ejusmodi alia veste spiritus Dominum per David induit, sic psallens: Confessionem & decorem indutus es, inducens lucem, sicut vestimentum. Quemadmodum ergo vestium confectionem honestam, & ab eo quod est indecorū mundam esse oportet, ita etiam vitanda est usus immoderatio. Neque enim, sicut Lacænas virgines, supra genu vestiri honestū est: nullam enim partem fœminæ nudari decorum est. Atqui posset q; dem honeste dici urbana & faceta illa vox quæ dicta est ei qui dixerat, Pulcher cubitus: at non publicus & tibi pulchræ sunt tibiæ dicenti, sed solius mei mariti: & speciosa facies, sed est ejus tantum q me uxorem duxit. Ego autem nolo pudicas fœminas præbere taliū laudum causam iis, qui per ejusmodi laudes ut probrum eis afferant venantur.

Nec verò solum calcaneūm est prohibitum ut nudent iis, verū etiam caput ut tegant atque obnubant, illis est impositum: neque enim honestum est corporis pulchritudinem esse, hominum aucupium: nec par est ut purpureo utens velo fœmina velit aspici. Atque utinam posset etiam à veste eximi purpura, ut non in utentiū faciem spectatores converteret. Atque illæ quidem cum reliquæ vestis admodum parum texant, fecerunt quicquid est purpureum, suas inflammantes libidines. Quæ autem his stolidis & mollibus purpuris impense delectantur, eas, ut sunt verba Poëtæ, *Purpurea arripuit mors*. Propter hanc itaque purpuram, & Tyrus, & Sidon, & q̄ regio est mari propinqua Laconico, maxime desiderantur: quinetiam earum tinctores, & purpuræ infectores, & ipsa conchylia in magno pretio habentur, propterea ꝙ eorum sanguis producat purpuram. At etiam delicias pannis admiscentes dolosæ mulieres, & qui sunt ex viris effœminati, fraudulentas dolosasque tincturas, insano quodam amore modi modestiæque limitem transiliunt, nō amplius lintea ex Ægypto, sed quædam alia ex terra Hebræorum & Cilicum comparantes. Amorgina autem taceo & byssina: delitiæ enim jam eorum appellationem immodice ludificando transmiserunt. Porro autem oportet, ut mihi quidem videtur, id quod tegitur, ex tegumento ostendere, se esse eo melius: ut templo imaginem, & corpore animam, & veste corpus: nunc autem contra omnino. Si corpus quidem earum venundetur, nunquam mille drachmas Atticas invenerit: unam autem vestem mille talentis emētes ipsæ se vestibus inutiliores & viliores arguunt. Cur ergo quæ sunt rara & pretiosa, plus quàm ea quæ sunt in medio sita & vilia, persequimini? Quoniam quod vere pulchrum, & quod vere bonū est ignoratis, & pro iis quæ sunt, ea quæ esse videntur, à stultis magno studio quæruntur, qui perinde ac insani, quæ alba sunt tanquam nigra visione apprehendunt. *libr. 2. Pædagogi cap decimo.*

Ibidem: Similiter autem in calceamentis superbæ arrogantesq; fœminæ magnam quoque ostendunt mollitiem. Vere ergo turpia sunt illa sandalia, in quibus sunt aurea veluti donaria: quinetiam circumcirca clavos soleis infigere æquum censent. Multæ autem eis quoq; amatorios imprimunt complexus, ut vel per terram numerose incedentes, meretricios spiritus in incessu insculpant. Valere ergo jubendum est aureorum & gemmeorum sandaliorum vana artificia, cum crepidis Atticis & Sicyoniis, cothurnisque, Persicis & Hetruscis. Recto autem scopo, ut veriati nostræ mos est, proposito, id ꝙ est secundum naturam eligēdum est: calceorum enim usus hic quidem est ad tegendos pedes: alius autem ad propulsandas offensiones, & à montanis asperitatibus plantam pedis conservans. Sunt itaque mulieribus alibi concedendi calcei, nisi iter ineant: tūc autem eis unctis utendum est. Clavis autem perforatis opus habent soleis, q̄ viam conficiunt. quamvis illis ut plurimum calceis utendum est. Neq; enim fœminam decet pedem ostendere: & alioqui mulieri tener est sensus, ut facile lædatur. Viro autem pulchre convenit nullos habere calceos, præter quàm si militet. Ὑποδεδέσθαι enim, non parvam habet affinitatem cum δεδέσθαι, quod est, esse ligatum. Optimum quidem est exercitationis genus nudis uti pedibus, & ad sanitatem & ad expeditam facilitatem, ubi non prohibeat necessitas. Quod si iter non ingrediamur, nec nudis incedere pedibus pati possimus, soleis utendum est: eas autem Attici vocabant κονίποδας, quod pedes, quātum ego conjicio, pulveri appropinquare facerent. Tenuis ac simplicis calceaturæ testis sufficit Joannes, q dicebat se nō esse dignum solvere corrigiam calceorum Domini. Non enim curiosos aut superfluos is habeat calceos, qui verę philosophiæ typum Hebræis ostendebat. Hoc autem num quid aliud significet, alibi ostendetur. *cap. 11.*

Statim post: Gemmas autem fuscas aut virides, & quæ peregrini matris æstu expelluntur, & q̄ ex terræ ramentis deterūtur, admirari & stupere est puerile. In pellucidos enim lapillos, propriosq; ac peculiares colores, atq; vitra varia magno ferri studio, nihil est aliud quā stultorum hominum, q ab iis q̄ visum percellunt trahūtur. Ita etiā pueri cum ignem aspexerint, splendore adducti ad eum feruntur, quia quam sit eum tangere periculosum, propter ignorantiam minime animadverterunt. Tales stultis sunt mulierib. gēmæ monilibus alligatæ, & inclusæ torquibus, amethysi, & ceraunitæ, & jaspides, & topazion, & smaragdus Milesia, merces pretiosissima. Maximi autem pretii margarites mulierum cubilia per summam lasciviam mirandum in modum invasit: is autem nascitur in quodā ostreo pennis non absimili: magnitudo autem ejus est quantus permagnus piscis oculus: nec pudet miseras totum suum studiū in hoc ostreo ponere, cùm eis liceat sancta ornari gemma, nempe Verbo Dei, ꝙ utiq; Scriptura appellavit Margaritem, pellucidum & purum Jesum, qui est in carne contēplator oculus, qui est ratio perspicua, per quem caro est pretiosa quę aqua regeneratur. Illud enim ostreū in aqua natum carnem contegit, ex ea autem margarita concipitur. Ex sanctis autem lapidibus supernam Hierusalem fuisse cōstructam accepimus: & duodecim portas cælestis civitatis, lapidib. pretiosis assimilatas eximiam Apostolicæ vocis gratiam significare admittimus. In pretiosis enim lapidibus collocati sunt colores, sunt autem ij pretiosi: alia verò remanent terrestris materia. Meritò ergo symbolicè sanctorū ex his ædificatur civitas. Per inimitabilē itaque illum florem lapidum, florem spiritus, ab interitu scilicet alienam & sanctam substentiam intellexere.

Quæ ergo quid sit in scripturis symbolicum non intelligunt, totæ lapidibus inhiant, admirabilem illam defensionem afferentes: Quæ ostendit Domihus, cur eis non utamur? &, Adsunt mihi, cur non eis me oblectabo? & quibusnam ergo facta sunt, si non nobis? Eorum qui Dei vocem planè ignoraverunt, sunt ejusmodi voces. Primum enim q̄ sunt necessaria, sicut aquam & aerē aperte omnib. suppeditat. Quæcunque autem nō sunt necessaria, terra & aqua abscondit. Et ideo aurum formicæ fodiunt: aurum Gryphes custodiunt: à mari teguntur margaritæ. Vos autem curam supervacaneam ponitis in iis quæ non oportet. Ecce totum cælum apertum est, & Deum non quæritis: aurum autem quod absconsum est & lapides ij apud nos scrutantur, qui sunt damnati capitis. Quinetiam Scripturæ repugnatis cùm illa apertè clamet: Quærite primùm regnū cælorum, & hæc omnia adjicientur vobis. Quod si etiam vobis omnia donata sunt, & si vobis omnia concessa sunt, & si omnia vobis licent, ait Apostolus, sed non omnia expediunt. Produxit autem genus nostrum Deus ipse ad communicationem, cùm ipse prior suum filium impertiit, & suum Verbum omnibus communem subministravit, & fecit omnia pro omnibus: sunt ergo omnia communia, ne plura quàm alii sibi vendicent divites. Hoc ergo, Adsunt mihi, & supersunt, cur non me iis oblectabo? non est humanum, nec ad societatem pertinens. Illud autem magis charitatem arguit, Adsunt mihi, cur non impertiar pauperibus? qui enim talis est, est perfectus, qui hoc implevit. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Hæ sunt veræ delitię, hic est pretiosus thesaurus. Quæ autē fiunt in cupiditates impensę, interitus non sumptus locum obtinent. Scio enim Deum potestatem usus nobis dedisse, verùm eum usque ad id ꝙ est necessarium: & usum communem esse statuit. Absurdum est autē & turpe, unum lautè & luxuriosè vivere, cùm multi esuriant. Quanto est enim gloriosius multis benefacere, quàm magnificè habitare? quanto autem prudentius, in homines quàm in lapides & in aurum impendere? quanto autem est utilius ornatos habere amicos, quàm ornamenta inanima? cuinam autem agri tantum profuerint quantum gratificari?

Restat ergo nobis ut illud quoq; ꝙ objicitur dissoluamus. Quínā ergo habebunt quæ sunt sumptuosa & magnifica, si omnes quæ sunt vilia & frugalia deligunt? Homines, respondebo si absq; ulla vehementi affectione & discrimine eis utamur: sin autem fieri non potest ut sint omnes frugi & temperantes, at propter usum rerum necessariū, ea quæ facile parari possunt, sunt persequēda: hæc autē supervacanea longe rejicienda. In summa ergo, ornamenta, ut quę ornatus satietatem afferunt, ipsum etiam mundum recusantibus sunt omnino exterminanda: oportet enim eas intus esse ornatas, & pulchram mulierem internam ostēdere. In sola enim anima pulchritudo apparet & turpitudo: & ideo is solus qui est virtute prædi-tus, is verè est pulcher, bonus & honest⁹: & solū ꝙ pulchrū est & honestum, bonum esse statuitur. Sola autem virtus vel per pulchrum corpus apparet, & in carne efflorescit, amabilem tēperantiæ osten-

dens speciem, quando mores tanquam lux quædam in forma resplenduerint. Uniuscujusque enim plantæ & animalis pulchritudo, in uniuscujusque virtute est posita. Hominis autem virtus est justitia, temperantia, animi magnitudo, & pietas. Pulcher ergo & honestus homo est, qui est justus & moderatus, & ut semel dicam, qui bonus est, non qui dives. Jam verò milites quoq; volunt auro ornari, ut qui nec illud legerint Poeticum,

Quiq; aurum gestans, in bellum, ut stulta puella,
——Ibat.

Cæterùm ornatus quidem studium, quòd virtutis minimè curã gerit, sed corpus sibi vindicat, boni & honesti studio converso ad vanam gloriam, funditus expellendum est. Quæ enim corpori non conveniunt, perinde ac si ei conveniant, adjungens, mendacij meditationem, & consuetudinis fraudem progeneravit, non honestatem, simplicitatem, & à simulatione alienationem, & verè pueritiã, sed fastum, arrogantiam, mollitiem & luxuriam ostendens. Istæ verò veram pulchritudinem obscurant, auro eam adumbrantes, nec intelligunt quantum in se delictum admittunt, se innumerabilibus vinculis alligantes, quemadmodum dicunt apud barbaros, scelestos & maleficos homines auro vinciri. Captivos hos vinctosq; hæ divites videntur mihi æmulari mulieres. Annon enim colli vinculum est torques aureus, moniliaque & quæ καθετῆρες vocantur, catenarum locum obtinent? quæ etiam Attica lingua eodem nomine, nẽpe ἁλύσεις, hoc est, catenæ appellantur. Talares autem compedes, indecorum in pedibus fœminarum ornamentum vocavit Philemon in Synephebo.

Illustrem amictum, compedemq; qui siet
Auratus.

Cur ergo hic à vobis tantopere expetitur ornatus, nisi quod vos velitis, ô fœminæ, videri esse compedibus astrictas? Si materia enim probrum eluit, est hoc quidem vitium ꝙ minimè interit. Quare mihi quidem videntur sua sponte vinculis alligatæ, de opulentis suis gloriari calamitatibus. Ac fortasse etiam Poetica fabula adulterium committentem Venerem dicit fuisse comprehensam ejusmodi vinculis, nihil aliud quàm hęc ornamenta, adulterii esse signa significans. Illa enim aurea quoq; fuisse dixit Homerus. Jam verò vel apertissima maligni signa nequaquã pudet eas inducere. Quęadmodum enim Evam serpens decepit, ita etiam mulieres alias mundus aureus, esca utens, serpentis figura, in probra furiose impulit, nempe murænulas quasdam aureas & serpentes ad decorem effingens. Dicit itaq; Comicus Nicostratus, Catenas, Monilia, annulos, armillas, serpentes, periscelides, elleborum.

Summa autem earum ignominia omnem mundum muliebrem recensens. Aristophanes ostendit in Thesmophoriazusis. Adducã autem ipsa verba Comici, quæ importunum vestræ insolentiæ fastũ apertè arguunt: Mitræ, redimicula, nitrum, & acus, pumex, strophium, quæ pòst locatur funda, & posterius operculum, fucus, torques, componendorumq; oculorum instrumenta, subtilis vestis linea, vitta, zona, instita, prætexta, multitia, cithon, barathrum, encyclos tunica, quę sunt autem horum non dixi maxima, inaures, gemmæ, plastra, botrychlidon, fibulæ, amphileæ, monilia, pedicæ, sigilla, catenæ, annuli, cataplasmata, ampullæ, capitis ligamina, olisbi, sardia, ventilabra, elicteres. Ego quidem defessus sum, & indignor, dicendo tot earum ornamentorum multitudinem. Mihi autem subit admirari, quod non enecentur, dum tantum onus bajulant. O curam valde inanem. O vanam & insanam gloriæ cupiditatem. Ritu meretricio opes effundunt in probra ac dedecora, suaque improba & arroganti stoliditate Dei dona corrumpunt & adulterant, artem mali imitantes. Dominus autem in Evangelio eum divitem qui in horreis & apothecis recondebat & apud se dicebat, Habes multa bona in multos annos reposita, comede, bibe, lætare, apertè stultum vocavit: hac enim nocte animam tuam accipiunt: quæ ergo parasti, cuius erunt?

Apelles pictor cùm vidisset quendam ex suis discipulis pinxisse Helenam multo auro ornatam: O adolescens, inquit, cùm nõ posses pingere pulchram, fecisti divitem. Tales sunt Helenæ, quę nunc sunt mulieres, non verè pulchrę, sed multis effictæ & ornatæ divitiis. Eis prædicit spiritus per Sophoniam, argentum & aurum ipsarũ non posse eas eximere in die iræ Domini. Eis autem quæ à pædagogo Christo erudiuntur, non auro, sed ratione ac Verbo exornari cõvenit, per ꝙ solum apparet aurum. Beati quidem fuissent Hebræi veteres, si mundum mulierum abstulissent & abjecissent, vel solũmodo fudissent: nunc autem cùm aureum bovem conflassent, & in eo adorando idololatriæ peccatum admisissent, ipsi quidem nec ex arte nec ex suo instituto commodi quicquam ceperunt, expressissima autem figura nostras mulieres docuerunt, ut ab ornamentis abstineant. Quæ itaque cupiditas in aurum fornicatur, fit idolum ꝙ igne examinatur: cui quidem soli reservantur delitiæ, ut quæ sint simulachrum, non veritas. Hinc verbum per prophetam Hebræos probris insectans: Argentea, & aurea, inquit, fecerunt Baal, ornamenta scilicet. Et apertè comminans: Et vindicabo, inquit, super ipsam dies Baalim, in quibus ei sacrificavit, & inaures ei apposuit, & torques suos. Et ornatus causam subiungit, dicens: Et ambulavit post amatores suos, mei autem oblita est, dicit Dominus. Ipsi ergo improbo Sophistæ, diabolo scilicet, nugas has committãt, ne sint hujus meretricii ornatus participes, nec per speciosum prætextum, idololatriæ crimen admittant.

Admodũ ergo pulchrè dixit beatus Paul⁹ Mulieres, inq̃t, similiter nõ implicaturis, vel auro, vel margaritis, vel veste sumptuosa, sed q̃ decet mulieres, ꝓfitẽtes pietatẽ, per bona opera seipsas ornãtes. Earũ enim ornatũ jure abesse jubet. Si sunt enim pulchræ, sufficit natura: nõ cõtendat ars cõtra naturã: hoc est, fraus minimè litiget cũ veritate. Sin autẽ sunt natura turpes, ex iis q̃ sibi applicant, ꝙ nõ habent arguunt. Eas ergo q̃ Christo serviunt, frugalitatẽ convenit amplecti. Frugalitas enim revera curã gerit sanctitatis, ut q̃ ea q̃ redũdant & sunt immoderata, exæquetè quibuslibet, eũ q̃ ex supervaneis capitur usum percipiat. Quod enim frugale est ac tenue, ut ipsum etiam nomen indicat, non eminet, neque ulla in re in molem assurgit aut intumescit, sed est universum planum, lene, æquale, & minimè superfluũ, & ea de causa sufficiẽs. Est autem sufficiẽtia habitus quidam qui ad suum finem pervenit, ita ut neq; q̃d desit, neq; redundet. Eorum aut mater est justitia: nutrix autem, virtus ea quæ Græcè dicitur αὐτάρκεια, quæ est per quam contenti sumus: ea igitur est habitus iis q̃bus oportet contentus, & qui per se ea acq̃rit q̃ ad beatã vitã cõferunt. Sit ergo in vestrarum manuũ carpis sanctus ornatus, q̃ facilè impertitur communicatio, & familiæ administrãdæ opera. Qui enim dat pauperi, fœneratur Deo, & manus fortium ditescũt. Fortes vocat eos q̃ pecunias cõtemnunt, & qui sunt ad cõmunicandũ & largiendũ faciles. In pedibus autẽ appareat impigra alacritas ad benefaciendum, & ingressus ad justitiã. Torques autem & catenæ sunt pudor & modestia: talia Deus fundit monilia.

Beatus homo qui invenit sapientiam, & mortalis qui vidit prudentiam, dicit spiritus per Salomonem. Ejus enim est melior mercatura quàm thesauri auri & argenti. Est autem pretiosis gemmis pretiosior, hæc est enim verum ornamentum. Eis autẽ nõ perforẽtur aures præter naturã, ut aureæ ab eis inaures dependeant: neq; enim fas est vim afferre naturæ præter id ꝙ voluit. Nec alius fuerit melior aurium ornatus, descendens per meatus qui sunt secundum naturam, quàm vera Catechesis, hoc est, q̃ per auditum suscipitur institutio. Oculi autem verbo inuncti, & aures ad sensum perforatæ, divinarum rerum auditorum & sanctarum rerum contemplatorem efficiunt. Verbo verè veram ostendente pulchritudinẽ, quã oculus non vidit, nec auris priùs audivit. *l.2. pædagogi c.12.*

D. Nazianzenus: Vultis ex illi⁹ laudib. hoc quoq; dicã (ꝙ illa quidem nihili æstimabat, quemadmodum nec quæcunq; verè pudicæ, atq; honestis moribus præditæ sunt: factum est tamen earum vitio quæ ornatus & elegantiæ nimio studio ducuntur, nec eorum, qui res hujusmodi docent, sermone purgantur, ut hoc magnum & pręclarũ esse videatur) non illam aurum arte ad eximiam pulchritudinem elaboratum ornavit, non flavæ comæ, tum apparentes, tum sublucentes nõ criniũ nodi, & imposturæ, pretiosum caput summa cũ infamia scenã efficientiũ, nõ circũfluentis & pellucidæ vestis magnificẽtia, nõ lapidũ splendores & gratiæ, ꝓpinquũ aẽrẽ colorantes, ac formã lumine circũfundẽtes, nõ pictorũ artes & ꝑstigiæ, ac vilis & parvo cõstans pulchritudo, terrenusq; fictor, in cõtrariũ fabricãs, insidiosisq; coloribus Dei figmentum obducens, & per honorẽ infamiam inurens, ac divinam formam meretricium procacibus oculis idolum proponens, ut adulterina pulchritudo naturalẽ imaginem, quæ Deo futuro ævo servatur, surripiat. Verum cum externos multos & varios mulierũ ornatus cognitos haberet, nullum tamen moribus suis, atq; intus condito splẽdore, pręstantiorẽ agnoscebat. Unus illi rubor placebat, quem pudor affert: unus candor, quem parit abstinentia. Nam pigmenta, & fucos, ac vivas tabulas, & fluxã formæ venustatem scenicis & trivialibus relinquebat, quibusq; ꝓbrum ac dedecus est erubescere. *Funere sororis.*

D. Greg. Nyssenus: Ajũt studio esse sui ornandi cupidis mulierib⁹, nõ solũ externis procurare ornamẽtis, ut sint amabiles iis qui cum ipsis vivunt, sed etiam dare operam, ut per quandam suaveolẽtiam, corpora quoque suis maritis congruenter videantur agere: ad eum usum aroma intra suę vestis ambitum occultantes, quo suum emittente vaporem, corpus quoque bono odoris halitu simul afficiatur. *Homil.3. in cant. canticorum.*

D. Chrysostomus: Saræ ac Rebeccæ considerata & virilitate & philosophia, præsentẽ fastũ supprime, vestimentorũ ornatũ, deauratorũ vasorũ sumptum, odoramentorũ unctionem, infractiorem illũ & delicatiorẽ modulatumq; gressum relinque, omnemq; eam curã ad animam transfer, accenso in mente tua cælorum desiderio. Nã si te cæli ceperit amor: videbis & cœnum esse & lutum hæc omnia, ridebisq; q̃ nunc admiraris. Nequit enim mulier spiritualibus adornata virtutibus, ridiculum istum ornatum quærere. Projectis igitur his omnib⁹, q̃ & forensiũ mulieres, & saltatrices, & tibicinę multa ambitione sectantur; philosophiã ambi, hospitalitatẽ, & cõtinuas preces. Meliora sunt ista vestib. deauratis, lapidibus preciosis, inauribusque honestiora. Hæc & apud homines probatum faciunt, & à Deo magnam tibi adferunt mercedem. Hic est ecclesiæ ornatus, ille theatrorum; hic cælis dignus, ille equis & mulis: ille & mortuorum corporibus circumdatur; hic verò in sola splendet anima, in qua Christus habitat. *fine Homilia 30. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Quæ multum laboravit erga nos: Audiant & mulieres, unde ornetur: non ab armillis, nec à monilibus, neque ab eunuchis & ancillis, nec à vestibus auro intertextis; sed à perpessis pro veritate sudoribus. *Hom.31. ad Roman.*

D. Chrysost. Simplicem esse, neq; accurate compositã virginẽ decet, negligentiæque potius, quam ejusmodi curæ notari. Quippe ejusmodi exterior ornatus, ornamenta intima demolitur.

te enim qui ejusmodi fuerit studiosus, interioris ornatus negligens sit necesse est: quemadmodum & is qui exteriorem aspernatur, studium omne, omnemque diligentiam, ad componenda sua intima transfert. *Homil. 8. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Quod non velis placere marito, nec ea de causa ornaris, omnibus reddis perspicuum ex iis quæ ipsa facis. Nã quum limen thalami transieris, confestim deponis omnia, & vestes, & ornamenta aurea, & margaritas: maximè autem ea domi nõ gestas. Si autem vis omnino placere marito, sunt per quæ sis placitura, per lenitatem, per mansuetudinem, per honestatem & temperantiam. Nam crede mihi, ô mulier, etiamsi maritus tuus sit milites ad inferiora propensus, hæc magis eum attrahent, lenitas, mansuetudo, temperantia & moderatio, à fastu esse alienam, non esse sumptuosam: sed humilem & demissam. Nam etsi mille talia excogites, impudicum & incontinentem non continebis. Hoc sciunt quæ tales habent maritos. Nam quomodocunque te exornes, ille ut qui sit incontinens & impudicus, abit ad aliam: eum autem qui est temperans & pudicus, non his capies, sed contrariis. His autem etiam es ei molesta, ut quæ ei de te hanc suggeras opinionem, quòd tenearis amore ornamentorum & mundi. Quid enim si reveritus maritus, ut qui sit modestus, non dicat: intus tamen apud se te condemnet, invidiam autem non comprimat: an nõ de cætero omnem expelles voluptatem, ut quæ adversus teipsam excites invidiam? *Homilia 28. ad Hebræos.*

§ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Brachmanorum epistola ad Alexandrum Magnum inter alia continebat: Feminæ nostræ non ornantur ut placeant; quem quidem ornatorum cultum potius oneri deputant quàm decori. Etenim nesciunt in augenda pulcritudine plus affectare quam quod natæ sunt. *Libro 4. Policratici cap. 11.*

§ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Xenophon: Cumque celeriter advenisset, atque intellexisset Cyrus Astyagem matris suæ patrem esse: statim, ut puer à natura proclivis in amorem ac benevolentiam complexus eum salutat ac si familiarem jam dudum & amicum veterem suum aliquis salutaret. Quumque videret eum Medorum more pigmentis oculorum, coloribus illitis, alienis crinibus adpositis ornatum, (hæc enim omnia Medica sunt, itemque tunicæ purpureæ & candyes, & monilia circum collum, & armillæ circum manus ambas: quum apud Persas domi degentes hac etiam tempestate, multo tum vestitus sit vilior, tum victus tenuior) avi ergo quum videret ornatum hunc Cyrus, intuens in eum: Quam pulchrum, inquit, mea mater, avum habeo. *Lib. 1. cap. 11. Cyropædiæ.*

Xenophon: Erat & Abradatæ currus temonum quatuor, & equorum octo, pereleganter exornatus. Quumque jam thoracem more patrio lineum induere vellet, adfert ei Panthea galeam auream, & tegumenta brachiorum, & armillas latas circum internodia manuum & purpuream ad pedes usque demissam tunicam, pallæ plicas habenti similem inferius, & coloris hyacinthini cristam. Hæc illa clam viro, ad armorum eius mensuram fabricanda curaverat. Quibus ille conspectis, cum admiratione Pantheam interrogavit. Tune vero, mea mulier, mundo tuo conciso hæc mihi arma confecisti? Non profectò, ait Panthea, mundo illo, qui mihi maximi pretij est. Nam tu, si quidem talem aliis etiam te declaraveris, qualis esse mihi videris, maximus mihi mundus & ornamentum futurus es. *Cap. 27. lib. 6. Cyropædiæ.*

Arrianus cap. 1. lib. 3. Epict. Adolescens, quem vis pulcrum facere? Cognosce prius quis sis: ac tum te ornato. Homo es, hoc est, animal mortale, quod visis cum ratione utitur. Ratio vero quid est? Quod naturæ fit congruenter ac perfectè. Quid ergo eximium habes? Animal? Non. Mortale? Non. Uti visis? Non. rationem habes eximiam: hanc ornato & expolito: comam vero relinquito ei qui illam finxit, ut ipse voluit. Age quas alias habes appellationes? Vir es, an mulier? Vir. Virum igitur orna, non mulierem. Illa natura lævis est, ac delicata, & si multos pilos habuerit, monstrum est, & Romæ inter monstra ostenditur. Idem fit in viro, si non habeat. Qui si natura non habuerit, monstrum est. Sin ipse sibi eos abraserit atque evellerit, quid illi faciemus? Ubi eum ostendemus? quomodo proscribemus? Ostendam vobis virum? qui mulier quam vir esse mavult. O fœdum spectaculum. Estne qui scripturam illam non miraturus sit? Medius fidius opinor eos ipsos qui volsellis utuntur, non animadvertentes id ipsum esse quod ipsi faciunt, dicturos: Homo, in quo naturam accusas? Num quod virum te genuit? Quid ergo? Num mulieres tantum gignendæ fuerunt? Et quæ tibi fuisset utilitas ornatus? Cui te ornasses, si omnes mulieres fuissent? At non placet tibi negotium istud? Prorsus id in omnibus repudiato. Tollito causam illam pilorum: per omnia in mulierem te transformato, ne decipiamur. Noli semissem viri, & semissem mulieris tenere. Cui studes placere? Mulierculis? Vt vir eis placeto. Recte sane: verum glabris delectantur. Non te suspendes? si cinædis delectarentur, fieresne cinædus? Num istud tuum munus est? Num ad hoc natus es, ut impudicæ mulieres te delectentur? Num te talem in civitate Corinthia collocabimus? Num urbis præfectum, aut adolescentiæ principem designabimus, aut prætorem, ludorumve præsidem? Age ducta etiam uxore velleris? Cui, & cur? Et liberos procreabis: deinde eos quoque glabros in urbem induces? O pulcrum civem, senatorem, oratorem. A diis, votis exoptandum est scilicet, ut tui similes nascantur & educentur. Quin potius semel hac oratione audita, digressus ipse tibi dicito: Hæc Epictetus mihi non dixit. Unde enim ille? sed Deus aliquis propitius per illum. Neque enim hæc in mentem Epicteto venissent, cum nemine disputare solito. Age ergo Deo pareamus, ne vindictam eius in nos provocemus. Non. At si corvus crocitando aliquid tibi significaverit, non corvus est qui significet, sed Deus per eum. Si verò humana voce aliquid significarit: Non faciet, ut homo talia tibi dicat, ut vim numinis cognoscas, quod aliis aliter significet? Res vero maximas, maximique momenti, per pulcerrimum nuntium significat. Quid est aliud quod Poeta dicit: Quia nos prædiximus ipsi Misso Mercurio, qui prospicit omnia late? Neve illum occidat, thalamum vel conjugis intret. Mercurius cœlo delapsus hoc illi dixit, & hæc nunc dij tibi dicunt, Misso Mercurio - Ne res bonas evellas neve curiose tractes: sed virum virum, mulierem mulierem esse sinas: formosum hominem ut formosum; deformem ut deformem. Quia neque caro es, neque pili, sed voluntas: quam cum pulcram habueris, tum eris pulcer. Sed hactenus quidem dicere tibi non audeo, te deformem esse. Quidvis enim libentius auditurus videris, quam hoc. Sed vide quid Socrates dicat omnium pulcerrimo & elegantissimo Alcibiado: Dato, inquit, operam ut formosus sis. Quid ei dicit. Finge comam tuam, & crura tua velle? Absit. Sed ornato voluntatem tuam, malas opiniones abjice. De corpore quid faciendum? Sic tractandum est, ut eius natura fert. Quod si alteri curæ fuit, illi permittito. Quid ergo? Immundum esse decet? Absit. Sed id quod naturæ consilio exstitisti, purgato. Vir mundus sit ut vir, mulier ut mulier, puer ut puer. Non. Imo etiam leonis jubam evellamus, ne sit immundus, & galli gallinacei cristam. Nam & hunc mundum esse decet. Recte: sed ut gallum gallinaceum, & illum ut leonem, & canem venaticum ut venaticum.

Libanius: Quæ pudica mulier tanti plena fastus est, ut nullam usquam putet aliam, se præstantiorem extitisse? adeoque indignetur si quis æquè formosam appellarit. Non enim ornatus decens mulierem, est pulcritudo; sed castitas & temperantia. *Oratione Orestis super matricidio.*

Philostratus: Quàm difficilis tibi & contentiosa forma est, quæ neglecta magis viget, quemadmodum plantæ, quæ natura fretæ, colonorum incuria ac negligentia nihil detrimenti accipiunt. Non æquum conscendis? Non in palæstram descendis? Non soli temetipsum committis? Flos enim & tinctura est formosis. Sed squalidus obambulas & tecum ipse repugnans, circumveniris atque formosus & etiamsi nolis, omnesque attrahis incuria nimia ac pellicis, quemadmodum Botri & Mala, & si quod aliud est ex eorum genere, quæ sponte sunt elegantia ac pulchra. Ornatus enim meretricius est atque pulchritudo omnis fucata & medicamentis efficta, debet odio haberi, quippe quæ proximè ad malitiam ac nequitiam accedit. Simplex autem & carens malitia ac dolo pulchritudo, solorum est propria eorum qui eam possident. Sic etiam Apollo pastorum amore capiebatur, & Venus Bubulcorum, & agricolarum Rhea, & Ceres eorum qui urbes non noverant: quoniam omne quod natura factum est, verius eo quod constat insidiis ac dolo habetur. Nemo neque sidera novit ornari, neque leones neque aves. Qui verò equis ornamentum adhibet auro, vel ebore, vel redimiculis, is imprudens superbiam ac generositatem animalis corrumpit & perdit, atque arti mandans exercitationem corrigit ea quæ in natura desiderantur. *Epistola 39.*

Themistius: Neque eum unquam dilexerimus, qui cum animi dotibus nõ admodum sit instructus, externorum bonorum & multorum & variorum copia redundet (non aliter quam Gracculo fabula conquisitas plumas affingit, qui de pulchritudine certamen suscipiens proprij cognatique penuria, alienum sibi ornatum arcessebat) Non si quidem ædes habitet Spartani Regis ædibus præstantiores, aut aranearum telis subtiliori veste induatur, qualia Vulcani fuisse vincula Homerus testatur, quæ cum videri non possent, adulteros nihilominus firmis ac validis nexibus constringunt) ac reliquo omni cultu ornatuque longissime vestiatur, ac denique talis ut corporis specie, qualem ego alias Persarum cujusdam Regis effigiem Persica in tabella videre me memini. Juvenis quidam formosus est regio in solio considens, Tiaram in capite gerens & Hyacinto ac Smaragdo factam, eiusdemque operis latissimum torquẽ, nec non purpurea læna auro distincta circumdatus. Tametsi igitur ea sit alicuius species, nunquam tamen illum pictura præstantiorem existimabimus. Quanquam quid esse potest ingratius, quam eum qui anima præditus videatur, Pictorum operibus esse simillimum? quæ oculos quidem, velut sperantia ac mente prædita aperiunt omnibus, si vero rogare aliquid, ac percontari velis, cum gravitate quadam & majestate tacent. Quare eiusmodi ego hominem nunquam studio, atque observantia prosequar. neque Civitatem in qua Musarum, & Mercurij, atq; Apollinis templa sint honore sint, Theatra duntaxat, & balneæ, ac miscellorum caballorum curricula in pretio habeantur: neque vos amplexi unquam fuissemus, nisi virtutibus studio deditos cognosceremus. *Orat. 8.*

§ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 56. ad Olympiadem.

Non fulvum gemmis junctum radiantibus aurum

Matronam decorat, variis nec pingere vultum
Artibus, atque novam formæ superaddere formam.
Sint aliis pulcra, Tyrio sint murice tincta
Vestes, purpureæque, quibus nil scilicet affert
Splendoris probitas vitæ & præstantia morum.
Cura pudicitiæ tibi sit, tibi cura decoris
Illius occlusi quem demirantur ocelli.
Moribus haud ullus flos est mage lætus honestis,
Et fama egregia, certaque, & labe carente.

D. Nazianzenus Carm. 64. in fucatos mulieres.

Οὐ χρυσὸς λιθάκεσσι διάπλοκος ὄμματα βάλλων
Αὐγαῖς ἠερίαις, τίμιος εὐγενέταις,
Δειροπέδη στήθεσσι περίτροχος, οὔας ἀτίζων
Ἄχθει μαργαρέῳ ἀμφιπερικραδάων,
Οὐδ' ὅσος ἀμφὶ κάρηνον ὑπέρταλος, οὐ πολύχρυσος
Ἐσθὴς λεπταλέων δαίδαλα ἔργα μίτων,
Πορφύρεα χρύσεα, διαλαμπέα σιγαλόεντα,
Οὐδὲ παρειάων φάρμακα λευγαλέα,
Κόσμος θηλυτέραις, οὐ χείλεα πορφυρόεντα,
Οὐ γραπτῶν βλεφάρων ὀφρὺν ὕπερθε φέρειν
Κυανέην, διεράς τε κόρας ἔντοσθεν ἑλίσσειν,
Οὐκ ἐπιθρυπτομένη εὐμενὲς οὔας ἄγειν,
Οὐδὲ χέρας τε, πόδας τε φίλα καὶ ἤδει δεσμῷ
Χρυσῷ σφιγγομένην δούλιον οὖχος ἔχειν,
Οὐδὲ μύροις μαλακοῖσι τεὸν δέμας, ἠὲ κάρηνον
Χρίεσθ', νεκροὺς ἀμφιέπουσι γύπες.
Μηδὲ μὲν ἐν στομάτεσσι τεοῖς ἄβρωτον ἐδωδὴν
Μανθάσσειν, δονέουσ' ἔνθα δὲ ἔνθα γένυν,
Οἷα περιφρονέουσα σαόφρονας, ἐκ δ' ἄρ' ὀδόντων
Πέμπειν, καὶ διερῶν ἀφρὸν ἀπὸ στομάτων.
Μηδὲ δίφρων στεροπῇσιν ἀγάλλεο μὴ παραφαίνειν
Εἶδος ἀπὸ χιστῶν δαιδαλέων διὰ θύραν,
Δερκομένη λεύσσοντας ἀείρεο μὴ θεραπόντων
Πληθυΐ, μὴ δμωαῖς εἰκόσι σῆς κραδίης.
Εἴαρος ἄγγελοί εἰσι χελιδόνες, ἄνθος ὀπώρης·
Δεσποίνης δμωαί, δὲ τόδε φράζεό μοι.
Τῶνδε γὰρ εἰ καὶ ἕκαστον ἀκοσμίη τίς ἐλαφρή,
Πάντα γ' ἅμ' ἀλλήλοις ἔμπεδός ἐστι μόρος.
Ἄνθος ἕν ἐστι γυναιξὶν ἐράσμιον ἐσθλόν ἐρευθος,
Αἰδώς. τοῦτο γράφει ζωγράφος ἡμέτερος.

Non nobilibus feminis charissimum aurum gemmis intextum, suoque splendore oculorum aciem perstringens: non collare aureum pectus ambiens, auremque gemmea sarcina deprimens, non etiam aurum illud, quod adornando capiti adhibetur, non auro abundans vestis, non opera tenuissimo filo scitè & eleganter elaborata, tam purpurea, quam aurea, ac pellucida, eximiaque arte confecta, non perniciosa genarum pigmenta, non purpurea labra mulieribus ornatum afferunt. Nihil etiam tibi venustatis ex eo accedit, quod picturum palpebrarum supercilium attollas, humidasque pupillas intus volvas, quod lasciva voce benevolas aures allicias, quod manus, ac pedes aureo vinculo constringas, servilique gloria fruaris, quod mollibus unguentis corpus tuum, aut caput ungas (cadavera enim vultures curant) quod cibum ab esu alienum mendas, atque huc illucque mentem agites, perinde ac pudicas & graves feminas contemnas, quod dentibus humidoque ore spumam emittas. Nec vero eam rem tibi ornamento fore existimes, si lecticarum fulgore gestias, atque per varias elegantesque fenestras formam tuam obiter ostendas, spectantesque conspicias. Nil est insuper, cur tibi famulorum greges, aut imagines tui pectoris ancillæ animos tollant. Ut enim hirundines veris, flores fructuum nuncij sunt: Sic de heræ moribus ex ancillis judicari potest. Id quod tibi diligenter expendendum puto. Hæc enim tametsi singula non grave dedecus afferant: omnia tamen in unum coacta certissimum exitium accersunt. Unicus color in mulieribus amabilis est, nimirum rubor ille, quem pudor gignit: qui quidem à pectore nostro pingitur.

Ennodius Dictione 12.

Ebria vestito plus lucent vellera Sere:
Persica candentes colla decent lapides.
Nil juvat externo componere membra nitore.
Lux naturalis sidera nobilitat.

Plautus captivis 5. sc. 4. v. 18.

Sed eccum incedit huc ornatus haud ex suis virtutibus.

Plautus Cistellariæ 1. sc. 1. v. 115.

——*Cura te amabo. siccine immunda, obsecro,*
Ibis? S. immundas fortunas æquum est squalorem sequi.
G. Amiculum hoc sustolle saltem. S. sine trahi, cùm egomet trahor.

Plautus Mostellariæ 1. sc. 3. v. 10.

Contempla, amabo, mea scapha, satin' hæc me vestis deceat.
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.
S Quin tu te exornas moribus lepidis, cùm lepida tute es.
Non vestem amatores mulieris amant, sed vestis fartum.
P. Quid nunc? S. quid est? P. quin me aspice ac contempla, ut hæc me deceat.
S. Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quidquid habeas.

Plautus Rudente 2. sc. 4. v. 15.

Quid nunc vis? A. sapienti ornatus quid velim, indicium facit.
S. Mens quoque hic sapienti ornatus quid velim, indicium facit.

Plautus Pœnulo 1. sc. 2. v. 72.

Heu ecastor, cùm ornatum aspicio nostrûm ambarũ, pœnitet
Exornatæ ut simus. A. immo verò sanè commodè.
Nam pro herili nostro quæstu satis benè exornatæ sumus.
Non enim potest quæstus consistere, si eum sumptus superat, soror.
Eò illud satius est, quod satis est, habitus plus quàm sat est.

Plautus Pœnulo 1. sc. 2. v. 85.

Satis nunc lepide ornatam credo, soror, te tibi viderier:
Sed ubi exempla conferentur meretricum aliarum, ibi tibi,
Erit cordolium, si quam ornatam melius forte conspexeris.
A. Invidia in me nunquam innata est, neque malitia, mea soror.
Bono ingenio me esse ornatam, quam auro multo mavolo.
Aurum in fortuna invenitur, in natura ingenium bonum.
Meretricem pudorem gerere magis decet quam purpuram.
Magisque meretricem pudorem, quam aurum gerere cõdecet.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.

¶ Apologi.

Æsopi Equus & Equiso. Hordeum Equi subreptum divendens Equiso, fricabat singulis diebus Equum, & comebat: Cui Equus, si me verè pulchrum esse cupis hordeum, quo nutrior, ne vendideris.

¶ Apophthegm. Christianor.

Pambo Abbas. De Corporis externo Ornatu cultuque dicturus, illos ob oculos ponam, qui eundem non superfluum modò, sed & noxium reputarunt. Ac de Pambone quidem narratur, quòd, cùm apud Athanasium Alexandriæ moraretur, fæminam mirum in modum comptam conspicatus, in lachrymas ierit. Interrogatus verò, quid illachrymaretur; *Duæ*, ait, *me causæ movent: prima, huius mulieris perditio; altera, quòd ego non tantùm coner placere Deo, quantum hæc mundo. Hist. Trip. lib. 9. c. 1.*

S. Nonius Heliopolitanus. Haud aliter iste. conspicatus Pelagiam meretricem Antiochenam transeuntem, auro gemmisque ornatam; diu illam intuitus, dicebat: *Quot putatis horas expendit hæc mulier dum in cubiculo se lavat & componit, ut hominum oculis placeat? & (heu) quantulas nos, ut in Dei oculis justi conspiciamur?* Scitè Terentius:

——*Nosti mores mulierum:*
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Sur. in Vita.

S. Ephrem. Meritò itaque, & non vanè Ephrem laudabilem hanc protulit sententiam: *In sæculari vita qui suum ornat corpus, & subinde vestimenta mutat, humanam obtinet gloriam: at qui in Religiosa professione ista contemnit, & solùm necessario corporis usui intendit, gloriam sibi in cælis acquirit. In Vita ejusd.*

Alexander Severus Imperator. Vide Vestium neglectus.

Thomas Morus. Jungamus his virum clarissimum Thomam Morum: qui percontãti, quid de comptulis illis & ad omnium aspectus expositis sentiret; facetè non minus, quàm sapienter, *Quàm multi,* ajebat, *in hoc sæculo eo labore infernum mercantur, cuius vel dimidio cælum lucrati fuissent.* Et verè isto ævo obtinet, quod canit de hoc mulierum ornatu & luxu Ovidius:

Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sibi.
Sæpè ubi sit quod ames inter tam multa requiras.
Decipit hac oculos Aegide dives amor.

In Vita ejusd. cap. 12.

Idem. Matronæ cuidam, quòd se totos dies ornaret, &, ut habet Poëta, Naturæ decus mentito mercatoque vultu perderet; dixisse fertur: *Nisi Deus tibi pro hoc tanto labore infernum rependat, magnâ, me judice, te injuriâ affecerit. Ibidem.*

Vide Apophth. de Vestium luxu, & contemptu.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

D. Paulus Apostolus. Velim, inquit, mulieres amictu honesto, cum verecundia & modestia ornare sese, non cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel pretioso vestitu: sed (quod decet mulieres pietatem spondentes) operibus bonis. *1. Timoth. 2 9.*

D. Petrus Apostolus. Mulierum ornatus non sit externus ille in nodis capillorum, & circumposito auro, vel palliorum amictu: sed occultus ille cordis homo, situs in corruptione levis ac quieti spiritus, qui est coram Deo pretiosus. Ita enim olim & sanctæ illæ mulieres sperantes in Deo ornabant sese subjectæ suis viris. *1. Petr. 3. 4. & 5.*

Tertullianus. Ex eius opusculis de habitu muliebri, & de cultu fœminarum sequentia dicta excerpsimus, observatu dignissima.

1. Ad unamquamque mulierem, præcipuè verò Christianam, loquens: Propter tuum meritum, inquit, id est mortem, etiam Filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tunicas?

2. Hæ

2. Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, & argento: & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt. Alteri crimen ambitionis intendimus, alteri prostitutionis.

3. Lapillos istos qui cum auro superbiam jungunt, quid aliud interpreter quàm lapillos & calculos, ejusdem terræ minutalia: nec tamen aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigiis sustinendis, aut tectis densandis necessaria? Solum hunc mulierum stuporem ædificare noverunt: quia tardè teruntur ut niteant, & subdolè substruuntur ut floreant, & anxiè forantur ut pendeant, & auro lenocinium mutuum præstant.

4. Aiunt de frontibus draconum gemmas erui. hoc quoque deerit Christianæ ut de serpente cultior fiat. Sic calcabit diaboli caput, dum de capite eius cervicibus suis aut ipsi capiti ornamenta struit.

5. Semper abundantia contumeliosa in semetipsam est.

6. Quis est vestium honor justus, de adulterio colorum injustorum? Non placet Deo quod non ipse produxit, nisi si non potuit purpureas & earinas oves nasci jubere.

7. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum (naturæ) usurarum substantiam uno & muliebri corpusculo bajulare. *Hæc Tertullianus, lib. de habitu muliebri.*

1. Pleræque aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter, ita ingrediuntur, quasi pudicitia in sola carnis integritate & stupri aversione consistat, nec quicquam extrinsecus opus sit, de cultus dico & ornatus dispositione: sed perseverant in pristinis studiis formæ & nitoris sui, eandem sui circumferentes quàm fœminæ Ethnicorum, à quibus abest conscientia veræ pudicitiæ: quia nihil verum in his, quæ Deum nesciunt præsidem & magistrum veritatis.

2. Christianæ pudicæ, appetitionem sui non tantùm non appetendam, sed etiam execrandam vobis sciatis, primò quòd non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter inviatorem libidinis scimus.

3. Perit vir simul in tua forma, ô mulier, si concupiverit, & admisit iam in animo quod concupivit, & facta es tu gladius illi. Ut à culpa vaces, ab invidia non liberaberis.

4. Si gloriandum est, in Spiritus bono, non in carnis, placere velle debemus, quia spiritualium sectatores sumus.

5. Planè gloriabitur Christiana mulier in carne, sed quum propter Christum lacerata duraverit, ut & Spiritus in ea coronetur, non ut oculos & suspiria adolescentium post se trahat.

6. Sancti fœmina sit naturaliter speciosa: non adeo sit occasioni. Certè si fuerit, non ignorare, sed etiam impedire se debet.

7. Vos solis maritis vestris placere debetis. In tantùm autem placebitis eis, in quantum alteris placere non curaveritis.

8. Quantum à disciplinis & professionibus nostris aliena sunt, quàm indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur: effigiem mentiri quibus linguam non licet appetere quod datum non sit, quibus alienum abstinendum: speciem exercere, quibus stadium pudicitiæ est? Quomodo præcepta Dei custodietis, lineamenta non custodientes?

9. Utinam miserrimus ego in illo die Christianæ exultationis, vel inter calcanea vestra caput elevans videam an cum cerussa, & purpurisso, & croco, & in illo ambitu capitis resurgatis: an taliter expictas angeli in nubila sublevent obviam Christo.

10. Ubi Deus, ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix & socia eius. Quo ergo pacto pudicitiam sine instrumento eius, id est sine gravitate tractabimus? Quomodo autem gravitatem administrandæ pudicitiæ adhibebimus, nisi & in facie & in cultu, & in totius hominis contemplatione severitas circumferatur?

11. Si uxores quoque ipsas sic habendas Apostolus demonstrat, tanquam non habeantur propter angustias temporum, quid de vanis his instrumentis earum?

12. Jubet Apostolus, ut magnificetur Deus in corpore vestro. Magnificatur autem si per pudicitiam, utique & per habitum pudicitiæ competentem.

13. Liceat videri pudicam: certè impudicam non licet.

14. Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verùm & videri: tanta enim debet esse plenitudo eius, ut emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in superficiem, ut & foris inspiciat quasi supellectilem suam, ut conveniat fidei continendæ in perpetuum.

15. Proijciamus ornamenta terrena, spei nostræ retinacula, si cœlestia optamus.

16. Tempora Christianorum semper, & nunc vel maximè, non auro sed ferro transiguntur: stolæ martyrum præparantur, Angelis baiulis sustinentur. Prodite jam vos, mulieres, medicamentis & ornamentis instructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi. Caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem. *Hæc Tertullianus, libro de cultu fœminarum.*

D. Cyprianus. Præcepta de ornatu & cultu dedit ad virgines libro pereleganti, ex quo sequentia dicta exhibemus.

1. Continentia & pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus & ornatus honore pariter ac pudore.

2. Nefas est virginem ad speciem formæ suæ comi, aut de carne & de ejus pulchritudine gloriari, cùm nulla sit illis magis quàm adversus carnem colluctatio, & vincendi corporis ac domandi obstinata certatio.

3. Dicit Paulus, Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis: & quæ se concupiscentiis carnis & vitiis renuntiasse profitetur, & in iisdem quibus renuntiaverat, invenitur.

4. Neminem Christianum decet, & maximè virginem non decet, claritatem ullam computare carnis & honorem, sed solum appetere sermonem Dei, bona in æternum mansura complecti. Aut si in carne sit gloriandum, tunc planè quando in nominis confessione gloriatur, quando fortior fœmina viris torquentibus invenitur: quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel bestias patitur, ut coronetur. Illa sunt carnis pretiosa monilia, illa corporis ornamenta meliora.

5. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali secularis ignara, crucietur, ut postea de aurium cicatricibus & cavernis pretiosa grana dependeant gravia, etsi non suo pondere, mercium quantitate?

6. Angeli apostatæ oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem corruptelæ suæ impugnatione docuerunt.

7. Dominus tuus dicit, Non potes facere capillum unum album aut nigrum: & tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potiorem? Audacem conatu & sacrilego contemptu crines tuos inficis, &c.

8. Non metuis, oro, quæ talis es, ne cùm resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, & ad sua præmia & promissa venientem removeat & excludat? increpans vigore censoris & judicis dicat, Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est: cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est. Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit.

D. Basilius Magnus. Scribens in divites avaros, eorum qui luxu diffluentibus uxoribus serviunt, miseriam, ac ejusmodi mulierum execrandam vanitatem depingit his scitè dictis.

1. Nugas mulier superba & delicias ardet, voluptatis illecebras marito augebit, concupiscentiæ & supervacanei studij stimulum acuet. Circa margaritas, smaragdos, hyacinthos, aurum, eius cura continuò versatur. Hoc digitis aptat, illud vestibus intexit, malumque viri per omnia probra exaggerat. Neque succisiva huic studio tempora, verùm ordinaria noctes atque dies tradit.

2. Mille insuper assentatores illius adsunt desideriis, adducentes fullones, aurifices, unguentarios, textores, discriminatores, qui ex illius imperiis nullo tempore virum respirare sinunt.

3. Nullus muliebri concupiscentiæ sufficiens thesaurus, non si è fluminibus fluxerit. Pretiosi lapides undique petiti auro innectuntur. Alij ad ornandam cervicem, alij collo adaptantur, alij zonas locupletant, alij manus pedesque ornant. Gaudent auri cupidæ fœminæ manicis ligari, duntaxat ex auro sit vinculum.

4. Vir igitur muliebrem sequens appetitum, quando animæ curam geret? Sicut enim debilia navigia procellæ ac tempestates dispergunt atque inundant, sic pravi uxorum affectus virorum debiles animas corrumpunt atque pessundant.

5. Ad hæc tot taliaque distracta substantia, magis ac variis voluptatum inventionibus viro & uxore inter se certantibus, meritò non vacabit ut & aliorum habeatur ratio: sed si audieris, Vende omnia, & da pauperibus, ut vitam habeas æternam, mœstus abis. At si audieris, Da pecuniam muliebribus deliciis, lapicidis, architectis, tessellariis, pictoribus: gaudes, quasi rem pecunia pretiosiorem assequaris. *Serm. in divites avaros.*

Gr. Nazianzenus. Non nobilibus (inquit) fœminis carissimum aurum gemmis intextum, suoque splendore collare aciem perstringens, non collocare aureum pectus ambiens, auremque sarcina gemmea deprimens, non etiam aurum illud quod adornando capiti adhibetur, non auro abundans vestis, non opera tenuissimo filo scitè & eleganter elaborata, tam purpurea, quàm aurea ac pellucida, eximiaque arte confecta, non perniciosa genarum pigmenta, non purpurea labra, mulieribus ornatum afferunt.

D. Ambrosius. In Propheticis Scripturis, inquit, reprehenduntur filiæ Syon, quòd elata cervice procederent, nutibus oculorum & itinere pedum trahentes simul tunicas, & ludentes pedibus. Ideo gloriam vestis earum, & ornatus earum, crines & cincinnos Dominus ablaturum se esse dicit. Rectè peccatrix mulier sparsit capillos suos, ut nodos criminum Evangelica solveret disciplina. Vnde & Apostoli dixerunt, Non in plicatu capillorum, sicut Petrus docuit: neque in tortis crinibus, aut auro & margaritis, vel veste pretiosa, ut Paulus asseruit: sed magis interioris hominis ornamenta fœminis requirenda: quoniam ille absconditus cordis homo, qui est pauper seculo, ipse est locuples Deo. *Exhort. ad Virgines.*

Apostolus humili habitu mulieres orare debere monet, non in

jactan-

jactantia. Qui enim vult audiri, inclinare se debet, amota à se pōpa, ut misericordiam Dei provocet. Habitus enim superbus nec impetrat, nec recta de se facit credi. Quis enim prudentium jactanter ornatam mulierem non horreat? Quanto magis author Deus, qui corpus à se liberum factum, obligatum metallis videt? *Commentar. in 1. ad Timoth. cap. 2.*

Humilis habitus bonæ professioni congruit, ut possit non aliud æstimari quàm cernitur. Quæ autem in domo Dei cum pompa se mavult videri, non utique propter Deum, sed propter homines consequitur quod vult: ut gloriosa videatur, nihil consequutura à Deo nisi maculam. Quanto enim hominibus splendida videtur, tanto magis despicitur à Deo. *Ibidem.*

D. Hieronymus. Vestis ipsa, inquit, vilis & pulla, animi tacentis indicium est: si rugā non habeat, si per terram ut altior videaris trahatur, si de industria dissuta sit tunica, ut aliquid intus appareat, operiátque quod fœdum est, & aperiat quod formosum. Caliga quoque ambulantis nigella ac nitens, stridore ad se juvenes vocat. Papillæ fasciolis comprimuntur, & crispanti cingulo angustius pectus arctatur. Capilli vel in frontem, vel in aures defluunt. Palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros: & quasi videri noluerit, cælat festina, quod volens detexerat. Et quando in publico quasi per verecundiam operit faciem, lupanarium arte id solum rectè ostendit quod apertè ostensio magis placere potest. *Epist. de vitando suspecto contubernio.*

Mulierum, inquit Beatus Petrus, sit non extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut vestimentorum cultus, &c. Hæc præcipiens, non eas jubet squalere sordibus, & horrentibus pannorum assumentis tegi, sed immoderato cultui, & nimis exquisito interdicit ornatui, simplicemque commendat ornatum atque habitum. *Ad Celantiam, de institutione matris familias.*

D. Augustinus. Verus ornatus, inquit, maximè Christianorum & Christianarum, non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem, vestisque pompa, sed mores boni sunt. *Epist. 73. ad Possidium.*

Corporis huius, id est, exterioris hominis ornamenta, quanto magis appetuntur, tanto sunt interioris majora detrimenta. Quanto autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tanto magis moribus pulchris homo interior adornatur.

Quum Petrus dixisset Ornantes se, quoniam nil aliud carnalibus quam visibilia ista ornamenta occurrunt, continuò tulit cogitationi quod cupiditas inquirebat: Non, inquit, intortis crinibus, neque auro, vel margaritis, vel veste pretiosa, sed ille absconditus cordis homo, qui est ante Deum dives. Neque enim Deus divitias daret exteriori homini, & inopem relinqueret interiorem: dedit invisibili divitias invisibiles, & invisibilem ornavit invisibiliter. *Serm. 18. de verbis Apostoli.*

Nos quia ornamenta corporalia offerre nec possumus nec debemus, ideo non libenter audimur. Sed non est justum ut spiritalia ministrantes superflui judicemur. Qui enim verbum Dei libenter audit, inaures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet. Qui admonetur ut pauperi tribuat aliquid, dum manus ad eleemosynas expandit, dextralia à Christo transmissa percipiet. Quomodo enim terrenis ornamentis caro luxuriosa parvo tempore ornatur, ut carnalibus oculis aut ad suam aut aliorum malè concupiscentium ruinam placere possit: sic anima sancta divinis sermonibus tanquam spiritalibus & æternis bonorum operū margaritis componitur, ut ad illius cœlestis sponsi consortium & nuptiale convivium feliciter ornata perveniat. *Homil. 26.*

Chrysostomus. Disce, inquit, mulieris hujus (Priscillæ, quam Paulus cap. 16. ad Rom. coadjutricem suam vocat) ornatum, non corpori circundatum, sed qui ornat animam, nunquam depositum, non in arca, sed in cœlo ipso reconditum. Vide Aquilæ & Priscillæ circa prædicationem laborem, in martyrio coronam, in habitibus honestatis studium, dilectionem erga Paulum, erga Christum amorem.

Confer nunc istis tua, studium pecuniarum, certamen scortorum, contentionem pro vili gramine, & tunc videbis quinam illi, quis verò tu sis: imò non solùm confer, sed & æmulare mulierem, depositoque vilis fœni onere (hoc enim est vestimentorum sumptus) ornatum accipe cœlestem, & disce unde tales facti sint, qui circa Priscillam erant, atque unde facti sunt. Biennium Paulum (id est Dei servum) habuerunt in hospitio, &c. *Homil. 30. in epist. ad Rom. cap. 16.*

Mulierum istarum considerata utilitate & philosophia, præsentem factum supprime, ô mulier, vestimentorum ornatum, deauratorum vasorum sumptum, odoramentorum unctionem, infractiorem illum & delicatiorem modulatumque gressum relinque, omnemque eam curam ad animam transfer, accenso in mente tua cœlorum desiderio. Nam si te cœli cœperit amor, videbis & pulverem esse & lutum hæc omnia, ridebisque quæ nunc admiraris. Nequit enim mulier spiritualibus adornata virtutibus ridiculum istum ornatum quærere. *Ead. homilia.*

Projectis igitur his omnibus quæ & circumforaneæ mulieres, & saltatrices, & tibicinæ, multa ambitione sectantur, philosophiam ambi, hospitalitatem, & continuas preces. Meliora sunt ista vestibus deauratis, lapidibusque pretiosis, inauribusque honestiora. Hæc & apud homines probatam faciunt, & à Deo magnam tibi afferūt, mercedem. Hic est ecclesiæ ornatus, ille theatrorum: hic cœlis dignus, ille equis & mulis. Ille & mortuorum corporibus circundatur, hic verò in sola splendet anima, in qua Christus habitat. *Ead. homilia.*

Unde ornantur illæ mulieres, quarum meminit Paulus? Audiant & viri & mulieres, non ab armillis, nec à monilibus, neque ab eunuchis & ancillis, nec à vestibus auro intertextis: sed à perpessis pro veritate sudoribus. *Homil. 31. in id. cap. 16. epist. ad Rom.*

Annon existimas & cum avaris, & cum aliis quos Paulus enumeravit 1. Cor. 6. diabolum simul accumbere? mulieres autem ornatas ad libidinem, non censes cum eo coire? & quis huic repugnabit orationi? Si quis autem contendat & contradicat, exuat animam mulierum quæ se adeo indecorè gerunt, & videbit planè sceleratum illum dæmonem vehementer cum eis coniungi ac commisceri. difficile enim est, ô dilecti, fortasse autem etiam fieri non potest, ut sic ornato corpore simul quoque curetur anima, sed necesse est ut si alterum curetur, alterum negligatur. Non est enim ejusmodi eorum natura, ut simul fiant. *In 1. ad Cor. cap. 6. homil. 18.*

Luxus & sumptuositas in vestitu, commune mulierum vitium. *Lib. de virginitate, cap. 40.*

Quid lucri est in multis aureis ornamentis? nihil aliud omnino nisi invidia, nisi curæ, nisi formido non mediocris. *Cap. 61. eiusdem lib.*

Est, inquies, vestimentorum luxum quispiam admiratus. At non eius est admiratio, quæ ornatum gestat, sed ornamentorum: cui etiam sæpe id vitio versum est, quòd præter dignitatem eum haberet ornatum. Nam si formosa fuerit: naturalis nitor offenditur, quod ille nimius ornatus maximam partem adimens venustatis, ipsam formæ veritatem elucere non finit. Sin autem deformis illa turpisque fuerit, eò turpiorem reddit ornatus. Deformitas enim semper, quantacunque est per se modò eminet & apparet: cùm verò vel gemmarum splendor, vel cujuspiam alterius rei pulchritudo accessit, tum magis etiam ea turpido deformatur, &c. vestis distincta auro, & reliquus hujusmodi ornatus in deformi corpore idem est ac si generosus, valens, & robustus athleta scabiosum, infamem & enectum fame aliquem prostraverit adversarium. nam ornata mulier oris dedecus obruens tot ornamentis, ad intuendum spectatores quidem allicit, sed ut mulierem magis rideant, ornatum incredibiliter mirentur. *Cap. 62. ejusd. lib.*

Petrus eremita. Theodoreti, Cyrensis episcopi, mater pia admodum mulier, quum virtutes & miraculorum dona Petri anachoretæ audivisset, ad divinum statim accurrit hominem. Gestabat autem inaures, catenas & torques, aliaque monilia, & vestem variam sericis filis contextam. Nondum enim virtutem gustarat perfectiorem: florebat autem tempore, & mundum muliebrem gestabat ut adolescentula. Cùm Petrus hæc aspexisset, primùm nimij ornatus amoris morbum curavit, usus talibus verbis: Dic mihi, inquit, filia, si quis pictor in arte bene exercitatus, aliquam pinxisset imaginem, ut præcipit lex artis, & eam proposuisset videre volentibus, veniret autem aliquis alius, artem non sciens perfectè, qui temerè & inconsultè vellet contrà pingere: deinde illam artificiosam reprehendens picturam, superciliis quidem & ciliis lineas adderet longiores, faciem autem efficeret albiorem, & genis rubrum adderet colorem: num tibi videtur prior ille pictor jure succensurus, quod & ars eius probro esset & contumelia affecta, & eorum quibus opus non erat additamentum à manu indocta accepisset. Ergo universorum quoque, inquit, opificem, & naturæ nostræ effictorem & pictorem jure irasci credite, quòd illam, quæ verbis explicari nequit, naturam & sapientiam accusetis inscitiæ. Non enim rubrum, & album, & nigrum colorem vobis infunderetis, si non existimaretis vobis opus esse hac additione. His autem corpus egere arbitrantes, imbecillitatis damnatis creatorem. Sciendum est autem eum voluntatem habere suæ voluntati iusta symmetria respōdentem. Omnia enim, ut ait Psaltes, quæ voluit, Dominus fecit. Ejus autem quod est omnibus utile futurum curam gerens, non dat ea quę damnum afferunt. Nolite ergo Dei corrumpere imaginem: neque tentetis ea addere quæ sapienter non dedit: neque hanc adulterinam excogitate pulchritudinem, quæ vel pudicis affert exitium, videntibus insidians. *Theodoret. hist. Sanct. Petrum, vita 9.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cura cui est magna cultus, magna honesti incuria est.
Delicata haud corpus ornat vestis; mentem detegit.
Femina ornamentorum expers, omnium ornatissima est.
Feminæ probæ ornamentum comptius, rubens pudor.
Feminam navemq́; nemo, par ut est, ornaverit.
Haud monilibus comenda femina sed moribus.
Haud se comet uxor, ejus si animo delectaberis.
In Deum peccant cutem quæ medicaminibus oblinunt.
Ingenio bono me ornatam, quam auro multo mavolo.
Lenocinia formæ debita prostituto corpori.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.
Menti incumbit exornandæ sapiens, stultus corpori.
Morum honestas corpus ornat: forma per se noxia est.
Morum honestamentis apte corporis ornes gratiam.
Moribus magis matronam quam carbunculis colas.
Mulier nequiquam exornata est bene, si morata est male.
Non mutat color compositus arte corpus; inquinat.
Nulla est satietas ornandi navem ac mulierem satis.
Ornamenta honestiora mentis sunt, quam corporis.

Plus

Plus Regem ornat una virtus, quàm bona Orbis omnia.
Præ se animi deformitatem corpore comptuli ferunt.
Pulcra mulier nuda erit quam purpurata pulcrior.
Pulcra quæ cupit videri pulcra, mundo haud utitur.
Pulcritudo feminam ornat, fortitudo ornat virum.
Pulcrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.
Purgamenta exæstuantis margaritæ sunt freti.
Purpurissa infert senectam & feminis juvenculis.
Purpurissus & cerusa, incendium est libidinum.
Quæ minus morata rectè est, mundus hanc turpat suus.
Quid velis, sapienti ornatus sæpius indicium facit.
Quis numisma impunè, nedum imaginem adulteret Dei?
Quo minus formosa compta est, hoc apparet pulcrior.
Sine munditia & sumptu, insulsa atque invenusta femina.
Succinum invenire ponti est inter ejectamina.
Vis viro placere? animam omnem vestias virtutibus.
Unicus color pudoris, feminæ ornandæ est satis.

§ JAMBICA.

Auro decora, publicum est spectaculum.
Cerussa toxicorum frigidissimum est.
Cultura vana extraneos metuit arbitros.
Etiam impudicat nimius cultus corporis.
Fit fastuosa nimium ornata femina.
Gemmæ suæ sunt in cerebro piscibus.
In feminis nullum præ auro membrum leve est.
Libenter ornantur sibi ipsis feminæ.
Mores pudicarum ipse habitus pronunciat.
Mundus muliebris castitas potissimus.
Mundus muliebris, quid nisi nugæ maximè?
Nusquam caret vitio cultus lascivior.
Nitere mente non potest, qui corpore.
Nil feminæ mundo suo ulli carius.
Ornatus, auro constans, sumptibus caret.
Ornatuum minimè omnium constat coma.
Pari fugienda ornatus ac sordes modo.
Uxor marito haud ornat se, sed publico.

Osculi.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus*: Ob id nobis datum est osculum, ut charitatis igniculus ac fomes sit, ut affectum inflammet, ut hac ratione nosipsos mutuo amemus, velut fratres invicem se amant, patresque vicissim filios, imo etiam multo vehementius. Illa enim naturæ sunt: hæc gratiæ: Ad hunc modum animæ inter se devinciuntur. Ob eam causam etiam ex peregrinatione aliqua reversi, mutuo nos osculamur, animis videlicet ad mutuum congressum accedentibus. Hoc enim potissimum membrum est, quod animi affectum nobis prædicat. Quin de hoc sancto osculo aliud quoque afferri potest. Quid tandem? Templum Christi sumus. Itaque templi vestibula ad aditum osculamur, quum alij alios osculamur. An non cernitis, quotnam homines etiam hujusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admoventes? Ac per has portas, & januas, ingressus est Christus, & ad nos ingreditur quum communicamus. *Homil.30.ad Corinth.2.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Xenophon: Quod res venereas adtinet, monebat Socrates, ut vehementi studio a formosis abstineretur. Nec enim esse dicebat facile, ut ejusmodi adtingendo, continenter se gereret. Quum Critobulum aliquando, Critonis filium, comperisset Alcibiadis filiam, sane quam elegantem, osculatum esse; Xenophontem, præsente Critobulo, interrogabat: Dic mihi, mi Xenophon, non tu Critobulum existimabas potius eorum ex hominum esse numero, qui continenter se gerunt, quam audacium: providumque potius, quam amentem ac temerarium? Omnino, inquit Xenophon. At tu velim eum existimes fervidissimum in agendo esse, ac longe confidentissimum: ita quidem, ut se vel in enses præcipitem dare, vel in ignem insilire audeat. Et quidnam, subjecit Xenophon, committentem vidisti, quod ita de ipso statuis? Tum Socrates: An non hic ille est, ait, qui filiam Alcibiadis, vultu elegantissimo præditam, ac longe formosissimam osculari ausus est? Enimvero si tale quid, inquit Xenophon, temerarium facinus putari debet, etiam ipse videor id adire periculi posse. Miserum vero te, subjecit Socrates: quid eventurum tibi existimas, si formosum osculeris? an non subito pro libero servus esses? non multa in voluptates noxias impenderes? non occupatus impedirere, quo minus honestæ alicui, præclaræque rei operam dares? non in ea cogereris incumbere, quæ ne furiosus quidem curaverit? Acrem tu mehercules, inquit Xenophon, inesse vim dicis osculo. Atque hoc, subjecit Socrates, num tibi mirum est? an nescis phalangia, quæ vix oboli dimidij magnitudinem æquant, tantum ori adplicata, doloribus homines conficere, ac mentis alienationem inducere? Ita est profecto, ait Xenophon. Nam phalangia morsu ipso quiddam infigunt. O stulte, ait Socrates, an non existimas formosos osculando quiddam infigere, quod tu non videas? an nescis id animal, quod adpellant pulchrum ac formosum, eo phalangiis esse acrius: quod illa quidem tangendo, hoc vero ne quidem tangens, si modo spectetur, infigat etiam longo ex intervallo aliquid eiusmodi, quod insanire faciat? Fortassis amores etiam hac ipsa de causa sagittarij dicuntur, quod qui formosi sunt, etiam longo ex intervallo vulnus infligant. Quamobrem, mi Xenophon, auctor tibi sum, ut ubi formosum videris, averso vultu fugias. Tibi vero, mi Critobule, hoc do consilij, ut anno toto pereginneris. Nam vix fortasse tantum intra spatium ex hoc morsu convalueris. Sic nimirum Socrates iis, qui adversus res venereas commode muniti non essent, etiam secedendum putabat in eiusmodi occasionibus: ut si corpus illis non admodum egeret, animus eas non expeteret: sin egeret, negotia non facesserent. Atque ipsum constabat adversus eas usque adeo paratum fuisse, ut facilius ab elegantissimis ac formosissimis abstineret, quam ceteri à turpissimis maximeque deformibus. *Libro 1.cap.19. Memorabilium.*

Xenophon: Immo per deos immortales videtur mihi, ô viri, quod quidem inter nos dictum esto, etiam deosculatus esse Cliniam: quo sane nihil est ad amorem accendendum acrius. Quippe satiari nequit, & spes quasdam jucundas præbet. Fortassis etiam, quia unicum hoc opus, corporibus adtingere se, adpellationem communem habet cum eo, quo animi sese diligunt, honestius est. Quamobrem ajo equidem abstinendum esse formosorum ab osculis illi, qui pudice ut vivere possit, expeti. Ad ea Charmides: Tu vero, mi Socrates, inquit, quamobrem nos amicos tuos adeo quibusdam quasi puerorum terriculamentis à formosis depellis, quum ego te ipsum viderim, ita me Apollo amet, quo tempore apud litteratorem eodem in libro uterque aliquid quærebatis, caput capiti, humerumque nudum nudo Critobuli humero admovisse? Et Socrates: Proh, inquit, hæc ipsa, quum velut à bellua quadam morsus essem, diutius quam dies quinque fricuerunt humerum, & in corde quasi pruritum quendam habere videbar. Verum nunc tibi, Critobule, coram tot testibus denuntio, ne me prius adtingas, quam mentum tibi perinde atque caput, pilis vestitum fuerit. *Cap.15. Convivij.*

Lucianus: Sed quid per Jovem? num etiam osculari ore insuper voluisti nos ob talia facta? Istud igitur contumeliosissimè facis, & maximè erga eos quos minimè decebat, & erga contubernales, quibus satis fuerat, illa solum mala ab ore tuo percipere, verborum videlicet barbariem, vocis asperitatem, indiscretam, inordinatam, & insulsam enunciationem, & id genus alia. Sed te ad hæc osculari, absit, ô malorum depulsor Hercules: aspidem, aut viperam osculari est satius. Ibi in morsu periculum, & dolor, cui accersitus medicus succurrit. A tuo autem osculo, & veneno illo, quis quæso vel ad sacra, vel ad aras accederet? quis etiam Deus precantem exaudiret? quàm multis lustrationibus, quam multis fluviis opus foret? *E Pseudologista.*

Philostratus: Ignea miltus labra genasque fingens, impedimento est osculis. Arguit etiam senectam ac deformitatem faciei, sub qua lividum quidem os, rugosa gena ac deflorescens. Mitte fuci colorationem & nihil ad formæ elegantiam adde, ne te pingam etiam senectutis in facie pictura. *Epist.2. ad Berenicem.*

Philostratus: E vitro quidem pocula constant. At tuæ manus in argentum atque aurum illa convertunt, ut his etiam delicatus aspectus à tuis oculis accedat. Sed his quidem inanimis & immota est pelluciditas, non aliter quàm aquis stantibus. Quæ verò ante faciem sunt pocula cùm alia mollitie videntur oblectationem adferre, tum præcipuè osculorum intellectione. Quamobrem illa quidem depone & sine valeant, non tam ob alia, quàm ob metum periculosæ materiæ. Mihi vero solis propina oculis, quibus Juppiter etiam degustatis, formosum atque præstantem forma pincernam constituit. Quòd si vis, noli vinum consumere: solam verò aquam infundens, & labris attingens, imple pocuium osculis, & præbe rogantibus. Nemo enim tam ab amore est abhorrens, qui requirat ampliùs Bacchi gratiam, post Veneris vites. *Caupona Epist.23.*

§ POETARUM.

Plautus Curcul. 1. sc. 1. v. 50.

——— *Iamne ea fert jugum?*
P. Tam à me pudica est, quasi soror mea sit, nisi
Si est osculando quippiam impudicior.
PA. Semper tu scito, flamma fumo est proxima.
Fumo comburi nil potest, flamma potest.
Qui è nuce nucleum esse vult, frangit nucem.
Qui vult cubare, pangit saltem suavium.
P. At illa pudica est, neque dum cubitat cum viris.
PA. Credam, pudor si cuipiam lenoni siet.

Plautus Curcul. 1. sc. 2. v. 55.

—— *Tene etiam, priusquam hinc abeo suavium.*
P. Siquidem hercle mihi regnum detur, nunquam id potius persequar.

§ EMBLEMATUM.

Catsius Emblemate nuptiali XXVI.

Quod dedit hoc retinet.

Cur neget amplexus & abhorreat oscula virgo?
Non pudor his, rosei non perit oris honos.
Basia virgineis quis credat obesse labellis
Ingenuus tenero quæ tulit ore puer?
Libat Apis violas, & basia figit acantho,
Oraq; plena favis in sua tecta refert;
Non tamen hinc viola, non hinc marcescit acanthus;
Vtq; fuit, roseus perstat utiq; color.
Virgo notas juvenis quas presserit ore protervo
Abluit, & facies quæ fuit ante redit.
Si licet opposito de lumine sumere lumen,
Invida cur juveni basia virgo neget.

Responsio Emblem. XXVI.

Vel tactu perit omnis honor.

Basia nil teneris data posse nocere puellis,
Nil tactus cupidi blanditiasq; proci,
Haud mihi quis vano persuadeat ore poëta:
Tactus, & ipsa latens basia virus habent.
Purpureos digitos vitis ne tange racemos:
Tractari manibus non amat iste color
Iste color, color esse recens, decor integer uvæ,
Intacta genium virginitatis habet.
Sint procul amplexus, procul oscula, dulce venenum.
Ah! faciunt longas pressa labella notas.
Vtq; domum rediens faciem lavet undiq; virgo,
Altior in tacito pectore menda latet.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Abstine osculatione si pudica esse expetis.
Aspidum pejor venenis est saliva suavij.
Basium res delicata, basium est semper recens.
Halitus, vox, suaviumq;, nonne dos oris tripla est?
Osculo omni plus veneni est quàm feris phalangiis.
Oscula amplexusq; amorem non augent, exercitant.
Plus dare est parata amanti sponte qui osculum obtulit.
Turpiter sese coram alios osculentur conjuges.

§ JAMBICA.

Aliter amicam, aliter osculamur liberos.
An osculando est quæpiam impudicior?
Præbere se vult, si qua præbet osculum.
Si qua osculatur te tua est vel maximè.

Ostentationis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus:* Nihil tam diabolicum est quam ad ostentationem aliquid efficere. *Homil. 24. ad Cor. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Non est, ô charum mihi caput, hæc Domini lex in occulto ac latebris sita, quæ hoc jubet: Nesciat sinistra manus quid faciat dextra tua: verùm aperta & dilucida: iisque, qui attento animo sunt, perspicua. Quoniam enim probarum actionum inanis gloria & ostentatio comes esse solet, idcircò nullum, inquit, bonum abs te cum vitiosa animi affectione fiat, nec improba & præpostera cogitatio præclarum & cum virtute conjunctum facinus comitetur: quin potiùs si quid boni facis, ab omni ostentatione ac jactatione alienus sis, præsentes scilicet plausus minimè captans, verùm futuras coronas expectans. *Lib. 1. Epist. 84.*

Idem: Videris, ut nonnulli ajunt, alienis laboribus teipsum ornare, atque aliorum sudoribus frui. Cæterùm illi quidem hoc nomine te accusant: ego verò nonnihil laudo. Multò enim satius est, etiam aliorum scripta in ore habere, quàm cessare desidiaque torpere, ac nugari. *Lib. 3. Epist. 183.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui bonis operibus student, his sanè lucro cedit, si id facientes manifestò appareant oculis hominum: unde & Salvator ait: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Quia verò nonnulli non ad Dominicam respiciunt vocem, sed ad suam gloriam, idcircò hanc addidit admonitionem: Cavete ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus. Sin autem aliter, mercedem non habetis: Prioribus quidem verbis benignitatem & virtutis amorem significans, quæ res ne quidem si velint illi qui agunt, occultari potest. Per posteriora autem gloriæ studium reprimens: Et per illa quidem malitiam, per ista verò ostentationem prohibens. Neque enim hoc illi est contrarium, sed vitia quæ virtutibus quasi affixa sunt & insidiantur, prohibet. Virtus enim omnis ea demum quæ absque ostentatione facta est, virtus propriè & dicitur & est. Si verò etiam ad gloriæ studium trahatur, etiam hoc ipsum perdit, quod sit virtus sincera. Taceo enim, quod illi, qui cum ostentatione opera misericordiæ exercent, non tam virtutis ac honesti amore id faciunt, quàm alienas divulgant calamitates. Dum enim misericordes vocari cupiunt, alienas miserias propalare non verentur. Illud enim, Luceat lux vestra, dictum est, non ut nosmet ipsos jactemus, sed quia bonum opus taceri se non patiatur, ut maximè id occultent ij qui faciunt. Quemadmodum enim fax in illuni nocte apparens, suâ sponte oculos ad se allicit: Sic & virtus quamvis invitis ac nolentibus suis possessoribus omnes homines illuminare apta & nata est. *Lib. 4. Epist. 159.*

§ LATINORUM.

Io. Sarisberiensis: Omnia quæ ostentationis gratia fiunt, proficiscuntur in mortem. *Lib. 7. Policratici, cap. 22.*

§ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Xenophon: Tum Cyrus, Bona verba quæso, ait, ne hos ostentatores adpellaveris. Quippe nomen hoc ostentatoris imponi mihi videtur iis, qui se simulant, vel esse ditiores, quam sint, vel fortiores, quique policeantur ea se præstaturos, quibus ipsi præstandis non sufficiant: atque id tum demum, si pareat ipsos hæc accipiendi aliquid, & quæstus causa facere. Qui vero risum aliis secum versantibus neque lucri sui, neque detrimenti audientium, neque ullius adeo damni causa movent: quo pacto non urbani ac faceti justius, quam ostentatores adpellentur: *Cap. 14. lib. 2. Cyropædiæ.*

Xenophon: Consideremus, an Socrates, dum familiares suos ab ostentatione revocabat, ad virtutis studium impulerit. Semper enim ajebat, viam ad gloriam meliorem nullam esse, quam qua bonus aliquis esset, ac non videri vellet. Atque hoc ab se vere dici, sic docebat. Cogitemus enim, ajebat, si quispiam, quum tibicen bonus non sit, videri tamen velit; quid ei faciendum sit. An non imitari bonos tibicines debet in iis, quæ extra artem posita sunt? Ac primum quidem, quum illi instrumenta pulchra habeant, multosque pedisequos secum ducant, etiam ipsi hoc faciundum. Deinde quum multi eos laudent, etiam huic opera danda, ut multos sui laudatores pararet. Verum ne rem ipsam alicubi adgrediatur, cavendum erit: ne mox deprehendatur esse ridiculus homo, ac non modo tibicen malus, sed etiam ostentator. At vero si sumtus magnos faciat, & utilitatem capiat nullam, ac præterea ignominiæ notam incurrat, qui non & ærumnose, & inutiliter, & ridicule vivet? Eodem modo si quis, quum neutrum sit, vel bonus imperator, vel gubernator videri velit; quid eventurum sit, cogitemus. An non moleste ipsi accidet, si, quum cupiat videri ad hæc perficienda idoneus, aliis id persuadere non possit? Ac si maxime persuaserit, multo miserius est, quod imperitus ad gubernandi, & ad imperatorium munus delectus, palam eos, quos minime vellet, prope det exitio, atque ipse turpiter & fœde ab incœpto desistat. Eodem modo non expedire pronuntiabat, si quis vel opulentus, vel fortis, vel robustus esse videretur, qui non esset. Nam his ajebat imperari majora ipsorum viribus, quumque præstare illa deinde non possint, quæ posse videbantur: veniam minime consequi. Impostorem adpellabat, non aliquem minorum quasi gentium, neque qui pecuniam, vel supellectilem ab aliquo persuaso accipiens, hac eum spoliaret: sed longe maximum, qui nullius homo pretij fefellisset alios, persuasos abs se, quod idoneus esset ad civitatis administrationem. Quæ ita differens, mihi quidem videbatur familiares suos etiam ab ostentatione revocare. *Lib. 1. Memorabilium cap. 29.*

Theophrastus Ethicis Character: Ostentatio dici queat, inanis bonorum quorundam quæ non adsint prædicatio. Ostentator autem eiusmodi est, qui in dignitate Piræei stans, peregrinis narret multam se pecuniam trajectitiam habere: & de toto fænebri quæstu longos sermones habeat, quantus ille sit, explicans, & quæ lucra inde fecerit. Inter eundum viæ comitem nactus, se sub Alexandro in illa nobili expeditione meruisse narrabit: & quam multa indè gemmata potoria reportarit: Asiaticos etiam artifices Europeis esse præstantiores, dissentientibus aliis contendet. Deinde literas ab Antipatro esse allatas memorabit, quæ ipsum vix duobus comitatum in Macedoniam venisse dicant. Se, cum esset sibi materiæ concessa immunis exportatio, oblato beneficio uti noluisse, ut omnes omnium calumnias effugeret. Eundem se, in caritate annonæ amplius quinque talenta pauperibus civibus largientem insumsisse. Quod si ignotis assideat, eos jubebit ponere calculos, & illorum quibus aliquid erogarit numerum inire: qui ut sexcenti reperiantur, calculis sigillatim multiplicatis, probabilibus etiam cuique eorum nominibus additis, efficiet: adeo ut decem talentorum summa tandem colligatur: quam omnem summam, se inopibus sublevandis impendisse affirmabit: & tamen, inquit, in hac ratione non duco, instructas à me triremes, quibus præfui: & alia quibus Reip. causa sum functus, munera sumptuosa. Idem ad eos accedens, qui generosos equos vendunt, velle se emere simulat: & in nundinis ad tentoria eorum qui merces vænum exponunt, appropinquans, vestem sibi ostendi jubet duum talentorum. Puerum quod se sine auro sequatur, graviter objurgat. Denique meritoriam domum inhabitans, si cum aliquo sermonem habeat, qui id ignoret, paternas esse has ædes dicit: quas ipse, quod sint ad hospites excipiendos angustiores, vendere cogitet.

Simplicius: Ostentatio cùm inflat animum & ad externa trahit, eoque redigit ut ad vulgi opinionem non suo judicio vitam instituat: tum ea opinione vulgi contentum, ad veram scientiam contendere non sinit. *ad cap. Epicteti 19.*

Themistius: Cogitandum, non eo demum nos divitem aliquem dignoscere, si annulus occurrerit. nam in ipsa statim divitiarum ostentatione ac simulatione paupertas apparet, quod ei homini nulla sit domi supellex pretiosior: neque enim hic adeo insolenter annulum ostentaret. *Orat. 1. dicta Explorator.*

¶ ROMANORUM.

Auctor ad Herennium libro 4. Notatio est, cum alicujus natura certis describitur signis, quæ sicuti notæ quædam naturæ sunt attributa. Ut si velis non divitem, sed ostentatorem pecuniosum describere: Iste, inquies, judices, qui se dici divitem putat esse præclarum, primum nunc videte, quo vultu vos intueatur. nonne vobis videtur dicere, darem si mihi molesti non essetis? cum vero sinistra mentum sublevat, existimat se gemmæ nitore, & auri splendore aspectus omnium perstringere. Cum puerum respicit hunc unum, quem ego novi (vos non arbitror novisse) alio nomine appellat, deinde alio atque alio: Heus tu, inquit, veni Sannio, ne quid isti barbari perturbent: ut ignoti qui audiunt, unum putent eligi de multis: ei dicit in aurem, aut ut domi lectuli sternantur, aut ab avunculo rogetur Æthiops, qui ad balneas veniat, aut asturconi locus ante ostium suum detur, aut aliquod fragile falsæ choragium gloriæ comparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant, Videto, ut diligenter enumeretur, si potest ante noctem. Puer qui jam bene hominis naturam novit, Tu illo plures mittas oportet, inquit, si hodie vis transnumerari. Age, inquit, duc tecum Libanum, & Sosiam. Sanè. Deinde casu veniunt hospites homini, qui justum splendidè, dum peregrinaretur, receperunt: ex ea re homo herclè sane conturbatur: sed tamen à vitio naturæ non recedit. Bene, inquit, facitis cùm venitis: sed rectius fecissetis, si ad me domum rectà abiissetis. Id fecissemus, inquiunt illi, si domum novissemus. At istud quidem, inquit, facile fuit unde libet invenire.

Verùm ite mecum: sequuntur illi: sermo interea hujus consumitur omnis in ostentatione. Quærit in agris cujusmodi frumenta sint: negat se, quia villæ incensæ sint, accedere posse, nec ædificare etiam nunc audere: tametsi in Tusculano quidem cæpi insanire, & in iisdem fundamentis ædificare. Dum hæc loquitur, venit in ædeis quasdam, in quibus sodalitium erat eodem die futurum: quo iste pro notitia domini ædium ingreditur cum hospitibus. Hic, inquit, habito, perspicit argentum quod erat expositum, visit triclinium stratum, probat: accedit servulus, dicit homini clarè, dominum jam venturum, si velit exire. Itane, inquit? Eamus hospites, frater venit ex Salerno, ego illi obviam pergam: huc vos decima venitote. hospites discedunt. Iste se raptim domum suam coniicit: illi decima, quo jusserat, veniunt. quærunt hunc. reperiunt domus cuia sit: in diversorium derisi conferunt sese. Vident hominem postera die: narrant, expostulant, accusant. ait iste eos similitudine loci deceptos, angiporto toto deerrasse: contra valetudinem suam se ad multam noctem expectasse. Sannioni puero negocium dederat, ut vasa, vestimenta, pueros corrogaret. servulus non inurbanus, satis strenuè & concinnè comparat: iste hospites domum deducit. Ait se ædes maximas cuidam amico ad nuptias commodasse. Nunciat interea puer argentum repeti: (pertimuerat enim, qui commodarat) Apage te, inquit: ædes commodavi, familiam dedi, argentum quoque vult? tametsi hospites habeo, tamen utatur licet, nos Samiis delectabimur. Quid ego quæ deinde efficiat, narrem? cuiusmodi est hominis natura, ut quæ singulis diebus efficiat gloria atque ostentatione, ea vix annuo sermone enarrare possim. Huiusmodi notationes, quæ describunt quid consentaneum sit uniuscujusque naturæ, vehementer habent magnam delectationem: totam enim naturam cujuspiam ponunt ante oculos.

Plinius Iunior: Ornat hæc Aristonis omnia magnitudo animi, quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert; recteque facti, non ex populi sermone mercedem sed ex facto petit. *Lib. 1. Epistol. 22.*

¶ APOLOGI.

Grus & Pavo. Aviennus.

Threiciam volucrem fertur Iunonius ales
Communi sociam continuisse cibo.
Namq; inter varias fuerat discordia formas,
Magnaq; de facili jurgia lite trahunt:
Quòd sibi multitudo fulgerent membra decore,
Cæruleam facerent livida terga gruem.
Et simul erecta circumdans tegmina caudæ
Sparserat arcanum rursus in astra jubar.
Illa licet nullo pennarum certet honore,
His tamen insultans vocibus usa datur:
Quamvis innumerus plumas variaverit ordo,
Mersus humi semper florida terga geris.
Ast ego deformi sublimis in aere penna
Proxima syderibus, numinibusq; feror.
Si quadam virtute nites ne respue quemquam,
Ex alia quadam forsan & ipse nitet.

De terra tumente. Anonymus.

Terra tumet: tumor ille gemit, gemitusq; fatetur
Partum, pene perit sexus uterq; metu.
Cùm tumeat tellus, monstrat se monstra daturam.
Hinc homines trepidant, & prope stare timent.
In risum timor ille redit: nam turgida murem
Terra parit: jocus est quod fuit ante timor.
Sæpe minus faciunt homines, qui magna minantur
Sæpe gerit nimios causa pusilla metus.

¶ EMBLEMATIS.

Batillius XIX.

Non tutum semper vires ostentare.

Ipsa sibi pennis plaudit dum Chäonis ales,
Accipitri indicio proditur ipsa suo:
Qui vires magis ostentat quàm queis sciat uti,
Hostibus haud aliter prodita præda venit.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Leo X. Pontifex. Ostentationem arrogantiamque reprimere non parva laus: eaque claruisse Leonem X. accepimus. Venerat ad eum nescio quis empyricus, peritiam summam & præsentem podagræ curandæ medicinam penes se esse jactitans. At ille homini illusori illudere etiam volens, rogat num habeat aliquot ducatorum millia, quæ ad menses paucos mutuò sibi det: eoque negante, *Næ tu*, ait, *homo vafer & subdolus. Si enim eam quam prædicas experientiam haberes, crede, me longè divitiis præcelleres. Ecquis enim in orbe Princeps hoc malo liberari nollet?* & ita planè confusum & convictum dimisit. *Auct. Serm. memor.*

Require Castigatio, superbia, &c.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Actionum præclararum es assecla, ostentatio.
Ardelio sibi est molestus, aliis odiosissimus.
Bulla tota, tota fumus, omnis ostentatio est.
Erigunt aristæ inanes, & plenæ curvant caput.
Decoquit multum è pudore laudium ostentatio.
Falsa non juvat nisi orbum mentis ostentatio.
Gens ardelionum, multa agendo nil agit.
Liberalitas vocari non pote ostentatio.
Ne quidem in sene est ferenda major ostentatio.
Nemo dives esse quærat, si absit ostentatio.
Non caret suspicione mendacij ostentatio.
Non debet statim ostentari, quem muniri non decet.
Omnia ostentationi Vanitas sua exhibet.
Ostentatio doloris exigit plus quam dolor.
Quæ fit ostentandi caussa, cassa beneficentia est.
Quærit emptorem sibi, ultroque nimis se venditat.
Quam magis se ostentat hoc & vanitas prodit magis.
Quisquis ostentat benefacta: insultat, atq; venditat.
Rebus publicis agendis absit ostentatio.
Tollere vis opes? tollatur earum una ostentatio.

¶ JAMBICA.

Adversa quævis gloriæ ostentatio est.
Æsopicus est mortalis omnis gracculus.
Crudelis est beneficij ostentatio.
Mendacio est adfinis ostentatio.
Nescit, decorum quid sit, ostentatio.
Non respicit se sed populum ostentatio.
Ovum natat jam inane, plenum desidet.

Otij.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus:* Mihi maxima actio est otium. atq; ut quippiam laudum mearum intelligas, usque adeo quiete atque otio glorior, ut me mutuò adversus vos animi magnitudinis eius, quæ hic sita est, legem omnibus esse putem. Quod si nostrum exemplum omnes sibi mirandum proponerent, nec Ecclesiæ quidem negotij quidquam haberent, nec fides, quæ propriarum cuique contentionum telum est, misere distraheretur. *Epist. 32.*

D. Greg. Nyssenus: Quod ratione caret otium, non est virtus. *Homilia 7. in Ecclesiasten.*

D. Io. Chrysostomus: Quomodo otium lædit corpus, ita etiam à bonis otium & cessatio animam supiniorem reddit, & ignaviorem, & imbelliorem. *Homil. 10. Epist. ad Hebræos.*

Synesius: In communi videre, quemadmodum boni mihi aliquid conciliaveritis. otium porrò maximum bonum est, quod opimi instar, & uberis soli omnia bonorum genera Philosophi animo producere dici non immeritò potest. *Epistola 99.*

¶ LATINORUM.

Ennodius præfatione Carminis 9. Si reddenda est de otioso sermone ratio, non minus de otioso silentio.

¶ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Xenophon: Præterea dicebat accusator, Socratem seligentem de poetis celeberrimis ea, quæ essent pessima, eisque testimoniorum loco utentem, docere familiares suos: ut & facinora quædam improba, & tyrannica molirentur. Hesiodi quidem illud,

Nullum opus esse putes probro, sunt otia probrum,

sic exponere Socratem, quasi poeta nullo jubeat ab opere, nec injusto, nec turpi abstinere: sed quæstus gratia, hæc quoque faciunda censeat. At enim Socrates, quum fateretur ex usu hominis, ac bonū esse, labore occupari: contraque otiosum esse, noxium & malum: & operari bonum: otiari, malum esse: quoscumque boni quid facere videret, eos operari dicebat, ac bonos esse operarios: qui vero talis luderent, vel aliud quidpiam pravi damnosique agerent, hos otiosos adpellabat. Qua sententia recte dicitur,

Nullum opus eſſe putes probro, ſunt otia probrum. *Cap.15. lib.1. Memorabilium.*

Xenophon: Qum quid ſit otium, conſideraret; ajebat ſe deprehendere, maximam hominum partem aliquid facere. Quippe illos etiam, qui calculis ludunt, & joculatores, agere quidem aliquid ajebat, verum eosdem nihilominus eſſe otioſos. Etenim poſſe ipſos diſcedere, ad agendum aliquid rei melioris. A melioribus autem ad peiora ſe conferendi, otium eſſe nemini. Ac ſi maxime quis id faceret, ajebat eum male facere, præſertim qui iam ante in negotio eſſet. *Lib.3. cap.26. Memorabilium.*

Arrianus cap.4. lib.4. Epict. Nunc ergo me in tanto tumultu vivere? Quem dicis tumultum? In frequentia hominum? Quid in iſto grave eſt? Finge Olympia eſſe, celebritatem eſſe judica. Illic etiam alius aliud agit, alius alium trudit. In balneis eſt turba. Quis autem noſtrum ea turba non delectatur? quis triſtis inde diſcedit? Ne ſis moroſus, neque faſtidioſus erga ea quæ fiunt. Acetum moleſtum. eſt enim acre. Mel moleſtum. evertit enim habitum meum. Holera nolo. Sic etiam otio nolo: ſolitudo eſt. Turbam nolo: tumultus eſt. Sed ſi res ita ferent, ut ſolus aut cum paucis degas: tranquillitatẽ id appella, & utere ea re ut oportet: tibi loquere, exerce vita tua, anticipationes expoſi. Sin in turbam incideris: certamen appella, celebritatem ludorum, feſtivitatem, da operam ut eam una cum aliis celebres. Quod enim jucundius eſt humano viro ſpectaculum, multitudine hominum? Equorum & boum armenta cum voluptate ſpectamus: naves multas cum videmus, exhilaramur: homines multos cum videt, quis dolet. At clamoribus obtundunt me. Igitur auditus tuus impeditur. Quid vero ad te? Num etiam facultas quæ viſis utitur? Quis vero te prohibebit appetitione & averſatione ex naturæ præſcripto uti? Quis tumultus ad iſtud ſatis eſt? Tu tantum memento generalia iſta: Quid meum eſt? Quid non meum? Quid mihi datum eſt? Quid me Deus facere nunc vult, quid non vult? Paulo ante voluit te agere otium, tecum colloqui, ſcribere his de rebus, legere, præparari: ad iſtud ſatis ſpatij datum eſt. Nunc dicit, Veni ad certamen, oſtende nobis quid didiceris, quomodo ſis luctatus. Quouſque ſolus exerceberis? Nunc tempus eſt, ut cognoſcas an pugil ſis dignus victoria: aut ex illorum numero, qui terrarum orbem peragrantes perpetuo ſuccumbunt. Quid ergo indignaris? Nullum certamen fit abſque tumultu. Multos eſſe oportet qui exerceant, multos qui vociferentur, multos magiſtros, multos ſpectatores. At ego tranquille vellem vivere. Plora igitur & ſuſpira, ut dignus es. Nam quæ alia pœna major eſt illi qui ineruditus eſt, divinisque præceptis refragatur, niſi ut doleat, lugeat, invideat, denique voto fruſtretur, calamitatibus conflictetur? His malis non te liberabis? Quomodo autem me liberem? Nonne ſæpe audiviſti, appetitũ omnino tollendum eſſe à rebus externis: averſationem ad ea ſola transferendam, quæ tui arbitrij ſint: miſſa facienda tibi eſſe omnia, corpus, opes, famam, libros, tumultum, imperia, vitam privatam? Nam quocunque inclinaveris, ſervis obnoxius es: prohiberi, cogi potes, totus in aliena poteſtate es. Cleanthis illud in promtu ſit: Me Iupiter duc, & Fati neceſſitas. Ire me Romam vultis? Romam. In Gyana? In Gyana. Athenas? Athenas. In carcerem? In carcerem.

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Spurinna frugaliter diſpoſita vita id obtinuit, ut & poſt ſeptimum & ſeptuageſimum annum, aurum oculorumque ſit vigor integer, quod agile & vividum corpus, ſolaque ex ſenectute prudentia: Hanc ego vitam voto & cogitatione præſumo, ingreſſurus avidiſſimè, ut primum ratio ætatis receptui canere permiſerit. Interim mille laboribus conteror, quorum mihi & ſolatium & exemplum eſt idem Spurinna. nam ille quoque quoad honeſtum fuit, obiit officia, geſſit magiſtratus, provincias rexit, multoque labore hoc otium meruit. Igitur eundem mihi curſum, eundem terminum ſtatuo: idque jam nunc apud te ſubſigno: ut ſi me longius evehi videris, in jus voces ad hanc epiſtolam meam, & quieſcere jubeas, cùm inertiæ crimen effugero. *Lib.3. Epiſt.1. extremo.*

Idem: Magnam cœpi voluptatem cùm ex communibus amicis intellexi, te ut ſapientia tua dignum eſt, & diſponere otium & ferre: habitare amœniſſimè, & nunc terra nunc mari corpus agitare, multum diſputare, multum audire, multum lectitare: cumque plurimum ſcias, quotidie tamen aliquid addiſcere. Ita ſeneſcere oportet virum qui magiſtratus ampliſſimos geſſerit, exercitus rexerit, totumque ſe reip. quamdiu decebat, obtulerit. nam & prima vitæ tempora & media patriæ; extrema nobis impertire debemus; ut ipſos leges monent, quæ majorem annis ſexaginta otio reddunt. Quando mihi licebit? quando per ætatem honeſtum erit, imitari iſtud pulcerrimæ quietis exemplum? quando ſeceſſus mei, non deſidiæ nomen, ſed tranquillitatis accipient? *4. Epiſt.23.*

Plinius Iunior: Quid agis? quid acturus es? ipſe vitam jucundiſſimam, id eſt otioſiſſimam vivo: quo fit ut ſcribere literas longiores nolim, velim legere: illud, tãquam delicatus: hoc, tanquam otioſus. nihil enim aut pigrius delicatis, aut curioſius otioſis. *lib.9. epiſt.23.*

Plinius: O rem memoriæ literisque mandandam, præfectum prætorij non ex ingerentibus, ſed ex ſubtrahentibus legere; eundemque otio, quem pertinaciter amet, reddere: cùmque ſis ipſe diſtentus imperij curis, non quietis gloriam cuiquam invidere. Intelligimus, Cæſar, quantum tibi pro laborioſa iſta ſtatione & exercita debeamus, cùm otium à te, tanquam res optima, & petatur, & detur. *Cap.86. panegyr. ad Trajanum.*

Quintilianus: Vacat vitiis noſtris, & ad omne votum fluente fortuna laſcivit ocium. *Declam.3. §.12.*

Cl. Mamertinus: Vos Deis eſſe genitos & nominibus quidem veſtris & virtutibus approbatis: quarum infatigabiles motus & impetus ipſa vis divinitatis exercet, quæ vos tantis diſcurſibus toto quem regitis orbe deducit, ut nos ſemper auxilij veſtri caritate nuper ad libertatem piæ conſtitutionis impleverit, cùm itinera veſtra ipſis hibernis diebus per vicina illa cælo Alpium juga, quibus Italiam natura vallavit, perque illa ſaxa, & duriorem ſaxis nivium denſitatem deſiderio veſtri & amore ſequeremur, & quam virtus veſtra non ſentiret, pati nos putaremus injuriam. Reddimus tamen ſollicitudinis veſtræ rationem, & inſpecta penitus veritate cognovimus quæ cauſa faciat, ut nunquam otio acquieſcere velitis. profectò enim non patitur hoc cœleſtis ille veſtri conditor. nam primum omnium, quidquid immortale eſt, ſtare neſcit, ſempiternoque motu ſe ſervat æternitas, &c. *Videantur plura c.3. panegyr. in genethliac. Maximiani.*

Symmachus lib.1. Epiſt.41. Silentij noſtri ratio diverſa eſt, ſed unus effectus. Me impedit Pontificalis officij cura: te Baiani ocij tenuit negligentia. neque enim minus reſidem facit remiſſio animi, quàm occupatio.

Symmachus lib.6. Ep.61. Felix materia eſt ſuadere ocium. Sed hæc exhortatio animum ſui juris requirit. Nos neque reſidere patitur liventium factio, nec filij juvenis inſtitutio longum peregrinari. Quare ut poſſumus, modò abſceſſu, modò reditu, variamus locorum diſtinctionem.

Symmachus lib.9. Epiſt 35. Antiſtianus diu patriæ ſuæ functus defenſionem, deſiderat tandem portum privatæ quietis adipiſci. Quæ res tibi commendabilem faceret, etiamſi meus non interveniret affatus. Soles enim pro tua virtute diligere cupidos ocij, & neſcios ambiendi. Oratus igitur atque exoratus litteris meis, dignare concedere optatam requiem vacare cupienti.

Symmachus: Eſt morborum ferax otium. *Libro decimo Epiſtola quinta.*

Latinus Pacatus: Ego tuum otium aliorum negotiis anteverto. non enim te amœna littorum, nec diſpoſiti ad temporum vices habuere ſucceſſus: ſed ſive tu agris, ſive oppidis tempus dabas, rem & famam pariter augebas. & in urbibus quidem omnium ætatum ordinumque homines his aut illis beneficiis apprehendebas, amicorum commoda, abſentium negotia aſſiduitate, conſilio, re juvabas. Jam ſi placuiſſet oppida rure mutare; ut tu vitæ oblitus urbanâ imitabaris agricolam? audio enim Imp. & credo ſæpe aliqua te laborum tibi ipſi injunxiſſe, & ne contraheres corporis veternum cujuſcemodi ſemper opere inſidiantis otij terſiſſe rubiginem. Sic agreſtes Curij, ſic veteres Coruncani, ſic nomina reverenda Fabricij, cùm induciæ bella ſuſpenderant, inter aratra vivebant, & ne virtus quiete langueſceret, depoſitis in gremio Capitolini Iovis laureis, triumphales viri ruſticabantur. Inde eſt quod accepimus datos ſerentibus faſces, & miſſas cum curulibus ſuis per rura palmatas, quod agricolas conſulares paſtoresque trabeatos, & dictatores inter armenta veſtitos. Sed illos quidem anguſta res familiaris addicebat labori, ut quibus videlicet ipſis ſuburbani horti, præcepsque Ianiculum, & jugera arctata pomœrio vomere eſſent, aut ligone verſanda: nec injuria opus reverteretur ad dominos cùm deerant quibus juberent. Detrahit laudem patientiæ inopia: majoris exempli eſt labor ſine neceſſitate. *Cap.3. panegyrici Theodoſio Aug. dicti.*

¶ Poetarum.

Plautus Truculento 1. ſc.2. v.53.

Nimis otioſum arbitror hominem eſſe te. D. quinam arbitrare?
A. Quia tuo veſtimento & cibo, alienis rebus curas.
D. Vos me reddidiſtis otioſum. A. quidjam amabo? D. expedibo:
Rem perdidi, cùm re meum negotium abſtuliſtis.
Si rem ſervaſſem, fuit ubi negotioſus eſſem.
A. An tute bene rempublicam, aut amoris, alia lege.
Habere ſe poſtulas, quin tu otioſus fias?

Ennius in Iphigenia.

Otio qui neſcit uti, plus negotij habet.
Quam cùm eſt negotium in negotio.
Nam cui quod agat inſtitutum eſt, nullo negotio.
Id agit, ſtudet: ibi animum & mentem oblectat ſuum.
Otioſo in otio animus neſcit quid velit.
Hoc idem eſt: neque domi nunc nos, nec militiæ ſumus.
Imus huc, hinc, illuc: cùm illuc ventum eſt, ire illinc lubet:
Incertè errat animus; præter-propter vitam vivitur.

¶ Emblematis.

Jac. Catſius Emblemate amatorio XXXVI.
Affluit incautis.

Dum prædas agit anguis, & ardua ſaxa pererrat,
Ambulat innocuas, tutus ab hoſte, vias:
Hunc improviſo perſtringit Aranea telo,
Cùm jacet in molli gramine fuſus humi.
Laſcivas abigunt tractata negocia flammas:
Quis videt intentos rebus amore trahi?
Cùm vacat, & molli colit ocia pectus in umbra,
Tum patet, occulto tum ſubit igne Venus.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Salomon. Otij deteſtationem depictam habes apud Salomonem variis locis, præcipuè autem cap. 6. ubi otioſos ad formicam mittit.

D. Paulus Apoſtolus. Otioſos qui laborare noluntab uſu ciborum arcet in epiſtola ad Theſſalonicenſes,& meritò quidem,utpote qui fruges conſumere nati aliis laborantibus ſunt impedimento & offendiculo.

Idem propriis manibus, quanquam Apoſtolatus munere incredibili cum corporis & animi cura & labore fungeretur, victum ſibi ſæpius comparavit, ut ex Actis Apoſtolicis & Epiſt. ad Corinthios colligere licet. Sed quid Paulum proferimus. Nónne Chriſtus faber appellatur apud Marcum? Apoſtoli quidam fuère piſcatores.

Antonius Eremita. Solitudinis tædio affectus exclamabat, Servari cupio, Domine, & cogitationes meæ mihi adverſantur. Mox ubi de cella prodiit,conſpexit hominem monachali habitu ſuccinctum, nunc calathos texentem, nunc ad adorandum procumbentem. Et dum rem tacitus miratur,ab eodem tandem audivit, Sic & tu age,Antoni,& tentationes vinces. Cumque id loquentem ſtatim non comparuiſſe animadverteret,angelum Dei fuiſſe intellexit. Exinde igitur,terram coluit,ſementémque fecit,& oluſcula plantavit, ut etiam ijs qui viſendi gratia acceſſiſſent, ad conveſcendum ſatis eſſet. Si quid otij ſuppeteret, ſportulas de palmarum folijs texebat *Marull. lib. 3. cap. 9.*

Idem. Otium averſabatur Antonius monachus, & qui præclarè vitam eſſet acturus,tum ad laborandum hortatus eſt,tum ad ſecum conſiderandum,rationémque ſedulò ineundam,quid noctu,quídq; interdiu etiam egerit. *Sozom. hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 13.*

Theodoſius. Monachus quidam generis claritate & pietate ſingulari inſignis,nomine Theodoſius, memor vocis Apoſtolicæ quæ dicit,Noctu diúque operantes,ne eſſemus oneri alicui veſtrûm: &, Manus hæ mihi & ijs qui erant mecum ſuppeditarunt: & ipſe laborabat, & hortabatur ſuos contubernales, utcum animæ laboribus corporis quoq; labores conjungerent. Eſt enim abſurdum, inquiebat, ut ij qui aluntur in vita ſeculari, ſe affligentes & laborantes, alant filios & uxores,tributa item perſoluant, & ab eis exigantur vectigalia,Deoque offerant primitias,& medicorum pro viribus medeantur inopiæ:nos autem non quæramus ex laboribus ea quæ ſunt neceſſaria, idque cum vili quidem & modico cibo, vili autem veſte utamur, ſed ſedeamus quidem compreſſis manibus, alienis autem fruamur laboribus. *Theodoret. hiſt. Sanct. Patrum, Vita, 10.*

Baſilius Magnus. Omnis occaſio otij,inquit,occaſio eſt & peccati. Nam operandi diligentiam ad mortem uſque, quemadmodum & tolerandi oſtendere oportet. Quod autē pigrities conjuncta malitiæ condemnet otioſum,ex verbis Domini liquet, cùm dicit, Serve male ac piger. *In regulis contract.*

Gr. Nazianzenus. Dicit Chriſtianorum provectam valetudinem ad ſummum bonitatis, contrariam mutationem quæſiviſſe per licentiam, honorem & opes, inde in inſolentiam ac petulantiam eſſe prolapſos. *Orat. 3. in Iulianum.*

D. Ambroſius. Tentant otia quos bella non fregerant. periculoſa igitur & pacis otia. *Serm. 11. in Pſal. 118.*

De ſeipſo idem dicebat, Nunquam minùs ſolus ſum, quàm cùm ſolus eſſe videor: nec minùs otioſus quàm cùm otioſus. *Epiſt 41. ad Sabinum.*

D. Auguſtinus. Initio libri de opere monachorum refellit otioſos monachos dictum Pauli, Qui non vult operari non manducet, ad opera ſpiritualia applicantes,& conciliat Apoſtolum cum Chriſto, qui (Matth. 6.) nos ſollicitos eſſe de victu & veſtitu prohibet. Deinde otium monachorum contemplantium damnat multis argumentis, eos præcipuè qui ſolitudinem amplectuntur ut otioſè vivant. Ex toto opere pauca quædam in otioſos ſubjiciamus lectori.

Contra Apoſtolum Chriſti, inquit, recitant Evangelium Chriſti: ita enim mirabilia ſunt opera pigrorum, ut impedire velint Evangelium,quod Apoſtolus ideo præcepit & fecit, ne impediretur ipſum Evangelium. *cap. 23. ejuſdem libri.*

Dicunt ſe operari non debere, quia nec volucres cœli ſeminant neque metunt, de quibus nobis Dominus ſimilitudinem dedit,ne de talibus neceſſariis cogitemus. Cur ergo non attendunt quod ſequitur? Etenim adjectum eſt, neq; congregant in apothecas, i. horrea,vel repoſitoria. Cur ergo iſti manus otioſas, & plena repoſitoria volunt habere? Cur ea quæ ſumunt ex laboribus aliorum recondunt & ſervant unde quotidie proferatur? Cur denique molunt & coquunt? Hoc enim aves non faciunt. Oſtendant nobis homines ſervire volucribus, ſicut ſibi ſerviri volunt, niſi captis & incluſis, quibus fides non habetur, ne volantes non redeant, & tamen illæ malunt frui libertate,& ex agris quantum ſatis eſt capere, quàm ab hominibus appoſita & apparata ſumere. *Ibidem.*

Sed planè,propter agrorum cuſtodes quàm bonum eſſet,ſi etiam pennas Dominus largiri dignaretur, ut iſti in agris alienis inventi non tanquam fures comprehenderetur, ſed tanquam ſturni fugarentur. *Ibidem.*

Callidiſſimus hoſtis (diabolus) tam multos hypocritas ſub habitu monachorum uſquequaque diſperſit, circumeuntes provincias, nusquam miſſos, nusquam fixos, nusquam ſtantes, nusquam ſedentes. Alij membra martyrum, ſi tamen martyrum, venditant: alij fimbrias & phylacteria ſua magnificant: alij parentes vel conſanguineos ſuos in illa vel in illa regione ſe audiviſſe vivere, & ad eos pergere mentiuntur:& omnes petunt,omnes exigunt,aut ſumptus lucroſæ egeſtatis,aut ſimulatæ pretium ſanctitatis. *Cap. 28.*

Quis ferat homines contumaces ſaluberrimis Apoſtoli monitis reſiſtentes,non ſicut infirmiores tolerari,ſed etiam ſicut ſanctiores prædicari,ut monaſteria doctrina ſaniore fundata, gemina illecebra corrumpantur,& diſſoluta licentia vacationis, & falſo nomine ſanctitatis? *Cap. 30.*

Ex tribus illis vitæ generibus,otioſo,actuoſo,& ex utroque compoſito, quamvis ſalva fide quisque poſſit in quolibet eorum vitam ducere,& ad ſempiterna præmia pervenire: intereſt tamen quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. Nec ſic quisque debet eſſe otioſus,ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi ſui:nec ſic actuoſus,ut contemplationem nō requirat Dei. In otio non iners vacatio delectare debet, ſed aut inquiſitio aut inventio veritatis: ut in ea quiſque proficiat, & quod invenerit alteri non invideat. *Paulò poſt.* Otium ſanctum quærit charitas veritatis: negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit,percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur,ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem.

Sed nec ſic omnimodo veritatis dilectio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas,& opprimat iſta neceſſitas. *Lib. 19. de Civitate Dei. cap. 19.*

Chryſoſtomus. Dominum habemus manſuetum & miſericordem, nihilque ſupra vires noſtras exigentem. Neque enim jejunium & abſtinentiam ſimpliciter à nobis exigit: neque hoc ipſum ut jejuni ſolummodo permaneamus: ſed ut à ſecularibus operibus nos abdicantes, omne noſtrum otium in ſpiritualia collocemus. *Homil. 10. in 1. cap. Geneſ.*

Grave malum eſt otium, facitque ut facilia omnia videantur difficilia: ſicut ſtudio & vigilantia, etiam omnia ardua & difficilia, facilia nobis fiunt. *In 2. cap. Geneſ. hom. 15.*

Omnium vitiorum quaſi magiſtra quædam atque origo eſt otioſitas. *In Matth. homil. 36.*

Otioſa juventus, in ludis, comeſſationibus, curioſitate, tumultibus educata, omni ferociſſima beſtia immanior eſt. *In Matt. hō. 39.*

Curæ ac ſollicitudines gymnaſium & ſchola ſunt philoſophiæ. Educetur quis in aulis & non contriſtetur, neque ſolicitus ſit, neque iræ occaſionem habeat, neque infortunium, ſed deſideriis ſuis ſatisfaciat, eaque aſſequatur, & omnes habeat ſibi obtemperantes: an non qualibet beſtia fit magis ſtupidus, & minùs rationalis? corpus otioſum, morbis magis obnoxium & fœdum eſt: quod autem movetur & laborat, ac ærumnis exercetur, formoſius eſt ac ſanius. Hoc etiam in anima reperire licet. ferrum ſi jaceat, corrumpitur: ſi exerceatur autem ſplendet. Et ſimiliter anima quæ movetur. *In Actá Apoſtol. homil. 54.*

Nemo ex iis qui ſunt artifices erubeſcat: ſed ij erubeſcant qui nihil agentes & otioſi aluntur, qui multis utuntur miniſtris: & plus quàm dici poteſt curantur, coluntur & obſervantur. Perpetuò enim opus facientem ali, eſt genus philoſophiæ. Opificum animæ ſunt puriores, mentes robuſtiores, ac firmiores. Nam qui eſt otioſus multa magis temere loquitur, & multa agit temere, totoque die nihil operatur, multo veterno & torpore repletus, &c. *In 1. ad Corint. homil. 6.*

D. Bernardus. Cavendum eſt otium in otio, fugienda otioſitas. mater nugarum, noverca virtutum. *De Conſideratione, lib. 2.*

Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium ſentina, otium eſt. Summa mentis malitia eſt otium iners. Qui pro vitando otio otioſa ſectatur, ridiculus eſt. Otioſum eſt quod nullam habet utilitatem vel utilitatis intentionem. *Epiſt. ad fratres de monte Dei.*

Vide Apophth. *de Labore.*

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Monachi Ægypti. Natura humana ut improbo labore inſtruitur, & quaſi gubernatur; ita torpenti Otio deſtruitur, & velut infatuatur. Nónne

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Et capiant vitium ni moveantur aquæ.

Hinc vetus illa diſciplina monaſtica, Otium ut diaboli pulvinar, ſumma cura vetabat. Qua de re ita Caſſianus: Per Ægyptum, ait, Patres nullo modo otioſos eſſe monachos, ac præcipuè juvenes, ſinūt: actum cordis & profectum patientiæ ex humilitatis ſedulitate metientes. Ita erat apud eos celebre hoc dictum: *Laborans ab uno, otioſus ab infinitis oppugnatur dæmonibus.* Statuat igitur Chriſtianus adoleſcens omni ratione otium effugere, & optimis occupationibus vitam tranſigere, ne pòſt, ut quidam ait, & nimis ſerò,

——doleat ſtultos præterijſſe dies.

Refert *Guilielm. Baldeſanus in Stimulis Virtutum, lib. 1. cap. ult.*

Religioſus Anonymus. At veriſſimum etiam eſſe illud Ethnici,

Otia ſi tollas, periére Cupidinis artes.

inſigni exemplo deſcribit Hieronymus, quod hîc totidem verbis adſcribam. Græcus adoleſcens erat in cœnobio, qui nullâ abſtinentiâ, nullâ operis magnitudine flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem monaſterij Rector hac arte ſervavit. Imperat viro cuidam gravi, ut jurgiis atque contumeliis eum inſectaretur, & poſt irrogatam injuriam primus veniret ad querimoniam.

Vocati testes pro eo loquebantur, qui injuriam intulerat: flere ille contra mendacium. Quid multa? ita annus ductus. quo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pessimis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret; *Papæ! inquit, vivere non libet, & fornicari libeat? Hier. Epist. ad Rusticum.*

Vide Labor. Opera manu exercenda.

§ Monosticha Trochaica.

A negotio secretum minimè durat otium.
Ad negotium unusquisq; natus haud ad otium est.
Causa multorum es malorum somnolenta inertia.
Difficilius otium homo à sese impetret quàm à legibus.
Est sepultura hominis vivi, literis sine otium.
Et refectiones instar est laboris versio.
Heu quàm in alto fluctuabit, trabs cui in portu tremit!
Ingenio Deis propinquo convenit tantùm otium.
Liber esse non videtur, cui non otium suum est.
Lusit in turba puerorum nucibus Æsopus senex.
Lusum animo da, cogitando melior ut redeat sibi.
Mens generosa amat tentare cuncta quàm otiarier.
Mentem effeminat corpusq; longum enervat otium.
Miles es? cur manciparis otio atq; abdomini?
Nil est orbe toto cui non noxium sit otium.
Nil magis negotiosum fortuito est otio.
Nil molestius repertu est otio podagrico.
Non scatet tot cura curis quot quieta incuria.
Non videtur in natura is esse quisquis nil agit.
Nullũ opus probro est vacãti, quin probrum ingens otiũ est.
Omnium malorum origo duxq; est otiositas.
Omnium malorum origo fastus est & otium.
Ordinem exuit Senator otij cupidine.
Otiari atq; imperare multis, nemini datur.
Otiare, uti inde adsuetam fortius perstes vicem.
Otium atq; solitudo corda reddunt languida.
Otium atq; solitudo plena languitudinis.
Otium atq; solitudo sunt pedisequa ignavia.
Otium cuicumq; ingenio ad instar est rubiginis.
Otium cum dignitate, optabile optimatibus.
Otium fastusq; non sunt pauperis sed divitis.
Otium ferax morborum est; otium totum malum est.
Otium magis foventes quam studentes gloriæ.
Otium multi dum quærunt, inveniunt negotium.
Otium omni literarum pulcrius negotio.
Otium parit fastidium, exercitium parit famem.
Otium proles timoris, otijq; ignavia est.
Otium quandoq; fructus plus habet negotio.
Otium qui ferre nescit, quei feret negotium?
Otio qui nescit uti; ei otium, negotium est.
Otium quiesq; vitam homini moresq; destruit.
Otium rationis exors, esse virtus non potest.
Otium si segne miles captitat, corrumpitur.
Otium sine literis hominem ante mortem infert humo.
Otium voluptatesq; quærito alijs, haud tibi.
Otium urbanum quis agresti non labori præferet?
Otij ac quietis haud est fructus ampla Gloria.
Otij expers imperator est ob otia omnium.
Otij fructus relaxat animum non contentio est.
Otij parens formido est, otiumq; ignavia.
Otio lassari haud posse, virtutis reor genus.
Otio noli eminere; plus sat est si appareas.
Otio qui nescit uti duplum ei negotium est.
Otio somnoq; miles deditus pro femina est.
Otiosa vita, vita verè jucundissima.
Otiosus ardor, hostis si deest, hostis fit sibi.
Otioso est satius esse cuivis, agere quam nihil.
Otiosi etiam reddenda homini ratio silentij.
Otioso in otio animus hominis, nescit quid velit.
Otioso ingenio oportet adsit multum æruginis.
Perdit & reges & urbes peste pejus otium.
Plus habet negotij otium omne quàm negotium.
Plus placet mihi otiosus quam ille qui nihil agit.
Post labores usurpare fas quietem & otium.
Quanto plus retrahis balistam, tanto mittit fortius.
Quas non urbes, quos non reges perdidit segne otium?
Quem diem non perdis, ille maxime omnium perit.
Quid magè justum est, quàm usurpare post labores otium?
Quid nisi vivi hominis sepulcrum est, otium absq; literis?
Quilibet quidem otium optat, assequuntur pauculi.
Quisq; ob otium labores ac pericla suscipit.
Rumpitur ni laxes arcus, anima si laxas perit.
Sæpe magnifico velatur segne nomine otium.
Sarcinæ premant jumenta: nobiles vacent equi.
Tunc quiescas jure crimen inertiæ cùm effugeris.
Vir bonus, quanquam otiosus, ales ominis boni est.
Vir probus præstat rationem æquè otij ac negotij.
Usurpare post labores Natura otium jubet.

§ Jambica.

A mortuâ differt nihil quæ stat aqua.
Ah! literato dulcius quid otio est?
Ambitio iners est gloriarier otio.
Animâ otiosâ nil rubiginosius.
Animi vigorem suscitabis otio.
Beatius nil otio juris sui.
Certè otium morbosius negotio est.
Cujuslibet causa est mali otiositas.
Dulce otium est quidem sed est inglorium.
Ecquis trophæa unquam otiosus excitat?
Est otiari satius, agere quàm nihil.
Est satius otiosum esse, agere quàm nihil.
Etiam otium animi generat ægritudines.
Etiam senescunt civitates otio.
Ex otio negotium omne nascitur.
Ex otio nunquam prognata gloria est.
Gliscit libido non domatur otio.
Haud dulce adæque est otium, quàm inglorium.
Homo otiosus pondus terræ inutile.
In otio esse militi turpissimum est.
In otio plus quam duplex negotium est.
In otiosis non manet prudentia.
Industrio cuicunq; pœna est otium.
Justum otium omni pulcrius negotio est.
Magister omnis pravitatis otium est.
Mens otiosa est, cùm nihil sensus agunt.
Mens otiosa nil quàm ventrem cogitat.
Minimè otioso animo frustra otium imperes.
Negotium eheu repperi loco otij!
Negotio ferè otium omni acerbius.
Nemo otij rationem reddere cogitur.
Nemo rationem reddere cogitur otij.
Nil agere: nulli convenit, quam mortuo.
Nil non boni probis parit pingue otium.
Nil otio est profecto illiberalius.
Nil otio est profecto liberalius.
Nil otiosus cive differt à malo.
Nimis otiosa vita non est utilis.
Noverca virtutum omnium otiositas.
Nullum otium consistit absq; negotio.
Nunquam simul sunt otium atq; opulentia.
O quàm sui laudandum juris otium est!
Optamus omnes otium; sed quisnam agit?
Plerosq; ducit otium ad res pessimas.
Plus otium est inerti, quàm negotium.
Quam multa fert mala otium mortalibus?
Quamplurimum confertur studijs otio.
Quemvis laborem spes sustentat otij.
Qui nil agit, bene agere quæsò quei queat?
Quicunq; gaudet otio est civis malus.
Quis otij unquam reddidit causam sui?
Reddenda ratio & otij cuivis sui est.
Sæpe otium omni pulcrius negotio est.
Segnitia intrare suevit unà cum otio.
Semper simul sunt Indigentia & otium.
Senescere apud scopulos turpe est Sirenios.
Suavissimum malum otium est ignavia.
Sub otio persæpe servitus latet.
Sudore virtus quæritur, non otio.
Turpi otio nihil negotiosius.
Tutum otium pares tibi laboribus.
Ubi otium est, haud longè inde indigentia est.
Vel actionum maxima omnium otium est.
Vir otiosus pauper est, aut mox erit.
Vitia otij mox discutit negotium.
Vitia otij, uno discuti est negotio.
Vivat tibi, cùm fama quod sat est habet.

POLYAN-

POLYANTHEÆ TOMI SECUNDI LIBER DECIMUSQUARTUS.

Pacti.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Æ*Schines*: Omnes fatemur nos pactiones inter nos ex diffidentia facere; ut qui eas ſervarit, judicio pœnas de eo ſumat, qui fidem fregerit. *Orat. in Timarchum.*

Simplicius ad cap. 74. Epict. Si utilium rerum pactionibus non ſtare, indecorum & nefas habetur, quaſi veritate ac fide (quibus omnia tranſiguntur rataque permanent) quantum quidem in nobis eſt, abrogata: an non multò magis erit impium, pacta & conventa cum Philoſophia & honeſta vita facta violare? violat autem ea, qui cùm dictis & ſcriptis aſſentiatur, ut honeſtis & veris, iisque uti cœperit: non tamen in iis perſeveret.

Libanius: Jure opinor formido Philippum Macedoniæ regem, qui in pactis conventis majorem quàm in armis injuriam intulit. *Declam. 15. fine.*

Heliodorus: Quid tam novum aut magis contra fas fieri poſſit, quam cum jusjurandum ac pacta violantur? *Libro Aethiopicorum primo.*

¶ LATINORUM.

Symmachus: Vox juris ac legum eſt: bonæ fidei contractum non poſſe reſcindi. *Lib. 2. Epiſt. 87. pr.*

¶ POETARUM.

Plautus Aululariæ 2. ſc. 2. v. 80.

——— *Illud facito ut memineris*
Conveniſſe, ut ne quid dotis mea te ad afferret filia.
M. Memini. E. at ſcio quo vos pacto ſoleatis perplexarier.
Pactū, non pactū eſt: non pactum, pactū eſt, quod vobis lubet.

Plautus Trinummo 5. ſc. 1 v. 7.

Nunc mihi is propriè conveniendus eſt, ut quæ cum ejus filio
Egi, ei rei fundus pater ſit potior.

¶ EMBLEMATIS.

Batillius CLIV.

Pietas in ſuos.

Obſeſſam excidiis urbemq; hoſtemq; petebat
Vicinos Cæſar depopulatus agros,
Iamq; intus ſuſcepta fames, atq; undiq; ſaeptis
Nulla fugæ, non ſpes ulla ſalutis erat,
Quum matronarum fletu precibusq; remiſſus
Seſe ille hac flecti conditione ſinit,
Illæſæ illæ abeant, nihil exportentq; ſuarum
Ni quod rerum humeris tollere, ferre queant.
Stat pepigiſſe ratum: portis mox exit apertis
Feminea impoſito pondere tarda cohors:
Sublatum illa ducem, natum hæc gerit, illa parentem,
Illa virum, affines altera quæq; ſuos.
Miratus ſtupet aſpectu pietatis in iſto
Cæſar, cui lacrymas gaudia panè movent,
Inde illas ponitq; minas, tum parcit & urbi,
Cumq; ipſo hoſte novas jungit amicitias.

¶ APOPHTHEGM. SACRI.

Iephte. Quum Seniores Gileadis interpellarent ut arma cum eis ſumerent adverſus Ammonitas, reſpondit eis, Nonne vos odiſtis me, & expuliſtis me è domo patris mei? cur ergo venitis ad me nunc, cùm anguſtia eſt vobis? Illis autem inſtantibus, & principatum offerentibus, Iephte dixit, Quandoquidem reducitis me ad pugnandum contra Ammonitas, cùm expoſuerit eos Jehova mihi, ego futurus ſum vobis primarius. Tum dixerunt ſeniores, Jehova cognoſcet inter nos, niſi ſecundum verbum tuum ſic fecerimus. *Iudic. 11. 9. &c.* Pacta utrinque fideliter obſervata ſunt, ut teſtatur hiſtoria ſacra.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cuncta deſtruit fidem qui tollit è contractibus.
Interit reſpublica ipſa, ſi contractus interit.
Numen æquis haud iniquis intereſt pactis, Dei.
Pactū, non pactū eſt; non pactum, pactū eſt, quod vobis lubet.
Pacta non ſervant doloſi quam cum eis venit bono.
Pauperum eſt ſervare pacta, divitum contemnere.
Principum eſt ſervare pacta, quatenus fere expedit.

¶ JAMBICA.

Abire pacta de fide, perjurium eſt.
Contractus haud eſt niſi venit de legibus.
Diuturna non eſt vi coacta pactio.
Fidei bonæ contractus reſcindi nequit.
Haud ulla Regum in pactionibus fides,
Iuſtis Deus tantum pactis intervenit.
Lex ſervitutis ſæpe pacis pactio.
Multum valet jus, ſed magis conventio,
Piis amor unus ſufficit contractibus.
Poſtrema pacta derogant prioribus.
Qui pacta frangit, eſt neceſſe ut peieret.
Rebus tuis paciſcere fortioribus.

Require alia titulo *Fœderis, Obligationis.*

Pædagogi.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

C*Lemens Alexandrinus*: Pædagogia autem multis modis appellatur. Eſt enim pædagogia eius qui ducitur & diſcit: & pædagogia eius qui ducit & docet: & tertiò pædagogia eſt ipſa deductio & inſtitutio: & quartò pædagogia eſt ea quæ docentur, ut præcepta. Eſt autem quæ eſt ex Deo pædagogia, veritatis directio ad Dei contemplationem, & ſanctarum actionum aperta ac evidens deſcriptio in æterna perſeverantia. Quemadmodum ergo phalangem dirigit dux exercitus, militum ſalutis curam gerens: & gubernator navis clavum regit, volens ſervare vectores: ita etiam pædagogus ducit pueros ad ſalutarem vitæ agendæ rationem, ut noſtri ipſorum curam gerat. Et in ſumma, quæcunque à Deo juſte nobis fieri petierimus, ea nobis aderunt ſi Pædagogo paruerimus. Quemadmodum ergo gubernator non ſemper cedit ventis, ſed contrà proram obſervens, univerſis reſiſtit tempeſtatibus: ita pædagogus legibus quæ ſunt in hoc mundo nunquam cedit, nec eis puerum, tanquam cymbam, in belluinam & libidinoſam vivendi rationem impellere permittit: ſed ſolo ſecundo veritatis ſpiritu in altum ſublatus, clavum pueri, aures inquam, fortiter tenet, donec inoffenſum in portum cœlorum perduxerit. Patrius enim qui ab eis vocatur mos, momento temporis præterit. Divina autem vitæ inſtitutio, eſt in æternum permanens poſſeſſio. Ac Achillis quidem pędagogum dicunt fuiſſe Phœnicem, & Crœſi filiorum Adraſtum, Alexandri autem Leonidem, & Philippi Nauſithoon. Sed Phœnix quidem inſano mulierum amore tenebatur: erat autem exul Adraſtus: Leonides verò Macedonis faſtum non reſecuit: nec Nauſithous ebrietatis Pellæi curavit vitium. Neque verò Alcibiadis ſcortationem Thrax Zopyrus reprimere potuit. Sed erat emptitium mancipium Zopyrus: & Themiſtoclis liberorum pædagogus Sicinnus, ignavus fuit famulus. Eum dicunt ſaltaſſe, & genus ſaltationis, quod Sicinnis græcè dicitur, inveniſſe.

Neque latent nos qui apud Perſas Regij vocantur Pædagogi, quos numero quatuor ex omnibus Perſis optimatim deligentes reges Perſarum, ſuis præficiebant liberis. Sed ſolam ſagittandi artem diſcunt eorum filij: poſtquam autem ad pubertatem pervenerint, cum ſororibus & matribus, mulieribusque, tam uxoribus quàm concubinis, innumerabilibus coëunt, tanquam capri ad Venereum congreſſum exercitati.

Noſter autem pædagogus ſanctus Deus Ieſus, qui eſt dux omnis humanæ naturæ, Verbum, ipſe benignus & clemens Deus, eſt pædagogus. Et de ipſo quidem alicubi dicit Spiritus ſanctus in cantico: Populo in deſerto ſufficienter ſuppeditavit, in ſiti æſtus, in inaquoſo ipſum circundedit, & eum erudiit & cuſtodiit tanquam pupillam oculi, ſicut aquila protexit nidum ſuum, & in pullis ſuis deſideravit: expanſis alis ſuſcepit ipſos, & ſuper dorſum eos recepit: Dominus ſolus duxit ipſos, & non erat cum eis Deus alienus. Apertè, ut mihi quidem videtur, Scriptura oſtendit pædagogum, eius ducendi enarrans rationem. Rurſus autem ſeipſum fatetur pædagogum, cum hoc modo ex perſona ſua ait: Ego Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti. Quis ergo habet poteſtatem inducendi & educendi? an non pædagogus? *Lib. 1. cap. 7. Pædagogi.*

Aristides oratione 1. Platonica: Quid autem? nonne nutrices, literatores ac pædagogi pueris ita dicunt: Oportet te non impleri, & modestè per vias incedere, ac senioribus assurgere, & parentes amare, non tumultuari, non alea ludere, non si vis alternare pedes. veruntamen non propterea magni se faciunt nutrices aut philosophis præferunt. itaque quæcunque maximi est pretij, duarum est fortasse vel trium minarum. pædagogi verò etiam cum barbarie quadam plerique ista docent, ac janitores aliquando pro pædagogis, cùm artem desierunt, æquo animo fiunt: nec profectò, etiamsi oratoribus postponantur, ægrè ferunt, nec illud quærunt, cur ipsi qui quotidie clamant, & aliquandò pugnos ingerunt, nec obiter tantum docent, supercilia non extollant, nec in priorem propellantur locum, nec maximarum rerum credantur adhuc habere scientiam? cùm philosophi glorientur & se jactent, ac primatum sibi vindicent, magnique sese faciant, nec vel oratoribus cedent, nedum pædagogis pares se faciant.

¶ Romanorum.

Quintilianus: De pædagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi planè, quàm primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant. nihil enim prius est iis, qui paulum quid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut jure quodam potestatis, quo fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi atque interim sævientes, stultitiam suam perdocent. nec minus error eorum nocet moribus: siquidem Leonides Alexandri pædagogus, ut à Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum vitiis imbuit, quæ robustum quoque & maximum regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta. Si tamen non continget, quales maxime velim habere nutrices, pueros, pædagogos, at unus certe sit assiduus, dicendi non imperitus, qui si qua erunt ab his præsente alumno dicta vitiosè, corrigat protinus, neque insidere illi sinat &c. *Videantur plura lib. 1. cap. 2. Institutionum Oratoriarum.*

Suetonius: Diu etiam atque post tutelam receptam alieni arbitrij, & sub pædagogo fuit: quem barbarum, & olim superjumentarium, ex industria sibi appositum, ut se quibuscunque de causis quàm sævissimè coërceret, ipse quodam libello conqueritur. *Cap. 2. de Vita Claudij Imperatoris.*

Suetonius: Apud amitam Lepidam nutritus est, sub duobus pædagogis, saltatore atque tonsore Nero Imp. *Vitæ ejus cap. 6.*

¶ Poetarum.

Plautus Bacchid. 3. sc. 1.

Egóne ut hæc conclusa gestem clanculum? ut celem patrem,
Pistoclere, tua flagitia, aut damna, aut desidiabula?
Quibus patrem, & me, teq́ue, amicosq́ue omnes affectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium, appellere una & perdere?
Neq́ue mei, neq́ue tui jam puditum est factis, quæ facis;
Quibus tuum patrem, meq́ue unà, amicos, affines tuos
Tua infamia fecisti gerulifigulos flagitij.
Nunc priusquam malū istoc addis, certū est jam dicā patri.
De me culpam hanc demolibor jam, & seni faciam palam.

Idem 3. sc. 3.

Eja Lyde, leniter qui sæviunt, sapiunt magis.
Minus mirandum est, illac ætas si quid illorum facit,
Quàm si non faciat. feci ego istæc itidem in adolescentia.
L. Hei mihi! hei mihi! istæc illum perdidit assentatio.
Nā absq́ue te esset, ego illum haberem rectū ad ingeniū bonū.
Nunc propter te tuamq́ue pravus factus est fiduciam.
PH. Paulisper, lyde, est libido homini, suo animo obsequi:
Iam aderit tempus, cùm sese etiam ipse oderit. morem geras,
Dum caveatur, præter æquum ne quid delinquat, sine.
L. Non sino: neq́ue equidem illum me vivo corrumpi sinam.
Sed tu, qui tam pro corrupto dicis causam filio,
Eadémne erat hæc disciplina, cùm tu adolescens eras?
Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ
Digitum longè à pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Ante solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasij præfecto haud mediocres pœnas penderes.
Id cui obtigerat, hoc etiam ad malum accersebatur malum,
Et discipulus & magister perhibebantur improbi.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliendo sese exercebant mage quam scorto aut saviis.
Ibi suam ætatem extendebant, non in latebrosis locis.
Inde de hippodromo & palæstra ubi revenisses domum.
Cincticulo præcinctus in sella apud magistrum assideres;
Tum librum legeres: si unam peccavisses syllabam,
Fieret corium tam maculosum quàm est nutricis pallium.
P. Alij Lyde nunc sunt mores. L. id quidem certò scio.
Nam olim populi prius honorem capiebat suffragio,
Quam magistri desinebat esse dicto obediens.
At nunc, priusquam septuennis est, si attigas eum manu,
Extemplo puer pædagogo tabula dirumpit caput.
Cùm patrem adeas postulatum, puero sic dicit pater:
Noster esto, dum te poteris defensare injuria.
Provocatur pædagogus: eho senex minimi precij,
Ne attigas puerum ista causa, quando fecit strenuè.
It magister quasi lucerna, uncto expretus linteo.
Itur illinc jure dicto. istoccine hic pacto potest
Inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulat?

Plautus Mercat. 1. sc. 1. v. 89.

Servum unà mittit, qui olim à puero parvulo
Mihi pædagus fuerat, quasi uti mihi foret
Custos.

Terentius Phormionis 1. sc. 2.

Abeuntes ambo hinc tum senes me filiis
Relinquunt quasi magistrum. D. ô Geta provinciam
Cepisti duram. G. mihi usu venit hoc, scio.
Memini relinqui me Deo irato meo.
Cœpi adversari primò. quid verbis opus est?
Seni fidelis dum sum scapulas perdidi.
D. Venêre in mentem istæc mihi. nam quæ inscitia est,
Adversum stimulum calces? G. cœpi his omnia
Facere, obsequi quæ vellent. D. scisti uti foro.

Plautus Bacchid. 1. sc. 2.

Etiam me adversus exordire argutias?
Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.
P. Non omnis ætas, Lyde, ludo convenit.
Magis unum in mente est mihi nunc, satis ut commodè
Pro dignitate obsonij hæc concuret coquus.
L. Iam perdidisti te atq́ue me, atq́ue operam meam,
Qui tibi nequicquam sæpe monstravi bene.
P. Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam.
Tua disciplina nec mihi prodest, nec tibi.
L. O præligatum pectus! P. odiosus mihi es.
Tace atq́ue sequere Lyde me. L. illuc sis vide.
Non pædagogum jam me, sed Lydum vocat.
P. Non par videtur, neq́ue sit consentaneum,
Cùm herus hic intus sit, & cum amica sua accubet,
Cùmq́ue osculetur, atq́ue convivæ alij accubent,
Præsentibus illis pædagogus unà ut siet.

Mox ibidem.

Tu amicam habebis? P. cùm videbis tum scies.
L. Imo neq́ue habebis, nec sinam: iturus sum domum.
P. Omitte Lyde, ac cave malo. L. quid? cave malo.
P. Iam excessit mihi ætas ex magisterio tuo.
L. O barathrum! ubi nunc es? ut ego te usurpem libens
Video nimio jam multo plus quam volueram.
Vixisse nimio satius est quam vivere.
Magistron' quemquam discipulum minitarier?
P. Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem linus
L. Pol metuo magis ne Phœnix tuis factis fuam,
Teq́ue ad patrem esse mortuum renunciem.
Pejor magister te istæc docuit, non ego.
Nimio es tu ad istas res discipulus docilior,
Quam ad illa quæ te docui; ubi operam perdidi.
P. Istactenus tibi Lyde libertas data est
Orationis. satis est, sequere me hac, ac tace.
L. Edepol fecisti furtum in ætate malum,
Cùm istæc flagitia me celavisti, & patrem.

¶ Monosticha Trochaica.

Casu oblatus pædagogus sat nato est idoneus.
Dicimus vale pædagogo, illo est opus cùm maximè.
Filiorum pædagogus omnium optimus pater.
In cibo modus potuq́ue ad pædagogos pertinet.
Nemini non pædagogo barbara insolentia est.
Pædagogus juveni aufertur maximè illo cum indiget.
Pædagogus scire cuncta suevit, omnium insciens.
Pædagogi error puerorum moribus semper nocet.
Pædagogorum imperiosa tota ubiq́ue factio est.

¶ Jambica.

Communis orbis pædagogus est sophos.
Nostrum cuiq́ue pædagogus est Deus.
Sub pædagogo quisq́ue vivit sanctius.

Panægyrici Principum.

¶ Sententiæ Græcorum.

T*Hemistius Orat. 6. de Imp. audiendi cupiditate:* Imperator non loquentem, sed tacentem Philosophiam habet suspectam: atq; eius silentium tanquā indicium quoddam inopiæ rerum gestarum, ac facinorum habet. Igitur, qui cum ultro ad sese præconium veniret, & id ipsum sublime prorsus, ac sublimibus verbis instructum, atque ex ipso proprie Hellicone missum, pedestrem nihilominus laudatorem circumspicit, ac minime, fucatos omnisque lenocinij experti prædicationi adhæresc it, non is apertè nitori orationis veritatem anteponit? Hoc autem non aliunde accidere ipsi potest, quam ex eo quod primum in sese respiciens, ac suamet facta considerans, ingentes quasdam præclarorum ac regalium facinorum opes intueatur, quas suffragio suo, sententiaque comprobans Philosophia nihil prædicare vereatur.

Neque enim istud ignorare videatur, cæteras orationes, quæ à Poëtis, aut scriptoribus aliis ad sese ventitant, id quod verisimile est multo quam quod verum est libentius consectari: ac quod jucundum, ac plausibile sit, utili anteponere: propterea ad voluptatem cultu ipso atque habitu comparatas ingredi: quemadmodum Junonem Homerus dicit cum sese eleganter ornasset, ad Jovem venisse purpurea veste, flammeo, atque inauribus & ad hæc omnia cingulo ipso Veneris instructam. Sic etiam ejusmodi orationes plurimum exterioris ornamenti ex figuris ac nominibus circumfusum habere, atque iis quidem studiose arcessitis apteque sententiæ illigatis: sed hoc tamen perspicue præ se ferentibus, non ea se sola mirari, quæ reipsa admirabilia sint, sed ea præterea quæ vulgus beata ac prædicabilia putet, nimirum vires, fortunam atque potentiam, soli autem illi sapientiæ arti convenit, ut quis vere & Rex dicendus, quæve signa ejus atque judicia sint, inquirat ac perspiciat: quomodo non in Aquila aurea, non in Draconibus subtiliter contextis posita sint: nec in eo quod ad scopum quisquam sagittam, aut jaculum scienter contorqueat: (hæc enim opinor & in Nerone Citharœdo, & in furioso illo Domitiano inerant) sed quod animus sursum erectus, & in moderatorem omnium ac Principem Deum intentus sit: indidemque gubernatus atque administratus quæcumq; potest ad terreni, inferiorisque regni utilitatem hauriat. Unde & tu (optime Imperator) hauriens nihil sagittariis, aut scutatis, nec Armeniis aut Iberis, nec gravi equite opus habuisti ad Scythicum illud incendium restinguendum: Solo quippe consilio, prudentiaque tua per sese flamma illa concidit. Neque vero humi defixos oculos habes, nec ea sollicitudine animus tuus angitur, undenam aurum tibi aut argentum comparetur: sed unde tibi potius egregiorum thesauri facinorum multiplicentur, quos quidem solos prædari ac decipere nemo potest. Hæc igitur ut apparet (sapientissime Princeps) cum esse solius hujus scientię documenta, ac disciplinam cognoveris, nihil ab ea vereris palam ac coram omnibus munus illud cui se sponte addixerit, velut annuum vectigal exigere. Neque verò exactioni huic magistratum quempiam, aut militem præponis, sed instas ipsemet, ac coges ipse pensitationem, hanc recipere cogitas. Ac forsitan & ingressus ipse cõclave meum ac thesaurũ occupabis.

Quæ cum ita sint duplici mihi nomine lætandum jure video, tum quod ita meæ delitiæ comparatæ atque affectæ sint, ut ejus artis quæ à mendacio abhorreat amore teneantur: tum quod Philosophia sola orbis terrarum Imperio prædicando ac collaudando par esse videatur. Verum illud (optime Princeps) sic habeto, contrariam ejus quam suspicaris cunctandi mihi occasionem fuisse, nec recentium Argumentorum inopiam, sed copiam retardasse. Nam cum plura illustria facinora præstare soleas, atque in dies imo singulas horas, velut prioribus attexas, deinceps mihi portatu ac complexu difficiles rerum tuarum prædicationes facis. Neque enim quæcumque hodierna die texueris, ea subinde resolvis, sed magis ac magis varia virtutis texta, quasi inculcata licia condensas; ita fit, ut cum in animum induxerim facinus aliquod tuum aut egregium dictum, syncero atque incorrupto præconio commendare, repente alia atque alia deinceps quam plurima confluant, quæ ea quæ mihi proposueram obruant, atque occultent: cumque subito missis prioribus posteriora tractare cœpero, tertium quiddam aut quartum occurrens, priorum laudem ac prædicationem extrudit. Quare idem mihi quod ligurritoribus conviviis accidit: ex eo quod apponitur libo aliquid semper ac degusto, ita ut nullo ex ferculo plenè me atque ad satietatem usque repleam: vel potius idem quod venatoribus canibus contingit, qui si in unam dumtaxat feram inciderint, constanter adhærent, atque ejus vestigia persequuntur, donec cœperint: sin plures simul variisque ex partibus excitaverint, dum eam quæ apparuerit identidem sequuntur, priores fugientes relinquunt. Nimirum & antiqui illi Cantores minime reprehendendi erant, si Herculem Jovis, filium in ipso certaminum aditu facilius, quam in progressu incrementoque laudarent. Hujusmodi tua sese res habet (Imperator optime) tu enim Regalia certamina auges perpetuo, atque ad numerum adjicis, nec deinceps Musa nostra satis audaciæ fiduciæque habet cum facinorum tuorum cursu contendens, propterea quod non pennatæ illius orationes, nec leves ac ventosæ sunt, sed lentæ atque cunctantes: & unumquodque eorum quæ geruntur circumspicientes, non modo quid factum sit, verum etiam qua voluntate factum sit, quando nam, cum quo, cujus gratia. *Orat. 6. de Imp. audiendi cupiditate.*

Diodorus Siculus: Mane, regi Antistes suas virtutes deprædicabat: quod scilicet pius esset erga Deos, justus in suos, omnis scilicet concupiscentiæ victor &c. Ignorantiæ ad extremum peccata execrabatur; regem quidem culpa eximens, sed & noxam & pœnas in ministros & doctores malorum retorquens. Quod ideo peragebat, simul ut ad metum Numinis, & vitam Deis gratam regem exhortaretur, simul ut non admonitionis acerbitate, sed laudum illecebris virtuti maximè congruis, ad vitæ modestiam illum assuefaceret. *lib. 1. Biblioth. c. 70.*

Videantur plura titulo *Laudis, Principis, Regis.*

Parasiti.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

D. *Nazianzenus:* Alii rursus facetum & ridiculum quendam Barbarum (quales in exercitus comitatu, tum ad leniendas animorum molestias, tum ad exhilaranda convivia esse solent) in Juliani viscera, nulla salutis suæ habita ratione, adegisse. *Orat. 4. steliteutica altera.*

S. Valerianus: Ne quid in adulatione bonarum partium subtraxisse videar disciplinæ, ausus sum inter illas inimicitiarum culpas etiam amicitias castigare; si tamen amicitiæ dicendæ sunt, ubi operatur injuria multis acta vulneribus, in quo loco ad excusandam execrabilis erroris invidiam, aliquanti forte lusum prætendant, & pœnalibus causis lætitiæ nomen imponant. Ferat hoc quo libet animo, qui hujusmodi contumeliis subjacere consuevit; ego ibi amicitias excessisse omne genus captivitatis puto, ubi nec læso irasci, nec irato convenit vindicari. in quo loco, quem ex duobus infeliciorem judicem nescio; utrum illum qui aliena deformatione vivit, an istum qui corpus suum ludibrio prostituit & illusionibus tradidit. Nemo mihi hîc patientiæ nomen imponat. ad luxuriam profectò pertinet pœna, quam irascentis inimici non extorquet injuria. Sed forte istis danda venia sit, quos ad omnem contumeliã paupertas trahit, & infelix penuria luxuriantibus plagis subjacere compellit; qui dum necessitati serviunt, contumeliis acquiescunt. Esto, ut his patientiam causa improbæ paupertatis indicat: quid de illis judicamus, quos aliena pascit contumelia? Qualis iste gradus est amicitiarum, quem vinxit pœna, asperavit injuria? aut quæ illi potest esse gratia familiaritatis, ubi est quotidiè pœna venalis? Erubesco quidem in confusione miserorum, quos fames improbæ cupiditatis illexit, sed multo plus illorum actu & conversatione suspiro, apud quos pœnalis amicitia tristitiam removit, & lætitiam, cruentus amor, familiaritatis exegit. Infelices quidem illos judico, quos ad jugem contumeliam venter invitat, & ad omnem injuriam gula nunquam poculis exsatiatura sollicitat: sed istos multo infeliciores puto, qui amica instigatione pugnas instituunt, & inter fluentes mero calices alieno sanguine satiantur. Ecce hic conviviũ instituit, & votivo quodam apparatu undique greges adulantium congregavit. inter quos procedit parasitorum gula, cui consuetudinis est injuriam mero vendere, & poculis scissa plagis vestimẽta sarcire.

Videte ergo quomodo isti ferant odiorum causas apud quos cruentas esse placet amicitias. Quid non invenit infelix ac damnosa luxuria? ecce fit spectaculo homini homo: & ad excitandam lætitiam, aut sermo turpis, aut vultus exigitur fœditas. huic denique manducanti barba vellitur: illi bibenti sedilia subtrahuntur: hic ligno scissili, ille fragili vitro pascitur. tanta est igitur libido ridendi, ut putent miseri nullum sine tristitia transire convivium, nisi in cibos verterint aut vestimenta corporum aut ministeria poculorũ. Quantis autem putatis miseriis ista constare? ecce quidquid detrimenti mensa fecerit, insatiabilis venter acquirit. nam qui hujusmodi voluptatibus servit, etiam mercedem laboris sui aut bibendo conterit, aut vapulando consumit. Sed hæc ante omnia eis imputanda sunt qui lætitiæ causa ad tam fœdum ministerium gradum amicitiæ & familiaritatis inclinant. In meliore profectò statu est apud dominum servitus, quæ standi lege deputato paret officio. est illi inter accumbentes locus ridendi, & nulla tamen inter expectantes tenetur culpa peccati. Ecce instruitur acies poculorum telis armata. expectatur primum in contentione verborum victoria: nec finis ponitur donec abundantibus lacrimis aspera quæque poculorum temperentur. Polluere est magis quàm exornare convivium, expectare infelicium pugnas amicorum, si tamen amici dicendi sunt, qui captivorum lege serviunt, & gladiatorum more pascuntur. Datur misero inter ciborum novitates vini liquor, quidquid vilius, quidquid asperius; ut in tanta rerum abundantia incertum sit, utrum esurire aut sitire sit melius. minus planè ludibrio subjacet tenebrosis sedibus deputata captivitas; ubi quamvis sustineat homo durum dominationis imperium, accipit tamen ex ipsa rerum necessitate solatium. non enim habet in quo possit erubescere, cui necesse est invito servire. Velim tamen scire, in quo reficiat exspectantis animum injuria deformitatis alienæ. Adserant forte hujus rei amatores jocis ista præstari. quasi revera desit. Ostendam vobis, si placet oblectamenta non incommoda, quæ facile omnem tabescentis animi possint mæstitiam removere. ecce infantibus quam sunt verborum admiranda principia: ubi primum informis litera vocabulum matris operatur, & distantis syllabæ gemitus patris nomen orditur? Quis autem lætus non sit, cùm inter illa sermonum dura rudimenta, luctantes labiorum sonos rudis lingua decipit, & os trepidum stillantia verba destituit? Quod si forte spectaculis delectaris, habes equorum, licet aliquoties periculosa, satis tamen grata certamina; cum plagis gradu concito ventos aut timeant aut rapiunt. Nec parum lætitiæ conferunt illa studia venationum, & canibus acta certamina, quæ nec periculis nec damnis constant; cùm hic in conflictu ęmulis cursibus aurito lepori imminet, ille argutis naribus cervi vestigia latentis inquirit. quæ

tamen dimittenda sunt seculo, in quo antiquo æstuat errore luxuria. *Hom.* 10.

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Lucianus : Quid tandem in causa est Simo, quòd cùm alii homines sive servi sint, sive ingenui, quisque artem aliquam calleat, qua cùm sibi ipsis, tum aliis sunt utiles: tu verò, quantum ego perspicio, nihil negotij habes, unde aut fructum capere ipse, aut alteri impertire possis? *Para.* Quid hæc tua sibi velit interrogatio Tychiade, nondum capio: proinde planiùs interrogato. *Tych.* Est-ne ars aliqua quā noris, veluti Musica? *Para.* Non per Jovē. *Tych.* Num medicina? *Para.* Neque istam novi. *Tych.* At geometria. *Para.* Nequaquam. *Tych.* Quid verò num Rhetorica? Nam à Philosophia tantum abhorres, quantum ab ea vitium. *Para.* Imò plus etiam, si possem. Proinde ne putes hoc te mihi ignoranti exprobrare. Nam me & malum, & quàm sentias, pejorem esse fateor. *Tych.* Ita sanè. Sed has fortè artes ob ipsarum cùm magnitudinē, tum difficultatem non didicisti. At ex popularibus illis quam tenes, num fabrilem aut sutrinam? Neque enim ea est rerum tuarum conditio, ut non talis alicujus artis egeas adminiculo. *Para.* Rectè dicis Tychiade, neque enim ullam illarum calleo. *Tych.* Quam igitur aliarum? *Para.* Quam? ut puto generosam, quam & te, si pernoveris, laudaturum existimo. Eam quidem re ipsa præclare obire posse me dico, tametsi oratione explicare non valeo. *Tych.* Quænam hæc est? *Para.* Nondum mihi videor rationes quæ ad hanc artem pertinent didicisse. Quare me alicujus artis peritum esse, tuum est jam cognoscere, neque hoc nomine mihi succensere: quam autem calleam, aliàs audies. *Tych.* At moræ sum impatiens. *Para.* Fortasse si audires, nova ars tibi videretur. *Tych.* Atqui propter hoc ipsum discendi studio teneor. *Para.* Aliàs Tychiade. *Tych.* Nequaquam, sed jam dicito, nisi te pudeat. *Para.* Illa est Parasitica. *Tych.* Ecquis nisi insanus ô Simon, artem hanc appellet? *Para.* Ego. Si verò ob hoc ipsum, quòd aliam artem non teneam, tibi videor insanire, huius ipsius causam mihi putato fuisse insaniam, & jam desine me criminari. Ajunt enim hanc Deam cùm aliàs difficilem esse habentibus, tum delinquentes erratorum excusare, instar magistri, & pædagogi translata in se omni culpa. *Tych.* Ergo Simo, Parasitica ars est? *Para.* Sanè ars, cuius autor ego sum. *Tych.* Et tu parasitus es? *Para.* Probro me affecisti Tychiade. *Tych.* At non erubescis, quum te ipse vocas parasitum? *Para.* Nequaquam, nam me puderet, ni dicerem. *Tych.* Atque per Jovem, si te cuipiam quibus ignotus es notum facere velimus, quum nomen discere volet, Parasitus est videlicet, dicemus. *Para.* Rem mihi feceritis multò gratiorem me sic nominando, quàm statuarium Phidiam. Hac enim arte delector non minùs, quàm Phidias Jove gaudebat. *Tych.* Atqui hoc mihi consideranti, excitatus est risus multus. *Para.* Qua ex re? *Tych.* Si epistolis pro more inscribamus, Simoni parasito. *Para.* Rem sanè mihi facies gratiorem, quàm si Dioni Philosopho inscribas. *Tych.* Quàm gaudeas hoc nomine, mihi parum est curæ. Sed & aliud quidpiam absurdi est considerandum. *Para.* Quidnam? *Tych.* Num & hanc in aliarum artium numero recensebimus. Ita ut interrogante quopiam cujusmodi ars sit, respondeamus, veluti grammatica, medicina, sic Parasitica. *Para.* Equidem ego Tychiade, hanc quam profiteor, multò potiùs artem dicendam contendo. Quòd si gratum tibi est audire, etiam quod sentio, dicam, quanquam non admodum ut antè dixi, ad hoc sim paratus. *Tych.* Tametsi sint exigua, veritate tamen præcellent. *Para.* Age jam, si tibi videtur, primùm consideremus cujus generis sit ars. Ad hunc enim modum artes etiam speciatim assequemur, si hanc rectè tenеamus. *Tych.* Quid igitur est ars, uti scis? *Para.* Omnino scio. *Tych.* Ne igitur pigeat te dicere, siquidem scis. *Para.* Ars, ut ex viro sapiente memini me audire, est quę constat ex perceptionibus consentientibus, & coexercitatis ad finem vitæ utilem. *Tych.* Rectè sanè verba eius qui dixit, commemorasti. *Para.* Jam si horum omnium particeps est Parasitica, quid aliud sit, quàm ars? *Tych.* Ars certè, si res ita se habet. *Para.* Age verò sigillatim omnibus artis speciebus Parasiticam accommodantes, dispiciamus an quod de ipsa dicitur, consonet: sed non uti malæ ollæ quum pulsantur, an resonet putridum. Oportet igitur ut hæc, quemadmodum & ars omnis, perceptionibus constet. Primùm quidem probet, & dijudicet, quis ad se alendum sit idoneus: quo parasitandi orsus initio, pœnitentia non ducatur. Aut nummularium, dicemus artem aliquam callere, qua nummos adulterinos à probis dignoscat: hunc autem sine arte adulterinos homines à bonis non discernere, præsertim cùm statim appareat cuiusmodi sint homines, quemadmodum nummi. Eadem hæc & sapiens reprehendit Euripides dicens,

Nullus character corpori mortalium
Inhæret ex quo tu malum dignoveris.

Quare major est Parasiti ars, qui res ita obscuras & abditas, magis quàm ars vaticinandi perspicit & cognoscit. Nosse verò sermones proferre accommodos, eaque facere per quæ in familiaritatem veniat, seque benevolentissimum suo altori ostendat, annon intelligentiæ & perceptionis validæ putas illud esse? *Tych* Maximè. *Para.* Ut verò in conviviis ipsis, plus quovis habens abeat, aliosque gloria superet, qui eam artem sibi non paraverunt, an hoc citra rationem, & sapientiam comminisci putas? *Tych.* Nequaquam *Para.* Ecquid, nosse opsoniorum, ciborumque virtutes, & vitia, cuiuspiam indocti curiositatem esse existimas? Idque cùm dicat generosissimus Plato, Qui convivas epulis accepturus est, nec rei coquinariæ sit peritus, eius in adornando convivio incertum est judicium. Parasiticam autem non solùm perceptione, sed etiam exercitatione constare, hinc facilè perdiscas. Quod aliarum artium perceptiones, & dies, & noctes, & menses, & annos plerumque manent inexercitatę, nec tamen possidentibus depereunt artes. At Parasiti perceptiones, nisi quotidie exerceantur, non artem solùm, opinor, sed etiam artificem perdunt. Neque foret insaniæ quærere ad quem finem vitæ utilem tendat. Non enim puto utilius quicquam in vita esse quàm edere & bibere, sine quibus neque licet vivere. *Tych.* Maximè. *Para.* Atqui ne ejusmodi quidem res est Parasitica, cuiusmodi est pulchritudo aut fortitudo, ut ars nulla esse videatur, sed quædam vis & potentia. *Tych.* Vera dicis. *Para.* At neque nulla est ars. Nam quod ars non est, nunquam quicquam habenti præstat præclari. Age enim si tibi ipsi navim in mari ac procellis, gubernandi imperito commisisses, an incolumis evaderes? *Tych.* Minimè gentium. *Para.* Quid tandem, an quòd arte careat, cuius ope seipsum servare possit? *Tych.* Maximè. *Para.* Num ergo Parasitus à Parasitica, si ars non esset, servari non posset? *Tych.* Imò. *Para.* Nunquid igitur arte servamur, non item imperitia? *Tych.* Maximè. *Para.* Ergo Parasitica est ars. *Tych.* Ars ut apparet. *Para.* Atqui gubernatores quidem præclaros, & aurigas eximios de curru plerumque delapsos comperi: contritos quidem alios, alios interemptos. At Parasiti naufragium nullus est qui possit producere. Proinde si neque nulla ars est Parasitica, neque potentia, sed comprehensio exercitatarum perceptionum, hodie inter nos convenit, eam esse artem. *Tych.* Quantum quidem hinc conjicio. Sed in id incumbe ut eximiam Parasiticæ definitionem nobis reddas. *Para.* Rectè dicis profectò. Sic igitur potissimùm mihi videtur definienda. Parasitica est ars eorum quæ bibenda sunt & comedenda, & ad hæc consequendum, dicenda: cuius finis est voluptas. *Tych.* Videris mihi tuam artem quàm optimè definivisse. Illud tamen considera, ne adversus philosophos aliquos de fine oriatur tibi contentio. *Para.* Atqui sufficit ut idem sit fœlicitatis & Parasitices finis. Quod sic apparebit: siquidem Homerus ille sapiens, Parasiti vitam admirans, tanquam solam beatam & fœlicem, ita inquit. Gratior haud finis, populum quàm quando per omnem, Lætantur, mensæque cibis & pane replentur, Et cratere merum in pateras pincerna refundit. Utque hæc non satis admiratus, sententiam suam facit planiorem, rectè dicens, Hic finis nobis pulcherrimus esse videtur. Non aliud ex iis quæ dicit, quàm parasitari beatum existimans. Neque cuilibet è vulgo hæc verba attribuit, verùm omnium sapientissimo. Ac sanè si voluisset Ulysses Stoicorum finem laudare, hæc dicere potuisset, quando Philoctetenè Lemno eduxit, quando Ilium subvertit, quando Græcos fugam capessentes detinuit, quando Troiam ingressus est, à seipso flagris cæsus, malisque & Stoicis pannis amictus. At tunc jucundiorem hunc esse finem non dixit, Quinetiam cùm in Epicureorū vita apud Calypsonē versaretur, & liceret in otio, & molliter vivere, & filiæ Atlantis lectū conscendere, omnemq; expeditæ libidinis speciē agitare, nunquā jucundioris hujus finis meminit, sed cū apud Phæacas ageret parasitum. Tunc tēporis autē Parasiti vocabātur Dætymones. Quomodo igitur dicit? Digni enim sunt versus, quorum denuo meminerimus: quos nisi sæpe referantur, audire non possumus. Dætymones ordine sedentes, Item, mensæ carnibus, & pane impleantur. Porrò Epicurus nimium impudenter hunc finem detractum Parasiticæ, ad fœlicitatem suam detorsit. Atque hoc esse fraudulentum, neque Epicurum Voluptatis studio vacare, sed Parasitum, hinc licet colligere. Ego Voluptatem existimo, primùm quidem tranquillum corporis statum: deinde animæ ab omni tumultu, & perturbatione immunitatem. Horum utrumque Parasitus assequitur: neutrum Epicurus. Etenim quum quærit de figura terræ, de mundi infinitate, de magnitudine solis, de distantiis, primisque elementis, & de Diis an sint nec-ne, quumque de ipso fine contendit, & dissidet cum aliquibus: non humanis solùm, sed & mundanis perturbationibus implicatur. At Parasitus omnia bene se habere ratus, credensque hæc non meliori quàm sint loco esse posse, multa cum securitate, & tranquillitate, nulla re istiusmodi molestiam inferente, comedit, & supinus dormit, porrectis pedibus, manibusque, quemadmodum Ulysses in rate ad patriam navigans. Atqui non hoc solùm, sed illo etiam modo, Voluptas convenit Epicuro. Quippe Epicurus, quisquis est ille Sapiens, aut habet quod edat, aut non. Si non habet, neutiquam jucundè vivet, imò non vivet. Si autem habet, aut à se, aut ab alio habet. Si ab alio habet quod edat, est Parasitus, ac non ut dicit. Sin à se ipso, non jucundè vivet. *Tych.* Quomodo non jucundè? *Para.* Si enim habeat à se ipso quod comedat, multa necesse est vitam huiusmodi comitentur. Ac vide quænam. Oportet ut qui secundum Voluptatem vitam est acturus, omnibus quæ innascuntur, cupiditatibus indulgeat. Aut quid tu ais? *Tych.* Idem sentio. *Para.* Proinde ei qui multa possidet, hoc fortasse præbet: ei verò qui pauca, nihil amplius. Itaque pauper neque sapiens esse, neque finem consequi possit: dico autem Voluptatis. At neque dives, qui de re sua cupiditatibus abundè sumptus suppeditat, hunc pertingere queat. Quid tandem, quòd omnino necesse est ei qui de suo sumptus facit, in multa fastidia incidere:

ciderem: nunc quidem cum coquo, qui cibum malè præparavit, rixãdo, aut nisi rixetur, insuaves cibos comedendo, & Voluptate carendo: nunc autem cum œconomo, ni rectè rem familiarem administrarit, contendendo? An non ita se res habet? *Tych.* Per Jovem ita sentio. *Para.* Hæc omnia Epicuro accidere verisimile est. Itaque nunquam Voluptatis fine miser ille potietur. At verò parasito, neque coquus est ullus, cui irascatur, neque fundus, neque œconomus, neque pecuniæ, pro quibus causam dicere gravetur, & tamen habet omnia, ita ut bibere, & edere possit hic solus nulla re, earum quib. ille, necessariò turbatus. Jam quòd ars sit Parasitica, ex his, atque aliis abundè est demonstratum. Superest, ut optimam esse ostẽdam: atque hoc non simpliciter. Sed primùm quia communiter omnibus artibus præstat: deinde privatim singulis. Communiter ad hunc modum præstat omnibus. Nam cuivis arti necesse est ut disciplinam adducat, laborem, timorem, & verbera, quæ nemo non deprecetur. Hanc verò artem, ut videtur, citra laborem licet solam discere. Quis enim unquam à convivio flens discessit, ut aliquos à præceptoribus videmus? Quis ad convivium proficiscens visus est tristis, ut qui scholas frequentant? Verùm Parasitus sponte ad cœnam it, artis cupidissimus. Alii verò quas addiscunt artes, oderunt: ob easque nonnulli aufugiunt. Quid verò? nonne etiam illud tibi considerandum, quòd eos, qui illis in artibus proficiunt, his rebus parentes, quibus quotidie parasitum, maximè cohonestant? Rectè scripsit puer dicentes, date illi quod edat. malè scripsit, ne date. Sic negotium & honore & pœna videtur magnum. Atqui cæteræ artes hoc posterius habent, postquam didicerunt, & fructus suaviter percipiunt, ad quos multa & ardua est via. Sed sola inter alias Parasitica, statim ab initio inter discendum arte sua fruitur: simulque incipit, & finem obtinet. Præterea reliquæ artes, non aliquæ, sed omnes, ad victum parandum duntaxat inventæ sunt: at parasitus simul atque artem orsus est, victum habet. Aut non animadvertis agricolam agros colere non colendi gratia, nec fabrum fabricandi gratia fabricare: parasitum autem, alterum quidem non sectari, sed idem & opus eius esse, & cujus gratia fit. Ac sanè nemo nescit, eos qui reliquas artes exercent, unum & alterum duntaxat mensis diem festum ducere, reliquum verò tempus ærumnose vivere: atque urbes, alias quidem, annuos dies festos, alias menstruos celebrare, quo tempore lætari dicuntur: parasitum autem totos triginta mensis dies festos agitare, siquidem ipsi videntur Diis sacræ omnes. Præterea qui aliis in artibus strenuè se gerere volunt, pauco victu & potu utuntur, quemadmodum ægroti: siquidem ad discendum non est accõmodus, qui cibo & potu copiosiore se oblectat. Quinetiam aliæ artes, nequaquam sine instrumentis domino inservire possunt. Nemo enim sine tibia tibicinem agere, nemo sine lyra psallere, nemo sine equo equitare queat. Verùm hæc usque adeò bona est, nec artifici onerosa, ut ea uti possit etiam qui caret instrumentis. Et ut videmus, alias artes data, hanc accepta mercede discimus. Præterea aliarum artium sunt magistri: sed Parasitices, nullus est. Sed quemadmodum authore Socrate, Poëtica: sic etiam hæc fato quodam accedit. Quinetiam illud expendito, nos non posse alias artes iter faciendo, aut navigando exercere: sed hac licere uti tum iter facienti, tum naviganti. *Tych.* Omnino ita est. *Para.* Aliæ quoque artes hanc optare videntur, hæc nullam aliam. *Tych.* Ecquid? nonne qui aliena capiunt, injuriam facere videntur tibi? *Para.* Quidni? *Tych.* Qui fit igitur ut solus parasitus aliena accipiendo non faciat injuriam? *Para.* Dicere non possum. Porrò aliarum artium vilia & simplicia sunt initia: Parasitices contrà principium est generosum. Nam celebratum hoc Amicitiæ nomen, non aliud quàm Parasitices esse principium invenias. *Tych.* Quid ais? *Para.* Quoniam nemo inimicum, aut ignotum hominem, sed ne mediocriter quidem familiarem ad epulas invitat. Sed oportet utique ut hic priùs amicitiam contraxerit, ut libationum, mensæ, & artis huius mysteriorum fiat particeps. Nam aliquos plerumq; dicẽtes audivi, cuiusmodi est hic amic⁹, qui nec edit nec bibit nobiscũ? videlicet quasi eũ, quo compotore & convictore utimur, solum putent fidum amicum. Quòd autem hæc ars omnium sit maximè regalis: hinc non minùs possis cognoscere. Nã reliquas artes, non modò graviter laborantes, & sudantes, sed per Jovem, sedentes, & stantes exercent, nimirum ut artium servi. At parasitus artem suam aggreditur, tanquam rex accumbens. Quid enim attinet ea dicere quæ ad eius fœlicitatem pertinent, quòd solus juxta sapientum Homerum, neque plantam manibus plantat, neque arat, sed citra arationem & sementem omnia consequitur? Quinimo nihil rhetorem, geometram, ærarium fabrum impedit, quominus suam artem exerceat, sive sit pravus, sive stultus. Nemo autem, qui sit stultus, aut pravus, potest parasitari. *Tych.* Papæ! cuiusmodi rem ostendisti Parasiticam esse! Itaque velim, pro eo qui jam sum, parasitus esse. *Para.* Igitur quantum communiter præstet omnibus, videor mihi demonstrasse. Age jam quantum privatim singulis præstet, consideremus. Certè eam cum mechanicis artibus comparare, ineptum esset: aut potiùs eius qui huius artis dignitatem tollere vellet. Sed ostendendum est hanc maximas, & pulcherrimas artes præstantia superare. Apud omnes in confesso est, cùm Rhetoricam, tum Philosophiam esse maximas & pulcherrimas, quas propter nobilitatem, nonnulli etiam scientias faciunt. Proinde posteaquam ostendero, & his longè potiorem esse Parasiticam, satis nimirum constabit eandem & aliis artibus esse præstantiorem, quemadmodum Nausicaa præstet famulis. Communiter igitur Rhetoricam & Philosophiam antecellit. Primùm quantum attinet ad artis substantiam. Hæc enim subsistit: illæ verò minimè. Neque enim de Rhetorica unum idemque sentimus: sed alii artem, alii contrà, non artem: alii malam artem: alii aliud esse dicunt. Neque Philosophiam simili ratione, eodemque modo se habere putamus. Aliter enim Epicuro res videntur se habere: aliter Stoicis: aliter Academicis: aliter Peripateticis, Quid multa? alius aliam Philosophiam esse contendit. Et hactenus neq; iidem sententia potiuntur, neque eorum ars una esse videtur. Ex quibus reliquum est ut argumenta ducam. Principio artem esse nego, cuius nulla est substantia. Nam & Arithmetica una eademque est, & bis duo apud nos & Persas, sunt quatuor, & hac de re convenit inter Græcos & Barbaros. Sed Philosophias multas & diversas videmus, quarum omnium neque principia, neque fines inter se consentiunt. *Tych.* Vera dicis. Unam enim Philosophiam omnes esse dicunt: attamen ipsi multarum sunt authores. *Para.* Certè in reliquis artibus, quanquam earum ratione nonnihil discreparet, & postulata venia quispiam præteriret: siquidem mediæ videntur, earumque perceptiones non sunt immutabiles, admittendus tamẽ esset. Philosophiam autem aliquis tanquam necessariam, sustineret non unam esse, nec secum magis convenire, quam instrumenta. Una quidẽ non est Philosophia, siquidem innumeras esse video. Nec multæ tamen esse possunt, siquidem una est Philosophia. Similia etiam dicat aliquis de Rhetoricæ substantia. Nam quòd de una quæstione non eadem dicunt omnes, sed diversis inter se pugnant sententiis, certissimum est documentum, ne hoc quidem esse principium, cuius una perceptio non est, Nam quærere quid potissimum ex illis sit Rhetorica, nec fateri unam esse, hoc ipsam, eius quod quæritur, essentiam tollit. Porrò Parasitica non ita se habet: sed & apud Græcos, & apud Barbaros secundum eadem, eodemq; modo una est: neque dicat quisquam aliter hos, aliter illos parasitari. Neque sunt inter Parasitos, ut liquet, quales Stoici, aut Epicurei, diversorum præceptorum authores: sed omnibus apud omnes una est professio, & operum, finisque concentus. Itaque parum abesse videtur quin Parasitica, ex his quę adduxi, etiam sit Sapientia. *Tych.* Hæc mihi videris satis superque dixisse. Sed quomodo demonstras Philosophiam esse tua arte deteriorem? *Para.* Ergo necesse est ut primùm dicam, philosophiæ amatorem parasitum nunquam fuisse: & memoriæ proditum esse complures philosophos Parasiticæ desiderio arsisse, quam ad hoc etiam usque tempus amant. *Tych.* Et quosnam Philosophos nominare possis, qui Parasiticæ operam dederint? *Para.* Quos ô Tychiade, tu cùm noris, non nosse simulas, & me, ac si ex ea re dedecus non honor ad ipsos redundet. *Tych.* Non simulo per Jovem ô Simon. Imò nescio quos nominandos invenire possis. *Para.* O generose mihi videris eos ignorare à quibus illorum vitæ conscriptæ sunt: alioqui quos dico prorsus nosse posses. *Tych.* At certè per Herculem, quinam sint illi audire exopto. *Para.* Ostendam tibi & recensebo illos, non levis momenti viros, sed quos judico præstantissimos: quosque te minimè putes. Socraticus ille Æschines qui longos illos, urbanosque dialogos conscripsit, eos in Siciliam aliquando detulit, per quos, si posset, Dionysio tyranno innotesceret. Ex quibus cum Miltiadem legisset, & placuisse visus esset, reliquum tempus in Sicilia consedit parasitans Dionysio, & Socraticis disputationibus valedixit. Quid autem? nonne & Aristippus ille Cyrenæus tibi ex præstantibus Philosophis videtur fuisse? *Tych.* Maximè. *Para.* Et ille per id ætatis Syracusis versatus est, parasitando apud Dionysium apud quem parasitorum omnium maximè probabatur, ut qui ad hanc artem præ cæteris singulari præditus esset industria: ideò ut quotidiè coquos ad eum mitteret Dionysius, ut ex ipso discerent. Hic videtur artis dignitatem excoluisse. Vester quoque generosissimus ille Plato, in Siciliam hac de causa venit. Ubi cùm paucos dies apud regem esset parasitatus, à parasitatione, quia ad eam erat inhabilis, excidit. Rursum repetitis Athenis postquam vehemẽs studium adhibuisset, seque adornasset, secunda navigatione Siciliam petivit: ubi paucos dies cœnatus, iterum præ imperitia excidit. Et hæc Platonis fortuna Niciæ fortunæ similis videtur. *Tych.* Ecquis Simo ea de Platone dicit? *Para.* Complures etiam alii. Porrò Aristoxenus Musicus, plurimi æstimandus, Nelei fuit parasitus. Quòd autem Euripides apud Archelaum ad mortem usque, Anaxarchus apud Alexandrum egit parasitum, planè compertum habes. Cæterùm Aristoteles Parasiticam orsus est solùm, ut reliquas artes. Philosophos quemadmodum Parasiticæ operam dederint, ostendi. Nemo autem Parasitum producat, qui philosophari voluerit. Ac sanè si neque esurire, neque sitire, neque algere beatum est, hæc alii nulli quàm parasito suppetunt. Itaque Philosophos multos invenias qui frigore, & fame capiantur: Parasitum autem, nullum: alioqui Parasitus non esset, sed infœlix quispiam, aut mendicus, aut Philosopho similis. *Tych.* Hæc sufficiunt. Sed Parasiticam Philosophia & Rhetorica esse potiorem, quomodo comprobabis? *Para.* Vitæ humanæ sunt tempora, vir optime, alterum pacis, alterum belli, in quibus utique omnino est necessarium artes patefieri, & cuiusmodi sint ii à quibus exercentur. Priùs autem, si tibi videtur, consideremus belli tempus, quinam potissimùm utilissimi esse possint, cùm privatim quisque sibi, tum in genere reip. *Tych.* Quàm non mediocre virorum certamen denuntias: ac jamdudum apud me rideo, cogitans qualis esse possit Philosophus cum Parasito comparatus. *Para.* Ergo ut non mireris nimium, neque hoc subsannatione dignum putes,

age typis expressis ob oculos nostros ponamus. Annuntiatum est hostes in regionem ex improviso irrupisse, necesse autem esse in eos irruere, neque permittendum ut agros populentur. Esse etiam operæ pretium ut belli dux conscribat exercitum ex juvenibus, & alii discedant. Inter hos esse Philosophos aliquos, Rhetores, & Parasitos. Primùm igitur eis vestimenta detrahamus: necesse enim est ut priùs denudentur, qui arma sunt induturi. Tum ô generose viros illos sigillatim contemplare, & corpora explora. Certè alios præ indigentia tenues, & horrore pallidos videbis, tanquam vulneribus confectos. Annon ridiculum esset dicere ejusmodi homines, qui curatione aliqua sunt refocillandi, statariam pugnam, & conflictũ, & pulverem, & vulnera ferre posse? Iterum ab iis ad Parasitum trãsiens, aspice qualis appareat. Nonne hic primùm corpore est magno, colore jucundo, non nigro quidem, sed neque peralbo? nam hic mulieri, ille servo convenit. Deinde animosus, horrendum obtuens, magnis quemadmodum nos, & cruentis oculis. Bonum enim non est meticulosum & fœmineum oculum in aciem afferre. Annon qui sit istiusmodi, egregius fiat, sive quum vivit armatus, sive quum honestè est mortuus? Sed quorsum istis collationibus utimur, siquidem eorum exempla habemus? Ut uno verbo dicam, Rhetorum, aut Philosophorum priorum nullus unquam ausus est belli tempore extra mœnia prodire. Quòd si quis coactus id suscepit, hunc deserta acie abscessisse dico. *Tych.* Quam admiranda omnia, quamque nihil exiguum polliceris! *Para.* Dicam tamen. Equidem ex Rhetoribus Isocrates tantùm abest ut aliquando in bellum prodierit, cùm ne in judiciali quidem foro præ timiditate suggestum unquam conscenderit. Opinor & hoc ipsum, illi vocem defuisse. Præterea nonne Demades, Æschines, & Philocrates timore statim consternati, Philippo bellum indicente, civitatem & se ipsos prodiderunt, & Philippi res Athenis semper gesserunt? Quorum bellandi rationem siquis alius Atheniensium sequeretur, eum in amicitiam asciscebant. Hyperides quoque, & Demosthenes, & Lycurgus qui videbantur animosiores, & in concionibus tumultuabantur, & Philippo convitiabantur, quid præclari in bello adversus eum gesto præstiterunt? Equidem Hyperides & Lycurgus nũquam egressi sunt, sed neque vel modicum exerto è portis capite ausi sunt prospicere. Verùm intra mœnia sedebant, apud se ipsos obsessi, sententiolas & senatusconsulta componentes. Sed enim coryphæus illorum Demosthenes, qui hæc subinde in concionibus dicebat: Pestifer ille Philippus Macedo, unde ne mancipium quidem quisquam emeret, ausus in Bœotiam venire priusquam commixti exercitus ad manus venirent, abjecto clypeo aufugit. Aut hæc priùs nondum ex quoquam audivisti, quæ innotuerunt non Atheniensibus modò, sed Thracibus & Scythis, unde erat scelestus ille. *Tych.* Hæc scio. Sed hi sunt Rhetores orationibus habendis, non virtute bellica exercitati. Quid autem de Philosophis dicis? Non enim hos quemadmodum illos accusare potes ignaviæ. *Para.* Hi equidem Tychiade, qui quotidie de fortitudine disputant, & virtutis nomen in ore habent, multò ignaviores & molliores Rhetoribus apparebunt. Ad hunc verò modum rem considera. Primùm nemo dicere possit Philosophum in bello mortem oppetivisse. Aut enim non omnino militarunt, aut si militarunt, omnes terga dederunt. Equidem Antisthenes, Diogenes, Crates, Zeno, Plato, Æschines, Aristoteles, & illa Philosophorum universa turba, nunquam viderunt aciem. Solus autem ex illorum numero sapiens Socrates, in bellum quod civitati fuit adversus Lacedæmonios, exire ausus, arrepta inde fuga, ex Parnethe in Taurei palæstrã divertit. Ipsi enim multo urbanius esse videbatur, cum adolescentulis sedendo, sese ornare, & secum versantibus captiunculas proponere, quàm cum Spartano viro pugnare. *Tych.* Hæc ego, ô generose, ab aliis jam accepi, quibus per Jovem non erat cavillandi, & convitiandi animus. Itaque parum gratiæ arti tuæ conciliare videris, contra viros hosce mentiendo. At si videtur, age jam dic mihi cuiusmodi sit in bello Parasitus: & num omnino veterum aliquis parasitus fuisse dicatur. *Para.* Atqui ô amice, nemini usque adeò inauditus est Homerus, nemo tam idiota, ut nesciat præstantissimos heroas apud ipsum esse parasitos. Nam Nestor ille, à cuius lingua perinde ut mel fluebat oratio, regis fuit parasitus. Et neque Achillem, qui & videbatur, & erat forma corporis præstantissimus, & justissimus, neque Diomedem, neque Ajacem Agamemnon tantis laudibus extulit, & admiratus est, quantum Nestorem. Neque enim decem Ajaces, neque decem Achilles sibi esse optat. Quippe jam olim Trojam cepisset, si tales, qualis erat hic parasitus, quamvis senex, decem milites habuisset. Quinetiam Idomeneum Jovis filium, similiter Agamemnonis parasitum esse dicit. *Tych.* Hæc quoque scio. Nondum tamen mihi videor intelligere, quomodo hi duo viri fuerint Agamemnonis parasiti. *Para.* Memento illorum Homeri versuum, quibus Idomeneum alloquitur Agamẽnon. *Tych.* Quosnam dicis? *Para.* Semper tibi plenior ut mi Stat cyathus, quum fert animus potare benignè. Hoc loco semper plenum dixit cyathum: non quòd poculum perpetuò plenum adstare Idomeneo tum pugnanti, tum dormienti: sed quia ipsi soli, quamdiu vixit, cum rege convivari obtigit: siquidem certis diebus, ut cæteri milites, non invitabatur. Etenim Ajacem, postquam in singulari certamine cum Hectore, strenuè se gessisset, ad divinum Agamemnonem ductum fuisse ait, & vesperi apud regem honoris causa cœnatum. At verò Idomeneus & Nestor, ferè quotidie cum rege, ut ipse inquit, convivabantur. Porrò Nestor regum Parasitus mihi fuisse videtur arte multa industrius: qui non apud Agamemnonem, sed priùs apud Cæneum & Exadium artem hanc inchoavit. Nec parasitandi finem priùs videtur fecisse, quàm diem obiit Agamemnon. *Tych.* Equidem præclarus hic fuit parasitus. At si quos alios nosti, conare dicere. *Para.* Quid igitur Tychiade, nonne & Patroclus Achillis fuit parasitus, idque cùm nullo alio Græcorum fuerit deterior, neque animi, neque corporis dotibus, etsi erat juvenis? Mihi equidem nulla in re ipso Achille videtur fuisse deterior, ex ejus factis conjecturam facienti. Etenim Hectorem ruptis portis, ac intra munitionem juxtà naves pugnantem expulit: & Protesilai navim incensam, extinxit: quanquam in ea militabant, non ignavissimi, verùm Ajax & Teucer Telamone nati, cataphractus alter, alter sagittarius. Quinetiam multos ex barbaris neci dedit Achillis ille parasitus, atque inter hos Sarpedonem Jovis filium. Nec ut alii occubuit: sed Hectorem Achilles, unus unũ, Achillem Paris occidit: hunc parasitum Deus, duoque homines. Et moriens voces emisit, non quales Hector ille generosissimus, Achillem suppliciter precatus, ut cadaver suis redderet: sed quales parasitum emittere par est. Quænam autem sunt? Si mihi viginti duro in certamine tales Ante occurrissent, stravissem cuspide cunctos. *Tych.* Sufficiunt ista. Cæterùm Patroclum non amicum: sed parasitum Achillis fuisse, proba. *Para.* Ipsum ô Tychiade Patroclum se parasitum dicentem exhibebo. *Tych.* Miranda dicis. *Para.* Audi igitur ipsos versus. Ne mea Pelide tu condas ossa seorsim, Sed simul, ut tecto nutriti viximus uno. Et rursum eodem in loco. Nam me susceptum Peleus studiosus alebat: Nomine meque tuum noto Theraponta vocavit. Hoc est, parasitum esse voluit. Etenim si Patroclum appellare voluisset amicum, haud illum theraponta nominasset. Liber enim erat Patroclus. Quos igitur dicit esse therapontas, si neque servos, neq; amicos intelligit? parasitos nimirum. Quo nomine & Merionem Idomenei theraponta compellat. Sic puto vocabantur tunc parasiti. Considera etiam eum non dignari Idomeneum Jovis filium Marti æqualem dicere: sed ejus parasitum Merionem. Quid? nonne & Aristogiton vir popularis, & pauper, ut inquit Thucydides, parasitus fuit Armodii? nonne & amator? Parasiti enim admodum amantes eorum sunt à quibus aluntur. Rursum hic parasitus Atheniensium remp. tyrannide laborantem, in libertatem vindicavit, & nunc in foro stat æneus cum amasio. Illi itaque cùm tales essent virtute clari, parasiti tamen fuerunt. Tu verò qualem in bello parasitum esse putas? Nonne hic primum prãsus prodit in aciem: quemadmodum & Ulysses vult? Enimvero cui statim sub auroræ exortum pugnandum erit, ille cibum sumet. Et quo tempore alii milites præ metu, hic galeam diligenter adornat, ille thoracem induit, alius belli sævitiam suspicans trepidat: tunc parasitus vultu valdè hilari comedit: mox in aciem progressus inter primos dimicat. Qui verò alit ipsum, ordine pòst sequitur parasitum, illumque hic, ut Ajax Teucrum sub clypeo, tegit: relictisque telis, seque nudato, defendit. Eum enim mavult incolumẽ tueri quàm se ipsum. Quòd si parasitus in bello ceciderit, neque præfectum agminis, neq; militum quenquam ejus pudebit, cuius magnum sit cadaver, eoque decore jacens quo in convivio Adeò ut indignum esset philosophi cadaver huic adjacens conspici aridum, sordidum, promissa barba, ante pugnam mortuum, imbellem hominem. Quis eam civitatem non contempserit, qui tam miseros ejus propugnatores videat? Imò quis pallidos illos, & comatos homunciones conspicatus jacentes, non conjecerit, huic civitati auxiliatores deesse, adeò ut scelestos qui detinebantur in carcere, ad bellum vinculis solverint? Tales in bello sunt Parasiti, cum Rhetoribus & Philosophis comparati. Cæterùm in pace tantum præcellit Philosophiam Parasitica, quantum ipsa pax bello præstat. Ac primùm si tibi videtur, consideremus pacis loca. *Tych.* Quid hoc sibi velit non intelligo. Consideremus. *Para.* Nunquid forum, judicia, palæstras, gymnasia, venationes, convivia, ego dicere possim civitatis loca? *Tych.* Rectè sanè. *Para.* Parasitus autem ad forum, & causas agendas non se confert, puto quia sycophantis omnia hæc loca potiùs conveniunt: & quia nihil moderatè in his geritur. Verùm palæstras, gymnasia, & convivia sectatur, ornatque hic solus. Quis enim Philosophus aut Rhetor nudatus, corpore cum Parasito dignè comparetur? aut quis eorum in gymnasio cõspectus, loci non sit potiùs dedecus? Atqui ne in deserto quidem illorum quispiam cum bellua congredi sustineret. At Parasitus eas irruentes expectat, & facilè excipit, quas in conviviis contemnere didicit. Sed neq; cervus, neq; aper setis inhorrescens ipsum terret. Imò si aper dentem adversus ipsum acuat, Parasitus vicissim in aprum acuit. Lepores autem magis insectatur quàm canis. Porrò in convivio quis cum Parasito aut ludente, aut comedente certet? Ecquis convivas magis exhilaret? Utrum hic qui canit, & cavillatur, an homo qui non ridet, in lacerna jacet, in terram intuetur, ut pote ad luctum non ad convivium venias? Ac ut mihi videtur, huiusmodi est Philosophus in convivio cuiusmodi canis in balneo. Age verò his missis, ad ipsam Parasiti vitam nos conferamus, quam simul consideremus, & comparemus. Primùm igitur videat quivis, Parasitum quidẽ semper gloriam contemnere, neq; quid sentiant homines, curare. Rhetores autẽ & Philosophos non aliquos sed omnes comperiat, fastu, & studio gloriæ detritos: nec gloriæ modò, sed quod est hac re turpius, etiam pecuniæ. Contrà Parasitus animo erga pecuniam sic est affecto, ut nemo lapillos qui sunt in littoribus magis negligat. Nec putat aurum esse igni præstantius. Rheto-

res autem, & quod absurdius est, etiam illi qui se philosophari profitentur, ita miserè sunt erga hæc affecti, quasi hac ratione potissimùm laudem & gloriam sibi compararent. Quid verò de Rhetoribus dicam? hic causam agens, largitionibus est corruptus: ille dicendi artem profitens, à discentibus mercedem exigit: alius pro sua opera mercedem à rege pariter flagitat, nec pudore suffunditur. Præterea vir senex ob id peregrè proficiscitur, & quæstum facit, non aliter atque Indus, aut Scytha captivus. Nec eum pudet nominis, quòd sit merces id quod accipit. Nec solùm his vitiis, sed etiam aliis animi perturbationibus obnoxios eos invenies, puta mœrori, iræ, invidiæ, omnisque generis cupiditati. Sed Parasitus omnibus his affectibus vacat. Neque enim irascitur ob malorum tolerantiam, & quia non habet quod irascatur. Quòd si quando indignetur: nihil molesti & tetrici designat eius ira: sed risum potius: estq; conversantibus oblectamento: atque omnium minimè tristitia capitur, præbente hoc & largiente ipsi arte, ut nihil suppetat cuius causa tristitiam contrahat. Caret enim pecuniis, domo, famulo, uxore, liberis, quibus pereuntibus omnino necesse est ut mœrore afficiatur qui ipsa possidebat. At neque gloriam, neque pecunias, neque formosum quenquam expetit. *Tych.* At ô Simo, consentaneum est illum ob victus inopiam mœstum reddi. *Para.* Ignoras ô Tychiade, statim ab initio, hunc qui victu indiget, non esse parasitum. Non enim fortis fortitudinis inopia fortis est: neque prudens: alioqui parasitus esse non possit. Proposita enim est nobis quæstio, non de eo qui non est, sed de eo qui revera est Parasitus. Quòd si fortis non aliter, quam fortitudine, prudens non aliter quàm prudentia præsente: sic neque Parasitus nisi parasitandi præsenti facultate parasitus erit. Nam si hoc illi non suppetit, de aliquo alio, non de parasito erit quæstio. *Tych.* Proinde parasitus nunquam alimenti laborabit inopia. *Para.* Sic sanè. Itaque neque huius, neque alius rei gratia dolere possit. Verùm omnes Philosophi simul & Rhetores maximè timent: quorum plurimos cum baculo prodeuntes invenias: quod non facerent nisi armatos metuerent: præterea validè claudentes januas, veriti ne noctu petantur insidiis. At Parasitus ostium suæ domunculæ negligenter admovet, ne videlicet à vento aperiatur. Noctu autem orto strepitu, non magis quam non orto, turbatur. Præterea per sola loca iter faciens, sine gladio ambulat, nihil enim prorsus uspiam gentium metuit. At ego sæpe vidi Philosophos, cùm nihil adversi esset, arcus adparantes. Nam quando & ad balneum, & ad prandium se conferunt, baculos habent. Nemo autem Parasitum adulterii, aut violentiæ, aut rapinæ, aut alterius sceleris accusare possit. Nam qui esset huiusmodi, Parasitus non foret amplius, sed in se ipsum injuriosus. Adeò ut si mœcharetur, simulatque scelus committeret, sceleris nomen acciperet. Et quemadmodum improbus non boni sed mali appellationem sumit: sic utique Parasitus si quid mali perpetrarit. Nam hoc ipsum quod est, abjicit, & assumit quod delinquit. Cæterùm istiusmodi flagitia permulta, non solùm nostra ætate ab iis perpetrata scimus: sed scelerum quæ admiserunt relicta in libris monumenta habemus. Extat apologia Socratis, extat Æschinis, & Hyperidæ, neque non Demosthenis, Rhetorumque & philosophorum complurium. Sed nulla extat Parasiti apologia: nec possit quisquam dicere Parasitum fuisse in jus vocatum. *Tych.* At per Jovem melior est Parasiti vita, quàm Rhetorum aut Philosophorum: mors verò deterior. *Para.* Imò contrà longè fœlicior. Nam Philosophos omnes, aut quamplurimos malos malè diem obiisse scimus: alios veneno de maximis criminibus damnatos: alios toto corpore crematos: alios urinæ difficultate consumptos: alios in exilio mortuos. At nemo possit dicere Parasitum huiusmodi morte sublatum: sed fœlicissima, ut pote bibentis, & comedentis. Quòd siquis violenta morte defunctus videtur, non cocto cibo periit. *Tych.* Hæc satis superque tibi pro Parasito contra Philosophos decertata sunt. Superest ut & illud explices, num honesta sit & utilis alenti hæc possessio. Mihi namque videntur divites, tanquam beneficium & gratiam conferentes, Parasitos alere, atque hoc ei qui alitur esse dedecori. *Para.* Quàm stolida hæc sunt, nisi possis intelligere, locupletem virum, tametsi Gygis aurum habeat, esse pauperem, si solus edit: & mendicum videri, si solus sine parasito prodit. Et quemadmodum miles sine armis, vestis sine purpura, & equus sine phaleris minoris est pretii: sic dives sine parasito, humilis vilisque videtur. Quinetiam dives à parasito non parum capit ornamenti: parasitum nunquam ornat dives. Præterea neque probrum est ipsi, ut parasitetur illi, tanquam meliori deterior. Quinimo diviti hoc utile est, quod parasitum alit, à quo non solùm ornatur, sed ex cuius satellitio securitatem magnam consequitur. Neque enim facilè quisquam pugna divitem aggredietur quem videat ab hoc stipatum: imò neque veneno tolletur, qui parasitum habebit. Quis enim hoc prægustante, & præbibente quenquam ausit insidiis petere? Itaque dives non tantùm à parasito ornatur, sed etiam à maximis periculis servatur. Ita tantus est parasiti amor, ut omne periculum perferat. Nec diviti tantùm concedat cibum sumere, sed una comedendo commori exoptet. *Tych.* Omnia, Simo, mihi videris disseruisse, ut cui nihil in arte tua desit: non ut ajebas, tanquam inexercitatus, sed tanquam à maximis institutus. Quod reliquum est, scire velim num turpe sit Parasitices nomen. *Para.* Vide meum responsum: an tibi de his sat dictum videatur. Tu verò ad quæstionem responde quod quàm optimum censes. Age enim, quid veteres vocant σῖτον? *Tych.* Alimentum. *Para.* Quid autem σιτεῖσθαι, nonne comedere? *Tych.* Maximè. *Para.* Proinde hoc in confesso est Parasitari aliud nihil esse. *Tych.* At illud est, Simo, quod videtur turpe. *Para.* Age, iterum mihi responde, utrum præstare tibi videtur, & proposito utroque utrum eligeres, Navigare, an Adcurrere? *Tych.* Adcurrere. *Para.* Quid verò, Equitare, an Adequitare? *Tych.* Adequitare. *Para.* Quid, Jaculari, an Adjaculari? *Tych.* Adjaculari. *Para.* Proinde malis pariter parasitari quàm edere. *Tych.* Fateri cogor. Cæterùm mane & à prandio ut pueri, arti tuæ operam daturus, te adibo. Æquum autem est ut eam me doceas citra invidiam, siquidem primus tibi fio discipulus. Perhibent autem primos liberos à matribus diligi impensius.

Libanius: Novi me volucri sæpe æquiparatum esse, quoties occasio ad cœnam vocabat.

Post: Cùm propius accessi, ut tantum non atriensem januam calcarem, jam jamque culinæ nidorem sentirem (nulla enim ferè præ nobis est Cretensium odora canum vis) jam etiam perstrepentes coquos audirem, parumque abesset quin manum pincernis porrigerem; genas jam concutiens, & maxillas exagitans; & quid aliud quàm jam accubuisse ratus? repente è vestigio procella, & æstro percitus &c.

Deinde: Duntaxat amuletum nobis est in morbis & mœroribus quibuslibet, offæ donum. *Declamat. 7.*

Libanius. Quamobrem ceteris etiam quibus eandem quam nos artem factitare libuit, tunc optabilior vita mors videtur esse, quando desunt qui cœnam adhibeant, & domi suo succo victitare coguntur. Et bellè opinor & justè non parcunt vitæ, & impigri sunt ad exitum. Quibus enim non præsto est mensam sine sumptu onerare, quid causæ est cur hi vivere exoptent? *Declamatione 7. E.*

Libanius: Etenim iners natura & indocilis eram, ad laborandum ineptus: ad amicitiam autem & lætitiam maximè ingeniosus: idoneus ad consolandum, deducendum, mœrore affecto condolendum: rem benè gerenti gaudium gratulatione augendum: ad vitæ præclarissima promovenda inserviendo. hæc mediocria fuere præ incremento. Aptus promptusque ad cavillandum, & carmen cantandum: & ad saltandum scitè, ut pauci, & ad imitandum mimicè. hisce moribus habebam quod volebam: ac tantum genius mihi concessit, quantum ne iis quidem principibus qui tyrannicè dominantur. illi sane armis muniti deliciis potiuntur: & major ipsis commoditas est malè alicui faciendi, quam vivendi cum voluptate. mihi verò deliciæ metus expertes; & nullis stipatus eram satellitibus: neque grave quiquam fuit in agendo vel cogitando; itemque subducendo & præstando aliquid boni. Adolescentem illum vidi à majoribus illustrem & locupletem, munificum quidem in muniis publicis: benignum autem in egenos, atque in vita suavissimum, risus amantem & laboris, & sumptuosum in victu. huic me adjunxi, Deorum aliquo pulcerrima mihi conciliante, & omnium jucundissima exhibente; cui & amicus & familiaris factus sum. nec eo tantum usque, sed convictor & compotator, & vita fruens felici ac beata: adeò ut multi nostram sortem æmularentur. Etenim ille patre & matre multo præstantior extitit. nam ab illis nihil unquam acceptum habui: hic verò voluptates suas mihi communes proposuit; nullum triste negotium, nullum operosum habebam. Omnia fuere mihi suavissima, & præsentia, & quæcumque sperabam; ac victus ratio valde expedita & commoda: sed enim in deliciis vivebam, nihil insumens, neque tradens, neque unde mihi copia suppeteret quærens, siquidem alius mihi erat curator: & alter de alimentis nostris solicitus erat: ditescebam nihil possidens: deliciabar, nihil impudens: bibebam; inebriabar, inter unguenta versabar, & pocula, & tripudiationes: quin omnia vitam meam festivè excipiebant. Non è forensium eram numero, non collectas celebrantium, non in suggestu aliis negotia facessentium, non agros colentium quibus laboriosa est vita: non eram mercator, nec mare navigabam: portus cernebam, piscium tantum tenus, non militarem degebam vitam, periculis plena & gladiis referta est. sed perbeatus vir, ignavus, segnis mensarum assecla, quod certè gratissimam mihi bona adferebat, fructus & multum temeti: mare autem pisces permultos: & cuncti venatores feras terrestres & volucres mihi venabantur: coqui & popinatores, artis suæ opera dabant. unum mihi negotium fuit regem altoremque meum salutandi; instructoribus convivii indicandi, si quid esculentorum suave esset in foro promercali, coquosque urgendi; vina gustandi, probandi, optimos opsoniorũ conditores laudandi, & ad studiosius atq; alacrius incũbendum negotio adhortandi; omnia collaudandi, cuncta admirandi, in omnibus altori meo gratificandi: coquis familiariter utendi: pincernis arridendi: alentes cum hilaritate & voluptate colendi. diluculo exorto, ego ad regem festinabam, ut quæ ad oblectationem tendebant nunciarem. deinde ille quidem per forum aliquid agitabat: mihi verò munus erat providere ut pulcrè se haberent quæ ad prandium spectarent; tum horam denunciabam: properare suadebam: postea cibis implebar: omnia contrectans, cuncta approbans, secunda præsertim, prima semper assumens, & conservaturus jam ad vesperam quæ processerant recondebam somnus super his suavissimus erat: & epulum in somnis obversabatur. ecce balneorum tempus: ego verò festinabam, indeque lautus reversus, ad beatam redibam mensam: omnia suspiciens: cuncta laudibus extollens: ægre ferens quòd non geminum ac tergeminum ventrem habere

liceret,

liceret. Erant quippe copiosa cuncta; & saburra disrumpebar. vesper adest iterum, & somnus securus. neque enim vendere quidquam opus erat, neque emere: quin usque ad cubile, penes alium cura fuit negotii: meum erat sumere prandium, cœnare opiparè. pauperiem non formidabam, divitiarum non egebam. omnibus anni tempestatibus gaudebam: ver mihi jucundissimum fuit: etenim inter rosas instruebantur convivia: æstas non minus jucunda erat: omnium præclarorum ferax: diebus productior, ut ad prandium multum esset otii, & ad diutius in cœnam morandum Autumnus bonam temperiem ac serenitatem habet: atque in eo citius cibi coquuntur, & plus estur. hyems superadveniebat, atque ad affatim comedendum corroborabat, & à laboribus ac negotiis foris procurandis cessare, & quiete domi manere suadebat. unum mihi in ea triste videbatur, noctium productio: verùm statim matutino prandio opus erat, neque ullus culpabat: & ad crepusculum usque compotationem extendere, quia tempus ad id consecratum impendebatur: tum somnus opportunus succedebat. *Declam.11.*

Alciphron: Vilibus trunciis, vendi atque emi res necessarias, pestiferam adfert consolationem. Tempus itaque, ut nobis te conjungas ô Struthio, & à nobis, prout mare victum dederit, consolationem opperiaris. Volo itaque cum uno atque altero ex his opulentis te intercessore, aut cum Erasicle Phyrthio aut Philostrato Cholarge amicitiam inire ut ipse cum sportis ei pisces adferam. Nam omnino præter solutionem argenti, spes erit apud illum aliqua, si Bacchinalia vel Apaturia celebrentur. Præterea non à Forensium censorum acerba manu liberabunt, qui quotidie, ut suum lucrum promoveant, in bonos viros vim & injurias exercent. Multum autem posse nos Parasitas apud juvenes & divites, non hominum sermo, verumetiam res declaravit. *Ægialus Struthioni Epistola 9.*

Alciphron: Ventosam spem & inanem habui de adolescente Polycrito. Arbitrabar enim eum aut diem suum obiisse, aut ei patrem magnam possessionis copiam parasse, & lurcationibus atque libidinibus nobiscum & cum scortis, quotquot formæ elegantia præstant, exhausturum; aut totam aut certè maximam partem facultatum. At ille, postquam patre censore utitur, serò quidem epulatur, & in die semel, idque eo tempore, cùm jam sol est in occasu. Nihil verò quod opiparum sit epulatur, sed panem de foro, & obsonium, si quando fœlicem diem egerit dorypetes aut oleastros. Frustratus igitur hac egregia spe incertus sum quid faciam, si enim qui alit, opus habet altore, quo loco ille fuerit, qui ali debet. Cum esuriente verò conversari, duplex est incommodum. Vale. *Conepossbrantes Ischolimo. Epist.21.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Inter hæc ut opinor posita est religionis vestre cunctatio, judices, ut despiciatis utrum parasitus sua voluntate, an quoniam id diviti præstabat, rapuerit. Parasitus rapuit. Quid ais? tantum illi vacuit, adeone saturitate apud te exundavit, ut vilia scorta non quæreret, qui omnibus contentus est? an solus oculos ad ingenuas & ad virgines, & aliquem etiam petentes honorem, attolleret? Nunquam hercule tam felicem istam servitutem esse crediderim, ut impetus ad illicitas libidines hebetet. Hoc dico, hanc tantùm vult rapere parasitus. *Declam.252.*

Quintilianus: Nihil argumenti ex divitis istius moribus ducam. qualis sit, quàm dissolutus, quàm luxuriosus, quàm perditus, vel uno argumento probari potest: Parasitum habuit. *Declamatione 252.*

Quintilianus Senior: Quid est parasitus, nisi comes vitiorum? turpissimi cuiusq; facti laudator? *Mox:* Parasitus sine tua voluntate convitiari fratri tuo auderet? homo in adulationem natus, homo cuius famem tantum tu propitius differebas, non fecisset utique quo te putaret offendi. Ita ille convitiari ausus fuisset, si te amantem fratris vidisset? Credo parasitum etiam insultasse fortunæ filii mei, Tace dixit exul parasitus: homo, puto qui contumeliam non ferebat. *Declam.26.m.*

Quintilianus Senior: Hoc novum est & inauditum, contumelias in questu habere, & injuria pasci. Juvat illa te residua potio, & ex locupletis cœna nescio quid intactum. Cædentis manus oscularis, & ferrum portas, fame moriturus si ille nihil malefecerit. alios enim fortasse parasitos, ars aliqua commendet: tu quid potes, rustice miser, nisi vapulare? *Declam.298.a.f.*

¶ POETARUM.

Plautus Captivis 1.sc.1.v.8.

Parasitos, nemo neque vocat, neq; invocat:
Quasi mures semper edimus alienum cibum.
Vbi res prolatæ sunt, cum rus homines eunt,
Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.
Quasi cùm caletur cochleæ in occulto latent.
Suo sibi succo vivunt, ros si non cadit:
Item parasiti rebus prolatis latent
In occulto miseri: victitant succo suo,
Dum ruri rurant homines, quos liguriant.
Prolatis rebus parasitici venatici
Sumus: quando res redierunt molossici,
Odiosicíq; & multum incommodestici.
Et hic quidem herclè, nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus, frangíq; aulas in caput,
Vel extra portam trigeminam ad saccum licet.
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum est.

Plautus captivis 1.sc.2.v 32.

Ossa atq; pellis sum misera macritudine.
Neq; unquam quidquam me juvat, quod edo domi.
Foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat.

Plautus Captivis 3.sc.1.v.9.

I licet parasiticæ arti in maximam malam crucem!
Ita juventus jam ridiculos inopes ab se segregat.
Nil morantur jam Laconas imi subsellij viros,
Plagipatidas, quibus sunt verba sine penu & pecunia.
Eos requirunt qui libenter cum ederint, reddant domi.
Ipsi obsonant, quæ parasitorum ante erat provincia.
Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
In tribu quam aperto capite sontes condemnant reos.
Neq; ridiculos jam teruntij faciunt. sese omnes amant.
Nam ut dudum hinc abij, accessi ad adolescentes in foro:
Salvete, inquam! Quò imus una, inquam, ad prandium? atque illi tacent.
Quis ait? Huc. aut quis profitetur? inquam. quasi muti silent,
Neque me rident. Vbi cœnamus? inquam. atq; illi abeunt.
Deo unum ridiculum dictum, de dictis melioribus,
Quibus solebam menstruales epulas ante adipiscier:
Nemo ridet. scivi extemplo rem de compacto geri.
Ne canem quidem irritatam voluit quisquam irritarier,
Saltem si non arriderent, dentes ut restringerent.
Abeo ab illis postquam video me sic ludificarier.
Pergo ad alios: venio ad alios: deinde ad alios: una res.
Omnes compacto rem agunt, quasi in Velabro olearij.

Plautus curcul. 5.sc.2.v.6.

Nugas garris. C. soleo. nam propter eas vivo facilius.

Plautus Menæchmis 1.sc.2.v.52.

Sed quid ais? P. egóne? id enim quod tu vis, id aio atque nego.

Plautus Menæch.1.sc.4.v.4.

Ego, Menæchmus, & parasitus eius. C. iam isti sunt decem
Nam parasitus octo hominum munus facile fungitur.

Plautus Menæchmis.5.sc.5.v.2.

Quæ me clam ratus sum facere ea omnia fecit palam
Parasitus, qui me complevit flagitij & formidinis,
Meus Vlysses suo qui Regi tantum concivit mali.
Quem ego hominem, si quidem vivo, vita devolvam sua.
Sed ego stultus sum, qui illius esse dico, quæ mea est.
Meo cibo & sumptu educatus est: anima privabo virum.

Plautus Militis 1.sc.1.v.31.

Nolo istæc hic nunc. A. ne hercle operæprecium quidem
Mihi te enarrare, tuas qui virtutes sciam.
Venter creat omnes has miserias. auribus
Peraudienda sunt, ne dentes dentiant.
Et assentandum est, quidquid hic mentibitur.

Plautus Persa 1.sc.1.pr.

Veterem atque antiquum quæstum meum alimoniæ
Servo atque obtineo, & cum maga cura colo.
Nam nunquam quisquam meorum maiorum fuit,
Quin parasitando paverint ventres suos:
Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus,
Quasi mures semper edere alienum cibum:
Neq; edacitate eos quisquam poterat vincere.
Hu cognomentum erat duris capitonibus,
Vnde hunc quæstum obtineo, & maiorum locum.

Idem 1.sc.3.v.18.

Nolo in vesicam quod eat: in ventrem volo.

Plautus Persa 1.sc.3.v.40.

Nihili parasitus est cui argentum domi est.
Lubido extemplo cœpere est convivium.
Tuburcinari de suo, si quid domi est,
Cynica esse ègente oportet parasitum probè:
Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium,
Marsupium habeat, inibi paulum præsidij,
Quei familiari suam vitam oblectet modo.

Mox v. 51.

Hic leno neque te novit neque gnatam tuam.
S. Me ut quisquam norit, nisi ille qui præbet cibum?

Plautus Pœnulo 3.sc.1.v.30.

An vero non iusta causa est, quo curratur celeriter,
Vbi bibas, edas de alieno, quantum veis usq; affatim?
Quod invitus tu nunquam reddas domino, de quo ederis.

Plautus Pœnulo 3.sc.1.v.69.

Eia, haud vestrum est iracundos esse, quod dixi ioco.
A. Nec tuum quidem est amicis per iocum iniustè loqui.

Plautus Sticho.1.sc.1.v.7.

Nunc si ridiculum hominem quæret quispiam:
Venalis ego sum cum ornamentis omnibus.
Inanimentis explementum quærito.
Gelasimo nomen mihi indidit parvo pater.

Propter

Propter paupertatem hoc ades nomen reperi;
Quia inde iam à pauxillulo ridiculus fui.
Eo quia paupertas fecit ridiculus forem.
Nam illa omnes artes perdocet, ubi quem attigit.
Per annonam caram dixit me natum pater:
Propterea credo nunc ego eſurio acrius.
Sed generi noſtro hac reddita eſt benignitas,
Nulli negare ſoleo, qui eſum me vocat.
Oratio una interijt hominum peſſimè,
Atq; optima hercle meo animo & ſcitiſſima,
Qua ante utebantur: Veni illò ad cœnam; ſic face.
Promitte verò: ne gravare: eſt commodum.
Volo, inquam fieri: non amittam quin eas.
Nunc repererunt ei verbo vicarium,
Nihili quidem hercle verbum ac viliſſimum,
Vocem te ad cœnam, niſi egomet cœnem foris.
Ei hercle verbo lumbos defractos velim,
Ni verè perierit, ſi cœnaſſit domi.
Hæc verba ſubigunt me, mores ut barbaros
Diſcam, atq; ut faciam præconis compendium;
Itaq; auctionem prædicem, ipſe veneam.

Plautus Sticho 2. ſc. 1. v. 92.

Quò nunc is? C. ad te. G. quid venis? C. Panegyris
Rogare juſſit te multo opere maximo,
Mecum ſimitu ut ires ad ſeſe domum.
G. Ego illo me hercle verò eo quantum poteſt.
Iam ne exta cocta ſunt? quod agnis fecerat?
C. Illa quidem nullum ſacrificavit. G. quomodo?
Quid igitur me vult? tritici modios decem.
Rogare opinor te vult. G. méne ut ab ſe petam?
C. Imò ut abs te mutuum nobis dares.
G. Negato eſſe quod dem, nec mu, nec mutuum:
Neq; aliud quidquam, niſi hoc quod habeo pallium.
Linguam quoq; eſſe etiam mihi venditariam.
C. Hau, nulla lingua tibi eſt, quæ quidem dicat, dabo?
G. Veterem reliqui, eccam illam quæ dicat cedo.

Plautus Trinummo 2. ſc. 4. v. 50.

Decedam ego illi de via, de ſemita,
De honore populi. verùm quod ad ventrem attinet,
Non hercle hoc longè, niſi me pugnis vicerit.
Cœna hac annona, eſt ſine ſacris hæreditas.

Terentius Phorm. 2. ſc. 1.

Imò nemo ſatis pro merito gratiam regi refert.
Té ne aſymbolum venire, unctum ac lautum è balneis,
Otioſum ab animo: cùm ille & cura & ſumptu abſumitur,
Dum tibi ſit quod placeat: ille ringitur, tu rideas:
Prior bibas, prior decumbas: cœna dubia apponitur.
G. Quid iſtuc verbi eſt? P. ubi tu dubites, quid ſumas potiſſimum.
Hæc, cùm rationem ineas, quā ſint ſuavia & quā cara ſint;
Ea qui præbet non tu hunc habeas planè præſentem Deum?

¶ Emblematis.

Batillius. 102. Obſcurorum laſcivia potentia.

Aſpicis, intexta procero ut ſtipite ſurgant,
Pondere quæ proprio ſtare timent hederæ.
Quàm multi hinc reputa, queîs laus in origine nulla,
Virtutis nullum vel leve nomen adeſt,
Se ſuper ætherias tollant laſcivius auras,
Illuſtres ſi quos implicuêre viros.

¶ Monosticha Trochaica.

Abſq; ſatellitio paraſiti dives & deſpectui eſt.
Arbori malum teredo; ſed paraſitus Principi eſt.
Ardelio gratis anhelans, multa agendo nil agit.
Auribus peraudienda ſunt, ne dentes dentiant.
Cuncta de cibo potuq; ſunt paraſiti ſomnia.
Deteriores ſunt paraſitis qui convivant diviti.
Invenias Argos paraſitos plures, cæcum neminem.
Invocatus uſq; adeſt ultro in convivijs Gnatho.
Menſæ amicus qui tuæ eſt, inimicus ipſius tui eſt.
Morbis in cunctis paraſito oſſa uncta alexipharmacum eſt.
Nil facit ad Regum ſalutem; ad exitium multum Colax.
Munus octo hominum paraſitus facilè in menſâ fungitur.
Non modò pompa eſt paraſitus, ſed tutelá diviti.
Non patet Gnathonibus quàm qui ipſemet Gnatho eſt ſibi.
Non qui vivit, ſed paſcit benè in pretio eſt Gnathonibus.
Nunquam etiam fui uſquam me omnes quin amarēt plurimum.
Paraſitando conſequere quæ virtute non queas.
Quamdiu unda, tamdiu quoq; eſt navi Delphin comes.
Quaſi mures paraſiti ſemper edimus alienum cibum.
Quod leonibus magiſtri, hoc ſunt paraſiti regibus.
Recta qui prava ajunt, illis præmium nunc maximum eſt.
Regibus paraſita gens eſt, quod canes Actæoni.
Strenui damno paraſitis, uſui ſunt improbi.

¶ Jambica.

Ab ore verum promere haud queat Gnatho.
Ad menſam herilem reſpicit ſemper canis.
Cynica eſſe è gente oportet paraſitum probum.
Fit ſuavius linguâ Gnathonis prandium.
Haud certius ventre ullibi eſt ſolarium.
In quæſtu habet paraſitus contumelias.
Naſo ſagace natio Gnatonica eſt.
Nihili paraſitus eſt, cui argentum domi eſt.
Nondum eſt paraſitus cui cibi indigentia eſt.
Paraſitica ars eſt artium pulcerrima.
Paraſitus etiam è flammâ ipſâ cibum petat.
Quærunt amici animum, quærunt paraſiti opes.
Qui neſcit ineſcare homines nunquam rem facit.
Quovis cibo paraſitus perduci poteſt.
Regum paraſiti quid hodie ſunt? Neſtores.
Vbiq; muſca menſa, ubiq; prandium eſt,
Vendit meri ſalivâ injuriam Colax.

Parentum.

¶ Sententiae Patrum Graecor.

Clemens Alexandrinus: Omnibus ergo viribus, humanæ naturæ pædagogus, divinum noſtrū Verbum, utens omnibus ſapiētiæ machinis, infantes conſervare aggreſſus eſt, admonens, reprehendens, increpans, arguens, minans, ſanans, promittens, gratificans, multis quibuſdam veluti frænis à ratione alienas humanæ naturæ appetitiones alligans. Vt ergo paucis dicam, in nos ita ſe gerit Dominus, ut nos in noſtros filios. Sunt tibi filij, caſtiga eos, ſuadet ſapientia, & inflecte eos à juventute ſua. Sunt tibi filiæ, attende corpori earum, & ne vultum tuum apud eas exhilara veris. Atqui liberos noſtros, filios & filias, valde & ſupra quodcunque aliud amamus. Quoniam autem qui ad gratiam loquuntur, parum diligunt id quod moleſtia non afficiunt: qui autem ad utilitatem acerbi ſunt, etſi in præſentia moleſti ſint, in futurum poſtea ſæculum beneficio afficiunt. non præſentem voluptatem Dominus, ſed futuram ſpectavit delectationem. Quare jam illius pædagogiæ modum benigne percurramus cum prophetico teſtimonio. Eſt ergo admonitio cum cura coniuncta vituperatio, quæ mentis inſerit ſapientiam. *lib. 1. Pædagogi. c. 9.*

D. Nazianzenus: Honor & reverentia erga Parentes, Ethnicis ipſis proponatur; illudque, primam ortus cauſſam ſtatim poſt primam colendam ac venerandam eſſe. hoc & ratio doceat, & theologia perſuadeat. Quidni autem hoc Saturnus eisdem perſuadeat, Cælo patri genitales partes amputans, & Iupiter adverſus Saturnum, parentis ſui exemplo inſurgens; aut ſi aliud huiuſmodi ad majorum honorem voluminibus eorum continetur. *ſub finem orat. 3. ſtelіteutica prima in Iulianum.*

D. Nazianzenus: Habes me, ô pater, ad omnia victum, magiſque ſecundū leges, quā externas poteſtati tuæ ſubjectū. obedientiā habes: benedictionē redde. *fine orationis prima, de fuga in Pontum.*

D. Nazianzenus: Deus juſtos audit, & parentum erga probos filios amorem in precio habet. *Oratione decima, in obitu Cæſarij.*

D. Nazianzenus: Fieri non poteſt, ut parentes filiis iniquè ius dicant. *Oratione 13. de pace altera.*

D. Nazianzenus: Quomodo Ionathæ arcus & vires ceciderunt? nunc parricidæ veluti inſonti ſatisfacit, ac cum mortuo in gratiā redit. David, hoc quoque fortaſſe nomine pro filio dolens, quod manus adverſus patrem intentarat: hujusmodi quippe paternus affectus eſt, quemque bellum ſibi, ut hoſtem inferentem propulerat ac profligarat, eundem exanimem velut amicum deſiderat; natura nimirū, quâ nihil eſt violentius, inimicitiā ſuperante. *Oratione 14.*

D. Nazianzenus: Aſperius nihil adijciam. quandoquidem filiis parcere lex paterna eſt. *fine orationis 14. de pace.*

D. Nazianzenus: Patris canicie permoveri ſolet Deus, pro filiis obſecrantis. *Orationis 15. extremo.*

D. Nazianzenus: Si aliis magnum eſt aliquid à majoribus ad gloriam accepiſſe; maius profectò ipſi eſt majoribus ſuis aliquid ex ſe adjeciſſe, veluti fluctu reciprocante. *Oratione 20.*

D. Nazianzenus: Poſtea Imperatoris filius ægrotabat afflictoq; corpore erat: pater etiam, utpote pater, ſimul ægrotabat, remediū undecunque morbo requirens, atque optimos quoque medicos ſeligens. *Oratione 20.*

D. Nazianzenus: Filiorum virtutes parentibus adſcribere, æquiſſimum ac juſtiſſimum eſt. *Oratione 22. de Machabæis.*

D. Nazianzenus: Heli ſacerdos ſceleris etiam illius, quod filij adverſus ſacrificia committebant, pœnas ſolvit, idque cùm eorum impietatem non modo non probaſſet, verùm etiam multum ac ſæpenumero ipſos hoc nomine objurgaſſet. *Oratione 27.*

D. Nazianzenus: Facturum me receperam, ut tecum vitæ conſuetudinem haberem, ſimulque philoſopharer. Fidem autem fefelli, haud ſponte aut libenter: verùm quod lex legem ſuperarit, ea nimirum quæ parentes colere jubet, ſodalitatis & familiaritatis legem. *Epiſtola 5.*

D. Greg. Nyſſenus: Quis tam falsò nominatur pater, aut tam duro atque adamantino animo præditus eſt, qui non filiis mærentibus doleat, & gaudentibus lætetur? *Mox:* Filiorum dedecore magis moventur parentes quam ipſi filii. nam ut filiorum gloria ad parentes pertinet, ſic etiam dedecus & turpitudo. *Oratione de acerbè iudicantibus.*

D. Greg. Nyſſenus: Veluti pater aut mater tuas inſolentias exacerbationesque amplector. *extremo orationis contra eos qui agrè ferunt caſtigationes.*

D. Greg. Nyssenus: Gratus quilibet & pius filius senilem patris ætatem suis officiis recreans & refocillans, sustentat atque confirmat vitium imbecillitatis, ipse patri omnium vicē præstans. Vnde rejuvenescentem in filio patrē videre licet. Ac nonnunquā etiam manus senilis ac tremula juventutis vigore ac robore se reficiens & refocillans, fructus ex viribus juvenis quōdāmodo capit, & motus pedum, incurvatis jam membris labascens, filii studio suffulcientis sublevatus suā recipit efficaciam & vigorē. Quōd si tempore visus obscuratus sit, per filiū senex, dum manuducitur ad res vitæ necessarias, visus acumen recipit, & perspicax evadit. *Orat. 1. in 40. mart.*

Chrysostomus: Est pater propenso erga suos affectu, qui, si eos de sententia priore eductos esse senserit, nihilo certè minoris sed & pluris æstimabit, quàm qui perpetua vita integri inculpatique vixere. *Homilia 10. ad Romanos.*

Chrysostomus: Anathema fieri optat Paulus si amplius non audiat conviciis eum affici, cuius amore tantopere ardet. Quod si quis nō accipit, is cogitet, quod parentes multi pro liberis suis hæc admiserunt, non recusantes ab illis separari, ut illos magis inclarescere viderent, illorum existimationem reputantes consuetudine sua suauiorem. *Homilia 16. ad Romanos.*

Chrysostomus: Non fidamus patrum virtutibus, sed etiamsi celebrem habeas parentem, ne putes illud tibi ad salutem sufficere, aut ad honorem & gloriam, nisi & moribus cognatus sis, quemadmodum etsi vilem habueris, non putandum quod ex eo vel condemnādus sis, vel dedecore afficiendus, si quidem quæ ad te attinent probè institueris. *Homil. 19. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Prædestinavit, dixit, suam nostri curam indicans. illi n. nos maximè honorare & amare existimantur, qui longo ante tempore parati sunt nobis benefacere: quod quidem faciūt parentes filiis. Etenim si postea dant pecunias, longo retrò acto tēpore & ab initio hoc facere instituerunt. *Homilia 7. ad Corint. 1.*

Chrysostomus: Si quis haberet dilectum filium, & pro quo vel ipsam daret animam, deinde quispiam patrem quidem amaret, filiū autem minimè attenderet, patrem valdè irritaret, qui neq; sui sentiret dilectionem propter contemptum filii. *Hom. 32. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Charitas non ducit probrum probro. propterea patres etiamsi sint omniū philosophi maximi, & in dicendi facultate præstantissimi, non erubescunt simul balbutire cum filiis: neq; quisquā ex iis qui vident id reprehendit; sed videtur esse adeò pulchrum & honestum, ut sit etiam in votis. Etsi rursus fuerint mali; ij manent corrigentes, curam gerentes, & probra eorū coercentes. Charitas enim non probrum nec dedecus reputat, sed veluti pennis aureis operit omnia peccata eorum qui diliguntur *Hom. 33. ad Cor. 1.*

Chrysostomus: Intelligitur, adamantina quadam anima opus esse: ut quispiam unicum filium, qui in divitiis educatus fuerat, latamq; de se spem afferebat, in tumulo jacentem & extentum conspiciens, casum hunc leniter ac placidè ferat. Qui hoc animo est, si sedatis & consopitis naturæ fluctibus illud Iobi siccis oculis dicere queat; Dominus dedit, dominus abstulit: ob hoc duntaxat verbum unà cum Abrahamo collocabitur, unà cū Iob victor prædicabitur. Quòd si, compressis mulierum singultibus, chorisq; lugentium dissolutis, ad celebrandas Deo laudes excitarit: innumera in cœlò, innumera in terra præmia consequetur; hominibus videlicet eum admirantibus, angelis plaudentibus, Deo coronante. Et qui fieri queat, dicet aliquis; ut qui homo est, non lugebat? Nimirum si cogites: nec Patriarchæ, nec Iobo, cum homo uterque esset, quidquam tale accidisse; idq; cum uterq; ante legem & gratiam ac tantam legū philosophiam extitisset. Si præterea illud consideres: eum, qui vitā cum morte cōmutavit, ad meliorem regionem migrasse, atq; ad præstātiorem sedem transilijsse; teq; non filium amisisse, sed in tuto jam loco collocasse. Quamobrem ne dixeris, Iam pater non vocor? Ecquid enim est, quamobrem non jam voceris, cùm filius tuus superstes sit? Num enim puerum amisisti? num filium perdidisti? Imò potius adeptus es, tutiusq; possides: ob idq; non jam heic solum pater vocaris, sed etiam in cœlo: Quamobrem tantum abest, ut patris nomen amiseris: ut copiosiùs etiam illud tibi accesserit. Neque enim jam mortalis, sed immortalis filii, pater vocaberis, strenuique militis, atque intus perpetuò stantis. Neque enim est, quòd eum idcircò tibi periisse putes, quia non adest. Etenim si peregrè profectus fuisset, non propterea unà cum corpore propinquitatis quoq; nomen abscessisset. Quocirca ne jacentis vultum attende (sic enim ægritudinē exsuscitas) verùm da operam, ut mentē ab eo qui jacet in cœlum subducas. Nō enim cadaver hoc, quod humi jacet, filius tuus est: sed ille qui avolavit, atq; in immensā altitudinem ascendit. Cùm itaq; depressos oculos, atque contractum os, & corpus motu carens videris: cave hoc tibi in mentem veniat; quòd os istud non jam loquitur, oculi isti non jam cernunt, pedes isti nō jam ambulāt, sed omnia in corruptionem abierunt. Cave, inquam, ista commemores, verùm his contraria nempè: O s istud meliùs loquetur, oculi isti meliora cernent, & pedes in nubibus sublimes tollentur, ac deniq; corpus istud, quod nunc corrumpitur, immortalitatē induet: illustrioremq; filium meum recipiam. Quod si mœrorem tibi ea, quæ cernis, afferunt: interim tecum ipse hæc loquere: Vestimentum hoc est, id exuit, ut ipsum præclarius recipiat. Domus hæc est: ea eversa est, ut luculentior fiat. Quemadmodū enim nos, cùm domum eversuri sumus, eos, qui intùs habitant, ne quid pulveris contrahant, ac tumultu offendantur, foras amandamus, ac paulisper secedere jubemus: posteaquam autem domum tutā reddimus, tùm denique ipsos liberè introire sinimus: eodē modo Deus quoque facit. Euerso enim putri ipsius tabernaculo, interim eum in paternam domum atque ad se introducit: ut posteaquam illud diruerit atque instaurarit, tùm demum splendidius id ei reddat. Quocirca ne dixeris: Periit, nec jam est: (eorum enim, qui fide carent, hæc verba sunt) verùm hoc potiùs: Dormit, ac resurget: peregrè abiit, atque cum rege venturus est. Quis hoc sermone utitur? Is nēpe qui Christum in se loquentem habet. Si enim credimus, inquit: quòd Iesus crucifixus est, & resurrexit ac vivit: ita etiam Deus eos, qui obdormierunt, per Iesum adducet cum eo. Quare si filiū quæris: illic eum quære, ubi rex est, ubi angelorum exercitus: non in sepulcro, non in terra: ne alioqui eo usque adeò in altum erecto, ipse humi provolutus maneas. *fine Homiliæ 1. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Perinde Paullus se habet, ut pater: qui cū filium secari conspicit, nō eò gaudet quod doloribus excrucietur, sed quod hac ratione morbus propulsetur. *Homil. 15. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Nihil eum qui imperium gerit æquè indicat, ut amor & indulgentia erga eos quibus præest. nam & patrem non modo sobolis procreatio facit, sed etiam post procreationem amor. *Homil. 15. ad Cor. 2.*

Chrysostomus: Sed quid agam? pater sum. Multa etiam ultrà quā oportet filiis gratificantur patres: dum paterna ipsorum incalescūt viscera: & si filium tristem ac tabescentem videant; ipsos quoque plus illo pungit dolor: nec quiescunt donec mœroris causam sustulerint. *Homil. 9. ad Philipp.*

Chrysostomus: Vides ubique cum filius glorificatur, glorificari patrem? itidem verò dedecorato filio dedecoratur etiam pater. nam si apud nos hoc fit, ubi inter patrem & filios multum interest, multo magis in Deo: ubi nihil discriminis, in ipsum & honor & dedecus redundabit.

Chrysostomus: Etsi ex multitudine magna nascitur sollicitudo, nō cessamus tamen optare, ut ea nobis crescat & augeatur multitudo, fiatque multiplex & infinita. nam patres quoque, etiamsi numerosa soboles eos sæpe cruciet, nullū tamē volunt amittere. *Homilia 4. ad Thessalon. 2.*

Chrysostomus. Quid verò si jusserint absurda & non honesta? minimè quidem nunquam pater præcipit absurda; & inhonesta, etiāsi ipse sit minus honestus. ceterum sic quoque Apostolus adhibuit cautionem, dicens in Domino, hoc est, in ijs quibus Deum non offendas. *Homil. 21. ad Ephesios. Idem paulo post*: Ante omnia parentes post Deum fuerunt auctores vitæ, quare merito primi bonorum nostrorū fructū perceperint, & tunc alii omnes homines. nam si quis hoc non habeat, nunquam erit bonus & æquus in extraneos.

Chrysostomus: Majorum merita, cùm eorum studuerimus esse participes, nostra etiam sunt: sin verò ab illis aberraverimus, non modò nihil ornamenti, sed dedecoris & damnationis plurimum ex illis acquirimus. *Hom. 1. ad Timoth. 2.*

D. Chrysostomus: Patrem qui habet, etsi mille patiatur incōmoda, omnia patris reverentia conteget. *2. ad Timoth. Homil. 2.*

D. Io. Chrysostomus: Si pater nullam habet suæ majestatis rationem, sed cum puerulis suis lingua torta balbutit quævis: & alimoniam quidem & edulia, pocula quoque vocabulis appellat non elegantibus & doctis, sed puerili nescio qua atque peregrina prorsus locutione: multo magis Deus &c. *Homilia 3. Epistol. ad Titum.*

D. Io. Chrysostomus: Pater benevolus, quando habet insolentem & immodestum filium, non illi solum suadet, ne consuetudinem habeat cum improbis, sed illos quoque terret. *Hom. 5. Epist. ad Heb.*

Isidorus Pelusiota: Parentes quoque filiorum exercitationibus lætantur, etiamsi meri lusus sint. *lib. 1. Ep. 125.*

S. Isidorus Pelusiota: Non falsa duntaxat accusatio, ô vas Dei, verùm etiam verissima, si adversus patrem solum fiat, patricidæ exitium parturit, velut Chamo accusatio Noe. A qua cùm Sem & Iaphet, & tu item illorum propugnator & cohæres, puros atq; immunes vos præbueritis, contractāq; ex temulentia labem ac fœditatem contexeritis, unam & eandem benedictionem meritò consequimini. *lib. 1. Epist. 454.*

Isidorus Pelusiota: Pietatem tuam magnopere laudavi, qui patris sententiam honore prosecutus sis: eiq;, cui vt præesset, obtigit, hoc suffragium tribueris, quòd præstantissimè quid faciendum esset considerarit *lib. 2. Epist. 33.*

Isidorus Pelusiota: Parentum intemperantiā & lasciviā coercens Legislator (multi enim cum mulieribus nondum purgatis congrediuntur, perinde atq; voluptatis tantùm, ac non procreandæ sobolis causā effictam fuisse mulierē existiment) eos, qui in impuro concubitu gignuntur, templi aditu prohibuit: ut si nō sponte, ac certè inviti & coacti temperantes se præberent, ac sibi ipsis honestè castéq; vivendi necessitatem imponerent: quod alioqui pœna ad eos, quos in lucē edituri essent, grassaretur. Quid enim parentibus gravius & acerbius accidere queat, quàm vt filios suos, quos etiā seipsis clariores & illustriores videre votis omnibus exoptant, ea conditione esse conspiciant, vt nec ad cōmunes ac prophanos, nec ad sacros conventus admittantur? Hanc igitur ipsis necessariam è vestigio pœnā intulit: ut pœnæ metu libidinosā intemperantiā coercerent. Nam corpora ea, quæ ex impuro sanguine fingūtur; huiusmodi morbis obnoxia sunt. Quin multi aliā quoq; etiā in hac vita pœnam partim apertè, partim occultè luunt: atq; itē in futura prorsus luent. Neq; enim is, qui eos etiam, qui ex ipsis orti sunt, ob parentū lasciviā ignominia & dedecore affecit, illos ipsos qui deliquerūt impunitos abire finet. *l. 3. Ep. 46.*

S. Isido-

S. Isidorus Pelusiota: Amicus quidam meus ad te se contulit, vt obsidem se pro patre præbeat, eúmque carcere liberet. Quamobrē ei fave, vt qui non pecuniarū, sed pietatis atq; gloriæ causa ad hoc certamen se accinxerit. *lib. 3. Epist. 262.*

Basilius Seleuc. Nihil æquè matrem contristat, vt filii demortui recordatio. *Oratione 10. m.*

¶ PATRUM LATINORUM.

Egesippus: Mariamne uxor ab Herode interfecta, non solum ad præsens ultionem reperit, sed etiam in reliquum hereditaria odia transmisit; cui successere filij materni doloris exsecutores: pio erga matrem quidem affectu, sed erga Patrem impio; cùm utriq; parentum pari munere jus naturæ solvendū foret. *c. 38. l. 1. de excid. Hierosl.*

Egesippus: Vos autem boni filii, considerate primū naturæ religionem, cujus gratia & bestias ligat, quæ etiam feras cogit in amorē necessitudinis. manet inter indomitas pecudes mutuus amor, & periculis propriis redimunt suos belluæ. *c. 38. l. 1. de excid. Hierosl.*

Egesippus: *lib. 1. cap. 38.* Filius data sibi copia deplorandæ calamitatis ærumnarūque omnium, cū videret sibi suppetere tanti judicis authoritatem, qui nec ab Herode traduci per gratiā posset, nec ab Antipatro circūveniri, nihil prætereundū ratus, flagitia patris quadam perstrinxit modestia, ut nec urgere tanquā accusator videretur, nec occulta esse sineret, cū plurimū causam juvaret, si se ob necis maternæ dolorē paternis peti odiis demōstravisset. In talibus enim judiciis nihil tam magis liberos gravat, quā naturæ pietas & affectionis autoritas. Quæ si aliquanto traducuntur flagitio, præjudicium minuitur, prærogativa excluditur.

Egesippus: Erat in exercitu regis veteris militiæ vir Tyro nomine, filium habens indulgentissimus pater, atq; ob ea pignori carus: quoniam popularis quædā pietatis est gratia, & maximè in suos lex dilectionis. *cap. 41. lib. 1. excid. Hiero.*

Egesippus: Sed quæ judicii species, ubi rei adesse sibi non permittebantur, & absentes accusabantur? Advertebat enim Herodes, quoniam si tantummodo viderentur, prona hominum conditione ad misericordiam ilico absolverentur: maxime ubi naturalis esset gratiæ prærogativa. Deinde si ulla copia defensionis Alexandro permitteretur, quod objecta facilè dissolueret. Itaque relegatis illis in vicum Sidoniorum, quasi in præsentes accusatio dirigebatur. Objiciebantur à patre insidiæ sibi paratæ, nulla probatio deferebatur, nulla indicia tentatorum: hærebat accusator, quem nullus redarguebat. Destitutos undiq; congregabat in invidiam contumeliarum, injuriarum genera, quæ graviora morte ab his, qui considerant, æstimarentur. Sed nemo discutiebat, nemo examinare audebat, quod à patre arguebatur, à Rege imperabatur. Præjudicabat pietatis species, terrebat jus potestatis, interrogabat sententias securus victoriæ, nescius quod in ejusmodi judicio ęrumnosior esset, qui vinceret, quam illi, qui tam acerbe addicerentur. Saturninus condemnat adolescentes, quia aliud nō licebat. *l. 1. c. 41.*

Egesippus: Quis parentes non etiam mortuos diligat? quis amissos filios non amet, & loco pignorum teneat? manet affectus, etsi pignus obierit; perseverat nomen naturæ; gratia non intercidit. Apud hos verò nec viventem mater recognoscit filium, nec appellātem audit, nec vagientis miseretur; & propter unius horæ execrabilem cibum, parricidales injecit pignori manus. *c. 41. l. 5. Hierosl.*

Egesippus sub finem capitis 22. lib. 5. exc. Hier. Denique tollerabilior jam mea sors est, post liberam mortem mori, quam vivere: ut scias, quam crudelis sit, qui filios ante ora patris jugulet, cujus etiā regalia munera deteriora sunt, quam pietatis vulnera. Aut enim tam impia inferre primo non debuit, aut tam honorata postea substituere, quasi quævis dignitas redimi possit filiorum amissione, aut compensari cædes sobolis quovis usu honoris: nulla profecto, nulla dignitas tantum, dolorem allevat. Nullus honor curat hoc vulnus, nisi sola mors, quæ sensum adimat, recordationem referat. Festina ergo percussor, remorare tamen, dum liberos video, dum priusquam moriantur aspicio, ne quis ætatis forsitan immaturitate turbatus, mortem timeat, cum sæviorē evada tyrannū.

Zeno sermone 1. de Esaia: Certum est in eum filium posteaquam deliquit, granditer vindicari, quem Pater plurimo dilexit affectu; & quantam pietatem dilecto filio amatus pater adhibuit, tantam læsus exigit ultionem: quia cùm vicem non reddit dilectus filius dignam sententiam percipit abdicatus.

Zeno sermone de Iob. p. Erat illi dives quoque numerus liberorum & (quod est parentibus gratum) utriusque sexus, & invicem se amantium.

Salvianus: Porrò si Apostoli multò minus cæteris imperarunt quam sibi; non modo graves magistri, sed parentes indulgentissimi judicandi sunt; qui onera quæ cervicibus filiorum per amoris indulgentiam detrahunt, sibi per affectum religionis impōnunt. *lib 3. de gubern. Dei.*

Idem eodem libro: Quia pecunia caduca est, disciplina immortalis, & omnes fermè parentes plus ament filios quam seipsos, sibi conferant bona caduca, filiis sempiterna: sic & pietati suæ consulent ac saluti, cum duplici atque immortali bono, & per ea quæ æterna sunt, æternos esse filios suos faciant, & ad conquirendam sibi beatitudinem ea quæ naturaliter caduca sunt, bonis operibus in æterna convertant. Quid ergo æstuat paterna pietas, quid ad conquirenda terrena & peritura distenderis? nihil magis præstare filiis potes, quam si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non necesse est ergo, ut filio tuo te renos thesauros recondas. nulla re eum facies ditiorem, quam si ipsum filiū tuū thesaurum Dei feceris.

S. Salvianus: Patris motus non detrimenta amoris sint sed profectus; cùm quantum coercitio adtulerit unius correctioni, tantum correctio reddat mutuæ caritati. *Epistola quarta.*

Idem paullo post: Fungere partibus tuis simul meisq;: ora tu, ut ego impetrem: tu postula ut uterq; vincamus: osculare, quia absens labia non vales, saltem obsecratione pedes parentum tuorū quasi ancilla, manus, quasi alumna, ora quasi filia. ne trepidaveris ne timueris: bonos judices habemus. affectus ipse pro te orat, natura ipsa tibi postulat; suffragia causæ tuæ in tuorum mentibus habes. cito adnuunt qui suo ipsi amore superantur. Obsecra ergo & supplex dicito: Quid feci, quid commerui? ignoscite quidquid illud est: veniam peto, etsi delictum nescio. Numquam vos, ut ipsi scitis, in officiositate aut contumacia offendi. nunquam verbo asperiore læsi, nunquam vultu proterviore violavi. à vobis sum viro tradita, à vobis conjugi mancipata. *Epist. 4.*

S. Salvianus: Honestè pro reconciliando parentum affectu cuncta tentantur. *Epistola quarta.*

S. Salvianus: Superest, ut si quid aliud, & quidquid illud commissum à nobis est, tu qui id offensa dignum putas, venia quoque non indignum arbitreris, pulcrè tibi ipse in tuorum reatu satisfaciens. Nihil de ultione perdit filio ignoscens pater: quia felicius multo est & laudabilius, suis aliquem etiam immeritò ignoscere, quàm in suos etiam merito vindicari. *fine Epistola 4.*

S. Salvianus: In hac parte sunt, qui ad quærendas pecunias & ampliandas latissimè opes compelli se pignorum cura, & quasi violento filiorū amore causantur. Quasi verò quicunque patres sunt, nequaquam aut possint, aut debeant omnino esse nisi divites, & amare filios suos sine opum multiplicatione non valeant: Aut verò virtus ut medulla affectuum avaritia & cupiditates sint; quia scilicet ut illi putant, sicut corpus sine medulla, sic amor sine cupiditate esse non possit. Quod si ita est; omnis absque dubio pietas mali causa est, neque in ea sensus sunt affectuum bonorum, sed incentiva vitiorum. Et ubi illud erit sacrum divinæ auctoritatis oraculum; Pietas ad omnia utilis est? hoc enim modo non solum non ad omnia utilis, sed penè in omnibus insalubris. Si enim generatrix cupiditatum est, plus in se multo malorū continet quam bonorū, secundum illud Scripturæ Sacræ, Radix omnium malorum est cupiditas. quod si hæc pietatis matrice gignitur, & quasi viroso ejusdem lacte nutritur, non tam cupiditas reprehendenda quæ ex pietate parente nascitur, quam ipsa pietas ex qua talis filia procreatur. quo fit, ut si tam pestilens est pietas ac tam nocens, nec amare expediat, nec amari: quia nec parentes amorem debent appetere sibi noxium, nec desiderare filii parentibus obfuturum. quamvis ille non parentibus tantum, sed etiam filiis morbum ferat: quia & illis gravis est, qui perniciosas pariunt hęreditates, & illis qui inter improbissimum quæstum improbi educantur hęredes. Et hinc est quod pene omnes parentibus suis filij non magis in patrimonia, quam in vitia succedunt, nec magis facultates paternas sumunt quā pravitates, ac sic transeuntes semper in mores patrum, antea eorum incipiunt nequitiam quam substantiam possidere: bona enim parentum non nisi mortuis eis possident; viventibus autem adhuc & valentibus mores. ac si prius quàm in dominio suo habere incipiant res paternas, habent in animis ipsos patres: & antequam habeant illa quæ falsa dicuntur bona, ante habent illa quæ vere probantur mala. Quid ergo? interdicere forsitan parentibus filiorum videor affectum? minimè. quid enim tam ferum tam inhumanum, tam legi æmulum, quam si nō amandos dicamus filios, qui amandos fatemur inimicos? aut si affectum quem natura præstat, prohibeamus; qui etiam eum quem natura prohibet, impendimus: aut si charitatem menti extorqueamus quam habet, qui etiam illi conamur inserere quam non habet. Quin dicimus filios super omnia amandos, nec quidquam his omnino anteponendum, nisi Deum solum. nam & hoc est præcipuè amare illum, filiis anteponere quem non expediat omnino postponere. Dicimus ergo filios amandos quo Deus ipse modo constituit: neque enim ullus melior filiorum amor, quam quem ille docuit qui ipsos filios dedit: neque possunt pignora melius amari, quam si in eo ipso, à quo data sunt, amentur; si, inquam tradantur eis mandata Dei, neque obliviscantur operum ejus; si educentur in disciplina & correptione Domini. videtis quas parari opes à parentibus filiis Deus jubeat, nō pecuniarios thesauros, nec graves metallo aureo saccos, habentes quidem multū ponderis, sed plus tamen iniquitatis; non superbas ac præeminentes excelsis arcibus domos, non supra humanos visus elata culmina, nec inserta nubibus aërio habitatore fastigia; non deniq; fundos interminabiles, & notitiam possessoris sui excedentes, qui consortes pati indignum æstiment, & vicinitatem injuriam putent. Non ergo hæc Deus præcipit, nec in servilia terreę procurationis officia curam patriæ pietatis extendit. pauca sunt quæ mādat & salutaria; expedita, sed sancta; præcepto parva sed fructu grandia; scripto brevia, sed beatitudine sempiterna. parari imperat liberis fidem ac timorem Dei, modestiā, sanctimoniā, disciplinam; nō terrena, non vitia; non pereuntia, non caduca. præclarè utiq. cum enim Deus vivorum sit, non mortuorum, rectè illa parari filiis jussit, per quæ in æternum viverent, non per quæ in æternitate morerentur. *lib. 1. contra avaritiam.*

S. Chrysologus de filio prodigo: maneamus in domo patris, matris in gre-

in gremio perduremus, cognatorum conſtringamur amplexibus, viſcera nos paterna conſtringant; ne nos ad ſupradicta mala pertrahat adoleſcentiæ miſeranda libertas. Sepiat nos paterna reverētia, matris componat affectio, cognatorum cuſtodiamur affectibus. Inter propinquorum lumina non valent delicta verſari. Propinquorum tot oculi, tot lucernæ. Dies eſt aſpectus matris, ſol patris rutilat in vultu. Vnde viventi inter tot virtutū duces, criminū tenebræ propinquare nō poſſunt. Sed menſa patris non alit virtutis cibo, ſalutis epulo, deliciis honeſtatis & gloriæ. *Sermone 1. f.*

Chryſologus: A ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitori oblitus. *Serm. de prodigo filio.*

Chryſologus Sermone 2.: Surgam & ibo ad patrem meum. Qua ſpe? qua fiducia? qua confidentia? qua ſpe? Illa qua pater eſt. Ego perdidi quod erat filij: ille, quod patris eſt, non amiſit. Apud patrē non intercedit extraneus, intus eſt in patris pectore ipſe qui intervenit, & exorat affectus. Vrgentur patris viſcera iterum filium genitura per veniam. Ibi ad patrem reus, ſed pater viſo filio cooperit mox reatum. diſſimulat judicem qui magis vult implere genitorē, & ſententiā cito vertit in veniā, qui redire cupit filiū, nō perire.

Chryſologus: O quid facit vis amoris? quamvis malo filio, non eſſe neſcit, non eſſe non poteſt. *Sermone 4. f.*

Chryſologus Sermone 34.: Circumſtante familia inter tenera & blanda obſequia propinquorum, molli filia decumbit in lectulo: pater pronus ſicca jacet & verſatur in terra: illa deficit corpore, hic mēte & animo contabeſcit: illa ſecretas languoris ſui ſuſtinet paſſiones, hic fœdus & lugubris totus, toto fertur & jactatur in populo: illa moritur ad quietem, hic vivit ad pœnam. Et certè omiſimus anxia parentum vota, cum gignunt: periculoſos ordines; ſobolem cum producunt, cum nutriunt, mœſtos labores: & juges pœnas, cum ferunt ægrotantes: peior eſt mortis dies pignora cum præcedunt. Heu me cur tanta filij neſciunt? cur iſta non ſentiunt? curvicem parentibus reddere nō deſudant? & tamen parentū pietas perſeverat: quia quicquid filiis parentes impenderint, repenſabit parētibus parens omnium Deus.

Chryſologus: Cui genitoris fides profuit, quomodo ei genitoris perfidia potuit non obeſſe? *Sermone 81. f.*

Chryſologus: Qui pretioſam perdit margaritam, loca ſquallida non dedignatur intrare; & eam inter ſtercora ipſa perquirere non abhorret. In quod præceps poſt filiū non ſe dat mater? *Serm. 54.*

Chryſologus Sermone 55. pr: Charitas dolum nō habet: fraudē pietas, affectio non recipit falſitatem. Si pater eſt, non poteſt non amare: ſi amat, niſi quod bonum eſt dare neſcit: negat patrē, qui de patris ſuſpectus eſt largitate: ignorat ſe filium, quem data paterna ſolicitant: totum quod eſt pietatis excludit, qui ſalutare non credit quicquid dederit pater, aut quomodo pater poterit filiis dare mala pro bonis, qui mala ſemper pro filiis paratus eſt ſuſtinere, qui pro filiis mortem non refugit, pericula non declinat? Ideoque te Deus patrem fecit: ideo à te voluit hominem procreari: qui utique quod te de terra fecerat, poterat feciſſe quàm plurimos: ſed egit, ut generando ſcires quanta eſſet generantis affectio, & in te amorem tui tantum probares authoris, quantum ipſe author pignoris tuo pignori conaris impendere. Certè non ſolum in te quid eſſet generantis affectio, ſentire te Deus voluit, ſed in feris, & in pecudibus, & avibus, hoc Deus voluit te videre: quæ cum de terra produxerit ſola juſſione, poſtea laborem ſentire compulit generandi: mutare patrias, loca cubilibus apta conquirere, fœtus locorum difficultatibus communire, gemitibus edere, maximis laboribus enutrire, ac ſe morti, ſi natos ſuos capi viderint, nō negare. Vnde ſi nō hominis, vel ferarū comparatione, pecudū ſimilitudine, exemplis aviū, diſce quāta ſit in paterna charitate ſynceritas. Si ergo Deū credis, & confeſſus es patrē, quicquid juſſerit, quicquid in te elegerit, crede tibi ſatis eſſe ſalutiferū: crede ſatis eſſe vitale. Matris data diſcutere nō licet, patris monita re tractare nō cōvenit, ſi licet, paterni mādati ſpecies triſtior, res tamen ipſa ſalutifera & vitalis.

Chryſologus Sermone 65.: Pater, inquit, gratias tibi ago, quia audiſti me De præſtito agit gratias: & ꝙ pater audierit hoc dicitur, quòd filius petierit hoc tacetur. Fratres, inter patrem & filiū audiendi eſt affectio, non eſt neceſſitas ſupplicandi: charitas aſſenſus eſt, nō eſt auſteritas juſſionis: ibi amore geruntur omnia, ubi non indigetur obſequio: ſicut ex ſequentibus elucecit.

Ennodius: Ore te parentis ſtimulo. dico; ſint licet grandia quæ in cano eloquētiæ polliceris; ego tamē niſi de meſſe nō gratulor: ut ſolet avarus agricola, qui ubertatem anni niſi in horreis nō metitur. Iā in te, etſi nō gravidas ariſtas, multo tamē videmus lacte turgētes. Iam prope ad aream vota perveniunt. ſed plus timendū eſt, quoties deſideria noſtra ſpes vicina ſuccendit. *lib. 1. Ep. 10. a. f.*

Ennodius. Leænæ catulos tutis ſilvarū aut eremi cōmendāt penetralibus, ne partus earū partus ſit hominū. *lib. 3. Ep. 15. m.*

Ennodius l. 3. Ep. 15. pr. Rarū eſt ut neceſſitati amor fultus neceſſitudine colla ſubmittat. vix contingit ut ſerviat qui imperator eſt, ſemper & ſuo jure dominatur affectus. Quo unquā regiū diligentia nomen impeditur obſtaculo? cui libera caritas mancipatur obſequio? Excuſationē de aliquo timore nō adhibet, niſi qui animum devinctionis abjecit. Mens quæ pietate militat, & ſi ſint dura principum juſſa, non metuit. Nulla ſunt tā barbara juſſa populorū, quæ nō reddi filio debita materna patiantur. quicquid in orbe gentiū eſt ab humanitate non diſcrepat, quicquid in mundana luce gignitur, fructus uteri requirit & ſeminis: ſola nobis cū cunctis animalibus cauſa & ſollicitudo communis eſt. Cuius æſtimabitur eſſe mens illa feritatis, ꝗ erga curā ſobolis poſterior ab irrationabilibꝰ invenitur?

Ennodius. Malignus interpres judicium cordis naturæ ſubdit imperiis, & tollens ſaporē diligentiæ, ſola vivendum putet objectione pariendi: quādo plus creditur filii vocabulū valere quā obſequiū, & non quæritur quid in amoris lance promoveas, ſed quale ad præjudicium æſtimanti nomē opponas: cū apud prudentes fruſtra ſobolē dicimus, niſi exhibet quod vocatur. Nā qui in prole cenſurā negligit, conceptū magis deſignat ſibi placere, quā meritū. Faceſſat in poſteris hoc ſolum nos cogitare quod libuit. Etenim fructus uteri, niſi honeſtate reſpondeat; plus in teſtimonio laſciviæ videtur eveniſſe, quàm gratiæ. *lib. 4. Epiſt. 4.*

Ennodius. Alios forſitan commendatio juvet indebita. parentibus minus eſt, quidquid ſuperare non poſſumus. *l. 5. Ep. 9. f.*

Ennodius l. 7. Ep. 31. m: Nunquid genitori natorū nō gratæ ſunt verbera? aut creatores reptantiū parvulorum non & mulcentur injuriis? Nihil amarum putant, quibus inter deſideria, quod votis pro parte adverſetur, efferbuit. Invenimus inter triticeas ſegetes ſpinas, & lolium; & dum frugiferā herbam carpimus, infœcunda ſuggeruntur. Nunquid ideò culturæ reſpuenda diligentia eſt, aut ceſſandum eſt à vomeribus, ſi non in toto ſatisfecerit terra cultori?

Ennodius Declamat. 21. §. 4. At frequens nobis naturæ iteratio & ſanctū creatoris nomen obſiſtet. Quaſi uſura lucis, dono parta cœleſtium, inter illa, quæ ab hominibus tribuuntur, poſſit adſcribi. ſacrilegium eſt, ſuperorum indulgentiam ſemen dixiſſe mortaliū. de ſola habet libidine teſtimonium pater crudelis.

Ennodius Declamat. 21. §. 7. f: Adjeciſti, quod privilegiis naturæ munitus ſis, & quod in me deliquiſti, non liceat vindicari. Sed non habet innocentiæ prærogativam, qui defenſionem ſuam locat in apice. Inſons actionis luce niteat. citra diſſimulationem crimina confitetur, qui in hoc tutelam ſuam æſtimat quod præcedit. reos nulla defendit auctoritas: in facinoroſis ſacramenta nominis evaneſcunt.

Ennodius ſub finem Dictionis 17. in eum qui ſeni patri cibos ſubtraxit: Putamus, ad hos uſus prolem cuiuſpiam magiſterio pervenire? ſufficit germini inſtitutio naturæ; quando, quod ſolent facere doctores, infundit eorum pectoribus lex humana. Non eſt ex accidenti bonum, debita complere: nec deeſſe poteſt ratione præditis quod avibus probamus inſertum. Verſa vice, aquilas legimus fœtuum miniſterio paſci: & beneficium parentum, quod implumes nati, quando ovorum tunicis exuuntur, indepti ſunt, quadam diſtricti æquitate reſtituunt. Non putant volucres eſſe liberum, accepta denegare. quale eſt ingenium quod circa diligentiam ſuorum alites neſcit imitari? Tranſeo multiplicibus exemplis luporum rapacitates. jejuno eſcas parentibus ore deferunt, & impaſta viſceribus fera ad creatores ſuos currit ore locupleti.

Io. Sariſberienſis: Sed quia nihil eſt quod magis deſiderent homines, quam ut in bonis ſuis habeant filios ſucceſſores, vt qui propriam ex conditione prævident mortem, in propagine carnis ſuæ perpetuent vitam. Hoc principibus eſt promiſſum, unde maximè poſſunt ad cultum juſtitiæ invitari. Contingit enim eos qui de ſe ipſis ſecuri ſunt, de ſtatu filiorum jugiter eſſe ſolicitos. In eoq; minimum charitatis ordo ſervatur, quod amorem, qui patriæ parentibus præcipuè debeatur, pater transfundit in filios, dum filialis affectus paterni pectoris cellam ſolus exhaurit. Condigna quoq; vice reſpondent parentibus filii, eundem ſuis impartientes affectū, quo à parentibus accepti ſunt, licet alium ordinem exigat charitas ordinata, quem Poetarum doctiſſimus prudenter expreſſit. Senem nanque Anchiſen everſa Troia in humeris pii filii collocavit, parentis Æneæ dextram dedit Aſcanio, & marito conjunx Creuſa cohæſit, antecedentium pro muliebri infirmitate legens veſtigia. *l. 4. Policratici cap. 9.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRÆCORUM.

Phalaris Erythiæ. Tum quod ad me ipſum pertinet, maximā habeo tibi gratiam, tum quod ad filium communem, quem apud te reliqui Erythia. De me ipſo, quod me in exilium eiecto, viduam agere potius, quam in magna procorum copia nubere alii decreveris. De filio quod utrumq; & matrem ipſi atq; nutricem & patrem te præſtitiſti, ac neque virum ullum Phalaridis, neque filium Paurolæ præpoſuiſti. Sed pro altero marito, prioris orbitatem, & pro filio alio, genitum è primo conſervaſti. Quare perge iſtuc beneficium marito filióque ultrò ac ſponte conferre, tantiſper, donec ætate juſtam prudentiam adeptus, neque patrem, neque matrē amplius deſideret. Neque verò tam obnixè blandiſq; precibus hoc à te contendo, quod matris eiusq; talis in filium animo curæ diffidam, ſed quod patrum more de unico filio, metuam. Atqui ex tuis affectibus, facilè quantum patrum de liberis ſoleat eſſe ſollicitudo, conjecturam ſumere, & mihi, qui in hunc modum ſcribam, veniam tribuere poteris. Vale. *Epiſt. 18.*

Phalaris Paurolæ. In primis tuum eſt ô fili, utrumque parentem, & amore proſequi & maximi æſtimare. Hoc enim honeſtum plumque filio eſt, parentum & tam bene meritorum beneficia ſemper in recenti memoria habere. Sin minus, patris ſaltem minorem quàm matris rationem ducas. Non enim ſimilia pariaque ad liberorum educationem conferunt & patres & matres. Sed hæc præter quamꝙ uterum fert, in lucem edit, obſtetricatur, infinitos alios labores exhaurit. Ille verò, poſtquam eſt altus à matre perfectuſque, fructum

commu-

communem una percipit, cum nihil molestiæ miseriarumq; sit expertus. Plus verò reliquis tua mater laborũ in te educando propter meam fugam perpessa est, quæ sola utriusque nostri curam habuit. Quare tua illam gratitudinem utrisque parentibus debitam, in unam matrem, quæ sola subivit omnia præstabis. Nam pietate in matrem, implebis etiam quæ patri debentur officia. Etenim mihimetipsi nihil amplius postulabo, si huic debitum cultum præstiteris: imò abundè tua in me constitisse merita fatebor. Decet enim te, pro multis gratiam matri rependere, & summorum in patrem beneficiorum initium ab his facere. *Epist.19.*

Phalaris Ariphradi. Cõtumacia & adolescentiæ temeritas, multis mortalibus exitiosa fuit, quibus utrisque vitiis filium tuum scito usum esse. Quamvis autẽ injuria ab illo mihi illata est: propter has, quas commemoravi causas, tamen pœnam distuli, quòd tibi non illi gratificari vellem. Multorum enim præstantissimorum testimonio tibi singularis æquitas tribuitur. Quare nolui ex filio malitiam æstimare, ne senectutem patris æquissimi, quique nullam injuriam fecisset, in mœrores conjicerem. Nam quoniam unicus est tibi filius, tametsi omnibus flagitiis inquinatus, tamen propter alterius successoris destitutionem, hunc charissimum habes. Etenim filij scelera, superantur à paterna benevolentia. Quòd si immoderatus esse non desinet: sed & tuis præceptis & meis sermonibus inobedientem se præbebit; non te clam sit, me & meipsius & tuo nomine justas ab illo pœnas repetiturum. Ut autem cùm persistens in proposito in ipsum malum inciderit, ignorantiam prætexere non possit, eadem quæ ad te scripsi, etiam illi per literas significavi. Vale. *Epistola 26.*

Phalaris Niciæ. Quæ tibi causa est, odio tuum filium prosequendi, quod tuos mores non imitetur, eadem cæteris omnibus est eum diligendi. Quare sic statuas, omnibus qui hunc diligunt, te invisum, atque exosum esse. *Epistola 44.*

Diogenes: Non idcirco parentibus gratia habenda est, quod mè genuerunt. Quoniam res humanæ natura non qualitate proveniunt. Confusio enim elementorum, procreationis causa est. Atqui eorum quæ præter sententiam & voluntatem fiunt, nulla habenda est gratia. Generatio autem rem Veneream sequitur, hoc est voluptatem. Non generationem meditatur; qui generat. Has ego voces omni penitus affectũ vacuas, Vates, superbæ vitæ contrarias esse profiteor. Quod si cui fortasse duriores videbuntur. Natura eas & Veritas attestatur: & eorum præterea vita, qui nulla animi elatione, sed cum laude vitam agunt. *Epist.21. Amynandro.*

Chion Philosophus: Primùm quidem erat in animo, post exactum decennium vos revisere. Nunc verò cùm audiam tyrannidem in patria consurgere, non ampliùs potero locum tutiorem quàm cives mei tenere: sed protinus ineunte vere navigio ad vos contendam. (Jam enim per mediam hyemem non datur) siquidem maximum dedecus esset eorum more nos facere, qui simul ac tumultus aliquis est excitatus quovis aufugere malunt, quàm in patria remanere: & non eo, potissimùm tempore præstò esse, cùm auxilio magnorum virorum indiget. Quòd si juvari nullo modo potest: saltem in periculi se societatem libenter offerre, virtuti proximum esse judico: tametsi fortasse minorem gratiam consequatur. Scripsi tibi audaciùs eò quòd Lysi epistolam ferẽdam traderẽ. *Parenti suo Matridi.*

Xenophon: At enim Socrates, inquit accusator, ignominia patres adficere docebat, dum persuaderet, se familiares suos patribus sapientiores effecturum; atque etiam diceret, lege permissum esse, ut aliquis patrem convictum amentiæ vinciat: in quo sanè hoc argumento uteretur, quod imperitiorem à sapientiore vinciri jus esset. Immo vero Socrates eum, qui imperitiæ causa quemquam ligasset, merito & ipsum vinciẽdum esse putabat ab iis, qui quod ipse ignoraret, scirent. Adeoque sæpenumero propter huiusmodi, quid imperitia differat ab insania, dispiciebat: ac furiosos quidem vinciri cum suo, & amicorum emolumento, putabat: qui vero ignorarent ea quæ sciri oporteret, merito debere putabat ab iis discere, qui scirẽt. At Socrates, inquit accusator, non solùm ut patribus, sed ceteris etiam cognatis familiares sui parum honoris exhiberent, effecit. Dicebat enim, propinquos nec illis esse usui, qui adversa valetudine laborarent: nec illis, qui judicio experirentur: sed iis quidẽ prodesse medicos, his vero quotquot patrocinari scirent. Addebat etiam de amicis eum dicere, nihil esse commodi ex eorum benevolentia, si non etiam prodesse possint. Eos quoque solos dicere Socratem dignos honoribus esse, qui & sciant ea, quæ sciri necesse sit, & oratione possint explicare. Quapropter ipsum persuadendo juvenibus se sapientissimum esse, ac ad efficiundum alios sapientes maxime idoneum, sic adfectos erga se reddidisse familiares suos: ut nequaquam apud eos alij cujusque essent pretij, cum Socrate comparati. Ego vero memini eum de patribus, de propinquis cæteris, de amicis hæc dicere; ac præter hæc, quamobrem postea, quam migraverit animus, in quo solo est prudentia, hominis etiam maxima necessitudine conjuncti corpus quamprimum elatũ è medio tollant.

Dicebat etiam quemlibet, dum in vivis est, de corpore suo, quod omnium maxime diligit, quidquid otiosum & inutile sit, tum per se tollere, tum aliis tollendum præbere. Nam homines ipsi suos ungues, capillos, callos tollunt; eosdemque medicis cum molestiis ac doloribus amputandos deurendosque præbent, eaque de causa putant ipsis etiam se mercedem debere solvere. Salivam quoque, quam possunt longissime, ab ore exspuunt; quod dum ore continetur, non solum nihil prosit, sed multo magis etiam noceat. Hæc igitur dicebat Socrates, non ille quidem docens, patrem vivum sepeliendum esse, ac seipsum in frustra concidendum: sed demonstrans id, quod ratione careat, expers honoris esse. Itaque etiam hortabatur suos, curam in hoc adhiberent, uti quam prudentissimus quisq; fieret, ac utilissimus: quo nimirum sive à patre quis, seu à fratre, seu alio quopiam honore adfici cuperet, non idcirco negligens esset, quod propinquum se crederet: sed operam enixe daret, ut illis prodesset, à quibus honorẽ consequi cuperet. *Cap.14. lib. 1. Memor.*

Xenophon: Socrates quum animadvertisset aliquando Lamproclem filium suum natu maximum, matri suæ succensere: Dic mihi ait, mi fili, nostíne quosdam homines, qui adpellantur ingrati? Omnino, inquit adolescens. Animadvertisti ergo, quid illi faciant, quibus hoc nomen tribuunt? Vero, ait. Nam illos ingratos vocant, qui adfecti beneficiis, quum referre gratiam possint, non referunt. Ergo tibi videntur ingratos ad injustorum hominum numerum referre? Mihi quidem, inquit. Verùm considerastíne, inquit, an quemadmodum amicos in servitutem redigere injustum esse videtur, hostes autem, justum; sic etiam erga amicos ingratum exhibere sese injustum sit, erga hostes autem, justum? Omnino, inquit, adeoque mihi videtur injustus esse, quicunque vel ab amico, vel ab hoste, beneficiis adfectus, gratiam ut referat non enixe dat operam. Ergo si res ita se habet, mera scilicet injuria sit ingratitudo, necesse est. Illo adsentiente: Quanto quis igitur majoribus beneficiis acceptis gratiam non retulerit; tanto erit iniustior. Hoc etiam quum fateretur: Quos autem, ait, à quibus reperire possimus majoribus adfectos beneficiis, quàm liberos à parentibus? Quibus quum antea non essent, parentes existendi causa fuerunt, atque tot præclaras ut res cernerent, tot bonorum participes fierent, quot bona hominibus dij suppeditant. Quæ sane bona usque adeo maximi facienda ducimus, ut omnes inprimis eorum amissionem refugiamus. Civitates quoque maximis sceleribus mortem pœnæ loco decreverunt, quod cuius alterius gravioris mali metu injustitiam coercerent, non reperirent. Nec verò homines rei venereæ causa liberos procreare existimes. Nam ei remedium quæ adferant, tum in viis confertim reperiuntur, tum in lupanaribus.

Præterea manifestum est, considerare nos, ex cuiusmodi mulieribus liberos optimos suscipere possimus, quibuscum congressi liberis operam damus. Ac vir quidem eam, quæ in procreatione ipsum adjuvat, nutrit: liberisque nascendis præparat omnia, quæcumque ad vitam degendam eis conductura putat, eaque quam potest plurima: mulier vero exceptum onus hoc gestat cum gravamine, vitæque periculo; alimentumque suppeditans, quo alitur & ipsa, posteaquam magno cum labore gestavit, ac peperit; tum nutrit, nullo sane beneficio prius adfecta, tum cura sua complectitur infantem, non agnoscentem, à quo beneficium accipiat, neque valentem indicare, quibus rebus egeat: sed ipsa quid ei conducat, ac gratum esse possit, conjectura colligens, abunde suppeditare nititur, & longo nutrit tempore, ac noctes diesq; labores perfert: quam pro his gratiam reportatura sit, ignorans. Neque tantùm nutrire sufficit, sed etiam ubi ad discendum aliquid idonei videntur esse liberi, si qua parentes ipsi tenent ad vitam utilia, docent: quibus verò docendum alium magis idoneum esse putant, ad hunc eos magno cum sumtu mittunt, omnique conatu dant operam, ut liberi reddantur, quantum eius fieri potest, optimi.

Ad ea subjecit adolescens: Tametsi hæc omnia fecerit, aliaque his multo plura, nemo tamen eius asperitatem perferre possit. Et Socrates: Utrum existimas, inquit, toleratu esse difficilius, feræne sævitiam, an matris? Equidem, inquit, matris arbitror, quæ sane talis sit. Ergone unquam vel mordendo, vel calcitrando te læsit? cujusmodi à belluis multi perpessi sunt. At enim profectò, inquit, ea loquitur, quæ quis audire vel ob omnem hanc vitam nolit. Tu vero quam multa, subjecit Socrates, intoleranda te huic negotia tum voce, tum facto, tum interdiu, tum noctu, à prima usque ætate molestando putas exhibuisse? Quantum doloris adtulisse, quoties ægrotares? At ego illi, ait, neque dixi, neque feci quidquam, cuius ipsam puderet. Quid autem, inquit Socrates, molestius esse putas tibine audire, quæ dicit ipsa; an histrionibus quum in tragœdiis alter alterum extremis conviciis proscindit? Enimvero arbitror eos; quia non existimant vel illum, qui redarguit, lædendi causa redarguere, vel minantem damni alicuius inferendi causa minari, æquo illa ferre animo. Tu vero, quum plane scias matrem, quæ dicit, non modo nihil mali cogitantem dicere, sed etiam optantem tibi tantum boni, quantum alij nulli, nihilominus iniquo es in illam animo? An existimas, male tibi matrem velle? Non equidem, inquit, hoc arbitror. Et Socrates: Ergóne tu hanc, ait, quæ tui studiosa est, ac ægrotantis curam gerit, quantam maximam potest, ut valetudinem recuperes, ac re necessaria nulla egeas præterque hæc multa djis bona pro te vovet, ac vota reddit, sævam esse dicis? Equidem ita statuo, si matrem eiusmodi ferre non possis, non posse te quæ bona sunt, ferre. Dic autem mihi, utrũ tibi alium quempiam colendum putas, an ita comparatus es, ut nemini hominum placere cupias, neminem sequi, nemini parere, sive sit imperator, sive magistratus alius? Cupio profectò, inquit. Ergo subjecit Socrates, etiam vicino placere vis, ut ignem accendat tibi, quum opus erit, teque aliqua in re bona juvet, ac si quid adversi accidat, è propinquo tibi benevole succurrat? Velim equidem ait. Quid autem? nihil interesse putas, comitem itineris, aut navigationis, aut alium quemdam, in quem incideris, amicum an hostem habeas, vel potius habendam putas rationem eius etiam benevolentiæ, quæ ab his proficiscitur?

Sane puto, inquit. Ergo sic comparatus es, ut horum tibi rationem habendam putes; matrem vero, quæ te plus omnibus hisce diligit, colendam tibi non existimas? An ignoras etiam civitatem alterius quidem nullius ingratitudinis habere rationem, nec in eam actionẽ dare, sed susque deque ferre, si beneficiis adfecti gratiam non referant: at si quis parentes non colat, eum vero pœna multare; reiectumque magistratus obire non pati, ac si neque res sacræ pro republica religiose fieri queant hoc homine sacrificante, neq; quidquam aliud ab eo perfici recte justeque possit? Etiam hoc profecto, si quis parentum mortuorum sepulcra non ornet, respublica magistratuum in examinibus inquirit. Ergo tu, mi fili, si sapies, deos ipsos deprecaberis, ut ignoscant tibi, siquidem erga matrem negligens fuisti, ne te illi & ingratum esse existiment, & benefacere tibi nolint: & cavebis ad homines, ne hi te nullam animadvertentes parentum rationem habere, sic ignominia notent, ut amicos habere te nullos in posterum pareat. Nam si te suspicabuntur erga parentes ingratum esse, nemo existimaturus est se pro beneficiis tibi prestitis gratiam reportaturum. *Libr. 2. Memorabilium, Cap. 12. & seqq.*

Lysias: Adhæc perpendite, quod qui non parta, sed à majoribus accepta liberis distribuit, meliorem partem sibi reservet. Omnes enim volunt à liberis coli, maluntque opes habere quàm ope liberorum freti indigere. *Cap. 10. Orationis 18. de Aristophanis bonis.*

Lysias cap. 6. Orationis 30. contra Philonem: Quæ mater adhuc viva de ipso est conquesta, omitto: quæ autem fato suo jam functa fieri procuravit, ex eis facile vobis est coniectura assequi, qualis erga eam fuerit. Adeo enim huic illa diffisa est, ut ne se quidem mortuam huic crediderit: Antiphani verò nulla propinquitate sibi conjuncta fidem habuerit, dederitque in suam sepulturam tres argenti minas, hoc ipso, qui filius eius erat, prætermisso. Nunquid ergo satis constat, illam certò sibi persuasisse, quod hic ne propter arctissimam quidem sanguinis coniunctionem, officio functurus fuisset? Atqui si mater, quæ etiam injuria à liberis suis affecta æquo animo ferre solet; & nullo beneficio devincta multa se accepisse ducat; quòd benevolentia magis quàm argumentis singula mercatur, si, inquam, mater existimabat, hunc etiam mortuæ sibi aliquid ademturum, quid nos oportet de ipso cogitare? Quisquis enim in suos necessarios huiusmodi peccata perpetrat, quid in alienos facturus esset?

Lysias: Quapropter omni ratione videtur non semel mortem commeritus, qui populum, quem patrem suum appellat, iniuria affecit, destituit & prodidit, quo ipse sibi plus potentiæ conciliaret. Nam quisquis eum, qui natura sibi parens est, percussit, neque ei vitæ necessaria suppeditavit, patri autem adoptivo quas habebat facultates eripuit, an non is tum propter hæc, tum propter iniuriarum legem morte mulctandus est? *Cap. 23. orationis in Agoratum.*

Aristides Rhetor: Ego dicerem hos viros ministros ac servos fuisse, non populi Atheniensis, nec hominis prorsus cuiusquam, nisi præesse & jubere quis in ministerio velit ponere. Quid quod neque parentibus hac ratione sit habenda gratia, nec in beneficii loco ponendum, quod vitæ nobis ac salutis initium dederunt? Quod si etiã testem adducat Euripidem, cum ait: [Nam nos decebat, cœtus celebrantes, domum lugere, ubi esset aliquis in lucem editus, Humana vitæ varia reputantes mala] nonnihil utiq; dicere videatur. Veruntamen rerum eventum, ni fallor, & felicem vel infelicem vitam Deo, ac fortunæ, atque etiam nobis ipsis (nihil enim vetat hoc adiicere) tribuimus: qui autem ortui nostro subservierunt, quorumq; opera primum in hanc lucem venimus, iis maximam debere nos censemus post ipsos priores deos gratiam. Ergo si parentibus ortus tantum gratia tantas agimus gratias, iisque maxima nos quæque debere profitemur: an non Miltiadem ac Themistoclem majus quiddam effecisse dicemus, qui non vitæ solum & salutis autores Græcis fuerunt, sed meliores etiam ipsos ex prioribus, factis reddiderunt suis.

Lucianus: Ego naturam amplector: ille naturæ documenta temnit, & jura violat. O patrem injustè odio prosequentem! O filium injustiùs amantem! Nam mihi ipsi vitio verto, patre compellente, quòd exosus ego, cùm non debeam, amo, & plus quàm par est amo. Atqui natura comparatum est, ut patres liberos amẽt magis, quàm liberi parentes. Verùm hic studio tum leges contemnit, quæ filios nihil commeritos familiæ servant: tum naturam, quæ parentes ad vehemens natorum desiderium trahit. Non solum enim cùm maiora benevolentiæ erga me habeat principia, majorem, uti debebat, benevolentiam non affert & addit: aut quod minus est, me saltem imitatur, meumque amorem æmulatur. Sed ô calamitatem! quin insuper odit amantem, amantem expellit, benemeritum lædit, cõplectentem abdicat, legesque liberis faventes, ceu liberis infensas, in me torquere conatur. O bellum, quod contra naturam legibus moves pater. Non sunt ista, non sunt, inquam, ut tu vis. Leges bene conditas malè interpretaris pater. Non pugnat natura cum lege, in his quæ ad benevolentiam pertinent. Hîc inter se consentiunt, sibique invicem auxiliantur ad delendas iniurias. Contumelia benemeritum afficis, naturam offendis. Cur legibus quoque simul cum natura facis iniuriam? Quæ cùm honestæ, justæ, & liberorum amantes esse cupiant, esse non pateris, quum eas adversus unum filium, tanquam adversus multos moves: nec quiescere sinis in suppliciis, quæ velint in benevolentia liberorum erga parentes conquiescere: quamvis non latæ sint in eos qui nihil peccarint.

At sanè leges ingratitudinis actionem concedunt in eos, qui benemeritis non retulerint gratiam. At eum qui non modò gratiam non refert, sed pro beneficiis acceptis pœnam inferre vult, considerate num quicquam facere possit iniquius. Itaque non licere huic denuo abdicare, qui paternam potestatem semel expleverit, ac lege sit usus: præterea non esse æquum, eum qui tanta contulerit beneficia expellere, & familia exigere, satis opinor demonstratum. Nunc autem ad ipsam abdicationis causam veniamus, & crimen cuiusmodi sit, expendamus. At rursus ad legislatoris mentem recurrámus, necesse est. *Titulo Abdicati.*

Epictetus: Omnia officia, in universum mutuis affectionibus sunt metienda. Pater est? præcipitur curam eius agendam, cedendum ei in omnibus: si convitietur, si verberet; ferendum esse. At pater malus est? nunquid igitur natura cum patre bono coniunctus es? non: sed cum patre. tu igitur munus tuum erga ipsum tuere; nec quid ille agat considera, sed quibus rebus agendis tuum institutum naturæ futurum sit consentaneum. te enim alius non lædet, nisi ipse velis. tum autem læsus eris cùm te lædi existimaris. Sic igitur vicini, sic civis, sic imperatoris officium invenies, si mutuas affectiones spectare consueveris. *cap. 37. Enchiridij.*

Arrianus: Memento quid poëta de hospite dicat: Non erit hoc mihi fas, si peior venerit alter. idem etiam de patre in promptu sit; Hoc mihi fas non fuerit, etiamsi peior venerit, pater, neglectui te habere. omnes enim sunt à Jove, patrum præside. Et de fratre, omnes autem à Iove sunt, fratrum præside eodemque modo Iovem aliarum quoque necessitudinum inspectorem inveniemus. *cap. 11. lib. 3. Epict.*

Simplicius ad cap. 37. Epict. Non eadem sunt tribuenda officia patri & filio. alia quippe ratio adversus patrem, qui post Deum ortus nostri, & totius naturæ nostræ est auctor & benefactor: alia erga filium, cuius ipsi causa sumus, & qui nostri quædam pars est.

Simplicius ad 37. cap. Epict. Si amicus noster ob pravam voluntatem fit inimicus: solvit affectionem nostram, nec jam ei debemus amicitiæ officia, qui amicus esse destitit, & inimicus esse voluit. Verum si pater improba voluntate fuerit, patris affectionem non solvit voluntas. Ea enim naturalis est, & non voluntaria: & talis affectio est erga patrem, non utique ergà bonum patrem. Etsi igitur malus fuerit pater, tamen officia quæ patri debentur, ei præstanda sunt. Omnibus itaque modis est observandus & curandus, ut & vitæ nostræ post Deum auctor, & quod ejus cura & caritate muniti hucusque processimus. Est & cura parentibus reddenda, ut quam ab illis mutuam acceperimus, gratis animis atque uberiore mensura: eorumque mandata alacriter exsequenda omnia, iis exceptis quæ animi vitia provocant. Hæc enim citra eorum offensam, quantum fieri potest recusanda sunt, ut quæ patri animorum displiceant: cedendumque illis est cæteris rebus omnibus, tam externis, quam ipso corpore. Nam si fortuitis dominis, argento numerato & corpora & peculia servorum parent: quanto magis parebunt eadem illis, qui naturales ortus nostri auctores fuerunt? Quare & verbera patrum æquioribus animis ferenda sunt filiis, quam servis dominorum: multoque magis convicium aut contumelia.

Itaque veteres Romanorum leges, tum excellentia naturæ considerata, tum laboribus quos filiorum causa parentes capiunt expensis, tum eo etiam consilio, ut liberos omnino patriæ potestati subiicerent (fretæ scilicet naturali parentum erga liberos pietate) & vendendi illos, si vellent, potestatem dedere parentibus, & impune occidendi. His vero antiquiores ita veneratæ sunt parentes, ut Deos appellare eos non dubitarint. Sed quamvis in hoc divinam excellentiam reveriti, patres appellare deos sit desitum: fratres tamen patrum Græci adhuc θείους, quasi divinos, non (ut Romani) patruos appellant, ut demonstrent, quam rationem parentum adversus liberos esse existiment. Sunt autem officia adversus parentes, tum quod æqua sunt, præstanda potissimum, ut ea ratione voluntatem nostram naturæ consentaneam conservemus: tum divinæ vindictæ ratio est habenda, quod consentaneum est fore ut tales liberorum erga nos animos experiamur, quales nos adversus parentes nostros præbuerimus.

Hierocles: Jubet Pythagoras probissimum quemque qui nobis minimè cognatus sit, in amicitiam deligere, & cum illo virtutum communicatione conjungi; ut probum virum causa non improba amicum habeamus, non autem propter alios usus atque necessitates. familiarium ergo heic habendus delectus. in parentibus veru & consanguineis, naturæ satisfaciendum. ex se enim persona patris, & fratris etiam, ad honoris exhibitionem compellit; cùm cæteros virtus commendet, &c. *cap. 5. Carm. Pythag.*

Hierocles: Probos quidem viros, tanquam beatos & divinos, colere præcepit Pythagoras, parentes verò & eos qui proximi illis sunt, qualescunque existant propter usum & dignitatem honorandos esse significat. Quod enim cælites nobis præstantiores cognatione sempiterna parentum loco habiti, apud nos sunt: apud cognatos autem, quibus honos competit, ipsi etiam heroes: id ipsum nobis parentes, cognatique ipsi, & qui illis etiam proximi sunt, ob idque altero secundum parentes honoris gradu habendi, in hac mortali vita conferunt. Quomodo igitur eos etiam honorabimus? An non vitam nostram ad illorum arbitrium ita dirigemus; ut quæ illis grata sint, eadem ipsi & sentiamus, & faciamus? At ita cesserit in vitium labor, si mali parentes existant. Verùm eosdémne etiam in

omnibus, vitij despectu, afficiemus dedecore? qui deinde jam præsenti legi parebimus? Qui rursum Deo similem parentum imaginem, aut etiam heroicam propinquorum similitudinem non honorantes: non in eosdem impie agemus, quibus esse similes dicimus? eaque ratione quæ virtus à nobis in parentum negando obsequio exerceri putatur, in malum gravius, impietatem scilicet; abeat? Sin autem in omnibus morem gerimus parentibus; qui rursum à pietate, aliaque virtute non aberrabimus; si nos illi propter morum pravitatem, ad ea quæ verè sunt honesta, nequaquam instruant? Si enim verum penitus, atque honestum, quod parentibus apparet, existeret: conveniret etiam & honor, qui eisdem debetur, cum iis, quæ præstantiora sunt. Sin autem divinis legibus repugnat aliquando parentum voluntas; quid eos aliud facere oportet, qui in istam legum contradictionem incidunt; quàm quod in multis etiam officiis, quæ pro circumstantiarum ratione sibi adversantur, decet observare? honestis enim duobus propositis, quod majus est, minori decet anteponere: cùm utroque frui non licet. Verbi gratia: honestum quidem est Deo obedire: honestum vero & parentibus ipsis. Quòd si te ad eadem ducat utriusque persuadendi vis; lucrum fuerit inopinatum, & sine controversia maximum. Sin autem ad aliud quidem te trahat divina lex: ad aliud verò parentes: in hac voluntatum dissensione meliora sequi præstiterit: & in iis solum parentum jussa præterire, in quibus & ipsi etiam divinis legibus non obediunt.

Fieri enim non potest, ut qui virtutis regulas observare statuat, cum illis consentiat, à quibus illæ negliguntur. in cæteris vero omnibus quàm maximè parentes possumus honorare; corporis nimirum obsequio, rerumque necessariarum suppeditatione promptissima atque liberalissima. Jure siquidem iis uti possunt, quos pepererunt, atque aluerunt. Quod autem ab illorum successione non pendet; idipsum dominio eorum non subiici lex voluit; quam jubetur qui verè pater est, non solùm quærere; sed eidem adhærere, atque ad eius se imaginem studiosissimè componere. Atque ita utraque præstari posse contingit: servare nimirum quæ divina bona sunt; & quæ humana. Neque verò virtutis opinione, parentum cultus nobis negligendus est; neque etiam stulto obsequio amplectenda impietas; quod est omnium malorum extremum atque summum. Si enim nobis ipsi morem non gerentibus mortem, vel status commutationem proponant; nihil istis oportet commoveri: sed meminisse, quidnam illud sit, quod ista patiatur; eique tantum illos minitari, quod pepererunt: quod autem nimis istis nequaquam obnoxium est, liberum servare, deoque uni morigerum. Est igitur verus ille parentum honor, quem exhibet virtutis scopus; cum nec corporibus ipsis, nec pecuniis parcimus; sed sponte nos illis ad eiusmodi omnia subiicimus: Decet enim nos ne propriis quidem necessitatibus à parentum cura avocari; sed illa tantò magis delectari, quanto existit labore, & servitute plenior. immò nec propter sumptuũ magnitudinem fieri parciores: sed omnia prompto & alacri animo in illorum usum afferre: lætari denique toleratis illorum nomine laboribus, atque impensis. Qui enim ista facit læto & grato animo, non soluta virtutis legem observat; sed naturæ etiam rependit gratiam. *In Pythag. carmina.*

Libanius: Cur non credamus venisse ad Græcos Chrysen, redemptum filiam suam? non pater ille erat? non hæc naturæ lex est, pro natis pericula adire? non pro his arma capimus? in aciem prodimus? confligimus? in cupiditate libertatem illis pariendi manibus nostris. *assertione Achilli irato Chrysen, &c.*

Libanius: Bello Trojano indicto, nemine non occasione arripiente, tam fortibus quàm ignavis: solus Achilles in armis non erat, sed in Scyro apud virgines; habituque deposito patrio virginalem ornatum induerat. Hoc sive nolens sive volens, seu matri gratificans fecit, inhonestum undique reperitur. Non enim ne parentibus quidem obsequendum in iis de quibus infamia exoritura sit: neque confirmanda sunt perversa consilia horum, sed his potius contradicendum. *Vituperio Achillis.*

Libanius: Etenim crimina Oresti obiecta unam tantum defensionem habent: & ea per quæ hæc auget, factum suum reprehensioni non obnoxium esse probat. verum quia & ipse filius & illa mater est, quamvis dira patraverit, hoc libertatem summam orationis coërcet, & nec tenue convitium sustinet. Sin secus, ad odium contra ipsum judices attraheret audacia in matrem nimia, post tantam vindictam. Quivis enim suspicaretur, sævitia morum potius quàm patrem ulciscendi studio, contra matrem expeditè se accinxisse. At si apparuerit eum conviciis in matrem, quoad fieri potuit, parcere: natura quidem benignus videbitur, sed à negotiorum natura coactus cædem commisisse. Ita porro amplius & occulte crimen crevisse: tale quippe esse videri queat, ut etiam præter indolem adeò mitem, filium ad cædem traxerit. *Præfatione Declamationis quinta.*

Libanius: Numinis vim etiam in aliis animantibus videmus erga parentes: cui Pylius quidam adolescens obediens, ictum in patrẽ suum illatum intuitus, pectore vulnus excepit; atque illi quidem reditum in patriam liberum dedit; ipse in hostili terra situs sempiternam obtinet gloriam. Equidem in parili periculo haud pejor fuissem Pylio quamvis Atheniensis. Itaque cùm integrum sit eum viventem, juvare, atque eximere vinculis, pro quo jure vitam impenderem, corporine in vinculorum necesse parcam? *Declamation. 18.*

Libanius: Eorum quæ à liberis rectè & prosperè gesta sunt, gloriæ participes sunt, qui eos procrearunt. atque admiratio quidem eius est qui patravit; honoris verò fruitio utriusque. *Declamatione 21.*

Libanius: Filij improbitas, patris ignominia est. *Declamationis vigesima tertia extremo.*

Libanius: Postquam filium autem percussi ac prostravi, atque tyrannus quidem esse desijt, corpus verò projectum, paulatim ad patrium affectum erga eum qui occubuerat sum reversus. Etenim procax insolentia, qua insultabat, loco patris infensum hostem me reddiderat: interitus autem, pro hoste patrem. Et nunc omnia subeunt animum, quorum nihil tunc suppetebat: equidem istum qui cæsus est, & sevi, & procreavi, & alij, & ad tribules induxi, & in album populatium nomen eius inscripsi, & filium appellavi: atq; ante vesaniam sæpe laudavi. Nihil enim amplius me eorum, quæ tunc instigabant, commovet. Non amplius dominatur Critias: non amplius alit satellites; non amplius præsidium accersit adversus vos & contra leges: non amplius lachrymis civitatem implet. Horum efficiens causa abijt. Cadaver sensus expers disjectum est, nihil eorum quæ fiunt percipiens: & quamvis plerique eorum quibus injuriam intulerat, in corpus insiliant, ac discerpant, & feriant. hoc sanè me cadaver nihil prorsus sentiens trahit & flectit, atque affectum quodammodo erga se facit: neque sinit me eundem illum, qui prius esse: neque si maximè vellem mihi ipsi persuaderem ex me natum non esse: interim verò dum id persuasum habere nequeo, aliquatenus affici erga mortuum penitus necesse est. aliquis olim filium abdicavit: sed qui omnia clamore complevit, qui incusavit, qui persecutus est, qui alienum fecit, qui famelicum despexit; qui ægrotantem neglexit, qui ne morienti quidem libando se conciliavit; cum mortuo rediit in gratiam, & accessit, & contigit, & lachrymis honoravit, & patrij sepulchri participem fecit: ac nullus eum reprehendit quod vitio in animo insito offensus, eius ratione quod crimen non admittit commutatus est. tolerate quæso etiam me commutatum, & mortuum à criminibus sejungentem. nam si efficere valeatis ut pater Critiæ non fuerim, efficite, & nihil tale audietis: at si jus illud insolubile est, neque ulli deorum fas, naturæ jura ferte per deos, cuius vim accuratiorem quis videat in belluis. At enim feræ & immites & rationis expertes & pro fœtibus emoriuntur, & mortuos lamentant. Quid igitur alienum à ratione est, si vir Atheniensis qui ex melioribus fortassis ortus videtur, eundem affectum qui etiam belluis inest, experitur. *Declamat. 26.*

Libanius: Sunt & parentibus de liberis latæ leges, multo his quæ scriptæ sunt venerabiliores; at ipsa natura infixæ ac stabilitæ: quæ volunt procreatores suos liberos maximi facere, & omnes pro ipsis labores jucunde subire. Et quid est quod quis memoret terram pro liberis seri, ac mare navigari, & opes accumulari, & sudores, & vigilias, & sermones, & consilia. veruntamen si hostes urbe potiti optionẽ patribus dederint, ut aut ipsi moriantur, aut liberos mori inspiciant, omnes confestim ad enses currerent. usu venit etiam in morbis, ut paria sint vota, dum parentes à Diis poscunt ut ipsi quidem discedant è vita, vivant autem qui ex se nati sunt: ego nullam ex his legibus, cùm tyrannide vexaremini, requisivi; neque ullus à dextera meá ferrum excussit, neque iram temperavit, neque impetum coërcuit: ne tum quidem cum primo ictu accepto clamabat Critias, Ne pater; manum meam patris nomen repressit, quod etiam erga eum qui pater non est multum pollet, si proferatur tantum. sed statim audivit, Morere *Declam. 26.*

Libanius: Cæterùm si probare possis me filium meum odisse, & quòd valeret doluisse, & quòd ægrotaret gavisum esse, & accedentem aversatum esse: & in feriendo illo, torquendoque perseverasse; & quòd sæpe ipsi imprecari sim convictus, ut moveretur priusquã vir evaderet. si quid horum, inquam, actor criminari queat, & non criminari tantum, verum etiam testes producere: occidite; concidite; aquis immergite. hoc floccipendo nihilique facio. sed si eo spoliatus sum, quem vivere volui, sic mulctatum miserare. Quid enim causæ esset, cur manus quidem opus præfracte expenderetur: quæ verò dum hæc facerem in mente habui transiliantur? Utinam, judices, tyrannus in obsidione misisset ad vos præconem qui diceret, Vicit apud vos, adolescentem non tradere: at vos huius parentem mihi tradite, & bellum finiam. Tunc probè novissetis qualisnam ego in filium meum fuissem. Nam ipsemet accedens retulissem de traditione decretum, imo etiam ante decretum cucurrissem ad tyranni gladios. ac nihil illic veritus essem horrendorum, cùm futurum esset, ut per hæc filij mei vitam lucrarer. eccur enim meipsum pro illo non tradidissem? Nonne æquus, bonus, & probus erat? Nonne politus & elegans? Nonne patris amans? Nonne is qui illustriores faceret majores suos? & communia sic tractaret, ut nullo posterior foret? *Declamat. 27.*

Libanius: Nulla ex priscis legibus patrem dominum vitæ necisque filiorum fecit: sed verberare & à mensa arcere, & colloquio non dignari, ac dictis asperioribus castigare, & alia id genus facere datum est patri; neque ullis ad hæc opus est judicibus, nec suffragiis. at verò interficere, & trucidare, & concidere juvenem, cui nullum crimen palam objectum sit, judicibus destitutum, ad reddendas rationes non admissum, horrendum atque impium videbatur, & à populari gubernatione alienum. & quid de cæde loquor? imò ne abdicationem quidem in dicta causa filius ex priscis legibus sustinebit. at qui ne facultatibus quidem patris sine disceptatione in ju-

dicio privatus est, morietúrne ignorata mortis causa? quid? & pater etiam, dicet aliquis, judicium fugit. sed enim crimen eius qui pœnas dat utiq; est, non eius qui sumpturus est. at nihil dices eiusmodi? animi æstum compesce: leges iræ feruenti patrum, urbis juventutem non exposuerunt, cùm scirent iram persæpe rationis consilia superare. Sed turpe est patribus liberorum peccata narrare? an verò cædes præclari cuiusdam facinoris indicium est? Et sanè in judicio, cum eatenus jus violare visus est, quatenus iniquè egit filius, morietur: lite verò non instituta, nihil est in quo non injustus fuisse videatur. nam iis qui quod crimen sit ignorant, omnia conücere necesse est. sic miserior est pater qui interfecit, eo qui in jus vocavit. Quam ob causam veteres leges judicium instituerunt: & liberos eo non fraudarunt, cujus famulos participes fecerunt. nullum ergo, pater, servum indemnatum impune occides. *Declamat. trigesima quarta.*

Libanius: Cæterùm exsurgens enuncia coram istis, quid faciens, & quid non faciens evadam dexteram tuam, pater: ac si non paruero in omni re honesta, interime. non par est me prædiorum meminisse? non meminero. pecunias attingere non oportet? non attingam. non convenit imperare famulis? non imperabo? linteolum gestantem tolerare par est? tolerabo. famelicum ferre? feram. tacere? non loquar. humi dormire? hoc faciam. hæc tibi omnia concedam, & neutiquam videbis me in his pigrum. verùm adulteros integrum sit mihi odisse, & leges adversus eos exarare. *fine Declamationis 34.*

Idem: Obsecro vos atque obtestor, ne me prius condemnetis, neque ut injustum in meos interimatis, priusquam ipsi cum animo reputetis, vos sistere ad tribunal; & quantum natura apud parentes polleat colligatis; itemque quanta etiam liberi audere possent, ut ad tantum odium procreatores excitarent, ut etiam gladio dextram armarent contra eos quos genuerunt; & quibus sublatis non amplius patres vocari potuerunt. *Declam 35. initio.*

Idem paullo post: Videtur porro fortuna cum præsenti clade, etiam satagere id quod patrum est, mihi eripere; ut liberorū injurias obtegere fas non sit.

Libanius: Si nulla inter nos simultas fuit, perspicuum etiam est livorem nullum dexteram meam in carissima pignora armâsse. nam si quis malevolentiam infestam à patribus eximat, is prorsus etiam invidiam simul tolleret. An odisse & invidere, de eo qui pater sit, idemque homo, vel dictu quidem honestum est? Nam quæ ne feræ quidem fœtibus suis facere tolerarent, quei non ea homini tribuere turpe? ei certe qui barbaram nactus non fuerit institutionem, sed sub legibus & populi statu educatus sit, uxoremque ex legibus duxerit, ac liberos inspicere exoptaverit, & susceptos aluerit, & educaverit ad honestos laborum propter eos susceptorum fructus percipiendos. At verò quæstus caussa talia maleficia patrare, num dicere habes id expeditum esse? & tamen quod inde lucrum optimo viro accedens memorare queas? an per Jovem quod jacentium hæreditatem adeat, & inde domum pecuniis locupletet? Egregium, ô Dij, lucri genus! homini eiusdem naturæ, ejusdem civitatis, vitam eripere, neque uni solum, neque cuilibet, sed eis quos genuerit? sed eis quos aluerit? sed eis quos instituerit? ex quibus intueri plures etiam liberos speravit, ut eos manu sua interficeret, quò sibi opes compararet unde lex non permisit? Libens verò sciscitarer à te, quot ipse talentis, si utique tibi liberi superessent, redimeres, si tua ipsius dextrâ illos tollendo, prestandum esset ut pater non esses? Et tu certe ne pro quavis quidem opulentia te naturam proditurum jactas; ego autem ita sordidus ero in iis quæ hominibus pretiosissima sunt? quæ barbari; quid dico barbaros? etiam feræ & quidquid maximè agrestum sævissimumque est; plurimi æstimant, imo rebus omnibus anteponunt: & quorum jactura facta, si fors ita ferret, etiam animam ipsam & vitam ultrò profunderent. &c. *Declamat 35.*

Libanius: Super his, plane scribam me patrem esse facinorosorum; ac leges omnes animadversionem in liberos parenti concedere liberam. Non enim nunquam legislator patris animum timuit, ne quid liberi paterentur diri ex patriæ potestatis jure; nisi prius illi gladium in seipsos propemodum impulerint. Ut igitur pater erga liberos non barbarus, primùm blandè leniterque me gerebam; & quidlibet apud nos posthabebatur, ut illi honestè viverent. posteaquam spem meam fefellêre, ego etiam à caritate in illos excidi. Tantum autem abfuit, ut discere vellem, quid populo de reis meis videretur, ut in mentem omnino non induxerim, fore aliquem ita plenum impudentiæ, atque adeo super inanibus contentiosum, ut non solum non miseraretur, ob ea quæ sumus peragendo perpessi (in liberis enim aliquid facere, idem atque pati est) verum etiam dilacerare invectivis, & eo jure patres fraudere quod & natura, & leges tribuunt. *Declamat. 35.*

Libanius: Ut equum non parentem lupato & fræno, currentem autem immoderato impetu, potius quàm ex regentis sententia, inutile quiddam censemus, & possessionem ipsam miseriam esse: itidem etiam filius qui ad potestatem venisse existimat, expellatur. siquidem perspicuum est contineri amplius non posse. ac vobis etiam expedit hoc ita obtinere, & liberos vestros solutè non ferri & vagari, ob istius confidentiam. Disce verò nunc, tametsi nescius antea fueris, parentes non minus liberorum quàm famulorum dominos esse. si ita mihi videatur, loqueris, & tacebis denuo. si mihi videtur, caseum comedes, & panem aut nasturtium, & placentam. humi stratum te dormire oportet, si jussero; & rursùs in lectulo, si permittam. præclari aliquid in prælio fecisti? hoc meum est. lex te vocat ad munus? dic legi, tibi esse patrem. ne potestatis notionem vimque usurpes, adhuc me superstite. ego te in lucem edidi: huc usque ætatis perduxi. Thus divis libavi, & omnia nutritionis pretia accuratè pependi: ne æreolo quidem nutricem fraudavi. & juvenem adhuc alui, cum nondum vicissim juvare posses. vinum te meum, & frumenta mea, talem & tantum, ô minimè male, fecerunt. subducito tunicas, & lacernas, & centones, & pretium pro uno quoque horum: sed & ipsa arma quibus victoriam obtinuisti; cujus? vidulus verò & calator nonne mea sunt? Qui igitur fieri potest, ut tu quidem propter me vivas; ego verò tui dominus non efficiar? an tui quidem ego dominus, tu verò muneris? & quomodo integrum est? *Declamat 37.*

Libanius: Hoc ipso primum actor plus habet ac pollet, quod pater sit; & quidquid pronunciaverit, hac appellatione adjuncta justum videtur. at reus filius & accusatus, siquidem prævaricatus fuerit, & instantem accusatorem reveritus, excesserit aliquid firmorum præsidiorum, convictus est. quod si arbitratus fuerit, sibi succurrere oportere hoc ipso quod justa dicit, audax videtur esse. *Declamat. 38.*

Libanius: Ego in omnibus, præterquam in uxore ducenda, patri obtempero. flagris cædat, torqueat, vernularum ministeria mihi injungat, mirabitur in aliis quibuscunque peractissimum. *Declamat. 38. fine.*

Idem: Hic patrum mos est, ut ad ea quæ ipsi sibi proposuerunt, liberos adducant. *præfatione declamationis trigesima nona.*

Libanius: Nemo sic parricida inventus est: non enim in corpore plagam accepi: in ipso corde telum hæret. quotquot liberi alios patres percusserunt, illo solum tempore quo id facinus ausi sunt; molesti fuêre. ego verò toties ferior, quoties cogito de talento per te amisso. *Declamat. 39.*

Libanius: Neque illud quisquam dixerit, eorum qui parentes male tractant, strenuitatem leviorem facere injuriam in parentes. Etenim inæqualis injuria est, sive timidus sive fortis fuerit is qui dolorem infert. imò tanto gravius est à bonis malum perpeti, quanto magis beneficium ab hujusmodi hominibus accipere convenit. *Declamat. 37.*

Libanius: Equidem ipsum patrem vivere multo malim, quàm eo mortuo, nihil ab eo mali perpeti. ac non tantum certè exhæredationis metum leviorem, quam patris interitū, censui; ut si è duob. alterum contingere oporteret, aut patrem mori, aut me, multo optabilius hunc non interire statuerem. *Declamation. trigesima nona fine.*

Idem paullo post: Quin etiam laudo vos, judices, ob sententiam, in qua fuistis, dum causam audiretis: nam cùm jus dicentes ut plurimum consueverint in patrum adversus liberos actionibus, pro actoribus stare, tametsi nihil quidquam justi criminentur: vos ea quæ à me in fratrem facta sunt audientes, præ vobis tulistis, neque opus reprehendere, & quemque idem in pari occasione erga fratrem suum facturum fuisse.

Libanius: Non potui expungere ex testamento fratrem, ut jusseras, sed audire existimabam, Natura clamante, Inscribito etiam ex utroque parente fratrem. manus certè mea est, pater: sed necessitas à Numine est, cujus leges boni quidem servant, pejores autem violant. atqui unà mecum pudor illarum legum crevit: per quas, si quis hostium te invaderet, exciperem facile ictum pro te; idemque officium mater etiam consequeretur. nunquid mihi concedes tertium quoq; dicere, ut & hunc ipsum fratrem, servando libens procumberem? non enim nomina tantum existimo hasce appellationes, Patrem, Matrem, Filium, Fratrem; verùm in unoquoque horum mutuæ charitatis necessitatem quandam insitam esse. Miserabat me fratris, etiam ante tabulas testamenti: eiusdem quoque misertus sum in ipso testamenti tempore, quod ne morbus quidem ipsi reconciliationem attulisset. *Declamat. 40.*

Libanius: Si minus antea, nunc saltem per Deos, mi pater, agnosce teipsum: agnosce etiam nos: reverere Deos, quibus sacrificasti, dum pater fieri optares: item sacra fecisti, cùm jam pater esses: denique litavisti decumam faciendo, non hæc utique poscens; ut neque domum, neque hæreditatem liberis traderes: sed successores, hæredes, Choragos, triremium præfectos, legatos, milites fortes, strenuos; duces exercitus. hæc, ut credibile est, orabas tibi Deorum munere & concessu dari. hæc enim sunt vota parentum. horum recordare, hæc reverere. ac ne te ipsum orbum constituas, liberis superstitibus: nos item orbos, te superstite. satis mater ploravit: satis infortunatus frater: satis ego qui olim quidem beatus censebar, nunc autem misertimus: satis veris amicis mœroris attulimus, satis eos qui apertè nos oderunt oblectavimus, & eos qui à nobis & inter se dissentiunt. *Declamatione quadragesima.*

Libanius: Si necessarium est aut patri injucundum quid contingere, aut mihi filio; tolerabilius est hoc in me cadere, quam patri infamiæ notam inurere.

Idem paullo post: Usque adeo calumniatores patrem irritârunt, ut filium quem procreaverat, quem aluerat, cui decumas fecerat, ad prætorium raperet, & improbum nuncuparet. frater autem perculsus inopinato malo, & criminibus, & patris vociferatione, & circumstantibus, tacebat; adeo ut nihil pro se diceret ob suam ergà

patrem

patrem reverentiam. quin maluit justa causæ suæ præsidia prodere, quàm ut calumniis incesseretur, enunciare. *Declamationis fere 41. initio.*

Libanius: Simulatque pàter os aperuit, & vocem edidit, & vultum contraxit, omnia depravata sunt, & antea honestissima tunc vitiosa apparuerunt: unde vos commutati estis, & ipse delirare visus sum, & ob quæ prius publicè celebrabar, vitio mihi versa sunt: tantum, judices, patris appellatio auctoritatis habet in certamine. *Declamat. 41.*

Libanius: Quei, inquit, igitur non me enecat? quia graviorem censet tibi necem filij, quam tuam futuram. omnibus quippe hominibus acerbior est dolor ex eo quod quisque superstes sit, exortus, quam ipsa mors. *Declamat. 43.*

Libanius: Nunc pater in nos deerravit, verum benigne jam sæpe fecit. Exsortes bonorum constituit; sed ortus nostri causa fuit. Atqui eà quæ majora sunt, iis quæ inferiora: & quæ plura sunt & antiquiora, iis quæ posterius facta sunt, majori in pretio habentur. Quod si nunc irascitur, temporis progressu benignior fiet: modò concitatus est, paullo post verus pater agnoscetur. *Declam. 44.*

Libanius Basilio. Si quid in juvenes eos quos miseras, contulimus, tuum judicium est. At spem concipio tametsi exiguum fuerit, magnum tamen apud te propter mutuam in me benevolentiam pondus habiturum. Eius verò, quam tu dicendi arte multùm anteponis, modestiæ & ne se turpibus dederent voluptatibus, summam rationem habuerunt. Et sic vitam instituerunt, ut credibile esset eius qui miserat, eos memores esse. Recipe jam tua. atque illos, qui suis moribus & tibi & mihi fuerunt ornamento laudibus affice. Quod si nunc te ut ipsis omnibus rebus adesses, orarem, perinde facerem ac si parentem ad ferendam opem liberis suis hortarer.

Simocatta: Itaque Tettigon nisi collegeris aues, unà tecum me præcipitem feram. Nam & filium effrenatè vivere grave est, & sepulchrum ante patrem filium sibi vendicare prorsus non est tolerandum. *Epistola 38.*

Heliodorus: Somniasti aliquem tibi exemisse oculum dextrum? Igitur parentem tuum esse mortuum existima. Siquidem ut egrediamur in hanc vitam, & hac luce fruamur, parentes scimus esse auctores. quocirca non abs re patrem & matrem oculorum pari, tanquam sensu capaci lucis, & eorum quæ videri possunt ministro, somnia occultè significant. *Libro Aethiopicorum secundo.*

Heliodorus: Tuíne sunt revera liberi Theagenes & Chariclia? Liberi, dixit hospes, qui mihi absque matre nati sunt. casu enim meos filios Dij eos designarunt, & ediderunt animi dolores, & constitutio animi erga illos à me pro natura habita est: ex qua illi me quoque patrem & putarunt esse & nominarunt. *Libro Aethiopic. 2.*

Heliodorus: Absit ut tanta vis sit cupiditatis, ut etiam paternum vultum conspectum audeat contemnere filius, & oculos patris non revereatur, & non reprimat, si quæ est, pravam cupiditatem. *Libro 6. Athiopicarum rerum.*

Heliodorus: Servatur & apud mortuos erga parentes filiorum, quo ad eius fieri potest, reverentia. *Libro 6. Aethiopic.*

Heliodorus: Notio atque indicium (*γνώρισμα*) cui contradici non potest, materna natura est; qua fit ut id quod genuit, erga sobolem primo congressu, amoris & commiserationis affectum induat, arcana quadam naturæ convenientia permotum. *Libro 9. Aethiopicorum.*

Basilius Imperator. cap. 20. Manus meæ imposuerunt capiti tuo coronam imperij à Deo delatam tibi. Redde ergo donatori munus eo dignum. Honora Deum, qui te honoravit, per honorem quem patri tuo deferes: me autem honorabis, non eodem penitùs modo, quo subjecti faciunt, nempè aut genu flectens, aut latus meum stipans, aut mihi benè precans: ista enim principe viro & rege non satis digna sunt: sed potiùs virtutem omnem exercens, temperantiam colens, mores tuos exornans, literarum studia capessens, quibus animi juvenum excoli solent: & ut in summa dicam, ita te comparans, ut terreno hoc imperio dignus habeare, & imaginem Regis cœlorum in terris referas. Is enim solus meritò vocabitur imago Dei, à quo in regni solio collocatus est, qui omnimodam virtutem amplexatur. Isque optimo jure secundo loco post Deum, à subjectis amabitur: & tanquam de se, deque suis optimè meritus, omni honore dignissimus habebitur.

§ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Ideóne honoratum putamus patrem, quod genuerit? an ideo magis præmio dignum civitas existimavit, quod educasset, quod impensas fecisset? Vis scire quàm hoc verum sit? pecunia honoravit. Si quid pietatis est, quod imputare nos reipublicæ præter alimenta possumus, illud est: sic educavi, talia præcepi, sic formavi mores, &c. *Declamat. 178. à. f.*

Quintilianus Senior: Quæ ei ratio abdicationis est? Non obsequeris (inquit) mihi. Si hoc ad abdicandum satis esset, supervacua erant omnino judicia ipsa. cur enim nobis defensionis potestatem dedistis, si nihil nostris consiliis libertatis relictum est? Servi mehercule quædam liberius ex bona mente faciunt: & aliquando indicium fidei putant, pretio empta mancipia non paruisse. Filios verò quis dubitavit unquam esse plerumque suæ potestatis? ut ea prætercam quæ sub tam bono patre, ne argumenti quidem causa referenda sunt: nec dicam, non coges templa incendere, non coges operibus publicis manus afferre: leviora certè nostræ mediocritatis esse manifestum est. ut sententiam judices dicere velimus, ut testimonium non ad arbitrium parentum reddere, immo suadere quod animus dictaverit. Quod si licet aliquando etiam contra patris voluntatem, ea quæ alioqui reprehensionem non merentur, filio facere: nusquam tamen libertas tam necessaria, quàm in matrimonio est. Et hoc dicerem, si quæreretur hoc judicio, an mihi aliqua ducenda esset, Ego eligam cum qua victurus sum: ego comitem laborum, sollicitudinum, curarum ipse perpendam. Quis enim amare alieno animo potest? *Declam. 257.*

Quintilianus Senior: Loquitur is qui fratrem adulterantem dimisit: Nunc verò, quàm multa fuerunt propter quæ dimitterem? Si hoc tantum me movit, quod frater erat; erat tamen satis plena defensio; & quod minor frater; quod sub patre frater: ut etiam si ipsi non parcerem, tamen & patris & mea causa non debuerim occidere. Nunc verò quis dubitet exorari me debuisse cùm pater peteret? Putemus nihil patrem esse pollicitum, nullam mihi ultionem præstitisse: quis non impium me, quis non sceleratum putaret si non impetrasset? *Declamat. 275.*

Quintilianus Senior: Patres non tantum natura & illo initio continentur: satis est plerumque ad hoc jus videri. Non dubium est, quin si intestatus decessissem, antequam tu agnosceres, aditurus ille hæreditatem, quasi filius, fuerit? num dubium est, quin si honores peterem, profuturus mihi tanquam filius fuerit? num dubium est, quin si (quod longe ab ejus animo & moribus abest) pulsasset patrem, non injuriarum tantùm lege teneretur: si occidisset, non cædis tantùm lege pœnas daret? Quòd si hæc omnia in confesso sunt: ne Magistratus quidem erraverunt eo tempore, quo decem millia dederunt mihi. Si intestatus tu decessisses, ad alios quoslibet tua pertineret hæreditas. Vis scire quàm pater non fueris? recipere illum, nisi solutis alimentis non potuisti. Lex tibi dicit, Alienus est: & tibi, ut pater esse incipias, emendus. Jam illa profectò citra interrogationem sunt: cuius tulerit nomen: in cuius censum delatus sit. *Declamat. 278. a. m.*

Quintilianus Senior: Nunquam paterni affectus in tantum vincuntur odio, ut non ad naturam suam revertantur. *Declamatione 322.*

Quintilianus Senior: Asperiorem esse adversus suos, interim, & fiduciæ argumentum est. & hoc adeo non valet ad probationem tanti criminis, ut contra sit. *Declamat 328. p.*

Quintilianus Senior: Tu si incidisses in illum patrem qui laudatas filij sui cervices amputavit; si in illum, qui judiciis propinquorum atque amicorum contentus fuit, opinor habuisses tempus querendi, habuisses tempus, non dico deferendi patrem, sed diutius rogandi. Illi verè fortes & viri fuerunt, qui cùm hoc meminissent, liberos à se Reipublicæ gratia procreatos, bene impendi crediderunt exemplo. *Declamatione 349. m.*

Idem: Visis piratis, à matre relictus filius, fluctibus obrutus est. Quid ais, relictus? ulli metus filij memoriam tibi excutiunt? matrē non agnosco. Quædam animalia ipso ore in periculis catulos suos transferu[illegible]: novasque illis indulgentia manus commenta est: noxios alioqui morsus, huic uni officio mitigant. Nidulorum, si infestantur, crebra mutatio est: nec quicquam usque eo ferum est, ut non cum progenie sua migret: adeò illis quibus omnium rerum intellectus negatus est, hic tamen affectus relinquitur. Romani generis auctor, divisis inter patrem & filium pietatis officiis, cùm utrumque ad fugiendum anni deficerent, alterum tulit, alterum traxit. Mater disce fugere. puto non miramini cur mater non recipiat quem tam vellem habet, ut tanquam cadaver relinquat. *Declam. 387.*

Quintilianus Senior: Avida est gloriæ paterna pietas. *Declam. 377. med.*

Calpurnius Flaccus: Non potes adversus damnatum jure patris uti. *Controversia 4. a. med.*

Calpurnius Flaccus: Comparate prius nomina quàm argumenta. Quid matri deliquerat filius? neque enim temerè sic filius de levi causa, quasi privignus occiditur. Repudiata es, inquit. Mariti hæc culpa, non filij est: nec matris officium repudio deponitur, sed uxorium nomen amittitur. Dolor orbitatis conscientia sceleris augetur, & si grave est amittere filios, longè gravius est occidere. &c. *Controversia 34.*

Val. Maximus: Quamvis debita supplicia sacrilegorum non exsolvit Dionysius Siciliæ tyrannus: dedecore tamen filij mortuus pœnas rependit quas vivus refugerat. *Lib. 1. cap. 1.*

Quintilianus Declamat 5. §. 6. & 7. Parentibus liberi non præstatis alimenta, sed redditis; quanto Dij Deæque breviora, quanto minora, pro tot infantiæ, tot pueritiæ sumptibus, tam variis quàm abstinentissimæ juventutis impendiis. Si mehercule hoc quoque officij genus natura permitteret, bene pro deficientibus aliquid & vita vestra deperderet, iterumque ex illa quam traxistis anima portio brevis in suum rediret autorem. Vultis scire quantus nomini nostro debeatur affectus? quanta veneratio? Non est beneficium quòd pascitis: sed est facinus quòd negatis. Liberi parentes alant. Pudet sacrorum nominum, pudet religionis humanæ. Hæc ergo lex erit? Quid imprecer homini, qui primus fecit ut pietate juvaremur? Liberi parentes alant. O crudele factum. O nunquam tristior fames: ita pascit ille qui cogitur? Non meministi, inquit accipere. Discede pietas, quiesce paulisper: infirmitas remuneranda sit.

da fit. Primum lex feveriffima eft, ut fortius alimenta pafcantur. Perdiderunt pulchritudinem fanctitatemque naturæ, qui putant il-lis parentibus jura fuccurrere, quibus apud liberos falva eft de mu-tua charitate reverentia. collifis profpexere pignoribus, & inter tam venerabiles affectus hoc quoque dignum providentia fuit, ut aliquid & odia præftarent. Quæreris, irafceris, & ideo juberis. Ex-pectandum eft videlicet ut liberorum parentumque concordiam præferant totius merita vitæ, & ut pietas, natura, fanguis accipiant quotidie tanquam amicitiæ nexum: & nifi nos promeruerimus ob-fequiis, adulatione, patientia, natales ortus & pignora prima perie-runt? Si vultis, judices, ut huic nomini falva fit in omni perfonarum diverfitate veneratio: bonum patrem filius alat, lex malum. Non faciam hanc contumeliam rerum naturæ, non faciam legi, ut excu-fem vel peffimum patrem, ut facro nomini tentem gratiam petere de venia. Sim licet crudelis ac fævus, filium tamen diutius amavi. Claufèrim paternos penates, de teftamento, de fpe fucceffionis ex-pulerim, oneraverim vinculis manus, fœdaverim membra verbe-ribus: perfolvi gratia non poteft nec malo patri. Arrogans, impo-tens fum, nolo quotidie mereri quicquid mihi deberi cœpit primo die. Facilis, mitis, indulgens, vocabula funt ifta minoris affectus: propter hæc aleretur amicus, pafceretur extraneus. Veftrum quin immo crimen eft, quòd interdum aliud fumus: & (unde manife-ftum eft diverfitatem noftram venire de moribus liberorum) non inventas afperum patrem, nifi jam peccantis ætatis. Quid ais? rigi-dus, immitis fum: ideo pafce, tantum pafce, non ultra malo pro re-verentia nominis noftri. Quicquid præftatis inviti, & cùm alitur pater quem quereris indignum, accipere mihi videntur omnes pa-rentes. Si vis, affectum debes: fin minus, neceffitate fervitutem, pa-tientiam. Non tanquam pater alitur, qui tanquam bonus ama-tur.

Quintilianus: Quid verò fi in educationem, in difcurfus, in pre-cia vacuatus fum? Excedit omnem fcelerum comparationem, pa-trem mendicum facere, nec pafcere. *Declam.5. §.11.f.*

Quintilianus Declamat.5. §.12. Tentat, Iudices hoc, quòd non eft redemptus, ampliare alia juvenis invidia. Fratrem, inquit, mihi prætulifti. Fateamur paulifper hoc crimen, agnofcamus hoc nefas. Impudentiffime generis humani, tu non feres ut frater tuus vel ma-gis ametur. Vides enim, prælatus eft tibi nefcio quis affectus, poffi-dent charitatis tuæ locum pignora de minoribus fumpta nomini-bus. Illum nempe, cuius æquè fpiritus de vifceribus his trahebat ortum: qui patrem vel folus impleret. Peffimus eft mortalium, qui amari fratrem fuum fine fui charitate putat. Tu cuftodies utrum frequentius ofculer, utrum ftringam magis arctiore complexu? Non eft hoc impatientia, nec circa patris affectus facra de pietatis contentione rixa. Eum tantum fratrem putas amari magis quem non ames? Falleris juvenis, longeque te ab intellectu rerum naturæ fepofuit prava perfuafio, qui putas ex paternis affectibus filio peri-re, quicquid in altero de neceffitate præponderat. Par eft in omnes liberos, eademque pietas, fed habet in aliquo plerumque proprias indulgentiæ caufas, & falva charitas æqualitate, eft quiddam per quod tacito mentis inftinctu fingulos rurfus tanquam unicos ame-mus. Hunc primus nafcendi locus, illum gratiorem præfecit in-fantia. alium lætior vultus, & blandior ofculis amplexibusque fa-cies, quosdam magis feveritas probitasque commendat, in quibus-dam diliguntur impatientius calamitates. Et damna corporum, de-bilitatesque membrorum notabilius miferatione complectimur. Salva eft tamen univerfitas, cùm quicquid in alio ceffare creditur, in altero reftituit alter affectus. Securus fis, non intercidunt ifta, non pereunt, fed invicem vincunt, prævalent, cedunt. Filio non poteft præferri nifi filius.

Quintilianus: Qui parentes in calamitate deferuerit, infepultus abiiciatur. Hoc voluiffe legislatorem putamus, ut natus ex nobis-metipfis, in rebus adverfis præfidium parenti labore atque præ-ftantia folveret, lucis ufuram ubicunque; nifi forte non fumus pa-rentes nifi palam. Quid eft ergo, non deferere? opem ferre, non de-effe. omnia hæc enim eo fpectant, ut auxilio liberorum tuti fint pa-rentes. Quod cùm ita fit, tam ad me lex ifta pertinuit quàm ad ma-trem. Duo unum vocabamus, videamus, quò ire debuerit. Pote-ram quidem fortiter dicere, Pater juffi. Hoc nomen omni lege ma-jus eft. Tribunos deducimus, candidatos ferimus. Jus nobis vitæ necisque conceffum eft. Si non fecerit quod jubeo, non deferam illum ad fepulturam. Neceffe habuit parere. Non deferuit, fed ab-ductus eft. Crede, non contemptu tui venit in carcerem. Sint fanè jura paria, fedeatque medius inter duos judex: non comparabo per-fonas, quamvis apud omnes gentes plus juris habeat pater: fit fanè natura communis, non imputabo quòd nomen dedi, quòd fami-liam, quòd impenfas, quòd dum illi acquiro, captus fum. Non in-dulgentiæ difcrimen excutiam, de qua jam lite conceffum eft. Fue-rint quidem ifta facienda fed ego jus meum reprimo. inter duos parentes cæcus affectus eft. Exorabit qui prior rogaverit. Tempore certè vinco: antè mifer effe cœpi. *Declamat.6. §.17.*

Quintilianus: O parentum mifera conditio, quàm novis inufi-tatisque patemus infidiis! Nos exafperamus, nos offendimus: ini-mici tamen liberos noftros odere. *Declamat.7. §.2.*

Quintilianus: Quàm multa ideo tantum de filiis facitis, quia licet; & frequentius poteftatis veftræ jactatione, tanquam aliquo gravitatis genere delinquitis. Non habet orbitas veftra lacrimas: fuper ardentes rogos teneris inconcuffam rigidamque faciem: itis obviam confolationibus: & quod omnem modum feritatis exce-dit, captatis in magna calamitate laudari. *Declam.8. §.7.pr.*

Quintilianus: Nec contumacem adverfus patris imperia un-quam fuiffe me, vel ipfe rerum declarat ordo. Nam quamvis infe-ftum latronibus mare juffus intravi. neque diffimulaverim magnas fuiffe caufas patri, cur hoc mihi imperaret, quod ipfe facere non potuerat: ego etfi nefciebam, non interrogavi. fatis plena ratio fuit, patrem velle. *Declamat.9. §.3.*

Quintilianus: Vos adhuc in fuprema noftra præcipitat auctori-tas, qui filium occidere, vocatis plerunque gravitatem, ficut abdica-tionis emendationem, ficut reliqua fupplicia noftra, rationis fron-te protegitis, cunctosque prærigidæ mentis affectus, vocabulo mol-lire lenitis. *Declam.17. §.7.*

Quintilianus: Sævus credo & impius, & (quod maximum o-mnium vitiorum fignum eft) ingratus beneficia patris non æfti-mo. fortaffe cui vitam debeo, nefcio; nulla eft apud animum meum memoria meritorum. Miferum me, quod non poffum tantum fol-vere quantum accepi! *Declamat.9. §.12.f.*

Idem: Gravius videtur judicium patris, cùm is damnat qui fole-bat ignofcere. *Declamat.9. §.13.p.*

Ibidem: Peccavi, veniam peto. & errare hominis eft, & igno-fcere patris.

Quintilianus: Nunquam movebit patrem filius hoc quod mo-ritur quem non movit hoc quod paratus eft mori. *Declamatione 17. §.24.f.*

Quintilianus: Quæ pudicitiæ prima fiducia eft, edidit partum quem maritus agnofceret, non timui ne ftupra furtivosque con-cubitus, parvuli vultus, aut crefcentis infantiæ fimilitudo detege-ret. Natum de fe continuò (fiquid ipfi creditis) impatientius com-plexa quàm reliquæ parentes, non in nutrices, nec in minifteria fe pofuit: fuis aluit uberibus, fuo fovit amplexu. Nunquid & hos an-nos parricida, nunquid & pueritiam miferi juvenis infamas? A-ctum eft de facrorum nominum fide, fi ut videatur innocens ma-ter, ætas tantùm filij facit. *Declamat.18. §.3.pr.*

Quintilianus: Speciofus fuit. Quis enim non eft formofus filius matri? Amant debilitates, amplectuntur illum morborum fuppli-ciorumque pallorem, & in vires charitatis accrefcit ipfa miferatio. Non impedit ægræ pietatis animum deformitas, pulchritudo non auget. Amare liberos unus affectus eft. Liberi, marite, liberi non amantur oculis, non complectitur mater ore, non vultu, fed eft in filio matri nefcio quid homine formofus. Poffit forfitan novitas folicitare vifus, expugnare mentes: in matris afpectu coalefcit in-fantia, pueritia confurgit, juventa furrepit, fpeciofum fuum quo-tidie videt, miratur, amplectitur. Quæ tamdiu amavit, quando inci-piet amare definere? *Declam.18. §.13.*

Quintilianus: Speciofus fuit. Libet interrogare hoc loco omnes humani generis affectus. Placet ergo, ut fi filio obtigerit indulgen-tior facies, vultus erectior, refugiat mater amplexus? Si virginem ufque ad notabilem fpeciem natura formavit, timeat ofcula pater, horreatque contactum? Dij deæque malè perdant tam impuden-tes folicitudines, tam nefarios metus. Propè eft ab incefto, timere ne fiat. Malo fimplicitatem, quæ non vereatur infamiam: malo nudos affectus, inconfultamque pietatem. Nihil de fe fingi, nihil credat poffe narrari. Teneat infatiabiliter, avidè: tanti fama non eft, ut amet filium mater folicitudine pudicitiæ. Me quidem, mari-te, fi quis interroget, omnes matres liberos fuos tanquam adamave-rint, amant. Videbis oculos nunquàm à facie vultuque deflectere, comere caput, habitumque componere, fufpirare cùm recefferit, exultare cùm venerit, conferere manus, pendere cervicibus: non o-fculis, non colloquiis, non præfentiæ voluptate fatiari: Hoc eft er-go in tam nefanda fufpicione fæviffimum, inceftum non poteft fingi nifi in optima matre. *Declam.18. §.4.m.*

Plinius Iunior: Tum mater orare, hortari, jubere quoquo modo fugerem: poffe enim juvenem: fe & annis & corpore gravem bene morituram, fi mihi caufa mortis non fuiffet. Ego contra, falvum me nifi unà non futurum. deinde manum eius amplexus addere gradum cogo. paret ægrè, incufatque fe quod me moretur. *Epift.20. poft medium, lib.6.*

Plinius Iunior: Rogo ne tibi contra rationem ætatis tantum la-boris injungas. quinimò denunciò, ut illum & domi, & intra do-mum. atque etiam intra cubiculi limen exfpectes. Etenim cùm à me ut frater diligetur, non debet ab eo quem ego parentis loco ob-fervo, exigere officium, quod parenti fuo remififfet. *Epiftola 23. li-bri 7.*

Plinius Iunior: Nimidia Quadratilla habebat pantomimos, fo-vebatque effufius quàm principi feminæ conveniebat. hos filius Quadratus non in theatro, non domi fpectabat; nec illa exigebat. Audij ipfam cùm mihi commendaret nepotis fui ftudia, folere fe, ut feminam, in illo otio fexus, laxare animum lufu calculorum, fo-lere fpectare pantomimos fuos: fed cùm factura effet alterutrum, femper fe nepoti fuo præcepiffe, abiret, ftuderetque; quod quidem non amore eius magis facere, quàm reverentia videbatur. *Epiftola 24.m.libri 7.*

Plinius Iunior: Quod Pompeij Quintiani judicium? qua pietate cùm diffimillimo patre vivebat? quam non obftabat illi quo minus vir optimus videretur, quod erat optimus filius? *Epift.9.lib.9.*

Plinius: Parcius fortaffe ille quam decuit optimum Principem, fed non parcius quàm optimum patrem, qui optimum adoptatu-

rus, hoc quoque parentis indulgentissimi fecit; quod delibasse quædam quasi contentus, largam ac propè intactam benefaciendi materiam filio reservavit. *Cap.38. ad Trajan.*

Plinius: Tu quidem Cæsar illam exceptionem removisti, si modò filius in potestate fuisset; intuitus opinor, vim legemque naturæ, quæ semper in ditione parentum esse liberos jussit; nec uti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium potentioribus dedit. *Cap.3. ad Trajan.*

Plinius: Quanto nunc Dive Nerva gaudio frueris, cùm vides & esse optimum & dici, quem tanquam optimum elegisti? quam lætum tibi, quod comparatus filio tuo vinceris? neque enim alio magis approbatur animi tui magnitudo, quam quod optimus ipse non timuisti eligere meliorem. *Cap.89. ad Trajan.*

Eumenius: Sed ille Diocletianus & vestro tegitur lætus umbraculo, quos scit ex sua stirpe crevisse, & glorias vestras sibi justè vindicat. *fine capitis decimiquinti Panegyr. Constantino Aug.*

Incertus Panegyristes Constantino Aug. Nec verò tantummodò vetera illa Dictatorum & Consulum, ac deinceps Magnorum Principum, sed etiam rectissima & pulcerrima Divi patris tui facta superasti: sordet enim alios ex proximo tempore comparare. ipsum, inquam, D. Constantium jam primis imperij lustris rerum gestarum laude cumulasti. Invitus hoc forte accipis, Imperator, sed ille, dum dicimus, gaudet è cœlis, & pridem vocatus ad sidera, adhuc crescit in filio, & gloriarum tuarum gradibus ascendit. *cap.25.*

Symmachus: Parentibus non ad lancem neque ad dimensum verba tribuenda sunt. *Lib.1. Epist.1.*

Symmachus: Ego infantiæ & pudentiæ meæ patrem conscium non imprudenter elegi. *Lib.1 Epist.1. fine.*

Symmachus: Parentibus nihil satis est. *Lib.2. Epist.42.*

Symmachus: Juvenilis industriæ est, excire saltibus feras, & liberalia studia sylvestri voluptate distinguere. Sic olim Marsus impiger, & fortis Sabellus robur habuerunt. Nostris annis parta proficiant. Est hujus indulgentiæ in quibusdam avibus exemplum, ut nutrimenta senescentibus ætas prima vicissim comportet. *Lib.5. Epist.67.*

Symmachus: Nec in dubium venit quid ponderis habeat pignorum commendatio, apud eum qui suos diligit. Hæc autem est summa desiderij mei, ut in animo tuo reperiat amorem meo similem. *Lib.7. Epist.94.*

Ausonius: Certe ita mihi videris. si erro, pater sum. fer me: & noli exigere judicium, obstante pietate. Verùm cùm piè diligam; sincerè ac severè judico. *Epist.18.*

Ausonius Edyllio altero: Post Deum semper patrem colui, secundamque reverentiam genitori meo debui.

¶ Poetarum Graecorum.

D. Greg. Nazianzenus de vita sua:

——— quid èst magis pium,
Quam primum honorem post Deum satoribus
Præbere, per quos nos quoq; Deum noscimus?

D. Nazianzenus Carm.49. ad Nicobulum.

Quod tua progenies ego sim, pater optime, parvum
Munus id esse reor. Nam brutis omnibus hic mos,
Atq; hominum generi flagrare libidinis æstu.
Consilioq; Dei vitam capiuntq;, vicissim
Dantq; alijs laudemq; ipsi post ultima fata,
Semen ut in spica, redivivo flore virescunt.
Ast etiam me post aluit tua cura? Quid autem
Hoc iterum magni? Vituli quoq; plena parentis
Vbera fronte premunt, atq; hunc perferre laborem
Vis adigit, dulcis tamen hæc jucundaq; matri.
Stridula quinetiam prætervolat undiq; pullos
Implumes volucris, seque hic illicq; fatigat,
Pabula dum proli nutrix impasta requirit.
Namq; patres prolemq; sagax devinxit amore
Natura eximio, patribus commenta medelam:
Scilicet ut curas amor hic levet atq; labores.
Vnde etiam mater furibundas concipit iras
Ob vitulos, avis ob pullos, canis obq; catellos
Aspera bella gerit, rabidoq; incensa furore
Pardalis è saltu erumpit, ruit impete cæco
Sævus aper, micat ex oculis vis ignea, setæ
Horrescunt, seq; exacuunt cum murmure dentes,
Maximus unde vapor manat, spumaq; cadente
Turpatur gena, dum sobolem defendere gestit,
Aut amat hostili pugnans occumbere ferro.
Perdocet hæc philtri nullum lex nacta magistrum,
Quid referam vespas, quæ si quem accedere petris,
In quibus est ipsis sedes, videre, repente,
Nil licet ille mali vespis inferre tenellis
Cogitet, exiliunt, ingens exercitus, atq;
Horribiles bombos edunt, miserumq; cruentant.
Quinetiam, si vera ferunt, in piscibus ipsis
Lex viget hæc, Delphinus enim rex æquoreorum,
In sobolem si quos immani corpore pisces
Conspiciat ferri, sua pignora protinus ipse
Devorat, ac pulso mox egerit illa periclo.

Ortum igitur jam parce mihi proferre, cibumq;,
O genitor, quem tu famulis pecoriq; ministras.
Amplius his aliquid, mortali sanguine cretus
Vt qui sim, satus atq; bono genitore, requiro
Da veniam si quid mordacius eloquar: haud me,
Chare parens, vitæ donasti luce volentem.
Post autem educto lachrymosæ ad lumina vitæ
Legibus impulsus naturæ alimenta dedisti.
Quod si me genitum linquas, erit ô pater, abs te
Mortalis pro mortali productus in ævum.

D. Nazianzenus Carm.49. ad Nicobulum patrem.

Hæc mea te moveat pater haud inhonesta cupido.
Vidi ego namq; patrem soboli non æqua petenti
Cedere nonnunquam, ut medicum jucunda ferentem
Mixta salutiferis, quod dulcibus utile rebus
Temperet, ac morbum per pauca nocentia pellat.
Vidi etiam persæpe patrem, cui nonnihil esset
Doctrinæ, literarum avido tamen ipse lubenter
Cedebat nato, peregrinaq; vota benignus
Explebat, proli indulgens, præbensq; cupita.

D. Nazianzenus Carm. 50. Nicobuli ad filium.

Morosum rigidumq; nimis perferre parentem
Præstat quam blandis aliis ac lenibus uti.
Ex manibus pendere patris mortalibus autem
Vnius fas est. Si pauper mentis inopsq;
Sit pater, ac pedibus nequeat consistere certis
Quid facies? an non baculi vice fulciat illum
Dextra tua, & sublatum humeris portabis, ut olim
Anchisa genitus Troja flagrante parentem
Extulit, ignivomæ necis eximitq; periclo.
An dices, Cur me fecisti? munus & à me
Cur servile petis? gravor hæc tibi pendere jura.
Alitibus vocem, vocem da piscibus, hisq;
Omnibus est sedes quibus in tellure locata,
An dicet Delphis, Cur me rex summe marinum
Fecisti? æquoream durum mihi carpere vitam.
Munia posco bovis, montes, latosq; requiro
Ipse humeros, atq; instar equi jam vivere malo
Mortali cum gente hominum, quam quotquot in alto
Æquore sunt pisces regere imperioq; tenere.
Non etiam æquoreas cupiens bos nare per undas
Ingemit, obliquis aut vestris tractatibus anguis
Fessus ait, Cur sic quæso sum conditus abs te
Vt projectus humi terra depellere cogar
Ipse famem? rectum cupiebam corpus habere:
At tu me contra prostrato ventre volutas.
Nec niger excelsum volitare per æthera corvus
Expetit, ac speciem regalem assumere gestit:
Verum quodque suo contentum tramite vita est.
Haudquaquam figulo vas fictile dixerit, Ecquid
Me male tornasti, scelerate, minusq; decenter?

D. Nazianzenus Carm. 50. Nicobuli ad filium.

Cetera sis sane præstantior ipse parente.
Gaudet enim genitor cum palmam præripit ipsi
Virtutis sua progenies, majorq; voluptas
Hinc oritur, quam si reliquos præverteret omnes.
Legibus æthereis id fit, queis maximus orbem
Constrinxit genitor stabiliq; in sede tuetur.
Tantus amor tenet hunc operis quod traxit in ortum.
At vero hoc patrius te moribus istud habere
Nate velim, frontis plus ut tibi plusq; pudoris
Insit purpurei quam nunc conspeximus in te.
Namq; etiam præstanti habui virtute parentem:
Ast ex ore mihi nunquam vox excidit ista,
Nec sub dente fuit.

D. Nazianzenus initio Carminis 51. ad Vitalianum.

Cunctorum veluti genitor rectorq; supremus
Est Deus immensum qui nutu temperat orbem,
Sic etiam natis pater est Deus.

D. Nazianzenus Carm.51. ad Vitalianum.

Non etenim patrem lenem uni vult Deus esse,
Durum alij infensumq; animo: vicibusq; frequenter
Mutatis, premit hanc nimium quæ cara parenti
Progeniem, à patribus vertens ad pignora pœnas.

D. Nazianzenus Carm.51. ad Vitalianum.

Talem te præbe soboli, cum pectore lævo
Deserit officium, trahiturq; in crimina præceps.
Esse Deum qualem ipse tuis in casibus optas,
Si qua tibi occurrant adversa flamina sortis.
Non solus natis vitam lucemque dedisti.
Nec te unum luctu proles ad jussa rebellis
Afficit, ô genitor vidi persæpe parentem,
Dissimulante oculo qui nati immanibus ausis

Cederet. Hunc juvat ebrietas, hunc alea fallax,
Hunc amor, & blandæ Veneris damnosa voluptas,
In quibus evertunt studijs censúmq; domumque.
Quinetiam adversis alter confligere dictis
Cum patre non dubitat, dextrasq; attollit Erinnys.
Et tamen his iram genitor meritasq; remittit
Pœnas, nam scripta natura valentior omni
Lege viget, patris irati quæ pectora mollit.
Multa vident, quæ se fingunt non cernere, multa
Dissimulant audisse patres, licet auribus hausta:
Ne tenerum abrumpat reprehensio dura pudorem,
Auxilium patribus quo nullum firmius usquam est.
Probra etenim effrontes faciunt, bonitasq; modestos
Et venia, ac natos præsertim laudis amantes:
Cogere quos nequeas, verbis sed flectere possis
Ira patris flamma ut stipulæ, mox cedit in auras.
Quasq; dedit linguæ flammas, miseratio dulcis
Protinus adveniens extinxit, lingua minaces
Projecit voces, ac plurima dira precata est:
Mens contra auxilium loquitur, dextramq; levando
Fert oneri, nato gemit inflictoque dolore.

Aristophanes Avibus v. 857.

Si cum avibus aliquis vestrum vult
Vivere, vivens suaviter in futurum, ad nos eat:
Quæcunq; enim sunt hic turpia lege detenta,
Hæc omnia sunt apud nos aves bona.
Si enim hic est turpe verberare patrem lege,
Hoc ipsum bonum est apud nos; si quis patri
Incurrens dicat, verberans eleva plectrum, si pugnas.

Aristophanes Avibus v. 1437.

Papæ! non est nihil volare dulcius,
Amo autem ego has in avibus leges.
Avium more insanio enim, & volo, & volo
Habitare vobiscum, & cupio leges.
PI. Quales leges? multæ enim avium leges.
PA. Omnes maximè quod bonum putatur,
Patrem avibus suffocare & mordere.
PI. Et per Iovem virilem valde putamus,
Qui percussit patrem pullus existens.
PA. Propter hæc quidem huc habitans, ego
Suffocare cupio patrem & omnia habere.
PI. Sed est nobis avibus lex
Antiqua, in ciconiarum tabellis.
Postquam pater pelargus evolabiles
Omnes faciet, pelargides nutriens,
Oportet pullos patrem rursus nutrire.

Aristophanes Nubibus v. 841.

Quid agam, quando ita meus delirat pater? utrum
In jus vocabo, & convincam delirij?
An libitinariis bilem hanc faciam palam?

Aristophanes Nubibus v. 1333.

ST. Tun' verberas patrem? PH. merito: nam per Iovem
Tibi ego ostendam, quod jure verberaverim.
ST. Hominum impurissime, quomodo jure quis patrem
Verberet? PH. ego ostendam & convincam te statim.
ST. Tun' hoc evinces? PH. & quidem facillimè.
Elige nunc, utrum duobus ex sermonibus
Velis me adhibere. ST. quibus sermonibus? credo.
PH. Inferiorem, an superiorem? ST. equidem per Iovem.
Te, fatue homo, veris docui contradicere:
Si tu hoc probaveris, quod pulchrum æquumq; sit,
Patrem pulsari à filiis. PH. at opinor, hoc
Ita persuasurum esse tibi: ut si tu audias,
Nihil quicquam possis mihi contradicere.
ST. Age, volo audire, quidnam dicturus sies.

Aristophanes Nubibus v. 1399.

Quàm suave, novis & præclaris rebus aliquem studere:
Et constitutas leges posse domi contemtim habere.
Nam demens ego, cùm ad equestrem duntaxat rem animum applicarem,
Tria verba non potui profarier, ut non lingua præceps
Impingeret: at nunc postquã hic à re equestri me removit:
Et ego sententiis, ac subtilibus assuesco verbis:
Puto me docturum, quod fas sit, patrem multare flagris.
ST. Imo equita, per Iovem. Nam multo satius est mihi
Equum alere quadrijugalem, quàm comminui vapulantẽ.
PH. Ego illuc, unde mihi sermonem abrupisti, revertar.
Et primum hoc ex te interrogabo: an non tu verberabas
Olim me puerum? ST. maximè: quia tibi bene volebam,
Et curam tui agebã. PH. cedo nunc mihi: an nõ est perinde
Æquum, ut & ego tibi bene velim, & te verberem benignè:
Siquidem bene velle idem quod verberare est? nam quo jure
Tuum corpus sit liberum loris, meum non item sit?
Equidem & ego natus sum liber: num lacrument filij, non
Lacrumet etiã pater? ST. quamobrẽ? PH. num tu lege dices
Cautum esse, ut pueri solùm vapulent? at ego tibi isthuc
Objecerim, quod vulgus dicit, bis pueri senes sunt.
Tum præterea senes flere æquius est, quàm nos puellos,
Quantò minùs ipsis peccare licet, quàm nobis. ST. at isthuc
Nulla sancitum est lege, ut patrem ferre isthæc sit æquum.
PH. An non vir ille, qui primũ hanc legem sanxisse fertur,
Itidem homo fuit, qualis ego & tu sumus: & qui oratione
Legem persuasit antiquis? quare non liceat ergo
Et mihi novam sancire legem filiis, ut illi
Suos referiant patres? nam verbera quæcumq; nobis
Illata sunt, priusquam lex daretur ea: omnia ipsis
Remittimus, & condonamus, ut impune ceciderint nos.
Et quæso, gallos & alias pecudes saltem intuere,
Quomodo reluctentur patribus atqui nulla re illi
A nobis differunt: nisi quod decreta non faciunt. ST. cur
Ergo, quandoquidem gallos imitare per omnia: non &
Fimum cómedis, & perticæ insidens dormis? PH. pater mi,
Non est idem: neque Socrates hoc pro eodem probarit.
ST. Igitur ne pulses: sin minus, olim accusabis teipsum.
PH. At quomodo? ST. quia mihi meum in te jus est verberandi
Te, tibi tuum jus erit in filium: si quis nascetur
Tibi. PH. at si non nascatur: tum neque à me flebitur: tu
Verò morieris ore hianti. ST. certè, vos amici
Senes, videtur mihi, quod justũ est dicere: &, quod æquũ 'st,
Concedere hisce. nam nisi nos senes, quod justum & æquũ 'st,
Faciam: decet omnino nos vapulare & ejulare.

Aristophanes Nubibus v. 1443.

Matrem perinde ut patrem pulsabo. S. quid ais
Scelestè? at majus hoc illo est malum.

Oppianus lib. 2. κυνηγετ. v.

Eximè capra mater teneros adhuc infantes
Suos liberos curat: In senio autem (vicissim) matrem liberi,
Quemadmodum autem homines patrem præpeditũ molestiis
Senectutis vinculis, pedibus gravem, artubus curvum,
Debilem manibus, tremulum corpore, visu caligantem,
Omni pietate prosequentes summa cum diligentia fovent,
Pensantes curam puerilis nutricationis molesta:
Sic caprarum liberi caros exhibent parentes
Senes, cùm vincula suspiriosa artus constrinxerunt:
Cibum quidem præbent roscidum (&) floridum,
Decerptum ore: potum verò labiis supremis,
Ex flumine ferunt, haustâ pullâ aquâ.
Lingua verò ambientes totum corpus splendidant.
Quod si laqueis solam matrem ceperis,
Illicò etiam manibus ceperis teneros agnos.
Illam enim putes liberos verbis aspellere,
Supplicantem talibus eminus balatibus:
Fugite mihi, ô cari liberi, hostiles venatores,
Ne me miseram domiti orbam matrem efficiatis.
Talia (ipsam) loqui existimes: Hos autem stantes coram,
Primum quidem canere flebile carmen circa matrem:
Sed postea profari dixeris humanam vocem.
Rupto balatu, oreq; talem in modum sonare,
Loquentibus similes & orantibus pares:
Per te Iovem obsecramus, per ipsam sagittis gaudẽtẽ Dianã,
Libera matrem mihi caram: præmiaq; redemtionis cape
Quæcumque ferre possumus miseri pro matre ærumnosa,
Nos (scilicet) infelici fato natos: flecte tuum serum cor,
Veritus Deorumq; fas, patrisq; senectutem (tui,)
Si forte tibi pater locuplete in domo est relictus.
Talia quis putarit supplicantes loqui.
Verùm ubi cujus cor prorsus implacabile viderint,
(Proh quanta reverentia, quantus amor parentum est!)
Sponte vincti vadunt, & voluntarij transeunt.

Oppianus lib. 5. ἁλιευτ. v. 550. de Delphino.

—— *Mater ipsum filium captum nunquam deserit,*
Sed semper laborantem comitatur, & redeunti
Ex profundo, dolentique & gravissimè suspiranti
Similis. Diceres ejulantem videri
Matrem vastata urbe ab hostibus,
Liberisq; tractis sub prædam, hasta necessitate.
Sic illa graviter dolens vulneratam circa sobolem,
Quasi ipsa laboraret, & vulneraretur ferro,
Versatur: At alterum fœtum sua de via
Ablegat, irruens (in ipsum,) & impellens persequitur.
Fuge (inquiens mea) proles. homines enim impij, non amplius socij (sunt)
Nobis, sed ferrum adversum (nos) instruunt & capturam,
Iam etiam Delphinis intentant mortem,
Fœdera (Deorum) immortalium, & concordiam violantes
Nostram, quam antea inter nos mutuò constitueramus.
Talia etiamsi muta tamen liberis suis
Loquitur. Et hunc quidem avertit procul ut fugiat:
Sed alterum horribiliter afflictum coafflicta
Ipsam propè scapham spectatur, neque deserit,
Nec quisquam, cupiens licet, avertat matrem,

Neq;

Neq; percutiens (eam,) neq; alium ullum afferens, metum: sed una cum prole
Tractâ misera attrahitur, ut accedat prope
Hostium sub manus. Impij profectò (&) valde scelerati
Isti, neq; miserantur afflictam cernentes,
Neq; animam flectunt ferream, verùm & ipsam
Æneis cuspidibus impetuosè impellentes
Prolemq; & matrem eadem simul occidunt noxa.
Occiderunt (inquam) non invitam: quoniam circa prolem mortuam
Mater & sciens & cupiens vulneratur.
Vt autem cùm in implumes hirundines tenellas
Infernè sub tecto incidens serpens, prope (eas) accesserit,
Et has quidem occidit, & attrahit intra dentes:
Mater verò primùm quidem afflicta volat
Miserabiliter stridens cadis luctum. Verum ubi pullos
Viderit necatos, illa non jam amplius fugam exitij
Quærit: sed ipsis sub maxillis draconis
Volvitur, donec avem rapiat pullicida noxa:
Sic etiam Delphino juveni commoritur mater,
In manus piscatorum sponte capta occurrens.

¶ Poetarum Romanorum.

Prudentius Psychomachia 6.
Quod rapere & clepere est, avideq; abscondere parta,
Natorum curam dulci sub nomine jactat.

Prudentius contra Unionitas.
Nonne patrem violas, dum natum scire recusas?
Quandoquidem non est genitor, nisi filius exstet:
Nec vocitare patrem potis es, quem germine fraudas.

Plautus Amphitr. 3. sc. 4.
Pater vocat me: eum sequor, eius dicto imperio sum audiens:
Vt filium bonum patri esse oportet, itidem ego sum patri:
Amanti supparasitor, hortor, asto, admoneo, gaudeo.
Si quid patri volupe est, voluptas ea mihi multò maxima est.

Plautus Asinariæ 1. sc. 1. verbis pessimi patris.
Omnes parentes, Libane, liberis suis,
Qui mihi auscultabunt, facient obsequelam jam:
Quippe qui mage amico utantur gnato & benevolo.
Atq; ego me id facere studeo: volo amari à meis:
Volo me patris mei similem, qui causa mea
Nauclerico ipse ornatu per fallaciam,
Quam amabam abduxit a lenone mulierem:
Neq; puduit eum id ætatis sycophantias
Struere, & beneficiis me emere gnatum suum sibi.
Eos me decretum est persequi mores patris.
Volo amori obsecutum illius: volo amet me patrem.
Quamquam illum mater arctè contenteq; habet,
Patres ut consueverunt.

Plautus Asinariæ 3. sc. 1. principio.
Nequeon' ego te interdictis facere mansuetam meis?
An ita tu es animata, ut qui expers matris imperij sies?
P. Vbi piem Pietatem, si isto more moratam tibi
Postulem placere mater, mihi quo pacto præcipis?
C. An decorum est adversari meis te præceptis? P. quid est?
C. Hoccine est pietatem colere, matris imperium minuere?
P. Neq; quæ rectè faciunt culpo, neq; quæ delinquunt amo.

Ibidem versu 10.
Ego te volui castigare: tu mihi accusatrix ades.
P. Neq; edepol te accuso, neq; me id facere fas existimo.

Plautus Aululariæ 4. sc. 7. v. 9.
Egóne ut te adversum mentiar, mater mea?

Plautus Bacchid. 4. sc. 10. pr.
Quàm magis in pectore meo foveo, quas meus filius turbas turbet:
Quam se ad vitam, & quos ad amores præcipitem inscitus capessat:
Magis curæ est magisque afformido, ne is pereat, neu corrumpatur.
Neq; placitant mores, quibus video vulgò gnatis esse parētes.
Scio. ego fui illa ætate, & feci illa omnia, sed more modesto.
Duxi, habui scortum. potavi, dedi, donavi, sed enim id raro.
Ego dare me ludum meo nato institui, ut animo obsequium
Sumere possit, æquum esse puto. sed nimis nolo desidiæ.
Ei dare ludum.

Plautus Captiuis 2. sc. 1. v. 40.
Quod tibi suadeo, suadeam meo patri.
P. Pol ego si te audeam, meum patrem nominem.
Nam secundum patrem tu es pater proximus.

Plautus Bacchid. 5. sc. 2. v. 80.
Tuus est. unde illū censes sumere, nisi quod tute illi dederis?

Plautus Captivis 5. sc. 1. princ.
Iovi Deisq; ago meritò gratias magnas,
Cùm te reducem tuo patri reddiderunt,
Cùmq; ex miseriis plurimis me exemerunt,
Quæ adhuc te carens, dum hîc fui, sustentabam.
Satis jam dolui ex animo, & cura me sat
Et lacrymis maceravi. satis jam audivi
Tuas ærumnas, ad portum mihi quas memorasti.

Plautus Captivis. 5. sc. 5. v. 9.
—— Salve exoptate gnate mi. T. hem! quid gnate mi?
At at, scio cur te patrem assimiles esse, & me filium:
Quia mihi, item ut parentes, lucis das tuendi copiam.

Plautus Epidici 3. sc. 3. pr.
Non oris causa modò homines æquum fuit
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suum:
Sed quei perspicere possent cor sapientiæ,
Igitur perspicere ut possint cordis copiam.
Vbi id inspexissent, cogitarent postea,
Vitam ut vixissent olim in adolescentia.
Vel quasi egomet, qui dum filij causa cœperam
Ego me excruciare animi, quasi quid filius
Meus deliquisset me erga, aut quasi non plurimum
Malefacta mea essent solida, in adolescentia.
Profectò deliramus interdum senes.

Plautus Persa 3. sc. 1. v. 42.
Malúsne ego sum? V. non es, neq; me dignum est dicere.
Verum ei rei operam do, ne alij dicant quibus licet.
P. Dicat quod quisq; vult, ego de hac sententia
Non demovebor. V. at meo si liceat modo,
Sapienter potius facias quam stulte. P. libet.
V. Lubere per me tibi, licere intelligo:
Verum libere haud liceat, si lubeat mihi.
P. Futura es dicto obediens, an non patri?
V. Futura necessitate me ut fiam mala
Facis.

Plautus Pseudoli 1. sc. 3. v. 55.
Egon' patri surripere possim quidquam, tam cauto seni?
Atq; adeo, si facere possem pietas prohibet.

Plautus Sticho 1. sc. 2. v. 89.
Nunc places cùm rectè monstras: nunc tibi auscultabimus.

Plautus Sticho. 1. sc. 2. v. 10.
Quid agimus, soror, si obfirmabit pater adversus nos? P. pati
Nos oportet quod ille faciat, cuius potestas plus potest
Gratiam à patre si petimus, spero ab eo impetrassero.
Adversari sine dedecore & scelere summo haud possumus.
Neq; ego factura sum: neq; tu ut facias consilium dabo:
Verùm ut exoremus. novi ego nostros. exorabilis sti.

Versu 39.
Nunquam enim nimis curare possunt suum parentem filiæ.
Quem æquius est nos potiorem habere quàm te: postidea pater
Viros nostros, quibus tu voluisti esse nos matres familias?
A. Bonas ut æquum est facere facitis. cùm tamen absentes viros
Perinde habetis, quasi præsentes sint. P. pudicitiæ est pater,
Eos magnificare, qui nos socias sumserunt sibi.

Plautus Trinummo 2. sc. 3.
Non optima hæc sunt, neq; ego ut æquum censeo:
Verùm meliora sunt, quam quæ deterrima.
Sed hoc unum consolatur me atq; animum meum,
Quia qui nihil aliud, nisi quod sibi soli placet,
Consulit adversus filium, nugas agit:
Miser ex animo fit, factius nihil facit.
Suæ senectuti acriorem hiemem parat,
Cùm illam importunam tempestatem conciet.

Terent. Adelph. 1. sc. 1.
Profectò hoc verè dicunt: si absis uspiam,
Aut ubi si cesses, evenire ea satius est
Quæ in te uxor dicit, & quæ in animo cogitat
Irata, quàm illa quæ parentes propitij.
Vxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obsequi:
Et tibi bene esse soli, cùm sibi sit male.
Ego quia non redijt filius, quæ cogito?
Quibus nunc sollicitor rebus? ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut, perfregerit
Aliquid. Vah! quemquam, ne hominem in animo instituere, aut
Parare, quod sit carius, quàm ipse est sibi?
Atqui ex me hic non est natus, sed ex fratre.

Terent. Adelph. 1. sc. 2.
Pater esse disce ab alijs, qui verè sciunt.
MI. Natura tu illi pater es, consiliis ego.

Terent. Adelph. 3. sc. 5.
—— ex illàne familia
Tam illiberale facinus esse ortum? ô Aeschine,
Pol haud paternum istuc dedisti. DE. videlicet
De psaltria hac audivit: id illi nunc dolet
Alieno: pater is nihili pendet. hei mihi!

Terentius Adelph.4. sc.2.

Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo satis decernere:
Nisi me credo huic esse natum rei ferundis miseriis.
Primus sentio mala nostra, primus rescisco omnia.
Primus porrò obnuncio: ægrè solus, si quid fit, fero.
SV. Rideo hunc: primum ait se scire; is solus nescit omnia.

Terentius Adelph.5. sc.9.

Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?
Quod prolubiũ? quæ istuc subita est largitas? DE. dicã tibi.
Vt id ostenderem, quod te isti facilem & festivum putant,
Id non fieri ex vera vita, neq; adeo ex æquo & bono;
Sed ex assentando, indulgendo, & largiendo, Mitio.
Nunc adeo si ob eã rem vobis mea vita invisa est, Aeschine,
Quia non justa injusta prorsus omnia omnino obsequor;
Missa facio. effundite, emite, facite quod vobis lubet.
Sed si id vultis potius, quæ vos propter adolescentiam
Minus videtis, magis impensè cupitis, consulitis parum;
Hæc reprehendere & corrigere me, obsecundare in loco:
Ecce qui id faciam vobis. Æ. tibi pater permittimus;
Plus scis quid facto opus est.

Terentius Andriæ 1. sc.5.

Tot me impediunt curæ, quæ meũ animum diversè trahũt:
Amor, hujus misericordia, nuptiarum sollicitatio.
Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc
Quæ meo cumq; animo libitum est, facere. eine ego ut advorser: hei mihi!

Terentius Andriæ 2. sc.5.

——hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
P. Neq; istic, neq; alibi tibi usq; erit in me mora.
SI. Facis ut te decet, cùm istud quod postulo, impetro cum gratia
I. Iam nunc intro, ne in mora cùm opus sit, sies:
P. Eo.

Terentius Andriæ 3. sc.2. fine.

Nam gnatus quod pollicitus est, haud dubium est mihi,
Si nolit, quin eum meritò possim cogere.

Terentius Heautont.1. sc.1.

Ingenio te esse in liberos leni puto, &
Illum obsequentem, si quis rectè aut commodè
Tractaret. verùm neq; tu illum satis noveras,
Nec te ille. hoc ubi fit, ibi non rectè vivitur.
Tu illum nunquam ostendisti, quanti penderes:
Nec tibi ille est credere ausus, quæ est æquum patri.
Quod si esset factum, hæc nunquam evenissent tibi.

Terentius Heautont. 1. sc.1.

Ætate me putavit & sapientia
Plus scire & providere, quàm se ipsum sibi:
In Asiam ad regem militatum abijt Chreme.

Terentius Heautont.1. sc.2.

Quam iniqui sunt patres in omnes adolescentes judices!
Qui æquum esse censent, nos jam a pueris illicò nasci senes.
Neq; illarum affines rerum esse quas fert adolescentia.
Ex sua libidine moderantur, quæ est nunc, nõ quæ olim fuit.
Mihi si unquam filius erit, næ ille facili me utetur patre.
Nam & cognoscendi & ignoscendi dabitur peccati locus:
Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.
Perij! is mihi ubi adbibit plus paulò sua quæ narrat facinora.
Nunc ait: Periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet.
Astutus. næ ille haud scit, quàm mihi nunc surdo narret fabulam.
Magis nunc me amicæ dicta stimulant: da mihi atq; adfer mihi.
Cui quid respõdeam, nihil habeo, neq; quisquã est miserior.

Terentius Heautont.3. sc.1.

——Eamus, duc me ad eum obsecro!
CH. Non vult te scire se rediisse etiam; & tuum
Conspectum fugitat ob peccatum: tum hoc timet,
Ne tua duritia illa antiqua etiam adaucta sit.
M. Nõ tu ei dixisti ut essem? CH. non. M. quãobrem Chreme?
CH. Quia pessimè istuc in te atq; in illum consulis;
Si te tam leni & victo animo esse ostenderis.
M. Non possum. satis jam, satis pater durus fui. CH. ah!
Vehemens in utramq; partem Menedeme es nimis,
Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eandem fraudem ex hac re, atq; ex illa incides.

Paullo post.

—— Faciat quod libet:
Sumat, consumat, perdat: decretum est pati,
Dum illum modò habeam mecum. CH. si certum est tibi
Sic facere; illud permagni referri arbitror,
Vt nescientem sentiat te id sibi dare.
M. Quid faciam? CH. quidvis potius, quàm quod cogitas;
Per alium quemvis ut des: falli te sinas
Technis per servulum. etenim tibi vel perdere
Talentum hoc pacto satius est, quàm illo minam.
Non nunc pecunia agitur, sed illud quo modo
Minimo periclo id demus adolescentulo.
Nam si semel tuum animum is intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, & prius
Pecuniam omnem, quàm abs te amittas filium, hui!
Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris:
Tibi autem porrò, ut non sit suave vivere.
Nam deteriores omnes sumus licentia.
Quodcumq; inciderit in mentem volet: neq; id
Putabit, pravum an rectum, quod petet, siet.
Tu rem perire, & ipsum, non poteris pati.
Dare denegaris? ibit ad illud illicò
Quo maximè apud te si valere sentiet,
Abiturum se abs te esse illico minabitur.
M. Videre verum, atq; ita uti res est, dicere.

Terentius Heautontim. 5. sc.1.

Quid faciam? M. id quod me fecisse ajebas parum:
Fac te esse patrem sentiat, fac ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere, & poscere;
Ne quam aliam quærat copiam, ac te deserat.
CH. Imo abeat potius multo quovis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.
Nam si illi pergo suppeditare sumptibus,
Menedeme, mihi illæc verè ad rastros res venit.
ME. Quot incommoda tibi in hac re capies, nisi caves?
Difficilem ostendis te esse, & ignosces tamen
Post, & id ingratum.

Terentius Heautontim.5. sc.2.

——Adolescens, quam minima in spe situs erit,
Tam facillimè patris pacem in leges conficiet suas.

Terentius Hecyræ 2. sc.2.

Phidippe, esse ego meis omnibus scio me apprimè obsequentẽ:
Sed non adeo, ut facilitas mea illorum corrumpat animos.
Quod si tu idem faceres, magis in rem & nostram & vestram id esset.
Nunc video in illarum potestate esse te.

Paullo post eadem scena.

——Leni ego animo sum natus:
Non possum adversari meis.

Terentius Hecyræ 3. sc.1.

Nam matris ferre injurias me Parmeno pietas jubet.

Terentius Hecyr. 3. sc.4.

Quod potero faciam, tamen ut pietatem colam:
Nam me parenti potius, quam amori obsequi
Oportet.

Terentius Hecyræ 3. sc.5.

Segreganda aut mater a me Phidippe, aut Philumela:
Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.

Terentius Hecyræ 4. sc.2.

——Hæc mihi nunc cura est maxima, ut ne cui meæ
Longinquitas ætatis obstet, mortémve exoptet meam.

Terentius Hecyræ 4 sc.4.

Hunc videre sæpe optabamus diem
Cùm ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem.
Evenit. habeo gratiam Deis!

Terentius Phormionis 1. sc.3.

Adeon' rem rediisse, ut qui mihi cõsultum esse optimè velit,
Phædria, patrẽ extimescã, ubi in mentẽ ejus adventi venit?
Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarẽ ut par fuit.

Terentius Phorm.2. sc.3.

—— Quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum æquum est & bonum;
Et id impetrabis.

Terentius Phorm.1. sc.5.

Egóne illi non succenseam? ipsum gestio
Dari mihi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.

In Tiberium Cæsarem.

Asper, & immitis. breviter vis omnia dicam?
Dispeream si te mater amare potest.

Claudianus de statuis Amphanomi & Anapij.

Adspice sudantes venerando pondere fratres,
Divino meritos semper honore coli.
Iusta quibus rapidæ cessit reverentia flammæ,
Et mirata vagas reppulit Aetna faces.
Complexi manibus fultos cervice parentes,
Attollant vultus, accelerentq; gradus.
Grandævi gemina sublimes prole feruntur,
Et cara natos implicuere mora.
Nonne vides, ut sæva senex incendia monstret?
Vt trepido genitrix invocet ore Deus?
Erexit formido comam, perq; omne metallum
Fusus in attonito palluit ore color.

In juvenum membris animosus cernitur horror,
Atq; oneri metuens, impavidusq; sui.
Rejecta vento chlamydes, dextram erigit ille,
Contentus leva sustinuisse patrem.
Ast illi duplices in nodum colligit ulnas,
Cautior in sexu debiliore labor.
Hoc quoq; præteriens oculis ne forte relinquas,
Artificis tacita quod meruere manus.
Nam consanguineos eadem cùm forma figuret,
Hic propior matri, fit tamen ille patri.
Dissimiles annos sollertia temperat artis;
Alter in alterius redditur ore parens:
Et nova germanis paribus discrimina præbens,
Divisit vultus cum pietate faber.
O bene naturæ memores documenta supernis
Iustitia, juvenum nomina, vota senum:
Qui spretis opibus medios properastis in ignes,
Nil præter sanctam tollere pauperiem.
Haud equidem immeritò tantas virtute repressas
Enceladi fauces obriguisse reor.
Ipse redundantem frenavit Mulciber Ætnam,
Læderet exempli ne monumenta pij.
Senserunt elementa fidem. pater adfuit æther,
Terraq; maternum sedula juvit onus.
Quod si notus amor provexit in astra Lacones,
Æneam & Phrygio raptus ab igne pater;
Si vetus Argolicos illustrat gloria fratres,
Qui sua materno colla dedere jugo:
Cur non Amphinomo, cur non tibi fortis Anapi,
Æternum Siculus templa dicavit honor?
Plura licet summæ dederit Trinacria laudi,
Noverit hoc majus se genuisse nihil.
Ne doleat damnis quæ devius intulit ardor;
Ne gemat exustas igne furente domos.
Non potuit pietas flamma cessante probari.
Emptum est ingenti clade perenne decus.

Ausonius Epistola vigesima prima. v. 25.

——— *Avere te jubet*
Amicus, & vicinus, & fautor tuus,
Honoris auctor, altor ingenij tui.
Dic & magister, dic parens, dic omnia
Blanda atq; sancta caritatis nomina.

Guntherus lib. 3. v. 255.

Sic pater invalidus, nato post longa reverso
Tempora, seu castris, seu de regione remota,
Quem penes & rerum jus est, & tota regendæ
Cura domus, noxas & facta proterva suorum,
Contemptusq; suos, & quos absente labores
Pertulit, eversamq; domum, numerosaq; damna
Commemorat, multumq; minas ultoris acerbat.

❡ Apologorum.

Phædrus Fab. 54. Canis & Agni.

Inter capellas Agno balanti Canis,
Stulte, inquit, erras. non est hæc mater tua:
Ovesq; segregatas ostendit procul.
Non illam quæro quæ cum libitum est, concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus,
Novissimè prolapsam effundit sarcinam:
Verùm illam quæ me nutrit admoto ubere,
Fraudatq; natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa est potior quæ te peperit. Non ita est.
Vnde illa scivit niger, an albus nascerer?
Age porro scisset: cum crearer masculus,
Beneficium magnum sanè natali dedit,
Vt expectarem lanium in horas singulas.
Cujus potestas nulla in gignendo fuit.
Cur hæc sit potior, quæ jacendis misertà est,
Dulcemq; sponte præstat benivolentiam?
Facit parentes bonitas, non necessitas.
His demonstrare voluit auctor versibus,
Obsistere homines legibus, meritis capi.

De Patre & Filio. *Anonymus.*

Est pater, huic natus; hic patri cedere nescit,
Nam facienda fugit, & fugienda facit.
Mens vaga discurrit, & menti consonat ætas:
Mentis & ætatis turbine, fræna fugit.
Ira senis punit pro nati crimine servos,
Instruit ista senem fabula nota seni.
Cauta bovem vitulumque manus supponit aratro,
Hic subit ille iugum pellit, arator ait:
Gaude, lætus ara, tu quem domat usus arandi.
A bove majore discat arare minor.
Non placet ut sudes, sed des exempla minori,
Qui pede qui cornu pugnat abire jugo.
Sic domat indomitum domito bove cautus arator,
Sic veterem sequitur junior ille bovem.
Proficit exemplo tanto cautela docendi,
Majorique minor credat in arte sua.

De Capra & Hœdulo. *Anonymus.*

Capra cibum quærens, hædum commentat ovili.
Hunc illi solida servat ovile sera.
Natum cauta parens monitu præmunit amico,
Vt lateat, nec sit in sua damna vagus.
Hic latet; ecce lupus movet ostia: voce capellam
Exprimit, ut pateant ostia clausa, petit.
Sta procul, hædus ait, caprizas gutture falsò;
Cum bene caprizas, te procul esse volo.
Quod mea sis mater, mentitur imago loquendi:
Rimula quâ video, te docet esse lupum.
Insita natorum cordi doctrina parentum
Cum pariat fructum, spreta nocere solet.

De Bubone dicente aquilæ filios suos cæterarum avium filiis esse formosiores. Fab. 114.

Aquila in concilio avium dixerat, cæterarum avium filios, qui magis formosi essent, in aulicos eligere. Et quum certatim quæque suos efferret. Bubo, Regina, inquit, nostra, meos accipe, qui cæteros pulchritudine superant. Qua forma, inquit, aquila, sunt filij tui? Qua ego sum, bubo respondit. Tunc cunctæ aves sunt vehementi cachinno commotæ.

Fabula indicat, neminem natum adeò deformem, qui parentibus suis non videatur esse formosus. Abstemius.

De Gallinæ pullo matri non obsequente, unde à miluo raptus est. Fab. 140.

Gallina pullos complures habens, vehementer extimescebat, ne sibi à miluo surriperentur. Unde sæpe eos sub ala viso miluo congregans, ab inimica alite tutabatur. Sed quadam die miluum ad se accedentem conspicata, filios convocavit, qui omnes properè ad vocem matris currentes, salui facti sunt, uno duntaxat excepto, qui matris voce contempta, dum granum tritici esse cupit, per aera curuis unguibus à sæva ave raptus est.

Fabula indicat, qui parentum imperio non obsequuntur, in maximas calamitates incidere. Abstemius.

De Sene, qui à filio ejectus domo, duo lintea petivit. Fab. 174.

Vir quidam decrepito senectutis domo ejectus à filia, in xenodochio degebat. Conspicatus autem filium illac iter habentem, eum rogavit, ut saltem duo lintea ex rebus suis, quas tanto sudore paraverat, sibi mitteret: qui tandem paternis precibus motus, imperat filio suo puerulo, ut expedita ad avum lintea ferret. Puer sagax, & tali dignus patre, unum tantum tulit. Increpatus autem à parente, quod non duo, ut jussus erat, attulisset: servo, inquit, alterum tibi, ut cum decrepitus in xenodochio deges, illud tibi mittam.

Fabula innuit, qua mente in parentes sumus, eadem liberos nostros in nos futuros. Abstemius.

❡ Emblematum.

Camerarius LXXVII. Centur. 2.

Cæcus amor sobolis.

Sæpè & amare nocet. Suffocat simia amando
Simiolum. Exemplum hoc ô fugitote patres.

Camerarius LXXXV. Centuriæ 2.

Non solum nobis. Erinaceus pro catulis onustus pomis.

Ericium hic, qui ceu gradientem conspicis uvam,
Frugi sis, & opes tu quoque linque tuis.

Camerarius LXII. Centur. 3.

Durissima perfert. Palumbus torquatus pariens peracto solstitio.

Vt vigeant gnati, genitor se affligere suevit,
Insuper & propriis se spoliare bonis.

Camerarius XII. Centur. 4.

Hæc cura parentum.

Mirus amor sobolis: mater quod comprobat ecce
Delphini, capta quæ soboli immoritur.

Amor filiorum. Emblem. L.

Cum videt insontes Pelicanus fervere pullos
Ignibus, ardentes insilit ipse rogos,
Et pius ad pulchram mavult contendere mortem,
Prolibus infælix quàm superesse suis.
Non te sparsa pudet natorum sanguine mater
Ingenium brutis mitius esse feris?
Flor. Schonhovius.

Catsius Emblemate nuptiali XLIII.

Vis omnis abesto.

Iam tua jussa placent: auri tamen actus amore
In thalamum genitor me jubet ire senis.
Ecquid agam? nec enim mihi tota pecunia tanti est,
Vt veteli conjux principis esse velim.
AN. Si pater indigno te subdere colla marito
Forte velit, nulla vox tibi lite sonet.

Virginis arma preces: rigidum prece flecte parentem:
Non alia durus vincitur arte pater.
Quod truculenta nequit, frons hoc præstabit amica:
Obsequium, non vis, pectora dura trahit.
Pinea verberibus nux inconcussa resistit;
Illa tamen placido victa calore patet.

¶ Apophthegm. Christiano R.

Ferdinandus Rex Neapol. Veniant nunc in manus nostras prospera Parentum vota, felicibus auspiciis propagatæ soboles, quæ efficiunt ut aliquando & genuisse & genitum esse delectet. Quid enim Ferdinandum eloquar: qui tanto sui parentis detinebatur desiderio, ut crebriùs diceret: *Nihil mihi graviùs evenire potest, quam quod aliquando majorum rerum occupatione præpeditus, patri adesse non possim. Pont. lib. 2. cap. 3. de Obedientia.*

Alphonsus Arag. Rex Magnus quoque eodem in regno & re Alphonsus. Successerat Ferdinando legitimus regnorum heres, cui eam vicem & obedientiam, quam ille suo parenti olim, rependit. Peregrè advenienti obviam progressus, quòd eum utpote minùs valentem lecticâ vehi adverteret, equo desiliit, ac pedibus comitatur. monenti autem patri, aliorum procerum more equo conscenso adequitaret, respondit: *Alius liberum sit agere quod voluerint: ego nunquam adducar, quin Regem, quin patrem, & eum ægrotum, pedibus sequar. Panorm. lib. 2. de Gest. Alph.*

Sfortia Francisci Filius. Eadem pietas Iuniorem Sfortiam, vix annos pubertatis egressum, impulit; ut patrem quem vivum summo semper honore fuerat prosecutus, etiam mortuum, & in imagine expressum, honoraret. Erat in extremas angustias ab hostibus redactus, dumque anxius huc illuc voluitur, & nequicquam militē suum vocat, patris effigiem (quæ fortè in conspectu) intuitus; *Ecquid*, exclamat, *dive parens degeneres erimus? & hosti sine conflictu cedemus? Audendum potius.* dictoque citiùs, in hostem gloriosus irruit. *Gaguin. de reb. Gall. in Appen. de Lud. XII.*

Edouardus II. Angl. Rex. Æmulatus hanc pietatem, non ut priores illi in parentes, sed in filium Edouardus. qui cum Philippo Franciæ rege manus conserens, dum filium in prima acie acriter urgeri intelligeret: *Ne*, inquiebat circumstantibus, *hodie à me subsidium postuletis, quamdiu filius adhuc superstes. Volo ut nunc virtutis suæ specimen edat, atque victoriæ laus omnis penes eum sit.* Tam gloriosum reputabat talem habere filium, qui pro patria libertate suum latus hosti opponeret. *Frossard. Gall. lib. 1.*

Babo Apensbergensis Baro. At memorabile, quantam filiorum curam gesserit paternâ pietate motus Babo. Habebat numerosam sobolem, ita ut ex duabus uxoribus legitimis duos & triginta filios atq; octo filias superstites post se relinqueret. Cùm ergo Henricus Cęsar sub annum 1015. animi causa aucupium instituisset, Babonem invitavit, paucis equitibus præsens etiam adesset. Ille oportunitatē se nactum arbitratus, ut filios Cæsari commendaret; juvenes scitos & probè instructos ornat, & cuiq; comitem adjungit, talique filiorum comitatu ad Imperatorem venit. Qui, visa ea multitudine, rogat quasi indignabundus Babonem, cur, cum paucis venire jussus, tot equites adduceret: ille, *Non sunt equites, Auguste*, inquit, *quos tua Majestas conspicatur; sed tui famuli, mei filij legitimi, quos eidem T. M. exhibeo, dono, consecro, eosq; ut ingenuam decet sobolem, maxima cura educavi.* Imperator singulos appellat, dextra & osculo excipit, filios nuncupat, secum consistere in aula iubet, omnesque paulatim stipendiariis prædiis, castellis & vicis, locupletavit. *Hiero. Zeigler. in Hist. Illust. vir. Germ.*

Quære *Confessio peccatorum.*

Blanca Franc. Reg. Neque mulierum hîc laudem detrecto, aut earum gloriam involuo. Sunt & inter has, quamvis rariores, quæ hac virtute polleant. Facem ceteris præfert Blanca Ludovici istius mater: quæ, dum optimis moribus filium instituisset; quandoque dixisse fertur: *Malim, ó fili, te vita privatum, quàm ulla virtute relicta, unum lethale peccatum perpetrantem.* Imitentur hanc omnes matres, quarum nimis blanda hoc ævo (proh dolor!) segnes facit indulgentia natos. *Ioniuil. in vit. Lud. cap. 3.*

Mulier anonyma. Jungat se illi Christophori Lusitani arcis Diensis Præfecti Parens. Quæ, dum filium glande ferrea ab hostibus ictū conspicaretur, nihil habuit majus, quàm ut salutis suæ curam gereret. adductoque Confessore, siccis oculis ac vultu placido: *Tu fili*, ait, *clementis Dei veniam fidenter implora: teq; in hoc transitu virum præbe. unicum hoc mihi in hac orbitate solatium. I. Maffeus hist. Ind. lib. 11.*

Require Educatio. Admonitio.

¶ Monosticha Trochaica.

A parentibus relicti, judicis sunt in fide.
Adversari sine dedecore & scelere summo haud est patri.
An quid de ultione perdit filiò ignoscens pater?
Anseres plerumq; pullos verisimiles faciunt sui.
Ante patrem abdi sepulcro filios præposterum est.
Arctè habent suos parentes contenteq; liberos.
Balbutire patri natis cum suis suavissimum.
Carius quidnam bonis est quam parentes optimi?
Ceteris qualis futurus, improbus parentibus?
Cura persagax parentum est: vix eos aliquid latet.
Ecqua mater est mori qua recuset pro suis?
Est ita ut suum vult esse quisq; filium pater.
Et lenis culpa suorum fit parens acerrimus.
Exorando, haud adversando sumendam operam censeo.
Facta sectatur quis ejus quo auctore in lucem venit.
Felicissimus parentum, a filio qui vincitur.
Fert malè esse avis sibi, dum sit suis pullis bene.
Filiæ suos parentes pluris faciunt quam mares.
Filius nutrire matrem prostitutam haud cogitur.
Filio etsi verbo acerbus, re tamen manet pater.
Filij in pœnâ paterna torqueas præcordia.
Filium habere prorsus nullum mavelim quàm amittere.
Filium neges, paternam qui necem non vindicat.
Filiorum haud cogitanda vota sunt, sed commoda.
Filiorum tota virtus & parentum gloria est.
Flagrat patria erga natos plurimo igne affectio.
Haud multo secus parentes liberis sunt quam Dei.
Hoccine est pietatem colere, matris imperium minuere?
Impij est patrem haud amare: insani non agnoscere.
Improbo ex parente nasci filius probus potest.
Infortunium est parentum, liberorum infamia.
Interdic patri bonis qui rem suam gerit malè.
Interest nil, veritus in se quis sit, an in liberis.
Iunior fit, filiorum cùm pater videt decus.
Iure patri non probatur qui patrem ipsum non probat.
Læta cur non cuncta speret qui parentes percolit?
Laude nititur parentum, nullam habet qui propriam.
Legibus etiam committas parricidium integris.
Liberorum devorare injurias suerunt patres.
Liberos mali parentes attamen bonos volunt.
Liberos perdix neci aufert, dum volare non potest.
Liberos quæ non lactavit, mater haud est integra.
Liberos vult innocentes improbus quamvis parens.
Magnitudo patris, natum non producit: obruit.
Mater auxilio in paterno filio est injuria.
Matris ferre iniurias me, Parmeno, pietas jubet.
Mille oves inter parentes quaris agnus ubera.
Mos & indoles parentum transit in propaginem.
Natus unicus parenti vitâ ipsâ jucundior.
Nec patrum virtus, nec error imputatur liberis.
Nec timet pœnam aut naturam qui nocet parentibus.
Nil parenti æquè jucundum est quam intueri liberos.
Nolo ego metui, me amari, mi gnate, abs te mavolo.
Nomine indignus parentis est suos qui negligit.
Non habet pater necesse agere omnia jure pro suo.
Non nisi ætatis peccantis asperum invenias patrem.
Non novum est pullus parentes calce si petit suos.
Non pater tam vota nati cogitat quam commoda.
Non pietas servare natum tanta, quam occidere est scelus.
Non possunt non esse patres filiis quanquam malis.
Non suis pote adversari, natus leni animo pater.
Non tam amant nati parentes, quàm parentes liberos.
Nulla adhuc parens reperta est quin amarit liberos.
O quàm liberûm voluptas est amara parentibus!
Omne animal præsente prole pugnat acrius suâ.
Patris imperium est in natam: non in patrem filia est.
Patrem honora, sed si a vero te parente haud separat.
Patres sunt iniqui in omnes adolescentes judices.
Peccat in Deos hominesq; qui parentes negligit.
Plus amant gnatos parentes, quàm parentes liberi.
Plus quàm iniquum est, si machæra acuatur contra te tuâ.
Pravitas nati parentum denigrat nomen bonum.
Primus post Deum exhibendus est honor parentibus.
Pro gravi delicto pœna paullulum sat est patri.
Pro labore exacta ætate agnatis fert odium parens.
Pro patre est quicumq; belli te ruinis eripit.
Pro suis gallina pullis haud canem, haud anguem fugit.
Probra turpium parentum nil viris obstant probis.
Proximus Deo, triumphat quisquis in nato parens.
Qui coli vult, nunquam opes dat liberis cunctas suis.
Qui malignus in parentem est, cuinam erit porro bonus?
Qui piè colit parentes læta speret omnia.
Qui senis alit parentes, vivet & bene & diu.
Qui suo improbus parenti est, nemini unquam erit probus.
Qui suo malus parenti est, nemini unquam erit bonus.
Quisque natis jura dicit, dicit & uxoribus.
Raro quid boni è scelestis gignitur parentibus.
Si mater modesta non est, nec modesta filia est.
Spurios nutrire matrem maximè est æquum suam.
Tibi pater me dedo; quidvis oneris impone: impera.
Transeat minor ad majorem, ad patrem natus transeat.
Vel patrem optimum profanat liberorum pravitas.
Verum eum neges parentem liberos qui negligit.
Vinculum nullum natura est in parentes impios.
Vix ad usq; cædem matris odia durent filij.

¶ Iambica.

A filio se vinci lætatur pater.
A patre proles discit impudentiam.

A prole victus, victor est vel bis parens.
Adhuc inultum liceat ulcisci patrem.
Amor facit parentem, haud procreatio.
Auctoritatis plurimum in voce est patris.
Avidior est pietas paterna gloriæ.
Boni parentis ira nulla in filium est.
Cognitio facilis inter patrem ac filium est.
Contentus est pœnâ pater mollissimâ.
Cuncta impleas, sed vota haud impleas patrum.
De liberis haud judicat rectè parens.
E tardo asello quando natus est equus?
Ecquando radix fructui absona est suo?
Etiam meretrix volet pudicam filiam.
Facit parentes bonitas, non necessitas.
Filij improbitas, privum est parentis dedecus.
Fit & dolor parentum filij dolor.
Haud sunt amandi præter æquum liberi.
Honore matrem afficere sanctum est ac pium.
In jus parentes qui vocat ter est reus.
Ira parentum celeres sunto non graves.
Magnum malum puero domi durus pater.
Manet parens nato tamen malo pater.
Mater magis natos amat, minus pater.
Matri nihil prole est suâ jucundius.
Matri patrique sunt communes liberi.
Mortalibus Dij sunt parentes maximi.
Multos patrum corrupit indulgentia.
Nemo parens nimis unquam amarit liberos.
Nemo parentes unquam amaverit nimis.
Nil mollius parentium est affectibus.
Nil non sui patres ponunt post liberos.
Nil patris exstat nomine honorificentius.
Nil usquam satis esse potest Parentibus.
Non sustinet paternus affectus moram.
Nos liberorum mores ipsi perdimus.
Nullus recuset pro natis mori parens.
Odisse prolem non potest parens suam.
Parentibus læsis, Deusq; læditur.
Pascit parentes junior ciconia.
Pater ægrotante plus ægrotat filio.
Patrem esse facile nemo se obliviscitur.
Patrem haud minus quis diligat quàm liberos.
Patria potestas nullo honore tollitur.
Pauci ad parentum laudes aliquam addunt suam.
Peccata pueri, haud sunt pueri verùm patris.
Plus liberis timent parentes, quàm sibi.
Pœna parens contentus est lenissima
Propter Xenophontem notus est Gryllus pater.
Quæ filij est, & patris est victoria.
Quemnam feret, parentem ferre qui nequit?
Quis nam recuset pro suis mori parens?
Quis nam suos docere patres audeat?
Qui non amat parentem, amabit neminem.
Quis non suo optat ultimum patri diem?
Quis quem feret, parentem qui non fert suum?
Robur senenti dat patri proles novum.
Soli feracis planta naturam refert.
Stultescit omnis liberos circa pater.
Vinci parentem à filio optatissimum est.
Vincit parens, à filiis qui vincitur.
Virtus parentum, flammea adhortatio est.
Virtus parentum transit in prolem probam.
Virtus parentum transit in propaginem.
Vis patrem amare? ames ipsius filium.
Vultu parentes lædere ipso, item est scelus.

Parricidij.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

E*Gesippus*: Quo facinore patrato, Aristobulus secum ipse reputans, quid sceleris admiserit, in morbum ipse incidit. Erat in oculis parricidium, perturbatio in animo, nec alibi ullum intervallũ dissimulationi dabat. Defigebatur in imis visceribus dolor; invidia in miserationem versa est; quod innocentem peremisset contra jus germanitatis, tanti sceleris immanitas mentem exulcerabat: non somnus oculis, non quies animo dabatur. Serpebat cæco vulnus dolore, coquebantur ægra præcordia, ac duræ solicitudines sauciabant invalidos artus, & crebro gemitu pulsabant alta nimis suspiria. *Lib 1.cap.7.de excid. Hier.*

Egesippus: Deploro ærumnam domus meæ, defleo solitudinem, ingemisco vim tanti doloris. sed tamen tanta est acerbitas sceleris parricidalis, ut neminem mihi patiar evadere, quicunq; sitierit sanguinem meum, si etiam in omnes filios meos affectati parricidij indicia promantur. loquitur *Herodes lib. 1.cap.44. excid. Hierosolym.*

Egesippus: Extremæ insipientiæ sit cogitasse, quod & apud homines exsecrabile sit, & apud Deum inultum esse non possit. Vel fratrum exemplo doceri potui, nullum tanti sceleris effugium fore; quod scelus istiusmodi nec latebram inveniat, nec pœnam evadat. loquitur Antipater. *Lib.1.cap.44. excid. Hiero.*

Egesippus: Ego defero incorruptibilia elementorum testimonia. Venio ad te per maria & per terras, nusquam aliquid passus. parricida debui nõ evadere, si reus essem. Absolvat me pater, apud te cœlum quod non fulminavit, mare quod non demersit, terra quæ non absorbuit. per hæc ad te tutus venio, pater: quæ non solent evadere, etiam qui non sunt patrum genitaliũ parricidæ: Dathan & Abiron hiatus voravit terræ. Absalon fugientem arboris suæ ramis terra suspendit, ne ad patrem perveniret: ad quem si pervenisset, evaserat. Ego ad te veni, & ad huc periclitor. *fine c. 44. l. 1. excid. Hier.*

Egesippus: Quid dubitas, pater? si parcis, innocentem pronuncias: si à crutiatu temperas, absolvis crimine. Non est parricida qui simplicè morte dignus putatur. *extremo cap. 44. lib. 1.*

Ennodius Dictione 17.pr: Iste est filius qui grandævo patri, cum posset præbere alimenta, denegavit: id genij sceleribus suis associans, ut esset patre incolumi parricida.

Idem dict. 18. in: Si ille creatorem torvo lustrasset aspectu; genitore incolumi habuisset meritum parricidæ.

Io. Sarisberiensis: Parricidij species est impugnare jura naturæ, & sacrilegij instar parentis leges evacuare, & matri omnem honorem debitum non referre. *lib. 2. policratici cap. 2.*

Io. Sarisberiensis: Nunc omnium ùnica sollicitudo est, liberos qualescunque sint, divitijs & honoribus potius quàm virtutibus insignire. negligitur enim quod onus reipubl. imponatur. Expulso Superbo Tarquinio qui regnavit in urbe novissimus, cum Brutus primus Consul liberos suos de revocandis in urbem regibus agere cognovisset, eos protraxit in forum, & in media concione virgis cæsos, tandem securi percuti jussit; ut planè publicus parens in locum liberorum videretur populum adoptasse. Ego quidem etsi parricidium perhorrescam, consulis non possum non approbare fidem, qui maluit salutem liberorum suorum periclitari quàm populi. Rectène fecerit, judicent sapientes. quod si me ad sententiã urges, respondeo quod in causa Smyrnensi Areopagitas Cn. Dolabellæ invenio respondisse, de qua re Gellius lib.12. Noct. Attic. cap.7. Cæterùm & Brutum & muliorem deliquisse consentiam facile, eo quod excesserit medicina modum, nimiumq; secuta est, Qua morbi duxere manum. Et licet magna fuerint crimina, præstantius fuerat eadem sine punientis crimine vindicari. Unde & infelicitatis testimonium Bruto perhibet etiam poëta laudator:

——natosq; pater nova bella moventes,
Ad pœnas pulcra pro libertate vocabat
Infelix; utcunq; ferent ea facta nepotes.

At infortunium parricidij sic versu sequenti excusat, ut inanis gloriæ arguat vanitati, dicens,

Vincit amor patriæ laudumque immensa cupido.

Sed ne quis amodò Brutum imitetur, populum liberis præferens, frustra sollicitaberis; cùm vel vitia liberorum saluti reipublicæ præferantur; licet certum sit, quod salutem populi liberis omnibus oporteat anteferri. *lib.4. Policratici cap. 11.*

§ ORATORUM GRÆCORUM.

Lysias: Cogiteris longe gravius esse exprobrare quod patrem quis interfecerit, quam quod clypeum abjecerit. Ego profectò malim omnes clypeos abiicere, quàm huiusmodi famam subire de patre. *Cap.7. Orationis in Theomnestum prima.*

Libanius: Ferrum quidem patri non intulit, sed excandescentia accensum, vocibus intempestivis profligavit. *Declam.40.*

Idem: Inimicum intus habere te ignoras: adversus te filium educasti: parricida est nobis hic generosus; manibus quidem non attigit, sed verbis invehi non cessat. *Declam.41.*

Libanius: Quisnam quæso, patris cæsor fieri vult? vel ecquis omnino homicida vellet esse, institutus decenter, & edoctus, quę scire par est eum, qui ex legum præscripto vixit, Deos colens, benignitatis peritus? an quisquam patrem ferit, qui agnoscit, & patrẽ esse persuasum habet? est ne qui eum contumelia dedecoret? est ne qui omnino contradicat? Equidem arbitror eos qui horum aliquid facere aggrediuntur, alienos esse à genere, & illegitimos, tametsi tales non agnoscantur. Quis enim, siquidem sapit, patrem suum tristitia afficeret? quis fratrem, aut amicum aut cognatum in malum aliquod coniiceret? quis adeò agrestis? quis tam ferus & inhumanus? reverentur etiam feræ naturam, & cùm in alias omnes animantes sæviant, generis sui amore multum indicant mansuetudinis. itaque etiam belluæ sæpe visæ in prima illa felicitate, pro parentibus suis belligerantes, alacriter & animosè periclitantes, eos magno studio & affectu curare, ac plurimam in eosdem solicitudinem exhibere. Tanto autem benevolentius omnes homines in patres suos affecti sunt, quàm feræ: quanto rationis compotes leniores sunt brutis: & mitissima à ferocissimis natura differunt. Quid ergò plura dicere opus? hæc enim scitis, quamvis ea prætermittam. Plerique enim vestrum patres sunt: filij profectò utique omnes fuistis. quis igitur vestrum aut novit aut audivit, non dico cædem patris commissam: sed ullis ictibus filium patrem percussisse, aut convitio in parẽtem usum esse? an solus ego sum omnium sæpissimus, aut solus cruoris avidissimus? siquidem infelicissimus, non repugno: etenim hac in re præsto. an verò improbissimus; vobis considerandum relinquo.

Nam ut cæcus sim, non illico etiam sanguinolentus: neque si infortunatus, propterea etiam parricida, qui erga alienos benignus est; nunquid in suos crudelissimus? qui de notis & familiaribus sollicitus est, hiccine parentibus infestissimus? Ac famulorum certè nullus à nobis, opinor, dolore affectus est: & patrem meum trucidavissem? ac servo sanè & legitimè nostri curam habenti, neutiquam conviciarer: at verò patris mei cæsor fuissem? qui omnium vice mihi fuit, patris, amici, fratris, cognati, cultoris, manuductoris, servi maximè necessarij? Jam enim servorum etiam ministeria præ benevolentia erga nos, sustinenda esse arbitrabatur, ut licet eius tanquam patris curam non haberem; saltem illi ut cultori parcerem. Ac si immitis essem moribus, eius promeritis mitior fierem. mitescunt etiam feræ, dum curantur, etiamsi prius ferocient: ego verò etiam brutis ipsis immanibus, si diis placet, ferocior? ac priusquam tantum patris in me studium nactus essem, eum diligebam, curabam, pro eo periclitabar; multam omnes benevolentiam confitebantur: illius autem cura, supra quàm sperari poterat, exceptus, & quæ volebam adeptus: cùm priorem benevolentiam duplo augeri oportuisset; tunc ne mala mente, maloque animo esse incœpi? Ecquisnam hæc crediderit? Non tanta egebam solicitudine, cùm adhuc viderem, & quæ ex officio erant agere poteram. Attamen patrem conservari, & nullius injucundæ rei tædium experiri, identidem precabar: atque omne pro eo periculum acriter & alacriter suscipiebam. deinde cùm non indigerem, adeò curæ habebam; at cùm sine ullius solicitudine vivere nō valerem, interimere tentavissem: atque in tam cruentam sævitiam subito incurrissem; cum nihil unquam quod injucundum patri esset peregissem: non contraxissem, non verbo offendissem: non audax & pervicax fuissem? Et parva tamen ac levia delicta ante maxima & gravissima quæque omnes committere solent. Quòd si quis parentibus contradixerit; perspicuum est, eum contumeliosum futurum: si verò contumelia affecerit, feriet quoque imposterum: & quo magis progressus fuerit, eo molestior ac peior evaserit. ego verò more maximè novo, ex iis qui ab omni memoria malefici fuerunt, simul malevolus & sanguinis sitiens extiti; & usque adeò infelix à primo proposito sum commutatus, ut quem conservaram interficerem: ut eius cæsor factus fuerim, propter quem in aperta pericula me cōjeceram, & igni & morti tradideram? qui enim ejusdem benevolentiæ fuerit, nunc quidem periclitari & servare, & mori ante patrem decere opinari: modò autem eidem insidias & cædem cum omni malevolentiæ indicio parandam existimare? ac prius quidem potiorem matre habuisse patrem: postmodò patri infensiorem omnino fuisse, quàm natura hostes? & cùm periclitatus fuissem, ut ignis pabulum non esset, mea dextera facinus præclarè moderatum esse? enimvero utraque ad easdem disciplinas non pertinent: neque ad idem propositum spectant. At quam ob causam sic pietatem violare constituissem, & à Furiis agitari, & summam mihi calamitatem comparare, & reliquam eximere consolationem: matri etiam patrem adjungere, & undequaque me desertum & infortunatissimum reddere? Nam nonne infortunium satis grave fuerat, matris interitus, cæcitas; cūcta molestissima, quæ cum sola patris salute ferenda censerentur? qua verò in re tanta lacessitus injuria, adeo crudeliter ultus fuissem: qui omnia, quæ decebat, consecutus eram: & nihil eorum quæ ex animi sententia non erant, ob patrem expertus fueram? Ac novercæ quidem nullo unquam tempore insidias paravi: tametsi jure ulcisci proposuissem: patrem verò, qui nullius planè mali, bonorum autem infinitorum autor mihi extitit, quomodo trucidare aggressus essem? *Declamat. 44.*

Libanius: Quid in flagitiis homicida magis impurum? cùm autem etiam patrem quis interfecerit, & dirum illud atque omnibus incredibile facinus ausum fuerit, Hercule, quanta impietas est? ne imitationem quidem tam nefarij acti in scena intueri quisquam mente præditus sustineret. *Declamat. 44.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Non, inquit, occidi. Hoc quidem in genere nemo non defendi potest, cui voluntas parricidij obiicitur. Non, inquit, occidi. Si dicerem, difficilius putasti. scelera propius admota plus habent horroris. si dicerem, obstitit tibi vis numinum, & tacita quædam illius solitudinis religio. &c. *Declam. 281. f.*

Quintilianus Senior: Profectò credite, non sine magna fiducia delatum esse tanti criminis reum. Mihi argumentum sufficit genus absolutionis: paribus sententiis absolutus est. Hoc in alio genere causæ dubium est, in parricidio verò, quod probare nemo voluit, quod falsum esse ad vota pertinebat, diversam habuit pronuntiationem. Objectum est alicui mortalium, quòd patrem occidisset: quòd eum, cui lucem, cui hæc beneficia rerum naturæ debebat, sua manu trucidasset, & hoc pars judicum credidit? Ego verò illos & probo, & miror, qui absolverunt: pars tamen judicum pronunciavit factum esse parricidium: pars incredibile esse. Hos movit, quòd probari poterat: illos, quòd negari. Reus ergo suspectus, & in eam partem accipiendus, ut fecerit. Quid superest? per dementiam confessus est. *Declam. 314. m.*

Quintilianus Senior: Sepulti ergo essent & æterna quiete conditi jacuissent parricidæ Manes juxta patris latus, ut quod Diis hominibusque videatur indignum, tumulo tectus videretur, cui leges terram negant: in cuius cruciatus, cùm omnia commenta sit antiquitas, citerior tamen est pœna quàm scelus: cujus statim ora, oculosque à judicio lex jussit abduci, ne hunc jucundum cæli aspectum polluerent tetri oculi: cui lucem vivo, fluctuanti mare, naufrago portum, morienti terram, defuncto sepulchrū negat? quem in pœna sua jubet vivere, huic tumulum & exequias persolvi fas fuit?

Quintilianus Senior: Vir fortis desertorem sua manu occidat. Quædam etsi nulla significatione legis comprehensa sint, natura tamen excipiuntur. An hoc cogitatum, ut pater filium occideret? ut frater fratrem? *Declamat. 315. med.*

Quintilianus Senior fine Declamat. 317. Erâtne tanti, ut publicè commissum parricidium videretur? non iram Numinum, non sterilitatem morbosque & alia, quibus magna scelera expiari solent, timeremus?

Quintilianus Senior Declamatione 377. pr. Parricidij reus sum. Quædam crimina ipsa magnitudine fidem non impetrant. Parricidium aliquando legem non habuit, nec immeritò. Quis enim se facilè vinclis naturæ exolvat? Vos estis qui nascentes excipitis. Itaque ad tantum nefas, magna oportet serie parricida veniat, & per hominum Deorumque contemptum, ad ultimum nefas conscendat. Quid hoc est, judices? maximum omnium reo crimen obiicitur, & solùm: non circumscriptus amicus: cessant etiam familiaria adolescentiæ crimina: & ne in scortis quidem reus malè audio. Plus fortasse quàm putatis, judices, pollicebor: non quemlibet ex illis subselliis, sed accusatorem ipsum, laudatorem dabo: nunquam abdicavit.

Quintilianus Senior: Imò, inquit, invitus militabas. Sic fit ergo ut quisquis hostem timet, patrē occidat. ergo iners sum. Atqui parricida non solum audax debet esse, sed etiam temerarius. *mox*: Secreta sunt parricidarum scelera. *item*: Sed non quisquis occidere hostem non potest, continuò patrem potest. *Declam 377.*

Quintilianus Senior: Primum hoc mihi responde, an occisuri habitu fueris: non enim tibi proderit dixisse, Non feci. Nunquam mens exitu æstimanda est. Nam & qui impetum in patrem stricto gladio fecisset, retentus, diceret, Non occidi: si venenum paratum deprehendissem, diceres, Non occidi. quin etiam si permittitur ista defensio: & ille potest dicere se non occidisse, qui percussorem summiserit. Satis ergo est probare animum parricidæ. *Declam. 281. p.*

Quintilianus Senior: Quod tantum scelus inveniri potuit, quod parricidio vindicandum sit? Non diriguit mens? non soluta dextera est? non obstupuisti, propius scelere admoto? *Decla. 286. circa fine.*

Calpurnius Flaccus: Cede fratri, cede vel patri. victor eris, mihi crede, si cesseris. Didici salvis legibus parricidium posse committi. *Controversia 21.*

Calpurnius Flaccus: Erras pater, qui facilius existimas filij cædem videri quam facere. *Controversia 24. fine.*

Quintilianus: Non habet fidem ei credere parricidium, quem scias proditurum nisi impetraveris. *Declam. 2. §. 9.*

Idem: Nemo parricidium faciet, quo alius utatur. *Declam. 2. §. 10.*

Quintilianus: Non habet pater unde parricidium de filio credat, nisi quem posset occidere. *Declamat. 17. §. 7.*

Quintilianus: Scilicet capit natura rerum, ut futurus parricida non præmiserit notas, nullis ante sit maximi sceleris immanitas tumultuata flagitiis: & quandoque culeo, serpentibus expianda feritas, sub placida mente primam pertulerit ætatem? *Decla. 17. §. 10. p.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A natis mortem timeto qui parentem interficis.
Cum parentis occisore colloqui piaculum est.
Est atrocius parentem occidere patria, quàm suum.
Iura naturæ impugnare, species parricidij est.
Legibus committitur quoque salvis parricidium.
Parricida est, de parentum morte qui vel cogitat.
Parricidium tueri, parricidium alterum est.
Patricidium videre qui potest, facere & potest.
Parricidio prætexi caussa justa non potest.
Patre salvo patricida est, qui negat victum patri.
Peccat in naturam qui non punit patricidium.
Quid de eo speres qui perdit ipse sanguinem suum?
Vix est matris usq; ad cædem durent odia filij.

¶ IAMBICA.

A filio verus nequit interimi pater.
Aliquando, necare liberos, pulcerrimum est.
Bis interit qui dextera interit patris.
Et parricida est qui haud adest fratri reo.
Haud majus aliquod, patre mactato, nefas.
Nemo suorum facilè durat in necem.
Nullum scelus ulciscendum patricidio est.
Qui sustulit patrem, cui parcet extero?
Quisquis necavit filium, non perdidit.
Vivo patre esse parricida quis potest?

Parsimoniæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cuilibet vectigal ingens ipsa parsimonia.
Munifici sub opinione parcum agitare non decet.
Optimum vectigal atq; maximum frugalitas.
Rem cum deficit servare, sera parsimonia est.

Tanti

Tanto parcior fit quanto plura avarus possidet.
Ventum ubi fundum est ad ipsum, sera parsimonia est.

¶ JAMBICA.

Est sera certe in fundo parsimonia.
Exordium est egestatis, nil parcere.
O triste fractis orbitas annis malum.
Plerumque dives parcior vel paupere est.
Qui parcus est, eo utitur quod est satis.
Vectigal homini parsimonia optimum.

Parvæ rei.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Greg. Nyssenus:* Ne quis me audaciæ & insipientiæ condemnet, quod post virum summi nominis in eandem arenam descenderim, junctis boum aut asinorum paribus, quibus contendam cum equis victoriæ corona redimitis. semper enim cum grandioribus visuntur nonnulla humiliora. nam onerariam navem, quæ in millenis mercibus referta, à ventis hinc inde impellitur, sequitur exigua quædam cymbula idem secans æquor: virisque athletico more depugnantibus, eadem lege digladiantur & pueri. *orat. cōtra usurarios.*

D. Chrysostomus: Hoc semper dixi, nec dicere desinam; quod pusilla quæpiam transgressio, ingens detrimentum parere solet. *cap. 4. ad Galatas.*

D. Chrysostomus: Quando ergo parum deliquerimus, aut etiam pigri ac socordes fuerimus; ne illud parum negligamus: citò enim neglectum fit magnum. Ita etiam vestimentum ab initio ruptum neglectum, per totum producit scissuram: & tectum, si, cùm paucæ regulæ deciderint, fuerit neglectum, totam domum dejicit. Nos ergo hæc considerantes parva, nunquam despiciamus, ne in magna incidamus. Sin autem despexerimus, & in profundum malorum venerimus; ne cum ibi quidem fuerimus: animum despondeamus, ne in capitis gravedinem incidamus. illinc enim rursus ascendere est difficile, si non simus valdè sobrij; non solum propter longitudinem, sed etiam propter ipsum situm. Nam grave onus est peccatum, & deorsum ferens premit. & quomodo qui in puteum ceciderunt, non facilè ascendent, sed opus habent aliis qui sursum tollant: ita etiam qui venerit in profundum peccatorum. Laxemus ergo funes & demittamus ad eos qui sunt eiusmodi, & sursum trahamus. Imò verò non aliis tantum opus est, sed etiam nobis ipsis: ut & nos ipsos alligemus, & ascendamus, non tantum quantum descendimus, sed etiam longè amplius si velimus. Deus enim fert opem. Non vult enim mortem peccatoris, sed ut convertatur. Nemo ergo desperet. *Homilia 8.*

D. Chrysostomus: Ne dicas, Nihil est si turpe dixero, si hunc vel illum contumelia affecero. propterea magnum est malum, quoniam nihil esse videtur. nam quæ nihil esse videntur facile contemnuntur: quæ autem contemnuntur, etiam augentur: quæ verò augentur, sunt incurabilia. *Homilia 14. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Nempe qui in his quæ inferiora sunt diligentiam suam vigilantiamque suam monstraverint, facilè & ad ea quæ sunt superiora atque excellentiora pervenient. *Homil. 11. ad Tim. 1.*

¶ ORATORUM GRAECORUM.

Aristides Rhetor: Postea paludem quandam ostendi, quærens iterum, utrum & in tanta palude satius esset lavare, quam in parva? & hic parvam concessit esse præferendam. Non igitur, inquiebam, maxima quæque ubiq; sunt optima, sed etiam parvis inest sua gratia. *Oratione 1. sacrorum sermonum.*

Iulianus Imp. Epist. 8. At ego te & vidi jam in literis, & tuæ divinæ mentis imaginem, quasi magni cuiusdam signi effigiem parvo sigillo expressi. Licet enim multa in re parva ostendere. Sapiens ille Phidias non ex ea solum imagine, quæ in Olympiis est aut Athenis notus erat, verum etiam quòd in exigua sculptura magnæ artis opus incluserat. Talem ajunt eius cicadam & apem fuisse, ac si vis, muscam: quorum unum quodque licet natura æreum finxit, ars tamen vita atque anima ornavit. Verùm in iis parvitas fortasse animantium artis industriæ speciem veritatis contulit: atqui, si placet, Alexandrum ex equo venantem intuere, cuius magnitudo digiti in manu unguem non superat, & tamen adeò mirabili est artificio expressus, ut Alexander quidem & beluam feriat, & spectatori terrorem vultu incutiat: equus verò in extrema pedum basi consistere recusans, dum motionis sensum tanquam surripit, arte tamen moveatur. Hoc ipsum tu vir egregie, paulò ante apud nos fecisti. Nam ut in Mercurii facundi stadiis toties jam victor & coronatus, mirabilem in paucis his scriptis virtutem tuam demonstrans: vereque Homericum Vlyssem imitaris, qui tantum dicendo Phæacas perterruit ac conturbavit.

Libanius: Optimi quique magistratus arbitrantur, accuratam in parvis diligentiam, majorum esse conservationē. *Declamatione 29.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Plerumque parvæ res maximos trahunt. *libro 1. Epistola 20.*

Plinius Iunior: Hactenus illo die. sed quantum auguror, longius res procedet. nam pleraque tacita, ex minimo commota, latissimè serpunt. *S. Epist. 4.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgg.
Nec verò in vitijs quicquam parviq; levisq;
Ponderis esse putes. Qui parvis obvius ibit,
Is nunquam præceps scelera in graviora feretur.
Optima quaque libens audi: loquere optima cuncta.
Quaque loquere prius spectes bene sedula. Visus
Fac te ad opus semper stimulet. Iunguntur amice
Visus & auditus, sermo finisq; loquendi.
Vtque bonam messem facias, bona semina funde.
Sed neque furtivos mundi secteris amores,
Atque fidem Christo juratam perfida fallas.
Hanc porro fallit, sacrataque fœdera rumpit,
Quisquis vel tenuem radicem criminis in se
Excipit. Innumeros nam parvo tempore ramos
Hinc atq; hinc extenta solet diffundere radix,
Et succo exiguo densatur copia lactis.
Ac lapidem si quis tranquillas iactet in undas,
Præclaros turbat latices, vitiatque colorem:
Multiplicesq; orbes summa nascuntur in unda:
Qui simul ac pacantur aqua, solvuntur inanes.
Quinetiam parvo livescit vulnere totum
Corpus, & ingentes subeunt cruciantq; dolores.
Exiguusq; cibus mihi mortem invexit acerbam.
Nam scelus hoc scelerum densissima turba secuta est:
Non aliter quam cum perruptis mœnibus urbem
Ingreditur miles, sequiturque exercitus omnis.
Aspidis haud grande est vulnus: tamen illa soporem
Mortiferum extemplo inducit, vacuusq; dolore
Interit, excepit qui tetrum corpore virus.
Ergo cave, ne vel labes tenuissima mentem
Inficiat, minimasq; etiam procul abijce noxas.

D. Greg. Nazianzenus de vita sua:
Πῶς δ᾽ ἄν ποτ᾽ ἢ ναῦς ἢ πόλις; πῶς δ᾽ ἂν ςρατός;
Ἢ καὶ χοροῦ πλήρωμα; πῶς οἶκος φίλος
Σταίη, πλέον τὸ βλάπτον, ἢ κρατοῦν ἔχων;
Qui porro navis, civitas, exercitus,
Chorusve possit, aut domus consistere,
In qua quod obsit plus inest, quam quod juvet?

C. Cæsar Germanicus.
Non bene cum parvis junguntur grandia rebus.
Stantia namque premunt, præcipitata ruunt.

¶ EMBLEMATUM.

Camerarius 91. Centur. 1. Spicæ collectæ.
De parvis grandis acervus.
Spica fuit primò, quem nunc est cernere fascem.
Est parvis facimus munera ad ampla gradum.

Camerarius 96. Centur. 2.
Et infima prosunt.
Vilior haud pars est Alci, nec dignior ungue:
Ergo etiam parvis gratia magna data est.

Camerarius 75. Centuriæ 2.
Et parvis suavis.
Parvula quæ de asino vindictam sumit acanthis,
Vim magnam & parvis rebus inesse monet.

Camerarius 14. Centur. 4.
Armis non omnia cedunt. Xyphias furiatus ab asylo.
Piscibus ipse alijs sum formidabilis hostis,
Mox hostis miserè me necat exiguus.

Camerarius 27. Centur. 4.
Causa latet.
Sistere currentem Remora alta per equora navim
Fertur: sic vis est maxima in exiguis.

Periculum ab invalido. Emblem. 15.
En ego qui terror cunctis incedo per orbem;
Solius Culicis spicula dira tremo:
Ne nervis confide tuis: Nam parvula quæque,
Dum minimè credis, quo perimamur habent.
Floren. Schonhovius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A minoribus tutissimè ad maiora adscenditur.
Ad Noti quemcumque arundo quaq; flatum flectitur.
Crinium unguiumq; mictu ne inquires præsegmina.
Deprimit plerumq; magnos, tollit & parvos Deus.
Et Dei quoque in minutis cernitur sapientia.
Ex minoribus proventus est peccatis maximis.
Formidabilis leoni, præda aranea est, culex.
Luca bos draconis hostis, plus tamen murem timet.
Luca bos murem, Leo gallum gallinaceum pavet.
Magna curans negligensque parva, non est providens.
Magna de minimis scintillis concites incendia.

Maximum scintilla parva suscitet incendium.
Membrum nullum tam pusillum est, corpori quin sit decor.
Minimè magna dissimulabit, qui advertit levissimis.
Molibus præstat saxorum punctulum carbunculi.
Nil parvum est ducendum magna est in quo gloriæ locus.
Ob superbiam murena devoratur carabo.
Parvâ de scintillâ maximum excites incendium.
Parva qui delicta vitat in maiora haud incidet.
Parva non sunt absq; queis constare magna non queunt.
Parva res in bello utrinque magnum momentum occupat.
Parva res magnarum sæpe est remedium ægritudinum.
Parvum id haud est quod abest parum: imò id maximum omnium est.
Perdomat Deus superbos quæq; per vilissima.
Plurimum mellis vel una gutta amarat fellea.
Quàm magè es pusillus, omnium hoc magis prædæ patet.
Qui scelus cavet pusillum, in grandius non incidit:
Res parvissimæ ferè sunt maximarum tesseræ.
Sæpe magnarum momenta rerum è parvis pendula.
Sæpe res magnæ, non magnis consummantur copiis.
Sole lucente haud videntur parva luminaria.
Summa fulminantur: parvo sub lare est serenitas.
Suspicit pusillus omnes, grandis omnes despicit.
Tam nihil firmum est, cui non sit ab infimo periculum.
Tam parvum est nil quin salvum esse possit, si se vindicet.
Terreas porcelli voce totum elephantorum gregem.
Vulnere è pedis pusillo, totum item dolet caput.

¶ Jambica.

A voce galli quàm potest Leo fugit.
Absinthij parum vas mellis inficit.
Ad parva pueri parvi hianti ore obstupent.
Ad ipse parvis non vacat rebus Iovi.
Aliquando avium minimarum præda fit Leo.
Bos luca porci ferre vocem non potest.
E parvulâ scintillâ magnum incendium.
Et integram scintilla silvam devoret.
Et minima fieri sæpe possunt maxima.
Et pastinacæ prædâ fit velox mugil.
Et pravitati parvitas obnoxia est.
Etiam hinnulo quandoque præda fit leo.
Etiam in pusillis gratia est rebus sua.
Etiam leones ad galli cantum tremunt.
Gallus leones terret ac fax ignea.
Gratum & Deo dolium omnium parvissimum est.
Ignorat alta qui non doctus infima est.
Incendium ingens parvus ignis suscitet.
Lupi tener catellus, anno erit lupus.
Malim esse Vlysses quam Cyclopum maximus.
Minuta gutta multa, grandem imbrem parit.
Multi satu sunt nobiles, pauci indole.
Ne quid putes in vitijs parvi ponderis.
Nil æstimandum leve Deus quo læditur.
Nil tam minutum est, quod iuvare non queat.
Oculos leoni parvula effodit culex.
Parvum adde parvo sæpe, fiet maximum.
Persæpè magni parvulorum egent ope.
Plerunque parva res trahunt vel maximas.
Pusilla quamvis, grata sunt prudentibus.
Quamvis pusilli agri, seges tamen bona est.
Quamvis sublimes, debent humiles metuere.
Qui negligit parva, excidit maioribus.
Qui negligit pusilla, magna destruit.
Res parva, magna est, tempore & loco data.
Res parva magnis sæpe exordium dedit.
Rebus pusillis adjuves vel maxima.
Sæpe in pusillo virtus magna corpore est.
Sæpe ipsa pauca prosunt, ac fructus ferunt.
Scintilla minima maximum incendat nemus.
Si parva curas, gerere res magnas nequis.
Stridore minimo luca bos fugit suis.
Timor leoni gallus, elephanto culex.
Vt magna curant, parva Dij sic negligunt.

Videantur his propinqua titulo, *Peccati, Principij.*

Pastoris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*ivus Gregorius Nazianzenus*: Haudquaquam idem esse existimabam, ac ne nunc quidem existimo, gregi aut armento præesse, & hominum animas gubernare. Illinc enim quàm pinguissimas & obessimas oves ac boves reddere sufficit: idque sibi, & pastor, & bubulcus, ob oculos ponens, irrigua & compascua loca explorabit, gregemque & ad pascua ducet, & à pascuis educet, fessumque recreabit, & alio mouebit, ac revocabit, aliquoties quidem pedo, ut plurimum autem fistula. Nihil porrò aliud negotii pastor aut armentarius habet, quàm ut cum lupis nonnunquam pugnat, atq; interdum etiam ægram ouem aut bouem visitet. Magna autem temporis parte quercus ipsi, & umbra, & fistulæ curæ erunt, & in pulchra herba corpus sternere, atque prope gelidam aquam, & sub lenissima aura lectulum ex tempore compingere, amatorium etiam quiddam cum cissybio cantillare, ac oues vel boues alloqui, & ex his etiam pinguissimas quasque comedere, aut pretio addicere. Virtutis porrò ne levissima quidem cura gregem ullum aut armentū unquam tetigit. Quæ enim virtus eorum esse queat? aut quis eorum commodum potius, quàm voluptatem suam spectavit? At verò homini, cùm difficile sit scire parere, tum multò difficilius esse videtur, scire hominibus imperare, ac præsertim in hoc nostro imperio, quod in lege diuina situm est, & ad Deum ducit: cuius quo maius est fastigium, maiorque dignitas, eo etiam maius periculum est, prudenti utique homini & cordato. quippe cui primum illud curandum erit, ut argenti atque auri instar, omni ex parte versatus, atq; in omnibus temporibus & rebus, nusquam adulterinum aut subæratum quiddam tinniat, nihilque deterioris materiæ, flāmaque acriori dignæ, in seipso gestet. nam alioqni tanto gravius malum fuerit, quanto pluribus imperauit. Siquidem maior est eā improbitas, quæ ad multos serpit, quàm ea, quæ in uno defixa hæret. Neque enim vel indelebilem tincturam pannus, vel fætidum aut suavem odorem res admotæ ita facilè contrahunt, vel exitialis quidam vapor tam facilè in aerem diffunditur, ac per aerem animantia occupat, (quod quidem pestis, & est, & appellatur) quam subditi Antistidis improbitate celerrimè impleri solent, & quidem multò facilius, quam, virtute. Hoc enim est, in quo improbitas probitatem maximè superat & quod ipse mecum reputans, indignissimè atque acerbissimè fero, quòd cùm res quædam ad imitandum prona & expedita sit improbitas, nec quicquam tàm facilè sit, quàm malum fieri, etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat, rara tamen & ardua est virtutis adeptio, quamlibet etiam multa sint, quæ nos ad ea trahant & invitent. *Orat. 1.*

D. Nazianzenus: Charitatem tuam ergà gregem nos doce, industriam tuam simul & solertiam, curam tuam animique attentionem, vigilias, illam carnium tuarum spiritui ceu dentiū successionem, illum coloris istius florem, gregis commodis insudantis, illam lenitate temperatam acrimoniam, illam in rebus gerendis serenitatem & mansuetudinem (quæ res haud quaquam in multis reperitur, rarique est exempli) bella illa prò gregis salute suscepta, victorias illas, quas in Christo adeptus es. Dic quæ pascua petenda, qui fontes adeundi. ac rursum que pascua vitanda, qui latices: qui baculo regendi, qui fistula? quo tempore ad pascua ducendus grex, & quo rursum à pascuis revocandus: quo modo bellum lupis inferendum, quo modo non lacessendi pastores, hac præsertim tempestate, qua pastores stultè sese gerunt, atque oves pascuæ disperserunt (ut eadem, quæ sanctissimi Prophetæ ijsdem verbis deplorem:) quomodo quod infirmum est, roborabo, quod lapsum est, exigam, quod oberr t, in viam reducam, quod periis, conquiram, quod integris viribus est, conseruabo: quo, inquam, modo hæc addiscam, atque ita, ut recta pastoralis artis vestraque ratio postulat, custodiam, ac non, quod scelerati pastoris est, lac comedam, & lana induar, & pinguissima quæque jugulem aut vendam, reliqua autem bestiis & præcipiis relinquam, me ipsum pascens non gregem, quemadmodum olim Israelitarum præfectis obijciebatur. Hæc me, quæso, docete, his sermonibus fulcite: his præceptis, & me, & mecum sacrum hunc gregem pascite: atque ut doctrina, ita precibus etiam servate. *Orationis 7. extremo.*

D. Nazianzenus: Nescitis fratres, qua difficultate premamur, nos, inquam, qui hic cum pompa & fastu præsidemus, atque hæc vobis, qui è plebe estis, quasi lata lege promulgamus. Ac forrasse nec nostrum plerique (quod etiam deplorandum est) intelligunt, quomodo apud Deum, & cogitatio omnis, & sermo, & actio velut ad lancem expendatur: nec apud Deum duntaxat, verùm & apud omnes fermè homines, qui cum rerum suarum tardi sint judices, in alienis tamen censoriam virgulam celerrimè arripiunt, citiusque aliis gravissima errata, quàm nobis levissima, concesserint, ac, si imperitiores sint, nobis impietatis crimen potius impegerint, quā ut mediocrem suam inscitiam accusent. Nescitis quantum Dei donum sit silentium, ac loquendi necessitate minimè constrictum esse: ita ut pro arbitratu alterum eligere, alterum fugere liceat, sibique, & sermonis, & silentii, velut promum condum esse. Nam cùm omnis oratio suapte natura imbecilla sit, facileque percellatur; ac propter repugnantem sermonem libertate careat: tum verò ea, quæ de Deo suscipitur, tantò plus habet difficultatis, quantò maius subjectum est, & Zelus amplior, & periculum gravius. Quid autem metuemus? aut quid erit ex quo fiduciam concipiemus? mensne, an sermo, an auditus? cùm in tribus his rebus periculum versetur. Nam & res diuinas mente consequi arduum, & verbis explicare perdifficile, & purgatas aures nancisci maioris laboris & difficultatis. *Oratione 26.*

Chrysostomus: Perpendamus & ovium pastores illos, qui in Capadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum custodia patiantur. Illi sæpenumerò uniuersum triduum nive adobruti perdurant. Dicuntur autem & qui in Libya sunt non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem pes-

sima-

simarumq; bestiarum plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentiæ impendunt pastores illi: quam, quæso, excusationem habebimus, quibus rationales animæ concreditæ sunt, quòd profundum hunc somnū dormimus? Respirare enim omninò oportebat: quiescere autem omninò, & non circumquaque percurrere, innumerisq; etiam mortibus seipsos pro ouibus istis exponere; id demum non est boni pastoris. An ignoras gregis huius dignitatem? An illius gratia dominus tuus innumera non fecit? An non postremò & sanguinem suum fudit? Tu verò requiem quæris? Et quid poterit peius esse pastoribus istis? An non perpendis, quòd oves istas circumstant lupi multò amaricatiores ac sæviores? An apud temetipsum non reputas, qua mente sit opus ei, qui talem præfecturam sit administraturus? Et homines quidem qui populis præsunt, si quando de rebus fortuitis consulturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent: nos verò qui pro ipso cœlo certamen habemus, ipso quoq; die dormimus? Quis, quæso, ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur? Si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat: nunquid ad hoc munus tanquam ad nundinas currendum erat? Hæc autem nō solùm pastores, sed & oues audiant: ut alacriores faciant pastores; aliud quidem nihil, verùm omnem obedientiam animumq;, cui persuaderi queat, exhibentes. *Homilia 29. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Licet & subdito pro parte pastorem agere; nempe domus suæ, amicorum, domesticorum, uxoris, liberorum. *fine Homiliæ 29. ad Romanos.*

Basilius Seleuc. Orationis 26. pr. Perjucunda quædam res pastor in montibus pascens ouium greges, & fistulæ sono ad pascua greges exciens, qui calami modulatu delectatus etiā contra ferarum insultus comparatus est, qui baculo, & armis in eas armatur: Talis magnus hic gregis Christiani pastor. Nam cum piis carminibus greges nutrit, arma quæ ad impietatis eversionem faciant, negligere non solet. Immo verò cantillans, quæ sunt spiritus, etiam in lupos arma capit. Namque lætitia perfunditur crescente grege, præparatusque est nec ubi lupus, nec ubi hæreticus, ubi animam aliena à fide narratione corruperit, ouem devoret: quin immò adsumptam gregis sollicitudinem pro donario, cœlesti offert pastori.

Idem ibidem: Ne verò mireris, si apud Deum pastores quoq; aliquo sunt numero: nec enim Deus homines pascere erubescit. Siquidem Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Et iterum. Qui pascis Israel, intende, qui deducis velut ouem Ioseph. Non enim homines pascere Deum piget, cum non pudeat eorum, quæ fingit. At non ejusmodi Pharisæi pastores, qui pastorum loco positi reges jugulabant.

Idem mox: Christus pastor ouibus lætatur præsentibus, & quod exerrat, quærit. Montes, & syluas obire non recusat, obit præcipitia, cumq; de errante venit in partem errationis. Nec ob mores odiò inflammatur, etsi morbidam comperiat; sed mali commiseratione mouetur, & subijciens humeros proprio labore ouiculam curat laborantem, gaudet ipsa fatigatione, ouium inuentionem ratus lassitudinis esse levamentum.

¶ LATINORUM.

Chrysologus Sermone 46. Pastor dulci jubilo & varia modulatione, aut gregem producit ad pascua, aut sub nemore umbroso fessum pecus retinet ad quietem, aut alta collium salubrioris graminis hortatur cupiditate conscendere, aut ad devexa vallium sensim tota necessitate descendere. Sed beatæ sunt oues illæ, quæ sui vocem admittunt pastoris, attrahunt, nutriūt, congregant, & verè pastori suo jubilant: quæ germina sui gregis domino multiplicare moliuntur.

Chrysologus Sermonis 173. pr. Pastor bonus pervigiles noctes, dies anxios ducit, ne quid callidus latro, ne quid luporum feritas astuta perniciosum charo gregi, ne quid noxium moliatur. Pastor bonus, sicut dominus dixit, animam suam ponit pro ovibus suis. Sed & oves bonæ pastoris sui audiunt attentis auribus vocem, pastoris sui semper sequuntur arbitrium, pastoris sui totam faciunt voluntatem, ascendunt colles, petunt ardua, mutant sæpè regiones: ac sic apta pascuis, irrigua fluentis, umbrosa, accommoda, secreta quietis loca penetrant, reperiunt amœnitates; & deliciis perfruuntur.

¶ POETARUM.

P. Virgilius in Culice.

O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta fastidiat, & probet illis
Omnia luxuriæ pretiis incognita curis,
Quæ lacerant avidas inimico pectore menteis.
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data vellera: si nitor auri
Sublaqueare domus animum non tangit avarum:
Picturaq; decus, lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet: nec pocula gratum
Alconis referent, Boëtique toreuma: nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus,
Florida cum tellus gemmanteis picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arva:
Atque illum calamo lætum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem fraude remota,
Pollentemque sibi viridi cum palmite lucens
Tmolia, pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gratæ rorantes lacte capellæ,
Et nemus, & fœcunda Pales, & vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior ævo,
Quam qui mente procul pura, sensuq; probando,
Non avidas agnovit opes, non tristia bella,
Nec funesta timet validæ certamina classis?
Non, spoliis dum sancta deûm fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum, sævis ultro caput hostibus offert.
Illi falce Deus colitur, non arte politus:
Ille colit lucos: illi Panchaica thura,
Floribus agrestes herbæ variantibus adsunt!
Illi dulcis adest requies, & pura voluptas,
Libera simplicibus curis: huc imminet, omneis
Dirigit huc sensus; hæc cura est subdita cordi,
Quolibet ut requie victu contentus abundet,
Iucundoque locet languentia corpora somno.
O pecudes, ô Panes, & ô gratissima Tempe
Fontis Hamadryadum: quarum non divite cultu
Æmulus Ascræo pastor sibi quisque poetæ
Securam placido traducit pectore vitam.

Guntherus lib. 2. v. 54.

Tunc quoque nonnulli censura vindice regni
Amisere diu tali possessa reatu.
Quin & Pontifices Halberstadensis, & ille
Sub quo Brema fuit, tali regalia iura
Amisere nota: personæ scilicet ipsæ
Non tamen Ecclesiæ. neque enim quod pastor iniquè
Gesserit, Ecclesiæ fas est in damna refundi.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Iesus Christus. Quam suæ dispensationis mercedem à Principe pastorum consecuti sint, qui proximi sibi commissi saluti & curæ advigilant, superfluum huc in medium adducere iudicaui. Propositum itaq; paucos, eosq; selectissimos huiusce muneris sectatores, persequi. Ordiamur ab eo, qui hîc Principatum gerit CHRISTO DOMINO. Concesserat aliquando in desertum, & turbæ eum detinebāt, videntes admirabilē ejus virtutē, ne ab eis discederet. Quibus ille ait: *Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.* Insinuabat autem omniū omnino ouium suscipiēdam curā, ne ulla earū vitio & negligentia Pastoris pereat. *Luc. 4.*

S. Ambrosius Episc. Mediol. Egregius commissi sibi gregis protector, cùm templo suo ab Arrianis egredi cogeretur, eoq; planè cedere; *Spontè*, inquiebat, *hoc non fecerò: ne lupis ovium septa contradere videar, aut Deum blasphemantibus. Hic si placet, occidite.* Gloriosum ducebat, pastorē cum ouibus, & pro iisdē in propriâ caulâ, mortem oppetere. *Socrat. lib. 9. cap. 20.*

S. Georgius Thaumaturgus. Ille quoq; sanctitate & doctrina illustris: at signis miraculisq; illustrior, ob quorū præstantiam *Thaumaturgus* appellatus: cum innumerabiles Neocæsareæ & alibi ad fidem Christi suo exemplo eloquioq; traxisset, è vita laboribus fractus migraturus, rogabat, quot adhuc superessent in Neocæsariensi urbe infideles: cumq; responsum esset, Septemdecim; *Gratias Deo* inquit, *totidē erant fideles cùm accepi Episcopatum.* O miram Pastoris vigilantiā: quē etiā morientem gregis sui cura sollicitabat. *Niceph. lib. 6. c. 17. Breu. Rom. 17. Novemb.*

S. Godofredus Episc. Ambian. Præerat adhuc, priusquā ad Episcopatū suscipiendū raperetur, Cœnobio parùm celebri & dotato: instantiq; Rhemensi Antistiti, alterius, quod tum fortè Rectore carebat, longè præstantioris cùm nominis, tum fortunæ, gubernacula susciperet; exclamans, *Neq;*, ait, *possum, neq; si possim, velim pauperculā sponsā ditiori præferre.* Generosè admodū significabat, magnos honores grauiora etiam onera curasq; comitari. *Sur. tom. 6. in vita.*

S. Thomas Cantuariensis. Præclarus ille vir, neq; hoc loco silentij nube involuendus. Suadebat ei Antistes quidam ex suffraganeis, quò cū Rege pacem servaret, seq; extremo vitę discrimine eriperet, Episcopatu cederet. Cui ille generoso non minùs quàm forti animo: *Non ea conditione Episcopatum suscepi, ut Regi eum tradam: sed ut pro illo me ipsum etiam, si ita opus, impendam.* Vnde postmodum in exsilium pulsus, admonitus fortassis à priori illo Antistite, molliùs cum Rege ageret, æquè illustre responsum dabat: *Clauum teneo & ad somnum me vocas?* insinuans, boni pastoris esse animā suā pro ouibus ponere. *Sur. tom. 6. in vita Th. Stapl. in prompt. mor.*

Ioannes Episc. Roffensis. Require Apopht. de Ratione reddenda.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Iesus Christus Dominus noster. Discipulis suis dicebat, Vos estis sal terræ. quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? ad nihil valet amplius nisi ut abijciatur foras & conculcetur à quibusvis. Vos estis lux mundi. Non potest urbs occultari supra montem posita. Neq; accēdunt lucernā, & ponunt eam subter modiū, sed in candelabrum, & splendet omnibus qui sunt in domo. Ita splendeat lux vestra coram hominibus vt videant vestra bona opera, glorificentque Patrem vestrum qui est in cœlis. *Matth. 5. 13. 14. 15. 16.*

Idem. Dicebat discipulis suis, Messis quidem multa, operarii autē pauci: rogate ergo Dominum messis, ut operarios mittat in messem suam. *Matth. 9. 38.* Item, Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis. *Ioan. 4. 38.*

D. Paulus Apost. De Pastorum Ecclesiæ munere, dignitate, partibus, virtutibus, &c. disserit variis locis, quorū nonnullos notabimus.

Vide

Vide igitur Act. Apost.20.28.&c. Prioris ad Corinthios cap.2.3.4.9.posterioris ad eosdem c.1.2.3 4 5.6.10.cap.4. epistolæ ad Eph.

Secundo autem capite prioris epistolæ ad Thessalonicenses in se ipso sidi Ecclesiæ pastoris effigiem exhibet. Quum autẽ ejus verba sint imprimis observatu dignissima, ea describere nõ gravabimur.

1. Ipsi nostis, fratres (inquit) ingressum nostrum ad vos nõ fuisse vanum: imò etiam quum ante afflicti fuissemus & contumeliis affecti Philippis, sicut nostis, libertate usi sumus in Deo nostro ad annuntiandum apud vos Evangelium Dei cum multo certamine.

Hinc collige, *veri pastoris esse ingenuè & intrepidè mediis in periculis evangelizare.*

2. Exhortatio enim nostra non fuit ex impostura, neque cum impuritate, neque cum dolo.

Puram doctrinam, puro animi affectu fideliter docere.

3. Sed sicut placuimus Deo quibus crederetur Euangelium, ita loquimur nõ ut hominibus placentes, sed Deo qui approbat corda nostra. Neq; enim unquã sermone assentatorio usi sumus, sicut nostis, nec avaritię causa quicquã prętexímus: Deus nobis testis est.

Alienum ab omni assentatione & avaritia, Deo suam conscientiam approbare.

4. Neq; ex hominibus quęrentes gloriam, nec à vobis nec ab aliis: quũ possemus oneri esse ut Apostoli Christi. Sed fuimus placidi in medio vestri, ut si nutrix foueat suos fœtus.

Omni vitata elatione, seipsum infimis quibusvis, eos lucri faciendi causa, summittere.

5. Ita cupidi vestri, avebamus impertiri vobis non solum Evangelium Dei, sed etiã nostras ipsorũ animas, quòd chari nobis essetis.

Gregem sibi commissum propria vita chariorem habere.

6. Meministis enim, fratres, laboris nostri ac ęrumnæ: nocte enim ac die operando, ne quem vestrûm gravaremus, prædicavimus apud vos Evangelium Dei.

Suo potius jure cedere quam oves gravare.

7. Vos testis estis, ut Deus, quomodo sanctè & justè & inculpatè vobis qui creditis vixerimus.

Sancta & inculpata vita exemplo cæteris praire.

8. Sicut nostis quomodo unumquenq; vestrum tanquam pater liberos suos hortabamur & consolabamur.

Paternum affectum ad exhortationes & consolationes afferre.

9. Et obtestabamur ut ambularetis sicut dignum est Deo vocante vos ad suum regnum ac gloriam.

Omnes ad vitã, sicut Deo dignũ est, instituendã & ardenter urgere.

Vide præterea epistolas ad Timoth. & Titum, in quarum multis locis ex professo de pastorum Ecclesiasticorum munere luculenter & apostolico planè spiritu agit, quę si diligenter ab omnibus qui pastorum nomine gaudent considerarentur, hæreses & schismata jã pridem evanuissent. Ista autem pastorum pastori summo & pseudopastorum judici relinquamus.

D. Petrus Apostolus: De Pastorum Ecclesiæ munere loquens dicit, Presbyteros qui inter vos sunt precor ego unà presbyter, ac testis afflictionum Christi, atq; idem gloriæ patefaciendæ consors: Pascite Dei gregem qui penes vos est, curam illius agentes non coactè sed libenter: nõ turpiter affectantes lucrũ, sed prompto animo: neq; ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis. Et quũ apparuerit ille pastorum princeps, reportabitis immarcessibilem illã gloriæ coronam. *1. Petr. 5. 1. &c.*

Hinc eliciuntur 4. Canones verè Apostolici.

1. Qui pastor est, gregem pascito.
2. Pastor gregem non suum, sed Dei esse cogitato.
3. Pastores non alienos greges invadunto, sed sibi à Deo commissum pascunto.
4. Pastores non coactè, sed libenter: nõ avarè, sed animo in gregem propenso: non ut domini sortis & hęreditatis Dei, sed ut ejus ministri Ecclesiã verbo & sanctę ac inculpatę vitę exẽplis gubernãto.

Ex his canonibus facilè erit falsos pastores à veris discernere.

D. Irenæus: Eis, inquit, qui sunt in Ecclesia presbyteris obaudire oportet his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus: qui cum episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundum placitum patris acceperunt. Reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunque loco se colligunt, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus ut hypocritas, quæstus & vanæ gloriæ gratia hoc operantes. Omnes autem decidunt à veritate. Et hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, à cœlesti igne comburentur, quemadmodũ Nadab & Abiu. Qui verò exurgunt contra veritatem, & alteros adhortantur adversus Ecclesiam Dei, remanent apud inferos, voragine terræ absorpti, quemadmodum qui circa Chore, Datan, & Abiron. Qui autem scindunt & separant unitatem Ecclesiæ, eandem quum Hierobeam pœnam percipient à Deo. *Lib. 4. adu. hæreses, c. 43.* Locus imprimis observandus, & nobile Apophtegma adversus successionarios recentiores, qui principali successione, id est charismate veritatis secundum Dei placitum in verbo scripto comprehensum, relicta, & multiplici idololatria fœdissimè polluta, alienum ignem ad sanctum altare attulerunt, non modo schismatici, sed omnium hæreticorum effecti principes.

Origenes. Tu qui Ecclesiæ præsides, corporis Christi es oculus, propterea utiq; ut omnia circunspicias vide, omnia circũlustres, etiam vẽtura prævideas. Pastor es, vides oviculas Domini ignaras periculi ferri ad præcipitia, & per prærupta pendere, nec occurris? non revocas? non saltem voce cohibes, & correptionis clamore deterres? Si memor es Dominici sacramẽti, ut quum ille derelictis nonaginta novem in cœlestibus, propter unam ouiculam quæ errauerat ad terras descenderit, & inventam vectaverit humeris suis ad cœlũ, nos in nullo prorsus in curandis oviculis magistri pastoris sequamur exemplum? *In lib. Iosue, homil. 7.*

Gr. Nazianzenus: Multa extant apud Nazianzenum de Ecclesiæ pastoribus scitè dicta, quorum nonnulla appingimus.

1. Quemadmodum in corpore aliud membrũ principatum tenet ac velut præsidet, aliud subest & regitur: ad eundem quoq; modum Deus, vel æquitatis lege, quæ meritum cuiusq; perpendit, vel etiam providentiæ, per quã omnia inter se velut devinxit, hoc in Ecclesiis constituit, ut alii pascantur & pareant (quibus videlicet id utilius est) ac tum sermone, tum opere, ad officium dirigantur: alii autem ad Ecclesiæ perfectionem pastores ac magistri sint, nimirũ qui virtute conjunctioneq; & familiaritate apud Deũ vulgo sublimiores sunt, rationem animæ ad corpus, aut mentis ad animam obtinentes. *Orat. 1. seu Apologet. de fuga.*

2. Quum homini difficilè sit scire parere, multò difficilius esse videretur scire hominibus imperare, quàm greges ovium tueri, ac præsertim in hoc nostro imperio, quod in Lege divina situm est, & ad Deum ducit: cuius quò majus est fastigium, majorq; dignitas, eò etiam majus periculum est, prudenti utiq; homini & cordato, quippe cui primũ illud curandũ erit, ut argenti atq; auri instar, omni ex parte versatus, atq; in omnibus temporibus & rebus, nusquã adulterinũ aut subæratũ quiddam tinniat, nihilq; deterioris materiæ, flammaque acriori dignę, in seipso gestet. nã alioqui tãto gravius malũ fuerit, quanto pluribus imperarit. Siquidem major est ea improbitas, quę ad multos serpit, quam ea quę in uno defixa hæret. *Eadem orat.*

3. Veros & falsos pastores luculenter describit oratione 21. in laudem Athanasij his verbis.

Qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejusdem quoq; throni socius est: qui autẽ adversariam sententiã tuetur, adversarius quoq; in throno censeri debet, atq; hæc quidem nomen, illa verò rem ipsã & veritatem habet successionis. Neq; enim qui per vim irrupit, successor habendus est, sed qui vim perpessus est, nec qui leges violavit, sed qui modo legibus consentaneo electus est: nec qui contraria dogmata tenet, sed qui eadẽ fide præditus est. Nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati, & tenebras luci, & tempestatem tranquillitati, & mentis alienationẽ prudentiæ succedere dicimus. Posteaquã autem ad hunc modũ Pręsul designatus est, ad hunc quoq; protinus modũ imperiũ administrat.

Non enim simulatque ad thronum pervenit, velut qui tyrannidem quandam aut hæreditatem propter spem atripuerunt, statim ob saturitatem in petulantiam prorupit. hoc enim adulterinorum & ascriptitiorum præsulum est, eóq; munere, quod profitẽtur, indignorũ: qui cum nihil priùs ad sacerdotium attulerint, nullas ærumnas virtutis causa pertulerint, discipuli simul magistriq; pietatis creantur, aliósq; ante purgant, quàm ipsi purgati fuerint: heri sacrilegi, hodie sacerdotes: heri prophani, hodie sacrorũ antistites, veteres vitio, pietate rudes & recentes, (quod gratiæ ac fauoris humani, non Spiritus opus est) qui cùm cętera omniã violẽter peruaserint, ad extremum ipsam quoq; pietatem tyrannide premunt: quorum non mores dignitati, sed dignitas moribus fidem astruit, ordine ad modum præpostero: qui deniq; plura pro suis, quàm pro populi ignorãtiis, sacrificia debẽt, ac prorsus duorũ alterũ peccant; vel quia venia ipsi opus habent, ultra modum aliis ignoscentes, ut sic vitium non modo non reprimatur, sed etiam doceatur: vel quia imperii acerbitate peccata sua obtegunt.

Quorum utrumque fugiens Athanasius, vita quidem sublimis erat, verùm animo humilis: atq; ea quidem virtute, ut nemo ad eam aspirare posset, cæterùm ea comitate, ut ad eius congressum facilis omnibus aditus pateret, mansuetus, ab ira alienus, ad miserationem propensus, sermone jucundus, moribus jucundior, facie angelicus, animo magis angelicus, increpãdo placidus, in laudando erudiendi vim habens, sic utrumq; temperans, ut neutrũ horum per immoderationem labefactaret, verùm & increpatio paternam charitatem, & laudatio imperio dignam gravitatem obtineret: nec aut mollities dissoluta, aut severitas rigida & tetrica esset, quin potiùs illa facilitatis & benignitatis, hæc prudentiæ nomen haberet, utraq; verò sapientiæ landem consequeretur: ita denique se comparans, ut nec sermone propter mores abundè ad institutionem sufficientes, magnoperè opus haberet, nec rursus propter vim facultatémque dicendi virga admodum egeret, sectione porrò multo minùs, ob virgam moderatè ferientem.

Habes in Athanasio expressam piorum & orthodoxorum Ecclesiæ Dei pastorum expressam effigiem.

4. Eadem oratione Nazianzenus ad fontes hæreseon & superstitionum omnium quæ sequentibus seculis sub Antichristi tyrannide, pseudopastorum inscitia, ignavia & ludis ludificabilibus Ecclesiam invaserunt, digitum intendẽs, ostendit ignorantiam & contemptũ S. Scripturæ malorum istorum fuisse labem, his verbis.

Plebeiis hominibus id plerunq; saluti est, quod animum à curiosa exploratione alienum habent. At Doctori quo tandem modo idem concedemus, qui aliorum etiam inscitias emendat, nisi illud nomen falsò etiam sibi arroget. Nam cùm Romanorum legem nemini, quãlibet rustico & indocto, ignorare liceat, nec lex ulla extet,

quæ criminibus per ignorantiam commissis opem ferat: nónne absurdum est salutis doctores (ecclesiæ pastores) & antistites, salutis principia nescire, etiamsi alioqui simpliciores sint, hebetiorique animo.

4. Verùm his sanè ignoscatur, qui impiis dogmatibus per ignorationem assensum præbuerunt. Quid autem de aliis dixeris, qui etiã ingenii laudem sibi vendicantes, hæreticis rerum potientibus manus dederunt, & cùm pietatis personam diuturno tempore quasi per ludum gessissent, simul ut aliquid apparuit, quo convinci possent, protinus corruerunt?

5. Cunctis animarum pastoribus & dispensatoribus rectæque doctrinæ arbitris legem statuo, ut nec per duritiem hominum animos exasperent, nec per summissionem elatos & insolentes efficiãt: sed prudenter & consultè in fidei causa se gerant, nec in alterutro horum mediocritatem excedant. *Orat. 32.*

6. Mundus non pastores sed rhetores quærit: nec animarum dispensatores, sed pecuniarum custodes: nec puros mysteriorum administros, sed fortes ac robustos defensores. *Eadem oratione.*

D. Bernardus: Veros & falsos pastores prolixè describit in *tractatu de Vita S. Malachiæ episcopi*, cuius miranda dona & gesta postquam descripsit, ut inter fidos Dei seruos & Antichristi mancipia discrimen constitueret, multa subjecit lectu digna. Et Malachiam ut boni pastoris ideam proponens, ait:

Meo quidem judicio primum & maximum miraculum quod Malachias fecit, ipse erat. Vt enim taceam interiorem hominem eius, cuius pulchritudinem, fortitudinem, puritatem satis indicabant mores ipsius & vita: ipsum exteriorẽ ita uno semper modo ipsoq; modestissimo & decentissimo gessit, ut nil prorsus appareret in eo quod posset offendere intuentes. Et quidem qui non offendit verbo, ille perfectissimus est vir. At verò in Malachia quis unquam etiamsi curiosius obseruarit, deprehendit otiosum non dico verbum, sed nutum? Quis manum pedémve mouentem frustra? Imò quid non ædificans in eius incessu, aspectu, habitu, vultu? denique vultus hilaritatem nec fuscauit mœror, nec leuigauit risus. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia serius, sed nõ austerus. Remissus interdum, dissolutus nunquam. Negligens nihil, etsi pro tempore multa dissimulans. Quietus sæpe, sed minimè aliquando otiosus.

A die primo conuersionis suæ usque ad extremum vitæ suæ sine proprio vixit. Non seruos, non ancillas, non villas, non viculos, nõ denique quicquam redituum Ecclesiasticorum seculariúmve vel in ipso habuit episcopatu. Mensæ episcopali nihil prorsus constitutum vel assignatum, unde episcopus viueret. Nec enim vel domum propriam habuit. Erat autem penè incessanter circumiens parœcias omnes, Euangelio seruiens, & de Euangelio viuens, sicut constituit ei Dominus, Dignus est, inquiens, operarius mercede sua. Nisi quòd frequentiùs ipsum Euangelium sine sumptu ponẽs, de laboribus suis suorumq; ferebat, unde se & alios qui secum laborabant in opere ministerij sustentaret.

Porrò si interdum quiescere oporteret, in sanctis hoc faciebat locis, quæ ipse per Hyberniam sparserat uniuersam. Apud quos moram facere libuisset, illorum se conformauit moribus & obseruantiis, communi contentus vita & mensa. Non fuit in victu, non fuit in vestitu in quo potuisset Malachias dignosci inter cæteros fratres, in tantum cùm maior esset, humiliavit se in omnibus. Deniq; cùm exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes & ipse ibat, episcopus & legatus. Forma Apostolica hæc, & inde magis mira in Malachia, quo rara nimis in aliis. Verus profectò Apostolorum heres est iste, qui talia agit.

Sed aduertere est quomodo diuidat hæreditatem cum fratribus suis, æquè (scilicet) nepotibus Apostolorum. Illi dominantur in clero, iste dum esset liber ex omnibus, omnium se servũ fecit. Illi aut non euangelizantes manducant, aut euangelizant ut manducent. Malachias imitans Paulum manducat ut euangelicet. Illi fastum & quæstum æstimant pietatem: Malachias hæreditate vendicat sibi opus & onus. Illi felices se credunt, si dilataverint terminos suos: Malachias in dilatanda charitate gloriatur. Illi congregant in horrea, & dolia replent, unde onerent mensas: Malachias colligit in deserta & solitudines unde impleat cœlos.

Illi cùm accipiant decimas & primitias & oblationes, insuper & de Cæsaris beneficio telonia, & tributa, & alios reditus infinitos, solliciti sunt nihilominus quid manducent, aut quid bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis, nec sollicitudinis ullus est finis: Malachias cupiens nihil, non nouit tamen cogitare de crastino. Illi à pauperibus exigunt quod dent diuitibus: iste sollicitat diuites pro pauperib. sustentandis. Illi marsupia vacuant subditorum: iste pro peccatis eorum altaria cumulat votis hostiísque pacificis. Illi alta pallatia erigunt, turres ac mœnia ad cœlos leuant: Malachias non habens ubi caput reclinet, opus facit Euangelistæ. Illi equos ascendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, & non suum: Malachias septus sanctorum fratrum collegio pedes circuit, portans panes angelorum, quibus satiet animas esurientes. Illi plebes ne agnoscunt quidem: iste erudit. Illi potentes & tyrannos honorant: iste punit.

O virum apostolicum, quem tot & talia nobilitant signa apostolatus sui? Quid ergo mirum si mira est operatus, sic mirabilis ipse? Immò verò non ipse, sed Deus in ipso. Alioquin, tu es Deus (inquit) qui facis mirabilia.

De S. Apostolo verba faciens, quem vas electionis Christus vocat ad portandum nomen eius coram gentibus, regibus, & filiis Israel, addit, Vas dignum & cœlestibus ferculis repletum: de quo & sanus escam, & infirmus accipiat medicinam. Tales decebat humano generi pastores & doctores constitui, qui & dulces essent & potentes, & nihilominus sapientes. Dulces, ut me blandè & misericorditer susciperent. Potentes, ut fortiter protegerent. Sapientes, ut ad viam, & per viam ducerent quæ ducit ad civitatem. *In die festo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.*

Pastorum est, inquit, vigilare super gregem propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinã propter morum correctionem, ne grex cõmissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate. In disciplina rigor justitiæ, in prece affectus compassionis. *In Sententiis.*

Validos & constantes necesse est esse eos qui super alios ordinantur, necnon & longanimes in spe, atque ad superna mentis verticem attollentes, qui etiam bonum fidei suæ & conuersationis odorem ubique spargentes, dicere cum Apostolo possint, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. *Sermone 46. super Cantica.*

Amicissimi Christi sint oportet, qui priuilegio tantæ familiaritatis donantur, ut sint ouium summi huius pastoris pastores. Nec otiosè totiens repetitum est, Petre amas me, in cõmissione omniũ. Ego quidem id significatum perinde puto, ac si illi dixisset Iesus, Nisi testimonium tibi perhibeat conscientia quòd me ames, & valdè perfectéque ames, hoc est plus quàm tua, plus quàm tuos, plus quàm & te, ut huius repetitionis meæ numerus impleatur, nequaquam suscipias curam hanc, ne te intromittas de ouibus meis, pro quibus sanguis utique meus effusus est. Terribilis sermo, & qui possit etiam impauida quorumvis tyrannorum corda concutere.

Propterea attendite vobis, quicunque opus ministerij hujus sortiti estis, attendite, inquam, vobis, & pretioso deposito quod vobis creditum est. Ciuitas est, vigilate ad custodiam concordiámque. Sponsa est, studete ornatui. Oues sunt, intendite pastui.

Boni sollicitíque pastores impinguare pecus non cessant bonis lætisque exemplis, & suis magis quam alienis. Nam si alienis & nõ suis ignominia est illis, & pecus ita non proficit.

Bonus pastor hoc quoque curabit, ut secundum Evangelium inveniatur habere sal in semetipso, sciens quia sermo sale conditus, quantum placuerit ad gratiam, tantum proderit ad salutem.

Quomodo autem in pascua divinorum educet eloquiorum greges Dominicos pastor idiota? Sed etsi doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum ne non tam nutriat doctrina uberi, quàm sterili vita noceat. *Serm. 76. super Cantica.*

Sermone sequenti malos pastores graphicè depingit Bernardus, ex cuius verbis si antithesin instituas, quales esse conueniat bonos pastores colligere facilè poteris.

Non omnes, inquit, sunt amici sponsi, quos hodie sponsæ hinc inde assistere cernis: & qui (ut vulgò aiunt) eam quasi adextrare videntur. Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærant, ex omnibus charis eius.

1. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum quia manus dederunt mammonæ.

2. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium repentè eminus procedentem aspexeris, sponsã potiùs putabis quàm sponsæ custodem? Vnde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est, quòd illa pauper, inops, nuda, facie miseranda, inculta, hispida, exanguis relinquitur.

3. Ideo non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare: nõ est custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: non est instituere, sed prostituere: non est pascere gregem, sed mactare & devorare: dicente Domino, Hi deuorant plebem meam ut cibum panis, &c.

4. Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus invigilet subditorum vacuandis marsupiis quàm vitiis extirpandis? Vbi, qui orando flectat iram? qui prædicet annum placabilem Domino?

5. Leuiora loquimur, graviora gravius manet judicium. Sine causa tamen vel his vel illis immoramur: quia non audiunt nos. Sed etsi literis forsitan mandentur ista quæ dicimus, dedignabuntur legere: aut si fortè legerint, mihi indignabuntur, quamvis rectiùs sibi hoc facerent. Propterea relinquamus istos non inventores sponsæ, sed venditores, &c.

De bonis & malis pastoribus Ecclesiæ plura *D. Bernardus habet in libris de Consideratione ad Eugenium.*

Chrysostomus: Dicebat Christus (inquit) Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis: non dixit, honoratur & colitur. Hoc est pastoris munus & pascendi scientia, sua negligere, & eorum quos regit curam gerere. *In Psal. 113.*

Magnum quiddam est Ecclesiæ prælatio, & quæ multa indiget sapientia & fortitudine, qualem Christus proposuit, ut animam pro ovibus ponamus, & nunquam illas deseramus, ut lupo generosè resistamus. Hæc enim est inter pastorem & mercenarium differentia. Alter propriæ contemptis ouibus, alter sua contempta,

tempta, ouium semper saluti invigilat. *In Ioann. homil. quinquagesima nona.*

An ignoras gregis Christi dignitatem? an illius gratia Dominus huic innumera non fecit? an non postremò & sanguinem suum fudit? Tu verò requiem quæris?

Bonus pastor, & talis qualem Christus vult, cũ innumeris componi potest martyribus. Siquidem martyr semel propter Christum moritur: hic verò millies propter gregem. *In epistola ad Roman. homil. 29.*

Vide ejusdem libros sex de sacerdotio, ubi innumera ferè occurrunt de pastorum Ecclesiasticorum officio.

D. Augustinus.. Pertinet ad diligentiam pastoralem, inquit, etiam illas oves quæ non violenter ereptæ, sed blandè leniterque seductæ à grege aberraverint, & ab alienis cœperint possideri, inventas, ad ovile Dominicum, si resistere voluerint flagellorum terroribus vel etiam doloribus revocare, *Epist. 50. ad Bonifacium comitem, de moderatè coercendis hæreticis.*

Ex libro ejusdem de pastoribus, *tomo 9.* excerpta quædam.

Illud quòd Christiani sumus, propter nos est: quòd autem præpositi (id est pastores) sumus, propter vos est. *cap. 1.*

Quisquis ita præpositus est, ut in eo quòd præpositus sit gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves. *Ibidem.*

Pastores qui non possunt facere quod Paulus, ut manibus suis se transigant, accipiant de lacte ovium, sustentent suam necessitatem, sed non negligant ovium infirmitatem: non hoc sibi quærāt tanquam commodum suum, ut ex necessitate suæ penuriæ videantur annuntiare Evangelium, sed hominibus illuminandis præbeant lucem verbi veritatis. *cap. 2.*

Dicunt hoc sæpe hæretici, quando veritate manifestissima convincuntur: Nónne oves sumus? pastores de nobis reddent rationē. Reddent planè malam de morte vestra. De morte ovis malignæ reddet malus pastor malam rationem. Quid illi prodest, quia adfert pellem signatam? paterfamiliâs vitam ovis inquirit. *cap. 10.*

Sed ecce malus pastor attulit pellem, reddat de pelle rationem. Si dicat, Clamavi ei verba tua, & sequi noluit, novit summus judex, utrum verum dicat. reddit bonam rationē de ove mala. Si autem non quæsivit pereuntem, quid prodest invenisse pellem quam referret? Ipsam revocare debuit, ne pellem mortuæ demonstrarent. *Ibidem.*

Si non bonam rationem reddit, quia non quæsivit errantem, qualem reddet qui fecit errantem? Hoc est quod dico, Si in catholica constitutus Episcopus non bonam rationem reddit de ove, si non quæsierit errantem de grege Dei, qualem rationem redditurus est hæreticus, qui non solùm non revocavit ab errore, sed etjam impulit in errorem? *Ibidem.*

Quæ sunt oves meæ, ait Christus, audiunt vocem meam & sequuntur me. Hîc invenio omnes pastores bonos in uno pastore. Non enim verè pastores. boni desunt, sed in uno sunt. Multi sunt, qui divisi sunt. Hic unus prædicatur, quia unitas commendatur. *cap. 13.*

Vtique si sunt bonæ oves, sunt & boni pastores: nam de bonis ovibus fiunt boni pastores. Sed omnes boni pastores in uno sunt, unum sunt. Illi pascunt, Christus pascit. Non enim vocem suam dicunt amici sponsi, sed gaudio gaudent propter vocem sponsi. Idem ergo ipse pascit cùm ipsi pascunt: & dicit, Ego pasco: quia in illis vox ipsius, in illis charitas ipsius. *Ibidem.*

Hoc est Christū pascere, hoc est Christo pascere, in Christo pascere, præter Christum sibi non pascere. Sunt ergo omnes in pastore uno & dicant vocem pastoris unam, quam audiant oves: & sequantur pastorem suum, non illum aut illum, sed unum: & omnes in illo unam vocem dicant, diversas voces non habeant. *eodem. cap.*

Commendabat Petro Christus agnos suos pascendos qui pascebat & Petrum. Quid enim Petrus poterat præstare Domino, maximè jam immortale corpus gerenti, & in cœlum ascensuro? In hoc ostende quòd amas me, pasce oves meas. Si nos cum timore pascimus, & timemus pro ovibus, ipsæ oves quomodo pro se debent timere? Pertineat ergo ad nos cura, ad oves obedientia: ad nos vigilantia pastoralis, ad vos humilitas gregis: quanquam & nos qui vobis videmur de superiore loqui loco, cum timore sub pedibus vestris sumus, quoniam novimus quàm periculosa ratio de ista quasi sublimi sede reddatur. *In Ioann. serm. 62.*

Quomodo docet quis quod non didicerit, vel qualiter pastor esse poterit, si pane vitæ gregem sibi commissum pascere ignorat? Non erubescat discere nesciens quod ignorat, nec sciens tardus sit docere quod novit. Sciat uterque suo domino acceptæ pecuniæ rationem se redditurum. *Serm. 37. de tempore.*

D. Gregorius Magnus. Scripsit librum de pastorali cura, sectum in tres partes, dignum qui à fidis Ecclesiæ pastoribus sæpius legatur.

Hujus summa hæc est, Imperitos à pascendo grege Christi (ars enim artium est regimen animarum) arcendos esse: eos item qui vivendo non perficiunt quæ meditando didicere debuerunt. Pastorum Ecclesiæ onus esse gravissimum, eò quòd adversa quæque despicienda sunt, & prospera formidanda: occupationem muneris plerunque mentis dissipare soliditatem.

Eos malè sibi consulere, qui cum aliis prodesse virtutum exemplo valeant, quietem propriam sectando onus illud refugiunt: qui per humilitatem refugiunt, tunc verò humiles esse cùm non resistunt divinis judiciis.

Nonnullus nonnunquam pastoris munus laudabiliter appetere: ad hoc quosdam coactos pertrahi: ambitiosos præfecturas quærere, & Apostoli dicta (*1. Timot. 3.* Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat) ad usum suæ libidinis arripere. Talium mentem plerunque sibi ficta bonorum operum promissione blandiri.

Pastor (inquit Gregorius) cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, providentiam in internorum sollicitudine non relinquens.

Ne placere suo studio hominibus appetat, sed tamen ad quid placere debeat, intendat. Hypocritas prudenter dignoscat. In eo sit discretio correctionis, dissimulationis, fervoris & mansuetudinis. Præcipuè vero sacræ legis meditationibus intentus esto.

In applicatione verbi Dei erga oves sibi commissas totus esto: aliter enim sunt admonendi viri, aliter fœminæ: iuvenes & senes, inopes, & locupletes, læti & tristes, subditi & prælati, servi & domini, &c. Auditorum ergo diligentem habeat rationem: graviora vitia præcipuè persequatur, infirmis mentibus abstrusa non proponat, & (quod palmarium est) non voce tantùm, sed opere gregem in fide, spe, & charitate contineat.

¶ Monosticha Trochaica.

Admonere voce præstat quàm flagelli ictu pecus.
Decubans scropha æquè alieno præbet ubera ac suo.
Et capellarum maritos esse oportet mutilos.
Maximè gaudet frutetis hædus atque arbusculis.
Non petunt lupi pastorem, præda eis sat sunt oves.
Pastor est ferus spiratque quid domari quod nequit.
Quam mage grex pastori curæ, tam plus illi fert lucrum.
Quisq; vult pastor vocari, nemo at ut sit nititur.
Somnium capit securè pastor ut vigilat canis.
Sus lacu gaudet cœnoso, sed cubili comptulo.
Vis oves teipsum sequantur? ramum olivæ præferas.

¶ Jambica.

Dumeta, non campos, caper desiderat.
Inter canes quis collocet pastor lupos?
Nocet capellis æstus, at frigus magis.
Pastor malus deglubit, non tondet pecus.
Pastor malus pascit seipsum non gregem.
Pastoris est munus, gregem defendere.
Pavêre oves etiam puellæ regiæ.
Quandoque pastor pro lupo canem ferit.
Si bos ferit cornu bubulcus plectitor.
Vis perdere gregem ovium? pastorem tollito.

Patris vel Matrisfamiliæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM PATRUM.

D. *Greg. Nazianzenus:* Jam cùm aliæ rei familiaris augendæ laude aliæ pietatis gloria excellant (utrumque enim assequi difficile est) utroque nomine mater mulieres omnes superavit: tum quod utrumque horum ad summum usque præstiterit, tum quod sola duo ista complexa fuerit. Rem enim domesticam industria & solertia sua, juxta leges mulieri forti à Salomone statutas, ita auxit, quasi pietatem colere nesciret: Deo rursum ac divinis rebus ita sese addixit, tanquam à rerum domesticarum procuratione plurimum abesset: neque ab alterutro horum quicquam impedita est, quo minus alterum impleret, quin potiùs utrumque alterius ope fulcivit & confirmavit. *Orat. 19. in funere Patris:*

D. Chrysostomus: Hoc & externæ sapientiæ auctores ajunt, ut qui rem familiarem suam rectè administraverit, rei quoque publicæ convenienter possit contrectare negotia. *Homilia decima ad Timoth. 1.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Xenophon: Qui quo vescatur satis habet, is laborando cibos conficiens, recte mihi valetudinem suam posse conservare videtur, & majus robur adquirere: ac si res bellicas exerceat, honestius incolumis

mis evadere: deniq; consentaneum est, rem familiarem hujus magis augescere, si quidem recte sua curet, ac non remissior ignaviorque fiat. Hactenus ego te adsequor, inquam, Ischomache, quod hominem laborando cibos conficientem, & curam adhibentem, & exercentem se, magis bona consequi dicis. At quo labore utaris, ut & valetudo commoda, & robur corporis tibi contingat, quoque pacto te bellicis in reb. exerceas, quo studio efficias, ut copiis abundes, quib. tum amicis prodesse, tum vires aliquas huic civitati possis addere: hæc, inquam, perlubenter velim querendo percipere. Ego vero mi Socrates, ait Ischomachus, surgere de lecto consuevi, quo tẽpore adhuc domi reperturus sim aliquẽ, quem forte me videre necesse sit. Ac si quid in urbe sit agendum, id in hunc modum obambulans efficio. Sin rei necessariæ nihil sit, quod in urbe geratur, equum puer ante me rus deducit, ego verò iter hoc quo rus eo, loco ambulationis fortasse rectius utor, mi Socrates, quam si in xysto deambularem.

Posteaquam rus venio, sive qui mihi serunt, seu novales instruunt, sive seminant, seu fructus important, inspectis omnibus, quo pacto fiant singula, corrigendo concinnius facio, si quid opere præsenti melius teneo. Secũdũ ea plerunq; conscenso equo quamsimillimas ijs, quæ in bello necessariæ sunt, equitationes instituo, neq; transversa, neq; acclivia, neq; fossas, neq; aquarum ductus vito. Atq; interea curam adhibeo, ne facientem hæc equũ claudum efficiam. His peractis equũ puer volutatum domũ abducit, simul rure secum ferens in urbem, si quo nobis opus est. Ego verò nunc pedetentim incedens, nunc currens domũ ut veni, strigile utor. Deinde tantũ, mi Socrates, in prandio sumo, ut eum diẽ neq; vacuus, neq; valde repletus.

Ita me Iuno amet, inquam, facis hæc ita tu, Ischomache, ut omnino mihi placeant. Nã eodem tempore uti adparatu, qui & valetudini & virib. conducat, itemq; exercitationibus uti ad rem militarem pertinentibus, & curatione opum: eorum vero nihil est, quod non admirandum mihi videatur. Etenim te rectè hæc singula suscipere, satis magna de te indicia præbes. Nam & cõmoda valetudine utentem plerumq; robustumq; Deum beneficio videmus: & inter peritissimos artis equestris, ac opulentissimos recenseri te scimus. *cap. 43. oeconomia.*

§ Romanorum.

Symmachus l. 2. Ep. 34. m. Nunc verò officiis mulcemus abeuntẽ, & blanda animo tuo fomenta suggerimus, cùm in omnibus curam rei familiaris anteferas. Nam recordaris hoc te præfamine epistolã texuisse. Nihil hac ætate tractandũ pensius domesticis rebus. Quod ego, dum contemplor venam morum tuorum, scio ludo esse conceptum. Quando enim sublimitas ingenii tui curis vilioribus flecteretur? Censeo igitur aliis dare verba mediteris, qui sanctum penetral animi tui nesciunt.

Symmachus l. 6. Ep. 67. Interea, Domina filia, honoratum me opimo lanificij tui monumento satis gaudeo. Vna quippe & amor in parentẽ tuum & industria matronalis inclaruit. Sic priscæ feminæ vitam coluisse traduntur, & illas quidem deliciarum sterile seculum colo & telis animũ jubebat intẽdere: quia illecebra cessante temporum vivebatur Ibi verò & Bajæ appositæ curã sobrij operis detrahere nõ possunt. Renuncias stagna verrentibus, & residens aut obambulãs inter pensa & foragines puellarũ, has solas arbitraris sexus tui delicias. Meritò igitur te amo, dignamque viro tuo judico: quando nobis æquè laus & voluptas ex illius perfectione adventicia, & ex tua probitate genuina est.

§ Apologorum.

Phædrus Fab. 39. Cervi & Boum.

Cervus nemerosis excitatus latibulis,
Vt venatorum fugeret instantem necem,
Cæco timore proximam villam petit,
Et oportuno se bovili condidit.
Hic bos latenti: quidnam voluisti tibi
Infelix ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris.
At ille supplex: vos modo, inquit, parcite,
Occasione rursus erumpam data.
Spatium diei, noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt subinde & redeunt omnes rustici,
Nemo animadvertit: transit etiam villicus
Nec ille quicquam sentit: tum gaudens ferus
Bobus quietis agere cœpit gratias,
Hospitium adverso quod præstiterint tempore.
Respondit unus: salvum te cupimus quidem,
Sed ille qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
Hæc inter, ipse dominus à cœna redit:
Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad præsepe: cur frondis parum est;
Stramenta desunt? tollere hæc aranea
Quantum est laboris? dum scrutatur singula
Cervi quoque alta est conspicatus cornua,
Quem convocata jubet occidi familia,
Prædamque tollit. Hæc significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

De Cervo. Anonymus.

Motus voce canum cervus fugit avia sylva,
Deserit, arva tenet, claustra bovina subit.
Bos ait aut luci tenebras, aut æquora campi
Tutius intrares, hinc piger, inde levis.
Huc veniet custosq; boum, stabuliq; magister,
Si duo, vel tantum te videt alter, obis.
Cervus ait, mihi vestra necem clementia demat;
Condite me latebris, ut juvet umbra fugam.
Hunc tumulant fœno: persæpe revisit arator,
Frondibus & fœno munit alitque boves.
Hic abit, ac cervus vitasse pericula gaudens,
Bobus agit grates; è quibus unus ait,
Est vitare leve cæcum: si venerit Argus.
Argum si poteris fallere, victor eris.
Centum fert oculos; cui se debere fatentur
Et domus & servi, totaque iura loci.
Res sua sollicitat Argum, res altera cæcum
Qui tibi dormitat, scit vigilare sibi.
Hic silet. Argus init stabulum, bobusq; ministrat,
Plus æquo tenues viderat esse boves.
Dum munit præsepe cibo, dum fulgurat ira,
Ausa videre diem cornua longa videt.
Quid latet hic? quid, ait, video? sentitque latentem,
Et bona fortunæ munera lætus habet.
Exulis est non esse suum, vigilare potentis,
Stertere servorum, velle iuvare pij.

De Patrefamilias succensente cani ob gallinas raptas. Fab. 149.

Paterfamilias oblitus haram, in qua gallinæ pernoctabant, claudere, quum manè surrexisset, reperit omnes à vulpe occisas, & ablatas esse, indignatus igitur in canem, tanquam malum rerum suarum custodem, multis illum afficiebat plagis. Cui ille: si tu, inquit, cui gallinæ ova & pullos pariebant, in occludendo ostio negligens fuisti: quid mirum, si ego alto sopore oppressus, vulpem venientem non sensi, qui nulla ex illis emolumenta percipiebam.

Fabula indicat, haud unquam sperandum diligentem fore familiam, cuius paterfamilias negligens fuerit. Abstemius.

§ Monosticha Trochaica.

Arduum æquè alios bonos efficere, quam esse te bonum.
Civium domus privata, ærarium tutissimum.
Dedecus suæ maritus ultimus novit domus.
Esse rex potest bonus, qui familiæ est pater bonus.
Exteros quei ferre posit difficilis domi suis?
Femina corpus nomenque quare transit atrium?
Feminam domo prodire vix ferunt negotia.
Fit facilius scurra dives, quàm quis familias pater.
Improbus custos suorum, & publicum servat malè.
Nemo sic in æde servit familias velut pater.
Nil foris fortem esse prodest, si malè vivitur domi.
Nulla matrum est, quæ non gnatum ducere uxorem velit.
Promptius ditescere, fieri familias quam item patrem.
Qualis urbi erit, qui non est in genus probus suum?
Quei tenere auctoritatem, qui nupsit, viri queat:
Qui semel scurra esse suevit, familias haud fit pater.
Qui sibi nequit prodesse, proderit nec publico.
Qui suam bene rem gerit idem rem geret bene publicam.
Quidquid est domi, necessitate habendum id est satis.
Qui bonus pater familiæ est, esse rex potest bonus.
Vna quei potest patere pellici ac nuptæ domus?

§ Jambica.

Circumferentiam obire centrum quei queat?
Domus scelestus, urbi esse utilis nequit.
Mage iudicio quàm dominio regas tuos.
Meretrix & materfamilias unà in domo?
Palæstra patri-cuique familias sua est.
Paterfamilias agros neglectos para.
Plebeia magnos non capit motus domus.
Probationes ne sumantur de domo.
Qui contrahunt domi se, dilatant foris.
Servit magis paterfamilias quàm imperat.
Vir ubi imperat, paret mulier, recta est domus.

Patientiæ.

§ Sententiae Patrum Graecor.

D*ivus Nazianzenus*: Cùm ipsius collegæ contentionis illius in qua victi fuerant, ignominiã, eamq; quã senex ille omnibus in reb. obtinebat auctoritatẽ & potentiã iniquo animo ferrent, ob idq; ipsi infensi essent, ac convitiis eum incesserent, eos quoq; patientia sua superavit, maximum subsidium nactus mansuetudinem & morum facilitatem & quòd maledictis lacessitus maledicta non regereret.

Neque enim grave est judicabat, si, cum rebus vicisset, lingua se vinci pateretur. Quamobrem si eos quoque lenitate sua & patientia cepit, ascito præsertim ad sententiæ suæ auxilium tempore,

ut indignationem in admirationem convertentes, sese ipsi excusarent, genibus advolverentur, pudore, ob ea quæ prius admiserant, suffunderentur, abjectisque odiis eo Patriarcha, Legislatore, & judice uterentur. *Oratione decima nona.*

Divus Nazianzenus : Hic est veritatis athleta verissimus, & Trinitatis ad sanguinem usque propugnator, atque eorum, qui ipsum, injuriæ inferendæ caussa, persequebantur, per patiendi alacritatem persecutor: nihil enim persecutorem ita superat ut patientis alacritas. *circa initium orationis vigesima tertia, in laudem Heronis.*

Divus Nazianzenus : Illud non metuo, nec quid à philosopho alienum, atque te nobisque indignum in rebus adversis ac molestiis tibi accidat. quin potius nunc vel maximè futurum existimo, ut Basilius meus cognoscatur, & ea, quam per omne tempus collegisti, sapientia patefiat; ac tu improborum hominum injurias & impressiones superes, velutque in altissimis fluctibus immotus maneas, alijs in perturbatione ac tumultu versantibus. *Epistola vigesima quinta.*

Divus Chrysostomus : Perquam generosi animi est, cùm undique provoceris ac pungaris, æquo animo acerbitates omnes ferre. *Homilia duodecima ad Corinthios secundo.*

Divus Chrysostomus : Cùm detrimento aliquo ab hominibus mulctamur, non parvam debiti partem succidimus, si ea quæ nobis inferuntur, magno ac generoso animo perferamus: ex quo fit ut nulla injuria afficiamur. Deus enim vexationem nobis pro debito imputat, non secundum juris, sed secundum benignitatis rationem, etiamsi non ab initio eum qui injuria affectus est ulciscatur. *Homilia duodecima ad Corinthios 2.*

Divus Chrysostomus : Si lenitate & clementia prosequimur injuriam, soluta omni injurjantis ira apud ipsum secedere fecimus judicium, pro nobis ferens sententiam, & graviùs ipsum quam nos condemnans. Ipsum enim condemnabit, & omnem quæret occasionem, per quam cum majori mensura reddet lenitatis & patientiæ partem, quæ fuit sibi data fœnori: ut qui sciat, quod si par quidem reddiderit, eo tamen est inferior, quòd non ipse cœperit; sed eò quod exemplum à nobis acceperit, minus ferens.

Studium ergo ponet ut semina superet mensura: ut detrimentum quod patitur ex eo, quòd secundus venerit ad remunerationem tollat exuperatione remunerationis; & quod ex tempore factum est detrimentum ejus, qui priùs malè passus est, id commune faciat ex summa lenitate ac clementia. Nam homines, quando sunt grati & memores beneficij, non tam ingemiscunt ob mala, quàm ob bona quæ acceperunt ab ijs qui sunt affecti injuria. Nam hoc quidem habet laudem, plausum & commendationem ab omnibus; quòd malè passus pro pari non reddiderit. Propter hoc maximè mordentur.

Quamobrem si velis ulcisci, hoc modo ulciscere: Mala repende bonis; ut & eum reddas debitorem, & admirabili vincas victoria. Malè passus es, benè fac: ita inimicum ulciscere. Nam si illum quidem persequaris, omnes & te & illum similiter vituperant. Sin autem feras: aliter tibi quidem adplaudent, & te admirabuntur; illum autem accusabunt. Quid autem majus fieri potuerit inimico; quàm videre inimicum esse in admiratione apud omnes, & ei applaudi? Quid inimico acerbius; quàm videre se probro & contumelia affici ab omnibus, vidente inimico? Si ipsum ulciscaris, & fortasse damnaris, & tu solùm ulcisceris.

Sin autem ei remittas, omnes pro te ipsum ulciscuntur: quod quidem est gravius, quàm malè pati, quòd scilicet inimicos habeat tam multos, qui ipsum ulciscuntur. Si tu quoque os aperias, illi tacebunt: sin autem tu taceas; non utique uno ore, sed aliorum feries innumerabilibus, & magis ulcisceris. Et te quidem probro & contumelia appetentem, multi accusant. Dicunt enim esse verba affectus. Quando autem qui nulla affectus est injuria in eum probra ingerit & contumelias, tunc ultio est maximè libera ab omni suspicione.

Quando enim qui nihil grave sunt passi, propter summam tuam lenitatem & clementiam, tanquam injuria affecti simul dolent & commiserantur; ab omni suspicione pura est vindicta & defensio. Quid verò, inquit, si nullus ulciscatur? Fieri non potest ut homines sint lapidei, ut non admirentur videntes tantam philosophiam. Et si tunc non ulciscantur, posteà tamen id facient, cùm judicandi munus fuerint sortiti. Perpetuò autem illum irrident & maledictis appetunt. Quòd si nullus alius te admiretur, ille ipse te omninò admirabitur, etiamsi non dicat. Ejus enim quod bonum & honestum est judicium, etiamsi venerimus in ipsum vitij profundum, manet incorruptum, & quod non potest inflecti & perverti.

Nam cur existimas Dominum nostrum Christum hæc dicere; si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram? Num quoniam si quis fuerit lenis & patiens, eò magis & sibi & illi maximam attulerit utilitatem? Propterea & aliam jussit obvertere, ut ejus qui irascitur impleat cupiditatem. Quis enim est adeò ferus, ut jam pudore non suffundatur? Canes dicuntur hoc facere: si latrent & invadant, is autem cui allatrant, se supinum abjecerit & nihil fecerit, totam iram extinguit. Si ergò illi eum, qui ab ipsis paratus est pati, reverentur; multò magis genus humanum, quod est magis particeps rationis. *Homilia decima sexta ad Ephesios.*

Divus Chrysostomus : A multo tempore apparet patientia, non in duobus aut tribus diebus. *Homil. 2. ad Thessalic. 2.*

Divus Chrysostomus : Quando enim contumelia affecerit, annon suæ lenitatis & mansuetudinis pudorem in animo eius qui cōtumelia afficit infigit & insculpit? Quod si non statim fateatur quam accepit utilitatem, aut ira præpeditus, aut rubore suffusus, aut pudore affectus, sensum tamen statim accipit: & fieri non potest ut homo contumeliosus, etiamsi sit bestia, si cum homine leni & patiente fuerit versatus, non magno accepto lucro recedat. Bona enim etsi non agamus, laudamus tamen omnes & admiramur. Mulier rursus si viderit virum placidum & modestum, multum lucratur semper cum eo versans, & puer itidem. *Homilia 5. ad Thessalonic. 2.*

D. Io. Chrysostomus : Arbores quo magis ventilantur & agitantur à ventis eò fiunt fortiores & densiores. Et nos quoque si simus lenes & patientes, erimus etiam fortes ac validi. *Homilia 19. fine Epistola ad Hebræos.*

Divus Io. Chrysostomus : Quomodo candens ferrum aqua tinctum ignem perdit, ita ira si in lenem & patientem inciderit, patientem nihil lædit, sed magis juvat, & ipse evadit magis continens. Lenitati enim & patientiæ nihil potest æquiparari. Nam qui est ejusmodi, contumelia nunquam afficitur. Sed sicut non sauciantur corpora adamantina, ita nec hujusmodi animæ. Sunt enim superiores jaculis.

Excelsus enim & adeò excelsus est is qui est lenis & patiens, ut ne plagam quidem à plaga accipiat. Quando ille efferatur, tu ride: ride autem, non apertè, ut non irrites, sed in anima seu apud te ride propter te. Etenim de pueris quando nos cum ira percusserint, tanquam se ulciscentes, ridemus. Si ergo riseris, tantum inter te & illum intererit, quantum inter puerum & virum. Sin autem effereris, factus es puer. Pueris enim insipientiores sunt qui irascuntur.

Si quispiam puerum viderit efferatum, nonne irridet? Qui autem pusilli, inquit, est animi, est valde insipiens. Qui est igitur insipiens, est puer: & qui est, inquit, lenis & patiens, est multus in prudentia. *Homilia 22. Epistola ad Hebræos.*

Isidorus Pelusiota : Si Socrates Atticorum dogmatum author, pulsatus etiam ac verberatus, ab ultione temperavit, quid discruciaris, cùm contumeliam duntaxat, ut scripsisti, acceperis?

Etenim si philosophicum animum præstiteris, tu quidem Socratis gloriam referes, etiamsi minus contumeliosè, quàm cum Socrate, tecum actum sit: contrà autem ille animi tui magnitudine tanquam telo sauciabitur: aut etiam aliquando à peccandi studiosa mente ac lingua in melius mutabitur: tibique, ut hujusce mutationis authori, gratiam habebit. *libro primo Epistola undecima.*

Isidorus Pelusiota : Sublimior tentationibus quispiam efficitur, non cùm eas præterit, sed cùm ad ea, quæ accidunt, perferenda se ipsum erudit. Tentationes enim, quæ, ut ipse ais, discuti nequeunt, per eorum, qui adversos casus perferre norunt, patientiam & fortitudinem discutiuntur.

Optima quippe rerum earum, quæ in nobis minimè sitæ sunt medicina, est ea, quæ nostri arbitrij est, patientia: ac necessariorum eventuum, quos tu depelli posse negas, depulsio, est in rebus adversis fortitudo, fortitudo, in lætis modestia.

Quòd si divinum quoque numen auxiliarem manum porrigat, rerum eventus faciliùs feremus. *libro primo Epistola 280.*

Isidorus : Eos qui acceptas contumelias philosophico ac patienti animo ferre minimè volunt, hæc duo ad patientiam hortari debent, alterum quòd eos, qui contumeliam inferunt, nihil æquè discruciat, ut eorum, qui contumelia afficiuntur, patientia: alterum, quòd nulla ratione ipsos æquè ulcisci queamus, quàm virtutem colendo.

Quòd si mihi minus fidei habendum putas: quidnam de hac re veterum quidam pronunciarit, audi. Rogatus enim à quodam, qua ratione hostem ulcisceretur, respondit, Si ipse probum atque honestum virum te præbueris. Cùm igitur, qui virtutem & patientiam colit, mortiferas hostibus plagas infligat, quin nos hæc arma & præsidia plurimi æstimamus?

Quòd si quis etiam ijs, qui livore feriuntur, veniam tribuat, ac pro ipsis, ut ex hujusmodi furore emergant, vota faciat, atque ita sit comparatus, ut non modò à vindictæ studio abhorreat, sed eorum etiam, quos hoc vitium subegit, miseria commoveatur;

tur; hic demum verè est, qui syncerè philosophari novit. *libro tertio Epistola 181.*

§ LATINORUM.

Zeno de Patientia, ipso principio : Etsi beata diversis vita virtutibus quæritur, cujus cupidinem flagrans humanitas per momenta suspirat, tamen omnes uno, eodemque consensu quasi quendam patientiæ deferuntur in portum : sine qua nec audiri, nec concipi, nec disci quicquam poterit, nec doceri : nam profectò sola est, ad quam prorsus res omnis aspectet : dubium quippe cum non sit, spem, fidem, justitiam, humilitatem, castitatem, probitatem, concordiam, charitatem, omnes artes, omnesque virtutes, ipsa quoque elementa ejus constare non posse sine eruditione, vel freno: est enim matura semper, humilis, cauta, prudens, provida, omni necessitate contenta, quavis turbationum tempestate tranquilla. Serenitatem suam nebulis turbulentare non novit. Pœnitentiam nescit. alteratio quid sit, ignorat. omnes aut devitat, aut portat injurias. Incertum est, utrum impassibilis judicetur, cum aliquid passa, quasi nihil passa sit, invenitur.

Postremo impossibile est fratres, ejus æstimare virtutem, cujus vinci victoria est. Non illam loco vis ulla detorquet : non labor, non fames, non nuditas, non persecutio, non metus, non periculum, non mors, non tormenta morte ipsa graviora, non potestas, non ambitio, non felicitas. semper immobilis manet, alta quadam, ac divina temperantia robustè librata universas permotiones animorum placida moderatione compescens: & ut omnia non magnopere devincat, se primò vincit. Non virtutes possunt esse virtutes, non perennes elementorum status, non tempora cognata connexione in solennes reditus commearent, nisi rerum disciplinam, conversionemque quasi quædam solicita mater patientia custodiret. Sol denique quamvis mira celeritate alternas mundi metas illustret, tamen nunquam dilectam, verecundamque antevertit auroram : qui, quod majus est, duodenis non dicam spatijs, sed momentis horarum, æquabiliter se partiri non posset, si impatientia suos cursus urgeret. Luna quoque, quæ quibusdam videtur errare curriculo menstruali, solennes suæ ignes ætatis, quòd nunquam prærogat importunè, nec derogat, quid aliud intelligi datur, quàm sui opificis moderatione deserviens peritissima insignis patientiæ disciplina ? Sed & mare ventis lacessitum, cum irascitur, quamvis reciproca vicissitudine, nunc pulsantibus cœlum, nunc requirentibus terram æstuantibus undique vitreis armatum montibus, violentis undarum sævientium cumulis, toto corpore insaniat, tamen extremorum pallidò ex recursu voluminum quasi jus terræ cognoscens, ac violare devitans mira patientia in se frangitur, ijsdemque fluctibus, quibus cogitur, refrænatur. Hæc germinantibus pratis, messibus flavis, vitibus curvis, semipallidis olivis & felicitatem præstat, & gratiam, cum uniuscujusque temporis fœtus partu crudo in alterius contumeliam impatientia non sinit præcipitare. Quid avium diversarum decora commercia, litoreaque? Quid arduis volatibus aëriæ grues ? Quid piscium dissimilium cum suis sibi ductoribus gradatæ ætatis innumerabiles cunei? Nonne cum invitationi temporum parent, solennisque remigiis specioso discursu vel aquas sulcant, vel aera distinguunt, & patienter veniunt, & patienter excedunt ? Solus homo præceps: solus impatiens : pravis quotidie mobilitatibus gaudet : varietatibus studet : miserum se putat, si ipse sit. nec intelligit rem clementiæ esse consimilem, in statu suo non manere : impatientia enim quid est, nisi mens lubrica, permotionibus crebris, & rapidis se semper expugnans ? animus infidelis : etiam sibi actus improvidus, instabilis, cæcus, incautus, inconstans : totus concitans in ruinam : res sine substantia : negotium sine persona ? omnia citò tentat : omnia momento disturbat : mater criminum : curiositatis magistra : acumen temeritatis : auctor detestabilium pariter, ac magistra malorum. hominis namque salutem ab incunabulis mundi mors, ut jugularet, ac jugulet, ab ipsa prorupit.

Zeno fine de patientia : Tu virginitate præstas, ne flos ejus ullo morbo, ullo tempore deflorescat. Tu variatum semper intempestatem crebris turbinibus constituta fidissimus miserandæ viduitatis es portus. Tu sanctissimo conjugali jugo rudi cervice subeuntis innisum laboris, vel amoris æqualem retinaculis blandis, quasi quidam peritus auriga componis. Tu amicitiam idem velle, atque idem nolle docuisti. Tu servituti unica, ac fortissima consolatio sæpe libertatem paris. Tu paupertati præstas, ut habeat totum sui contenta, cum sustinet totum. Tu Prophetas provexisti. Christo tu Apostolos glutinasti. Tu quotidiana martyrum & mater es, & corona. Tu murus fidei, fructus spei, amica charitatis. Tu specialiter omnem populum, divinasque virtutes, quasi crines effusos in unius verticis nodum, honorem, decoremque conducis. Felix, æternumque felix est, qui semper se habuerit in se.

S. Valerianus : Sunt qui malevolis exprobrant verbis studium bonæ voluntatis, & timori aut ignaviæ adscribunt, si quando homo litibus cedit, & exulceratus injuriis ad omnem patientiam quietis amore confugit. Et verè difficile est, ut accepta injuria dolor non in quacunque parte corporis desæviat. Sed sapientis est supervenientem dolorem aut patienter ferre, aut fomentis mollioribus temperare. Infinita autem virtus est odia vicisse beneficiis. nam ille inter cæteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit. Primus itaque dilectionis gradus est, caritatis affectum amicitiis nutrire: integræ autem dilectionis cumulus, odium amore repensare. illud beneficiis adscribitur, hoc virtutibus deputatur. Additur præterea ad cumulum perfectæ dilectionis illa sententia quæ ait: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. *Homilia 12.*

S. Valerianus : Infinitum est, quantum uni patientia sua præstet, si alter solus insaniat. nam sicut duplicatas in se plagas excitat qui repugnat; ita majoris rixæ lucrum facit, qui manus suas alio feriente continuit. *Homilia 13.*

Chrysolog. Serm. trigesimo octavo. m. Nonne quoties miserum hominem choleræ inflammaverit incendium, & dominante febre vesanum reddiderit ægrotantem, turbatur sensus, mens deperit, feritas accedit, recedit humanitas, & ne multis, moriente homine furor vivit ? Hinc est quòd frendit dentibus, parentes laniat, scindit proximos, cædit pugno, morsu agit, atque afficit obsequentes: tunc medicus ad virtutis laudem, ad artis gloriam, ad famæ cumulum armatur patientia : tolerantiam sumit, injurias despicit, morsus sustinet, fert labores, & non leves pœnas patitur, ut à pœna liberet laborantem : fovet oleo, insistit curis, erogat medicinam : certus quòd mercedem honoris obsequiis repenset ægrotus dum receperit sanitatem. Rogo, quæ major phrenesis, quæ gravior vis furoris, quæ par dementia, sancti hominis percutere maxillam ? mansueti fratris faciem verberare ? placidi vultus gratiam tristi livore perfundere ? nudare hominem solo quo tegitur vestimento ? & ob vilem prædam nil Deo, nil homini, nil naturæ relinquere, nil pudori ? angariare hominem suis actibus occupatum ? & alienam pœnam suum solatium computare ? Ergo fratres si talia perpetrantes gravissima phrenesi laborare cognovimus, obediamus Christo, & furentum fratrum morsus, verbera, onera, tota pietatis virtute portemus, ut & fratres nostros liberemus à pœna, & nos æternum patientiæ præmium consequamur.

§ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Hierocles : Eo ipso videntur hominum mores cum ratione consentire, quod res adversas ferant moderatè ; nec ea tantùm fiunt leviora, quibus tum nos angi contigit; sed futuris etiam afferunt remedium. Vos autem cùm indignamini, quid aliud ipsi proficitis, quàm quod impietatem, malorum omnium gravissimum, laboribus vestris adijcitis; eoque dolorem vestrum majorem efficitis, quod præter merita torqueri vos existimatis? An non is qui morbo afficitur, si eundem ferat acerbius, graviorem faciet? Non est igitur ægrè ferendum, quod pro meritorum ratione reponitur, ne urgentium molestiarum acerba reprehensione deteriorum etiam habitum nobis contrahamus. *Cap. 17. Carmin. Pythag.*

Philostratus : Valde misereor vestri, quod vestra ipsorum caussa pereatis, nondum scientes, an vos ipsa accusatio perditura sit. nam apparet prius vos à vobis interfici, quam ab eo qui vos morte condemnaturus est, ut putatis. Neque verò audere ubi timetis, aut timere ubi audetis, rationi consentaneum arbitror. sed Archilochi Parij sententiæ vos jubeo meminisse, qui tolerantiam in rebus adversis patientiam nuncupans, Deorum quoddam inventum esse dicit, ad hujusmodi mala perferenda, ceu gubernatoris artem, per quam incumbente tempestate venientium fluctuum impetus recipit. *libro septimo Apollonij capite duodecimo.*

§ ROMANORUM.

Symmachus libro sexto Epistola vigesima secunda : Dura commotio est quam gignit injuria; sed mollire debet dolorem medicina patientiæ. Nec deest vobis usus adversa tolerandi. Nam crebrò ictum fortunæ ferre didicistis. Quod si in secundis rebus ageretis, jure insolitis malis felicitas læderetur. Hæc eo scribo, ut miratum me scias, quòd constantiam tuam lis privata mutaverit.

Symmachus libro nono Epistola 113. Plurimum voluptatis ex litteris tuis ante capiebam : nunc lacrymabili conquestione mentem legentis infuscas. Vbi illa prudentia quæ te & naturæ bono, & veterum lectione contra omnia fortunæ tela firmavit? Dignam viro assume patientiam, & quæ mutari, nequeunt desiste lugere. Leviora tibi cuncta post improbum generum debent videri. Cur autem torpori atque ocio vaces, & patrimonij negligens feriatus pascas dolorem ?

Curæ ſint reliquiæ rerum tuarum, quas facinoroſus invaſor & exhauſtas & laceras reliquit; ne in his reipublicę neceſſitatibus recuperata ſuſtentare non poſſis quæ prius amiſſa contempſeras.

¶ POETARUM.

Prudentius Pſychomach. 3.

Ecce modeſta gravi ſtabat Patientia vultu,
Per medias immota acies; variosq; tumultus,
Vulneraq; & rigidis vitalia pervia pilis
Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.

Prudent. Pſychomach. 3.

Hanc ſuper aßiſtens Patientia: vicimus, inquit,
Exultans vitium ſolita virtute, ſine ullo
Sanguinis ac vitæ diſcrimine. Lex habet iſtud
Noſtra genus belli, furias omnemq; malorum
Militiam & rabidas tolerando exſtinguere vires.
Ipſa ſibi eſt hoſtis Veſania, ſeque furendo
Interimit: moriturq; ſuis Ira ignea telis.

Ibidem.

Ipſa globos legionum, & concurrentia rumpit
Agmina, vulniferos gradiens intacta per imbres.
Omnibus una comes virtutibus aſſociatur,
Auxiliumq; ſuum fortis Patientia miſcet.
Nulla anceps luctamen init virtute ſine iſta
Virtus, nam vidua eſt quam non Patientia firmat.

Plautus Aſinariæ 2. ſc. 2. v. 51.

——Magna eſt præda cum magno malo.
LI. Siquidem omnes conjurati cruciamenta conferant,
Habeo opinor familare tergum, ne quæram foris.
LE. Si iſtam firmitudinem animi obtines, ſalvi ſumus.
LI. Quum ſit tergo res ſolvenda eſt, rapere cupio publicum.
Pernegabo atq; obdurabo, periurabo deniq;.
LE. Hem iſta virtus eſt, quando uſus eſt, qui malum fert fortiter.
Fortiter malum qui patitur, idem poſt potitur bonum.

Guntherus lib. 6. v. 83.

——Sæpe repulſa
Infremuit juſta patientia nobilis ira.

¶ APOLOGI.

Quercus & Hirundo. Aviennus.

Montibus è ſummis radicitus eruta quercus
Decidit, inſani turbine victa Noti.
Quam tumidis ſubter decurrens alveus undis
Suſcipit, & fluvio præcipitante rapit.
Verum, ubi diverſis impellitur ardua ripis,
In fragiles calamos, grande reſedit onus.
Tunc ſic exiguo connectens ceſpite ramos,
Miratur liquidis quod ſtet arundo vadis.
Se quoq; tam vaſto necdum conſiſtere trunco,
Aſt illam tenui cortice ferre minas.
Stridula mox blando reſpondens canna ſuſurro,
Seque magis tutam debilitate docet.
Tu rapidos, inquit, ventos, ſævasque procellas
Deſpicis, & totis viribus acta ruis,
Aſt ego ſurgentes paulatim demoror Auſtros,
Et quamvis levibus provida cedo Notis.
In tua præruptus offendit robora nimbus:
Motibus aura meis ludificata perit.
Hæc nos dicta monent, magnis obſiſtere fruſtra,
Paulatimque truces exſuperare minas.

Phædrus fabular. lib. 2. fine.

Sin autem, ah, illis doctus occurrit labor,
Siniſtra quos in lucem natura extulit,
Nec quidquam poſſunt niſi meliores carpere;
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat ſui.

¶ EMBLEMATUM.

Had. Iunius Emblemate XLIII.

Vis Boreæ obnixas violento turbine ſternit
Ornos: Arundo infracta eandem deſpuit.
Fit victor patiens animus cedendo furori:
Inſiſte, Victor, hanc viam & re, & nomine.

Fer quod neceſſe eſt. Emblembl. LXII.

Pendulus è laqueo Sturnus dum rumpere tentat
Vincla, laceßitos implicat uſque pedes:
Perfer & obdura; Patientia plurima mollit
Quæ nequit humanum corrigere ingenium.

Flor. Schonhovius.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Moſes. Illuſtre exemplum patientiæ nobis exhibuit Deus in ſervo ſuo Moſe. Poſtquam enim ſoror & frater ejus murmurantes ſe æquaſſent illi, omnium hominum manſuetiſſimo, injuriam tantam patientiſſimè tulit, & videns ſororem lepra percuſſam, Deus fortis (inquit) quæſo, ſana nunc eam. *Numer. 12. 1.3.13.*

Murmura, ſeditiones, inſanas querelas populi quàm ſæpe & patienter pertulerit, hiſtoria in Exodi & Numer. libris deſcripta patefacit.

David: Davidis patientia elucet variis locis, præcipuè quum de vita Saulis infenſiſſimi hoſtis facilè opprimenda agitur. Nequaquam enim paſſus eſt, ut ſubditi ſui in unctum Domini inſurgerēt. *Vide 1. Sam. 24. & 26.*

Idem. Ejectus ab Abſolomo filio, dixit Sadoco, Reduc arcam Dei in civitatem: ſi invenero gratiam in oculis Iehouæ, utique reducet me, & faciet ut reviſam ſe & habitaculum ſuum. Quod ſi ita dixerit, Non delector te, ecce me: faciat mihi prout bonum videtur in oculis ſuis. *2. Sam. 15. 25.*

Idem. Davidem à conſpiratione Abſalomi filij fugientem cùm Semei maledictis & convitiis perſequeretur, dicenti Abiſaio ad regem, Quare malediceret canis iſte mortuus domino meo regi? trãſeam quæſo, ut auferam caput ejus? reſpondit rex, *Quid mihi vobiscum, filij Seruiæ? Si maledixit, quia Iehova edixit ei, maledic Davidi, ecquis dicat, quare ſic facis? Ecce filius meus, qui prodijt è viſceribus meis, quærit vitam meam: quanto igitur magis nunc Biniamita iſte? ſinite eum ut maledicat, quia edixit ei Iehova. Fortaſſè reſpiciet Iehova ad afflictionem meam, & reddet Iehova mihi bonum loco maledictionis eius, hodierno die.* Itaque progreſſus eſt David cũ hominibus ſuis, &c. *2. Samuel. 16. 10.* &c.

Idem. Plagam quam Gad Propheta ei denuntiat patienter audit & excipit, dicens, Anguſtia eſt mihi valde: incidamus quæſo in manum Iehouæ, nã magnæ ſunt miſerationes eius, &c. *2. Sam. 24. 14.*

Patientiam ſuam ſub Dei ferulis ſimulq; adverſariorum dolos deſcribens dicit, Ego tanquam ſurdus non audio, & tanquam mutus non aperiens os ſuum: quia te Iehova expecto, ut tu exaudias, Domine Deus mi *Pſ 38. 14. 16.*

Salomon. Patientiam commendat, quòd ſapientiæ ſit comes, *Proverb. 14. 19.* quod pacem conciliet, *cap. 15. 18.* quòd ſit robore præſtãtior, *cap. 16. 32.* quòd mentem feliciter gubernet, & miſericordiam apud Deum inveniat, *cap. 19. 11. & 20. 22.*

Eliſæus Propheta. Quum Syri milites deſcenderent ad eum comprehendendum, & cæcitate percuſſi atque à Propheta Samariam deducti & ſanati eſſent, regi Iſraelis eos ſupplicio afficere volenti dixit Eliſæus, Ne percutito: an quos captivos abduceres gladio tuo, & arcu tuo, eos percuteres? propone panem & aquam illis ut comedant & bibant, deinde ut abeant ad Dominum ſuum. *2. Reg. 6. 22.*

Iob. Iob pius & dives, opera Satanæ Dei permiſſu afflictus, auditis nunciis de facultatum & liberorum amiſſione, coram Deo proſtratus, dicit, *Nudus exivi ex utero matris meæ, & nudus redibo illuc: Iehova dedit, & Iehova recepit: ſit nomen Iehovæ benedictum.* Deinde conſtanter in pietate pergens, per Dei voluntatem à Satana, corpore ſuo graviſſimè vexato, uxore ridenti, ac dicenti, Adhuc tu retines integritatem tuam, benedicendo Deo atq; moriẽdo, reſpondit, *Vt loqui ſolet aliqua ſtultarum loqueris: ſcilicet, bonum illud acceperimus à Deo, & malum hoc non acciperemus?* In toto hoc non peccavit Iob labiis ſuis. *Iob. 1. 21. & 2. 10.* Vide D. Iacobi epiſt. *cap. 5. 11.*

Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Vita & mors Domini & redemptoris noſtris Ieſu Chriſti eſt perpetuum patientiæ inenarrabilis apophtegma: ſive amicos, ſive hoſtes & inimicos reſpicias. Ac merito dicebat *Matth. 11. 29.* Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Suiſque dicebat, *Luc. 21. 19.* Per patientiam veſtram poſſidete animas veſtras:

Idem. Suos jubet eſſe patientes, eis dicendo, Diligite inimicos veſtròs. Benefacite iis qui vos oderunt: benedicite iis qui devovent vos, & precamini pro iis qui infeſtant vos. Et qui tibi verberaverit maxillam, præbe & alteram: & ab eo qui tollit tibi pallium, etiam tunicam ne prohibeto. &c. *Luc. 6. 27. 28. 29.*

Idem. Cruci affixus, Iudæorum convicia, ludibria, ut & ante mortem, tulit patientiſſimè, & pro inimicis ardenter oravit, Pater (inquit) remitte illis, neſciunt enim quid faciunt. *Luc. 23. 24.* Vide Ioan. c. 8. 10. 12. præcipuè verò 1. Petr. 2. 19. &c.

D. Stephanus martyr. Mira patientia & animi manſuetudine perfert ſupplicium, oratq; pro lapidantibus ſe, dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. *Act. 7. 60.* Vide apophtegmata martyrum piè morientium.

Divus Paulus Apoſtolus. Divus Lucas in Actis apoſtolicis Paulum Apoſtolum invictæ & humilis patientiæ exemplum nobis depingit. Vide etiam epiſtolas ad Corinthios, Philippenſes, Theſſalonicenſes & Timotheum, ubi innumeræ occurrunt ad patientiam exhortationes, ipſius Apoſtoli exemplo ſæpius comprobatæ. Item locos quoſdam peculiares, nempe Roman. 5. 4. & 8. 25. & 12. 12. 19. & 15. 4. Galat 5. 22. & 6. 9. Epheſ. 4. 2. Coloſſ. 3. 12. Hebr. 6. 12. & 10. 36. & 12. 1.

Divus Iacobus Apoſtolus. De patientia Chriſtiana diſſerit, dicens, Probatio fidei veſtræ parit patientiam: cæterùm patientia opus perfectum habeat, ut ſitis perfecti & integri, ita ut nihil deſit. *Cap. 1. 3. 9.*

Patientes eſtote fratres uſque ad adventum Domini. Sumite pro exemplari afflictionis ac patientiæ Prophetas qui loquuti ſunt in nomine Domini, Ecce beatos pronunciamus eos, qui afflictionem ſuſtinent. tolerantiam Iobi audiſtis, & finem Domini vidiſtis: nam valdè miſericors eſt Dominus ac commiſerans. *Capite 5. 7. 10. &c.*

Divus Petrus Apoſtolus: Hoc gratum eſt, inquit, ſi quis propter conſcientiam Dei ſuffert moleſtias injuſtè afflictus. Quæ enim eſt laus, ſi quum peccantes cędimini toleratis? ſed ſi quum benefaci-

nefacitis, tamen afflicti toleratis, hoc est gratum apud Deum. Nam ad hoc vocati estis, quoniam & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar, ut insequeremini vestigia ipsius. Qui peccatum non fecerat, nec inventus est dolus in ore ipsius: qui convitiis affectus non vicissim conviciabatur: quum malis afficeretur, non minabatur, sed committebat vindictam ei qui justè judicat. *1. Pet. 2.19.&c.*

Tertullianus: Librum de patientia scripsit, ex quo scitè dicta quædam collegimus.

Nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus à patientia potest: bonū ejus, etiam qui cæca vivunt, summæ virtutis appellatione honorant. *cap.1.*

Deum ipsum cœlestis disciplinæ dispositiò nobis ostendit patientiæ exemplum, qui florem lucis hujus super justos & injustos æqualiter spargit: qui temporum officia, elementorum servitia, totius geniture tributa dignis simul & indignis patitur simul occurrere, sustinens ingratissimas nationes ludibria artium & opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem, ut sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcircò non credunt, quia seculo iratum tandiu nesciunt. *Cap.2.*

Filij Dei patientiam ineffabilem divino penicillo depingit, deinde dicens.

Nasci se Deus in utero patitur matris, & expectat.

Natus adolescere sustinet.

Adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est.

A servo suo tingitur.

Tentatoris congressus solis verbis repellit.

Cùm de Domino fit magister, non contendit, non reclamauit, nec quisquam in plateis vocem ejus audivit, arundinem quassatam non fregit, linum fumigans non restinxit.

Nullum volentem sibi adhęrere non suscepit.

Nullius mensam tectúmve despexit.

Ipse lavandis discipulorum pedibus ministravit.

Non peccatores, non publicanos aspernatus est.

Non illi saltem civitati quæ eum recipere voluerat iratus est, cū etiam discipuli tam contumeliosè oppido cœlestes ignes repræsentari voluissent.

Ingratos curavit.

Insidiatoribus cessit.

Proditorem suum secum habuit, nec constanter denotavit.

Cùm traditur, cùm adducitur, ut pecus ad victimam, ille cui legiones Angelorum, si voluisset, uno dicto de cœlis affuissent, ne unius quidem discipuli gladium in ultorem probauit: patientia Domini in Malcho vulnerata est.

Taceo quod figitur. in hoc enim venerat. nunquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat.

Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur.

Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. *Cap.3.*

Postquam *cap.5.* ostendit diaboli & omnium hominum peccata impatientiæ esse ascribenda, sequentibus demonstrat, quàm eximium sit vitæ antidoton patientia, adversus quæcunq; ingruunt pericula & incommoda, seu facultatum iacturam, seu corporis ærumnas seu animæ arcanos languores intuearis.

Adversus opum & facultatum iacturam.

Omni pene in loco de contemnendo seculo scripturis Dominicis commonemur.

Maximum ad divitias contemnendas argumentum, quòd Dominus ipse in nullis divitiis invenitur.

Semper pauperes justificat, divites prædamnat. Cupiditatem (pecuniæ amorem) omnium malorum radicem Spiritus Domini per Apostolum pronuntiavit.

Nihil est nostrum, quoniam Dei omnia, cuius ipsi quoque nos.

Qui damni impatientia concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat: Spiritum enim quem à Domino sumpsit, secularis rei gratia concutit. Libenter igitur terrena amittamus, cœlestia tueamur.

Totum licet seculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.

Patientia in detrimentis exercitatio est largiendi & communicandi.

Non piget donare eum, qui non timet perdere. Alioqui quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit, nisi idem sit qui auferenti tunicam etiam pallium offerre possit?

Quomodo amicos de mammona fabricabimus nobis, si eum in tantum amaverimus, ut amissum non sufferamus? peribimus cum perdito. quid hîc invenimus, ubi habemus amittere.

Gentilium est omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortassis animæ anteponant.

Nos verò non animam pro pecunia, sed pecuniam pro animo deponere cōvenit, seu spontè in largiēdo, seu patienter in amittendo.

Ipsam animam, ipsumq; corpus in seculo isto expositum omnibus ad injuriam gerimus, ejúsq; injuriæ patientiam subimus minorum delibatione lædemur? Absit à servo Christi tale inquinamentum, ut patientia majoribus tentationibus præparata in frivolis excidat. *Cap. 8.*

Adversus violentiam impiorum & crudelium hominum.

Si manu quis tentaverit te provocare, præsto est Dominica monela, Verberanti te, inquit, in faciem, etiam alteram genam obverte. fatigetur improbitas potentia tua.

Quivis ictus illi sit dolore & contumelia constrictus.

Gravius à Domino vapulabit.

Plus improbum illum cædis sustinendo: ab eo enim vapulabit, cuius gratia sustines. *Eodem cap.*

Adversus lingua convitia.

Si linguæ amaritudo maledicto sive convitio eruperit, respice dictum, Quum vos maledixerint, gaudete.

Dominus ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus. Igitur Dominum servi consequamur, & maledicamur patienter, ut benedicti esse possimus.

Si parum æquanimiter audiam dictum aliquod in me protervū aut nequam, reddam & ipse amaritudinis vocem necesse est, aut cruciabor impatientia muta.

Quum percussero maledicto, quomodo sequutus inveniar doctrinam Domini, qua traditum est, non vasculorū inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur, hominem coinquinari? item, manere nos omnes vani ac supervacui dicti reatum.

Adversus damna quacunq; à proximis illata.

Idcirco quis te lædit, ut doleas: qui fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cùm fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est, amissione fructus sui: tunc tu non modò illæsus ibis, quod etiam solùm tibi sufficit, sed insuper adversarij tui & frustratione oblectatus, & dolore defensus. *Cap.8.*

Adversus impatientiam in morte nostrorum.

Præponendus est respectus denuntiationis Apostoli, *1. Thessal.4.* Ne contristemini, &c.

Credentes resurrectionem Christi, in nostram quoque credimus, propter quos ille obiit & resurrexit. Ergo cùm constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris.

Cur doleas, si periisse non credis?

Cur impatienter feras subductum interim, quem credis reversurum?

Profectio est quam putas mortem.

Non est lugendus qui antecedit, sed planè desiderandus: id quoque desiderium patientia temperandum.

Cur immoderatè feras abijsse, quem mox subsequeris?

Impatientia in hujusmodi & spei nostræ malè ominatur, & fidem prævaricetur.

Christum lædimus, cùm evocatos quosque ab illo, quasi miserādos non æquanimiter accipimus.

Apostolo resistimus dicenti, Cupio recipi jam, & esse cum Christo. ostendit optimum illud votum Christianorum. Ergo votum si alios consequutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus.

Adversus ultionis libidinem.

Hæc libido negotium curat aut gloriæ aut malitiæ. Sed & gloria ubique vana, & malitia nunquam non Domino odiosa: hoc quidem loco maximè, quum alterius malitiâ provocata, superiorem se in exequenda ultione constituit, & remunerans, malum duplicat quod semel factum est.

Vltio penes errorem solatium videtur doloris; penes veritatem certam redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter provocantem & provocatum, nisi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, ille posterior.

Vterque læsi hominis Domino reus est, qui omnem nequam prohibet & damnat.

Nulla in maleficio ordinis ratio est: nec locus secernit quod similitudo conjungit.

Absolutè præcipitur malum malo non rependendum.

Par factum par habet meritum. Quomodo id observabimus, si fastidientes in fastidio ultionis non erimus?

Quem honorem litabimus Domino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus?

Nos vasa fictilia servulis nostris assumentibus de conservis suis ultionem graviter offendimur: patientes remuneramus: id nobis in Domino tam justo ad æstimandum, tam potenti ad perficiendum periclitabitur.

Quid credimus judicem illum, si non & ultorem? Hoc se nobis repromittit dicēs, Vindictā mihi, & ego vindicabo. id est, patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo.

Quum dicit, Nolite judicare, ne judicemini: nónne patientiā flagitat? Quis enim non judicabit aliū, nisi qui patiēs erit nō defendēdi? quis idcirco judicat, ut ignoscat? Ac si ignoscit, tamen judicantis impatientiam cavit, & honorem unici judicis, id est, Dei abstulit.

Quantos verò casus hujusmodi impatientia incursare consuevit? Quotiens pœnituit defensionem? quotiens instantia eius deterior facta est causis suis?

Nihil impatientia susceptum sine impetu transigi novit: quicquid impetu actum est, aut offendit, aut corruit, aut præceps abiit.

Iam si leviùs defendaris, insanies: si uberiùs, oneraberis.

Quid mihi cum ultione, cuius modum regere non possum per impatientiam doloris?

Si patientiæ incubabo, non dolebo: si non dolebo, ulcisci non desiderabo. *Cap. 9. & 10.*

Adversus Satanæ insultus.

Lata atque diffusa est operatio Mali, id est, Satanæ: multiplicia Spiritus incitamenta iaculatis, & modò parvula, modò maxima.

Parvula de sua mediocritate contemnas: maximis pro sua exuberantia cedas.

Vbi minor injuria, ibi nulla necessitas impatientiæ: at ubi major injuria, ibi necessarior injuriæ medela, patientia.

Certemus igitur quæ à Malo infliguntur sustinere, ut hostis studium æmulatio nostræ æquanimitatis eludat.

Si verò quædam ipsi in nos aut imprudentia, aut sponte etiam superducimus, æquè patienter obeamus, quæ nobis imputemus, *c. 11.*

Adversus afflictiones à Domino immissas.

Si à Domino nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam quàm Domino præbeamus?

Quin super gratulari & gaudere nos decet dignatione diuinæ castigationis. Ego, inquit, quos diligo, castigo. *Cap. 11.*

Patientiæ fructus.

1. *Felicitas.*

Felices Dominus patientes nuncupauit, dicendo, Beati pauperes spiritu, illorum est enim regnum cœlorum. Nullus profectò spiritu pauper, nisi humilis. Quis autem humilis, nisi patiens?

Beati flentes, inquit, atque lugentes. Quis talia sine patientia tolerat? itaque talibus & advocatio & risus promittitur.

Beati mites. hoc quidem vocabulo impatientes non licet omnino censeri.

Quum pacificos eodem titulo felicitatis notat, & filios Dei nuncupat, nunquid patientes etiam pacis affines? Stultus hęc senserit.

Quum vero, Gaudete & exultate, dicit, quotiens vos maledicent & persequentur, merces enim vestra plurima in cœlo: id utique non exultationi impatientiæ pollicetur, quia nemo in adversis exultabit, nisi ante ea contempserit: nemo contemnet, nisi patientiam gesserit. *Cap. 11.*

2. *Pax & reconciliatio cum proximis.*

Quod ad pacis, Deo gratissimæ, attinet disciplinam, quis omninò impatientiæ natus vel semel ignoscet fratri suo, non dicam septies, vel septuagies septies? Quis ad judicem cum aduersario suo dirigēs, negotium convenientia soluet, nisi priùs jam deleuerit duritiem, & amaritudinem, venena scilicet impatientiæ amputans?

Quomodo remittes & remittetur tibi, si tenax injuriæ per absentiam patientiæ fueris?

Nemo convulsus animum in fratrem suum manus apud altare perficiet, nisi priùs recōciliando fratri reuersus ad patientiā fuerit.

Sol super iram nostram si occiderit, periclitamur. Non licet nobis una die sine patientia manere.

Conjugatos dissidentes patientia conciliat, separatos jungit: alterum adulterum non facit, alterum emendat.

Erroneam ovem pastoris patientia requirit & invenit. nam impatientia unam facilè contemneret: sed laborem inquisitionis patiētia facilè suscipit, & humeris insuper advehit baiulus patiens peccatricem derelictam. Prodigum filium patientia patris & recipit, & vestit, & pascit, & apud impatientiam irati fratris excusat. *Cap. 12.*

3. *Dilectio seu Charitas.*

Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Spiritus Sancti commendat, cuius nisi patientiæ disciplinis eruditur?

Dilectio, inquit, magnanimis est: ità patientiam sumit.

Benefica est: malum patientia non facit.

Non æmulatur: id quidem patientiæ proprium est.

Nec superbum sapit: modestiam de patientia traxit.

Non inflatur, non proteruit: id enim ad patientiam haud pertinet.

Nec sua requirit, sed effert sua dum alteri prosit: nec irritatur. Cæterū, quid impatientiæ reliquisset? Ideò, inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat; utiq; quia patiens. Meritò ergo nunquam excidet.

Exhauriuntur linguæ, scientiæ, prophetiæ: permanent fides, spes, dilectio: fides, quā Christi patientia induxit: spes, quā hominis patientia expectat: dilectio, quā Deo magistro patientia comitatur. *Cap. 12.*

4. *Pietatis exercitia.*

Quæ est negotiatio patientiæ in corpore?

Afflictatio carnis, hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium.

Iejunia cum cinere & sacco conjuncta.

Precationes & deprecationes.

Continentia carnis.

Constantia sub cruce. *Cap. 13.*

Exempla patientiæ.

Secatur Esaias patientiæ viribus, armatus & de Domino nō tacet.

Lapidatur Stephanus, & veniam hostibus suis postulat.

Iob omnem patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expungit.

Quem non abacti greges, non illæ in pecore divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus, à patientia (fide Domino dedita) exclusit, quem diabolus totis viribus frustra cæcidit. Neque enim à respectu Dei tot doloribus avocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum & testimonium, tàm spiritu quàm carne, tam animo quàm corpore, patientiæ perpetrandæ: ut neque damnis secularium, nec amissionibus charissimorum, nec corporis quidem afflictationibus succidamus.

Amplificatio ostendens in Iobo præclaræ patientiæ effecta.

Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit?

Quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, quum ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias, cùm uxorem jam malis delassatam, & ad prava remedia suadētem execraretur?

Quid? ridebat Deus. quid? dissecabatur Malus, quum Iob immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret, cùm erumpentes bestiolas inde, in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo revocaret. *Cap. 14.*

Patientiæ Iobi præmia.

Operarius ille victoriæ Dei, retusis omnibus jaculis tentationum, lorica clypeóque patientiæ integritatem mox corporis à Deo recuperavit.

Quæ amiserat reduplicata possedit.

Si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij: securus sic de Domino, distulit. Sustinuit tum voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viveret. *Cap. 14.*

Patientiæ sequester.

Adeo satis idoneus est patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. *Cap. 15.*

Patientiæ encomium.

Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem! nec immeritò.

Omnia enim placita eius placidè tuetur: omnibus mandatis eius intervenit.

Fidem munit.
Pacem gubernat.
Dilectionem adjuvat.
Humilitatem instruit.
Pœnitentiam expectat.
Exomologesin adsignat.
Carnem regit.
Spiritum seruat.
Linguam frænat.
Manum continet.
Tentationes conculcat.
Scandala pellit.
Martyrium consummat.
Pauperem consolatur: diuitem temperat.
Infirmum non extendit: valentem non consumit.
Fidelem delectat: gentilem inuitat.
Servum Domino, Dominum Deo commendat.
Fœminam exornat: virum approbat.

Amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene: in omni sexu, in omni ætate formosa est. *Eodem Cap.*

Patientiæ effigies ad vivum expressa.

Vultus illi tranquillus & placidus.
Frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta.
Supercilia æquè in lætum modum remissa.
Oculi humilitate non infelicitate deiecti.
Æs taciturnitatis rubore signatum.
Color qualis securis & innoxiis.
Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus
Amictus circum pectora candidus, & corpori impressus: ut qui nec inflatur, nec inquietatur.

Sedet in throno spiritus ejus mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem tertiò vidit Helias. Nam ubi Deus, ibidem & alumna ejus, patientia scilicet. Cùm ergo Spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum. *Eodem 15. capite.*

Lectoris patientiam desideramus in hoc patientiæ breviario meditando, quod patienter, propter tot sacra Apophtegmata, & lubēter descripsimus, ac ordine digessimus, ut consideratio dictorum facilior & utilior esset.

Porrò quæ Cyprianus, Tertulliani discipulus, lib. de bono patientiæ, & alii post Tertullianum veteres & neoterici de patientia dixerunt aut scriptis consignarunt, quum ad Tertulliani mentem & verba multis locis referatur, in præsentia, Tertullianus esto nobis instar omnium.

Christophorus martyr. Christophorus martyr à Samiorum præfecto percussus colapho: Repercuterem te, inquit, nisi Christiana pietas prohiberet. *Marull. lib. 5. cap. 2.*

Busiris martyr. Ancyranus præfectus sub Iuliano Apostata adolescentem quendam nomine Busirim, quòd juveniliter in ritus Gentilium insultasset, comprehendit, cædereque verberibus constituit, atque publicum in locum ad equuleum deducens, sublimem suspendi jubet. Tum Busiris manibus ad caput sublatis sua nudavit latera, & ad præsidem dixit, Non opus est ut me in equuleum tollendo tum inde rursus deponendo lictores laborent

frustra

frustrà suscipiant. Ego enim absque ipsorum opera, quo voles modo, latera mea tortoribus præbere paratus sum. Quam eius pollicitationem licet præses admiraretur, tamen in experiundo multo magis obstupuit. Nam cùm latera eius unguibus tantisper lacerarentur, dum visum esset præfecto, manibus ad cœlum sublatis patienter admodum toleravit: ac plagas libenti animo excipiens, in vincula postea conjectus, & tandem Dei beneficio dimissus est. *Sozom. eccl. hist. lib. 5. cap 10.*

Anonymi martyres. Gensericus Vandalorum rex audiens in quadam Africæ civitate multos factos esse Christianos, jubet Dei famulos ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum inter spinosa loca sylvarum raptari, ut ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur, ita deligati ut exitum suum invicem pervideren. Qui cum è vicino currentibus Mauris sese mutuò conspicerent, Vale sibi in angusto fugæ unusquisque ita dicebant: frater, ora pro me, implevit Dominus desiderium nostrum, taliter pervenitur ad regnum cœlorum. Itaque orando atque psallendo, gaudentibus Angelis, pias emiserunt animas. *Victor, de persecutione Vandalica, lib. 1.*

Innocentius Rom. Episcopus. Quum Joannes Chrysostomus invidorum artibus vexaretur, eum sublevavit Innoçentius amico scripto, cuius piè & scitè dicta sunt hæc. *Non opus est doceri te, tot populorum doctorem & pastorem, optimos quosque sæpe atque adeo semper probari, an in vigore patientiæ persistant, neque alicui dolorum labori cedant. Et est profectò res stabilis & firma, conscientia bona in malis, quæ injustè accidunt omnibus, quæ nisi quis patientia vincat, judicium de se malæ suspicionis præbet. Omnia namque sustinere debet, qui Deo primùm, deinde suæ quoque confidit conscientiæ. Quandoquidem bonus atque honestus vir exerceri ad patientiam maximè potest, vinci autem non potest. Nam mentem eius custodiunt divina scripturæ. Abundant autem exemplis lectiones sacræ quas populo tradimus: & omnes prope sanctos variis modis & malis continenter afflictos esse cum fide attestantur: quippe qui tanquam in aliquo judicio explorati, tandem sic ad coronam patientiæ pervenêre. Nicephor. eccl. hist. lib. 13. cap. 32.*

Iacobus eremita. Dæmon, Æthiopis nudi forma, ad Jacobum eremitam accedens, & sancti viri magnitudinem animi ferre non valens, minatus est se eum virga percussurum. Tum Iacobus, Si tibi, inquit, permissum est à Deo universorum, percute, & plagam lubenter accipiam, ut qui ab illo feriar. Sed si non sit tibi permissum, non percuties, licet millies insanias. His auditis dæmon aufugit. *Theodoret. hist. Sanct. Patrum, vita 21.*

Barnabas Anachoreta. Quum pedi ejus infixa esset ex arundine festuca, & pes ejus in dies putresceret; amicis ad eum venientibus dicere solebat, Quando magis exterior homo patitur; tanto amplius viget interior. Animi constantia corporis dolorem leniebat. *Ioann. Moscus, in prato Spirituali, cap. 10.*

Andronicus Imperator. Is populo exosus propter crudelitatem, Isaacio Angelo Cæsare designato, fuga sibi consulere conatus, sed frustrà, captivus factus, post innumeros cruciatus prolixè à Niceta descriptos, antequam spiritum emitteret, ad affluentem & conviciantem turbam conversus, nihil aliud dicebat quàm, Mi Domine, miserere mei. *Item,* Quid calamum contritum infringitis? Paulò post, ægrè vitam abrupit. *Nicetas Choniates, Annal. de reb. gestis Andronici, lib. 2.*

Irene. A Nicephoro, servo suo, imperiali dignitate dejecta, inquit: Ego quidem Deo acceptum fero, quòd me orphanam & indignam ad imperij clavum collocavit. Quod verò me jam deiici permittit; meis peccatis adscribo: in cunctis autem ac malis omnibus, sit nomen Domini benedictum. *Paulus Diacon. libr. 23.*

D. Bernardus. Patientiam ejus maximè quidem flagellis Dominicis exercitatam novimus, & probatam, qui nimirum ab ipso suæ conversionis initio; usque ad diem sacræ depositionis tanta sustinuit, ut vita ejus his qui noverant, nonnisi quædam mortis protelatio videretur. Cæterum erga homines quoque, etsi rarior ei occasio minora forsitan patientiæ potuit experimenta præstare, dicendum tamen vel breviter, ne hujus quidem apparuisse eum virtutis immunem. Et quia genus hoc patientiæ solitus erat dicere tripartium, videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis læsionem: de singulis saltem proponamus exempla quæ nobis occurrunt.

1. Scripserat aliquando Dei famulus ad episcopum aliquem de curia & consilio regis, monens eum super quibusdam verbis regi suadere & consulere meliora. At ille vehementer exacerbatus, amarissimam ei reddidit epistolam, dicens in ipsa salutatione prima, Salutem, & non spiritum blasphemiæ, tanquam videlicet vir sanctus (quod horror est dicere) ex blasphemiæ spiritu illa scripsisset. Ad quod verbum mansuetissimus Christi servus, memor Dominicæ responsionis, Ego dæmonium non habeo, Minimè quidem, ait, spiritum blasphemiæ habere credo, sed nec maledixisse cuiquam, aut maledicere velle me scio, præsertim principi populi mei. Nec minùs postea charum, nec minùs familiarem eundem episcopum habuit: sed elogium illud prædictum apud eum sit fuit, quasi non dictum.

2. Abbas Farcensis conventum fratrum à Clarauallе vocaverat, monasterium eis ædificaturus: sed Romanus impedivit antistes, & sibi tollens eos in loco altero ordinavit. Unde plurimùm dolens prædictus magnus ille vir & magnæ devotionis, collectam pecuniam sexcentarum ferè marcarum argenti deposuit sub chirographo, quas ad hominem Dei veniens obtulit ei, rogans ut quod non meruerat in partibus suis, vel citra Alpes novum exinde cœnobium conderetur. Missum est pro argento, & totum prorsus amissum. Nec respondit aliud homo Dei cùm ei nunciaretur, quàm, Benedictus Deus qui nobis pepercit ab onere. Nam & illis, inquit, qui tulêre leniùs indulgendum: sunt enim Romani, & pecunia videbatur immanis, ac vehemens fuit ipsa tentatio.

Gratulari etiam consueverat, decem circiter monasteria vel ædificandis monasteriis loca congrua numerans, fraudulenter & violenter sibi ablata, dum contendere nollet, & magis eum vinci quàm alios vincere delectaret.

3. Veniens aliquando Claravallem clericus quidam ex his quos regulares vocant, importunè satis instabat ut in monachum reciperetur. Suadente Bernardo, ut ad suam reverteretur Ecclesiam, nec acquiescente recipere eum: Vt quid ergo (ait ille) in libris tuis tantopere perfectionem commendasti, si eam desideranti opem renuis exhibere? Et maligno spiritu iracundiæ vehementius instigatus, sicut post modum evidenter apparuit: Jam (inquit) si illos tenerem, discerperem libros. Cui vir Domini, Puto, ait, in nullo eorum legisti, non posse te in tuo claustro esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem, si bene memini, in libris omnibus commendavi. Tum verò homo insanus impetum faciens in Bernardum, percussit maxillam eius, idque tam graviter, ut succederet statim rubor ictui, tumor rubori. Jam qui aderant, in sacrilegum involabant: sed prævenit eos servus Domini clamans, & adjurans per nomen Christi, nulla tenus eum tangere. sed educere cautè, & curam eius habere, ne ab aliquo ei, vel in aliquo noceretur. Quod tam districtè præcepit, ut miser ille timens & tremens, absque omni injuria eductus sit & deductus.

Et quidem in libertate Spiritus Dei famulus excellenter enituit cum humilitate & mansuetudine, ut quodammodo videretur & vereri neminem, & omnem hominem revereri. *Auctor vitæ, libr. 3. cap. 6.*

Alphonsus rex. Quum fortè à quodam qui in itinere præcedebat Alfonsus Aragonum rex ramusculo arboris dimisso, graviter oculo esset læsus, condolentibus amicis qui oculum ad cæcitatem ferè læsum videbant, regem dixisse ferunt, Nihil profectò doleo, nisi percussoris dolorem ac metum. *Ant. Panormit. lib. 4. de reb. gestis Alfonsi.*

Ph. Melanchthon. Philippus Melanchthon sinebat vociferari impunè quoslibet, & ipse quiescere & tacere, & dicere, sibi quoque in ea parte decretum esse facere, quod filiola aliquando sua se facturam esse dixisset. Cùm enim hæc abfuisset quondam domo diutiùs, & ipse eam interrogasset, quid matri respondere vellet, quæ esset graviter increpatura moram illam: tunc respondisse hac simplice puerilique sententia, ajebat, velle se respondere Nihil. Atque ipse insectantum se injurias silentio perferre, sibi quoque videri optimum censebat, sive de odio malevolentiaque eorum propria illæ existerent, seu aliorum arbitrio ac voluntati inservirent. *Ioach. Camerarius in vita Philippi Melanchthonis.*

PATIENTIÆ, INIVRIÆ.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

S. Apollonius. Ut proprium Christiani hominis est non inferre injuriam, ita etiam illatam non ulcisci. neque aliud est quod sic animi tranquillitatem concilietatque conservet, ut injuriarum omnium stabilis & firma toleratio. Mancipatus carceri Apollonius, dum contra omnem æquitatem à Philemone variis afficeretur tormentis, nihil aliud dicebat, quàm, *Fili misereatur tui Deus, & nihil horum quæ in me es oblocutus, tibi reputet ad peccatum. In Vit. PP.*

Lupus Episcopus. Ille, Attila civitatem Trecasinam obsidente, interrogavit, quis eam ita armis lacesseret; ubi accepit esse Attilam flagellum Dei, ingemiscens ait: *Et ego* Lupus *vastator gregis Dominici, dignus flagello eius.* portasque pandi jussit. Ingressi hostes nullum hostilitatis edidêre signum: & ita factum, ut qui se dignum flagello confessus fuerat, à flagello liber esset. *Sur. tom. 4.*

S. Gregorius Pont. Et hunc ne summa quidem dignitas ad injuriæ impatientiam compulit. Mauricio enim Augusto, filiisque eius se persequentibus, dicebat: *Quoniam ego peccator sum, vos tanto magis (ut opinor) Deum vobis conciliatis, quanto magis me illi ignaviter servientem affligitis.* Sic tandem quem armis non poterat, patientiâ vicit. *In vita Greg. lib. 4. cap. 17.*

B. Ignatius Loyola. Quid verò Ignatius? Rogabatur, quænam esset maximè compendiosa ad perfectionem via; respondit: *Si multa Christi nomine patiare.* Sciebat beatos fore eos, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. & quòd

Nobile vincendi genus est Patientia: vincit
Qui patitur. Si vis vincere, disce pati.

Ribadin. lib. 5. cap. 10. Vitæ eius.

Robertus Normandiæ Dux. Referamus nunc eos qui hac virtute in civili ordine illustres exstitêre. Pergebat religionis ergò in terram sanctam Robertus Dux Normandiæ. dumque à suis remotior cum homine agresti altercaretur, tandem ab eo vapulavit. quod conspicati comites, ulcisci parant. Ille, *Nolite,* clamabat, *quia has plagas merito meo accepi.* indignum judicans eo loco ulcisci injurias, ubi Christus tantas sponte pro nobis tolerâsset. *Pol. lib. 8.*

Ludovicus XII. Gal. Rex. Et hunc Aurelianum adhuc Ducem impunè injuriis conviciisque lacerarunt nobiliores quidam. dumque ut se de illis ulcisceretur, iam regni sceptra tenens, instarent nonnulli; respondebat: *Parum decorum esset Regi Galliarum, injurias illatas Aurelianorum Ducibus ulcisci.* Egregiè in Soliloquiis Isidorus: Magna est virtus, si non lædas à quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus, remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas. *P. Aemil. in Vita.*

Ferdinandus Imperator. Intellexerat ille quemdam, cui plura beneficia contulerat, & multis nominibus sibi devinxerat, à se defecisse. & nihil commotus, *Miror*, dicebat, *virum tantum se majoribus suis indignum reddidisse.* eoque dicto, quidquid commissum erat, dissimulabat. *Pont. de Principe.*

Nobilis Matrona Alexand. Hæc è pectoribus altis & fortibus orta sunt. Illud tamen non minùs laudabile, quod muliebris animus præstitit. Frequentabat Antistitis Athanasij domum Matrona Nobilis, importunè rogitans sibi concedi unam ex iis viduis, quæ Ecclesiæ impensis alebantur, cui posset benefacere. cumque ea daretur postulanti, quæ inter illas moribus & modestiâ præcellebat: queri cœpit, non esse datam ex animi voto. Ea itaque dimissa, aliam recipit: & simul ab eâ contumelias & verbera. quam tamen libenter sufferens, gratias agebat Athanasio, dicens: *Tandem delegi contubernalem: cui pro malo bonum, pro iniuria beneficium, reddere assuefaciam. Cassianus.*

S. Paula. Et Paula Gracchorum stirpe nobilis, vitæ innocentia nobilior, cùm audisset se stultam quorundam judicio reputari: *Theatrum:* inquiebat, *facti sumus mundo, & angelis, & hominibus: nos stulti propter Christum: sed stultum Dei sapientia est hominibus. Hier. in Epitaph. Paulæ.*

PATIENTIÆ DOLORIS.

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Vincentius. Haud minùs exiguum virtutis opus, adversas valetudines, quoties in eas inciderimus, æquo animo sustinere. Referamus ergo exempla eorum, qui hac virtute præditi fuêre, eaque ex multis pauca. Habuit autem hanc gloriam Vincentius, qui in mediis tormentorum cruciatibus, Tyranno insultans: *Insurge,* aiebat, *& toto malignitatis spiritu debacchare. videbis me Dei virtute plus posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques.* Quod animosum dictum probavit eventus, dum Tyrannus post tot in unum corpus inflicta tormenta fateretur, Victi sumus. *In Vita eiusd.*

S. Laurentius martyr. Et quænam vis illa fuit, quâ succensus Laurentius affligenti se Tyranno dicebat: *Infelix; has epulas ego semper optavi.* cumque in craticula subjectis prunis assaretur, invicto animo flammarum sustinens violentiam; admirandam hanc vocem emisit: *Istæ flammæ mihi refrigerium præstant.* Meritò itaque eum deprecatura canit Ecclesia; Da nobis Domine vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui B. Laurentio tribuisti tormentorum incendia superare. *In Vita apud Surium.*

Beniamin Abbas. Laborabat hic intolerabili hydropis dolore. cumque præsentes ejus cruciatum fixis oculis intueri non possent, dixit: *Orate, ne interior meus homo hydropicus sit. Hoc enim corpus, neque cùm benè se habuit, mihi profuit; neque cùm malè, me læsit. Pallad. in Hist. PP.*

Stephanus Abbas. Ille item, dum ope medicorum incurabili morbo affligeretur, ac putrida membra inciderentur, mutato vix vultu, cùm adstantes aspicere vix possent præ angore; *Ego,* inquiebat, *novi hos morbos ob peccata accidere: & melius hîc pœnas soluere, quàm æterna pro iis supplicia sustinere. Sozom. Hist. Trip. lib. 8. cap. 1.*

Require Martyrium & Morbus.

PATIENTIÆ DAMNI.

¶ Apophthegm. Christianor.

Iesus Christus. Rerum etiam jactura fortiter ferenda est, cùm nihil sine Dei nutu evenire mortalibus queat. Ad servandam eiusmodi patientiam adhortabatur nos Dominus, cùm diceret: *Ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.* ne scilicet, magis irrites raptorem, & in tui necem accendas. *Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* id est, paratus sis potiùs damnum aliquod perpeti, quàm ut cum scandalo proximi repetas. *Luc. cap. 6.*

Senex Anonymus. Cùm venissent ad eum latrones, dicerentque: Ecce omnia tua venimus tollere. ille: *Quæcumq; filij vobis videntur, tollite.* quo facto, abierunt. cumque solùm marsupium reliquissent, eo accepto, Senex Dominici præcepti memor, illos insequitur, & inclamat: *Accipite etiam illud quod tollere obliti estis.* Redeunt, & ablata restituunt. Quàm verum illud Gregorij sup. Epist. ad Heb. Nihil ita confusionem facit ingerenti mala, sicut fortis tolerantia patientis, & neque in verbo neque in opere reddere vindictam. *Prat. Spirit. cap. 211.*

¶ Monosticha Trochaica.

Adsiduitate injuriarum discitur patientia.
Cuncta ut ultro vincat, vincit primo se Patientiâ.
Est malis brevis patientia, est bonis tarda ultio.
Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum.
Impeccabilis esse quæris? sis patiens, sis continens.
Indolentiam a Deo ne posce, sed patientiam.
Multa vis trophea erexit, plura sed patientia.
Nil pati minimè est libertas; servitus quin ultima est.
Nil sic contumeliosos urit ac patientia.
Non dolendum est cùm patimur mala, ipsi sed cùm agimus malè.
Non malum est malum pati: nescire malum pati, malũ est.
Non refert quàm magnus ignis sit, rei sed cui incidat.
Quidquid emendare non est, lenias patientiâ.
Quidquid est nefas corrigere, fit levius patientiâ.
Vir bonus non quærit quidnam patiatur, sed quàm benè.
Vt graviora ei imperentur, proficit patientia.

¶ Jambica.

Adamanta quisquis verberat, se verberat.
Adversitas frequens parit patientiam.
Æquanimiter mala cuncta fert patientia.
Athleta nudum se expedit luctanimi.
Bonus pati mavult, mereri quàm crucem.
Cuicumque stulto desit & patientia.
Etiam patientiâ vincitur crudelitas.
Ignorat omne dedecus patientia.
Ipsâ nihil impatientius imperitiâ est.
Mortalis es? Patiare item mortalia.
Nil non natura humana patiendo ferat.
Omnem dolorem mitigat patientia.
Omnem ferendo vincere est injuriam.
Patiare potius ipse quam facias scelus.
Patiare quod dant Dij, quando optata haud danunt.
Patientia summa, summa fit impatientia.
Patientia vinci unica est victoria.
Patientia virtus nunquam est in prosperis.
Patientiam suadere facile, non pati.
Patientiâ virtus quid possit indicat.
Patrare fortia ac pati Quiritium est.
Plagas moratur maximè patientia.
Quemvis dolorem perferas patientia.
Quò plura possis, plura patienter feras.
Regina rerum ô omnium Patientia!
Rupes ferendo vincit assultus maris.
Tentata ubi est patientia, ibi contemnitur.
Patientia medicina mœrorem levat.

Patriæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Una magnis & excelsis viris patria est, nempe Hierusalem illa quæ mente percipitur, non ea quas heic angustis finibus circumscriptas esse, atque ab aliis aliisque hominibus subinde incoli videmus. *Oratione 18.*

D. Nazianzenus: Improbitas non patriæ, sed iis qui animi inductione ipsam elegerunt, assignanda est. illa enim quippe sacra, & apud omnes pietatis laude clara & illustris est: hi autem Ecclesiâ matre indigni. *Orat. 21.*

D. Nazianzenus: Machabæi quamvis à multis non honorentur, quia non post Christum decertarunt; digni tamen sunt, qui ab omnibus honore afficiantur; quoniam pro legibus institutisque patriis fortem animum præstiterunt. *initio Orat. 22.*

D. Nazianzenus Orat. 25. adversus Arrianos: Magnis omnibus & excelsis viris, ô homo, patria una est superna Hierusalem, in quâ conversationem nostram recondimus. Omnibus genus unum, si inferiora hæc spectare velis, pulvis, si superiora, spiraculum illud, cuius participes facti sumus, quodque conservare jubemur, & cum quo mihi ad tribunal sisti necesse est, ut divinitus inditæ nobilitatis imaginisque rationem reddam. Quisquis igitur per rectam vivendi rationem animique ad exemplar suum inclinationem, spiraculum illud conservaverit, huic demum nobilitas constabit. Contrà, qui illud per vitium fœdaverit, formamque alteram, hoc est, serpentis, sibi ipsi induxerit, ille verè ignobilis & obscurus habendus erit. Terrenæ autem hæ patriæ, atque hæc generum discrimina, brevis huius & caducæ vitæ nostræ ac scenæ ludi sunt. Quam enim quisque terram, sive per tyrannidem, sive per calamitatem antè occupaverit, ea patria dicitur: cuius omnes æquè hospites & advenæ sumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus. Jam, genus illud nobile censetur, quod vel olim opibus & copiis excelluit, vel quòd nunc superbè intumescit: obscurum contra & ignobile, quod à parentibus, vel propter calamitatem, vel propter animi æquitatem pauperibus ducitur. Quonam enim pacto antiquitus, atque ex omni hominum memoria tracta esse hæc nobilitas possit, quæ partim nunc incipit, partim extinguitur, atque aliis quidem negatur, aliis autem Principis rescriptis conceditur? Hæc de his rebus mea sententia est. Ac propterea te quidem ob sepulchra vel fabulas

magnis

magnificè de te existimare sino. Ego autem meipsum, quantum possum, à fraude atque impostura repurgare studeo, ut nobilitatem vel conservem, vel recuperem.

D. Nazianzenus: Me verò Samuelis quoque Ramatha fallebat; parva, inquam, magna illius viri patria, quæ Prophetæ dedecori minimè fuit, neque à seipsa potius, quam ab eo honorem consecuta est. *Orat.25.*

D. Greg. Nyssenus: Ab exilij metu liber erat Basilius Magnus, quod unam patriam hominum censeret esse paradisum; atque omnem terram quasi commune naturæ exilium spectaret. *in laudem fratris Basilij.*

D. Greg. Nyssenus: Qui virtute præditus est, & hanc colit, & ex hac sibi reditus conficit & quæstum facit, patriam suam prorsus efficit id in quo vivit. *ibidem.*

D. Greg. Nyssenus: Cùm apud magistrum Originem justo tempore in disciplinis perseverasset: multis detinentibus eum in solo peregrino, hortantibusque ac rogantibus ut apud ipsos maneret: reliquis omnibus præferendam ratus eam terram quæ ipsum tulisset, & in lucem edidisset, in patriam denuò revertitur, varias sapientiæ ac scientiæ divitias, quas tanquam mercator quidam cum omnibus claris atque probatis in studiis externæ doctrinæ viris conversans acquisiverat, invehens atque importans. *de Vita Greg. Thaumoturgi.*

Isidorus Pelusiota: Sævum & importunum atque arrogantem te esse, hominumque naturam improbitate superare quidam ajunt. Ego verò cùm absurda multa de te decantentur; iis tamen fidem adhibere nequeo, quòd te prorsus ignorem. unũ demum est, quod me ad commodandam his tragœdiis fidem conjectura quadam ducit, nimirum prodigiosa patriæ improbitas. *Lib.1 Epist.158.*

Isidorus Pelusiota: Præclara educationis præmia Pelusium ab Aspiano capit: Præclaram ille vicem ac mercedem altrici suæ rependit. posteaquàm enim in patulas ac nimium credulas Imperatoris aures calumniam insusurravit, urbis huiusce quæsturam ab eo accepit: ac tribules suos tot malis atque calamitatibus affecit, quot etiam fur domesticus. Ardenti ergo animo vota facite, ut ne unquam Pelusiotæ tantum possint, quantum volunt. Meliores enim sunt cùm mendicitate laborant, & angustiâ premuntur, quàm cùm paululum emergunt, & umbratili potentia præditi sunt. Viperarum enim genimina, tunc esse videntur, quæ ventrem, quo foti editique sunt, erodunt. *Lib.1. Epist.275.*

¶ Latinorum.

Egesippus: Reformavit etiam Pompejus Gadaram, quam Judæi everterant, rogatus à Demetrio, qui patriæ suæ huiusmodi gratiam à patrono poposcerat: & in hac causa & in plurimis apud Magnum supra libertorum modum usque ad invidiam excellens. *Lib.1. cap. 17. de excid. Hieros.*

Egesippus: Beneficium est, filij, mori, ne patriæ videamus captivitatem: tolerabilia corporis quàm mentis vulnera. *Cap. 22. lib. 5. capt. Hieros.*

Egesippus: Deflere cœpit Josephus quod evaserat, cui dulce fuerat ante patriam mori, & pro patria dum salutaria suadet procumbere. *Cap.24. lib.5.*

Orosius: Inter Romanos Romanus, inter Christianos Christianus, inter homines homo, legibus imploro Rempubl. religione conscientiam, communione naturam. Utor temperariè omni terra quasi patria: quia quæ vera est, & illa quam amo patriam, in terra penitus non est. Nihil perdidi, ubi nihil amavi: totumque habeo: quãdo, quem diligo, mecum est: maximè quia & apud omnes idem est; qui me non modò notum omnibus, verùm & proximum facit: neque egentem deserit, quia ipsius est terra, & plenitudo eius, ex qua omnibus omnia jussit esse communia. *Lib. 5. adversus Paganos cap. 2.*

Chrysologus: Inter suos posse, morsus est, adustio est. inter cives eminere proximos, proximorum urit gloriam. propinquo propinqui si honorem debeant, computant servitutem. *Sermonis 48. fine.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. Graecorum.

Phalaris Astypalaeusibus. Neque molestiam unquam in vita graviorem, me cepisse memini, quamvis variis inopinatisque casibus jactatus, neque verò lætitiam uberiorem. Nec enim suavitatis & voluptatum omnino expers fui. Angebar igitur animo illa die, qua per injuriam è patria exturbatus sum, quod etiam justè patientibus, tristissimum acerbissimumque esse consuevit. Lætabar autem cum publicè mentione mei facta, de urgentibus imminentibusque rebus mihi scriberetis. Ab uno namque omnium benevolentissimo, vestrique nominis studioso petiistis, non tam quod aliquid eorum nos accepturos speraretis, quàm ut publicè testimonium relinqueretis, me non jure fugatum fuisse, vosque eos qui huius autores extiterunt damnare. Neque enim beneficium petere quisquam à non dilecto, neque accipere à non diligente vellet. Neque jam tempus fert, vos ut amicissimos conqueri cùm superiori tempore nihil accusaveritis, aut in præsenti gratias agere, cùm petatis ea quæ si acceperitis vos, abundè reque vera gratiam præstiteritis. Ego verò in gratiarum actionis loco, ipsam petitionem vestram pono. Non enim cum tanta voluptate magis accepero, quàm collocavero. Quid namque viro in patriam pio illustrius aut magnificentius esse potest, quàm ut in suos cives munificus & liberalis esse videatur: quod mihi quidem per vestram epistolam contigit. Quod autem serius ad vos munera pervenerint, neque in me neque in vestros legatos culpam reiiciatis: verùm in tempestatem & præsentis temporis importunitatem. Nam quantum in nobis fuit, nullam curam nullumque studium intermisimus. Neque enim, quod navigari ceptum est, tantis turbinibus & procellis, extremis ausibus caruit. Quod verò salua ad vos pervenerunt, ea quæ misimus, quamvis marinis periculis jactata, id sine peccato fortunæ referre acceptum potestis. At verò legati quidem vobis munera quæque navi vehuntur reddent, de singulis verò, missus cum eis, epistolamque ferens certiores vos faciet Eubulus, à quo generibus numeroque percepto, reliqua sanè pro libito quacunq; vobis ratione visum fuerit impendite, pecunias verò, si ad reficiendam ornandamque civitatem adhibebitis, haud malè consulueritis, non propter meam adhortationem: sed propter vestri consilij rectitudinem & bonitatem. Neminem enim alieno, sed suo, quenq; instituto bonum esse constat. Sin quod ne dici quidem de vobis debet, quæ in alium usum donata sunt, his vos ad diversa & non necessaria fueritis abusi, manifestum est, vos potiùs in reprehensionem incursuros, qui vos non rectè erga largitores gesseritis, quàm gratias benefactori habitum iri. Quemadmodum enim absurdum est, me patria pulsum in exilium, delapsas dirutasque eius partes instaurari cupere, sic inhabitantes vos ruinam minantia negligere, neque ex his, quæ aliis dono dat, reparare velle est indecorum. Sin statueritis, non vobis solùm hæc missa esse munera, sed etiam posteris liberisque vestris, cumque his civitati & diis immortalibus, tum vestra sapientia, & integritas consilij plus admirationis habebit, quàm liberalitas benefactoris de privatis possessionibus. Quis enim ignorat largiri ad datoris curam laudemque pertinere: uti verò datis, quemadmodum oportebat, ad eius qui accepit, prudentiam ac moderationem? Mea verò ea est, voluntas, ut vos potius virtutis, quàm ego divitiarum largitionis ac liberalitatis testimonium auferam. Illud enim animi benè constituti, hoc verò affluentis fortunæ commendationem ac laudem continet, Valete. *Epistola 119.*

Xenophon: Scimus omnes Agesilaum, ubicunque se profuturum patriæ putaret, non labores subterfugisse, non recusasse pericula, non pepercisse facultatibus, non corporis, non senectutis usum excusatione fuisse. Immo boni regis esse putabat, quamplurimis beneficiis subditos adficere. Atque equidem in maximis commodis, quæ adtulit patriæ, hoc etiam pono: quod quum in republica plurimum posset, maxime tamen legibus se servire declararet. Nam quis tandem obedire his noluisset, quum eis regem obtemperantem videret? quis novas res moliri tentasset propterea, quod ipse inferiori esset loco, quum regem pati sciret, ut sibi legitime imperarentur? qui quidem etiam in illos, qui ab eo dissentiebant in republica, non aliter se gerebat, atque pater erga filios consuevit. Nam si quid deliquissent, obiurgabat: honore prosequebatur, si præclare quid gessissent: ferebat auxilium, si qua accidisset calamitas: hostis loco civem nullum habebat, collaudare cupiebat omnes, servari omnes pro lucro ducebat: & è contrario pro jactura, si quis etiam non magni pretij homo periisset. Quod si sui pacate legibus servandis incumbere non desisterent, haud obscure præ se ferebat, existimare se, patriam semper beatam futuram: & eandem tum fore potentem, si Græci frugi essent. *Cap.38. Vita eius.*

Isocrates Iasonis filijs. Nunciavit mihi quidam ex iis, qui legati fuerant ad nos missi, quod eum seorsum à cæteris avocatum, interrogaveritis, ecquid adduci possem, ut peregrinationem susciperem & apud vos vitam agerem. Equidem ego propter hospitij cum Iasone & Polyace veterem conjunctionem atque ius cupidissimus essem ad vos veniendi. Certum enim habeo consortium illud nobis omnibus profuturum: Sed mihi non unum obstat impedimentum, primum quod vagari non possum, neque peregrinationes meam ætatem decent. Deinde quod omnes qui meã perfectionem audirent, merito me contemptui haberent, qui cùm reliquum omne tempus in otio consumpsissem, nunc in extrema senectute peregrinationibus me dederem, quando, si maximè prius alibi vixissem impendente mihi morte domum & in patriam festinare dum esset.

Lysias cap.9. Orationis apologetica 20. At profectò, Iudices, numquam cum pro vobis aliquod munus obeundum esset, mecum reputavi, quod eo pauperiores relicturus essem liberos: sed potius ne invitus imperata facerem: neque unquam periculum, quod prælio navali subiturus eram, miseratus sum aut deploravi: neque memini uxoris aut liberorum meorum, neque grave existimavi, si vita defunctus pro patria, ipsos orphanos & patre orbos relicturus essem: sed multo magis, si vita per dedecus incolumi, mihi & illis opprobria conciliarem. Pro quibus, ut mihi nunc aliquam referatis gratiam postulo.

Lysias cap.3. Orationis 30. contra Philonem: Etenim qui secundam vestram fortunam sive negligere sive contemnere ausus est: quid ille, rebus secus, quàm voluissemus, eveniẽtibus, fecisset? Quicumque igitur calamitate aliqua privata impediti Reip. in periculis adesse non potuerunt, veniam ut consequantur, digni sunt: (nemo enim sponte est miser) Qui verò de industria se subtraxerunt, nullam merentur veniam: quod non casu aliquo adverso, sed iniquo animi conatu id factum videatur. Omnium autem hominum animis

mis hæc innata eſt æquitatis regula, ut, quamvis paria ſint delicta, gravius tamen iis indignentur, qui ſunt potentiores: pauperibus vero & corpore debilibus ignoſcant: quod non ſponte ipſos peccaſſe exiſtiment. Quare nullam hic meretur veniam obtinere, quod neque corpore debili & afflicto ſit, ut vos videtis: neque pecuniæ inops, ut Reip. ſuccurrere prohibeatur.

Apollonius Eſtiæo Fratri. Quid mirum, ſi cùm cæteri mortales diis me ſimilimum, nonnulli deum etiam putent, hoc ſola patria neſcit, propter quam inprimis laboravi, ut celebris evaderem. Hoc enim ne vobis quidem fratribus ut video cognitum perſpectumque eſt, me ſermonibus & vita, multis præſtantiorem & excellentiorem eſſe. Etenim quomodo me tam amantem putaſſetis, ut etiam admonitionibus ab initio me crederetis indigere, de quibus ſolis, ne rudiſſimi quidem & imperitiſſimi doceri ſe patiuntur, nempe patriæ ac fratribus. Verùm non me clam eſt, quàm præclarum ſit omnem terram pro patria ducere, & omnes homines pro fratribus & amicis putare; quippe cùm genus à Deo ſimul ducamus & eadem natura ſumus præditi, & cùm eadem ſit tum ſermonum tum affectuum omnibus communio, quocunque quis veniat terrarum, aut ubicunque exiſtat, ſive ſit Barbarus, ſive ſit Græcus, ſaltem homo. Sed enim infallibilis eſt quodammodo cognatio, & omne quod ad ſe revocat id proprium eſt. Sic Homericus Ulyſſes ne immortalitatem quidem à dea ſibi datam Ithacæ præfert. Et hanc legem in animantibus, brutis quoque video vim ſuam exercere. Non enim avis ulla extra ſuum nidum quietem & ſomnum carpit: item piſcis omnis, ſi transverſum agatur ab aliquo, neque tamen ſuccumbat, revertitur. Nam feram nulla ſaturitas perſuaſerit ut maneat extra latibulum. Natura tulit hominem, tali conditione ut ſapiens appelletur, cui quanquam omnia reliqua quævis terra ſuppeditat: at monumenta parentum oſtendere non quævis poteſt. *Epiſtola 52.*

Apollonius Senatui populoq́; Tyanenſium. Jubentibus vobis, ut redeam, gerendum morem eſſe ſum arbitratus. Hoc enim Reipublicæ majori eſt ornamento erga unum, ſi honori cauſa proprium civem accerſat. Et id tempus equidem, quod abſumpſi peregrinando, vobis certè quanquam ſit invidioſum dicere, gloriam & nomen, amicitiamque civitatum illuſtrium comparavi, itemque virorum. Sin vos majore melioreque fama digni eſtis, quantum in me fuit, & quantum natura mea potui efficere, tum facultate tum ſtudio, tantum ſufficit. *Epiſt. 55.*

Ariſtides Sophiſta: Erechtheus in iſto contra Eumolpum bello filiam pro civitate devovit, Apolline jubente, cùm quidem eam mater exornatam, quaſi ad pompam deduceret: id quod imitatus Leo filiabus ſuis & ipſe ceſſit famis tempore. Codrus deinde cùm contra Dores & Peloponeſios pugnaret, ultrò pro regione mortem oppetiit. Nec urbs qui res illas pro ipſa geſſerant in gratia referenda conceſſit, ſed hos quoque beneficiis longè ſuperavit. & Codro quidem regnum in filios propagavit, eiusque genus tum domi, tum peregrè exornavit: puellis autem templa conſtruxit, additis honoribus divinis: Erechtheũ denique inter Deos in arce collocavit. *oratione Panathenaica.*

Ariſtides Rhetor: Sicut Deos etiam præ parentibus colere ſolemus, ut communes omnium parentes ac tutores: ſic & communis totius generis patria piè privatæ anteponitur. *Oratione Panathenaica.*

Idem paulo poſt: Ut nemo Pellæum vel Ægienſem ſe eſſe facile gloriabitur: ita omnes ubique Græci mallent Athenis quàm in patria nati eſſe, &c.

Lucianus: Jam olim illud vulgi ſermone decantatum eſt, nihil eſſe patria dulcius. Itaque jucundius quidem nihil eſt: ſed quid ea eſt venerabilius aut divinius? & quidem quæcunque venerabilia & divina homines exiſtimant, horum cauſa eſt, & magiſtra patria, quæ nos genuit, aluit, atque inſtituit. Enimuero urbium magnitudinem, & ſplendorem, & ſtructuræ magnificentiam multi mirantur, patriam verò amant omnes. Neque quiſquam vel eorum qui voluptati ſpectaculorum ſerviunt, ita deceptus eſt, ut præ excellentia eorum quæ apud alios miranda cernunt, patriæ obliviſcantur. Itaque quicunque fœlicis civitatis civem iactat ſe eſſe, ignorare mihi videtur, quem honorem patriæ tribuere oporteat: & eum qui talis eſt, liquet moleſtè laturum, ſi mediocrem patriam ſortitus eſſet. At mihi jucundum eſt ipſum patriæ nomen colere. Nam ei qui urbes eſt collaturus, convenit magnitudinem expendere, & pulchritudinem, rerúmque venalium copiam. Sed ubi de urbium optione agitur, nemo omiſſa patria ſplendidiórem elegerit: verùm optarit patriam ſuam felicibus urbibus eſſe aſſimilem & qualemcunque elegerit. Atque hoc ipſum cùm legitimi liberi, tum boni patres faciunt. Neque enim probus & honeſtus adoleſcens alium ſuo patri anteponet, neque pater neglecto filio, alterum adoleſcentem amore paterno proſequetur. At tantum utique patres qui vincuntur, ſuis liberis tribuunt, ut liberos habere videantur, qui pulcherrimi, maximi, omnibúſque rebus optimè ornati videantur. Qui autem non eſt erga filium judex hujuſmodi, non videtur mihi patris oculos habere. Proinde nomen patriæ primum eſt & omnium familiariſſimum. Nihil enim eſt familiarius. Si quis autem patri juſtum honorem tribuit, ut & lex & natura jubet, convenienter patriam anteponat. Etenim ipſe pater patriæ eſt poſſeſſio, item patris pater, & omnes qui altiùs ex his ſunt neceſſarij. Et ad Deos uſque paternos hoc nomen protenditur. Gaudent verò patria ipſi quoque Dij, ac univerſas res humanas, ut par eſt, intuentur, rati univerſam terram & mare, ſuam eſſe poſſeſſionem. In qua tamen quiſque eorum natus eſt, illam reliquis omnibus urbibus anteponit. Et venerabiliores ſunt urbes quæ ſunt Deorum patriæ, & diviniores inſulæ, ubi Deorum nativitas celebratur. Itaque ſacra hæc Diis grata exiſtimantur, quæ quis fecerit quum in proprios locos venerit. Jam ſi patriæ nomen Diis eſt in pretio, qui non ſit longè magis hominibus? Etenim ſolem à patria primùm quiſque vidit, non ſecus atque Deum: qui tametſi omnibus eſt communis, unicuique tamen patrius eſſe exiſtimatur, quòd ex hoc loco primùm ſit viſus. Atque hîc vocem auſpicatus eſt, primùm vernacula lingua loqui diſcendo, & Deos cognovit. Siquis verò eam patriam eſt ſortitus, quæ alterius adminiculo indigeat, ad res majores addiſcendas: talium tamen diſciplinarum gratiam habeat patriæ. Neque enim vel urbis nomen noſſet, niſi patriæ opera urbem eſſe didiciſſet. Omnes autem, opinor, artes & diſciplinas ſibi parant homines, per quas patriæ fiant utiliores. Pecunias etiam poſſident libertatis exercendæ gratia ad communes pro patria ſumptus. Idque meritò: oportet enim, ut qui maxima beneficia acceperunt, ingrati non ſint. Quòd ſi ſingulis, ut æquum eſt, à quibus beneficium acceperis, gratiam referas: multò magis convenit officia patriæ rependere. Nam in eos qui parentes vexarunt, extant leges in urbibus. Æquum verò eſt exiſtimare patriam omnium communem eſſe matrem, & gratiam educationis referre, & legum ipſarum notitiæ. Cæterùm nemo viſus eſt adeò patriæ immemor, ut alibi degens, eam neglexerit. At verò qui in peregrinis regionibus malè rem gerunt, aſſiduò inclamant patriam eſſe maximum bonorum. Et qui fœlices ſunt, remque in aliis omnibus bene gerunt, hoc ſibi maximum deeſſe putãt, quòd non in patria, ſed in peregrina regione habitant: ſiquidem probroſa eſt patriæ abſentia. Eos quoq; qui per tempus quod peregrè egerunt, clari evaſerunt, vel ob paratas opes, vel ob honoris gloriam, aut ob eruditionis teſtimonium, aut ob fortitudinis laudem, videre eſt omnes in patriam properare, tanquam apud alios meliores res ſuas præclaras oſtentare non poſſint. Ac tanto quiſque majore ſtudio patriam pertingere flagrat, quanto rebus majoribus dignus ab exteris eſt habitus. Itaque etiam juvenibus patria eſt deſiderabilis: iis autem qui iam inſenuerunt, quanto plus quàm juvenes habent prudentiæ, tanto etiam majus patriæ deſiderium innaſcitur.

Proinde ſenex quiſque & nititur, & optat vitam in patria finire, ut unde vitam exorſus eſt, hîc iterum & corpus in terra à qua nutritus eſt deponat, & paternorum ſepulchrorum fiat particeps. Nam gravis unicuique videtur peregrinitatis reatus, etiam poſt mortem in alieno ſolo jacenti. Porrò quanta benevolentia proſequantur patriam qui revera ſunt legitimi cives, ex indigenis facilè diſcas. Nam peregrini tanquam ſpurij, facilè ſolum vertunt, quippe quibus neque notum eſt neque dilectum patriæ nomen: ſed qui exiſtimant fore ſibi ubique rerum neceſſariarum copiam, fœlicitatem ventris voluptatibus metientes. Sed quibus patria eſt mater, ſolum diligunt, in quo nati ſunt, & educati, quanquam modicum habeãt, aſperum, & infœcundum. Et quamvis deſit unde ſoli præſtantiam laudent, non ſaltem patriæ encomia deerunt. Sed quamvis alios videant gloriantes, agris interquieſcentibus, & patris omnigenarum plantarum decore diſtinctis, ipſi etiam patriæ laudes oblivioni non tradunt: ſed equorum, juvenumque altricem ſuſpicientes laudant: & reditum in patriam maturat, etiam qui inſularis fuerit, tametſi apud alios fœlix eſſe poſſit, & oblatam immortalitatem prælato patriæ ſepulchro reſpuet. Et vel patriæ fumus alieno igne videbitur ipſi luculentior. Uſqueadeò igitur res omnes pretio ſuperare videtur patria, ut quiſque videat paſſim legum conditores maxima ſcelera exilio tanquam graviſſima pœna mulctaſſe. Neque legum conditores hæc ſunt in ſententia, in alia exercituum præfecti: ſed qui ad prælium in acie ſtant, hac exhortatione omnium maxima excitantur, quòd ſuſceptum eſt pro patria bellum. Neque quiſquam eſt, qui his auditis, ignavus eſſe velit. Etenim eum qui eſt meticuloſus fortem reddit patriæ nomen. *Encomio Patria.*

Dio Pruſæus: Quod autem quidam ſunt apud vos, ſicut & in hujus civitatis populo, qui non valde propter me lætentur: non admiror, propter civitatum ſimultatem. Proinde liquide novi, quod neque illic omnes cives placare poſſim: ſed quoſdam propter hoc ipſum mihi iratos, quod nimis videar civitatis amans, propenſique in eam animi. Oportet autem humanum & modeſtum hominem, & hanc ſuis civibus concedere poteſtatem. Non licere enim in civitate cuiquam uni contradicere, neque reprehendere, etiamſi omnia bene gerere videatur, non popularis eſt gubernationis, neque humanum: ſed magis ſolet hoc accidere tyrannis, quàm benefactoribus. Si igitur aliqui ſunt erga me moroſe affecti, illis ego maxime credo. Manifeſtum enim, quod ideo ita ſint affecti, quod me exiſtiment meam ipſius patriam amare, omniq; pacto auctam velle. Si ergo fuerint perſuaſi, quod & iſtam meam putem patriam, proque ea facere quicquid poſſum, propenſus ſim, facile mutabuntur: meque amabunt, ſicut & alios. Quod patriam ſane plus quàm alij omnes amem, non eo inficias. Quæro autem illud, an hoc iniqui pravique viri eſſe putent, talemque civem apud ipſos eſſe nolint? Quapropter licet vobis & me habere civem abſque ſuſpicione, alioſque quicunque optimi ſunt. Et propter hoc ipſum mihi juſtius credere poſſetis. Quicunque enim ingratus eſt erga naturales parentes, pius eſſe non poterit erga adoptantes ipſum.

Qui vero diligunt eos ex quibus ſunt procreati, nunquam illi gratiam rependere negligent parentibus adoptantibus. Naturæ enim beneficium, abſque præmeditatione datur: gratiæ autem, eſt voluntarium. Sum equidem civis utrorumque, ſed illis me quidem gratiam habere non oportet hanc ob rem, vobis autem ut benefactoribus gratiam referre æquum eſt. Nam veſtram propter benevolentiam atque donum civitatis ſum particeps. Cæterum quicunque civitatem ipſi ſunt adepti, humanitatem tantum perceperunt dono, neceſſarium autem illud à natura illis non adeſt. Mihi autem utraque adſunt. Avus enim meus cum matre mea, ab hoc imperatore cuius erat amicus, ſimul Romanam civitatem & veſtrã adeptus eſt, pater autem à vobis: ita & beneficio & genere veſter ſum civis. Longius autem quàm duobus gradibus genus quærere, nequaquam humanum eſt. Nemo enim ita verum ex ulla reperturus eſt civitate. Quinetiam meorum liberorum hæc patria magis eſt. Neceſſarium igitur eſt, ut liberi patrem ſequantur: multò verò jucundius, ut pater liberos ſequatur. Ob hæc ergo vobis benevolus ſum, cuiusque animum gero: idque clare jam demonſtravi. *Oratione 41.*

Dio Chryſoſtomus Pruſæus: Mihi, ô cives, neque conſpectus jucundior eſt veſtro, neque vox acceptior: neque majores uſquam honores mihi velim, quàm qui hic ſunt: neq; ulla mihi laus ſplendidior, quàm quæ à vobis proficiſcitur: atque etiamſi me Græci univerſi, & cum his Romanorum populus admirarentur atque laudarent, non ita animus lætificaretur meus. Nam quum revera multa ſapienter & divinè dixerit Homerus, nihil tamen dixit ſapientius hac ſententia, neque verius, quod nihil patria dulcius ſit. Bene ſiquidem noſtis, quòd honores habeo omnes, & quos nunc introduxiſtis, & ſi qui alii ſunt in veſtra ſiti benevolentia, amicitiaque: & ego nulla re alia indigeo. Hoc enim homini ſufficit humano, ut diligatur à ſuis civibus. Et qui hoc obtinet, quid ille ultra indigeret imaginibus aut præconiis, aut primæ honore ſedis, aut ut auro compactus ſtet in illuſtriſſimis templis? Unum enim verbum ex benevolentia dictum, atque amicitia, pluris eſt, quàm univerſum inter homines aurum & coronæ, & alia omnia quæ ſplendida habentur. Quare auſcultate mihi, atque ita facite. Si verò prorſus & tales me quoſdam honores habere oportet, multi mihi & alij ſunt apud vos: partim quidem patris mei, quibus eum ut bonum virum honoraſtis, quique quoad vixit juſtè præfuit huic civitati: partim autem matris, cui vos ſtatuam erexiſtis, & templum: partim quoq; avorum & aliorum majorum, præterea & fratrum, aliorumque cognatorum. Quippe multæ ſtatuæ & publicæ ſepulturæ, & certamina ſepulchralia, aliaque multa honorabilia illis ab hac civitate obtigerunt: quorum nullius ego oblitus ſum, ſed in memoria, quãtum fieri poteſt, maximè habeo, neque pro iis ipſe vobis gratiam debere puto: deoſque rogo, ut ſolvendo fiam. Multis quidem ſcio & illos fuiſſe dignos, & jure omnia eſſe nactos: attamen civitas in omnibus modum exceſſit. Etenim quæcunque non potuerunt, licet vellent, efficere, propter fortunam aliquam, pro iis tamen gratiam illis patria retulit. *Orat. 44.*

Dio Pruſæus: Ego enim, quum in multis fuerim civitatibus, haud viros ſcio meliores, quàm apud vos. Dicerem autem amplius de ſingulis, niſi ferè omnes mei eſſent cognati, eoſque laudibus cunctarer evehere, & tanquam convivium illis pro honoribus in me collatis rependere. Audivi enim & hoſce, licet admodum pudore perfuſus: attamen propter illorum vituperatores, admiror virorum animos invidia vacuos, meique ſtudioſos: præterea etiam ſummam dicendi facultatem. Non mirum, ſi patriam ego talem vehementer dilexi: ut neque Athenas, neque Argos, neque Lacedæmonem (quæ quidem ſunt primæ, celeberrimæque Græciæ civitates) patrias mihi eſſe vellem pro hac. atque hoc factis planum feci. Multis enim paſſim obſecrantibus me ut manerem, rebuſque publicis præeſſem, non modò nunc, ſed etiam antea, quando eram exul: & quibuſdam plebiſcita ad imperatorem mittentibus, quibus gratias agerent pro honoribus mihi exhibitis, nunquam ego ne ſermone quidem tale quid pollicitus ſum, neque domum neque prædium apud alios ullum poſſedi: ut nullum ſit ſignum, me alibi patriam elegiſſe. Namque intolerandum foret, ſi homines fierent apibus injuſtiores. Nulla enim illarum, ſuo relicto alveo in alium ſe confert, aut majorem aut fortiorem: ſed proprium alueum implet, augetque, etiamſi regio ſit frigidior, & paſcua deteriora, & res minor: etiamſi opus fiat ea in regione majori cum difficultate, etiamſi ſit agricola negligentior. Ita nimis autem ſeſe mutuò eas ajunt amare, & quamque ſuum alueum, ut ſi quando foris relinquantur hyeme, aut multo vento ingruente, lapidem quæque pedibus comprędat tanquam ſuſtentaculum, ſicque volant ne prætervehantur à ſpiritu; neve ab alueo aberrent. Quando autem quis patriam habet ita ſui ſtudioſam, atque ita benignam, quomodo non conveniret alia omnia contemnere præ illa? *Orat. 44.*

Dio Chryſoſtomus Pruſæus: Primùm quidem, ô viri, quum ſurgo ad dicendum, ne putetis plane ſermones vos audituros admirandos, neq; inſignes ad voluptatem aliquam aut venuſtatem ſapientiámve compoſitos. Fortaſſis enim neque alioqui tali eramus præditi facultate: ſed fortuna quadam & vulgus omneſque civitates decepimus, ſin fuimus: at nunc tamen talium ſermonum multam nobis inopiam atque oblivionem obrepſiſſe veriſimile eſt. Ut quiſque enim vixerit, atque in quibuſcunque fuerit fortunis, iis neceſſe eſt & ſermones eſſe conſimiles. Nos autem jam multo tempore abiecte atque ſine gloria viximus, atque hoc neceſſitate cogente: ut ego antea quidem philoſophos admirabar, qui relicta ſua ipſorum patria, nemine cogente, apud alios vitam agere elegiſſent: præſertim quum ipſi docerent, patriam eſſe honorandam, maximique faciendam, & quod rempublicam gerere homini eſſet naturale. Dico autem Zenonem, Chryſippum & Cleanthem: quorum nullus domi manſit. Hæc ergo quum dicerent, num non ſentiebant ea quæ dicebant? Maximè, ut mihi quidem videtur. Et honeſtum quidem exiſtimabant, & revera beatum, ſapientibuſque viris addecens negocium illud, ſuæque civitatis cura: quæ autem inerant difficultates gravitateſque, metuebant: ſimul & horum quidem ignorantiam, illorum autem invidiam, aliorum verò ingratitudinem. Porrò ſi quis ſimul ſit ſapiens, poſſitque obtinere Herculis robur atque potentiam, illum rectè facturum, ſi rempublicam gerat. At hoc putabant fieri non poſſe.

Quanquam & Herculem ipſum audimus Ægyptum obtinuiſſe, & Libyam, eoſque qui circa Euxinum pontum habitabant, & Thraces & Scythas, & Ilium cæpiſſe parva claſſe appellentem, omnibuſque his gentibus imperaſſe, regeſque ipſum conſtituiſſe: quum autem veniſſet Argos, Augææ ſtercus exportaſſe, aut ſerpentes occidiſſe, aut volucres perſecutum, ne moleſtæ eſſent agricolis in Stymphalo, aut alia huiuſmodi feciſſe vilia & homilia ex mandato: denique ad inferos aiunt eſſe miſſum, atque ita valde humaniter eo uſam eſſe civitatem. Audimus quoque, quòd Argivi quidem & Thebani laudarint, dilexerintque Herculem, iniuriis autem affectum contempſerint. Quæ mihi animaduertiſſe videtur Homerus, quum non ſolum bonus poeta eſſet, ſed & moribus Philoſophus: atque ideo omne vitæ tempus peregre exegiſſe, ut nemo illius patriam cognoſcat: maluiſſeque, ut veriſimile eſt, quinque & viginti drachmas mendicando accipere, atque hoc ut mente captus, quàm domi degere. Proinde omnes poſtea de illo dubitarunt. Et nomen quidem illius apud omnes Græcos & barbaros notum eſt: Ion autem ne audierunt quidem multi prope: ſi modò fuit ex Io: deque Chij civitate haud multus eſt ſermo, neque de Colophone. Pythagoras quoque ex Samo ſponte fugit, tyrannidem patiente: apud alios autem omnes homines, præcipue verò circa Italiam, ut Deus cultus eſt.

Quid igitur? (jam olim aliquis hic ſedens dicit) tu temetipſum ad Homerum & Pythagoram & Zenonem comparas? Non ego, per Jovem. Verum hoc oſtendere volui, quod omnibus philoſophis, difficilis in patria viſa ſit vita. Nam quid putatis? Non amaverint illi ſuam patriam? An Homerum pro Ulyſſe quidem lamentari, atque dicere, quòd ille viſo ex Ithaca fumo confeſtim vellet defungi vita, ipſum verò ſuam ipſius non amaſſe civitatem? An non potius ſuum proprium patriæ amorem, deſideriumque, ſub nomine confiteri Ulyſſis? Socrates autem, qui omnem ætatem egit in patria, id agens quod civibus legibuſque videretur, an valde profuerit Athenienſibus, dicere non poſſum. Jacturam autem, quæ illis facta eſt, ſcio. Adhuc enim vituperantur propter Socratem, quod neque juſte neque pie cum homine egerint: atque omnium quæ poſtea illis contigerunt malorum, ejus condemnatio fuerit horrenda cauſa. *Oratione 47.*

Arrianus cap. 9. lib. 1. in Epict. Si vera ſunt quæ de cognitione Dei & hominum dicuntur à ſapientibus: quid aliud eſt hominibus reliquum, niſi Socraticum illud, ut nemo interrogatus cuius ſit, ſe Athenienſem aut Corinthium eſſe reſpondeat, ſed mundanum. Cur enim te Athenienſem eſſe dicis? ac non potius ex illo duntaxat angulo ortum, in quem projectum fuit tuum cum naſceretur corpuſculum? Nonne conſtat, nomen Athenienſis & Corinthij te tibi aſſumere ab eo loco, cuius maior eſt auctoritas: quique non ſolum illum angulum totamque domum tuam continet, ſed omnino illud etiam ſpatium, unde majorum duorum genus ad te propagatum eſt? Quid igitur mundi adminiſtrationem ſcrutatus, cognovit, illud opificium maximum & ſummum, in ſe continere omnia, quod ex hominibus & Deo conſtat: à quo ſemina delapſa ſunt, non tantum in patrem tuum aut avum, ſed cum in univerſa quæ in terris generantur & naſcuntur, tum vero in ea quæ ratione ſunt prædita: eo quod natura ita fert, ut ea ſola divinæ conſuetudinis ſocietatem, ratione & mente ſint adepta: cur te nolis dicere mundanum? cur non Dei filium? cur quicquam timeas rerum humanarum? Nam cum Cæſaris cognatio, aut alterius alicuius Romanorum procerum, ſatis virium habeat, ut in tuto & ſine contemptu vivere poſſimus, ſineque omni metu: Deum habere auctorem & patrem & curatorem, id vero nos triſtitia metuque liberare non poterit? At unde comedam, inquit, cum nihil habeam? quomodo ſervi, quomodo fugitivi, qua illi re freti recedunt à dominis? num agris, aut ſervis, aut pecuniæ copiis? nulla alia re, niſi ſemetipſis. Et tamen non deeſt eis victus. Philoſophum autem oportebit ſcilicet aliis fretum & acquieſcentem, proficiſci peregre, neque ipſum ſui gerere curam, & brutis animantibus eſſe deteriorem & timidiorem: quorum ſingula ſemetipſis contenta, neque victu ſuo carent, neque vitæ ratione, accommodata naturæ ſuæ & conſentanea?

Libanius: Pater meus, naturæ totus, filium incolumem vult, ac fugæ mihi teſſeram dedit, in everſionem & ſervitutem patriæ decernens. Atqui ego nunquam natalis ſoli proditor eſſe poſſum, neque adeo vitæ cupidus, & contra mortem imbellis, ut non impertiar patriæ victoriam: & ut in poſterum in eodem ſtatu & æqua conditione maneat. Communis omnibus mors eſt, omneſque natos

cos denasci necesse est. At verò honesto mortem habitu admittere, prudentum id virorum proprium est. Si ergo patri paruero, urbs capietur; ejus muri corruent: multa eorum qui ætate militari sunt internecio: liberi & mulieres mancipabuntur; & magnum Thebarum nomen suam in Græcia famam non retinebit. Cæterùm probrosissima mihi vita fuerit, si è Græcia potius discessero, quàm hoc constituero. Si iugulationem sustinuero; corruent Argivorum castra: civitas celebris erit ob trophæa, magna libertate fruens, exultansque ob victoriam adeptam hæc porrò nobis adscribent omnes. proinde multus erit Menæcus in ore eorum qui laudes & elogia ipsius celebrabunt, & divinis afficietur honoribus. Quare nefas est segniter ac molliter se gerere. O quot cecidêre in acie! ex iis unum me quoque esse oportet, majoremque quam illi gloriam referre. Neque enim istis laudi datur quod prius migraverint patria. mihi totum ad famam & commendationem cedet. honoribus augustissimis potiar ante diem moriens: ac sempiternam patriæ memoriam apud omnes relinquam. *Menaci verba antequam se devoveret pro patria:*

Libanius: Mortem meam, ut etiam vitam urbi emolumento esse oportet. *Demosthenis oratione ad Athenienses, Declam.13.*

Libanius: Rem maximè novam, Athenienses ex omnibus quæ antea acciderunt perpessus; ab iis scilicet deditus, in quibus salutis meæ spem reposueram: ab illis verò servatus, quos per omne tempus perstiti cruciare: accedo eodem quo antea patriam meam amore prosequens. neque enim etiamsi his graviora adhuc paterer, hunc affectum dirimere possem. *Declamat.14.principio.*

Libanius: Omnis mente præditus, & quæ justa sunt agens, patriam suam amat: ac veluti tu, Philippe, in armis degis, ut regnum augustius facias; ita nihil mirum Atheniensem Athenas custodire. neque enim illud dixeris, me civitatem abjecta cogitantem comperisse: ac persuasisse, ut ordinem non decentem appeteret. &c. *Declamat.14.*

Libanius: Redde civitati leges, teque ipsum patri. ac potissimum quidem alios persuade patriam revereri: quod si fieri non possit ut suadeas, coge. at si hoc etiam obtineri non potest: exulemus exilio præclaro. *Declamat.26.*

Libanius: Multi sæpe ipsos se pro patria ad cædem tradidêre. *Declam.42.sub finem.*

Idem: Quod si filius tuus vir factus, armis arreptis occubuisset pugnans pro patria, nunquam ne pertulisses? Verùm alij patres ita mortuos, cum gravitate ac constantia sepelierunt. quidam etiam utique dux cùm liberos suos ad prælium duxisset, mortuos rediens reduxit; neque de civitate, neque de se, neque de illis conquestus. Tu verò, ut domi maneant tui suades: & desertæ militiæ reos esse mavis, quàm vulneribus sauciari? *sub finem declamationis quadragesimæ tertiæ.*

Libanius: Quid ego de legibus scriptis dicam, quarum homines latores commemorare possumus? Ipsa natura docet, omnes patriæ secundum à Diis locum tribuere. Atque huic legi barbaros quoque, qui non multum à bestiis differunt, quique aliis in plerisque dissentientes à Græcis in justo odio sunt, parêre cernimus. Nam multiplicem gratiam homines patriæ suæ debent; quod sati atque geniti fuêre, quod solem aspexerunt. Præterea, educationis, liberorum, nuptiarum, sobolis, facultatum, existimationis bonæ, vitæ, dignitatis, aliorum quæ plurima commemorari hoc loco possint. A quo nos igitur talia accepimus, an non & nostra reddere æquum? Nemo enim arbitratus sit, plus se debere parentibus, quàm patriæ, quæ & parentes tulit, & patres nobis dedit. *Progymnas. in Proditorem.*

Iulianus Imp. Epistola I. Quamvis negare non possim cælum tale esse, quale prædicas, & aquam bibentibus maritimam videri, & panes ferè hordeaceos eo afferri (quæ tu omnia, charitate patriæ impeditus, verbis non exaggerasti) attamen, heus vir optime, gratia est habenda huic, quæ tuum animum ad philosophiam excoluit. Vide, ut aliquando Ægyptiorum delicias contemnere videare. Sapientem illum Ulyssem cùm parvam & asperam, denique Ithacam insulam incoleret, tamen neque Calypso, neque melioris naturæ commutatio inducere potuit, ut Ithacam hisce omnibus non anteponeret. Sed neque Spartiates ille, opinor, cùm domesticum victum recordaretur, Spartam accusavit. Verùm scio quæ te res ad accusandum incitet. Pecuniæ cupidus es, ô bone, cumque tantillum à lucro abes, heu heu exclamas, & Nilum opesque illinc manantes requiris. Hæc res te, sicuti ais, hospitem facit, & ut corpore sis nihilo elegantiore quàm Chærephon. Credo autem te à nympha quapiam amica detineri, tandemque ægrè quantas vires amor habeat, sentire.

Themistius: Secundarum Alexandri paulò ante meminimus, secundarum Alexandri rerum nullum Pella patria fructum cepit, sed cum terrarum tantum sub Imperium suum, ac ditionem subjunxisset, ne uno quidem jugere ampliorem Patriam reddidit. Cum Imperatore vero merito sane Patria iisdem incrementis augescit; quæ ætate Imperii huius æqualis est. Audio enim uno, eodemque tempore Patrem illius, & Urbi murorum ambitum, & Filio purpuram circumdedisse, unde & rectè posteaquam triplo amplius Imperium fecit, æqualem sibi Civitatem amplificat, non productis Pomeriis, sed ad pulchritudinem aliquid semper adiiciens, sive perennioris aquæ scaturigines investigans, sive balneas de se nominatas extruens (quarum amplitudinem cum jam videatis, consentanea amplitudini pulchritudo speratur) sive eandem superne contecto stadio, tanquam pretiosissimo cingulo præcingens, sive Regium forum flammei instar auro, ac segmentis intexens. Quod vero unum vehementis cuiusdam, atque inflammati amoris est, cum minime ipse delitiis utatur, magnam nihilominus Civitati delitiarum copiam suppeditat, cumque omnes ab animo suo voluptates excludat, quæcumque tamen honestæ, & licitæ sunt, eas nobis omnibus ex locis in unum contrahit, adeò ut quibus cæteri spectaculis, aut acroamatis unicè capiuntur, ea jam nobis molestiam, ac fastidium pariant: ex quo modestior temperatiorque Civitas efficitur. Nam quibus ob egestatem, atque inopiam supra modum addicti sunt alij, nihil eorum nobis splendidum aut magnificum videtur. *Oratione 13.*

Procopius Sophista: Si parentibus officium reddere, cùm veterum dicta, tum lex naturæ præcipit, quantam æquum est patriæ gratiam rependere, è qua parentibus etiam vivendi initium prodiit. Ad eam te nunc tempus vocat, & crede patriam hanc per me vocem ad te mittere. Sic enim & officio satisfeceris, & nobis memoriam rei dabis, quoniam in maximis rebus est opus. Malum verò aut grave nihil expecta. Sed tibi quidem facilimum est dare, magnum verò accipientibus consequi. Regi magno supplicationes pro civitate per te reddi volumus, &c. *Epistola 19.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Satis erat mihi dicere, rogationem fero utilem civitati. Ista enim speciosa dictu, & una quadam imagine honesti circumdata, non respiciunt præsentes necessitates. Si tantas vires haberet civitas, ut bella suscipere, ut frangere impetus tyranni posset, non tam diu seruissemus, non illum cruentissimum dominum unus ex insidiis occidisset. Atque ego etiam si plurimum esse civium in hac civitate spectarem, bene tamen redimi capite unius civis pacem putarem. Facile est ista in concionibus & consiliis dispicere dicendo. Iam si exercitus hostium intra fines nostros fuerit, si ardere villas, si frugifera succidi, si fugam rusticorum in urbem, si compulsa intra muros pecora viderimus, si mœnia oppugnabuntur, si turres quatientur, si ad delectum ab amplexu matrũ juvenes rapientur, quàm serò pœnitebit tàm caro uni pepercisse? Et si quid tamen deforme habitura civitas fuit, dedito, ut subinde dicitis, tyrannicida, id omne mea rogatione detractum est: omni pudore liberati estis: invitum non dedidissetis: quod ad vos pertinet, bellum suscipere maluistis. Sed hoc est præcipuè, quare ego hanc ferre debeam rogationem. Ego pro civitate tam grata, pro populo tali, non subibo qualecumque periculum? Sed non solùm Reipublicæ, verùm etiam mea interest hanc recipi rogationem. Quem vultis enim ponite eventum: periculum mihi mortis est. Quid ego non satis vixi? Non enim annorum numero nec spatio ætatis terminari certum est fortium virorum vitam, sed laude & fama, & perpetuæ posteritatis immortalitate. Ita Dij faciant, ut magnum exemplum posteritati etiam pœna dare possim. *Declamatione 253.*

Quintilianus Senior: Obiicio tibi munus lucis. Iactat se potestas illa patrum, etiam in magistratus, etiam in victores. non exigo tamen ut facias quod jubeo: peto ut facias quod rogaverim. *Declam.286.*

Calpurnius Flaccus: Amplexus sum mortem usque adhuc necessariam, nunc etiam gloriosam. Mori prohibes pater, & intervenis, quominus spiritum quem fortunæ meæ debeo, patriæ profundam. *Controversia 19.*

Calpurnius Flaccus: Semper credidi immortalitatem esse pro Republica mori: cùm fama etiam viventium consenescat. Gladiatorem me fecit non pirata, sed patria. sed ô virtus, in adversis comes, sola tu me secuta in carcerem, tu in ludum. virum fortem tu sola non decipis. Scitis me, judices, periculum contemnere. sed non contemno flagitium. *Controversia 50.*

Plinius Iunior: Liber crevit, dum ornare patriam & amplificare gaudemus: pariterque & defensioni eius deservimus & gloriæ. *Lib.2.epist.5.*

Symmachus: Quanquam scio nec dum tibi hanc partem minus tutam videri. nunquam enim est securus amor patriæ: & quamvis magna remedia conquirat, semper illud putat imminere quod timuit. *Lib.1.epist.55.f.*

Symmachus: Inter Campaniæ terminos major pars æstatis agitabitur, quando & præsentia illius placet, & ea conditio est patriæ, ut qui excludi per improbos possumus, abesse interim velut ex nostro arbitrio debeamus. *Lib.2.epist.32.f.*

Symmachus: Reditus ac recursus in patriam semper omnibus est. *Lib.2.epist.52.pr.*

Symmachus: Quid quod etiam Patria in rebus angustis vel opem bonorum, vel societatem requirit? Neque enim præsentiam nostram sola prospera eius expectant. Laudabilioris officij est, participare dubia cum civibus. *Lib.7.epist.38.m.*

Symmachus: Sum mihi conscius teneræ in vos affectionis, & illius desiderij, quo cunctis vitæ voluptatibus patriam meam prædiligo. *Lib 8.epist.64.f.*

Symmachus: Scripta tua plurimum mihi tribuunt voluptatis. Sed si paullum Romæ residere voluisses, multò amplius nobis præsentia tua, quàm sermo gratiæ contulisset. Fero tamen æquo animo, quod desiderio nostro amorẽ patriæ prætulisti. *Lib.9.epist.72.*

§ POETARUM.

Aristophanes Ranis v.1459.

Civem hunc ego odi, qui in servanda patria
Fit tardus, in lædenda eadem fit celer:
Sat commodus sibi, civitati incommodus.

Oppianus lib. 1. ἁλιευτ. v.262.

Astacus vehementem, & dici non potest, qualem amorem
Proprij cubilis occultat animo, nec unquam illud
Deserit sponte: sed si quis ipsum vi abstractum
Procul portans aliorsum, iterum ad mare dimittat,
Ibi ille post non longum tempus ad suam redit speluncam
Festinans, nec vult ad peregrinum recessum alium venire,
Neq; ad aliud saxum se applicat, sed persequitur
Et domicilium, quod reliquit, & consuetudinem ac pascua maris
Illius, quod eum aluit, & non aversatur mare,
A quo ipsum profugum abegerunt marivagi piscatores,
Sic igitur etiam natantibus est sua domus, atq; mare
Patrium, & locus familiaris, ubi procreati sunt,
Instillat in corde dulce gaudium: nec sanè solis
Patria hominibus est dulcior aliis (regionibus vel rebus)
Neque miserabilius & deterius quicquã est quam si quis necessario
Profugam à patria exigat vitam doloribus plenam.
Peregrinum inter exteros dedecoris jugum trahens.

Oppianus lib. 2. κυνηγετ. v. 306.

Præcipuè cervorum genus suam domum diligit,
Consuetaq; cubilia, amicumque in silvis tectum.
Si vero ipsum tortis ligatum funibus
Venatores abducant in peregrina loca,
Proculq; in pascuis liberum iterum amittant:
Facile ad dulce domicilium revertitur, ubi habitavit (antea)
Neq; sustinet (tanquam) hospes aliquis in exteris locis.
Non igitur solis cara (est) patria hominibus:
(Sed) etiã rapidarũ desiderium quoddã instillatũ est animus ferarũ.

Plautus Persa 4.sc.4.v.83.

—— At ego patriam te rogo quæ tua sit.
V. Quæ mihi sit, nisi hæc ubi nũc sum? D. at ego illam quæro quæ fuit.
V. Omne ego pro nihilo esse ducto, quod fuit, quando fuit.
Tanquam hominẽ quando animã efflavit, quid eum quærã qui fuit?
D. Sed tamẽ, virgo, q̃ patria est tua? age nũc actutũ expedi. q̃d taces?
V. Dico equidem patriã: quandoquidẽ hic servio, hæc patria est mea.
T. Iam de isthæc rogare omitte! non vides nolle eloqui;
Ne suarum se miseriarum in memoriam inducas.

Plautus Pænulo.5.sc.2.v.76.

Maledicere huic tu temperabis, si sapis.
Meis consanguineis nolo te injustè loqui.
Carthagini ego sum natus, ut tu sis sciens.
P. O mi popularis salve! A. & tu edepol, quiquis es.
Et si quid opus est, quæso dic, atq; impera,
Popularitatis caussa. P. habeo gratiam.

Ausonius de Severo Imp.

Punica origo illi: sed qui virtute probaret,
Non obstare locum cùm valet ingenium.

§ APOLOGI.

De Psittaco admirante, cur major honor alibi, quam in patria sibi exhiberetur. Fab. 106.

Psittacus ex oriente in occidentem delatus, ubi hujusmodi aves nasci non consueverunt, admiratur sese in majori precio & honore haberi, quàm in natali consuevisset solo: Nam caveam eburneã, argenteis contextam virgis incolebat, suavissimisque alebatur cibis, quod cæteris avibus occidentalibus, quæ neque in forma, neque exprimendis humanis vocibus erant inferiores, non contingebat. Tunc turtur in eadem cavea conclusus, hoc, inquit, nulla est admiratione dignum. Nulli enim in patria meritus honor exhiberi solet. *Abstemius.*

§ EMBLEMATUM.

Camerarius XXIII. Centur. 1.

Erit altera merces. Palma & cupressus.

Vincere pro patria, vel pulcra occumbere morte
Fortis amat: ramus quod monet iste duplex.

Camerarius XLVIII. Centur. 2.

Aut mors aut vita decora. Aper venabulo obvius.

Dixeris hos fortes, quos nec formidine mortis,
Pro patria lætos occubuisse juvat.

Camerarius XXXIX. Centur. 3.

Soli patriæ.

Nunquam excedit Ibis terræ Mareotidis arvis,
Vt moneat quantum possit amor patriæ.

Camerarius LXXI. Centur. 4.

Mihi terra lacusque. Rana.

Arbitrij jurisq; mei sunt terra lacusq;
An non vel magno principe sum potior?

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Iesus Christus: At Patriæ ingratitudinem intuentibus, vix in mentem venire potest debita aliàs illi gratitudo. dum enim Patria fragilis recordatur infantiæ, præsentia suorum opera virtutesque non considerat. Numquid multa præclarè Nazarethi dixerat & fecerat Dei Filius? quid nihilominus concives? Unde huic sapientia & virtutes? nónne hic est fabri filius? &c. & scandalizabantur in eo. At respondens ille, ait: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria, & in domo sua.* Insinuabat autem virtute & scientia celebres, nullo in pretio inter agnatos & concives reputari, ac solùm eos æstimari, qui è longinquo adveniunt: quamvis aliquando,

Vervecum in patria crassoq; sub aere nati.

Tales enim sunt hominum affectus, ut novitate gaudeant, & domestica plerunque contemnant ac fastidiant. Audiamus judicium Euripidis verè hac in re serium. ait enim:

Meo quidem iudicio non rectè sapit,
Qui spretis Patriæ finibus terræ,
Alienam laudat, & moribus gaudet alienis,

Matth. cap. 13.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Barbaris servire præstat, quàm perire in patriâ.
Clara patria à viris fit, non viri ipsa à patria.
Et regio materna pars est computanda patriæ.
Filios nullos relinqui patriæ præstat quam malos.
Homines optimi quærendi, velut equi, extra patriam.
Multa quisq; vitæ debet, plura verùm patriæ.
Natalis soli cupido nemini eximi potest.
Ne queas quidem ipse odisse patriam pro liberis.
Nemo patriam amat, quia magna est, sed quia est sua.
Non ubi quis prognatus, sed moratus ut sit quæritur.
Nulla terra cùm piis sit patria, omnis patria est.
Patria est putanda, virtus regnum ubi alma possidet.
Patria est solum omne forti, ut æquor omne piscibus.
Patria est ubi bene audis: patria est ubi bene est.
Patria est, ubicunq; sedem vir fortis delegerit.
Patriam transire fortis non potest: una omnium est.

§ JAMBICA.

Censenda virtus est cuiusq; haud patria.
Communis ipsa cunctis Roma patria est.
Cujusq; virtus expendenda: haud patria.
Forti viro quodvis solum pro patria est.
Mores genus si non dat, at dat patria.
Natura nullam fecit ulli patriam.
Omnis viro locus sapienti patria est.
Omnis viro vicus sapienti patria est.
Plures sibi imperium quærunt, quam patriæ.
Quamcunq; tempus urbem, patriam facit.
Quivis suâ etiam in patriâ stultus exsulat.
Virtus ubi est, ibiq; fortis patria est.

Patrocinij.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

X*Enophon*: Commemorabo etiam illa, quæ ex Hermogene, Hipponici filio, de ipso accepi. Nam ajebat se, posteaquam Melitus Socratem accusasset, atque is quidvis potius, quam quæ ad causam pertinerent, diceret, monuisse, considerandum ipsi esse, quidnam sui defendendi causa proferre vellet. Ad ea primum respondisse Socratem: An non tibi videor in hac meditatione vitam omnem consumsisse? Illo verò quærente, Quo pacto? dixisse Socratem: Nihil aliud perpetuo se egisse, quam quod, quæ justa, quæque injusta essent, considerasset: ac justa quidem egisset, ab injustis autem abstinuisset; quam sane meditationem purgandi sui pulcherrimam duceret. Tum rursus Hermogenem subjecisse. Non autem vides, mi Socrates, judices Athenis multos interfecisse, qui nihil injuste perpetrassent, duntaxat oratione offensos: & ex adverso multos scelerum reos absoluisse? At profecto, respondisse Socratem, quum modo conarer, mi Hermogenes, meditari defensionem ad judices, numen adversatum est mihi. *Cap. 37. lib. 4. Memorabilium.*

Xenophon: Hermogenes quum videret ipsum de quavis alia re potius, quam de causa sua disserere, dixisse se ait: Nonne par erat, mi Socrates, ut considerares, qua tibi utendum sit defensione? Tum Socratem primo respondisse: Non defendere tibi videor, quum me vitæ cursum peregisse meditor? Rogasse deinde se: qui sic? Quod nihil, ait, iniqui unquam in vita designaverim, quam ego defensionis meditationem honestissimam esse arbitror. Quumque rursum dixisset Hermogenes: An non vides in Atheniensium judiciis sæpe judices oratione commotos interfecisse illos, qui nihil designaverant: sæpe etiam alios, qui nocentes erant, quum vel oratione commiserationem movissent, vel magna cum gratia caussam egissent, absoluisse? responsum hoc dedisse Socratem: At mihi profecto bis jam conanti de purgatione circumspicere, numen adversatur. *Lib. de Socrat. defens. cap. 1.*

Apollonius Musonio. Cupio ad te venire, dissertationesque & tectum tecum communicare, ut tibi auxilium adferam, si non diffi-

dis, quemadmodum Hercules aliquando Theſeum ex orco eripuit. Scribe quod lubitum erit. Vale. *Epiſt.44.*

Muſonius Apollonio. Conatus tui laudem certiſſimam habebis. At homo, qui defenſionem ſuſcipit, & ab omni injuria ſeſe rationibus ac argumentis purgat, is liberat ſeipſum. *Epiſt.45.*

Apollonius Muſonio. Socrates Athenienſis, cùm ab amicis liberari non vellet, in judicium quidem eſt adductus: at vita multatus eſt. *Epiſt. 46.*

Muſonius Apollonio. Socrates mortem obiit, quia ſe non ad defendendum, ac depellenda crimina paravit. Ego verò me defendam. *Epiſt. 47.*

Dionyſius Sophiſta: Geſſi quendam uſque ad pręſens tempus, eumque juſtum adverſus te dolorem. Cauſam verò ignoras. Quòd ſi neſcis, redigam in memoriam. Meis agricolis auxilio fuiſti, cùm injuria me premerent. Adempto igitur dolore rurſus in gratiam reduxiſti. Amabo autem eò ampliùs ego te, ſi tibi meæ res curæ fuerint, non eorum, qui mihi injuriam inferunt. *Epiſt.17.*

❡ Romanorum.

C. Tacitus: Patrocinium propinquorum, quamvis reorum, & quidem crimine læſæ Majeſtatis, juſtum habitum piumque, exemplis oſtendit. *Libro 3. annalium cap.12. & 21. lib.4. annal. cap. 66. libro 4. hiſtoriar. cap.42.*

C. Tacitus: Patronum ac libertum pari ſorte compoſitus, res iniquiſſima. *Lib.16. annal. cap.10.*

C. Tacitus: Patroni rebus interverſis, ad accuſandum transgreditur Fortunatus libertus. *Lib.16. annal. c.10.*

C. Tacitus: Patrono lęſo quid aliud cōceſſum, quam ut viceſimum ultra lapidem, in oram Campaniæ libertum releget? quærit Senatus, aliaque petenda *ex libro 13. annal. cap.26.*

Plinius Iunior: Imaginare Cæſarem liberti precibus, vel potiùs imperio, coram Senatu obtemperantem: imperat enim libertus patrono, quem in Senatu rogat. *6. Lib.8.*

❡ Poetarum.

D. Nazianzenus Carmine 62.

Αἰσχρὸν ἄριστον ἐόντα συνήγορον ἔμμεν' ἀλιτρῶν.
Ἶσον, καὶ κακίης τὸν πόδα ἐντὸς ἔχειν.

Turpe bono eſt pravis ſeſe præbere patronum:
Nec minus id quam ſi peſſimus ipſe foret.

Plautus Menæchmis 4. ſc.2. pr.

Vt hoc utimur maximè more moro,
Moleſtoq́ multum: atq́ uti quiq́ ſunt
Optimi maximi, morem habent hunc:
Clientes ſibi omnes volunt eſſe multos.
Bonine an mali ſint, id haud quæritant.
Res magis quæritur, quàm clientium
Fides cuiusmodi clueat.
Si eſt pauper atq́ haud malus, nequam habetur.
Sin dives malus eſt, is cliens frugi habetur.
Qui neq́ leges, neq́ æquum bonum uſquam
Colunt, ſollicitos patronos habent.
Datum denegant, quod datum eſt, litium
Pleni, rapaces, viri fraudulenti:
Qui aut fœnore, aut perjuriis habent rem
Partam: mens eſt in querelis.
Iuris ubi dicitur dies, ſimul
Patronis dicitur: quippe qui pro illis
Loquantur, male quæ fecerint, ſeu ad
Populum, ſive in jure, ſeu apud judicem res eſt.
Sicut me hodie nimis ſollicitum cliens
Quidam habuit, neq́ quod volui agere quidquam
Licitum eſt: ita me attinuit, ita me detinuit.
Apud Aediles pro ejus factis plurimis,
Peſſimisq́ dixi cauſam, conditiones
Tetuli, tortas, confragoſas: aut plus
Aut minus quam opus erat multò, dixeram
Controverſiam, uti ſponſio fieret.
Quid ille? quid prædem dedit, neq́ magis
Manifeſtum ego hominem unquam ullum teneri vidi
Omnibus malefactis.

Plautus Perſa 5. ſc.2. v.57.

Sed ita pars libertinorum eſt: niſi patrono qui adverſatus eſt,
Nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi, nec ſatis honeſtus.
Ni id efficit, ni ei maledixit, ingrato ingratus repertus eſt.
L. Pol. benefacta tua me hortantur, tuo ut imperio paream.
T. Ego ſum tibi patronus planè, qui huic argentum pro te dedi.

Videantur plura titulo *Advocati, Auxilij, Defenſionis, Oratoris.*

Paupertatis.

❡ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus:* Quamvis adhibitis parvis menſuris, alius à alium antecellere videatur, pauperes tamen omnes revera ſumus, gratiaque divina indigemus. *initio Orat.16.*

D. Nazianzenus: Eſt quidem haud admodum promptum & facile, inter virtutes eam, quæ cæteras vincat, invenire, eique primas ac palmam dare: quemadmodum etiam in prato quodam plurimis & ſuavibus floribus referto, florem omnium pulcerrimum & fragrantiſſimum reperire, alio nimirum aliàs olfactum atq; aſpectum ad ſe diſtrahente, atque ad primum eum decerpendum allicente. Si tamen ex Pauli, atque ipſius etiam Chriſti ſententia & authoritate claritatem, ut Legis & Prophetarum caput, præceptorum omnium primum maximumque cenſendum eſt, huius præcipuam partem in eo ſitam eſſe comperio, ut pauperes amore ac benevolētia complectamur, atque eorum, qui nobis cognatione coniuncti ſunt, calamitatibus moveamur, & doleamus. Neque enim ullus omnino cultus Deo perinde gratus eſt, ut miſericordia (quandoquidem nec aliud quicquam eſt, quod Deo magis conveniat, utpote quem miſericordia & veritas præcedant, & cui miſericordia ante judicium offerenda ſit:) nec ulli alii rei potius, quam benignitati benignitas ab eo rependitur, qui iuſtè remetitur, atque in pondere & menſura miſericordiam ponit. Porrò cum juxta præceptum illud, quod & cū gaudentibus gaudere, & cum flentibus flere jubet, omnibus pauperibus, quacunq; de cauſa ærumnis & incommodis premantur, viſcera aperire, & cum homines ipſi ſumus, benignitatis ſtipem hominibus prius conferre debeamus, ſive ob viduitatem ea opus habeāt, ſive ob amiſſos parentes, ſive ob exilium, ſive ob dominorum ſævitiam, ſive ob pręſidum acerbitatem, ſive ob eorum, qui legendis tributis præſunt, inhumanitatem & importunitatem, ſive ob cruentā prædonum immanitatem, ſive ob inexplebilem furum aviditatem, ſive ob bonorum proſcriptionem, ſive ob naufragiū (omnes enim ſimiliter miſerabiles ſunt, ſicq; in manus noſtras intuentur, ut nos in Dei manus, cum re aliqua egemus: atq; ex ipſis rurſum, ij, qui pręter dignitatem afflictantur, miſerabiliores ſunt, quàm ij, qui calamitatibus aſſueverunt. *Orat.16.*

D. Nazianzenus: Pauper eſt philoſophus? pro divitiis Deum habebit: divites irridebit, ut qui licet facultates ſuas quotidie augeant, ſemper tamen pauperes ſint, quia pluribus indigent, bibuntque ut majori ſiti imflammentur. Fame vexabitur? cum avibus aletur, quibus victus ſationis & arationis expers eſt: cum Elia apud Sareptanā vivet. Siti angitur? Fontes ei & flumina potum ſuppeditabunt, & quidem potum non inebriantem, nec dimenſum. Quod ſi omnia propter nimiam ſiccitatem deficiant, torrentis aqua fortaſſe ſitim ſedabit. Algebit? Idem quoque Paullo accidit: ſed quamdiu. *Orat.28.*

Idem: Ne graveris igitur ad nos olera mittere plurima & pulcerrima: aut quantum certè potueris. nam exigua quoque pauperibus magna ſunt. *Epiſtola 12.*

D. Greg. Nyſſenus: Benignitas in pauperes & egenos, à pauperibus aliena non eſt. *Orat.8. de beatitudinibus.*

Idem: Forſan etiamſi prius non erat, at nunc propter te paupertatis quoque deſiderium florebit, tuaque tenuitas atque frugalitas ingentibus Crœſi auri ponderibus beatior habebitur. Quemnā enim vel terra vel mare ambo ſuos proventus benignè impartientes ita beatum reddiderūt, ut tuam vitam animus iſte materialium facultatum & mundanarum opum contemptor? Vt enim illi, qui à ferro rubiginem abſtergunt & abradunt, ſplendidum id & ad argenti decus accedens efficiunt: ita tibi vitę radius, dum ſemper à rubigine pecuniarum diligenter expurgatur, clarior evaſit. Hæc quoque eloquentibus ac dicendi facultate præditis relinquantur: & quod pulchrè calles, in quibus rebus ex ſumptione, & acceptione, quàm ex abſtinentia lucri plus laudis ac gloriæ quis ferre poſſit. Liceat enim mihi cum bona venia tua dicere, quod non omnia lucra deſpicis atque contemnis: ſed quæ nemo ſuperiorum adhuc attingere & aſſequi potuit, ea ambabus manibus ſolus complexus es. Pro veſte enim aliqua pretioſa, pro mancipiis, pro pecuniis ipſas hominum animas captas, & in dilectionis theſauro depoſitas tenes. *de infantibus præmaturè mortuis.*

D. Chryſoſtomus fine Homiliæ 4. ad Romanos: Longe melius fuerit pauperem eſſe cum virtute victitantem, quàm regem cum malitia. Pauper enim apud ſe animi deliciis perfruitur, exteriorem non ſentiens paupertatem, ob divitias interiores. At rex deliciatus in iis quę ad ipſum nihil ſpectant, in iis ſanè quæ ad ipſum inprimis pertinēt plectitur, nimirum in anima, in conſcientia, in cogitationibus illum vel mortuum comitantibus. His igitur intellectis aureas quidem veſtes exuamus, virtutem autem amplexi induamus, tum voluptatem ex ea naſcentem: ſic enim & hac in vita, & in futura multis deliciis perfruemur, ac bona promiſſa aſſequemur.

Idem: Argentum & aurum non eſt mihi. Ita nihil habebant, & tamē omnia poſſidebāt. Quid eſt hac voce gravius, quid beatius, quid locupletius? Nam alij quidem de contrariis gloriabantur, dicentes: Ego tot & tot habeo auri talenta, & terræ jugera infinita, & domos, & mancipia. Hic autem propterea quòd ſit omnium nudus, non deliteſcit ob paupertatem, quod ſtultis accidit: neque præ pudore vultum tegit, ſed etiam gloriatur. Vbi nunc ſunt divites, qui numerant uſuras & uſuras uſurarum: & qui bona omnium capiunt, & nunquā ſatiātur? Audiviſtis Petri vocem: quæ oſtendit paupertatē divitiarū matrē: quę nihil habet, & eſt ditior iis qui ſunt redimiti diadematib. Nam hæc, quę nihil habebat, & mortuos excitabat, & claudi ut recti ambularent faciebat, & dæmones fugabat, & ea donabat, quæ nunquam potuerant qui erant induti purpura, & magnos & terribiles ducebant exercitus. Hæc vox eſt eorum, qui jam migrarunt in cœlum, qui verticem illum apprehenderunt. Sic fieri poteſt: ut qui nihil habet, ea quę ſunt omnium teneat, quæ ſunt omnium poſſideat. Sin autem poſſideamus quę ſunt omnium, privari ſumus omnibus. Ænigma fortè eſſe videtur quod dictum eſt: ſed non eſt. At quomodo,

modo, inquis, is qui nihil habet, possidet ea quæ sunt omnium? non multò autem magis is, qui quæ sunt omnium possidet? Nequaquã, sed totum contratrium. Nam qui nihil habent, sicuti illi, illis erant apertæ omnium domus: & gratiam habebant, qui eis præbebant: & tanquam ad amicos & cognatos veniebant. Venerunt enim ad purpuræ venditricem, & illa tanquam ancilla eis sua apposuit, & ad custodem carceris, & ille totam domum suam eis aperuit: & ad mille alios. Sic omnia habebant, & nihil habebant. Nihil enim ex iis quæ sunt dicebant esse proprium. Propterea omnia erãt ipsorum. Nam qui ea quæ sunt, esse communia existimat: non suis tantùm utetur, sed iis etiam quæ sunt aliorum, tanquam propriis. Qui autem abscindit, & se suarum tantùm rerum facit esse dominum, ne earum quidem erit dominus. Hoc est autem exemplo manifestum. Qui nihil omninò possidet, neque domum, neque mensem, neque superfluam vestem: sed propter Deum omnibus est privatus: communibus utitur tanquam propriis, & ab omnibus quæ volet accipiet. Ita quæ sunt omnium habet, qui nihil habet. Qui autem habet aliqua, ne eorum quidem erit dominus. neque enim dabit quisquam ei qui possidet: & latronum, & furum, & calumniatorum, & mutationis rerum, & omnium magis quàm illius erunt res illius. Omnẽ quidem certè orbem terrarum pervasit Paulus: nihil secum ferens, non accedens ad amicos, non ad familiares & necessarios: erat enim in initio hostis omnibus: sed tamen cùm esset ingressus habebat bona omnium. Ananias autem & Sapphira, cùm studium posuissent, ut propriorum aliquid possiderent: ab omnibus exciderunt etiam cum ipsa vita. Abscede ergo à tuis, ut alienis utaris tanquam propriis. *Homil. 15. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Terribilis & horrenda nobis videtur esse paupertas, si vel tantùm appelletur. Propterea enim pauperes sumus, quòd paupertatem formidamus, etiamsi talenta habeamus innumerabilia. Non enim qui nihil habet est pauper, sed is qui horret paupertatem. Nam & in calamitatibus non eos deflemus qui magna mala patiuntur, & miseros existimamus: sed eos qui ferre nesciunt, etiam si sint parva. Nam qui ea ferre potest, & laudibus dignus est & coronis. Et quòd hoc ita se habeat, in certaminibus quosnam laudamus? eósne qui multum verberantur & non dolent, sed erecto & sublimi sunt collo: an eos qui à primis fugiunt acceptis plagis? An non illos quidem etiam coronamus, tanquam fortes magnique & excelsi animi: hoc autem etiam irridemus, tanquam ignavos ac timidos pusillique & abjecti animi? Ita etiam faciamus in rebus hujus vitæ. eum quidem qui facilè fert omnia, tanquam fortem illum & generosum athletam coronemus: hunc autem defleamus extimescentem, & ea quæ sunt gravia & aspera contremiscentem, & priùs quàm plagam acceperit metu mortuum. Etenim in certaminibus, si quisquam priusquam manus sustulerit, cùm viderit adversarium solùm manus extendentem, aufugerit, etiamsi plagam non acceperit, erit ridiculus: ut qui sit enervatus, mollis, & effœminatus, & horum laborum imperitus: ut etiam accidit in iis qui paupertatem extimescunt, & ne ferre quidem possunt eius expectationem. Non ergo nos vos facimus miseros, sed vos ipsi vos ipsos. Quomodo enim de cætero non ludificabitur diabolus, videns te etiam ante plagam minus formidantem & contremiscentem? Imò verò cùm tu hoc existimes esse minas, ne habebit quidem opus ut te deinceps feriat: sed sinens te habere divitias, propter expectationem earum ademptionis, te reddet quavis cera molliorem. est enim nobis natura, ut semel dicam, insitum: ut quæ timemus postquam ea passi sumus, non tam terribilia esse existimemus, quàm prius, & ante experientiam. Ne hanc ergo virtutem possideas, in summo te tenet metu, ante paupertatem metu paupertatis tanquam igne liquefaciens. Nam qui est eiusmodi, est quavis cera mollior, & ipso Cain vitam agit miseriorem: pro iis quidem quorum plusquam cæteri habet copiam extimescens, pro iis autem, quæ non habet dolens, & pro iis quæ habet rursum tremens, tanquam ingratum fugitivum intus detinens Plutum, nempè divitias, variisque & absurdis obsessus animi perturbationibus. Nam & absurda ac nefaria cupiditas, multiplexque & varius metus, & angor animi, omni ex parte eos tanquam tempestas agitant: & sunt similes navigio ventis undique pulso, & multos eosque ingentes fluctus sustinenti. Quanto autem est melius, eum qui est eiusmodi, è vivis excedere, quàm perpetuam ferre tempestatem? Nam Caino quoque tolerabilius erat emori, quàm perpetuò tremere. Ne ergo hæc quoque nobis accidant, irrideamus diaboli machinam: perfringamus eius funes: discindamus sævæ lanceæ cuspidem, & arceamus omnem ejus insultum. Nam si pecunias irriseris: non habet ubi te feriat: non habet unde te apprehendat. Nam malorum evulsisti radicem. Si non sit autem radix, nec malus germinabit fructus. *Homil. 30. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Minoribus indigemus in iis quæ vitam continent. usq; tanta est necessitas, ut etsi quis sit omnium ditissimus, ne sic quidem sit liber ab hac coniunctione, & opus habet inferiori. Neq; enim divitibus solùm opus habent pauperes, sed etiam divites pauperibus: & illi magis his, quàm hi illis. Et ut hoc videas manifestius, faciamus, si videtur, duas civitates: alteram quidem divitum solùm, alteram verò pauperum. & neque in civitate divitum sit ullus pauper, neque in civitate pauperum sit ullus dives: sed utrasque exactè expurgemus, & videamus utra magis sibi possit sufficere. Nam si invenerimus civitatem pauperum magis posse, est perspicuum quòd divites his magis egebunt. Ergo si in illa quidem locupletum civitate nullus erit opifex, nullus ædificator, non faber, non sutor calcearius, non pistor, non agricola, non faber ærarius, non funium cõtextor, neq; quidquam aliud eiusmodi. Quis enim ex divitibus hæc unquam tractare voluerit? cùm etiam qui hæc tractant, cùm evaserint divites, non sustineãt miseriam & afflictionem quæ ex his existit operibus. Quomodo ergo nobis stabit hæc civitas? Data, inquit, pecunia, qui sunt divites, hæc ement à pauperibus. Sibi ergo non sufficient, si illis opus habeant. Quomodo autem domos ædificabunt? An hoc etiam ement? Sed non est ea hujus rei natura. Necesse est ergo illic vocare artifices, & legem violare quam tulimus ab initio urbem condentes. Meministis enim quando dicebamus, Nemo sit intus pauper. Sed ecce usus, etiam nobis invitis, eos vocavit & introduxit. Unde est perspicuum, fieri non posse, ut absque pauperibus constet civitas. Si enim maneat civitas, nullum ex iis excipiẽs, non erit ampliùs civitas; sed peribit. Non igitur sibi sufficiet, nisi tãquam servatores aliquos pauperes apud se congregarit. Videamus etiam pauperum civitatem, an ipsa quoque similiter deget in egestate, si sit privata divitibus. Priùs autem oratione expurgemus divitias, & eas apertè ostendamus. Quid sunt ergo divitiæ? Aurum, & argentum, & gemmæ, & vestes sericæ, & purpureæ, & aureæ. Postquam ergo nobis apparuit quid sint divitiæ, eas abigamus à civitate purè pauperum, ne in somnis quidem nobis aurum appareat, neque ejusmodi vestes. Si vis autem neque argentum, neq; vasa argentea. Quid ex eo in egestate erunt res huius civitatis, dic quæso? Nihil. Nã etsi sit ædificandum: non opus est auro, argento, & margaritis: sed arte & manibus. nec absolutè manibus, sed manibus callosis, & digitis induratis, & magno robore, lignisque & lapidibus. Et rursus si texenda sit vestis, auro rursus & argento non est nobis opus: sed rursus manibus, & arte, & operantibus mulieribus. Quid rursus si aranda & fodienda sit terra, divitibúsne an pauperibus est opus? Est cuivis perspicuum, quòd pauperibus. Porrò autem quando oportebit ex ære fabricari, & aliquid aliud facere huiusmodi, hoc populo maximè nobis opus est. Vbi ergo de cætero nobis opus erit divitibus, nisi hanc civitatem oporteat destruere? Si enim illis ingressis, in auri & margaritarum desiderium inciderint hi philosophi (philosophos enim appello eos qui nihil quærunt supervacaneum) se otio dedentes & deliciis, de cætero perdent omnia. At si nõ sunt, inquit, utiles divitiæ, cur datæ sunt à Deo? Et unde constat quod à Deo sit ditescere? Scriptura dicit, Meum & argentum, & meum est aurum: & cui volo dabo ipsum. Heic nisi rem turpem facerem, profectò nunc risu risissem, eos qui hæc dicunt irridẽs: quod sicut parvi pueri regia fruentes mensa, cum illo alimento quidquid inciderit in os iniiciunt: ita isti quoque cum scripturis divinis sua inducunt. Nam illud quidem, Meum est argentum, & meum est aurum: scio dictum esse à Propheta: hoc autem, Et cui volo dabo ipsum: nequaquam additum, sed ab istis vulgi fæcibus inductum. Cur autem illud dictum sit, dicam. Propheta enim Aggæus, quoniam Iudæis assiduè pollicebatur post reditum à Babylone se templum ostensurum in priore figura, & ei quod dicebam non credebant quidam, & propemodum fieri non posse existimabant, ut post cinerem & pulverem talis apparitura esset illa ædes: eorum solvens incredulitatem ex persona Dei hæc dicit: perinde ac si diceret, Quid timetis? Quid autem non creditis? Meum est argentum, & meum est aurum: nec opus habeo, ut fœnori accepta pecunia sic ædem exornem. Et quod hoc sit, subjunxit: Et erit gloria huius ędis ultima supra primam. Ne vestimento ergo regio aranearum telam inducamus. Nam si quis fuerit deprehensus in purpura deforme subtegmen contexens, ultimum dabit supplicium: multò magis in spiritualibus. Neq; enim leve hinc oritur peccatum. Et quid dico ex additione & ablatione? Ex puncto solo, & ex sola lectionis simulata actione absurdi sæpè orti sunt sensus. *Homil. 34. ad Corinth. 1.*

Idem: Eum qui sua sponte paupertatem eligit, ipso Rege ditiorem esse pronuncio. Nam ille quidẽ eget multis, & est solicitus, & timet ne ei deficiat militaris cõmeatus. Hic autem omnia habet affatim, & de nullo timet, nedum de tam multis. Quis ergo, dic quæso, est dives, is ne qui quotidie est solicitus, & cogitat & studium ponit ut multa colligat, & timet ne aliquando deficiant: an is qui nihil colligit, & cui abundè omnia suppeditant, & nullo indiget? virtus enim & Dei metus dat fiduciam, non pecuniæ. Illæ enim etiam in servitutem redigunt. *Homil. 18. epist. ad Hebr.*

Idem: Cur cupis pecunias? Deus eas tibi abstulit, ut te liberet à servitute. nam veri quoque patres & legitimi, cùm filius fuerit corruptus consuetudine alicuius meretricis, & ei sæpe admonito non persuaserit, ut ab ea discedat, meretricem procul amandant & exterminant. Talis est etiam copia pecuniæ. nostri curam gerens Dominus, & à noxia quæ inde accipitur nos liberans, aufert nostras pecunias. *Homil. 33. ad Hebræos.*

Chrysostomus: Quid verò, omnésne sunt pauperes propter ocium? nemo ob naufragium? nemo propter judicium? nemo propter furtum? nemo propter pericula? nemo propter morbos? nemo propter alium casum? *Homil. 11. epist. ad Hebræos.*

D. Chrysostomus: Quousque pauperes? quousque mendici? Nõ est, non est pauper ille, qui nihil habet; sed qui multa cupit: non est dives, qui multa possidet; sed qui nullius eget rei. Quid enim prodest universum quidem terrarum orbem possidere, nihilo verò jucundiùs ijs vivere, qui nihil habent? Electiones ipsæ & vitæ instituta sunt, quæ divites & pauperes faciunt; non pecuniarum abundantia, aut inopia. Vis tu, ô pauper ditescere? si velis, licet tibi: nemo est, qui prohibeat: contemne mundi pecunias: pro nihi-

lo illas habe; quemadmodum revera nihil sunt: abijce divitiarum cupiditatem: & factus es dives. Qui ditari non vult, hic est qui ditatur. Qui minimè vult in paupertatem incidere, is incidit. Nam quemadmodum is verè ægrotat, qui etiam in sanitate languet, seq; afflictat; non ille, qui morbum nihilò difficilius fert, quàm integram sanitatem: ita etiam pauper est, qui paupertatem ferre non potest, atque undique affluentibus divitijs se præ omnibus pauperibus pauperem putat; non ille, qui paupertatem facillimè ferens, hilariùs vivit quàm divites. Hic enim longè ditior est. Dic enim mihi, cur paupertatem times? cur tremis? nónne propter famis periculum? nónne propter periculum sitis & frigoris? nonne ob alias hujusmodi causas? At nemo, nemo, inquam, est, cui his de causis desperandum aliquando fuerit. Respicite enim in antiquas generationes, & videte. Quis credidit Deo, & derelictus est? vel quis speravit in ipso, & confusus est? & rursus: Respicite volatilia cœli; quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit illa. Non citò quisquam nobis quempiam protulerit, qui fame aut frigore perierit.

Quid igitur causæ est, quamobrem paupertatem timeas? nihil habes, quod respondeas. Nam si necessaria tibi suppetunt, cur denique illam times? quòd non tibi adest famulorum multitudo? id verò nihil aliud est, quàm à dominis esse liberum, quàm perpetua quædam beatitudo, quàm curarum vacuitas & libertas. An quòd vasa, lectos, supellectilem non habes ex argento fabrefacta? Et quid plus habet, quàm tu, quod ad fruendum pertinet, is, cui ista suppetunt? nihil. Vsus enim idem est, sive ex hac, sive ex illa materia constent. An quòd multis non es terrori? Absit, ut id tibi unquam in mentem veniat. Quæ enim voluptas, esse qui te metuant ac formident? An quòd alios formidas? at licet non formidare. Vis enim, inquit, non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. At enim dicis; facilè contemnimur, facilè malis afficimur. quin imò id potissimùm facit improbitas, non paupertas. Etenim cùm multi pauperes vitam agant sine molestia: non defuerunt principes abundantes divitijs, ac dynastæ, qui quovis facinoroso, & latrone, & sacrilego deteriùs multati discesserunt. Quod enim in te paupertas, id in illo divitiæ faciunt. Nam qui malefacere volunt; quemadmodum tibi ex contemptu, ita diviti ex invidia & livore malefaciunt: atque hi magis, quàm illi. hi enim validiore impetu ad malefaciendum impelluntur. Etenim qui invidet, omnem animi vim & facultatem in agendo adhibet. At qui contemnit, sæpe etiam illius quem contemnit, miseretur: atque hoc ipsum causa illi salutis fuit; pauperem, inquam, esse, nihil habere virium. Ita enim adversus eum, qui pauperi imminet, dicere soliti sumus: magnum verò quiddam effeceris, si hunc sustuleris, si pauperem unum interfeceris; en quanta, & quàm ampla consequeris præmia. atque his verbis furorem illius cohibemus. At adversus divites invidia ita insurgit: ut non antè desinat, quàm quod vult effecerit, suumque venenum evomuerit. Vides non in paupertate aut divitijs sitam esse boni naturam, sed in nostra electione. Hanc igitur componamus, doceamusque philosophari. Si hæc benè se habuerit; neque divitiæ nos excludere à regno poterunt, nec quicquam nobis adimet paupertas: sed æquo ipsam feremus animo; nullum ex ea detrimentum aut ad futura bona consequenda, aut in hac vita reportantes: quin imò & his fruemur & cœlestibus illis potiemur bonis. *fine Homiliæ 2. ad Philippenses.*

Isidorus Pelusiota: Si paupertas mœrori est, divina hæc lex nihili ducitur, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quamobrem si hoc non expetimus, proculdubio ne illius quidem desiderio tenemur. Sin autem illam gratis animis excipimus, etiam huius cedamus mandatis. *Lib. 1. Epist. 375.*

Idem: Panis penuria, fames non est: nec vestium inopia, nuditas. Pilifer enim ille Baptista, & divitis janitor, qui fame ac nuditate contabuit, in sempiterno ac finis omnis experti regno versantur, & confoventur. Qui autem in ciborum voluptate, ac byssinis vestibus divitiis circumfluebat, gehennam habet, ipsiusque ignem pro indumento. *Lib. 1. Epist. 376.*

Idem: Quandoquidem is, qui per comœdiam tragicum supercilium populo iniecit, ipsiusque molestiam atque invidiam astrinxit, optimus tibi monitor esse visus est, ut qui ea scripserit, quæ cum ingenti gravitate auditorum animos coercere solent, audi eum dicentem: Nequaquam turpem & probrosam rem existimans paupertatem, quæ philosophiæ, atque omnis artis ac scientiæ parens est. *Lib. 2. Epist. 168.*

Idem: Eos, qui, cùm à virtute incipiant, tandem in vitium desinunt, omni zelo vacuos ac miseros existimare oportet. Huiusmodi autem sunt, qui à pauperum præsidio ac patrocinio inchoantes, in privatum quæstum postremò recidunt. Quos quidem divinum oraculum reprimens, justè, inquit, quod justum est, persequeris. Neq; enim convenit, ut qui pauperum justa cura præditi instructiq; sint, eamque præ se ferant, eos quorum causa muniti sunt, fraudent ac spoliét, atq; ea, quæ ad ipsos attinent, ad se avertant. *lib. 3. epist. 277.*

¶ LATINORUM.

Salvianus: Sicut nihil est tam leve, quod ei non grave sit qui invitus facit: sic nihil est tam grave, quod non ei qui id libenter exequitur leve esse videatur: nisi forte antiquis illis priscæ virtutis viris, Fabiis, Fabriciis, Cincinnatis grave fuisse existimamus, quod pauperes erant, qui divites esse volebant; cùm omnia scilicet studia, omnes conatus suos ad communia emolumenta conferrent, & crescentes Reip. vires privata paupertate ditarent. Numquid parcam illam tunc agrestemque vitam cum gemitu ac dolore tolerabant, cùm viles ac rusticos cibos, ante ipsos quibus coxerant focos, sumerent, eosque ipsos capere nisi ante vesperam non liceret? Numquid ægre ferebant quod avaram ac divitem conscientiam auri talenta non premerent, cùm etiam argenti usum legibus coercerent? Nunquid illecebræ & cupiditatis pœnam putabant, quod distenta aureis nummis marsupia non haberent; cùm patricium hominem, quod usque ad decem argenti libras dives esse voluisset, indignum curia judicarent? Non despiciebant tunc puto pauperes cultus, cum vestem hirtam ac brevem sumerent, cùm ab aratro arcesserentur ad fasces, & illustrandi habitu consulari, illis fortasse ipsis quas assumpturi erant imperialibus togis madidum sudore pulverem detergerent. itaque tunc illi pauperes magistratus, opulentam remp. habebant; nunc autem dives potestas pauperem facit esse Rempub. Et quæ rogo insania est, ut mendicante rep. divitias posse credant privatas? *Lib. 1. de gubernatione Dei.*

Idem: Veteres Rom. tunc sic contemnebant divitias, nescientes Deum, sicut nunc spernunt sequentes Dominum. Quanquam quid ego de illis loquar, qui cura imperii propagandi contemptum propriæ facultatis ad publicas opes conferebant; & licet privatim pauperes essent, divitiis tamen abundabant communibus? cùm etiam Græci quidam sapientiæ sectatores sine ullo publicæ utilitatis affectu, prope omni se rei familiaris usu, assequendæ gloriæ aviditate nudaverint: nec solum hoc, sed etiam usque ad contemptum doloris ac mortis doctrinæ suæ culmen erexerunt, dicentes scilicet etiam in catenis atque suppliciis beatum esse sapientem. tantam virtutis vim esse voluerunt, ut non possit esse unquam vir bonus non beatus. *eod. lib. 1.*

Chrysologus Sermonis lib. 28. pr. Quod sit virtutibus cognata paupertas, terrena, & cœlestis comprobat disciplina, Athleta ad luctamen nudus accedit, cōfligit cū fluctibus nauta nudus, miles in acie non nisi expeditus assistit: qui tendit ad philosophiam, totum quod in rebus est, antè contemnit. Est ergo virtutibus cognata paupertas: & si paupertas virtutum parens, virtutum socia sic habetur, sapere convenit quare Christus ad virtutis officium pauperes sic eligit. Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, germanitas combinata, imò congeminata paupertas, in apostolorum principes eliguntur, pauperes sensu, loco humiles, viles arte, obscuri vita, labore cōmunes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, iniuriis dati, præsidio retis, solo piscium captu victum, vestitumq; conquirentes. Sed in istis quantum vilis mūdanus videbatur aspectus, preciosas tantum animas Dei intuitus tunc videbat. Erant censu pauperes, sed innocētia locupletes: loco humiles, sed sanctitate sublimes: viles arte, sed simplicitate preciosi: obscuri vita, sed vitæ merito perlucentes: labore communes, sed proposito singulares: addicti vigiliis, sed ad cœlestes victorias jam vocati, fluctibus mancipati, sed fluctibus non demersi: negati honoribus, ditati magis honoribus, non negati: iniuriis dati, sed injuriis non relicti, captores piscium, sed piscatores hominum jam decreti.

Chrysologus sermone 124. pr. Induebatur dives purpura, pauper livore: dives bysso, pauper squallore, auro dives, pauper fœtore: dives plumeo decumbebat in sigmate, jacebat durissima pauper in terra: dives ructabat epulas, fame pauper anhelabat: fundebat vina dives, pauper lacrymas: exatiatus dives proiiciebat panes, micas pauper esuriens non habebat: pascebat oblatrantes pauperem dives ferculis suis, pauper vulneribus suis saturabat divitis canes. Ac ne plurimis, ad divitē bona omnia, ad pauperem mala omnia perlegimus provenisse, neq; tamen pauperem fregerunt adversa, aut diviti omnia secunda profuerunt, imò pauperem provexit ad philosophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam, necessitas ad voluntatem, fames ad jejunium, sitis ad tolerantiam, ad vitā mors, ad præmium pœna, ad cœlum terra, egestas ad regnū, & divitem sic extulit purpura ad superbiā, byssus ad luxū, ad inhumanitatē copia, abundantia ad impietatē: unguenta ad marcorē, ad cæcitatē splendor, sublimitas ad ruinā. Ergo neq; prospera ignavos erigunt, neq; fortes adversa prosternunt, quia neq; divitiæ neque paupertas, sed animus aut ducit gratos ad præmiū, aut ad pœnā deducit ingratos.

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRAECORUM.

Apollonius Lesbonacti. In paupertate quidem ut virum: in divitiis verò ut hominem versari oportet. *Epist. 22.*

Xenophon: Dic mi Charmides, quamobrem ob paupertatē elato sis animo. Est in confesso, ait, potiorem esse fiduciam animi, quam metum: potiorem libertatem, quā servitutem: potius esse coli, quā colere: fidem à patria haberi alicui, quam non haberi. Itaque quum in hac civitate opulentus equidem essem, primum verebar, ne quis parietibus ædium mearum perfossis & facultates adimeret mihi, & me quoque læderet. Deinde colebam calumniatores, quod sciē ad perpetiendum aliquid mali magis esse me comparatum, quam ut ipsis ego detrimento essem. Nam semper aliquid mihi sumtuū, qui expenderétur, à república imperabatur, & abire peregrè licebat nusquam. Nunc posteaquam fortunis, quas extra fines nostros habebam, spoliatus sum: & de iis, quæ in hac regione sita sunt, fructū nullum percipio: & res familiaris est vendita: porrectus scil. jucunde dormio, fidem auctoritatemq; apud rēpublicam nanctus sum, aliorum minas non experior, aliis ipse minitor, ut homo liber ab-

eundi

eundi peregre, domique manendi facultatem habeo, denique opulenti jam & de honestiore loco mihi adsurgunt, & via cedunt.

Nunc regi similis videor, qui tunc haud dubie servus eram. Tunc temporis populo tributum ego pendebam, nunc respublica vectigal mihi pendit, dum me alit. Etiam conviciis me incessebant, quū locuples essem, quod consuetudine Socratis uterer: nunc posteaquā ad paupertatem redactus sum, ea res nemini amplius est curæ. Præterea quum multa possiderē, semper aliquid vel respublica, vel fortuna adimebat. Nunc nihil amitto, qui nihil habeam, & semper aliquid accepturum me spero. Ergo, inquit Callias, etiam optas tu nūquam, ut opulentus fias, ac si quod somnium faustum videres, auerruncis rem sacram faceres? Id equidem, profecto non facio, ait, sed valde tamen alacriter opperior, sicunde quid accepturum me spero. *Cap.16.Conviuij.*

Xenophon: Sed & tu audiendus es. Quanam re, Charmides, temet effers? Equidem me, inquit, ob paupertatem effero. Profecto, ait Socrates, jucundam quidem ac gratam ob rem: quæ minime obnoxia est invidiæ, minime pugnas de se concitat, sine custodia servari potest, neglecta denique vires adquirit. *Cap.10.Conviuij.*

Lucianus: Micyllus. At te scelestissime Galle, cum ista tanta invidentia, voceque tam acuta ipse perdat Iupiter: qui quidem opibus affluētem me, & dulcissimo in somnio versantem, & admirabili fœlicitate fruentem, penetrabile quiddam & clamosum resonans expergefeceris, adeò ut ne noctu quidem effugere liceat paupertatē, vel te ipso nequiorem. Atqui si coniectandum est, tum è silentio, quod etiam dum ingens est, tum è frigore, à quo nondum, ut assolet antelucano mordeor (nam hic mihi certissimus gnomon adventantis diei) nec dum est media nox. Sed iste pervigil, quasi vellus illud aureū servet, ab ipsa protinus vespera vociferari cœpit: verùm non impunè laturus. Nam de te mox pœnas sumam, & fuste comminuam, si modo dies illuxerit: siquidē nunc in tenebris subsiliens, negotium mihi facesseres. *Gal.* Here Micylle equidem arbitrabar, me tibi rem gratam facturum, si quoad possem alta nocte lucem antevertissem, quò posses ante diluculum surgens, multum operis conficere. Etenim si priusquam sol exoriatur, vel unicam feceris crepidam, isthuc laboris lucro tibi accesserit ad parandum victum. Quod si tibi magis libet dormire, equidem tuo arbitratu quiescam, & longè magis quàm pisces mutus ero. Cęterùm tute videto, ne per somnium dives, esurias experrectus. *Mic.* O prodigiorum aversor Iupiter! ô malorum depulsor Hercules! quid hoc mali est? vocem humanam sonuit Gallus. *Gal.* Hoccine prodigium tibi videtur, si eadem qua vos lingua loquor? *Mic.* Quid? annon hoc portentum? sed avertite Dij malum à nobis. *Gal.* Tu mihi admodum indoctus videris Micylle, nec Homeri poëmata legisse, in quibus Xanthus Achillis equus, cum hinnitui longum vale dixisset, medio in prælio constitit disserens, totosque versus recitans: non ut ego nunc prosa oratione loquens. Quinetiam vaticinabatur ille, deque futuris edebat oracula, & nihil incredibile facere videbatur. Neque is qui tum audiebat, malorum aversorem, ut tu implorabat, ratus se rem aversandam audivisse. At quid fecisses, si tibi navis Argoæ carina locuta fuisset, uti olim in Dodonæa sylva fagus per se loquens oracula edebat? aut si tergora direpta serpere vidisses: si carnes boum mugire semiassas, coctasq; verubus trāsfixas? Ego verò cùm Mercurij sim assessor loquacissimi, Deorumq; omnium facundissimi, præterea vester contubernalis & convictor, non difficile mihi fuit linguam humanam addiscere. Quòd si mihi pollicearis silentium, non pigebit me veriorem tibi causam aperire, cur eadem qua vos lingua loquar, & unde mihi suppetat hæc loquendi facultas. *Mic.* Sed nunquid somniū ista sunt, quòd me sic alloquitur Gallus? Sed dicito per Mercurium ô præclare, quænā alia tibi sit causa cur loquaris. Nam ut taceam, neque cuiquam proferam, quid attinet te solicitum esse? Quis enim fidem mihi sit habiturus, si cui narrem me Gallum hæc loquentem audivisse? *Gal.* Audi igitur, Micylle, rem tibi sat scio incredibilem dicturum. Hic enim qui tibi gallus nunc videor, non ita pridem fui homo. *Mic.* Profectò & olim nescio quid de vobis inaudieram, Adolescentulum quendam fuisse Gallum Marti adamatum, atq; hunc Deo compotasse, collusitasseq;, & in voluptatibus gessisse morem. Itaq; cùm Venerem adiret Mars cum ea concubiturus, hūc quoq; gallum unà secum adduxisse. Quoniam autem solem potissimùm metueret, ne si id è sublimi cōspexisset, Vulcano se proderet, foris ad ostium adolescentem relinquere solitum, qui solis ortum indicaret: deinde Gallum aliquando somno correptum, excubias deseruisse nescientem: solemque nullo præsentiente, imminuisse Veneri & Marti securè dormienti, propterea quòd confideret Gallum, si quis interveniret, indicaturum. Itaq; Vulcanum à Sole edoctum, eos comprehendisse, implicitos & irretitos vinculis, quæ jam olim in illos fuerat fabricatus. Porrò Martem simul atque dimissus est, indignatum adversus Gallum fuisse, eumque in avem hanc mutasse, iisdem armis, ut in capite pro galea cristam haberet. Ideo ut Marti vos purgetis, quum jam nihil opus, simul atq; solem exorientem sensistis, multò antè vociferari, atque illius exortum prænunciare. *Gal.* Hæc quidem aiunt, Micylle: verùm mei diversa est ratio, atque adeò nuperrime in auem transivi. *Mic.* Quonam modo? Nam istuc maximopere cupio cognoscere. *Gal.* Nosti Pythagoram? *Mic.* Sophistam illum dicis? superbum? qui instituit, ne quis vel carnes gustaret, vel fabas ederet, suavissimum mihi edulium, salubre & parabile à mensa submovens. Præterea qui mortalibus suasit, ne per quinquennium loquerentur. *Gal.* Id scias etiam, hunc priusquam Pythagoras esset, Euphorbum fuisse. *Mic.* Præstigiatorem & prodigiorum artificem hominem ajunt fuisse ô Galle. *Gal.* Ille ipse ego sum, Pythagoras. Quare desine quæso mihi conviciari, præsertim cùm ignores quibus sim moribus. *Mic.* At hoc rursum, multò quàm illud portentosius, Gallus philosophus? Attamen expone Mnesarchi gnate, qui factum sit, ut ex homine avis, ex Samio Tanagræus repentè nobis apparueris. Neque enim ista verisimilia, neq; omnino creditu facilia: quandoquidem duas quasdam res jam in te mihi videor animadvertisse, à Pythagora prorsus alienas. *Ga.* Quas? *Mic.* Alteram, quòd garrulus es, & clamosus, cùm ille silere in quinque annos integros, puto præceperit. Alteram, quæ cum eius legibus planè pugnat. Equidem cùm non haberem, quod tibi obiicerē, fabas heri, ut scis, tibi attuli, quas tu nihil cunctatus collegisti. Quò fit necessario, vel ut mentiaris & alius sis, vel si sis Pythagoras, legē violaveris, & æquè impiè te gesseris, comedendo fabas, ac si patris caput comedisses. *Gal.* Nescis Micylle quænam sit huiusce rei causa: neq; quæ ad unumquodque vitæ genus conducant. Ego tum quidem non esitabam fabas, quum eram philosophus. At nunc edo: avi enim convenit, neq; prohibitum est nobis hoc edulium. Verū nisi molestum est, audi quemadmodum in hoc quod nunc sum, ex Pythagora transivi, quamq; multis in vitæ generibus vixerim: & quid ex unaquaq; transformatione sim consequutus. *Mic.* Narra quæso: nam id mihi fuerit auditu jucundissimum. Adeò ut siquis mihi deferat optionem, utrum te ista narrantem audire malim, an felicissimum illud somnium; quod paulò ante vidi, denuo videre; haud sciam utrum electurus sim, usque adeò cognata germanáque puto esse ista tua cum suavissimis illis visis, & ex æquo vos æstimo, te pariter & pretiosum illud insomnium. *Gal.* Etiamnum tu somnium illud, quod dudum tibi visum est, in animū revocas, & inania quædam observans simulachra, atque (uti loquuntur poëtæ) evanidā quandam fœlicitatem memoria consectaris? *Mic.* Imò illud scias Galle, me illius visi nusquam obliturum: tantum mellis in oculis somnium aufugiens mihi reliquit, vnde vix queam palpebras attollere, rursus insomnum coeuntes. Itaque qualem voluptatem movent pennæ in auribus versatæ, talem titillationem mihi præbent ea quæ vidi. *Gal.* Novum hercle mihi narras insomnij amorem, siquidem alatum cùm sit, ut ajunt, metásque volandi præscriptas habeat somnium, jam septa transilit, in apertis etiam oculis obversans, adeò mellitum & evidens apparet. Quare pervelim audire cujusmodi sit istud, quod te supra modum delectat. *Mic.* Gestio narrare: nam dulce est hoc ipsum meminisse, & commemorare de illo quippiam. Tu verò Pythagora quando narrabis tuas transformationes? *Gal.* Vbi tu Micylle desieris somniare, mélque illud ab oculis obsterseris. Interim prior dicito, ut intelligam, utrum per portam eburneam, an per corneam tibi somnium advolarit. *Mic.* Per neutram Pythagora. *Gal.* Atqui has duas tantùm nominat Homerus. *Mic.* Valere sinas nugatorem illum poetam, qui nihil de sōnijs intellexit. Inopia forsan somnia per istas commeant portas, qualia videbat ille, neque id admodum perspicuè quippe qui captus oculis. Mihi verò per aureas quasdam portas jucundissimum hoc advenit insomnium, ipsum aureum, & aureis undique circumamictum, auríque multum adducens. *Gal.* Desine Mida optime de auro fabulari. Nam procul dubio, ex illius voto, istud tibi accidit insomnium, & solidas auri venas mihi videris adduxisse. *Mic.* Multam auri vim vidi Pythagora, multam, quàm putas pulchri? quo fulgore coruscantis? Quid tandem Pindarus in illius laudem dicit? Nā in memoriam redige, siquidem meministi, quum aquam præstantissimam dicens, aurum deinde admiratur, ídque jure statim ab initio carminis omnium bellissimi. *Gal.* Num illud quæris? Aqua est illa quidem optima, Cæterùm aurum, uti candens Ignis, ita enitens, noctibus eminet eximiè unum, Cæteras supra opes: quæ Gloriam ac decus addunt. *Mic.* Per Iovem isthuc ipsum. Etenim Pindarus aurum perinde laudat ac si meum insomnium vidisset. Sed ut tandem cognoscas quale fuerit, ausculta jam sapientissime Galle. Scis ut heri nullum domi cibum acceperim: siquidem dives ille Eucrates in foro mihi factus obviam, lotum me in tempore ad cœnam venire jusserat. *Gal.* Hoc probè scio. Nam totum esuriebam diem, donec profunda tandem vespera domum reversus, subuvidus vinóque madens, quinque illas fabas proferres, non admodum opiparam cœnam Gallo, qui quondam fuerit athleta, quíque Olympia non segniter olim decertarit. *Mic.* Ast ubi reversus à cœna fabas tibi obiecissem, obdormivi protinus. Tum mihi; juxta Homerum, ambrosia sub nocte divinum haud dubiè somnium superveniens. *Gal.* Sed priùs quæ tibi apud Eucratem acciderint, narra: & cujusmodi fuerit cœna quæque in cœna acta sunt omnia. Nihil enim prohibet quominus denuo cœnes, si veluti cœnæ illius somnium reducas, & quæ tum ederis; rursum commemoratione quasi rumines. *Mic.* Putabam molestum me futurum, si hæc quoque retulissem. Verum quia tu desideras, en id quoque narrabo. Cum nūquam antehac in vita cœnassem apud ullum divitem, ô Pythagora, heri bona quapiam fortuna in Eucratem incidi, atque ego quidem simulatque dominum illum salutassem, uti consueveram, recedebam, ne pudori illi essem, si lacera in veste fuissem affectatus. At ille, Micylle, inquit, hodie natalitia filiæ celebro, plurimósque ad convivium amicos invitavi. Verum quoniam ajunt ex his quendā incommoda esse valetudine, neque posse pariter ad convivium nostrum accedere: tu ejus loco venito lotus, ni fortè ipse qui vocatus est, semet adfuturum renuntiarit. Nam nunc quidem ambigit.

Hoc ubi audissem, adorato divite discedebam, omnes obsecrans Deos, ut algidam febrem aliquam, aut laterum dolorem, aut podagram morbi auctarium immitterent valetudinario illi, cuius ego sellæ occupator, cœnæque vicarius, & succedaneus eram invitatus. Idque spatij quod usque ad balnei tempus intercessit, sæculum esse judicabam, dum subinde respicio quot pedum esset solarij umbra, & quando jam lavisse oporteret. Hîc ubi tandem tempus advenisset, ocyus me corripio, atque abeo, nitidè admodum cultus: sic obverso palliolo, ut qua esset parte purissimum, ea videretur. Offendo autem ad fores & alios complures, quinetiam illum, gestabatur autem à viris quatuor, cuius eram subconviva futurus, qui malè habere dicebatur: atque id etiam præ se ferebat quòd afflicta esset valetudine. Nam ex alto gemebat, tussiebatque ac screabat, velut ex abdito, quodque ægrè egrederetur, totus pallidus, tumidusque circiter sexagenarius. Ferebatur autem Philosophus quispiam esse, ex iis qui apud adolescentes nugas deblaterant. At barba mirè erat hircina, supra quàm credi potest tonsoris egens. Porrò increpante Archibio medico, quòd ita affectus venisset, Non oportet, inquit, officio deesse præsertim hominem philosophum, etiamsi obstent sexcenti morbi. Nam se à nobis contemni putaret Eucrates. Haudquaquam, inquam ego, imò te collaudaret, si domi apud te, quàm excreata in convivio cum phlegmate anima mori malles. At ille, præ arrogantia dissimulabat sese dicterium audisse. Paulò pòst accessit & Eucrates lotus: qui viso Thesmopolide (nam id erat Philosopho nomen) Præceptor, inquit, probè quidem factum abs te, qui ipse ad nos veneris: tametsi nihilo deterius tibi fuerat futurum: siquidem etiam absenti omnia ordine missa fuissent. Dumque hæc dicebat, ingreditur, manus ei porrigens, etiam famulis innitenti. Ego igitur jam abire parabam: verùm ille conversus, ubi diu secum hæsitasset, quoniam me admodum tristem videbat: ades, inquit, tu quoq; Micylle, ac nobiscum cœna. Nam filium in mulierum conclavi unà cum matre convivari jubebo, quò tibi sit locus. Ingrediebar itaque cùm parum abfuerit, quin lupus inhians frustra, discederem. Verùm me pudebat, quòd Eucratis filiolum è convivio mihi viderer expulisse. Ast ubi jam esset discumbendi tẽpus, primùm tollentes Thesmopolin composuerunt, sanè nõ sine negotio, quinque utique proceri juvenes, cervicalia illi supponentes undiquaque, quò nimirum in eodem habitu permanere, diuque durare posset. Deinde cùm nemo sustineret ei accumbere, me adductum reclinant, ut eadem in mensa essemus. Deinceps cœnabamus, ô Pythagora, opiparam, variamque cœnam, multo in auro, multoque in argento. Pocula erant aurea, formosi ministri, cantores, scurræ: denique jucundissimus quidam erat convivarum congressus. Nisi quod unum quiddam me molestia afficiebat vehementer, Thesmopolis obturbans, mihi virtutem nescio quam commemorans, docensque duas negationes efficere unicam affirmationem: & si dies sit, noctẽ non esse. Nonnunquam etiam cornua mihi esse dictitabat, atque id genus multa continuato sermone apud me, cui nihil opus erat, philosophabatur, ac succidebat voluptatem, cùm non sineret eos exaudiri, qui cithara, & voce canebant. Habes Galle de cœna. *Gal.* Non admodum jucunda, Micylle, maximè quia cum illo deliro sene accubitum sortitus eras. *Mic.* Audi nunc insomnium. Putabam Eucratem ipsum liberis orbum nescio quomodo è vita decedere. Dehinc ubi me accersisset, ac testamentum condidisset, quo me in solidum hæredem omnium scripserat, paulùm superstitem obiisse. Me verò, cùm adiissem facultates, aurum & argentum ingentibus scaphis haurire perpetuò scaturiens, & affatim affluens. Cætera verò, nempe vestes, mensas, pocula, ministros, omnia mea, ut par erat, esse. Unde postea bigis albis vectaret resupinus, cunctis qui intuebantur, conspiciendus & admirandus: accurrerent multi, & circumequitarent, plures sequerentur. Me interim illius veste amictum, annulosque graves, circiter sexdecim digitis insertos, gerentem, jubere splendidum adornari epulũ, quo amicos exciperem. Qui jam, ut par erat in somnio, aderãt, quibus epulæ jam erant comportatæ, jam potus ex animi sententia administratus. In his cùm versarer, & aureis phialis præbiberem omnibus qui aderant amicis, cùm jam afferrentur bellaria, intempestivo tuo clamore perturbasti nobis convivium, mensasque subvertisti: ac divitias illas ita dissipasti, ut in auras evanuerint. Num tibi videor injuria in te stomachatus, qui obortum illud mihi somnium, vel tres noctes perpetuas libenter viderem? *Gal.* Adeo-ne es auri cupidus, & opum avidus, Micylle: idque ex omnibus unum admiraris, unamque fœlicitatem esse judicas, si plurimum possideas auri? *Mic.* Equidem haud solus ita cogito Pythagora: quin ipse quoq; tum cùm Euphorbus esses, auro atq; argento comis intexto, prodibas pugnaturus cum Achivis, idq; in bello, ubi ferrum quàm aurum gestare satius erat. At tu etiam tum intertextis capillis in periculum descendere voluisti. Eamque, ut opinor, ob causam, Homerus comas tuas Gratiis similes dixit: quòd auro argentoque revincirentur. Longè enim meliores scilicet & amabiliores videbantur, quòd essent auro religatæ, unaque cum eo relucerent. Verùm Auricome moderatè te gerebas, qui cùm Panthi esses filius, aurum in pretio habebas. Quin & ipse Deorum omnium, hominumque pater ille, Saturno Rheaque progenitus, quum Argolicam illam puellam adamaret, nihilque haberet amabilius in quod sese transformaret, neque quo Acrisij custodias corrumperet, audisti ut aurum sit factus, & per tegulas illapsus, potitus est ea quam deperibat. Jam verò quid tibi præterea commemorem? Quàm multos usus præbeat aurum: & ut eos quibus adfuerit, formosos, & sapientes, & potentes reddat, decus & gloriã illis concilians, utque nonnunquam ex obscuris & ingloriis, claros & celebres repentè efficiat. Nam mihi vicinum, eiusdemq; artis Simonem nosti, qui paucis antè diebus apud me cœnavit, quum injectis duobus extorum frustis, legumen coquerem Saturnalibus. *Gal.* Novissimum illum & brevem: qui fictilem ollulam quæ nobis erat unica, suffuratus, peracta cœna abiit sub ala gestans. Nam ipse vidi Micylle. *Mic.* At quamvis sustulisset, tam multos Deos jurabat. Sed cur non prodebas, ac vociferabare tum, ô Galle, cùm nos furto spoliari conspiceres? *Gal.* Coccyzabam, quod solum poteram id temporis. Verùm quid Simon ille? Nam videbare aliquid de illo dicturus. *Mic.* Ei consobrinus erat vir admodum dives, nomine Drimylus. Is dum vivebat, ne obulum quidem Simoni donaverat, nam quî dedisset, cùm ne ipse quidem pecunias attingeret? Postquam verò pridie mortuus fuisset, omnes illas pecunias juxta leges, Simon ille gaudens effert, purpurea, hysginoque tincta veste indutus, famulosque & currus, aurea pocula, mensasque pedibus eburneis innixas possidet, ab omnibus adoratur, iamque nos ne aspicit quidem. Etenim nuper cum illum procedentem conspexissem, Salve, inquam, Simon. At ille indignatus, edicite, inquit, illi mendico, ne meum nomen diminuat: neque enim Simon, sed Simonides appellor. Porrò, quod maximum est, mulieres etiam illius amore capiuntur: quas is quidem ludos facit, ac fastidit: & has admittit, comemque sese præbet, illæ verò quæ negliguntur, necem sibi illaturas minitantur. Vides quantas commoditates pariat aurum, siquidem deformissimos transfigurat, redditque amabiles, non secus atque cestus ille poëticus. Audis insuper & à poëtis dictum:

O aurum res auspicata, & possessio pulcherrima. Item,
Aurum est quod opibus imperat mortalium.

Sed quid interim risisti Galle? *Gal.* Quia præ inscitia simili modo cum vulgo, tua te fallit opinio de divitibus. At velim te scire, eos vitam vivere longè quàm vos ærumnosiorem. Quod dico, qui & ipse pauper, & dives aliquando fuerim, atque omne vitæ genus sim expertus. Porrò paulò pòst & ipse omnia scies. *Mic.* Per Jovem tempestivum jam est, ut & tu referas quomodo sis transformatus: & quid in unoquoque vitæ genere perspexeris. *Gal.* Ausculta, hoc tantùm præmonitus, me neminem fœliciorem in vita, quàm tu sis, unquam vidisse. *Mic.* Quàm ego sim ô Galle? hanc fœlicitatem tibi ipsi imprecor, qui me ad tibi convitiandum impellis. Verùm age, narra exordiens ab Euphorbo, quo pacto fueris in Pythagoram transformatus: deinceps ordine ad Gallum usque: consentaneum enim est te varias res tum vidisse, tum tulisse, nimirum in tam diversis vitæ formis. *Gal.* Quemadmodum initio ab Apolline profecta anima in terram devolarit, & corpus humanum induerit, quam pœnam dependens, longum dictu foret: pręterea neq; mihi referre, neq; tibi talia audire fas est. Verùm ubi Euphorbus factus fuissem. *Mic.* Sed ego priusquam essem is qui nunc sum, ô præclare, quisnam eram? Hoc mihi priùs dicito, nunquid & ego versus fuerim itidem ut tu. *Gal.* Maximè. *Mic.* Quis igitur eram? si quo modo potes dicere, peruelim enim isthuc cognoscere. *Gal.* Tu formica eras Indica, ex illis quæ aurum effodiunt. *Mic.* Itáne neglexi infœlix vel paucula frustra in vitã importare, cùm illo essem alitus? Sed age, quid post hæc futurus sim dicito, nam cõsentaneum est id scire te. Etenim si quid bonæ esset rei, me iam ab hac pertica, in qua nunc stas, suspenderem. *Gal.* Id arte nulla scire possis. Cæterùm cùm Euphorbus essem (nam ad illa redeo) in Troia pugnabam: atque à Menelao necatus, in Pythagoram postea veni, ac tandiu sine tecto perduravi, donec Mnesarchus domum mihi ædificasset. *Mic.* Nũ quæso sine cibo, potuque? *Gal.* Maximè. Nihil enim his rebus opus, nisi corpori duntaxat. *Mic.* Illud igitur priùs mihi dicito, num res ad Troiam gestæ, fuerunt quales Homerus fuisse dixit? *Gal.* Unde is rescivisset Micylle? qui quidem dum ista gerebantur, erat in Bactris camelus. At ego tibi affirmo nihil tam eximium tunc factum fuisse: neque Ajacem usque adeò magnum, neque adeò formosam, ut putant, Helenam: siquidem vidi quandam candida & procera cervice, ut cycno prognatam illam hinc conjicerent: cęterùm anum, Hecubæ propemodum ęquęvam. Quam in Aphidnis, primùm raptam possedit Theseus, qui Herculis ætate vixit. Porrò Hercules priùs Troiam ceperat, patrum nostrorum memoria, qui per id temporis maximè florebant. Nam hæc mihi Panthus narravit, se cùm esset adolescentulus, vidisse Herculem. *Mic.* Quid autem Achilles? Num talis erat, nempe quavis in re præstantissimus? an & ista sunt fabulosa? *Gal.* Cum illo quidem non sum congressus, neque res quæ apud Achivos gestæ sunt, ita accuratè possẽ referre. Etenim qui scire potui, cùm hostis essem: Certè Patroclum illius sociũ, non magno negotio hasta transverberatum peremi. *Gal.* Deinde te Menelaus multò minore negotio. Verùm istis de rebus satis. Nunc res Pythagoricas refer. In summa Micylle, sophista eram (oportet enim verũ fateri) alioqui non imperitus, nec in disciplinis præclaris inexercitatus. Profectus sum autem in Ægyptum, quò cum prophetis congrederer de sapientia communicaturus. Ibi adyta ingressus, Ori & Isidis libros perdidici. Et cùm in Italiam rursus vela fecissem, eo affectu Græcos eius temporis imbui, ut me Deum prædicarent. *Mic.* Equidem hæc inaudivi, utque creditus es post mortem revixisse: aureumq; ipsis femur aliquando monstrasse. Verùm illud mihi dicito: quid tibi venit in mentem ut legem statueres, ne carnibus, neque fabis vescerentur homines? *Gal.* Ne perquiras ista Micylle.

Mic.

Mic. Quam ob rem ô Galle? *Gal.* Nam pudet hiſce de rebus verum apud te fateri. *Mic.* Atqui nihil verendum eſt dicere viro contubernali & amico. Nam herum poſthac abſit ut dixerim. *Gal.* Nihil ſani, neque præclari erat. Verum animadvertebam, ſi conſueta, atq; eadem quæ vulgò traduntur, præcepiſſem, mortales in admirationem minimè peracturum: ſed quo peregriniora propoſuiſſē, futurum ut hoc magis novus atque admirandus viderer. Proinde nova comminiſci ſtatueram: eorumq; cauſam ſilentio comprimere: quò videlicet alijs aliud conjectantibus, omnes attoniti redderentur ut in obſcuris oraculis ſolet uſu venire. *Mic.* Viden'? irrides me tu quoque non minùs atque Crotoniatas, Metapontinos, & Tarentinos, cæteroſq; qui te muti ſequuntur, & quæ calcata reliquiſti veſtigia adorant. Verùm exuto Pythagora, quemnam induiſti? *Gal.* Aſpaſiam meretricem illam Mileſiam. M. Papæ quid dicis? Etiam inter alia, mulier quoque fuit Pythagoras? Itane fuit aliquando tēpus, quo tu Galle generoſiſſime oua pariebas, cumque Pericle rem habebas, Aſpaſia cum eſſes, ex eóque gravida facta es: præterea lanam carpebas, tramamque deducebas, & meretricum in morem te componebas. *Gal.* Iſta quidem omnia feci, tametſi non ego ſolus: verùm & ante me, tum Tireſias, tum Elati proles Cæneus. Proinde quicquid in me convitii dixeris, id ipſum & in illos dixeris. *Mic.* Age igitur, utra tibi vita erat ſuavior, quum vir eras, an quum Pericles tecum habebat conſuetudinem? *Gal.* Vides cujuſmodi ſit iſtud quod percontaris: cui ne Tireſiæ quidem expedierit reſpondere? *Mic.* Atqui ſi minùs fateare: tamen iſtud Euripides ſat explicuit, quum ait, ſe malle ter ſub clypeo conſiſtere, quam parere ſemel. *Gal.* Imò præmoneo te paulò pòſt puerperam fore: ſiquidem & tu mulier es olim futurus, idque ſæpius longo ſæculorum orbe & recurſu. *Mic.* Non tu pendebis, ô Galle, qui putas omnes homines eſſe Mileſios, aut Samios? Nam ajunt te etiam tum quum Pythagoras eſſes, venuſta forma decorum, ſæpius Aſpaſiam fuiſſe tyranno. Verum age poſt Aſpaſiam, in quem virum aut mulierem denuo renatus es? *Gal.* In Cratem Cynicum. *Mic.* O Caſtor! ô Pollux! quam diſſimile! ex ſcorto Philoſophus? *Gal.* Deinde rex: deinde pauper: paulò pòſt ſatrapes: dehinc equus, graculus, rana, aliaq; innumerabilia: quæ ſigillatim recenſere longum eſſet.

Poſtremò Gallus plerunque: quo vitæ genere delectatus ſum & ſeruiſti apud multos alios & reges, & pauperes, divitéſque: poſtremò nunc tecum vivo, rideóque quotidie, quum video te paupertatis tædio complorantem, ejulantemque ac divitum admirantem fortunas, propterea quòd ignores quantum illis adſit malorum. Alioqui ſi curas noris quibus illi diſtringuntur, te ipſum profectò riſeris, qui antea credideris eum qui ſit opulentus, ſemper eſſe fœliciſſimum omnium. *Mic.* Ergo Pythagora, aut quod maximè gaudes appellari, ne confundam orationem, aliàs alio nomine compellans. *Gal.* Nihil intererit, ſiue Euphorbum, ſive Pythagoram, ſiue Aſpaſiam, ſive Cratem vocaris. Nam hæc omnia ſum ego unus. Verumtamen rectiùs feceris, ſi (quod in præſentia eſſe videor) Gallum me voces, ne avem hanc parvi ducere, contemneréque videaris, præſertim cùm tot tantasque animas in ſe contineat. M. Ergo Galle, quandoquidem omnia penè vivendi genera jam expertus es, omniaque noſti: velim dilucidè mihi narres, quæ ſit divitum, quæ pauperum vitæ conditio, ut cognoſcam veréne iſtud affirmes, me divitibus eſſe fœliciorem. *Gal.* En hunc ad modum perpende Mycille. Te quidem non admodum tangit belli cura, ſi quando rumor ſit adventare hoſtes, neque ſolicitus es, ne in agros incurſantes populentur, ne-ue hortum proculcent, aut vineas vaſtent: ſed ſimulatque tubam audieris, ſi tamen audieris, circunſpicis quò deflexus ſervari queas, ac diſcrimen effugere. Contrà illi ſibi timent, & animo cruciantur, quum de mœnibus quicquid opum poſſidebant in agris, id omne tolli, deportaríque conſpiciunt. Ac ſive inferendum eſt aliquid in ærarium, ſoli accerſuntur: ſive in prælium exeundum periclitantur, peditum equitum-ve turmis præfecti. Tu interim vimineum gerens clypeum, expeditus ac levis, ad ſaluti conſulendum, paratus epulum victoriæ celebrare, ſi quando victoria potitus imperator ſacra fecerit. Rurſum pacis tempore, ut plebeius in concionem ingreſſus, tyrannidem in divites obtines. Illi vero trepidant, pavitantq;, & largitionibus te placant. Etenim ut balnea, ludi, ſpectacula, aliaq; omnia tibi abundè ſuppetant, illi operam dant. At tu cenſor, & acerbus expenſor, tanquam dominus, ne alloquio quidem interdum dignaris illos. Quòd ſi lubet, frequentibus ſaxis in illos degrandinas, aut ipſorum bona proſcribis. Ipſe neque calumniatorem metuis, neque latronem, ne conſcenſo ædium faſtigio, vel pariete perfoſſo, tollat aurum: neque ſupputandis, aut repetendis pecuniis occupatis, neque cum ſceleratis diſpenſatoribus conflictaris, neque curis diſtraheris. Verùm ſimul atque crepidam unam perfeceris, mercedemque retuleris, ſeptem obolos, ſero ſurgis crepuſculo: & ſi libuerit, lavaris: tum empto vel ſaperda, vel mænide, vel paucis ceparum capitulis, temet ipſe oblectas, canens plerumque, optimáque cum paupertate philoſophans: adeò ut eas ob res ſalubri ſis, valentíque corpore, & contra frigus obdurueris. Nam labores qui te exacuunt, certatorem non contemnendum reddunt adverſum eas res, quæ compluribus inexpugnabiles videntur. Atque hinc fit ut nullus ex gravioribus hiſce morbis inſidias tibi moliatur. Quin ſi quando levis febricula invaſerit, paulo negotio eam medicatus, & inedia excutiens protinus exilis. Illa porrò fuit ilico, metuens te, quem videat frigido victu impleri, & medicorum illis recurſibus longum plorare renūtiantem. At illi ex adverſo propter intemperantiam, quid tandem mali non habent infœlices? podagras, tabes, pulmonis inflammationes, aquas intercutes. Hæc enim à ſumptuoſis illis cœnis naſcuntur. Proinde quicunque ex his Icari in morem, ſeſe attollūt, propiúſque ſoli admovent, neſcii alas ſibi eſſe cera adglutinatas, ingentem nonnunquam ſtrepitum movent, prono capite in mare delapſi. Sed qui Dædali exemplo, non admodum ſublimia, neq; excelſa ſapiunt, ſed humilia terræq; vicina, adeò ut cera nonnunquam ſalis aſpergine madeſcat, ij tutò plerumque tranſvolant. *Mic.* Moderatos iſtos & prudentes narras. *Gal.* Verùm aliorum Micylle, naufragia fœdiſſima conſpicias: nempe quando Crœſus revulſis alis riſum exhibet Perſis, conſcenſo rogo: aut quum Dionyſius tyrannide abdicatus, Corinthi literas docet, poſt tantum imperium pueros ſyllabas connectere cogens. *Mic.* Dic mihi Galle tu quum rex eſſes (nam ais etiam regem te fuiſſe) cujuſmodi expertus es illud vitæ genus? Sanè tum fœlix eras, ſiquidem id quod eſt bonorū omnium caput poſſidebas. *Gal.* Ne mihi in memoriam regeras, ô Micylle: uſque adeò miſerrimus tunc eram: & quanquam quoad res externas planè fœlix videbar, ut dixiſti: tamen intus innumeris curis diſtringebar. *Mic.* Quibus curis? Nam abſurda prorſus & incredibilia narras. *Gal.* Equidem Micylle, imperabam regioni non exiguæ, quarumvis rerum feraci, cùm incolarum multitudine, tū urbium pulchritudine cum primis admirandæ: præterea fluviis navigabilibus, ac mari portuoſo commodæ.

Ad hæc exercitus ingens, equitatus inſtructus, ſatellitium non exiguum, triremes, vis pecuniæ innumerabilis, vaſorum aureorū plurima copia, reliquáque omnis tragœdia principatus, ſupra quā credi queat, ingens. Itaque cùm prodirem, plerique adorabant, Deum quempiam intueri ſeſe rati: aliique alios trudentes concurrebant, quò me conſpicerent: nonnulli conſcenſis tectis, magni æſtimabant, ſi plenè contemplari licuiſſet quadrigam, pallium, diadema, anteambulones, & à tergo comitantes: Ego inter hæc mihi conſcius, quantæ me res diſcruciarent, verſarentque, illis quidem propter inſcitiam ignoſcebam, at mei ipſius miſereſcebat, quòd ſimilis eſſem magnis illis coloſſis, quos aut Phidias, aut Myron, aut Praxiteles fecit. Quorum quiſque extrinſecus eſt Neptunus, aut Iupiter, omnibus partibus decorus, auro & ebore compactus, & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem dextra tenens. At ſi immiſſo capite, quæ ſunt intus inſpicias, videbis vectes, paxillos, & clavos, per univerſum infixos, ſtipitéſque & cuneos, picemque ſublitam: item aliam id genus deformitatem intus inhabitantem. Omitto dicere muſcarum, muſtelarumque vim, quæ nonnunquam in ijs manſitant. Hujuſmodi videtur eſſe regia dignitas. *Mic.* Nondum explicuiſti lutum, & clavos, & vectes imperii, quinam ſint, neque magnam illam deformitatem, quænam ſit. Nam cum admiratione vectari, & tam multis imperare, numiníſque inſtar adorari, cum Coloſſi exemplo quadrat: ſiquidem hoc divinum quiddam eſt. Nūc autem quæ ſunt intra Coloſſum exponito. *Gal.* Quid primum tibi referam Micylle? utrum metus, curas mordaces, ſuſpiciones, familiarium odium, & inſidias: eáſque ob res, ſomnum rarum, eūque leuem, ac plena tumultus inſomnia, cogitationes perplexas, ſpes ſemper improbas: an verò otii penuriam, poſtulationes, judicia, expeditiones, edicta, fœdera, conſultationes? Quibus rebus fit, ut ne per ſomnium quidem, aliqua re jucunda frui liceat: verū ut omnibus de rebus ſolus diſpiciat neceſſe eſt, milléque negotia ſuſtineat.

> *Quippe nec Atriden Agamemnona dulcis habebat*
> *Somnus, multigenas verſantem pectore curas,*

Idque cùm reliqui omnes Achiui ſterterent. Adde quòd Lydum illum diſcruciat filius mutus: Perſam Clearchus Cyro milites peregrinos conſcribens: alium Dion cum Syracuſanis nonnullis ad aurem communicans: alium Parmenion collaudatus, Item Perdiccam Ptolemæus, Ptolemæum Seleucus. Quin illa quoque moleſtiam afferunt, amaſius non ſponte conſueſcens, concubina alio gaudens: tum ſiqui defectionem parare dicantur: aut duo quatuorve ſatellites inter ſeſe ſuſurantes. Quódque graviſſimum eſt, amiciſſimi quique vel maximè ſuſpecti ſunt habendi, ſempérque metuēdum, nequid magni mali ab illis oriatur. Nam alium filius, alium amaſius veneno necavit: alium ſimilis mors forſan eripuit. *Mic.* Apageſis, atrocia ſunt Galle, hæc quæ narras. Quare mihi tutius fuerit cerdonicæ operæ pronum incumbere, quàm ex aurea phiala propinatum poculum haurire cicuta & aconito temperatum. Nam mihi quidem hoc unum eſt periculi, ut ſi paulum aberret ſmilion, deflectátque à recta inciſione, ſummum ſecantis digitum exiguo tingat ſanguine. At hi, ut ais, lethifera agunt conviuia, idque innumeris in malis conſtituti: qui ubi conciderint, perſimiles eſſe vidētur tragicis hiſtrionibus.

Nam multi ut videre eſt, quoad Cecropes ſunt, aut Siſyphi, aut Telephi, diademata geſtant, eburneiſque capulis gladios, comámque ventilatam, & chlamydem auro intertextam. Quòd ſi quis, qualia plerumque accidunt, ipſorum aliquis impingens, media in ſcena cadat, riſum profectò movet ſpectatoribus: videlicet perſona unà cum ipſo diademate contrita, vero autē actoris capite cruētato, crurıbúſque magna ex parte renudatis, ut jam interioris amictus panni quàm ſint miſeri fiat perſpicuum: ac cothurnorum quos pedibus induxerunt appareat deformitas, cùm pedis modo nō reſpondeant. Vides ut me jam ſimilitudines conferre docueris optime Galle? Cæterùm tyrannis, talis quædam res eſſe tibi viſa eſt.

Sed cùm equus eſſes, aut canis, aut piſcis, aut rana, quomodo eam vitæ rationem ferebas? *Gal.* Quem nunc moves ſermonem & longior ſit neq; hujus temporis. Illud autem unum in genere dixerim, nullam ex omnibus vitā mihi nō viſam tranquilliorē humana, naturalibus dũtaxat cupiditatibus, & uſibus circunſcriptā. Siquidē aut publicanũ equum, aut ſycophātam ranam, aut ſophiſtam graculũ, aut cupediarum culicem, aut cinædum gallum, atq; id genus alia quæ ſtudio proſequimini, inter illos non videas. *Mic.* Hæc quæ dicis Galle vera fortè ſunt. Verùm non pudebit me tibi fateri id quod mihi accidit. Nōdum dediſcere poſſum cupiditatem illam à puero mihi inſitam, videlicet ut dives evadam. Quin nunc quoq; ſomniũ illud ob oculos verſatur, aurum oſtentans: potiſſimum autem ſcelestus ille Simon excruciat, qui tantas inter opes delicietur. *Gal.* Ego te hoc morbo levabo Micylle. Et ſiquidem etiamdum nox eſt, ſurge & ſequere me: ſiquidem te ad Simonē ipſum adducam, & in aliorũ divitũ ædes, ut videas quomodo res habeāt apud illos. *Mic.* Iſtud quo pacto? Nũ me clauſis forib. parietes effodere compelles? *Gal.* Nequaquā: verũ Mercurius cui ſum ſacer, eximiũ hoc mihi cōceſſit, ſi quis longiſſimā caudę plumā avulſerit, quæ ob molliriē inflectitur. *Mic.* Atqui duas habes ejuſmodi. *Gal.* At dextrā cuicunq; avulſam dedero geſtandam, is quoad voluero, poterit fores omnes aperire & cuncta videre, ipſe inviſibilis. *Mic.* Equidem ignorabam Galle, te præſtigiarum quoq; peritum eſſe. Itaq; ſi plumam hanc mihi ſemel præbueris, videbis ilico Simonis univerſas opes huc deportatas: etenim eas huc rediens transferam. At ille rurſum coria calceis aſſuenda obrodet, ebibétq;. *Gal.* Atqui nefas ſit iſtud facere. Nam mandavit Mercurius, ut ſi, qui pennā habuerit iſtiusmodi quippiam patret, vociferando furem prodā. *Mic.* Rē narras neutiquam veriſimilē, nempe Mercuriũ cum ipſe ſit fur, non ſinere alios, ut idem faciant. Abeamus tamen: nā à capiendo auro mihi, ſi poſſim, temperabo. *Gal.* Pennā prius revellito. Quid hoc rei eſt? ambas revulſiſti. *Mic.* Hoc tutius, minusq; tibi deforme futurum eſt, ne altera caudę parte mutilatus claudices. *Gal.* Eſto, Sed utrũ Simonē primũ adibimus, an aliũ quempiā divitũ? *Mic.* Non aliũ: ſed Simonē, qui pro diſſyllabo tetraſſyllabus eſſe affectat, poſteaquam dives evaſit. Iāq; ad fores acceſſimus. Quid igitur faciam deinceps? *Gal.* Pennam ſeræ admove. *Mic.* En Dij boni, oſtium perinde atq; clave patefactum eſt. *Gal.* Præcedens in adverſum progredere. Vides illum vigilantē ac ſupputantem? *Mic.* Video per Iovem, & quidē ad obſcurā, ſiticuſamq; lucernam. Præterea pallet, haud ſcio unde, Galle, totúſq; exaruit, & eſt extenuatus, nimirum à curis. Nam alioqui malè habere non dicebatur. *Gal.* Auſculta quid dicat. Intelligis enim unde ita ſe habebat. *Simon.* Nimirum ſeptuaginta illa talenta tutò admodum ſub lectica defoſſa ſunt, & nemo prorſus vidit. At ſedecim illa Soſylus equiſo vidit me ſub præſepi occultantem. Itaque de curando ſtabulo non eſt admodum ſolicitus, præſertim cùm laboris non ſit amans. Ac veriſimile eſt illum his multò plura ſuſtuliſſe. Nam unde Tibius heri tam ingens ſalſamentum ipſi opſonaſſet? Ajunt etiam illum monile uxori emiſſe drachmis quinq;. Hei mihi miſero, hi omnia diſſipabunt bona. At neq; pocula, quæ tot mihi ſunt, in tuto loco ſunt poſita: quæ vereor, ne quis ſuffoſſo pariete mihi invident, atq; inſidias moliuntur: ac inprimis vicinus Micyllus. *Mic.* Ita per Iovem: nam tibi ſum ſimilis: ac patellas ſub ala geſto. *Gal.* Tace Micylle, ne nos præſentes prodas in furto. *Sim.* Optimum igitur fuerit ut ipſe inſomnis ſervem. Omnē obibo domum in orbem obambulans. Quis iſte? te video per Iovem, ô parietum profoſſor. Bene ſe res habet, ſiquidem es columna. Refoſſum aurũ numerabo rurſus, nunquid pridie me latuerit. En iterum aliquis me pulſavit: obſideor nimirum, & ab omnibus inſidiis appetor. Vbi mihi gladius? ſi quēquam deprehendero, Rurſum aurum defodiamus. *Gal.* Hujuſmodi Micylle, ſunt res Simonis. Sed abeamus ad alium quempiam, donec noctis adhuc aliquantulum ſupereſt. *Mic.* ô miſer cuiuſmodi vivit vitam! hoſtibus eveniat eſſe ad hunc modum divitibus. Itaq; pugno illi in maxillam illiſo, volo diſcedere. *Sim* Quis me percuſſit? latrocinio diſpolior miſer. *Mic.* Plora, ac vigila, auróque attabeſcens illi fias colore ſimilis. Nos autem, ſi videtur, Gniphonem fœneratorem viſamus. Neq; hic procul habitat oſtium nobis ſponte patuit. *Gal.* Vides hũc etiam curis invigilantem, digitis contortis uſuras ſupputantem, cui propediem relictis hiſce omnibus ſit in ſilpham aut culicem, aut muſcam abeundum? *Mic.* Video miſerum & vecordē hominem, neq; nunc ſilpha, aut culice meliùs viventem, Vt vero etiam iſte totus rationib. intabuit! Ad alium eamus. *Gal.* Ad tuum, ſi videtur Eucratē. En tibi fores per ſe patuêre. Itaq; introeamus. *Mic.* Paulò antè hæc omnia mea erant. *Gal.* At etiam nunc tu divitias ſomnias? Vides Eucratem ipſum à famulo, natu grandem. *Mic.* Video per Iovem obſcœnitatem quandam, & laſciviam non virilē. Quin etiam altera ex parte ipſius uxorem à coquo conſtuprari. *Gal.* Quid ergo? num optaris Micylle, horum hæres eſſe, cunctaq; poſſidere quæ ſunt Eucratis? *Mic.* Nequaquam Galle. Fame priùs peream quā mihi accidat hujuſmodi quippiam. Valeat aurum & convivia. Duo oboli mihi ſunt divitiæ potiores, quàm ſi à domeſticis mihi domus perfodiatur. *Gal.* Sed jam nunc quandoquidem dies ferme diluxit, domum noſtram repetamus. Reliqua, Micylle, aliàs videbis. *Titulo Micylli ſive Galli.*

Epictetus apud Stobæum: Quemadmodum in navi magna, elegāti & aurata navigans, mergi nolles: ſic ne velis in ædibus ingentibus & ſanctuoſis ſedens jactari tempeſtate. In paupertate quiſpiā fœlix ætatem exegit, rariſſimè verò in divitiis & magiſtratibus. Tātum excellit paupertatis bonum, ut nemo vir bonus paupertatem cum turpibus divitiis commutatam velit: niſi forte olim Atheniēſium ditiſſimus Themiſtocles, Neoclis F. in egeſtate virtutis melior fuit Ariſtide & Socrate. Opulentia verò ejus & ipſa evanuit, celebrarique deſiit. Nam cum improbo viro in morte una pereũt omnia: honeſtas verò eſt æterna.

Epictetus: Quid eſt homo pauper? Quem ut puteum deſertum omnes aſpiciunt, & ſuo loco illum relinquunt. *alteratione cum Hadriano Aug.*

Arrianus: Etiam corpore bene affectum talē eſſe decet. nam ſi tabidus ac leproſus & pallidus prodierit, teſtimonium eius pondus idem non habebit. decet enim eum non tantum animi conſtantia populo demonſtrare, quod bonum virum, abſq; iis quæ vulgus miratur, eſſe liceat; ſed ipſo etiam corpore probare, ſimplicem victum ac tenuem, quamvis ſub dio agas non lædere valetudinem. Diogenes nitidus & pinguis & bene curata cute paſſim ibat, ipſoq; corpore populum commovebat. *cap. 22. lib 3. Epicteti.*

Arrianus cap. 26. lib. 3. Epictet. Non te pudet ignaviorem fugitivis & abjectiore animo eſſe? Quomodo illi cum fugiunt, relinquunt dominos? Quibus agris freti, quibus famulis? Nonne exiguum quiddam, ad primos dies tolerandos ſuffurati? poſt terram & maria pervagantur, alia atque alia occaſione alendi ſui excogitata? Quis unquam fugitivus fame periit? Tu vero tremis, ne tibi neceſſaria deſint, & noctu vigilas miſer. Adeone cæcus es, & viam non cernis, quo penuria rerum neceſſariarum fert? Quo enim fert? Quo febris, quo ſaxum in caput delapſum, ad mortem. Nonne hoc ſæpe & ipſe ad amicos dixiſti? Non talia multa legiſti, multa ſcripſiſti? Quoties autem gloriatus es, te mortem æquo animo exſpectare? Sane. Sed mei eſurient. Quid ergo? Num eorum quoque fames alio quopiam fert? Nonne idem eſt deſcenſus? Nonne inferi iidem? Non ergo vis infracto adverſus omnem egeſtatem & penuriam animo illo convertere oculos, quo etiam ditiſſimos, & maximis præditos imperiis, & ipſos reges ac tyrannos defendere oportet? Ac tu forte eſuries: Illi autem cruditate & ebrietate rumpētur. Quem unquam mendicum vidiſti non ſenem? quem non ætate confectum. Atqui frigore & noctu & interdiu rigent: humi jacent abjecti: & cum tantum edant, quantum ſumma neceſſitas poſtulat, parum abeſt quin emori non poſſint. Neſcis ſcribere? neſcis inſtituere pueros? neſcis alienas fores cuſtodire? Sed turpe eſt in eam devenire neceſſitatem. Diſce ergo prius, quæ turpia ſint, & ſic nobis die te philoſophum eſſe. Nunc autem nec ab alio te dici patiaris. Num id tibi turpe eſt quod tuum opus non eſt? cujus tu auctor non es? quod temere te invaſit, ut capitis dolor, ut febris? Si parentes tui pauperes fuerunt: ſi alios hæredes inſtituerunt: ſi tum vivunt, te non juvant: nihil horum tibi turpe eſt. Hæccine apud Philoſophos didiciſti? Nunquam me audiviſti, flagitium eſſe vituperabile? Vituperabile autem, dignum eſſe vituperatione? Quemnam ob opus alienum, quod ipſe non fecit, reprehendis? Tune patrem tuum feciſti talem? An penes te eſt, eum corrigere? Daturne tibi hoc? Quotium ergo attinet, ea te velle quæ tibi non dantur, aut ſi eis fruſtreris, erubeſcere?

Simplicius ad Epict. cap. 14. Extrema inopia quomodo impellet ſuſcipere aliquid bono viro indignum? Annon & Diogenes & Crates & Zeno tum germanè philoſophati ſunt, vitamque naturæ humanæ conſentaneam, & tenuitatis divitias oculatis quidem hominibus tum vel maximè demonſtrarunt, copiis & opibus cum extrema inopia commutatis? Quis verò talem virum æquo animo non alat? quis non accipere ſe potius quam dare beneficium exiſtimet? Quid alia exempla requirimus, cum ipſe Epictetus & ſervus fuerit & infirmo corpore, & ab ineunte ætate claudus, & extremæ paupertatis ita ſtudioſus, ut eius domuncula Romæ nullis unquam clauſtris eguerit? ut in qua nihil eſſet præter lectulum & culcitrā in quib. dormiret.

Dio. Chryſoſtomus Pruſæus: Vt igitur ibamus, narrabat mihi inter eundum ſuas res, & vitam quam vivebat cum coniuge ſua & liberis. Nos (inquit) duo ſumus, ô hoſpes, in eodem habitantes loco. habemus autem uxores, alter alterius ſorores, & liberos ex illis filios & filias. Vivimus autem ex venatione plurimum, paululum quid terræ colentes. Prædium enim non eſt noſtrum, neque paternum, nec nos poſſedimus: ſed erant patres noſtri quidem liberi, pauperes autem non minus quàm nos bubulci, paſcentes mercede boves viri prædivitis cujuſdam ex inſula, multa armenta equorum & boum poſſidentis, multoſque greges, pulchroſque & multos agros, multaque alia bona, & univerſos hoſce montes. Quo mortuo, & facultatib. eius publicatis, (aiunt autem illum periiſſe propter pecunias à rege) armentum quidem ſtatim abegerunt ut mactarent, cumque armento noſtras quoque aliquas buculas, & mercedem nobis nemo reddidit.

Tunc ergo neceſſitate cogente, illic remanſimus, ubi habeamus boues: & caulam fecimus ex lignis, non magnam, neque fortem, propter vitulos, quæ ſufficeret, ut opinor, in illam æſtatem. Hyeme enim in campeſtrib. pauimus, paſcua ſufficientia habentes, & multum pabuli repoſitum. Aeſtate vero armentum propulimus in montes. Maxime autē in hoc loco ſuam parentes noſtri reſidentiā fecerant, hac de cauſa. Ager ſecretus erat, & utrinq, profũda vallis & umbroſa: in cuius medio fluuius non aſper, ſed quē facile poſſēt ingredi & boues & vituli. Aqua autē erat copioſa, & pura, utpote ex fonte propinquo profluens, & venti æſtate vallē continue perflabāt

Cir-

Circum verò jacentes sylvæ molles erant & irriguæ, nullum asilum nutrientes, nullumq; aliud bobus incommodum. Multa autẽ & pulcherrima prata sub excelsis & raris arboribus aperiebantur, & omnia plena erant herbarum virentium per totam æstatem: ut non esset necesse multum loci pererrare, quorum gratia ex more illic armentum locaverant. Atque ita tunc manserunt in casis, donec invenirent aut mercedem aliquam, aut opus: alebanturque à parvo valde agello, quem colebant prope statiua. Hic illis suffecit abundè cum magnam haberent fimi copiam. Quum vero feriati essent à bubus, ad venationem se vertebant, nunc quidem ipsi soli, nunc autem cum canibus. Duo enim canes ex ijs qui boves sequuntur, nõ videntes (ut qui longè aberant) pastores, reversi sunt ad locum, relinquentes armentum. Hi primum quidem eos sequuti sunt, tanquam ad aliud quid: & quum vidissent lupos, persequebantur aliquo usque, sues autem & cervos nihil curabant. Si quando viderent aliquem hominem mane vel sero, consistentes latrabant, & arcebant, quemadmodum si homo adversus hominem pugnaret. Gustato autem sanguine & suum & cervorum, & comestis sæpe carnibus sero condidicerunt carnibus pro offa gaudere. Quibus expleti, alios cibos fastidiebant. Non esurientes autem, magis talibus attendebant, & quodcunque apparuisset, similiter persequebantur. Et odorem aliquo modo atque vestigia sentiebant: tandemque evaserunt pro boum custodibus, ejusmodi tardi quidam discipuli, multoque tardiores venatores.

Hyeme autem adveniente, nullum certum opus illis erat, neque descendebant in civitatem, neque in vicum aliquem: sed obseptis diligentius casis, caulisq; densioribus factis, ita vivebant, agrumque illum colebant omnem. Venatio autem hyemalis illis erat facilior. vestigia enim magis apparebant, utpote humido solo impressa: & nix valde perspicua præbet, ut non opus sit vestigando magnum laborem sumere, utpote via ducente ad ipsas feras, quæ etiam magis tum expectant cunctantes. Licet autem & lepores & capreas in cubilibus apprehendere. Ita igitur ex illo tempore ibi manserunt, nullam aliam sibi vitam exoptantes: nobisque conjunxerunt uxores, alter alterius filiis, uterque suam filiam. Defuncti autem sunt ambo, anno fere præterito, (& multos dicebat annos, quibus vixerant) robusti autem adhuc, juvenes, & generosis corporib. Ex matribus autem mea sola superest. Et alter quidem nostrum nunquam descendit in civitatem, annos natus quinquaginta: ego autem bis duntaxat; semel quidem adhuc puer, cum patre, quando adhuc armentum habebamus. Tandem venit quidam argentum poscens, tanquam ab habentibus aliquid, jubensque ut sequeremur se in civitatem. Nobis aut nullum erat argentum, & jusjurandum dedi, quòd nullum haberemus: sin minus, dedissemus utiq;. Hospitio autem recepimus eum pro facultatibus, præcipuè autem duo cervina tergora illi dedimus: & ego eum secutus sum in civitatem. Dixerat enim, necesse esse alterutrum venire, & docere, ut hæ res haberent. Vidi igitur (in civitate) sicut & prius, multas & magnas ædes, & mœnia extra valida, habitationesque excelsas & quadrangulares, in muro nempe turres, & multas naves in portu stantes, quemadmodum in lacu valde quiete. Hoc autem hic nusquam est, ubi tu appulisti: & propterea naues pereunt. Hæc ergo videbam, & interea multam turbam congregatam, atque immensum tumultum & clamorem, ut mihi viderentur pugnam inter se conserere. Duxit me igitur ad quosdam magistratus, dixitque ridens: Hic est, post quem me misistis. Nihil autem habet, præter villam, caulamque ex fortibus admodum lignis. Magistratus verò ibant in theatrum, egoque cum illis. Theatrum est in vallis similitudinem, cavum, non longe utrinque protensum, sed ex dimidietate incurvum: non ita natura factum, sed lapidibus exædificatum. Fortassis autem me derides, quæ hæc narro tibi benè alioqui scienti. Primùm quidem longo tempore alia quædam agebat turba, & clamabant aliquando quidem mansuete & hilariter omnes, laudantes quosdam: aliquando aut vehementer, atque iracunde. Ex hac vero illorum sæua ira, perterrebantur illi homines, quib. acclamabant, ut illorum quidam circumcurrentes supplicarent, quidam etiam vestimenta abijcerent pro timore. Ego ipse quoque semel propemodum concidi præ clamore, tanquam tempestate subita, & tonitru cum impetu & fragore accidente perculsus. Alii verò quidam homines ingressi, atque è medio surgentes, sermonẽ fecerunt ad multitudinem: hi quidem paucis, illi autem plurimis. Et his quidem auscultabant longum tempus; illis autem irascebantur, simulac vocem emisissent, & me mutire quidem permittebant.

Posteaquam verò consederunt tandem, & silentium factum est, produxerunt & me. Et dixit quidam: Hic est, ô viri, ex illis qui fruuntur publicis agris multos annos, non ipse solus, verùm antea suus quoque pater, & depascunt nostros montes, venanturq;, & vites inseruerunt, multasq; construxerunt domos, atque alia multa habent bona, neque interim ulli præbent precium illius terræ, neq; gratis acceperunt à populo. Pro qua re enim accepissent? Quanquam possideant autem nostra, & divites facti sint, neque onera tamen publica unquam subierunt ulla, neque aliquam partem fructuum & redituum solverunt: sed immunes, & ab oneribus publicis liberi degunt tanquam benefactores civitatis. Puto autem (inquit) eos neq; unquam huc venisse. Et ego abnui. Turba autem, ut vidit, risit. Ille verò iratus est propter risum, meque conviciis impetebat. Deinde conversus: Si igitur (inquit) hæc ita placent, non prohibere poterimus nos, communia diripientes, partim eos qui regionem absque favore vestro depascunt, si permiseritis istis bestiis possidere gratis, plusquam mille jugera optimæ terræ, unde vobis viritim licet tres semodios Atticos frumenti accipere. Quibus ego auditis, risi quantum maxime potui. Multitudo autem nõ ridebat, ut prius, sed tumultuabatur. At ille rhetor indignabatur, meque acribus intuitus oculis, dixit: Videtis ne ironiam & contumeliam istius piaculi, quàm audacter derideat? quem oporteret ferè hinc (in carcerem) abduci, pariterque ejus participem. Audio enim esse duos præcipuos, qui apprehenderunt omnem propè mõtanam regionem. Arbitror autem eos neque à naufragis abstinere, qui interdum illac eijciuntur, quum prope supra Caphareidas petras habitent.

Vnde enim tam preciosos agros, immo magis totos vicos compararunt, & tantam pecorum multitudinem, & juga, & mancipia? Et vos fortasse aspicitis ejus tunicam, quod sit vilis, & pellem, qua vestitus huc venit, ut vos decipiat, quasi mendicus videlicet, & nihil habens. Ego quidem eo aspecto, ferè extimui, tanquam viderem Nauplion à Caphareo venientem. Quippe & eum puto ignes à promontoriis ostendere navigantibus ut in saxa illa eijciantur. Hæc illo, atque alia multa dicente, turba quidem exasperabatur: ego autem hæsitabam, timebamque ne quid illi mali facerent. Progressus autem alius quidam, vir humanus, ut apparebat & ex sermonibus quos dixit, & ex habitu: primùm quidem rogabat multitudinem, ut tacerent. & tacuerunt. Deinde dixit mansueta voce, quod nullam facerent injuriam qui ociosam regionem colerent: & exercerẽt, verùm econtrario laude essent digni. Et non oportere, ædificantibus & plantantibus publicam terram irasci, sed ijs qui corrumpunt. Quoniam & nunc (inquit) ô viri, propemodum duæ nostræ regionis partes desertæ sunt, propter incuriam & negligentiam. Et ego multa jugera possideo, sicut alius (puto) quispiam, non solum in montibus, sed etiam in campestribus: quæ si quis vellet colere, non solum gratis darem, verùm etiam insuper argentum illi libenter exoluerem. Manifestum enim, quòd mihi indè pluris fierent. Simul quoque jucundum est spectaculum, regio inhabitata & exculta: deserta autem, non solum inutilis res est possidentibus, verùm etiam miserabilis oppido, & infelicitatis cujusdam dominos accusat.

Quare mihi videtur, vos alios magis adhortari debere, quoscunq; possetis ex civibus, ut acceptam publicam terram colerent: & eos quidem qui facultates haberent majorem: pauperes autem, quantam quisque posset colere: ut vobis & regio non esset ociosa, & cives cultores à duobus maximis liberarentur malis, segnicie & paupertate. Et decem quidem annos gratis habeant: post hoc tempus autem, constitutam modicam partem præbeant de fructibus, de pecoribus autem nihil. Si quis vero peregrinus coluerit, quinque annos: & hi nihil solvant, tandem autem duplum illius quod cives. Quicunque autem peregrinorum exoluerit ducenta jugera, in civium numerum recipiatur, ut quàm plurimi ad colendum invitentur. Quoniam nunc ea quæ ante portas sunt, agrestia prorsus & turpia valde sunt, quemadmodum in profundissima solitudine, nõ ut suburbio civitatis: ea autem quæ sunt intra muros, plurima seminantur & depascuntur. Proinde admiratione digni sunt rhetores, quòd eos qui in Caphareo, in extremis Euboiæ locis, terram colunt, calumnientur: qui autem gymnasium colunt & forum depascunt, nihil mali arbitrentur facere. Aspicite enim ipsi quæso, quod gymnasium iam vobis arvum fecerint, ita ut Hercules & aliæ statuæ plurimæ tam deorum quàm Heroum à messe abscondantur, quodque quotidie rhetoris hujus oves mane irrumpant in forum, & pascant circa curiam & palatium, ita ut hospites qui primùm huc peregrinantur, partim quidem civitatem irrideant, partim miserentur.

Rursum igitur his auditis, irascebãtur adversus illum, & tumultuabantur. Et licet (inquit) hæc faciat, miseros tamen plebeios ducendos putat esse, ut videlicet nemo operetur in posterum, sed qui foris sunt latrocinentur: qui autem in civitate, furtis dent operam. Mihi ego (inquit) videtur, hos ita sinere esse in his quæ ipsi fecerunt, in posterum soluturos quod mediocre fuerit. Redituum autem antè perceptorum illis veniam esse dandam, quòd desertam & inutilem terram proscindentes, cultam reddiderint. Si verò agrorum precium solvere voluerint, minoris illis vendendos quàm aliis. Hæc eo dicente, rursum denuo ille contradicebat, seque mutuo cõviciis incessebant plurimum. Demum & me jusserunt dicere, quicquid vellem. Et quid mihi (inquam) dicendum est? Ad ea respõde quæ dicta sunt, dixit unus ex sedentibus. Dico igitur (inquam) nihil esse verum eorum quæ dixit. Equidem ô viri, insomnia mihi videre visus sum, quum ille de agris & vicis & similibus blateraret. Nos enim neque vicum habemus, neque equos, neque asinos, neque boues. Vtinam verum esset, habere nos quæcunque ille dixit, bona: dedissemus utique & vobis, atque nos in divitum numero essemus. Et sanè ea quæ nunc habemus, sufficiũt nobis, ex quibus si quid vultis accipite: & si omnia volueritis, nos alia possidebimus. Ob hunc sermonem laudaverunt me. Deinde interrogavit me magistratus, quid possemus populo dare? Et ego: Quatuor (inquam) cervina tergora valde pulchra. Multi hic ex illis riserunt, magistratus autem indignatus est adversum me. Nam ursina (inquam) sunt aspera, & hircina non tanti quanti cervina: alia vero sunt partim vetusta partim parva. si autem vultis, & illa accipite.

pite.

Pire. Rursus ergo indignatus est magistratus dixitque me omninò
esse agrestem. Et ego rursum: Nunquid & tu (inquam) de agris
dicis? Non audis quòd agros non habemus? Ille autem interroga-
vit me, an uterque talentum Atticum vellemus dare. Ego verò
dixi, Non. minimè enim tantum nobis est carnium: quas autem
habemus, dabimus. Sunt quædã paucæ in sale, aliæ autẽ suspensæ in
fumum aridæ non multis illis peiores pernæ suillæ, & cervinæ, & a-
liæ nobiles carnes. Hic tumultuabantur, mentirique me dicebãt.
Magistratus autem interrogauit me, an frumentum haberemus, &
quantum? Dixi igitur, id quod aderat, verè: Duos (inquam) mo-
dios tritici & quatuor hordei, & totidem milij, fabarum autem se-
misextarium. non enim bene provenerunt hoc anno. Triticum er-
go & hordeum (inquam) vos accipite, milium verò pro nobis relin-
quite. Quod si milio indigetis, & illud accipire. Non etiam fa-
citis vinum? alius quidam interrogavit: Facimus, inquam. Si igi-
tur vestrûm aliquis ad nos pervenerit, dabimus: at veniens secum
utrem adferat, nos enim non habemus. Quot autem sunt vobis
vites? Duæ (inquam) ante fores, extra caulas autem viginti: & trãs-
fluvium, quas nuper plantavimus, aliæ totidem. Sunt autem val-
de generosæ, & uvas magnas ferunt, quod transeuntes sentiunt, si
contrectent eas. Ne autem negotium vobis creetis singula inter-
rogantes, dicam & alia quæ habemus: Octo capras, bovem mutilã,
vitulumque ex ea valde elegantem, falces quatuor, ligones quatuor,
lances tres, machæram uterque nostrum habet ad feras. Fictilia
autem vasa quid opus est dicere? Et sunt uxores nobis, & ex his libe-
ri. Habitamus autem in duabus pulchris casis: & tertiam habe-
mus, ubi victualia jacent, & tergora. Immo per Iouem, (inquit
Rhetor) ubi fortassis & argentum defoditis. Ergo (inquam) veni,
& refode, ô stulte. Quis enim defodiat argentum? neque enim
utique nascitur. Hic omnes riserunt, illum (ut mihi videbatur) de-
ridentes. Hæc (inquam) sunt nobis: quæ si omnia vultis, nos vo-
luntarie vobis donabimus: & non opus est, ut nobis quidquam vi
auferatur, tamquam ab alienis aut pravis. quandoquidem & cives
hujus civitatis sumus, ut ego ex parte audivi. atque is aliquando huc
veniens, supervenit distributioni argenti, & ipse quoque accepit in-
ter alios cives.

Proinde educamus vestros cives, nostros liberos. Et si quando
indigueritis, vobis auxilium ferent adversus latrones, aut hostes.
Nunc quidem pax est: si quando autem talis acciderit occasio, opta-
bitis multos nobis esse similes. Neque enim istum rhetorem tunc
pro vobis pugnaturum existimetis: nisi si quid conviciis poterit, ut
solent mulierculæ. De carnib. & tergoribus, si feram cæperimus,
partem vobis dabimus; modo mittite qui accipiat. Si autem jusse-
ritis diruere casas, si quid officiunt, diruemus: verùm ita, ut detis
nobis hic domum. quomodo enim aliter hyemem sufferre posse-
mus? Sunt vobis multæ ædes intra mœnia, in quibus nemo habitat:
earum nobis unæ sufficient. Quòd verò hic non vivimus, neque
in tot hominum angustiis eodem in loco versantium & nos mole-
sti sumus, non sanè propterea in exilium mitti digni sumus. Quod
autem ausus est dicere de naufragis, rem tam impiam & pravam,
(hoc fere oblitus sum dicere, quod præ omnibus mihi dicendum e-
rat) quis unquam de nobis credat? Præter pietatem enim qua præ-
diti sumus, etiam impossibile est, inde vel hoc accipere, ubi etiam
ex lignis vel præter cinerem videre licet, sic valde parva eijciuntur.
Et est unum illud littus inaccessum præ omnib. Et lares semel ali-
quando æstu vidi ejectos, eosque suffixi in sacram quercum, quæ
prope mare est. Nunquam enim mihi obtingat, ô Iupiter, acci-
pere & facere tale lucrum, ex hominum infortuniis: neque etiam
unquam ne tantum quidem inde commodi percepi. Quin po-
tius sæpe misertus sum naufragorum ad me venientium, & sub ca-
sam meam recepi, & dedi quod ederent & biberent: & si qua alia in
re potui, opem tuli, comitatusque eos sum ad habitata loca. At quis
nunc ex illis hominib. mihi præbeat testimonium? Atqui neq; il-
lud sanè feci testimonii aut gratiæ causa: neque enim, unde tandẽ
illi erant sciebam. Absit enim, ut vestrum aliquis in talem infe-
licitatem incidat.

Hæc me dicente, exurgit quidam ex mediis: & ego apud me ipsũ
cogitabam, etiam illum adversus me forsan esse mentiturum. Ille
verò dixit: Ego huc iam olim noscitans, dubitabam: tamen quoniã
iam satis eum manifeste novi, grave mihi videtur, immo magis
impium, non ea dicere quæ scio, neque sermone referre gratiam,
quum re maximis affectus sim beneficiis. Sum autem (inquit) ci-
vis, (& simul suum monstrabat patrem sedentem, qui & surrexit)
navigabamus autem jam tertium annum in Soclei nave, Naviq;
fracta ad Caphareum, valde pauci quidam ex multis servati sumus.
Purpurarum quidem captores perierunt. Habebant enim illorum
quidam argentum in marsupiis. Nos autem omnino nudi ejecti,
semita quadam ibamus, sperantes nos tectum aliquod pastorum
aut bubulcorum inventuros. Eramus autem in periculo, ne fame
& siti periremus. Et vix tandem venimus ad casas quasdam, & stan-
tes inclamavimus. Egressus autem iste, ducit nos intrò: & accen-
dit ignem, non plurimum principiò, sed paulatim majorem. &
alterum quidem ipse, alterum autem uxor adipe attrivit. nullum e-
nim illis erat oleum: demum aqua nos perfudit calida, donec pro-
pemodum mortuos reduxit in vitam. Deinde sessum ducentes, &
amicientes nos iis quæ habebant, apposuerunt nobis ad edendum
triticeos panes, ipsi autem milium coctum edebant: dederunt & vi-
num nobis ad bibendum, quum ipsi aquam biberent: cervinasque
carnes dederunt multas, partim assas, partim elixas. Postridiè a-
bire volentes retinuerunt tres dies. Deinde conduxerunt nos in
campum, & abeuntib. carnes dederunt, & pulchrum admodum u-
trique tergus. Videns autem iste me adhuc ex afflictione male af-
fectum, induxit me tunicam, quam filiæ detraxerat. Quæ qui-
dem aliam vilem inducit vestem. Illam autem, postquam in vicum
pervenimus, illi reddidi. Ita nos ab isto maxime secundum deos
servati sumus.

Hæc illo dicente, populus libenter audivit, laudabantque me. Et
ego postquam redissem in memoriam: Salve (inquam) Sotades: &
accedens osculabar eum, & socium. Populus autem valde risit,
quod eos essem osculatus. Tunc didici, quod in civitatibus se mu-
tuo non oscularentur. Prodiens autem in medium ille humanus,
qui initio pro me dixerat: Mihi (inquit) ô viri, videtur, hunc vocã-
dum esse in Prytanium, ut hospitalitatem illi exhibeamus. Non
enim, siquidem in bello aliquem civium servasset, scuto protegẽs,
magna & multa dona consecutus esset: nunc autem cum duos ser-
varit cives fortassis & alios qui non adsunt, nullo dignus est hono-
re? Pro tunica autem, quam civi dedit periclitanti, spoliata filia,
reddat illi civitas tunicam & pallium, ut alii exhortentur ad justitiã
& mutuata auxilia. Decernendum quoque, ut regionis illius fru-
ctus percipiant & ipsi & liberi, & nemo illis sit molestus. Dandas in-
super isti centum drachmas, ad augendam supellectilem. Argen-
tum autem hoc pro civitate, ego ex meo do. Hoc quidem recusa-
tum est: alia autem facta sunt, ut dixit. Et confestim allatæ sunt
in theatrum vestes, & argentum. Ego verò nolui accipere. At dice-
bant: Non potes cœnare amictus tergore. Proinde (inquam) ho-
die manebo incœnatus. Attamen induerunt me tunicam, & inje-
cerunt mihi pallium. Ego autem insuper hæc volebam tergus in-
ijcere: quod illi non permiserunt. Argentum autem nolui acci-
pere ullo modo: sed dejeravi, me non accepturum. Si verò quæri-
tis (inquam) qui velit accipere, date rhetori isti, ut illud defodiat.
Scit enim haud dubium. Ex illo autem deinde nemo nobis fuit mo-
lestus.

Quum hanc propè narrationem absolvisset, eramus apud casas.
Et ego ridens dixi: At vero unum abscondisti civibus, possessionem
nempe pulcherrimam. Quod nam istud? inquit. Hunc hortum
(inquam) valde elegantem, multa olera, multasque arbores habẽ-
tem. Tunc non erat (inquit) sed postea fecimus. Ingressi igi-
tur convivabamur reliquam diei partem, nos quidem accumben-
tes super foliis & tergoribus in excelso lecto, uxor autem iuxta vi-
rum sedens. Filia vero jam nubilis ministrabat, & infundebat ad
bibendum nigrum vinum suave. Pueri autem carnes apparabant,
appositisque illis simul cœnabant. Vt ego beatos dixerim illos ho-
mines, putarimque beatius longe vivere quàm omnes quos nossẽ.
Atqui & divitum domos & mensas noveram, non solum plebeio-
rum, verùm etiam satraparum & regum: qui maximè mihi sunt
nisi aliquando etiam prius miseri: magis autem tunc, videnti eorũ
hominum paupertatem simul & libertatem, & quod nihil illis de-
esset, neque quod ad bibendi & vescendi voluptatem attinet, sed e-
tiam in his propemodum alios superarent. Porro, quum iam sa-
turi essemus, venit & ille alter. Comitabantur autem eum filius,
adolescentulus non illiberalis, ferens leporem, qui quum ingressus
esset, erubuit.

Interea autem dum pater ejus nos salutaret, ipse osculatus est
puellam, & leporem illi dedit. Puella quidem cessavit ministrare,
& juxta matrem assedit: adolescens autem pro illa ministrabat. Et
ego hospitem interrogavi: Hæccine (inquam) est, cuius tunicam
detractam naufrago dedisti? Et ille ridens: Non (inquit) sed illa jã
pridem viro nupsit, & liberos iam grandes habet. Nupsit autem vi-
ro diviti in vicum. Ergo (inquam) suppeditant vobis, si qua re ege-
tis? Nulla re (inquit mulier) nos indigemus. Illi autem accipiũt,
& quando quis quid venatu cæpit, & poma & olera. nullus hortus
est apud eos. Triticum accepimus ad sementem, & reddidimus
illis statim à messe. Quid igitur (inquam) annon & hanc cogita-
tis diviti dare, ut vobis triticum commodare possit? Hic ambo eru-
buerunt, & puella & adolescens. At puellæ pater dixit. Pauperem
virum accipiet, similem nobis venatorem. Et subridens, respexit
ad juvenem. Et ego: Quid igitur obstat, quo minus jam detis? An
oportet eum alicunde ex vico huc accedere? Videor mihi videre
(inquit) non longe eum hinc abesse, sed hic intus. Et faciemus sa-
ne nuptias, bona ad hoc electa die. Et ego, Quomodo (inquam)
judicatis bonam diem? Et ille: Quando luna non parva est: oportet
autem & aerem esse purum, & serenitatem claram.

Et ego: Etiamne revera bonus venator est (inquam)? Sum
equidem (inquit juvenis) & cervum opprimo, & urgeo. Videbis
autem cras, si volueris, ô hospes. Et leporem hunc tu (inquam)
cæpisti? Ego prorsus (inquit ridens) funiculo cæpi noctu. Erat e-
nim serenitas valde pulchra, & luna tantæ magnitudinis, quanta
nunquam fuit.

Hic riserunt ambo, non solum puellæ, sed & adolescentis pater.
Ille autem pudore suffusus est, & tacuit. Dicit igitur puellæ pater:
Ego sane (inquit) ô fili non differo: sed pater tuus expectat, donec
aliquo profectus victimam emat. Oportet enim dijs sacrificare.
Dicit adhæc iunior frater puellæ: Atqui victimam jampridem cõ-
paravit, & intus est, & alitur post casam valde elegans. Interro-
gabant ergo illum, Veré ne ita est? Et affirmavit. Et unde ea tibi?
dixerunt. Quando suem (inquit) cæpimus illam, quæ catulos ha-
bebat,

bebat. Et alij quidem effugerunt, velociores enim erant leporib. Vnum autem ego lapide jacens nactus sum, quem permutavi in vico, & accepi pro eo scrofam, & nutrivi, facta retro hara. Hoc igitur (inquit mater) tu risisti, quando admirarer suem audiens grūnientem, & quòd ordeum ita absumeres. Euboicæ enim (inquit) non aptæ erant ad saginandum, nisi glandes vellent edere. Sed si eam videre vultis, ibo eamque adducam. Et illi jusserunt. Abierunt igitur & ille & pueri præsentes illic, ad cursum alacres. Interea virgo surgens, ex alia casa attulit cucumulas dissectas, & mespila, & mala hyberna, & generosæ uvæ racemos vigentes: & posuit super mensam, foliis prius abstersam à carnibus, substrataque pura filice. Venerunt autem & pueri suem ducentes, cum risu & joco. Sequebatur & mater adolescentis, duoque fratres adhuc pueri, ferebantque puros panes, & ova elixa in ligneis scutellis, & cicera arida. Et mulier quidem fratre & filia & nepte consalutatis, assedit juxta suum virum, dixitque: Ecce victima, quam hic jam diu aluit ad nuptias, quin & alia quæ nostra fert facultas sunt in promptu: & farina tam triticea quàm ordeaca facta est. uno duntaxat villo fortasse indigebimus.

Et hoc sane non difficile est ex vico accipere. Astabat autem prope eam ipse adolescens affinem aspiciens. At hic subridens: Hic est [inquit] qui abstinet: fortassis enim adhuc amplius vult saginare suem. Et adolescens: Ea quidem (inquit) præ pinguedine dirūpetur. Et ego volens ei auxilium ferre. Vide (inquam) ne dum saginatur sus, hic vobis macer fiat. Et mater: Verum (inquit) hospes dicit, quoniam & nunc macrior se ipso factus est: & paulo ante sensi eum noctu vigilantem, & egredientem extra casam. Canes (inquit) latrabant, & exivi visum quid esset. Non tu sane (inquit) sed deambulas mœrens. Ne ergo diutius sinamus eum ægritudine affici: & amplexa matrem puellæ, osculata est. Illa autem ad maritum suum: Faciamus (inquit) ut volunt. Et ita decretum est, dixeruntque: Ad diem tertiam faciamus nuptias. Obsecraruntque me ut remanerem, usque ad illam diem. Remansique non illibenter, considerans pariter divitum negocia, qualia essent cùm aliis in rebus, tum etiam circa nuptias: quot opus sit pronubis patri, & inquisitionibus facultatum & generis, quot donationibus & dotibus, & promissionibus & fallaciis, pactis & chirographis, denique sæpe inter eos & in ipsis nuptiis convicia & inimicitiæ. Quocirca omnem ego hanc orationem recitavi non temere, neque ut fortasse viderer quibusdam nugari velle: sed ut ejus vitæ, & pauperum conversationis specimen proponerem, quò illud, quicunq; vellet, spectare posset, ex sermonibus & operibus, mutuaque rerum communione. Nam tametsi divitibus inferiores sint propter paupertatem, in eo quod ad eleganter vivendum attinet, natura tamen & aliis omnibus in rebus sunt superiores. Atque etiam id quod scripsit Euripides, considerans, nempe an revera illis obstaret paupertas, quo minus hospitibus inserviant, atque sub tectum recipere queant, aut ulla in re quenquam adjuvare egentem: nusquam invenio rem illis ita habere circa hospitalitatem. Quippe invenio, quòd ignem accendant promptius quàm divites, viamque ducant, monstrentque absque excusatione: quandoquidem & hæc sibi dives pudori esse duceret. Persæpe quoque communicant ea quæ habent, alacrius. Neq; enim quisquam ex illis (divitibus) dabit naufrago suæ uxoris purpuram, neque filiæ: multoque minus suam ipsius vestem, lænarum aliquam aut tunicarum, quarum illis copia est: immò neque ullius servi palliolum. Manifestat autem & hoc Homerus. Eumæum enim scripsit, servum & pauperem, qui tamen Vlyssem bene acceperit & cibo & cubili. Proci autem, ob divitias & superbiam, haud quaquam illi communicabant facilè, neque ex alienis. Quare & ipsum describit dicentem ad Antinoum, exprobrantemque illiberalitatem.

Mendico non tu hercle dares linxisse salillum,
Aedibus ex propriis ita quando aliena negasti
Impertire alimenta mihi, quæ multa supersunt.

Esto autem, ut hi tales sint, propter aliam pravitatem: sed ne Penelopen quidem, tametsi benignam, & valde jucundè cum illo sermocinantem, déque viro interrogantem, neque hanc ait palliolum illi dedisse, nudo assidenti: verùm duntaxat promisisse, siquidem verè dixisse inveniretur de Vlysse, quòd in eodem mense esset venturus. Et postea, quando arcum poposcit, procis non valentibus eum intendere, indignantibusque illi quòd vellet cum ipsis suscipere certamen de virtute, rogavit ea ut illi daretur: neque enim & illum nuptiarum gratia certaturum, sed si intendisset & jaculatus esset per secures, promittit se illi daturam tunicam & pallium, & calceos. Vt nempe oportuerit eum intendere prius Euryti arcum, atque tot juvenibus inimicum fieri, forsan autem & perire ab illis extemplò, quàm nancisceretur pallium & calceos: aut Vlyssem, qui viginti annis nusquam apparuisset, certo demonstrare venturum, & hoc in certis diebus: sin minus, in illis laceris abire vestimentis. Hæc ille, de modesta & bona Icarii filia & regina narrat. Ferè autē & Telemachus similia de eo dicit ad subulcum, jubens eum mittere in civitatem quamprimum, ut in ea mendicet, & non plures alere dies apud stabula. Nam tametsi illi hæc fecerint ex composito, tamen subulcos rem atque illam non admiratur inhumanitatem. quod videlicet jam in consuetudinem venisset ita attente & illiberaliter agere cum pauperibus hospitibus: solos autem divites suscipere benignè donis muneribusque hospitalibus, à quibus nempe & ipsi sperabant se paria percepturos: qualiter fermè se habent & in præsentia, quæ de humanitate institutisque feruntur. Quæ enim nunc videntur benevolentiæ esse, & gratiæ, si quis rectè inspiciat, nihil differunt à conviviis, in quæ quisque suum adfert cibum neq; à datis pecuniis pro magna usura. Et hæc adeo frequenter fiunt, ut in his (per Iovem) longe nunc vincamus superiores, quemadmodum & in alia universa malicia. Possem vero & de Phæacibus dicere. deque illorum humanitate, si cui illi videntur non illiberaliter, neque aliter ac divites decet, tractasse Vlyssem. quo maximè consilio, & quib. ex causis adducti sint large atque magnifice donare. Sed multo plura quàm par est nunc de his dicta sunt. Manifestum vero est, quod divitiæ nihil magni conferunt possessorib. ad hoc ut sint liberaliores erga hospites, aut alios: sed e regione, sordidos parcosque plurimùm, magisq; quàm paupertas reddere solent. Neq; enim, si quis forsan divitum unus ex decē millib. largus & magnanimus inveniatur, id satis ostendit, nō multos circa istos pejores esse quam pauperes. Vir autem pauper nō viciosa præditus natura, contentus est præsentibus: atq; mediocri correptum infirmitate [tali videlicet accidente morbo, quales accidere solent nō ociosis, neq; sēper plenis] refovere potest, & viventib. & hospitib. dare grata munera, ac suspicione carētia, qua ab invitis data sint, & cū tristicia. Nō fortasse argenteos crateras, aut varias vestes, aut quadrigas, aut Helenę & Menelai dona Telemacho data. Neq; enim ejusmodi (ut veri simile est) hospites suscipere posset, nempe satrapas aut reges, nisi prorsus sint temperantes & boni: quib. nihil sit ingratum quod cum amicitia fiat. Superbos autē & tyrānicos non (opinor) sufficiēter colere posset hospites, neq; fortasse sibi cuperet talium hospitū advētum, amicitiamque.

Neq; enim Menelao certe bene cessit, quod potuit suscipere ditissimū ex Asia hospitem. alius vero nullus in Sparta tantarū erat facultatū, aut susciperet Priami regis filiū. Proinde evacuata eius domo, & cum pecuniis etiā uxore accepta, filiaq; quod ad matrem attinet, pupilla relicta, recessit domū navigās. Et post hęc Menelaus diu undiquaq; per Græciā volutatus est, deplorās suas miserias, obsecrans unumquemq; regū ut ferrent auxilium. Coactusq; est & fratri supplicare, ut filiam traderet occidendam in Aulide. Decē autē annos exegit bellum gerens in Troia rursus illic adulāns ductorib. exercitus tā ipse quā frater sin minus fecisset irascebantur, minabanturq; persæpe domū se navigaturos: multosq; labores immensaq; pericula sustinens, tandem errabat, neq; poterat per mille mala domū redire. Ergóne valde admirandus est ob divitias? & Poeta credendus revera dignus laude, qui maximū illius bonum fuisse inquit, quod hospitib. etiā valde delicatis suam in domum venientib. hospitium præbere potuerit, muneraq; dare hospitalia, quib. maximè lætarētur. Dicimus autem hæc recordantes poetarum, non ut cū illis suscipiamus certamen, neq; ut ob gloriā invideamus, quæ illis propter poemata & sapientiam obtigit. Non horum gratia nitimur eos redarguere: verùm apud eos maxime putamus inveniri posse vulgi sententiam, quid nempe vulgo videatur de divitiis, aliisque quæ admirantur mortales. Et sane maximum sibi putat evenire bonum, si quid taliū nanciscantur Manifestum enim, quod si non poema cū ipsis concordaret, neq; eadem cum ipsis sentiret, nunquam ita dilexissent, neq; laudassent tanquā sapientes & bonos viros, & vera dicētes. Quia igitur non licet unumquemq; ex multitudine sumptū redarguere, neq; omnes interrogare singulatim, Cur tu ô homo, ita vehemēter metuis paupertatem & divitias maximi facis? Aut quid magni te lucraturum speras, etiam si dives effectus fueris, aut per Iovem, mercator, aut rex? Immensum enim tale esset negocium, & effectu carens. Proinde ita necessario ad eorum prophetas & advocatos poetas imus, tanquā illic inventuri manifestas, metrisq; inclusas vulgi opiniones. Et certè nō mihi prorsus videre videor, nos frustrari spe. Et quod nos in præsentia facimus, consuetum iam est & sapientiorib.: quando his ipsis pauperibus contradixit summus quidam Philosophorum, quem nemo (ut mihi videtur) unquam diceret, contentionis gratia & his contraxisse, & illis, quæ à Sophocle adversus divitias dicta sunt: illis quidem brevib. Sophocli autē plurib. quanquam non longis, ut nos in præsentia, ut pote non quantum summa facultate potuisset, disserens, sed libros scribens. De agricolarum igitur atq; venatorum pastorumq; vita hæc, longiorem fortasse moram præbentia quàm par est, dicta nobis sint: cupientib. aliquo ostendere pacto, paupertatem haud rem esse ad victum nihil vitamq; facientē, quæ liberos homines deceat, operari volentes: sed ad meliora multo, utilioraq; opera atq; actiones ducentem, quęque magis secundum naturam sint, quam ad ea, ad quæ divitiæ cōplures solent adhortari. Age nunc de pauperibus in urbe atq; civitatibus considerandum est, quod ad illorum victum & quæstum attinet, quo pacto maximè degentes, & ad quæ se applicantes, nō possint malè vivere, neq; vitiosius quàm qui magnis usuris fœnerant, beneq; valdè sciunt dierū mensiumq; numerū, & qui ædes magnas navesq; possidēt, multaq; mācipia, ne quando talibus inopia sit operū in civitatib. & juvamine extrinsecus indigeāt, quū eos & mercede habitare oporteat, & alia habere empticia nō vestimenta modo sed & instrumenta & frumentū, sed & ligna, quotidiani usus & ignis gratia. quin & aridis lignis aliquando opus est, & foliis, & aliis quibuscunq; plane vilib. Præter aquā enim, alia universa coguntur accipere dato pretio, videlicet omnib. inclusis, nulloq; in medio apparente, nisi opinor, quæ magno multoque precio venum sunt proposita. Fortassis enim difficile videtur tali vitæ suppeditare necessaria posse eum, qui nullam aliā præter corpus possessionē possideat:

præfer-

præsertim quum non quodlibet opus, neque omnia similiter illis suadeamus, unde lucrum corradi queat ut fortè compellemur eijcere ex civitatibus oratione plurimos pauperes, ut non reddamus revera civitates bene (ut Homerus ait) habitatas, scilicet à solis divitibus, intra mœnia autem neminem (ut verisimile) sinamus liberum operarium.

Atque talibus omnibus quid faciemus? An dispergentes in regione alibi collocabimus, ut Athenienses habitasse ajunt per totam Atticam antiquitus, & iterum postea tyrannidem, exercente Pisistrato? Quin neque illis inutilis fuit illa vivendi ratio, neque ignobiles protulit civium indoles: verùm in omnibus meliores modestioresque, quàm illorum qui postea in urbe nutriti sunt, concionatorum & judicum & scribarum ipsorum pariter & cerdonum. Quamobrem non magnum est periculũ, neque grave, si isti omnes omnino rustici fiant: nihil ominus enim puto eos non carituros alimentis etiam in urbe. Sed videamus quãta & quæ facientes, moderate nobis vitam exigant, ne sæpius ociosi sedentes, se ad res malas conferre cogantur. Vniversa quidem in civitate opificia & artes, multæ sunt & variæ: & nonnullæ valde utiles utentibus si quis utilitatem spectet ad argentum. Omnes autem eas nominare singulatim, difficile est, propter multitudinem, neque minus propter absurditatem. Proinde hæc brevibus de illis & laus & vituperatio dicta sit.

Quæcunque corpori sunt noxiæ ad sanitatem, aut robur sufficiens, vel propter segniciem, vel quod sint sedentariæ, vel generant animos inverecundos atque illiberales, vel alioqui non sunt vsui, ad nullamque utilitatem ob delicias stoliditatemque civitatum sũt inventæ, eæ jam à principio neque artes neque opificia rectè nominantur. Neque enim Hesiodus unquam vir sapiens, similiter laudasset quodlibet opus, si quod pravum aut turpe tali dignatus esset appellatione. Quibus igitur artibus illa adhæserint detrimenta, eas nemo ingenuus aut moderatus attingere debet, neque scire ipse, neque liberos suos docere, ut qui neque juxta nostram, neque juxta Hesiodi sententiam operarius sit futurus, si cui talium se applicuerit, sed socordiæ & turpis lucri cupiditatisque illiberale habiturus opprobrium, cerdo & inutilis & pravus simpliciter appellatus. Quæcunque aũt accedentes non dehortantur à virtute, neque ullã inducunt animo nequiciam, neque morbosos reddũt & alijs morbis, & maximè imbecillitate atque socordia, mollicieque, quæ ex nimia quiete corpori innasci solet, pariterque usum plurimum ad victum parandum præbent, ea ejusmodi omnia qui promptè facerent ac benigne, nunquam certe opere ac victu essent carituri, neq; veram præbituri divitibus insultationem, qua solent, eos inopes nominare: quum contra magis forent, quam illi, opulenti, nullaque re (ut ita dicam) necessaria commodaque indigerent.

Age igitur indagemus ab utroque genere, licet non admodum diligenter singulã dicentes, sed summatim dumtaxat considerantes, quam ob causam talia non admittamus: qualiaque audacter concedi jubeamus, nihil curantes eos qui talia obijciunt, qualia soliti sunt nonnunquam obijcere insectantes non solum sua benefacta, quibus nihil absurdum inest, verùm etiam parentes, si cujus mater lanam precio tractet, aut vindemiatrix sit, aut olim exposita, aut nutrix sit orphanorum aut divitum liberorum mercede, aut pater doceat literas, aut sit pædagogus. Nos erga nihil tale turpe existimantes, contrarium iter incedemus. Neque enim aliter ea incessunt exprobrando, quam ut paupertatis indicia, ipsam videlicet paupertatem mordentes atque obijcientes tãquam malum aliquod & infortunium, non opus ipsum ullum. Itaque quoniam dicimus, paupertatem non pejorem esse, neque infeliciorem divitijs, neque fortasse multis quoque inutiliorem, non impatientius hoc opprobrium nobis ferendum est illo altero. Si cui enim videtur, eos recte facere, quòd quotidie nominantes rem quam reprehendunt, circa eam accidentia, conviciandi causa obiiciant: is norit, nos multo plura, & revera turpia obijcere posse, quæ ex divitijs oriuntur. Quin id maxime etiam, quòd apud Hesiodum opprobriosum judicatum, nempe adversus segnitiem: —— *Namq;*

Dij, neq; aratorem fossoréme,
O homo —— Et, —— *Namq; procos post*
Sunt palmæ tibi permolles, nulloq; labore
Attrita. ——

Igitur hoc puto cuilibet manifestum, & forsan sæpenumero dictum, quod infectores, & unguentarios, alutariosque, unà cum tonsoria arte cùm virorum tum mulierum, quæ non multum differt in præsentia, & omni prope variegataria, quæ non modo non à vestibus sed neque à cute & pilis abstinet, & fuco & omnib. pharmacis id studet, ut falsa & adulterina simulacra appareant: præterea cum ijs qui domorum culmina & muros & pavimenta, partim coloribus partim lapidibus, partim auro, partimque ebore variegant, partim denique murorum sculpturis, optimum sit civitatibus omnino non suscipere, aut (quam nobis in præsenti oratione constituendum est) neminem ex nostris pauperibus ejusmodi quempiam fieri. Quippe nos adversum divites contendimus, tanquam in chorea, non de felicitate proposito certamine (neque enim paupertati hoc præmium propositum est, neq; divitijs; sed unius est virtutis illud peculiare) sed de vivendi regula, & mediocritate quadam. Ergo neque histriones Tragici aut Comici, aut Mimi, aut soluti risus opifices, neq; saltatores, neque choragi (præter sacrorum chororum, qui tamen Niobes aut Thyestis calamitates canant, saltentque) neque citharædi, neque tibicines super victoria in theatro certantes, nostri pauperes fieri debent. Tametsi quædam inclytæ civitates ob hanc rem malè erga nos fuerint affectæ, Smyrna & Chios, atque cum his Argos, ut quæ Homeri atque Agamemnonis gloriã non sinant interire. Sane quod ad nos attinet, ea facile manebit. Forsan aũt & Athenienses moleste ferent, existimantes suos poetas Tragicos & Comicos ignominia affici, si ministros eorum auferimus, nulli rei bonæ eos operam dare dicentes. Verisimile est indignaturos etiam Thebanos, quasi ipsorum victoria vituperata sit, quam universæ Græciæ judicio adepti sunt, super tibiarum cantu. Hanc. n. victoriam usque adeo dilexerunt, ut vastata eorum urbe, & etiamnum ferè vastata manente, præter modicam partem de Cadmia, quæ habitatur, perditarũ rerum nihil curarint ex multis templis multisque columnis ac inscriptionibus requirere: Mercurium aũt requisitum rursus erexerunt, super quem erat Epigramma de cantu tibiarum, cujus erat summa: Græcia judicavit Thebas vicisse tibijs. Et nunc quoque in medio veteri foro, una hœc statua sita est in ruinis.

At nos neminem horum metuentes, neque eos qui nos obiurgant, quasi ea spernamus quæ apud Græcos seriosissime sint accurata, omnia hæc dicimus ac pronunciamus, non verecundorũ, neq; ingenuorum hominum esse opera, sicut & alia multa difficilia apud eos sunt: & quod impudentissimum est, quid vulgus magis quã oporteat, sibi sapere videtur: quãdoquidẽ animo inflari rectius diceretur. Proinde neque præcones rerum venalium, neque furtorũ aut fugarum indicij præmia proponentes in vijs foroq;, cum maxima libertate reboantes, neque contractuum, neque protestationum, neque in universum judiciorum aut causarum scribas, legitimorum simulantes experientiam, neque doctos vehementesque causarum scriptores & advocatos, ex æquo pollicentes mercede auxilium ferre omnibus qui non maximorum criminum sint rei, misericordiamque moventes, clamantesque atque supplicantes pro ijs qui ipsorum neque amici neque cognati sunt, quorum quidam valde honorabiles & clari sunt in civitatibus, seque inverecunde gerẽtes alienorum criminum causa, neminem putamus pauperum talẽ esse dicere sed cæteris concedere Manuarios quosdam ex illis artifices fieri necesse est: linguæ aũt & judiciorum artifices ut fiant, nulla flagitat necessitas. Ex dictis aũt, & dicendis, sunt quæ vocantur utilia civitatibus quæ videlicet in præsentia habitantur, puta causarum perscriptiones, & contractuum, forsan autem & præconiorum quorundam. Quomodo autem hæc à nobis fieri debeat, ut quam minimè sint noxia, non opportunũ jam est diffinire. Neq; n. rempublicam in præsentia disponimus, qualis nam, ut optima, aut melior certè multis evadat, esse debeat: sed de paupertate loqui instituimus, quod rerum non sit indiga, id quod multis videtur, atque ideo fugiendam esse, & malam: sed quod plurimas ad vivendum præbeat occasiones, ijs qui operari voluerint, neque inhonestas, neque noxias. Hinc enim sumpto exordio, agriculturæ, & venationis commoda pluribus recitavimus antea: nunc autem de agriculturis urbanis quæ nam decentes sint, innoxiæque non prorsus pessimè victuris quæque pejores reddant sibi adhærentes, disseremus.

Paulo post: De cæteris autem urbanis actionibus absolvere nos sermonem audacter decet, earum partim mentionem facientes, partim vero tacitas atque incommemoratas prætereuntes. Non n. de lenonibus lenonumque studijs, tanquam de dubijs rebus cõcionandum est: sed affirmandum prorsus, & pronunciandum, horum nullum esse usum. Neque igitur pauperem, neque divitem tali negocio mercedem stupri & libidinis, apud omnes similiter reprehensibilem, aucupari decet. Nam hoc negocium amatorum, commixtionem Veneri adversam inamabilemque celebrat lucri causa congregatque mulierum atque puerorum corpora captiva, aut alioqui empticia, adque turpitudinem prostituit in cellulis sordidis, ubique per civitatem notis, in foro transituque principum, prope prætoria atq; templa, in medioque sanctissimorum locorum. Neq; igitur barbarica corpora, neque Græcorum, quæ quidem superioribus temporibus non valde, nunc vero abunde magna servitute premuntur, ad hujusmodi turpitudinem necessitatemq; ducenda sunt, opus multo pejus & impurius, quam equorum aut asinorum pastores habent, operatura. Non jumenta jumentis absque vi, nec voluntaria voluntarijs absque pudore committunt, sed hominibus verecundantibus & inuitis, libidine perciros & lascivos homines ad inutilem inijciunt infructuosamq; corporum conjunctionem, corruptionem magis quam generationem efficientes, nullum hominem reverentes, nullumq; deorum: non jovem generationis, non Iunonem nuptiarum præsides, neque Parcas fatales, non obstetricem Dianam, non matrem Rheam, neque humanæ nativitati præfectam Lucinam, neq; Venerem cognominatam secundum naturam, qua nempe masculus cum fœmina congregantur, coeuntque. Non sunt hujusmodi lucra permittenda, neq; legibus mãdanda, neque à principibus neque à legislatoribus neque in civitatibus excellenter ad virtutem instituendis, neque in secundis aut tertijs aut quartis aut qualibuscunque, si in illorum situm fuerit potestate talia prohibere.

Si vero antiquæ consuetudines, & morbi ætate roborati civitates occupaverint, non tantum omnino relinquendi sunt incurati & impuniti: sed videndum quantum possibile est, ut aliquò modo

contra

contrahantur puniantúrq;: eo quod nunquam flagitiosa manere soleant in eodem statu, sed semper moveantur, procedantq; ad petulantiora, quū modus necessario observandus non est constitutus.

Quamobrem cura aliqua habenda est, ut non mansuete neq; negligenter stupra in despectis servilibusq; corporib. ferantur: nō hac solū de causa, quod cōmuniter humanū genus omne, honorabile, eodémque dignū honore, à creatore Deo factū sit, eadē signa symbolaq; habens ut justè honoretur, idq; etiam juxta rationem experientiāque rerum pariter honestarum & turpium: verum hoc quoq; nobis cogitandum est, quod difficile sit libidini per potestatem alitæ, terminum aliquem invenire, quē non amplius abiecto timore transgredi audeat, sed studio & consuetudine in minimis & remissis, irrevocabilem turpitudinem roburq; effrene accipiens, nulli ultra cęterorum pareat. Quapropter omnino ita existimandum est, quod ista in medio posita & manifesta ignominiosaq; adulteria, nimisque impudenter & perfricta fronte perpetrata, incertorum & occultorum tam in mulieres hon orandas quam pueros stuprorum, haud minimam præbeant causam, eo quod tam facilè talia quisque audet, & turpitudo in publico contemnitur: & nō quemadmodum quidam putant, quod ejusmodi flagitia securitatis & abstinētiæ causa reperta sint. Forsan igitur quispiam rusticior ita quodāmodo dicere queat. O sapientes legislatores & principes, qui ista suscepistis initio, quasi quoddam admirabile civitatib. pharmacum modestiæ repereritis, ne vobis manifesta hæc & aperta domicilia, clausas domos & interiores thalamos referent, quiq; foris & apertè libidinantur modicis impendiis, ne se ad liberas & honestas vertāt mulieres cū multis pecuniis muneribusq;: videte ne illi re vili, quæque sit in potestate, non contenti amplius, id quidem prohibitum est, cum timore multisque impendiis prosequantur.

Videbitis autem (ut mihi videtur) evidentius, si animū volueritis attendere. Siquidem apud quos magnificentius quodāmodo adulteria transmittuntur, magnamq; & perhumanam nanciscuntur veniam, quū multa ob bonitatem mariti nō sentiant, multaq; se fateātur ignorare, hospitesq; & amicos & cognatos appellatos adulteros perferant, interdumq; benignè prehensent, vocentq; in dieb. festis atq; sacrificiis ad convivia, tanquā (opinor) familiarissimos, adversus verò valdè manifestos apertosq; mediocres iras concipiant: apud quos (inquā) hæc ad uxores pertinentia tā humaniter transigūtur, illic neq; choræis de virginib. fidendū est facilè, neq; Hymenæo verè & jurè in virginalib. nuptiis cantato unquā credendum. Si ergo necesse illic multa contingere antiquis non discrepantia fabulis, citra patrū iram & curiositatem, multisq; imitantibus deorū (quos prædicant) amores, multoque defluente non solū auro per culmina (idq; admodum facile, quum domus non æneæ sint, neque lapideæ) imo etiam instillante argento, paulo post non solū in virginū sinus, verū etiā matrum & nutricū & pedagogorum, & plurima & pulcherrima dona clam ingrediūtur per tectum. Est autem ubi hæc nō manifeste fiunt, circa ipsas nempe cortinas. quid autem fit apud flumina & fontes? Nōne verisimile est multa fieri similia his quæ olim dicta sunt à poetis, præterquā quod fortasse nō publicitus fiūt, neq; in propatulo? In domib. autē ita beatis fiunt, hortorumq; & suburbiorū preciosis villis, inque sponsis quibusdā præparatis admirādis nemorib. utpote non à pauperib. neque pauperum regū filiab. quales aquā gestant, luduntq; apud flumina, frigidis lavantes balneis, & in nemorib. apertis: sed à divitib. & divitum parentū in regalib. sedibus propria hæc omnia habentib. multoq; meliora atque magnificentiora cōmunibus atq; publicis. At nihilominus fortasse illi civitati sperare licet, pueros, non defuturos, ejusmodi nempe, qualem Homerus dixit fuisse Eudorum Mercurii & Polydoræ filiū generationem eius occultans, opinor:

Parthenius, latis quem olim Polydora chorais, ——*Edidit.*

Multos tales & illa civitas sperare potest. Quin & apud Lacedæmonios fuêre quidam hoc cognomine, similiter ex stupro nati. dictiq; sunt Parthenii. Itaq; si nō periissent multi, ita in deliciantib. civitatib. prognati, veluti nequaquā divinam (opinor) consecuti curam, nihil obstaret, quin omnia essent Heroum plena. Nunc autem tales confestim pereunt: quicunq; vero apparent, clam in servili manent habitu usque ad senectam, ut quib. genitores auxilio atque usui esse non possint. Age vero, apud quos res circa virgines puellas ita simpliciter geritur, quid sperandum est pueris? Qualem putamus eos consequi posse disciplinam & educationem? Fieri ne potest, ut abstineat à masculorum contumelia & corruptione illud libidinosum genus, sitq; contentum idoneo atq; manifesto Veneris termino, eo nempe qui est secundum naturam? Et non, quū expletum fuerit omni modo intemperantia circa mulieres, satiatumque ea fuerit voluptate, quærat aliud maius ac iniquius stuprum, quasi mulierum tam liberarum quam virginum res perfacilis sit? Et sane nihil est negocii, venanti cum divitiis talem prædam. Neque si ad oppidò honestas, atque vere honestorum uxores atque filias accedat aliquis, Iovis arte aurum manib. afferens, repulsam facile patitur. Cæterùm quæ restant, his quæ apud multos fiunt satis declarātur. quod qui fuerit inexplebilis talium voluptatum, si nihil inveniat rarum & repugnans in illo genere, contempto eo quod facile adipisci potest, & ignominia affecta muliebri Venere, tanquam parata quadam & revera fœminea prorsus, ad virilem se venerem cōverteret, eos qui paulo post principatum sunt adepturi, aut iudices, aut exercituum duces sunt futuri, concupiscens turpitudine cōmaculare, quasi hic tandem difficilem raramque inventu Veneris speciem offendens: perinde affectus ut strenui potores & vinosi, qui sæpe post multam & continuam ebrietatem, nolunt bibere, & siccitatem data opera machinantur per sudores, & ciborum salsorum & acerborum comestionem. *Orat. 8.*

Libanius: Ne in pauperibus rempublicam administrantibus succenseas: nam plerisque mentes fortuna sunt meliores. *Declamationis 12. fine.*

Libanius: Enimvero volebam ipsum, inquit, inopia meliorem fieri. Quid autem si ob hæc ipsa peior fieret? egregium sanè foret vitiositatis ansam traditam à te fuisse! an opinaris, pater, divitias usque quaque vitii procreatrices esse: virtutem vero ubique esse cū penuria. non ita est: verum & opib. præclarè uti licet: & penuriam vitii potius quàm opulētiam causam existere: quoniam divitiæ delinquere volenti suppeditant: penuria vero etiam nolentem cogit. Nam si sacrilegos & murorum effossores spectare vis: & quotquot tumulos movent, & quotquot formæ decus prostituunt, & latrones, & grassatores, & omninò quęstus causa injustè agentes: plures ex inopibus inveneris quàm ex iis qui omnium rerū affluentia vivunt.

Etenim quamvis alia quis pertulerit: esurientem tolerare non posset. Ecquis Deorum tibi sponsor fuerit, filium nihil indecori tibi facturum inopia coactum? *De-clamat. 40.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Sunt plerique qui mortem potiorem quam egestatem putent: quibus delicatè educatis, intolerabilis videatur nuda vita illa, ab omnibus quibus antea abundaverunt, destituta. *Declamatione 176. f.*

Quintilianus Senior: Facilius est egestatem ferre in hoc natis. Me onerat majorum meorum dignitas, onerat prioris consuetudo vitæ, onerat etiam fama. *Declamat. 269. m.*

Quintilianus Senior: Non sum quidem locuples: sed quotus quisque: inops censu, sed integer, sine crimine, sine fabula. *Declamatione 301.*

Quintilianus: Paupertatis est proprium, quando alia deficiunt, exercere libertatem: & dum contemptus fama vitatur, potentiores vel ambitiosè offendere: & nacta bonam conscientiam magna fortuna indignius imparem adversarium patitur. Ergo conseruit, ut solet, casus duratura longius à parvis initiis odia: dum contumeliā humilitas facilius intelligit, dignitas gravius. *Declamatione nona. § 2. m.*

Calpurnius Flaccus: Pauperes, inquit, erant, & ideo potuêre corrumpi. *mox:* Negas potuisse corrumpi? pauperes fuerunt. *Controversia 7.*

Symmachus: Eventius tuus in utramque aurem somnum capessat. Nihil enim magna dignitas à paupere petit. Sit fortasse plerisque ipsa inopia gravis: habet tamē alieni oneris exceptionem. *mox:* mihi videtur validior esse omnibus vacationum remediis exhausta fortuna. *l. 4. Epist. 62.*

Symmachus: Facilè jacturam dissimulare potuisset, si admitteret magnum animum angusta fortuna. *libro septimo Epistola quadragesima sexta m.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Pluto v. 441.

Non restitas? B. minimè omnium. C. non restitas?
Inquam. quid hoc? duos nè viros mulierculam
Vnam fugitare? B. quia enim paupertas ea est,
Qua non aliud usquam animal pestilentius.

Aristophanes Pluto. v. 503.

——*Hodie bona pars hominum prava & scelerata*
Divitijs per fas atq; nefas corrasis, affatim abundat.
Multi autem iusti & probi inopia atq; fame pressi, male vitam
Peragunt: & tecum Paupertas nullo non tempore degunt.

Aristophanes Pluto. v. 2054.

Πατρὶς γάρ ἐςι πᾶσ' ἵν' ἂν πράτῃ τὶς εὖ.
Patria illic sua cuiq; est ubicunq; agit bene.

Aristophanes Pluto v. 537.

——*Quidnam obsecro possis*
Præstare boni cuiquam, præter tubercula balneolorum
Et puerorum esurientum & vetularum voces gemibundas:
Numerum pediculorum, culicū, & pulicū, (quos jam numerare
Non est) qui odiose bombo strident hominis tempora circum,
Et somnum abigunt, dicentes: surge: fames cervicibus instat.
Quid des præterea, nisi tritam, pro integra veste, lacernam:
Pro pulchro lecto, cimicibus oppletum, fædumq; grabatum.
Qui homini somnum excutiat: pro picturato tegmine purem
Stoream: pro pulvino lapidem: pro pane absumere malva
Gramina: pro maza, raphanorum folijs exilibus uti:
Pro sede, cadum capite effracto: pro mactra, doliolorum
Latera, ipsa etiam diffisa? An non quæ bona des plurima monstro:
Teq; ostendo omnibus hominibus causam quandam esse bonorum.
PA. Atqui tu non mea, sed mendicorum mala proposuisti.
CH. Atqui paupertatem mendicitatis dicimus esse sororem.
PA. Vos sane: qui Dionysium adæquare soletis Thrasybulo,
Sed mea vita nihil tale experta est: neq; tale experietur
Vnquam: mendici hæc vita est, quam dicis, nihil prorsus habendo
Vivere: sed pauperis est: vivere parce, rebusque gerendis

Operam dare: uti nihil habenti, nihil in vita quoq; desit.
CH. *O quam felicem vitam narras pauperis atq; beatam:*
Si parcendo atq; laborando vix tantum a morte relinquat,
Vnde ipsius sepeliri possit. **PA.** *Risu, ludo atq; cavillis,*
Non serio agis rem: neq; perpendis, quod ego reddo viros, quàm
Plutus, meliores ingenio & specie. Nam apud hunc podagrosi,
Ventriosi, crassis suris, pingues, & supra modum obesi.
At apud me graciles atq; agiles, & formidandi inimicis.
CH. *Gracilitatem hanc tu inducis per jejunia nempè, famemque.*
PA. *De vitæ integritate atq; modestia eorum paucula dicam,*
Vosq; docebo, quòd apud me sit laudata modestia vita:
Sed apud Plutum injuria. **CH.** *quasi modesti hoc fiet, aut medio-*
Furari, perfodere parietes? **BL.** *certè. nam latitare* (*cris,*
Si eum oportet, qui admisit: quomodo non tibi honesta hæc vi-
deantur.
PA. *Quæso aspice tantùm urbis causidicos: qui quantisper egent*
Sunt, erga populum atq; urbem se præbent æquos facilesq;:
Ditati è Republica, omnes confestim efficiuntur iniqui:
Plebiq; parant insidias: & populo bellum facere audent.
CH. *Nihil horum mentiris: licet usq; adeò mihi sis odiosa:*
Pœnam tamen hic nihilo secius dabis: ut ne idcirco tumescas,
Quod nobis persuadere aggrederis, divitijs meliorem
Paupertatem esse. **PA.** *Ac tu istorum nescis convellere quicquã.*
Sed nugas agis & frustra alas audes expandere. **CH.** *qui fit.*
Ergo, quod te omnes fugiunt? **PA.** *Quia per me fiunt meliores.*
Id quod vel de pueris nosse imprimis promptum est: etenim illi
Adeò, quid turpe, quid honestum discernere, res operosa est.
CH. *Ergone Iovem etiam dices optima non dignoscere posse.*
Nam divitias habet & ille, & eas nobis calitus offert.
PH. *O verè animus Saturninis, & lippis mentibus ambo:*
Etiam Iupiter ille ipsius ineps est, quod tibi iam manifesto
Demonstrabo: nam si dives erat, cur iuxta Elida quondam
Certamen Olympiacum instituens, ut quinto quolibet annò
Omnes illuc Græcos acciret, victores oleastro
Præconis voce coronari voluit? si opulentus erat, tum
Auro potius, quam olea redimire athletam conveniebat.
CH. *Imo hoc ipso Iuppiter ostendit, quanti ipse æstimet aurum.*
Quia enim parci vult auro, neq; temerè profundi: ideo re
Nihili victores illos ornat: divitias sibi servat.
PA. *Si, ut dicis, ita est, sanè tu crimen multo fœdius illi*
Affingis, quam paupertati cuivis: ut, qui cum opulentus
Sit adeò sit sordidus, atq; immensi lucri studiosus.
CH. *Ac te Iupiter eradicet, & oleæ ramo caput ornet.*
PH. *Hoccine mihi nunc sit contradicere: quod non omnia vobis*
A paupertate bona obtingant?. **CH.** *ex Hecate hoc scire licebit,*
Vtrum satius sit ditem, quam inopem vivere Nam ipsamet in-
Opulentos & dites, quovis mense, sibi apponere cenam: (*quit,*
Inopes verò & egenos prius aufferre hanc, quam penè feratur:

Plautus Aulularia 1. sc. 2. v. 28.

Nimis hercle invitus abeo, si quid agam, scio.
Nam noster nostræ qui est magister curiæ
Dividere argenti dixit nummos in viros:
Id si relinquo, & non peto, omnes illicò
Me suspicentur, credo, habere aurum domi.
Nam non est verisimile hominem pauperem
Pauxillum parvi facere, quin nummum petat.

Plautus prologo Rudentis v. 35.

Senex qui huc Athenis exul venit haud malus
Neq; is adeo propter malitiam patria caret:
Sed dum alios servat se impedivit interim,
Rem bene paratam comitate perdidit.

Terentius Phormionis 1. sc. 1.

Quàm iniquè comparatum est, ij qui minus habent,
Vt semper aliquid addant ditioribus.

Martialis.

Semper eris pauper, si pauper es, Aemiliane:
Dantur opes nullis nunc nisi divitibus.

Incerti auctoris

Nil artes, nil pura fides, nil gloria linguæ,
Nil fons ingenij, nil probitas sine re.
Nullus inops sapiens; ubi res, ibi copia sensus:
Res sapiunt, pauper nil, ubi pauper erit.
Nec jam divitibus tollunt sua crimina nomen,
Sed quos lex damnat, gratia solvit opum.
Hinc est quod populus aurum quasi numen adorant,
Audet in ignotum sponte venire nefas:
Speque lucri totiens excedere jus & honestum
Sustinet, ut gratis nunc iuvet esse reum.
Ius ruit, ordo perit, sceleri placet ora manusq;
Vendere; quamq; inopem, tam pudet esse probum.
Non ergo mirum, si quisquam pravus & excors
Divinos vates nullius esse putat.

¶ Apologi.

Babrias. Περὶ μύρμηκος καὶ Τέττιγος.
Ἤτει τροφὴν Μύρμηκα Τέττιξ ἐν χρόνει.
Μύρμηξ δ' ἔφησε, τί θέρους ἔντος ἔδρας;
Ὡς ἐν θέρει, εἴρηκεν, ἦδον ὀξέως.
Χειμῶνος ὄρχου φησὶ μὴ τροφῆς ἔρα.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς μὴ θέλοντα ἐν νεότητι κοπιῶν, καὶ διὰ τοῦτο ἐν τῷ γήρᾳ πτωχεύοντας.

De Formica & Cicada.

Petebat à Formica cicada cibum, hyeme:
Sed Formica ait, Quid æstate faciebas?
Quòd æstate acutè caneret dixit.
Hyeme salta, inquit, ne ama cibum.

AFFABULATIO.

Adversus eos, qui in juventute nolunt laborare, & propterea in senectute mendicant.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

Salomon: Minimè spernendus est *Pauper*, inquit Salomon, Proverb. 14. 31. & 17. 5. & 13. 7. *neq; affligendus*, Proverb. 22. 22. 23. *Paupertatis causa*, Proverb. 13. 23 *facit humiles*, Proverb. 18. 23. *Pauperes contemnuntur*, Proverb. 14. 20. & 19. 4. 7. *Pauper simplex optimus*, Prov. 19. 1. 22. & 28. 6. *Superbus turpissimus*, Prov. 12. 9. *rapax periculosissimus*, Prov. 28 3.

Idem. *Pauper sapiens* stulto rege præstantior. Eccl. 4. 13. Pauperis & divitis *discrimen*, Prov. 18. 24. Pauperibus *non exprobrandum*, Proverb. 14. 31. & 17. 5. non sunt *affligendi*, Proverb. 22. 16. 22. & 23. 10. *Veri pauperes qui*, Prov 19. 1. 22. non contemnendi, Prov. 28. 27. & 29 7. commendantur, Prov. 31. 9

Paupertas est à Deo, Prov. 14. 31. & 16. 5. & 22. 2. Paupertas vera laudata. Proverb. 12. 9. & 15. 16 & 16. 8. & 17. 1.

Daniel Propheta. Nebucadnezar somnio divinitus perculsus, hujus interpretationem terrificam à Daniele accipit: qui explicato Dei consilio addit. Quapropter, ô rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua justitia abrumpe & iniquitates tuas beneficentia erga pauperes: si fortè erit prorogatio tranquillitati tuæ. *Danielis 4. 27.*

Benedictus. XI. Pontifex Rom. Cùm humili genere natus esset, ad Pontificatum evectus, non erubuit paupertatis suæ primordia. Mater eius dum adhuc in minoribus ageret, fratribus vestimenta abluebat. Iam Pontifex factus illam voluit in urbe videre, iussitque adesse. Vbi venit, matronæ illam, ut Pontificis matrem summis honoribus extulerunt, vestibus exornantes dic magnificentia summi principatus in filio Productam in Pontificis conspectum Pontifex agnoscere dissimulavit: Ego (inquiens) matrem in illo ornamẽto non agnosco, non eam talem reliqui. aversus, cunctos qui honoris gratia illam deduxerant, erubescere coegit. Exeuntes autem, pãnosas exuvias mulieri reddere, & ita reduxerunt. Tum amplexatus genitricem: In illo, inquit, vestium apparatu matrem reliqui, sic recipio: meum nunc fuerit genitricem cohonestare. Sed nõ diu superfuit. *Alb. Cranzius, metropol. l. 8 c. 46.*

D. Paulus. De se & collegis suis loquens dicebat, Vsque in hanc horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, &c. 1. *Corinth 4. 11.*

Scio & humiliari, scio & abundare (ubiq; in omnibus sum institutus) & satiari, & esurire, & abundare, & pati penuriam novi. *Philipp. 4. 12.*

Gr. Nazianzenus. Charitatis, inquit, præcipuam partem in eo sitam esse comperio, ut pauperes amore ac benevolentia complectamur.

Nullus omnino cultus Deo perinde gratus est, ut misericordia erga pauperes.

Pauperes & afflictos quosdam Deus esse vult, ut nos infirmitatis nostræ submoneant, illudq; nobis persuadeant, ut nulli rerum præsentium atque in oculorum sensum cadentium, velut firmæ & stabili, animum adiiciamus.

Pauperes iuvandi sunt: quia fratres nostri sunt, tum naturæ, tum imaginis Dei in Christo renovatæ, tum piorum exercitiorum, tum spei, fidei, dilectionis & adoptionis divinæ, tum vitæ beatæ & hæreditatis futuræ respectu.

Ad Christum communem fratrem adspiramus: ideo fratres sublevandi.

Quum nihil sit stabile in præsenti vita, de opibus in tuto collocandis est cogitandum.

Beneficentiæ in pauperes infinita sunt commoda: quæ ad tria revocari possunt, Ex malis præservatio, Salutis certitudo, Præmiorũ maximorum fiducia.

Qui multa & innumera contulit beneficia Deus, pauca fratribus iubet largiamur.

Nihil tam Deo proprium quàm misericordia & beneficentia. Imitandus est à nobis.

Pauperes sub speciali cura & providentia Dei latent, teste Scriptura.

Pauperes mandato quodam peculiari nobis commendantur in Prophetis & in Evangelio. Falluntur autem, qui beneficentiam erga pauperes inter adiaphora reponunt. An, inquit Nazianzenus, benignitatem hanc non necessariam, sed tibi liberam esse putas?

tas? ac non legem, sed consilium? Hoc quoque ipse vellem & existimarem: sed me sinistra illa manus terret (Matth. 25. ubi de die judicii novissimi agitur) & hædi, & probra, quæ ab eo (à quo illic collocati sunt) conjiciuntur: non quia manus bonis alienis attulerunt, nec quia templa diripuerũt, aut adulterium perpetrarunt, aut aliud quiddam ex iis quæ interdicta sunt admiserunt, hoc ordine mulctati: sed quia Christum per pauperes minimè curarunt. *Ex Nazianzeni oratione 16. de pauperum amore.*

Placilla: Theodosii Imperatoris piam conjugem Placillam quũ nonnulli à cura pauperum & infirmorum, quos diligenter sua manu fovebat, avocare studerent, illa respondit, Aurum distribuere, decere Imperatorem: se autem, pro ipso imperio, ei qui idipsum dederat, se operam illam offerre debere. *Theodoret. eccl. hist. libr. 5. cap. 18.*

§ APOPHTHEGM. CHRISTIAN.

S. Hieronymus: Ille de paupere & aspero Pauli Eremitæ vestitu, quoties verba faciebat, toties in hanc vocem erupisse commemoratur: *Si Dominus mihi optionem daret, multo magis eligerem tunicã Pauli*, (quam ipse ex palmæ foliis sibi contexuerat) *cum suis meritis, quam Regum purpuram, cum suis pœnis.* Colligitur ex eodem, in vita Pauli.

S. Hilarion. Quantum verò nimiam rerum cupiditatem caverit unicũ sanctitatis exemplar Hilarion patet ex iis quæ discipulo suo Hesychio testamento moriens legavit: *Divitiarũ* inquiebat, *mearũ hæres esto. Hæ autẽ sunt Evangeliũ, tunica saccea, cuculla, & palliolũ.* qui & nuitatem illam divitias suas vocat, satis declarat, quàm ab earum amore semper fuerit alienus. *Collig. ex Vita eiusd. apud Hier.*

S. Franciscus: Paupertatis etiam voluntariæ voto ardens MINORUM PATER, dum quòd in pauperes esset profusior, à patre urgeretur coram Episcopo Assisinate bonis cederet; vestimenta exuit, ijsque in patrem rejectis, cùm planè nudus consisteret, dicebat: *Huc usq; pater te patrem indicavi in terris: amodò securè dicere possum. Pater noster qui es in cælis, apud quem omnes thesauros reposui.* Iam enim tacitus cum Propheta gloriari videbatur: Ego mendicus sum & pauper, Dominus solicitus est mei. *Bonavent. c. 2. Vitæ eius.*

Idem. Requirentibus ab eo fratribus, quænam virtus amicum magis redderet Christo; secretum sui cordis reserans, *Paupertatem* inquiebat, *fratres, noveritis viam spiritualem salutis, tanquam humilitatis fomentum, perfectionisq; radicem, cuius fructus multiplex, sed occultus.* Præclarè apud Senecam Thyestes:

——— Benè paupertas
Humili tecto contecta latet.
Quatiunt alta sæpè procella,
Aut evertit fortuna domos.

Sur. tom. 5. in Vita.

S. Laurentius martyr. Quid te martyrum decus eloquar? qui postulanti Decio thesauros Ecclesiæ, quos tuæ fidei commiserat Sixtus, post trium dierum inducias, pauperibus quibus eos dispensaveras adductis, dicebas: *En hi thesauri Ecclesiæ, quos requiris, in quibus Christus est.* insinuans quod alibi Dominus: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. *Alois. in Vita. Ambros. 2. off. c. 28.*

S. Lydvvina: Sed aliquantum longiore ductu protractus sermo nunc admonet, etiam fœminis locum demus. Gravissimum paupertatis onus, non forti modò, sed hilari etiam animo, tulit LYDWINA. adeò ut quibusdam eius penuriam reprehendentibus, responderit: *Satis abundat, qui eo quod habet contentus est: & si mihi cum hominibus communes non sunt divitiæ & delitiæ; sunt tamẽ cum multis communes paupertas & miseria: quibus ego abundans, Deo gratias ago, & conquiesco.* F. Ioan. Brugman. in Vita Lippel. tom. 2.

Vide Eleemosyna.

IN PAUPERES LIBERTATIS ET DURITIÆ.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Iesus Christus. Quanta autem virtus, eorum qui ad inopiam redacti paternam curam gerere, vel ex eo patet, quòd sine ea Christum vix sequi possimus. utpote qui diviti illi, se omnia mandata à juventute observasse asserenti, ut vitam æternam magis certâ & cõpendiosâ viâ obtineret, præcipiebat: *Unum tibi deest: vade, quæcumq; habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni & sequere me. Mar. c. 10. Luc. 18. Mat. 19.*

S. Ioan. Patriarcha Alex. Quanto autem studio Domini præcepto se conformare conatus est Ioannes Patriarcha; Miserat ad eum dono quispiam, miseratus lectuli in quo decumbebat tomentum, plumeam culcitram. in quâ cùm decubuisset, tota nocte ingemuit: ac mœroris causam inquirenti; *Quia*, inquit, *molliùs iaceo, quam domini mei.* hoc enim nomine pauperes dignabatur. Itaque primo mane culcitrã vendi mandat, & in dominos suos pretiũ erogari. At qui dono miserat, ab emptore redemptam remittit: cumq; id jam tertiò fieret, ait ad eum Patriarcha: *Gratias Deo ago, quòd inituri simus certamen, diviti salubre, pauperi commodum, mihi iucundum.* Sciebat enim melius esse modicum justo, super divitias peccatorum multas. *Metaph. in Vita.*

Anonymus Religiosus. Narrant de eo, quòd, cùm præter Evangeliorum codicem haberet nihil, eum vendiderit, ac obvio pauperi eius pretium donaverit, dicens: *Ipsum iam vendidi, quod mihi dicit assiduè; Vẽde omnia quæ habes, & da pauperib. Socr. l. 8. Hist. eccl. c. 1.*

S. Ioan. Patriarcha Alex: Deducit me aliò tendentem rursus ad se Ioannes Patriarcha: qui crebriùs pauperes suæ urbis in catalogũ redigi imperabat. dicebat autem ministris: *Ite per urbis vicos, & describite sigillatim dominos meos.* qui cùm exeuntes dubitare inciperent, quinam illi domini forent, dixit: *Illi, quos vos pauperes dicitis & mendicos; ego dominos & adiutores appello: nam ij solum opẽ mihi ferunt, ut a Christi regno non excidam.* Egregiè August. Via cæli est pauper, per quem venitur ad Patrem: incipe erogare, si non vis errare. *Sur. tom. 1. in Vita.*

S. Richardus: Neque tamen expectandum, ut subvenias pauperi, donec ipse te solicitet, & quasi egestate sua provocet: testis est Richardus. In omnes enim beneficus, egenos quosvis ad accipiendum à se quidquam invitabat. rogatus autem cur id faceret; respondit: *Quia carè emitur, quod precibus emitur.* O miserabilis conditio mendicantis! (inquit Iun. de cond. fragil. hum.) si petit, pudore confunditur: si non petit, egestate consumitur: & ut mendicet, inopiâ compellitur. *Sur. tom. 2. in Vita.*

S. Elzearius Comes: Verùm ad hanc cum proximo nostro misecordiam summoperè incitare nos debet, quòd qui eam facit, à Deo etiam justo quodam titulo misericordiam exposcat. Docet id S. Elzearius Comes: nam cùm die quodam plures auri uncias, & pannũ coccineum, oblata munera, repudiasset; ingressus cubile, ut animũ pia meditatione colligeret, hujuscemodi verbis usus dicitur: *Tu mihi Domine Deus in Paradiso debes centum auri uncias, & duos pãnos coccineos.* Hanc fiduciam nos docet Ecclesiast. Benefac justo, & invenies retributionem magnam; etsi non ab ipso, certè à Domino. *Sur. tom. 5. in Vita.*

S. Elisabeth. Reg. Pannon. filia. Verùm ne fœminæ sua laude hac quoq; in parte fraudentur, unum aut alterum exemplum ab eis sumamus. Pannonum Regis filia, & Turingiæ Principi iuncta, nihil nisi paupertatem in tanto splendore affectabat. vnde unicâ contenta ancillâ, & habitu populari, dicebat sæpius: *Numquam alio usura sum; si quando tandem dignatus fuerit pius Dominus, expeditiùs vivendi mihi copiam concedere.* Itaque marito vita functo, omnem substantiã in pauperes impendit: *Parum est*, inquiens, *fortunas pro Christo, qui eas dedit, impendisse.* & se totam egenorum ministerio dedicavit. *Conrad. in Vita.*

S. Lucia Virgo & mart. Quid autem sedula hæc membrorum Christi nutrix Lucia? Matrem Euriciam ad erogandas in pauperes facultates inclinabat. Illa verò finem vitæ suæ expectare eam iussit. At hæc: *Non est admodum Deo gratum munus, quod qui offert, ideò offert, quia illius usum suprema sibi interdicit dies. Da dum sana es; ne, si moriens dederis, invita dedisse dicaris. Sur. tom. 6. in Vita.*

S. Catharina Senensis. Neq; hoc loco prætereunda est Catharinæ Senensis erga pauperes providentia. Hæc enim, dum ex putrida farina eaq; modicâ admodum, plures & sapidos panes propriis manibus confecisset, & miraculi causam Raimũdus, cui de more sua peccata confitebatur, interrogaret: hanc dedit: *Ne Dei donum despiceretur, neve pauperes negligerentur: magno cum fervore accessi ad illam farinam: atq; ita Angelis mihi cooperantibus multiplicata ea fuit, & in meliorem conversa.* Ita duo minuta viduæ istius Evangelicæ laudavit Christus, & gloriabatur Apostolus de Corinthiis, ob promptum animum eorum erga ministerium in sanctos. *In Vita eius apud Sur. tom. 2. pag. 947.*

S. Brigitta: Pari benignitate illustris Brigitta. quæ dum omnia pauperum inopiæ sublevandæ elargiretur, Regi cuidam eã vendere destinabat pater. Quam cùm rogaret ipse Rex, cur gladium sui patris abstulisset, pretiumq; quod ex eo reportarat, pauperibus erogasset; respondit: *Christo illum largita sum. Et certè si te dominum Regem & parentem Deus a me peteret: modò possem, utrumq; lubens cum facultatibus darem.* Quo audito, ille ad patrem conversus: Maior, inquit, filia tua est, quàm quæ vel abs te vendi, vel à me emi possit. *Sur. tom. 1. in Vita.*

S. Lydvvina: Flagrabat etiam ista hoc liberalitatis splendore: ita ut neminem adventantium umquam à se repulerit: domesticis autem concurrentium multitudinem excludere conantibus; *Quid agitis*, inquit, *sorores meæ? Itáne lucrari non debemus Christo animas quas Satan devorare intendit? veniant ad me pauperes: necdum eò perveni, quò ille, qui optabat anathema esse pro fratribus. In Vita apud Surium, tom. 2.*

Amedæus Sabaudiæ Dux: Dignus item iste qui cum divini illius ordinis athletis certet. Venerant ad eum oratores; qui, cùm palatium obambularent, rogabant, num etiam venaticos canes aleret: ille, Crastina, inquit, die eos vobis exhibebo. Interim, de more, ingentem pauperum turbam cogit, quibus cibaria apponi mandat: ac redeuntibus ad se Oratorib., *Hi sunt*, inquit, (demonstrabat autẽ discumbentiũ multitudinẽ) *canes mei, quos alo quotidiè, quibus gloriã cælestẽ venor.* Liceat de illo canere, quod olim de Probo Claudianus:

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes, sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denso currentia munera nimbo.
Cernere semper erat: populis undare Penates,
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluvios superabat Iberos,
Aurea dona vomens.

Munsterus l. 2. Cosmog. de Duc. Sabaud.

Hatto Episc. Moguntin. Inficit & infringit hanc in pauperes beneficentiam fœda & crudelis Hattonis sævitia, & ut tragicè hanc scenã claudamus, ansam præbet. Quo tempore Otho Magnus rerum

potiebatur, horrenda fames Germaniam invasit. Videns itaque HATTO, pauperes fame & inedia pressos ostiatim victum quæritare, plures horreo inclusos concremari jussit; facto egregiam hanc vocem adijciens: *Non differunt hi muribus qui frumentum comedunt, ad nihilum utiles.* At tantum scelus inultum non permisit justus Iudex. Factũ enim ut catervatim cum mures invaderent, affligerent, & vivum devorarent. Quis hæc considerans negabit verum esse illud Iuvenalis:

Est tantò uberior vitiorum copia, quantò
Maior avaritia patuit sinus.——

Ibid. lib. 3. de German. cap. 170.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Aegrius paupertem fert qui rebus altis excidit.
Aequius sit absque dite pauper, quàm dis paupere.
Conjuge ac natis utuntur tanquam servis pauperes.
Ditiori semper addit quippiam pauperculus.
Fit levis paupertas mente non iniqua si feras.
In malum fere exit omnis computatio pauperum.
Innocente paupertate nil in orbe illustrius.
Magna penna est paupertatis: hac cito in cœlos voles.
Mortuus vivos frequentat, pauper inter divites.
Nemo pauper honore dignus, nemo pauper est bonus.
Nec sudor minimis comes, nec maximis secordia est.
Nil aliud modò est potestas quam populatio pauperum.
Pauper, absque crimine, absque fabula, rarissimus.
Pauper addit ditiori, datq; habenti quo caret.
Pauper esse non cupis? fas exsuas cupidines.
Pauper esse non potest, qui dives est apud Deum.
Pauper est ad illa nemo quæ natura postulat.
Pauper est qui paupertatem ferre rectè non potest.
Pauper etsi vera dicit haud tamen fidem facit.
Pauper haud est paupertatem qui patienter sustinet.
Pauper haud timet; sine telo pauperi tuta est domus.
Pauper negligi se credit propter impotentiam.
Pauperis contemptim ubique spernitur sapientia.
Pauperis domus sine arca est, pessulumq; respuit.
Pauperi hoc lucrum, quod exors invidia & molestia est.
Pauperi lingua usq; vincta, vinctaq; usque sunt manus.
Pauperi necessitate audentia ipsa intenditur.
Pauperi sat, abstinere alienis: diviti, haud sat est.
Pauperem esse non malum est, malum est nolle esse pauperem.
Pauperem odi demerentem divites pecunia.
Pauperem si temnis, illum qui creavit despicis.
Paupere haud dives, carere divite at pauper potest.
Pauperes dicenda non sunt, cuius sancta sunt manus.
Pauperes fortunam opulentum alienam animo æquo non ferunt.
Pauperes magè obligabis beneficio quàm divites.
Pauperes naturâ, egestas summa fermè item premit.
Pauperes non sunt, amicus plurimus quibus favet.
Pauperes qui sunt, antiquior efficio ijs pecunia est.
Pauperum ad caput furores pertinent potentium.
Pauperum adversus locupletes plurima adsentatio est.
Pauperum sunt saniora, divitum quàm corpora.
Pauperibus mero dolori est, obvium habere diviteis.
Pauperies ad contumeliam omnia accipit magis.
Pauperies certissima est, alieuius ipse cùm indiges.
Pauperies seniumque sunt mala omnium gravissima.
Plus opum causa delinquunt divites quàm pauperes.
Pauperies ultrò heic invasa calicas opes parit.
Quamvis in multâ virtute pauper, est derisui.
Quid securius quietiusq; vitâ paupere?
Quod tibi pauperies videtur, plurium vita gentium est.
Quot latent sub pauperum uno pallio comœdia.
Sæpe pauper est benignus, sæpe dives sordidus.
Sæpe saccis moritur plenis, qui quasi pauper vixerat.
Sæpius pauper quam dives ridet & fidelius.
Sanguinis sui periclo pauperes sua muniunt.
Semper pauperi in promptu est quod exigat à divite.
Terra eadem sustinentur pauperes qua divites.
Tunc sibi felix videtur, pauper ut felix jacet.
Turpiter fert paupertatem, paupertatis quem pudet.
Virtuti magè sunt adfines pauperes quàm divites.
Vita pauperi est amara? diviti est amarior.

¶ JAMBICA.

Ab omnibus se negligi pauper putat.
Ad facinus omne paupertate impellimur.
An uspiam quid paupere est abiectius?
Bis pauper est, vir æger atque egentior.
Caduceum paupertas inviolabile est.
Consanguinea paupertas est virtutum.
Contemnitur, si pauper est, vel optimus.
Cuinam ex animalibus vitio paupertas datur?
Dat diviti plus pauper, ab illo quàm accipit.
Et pauperes multi fiunt culpâ [illegible] sua.
Est sanitatis certa paupertas parens.
Etiam in viâ pax est obsessâ pauperi.
Exempla nulla sunt beati pauperis.
Facilius paupertatem, in ea nati, ferunt.
Fœcundus etiam ad quæstum pauper divitis.
Formidolosus pauper est ad omnia.
Haud aliud iter est divitum, aliud pauperum.
Haud otium est ad ægrotandum pauperi.
Haud pauper est rerum cui usus suppetit.
Haud pauperi æquâ lege licet cum divite.
Iuxta beatum habitare triste pauperi est.
Laudes facilius paupertatem, quàm feras.
Mendacium omne est pauperes quod proferunt.
Morum magistra sæpe paupertas fuit.
Mundo esse pauper non potest, dives Deo.
Nemo esse tam pauper potest quam nascitur.
Nequit esse mundo pauper, qui dives Deo est.
Non qui parum habet, est pauper; sed qui plus cupit.
Nulli malum est paupertas, nisi qui fert male.
Pauper Dei est in animo, non in sacculo.
Pauper sum fateor; patior: quod dij dant fere.
Pecunia pauperi officio est antiquior.
Persæpe pauper plus sapit quàm divites.
Plerisq; caussa probitas paupertatis est.
Quàm pauper est, vendit Deos qui patrios!
Quidvis iubet pauperies & facere & pati.
Quis non haberi malit pauper, quam improbus?
Quis pauperem cui nil deest, iudicaverit?
Sapientiores ditibus sunt pauperes.
Si pauper es, malè audies, licet bonus.
Solus manum pauper Cæsaream non timet.
Te pauperem nec suspice, nec despice.
Tranquillior profectò pauper divite est.
Vbique pauper vincit, dives vincitur.

Pacis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*ivus Nazianzenus*: Pax amica, non re duntaxat, sed nomine quoque ipso jucunda. *initio orationis decima quarta.* Pax amica, bonum ab omnibus quidem laudatum, à paucis autem conservatum, ubi nam nos tanto jam temporis spatio reliquisti? quando ad nos reditura es? Equidem te supra mortales omnes cupio & exosculor, ac præsentem complector & absentem multis luctibus & lacrimis revoco. *ibidem.*

Divus Gregorius Nyssenus: Quid hominibus ex ijs rebus, quibus frui atque potiri student, vita pacifica dulcius est? quodcunque nominaveris ex iis rebus, quæ in vita suaves sunt & jucundæ, pace opus adhoc, ut jucundæ sint. nam si omnia suppetant, quæcunque in vita magnifiunt atque in pretio sunt, divitiæ, bona valetudo, uxor, liberi, domus, parentes, ministri amici: terra, mare, propriis proventibus & hoc & illa ditans: horti amœni, venationes, lavacra, palæstræ, gymnasia: loca deliciis & voluptatibus capiendis, exercendæque pubi destinata; atque omnia quæcunque voluptatis inventa sunt: huc adijciantur jucunda spectacula, atque musica acroamata, ac si quid est aliud, per quod delicias sectantibus vita suavis existit: si hæc quidem omnia suppetant, pacis verò bonum non adsit, quod illarum rerum lucrum est? quid illa prosunt, bello quo minus bonis fruamur, impediente? Ergo cùm ipsa pax fruentibus jucunda sit, tum omnia quæcunque in vita coluntur, expetuntur, & in precio sunt, dulcia efficit atque jucunda. Quin etiam, si qua more humano nobis in pace calamitas accidat, bono malum temperatum levius ac toleratu facilius, quibus accidit, existit: bello vero vitam premente, sensu quodammodo adversus hujusmodi acerbarum rerum casus caremus. communis enim calamitas dolore superat incommoda singulorum.

Ac quemadmodum medici de corporis incommodis dicunt, cum duo simul in uno corpore morbi concurrerint, solius exuberantis sensum existere, ac latere quodammodo mali inferioris dolorem, immensa atque insuperabili magnitudine prævalentis celatum; itidem incommoda belli exuberantia acerbitatem efficiunt, ut proprias calamitates homines singulares nõ sentiãt. Quod ad propriorum incommodorum sensum, animus quodammodo torpet, communibus belli malis consternatus, quomodo voluptatis sensu fruetur? ubi arma & equi? ubi ferrum acutum & tuba sona? ubi phalanges hastis inhorrescentes & scuta cohærentia scutis? ubi galeæ cristis ad terrorem compositis nutantes? ubi conflictus, impressiones, manuum consertiones, prælia, cædes fusæ, persecutiones, gemitus, ululatus? ubi terra sanguine madet? mortui conculcantur & obteruntur? saucii derelinquuntur? atq; omnia fiunt quæcunq; in aspero bello accidere solent? nunquid in his rebus occupato otiũ nunquam erit, cogitationem ad rei alicuius jucundæ recordationem convertendi. Quod siquando animũ subeat etiam alicuius rei jucũdissimæ memoria nõne recordatio carissimorũ in tempore periculi cogitatonẽ subiens, accessio fit calamitatis? *Orat. 7. de Beatitudinib.*

Divus Chrysostomus: Si nobiscum ipsi pacem servemus, Deus etiã nobiscum erit: sin bellũ excitemus: Deus pacis minimè nobiscũ erit.

erit. Nihil enim æquè hostiliter adversator animæ, ac vitiositas; & nihil vicissim æquè illam in tuto collocat, ac pax & virtus.

Quamobrem incipiamus nostra præstare; tuncque Deum ac nos illiciemus. Deus non est belli & pugnæ Deus.

Depone igitur bellum, & pugnam, cum erga Deum, tum erga proximum: pacificus esto erga omnes. Cogita qualis quum esses, salutem tibi Deus dedit. Beati, inquit, pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. qui tales sunt; perpetuo filium Dei imitantur: eundem tu quoque imitare: pacem serva: quando enim magis oppugnabit te frater, tanto major erit merces. Audi prophetam dicentem; cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: Hoc virtus est; hoc humana ratiocinatione majus: hoc nos prope Deum ponit. Nihil æquè Deum lætificat, atque injuriarum immemorem esse. Hoc te à peccatis liberat; hoc delet crimina: quod si pugnemus, ac luctemur, longè à Deo abimus: ex pugna enim inimicitiæ existunt: inimicitias sequitur injuriarum memoria, & ulciscendi cupiditas. Excide radicem, & non erumpet fructus: ita discemus ea, quæ ad præsentem vitam pertinent, despicere. Non enim est, non est in rebus spiritualibus pugna: sed quicquid ejusmodi videas exoriri, vel pugnas, vel invidiam, sive quodvis aliud rerum ad hanc vitam pertinentium caussa exoriuntur. Nam vel ab alieni cupiditate, vel ab invidia, vel ab inanis gloriæ studio initium sumit omnis pugna. Quamobrem si pacem servaverimus, terrena etiam discemus. Eripuit quis pecunias? sed nihil læsit, inquies; dummodo superas illas divitias ne eripiat: impedierunt gloriam tuam? at non eam, quæ apud Deum est, sed levem hanc, & nullius ponderis. Non enim hæc gloria est: sed nomen gloriæ, ac potius obscuritas; eripuit tibi honorem? imo nō tibi, sed sibi ipsi. Nam quemadmodū qui injuriā facit, nō facit, sed accipit, ita qui proximo insidias parat, seipsum primum perdit. Nam qui fodit proximo suo foveam, in ipsam incidit. Ergo non insidiemur alteri; ut ne nobis ipsi noceamus: quum alterius gloriam intervertimus; cogitemus nos ipsos esse, quibus noceamus, atque insidias tentamus. Nam ei quidem: si nos plus potuerimus, apud homines fortasse nocemus, nos autem ipsos apud Deum lædimus ipsum irritantes. Itaque non nobis ipsis noceamus. Nam quemadmodum injurias proximo facientes, nobis ipsi facimus: ita ei benefacientes nobis ipsis benefacimus. Quum tibi damnum attulit inimicus, cogitans beneficium potius, si sapias, tibi contulisse: non modo par illi damnum non inferes, sed etiam benefacies: at manet, inquit, vehementer inflicta plaga. Fac igitur hoc tecum cogites, non illum esse, cui benefacias: sed potius de illo quidem te supplicium sumere, tibi vero benefacere: ac cito huc adduceris, ut benefacias. Quid igitur? istum ne in benefaciendo scopum ac finem proponere tibi debes, non sanè istum. Sed quando cor tuum aliter flecti non potest: vel hac ratione ipsum adducito; ac brevi ipsi persuadebis deponere simultatem, & inimico post hac, tanquam amico benefacies. *Homil. 15. ad Philip.*

Divus Chrysostomus: Semper pacem petimus: nihil enim potest ei æquiparari: In ecclesiis pacem, in supplicationibus, in salutationibus, & semel, & bis, & ter, & sæpe eam dat is, qui præest ecclesiæ, dicens, Pax vobis. Quamobrem? Quoniam ipsa est mater omnium bonorum, ipsa est gaudii materia & argumentum. Propterea Christus quoque Apostolis domos ingredientibus hoc jussit statim dicere tanquam aliquod bonorum symbolum. Intrantes enim, inquit, dicite, Pax vobis. Nam si ea non sit, omnia sunt supervacanea. Et Christus dicebat discipulis, Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis. Ipsa viam munit ad charitatem. Et non dicit qui præest ecclesiæ, Pax vobis solummodo, sed pax omnibus. Quid enim, si cum hoc quidem pacem habeamus, cum illo autem bellum & pugnam, quid lucri feremus? Neque enim in corpore, si ex elementis alia quidem quiescant, alia vero seditionem agitent, fieri potest ut unquam consistat sanitas, sed per bonum omnium ordinem, & consensum, & pacem: & si non omnia quiescant, & in suis maneant terminis, omnia evertentur. In nostra quoque mente nisi omnes quiescant rationes, pax non erit. Tale bonum est pax, ut filii Dei vocentur eius effectores & opifices. Et meritò. Nam Dei filius ideo quoque venit in terram, pacificaturus quæ in terra, & quæ in cœlis. Si autem pacifici sunt filii Dei, qui res novas student facere, sunt filii Diaboli. *Homilia 3. ad Colossenses.*

D. Chrysostomus: Ad ea quæ rectè gerere volumus, nihil est adeo aptum, ut esse pacificum, & non turbulentum, & liberum esse ab inimicitiis, & nullum habere inimicum. *Homilia 5. ad Thes. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Pax, si adnexam iustitiam habeat, divina quædam res est. Si autem altera sine altera sit, virtutis pulchritudinem labefactat. Nam & prædonibus inter se, & lupis pax est, illis nimirum in hominum perniciem, his autem in ovium exitium: at pacem hanc minimè appellarim quæ justitia minimè ornata est. At si hæc accesserit, tum demum pax verè vocabitur. Vnde etiam Christus dixit, Non veni mittere pacem super terram, sed gladium. Nam quòd non omnem pacem, sed eam duntaxat, quæ cum vitio conjuncta est, abiiciat ac proscribat, hinc patet, quòd alio loco ait, Pacem meam do vobis. Pax enim verè ea est, quæ justitia & pietate cohonestatur. *l. 3. Epist. 246.*

S. Isidorus Pelusiota: Et si humanorum omnium bonorum seges ac velut fundamentum concordia est, neq; committere quisquam debet, ut belli ac pugnæ ansam alicui porrigat: tamen si quid incommodi pietati importari, aut imbecillibus injuriam inferri conspexeris, cave ne pacem veritati anteponas: verùm forti ac strenuo animo consiste, adversus peccatum ad extremum usque spiritum dimicans.

Propterea enim ab Apostolo illud dictum est, quod tibi à me exponi postulasti. Si fieri potest, quantum ex vobis est, cum omnib. hominibus pacem habentes. Interdum enim id fieri nequit: verbi gratia, cùm de pietate, ut superius dixi, sermo institutus est, aut cū pro iis, quibus iniuria fit, certamen suscipitur. Quid autem miraris, hoc in aliis hominibus non ubique fieri posse, cùm in viro etiā & uxore, qui una & eadem caro esse censentur, hanc necessitatem perfregerit, ad hunc modum loquens, Si autem infidelis discedit, discedat. *l. 3. Ep. 284.*

S. Isidorus Pelusiota: Est, ô vir erudite, & bellum sanctum ac justum, & pax omni implacabili pugnâ difficilior, secundum illud (Psalmi dictum:) Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Nam latrones quidem inter sese paciscuntur contra eos qui nullâ re ipsos læserunt armati: Sed & lupi congregantur, quoties sanguinem sitiunt: Et adulter cum adulterâ pacem colit, & scortator cum suo scorto.

Noli igitur existimare, pacem ubique & per omnia bonam esse. Est enim sæpenumerò quovis bello durior & deterior. Nam cum quis pacem colit cum ejusmodi hominibus, qui adversus providentiam latrant, & cum ijs qui vitâ nullius pretii atque improbâ communem vitam polluunt & vastant, fœdus ferit: hic longè longéq; à pacis terminis submotus degit. Quæ caussa quoque est, cur Paulus dixerit: Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Probè enim noverat, interdum fieri non posse. *l. 4. Ep. 36.*

S. Isidorus Pelusiota: Pacificos beatos prædicavit Salvator, & filios Dei futuros esse promisit: qui primo quidem in semetipsis pacem colunt, nec laborant seditione, sed bellum quasi civile & intestinum dirimunt, dum corpus spiritui subiiciunt, & partem sui inferiorem eò adducunt, ut præstantiori serviat servitutem quavis potiorem: deinde, qui aliis quoque, vel secum ipsis vel cum aliis dissidentibus pacis sunt auctores. Nemo autem ad id alteri conciliandum idoneus fuerit, quod ipse non habet. Vnde fit etiam, ut immensam divinæ bonitatis vim demirer, quæ bonas retributiones non tantum laboribus ac sudoribus, sed quodammodo etiam voluptatibus sese daturam polliceatur, siquidem fastigium rerum delectabilium omnium pax continet: quâ absente, nihil quicquam eorum valebit, quæ ad animum demulcendum sunt comparata, bello videlicet pacem exstinguente. Sed & hoc pulcrè atq; concinnè dictum esse putandum est. Filios Dei vocatum iri pacificos: quodque illud præmium huic certamini sit tributum.

Cum enim ipse, ut qui genuinus sit filius, ad pacem composuerit omnia, dum & corpus reddidit virtuti pronum atque obediens, & populos duos, qui, inquam, ex Iudæis pariter ac gentibus crediderunt, in unum novum hominem condidit: & denique cœlestia terrenis compaginavit: rectè atque ordine fecit, quod eadem, quantum quidem in ipsis est, præstantes, eâdem quoque appellationis dignitate decorandos pronuntiavit, & in filiationis honorem cooptandos: qui supremus est beatitudinis terminus. *libro quarto Ep. 109.*

¶ Latinorum.

Orosius contra Paganos capite decimo quinto libri 1. Hercules mari advectus Antiopam atq; Orithyiam sorores duos quæ tunc Amzonum regno præ erant, incautos inermesque, & pacis incuria desides oppressit.

Egesippus: Simulabat se plebi favere, ut circumscriberet. quid plura? pergit: de pace pauca præmittit, plura subtexit ad belli incētivum; dicens nomine pacis bellum involutum latere, insidias paravisse Ananum &c. *cap. 6. lib. 4. de excid. Hieros.*

Ennodius: Nihil est pace dulcius, si tamen saporem ejus non plenum amaritudine pectus excludat. *Apol. pro Synodo.*

Ennodius Vita Epiphanij capitis decimi noni fine: Bene caussæ suæ ordinem dirigit, qui pacem prius obtulit.

Ennodius: Exultatio infinita provinciarum; & sicut hominum mos est, gratius habere quod redditur, quam si omnino non pereat; dulcior erat concordia, quæ post litem revocabatur, & pax quæ jam penè desperata contigerat. *Vita Epiph. cap. 21.*

PHILOSOPHORUM ORATORUMQ.
Graecorum.

Xenophon: Ecqua de caussa, Chaldæi, alia, nunc pacem cupitis, nisi quod existimatis securius vos in pace, quàm bello victuros? quando nos etiam pacis hanc ipsam causam adferimus, qui tamen hæc juga nunc tenemus. Adsensi sunt Chaldæi. Et ille, Quid igitur, inquit, si alia vobis commoda ex pace præterea proveniant? Maiori etiam, aiunt illi, gaudio adficiemur. Verum quid est aliud, cur esse vos jam pauperes arbitremini, nisi quod fertilis soli vobis copia non est? In hoc etiam quum adsensi essent: Quid ergo? subjecit Cyrus, velletis ne vobis pendentibus ea, quæ cæteri Armenii pendunt, liceret tantum agri Armenii colere, quantum vobis ipsis liberet? Si fidem habeamus, ajebant Chaldæi, nullam nobis injuriā illatum iri.

Tu vero Armenie, inquit, an velles solū id, quod modo incultum est, cultum reddi, si cultores id, quod apud te consuetum est, penderent? Magno se hoc redempturum ait Armenius, quod ea

ratione reditus longe sibi futurus esset auctior. Et quid, inquit, vos Chaldei, quum montes fertiles habeatis, an etiam velletis Armeniis permittere, ut pascua in his haberent, si vobis illi quod æquum esset, penderent? Adsentiebantur Chaldæi, quod magnas se capturos utilitates sine ullo suo labore dicerent. At tu Armenie, velles ne pascuis horum uti, si pro parvo Chaldęorum cōmodo multo majores ipse utilitates caperes? Et valde quidem, ait, si pascuis tuto frui liceret. Nimirum, ait, tuto his fruemini, si vobis in hisce jugis auxilia præsto sint? Adsentiebatur Armenius. At nos profecto, inquiunt Chaldæi, nequaquam tuto non modo istorum, sed ne nostrum quidem agrum culturi simus, si juga montium isti teneāt. Quid verò si vobis, inquit, auxilio sint ista juga? Nimirum ita, respondebant illi, bene nobiscum ageretur. Sed profecto, ait Armenius, non bene nobiscum ageretur, si juga montium hi reciperent, præsertim castello munita. Et Cyrus: Ergo sic faciam, inquit, neutris vestrum hæc juga tradam, sed nos ea custodiemus: ac si alterutri vestrum auctores injuriæ fuerint, à læsis stabimus. Hæc quum utrique audissent, collaudarunt: solaque hac ratione pacem firmam fore dixerunt. Atque his adeo conditionibus fides ultro citroque data est ab universis, quum cum convenisset, ut per utrosque libertas utrisque sua constaret: ut connubia, cultos agrorum, pastiones utrisque communes essent: ut communibus copiis sese juvarent, si quis alterutros læderet. Ad hunc modum illa tunc gesta sunt, & hæc sanè pacta, inter Chaldæos & eum, qui Armeniam tenet, id temporis inita, hodieque durant. Postquam ita convenisset, statim utrique castellum, quasi quod esset commune, conjunctis alacriter operis exstruunt, & una res inde necessarias important. Adpetente autem vespera, Cyrus utrosque, velut amicos iam inter se, convivas in cœna suos esse voluit. *caput 14. & seqq. libri 3. Cyropædiæ.*

Aristides Sophista: nunc omnes impunè possunt quovis proficisci, omnesque ubique portus operosi sunt, nec minus tuti viatorib. montes atque civibus urbes. omnes quoque agri venustate pleni sunt, omni undique metu sublato. quæ enim vel fluviorum vada transiri prohibentur, vel marina freta præcluduntur? nunc & nundinæ sunt hilariores, & feriæ Deis gratiores. nunc Cereris ignis majorem obtinet splendorem & majestatem. *fine laudationis M. Aurelij Antonini philosophi Aug.*

Iulianus Cæsar fine Paneg. 2. ad Euseb. Imp. Pericles, cum aliquādo adulatorum, ut ajunt, cum turba circumstetisset, qui certatim inter se partitis præconiis illum collaudarent, atque alius Samum ab eo expugnatam, Euboeam alius commemoraret; alii mare omne circum Peloponnesum navibus emensum; alii decreta ejusdem, ac psephismata narrarent, alii deniq; de eius cum Cimone contentione, atq; æmulatione dicerent; qui & egregius civis, & Imperator imprimis strenuus visus fuerat: cum hæc, inquam, omnia dicerentur, apparebat neque illum dolere, neque delectari admodum. Illud verò ex omnibus, quæ in administranda Rep. gesserat, præ cæteris laudari cupiebat, quod cum tam amplo ac numeroso Atheniensium populo præfuisset, nemini mortis causam attulisset, nec quenquam civium pulla veste circumdedisset.

Libanius: Mirifica sane pax: urbis commoda diripere; civitatem verò pacta tenere. Nemo pacem affert dimicans; sed is pacem solvit, qui ea facit ob quæ oppugnantes habiturus est. *Declamatione 13.*

Themistius: Hoc Imperator intelligit, illos maximè veram ac sinceram pacem agere, qui maximè sunt ad bellum gerendum parati. Est ripa fluminis præsidiis referta, & præsidia militibus & milites armis, & arma pulcritudine & firmitate. *Oratione decima ad Valentem de Pace.*

Themistius: Poetarum rhetorumque orationes aliud quiddam fortasse non pœnitendum habent: quod autem præcipua cura dignum erat, id prætermittunt. non enim virtutem in rebus gestis, sed magnitudinem considerant: ideoque & acies, & bella, & interfectorum numerum, sibi argumenti loco desumunt; magnáque iis præconiorum pars in cædibus & eversionibus est posita. pacem verò opportunè cum dignitate susceptam nullus unquam illorum multis tropheis anteponendam putavit: quod quidem longè aliter se habet; & victoriam in loco negligere sæpius ipsa victoria gloriosius est. *Orat. 12. ad Valentem Imp.*

Idem statim post: Non adeo in divino Platone sum hospes, ac rudis, ut id ab eo dictum non intelligam: Mancum scilicet eum Regem ac Legislatorem esse, qui cum gerendo bello sit idoneus, pacem administrare non possit. Idcirco enim, nisi fallor, Lycurgū Spartanum arguit, quod eam instituisset Reipublicæ formam, quæ ita bellū capessentibus expediret, ut armis depositis tractari difficile posset. Hoc autem ejus est qui præstantiorem partem neglexerit, cuiusque gratia altera necessaria est. Belli enim pretium pax est: nec verò bella suscipiunt, quibus id necesse est, ut perpetuo bellum gerant, sed ut tuto in otio ac quiete esse possint. Quare quid ad negotium & occupationem instituere aliquem potest; otium moderari non potest, eam partem, quæ dignitate potior est contemnit. Itaque cum hoc Platonis dictum admiror, tum illud vehementius probo, quod dicit belli atque pacis semina primum uniuscuiusque animo insita esse: ac qui secum ipse pacem colere possit, cum & quod ad externa bella pertinet idem posse præstare. Quisquis vero nullas secum inducias pacisci queat, ægrè unquam illum mutuum cum aliis fœdus amplexurum. Etenim inesse in unoquoq; hominū barbarum genus, rebelle admodum, & contumax, iram dico, & insatiabiles cupiditates. quæ rationi velut externæ quædam Nationes repugnent: non secus ac Romanis. Scythæ, atque Germani. Quemadmodum igitur perturbationes istas, cum adversus meliorem partem insurgunt, evellere omnino, nec potest quisquam, nec expedit (cum eas natura ad hominis usum animis indiderit) sed subjicere sibi ac præscripto rationis, & mentis obedientes reddere virtutis officium est: ita plane Principum hoc munus est, qui quidem ei nomini respondere velint, quoties turbantes aliquid ac perperam molientes barbaros deprehenderint, non illud quoddam humanæ naturæ complementum rescindere, ac profligare funditus, sed cum audaciam eorum atque insolentiam amputarint, servare deinceps ac tueri, utpote qui in imperii aliqua parte numerentur. Ita enim sese res habet: quicunque ferociter aliquid, atque insolenter tentātes Barbaros nimia cum attrocitate persequitur; hic se Romanorū duntaxat Imperatorem existimat. Quicunque verò & vincit, & parcit, omnium sese hominum Imperatorem agnoscit. eorumque magis, quos cum funditus profligare posset, eripuerit ac conservarit. Quamobrem neque bellum illum Agamemnonem uti Rege dignum erat locutum dixerim, cum fratrem increparet, qui supplicis oratione flecteretur, cumque atrox adeò & alienum omni ratione votum conciperet, nullas uti Troianorum effugeret: sed ii etiam qui nondum editi essent, antequam nascerentur occiderent. Verum, ut videtur, non latè dominans verè, sed Argivorum rex duntaxat, & Mycenatum erat, universorum hominum nequaquam. Atqui Homerus quoties ipsum Iovem Patrem nominat, non exclusis Barbaris Græcorum tantum Patrem eum appellat, sed Deorum, atque hominum Patrem absolutè pronunciat. Quisquis igitur Principum in terris non adversus Romanos solum, sed etiam Scythas parentis more sese gerit, hic ut imitator Iovis, sic verè amator hominum dicendus est. E cæteris verò Cyrum quidem Persarum amatorem voco, non hominum. Macedonum item amatorem Alexandrum, non Græcorum, Romanorum Augustum, alium denique alius generis amantem, ac nationis, cuius rex esse videretur. Hominum is amator solus, & absolute Rex appellandus est, qui nullum omnino hominum à sua providentia censet alienum. Est illud sane quidem eximium, ac magnificum, cum apparatu bellico traijcere Istrum, bis deinceps hostilem agrum populare, iteratis toties stativis eo progredi, quo ne per Legatos quidem penetrare unquam ausi fuissemus. Sed quamlibet ea splendida sint, ac generosa, paucisque admodum olim concessa Principum: tamen cum diei illius venit in mentem, cuius ego spectator fui, tū demum mihi rate illa Xerxis, qua cum exercitu trajecit Hellespōtum, ad laudem atque gloriam amplior una illa navis videtur, qua fœdus Imperator percussit, illo inquam ponte, qui bellum transmisit, oneraria illa, quæ pacem importavit. Equidem Scythicas acies non vidi, sed cencionē metus plenam, terroris consilium, Romanorum Imperatorem Scytharum Regibus imperantem vidi; nec clamores atque ululatus Barbaricos audivi, sed gemitus, precesque, & vocem captivis potius, quàm fœdus percutientibus dignam, quibus omnibus adamante solidior aliquis infractus, atque emollitus esset. Sed Imperator Barbarorum quamplurimas legationes irritas rejecit, nostram duntaxat reveritus est. Ita vos legationem pro Scythis Philosophiæ commisisse videmini, quæ sola, & Divina esset, & iram mitigare merito posset. *Oratione ead.*

¶ Romanorum.

Sallustius: Quod si regum atque imperatorum animi virtus, in pace ita, ut in bello valeret: æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent: neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneres. nam imperium facilè his artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia & æquitate libido atque superbia invasêre, fortuna simul cum moribus immutatur. ita imperium semper ad optimum quemque à minus bono transfertur: quæque homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parant. *Catilinariæ c. 2.*

Plinius: Sicut maris cælique temperiem turbines tempestatesq; commendant: ita ad augendam pacis tuæ gratiam, illum tumultum præcessisse crediderim. *cap. 5. Paneg. in Troianum.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Acharn. v. 988.

O Veneris atq; Charitum socia, litium
Compositio decens,
Quam tibi venusta facies!

Aristophanes Pace v. 306.

Iam laboris nil recusandum puto hodiè, si modò
Protrahamus machinis ad publicæ auras luminis
Maximam omnium Dearum, & magnam amicā vitium.
Parcius sed gaudeatis; nondum enim compertares.
Sin eam prehendimus, tunc ut libet gaudere fas,
Cumq; risu jubilare,
Iamq; tum dormire vobis,
Ire, stare, nare fas est;
Fasq; nundinis vacare,
Lusibus convivijs que
Dapticus;
Clamare & ohe.

Aristophanes. Pace v.440.

Pro pace quisquis esse bellum mavolet,
Indesinenter vellat ex cubitis suis
O dive Liber, spiculorum cuspides.
CH. Quod si ordines quis postulans se ducere
Dias tibi auras luminis, Diva, invidet,
In pralo alter ille sit Cleonymus.
TR. Quod si quis arrilator, armorum aut faber
Quò pluris arma distrahat, vult prælia,
Sola mola altus præda sit prædonibus.
CH. Quiq; imperator esse vult, nec nos juvans,
Quiq; esse servum & transfugam sese parat,
Flagris secetur, & trahente eat rota.

Ibidem versu 520.

O dives uvis diva quo jam nomine
Mille amphorarum te capaci nuncupem?
Vnde ergo sumam verba? nam desunt domi.
Auctumna salve. salva sis Spectacula.
O qualis est vultus tibi ô Spectacula?
O quam suave corde spiras intimo,
Quam dulce, olensq; imbelliam & bona unguina:
Num simile quiddam est militaris fiscina?
MER. Graves viri hostis sarcinas abominor,
Namq; illa redolent cepivo macrimoniam.
Auctumna verò gaudia & Dionysia,
Tragicos, Sophoclis carmina, jocos, tibias,
Turdos, minuta Euripidis poemata.
TRY. Plorabis hac mentitus, haud enim illa amat
Viro in poeta verba juris & fori:
Vindemiam, ederam amat, atq; balantes oves,
Et femina currentis ad furnos sinum,
Et ebriam ancillam, & refusum congium.
Et plurima alia tot bona. MER. aspice ergo sis,
Vrbes reconciliata ut invicem modò
Sese alloquantur, & lubentes rideant
Mireque subgillata, & alto tubere
Omnes retusæ, & subjacentes cotulis.
TR. Perpende vultum & ora jam spectantium,
Artemq; noris quisq; quam colit. ME. ah miser
Viden' ut capillos ille cristarum artifex
Sibi vellit, utq; qui ligones fabricat
Recens in istum pederit fabrum ensium?
TR. Vide ille quanto gaudio diffunditur,
Notatq; digito hastarium falcarius.
MER. Abi, colonos jam jube discedere.
Audite populus, jam coloni agros petant,
Et arma secum perferant agrestia
Quam citissimè absq; tragula, sparo, ense, spiculo:
Quippe jam sunt plena cuncta pacis antiqua bonis.
Ergo in agrum quisq; cedat, diisq; ovans grates agat.
CH. O dies optata justis, & colonis plurimum,
Quàm lubenter intuens vites salutatas volo
Atq; ficus quas ego sevi in juventa primula,
Vnde vos salvere tanto nunc jubemus tempore.
TR. Nunc quidem laudare sit fas numen imprimis Dea,
Virginis, per quam facessunt cassides & gorgones:
Mox adibit quisq; lætus villulam & domum suam,
Quò feremus nescio quid optimi salsaminis.
MER. Quàm decens ô Conse turma rusticorum! quàm cita,
Crebra pilata instar offa & symbolaris cenula.
TRY. Nempe pulchra malleus res per Iovem armatus probè:
En refulgent ventilabra solis ad purum diem:
Ista quivis semina ordinesq; facile interserat,
Quin & ipsum me cupido cœpit agri maxima.
Rusculum incultumq; tamdiu ligone vertere.

Aristophanes Pace v.582.

Salva Diva ô salva sis,
Quam lubenter intuemur,
Vrit enim amor nos tuus,
Te Dea dum cupimus
Dulcia revisere
Arva: Te ô sperata grandi
Deputamus in lucro.
Cuncti agricolæ rustica
Vita teritur quibus:
Iuvare sola nos soles
Multa solitos prius
Læta, sine damno, ex tua
Commoda manu frui.
Nam salutaris colonis
Hordei præbes vicem:
Atq; ideò pampinea
Ligna, sobolesq; nova
Ficuum, & omne satum,
Te incipient ridere recepta.

Aristophanes Pace v.1020.

Nec cæde gaudet sancta Pax; nec victimis
Amat cruentis Pacis ara tingier.
Sed sacrifica intus ossa clunium efferens:
Sic præbitori tota servatur pecus.

Aristophanes Pace v 1109.

Ὦ πότνι' εἰρήνη παράμεινον τὸν βίον ἡμῖν!
O Dea Pax, tecum da posse extendere vitam!

Prudentius Psycomachia 7.

Pax plenum virtutis opus, Pax summa laborum,
Pax belli exacti pretium est, pretiumq; pericli.
Sidera pace vigent: consistunt terrea pace.
Nil placitum sine pace Deo. non munus ad aram
Cùm cupias offerre probat. si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro,
Nec si flammicomis Christi pro nomine martyr
Ignibus insilias, servans inamabile votum
Bile sub obliqua, pretiosam proderit Iesu
Impendisse animam: meriti quia clausula pax est.
Non inflata tumet: non invidet æmula fratri.
Omnia perpetitur patiens, atq; omnia credit.
Nunquam læsa dolet: contra, offensacula donat
Occasum lucis venia præcurrere gestit
Anxia, ne stabilem linquat Sol conscius iram.
Quisq; litare Deo mactatis vult holocaustis,
Offerat inprimis pacem. nulla hostia Christo
Dulcior. hoc solo sancta ad donaria vultum
Munere convertens, liquido oblectatur odore.

Guntherus lib. 8. 701.

Qui violatorem pacis fovet atq; receptat,
Consensu culpæ, meruit consortia pœnæ.

§ Apologi.

De Lupo suadente histrici, ut tela deponeret. Fab. 69.

Lupus esuriens in histricem intenderat animum, quem tamen quia sagittis undique munitus erat, invadere non audebat. Excogitata autem eum perdendi astutia, illi suadere cœpit, ne pacis tempore tantum telorum onus tergore portaret, quandoquidem ne alij quidem sagittarij, nisi cum prælij tempus instaret, portarent. Cui histrix: adversum lupum, inquit, semper præliandi tempus esse credendum esse.

Hac fabula innuit, virum sapientem oportere adversus inimicorum & hostium fraudes semper esse munitum. Abstemius.

§ Emblematum.

Had. Junius Emblemate V I.

Aureolum dextra gestat Pax Attica Plutum,
Læva tenet cornu plenum ubere copia.
Gliscit opum satias, & rerum copia læta,
Pax ubi Marte triumphato viget aurea.

Had. Junius Emblemate LXIII.

Quid dextra nuda remiges alas tenet?
Hinc sibilum anguis os caducens premit?
Firma ista Pacis, neve desultoria
Imago, comprimentis os rebellibus.

Batillius CCXVII.

Pacem te poscimus omnes.

Certantes geminos volucer Cyllenius angues
Forte viâ inventos, dum petit Arcadiam,
Projectâ dirimit, Phœbeo munere, virgâ
Cœptus adorari pacifer inde Deus.
Quis medium paci Gallos sese offerat inter,
Quos inter medius sævit, ut ante, furor,
Ac tanta exagitat renovati insania belli,
Ceu sua, ceu patria quemq; ruina juvet?
Supremi hoc adeo aversas componere mentes
Hoc placidi tantum munus opusq; Dei est.
Pacifera hac compone Deus moderamine virga,
Atq; illâ sisti prælia nostra jube.

Batillius CCXVIII.

Paci studere præstat quàm bello.

Quo quisq; Actæam sibi pignore vindicet urbem,
Decertant Pallas Tænariusq; deus.
Edit terra ferum divi percussa tridente,
Cum baccis oleam cuspide tacta deæ.
Miratur judex, atq; haud dubitabile pacis
Signum olea est, inquit: bella minantur equi.
Vrbem diva habeat, cuius magis utile donum,
Et potior bello pax mihi semper erit.

Camerarius XIV. Centuria I.

Nec incidi nec evelli. Olea.

Dure facesse Ligo, validæ procul este bipennes,
Frondeat æternos pacis alumna dies.

§ Apophthegm. Christianor.

Georgius VII. Pont. Pacis amantissimus Gregorius; cùm dissi-

dium quod inter eum & Henricum IV. Imperatorem erat, concordibus votis dirimeretur, & pacis conditiones proponerentur, dicebat: *Pacis conditiones non despexero, modò Henricus* (qui multis cladibus Ecclesiam afflixerat) *cum Deo primùm pacem ineat.* Melior aliàs foret talis pugna, inquit Nazian. in Apol. quæ Deo proximum facit, quàm Pax illa, quæ à Deo separat. *Platina in Vita.*

Barnagasius. Iste etiam nomine regis Æthiopiæ cum Prætore Lusitano fœdus pacemque initurus, apprehensa cruce argentea, nixus genibus: *Quam*, inquiebat, *pacem Iesus Christus generis humani redemptor discipulis reliquit: eadem esto inter nos, qui eiusdem profitemur cultum & fidem. Maff. hist. Ind. lib. 7.*

Fridericus III. Saxon. Dux. Invitent nos priora, & excitent: sed Friderici Ducis exemplum fortiùs movet, sed ad sui imitationem alios eiusdem ordinis, quasi quodam fune, è civilium tumultuum labyrintho trahit. Ille enim pacis amans, nullas arces aut munitiones condidit: quin potiùs ab aliis conditas solo æquavit. & in id unum incumbebat assiduus, ut pecuniis, si quas corrasisset, ritè impensis, nihil earum post mortem posteris superesset. Admirantibus autem, eiusque rei causam percontantibus: *Ne*, aiebat, *ego leviter offensus aliquando, arcibus & pecuniis meis confisus, nimis facilè vicinos me inferiores bello lacessam, & pacem cum eis violem.* Sciebat autem, quòd

> ——— *Pax optima rerum*
> *Quas homini novisse datum est: Pax una triumphis*
> *Innumeris potior: Pax custodire salutem,*
> *Et cives æquare potens.*

Ioan. Agricola in Proverb. German.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque pace sustineri neminis corpus queat.
Aequitate pacem, bellum audacia curaveris.
Alta pax, multò nutritur suavius, quàm tutius.
Armorum excusata necessitate, in pace etiam manent.
Artibus bonis egent pax & quies: turba malis.
Civitates pace crescunt, corruunt discordia.
Conditiones pacis dicit is qui dat, non qui petit.
Cristam emas hastamque festâ pace vel teruncio.
Cui pax officit, violanda pacis causas mille habet.
Fas negata pace ipsimet ut sibi quis consulat.
Frustrà ab iis pacem rogabis, bella lucrum cui ferunt.
Improborum pax proborum in bella surgit maxima.
Iunior praito ad bella: pacis ad res vir senex.
Iura pacis qualiscunque bello quovis prævalent.
Longa pax servitium ad omne facilè frangit militem.
Longa pax ut corpus, ipsum sic cor omne effeminat.
Maximum bellum malorum, pax bonorum maximum est.
Nec pax cæde nec cruentis læta fit altaribus.
Nomen est ubique pacis: pax sed ipsa nuspiam est.
Non habet pacem qui munera accipit cum legibus.
Nulla oliva conferenda militaris laurea.
Omne bellum dissolutum, pax at dissolutior.
Omnem vim conferri ad unum, sæpe pacis interest.
Optima est pax, pax triumphis potior una est omnibus.
Otii bellique claves pax pia regit manu.
Pax amica mente versat cuncta, turbas devovet.
Pax ea est secura quam vir multus armis sustinet.
Pax ibi diu esse nescit alma unde exulat Dice.
Pax ibi exultatioque est, vultus est ubi Dei.
Pax ibi firmissima, armis cuncta ubi florent domi.
Pax minus sperata multo gratior, quam quæ obvia est.
Pax nota ambiguæ antecellit omne Martium decus.
Pax opes parit floresque semper vivos carminum.
Pax parens protervia: est in tristibus modestia.
Pacis auctor, & salvator omnium est mortalium.
Pacis est ubique nomen, nuspiam sed re viret.
Pacem inire cum beato quàm facillimè potes.
Pace cœlum, pace constat terra: pax mera est Deus.
Pace & otio mitescit qualibet ferocia.
Pace galli cantus, cantus excitat bello tuba.
Pace justitiaque virtutem universam intelligas.
Pace maximè fruuntur, queis in armis dextera est.
Prælium videnti, pacem cogitare amentia est.
Propositâ mercede quævis pax venalis barbaro est.
Quod bellum servavit, id pax ficta ne auferat cave.
Quos pax longa nondum emollit, plus eis ferocia est.
Raro quispiam de pace nisi jam atratus cogitat.
Sæpe blando nomine pacis triste bellum involvitur.
Sæpe nil nisi irritum est pax nomen & concordia.
Sæpe quis minimè spernendus bello pace est pessimus.
Strenuos bello, pace animo oportet esse maximo.
Stultè bella detestatur pacem ferre qui nequit.
Summa ovant pace: in minora jus, suum est discordia.
Tullii toga fuit sago omnium felicior.
Tuta ea est pax quam ambit armis cruda diffidentia.
Tuta pax ea atque longa est quam coronat armiger.
Vix bello ulla, pace verùm maxima est incuria.
Vt sat terruisti, ostende pacis irritamina.
Vtiliora pauca in pace, multa quàm cum scandalo.
Vtilis pax victis, pulcra quæ modò est victoribus.
Vtilis tergere mensas crista erit, pax ut coit.

¶ Iambica.

Antestat una Oliva mille Laureis.
De pace tantum atrata Athena cogitant.
Desideras pacem? eia bellum præpara.
Desideras Rex pacem? bellum prepares.
Dicenda non est pax justitiâ cui deest.
Divina planè, Pax, Diceque, copula est.
E pace longa oritur cupido prælii.
Est dulcior pax quam malum belli excipit.
Est servitus, non pax, ubi ferrum viget.
Et pace fretos prædonum aggreditur manus.
Etiam volunt pacem qui possunt vincere.
Expressa bello edicta jam pace abroga.
Falsò vocatur pax miserrima servitus.
Gestare pacis tempore arma, cui bono est?
In pace prudens etiam bellum cogitat.
In pace vires nemo cognoscit suas.
Intemperantem longa quemvis pax facit.
In pace suspectâ, omne bellum est tutius.
Multis togatis pax bello est operosior.
Multosque pacis decipit simulatio.
Nil pace toto in orbe gratiosius.
Oliva præstat una laureis decem.
Oliva signum Pacis est & barbaris.
Pax est soror Legum, soror Legum est Dice.
Pax est tibi alta? maximè bellum time.
Pax & justitia amicæ sunt duæ invicem.
Pax ficta mox in prælium convertitur.
Pax firma ea est, ubi omnium est æqualitas.
Pax incruenta bello quovis prævalet.
Pax jure quæ fit æquo, pax firmissima est.
Pax longa formam rei deformat publicæ.
Pax nutrit inter ipsa saxa rusticum.
Pax omnium rerum, ordinum tranquillitas.
Pax sancta salve, nata Iustitia aurea!
Pax talis est cui, qualis belli est exitus.
Pax tenet in æquo ignavos atque industrios.
Pax veritatem mage quàm bellum examinat.
Pax ut sequatur, sapientes bellum gerunt.
Pacisque caussa sufferas homines malos.
Pacis favemus universi auctoribus.
Pacem retine præsentem, absentem querito.
Pacem miseram, bene vel bello mutaveris.
Pacem vocamus factam solitudinem.
Profunda pax, alti belli nutricula est.
Quæcumque pax quocumque bello antiquior.
Quandoque pax est servitutis pactio.
Rerum bonarum ò omnium pax vinculum!
Rerum omnium pax una jucundissima est.
Sapientia pax parta quam vi latior.
Spes pacis ostentata, multos opprimit.
Stultè violabunt pacem virtute impares.
Vis illicò Orbem tollere? pacem tollito.

Peccati.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Nos quoad eius fieri poterit, ut quàm minimum peccemus videamus. Nihil enim majori curæ ac studio esse debet, quàm ut ab animi perturbationibus morbisque primùm liberemur: deinde verò, ut prohibeamus ne in peccatorum consuetudinem facilè prolabamur. Atque optimum quidem est nullo modo peccare penitus, quod Dei esse dicimus. Secundum autem, nullum ex voluntariis attingere maleficiis, quod est proprium sapientis, & in involuntariorum non adeò multa incidere. Tertium autem, quod est proprium eorum qui bene educti & à Pædagogo rectè instituti fuere. Peccatis autem non diu immorari, loco ultimo ponatur. Sed & salutare fuerit, si ad pœnitentiam vocantibus, nequaquam repugnet. *Lib. 1. cap. 2. Pædagog.*

Clemens Alexandrinus: Qui est ergo cognoscendi potestate præditus, abstinebit quidem à peccatis quæ fiunt & sermone, & cogitatione, & sensu, & opere, cum audierit, quemadmodum qui videt ad concupiscendum, mœchatus est: & animo perceperit, quod beati sunt qui sunt mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: illud quoque sciens, quod non quæ intrant per os, coinquinant hominem, sed illa quæ per os exeunt hominem coinquinant. Ex corde enim exeunt cogitationes. *Libro 2. Stromatum.*

Chrysostomus: Paulus ostendere vult, peccata non carnis esse, sicuti hæretici quidam dicunt, sed cogitationis, ac malæ concupiscentiæ, atque illinc malorum fontem scaturire. Mens enim reproba quum semel facta fuerit, necessariò fit, ut omnia distrahantur, ac subvertantur, nimirum auriga jam corrupto. *Homilia 5. pr. ad Romanos.*

Idem: Si alienam pulchritudinem curiosiùs perscrutatus fueris, hic arma iniquitatis effectus est oculus, non à propria efficientia: oculi enim est videre, sed à jubentis cogitationis malitia, qui si illum contindueris atque refrænaveris, tum justitiæ arma effectus est. eadem ratione & in lingua, in manibus, in reliquis aliis. rectè autem peccatum iniquitatis nomine designavit. vel enim semet quis vel proximum, peccans, injuria afficit: seu potius se ipsum priùs, quàm proximum. *Homil. 11. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Neque enim qui se vino obruit, sentit quanta sit vini putrefacti abominatio: qui verò sobrius est: id probè novit. Idem & in peccatis usu venit. Qui temperatè, qui castè vivit, huic ignota non est illorum execratio, cœnum, macula: qui verò se totum ad malitiam dedit, quadam tanquam ebrietate oppressus, ne ipsum hoc quidem novit, quòd ægrotet: habetque ipsa inprimis vitiositas malum hoc gravissimum, quòd qui in illam collapsi fuerint, eos ne dignoscere quidem sinit perniciei propriæ magnitudinem: quin potius sic affectos illos reddit, ut in cœno cùm volutentur, unguentis tamen se delibutos putent. qua illi de causa eximere sese inde non queunt, sed vermiculis referti, tanquam lapillis preciosis ornati, ita sibi placent, ut eos vermes interimere nolint, sed intra se enutriant adolescere sinentes, donec illos ad futuri seculi vermes reiiciant. nam hi illorum sunt conciliatores, nec conciliatores tantùm, sed & parentes nunquam intereuntium. *Homilia 11. ad Romanos.*

Chrysostomus: Etsi quis sit dives, & si genere nobilis: est vilibus & ignobilibus vilior, quando captus fuerit à peccato. Quomodo enim etsi quis regnaverit, fuerit autem servus, est barbaris omnibus miserior: ita etiam in peccato. barbarum enim est peccatum, & tyrannidem exercens in animam nescientem parere, semel captam: sed in perniciem eorum qui ipsum suscipiunt. Nihil est enim æquè inconsideratum atque peccatum, nihil adeò amens & stultum ac violentum. Omnia evertit, & confundit, & perdit quocunque insiluerit: est visu deforme, importunum, molestum & grave. & si quis pictor ipsum effingeret: non mihi videretur aberrare, ipsum sic effingens: mulierem quandam forma beluina, barbaram, ignem spirantem, injucundam, nigram, quales externi Poetæ depingunt Scyllas. Manibus enim innumerabilibus nostras apprehendit cogitationes & ratiocinationes; & ex improviso ingreditur, & omnia discerpit ac dilacerat, sicut canes clanculum mordentes. Imò verò quid opus est pictura, cùm liceat in medium adducere eos, qui ea qua ipsa sunt qualitate præditi? Quemnam ergo vis priùs describamus? Avarum & raptorem. Et quid est oculis illis impudentius? quid magis inverecundum, quid magis caninum? Non est enim canis adeò impudens, ut iste, quando rapit res omnium? Quid illis manibus impurius? Quid ore illo trucius & sævius? quod omnia devorat, & non satiatur. Ne eius vultum & oculos intuearis, quòd sint hominis. Non enim sic aspiciunt humani oculi. Non aspicit homines tanquam homines. Non aspicit cœlum tanquam cœlum, neque sursum respicit ad dominum: sed omnia putat esse pecunias. Hominum oculi solent intueri homines afflictos, & dolere, & misereri. Isti autem raptores vident pauperes, & efferantur. Hominum oculi non tanquam propria vident aliena: & non desiderant quæ data sunt aliis, sed in alios quoque sua effundunt. Isti autem non ferunt, nisi res omnium acceperint. Non enim humanum, sed beluinum habent visum. Hominum oculi nudum videre suum corpus non ferunt. suum enim est: etiamsi sit aliorum, quod attinet ad personam. Isti autem nisi omnia denudarint, & omnia domi recondant: nunquam satiantur: imò verò nunquam implentur. Quamobrem nec eorum manus dixeris solùm esse ferarum manus, sed iis quoque feriores & immaniores. Nam ursi quidem & lupi, ubi eos cœperit satietas, ab eiusmodi alimento recedunt: isti autem nunquam satiantur. Atqui Deus nobis propterea fecit manus, ut aliis opem feramus, non ut eis insidiemur. Sed si ipsis ad hoc usuri simus: melius esset eas abscindi, & esse sine eis.

Tu autem si ovem quidem laniet ac discerpat fera, doles: si id autem facias in eum, qui est ejusdem generis, non existimas te facere aliquid indignum & intolerabile: & quomodo fueris homo? Non vides quòd rem vocamus humanam, quæ misericordia plena est & benignitate? Quando autem fecerit aliquid sævum & crudele, id nominamus inhumanum. Hominis ergo describimus figuram à commiseratione: feræ autem à contrario, dicentes: Num homo est fera aut canis? Homines enim paupertatem corrigunt ac sublevant, non augent. Ora quoque eorum sunt ora ferarum, imò verò ea sunt illorum feriora. loquuntur enim verba, quæ magis quam illorum dentes virus emittunt, & cædem faciunt. Et si quis omnia persequatur, hinc rectè videbit, quemadmodum ex hominibus feras ea utentes efficit inhumanitas. Quòd si quis etiam eorum mentem examinaverit: non utique solùm feras, sed etiam dæmones eos appellabit. Sunt enim multa immanitate pleni, & odio in conservos. & neque illic est amor regni, neque metus gehennæ: non hominum pudor, non misericordia, non commiseratio; sed impudentia, & truculentia, & futurorum omnium despicientia: & fabula illis esse videntur Dei verba de punitione, & risus minæ. Talis est ergo mens avari. Cùm ergo intrinsecùs quidem sint dæmones, extrinsecùs autem feræ, & feris deteriores: ubinam eos, dic quæso, collocabimus? Nam quòd sint vel feris deteriores, illinc est perspicuum. Feræ tales sunt natura. Isti autem cùm natura habeant mansuetudinem, se præter naturam cogunt transire ad mores beluinos.

Porrò autem dæmones quoque insidiantes-homines habent sibi opem ferentes. Quòd si opem non ferrent: major pars eorum, qui nobis insidiantur, esset ab eis de medio sublata. Isti autem etiam eos qui cum eis contendunt, probris & contumeliis affectos conantur superare. Rursus dæmon bellum gerit cum homine, non cum dæmonibus qui sunt sui generis. Iste autem cognatos & necessarios omnibus modis affligere contendit, & neque reveretur naturam. *Homil. 9. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Hęc duo maximè solent abducere à peccato, quando pœnam peccato propositam cogitaverimus, & quando dignitatem nostram reputaverimus. *Homil. 10. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Rectè dicit peccator, Circumcirca sunt tenebræ & parietes. Nam si tenebræ non essent in mente, non ejecto Dei timore, securè & intrepidè ageret. Nam si non sit obtenebrata principatum tenens facultas animæ, non potest cum securitate ac licentia ingredi peccatum. Ne dicas igitur, Quis me videt? Est enim qui penetrat usque ad animam & spiritum, compagesque & medullas. Sed tu teipsum non vides, nec potes nubem discindere: sed tanquam sis undique muro cinctus, potes cœlum suspicere. Quodnam enim peccatum vis priùs examinemus: & id videbis sic fieri. Quomodo enim latrones & murorum effossores, quando volunt aliquid pretiosum capere, lucerna extincta hoc agunt: ita etiam in peccantibus facit corrupta ratio. Est enim in nobis perpetuò ardens lumen rationis: & si spiritus nequitiæ vehementer cum magno impetu irruens flammam illam extinxerit; animam statim obducit tenebris, expugnatque & protinus spoliat & diripit quæ sunt recondita. Quando enim ab impudica libidine capta fuerit anima: sicut nubes & caligo corporis oculos, ita cùm illa præoccuparit mentis conspiciendi facultatem, nullum sinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam, non timorem: sed ab illius insidiarum occupata tyrannide, deinceps facilè potest expugnari à peccato: & tanquam fenestris carens paries ante oculos excitatus, non sinit radium justitiæ menti illucescère, absurdis libidinis cogitationibus ipsum undique arcentibus. & tunc de cætero illi occurrit mulier meretrix: ante oculos, & mentem, & cogitationes stans & apparens. Et quomodo qui sunt orbati oculis, si vel in fixo meridie steterint sub medio cæli, lucem non suscipiunt, cùm clausi sint eorum oculi: ita isti quoque, etiamsi innumerabilia undique insonent salutaria dogmata: illorum anima hoc morbo præoccupata, omnibus ejusmodi verbis aures obstruunt. Sciunt autem ij, qui illud rectè sunt experti. Absit autem, ut nos id sciamus ex ipsa experientia. Non ipsum autem solum hoc facit peccatum, sed etiam omnis amor pravus. Transferamus enim si videtur orationem à muliere meretrice ad pecunias: & videbimus heic quoque densas & continuas tenebras. Nam illic quidem cùm sit una quæ amatur, & uno loco inclusa: non est morbus adcò vehemens. In pecuniis autem quæ ubique apparent, in argenti cudendo officinis, in diversoriis, in aurificinis, in divitum ædibus: spirat amor vehemens. Quando enim viderit quispiam hoc morbo laborans in foro pueros superbè & insolenter incedentes, equos ephippiis aureis instratos, homines magnificis & sumptuosis vestibus ornatos: multæ offundentur tenebræ. Et quid opus est dicere ædes, & argenti cudendi officinas? ego enim existimo eos qui sunt huiusmodi, si vel in pictura, vel in imagine viderint divitias, discerpi, efferari, & rabie agitari: adeò ut undique eos circumdant tenebræ.

Nam & si regiam aspexerint imaginem: non admirantur gemmarum pulchritudinem, neque aurum, neque vestem purpuream, sed liquescunt: & sicut infelix ille amator, si mulieris quam amat conspicatus fuerit imaginem, rei inanimæ hæret affixus: ita etiam iste videns inanimam divitiarum imaginem, eo morbo longè magis afficitur, ut qui magis tyrannica teneatur affectione. etiam eum oportet vel domi manere, vel si in forum venerit, innumerabilibus plagis acceptis domum reverti. multa enim sunt, quæ illius oculos dolore afficiunt. & quomodo ille nihil aliud videt, quàm mulierem: ita iste quoque pauperes quidem & alia omnia præterit, ut ne consolationem quidem accipiat: in divites autem defigit oculos, ex illorum aspectu magnum & vehementem ignem inducens in suam animam. est enim ignis, qui vehementer exedit eum, qui in ipsum inciderit: & si gehennæ minæ non fuissent intentatæ, neque suppliciorum, ipsæ res præsentes essent supplicium, assiduè torqueri, nec invenire finem morbi: & hæc vel sola sufficerent ad persuadendum, fugiendam esse ægritudinem. Sed nihil est pejus amentia, quæ efficit ut affigamur rebus: quæ angorem animi, lucri autem nihil afferunt. Quamobrem rogo ut incipientem animi morbum extinguatis.

Quomodo enim febris in initio quidem accedens non admodum siti adurit ægrotantes; cùm autem creverit & flammam excitarit, tunc sitim efficit immedicabilem; & si quis eis concesserit ut se potu expleant, non extinguit, sed accendit fornacem: ita etiam in hoc morbo accidit. Si ab initio animam nostram eum subeuntem non prohibeamus, neque ostia claudamus: ingressus, de cætero iis, qui ipsum susceperunt, immedicabilem efficit ægritudinem. Nam & bona & mala, cùm diutiùs in nobis manserint, fiunt validiora. Porrò autem in aliis quoque omnibus hoc videris contingere. Nam planta quidem terræ recens insita, facilè evellitur: non ita si longo tempore egerit radices, sed ad eam emovendam multa vecte opus est: & recens quidem compactum ædificium facilè evertitur ab iis, quæ ipsum agitant: rectè autem compactum exhibet

multum negotij iis, qui ipsum conantur diruere: & fera, quæ longo tempore in locis aliquibus lubenter habitavit, difficulter expellitur. iis ergo, quos morbus nondum invasit, suadeo & rogo ne capiantur. est enim facilius cavere ne in eum incidant, quàm cùm inciderint recedere. iis autem quos invasit & correptos afflixit, si velint se vero medico tradere, magnam & Dei gratia spem salutis polliceor. Nam si eos qui affecti fuerunt & in morbum inciderunt, & convaluerunt, cogitaverint: bonam spem habebunt, fore ut à morbo liberentur. *Homilia 11. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Quando videris aliquem Dei inimicum divitem, stipatum satellitibus, habentem multos assentatores: noli animum abiicere: sed geme, lacrymare, Deum roga, ut eum referat in ordinem & numerum amicorum: & quò magis rem suam benè gesserit, cùm sit inimicus, eò magis eum luge. Nam peccatores quidem semper oportet deflere: maximè autem quando abundant divitiis, & sunt eis res secundæ: sicut ægrotantes quando ventri indulgent & inebriantur. *Homil. 39. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Peccati ea natura est, ut facile hominem obsideat, atque undique stet, à fronte nempe & à tergo, sicque nos deiiciat. *Homil. 2. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Qui peccata accusat, ut nihil aliud præstet, certè longiùs illa progredi non sinit. Nulli enim est tam impudens anima, ac temeraria: quæ si assiduè se reprehendi audiat: non suffundatur pudore, non remittat aliquid de summa illa improbitate. Inest enim, inest etiam in impudentibus paululum quid verecundiæ. Naturæ enim nostræ Deus ipse pudorem insevit. Etenim quando non satis poterat timor ad nos componendos, multas alias nō peccandi rationes apparavit: quemadmodum reprehensiones hominum, metum humanarum legum, amorem gloriæ, amicitiarum studium. Omnia enim hæc eò nos adducunt, ut peccandum non putemus. Sæpe enim quæ propter Deum minimè fiebant, propter pudorem sunt facta: & quæ Dei causa ut velimus non adducimur, ea timore hominum suscipimus. *Homil. 4. ad Philippenses.*

Idem: In aliorum peccatis acerbi inquisitores sumus: de nostris autem ne cogitamus quidem. *Homil. 9. ad Philip.*

Chrysostomus: Sicut vulnus, quamdiu supernè tectum delitescit, & currit per profundum, nullam accipit curationem: ita peccatum quamdiu quidem occultatur, tanquam in tenebris admittitur cum magna securitate: postquam autem fuerit manifestatum, fit lux, non ipsum peccatum. Quomodo enim? Sed quando qui fecit in medium fuerit productus, quando admonitus, quando ductus pœnitentia, quando remissionem fuerit assecutus, non expurgasti eius tenebras? non curasti eius vulnus? non infertilitatem evocasti ad fructum? *Homil. 18. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Rapere, & cupidum esse, idem ferè est, sive aurum, sive argentum quisque diripiat: eodem enim ex animo utrumque proficiscitur: & is qui minora diripit, majora quoque diripere non detrectabit, si se illi occasio obtulerit. quod si desit occasio, non tamen pessimum institutum, etiam sine effectu operis, vocat à culpa. Si pauperiorem se pauper injuriis violat, divitem quoque si posset violare non desinet. obstat infirmitas, non deest malitia voluntatis. Ille, inquies, princeps est, & subjectorum fortunas diripit. Quid ergo ipse non rapis? Neque enim velim dicas, ille auri talenta diripit: tu vel si decem obolos rapias, ejusdem eris criminis reus. totum quippe in voluntate consistit. Quemadmodum vidua illa, quæ duo minuta miserat, pro alacritate voluntatis, nihil minus divitibus intulit: ita & tu, si vel duo minuta diripias, nihilo meliori in loco es, quàm hi qui multa diripiunt. *2. ad Timot. Homil. 3.*

Idem: Illum magis ebriosum dixerim, qui quolibet vino, quàm qui optimo inebriatur: ita & cupidum eum potissimum, qui ne minima quidem rapere omittit. nam qui maxima diripit, minima fortasse contemnet. qui parva non despicit, quomodo despiciet his majora? fur igitur hic magis est quam ille. nam qui non aspernatur argentum, nunquam profectò aurum aspernabitur. *2. ad Timoth. Homil. 3.*

Idem: Qui contra homines se effert, facile in Deum ipsum impius est. ita quoque peccata nascuntur, ut sæpius ab inferioribus ad superna conscendant. Qui fuerit in homines pius, multo magis in Deum erit. qui in socios, atque conservos erit mansuetus, quanto magis in Dominum? qui verò aspernatur conservos, ad hoc sensim pertingit, ut ipsum quoque despiciat Dominum. *2. ad Timoth. Homil. 7.*

Chrysostomus: Non vides eos qui peste laborant, quomodo inflammantur, quomodo agitantur & circumvolvuntur: quomodo fœtore & tetro odore sunt pleni; quàm turpis est eorum aspectus, quàm toti sunt immundi? Tales sunt etiam qui peccant, etiamsi non videant. *Homilia 15. Epist. ad Hebræos.*

Basilius Seleuc. Qui Deum offendit, satis ei supplicij est dedecus, vel ante supplicium. *Sermone 3. m.*

Isidorus Pelusiota: Quid miraris ob unius ac solius peccatum universam urbem flagris affici, quemadmodum etiam Davidis tempore contigisse non ignoras. Nam cùm ob rerum copiam, florentemque statum, Princeps insolescit, ad ipsius mœrorem, & condēmnationem subditi deprimuntur. Nec verò illi iniquè castigantur: verùm unusquisque actionis suæ præmia recipit: ac propter Principis calculos divina longanimitate orbatur. Quamobrem ne Episcopi, ut putat, Eusebij vitiis patronum te præbe: quòd propter eum, & altare ministris, & civitas incolis careat. Nam qui temerè ac sine judicio indignum hominem elegerunt, digni sunt qui laborum suorum fructus edant: ut qui virtutem contempserint, atque improbitatem ita perspicuam elegerint. *Lib. 1. epist. 39.*

Idem: Quid tanquam purus, stolidè gloriaris? Quid teipsum peccati expertem simulas? Quid naturæ societatem inficiaris? Esaias immundum se esse prædicat: David omnem hominem mendacem esse agnoscit, atque omnes in peccatis, & conceptos, & in lucem editos fuisse. Atque etiam Deus ipse homines mirum in modum & sedulò improbitati addictos esse, ac solo misericordiæ oleo indigere ait. Et tu puritatis fastum arroganter jactas? Quamobrem aut mentiri desine: aut ex his quæ agis, te irrideri constat, vel potiùs ingenti ignominia affici. *Lib. 1. Epist. 100.*

Idem: Zosimum & Palladium, Maronem item & Eustathium, aliosque, quos enumerasti, qui pietatem ita ejurarunt, atque sacerdotij dignitatem contumeliis affecerunt, non tam accusarim, quàm Eusebium, qui omnibus istis causam præbuit. Nam nisi ipse illis sacerdotium, ut ais, vendidisset, in tantum scelus illi haudquaquam sese devolvissent. Nam etiamsi priùs quoque, quàm in sacrosanctum ordinem cooptarētur, flagitiosissimi ac sceleratissimi essent: tamen non idem est laicum peccare quod sacerdotem. idque ex lege perspicuè constat, Tantum enim ea pro Sacerdote peccante sacrificium offerri præcipit, quantum pro universa plebe. Quòd si par non esset peccatum, idem utrique sacrificium minimè indixisset. Majus porrò peccatum efficitur, non ob naturam, sed ob perpetrantis dignitatem. Nam qui id sibi sumpsit, ut aliorum mores componat ac moderetur, si ipse labatur, majus ob dignitatis suæ gradum peccatum reddit. Quocirca si is qui semen dedit, stirpium causa est, meritò quoque Eusebium majoribus luctibus ac lamentis, quàm illos prosequi convenit. *Lib. 1. Epist. 121.*

Idem: Grave est, eum, qui inter subditos censetur, peccare: gravius autem, eum qui divino cultui consecratus est, longè verò gravissimum, eum qui Pontificis dignitatem nactus sit. Quanto enim honoribus alios antecellunt, tanto quoque ipsorum peccatum, etiamsi alioqui idem sit, gravius efficitur: quippe quod non ad naturæ, sed ad eius, qui illud perpetravit, dignitatem perpendatur. Quid autem magistrum & antistitem eum subdito comparo: cùm Legislator Pontificis peccatum totius populi peccato par esse dixerit, tantumque ab ipso sacrificium lege lata exegerit, quantum si plebs universa deliquisset, offerri præcepit? Quòd si æquale ac par vulnus non esset, haud parem certè medicinam minimè constituisset. *Lib. 3. Epist. 15.*

Idem: Haud exigui momenti res est, exigui licet esse videatur, peccatum peccato minimè cumulare, verùm maximi quoque atq; gravissimi. Est enim via, ad optimam mutationem ferens. Nam si vitij profluvium, quod ad exitium currit, interquieverit, motus utique ad virtutem initium sumet. Quemadmodum enim in stadiis: institio & quies contrarium modum parit (& enim nisi quis institerit, haudquaquam, in adversum processurus est:) eodem modo in vitio nisi quis finem sibi constituerit, virtuti locum minimè dabit. *Lib. 3. Epist. 144.*

Isidorus Pelusiota: de Madianitis: Perspectum & exploratum habebant, divinam opem haud aliter ab ipsis abscessuram esse, nisi in stuprum, atque ita in idolorum cultum laberentur. Sic enim natura comparatum est, ut maxima peccata ex minoribus & levioribus ortum trahant. *Lib. 3. Epist. 159.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum viperæ parentis morte, sic etiam peccata parentum suorum interitui obstetricantur. *Libr. 3. epist. 261.*

S. Isidorus Pelusiota: Peccatum multò gravius est morte. Quocirca Paulus quoque, qui accuratissimè omnium talia perspicere poterat, illud quidem reginam esse dixit: istam verò stipendium militare, quasi qui hanc (mortem) infrà illud, (peccatum) collocaret. Reginam autem peccatum fecit, non dignitatis ergò (nihil enim eo deformius cogitari aut fingi potest) sed propter vehemens obediendi studium, quo flagrant, quoscunque peccatum occupavit. Quare si peccati stipendium mors est, ne regnet in vobis peccatum, quod morte, apud eos quidem quibus sana mens est, gravius est. Si igitur optio detur, & fieri posset, equidem mori mallem ita ut immunis à peccato manerem, quàm admisso peccato mortem effugere. Tantò illud hac est gravius, me judice. Mors enim à resurrectione extinguetur. Nihil igitur lucri ferret is, qui peccaret, sed mortem effugeret (ex hypothesi autem hoc dictum esto) siquidem etiam post resurrectionem supplicium subiturus esset. Alio quoque evidenti exemplo hoc declaravit idem Apostolus, cum ait: Stimulus autem mortis est peccatum. Quemadmodum igitur serpentem aut scorpionem dentibus aut stimulo destitutos, quibus mordentes virus suum transfundant, nemo facilè pertimescat: sic mors quoque, si non ob peccatum afferatur, imperterrito animo excipienda est. Quòd si etiam pro virtute, multò quoque libentiore. Fieri hoc non posse putas? Testes accipe Martyres, qui non aliter mortem amplexi sunt, quàm aditum quendam ad immortalitatem. *Lib. 4. Epist. 52.*

¶ LATINORUM.

S. Chrysologus: Prima est felicitas in peccatorum turpitudinem non venisse: sed felicitas est secunda peccatorum, veniam peccatis latentibus invenisse. *Sermone 34. p.*

S. Chrysologus: Hoc est peccatum naturæ, quod est fumus oculis,

quod

quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo. Utique purus & lucidus est oculus per naturam, sed per fumi conturbatur & obscuratur injuriam. At corpus membrorum partibus, & sensibus suis per hoc quod est à Deo conditum, viget: sed ubi vis febrium cœperit, & procella dominari, totum iners, totum efficitur imbecillum: tunc amaritudo oris, tunc oculorum caligo, tunc gressuum nutabunda vestigia, tunc inimica aura, tunc chari graves, tunc ipsa obsequia videntur ociosa. Et fontes quantum grati sunt per suam dulcedinem & naturam, tantum efficiuntur ingrati, cum aliquod vitium ex accessione susceperint. *Sermone III. ante medium.*

Chrysologus: Ecquis est peccator, nisi qui se peccatorem negat? Magis ipse peccator est: &, ut verius dicam, ipse jam peccatum est, qui se jam non intelligit peccatorem. Et quis injustus, nisi qui se judicat justum? Legisti Pharisæe, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quamdiu sumus in mortali corpore, & fragilitas dominatur in nobis: & si actu peccata vincimus, vincere peccata cogitationum non possumus, & injustitias fugere: qui si corpore possumus evitare, & si conscientiam malam devincere valemus, culpas negligentiæ, ignorantiæ peccata quemadmodum possumus abolere.

Chrysologus: Numquid non in semine tota arbor? vitium ergo seminis, vitium est totius arboris. *Sermone III. ante finem.*

Chrysologus fine Sermonis 113 Peccatum vobis non dominetur. Non dixit, non veniat ad vos: non dixit, non provocet, non titillet: sed non regnet, non dominetur, confligat ad vincentis gloriam, dimicet & decidat ad triumphum victoris, & tandem se doleat impia peccati dominatio à servis quondam suis tota securitate calcari: & crudelis tyrannus ingemiscat subjectum se suorum pedibus captivorum: & ad eorum triumphum, de quibus diu triumphaverat se veteranus hostis pervenisse deploret.

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Lysias: Qui tanta peccandi licentia oblata nihil peccavi, multò magis nunc me probum præstare conabor, cùm mihi constet, pœnam me non evasurum si deliquero. *Cap. 6 orat 24.*

Halicarnassæus: Non id potest præstare cuiusquam natura, nihil ut neque verbo neque re peccet. illa verò optima est existimanda, quæ in plurimis scopum attingit, in paucissimis aberrat. *Cap. 3. de judicio Historiæ Thucydidis.*

Arrianus lib. 2. cap. 26. Omne peccatum pugnam complectitur. Cum enim is qui peccat, non peccare, sed rem bene gerere velit, perspicuum est, eum id quod nolit facere. Quid enim fur consequi vult? Id quod sibi expediat. Ergo si furari inutile ei est, quod vult non facit, omnisque rationis capax animus à pugna abhorret: & quoad id de quo pugnatur, non animadvertit, nihil prohibet quo minus pugnantia faciat. Sed si eam intellexerit, necesse est ut à pugna desciscat, ac fugiat. Sic omnino necesse est, ut qui mendacium intellexerit, à mendacio declinet. Quoad autem illud animo non comprehenderit, ei pro vero assentitur. Ergo is acer ad dicendum est, tum adhortando, tum arguendo, qui cuique ostendere potest, qua in re erret, & secum ipse pugnet: atque evidenter demonstrare, eum id quod velit non facere, & id facere quod non velit. Cui enim hoc demonstratum fuerit, is ipse à se recedet. Quod autem non ostenderis, mirari noli eum in proposito perseverare. Id enim eo facit, quod recte facti opinione imbutus est. Quapropter & Socrates hac facultate fretus dicebat, se nullam alium testem citare solere, contentum eo quo cum disputaret: eumque unum se approbare & vocare testem, eumque sibi esse loco omnium. Notat enim, ratione præditum animum, seu vellet, seu nollet, tanquam in bilance positum, ad principem animi facultatem & mentem inclinaturum. Pugnam si ostenderis, desistet. Si vero non ostenderis, teipsum potius accusato, quam eum qui tibi non obtemperabit.

Simplicius: Peccata existunt, aut ratione quid fieri debeat non dictante, ob prudentiæ penuriam: aut ea quidem quamvis languidè, tamen perspiciente quid facto sit opus, sed brutis appetitionibus, ob neglectam institutionem, tyrannicè adversus languidum rationis judicium insurgentibus. Talem tragœdia Medeam depingit: Scio nefas quod, & quod in scelus ruam: Sed ira mentis omne judicium premit. *cap. 5. ad Epict.*

Simplicius ad cap. 60. Epict. Bifariam humanus animus læditur: aut cum brutis affectibus affixus, per eosdem corpori agglutinatur, reclamans ille quidem nonnihil, atque ægrè ferens, sed superatus ab affectibus, qui corroborati tyrannidem in eum exercent: aut cum suopte judicio corrupto, seipsum non discernit ut diversum à brutis adfectibus.

Hierocles cap. 40. carm. Pythag. Peccamus duplici ratione: vel cùm facimus quod non decet, vel cum non facimus quod decet. Aliud enim est ab eo cessare quod honestum est: aliud id facere quod turpe. ibi quidem prætereundo: heic autem admittendo peccatur. Verbi gratia: decet bene precari, non autem conviciis afficere. decet item parentes alere, non afficere contumeliis. Præstat igitur quę decet, qui facit quæ priora sunt: facit autem quæ non decet, qui altera: licet utraque ratione quadam, ad idem peccandi genus referantur.

Philostratus: Apollonius Ephoris scripsit: Virorum quidem est, nō peccare, generosorum autem etiam peccantes sentire. *lib. 4. c. 9.*

Petronius Arbiter: Nemo nostrum non peccat: homines sumus non Dei. *Satyrico.*

§ POETARUM.

Prudentius contra Marcionitas. de Adami lapsu.

Tunc lolium lappasq; leves per adultera culta,
Ferre malignus ager glebis male pinguibus ausus,
Triticeam vacuis segetem violavit avenis.
Tunc etiam innocuo vitulorum sanguine pasci,
Iamq; jugo edomitos rictu laniare juvencos,
Occiso pastore, truces didicère leones:
Nec non & querulis balatibus irritatus,
Plenas nocte lupus studuit perrumpere caulas.
Omne animal diri callens sollertia furti
Imbuit, & tortos acuit fallacia sensus.
Quamvis maceries florentes ambiat hortos,
Sepibus & densis vallentur vitea rura,
Aut populator edet gemmantia germina bruchus,
Aut avibus discerpta feris lacerabitur uva.
Quid loquar herbarum fibras medicante veneno,
Tinctas, lethiferi fudisse pericula succi?
Noxius in teneris sapor æstuat ecce frutetis,
Cùm prius innocuas tulerit natura cicutas;
Roscidus & viridem qui vestit flos rhododaphnem
Pabula lascivis dederit sincera capellis.
Ipsa quoq; impositum destructo fœdere certo
Transcendunt elementa modum, rapiuntq; ruuntq;
Omnia, legirupis quassantia viribus orbem.
Frangunt umbriferos Aquilonum prælia lucos,
Et cadit immodicis silva extirpata procellis.
Parte alia, violentus aquis torrentibus amnis
Transilit objectas, præscripta repagula ripas,
Et vagus eversis latè dominatur in agris.

Prudent. Martyr. Laurent.

Peccante nil est tetrius,
Nil tam leprosum aut putridum:
Cruda est cicatrix criminum,
Oletq; ut antrum Tartari,
Animabus inversa vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcer aspectus prius
In corpore oblectaverat.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Heli Sacerdos. Audiens quæcunque faciebant filij sui toti Israeli, & ut concumbebant cum mulieribus quæ turmatim conveniebant ad portam tentorij conventus, dicebat eis, Quare facitis res huiusmodi? ut ego audiam sermones hos malos de vobis ab ipso toto populo. Nequaquam filij mei: non enim bona est ista fama quam ego audio, vos avertere populum Iehovæ. Si peccaverit vir in virum, judicabit eum magistratus: sed si in Jehovam ullus peccat, quis oret illum? Non tamen auscultarunt voci patris sui: quia volebat Iehova morte afficere eos. *1. Sam. 2. 23. 24. 25.*

Elias Propheta. Quum Achab & Izebel Nabothi falsis testimoniis oppressi vineam occupassent, & Achabum Elias à Deo missus graviter increparet, ac talionis pœnam proponeret, diceret Achabo, non debuisse Eliam ad eum accedere cum quo ei esset inimicitia, respondit Elias, *Immò me ad te accedere oportuit, eo quod dedisti te ad faciendum quod malum videtur in oculis Iehovæ. 1. Regum. 21. 20.*

Iesus Christus Dominus noster. Pharisæis quærentibus cur cum publicanis & peccatoribus ederet Iesus, dixit, Iis qui valent non est opus medico. Ite verò & discite quid sit, Miserationem volo, & non sacrificium. non veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam. *Matth. 9. 12.* Christus humiles peccatores ad se vocat, fastuosos hypocritas aspernatur.

Constantinus Imperator. Acesius, Novatianorum episcopus, à Constantino rogatus cur se ab orthodoxorum communione segregaret? cùm respondisset eos qui peccato ad mortem post baptismum se obstringerent mysteriorum communione indignos esse: Imperator dixit, Erigito tibi scalam, Acesi, & solus in cœlum ascendito. Quæ quidem arbitror Imperatorem Acesio dixisse, non ut eum laudaret: sed ut homines existimarent, se minimè à peccati labe esse vacuos. *Sozom. eccl. hist. lib. 1. c. 21.*

Antonius eremita. Si aliquis quicquam contra quàm debuerat commisisset, jubebat Antonius uti illud scriberet in talibus, quò de reliquo tum à peccando revocaretur, tum ipsum puderet sui, si multa delicta in tabulis scripta offenderentur, simulque vereretur, ne tabulis eius fortè repertis, improbus ab aliis deprehenderetur. *Sozom. hist. eccl. lib. 1. c. 13.*

Protogenes. Protogenes vir magni nominis in primitiva Ecclesia dicebat peccatorum conversionem ad Christum esse precibus aliisque solitariis exercitiis longè magis necessariam. *Nicephorus eccl. hist. lib. 11. c. 23.*

Chrysostomus. Solum peccatum id esse ad quod nos exhorrescere convenit asserebat. *Niceph. eccl. hist. lib. 13 c. 37.*

Gr. Nazianzenus. Nihil æquè gratum est Deo, ac emendatio &

salut

salus hominis peccatoris, in cuius gratiam omnis sermo & omne mysterium dirigitur. *Eod. Sermon.*

§ Apophthegm. Christianor.

Iesus Christus. Violata aut neglecta pace, ad Peccatum transitus fiat oportet. Virtus enim nulla inesse potest, ubi vera non est comes Concordia. Est autem tanta Peccati malitia, ut ex libero (quod appetunt omnes) faciat servum. Quare indignantibus Iudæis, quòd liberos ipsos futuros diceret Dominus, si mandatis eius parerent: & rogantibus, Semen Abrahæ sumus, & quomodo tu dicis, Liberi eritis? respondit: *Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* veram servitutem demonstrans, subdi peccato. *Ioan. cap. 8.*

S. Ludovicus Franc. Rex. Altè quod juvenis biberat, senex retinebat. Cùm enim ex Seneschalco Campaniæ sciscitaretur, mallétne lepra infici, an peccato: & is respondisset, Peccato: acriter eum perstringens, *Toto,* inquit, *cælo erras. Ecqua lepra peccato fædior, quod etiam post mortem affligit? Tu itaq; si me amas, eam mentem mutato. Ionuil. in Vita, cap. 94.*

S. Ludovicus Episc. Tolos. Quis aptiùs Ludovico Regi succedat, quàm Ludovicus Episcopus? quem, dum (ut erat Rege natus) à sancto proposito capiendi institutum B. Francisci, familiaris quispiam dimovere conaretur, dixisse commemorant: *Priùs mihi pereat, non dico regnum hoc caducum, sed orbis totus, quàm in Deum meum semel peccem, cuius honorem omnibus anteponendum novi. Ex vita eiusd. cap. 10.*

S. Eadmundus Archiep. Cantuar. Hujus etiam vox erat: *Malo insilire in rogum ardentem, quàm peccatum ullum sciens admittere in Deum meum. Sur. tom. 2. in Vita.*

Anglus Anonymus. Dum expulsis fugatisque ex Franciæ finibus à Carolo VII. Rege Anglis, quidam Anglicum Præfectum percontaretur, quando Angli rursus in Galliam redituri essent; respōdit: *Quando peccata vestra majora erunt nostris.* veram & sinceram calamitatum omnium sentinam reputans Peccatum. *Ex lib. Rer. memor. Gall.*

Carolus V. Imperator. Præclarè etiam invictus ille Princeps sentiebat, cùm diceret altercantibus de Ecclesiæ scissura: *Peccata nostra commeruêre ut Ecclesiæ integritas secaretur.* Ex relatis Auctori. *Flores Sent. Hispanici.*

Blanca Franc. Reg. Quære Parentum de filiis cura.

Anus Anonyma. Quantum verò sit Peccati onus, quo pressus gravatur peccator; facetè & verè declaravit Anus, cuius nomen apud Auctorem reticetur. Erat Stratonicus Cytharœdus, qui Corinthi peregrinum agebat, homo nefarius & scelestus. Hunc dum fixis oculis intueretur Anus, rogat: Quid me per Deos immortales ita indesinenter intueris? cui illa: *Nequeo sat mirari, quod te mater tua decem menses in utero gestare potuerit.* rogantique iterùm, Cur ita? respondit: *Quia hæc civitas angitur, unum duntaxat te diem portans.* Significabat iniquitatum ipsius pondus tantum esse, ut vix à terra sustineri possit. ac meritò Regium Prophetam confiteri: Sicut onus grave gravatæ sunt super me. *Auct. Serm. Conviv.*

PECCATI RECIDIVA.

S. Arsenius. Sicut libertus libertate donatus patronum offendens, graviùs delinquit quàm servus: ita Deo per Christum reconciliati, è potestate diaboli & tenebrarum erepti, vera libertate Spiritus donati, multo atrociùs reciduando offendunt, quàm qui naturâ filij iræ, & servi peccati. Quare præclarè dixisse accepimus S. Arsenium: *Qui peccata peccatis addit, cùm ea resecare deberet pœnitentiâ & diligentiâ, similis est scindenti ligna & suis humeris imponenti; cumq; jam supra vires onustus est, nova superaddit, & onus auget. Surius tom. 4. in Vita.*

§ Monosticha Trochaica.

Alia sunt peccata invita, alia sunt spontanea.
Consuetudinem peccandi turba auget peccantium.
Contumelia est peccare, certè haud est necessitas.
Est modestus qui peccare tunc negat cum liberum est.
Ex memoria peccatorum fit dolor vel maximus.
Habet habet hæc, ei quod dum vivat usq; ad aurem oggannìat.
Haud necessitatis est peccare, contumelia est.
Infelicius nil illo est qui peccat feliciter.
Is qui peccat, liberum habere vult peccandi item locum.
Maximè se punit, ipse qui scelus vulgat suum.
Maximum bonum haud peccare, bonum alterum, plecti citò.
Ne peccare ausis vel vinculum est timor firmissimum.
Nemo peccat absq; pœna, nempe conscientia.
Non pronum ad peccata tantum, verùm item est præceps iter.
Nemo peccat qui statim ipse carnifex fiat sui.
Nonnunquam ratio est peccandi, peccare ultra omnem fidem.
Nulla major pœna culpas publicare quam suas.
Omnes quotidiè peccamus, atq; in aliquo labimur.
Optimum est nihil peccare: mox redire ad se, alterum.
Optimum est nihil peccare: pudere mox, ei proximum est.
Peccandi magis voluntas, quam modus perpenditur.
Peccandi magis voluntatem intuearis quam modum.
Peccandi mage irascendum est, ipsis quam peccantibus.
Peccatis probus stomachatur, improbus peccantibus.
Qui palam peccat grave ultrò supplicium ipse infert sibi.
Quilibet primus in se peccat ipsum, dein in alterum.
Quisq; dum peccat inimicum magè quàm amicum suspicit.
Sat luit pœna suum ultro qui palam facit scelus.
Sola peccandi voluntas peccati pœnas luit

§ Jambica.

Aequale peccatum est in quolibet gradu.
Impingere bis ad saxum idem turpissimum est.
Ingenia plus quàm varia sunt peccantium.
Irascimur peccatis haud peccantibus.
Labi grave est: gravissimum haud resurgere.
Luto lutum qui purgat, semet inquinat.
Nihil peccare, opus solius est Dei.
Nimiâ populus malè lascivit pecuniâ.
Nullum abluit peccata pectoris mare.
Peccamus omnes plura quàm facimus bene.
Peccamus omnes stirpe terrena sati.
Peccandi de se non facit finem malus.
Peccare se qui nescit haud vult corrigi.
Peccasse, pœna maxima est peccantium.
Peccator omnis omne quod terret fugit.
Peccatum adauget perpetrantis dignitas.
Peccata aliena sæpe nosmet ingravant.
Peccata habe odio, peccatorem dilige.
Peccata minima etiam cave pro maximis.
Quandoq; & illi peccant quos minimè putes.
Quem minima fœdant proba habendus optimus.
Qui peccat intra verba, verba sufferat.
Quicunq; peccat, dat pœnas statim sibi.
Solius est Dei absq; labe conspici.
Sponte an coactus summa pecces, nil refert.
Vt corpori umbra, sic peccatum homini it comes.

Peculatus.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

LYsias cap. 3. orationis contra Philocratem: Ac iniquum sanè esset, Judices, eis graviter succensere, qui tributa vobis solvere nequeunt, & horum facultates tanquam injustorum publicare: si eos, qui vestra possident, impunitos dimittatis, & pecuniis spoliati infestiores ipsos vobis inimicos reddatis. Quamdiu enim meminerunt se vestra possidere, nunquam desinent in vos aliquid mali moliri; quod sola Reipubl. adversitate putent se eis negotiis, quæ ipsis vobiscum intercedunt, posse liberari. Arbitror autem, Iudices, non solum de pecuniis hunc posse appellari, sed etiam de vita in discrimen venire. Etenim absurdum foret, cùm illi, qui privatarum rerum furibus conscij sunt, eodem crimine teneantur: hunc non eadem cum Ergocle pœna multari, sed eius opes tanquam suæ improbitatis præmia accipere; qui & publicarum pecuniarum furta eius noverat, & in vestris negotiis muneribus sæpe corruptum sciebat. Digni sunt autem, Iudices, in quos vestram bilem effundatis. Siquidem hi sunt, quando Ergoclis causa apud populum agebatur, qui circumibant passim divulgantes, quod quingentos in suum subsidium conductos habituri essent ex Piræo, & mille sexcentos ex urbe, adeo ut declararent majore se teneri spe ob pecunias, quàm metu ob delicta. Nunc igitur ipsis ostendite (immo vero, si sapitis, omnibus declarabitis) nullas esse tantas divitias, quæ vos contineant, quo minus in eos animadvertatis, quos injuriarum & scelerum accepistis convictos: Ita nullam illis impunitatis spem dabitis, qui vestra rapiunt & furantur.

Lysias cap. 3. orationis 27. adversus Ergoclem: Ita, Athenienses, postquam satiati sunt, & vestris facultatibus abusi, velut à Republica nostra alienos se habuerunt. Etenim & divitias sibi accumulant, & odio vestri laborant; nec amplius ut imperio vestro subjecti, sed ut vobis imperantes se gerunt. Et, cùm timeant, ne furti pœnas dent, parati sunt ut & loca munita invadant, & oligarchiam constituant, omnemque lapidem moveant, quò vos omni tempore gravissimis involvamini periculis. Hac enim ratione futurum putant, ut ab ipsorum peccatis animum avertatis, & vobis, vestræque Reip. timentes in his quietem agatis, & rationem exigere desinatis.

§ Apophthegm. Christian.

Legatus Anonymus. Inter cætera huius rei exempla haud indecorè se Legati hujus iocus, & libera, jucunda tamen, vindicta offert. Mittebatur à Maxæmiliano I. Cæsare Legatus, ut ab urbe quadam Imperiali extorqueret certam pecuniæ summam. ea tamen lege, ut si dexteritate suâ quidquam impetraret supra id quod imperatum, sibi ut lucrum cederet. Quinquaginta itaque millia aucupatus est. è quibus triginta Cæsari reddidit, residuum suo usui dedicavit. Insperatâ prædâ lætus Imperator, Legatum dimittit. Intereâ Quæstores plus receptum intelligunt quàm redditum, & Cæsarem interpellant, rationem reddat Legatus. Acquiescit Imperator, & accitum hominem, rationem reddat, monet. Ille facturum se spondet ocyùs. differt tamen. At Cæsar suspicatus rationem illi nondum satis subductam, dissimulat. cumque sic illuderet sæpiùs, urgent Quæstores

ut com-

ut compellatur, & quidem statuto dierum termino: ni pareat, multandus graviter. Annuit Maxæmilianus, eumque ad se vocari districtim jubet. verùm is nil veritus, nullâ morâ interpositâ, venit. adveniunt etiam Officiales, ut rationibus præsint. Tum Cæsar, Vbi computus, & promissæ toties rationes? en hîc coràm adsunt, qui excipient. (assidebant autem illi codicillis ad id paratis.) Vbi IVVENIS satis dextrè; *Numquam*, ait, *Cæsar invicte, rationem detrectavi. Verùm cùm experientia & ætas hujusmodi rationum formam & modum mihi nec dum suggesserit; unum peto, ut eos qui assident, utpote longo rerum usu peritiores, jubeas aliquod earum exemplum edere: & videbunt me maximè docilem.* Dicto hominis tactus Cæsar, subridens, Verum, ait, & æquum postulas. eumque ilicò à se dimisit. Subindicabat autem, assessores illos eo modo Cæsari reddere suæ functionis rationes, quo ipse reddiderat: nimirum ut bona pecuniarum publicarum pars penes ipsos remaneret. Vnde pulchrè olim Diogenes, cùm vidisset quemdam ob furta apprehēsum duci per magistratum; Magni, clamabat, fures parvum ducunt. Cui consonat vulgare hoc apud Belgas adagium: Magnos fures crumena, minores mala crux strangulat. *Ioann. Peregrin. Petroselan.*

Plura reperies titulo *Administrorum Principis, Magistratus, Præsidis, Provinciæ.*

Pecuniæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

S. *Isidorus Pelusiota*: Tu quidem pecuniarum atque opum desiderio teneri videris, & quia incurabili morbo laboras, excusationemque huius culpæ captas. Demosthenem, (qui his verbis usus sit, Opibus autem ac pecuniis opus est: ac sine iis, nihil eorum, quæ in rem sunt, fieri potest) adversus nos armis instruxisse, ut qui invicto Oratori reluctari minimè audeamus. Ego verò, quoniam tu in multis quidem tuis verbis meritò paucus & exiguus es, in Oratoris autem illius multus atque ingens (si quidem ille in gravi & amarulento, & commoto ac pugnaci dicendi genere, atque, tum quantum ad sensus: tum quantum ad dictiones attinet, plurimùm ab aliis dissidenti, omnes à tergo relinquit) lubens ex te sciscitor, húncne ut disertum Oratorem, quiq; artis præstantia vim veritati afferre queat, nobis objeceris, an potiùs ut idoneum testem cui fides habeatur? Si enim ut disertum Oratorem, quique affectus tui turpitudinem verbis exornare possit, ei certè (tametsi alioqui hominem veneremur) minimè cedemus, verùm antiquiorem eo veritatem habebimus. Si autem ut fide dignum testem, nos quidem nihil molesti atq; acerbi dicimus (alij enim fortasse ipsum, ut orationis artificio verum obscurare conantem, ac propterea ne dignum quidem qui in testimonium proferatur, repudiarint) verùm iis qui contraria ipsi, & dixerint, & fecerint, in aciem contrà eductis, Lectorum judicio calculū permittemus. Usque adeo videlicet nos ab arrogantia & contumacia remotos esse confidimus.

Quoniam igitur te, ut Gentilem, ac Gentilium dogmata profitentem ex tuis libris subigere oportet adversus invictum Oratorem opponenda nobis est verissima & sapientissima Isocratis admonitio, quæ est hujusmodi: Divitiæ autem vitij potiùs quàm probitatis ac virtutis ministræ sunt: ut quæ licentiam quidem inertiæ afferāt, juvenes autem ad voluptates cohortentur. Hic enim, meo quidem judicio præclarior illo est, non quidem eloquentia (nam ille hac superior est) verùm si quis veritatem expendat, hæc enim ubique apud cordatos viros eloquentiæ laudi antefertur. Quòd si pares inter se nonnullis illi videantur, de hoc contentio minimè excitanda est, verùm illud ostendendum, præclaros omnes viros Isocrati assentiri.

Ac primùm quidem vetus consuetudo proferenda est. Apud veteres enim hoc in more positum erat, ut post convivium lyram caperent, illudque canerent, ô divitiæ, utinam nec in terra videamini: nec in mari. Quod si altero adhuc teste opus sit, justus etiam Aristides testimonio erit: ut qui cùm opes sibi comparare posset, paupertatem amplexus sit: adeò ut urbs Atheniensis & eum extremo vitæ die functum publico sumptu inhumarit, & ipsius filias collata dote viris collocarit. Quòd si tertius quoque testis adhibendus est, calculum feret Thebanus Epaminondas, omnium illius urbis Imperatorum præstantissimus, qui cùm in concionem vocaretur, eo die progredi detrectavit: quòd tum ipsius vestis ablueretur, nec aliam qua indueretur, haberet. Quòd si quartus quoque sententiam etiā Crates feret, qui facultatibus omnibus suis urbis suæ Senatui cessit, dixitque, Crates Cratetem libertate donat. Quòd si etiam quintus, huic sententiæ Phocio subscribet. Nam cùm Alexander Macedo centum ad eum talenta misisset, ex his, qui ea tulerant, percontatus est, ecquid causæ esset, quamobrem ex tam multis Atheniensibus ad eum duntaxat Alexander misisset. Qui cùm respondissent, hac de causa id regem fecisse, cùm eum probum atque honestum virum existimaret: tum ille, Sinat igitur me talem, & esse, & videri. Atque hæc iis, qui munus tulerant, locutus, pecunias quidem remisit, ad Alexandrum autem scripsit, ut, si sibi gratificari vellet, eos, quos Sardis captivos tenebat, dimissos faceret, quod etiam ab eo factum est. Vides quemadmodum officio quoque fungi citra pecunias liceat. Quòd si sextus etiam producendus est, calculum item feret Plato (principem enim jam profero, quem ne reiicere quidem poteritis, usque adeo magnum quendam eximium virum eum esse ducitis) qui ne quis aurum & argentum possideat, interdicit. Quin Lycurgus quoq; Lacedæmoniorum legislator (nam ne septimo quidem calculo deficiemur) capite sanxit, si quis nummum Lacedæmonem importasset.

At si omissis calculis ipsam rei naturam expendere oportet, nullum in humana vita scelus reperietur, quod non ob pecuniarum amorem perpetretur. Ob eas odia, & pugnæ, & bella. Ob eas cædes, & latrocinia, & calumniæ. Ob eas non urbes duntaxat, sed etiam solitudines, non solùm cultæ & habitatæ, sed etiam incultę ac desertæ terræ cruore ac cædibus redolent. Ac ne à mari quidem hoc malum abstinuit, verùm illic quoque ingenti cum furore grassatur, prædonibus illud obsidentibus, ac novum quendam latrocinij modum excogitantibus. Ob eas & cognationis ac necessitudinis leges eversæ sunt, & naturæ sanctiones convulsæ, atque adeò sepulturæ jura labefactata.

Hic enim improbus ac scelestus amor, non adversus vivos duntaxat, sed etiam adversus eos qui mortem obierunt, furum sepulchra effodientium manus armavit: quippe quæ ne eum quidem qui ex hac vita excessit, ab insidijs suis liberum atque immunem esse patiantur. Ac denique quæcunque mala quispiam invenire queat, sive in consilijs sive in judicijs, sive in domibus, sive in urbibus, ex hac radice ea pullulare conspiciet. Verum quid laboro? Omnem enim hujus morbi malignitatem, ne si omnes quidem mortales in unum coierint, explicare poterunt.

Quòd si eum qui pecuniam habeat, vix subigi atque expugnari posse arbitraris, ac propterea rem quendam omni contentione appetendam divitias esse, ego contrarium demonstrare conabor. Ecquem enim non pertimescit qui auro abundat? An non latrones? An non calumniatores? An non amplos ac potentes homines? & quid dico, amplos ac potentes homines? quippe cùm etiam famulos ipsos suspectos habeat. Et quid dicam dum vivere videtur? (neque enim vivit, dum hujusmodi morbo correptus tenetur) imò ne mortuus quidem latronum improbitate liberari potest, nec mors ipsum ab injuria tutum & incolumem servare potest: sed exanime quoque corpus ac sepultum deprædantur, qui huiusmodi sceleribus assueverunt. Vsque adeò periculosa res est opum copia. Neq; enim domus tantùm effodiuntur, sed etiam libitinæ & sepulchra effringuntur.

Quidnam igitur hoc calamitosius ac miserabilius fingi possit, cùm ne mors quidem ipsi securitatem præbet, verùm miserum illud corpus ne vita quidem orbatum huius vitæ calamitatibus defungi potest: quippe cùm ij, qui in hujusmodi sceleribus versari solent, adversus pulverem & terram bellum gerere festinent, & quidem multo acriùs ac molestiùs, quàm cùm vitæ usura frueretur? Nam tum, si ipsis in illius penu ingredi contigisset, exinanitis arculis à corpore utique manus abstinuissent, neq; usq; eò in capiendo progressi fuissent, ut corpus quoque ipsum spoliarent. Nunc verò ne ab hoc quidem sibi temperant scelestæ eorum, qui sepulchra effodiunt, manus, verùm & illud continenter movent, atque undique convertunt, ac cum ingenti crudelitate contumeliis afficiunt.

Etenim, posteaquàm terræ traditum est, illud, tum eiusmodi integumento, tum vestium involucro nudant, atque ita jacere sinunt. Quisnā igitur adeò teter & importunus hostis est, ut divitiæ? quippe quæ & viventiū animæ exitium afferant, & mortuorum corpori contumeliam inurant, ac ne terra quidem illud occultari sinant: quod tamen in commune conceditur, & rei capitalis damnatis, & iis qui in fœdissimis criminibus deprehensi sunt. Nam cum ab his capitis pœnam Legislatores expetiverunt, nihil ultrà sibi inquirendum putant: illos contrà divitiæ post mortem quoque gravissimo supplicio mulctant, utpote quos nudos & insepultos proponant, spectaculum sanè miserum & horrendum. Itaque supervacanea est hæc oratio, quæ illud demonstrare studet, divitias eam vim habere, ut ægrè admodum expugnari possint: quippe cùm ne post discessum quidem è vita securitatem obtineant, qui iis præditi sunt.

Et tamen quis non cum mortuo in gratiam redit, sit licet barbarus, sit bellua, sit execrandus dæmon? Siquidem huiusmodi spectaculum, perquàm etiam rigidum & implacabilem hominem frangere atque commovere potest. Ac propterea, cùm quis mortuum conspicit, etiamsi eum teterrimum & infestissimū hostem habuerit, unà cum ipsius familiaribus & necessariis collachrymat. Adeò omnes communem naturam, legesque ab ea invectas venerantur. At aurum, ne hoc quidem consecutum, pœnam iis, qui se adepti sunt, remittit: verùm eos quoque, qui nulla injuria affecti sunt, hominis mortui hostes reddit. siquidem cadaver spoliare acerborum inimicorum & hostium est. Ac natura quidem hostes quoque ipsi tum reconciliat: at divitiæ, eos quoque qui nihil habent quod objiciat, hostes efficiunt, ac cum ingenti contumelia corpus excruciant. Atqui multa illic sunt, quæ animos ad misericordiam pertrahere queant. Quænam tandem hęc? Nimirum hoc ipsum, quòd mortuus est, quod motu caret, quòd ad terram ac cinerem tendit, quòd nemo præstò est, qui opem ipsi ferat. At nihil horum, ob eam tyrannidem, quam improba hæc cupiditas parit, impuros ac nefarios illos inflectit.

Siquidem acris ille atque inexplebilis pecuniarum amor, instar
crudelis cujusdam & immanis tyranni ipsis astat, sæva illa & inhu-
mana edita ipsis proponens, eosque in feras commutatos ita de-
mum ad sepulchrum ducit.

Cùm igitur (ut ad institutum orationem nostram referamus)
multi ac celebres viri sint, qui divitias prohibuerint, & tanquam
cum virtutis inimico & hoste fœdus ferire detrectarint, eumque
& avaritiæ morbum malorum omnium causam esse demonstratũ
sit, & eos, qui opes adepti sint, non ægrè ac magno cum negotio, sed
facilè expugnari atque opprimi posse constiterit, desine quæso
gravi huic morbo subiici, atque oratorem nobis tanquam murum
opponere. Etenim si judicij tui esset hic calculus, haud longam ora-
tionem haberemus. Nam eum, ut incurabili morbo laborantem,
confectim rejecimus. Quandoquidem autem Oratorem in nos ar-
masti, (quonam pacto id honestè dicam?) ut adversus eum (tametsi
maximo apud nos loco ac numero sit) multos vicissim, qui senten-
tiam illam apertis verbis evertant, armare nobis necesse esset, effe-
cisti. Ac de hac re hactenus.

Quoniam autem perquàm copiosa est veritas, age jam ipsum
quoque Oratorem ostendamus hoc nomine gloriantem & exul-
tantem quòd turpibus lucris superior sit. Quibusnam igitur verbis
usus est? Nec verò quisquam ullum quæstum iis rebus, quas in Rep.
gessi, aut in verbis meis adnexum esse demonstrare poterit. Ad hũc
scilicet modum ipse quoque huiusce magnitudinis nomine gloria-
tur. Quòd si dicas, cur igitur Oratori visum est, sententiam, quæ
tam facilè refellatur, pronunciare? Maximè quidem illud respon-
deam, non à me, sed à te qui ipsum propugnatorem ipsius exigen-
dam esse. Quòd si etiam pro ipso aliquid dicere oportet (opor-
tet autem ut opinor, ne quibusdam absente adversario dimica-
re, vel potiùs vicisse videamur: & quia etiam alioqui tum veri-
tatem amo, tum virum suspicio ac veneror) id, ut potero effi-
ciam.

Hoc igitur aio, alios, omnes rei ipsius natura perfecta & animad-
versa, meritò divitias, ut virtutis hostes, proscripsisse. Oratorem
autem, non rem ipsam per se spectantem, sed ad necessarios belli
usus oculos coniectos habentem, his verbis usum esse. Aliter enim
nec arma fabricari, nec triremes construi, nec annona militibus
dari, nec denique alia omnia, quibus bellum delectatur & exultat,
concinnari sine pecunia poterant. Quodque hoc verum sit, ex eo
constat quod alio loco ait: Ad ea negotia, quæ nunc ingruunt, nulla
omnino re magis, quam pecunia, civitas opus habet. Quæ cum ita
sint, si ille Atheniensibus sive benè, sive malè (id enim mitto) bel-
lum gerentibus consuluit, tu hoc ut generalem atque communem
sententiam ne proferas, aut comprobes, aut eos qui ad quæstum fa-
ciendum avidi sunt beatos prædices, atque imiteris, nec defensio-
nem iis, quæ defendi nequeunt, compares, nec Oratorem ut væcor-
dem, quique facilè refellatur, insecteris.

Nam si quispiam disertum hunc & eloquentem Oratorem exa-
gitare velit (dicam enim hoc quoque post ipsius purgationem. acris
enim, ut jam dixi, veritatis in me amor est.) his verbis utetur: ô cũ-
ctorum Oratorum præstantissime, miror quonam pacto argumen-
ta plerunque in contrarium invertens, nec quicquam aliud eo prius
atque antiquius habens, quàm ut auditoribus id quod cupis persua-
deas, tametsi eloquentiæ omnis & fons, & origo, & regula posteris
extiteris, illud tamen, quod dicturus sum, minimè animadvertisti.
Sententiam enim munire oportebat, ac sic loqui? Pecuniis autem
opus est, ac sine iis, nihil earum rerum, quæ in bello fieri debent, ef-
fici potest. At respondisset fortasse, si superstes esset: Orationis ar-
gumentum totumque elocutionis corpus hoc indicare: verùm ô
vir sapiens (rursum ad eum ille dixisset) probè quidem loqueris.
Nam hoc etiam ille, qui hoc certamen suscepit, antequam pro te i-
pse diceres attulit (usq; adeò nihil contendendi animo locutus est:)
atque & te, & illum vera dicere prorsus credo.

Quoniam autem imperiti quidam, cuiusmodi ille est, qui hoc
certamen instituit, nec argumentum animadvertentes, nec verbo-
rum constructionem exponentes, ipsasque per se res ab eorum quæ
antecedunt, aut subsequuntur, serie avulsas: perpendere cupientes,
& seipsos, & alios in fraudem inducunt, oportebat te sermonem
communire. Ut enim dictus est, leves quidem & imperitos homi-
nes ad pecuniarum studium acuit, atque infinitis malis cumulat:
eruditos autem & sapientes viros, invitos etiam ac repugnantes, ad
condicendum excitat. Quid enim dicere possunt? Quid ais, ô De-
mosthenes? Nihil eorum, quæ oportet, sine pecuniarum adju-
mento fieri potest? Non temperantiæ, non fortitudinis, non justi-
tiæ, non prudentiæ, non philosophiæ, non bonitatis specimen edi?
Hæc enim & congruentia, & cum officio conjuncta quispiam pro-
priè appellarit. Est ita, inquit. Quidnam igitur est quod dixisti?
Nimirum eorum, quæ in bello fieri debent. Ecquid igitur, ad eum
dixeris, hoc in tua oratione minimè posuisti? An tibi multorum in-
ertia ignota est, quòd quæ volunt, eadem etiam confirmant? Imò
verò tu hoc ipsum nos docuisti. Tuum enim est celebre illud ac
verum apophthegma: Quod quisque vult, hoc etiam putat. At
res persæpe haudquaquam ita comparatæ sunt. Quid igitur mole-
stiæ, imò quid non utilitatis afferebat exigua hæc additio: siqui-
dem & te culpa & reprehensione, & alios omnes confusione at-
que tumultu liberasse? Si hæc quispiam ad eum verba habuisset,
sic opinor, & eum ipsi correctionis huiusce nomine gratiam habi-
turum fuisse (prudens enim vir erat) & sermonem emendaturum.
Hac enim ratione nemo jam stultorum imperitiam suam Demo-
sthenica eruditione fulcire ac roborare ausus fuisset. *Libro secund, Epistola 146.*

Chrysostomus: Valde obstupeo in pecuniis quantæ lateant præ-
stigiæ: imò verò non in pecuniis, sed in eorum qui decipiun-
tur animis. Sunt enim, sunt qui hanc valdè irrident imposturam.
Quid est enim in eis, quod sufficiat ad nostros perstringendos ocu-
los? An non est inanima materia? non fluxa & caduca? Annon est
earum possessio incerta & infida? An non timoribus plena est & pe-
riculis? non cædibus & insidiis? non odio & inimicitiis? non socor-
dia & multo vitio? Non est terra & cinis? Quæ insania? quis mor-
bus? At non solùm sunt accusandi, qui eo morbo laborant, inquit,
sed etiam est amor tollendus. Et quonam alio modo tollemus,
quàm si ostendamus eum esse malum & plenum malis innumera-
bilibus? At ei qui amat non est facile persuadere. Pro ea ergo est ei
alia ex adverso statuenda pulchritudo. Sed cùm adhuc ægrotet, in-
corpoream non videt pulchritudinem. Ostendamus ergo corpo-
ream, & ei dicamus: Cogita prata, & qui in iis sunt flores, qui quo-
vis auro sunt lætiores, & omne genus gemmis gratiores & magis
pellucidi. Cogita perspicua fontium fluentia, fluvios qui instar olei
absque strepitu profluunt è terra. Ascende ad cœlum, & vide solis
pulchritudinem, lunæ decorem, astrorum flores. Quid tum, inquit?
Non enim eis utimur sicut pecuniis. Imò verò utimur plus quàm
pecunijs: quatenus eorum usus est magis necessarius, & ijs fruimur
securiùs. Non enim mentis, ne quis eis tanquam pecunijs acceptis
recedat: sed tibi licet de ijs perpetuo confidere, idque citra ullam
curam & solicitudinem. Si autem doles, quòd fruaris cum alijs, &
non solus ea possideas sicut pecunias: non pecuniam, sed solam mi-
hi videris amare avaritiam & plura habendi cupiditatem: nec ama-
res pecunias, si ad omnium communem usum essent expositæ. *Ho-
milia 23. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Sparge pecunias ut justitiam colligas: neque enim
ea cum pecuniis adesse vult; verum per eas quidem, sed non cum iis
nobis adest. non enim fieri potest, ut & pecuniarum cupiditas, & ju-
stitia simul habitent. distinctas quippe sedes habent. quocirca ne
ea jungere stude, quæ jungi nullo modo possunt; verùm pecuniæ
amorem, vel ut tyrannum quandam propelle & abige, siquidem ti-
bi cordi est reginam accipere. hæc enim regina est, homines ex ser-
vitute in libertatem vindicans: cùm contra omnino illa faciat. *Ho-
mil. 20. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Quamdiu pecunias amabimus, non cessabo adver-
sus eas clamare. ea enim sunt omnium causæ. Quousque nulla nos
capit satietas inexplebilis huius cupiditatis? Quidnam pulchri bo-
nive habet aurum? totus plane studeo, hoc plane quædam sunt præ-
stigiæ, aurum & argentum à nobis in tanto honore haberi. Atque
animarum quidem nostrarum nos nullam habemus rationem, ina-
nimas autem imagines valde colimus. Undenam orbem terræ in-
vasit hic morbus? Quis eum poterit exterminare? Quænam ratio
immanem hanc beluam exscindere & penitus delere poterit? Insita
est in animis hominum cupiditas etiam eorum qui videntur esse
pij ac religiosi. Evangelicorum nos pudeat præceptorum: Verba si-
ta sunt solum in scriptura, factis autem nusquam apparent. At spe-
cie quidem pulchrum est quod dicitur à multis. Habeo, inquit, fi-
lios, & metuo ne ipse veniam in necessitatem famis & egestatis, ne
aliis egeam: pudet me mendicare. Propterea ergo facis ut alij men-
dicent? Non possum, inquit, esurire. Propterea alios in famem con-
jicis? Scis quam grave sit mendicare, quam grave fame perire, alios
autem non vereris perimere? Atqui esurire quidem nec probrum
habet nec crimen: in ea autem alios conijcere nõ solum affert pro-
brum, sed etiam ultimum supplicium. Hæc omnia sunt prætextus,
verba & nugæ. Nam quod filiorum causa hæc non facitis, testantur
qui filios quidem non habent, nec habebunt, non secus tamen ve-
xantur & affliguntur, & tantas complectuntur divitias, quantas, si
eas relicturi essent mille filiis. Non est solicitudo de filiis quæ red-
dit pecuniæ avidum, sed morbus animi. Propter eum & multi qui
non habent filios, laborant insano amore pecuniæ. alij autem nu-
merosam habentes sobolem etiam quas habent facultates despici-
unt. Illi in illo die te accusabunt. Nam si susceptorum filiorum ne-
cessitas vim afferret ad colligendas pecunias, oporteret illos idem
habere desiderium, eandem cupiditatem. Si autem non habemus,
furimus, nõ propter filiorum multitudinem, sed propter avaritiam
& pecuniæ cupiditatem. Et quinam sunt, inquit, qui cum filiis pe-
cunias despiciunt? Multi, & crebrò. Si vis autem, dicam etiam de ve-
teribus. An non Jacob habuit duodecim filios? An non vitam egit
mercenarij? An non iniuria afficiebatur à socero? An non ipse eum
sepe sprevit & fefellit? Num magnus liberorum numerus coegit eũ
quod non debuit capere consiliũ? Quid vero Abraham, an non cum
Isaac alios quoq; multos habuit filios? Quid vero, an non ea quæ ha-
bebat peregrinis possidebat? Vides quod non solum injuriam non
faciebat, sed suis etiam bonis cedebat, non solum benefaciens, sed
etiam sua sponte injuria affectus à filio fratris. Nam propter Deum
ferre, dum tua tibi rapiuntur, multo est majus quam benefacere.
Quare? Nam hoc quidem est fructus animi & liberi arbitrij. Unde
etiam fit facile. Hoc vero est insultus & violentia, & facilius quispiã
sua sponte decies mille prodegerit talenta, & existimabit se nihil
grave est passum, quam si ei invito rapti fuerint tres oboli, placi-
de feret.

Quamobrem hoc est magis animæ philosophia. Hoc autem vidimus Abrahamo usu venisse. Vidit enim, inquit, Lot circumcirca sitam regionem, & irrigabatur sicut paradisus Dei, & eam elegit. Ille autem non contradixit. Vides quòd nō solum non faciebat injuriam, sed etiám injuria afficiebatur. Quid tuos filios accusas, ô homo? Nō propterea nobis Deus dedit filios, ut aliena raperemus. Vide ne hoc dicens Deum irrites. Nam si dicis eos esse tibi auctores & causas rapinæ, & quod propter eos pecuniæ colligēdæ inhies, timeo ne eis priveris, ut qui lædant & insidientur. Deus dedit tibi filios ut tui curam gerant in senectute, ut virtutem à te discant. Nam propterea genus hominum ita Deus voluit consistere, duo maxima comparans. Unum quidem, patres magistros & doctores constituens: alterum autem, magnam ingenerans & inserens dilectionem. Si enim temere gignerentur homines, nullus adversus alium ullam haberet habitudinem. Nam si nunc quum sint patres & filii & nepotes, multi multos non curant, multo magis tunc. Propterea filios tibi dedit Deus. Ne accuses ergo filios. Si autem ij quibus sunt filii nullam habent defensionem & excusationem, ij qui nullos habent & cruciantur in colligendis divitiis, quidnam habent quod dicant? Sed ij quoque dicunt aliquid quod caret omni defensione. Quidnam autem hoc est? Ut pro filiis, inquit monimentum habeamus divitias. Plane res est valde ridicula. Pro filiis, inquit, divitiæ erunt immortalis memoria meæ gloriæ. Non tuæ gloriæ, ô homo, sed tuæ avaritiæ erit memoria. Non vides quomodo nunc multi præclaras domos obeuntes hæc dicunt inter se: Quam multa iste nefariè circumveniendo acquisivit, quam multa rapuit ut hanc domum ædificaret? Et nunc ille quidem factus est pulvis & cinis: ipsa vero hæreditaria sorte alij obtigit. Non tuæ ergo gloriæ, sed avaritiæ relinquis memoriam. Et corpus quidem tuū humi est conditum, avaritiæ autem memoriam, quæ diuturnitate temporis latere poterat, non sinis, sed ut eruatur & effodiatur per dominum efficis. Quamdiu enim ea steterit à te habens denominationem, & quæ tua esse dicatur, plane necesse est ut omnium ora adversus te sint aperta. Vides quod melius sit nihil habere, quam talem subire accusationem. Et hæc quidem hic: illic autem, dic quæso, quid faciemus? Tam multorum dominium hic assequuti, ex iis autem quæ habemus, vel nihil, vel pauca admodum impertiti, quomodo quæ iniustè & per avaritiam à nobis sunt acquisita exuemus? Nam qui vult inique & avarè parta exuere, non pauca dat ex multis, sed multis partibus plura iis quæ rapuit, & desistit rapere. Audi quid dicat Zacchæus, Et eorum quæ rapui reddo quadruplum, Tu autem decies mille rapiens talenta, si paucas dederis drachmas, te totum reddidisse existimas, & ita es affectus, tanquam plura dederis, idque vix. Quamobrem? Oportet enim & illa ipsa reddere, & ex iis quæ domi tuæ sunt alia addere.

Quomodo enim fur non illa sola reddens se defendit, sed etiam sæpe addens animam, sæpe autem transigit longe pluribus datis: ita etiam avarus. Avarus enim est fur & latro, illo multo sævior, & immanior, quo etiam magis accedit ad naturam tyranni. Nam ille quidem, quod & clanculum & noctu aggrediatur, ex audacia sceleris multum amputat, ut qui & erubescat & timeat peccare. Iste autem omnem exuens pudorem, nudo capite in medio foro bona omniū rapit, ut qui simul sit fur & tyrannus. Non muros fodit, non lucernā extinguit, nec cistellā aperit, nec signacula resignat & evertit. Sed quid? Ea facit quæ sunt his juveniliora. Is videntibus iis quibus fit injuria, per totam eiicit, cum libertate & fiducia omnia aperit, cogit hos ipsos sua exponere: adeo vehemens & exsuperans est eius violentia. Iste est illis longe impurior ac sceleratior, quo est impudentior & magis tyrannicus. Nam qui dolo quidem aliquid est passus, dolet quidem, sed non parvum habet solatium, quod ille ipse qui injuria afficit extimescat. Iste autem postquam est male passus, etiā despectui habitus, vim ne ferre quidem poterit: magis enim irridebitur. Dic mihi, si quis clanculum cum muliere admitteret adulterium, alius autem vidente marito hoc fecisset, quis maiori dolore affecisset, & ad mordendum fuisset aptior? Nam hic quidem cum eo quod malefecit etiam illum habuit despectui: ille autem, si nihil aliud, ostendit se timuisse eum qui fuerat affectus iniuria. Ita etiam in pecuniis, qui clam quidem accepit, eo ipso honoravit, quod clam acciperet. Qui autem apertè & publice, cum damno probrum etiam intulit & dedecus. Cessemus ergo aliorum bona rapere & pauperes & divites. Non solum enim hæc loquor divitibus, sed etiam pauperibus. Nam si quoque eorum bona rapiunt qui sunt se pauperiores, & ditiores & potentiores opifices eos venūdant qui sunt egentiores & pauperiores, caupones caupones, & omnes qui sunt in foro. non enim in mensura eorum quæ rapiuntur & furto auferuntur, sed in furantis voluntate & arbitrio consistit iniuriam facientis maleficium. *Homil.10.ad Thessalonicenses.*

D. Chrysostomus: Cuius mali pecuniæ causa non sunt? Nónne harum gratia concupiscimus? non rapimus? non ejulatu perstrepimus? non amicitias subimus? non conserimus rixas? non contentiones perpetuas teximus? nónne illæ ad mortuos usque impias extendêre manus? nónne inter parentes & fratres sævierunt? nónne iura naturæ ac præcepta Dei, & omnia prorsus violarunt, qui illarum tenentur desiderio? nónne horum causa judicia sunt instituta? Tolle itaque pecuniarum studium, & omnia mala sublata sunt.

Conquievit bellum, cessavit pugna, inimicitiæ in gratiam redeunt, sedatæ sunt hæreses & contentiones omnes. Oportebat huiusmodi veluti corruptores ac lupos communemque perniciem orbe toto pelli. Quemadmodum enim adversi quidam ac furentes venti, si in mare placidum irruant, ipsum funditus vertunt, adeo ut arena profundi supernis misceatur undis: ita & pecuniæ cupidi omnia penitus miscent, neminem, qui huiusmodi est, amicum novit. Quid autem amicum dicimus? ne ipsum quidem scit Deum, ea rabie detentus insanit: non aspicitis ferro accinctos prodire Titanas? Sunt illa figmenta vesaniæ. At qui sunt huiusmodi, vera potius insania furiunt, atque excedunt. Denique, si nudam illorum animam inspicere liceat, sic instructam invenies, non uno aut duobus, sed mille præcinctam gladiis: nullū agnoscere, sed æque furere in omnes, omnibus insilientem, & contra omnes oblatrantem, non canes, sed humanas animas necantem, atq; impie in cœlum ipsum blasphemantem: hi sunt qui perverterūt atq; perdiderunt omnia, pecuniarum concitati rabie: quos enim alios insimulem, nescio, adeo hæc pestis omnes infecit, alios plus, alios minus, ut nullus ferme sit insons. Sicut enim flamma vehemens, ubi in sylvam incidit, pervertit omnia, & desolatur: ita & ista orbem destruxit universum. Reges, principes, privati, pauperes, mulieres, viri, pueri, omnes æque hac lue detinentur: ac veluti caligo quædā orbem totū obsederit, nemo est qui resipiscat: etsi innumeris quotidie avaritiam insectetur maledictis, nullus tamen emendare vitium studet. *Homil.7.ad Tim.1.*

Chrysostomus: Illa verè nostra sunt, quę nobiscū perpetuò durant. eiusmodi virtutes sunt. nā pecuniæ, ne nostræ quidem, nostræ sunt, ne dum alienæ. sed hodie nostræ, cras verò non nostræ. At verò virtus semper nostra est. neque enim hæc illarum more minuitur: sed cùm adsit omnibus, integra permanet. *2.ad Timoth. fine cap.6.*

Chrysostomus: Is quidem qui pecuniis omnino caruerit, ea concupiscentia non ferè turbatur. nihil enim ita pecuniarum desiderium infert, ut pecuniarum ipsa possessio. Non sic autem in corporum amore contingit, verùm & plurimi ex his qui abscissi sunt inferiorem tamen cupidinis flammam non amisêre: nam ea concupiscentia in aliis instrumentis posita est, ac naturæ penitus insita. Cuius ergo rei gratia ista dicimus? quia scilicet avari ac cupidi fornicatoribus fœdiores atque impotentiores sunt, ex eo maximè quod minori concupiscentia exagitantur. Imò ne concupiscentia dicenda, sed negligentia. nam mulieri quidem, etiamsi quis minimè appropinquarit, natura tamen suum facit. illic nihil tale contingit. *Hom. 5.epist.ad Titum.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui pecuniis superior, nec adversus eos, qui opibus abundant, nec adversus eos, quibus cum contumaci fera, hoc est, cum paupertate certamen est, aliquid præter legem perpetrare in animum inducit. Nam nec illos lædit, pecunias eripiens: nec hos, juris religionem ob munera pervertens. *Lib.3.epist.358.*

¶ LATINORUM.

Egesippus: Antipater moribus apud suos clarus, non tenuis pecuniæ, & ideo prævalidę potentię, arte mira factus ad contemnendam pecuniā propter conciliandam gratiam, &c. *Lib.1.c.14.exc.Hier.*

Idem paullo post: Et quamvis inferioribus esset viribus Aristobulus, præponderavit tamen pecuniæ oblatione. vidētur summa præliaris certaminis talentis trecentis, & justitia postulati pretio pensatur. qua pecunia sibi annunciata, denunciat Scaurus Hircano discedere ab obsidione, aut si permanerēt, scirent sibi adversus Pompejum & Romanos certandum, eo terrore obsidio soluta.

Egesippus: Omnibus necessariæ opes, & maximè in præliorum apparatibus, ubi ex inimicis atque adversariis sæpe cariores efficiuntur. *Lib.1.cap.23 de excid.Hier.*

Zeno Sermone 2.de Avaritia: Inde est, quòd conjuges nuptiali sanctissimo repugnantes jugo pro se quisque nitentes, amore videlicet nimio hæreditatem captat, alter alterius: quòd parentes filios, filij parentes oderunt: quòd amicitia magis in facie alludit, quàm in cordibus commoratur: quod omne genus humanum suo interitu, suisque calamitatibus delectatur, viliorem habens animam, quàm pecuniam. Inde est, quòd justitia, honestas, pietas, fides, veritas, perit: quòd Deus ipse momentis omnibus patitur contumeliam, cujus præcepta contēnuntur: cui cultus, cui amor mundi præponitur: quodvis etenim piaculum, scelus, dedecus, nefas libenter admittit, cuius pręcordia implacabilis cupiditas pestifera flamma repleverit.

Chrysologus Sermone 126.m. Imperat gentibus, jubet regnis, bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes destruit, subdit populos, arces urget, vexat cives, foro præsidet, jus delet, fas nefasque confundit, & ad mortes usque tendendo: fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, solvit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit.

Ennodius: Divites exercitus tuos facies contempta pecunia: adquisita mendicos. *Cap.45.f.Vita Epiphanij.*

Io. Sarisberiensis: Utinam aurum cum argento vilescat, dum sit sola virtus in pretio, & illa quorum usum optima dux vivendi Natura commendat. Pauper itaque tunc non jacebit, neq; dives solius pecuniæ beneficio honorabitur. unusquisque sui ipsius dote erit in pretio vel vilescet. *Lib.4.Policratici cap.5.*

Idem: Quisquis in munere cuiuslibet magistratus aurum quęrit, maculam invenit, sine qua nec acquiri, nec esse potest apud avidum possessorem. Quis unquam pecuniam sine sordatione manuum tractavit diutius? ex ea tamen certè minus manus sordet quàm animus. *Libr.5.Policr.cap.16.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Xenophon: Equidẽ accedere nobis adhuc aliquid pecuniæ velim, ut & ijs stipendia numerare, quibus opus est, abunde possim, & alios militiæ socios pro meritis & dignitate largiendo cohonestare: His ego de caussis quam maximam pecuniæ mihi copiam esse volo. Quamvis autem statuam mihi opus eis esse: libenter tamen vestris parco (nam vos ego nunc amicorum in numero pono) non illibenter ab Indo has accepturus, si daret. Itaque nuntius, cui duces ut detis, atque adjumento sitis, hortor, quum eò venerit, in hunc modum loquetur: Gyrus ad te me misit, Inde, pecunia sibi opus esse dictitans, quod à Persis alium etiam domo exercitum exspectet. Omnino enim exspecto, inquit. Quapropter si tantum pecuniæ, quantum tibi conceditur, ipsi miseris: ait se, si felicem rerum exitum Deus dederit, effecturum studio suo, ut existimes, bene de rebus tuis consuluisse, qui sis ipsi gratificatus. *Cap. 16. libr. 3. Cyropædiæ.*

Xenophon: Non possum, inquit Critobulus, amplius contradicere. Itaque distribuantur sane calculi, ut quamprimum sciam, quid me vel perpeti, vel multæ nomine exsolvere oporteat. Hoc tantum velim, ait, ut clanculum eos ferant. Nam tuas & Antisthenis opes metuo, ne me copia sua opprimant. Puella igitur & puer clanculũ ferebant. Interim Socrates perficiebat, ut lucerna Critobulo admoveretur, ne deciperentur judices: atque etiam ut victori non fasciæ, sed oscula corollarum loco à judicibus decernerentur. Posteaquam ejecti essent calculi, atque omnes pro Critobulo facerent: Papæ, ait Socrates, argentum tuum non videtur esse argento Calliæ simile, mi Critobule. Nam quod ille habet, justiores reddit homines: tuũ vero, quemadmodum alioqui argentum maxima ex parte, tum judices, tum disceptatores corrumpere potest. *Cap. 24. Convivij.*

Lysias cap. 3. Orationis 27 adversus Ergoclem: Video autem ipsos pecuniæ non parcituros, quod mitia & flexibilia videant populi ingenia: sed vitã suam [si fieri potest] redempturos tam ab oratoribus & inimicis, quàm Principibus: atque ita multos Atheniensium pecunia esse corrupturos. Quocirca decere vos puto, ut sumta ab hoc pœna vos purgetis, omnibusque ostendatis, nullas opes esse tantas ut vos flectãt, & ab iniquorum vindicta abducant. Cogitate, Athenienses, quod non Ergocles solus judicatur, sed civitas tota. Nunc enim Magistratui vestro demonstrabitis, utrum præstet ipsos esse justos, an plurimis ærario vestro furto subtractis eodẽ modo, quo hi nunc conantur, salutem quærere.

Apollonius Hestiæo: Virtus & pecuniæ apud nos magnam habẽt diversitatem & repugnantiam. Nam semper alterius diminutione fit accessio ad alterum, & auctione, decessio. Quonam igitur modo fieri potest, ut ab eodem utrumque simul possideatur, nisi fortè imperitorum & rudium opinione, qui virtutem in divitijs ac opibus ponunt. Ne permittas ut qui sunt in eo loco, sic de nobis hallucinẽtur atq; errent, neq; concedas, ut potiùs nos in opulentorũ quàm in Philosophorum numero habeant. Turpissimum est enim vos pecuniarum causa peregrinationes suscipere, cùm aliqui, ut sui memoriã ad posteros propagarent, ne salutarint quidẽ virtutẽ. *epist. 35.*

Iulianus in Caes. de Alexandro Severo: O te hominem amentissimum, & nullius planè consilij, qui ad tantum dignitatis fastigium elatus, tuas res ex animi tui sentẽtia non administrasti: sed tuas pecunias matri commisisti, neque tibi in mentem venit; longè satius fuisse eas amicis impartiri, quàm sic recondere.

Libanius: Philippus fabricam Græcis maximè infestam admoverat, vim scilicet pecuniarum. neq; enim militum copias & castra comparabat in ipsos, neq; urbes capiebat certaminibus: sed aurum largiebatur: emebat præfectos, ac per illos oppida possidebat. Atq; hos morbo per Græciam grassante, ac magistratibus ubique locorum corruptis, unus Demosthenes manus continentes habuit: qui cùm alios locupletatos cerneret: si ipse patriã servaret, in lucro deputabat. *Encomio Demosthenis.*

Libanius: Non vilibus quibusdam & me & seipsum spoliavit. etenim quæ major hominibus mulcta est quam pecuniarum. *Declamat. 9. & 30.*

Basilius Imperator. cap. 24. Excelsum atque invictum Principis animum, non adeò magnitudo dignitatis ostendit, ac pecuniẹ contemptus: in eo enim generositas animæ ejus elucescit maximè: pecuniæ autem contemptus non in eo cernitur, cùm in saccos inutiliter congeritur, & seponitur, sed cùm largè & copiosè in usus necessarios expenditur. Necessarius autem usus nummi, Regi præsertim, plusquam alijs, in promerendis amicis, vindicandisque inimicis versatur: quorum utrumq; rectè facere, is demum verus est pecuniæ sumptus. Si ergò tu in omnibus excelso animo esse vis, esto præcipuè in mentis inductione pecuniæ contemptor. Neque enim ipsa tua pecunia propriè tua solius est, sed communis servorum tuorum, & inopum atque hospitum. Fac te igitur, ut beneficum propriè exhibeas, in eo quod commune est: atq; ita demum excelso animo eris, & prudentiæ laude omnibus conspicuus.

§ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Usque eo se libenter credit orbam mater, ut suos non nisi mortuos agnoscat. Quod si antea ignotum fuit, quantum pecuniæ cupiditas posit, victrix etiam de natura triumphat. *Declam. 388. pr.*

Quintilianus Senior: Quem sibi usum fore pecuniæ ? dicet abnegans depositum. Quod pauperi alioqui, & duorum liberorum parenti (quæ res acerbiorem paupertatem facit) tamen secreta pecunia & abdita affert securitatẽ. nam ut possessiones non pares, ut familiam non emas, non laxiore habites domo; adversus fortunam tamen tutus est: tibi pecunia hoc præstat, ut sis pauper securus. Adjice illud, quod tu de longinquioribus temporibus cogitas. In summa, si vincis, aliquam tamen potes spectare rationem: *Declam. 269. ante finem.*

Eumenius Rhetor: Salarium me liberalissimi Principes in sexcẽtenis millibus nummûm accipere voluerunt. hoc ego salarium, quãtum ad honorem pertinet, adoratum accipio, & in accepti rationes perscribo, sed expensum referre patriæ meæ cupio, & ad restitutionem Scholæ quo ad usus poposcerit destinare. nam primùm omnium in hoc ego maximos esse fructus præmiorum puto, ut digni quibus tribuantur habeamur: siquidem ipse usus pecuniæ bonis malisve artibus partæ promiscuus & vilis est: honestis verò rationibus posse acquirere, summum, etiamsi quæstum remiseris, lucrum est. neque enim Syrus mercator aut Deliacus, aut Indicus ad compendia ista uberrima laudis adspirat, sed raræ atque inter paucissimos opes sunt contentæ meritis conscientiæ. quippe hoc ipso præmij gloria continetur, ne id cupiditate quærendi affectasse videamur: quod hoc uno assequi possumus, si pro accepto ducamus oblatum; ut industriæ sit ad assumendi copiam pervenire potuisse, continentiæ præterisse. An si fortissimi viri in sacris certaminibus summo labore atque etiam vitæ periculo solam vocem præconis. & coronæ testimonium petunt: ego verba illa divina celestesque literas, quibus mihi tanti Principes instituendam iuvẽtutem commendare dignati sunt, non ultra omnium vocum potentiam venerabundus accipiam? non ultra omnes laureas colam? *cap. 12. orat. de instaur. Mantanis.*

Idem mox: Quid igitur mihi cum numerata pecunia? imo quid cum ullis opibus aut Midæ regis, aut Crœsi, aut ipsius qui auro dicitur fluxisse Pactoli, cûm divina hæc testimonia omnibus divitijs, atque ipsis eorum præmijs anteponam? nisi forte Pythiados illius excellentem Socratis sapientiam vaticinatæ, aut magnificentius carmen videtur, aut verius quam Iovij Herculijque pronunciant; quorum ne nutus quidẽ possunt, non modò dicta revocari. *Cap. 16.*

§ POETARUM.

Aristophanes Pluto v. 126.

Ego demonstrabo, quod tu plus ipso Iove
Possis. PL. Egon'? CH. Tu, per cœlum: & nunc illicò
Bonus ille Iupiter, per quem Dijs imperat?
CA. Per argentum: hoc enim illi abundè suppetit.
CH. Age, quis Iovi illud argentum largitur? CA. hic.
CH. Per quem Iovi homines sacrificant? nunquid per hunc?
CA. Omninò: nam huc omnia vota sacrificantium
Redeunt: ut ij ditescant, qui Deum invocant.
CH. An non igitur hic autor sacrorum omnium est?
Et si velit hic, facilè ista omnia desiverint? PL. Quamobrem?
CH. Quia ne unus hominum quidem offerat
Libum deinceps, aut pecudem, aut aliud denique,
Si tu prohibeas. PL. Quomodo? CH. Quomodo? quia
Non erit, unde quis emat, ad libandum quippiam,
Nisi tu præsens ei argentum dederis: ita,
Ut vim Iovis (si tibi molestus sit forsitan)
Tu solus destruas. PL. Quid ais? num homines ei
Per me sacra faciunt? CH. Ita dico: & per Iovem
Si quid præclarum, aut pulchrum, aut gratum denique
Inter homines existit per te maximè
Existit: nam pecuniæ obediunt omnia.
CA. Ego certè, modico ære emtus, miseram servio
Hanc servitutem: quia nummatus non eram.
CH. Etiam Corinthiacas ajunt meretriculas,
Si quando pauper eas sollicitando ambiat,
Nullam rationem eius habere. At si quispiam
Dives: statim illi facere copiam sui.
Hoc ipsum ajunt facere pueros tenellulos,
Non propter amatores, sed quæstus gratia.
CH. At tu hoc non de bonis, sed de meritorijs
Dicito: nam frugi argentum haud expetunt.
CA. Quid ergo petunt? CH. Alius quidem generosum equum,
Alius verò expetit canes venaticos.
CA. Fortasse dum eos pecuniam exposcere pudet,
Hoc prætextu suam tegunt infamiam.
CH. Artes item omnes, omnes præstigiæ & doli,
Inter homines propter te excogitata sunt.
Te propter in sutrina alius corium secat:
Alius ferrum ducit: alius ligna fabricat:
Alius, quod à te accepit, aurum liquefacit.
Est, qui tui causa spoliat: qui parietes
Perfodit: alius fullonem agit: hic pelles lavat:
Hic corium tingit: ille cepas venditat:
Hic deprehensus adulter, vulsuram miser
Patitur: tuiq; hæc studio fiunt omnia.
PL. Ah me miserum, qui isthæc ignoravi hactenus.

CH. Rex ille Persarum, annon, se effert propter hunc?
CA. Et cœtus hominum nunquid fiunt propter hunc?
CH. Quid? num triremes tu non comples? cedo mihi.
CA. Conductum exercitum in Corintho hic non alit?
CH. Non Pamphilus ab isthoc habet, quod lugeat?
CA. Et Belonopoles nonne unà cum Pamphilo?
CH. Nonne Argyrius hunc propter immodeste agit?
CA. Philesius nonne tui causa fabulas recitat?
CH. Nonne propter te auxilium Ægyptiis datur?
CA. An non propter te Lais amat Philonidem?
CH. At Timothei turris? CA. Ea te quidem obruat.
CH. Nonne hæc, quæ dico, propter te fiunt omnia?
Tu namque solus autor & perfector es
Bonorum, quod scias, malorumq; omnium.
CA. Imò etiam in bello plerumq; solet vincere
Ea pars, in quam hic potissimum propenderit.
PL. Egone unus hæc efficere tanta sim potens?
CH. Et per Iovem, hisce multò plura tu potes,
Neq; quemquam hominem tui unquam cepit satietas.
Nam aliarum rerum satietas est omnium:
Amoris. CA. Panum. CH. Musicæ. CA. Bellarium.
CH. Ambitionis. CA. Polentæ. CH. Imperij. CA. Lentium.
CH. Tui autem tædio, nemo unquam affectus est.
Nam si quis accipiat talenta tredecim,
Avidius contendit parare sedecim.
Si & hæc confecerit, quadraginta appetit:
Aut vitam sibi post esse vitalem negat.
PL. Videmini profectò mihi benè dicere.
Hoc præter unum, quod metuo. CH. Quidnam, cedo?
PL. Vereor, ut hanc potentiam, qua præditum
Me vos esse affirmatis, ego unquam consequar.
CH. Sanè verò: sed illud omnes dictitant,
Plutum rem esse timidissimam. PL. Nihil minus:
Sed olim quidam perfossor parietum me ita
Calumniatus est: qui cum in meam domum
Tacite irrepsisset, nihil asportare potuit,
Propterea, quod occlusa repperisset omnia.
Exinde meam fur ille providentiam
Interpretatus est falso formidinem.

Aristophanes Pluto v. 235.

At enim molestum est mihi, Deos testor, domum
Ingredi, alienam præsertim atq; incognitam.
Nam nihil unquam illic habui, quo fruerer, boni.
Si enim mihi contigerit ad sordidum ingredi:
Continuò ille in terra defossum me occulit.
Post, ubi probus quispiam amicus adiuerit, opem
Implorans, & pecuniolæ parum exigens:
Negat ille habere, ac ne vidisse me quidem
Ait: sin ad prodigum hominem divertero:
Scortis, & aleis objectus, temporis
Momento, nudus illinc protrudor foras.
CH. Mediocrem hominem nactus es huc usq; neminem:
At ego tali ingenio sum præditus lubens,
Si quisquam alius, mea comparco: rursum, ubi opus est
Sumptus facio. sed eamus intrò: nam volo,
Vt te uxor videat, & gnatus meus unicus
Quem post te, amo maximè. PL. Credo facillimè.
CH. Cur enim aliquis, quæ vera, tibi non indicet?

Petronius Arbiter.

Quisquis habet nummos, secura naviget aura,
Fortunamq; suo temperet arbitrio.
Vxorem ducat Danaen, ipsumq; licebit
Acrisium jubeat credere, quod Damaën.
Carmina componat, declamet, concrepet omnes,
Et peragat caussas, sitq; Catone prior.
Iurisconsultus Paret, Non paret, habeto,
Atq; esto quidquid Servius & Labeo.
Multa loquor. quidvis nummis præsentibus opta;
Et veniet: clausum possidet arca Iovem.

§ APOLOGI.

De pecunia potius ad malos, quam ad bonos accedente. Fab. 113.

Pecunia interrogata à virtute, cur potius ad malos, quàm ad bonos accederet. Quia boni, inquit, mentiri, peierare, usuram facere, & alios spoliare te magistra non didicerunt. Hæ enim res ad sese me trahere solent. Tunc virtus, malo, inquit, discipuli mei in paupertate degant, quàm sese his vitiis contaminent. Utrisque enim cito moriendum est: Boni in terrarum orbe gloriam relinquentes sempiternam, ad cœlestia regna subvolabunt: Mali autem merita notati infamia relictis opibus suis, ad tartara ima descendent.

Fabula monet, divitias turpiter non congregandas, quæ amatoribus suis hic infamiam, post mortem autem sint datura tormentum. Abstemius.

§ EMBLEMATIS.

Batillius Embl. C C I I.

Nil non expugnabile pecuniâ.

Et stabiles aurum portas, & claustra revellit,
Hac ballista sacram disijcit una fidem,
Aurato cornu multas non irritus urbes
Pulsatas Macedo sic sibi sæpe tulit.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

S. Gerardus Abbas. Rerum in terris nervum Pecuniam Peculatui subiicimus: in qua coacervanda, licet insomnes noctes ducant plures: sanioris tamen mentis alij ejus fœda lucra neglexêre. Restituerat sanitati, divina ope fretus, Arnulphum Comitem Gerardus Abbas. dumque eius rei gratia immensum auri pondus offerretur, recusavit, dicens: *Pecuniæ congeries, apud Monachos præsertim, sunt velut lepra animæ. Frater autem Gerardus non vult esse leprosus, ergo nec pecuniosus.* Doctè & verè Iuven. Satyr. 6.

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles. *Sur. tom. 5. in Vita.*

Vlricus III. Episc. Constant. Licitè tamen, imò providè quandoque pecuniam in bonum usum colligi, auctor est Ulricus Præsul. Quærenti namque cur tantam pecuniarum vim coacervaret: *Vt*, inquit, *his aut hostem vincam, aut cum eo pacem consequar.* Sciebat enim cum magno Julio, potentiam quamvis duabus potissimùm rebus, pecunia & milite, conservari, parari, atque augeri. *Brusch. in Episcop. Germ.*

Petrus Aldobrandinus Card. Rogatus hic quâ viâ contra hostes tutò pugnandum sit; *Non ferro*, inquit, *sed auro.* Ita de Philippo Macedone olim dictum, plura opida expugnasse dando, quàm rapiendo. *Henr. Farnesius in Apopthegm. de Principe.*

Senex Anonymus. Ubi autem vitæ necessaria suppetunt, non esse pecuniis inhiandum, docuêre veterum Anachoretarum plures. & primò, dum cuidam Seniori, quòd mirare, pecuniæ offerrentur, renuit eas accipere: rogatus ut in piorum necessitatem dispensaret, ait: *Duplex id mihi opprobrium futurum, quòd, cùm non indigeam, accipio: & aliena tribuens, vanam gloriam colligo. Climach.*

Anachoreta Anonymus. Alius item non dissimili animo, sibi pecunias donanti, respondebat: *Tu post 70. annos mihi nutrimentum adfers? Ecce tanto tempore infirmus nullo indigui, Deo me pascente. In Vitis PP.*

Mulier Anonyma. Hæc etiam, mirum in avaro sexu, pecuniarum summam sibi largienti, quasi indignata dicebat: *Habeo curatorem meum Deum, & tu illum a me vis tollere? Auct. Serm. memorab.*

Lege Tit. de Contemptu Munerum, & Mercedis.
Item de Liberalitate, &c.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absq; re vivos quis inter mortuus deambulat?
An bonum est pecunia, uti quisq; quo potest male?
Aut amori odiove es non tuo ast meritò pecuniæ.
Cornu Amalthea et perenne est præsto cui pecunia est.
Cui pecunia est, Suadela hunc ornat, huic sua est Venus.
Cum pecuniâ libertas ac fiducia interit.
Cuncta homines amittere malint unam quam pecuniam.
Cura nummorum colenda semper ultimo loco.
Dissipat naturæ fœdus omne amor pecuniæ.
Ducit ad se cuncta nummus, non vi, sed violentiâ.
Filios quidem arctè amamus, sed magis pecuniam.
Imperat Deis, ceu servis, præsto cui pecunia est.
Magnificentius manum adeas quam excubes pecuniæ.
Malo virum pecuniâ egentem quam pecuniam viro.
Momento invenitur atq; perditur pecunia.
Multa perpetrant iniqua vis quibus pecunia est.
Nemo parcè jam periturus dividit pecunias.
Nemini fuitve eritve plus satis pecuniæ.
Neminem pecunia fecit divitem: omnes pauperat.
Non datum imperare cuivis vel sua pecuniæ.
Non homo est sed arca magnam qui occupat pecuniam.
Nullus est locus fame expers ac siti pecuniæ.
Nulla ibi est opum cupido, nulla ubi est pecunia.
Nummorum librâ censemus, haud morum, viros bonos.
Ob pecuniam servire valde mercenarium est.
Omnia in nummis sunt, fiunt perque nummos omnia.
Omnium incantationum mater est pecunia.
Omnibus communis est possessio pecuniæ.
Pignoris vice obsidisq; Patriæ est pecunia.
Plurimum contentionis est circa pecuniam.
Plurimi Monetam adorant numen & Plutum patrem.
Plus habentem quàm ferentem deprimit pecunia.
Possidet Deos cæli omnes arca nummis cui scatet.
Qualis unda, talis est pecunia: huc illuc fluit.
Qui caret pecunia an non vivos inter mortuus.
Quid pecuniarum acervus differt fœdo a stercore?
Quo pecuniosior quis, tanto idem meliore luit.

Quò tibi minus pecunia, & minus periculi est.
Raro dives est virtutis, qui dives pecunia est.
Rebus in bonis censenda neutiquam pecunia est.
Sanguis est, est anima homullis largior pecunia.
Sunt loco pestis crucisq; diviti pecunia.
Tam malis rebus paratur quam bonis pecunia.
Tam nihil munitum est quod non expugnet pecunia.
Tam nihil sanctum ac munitum est, quin cedat pecunia.
Viliorem omnes habemus animam quam pecuniam.

§ JAMBICA.

Animi modus ad rem pertinet, haud pecunia.
Dominum esse, non servum decet pecunia.
Et dignitatem compares pecunia.
Et principatus nervus est pecunia.
Facillimè in alterum amor transit pecunia.
Homini pecunia nil est nisi viaticum.
Iræ Dei nullum eximit pecunia.
Mortalium vis omnis in pecunia est.
Nec est bonum nec est malum pecunia.
Nec res mala est, nec res bona est pecunia.
Nil est quod haud obediat pecuniæ.
Nil est quod ipsi haud serviat pecuniæ.
Nil servitute turpius pecuniæ.
Pecunia, amores cælitum atq; hominum movet.
Pecunia, rerum administratrix omnium.
Pecunia fecit neminem unquam divitem.
Pecuniæ contemptus, fructus maximus est.
Quando appetivit vir sapiens pecuniam?
Qui non habent, optant minus pecuniam.
Radix malorum es omnium, pecunia.
Res nulla non servit libens pecuniæ.
Servit cuiq; aut imperat pecunia.
Tollatur usus, ecquid est pecunia?
Vel splendor oculos nummi recreet aurei.

Peregrinationis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Cæsarius, ut omnis generis mercibus in ingentem navim onerariam, sic ipse omni virtutis ac disciplinæ genere in animam suam collecto, in patriam rursus navigavit, ut pulcras doctrinæ suæ merces aliis etiam impertiret. *Oratione decima in funere fratris.*

D. Nazianzenus: Locorum circuitu angeris, tibique instabilis esse videris, quemadmodum ligna quæ aquis feruntur. Absit vir eximie, absit ut ita affectus sis. illorum enim cursus coactus est, tuus autem circuitus Deo gratus & acceptus: fixumque tibi ac stabile est multis prodesse, quamvis loco minimè fixus sis. Nisi verò quis Solem accuset, quia in orbem currit, radios fundens, atque omnibus rebus quas obit, vitam afferens, aut etiam inerrantes stellas laudans, planetas vituperet, quorum error quoque ipse compositus est atque concinnus. *Epistola 34.*

D. Greg. Nyssenus: Quid igitur est in his quod lædat? Sancta & gravis vitæ institutio eadem omnibus & viris & fæminis proposita est. Peculiaris est vitæ philosophicæ honestas & castitas: quæ in vita sua eaque non mixta ac seorsim acta consummatur, ita ut impermixta sit & minimè confusa natura: neque fæminis in consortium virorum, neque viris in mulierum ad tuenda castitatis & honestatis officia contendentibus. At vero itineris conficiendi necessitas nunquam non diligentem in his observandis in differentiam adducit. Nam tantam viam fæmina, nisi qui eam conservet, habeat, percurrere nequit: tum quia propter naturalem imbecillitatem jumento imponenda est, illincque deponenda: tum quia in difficultatibus tuenda ac servanda. Quicquid autem supponere possimus, sive notum habet, qui ei præstet obsequium, sive mercenarium, qui famuletur, ex utraque parte quod fiet, reprehensionem non effugiet. Nam sive externo se committat, sive domestico acquiescens continentiæ legem non conservat.

Cum autem in locis illis Orientalibus diversoria & hospitia, urbesque in multis licentiam & ad malum indifferentiam habeant, qui fieri poterit, ut qui per fumum ambulet, non exasperetur oculis? ubi inquinatur auris, inquinatur oculus, inquinatur & cor, per oculos & auditum nefanda excipiens, qui fieri poterit, ut non afficiatur, qui affecta loca transgreditur? Quid vero etiam plus est habiturus, qui locos illos adit? quasi vero etiamnum Dominus corporaliter in locis illis degat, atque à nobis abierit: aut veluti Sanctus Spiritus apud Hierosolymitanos abundet, ad nos autem transire non possit.

Atque si ex iis quæ conspiciuntur Dei præsentiam conijcere licet, potius in natione Cappadocum Deum moram trahere quis statuerit, quam in externis locis. Nam quot sunt in iis altaria, per quæ Domini nomen celebratur? Nec sanè quia totius fortasse orbis totidem enumeraret altaria. Deinde etiamsi in locis Hierosolymitanis plus divinæ gratiæ inesset, illic viventium peccatum non tam frequens & consuetum esset. Jam verò nullum est immundiciæ genus, quod apud eos non perpetretur: ac malitiæ, adulteria, furta, idololatriæ, veneficia, invidiæ & cædes, ac tantum inprimis malum illis tam frequens & assiduum est, ut nusquam tanta sit ad trucitandum promptitudo, quanta illis locis inhabitat, ubi beluino more in sanguinem contribulium mutuo incurrunt, frigidi lucri causa. Ubi ergo hæc fiunt, quo argumento intelligas, illis in locis ampliorem gratiam esse? *Oratione de euntibus Hierosolyma.*

Idem paullo post: Emolumenti id tantulum ex itineris confectione habuimus, quod ex collatione cognovimus, nostra externis longè sanctiora esse. Unde vos qui timetis Dominum, in quibus locis estis, eum laudate. Localis enim mutatio, ut Deus propior sit, non efficit: sed ubi ubi fueris, ad te Deus veniet, siquidem animæ tuæ diversorium tale inveniatur, ut in te Dominus inhabitet, inambuletque: sin hominem interiorem perversis cogitationibus plenum habeas, etiamsi in Golgotha fueris, etiamsi in monte Olivarum, etiamsi sub monumento resurrectionis, tantum à Christi in animū tuum receptione abes, quantam qui ne ab initio quidem fidem professi sunt. Consule ergo dilecte fratribus, ut à corpore peregrinentur ad Dominum, non è Cappadocia in Palæstinam. Quodsi quis obiiciat Domini vocem discipulis præcipientem, ne discederent ab Hierosolymis: intelligat quid dictum illud voluerit. Cum sancti Spiritus gratia & dispersio nondum venisset Apostolis, jussit eis Dominus eodem in loco simul manere, donec induti essent virtute ex alto.

D. Io. Chrysostomus: Prima est virtus, atque adeo universa virtus, esse huius mundi hospitem & peregrinum: & cum iis quæ hîc sunt rebus & negociis nihil habere commune, sed ab eis pendere, tanquam ab externis. *Homilia 24. epist. ad Hebræos.*

§ LATINORUM.

Chrysologus: Peregrinanti reditus ad propria dulcis semper & charus est, & vernaculæ domus vestibula sunt gratiora post tempus. *Sermone 114. pr.*

Ennodius: Est longum iter agentibus in usu positum, ut non omnes obvios consalutent. *Vitæ Epiphanij extremo cap.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Chion: Reddidit mihi tuas literas Bianor, quibus me reverti jubes. Etenim quinque annorum spacium ad quamvis peregrinationem satis esse. Meam autem nunc sexti anni principium attingere. Me verò quantùm teneat desiderium, tum vestri, tum patriæ, vos probè novistis. Sed idem hoc desiderium videtur mihi necessitatem imponere commorandi diutiùs Athenis. Malo enim prodesse quàm vestris affectibus obsequi. Hanc vim sola possidet philosophia. Quinquennium vero non solum ô pater ad philosophiæ studia: sed ne ad mercandum quidem sufficere videtur. Verùm hi minora tenuioraque sequuntur. Nos autem virtutem mercamur, alia re nulla quàm indole, sedulitate & tempore venalem: ex quibus priora duo non usque adeò nos destituunt. Sed tempore nobis est opus. Quòd si ad hoc alterum quinquennium expleverimus, Deo nos incolumes servante revertemur. Te verò quo animo nostrum discessum tulisti, eodem etiam moram tardationemque ferre æquum est, ideoque eò magis cùm scias non ad disciplinam enavigando, sed in ea commorando cum diligentia, probitatem atque doctrinam comparari. *Matridi.*

Lucianus: Causa autem huius peregrinationis & argumentum fuit animi curiositas, & novarum rerum cupiditas, cùm scire vellem tum quis Oceani finis esset, tum qui homines ultra Oceanum habitarent. *Lib. 1. Veræ historiæ.*

Arrianus lib. 2. cap. 16. Quæ ergo sunt quæ nos onerent, & extra nosmetipsos rapiant? Quæ alia, nisi nostræ opiniones. Nam eum qui peregre abiens, à familiaribus, amicis, locis, consuetudine recedit: quid aliud est quod oneret, nisi opiniones? Pueri quidem cum primum plorant nutrice paulum digressa, placentula accepta ploratus obliviscuntur. Vis ergo, uti nos te quoque pueris comparemus? Non medius fidius. Neque enim velim placentula me ita deliniri, sed rectis opinionibus. Quæ autem illæ sunt? Eæ quas hominem totos dies meditantem, nullis externis rebus affici decet: non sodali, non loco, non gymnasiis, imò ne suopte quidem corpore: sed meminisse legis, & eam ob oculos habere. Quid autem lex divinitus præscripta jubet? Sua tueri, & aliena sibi non vendicare: sed iis & cum dantur uti, & cum non dantur, ea non desiderare, & cum quis eripit, restituere, expedire & statim habere gratiam, pro eo tempore, quo utenda dedit, nisi velis ut nutricem aut materculam vocemus. Quid enim interest, qua re vincaris, & unde pendeas? Quanto præstantior eo es qui ob pupam plorat, si ob gymnasium, ob porticus, ob adulescentulos, & eiusmodi congressus luges? Alius id ægre fert, quod Dirceam aquam non amplius bibiturus sit. Num Martia deterior est Dircæa? At illi assueveram. Etiam huic assuesces.

Deinde ubi & hac delectaberis, luge, & quære versum Euripidæo similem: Thermas Neronianas Martiamque aquam. Viden' ut tragœdia oriatur cum res leves in stultos homines inciderunt? Ah quando Athenas & arcem iterum videbo? Miser, non satis ea tibi sunt, quæ quotidie vides? Potésne præstantius aliquid aut majus sole, luna,

le, luna, stellis, terra universa, mari? Quod si rem vere intelligas, etiam universitatis gubernatorem circumfers, in temetipso. Adhuc desideras lapillos & rupem elegantem? Quid facies, ipsum solem & lunam relicturus? Sedebis plorans ut pueri? Quid ergo in schola faciebas? Quid audiebas? Quid discebas? Quid Philosophi nomen usurpabas, cum ea tibi usurpare posses quæ habes? te introductiones quasdam confecisse, te Chrysippi libros legisse, philosophi autem ne januam quidem præteriisse. Nam quid ea res ad me attinet, quæ ad Socratem attinebat, qui ita mortuus est? Ita vixit? Quæ pertinebat ad Diogenem? Cognovisti horum aliquem plorasse aut succensuisse, quod istum aut istam visurus non esset: Quod Athenis aut Corinthi non futurus esset: sed fortasse Susis, aut Ecbatanis.

Nam cui licet abire de convivio cum volet, & non amplius ludere, is nunquid adhuc se manere dolet? non autem tamquam ludo interest, quoad eo delectatur? Is scilicet exilium perpetuum sustinebit, aut condemnationem ad necem? Non vis tandem, ut pueri, ablactari, & cibum capessere solidiorem? Non deplorare mammas desines, & nutriculas aniles nomenclaturas? At illis discedens molestus ero. Tu eis molestus eris? Nequaquam vero tu, sed eadem quæ tibi opinio. Quid ergo facere potes? Tute tuam abijcito: abijcient & illæ suam, si sapient, ipsæ, alioqui suapte culpa plorabunt. Homo jam tandem id quod de successu, de libertate, de animi magnitudine dicitur in animum revoca. Cervices tandem erige, tanquam servitute liberatus. aude tandem sublatis ad Deum oculis dicere: Tracta me posthac arbitratu tuo: ejusdem tecum sum animi: susque deque fero: nihil recuso, quod tibi videbitur: quo voles ducito. Vis me fungi magistratu? privatam agere vitam? manere? exulare? pauperie conflictari? opibus abundare? Ego te in his rebus omnibus apud homines defendam: ostendam quale sit rei cujusque ingenium. Non ita: sed potius in ventre bovis sedens, exspecta materculam tuam dum te pascat. Hercules si domesticis suis assedisset, quis fuisset? Eurystheus, non Hercules. Age vero, terrarum orbem peragrando quot familiares, quot amicos paravit? Sed Deo nihil ei fuit antiquius: eaque de causa, filius Iovis est creditus ac fuit.

Illi igitur obtemperans circumibat ut injuriam & iniquitatem expurgaret. At non es Hercules, nec aliena mala purgare potes? Ac ne Theseus quidem es, ut Atticæ mala purges? Tua ipsius purgato: ex animo eiice loco Procrustis & Scironis, dolorem, timorem, cupiditatem, invidiam, malevolentiam, avaritiam, mollitiem, intemperantiam. Hæc vero aliter eijci non possunt, nisi ad solum respicias Deum, eique soli sis addictus, & illius mandatis initiatus. Sin quid aliud voles: gemens & plorans sequeris robustiorem, foris subindè quæritans prosperum successum, cum successum nūquam invenire queas: & qui illic eum quæras, ubi non est, omisso eo loco in quo est.

Dio Prusæus: Proinde administratione nunc primum habita, quum magna à multis essem affectus injuria (quemadmodum verisimile est affici, post tot exilii annos redeuntem) & adversus quosdam ne iudiciis quidem opus haberem, sed tantum dicto & mentione, de occupatis tamen apud neminem neque mentionem neq; sermonem feci ullum. Quanquam tot servi in libertatem descivissent, totque pecuniæ essent ablatæ, tot denique prædia detinerent. Porro etiam Vlyssi, patrem domi relinquenti, & uxorem probam, & amicos, contigit ut contemneretur ob peregrinationem. Atque ita quum domum reliquisset suam, quidam convivabantur, exhauriebantque potantes singulis diebus vinum, mactabantque pecora: denique neque ab uxore abstinebant sed invitam compellebant nubere, relicto viro atque domo. Et me non verisimile erat à multis hujusmodi multa passum esse, quum omnes me desperassent, nemoq; amplius salvum fore expectaret? *Oratione 45.*

Arrianus: Quæ caussa est cur Philosophi è patria discedendum suadeant? Quod veteres mores animos distrahant, nec aliam consuetudinem admittant. non ferimus ob vios dicentes, Ecce istè philosophatur. cum talis & talis sit. Sic medici quoque diuturnis morbis oppressos, in aliam regionem, aliumque aerem ablegant. *capite 16. lib. 3. Epicteti.*

Philostratus: Apollonio subiit cogitatio proficiscendi ad Indos, ut ibi qui sunt sapientes intueretur: Brachmanos & Hyrcanios appellant. ajebatque adolescenti maximè convenire, ut quàm longissimè à patriæ finibus peregrinaretur. cogitabat & Magos convenire, qui Babyloniam Susasq; incolunt, multa ab eis discere sperans. *l. 1. c. 13.*

Philostratus: Aeschines Lysaniæ filius in Siciliam ad Dionysium pecuniæ caussa navigavit, & Plato in Siciliam itidem navigans, ter Charybdim præternavigasse dicitur divitiarū caussa. Aristippus insuper Cyrenaicus, Cyziceus Helicon, & Phyton qui ex regio aufugit, eodem profecti sunt omnesq; Dionysij thesauris ita se immersère, ut vix inde divelli possent. Præterea Guidium Eudoxum pecuniæ caussa in Ægyptum profectum, idque etiam fateri ausum, & hanc cum rege adventus sui caussam communicasse perhibent. sed & Speusippum Atheniensem usque adeo pecunias amasse tradunt, ut in Cassandri nuptiis Macedoniam usque sit profectus: poemata sanè satis frigidè admodum composita ferens, ea publicè pecuniarum gratia recitaverit. *l. 1. Apollonij cap. 22.*

Heliodorus: Vita hercle quæ in errore agitur, inscitiā tanquam cæcitatis tenebras offundit eis qui in peregrinis terris & exteris nationibus versantur. *l. 7. Aethiopicorum.*

§ ROMANORUM.

Tullius: Omnis peregrinatio (quod & ego ab adolescentia judicavi) obscura & sordida ijs, quorum industria Romæ potest illustris esse. *l. 2, Epist. famil. 12.*

Plinius Iunior: Habet multum jucunditatis soli cœlique mutatio: ipsaque illa peregrinatio intersita. *circa med. Epistolæ 19. libri 3.*

Plinius Iunior: Ad quæ noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus; ea sub oculis posita negligimus: seu quia ita natura cōparatum, ut proximorum incuriosi longinqua sectemur: seu quod omnium rerum cupido languescit, cùm facilis occasio est: seu quod differimus, tanquam sæpe visuri, quod datur videre, quoties velis cernere. Quacunque de caussa, permulta in urbe nostra, iuxtaque urbem, non oculis modò, sed ne auribus quidem novimus; quæ si tulisset Achia, Aegyptus, Asia, aliave quælibet miraculorum ferax commendatrixque terra, audita, perlecta, lustrataque haberemus &c. *Epist. 20. l. 8.*

Symmachus l. 5. Epist. 12. Frustra speravi de peregrinatione solatium, cùm omnium locorum mœsta facies nullas ægro animo præstet inducias. An quisquam tam duro ingenio natus est, ut multorum curis doloris vacuus intersit? Quod si verum concedis, me etiam crede inter anxios usum ipsum lætitiæ quodammodo amisisse.

Symmachus: Athanasius vir clariss. peregrinationis injuriam iusto dolore suscepit. nam pactæ ei & nobis arbitris junctæ obligatione pignorum nuptiæ denegantur *l. 7 Epist. 120.*

Symmachus: Video peregrinationi, quæ morbi instar est, damnum sanitatis adjectum. *l. 8. Ep. 31.*

Symmachus: Est familiare mœrentibus, animi curas migratione discutere. *l. 9. Ep. 64. f.*

§ POETARUM.

Aristophanes Ranis v. 112.

Veni huc, ut mihi si opus sit, monstres hospites
Tuos quibus utebaris, cùm ad Cerberum
Descenderes. Velim ergo dicas ordine
Portus, popinas, diversoria, ganeas,
Deflexiones, fontes, urbes, itinera,
Victus, cauponas, in quibus paucissimi sint cimices.

Guntherus lib. 1. v. 669.

Omne solum forti patriam cuique esse putarant,
Ausi sunt tota, spretis natalibus agris,
Demigrare domo, nomen, gentemque domumque
Optantes peperisse sibi: nec Gallica tantum
Rura, sed abruptas excelsis rupibus Alpes
Festino transire gradu: tandemque per urbes
Italiæ, Latiasque domos, quasi debita rura,
Apuliam, Calabrosque viri petiêre penates.
Regia sic volucris, primas ut crescere plumas
Artubus, & teneros durescere senserit ungues,
Naturæ sectatur iter: iamiamque parentum
Officio contemnit ali, nidoque relicto.
Egreditur, parvoque pudet latuisse cubili:
Mox confisa sibi securo tuta volatu,
Aut leporem venatur agris, aut æthere cygnum
Corripit, & proprios in acuta rupe penates
Ædificat, similesque sibi parat edere fætus.

§ EMBLEMATIS.

Camerarius XCIII. Cent. 3.
Morerer extra. Pyrausta in fornace.
Turpe est in propriis fixum consistere testis,
Nec cœlo annata conditione frui.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Simeon Priscus eremita: Nos qui persequimur vitam monasticæ exercitationis, & quietem amamus, tamen per deserta erramus, in monte Sina cupientes adorare Deum universorum; in quo cùm Mosi servo suo apparuisset, dedit legum tabulas: non quòd existimemus Deum esse loco circumscriptum: (audimus enim eum dicentem, Cœlum & terram ego impleo, & quod contineat terræ ambitum eósque qui in ea habitant, tanquam locustas) sed quoniā ij qui ardenter amant, non solùm amatos desiderant, sed etiam illis loca grata sunt & jucunda, in quibus ii fuêre præsentes, & in quibus versati sunt. *Theodoret. hist. sanct. Patrum Vita 6.*

Divus Fulgentius: Veniens ad mœnia Carthaginis, uno tantum fratre, cui nomen erat Redemptus, socio peregrinationis electo, navim conscendit Alexandriam petiturus: nullos fortè sumptus tantæ peregrinationi necessarios secum ferens, sed in Deo qui dives est spem suam firmiter ponens, suaviter canebat cum Davide, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. *Autor Vitæ. c. 12.*

Albertus Abbas Stadensis. Is circa annum Christi 1256. floruit, & Chronicum scripsit nuper editum, in eo superstitiosulorum quorundam discursationes perstringens, dicebat, Fortè ibis aliquando sepulchrum Domini visitare. Tunc cogita quod dicitur.

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Vix aliquos vidi, imò nunquam, qui redierint meliores vel de transmarinis partibus, vel de sanctorum liminibus: quod debita

devotione nec exeunt, nec redeunt. Deberent enim tali cogitatione proficiſci, quaſi eſſent de ſeculo migraturi. *In Chronico.*

APOPHTEGM. CHRISTIANOR.

Philoromus Presbyter: Longum eſſet ſingulas ætates decurrere, quot viri ſancti & religioſi, loca ſancta, pietatis ſtimulis permoti, venerati ſint, & è longinquis regionibus ſalutarint. Qui ſane ad virtutum apicem ſe aſcenſuros non poſſe exiſtimabant niſi Chriſtum Sanctosque iis adorarent locis, ubi vel mortem paſſi, vel certè crebris miraculis à Deo illuſtrantur. adeoque eis erat glorioſum, adoraſſe Dominum in loco ubi ſteterunt pedes eius. Ex his Philoromus, quamvis vitæ innocentia præcelleret: quoties tamen Terræ ſanctæ mentio incidebat, gloriabatur palàm: *Gratias Deo ago, quòd me dignum reputarit, qui bis pedibus loca in quibus Filius eius paſſus eſt, ſalutaverim.* Pallad. in Lauſic. cap. 113.

Ioan. Epiſc. Hieroſ. Venerat ad loca ſancta peregrino vilique habitu Theodoſius Imp. cumque templi limen ingrederetur, ſubitò lucernæ omnes extinctæ, ac ſtatim divinitus accenſæ. Miratur æditus, eumque (cognoverat enim à Deo intrinſeca revelatione quis eſſet) ad Ioan. Pontificem adduxit. qui eo viſo; *Verè tu beatus es,* inquiebat, *qui, cùm Imperatoris perſonam ſuſtineas, tam vili habitu ad loca hæc ingreſſus es.* Cedren. in Theod.

Require Paſſio Christi.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad peregrinationem quamque ſex anni ſatis.
Alites multi quotannis de ſolo in ſolum migrant.
Arboris vetuſtæ, intempeſtiva tranſplantatio eſt.
Bis viginti annis minori intuta peregrinatio eſt.
Eſt quibus domi unde diſcant, cur foris quæſo idpetant?
Hoſpites multi, haud amici, ſunt peregrinantibus.
Navigant lucri modo omnes gratia, haud ſcientiæ.
Non Hieroſolymis fuiſſe laus, vixiſſe ſed bene.
Ob cupidinis ſignum unum viſebantur Theſpiæ.
Pluribus peregrinatus utitur mendaciis.
Qui libenter eſt peregrè patriam non diligit.
Qui diu peregrinatur, multa negligit domi:
Qui peregrè eſt ſcire quærit cuncta quæ fiunt domi.
Qui peregrinatur, animi fit ferè modeſtior.
Vita noſtra quæſo quidnam eſt, quàm peregrinatio?

¶ Jambica.

Circumciſæ ſunt peregrinantium ſarcinæ.
Cùm deambularis multum, redeundum eſt domum.
Curas dolenti diſcutit migratio.
Diſcrucior animi, quia ab domo abeundum eſt mihi.
Humana amat cupido ignara viſere.
Morbi inſtar eſt ſenibus peregrinatio.
Quid noſtra vita quàm peregrinatio eſt?

Peregrini.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. Nazianzenus: Peregrinus ad genua tua procubuit, domo carens, advena: per Chriſtum eum excipe, qui propter te peregrinatus eſt, idque in ſuis regionibus, quique per gratiam ad te immigravit, teque in cœleſte domicilium pertraxit. *Orat. 40.*

Syneſius: Quæ aliena ſunt, cum corporis partibus in eiusdem ſani temperamenti concordiam coaleſcere nequeunt. quare alienum omne, ut à corporibus, ita à civitatibus excerni oportere, tam medici quam imperatores dixerunt. *Oratione de regno.*

¶ Oratorum Graecorum.

Philoſtratus: Quod peregrinus cùm ſim te depereo, ne tibi mirum accidat. Non poſſunt oculi hoſpitalitatis damnari. Etenim pulchritudo eorum quaſi quendam ignem incendit, & oportet partim fulgere, partim continuò exiſtere. Diſcrimine verò non opus eſt, auribus neque oculis, ſed ſunt & peregrinis & civibus animi nūcii. At non Branchus Apollinem fugit ut peregrinum, neque Hylas Herculem, non Licymnius Radamanthum, neque Patroclus Achillem, neque Chryſippus Laium. Deperiit etiam Sinerdiam Polycrates Samius, & Perſicum adoleſcentem Ageſilaum. Nomen adoleſcentis non novi. Peregrini ſunt etiam imbres in terra, & fluvii in mari, & Aſclepius apud Athenienſes & Iupiter apud nos, Nilus apud Ægyptios, & ſol apud omnes. Hoſpes etiam eſt animus in corpore, & Philomela in aere, & hirundo in domo, & Ganymedes in cœlo, & Alcedo in petra, & Elephas apud Romanos, & ales phœnix apud Indos. Hic quidem peregrinus & tardus. Ciconiam verò cùm primi conſpexerint, etiam adorant. Et peregrinæ literæ. Venerunt enim è Phœnicia, & Sirenum nymphæ, & Magorum Theologia, quibus omnib. maiore cum delectatione utimur quàm domeſticis. Quod illorum rara eſt poſſeſſio, in his domeſticum negligitur. Melior etiam amator peregrinus, quantò ignoratione extra ſuſpicionem magis poſitus eſt, & ad latendum obſcurior. Si verò manente opus eſt, inſcribe me tu & Iuppiter eſto. Fratrius & Apollo paternus. Tribus autem amoris. *Epiſt. 46.*

Idem: Pulchram & honeſtam decet ex ingenio moribusq; amatorum delectum ſcribere, non à genere. Etenim peregrinus, æquus ac bonus eſſe poteſt, & civis pravus ac malitioſus, quò etiam ſapiētiæ propior eſt. Indigena igitur nihil diſcrepat à lapidibus & omni permanente, quorum ſtabilitas neceſſitate deiuncta eſt. Peregrinus verò, celerrimis diis ſimilis eſt ſoli, ventis, & aſtris & amori, à quibus ego quoque volucer factus huc perveni, meliori cauſſa adductus. Ne meam ſupplicationem contemnas. Non enim Hippodamia Pelopem aſpernata eſt, quamvis peregrinum ac barbarum, neve Helena eum quæ propter ipſam aderat, neve Phyllis illum de mari progreſſum, neque Andromeda eum qui ad ipſam advolarat. Hoc enim viderunt, ab indigenis unam ſe civitatem accipere, à peregrinis multas. Quod ſi videtur, age, fœderibus conſtituatur, aut hîc uterque maneamus, aut ſimul illò diſcedamus Non accipis hanc cōditionem. Intellige igitur, piſcem fieri peregrinum non poſſe. Gaudeat autem eiuſdem & unius terræ mutationibus. Quid enim ſunt aliud patriæ, quàm formidoloſæ commenſiones ſordidorum & illiberalium legislatorum, terminis ac portis ſua deſcribentium, ut benevolentiis & amoribus in anguſtum cogamur, & metu ne ultra tabellam localis amicitiæ fiat tranſgreſſio, prohibeamur. Atqui ego quoque ſum amoris peregrinus & tu pulchritudinis. Non enim nos ad hæc acceſſimus, ſed ipſa ad nos pervenerunt, & præſentia illorum nos libenter ac ſuaviter excepimus, ut aſtrorū præſentia, qui naves agunt. Quòd ſi mihi peregrinitas nihil eſt ad amorem impedimento, ne tibi quidē obſtet quo minus amantes intelligas ac ſentias mox fugitivum acciperes ſponſum. quemadmodum Adraſtus Polynicem & Tydeum quos generos aſcivit, ad regni vindicationem. Si quis excludit etiam peregrinum, volentem accendere ignem, at urentem ac flagrantem extingue. Ne Laconiſſes ô uxor, neq; Lycurgum imiteris. Peregrinorum expulſionem amor non patitur. *Epiſt. 47.*

Philoſtratus: Ne carpamus, inquit Apollonius, Lycurgi leges peregrinos ex regione ſua depellentes. oportet enim intelligere viri mentem. Neque enim reſpexit ne peregrini indigenis miſcerentur, ſed ut ſuæ regionis mores integros puroſque ſervaret, nullis externis intervenientibus. Ego autem, inquit Theſpeſion, verè Spartanos putarem viros, ſi etiam inter externos degentes, domeſticos tamen mores conſervarent; propterea quod non ſolum abſentibus, ſed etiam præſentibus ſimiles viderentur. Oportebat igitur virtutes acquirere: ipſi verò expulſionem peregrinorum ſervantes, mores tamen ſuos corruperunt; & Græcorum quibus maximè adverſabantur, facta imitati ſunt. *l. 6. c. 10. vita Apollonij.*

Heliodorus: Sum & ipſa natione Græca: Lesbia ſcilicet, captiva quidem huc deducta; cæterùm ſucceſſu fortunæ meliore quam domi utens. Sum enim Dominæ omnium rerum miniſtra, & tantum non per me ſpirat & videt; ſed mens illi & aures, & in ſumma, omnia ſum ego. *l. 7. Aethiopicorum.*

¶ Romanorum.

Cicero: Peregrini & incolæ officium eſt, nihil præter ſuum negotium agere, nihil de alio anquirere minimeque in aliena republica eſſe curioſum. *l. 1. de Officijs.*

Idem: Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud patres noſtros, Papius nuper. nam eſſe pro cive, qui civis non ſit rectum eſt non licere; quam tulêre legem ſapientiſſimi conſules Craſſus & Scævola. Vſu verò urbis prohibere peregrinos, ſanè inhumanum eſt. *l. 3. de Offic.*

¶ Poetarum.

Terentius Eunuchi 4. ſc. 6.

Imò hoc cogitato. qui cum res tibi eſt; peregrinus eſt,
Minus potens quam tu, minus notus, amicorum hîc habet minus.

Citat. Cicero l. 7. Ep. fam. 6.

Multi ſuam rem bene geſſêre, & publicam patria procul:
Multi qui domi ætatem egerunt, propterea ſunt improbati.

¶ Apologorum.

Piſcis Fluviatilis & Marinus. Avienus.

Dulcibus in ſtagnis fluvio torrente coactus
Aequoreas præceps piſcis adibat aquas.
Illic ſquamigerum deſpectans improbus agmen
Eximium ſeſe nobilitate refert.
Non tulit expulſum patrio de gurgite phoca
Verbaque cum ſalibus aſperiora dedit:
Vana laboratis aufer mendacia dictis:
Quæq; refutari te quoque teſte valent.
Nam quis erit potior populo ſpectante probabo,
Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur auro
Te ſimul ære brevi debile vulgus emet.
Quiſquis ab externis nuper devenerit oris,
Non decet indigenis ut velit eſſe prior.

Abſtemius De Mure in ciſta nato. Fab. 1.

Mus in ciſta natus, omnem ferè ibi duxerat ætatem nucibus paſtus, quæ in ea ſervari ſolebant. Dum autem circa oras ciſtæ ludens decidiſſet, quæreretque aſcenſum, reperit epulas lautiſſimè paratas: quas cum guſtare cœpiſſet, Quam ſtultus inquit, hactenus fui, qui toto in terrarum orbe nihil melius ciſtula mea eſſe credebam. Ecce quàm ſuavioribus hic veſcor cibis.

Hæc fabula indicat, non ita patriam diligendam, si ignobilis sit; ut alia non adeamus loca, cum alibi beatiores esse possimus.

§ EMBLEMATUM.

Camerarius 64. Centur. 1.

Mollis fuit herba sub undis.

Qui sapit, ille animum peregrino obdurat in orbe;
Coralium extra undas sic abit in lapidem.

Camerarius 84. Cent. 3.

Incerta sede vagantur.

Ut celer huc, sed mox volitat passerculus illuc,
Sic nusquam est, quisquis vivere ubiq; volet.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

A peregrinis docere pulcra quæq; quid vetat?
A peregrinis petantur non habemus quæ domi.
A peregrinis petantur pulcra queis cares domi.
Doctus in locis alienis civis est non exterus.
Negligunt externa cuncta, pax quibus desit domi.
Nemo non peregrina rebus antefert domesticis.
Non placent nisi empta magno, non placent nisi extera.
Pauperes iuva peregrinos: exul esse nam potes.
Plus peregrinis faveto, Rex, tuis quàm civibus.
Pulcra cuncta quæ peregrè sunt, domum infer in tuam.
Quæ facis homini peregrino, spera item jam exul tibi.
Quis peregrinos periclo divites fecit suo?
Qui suis non est propinquis, extero quei sit bonus?
Sint licet vicina, audire aut cernere haud vacat bona.
Turpe non est à peregris mutuari queis cares.
Urbe arcere peregrinos, remedium inopiâ acerbius.
Ut census peregrini, ita animus eius est angustior.

§ JAMBICA.

Dignare honore quo cives & advenas.
Etiam exterorum honestum virtutes sequi est.
Etiam in Quirites regnaverunt advenæ.
Fides tyranni maxima erga extraneos.
Foris petantur pulcra, si non sunt domi.
Maior peregrini ratio sit quam civium.
Peregrine nullis te implica negotiis.

Perfecti.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

CLemens Alexandrinus: Honorabile connubiũ in omnibus, & totus immaculatus. Fornicatores autem & adulteros judicabit deus: Cum unus utique scopus & unus finis, & viro & mulieri sit ostensus, de eo qui est perfectus dicit Petrus in Epistola: Modicum nunc; si oportet, tristitia affecti in varijs tentationibus, ut probatio vestræ fidei multo preciosior auro quod perit, & per ignem est probatum, in veniatur, in laudem & gloriã, in revelatione Iesu Christi, quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc cum non videatis, credatis autem, exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, reportãtes finem fidei, saluté animarum. Quamobrem Paulus quoq; gloriatur se propter Christum fuisse in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. Hic invenio perfectum multis modis accipi, prout is est qui in unaquaque virtute se rectè gerit. Perficitur itaque & consummatur aliquis, & ut pius ac religiosus, & ut tolerans, & ut continens & ut operarius, & ut martyr, & ut cognitione præditus. In omnibus autem simul perfectus; nescio an ullus sit qui est adhuc homo; nisi solum is qui propter nos induit hominem. quanquam ex nuda lege. Quis ergo erit perfectus; qui profitetur abstinentiam à malis. Ea autem est via ad Evangelium, & ad benefaciendum. Sed legis quidem ex cognitione perfectio, est assumptio Evangelij, ut fiat is qui est ex lege perfectus. Ita enim prædixit is qui est ex lege Moses, esse audiendum; ut accipiamus ex Apostoli sententia, Christum legis plenitudinem. In Evangelio autem jam proficit is qui est cognitione præditus, nõ solum utens lege tanquam gradu, sed eam percipiens & mente intelligens, ut tradidit Apostolis, qui dedit testamenta Dominus.

Quod si etiam recte vitam instituerit, sicut certè fieri non potest ut in bene operando difficultatem consequatur cognitio, & præterea rectissimè confessus, martyr seu testis fiat, maximam ut inter homines dignitatem meritumque accipiens, ne sic quidem eò perveniet, ut vocetur in carne perfectus; quoniam hanc appellationé præoccupavit vitæ finis, cum, qui est testis ex cognitione, jam eo pervenerit, ut perfectum opus ostenderet & proprie produceret, sanguine per charitaté ex cognitione profectam benigne donato emittens spiritum: beatus autem hinc fuerit & jure perfectus vocetur, ut sublimitas potestatis sit Dei, & non ex nobis, ut dicit Apostolus. Solum conservemus liberum eligendi arbitrium & charitatem: in quolibet afflicti, sed non redacti in angustias: egentes; sed non derelicti: dejecti, sed non perditi. Oportet enim eos qui ex sétentia Apostoli contendunt ad consummationem, nullam in nulla re dare offensionem, sed in re qualibet commendare se ipsos non hominibus, sed Deo.

Sit autem accessio & additamentum, parêre etiam hominibus: etenim his etiam parêre est consentaneum, propter ea quæ insectantur maledicta. Commendatio autem in tolerãtia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in jejuniis, in castitate, in cognitione, in patientia, in benignitate, in sancto spiritu, in charitate non ficta, in verbo veritatis in virtute Dei, ut simus templa Dei emundata ab omni inquinamento carnis & spiritus. Et ego, inquit, vos accipiam, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, ait Dominus omnipotens. Perficiamus ergo, inquit, sanctitatem in timore Dei. Nam etsi tristitiam timor generat, gaudeo, inquam, non quod tristitia affecti estis, sed quod tristitia affecti estis ad pœnitentiam. Tristitia enim affecti estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum à nobis accipiatis. Nam quę est secundum Deum tristitia, pœnitentiam ad salutem operatur non pœnitendam. Tristitia autem mundi, mortem operatur. Etenim hoc ipsum quod tristitia affecti estis secundum Deum, quantum in vobis operatur studium, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam? In omni exhibuistis vos castos negotio. Hæc sunt exercitationis quæ ex cognitione proficiscitur præexercitamenta.

Quoniam autem Deus ipse omnipotens dedit alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad perfectionem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Dei Filij in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: studendum ut viri evadamus, ex cognitione, & quam maxime perfici adhuc in carne manentes, ex perfecta hic concordia & consensione, meditantes cum Dei voluntate concurrere, ad restitutionem ejus quæ vere est perfecta nobilitatis, & cognationis, in plenitudinem Christi quę ex perfectione perfecta est absolute. Iam cernimus, quænam ratione & quomodo & quando perfectum dicit divinus Apostolus, & ut perfectorum ostendit differentias. Et rursus unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij autem gratiæ sanitatum in eodẽ spiritu, alij vero operationes virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij autem interpretatio linguarum. Omnia autem hæc operatur unus & idem spiritus, dividens seorsum unicuique prout vult.

Quæ cum ita se habeant, Prophetæ quidem perfecti sunt in prophetia, justi autem in justitia, & martyres in confessione. Alij autem in prædicatione, non expertes quidem virtutum communium, sed recte se gerentes in ijs in quibus ordinati. Quis enim sanæ mentis dixerit, Prophetam non esse justum? Quid enim, non justi quoque sicut Abraham prophetarunt?

Bellica namq; Deus dedit huic ut munera obiret;
Illi ut saltaret, cithara cantuq; sonaret,

ait Homerus. Sed unusquisque habet proprium donum à Deo; hic quidem sic: Apostoli autem fuêre pleni in omnibus. Invenies itaq; si volueris, ex eorum rebus gestis & scriptis, eorum cognitionem, vitam, prædicationem, justitiam, castitatem, prophetiam. *lib. 20. Stromatum quarto.*

Idem statim: Quæ est in Christum fides, & Evangelij cognitio, est expositio, & legis adimpletio. & ideo dictum est Hebræis: nisi credideritis, non intelligetis. hoc est, nisi ei credideritis qui per legem est prædictus, & à legis oraculo est significatus, non intelligetis vetus testamentum, quod ipse per propriam exposuit præsentiã: quocirca intelligens & perspicax quoque est hic, qui est cognitione præditus. Est autem ejus opus non à malis abstinentia: ea est enim basis maximi profectus: sed nec aliquid boni facere, vel propter metum. Scriptum est enim: Quo fugiam, & ubi abscondar à facie tua? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si abiero ad extrema maris, illic est dextera tua: si descendero in abyssos, illic spiritus tuus. Sed neque propter spem promissi honoris: dictum est enim, Ecce Dominus, & merces ejus à facie ejus, ut reddat unicuique secundum opera sua, quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus ijs, qui ipsum diligunt. Sola autem quæ propter charitatem fit beneficentia, propter ipsum honestum est expetenda ei qui est cognitione præditus. Iam vero ex persona Dei, Domino dictum est: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Petitio maxime regia, quæ docet hominum salutem peti sine mercede, ut nos simus hæredes & possideamus Dominum. Contra enim alicujus usus gratia, nempe ut hoc fiat, vel illud non fiat, eam quæ circa Deum versatur desiderare scientiam, non est proprium ejus qui est cognitione præditus: causa autem contemplationis ei sufficit, ipsa cognitio. Ausim enim dicere, non eo quod velit salvus esse, eliget cognitionem, qui persequitur cognitionem propter ipsam divinam scientiam. Intelligentia enim continua exercitatione, fit perpetua intelligentia. Semper autem intelligere, essentia est ejus qui cognitione est præditus, per temperationem quandam nullis intervallis interruptam instituta, & perpetua contemplatio manet viva substantia. Si quis ergo per hypothesin ei qui est cognitione præditus proposuerit, utrum malit, Dei cognitionem, an salutem æternam, sint autem ea separata, cum sint omnino eadem; nihil penitus dubitans elegerit Dei cognitionem, propter se judicans esse expetendam eam quæ fidem transcendit per charitatem ad cognitionem, proprietatem.

Hæc est ergo prima ejus qui est perfectus beneficentia, quando non fit propter aliquem usum eorum quæ ad se pertinent. Cum

autem

autem judicaverit pulchrum esse & honestum id quod bonum est facere, vehementer incitata operatio bene se gerit in omni actione, non in aliqua quidem recte, in aliqua vero non, sed in benefaciendi habitu constituta, neque præterea propter gloriam, aut ut philosophi dicunt εὔκλειαν, id est, famam illustrem: neque propter mercedem aut ab hominibus, aut à Deo, ad imaginem & similitudinem Domini vitam peregerit. Etsi aliqua ratione ei bonum operanti aliquid contrarium occurrerit, talionem parisque pari relationem ut bonam, citra ullam acceptæ injuriæ recordationẽ projiciet, ut qui erga justos & injustos, existat justus & bonus. Eis qui sunt ejusmodi dicit Dominus: Estote sicut pater vester perfectus. Ei caro est mortua, vivit autem ipse solus, ut qui sepulchrum in sãctum templum Domino consecravit, veterem peccatis obnoxiam animam ad Deum convertens. Is non est amplius continẽs, sed ad habitum pervenit, ut sic dicam, impatibilitatis, ad divinam figurã induat expectans. Si eleëmosynam, inquit, feceris, nemo sciat: & si jejunaveris, ungere, ut Deus solus cognoscat.

Nullus autem homo, sed neque ipse qui miseretur, debet scire se misereri: sic enim erit aliquando quidem misericors, aliquando vero non. Cum autem ex habitu fecerit id quod est beneficum, naturam boni imitabitur. Affectio autem & natura erit & exercitatio. Non oportet autem elatos transmoveri, sed ingredientes pervenire quo oportet. Hoc est enim trahi à patre, dignum effici ut gratiæ virtutem à Deo accipiat, & currat citra impedimentum: & si electum odio habeant aliqui; is novit eorum inscitiam, miseretq; eum quod in tanta animus eorum ignorantia versetur. Merito ergo ipsa diligit cognitio, & eos qui ignorant docet & erudit omnẽ Dei omnipotentis honorare creaturam. Quod si Deum didicit diligere, non habebit virtutem ut ea vel vigilando possit amitti, vel in somnijs, vel ulla visione, quoniam nec à seipso unquam excedit habitus, ab eo quod est esse habitum excidens.

Sive ergo cognitio dicatur esse habitus sive affectio, eo quod nũquam subeant diversæ notiones, principalis pars animæ manens non alterabilis, non assumit aliquam visorum diversitatem, quę ex diurnis motibus fiunt simulachra somnians. Propterea certe Dominus quoque præcipit vigilare, ut nec nostra quidem in somnis unquam moveatur anima, animi perturbationibus, sed nocturnã quoque vitæ institutionem, tanquam quæ interdiu operetur, durã & immaculatã imperat custodire. Hæc est enim quæ fit, quoad ejus fieri potest, Dei assimilatio, mentem conservare in ea habitudine ac relatione, quæ sit in ijs quæ sunt eadem: hæc est autem mẽtis habitudo, tanquam mentis. Varia autem affectio, fit per eam quæ est erga res materiales affectionem. Qua quidem ratione mihi videntur noctem vocasse εὐφρόνην, quoniam anima tunc cessans à sensibus, convertitur ad seipsam, & est magis prudentiæ particeps. Propterea ergo sacra quoq; mysteria maximè noctu fiunt, significantia eam quæ noctu fit animę à corpore contractionem. Ne dormiamus igitur ut reliqui, sed vigilemus & sobrij simus. Qui enim dormiunt, noctu dormiũt: & qui inebriantur, noctu inebriantur: nos autem cum simus diei, sobrij simus, induentes loricam fidei & charitatis, & galeam, spem salutis. *libro Stromatum quarto.*

Clemens Alexandrinus: Bene ergo illud quoque dictum est: Nõ lavacro mundus esto, sed animo. Est enim perfecta, ut sentio, mũdities, quæ est mentis: & operum & cogitationum, & præterea sermonis quoque synceritas, & ultima peccati in somnijs vacuitas. Est autem sufficiens, ut ego quidem opinor, homini purgatio, perfecta firmaque ac stabilis pœnitentia, si cum de præcedentibus nos damnaverimus actionibus, anterius procedamus, postea intelligentes, & mentem immersam sustollentes, tam ab ijs quæ per sensum delectant, quam prioribus delictis. Si itaque scientiæ quæ dicitur ἐπιστήμη; danda est etymologia; ex statione & quiete, quæ dicitur στάσις, ejus sumenda est explicatio, quoniam nostram in rebus sistit mentem, quæ prius alias aliter ferebatur. Similiter fidei quoque πίστεως inquam, danda est etymologia, animæ nostræ περὶ τὸ ὂν στάσις, id est, circa id quod est statio, & quies. Nos autem eum qui semper & in omnibus est justus scire cupimus, qui nec timens supplicia quæ à lege statuuntur, nec eorum cum quibus versatur, & qui peccata persequuntur, odium vitans in improbos, nec quod ex ipsis sceleribus & flagitijs impendet periculum reformidans, justus permanet. Qui enim propter hæc abstinet à faciendo aliquid ex ijs quæ sunt injusta; non est sua sponte, sed metu bonus. Atque Epicurus quidem ait eum qui est ex ejus sententia sapiens, velle propter aliquod lucrum facere injuriam. Non posse enim sibi persuadere fore ut lateat. Quare si sciverit fore ut lateat, faciet injuriam, ut est ejus sententia. Et hæc quidem sunt tenebricosa dogmata. Si autẽ ab injuria faciẽda abstinuerit propter spem remunerationis à Deo consequendæ ob ea quæ justè fecerit, ne sic quidem sua sponte est bonus. Sicut enim illum metus, sic hunc quoque merces justum facit, vel potius efficit ut videatur justus.

Eam autem spem quæ est post mortem non solum sciũt qui barbaram persequuntur philosophiam, bonis quidem bonam, malis autem contrariam, sed etiam Pythagorei: nam illi quoque spem in fine denunciabant ijs qui philosophabantur: cum etiam Socrates dicat in Phædone, bonas animas hinc cum bona spe excedere: & rursus malos vituperans, ei opponit: vivunt enim cum mala spe dicens. Et videtur etiam consentire Heraclitus, in ijs quæ dicit disserens de hominibus: Homines mortuos manent quæ non sperat, nec expectãt. Divinus ergo Paulus aperte scribit ad Romanos: Afflictio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio autem spem, spes vero pudore non afficit. Propter spem enim futuram est patientia: spes autem est etiam æqui voce spei redditio & restitutio, quæ etiam pudore non afficit, ut quæ probris & contumelijs non amplius afficiatur.

Qui autem nudæ vocationi, quatenus vocatus est, obedit, is neque propter timorem, neque propter voluptates, tendit ad cognitionem. Non enim considerat an aliquod utile lucrum vel delectatio aliqua extrinsecus consequatur, sed tractus à dilectione ejus qui vere est amatoris, & ad id quod fieri oportet adductus, pius est Dei cultor. Vnde nec si per hypothesin à Deo acceperit potestatem faciendi ea quæ sunt prohibita, citra ullam pœnam: neque si propterea beatorum bona accepturum eum esse ei promissum fuerit: sed nec si persuasum habuerit fore, ut Deum lateant ea quæ gerit (quod quidem fieri non potest) in animum unquam esse inducturum, ut aliquid agat præter rectam rationem, cum id quod vere est honestum, & ex se ipso eligendum, & ea ratione expetendum amãdumque, semel elegerit. Non enim in esca ventris bonum esse situm accepimus. Audivit autem ille quod cibus nos non commendabit, neque matrimonium, sed neq; abstinentia à matrimonio in ignoratione: sed opus ex virtute quod fit per cognitionem. Nam canis quoq; qui est animal expers rationis, sic dicatur esse continens, du eum timet qui tollit baculum, & ideo à cibo abstinet.

Horum ergo scias quod ablata quæ facta est promissio, & circũscriptus is cuius minæ intentatæ sunt metus, & separatum quod impendet periculum, arguit propositum. Non enim ipsi rei naturæ se proprie conjungunt & accommodant, ut revera comprehendant per cognitionem, esse quidem bona omnia quę creata sunt ad usum nostrum: ut matrimonium, verbi gratia, & liberorum procreationem, si adsumpta sint cum temperantia: bonum autem esse melius, per eam quæ est Deo assimilationem, evadere impatibilẽ & virtute præditũ: sed ex ijs quæ extrinsecus adducuntur bonis vel malis, ab alijs quidem abstinent, ab alijs vero minime. Quinetiam ea à quibus abstinent abhorrentes, creaturam & opificem cernũtur accusare: & licet ipsa specie versentur fideliter, habent tamen impium judicium.

Illud autem, Non concupisces, neque necessitate eget quæ est ex timore, quæ cogit abstinere à suavibus: neque mercede, quæ per promissionem persuadet reprimere appetitiones. Neque obedientiam propter mandatum, sed propter promissionem eligunt, qui Deo propter promissa obediunt, à voluptate inescati. Sed neque aversatio à rebus sensilibus, effecerit consequenter conjunctionem cum ijs quæ percipiuntur intelligentia. Contra autem, ea quæ fit cum ijs quæ intelligẽtia percipiuntur conjunctio, ei qui est cognitione præditus, qui per eorum quæ sunt pulchra electionem, bonũ scienter elegerit, & admiretur quidem generationem & sanctificet Creatorem: sanctificet autem & eam quæ fit Deo assimilationem. Sed ego me liberabo, dixerit, à cupiditate, ô Domine, ut mihi tecum intercedat conjunctio: pulchra enim est quæ utique creata est dispensatio, & omnia rectè administrantur, & nihil fit sine causa.

In tuis me esse oportet, ô Omnipotens, & licet hic fuero, sum apud te. Volo autem expers esse metus, ut ad te possim appropinquare, meditans ut tua paucis contenta sit electio, quæ justa est, eorum quæ sunt bona ex similibus.

Mystice admodũ & sanctissimè nos docens Apostolus, eam, quæ vere grata est electionem, non quod alia tanquam mala reprobet, sed quod bonis censeat esse meliora, significavit dicens: Quare & qui matrimonio jungit virginem suam, benefacit, & qui non jungit, melius facit, ad id quod honestum est, & facultatem præbet indivulse Domino assidendi. Scimus autem ea quæ difficulter quidẽ parari possunt, non esse necessaria; quæ autem sunt necessaria, paratu facilia benignitate Dei esse facta. Quamobrem bene dicit Democritus, naturam & doctrinã rem esse persimilem. Causam autem breviter reddidimus. Doctrina enim hominem concinnat & componit: concinnans autem ac componens, naturam ei tribuit: neque interest an fuerit natura effectus talis, an tempore & disciplina transformatus: utrunque autem præbuit Dominus, illud quidem per creationem, hoc vero per recreationem & renovationem quæ fit ex testamento. Quod autem conducit ei quod est magis principale, id est magis eligendum: est autem omnium maximè principale, mens: sic ergo videntur revera honesta esse jucundissima, & ex se præbere eum quem desiderant fructum, nempe animæ tranquillitatem. Qui autem me audit, inquit, requiescet in pace confidens, & sine metu conquiescet ab omni malo. Confide in toto corde tuo & mente tua in Deo. Hoc modo fieri potest, ut qui est cognitione præditus, jam deus evaserit. Ego dixi, Dij estis, & filij altissimi. Dicit autem Empedocles quoque, sapientum animas Deos fieri hoc modo scribens:

Postremo vates, & qui hymnos carmine cantant,
Et medicíq; ducesq; viris mortalibus adsunt.
Hinc existunt Dij, sunt quorum maximè honores.

Atque homo quidem qui est in genere, fingitur ex idea spiritus qui est congenitus. Neque enim informis & figuræ expers creatur in officina naturæ, ubi hominis generatio mysticè perficitur, cum sit communis & ars & essentia. Homo autem hic quispiam, seu homo singularis, characterem suscipiet ex forma animæ insita eorum quæ elegerit. Qua ratione Adam quoque dicimus fuisse perfectum, quod attinet ad formationem: nihil enim ei defuit ex

ijs

iis quæ homini formæ & ſpeciei charactere tribuunt. Ille autem dum fieret, accepit perfectionem, & juſtificatus eſt per obedientiam. Hoc erat quod in virum creſcebat, nempe id quod in eius poteſtate erat ſitum, ſeu, liberum arbitrium. Quod autem elegerit, atque adeo id quod erat vetitum elegerit, non eſt culpa in Deum conferenda. Duplex enim eſt generatio, una quidem eorum quæ gignuntur, altera vero eorum quæ fiunt; & hominis quidem magni & fortis animi virtus, cum ſit, ut ajunt, ſua eſſentia perturbationibus ac motibus animi obnoxius, reddit metus expertem & inſuperabilem eum qui eſt eius particeps, eſtque ira mentis ſatelles in patientia, & tolerantia, & iis quæ ſunt ſimilia. Sub cupiditate autem collocatur etiam temperantia, & ſalutaris prudentia. Deus autem eſt impatibilis, iræque expers & cupiditatis, & non eatenus eſt metus expers, quatenus declinat quæ ſunt moleſtia & gravia. Sed neque eſt temperans qua imperat cupiditatibus: neque enim in grave aliquid aut moleſtum Dei natura inciderit. Neq; fugit Deus timorem, ſicut nec concupiſcet, ut etiam imperet cupiditati. Myſtice ergo apud nos quoque dictum eſt illud Pythagoreum, Oportere hominem quoque fieri unum. Nam ipſe quoque Pontifex eſt unus, cum ſit unus Deus per immutabilem huius habitum, quod bona ſcilicet ſemper currant. Iam vero Servator per cupiditatem unà etiam ſuſtulit iram, quæ eſt vindictæ cupiditas. In ſumma enim, patibilitas eſt in quovis genere cupiditatis. Qui autem ad impatibilitatem deductus homo, Deus efficitur citra ullum inquinamentum, fit unicus.

Quomodo ergo qui in mari ab anchora ſtabiliuntur, trahunt quidem anchoram, non illam autem attrahunt, ſed ſeipſos ad anchoram: ita qui per vitam quæ proficiſcitur à cognitione, Deum attrahunt, imprudentes & non advertentes, ſeipſos ad Deum adducunt. Qui enim Deum colit, ſeipſum colit. In vita ergo quæ verſatur in contemplatione, ſui quis curam gerit, dum Deum veneratur, & per ſuam ſynceram purgationem Deum ſanctum ſanctè contemplatur. Quæ enim aſſiſtit temperantia, ſeipſam aſſidue cōſiderans & contemplans, Deo quo ad eius fieri poteſt, aſſimilatur.

Iam vero id eſt in noſtra poteſtate, cuius ex æquo ſumus Domini, cum eo quod ei adverſatur, ut philoſophari, vel non: & credere, aut non credere. Per hoc ergo quod ſumus æque participes utriusque eorum quæ inter ſe adverſantur, invenitur fieri poſſe id quod eſt in noſtra poteſtate. Quinetiam præcepta eiuſmodi à nobis poſſunt fieri & non fieri, quæ conſentaneum eſt ut conſequatur laus & vituperatio: & qui rurſus puniuntur propter ea quæ ab ipſis admiſſa ſunt peccata, propter ipſa ſola puniuntur. Prætierunt enim ea quæ facta ſunt, neque fieri poteſt ut ſit unquam infectum quod factum eſt. Dimittuntur ergo quæ facta ſunt ante fidem, non ut non facta ſint, ſed tanquam non facta ſint. Sed ne omnia quidem, dicit Baſilides, ſed ſola dimitti involuntaria, & quæ fiunt per ignorationem, perinde ac ſi homo aliquis, non Deus, tam magnum præberet donum. Huic dicit Scriptura: Exiſtimaſti ô impie, quod ero tui ſimilis? Sed etſi punimur propter voluntaria, non ut non facta fuerint cum facta ſint, ſed quod facta ſint punimur.

Punitio autem non juvat eum qui peccavit ad hoc ut non fecerit, ſed ad hoc ut non peccet amplius, neque ullus alius incidat in ſimilia. Hic ergo bonus Deus caſtigat propter has tres cauſas: primū quidem, ut is qui caſtigatur, ſeipſo melior evadat: deinde, admoniti: & tertio, ne is qui iniuria afficitur contemptui habeatur, & aptus ſit ad injuriam accipiendam. Sunt autem duo quoque modi correctionis: unus quidem, docendo: alter vero, corrigendo, quem etiam caſtigantem diximus. *Libro Stromatum 4.*

Clemens Alexandrinus: Nam etſi ea quæ prius dicta ſunt, ſi cum ratione fiant, aliquis bona eſſe accipiat: at in perfecto quidem certè minimè ſunt admittenda, qui neque habet confidentiam: neq; enim verſatur in rebus gravibus & moleſtis, cùm ex iis quæ ſunt in vita, nihil grave moleſtúmve exiſtimet, neque poteſt eum aliquid abducere à Dei charitate: neque tranquillitate animi opus habet (neque enim in dolorem incidit animive angorem) cùm perſuaſum habeat omnia rectè fieri: neque iraſcitur, neque eſt enim quod eum ad iram moveat, cùm ſemper Deum diligat, & ad hoc ſolum totus ſit converſus, & ideo ex Dei creaturis nullam habet odio. Sed neque æmulatur, nihil enim ei deeſt ad aſſimulationem, quo ſit bonus & honeſtus. Sed neque amat aliquem communi hac amicitia ſed creatorem diligit per creaturas. Neque ergo in cupiditatem aliquam incidit aut appetitionem, neque in anima iudiget aliquo ex aliis, cùm jam per charitatem verſetur cum dilecto, cui quidem jā eſt familiariter coniunctus per electionem, & per habitum qui procedit ab exercitatione, ei appropinquat continentius, & eſt beatus propter bonorum abundantiam.

Quamobrem his de cauſis maxima vi contendit aſſimilari Domino ipſo, ut nullus admittat paſſiones: eſt enim verbum ſeu ratio Dei intelligens, per quam mentis imago & aſſimilatio in ſolo homine cernitur: quo reſpectu etiam Deiformis & Deo ſimilis fit per animam vir bonus, & rurſus Deus eſt hominis formæ ſimilis. Forma enim uniuſcuiuſque eſt mens, ex qua ſuſcipimus proprietatem. Quo fit ut qui peccant in hominem, ſint impii & execrandi. Eſt enim nugatorium dicere, eum qui eſt cognitione præditus & perfectus, non oportere eximere iram & confidentiam, utpote quod abſque his neque ſit adverſus ea quæ ingruerint excitandus, neque quæ ſunt gravia toleraturus. Sed ſi etiam cupiditatem ab eo abſtulerimus, fore ut ab omnibus rebus moleſtis & aſperis conturbetur & obruatur, & ideo è vita peſſimè excedat, ſi non ſit eius particeps: aut ut quibuſdam videtur, non eum capiat earum rerum deſiderium, quarum capit viros bonos & honeſtos. Si ergo omnis cōjunctio & conciliatio, quæ cum iis quæ ſunt bona & honeſta initur, fit cum appetitione: quomodo poteſt eſſe ſine paſſionibus is qui ea quæ ſunt honeſta expetit? Sed hi, vt videtur, neſciunt divinitatem charitatis. Non eſt enim utique charitas eius qui diligit appetitio, ſed eſt benevola & firma coniunctio, in unitatem fidei reſtituens eū qui eſt cognitione præditus, loco & tēpore minimè indigētem. Qui autem per charitatem iam fuerit in iis in quibus eſt futurus, ut qui ſpem perceperit per cognitionem, nihil expetit, ut qui, quoad eius fieri poteſt, habeat quod eſt expetendum. Meritò ergo manet in uno immutabili habitu, diligens ex cognitione. Neque ergo vehementi ardebit ſtudio ut aſſimiletur bonis, cùm habeat per charitatem id quod eſt bonum & honeſtum. Confidentia autem & cupiditate quid ei adhuc eſt opus, qui cum Deo nullis paſſionibus obnoxio, coniunctionem & familiaritatem acceperit per charitatem, & per eam ſe in eius amicorum numerum adſcripſerit? Is ergo qui cognitione præditus & perfectus, eximendus eſt à quavis animæ affectione ac perturbatione. Cognitio enim efficit exercitationem: exercitatio autem habitum vel affectionem. Eiusmodi autem cōſtitutio efficit alienum paſſionibus habitum, non autem animi motuum moderationem. Fruitur autem tali habitu perfecta & abſoluta amputatio cupiditatis. Sed nec eorum quæ vulgò iactantur bonorum, hoc eſt, patibilium bonorum quæ adjunguntur animi perturbationibus, eſt particeps is qui eſt cognitione præditus: ut exēpli cauſa, lætitiæ, quæ adiuncta eſt voluptati: & mœſtitiæ, ipſa enim adiuncta eſt dolori: & cautionis, ſubiicitur enim metui. Sed nec excandeſcentiæ, collocata eſt enim propter iram; etiamſi quidam dicant, ea iam non eſſe amplius mala, ſed bona.

Fieri enim non poteſt, ut qui jam ſemel eſt conſummatus per charitatem, & inexplebilem contemplationis delectationem æternè & inſatiabiliter percipit, eaque fruitur, parvis & humilibus quibusdam & abiectis delectetur. Quæ enim iuſta ei amplius reſtat cauſa cur ad bona mundana revertatur, qui eam acceperit lucem, ad quam non patet aditus? Etſi nondum tempore & loco, at illa quidem certè cognitione prædita charitate, propter quam ſequitur hereditas, perfectaque & abſoluta reſtitutio: per opera confirmante eo qui reddit mercedem, quod quia elegit per cognitionem, prius per charitatem accepit is qui eſt cognitione præditus. An non enim peregrinans ad Dominum propter ſuam in eum charitatem, etiam ſi in terra cernatur eius tabernaculum, ſeipſum quidem à vita non educit? non eſt enim permiſſum, ſed animam abducit à motibus & affectionibus (eſt enim hoc ei conceſſum) & rurſus vivit poſtquam morte affecit cupiditates ſuas, & corpore non amplius utitur, ſed ſolum ei permittit uti neceſſariis, ne ei præbeat cauſam diſſolutionis. Quomodo ergo eſt ei amplius opus fortitudine, qui in malis non verſetur, ut qui ne ſit quidem præſens, ſed totus ſit cum eo quē diligit.

Quis verò eſt etiam uſus temperantiæ, cum ea non egeat? Tales enim habere cupiditates, ut temperantia opus ſit ad eas continendas ac coercendas, nondum eſt mundi, ſed eius qui adhuc movetur animi perturbationibus. Fortitudo autem aſſumitur propter metum & timiditatem. Non eſt enim utique decorum, ut Dei amicus, quem Deus prædeſtinavit ante mundi conſtitutionem, ut referatur in ſummam filiorum adoptionem, voluptatibus ſubiiciatur vel timoribus, & occupetur in comprimendis animi perturbationibus.

Audacter enim dixerim, quemadmodum eſt prædeſtinatus per ea quæ aget, & id quod conſequetur: ita ipſe quoque cum prædeſtinaverit, propter eum quem cognovit, habet quem dilexit: nec futurum ei eſt coniectu difficile, ſicut multi vivunt conjectantes, ſed per fidem cognitione præditam, accepit id quod eſt incertum & obſcurum aliis: & propter charitatem, iam eſt ei præſens id quod eſt futurum. Credidit enim, & propter prophetiam, & propter præſētiam, Deo qui non mentitur, & habet id quod credidit, & obtinet promiſſionem: veritas autem eſt qui promiſit, & finem promiſſionis, propterea quod fide dignus ſit is qui promiſit, firmiter ac ſtabiliter accepit per ſcientiam. Is autem qui per eum in quo eſt ſtatū, novit firmam ac ſtabilem futurorum comprehenſionē, futuro occurrit per charitatem. Ideoque nec optabit quidem conſequi ea quæ hic ſunt, cui perſuaſum eſt fore ut conſequatur ea quæ verè bona ſunt, ſed ſemper optabit rectam & recte ſe gerentem tenere fidem: & præterea quamplurimos fieri ſibi ſimiles ad Dei gloriam, qua perficitur & conſummatur per cognitionem. Eſt enim ſalutaris, qui Servatori aſſimilatur, quatenus humanæ naturæ fas eſt ad eius pervenire imaginem, in exequendis præceptis, ea minimè trāſgrediendo, rectè ſe gerens. Hoc autem eſt Deum colere, per eam quæ verè eſt juſtitiam factorum & cognitionis. Huius vocem in precatione non expectat Dominus, Pete, inquiens, & faciam: animo cogita, & dabo.

In ſumma enim, in eo quod vertitur ac mutatur, fieri non poteſt ut id quod eſt immutabile, concreſcat & concilietur. Atque idcirco in continua mutatione, & ideo inſtabili, cum verſatur facultas animæ principalis, non conſervatur vis habitus: quomodo enim qui ab iis quæ extrinſecus ingrediuntur & incurrunt ſemper mutatur, habitum & affectionem tenere, & ut ſemel dicam, ſciētiam poſſidere potuerit? Quamquam philoſophi quoque virtutes,

habitus & affectiones & ſcientias exiſtimant. Quomodo aut non ſimul generatur cum hominibus, ſed eſt mixta ſcientia: & ut diſcatur quidem, in principio opus eſt attentione educationeq; & incremento, deinde ex aſſidua, & quæ non intermittitur, meditatione, pervenit ad habitum: ita etiam perfecta & conſummata in habitu myſtico propter charitatem manet talis ut non poſſit excidere. Nō ſolum enim primam, & eam quæ ab ea eſt genita cauſam comprehendit, & in his eſt firmus ac ſtabilis; ſtabiliter ſtabiles & quæ excidere & dimoveri nequeunt, rationes poſſidens: quinetiam de bonis & malis, & univerſo rerum ortu ac generatione, & ut ſemel dicam, de ijs quæ locutus eſt Dominus, accuratiſſimam & exactiſſimam à mundi conſtitutione ad finem usq; veritatem, ab ipſa veritate didicit: non ſi quid viſum fuerit probabile, aut ex Græca oratione neceſſarium, ipſi veritati præponens. Quæ autem à Domino dicta ſunt, pro apertis & manifeſtis ſumet, etiamſi aliis obſcura fuerint: ita de omnibus accepit cognitionem. Quæ autem ſunt apud nos oracula, & de ijs quæ ſunt, ut ſunt, reſpondent: & de futuris, ut erunt: & de iis quæ facta ſunt, ut fuerunt. In iis ſolis quæ ſcientiam conſtituunt, cum ſit ſcientia præditus, ſe præclare geret, & de bono tractandam ſuſcipiet orationem, ijs quæ intelligentia percipiuntur ſemper adhærens: ab illis ſupernis archetypis exemplaribus, ſuam rerum humanarum deſcribens adminiſtrationem. quomodo qui navigant, navē ad aſtrum dirigunt: ad omnem bonā actionem ſemper præſtò & paratus, omnia gravia & moleſta ſolitus deſpicere: quando aliquid ſuſtinere oportuerit, nihil temerariū, neq; quod ſibi & Reipub. nō conveniat, unquā peragens, providus ac proſpiciens, & qui minime flectitur voluptatibus tam iis quæ veræ ſunt quam iis quæ noctu accidunt.

Tenui enim diætæ, quæ ut paucis ſit contentus efficit, aſſuefactus, eſt temperans, & moderatus cum gravitate & honeſtate, paucis ad vitam neceſſariis indigens, nihil quærens quod ſit ſupervacaneum: ſed nec hæc ut principalia, ſed ex vitæ conſuetudine ut peregrinationi carnis neceſſaria, quantum neceſſe eſt admittens: præcipua enim eſt ei cognitio. Per conſequentiam ergo iis quoque attendit quæ exercent ad cognitionem, ſumens ex unaquaque diſciplina id quod confert ad veritatem. Ex muſica ergo, perſequens proportionem quæ eſt in iis quæ ſunt coniuncta & compoſita: in Arithmetica autem, adnotans augmenta & decrementa numerorū, & eas quæ ſunt inter ſe invicem relationes, & quod plurima cadunt in proportionem numerorum: & Geometricam ipſam ſubſtantiā in ſeipſa contemplans & aſſuefaciens, aliquod continuum intelligentia percipit ſpatium, & immutabilem eſſentiam, quæ eſt alia à corporib. Et rurſus ab Aſtronomia à terra evelatus, una cum cœlo mente in altum extolletur, & ſimul cum aſtrorum converſione circumagetur, ſemper conſiderans divina, & eam quæ inter ſe invicē conſenſionem & convenientiam, à quibus adductus Abraham aſcendit ad cognitionem eius qui creaverat. Quin etiam Dialectica utetur is qui eſt cognitione præditus, eligens diviſionem generum in ſpecies: & adducet eorum quæ ſunt diſtinctionem, donec attigerit prima & ſimplicia. Multi autem, non ſecus ac pueri larvas, timent Græcā philoſophiā, dum veretur ne eos abducat. Sed ſi talis eſt apud eos fides, non dixerim enim cognitionē, ut probabilitate orationis per eos diſſolvatur, fateantur ſe non eſſe habituros veritatem: veritas enim ut ajunt, eſt inſuperabilis, diſſolvitur autem falſa opinio. Iam enim eligimus purpuram per comparationem alterius purpuræ. Quare ſi quis fatetur ſe nō habere corrècte informatum & explicatum, is non habet menſam argentariorum, ſed neque rationem quæ habet vim judicandi. Et quemadmodum erit adhuc trapezita, qui non poteſt probare & diſcernere probum nummum à falſo & adulterino? Clamavit autem David: In æternum non commovebitur juſtus.

Neque ergo fallaci oratione, neque falſa voluptate: unde neque movebitur à ſua hæreditate. Ab auditione ergo mala non timebit. Neq; ergo ab inani calumnia, ſed nec à falſa opinione quæ eū circumſiſtat: ſed neq; aſtutas & callidas pertimeſcet orationes, qui eas poteſt diſcernere ad interrogandum & recte reſpondendum: eſt enim Dialectica, veluti vallus quidam, ne veritas conculcetur à Sophiſtis. Oportet enim eos qui laudantur in ſancto nomine Domini, ut vult Propheta, lætari corde quærentes Dominum. Quærite ergo eum, & confitemini: quærite faciem eius perpetuò modis omnib. Nam cum multifariam & multis modis ſit locutus, non abſolutè cognoſcitur. Non his ergo tanquam virtutibus utens, is qui eſt cognitione præditus, habebit diſciplinarum multarū cognitionem, ſed utens tanquam adjutricibus in communibus & propriis diſcernendis admittet ad veritatem. Eſt enim omnis erroris & omnis falſæ opinionis cauſa, non poſſe diſcernere quânam ratione inter ſe conveniant ea quæ ſunt, & quânam ratione differant. Sin autem nō perſequatur quis orationem, quatenus ea ſunt diviſa, non animadvertet ſe confundere communia & propria. Hoc autem ſi fiat, neceſſe eſt ut via amittatur, & incidatur in errores. Hominum autē & rerum diſtinctio, in ipſis quoque ſcripturis magnam lucē affert animis. Neceſſe eſt enim exaudire & dictiones plura ſignificantes, & plures, quando quid unum ſignificant: unde etiam fit, ut rectè reſpondeatur. Vitandus eſt autem multus eius & plane inutilis abuſus, qui conſumitur in iis in quibus non oportet, dum is qui eſt cognitione præditus, utitur diſciplinis tanquam præexercitationibus, quæ adiuvantium cauſarum inſtar habeant, & ad occuratam veritatis traditionem, quatenus id poteſt aſſequi neç ab eo poteſt divelli, & ad propulſandas artificioſas rationes quæ improbè moliuntur exſcindere veritatem. Non relinquet ergo ea quæ promovent ad eas quæ ſunt in orbe diſciplinas, & Græcam philoſophiam: quanquam non principali ratione, ſed ea quæ eſt neceſſaria, & ecunda, & quæ derivatur ex circumſtantiis.

Quibus enim improbe & malitioſe utuntur ii qui ſuam operā ponunt in hæreſibus, iis rectè utetur is qui eſt cognitione præditus. Cum ſit ergo ſingularis veritas quæ in Græca apparet philoſophia, quæ vere quidem eſt veritas, quomodo Sol illuminans colores & album & nigrum, oſtendit qualis ſit unuſquiſque eorum, ſic ipſa quoque refellit omnem ſermonis probabilitatem. Meritò ergo à Græcis quoque acclamatum eſt: Principium magnæ virtutis regina veritas. *Libro Stromatum ſexto.*

Clemens Alexandrinus: Eſt ergo in quovis caſu fortis ac valida anima eius qui eſt cognitione præditus, quæ veluti corpus athletæ, & optima eſt habitudine, & maximas habet vires. Eſt enim optimi quidem conſilii in iis quæ ad homines pertinent, quid ſit juſto faciendum per ſententiam exponens. principia enim cœlitus, & in primis ut divinitati ſit ſimilis, lenitatem quandam ac moderationē in voluptatibus corporis doloribusq; ſibi comparat. Audacter autē inſurgit adverſus metus, in Deo habens fiduciam. Revera ergo terreſtris divinæ virtutis imago eſt anima cognitione prædita, perfecta virtute exornata ex his omnibus ſimul, natura, exercitatione, & quæ ſimul, cum eo crevit, ratione. Hæc pulchritudo animæ fit templum ſancti Spiritus, quando diſpoſitionem Evangelio conſentiētem per totam vitam habuerit. Qui eſt eiuſmodi, inſurgit adverſus omnem metum, omne periculum, & quicquid eſt formidabile: non ſolùm mortem, ſed etiam paupertatem, & morbū, & ignominiam, & quæcunque ſunt huius generis, ut qui & à voluptate vinci nequeat, & rationis expertibus dominetur cupiditatibus. Bene enim novit quæ ſint agenda & quæ non; ut qui ſtrenuè noverit quænam ſint revera gravia ac pertimeſcenda, & quæ non. Vnde ſcienter ea ſuſtinet quæ oportet, & quæ decere ei dictat ratio; ſciēter diſtinguens ea de quib. habenda eſt fiducia: hoc eſt, ea quæ ſunt bona, ab iis quæ videntur, & terribilia ab iis quæ apparent, morte ſcilicet, morbo, & paupertate. quæ quidem ſunt opinionis potius quàm veritatis.

Hic eſt qui revera eſt vir bonus, qui per habitum vel diſpoſitionē animæ virtute præditæ remotus ab animi perturbationibus, univerſam vitam ſuperavit perturbationibus obnoxiam. Huius omnia à ſeipſo dependent ad finem acquirendum. Nam quæ fortunæ dicuntur incommoda, ea viro bono non ſunt formidabilia, quoniam non ſunt mala. Quæ autem verè ſunt gravia, ea ſunt à Chriſtiano aliena qui eſt præditus cognitione, utpote quæ ex diametro pugnāt cum bonis, quoniam ea ſunt mala, nec fieri poteſt ut eidem eodem tempore ſimul inſint contraria. Qui citra ullam ergo reprehenſionem agit actum vitæ, quem ei Deus agendum præbuerit, quæ ſunt agenda & quæ ſuſtinenda cognoſcit. An non enim ob quæ ſunt gravia aut non gravia, ignoratione oritur timiditas? Quare, ſolius is qui eſt præditus cognitione, audenti fidentique eſt animo ut qui norit bona quæ ſunt, & futura ſunt: Cum his autem, ut dixi, unà ſciens ea quæ non ſunt revera gravia (ut qui ſciat ſolum vitium eſſe inimicum, & exitium afferre iis qui proficiunt ad cognitionem) armis Domini munitus, adverſus id bellum gerit.

Non enim ſi quid ex imprudentia, & diaboli operatione vel potius cooperatione conſiſtit, hoc protinus imprudentia erit aut diabolus. Quoniam nulla operatio eſt prudentia: prudentia enim eſt habitus. Nulla autem operatio eſt habitus. Non ergo neque quæ propter ignorationem conſiſtit actio, jam eſt ignoratio, ſed vitium quidem eſt propter ignorationem, non tamen ignoratio: neque enim affectus, neque peccata ſunt vitia, etſi procedant à vitio. Nullus ergo citra rationem fortis, eſt cognitione præditus: nam pueros quoq; ſic dixerit aliquis fortes, qui quæ ſunt formidabilia ſuſtinēt, propter eorum quæ ſunt gravia ignorationem: ignem quidem certè ſic tangunt: Sed & feras quæ in haſtas incurrunt, cùm ſint fortes citra rationem, ratione quis præditas vocaverit. Fortaſſe autem hi quoque fortes dicent præſtigiatores ſe in gladios rotantes, qui ex quadam experientia propter vilem mercedem malam artem exercent. Qui eſt autem revera fortis, cùm propter multorum invidiam & æmulationem, manifeſtum videat periculum, quod occurrit confidenter accipit: hac ratione ſeparatus ab aliis qui dicuntur martyres, quòd alij quidem ſibiipſis præbeant occaſionem, & ſe neſcio quomodo in ipſa pericula iniiciant (ſi loqui ſic fas eſt) hi verò ſe ex recta ratione componentes, deinde cùm Deus vocaverit, prompto & alacri animo ſe tradentes, & confirmant vocationem ex eo quod nihil temere & præcipitanter de ſe conſtituerint, & virum præbent examinandum in ea quæ eſt ex veritate rationali fortitudine.

Neque ergo metu majorum minora tolerant ut reliqui: neque timentes ne vituperentur ab iis qui ſunt eiuſdem loci & ſententiæ, in confeſſione perſiſtunt vocationis, ſed propter ſuam in Deum charitatem lubentes parent vocationi, nullum alium ſibi ſcopum proponentes, niſi ut Deo placeant, non autem propter præmia laborum. Nam alij quidem propter gloriæ cupiditatē: alij verò quòd vitent aliud gravius ſupplicium: alij verò propter quaſdam lætitias & voluptates poſt mortem futuras, patiuntur: pueri ſne in fide; beati quidem, ſed qui nondum ſunt viri in ea quæ eſt erga Deum charitate, ſicut is qui eſt cognitione præditus. Sunt enim, ſunt quemadmo-

admodum gymnicis certaminibus, ita etiam in Ecclesia, coronæ virorum & puerorum. Charitas autem ipsa propter se est eligenda & expetenda, non propter aliquid aliud: Ei ergo qui est cognitione præditus, unà cū cognitione augetur perfectio fortitudinis, ex vitæ exercitatione, quæ semper meditata est vincere motus animi. Metu ergo & formidine vacuum, & in Domino confidentem, reddit suū athletam, inungens & exercens charitas: quemadmodum ei tribuit justitia ut per totam vitam verum dicat. Est enim iustitiæ compendium dicere: Erit vestrum, ita ita, & non non. Eadem ratio est etiam temperantiæ. Neq; enim propter honoris cupiditatem, sicut athletæ propter coronas & gloriam: neq; rursus propter pecuniæ cupiditatem, ut nōnulli præ se ferunt temperantiā ac moderationem, gravi perturbatione animi bonum persequentes. Sed neq; qui propter rusticitatem est continens, & non gustat voluptates, ullus verè est temperans. Certè cùm voluptates gustaverint, qui in faciendo operè vitam terunt, continentiæ inflexam duritiem infringunt ad voluptates. Tales autem sunt ij quoq; qui lege & metu prohibentur: nam si acceperint occasionem, furtim legem transgrediuntur, quæ honesta sunt fugientes. Quæ est autem propter seipsam expetenda temperantia, ut quæ per cognitionē perficiatur & semper maneat, dominum & imperatorem efficit hominem, ut sit temperans is qui est cognitione præditus, & nec afficiatur à voluptatibus, nec liquescat dolorib. sicut ajunt, adamantem igne minimè liquescere. Horum ergo causa, est sanctissima & totius scientiæ præcipua charitas. Per cultū enim eius qui est optimus & excellentissimus, qui ex uno characterem accipit, amicū simul & filium efficit eum qui est præditus cognitione; perfectū revera virum, ut qui creverit in mensuram ætatis. Quinetiam quæ est circa eandem rem concordia ac consensio, est assensio: quod autem idem est, unum est. Amicitia autē perficitur per similitudinem cōmunitatis quæ sita est in uno. Qui est ergo cognitione præditus, cùm diligat eum qui verè est unus Deus, ut sit vir verè perfectus, & Dei amicus, in filii locū cooptatur (hæc enim sunt nomina nobilitatis & cognitionis & perfectionis in mysteriis divinis) quā summū profectū capit anima cognitione præditi, munda planè effecta, facie, ut ait ille, ad faciem Deum omnipotentē in æternū videre dignata. Tota enim effecta spiritalis, cùm ad id quod est cognatum processerit in ecclesia spiritali, manet in Dei requie. *libro Stromatum. 7.*

Idem adhuc eodem lib. 7. Vt mors est animæ separatio à corpore, ita cognitio est veluti mors rationalis, abducens & separans animā à motibus & perturbationib. & deducens ad vitam beneficentiæ & bonarum operationū, ut tunc Deo dicat liberè, vivo sicut vis. Nam cuius est institutum ut placeat hominib. is Deo placere non potest: quoniam nō quę conferunt, sed quæ delectant multi eligunt: qui autem Deo placet, bonis hominib. per consequentiam fit gratus & acceptus. Quomodo ergo cibus & potus & Venus ei amplius fuerit delectabilis, cū etiā sermonem qui aliquā affert voluptatem; motumq; cogitationis & operationē jucundam, habeat suspectam? Nemo enim potest duobus dominis servire, Deo & Mammonæ: non pecuniam intelligens sic nudè dicit, sed suppeditationem quæ fit à pecunia in varias voluptates. Est ergo unus quidem solus ab omni cupiditate alienus ab initio, benignus & clemens Dominus, qui ꝓpter nos quoque est homo. Quicunq; autem student assimilari charácteri qui ab ipso datus est, ut fiant expertes cupiditatis, magna vi contendunt ab exercitatione. Qui enim concupivit, & seipsum continuit, instar est viduæ, quæ est rursus virgo per temperantiam. Is eam cognitionis mercedem servatori & magistro reddidit, quam ipse petiit: nempe abstinentiam à malis, & bonarū actionum operationem, per quas accedit salus. Sicut ergo qui artes didicerunt, per ea quæ sunt docti alimenta acquirunt: ita is qui est cognitione prędítus, per ea quæ scit, vitam acquirens, fit salvus: qui enim noluerit perturbationem excindere animæ, seipse occidit. Sed, ut videtur, alimenti quidem defectus est ignorantia animæ: nutrimentū verò, cognitio: Hæ autem sunt præditæ cognitione animæ, quas assimilavit Evangelium virginibus sanctificatis, quæ Dominum expectant. Nam virgines quidē sunt, ut quæ malis abstinuerint, expectant autem Dominum propter charitatem: suumq; accēdunt ad rerum contemplationem, prudentes virgines, dicentes, ô Domine, iam tandem desideramus te recipere: secundum ea quæ tu mandasti viximus, nihil prætermittentes eorum quæ præcepisti. Quāobrem promissa quoq; petimus. Precamur autem quæ sunt utilia, cum non conveniat à te petere quæ sunt pulcherrima: & accipiemus omnia ad utilitatem, etiamsi videantur esse mala quæ offeruntur nobis exercitia, quæ quidem nobis tua præbet dispensatio ac cura, ad stabilitatem exercendam & constantiam. Atque is quidem qui cognitione est præditus, propter insignem sanctitatem, est paratior, non assequi si petat, quàm assequi si non petat. Precatio quidem est ei universa vita, & cum Deo conversatio. Quòd si mundus sit à peccatis, omnino quod vult assequetur. Iusto enim dicit Deus: Pete & dabo tibi, cogita & faciam. Si sunt ergo utilia, accipiet protinus: inutilia autem nunquam petet, & ideo non accipiet: Ita quod vult erit. Quòd si quis dicat nobis, quosdam etiam peccatores impetrare id quod petant: hoc quidem rarò fit, propter iustam Dei bonitatem. Datur autem iis etiam qui possunt aliis benefacere: unde non fit donatio propter eum qui petiit: sed divina cura ac dispensatio, quia eum prævidet, qui salvus per ipsum est futurus, rursus justam facit donationem: iis autem qui sunt digni, ea etiā quæ verè sunt bona dantur licet non petentibus. Quando ergo non necessitate vel metu vel spe fuerit justus aliquis, sed ex libero animi instituto, hæc dicitur via regia, quam ingreditur regale genus: sunt autem lubricæ & præcipites aliæ ab ea declinationes. Si quis ergò metum & honorem abstulerit, nescio an toleraturi iam sint afflictiones, præclari isti, & qui tanta in loquendò utuntur libertate philosophi. Cupiditates ergo & alia peccata dicta sunt tribuli & valli. Operatur ergo is qui est præditus cognitione, in vinea Domini, plantans, putans, irrigans, verè divinus agricola eorum qui sunt plantati in fide. Et qui malum quidem non fecerunt, æquum censent ut otii mercedem accipiant: qui autem bona fecit ex nudo ac puro animi instituto, exigit mercedem ut bonus operarius. Duplum certè accepturus est, tum ob ea quæ non fecit, tum & ea quæ bene fecit.

Talis qui est cognoscendi potestate præditus, à nemine tentatur, nisi Deus permiserit, idque propter eorum qui cum eo versantur utilitatē. Confirmat certè alios ad fidem per virilem adhortando eos tolerantiam. Et profectò præterea beati Apostoli, ad confirmandas & stabiliendas ecclesias, ad experientiam & testimonium ducti sunt perfectionis. Cùm ergo habeat is qui est cognitione præditus, vocem hanc assidue in auribus sonantem quæ dicit: Quem ego percussero, tu ejus miserere, petit ut ii etiam qui eum habent odio ducantur pœnitentia. Nam quod de maleficis in stadiis sumitur supplicium, est etiam puerorum nō contemplari: non potest enim fieri, ut ab iisdē unquam doceatur vel delectetur is qui est præditus cognitione, qui ex libero animi instituto, ut bonus esset & honestus se exercuit. Ideoque qui adversus voluptates, durum semper infractumque habuit animum, nec in peccata unquam incidit, alienorum non castigatur exemplis malorum: multum autem abest ut terrenis voluptatibus & spectaculis delectetur, qui mundanas, etsi sint divinæ, contempsit promissiones. Non omnis ergo qui dicit, Domine, Domine, ingreditur in regnum Dei, sed qui facit voluntatem Dei. Is autem erit qui est cognitione præditus operarius, qui mundanas quidem vincit cupiditates, licet sit adhuc in carne. De iis autem quæ cognovit futuris, & quæ adhuc sub visum non cadunt, tam certam habet persuasionem, ut ea magis adesse putet, quàm quæ sunt præsentia. Hic est aptus & oportunus operarius, qui iis quidem quæ novit lætatur: quòd autem in huius vitæ necessitatibus volutetur, animo contrahitur, nondum dignatus efficace eorum quæ novit participatione. Ac idcirco tanquam aliena utitur hac vita, quatenus requirit id necessitas. Novit ipse jejunii quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, & sexti. Dicitur autem ille quidem Mercurii, hic verò Veneris. Dicis causa jejunat in vita, & ab avaritia, & à libidine, ex quibus omnia oriuntur vitia. Fornicationis enim sæpe jam tres supremas ex Apostoli sententia posuimus differentias libidinem, avaritiam, idololatriam. Iejunat ergò etiam ex lege à malis actionibus, & Evangelii perfectione à malis cogitationibus. Ei adhibentur etiam tentationes, non ad exoptationem, sed ad propinquorum, ut diximus, utilitatem: si laborum facto periculo & dolorum, eos contempserit & ablegarit. Eadem est etiam ratio de voluptate: est enim res maxima, cùm quis eam expertus fuerit, deinde abstinere. Quid enim magnum, si quis se contineat ab iis quæ non novit? Is verò cùm executus sit præceptū quod est ex Evangelio, facit illum diem Dominicum, quando malam abjecerit cogitationem, & acceperit eam quæ est in ipso Domini glorificans resurrectionem. Quinetiam cùm cōtemplationis ex scientia acceperit comprehensionem, se Dominum videre existimat, visum suum deducens ad ea quæ cadunt sub aspectum, etsi videatur ea quæ non vult videre: castigans videndi facultatem, cùm senserit se voluptate affici ex applicatione visus. Nam hoc solùm vult videre & audire quod ad se pertinet. Iam verò fratrum animas considerans, carnis quoque pulchritudinem ipsa aspicit anima, quæ solum id quod est honestum consuevit intueri absque voluptate carnali. Fratres autem sunt qui revera per electam creationem, & morum consensionem, & operum substantiam, eadem faciunt & cogitant & loquuntur sancta & honesta, quæ Dominus voluit ipsos, cùm sint electi, sentire. Nam fides est in eo, ut eadem eligant: cognitio autem in eo, quòd eadem didicerint & sentiant: spes autem in eo, quòd eadem faciāt. Quòd si propter vitæ necessitatem in se nutriēdo consumat aliquid temporis, fraudari se debitò existimat, ut qui à suo avellatur negocio. Hinc fit revera ut ne somniū quidē videat, quod non electo conveniat. Nam revera is est totus hospes & peregrinus in tota vita, qui in civitate habitans, cōtemnit ea quæ in civitate sunt & quæ alii mirantur: vivitq; in civitate tanquā in solitudine, ut non locus eum cogat, sed liberū eligendi arbitriū eū justum ostendat. Talis ergo qui est præditus cognitione, ut semel dicam, Apostolicam adimplet absentiā, rectè vivens, accuratè cognoscens, suos juvās necessarios, montes propinquorū transmovens, & inæqualitates ipsorū animæ abiiciens. Quanquam unusquisq; nostrū sua vitis est & operarius. Idem autem etiā quę sunt optima agens vult latere homines, Domino simul & sibi ipsi persuadens se vivere ex pręceptis, ea pręferens ex eo quòd esse credidit. Vbi enim, inquit, est mens alicuius, illic est etiam eius thesaurus. Ipse seipsum diminuit. Ad hoc nunquam contemnit fratrem, qui fuerit in afflictione, propter eam quæ est in charitate perfectionem, si se sciverit facilius laturum egestatem quàm frater. Existimat certè illius dolorem esse dolorem proprium, & si ex sua præbens ino-

inopia, propter beneficentiam aliquo afficiatur incommodo, id non ægrè fert, ſed adhuc magis auget beneficiũ. Habet enim purã & ſynceram fidem, eam quæ eſt de rebus: per opera & contemplationem laudans Evangeliũ. Et ſanè non laudẽ ab hominib. accipit, ſed à Deo peragens ea quæ docuit Dominus. Idem cùm attrahatur à ſpe propria, non guſtat ea quæ ſunt in mundo pulchra, omnia quæ hîc ſunt magno animo deſpiciens: ſed & eum miſeret eorum qui poſt mortem caſtigantur, per ſupplicium inviti confitentes; bonam ſẽper habens conſcientiam, & ſemper paratus ad exitum, ut peregrinus & hoſpes earum quæ hîc ſunt hæreditatum, memor tantùm propriorum: quæ autem hîc ſunt omnia aliena exiſtimans: non ſolùm Domini mandata admirans, ſed ut ſemel dicam, per ipſam cognitionem particeps divinæ voluntatis, verè familiaris Domini, & mandatorum electus, ut qui ſit juſtus: imperandi autem & regnandi poteſtate præditus, ut qui ſit cognitione præditus. Omne præterea aurum, quod eſt ſuper terram, & ſub terra, & regnum quod eſt à finibus ad fines Oceani deſpiciens, ut ſolum Domini cultum teneat. Quocirca & comedens, & bibens, & uxorem ducens, ſi dicat Verbum, quin etiam ſomnia aſpiciens, ſancta facit & cogitat; ea ratione ſemper mundus ad orationem. Quin etiam precatur cũ Angelis, ut qui jam ſit etiam æqualis Angelis, neq; eſt unquam extra ſanctam cuſtodiam, & licet oret ſolus, habet chorum Angelorum unà aſſiſtentem. Sed & novit duplicem, & ejus qui credidit operationẽ, & eius quod creditur, pro dignitate excellentiam. Nam juſtitia quoque eſt duplex, una quidem propter charitatẽ, altera verò propter metum. Dictum quidem certè eſt: timor Domini caſtus, permanẽs in ſeculum ſeculi: qui enim convertuntur à timore ad fidem & juſtitiam, permanent in ſeculum. Iam verò abſtinentiam à malis operatur is qui timet. Adhortatur autem benefacere charitas ædificans ſuper voluntarium, ut quis audiat à Domino: Non vos amplius dico ſervos, ſed amicos. Etiam cum fiducia accedit ad preces. Genus autem ipſum precationis eſt gratiarum actio propter præterita, præſentia, & futura, ut quæ ſint per fidem jam præſentia: Nam cognitionis præcedit acceptio. Quinetiam ſic quoque petit ut vivat vitã in carne definitã, ut cognoſcendi poteſtate prę̨ditus, ut expers carnis, & conſequatur quidẽ quæ ſunt optima, fugiat autẽ quæ ſunt deteriora.

Petit autem ſublevationem quoq; eorum quæ nos peccavimus & converſionem ad agnitionem, tam acriter ſequens eum qui vocat in exceſſu, quàm ille vocat, ut ita dicam, præcedens, propter bonam conſcientiam feſtinans ad agendas gratias; & ut cùm illic fuerit cũ Chriſto, ut qui ſeipſum dignum præbuerit propter puritatem, per quandã quaſi temperationem, habeat Dei virtutem quæ ſuppeditatur per Chriſtum. Non enim caloris participatione calidus, neq; ignis lucidus, ſed vult totus eſſe lux. Idem accuratè novit id quod dictum eſt: Niſi odio habueritis patrẽ & matrẽ, & prę̨terea propriam quoq; animam, & niſi ſignum portaveritis. Nam & carnales affectiones, quæ voluptatis maximas habent illecebras, odit, magnoq; deſpicit animo omnia quæ ad creationẽ & nutritionẽ carnis ſunt accõmodata. Etiam inſurgit adverſus animã corporeã, imperiũ detrectanti ſpiritui, experti rationis, frænum inijciens, quoniam caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Signũ autẽ portare, eſt mortẽ circũferre, adeo ut vivus adhuc omnib. renunciet: quoniam non eſt æqualis charitas eius qui ſeminavit carnem, & eius qui animam creavit ad ſcientiam. Hic cùm ad benefaciendi habitũ pervenerit, dicto citius beneficio afficit, orans ut fratrũ quidẽ peccatorũ ſit particeps ad confeſſionẽ & cognatorum converſionem, ad propria autem bona amiciſſimis cõmunicanda paratiſſimus. Ipſi autem ſic ei ſunt amici. Augens autem quæ apud ipſũ deponũtur ſemina, ea quã mandavit Dominus, agricultura, manet quidẽ nulli peccato affinis: fit autem continens, & degit cũ iis qui ſunt ſimili ſpiritu in choris ſanctorũ, etiamſi adhuc in terris detineatur. Hic toto die & nocte dicens & faciens juſſa Domini, ſupra modũ lætatur, non ſolũ cũ mane ſurgit & meridie, ſed etiam cùm deambulat, & dormit, & veſtes induit & exuit, & docet filiũ, ſi ſit genere filius, inſeparabilis à mandato & à ſpe: Deo ſemper agens gratias, ſicut animalia glorificantia, quæ allegoricè dicũtur per Eſaiam: Tolerans præterea cujuſvis tentationis, Dominus, inquit, dedit, Dominus abſtulit. Talis erat Iob quoq;, qui propter ſingularẽ in Dominũ charitatẽ, omnia ſibi externa unà cum ſanitate auferenda, depoſuit: erat enim, inquit, juſtus, ſanctus, abſtinens ab omni improbitate. Verbum autẽ ſanctitatis, omnia divina jura, omnẽq; adminiſtrationẽ comprehendit. Quæ cum ſciret, erat præditus cognitione. Oportet enim neque ſi ſint bona, ei eſſe nimiũ deditum: neq; rurſus ſi mala, nimium ægre ferre; ſed utriſq; eſſe ſuperiorẽ, hæc quidem conculcando, illa verò ad egenos tranſmittendo. In accõmodando ſe autem admodum eſt cautus is qui præditus cognitione eſt, ne fortè non intelligatur, aut pro diſpoſitione habeatur diſpenſatio. Nunquam meminit eorum, qui in ſe peccarunt, ſed ea remittit: quocirca juſtè etiam orat, dicens, Dimitte nobis, nam nos quoq; dimittimus. Nam hoc quoque unum eſt ex ijs quæ vult Deus, nihil concupiſcere, nullum habere odio. Vnius enim voluntatis opus omnes homines. Annon autem eũ qui eſt cognitione præditus, perfectum eſſe volens Servator noſter, ſicut patrem cœleſtẽ, hoc eſt ſeipſum, dicens, Venite filij, audite à me timorem Domini, non vult nos amplius opus habere auxilio quod datur per Angelos, ſed à ſeipſo cùm indignus evaſerit accipere, & à ſeipſo habere præſidium per obedientiam? Qui talis eſt, exigit à Domino, nõ autẽ petit: & ſi egeant fratres, non petet ipſe qui eſt cognitione præditus, pecuniæ copias ad eis impertiendum: ſed optabit illis ſuppeditari ea quibus indigent. Nam ſic dat etiam preces iis qui indigent, is qui eſt præditus cognitione, & non per preces inſcienter ſimul præbet & ſimpliciter. Et paupertas quidem ſæpe & morbus, taleſque tentationes præbentur in admonitionẽ & correctionem præteritorũ, & ad curam futurorum. Qui eſt eiuſmodi, petet ut ſublevẽtur; ut qui habeat eximium cognitionis munus nõ in vanã gloriã: verũ ob hoc ipſum quòd ſit cognitione præditus, exercet ipſe beneficẽtiã, ut qui factus ſit inſtrumentũ Dei bonitatis. Dicunt autem in traditionib. Matthiam Apoſtolũ inter cætera dixiſſe: Si electi vicinus peccaverit, peccavit electus: nam ſi ſe ita geſſet, ut iubet Verbum ſeu ratio, eius vitam ita eſſet reveritus vicinus ut non peccaſſet. Quid ergo dicemus de eo qui eſt præditus cognitione? An neſcitis, inquit Apoſtolus, quòd templum Dei eſtis? Divinus ergo eſt is qui eſt præditus cognitione, & jam ſanctus, qui Deo afflat & afflatur. Iam verò oſtendens ſcriptura eum eſſe alienum à peccato, eos qui offenderunt, vendit alienigenis. Ne aſpiciat autem ad concupiſcentiã mulierẽ alienam, dicens, apertè dicit peccatum eſſe alienum, & præter naturam templi Dei. Templum autem, unũ quidem eſt magnum, ut Eccleſia: alterum verò parvum, ut homo qui ſervat ſemẽ Abrahæ. Non cõcupiſcet ergo aliquid aliud, qui habet Deum in ſe requieſcentẽ. Iam verò relictis omnib. quę ſunt impedimento, & deſpecta tota quę eũ abſtrahit materia, cœlũ ſecat per ſcientiã: & ſpiritalib. tranſmiſſis eſſentiis, & omni principatu & poteſtate, tangit ſupremos thronos, ad illud ſolũ tendẽs, propter quod ſolum cognoſcebat. Serpente ergo juncto cũ columba, ſimul perfectè vivit & cũ bona conſcientia, ſpem fide cõmiſcens ad expectationem futuri. Sentit enim donũ quod accepit, ut qui dignus ſit habitus qui conſequeretur, & tranſlatus ſit à ſervitute in filiorũ adoptionẽ, conſequenter ſcientię: ut qui neq; nõ cognoverit Deum, ſed potius ſit ab ipſo cognitus per finẽ, & pro gratię meritis oſtendat operationes: opera enim ſequũtur cognitionem, non ſecus ac umbra corpus. Meritò ergo nihil eũ conturbat ex iis quæ accidunt, neq; quicquam veretur ex iis quæ utilitatis cauſa à divino fiunt conſilio: neq; erubeſcit mori, vt qui bonam habeat conſcientiã, ut oſtendatur poteſtatibus, ab omnib. ut ſemel dicã, animæ maculis emundatus, & qui ſciat poſt exceſſũ ex hac vita fore, ut ſecum melius agatur. Vnde jucundũ & utile nunquam diſpenſationi & divino præfert conſilio, per mandata ſeipſum exercens ut evadat Domino gratus, & acceptus in omnib. & apud mundũ laudabilis, quandoquidem dependẽt omnia ab uno Deo omnipotente. In propria, inquit, venit filius Dei, & ſui eum non receperunt. Quamobrem etiam in uſu rerum mũdanarũ, non ſolùm agit gratias & admiratur creaturã, ſed etiam utẽs ut oportet laudatur, quoniam ei finis deſinit in contemplationem per operationẽ ex cognitione profectã, quæ fit convenieẽter mãdatis. Hinc iam per ſcientiã colligens viaticũ contemplationis, poſtquam magnificè accepit magnitudinẽ contemplationis, procedit ad tranſlationis ſanctã remunerationem. Audivit enim pſalmũ dicentem: Circũdate Sion, & comprehendite eã, narrate in turribus eius. Significat enim, ut arbitror, eos qui Verbũ altè ſuſceperũt, futuros altos ut turres, & firmiter & ſtabiliter ſtaturos in fide & cognitione. *Libro Stromatum 7.*

D. Chryſoſtomus: Sitis autem perfecti, inquit: nam qui in aliquo eſt unitus, in aliquo autem diſſidet; non eſt utiq; perfectus, neq; cõſũmatus ad conſenſum & concordiã. Fieri autem poteſt, ut intelligentia & cogitatis conſonet, nequaquã autẽ ſententia: ut quando eandem habentes fidem, non ſumus uniti charitate. Nam ſic intelligentia quidem & cogitatis ſumus uniti, ſententia autem nequaquã quod tunc quoq; fuit, cum ille quidem iſtũ, hic verò illum eligeret. Propterea dicit, oportere & mente & ſententia conſentire. Nõ enim erant ſchiſmata ex eo quòd in fide diſſiderent, ſed ex eo quòd humana contentione diviſa eſſet ſententia. *Homil. 3. ad Corinth. 1.*

Chryſoſtomus: Perfecti ſunt qui cùm norint res humanas valde imbecillas, & eas deſpexerint, perſuaſum habent eas nihil conferre: cuiuſmodi ſunt fideles. *Hom. 7. ad Corinth. 1.*

Chryſoſt. Nemo ſe ipſe exiſtimet perfectũ eſſe. etenim qui omnia ſe putat conſecutum, nihil habet. *Homil. 12. ad Philipp.*

Chryſoſt. Fieri poteſt ut quiſpiam ſit perfectus, & non ſtet. ut ſi quiſpiam quidem omnia noverit, adhuc autem labaſcit. fieri poteſt etiam, ut non ſit perfectus, & ſtet: ut ſi quis ſciat quidẽ partem, ſtet autem non firmiter. *Homil: 12. ad Coloſſ.*

D. Io. Chryſoſt. Illum vocamus perfectum, qui cum fide rectam habet vitam. ſi quis autem fidem quidem habet, ſcelera autem admittit; & de hac ipſa dubitat, & doctrinam probro afficit; meritò eũ dicemus infantem, ut qui ad ipſum recurrit initium. Quamobrem etiamſi mille annos egerimus in fide & in ea non ſimus firmi & ſtabiles, ſumus infantes, quando non oſtendimus vitam ei convenientem, quando adhuc jacimus fundamentum. *Homil. 9. Ep. ad Hebr.*

¶ Latinorum.

Zeno: Non poteſt eſſe perfectum, quod aliunde expectat ſibi aliquid neceſſarium. *Sermone de fine.*

Ennodius: Non multum à fœditate ſejungitur imperfecta formoſitas: & qui non ſufficienter magnorum tetendit ad culmina, miſerorum infima vix reliquit. *Paraneſi didaſcal.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Arrian. c8. l. 4. Epict. Nunc primo impulſu animorum ad philoſophiam excitar, ut ij qui è ſtomacho laborant ad aliquod eduliũ, quod paulo poſt faſtidiant: ſtatim aggrediuntur ſceptrum, ſtatim

regnum affectant: alunt promissam coniam, induunt pallium, nudum humerem ostentant, rixantur cum obviis: si quem in penula viderint, pugnant cum eo. Homo exerceto te prius adversus hyemem, observa tuum impetum, ne sit hominis è stomacho aut muliercula pica laborantis: da inprimis operam, ut ignorere qui sis: tibi ipsi philosophare ad breve tempus. Sic fruges nascuntur: defodi oportet, aliquādiu semen occultari, paulatim augescere, ut maturitatem consequatur. Sed si spicam ante geniculum protulerit, imperfectum est frumentum, est ex hortis Adonidis. Huiusmodi plantula & tu es: ante tempus floruisti, exaret te hyems. Vide quid dicant agricolæ de seminibus quando ante tempus calor inciderit. Anguntur ne luxurient semina: ac deinde frigus unū ea coarguat. Vide & tu homo: luxuriasti, subito concitatus es & ante tempus ad gloriolam: videris aliquis esse, stultus apud stultos: frigore enecaberis, ac potius jam enectus es juxta radicem: superne vero paululum adhuc flores, coque, videris adhuc vivere & florere. patere nos saltem secundum naturam maturescere. Quid nos exsuis? Quid cogis? Nondum possumus ferre aerem. Sine radicem crescere, deinde geniculum primum oriri, post alterum, mox tertium: deniq; sic fructus ipsam naturam coget, vel me nolente. Quis enim prægnans & plenus talium decretorum, non etiam vires & copias suas intelligit, & ad opera sibi convenientia concitatur? Taurus certe quidem naturam suam haud ignorat, & robur, cum feram aliquam conspexerit, neq; hortatorem operitur. Neq; canis, cum ferum aliquod animal viderit. Ego vero viri boni apparatum continebo? Exspectabo, ut tu me ad opera mihi convenientia pares? Nunc vero nondum habeo, crede mihi. Quid ergo me ante tempus exarescere vis, quēadmodum ipse exaruisti.

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Ego magnas & graves caussas destino retractare ne tantus ille labor meus, nisi hoc quod reliquum est studij addidero, mecum pariter intercidat. nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non inchoato est. *Ep. 8. l. 5.*

Plinius Iunior: Illud jam nunc paciscor; prima quæq; ut absolveris, mitte. imò etiam antequam absolvas, sic ut erunt recentia & rudia, & adhuc similia nascentibus. Respondebis: non posse perinde carptim, ut contexta, perinde inchoata placere ut affecta. Scio itaque & à me æstimabuntur ut cœpta, spectabuntur ut membra; extremamq; limam tuam operientur in scrinio nostro. Patere hoc me super cetera habere amoris tui pignus, ut ea quoque nôrim quę nosse neminem velis. *Epist. 4. l. 8.*

Symmachus. Dii te pro tanta gratia munerentur. Et quia perfectis atq; elatis in cumulum bonis nihil adjici potest, velint rata manere & propria quæ dederunt. *l. 1. Epist. 16 f.*

¶ Poetarum.

Martial. l. 10. Ep. 100.

Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte frustra crure ligneo curres.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; nævo in orbe toto repperire neminem est.
Candido niger nævus non displicet in corpore.
Censen' te reperire posse culpa exsortem feminam?
Congius cui desit unus vini non est amphora.
Despicimus perfecta, quæ stupori erant conantibus.
Hau datum est Achillis hastum promovere cuilibet.
Haud venustate indigent queis iam suo est perfectio.
Iis superflua est venustas queis sua est perfectio.
Impetit vulgus cavillis etiam perfectissima.
Nemo tam est perfectus quin verbo ve re ve exorbitet.
Nil peccare, & cuncta rectè facere, solius Dei est.
Nullus unquam numeros omnes compleat sapientia.
Nulli adhuc virtutium omnis obtigit symphonia.
Perfectissimus vir est qui affectione haud vincitur.
Quid canis quæso est, cui sit robur ac velocitas?

¶ Jambica.

Dotatus ecquis omnibus virtutibus?
Homo universa habere non potest simul.
Nemo absolute natus unquam est optimus.
Non dant simul mortalibus Dei omnia.
Non omnia eidem Dij dedere cælites.
Non omnia uni contulêre Cælites.
Nox & viris fatales admixta optimis.
Omnes in unum vix cogit laudes Deus.
Perfectus esse cui virtus abest nequit.
Perfecta nulli virtus est mortalium.
Perfectum opus, non linia tornat; at terit.
Perfectus esse in omnibus nemo potest.
Proferre tellus omnis omnia haud potest.
Signum rei imperfectæ est posse crescere.
Solo nequit fieri uno congio amphora.
Virtute summus, summus esse vitijs potest.

Perfidiæ.

¶ Sententiæ Græcorum.

Themistius: Nulla magis ab hominum societate abhorret malitia, quàm perfidia, & infidelitas. Quippe quæ unicum vitiū sit adversus quod nullam cautionem, ac provisionem comparare possimus. Quod enim solum præsidium habemus, jusjurandum dico, ac Deorum invocationem, hoc ipso maxime, vir facilius lateat, abutitur. Proinde ridicula apud eos Stygis aqua est, nec minus ridicula Styx ipsa: Tartarei dæmones pro nugis habentur, pro nugis etiam ipse Tartarus, quoties perfido homini necesse est scelus aliquod commissum insidiari. Propter quam calliditatem ac versutiā, homo bellis tractatu difficilior, & aggrestior redditur. Hoc enim est quod Poetas conquerentes audimus quod

Serpentem in montibus, atque Leonem
Venator visum fugere, auditumque valebit.
Horum quippe animus, mensque haud obscura patescit.
Ast homo mente aliud versat, quàm lingua profatur?
Blanda quidem vox est, sed facta inimica probantur.

Insidiantur, & una habitant, & adulantur. Mira porro audacia, præfractaq; ad ea omnia impudentia, quæ medio etiam in foro, & corā Græcis, Barbarisq; testibus confinxerit, & machinatus fuerit, atque hoc mendacii genus malitiosum, atque improbum ab Philosophi animo reijciendum est. *Orat. 1. cui titulus Basanistes 1. explorator.*

¶ Romanorum.

Egesippus: Cùm Nero ipse nulli fidem servaret, omnes suspectos habebat: & ideo nequissimis se Nymphidio & Gemellino præcipuè credendum putavit, quos vilis conditio obnoxios fecerat. *cap. 20. lib. 4. de excid. Hieros.*

¶ Apologorum.

Aesopi Lupi & Canes. Lupi canibus dixêre, quid quum in omnibus nobis similes sitis, eadem quoq; non estis mente ut fratres? Nihil enim à vobis differimus, nisi voluntate. Nos in libertate vivimus, vos hominibus subjecti & servientes, verbera ab iis patimini, & trunco alligamini, custoditis insuper ipsas oves. Cùm vero cibū sumunt, ossa tantum obijciunt vobis. Sed si consentiatis, omnes tradite nobis greges, in commune nobiscum ad satietatem edentes. paruêre canes. At illis in spelūcā ingressis, primos devoravêre canes.

De Mure & Rana. Anonymus.

Muris iter rumpente lacu, venit obvia muri
Rana loquax, & opem pacta, nocere cupit.
Omne genus pestis superat mens dissona verbis,
Cum sentes animi florida lingua polit.
Rana sibi murem filo confœderat, audet.
Nectere fune pedem, rumpere fraude fidem.
Pes coit ergo pedi; sed mens à mente recedit.
Ecce natant; trahitur ille, sed illa trahit.
Mergitur ut secum murem demergat, amico
Naufragium faciens, naufragat ipsa fides.
Rana studet mergi; sed mus emergit, & obstat
Naufragio: vires suggerit ipse timor.
Milvus adest, miserumq; truci rapit ungue duellum
Hic jacet; ambo jacent, viscera rupta fluunt.
Sic pereant qui se prodesse fatentur, & obsunt.
Discat in auctorem pœna redire suum.

De Servo qui asinum heri è rupe dejecit Fab. 157.

Servus cujusdam agricolæ asinum domini sui ex alta rupe præcipitē dedit, ne quotidie hac & illuc illū agere cogeretur, mentitusque domino illū sponte sua dejecisse. Ob hoc dominus servū compellebat omnia humeris suis ferre, quæ antè asinus portabat. Quod serv⁹ nequā animadvertens, malè, inquit, mihi cōsului, cum innocētē cōservū meū perimi, q me tāto labore levabat: iustè nūc plector.

Fabula indicat, insipientes dum mala à se amoliri volunt, sæpe incidere in graviora. Abstemius.

De Vulpe capta, & rusticum ut se dimitteret, orante. Fab. 192.

Vulpes capta à rustico, cuius quàm plurimas gallinas occiderat, blandis eū verbis orabat, ut se dimitteret, persanctè jurās nullū ulterius damnum se illi illaturā. Cui rustic⁹: ignoscerē, inquit, tibi perlibēter, & te incolumē dimitterē, nisi te subdolū & fidefragū animal cognoscerem. A mortua nullum mihi detrimentum inferri posse, à viva verò subdubito.

Fabula indicat, perfidis & fallacib. viris nullam adhibendam fidem. Abstemius.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Constantinus Imp. Quum Alius abjurasset suam hæresin, Imperator eum dimisit liberum, cum his ferè verbis: Si recta est fides tua, bene jurasti: sin autem impia est fides tua, & tamen iurasti, Deus de cœlo de te ferat judicium. *Theodoret. eccl. hist. l. 1. c. 14.*

Rodolphus Suaviæ Dux. Quum malis artibus Sueviæ dux Rodolphus à Gregorio septimo Roman. Pontifice Imperator esset electus, ejecto Henrico quarto, legitimo Imperatore prælium atrox committitur inter Henricum & Rodolphum, iuxta Ellestram fluvium, in quo Rodolphus vulneratus in manu dextra, fugit Mesburgum, mortique jam proximus dixit ad familiares suos, Videtis manum dextram meam de vulnere sauciam: Ecce hæc est manus, qua Domino meo Henrico fidem sacramento firmavi. Sed pontificum petitio me huc deduxit, ut juramenti transgressor, honorem mihi indebitum usurparem. qui ergo finis nos exceperit, videtis quia in manu qua juramentum peregi, lethale hoc vulnus accepi. Videant ergo hi qui ad hoc nos instigaverunt, quo nos duxerint,

rint, ne forte deducti ſimus in præcipitium mortis æternę. Et hæc dicens, diem clauſit extremum. *Alb. Crantzius, metrop. l 5. c. 16.*

Alphonſus rex: Celebrabatur coram eo Senecæ dictum, Si vis amari ama, quod dum multi probarent, ego (inquit) aliter ſentio. Aliquis, mea ſententia, amat, nec viciſſim redamatur. Et quis aut certius aut flagrantius diligit, quàm qui homines fecit, atque hominum cauſa omnia fecit? Cùmque id ita eſſe nemo vivus ambiget, quis tamen eſt qui mutua charitate Deum complectatur? Imò verò quid mirabilius aut potius deteſtabilius eſt, cùm aut hunc aut illum hominem amantibus nobis interdum in officio non reſpondeatur, Dum verò amantibus certiſſima ſit illius charitas, nec charitas ſolum, ſed amoris merces, perpetua lux & ſempiterna trãquillitas, nihilominus obdurari perſiſtimus, nec amantem redamamus? Id ego arbitror nobis evenire ob nullam aut certè ob exiguam in Deum fidem. Dum enim bonis hiſce præſentibus atque voluptatibus delinimur & obcæcamur, cœleſtia quæ non videntur neque tanguntur non modo non curamus, ſed nec omnino futura confidimus: ut ſi quis admodum ſitiens hauriat aquam limpidam. *Anto. Panormit.*

Matthias Corvinus. Quum Legatus Pontificius anno Domini 1469. Matthiæ Corvino, Hungariæ regi ſuaderet, ut Victorinũ & Henricum Georgii Podieblacii Bohemiæ regis, Pontificiorum adverſarii, filios eum honoris gratia, poſt colloquium cum Georgio flagrante inter eos habitum comitatus Olomuciam in urbem uſque captivos detinere, dicens hoc modo patrem, cuius ſpes ex filiis penderet, Matthiæ poteſtati ſeſe permiſſurum, nec Matthiam perfidiæ ſubiturum crimen, quoniam illis ſalutem & reditum non fuiſſet pollicitus Matthias irritatus ſcelerato conſilio ſacerdotis. Apage te, ſacerdos, inquit; neque ego hoc modo finem meam contaminavero. Comiter ego & amicè hos adoleſcentes regios in via affatus ſum, ipſique, fidem meam & ſermonis benignitatem ſecuti, urbi ſeſe crediderunt: hos ego nunquam fefellero: neque magis vultus meus, quàm expreſſa oratio vel ſponſio, mendax futurus eſt, cùm ſimulatio inſidioſa animo vere regio ſit indigna. Tibi etiam ne poſthac in regnis meis talia conſilia feras, vero. Atque ita rex adoleſcentes, honorificè donatos, patri remiſit. *Ioachim. Cunaus. Annal. Sileſia.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Frederic. III. Imp. Sinceræ fidei concordiæq; repugnãs Perfidiæ crimẽ, levi ſtylo percurremus, eoſq; qui illo infecti. Dederat Fridericus Imp. fidem publicam iis, qui in ſe abſentem conjuraverant, eiſque liberè ad ſe veniendi abeundique poteſtatem faciebat. At Neapolim vocatos, capite plecti jubet. Rogantibus autem cur datam fidẽ falleret: *Quia æquum eſt*, inquit, *perfidis & parricidis violare fidẽ, & ſcelus pari arte punire.* Bonfin. l. 4. Decad. 4.

Eduardus Angliæ Rex. Et hic cum Ioanne Francorum rege inducias inierat plurium annorum. quo tempore factum, ut Angliæ proceres auro corrumperẽt præſidium caſtri de Guines, & obtinerent. Mittit Oratores ſuos Ioannes qui Eduardum perfidiæ incuſẽt. Quibus ille; *Nequaquam*, inquit, *per me violatæ induciæ: nullus enim pacti noſtri articulus mercaturæ exercitium prohibet.* Clamat Silius Poeta:

Audite ô gentes rumpite fœdera pacis,
Nec regnis poſtferte fidem

Auct. Sermonum memorab.

Carolus IV. Imp. qui & VVenceslaus. Ille item bellum gerebat cõtra Philippum Auſtriacum. cumq; ſe copiis inferiorem conſpicaretur, Duces quoſdam in ſuas partes, datis & addictis amplis muneribus trahit, qui domino ſuo ſuadeant, prœlio abſtineat.

——*Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?*

Spondent illi, &, ut erat poſtulatum, exequũtur. Re ad effectum deducta proditionis mercedem accepturi, adeunt Imperatorem: qui adulterinum aurum, quod ſtudioſè colligi mandaverat, eis tradit. At paulò poſt deprehenſa fraude, queruli ad Carolum revertuntur monetam falſitatis arguunt. Ille torvis oculis eos intuitus, *Abite*, ait, *furciferi in meritam malam crucem, alia proditionis præmia accepturi. Quam quæſo aliam pecuniam veſtra meretur perfidia? adulterino auro adulterina compenſatur fides.* Cranzius in Saxonia l. 9. c. 37. Hieron. de Vir. Illuſt. German.

¶ Monosticha Trochaica.

Cuncta plena ſunt Deo, nec tutus perfidis locuſt.
Nil humanæ ſocietati perfidia ſceleratius.
Perfidiæ fama intoleranda militanti Gloria.
Perfidus latere quemque hominem, at nullum queat Deum.
Perfido fidele nil eſt; perfido intuta omnia.
Perfidi fidem haud merentur? præſta eis tamen fidem.
Perfidi multi occiduntur, qui tamen haud ſunt perfidi:
Semper cogita in fide haud quid dicas, ſed quid cenſeas.
Societas nulla eſſe fidei perfidiæq; uſquam poteſt.

¶ Jambica.

Aditum nocendi, perfido præſtat dies.
Contra ſuos vix fidus, quis fuerit tibi?
Ferè adſita eſt perfidia petulantia.
Peccaſſe, pœna maxima eſt peccantium.
Igne atq; cæde vindicatur perfidus.
Ipſis tamen præſtato perfidis fidem.
Non mitigatur meritis ullis perfidus.
Perfidia nullis mitigatur præmiis.

Periculi.

¶ Sententiae Patrum Graecor.

D*iv. Nazianzenus*: Ευμήχανον γὰρ ἅπαν τὸ πιεζόμενον. Ingenioſus ac ſolers eſſe ſolet, quiſquis premitur. *Orat. 18.*

Divus Nazianzenus. Philoſophicus animus, ex eo quod paſſus ſit, generoſior redditur; atq; ut candens ferrum frigidæ aſperſione, ita periculis obdureſcit. *Orat. 23. in laudem Heronis.*

D. Greg. Nyſſenus: Quemadmodum inſignis alicuius venatoris, verum exhibetur ſpecimen, cùm bellicoſas inſequitur feras; boniq; gubernatoris virtus ſe prodit tempeſtate adverſa: medici prudentis in gravioribus. morbis; militis ſtrenui in ipſo pugnæ diſcrimine: ita quoque pietatis & religionis ſtudioſum virum, magna ac difficilia pericula oſtendunt; cùm & ſe & alios ex inſidiis periculiſq; eximit. *orat. de vita Ephræm. Syri.*

D. Chryſoſtomus: Quis ſua ſponte voluerit fruſtra & temerè adire pericula? aut ſi quis propter inanem gloriam hoc ſponte ſua elegerit, ſemel & iterum hoc eliget, non omni tempore. *Homil. 40. ad Corinth. 1.*

Chryſoſtomus: Non ergo curæ erant Paullo pericula, ſed diſcipuli. Vides quod quemvis patrem exuperarit naturalem. nam nos quidem in afflictionibus & diſcriminibus memoriam omnium expellimus. *Homil. 4. ad Theſſ. 1.*

Baſilius Seleuc. Orat. 16. m. Rectoris virtutem non prodit tranquillitas, neq; qui fertur in puppim ventus, & inſtar alarum navigium tranſmittit. Sed cum ventorum impetus, & undarum eruptiones, atq; inſultus fervent, cum contra navem ſurgit mare: tunc penitus rectoris eniteſcunt artes, tunc ſollertia tempeſtatis violentiã palam vincit. Similiter & ars medici ſuſcipitur, cum ingraveſcentẽ morbum animadvertens pharmacis tollit ægritudinem. Et aurum probat ignis: viri vero virtutem conflant vitæ adverſa.

Iſidorus Peluſiota: Præclarum atq; commodum eſt ante oborta pericula lumbos præcinctos habere, Deoq; adminiſtram operam præbere, atque adverſarias copias fide fundere ac profligare, non autem ſegnitie atque ignavia torpentes, inimicorum & hoſtium telis patere. Quandoquidem eò imprudentiæ, conſiliiq; inopia progreſſi ſumus, ut nec ſpatium quidem habeamus, Sacerdotii munus Deo exhibendi: quòd videlicet mala, qu[i]bus undique cingimur, minimè nobis poteſtatem faciant inſtrumenta ea capeſſendi, quibus hoſtilem impetum propulſemus. *lib. 1. Ep. 232.*

Iſidorus Peluſiota: Dei verbum, ut verè humanitatem induit, ita verè omnia ea quæ in hominem cadunt, explevit. Ad hunc modum paſſionis quoque tempore calicem deprecatur: hinc illud oſtendẽs, periculis occurrendum non eſſe: verùm, cùm ingreſſi ſumus ad ea excipienda, fortitudinem ac tolerantiam adhibendam. Etenim ipſe crucem, cùm adhuc in eum compararetur, detrectabat. At idem judicis ſententia cruce damnatus, eam tanquam victor, humeris tollens incedebat. *lib. 1. Ep. 289.*

S. Iſidorus Peluſiota: Viris ſanctis, ſapientiſſime vir, graviſſima quæque pericula, quæ virtutis cauſa adeunt, maioris gloriæ materiam præbent. *l. 3. Epiſt. 21.*

S. Iſidorus Peluſiota: Haud quaquam oportet, ô in præclaris quidem & honeſtis actionibus ignaviſſime, ac nullius omnino uſus, in fœdiſſimis autem actuoſiſſime, pericula omnia, etiam quæ pro levibus ſuſcipiuntur, egregia & laudabilia exiſtimare: verùm ea demum laude atque commendatione digna ducere, quæ pro pietate ac virtute, iiſque, qui virtutis cauſa amicitias coluerunt, ſubeuntur: ea autem, quæ & hæc omnia labefactant, & ea, quæ priùs cum laude geſta ſunt, conſpurcant, turpia judicare, atq; effuſiſſimo curſu, velut probrum ac dedecus afferentia fugere. Neque enim mortales, tam pericula quàm cauſas perpendere conſueverunt: non tàm fructus quàm ſemina, non tàm ramos quàm rerum ac negotiorum radices. Multi quippe latrones & ſicarii, pro ſui ſimilibus dimicantes, mortem oppetierunt. Nec tamen proinde quiſquã eos laudibus extulerit: quippe qui pro ſcelere dimicarint. Multi contrà pro patria, & parentibus, ac liberis, morti ſeſe objecerunt. Nec tamen propterea quiſquam eos reprehenderit, verùm potius laudib. ornaverit: ut qui pro naturę iure occubuerint. Quo etiam fit, ut illi quidem vituperentur, hi autem publicis præconiis celebrentur, ac ſtatuis donentur. *l. 3. Ep. 116.*

S. Iſid. Peluſiota: Res magnæ magnis periculis confici ſolent. *l. 3. Ep. 397.*

S. *Iſidorus Peluſiota*: Præclara atque egregia facinora non ſine magnis etiam laboribus perfici ſolent. Cum igitur exigua & futilia neſcio quæ opera tutè facias, noli putare, te maximis præmiis potiturum: nec eſt quod ſperes, cum vitam elegeris periculi expertem ac mollitie diffluentem, fore tamen in fronte aciei ut ſis conſpicuus atque inſignis. Eius enim eſt etiam voce præconis victorem proclamari, qui pericula adierit, quiq; trophæa ſtatuerit. Quòd ſi etiam contigerit ut in prælio occumbat memoria perpetuò vivit, & præmia majora quàm pro homine conſequeretur. Generoſus

autem ille Christi dux militiæ (Paulus) etiam perpessiones rerum adversarum, quas pro ipso sustinet, pro coronis habet, dum ait: Vobis dedit Deus, non solum in ipsum credere, sed etiam pro ipso pati. Nam ut jam omittam, inquit, futura bona, etiam ipsæ passiones per quas etiam ipsi Domino communicamus, maxima sunt præmia & coronæ longè pulcerrimæ. *libro quarto Epistola 104.*

¶ LATINORUM.

Orosius: Indomitus furor citò periculorum obliviscitur. *lib. 4. adversus Paganos cap. 9.*

Salvianus: Quis rogo interfici alterum juxta se videt, & ipse non metuit? quis domum vicini sui ardere cernit, & non efficere omnibus modis nititur, ne ipse incendio concremetur? nos non vicinos nostros tantum ardere vidimus, sed ipsi jam ex maxima nostrorum parte arsimus: arsimus, & tamen flammas quibus jam arsimus non timemus. *l. 6. de gubernatione Dei.*

Egesippus: Bonum est, carissimi, bonum est, dum adhuc in portu navis est, prævidere tempestatem futuram, nec imminentibus quẽquam sese obiectari periculis; ne cùm in altum processeris, jam naufragium non possis cavere. Et plerumque quidem repentina exurgit procella, & bellum excipitur, etiamsi non inferatur: sed interest, lacessere hostem an excipere, magis parcit non lacessitus; & necessitas excusat insolentiam: ubi verò in præruptum quisquam sese immergit periculum, oneratur etiam opprobrio. *cap. 9. libri secundi excidij Hierosol.*

Egesippus: Domitianus inter duos positus Vitellios, propiorem adoritur, minus sollicitus de remotiore: plus enim propiora terrẽt pericula. *c. 3. l. 4. de excid. Hierosol.*

Egesippus lib. 5. cap. 17. excid. Hierosol. Verùm esto, sit atrox bellũ & formidolosum. Quid enim vos belli, demulceo facilitate? Sit victoria incerta, certum periculum. Nonne apud vos mihi sermo est, qui humana prudentia noverint, in periculis promptiorem esse omnium animantium fortitudinem, quam in remissioribus contentionibus? Feræ ipsæ cum se circumvallatas armis viderint, maiore in eos impetu ruunt, ut vi sibi aperiant iter. Et atrociora serpens lătibulis excussus, infundit venena. Sunt etiam, quæ natura innoxia, in periculis tamen suis ad nocendum fortiora sunt. Habent cervi sua arma, si quis se obvium ferat, & mortem carnibus repellunt. Habent & læsæ apiculæ suos morsus. Quid autem de viris bellatoribus apud Romanos loquar? cum Leonides ille Lacedæmone genitus, præliaturus adversus innumerabilem Persarum exercitum, dixerit: prandeamus in terris, apud inferos cœnaturi. Tantum valuit apud Græcos hic sermo, ut non solum de trecentis illis Lacedæmoniis viris, quibus ipse præerat, se nemo subtraxit, præter unũ tantum, quem superstitem postea nullus recepit: sed etiam de cæteris, qui simul ad bellandum processerant, nisi quod Leonides tanto degeneres bello repudiavit. Quid de Romanorum integris legionibus loquar? quos Cato Romanæ assertor facundiæ, & veritatis syncerus interpres, asseruit cum exultatione ad bellum processisse: de quo se redituros non arbitrarentur, universosque libenter procubuisse, ne mutarent sententiam. Beati, quorum nemo suis hostium victoriam fuga annuntiavit. De trecentis tamen Lacedæmoniis vir unus subterfugit, & illi in angustiis præliabantur, ne circũvenirentur. De Romanis legionibus nullus vitæ elegit, sed omnes mortis hæreditatem, quorum vos posteri estis: si contemptu periculorum, quasi gloriosa indoles virtutis, prosapiam non abnuatis. Quis enim fortium virorum esse se mortalem non noverit, omnibusque positum finem vivendi? Quanto igitur melius patriæ impendere, quod patriæ debeas, & necessitatem commutare gloria? Nec anhelæ senectutis suspiriis obnoxiam vitam deijcere, nec ferventis ægritudinis casus reformidare, cum depositis ævo quotidiana fastidia sint. Illorum autem, qui languore marcescunt, deficiẽtibus viribus pariter ac sensibus, ut multorum opinio habet, animæ simul cum corpore sepulchro adjudicentur. At vero bellatorum, & strenuissimorum virorum, qui se pro patria, pro liberis, pro legione morti devoverint, animas de vinculis corporis huius ferro absolutas: nulli dubium, quin purum illud æthereum elementum stellarum lumine refulgens, in cœlestibus suscipiat habitaculis, hospitio quodam supernæ quietis: in terris quoque remanere, insigne aliquod est gratiæ vel injuriæ, ut & languore commaceratos oblivio abscondat: & adversum pectus in hostem ferentes, si mors convenerit, sequatur gloria.

Ennodius: Vincitur humanæ mentis auctoritas prævisione discriminis: Labascit fortium conscientia, quoties formidanda oculis ingeruntur. Stetit ante indomitam juventutem certa de mortibus optio, cum nulla videretur securitas de salute. *Paneg. Theod. cap. 8. f.*

PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Phalaris: Prævertimus missas à te in auxilium copias. Antequã enim Euclidis milites venirent, hostes in conspectu fuerunt: ita ut nos ad prælium, à mercenariis tardantibus, nihil omnino iuvaremur, ad gloriam verò & ad laudes plurimum. Paucis enim nobis, qui certamen inivimus, non omnibus victoriæ laus attribuitur. Quò verò majora pericula suscepimus, eò splendidiora præmia sumus adepti. *Epist. 128.*

Aristides Rhetor: Tunc est suscipiendum periculum, quamvis incertus sit eventus, cùm quies apertè nocet. itaque cum nos invaserunt Barbari, periclitandum fuit. cur? quia servitus, aliter si fecissemus, fuerat subeunda: atque iterum cùm hi ea quæ non poteramus honestè suscipere, postulabant. At cùm quies gloriam habet & securitatem, bellum verò non fortunarum tantum, verùm etiam gloriæ ipsius periculum parit; cur tam insolenter internos contendamus, quasi nobis ipsis non levius, quàm his succenseremus? *Oratione de Pace priore.*

Arrianus cap. 24. l. 1. Epict. Pericula rerumque difficultates sunt, quæ viros monstrent. Cum igitur periculum inciderit, memento, Deum te lanistæ instar cum aspero adolescente commisisse. Cur inquis? Vt Olympia vinceres. Id vero citra sudorem non contingit. At mihi quidem nemo videtur in discrimen incidisse melius quam tu; si tamquam pugil adolescentem illum tractare volueris. Et nos nunc exploratorem Romam mittimus. Nemo autem timidum exploratorem mittit, ut strepitu tantum audito, & umbra alicubi vita, exemplo redeat perturbatus, & hostes jam adesse dicat. Sic nunc & tu, si nobis dixeris; Romanæ res metuendæ sunt: acerba res est mors: grave exilium: grave convitium: grave paupertas: fugite viri, adsunt hostes: dicemus tibi, Discede, tibi ipsi vaticinare: nos in eo solo peccavimus, quod talem exploratorem misimus. Ante te missus explorator Diogenes alia nobis renunciavit: mortẽ non esse malum, cũ non turpe sit: ignominiã ait, vecordiũ hominũ esse strepitũ. Quæ vero de labore? Quæ de voluptate? Quæ de paupertate iste dixit explorator. De exercitatione quid dicit? Eam præstantiorẽ esse quavis toga prætexta. In nudo dormire solo, mollissimũ ait esse lectũ: & cuiusq; rei demonstrandæ gratia, suã producit fiduciã, suã constantiã, suã libertatẽ, atq; etiã corpusculũ suũ nitidũ & probè compactũ. Nullus, inquit, hostis prope est: omnia pacatissima sunt. Quomodo Diogenes? Vide, inquit, nunquid ictus sim? nunquid vulneratus? nũ aliquẽ fugerim? Hic est, qualẽ esse decet, explorator. Tu autẽ ad nos reversus, aliud ex alio dicis. Nõ redibis denuo, & acuratius speculaberis, sed posita timiditate? Quid ergo faciã? Quid facis, è nave cũ exis? Num gubernaculũ tollis? nũ remos? Quid ergo tollis? Tua: lecythum tuũ, perã tuam. Et nunc, si tuarũ rerũ fueris memor, unquã tibi vindicabis alienas. Iubet te deponere latũ clavũ? Ecce angustus clavus in promptu est. Istã quoq; deponito. Ecce vestis dũtaxat. Depone vestẽ. Ecce nudus sum. At invidiam mihi moves? Cape igitur totũ corpusculũ. Eum ergo cui corpusculũ objicere possum, adhuc reformido? Sed hęredẽ me non relinquet? Quid ergò? oblitus fui nihil istorũ fuisse meũ. Quo pacto igitur ista mea esse dicã? ut lectũ in diversorio. Quod si caupo mortuus fuerit, nunquid lectos tibi relinquit? si verò alteri: is eos habebit, tu alium quęres. Quod si nõ inveneris, humi dormies: modo id facias magno animo, & itertens memineris, in divitibus, in regib. in tyrannis tragœdias habere locũ: nullũ pauperẽ complere tragœdiã nisi pro histrione: Reges autẽ auspicari quidẽ à bonis: Coronis Ædes exornate: postea sub tertiũ aut quartũ actũ Hei hei Citheron cur me infãtem suscipis? Mancipium, ubi sunt coronæ? ?Vbi diadema? Nihilne te juvant satellites? Cum igitur istorũ aliquẽ accesseris: horũ memento, te tragædum convenire, nõ quidẽ histrionẽ, sed ipsũ Oedipodem. At ille beatus est, magnũ habet comitatũ. Et ego me conjũgo cũ populo, magnũq; habeo comitatũ. Quod autem caput est, memento apertam esse januã. ne sis pueris timidior, sed ut illi dicunt, cũ re aliqua nõ amplius delectantur, se diutius non lusuros esse: sic, & tu, cum quædã eiusmodi esse videbũtur, ubi te diutius esse lusurum negaris recedito. Sin manseris lamentari nolo.

Simplicius ad c. 8. Epict. Illud ipsum iis qui naturæ congruenter vivunt, maximo solatio est, quod non citra ærumnã, sed cum periculis, vitæq; discrimine id quod bonum est, amplectuntur. Declarat hoc Menoeceus, & alii q se pro patriæ salute Diis Manib. devoverũt.

Philostratus: Eorum quæ apud homines sunt, nihil tam esse censeo terribile, ut sapientẽ terrere possit. Deinde nihil curã diligentiãq; in hominib. excitare, nisi quod cũ periculo fiat. *lib. 4. Appoll. c. 12.*

Iulianus Imp. Tuo vero illo facto quid constantius, ac fortius est, quod, cũ intelligeres quãtũ in eo periculũ esset, si minus istud ex animi sentẽtia successisset, aggredi nihilominus minimè dubitasti? Neq; id lucri aut cõmodi gratia, nõ ut immortalẽ tibi gloriã ex eo quæreres, cuius causa clarissimi plerũq; homines mortẽ oppetere nõ dubitant; qui animas suas cum gloria perinde ac pecunia cõmutant. Neq; porrò amplioris Imperii, ac splendidioris cupiditate ductus cum ne juvenis quidẽ unquã id admodũ concupieris: sed sola rei ipsius honestate impulsus omnia tibi sustinenda prius existimasti, quàm Barbarũ cerneres Romanis imperantẽ, ac pręsidentẽ legibus, & Remp. constituentẽ, & pro cõmuni salute vota concipientẽ, eũ, inquam, qui se tot sceleratis facinorib. ac cædibus obstrinxisset.

Libanius: Verùm id quod metuo conjectura tantũ est: quæ adsunt, certius cognoscuntur. Periculum igitur quod incertum est antepono illi quod apertum exploratumq; est. *fine Declam. 6.*

Libanius. Quæ dira sunt & summo conjuncta cum periculo, dum adsunt, molesta infestaque habentur: sed ubi recte administrata succedunt, facilia & cuiusvis apparent; præsertim si quis expeditam medelam adferat. *Declam. 31.*

Libanius: Postquam urbe sum eggressus, non pœnituit me eorũ, quæ cũ intus essem decreverã. colorẽ nõ mutavi ad armorũ strepitũ mentẽ non flexi multitudinis intuitu: non præcedente itinere segnius ad hostes perveni; cùm semper in more positum sit, ut qui ad periculosa contendunt, longè adhuc dissiti, quàm possunt celerrimè ferantur; sed paululum distantes, metu cursum contrahant ac temperent. *Decl. 31.*

Libanius: Quid faciunt cives qui populum diligunt, cum magna expectentur pericula? nonne ſocios & confœderatos excitant? nonne ſegnes adhortantur? nonne omnes comparant ad belligerandum omnibus viribus. *fine declamationis 32.*

Libanius: Hoc profectò tam dirum & horribile malum captæ urbis per Herculem, iterum modo Priamo propoſitum, regem deterreat oporteat: neq; velit multa eiuſmodi exempla dare; neq; mollius gerat ſe in civitate tuenda, quàm gubernator in cymba. ſiquidem ille ſcopulos latentes, quibus allidentes navigium pertuderint, ſecunda vectura cavet; ut prior caſus ſaluti ſit vicibus ſecundis. Vos autem ſi ne ex iis quidem quæ experti eſtis ſapiatis; infortunati ac miſeri planè fueritis. *Orat. Vlyſsis repetentis Helenam.*

Heliodorus: Qui erant in urbe conſpicati appellere navigia & milites ad eam partem ubi murus corruerat, homines attoniti, & terrore jam ac perturbatione, propter circumſtantia pericula, pleni, etiam eos qui ſalutis eorum cauſſa veniebant, in ſuſpicionem vocabant. Siquidem omnia ſunt ſuſpecta & formidabilia, ea quæ in extremo periculo eveniunt. *lib. 9. Aethiopicorum.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Etiamſi naufragium illud multos metus, longam vexationem, aliquod attulit detrimentum; tamen rem difficillimam expreſſit, fidei experimentum. in illa omnium trepidatione, in qua pro ſua quiſque ſalute ſollicitus, nihil de proximo cogitabat: cum inter fluctus & turbati maris minas, vix evadere, ac ſuæ quisq; conſulere ſaluti videretur, non mehercule miror quod, quamvis optimus pater filiam tamen reſpicere non potuit. Itaque non ſervus ullus tam fidelis, non libertus tam beneficio obligatus fuit, ut hoc ſubire periculum poſſet. Vnus amicus, accepta humeris ſuis puella, per tot difficultates, per tot pericula, nihil pro ſeipſo ſollicitus tulit. *Declam. 259. a. m.*

Plinius Iunior: Accedit huc longa jam caritas hominis, quam ipſa pericula auxerunt. eſt enim à natura comparatum, ut nihil æquè amorem accendat, quàm carendi metus, quem ego pro hoc non ſemel patior. *Epiſt. 19. l. 5.*

Plinius: Debet orator erigi, attolli, interdum etjam effervеſcere, efferri, ac ſæpe accedere ad præceps. nam plerũq; altis & excelſis adjacēt prærupta. tutius per plana, ſed humilius & depreſſius iter. frequentior currentibus quàm reptantibus lapſus: ſed his non labentibus nulla laus; illis nonnulla laus etiamſi labantur. nam ut quaſdam artes, ita eloquentiam nihil magis quam ancipitia commendant. Vides qui per funem in ſumma nituntur, quantos ſoleant excitare clamores, cùm jam jamque caſuri videntur. ſunt enim maximè mirabilia quæ maximè inſperata, maximè periculoſa, utq; Græci magis exprimunt, παράβολα. ideo nequaquam par gubernatoris eſt virtus, cùm placido & cùm turbato mari vehitur, tunc admirante nullo illaudatus,, inglorius ſubit portum: at cùm ſtridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus & Deis maris proximus. &c. *l. 9. Epiſt. 26.*

¶ POETARUM.

Plautus Milite 4. ſc. 4. v. 14.

Non tu ſcis, cùm ex alto puteo ſurſum ad ſummum aſcenderis,
Maximum periclum inde eſſe à ſummo ne rurſum cadas?

Terentius Andriæ 3. ſc. 1. fine.

Hiccine ſi me imparatum in veris nuptijs
Adortus eſſet, quos mihi ludos redderet?
Nunc huius periclo fit: ego in portu navigo.

Idem 3. ſc. 3.

Tibi ita videtur, at ego non poſſe arbitror.
Neq; illum hanc perpetuo habere, neq; me perpeti.
SI. Qui ſcis ergo iſtuc, niſi periculum feceris?
CH. At iſtuc periculum in filia fieri grave eſt.

Terentius Heautontim. 2. ſc. 2.

——heus
Tu! non fit ſine periclo facinus magnum & memorabile.
Vis amare, vis potiri, vis quod des illi effici:
Tuum eſſe in potiundo periculum non vis. haud ſtultè ſapis:
Siquidem id ſapere eſt, velle te id quod non poteſt contingere.
Aut cum illis ſunt habenda, aut illa cum his amittenda ſunt.
Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide.

P. Syrus Mimus.

Nunquam periclum ſine periculo vincitur.
Pericula qui audet, ante vincit, quam accipit
Pericula timidus, etiam quæ non ſunt, videt.
Potenti iraſci, ſibi periculum quærere eſt.

Guntherus l. 2. v. 523.

——Hoſtes ferrum jaculantur & ignes,
Adijciuntq; animos, ſeq; exhortantur in arma.
Vrget quippe metus, faciuntq; pericula fortes.

¶ APOLOGORUM.

Piſcator. Piſcator piſcatorium rete è mari extrahens, majores quidem piſces habuit, eosque in terram expandit. Minores vero piſciculi per foramina effugêre in mare.

De Piſcibus è ſartagine in prunas deſilientibus. Fab. 20.

Piſces adhuc vivi in ſartagine ferventi oleo coquebantur, quorũ unus, fugiamus hinc fratres, inquit, ne pereamus. Tunc omnes pariter è ſartagine exilientes, in ardentes prunas deciderunt. Majori igitur dolore affecti, damnabant conſilium, quod ceperant, dicentes: Quanto atrociori nunc morte perimus?

Hac nos admonet fabula, ut ita præſentia vitemus pericula, ne incidamus in graviora. Laur. Abſtemius.

De Vulpe in puteum delapſa, quæ lupum rogabat, ut inde eam ſubduceret. Fab. 115.

Vulpes in puteum delapſa, & jamjam ſubmergenda, rogabat lupum in putei margine exiſtentem, vt demiſſo fune illinc eam educeret. Cui lupus, quomodo, inquit, iſtuc decidiſti? non eſt nunc, ait vulpes, iſtuc narrandi tempus: Quum me hinc ſubduxeris, tibi ordine cuncta narrabo.

Fabula indicat, quando periclitantibus celeri auxilio opus eſt, ſupervacuis verbis tempus non eſſe terendum. Abſtemius.

De Gallo vulpinam pellem fugiente. Fab 126.

Gallus à vulpe captus, magna difficultate illius manus evaſerat: Hic paulo poſt viſa vulpis pelle, vehementer territus fugiebat, qui cùm à cæteris irrideretur avibus, quòd inani timore concuteretur. Si inter vulpis ungues, ut ego, inquit, fuiſſetis: pedum veſtigia, ne dum pellem illius timeretis.

Fabula indicat, è magnis periculis elapſos, quæq; minima formidare ſolere. Laur. Abſtemius.

De Muribus tintinnabulum feli appendere volentibus. Fab. 195.

Mures in unum convenientes, conſultabant, quo ingenio, quave arte felis inſidias poſſent evitare. Tunc qui cæteros & ætate, & rerum uſu anteibat, reperi, inquit, viam, quæ nos à tantis periculis incolumes conſervabit, ſi mihi parere volueritis. Suſpendamus collo eius tintinnabulum, cuius ſonitu venientem adverſus nos felem ſentire poſſimus. Tunc omnes voce conſona ſententiam illius ut ſaluberrimam laudaverunt, itaque faciendum eſſe dixerunt. Surgens autem quidam ſenior imperato ſilentio: Ego quoque, inquit, iſtam ſententiam approbo. Sed quis erit, qui collo eius tintinnabulum ſuſpendere audeat? Quum autem omnes hanc provinciam ſubterfugerent, irrita ſententia fuit.

Fabula indicat, multos quæ facienda ſunt laudare, ſed qui ea facere velint, paucos reperiri. Abſtemius.

Camerarius 41. Centur. 1.

Suſtine vel abſtine. *Rhamnus.*

Carpere parce meas frondes, qui ſingula carpis,
Vulneret audaces ne tibi ſpina manus.

Camerarius 30. Cent. 2.

Animo petit ima profundo.

Totus equus naſo ceu fertur anhelus in undam,
Præſenti adverſis obvius ito malis.

Camerarius 93 Centur. 2.

Modo vita ſuperſit.

Vt vivat Caſtor ſibi teſtes amputat ipſe,
Tu quoq; ſi quæ nocent, abijce, tutus eris.

Camerarius 4. Centur. 3.

Per tela, per ignes. Aquila tendens ad Solem.

Nec me prærupti montes, nec fulgera terrent,
Quo minus in ſummo vertice conſpiciar.

Camerarius 11. Centuria 4.

His artibus. Vaſa balenæ abjecta.

Vt te ipſum & navim ſerves, comitesq; pericli,
In pontum cunctas abijce divitias.

Catſius Emblemate Ethico XVII.

Aude aliquid.

Eſca quidem placeat, ſed te metus arcet ab eſca.
Nempe latent blandis vincla propinqua cibis.
Quid te vincla fugant? quid carceris impedit horror?
Quem labor abſterret, præmia nulla manent.
Grana latent paleis, dura nuce nucleus hæret:
Et roſa tangenti pungit acuta manum.
Qui facinus forti memorabile pectore verſat,
Audeat ille: nihil, qui nihil audet, habet.

APOPHTEGM. CHRISTIANOR.

Alphonſus Rex Arag. Vitare Pericula, cauti eſt animi: at glorioſum aliquando iis ſeſe expoſuiſſe. Suſceperat Alphonſus bellum pro Ioanna Regina Neapolis, ut eam juſtè ab aliorum iniuriis vindicaret: monent amici, ne ſe temerè periculis exponat. Quibus ille: *Non abhorreo pericula, cùm ſine illis nemo unquam gloriam conſecutus ſit.* Monet tamen admodum cautè apud Senecam in Hercule furente Amphytrion:

——Nemo ſe tutò diu
Periculis offerre tam crebris poteſt,
Quem ſæpè tranſit caſus, aliquando invenit.

Panorm. cap. 2. de Reb. eiuſd.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad decus iuvet periclis ire! mors vita altera eſt.
Animus ut pericla magnus non fugit, ſic nec petit.
Aude aliquid ſalute pro communi & cum periculo.
Aurum ut ignis, fortiores ſic probat periculum.
Conſtitutio periclis proxima eſt, quæ eſt optima.
Conſtitutus in periclo proſpicit tantum ſibi.
Contumelia eſt in imo; ſumma habent periculum.
Crebrò audentem periculoſa Morti Mavors pignerat.

Cum periculo magna magno suscipis negotia.
Cuncta habent suspecta qui sunt ultimo in periculo.
Deme virtuti periclum, tota fit ingloria.
Ecquis capitis subeat ob rem parvulam periculum?
Et salo virtus soloq; cui periclum abest jacet.
Frigidâ ferrum, virtutem robores periculis.
Haud laudabile aggredi res ob leves pericula.
Haud male privato periclo publicum finit bonus.
Improbus ruit pericla per aliorum item in suum.
In mari gubernatorem, non in portubus probes.
In periculum haud venire præstat, inde quàm eximi.
In periculo perenni permolestum vivere.
In periclis deficiunt animi prius quàm corpora.
Inter ancipitia, ne sequare media: pessimum est.
Ius tenere summum non est temporum in periculis.
Maxima ad pericla parva spe feroces excites.
Maxime appetunt pericla, qui illa quid sint nesciunt.
Maximos gignit honores summa vis periculi.
Mens hominis vix eadem durat ubi exiit periculum.
Ne minus quidem pericli est in bona re quàm mala.
Nemo diu se offerre crebris quiverit periculis.
Nemo se crebris diu tuto offerat periculis.
Nemo scit, sit quisque qualis, si auferas pericula.
Nemo se tuto diu crebris offerat periculis.
Non fit sine periculo facinus magnum & memorabilè.
Non perpenditur periculum, causa sed periculi.
Non potest diu esse tutus, proximus periculo.
Nullibi est certamen anceps absq; vi discriminum.
Omnia experiri certum cuivis quàm prius perit.
Particeps pericli oportet sis eadem si in navi es.
Per pericla horum atq; illorum pravitas ruit in suum.
Per pericla pervenitur ad periculum grandius.
Plana per liber periclo campus ad cursum patet.
Pravitate animus subactus, haud delectum habet boni.
Pro portu est statio exitiosam tempestatem qui fugit.
Pro tuenda vita adire fas periclum ultimum.
Proximi quemvis periculi terreas confinio.
Quæ fides sit cuiq;, monstrat imminens periculum.
Quæ peccamus in periclis ipse nec punit Deus.
Quam magis propinqua, terrent hoc magis pericula.
Quàm resistis, tam res maximè in periclo vortitur.
Quei queat fides probari si auferas pericula.
Qui Deo confidit, extra quodlibet periculum est.
Qui pericla inferre novit & cavere idem potest.
Qui pericla inferre novit, novit ire & obviam.
Quidam haud læti periculorum præmiis, ast periculis.
Quis cordatus in pericla ac turbas se det ob malos.
Quis pericla navigandi post naufragia non subit?
Quo minus timoris hoc est & minus periculi.
Quo propiora sunt pericla, territant hoc quem magis.
Remedium instantis pericli alterum est periculum.
Sæpe occasio pericli fit secundorum parens.
Sexus omnis, omnis ætas, satagit in periculis.
Suaviores sunt amores quos periculum incitat.
Turpe ex civium periclis capere honorem aut præmium.
Vel meru terror cuivis cernere è terrâ mare.
Victimam immolas opimam si periclo hominem eripis.

¶ JAMBICA.

A turba inermi quid times periculum?
Aliquando hiemem patitur qui sæpe navigat.
Animus nec avidus sit periculi, nec fugax.
Avertiturq; victimâ periculum.
Aufer pericla, nulla in orbe erit fides.
Cavere scit, qui inferre scit pericula.
Et magna magnis conficis periculis.
Etiam quietas horret undas naufragus.
Etiam suis quidam gaudent periculis.
Facto periclo discere, heu, miserrimum.
Felix, periclis liberam vitam trahens!
Fugit pericla Ignavia, Virtus occupat.
Frequens periculum, aufert promptitudinem.
In orbe quisnam perfidis tutus est locus?
In rebus arctis plurimum est audacia.
Ingloria est virtus citra periculum.
Loqui verentur qui timent periculum.
Molli sub herba pestilens anguis latet.
Moventur & periculis fortissimi.
Multi suis adplausum dant periculis.
Nat suaviter cuius mentum alter sustinet.
Ne te periclis absq; causa unquam offeras.
Nec provocat pericla foetis nec fugit.
Nemo est satis tutus periculo proximus.
Nemo timet quod non videt periculum.
Nulli facessas vir bonus periculum.
Periculum ingens corde cervum haud occupat.
Periculum ingens spernit à se Ignaviam.
Periculum omne audacia ingens discutit.
Pericla semper culpam excusant ultima.
Pericula superat, qui pericula despicit.
Periculosa amatio, suavissima.
Periculosè apprehenderis lupum auribus.
Persæpe navis portu ipso rumpitur.
Præcipitia inter esse quis lentus potest.
Romana virtus se exserit periculis.
Sit quisq; qualis, scitur in periculis.
Suo periclo publicum finit probus.
Turpi otio periclum honestum præferas.
Virtus citra periculum herclè ingloria.

Perjurij.

¶ SENTENTIÆ PATRUM LATINORUM.

S. *Salvianus:* Si pejeret Francus, quid novi faceret? qui perjurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis. Et quid mirum si hoc barbari ita credunt, qui legem & Deum nesciunt; cùm major fere Romani nominis portio ita existimet quæ peccare novit? ut de alio hominum genere non dicam: consideremus solas negotiatorum & Syriscorum omnium turbas, quę majorem ferme civitatum universarum partem occupavêre; si aliud est vita istorum omnium quam meditatio doli & tritura mendacij; aut si non perire admodum verba æstimant, quæ nihil loquentibus prosint. Tantus apud hos Dei honor est prohibentis etiam jusjurandum, ut singularem existiment fructum omnium perjurium. Quid ergo mirum barbaros fallere, qui falsitatis crimen ignorant? nihil enim contemptu agunt cœlestum præceptorum, præcepta Domini nescientes: quia non facit aliquid contra legem legis ignarus. Noster ergo hic pecular iter reatus est, qui legem divinam legimus, & legalia semper scripta violamus, qui Deum nosse nos dicimus, & jussa eius ac præcepta calcamus; ac per hoc cum eum spernamus quem coli à nobis credimus atque jactamus, id ipsum quod cultus Dei videtur, injuria est. Denique quis est omnium hominum secularium, præter paucos, qui non ad hoc semper Christi nomen in ore habeat, ut peieret? quid plura? in id penitus deducta res est, ut sicut de paganis prius diximus, Christi nomen non videatur jam sacramentum esse sed sermo. nam in tantum apud plurimos nomen hoc parvipenditur, ut nunquam minus cogitent quippiam facere, quam cum se jurant per Christum esse facturos. Denique multi non otiosas tantummodo res & aniles, sed etiam scelera quædam se jurant per Christi nomen esse facturos. ad hoc res cecidit, ut cum per Christum juraverint, putent se scelera etiam religiosè esse facturos, &c. *Lib. 4. de gubernatione Dei.*

¶ ORATORUM GRÆCORUM.

Philostratus: Est juxta Tyana, aqua Iovi sacrata, quam indigenæ inextinguibilem vocant. fons eius frigidus sanè scaturit. ebullit autem non secus atque igne calefactus lebes. hanc puris & juramenti fidem servantibus aspectu placidam & gustu dulcem esse perhibet: perjuris verò & infidis palam adversatur. epota namque oculos pedesque ac manus pejerantis invadit; pustulis ac vomicis totum corpus inquinans: neque illinc discedendi facultas datur, sed ibidem permanentes coram aqua ipsa suam deplorant calamitatem, palam quod pejerarunt profitentes. *Lib. 1. de Apollonio cap. 4.*

Libanius: Etenim cùm vera juret, qualem vis puellam reddit: verùm tui ratione & respectu juramenta contemnens, majori te, si dictu fas est, quam Deos honore persequitur. atqui honestè nulla de causa pejerare virum suspicior. Nam si tu hoc ad jurandum provocato, hinc manifestum fecisses, te non reconciliatum iri, si juramentum non perficeret, ad perjurij necessitatem coactus fuisset. Nunc verò cùm sponte sua ultrò juraverit, nullius turpis facinori sibi conscius apparet. absit enim ut existimemus eum prava & flagitiosa conscientia ad juramentum impulsum fuisse. *Oratione Patrocli ad Achillem de reconciliatione cum Agamemnone.*

Libanius: In securitate, & rebus pulchrè habentibus, etiam caveret quispiam peierarè, nulla necessitate ad improbitatem cogente. cui autem alia quidem omnia desperata sunt atque unus relinquitur modus, quem non licet, nisi mendacio assequi: is certè audet periculum periculo commutare, cùm sciat inevitabile esse, quòd in oculis est: pro illo autem sæpe seipsum decipiens, quasi posset victimis, cultu, votis & hostiis ac donariorũ decore, ad veniam deos comparare. Deinde huius quidem supplicium differi putet: huic verò periculum extemplo imminere. Porrò minorem pœnam nondum præsentem judicat, illa quæ incumbit per idem tempus. Enimverò non jam sed in posterum pati, in cunctando quæstum habet. cum præsertim quis olim edoctus fuit deos contemnere, qualis iste belli præfectus, qui etiam à præstantioribus, Troiam capere expetit. Expende quæso, Ulysse, quis nam sit is qui memor fuit juramenti interposito numine facti: & siquidem invenias relligione erga Deum usum, etiam cum juramento fide dignum existima, vel ante juramenta plerunque: verum si lascivum & audacem non minus in deos, quàm erga nos comperias: & neque verbis neque actis impiè se gerere cunctantem: tametsi aprum feriens juguler,

& gladium cruentet, atque per exta cæsa & porrecta ambulet, crede omnia horroris plena, nugas eiusmodi animæ censeri. *Oratione ad Vlyssem Achillis.*

Simocatta; Devoras jusjuranda perinde ac holera, & dentium fragor tibi executio esse videtur, & accusantibus contradicis omnium flagitiosissime. Lingua juravit, mens verò injurata est. Nescis effrenatam linguam graviores delicti pœnas dare. Quæ enim verbis delinquimus, rebus plectemur. Itaque modestam linguam posside, jurare vel ad veritatem confirmandam metuens. Levis enim res Jusjurandum esse videtur, cùm omni onere sit gravior. Hinc etiam Tantalus pœnis afficiebatur. Nam in divinis rebus linguam habuerat immodestam. *Epist. 67.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Nubibus v. 39.

Sed quæso unde ignitum istud fulmen decidit? hoc doceas me,
Nam feriens nos & frigore percellit, & amburit; & aquum
Iupiter hoc ipsum in perjuros celsa jaculatur ab arce.
S. Et quomodo fatue, & lunatice, qui Saturnia oles, si
Perjuros fulmine plectit, quomodo non etiam ipse Simonem
Atque Theorum, atque Cleonymum eodem sacro percutit igne,
Quandoquidem supra modum & illi perjuri? sed in ædem
Ipse suam furit, & concutit aut excelsa cacumina Sunij,
Aut rigidas quercus. quid ab his patitur? numnam pejerat ilex?

Plautus Cistellariæ 2. sc. 1. v. 21.

Dij me perdant. M. Quodcunque optas velim tibi contingere.
Si illam uxorem duxero unquam mihi quam despondit pater.
M. Et me, si unquam tibi uxorem filiam dedero meam.
A. Perjurare me patiere? M. Atque aliquanto facilius,
Quam me meamque rem perire, & ludificari filiam.
Abi, quare ubi jurijurando tuo satis sit subsidij.
Hic apud nos jam Alcesimarche confregisti tesseram.

Plautus Curcul. 2. sc. 2. v. 16.

Incubare satius te fuerat ipsi Iovi,
Tibi qui auxilium injurejurando tulit.
C. Siquidem incubare velint, qui perjuraverint,
Locus praberi non potis est in capitolio.

Plautus Pseudolo 1. sc. 3. v. 115.

Iuravistin' te illam nulli vendituram, nisi mihi?
B. Fateor. C. nempe conceptis verbis. B. etiam consultis quoque.
C. Perjuravisti sceleste. B. at argentum intro condidi.
Ego scelestus nunc argentum promere possum domo;
Tu qui pius est, istoc genere natus, nummum non habes.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad scelus ferè suum addunt perditi perjurium.
Clancularia Dij, manifesta homines mulctant perjuria.
Ne putes Deum latere perfidi dejuria.
Ob levem jurare causam proximum perjurio est.
Ridet ex alto ille amantum Iupiter perjuria.

¶ Jambica.

Cœlum, solumque vindicat perjuria.
Deo nihil acceptum à perjuris supplicij.
Deum latere vir perjurus non potest.
Distringit haud dissolvit fraus perjurium.
Et regna vertas funditus perjuriis.
Homines Deumque despicit qui pejerat.
In posteris punitur & perjurium.
Iurare causas ob leves perjurium est.
Malitia ubique mater est perjurij.
Nemo unquam honestè ullâ de causâ pejerat.
Perjurium rebus ferè fit asperis.
Perjurio ligaris, non absolveris.
Perjurus uni, sublestæ est fidei omnibus.
Qui pejerat timet homines, contemnit Deos.
Quò serior, hoc gravior pœna est perjurij.
Sunt absque pœna amantium perjuria.
Tandem patescunt in Deos perjuria.

Videantur plura titulo *Fidei, ac Perfidiæ.*

Permissionis.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Chrysostomus:* Ne mihi dicas, Non est hoc aut illud prohibitum propter quod offenditur, & permittitur. nam ego tibi dico majora: nempe quod etiamsi ipse Christus permiserit, videris autem lædi quempiam: desiste & ne utere permissione. *Homilia 21. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Non est idem, jubere ut fiat, & quod fit permittere. etenim qui præcipit, is studiosè serioque ceu rem necessariam ac præcipuam agit. verùm qui cùm ipse non præcipiat, tamen non prohibet volentem, is non concedit ut rem factu necessariam, sed dispensationem quandam implet. *Cap. 2. ad Galatas.*

S. Isidorus Pelusiota: Non est idem, ô bene, jubere & permittere. Illo enim id quod omnimodò perfici debet, præcipitur: ut cum Lex dicit: Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis: & quæ sunt generis ejusdem: Istud autem cujusdam dispensationis gratiâ conceditur. Alterum enim sancitur: alterum non prohibetur. Atque hoc etiam ex sacris litteris adstruam. Apostoli non quidem prædicârunt neque lege latâ præceperunt circumcisionem, sed eam tamen permiserunt, non quasi eam adhiberi oporteat, sed quod sapienti opus esset dispensatione ad infirmitatem hominum ejus temporis sese accommodante. Alioquin enim non permisissent eam, aut quasi omninò observanda sit, circa initium (præconij Evangelici & Ecclesiæ Christianæ) observâssent. Et de illis qui apud infideles cōvivabantur, dixit Paulus: Si quis infidelium vos vocat, & ire vultis, quicquid vobis apponitur: edite. Non jubeo, inquit, ut eatis. Sin autem ire vultis, non prohibeo. Alterum enim est legislationis: alterum verò dispensationis. *Lib. 4. epist. 68.*

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam à me petiisti, ut tibi exponerem illud: Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, ut non videant: & aures, ut non audiant, usque in hodiernum diem: auscultа. Illa verba, Dedit, & Tradidit, secundum leges & proprietates modosque peculiares loquendi sacræ scripturæ, significant, Reliquit vel permisit. Quòd si hoc non recipis, per demonstrationem procedet oratio. Ait Paulus de illis, qui divinitatem idolis tribuebant: Tradidit eos Deus in affectus ignominiæ: hoc est, Reliquit, dimisit. Quo modo namque fieri poterat, ut non ignorarent naturam, & volutarentur in sceleribus naturæ terminos excedentibus, illi, qui creaturam omisso creatore adorabant? Et iterum: Tradidit eos in reprobum sensum, ut facerent, quæ non decent. Deinde seipsum interpretans, dicit: Repletos omni iniquitate, malitiâ, avaritiâ, &c. Si igitur erant repleti quomodo tradidit eos? Vide quàm accuratè loquatur. Non dixit: Tradidit replendos: sed jam repletos reliquit atque destituit: haud aliter ac si quis pastor bonus oves pestilentiali lue correptas extra gregem abire, & quodammodo lupis tradere consuevit, non quod eas in fauces luporum projiciat: sed quod suâ curâ ac præsidio eas denudet ac destituat. Illud itaque verbum, Dedit, talem habet sensum.

Spiritus autem compunctionis, nihil aliud est, quàm stuporis & percussionis. Nam compungere est idem quod vulnerare ac percutere: secundum id quod in Evangelio dicitur: Compunxerunt latus Christi lanceâ. Quia igitur compungere significat percutere, rectè atque ordine factum est, quod etiam κατανυγῆναι, hoc est, compungi dictum est pro convulnerari. Deinde ipse exponens verbum compungendi, quod idem sit cum verbo obstupefaciendi, dixit: Oculos, ut non videant, & aures, ut non audiat. Hoc enim usuvenire solet iis qui stupore sunt correpti. Nam cum mens perturbata sit, sensus officia & actiones suas abnegant. Quod autem hoc ipsum innuat, audi scripturam dicentem: Beatus, qui non est stimulatus sive compunctus in tristitia delicti. Atqui tristitia secundum Deū pœnitentiam in salutem non pœnitendam operatur. Quid est ergo quod ait? Si igitur ex quorundam opinione dixerimus, Eum qui nunquam omninò peccârit, hîc beatum prædicari, fortasse nemo hac beatitudine fruetur. Omnes enim pœnis obnoxij sumus. Nam quis gloriabitur, se purum cor habere? Aut quis liberè loquetur, se à peccato mundum esse? Sin autem dixerimus, Quod non eum qui non sit affectus tristitiâ beatum prædicet, sed eum qui non sit in stuporem datus à mœrore, neque suam salutem prodiderit: id quod Judæ accidit, qui suspendio sibi vitam eripuit: (quod etiam metuens Paulus ne accideret illi qui apud Corinthios stuprum admiserat, præcipiebat ipsum actâ jam pœnitentiâ denuò in cœtum fidelium recipi, ne immoderato mœrore talis absorberetur) tum fortassis verùm sensum dicti attingemus.

Mirari autem nemo debet, si etiam in bonam partem sumitur compunctionis verbum. Nam ibi quoque significat, vulneratum esse rebus bonis. verbi gratiâ, cum etiam divino amore correpta anima clamat: Quia dilectione vulnerata sum ego. Sciendum est autem, non omninò eadem nomina aut verba eundem semper intellectum præbere. Nam David quoque dixit: ut cantet tibi gloria mea, & non compungar, hoc est, ne eo redigar, ut non amplius canam hymnos. Addidit enim: Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi. Sed & qui circa Simeonem & Levi erant, post violatam suæ sororis pudicitiam, compuncti sunt, hoc est, in stuporem acti, & convulnerati sunt zeli & indignationis vehementiâ: atque ita in pertinacem iram inciderunt, ut dolosè quoque non solum ipsum injuriæ auctorem Sichem, sed unà etiam totam ipsius civitatem à primâ pubertate mactarent. *Lib. 4. epist. 101.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Sed non tam, inquis, jubet Deus, quam permittit. At enim quam longè quæso est à jubente permittens? qui enim sinit nos ista perferre, & prohibere potest ne perferamus: probat absque dubio debere perferre, & quæcunque patimur sustinere. *Lib. 8. de gubernat. Dei.*

¶ Monosticha Trochaica.

Proxima approbationi qualibet permissio est.
Temporis locique privilegium permissio est.

Vix poteſt bonum vocari quod cui permittitur.

§ JAMBICA.

Accommodata tempori eſt permiſsio.
Aliud pati, aliud aſſentiri, Principum eſt.
Aliud profectò aſſenſio, aliud permiſsio eſt.
Lex quæ vetat, quam quæ permittit, fortior.
Multum valet permiſsio, at plus ſanctio.
Permiſſa res, mala eſt; certè haud eſt optima.
Permiſsio nunquam approbat, magis cavet.
Permiſsio omnis inſtar indulgentiæ eſt.
Vix eſt bonum ut ſit illud quod permittitur.

Permutationis.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

PHiloſtratus: Forum Æthiopes inſtituunt earum rerum quas fert Æthiopia, & univerſam regionem perquirentes, venalia cuncta in unum conferunt locum: ubi etiam Ægyptij pro illis forum celebrant, & quæ apud Æthiopes ſunt, earum quas ipſi habent rerum commutatione emunt. Itaque videre ibi erat, linum & ebur, & herbarum radices varias, unguenta inſuper & diverſorum generum aromata. Hac mercandi conſuetudine intellecta, Apollonius, Noſtri, inquit, optimi Græci, niſi obulus obulum pariat, & res venales, quo voluerint pretio æſtiment, pro ſui utilitate minuentes pretium, aut augentes, vivere ſe non poſſe dicunt: cùm hic quidem jam nubilem filiam animadvertat, ille filium ad virilem ætatem provectum; alius æris alieni magnitudinem mente repetat; alius etiam ſemiconſtrictam domum perficere cupiat: quidam etiam ſeſe erubeſcere dicunt, ſi in divitiis acquirendis inferiores parentibus habeantur. Quæ res profectò melius ſe haberent, ſi tanto in pretio divitiæ non eſſent, & inter ipſos amaretur æqualitas, *atrum ferrumq́ jaceret*: & hominibus inter ſe concordibus ocioſum, & terra una atque eadem omnium videretur. *Lib. 6. cap. 1.*

§ POETARUM.

Ariſtophanes Acharn. v. 899.

Sed an quid reliquarum venale eſt mercium?
B. Imò hæc omnia. D. cedo, quanti ſingula æſtimas?
Aut vin tu alias auferre hinc merces pro tuis?
B. Quidquid Athenis eſt, quod non ſit Bœotis.
D. Vin ergo apuas emere à nobis Phaléricas;
Aut urceum? B. urceum, aut apias? at ſunt ibi
Etiam: quæ verò apud nos non ſunt affatim,
Illorum magna heic copia eſt. D. novi hercule,
Age ſycophantam expecta, & velut urceum
Conſtringe. B. per Iovem: quippe lucri plurimum
Hinc fecerim, ſi duxero pro Simia,
Multis referta flagitiis & fraudibus.

Trochaicus.

Venditio emptioq́ cœpta à permutationibus.

Perpetui.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: Nihil motus expers eſt, nihil planum & æquabile eſt, atque in finem uſque ſibi ſimile, non hilaritas, non mœſtitia, non opes, non paupertas, non vires, non infirmitas, non humilitas, non potentia, non præſens tempus, non futurum, non res noſtræ, non alienæ, non parvum, non maius, nec denique quidquid dicere quisquam poſſit. Atque hoc unum æquale inæqualitas habet, nempe in omnibus rebus mutationem. Omnia enim facilè in orbem feruntur, atque in diverſum migrant, ſibique invicem adverſantur: ut ventis tutius, aut literis in aqua ſcriptis fides haberi poſſe videatur, quàm hominum felicitati. Ac livor quidem res ſecundas, miſericordia autem calamitatem ſiſtit. idque meo quidem judicio ſapienter & admirandè: ne vel adverſitas ſolatio, vel proſperitas fræno & diſciplina careat. Prudenter verò illi faciunt, qui calamitatibus erudiuntur, dum illis, velut aurum igne, purgantur, Davidicum illud in ore habent, Bonum mihi, quia humiliaſti me (quod videlicet ea res juſtificationum Dei cognitionem pariat) quique Petrum imitantur, Salvatoris opem, cum jam penè mergeretur, implorantem: qui denique ob dolorem ad Deum ſeſe magis adjungunt, ac beneficiorum omnium authorem per afflictionem ſibi conciliant. quandoquidem ægra anima Deo propinqua eſt: ac penuria ipſa efficit, ut ad Deum qui largiendi poteſtatem habet, noſmetipſos conferamus, qui alioqui fortaſſe ob effuſam liberalitatem contemnitur. *Orat. 17.*

§ POETARUM.

Plautus Ciſtellariæ 1. ſc. 3. v. 46.

Vt ſunt humana, nihil eſt perpetuum datum.

L. Annæus Seneca.

Omnia tempus edax depaſcitur, omnia carpit:
Omnia ſede movet: nil ſinit eſſe diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora ſiccat:
Subſidunt montes, & juga celſa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcerrima cœli
Ardebit flammis tota repente ſuis.
Omnia mors poſcit. lex eſt, non pœna, perire.
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

Sulpitius Lupercus Iunior.

Omne quod Natura parens creavit,
Quamlibet firmum videas, labaſcit
Tempore, ac longo fragile ac caducum,
Solvitur uſu.
Amnis inſueta ſolet ire valle,
Mutat & rectos via certa curſus,
Rupta cùm cedit male pertinaci
Ripa fluento.
Decidens ſcabrum cavat unda tophum,
Ferreus vomis tenuatus agris
Splendet, ac trito digitos honorans
Annulus auro.

In Græciæ ruinam. Incerti.

Græcia bellorum longa ſuccuſſa ruina
Concidit, immodicè viribus uſa ſuis.
Fama manet: fortuna perit. cinis ipſe jacentis
Viſitur, & tumulo eſt nunc quoq́ ſacra ſuo.
Exigua ingentis retinet faſtigia fama:
Et magnum infelix nil niſi nomen habet.

In Athenas aliasque urbes.

Quiſquis Cecropias hoſpes cognoſcis Athenas,
Quæ veteris famæ vix tibi ſigna dabunt:
Háſne Dei, dices, cœlo petiere relicto?
Regia partitis hæc fuit una Deis?
Idem Agamemnonias dices, cùm videris arces;
Heu, victrix victa vaſtior urbe jaces!
Hæc ſunt, quæ meritò quondam eſt mirata vetuſtas.
Magnarum rerum magna ſepulcra vides.

Urbis Romæ ruina.

Vix ſcio quæ fueram, vix Romæ Roma recordor,
Quæ populo, regnis, mœnibus alta fui.
Ceſſerunt arces, cecidêre palatia Divûm.
Iam ſervit populus, degeneravit eques.
Quæ fueram totum quondam celebrata per orbem,
Vix ſinor occaſus vel meminiſſe mei.

§ EMBLEMATIS.

Camerarius XXII. Centuria 2.

Serenabit. Urſi duo colludentes.

Quæris cur ſaltant pluviis? ſpes certa ſereni eſt:
Hac tu confiſus, pelle animi nebulas.

Camerarius LVI. Centur. 4.

Semel emigrabimus omnes. Cancellus conchas minores deſerens.

Hic nusquam certis habitamus ſedibus, aſt hinc
Ibimus ad ſuperi cœlica regna Dei.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Haud facile abſq́ opera Deorum propria humana ſunt bona.
Natus eſt paucis, ſuæ qui populum ætatis cogitat.
Ne quidem diuturna res eſt in quo quidpiam ultimum eſt.
Noveris nil eſſe in vitâ proprium mortali datum.
Pauca ſunt diuturna: certè in orbe perpetuum nihil.
Perpetuum nil orbe toto eſt: uſu & ævo ſolvitur.
Vix unius æternantur ſæculi res literis.

§ JAMBICA.

Ab ævo in ævum ſtant ratæ leges poli.
Mutationis neſcia eſt perennitas.
Nulli & diuturna & magna contingunt bona.
O dij boni, quinam in vita hominis eſt diu?
Perpauca ſunt diuturna: perpetuum eſt nihil.
Vt ſunt humana: nil eſt perpetuum datum.

Accerſenda alia è titulo, *Mundi, Naturæ, Inconſtantiæ, Viciſsitudinis rerum, Vetuſtatis, Temporis.*

Perſecutionis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

C*Lemens Alexandrinus*: Solus ergo Dominus propter eorum qui ei inſidiabantur hominum, & infidelium expurgationem,

ſibi

bibit calicem. Quem imitantes Apoſtoli, ut qui revera eſſent cognitione præditi & perfecti, pro eccleſiis quas fundarunt paſſi ſunt. Sic ergo ij qui ſunt cognitione præditi, veſtigiis inſiſtentes Apoſtolicis, debent ita ſe gerere, ut in eos non cadat peccatum, & propter dilectionem in Dominum, diligant etiam proximum, ut ſi caſus aliquis pro eccleſia evocet, citra offenſionem patientes afflictiones bibant calicem. Quicunque autem factis quidem in vita, verbis autem in judicio ferunt teſtimonium, & ſpem expectantes, & timorem reformidantes, ij ſunt meliores iis qui ore ſolum confitentur ſalutem. Quod ſi quis etiam tranſierit ad charitatem, is revera eſt beatus & germanus teſtis, ut qui ſit perfecte confeſſus, & præceptis & Deo, per Dominum: quem diligens, ſignificavit eſſe fratrem, cum totum ſeipſum tradiderit, propter Deum, tanquam depoſitum, grate & amanter reddens hominem qui exigitur. Cum autem rurſus dixerit. Quando vos perſecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam: non ſuadet fugere, tanquam malum ſit pati perſecutionem: nec ut mortem extimeſcentes, jubet nos eam fuga declinare. Vult autem nos nulli eſſe autores, neq; alicuius mali cauſa adjutores, nec nobiſipſis, nec ei qui perſequitur, nec ei qui interimit. Denunciat enim quodammodo ut caveat. Qui autem non obedit, eſt audax & temerarius, & inconſulte ſe in manifeſta pericula coniiciens. Si autem qui hominem Dei interimit, in Deum peccat, is quoque eius cædis reus tenetur qui ſe offert judicio. Talis autem erit qui non vitat perſecutionem, capiendum ſe præbens per audaciam. Is eſt, qui quantum in ſe eſt, adjuvat improbitatem eius qui perſequitur. Quod ſi etiam irritet, plane cauſa eſt, ut qui provocet feram.

Similiter etiamſi præbeat aliquam pugnæ cauſam, vel damni, vel judicij, vel inimicitiarum, is occaſionem peperit perſecutionis. Et ideo juſſi ſumus nihil retinere ex iis quæ ad hanc vitam pertinent: ſed ei qui tollit pallium, præterea etiam dare tunicam: non ſolum ut permaneamus obnoxij nullis animi perturbationibus, ſed ne ea vendicantes, eos qui in judicio contendunt, in nos reddamus efferatos, & per nos eos commoveamus ut nomen maledictis appetant.

At inquiunt: Si Deus veſtri curam gerit, cur patimini perſecutionem, & morte afficimini? an ipſe vos eis tradit? Nos autem non ſic exiſtimamus, velle Dominum ut in caſus incidamus, ſed prophetice prædixiſſe ea quæ eſſent eventura fore: ſcilicet ut propter nomen eius pateremur perſecutionem, ut occideremur, & ut ſuſpenderemur. Quamobrem noluit nos pati perſecutionem, ſed ea quæ paſſuri ſumus prius ſignificavit, per eam quod ſint eventura prædictionem, exercens ad tolerantiam, cui promiſit hæreditatem. Quanquam non ſoli, ſed cum multis ſupplicio afficimur. At illi, inquiunt, cum ſint malefici, jure luunt pœnas: ergo vel inviti nobis juſtitiam ſuo teſtimonio tribuunt, qui injuſte propter juſtitiam punimur. Sed neque injuria judicis attingit Dei providentiam. Oportet enim judicem in ſua poteſtate habere ſui animi ſententiam, non qui inſtar eorum, qui deſtituuntur anima, quodammodo trahatur nervis, ut qui ab externa fortaſſe ſolum cauſa capiat occaſiones. Examinatur ergo & probatur ipſe ſicut nos, in eo quod judicat, & per eorum quæ ſunt eligenda, electionem, & per patientiam. Quamvis autem non faciamus injuriam, tanquam tamen injuriam facientes, nos intuetur Iudex. Neque enim noſtra novit, neque vult ſcire: quodam autem inani præoccupatus abripitur præjudicio, ſecundum quod etiam judicatur. Nos ergo perſequuntur, non ut qui nos eſſe injuſtos deprehenderint, ſed quod nos vitæ humanæ injuriam facere exiſtiment, eo quod ſimus Chriſtiani, & ipſos in quam qui ſic vitam inſtituimus, & alios quos adhortamur ut vitam degant ſimilem.

Cur autem, inquiunt, cum vos perſequuntur, nihil vobis affertur auxilij? Quid enim, quod ad nos quidem attinet, nobis fit injuriæ, cum morte diſſolvamur ituri ad Dominum, & veluti ætatis, & vitæ ſuſtinentes mutationem? Si autem ſapiamus, iis gratiam habebimus qui nobis præbuerint occaſionem celeris migrationis, ſi teſtimonium feramus propter dilectionem. Si non, mali homines nos multis eſſe viſi eſſemus. Si ipſi autem quoque noviſſent veritatem, omnes quidem in viam inſiliiſſent, non fuiſſet autem electio. Sed enim noſtra fides, cum ſit lux mundi, arguit infidelitatem. Nam me Anytus quidem & Melitus interficiet, nullo autem modo me lædet quiſpiam. Neque enim fas eſſe exiſtimo, ut id quod eſt melius, lædatur ab eo quod eſt deterius. Ideo unuſquiſque ex nobis ſecure dicit & confidenter: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Juſtorum enim animæ in manu Dei ſunt, & non tanget eas tormentum *Libro Stromatum quarto.*

D. Nazianzenus: Noluit nos Iulianus bello aggredi: ſi enim vis inferretur acriori contentione in victoriam incubituros, ac tyrannidi obnixum pietatis tuendæ ſtudium objecturos cogitavit. Solent enim fortes & generoſi animi, ei qui vim inferre parat, contumaciter obſiſtere; non ſecus ac flamma quæ à vento excitatur, quo amplius perflatur, eò vehementius accenditur. *Oratione 3. ſteliteutica 1.*

D. Greg. Nyſſenus: Alij quidem deferebant, alij vero demonſtrabant, nonnulli item celatos & occultatos ſcrutabantur: pars fugientibus inſtabant: nonnulli item poſſeſſionibus fideliũm inhiantes, quò p t rentur earum, ſub prætextu pietatis vexabant & exagitabant eos, qui fidem amplecterentur: ac ſumma erat in gente confuſio, magnaque trepidatio, omnibus inter ſe ſuſpectis, non patribus filiorum benevolẽtia in diſcriminibus atque periculis permanente: non filijs fidam paternam curationem ſpondente natura: ſed familiæ atque cognationes aliæ ab alijs in religionem ſectas diductæ diſſidebant: ac filius Græcorum errores amplectens, fideliũ parentum proditor: filij fidem amplexi pater in infidelitate manens accuſator erat: frater item eadem de cauſſa naturam oppugnabat, fas eſſe judicans à conſanguineo pænas expetere, ſi pietatem amplecteretur. Hinc plenæ quidem ſolitudines erant eorum, qui (ſuſpecti accuſative) profugiſſent: vacua vero atque deſerta ab habitatoribus domicilia erant: multa item ædificia eorum, qui vinculis coërcerentur, publicis uſibus deſtinata erant. Carceres enim capere in ſeſe non poterant eorum multitudinem, qui propter fidem punirentur, omniaque fora atque conventus tam publici, quàm privati pro conſueta hilaritate atque lætitia ejuſmodi invicem caſus atque calamitates accipiebant, cùm alij quidem arriperentur: alij verò abducerentur: cæteri ob ea, quæ fierent vel lachrymarentur: non miſericordia infantium, non honor canitiei, non virtutis verecundia in mentem veniebat infenſis: ſed tanquam in urbe capta omnis ætas hoſtibus fidei quaſi dedititia atque obnoxia erat: ne mulierum quidem naturali ſexus infirmitati indulgebatur, ut ejuſmodi periculis exemptæ manerent, ſed una adverſus omneis crudelitatis erat lex eodem pœnæ modo, nullo diſcrimine ſexus habito, ſubiiciens eum qui à ſimulachris eſſet alienis. *Oratione de Vita D. Gregorij Thaumaturgi.*

¶ LATINORUM.

Egeſippus: Perſecutor non invitus indulget pœnarum incrementa: *ſub finem capitis ſecundi libro 3. de excid. Hieroſolymitano.*

¶ APOPHTHEGM. SACR.

Elias Propheta. Cum Achab rex Iſraeliticus videret Eliam Prophetam, dixit ad eum, Túne ille es perturbator Iſraelis? Qui reſpondens ait, *Non perturbo Iſraelem, ſed tu & domus patris tui, dum derelinquitis præcepta Iehovæ, & ſequeris Bahalimos.* 1. Reg. 18. 18.

Lucius. Quum Ptolemæus vir quidam pius, Alexandriæ, temporibus Antonini Pij Imperatoris, nullam aliam ob cauſam, niſi quòd Chriſtianum ſe eſſe confeſſus erat, juſſu Vrbicij præfecti ad ſupplicium duceretur, Lucius quidam, & ipſe Chriſtianus, videns judicium eſſe præter rationem factum, Vrbicium ita compellavit, *Qua ratio eſt, quòd hominem hunc, qui nec adulterium commiſit, nec ſcortatus eſt, neq; homicidium perpetravit, neq; ſuppilator eſt, neq; raptor, neq; ſimpliciter aliquid iniqui deſignaſſe deprehenditur, propter Chriſtiani nominis confeſſionem puniviſti? Iudicia tua nec pio Imperatori, nec Cæſari filio, nec ſacro Senatui decora ſunt, ó Vrbici.* Tum Vrbicius, Et tu mihi talis eſſe videris. Lucio reſpondente, Maximè, & ipſum abduci juſſit. Ad hoc Lucius illi gratias egit, ac ſubiecit, *hac ſe ratione à malis huiusmodi Dominis liberari, & ad bonum patrem ac regem Deum proficiſci:* Alius quidam tertius accedens, ipſe ſupplicio eſt adjudicatus. *Hæc Euſebius ex Iuſtino.*

Attalus. Attalus martyr Lugdunenſis, ubi in ferrea cathedra jam candenti eſſet impoſitus, & eius incendio ambuſtus, quando nidor & fumus è corpore in ſublimi ferebatur, Latino ſermone multitudinem ſic affatus eſt: Ecce, ecce hoc quod præſtatis, eſt homines vorare. Nos quidem neque voramus homines, neque aliud quicquam ſceleris patramus. *Euſeb. lib. 5. hiſt. eccleſ. cap. 1.*

Iulianus. Monachus quidam nomine Iulianus, cognomine Saba, in ſpiritu Iuliani Apoſtatæ interitum prævidens, ſuis dixit, Aper ſylveſtris, hoſtis vineæ Domini, debitas ſcelerum in Chriſtum admiſſorum pependit pœnas, & mortuus jacet, ne ampliùs Chriſtianis inſidias ſtruat. Quod paulò poſt repertum eſt accidiſſe eodem momento quo monachus ille loquebatur. *Theodoret. eccl. hiſt. lib. 3. cap. 19.*

Athanaſius. Quum Iuliani Apoſtatæ juſſu Athanaſius Alexandria in exilium pelleretur, & pius ille vir Chriſtianorum multitudinem circa ſe lachrymas profundentem intueretur. *Bono animo,* inquit, *eſtote*: nebula enim eſt quæ brevi evaneſcet. *Sozom. eccl. hiſt. lib. 5. cap. 14.*

Socrates hiſtoricus. Orthodoxa, inquit, Eccleſia homines perſequi non ſolet. *hiſt. eccl. lib. 7. cap 3.* Contrà igitur, Eterodoxa Eccleſia & Antichriſti ſynagoga, cruce aurea & argentea gaudens, tumultus & turbas excitat ut idola ſua tueatur: ferro, flammis, aquis, laqueis certat, & Chriſti martyres perſequitur.

Vide Apophth. *de Martyribus & piè morientibus.*

Perſeverantiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Greg. Nazianzenus:* Nec verò talia quidem, tanquam incredibilia & admiranda initia fuerunt, verùm per ea quæ poſtea ſecuta ſunt, aliquid eorum quæ præceſſerunt, probro ac dedecore affecit, quemadmodum quiſpiam ex iis, qui honeſtarum rerum ſaturitatem & faſtidium citò concipiunt; nec ulterius progredi curant, vel etiam ad vitium omninò relabuntur. non, inquam, hoc cuiquam dicere licet; verùm & ſibi admodum conſtitit, & priſtinis veſtigiis hæſit. &c. *Orat. 19. in funere patris.*

D. Io. Chryſoſtomus: Nemo ſit puſilli & abjecti animi: neque in fine animum deſpondens concidat. Sunt enim, ſunt qui in principio quidem prompto & alacri animo aggrediuntur: poſtea autem toti parum nolentes adiicere, totum perdiderunt. *Homilia 7. Epiſt. ad Hebræos.*

Iſidorus Peluſiota: Hominum de te teſtimoniis gaudeo, quibus ingens quædam tibi continentiæ laus tribuitur. Atque hoc tibi à Deo opto, ut ſacram anchoram ad extremum uſque retineas, erroriſque atque impoſturæ tempeſtatem ſapienter propulſes: ut in tranquillitatis portum à fluctibus immunem ſine jactatione pervenias: nec tentationum ventos impetum in te facientes extimeſcens, nec ad effractos fluctus inſolenter te efferens: quos maximè abs te ſuperari oportet, utpote ad ruinam facilè impellentes. *Lib. 1. epiſtol. 91.*

Iſidorus Peluſiota: Præſtantiorem te eſſe, quàm aut genus tuũ, aut patria ferat, omnes aiunt, ac morum probitate pollere narrant; ut qui non ſpectantium aſperitatem tenueris, verùm primæ martyris Theclæ, & mores, & templum amaveris. Ac te beatum, utpotè ex animo paupertatem colentem. Nam hæc piorum laus eſt. Atque ut in inſtituta vitæ ratione conſtanter maneas, opto. Quandoquidem nihil admodum ſtabile habemus: verùm levibus clamoribus, non ſecus ac ventis, huc atque illuc jactamur. *Lib. 1. epiſtol. 160.*

Iſidorus Peluſiota: Te oportet, vir admirande, firmum atque conſtantem ſemper manere: ſic nempe ut nec metu cœleſtes res prodas, nec tecum ipſe pugnare videaris. Nam ſi ea, quæ nunc abs te ſcripta ſunt, cum ſuperioribus compares, aut adulationi obnoxius eſſe videberis, aut levitatis miniſter: ut qui inani gloriæ ſuccumbas, non autem magnorum ac ſanctorum pugilum certamina imiteris, qui per omnem vitæ ſuæ curſum in extera regione premi ac vexari potiùs ſibi ferendum duxerunt, quàm ut perverſam ac falſam ſententiam vel auribus tenus exciperent. *Lib. 1. epiſt. 324.*

S. Iſidorus Peluſiota: Pulchrè quidem cœpiſti fortis animi ſpecimen exhibere: at non item nunc quoque ut ad nos affertur. Verùm ſimilis es iis, quæ in petra ſata ſunt, ac ſtatim quidem exorta ſunt, verùm fructuum tempore oblanguerunt, ac defecerunt. Atqui oportet eum qui Monaſtici certaminis cupiditate flagrat, ad ipſius ſubjectionem, tanquàm ad turris extructionem accedere: ne alioqui, cùm præclarè ac magnificè cœperit, nec poſtea ad idem virtutis iter ſeſe extenderit, & dæmonibus riſum moveat, & Angelis mœroris cauſam præbeat, & hominibus lacrymarum materiam ſuppeditet. *Lib. 1. epiſt. 372.*

S. Iſidorus Peluſiota: Cùm de claro viro Timotheo multa, quæ dicam, mihi in promptu ſint, unum, ad quod omnia tendunt, referam, nempe quòd cùm ſyncero virtutis ſtudio flagraret, adverſus eam gloriam, quam obtinebat, perpetuò dimicabat, eam videlicet admirationem, quam ipſi priores actiones pepererant, poſterioribus actionibus obſcurans. *Lib. 1. epiſt. 146.*

S. Iſidorus Peluſita: Ego te, ô puritatis delubrum, non ſacerdotij nomine admiror: ſed quia illud, ut conveniebat, es conſecutus. Multi enim ad eam dignitatem haud piè ſancteque irruperunt: qui autem eam honeſta ratione obtinuerunt, ac perpetuò ſeipſos non modò omni reprehenſione ſuperiores, ſed etiam admiratione dignos præſtiterunt, hi omnium laude ac prædicatione efferri merentur. Quorum in numero cùm ipſe quoque ſis, ſexcentis oculis vitam tuam ac mores circunſpice: ne alioqui neglectum abs te quippiam tantæ virtuti labem ac perniciem afferat. *Lib. 3. epiſt. 387.*

¶ Latinorum.

S. Zeno: Tendendum eſt ſemper, non etiam deſinendum; neque idcirco ad perfectum non contendendum, quia doleamus quo tenditur, non poſſe contingere: ſed in ipſa contendendi pertinacia dolendum eſt, nos contingere non poſſe quo tendimus. *In Pſalmum 126.*

S. Valerianus: Perſeverent magis in bonis illi fructus continentiæ, quibus videmur Deo Quadrageſimæ diebus devota jugiter mente ſervire: ne cùm forte nos poſſidendos negligentiæ dederimus, videamur ſtudium honeſtæ vitæ temporibus ſolum præſtitiſſe, non moribus. Quid prodeſt ſi te Domino quadraginta diebus bonum exhibeas, & una die furore impiæ crudelitatis offendas? Quid juvat per multa temporum ſpatia pudicitiæ ſervaſſe reverentiam, ſi poſtmodum ad turpe facinus luxuria inſtigante rapiaris? Quid prodeſt cupiditati ad tempus fraudem feciſſe, ſi poſt tantos miſericordię fructus quos tibi manus larga contulit, alienis damnis & lacrimis delecteris? Perit profectò quidquid gratiæ homo per multos annos juſtis operibus acquiſivit, ſi ſub unius horæ ſpatio quocunque turpis vitæ depravetur errore. *Homilia 19.*

Ennodius: Fluxa Eccleſiaſticorum corda, aut turbant quæ in præſenti vita ſunt, aut delectant. quibus Acacius, qui diro Diaboli à ſententia ſua motus imperio, erubuit diu propugnatorem ſe fuiſſe veritatis; & clari deſerens ornamenta certaminis, triumphum ſuũ, quem ſub Baſiliſco pio ſudore meruerat, debellavit: qui ſolis præmiis ſuis, penè tempore adeptionis invidet, ſpem bonorum fructuum perfidiæ falce ſuccidens. *Dictione ſexta de hæreticis & ſynodo.*

PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. Græcorum.

Phalaris Timolao. Nihil peccare rectè fortaſſis & jure Deo tribuatur, poſtquam verò peccaris, hoc ipſo in poſterum modeſtiorem cautioremque effici, hominis eſt, Cùm autem impegeris, & in malum incurreris, inde non cavere, in quo poſſit hoc alio ineſſe, quàm in malo? Turpe eſt igitur (propius enim adhuc accedamus) aliis exemplum temeritatis præſtare, neque ipſum ſibimetipſi propria calamitate doctum providere. *Epiſtola 129.*

Ariſtides: Atqui cùm eos qui ſunt intra mænia concluſi fugimus, & ex inſula procurrimus, ac ſalutem in lucro ponimus, ubi deinceps confidemus? ubi bellum geremus? Num dies ille nobis excidit, Athenienſes, quo claſſem dimiſſuri Pœanas canebamus, crateras ponebamus, ac pompam rerum confectarum gratiam imitabamur? Non pudebit nos Solis huius, quem rerum duarum tam diſſimilium, tunc ſplendoris, ac ſuperbiæ tantæ; nunc animi abiectioris teſtem faciemus. Quænam ſpolia nobis referent? quæ Deis honoraria? quænam ſimul hîc canemus triumphalia carmina? quam contentionem priori ſimilem renavigantes inter ſe ſuſcipient? Tacitè enim duntaxat & ſine celeumate redibunt, eosque maris propè pudebit. Ergo qui in gymnicis certaminibus ante tempus ac præter dignitatem deficiunt, odimus propemodum præſertim ſi apud ipſam faciunt coronam: ipſi tanto certamine ſuſcepto, atque omnibus propemodum confectis, quando & Syracuſanos concluſimus, & habemus Siciliam, ac ferè coronam in manibus, nunc abiiciemus? minimè verò. *Orat. Sicula 1.*

Simplicius ad cap. 74. Epict. Philoſophiæ & honeſtæ vitæ ſemel addictus, perſeveres. quid verò alij de te loquantur, noli curare. non enim quid illi dicant aut non dicant, noſtri eſt arbitrii. Et hoc volebant per ambages Pythagoræi; cùm præſcriberent, ſi ædem quis eſſet ingreſſus, non debere eum converti: quo ſignificant, qui ad Deum ſe contulerit, non eſſe debere ancipiti animo, neque res humanas curare.

Libanius: Eſt profectò omnibus à natura hominibus, ut ita loquar, inſitum, quando aliquid perficere conſtituunt, ut quanto propius ad conſequendum accedunt, eò furioſius accendantur, & ſtudij fervorem augeant: quantò vero longius abſunt, paulatim langueant, & decidant. *Declam. 31.*

Philoſtratus: Apollonius rurſus apud Italos manſit; nihil unquam omittens, quò minus ſemper ſibi ſimilis videretur. Cùm enim perdifficile putetur ſeipſum noſcere, ego multo difficilius arbitror ſapientem ſibi ſimilem permanere. Neque enim eos qui natura pravi ſunt, commutabit in melius, niſi antea ſe ita comparaverit, ut ipſe immutabilis maneat. *Lib. 6. cap. 15.*

Dionyſius Sophiſta: Et equos præſtantiſſimos ferunt, cùm in certamen venerint, ad extremum curſu meliores eſſe quàm à principio, & præclarus Aquilinus multò nunc eſt in laboribus alacrior & ſtudioſior quàm antea, & ſumma contentione eo incumbit, ut nullum eruditionis genus ignoret, & veteres ſuas laudes novis & majoribus obſcuret. Eiusmodi juvenum cupiditates, opus habent librorum multitudine. Hoc verò non poteſt fieri, niſi præſtò ſit, aurum. *Epiſtola 43.*

¶ Romanorum.

Livius: Quid turres, quid vineas teſtudinesque & alium oppugnandarum urbium apparatum loquar? cùm tantum laboris exhauſtum ſit, & ad finem jam operis tandem perventum; relinquendáne hæc cenſetis, ut ad æſtatem rurſus novus de integro his inſtituendis exſudetur labor? quanto eſt minus operæ tueri facta? & inſtare & perſeverare, defungiq; cura? Brevis enim profectò res eſt, ſi uno tenore peragitur, nec ipſi per intermiſſiones has intervallaque, lentiorem ſpem noſtram facimus. *Lib. 5. c. 5. Oratione Appij Claudij.*

Curtius: Pervenimus ad Solis ortum & Oceanum: niſi obſtat ignavia, inde victores perdomito fine terrarum revertemur in patriam. Nolite, quod pigri agricolæ faciunt, maturos fructus per inertiam amittere è manibus. *Oratione Alexandri ad milites, libro 9. cap. 11.*

Symmachus: Spero quod ſponte amicitiæ tribui ſolet, ſaltem aſſiduitati meæ eſſe reverendum. *Lib. 5. Epiſt. 72. f.*

Symmachus: Itaque hortor & moneo, ut bene cœpta non deſeras, & præmium laudis honeſtate ſequaris. *Lib. 8. epiſt. 67. m.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carmine 3. præceptis ad Virgg.

—— quidam quia magni culmina regis
Nunquam luſtrarunt oculis, nec imagine mentis.
Si paullum aſſurgant, faſtigia laudis habere
Summa putant. At tu complexu condita quædam
Iam retines, quædam ſperes, ad cætera magno
Tende gradu, ſemper ſcandens ſpectansq; priora.
Stare loco mala res, ergo torpore remoto
Vt capias, propera; donec virtutis ad arcem
Supremumq; gradum perveneris auſpice Chriſto.

D. Nazianzenus Carmine 62.

Ἵστασο μή ποθ' ὁδοῖο καλῶν, κακὸν ἐς βυθὸν ἕρπων
Σοὶ στάσις, ὅς τις ἔσῃς ἐκτόθι τῆς κακίης.

Progredere ſemper in bonis, neq; conſiſtas, quin ei qui à turpi exceſſit
Stare, perinde eſt atq; in vitium relabi.

P. Sy-

P. Syrus Mimus.

Laus nova nisi oritur, etiam vetus amittitur.

¶ Apologorum.

Aesopi Testudo & Lepus. Testudo & Lepus de celeritate certabant: constituto itaque die locoque discessêre. lepus quidem propter naturalem velocitatem, in cursu negligentior factus, in via prostratus dormiit. Testudo verò suæ sibi conscia tarditatis, continuò incessit. sicque leporem dormientem præcurrens, ad victoriæ præmium venit.

¶ Emblematum.

Batillius XXXIII.

Consilium & perseverantiam plus posse quàm vires.

Binas in partes bona hic certamina cernis
Depicta, & signis quaq; notata suis:
Hinc membris & mole valens & viribus audax,
(Quales Romanis Thracas arena dabat.)
Stans juvenis, nudo manuum conamine caudam
Invalidi frustrà vellere tentat equi:
Pygmæo inde alius brevior, jam & segnior annis,
Et cui vix tenuis contegat ossa cutis,
Acris equi vegetiq; pilos cauda extrahit omnes,
Dum paulatim unum demit, itemq; alium.
At plus ista mihi est quàm quod videatur, imago,
Consilio vires suppositasq; notat.

Batillius CLVIII.

Lubricum vitiorum.

Elapsi vitiis, vitiis nos sæpius iisdem
Reddimus, & vita pœnituisse pudet.
O toties servi! quæ ruptis bellua vinclis
Quum semel effugit, non eadem illa pavet?

Camerarius XCII. Centuriæ 2.

Æquè tandem.

Tardigrada assequitur Cygnos testudo volucres,
Assiduus quò non scit penetrare labor?

Camerarius XCVI. Centur. 2.

Perseverando. *Salix dissecta tandem à lutra.*
Quid non perficiat labor improbus? aspicis, arbor
Vt cadat à morsu Castoris assiduo.

Camerarius X. Centuriæ 3.

Instanti victoria. *Aquila pulvere cæcans cervum.*
Aspicis ut torquet volucris Saturnia cervum,
Nempe docet vigili cuncta labore dari.

Camerius XLIV. Centuria 3.

Tempore durescit. *Avis Iaponica cornuta.*

Cornua ceu molli nascuntur dura cerebro,
Virtutem assiduus firmat alitq; labor.

¶ Apophthegm. Sacr.

Anonymi. Christiani Presbyteri & diaconi Alexandrini, numero 19. quum ad Arianismum profitendum hortarentur, præfecto responderunt, Desine posthac, desine his vocibus nos perterrere: à verbis inanibus proferendis tu te cohibe. Nam nos neque novitium neque recentem colimus Deum. Ac tametsi tu velut fluctibus jactaris, spumam ore temerè fundis, & tanquam ventus violentus in nos cum impetu ruis: tamen nos ad extremum usque spiritum sumus doctrinæ pietatis firmè adhæsuri. &c. *Theodoret. eccles. histor. libro 4. cap. 20.*

Vide apopht. *de Constantia, Fortitudine, Generositate, Magnanimitate, Martyribus, &c.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Franciscus. Virtutum omnium finis & consummatio (ut loquitur Bernardus) est Perseverantia, sine qua nemo Deum videt. Hac præditum Franciscum fuisse tradunt, qui vitam eius posteritati consecrârunt: nam cùm apud Episcopum Imolensem, à quo prædicandi licentiam postulaverat, repulsam passus esset, post horam rediit. Inquirit iteratò Episcopus, quid petiturus advenisset. Ille humili tam voce, quàm corde: *Domine, si pater filium uno ostio eiecerit, alio ei reintrandum erit.* Sur. in Vita tom. 5.

Pacomius Abbas. Huius quoque laudabilis vox ad discipulos crebriùs prolata: *Frustra ad salutis bravium currimus, nisi sic curramus, ut comprehendamus. Frustrà cùm hoste confligimus, nisi certemus ut vincamus.* Meminerat quippe illius præcepti Dominici, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *Marul. libr. 5. cap. 8.*

Fratres Anonymi. Quàm gloriosi hac virtute, tenellæ ætatis licet, Germani Fratres: quorum tanto illustrior est Perseverantia, quanto ad resistendum ætas imbecillior. Volebat hos de immolatis sumere Tyrannus: ac primùm muneribus, quibus trahi minor ætas; dein minis, quibus terreri solet, adigit. Illi fortiter: *Non hæc,* inquiunt, *à parentibus accepimus.* Post verba ad verbera deventum. Cumque senior iam animam agere videretur, alter eum amplexatus, nihil de constantia remittens; *Vicisti,* inquit, *frater, vicisti.* & vita functum, eodem perseverantiæ spiritu victor etiam comitatus est, æternùm cum eo victurus. *Retulit inter alia R. P. Adrian. Mangoetsius, Soc. Iesu presb. in Orat. quam habuit de B. Virg. concept. in congregat. Sodalium Antuerpiæ.*

Petrus Aldobrandinus Card. Quia verò Perseverantia est stabilis quædam permansio, solitum ferunt Card. Aldobrandinum dicere: *Perseverantia est virtutum baculus, cui nisi innitantur omnes corrunt.* Henricus Farnesius in Apophth. de Principe.

Require Apophth. de Constantia religiosa, Martyrio, *&c.*

¶ Monosticha Trochaica.

Arbor ingens primo ab ictu non cadit: persta & feri.
Aufertur retrò virtutis qui non pergit in via.
Continuum vitæ ordinem annos per tot actum deseras?
Decipit statum omnem honestæ vitæ incauta remissio.
Desuetudo pigritiam, pigritia veternum parit.
Eruditionem amittis si vel intermiseris.
Est nihil, bene inchoâsse: perseverans, omnia est.
Plurimos requirit ictus arbor ante quam ruat.
Non sat est bene inchoare: perseverandum & bene est.
Perge, perge; rem inchoare nemo non potest bonam.
Perge porrò & persevera: præmium est in exitu.
Persevera: nam inchoasse quid bene, est ferè nihil.
Perseverantis corona est: futile omne exordium est.
Progredi cuiq; est necesse: qui stat, ille jam it retrò.
Tot per annos continuum vitæ ordinem ne deseras.

¶ Jambica.

Amiseris Sophiam ipsam si intermiseris.
Et dura saxa stillulæ cavant aquæ.
Etiam ictibus ferrum crebris retunditur.
Etiam silices formicarum atterunt pedes.
Frustra cucurrit qui ante metas deficit.
Multis domatur dura quercus ictibus.
Multis vel ingens ictibus quercus cadit.
Laudis coronam, perseverans obtinet.
Nil est quod opera non expugnet pertinax.
Nisi in bono progredimur, auferimur retrò.
Quænam alta primo quercus ictu sternitur?
Qui perseverat, quod nequit vis obtinet.
Vires novas desiderat intermissio.
Vita corona perseveranti datur.

Personæ.

¶ Sententiæ Patrum Latinorum.

Z*Eno:* In omni negotio, nisi quis ante personam noscat & rationem, ejus non potest nosse veritatem. *Sermone de Psalmo 49.*

Io. Sarisberiensis: Persona cuique honesta est & venerabilis, aut natura, ut parentis: aut conditione, ut domini; aut moribus, ut religiosi; aut fortuna, ut magistratus; aut religione, ut Dei Angeli, hominisve sacris & ceremoniis divinis consecrati. *Lib. 2. cap. 15. Policratici.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Epictetus: Si quam personam quæ vires tuas superat indueris: tum eam indecorè geres, tum eam quam sustinere posses, negliges. *Cap. 59.*

Arrianus: Percunctatus est quispiam ab Epicteto; unde ergo personæ decorum quisque sentiet? Vnde verò, inquit, taurus ingruente leone solus instructionis suæ meminit, seque pro armento opponit? Nonne perspicuum est, simul ac quis instructionem habeat, sensum etiam eiusdem statim occurrere? nostrum igitur etiam quisquis talem habuerit instructionem, is non ignorabit eam. Subito autem taurus non fit, nec homo generosus: sed per hiemem corpus exercendum est, ac præparatio adhibenda, & non temerè irrumpendum in ea, quæ nihil ad nos attinent. tantum considera, quanti institutum tuum vendas homo. si nihil aliud, non parvi certè id vendes. *Lib. 1. cap. 2. comm. in Epictetum.*

Simplicius ad cap. 24. Epict. Vitam scenæ similem facit Philosophus, & eos qui in ea versantur ut fabulæ actores, Deum vero ut ædilem & magistrum describit: in qua eam personam quæ assignetur vel accipere vel repudiare, non sit nostrum. Omnino enim necesse est eam accipere, qualia multa sunt quæ à fato dependent. Etsi enim penes nos est, aspernari divitias: paupertatem tamen aut morbum vitare, non omnino penes nos est. Etsi nobis licet non esse dominis

dominis aut magistratibus: at quo minus serviamus aut pareamus, non est nostri juris. Quare in his nostri arbitrij est usus, & bonum aut malum nostrum quod ad hoc attinet, non in accipiendo, aut non accipiendo, ut ante dictum est, sed in appetitu & usu est situm: qui nostri juris est, ut ea vel bene vel male tractemus. Nam bene morbum aut paupertatem ferre, & iis uti quæ vel ultro vel coactus acceperis, in tua potestate est: ut & in scena, ubi singulis histrionibus aptam fabulæ personam imponere, sive regis; sive servi, sive insani, qualis est Orestis, ejus est qui fabulam edit, quique tam personarum quæ in ea sunt, quam histrionum ingenia perspecta habet. Sed impositam personam belle repræsentare designati histrionis erit. Quare sæpe servus, aut mendicus, aut furiosus probatur in fabula: dives autem, aut imperator, aut rex improbatur, cum illi datam personam belle exprimunt, hi vero suam male, prout utrique in eo elaborarunt. Sic etiam fit in vita. Quot enim regibus, divitibus, robustis, servus pauper & claudus Epictetus, tam à chorago & magistro Deo, quam ab hujus vitæ spectatoribus est prælatus, qui personam sibi impositam bene & ex magistri sẽtentia egit, & quod in ipso fuit, probe administravit? in quo bonum & malum hominis situm est, & id quod à cordatis hominibus vel laudetur, vel vituperetur.

Symplicius: Non ei studendum, quod per sese optimum est: sed ei quod est ex ijs quæ nobis accommodata sunt, optimum. Nullus enim ea quæ extra modum suscipiuntur, fructus consequitur. Quare non temere personæ majores induendæ sunt, ut doctoris aut philosophi, aut in nave gubernatoris, aut in urbe magistratus. Præstat enim personam inferiorem cum laude sustinere, ut non par modo sis, sed etiam ea superior: quam indecore gerere superiorem, nec illius dignitati respõdere. Honestius est optimum esse pædagogũ, quam doctorem imperfectum: & bonum patrẽfamilias, quam improbum magistratum. Nam majorem personam indecore gerere (hoc autem indecorum non ad opinionem, sed ad ipsius rei naturã referatur) illud etiam habet mali, quod eam perdimus, quam nostris rebus aptam belle sustinere possemus. Melior enim histrio & in Comœdia est, & in Tragœdia, qui servum bene repræsentat, quam is qui domini aut regis personam male agit. *ad cap. 59. Epict.*

§ LATINORUM.

Seneca: Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque majusculis pueris evenit, illi quos amant, quibus assueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expavescunt. non hominibus tantum, sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua. Quid mihi gladios & ignes ostendis, & turbam carnificum circa te trementium? tolle istam pompam sub qua lates, & stultos territas. mors est, quam nuper servus meus, quam ancilla contempsit. *Epistola 24.*

Seneca: Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut gravis & suppurata tristitia: & quidem gravior, quia interdum non licet palam esse miseros. Sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Ille qui in scena elatus incedit, & hæc resupinus dicit: *En impero Argis: regna mihi liquit Pelops, Qua Ponto ab Helles atq; ab Ionio mari Vrgetur Isthmos &c.* servus est: quinq; modios accipit, & quinque denarios. Ille qui superbus, atq; impotens, & fiducia virium tumidus ait: *Quod nisi quieris Menelae, hac dextera occides:* diurnum accipit, in cœnaculo dormit. Idem de istis licet omnibus dicas, quoque supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit: omnium illorum personata felicitas est. &c. *Epistola 80.*

Plinius Iunior: Plurimum interest quam personam tibi imponas; quæ sapienti viro ita aptanda est ut perferatur. *lib. 1. fine epist. 23.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

A Deo datam decore si geris personam, ovas.
A Deo datam indecore si geris personam, hebes.
Ferre eam personam oportet sustinere quam queas.
Histrio Regis personam quamquam agat, servit tamen.
Histrionis absq; larva limen & quis deserit?
Histrionis quisq; larva jam utitur domi ac foris.
Nec securè nec jucundè sub personâ vivitur.
Nemini optima eligenda fabula, ast aptissima.
Orbis hoc theatro quis non fictâ personâ utitur?
Obtinet persona regnum; nuspiam fraus libera est.
Perferas eam induisti quam semel personulam.
Personam cave: sub illa sæpe percussor latet.
Plurimi mimum supremo ne quidem exuunt die.
Qui bene exprimit personam quam induit semel, vir est.
Qui bene personã illã adimplet quam induit primũ, histrio.
Qui male personam illam adimplet, quam recepit, risui est.
Qui suam dextrè personam non impleverit, vapulet.
Quisnam amaverit personam quamlibet pulcherrimam?
Quod nequis facere ex decoro, haud tange, vel parcissimè.
Sors gravis plerisque schema tollit histrionium.
Sumpta persona hæc vel illa est: si geris dextre, places.
Totus orbis pro theatro est; histrionem quisq; agit.

§ JAMBICA.

Donat suam unicuiq; personam Deus.
Exercet orbis omnis histrionicam.
Implere quam nequis personam, ne feras.
Ludus brevis vita, altioque scenica est.
Modo expedit fieri hunc, modò illum, pro loco.
Non quis faciat, sed quid faciat; considera.
Persona cuivis usui est, fraus nemini.
Persona ea est gerenda ferre quam potes.
Persona Opum lata est foris, domi anxia est.
Personam eam indue implere quam pulcrè potes.
Posse unum hominem agere, res vel arduissima est.
Quam suscipis personam, eandem & impleas.

Persuasionis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus:* Indocto persuadere est difficillimum, maximè quando agitur de rebus necessarijs ac magnis. *Homilia 5. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Et istud magnum ad persuadendum pondus habet, cum ij qui monentur, amico ac benevolo erga eum animo sunt. *Homilia decima sexta, ad Corinthios secundo.*

Chrysostomus: Qui studet hominib. suadere multa, facit insincera pravaque, & fraudibus utitur & mendacio quo persuadeat mentemque capiat auditorum, contra, qui Deo suadet illique placere cupit, huic simplici puraque mente est opus: Deus enim falli non potest. *cap. 1. ad Galatas.*

D. Chrysostomus: Cui plenè aliquid persuasum est, non sinit aliam in se esse voluntatem: alioqui non plenè haberet persuasum. *Homil. 12. ad Coloss.*

Chrysostomus: Suasio cum laude, vim habet maximam. *Homil. 8 ad Colossenses.*

D. Io. Chrysostomus: Est genus hominum difficile ad persuadendum, & multa cura indigens, & majori quàm plantæ. nam illic quidem est natura corporum, & cedens manibus agricolarum: hîc autem est libera eligendi voluntas, quæ multas suscipit mutationes, & nunc quidem hoc, nunc illud eligit. ipsa enim est propensa in vitium. *Homilia 12. Epist. ad Hebraeos.*

S. Isidorus Pelusiota: Maximo argumento est, vir admirande, fidem auditori factam esse, cùm ea, quæ dicta sunt, laudat. Neque enim fieri potest, ut quæ aliquis probè atque commodè dicta esse arbitratur, hæc sibi persuasa esse neget. Vt enim, quę vituperamus, ea quoque, si sane mente sumus, fugimus: eodem modo, quæ laudamus ac suspicimus, ea quoque omnino amplexamur. Quorsum autem hæc dicam, fortasse non es nescius: qui consilium, quod laudasti, exequi atq; ad exitum perducere debes. *Lib. 3. epist. 226.*

S. Isidorus Pelusiota: Inexpugnabilis atque omni contradictione major ea oratio est, cui adversarij assentiuntur. *Lib. 3. epist. 346.*

S. Isidorus Pelusiota: Opus rectum ac perfectum ad finem perducere, nõ est eius qui dicit, sed eius videlicet qui audit. *lib. 4. epist. 177.*

S. Isidorus Pelusiota: Si vel maximè, cum sæpè scripserim, pro eo ac decebat (ut certè decebat) ad Eusebium & Martianum & Zosimum & Maronem, hortatus eos, ut à vitiis quidem & improbitate desisterent, ad vitam verò secundum virtutem degendam studium omne suum conferrent, id tamen ipsis non persuasi, utrius partis hæc est culpa? Videris autem mihi verbo quidem in me culpam rejicere: reipsâ verò illos traducere. Qui præsidem non auscultat, chorus inconcinnus est: Qui medico non obtemperat, miser est: At præses chori musici, & medicus, extra culpam est. Nam & illorum, qui plurimum dicendo valuerunt, maximamque prudentiæ opinionem & gloriam assequuti sunt, nemo est, qui hoc effugere potuerit crimen (si crimen appellandum est) idque non ob suam imbecillitatem, sed ideo, quia auditores in suâ potestate habent finem, (qui est persuasio) propter libertatem arbitrij. Quam etiam ob causam firma consistit judicij ratio.

Et quid attinet homines commemorare, cùm in promptu sit ab ipso Salvatore exemplorum capere primordium? Quando enim Iudæi & horum cognominis Iudas, illi quidem infideles manebant, & Christum è medio tollere conabantur, iste verò eundem prodere nitebatur, tunc æterni patris verbum talibus verbis utebatur (tametsi apud homines ea nihil proficerent, quæ lapidum quoque naturam inflectere posse videbantur) nunc quidem justitiæ rationibus eos revocans à facinore, nunc verò simpliciorum comminatione ipsorum malitiam reprimens. Quid igitur? num ipsis persuasit? Nihil minus. Cur ita? Quia ut persuadeantur auditores, & in sententiam aliquam perducantur dicendo, vel non, ipsorum in potestate situm esse oportet, ob eam, quam dixi, arbitrij libertatem. Num tu igitur, si eo tempore vixisses, accessisses ad Deum-verbum, & culpam in ipsum conjecisses? (talia quædam verba ad eum proferens:) Non servasti Iudam. Quamquam dicendo non servavit eum. Sed meâ quidem opinione omnes te habituri fuissent pro demente, & accusaturi te extremæ imperitiæ atque importunitatis. Nam ad doctoris quidem officium pertinet, nihil eorum quæ ad persuadendum facere possunt, prætermittere: Penes auditores verò est vel persuaderi, vel non. Ab hoc igitur exemplo præsens quoque nihil discrepat, si mihi imputetur ejus rei culpa, quod quæ volui, nõ persuaserim.

Quòd si Græci aut Iudæi occurrant fortè nobis (oportet enim sexcentis oculis ea quæ in contrarium afferri possunt, circumspicere, eaque evertere) ad illos quidem dicemus.

Quid quæso caussæ est, cur Jupiter, ut Homerus ait, ex periculis non servârit (Sarpedonem) carissimum, sed consilium ei tantum dedit? Ad hos autem, Quid causæ fuit cur in Veteri Testamẽto per Mosen cæterosque Prophetas loquutus Deus, non servavit homines, sed neglectus spretusque contumaciter, pœnis eos persecutus est? Cum quis enim pœnas dat, simul & punitur, & quod Legislatori non paruerit, ostendit: quin potius ipse Legislator prævidit, se non omnibus persuasurum esse ut probi sint. Nam qui de pænâ sancit, eo ipso satis indicat, scire se, quod improbos nequeat in officio continere. Quicquid enim ad hoc defensionis causâ fortè adferent, idem etiam de Judâ dici poterit.

Tametsi igitur hîc consistere oportuerit demonstrationem: (nã quicquid exempli præter id quod allatum est, allegetur, minus erit illo atque inferius. quid enim miri sit, in hominem cadere, id quod ipsum Verbum filium Dei attigit? (tamen ne probabilem ignaviæ occasionem captâsse videar, neque ab hominibus abstinebo. Quid igitur caussæ fuit cur Moses lapidibus peteretur propheta? Helajas autem serrâ discinderetur, ille inquam, cui Seraphim videre cõtigerat? Hieremias verò in cœnosam concluderetur foveam? Cur Petrus quidem in crucem ageretur? Paulus autem capite truncaretur? Nónne hæc ipsa fuit caussa, quia non omnes ipsorum verbis & admonitionibus auscultârunt? Quòd si dixeris, idcircò hæc ipsis accidisse, quia orationum rhetoricarum aut syllogisticarum rudes atq; imperiti fuerint: age, ad eos, qui extra Ecclesiam fuerunt, & maximam eloquentiæ & vehementiæ & persuasionis gloriam adepti sũt, sermonem convertam. Cur enim Plato, ille Græcorum thesaurus, ipsâ quoq; libertate excidit? Nonne ideò, quod nec unum potuerit persuadere Tyrannum? Porrò cur Pythagoras, qui sapientiæ opinione plurimũ turgebat, à Phalaridis consuetudine resilijt? Nónne ideò, quòd etiam post tantam doctrinam ille tyrannus esse pergeret? Quid Socrates, qui omnes ejus ævi sapientes superavit cur cicutâ damnatus perijt? Nónne ideo, quia homines non ferunt æquo animo eos à quibus corriguntur?

Quia verò prope est, ut etiam Aristotelis testimonio succumbas, audi quid ille dicat: Neque orator omnimodo persuadebit, neque medicus sanabit: sed quando nihil eorum quæ facere potest prætermiserit, tum dicemus ipsum satis perfectè artem tenere. Quomodo enim Pericles captus est? qui tamen decem pedibus superabat oratores: & insuper, secundum id quod in Comœdiâ de ipso pronuntiatur, Suada quædam sessitabat in ipsius labris. Neq; enim verisimile est, si persuadere potuisset, ipsum suâ voluntate mulctam subiturũ fuisse. Quomodo autem Themistocles, cujus eximia ingenij vis atque excellentia prædicatur, & qui nullo negotio officium facere nôrat, exilio punitus est?

Quomodo item Demosthenes, qui easdem res nunc fieri posse, nunc fieri non posse demonstrabat, ut alia omnia præteream, & eas causas in quibus victus abiit, & orationem de pecuniis Harpali, quibus corruptus esse dicebatur, silentio tegam, quomodo inquam hic tantus Orator Midiam non cepit laqueis judicij, à quo tantis erat malis atque injuriis affectus? Nam quod quidem voluerit ipsum capere & tollere, in propatulo est, quam ob causam omni quoque adhibitâ vi accusationem scripsit. Quid igitur obstitit, quò minus ipsum caperet? Non sanè quòd infirmiores putaret suas orationes potentiâ hostium. Neque enim, ut Æschines ipsi obiiciebat, acceptâ pecuniâ tradidit victoriam. non enim cadit hoc turpis lucri crimen in hujus oratoris animi magnitudinem: neque verisimile est, eum, qui suis tutoribus, hominibus satis locupletibus & idoneis patria bona post victoriam contra eos reportatam reliquerat, turpiter aliquid in causa capitis accepisse. Sed cum hostes suos oratione potentiores esse duceret, secumque reputaret, artem dicendi adversus ipsorum violentiam parum profecturam, calamitatem illam decorè tulit, melius esse existimans, si videretur mansuetudine suâ se ultrò submisisse ac cessisse adversariorum potentiæ, quàm judicum sententiâ vinci: quamquam inter hanc ex metu submissionem, & inter id quod est, non potuisse Midiam, quem judicio tradiderat, superare, nihil quicquam interest. Imò verò alterum etiam conspectiorem tradit adversariis victoriam. Illud enim nihil aliud erat, quàm ad judices nihil valuisse orationem: hoc autem apud ipsum quoque auctorem orationis talem accepisse opinionem.

Si igitur talis oratio non præbuit oratori spem persuadendi, qui desperavit persuasionem: quomodo quæso non est grave ac molestum, ô gravissime vir, ut illorum quidem unusquisque ex animi proposito judicetur, & non sit videatúrve esse aliis fraudi aliorum contumacia ac pertinacia; in me verò res tota fiat alia, atque novus quidam mos introducatur? Hæc autem non idcircò scripsi, quasi qui laudes aucupari velim (nôsti enim quàm illas soleam contemnere: nam si laudes appetivissem, enumerâssem etiam eos, quibus persuasi ut virtutem amplecterentur, qui quidem nec pauci sunt numero, & satis celebres:) sed ostendere studens, sive quis persuadeat ea quæ proposuit, sive non persuadeat, oportere animum expendi eius qui consilium dare instituit; non autem ipsum ex eventu rerum, qui in ipsius potestate non est, æstimari. *Libro quarto epistol. 205.*

¶ Latinorum.

Egesippus: Superfluum est suadere quid fieri oporteat, cùm audientium assensus in deteriora sit. *Cap 9. lib. 2. de excidio Hierosolymitano.*

Egesippus: Hoc vobis suadeo, quod mihi eligo. vos considerate, quid vobis & mihi utile sit &c. *loquitur Agrippa rex cap. 9. lib. 2. exc. Hierosol.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. Graecorum.

Xenophon: At eum, qui à corpore pendet, quamobrem diligat aliquis mutuo? utrum idcirco, quod sibi tribuit ea, quæ concupiscit, adamato maxime probrosa? an quod ab iis. quæ facere studiose cupit præter amores, maxime necessarios arcet? Atqui magis etiam odio dignus est, quod non vim adferat, sed persuadeat. Nam qui vim adfert, improbum esse hominem sese declarat: qui vero persuadet, is illius, qui persuadetur, animum corrumpit. *Cap. 10. Convivij.*

Xenophon: Ego arbitror eos qui prudentiam colunt, seque putant ea cives posse docere quæ expediant, minimè violentos fieri: quippe qui sciant, cum violentia quidem inimicitias & pericula conjuncta esse: hæc autem posse fieri absque omni periculo, & cum amore ac benevolentia, persuadendo. nam qui vi coguntur, ita oderunt, ut quibus aliquid ademptum sit: at qui persuadentur, quasi quibus grata res acciderit, etiam amant. Quamobrem in eos, qui prudentiæ studiosi sunt, minimè vis cadit: sed inferre vim eorum est, qui vires habent absque consilio. Præterea si quis violenter audeat agere, nõ paucis egebit sociis: qui verò persuadere potest, nullo. nam solum se putat ad persuadendum satis valere. Quin etiam huiusmodi hominibus minimè accedit, ut quemquam occidant. quis enim interficere velit aliquem potius, quàm vivum obsequentem habere? *cap. 6. lib. 1. Memorabilium Socratis.*

Halicarnassæus: Neque enim sententiarum, aut optimorum argumentorum inventio ipsa per se multo studio digna videtur, nisi etiam rebus & personis ac temporibus ceterisque circumstantiis conveniat. *cap. 55. de judicio hist. Thucydidis.*

Aristides Rhetor: Nemo quod per se novit, id ab alio persuadetur: quin hoc est inter suum consilium & persuasionem discrimen. quid quod à seipsis non ab oratoribus persuadentur ij, qui ea quę sibi videntur faciunt. persuadet autem nemo, nisi qui suam obtinuerit dicendo sententiam. *Orat. 1. Platonica.*

Iulianus Apostata: Verbis omnibus facta ipsa sunt, ut opinor, ad persuadendum efficaciora. *Panegyr. 1. ad Constantium Imp.*

Libanius: Mos est eorum qui consulunt, ut expressis verbis quæ sentiunt eloquantur; omnia dicta proferant; omne quod ad persuadendum valet, adducant: lætentur cùm persuaserint, iniquè ferant cùm aberraverint. *Declam. 29.*

Hierocles: Nullus te nec verbis nec factis adducat, ut quidquam facias aut dicas, quod tibi non sit utile. Ergo summus pudor ipse tibi sis. qui enim sui verecundia moveri didicerit: neque in solitudine, neque in societate turpe quid audere: atque etiam cogitationem ab eo, propter internæ rationis custodiam, avertere: ille ipse est, qui potest audire; nil tibi vel verbo quisquam male suaserit, aut re. Solus enim fraudibus non patet, neque potest à quoquam ulla ratione decipi, qui hominis in se præstantiam agnoscens, nec se capi adulationibus patitur, nec nimis etiam deiici: quantumvis vel hostes, vel amici, horum proponant quodlibet. Eo enim quòd nullus dixit, personas omnes significavit: & patrem, & tyrannum, & amicum, & inimicum. Sunt vero avocandi modi aut verbis aut factis. Verbis quidem, vel blandiendo: vel minitando. Factis verò, vel munera, vel supplicia proponendo. Decet ergo adversus ista omnia recta ratione bene munitum habere animum; ut nec voluptatibus, nec doloribus, quæ nos modis omnibus adoriuntur, moveatur, atque in servitutem redigatur. Recta enim ratio, quæ intus est, cum animo utrinque temperantiam atque fortitudinem custodes inexpugnabiles adhibuerit, imperterritos nos præstiterit: nec ab assentationum blanditiis immunes tantùm: sed à terrorum metu etiam: quibus efficitur exactum illud justitiæ genus, de qua superius loquens, eam re atque verbo colendam esse monuit. Sic ergo nullus omnino aut verbum emittere, aut opus aliquod efficere nobis suaserit, quod rectæ rationi non consentiat. Est enim perspicuum: si omnium maximè nostri nos pudeat, nobis neque verecundiorem, neque timidiorem visum iri neminem, ut ad aliquid dicendum, vel faciendum præter debitum inducamur. Est enim utrumque animo noxium. Quod autem ipsi damnosum est, idipsum & nobis etiam inutile: qui animus ipse simus. *cap. 25. carm. Pythag.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: Semper apud sollicitos in deterius prona persuasio est. *Declam. 11. §. 2.*

¶ Monosticha Trochaica.

Admodum est iniquus arctis suasor in rebus metus.
Aegrius persuaseris popello quàm sapientibus.
Arduum est quid persuadere ventri, qui aures non habet.
E persuasione falsa nascitur quodvis malum.
Femina quid persuadere, pejus est raptu mero.
Improbè an persuadeare, an vi cogare, haud interest.
In pericla persuadendo non cogendo currimus.
Iudici quæ persuadere non possis, ei auferas.

Magna

Magna vis ad persuadendum & usui & scientia est.
Maxima facilior est, quam rei minima persuasio.
Nemo re tibi verbove noxium persuadeat.
Nemo tam est facundus ut persuadeat nolentibus.
Nil magis mentem impedit bonam ipsa quam persuasio.
Nil refert suadere si non & sequamur optima.
Persuadere calamitoso res est vel facillima.
Promptius recens amicus quam vetus persuadeat.
Quidlibet persuadeas iis cui mori persuaseris.
Quilibet suadet: persuadet solùm prudentissimus.
Si desit cui suadeatur, non erunt qui suadeant.
Verba suadent: facto in ipso major at persuasio est.

§ JAMBICA.

Atrocior profecto vi persuasio est.
Cantus volucrem, homines capit persuasio.
Cogi malum est, at persuaderi pessimum est.
Commune multis nollè persuaderier.
Difficile persuadere quid libidini.
Etiam tacenti auro sua est persuasio.
Homini citò in adversis quævis persuaseris.
Non semper est rectus in suadendo locus.
Persuasionis pharmacum primum est pudor.
Persuasionis plurimum est in munere.
Persuasit Nox, Amor, Vinum, Adolescentia.
Plus viva vox persuadeat quam epistola.
Quosdam facilius vincas quam persuadeas.
Ratio solet, vis persuadere non solet.
Silere præstat: quam dissuadere irrito.
Suadere frustra est, non sequenti inde optima.
Suadere honesta gratius est quàm cogere.
Suadere quidvis facile est persuasis mori.
Res facta ubi est, supervacuè dissuaseris.
Vincas facilius quosdam quam persuadeas.

Pertinaciæ.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

D. *Io. Chrysostomus:* Quoties quisque perversus fuerit, ac decreverit animo, quodcunq; contigerit non mutare sententiam, cur ejus gratia frustra laboras, atque inter saxa seminare contendis? *Homil. 6. epist. ad Titum.*

Idem: Postquam in suam ipsorum perniciem cuncta facere deprehensi fuerint, & nullum lucrum inde sequitur, id quod præcipuè intenditur: vitandi ejusmodi sunt. Neq; enim eos lucrari unquam poterimus, qui perversi sunt, peccantque non ex ignorantia, verùm ex perversitate sententiæ. At quid si isti alios quoque doctrinæ suæ venenis infecerint? Stare ex adverso oportet, atque pugnare, eosque magna cum fortitudine atque auctoritate revincere. Si igitur hujusmodi indicta fuerit necessitas, viderit que alios huiusmodi tabe corrumpi: jam cave ne taceas, sed ora istis obstrue, curam pereuntium gerens. *ibidem.*

Paulo post: Quemadmodum magnæ desidiæ est ac socordiæ, eos despicere quos immutandos in melius non desperamus: ita eos qui desperabiliter languent curare contendere, stultitiæ ingentis est, extremæque dementiæ: quippe ex hoc plus illis audaciæ ac temeritatis adiicitur. *ibidem.*

Arrianus: Si quis res evidentissimas oppugnat, adversus hunc nulla facilè ratio reperietur, qua deducatur à sententia sua. neque verò illud accidit, vel facultate illius, vel imbecillitate docentis: sed cùm quis captus atque in lapidem conversus fuerit, quonam ille pacto deinceps oratione tractabitur? Sunt autem conversionis in lapidem duo genera: unum rationis, alterum reformidationis: cùm quis ita est offirmato animo, ut rebus evidentibus assentiendum esse non putet, nec à pugnantibus recedendum. At nos cum vulgo mortem corporis metuamus, eamque modis omnibus avertere conemur, animi mortem prorsus negligimus. Atque adeo ipso in animo si quis ita sit affectus ut nihil assequatur, nihil intelligat, eum quoque male habere opinamur. Sin alicuius reformidatio & pudor emortuus fuerit: id vero etiam facultatem & vim ingenij appellamus? Percipis te vigilare? negat: quod ne tum quidem percipiat, cum in somnis vigilare sibi videatur. Nihil ergo differre visum hoc ab illo. Cum hoc nihil amplius ego disputo. Nam quem ei ignem, quod ferrum admovebo, unde se esse mortuum animadvertat? Sin, cum animadvertat, dissimulat: mortuo est deterior. Pugnam iste non perspicit? male habet cum non perspiciat. hic non movetur, neque proficit? peius etiam habet. resectus est eius pudor & reformidatio, ac ratio non illa quidem resecta, sed efferata est. Hanc ego facultatem dicam absit, nisi cynædis eadem tribuatur, qua quicquid in animum inciderit, palam & dicunt & faciunt. *Cap. 5. lib. 1. in Epictetum.*

§ ROMANORUM.

Corn. Tacitus: Germani aleam inter seria exercent, tanta lucrandi perdendique temeritate, ut omnia defecerint, extremo ac novissimo jactu de libertate & corpore contendant. victus voluntariam servitutem adit. quamvis junior, quamvis robustior, alligare se ac vænire patitur. ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocat. *Cap. 24. de moribus Germanorum.*

Ælius Spartianus: Severus Imperator, cognomentum Pertinacis, non tam ex sua voluntate, quam ex morum parsimonia videtur habuisse. nam & infinita multorum cæde crudelior habitus: & cùm quidam ex hostibus eidem se suppliciter obtulisset, dixissetque ille, Quid tu facturus esses? non mollitus tam prudenti dicto, interfici eum jussit. *in vita ejus cap. 17.*

§ POETARUM.

Plautus captivis 2. sc. 2. v. 39.

Quid tu ais? tenáxne pater ejus? P. imò edepol pertinax.
Quin etiam ut magis noscas: Genio suo ubi quando sacrificat,
Ad rem divinam quibus est opus, Samijs vasis utitur;
Ne ipse Genius surripiat. proinde aliis ut credas vide.

Accius Myrmidonibus.

Tu pertinaciam esse, Archiloche, hanc prædicas.
Ego pervicaciam ajo, & me hac uti volo.
Nam pervicacem dicis me esse, & vincere?
Perfacilè patior: pertinacem nil moror.
Tu addis quod vitio est: demus quod laudi datur.

§ EMBLEMATUM.

Batillius CCXXII.

Nec victus Typho vires posuisse fatetur.

Enceladi hoc bustum est, sævo quem comminus ausum
Aethereos bello sollicitare Deos
Fulmine dejectum injectâ insuper obruit Aetnâ,
Non illo armatus Iuppiter igne prius.
Membrorum ad quamvis semiustâ parte peremptus,
Membrorum mediâ parte vigente tamen
Vt si spiret adhuc, sæpe inde resurgere tentat,
Sæpe remoliri corpore molis onus.
Tumq; diu in cassum luctatus, dira minanti
Flammarum ingentes evomit ore globos,
Inde omnis convulsa imo tremit insula fundo,
Et quaq; hinc illinc proxima flagrat humus:
Sic novi Aloidæ oppressi regalibus armis
Dum socia in Reges arma referre parant,
Ceu calidum quo tetra madet perfusa, cruorem
Natorum rursus Terra animare velit,
Conenturq; ipsi Stygio se attollere ab Orco,
Regni affectatas & remeare domos,
Ne quid inexpertum vel in ipsâ morte relinquant,
(Quos nempe everso tum juvet orbe mori)
Omnia concutiunt, belliq; incendia anhelis
Faucibus expirant, flammiferasq; faces:
Qua nos jam tulerint, ni regia cura resistat,
Ni fratrum extremas & vetet una minas.

Camerarius XLVIII. Centur. 3.

Deficiam aut efficiam. *Anserinus pullus.*

Consilijs suffulta bonis constantia, multum
Rebus in inceptis utilitatis habet.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Attrahit pœnas sibi acres obstinata surditas.
Bestia ingenerosiore nulla pervicacia est.
Corrigas forte hæc & illa; pertinaciam haud item.
Ferre possum pervicacem: pertinacemq; non fero.
Improbum est resistere unum multis, & juvenem seni.
Mens cuicunq; obstinata est, corpus omne occalluit.
Ne quidem adversis mutatur ad bonum obstinatio.
Pertinaciæ comes ferè atra pœnitentia est.
Pertinacia ira amica: inimica est pœnitentia?
Pertinaciores omneis ira iniquitas facit.
Pertinaciter tueri culpam culpa est altera.
Pervicacis est animi, unum pluribus resistere.
Robur à damnatione sumit omnis pertinax.
Sæpe quod mora explicasset, rupit pertinacia.
Victorem ait se, victus est ut pertinax.

§ JAMBICA.

Mordere præstat frenum, quàm frenum pati.
Ne dirigas contra torrentem brachia.
Possessio sinistra pervicacia.
Sis pervicax licet, dum non sis pertinax.

Perturbationis.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

E*pictetus:* Homines perturbantur non rebus: sed iis, quas de rebus habent, opinionibus. Verbi causa: Mors non est malum: alioqui & Socrati ita visum esset: sed opinio de morte, quæ malum eam facit. Cùm igitur impedimur aut distrahimur, non alios culpemus, sed nos ipsos, hoc est, nostras opiniones. Alios accusare in calamitate sua, hominis est inerudìti: seipsum, eius qui erudiri cœpit: nec se, nec alium, eruditi. *Cap. 10. Enchiridij.*

Epictetus: Præstat perire fame timoris ac molestiæ expertem, quàm copiis omnium rerum circumfluentem, animo vivere perturbato. *Cap.16. Enchiridij.*

Simplicius: Quæ subita & improvisa tyronibus honestæ disciplinæ obiiciuntur, ea vehementer ipsos perturbant, de gradu dejectos, eò redigunt ut instituti sui obliviscantur. Præmeditatio verò sobrios & memores facit, atque ipsa assuetudine ad ea præparat quæ visis & spei aspera sunt. Quantum autem intersit præparatum aut imparatum aliquid excipere; cuivis est perspicuum. Neque enim res acerbæ tantùm, sed jucundæ præter spem oblatæ, animos perturbare solent. nam molesta quidem subitò obturant & contrahũt visionem, unaque cum ea & corporis & spiritus temperamentum. Iucunda verò subitò diffundunt, & divellunt dissipantque robur animorum. hinc fit ut similes casus utraque horum quantumvis inter se contraria sequantur: ut animorum deliquia, ut rigores, & exanimationes, atque ipsa prope mors. *ad 17. caput Epicteti.*

Hierocles cap. 9. ad carm. Pithag: Age igitur inprimis perturbationes omnes rectis institutis in ordinem cogamus atq; frenemus; quando harum etiam partes aliæ alijs vicissim vitia subministrant. verbi gratia; qui multo cibo refertus est venter, somnum etiã multum inducit. utraque autem seminis copiam; quæ ad res venereas immoderatè & ipsa excitant, animique partem quæ in appetendo posita est, ad intemperantiam provocant. hæc autẽ ira sursum addita, nullum non certamen suscipit; partim quidem cibum & potum sectando; partim verò scortorum nomine depugnando, & alias etiam aliquando voluptates pertinaciter venando atque amplectendo. Istis igitur dominari consuesce, ducto statim à ventre principio, ut quæ ratione carent animæ partes ipsam sequantur, tuque etiam pietatem in te & honorem erga parentes, propinquos, amicosq; tueri semper atque servare valeas. Violabuntur ea enim omnia, nisi quæ perturbationibus obnoxiæ sunt facultates rationi obtemperent. Aut enim ira in parentes commovebit, aut armabit cupiditas adversus eorum consilia. & rursum aut ira ad blasphemiã provocabit, aut pecuniarum cupiditas ad perjurium. nulla non denique, ut semel dicam, ab istis facultatibus mala oriuntur: si minus ad id quod decet à ratione dirigantur, inde cujuslibet generis impietas, inde bella inter consanguineos, inde amicorum proditiones, ceteraque flagitiorum genera, quibus fit, ut exclamare cogatur illa

Non me latent quæ conor ipse nunc mala;
Sed ira major est consilio omni meo.

Et alius etiam, aut eadem aliàs vociferatur:

Non me latent quæ conor ipse nunc mala;
Sed fortior mente est mea cupiditas.

Nec absurde sanè mihi videtur dicere.

Laboro valde communi malo;
Haud fermè suadeor.

Quod enim rationis particeps genus est, cùm bene se ad honestarum rerum perceptionem natura habeat, facilè reminiscitur & ad rectæ rationis disciplinam nullo negotio excitatur; nisi perturbationum vi, tanquam laminis quibusdam plumbeis, ad vitia deorsum rapiatur. Oportet igitur & nos nosse etiam quæ decent, ipsasque rationis expertes facultates, quantum possumus, ita regere atque moderari, ut rationi quæ in nobis est obtemperent. quibus in ordinem redactis, tum demum poterit ipsa ratio, nulla unquam facta distractione, & Deum & heroas, & parentes, & amicos observare. Nempe quod est ratione præditum, disciplina & scientia regi debet: quod eâ destituitur, assuetudine & formatione quadam corporea indiget; qua ratione etiam quæ bruta dicuntur ab hominibus agi consuetudine tantùm videmus. Venter igitur qui moderatè appetere consueverit, non ceteras tantum corporis cupiditates præbebit præstantiores, sed iram etiam faciet remissiorem: ut de his placidè quæ justa sunt consilium ineamus, neque perturbationibus interius exagitemur: unde & nosse ipsi quid verè simus, & revereri quod noverimus discamus. nascitur verò ex cognitione hujusmodi atque pudore, qui ad eundem accedit, fuga turpium. turpia enim quæ mala sunt nominantur, tanquam indecora & indigna quæ fiant ab homine.

Pestilentiæ.

¶ Sententiae Patrum.

Egesippus: Tractus cæli corruptior plurimis pestem creavit. unde consultis medicinæ peritis, silvarum secretis sese abdit Herodes rex: & refuso paulatim vigore, venatibus salubritatem corporis pariter atque mentis recepit. *fine cap.37. lib.1. de excid. Hier.*

Orosius: Mentita est iniquitas sibi, pravo in perniciem suam circumventa judicio, pestilentiam communis casus esse: accidentemque ex morbis mortem, naturæ fine esse, non pœnam. *Libr.7. cap.22. adversus Paganos.*

¶ Histor. Graecorum.

Philostratus: Unde inquit agnoscens, aut unde conjectans prædixisti Ephesiis causam morbi? Ego inquit Apollonius, & Rex, utens victu magis tenui quam homines ceteri, primus morbi gravitatem sensi. quod si libet, referam etiam pestium causas. Ille autem ut opinor, timens ne injustitiam, & sceleratas nuptias, & cetera quæ præter rationem fecerat, morborum causas esse diceret, Non ego inquit responso tali. *Lib.8. cap.2.*

¶ Romanorum.

L. Annæus Florus: Mox & ardores per Armeniam, & nives per Cappadociam, & utriusque cœli subita mutatio, militi fuit pro pestilentia. *Lib.4. cap.10.*

Paulus Diaconus: Anno V.C.384. ingens Romam universam pestilentiam corripuit: non, ut assolet, plus minusve solito tempore turbatâ temperies; hoc est, aut intempestiva siccitas hiemis, aut repentinus calor veris, aut incongruus humor æstatis, aut autumni divitis pinguis & indigesta illecebra: insuper etiam exspirata de Calabris saltubus aura corrumpens, repentinos acutarum infirmitatũ afferre solita transcursus: sed gravis diuturnaque, in nullo dispar sexu, in nulla ætate dissimilis, generali cunctos per biennium jugiter tabe confecit: ut etiam quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos dimiserit. *Lib.2. cap.2.*

¶ Monosticha Trochaica.

Aëris mutatio omnis homini pestilentia est.
Et cæli mutatio subita est pro pestilentia.
Ex loco gravi in salubrem tutus haud est transitus.
Incipit plerumq; a brutis vera pestilentia.
Nemo agris vacat, tenente regnum pestilentiâ.
Nonnunquam suæ circa ipsum funus exsequiæ cadunt.
Pestifer gravitate odoris accolis fere est lacus.
Pestilens exhaurit urbes cœlum, at non & has feret.
Pestilentem odoramentis aerem Indis mitiges.
Pestilentia haud distinguit nobilem ab non nobili.
Pestilentiæ auspicium præbes, sana si agris misceas.
Pestilentia bona est res navigatio atq; iter.
Pestilitas juvenes senectæ jungit, & gnatis patres.
Plus meret qui arcet, quàm qui profligat pestilentiam.
Sæpe exercitum mage hoste perdit pestilentia.

¶ Jambica.

Aqua mala potus pro pestilentiâ est.
Bruta omnium urget prima pestilentia.
Cæli repens mutatio, pestilentia est.
Contagiosa quis frequens transit loca?
Etiam manu fit hominum pestilentia.
Fami ferè vicina pestilentia est.
Ferè inopiam adsectatur pestilentia.
Mutare sedes utile pestilentiâ.
Mutatio cæli vice pestilentia est.
Pestis atrox, pecuniæ penuria.
Sanis obest vel umbra pestilentium.
Sedes licet mutare in pestilentiâ.
Senes minimè tentantur pestilentiâ.
Victus comes vitiosi pestilentia est.

Petitionis.

¶ Sententiae Patrum.

Synesius: Noli ingentia postulare, ne duorum alterum contingat: ut sive obtinueris molestiam facias; sive non obtinueris, molestiam capias. *Epistola sexagesima quarta.*

S. Isidorus Pelusiota: Psallere quidem cum prudentia, & attento ac vigilanti animo precari oportet: at non ea petere, quæ nobis bona esse videantur. sed quæ ille ipse, qui dat, commoda & utilia esse perspectum habeat. Multi etenim, cùm divitiarum causa vitalem vitam habuissent, ad extremum insidiis appetiti, tum præsenti, tum futura vita exciderunt: cùm magistratum ac præfecturas furtorum (non enim quæstuum dicam) occasiones parturientem, ambiissent, iis quoque, quæ habebant, spoliati sunt: cùm egregia forma mulierem in matrimonium accipere studuissent, tanquam hinc videlicet voluptatem percepturi, ob hoc ipsum præsertim & in pericula, & in bella inciderunt: cùm ad summum usque roboris firmæque valetudinis pervenire laborassent, præterquàm quòd ferinam vitam duxerunt, atque animæ nobilitatem ignorarunt (quòd scilicet optimas quasque actiones hac ratione obscurassent) tandem feris quoque prædæ fuerunt, atque inglorium & execrandũ finem subierunt. Quocirca his omnibus omissis, ea à Deo postulemus, quæ ipse in rem nostrã fore perspectum & exploratũ habeat. *Lib.3. epist.171.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Crates Ne petatis à quibusvis necessaria, neque si dentur à quibusvis accipite. Non enim fas est virtutem à malis ali ac sustentari. Solos verò & à solis philosophia imbutis, & vobis licebit repetere propria, & non videri petere aliena. *Epist.2. ad Amicos.*

Libanius: Concionem adæquavit mandatis ac jussis. Non accepit, inquis, sed requisivit. atqui vel in requirendo leges violavit. nam quæ horrida sunt factu in populari statu, ne dicẽda quidem ab ullo sunt. etenim actionũ tremendarũ etiã verba odisse par est. *Decl.12.*

Diogenes. Noli stolæ, Metrocles, & nomini & vitæ tantùm confidere: etiam petenda ab hominibus necessaria: non enim turpe est. Nam reges & principes à subditis pecunias, milites, naves: & qui adversa laborant valetudine à medicis remedia: amantes ab iis quas in deliciis habent, oscula & contactus postulant. Et Herculem ferunt etiam à sensu carentibus vires accepisse.

Non tamen gratuitò petendum est, neque ut deteriora: Sed ad salutem omnium, naturæ necessitatem petere oportet. Quod cùm feceris, Herculem Iovis filium imitare, ut scilicet maiora reddas, quàm accipias. Quorsum hæc? Quòd non ad veritatem est gloria, pro qua ubique contende, & si nihil consequaris. Bona enim quædam consuetudo est huiusmodi, adversum hæc bellum. Ferunt Socratem dicere: Bonos non petere, sed postulare. Eorũ enim omnia esse, quemadmodum & deorum. Quod hinc colligere conabatur, quoniam dij omnium domini sunt, communia autem amicorum. Qui bonus est, is Deo amicus est. Petes igitur tua. *Epistol.10. ad Metroclem.*

Alciphron: Misi tibi Psittam & Sandalium & Cestrea, & gallos gallinaceos triginta quinq;. Tu contra duos mihi remos remittas. quoniam mei contriti sunt & fracti. Remuneratio enim est quæ ab amicis ad amicos proficiscitur. Nam qui cõfidenter & audacter petit, planum facit, omnia apud amicos esse communia, dum quę sunt in amicorum potestate, se omnia putat habere. *Thalassius Pontio epistola 7.*

¶ ROMANORUM.

Calpurnius Flaccus: Priusquam fortiter faceret, postulavit; confisus id sollicito extorquere se posse populo, quod impetrare à victore non posset. *Controversia 29.pr.*

Idem paullo post: Aliter merces in timore promittitur, aliter honos in pace præstatur.

Plinius Iunior: Et admones & rogas, ut suscipiam absentis Corelliæ causam contra C. Cæcilium Consulem designatum. Quod admones, gratias ago: quod rogas, queror: admoneri n. debeo, ut sciam: rogari non debeo ut faciam, quod mihi non facere turpissimũ est. An ego tueri Corelli filiam dubitem? Est quidem mihi cum isto contra quem me advocas, non planè familiaritas, sed tamen amicitia. accedit huc dignitas hominis, atque hic ipse cui destinatus est honos; cujus nobis hoc maior agenda reverentia est, quod jam illo functi sumus. naturale est enim cuique ut ea quæ quis adeptus est, ipsa quam amplissima existimari velit: sed mihi cogitanti, adfuturum me Corelli filiæ, omnia ista frigida & inania videntur. obversatur oculis ille vir, quo neminem ætas nostra graviorem, sanctiorem, subtiliorem denique tulit. &c. *4. Epist.17.*

Symmachus: Tuas literas vicissim expecto, non exigo. Injurium quippe est magnopere, flagitare quod speres; ne quod est voluntarium videatur extortum. *Lib.1. epist.30.*

Symmachus: Cùm efflagito, ut in nostri diligentia perseveres, vereor ne me injurium putes, qui à te postulem quod sponte præstaturus es. *Lib.1. epist.35.f.*

Symmachus: Sanitatis vestræ & felicitatis indicio nil antiquius æstimamus: itaque animus noster vestris alloquiis erigendus. Verùm hoc pro insigni religione sponte facietis: atque ideo non est necesse voluntariis officiis aculeos exhortationis adhibere. *Lib.2. epist.26.*

Symmachus: Efficacior quibusdam videtur petitionis iteratio. Meo autem nomine quęso te, ne sic desiderium repetitum esse conjicias, tanquam me prius impetrasse diffidam. *Lib.2. epist.42.*

Symmachus: Superest, ut assiduum stili tui munus exposcerem. sed redundantis est operæ bona spontanea postulare: ne meus stilus expostulare videatur, quod tui animi spondet humanitas. *Libr.2. epist.88.f.*

Symmachus: Itero postulatum pro Sallustio amico meo, & ut ipse asseverasti, à te quoque in curam dudum recepto: non quod metuam ne fortè tutelam ejus oblivione destituas, cùm familiare sit cònstantiæ tuæ fideliter exsequi recepta mandata. Sed quia diligentiam meam fortuna amici sæpè sollicitat, & laborantibus commendatio una non sufficit; licet tenaciter memorem, rursus admoneo. Præstabit beneficij tui celeritas ne sit mihi necesse idem sæpius facere. *Lib.3. epist.31.*

Symmachus: Mos & ratio flagitavit, ut mansurus domi veniam de augustissimo Principe imperati mihi itineris postularem. Excusationis causam litteris indicavi, quas favor tuus molli aditu & blanda recitatione commendet. Nihil enim meorum sine boni cujusque auxilio placeret. *Lib.3. epist.85.*

Symmachus: Primis petitionibus nostris multum ponderis addit iteratio. *Lib.5. epist.59.*

Symmachus: Quum res inceptu honesta, effectu facilis postuletur, quæso ut in promovendo negotio adhibeatis industriam. *Lib.6. epistol.3.f.*

Symmachus: Verecundiam creant inefficaciter postulata. *Lib.6. epist.53. m.*

Symmachus: Amicitiæ nostræ contemplatio spem mihi adventus tui fecerat. Prope est, ut errasse me credam, qui te speravi in cõspectum parentis sponte venturum. Quando igitur sine ambitu nostro rectè facere nescis, oratus appropera. *Lib.7. epist.15.*

Symmachus: Ea inter amicos petitionum debet esse conditio, ut præstantibus prona videantur quæ sunt magna poscentibus. *Lib.7. epist.26.*

Symmachus: Penè injuriam facit benignitati, qui anxiè petit quod præstantis natura sponte promittit. *Lib.7. epist. 62.f.*

Symmachus: Huic postulato non opus est immorari. neq; enim petitio mea debet elicere, quod tua promittit benignitas. *Libro 7. epist.97.*

Symmachus: De juvene meo retexere non laboro quæ sponte meministi. Intelligo enim remitti modestiæ tuæ precandi necessitatem, cùm libentius à sublimi & magnificentissimo viro non exspectata præstentur. *Lib.7. epist. 122.f.*

Symmachus: Subjungerem curam meorum, si esset alius alloquendus: sed cùm facias ultrò quæ meus sermo potis est expetere, partes commendationis omitto: quia quidquid ex fiducia amicitiæ præsumitur, plus habet gratiæ si sponte præstetur. *Lib.8. epist. 67.f.*

Symmachus: Exambirem super his nimio precatu gratiam tuam; sed apud verecundas aures simplicitas efficacior est, & libentiùs pudor annuit, quod cum fiducia postulatur. Velim tamen teneas nũc quidem in petendo esse me parcum, sed fore in agendis post impetrationem gratiis copiosum. *Lib.9. epist.23.m.*

POETARUM.

Terent. Andriæ 3.sc.3.

Alium esse censes nunc me, atq; olim cùm dabam?
Si in rem utriq; est, ut fiant, arcessi jube;
Sed si ex ea re plus mali est quam commodi
Vtrique; id oro te, in commune ut consulas,
Quasi illa tua sit, Pamphiliq; ego sim pater.
S. Imò ita volo, itaq; postulo ut fiat Chreme:
Neque postulem abs te, nisi ipsa res moneat.

Idem ibidem 5.sc.1. principio.

Satin' jam satis Simo spectata erga te amicitia est mea?
Satin pericli capi adire? orandi jam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, penè illusi vitam filiæ.
S. Imo enim quam maximè abs te oro atq; postulo Chreme,
Vt beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.
CH. Vide, quam iniquus sis præ studio, dum efficias id quod cupis:
Neq; modum benignitatis, neq; quid me ores cogitas.
Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.

PETITIONIS HONESTÆ, ET INHONESTAE.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Maria Salome: Fit ut qui Honesta, sibique convenientia, ab eo qui concedere ea potest, postulat: si non semper impetret, ejusdem tamen gratiam & favorem obtineat. qui verò Inhonesta, aut minùs sibi decentia efflagitat, ea impetret aliquando in suam perniciem: vel pudore suffusus, repulsam patiatur. Ut autem à fæminis, quarum intemperata cupiditas, exordiamur: Mater Filiorum Zebedæi, audita mortuorum resurrectione, & regno Christi, venit ad eum cum filiis adorans & petens: *Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dextram tuam, & unus ad sinistram, in regno tuo.* Qui insulsam mulieris petitionem retundens, *Nescitis*, ajebat, *quid petatis.* Verum esse significans, quòd

Non sit è terris mollis ad astra via.

Matth. cap.20. Marc.10.

Herodias Herodis neptis. Quid verò lasciva hæc pellex, quo intemperantiæ suæ carnisque libidini satisfaceret, petiit aut desideravit? Ardebat desiderio Herodis regis avunculi sui: at unum timebat Ioannem Baptistam, huic incestui obsistentem. Et ecce natali Herodis, dum mero ipse incaluisset, eamque choreas leviter ducentem aspexisset, placuissetque, ei quidvis petendi fecit potestatem, eamque juramento confirmavit. Quæ nil cunctata, ex matris consilio, *Volo*, inquit, *ut protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Ita impiorum stultitia, justorum persæpè ruina est. Quinimò, teste Juvenale Satyr.10.

Evertere domos totas, optantibus ipsis,
Di faciles. Nocitura toga, nocitura petuntur
Militia.

Marci cap.6.

Fredericus Cæsar. Æquè facetus ille. Cùm plura importunè peteret ab eo Ioan. Sirck Episcop. Trevirensis, vir industrius: dicebat; *Si finem petendi non feceris, ego certè negandi facilè inveniam.* Quod meritò illis dici & potest, & debet, quibus insatiabilis est quidvis consequendi cupiditas. *Æn. Syl. lib.2. de Gest. Alph.*

SS. Apostoli Christi. Ad honesta petentes transitum facimus. Digressi cum Iesu in montem Petrus, Jacobus, & Joannes, visa ejusdem divinâ transfiguratione & majestate, attoniti dicebant: *Domine bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula; tibi unum, Moysi unum, Eliæ unum.* Ubinam locorum enim decentiùs optabiliúsve remanere poterant, quàm in tam sancto celebrique consortio? quid verò ardentiùs desiderare, quàm eius gloriæ fieri participes, cujus scintillam jam viderant? *Matth. cap.17.*

S. Athanasius. Revocatus ab exilio, rogabatur à Constantino, unicam Arrianis in sua civitate Ecclesiam concederet. cui ille: *Libens id fecero Imperator: sed æquum est mihi tantundem concedi Antiochiæ, ut unicam Catholicis Ecclesiam largiaris.* Theod. lib.2. hist.c.12.

Otho Magnus Imp. Othoni Cæsari hîc etiam locum demus. qui postulanti Comiti sibi daret monasterium Larissense; *Veluti*, ait, *non decet margaritas canibus objicere: ita neq; Imperatori, profano homini, ea quæ Deo semel dicata, in profanum usum elargiri.* & ita Comitem, importunè petentem, dimisit. *Hedio in Chron. German.*

Regis Angliæ fil. Vide Responsum præceps.

Alphonsus Rex Arag. Illustrat etiam priores suo splendore Alphonsus: qui dicenti cuidam, decere Principem non ea tantùm quæ verbis promisit, præstare, sed & ea quæ nutu affirmavit; respondit: *Rectè tu quidem: sed decet etiam petentes ea postulare, quæ justa sunt & honesta: sin minùs, satius est promissis non stare, quam peccare in leges justitiæ.* Panorm. lib. 3. de Gestis eiusdem.

petulantiæ.

❡ Monosticha Trochaica.

In malum evadit supremum effrenis petulantia.
Pessima est res absque freni dentibus petulantia.
Vltima est petulantia quæ sese exerit quoniam licet.

❡ Jambica.

A saturitate nascitur petulantia.
Etiam suas aras habet Petulantia.
Petulantia est mage adolescentum quàm senum.
Petulantiæ inflammatrix indulgentia est.
Petulantiæ saturitas propior est parens.
Petulantiæ signum, coronam carpere.
Vt pareas domere, non ut servias.

philautiæ.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Io. Chrysostomus:* Qui seipsum amat, ille inprimis est, qui se non amâsse convincitur. qui verò diligit fratrem, hic maximè seipsum amat. Videatur *Proximus.*

D. Chrysostomus: Non ad accusationes, sed ad beneficia conferenda nos convertamus; non aliorum mala curiose scrutemur; sed nostramet recogitemus: aliorum benefacta cogitemus, de nostris autem peccatis recogitemus, atque ita placebimus Deo. Nam qui aliorum quidem peccata videt, & sua recta facta, duplex damnum reportat: quatenus enim hæc, in arrogantiam tollitur; quatenus illa, in negligentiam incidit. Dum enim cogitabit illum atque illum peccasse, facile & ipse peccabit: dum cogitabit se bene officio functum, facile superbia efferetur. At qui sua quidem recta facta oblivioni mandat, sola autem peccata spectat, aliorum vero non peccata, sed virtuti consentaneas actiones studiose scrutatur, multis modis lucrum facit: quomodo? audi. Nam quum illum vel illum recte se gessisse viderit, æmulatione ad imitandum, seque illis æquandum, provocabitur: quum se peccasse animadverterit, demittet animum, ac modestam tuebitur. *Cap. 10.*

❡ Latinorum.

Salvianus: Quid miramur si peccantes nos Deus verberat, cùm ipsi peccantes servulos verberemus? Injusti judices sumus: homunculos nos flagellari à Deo nolumus, cùm ipsi conditionis nostræ homines flagellemus. Sed nec miror quod tam iniqui in hac re sumus. natura in nobis & nequitia servilis est: volumus delinquere, & nolumus verberari. ipsi in nobis mores sunt, qui in servulis nostris: omnes volumus impunè peccare. denique si mentior, cunctos consulo. Nego ullum esse quamlibet magni criminis reum, qui se acquiescat deberi torqueri. hinc ergo cognosci potest, quam iniqui & pravi simus. aliis severissimi sumus, nobis indulgentissimi, aliis asperi, nobis remissi. Intolerabilis prorsus & contumaciæ & præsumptionis: nec agnoscere volumus in nobis reatum, & audemus de aliis usurpare judicium. Quid esse injustius nobis aut perversius potest? id ipsum scelus in nobis probabile esse dicimus, quod in aliis severissimè vindicamus. *Libro 4. de gubernatione Dei.*

❡ ORATORVM ROMANORVM.

Quintilianus: Est quidem humanæ infirmitatis ista natura, ut ex omnibus accidentibus, gravissimum putet, quisque quod patitur: & cùm aliena cogitationibus, nostra dolore tractentur; necesse est apud impatientiam suam vel minora prævaleant. *Declamatione 5. §. 17.*

Quintilianus: In hac asperrima conditione fragilitatis humanæ, in qua nemo propè mortalium impunè vivit, hæc omnibus natura est, ut sua cuique calamitas præcipuè misera atque intoleranda videatur. *Declam. 6. ipso principio.*

Ausonius: Nævos & cicatrices nostras amamus; nec soli nostro vitio peccasse contenti, affectamus ut amentur. *Præfatione Edyll. quinti.*

❡ Apologorum.

Phædrus Fab. 66. Vulpis & Capræ.

Homo simul venit magnum in periculum,
Effugium reperire alterius quærit malo.
Cum decidisset Vulpis in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine,
Devenit Hircus sitiens in eundem locum:
Simul rogavit, esset an dulcis liquor
Et copiosus: illa fraudem moliens:
Descende, amice, tanta bonitas est aquæ,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Immisit se barbatus. tum vulpicula
Evasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumque clauso liquit hærentem vado.

Phædrus Fab. 68.

Peras imposuit Iupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus:
Alij simul delinquunt censores sumus.

Phædrus Fabula 88.

Vbi vanus animus aura captus frivola
Abripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta levitas ducitur.
Princeps Tibicen notior paulò fuit.
Operam Bathyllo solitus in scæna dare.
Is forte ludis, non satis memini quibus,
Dum pecma rapitur, concidit casu gravi
Nec opinans, & sinistram fregit tibiam
Duas cum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus & multum gemens
Domum refertur. aliquot menses transeunt
Ad sanitatem dum venit curatio,
Vt spectatorum mos est, & lepidum genus
Desiderari cœpit, cuius flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobilis
*Et incipiebat princeps abduci reum **
** Ingredi a se reducit pretio, precibus, ut*
** Tantummodo ipso ludorum ostenderet sese die.*
Qui simul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum,
Quidam in conspectum proditurum sine mora.
Aulæo misso, devolutis tonitrubus,
Dij sunt locuti more translaticio.
Tunc chorus ignotum more ducto canticum
Imposuit, cuius hæc fuit sententia:

LÆTARE INCOLUMIS ROMA SALVO PRINCIPE.

In plausus consurrectum est, jactat basia
Tibicen, gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intelligit,
Magnoque risu canticum repeti jubet.
Iteratur illud. homo meus se in pulpito
Totum prosternit, plaudit in ludens eques.
Rogare populus hunc coronam existimat.
Vt vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps ligato crure nivea fascia,
Niveisque tunicis, niveis etiam calceis.
Superbiens honore divina domus,
Ab universis capite est protrusus foras.

De Viro, qui experiri voluit mentem uxoris. Fab. 123.

Vir quidam callidus experiri cupiens animum uxoris, quæ sæpenumero dicere solebat, adeò viri amorem sibi infixum, quod si optio daretur, mariti vitam sua morte redimeret, super nudos utriusque pedes stuppam igne succensam decidere permisit. Tunc mulier dolore affecta, amoris oblita mariti, à suis tantum pedibus ardentem stuppam excussit.

Fabula viros admonet, ne mulieribus fidem adhibeant, quum maritos magis, quàm seipsas amare testantur. Laur. Abstemius.

Videantur plura titulo *Amoris sui.*

philosophi & philosophiæ.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

C*lemens Alexandrinus:* Atque erat quidem ante Domini adventum Philosophia Græcis necessaria ad justitiam: nunc autem est utilis ad Dei cultum & pietatem ijs qui fidem colligunt per demonstrationem. Quoniam pes, inquit, tuus non offenderit, si quæ bona sunt ad Dei providentiam referas, sive Græca sint, sive nostra. Omnium enim bonorum Deus est causa: sed aliorum quidé principaliter, ut testamenti veteris & novi: aliorum autem per consequétiam, sicut Philosophiæ. Forte autem principaliter tunc etiam Græcis data fuit, priusquam Dominus Græcos quoq; vocasset. Nã ipsa quoq; Græcos Pædagogi more docebat, sicut lex Hebræos ad Christum. Præparat ergo Philosophia, ei viam muniens qui à Christo perficitur. Iam sapientiam, inquit Solomon, vallo circunda, & te exaltabit, corona autem voluptatis te proteget. Nam cum tu eã per Philosophiam & multam rectam eruditionem lorica munieris, Sophistis inaccessam servaveris. Atque est quidem una via veritatis, sed in eam tanquam in fluuium perennem alia aliunde fluenta influunt.

Divine

Divine ergo dictum eſt: Audi fili mi, & mea verba ſuſcipe, ut ſint tibi multæ viæ vitæ: vias enim ſapientiæ doceo te, nec te deficiant fontes qui ex ipſa terra ſcaturiunt. Quo quidem in loco unius cujuſdam iuſti vias plures ſalutares recenſuit. Infert autem alias multorum multas juſtorum vias, hoc modo id indicans: Viæ autem juſtorum ſplendent ſicut lux. Fuerint autem mandata quoque, & quę prius audiuntur diſciplinæ, viæ & adminicula vitæ. Hieruſalem, Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina cõgregat pullos ſuos. Hieruſalem autem exponitur viſio pacis. Significat ergo prophetice, eos qui pacifice res ſacras inſpexerint, ad vocationem multis modis inſtitui. Quid ergo? voluit quidem, non autem potuit? Quot autem modis? aut ubi? Bis. per Prophetas, & adventum. Multiplicem ergo ſapientiam oſtendit dictio Quoties: & unoquoque modo qualitatis & quantitatis, omnino ſervat aliquos & in tempore & in ſeculo: Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terræ.

Quod ſi quis vim afferens, dicat: Ne animum adhibe mulieri malæ, mel enim diſtillat à labijs mulieris meretricis, Græcam eſſe dicens eruditionem, audiat quæ deinceps ſequuntur: Quæ ad tẽpus ungit guttur ſuum. Philoſophia autem non adulatur: quamnam ergo ſignificat, eam quæ fornicata eſt? dilucidè infert: Stultitiæ enim pedes deducunt eos qui ea utuntur poſt mortem ad inferos: ejus autem veſtigia minime ſtabilia. Fac ergo vt via tua longe abſit à ſtulta voluptate. Ne ſteteris ad fores domus eius, ut non tradat aliis vitam tuam. Et proteſtatur. Deinde te pœnitebit in ſenectute, quando contritæ fuerint carnes tui corporis. Hic eſt enim finis ſtultæ voluptatis. Et hæc quidem ita ſe habent. Cum autem dixerit: Ne ſis multum apud alienam, uti quidem, ſed non immorari & permanere in doctrina ſeculari admonet. Verbo enim Domini præparant, ac prius inſtituunt, quæ temporibus convenientibus unicuique generationi utiliter data ſunt. Iam enim quidam ancillarum ineſcati philtris, contempſerunt dominam Philoſophiam, & ex ipſis alij quidem conſenuerunt in Muſica, alij verò in Geometria, alii autem in Rhetorica. Sed quemadmodum liberales, quas vocant ἐγκυκλίυς, hoc eſt circulares, diſciplinæ, conferunt ad Philoſophiam quæ eſt ipſorum domina: ita etiam ipſa Philoſophia ad parandam conducit ſapientiam. Eſt enim Philoſophia quidem exercitatio, Sapientia vero rerum divinarum & humanarum, & cauſarum ipſarum ſcientia. Eſt enim ſapientia domina Philoſophiæ, ſicut illa illius quæ præcedit diſciplinæ. Si enim Philoſophia profitetur continentiam & linguæ & ventris, & eorum quę ſunt ſub ventrem, & eſt propter ſe eligenda: multo videbitur venerabilior & præſtantior, ſi exerceatur propter Dei honorem & cognitionem.

Eorum autem quæ dicta ſunt, per hæc præbebit ſcriptura teſtimonium. Sara erat olim ſterilis, Abrahæ uxor: cum autem non pareret, Sara, ancillam ſuam nomine Agar Ægyptiam permittit Abrahæ ad liberorum ſuſceptionem. Sapientia ergo quæ cum fideli cohabitat (fidelis autem & iuſtus reputatus eſt Abraham) erat adhuc ſterilis & ſine liberis in illa generatione, ut quæ nihil adhuc Abrahæ quod eſſet ex virtute peperiſſet. Merito autem volebat, ut qui proficiendi adhuc tempus haberet, cum mundi ſeu ſeculi diſciplina (per Ægyptum autem allegoricè ſignificatur mundus) prius congrederetur, poſtea autem ad eam quoque accedens divina providentia gigneret Iſaac. Interpretatur autem Philo Agar quidem incolatum: hic enim dictum eſt, Ne multum ſis apud alienam: Saram autem, meum principatum. Licet ergo ei qui diſciplinis prius eſt inſtitutus, venire ad ſapientiam, quæ vel maximè principatum obtinet, à qua augetur genus Iſraeliticum. Ex quibus oſtenditur ſapientiam eſſe docendi poteſtate præditam ad quam pervenit Abraham, ex contemplatione cœleſtium tranſiens ad eam quæ ex Deo eſt fidem & juſtitiam. Per Iſaac autem id quod per ſe didicit indicatur. Quare etiam Chriſti typus invenitur. Is fuit vir unius uxoris, nempe Rebeccæ, quam transferunt tolerantiam. Dicitur autem Iacob congredi cum pluribus, ut qui exponatur exercitator. Fiunt autem exercitationes per plura & differentia dogmata. Vnde hic etiam nominatur Iſrael, qui revera eſt vi perſpiciendi præditus, ut qui ſit multarum rerum peritus, & ad exercendum accommodatus.

Fuerit etiam aliquid aliud quod ſignificatur per tres illos priores patres, nempe eſſe firmum ac validum cognitionis ſignaculum, quod conſtat ex natura, & doctrina, & exercitatione. Habueris autem etiam aliam eorum quæ dicta ſunt ſimilitudinem, Thamar quæ ſedit in trivio, & viſa eſt eſſe meretrix, quam ſtudioſus Iudas (exponitur autem potens, qui nihil relinquit quod non conſideret ac ſcrutetur) conſideravit, & ad eam declinavit, ſervans eam quam habuit in Deum confeſſionem. Vnde etiam Abraham, cum Sara æmularetur Agar, quæ erat in majori quam ipſa exiſtimatione, ut qui ſecularis Philoſophiæ ſolum id quod eſt utile elegiſſet, Ecce, inquit, ancilla in manibus tuis, utere ea ut lubet. Quaſi diceret: Secularem quidem amplector doctrinam, & ut juniorem, & ut cõſeruam: ſcientiam autem tuam, ut perfectam dominam, honoro & colo. Et afflixit eam Sara, quod perinde eſt ac correxit & admonuit. Rectè itaque dictum eſt: Noli negligere diſciplinam Domini, neque defatigeris cum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Ac prædictæ quidem ſcripturæ in aliis locis examinatæ, alia myſteria adeſſe ſignificant. Hinc ergo dicimus Philoſophiam nuda ratione habere inquiſitionem veritatis & naturæ eorum quæ ſunt. Hæc autem eſt veritas de qua ipſe dixit Dominus, Ego ſum veritas. Et rurſus, Diſciplinam quæ præcedit eam quæ eſt in Chriſto quietem, exercere mentem & excitare intelligentiam, generando ingenii acumen aptum ad inquirendum per veram Philoſophiam, quam inventam vel potius acceptam Myſtæ habent ab ipſa veritate. Multum autem confert promptitudo, ad videndum ea quæ oportet per exercitationem: mentis autem fuerint exercitatio ea, quæ mente poſſunt percipi. Triplex autem eorum natura, quæ in quantis continuis, & quantis diſcretis, & ijs quæ ſunt dicenda, conſideratur. Quæ enim ex demonſtrationibus conficitur oratio, perfectam animæ fidem facit ejus quod conſequitur, ut non putet id quod demõſtratum eſt aliter ſe habere: nec ſinit ut iis ſuccumbat quæ nobis per fraudem incurrunt. In his ergo diſciplinis à ſenſilibus expurgatur & excitatur anima, ut poſſit veritatem perſpicere. Educatio enim, & bona quæ ſervatur eruditio, bonas efficit naturas: & bonæ naturæ talem ſuſcipientes diſciplinam, fiunt adhuc prioribus meliores, cũ ad alia, tum ad gignendum, quemadmodum in alijs animalibus. Vnde etiam dicit: Vade ad formicam ô piger, & efficere illa ſapientior, quæ multum & omnis generis nutrimentum recondit tempore meſſis adverſus minas hyemis. aut: Vade ad apem, & diſce eam eſſe opificem. Ipſa enim omne pratum depaſcens, unum favum generat. Si autem oras in cella penuaria, ſicut docuit Dominus adorare ſpiritu, non utique in ſola domo verſabitur œconomia, ſed etiam in anima, quænam ſint ei tribuenda, & quemadmodum, & quantum, & quænam ſint reponenda, & in ipſam recondenda, & quando ea afferenda, & apud quos. Non enim natura, ſed diſciplina viri boni & honeſti fiunt, quemadmodum medici & gubernatores. Omnes itaque communiter videmus vitem & equum, ſed ſciet quidem Agricola, vitiſne ad ferendum fructum bona ſit an mala: & qui equorum habet cognitionem, facile diſcernit ignavum vel celerem.

Alios autem eſſe aliis natura ad virtutem aptiores, oſtendunt quidem quædam ſtudia eorum qui ſunt aliis natura aptiores: nullam autem ex virtute perfectionem arguunt eorum qui ſunt meliori natura, cum etiam qui natura minime apti ſunt ad virtutem, eam quam par eſt aſſecuti diſciplinam, vel ad omne genus probitatis & honeſtatis pervenerint: & contrà, qui natura apti erant ad virtutem, evaſerint mali negligentia & incuria. Nos rurſus natura ad ſocietatem & communicationem aptos juſtosque Deus fabricatus eſt. Vnde nec juſtum ex ſola conſtitutione oriri dicendum eſt: ex præcepto autem bonum opificij excitari intelligendum eſt, cum ex diſciplina didicerit anima velle bonum eligere.

Sed quemadmodum vel ſine literis fidelem poſſe eſſe dicimus, ita quæ in fide dicuntur poſſe intelligere eum qui non didicit confitemur. Quæ enim bene dicuntur admittere, aliena autem non admittere, non ſola fides, ſed quæ circa diſciplinam verſatur, fides efficit. Quod ſi ignorantia, imperitia, ſimul & inſcitia, rerum divinarum & humanarum ſcientiam æque affert ac doctrina: at quẽadmodum in vitæ paupertate licet rectè vivere, ita etiam licet in abundantia, & facilius ſimul & celerius cum præcedentibus diſciplinis liberalibus poſſe aliquem virtutem venari confitemur, quæ tamen non eſt ejuſmodi ut ſine iis capi non poſſit; ſed tunc quoq; ab ijs qui didicerunt, & ſenſus habent exercitatos. Odium enim, inquit Salomon, excitat contentio. Vias autem vitæ cuſtodit diſciplina, ut non decipiamur, neque circumveniamur ab iis qui ad auditorum perniciem improbam artem exercuerunt. Diſciplina vagatur, inquit, inconfutabilis. Oportet autem arguendi & refellẽdi genus perſequi, ut Sophiſtarum fallaces repellantur opiniones. Rectè profectò ac divinè Anaxarchus ſcribit in libro de Regno: Multa ac varia doctrina multum quidem juvat, multum autem lædit eum qui eam poſſidet. Iuvat quidem eum qui dignus eſt, lædit autem eum qui quidvis dicit vel in univerſo populo. Oportet autem ſcire menſuram temporis. Hic eſt autem finis ſapientiæ. Quicunq; autem canunt pro foribus, etia nſi quid doctum cecinerint, non reputati ſapientes opinionem ſubeunt ſtultitiæ. Et Heſiodus:

Muſarum, reddunt hominem quæ multa loquentem
Divinum, vocalem.

In verbis enim copioſum dicit multa loquentem, acrem autem ac vehementem, vocalem, & divinum, eum qui eſt peritus, & Philoſophus, & ſciens veritatis.

Apparet itaque priores illas liberales Græcorum diſciplinas una cum ipſa Philoſophia venire divinitus ad homines, non principaliter, ſed quemadmodum imbres erumpunt in terram bonam, & in fimum, & ſuper domos. Similiter autem germinat & herba & frumentum, & naſcitur etiam ficus in monimentis, & ſi qua eſt arbor impudentior. Et quæ naſcuntur, in ſpecie, ſupra ea quæ vera ſunt emergunt, quoniam eandem pluviæ vim aſſequuntur, ſed non eãdem habent gratiam quam ea quæ in ſolo pingui nata ſunt, ut quæ vel arefacta vel evulſa fuerint. Porrò autem hic quoque eſt utilis parabola ſementis, quam Dominus eſt interpretatus. Vnus enim eſt agricola terræ quæ eſt in hominibus, qui ex alto ſeminat à conſtitutione mundi alentia ſemina, qui unoquoque tempore verbum principale impluit, tempora autem & loca quæ ſuſceperunt, genuere differentiam. Et alioqui agricola non ſolum frumentum, etſi quoque plures differentiæ, ſed etiam alia ſemina ſeminat, hordeum, fabas, piſa, cicer, & ſemina quæ olera in hortis producunt

& flores. Ejuſdem eſt autem agriculturæ, & plantandi officium, & operandi, quæcunque pertinent ad ipſa plantaria, hortos, & pomaria, & in ſumma, ad omnes generis arbores producendas & alendas. Similiter autem non ſola ars paſcendarum ovium, ſed & boum equorumque & canum alendorum & curandarũ apum artes omnes, & ut ſemel dicam, quæ in curandis gregibus animalibuſque nutriẽdis verſantur, inter ſe quidem quod ad magis & minus differunt: ſed ſunt omnes vitæ utiles. Philoſophiam autem non dico Stoicam, nec Platonicam, aũt Epicuream, & Ariſtotelicam, ſed quæcunque ab his ſectis recte dicta ſunt, quæ docent juſtitiam cum pia ſcientia, hoc totum ſelectum, dico Philoſophiam: quæcunque autem ex humanis amputata cogitationibus adulterarunt, ea nunquam divina dixerim. *lib. 1. Stromatum.*

Paullo poſt. Ars autem Sophiſtica, quam ſectati ſunt Græci tanquam rem præclaram & magnifaciendam, eſt poteſtas phantaſtica, ſeu quæ imaginatione percipitur, verbis falſas opiniones tanquam veras ingenerans. Præbet enim ad perſuadendum quidem dicendi artem, ad contentendum verò, litigandi ac decertandi. Artes ergo, ſi cum Philoſophia non conjunctæ fuerint, cuilibet exitiales erunt. Apertè itaque Plato malam artem appellavit Sophiſticam, & eum ſequens Ariſtoteles, eam quandam decipiendi artem pronunciat, ut quæ totum ſapientiæ officium probabiliter aufferat, & profiteatur ſapientiam, in qua non eſt verſata, nec in ea ſtudium poſuit. Vt paucis autem dicam: quemadmodum artis quidem dicendi principium eſt id quod eſt probabile: officium vero, argumentum: & finis, perſuaſio: ita artis concertandi principium eſt, id quod opinamur: officium verò, contentio: & finis, victoria. Eodem enim modo Sophiſticæ quoque artis principium quidem eſt id quod apparet, officium verò duplex, unum quidem ex arte dicẽdi, quod perpetua oratione rem perſequitur: alterum vero ex Dialectica, interrogans: eius vero finis eſt obſtupefactio & deductio ad admirationem. Et quæ rurſus in ſcholis vulgo jactatur Dialectica, Philoſophi exercitatio in eo quod eſt opinabile, contradicendi facultatis gratia.

Merito ergo egregius Apoſtolus ſupervacaneas has & quæ in vocibus conſiſtunt artes vilipendens: Si quis non accedit, inquit, ad ſanos ſermones, doctrina autem aliqua eſt inflatus, nihil ſciens, ſed laborans circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus fit lis, invidia, maledictum, ſuſpiciones malæ, concertationes hominum mente corruptorum, & privatorum veritate. Vides quomodo in eos invectus ſit, Logicam, id eſt, quæ in ſermone verſatur, eorum artem morbum appellans, propter quam ſe efferunt, & magnificè circumſpiciunt quibus cordi eſt hæc ars garrula & improba, ſive ſint Græci, ſive etiam barbari Sophiſtæ. Pulcherrimè ergo dicit Tragicus Euripides in Phœniſſis:

Iniqua vero oratio
In ſe agra, pharmacis eget ſapientibus.

Sanus enim dictus eſt ſermo ſalutaris, cum ipſe ſit veritas: & id quod ſanum eſt ſemper, manet immortale. Quæ eſt autem ab eo quod eſt ſanum & divinum ſeparatio, eſt impietas & letalis affectio. Hi ſunt lupi rapaces tecti pellibus ovium, plagiarii, & diſerti animarum abigei. qui clam quidem furantur: ſed fures eſſe convincũtur, qui & dolo & vi nos conantur ſuperare, qui non delectamur ſupervacaneis, ut pote quod minus eis in dicendo valeamus.

Vir impeditus ſæpe lingua infantia,
Cum juſta dixit, at diſerto habet minus.
Nunc flumine oris, vera quæ ſunt occulunt,
Ne veritas appareat, cum ſit tamen,

inquit Tragœdia. Tales autem ſunt litigioſi iſti, ſive ſectas ſectentur, ſive artes neſcio quas exerceãt dialecticas. Iſti ſunt qui funiculos trahunt, inquit Scriptura, & nihil texunt, inanem laborem plurimi facientes, quem impoſturam & aſtutiam ipſe vocavit Apoſtolus, aptam ad erroris inſidias. Sunt enim, inquit, multi obedientes, vaniloqui, mentem decipientes. Non omnibus ergo dictum eſt, Vos eſtis ſal terræ. Sunt enim aliqui etiam ex iis qui verbum audiunt, marinis piſcibus ſimiles, qui cum ab ipſo ortu in ſalſo nutriantur, ſalibus tamen ad condiendum indigent. Ego itaque vel lubentiſſime admitto tragœdiam quæ dicit:

O Nate, ſermo commode dictus, poteſt
Quoque eſſe falſus, viceritque oratio.
Diſerta verum. nec potiſſima hac puto,
Sed recta naturamque. at eloquentia,
Quanquam erudita, non placet, verum placet
Res ipſa, pulchris præferenda vocibus.

Multis ergo placere minimè eſt expetendum. Quæ enim ſunt illis jucunda, nos non exercemus. Quæ nos autem ſcimus, procul ſunt ab illorum affectione. Ne ſimus, inquit Apoſtolus, inanis gloriæ cupidi, nos invicem provocantes, invicem invidentes. Sic itaque veri amator Plato, veluti à Deo incitatus dicit: Ego, inquit, ſum ejuſmodi ut nulli alii credam niſi rationi, quæ mihi conſideranti optima viſa fuerit. Eos ergo reprehendit qui abſque mente & ſcientia credunt opinionibus. vt pote quod non oporteat relicta recta & ſana ratione, ei credere quæ eſt falſi particeps. A veritate enim aberraſſe malum eſt. Vera autem dicere, & ea quæ ſunt opinari, bonum. Bonis autem inviti quidem privantur homines: privantur tamen, vel circumventi, vel præſtigiis decepti, vel coacti, & cum non crediderint. Atque qui credidit quidem, ſua ſponte capitur: circumvenitur autem qui in contrariam perſuaſionem traducitur, oblitus quod alia quidem tempus, alia vero ratio aufert imprudenti. Cogit autem ſæpe dolor, & angor, & rurſus contentio, & ira, poſtquam ſuſcepta fuerit opinio. Poſtremo autem præſtigiis decipiuntur, qui vel à voluptate ſunt inducti, vel timore perterriti. Sunt autem mutationes omnes voluntariæ. Atque nihil quidem eorum unquam acceperit ſcientia. Nonnulli autem qui ſe putant eſſe ingenioſos, nec Philoſophiam attingere volunt, nec Dialecticam, ſed nec contemplationem diſcere naturalem, ſed ſolam & nudam fidem requirunt, perinde ac ſi cum nullam vitis curam geſſerint, velint ab initio ſtatim botros accipere. Dicitur autem Dominus vitis allegoricè, à quo cum diligentia, & agri colendi arte, quæ fit ratione ac ſermone, fructus eſt vindemiãdus. Putare oportet, fodere, ligare, & reliqua facere. Falce, ut ſentio, & ligone, & aliis ruſticis inſtrumentis ad vitis curam opus eſt, ut nobis fructum producat eſculentum. Quemadmodum autem in agricultura, ita etiam in medicina, ille utiliter didicit, qui varias attigit diſciplinas, ut poſſit melius colere & curare. Ita hic etiam eum bene & utiliter eruditum exiſtimo, qui omnia refert ad veritatem, adeo ut ex Geometria & Muſica & ex Grammatica & ipſa Philoſophia colligens quod eſt utile, nullis inſidiis interceptam ſervet fidem.

Porro autem athleta, ut prius dictum eſt, contemnitur, qui ſe non prius inſtruxit ad certamen. Iam vero gubernatorem quoque laudamus qui multarum rerum experientiam, qui urbes multorum vidit hominum, & medicum qui multa eſt expertus, qua ratione effingunt quadam etiam empiricum. Qui autem ſingula refert ad rectam vitam, exempla afferens ex Græcis & ex barbaris, is valde peritus veritatis inveſtigator, & multi revera conſilii inſtar lapidis Indici (is eſt autem Lydius) creditur poſſe diſcernere aurum adulterinum à probo, & aptus eſſe ad ſeparandum is qui ex nobis habet multam rerum experientiam & cognitionem, Sophiſticam quidẽ à Philoſophia, ornatricem autem à gymnaſtica, & culinariam à medicina, & dicendi artem à Dialectica, quinetiam alias hæreſes quæ ſunt in barbara Philoſophia ab ipſa veritate. Quomodo autem non neceſſe eſt ut de ijs quæ intelligentia percipiuntur, tractet philoſophando, qui Dei velit potentiam attingere? Quomodo autem non eſt etiam utile dividere voces quæ ſunt ancipites, & quæ in teſtamentis efferuntur æquivoce? Ex amphibolia enim Dominus ſapienter eludit diabolum in tempore tentationis. Nec ego hic utique video, quonam modo Philoſophiæ & Dialecticæ inventor, ut quidam exiſtimant, inducitur deceptus tropo amphiboliæ. Si autem Prophetæ & Apoſtoli artes non norant, per quas oſtẽduntur exercitationes quæ ſunt in Philoſophia: at mens prophetici & docentis ſpiritus occultè loquens, propterea quod non ſint aures omnium intelligentes, artificioſas doctrinas exigit ad explicationem. Secure enim noverant illarum ſenſum Prophetæ & ſpiritus diſcipuli. Ex fide enim, & quam dici non poteſt facile, dixit ſpiritus, ſed non tam facile percipere poſſunt ij qui non didicerunt. *lib. 1. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Philoſophiæ tam barbaræ quam Græcæ hæreſes, unaquæque id quod ſortita eſt, tanquam totam iactat veritatem. Lucis autem, ut opinor, exortu omnia illuminantur. Vniverſi ergo Græci ac barbari quicunque veritatem deſiderarunt, alii quidem non paucas, alii vero partem aliquam, ſi modo ullam, veritatis Verbi habere oſtendi poſſunt. Atque ſęculum quidem, temporis futurum & præſens, quinetiam præteritum, inſtar momenti conſtituunt. Sed multo eſt potentior ſęculi veritas ad propria colligenda ſemina, etiamſi in terram alienam ceciderint. Permulti enim invenimus ex his quæ opinione recepta ſunt, apud hęreſes, quæ non ſunt omnino abſurdę, nec exciſam habent naturalẽ conſequentiam, ut quæ tanquam gunęcea Chriſtum viri inſtar exciderint, etiam ſi certum ſit & extra controverſiam eas eſſe diſſimiles genere & tota veritate. Aut enim ut membrum, aut ut ſpecies, aut ut genus in unum colligitur. Iam enim hypate quoque cum ſit netæ contraria, eſt tamen una harmonia, & numerus par differt ab impari: in Arithmetica tamen ambo conveniunt, quemadmodum figura circulus, & triangulus, & quadratus, & quæcunque aliæ figuræ inter ſe differunt. Quinetiam in mundo univerſo partes omnes, etiam ſi inter ſe differant, ſervant eam quæ eſt cum toto cõjunctionem & convenientiam. Sic ergo & barbara & Græca Philoſophia æternæ veritatis avulſam quandam particulam, non è Bacchi mythologia, ſed ex verbi quod ſemper eſt Theologia, decerpſit. Qui autem diviſa rurſus compoſuerit, & perfectum verbum unum fecerit, ſcias futurum ut veritatem citra periculum contempletur. Scriptum eſt itaq; in Eccleſiaſte. Et adjeci ſapientiam ſuper omnes qui fuerunt ante me in Hieruſalem, & cor meum vidit multa, ſapientiam & cognitionem, parabolas & ſcientiam novi præterea. Et hoc quidem eſt prælectio ſpiritus, quoniam in multitudine ſapientiæ eſt multitudo cognitionis. Qui eſt autem omnigena multitudine ſapientię præditus, is proprie fuerit virtutem cognoſcendi aſſecutus. Jam vero ſcriptum eſt: Abundantia cognitionis ſapientiæ, vivificabit eum qui eſt ex ipſa. Et rurſus apertius confirmat ea quæ dicta ſunt hoc dictum: Sunt omnia in conſpectu eorum qui intelligunt. Omnia autem, ſunt Gręca & barbara. Alterutra autem non ſunt utique omnia. In conſpectu autem ſunt iis qui ſenſum volunt accipere. Eligite diſciplinam, & non argentum, & cognitionem ſuper aurum probatum. Eligite autem ſenſum quoque plus quam aurum purum: melior eſt enim ſapientia lapidibus precio-

preciosis. Quicquid autem est preciosum, non est precio cum ea conferendum. Dicunt autem Græci post Orpheum & Linum, & & poetas qui apud eos fuerunt antiquissimi, in admiratione fuisse habitos propter sapientiam, primos septem qui cognominati fuerunt sapientes, quorum quatuor quidem fuerunt ex Asia, Thales Milesius, & Bias Prieneus, & Pittacus Mitylenæus, & Cleobulus Lindius: duo autem ex Europa, Solon Atheniensis, & Chilo Lacedæmonius: septimum autem alii quidem dicunt esse Periandrum Corinthium, alij vero Anacharsim Scytham, alij vero Epimenidē Cretensem, quem Græcum Prophetam novit Paulus, cujus etiam meminit in epistola ad Titum sic dicens: Dixit quidam ex ipsis proprius Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Et testimonium hoc verum est. Vides quomodo etiam in Græcorum prophetis dat aliquid veritatis. Nec erubescit, & ad ædificationem, & ad aliquorum conversionem differens, uti Græcis poematibus. Itaque ad Corinthios (non enim hic solum) differens de resurrectione mortuorum, tragico iambo usus est, dicens: Quid mihi prodest si mortui non resurgunt? Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci, corrumpunt bonos mores colloquia prava. Alii autem Acusilaum Argivum in septem sapiētum numerum retulerunt: alii autem Pherecydem Syrum. Plato autem pro Periandro tanquam sapientia indigno, propterea quod fuerit tyrannus, ponit Mysonem Cheneum. Et quod longe quidē infra Mosis ætatem fuerint Græcorum sapientes, ostendetur paulo post.

Quod autem modus eius quæ fuit apud eos Philosophiæ, fuerit Hebraicus & ænigmaticus, jam considerandum est. Brevitatem itaque amplectebantur quæ est admonitoria, & quæ utilissima. Ipse enim Plato hunc modum dicit studiose ac diligenter fuisse consectatos, communiter quidem omnes Græcos, præcipue autem Lacedæmonios & Cretenses, qui optimis legibus utebantur. Atque illud quidem, Nosce teipsum, alij quidem existimarunt Chilonis: Chamæleo autem in libro de Dijs, Thaletis: Aristoteles autem Pythiæ. Potest autem id jubere persequi cognitionem. Nam sine substantia universorum non possunt nosci partes. Oportet autem ortum mundi diligenter inquirere, per quem poterit quoque disci natura hominis. Chiloni rursus Lacedæmonio tribuunt, Ne quid nimis. Strato autem in opere de inventis, asscribit hoc dictum Stratodemo Tegeatæ: Didymus autem id censet esse Solonis, sicut etiā Cleobuli, Modus optimus. Illud autem, Sponde noxa presto est, Cleomenes quidem in libro de Hesiodo, dicit prius fuisse dictū ab Homero his verbis, δειλαί τοι δειλῶν τε καὶ ἐγγύαι ἐγγυάασθαι. Aristotelici autem existimant id fuisse Chilonis: Didymus autem dicit id fuisse admonitionem Thaletis. Et deinde illud, Omnes homines mali, vel plurimi hominum mali (hoc enim dictum duobus modis effertur) Sotades Byzantinus dicit esse Biantis. & illud; Omnia vincit diligens meditatio, volunt esse Periandri. Similiter autem admonitionem quæ dicit, Nosce occasionem, fuisse Pittaci. Solon autem leges tulit Atheniensibus, Pittacus vero Mitylenęis. Tandem autem Pythagoras Pherecydis familiaris, seipsum primus appellavit Philosophum.

Philosophiæ itaque, post hos quos ante dixi, tres fuere successiones, quæ nomina sumpserunt à locis in quibus versatæ sunt. Italica quidem, quæ derivata est à Pythagora. Ionica vero, quæ à Thalete. Eleatica autem, quæ à Xenophane. Porro autem Mnesarchi filius Samius quidem erat, ut dicit Hippobotus: ut autem dicit Aristoxenus in vita Pythagoræ, & Aristarchus & Theopompus, erat Tuscus: ut autem Neanthes, Syrius, vel Tyrius, adeo ut ex plurimorum sētentia Pythagoras esset genere barbarus. Quinetiam Thales, ut referunt Leander & Herodotus, erat Phœnix: ut autem nonnulli existimarunt, Milesius. Hic solus videtur esse congressus cum Prophetis Ægyptiorum. Eius autem nullus scribitur præceptor, quemadmodum nec Pherecydis Syri, cuius fuit discipulus Pythagoras. Sed Pythagoræ quidem, quæ Italica dicta est Philosophia, consenuit in Metaponto oppido Italiæ. Anaximander autem Praxidami filius, Milesius, succedit Thaleti. Ei Anaximenes Eurystrati Milesius. Post quem Anaxagoras Hegesibuli Clazomenius. Hic ex Ionia scholam traduxit Athenas. Ei succedit Archelaus, quem audivit Socrates.

Ex his æquiloquus declinavit lapicida,
Grajûm incantator,

ait Timon in Sillis, propterea quod à Physicis declinarit ad ea quæ ad mores pertinent. Socratem autem cum audijsset, Antisthenes quidem sectam introduxit Cynicam, Plato autem secessit in Academiam. Apud Platonem philosophatus Aristoteles, cum transiisset in Lyceum, hæresim creat Peripateciam. Ei succedit Theophrastus, cui Straton, cui Lycon, deinde Critolaus, deinde Diodorus. Platoni succedit Speusippus, ei Xenocrates, cui Polemon: Polemonis autem auditores fuêre Crates & Crantor, in quos desiit vetus Academia. Crantoris autem fuit particeps Arcesilaus, à quo usque ad Hegesilaum media floruit Academia. Deinde Carneades succedit Hegesilao, & qui deinceps sequuntur. Eleaticæ autem disciplinæ princeps fuit Xenophanes Colophonius, quem dicit Timæus fuisse tempore Hieronis, qui in Sicilia obtinuit dominatum, & Epicharmi Poëtæ. Apollodorus autem eum cū natus esset quadragesima Olympiade, pervenisse usque ad tempora Darij & Cyri. Xenophanis ergo fuit auditor Parmenides, ejus Zeno, deinde Leucippus, deinde Democritus: Democriti autem auditores, Protagoras Abderitanus & Metrodorus Chius, cuius Diogenes Smyrneus, cuius Anaxarchus, eius autem Pyrrhon, cuius Nausiphanes: eius dicunt nonnulli discipulum fuisse Epicurum. Et hæc est quidem successio eorum qui fuerunt apud Græcos Philosophorum, tanquam in Epitome.

Tempora autem eorum qui fuerunt principes & autores ipsorū Philosophiæ, sunt dicenda consequenter, ut in conferendo ostendamus Hebræorum Philosophiam fuisse generationibus multis antiquiorem. Et de Xenophane quidem dictum est, qui fuit Eleaticę princeps Philosophiæ. Thaletem autem Eudemus in historiis astrologicis dicit prædixisse defectum Solis qui fuit eo tempore quo inter se manus conseruere Medi & Lydi, regnante quidem Cyaxare patre Astyagis in Media, Alyatte autem Crœsi, in Lydia. Ei autem congruit Herodotus quoque in primo. Sunt autem ea tempora circa quinquagesimam Olimpiadem. Pythagoras autem invenitur tempore Polycratis tyranni circa sexagesimam secundam Olympiadem. Solonis autem æmulator fuisse scribitur Mnesiphilus, cum quo versatus est Themistocles. Floruit autem Solon quadragesima sexta Olympiade. Heraclitus enim Bausonis filius persuasit Melanconiæ tyranno ut deponeret tyrannidem. Hic despexit regem Darium adhortantem ut veniret ad Persas. Hæc sunt quidem tempora eorum qui apud Græcos fuêre antiquissimi sapientum & Philosophorum. Quod autem eorum plurimi fuerint & genere barbari, & à barbaris eruditi, quid opus est dicere? Siquidem Tuscum fuisse Pythagoram ostensum est. Phryx autem erat Antisthenes: & Orpheus, Odrysius vel Thrax. Homerum enim plurimi ostendunt Ægyptium. Thales autem cum esset Phœnix genere, etiam cum Ægyptiorum prophetis congressus esse dicitur: sicut etiā Pythagoras cum ijs ipsis, propter quos etiam fuit circuncisus, ut adyta ingrediens, Aegyptiorum mysticam disceret Philosophiam: & cum Chaldæorum & Magorum versatus est præstantissimis: & eam quæ nunc vocatur Ecclesiam, significat id quod apud ipsum est ὁμακοεῖον.

Plato autem non it inficias, se ea quæ sunt præstantissima in Philosophia mercatum esse à barbaris, & se fatetur venisse in Aegyptum: in Phædone scribens, undiquaque posse juvari Philosophū. Magna quidem est, inquit, Græcia ô Cebes, ait ille, in qua sunt vivi omni ex parte boni, multa sunt etiam genera barbarorum. Sic existimat Plato ex barbaris quoque esse aliquos Philosophos. Epicurus autem contra existimat solos Græcos posse philosophari. Et in convivio Plato laudans barbaros, ut qui philosophiam insigniter exercuerint, vere dicit: Et in multis aliis, & apud Græcos, & apud barbaros, quorum etiam sacra jam multa facta sunt, propter ejusmodi filios.

Clarum est autem barbaros eximiè semper honorasse suos legūlatores & præceptores, eos Deos appellantes. Bonas enim animas, ut dicit Plato, supercœlesti loco relicto, sustinuisse venire in hunc tartarum, & corpore suscepto, malorum omnium quæ ex generatione contrahuntur fuisse participes existimant, humani generis curam gerentes, quæ & leges tulerunt, & Philosophiam prædicarunt, quo maius bonum ad hominum genus nunquam venit, nec veniet. Atque mihi quidem videntur cum sensissent magna quæ per sapientes conferebantur beneficia, & eos coluisse, & publice esse philosophari, & Brachmanes universi, & Odrysæ, & Getæ. Quin etiam genus Aegyptiū diligentissime illos in Deos retulit, & Chaldæi & Arabes qui dicti sunt Felices, & quicunque habitarunt Palæstinam, & non minimam Persici generis partem, & alia præter hęc genera innumerabilia. Clarum est autem inveniri, semper Platonem magni facere barbaros, ut qui meminisset se & Pythagoram plurima eaque præstantissima & nobilissima dogmata didicisse apud barbaros. Et ideo etiam, genera barbarorum, vocat genera philosophorum barbarorum: neque ignorat in Phædro regem Ægyptium, & Thoyth nobis ostendit sapientiorem: quem quidem novit esse Mercurium. Quinetiam in Charmide videtur quosdam nosse Thraces, qui dicuntur animam facere immortalem. Narratur autem Pythagoras fuisse discipulus Sonchedis archiprophetæ Aegyptij: Plato autem Sechnuphidis Heliopolitani: Eudoxus autem Cnidius Conuphidis, qui ipse quoque fuit Aegyptius. In Dialogo autem de anima, rursus videtur. Plato agnoscere Prophetiam, introducens Prophetam Lachesis orationem enunciantem & apud eas quæ sortiuntur animas prædicentem: & in Timæo sapientissimū Solonem introducit discentem à barbaro. Ita autem se habet dictio: O Solon Solon, vos Græci semper estis pueri, senex autem nullus est Græcus, disciplinam enim nullam habetis canam. Democritus autem morales libros scripsit Babylonicos: dicitur enim Acicari, quam est interpretatus columnam, suis scriptis adjunxisse: & possunt hæc ex ipso observari.

Hæc autem dicit Democritus, cum de se ipso quidem certe scriberet, & de magna sua se jactaret doctrina: Ego ex iis qui meo tempore fuerunt plurimas terras peragravi, ea quæ procul erant remota inquirens, & aeris & terrę vidi regiones plurimas, & homines doctos audivi plurimos, & in componendis cum demonstratione lineis nemo me adhuc superavit, nec qui Aegyptiorum quidem vocantur Arpedonaptę. Cum his autem postremo octoginta annis fui in terra aliena. Adijt enim Babylonem, Persidem Aegyptum, Magorum & Sacerdotum se prębens discipulum. Zoroastrem autem Magum Persam Pythagoras ostendit. Qui Prodici hęresin persequuntur, gloriantur se arcanos libros hujus viri possidere. Alexander autem in libro de Symbolis Pythagoricis, refert Pythago-

ram

ram fuisse discipulum Nazarati Assyrij. Quidam eum existimant Ezechielem, sed non est, ut ostendetur postea: & vult præterea Pythagoram Gallos audiisse & Brachmanas. Clearchus autem Peripateticus dicit, se nosse quendam Iudæũ cum quo versatus est Aristoteles. Heraclitus autem non humanitus, sed divinitus potius dicit apparuisse Sybillam. Aiunt itaque Delphis in curia ostendi petrã quandam, super quam dicitur sedisse prima Sibylla, quæ ex Helicone venerat educata à Musis, cum esset filia Lamiæ Sidoniæ. Serapion autem in versibus dicit ne mortuam quidem à divinandi arte cessasse Sibyllam: & id quidem quod ex ea in aerem recessit post obitum, id esse quod sortibus divinat & auguriis: ex eo autem quod in terram mutatum est corpore, exorta, ut consentaneum est, herba, quæcunque eam bestiæ comedissent, cum in eo loco essent, scribit perfectam futuri cognitionem per exta hominibus significasse. Ejus autem animam existimat eam esse faciem quæ apparet in Luna. Et hæc quidem de Sibylla. Numa autem rex Romanorum erat quidem Pythagoreus, ex ijs autem quæ à Mose tradita sunt adiutus, prohibuit Romanis ne homini aut animali similem Dei facerent imaginem. Cum itaque centum & septuaginta primis annis templa ædificarent, nullam imaginem nec affictam nec depictam fecere. Occultè enim eis indicarat Numa, quod id quod est optimum, non alia ratione quam sola mente ulli licet attingere.

Philosophia ergo, res quædam valde utilis, olim quidem floruit apud Barbaros, per gentes resplendens: postea autem venit etiam ad Græcos. Ei autem præfuerunt & Aegyptiorum Prophetæ, & Assyriorum Chaldæi, & Gallorum Druidæ, & Semanæi Bractorum, & Celtarum ij qui philosophati sunt, & Persarum Magi, qui quidem Servatoris quoque nostri ortum significaverunt, stella eos præcedente unientes in Iudæam, & Indorum Gymnosophistæ, & alij Philosophi Barbari. Est autem duplex eorum genus: alii enim ex ijs vocantur Sarmanæ, alii verò Brachmanes.

Et ex Sarmanis quidem, ij qui appellantur Allobij, neque urbes habitant, nec domos aut tecta habent: arborum autem induuntur corticibus, & glandes arborumque baccas comedunt, & aquam bibunt manibus: non nuptias, non liberorum norunt procreationem, quemadmodum ij qui nunc vocantur Encratitæ, id est, continentes. Sunt autem etiam ex Indis, qui Buttæ parent præceptis, quem propter insignem virtutem ut Deum honorarunt. Scytha autem erat etiam Anarcharsis, qui scribitur Græcorum multis antecelluisse philosophis. Hellanicus autem scribit Hyperboreos habitasse ultra Riphæos montes, doceri autem ipsos justitiam, non vescentes carnibus sed arborum fructibus. Ii sexagenarios extra portas ducentes, tollunt de medio.

Sunt autem etiam apud Germanos sacræ quæ vocantur mulieres, quæ fluviorum vortices prospicientes, fluentorumque sonitus ac circumvolutiones, futura conijciunt & prædicunt. Eæ non permiserunt ut ipsi cum Cæsare pugnarent antequam nova Luna illuxisset. His omnibus Iudæum genus est longè antiquius: & eam quæ apud ipsos scriptis mandata est Philpsophiam, cœpisse ante Græcam, multis verbis ostendit Philo Pythagoreus. Quin etiam Aristobulus quoque Peripateticus, & alii complures, ne in eis nominatim persequendis immorer. Apertissimè autem scriptor Megasthenes, qui vixit cum Seleuco Nicatore, scribit in tertio rerum Indicarum: Omnia quidem quæ de natura dicta sunt à veteribus, dicuntur etiam ab ijs qui extra Græciam philosophantur, partim quidem apud Indos à Brachmanis, partim verò in Syria ab ijs qui vocantur Iudæi.

Quidam autem fabulosius ex iis qui Idæi appellantur Dactyli, sapientes quosdam primos exortos esse dicunt, ad quos & Ephesiarum quæ dicuntur literarum, & eorum qui sunt in Musica numerorum refertur inventio. Propter quam causam sunt appellati qui sunt apud Musicos Dactyli. Phryges autem erant & barbari Idæi Dactyli. Herodorus autem refert Herculem, cum fuisset vates & Physicus, ab Atlante Barbaro Phryge mundi suscepisse columnas. Hermippus autem Berytius vocat Chyronem Centaurum sapientem. De quo etiam dicit qui scripsit Titanomachiam quod is primus.

Adjustum duxit mortalia secula, monstrans
Iusjurandum, & sacra Deûm, cœlique figuras.

Ab eo instituitur Achilles qui ducitur ad Ilium. Hippo autem filia Centauri, cum Æolo habitans, docuit eum naturæ contemplationem, patriam scientiam. De Hippone autem testatur quoque sic Euripides:

Divina quæ primum quidem præsagijt
Oraculis, nec non per ortus syderum.

Apud hunc Æolum, Vlysses post Troiam captam hospitio excipitur, Observa mihi tempora ad comparationem ætatis Mosis, & antiquissimæ quæ eius tempore fuit Philosophiæ.

Non solius autem philosophiæ, sed etiam omnium fere artium fuere inventores Barbari. Primi itaque Ægyptii Astrologiam ad homines deduxere. Similiter autem Chaldæi. Aegyptij rursus & lucernas primi accendere docuerunt, & annum in menses duodecim diviserunt, & in templis cum mulieribus coire prohibuerunt, neque ad sacra ab uxore illotis adeundum esse lege sanxerunt. Et rursus inventores fuere Geometriæ Sunt autem qui dicunt Cares, eam quæ ex astris colligitur, invenisse præscientiam. Avium autem volatus primi Phryges observarunt. Aruspicinam autem seu extispicinam perfectè tenuerunt qui fuere vicini Italiæ. Isauri autem & Arabes auguriis studuere, sicut Telmisenses ei quæ per somnia fit divinationi. Hetrusci tubam, & Phryges tibiam excogitavere. Phryges erant Olympus & Marsyas. Cadmus autem erat Phœnix, qui fuit Græcis literarum inventor, ut ait Euphorus. Vnde etiam scribit Herodotus, literas appellatas fuisse Phœnicias. Alii autem dicunt, Phœnices & Syros primos excogitasse literas. Medicinam autem Apim Aegyptium indigenam, priusquam Io veniret in Aegyptum: postea autem Aesculapium dicunt artem amplificasse.

Atlas autem Libs, primus navem est fabricatus, & mare navigavit. Et rursus Celmis & Damnaneus Idæis Dactylis ferrum primi invenerunt in Cypro. Alius autem Idæus ferri invenit temperaturam, vt autem Hesiodus, Scytha. Ac Thraces quidem primi eam quæ ἅρπη vocatur invenerunt: est autem incuruus gladius. & peltis primi usi sunt in equis. Similiter autem Illyrii quoque peltam invenerunt. Tuscanos ajunt plasticen excogitasse, Itanonque (Samnites is fuit) primo clypeum fecisse. Cadmus autem Phœnix primus invenit lapicidam: in monte Pangæo excogitavit auri metalla.

Iam vero alia quoque gens, Cappadoces, primi invenerunt id quod Nablium appellatur, quemadmodum Assyrii quoque Dichordon. Carthaginenses autem primi construxerunt quadriremem. Eam autem ex tempore, & absque ulla præmeditatione, fabricatus est Bosphorus. Medea autem Aeetæ filia, Colchis, prima pilos tingere excogitavit. Quinetiam Noropes (est autem gens Pæoniæ, nunc autem appellatur Norica) æs elaborarunt, & primi ferrum purgarunt: & Amycus Rex Bebrycum, lora pugilum, id est, cestus, primus excogitavit: & Olympus Mysius in Musica harmoniam Lydiam artificiose invenit: & qui vocantur Troglodytæ Sambucam instrumentum invenere musicum.

Aiunt autem obliquam quoque fistulam Satyrũ invenisse Phrygem. κρούματα autem seu modos Olympum similiter Phrygem, quemadmodum Phrygiam harmoniam & mixolydiam Marsyam, qui erat ejusdem regionis cum iis qui ante dicti sunt: & Doricam Thamyrim Thracem excogitasse. Persas quoque primos audivimus currum & lectum & pedum scabellum effecisse, & Sidonios, triremem navem ædificasse. Siculi quoque qui sunt in Italia primi invenere Phormingem, quæ non multum differt à cithara: & invenere crepitacula quæ dicuntur Crotala. Quinetiam tempore Semiramidis Regis Aegyptiorum, narrant inventas fuisse vestes byssinas. Et primam scripsisse epistolas Atossam Persarum reginam dicit Hellanicus.

Scamon quidem Mitylinæus & Theophrastus Eressius, & Cydippus Mantineus, & præterea Antiphanes, & Aristodemus, & Aristoteles., quinetiam Philostephanus, & Strato quoque Peripateticus, in libris suis de iis quæ sunt inventa, hæc narrarunt. Ex his autem pauca adjeci ad confirmandam illam ad tam multa inveniẽda idoneam & vitæ utilem naturam, quæ fuit apud Barbaros, à quibus, in studiis & rebus exercendis, Græci magnam accepere utilitatem. Si quis autem vocem reprehendit barbaram, Mihi autem, inquit Anacharsis, omnes Græci Schythæ sunt. Is autem erat qui apud Græcos in admiratione est habitus, qui dixit: Mihi indumentum est læna: cœna, lac & caseus.

Vides barbaram philosophiam, quæ facta non verba profitetur. Apostolus autem si dicit: Et vos per linguam, si non rectè significantem vocem dederititis, quomodo cognoscetur quod dicitur? eritis enim in aerem loquentes. Tot, verbi gratia, genera linguarum sunt in mundo, & nihil est voci expers.

Si ergo non novero vim vocis, ero loquenti Barbarus, & loquens mihi barbarus: & qui loquitur lingua, oret ut interpretur. Vix certè tandem ad Græcos accessit componendarum orationum doctrina & scriptura. Et Alcmæon quidem Perithi filius, Crotoniata, primus librum scripsit de natura. Alii autem Anaxagoram Hegesibuli filium Clazomenium primum librum scriptum edisse referunt.

Modos autem poematibus primus adjecit, & Lacedæmoniorum leges numerosis versibus scripsit Terpander Antissæus. Dithyrambum autem excogitavit Lassus Hermioneus, Hymnum Stesychorus Himeræus, Alcman Lacedemonius, Amatoria Anacreon Theius. Ὑπόρχησιν, id est, canticum ad saltandum accommodatum Pindarus Thebanus.

Et νόμους quos vocant, primos cecinit in choro & cithara Timotheus Milesius. Iam vero Iambum quidem excogitavit Archilochus Parius. Claudum autem iambum Hipponax Ephesius. Et tragœdiam quidem Thespis Atheniensis, Comœdiam autem Sisarion Icarieus. Tempora horum tradunt Grammatici. Longum autem fuerit ea accuratè adducere, cum ipse mox ostendatur Dionysius, nempe Bacchus, propter quem celebrantur, & Dionysia & spectacula, esse Mose posterior.

Ajunt autem quæ in ſchola fiunt orationes, & rhetoricas proprietates, inveniſſe, & mercede primum judicialem orationem alteri tradendam conſcripſiſſe Antiphontem Rhamnuſium, ut dicit Diodorus. Apollodorus autem Cumanus, primus critici nomen ſuſcepit, & appellatus eſt Grammaticus. Nonnulli autem dicunt Eratoſthenem Cyrenæum. Quoniam autem duos edidit libros quos inſcripſit Grammaticos, nominatus eſt Grammaticus. Sicut nunc nominamus, primus Praxiphanes Dionyſiphanis filius Mitylenæus.

Zaleucus Locrus primus ſcribitur leges tuliſſe. Alii autem dicũt Minoem, filium Iovis, Lyncei tempore. Is fuit poſt Danaum, decima generatione ab Inacho & Moſe, ut paulo inferius oſtendemus. Lycurgus autem multis annis poſt Trojam captam, qui fuit centum & quinquaginta annis ante Olympiades, tulit leges Lacedæmoniis. Solonis vero tempus prius diximus. Dracon autem, qui ipſe quoque fuit legislator, invenitur fuiſſe circa tricesimam nonam Olympiadem. Antilochus autem qui ſcripſit de omnibus viris doctis à Pythagoræ ætate uſque ad mortem Epicuri, quæ fuit decimo Octobris, complectitur omnes annos trecentos duodecim. Præterea ajunt Phanotheam Icarij uxorem inveniſſe Heroicum hexametrum, alij vero Themim, unam ex Titanidibus. Didymus autem in libro de philoſophia Pythagorica, refert Theano Crotoniatidem, primam ex mulieribus eſſe philoſophatam, & ſcripſiſſe poemata. Græca itaque philoſophia, ut aliqui quidem, caſu utcunque & exiliter veritatem, ſed non omnem aſſequitur: ut alij autem volunt, mota eſt à diabolo. Nonnulli autem univerſam Philoſophiam inferiores quaſdam poteſtates inſpiraſſe exiſtimant. Sed ſi non comprehendit quidem Græca Philoſophia veritatis magnitudinem, & eſt adhuc imbecilla ad mandata Domini exequenda, at regali quidem maxime doctrinæ viam præparat, utcunque caſtigans, & mores prius formans, & ad ſuſcipiendam veritatem confirmans eum qui opinatur providentiam. At, inquiunt, ſcriptum eſt, omnes qui fuerunt ante adventum Domini ſunt fures & latrones. Omnes ergo hi qui in ſermone continentur, qui fuerunt ante ſuſceptam à Verbo carnem, exaudiuntur generaliter. Sed Prophetæ quidem, ut qui à Domino fuerunt miſſi & inſpirati, non fures, ſed miniſtri.

Dicit itaque ſcriptura: Miſit ſapientia ſervos ſuos convocans cũ alto præconio ad craterem vini. Philoſophia autem non miſſa eſt à Domino, ſed venit, inquit, furto ſurrepta, vel à fure donata. Sive ergo poteſtas, aut Angelus qui veritatis aliquid didicit, & in ea non manſit, hæc inſpiravit, & furto ſurrepta docuit: hoc fecit, non quod neſcierit Dominus, qui fines eorum quæ futura ſunt novit ante conſtitutionem uniuſcujuſque eſſentiæ, ſed quod non prohibuerit. Tunc enim aliquam habuit utilitatem furtum quod redibat ad homines, non quod is qui ſurripuit utile ſibi proponeret, ſed providentia ad utile dirigeret audacis cœpti eventum. Scio multos in nos aſſiduè inſurgere, & id quod non prohibet, cauſam eſſe dicere. Furti enim cauſam eſſe dicunt eum qui non ſervavit, vel eum qui non prohibuit: quemadmodum incendij, eum qui ignem non extinxit incipientem: & naufragij, gubernatorem, qui rudentem non contraxerit. Iam verò puniuntur à lege qui horum cauſæ ſunt: nam in cujus poteſtate erat ſitum prohibere, in eum ejus quod accidit culpa confertur. Ad eos autem dicimus in faciendo, operando, & agendo, cauſam intelligi. Id autem quod non prohibet, hoc ipſo remotum eſt ab operatione. Præterea cauſa quidem verſatur in operatione, quemadmodum navis ædificator in eo quod fiat ſcapha. Domus autem ædificator, in eo quod ædes conſtruatur. Id autem quod non prohibet, ab eo quod fit, ſeparatum eſt. Propterea ergo perficitur, quod id quod poteſt prohibere, non operatur nec prohibet.

Quid enim operatur qui non prohibet? Iam verò ad abſurdum quoque redit id quod ab eis dicitur: ſiquidem ſauciationis cauſam eſſe dicent, non telum, ſed clypeum, qui non prohibuit quo minus telum pervaderet. Neque enim furem, ſed eum qui furtum non prohibuit, reprehendent. Ergo Græcorum quoque naves non Hectorem dicant combuſſiſſe, ſed Achillem: quoniam cum prohibere poſſet Hectorem, non prohibuit. Sed ille quidem propter iram (in ejus autem poteſtate erat iraſci vel non iraſci) & ignem non prohibuit, & fortè adjuvans cauſa fuit. Diabolus autem cum liberum haberet arbitrium, & duci poſſet pœnitentia & furari, ipſe quoque furti cauſa eſt, non autem Dominus qui non prohibuit. Sed nec noxium erat donum, ut accederet prohibitio. Quod ſi ſubtiliter adverſus eos agendum eſt, ſciant id quidem quod non prohibet, quod in furto factum eſſe dicimus, nullo modo eſſe cauſam: in id autem quod prohibet, cauſam culpamque conferri. Qui enim clypeo protegit, ei qui protegitur cauſa eſt ne ſaucietur, prohibens ipſum ſauciari. Et Socrati dæmonium cauſa erat, non prohibens, ſed adhortans, etſi non adhortetur. Sed nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia juſta ſunt, ſi anima non habeat liberam poteſtatem & appetendi & abſtinendi, ſed ſit vitium involuntarium: vnde qui prohibuit quidem, cauſa eſt: qui autem non prohibuit liberam animæ electionem, juſtè judicat, ut vel maximè quidem Deus nobis non ſit cauſa vitij. Quoniam autem libera electio & appetitio peccata primum inchoat, falſa autem nonnunquam dominatur opinio, à qua, cum ignorantia & imperitia ſit, recedere negligimus, jure infliguntur ſupplicia. Febrire enim eſt involuntarium, ſed cum quis per ſe & propter ſuam intemperantiam febrierit, eum reprehendimus. Vtpote cum involuntarium jam ſit malum. Nemo enim malum eligit, quatenus malum: ſed abductus ab ea quæ ineſt in ipſo voluptate, id bonum ratus, ſuſcipiendũ exiſtimat. Quæ cum ita ſe habeant, & liberari ab ignoratione & à mala & delectabili electione, & ante omnia non aſſentiri fallacibus illis phantaſiis & viſis, ſitum eſt in noſtra poteſtate. Latro autem & fur dicitur diabolus, qui Prophetis pſeudoprophetas admiſcuit, tanquam frumento zizania. Omnes ergo qui fuerunt ante Dominum fures & latrones: non abſolute autem omnes homines, ſed omnes pſeudoprophetæ, & omnes qui non proprie ab ipſo miſſi ſunt.

Habuerunt autem pſeudoprophetæ quoque furtum, quod Prophetæ dicerentur, cum Prophetæ quidem eſſent, ſed ejus qui eſt mendax. Dicit enim Dominus: Vos ex patre veſtro diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quoniam non eſt in ipſo veritas. Cum locutus fuerit falſum, ex propriis loquitur, quoniam mendax eſt & pater ejus. In falſis autem vera quoque aliqua dicebant pſeudoprophetæ. Et ij revera prophetabant in ecſtaſi, ut Apoſtatæ, ejus, inquam, qui defecerat, miniſtri. Dicit autem Paſtor quoque Angelus pœnitentiæ, ad Hermetem, de pſeudopropheta: Quædam enim verba vera dicit: diabolus enim eum implet ſuo ſpiritu, ſi quẽ poſſit ex juſtis frangere. Omnia ergo cælitus in bonum diſpenſantur, ut per eccleſiam cognoſcatur multiplex ac varia Dei ſapientia, ex ſæculorum præſcientia, quam fecit in Chriſto. Deo autem nihil adverſatur, nec eſt quicquam ei contrarium, ut qui ſit Dominus & omnipotens. Quinetiam eorum qui defecerunt conſilia & operationes, cum ſint ſingulares, fiunt quidem ex mala affectione, ſicut morbi corporis: ab univerſa autem ac generali providentia adminiſtrantur ad finem ſalubrem, etiamſi cauſa ſit morbi efficiens. Eſt itaque maximum divinæ providentiæ argumentum, quod non ſinat, ut vitium quod ex voluntaria defectione ortum eſt, inconducibile maneat & inutile, ſed nec ſit omnino noxium. Divinæ enim ſapientiæ & virtutis & potentiæ eſt officium, non ſolum benefacere (hæc eſt enim, ut ſemel dicam, Dei natura, ut ignis calefacere, & lucis illuminare) ſed illud quoque maxime, ut id quod per malos aliquos excogitatum eſt, ad bonum aliquem finem & utilem deducat, & utiliter ijs quæ videntur mala utatur, ſicut eo quod ex tentatione proceſſit teſtimonio. Eſt ergo etiam in philoſophia, quę furto ſurrepta veluti à Prometheo, tanquam aliquantulum ignis, aptum ad lumen, ſi utiliter excitetur, & veſtigium aliquod ſapientiæ, & motus à Deo.

In his autem latrones & fures fuerint, qui ſunt apud Græcos Philoſophi, qui ante Domini adventum, à Prophetis Hebræis partes veritatis id minimè agnoſcentes ſumpſerunt, ſed ſibi tanquam propria dogmata attribuerunt, & alia quidem adulterarunt, alia autẽ, ſupervacanea quadam diligentia ſophiſtice interpolarunt, alia autem etiam invenerunt. Forte enim ſenſus quoque ſpiritum habuerunt. Aſſentitur autem ſcripturæ quoque Ariſtoteles, qui dixit, Sophiſticam eſſe furem ſapientiæ, ſicut ante oſtendimus. Apoſtolus autem: Quæ etiam loquimur, inquit, non in ijs quæ doceri poſſunt humanæ ſapientiæ verbis, ſed in ijs quæ doceri poſſunt, ſpiritus. De prophetis enim: Omnes, inquit, de plenitudine eius accepimus, Chriſti ſcilicet. Quare non ſunt fures Prophetæ. Et doctrina mea, non eſt mea, inquit Dominus, ſed ejus qui miſit me Patris. Et de furibus: Qui autem ex ſeipſo inquit, loquitur, gloriam propriam quærit. Tales autem ſunt qui ſibi placent Græci, & ſunt arrogantes. Sapientes autem eos dicens ſcriptura, non reprehendit eos qui ſunt vere ſapientes, ſed eos qui ſibi videntur. De his autem dicit: Perdam ſapientiam ſapientum, &, prudentiam prudentum abolebo. Infert itaque Apoſtolus: Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi inquiſitor hujus ſæculi? vt à ſcribis diſtingueret, hujus ſæculi inquiſitores ponens Philoſophos ex gentibus. Nonne infatuavit Deus mundi ſapientiam, quod perinde eſt, ac ſtultam oſtendit, & nõ veram, ut putabant? Et ſi roges cauſam cur ſibi viderentur ſapientes: Propter cæcitatem cordis ſui, inquiet: quoniam in ſapientia Dei, hoc eſt, quæ per Prophetas eſt annunciata, non cognovit mundus, nempe per ſapientiam quæ loquitur per Prophetas, ipſum ſcilicet Deum, ipſi Deo viſum eſt per prædicationem ſtultitiæ, quæ Græcis ſcilicet videtur eſſe ſtultitia, ſalvos facere credentes. Quoniam Iudæi, inquit, ſigna petunt ad fidem, Græci autem quærunt ſapientiam nempe orationes quæ vocantur ἀναγκαστικαὶ, hoc eſt, neceſſario concludentes, & alios ſcilicet ſyllogiſmos. Nos autem prædicamus Ieſum Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, quod cum ſciant prophetiam, non credant eventui: Græcis autem ſtultitiam: fabuloſum enim eſſe exiſtimant qui ſibi videnter ſapiẽtes, & per hominem filium Dei loqui, & Deum habere filium, & eum eſſe paſſum: quo fit ut ſuæ opinionis anticipatio eis perſuadeat ut non credant. Servatoris enim adventus, non ſtultos fecit & duros corde & infideles, ſed prudentes, & aptos quibus perſuadeatur, & præterea fideles.

Oſtenſi ſunt autem ab eorum qui obedierunt voluntaria inclinatione ſeparati, ij qui noluerunt parere, & imprudentes & infideles & ſtulti. Ipſis autem vocatis Iudæis & Græcis Chriſtus eſt Dei virtus, & Dei ſapientia. Num ergo, quod eſt etiam melius, exiſtimandum eſt eſſe enunciativum illud: Non infatuavit Deus ſapientiam mundi, perinde ac non ſtultam fecit, ne cauſa duritiei cordis à Deo eis facta videatur qui ſtultã fecit ſapientiam? Omnino enim

etſi

etſi ſapientes eſſent, majori culpæ fuère obnoxij, qui prædicationi non crediderunt. Voluntaria enim eſt electio & delectus veritatis. Quinetiam illud, Perdam ſapientiam ſapientum, eius quæ contemnitur ac deſpicitur barbaræ philoſophiæ oppoſitione dicit illuſtraſſe, ſicut etiam lucerna quæ à Sole illuſtratur dicitur periiſſe, eo quod non æqualem edat operationem. Cum ergo omnes homines vocati ſint, qui voluerunt obedire, nominati ſunt vocati. Non eſt enim apud Deum iniuſtitia. Iam vero qui ex utroque populo crediderunt, ij ſunt populus peculiaris. Et in Actis Apoſtolorum hoc his verbis inveneris: Qui itaque verbum ejus ſuſceperunt, baptizati ſunt. Qui autem noluerunt parere, ſeipſos ſcilicet abduxerũt. *lib. 1. Stromatum.*

Idem Alexandrinus: Quemadmodum autem multi homines qui navem trahunt, non dici poſſunt multæ cauſæ, ſed una cauſa, ex multis: non eſt enim unusquiſque cauſa ut navis trahatur, ſed cum aliis: ita etiam Philoſophia confert ad comprehendendam veritatem, cum ſit inquiſitio veritatis, non quod ſit cauſa comprehẽſionis, ſed cauſa cum alijs, & adjuvans, & forte etiam cauſa adjuvans. Quemadmodum autem cum beatum eſſe unum ſit, ejus cauſæ ſunt virtutes quæ ſunt plures: & quemadmodum ut quis caleſiat, & Sol & ignis & balneum & veſtis: ita cum ſit una veritas, multa ſunt quæ conferunt ad ejus inquiſitionem, inventio autem eſt per filium. Et ſiquidem rectè conſideremus, poteſtate una eſt virtus, accidit autem ut ea cum his quidem inſit rebus, dicatur prudentia, in illis autem temperantia, in aliis vero animi magnitudo vel juſtitia. Eadem autem ratione cum ſit una quoque veritas, in Geometria, Geometriæ veritas, in Muſica autem, Muſicæ, & in recta philoſophia fuerit Græca veritas. Sola autem hæc eſt præcipua veritas, quæ manibus tradi non poteſt, quam docemur à Dei filio. Hoc modo dicimus de una & eadem drachma, ſi data fuerit nautæ, naulum: ſi Publicano, vectigal: & ei qui domum locat, merces cõductæ domus: præceptori, operæ merces: & ei qui vendit, arrha. Vnaquæque autem, ſive virtus, ſive etiam veritas vnivoce vocetur, cauſa eſt ſolius qui per ſe eſt effectus. Per conjunctum autem earũ uſum fit beate vivere. Non enim ex nominibus beati fuerimus, cũ rectam viam dicamus beatitudinem, & beatum cui virtute exornata eſt anima. Quod ſi etiam Philoſophia opem fert eminus inventioni veritatis, variis notionibus tendens ad noſtram cognitionem quæ proximè attingit veritatem: at ei opem fert qui ex Verbo ſeu ratione ſtuduerit conari apprehendere cognitionem. Et à noſtra ſeparatur Græca veritas etiamſi ſit idem nomen ſortita, & propter magnitudinem cognitionis, & demonſtrationem magis principalem, & divinam virtutem, & quæ ſunt ſimilia. A Deo enim docti ſumus, qui literas verè ſacras à filio Dei docemur: unde nec ſimiliter movent animas, ſed diverſa doctrina. Quod ſi propter eos qui lubenter reprehendunt, oportebit nos diſtinguere, cum dicamus Philoſophiam adjuvantem cauſam & cooperatricem veræ comprehenſionis, cum ſit inquiſitio veritatis, fatebimur eam eſſe diſciplinam quæ præcedit vim cognoſcendi, non cauſam ſtatuentes eam quæ eſt cauſa adjuvans, neque continens, id quod adjuvat & cooperatur, nec perinde ac non ſit veritas abſque philoſophia. Nam omnes fere abſq; diſciplinarum orbe quam encyclopædiam vocant, & Græca philoſophia, alij autem etiam abſque literis divina & barbara moti philoſophia, poteſtate eum qui de Deo eſt per fidem accepimus ſermonem, eruditi ſapientia quæ per ſe operatur. Quod autem facit cum alio, cum ſit imperfectum ut per ſe operetur, cooperantem & adjuvantem cauſam dicimus, ut quod ſit nominatum cauſa eo quod una venerit cum alio, per ſe autem non poſſit præbere verum effectum.

Quanquam per ſe quoque aliquando Græcos juſtificabat Philoſophia, ſed non ad univerſam ac generalem juſtitiam, ad quam cooperatrix & adjutrix invenitur, ſicut primus & ſecundus gradus ei qui aſcendit in cœnaculum, & Grammaticus ei qui eſt philoſophaturus. Non quod per ejus ablationem, univerſo ac generali verbo deſit aliquid, vel perimatur veritas. Nam & viſus & auditus & vox cõfert ad veritatẽ. Mens autem eſt quæ eam appoſitè & naturaliter cognoſcit. Sed ex ijs quidem quæ adjuvant & cooperantur, alia quidem majorem, alia vero minorem vim afferunt. Perſpicuitas itaque opem fert, ad tradendam veritatem: & dialectica, ne proſternamur ab hæreſibus quæ faciunt incurſiones. Et eſt quidem per ſe perfecta, & nullius indiga Servatoris doctrina, cum ſit Dei virtus & ſapientia. Accedens autem Græca philoſophia, non veritatem facit potentiorem, ſed debilem adverſus eam efficit Sophiſticam argumentationem, & propulſans doloſas adverſus veritatem inſidias, dicta eſt vineæ apta ſepes & vallus. Et quæ eſt quidem ex fide veritas, tanquam panis neceſſaria eſt ad vivendum. Quæ autem præcedit diſciplina, eſt obſonio ſimilis & bellariis: deſinente vero cœna ſuavis placentula, ut ait Pindarus Thebanus.

Apertè autem dicit ſcriptura: Aſtutior erit ſimplex intelligens. Sapiens autem ſuſcipiet cognitionem. Et: Qui à ſeipſo quidem accepit, gloriam propriam quærit, inquit Dominus. Qui autem quęrit gloriam ejus qui miſit ipſum, verus eſt, & injuſtitia non eſt in ipſo. Cõtra igitur ſe injuſte gerit qui ſibi uſurpavit ea quæ ſunt Barbarorum, & tanquam propriam jactans, ſuam agens gloriam, & ementiens veritatem: is fur dictus eſt à ſcriptura. Dicit itaque: Fili ne ſis mendax, deducit enim mendacium ad furtum. Iam autem fur id quod habet ſurreptum, vere habet, etiamſi ſit aurum, etiam ſi argentum, etiamſi oratio, etiamſi decretum. Ex parte ergo ea quę ſuffurati ſunt, vera quidem ſunt, ſciunt autem per coniecturam, & rationum moti neceſſitatibus. Si itaque didicerint, agnoſcent cõprehendendo. *lib. 1. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Qui libere & audacter reprehendit, eſt pacificus. Sæpe autem diximus, neque nos ut Græci eſſemus exercuiſſe, neque in eo ſtudium ponere. Hoc enim ſufficit ad multos populari quadam perſuaſione à veritate abducendos. Quæ vere eſt autem philoſophia, non in lingua, ſed in mente, juvabit eos qui audierint. Oportet autem, ut opinor, eum qui curam gerit veritatis, non inſidioſe captoque conſilio ac cura adhibita dictionem componere, ſed conari tantum id quod vult quomodo poteſt exponere. Eos enim qui hærent dictionibus, & in eis ſunt occupati, res ipſæ effugiunt. Atque agricolæ quidem eſt proprium, roſam quæ in ſpinis naſcitur citra noxam carpere: ſimiliter & artificis, eam quæ in oſtrei carne infoſſa eſt margaritam invenire. Ajunt autem gallinas quoque carnem habere ſuaviſſimam, quando eis non copioſus appoſitus fuerit cibus, ſed ipſæ pedibus fodientes, cum labore alimentum colligunt. Si quis ergo eius quod eſt ſimile contemplandi poteſtate præditus, cupit in multis probabilibus ijſque Græcis, id quod verum eſt perſequi, tãquam ſub larvis verum vultum ſtudioſe perſcrutatus, venabitur. *fine lib. 1. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus. Amat autem & diligit veritatem philoſophus, eo quod ſit verus ac germanus famulus, jam propter charitatem exiſtimatus amicus. Eius autem eſt principium, res admirari, ut dicit Plato in Theæteto. Et Matthias adhortans in traditionibus, Admirare præſentia: eum eſſe primum gradum ſtatuens ulterioris cognitionis. Qua ratione etiam ſcriptum eſt in Evangelio ſecundum Hebræos, Qui admiratus fuerit, regnabit, & qui regnavit, requieſcet. Fieri ergo non poteſt ut philoſophetur qui eſt rudis & ignarus: porro autem non poteſt fieri ut philoſophetur is qui ſapientiæ notionem non ceperit, cum philoſophia ſit eius quod vere eſt appetitio, & earum quæ ad id tendunt diſciplinarum. Et quamvis in recte agendo ſe aliqui exercuerint, ut ſciatur tamẽ quomodo ſit utendum, & faciendum eſt & laborandum, quatenus Deo quoque aſſimilatur aliquis, Deo inquam ſervatori, colens Deum Servatorem per Verbum Pontificem, per quem videntur quæ in veritate ſunt honeſta & juſta. Pietas eſt actio quæ Deum ſequitur. Hæc ergo tria noſter ſibi vindicat Philoſophus: primum quidem contemplationem: ſecundo autem, præceptorum executionem: tertio vero, bonorum virorum conſtitutionem. Quæ quidem cum convenerint, efficiunt virum cognoſcendi poteſtate præditum. Quodcunque autem defecerit ex iſtis, claudicat cognitio. *libro 2. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Pulchre ergo Epicurus quoq; dicit, ſcribens ad Menœceum: Nec ſi ſit aliquis juvenis, differat philoſophari: neque ſi ſit ſenex, defatigetur philoſophando: nam nec eſt aliquis immaturus, neque nimis provectæ & exhauſtæ ætatis, ad adipiſcendam animi ſanitatem. Qui autem dicit nondum eſſe vel prętериiſſe tempus philoſophandi, ſimilis eſt ei qui dicit ad beatitudinem vel nondum adeſſe tempus, vel tempus præterijſſe. Quare & juniori philoſophandum eſt & ſeni: huic quidem ut ſeneſcens juveneſcat bonis, per gratiam eorum quæ facta fuerint: illi autem, ut ſit ſimul juvenis & ſenex, per futurorum metus vacuitatem. *Libro Stromatum 4.*

Clemens Alexandrinus: Philoſophiam ergo adjuvant diſciplinę, & ipſa philoſophia ad tractandum de veritate. Ecce enim chlamys primùm fuit vellus, deinde carptum fuit, & ſubtegmen ſtamenque factum eſt, deinde fuit contextum. Oporteret ergo animam prius eſſe præparatam, & variè elaboratam, ſi ſit conſtituenda optima & præſtantiſſima. Nam veritatis alia quidem eſt pars quæ verſatur in cognitione, alia verò in actione: profluxit autem à contemplatione. Magna autem exercitatione opus eſt & experientia. Quinetiam contemplationis, alia quidem pars eſt ut adverſus proximos, alia verò ut adverſus ſeipſum. Quamobrem ſic quoque eruditionem oportet eſſe comparatam, ut utriſque conveniat. Ei ergo qui ſufficienter didicerit illa, quæ continent, ea quæ deducunt ad cogitionẽ, licet deinceps manere quietum, actiones dirigendo ad contemplationem. Cùm autem propter proximorum utilitatem, alii quidem ſe conferant ad ſcribendum, alij verò ad Verbum tradendum ſe cõparent, cùm alia doctrina eſt utilis, tum ſcripturarum Domini lectio eſt neceſſaria ad eorum quæ dicuntur demonſtrationem, & maximè ſi ij qui audiunt accedunt ex Græcorum doctrina. *libro ſexto Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Porrò autem illi qui dicunt philoſophiã eſſe profectam à Diabolo, illud quoque ſciant, quòd ſcriptura dicit, diabolum transfigurari in Angelum lucis. Quid agentem? Prophetantem ſcilicet. Si autem prophetat ut Angelus lucis, vera dicit ſcilicet. Si angelica & lucida prophetat, tunc etiam prophetat utilia, quando transfiguratur ad ſimilitudinem operationis, etiam ſi ſit alius, quatenus eſt ſubiectum defectionis. Nam quomodo deceperit quempiam, ſi non ſtudioſum per vera adducat ad cõjunctionem & familiaritatem, & ita poſtea ad mendacium attrahat? & alioqui invenietur ſcire veritatem, etſi non ita ut comprehendat, ita tamen ut non ſit ejus ignarus. Non eſt ergo falſa philoſophia, etiamſi qui eſt fur & mendax, per transfigurationem operationis vera dicat. Neque verò propter eum qui dicit, ſunt imperitè ea prius damnanda quæ dicuntur (quod in ijs quoque qui nunc prophetare dicuntur eſt obſervandum) ſed ſunt conſideranda

quæ

quæ dicuntur, an veritati cohæreant. Iam verò si universa quoque ac generali oratione, quæcunque sunt necessaria & vitæ utilia, divinitus ad nos venire dicamus, minimè errabimus: vel potius si dicamus, ipsam quoque philosophiam Græcis veluti proprium datam esse testamentum, ut quæ sit fundamentum Christianæ philosophiæ, etiamsi qui ex Græcis philosophantur, ad veritatem sua sponte obsurdescant, barbarorum contemnentes vocem, aut etiam reformidantes mortis periculum quod impēdet fideli legibus civilibus Quomodo autem in barbara philosophia, ita etiam in Græca seminata sunt zizania, ab ipso vero agricola zizaniorum: unde etiam & quæ sunt apud nos, exortæ sunt hæreses pariter cum bono tritico & genitali: Et qui Epicuri impietatem, & voluptatem, & quæcunque alia præter rectam rationem sata sunt, ex præscripto Græcæ tradunt sapientiæ, divinitus datæ agriculturæ sunt fructus adulterini. *libro Stromatum 6.*

Divus Nazianzenus: Magnus vobis est Zeno, qui cùm navis tempestate jactaretur, atque omnia in mare proijcerentur, gratias fortunæ agebat, tanquam ad philosophicum pallium eum redigenti. *Orat. 1. steliteutica 1.*

Divus Nazianzenus: Philosophari enim, ut maximum, ita etiam difficillimum est, nec id aggredi multorum est, nec aliorum, quàm quos divina mentis magnitudo, quæ probæ hominum voluntati manum porrigere solet, advocavit. Non parvum autem hoc quoque æstimandum est, si quis secundum vitæ genus complexus, probitati studeat, ac majorem Dei, salutisque suæ, quàm terreni splendoris, rationem habeat, atque hunc quidem tanquam scenam, aut personam quandam ex multis & caducis præferat, hujus mundi fabulam agens, ipse autem Deo cum imagine, quam se ab eo accepisse, eique debere novit, vitam ducat. *Oratione 10. in funere fratris.*

Divus Nazianzenus: Aut philosophiæ operam dare oportet, ut ego censeo, aut philosophiam honore complecti: ne alioqui è recto atque honesto prorsus excidamus, ac brutæ cujusdam vecordiæ damnemur. *initio orationis 23.*

Divus Nazianzenus: Sapientes ac philosophi, barbaque & pallio venerandi, vosque Sophistæ & Grammatistæ, publicique plausus captatores, haud scio quonam pacto sapientes appellari possitis, primario sermone ac doctrina carentes. *Oratione vigesima septima.*

Divus Nazianzenus: Nihil philosophia fortius est, nihil inexpugnabilius. Omnia prius cedent, quam ut manus det philosophus. Onager est in deserto, ut cum Iob loquar, solutus & liber, urbis tumultus ridens, eius, qui legendis tributis præfectus est, expostulationem non audiens. Vnicornis est, animal suis legibus vivens.

Si tibi servire animum induxerit, videbis eum in præsepi: si sub jugum ducatur, si omnibus terræ commodis prohibeatur, paratæ sunt ipsi alæ sicut aquilæ: ad patroni sui domum se conferet: ad Deum convolabit. Vt in summa dicam, duo hæc arripi ac superari nequeunt, Deus & angelus: tertium est philosophus, in materia expers materiæ, in corpore circūscriptus, in terra cœlestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se facilè ferens, præterquam animi magnitudine, eo ipso quòd vinci se patitur, eos, qui superiores sibi esse videntur, devincens. *Oratione 28.*

Divus Nazianzenus: A nullo perinde mihi solatium capere posse videris, quam à teipso, illiusque recordatione. quippe qui alijs quoque omnibus philosophiæ exemplum fueris, ac veluti amussis quædam spiritualis, tam moderationis in secundis, quam tolerantiæ in adversis. quandoquidem hæc duo novit philosophia; prosperitate modestè uti, & calamitatem honestè ferre. *Epistola trigesima septima.*

Divus Nazianzenus: Absurdè præposterum est, nos extra pericula constitutos philosophari; tempore autem id postulante, philosophiæ expertes apparere, nec quod profitemur præstare. *Epistola 64.*

Divus Nazianzenus: Facilius est in alienis quàm in propriis philosophari. *Epist. 47.*

Divus Chrysostomus: Nam & philosophi sibi inter se adversabantur; propter imperandi desiderium & inanis gloriæ studium, contraria inter se tuentes dogmata, & studentes invenire aliquid præter priores. hæc autem eis accidebant, quoniam sua permittebant ratiocinationibus. *Præfatione in Epistolam 1. ad Corinth.*

Divus Chrysostomus: Si Græci, cùm sint viri triobolares & canes, hac suscepta triobolari philosophia, talis est enim Græca, imò verò non ipsa; sed ejus nomine induti pallio & alentes comam, multis pudorem suffundunt, & inducunt reverentiam: quantò magis qui est verè philosophus! Si falsus habitus, si philosophiæ umbra apparens ita extollit: quid si veram & sinceram diligamus philosophiam, non omnes colent? non & domos, & uxores, & liberos ijs qui sunt ejusmodi tractent & committent cum multa securitate? Sed non est, non est nunc ejusmodi philosophus. Propterea nec exemplum licet invenire.

Nam sunt quidam inter monachos: inter mundanos autem, seu singulares non sunt amplius. Et quod sint inter monachos possunt multi produci: dicam tamen unum ex multis. Scitis utique & audivistis, & vidistis etiam nonnulli, virum quem dicturus sum. Julianum dico illum mirandum. Hic erat rusticus, humilis, & humili loco natus, & nec externæ quidem eruditionis omninò peritus, sed non ficta & simulata philosophia repletus. Hoc ingrediēte civitates; hoc autem raro fiebat; neque Oratoribus, neque Sophistis, neque ullo alio ingrediente tantus fiebat concursus. Quid autem dico? non nomen ejus nunc quoque clarius decantatur, quàm quorumvis regum? Si autem hæc fiunt in hoc mundo, in quo Deus nihil nobis boni promisit, in quo nos dixit esse hospites: cogitemus, in cœlis quanta erunt bona reposita! Si ubi erant advenæ & inquilini, tantum acceperunt honorem: ubi sunt civitates, quantam consequentur gloriam! Si ubi promisit afflictionem, tantus est cultus: ubi bona verè est pollicitus, quanta erit quies! *Homilia 21. ad Ephesios.*

Divus Chrysostomus: Quid est philosophia? an non pecunias & gloriam despicere? invidia & quavis animi perturbatione & ægritudine esse superiorem? Age ergo, Abrahamum in medium adductum exuamus, & vobis ostendamus cujusmodi esset philosophus. Primùm ne existimabat quidem esse patriam. Egredere enim, inquit, ex terra tua, & ex cognatione tua: & statim est egressus. Non fuit domui alligatus. revera enim non esset egressus, non amicitiæ consuetudinis, non ulli alteri rei. Sed quid? Ille maximè omnium gloriam despexit & pecunias. Confecto enim bello, fusisque ac fugatis hostibus, cùm rogaretur ut acciperet spolia, recusavit. Sed ejus filius non rursus habebatur in admiratione propter pecunias, sed propter hospitalitatem; non propter liberos sed propter obedientiam; non propter uxorem, sed propter sterilitatem in uxore. Præsentem vitam nihili ducebant: pecuniæ non studebant, nec rem faciebant: Omnia despiciebant. Nam, dic mihi, quænam sunt plantæ optimæ & præstantissimæ? non eæ quæ ex se habent vires; & nec imbribus, nec grandinibus, nec ventorum impetibus, neque ulla alia ejusmodi tempestatum læduntur inæqualitate; sed stant nudæ, omnia despicientes: & neque vallis neque maceriis, neque septis indigent? Sed talis est philosophus, talis est ille Paulus. Omnia habet, & nihil habet. Murus enim non est intrinsecus, sed extrinsecus.

Quid verò, dic quæso, quodnam corpus est validum; idne quod est sanum, & neque fame, neque repletione, neque frigore, neque æstu expugnatur; an quod adversus hæc omnia, & mensæ structoribus, & textoribus, & venatoribus, & medicis indiget, ut sit sanum? Ille est dives, ille est verè philosophus, qui nullo horum indiget. *Homil. 21. ad Ephesios.*

Divus Chrysostomus: Quid eo quæso stultius, qui vestimentis quidem vestitur, fratres autem suos despicit nudos? Qui canes quidem alit, Dei autem imaginem in fame contemnit? Cui planè est persuasum nihil esse res humanas, & eis est affixus, tanquam eæ sint immortales? Sicut nihil est eo sapientius, qui ex virtute se rectè gerit. Vide enim, inquit, quomodo sit philosophus. Facultates suas impertit, est misericors & benignus, agnovit communem esse naturam, agnovit usus pecuniæ nullam esse habendam rationem, suis corporibus magis esse parcendum quam pecuniis. Quamobrem quicumque gloriam despicit, est sapiens. Novit enim res humanas. Divinarum & humanarum rerum cognitio est philosophia. Ergo novit quidem quæ sunt res divinæ, & quæ humanæ, & ab his quidem abstinet, illas vero exercet & operatur. Scit autem etiam in omnibus Deo agere gratias. Vitam præsentem nil esse existimat: propterea nec lætatur rebus secundis, neque propter adversas dolore afficitur. *Homilia 9. ad Colossenses.*

Basilius Seleucus: Magnum profectò bonum Philosophia: Philosophiam autem nostram loquor. nam exotica illa tantum voces sunt, & fabulæ: sed neque ipsæ fabulæ philosophiæ quidquam habent: cum omnia ab illa profecta sint gloriæ studio. Magnum igitur bonum philosophia, quæ vel hîc agentibus nobis non infructuosa est. Nam pecuniarum contemtor hinc jam fructum metit honestissimum, quod superfluis & inutilibus curis exuatur: quique gloriam calcat, præmium hinc illud capit, quòd nullius servituti sit obnoxius, at reapse liberrimus: & qui cœlestium cupitor est, hoc reportat munus, præsentia nihil ut esse existimet, & omnem dolorem facilè in potestate habeat. *Orat. 41. pr.*

Isidorus Pelusiota: Philosophiam jactas, veræ sapientiæ inimicam, ipsum quoque huiusce rei nomen ejurans & inficians. Neque enim aliud quicquam est Philosophia, quàm sapientiam omnino amare. Quamobrem si tu verus sapientiæ amator esse cupis, veram sapientiam ama: quæ non sermonem duntaxat, sed etiam vitam exornat, ac veram religionem docet. Nam ea, quam nunc profiteris, & nunc ridicula est, ut quæ obscœnitatis fontes divinitates vocet: & in futuro ævo cruciatū expertē venię parturit: ubi scilicet Cocytos tibi ac Phlegethontas Plato minatus est. *lib. 1. Ep. 96.*

S. Isidorus Pelusiota: Sermonibus philosophari promptum ac facile est: rebus autem arduum & difficile. Ac propterea illud auditorū animos minimè penetrat: hoc autem eos perstringit: illud enim risum movet, hoc inertiam restringit: illud in probra, hoc in laudes desinit. Illud tædio & molestia, hoc pudore auditores afficit. Itaque curandum est, ut, quæ facienda sunt, non modo dicamus, sed etiam faciamus: ne alioqui & probra habeamus & pœnas sustineamus. *lib. 2. Epist. 183.*

Synesius: Philosophia luxuriantis linguæ delicias amovet, grave ac moderatum decus amplectens: cuiusmodi est vetus illud & naturæ consentaneum, & propositis ad dicendum rebus accommodatū quod post vetustissimos illos, Dio ipse assequitur, cum ea quę ex usu vitæ suæ sint sive ratione, sive disputatione percurrit. *Or. de Dio.*

Syneſius Epiſcopus: Hæc habui quæ de Dione dicerem ad eum filium, qui mihi tandem aliquando naſciturus eſt: quoniam interim dum varia illius monimenta percurro, neſcio quid præſaga mihi mens vaticinata eſt; patrios jam affectus experior, & cum filio mox familiariter colloqui, atq; ea ſuggerere volo, quæ de unoquoque opere ac ſcriptore ſentio, ut amiciſſimos homines, ſuo quemq; delectu ac judicio, à me commendatos habeat. Inter quos & Dio Pruſæus recenſeatur, vir ſingulari cum eloquentiæ ubertate, tũ judicio. Hunc igitur probatũ mihi & laudatum accipiet, ut poſt nobilioris philoſophiæ principes Politica tandem Dionis ſcripta deguſtet, eaque in primorum illorum rudimentorum, & ſolidioris diſciplinæ confinio poſita eſſe putet. Et ſane egregium eſt, ô fili, poſteà quam aut accuratis ſcientiarum præceptionibus inſudaveris, judiciumq; exaggeraveris, aut graviſſimis dogmatibus, atque ſententiis mentem quaſi conſtipaveris, ſi quando divertendum fuerit, non ad Comœdiam aliquam ſtatim, aut nudis Rhetoricæ opibus inſtructam orationem convolare: hoc enim congruo ordine careret, longéq; id eſſet à mediocritate aberrantem inertiæ indulgere: ſed paulatim remittendus ille tenor, donec ſi libuerit, libebit autem, vel in id quod omnino oppoſitum eſt, devenias, nihil non eorum percurrens quæ ad relaxandos animos luſêre olim Muſarum amici homines; rurſumq; ſtudium intendens earum rerum, aut iis affinium lectione, tanquam gradibus quibuſdam aſcendes. Atque ita optimè feceris, ſi alternis modo animi cauſa, modo ſerio libris incumbens eximium, ac reciprocum ſtadii iſtius curſum conficias.

Philoſophum quippe cenſeo cum ab omni alia labe, tum à ruſticitate morum & inurbanitate alienum eſſe oportere: Gratiarum autem ſacris initiatum eſſe, planéque ſeſe Græcum præſtare, hoc eſt hominum conſuetudine uti poſſe, dum nullius omnin o eruditi operis ignarus eſt. Neque enim aliud videtur, præter ipſam cognoſcendi curioſitatem philoſophiæ fuiſſe primordium. adeoque fabularum ſtudioſa in pueris indoles quædam eſt philoſophici finis repromiſſio. Et ſane cujuſnam artis aut ſcientiæ ars illa, aut ſcientia eſſe poteſt, in cujus id ratione naturáque continetur, ut omnibus inſideat, niſi earumdem delectum haberet, & aliam quidem perinde ut ex editiori loco deſpectaret, aliam verò etiam longe progreſſam, curioſius exploraret, omnium denique, ut reginam decet, ſatellitio ſtiparetur? Muſas verò unà omnes eſſe non ipſa nominis ratio coarguit, ſive Dijs nuncupantibus, ſive hominibus traditam à Deo appellationem imponentibus? Chorum enim ob ipſum nimirum conventum efficiunt: Nulla autem ex iis à cæteris divulſa, neq; in Deorum convivio ſuæ artis ſpecimen præbet, neq; ulli hominibus templum aut altare conſecratur. Quanquam nonnulli ab iã naturæ inopia minutatim id diſtribuunt quod divelli nequaquam poteſt, alteriúſque alter compos eſt factus: philoſophia vero id ipſum eſt, quod in omnes funditur. Atque hoc ex eo ſignificatur quod Muſarum concentui præſens ſtatim Apollo intereſſe ſoleat.

Hac proinde Oratione artifex quidem, aut ſciens is appellatur qui quamcumque diſciplinam ab aliis ſejunctam coluerit, aliúſq; alteri ſe Dearum addixerit: philoſophus vero is qui ex omnium concentu ſit, concordiáque temperatus, eámque omnem multitudinem in unum [veluti corpus redegerit. Aut hoc quidem nequaquam ſatis eſt, ſed ejuſmodi inſuper muneris acceſſione ne opus eſt, quod & ſibi peculiare habeat, & ſit cæterarum Choro ſublimius: quemadmodum Apollinem fama eſt nunc Muſarum cœtui præeũtem. Rhythmique præcentum auſpicantem concinere: nunc ipſum per ſeſe ſingulatim canere, quod quidem ſacrum arcanúmque modulamen eſt. Ita philoſophus noſter ſecum ipſe ac cum Deo philoſophiæ beneficio verſabitur: inferiorum verò facultatum adminiculo, hominum ſe conſortio immiſcebit. & quidem qua literatus rerum peritiam obtinebit: quà verò philoſophus unumquodque & ſingula dijudicabit.

At rigidi illi, & Rhethorices Poëticéſque contemptores, non mihi ſponte ſua tales eſſe; ſed indolis paupertate ne ad minima quidem ſatis idonei videntur, quorum citius cor, quàm quæ in corde ſunt videris: cùm eorum lingua quæ in animo ſunt expeditè enarrare nequeat.

Equidem fidem ijs ullam adhibere nolim, neq; reconditioris aliquid ab ijs occultari dixerim, ut ſacrum à Veſtalibus ignem; primũ quia nefas eſt eum in magnis eſſe ſapientem, qui ne in minimis quidem poſſit: deinde uti Deus ſecretiorum ſuarum facultatum manifeſtas quaſdam imagines edidit, Idearum ſcilicet corpora: ita decore inſignis animus, & genitali optimorum quorumque fœcunditate præditus eam vim habet, quæ in externa quoque diffunditur. Nihil enim quod divinum ſit extremum eſſe poteſt. Si verò ad tegenda etiam ſacra minimèque profana accommodatior eſt qui omnimoda eruditione refertiſſimus eſt, & eam ſibi facultatem comparavit, qua ſocietates hominum utut volet afficere queat, iniquiori hac in parte conditione ſit oportet, qui neque liberalium diſciplinarum circulo initiatus eſt, nec muſarum Orgia celebravit. Etenim ex ijs alterum ei accidat neceſſe eſt, ut aut taceat, aut ea efferat, quæ taceri lex præcipit. Nam aut ex civium infortuniis ſermocinandi materiam ſumet, adeoque importunum ſeſe hominibus præbebit, quod libero homini intolerabile eſt; aut in otio deget is, qui ſe ſapientiæ principem, ac Coryphęum facit. Forte enim neque ſi poſſit, velit omnino certè non, ſi poſſit velit. At ego Pharium imprimis Proteum admiror, quòd cum maximarum rerum ſapientia valeret, cavillatorias nihilominus quaſdam præſtigias obtenderet, variiſque rerum imaginibus ijs qui adirent occurreret. Quippe ex admirabili circa eum ſpectaculo cum ſtupore diſcedebant, ut non amplius eorum quæ ſatagerent veritatem inveſtigarent. Eſto verò ijs qui nondum initiati ſunt quoddam templi veſtibulum. Nam qui ſemel magnificè, & cum oſtentatione jactaverit, is non tam diſſimulat, quàm acerrimos ſtimulos, fomitémque nativæ hominum cupiditati adijcit, qua unuſquiſque curioſus arcanarum rerum inquiſitor efficitur. Ixion autẽ niſi nubem pro Iunone cepiſſet, complexúque fuiſſet ſimulachri contentus, haud ſponte ſibi unquam abſurda illa conſectatione temperaſſet. Eſt igitur pro ſermone ſermo in promptu habendus, pro maiore ſcilicet is qui minor eſt: Egregium porrò eundem eſſe conſentaneum eſt, ut ex iis quibus occurret, plebeii quidem interſiſtant, gratiſſiméque amplectantur, nec aliũ eſſe putent antiquiorem: at qui divinam indolem ſortitus eſt, hinc ſeſe attollens, illum una percipiat: ei autem qui à Deo impellitur templi ſacraria pandemus. Neque verò Menelaus verum Proteum ignoravit, Græcus enim vir fuit, generque Iove haud indignus, quique illum primùm graviſſimis de rebus convenerat. Siquidem ignis, arbor, & fera quidam erant de animantibus plantisque ſermones, ac primis iis elementis, è quibus quæ ſunt omnia coaleſcunt.

Verùm ille minimè iis contentus naturæ ſcrutari penitiora contendebat. Prorſus igitur divinum eſt omnibus, ut quiſq; ab ſeſe iuvandus eſt, poſſe ſufficere. Qui verò ſummũ ſapientiæ culmen attigerit, is & hominẽ ſe eſſe meminerit, & cũ hominibus pro cujuſq; captu congredi poſſit. Ecquid ergô Muſas quiſquã abdicet, quarum ope & hominibus placere poſſumus, & divina quibuſdam occultata involucris ab omni plane labe vindicare? Quòd ſi varia eſt natura hominum, eius tandem vitæ, quę in contemplatione poſita eſt, tædio ſuccumbet, atque ita nonnihil de ea magnitudine remiſſura, & quodammodo deſcenſura eſt. Nec enim incorruptæ ſumus divinæq; mentes ſed eaſdem in animãtium animis inſitas habemus: & noſtri ergo cauſa humaniores quæque literæ capeſſendę ſunt, ut ſeipſam demittenti naturæ quoddam velut perfugium cõparetur. Gratum enim & jucundum eſt, cum habeas quo in proximum divertas, & animalis temperamento, quod nonnulla oblectatione indiget, quantum ſat eſt tribuas, non procul excidere, neq; omnem in vivendo ſequi varietatem naturæ. Deus enim voluptatẽ animæ fibulæ inſtar inſervit, cuius beneficio diuturnam in corpore manſionem ſuſtineret.

Tale itaque quippiam eſt diſciplinarum venuſtas. Non hæc ad materiam uſque pertingit: neque mente in imas facultates deprimit, ſed ſubinde emergere, & ad naturam ſuam recurſare permittit: ſupernum enim illud etiam eſt, quod in hac vita infimum ſubſidet. Contra qui ſinceræ voluptatis oblectamentũ non habet (naturæ autem lenimento aliquo opus eſt) quid eſt quod agere poſſit, aut quonam ſeſe convertet? An non ad ea quæ ne memoratu quidem digna ſunt? Nec enim naturæ modum exceſſerint, aut indefeſſo ad contemplationem animo eſſe dixerint, affectioníſque omnis expertes, quaſi carne circũfuſos Deos ſe eſſe putaverint. Sin id forte dicant, ij ſe pro Dijs, aut ſapientibus, ac divinis hominibus, longe arrogantiſsimos & inſolentiſsimos eſſe intelligãt. Melius ſane fecerint ſi quod cuique generi peculiare eſt, aptè diſtinguant. Affectuum namq; vacuitas in ſola Dei natura reperitur: homines verò vitium alternis cum virtute cõmutantes affectuum ſibi mediocritatem conciliant; immoderationemque devitare, hoc ipſum fuerit ſapientis certamen.

Jam vero barbaros ego homines utroque genere nobiliſsimos animadverti, qui cum contemplationem profiteri inſtituiſſent, procul à civili adminiſtratione, hominumque communione ſeceſſerant, utpotè naturæ ſeſe conſortio ſolvere cum omni impetu geſtientes: erantque ipſis religioſi, gravéſque cantus, & ſacra quædam arcan aque ſigna, & certi ad divinũ numen acceſſus, atq; ſupplicationes, quæ quidẽ omnia à converſione ad materiã illos dirimunt; deguntque à ſe invicem ſeparati, ne quid quod ſuave ſit videre aut intelligere poſsint.

Nam nec edunt panem, nec Bacchi munera potant.

Sed nehæc ſi quis in eos dicat non multum à veritate aberrabit. Sed neque illi ſane adeò ſplendidè adverſus naturam inſurgentes, & ut nos dixerimus beatioris vitæ aſſecutione digniſsimi, ea ſine fatigatione potiuntur: verum & ipſi paululum in eo, quod in eorum natura felicius eſt, ſtabiliri, fluxa, & caduca naturæ conditione revocantur: nec utique toto deinceps tempore mente extra ſeſe rapiuntur, nec intelligibili pulchritudine ſatiantur, quibus id aſſequi poſſe conceſſum eſt. Audio enim non omnes eius rei compotes fieri: imò ne majorem quidem partem, ſed ex paucis longè pauciſsimos, quibus divino quodam afflatu prior ille extitit mentis impulſus: in eóque quantum hominum natura patitur perſeverant, nec ullo retrahentis naturæ libramento flectuntur.

Multi Thyrſigeri, Bacchorum copia rara eſt.

Quanquam neque illi Bacchicum hunc furorem perpetuo ſuſtinẽt, ſed modo divinis, modo terrenis rebus, atque corporibus occupantur; hominéſque ſe eſſe intelligunt, exiguas mundi partes, & minores vitas ſibi ipſis ſubditas habentes, quas & ſuſceptas habent, & ſedulo occupant, ne moveri, aut contra inſurgere queant. Alioqui quid iſti ſibi calathi volunt, textáque, quæ tractare ſolent?

nisi imprimis quidem tunc temporis homines essent, hoc est nonnunquam se ad hæc inferiora convertentes. Neque enim unâ & contemplationi & textorum artificio vacare possunt. præterea ab otio sibi metuunt, quod naturæ nostræ, quæ plurima motus invitamenta suppeditat, intolerabile est. Vt ne igitur aliud quicquam agerent, earum rerum occupationem sibi præscripserunt, eoque modo animum instigant. Nam & confecto opere delectantur, eóque magis, quo plura, & venustiora perfecerint. nostrûm enim partem aliquam esse necesse est quæ in his inferioribus versetur, ita tamen ut minus valida ea sit, ne plus æquo præponderet, aut tenacius adhærescat. Atqui Græco Barbarus in servando proposito multo constantior: quocumque enim eum impetus rapuerit, vehemēs atque pertinacissimus est: ille autem eleganti morum urbanitate ac mitiori temperamento est, adeóque facilius deficit.

Ego verò eam naturæ nostræ conditionem esse cuperem, perpetuò ut ad contemplationem erecti esse possemus. Quod quia fieri nullo modo posse comprobatum est, vicissim ego velim modo maximarum rerum cōtemplatione detineri, modo in naturam delapsus aliquid oblectamenti capessere, vitámq; nōnulla hilaritate perfundere. novi enim hominē me esse, nō Deū, ut ad omnem voluptatem rigidus sim, atq; immobilis, neq; item belluam, ut corporis voluptatibus indulgeam. Superest profectò ut mediū aliquid à nobis quæratur, quod quid aliud esse potest, quàm otiū illud, quod in literis, & circa literas cōteritur? Quæ voluptas sincerior? Quinā affectus ab omni affectu purgatior? Quis materiæ minus affixus? Quis magis impollutus? Hac ego parte rursus Græcū Barbaris antepono, & prudentiorem judico, quòd ubi sese demittendum erit, ille statim in proximo consideat: in disciplinis enim cōsidet. disciplina autem mentis digressus est: hinc ex alia in aliā rationē, per quam antea progressus est, pervenit. Ecquid verò tandem menti est ratione conjunctius? aut quod ad illam navigium accommodatius? Vbicumque enim ratio est, ibi & mens est: sin minus, at cognitio saltem aliqua, sive in inferioribus rebus mentis intellectio.

Nam & hîc speculationes, & theoremata quædam appellantur inferioris mentis officia, Rhetorica scilicet, Poëcica, Naturalia, & Mathematica: eadémque nihilominus oculum illum exornant, lippitudinémque discutiunt, & paulatim his quæ cernuntur assuefacientia mentem excitant, ut ad nobiliorem speculationem audacior assurgat, nec fixis ad Solem obtutibus protinus conniveat. Ita Græci homines etiam voluptati dum vacant, una & animi cognitionem exercent, atque ex ludo nonnihil in prioris propositi emolumentum reportant. Etenim de Oratione, aut Poëmate judicium ferre à mente alienum est. Dictionem autem castigare, & minutatim quasi scalpello deradere, argumentorúmque caput investigare ac disponere, sive ab alio dispositum agnoscere, hæc quomodo minimè seria, aut ludicra esse possunt.

Atqui altera via, quæ adamantina judicatur, incedunt (demus vero quod re vera est, nonnullos ex ijs finem adipisci) mihi certè non ulla via incessisse videntur. Quî enim via hæc esse potest; in qua nullus pedetentim progressus apparet, neque prjus quicquam aut posterius, neque certus ordo est? Sed quod ab ijs fit, Bacchico potius furori, & insano, ac fanatico saltui simile est, sine cursu videlicet ad extremum pervenire, & sine rationis functionibus rationis limites transilire. Non enim istud quasi cognitionis consideratio est, aut mentis excessus, sacra illa, & divina penitus res: neque ut aliud in alio quippiam; sed (ut parvis maiora componamus) quemadmodum Aristoteles ei qui initiandus est, non quidnam agere debeat discendum esse præcipit, sed pati quodammodo, atque affici oportere, posteaquam nempe idoneum se præbuerit: ipsa autem habilitas ratione caret multóque magis si non eam ratio præparet. Ejusmodi itaque hominibus vel ad minima delapsus sine ullo medio longissiméque accidit, & præcipiti ruinæ similis est; non secus ac illum in superiorem partem ascensum cum saltu conferebamus. Nam quos ratio proficiscentes non deduxit, neque item redeuntes excipiet.

Quonam hæc ergo pacto sibi invicem consentanea sunt, nunc quod supremum est contingere, nunc ad vitilia, & virgulta converti? Homo verò mediæ considerandi facultatis beneficio rationis particeps est, & dicitur, quam illi nunquam excoluerunt, quantum ex eo quod palam est conijcere licet. Atque ipse quidem finis, & id quò perveniendum est utrisque commune est, illudque si adepti fuerimus nihil à nobis invicem dissidebimus. Quod autem ad ea attinet quæ intermedia sunt, in his philosophus noster longe consideratior est: Viam enim sibi præmunit & ita gradatim conscendit, ut & ex seipso aliquid moliatur: paulatim autem progressū id quod appetit verisimile est esse consecuturum. Quod si minus obtineat, at progressus est saltem, neq; id profectò minimū est, sed is multo magis cæteris præstabit mortalibus, quàm illi pecudibus antecellunt. Idcirco plures ex nostris ad finem perventuri sunt, quia cum natura congrua est illorum aggressio. Illa verò, nisi si qua forte ingenua sit animi nobilitas, quæ primam sui originem ex alto deducat, aut mentis singulare quodpiā genus, quod ut à seipso moveatur per sese sit sufficiēs. Qualis Amus olim Aegytius literarum usum non reperit, sed judicavit, tanta in eo erat vis mentis. Ejusmodi autem vel sine philosophica methodo citiùs resolvat: Naturalis enim sufficit, multóque magis, si quis exacuere ipsum ac provocate velit. Nam ad interiora semina augenda, & ad totum aliquod incendium excitandū licet minimā sermonis scintillam acceperit, efficacissimus est: Illis igitur nihilo ex eo deterius est, si non Græcam institutionem anteverterint, quæ quidem eos qui minus robusti sunt provehit, & suscitat, ac quicquid in ipsis divini est fovendo educit: Illic contrà soli ij quibus domestica felicitas suppetit finem adipiscuntur: Rarius autem sane est animorum istud, quàm Phœnicis genus, quo Ægyptii temporum circuitus metiuntur: vulgus vero hominum frustrà in eo laboraverint, séque ipsos labore confecerint, absque mente eam naturam indagantes, quæ mente percipitur, ijque præsertim, quos minimè princeps illa natura in hanc vitā induxit. Illis enim suus impetus profuerit: vel potius eum ego impetum agitatæ mentis indicium esse censeo.

Sed maxima hominum pars neq; interius concitata est, neq; quę secunda dicitur navigatio, per otium, & quietem ad mentem excitatur: & ut aliquid aliud eorum quæ in pretio sunt, ac laude hominum, præclaram aliquam sectam æmulantur, quorū quidem multiplicia sunt genera, singuliq; propter necessitatem suam in unum conveniunt. De quibus ego verissimè affirmare ausim, frustra eos laboraturos, aut fatigatum iri, quibus vel sponte insita mens deest, vel postmodū acquisita. Ac vereor ne nō fas sit alia in parte nostri, præterquam in mente, præsentem Deum esse credere. Templū enim istud Deo conveniens est, propter a purgatricibus virtutibus studendū esse tradidere Græci iuxta ac Barbari sapientes, molestam omnem naturæ occupationem præcludentes, ne quod intelligentiæ impedimentum possit facessere. Hæc fuit eorū mens, qui primi utramq; philosophiam condiderunt: verū illi virtutes consuetudine potius, quā ratione stabiliri putant, trésq; illas numero esse volunt: prudentiam enim rejciunt iidem ipsi, qui temperantiā admittūt, si ullam demū temperantiam secundum eos esse concedamus. quando fieri non potest quin præ mutua consequēdi necessitate simul & ponantur virtutes omnes & intereant. At temperantia utendum esse putant, non quod cur temperandū sit intelligant, sed quasi imperio quodam accepto, aut lege cujus nulla ratio adferri queat; quam qui posuit alterius quidem rei causa esse non ignorabat, intelligentiæ nimirum, simulq; quod ad mentis ascensū conduceret, ut nullo eorū quæ in materia sunt afficeremur. hi verò à concubitu abstinent, id ipsū per sese admirantes, maximúmq; id ducentes ꝙ minimū est, & præparationē ipsam finē esse persuasū habentes. Nos autē virtutes quasi totius philosophiæ elementa miramur.

Etenim qui impurus sit pura tractare ne liceat dictum à Platone probavimus. Virtutes porrò quod alienum est detergentes expurgant. Sed si quidem anima per se bonum esset, repurgatione duntaxat opus haberet, & ex eo jam bonum evaderet, quod sola existeret. Iam verò nequaquam illa bonum est, nec enim unquam inter mala versari potuisset; sed boni speciem habet, mediamque naturam sortita est. Itaque in deteriora vergentem virtus reducit. solutaque labe mediam rursum efficit. Sensim tamen ad bonum procedendum est: hoc autem ratione fit. Intellectus siquidem cum intelligibilibus conjugatum nomen est. Vti si finis sit cœlum intueri, haud satis est in humum non curvari, sed post mediam visus cōsistentiam, necesse præterea est ad superiora converti. Et quidem id ex virtutibus utilitatis sibi aliquis consciverit, quod ab omni materiæ affectione liberetur. Evehendus vero insuper animus est: quia malum non esse nequaquam satis est, sed & Deum esse oportet: & illud quidem nihil esse aliud videtur, quàm à corporis, & eorum quæ ad corpus attinent consortio recessisse: hoc autem perinde est à mentis beneficio ad Deum sese convertere. Nos itaque suum virtutibus honorem habentes scimus quo quæque ordine gaudeat, eo scilicet quem prima elementorum principia ad totius libri cognitionem obtinent: primæ enim his qui ad mentem eriguntur occurrunt, non tamen ex virtutum possessione omnia consequimur, sed id tantum quod impedimento erat removimus, eáque hactenus præparavimus, sine quibus ne fas sperare quidem est finem posse comparari. Atque hac ratione minimè desperantes, deinceps mentis auxilio, eo ordine quem vetustissimi, ac felicissimi homines excogitarunt, ad finem enitimur: neque istud scio an sedulo quæsitū simus tandem assecuturi, ægrè certe in eum inciderit, qui nec unquam amore illjus captus est, nec quærendúsne sit satis exploratum habet.

Atqui egregiè ex iis ij defunguntur, qui in eo consistunt, nec aliud præterea curosius inquirunt: mali enim utpote repurgati non fuerint: At quibus plebē excellere in animum incidit, qui id temerè casuque didicerint, eximium ac præclarum quid hominis esse rationem, indeque disciplinam quidem omnem, qua mens corroboratur, nihili facere: à seipsis vero absurdis quibusdam agitationibus cientur. & cum se philosophiæ nomine magnificè ostentent, si quid tamen ab aliis traditum acceperint, hoc suis additamentis depravatum, & malignum reddunt, cæcos quosdam partus enixi, qui non mentis quidem illi, imo ne intellectus quidem dici debent, sed ex absurda opinione, & aberrante Phantasia prodierunt: ridicule (inquam) vel miserrime potius illos affectos videas. Æquū est enim homines cùm simus, hominum calamitatibus non illudere, sed easdem deplorare. Proh sermones! proh dogmata! Nam si arietes philosophiam ipsam capessere vellent, haud scio quidnam præter ea aliud in honore haberent.

Sed nos illis dicamus (merito enim dicemus) ô omnium mortalium audacissimi, si vos eximiam quidē illam naturæ conditionem feliciter adeptos intelligeremus, quam Amus, aut Zoroastres, aut Hermes, aut Antonius habuerunt, minimè castigandos, aut disci-

plinis informandos esse censeremus, insigni quadam mentis magnitudine præditos, apud quam & ipsæ conclusiones Propositionũ instar sunt: sed sicubi eum hominem offenderemus, religioso cultu ac veneratione prosequeremur. Vos autem etiam communi natura inferiores, nec tam solertes quàm crassos, atq; hebetes esse animadvertimus. Quare reprehendendos merito ducimus, & quicquid optimi nobis excogitatum habebimus, id in medium proponemus. Aut igitur in primis cognitionis elementis consistite (sunt enim ea à divinis hominibus tradita) atque ita mediæ eritis secundum Platonem consistentiæ, ut non amplius imperiti, sic nondum tamẽ sapientes, rectæque opinioni sine ratione, & demonstrationibus primas partes tribuentes. Nam & id quod verum est imperitum esse, & sapiens id quod rationis est expers, nulla unquam permittet oratio. Eo si ordine contenti eritis, vobiscum mediocriter agetur, culpáque tàm Dei, quàm hominum causa vacabitis, imò justa ex ea re laude non carebitis. plebeio enim homini an sit res nosse satis supérque est. sin vos loco non contineatis, sed id quod ulterius est affectetis, ac propter quid res sit curiosè indagetis, præclare quidem feceritis, sacræ illius rei, sapientiam intelligo, amore correpti: verum ne soli apud vos ei rei aucupandæ studeatis: Rudes enim estis, nec abunde exercitati, ac periculum est ne in profundam loquacitatis voraginem demersi funditus pereatis: quod & olim Socrates extimuit, neque eum animi affectum clam amicos homines esse voluit, Parmenidem, & Zenonem. Atqui Socrates ille erat: vos autem qualescumque demum sitis, gravissima nihilominus audacia vestrum omnium est, qui in arcana quædam dogmata temerè insilire contenditis: præsertim cum trivialibus ad id verbis utamini. Cadmi quidem semen sativos (ut ajunt) eadem die milites reddebat: sativos vero Theologos nulla hactenus fabula prodigiosè finxit. Non enim veritas omnibus in propatulo est, neque passim strata, nec tale quidpiam, quod venatione possit comprehendi.

Quid igitur? Ea in re philosophiæ subsidium advocetur, & ad omnem illum decursum infinita longitudine porrectum patienti animo ferendum se accomodent, tàm disciplinas, quàm disciplinarum rudimenta capessentes. Est enim exuenda inprimis rusticitas, minoraque sacra ante majora inspicienda sunt, & choreæ ante facium gestationem celebrandæ, facésque rursum gestandæ, priusquam sacrorum Antistites simus. num itaque alios ab aliis labores sponte suscipietis? At non sine pulvere maxima quæque comparantur, quanquam si opportune rem attigissetis, nonnihil in ea re voluptatis caperetis, quam qui progressum faciunt percipere solent. Sed vos feræ eruditionis piget: cùm id turpe non sit, imperitia autem longè maior sit turpitudo, in qua quidem constituti, simplici ea contenti non estis: jampridem enim mediocrem statũ obtinuissetis, nihil neque scientes, neque scire profitentes, hoc est dimidia ex parte periti; hoc enim saltem ipsum sciretis nullius rei in vobis esse scientiam. Duplicem autem ignorantiam magnifice vobis ipsis consciscitis; sapientiæ enim loco arrogantia, fastúque pleni, & priusquam didiceritis, ad docendum accincti; dicam iterum, proh sermones! proh dogmata! qualia apud vos distracta & plurimorum capitum monstra gignuntur: cujusmodi olim Diis bellum intulisse ferunt: De quibus quid aliud quisquam dixerit, quàm absurdis de ipso opinionibus divinum numen discerpere? Quod minimè sanè contingeret, si ab Idiotarum & imperitorum statu non defecissetis: sed erat nimirum felix eius rei successus in mediocritate positus: postquam Icarus pedum usum dedignatus est, repente aere, terraque excidit, quorum alterum despexerat, alterum non est assecutus.

Hæc non tam adversus eos qui diversa vitæ instituta sectantur, quàm adversus nostros dicta sunt, qui stolidè, ac sine ratione magnificè loquuntur, quíque huic rationi liberalibus disciplinis succurrendi occasionem præbuerunt; quos quanti emere quisquã velit arrogantes atq; insulsos homines? multo sane constiterint, si tres obolo uno commutentur. Ego vero cùm scitis atque elegantibus poëtis, tùm probis oratoribus gratiam habeo maximam, unáque & si quis dignam sermone hominum historiam condiderit: neminem denique eorum qui in communem Græcorum utilitatem aliquid contribuerit, quod præclarum haberet, debito honore, præmioq; carere sinam, quoniam nos à pueris jam tum exceptos nutricati sunt, menteq; adhuc infirmos, & quasi ægros diligentissimè accurarunt, quæ utilia essent quadam suavitate condientes: Mera enim ea sinceraq; ob amaritudinem, & delicatam sensuum teneritudinẽ, nemo unquã admisisset. Deindéque hunc in modũ confirmatos, & ab alio per aliud deductos scientiis commiserunt: hę verò ad summi fastigij apprehensionem, sedulo compararunt: quo cùm pervenerimus, ubi sudore perfusos animos, viribúsq; præ lassitudine defectã naturã animadverterint, benigne statim revocant: moxque Calliope squallidos, ac siticulosos excipiens, in florida prata perductos recreat, ne laboris ægritudine conficiamur, lautissimúmque quoddam, & adijciale conviviũ instruit Atticis veneribus, ac poëticorum lenociniorum venustate refertum: quibus primum exhilarat, tum occultè stimulat, paulatimque quodammodo animum convertit: demum ad idem certamen accingit.

Quicumque autem Musas non tanquam initiativum quoddam esse censet, sed summam in ijs sapientiæ collocat, neq; quod ab iis obscurè significatur, eximium aliquid, ac singulare vult intelligere, sed expositum ipsarum decorem amplectitur, ei soli inhiat, eo detinetur, nihil is tamen adeo grave committit, sed multa ei insuper, utpote scito & eleganti viro, bona contingant. Quamvis enim Cygnos non tantum, quantum Aquilas miremur, quæ sursum super id omne feruntur, quod videri potest: ex eorum nihilominus aspectu, aut cantu mirifice oblectamur; & mei sane causa nullus ũquam Cygnorum extremũ cecinerit. Si verò regiæ illæ sunt, & juxta Iovis sceptra degunt, hos tamen aliquis Deorum Iove natus sortitus est, neque à Tripode reijciuntur. Aquilam autem Cygnúmq; una esse, & utriusque dona possidere avibus quidem est à natura denegatum, homini verò à Deo permissum: cuicumque & linguæ facundia pollere, & philosophiæ compoti esse conceditur. Verùm Musarum jam à me adversus ineptos, & à Musis alienos homines causa perorata est, qui maligne inscitiæ suæ deprehensionem vitantes, ad convitiosam earum rerum quas ignorant, criminationem confugiunt. Quòd si quid præter propositum nimis serium à nobis dictum sit, nonnihil utique à ludentibus serium dici potest. Quanquam ita fieri aliquid potest, ut non ex toto habitu exerceatur, sed si majori parte ludamus, non à reipsa penitus aberramus. Ludicris enim seria miscemus, quorum ex eo nata occasio est, quod in Dionis gratiam testimonium aliquod dici à nobis oporteret, ut ejus disciplinæ fatalis puer hereditatem consequatur, illa autem multas in partes mira cursuum varietate contendit. *Oratione de Dione.*

Idem Synesius: Tu verò si amatoria ejusmodi quædam animadverteris, de quibus tum cum Aspasia Socrates, disserebat, facile intelliges philosophiam augustissimis quibusque sacris inspectis ubique quod honestum est agnituram, atque amplexurã esse: & non modò Rhetoricam probaturam, sed Aspasiam etiam, ac Poëticam sibi conciliaturam: hac enim procul dubio Socrates usus est, non puer aut juvenis Socrates, sed tunc cum ætate provectior in carcere versaretur, quando ludendi nequaquam tempus erat homini natu grandi, & in tantis non dicam malis, quid enim Socrati malum esse posset? sed ejusmodi tamen, ut in his minimè ludendi locus esset. At ille Deo se morem gerere profitebatur, neq; ei diffidendum est; nam illum sibi ejusdem operis cõmunione devinxerat. An non poeta is est, qui in Pythiis, & mehercule inter Branchidas oraculũ habet? Et tamen ille Homeri sibi poesim tanquam propriam arrogat.

Hæc ego quæ cecini divinus scripsit Homerus.

Quocircà isti qui eloquentiam omnem repudiant præ sapientiæ magnitudine non vident, secundas à se partes Apollini, nec non Aspasiæ, & Socrati seipsos tribuere. Verum nobis ad omnia disciplinarum genera puer incitandus est, communibúsque cum eo votis optandum, ne priusquam utcumque Rhetoricam, ac poëticam imbiberit, men[t]éque & valere incipiat, atque ipsis possit earumdẽ ope succurrere, in audacem Musisque infensum hominem incurrat. *Orat. ead. de Dione.*

Synesius: Cùm non ita pridem te philosophiæ vicem graviter ferre & conqueri audirem, quod finem nullum aut modum facerent homines impiè se erga eam gerendi: tum quod tam tristi & difficili fortuna uteretur, tamque iniqua atque ingrata: cùm qui hanc simulatam affectant, ob crebras præstigias celebrentur magnique fiant, tam apud proceres ac potentes, quam in populo: Sed ijs qui verè eam profitentur, fides non adhibeatur, nec pluris quàm Cares æstimentur: admiratus sum jure istum animi tui impetum. is enim motus à generosa plane natura fuit. Verumtamen succensere quemquam oportere non existimo, si quid ut ratio fert, eveniat.

Jam verò rationi consentaneum est, unumquemque ea consequi, quæ ut obtineret elaboravit, & in quibus occupatus fuit: & contra non assequi ea quæ neque appetivit unquam, neque ut sibi adessent curæ habuit. Quonam ergo alius hoc studuit egitque ut sapiens esset, alius autem ut videretur tantum; uterque certe id habet quod ei competit; cùm hic quidem revera est, ille videtur esse. Quidni igitur illi gravius affligerentur & justius indignarentur, qui ex ea quæ reipsa non est philosophia, sed ejus solùm speciem præ se fert, gloriam aucupantur, si ijs quidem utrumque suppetat, qui de altero tantum solliciti fuerunt; ipsis autem neutrum succurrat? tamen etsi ei, quod facillimum est, non minore cura studuerint atque incubuerint, nempe ut decipiant eos qui ea non norunt in quibus decipiuntur.

Hi igitur splendidi & illustres sanè sunto, & in theatris coronẽtur, si lubet: à veritate cum deflexerint de nomine controversiam moverunt. Nobis verò qui despicimur (quandoquidem tu me vis eis qui è rariore genere sunt annumerare & propter me potissimum de sorte philosophiæ succensens conquestus es) nobis igitur, qui ab hominibus contemnimur, amplexandus locus est, in quem ipsimet nos constituimus: neq; æmulari nec beatos putare illos semidoctos debemus, quòd à planè indoctis in altum evehantur. Nam perpurgati animi decus & pulchritudinem intueri nequeunt, qui puri non sunt: & præconem sui esse, atque ad ostentationem & pompam omnia facere, non sapientiæ est, sed sophisticæ versutiæ. Quocirca eos qui à vulgo honorem, reverentiamq; nõ obtinent, præclarum rectumque fuerit dicere,

Nil moror hunc ego honorem:
Iuppiter, ut spero, ingenti me ornabit honore.

Præclarè etiam secum agi existiment, & in sinu gaudeant, si eum nacti fuerint virum, qui prudentiam simul & potentiam possederit.

Sic

Sic enim neque cum indignis versabimur, neque ignobiles atq; inglorij omnino censebimur. Cur ergo cunctarer tribuere intimū in animo locum admirabili Pæonio nostro, qui longo jam tempore sepimentorum tectorúmque intervallis inter se distinctas Philosophiam & rem militarem, unum in locum adducere, & inter se copulare orsus est, cùm antiquam horum studiorum cognationem esse acutè observasset?

At enim cùm Italia quondam eosdem haberet & Pythagoræ auditores, & civitatum rectores, Magna Græcia cognominabatur: nec id injuria quippe cùm apud eas gentes Charondas quidem & Zaleucus leges conderent: bellorum autem duces essent Archytæ & Philolai: princeps autem ille Astronomorum Timæus urbi proficeretur, & legationes obiret, alijsque civilis administratiōis muneribus fungeretur: quo etiam autore Plato nobis de mundi natura disputationem instituit. Cùm igitur horum fidei Resp. credita fuisset, ad nonam usq; à Pythagora ætatem, beatam ac florentem Italiam conservarunt. Et certè Elæatica Athenis Schola literas simul & arma, pari honore, curæ habuit. Nam haud facile numeraveris quàm multas tyrannides Zeno exciderit, & pro his integrum statum civitatibus constabiliverit. Xenophon autem decem millium exercitum qui sub calamitatibus desperassent, & oppressi jam occubuissent, ab extrema regni Persici ora acceptos reduxit, vincentes omne quod ipsis adversaretur. At quid jam de Dione aliquis dicat, quòd adiit Dionysij principatum: qui Græcas quidem in Sicilia urbes servituti addixerat, neque potentia & autoritate minimas è Barbaris; tùm Carthaginensium fastum depresserat; jam verò usque ad oram maritimam Italiæ grassabatur? Contra hanc Monarchiam collectis externorum copiis, Platonis ille amator, & à Platone amatus, cùm in unam navem, & illam quidem rotundam, totum sociorum exercitum collocasset, in Siciliam adnavigavit. Ab hoc igitur tanto apparatu & Dionysius expulsus fuit; & tùm Rempub. Dion in præstantiorem formam redegit, cùm legum imperio civitates restitueret. Ita sociatæ olim Philosophia & civilis administratio fuêre: & ubi sic convenêre, tantas res præstiterūt. Porrò, sicut aliæ res honestæ & graves, adversus quas universas tēpus vim petulantem exercuit: ita hoc etiam duplex genus succedētem hominum ætatem destituit, & à posteris fuit sejunctum.

Vnde nam ergo ne dici quidem honestè queat, quo modo res humanæ se habeant? Nunquid verò ex eo, quòd hæc & alia nos deseruerunt bona? Nulla siquidem urbibus contingere potest gravior calamitas, quàm si robur habeant mentis inops, & prudentiam sine viribus. At enim ipse hoc aggressurus videris, ut copulam hanc ad nos revoces. Nam & publica negocia tibi committuntur; & Philosophiæ operā dandam esse existimas. Hâc perge, macte animo, ut pulchrum certamen pro nobis & pro Musis decertes: ne quis has ut vanas, inefficaces, & mancas, foro militiâque exagitet, ac si nihil cōducerent ad serias actiones, quæ sub aperto cœlo geruntur. scitę autem sint ad delicias & ludicra puerilia, atque nugas effutiendas. Nos etiam tibi manum opitulatricem porrigere par est singulos, quantùm quisque conniti poterit. Sic enim absolutus sapiens fueris, nō inchoatus, neque imperfectus & mutilus, ut qui eo solo evehitur, quod à natura suggeritur. Et cum Repub. quoque præclarè agatur, cùm tales hujus cura gerent: nobis hoc in bonum vertet, honorem ab hominibus Philosophiæ despondisse, iis moribus perseverando qui decori sunt. Nam ita verisimile existet contrarium ei verisimili, quod paulo antè expositum fuit, cùm multitudinis inscitiæ & ruditati gentem Sophistarum insidiari diximus: unde usuveniat, vt veri Philosophiæ alumni minùs honorentur quàm subditiiij, & adscriptitij.

Cùm autem ij qui magistratus gerunt, & civitatum negotia trāctant, non quidam è vulgo fuerint, sed intelligentes homines, confestim illi discernent spurium à vero & legitimo: neque iam difficile populo esset errorem suum dediscere. nō enim dicere his quicquam oportet, verum ignobilitatis notâ inducere improbos & adulterinos. Et naturâ comparatum est, ut is qui præficitur, ex plena subditorum assensione, in admirationem veniat. Quandoquidem etiamnum maximè rerum absurditati vulgus adhærens, cirratos, intonsos & omnes audaciores, primos & eximios quosdam viros esse censet. Reliqua autem, magis varia & callidiora Sophistarum genera tantùm non omni cultu & veneratione prosequuntur, eos præsertim qui cum clavâ aut scipione incedunt, & sputa ante quàm verba fundunt. Quare & iniquæ sorti, qua Philosophia utitur, succurres, neque illam criminaberis, quæ injuriam non facit. Nam quod æquum & consentaneum est, id apparuit fieri. Hoc tu transferes ad id quod magis decorum & præstantius est, quando valentiùs & flagrantiùs te Philosophica corripuerint: cū ne nunc quidem segniter propugnationem adortus sis: quippe qui canibus latrantibus allatrasti, & Deceliam nobis muro cingere cœpisti. *Sermone de dono Astrolabij.*

Synesius: Non per amicitiæ tuæ, meæque Præsidem, non ego, ô Pylæmenes, tuam in patriam caritatem cavillatus sum. Non ita urbis inops ac lare destitutus sum, sed tu male epistolæ sensum interpretatus es, meque de quibus minimè oportebat, accusasti. Nam quòd Heracleam amas, benéque aliquo modo mereri de eo civitate affectas, laudo: sed de ea verba faciebam, esse forensi huic occupationi philosophiam anteponendam: & tu mihi in animum induxisse videris, te ex causarum actione plus utilitatis patriæ, quam ex Philosophiæ studio allaturum. Quî istud? Quoniam tibi, quòd sententiam non mutasses, tuum in patriam amorem causam esse dixisti. hoc igitur, non patriæ caritatem irrisi, quòd operæ pretium futurum tibi ad egregium illum amorem patriæ censes, si assiduè in causis volueris. Nam si Philosophiam idoneam esse dicam ad civitates erigendas, ipsa me Cyrene arguet, quæ magis quàm ulla Ponti civitas jacet.

Verùm hoc ego dixerim, Philosophiam non modo oratoria, sed & alia omni arte scientiáve, utpote quæ præsit omnibus, utiliorem eum qui possideat, & privatis, & familiis, & civitatibus præstare. Non tamen per sese sufficiens est ut boni aliquid afferre possit hominibus. Sic enim se res habet, optimè Pylęmenes, præstantissimæ quæque disciplinæ facultates quædam sunt, & animi habitudines, ac tanquam utendi sola vis & habilitas. Temporum autem & fortunæ vicissitudines sursum ac deorsum res civitatum impellunt, & modo ita sese, modo aliter habent, pro naturæ quam sortitæ sunt necessitate. Tu igitur patriæ quidem amans es: ego verò non minus hoc idem ipse sum. Tu oratoriam profiteris: ego te te in ea occupari non sino, sed in præclara ea & egregia disciplina, quam neque ipse opinor Plato describere conatus est. Ego philosophiam colo, cæterisque vitæ bonis antepono. Quid igitur tandem hac oratione boni procurare civitatibus possumus, nisi vitæ quædam genera subijciantur, quæ ad voluntatem ac propositum exequendum sufficiant. Materia quippe idonea opus est, opus itidem instrumentis ei, qui uti possit; atque hæc omnia comparare fortunæ proprium est.

Jam si illo duntaxat modo, hoc est unico Rhetoricæ præsidio fortunam tibi affuturam confidis, ut aut aliquando magistratum aliquem capessere, aut præfecturam urbis assequi, qui magistratuū summus est, eius beneficio possis: quid Philosophiam infelicitatis damnas? sin ex æquo ab utraque abesse, aut adesse ista contingat, quid tu hactenus non ex apparentibus & incertis eligis quid sit pręstantissimum? Nam ipsam per sese Philosophiam Rhetoricæ antecellere tute ipse fateris: quod verò prodesse patriæ debeas; id tibi quod deterius est magis necessariū reddit. Quasi nunc quidem meliora sperare liceat: simul verò philosophari cœperis, dij tibi omnes inimici sint, fortunámque omnem aliò derivent, ut ne in spe quidem relinquatur.

Ego verò nondum in hanc usque diem audire me memini, hanc esse sanctæ Philosophiæ divinitùs sortem attributam; ut infelix esset: verumtamen ægrè quidem in communi mortalium natura vis, & prudentia in unum convenerint; nonnunquam tamen ambas Deus copulaverit. Quamobrem licebit ex mea oratione, vel necesse erit potiùs eundem & Philosophum esse, & patriæ amantem, nec fortunam desperare, sed pro suis etiam meritis sperare meliora. Etenim hoc uno præsertim, ut veteri proverbio dicitur, probi malos superant, bona spe. Quomodo igitur inferiori illos esse conditione fatebimur? Necessarium autem id erit, si quid opinioni tuæ tribuamus: quæ te eo erroris adduxit, ut diceres tibi Reipublicę causa in tua arte esse persistendum. Patere enim me purgationem hanc cavillationis in accusationem convertere, quæ tibi cum nulla esset, priùs esse aliqua visa est. Neque enim jam opinor videbitur. Alioqui periculum est, ne apud sacram Cyrenem abs te in criminationem adducar, idque ab amicissimo mihi capite: si enim hoc civitatibus persuasum erit: solam oratoriam præsentia incommoda mutare posse, idque unicum eorum esse decus, qui iis opitulentur, qui de contractibus lites habeant, nobis illæ succenseant quod aliis omnibus, quam tribunali sumus addicti.

Vna igitur mihi ad te, & civitates omnes, pro Philosophia est responsio: Cùm fortuna nimirùm ingruerit, & illam ad negocia capescenda temporum ratio revocaverit, nullam artem, ac ne omnes quidem simul de ordinando citiùs, aut immutando Reipub. statu aut omnino in melius constituendis hominum rebus, cum Philosophia posse cōtendere. Sed cum nondum eò fatalis necessitas pervenerit, sapientis est suarum rerum satagere, non perperam actui rerum se immiscere, nec præter decorum ad hujus prætorium perrumpere, nisi extrema necessitas compulerit. Necessitati verò ne dij quidem ut ajunt, repugnant: Nobis autem alia sunt sanctiora: cumq; ab iis inferioribus animus vacat, circa Deum occupatur. Duę enim hæ sunt Philosophiæ partes, contemplatio, & actio, ac totidem idcirco facultates singulæ singulis attributæ partium, sapientia, & prudentia, hæc fortunæ indigens, illa sibi sufficiens, nec impediri eius functio potest. *Epistola 103.*

Synesius: Opus itaque tibi jam non nostra commonitione est, sed Lysidis Pythagorei ad Hypparchum epistolam quære. Quam sicubi inveneris, hoc mihi gratificare ut sæpius relegas. Fortasse non leviter te perperam ista evulgasse pœniteat. Etenim in vulgus philosophari, inquit, magnum in hominum genus contemptum divinarum rerum invexit. Quippe ego cum plerisque versari me memini non modo olim, sed & nuper hominibus, qui quòd temerè angustiores aliquot voculas audiverant, sibi ipsis nō crederent se, uti reipsa erant; plebeios atque imperitos esse factúque distenti divina dogmata corrumperet; eius rei magisterium usurpando cuius nunquam erant rudimenta consequuti. Atque iidem tamen res quatuórve auditores sibi conciliaverant, qui quod ad animum attinet, nulla in re ab operariis differrent; nec

eorum aliqui liberalibus erant unquam diſciplinis exculti. Mira enim, ac ſubdola quædam res eſt vana de ſua ſapientia perſuaſio quę inter imperitos nihil recuſat, nihil nō inconſideratè ſuſcipit. Quid enim inſcitia eſſe poſſit audacius; In id ego arrogantium hominū genus, tanquam fucos quoſdam incidens; qui neque doctrinas calleant, neque concupiſcant, nationem iſtam peroſus non aliam educationis illorum cauſam invenio, quàm quod ineptè atque ante tempus initio fortaſſe ſunt ab ſui ſimilibus ad exquiſitiſſimarum rerum auditionem admiſſi. Ob hæc Philoſophiæ ſacrorum cuſtos & ipſe diligentior ſum, & uti eſſe velis etiam atq; etiam rogo. Quod enim Herculiano iſta congrua ſint probè ſcio. Te autem oportet, ſi ad Philoſophiam ipſam ſyncerè acceſſeris eorum conſortia devitare, qui ab ea alieni ſunt, quiq; falſa uſurpatione ſummā illius dignitatem pervertunt, atq; adulterant. Per amicitiæ præſidem Deū obteſtor, ne in ullos hanc epiſtolam efferas. Si enim iſtud feceris, expreſſæ iſtæ malitiæ deſcriptiones mœrore illos afficient, qui apud ſe, aut amicos ſuos commemorata à me indicia deprehenderint. Dolore autem afficere cùm interdum virilis animi ſit, philoſophięque moribus conſentaneum, quando illud præſentibus fit; tùm ejuſmodi de rebus ſcribere, anguſtum & ſordidum videtur. *Epiſtola 142.*

¶ Theologorum Latinorum.

Io. Sariſberienſis: Grandis profectus eſt ad philoſophiam aſpiranti, virtutis in ſe deplorare defectum. *Prologo Policratici libro ſeptimo.*

Io. *Sariſberienſis*: Qui rerum ſubſtantiam perſpicacius intuentur, philoſophicis civilia videntur eſſe connexa. ſiquidem philoſophia rerum omnium moderatrix, à conviviis non poteſt abeſſe civilibus, cùm nihil omnino officioſum ſit aut civile quod non illa pertractet. ipſa eſt quæ univerſis præſcribit modum, & dum diſponit officia, etiam plebeis & vulgaribus intereſſe dignatur. alioqui nihil aliud rectè procedit, niſi & ipſa rebus afferat, quod verbis docet. Quid enim prodeſt verbis inanibus ventilare in ſcholis virtutis officia, ſi non actibus & vita ſolidentur. *capite octavo libri octavi Policratici.*

Io. Sariſberienſis: Ego in illorum ſententiam facillimè cedo, qui non credunt ſine lectione auctorum poſſe fieri hominem literatum. literarum tamen copia nequaquam philoſophum facit. Gratia ſiquidem eſt, quæ ad ſapientiam ſola perducit. In ſumma ſiquidem copia literarum, aut ignorantia interdum, aut negligentia veritatis eſt, ſine qua impoſſibile eſt quemquam fieri ſapientē. *cap. 9. Policratici lib. 7.*

Io. Sariſberienſis: Hæc eſt vera & immutabilis philoſophantium regula, ut ſic in omnibus legendis aut diſcendis, agendis, aut omittendis, quiſque verſetur, ut proficiat veritati & charitati. Ipſa vero nunquam inanis aut ſola eſt, ſed honeſtatem, modeſtiam, cum ſobrietate pudicitiam, & aliarum venerabilium virtutum cætum in ipſum hominem, quem pietati conſecrat, quaſi in templum domini introducit. Quicquid aliorſum vergit in artibus, ſive quibuſcunque ſcripturis, non philoſophiæ dogmata, ſed inanes fabulæ ſunt & figmenta eorum, ſuper quorum impietatem ira Dei de cœlo revelatur.

Quicquid illi garriant, recte philoſophanti ineptum videtur, inſipidum & inſulſum. Audi non me ſed prophetam dicentem de talibus: Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua. Loquor ergo vera & juſta, philoſophantibus & non philoſophantibus commune eſt. Vera & falſa loqui, bona & mala docere, non philoſophantium eſt. Sed & recta interdum docet vanus philoſophi imitator; ſed qui recta quæ docet ſequitur, verè philoſophus eſt. *libro ſeptimo Policratici capite 11.*

Idem. Errant utique & impudenter errant, qui philoſophiam in ſolis verbis conſiſtere opinantur. Errant qui virtutem verba putāt, ut lucum ligna. Nam virtutis commendatio conſiſtit ab opere, & ſapientiam virtus inſeparabiliter comitatur. Vnde conſtat, quia illi qui verbis inhærent, malunt videri quàm eſſe ſapientes. Plateas circumeunt, terunt limina doctiorum, quæſtiunculas movent, intricant verba, ut ſuum & alienum obducant ſenſum; paratiores ventilare, quàm examinare ſi quid difficultatis emerſit. Verentur tamen prodere imperitiam ſuam jactatores ſapientiæ, non amatores, & id quod neſciunt, pravo pudore neſcire, quàm quærere & diſcere malunt, præſertim ſi adſunt alij, quibus notum [arbitrentur quod ipſi neſciunt; faſtum tamen] eorum ferre non poteris, de omni materia loquuntur ſubito, dijudicant omnes, culpant alios, ſeipſos prædicant, jactant ſe inveniſſe de novo, quod tritum eſt ab antiquis, & teſtimonio librorum per ætates multas ad tempora noſtra perductum. Verba multiplicant, ut ſæpè minus intellecti ſint onere, & multitudine verborum, quàm rerum difficultate. Cum enim ne intelligeretur effecit, arbitratur ſe meruiſſe, ut præ ceteris philoſophus videatur. Et ſæpe qui pauciſſima novit, proponit plurima, quæ nec ipſe Pythagoras ſufficeret explanare. Interdum eadem replicat & revolvit. Et quia non habet, quo divertat, laborat miſere, idem terit, & eaſdem circinat auras; dum enim procul audias, tertium Catonem è cœlo miraberis cecidiſſe: Quemlibet enim hominem, adtuliſſe videbitur. Si profeſſionem quæras, & artem; eſt

Grammaticus, Rhetor, geometer, pictor, aliptes,
Augur, ſchœnobates, medicus, magus; omnia novit;

& eſuriente Græculo longè præſtantior. Nam & ſi juſſeris ibit in cœlum, & Dædalo doctior, teipſum quò volueris incolumem per inane trajiciet. *eodem libro cap. ſequenti 12.*

Io. Sariſberienſis: Cum omnia bona ſapientiæ neceſſaria ſint, ipſamque conſtet ſalutem & omnem pulchritudinem appetendam, ipſa cæterorum collatione vileſcit, & ſola ſunt neceſſaria eius in precio. Quis enim philoſophatur ut ſapiat? Nam ut rebus abundet, ſunt acceſſoria eius in precio. Quis enim philoſophatur ut ſapiat? Nam ut rebus abundēt, aut temporaliter floreant, videbis multos, & ſi non philoſophantur, tamen philoſophos imitari? Ceterùm facilius eſt ut divitiæ philoſophantem impediant, quàm ut philoſophiæ quippiam conferant. Deo enim & Mammonæ fideliter non ſervitur. Ne verearis ut quis patriam deſerat, ut paupertatem ſpontaneam amplectatur, ut ſtudio vacet: nam philoſophia ipſa labor videtur inutilis, niſi fructus opulentiæ conſequatur. Alios ut ſciant, curioſitas excitat. Alios ut ſcire videantur, elationis ſtimulo vanitas urget. Alios ad quæſtum peſtifera cupiditas inflāmat. Rarus eſt qui charitatis aut humilitatis pede ſapientiæ vias ſcrutetur, ut doceatur aut doceat. Nam ad immundæ voluptatis aut vanæ utilitatis ineptias, omnia referuntur. In his enim finis eſt animæ aberrantis. Philoſophia interim viaticum eſt, paucorum tamen, qua alia via longe videtur eſſe compendioſior. Nam ut dici ſolet, amor ingenii nunquam hominem divitem facit. *libro 7. Policr. c. 15.*

¶ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Heraclitus: Ego igitur ô homines non ipſe ſum bonus? Erravi qui vos interrogarim. Nam tametſi contrarium reſpondiſtis, attamen ſum bonus, & me multa difficillimaque certamina ritè confecta ſunt: vici voluptates, vici pecunias. vici ambitionem, profligavi adulationem. Non contradicit mihi metus. Nihil mihi loquitur temulentia. Metuit me triſtitia, metuit me ira. Contra hos adverſarios etiam ipſe coronam obtinui, mihimetipſi imperans, non ab Eurytheo. Non deſineris iniuria ſapientiam afficere, qui veſtra peccata, veſtra crimina nobis impingitis. Si poſſeris poſt annos quingentos regenerati reviviſcere, deprehenderetis adhuc viventem Heraclitum, veſtrorum verò nominis, ne veſtigium quidem. Vrbium & nationum vitam propter doctrinam æquabo. Nunquam ſilebo etiamſi civitas Epheſiorum diſtracta fuerit, & aræ deſtructæ omnes, hominum animi meam memoriam ut loci continebunt. Ducam & ipſe in uxorem Hebem, non illam Herculis. Nā ipſe cum ſua perpetuò eſt. Alia verò in noſtrum conjugium veniet, multas virtus gignit, & aliam elocavit Homero, aliam Heſiodo, & quotquot exiſtunt boni ſingulis deſponſant, eruditionis celebritatem & dedecus. Nūquid non ſum ſapiens. *Epiſtola ad Hermodorum.*

Hippocrates. Tum ego, per Iovem, inquam, ô Democrite, verè & ſapienter ais. Proinde te beatum judico, qui tanta quiete frueris, cuius participes eſſe nobis non liceat. At eo interrogante, cur Hippocrates non liceat? Quòd, inquam, aut ægri, aut res familiaris, aut liberi, aut æs alienum, aut morbi, aut mortes, aut ſervi, aut nuptiæ, aut ejuſmodi quædam huius opportunitatem nobis reſcindāt. *Epiſt. 12.*

Crates: Egregia res eſt Lex, non tamen præſtantior philoſophia. Nam illa per vim ab injuria deterret. Hæc per doctrinam. Quantò autem deterius eſt aliquid neceſſitate coactum facere ſua ſponte, tāto lex etiam inferior eſt philoſophia. Quamobrem philoſophiæ operam date, non rebus in Repub. gerendis. præſtantius eſt enim, quo docentur homines, ut rectè agere ſciant, quàm quo coguntur, ut ne injuſta patrent. *Epiſtola 5. ad Socros.*

Idem: Philoſophamini ſæpius quàm reſpiretis. Magis enim expetendum eſt bene vivere, quod præſtat philoſophia, quàm vivere, quod præſtat reſpiratio, & non ut alii, ſed quemadmodum incepit Antiſthenes, Diogenes perfecit. Sin arduum eſt ac difficile ad eum modum philoſophari: at compendioſius, ad beatitudinem verò, quemadmodum Diogenes ſolitus eſt dicere, vel per ignes eundum eſt. *Epiſt. 6. ad eosdem.*

Idem. Ite in malam rem, quòd cùm lupinos, caricas, & aquam habetis atque exomides megaricas, navigatis, & multùm laboris colenda terra conſumitis, & proditis, atque tyrannidem exercetis homicidiáq; patratis, & quæcunque ſunt eiuſdem generis alia facitis, cùm otiū agere oporteat. Nos verò quietē perfectam agimus, omni malo liberati à Sinopenſi Diogeni; & nihil habentes habemus omnia. Vos autem cùm habeatis omnia, nihil habetis, propter æmulationem & invidiam & metum, & arrogantiam. *Epiſt. 7 ad eoſd.*

Idem. A Divitiis quidem iam liberè vitam degimus. Gloria verò nondum etiam nos manumittit, quanquam, per Herculem noſtrū, omnem adhibeam diligentiam & curam, ut ab ea dimittar. Alio verò modo etiam ac hac domina me liberabo, cùm Athenas navigâro, munus tibi adferens, ad quod exemit nos & impulit tuus ſermo, nobis quidem omnium præſtantiſſima poſſeſſio. *Ep. 8. ad Diog.*

Diogenes: Multi cùm brevem & facilem viam, quæ ducit ad felicitatem, eſſe audiunt, volunt, quemadmodum & nos, philoſophari: cùm verò ad eam perveniunt, & eius intuentur difficultatem, tanquam feſſi deſiſtunt. Inde non ſuam mollitiem, ſed torporem noſtrum accuſant. Verùm tu ſine eos dormire in ſuis voluptatibus, in quibus non eo labore vivunt, in quo nos eſſe dicunt: ſed longè graviori, cuius gratia omni tempore turpiſſimè ſerviunt. Tu

verò perſevera, ut cœpiſti, & reſiſte pariter voluptati, & ann itere labori. Vtrunque enim nobis certare ſolet, & in primis nobis eſſe impedimento, illa, quidem, quòd ad turpia nos allicit; hic quòd metu nos à Virtute abducit. *Epiſtola 12 ad Crateten.*

Plato. Cùm itaque ad eum perveniſſem, operæpretium in primis fore cenſui hoc ipſum examinare: utrum revera Dionyſius amore philoſophiæ accenſus velut igne flagraret: an vanus de eo rumor Athenas uſque fuerit pervagatus. Eſt modus quidam experientiæ circa hæc ſumendæ, non inelegans, ſed tyrannis revera convenies, his præcipuè qui plurimos jam audierint. quod quidem ego ſtatim veniens perſenſi prorſus Dionyſio contigiſſe. Oſtendendum eſt utique illis quàm magna res philoſophia ſit: quantoque ſtudio egeat: & quantis laboribus comparetur. Qui igitur hæc audierit, ſi revera ſapientiam amet, eique natura cognatus atque ipſius poſſeſſione ſit dignus, quaſi qui divinus ſit, viam ſibi mirabilem eſſe putat oſtenſam, perque eam ſibi omni conatu exiſtimat gradiendum, aliterque facienti vivendum eſſe non cenſet. Itaque ſeipſum atque etiam huius vitæ ducem impenſius cohortatur: neque priùs deſinit, quàm vel finem omnium fuerit conſecutus, vel ſaltem eam ſibi comparaverit facultatem, per quam ipſe ſe jam ſine duce ad terminum perducere valeat. Hæc igitur atque huiuſmodi rationibus, ille conſiderans, per univerſam vitam, quicquid omnino agat, ante omnia eſt philoſophiæ ſemper intentus: victuque quotidiano utitur, quo maximè queat ingenium & memoriam & judicium conſervare, ſeſe ſobrium præſtans, contrariumque huic victum ſemper odio habens. At verò qui non ſunt revera ſapientiæ amatores, ſed opinionibus duntaxat extrinſecus colorati, inſtar eorum qui ſub ſole utuntur atque colorantur, cùm audiverint quot diſcenda ſint, quanto labore, qua quotidiani victus temperantia philoſophiæ ſtudiis neceſſaria, rem protinus ſibi duram impoſſibilemque rati, ut operam dent adduci non poſſunt. Plerique verò ſibimet perſuadent, ſufficienter ſe omnia jam audiviſſe, neque ſtudio prorſus ullo ulterius indigere. Hæc utique faciendi periculi ratio perſpicua eſt & minimè fallax adverſus eos qui proſequi præ mollitie nequeunt: ut crimen in præceptorem reiicere nunquam poſſint, ſed ipſi iam ſeipſos ad ea quæ philoſophiam decent peragenda redarguant, ut impotentes. Hac utique examinis ratione apud Dionyſium tunc uſus ſum. *Epiſtola 7. ad Dionis propinquos.*

Chion: Scito verò me multò ſtudioſiùs Athenas, philoſophandi cauſa navigaturum. Memineris enim te aſſiduè ſolitum me hortari ad philoſophiæ ſtudia. Mirabilia etiam diſſerebas de iis qui in eam ſtudium ſuum conferunt. Cæterùm habuiſti me his aſſentientem, unum tamen timentem, quòd philoſophia meliores quidem efficiat ſui ſtudioſos. Etenim exiſtimabam temperantes aut juſtas actiones non aliunde poſſe ab hominibus quàm ex philoſophia depromi. Verebar tamen ne illa ſtudia diſſolverent ac remolleſcerent animos, eoſque otio deditos efficerent. Nam quietem & otium audiebam mirabiliter philoſophiæ encomiis celebrari. Illud autem mihi alienum videbatur, ſi poſtquam dediſſem operam philoſophiæ, fierem quidem melior, ſed non ampliùs poſſem fortis militis actiones præſtare: ſi quando opus foret, ſed tanquam incantatione quadam oblivionem efficiente, demulſus à philoſophia, nulla ampliùs ſplendida facinora ederem. Ignorabam enim homines philoſophia deditos fortiores reddi: idque vix tandem à Xenophonte, non ex ipſius verbis, ſed reipſa verum eſſe didici. Is enim poſtquam ſermones Socratis percepit, effectus eſt tum ad exercitum conſervandum, tum ad Rempub. tuendam idoneus. Neque enim reddidit eum philoſophia ſibi aut amicis inutilem. Quies verò fortaſſis efficacior ad beatitudinem, imò is qui præclarè poteſt quiete uti, ſingula etiam præclarè efficiet. Præſtantior is enim eſt quovis militari homine, qui avaritiam, cupiditatem & reliquos affectus ſcit vincere, à quibus ſæpe vincuntur ij qui hoſtes ſuperant. Equidem de me ſpero, poſtquam dedero operam philoſophię, tum in reliquis me meliorem fore, tum etiam fortiorem & animoſiorem. *Epiſtola Matridi ſcripta.*

Apollonius Euphratæ. Ego quidem philoſophis amicus ſum; cum ſophiſtis verò Grammatiſtis, & ſi quod eſt aliud genus eiuſmodi miſerorum & infœlicium hominum, neque nunc intercedit amicitia, neque in poſterum unquam futura eſt. Alterum igitur nihil ad te niſi tu quoque unus es ex horum numero. Alterum verò totum ad te. Moderare tuis affectibus, & in ſapientiæ ſtudium incumbe, neque verò ſapientes atque philoſophos invidia proſequere. Quoniam & ſenectus jam & mors proximè tibi imminent. *Epiſtola prima.*

Apollonius Euphratæ. Gentes inter Italiam poſitas, à Syria profectus adiiſti, videndumque, in regis diplis, ut vocantur, te præbuiſti. Præter verò Pallium tibi & barbam candidam promiſſamque nihil erat, & quo tandem pacto jam per mare reverteris, ducesque navem oneratam argento, auro, varia ſuppellectile diverſis veſtimentis, & ornatu reliquo, faſtu videlicet & ſuperbia, itemque infœlicitate. Quod illud agendum onus eſt, aut quis ille modus novæ mercaturæ? Nam Zeno bellariorum mercator erat. *Epiſt. 3.*

Apollonius Euphratæ. Ecquid etiam tu ſcribas: & fortè tam ſis ſtrenuus? Etenim poſſes hæc conſueta referre & proclivia. Apollonius balneum in univerſum fugit, neq; ex ædibus prodit unquam, & tamen pedes habet ſalvos, neque conſpicitur ullam partem corporis movere, quoniam ſemper animam movet, comam in capite nutrit, Græcus enim, Græcus & non Barbarus. Veſtimento lineo induitur, & Sacrorum ſanctiſſimam viam ingreſſus, vaticinandi ſcientiam profitetur. Plurima ſunt enim ignota atque latentia, tum etiam difficile eſt, aliquid futurum præſentire. Verùm non decet Philoſophum, quod idem Deum. Et corporum dolores ſanat, & loci infectionem corrigit atque tollit, & commune tributumque illud in Aſclepium. Solus σιτεῖται reliqui autem ἐσθίουσι. Pauca loquitur & paucis. Nam tacere non poteſt. A carnibus & feris omnibus abſtinet: & idcirco homo eſt. cùm hæc in ſcriptis dixeris Euphrata, forſitan illud adiicies, Si quid eſſet, acciperet argentum, quemadmodum ego munera cepi in Republica. Si quid eſſet non acciperet: ſed patriæ quidem caperet. Non autem patria, quæ quid habeat, ignorat. *Epiſtola 8.*

Idem Euphratæ. Multi ſæpenumero me rogarunt, quid in cauſa ſit, quamobrem non in Italiam ſim accerſitus, aut accerſitus non venerim, quemadmodum tu, & ſi quis alius. Ego verò de priore quidem nihil reſpondebo, ne fortè me putent aliqui cauſam ſcire, cùm eam ſcire nihil laborem. De ſecundo verò quid attinet me plura dicere, quàm quod magis vocatum eſſe me quàm veniſſe. *Epiſt. 14.*

Idem eidem. Virtutem liberam eſſe & extra dominium poſitam, Plato memoriæ prodidit. Sin quis hoc non obſervat, neque gaudium in eo ſtatuit: ſed & venalem pecuniis ſe præbet, multos ſui ipſius dominos efficit. *Epiſt. 15.*

Apollonius Euphratæ. Exprobrant aliqui & in criminis loco tibi obiiciunt, quòd pecunias à rege ceperis. Quòd non tam vitioſum eſſet & indignum, ſi non philoſophiæ mercedem videreris accepiſſe & toties tantumque, item ab eo qui te philoſophum eſſe crederet. *Epiſtola 59.*

Eidem. Si Pythagorio cuidam ſe quiſpiam in diſciplinam tradat, quæ ab illo ſit accepturus & quanta, ego recenſere poſſum, ſciẽtiam ponendarum legum, Geometriam, Aſtronomiam, Arithmeticam, Harmonicam, Muſicam, Medendi artem, omnem cœleſtem divinandi & vaticinandi facultatem, & quæ ſunt his auguſtiora, magnitudinem animi, fortitudinem, magnificentiam, cõſtantiam, laudem, cognitionem deorum, non ſuperſtitionem, ſcientiam dæmonum non opinionem, favorem utrorumque: frugalitatem, perſeverantiam, tenuitatem, paucitatem rerum ad vitæ ſuſtentationem pertinentium, ſentiendi poteſtatem exquiſitam, movendi commodam rationem, ſpirandi vim habilem, coloris bonitatem, valetudinem, lætitiam, immortalitatem. A te verò quid habent quod acceperint, qui te viderunt, quàm ſcilicet illam virtutem quam poſſides? *Epiſtola 60.*

Idem Regi Scytharum. Zamolxis vir bonus erat & philoſophus, ſiquidem diſcipulum Pythagoræ fuiſſe conſtat: & ſi illo tempore talis Romanus fuiſſet, proculdubio, ſua ſponte feciſſet amicitiam. Quòd ſi pro libertate certamen & laborem ſuſtinendum putas, Philoſophus audi, hoc eſt liber. *Epiſtola 28.*

Apollonius Euphratæ. In doctorum genere primus erat & præſtantiſſimus ſapientia Pythagoras. Tu verò multis adhuc paſſibus à philoſophia abeſſe & vera ſcientia mihi videris. Sin minus; certè neque ipſum malum diceres: neque æmulatores eius perpetuo proſequereris odio. Aliud tibi nunc aggrediendum erit. A philoſophia enim aberraſti, neque magis eam conſecutus es, quàm Menelaum Pandarus in jusjurandi violatione. *Epiſtola 58.*

Imperator Veſpaſianus Apollonio Philoſopho ſalutem. Si cunctis, Apolloni, Philoſophiam eodem modo tecum exercere animus eſſet, ſummam ad fœlicitatem pervenirent philoſophia & paupertas: illa, quòd à decimis & mercede liberaretur: hæc quod ſponte ab omnibus expeteretur. *Epiſtola nonageſima.*

Epictetus: Sapientiæ ſtudium ſuſcipere cupis? ſtatim te para; quaſi futurum ſit ut deridearis, ut multi te ſubſannent: ut dicant te ſubitò philoſophum extitiſſe: ut rogent, unde ſupercilium iſtud? Tu autem ſupercilium ne habeto. ea verò quæ optima tibi videbuntur, ſic teneto, quaſi à Deo ſis in ea ſtatione collocatus. Ceterum memento te, ſi in eod. ſtatu permanſeris, iis tandem admirationi fore, qui te prius deriſerint: ſin eis ſuccubueris, dupliciter deridendum. *Cap. 29. Enchir.*

Epictetus: Plebeij ſtatus ac nota eſt, nunquam à ſeipſo vel damnum expectare, vel utilitatem, ſed à rebus externis. Philoſophi ſtatus & expreſſa imago eſt, omnem utilitatem & damnum à ſemetipſo expectare. Signa autem proficientis ſunt, neminem reprehendere, neminem laudare, neminem culpare, neminem accuſare: nihil de ſe ipſo prædicare, quaſi aliquid ſit, aut aliquid ſciat. Cùm in aliqua re impeditus fuerit, aut prohibitus, ſe ipſum accuſat. Si ab aliquo laudatur, ſecum ipſe deridet laudatorem. Si reprehenditur, non defendit ſe, ſed ritu infirmorum circuit, metuens ne ſtatum illum convellat, priuſquam is confirmetur. Omne deſiderium à ſe dependens habet: averſationem ad ea ſola, quæ naturæ eorum repugnant, quæ nobis parent, tranſtulit. Appetitione ad omnia remiſſa utitur. Sive ſtolidus, ſive indoctus habeatur non curat. deniq; ut inimicum & inſidiatorem ſeipſum obſervat. *Cap. 71. Enchiridij.*

Epictetus: Ut medici eſt ægrotos, ita philoſophi homines vitioſos fovere. Medico quidem nihil conſulenti ſuccenſent ægrotantes, eumque de ſua deſperaſſe ſalute autumant. Cur verò erga philoſophum eodem modo affecti non ſunt, ut exiſtiment eum de emendatione ipſorum deſperaſſe, ſi nihil utile præceperit. *apud Stobaum.*

Arrianus: Multum abest ut iis utamur quæ profitemur, quorumque cognitione efferimur. sic cùm hominis munus absolvere nequeamus, etiam Philosophi personam nobis imponimus, ingens onus: perinde ac si quis cui vires ad decem libras ferendas non suppeterent, Ajacis lapidem ferendum adsumeret. *fine cap. 9. libr. 2. Epict.*

Arrianus: Philosophiæ principium est, apud eos quidem qui per januam ad eam ingrediuntur, animadversio imbecillitatis atque infirmitatis suæ necessariis in rebus. *Cap. 11 lib. 2. Epicteti.*

Idem ibidem: Philosophiæ principium est animadvertere pugnas hominum inter se, & inquisitio causarum pugnæ illius, & condemnatio ac repudiatio nudæ opinionis, atque etiam investigatio quædam in opinione, utrum ea recta sit; ac regulæ alicuius inventio: quemadmodum in ponderibus stateram invenimus, velut in rectis ac pravis normam hoc est philosophiæ principium; omnia recta esse quæ omnibus videantur. Fieri vero qui potest, repugnantia recta ut sint? Ego non omnia, sed ea quæ nobis probantur. Qui magis quam quæ Syris? Qui magis quam quæ Ægyptijs? Qui magis quæ mihi, quam quæ cuivis alteri? Nihilo magis. Non ergo satis est ad naturam rei constituendam cujusquam opinio. Neque enim vel in ponderibus vel in mensuris sola specie contenti sumus, sed regulam quandam ad singula excogitavimus. Hic ergo nulla regula est opinione superior? Fieri vero qui potest, ut neque notas ullas habeant, nec inveniri possint, ea quæ sunt in vita mortalium maxime necessaria? Est igitur aliqua regula. Cur autem non eam quærimus atque invenimus, eaque inventa deinceps citra errorem utimur, adeo ut citra eam ne digitum quidem porrigamus? id enim mea opinione illud est, quo invento, liberari possint insania, qui sola perversa opinione res metiuntur: ut deinceps à quibusdam notis distinctis auspicati principijs, anticipationes ad singulas res cum delectu quodam accommodemus. Quæ res in quæstionem venit? Voluptas. Adhibe eam ad regulam, conjice in trutinam. Bonum ejusmodi esse oportet, quo fretum esse operæ pretium sit. Esto. Nunquid ergo voluptas constantiam habet? Non habet. Tollito igitur eam, & ejicito è trutina, & longè à regione bonorum relegato. Quod si oculos acutos non habes, atque una tibi trutina non sufficit, adhibe aliam. Re bona est, ne operæ pretium ob voluptatem efferri? Cave dicas esse operæ pretium. Alioqui te jam ne trutina quidem dignum judicabo. Sic res discernuntur & ponderantur, cum in promptu sunt regulæ. Ac philosophari istud est, considerare & confirmare regulas. Jam autem iis uti quæ cognita sunt, id viri boni munus est.

Arrianus: Philosophi munus tale animo concepimus: oportere eum voluntatem suam accommodare iis rebus quæ fiunt, ut nec eorum quæ fiunt quicquam invitis nobis fiat, neque eorum quæ non fiunt quicquam volentibus nobis non fiat. Unde qui ita se compararunt, id consequuntur, ut nec appetitione sua frustrentur, nec in ea decidant quæ aversentur, ut citra molestiam, citra metum, citra perturbationem nostro arbitratu ætatem degamus cum sodalibus, observandis affectionibus tam naturalibus quam accersitis, erga filium, erga patrem, erga fratrem, erga civem, erga maritum, erga uxorem, erga vicinum, erga comitem, erga magistratum, erga subditum. Ac philosophi tale fere munus constituimus. Reliquum igitur est quærere, qua ratione ad id perveniamus. Videmus autem fabrum discendis quibusdam fieri fabrum, gubernatorem discendis quibusdam fieri gubernatorem. Quid ergo, si hic etiam non satis sit, velle bonum virum fieri, sed & addiscere quædam sit necessarium? Quærimus igitur, quænam ea esse dicant philosophi? Primum illud esse discendum, esse Deum, & providere rebus universis, ac non modo facta, sed ne cogitationes quidem ac motus animorum eum latere posse. Deinde cuiusmodi sint Dij? Nam quales illi reperientur, talis ut sit etiam is, qui illis placere ac parere volet, opera necessario danda erit; & ut quam proxime ad eorum similitudinem accedat. Si numen fidele est: illum quoque fidelem esse oportet. Si liberum: illum quoque liberum. Si beneficum, illum quoque beneficum. Si magnanimum, illum quoque magnanimum esse oportebit. Denique ut imitatorem Dei, reliqua omnia & facere & dicere. Unde igitur auspicandum est? Si assensus fuerit, dicam tibi. Oportet te primum vocabula intelligere. *Lib. 2. cap. 14. Epicteti.*

Arrianus: Cùm Philosophum audire volueris, ne dicito: Nihil mecum loqueris: sed te dignum aut idoneum ad audiendum esse ostendito. tum videbis, quomodo dicentem sis excitaturus. *fine c. 25. lib. 2. Epicteti.*

Arrianus: Primum indocti & philosophi discrimen est, quod ille dicit: Hei mihi propter filium, propter fratrem, propter patrē. hic verò, si quando id dicere cogitur, re considerata, Hei mihi, ait, propter me. nemo enim vel voluntatem prohibere, vel in eo quod alieni arbitrij est incommodare ulli potest, nisi voluntas ipsa sese lædat. Si ergo eo & ipsi inclinaverimus, ut rebus male succedentibus ipsi nos accusemus, ac meminerimus non aliam esse perturbationibus & inconstantiæ causam nisi opinionem; omnes vobis juro Deos aliquid nos profecisse. Nunc aliud iter ab initio sumus ingressi. statim puero nutrix, si quando per oscitantiam impegimus, non nos objurgat, sed lapidem verberat. quid autem commisit lapis? fuitne illi propter pueri tui stultitiam alio migrandum? Rursus si quando à balneo cibum non invenerimus, nunquam pusillanimitatem animi nostri compescit pædagogus, sed coquum verberibus afficit. homo nunquid illi te pædagogum præfecimus, & non filiolo nostro? hunc corrige, hunc juvato. Sic adulti etiam pro pueris nos gerimus. puer enim in musica, est homo amusus: in re literaria, homo illiteratus: in vita, homo ineruditus. *cap. 19. lib. 3. Epict.*

Arrianus: Schola philosophi, taberna medica est: non inde exeundum est cum lætitia; sed cum dolore. neque enim sani acceditis, sed alius humero luxato, alius apostemate laborans: alius fistulam habet; alij caput dolet. Et ego sedens vobis noemata & epiphonemata dicam, ut me laudato exeatis, cùm alius humero sic afflicto exeat, qualem attulerat: alius capite eodem modo affecto; alius fistula aut apostemate non curato. *cap. 23. lib. 3. Epict.*

Arrianus: Imo & ipsi isti qui philosophi nominantur, à vulgaribus rebus professionem suam auspicantur: statim pallium induūt, promissaque barba se philosophos esse dicunt. Nemo autem se Musicum esse dicit, cum plectrum & citharam mercatus fuerit: neque fabrum ærarium, si pileolo & perizomate instructus fuerit. Sed habitus ad artem accommodatur: ab arte vero nomen, non ab habitu accipiunt. Quapropter recte dicebat Euphrates, se longo tempore dissimulasse philosophiæ studium, eamque dissimulationem sibi profuisse. Primum enim scivisse se, quæ recte faceret, ea se non facere propter spectatores, sed propter semetipsum: se sibi ipsi recte comedisse: compositis fuisse oculis: in deambulationibus servasse modum: omnia sibi & Deo præstitisse: & sicut solus certasset, ita etiam solum esse periclitatum. Si quid turpe aut indecorum fecisset, philosophiam non fuisse periclitatam: neque se nocuisse vulgo, si ut philosophus peccasset. Quapropter eos qui suum institutum ignorarent, fuisse miratos quî fieret, cum omnium philosophorum consuetudine & doctrina uteretur, ipsum tamen non philosophari? Quid vero, inquit, mali fuit in eo, si philosophus è factis cognoscebar, non autem ex insignibus? Vide quomodo edam, quomodo dormiam, quomodo tolerem, quomodo abstineam, quomodo rem geram, quomodo appetitione utar, quomodo aversatione, quomodo affectiones & naturales & accersitas tuear, ut absque perturbatione atque impedimentis vivam? Inde me judica, si potes. Si autem ita surdus & cæcus es, & ne Vulcanum quidem præclarum fabrum judices, nisi pileolum capiti eius impositum videas: quid mali est, à judice adeo stolido non cognosci? Sic maximæ parti hominum ignotus erat Socrates. Adibatur à nonnullis, petentibus se ab eo philosophis commendari. Nunquid ergo succensebat illis ut nos, dicebatque, Ego vero tibi philosophus non videor? Imo adducebat illos, & commendabat, contentus eo quod philosophus esset: gaudebatque, se, quod talis non videretur, non morderi. meminerat enim sui muneris. Quod est boni & sapientis viri munus? Discipulos multos habere? Nequaquam. *Cap. 8. lib. 4. Epicteti.*

Simplicius: Fit omnino, ut aliqui philosophiam & bene vivendi rationem auspicati, ingenii quadam bonitate & singulari felicitate, nondum tamen prorsus ab ea occupati, sed spe quadam & nuda imagine eius excellentiæ præ reliquis vitæ generibus imbuti, eo se efferant, quia nondum eo pervenerunt. Nihil enim æque à philosophia & recta vivendi ratione alienum est, ac elatum supercilium, & inanis ista elatio, divinum illud de seipso cognoscendo præceptum non reputans: quod & principium & finis est philosophiæ totius, & omnis recte vivendi rationis. Statim igitur his indigni videntur, qui se efferunt. Nec enim ab animi magnitudine ista oritur elatio, sed est tumor inanis & præter naturam, ad exteriora se diffundens, avulsus ab interioribus. Nam salubris magnanimitatis ea ratio est, quæ corporis. Id enim naturalem affectionem interiorum partium sequitur, totumque fusum æquabiliter, perpetuam temperiem & proportionem exteriorum ad interiora conservat. *ad cap. 29. Epict.*

Simplicius: Quemadmodum falsum est, æs quod conflatur adhuc, statuam dicere, & fœtum in utero conceptum, hominem: sic eum qui adhuc proficit, dicere philosophum est falsum. Quod si quis consideret, quanta res sit vita veri philosophi, & quantum is ceteris mortalibus antecellat: non modò falsò id, sed & impiè dici videatur. *ad cap. 68. Epicteti.*

Hierocles. Philosophia est vitæ humanæ purgatio, atq; perfectio. purgatio quidem, cū fæce rationi contraria mortaliq; corpore liberat. perfectio verò, cum suæ vitæ recuperata præstantia, ad divinam similitudinem reducit. Quæ duo quoniam virtute & veritate fieri maximè natura comparatum est: earum illa quidem tollit perturbationum intemperiem: ista autem divinam formam, si recte se habeat inducit. *præfat. carm. Pythag.*

Hierocles: Philosophia quæ versatur in agendo, virtutum vi hominem probum efficit: quæ autem in contemplando, illustratione mentis atque veritatis, Deo similem reddit. *Cap. 47. carm. Pythag.*

Halicarnassæus: Quis est qui infitias ibit, eos qui philosophicæ eloquentiæ dant operam, oportere multas gentes & Barbarorum & Græcorum cognoscere, multas leges audire, rerumpubl. formas, vitas virorum, mortes & fortunam perspectas habere? *cap. 21. ad Cn. Pompejum de Platone & historicis, &c.*

Aristides: Et eam quam vos Philosophiam vocatis, si quis velit accusare, multa possint pervertere: ut si Diagoram reprehendat & Anaxagoram, atque alios quosdam, qui vel prioribus vel posterioribus sæculis improbi extiterunt: & alij quosdam corruperunt, non-

nulli

nulli male sunt de diis locuti, quidam aliter, quam oportebat disputarũt, reliqui plus contumaciæ quam prudentię attulerunt. Verum vide num ita præstet dicere: non, si quidam sub Philosophiæ prætextu improbi, nec ceteris meliores, aut etiam pejores extiterunt, adeo culpandam esse Philosophiam, donec harum rerum causam non contineat, sed his ipsis argumentis eos Philosophiæ fuisse expertes, esse demonstrandum. *Oratione 1. Platonica, de Rhetorica.*

Aristides: Quis verò vivus hos ferat, qui sæpius solœcismum committunt, quàm loquuntur: alios contemnunt, quantum erant ipsi contemnendi: in ceteros inquirunt, in se nunquam: virtutem extollunt, non exercent: vagi obambulant, [vita simulacra carentum,] Hesiodi fuci, Archilochi simiæ, duabus formis pro tribus vaccæ tragicæ præditi, nihil à consutis vestibus differentes, ut extra graves, ita longe secus intus affecti, non per diem continentes, ut ait Demosthenes, sed eodem loco diem atque noctem, cum possunt, habent: qui cum se Jovi negent cedere, pecunia tantopere vincuntur, & aliis conviciantur, non quod res ipsas condemnarint, sed quia, cum paria facere non possint, invident. Quod si quis ipsis de continentia disputantibus oppositus, placentas ostendat & monilia, linguam dimittunt, ut ensem Menelaus.

Nam si Helenam videant ipsam: Helenam autem? si vel ancillam, qualem finxit Menander Phrygiam: Sophoclis Satyros re vera pro ludicro curant haberi. Jam ipsorum insatiabilem & avaram naturam nihil est opus aliquid apponendo cognoscere, cum per se, quicquid possunt, rapiant: qui privationem vocant communionem, invidiam autem philosophiam, & inopiam, pecuniæ contemtum. Cum autem humanitatem profiteantur, neminem juverint unquam, & qui volunt ipsis uti, eos infestant. Et alios quidem vix occurrentes aspiciunt, divitum autem gratia ad fines regionis occurrunt, quemadmodum Phryges propter oleas, eosque mox & accedentes olfaciunt, & acceptos deducunt, ac virtutem se traditúros pollicentur, cumque ceteros ne salutati quidem benevole resalutent, coquos tamen & pistores ac reliquum divitum ministerium, antequam commode conspiciantur, eminus mox salutant quasi hanc ob causam è lecto surrexissent, & in vestibulis volutantur, plus cum janitoribus quam cum heris versantes: adulationem impudentia corrigentes: hoc uno signo non ad gratiam se quicquam facere probantes, quod omnia injucunditate inficiunt: statim ut visi sunt, postulantes: citius quæ non merentur, petentes, quam alij, quod suum sit, postulent. Etenim hi sunt, qui impudentiam & offensam, putant esse libertatem: humanitatem autem in accipiendo ponunt. Quid quod ad eam sapientiam pervenerunt, ut pecuniam non exigant, quod autem pecuniam valet, accipere norint: ac si quis minus forte miserit, in sententia perseverent: sin turgidior sit effectus sacculus, Gorgonem ceperit Perseus. Neque stultum habent prætextum.

Nam liberi & uxor. O miserrime propter familiam. Ergo propter hos cauponaris? Quin igitur uxori quoque concedis, unde facilius quidem possit, accipere? Nova certe ratione magnanimitatem videntur definire, non si magna dent, verum si non parva capiant. nec enim donationibus magnis eam, sed magnis postulationibus exercent. Quid quod hoc jam quidam, ut audio, pro decreto habent, ut quod datur, accipiant, sumant autem per convicium. Hi certe soli nec inter adulatores nec inter liberos censeri debent. Decipiunt enim adulatores, conviciantur ut meliores, duobus extremis & maxime contrariis obnoxij malis, humilitati & confidentiæ: non alieni ab impiorum Palæstinorum moribus.

Nam & illi hoc habent impietatis signum, quod deos esse non putant, & hi à Græcis, atque adeo bonis omnibus quodammodo dissentiunt, in reliquis quidem rebus umbra sua magis muti: cum autem aliquis criminandus & calumniandus est, vix æri Dodonæo, verùm culicibus potius in tenebris perstrepentibus conferendi: ad rem aliquam necessariam peragendam maxime inutiles: ad ædes perfodiendas, & perturbandos atque inter se committendos domesticos, omnemque administrationem sibi arrogandam omnium aptissimi: qui sermonem adhuc utilem nullum nec invenerunt nec habuerunt, non ferias publicas exornarunt, non deos honorarunt, non civitatibus consilium dederunt, non ægros consolati sunt, non dissidentes in gratiam reduxerunt, non juvenes vel alios ullos adhortati sunt, nec decorum in dicendo servarunt: sed in latibula submersi, miranda quædam comminiscuntur, ad umbram nescio quam verba eructantes, inquit Sophocles, anthericum metentes, funiculum ex arena nectentes, telam nescio quam retexentes.

Quantum enim in sapientia proficiunt, tantundem amittunt: magnopere sibi placentes, cum Rhetoricæ male dixerint, quasi non etiam famuli sæpe, ac præsertim mastigiæ dominos intra dentes execrentur. Quin etiam Satyrus quidam scenicus olim est Herculi imprecatus: ad cujus adventum confestim succubuit. Nec immerito videntur mihi cunctis maledicere, quandoquidem hac re plurimum valent: qui ut nullius hominis mentionem faciant, male tamen dicunt omnia, itaque quod habent, in medium conferunt. Et jam principes Græcorum, quasi id ipsis liceat, audent citare à quibus si quis mendacium & malignitatem auferat, quasi præcipuas vitæ partes abstulerit. Atque etiam pulcerrimum Philosophiæ nomen sibi tribuunt, quasi locum in theatro præoccupassent, & reliquis mox esset cedendum, aut hæc secundum nominum mutationem, non secundum res ipsas judicarentur: vel ut si Phrynondas ille Æacum se faceret, ut ita mox gemellus, & extra culpam omnem esse videretur. Hoc vero maleficiorum occasionem præbet, tanquam si fur putaret se id, quod omnes viderent, celare posse, si se Hyacinthum vel Narcissum vocaret, aut Lycaon Hectorem, aut Corœbus Palamede, aut Margites Nestorem, aut Battus, qui vocis causa Delphos petiit Stentorem. Quin ego servos nequam vidi, qui inter canendum se hostium nominibus ornarent, eamque ob rem vapularent, ac merito magis invisi diis redderentur. Neque profuit Boscypræchmo nominis mutatio, quin, cum se felicem vocasset, magis etiam plecteretur. Hi quoque putant se Philosophiæ prætento favore ea, quæ intus latent, celare posse. deinde vulpes pro leone emergit. Quid quod ne hoc quidem scire prorsus videntur, quæ fuerit inter Græcos Philosophiæ nominis ratio & notatio, quæque huc pertinent alia? *sub finem orationis 2. Platonicæ pro Quatuorviris:*

Dio Prusæus: Cur autem ego non dicam quæ mihi videntur? sicut convenit philosophum, non prava solum redarguere, meliora verò abscondere, aut veritatem non in malis solis utilem, sed & in bonis, non minus, eo quod laudabilis sit? *Oratione quinquagesima.*

Dio Prusæus: Age, si quem audires dicentem, se velle agrum colere, nihil autem eum videres facientem quæ ad hoc pertinent, neque boves ementem, alentemve, neque aratra comparantem, neque alia ad agriculturam necessaria instrumenta, neque ipsum ruri habitantem, neque agrum possidentem, neque ab alio conducentem, sed in urbe plurimum morantem circa forum gymnasiumq́;, & compotationibus ac meretricibus & hujusmodi socordiæ operam dãtem, utrum crediturus esses illius verbis magis quàm factis? atque utrum diceres talem hominem agricolam esse, atque operarium, an ociosorum ac socordium quempiam? Manifestum, quòd ociosorum esset quispiam. Si autem se quis diceret venatorem, atq́; ipsum Hippolytum ac Meleagrum animi robore, industriaque superare, nihil autem videretur facere simile, neque canes possidere, neque plagas, neque equum, neque prorsus ad venationem exire, quin neque corpus à sole perustum habere, neque frigora pati posse, sed nutritus esse in umbra, atque tener, maximeque similis esse mulierum: posses ne credere, quod verum diceret, atque aliquid ei rei esset cum venatione? Non equidem hercle: Absurdum enim, à sermonibus potius quos quis faciat, quàm à factis, nosse & conjectare cujusque vitam.

Si quis autem profiteretur se musicam optime scire, circaque eã versari, nemo autem eum unquam audiret cithara ludere, immo ne citharam quidem aut lyram habere videret, neque sermonem facere rebus musicis conveniẽtem, sed solum profiteri se scire melius Orpheo atque Thamyre canere: videres eum autem gallinas aut coturnices colentem & versantem, atque cum talibus hominibus plurimùm agentem: utrum hunc ex Musicorum numero esse credendum est, an ex illorum quibus cum vivit, & similia eademq; studet? Manifestum, quod illorum. Si verò astronomum se quis esse promitteret, & certissime nosse ambitus & itinera atque spacia inter se quomodo habeant, solis & lunæ & hujusmodi astrorum, cœlestesque impressiones: nihil autem tale prædicet, neque circa hæc curam adhibeat, sed magis ludat cum aleatoribus cumque illis semper vivere conspiciatur, hunc astronomum esse diceres, an aleatorem? Non ego hercle putarem illi quicquam cum Astronomia negocij esse, sed multo magis cum alea. Si duo essent, quorum alter diceret, se ocyssime navigaturum, multasque lucrifacturum pecunias ex negociatione, neque tamen naves neque nautas compararet, neq; ulla haberet onera, immo ne accederet quidem omnino ad portum, neque ad mare: alter autem circa hæc sedulo ageret, navemque prospiceret, & gubernatorem, & pecunias imponeret: utrum ex illis diceres negociationi animum intendere? an cũ qui diceret quidem, minus autem faceret: an comparantem quæ ad navigationem pertinent atque negociationem? Ego sanè hunc. In omni igitur negocio orationem quæ per se habetur, nihil habens rei, irritam censebis & falsam: rem autem ipsam veram & credibilem, etiamsi nullos adhibeat sermones? Sic est.

Vtrum igitur agriculturę putas esse aliqua opera, aliquemve apparatum, & navigationi atque venationi competentem, aut astronomiæ & alijs omnibus: philosophiæ vero nullum esse opus, aut apparatum competẽtem? Prorsus est & philosophiæ. Sed hæc quidem quæ philosophiæ atque philosopho competunt, sunt incerta: mercatorum autem & agricolarum, & musicorum astronomorũque, eorumque quos nunc dixisti, certa sunt atque manifesta. Non mihi videtur. Sed sunt & sermones quidam quos philosophantem audire oportet, & mathemata quæ discere, & victus ratio quam servare oportet. Et in summa, alia vita est philosophiæ dantis operam, alia hominum vulgarium. Illa enim ad veritatem prudentiamque spectat, atque deorum curam atque cultum, animique sui frugalitatem atque temperantiam: hæc autem plena est arrogantiæ & erroris, studijque voluptatum. Namque & vestis alia est philosophantis, alia plebejorum: tum quoque diversi accubitus, diversaque gymnasia atque lavacra, aliaque vivendi ratio tota. Et qui hæc sectatur, ijsque utitur, eum censeri oportet, quod philosophiæ attendat animum. Qui verò in nulla horum à vulgo differt, neque prorsus alius est, pro uno ex plebeis est habendus, etiamsi millies dicat, profiteaturque se philosophiæ incumbere coram populo Atheniensium, aut Megarensium, aut apud Lacedæmoniorum re-

ges;

ges:ſed trudendus eſt hic homo in arrogantium & ſtultorum atque delicioſorum numerum.

Quanquam quis muſicus eſſe poteſt, etiamſi non faciat, quæ sũt muſici? Muſica enim non cogit ſibi animum intendere, nihilque aliud pluris æſtimare. Atque eum qui ſit aſtronomus, nihil prohibet alere gallinas, aut aleam ludere: nihil enim impedimento eſt aſtronomia, ne quis faciat quæ oportet. Atque hercle, qui eques factus eſt, aut bonus gubernator, aut geometra, aut grammaticus, nihil admirabile facit, ſi apud meretrices aut tibicinas conſpiciatur. Horum enim ſcientię nihilo meliorem faciunt hominis animum, neque dehortantur à delictis. Qui verò philoſophię attendit, atque hujus diſciplinæ particeps eſt, is haud unquam defecerit ab optimis: neque his neglectis, turpe quid aut vicioſum elegerit facere, neque ocioſus eſſe, neq; obſoniorum helluo, neque inebriari. Hæc enim nihil admirari, horumque cupiditatem ex animo tollere, atque è diverſo animum in eorum odium condemnationemq; perducere, philoſophia eſt. Multa autem dicere atq; gloriari, ac ſemetipſum fallere, nihil fortaſſe prohibet. *Oratione. 70.*

Dio Pruſæus: Sunt qui dicant, omnẽ philoſophũ in omnibus excellere, adq; confabulãdum cum hominibus aptiſſimum eſſe oportere, ſilereque nunquam, neque inopia laborare talium ſermonem ad præſentes, qui eos ablectare poſſint: ſin minus, ajunt plebejum eſſe, qui non ita fuerit inſtructus, modicique precij hominem. Ego autem ajo, partim eos juſta & vera dicere, partim autem non. Nam quòd philoſophum ubique excellere oporteat alijs, videntur rectè putare: niſi forte dicunt & artes illum omnes ſcire oportere, omniaque juxta artem melius facere quàm opifices, & domos ædificantem, naveſque, artemq; ferrariam exercentem, & texentem, agroſq; colentem. Quemadmodum Elæus Hippias ſe putabat Græcorum eſſe ſapientiſſimum, non ſolum omnigena poemata varioſque ſermones proferens in Olympicis, alijſq; Græcorum conventibus, verùm etiam alia oſtendẽs opera, & annulum atq; lecythum ac ſtrigilem, & lorum & cingulum, quòd ipſe nimirum ea omnia feciſſet, atque velùti ſapientiæ primitias Græcis oſtentabat.

Propemodum autem & Homerus Vlyſſem fecit non ſolum animo præſtantem, conſilijſq; in rebus, & dicendi vehementia tam in turba & ad paucos & ad unum, quàm in concione & in convivijs, vel ſi pro re nata cum aliquo iter faceret, & ad regem, & ad plebejum, adque liberum & ad ſervum, adque celebrem regemq;, & rurſus ad ignotum & mendicum, adque virum ſimiliter & ad mulierem atque virginem. Præterea & pugnandi gnarum: quin & talium omnium peritum, architecturæ, atq; ædificationis navium atque domorum. Quomodo enim feciſſet cubile deciſo olivæ ramo, niſi & architecturæ fuiſſet peritus? Quomodo circumvallaſſet cubiculum, niſi & domos conſtruere noviſſet. Et quomodo feciſſet ratem, artis navium ædificandarum imperitus? Quæ autem ad plantationem atque agriculturam attinent, ſtatim à puero videtur didiciſſe, à patre arbores quærens, viteſque: & maxime quum pater eſſet agricola admodum diligens & expertus, veriſimile erat hæc eum non ignorare, quando & Eurymachum provocat in metendo & arando. Dicit etiam eum talium fuiſſe expertum culinariæ & pocillatoriæ, aliorumque omnium miniſteriorum, quæ inferiores ſuperioribus præſtare ſolent. In his igitur fortaſſe Vlyſſes & Hippias callidi erant.

Ego autem ajo fieri non poſſe, ut philoſophus omnes quidem artes calleat, difficile enim, & unam quampiam accurate exercere, ſed ut omnia faciat melius quæcunque facturus eſt, quàm alij homines, atque ea quoque quæ ex arte fiunt, ſi quando hujuſmodi quid tractare cogatur, non ut ſecundum artem antecellat, hoc enim fieri non poteſt, ut rudis melius aliquid, quod ad architecturam pertinet, faciat quàm faber: aut qui agriculturæ ſit imperitus, in ijs quæ ſunt agriculturæ peritior appareat quàm agricola.

Vbi ergo antecellat? Vt ſive faciat, ſive non faciat, utiliter cedat. utque quando & ubi quicq; ſit faciendum, utique opportunitatem poſſibilitatéq; magis quã opifex cognoſcat. Statim n. mihi Dædalus non rectè videtur feciſſe Labyrinthũ in Creta, quẽ ipſius cives ingreſſi ingreſſæq; perierũt. Non enim iuſtè operatus eſt, Paſiphaes morbo ferens auxiliũ: neq; ẽt rectè non n. profuit neq; juſtum neq; honeſtum fuit, in talibus adjuvare, machinaſque invenire ad turpia impiaque. Neque quod Icarum alis inſtruxit (ſi credendum eſt fabulis) rectè mihi eam inveniſſe videtur machinã, Non enim poſſibilia machinatus eſt, alas homini addens. Quare & perdidit filium. Videtur autem & Homerus quendam Trojanorum fabrum vituperare, quòd non bene feciſſet naves Alexandro, quibus in Græciam navigavit, nihil eum licet in arte reprehenderet. ait enim:

Ille & Alexandro naves conſtruxerat aptas.
Principium unde mali. ——

His enim non eum laudans ſuper navium ędificatione, ſed multo magis vituperans, quàm ſi diceret naves eum feciſſe tardas, aut aliud aliquod vitium habentes, accuſat circa navium conſtructionem. Similiter vituperat & venatorem quendam, ejusque peritiã deridet, tanquam nihil ei ad neceſſaria utilem: quòd feras quidem noſſet jaculari, in bello autem nullius eſſet precij, ſed inutilis ob timiditatem, aitque ei tunc Dianam non ſuccurſuram.

Quare ex his manifeſtum eſt, quòd prudentia & virtute opus ſit tam ad ea quæ callent homines, quàm quæ non callent, atque ita circa omnia omnibus excellit vir moderatus, qualẽ philoſophum eſſe oportet, vel ſi faciat horum aliquid, vel non faciat, & quomodocunque faciat juxta artem. Quòd autem melius quis picturus ſit quàm pictores, qui pictor non ſit: aut melius quàm medici ſanaturus juxta artem, qui medicus non ſit, aut magis muſice cantaturus quam muſici, qui muſices ſit imperitus, vel mediocriter ſaltem peritus, aut arithmeticis circa numeros, aut geometris circa geometriam peritior appariturus, aut melius navẽ gubernaturus quã gubernatores: aut mactaturus citius, in parteſque ſciſſurus, quam coqui, qui hanc artem didicerunt, non eſt cogitandum.

Quanquam regum hujus ſeculi quidam (Nero ſcilicet) ejuſmodi concupiſcebat ſapientiam, ut quamplurima ſciret, non quidem talia quæ nullam habent apud homines admirationem, ſed quæ coronas adferunt: ut præconium facere, & canere ad citharam & tragœdias pronunciare, & luctari, & pancratio certare. Ferunt autem eum & pingendi fingendique fuiſſe gnarum, canendique ore tibia, ſubijciẽtem ex illis utrem: ut effugeret id turpe, quòd Minerva deteſtata eſt. Non igitur erat ſapiens. *Oratione 71.*

Lucianus: Vt verò gravis admodum, & ſublimis nobis redijſti! Non amplius nos aſpicere dignaris, tantum abeſt ut colloquium tuum impertias, & quales antea, nobiſcum ſermones communices: at repente immutatus es, atque omnino faſtidioſus videris evaſiſſe. Lubens ex te audierim unde ad hoc inſolentiæ perveneris, quæque ſit ejus cauſa. Quidnam aliud, ô amice, niſi fœlicitas? Quid ais? Pręter inſtitutum factus fœlix & beatus tibi venio: adeóque illud quod in ſcena ſolet uſurpari, ter beatus. Hercle, itane brevi? Atque admodum. Et quid præterea eſt propter quod ſuperbias, ut non ſummatim modò lætemur, ſed etiam accuratè ſcire poſſimus, quum rẽ totam audiverimus?

Annon admiratione dignum tibi videtur, per Iovem, me pro ſervo liberum, pro paupere revera divitem, pro ſtulto & ſuperbo moderatum redire? Id maximum quidem eſt. At non planè intelligo quidnam ſit illud, quod dicis. Recta in urbem profectus ſum, ut aliquem oculorum medicum viſerem. Nam ille oculi affectus quo laborabam, magis magiſque ingraveſcebat. Scio equidem ſingula: ideòque etiam optavi ut in bonum ac peritum incideres. Cùm igitur viſum mihi eſſet Nigrinum Platonicum illum philoſophum multis compellare, mane ſurgens, ipſum adeo, & pulſata ianua, cùm puer intro de me renunciaſſet, accerſitus ſum. Tum in ædes ingreſſus, illum deprehendo librum præ manibus habentem, circum autem undique multas veterum atque doctorum hominum imagines iacentes. Poſita etiam erat in medio quædam tabella in qua geometricæ quædam figuræ deſcripturæ erant: & ſphæra ex calamo, ad imitationem univerſi, ut videbatur, compoſita. Admodum igitur benignè me amplexatus ille, interrogavit, quidnam agerem. Quibus omnibus illi expoſitis, ego quoque per vices ex eo ſcire poſtulabam, & quid ipſe ageret, & nunquid apud ſe ſtatuiſſet in Græciam denuo navigare.

Ille verò, ô amice, poſteaquam cœpiſſet de hiſce rebus mecum colloqui, ſuámque ſententiam explicare, tantam verborum ambroſiam mihi affudit, ut mihi planè videretur Sirenes illas, ſiquæ unquam fuerunt; & Aedonas, & lotum illum Homeri antiquum referre: adeó divina quædam loquebatur. Huc enim dicendo provectus eſt ut Philoſophiam laudaret, & quæ ab ea manat, libertatem: & contrà, iſta quæ vulgo pro bonis habentur, irrideret, nimirum divitias, gloriam, regna, honorem, aurum præterea & purpuram, & cætera quæ pleriſque prorſus ſpectabilia, mihi quoque antea videbantur. Quæ quidem intento atque aperto animo excipiens, continuò ita affectus fui, ut cui, quod tum mihi acciderat, comparare poſſem, non haberem: ſed in omnes partes raperer. Ac nunc quidem dolebam quòd refellerentur quæ mihi chariſſima erant, divitiæ, argentum, & gloria, ac tantùm non lachrymabar rejectis illis: nunc verò eadem ipſi mihi videbantur vilia atque ridicula eſſe: gaudebamq; rurſum tanquam ex tenebroſo quodam aere prioris vitæ, ad ſerenitatem & magnam aliquam lucem reſpiciens. Quare ſanè & oculorum, quod abſurdiſſimum erat, & eorum infirmitatis obliviſcebar, anima verò perſpicacior paulatim fiebã. hactenus enim ignoraveram me cæcucientem ipſam circunferre. At inde progreſſus, ad id adductus ſum quod tu mihi paulò ante obiiciebas. Nam & elatus oratione illius, & tanquam in ſublime evectus ſum, & omnino humile nihil amplius cogito. Videor enim mihi philoſophia ſic affici, ut vino affecti feruntur Indi, quum de eo primùm biberunt. Cùm enim natura eſſent calidiores, tam valido potu imbuti, continuò bacchati ſunt, & duplum inſanierunt meraco. Eodem pacto & ipſe, quaſi furore captus, & oratione ebrius obambulo: quanquam hoc non ebrietatis eſt, verùm ſobrietatis & temperantiæ.

Ego verò optarim, ſi fieri poſſit, illam ipſam audire orationem. Neque enim profectò eam fas eſt contemnere, præſertim cùm ille qui audire cupit, ſit amicus, & ſimilibus ſtudiis operam dederit. Confide ô bone, nam juxta Homericum illud, *ſponte feſtinantem hortaris*: ac niſi prævortiſſes, jam ultro rogaſſem me narrantem audires, teſtem enim te apud pleroſque ſiſtere volo, quòd non ſine ratione inſanio. præſertim cùm volupe mihi ſit illorum meminiſſe ſæpe, & hanc exercitationem iam amplexus ſim. Quamvis enim nemo mihi adſit, tamen bis vel ter per diem ſic ipſe dicta illa mecum revoluo. Ac quemadmodum amatores abſentibus amaſiis, opera aliqua, & ſermones ab ipſis habitos, memoria repetunt,

iisque

ijſq; immorando morbum fallunt, perinde ac ſi illi ipſi amati adſint. Quidam verò ſe cum ipſis colloqui putant, atque ijs quæ tum ſibi audire videntur, quaſi modò dictis gaudent, & præteritorum memoriæ animum applicantes, nunquam deſinunt obvios & præſentes amaſios aſpernari. Sic ſanè & ipſe non præſente philoſophia, verba quæ tum audivi recolligens, & mecum revolvens, non exiguum capio ſolatium. In ſumma, perinde ac ſi in pelago, & per noctem altam ferar, velut ad facem hanc aſpicio, rebus omnibus quæ à me geruntur, virum illum adeſſe putans, ac ſemper velut audiens ipſum illa ipſa mihi diſſerentem. Interdum etiam, & maximè quum mente illi inhæreo, & vultus ipſius mihi apparet, & vocis ſonus in auribus permanet. Etenim juxta Comicum, *revera aculeum quendam auditoribus reliquit.* Deſine, ô admirande, paulum præludere, jámque dicta illa ab initio reſumpta ediſſere, non enim mediocriter me iſtis ambagibus torques. Rectè dicis, atque ita facto opus eſt. Sed illud quæſo, ô amice vidiſti-ne aliquãdo, ſive tragicos, ſive per Iovem comicos hiſtriones, illos dico qui exibilantur, quíque agendo poëmata corrumpunt, ac tandem eijciuntur theatris, tametſi ipſæ fabulæ ſæpenumero bene ſe habeant, ac palmam etiam reportent. Multos novi tales. Sed quorſum hoc? Vereor ne interim ineptè illos imitari videar: alia quidem nullo ordine connectens, interdum etiam præ imbecillitate ingenij ſententiã ipſam corrumpens: tum ſenſim huc adducaris, ut fabulam ipſam condemnes. Sed quod ad me attinet non admodum ægrè id ferã. Cæterùm argumentum illud non mediocri dolore videtur me affecturum, ſi mecum reijciatur meáſque partes dehoneſtet. Velim itaq; ut per totam orationem hoc memineris, videlicet quod poëta talium peccatorum eſt innocens, ſedétq; alicubi procul à ſcena, nec quicquam ea curat, quæ in theatro geruntur. Ego verò mei ipſius periculum tibi faciam, qualis ſcilicet hiſtrio ſim quantumque memoria valeam: quod ad cætera attinet nihil à nuncio tragico diſtans. Quare ſiquid minùs rectè dicere viſus fuero, illud præſtò ſit, quod ſcilicet melius hoc fuerat, & aliter forſitan ipſe poëta dixerat. Nec ſi me exibilaveris, admodum ægrè feram. Vt bene ſanè, ita me Mercurius amet, & ut ferunt Rhetorum leges, uſus es procœmio. Illa utique etiam additurus videris, vos unà brevi admodum eſſe converſatos: nec te præparatum venire ad dicendum, ac ſatius eſſe illum ipſum dicentem audire: cùm pauca quædam, quæ potuiſti memoriæ committere, duntaxat comportaris. Annon hæc quoque eras dicturus? Nihil igitur illis apud me tibi opus eſt. Exiſtimes autem hujus rei gratia, te ad præfationem pertinentia complexum eſſe omnia. Ideo tibi acclamare & applodere paratus ſum. Sed ſi prolixior fueris, in controverſia malignitatis meminero, & acutiſſimè ſibilabo. Equidem & hæc quæ tu modò commemoraſti, dicta mihi velim: & illa quoque, quòd neque ordine, neque ijſdem quibus ille verbis uſurus ſum. Omninò enim hoc non poſſum: neq; ſi ſuos illi tribuam ſermones: ne alio ac novo etiam modo hiſtrionibus illis ſimilis fiam, qui ſæpenumero aut Agamemnonis, aut Creontis, aut ipſius etiam Herculis perſona aſſumpta, ac veſtibus auro contextis induti, & horrendũ tuentes, mox ore in immenſum diducto, exiguum & gracile, adeóque muliebre quiddam loquuntur, ipſa etiam Hecuba Polyxenáve multò demiſſius. Ne igitur & ipſe convincar, majorem omnino quàm pro capite meo perſonam induiſſe, ipſúmque ornatum dehoneſtare, ex nuda propriáque perſona tecum colloqui volo, ne forte labens, quem ago heroem, convellam. Hic homo non deſinet hodie crebra illa ſcena, atq; tragœdia uti. Equidem ceſſabo, & ad illa revertar, quæ jam cœperam.

Principium igitur orationis illius, commendatio quædam fuit Græciæ, & eorum hominum qui Athenis commorantur, quòd cũ philoſophia & paupertate educentur: nec civium & peregrinorum quenquam intueri gaudeant, qui voluptatem ad ipſos introducere conetur: ſed ſi quis ita affectus ipſos conveniat, & paulatim ipſum transforment, & veteres mores dedoceant, atq; ad vitæ puritatem transferant. Memorabat itaque quendam ex iſtis multo auro fulgentibus, qui cùm Athenas veniſſet admodum inſignis, & turba comitantium inſolens, varia veſte, auróque ornatus, omnibus quidem Athenienſibus in admiratione erat, & tanquam beatus ſuſpiciebatur: illis verò infœlix quidam homuncio videbatur. Eum illi erudirẽ aggrediebantur non acerbè, nec apertè prohibentes, ne in libera civitate pro libito viveret. Sed cùm in gymnaſijs & balneis moleſtus eſſet, alios ſuis ſervis premens, & obvios in anguſtum redigens, ſummiſſa voce quidam quaſi lateret, nec ipſum perſtringere vellet, Metuit, inquit, ille ne inter lavandum pereat: quanquam pax longa balneum occupat: ac proinde nihil opus eſt exercitu. Ille verò audiens quæ dicebat, interea erudiebatur. Præterea varia illa veſte & purpurea ipſum exuerunt, urbanè admodum floridum nitorem colorum irridentes. Iam ver adeſt, dicebat, & unde nobis hic pavo: & fortaſſe ſuæ hic eſt matris: & ſimilia. Atque eodem pacto cætera cavillabantur, nunc annulorum multitudinem, nunc comæ ſupervacaneam curam, nunc victus intemperantiam. Quare paulatim ad modeſtiam eſt revocatus, & longè melior abijt, publicè emendatus. Quod autem non puderet ipſos paupertatem confiteri, referebat mihi vocem quandam, quam ajebat publicè ab omnibus emiſſam audiſſe ſe in ludis Panathenaicis. Quẽdam ex civibus prehenſum, & ad ludorum præſidem adductum fuiſſe, quòd in veſte tincta ſpectaculo intereſſet. Cæteros autem qui hominem videbãt miſertos illius, ac veniam precatos eſſe. Cúmque præco publicaret eum cõtra leges feciſſe, quòd tali cum veſte ludos ſpectaret, omnes una voce, quaſi antea ſuper hoc deliberaſſent, exclamaſſe ut venia daretur, ſic induto, neque enim illum aliam veſtem habere.

Hæc præterea laudabat & libertatem quæ illic eſt, & victus rationem ab inuidia alienam, & tranquillitatem & ſecuritatem, & ſexcentas virtutes quæ apud illos ſunt. Demonſtrabat etiam mihi converſationem eorum hominum philoſophiæ cõſonam eſſe, moréſque puros conſervare poſſe, viro etiam gravi, & qui divitias contemnere novit, & ſecundum ea quæ natura honeſta ſunt, vivere ſtatuit, vitam quæ ibi vivitur maximè accommodam eſſe. At qui divitias amat, auróque demulcetur, purpura, potentiáque fœlicitatem metitur, qui libertatem non deguſtavit, loquẽdi ingenuitatem non eſt expertus, nec veritatem ſpectavit, ſed cum aſſentatione, & ſervitute in omnibus cõvixit: aut qui totam animam voluptati addixit, eique ſoli ſervire decrevit amans opiparæ menſæ, amans vini & Veneris, plenus præſtigiarum, fraudis, & mendacij: aut qui cithararum frequentamenta & pulſationes, perditáſque cantilenas cum delectatione audit: talibus videlicet hominibus convenire hujus loci conſuetudinem. Ibi enim rerum dilectiſſimarum ipſis refertas eſſe plateas omnes, omniáque fora. Licere etiam januis omnibus voluptatem excipere: partim quidem per oculos, partim per aures & nares, partim per gulam & venerea. Qua deinde fluente perenni turbulentóque flumine, omnes viæ dilatantur. In unum enim conveniunt adulterium, avaritia, periurium, & reliqua id genus voluptatum multitudo. Animo autem undiquaque ſubmerſo, pervertitur verecundia, & virtus, & juſtitia. Tum locus hiſce deſertus, ſempérque ſiticuloſus, multis, feriſque voluptatibus ſuppullulat. Talem civitatem ac tantorum bonorum magiſtram mihi deſcribebat.

Ego itaque, inquit, quando primùm ex Græcia reverſus fueram, cùm jam propiùs acceſſiſſem, conſtiti rationem poſtulans mei huc adventus, Homerica illa dicens. *Cur autem infœlix deſerto lumine Phœbi* (Græcia nimirum, & fœlicitate, ac libertate illa) veniſti ut videas loci hujus tumultus, ſycophantas, ſalutationes ſuperbas, cœnas, adulatores, cædes, teſtamentorum expectationes, & amicitias ſimulatas? aut quid tandem facere decreviſti, cùm neque diſcedere hinc, neq; inſtitutis hiſce uti poſſis? Cùm ita mecum conſultaſſem, & quemadmodum Iupiter Hectorem illum, ita me ipſum è telis, ut ajunt, ſubduxiſſem, *Eque hominum cæde, atque tumultibus, éque cruore*; de cætero domi me continere ſtatui: & vitam hanc muliebrem, & timidam pleriſq; viſam anteponens, cum ipſa philoſophia, & Platone, & veritate colloquor. Ac me ipſum quaſi in populoſo theatro collocans, ex admodum ſublimi contemplor ea quæ gerũtur: quæ iſtiuſmodi ſunt, ut partim multum delectationis & riſus exhibere poſſint, partim etiam hominis revera conſtantis periculũ facere. Nam ſi malorum quoq; encomium aliquod proferre convenit, ne credas majorem ullam virtutis palæſtram eſſe, aut veriora uſquam animorum experimenta fieri, quàm in hac civitate, & in ea qua hîc vivitur conſuetudine. Neque enim parum eſt reſiſtere tot cupiditatibus, tot ſpectaculis, tantíſque aurium illecebris quæ undique attrahunt, & capiunt. Sed oportet omnino Vlyſſis exemplo, illa præternavigare, non quidem ligatis manibus, ut ille (nam hoc formidoloſum foret) neque etiam auribus cera obturatis, ſed audientem atq; liberum: & verè animum ſupra hæc elatum habẽtem. Licet autem & philoſophiam mirari, tantã hominum ſtultitiã cum illa comparando: & fortunæ bona contemnere, videndo veluti in ſcena, & multiplicium perſonarum fabula, alium quidem ex ſervo dominum prodire, alium autem ex divite pauperem: alium cõtra ex paupere ſatrapam, aut regem. Rurſus alium hujus amicũ, alium inimicum, alium etiam exulem. Nam hoc certè vel graviſſimum eſt, quod licèt fortuna teſtetur ſeſe in humanis rebus ludere, fateaturq; nihil illarum eſſe ſtabile, nihil ominus qui quotidie iſta aſpiciunt, & divitias & potentiam appetunt, & pleni obambulant omnes earum rerum ſpe, quarum eventus nunquam ſequatur.

Quod autem dixi licere ea quę geruntur ridere, animúmq; oblectare, illud tibi jam exponam. Quomodo enim non ridiculi ſint divites ipſi, qui & purpuras ſuas oſtentant, & annulos prætendunt, & multas ineptias præ ſe ferunt? At quod omnium eſt abſurdiſſimum, etiam obvios aliena voce ſalutant, & hoc contentos eſſe volunt, ſi ſolùm ipſos aſpexerint. Quidam verò faſtuoſiores, etiam ſe adorari patiuntur, non è longinquo, neq; Perſico more: ſed neceſſe eſt propiùs accedentem, & oculos ſummittentem, animúmque è longinquo demittentem, illiuſq; affectum corporis ſimilitudine declarantem, pectus aut dextram deoſculari: quod beatum & admirandum videtur ijs etiam qui honorem hunc nuſquam aſſequũtur. Ille verò ſtat in longum tempus ſeipsũ præbens decipiendum. Sed illorum laudo inhumanitatẽ, quod ne ore quidem nos approbant. Verùm his magis ridiculi ſunt, qui illos ſectãtur & obſervãt, qui media de nocte ſurgunt, & totam urbem circumcurſitant, quique à ſervis excluſi foribus, canes & adulatores, & id genus alia audire ſuſtinent. Præmium verò acerbæ illius circuitionis eſt oneroſa illa cœna, & multarum calamitatum cauſa: in qua illi quàm multa paſti, quàm multa poti præter animum, quàm multa non dicenda proloquuti, poſtremò vel conquerentes, vel malè habentes, vel cœnam criminantes, vel contumeliam & ſorditiem accuſantes abeũt. Illis autem vomentibus, & ad proſtibula pugnantibus, pleni ſunt angiportus: & plerique ipſorum in multum diem decumbentes,

circuit

circumeundi occaſionem medicis præbent. Quibusdam enim, id quod abſurdiſſimum eſt, non eſt ægrotandi otium.

Ego verò adulatores ipſos magis perditos eſſe puto, quàm quibus adulantur, illosque ferè ipſis iſtius ſuperbiæ authores exiſtere. Quum enim ipſorum opulentiam admirantur, & aurum laudibus extollunt, & veſtibula manè implent, & convenientes tanquam dominos compellant, quid quæſo illos cogitare conſentaneum eſt? Quod ſi verò communi decreto paulùm abſtinerent ab hac voluntaria ſervitute, an non putas è diverſo divites ipſos ad pauperum fores eſſe venturos, rogantes ne ignobilem & ſine teſte ſuam fœlicitatem relinquant, néve inutilem & ab omni uſu remotam menſarum pulchritudinem, & domorum magnitudinem perire ſinant? Neque enim tantum ipſas divitias amant, quantum propter eas fœlices ſe prædicari. Ac ſanè ita ſe res habet, ut neque pulcherrimarum ædium, neque auri, neque eboris ulla domino ſit utilitas, niſi ſit qui illa admiretur. Oportebat igitur hoc pacto illorum extenuare, & vilem reddere potentiam, contemptum hunc quaſi propugnaculum divitiis opponendo: ſed nunc eos colendo ad amentiam adducunt.

Ac certè homines indoctos, & ignorantiam apertè confitentes, talia factitare, tolerabilius meritò exiſtimetur. Verùm eos, qui ſe philoſophari ſimulant, multò etiam ineptiora his, magisque ridicula facere, illud tandem omnium graviſſimum eſt. Quomodo enim putas animo me affectum, quoties video aliquem iſtorum, maximè eorum qui ætate provecti ſunt, adulatorum turbis immiſceri, & illorum aliquem, qui honores gerunt, ſatellitum more ſectari, & cum iis qui ad cœnam vocant, ſermones conferre, quamvis ſit cæteris inſignior & magis conſpicuus ex ornatu? Ideo maximè apud me indignor, quòd non itidem habitum mutent, cum utique quod ad cætera attinet, eodem modo fabulam agant. Nam quæ in conviviis committunt, cui adulatorum comparabimus? annon inſolentiùs exaturantur, inebriantur manifeſtius, à convivio ſurgunt omnium ultimi, aliisque plura ſecum auferre volunt, & ſiqui ſint urbaniores, ſæpenumero ad cantum incitantur? Atque hæc quidem ille ridicula cenſebat. Præcipuè verò eorum mentionem faciebat, qui pacta mercede philoſophiam profitentur, virtutemque ipſam tanquam venalem de foro proponunt. Ideo tabernas & cauponas, illorum ſcholas appellabat. Cenſebat enim eum qui divitias contemnere alios docere vellet, primum ſe quæſtu ſuperiorem gerere debere.

Nimirum & ipſe talia agebat, non ſolùm gratis converſando cum rogantibus, ſed & indigentibus neceſſaria ſuppeditando, omnemque opulentiam contemnendo. Tantum aberat ut ea expeteret, quæ nihil ad ipſum attinerent, ut ne ſuarum quidem rerum, & ſi corrumperentur, curam gereret: qui agrum non procul ab urbe habebat, ac tamen jam multis ab annis ne inviſere quidem eum erat dignatus: Imò ne dominum quidem illius ſe eſſe affirmabat. Illud opinor, diſputans, quòd natura rerum iſtarum nullius domini ſumus: ſed ex lege & per ſucceſſionem uſum earum incertum in tempus accipientes, temporarii poſſeſſores habemur. Ac poſteaquam terminus ille conſtitutus præterierit, tunc alius easdem accipiens, illo nomine fruitur. Illa autem non parva præbent imitari volentibus exempla: victus ſcilicet frugalitas, exercitiorum juſtus modus, perſonæ ipſius venerabilitas, & veſtitus mediocritas, ac prȩter hæc compoſitæ mentis moderatio, morumque manſuetudo. Monebat autem ſecum verſantes ne bene agendi tempus prorogarent, ut multi ſolent, qui certum ſibi tempus præfiniunt, aut feſtos dies, aut conventus ſolennes, tanquam ab illis auſpicaturi nõ mentiendi, & rectè agendi ſtudium: animi enim erga res honeſtas affectionem non eſſe protelandam ſentiebat.

Manifeſtè etiam Philoſophos illos damnabat, qui virtutis eam meditationem putabant, ſi neceſſitatibus multis, ac laboribus ſuſtinendis juvenes exercerent: quorum alii vincire ſe jubebant, alii flagellis cædebant, alii verò elegantiores, ferro ſuperficiem corporis abradebant. Putabat enim multò priùs in animis duritiem iſtã & indolentiam eſſe parandam: eumque qui homines optimè inſtituere vellet, partim etiam ætatis, & prioris educationis rationem habere debere: ne quid ſupra vires imponendo, reprehenſionem incurreret. Multos quoque, qui præter rationem, ita ſupra vires intenderentur, mori ajebat. Unum autem etiam ipſe vidi, qui cùm iam ea apud illos mala deguſtaſſet, ubi primùm veram doctrinam audivit, irrevocabili curſu aufugiens inde, ad ipſum venit: & animo meliùs affecto videbatur. Jam verò digrediens ab iſtis, aliorum rurſus hominum mentionem faciebat, & narrabat civiles tumultus, & plebis conflictationes, & theatra, & circum, & aurigarum ſtatuas, & equorum appellationes, & quæ de his in angiportu habentur colloquia. Multum enim profectò ibi eſt equorum inſanum ſtudium. Quinetiam multos qui pro gravibus haberi volunt, reprehendebat.

Poſt hæc, veluti alterum fabulæ actum attingebat, eorum qui circa funera & teſtamenta verſantur. Hoc addens, quòd unam hãc vocem, Romanorum pueri, per omnem ætatem veram emittant (eam dicens quæ in teſtamentis uſurpatur) nimirum ne ex ſua veritate damnum capiant. Illa verò etiam interea cùm ab eo dicerentur, riſu proſequi adactus ſum, quòd ſuam ignorantiam ſecum ſepeliri volunt, ſuamque ſtupiditatem ſcriptis confitentur: dum alij veſtes, quibus in vita pretioſioribus uſi ſunt, eodem rogo ſecum comburere mandant: alij verò ſervos certos ad ſepulchra permanere: alij cippos ſertis coronari, in fatuitate ad mortem uſque perſeverantes. Itaque conjecturam eorum quæ in vita geſſiſſent, hinc duci volebant, cùm talia de iis quæ poſt mortem ſequutura ſint, teſtamentis mandant. hos enim illos eſſe qui chara opſonia emunt, & vinum in conviviis cum plauſu & odoribus effundunt: qui media etiam hyeme roſis opplentur, earumque raritatem intempeſtivam amant: verùm quod ſuo tempore, & ſecundum naturam eſt, tanquam vile faſtidiunt. Hos illos eſſe qui unguenta bibunt: quo nomine vel maximè eos carpebat, quòd ne uti quidem cupiditatibus ſcirent: ſed & in his peccarent, finesque earum confunderent, animum voluptatibus undique conculcandum permittentes: & hoc quod in tragœdiis & comœdiis dicitur, Iam & præter ianuam incitati. Solœciſmum igitur vocabat hoc genus voluptatum.

Cæterùm & illa ex eadem ſententia dicebat, prorſus Momi illius verba imitatus. Ut enim ille reprehendebat tauri artificem Deum, qui non præpoſuiſſet oculis cornua: ſic & ipſe accuſabat eos qui coronas geſtabant, quòd locum neſcirent ubi eas adhibere deberent. Nam ſi violarum, & roſarum odore delectantur, ſub naribus potiſſimùm eos coronari oportebat, juxta ipſam quantum fieri poteſt, reſpirationem, ut voluptatis inde quamplurimum attraherent. Illos præterea irridebat, qui miram quandam diligentiam in cœnis apparandis adhibent, dum ſaporum varietatem, & bellariorum curioſam compoſitionem ſectantur. Etenim iſtos brevis & temporariæ voluptatis amore multa negocia ſuſtinere ajebat. Indicabat autem ipſos quatuor digitorum cauſa, laborem hunc obire; cùm eorum menſuram, vel longiſſimum hominis guttur æquet. Neque enim antequam emptorum quicquam comederint, ullam voluptatem capere: nec poſtquam devorata fuerint, ſuaviorem illam, quæ fit ex pretioſioribus cibis, expletionem reddi. Reſtare igitur, ut illam, quæ velut in tranſcurſu percipitur, voluptatem, tam grandi pecunia mercentur. Eos autem meritò malè affici, cùm præ imperitia, veriores illás voluptates neſciant, quas omnes philoſophia ſubminiſtrat, ijs qui ſe exercere volunt.

Porrò de ijs quæ aguntur in balneis, multa commemorabat, multitudinem proſequentium contumelias, eos qui ſervis impoſiti geſtantur, ac ferme efferuntur. Unum autem maximè odiſſe videbatur, quod in vrbe & balneis valdè eſt vſitatum: quòd prætereuntes aliquos ex famulis clamare oporteat, & admonere vt pedibus proſpiciant, ſiquid altum aut cavum ſubituri ſint: atq; ita commonefacere, (quod abſurdiſſimum eſt) ut ſeſe ire meminerint. Grave igitur & intolerabile putabat, ſi ad edendum, alieno ore non indigerent, aut manibus, nec auribus ad audiendum; alienis autem oculis bene valentes, ad proſpiciendum opus haberent: ac ſuſtinerent voces audire, quȩ miſeris & excæcatis hominibus convenirent. Hæc enim ipſa accidunt in foro media die, etiam iis quibus demandata eſt reipublicæ cura. Hæc & alia huiusmodi multa oratione perſequutus, dicendi finem fecit.

Ego autem interim dum loquebatur cum admiratione auſcultabam, metuens ne conticeſceret. Ubi verò loqui deſiit, quod Phæacibus olim accidit, id ipſum ego paſſus ſum. Longo enim tempore ipſum, quaſi delinitus, intuebar: deinde multa confuſione & vertigine correptus, partim ſudore manabam, partim loqui volentem oratio deficiebat, atque ego inhibebar. Vox deerat, & lingua hallucinabatur: poſtremò animi pendens lacrymabar. Neque enim ſummam cutem, ac leviter me ipſius attigerat oratio: ſed profunda, & lethalis, ut ita dicam, erat plaga: tamque ſcitè vibrata oratio ipſum, ſi ita dicendum eſt, animum intercîdit. Si enim decet nonnihil & me jam philoſophicos attingere ſermones, ita equidem de hiſce exiſtimo.

Videtur mihi ſolertis hominis animus, molli ſcopo perſimilis eſſe. Sagittarij autem in hac vita multi, qui plenas quidem pharetras, variis omnisque generis orationibus habent, cæterum non omnes aptè jaculantur: ſed alij, ipſarum nervo nimium intento, vehementiori quàm par eſt impetu emittunt: atque hi quidem viam attingunt, at ipſorum ſagittæ in ſcopo non manent, ſed præ vehementia ictus pervadentes ac permeantes hiantem tantùm vulnera animum relinquunt. Rurſum aliis contrario modo evenit. Nã præ imbecillitate virium, & languida jaculatione, ſagittæ ipſis ad ſcopũ uſque non perveniunt, ſed ſoluto impetu plerunque in media via deficiunt. Si verò etiam aliquando ſcopum pertingunt, ſummum illum quidem leviter perſtringunt, at plagam altiorem non infligunt: neque enim valido impulſu emiſſæ fuerunt. Verùm qui bonus eſt jaculator, & huic ſimilis, primùm quidem diligenter inſpiciet ſcopum, num ſit valdè mollis, num verò ſagitta durior. Sunt enim & ſcopi quidam invulnerabiles. Ubi autem omnia hæc perſpecta habet, tum demum uncta ſagitta, non veneno ut Scythicæ inunguntur, nec reſina perinde ut Curetum, ſed ſenſim mordicante & dulci pharmaco illita, verè jaculari ſolet. Illa verò quantum par eſt acriter delata, & quanta vi ad penetrandum opus eſt vibrata, intus remanet, multumque de ſuo pharmaco emittit, quod diſperſum, animum circumquaque totum ambit. Hoc eſt quo oblectantur, & cur inter audiendum lachrymantur: quod & mihi accidit, cum illud medicamentum tacitè animum mihi obiret.

Quare mihi ſuccurrebat Homericum illud ipſi dicere, *Sic jace, ſi qua viris nova per te lux oriatur.* Quemadmodum enim qui Phrygiam tibiam audiunt, non omnes inſaniunt, ſed quotquot ipſorum à Rhea corripiuntur, ijque audito carmine perturbationis recordantur: Ita & qui Philoſophos audiunt, non omnes attoniti, &

ſaucij

saucij abesset, sed solùm illi quorum ingenio quiddam philosophiæ cognatum subest. Quàm gravia, & miranda, & divina, ô amice, narrasti: multaque certè ambrosia, & loto saturatus, me non advertente, fuisti. Quare dum ista diceres, nescio quis animo meo affectus accidebat: & nunc te tacente, molestia afficior: & ut tuo dicam exemplo, saucius sum. Neque id mireris: nosti enim eos qui à rabiosis canibus mordentur, non solos rabie corripi, sed si alios quospiam ipsi in ea insania, eodem modo afficiant, illos etiam mente alienari. Etenim cum morsu simul aliquid affectionis istius transit in alium, propagatur morbus, fitque insaniæ istius multiplex successio. Num ipse etiam nobis te amare confiteris? Sanè quidem. teque præterea oro ut communem aliquam medicationem excogites. Illud igitur Telephi facere necesse erit. Quid illud est quod dicis? Ut ad eum qui nos vulneravit reversi, ab illo medelam petamus. *Tomo 1. lemmate.* Nigrini, *seu* de Philosophi moribus.

Lucianus: Soc. Quo pacto res Athenis se habent? *Men.* Multi juniorum se philosophari profitentur. Ac habitum certè ipsum, & incessum, si quis aspiciat, summi philosophi videntur, admodum multi. Cæterùm vidisti qualis ad te venerit Aristippus, & Plato ipse: alter quidem olens unguenta, alter Siciliæ tyrannis adulari doctus. *Soc.* At de me quid sentiunt? *Men.* Beatus homo es ô Socrates, quod ad res huiusmodi attinet. Omnes itaque te admirabilem virū fuisse existimant, atque hæc omnia cognovisse (decet enim opinor verum hîc dicere) cùm nihil scires. *Soc.* Et ipse hæc illis dicebam: sed eam rem illi simulationem esse putabant. *Men.* Sed quinam isti sunt circa te? *Soc.* Charmides, Menippe, & Phædrus, & Cliniæ filius. *Men.* Euge Socrates, quoniam & hîc tuam artem exerces, nec formosos istos negligis. *Soc.* Quid enim aliud, quod sit suavius agerem? Sed si videtur, prope nos recumbe. *Dialogis mortuorum.*

Lucianus: Verùm quis ille est, ipso habitu gravitatem quandam præ se ferens, elatus, contractis superciliis, meditabundus, promissa barba: quis iste est? *Men.* Philosophus aliquis Mercuri: imò præstigiator, & prodigiorum plenus. Itaque & hunc exue: videbis enim multa, eaque ridicula sub pallio abscondita. *Merc.* Hunc tu habitum depone primùm: deinde hæc quoque omnia. O Iupiter, quantam ille arrogantiam, quantam inscitiam, quantum contentionum, inanis gloriæ, quæstionum dubiarum, spinosarum disputationum, & cogitationum perplexarum circumfert? imò quàm multos vanos labores, & deliramenta non pauca, & nugas, & rerum minimarum disquisitionem. Sed per Iovem aurum etiam hoc, & voluptatem, & impudentiam, & iram, delicias, & molliciem (neque enim ista me latent, etiamsi studiosè celas) mendacium quoque & fastum abiice, illamque opinionem, qua te aliis præstantiorem esse ducis: nam si cum his omnibus ingrediaris quæ te quinqueremis accipiat? *Ph.* Depono igitur ea, quandoquidem sic iubes. *Men.* Sed & barbam hanc deponat Mercuri, cùm adeò gravis, & hirsuta sit, ut vides: cuius capilli quinque sunt minarum ad minimum. *Ph.* Ecquis erit qui detondebit? *Merc.* Menippus iste sumpta securi qua naves fabricant, eam resecabit scansorio navis tabulato superpositam. *Men.* Nequaquam Mercuri: sed da mihi serram: hoc enim erit magis ridiculum. *Merc.* Sufficiet securis. *Men.* Euge humaniorem reddidisti, seposito eius fœtore hircino. Visne ut paulum de superciliis auferam? *Merc.* Maximè. Nam hæc super frontem attollit, nescio quò se ipsum intendens. Quid hoc rei est? etiam ploras scelestè? & mortem formidas? ingredere igitur. *Men.* Unum adhuc gravissimum gestat sub alis. *Merc.* Quidnam Menippe? *Men.* Adulationem Mercuri, quæ illi dum viveret multum profuit. *Ph.* Igitur & tu Menippe depone tuam libertatem, & loquendi audaciam, lætitiam, generositatem, & risum: solúsne omnium rides? *Merc.* Nequaquam, sed retine ista, levia cùm sint & portatu facilia, atque ad navigationem utilia. Tu verò Orator depone istam tantam verborum contradictionem, antitheses, membrorum adæquationes, periodos, barbarismos, aliaque orationum pondera. *Rh.* En depono. *Merc.* Bene res se habent. Itaque solve funem, attollamus scalas, retrahatur anchora: expande velum, tuque portitor dirige clavum. Simus hilares. Quid ploratis stolidi? tuque Philosophe in primis? qui paulò ante tua barba spoliatus es. *Ph.* Quoniam Mercuri, animam immortalem esse putabam. *Men.* Mentitur: alia enim ipsum mœrore afficere videntur. *Merc.* Quænam illa? *Men.* Quia non amplius opiparas cœnas habebit: neque noctu exiens clam omnibus, circumvoluto palliolo capiti, prostibula in orbem lustrabit: nec manè deceptis adolescentibus sua sapientia, pecuniam accipiet. Hæc sunt quæ illi dolent. *Ph.* An tibi molestum non est Menippe, quòd mortuus es? *Men.* Quomodo molestum sit mihi, qui ad mortem, nullo vocante, festinavi? *Dialogis mortuorum.*

Lucianus: Ego cùm adhuc puer essem, & audirem Homerum atque Hesiodum narrantes bella & seditiones, non semideorum modò, sed ipsorum etiam Deorum, præterea eorundem adulteria, violentias, rapinas, supplicia, patrum expulsiones, fratrum & sororum nuptias, hæc omnia præclara ducebam, nec ab iis obiter movebar. Postquam verò cœpi viris annumerari, hîc contrà leges audivi cōtraria poetis jubentes, nec adulteria committere, nec seditiones movere, nec rapinas exercere. Valdè igitur animi pendens constiti, nescius quo pacto me gererem. Neque enim Deos unquam putavi adulteria perpetrasse, & seditiones inter se exercuisse, nisi de his tanquam bonis iudicarint: nec legumlatores his contraria jussisse, nisi id conducere existimarint. Quoniam igitur in dubio eram, visum est mihi hos adire qui philosophi vocantur, hisque in manus me dedere, & rogare ut me qua vellent in re uterentur, vitæq; viam aliquam simplicem & certam commonstrarent. Hęc igitur mecum reputans ad eos ivi, imprudens certè, quòd me ex fumo, ut ajunt, in flammam conijcerem. Etenim apud ipsos maximè diligenter observans, ignorantiam, magisque incerta omnia reperi, adeò ut auream privatorum vitam esse satis ilicò indicarint. Alius nimirum uni me voluptati operam dare, & ad hoc solum studium me conferre jussit. In eo enim sitam esse fœlicitatem. Rursum alius omnino labori incumbere, corpusque sordido squalidoque cultu subigere, miserè ab omnibus affectum & contumelius obnoxium, sedulō inculcans celebria illa Hesiodi de virtute carmina, & sudorem, & ascensum in montis verticem. Alius pecunias contemnere, earumque possessionem indifferentem putare jubebat. Alius contrà bonas esse ipsas etiam divitias pronunciabat. Quid verò de mundo dicam? qui ideas, incorporeas substantias, atomos, & inane, ac talem quandam pugnantium invicem nominum turbam in diem audiebam: & quod absurdorum omnium fuit absurdissimum, de maximè contrariis cùm unusquisq; diceret, vincentes & probabiles admodum rationes afferebat, ut nec ei qui calidum, nec ei qui frigidum idem esse contenderent, contra quicquam dicere potuerim, idque cùm perspicerem fieri non posse ut idem eodem tempore frigidum sit & calidum. Prorsum igitur tale quid accidebat mihi quale his qui dormitant, scilicet ut modò annuerem, modò verò abnuerem.

Præterea hoc illis longè erat absurdius, quòd observata ipsorum vita, eam sermonibus ipsorum summoperè contrariam comperi. Itaque eos qui pecuniam spernendam esse suadebant, ei tenaciter adhærentes, de fœnore litigantes, pro mercede docentes, omnia denique eius gratia tolerantes: eos verò qui verbis gloriam aspernabantur, omnem vitæ suæ rationem eò conferentes, eosque pene omnes qui voluptatem accusabant, ex ea sola privatim pendentes videbam. Ergo hac spe frustratus adhuc magis indignabat, tacitè me ipsum consolando quòd cum multis & sapientibus, & celeberrimis viris, insipiensque essem, & veri ignarus oberrarem. Tandem mihi horum causa aliquando pervigilanti, visum est ut Babylonem profectus, magorum aliquem ex Zeroastri discipulis & successoribus convenirem. Audieram siquidem ipsos carminibus, & expiationibus quibusdam inferorum portas aperire, & quem voluerint tutò illuc deducere: indeque rursus reducere. Optimè ergo me facturum putavi si cum horum quopiam de descensu paciscens, Tiresiam Bœotium consulerem, ab eoque perdiscerem, tanquam à vate & sapiente, quæ vita sit optima, quamque potissimum sapiens eligat. *Titulo Necyomantia.*

Lucianus: At malè pereant quicunque philosophorum apud solos Deos fœlicitatem esse dicunt. Nam si nossent, quàm multa nos hominum causa patiamur, haudquaquam nos ob nectar, aut ambrosiam beatos prædicarent, Homero videlicet credentes homini cæco & præstigiatori, beatos vocitanti nos, & ea quæ in cœlis geruntur, exponenti: cùm ipse ne illa quidem quæ in terris fiunt, aspicere potuerit. Primùm quidem Sol hic juncto curru, totam diem cœlum circumvagatur, indutus igne, & radiis resplendens, ne tantum quidem otii habens, quantum ad scalpendam aurem, ceu dici solet, sufficiat. Nam si vel paululum cessaret imprudens, contumaces equi, à via deflectentes, omnia incenderent. Luna autem insomnis & ipsa circumit, lumen exhibens iis qui comessationibus indulgent, quique præter tempus à cœnis domum redeunt. Quinetiam Apollo negotiosam artem exercens, parum abest quin obsurdescat auribus, adeò importuni sunt qui oracula efflagitant. Ac nunc quidem illi in Delphis esse necesse est: paulò post Colophonem cursu petit: inde & Xanthum transit: postea Clarum currendo contendit: deinde Delum, aut Branchidas. Denique quocunque vates sacrum laticem pota, commanducata lauro, & tripode concusso, venire jubet, impigrum protinus assistere oportet, oracula connectentem, aut alioqui artis gloria ipsi intercideret. Omitto dicere quàm multa experiendæ artis & vaticiniorum causa machinentur ipsi, quum agninas carnes, testudinesque in eodem vase coquunt: adeò ut nisi acri odoratu valeret, eo deriso Lydus ille abiisset. Nam & Æsculapius cùm ab ægrotantibus vexetur, & tuetur grave, & tractat injucunda, alienisque ex malis proprias sibi contrahit molestias. Quid si ventos dicam, qui plantas fovent, navigia deducunt, & frumenta ventilantibus afflant? Aut somnum qui ad omnes devolat? aut insomnium quod cum somno pernoctat, eiusque velut interpretem se gerit? Omnia enim hæc, quæ ipsorum est humanitas, operantur Dij, & ad vitam in terris agendam unicuiq; contribuunt. At mediocria quidem sunt cæterorum negotia. Ego verò ipse, omnium ille rex, ac pater, quàm multas molestias sustineo? quàm multa negotia habeo, tot tantisque curis distractus? Cui primùm quidem necesse est, cæterorum Deorum opera inspicere, quicunque aliquid in administrando imperio nobiscum agunt, ne ad res obeundas torpescant: deinde innumerabilia mihi sunt agenda, quę vix præ tenuitate assequi queam. Nunc enim solùm generalibus illis meæ administrationis, pluviis videlicet, grandinibus, ventis, & fulguribus administratis, ceu curarum parte sublevato, quiescere mihi licet: sed oportet me & hæc facere, & eodem tempore undique aspicere, omniaque contemplari: non secus ac illum in Nemea bubulcum, furantes, pejerantes, sacrificantes, si quis libavit, unde nidor ac fumus ascendat: quis ægrotans, aut navigans invocarit.

Quodque omnium eſt operoſiſſimum, uno eodemque tempore in Olympia hecatombæ intereſſe, in Babylone belligerantes intueri, apud Getas grandinare, apud Æthiopas convivari. At ne ſic quidem querelas evitare facile eſt: ſed ſæpenumero, cæterique Dij, & homines galeati, totam noctem dormiunt: me verò Iovem placidus ſopor haud tenet unquam. Si enim vel paululum nictaverimus, verax ilico Epicurus iſte eſt, qui nulla providentia; quæ in terris geruntur, proſpicere nos affirmat. Atque hoc periculum haudquaquã contemnendum, ſi homines hæc dicenti credant. Sed templa coronis carebunt, ſine nidore erunt plateæ, ſine libamentis crateres, frigidæque paſſim aræ, denique ſine ſacrificiis, ac victimis omnia, multaque fames futura. Proinde veluti navium gubernatores, ſublimis ſolus in puppi ſtare ſoleo, clavum præ manibus habens: vectores autem alij inebriantur, & ſi fors ita ferat, indormiunt. Ego verò inſomnis ac jejunus pro omnibus animo & mente ſum ſolicitus, eo nomine tantùm honoratus, quòd videor eſſe dominus. Quare lubenter philoſophos iſtos interrogarim, qui ſolos Deos beatos prædicant: quando tandem & nectari vacare nos, & ambroſiæ putarent, adeò innumeris implicatos negotiis. Ecce enim præ continuis occupationibus tot controverſias intus repoſitas jam olim ſervamus, ſitu, araneisque jam propè corruptas: præcipuè eas, quas ſcientiæ atque artes adverſus quoſdam homines habent admodum antiquas illarum nonnullas. Illi verò vociferantur undique & indignantur, ac juſtitiam inclamant, meque tarditatis accuſant: neſcij non negligentia differri ultra diem legitimum hæc judicia, ſed ob fœlicitatem illam in qua nos verſari putant. Hoc enim nomine perpetuas occupationes vocant. *Mercurius.* Ipſe etiam Iupiter, multa huiuſmodi graviter ferentes audiens, dicere tibi non audebam: at ſiquidem de his mentionem feciſti, eloquar ſanè. Valdè indignantur, pater, & animo ferunt iniquo, nec palam audent profiteri, ſed apud ſe ſubmurmurant inclinati, tempus accuſantes: quos tamen conveniebat iam olim propriis viribus cognitis, rebus judicatis acquieſcere. *Iup.* Quid igitur tibi videtur Mercuri? ſtatímne illis forum conſtituemus? an mavis ut in proximum annum illis diem dicamus? *Merc.* Nequaquam ſed iam agendi copiam faciamus. *Iup.* Ita fac. Tu quidem devolans proclama, quòd judiciale forum hoc pacto conſtituetur. Quotquot diem dixerunt, hodie in Areopagum veniant: ibi juſtitia ſorte diſtribuet juris actiones pro ratione claſſium ex omnibus Athenienſibus. Quòd ſiquis iniquum judicium crediderit eſſe latum, licebit ad me provocanti denuo judicium experiri, perinde ac ſi ſententia prorſum lata non fuiſſet. Tu verò filia Deabus venerandis aſſidens, actiones ſorte diſtribue, & inſpice judicantes. *Iuſtitia.* Iterúmne in terram, ut ejecta ab illis, denuo fugitiva è vita abeam, ubi injuſtitiam irridentem ferre non potero? *Iup.* Bene ſperandum. Jam enim omnino perſuaſerunt ipſis Philoſophi, ut te injuſtitiæ anteponant: præſertim filius ille Sophroniſci, qui quod juſtum eſt ſummopere laudavit, idq; bonorum maximum declaravit. *Iuſt.* Scilicet ei quem dicis, valdè profuerunt habiti de me ſermones, qui undecim viris traditus, & in carcerem conjectus, cicutam miſer biberit, ne gallo quidem Æſculapio perſoluto: tantum prævaluerunt accuſatores, contraria de juſtitia philoſophantes. *Iup.* Nova adhuc plerisque tunc erat philoſophia, paucique etiam dum philoſophabantur. Quare non abs re ad Anytum & Melitum judices tum inclinabant. At nunc an non vides quantum ubique palliorum, baculorum, perarum? ut ubiq; promiſſa barba, libellus in ſiniſtra, omnesque pro te philoſophantur? Plena autem & ambulacra turmatim atq; gregatim mutuo ſibi obviam euntium: nemoque prorſum eſt qui non virtutis alumnus videri cupiat. Nam multi relictis artibus, quas antè exercebant, ad peram proſilientes, & pallium, corpusque ad ſolem Æthiopico colore inficientes, philoſophi extemporales, ex coriariis vel fabris prodeũtes obambulant, teque ac tuam virtutem collaudant, ut juxta proverbium, Citiùs aliquis in navi cadens ligno deſtituatur, quàm quocunque aſpexerit oculus, philoſophum deſideret. *Iuſt.* At verò, Iupiter, hi me territant, dum inter ſe altercantur, & improbè ſe gerunt in iis ipſis quæ de me commemorant. Ajunt & plurimos eorum, ſermonibus quidem ſimulare me: at re ipſa ne in ædes quidem admittere, ſed præ ſe ferre quod excluſuri me ſint, ſi unquam ad fores ipſorũ acceſſero, à quibus iniuſtitia olim hoſpitio eſt excepta. *Iup.* Non omnes, filia, ſunt flagitioſi. Satisque eſt ſi paucos nanciſcare probos. Verùm abite iam, ut vel paucæ aliquæ actiones hodie finiantur. *Merc.* Abeamus Iuſtitia, rectà verſus Sunium, paululum ſub Hymetto ad ſiniſtram Parnethis deflectentes, ubi duo illi vertices. Tu enim videris iam olim eſſe oblita viæ iſtius. Sed quid fles, & lamentaris? ne metuas. Non ampliùs ita ſe habent res humanæ: mortui ſunt omnes illi Scirones, Pityocamptæ, Buſirides, & Phalarides, quos tunc pertimeſcebas. Nunc Sapientia, Academia, Stoaq; tenent omnia, & ubique te quærunt, & de te diſputant, hiantes & expectantes ſicunde ad ipſos iterum devoles. *Iuſt.* Proinde, Mercuri, tu ſolus verum mihi poſſis dicere, (utpote qui cum ipſis degas plerumque & converſeris cùm in gymnaſiis, tum in concione. Nam tu es forenſis, & in concionibus præconem agis) quales ſint: & num apud ipſos commorari queam. *Merc.* Agerem injuſte per Iovem ni tibi quæ mea es ſoror, dicerem. Ipſorum enim plerique non parum utilitatis ex philoſophia perceperunt. Etenim ſi nihil aliud, habitus ſaltem verecundia, minus delinquunt. Attamen & in flagitioſos aliquos incides (decet enim, opinor, verum fateri) & in ſemidoctos nonnullos, & ſemimalos. Etenim poſtquam acceptos eos alio colore inficiebat Philoſophia: illi quidem quotquot ad ſatietatem tincturam imbiberunt, accuratè probi effecti ſunt, nullo alieno colore permixti: & ad ſuſcipiendam te, hi ſunt paratiſſimi. Quotquot autem præ veteri illuvie, tinctorii veneni vim integram in intimas partes non receperunt, aliis quidem ſunt meliores, ſed tamen imperfecti, & ſemialbi, maculoſi, & colore pardalium. Sunt autem qui cùm foris tantùm attigerint lebetem ſummo digito, & ſibi fuliginis nonnihil illeverint, abundè putent ſibi mutatum colorem. Planum ſanè eſt fore, ut cum optimis converſeris. Sed inter loquendum, Atticæ iam appropinquamus. Quare Sunium quidem ad dextram relinquamus ad arcem autem iam hinc declinemus. Ac poſtquam deſcendimus, ipſa quidem hìc alicubi ſuper campo ſede, ad Pnycem reſpiciens, & expectans donec proclamavero, ea quæ ſunt à Iove imperata. Ego verò arce conſcenſa, ſic faciliùs ex loco unde exaudiri poſſim omnes advocabo. *Iuſt.* Ne priùs abieris Mercuri, quàm dicas quiſnam iſte ſit, qui huc accedit, corniger, fiſtulam habens, & cruribus hirſutus. *Merc.* Quid ais? non noſti Pana illum ex Bacchi miniſtris omnium maximè bacchicum? Hic antea habitabat in monte Parthenio: tempore autem quo Datis claſſe eſt advectus, & Barbari in Marathonem egreſſi, venit non vocatus opem ferens Athenienſibus. Ab eo tempore, accepta iſta quæ eſt ſub arce ſpelunca, habitat paulum infra Pelaſgicum, inter inquilinos cenſus. Et nunc ut veriſimile eſt, nos ex vicinia conſpicatus, accedit ſalutaturus. *Pan.* Salvete Mercuri, & Iuſtitia. *Merc.* Et tu. *Iuſt.* Et tu utique ô Pan, Muſicorum ſtudioſiſſime, omniumque ſaltatorum Satyrorum agillime, Athenis etiam bellicoſiſſime. *Pan.* Quænam vos Mercuri, huc adduxit neceſſitas? *Merc.* Hæc tibi enarrabit omnia: ego verò in arcem hinc, & ad præconium abeo. *Iuſt.* Iupiter, ô Pan, miſit me ut ſortito diſtribuerem actiones forenſes. At tibi quomodo ſe res habent Athenis? *Pan.* Haudquaquam, in univerſum quidem, pro dignitate apud ipſos ago ſed multò quàm ſperaram deteriùs: idque cùm tantum depulerim tumultum illum à barbaris exortum. Sed tamen bis térve quotannis aſcendentes, ſegregato ad hoc hirco aliquo coleato, multum grave olente, mihi ſacrificant. Deinde epulantur carnes illas, me lætitiæ eius velut teſtem adhibẽtes, & tenui quodam honorantes applauſu: quanquam nonnihil animum meum oblectat riſus ipſorum, & luſus. *Iuſt.* Inter cætera Pan meliores ad virtutem facti ſunt à philoſophis. *Pan.* Quoſnam iſtos dicis philoſophos? num tetricos illos vultuque triſtes ſimul multos, barba mihi adſimiles, & loquaces? *Iuſt.* Maximè. *Pan.* Neſcio quid dicant: ſapientiam ipſorum non intelligo. Etenim montanus ego ſum, nec ſubtilia iſta, urbanaque verba didici Iuſtitia. Nam unde in Arcadia ſophiſta vel philoſophus foret? Ad obliquũ usque calamum, & fiſtulam doctus ego ſum: cæterùm paſtor, ſaltator, & ſi ſit opus, bellator. Audio tamen illos aſſiduò vociferantes, ac virtutem neſcio quam & ideas, & naturam, & incorporea quædam commemorantes, ignota mihi ac peregrina nomina. Ac primùm quidem ſermones inter ſe pacificè ordiuntur: ſed procedente diſputatione, intendunt vocem ad orthium uſque: ita ut cùm nimium diſtendantur, magnaque eloqui contendant, illis facies rubeſcat, collum intumeſcat, & venæ ſint extantiores, quales tibicinum, quando tibiam anguſtam inflare vi quadam coguntur. Conturbatis igitur ſermonibus, eoque confuſo quod principio inſtituerant, plerique ſeſe mutuis convitiis inceſſentes, ſudorem ex fronte, incurvo digito abſtergentes, abeunt. Atq; hic demum vincere viſus eſt, qui clamoſior & confidentior eſſet. Sed tum vulgus admiratur eos, in primis verò quibus nihil rerum neceſſariarum curæ eſt, & aſtant confidentia & clamore illorum excitati. Hinc fiebat ut mihi viderentur arrogantes, & barbæ ſimilitudinem ægrè ferrem. Num autem ipſorum clamori aliquid ineſſet quod reipubl. conduceret, & boni aliquid ex verbis illis naſceretur ipſis, dicere non poſſum. Quanquam ſi verum dicere convenit, nihil præ metu reticendo (etenim in ſpecula, ut vides, habito) multos ipſorũ ſæpenumero iam conſpicatus ſum ſub obſcuram veſperam. *Iuſt.* Tace Pan, annon Mercurius tibi iam viſus eſt proclamare? *Pan.* Maximè. *Merc.* Audite populus, Forum judiciale, quod fœlix fauſtumque ſit, hodierno die inſtituemus, qui Februarij eſt ſeptimus. Quicunque igitur actiones detulêre, in Areopagum veniunto: ibi Iuſtitia forum ſortietur, aderitque ipſa judicantibus. Iudices ex omnibus Athenienſibus dabuntur: merces pro quaque lite, trium erit obolorum: numerus judicum ſecundum accuſationis æſtimationem. Quotquot autem relictis actionibus, priusquam judicio experirĩ potuerint, mortui ſunt, hos remittat Æacus. Quod ſiquis iniquè judicatum putaverit: ad alium judicem, nimirum ad Iovem provocabit. *Pan.* Papæ! qualis tumultus! quantum Iuſtitia, exclamarunt! ut undique properè concurrunt, ſeſe mutuo trahentes per acclive ſurſum, verſus Areopagum! Iamque adeſt Mercurius ipſe. Quare vos actionibus operam date, ſortimini, & diſceptate, ut veſtræ ferunt leges. Ego verò ad ſpeluncam hinc digreſſus, fiſtula canam carmen aliquod amatorium, quo Echonem ſoleo probris inceſſere. Cæterùm auſcultationum & orationum judicialium ſatis ſuperque habeo, ut qui quotidie in Areopago litigantes audiam. *Merc.* Age Iuſtitia, advocemus iſtos. *Iuſt.* Rectè dicis. Nam affatim ut vides, accedunt tumultuantes, ut veſpæ quæ verticem circumſtrepunt. *Athenienſis.* Cepi te ô ſceleſte. *Alius.* Sycophantam agis. *Alius.* Pœnas jam tandem dabis. *Al.* Convincam te gravis facinoris. *Al.* Mihi primo ſortire. *Alius.* Sequere, ſceleſte, ad judicem. *Alius.* Ne me ſuffoca. *Iuſt.* Scis quid faciamus Mercuri?

Cæteras quidem lites in crastinum reiiciamus: hodie autem eas tantùm sortiamur, quæcunque ab artibus aut vitis, aut scientiis, contra homines promulgatæ sunt. Ac mihi has profer actiones. *Merc.* Ebrietas contra Academiam, pro Polemone, plagii. *Iust.* Sortire septem. *Merc.* Stoa contra Voluptatem, injuriarum, quòd amatorem ipsius Dionysium, abduxerit. *Iust.* Quinque sufficient. *Merc.* Pro Aristippo, Mollities contra Virtutem. *Iust.* Quinque etiam ius hisce dicant. *Merc.* Mensaria contra Diogenem, fugæ. *Iust.* Tres tantùm sortire. *Merc.* Pictoria contra Pyrrhonem, ut desertorem. *Iust.* Novem cognoscant. *Merc.* Visne & has sortiamur, Iustitia, duas videlicet istas, paulò antè nosti contra Rhetorem institutas? *Iust.* Antiquiores illas priùs dirimamus. Hæ autem postea iudicabuntur. *Merc.* Atqui similes etiam istæ superioribus sunt, quodque intenditur, quanquam recens, affine tamen est illis, de quibus modò sortiti sumus: quare æquum est ut inter ea disceptetur. *Iust.* Videris Mercuri, indulgere petitioni. Sed tamen sortiamur, si tibi videtur, verum solas hasce duas: sufficiunt enim hæ quas sortiti sumus. Cedo ipsas actiones. *Merc.* Rhetorica contra Syrum, malæ tractationis. Dialogus contra eundem, contumeliæ. *Iust.* Quis iste, cuius nomen adscriptum non est? *Merc.* Ita sortire contra Rhetorem Syrum: nihil enim vetabit, etiam absque nomine proprio. *Iust.* Ecce iam etiam peregrinas Athenis in Areopago sortiamur: quas rectiùs fuerat ultra Euphratem fuisse disceptatas. Verùm sortire undecim eosdemque utrique liti. *Merc.* Rectè Iustitia. Parce, ne multa in iudices impendatur pecunia. *Iust.* Primi considento Academiæ & Ebrietati ius dicturi. Tu verò aquam infunde: & tu Ebrietas dic prior. Quid taces & nutas? Accede Mercuri, ut audias. *Merc.* Non possum, inquit, litem hanc perorare, quia mero mihi vincta est lingua, ne me in foro deridendam propinem. Ægrè autem ut vides constituti. *Iust.* Proinde patronum adducat, ex vehementibus istis aliquem. Sunt enim multi, qui vel triboli gratia disrumpi parati sunt. *Merc.* At nemo certè velit Ebrietati palam patrocinari. Verùm hæc æqua utique videtur postulare. *Iust.* Quænam? *Merc.* Academia hæc semper in utramque orationem est parata: in eoque se exercet, ut contraria rectè possit dicere. Ea igitur, inquit, pro me prior dicat: atque ita deinceps pro se ipsa verba faciat. *Iust.* Nova quidem hæc. Sed dic tamen Academia, orationemque utramque, quandoquidem hoc tibi facile est. *Acad.* Audite, viri iudices, primùm quæ pro Ebrietate dicam. Illius enim quæ nunc fluit oratio, Iniuria est affecta misera illa, à me Academia: mancipio, quod solum habebat benevolum ac fidele, quodque nihil turpe putabat, eorum quę ipsa imperasset, privata, Polemone illo, qui per medium forum interdiu petulanter se gerebat, psaltriam secum habens, & cantu perstrepens, à summo mane ad vesperam usque ebrius semper, & crapulæ indulgens, caputque corollis florum implicatum gerens. Quæ quòd vera sint, testes sunt universi Athenienses, qui Polemonem nunquam sobrium viderunt. Infœlix ille, cùm ad Academiæ quoque fores, ut apud omnes solebat, petulantem ageret, illum sibi mancipatum, atque è manibus Ebrietatis vi ereptum, & ad se adductum, aquam bibere, & sobrium esse docuit, & corollas detraxit. Et quo tempore erat opportunum ad potationem accumbere, vocabula perplexa, misera, multaque solicitudine plena, illum docuit. Quare pro eo colore qui in ipso ante efflorescebat, pallidus, miser, & incurvus factus est: illisque omnibus oblivioni traditis, impastus interdum, & sitibundus ad mediam usque vesperam sedet, nugando, qualia multa ego Academia nugari doceo. Quod autem maximum est, etiam Ebrietati convitiatur à me inductus, & de ipsa innumera mala commemorat. Dicta ferme sunt quæ pro Ebrietate dici possunt. Jam verò & pro me ipsa verba faciam. Exinde peroratum à me esto. *Iust.* Quid verò ad hæc respondebit? Verùm & huic aquæ tantundem infunde vicissim. *Acad.* Hoc pacto rationi consentanea, Viri judices, patrona pro Ebrietate dixit. Quòd si attentionem cum diligentia mihi præbeatis, intelligetis sanè ut nulla iniuria ipsam affeci. Nam Polemonem hunc quem servum illa suum esse ait, non malè natum, neque ita ut Ebrietatem referret: sed mihi familiarem, & indole similem, præceptum cùm esset adhuc adolescens tenellus, adjuvāte Voluptate, quæ illi plerunque unà subservit, corrupit miserum comessationibus, & meretricibus in deditionem traditum: ita ut ne paululum quidem verecundiæ in eo remaneret. Et quæ illa pro se paulò antea dici putabat, pro me dicta putate. Circumibat enim miser ille à primo statim mane coronatus per medium forum circunsonantibus tibiis, nusquam sobrius, in omnes petulans: dedecus majorum, totiusque civitatis, & peregrinorum ludibrium. Posteaquam autem ad me venit, ego quidem ut facere consuevi, patentibus foribus, apud amicos præsentes de virtute & temperantia fortè verba faciebam. Ille verò cum tibia, & coronis astans, principio quidem vociferabatur, ac perturbare nos tentabat, conventum clamore interturbādo. Postquā verò illius nullam rationem habebamus, paulatim (neque enim ebrietate prorsus erat perfusus) cœpit ad sermones resipiscere, coronas demere, & tibicinam compescere, & ob purpuram erubescere. Ac veluti è profundo somno experrectus, cùm se aspiciebat quo pacto esset affectus, tum vitam anteactam damnabat. Et rubor ille ex temulentia contractus deflorescebat, evanescebatque: ipse autem præ pudore eorum quæ fecerat, erubescebat: postremò aufugiens, ut erat, ad me transiit, neque vocatus neq; coactus, perinde ut illa de me dicit, sed ultroneus, hæc nostra meliora esse ratus. Jamque huc ipsum voca, ut cognoscatis quomodo à me sit immutatus & affectus. Hunc ô Iudices, à me receptum, cùm esset ridiculus, nec vocem emittere, nec præ mero consistere posset, converti, sobriumque reddidi, & ex mancipio, virum modestum, ac temperantem, & magni faciendum Græcis effeci. Et nunc ipse mihi gratiam pro ea re habet, & propinqui eius pro ipso. Dixi. Vos autem iam dispicite judices, cum utra nostrûm illi satius fuerit conversari. *Merc.* Agite igitur, ne cunctemini, ferte sententiam, surgite: etiam alios oportet judicare. *Iust.* Omnibus calculis superat Academia, excepto uno. *Merc.* Nihil mirum siquis sit qui pro Ebrietate ferat. Sedete vos qui Stoæ contra Voluptatem sortitò electi estis, ad iudicium de amatore ferendum, infusa est aqua. Heus picturata & varia, iam dicito. *Stoa.* Haud equidem ignoro judices, mihi contra formosam adversariam dicendum: etiam plerosque vestrûm video conversis ad illam oculis ipsi arridentes, me autem contemnentes, quia sum ad cutim tonsa, viriliter intueor, & tetrica videor. Attamen si me dicentem audire volueritis, confido multo iustiora quàm hæc, dicturam me esse. Nam huius illam criminis in præsentia ream ago, quòd ita meretricio modo exornata, aspectus illecebris, amatorem meum, virum tunc modestum, Dionysium videlicet fraude circumventum, ad se pertraxit. Et quam præcedentes illi causam judicaverunt inter Academiam & Ebrietatem, quasi quædam soror præsentis causæ est. Examinabitis enim in præsentia, utrum porcorum more in terram pronos vivere nos deceat, voluptati indulgentes, neque quicquam generosum molientes: an verò postposito honestati jucundo, liberos liberè philosophari: neque dolorem ut ineluctabile quidpiam pertimescentes, neque jucundum mancipiorum more sectantes, fœlicitatemque in melle & caricis quærentes. Hæc enim huiusmodi escas stultis prætendens, & labore, tanquam larva territans, plerosque ipsorum ad se adducit. Inter quos & misero illi quem ægrotantem observavit, ut frænos nostros detrectaret, author fuit. Neque enim si sanus fuisset, sermones illius admisisset. Quanquam quid ego contra illam indignarer, quando ne ipsis quidem Diis parcit: sed illorum curam calumniatur? Quare si sapitis: etiam impietatis pœnas de ipsa sumetis. Porrò audivi ut neque hæc parata est ad orationem habendam: sed adductura Epicurum in patrocinium: ita illudit judicio. Veruntamen illud ab ipsa quærite, quales putet fuisse nostrum Herculem, & Theseum, num voluptati indulgentes, evitarint labores. Nihil enim prohiberet, quominus plena injustitiæ terra foret, si laborem illi non sustinuissent. Hæc dixi, ut quæ longis orationibus non gaudeam. Quòd si utique voluerit & paulum mihi respondere interrogata, eam nihil esse, celerrimè cognosceretur. At vos juramenti memores, quæ justa sunt jam decernite, nequaquam Epicuro fidem habentes; qui Deos, nihil eorum quæ apud nos geruntur, observare dicit. *Merc.* Discede. Heus tu Epicure, pro Voluptate dicito. *Epicurus.* Non longa, judices, oratione causam apud vos dicam. Neque enim multis verbis est mihi opus. Sed si incantationibus aut venenis, Voluptas eum quem Stoa suum amatorem ait, Dionysium coegit, ab hac quidem abstinere, ad se ipsam autem respicere, venefica meritò visa fuisset, & illatæ iniuriæ rea, quòd alienos amatores præstigiis caperet. At siquis liber in civitate libera, legibus non vetantibus, acerbitatem quæ ab hac proficiscitur, perosus, & quam laborum caput, fœlicitatem provenire dicit, nugas ratus, obliquos illos sermones, & labyrinthis similes, evitavit: ad Voluptatem autem lubens transfugit, abiectis verborum laqueis tanquā vinculis, non stolida, sed humana sapiens: laboremque ipsum, id quod est, malum: Voluptatem autem suavem ducens: excludere eum oportebat, quasi ex naufragio ad portum enatantem, & tranquillitatis cupientem, præcipiti capite in laborem impellendo, & ceu dedititium, inopiæ atque egestati miserum illum tradendo: idque cum ille supplicis instar ad Voluptatem, tanquam ad Misericordiæ aram confugeret? Nimirum ut passim iactatam illam virtutem, cum multo sudore in arduum progressus, aspiciat: atque exinde per omnem ætatem laboribus exercitatus, peracta vita fiat beatus. Atqui quis quæso justior judex in hac causa fuerit, quàm ipse ille, qui & ea in quibus Stoa versatur, cognovit ut quisquam alius: & cùm antea, solum illud quod honestum est, bonum putaret esse, postea, quantum malum foret labor, cognito, quodque melius exutroque erat probato, delegit? Videbat enim, opinor, eos qui de tolerandis ac perferendis laboribus multa commemorare solent, privatim autem Voluptatem colunt, eò usque juveniliter sese iactare. Domi autem secundum Voluptatis præcepta vitam degere: erubescentes quidem si deprehendantur aliquid de firmitate remittere, suamque professionem prodere: illud autem Tantali miserè patientes: & ubi latere sese, legesque tutò transgredi posse confidunt, hiantibus faucibus Voluptatem ingurgitantes. Proinde siquis ipsis annulum Gygis daret, ut eo inducto conspici non possent: aut etiam Orci galeam: laboribus, sat scio, longum valere jussis, ad Voluptatem prosilirent, & cuncti Dionysium imitarentur. Qui quidem antea, quam morbo correptus esset, sperabat illos de tolerantia sermones, multum sibi esse profuturos. At postquam dolere, atque ægrotare cœpit, ac labor ipsum re ipsa invasit, animadvertentes corpus suum diversam à Stoa philosophiam sequi, & contraria statuere, illi potiùs, quàm istis credidit, cognovitque & se hominem esse, & humanum corpus habere: vixitque eo non ut statua utens, sed hoc sciens, quòd quicunque aliter dicit, ac Voluptatem accusat, verbis quidem delectetur, animo autem illuc sit converso. Dixi.

Vos autẽ de his ſentẽtiam ferte. *Stoa.* Nequaquam: ſed ut pauca interrogem, mihi permittite. *Epic.* Interroga: reſpondebo enim. *Stoa.* Malumne putas laborem? *Epic.* Etiam. *Stoa.* Voluptatem aũt bonũ? *Epic.* Maximè. *Stoa.* Quid autẽ? ſcisne quid ſit differens, & indifferens, quid promotum, vel rejectum? *Epic.* Scio. *Merc.* Ajunt judices, ô Stoa, ſe non intelligere diſyllabas iſtas interrogationes: quare ſilentium prębete. Jam enim ſententiam ferent. *Stoa.* Atqui viciſſem ſanè, ſi interrogaſſem in tertia figura, eorũ videlicet, quæ demonſtrari non poſſunt. *Iuſt.* Quis ſuperavit? *Merc.* Voluptas calculis omnibus. *Stoa.* Provoco ad Iovem. *Iuſt.* Bonis avibus. Tu verò alios accerſe. *Merc.* De Ariſtippo contendentes, Virtus & Mollities: atque Ariſtippus iſte, adeſto. *Virtus.* Me quæ ſum Virtus, priorem dicere convenit. Meus enim eſt Ariſtippus, ut ſermones & opera indicãt. *Mollit.* Minimè: ſed me quæ ſum Mollities. Meus enim eſt homo ille, ut videre eſt ex coronis, purpura, & unguentis. *Iuſt.* Ne contendite. Differetur enim & hęc cauſa eò uſq; dum Iupiter, de Dionyſio ſententiam feret. Hoc enim illi videtur aſſimile: adeò ut ſi Voluptas vicerit Ariſtippũ quoque Mollities habitura ſit: ſi contra Stoa, hic Virtuti adiudicetur. Proinde alii adſunto. Iſtud autem, ne accipiant hi, puta iudiciale præmium. Nam cauſa hæc ipſis manſit indiſcuſſa. *Merc.* Fruſtra igitur per adeò longam, & acclinem viam aſcenderint hi ſenes. *Iuſt.* Sat eſt ſi tertiam partem acceperint. Abite, ne indignemini, aliàs judicabitis. *Merc.* Diogenem Sinopenſem adeſſe tempus eſt. Dic itaque tu Menſaria. *Diog.* At verò niſi deſinat moleſta eſſe, Iuſtitia, non amplius de fuga mecum apud judicem aget, ſed de multis altisque vulneribus. Ego n. quamprimum ipſam fuſte percutiam. *Iuſt.* Quid hoc rei eſt? profugit Menſaria, ille autẽ ſublato baculo inſequitur. Nec mediocre malum miſera illa videtur acceptura eſſe. Pyrrhonem proclama. *Merc.* Pictoria quidem iãdudum adeſt, Iuſtitia. Pyrrho autem ipſe, ne principio quidem huc aſcendit: & videbatur hoc facturus. *Iuſt.* Quorſum Mercuri? *Merc.* Quia nullum putat judicium eſſe verum. *Iuſt.* Indicta igitur cauſa ipſum condemnunt. Iam accerſe Syrum illum proſæ ſcriptorem. Quanquam nuper ipſi dicta eſt dies: nihilque urget ut lis jam dirimatur. Verumtamen quia ita viſum eſt, priorem introduc Rhetorices cauſam. Papæ quã multi ad audiendũ convenêre! *Merc.* Meritò Iuſtitia. Nam hoc ipſum, quod actio hæc minimè vetus, aut obſoleta eſt, ſed nova atq; inſolens, heri (quemadmodũ ais) primùm intentata: quodque ſperant ſe auditores Rhetoricam, & Dialogum viciſſim accuſantes: illisque Syrum reſpondentem, multitudinem tantam ad iudicium contraxit. Verùm incipe tandem Rhetorica cauſam dicere. *Rhet.* Primùm quidẽ, viri Athenienſes, Deos Deasq; precor omnes, ut quanta ipſe benevolentia affectus ſum ergo hanc civitatem, vosque omnes, tantam à vobis ad præſens certamen conſequi poſſim. Deinde, quod eſt juſtiſſimum, id vobis ſuggerant Dij: ut adverſarium tacere jubeatis: me verò quemadmodum conſtitui, mecumque deliberavi, accuſationem proponere ſinatis. Cæterùm haudquaquam venit in mentẽ eadem ſtatuere, quoties ea quæ mihi acciderunt, aſpicio: & quoties verba, quæ audio. Nam verba quidem quàm ſimillima meis, iſte ad vos faciet. Res autem eò jam proceſſiſſe videbitis, adeò ut ſpectandum mihi ſit, ne pejus quidpiam ab ipſo mihi accidat. At enim ut ne longiore procemio utar, aqua jãdudum fruſtrà effluente, accuſationem incipiam. Ego judices hũc, cùm eſſet adhuc adoleſcentulus, & barbarè loqueretur, ac tantùm non Candyn Aſſyriorum more induiſſet, circa Ioniam inventum, errabundum adhuc, & quid de ſe ipſo ſtatueret, neſcientem recepi & educavi. Et quia mihi videbatur ingenio docili, fixisque oculis me intueri (nam & me tum adhuc verebatur, & colebat, & mirabatur ſolam) relictis cæteris quotquot me ambibant, divites & formoſi, & à majoribus clari, ingrato huic pauperi, & obſcuro, & juveni me ipſam deſpondi, allata dote non exigua, ſcilicet multis, & admiratione dignis orationibus. Poſtea eum ad contribules meos adductũ in tabulas retuli, civemque feci: adeò ut qui meo connubio exciderunt, enecentur. Porrò cùm ipſi viſum eſſet terrarum orbem circumvagari, felicitatemque conjugii oſtentare, ne tum quidem relicta ſum. Sed quoquoverſum ſequens, ſurſum ac deorſum circunducebar, clarumq; & celebrem faciebam ipſum, ornando pariter & componendo. Atq; ea quidem quæ in Græcia, & Ionia acciderunt, mediocria ſunt. Cùm autem in Italia proficiſci ſtatuiſſet, Ionium mare cum ipſo traieci. Poſtremò in Galliam uſque unà progreſſa, feci ut diteſceret. Ac diu quidem mihi per omnia obtemperavit, mecumq; conſuevit, ne unam quidem noctem extra lectum à nobis divertens. Sed poſtquam ſatis viatici ſibi comparavit, quantũq; ad famam attinet, eam bono eſſe loco credidit, adductis ſuperciliis, elatoque animo me neglexit, imò prorſus miſſam fecit. Barbatum verò illum, ex habitu conſpicuum Dialogum, quem Philoſophiæ filium eſſe perhibent, vehementer diligendo, valdeque amatoriè proſequendo, natu, quàm ipſe eſt, grandiorem, cum eo nunc conſuetudinem habet. Neque pudet ipſum hanc orationis meæ libertatem, ſolutamque licentiam concidere, atq; in parvas, unoq; commate conſtantes quæſtiones ſeſe concludere. Ac pro eo quod licebat magna voce eloqui, quicquid libuiſſet, breves quasdam ſententias texere, perq; ſyllabas numerare, unde ſanè conferta laus, multusque applauſus ipſi non obvenerit, ſed auditorum irriſio, manusque intra terminos concuſſus, & longa capitis nutatio, & in dicta gemitus. Talia generoſus ille, me contempta, amavit. Aiunt autem ipſum neque cum hoc amaſio ſuo pacem colere, ſed in eum contumelioſè ſe gerere. Quomodo igitur hic non ingratus, legibusque de vexatione ſancitis obnoxius cenſeatur? qui legitimam conjugem, à qua res tantas accepit, & per quam eſt celebris, ita ignominioſè dereliquit, resque novas appetivit: idque nunc, quando ſolam me cuncti mirantur, ſuique velut præſidem ſcriptis teſtantur. At ego repugno, tot procis ambientibus me: atque ipſis oſtium pulſantibus, nomenque magna voce inclamantibus, nec aperire, nec reſponſare volo. Video enim ipſos nihil præter clamorem afferre. Iſte verò, etiam ne ſic quidem ad me revertitur, ſed ad amaſium illum ſuum reſpicit. Ecquid tandem boni ô Dij ab eo ſe accepturum ſperans? quem præter pallium nihil habere videt. Dixi judices. Vos autem ſi meo iſte orationis modo, reſpondere voluerit, ne permittite. Iniquum enim foret meam contra me machæram acui. Sed ſi poteſt, ad Dialogi à ſe amati modum reſpondeat. *Merc.* Hoc non perſuadebis, Rhetorica. Neque enim fieri poteſt ut hic ſolus ad Dialogi formam reſpondeat: ſed perpetua oratione ipſe quoque dicat. *Syrus.* Quandoquidem, Iudices, etiam hoc malè haberet adverſariam, ſi longa oratione uterer, quanquam ab illa hanc dicendi facultatem accepi, non multa apud vos verba faciam: ſed dilutis accuſationum capitibus ipſis, rem totam vobis diſpiciendam relinquam. Vera enim ſunt quæcunque de me dixit. Nam educavit me, mecum peregrè profecta eſt, & Græcorum civitati adſcripſit: eoque nomine gratiam huius nuptiis habuerim. Cæterùm ob quas cauſas relicta illa, ad Dialogum hunc diverti, audite Iudices: nec me commodi cuiusquam gratia mentiri putetis. Ego cùm viderem hanc non amplius eſſe temperantem, neque in habitu modeſto permanere, quo olim ornatam Pæanenſis ille duxerat: ſed comptam, & meretricio more capillos componentem, fuco etiam illitam, & genas ceruſa pingentem, ilico ſuſpicatus ſum & obſervavi quonam verteret oculum. Ac cætera quidem miſſa facio. Singulis autẽ noctibus angiportus noſter implebatur amatoribus temulentis, petulanter in illam agentibus, & oſtium pulſantibus: quinetiam nonnullis nullo ordine vi intro ſeſe ferre audentibus. Hæc autẽ ridebat, & iis quæ agebantur, delectabatur: ac plerunque vel de toto proſpiciebat, audiẽs illos cantilenas quasdam amatorias aſpera voce occinentes: vel apertis clam me, ut putabat, foribus laſciviebat, & ab iis conſtuprabatur. Quod cùm ego ferre non poſſem, nec mihi probaretur tamen ipſam adulterii accuſare: hunc in vicina habitantem Dialogum adivi, utque me reciperet, rogavi. Hęc eſt magna illa injuria quam Rhetoricæ intuli. Quãquam etiamſi nihil tale ab illa cõmiſſum eſſet: tamen puto, deceret me virum jam propè quadraginta annos natum à tumultibus iſtis, & cauſis agendis deſiſtere, ac pati judices quieſcere, cùm Tyrannorum accuſationibus, tum optimatum laudibus evitatis. Ingreſſum verò in Academiam aut Lyceum, cum optimo iſto Dialogo deambulare, cum eo placidè diſputando. Quanquam multa dicenda habeo, iam tamen finem facio. Vos ſanctam ſententiam ferte. *Iuſt.* Uter vicit? *Merc.* Omnibus calculis Syrus excepto uno. *Iuſt.* Videtur orator aliquis eſſe, qui contrarium tulit. Heus Dialoge, ſub iisdem judicibus dic tu quoque. Vos interim expectate, duplicem pro utraque lite mercedem accepturi. *Dial.* Ego iudices, longiorem ad vos orationem habere non ſtatueram, ſed paucis, ut conſuevi, rem expedire. Verùm tamẽ, ut mos eſt in iudiciis, ita peragam accuſationem: quanquam planè rudis, & rerum iſtiusmodi imperitus. Et hoc mihi ad vos eſto exordium. Illata verò mihi ab illo injuria & contumelia hæc eſt. Me qui antea gravis eram, & de Diis, de natura, de Vniverſi ambitu pleraque conſiderabam, ſupra nubes ſublimis, per aërem incedens: ubi magnus ille in cœlo Iupiter alatum currum agere fertur: abſtractũ inde ipſe, cùm jam ad fornicem volarem, & ad ſummum cœlum aſcenderem, confractis alis cum multitudine promiſcua conditionis eiusdem fecit: ac tragicam illam, modeſtamque faciem mihi abſtulit: comicam verò aliam, & ſatyricam, ac fermè ridiculam adhibuit. Deinde in locum eundẽ adductũ concluſit Dicterium, Iambũ, Cyniſmum: præterea Eupolim & Ariſtophanem, vehementes viros ad res graves exagitandum, & ad præclaras irridendum. Poſtremò etiam Menippo ex antiquis illis canibus latratore moleſto, ut videtur, & aſpero refoſſo, hunc quoque ad me introduxit, terribilem revera canem, morſu latenter invadentem, quatenus mordet arridẽs. Proinde quomodo non videar gravi contumelia affectus, qui non amplius habitu proprio conſpicior: ſed comœdias agendo, riſum movendo, argumenta abſurda tractando, ipſi hiſtrionem me gero. Nam quod eſt omnium abſurdiſſimum, nova quadã mixtione ſum tẽperatus: & neq; pedeſtris, neq; ſublimis incedo: ſed hippocentauri inſtar, compoſitum quiddam, novumque ſpectrum auditoribus videor. *Merc.* Quid igitur ad hæc dices Syre? *Syr.* Inexpectatum apud vos, judices, hoc certamen ſuſtineo. Quidvis n. potiùs quàm hęc pro me dicturum eſſe Dialogum putabam: quem ego ſuſceptum, cùm adhuc tetricus vulgo videretur, & continuis interrogationibus pręfractus, eoque nomine venerandus cenſeretur, non tamen omnino ſuavis, neque multitudini gratus: primùm quidem hunc hominum in modum per terram incedere aſſuefeci: poſtea autẽ multo ſqualore abſterſo, eoque ridere coacto, ſuaviorem aſpicientibus exhibui. In primis verò Comœdiam cum ipſo conjunxi, ac per hoc multã illi apud auditores benevolentiam cõciliavi: qui antea ſpinas quæ ei inſunt, metuentes perinde ut echinum, manibus excipere cavebant. Sed novi ego quid illum maximè diſcruciet: nempe quòd tenuia illa & exilia cum ipſo ſedens argutari non ſoleo: nempe ſit ne immortalis anima: & quot heminas Deus, quando mundum fabricavit, ſyncerae, eodémque modo ſe habentis ſubſtantiæ infuderit in

ſit in

rit in craterem illum, in quo universa miscendo temperabat: & nũ Rhetorica sit politicæ particulæ imago, adulationis pars quarta. Delectatur enim nescio quo pacto, istiusmodi argutias disputando, ut quibus psoram fricari est jucundum. Atque hæc ipsi videtur suavis cogitatio, ac sese effert, si dicatur non cujusuis esse hominis ea intelligere quæ de ideis subtiliter speculatur. Hæc videlicet etjam à me poscit, & alas illas quærit, sursúmque aspicit, cùm tamen, quæ sunt ante pedes, non videat. Nam cæterorum certè causa puto me non accusaverit, quòd detracto Græco hoc pallio, barbaricum ejus loco reposui, ídque cùm barbarus ipse videar. Injuriam enim fecissem, si contra leges, talia in eum commisissem & patrio vestitu spoliâssem. Respondi judices, pro virili. Vos verò sententiam priori similem ferte. *Merc.* Papæ: totis decem vincis. Nam ipse ille prior, ne nunc quidem eadem cum cæteris sentit. Nempe hic mos est illius, atque perforatum omnibus calculum ferre solet, nec facilè desierit optimis quibusque inuidere. Sed vos abite prospera cum fortuna. Die crastino reliquas judicabimus. *Titulo Bis accusati.*

Lucianus: Iupiter. Tu quidem compone scamna, & locum advenientibus adorna: tu verò siste vitas ordine adductas. Verùm eas priùs exorna ut formosæ appareant, & quamplurimos alliciant. Tu autem Mercuri quod fœlix faustúmque sit, proclama, & emptores, ut jam ad forum adsint, convoca. Philosophicas autem omnis generis, & variarum sectarum vitas proclamabimus. Quòd si quis præsẽtes pecunias numerare nequeat, is dato sponsore, sequẽti anno solvet. *Merc.* Multi conveniunt. Itaque nec differre, nec diu ipsos detinere par est. *Iup.* Vendamus igitur. *Merc.* Quem vis ut primum producamus? *Iup* Ionicum illum comatum: gravitatem enim quandam præ se fert. *Merc.* Heus tu Pythagorice descende, téque his qui sunt congregati, conspiciendum præbe *Iup.* Proclama. *Merc.* Optimam vitam vendo, & maximè venerandam: quis emet? quis homine major esse vult? quis cupit universitatis harmoniam nosse, & reviviscere? *Mercat.* Forma certè non est illiberali: verùm quid potissimum scit? *Merc.* Arithmeticam Astronomiam, Prodigiorum scientiam, Geometriam, Musicam, Præstigiorum artem: vatem summum vides. *Mercat.* Licet ne ipsum interrogare? *Merc.* Quod faustum sit, interroga. *Mercat.* Cujas es tu? *Pyth.* Samius. *Mercat.* Vbi verò institutus es? *Pyth.* In Ægypto, apud sapientes qui illîc sunt. *Mercat.* Age verò, si te emam, quid me docebis? *Pyth.* Nihil equidem te docebo, sed commonefaciam. *Mercat.* Quomodo commonefacies? *Pyth.* Primùm animam tuam puram faciam, à sordibus quibus est immersa, repurgans eam *Mercat.* Atqui finge me jam purum esse: quis erit commonefaciendi modus? *Pyth.* Primùm quidem, longa quies, & taciturnitas, & quinquennale silentium. *Mercat.* Ergo bone vir, tibi Crœsi filius est erudiendus: ego enim loquax, non statua esse volo. Verùm quid post illud silentium, & quinquennium fiet? *Pyth* In Musica, & Geometria exercebere. *Mercat.* Rem lepidam dicis: si priùs quàm sapiens fiam, citharœdum me esse oportet. *Pyth.* Post hęc numerandi artem addisces. *Mercat.* Nunc etiam numerare scio. *Pyth.* Quomodo numeras? *Mercat.* Vnum, duo, tria, quatuor. *Pyth.* Vides ea esse decem, quæ tibi quatuor videntur, & perfectum trigonum, nostrúmque juramentum. *Mercat.* Per maximum igitur juramentum quatuor, nunquam neque diviniores, neque sanctiores sermones audivi. *Pyth.* Post hæc verò hospes, de terra, aëre, aqua, & igne scies, cujusmodi sit illis impetus, quam habeant formã, & quomodo moveantur. *Mercat.* Formam ne habent ignis, aer, & aqua? *Pyth.* Certè manifestam. Neque enim sine forma & specie moveri possent. Præterea ipsum etiam Deum numerum esse, & harmoniam cognosces. *Mercat.* Mira narras, *Pyth.* Ad hæc quæ dicta sunt, te ipsum quoque unum videri, aliúmque conspici, & alium esse scies *Mercat.* Quid ajs? alius sum, & non is qui tecum nunc colloquor? *Pyth.* Nunc quidem ille es, quondam verò in alio corpore, alióque nomine videbaris, & progressu temporis iterum in aliud transibis. *Mercat.* Hoc-ne dicis, immortalem me fore dum plures in formas mutabor? Sed de his satis. Iam quod ad victus rationem attinet, qualis es? *Pyth.* Nullum quidem animal edo, sed reliqua omnia, præter fabas. *Mercat.* Quamobrem odisti fabas? *Pyth.* Non odi: sed sacræ sunt, & ipsarum natura mirabilis? ac primùm genitale sunt in totum, & si fabam adhuc viridem exueris, videbis eam virilibus membris similem naturam habere. Elixam verò si certis noctibus Lunæ exposueris, sanguinem facies. Et quod majus est: consuetum est Atheniensibus, fabis magistratus eligere. *Mercat.* Pręclarè & religiosè omnia dixisti. Verùm te exue: etenim nudũ te videre volo Hercle. Femur est illi aureum. Deus, non mortalis videtur esse. Itaque illum omnino emam. Quanti illum æstimas? *Merc.* Decem minis. *Mercat.* Tanti acceptum habeo. *Iup.* Scribe nomen emptoris, & unde sit. *Merc.* Italus videtur esse Iupiter, ex ijs qui Crotonem, & Tarentum, ibíque sitam Græciam incolunt. Atqui non unus tantùm, sed propè trecenti ipsum communiter emerunt. *Iup.* Abducant. alium adducamus. *Merc.* Vis squalitum illum ex Ponto? *Iup.* Maximè. *Merc.* Heus tu, cui ex humeris pera depẽdet, accede & consessum hunc circumeas. Vitam virilem vendo: vitam optimam, & generosam, vitam liberam; quis emet? *Mercat.* Quid dixisti, præco? tũ ne liberum hominem vendis? *Merc.* Maximè. *Mercat.* Annon times plagij te accuset, aut in Areopago tibi litem intendat? *Merc.* Nihil ipsi curæ est quòd venditur. Omnino enim liberum se esse putat. *Mercat.* At cui foret usui hic sordidus, támque miserè affectus: nisi quis fossorem, & aquæ gerulum facere ipsum velit. *Merc.* Non hoc tantùm: imò si ipsum quoque janitorem constitueris: ipso longè fideliore quàm alijs canibus utere: nimiru & ille canis appellatur. *Merca.* Cujus autem est, & quã artem profitetur? *Mer.* Ipsum interroga: sic enim facere præstiterit. *Merca.* Vultum ipsius severum & tristem timeo, & ne me accedentem allatret, aut per Iovem mordeat: non vides ut baculum sustulit, & supercilia contraxit, & minaci iracundóque oculo obtuetur? *Diog.* Ne timeas: cicur enim est. *Merca.* Primùm quidem ô bone, cujas es? *Diog* Omnis ego sum soli. *Mer.* Quid ais? *Diog.* Mundi civem vides. *Merca.* Quem verò imitaris? *Diog.* Herculem. *Mer.* Cur igitur leoninam pellem non induis? nam baculo quidem illum refers *Diog.* Hoc palliolum leoninæ pellis loco mihi est, & quemadmodum ipse, adversus voluptates pugno non jussus sed sponte mea, cùm vitã repurgare constituerim. *Merca.* Euge, quàm præclarum institutum. Sed quid te potissimùm scire dicamus? aut quam artem nosti? *Diog.* Liberos homines facio, & medeor affectibus. In summa veritatis, & audaciæ in loquendo propheta esse volo. *Merca.* Age Propheta si te emero, qua re me exercebis? *Diog.* Primùm ubi te accepero, & delicijs exuero, inque egestatem concluero, te palliolo amiciam: deinde ad labores compellam: tum humi dormire, aquam bibere, & ijs rebus quæ casu offeruntur, vesci faciam. Quòd si pecunias habes, meo consilio, eas in mare projicies: nuptias, liberos, patriámque non curabis: sed tibi nugæ erunt hæc omnia: & relicta domo paterna, specum, aut desertam turriculam, aut dolium inhabitabis: plena lupinis, & opistographis libris pera tibi erit. Hoc modo instructus, magno illo rege fœliciorem te prædicabis. Si autem vapules, aut torquearis ab aliquo, nihil horum molestum esse putabis. *Merca.* Quid dicis? num cæsus non dolebo? Neque enim testudinis, aut carabi cutem circunfero. *Diog* Illud Euripidis imitabere: paucis immutatis. *Mer.* Quale illud est? *Diog.* *Dolente mente, Lingua sit dolens nihil.*

Hæc vero in primis adesse tibi necesse est. Oportet ut sis impudens, & audax & omnibus sine delectu, tam regibus, quàm privatis maledicas. Ita enim fiet ut omnes in te oculos conjiciant, téque fortem esse existiment. Barbara quoque vox, & sonitus absonus, ac planè similis sit canino. Intentus sit vultus: & gressus, qui talem vultum deceat: in summa, beluini & agrestes sint mores omnes: absint autem verecundia, æquitas, & modestia: erubescendi etiam facilitatem de facie prorsus abstergas: loca hominibus frequentissima quæras, & in his solus, & sine ullo commercio esse velis, neq; amicum neque hospitem adeundo. Nam res istiusmodi hoc imperium dissolverent. In conspectu vero omnium ea facias, quæ ne privatim quidem quispiam alius facere ausit, & Venerem maximè rid culam eligas. Denique si tibi videtur, crudo polypo, vel sepia devorata mortem oppetas. Hæc est illa fœlicitas, quam tibi conciliamus. *Merca.* Apage, scelesta enim & inhumana dicis. *Diog.* Sed; heus tu, facillima, & quæ quis nullo negocio assequatur. Neq; enim ad gloriam consequendam tibi opus erit eruditione, orationibus, ac nugis. Verùm compendiaria ad illam via est. Nam etsi plebejus fueris, sive coriarius, sive salsamentarius, aut faber, aut nummularius: nihil tamen vetat quo minùs sis admirationi, si modò adsit impudentia, & audacia, & cõvitiari egregiè didiceris. *Merca.* Ad hæc non indigeo tua opera. forsan autem nauta, vel hortulanus per occasionem fieri posses: idque si velit iste duobus ad summum obolis te vendere. *Mer.* Eum accipe Nam ab eo libenter liberabimur, cùm nos clamoribus obtundat, prorsúsque omnes contumelijs & maledictis lacessat. *Iup.* Alium accerse, purpuratum illũ & coronatum Cyrenæum. *Mer* Agite, animum advortite omnes. Hæc res sumptuosa est, & divitibus indiget. Vita hæc jucunda, vita ter beata est. Quis cupit delicias: quis mollissimũ emet? *Merca.* Accede tu, & dic quid noris. Emam enim te, si utilis fueris. *Mer.* Ne obturba ipsum, ô bone, neque interroga: ebrius enim est. Itaq; non poterit tibi respondere, lingua, ut vides, titubans. *Mer.* Ecquis mentis compos, emat tam corruptum & immodestũ mancipium? quot unguenta olet, quàm lubrico & errabundo gressu incedit! Sed dic Mercuri quibus artibus sit præditus, & quænam tractare soleat. *Mer.* In summa convivator est, & compotor egregius: & ad lascivas saltationes una cum tibicina exercendas, amatori, & perdito cuipiam hero idoneus. Cęterùm parandorum bellariorum gnarus est, & in adornandis edulijs exercitatissimus: breviter voluptatis artifex est. Institutus autem est Athenis, & Siciliæ tyrannis servivit, apud quos in magno precio fuit. Summa vero propositi ipsius est; omnia contemnere, omnibus rebus uti, undique voluptatem conquirere. *Merca.* Tempus est ut aliquẽ ex divitibus, & pecuniosis istis circumspiciendo quæras Ego enim emendæ hilari vitæ non sum idoneus. *Mer.* Iste, ô Iupiter, quantum apparet, inemptus nobis manebit. *Iup.* Amove illum, aliúmque adduc: ac potiùs duos istos, scilicet ridentem illum Abderitam; & flentem illum Ephesium: simul enim vendi volunt. *Mer.* Descendite in medium. Vitas optimas vendo, omniũ sapientissimos proclamo *Merca.* O rem cõtrariam Iupiter. Ille quidem perpetuo ridet: hic aliquem videtur lugere: omnino enim plorat. Heus tu, quid hoc sibi vult, quid rides? *Demo.* Interrogas? quoniam ridicula videntur omnia quæ facitis, ac vos ipsi *Merca.* Quid ais? nos omnes irrides, reiq; nostras nihili facis? *Demo.* Sic est. serium enim nihil ipsis inest, sed inania sunt omnia quæ facitis, & atomorũ concursio, & infinitio. *Merca.* Nequaquam, imò tu vanus es revera, & imperitus.

O contumeliam! non desines ridere? Tu verò quid fles, ô optime? nam tecum colloqui longè, ut puto, melius fuerit. *Heracl.* Existimo enim ô hospes, calamitosas & flebiles esse res humanas, nihilque ex illis non esse fato obnoxium: eas idcirco miseror, & lamentor. Præsentia autem magni non facio: futura verò planè ærumnosa fore puto: conflagrationes dico, mundique totius calamitatem: ista sunt quæ ego deploro: quodque nihil stabile est: sed omnia in cyceonem quodammodo convolvuntur: tum quod eadem res delectat, & offendit, estque cognitio, ignoratio, magnum, parvum: sursum, deorsum feruntur omnia, perque vices in hoc sæculi ludo mutantur. *Mercat.* Quidnam est sæculum? *Heracl.* Puer ludens, ludens talis, contendens. *Mercat.* Quid verò homines sunt? *Heracl.* Mortales Dij? *Mercat.* Quid vero Dij? *Her.* Immortales homines. *Mercat.* Heus tu ænigmata dicis, an griphos componis? planè enim tanquam Apollo, nihil explicas. *Herac.* Quia nihil vos curo. *Mer.* Itaque neque quisquam mentis compos te est empturus. *Heracl.* At ego omnes à pueris plorare jubeo, tam eos qui me emunt, quàm qui non emunt. *Mer.* Hoc malum ab insania non distat: neutrum horum emam. *Merc.* Inempti etiam hi manent. *Iup.* Alium proclama. *Mer.* Vísne facundum illum Atheniensem? *Iup.* Maximè. *Merca.* Accede tu. Vitam bonam & prudentem proclamamus, quis emet sanctissimum hominem? *Merc.* Dic mihi, quam potissimum artem nosti? *Soc.* Pæderastes sum, & in rebus quæ ad amorem spectant prudens. *Mer.* Quî ergo te emam? etenim opus habeo pædagogo, cùm mihi sit puer egregius. *Soc.* At quis magis me idoneus esse queat, qui cum egregio puero versetur? etenim non sum amator corporum: animam enim formosam esse duco: & quanquam sub eodem palliolo decumbunt, dicentes illos audies, à me nihil grave perpeti. *Mer.* Incredibilia dicis, eum qui sit pæderastes, nihil præter animam curare, præsertim cùm jacendi sub eadem veste fiat copia. *Soc.* Atqui per canem, & platanum, rem sic habere, juro. *Mer.* Hercle, quanta absurditas Deorum! *Soc.* Quid tu dicis? non videtur tibi canis esse Deus? Nonne vides quantus sit in Ægypto Anubis, in cœlo Sirius, apud inferos Cerberus? *Mer.* Rectè dicis: ego verò peccavi: verùm quod vitæ genus insistis? *Soc.* Mihi ipsi civitatem quandam extruxi quam incolo: peregrina autem politia utor, measque leges præscribo. *Mer.* Unum aliquod ex tuis dogmatibus audire velim. *Soc.* Audi ergo maximum illud, quo sententiam meã de uxoribus propono. Censeo nullam debere cuiusquam esse propriam, sed ad quemvis accedere qui nuptias eius appetat. *Mer.* Quid ais? sunt ne abrogandæ leges de adulterio? *Soc.* Ita per Iovem, utque uno verbo dicam, reliquæ omnes nugæ ea de re constitutæ. *Merc.* Quid verò tibi de pueris iam maturis videtur? *Soc.* Et hi optimatibus, qui præclari aliquid gesserunt, præmium erunt, ut eos ament. *Merc.* Papæ quanta benevoli animi largitio! sed quæ tuæ sapientiæ est summa? *Soc.* Ideæ, & eorum quæ existunt paradigmata. Nam quæcunque vides, terram, quæ supra terram sunt, cœlum, mare, omnes horum imagines obscuræ extra universitatem existunt. *Mer.* Vbi autem existunt? *Soc.* Nullibi: nam si alicubi essent, non essent. *Mer.* Hæc quæ dicis paradigmata non video. *Soc.* Meritò: cæcus enim est tibi animæ oculus. Ego autem omnium rerum video imagines, & te latentem, & me alium: in summa, duplicia video omnia. *Mer.* Ergo emendus es, sapiens cùm sis, & acutè cernas. Age videam quid tu à me pro ipso exigas. *Mer.* Da duo talenta. *Mer.* Emi quanti dixisti: pecuniam verò in posterum numerabo. *Mer.* Quodnam igitur tibi nomen est? *Merc.* Dion Syracusius. *Mer.* Age, quod fœlix, faustumque sit, accipe eum. Te jam voco Epicure. Quis hunc emet? Est risoris discipulus, Item illius ebrij, quos paulò ante proclamabamus. Vnius autem rei cognitione vincit ipsos, quatenus magis est impius. Cæterùm suavis est, & gulæ amans. *Mercat.* Quo precio venditur? *Mer.* Duabus minis. *Merc.* Accipe. Verùm ut hoc quoque sciam, quibus delectatur eduliis? *Mer.* Dulcia edit, & mellita, maximè verò ficus. *Mer.* Bene se res habet: emam enim ipsi caricarum massas. *Iup.* Alium accersere: illum videlicet ad vivum detonsum, severoque vultu: Stoicum. *Merc.* Rectè dicis: videtur enim magna multitudo, quę ad forum accurrit, illum expectare. Ipsam virtutem vendo, vitam perfectissimam. Quis vult omnia scire solus? *Mer.* Quid istud est quod dicis? *Mer.* Quòd solus hic sapiens est, solus pulcher, solus justus, fortis, rex, rhetor, dives, legislator, & alia quotquot sunt. *Mer.* Num, ô bone, solus etiam coquus est, & coriarius, & faber, & similia? *Mer.* Sic videtur. *Mer.* Accede ô bone, & dic mihi tuo emptori, qualisnam sis, ac primùm an doleas quòd venderis, & servis. *Chry.* Nequaquam: neque enim in nobis hæc sunt: quæcunque verò in nobis non sunt, ista indifferentia esse solent. *Merc.* Non intelligo quid dicas. *Chry.* Quid ais? non intelligis quòd horum quædam sunt prælata, quædam non prælata. *Mer.* Ne nunc quidem intelligo. *Chry.* Meritò quidem, neque enim assuetus es vocabulis nostris: neque imaginationem habes quæ facilè apprehendat. Verùm studiosus dialecticæ contemplationis, non hæc tantùm novit: verùm etiam qualiter, & quantum accidens, & præter accidens inter se differant. *Mer.* Per philosophiam quæso, ne invideas explicare, quidnam sit accidens, & præteraccidens: nescio enim quomodo vocum istarum numero perculsus sum. *Chry.* Citra invidiam dixero. Siquis claudus existat, illisoque pede claudo ad lapidem ex inopinato vulnus acceperit, is certè accidens habet claudicationem, vulnus autem præter accidens accepit. *Mer.* O argutiam! præterea verò quidnam potissimum scire te profiteris? *Chry.* Retia sermonum, quibus implico, & obstringo, denique tacere cogo eos qui contra me disputant, planè frænum illis obducens. Isti verò tantæ orationis vi, nomen est, Syllogismus celeberrimus. *Mer.* Hercle fortem & inexpugnabilem syllogismum dicis. *Chry.* Vide ergo, estne tibi puer? *Mer.* Quid ni? *Chry.* Si crocodilus hunc ad flumen errantem nactus rapuerit, postea verò se redditurum polliceatur, hac lege ut verum dicas quod de pueri redditione decretum est: quid illum decrevisse dices? *Mer.* Quæstionem rogas, ad quam respondere difficile est: dubito enim utrum dicere debeam, quo puerum recipiam. Sed tu, quæso per Iovem, respondens, incolumem puerum mihi serva, ne priùs ipsum devoret. *Chry.* Bono es animo: etenim alia magis mira te docebo. *Mer.* Quænam sunt illa? *Chry.* Istum sermones metentem, illumque dominantem, præterea eam quæ est supra omnes. Electram, & opertum illum. *Mercat.* Quis ille opertus sermo, aut quæ electra est quam dicis? *Chry.* Electram illam dico Agamemnonis valdè celebrem, quæ eadem novit simul & non novit. Astante enim Oreste illi adhuc incognito, novit quidem Orestem suum esse fratrem, hunc verò Orestem esse ignorat. Rursus verò opertum illum ac planè mirabilem sermonem audies. Responde mihi, nostíne tuum patrem? *Mer.* Maximè. *Chry.* Quid igitur? si prope te statuerem quempiam opertum, atque interrogarem: Nostíne hunc? quid diceres? *Mercat.* Scilicet, me non nosse. *Chr.* Atque hic tuus erat pater. Itaque si istum non nosti, palam est te patrem tuum non nosse. *Merc.* Nequaquam: sed si ipsum detexeris, verum novero. Sed quisnam tuæ sapientiæ est finis? aut quid facturus es, si ad virtutis fastigium perveneris? *Chry.* In his quæ natura prima sunt, versabor, dico divitias, sanitatem, & similia. Sed priùs oportet multos labores impendere, libris exiguis literis descriptis oculos admovendo, interpretationes congerendo, seque solœcismis atque absurdis vocibus implendo. In summa, te sapientem fieri fas non est, quin ter ex ordine helleborum biberis. *Mercat.* Egregia sunt ista tua, fortique viro digna. Verùm meticulosum esse fœneratorem (hoc enim tibi inesse video) num dicemus esse viri qui helleborum biberit, & justam virtutis magnitudinem attigerit? *Chry.* Maximè: solum enim sapientem fœnus exercere decet. Quandoquidem enim illius proprium est syllogismis concludere, fœnerari autem & usuras computare, atque syllogismis concludere, parum differre videntur, hoc etiam, ut & illud, soli studiosi competit: nec illum simpliciter fœnus, quemadmodum alij solent, accipere decet, verùm etiam alterius quoque fœnoris fœnus. Nisi fortè ignoras, fœnus aliud esse primum, aliud secundum, velut quandam illius progeniem. Vides autem quid syllogismus quidam concludat. Si primum fœnus acceperit, accipiet secundum. Atqui primum accipiet, Ergo & secundum. *Mer.* Num ergo & de mercede, quam pro sapientiæ disciplina à juvenibus accipis, similia dicamus? & sit manifestum solum studiosum pro virtute mercedem accepturum esse? *Chry.* Intelligis. Certè non mea causa, sed dantis gratia accipio. Cùm enim alius sit effusor, alius comprehensor, me quidem ipsum, ut sim comprehensor, præparo, discipulum verò ut fiat effusor. *Mercat.* At tu contrarium dixisti, juvenem esse comprehensorem, te verò qui solus dives es, effusorem. *Chry.* Heus tu scommate me perstringis. Sed vide tu ne te petam indemonstrabili syllogismo? *Mer.* Quid verò mali ex hoc telo accidet? *Chry.* Dubitatio, & silentium, mentisque subversio. Quod autem est maximum, si voluero, te celerrimè in lapidem convertam. *Merc.* Quomodo lapidem me feceris? neque enim Perseus, ô bone, mihi esse videris. *Chr.* Hoc modo. Lapis est corpus. *Mercat.* Certè. *Chry.* Quid verò? nonne & animal est corpus? *Mercat.* Maximè. *Chry.* Tu verò, nónne es animal? *Merc.* Sic videtur. *Chry.* Lapis igitur es, cùm sis corpus. *Mer.* Nequaquam: sed me per Iovem solue, & de novo fac hominem. *Chry.* Non est factu difficile: quare rursus sis homo. Dic enim mihi. Nónne omne corpus animal est? *Mercat.* Non. *Chry.* An verò lapis, animal est? *Mer.* Non. *Chry.* Tu verò corpúsne es? *Mercat.* Maximè. *Chry.* Corpus autem cum sis, animálne es? *Mer.* Maximè. *Chr.* Ergo non es lapis, animal cùm sis. *Merc.* Euge effeceras ut jam mea crura non aliter ac Niobes refrigerata & saxea facta essent. Attamen te emam. Quãtum pro ipso numerabo? *Merc.* Duodecim minas. *Merc.* Accipe. *Merc.* Solúsne ipsum emisti? verum illi omnes quos vides. *Mercat.* Certè multi sunt iique validis humeris, & colligente sermone digni? *Iup.* Ne tempus teras: alium accerse. *Merc.* Te peripateticum accerso, formosum, divitem. Agite, emite hunc prudentissimum, qui omnia omnino scit. *Mercat.* Qualisnam ille est. *Merc.* Modestus, æquus, vita bene composita: quodque maximum est, duplex. *Mercat.* Quid dicis? *Mer.* Alius quidem foris apparet, quàm intus esse videtur. Itaque si emas ipsum, memento internum hunc, externum illum appellare. *Merc.* Quid verò potissimum novit. *Merc.* Novit triplicia esse bona, animæ scilicet, corporis, & rerum externarum. *Mercat.* Humana sapit, sed quanti venditur? *Merc.* Viginti minis. *Mercat.* Multum certè dicis. *Merc.* Nequaquam ô beate: etenim pecuniam aliquem habere ipse videtur. Itaque non nimis citò ipsum emeris. Præterea autem protinus ab eo disces quandiu vivat culex, & quàm profundè mare à sole illustretur, & qualis sit ostrearum anima. *Mercat.* Hercle quanta argutia! *Merc.* Quid si audias alia multa his acutiora, de semine, & generatione, deque embryonis in utero formatione, utque risibilis est homo, non risibilis autem asinus, neque ad ædificandum, neque ad navigandum habilis? *Mercat.* Planè admiranda, & utilia præcepta narras. Itaque viginti minis ipsum emam. *Merc.* Esto. Quis adhuc reliquus est?

Iste

iste Scepticus: Accede tu Pyrrhia, statim proclamandus es: multi jam effluunt, ut in paucis erit venditio. Verumtamen quis emet istum? *Mercat.* Ego. Sed primùm dic mihi, tu quid nosti? *Phil.* Nihil. *Mercat.* Quid ita? *Phil.* Quia nihil omnino mihi videtur existere. *Mercat.* Nos verò nihil ne sumus? *Phil.* Neque hoc scio. *Mercat.* Neque tu es aliquis? *Phil.* Hoc multo etiam magis ignoro. *Mercat.* O ignorantiam! Verùm quid sibi volunt hæ stateræ? *Phil.* Sermones in illis trutino, & ad æqualitatem redigo: postquam autem eos exquisitè similes, & æqualis esse ponderis cognovero, tunc quis horum verior sit, ignoro. *Mercat.* Ex aliis autem rebus, quid compositè facere soles? *Phil.* Omnia facio, præterquam quod fugitivos non persequor. *Mercat.* Quid? anne hoc tibi impossibile est? *Phil.* Quia, ô bone, non comprehendo. *Mercat.* Rectè, tardus enim & piger videris esse. Verùm quis tibi scientiæ est finis? *Phil.* Ignorantia & nihil videre, neque audire. *Mercator.* Ergo te surdum simul & cæcum dicis. *Phil.* Imò judicio etiam & sensu careo: breviter nihil à verme differo. *Mercat.* Propterea emendus es Quanti facis illum? *Merc.* Attica mina. *Mercat.* Accipe. heus tu quid dicis, té ne emi? *Phil.* Incertum est. *Mercat.* Nequaquam: emi enim, & pecuniam numeravi. *Phil.* Iudicium suspendo hac de re, & eam cõsidero. *Mercat.* Atqui sequere me ut famulum decet. *Phil.* Quis scit num vera dicas? *Mercat.* Præco, mina, & qui adfuerunt. *Phil.* An aliqui etiam nobiscum sunt? *Mercat.* At ego te iam coniectum in pistrinum, adducam ut credas me tuum esse herum, secundum peiorem causam. *Phil.* Hac de re assensionẽ etiam retineo. *Mercat.* Sed per Iovem jam ostendi. *Merc.* Tu quidem desine obniti, & eum qui te emit, sequere. Vos autem cras advocabimus. Etenim idiotas, & fabriles, vilésque vitas proclamaturi sumus. *titulo Vitarum auctio.*

Lucianus, Socrates: Impete, impete crebris lapidibus hunc execrandum, incesse glebis, incesse præterea testis, percute fustibus calumniatorem. Vide ne effugiat: & tu Plato, impete, & tu Chrysippe, & tu: omnes simul in illum obarmemur. *Pera ut reddat opempera, baculisq; bacillo*: siquidem communis est hostis, nec è nobis est quispiam quem injuria non affecerit. Tu verò ô Diogenes, si unquam aliàs vtere baculo: nec remittas: dignas conviciator ille pœnas luat. Quid hoc rei est? Numquid Aristippe, defessi estis? atqui non oportebat. *Este cati, memores vehementis & iræ.* Aristoteles magis propera, bene habet: capta est fera. Prehendimus te scelesté. Quare protinus intelliges quosnam viros maledictis lacessiveris. Sed quo quis pacto ipsum ulciscatur? variũ quoddam mortis genus in ipsum excogitemus, quod nobis omnibus satisfacere possit: æquum est ut septies saltem singulis nobis pereat. *Plat.* Mihi quidem cruci videtur suffigendus ubi priùs fuerit flagris cæsus, erutique ipsi oculi, & in multas partes abscissa lingua. Tibi verò quid videtur Empedocles? *Emped.* In crateras Ætnæ præcipitandus est, ut præstantiores conviciis discat non lacessere. *Plat.* Quinimò esset optimum ut Penthei vel Orphei instar inter saxa dilaniatus inveniretur, ut quisque particulam eius habens, discederet. *Lucian.* Minimè. Verùm mihi parcatis obsecro per supplicem Iovem. *Socr.* Placuit: non dimittetis amplius. Homerum audis quid dicat. *Non est tuta fides hominum generique leonum.* *Lucian.* Atqui ex Homero vos ipsos orabo: nam fortè carmina ejus reverebimini, méque versus recitantem non spernetis. *Accipite æs, aurumq; viris sapientibus ultro, Munera grata, bonumq; virũ me prendite vivum.* *Plat.* Verùm neque nobis adversum te Homerica deerit responsio. Audi igitur. *Nec mihi mente fugam tu persuadere valebis, Postquam tè teneo, licet aurea verba loquaris.* *Lucian.* Hei malorum, siquidem spe maxima Homerus nos frustratur. Ad Euripidem igitur mihi confugiendum, forsan enim ille me servaverit. *Ne supplicem occide, est nefas occidere.* *Plat.* Quid verò? nonne & illa sunt Euripidis? *Par est mala pati qui patraverunt mala.* *Lucian.* Nunc ergo verba propter hæc me occiditis? *Plat.* Rectè per Iovem: idem enim inquit, *Effrænioris & ex legis dementia extremum infelicitas occupat.* *Lucian.* Proinde quoniam omnino me interficere decrevistis, nullúmque mihi restat effugium, agite hoc saltem mihi indicate, quinam sitis, aut quid tam atrox à nobis perpessi, atrociter irascamini, méque occidendum comprehenderitis. *Plat.* Quibus nos affeceris contumeliis, à te ipso sceleratissimè perquire, & à tuis bellulis sermonibus, in quibus & Philosophiam ipsam maledictis petiisti, nósque contumeliis lacessivisti, cùm tanquam ex foro sapiẽtes viros, & quod maximum est, liberos venderes. Quare indignati, impetrata à Plutone venia, adversus te prodijmus, Chrysippus iste, & Epicurus, & ego Plato, & Aristoteles ille, & silens iste Pythagoras, & Diogenes, omnésque quotquot sermonibus tuis insectatus es. *Lucian.* Respiravi. Non enim me interficietis, si intellexeritisq; ualisnam erga vos ego fuerim. Itaque abiicite lapides: imò potiùs asservate: vobis enim contra meritos usui erunt. *Plat.* Nugaris: te certè hodiè mori necesse est: jámque ob perpetrata scelera, lapideum induas amictum. *Lucian.* Atqui viri optimi, quem solum ex omnibus laudare oportebat, familiarem vestrum, benevolum, consentientem, ac nisi grave est ut dicam, studiorum vestrorum procuratorem, probè scitote vos interfecturos, si me interficiatis, qui tot labores pro vobis exantlavi. Videte igitur ne huius temporis philosophorum more faciatis, ingrati, iracundi, ac perfidi erga virum beneficum videamini. *Plat.* O impudentiam! Numquid tibi ob convitia gratiam debemus? verè hic cum mancipiis sibi rem esse existimat? an etiam tantam injuriam, & debacchationem verborum pro beneficio computabit? *Lucian.* Vbinam ego, vel quando iniuria vos affeci? ego qui semper philosophiam sum admiratus, vosque ipsos laudibus extuli, & cum sermonibus, quos reliquistis, assiduè sum versatus. Quin & hæc ipsa quæ dico vnde quam à vobis accepta, & apicularum more decerpta hominibus ostendo? At illi laudant, & cognoscunt uniuscujusque florem, unde, à quo, & quomodo collegerim: méque oratione ob hoc florilegium commendant: imo verè vos ipsos, vestrúmque pratum, qui tot támq; varios, ac multiplicis coloris flores produxistis, quos si quis colligere, connectere, & concinnare norit, ita ut alter um ab altero non dissonet, num quid qui tam egregiè à vobis affectus fuerit, viris benefactoribus obloqui conabitur, quorum gratia existimationis alicuius esse reputatur? Ni ejusdem naturæ, cuius Thamyris, vel Eurytus, ut musis occinat, à quibus canendi normam acceperit, vel Apollinem, idque jaculationis præceptorem, jaculando provocet. *Plat.* Hoc, ô generose, Rhetorum more dixisti. Igitur rei maximè est contrarium, & proterviorem tuam audaciam indicat, siquidem iniuriam atque ingratitudinem præ se fert, si cùm à nobis, ut fateris jacula acceperis, adversus nos jaculatus es, hunc unum scopum observans, ut nos omnes conviciis lacessas. Talem à te consequimur gratiam, pro eo quod tibi pratum illud reseravimus: nec ut decerperes, plenóque sinu discederes, inhibuimus. Itaque ob id maximè dignus es qui moriaris. *Lucian.* An videtis? aures iræ præbetis: & quæ justa sunt minimè approbatis. Ego verò me nunquam in Platonis vel Chrysippi, vel Aristotelis vel aliorum vestri ordinis iram incidere posse existimassem. Verùm soli utique hinc procul abesse videbamini. At vero, ô admirandi, ne indemnatum, causaque non cognita me interficiatis. Vestrûm est igitur ut nec violentia, nec sævitia graviore agatis, sed jure controversias diluatis locum dicendi causam pariter dantes, & accipientes. Itaque facto iudicis delectu, vos quidem accusate vel simul omnes, vel aliquem qui id agat pro omnibus constituite. Ego verò adversus crimina me defendã: deinde siqua visus fuero in re injurius, idque de me judicium statuerit, meritas pœnas dabo: vósque violentum nihil perpetrabitis. Si verò dicta causa, insons & ab omni culpa alienus inveniar, me judices dimittent: vos verò in eos à quibus decepti, & in nos instigati estis, iram convertetis. *Plat.* Hoc illud est in campum educere equum, ut deceptis judicibus abeas: siquidem te rhetorem, & causidicum vehementem ; atque in orationibus valdè callidum esse dicunt. Quem autem iudicem esse cupis; quem muneribus non corruptum (qualia iniusta multa perpetratis) adducas ut pro te sententiam ferat? *Lucian.* Confidite: huius utique rei gratia nullum talem arbitrum suspectum vel ancipitem, mihi contingere velim, & qui suum calculum injustè mihi tribuat. Ego Philosophiam ipsam vobiscum judicem eligo. *Plat.* Ecquis accusaverit, si nos judicemus? *Lucian.* Vosmet ipsi accusate, & judicate. Neque enim illud timeo, tam justa causa antecello, támque abundè causam me dicturum credo. *Plat.* Quid faciamus Pythagora, & Socrates? Nam cùm iste vir iudicio velit experiri, haud absurdè provocare videtur. *Soc.* Quid verò aliud, quàm ut ad judicium pergamus, assumptáq; Philosophia quidnam sit responsurus audiamus? Nam causa non cognita cædere, non nostrûm est, sed summæ ruditatis, hominum iracundorum, & jus in manu situm habentium. Nam obloqui volentibus occasionem præbebimus, si virum hunc non proposita sui defensione lapidibus petamus, idque nosmetipsi iustitiam valere jubentes. Aut quid Anyto & Melito accusatoribus meis, vel qui me tum damnarunt iudicibus, respondebo, si hic aquæ non compos factus moriatur? *Plat.* Optimè admones ô Socrates. Itaq; Philosophiam adeamus: illa verò iudicet. Nos autem quicquid statuerit amplectemur. *Lucian.* Euge viri sapientissimi: meliora hæc & justiora: lapides verò ut dicebam, servate: ijs enim in judicio paulò post opus erit. Verùm ubi quis Philosophiam inveniat? Nescio enim ubi habitet, quamvis longo circumerraverim tempore domũ quærens, ut eam convenire possem. Inde in quosdam vilibus amictos vestibus, barbásque prolixas gestantes incidi, qui se ad eam cõferre dicebant, quos scire ratus, interrogavi. At illi eius rei me multò magis ignari, nihil omnino responderunt, ne ignorantiæ arguerentur, aut januam aliam pro alia ostenderent. Ego verò in hunc usque diem domum invenire nequivi. Sæpius autem ipse suspicans vel ductore quopiam, ad quasdam januas perveni, certissimè tum invenisse sperans, à multiudine ingredientium & egredientium sumpta conjectura, qui omnes severitatem præ se ferebant, forma decora erant, & vultu meditabundi. Quare inter hos delitescens ingressus sum. Ibi mulierem vidi quandam non carentem fuco : etsi in modum quam maximè opportunum, & incomptum se aptabat: verùm ilico deprehendi eam dependulos capillos non relinquere inornatos, nec non vestitus cultum studiosè affectare. Manifestum autem erat eam his mundiciis esse ornatam, decoris tamen gratia, cultu qui neglectus videretur, uti. Apparebat autem creta, fucus, & verba perquam meretricia. Ab amatoribus autem laudata, valdè gaudebat: & si quis aliquis dedisset, avidè excipiebat: & propè se opulentiores collocabat: at ne aspiciebat quidem pauperes amatores. Sæpius quoque cùm se præter mentem denudasset, torques aureos, anguillis crassiores conspiciebam. Hæc cũ vidissem, confestim ad pedes conversus sum, nimirum miseratus illos infœlices, qui nõ naribus, sed barbis ad illam pertrahuntur, atque Ixionis instar non cum Iunone, sed eius idolo congrediuntur: *Plat.* Hoc quidẽ rectè dixisti: Non enim manifestum, notùmque omnibus est o-

stium? nec ad ipsius ædes ire oportebit. Hîc enim in Ceramico ipsam opperiemur: jamque aderit illa revertens ex Academia ut in Pœcilo etiã deambulet: id enim quotidie facere consuevit. Quin potiùs jam præsto est. Vides-ne illam habitu decoram, aspectu mansuetam, & ob meditationem placidè incedentem? *Lucian.* Multas habitu, gressu, & vestitu video similes. Atqui hæc omniũ una inter has est Philosophia. *Plat.* Rectè dicis. Verùm quænã sit, loquuta solùm, indicabit. *Phil.* Papæ! cur Plato, & Chrysippus, & Aristoteles, necnon reliqui omnes, ipsa mea disciplinarum capita apud superos? cur rursus in vitam? numquis ex inferis vobis fuit molestus? iratis similes estis. Quisnam iste est, quem comprehensum ducitis? numquid fur est, vel homicida, vel sacrilegus? *Plat.* Ita per Iovem, ô Philosophia, omniumque sacrilegorum maximè impius, qui te sanctissimam maledictis incessere conatus est, nósque omnes quotquot abs te quippiam didicimus, ac posteris utendum reliquimus. *Phil.* Num maledicente quopiam indignati estis, cùm sciatis quænam ego à Comœdia audire soleo in Dionysiis? attamen ipsam amicam duco, neque in jus voco, seu accedens incuso: verùm convenientia, & festa consueta ludere sino. Novi enim nihil reddi deterius à scommate. Sed contrà, quod bonum est, quemadmodum aurum quum erutum inciditur, clariùs refulget, fitque splendidius. At vos nescio quomodo iracundi, & querulì evasistis. Cur igitur ipsum strangulatis? *Plat.* Hoc unico die impetrato, contra illum venimus, ut injuriarum quas intulit, meritas pœnas exoluat. Nam fama nobis denuntiavit, qualia in vulgus progrediens adversum nos dixerit. *Phil.* An eum indicta causa interficietis? atqui videtur velle quippiam dicere. *Plat.* Minimè. Sed negocium omne tibi committemus: quódque tibi visum fuerit, litis finem faciet. *Phil.* Quid tu dicis? *Lucian.* Hoc idem ô hera Philosophia. siquidem sola veritatem invenire potes; multísque precibus vix obtinui, ut causa tibi servaretur. *Plat.* Nunc, ô execrande, ipsam dominam appellas, at pridie Philosophiam rem esse vilissimam asserebas, cùm duobus obolis singulatim, unamquamque sermonum ejus speciem proclamares? *Phil.* Videte ne nõ Philosophiam hic maledictis insectatus sit, sed præstigiatores viros sub nostro nomine multa & fœda perpetrantes. *Lucian.* Quãprimum cognosces, si causam dicentem audire velis. Eamus tantùm in Areopagum, imò potius in ipsam arcem, ut tanquam ex specula, omnia quæ in urbe sunt, simul pateant. *Phil.* At vos amicæ, in Pœcilo tantisper deambuletis. Ad vos veniam quum litem dijudicavero. *Lucian.* Quænam hæ sunt, ô Philosophia? nam hę quoque admodum honestæ videntur. *Phil.* Virtus est, virilis ista, Modestia illa, & juxta ipsam Iustitia. At antesignana Disciplina: obscura verò hæc, & dubii coloris, est Veritas. *Lucian.* Non video quam dicas. *Phil.* Incomptam illam, nudam, subterfugientem semper ac subterlabentem non vides? *Lucian.* Nunc ægrè video. Sed quare has etiam non ducis, ut plenus, perfectúsque sit consessus? siquidem veritatem patronam in judicium adducere volo. *Phil.* Per Iovem, vos quoque sequimini: non enim grave erit causam unam judicare, præsertim cum de rebus nostris sit futura. *Ver.* Abite vos, nihil enim audire mihi est opus, quæ qualia sint jampridem novi. *Lucian.* Verum ô Veritas, nostra interest, ut judicio intersis, atque singula indices. *Phil.* Igitur has famulas, mihi maximè benevolas adducam. *Lucian.* Imò & quotquot volueris. *Phil.* Sequimini Ingenuitas, & Loquendi libertas: ut miserum hunc homuncionem amatorem nostrum, ac nullo prætextu iusto periclitantem, servare possimus. At tu Elenche, illic remane. *Lucian.* Nequaquam ô hera: sed hic quoque veniat, & quis alius. Nõ enim mihi cum feris trivialibus erit depugnandum, sed cum arrogantibus hominibus, quos redarguere difficile est, cùm effugia sẽper inveniant. Quare necessarius est Elenchus. *Phil.* Ergo maximè necessarius. Melius si Demonstrationẽ etiam tecum assumas. *Ver.* Sequimini omnes, siquidem necessarii ad judicium videmini. *Arist.* Vides ô Philosophia, sociam contra nos Veritatem, sibi assumit. *Phil.* An veremini Plato, & Chrysippe, & Aristoteles, nequid in eius gratiam mentiatur, Veritas cùm sit? *Plat.* Non hoc, sed callidus admodum est, & blandus, ita ut ipsam persuasione flectere possit. *Phil.* Confidite, nihil hac justitia præsente, iniqui fiet. Abeamus igitur. Verùm dic mihi tu, quod tibi nomen est? *Lucia.* Vocor Parrhesiades, Alethionis Elenxiclei filius. *Phil.* Patria verò quænam? *Lucian.* Syria, ô Philosophia, iuxta Euphratem. Sed quid hoc? Novi enim quosdam ex meis adversariis, non minùs me barbaros esse genere, moribus autem, & disciplina, non Solenses, aut Cyprios, aut Babylonios, aut Stagiritas. Quanquam quod ad te attinet, nihil refert, si quis voce sit barbarus, dummodo iustè ac rectè sentire videatur. *Phil.* Rectè dicis, Verùm & hoc quæro, quamnam artem nosti? nam & hoc quoque scire est operæ pretiũ. *Lucian.* Arrogantiæ, imposturæ, mendacii, & fastus sum osor: & omne istiusmodi scelestorum hominum genus odi: admodum autem multi sunt, ut nosti. *Phil.* Hercle! multi odii artem exerces. *Lucian.* Rectè dicis. Vides igitur quàm multis odio sim, utque propter eam periclitor? Verùm & contrariam admodũ artem probè novi: eam inquam, quæ ab amare principium habet. Etenim Veritatis, Honestatis, ac Synceritatis sum amator, atque omnium quæ amandis sunt cognata. Verùm pauci admodum hac arte sunt digni: qui verò sub adversa sunt ordinati, magísque odio familiares sunt infiniti. Periclitor igitur, illam quidem ob segnitiem dediscere jam, sed hanc nimium callere. *Phil.* Atqui non oportebat: eiusdem enim ferunt esse & ista, & illa. Itaque indivisibilis est ars: nam unica est, etsi duæ esse videantur. *Lucian.* Meliùs tu hæc nosti, ô Philosophia. Ego verò talis sum ut pravos odio prosequar, probos verò laudem & amem. *Phil.* Age, quò oportebat, jam devenimus: Hic in Minervæ vestibulo judicemus. Heus tu sacerdos, dispone sedilia: nos interim Deam adorabimus. *Lucian.* Obsecro Dea, fer adversus arrogantes opem, ac recordare quantum ipsos quotidie pejerantes audias. Et sola quæ perpetrant, vides tanquam speculatrix. Nunc illos ulciscendi tempus adest. Si verò me vinci cernas, plurésque esse nigros calculos, tu tuò addito me serva. *Phil.* Esto. Iam consedimus, querelas vestras audire parati. Vos verò quempiam ex omnibus eligatis, qui optimè videatur accusare, & accusationem exponite, ac confutate. Non enim omnes simul loqui possibile est. Tu autem Parrhesiades dehinc respondebis. *Reliq.* Quis igitur è nobis maximè idoneus erit ad causam hanc agendam? tua Plato admirabilis est animi celsitas, & Attico lepore referta facundia, venusta & persuasionis plena: etiam prudentia, & diligentia, nec non tempestiva demonstrationum pellacia, hæc omnia tibi abundè adsunt. Itaque dicendi primas suscipe, omniúmq; nomine quæ par est eloquere. Nunc in memoriam revoca illa omnia, & in unum confer, siquid in Gorgiam, vel Polum, vel Prodicum, vel Hippiam à te est dictum, hic est ad dicendum habilior. Insperge igitur Ironias, crebrásque illas ac festivas interrogationes. Quin si videtur illud inculca, ut magnus ille Iupiter alatum impellens currum indignaturus est, nisi pœnas iste expendat. *Plat.* Nequaquam: sed ex his vehementioribus aliquem eligamus, Diogenem hunc, vel Antisthenem, vel Cratetem, vel etiam te Chrysippe: non enim elegantiæ in præsenti, nec facultatis conscribendi tempus est, sed refutationis & judicialis actionis apparatus. Rhetor enim est Parrhesiades. *Diog.* Proinde ipsum accusabo. Nqeue enim longa oratione opus fore arbitror: præterea me supra omnes injuria affecit, cùm duobus obolis venalis fuerim proclamatus. *Plat.* Diogenes ô Philosophia, omnium nomine verba faciet. Verùm ô generose, memineris, non solùm pro te hac accusatione postulare, sed rem communem etiam respicere. Si quid enim alii ab aliis rationibus discrepamus, tu id nunc minimè scruteris, neque quis sit veracior nunc dicas. Sed hoc solùm, quoniam Philosophia iniuria est affecta, indigneris, & quoniam in Parrhesiadis sermonibus malè audivit: atque opiniones omitte, in quibus dissidemus communémque omnium causam defende Vide, te solum præfecimus, & in te omnia nostra nunc periclitantur, ut vel gravissima censeantur, vel qualia hic expressit, credantur. *Diog.* Confidite, nihil omittemus: pro omnibus verba faciam. Ac quanvis Philosophia verbis exorata (natura enim mansueta est ac mitis) ipsum dimittere decernat: meo tamen officio non deero: nam ipsi me non frustra baculũ gestare, ostendam. *Phil.* Non hoc: sed potius sermone: sic enim optimum est, non ligno rem agere. Ergo ne cuncteris. Iam enim effusa est aqua, conciliúmque in te oculos convertit. *Lucian.* Reliqui considèant ô Philosophia, & suffragia vobiscum ferant: ac solus Diogenes accuset. *Phil.* At numquid vereris ne contra te sciẽtentiam pronuncient? *Lucian.* Nequaquam: imò plures volo vincere. *Phil.* Generosa sunt hæc tua verba. Sedete igitur: tu verò Diogenes loquere. *Diog.* Quales viri nos in agenda vita fuerimus ô Philosophia, tutè optimè nosti, nihílque verbis est opus. Nam ut de me sileam: quis ignorat quanta Pythagoras iste & Plato, & Aristoteles, & Chrysippus alijque bona in vitam introduxerint? Verùm quibusnam contumeliis, quanvis tales extiterimus, scelestissimus hic Parrhesiades nos lacessiverit, jam dicam. Cùm enim Rhetor ut ajunt, esset, derelicto foro, ac illius existimatione, quicquid vehementiæ, ac vigoris oratorii consecutus est, universo illo contra nos collecto, non desinit insectari maledictis præstigiatores ac deceptores subinde vocans, & vulgo, ut nos, tanquam nullius momenti simus, derideat, & contemnat persuadens. Quinimo multorum jam odium nobis tibique Philosophia, conflavit, nugas & commenta vocans tua documenta, résque maximè serias, quibus nos imbuisti, subsannatione incessens: ita ut à spectatoribus plausu excipiatur & laudetur: nos verò contumeliis afficiamur. Ea enim est vulgi natura, ut cavillantibus & conviciantibus gaudeant: ac prę cipuè quum rebus specie gravissimis detrahitur: ut nimirum & olim gaudebat Aristophane & Eupolide, quum hunc Socratem irrisionis gratia in scenam introducerent, & absurdas quasdam de illo comœdias commentarentur. Atque illi contra virum unum talia sunt ausi, etiam in Dionysiis, ubi id facere erat concessum, & cavillatio, festi pars quædam videbatur, ac si Deus ille fortassis gauderet, utpote ioci amans. Hic autem accitis optimis quibusque multo iam tempore commentatus, ac præmeditatus obtrectationes quasdam, eásque magno libro complexus, magna voce Platonem, Pythagoram, Aristotelem hunc, Chrysippum illum, me, ac denīq; omnes maledictis insectatur, cùm neque festivitas id permittat, neque privatim ulla in re à nobis læsus fuerit. Hæc enim illi res veniã obtineret, si ut injuriæ vindicem, non ut aggressorem se gessisset. Sed illud omnium est gravissimum, quòd hæc faciendo, tuum ô Philosophia, nomen sibi vendicat, & repræsentato dialogo familiari nostro, eo adjutore & mimo contra nos utitur: ac prætereaMenippo amico nostro ut multa secum cavillaretur, persuasit: qui solus non adest, neque nobiscum, prodita societate, accusat: pro quibus omnibus æquum est ut pœnas pendat. Quid enim contra hæc dicere posset, cùm res hasce gravissimas coram tot testibus

carpse-

carpserit? Quare illis in utilitatem vertat istud, si pœnas dantem spectaverint, ut nemo posthac Philosophiam contemnat. Quandoquidem hac in re silere, & contumeliam tolerare, non modestiæ, sed ignaviæ & amentiæ esse meritò censeretur. Cæterum postrema, cuinam videantur tolerabilia? Siquidem nos tanquam mancipia in venalitium deductos, adhibito, ut ajunt, præcone, divendidit: nonnullos ingenti precio, quosdam mina Attica, me verò nequissimus hic, duobus obolis: ita ut circunstantes riderent. Eam ob causam indignatione perciti, & ipsi venimus, & te rogamus, ut nos turpissimis affectos injuriis, ulciscaris. *Reviv.* Euge ô Diogenes omnia pro omnibus ut par erat, egregiè dixisti. *Phil.* Desinite laudare. Infunde responsuro. Tu verò Parrhesiades, vicissim fare: tibi enim aqua nunc defluit: ergo ne cuncteris. *Parrh.* Non omnia mea, ô Philosophia in accusatione sua Diogenes recensuit: sed plura, quæ acerbiora erant, nescio cur prætermisit. Tantum vero aberit ut ea me dixisse negem vel præmeditatam quandam excusationem prætendam, ut si qua hic ipse reticuit, vel ego ante hac non protuli, mihi nunc proponenda putem. Ita enim intelliges, quosnam arrogantes, & præstigiatores appellans proclamaverim, & maledictis insectatus sim. Proinde hæc solum observate, nunquid de cunctis verum dixero. Quòd si blasphemi vel asperi quid habere videbitur oratio: non me qui redarguo, sed illos qui talia committunt, culpãdos potiùs arbitror. Ego enim quumprimum intellexi quam improbæ res causidicos necessariò comitentur, nimirum fraus, mendacium; temeritas, vociferatio, conflictatio, aliáque infinita: hæc quidem ut par erat declinavi: & ad tua bona me conferens, ô Philosophia, reliquum vitæ curriculum, tanquam ex procella & tempestate ad tranquillum portum appulsus, sub tua tutela vivere expetivi. Ac posteaquam obiter tantùm statuta vestra intuitus essem te quidem ut necessum erat, hósque omnes admirabar, qui optimæ vitæ fuissent institutores, & manus ad ipsos festinantibus porrigerent, & ad optima ac utilissima adhortarentur, siquis ea non transgrederetur, nec interlaberetur: sed intentis oculis ad regulas illas à vobis propositas, ad eas vitam suam componeret, ac dirigeret, quod quidem per Iovem pauci nostrûm faciunt. Cùm autem viderem multos non Philosophiæ sed gloriæ tantùm quæ ex ea capitur studio teneri: & in his quæ sunt in promptu & vulgaria, quæque cuivis imitari sit facile, viris bonis, valdè similes esse, barba dico, gressu, & vestitu: vita autem & factis speciei contradicere, & studia vestris contraria amplecti, ac professionis dignitatem corrumpere, indignabar. Eáque res mihi videbatur similis esse Tragico histrioni molli & effœminato, qui Achillem, aut Theseum, aut Herculem ipsum ageret, cùm tamen neque incederet, neque loqueretur Heroicè, sed sub larva istiusmodi lasciviret: ut nec Helena, nec Polyxena, cùm id earum modestiæ minus conveniret, tolerare possent. Nec se continuisset Hercules Callinicus, quin ocyssimè talem clava percussum contrivisset, ipsum inquam, & personam illam, quæ tam effœminatè eum repræsentando contaminasset. Et cùm ipse talia vos ab illis perpeti viderem, non tuli hypocriseos impudẽtiam: quòd cùm simiæ essent, personas Heroum assumere, vel Cumanum illum asinum imitari auderent, qui leonina pelle indutus, leo quoque ipse videri volebat, cùm adversus Cumæos ignaros valdè asperum, horrendúmque rugitum ederet, donec quidam hospes se leonem, & asinum videre sæpe arguit, & fuste cædens insecutus est. Sed quod mihi videbatur maximè indignum, hoc erat: quòd nemo non eorum qui ex ijs quempiam viderent flagitiosum quid aut turpe, aut impudicum committentem, Philosophiam ipsam accusabat: illico etiam Chrysippum, aut Platonem, aut Pythagorã, vel cujuscunque cognomen, vel cujuscunque doctrinam delinquẽs ille assumebat: & ex eo quod malè viveret aliquis, de vobis multò antè vita functis malè sentiebant. Non enim de vobis viventibus, sed è medio sublatis inquisitio fiebat: omnes verò manifestè cernebant eum quod atrocia, & indecora perpetrare: vos verò cum ipso damnabamini, similíque calumnia pariter convellebamini. Equidem ego cùm hæc viderem non tuli, verùm eos redarguebam, & à vobis secernebam, At vos propter hoc honore me dignum, in judicium rapitis. Nunquid si initiatum quempiam viderem, arcana Darum prodentem ac in publicum mysteria efferentem, ideoque indignarer, & reprehenderem, me impium esse existimaretis? At injustum est: quandoquidem certaminum quoque præfecti, cum histrionem qui quum Minervam, vel Neptunum, vel Iovem assũpsit agendum, non rectè, neque ex dignitate Deorum simulavit, flagellare consueverunt. Ac non irascuntur ipsis Dij illi, quòd eum qui suas personas assumpsit, habitúmque induit, flagelliferis cædẽdum tradiderunt, verùm ut puto, vapulantibus delectantur. Servũ enim vel nuntium minus aptè agere, parvus est error. Sed Iovem aut Herculem non pro dignitate spectatoribus ostendere, turpe ac piaculo simile esse videtur. Quinimo etiam hoc omnium est absurdissimum, quòd cùm ex iis multi dogmata vestra exactè calleant: ita tamen vivunt, ac si illa ideo tantùm legerint, ac meditati sint ut contraria exerceant. Etenim quæcunque dicunt, ut contemnendas esse pecunias, & gloriam, solúmque honestum bonum putandum, ira vacandum, & res hasce splendidas esse despiciendas, & cum ipsis æqualiter conversandum, eximia sunt ô Dii & scita, aut sũmopere miranda profectò. Verùm hi hæc ipsa mercede docent, & divites admirantur, & pecuniis inhiant, caniculis iracundiores, leporibus timidiores, simiis blandiores, asinis petulantiores, felibus rapaciores, gallis contentiosiores. Itaque risum movent, quum de his rixantur, & circum januas divitum se invicem pulsant, & in conviciis frequentibus epulantur, in eisque tædium laudando pariunt, ac præter decorum sese ingurgitant, & queruli apparent, & inter calices jucunda & absona philosoophantur, ac merum non ferunt. Idiotæ autem quotquot compotant, rident scilicet, ac Philosophiam conspuunt, quoniam hujusmodi educat piacula. Illud verò omnium est turpissimum, quòd quum unusquisque eorum nullius se rei indigum profiteatur, sed solum divitem esse sapientẽ vociferetur, paulò post tamen poscit, & ni accipiat stomachatur: perindè ac si quis regiè ornatus rectam gestet tiaram, & diadema, cæteráque regni insignia, frivolarum tamen rerum indigus, mendicet. Proinde quum illis quippiam est accipiendum, multa oratione prosequuntur, oportere de suo libenter conferre, & indifferentes esse divitias: quid enim aurum & argentum littoralibus à lapillis differat? At quum vetus quispiam amicus & familiaris, opis egens, paucula quædam ex multis postulatum venit, taciturnitas, inopia, ruditas, & dictorum in contrarium palinodia. Varii autem illa de amicitia sermones, & virtus, & honestum quônam abeant ignoro: nam omnino avolantia, & verè alata verba hæc sunt, quibus illi quotidie in disputationibus inter se umbratili certamine depugnant. Eo usque enim unusquisque eorum est amicus, quousque nec de auro, nec de argẽto, quicquam in medium affert. Quòd si quis obolum tantummodo indicarit, confestim pax solvitur, omniaque turbantur, atque implacata redduntur, libri obliterantur, virtus aufugit, iisque accidit quod canibus, in quorum medium siquis os projecerit, exiliunt, seque invicem mordent, eique qui os præripuit, allatrant. Fertur autem rex quidam Aegyptius simias tripudiare docuisse, eáque animalia, (nam imitandum humanas actiones maxime sunt apta) celerrime didicisse, ut purpureis vestibus induta, & personis circundata saltarent, idque spectaculum multo tempore claruisse, donec spectator quidam urbanus, quas nuces in sinu habebat, in medium projecit. Quibus conspectis, simiæ saltationis oblitæ, id quod erant, simiæ pro saltatoribus fuerunt, & personas conterebant, & vestem discerpebant, & pro fructu inter se pugnabant. Ita ut Pyrriches ordo solveretur, & à theatro derideretur. Talia & hi perpetrant; & ego tales insectatus sum conviciis, nec redarguere unquam desinam, & comice perstringere. Sed quod ad vos, vobisque similes attinet (sunt enim, sunt profecto nonnulli qui Philosophiam amplectuntur, vestrisque legibus immorantur) absit ita insaniam, ut quid probrosum & sinistrum proferam. Nam quid dicere possem? quid enim in vita simile commisistis? Sed arrogantes illos, & Deorum inimicos; odio dignos esse puto. Tu enim Pythagora, & Plato, & Chrysippe, & Aristoteles, qua in re tales vobiscum dicitis convenire, aut propriũ, ac cognatum in vita præstitisse? Ita per Iovem, Hercules, inquiunt, & Simia. An quia barbas habent, & se philosophari profitentur, & severitatem vultu prætendunt, propterea cum vobis sunt comparandi? At tulissem, si saltem illi ad simulationem fuissent apti. Nũc vero citius vultur lusciniam imitabitur, quàm illi Philosophos. Quæ pro me dicenda habebam exposui. At tu Veritas numquid vera sint apud ipsos testificare. *Phil.* Nunc longius ô Parrhesiades, absiste. Quid nos faciamus? quomodo vir hic nobis videtur dixisse? *Virtus.* Ego quidem ô Philosophia, dum iste perorabat, terram subire optabam: adeò vera omnia dixit. Itaque audiens unũquemque eorum qui talia faceret: agnoscebam: interimque ex iis quæ dicebantur, hoc ad istum, hoc vero ad certum illum qui faceret referebam. Denique viros illos perspicue indicavit, tanquam ex aliqua pictura expressos: nec solum corpora sed animas etiam ipsas absolutissime effinxit. *Phil.* Ego quoque plane erubui, ô Virtus. Vos vero quid dicitis? *Reviv.* Quid aliud, quàm à crimine eũ absolvi, inter amicosque & benefactores nostros ascribi debere? Plane enim nobis idem quod Ilicensibus, accidit: hunc tanquam Tragœdum quempiam in nos excitavimus, qui Phrygum calamitates decantaret. Canat igitur, & Dei inimicos tragice exagitet. *Diog.* Ego quoque ô Philosophia, plane hominem laudo, quæque illi objeci retracto: & quia generosus est, amicum eum facio. *Phil.* Euge ô Parrhesiades ab accusatione te absolvimus, in omnibus vincis. Cæterum te nostrum esse scias. *Parrhe.* Hanc ptimam adoravi: verum aliud magis tragicum opus mihi superesse puto. Siquidem ô valde veneranda Victoria quotidie vitam meam reddis venerabilem, nec coronare desinis. *Virtus.* Numquid igitur à secundo jam ordiamur cratere, & illos citemus, ut ob ea quibus in nos iniurii fuêre pœnas expendant? Parrhesiades autem unumquemque accusabit. *Phil.* Rectè ô Virtus, elocuta es. Quapropter heus tu minister Syllogisme in urbem te confer, & Philosophos advoca. *Syllog.* Audi, tace. Philosophi in arcem ascendant, ut apud Virtutem, Philosophiam, & justitiam accusationem diluant. *Parrh.* Vides-ne? pauci conveniunt citatione cognita. Nam iustitiam præsertim timent. Nec ociosi sunt plerique ipsorum, dum circa divites versantur. Sed si vis ui veniant omnes, præconium his verbis pronuncia Syllogisme. *Phil.* Minime: sed tu Parrhesiades, prout tibi visum fuerit illos advoca. *Parrh.* Hoc non est difficile. Audi, tace. Quicunque se Philosophos esse dicunt, & quicunque nomen hoc ad se spectare arbitrantur, ad distributionem in arcem veniant: duæ minæ singulis dabuntur, & sesamina placenta. Quicunque vero barbam profundam ostenderit, ille caricarum massam insuper accipiet. Nemo vero modestiam, & iustitiam & continentiam afferat. (hæc enim necessaria non sunt, si non adsint) sed ex modis o-

nibus

minibus quinque ſyllogiſmos. Non enim fas abſque his ſapientem
eſſe.

In medioque auri duo ſunt obiecta talenta,
Danda illi qui ſit melior certamine cunctis.

Papæ quàm refertus eſt conflictantium aſcenſus, poſtquam dua-
rum minarum mentionem tantùm audiverunt. Ad Pelaſgicum a-
lii, alii juxta templum Æſculapii, & circum Areopagum etiam plu-
res, nonnulli quoque penes Tali ſepulchrum : pars etiam admotis
ſcalis templo Dioſcurorum, cum ſtrepitu aſcendunt ; per Iovem e-
tiam confertim, examinis apum inſtar: & ut Homeri verbis utar:
ſed inde quamplurimi, illic quoque innumeri, *Quot folia & flores*
naſcuntur tempore verno. Plena autem eſt arx brevi tempore cum
clangore conſidentium : eſtque undique pera, barba, adulatio, im-
pudentia, baculus, edacitas, ſyllogiſmus, avaritia. Ac pauci illi,
quotquot ad primum illud præconium aſcenderunt, obſcuri & i-
gnoti, reliquorum turbæ immixti, ſub aliarum formarum ſimili-
tudine deliteſcunt. Eſt & hoc ô Philoſophia moleſtiſſimum, & in
quo te maximè quis reprehendat, quòd nullas illis notas & ſigna
inuſiſti: ſiquidem præſtigiatores iſti, ſæpius ad perſuadendum, ve-
rè philoſophantibus ſunt aptiores. *Phil.* Fiet illud paulò poſt: ſed
jam excipiamus. *Platonicus.* Nos Platonicos par eſt accipere pri-
mos. *Pythagoricus.* Minimè: ſed nos Pythagoricos. Prior enim
fuit Pythagoras. *Stroicus.* Deſipitis. nos Stoici ſumus præſtantio-
res. *Peripateticus.* Minimè quidem : verùm nos ex Peripato pri-
mi ſimus in pecuniis. *Epicureus.* Nobis Epicureis date placentas,
& caricarum maſſas. Quod ad minas attinet, expectabimus, quan-
vis oporteat nos poſtremos accipere. *Academicus.* Vbi ſunt illa
duo talenta ? ſiquidem nos Academici oſtendemus, quantum aliis
ſimus contentioſiores. *Stoic.* Non præſentibus nobis Stoicis. *Phil.*
Deſinite contendere, vos verò Cynici, ne vos invicem pulſetis, ne-
que baculis cædatis : nam vos ad alia vocatos eſſe ſcitis. Nunc equi-
dem ego Philoſophia, & hæc Virtus, Veritáſque judicabimus qui-
nam ſint qui verè philoſophantur. Inde qui noſtrum inſtitutis vi-
vere invenientur, fœlices erunt quod optimi habiti fuerint. Sed
præſtigiatores illos, níſque ad nos ſpectantes, malos male perde-
mus: ne ſuperbi illi quæ ſunt ſupra ſe affectent. Quid hoc rei eſt ?
Fugitis per Iovem multi per confragoſa deſilientes: jamque arx eſt
vacua præter paucos illos qui iudicium non formidantes remansê-
re. Vos verò miniſtri peram tollite, quam Cyniſcus fugiendo ab-
jecit. Age videam quid habeat, an lupinos, librúmve, aut panes ci-
barios ? *Parrh.* Minimè : ſed aurum hoc, & unguentum cultrum
ſacrificuli, & ſpeculum, & talos. *Phil.* Euge ô generoſe, hæc tibi
exercitationis erant viatica: cúmque his æquum eſſe cenſebas o-
mnibus conviciari, atque alios docere.. *Parrh.* Tales illi ſunt no-
bis. Cæterum oportet vos conſiderare, quo pacto deſinent hæc i-
gnota eſſe, & dignoſcentur qui tecum conſueſcunt, quinam illorũ
ſint boni, quinam contrà alterius ſint vitæ. Tu autem Veritas il-
lud comperito. Nam è re tua fuerit, ut tibi mendacium non præ-
valeat: neu præ ignorantia pravi homines immixti bonis deliteſcãt.
Verit. Hac in re Parrheſiadis arbitrio, ſiquidem probus, ac nobis
benevolus eſt viſus, teque ô Philoſophia maximè admiratur: ita fa-
ciamus: ut aſſumpto ſecum Elencho, conveniat omnes qui ſe phi-
loſophari profitentur : tum quem verè legitimum Philoſophiæ a-
lumnum invenerit, corona coronet oleagina, & in prytaneum vo-
cet. Si verò in aliquem, quales multi ſunt, execrandum virum, ac
Philoſophiæ ſimulatorem inciderit, attritam veſtem dilaceret, bar
bámque hirci tonſoria novacula abradat, frontique ſtigmata im-
primat, vel inter media ſupercilia inurat, ſitque inuſtionis figura
Vulpes, aut Simia. *Phil.* Euge Veritas. Talis autem ô Parrheſia-
des, ſit Elenchus, qualis aquilarum pullus ad ſolem eſſe fertur. Non
per Iovem tamen, ita ut lumen obtueantur, indéque probentur.
Verùm expoſito coram illis auro, gloria, voluptate, quem ipſorũ
ea deſpicere videris, & nequaquam ad aſpiciendum trahi, is eſto qui
oleagino ramo coronetur. Quem vero fixis oculis intuentem, ma-
númque ad aurum protendẽtem deprehenderis, hunc abraſa priùs
barba, inurendum abducas. *Parr.* Hæc ô Philoſophia, erunt, ut
cenſes: & confeſtim permultos eorum vulpe, vel ſimia notatos vi-
debis, paucos verò coronatos: quinimo ſi placuerit, nõnullos eorũ
vobis per Iovem huc adducam. *Phil.* Quid ais ? fugientes adduces?
Parrh. Ita quidem, ſi ſacerdos funiculum hunc, & hamum à Piræ-
enſi piſcatore dicatum, velit mihi parumper commodare. *Sacerd.*
En accipe, calamúmque ſimul, ut habeas omnia. *Parrh.* Quin i-
gitur Sacerdos, caricas aliquas, parúmque auri da mihi properè. *Sa-*
cerd. Accipe. *Phil.* Quidnam vir hic facere intendit ? *Parrh.* Ha-
mo carica & auro ineſcato, ſummo muro inſidens in urbem demi-
ſit. *Phil.* Quid agis ô Parrheſiades ? numquid lapides ex Pelagiſco
piſcari decreviſti? *Parrh.* Tace Philoſophia, ac prædam expecta. Tu
vero piſcator Neptune, tu quoque chara Amphitrite, multos piſces
nobis immitte. At lupum quendam ingentem video, vel potius au-
ratam *Libert.* Minimè, felis eſt, accedit ad hamum hians, aurum
odoratur, prope jam adeſt, tetigit, captus eſt, attrahamus. *Parrh.*
Tu quoque Elenche, nunc una funiculum arripe, attractus eſt. A-
ge videam quis ſis ô piſcium optime. Clamat iſte: quales hercle
dentes: Quid hoc rei eſt ô generoſiſſime, circa petras liguriendo ca-
ptus es, ubi te latiturum ſperabas? at nunc à branchiis pendens ma-
nifeſtus eris omnibus. Eſcam hanc, & hamum hunc extrahamus.
En vacuus hamus: carica cum auro ventri jam adhæret. *Diog.* Per
Iovem evomat, ut alios etiam ineſcemus. *Parrh.* Bene habet, quid
ais ô Diogenes ? túnc hunc quiſnam ſit noſti ? num ad te attinet?
Diog. Nequaquam. *Parrh.* Quid igitur ? quo precio dignus hic eſt
dicendus? ego enim pridie duobus obolis eum æſtimavi. *Diog.* Ni-
mium dicis: nam & cibo eſt inutilis, & turpis, & durus, & neglectus.
Hunc in caput à ſaxo præcipitem da. Tu verò alium demiſſo hamo
attrahe: atqui videſis ô Parrheſiades ne tibi calamus inflexus abrũ-
patur. *Parrh.* Confide Diogenes, leves ſunt & aphyis tenuiores.
Diog. Per Iovem leviſſimi: attamen trahe. *Parrh:* Ecce. Quiſnam
alius hic latus, tanquam ſemiſectus piſcis accedit ? Pſetta quædam
hamo inhians : deglutivit: tenetur: attrahatur: quiſnam eſt ? *Diog.*
Platonicum ſe aſſerit. *Plat.* Et tu execrande ad aurum accedis?
Parrh. Quid ais Plato ? quid illo agamus ? *Plat.* Ab hac eadem
petra & ille. *Diog.* Ad capiendum alium demittatur. *Parrh.* At-
qui belliſſimum quendam accedentem video, ac ſi in profundo va-
rii coloris appareat, ac vittas quaſdam auratas ſuper dorſo habeat.
Videſ-ne Elenche ? Hic eſt qui Ariſtotelem ſimulat : venit, deinde
rurſus enatavit. circunſpice diligenter, iterum venit, hiavit, captus
eſt: extrahatur. *Ariſtot.* Ne me Parrheſiades de ipſo interroges :
quis enim ſit ignoro. *Parrh.* Numquid ô Ariſtoteles etiam, iſte è
ſaxo deijciendus ? *Diog.* At ecce multos hîc conſpicio piſces, pari-
colores, ſpinoſos, in ſuperficie aſperiores : echinis captu difficilio-
res. Verriculo opus eſſet, at non adeſt: ſatis erit ſi vel unum ex gre-
ge attrahamus : veniet autem ad hamum is nimirum qui eſt ipſorũ
audaciſſimus. *Elench.* Demitte, ſi videtur: priuſque ferro multum
munias funiculum, ne eum devorato auro dentibus ſecet. *Parrh.*
Demiſi. Tu verò Neptune capturam abſolve. Papæ ! pro eſca de-
pugnant: aliique ſimul multi caricam circumrodunt: alii vero ad-
hærent auro tenaciter. Bene habet, valdè robuſtus aliquis transfi-
xus eſt. Age ſciam cui te cognominem eſſe dicas. Atqui ridiculus
ſum, qui piſcem loqui cogam. muti enim ſunt illi. Verum Elenche
dic quemnam magiſtrum hîc habeat. *Elench.* Chryſippum hunc.
Parrh. Intelligo? puta quoniam aurum ineſt nomini. Tu igitur
Chryſippe, per Minervam dicito : noſti-ne viros iſtos, vel ipſos ut
talia faciant, hortaris? *Chry.* Per Iovem Parrheſiades interrogas
contumelioſè, qui nobis cum talibus convenire ſuſpicaris. *Parrh.*
Euge Chryſippe, generoſus es. Ergo & iſti cum aliis in caput præ-
cipitetur: ſiquidem eſt ſpinoſus, verecundumque eſt, ne qui come-
derit guttur configat. *Phil.* Prædæ ſatis eſt ô Parrheſiades, nequis
(ut multi ſolent) auro & hamo deglutitis abeat: deinde te ſacerdo-
ti rependere oporteat. Proinde nos eamus ambulatum. Tempus e-
tiam eſt ut vos unde veniſtis revertamini: ne ultra præſcriptum diẽ
commoremini. Tu vero Parrheſiades, & Elenche, omnes in orbem
obeundo(vel coronate, vel inurite, ut dixi. *Parrh.* Hæc fient Phi-
loſophia. Valete homines optimi. Nos verò Elenche diſcedamus,
& juſſa exequamur. Sed quò primùm erit eundum ? Num in Aca-
demiam, vel in Stoam ? A Lyceo initium faciamus: nihil hoc re-
fert. At hoc ego novi, fore ut quocunque perveniemus paucis co-
ronis, multis cauteriis indigeamus. *Piſcatore ſive Reviviſcen-*
tibus.

Lucianus. Quantum ô Hermotime, cum ex libello, tum ex
greſſus feſtinatione conijcio, ad præceptorem properare videris a-
liquid ſaltem intereundum mente volvebas, & tacitè ſubmurmu-
rando labia motitabas manumque huc illuc ferebas, quaſi oratio-
nem apud te digereres, vel quæſtionem aliquam ob aliquam com-
poneres, vel ſophiſticam ſpeculationem excogitares, ut neque per
viam incedens otiareris, ſed operi ſedulò vacares, aliquid ſerii ſem-
per faciendo, quodque ad præcepta ſibi conferat. *Hermot.* Per Io-
vem Luciane tale quiddam eſt. Nam quæ heſterno in conventu no-
bis dixit ſingula repetentes memoria recolebam. Æquum verò eſ-
ſe opinor nullum præterire tempus ſiquidem verum eſſe ſcimus il-
lud Coi medici dictum, Nimirum *brevem eſſe vitam, artem verò*
longam. Quod quidem de arte medica eſt effatus, quæ minore ne-
gotio perdiſcitur. At Philoſophia ne longo quidem tempore com-
prehenditur, niſi quis ſumma vigilantia acres oculos in eam ſem-
per defigat. Neque parvis de rebus periclitamur: aut enim in mul-
ta privatorum colluvie diſpereundo miſerum eſſe, aut philoſophã-
do fœlicem vitam ducere oportet. *Lucian.* Per quam admiranda
certè ſunt, ô Hermotime, præmia quæ dixiſti. Cæterum opinor, te
ab iis non remotum eſſe, ſiquidem ducenda eſt conjectura ex tem-
pore quod multum in philoſophiæ ſtudiis collocaſti : præterea ex
labore quem non mediocrem iam dudum impendiſti. Nam ſi be-
ne memini, hic fermè annus eſt vigeſimus ex quo nihil aliud te fa-
cietem vidi, quàm præceptores frequentantem, & ut plurimum in
librum incumbentem, & diſſertationum commentarios deſcribẽ-
tem, ita ut perpetuò præ curis palleres, & corpore macreſceres. At
mihi videris ne per ſomnium quidem unquam te ipſum relaxaſſe,
ita totus in re fuiſti. Itaque mihi hæc conſideranti, videris fœli-
citatem brevi conſecuturus, niſi nobis inſciis cum ipſa jamdudum
verſaris. *Hermot.* Vnde illud conijcis Luciane, cum in viam iam
primum prolato capite proſpiciam : virtus vero procul admodum
ex Heſiodi ſententia habitet, eiuſque vita ſit longa & ardua, & aſpe-
ra, nec euntibus paucum ſudorem moveat. *Lucian.* Ergo nondũ
tibi ſatis eſt ſudatum, neque ſatis confectum itineris ? *Hermot.*
Minimè inquam. Nihil enim prohiberet quo minus per omnia
beatus eſſem, ſi faſtigium attigiſſem: at nunc adhuc, ô Luciane, in-
cipio. *Lucian.* At principium, ille ipſe Heſiodus, dimidium to-
tius eſſe dixit. Itaque ſi dixerimus te jam in medio eſſe aſcenſu, à
vero non aberravimus. *Hermot.* Nequaquam hoc dixeris, etſi mul-
tum

tum nobis confectum ſit. *Lucian.* At ubinam itineris eſſe te dixerimus? *Hermot.* infra adhuc in ipſa montis radice, ô Luciane modò porrò ire conantem. Eſt autem lubrica, & aſpera, & opus habet aliquo qui manum porrigat. *Lucian.* Proinde idoneus eſt ad id agendum præceptor tuus, deſuper è cacumine, quemadmodum Homericus ille Iupiter, demiſſa catena aurea, ſuis nimirum præceptis, quibus te attrahat, attollátque ad ſe, & ad virtutem, quò ipſe jampridem conſcendit. *Hermot.* Hoc ipſum quod fit, Luciane, dixiſti. Etenim quantum ad illius operam attinet, jamdudum trahor ſurſum, & cum ipſis verſor: ſed quod ad me attinet, adhuc ſum inferior. *Lucian.* Atqui confirmandus eſt animus, cùm viæ finem, & ſitam in ſummo fœlicitatem conſpicias, maximè verò cohortante illo. Quam verò tibi ſpem facit, quum tandem aliquando conſcenderis? An te anno ſequenti in ſummo fore conjectabat, veluti poſt alia ſacra, aut poſt Panathenæa? *Hermot.* Exiguum eſt quod dicis Luciane. *Lucian.* An ſubſequenti quinquennio? *Hermot.* Hoc quoque eſt exiguum cùm ad virtutem exercendam, tum ad fœlicitatem conſequendam. *Lucian.* Proinde ad ſummum poſt duo luſtra. Alioqui magnæ quis ignaviæ vos arguat, niſi id poteritis ex temporis ſpatio, quo quivis ter eat redeátque facilè à columnis Herculis ad Indos, quanvis neque rectà neque ſemper progrediatur, ſed per gentes in medio ſitas oberret. Atqui quanto altiorem, & acclíviorem vis ponamus eſſe verticem montis in quo vobis habitat virtus, Aorna illa petra, quam intra paucos dies Alexander ſumma vi occupavit? *Hermot.* Nihil ſimile eſt Luciane: nec ejuſmodi eſt negocium, cujuſmodi tibi fingis, ut brevi tempore conficiatur & capiatur, non ſi ſexcenti Alexandri vires ſuas conjunxerint quoniam multi ſunt conati conſcendere, nunc verò non pauci valdè forti animo conſcendunt, & aliquantum pergunt, alij parum admodum, alij pluſculum. Cæterùm ubi medium itineris attigerint, multas difficultates & perplexitates nacti, faſtidio capiuntur, & regrediuntur, anhelantes & ſudore manantes, nec laborem ferentes. Quicunque autem ad finem perdurarint, hi ad faſtigium perveniunt, ab eoque tempore fœlicitatis compotes facti, vitam quandam admirandam per reliquam ætatem vivunt, alióſque homines tanquã formicas è ſublimi contẽplantur. *Lucian.* Papæ Hermotime, quantulos nos facis, neque cum Pygmæis nos comparas, ſed omnino cum humi repentibus animalculis. Meritò, nam alta jam à principio ſapis. Nos verò vilis plebecula, & quotquot humi repimus, cum Dijs etiam vos qui nubibus altiores evaſiſtis, & quò iamdudum feſtinatis aſcenſu perveniſtis, precatione venerabimur. *Hermot.* Vtinam Luciane daretur aſcendendi facultas, ſed viæ multum ſupereſt. *Lucian.* tamen non dixiſti quantum, ut id cum tempore cõpares. *Hermot.* Neque enim ipſe, Luciane, probè ſcio, nihilominus conijcio non pluribus quàm viginti annis opus fore, quibus exactis in ſummo jugo conſiſtam. *Lucian.* Multum hercle dicis. *Hermot.* Etenim pro rebus maximis ſuſcipiuntur labores. *Lucia.* Id fortè quidem eſt verum. Te verò tot annos, nempe viginti, victurum num præceptor tuus tibi eſt pollicitus, non ſolùm ſapientia, ſed divinandi etiam arte pollens, aut ſortis dicendæ peritus, unuſve ex illis qui Chaldaicam diſciplinam callent? Ajunt quippe eos talia noſſe. Neque enim ſanè æquum foret ut in certus num uſq; ad virtutem ſis victurus, tot labores ſuſtineres, noctes diéſque ærũnas perferres, neſcius an te jam cacumini proximum Parca inſtans pede correptum tractura ſit ab imperfecta ſpe avulſum. *Hermot.* Apage iſta Luciane, ſiquidem maledica ſunt. At viverem utinam, ut ſapientiam aſſecutus unicũ ſaltem diem fœlicitate fruerer. *Lucian.* Et pro tot tantíſque laboribus unica dies tibi ſufficiat? *Hermot.* Mihi quidem etiam exiguum momentum ſatis eſſet. *Lucian.* Cæterùm unde noſſe potes rebus ſupernis ineſſe fœlicitatem, ut earum gratia quidvis perverre oporteat? Nunquam enim eò ipſe conſcendiſti. *Hermot.* At ego dicenti præceptori credo: planè enim id novit, ut qui jam ſit excelſiſſimus. *Lucian.* At per Deos, qualia illa, quam-ve illic eſſe fœlicitatem ajebat? Nunquid divitias aliquas, & gloriam, & voluptates incredibiles? *Hermot.* Bona verba quæſo, amice nihil enim iſta faciunt ad vitam cum virtute exigendam. *Lucia.* At quænam ſunt illa bona, niſi hæc ſunt, quæ habituros illos dicit qui ad finẽ exercitationis pertigerint? *Hermot.* Sapientia, fortitudo, honeſtum ipſum, & juſtum, & omnium, ut ſingula ſe habent, certa cum perſuaſione ſcientia. Divitias verò, gloriam, & voluptates, & quæcunq; ſunt corporis bona, infra reliquit: & exutus aſcendit, ut combuſtum in Oeta monte Herculum Deũ factum ferunt. Etenim ille cùm abieciſſet quicquid humani à matre contraxerat, & puram atque incorruptam divinitatem ferret, illa ab igne diſcreta ad Deos ſubvolavit. Ad hunc modum hi à philoſophia, ceu ab igne quopiam ſpoliati his omnibus quæ alijs non rectè ſentientibus, miranda videntur, conſcenſo cacumine beatam degunt vitam: nec divitiarum, gloriæ, ac voluptatum meminerũt ampliùs, ſed eos derident qui hæc alicujus eſſe momenti ſentiunt. *Lucian.* Sanè per Oeteum Herculem Hermotime, viris digna, & fœlicia de ipſis refers. Atqui id mihi dicas, Nunquid è faſtigio deſcendunt unquam ſi velint, ut rebus infra relictis utantur? an verò ubi ſemel aſcenderunt, manere coguntur, & cum virtute converſari, divitias, gloriam, & voluptates irridendo? *Hermon.* Non ſolùm hoc, Luciane, ſed quicunque in virtute perfectus evaſit, hujuſmodi vir nec iræ, nec metui, nec cupiditatibus ſervit, nec triſtitia, nec denique ulla animi perturbatione afficitur. *Lucian.* Sed enim ſi mihi, nihil verito fas eſſet verum dicere: ſed linguis favendum puto, nec fas eſſe inquirere quæ ſapientes faciunt. *Hermot.* Nequaquam, ſed apertè loquere. *Lucian.* Vide, ô amice quàm verear. *Hermot.* At ne verearis, generoſe, apud me ſolum dicere. *Lucian.* Enimvero alia quæ dixiſti, Hermotime, ſequebar, & ita ſe habere credebam: eoſque eſſe ſapientes, & fortes, & juſtos, & cætera: tuoq; ſermone quodammodo demulcebar: ſed quum dixiſti ipſos divitias contemnere, & gloriam, & voluptates, nec iraſci, nec triſtitia affici, hîc utique, ſoli enim ſumus, hæſi, recordatus quæ facientem vidi: vis dicam quem? an verò, nomine etiam ſuppreſſo, ſatis eſt? *Herm.* Nequaquam: ſed hoc etiam dicito quis ille ſit. *Lucian.* Ille ipſe præceptor tuus, vir aliàs venerandus, & jam ſummè ſenex. *Herm.* Quid igitur ille fecit? *Lucian.* Hoſpitem illum Heracleotem noſti, qui multo jam tempore in iiſdem Philoſophiæ ſtudiis diſcipulus eius fuit? flavum illum? illum contentioſum? *Herm.* Novi quem dicis: Dion vocatur ille. *Lucian.* Illum ipſum dico: quem cùm in tempore mercedem non penderet, nuper ad Prætorem duxit pallio eius collo circumjecto: & clamabat interea, & excandeſcebat. Ac niſi ex familiaribus eius aliqui in medium veniſſent, & adoleſcentem è manibus eius eripuiſſent, certò ſcias, ſenem illum ei naſum mordicus avulſurum fuiſſe, adeò ſtomachabatur. *Herm.* Malus enim eſt ille & ingratus, ô Luciane, in pendenda mercede. Alioqui in alios multos quibus pecunias fœneratur, nihil unquam tale conſtituit. ſiquidem præſcripto tempore reddunt fœnora. *Lucian.* Quid verò, niſi reddant ô beate, idne curat ille quem Philoſophia jam purgavit, nec rebus in Oeta monte relictis amplius indiget? *Hermot.* Putaſne illum ſui cauſa rerum harum ſtudio teneri? Sed liberos habet parvulos, qui ne inopem vitam agant, ſolitè curat. *Lucian.* Operæ precium eſſet Hermotime, ut & illi ad virtutem promoverentur, quò communi cum illo fœlicitate, divitias contemnendo, fruerentur. *Hermot.* Non vacat mihi, Luciane, tecum hiſce de rebus diſſerere: propero enim ad audiendum ipſum, ne imprudens penitus abſim. *Lucian.* Bono animo eſto ô bone. Nam in hodiernum diem indictæ ſunt feriæ. Quare ego tibi, quod viæ reliquum eſt, remitto. *Hermot.* Quid ais? *Lucian.* Fore ut in præſentia non videas ipſum, ſi programmati eſt credendum. Etenim appenſa foribus tabella, majuſculis elementis exarata, monebat his verbis, *Hodie diſcertationibus philoſophicis non vacabimus.* Porrò eum apud Eucratem filiæ ſuæ natalitia celebrantem, heri cœnaſſe dicebant: multa præterea ſuper philoſophicis rebus in convivio commentatum eſſe: adhæc adverſus Euthydemum Peripateticum nonnihil exaſperatum eſſe, ſuſcepta cum eo his de rebus contentione, pro quibus nunquam non cum Stoicis digladiari ſolent Peripatetici: præ nimia vociferatione, capitis dolorem contraxiſſe, & ad mediam uſque noctem producta diſputatione, plurimùm ſudaſſe. Præterea plus æquo, opinor, potaverat, cùm, ut veriſimile eſt, qui aderant ipſum philoteſiis provocaſſent: & ſupra ſenis captum cibo ſe ingurgitarat. Itaque domum reverſus, ut aiunt, multum evomuit: & acceptis numeratiſque carnibus, quas à tergo ſtanti puero aſſervandas tradiderat, iiſque diligenter obſignatis, ab eo tempore dormit, neminemque admitti juſſit. Hæc à Mida famulo eius accepi, cùm quibuſdam ex diſcipulis, qui non pauci domum regreſſi ſunt, narraret. *Herm.* Vter verò Luciane ſuperavit meuſne præceptor, an Euthydemus? numquid ea de re quidpiam dicebat Midas ille? *Luc.* Primùm quidem ajebat, Hermotime, illos pugna pares fuiſſe: at victoriæ finem penes vos fuiſſe, & ſenem hunc longè ſuperaſſe: neque Euthydemum incruentum abiiſſe, ſed vulnus ingens in capite habentem. Cùm enim arrogans & contentioſus eſſet, nec perſuaderi vellet, nec ſe facilè convincendum præberet, optimus ille præceptor tuus, Neſtoreum ſcyphum, quem habebat præ manibus, ipſi prope ſe accumbenti in caput illiſit: ſicque victoriam obtinuit. *Hermot.* Rectè quidem: non enim aliter erat cum his agendum qui cedere melioribus nolunt. *Luc.* Hæc certè æqua ſunt Hermotime. Quorſum enim Euthydemus, virum ſenem exaſperabat, alienum ab iracundia, animoq; potiorem, cùm tam gravem ſcyphum præ manibus haberet? Sed enim ocium iam agimus, cur non mihi tuo familiari exponas quonam modo ad philoſophiæ ſtudia primùm te contuleris ut & ipſe ſi fieri poſſit vobiſcum iter, hinc initium ducens, ſuſcipiam? nam quæ veſtra eſt amicitia, me non excludetis. *Hermot.* Si modò velis Luciane, brevi videbis quantum aliis præſtabis. Omnes, certò ſcias præ te pueros exiſtimabis, tantum ingenio præpollebis. *Lucian.* Sufficeret mihi, ſi poſt viginti annos, qualis nunc es, evaderem. *Hermot.* Ego profectò ætate quà nunc es, annos ferme quadraginta natus (idque ætatis eſſe te puto) philoſophiæ operam dare cœpi. *Lucian.* Id ſum ætatis Hermotime. Itaque eadem via me ducito: id enim æquum eſt. Ac primùm mihi dic, An diſcentibus copiam contradicendi facitis, ſiquid ipſis videatur non rectè dictum? an verò junioribus non conceditis? *Hermot.* Minimè. Sed tu, ſi quid volueris, interim quærendi & contradicendi copiam tibi facio: faciliùs enim ita diſces. *Lucian.* Euge per Mercurium, Hermotime, cui es cognominis, dic mihi, eſtne unica via ad philoſophiam, videlicet Stoicorum veſtrorum: an verò verum eſt quod audivi, alios etiam eſſe complures? *Hermot.* Complures, nempe Peripatetici, Epicurei, Platonici: alij præterea Diogenis & Antiſthenis æmuli, quinetiam Pythagorici, & longè plures. *Luc.* Vera dicis: multi ſunt. Utrum autem Hermotime, eadem omnes, an diverſa dicunt? *Hermot.* Omnino diverſa. *Luc.* Atqui unum omnino ex ipſis verum arbitror, non autem omnia, ſiquidem ſunt

diver

diverſa. *Herm.* Maximè. *Lucian.* Age verò, amice, cuinam primùm credidiſti, quando philoſophiæ operam daturus ibas, ut cùm multæ tibi paterent fores, præteritis reliquis, in Stoicorum venires, & per eas ad virtutem aditum habere putares, ac ſi ſolæ veræ ſint viæ rectæ indices, contrà verò reliquæ in cæca & devia ducant? Quonam tunc argumento hæc deprehendebas? Ac ne te ipſum qualis nunc es conſideres, ſive es ſemiſapiens, ſive iam ſapiens, qui optima præ multis nobis dijudicare poſſis. Sed ita reſponde ut idiota quiſpiam, qualis tunc eras, qualis & ego nunc ſum. *Hermot.* Non intelligo, Luciane, quid hæc tua verba ſibi velint. *Lucian.* Atqui nequaquam obliqua percontor. Cùm enim multi ſint Philoſophi ſectatores Platonis, & Ariſtotelis, & Antiſthenis, majorumque veſtrorum, Chryſippi, Zenonis, atque aliorum, quotquot ſunt, cuinam, omiſſis aliis, credidiſti, delectuque ex omnibus, quæ priùs dixiſti, facto, ſecundum illa vis Philoſophiæ ſtudiis incumbere, Numquid etiam te, quemadmodum Chærephontem illum, Apollo Pythius ad Stoicorum placita miſit, ubi prædixiſſet illos omnium eſſe optimos? Alium enim ad aliam philoſophiæ ſpeciem cohortari ſolet, quam, ut puto, unicuique convenire novit. *Herm.* Sed nihil iſtiuſmodi, Luciane, Deum de hiſce rebus interrogavi. *Lucian.* Utrum hanc rem divina conſultatione indignam ducebas, an verò ipſe tibi videbare ſatis idoneus ad eligendum per te, quod erat optimum, nullo conſulto numine? *Hermot.* Ita mihi videbar. *Lucian.* Quare etiam nos id primum doceas, quo pacto ſtatim ab initio noſſe queã quænam optima ſit & veriſſima philoſophia, & quam quis prætermiſſis aliis eligat. *Hermot.* Ego tibi dicam. Cùm viderem plurimos ad eandem ſe conferre: eam meliorem eſſe coniiciebam. *Lucian.* Quorum igitur numeroſior erat turba, Epicureorum, an Platonicorum, an Peripateticorum? Eos namque perinde atque in ſuffragiis numeraſti. *Hermot.* At non numeravi, ſed conjectavi. *Lucian.* Non vis docere me, ſed decipis qui veritatem me celas, dicisque te numero & conjectura judicaſſe. *Hermot.* Non hoc ſolum Luciane, ſed ex omnibus audivi Epicureos animum ad delicias, & ad voluptates appellere, Peripateticos verò divitiarum amantes eſſe, & contentioſos, Platonicos autem faſtoſos, & gloriæ cupidos. Sed quod ad Stoicos attinet, multi viriles illos eſſe, atque omnia cognoſcere dicebant, eumque qui viam hanc inſiſteret ſolum divitem, ſolum regem, ſolum ſapientem, omnia denique ſimul eſſe. *Lucia.* Videlicet iſta de illis tibi dixerunt alij: neque enim illis ſua laudantibus credidiſſes. *Hermot.* Nequaquam: ſed dicebant alij. *Lucia.* Qui contrariæ opinionis erant, id tibi, ut veri ſimile eſt, non dicebant. Hi autem erant qui in aliis diſciplinis verſantur. *Herm.* Minimè. *Lucian.* An verò hæc dicebant idiotæ. *Hermot.* Maximè. *Luc.* Vides ut me iterum decipis, nec vera loqueris: ſed te cum Margite aliquo colloqui putas: ut credam Hermotimum virum prudentem, annos quadraginta natum, de philoſophia & philoſophis idiotarum opinioni crediſſe, & ex eorum dictis præſtantiſſimorum ſectam delegiſſe. Non ego tibi hæc dicenti fidem adhibuerim. *Herm.* At ſcias Luciane me non aliis ſolùm, ſed mihi ipſi fidem adhibuiſſe. Videbam enim ipſos decenter incedentes, frugaliter amictos, meditationibus ſemper intentos, aſpectu tetricos, plurimos ad cutim tonſos, nihil molle, nihil quod medium excederet admittentes, quod vel ſtupendum, vel caninum eſſet: ſed in medio ſtatu conſtitutos, quem omnes optimum eſſe dicant. *Lucian.* Annnon ipſos etiam ea factitantes vidiſti, quæ paulò ante diebam ipſe me vidiſſe præceptorem tuum factitantem? videlicet fœnerari pecunias, eas amarulenter repetere, in colloquiis pertinaciter contendere, & quæcunque alia ingenij ſui documenta præbent? An verò hæc parum curas, ſi modò frugalis ſit amictus, & promiſſa barba, & ad cutim abraſa coma? Quare in poſterum regulam hanc, amuſſimque certam habeamus, ad hæc exploranda, ut ait Hermotimus. Sic ex habitu, & greſſu, & tonſura quinam ſint optimi dignoſcendum. Qui autem hæc non habuerit, nec ſevero vultu & meditabundo fuerit, reiiciendus erit & repudiandus. At vide ne hiſce etiam me ludas, periculum faciendo, num me decipi percipiam. *Herm.* Quorſum hoc dixiſti? *Luc.* Quoniam hæc quæ capitur ex habitu cognitio, ad ſtatuas pertinet. Omnino enim illæ habitu ſunt elegantiore, & amictu ornatiore, quas vel Phidias aliquis, vel Alcamenes, vel Myron, ad abſolutiſſimæ formæ archetypum expreſſit. Quòd ſi argumentum ex huiusmodi rebus eſt capiendum, quid faciat cæcus ſi operam dare philoſophiæ cupiat? quo pacto dignoſcere queat eum qui meliorem ſectam delegit, cùm neque habitum, neq; greſſum cernere poſſit? *Hermot.* At mihi Luciane non eſt ad cæcos ſermo, nec talium curam gero. *Lucian.* Atqui conveniebat, ô bone, ut tantarum rerum, tamque omnibus utilium commune eſſet documentum Sed enim ſi tibi ita videtur, cæci à Philoſophia excluſi maneant, quoniam ne vident quidem: quanquam his neceſſe erat in primis philoſophiæ ſtudiis incumbere, ne prorſus ſua calamitate gravarentur. Cæterùm qui vident, quamvis ſint perſpicaciſſimi, quonam modo ea quæ ſunt animæ, ab hoc externo amictu perſpicere queant? Iſtiusmodi autem eſt quod volo dicere, Non ſolùm ſapientiæ virorum illorum amore captus, ipſos adiviſti, ſed in ſapientiæ ſtudio melior evadere voluiſti. *Herm.* Ita ſanè. *Lucian.* Quomodo igitur potuiſti, ex notis illas quas dixiſti pervidere qui rectè, qui ſecus philoſopharetur? Non enim iſta perſpici ita queũt, ſed arcana ſunt, & obſcuro in loco poſita, quæ vix tandem ſermonibus & diſſertationibus, operibusque ſimilibus animadvertuntur. Audiſti puto qua in re Momus Vulcanum reprehenderit: ſin minus, audi nunc. Fert enim fabula Minervam, Neptunum & Vulcanum de artis præſtantia contendiſſe. Neptunum quidem taurum effinxiſſe, Minervam verò domum excogitaſſe. Porrò Vulcanus hominem compoſuit. Ac poſtquam ad Momum ventum eſt, quem arbitrum delegerant, in conſiderato uniuscuiusque opere, in aliis quidem quid reprehenderit, ſupervacaneum eſſet referre: at in homine hoc carpſit, & Vulcanum architectum increpavit quòd non ipſi etiam in pectore oſtiola feciſſet, quibus apertis, innoteſceret omnibus quid vellet, & cogitaret: an mentiretur, an vera diceret. At ille quidem veluti cæcutiens ita de hominibus ſtatuebat. Tu verò nobis vel ipſo Lynceo es perſpicacior qui, ſicuti videtur, per pectus ipſum quæ intus ſunt cernis patentque tibi omnia, adeò ut non ſolùm certò teneas quid quisque velit & cogitet. verùm etiam uter ſit melior aut deterior. *Hermot* Ludificaris me, Luciane. Ego verò Dei ductu delectum habui, neque me pœnitet electionis: & hoc mihi ſatis eſt. *Luc.* Attamen ne ſic quidem mihi, amice, exponas, ſed me in infima plebe periturum uſque deſpicies? *Herm.* Nihil enim placuerit tibi, eorum quæ dixero. *Luc.* Minimè, ô bone: verùm nihil vis dicere quod mihi placeat. Quandoquidem igitur de induſtria me celas, mihique invides ne in philoſophiæ ſtudiis par tibi evadam, operam dabo ut per me poſſum adinvenire exactam judicandi rationem, ac certiſſimam eligendi normam. Itaque tu etiam ſi vis audi. *Herm.* Equidem volo Luciane, præclarum enim quidpiam fortè dices. *Luc.* At vide ne me irrideas, ſi illud inſcitè perquiram. Ita enim facto opus eſſe video, ſiquidem tu qui noſti quid ſit melius, clarius explicare non vis. Virtus igitur mihi eſto qualis urbs quam fœlices cives incolant (ſicuti tuus præceptor inde reverſus dicere poſſit) ſummè ſapientes, fortes omnes, juſti, moderati, parum Dijs inferiores. Cuiuſmodi autem multa fiunt apud nos rapinam, violentiam, auaritiam, neminem in ea vrbe audere videas, vt aiunt, ſed pacati munera Reipub. ſimul obeunt. Nec iniuria. Quæ enim alijs in vrbibus ſeditiones, & contentiones excitant, & quorum gratia alter alteri molitur inſidias, omnia è medio illorum ſunt ſublata. Neque enim aurum, non honores reſpiciunt, vt de ipſis contendant: verùm iam olim hæc rati non neceſſaria ad ciuilem ſocietatem, vrbe expulerunt. Itaque tranquillam quandam, modiſque omnibus fœlicem degunt vitam bonis legibus, æqualitate, libertate, alijs denique bonis inſtructam. *Hermot.* Quid igitur Luciane? annon æquum eſt vt vrbis iſtiuſmodi ciues fieri omnes cupiant, nec laboris in via ſuſtinendi rationem habendo, nec ob temporis prolixitatem animum deſpondendo, dummodo vbi eò peruenerint, ciuium numero ipſi inſerantur, & civitatis jure donentur. *Lucian.* Sanè per Iovem Hermotime, in hoc omnium maximè eſt incumbendum: quidvis autem aliud negligendum: & neque patriæ hîc retinentis multa ratio habenda eſt, neque exorari oportet parentum, aut liberorum, ei qui habuerit, detinentium complorationibus: ſed illi maximè ad iter idem ſuſcipiendum ſunt cohortandi. Quòd ſi nolint, aut non poſſint, excuſſis illis, rectà ad urbem illam ab omni parte beatam erit contendendum, imò relicto pallio, ſi eo prehenſio detinerent, erumpendum. Neque enim metuendum eſt nequis excludat te nudum eò venientem. Jam enim aliàs virum ſenem audivi diſſerentem, quomodo ibi ſe res habeant, isque me, ut ſibi ad urbem illam comes irem, hortabatur. Ipſe enim ſe præiturum, cumque veniſſem civibus inſerturum & tribulem facturum, ſuo ſodalitio donaturum me, pollicebatur, ut cum omnibus fœlicitate fruerer. Sed ego, quæ juvenilis fuit amentia, tunc nondum quindecim annos natus, illi morem non geſſi: quod ſi feciſſem, fortè jam in ſuburbio, ipſisque portis conſiſterem. Porrò de civitate, ſi bene memini, cum alia multa, tum etiam hæc prædicabat, omnes eſſe advenas, neminem indigenam: quinetiam multos barbaros in ea verſari, & ſervos, & deformes, & parvos, & pauperes: denique participem fieri urbis quicunque vellet, ſiquidem lex ipſis, ut nulla cenſus habita ratione, non habitus, non magnitudinis, non pulchritudinis, non generis, non illuſtrium majorum civitate donent: cùm hæc nihili ducant. Oportere autem, ut quicunque jus civitatis indipiſcitur, intelligentia polleat, cupiditate rerum honeſtarum teneatur, laborem & macritatem non detrectet, non det tergum, non molleſcat, quum multas in via moleſtias nanciſcitur. Eum autem qui iſta præſtiterit, & ad urbem uſque iter peregerit, protinus eſſe civem omnibusque æqualem, quicunque tandem fuerit. Nec peior, an melior, nobilis an ignobilis, ſervus an liber ille ſit, vel prorſus eſſe, vel dici in urbe. *Hermot.* Vides Luciane, ut non fruſtra, nec parvis de rebus laboro, quum tam pulchræ, tamque fœlicis urbis ipſe civis fieri cupio? *Lucian.* Ego quoque Hermotime, eadem tecum amo, nihilque eſt quod ante iſta conſequi optem. Quòd ſi propinqua urbs eſſet, & omnium conſpectui expoſita, jampridem, probè ſcias, nihil ambigens, ad eam profectus fuiſſem, & in ea jamdiu verſarer. Siquidem igitur, ut dicitis, tu nimirum & poëta Heſiodus, longiſſimè eſt ſemota, neceſſe eſt viam quærere quæ eò ducit, optimum etiam ducem. Nonne tu ſic faciendum putas? *Hermot.* Ecquo pacto quiſpiam alia ratione eò perveniret? *Lucian.* Adeſt tibi ingens hominum multitudo qui te ducturos promittant, & ſe viam tenere dicant. Multi namque adſunt ad hoc parati, qui ſe indigenas profitentur. Via autem non unica, eademque, ſed multæ, ac diverſæ, nihilque inter ſe ſimiles apparent: hæc enim ad occaſum, illa ad ortum ferre videtur: hæc ad Septentrionem, illa ad meridiem. Rurſus hæc quidem per prata, plantas, & umbram, humida, jucunda, nihil

durit

duri, nihil asperi habet. Illa verò petricosa, aspera, multum solis, & sitis, & laboris exhibet. Attamen hæ omnes ad urbem illam, quæ una est, ducere dicuntur, quanquam in contraria desinunt. Inde perplexa dubitatione totus teneor. Nam in quamcunq; ipsarum venero, unusquisq; qui in viæ principio stat, in aditu fide dignus manum porrigit, & in suam ingrediar hortatur, quam rectam esse se solum scire dicit: alios verò aberrare, qui neq; eò ipsi pervenerint, neq; aliis sequentib. præire possint. Quod si ad vicinũ accessero, ille etiam similia de via sua pollicetur, alijsq; obtrectat: sic & vicinus ipsius, omnésq; deinceps. Quare cum multitudo, tum dissimilitudo viarum non mediocriter me turbat, facítq; ut hæream dubius, maximè verò duces qui summa pervicacia contendũt, suáque singuli laudibus extollunt. Nescio enim ad quam conversus, aut quem potiùs sequens, ad urbem illam perveniã. *Herm.* At ego te ab omni hæsitatione liberabo Luciane. Nam si ijs qui priùs iter confecerunt fidem habeas, non aberrabis. *Luc.* Quibus dicis: quam viam ingressis? aut quem ducem sequutis? iterum enim nobis idẽ dubium in alia forma apparet, facto à rebus ad homines transitu. *Hermot.* Quonam modo istud dicis? *Luc.* Quoniã hic qui in Platonis viam est digressus, cúmq; ducem sequitur, illam videlicet laudabit, ille verò viam Epicuri, & alius alia: tu verò vestrã. Nam quî non ita fiat Hermotime? *Herm.* Et cur non? *Luc.* Proinde dubiũ nõ solvisti, sed adhuc similiter ignoro, cuinam ex viatorib. potiùs fides adhibenda sit. Video namq; unumquemq; ipsorum, ipsúmq; & ducem unius periculum fecisse, quam laudat, dicítque solam esse quæ ad urbem ducat. Ego autem scire nequeo num verum dicat. Sed illi fortè concessero, quòd ad finem aliquem devenerit, & aliquam urbem viderit. Cæterùm num illam viderit, quam oportebat, in qua ego & tu versari percupimus (ut si Corinthum venire oporteat, at ille Babylonem profectus Corinthum vidisse se putat) etiãnum mihi non constat. Neq; enim qui civitatẽ aliquam vidit, Corinthum vidit: siquidẽ non sola urbs est Corinthus. Illud autẽ omniũ maximè incertum me facit, quòd scio unã esse necessariò, eamq; veram viã: siquidem unica est Corinthus. Aliæ verò quóvis potiùs quàm Corinthum ducunt: nisi quis adeò sit captus, ut eam quæ ad Hyperboreos, & ad Indos ducit, Corinthum mittere putet. *Herm.* At quî id fieri possit Luciane? alia namque aliò tendit. *Luc.* Quare egregie Hermotime non parvo opus est consilio in eligendis cùm viis, tùm ducibus. Neq; quod dictitant, faciemus, quocunq; nos pedes ferant, ibimus. Nam sic non per eã quæ Corinthum, sed quæ Babylonem, aut Bactra ducit, imprudẽtes iremus. Neq; enim bene consultum est, si fortunæ rem cõmittamus, ut tanquam optimam eligẽtes, etiam sine pervestigatione, in unam aliquam quacunque tandem temerè feremur. Illud enim fieri potest, & fortè iam olim in tanta temporis longinquitate factum est. Nec equidem par esse puto, ut de rebus adeò magnis spem temerè abiiciamus, aut in angustũ coactam concludamus, virgultea scapha, quod ajunt, Aegæum aut Ioniũ mare transmittere volentes. Quando neq; fortunam rectè accusaremus, si sagittando, & jaculando, Verum nõ sit prorsus assequuta, quippe quod in sexcentis mendaciis est unicũ. Quod ne Homerico quidem sagittario cõcessum est, qui cùm sagittis columbam petere debuisset, funem rupit. Is autem opinor Teucer fuit. Sed longè magis rationi est consentaneum, speres fore ut multa vulnerentur, & in teli jactum incidant, quàm omnino unum illud ex omnib. Non exiguũ autẽ esse periculũ, si non in rectam, sed in aliquã ex deviis incidamus imprudentes, sperantes fore ut meliorẽ pro nobis fortuna eligat, exprimo ni fallor. Neq; enim amplius reverti, & retro incolume servari facile est, si quis fune soluto navi se commiserit: verùm necesse est in pelago jactari plerumq; nauscando, trepitando, & capitis gravedine laborando propter fluctuũ agitationẽ, cum operæ pretium fuisset ab initio ante discessum conscensa specula explorare num navigabile esset mare, & secundus flaret ventus Corinthum navigare volentibus: & per Iovem optimus quispiã gubernator eligendus fuisset, & bene compacta navis, quæ tantis fluctibus sustinendis par esset. *Herm.* Sic quidẽ Luciane, multò melius fieret. Verùm scio equidem te perlustratis omnib. non alios, non meliores duces, non peritiores gubernatores quam Stoicos inventurum: & si quando Corinthũ proficisci velis, illos secuturum per Chrysippi & Zenonis vestigia incedendo: alioqui non possis. *Luc.* Vides Hermotime ut hoc ex cõmuni sententia dixisti? Idipsum enim dixerit, qui Platonem comitatur, & qui Epicurum sequitur, aliiq;, me non nisi secum Corinthum aditurum. Itaq; vel omnib. credendũ, quod maximè ridiculũ est, aut similiter diffidendũ: quod est longè tutissimũ, donec vera pollicentẽ invenerimus. Age verò, si ut nunc sũt res meæ ignorans adhuc quis ex omnib. verum dicat, vestras partes, tibi credendo, deligerem, viro quidem amico, sed Stoicæ tantùm disciplinæ gnaro, solamque hanc viam ingresso: deinde Deorum aliquis in vitam revocaret, Platonem & Pythagoram, & Aristotelem atq; alios: illi autem circunstantes interrogarent me, & tractum in jus, contumeliæ singuli reum facerent, dicentes, Quid causæ fuit, optime Luciane, cur adhibita nescio cui fide, Chrysippũ & Zenonem nobis longè seniorib. heri ac pridiè natis antepolueris, cùm neq; nobiscum communicaveris, neque eorum quæ dicimus, periculum feceris. Si hæc dicerent, quidnam illis responderem? Nũ suffecerit, si dicam, me Hermotimo viro amico credidisse? At scio, dicerent illi, Nos, Luciane, Hermotimum hunc non novimus, neque ille nos. Quare nec omnes despiciendi, nec indicta causã condemnandi fuimus, ei fidem adhibendo qui unicam in philosophia viam, ac neque eam fortassis exquisitè noverit. At, ô Luciane, non præscribunt judicibus legislatores ut ita faciant, nimirum ut altero tantùm audito, alteri facultatem dicendi ea quæ conferre sibi putat, non concedant: sed utramque partem pariter audiant, ut faciliùs examinatis orationibus, verum & falsum comperiant. At nisi sic faciant, potestatem facit lex ad judicium aliud provocandi ut sibi dicenda dicant. Aut si fortè quispiam illorum interrogaret me, dicens, Dic mihi, Luciane, si quis Aethiops qui homines alios quales nos sumus nusquam vidisset, quòd nunquam omninò peregrè fuisset profectus, in aliquo Aethiopum cœtu affirmaret, diceretque nullibi gentium homines esse albos, vel flavos, nec alterius coloris quàm nigros, num quid ipsis fidem faceret? Diceret autem ipsi aliquis ex senioribus Aethiopum, Tu verò audacissime, unde hæc nosti, nusquam enim peregrè à nobis es profectus, neque scis qualia sint quæ apud alios populos extant, annon rectè dicerem, senem hunc justa interrogasse? aut quid tu Hermotime consilii habes? *Hermot.* Id ipsum. Nam mihi videtur eum justissimè consternasse. *Lucian.* Et mihi quidem Hermotime. Sed quod posthac dicturus sum, nondum scio an id mecum sentias: id enim equidem omnino sentio. *Hermot.* Quale nam illud est? *Lucian.* Addet nimirum ille, & sic mihi dicet. Eadem igitur ratione, Luciane, nobis proponatur aliquis, qui sola Stoicorum placita calleat, sicuti amicus hic tuus Hermotimus: nec peregrè unquam sit profectus, neque ad Platonis Academiam, neque ad Epicurum, neque omnino ad alium quempiam. Itaque si diceret nihil ita pulchrum, nihil ita verum apud multos reperiri, qualia Stoicorum sunt, quæque illi asserunt, annon meritò tibi videretur esse temerarius, qui de omnibus definiret, idque cùm unius sectæ gnarus esset, neq; unquã ex Aethiopia vel alterum pedem protulisset. Quid vis ipsi respondeam? Verissimum illud videlicet, Nos Stoicorum placita etiam perdiscere, ac si secundum illa philosophari velimus: sed quæ dicuntur ab aliis non ignorare. Præceptor enim illa quoque inter differendum nobis proponit, idémque subvertit. Num verò hîc tacituros existimas Platonicos, & Epicureos, tum etiam alios? Annon in risum soluti dicerent, qualia facit familiaris tuus Hermotimus, Luciane: æquum censet adversariis fidem de rebus nostris habere, & dogmata nostra putat esse cuiusmodi dicunt illi, sive ea nesciunt, sive verum celant. Numquid si quem ex athletis exercentẽ se viderit ante certamen, calcitrantem in aerem, aut pugnis inanẽ quampiam plagam inferentem, quasi cæderet adversarium, ideo illum certaminis præses ut invictum statim proclamabit? Annon contrà existimabit facilem esse ac tutam hanc strenuitatem, nullo ipsi repugnante adversario: tum verò decernendam victoriam, quum adversarium ipsum expugnarit & devicerit: hic vero cesserit alioqui nequaquam? Proinde neque Hermotimus ab iis de quibus præceptores sui adversùs nos absentes, ut adversus umbras pugnant, illos victores esse putet, vel talia esse nostra, ut facilè subvertantur. Quoniam illud esset persimile puerorum ædiculis, quas illi infirmas parant, & protinus subvertunt. Vel per Iovem iis qui sagittando se exercent qui colligatis stipulis, contóq; infixis, nec procul positis emisso telo jaculantur, & si fortè stipulas attigerint & penetrarint, ilico exclamant ac si rem magnam præstiterint, quòd telum ipsis hæc cremia transverberarit. Atqui non Persæ, non Scythæ quotquot sunt sagittarii, sic faciunt. Sed primùm quidem ipsi dum ab equis moventur, ut plurimum jaculantur. Deinde etiam, ea quæ sagittis petunt moveri volunt, nec loco consistere, nec telum expectare donec inciderit, sed ut plurimum aufugere. Feras autem plerumq; sagittis conficiunt, & volucres nonnulli assequuntur. Quòd si quando opus est ut ictum in scopum intendere experiantur, lignum solidum, vel scutum è crudo bovis tergore confectum proponentes transfigunt, atque ita suas etiam sagittas arma penetraturas credunt. Quare ô Luciane Hermotimo dic nostro nomine, præceptores ipsius proposita cremia telis petere, deinde dicere armatos homines à se superatos esse, inq; nostras imagines depictas pugiles agere, quibus ut par est superatis nos victos esse existiment. At illis dicere possit unusquisq; nostrûm ea quæ de Hectore Achilles, *Namque meæ galeæ faciem spectare timebunt.* Hæc simul omnes singulatim unusquisq; dixerit. Mihi autem videtur Plato aliquid ex ijs quæ in Sicilia acciderunt, ut qui multa sciat, narraturus. Dicũt enim Geloni Syracusanorũ tyranno fœtidum os fuisse, idq; ipsum perquã diu latuisse, cũ nemo virũ qui rex esset, arguere auderet, donec peregrina mulier cũ ipso cõgressa, ut res se haberet, dicere ausa est. Eũ verò ad uxorẽ iratũ venisse, quòd fœtoris quem ipsa potissimũ nosse debuerat, minimè monuisset. Ipsam autẽ sibi veniam concedi deprecatã esse, quòd nõ aliũ experta virũ, neq; propiùs collocuta, talẽ à viris omnib. animã ore exhalari putaret. Itaq; Hermotimus quia cũ solis Stoicis cõmerciũ habuit, dixerit Plato, qualia sint aliorũ ora meritò ignorat. Similia quoq; Chrysippus, atque plura diceret, si ipsũ incognitum relinquerẽ, & soli cupiã ex ijs qui cum Platone versati sunt adhibita fide, ad Platonẽ me conferrẽ. Vno verbo summã cõplectentes dico, Dum incertum fuerit quænã vera sit Philosophiæ secta, nullã esse eligendã. Hoc enim est in alias contumeliosum. *Hermot.* Per Vestam obsecro, Luciane, Platonẽ Aristotelem, Epicurum, aliósque missos faciamus. Neque enim cum illis confligere me decet.

Cæterùm nos, ego inquam & tu, per nos ipſos diſcutiamus, num ſit res philoſophica, cujuſmodi eam eſſe affirmo. Aethiopas autẽ aut Gelonis uxorem, quid ex Syracuſis ad hunc ſermonem vocare opus erat? *Luc.* Procul ſanè abeant, ſi tibi ad ſermonem hunc videntur ſupervacanei. Tu verò jam loquere: videris enim mirum quid dicturus. *Herm.* Videtur mihi Luciane, id omnino fieri poſſe, ut qui Stoicorum duntaxat placita didicerit, ex his Verum noſcat, quanvis aliorum ſingula diſcendo non perſequutus ſit. Sic etiam conſidera, ſiquis hoc ſolùm tibi dixerit geminas dyades quaternariũ numerum abſolvere: num erit circumeundũ ut ex omnib. aliis arithmetices peritis ſciſciteris, numquis ſit qui eas quinq; aut ſeptẽ conſtituere dicat? annon ilico intellexeris eum virum vera dicere? *Lucian.* Ilico Hermotime. *Herm.* Cur igitur fieri non poſſe putas, ut qui in Stoicos vera dicentes tantu inciderit, ipſis credat, nec aliis opus amplius habeat, cùm ſciat nunquã fore ut quatuor quinq; ſint, non ſi ſexcenti Platones, aut Pythagoræ dicant. *Luc.* Nihil adverſum, ô Hermotime. Nam ea quæ certa ſunt dubiis aſſimilas, valdè inter ſe diſſidentia. Aut quid dicas? Eſt ne aliquis in quem incideris qui dicat geminas dyadas conjunctas, ſeptenarium, aut undecenarium numerum conſtituere? *Hermot.* Non ego, aut inſaniret, qui quatuor non convenire diceret. *Luc.* Quid autem? incidiſti-ne aliquando, (per gratias obſecro da operam ut verum eloquaris) in Stoicũ aliquẽ & Epicureum, qui de principio, aut fine non diſſiderent? *Herm.* Nuſquam. *Lucian.* Vide, ô generoſe, nec me, præſertim amicum fallas. Cùm enim quæramus quinam in philoſophia verum dicant, tu illud præreptum, Stoicis attribuiſti, dicens hos eſſe qui bis duo quatuor eſſe ſtatuerint. Quod quidẽ an ita ſe habeat incertum eſt. Etenim Epicurei vel Platonici dicere poſſent, ſe quidem ita componere, nos verò quinq; aut ſeptem illa eſſe dicere. Annon videntur tibi hoc facere, quando vos ſolũ honeſtu bonũ eſſe ducitis, Epicurei verò ſolũ jucundum? & quando vos dicitis. Corporea eſſe omnia: Plato vero putat aliquid in rerum natura eſſe incorporeũ? Sed quod dixi, avidè prorſus quæſtioné comprehendens, ut citra controverſiam Stoicis proprium illud habendũ dediſti, quanvis id ſibi vendicarent alii, ſuumq; eſſe aſſererent, hîc certè judicio potiſſimum opus eſſe exiſtimo. Si igitur palã eſt ſolorum eſſe Stoicorum putare bis duo eſſe quatuor, jam eſt aliis tacendũ. Sed quã hu de hoc ipſo contendent, omnes pariter ſunt audiendi, aut pro comperto habendum quod ad gratiam judicare videbimur. *Herm.* Non videris mihi, Luciane, intelligere quid dicere velim. *Luc.* Clarius ergò eſt dicendum diverſum quid, non verò tale quid eloquẽris. *Herm.* Scies ilicò cujuſmodi ſit quod dico. Ponamus enim duos aliquos in Aeſculapij, vel Bacchi fanum ingreſſos, deinde ſacram aliquã phialã amiſſam eſſe: amoo perſcrutari oportebit, uter illorũ abditam in ſinu phialam habeat. *Luc.* Maximè. *Herm.* Omnino autem alter habet. *Luc.* Quidni, ſiquidem amiſſa eſt? *Herm.* Proinde ſi ipſam apud priorem inveneris, non etiam alterum exues: palam enim non eſt habere. *Luc.* Palam eſt ſanè. *Herm.* Si verò in ſinu prioris non invenerimus, alter omnino habet, neq; ſic ulla perſcrutatione opus eſt. *Luc.* Habet enim. *Herm.* Ergo nos quoq; ſi jam apud Stoicos phialam invenerimus, alios perſcrutari amplius noluimus, habentes quod iamdudum quærebamus. Etenim cuius rei gratia adhuc laboraremus? *Luc.* Nullius: ſiquidem inveniſtis, & inventa ſcire poteſtis, id eſſe quod amiſſum fuerat: aut ſi planè cognitum vobis eſſet donarium. Nunc autem, amice, Primùm quidem duo in templũ non ſunt ingreſſi, ut neceſſe ſit alterum ipſorum habere furta, ſed quamplurimi. Deinde etiam incertum eſt, quidnam id ſit quod amiſſum eſt, phiala-ne aliqua, an ſcyphus, an corona. Quotquot enim ſunt ſacerdotes, alius aliud eſſe dicunt, ac neq; de materia ipſa conveniunt: ſed alii æneum, alii argenteum, alii aureum, alii ſtanneum ipſum eſſe dicunt. Itaq; planè neceſſe eſt eos omnes qui ingreſſi ſunt exuere, ſi rem amiſſam invenire velis. Ac quanvis apud primum phialã auream ſtatim inveneris, exuendi tibi ſunt etiamnũ alii. *Herm.* Quid ita Luciane? *Lucian.* Quia non liquet, ſit-ne phiala quod amiſſum erat. Tametſi verò hoc omnes confiteantur: non tamen omnes aureã phialam eſſe affirmant. Ac etiamſi notiſſimum id eſſet amiſſam eſſe phialam auream, tuque phialam auream apud primũ inveniſſes, ne ſic quidem alios perſcrutari deſineres. Etenim ſit ne Dei illa, tibi non conſtat: aut non putas multas eſſe phialas aureas? *Herm.* Sanè cenſeo. *Luc.* Oportebit igitur omnes perſcruteris, & omnibus quæ apud unumquéq; inveneris, in medio depoſitis, conjicias quodnam ex iis divinum donarium exiſtimare conveniat. Etenim hoc multam dubitatione præbet, quòd eorũ qui exuti fuerunt, unusquiſq; omnino aliquid habet: hic ſcyphum, ille phialam, alius coronã: Hic quidem ex ære, ille verò ex auro, alius tandem ex argento. An verò ſacrũ ſit, quod habet, nondum liquet. Quare prorſus cogeris dubitare quẽ ſacrilegũ appelles. Quandoquidẽ etſi omnes ſimilia haberent, neque ſic conſtaret, quinam Deo ſacra ſuſtuliſſet. Etenim hæc etiam privata habere licet. Ignorantiæ autẽ una, opinor eſt cauſa, quòd amiſſa phiala a nullo titulo ſit inſcripta. Ponamus enim amiſſam eſſe phialam, quæ ſi vel Dei vel eius qui conſecravit, nomen inſcriptum haberet, minus laboraremus: & inventa ea quæ titulo notata eſſet, alios exuere & perturbare deſineremus. Opinor autem te, Hermotime, etiã gymnicos ludos ſæpe jam vidiſſe. *Her.* Et rectè quidem opinaris, nam & perſæpe, & multis in locis vidi. *Luc.* Numquid igitur etiam aliquando iuxta Athlothetas conſediſti? *Herm.* Per Iovem nuper in Olympiis ad iudicium lævam: Evandrida Elei filio inter ſuos cives ſpectaculũ mihi præoccupante. Omnia enim quæ à judicibus fiũt, propius videre cupiebam. *Luc.* Sciſne igitur & hoc quomodo ſorte comperiant, cuinam cum quoq; ſit luctandũ, aut pancratio decertandũ? *Herm.* Planè ſcio. *Luc.* Quare tu melius dicere poſſis, ut qui propiùs videris. *Herm.* Olim cũ præſideret Hercules, lauri folia. *Luc.* Ne mihi priſca, Hermotime, ſed quæ propiùs vidiſti, narres. *Herm.* Argentea urna Deo ſacra in medio poſita eſt: in eã parvæ ſortes conijciuntur, fabæ magnitudine, literis inſcriptæ. Duabus, utriq; nimirũ *alpha* inſcribitur: duabus item *beta*, duab. quoq; aliis *gamma*, ac deinceps, ordine literarum, ſi ſint athletæ plures, duæ ſemper ſortes eandem literam habent. Tum atletharũ quiſq; accedit, & invocato Iove, manuq; in urnam immiſſa, unã ex ſortibus trahit, & poſt eum alter. Et aſtans unicuiq; flagellifer, protenſa manu obſtat quo minus legant quænam ſit litera quam traxit. Sed quũ iam habent omnes, Alytarches opinor, aut judicũ unus (non enim hoc amplius memini) circũeundo, ſortes in orbẽ ſtantiũ inſpicit. Sicq; eu qui *alpha*, habet, cũ eo qui *alpha*. alterum traxit, aut lucta aut pancratio decertaturũ cõmittit: eũ quoq; qui *beta*. cum eo qui *beta*, ſimiliter, alióſque eadem ratione qui eaſdẽ literas ſortiuntur. Sic enim cõmittuntur, ſi pari numero ſint athletæ, ut octo, vel quatuor, vel duodecim, ſi verò impares, quinq;, ſeptem, novem, ſupervacua aliqua litera uni ſorti inſcripta, unà cũ aliis in urnam mittitur, literam aliã ſibi reſpondentẽ non habens: quam qui traxerit, victori imminet, expectans du illi certaverint: non enim oppoſitã literã habet. Nec parva eſt iſta fœlicitas athletæ quòd viribus integer, cũ defeſſis eſt certaturus. *Luc.* Quieſce, Hoc enim potiſſimũ egebam. Itaque cũ ſint novẽ traxerũt omnes, habẽtque ſortes. Tu verò circũeundo (nã te pro ſpectatore judicem facere volo) literas inſpice. Non priùs cogniturum te puto quis ſit imminens victori futurus, quàm ad omnes veneris, eóſque copulaveris. *Herm.* Quomodo hæc dicis, Luciane? *Luc.* Non potes ilico literam illam invenire quæ victori imminentẽ indicat. Aut literam fortè inveneris, nec tamen ſcies ille ne ſit. Nõ enim ante dictu eſt, literã *cappa*, vel *my*. vel *iota*. eã eſſe quæ ephedrũ deſignat. Sed quũ in *alpha* incideris, quæris aliũ qui *alpha* habeat, quo invento eos ad luctã copulas. Deinde quũ in *beta*. incidiſti, quæris ubi ſit *beta*. alterum, invento oppoſitũ. Et ſic cum omnib. agis, donec ille tibi relictus fuerit, qui ſolitariam adverſario carentem literam obtinet. *Herm.* Quid? ſi in illũ primũ, vel ſecundũ incideris, quid facies? *Lucian.* Nihil equidem: verũ tu judex ſcire velim quid ſis facturus. Vtrũ dices hunc eſſe ephedrũ, an verò in orbe eundo omnes, erunt inſpiciendi, nũ alicubi litera ſit ipſi ſimilis, ut niſi ſortes omnium videris, ephedrũ noſſe nõ poſſis? *Herm.* Atque Luciane facilè novero ſaltẽ in novem: ſi literã *Epſilon*. invenero primã, aut ſecundã, ſcio ephedrũ eſſe eũ qui hanc habet. *Luc.* Quomodo Hermotime. *Herm.* Iſto. Literã *alpha*. duo ex ipſis habent: literã etiã *beta*. duo ſimiliter: ex reliquis autẽ quatuor, alii literã *gamma*. alii *delta*. omnino extraxerunt: & jã in athletas octo quatuor literæ aſſumptæ ſũt. Conſtat igitur ſolã deinceps ſupereſſe literã *epſilon*. eũq; ephedrum eſſe à quo extracta fuerit. *Luc.* Vtrũ te Hermotime, ob ſingularem ingenii induſtriã laudẽ: an vis, quæ mihi obiiciẽda videtur, opponã? *Herm.* Volo per Iovẽ, namq; animi pendeo, neſcius quid probabile habeas his opponendũ. *Luc.* Etenim tu, ut literæ ex ordine omnino pingũtur, dixiſti, veluti primũ *alpha*: ſecudũ *beta*. & pro ſuo ordine cætera, donec in ipſorũ unũ deſinat numerus athletharum. Sic in Olympiis fieri tibi concedo. Quid autẽ ſi electis nullo ordine quinq; literis ex omnib. videlicet *chi*. & *ſigma*. & *Zeta*. *ro*. *cappa*. & *theta*: nã quatuor alias ſortib. octo duplices inſcribimus: ſolam autẽ *Zeta*. nono, quæ nobis ephedrũ erat indicatura. Quid facies quũ *Zeta*. primã inveneris quomodo dignoſces ephedrũ eſſe cum qui ipsã habuerit, niſi omninò perquiſitione facta nihil cõſonũ ipſi repereris? Non enim uti nunc ex eorũ ordine conijcere poſſes. *Her.* Hoc interrogas cui reſpondere difficile eſt. *Luc.* En id ipſũ alia ratione cõſidera. Quid ſi nõ literas ſortibus inſcriberemus, ſed ſigna, & characteres aliquos qualia multa literarum vice pingunt Aegyptii, caninis nimirũ, aut leoninis capitib. homines? an verò mitta faciemus illa, ſiquidem ſunt aliena? Age verò uniformia & ſimplicia illa inſcribamus, quantũ fieri poteſt homines duabus in ſortib. exprimendo, duos equos in duab. & gallos duos, & canes duos. Nonæ verò leonis imago inſculpta ſit. Proinde ſi in leoniferã hanc ſortem initio incideris: vnde dicere poſſis hanc eſſe quæ ephedrũ conſtituit, niſi omnes ſcrutando circũſpicias, numquis alius leonẽ habeat? *Herm.* Nihil habeo Luciane, quod tibi reſpondeã. *Luc.* Non iniuria. Nihil enim eſt ſpecioſi. Quare ſi velimus invenire, vel eum qui ſacram phialã habet, vel ephedrũ, aut ducem qui nos optimè in urbem illã Corinthũ ducat, ad omnes neceſſariò accedemus, ſummáq; diligentia tentando; & exuendo, & circũſpiciendo explorabimus. Etenim vix ita veritatẽ ediſcemus. Quòd ſiquis fide dignus mihi futurus eſt ſuper Philoſophia conſiliarius, qui conſulat quam perſequi debeam, hic eſt unicus, qui quæ ab illis dicuntur, omnia norit: reliqui autem nullius momenti. Nec ipſis crediderim dum etiã unius erunt neſcii, quæ omniũ fortè ſit optima. Neq; enim ſiquis adducto homine formoſo, diceret hunc eſſe omniũ hominũ formoſiſſimum, ipſi crederem, niſi eum omnes homines vidiſſe ſcirem. Forſitan enim etiam hic eſt formoſus: ſed ſcire non poteſt ſit-ne omnium formoſiſſimus, cùm omnes non viderit.

At

At nos non formoso duntaxat, sed formosissimo opus habemus. quem nisi invenerimus nobis nihilo plus actum putabimus. Non enim contenti erimus in qualemcumq; tandem formosum inciderimus: sed summam illam formæ elegantiam, quæ necessariò est una, quærimus. *Herm.* Vera sunt hæc. *Lucian.* Quid igitur, mihi-ne habes aliquem dicendum, qui omnem in philosophia viam sit expertus, & à Pythagora à Platone, ab Aristotele, à Chrysippo, ab Epicuro, aliisque dicta sciat: denique qui unam viam ex omnibus elegerit, quam veram comprobarit, & experientia didicerit solam esse quæ ad fœlicitatem rectà ducit. Nam si quempiam hujusmodi reperissemus, difficultatibus hærere desineremus. *Hermot.* Ejusmodi virum invenire Luciane, non est facilè. *Luc.* Quid faciemus igitur Hermotime? Non abijciendus est animus, quia nullus in præsentia nobis suppetit dux hujusmodi. Nunquid hoc omnium est optimum & tutissimum, ut quisque ab initio exorsus, sectam omnem percurrat, & quæ ab omnibus dicuntur, accuratè inspiciat? *Herm.* Id ex te faciendum videtur: nisi quod paulò ante dicebas, repugnet, videlicet eum qui se mari tradiderit, & velum expanderit, non facilè denuo recurrere. Nam qui poterit omnes peragrare vias qui in prima, ut dicis, detinebitur? *Luc.* Exponam illud tibi. Illud Thesei commentum imitabimur, filóq; ab illa Ariadne tragica accepto, in quemvis labyrinthum ingrediemur, ut illud deducentes, nullo negocio egredi possimus. *Hermot.* Quænam igitur nobis Ariadne fuerit? aut unde filum comparabimus? *Lucian.* Bono sis animo, amice. Mihi enim invenisse videor, cujus ductum sequuti, egrediamur. *Herm.* Quidnam igitur illud est? *Luc.* Non meum dicam, sed sapientum cujusdam, nempe, *Sobrius esto, & memento diffidere.* Etenim si non facilè auditis credamus, sed more judicum, aliis quoque loquendi copiam fecerimus, facilè forsitan ex labyrinthis effugiemus. *Herm.* Rectè dicis. Hoc faciamus. *Lucian.* Esto. Sed quem ipsorum primum adibimus? an verò nihil interest? Si à quolibet inceperimus, veluti à Pythagora, si ita contingat, quantū temporis collocandum putamus in perdiscendis Pythagoræ placitis? Excipe mihi illos silentii annos. Opinor autem eum illis quinq; triginta satis fore: siu minus, omnino quidem viginti. *Hermot.* Ponamus ita esse. Deinceps verò totidem alii Platoni sunt concedendi: nec pauciores etiam Aristoteli. *Luc.* Non certè. *Herm.* Chrysippo autem quot sint tribuendi, te non interrogabo ampliùs. Scio enim ex te audisse, quadraginta vix sufficere posse. *Lucian.* Ita sanè. Deinde Epicuro, & aliis. Quòd autem non nimis multos pono, inde perdisces, si animadvertas quot sint octogenarii Stoici, vel Epicurei, vel Platonici, quorum quisque fatetur sibi nondum esse cognita suæ sectæ omnia placita, adeò ut nihil ipsis ad præcepta desit. Sin minus, Chrysippus saltem & Aristoteles & Plato confiteātur, & ante hos Socrates, nihilo deterior ipsis, qui magna voce apud omnes professus est non se, non omnia, sed prorsus nihil scire, nisi hoc solum quòd nihil sciret. Denuo igitur ab initio supputemus, Pythagoræ viginti posuimus, deinde Platoni totidem alios, atque aliis deinceps. Quot igitur essent anni isti in summam collecti, si decem tantùm sectas in philosophia numeraremus? *Herm.* Plures quàm ducenti Luciane. *Lucian.* Vis igitur quartam partem auferamus: ita ut sufficiant anni quindecim, vel deniq; dimidium? *Hermot.* Videris ipse quid sit satius. Ego equidem hoc video, fore ut pauci sectas omnes percurrant, tametsi ab ipso ortu incipiant. *Luc.* Quid igitur faciat aliquis Hermotime, si ita se res habet? an subvertenda sunt ea quæ jam confessi sumus, neminem videlicet electurum unquam id quod ex multis est præstantissimum, nisi facto priùs omniū periculo: ita ut qui citra experientiam delectum non habuerit, divinatione potiùs aut judicio Veritatem perquirat. Annon hoc dicebamus? *Herm.* Ita sanè. *Lucian.* Proinde summopere est necessarium, ut ætatem tantū temporis agamus, si & benè delecturi sumus, omnium facto periculo, factoq; delectu philosophiā amplexuri, & philosophiam callentes, beati futuri. Sed priusquam id fecissemus, in tenebris (quod ajunt) saltaremus impingentes in quæcunq; incideremus: & quod primū veniret in manus, id quod quæritur, esse putaremus, propter veritatis ignorationem. Quòd si etiam alicubi bona quadam fortuna in illud delapsi invenerimus certò scire non poterimus, sitne id quod quærimus. Sunt enim multa ipsis similia, quæ singula affirmant se illud Verissimum esse. *Her.* Nescio, Luciane, quàm probabilia mihi videaris dicere, verùm ut verum dicam, non mediocriter me discrucias ista differendo, nimiúmq; argutè disquirendo, cùm nihil opus sit. Fortasse etiā inauspicato videor hodiè domo pedem extulisse, cùm egressus in te inciderim, qui me spei iam proximum, in desperationem injecisti, Veritatis inventionem impossibilem esse ostendés, ut quæ tot annos requirat. *Luca.* Proinde multo iustiùs cum patre tuo Mencrate, & matre tua, quodcunque tandem illi nomen fuerit (neque enim teneo) expostulares: vel etiam potiùs cum natura nostra, quòd te non ut Tithonum annosum & longæuum fecerint: sed homini vitam centum annorum quàm longissimam præfiniverint. Cæterùm ego tecum considerando reperi, quod è dissertatione nostra consequutum est. *Her.* Minimè: sed tu semper es contumeliosus, atq; haud scio quid faciat, ut Philosophiam oderis, & philosophię studiosos cavelleris. *Luc.* Quę sit Veritas, Hermotime, vos qui sapientes estis, tu videlicet, & tuus præceptor, melius diceretis. Ego vero hoc tantum scio, ipsam audentibus non valdè esse jucūdam, sed à mendacio plerumque obscurari: quod quia speciosius, ideo & jucundius est. Sed hæc, utpote nullius impuritatis sibi conscia, magna libertate apud homines loquitur, eoq; nomine molesta est. En etiam tu sanè es mihi infensus, qui tecum hisce de rebus Veritatem comperi, & explicavi qualia sint ea quæ ego & tu amamus, quàm non sint inventu facilia. Veluti si statuam amares, eāq; te potiturum putares, hominem esse existimans. Ego verò qui lapidem, aut æs esse perspexissem, pro mea in te benevolentia tibi significarem, te rerum quibus potiri nequeas, amore capi, & tunc me tibi infensum putares, quòd te absurda nec speranda sperantē decipi non sivissem. *Herm.* Hoc igitur Luciane dicis: nobis non esse dandam operā philosophiæ, sed desidiæ addictis privatā vitam exigendam. *Luc.* Et ubi me hæc dicentē audisti? Non enim dico nō esse philosophiæ incumbendū: sed siquidem philosophiæ est incumbendū, multæq; sunt viæ quarum quæq; affirmant se ad philosophiam & virtutem ducere, nec perspicuum est, quænam ex ipsis vera sit, accuratè faciēdum esse delectum. Nam mihi videbar propositis multis, quod esset optimū eligere non posse, nisi omnium fieret periculum. Deinde longum visum est experimentum. Tu verò quid sentis. Rursus enim te interrogabo, quem primū nancisceris, eum-ne sequeris, & cum eo philosophiæ operam dabis? is verò te lucrum insperatum putabit? *Herm.* nequid tibi respondeam ampliùs? qui neminem judicare posse asseris, nisi phœnicis annos vivat, omnes in orbem pellustrando, & tentando: neq; ijs qui priùs experti sunt, nec collaudantibus, nec testimonio probātib. credere æquū cēses. *Luc.* Quosnam dicis multos illos qui facto cunctorū periculo probè norunt. Si quis enim est istiusmodi, sufficiat mihi etiam unus, nec multis opus fuerit. Porrò si imperitos proferas, nō me illorū multitudo adducet ut credā, donec aut nihil, aut unum scire de omnib. ostendant. *Herm.* Proinde tu solus Veritatē perspexisti: aut cæteri quotquot philosophantur inepti sūt. *Luc.* Falsò me accusas Hermotime, quòd me ipsum aliis anteponā, & in eruditorum ordine collocem. Nec eorū meministi quæ dicebam, quando altiùs quàm alii veritatem me nescire contendebam, sed eā cum omnib. ignorare confitebar. *Herm.* Atqui Luciane, ad omnes accedendum esse, quæque dicunt tentanda, neq; alio quàm hoc modo eligendū id quod est melius, rationi forsan est consentaneū. Sed tot annos unicuiq; experimento impendendos, planè ridiculum, quasi vero nō possint è paucis cuncta perdisci. Mihi quidē cum planè facilis res iste videtur esse, tum non multa disquisitione opus habere. Dicūt utiq; statuarium quendā, puto Phidiam, leonis ungue tantùm conspecto, ex eo æstimasse quantus foret leo totus, ad rationē unguis formatus. Tu verò si quis solam hominis manū tibi commonstret, obvelato corpore reliquo scies ilico hominem esse, id quod obvelatum est, quanvis totum corpus nō videas. Itaq; summa capita eorū quæ dicūt omnes, exigua diei particula facile est perdiscere. Sed hæc nimiū accurata & longa perquisitio, non est admodum necessaria ad melioris electionem: sed ab iis quæ dixi iudicium sumere licet. *Luc.* Papæ Hermotime, quā fortia hæc sunt quæ dixisti, quū vis totum ex partibus nosse. Quanquam contraria audire memini, eum scilicet qui totum norit, partem etiam nosse, sed qui partem duntaxat norit, totum non nosse. Hoc etiam mihi responde, num Phidias conspecto leonis ungue, leoninum esse cognovisset, ni leonem integrum aliquando vidisset? Vel tu, conspecta hominis manu, hominis esse dicere posses, cùm antea neque nosses, neque vidisses hominem? Cur taces? Numquid vis ut pro te ad rē pertinentia respōdeam, quia non posses? Itaque periculū est, ne Phidias infecta re abeat, leone frustra formato. Nihil enim ô puer, ad rem dicis. Vel quomodo hæc illis similia sunt? Neque enim Phidiæ, tibique alia cognoscendarum partium causa fuit, quàm prior totius cognitio: hominis dico & leonis. In Philosophia etiā ut in Stoica, quo pacto ex parte reliqua cognosces, aut quo pacto demōstrabis esse honesta? Non enim novisti totum cuius illæ partes sūt. Verùm quod dicis facile esse philosophię totius sūma capita audite exigua diei particula, nimirum quæ sint rerum principia, qui fines, quid de Diis sentiāt, quid de anima: quinam omnia esse corporea dicant, quinam incorporea censeant: quodq; alii quidem voluptatem, alii verò honestū, & summū bonū ac fœlicitatē esse statuāt: atq; id genus alia: hæc quidē sic audita fuisse, demōstrare facile est, nulliusq; negotii: sed scire quis vera dicat, vide nō unius diei particulā requirat, sed multis dieb. indigeat. Aut cur illi de his ipsis reb. centenos, millenosq; libros singuli conscripserunt, nisi ut persuaderét, opinor, vera est pauca illa, & quæ intellectu facilia tibi vidētur. Nunc autē vate, ut puto, indiges hîc ad meliorū electionē faciēdam, nisi recipias disquisitionem illam ut quum omnia, & unumquemque totum exploraveris, accuratè deligas. Hæc enim sic fuerit compendiosa nec ambages, nec moram habebit, si accersito vate, auditisque summis omnium capitibus, ad singula victimas immolaris. Nam te Deus infinitis negociis liberabit, in sacro hepate quænam sint eligenda tibi demonstrans. Quòd si velis, aliud etiam minoris negocii compendium tibi subijciam, quod secutus neque victimas offeras, neque aliquem ex sacerdotibus magna mercede conducendis ascisças. Sed coniectis in urnam literulis, quæ uniuscujusque philosophi nomen habeant, iube impuberem puerum cui parens uterque sit, ad urnā accedens eam literam ut extrahat quæ prima sub manum venerit, atque in posterum illius qui tibi sorte obtigerit, quicunque sit philosophiam sectare. *Hermot.* Scurrilia ista non tui sunt ingenii Luciane.

Tu verò dic mihi, ipſe-ne aliquando vinum emiſiſti ? *Luc.* Et per-
ſæpe quidem. *Herm.* Ergo-ne omnes urbis caupones in orbem o-
bibas guſtando, comparando, & expēdendo vina? *Luc.* Nequaquā.
Herm. Oportet enim, opinor ut in quod bonum & dignum inci-
deris, ex eo auferas. *Luc.* Ita per Iovem. *Herm.* At ex illa deguſtati
vini portiuncula cognoſcere potuiſti cuiuſmodi ſit totum. *Lucian.*
Potui certè. *Hermot.* Sed ſi caupones adiens diceres, Quoniam vini
ſeſtarium emere volo, heus vos date mihi ſinguli ebibendum inte-
grumdolium, ut exhauſto toto, norim quis optimum habeat vinū,
& undemihi ſit emendum. Si inquam hæc diceres, annon putas i-
pſos te deriſuros? imò ſi magis turbares, fortè aquam etiam affuſu-
ros? *Luc.* Id certè exiſtimo, & pro meritis exciperer. *Hermot.* Eodem
modo ſe res habent in philoſophia. Quid opus eſt dolium exhauri-
re, cùm ex deguſtata portiuncula, quale ſit totum, noſſe poſſimus?
Luc. Vt lubricus es, Hermotime, & è manibus elaberis. Attamē pa-
rum promoviſti. Nam cum effugiſſe te putaris, in eandem ſagenam
incidiſti. *Hermot.* Quorſum hoc dicis? *Lucian.* Quoniam rem per ſe
planam omnibuſq; cognitam, ſcilicet vinum cum rebus diſſimil-
limis comparas, & de quibus ut pote obſcuris omnes ambigunt. I-
taq; non poſſum dicere qua in re ſimilia tibi ſunt vinum, & philo-
ſophia, niſi in hac ſolùm, quòd philoſophi præcepta tradunt, ſicuti
caupones, commiſcendo, adulterando, & malè metiendo. Ad hūc
autem modum quod dicis conſideremus. Vinum quod eſt in dolio
totum ſibi ſimile eſſe dicis. Neq; id per Iovem eſt abſurdum. Verū
etiam ſi quis hauſtam vel minimam particulam guſtaverit, co-
gniturum illico quale ſit dolium integrum. Hoc quoq; eſt con-
ſentaneum, neque huic contradixero. At vide poſthac; philoſophia
& philoſophi, veluti præceptor tuus, num hæc quotidie dicit vobis,
& de iiſdem verba facit, an verò aliàs, alia proponit? multa enim ſūt,
ut patet, amice. Annon verò etiamnum, ut par eſt, apud ipſum, in-
ſtar Vlyſſis circumeundo, & oberrando perduras, ſi eadem loqui-
tur, vel tibi ſatis eſt aliquid ſemel inaudiviſſe? *Herm.* Quidni? *Luc.*
Quînam igitur potuiſti ex primo guſtu omnia cognoſcere? Non e-
nim eadem, ſed nova ſemper alia novis addebantur. Nec uti vinū,
ſemper idem erat, adeò ut niſi vas totum exhauſeris, nequicquā in-
ebriatus obambulaveris. Nā planè in fundo ſub ipſa fæce mihi vi-
ſus eſt Deus Philoſophiæ ſummum bonum abſtruſiſſe. Itaq; totum
ad extremum exhaurire oportebit: alioqui nectareā illam potio-
nem quam jam diu ſitire mihi videris; nuſquā invenias. Porrò tu
putas hujuſmodi eſſe philoſophiam, ut ſi ſolùm deguſtaveris, ac de
ea tantillum traxeris, protinus evadas omnibus ſapientiæ numeris
abſolutus. Veluti de illa divinatrice Delphica perhibent, quæ ſi-
mulatq; ſacra fluenta deguſtarat, illico afflata nùmine, conſulen-
tibus oraculum reſponſa dabat. Atqui rem non ita ſe habere veriſi-
mile eſt. Itaque tu cùm iam dimidium dolii bibiſſes; incipere adhuc
perhibebas. Ergo vide ne huic potius ſimilis ſit philoſophia. Nā do-
lium adhuc & caupo tibi maneat, atque inſit non vinu, ſed omni-
faria ſeminum mixtio: triticum deſuper, poſtea fabæ, deinde hor-
deum, & ſub his, lentes, mox cicera, præterea varia alia ſemina. Iā
ſi ſemina emere velis, & inſtitor accepto tritico tibi ſpecimen in-
ſpiciendum in manum indiderit: poſſesne illud intuitus dicere, an
cicer mundum, an lentes macoratu faciles, & fabæ non inanes in-
ſint? *Hermot.* Nequaquam. *Lucian.* Proinde neq; Philoſophiam ab
uno quod primum quis dixerit, univerſam cuiuſmodi ſit cogno-
ſces. Non enim unum quid eſt, ſicuti vinum, cum quo eam
comparas, ſpecimini ſimilem eſſe ratus. Sed hæc aliud quid-
dam eſt, quod diſquiſitione non perfunctoria opus habet. Nam
malum vinum emere, iacturam affert duorum obolorum: ſed in
fæce diſperire non exiguum eſt malum. Alioqui qui totum vas e-
potare voluerit, ut ſeſtarium emat, damno cauponem afficiet, tā in-
ſolenter deguſtando. Sed philoſophiæ nihil tale accidit: verum etſi
quamplurimum biberis, vas tamen non imminuitur, neq; cauponi
damnum infertur. Nam iuxta proverbium labor exhauſtus affluit,
& contra quàm Danaidum dolio evenit. Illud enim non continet,
quod infunditur, ſed protinus perfluit, hinc verò ſi quid abſtuleris.
plura tamen reliqueris. Cæterùm aliud quiddam ſimile de Philo-
ſophiæ guſtu tibi volo dicere: ac ne putes me in eius infamiam lo-
qui ſi dixero ſimilem eſſe exitiali pharmaco, veluti cicutæ, vel a-
conito, vel id genus alii. Neq; enim iſta quanquam ſunt lethalia,
mortem inferant, ſi quis tantillum ex iis abraſum ſummo ungue
deguſtaverit. Sed niſi quantum, quomodo, & cum quibus oportet
ſumpſeris, mori poſſis. Tu verò, vel minimū, ad perniciendam to-
tius cognitionem ſufficere volebas. *Herm.* Iſta, Luciane, ſint, pro-
ut vis. Quorſum igitur centum annos vivere, & tot negocia ſuſti-
nere oportet? annon aliter philoſophari poſſemus? *Lucia-*
nus. Nequaquam, Hermotime. Neque id grave eſt: ſi ve-
rum eſt quod initio dicebas, vitam eſſe brevem, artem verò
longam. At neſcio quî nunc fiat, ut ſtomacheris, ſi non
hodie antequam ſol occidat Chryſippus, aut Plato, aut Pythagoras
evadas. *Herm.* Tu me obſides Luciane, & in anguſtum adigis, nihil
à me mali paſſus: præ invidia nimirùm, quoniam ego nonnihil in
præceptis profeci, tuq; te ipſum, ætate tam grandis, negligis. *Luc.*
Scis igitur quid facias? Mihi quidem tanquam inſanienti mentem
ne advertas, ſed delirare ſinas: tu verò, ut jam te habes, in via pro-
gredere, & quæ ab initio de his decreviſti perage. *Herm.* At tu in
me es adeò violentus, ut nihil eligere ſinas, niſi cuncta tentarim.
Luc. Atqui me nunquam aliud dicturū, probè ſcias oportet. Quā-
que violentum me appellas, videris mihi inſontem, iuxta Poetam,
incuſare, niſi dum altera pro te faciens oratio, quod iam illatum
eſt, auferat à violentia. En tibi etiam violentiora multò propone-
ret oratio. Sed illa fortè omiſſa me incuſabis. *Herm.* Qualianam?
miror enim ſi aliquid indictum reliquerit. *Luc.* Dicit non ſuffice-
re omnia vidiſſe, eáque percurriſſe, ut quod eſt optimum eligere
poſſis: ſed re maxima adhuc opus eſſe. *Herm.* Quanam illa? *Luc.*
Iudicii quodam acumine, ô admirande, & examinandi arte, & mē-
te ſolerti, & acri atque incorrupto ingenio, quale illud eſſe debet
quod de rebus tantis eſt judicaturum: aut nequicquam omnia vi-
ſa fuerint. Ac rei tali non exiguum tempus tribuendum affirmat:
omnibuſque in medio poſitis eligendum eum qui differt, & cun-
ctatur, ſæpe contemplando, quique non cuiuſque dicentis ætatem
non habitum, non ſapientiæ opinionem reverenter habet, ſed A-
reopagitarum more facit: qui noctu & in tenebris judicant, ne di-
centes, ſed quæ dicuntur, reſpiciant. Et tunc licebit tibi philoſo-
phari quum certò elegeris. *Herm.* Poſt vitam dicis. Ex his enim ſe-
quitur nullius hominis vitam ſatis lōgam eſſe poſſe, ut omnia per-
luſtret, & accuratè ſingula perſpiciat, perſpectaque judicet, iudica-
ta eligat, delectúque habito philoſophetur. Hac enim ſola ratione,
non alia verum inveniri poſſe aſſeris. *Lucian.* Piget me tibi dicere
Hermotime, neq; hoc ſufficere: ver adhucū videmur noſmet ipſos
fallere, quum certi quippiam inveniſſe putamus, attamen nihil in-
venimus, quemadmodum piſcatores, qui retibus ſæpe demiſſis,
perceptoque aliquo pondere, trahunt ut qui ſe magnam piſcium
copiam irretiviſſe ſperēt. Deinde poſtquam trahendo delaſſati fue-
rint, aut ingens lapis, aut vas arena refertum ipſis apparet. Vide ne
nos etiam quippiam huiuſmodi traxerimus. *Herm.* Non intelligo
quid iſta retia ſibi velint: nam me iis planè irretitum tenes. *Luc.* Er-
go da operam ut effugias. Iuvante enim Deo natare ſcis, ſi quis etiā
alius. Etenim etſi omnes experiendo pelluſtremus, idque aliquan-
do faciamus, nequaquam planum eſſe hoc exiſtimo, num quis il-
lorum habeat quod quæritur, an verò ſimiliter omnes ignorent.
Herm. Quid ais? an id horum omnino nullus habet? *Luc.* Non li-
quet. An tibi videtur fieri non poſſe ut mentiantur omnes, ipſáque
Veritas alia quæpiam res ſit, quam eorum nemo invenerit? *Herm.*
Quî poteſt fieri? *Luc.* Hoc modo. Sit enim verus nobis numerus,
viginti. Exempli cauſa, fabis viginti in manum ſumptis, & conclu-
ſis, quiſpiam decem homines interroget, quot fabas in manu ha-
beat, hi verò conjectantes, alius quidem ſeptem, alius triginta di-
cat? alius decem aut quindecim, denique alius alium numerum:
accidit ut aliquis fortè fortuna verum dicat, nonne? *Herm.* Ita cer-
tè. *Luc.* Ergo neq; hoc impoſſibile eſt, ut omnes alii alios nume-
ros dicant, eóſq; falſos, & qui non ſunt: adeò ut nullus eorum dicat
virum in manu viginti fabas habere. Tu quid ais? *Herm.* Impoſſibi-
le non eſſe. *Lucian.* Eodem modo quicunq; philoſophantur quæ-
runt cujuſmodi res ſit felicitas, & alius aliud eam eſſe dicit: hic qui-
dem voluptatem, ille honeſtum: alius alia de ipſa comminiſcitur.
Veriſimile igitur eſt unum quiddam ex illis eſſe fœlicitatem. Nec
eſt abſurdum, præter hæc omnia quiddam aliud eſſe. Ac nos ſecus
quam oportet, ante inventum principium ad finē videmur feſtina-
re. At opinor, priùs oportebat manifeſtū eſſe, Veritatē eſſe cognitā,
& omnino eſſe penes aliquē ex philoſophis qui eā norit. Deinde ex
ordine quærendū erat, cui ſit fides adhibenda. *Herm.* Itaq; hoc aſſe-
ris Luciane, nos tametſi philoſophiam omnē obiverimus, nunquā
tamen facultatem nobis paraturos inveniendi veritatē. *Luc.* Ne me
interroges ô bone, quin potiùs iſtū ſermonē: & fortaſſe reſponde-
bit tibi nuſquā hoc fore quoad incertū fuerit, nū unum quiddam il-
lorum ſit, de quibus hi verba faciunt. *Herm.* Proinde nunquā, ut ex
tuis dictis colligo, inveniemus, neq; operam philoſophiæ dabimus,
ſed ea abdicata vitam privatam vivamus oportebit. *Luc.* Illud qui-
dem accidit quod dicis, non eſſe promptum philoſophiæ incūbe-
re. eámq; ab homine comprehendi nō poſſe. Iubes enim ut is qui
philoſophiæ operā eſt daturus, optimā primū eligat. Ipſius autē de-
lectus accuratè habendi ratio in hoc ſolo conſiſtere videtur, ſi per-
luſtrata omni philoſophia, veriſſimam eligamus. Deinde annorū
quoq; numerū computando, quantus unicuiq; perſcrutandæ ſuffi-
ciat, ſupergreſſus es, rem in alia ſecula produces, ita ut veritatis in-
ventio præſtitutū uniuſcuiuſq; vitæ tempus tranſgrediatur. Poſtre-
mò, hoc ipſum etiam ambiguū reddis quū dicis eſſe incertū, num à
priſcis philoſophis inventa ſit, nec-ne. Tu verò Hermotime qui
poſſes interpoſito iurejurando affirmare ab ipſis inventam eſſe? ego
quidem jurare nolim. Quàm multa verò alia prætermitto lubens,
quibus indagatione longa eſſet opus. *Herm.* Quænam illa? *Lucian.*
Nonne audis Stoicos, aut Epicureos, aut Platonicos dicentes, hos
quidē rerum omnium rationes tenere, illos verò minimè, quanquā
cæterùm fide ſunt penitus digni? *Herm.* Vera hæc ſunt. *Luc.* Proin-
de diiudicare, & dignoſcere peritos ab imperitis, ſemet tamē peri-
tos perhibentibus, nōne tibi prorſus operoſū videtur. *Herm.* Ita ſa-
nè, *Luc.* Oportebit igitur, ſi Stoicorū optimū es cogniturus, ſi nō ad
omnes, ſaltē ad maximā eorū partē accedas, factoq; experimēto
meliorē tibi præceptorē præſtituat, qui te priùs exerceat, & de his
judicandi facultatem ſibi ſuppeditet, ne neſcius deteriorem ele-
geris. Atqui tu hoc etiam perpende, quantum temporis requi-
rat, quod ultro prætermiſi, veritus ne ſtomacheris.

Qua-

Quanquam quod maximum simul, & summè necessarium est in rebus hujusmodi, obscuris inquam, & ambiguis, unum hoc est opinor. Et sola tibi firma, certáque spes consequendæ veritatis relicta est, aliud autem nihil, quàm ut discernere queas & seiungere vera à falsis; utque argentariorum in morem dignoscere possis quæ proba, & syncera, & quæ adulterina. Hanc facultatem tanquam consequutus, & artem, conferre te potes ad eorum quæ dicuntur explorationem: sin minus probè scias, nihil prohibiturum quo minus ab uno quoque, quod ajunt, nare traharis, & præmonstrata fronde, perinde ut oves sequaris. Vel aquæ potiùs, quæ apponitur mensæ, similis eris: in quamcumque partem te quispiam traxerit, summo digito duceris. Vel per Iovem arundini ad fluvialem ripam enatæ, temer ad quemcumque flatum flectenti, quam vel exigua afflans cura commoverit. Ita si præceptorem invenias, qui aliquam artem calleat, qua demonstrationes; & dubiorum dijudicandorum rationem te doceat, negotia nimirum habere desines. Siquidem quod est optimum illico tibi comparebit, ipsáque veritas adducta arte illa demonstrativa, atque mendacium deprehendetur: tuque certo delectu habito & firmo adhibito iudicio philosophaberis: & ter optabilem fœlicitatem assecutus, cum ipsa simul omnia bona possidens vitam exiges. *Hermot.* Euge Luciane. Nam longè meliora hæc sunt quæ dicis, & spem non mediocrem præ seferunt. Et quærendus videtur nobis hujuscemodi vir, qui nos dignoscendi, & distinguendi, quódque maximum est, demõstrandi facultate instruat, ita ut hæc postea facilia, nec operosa sint, nec multæ exercitationis indiga. Atque ego tibi gratiam habeo, quòd compendiariam hanc & optimam viam nobis commentus sis. *Lucian.* Atqui nullo iure mihi gratiam habeas: neque enim tibi quicquam meo marte inventum commonstravi, quo te spei propiùs admoverim. Sed longè quàm antea remotiores sumus: utque vulgo fertur, exhausto labore multo, eodem in statu consistimus. *Hermot.* Quî hoc dicis? Nam triste quiddam, vixque sperandum dicturus videris. *Lucian.* Quòd ô amice, quamvis inveniamus aliquem qui se & demonstrationem scire, eamque alium docere velle profiteatur, non statim ipsi fidem ut puto habebimus, sed quæremus aliquem qui judicare queat, an vera loquatur ille. Ac quanvis hunc cõparaverimus, nondum liquet num explorator iste norit dignoscere rectè judicaturum, nec-ne. Et in hunc, alio exploratore rursum opus esse puto. Nos enim undenam discernere nossemus eum qui optima potest judicare? Vides-ne quòusque procẽdatur, & ut immensum fiat, suspenso esse animo, & non posse comprehendere, siquidem ipsas etiam demonstrationes, quotquot inveniuntur, controversas videbis, nihilque certi habere. Nam harum plurimæ per alia dubia persuadere nos cogunt scire: aliæ obscurissima manifestis conjungentes, quæ nihil commune cum ipsis habent, demonstrationes eorum esse affirmant. Veluti si quis putaret se demonstraturum esse Deos, quia illis structæ aræ cernũtur. Itaque Hermotime, nescio quomodo, ut qui in circulo currũt ad principium ipsum, eandémque dubitationem redivimus. *Herm.* Qua me affecisti iniuria Luciane, carbones mihi pro thesauro cõmonstrans. Vtque verisimile est, tot anni, tantúmque laboris mihi peribit. *Lucian.* At multò minùs mœrebis, Hermotime, si cogitaris te nõ solùm speratis bonis excludi, sed omnes ut ita dicam, philosophos de asini umbra digladiari. Num quis ea omnia quæ dixi, obire posset? Id, quod ipse etiam fieri non posse confiteris. Nunc autem mihi videris idem facere, ac si quis fleret, & fortunam incusaret, quòd in cœlum ascendere non posset, vel quòd urinando in mare ingressus, à Sicilia in Cyprum delatus non emergeret: vel quòd tanquam volueris in sublime sublatus uno die à Græcia ad Indos non devolaret. Causa autem huius tristitiæ ea est, quòd hoc speraverat, cùm tale quid olim vel in somnis vidisset, vel ipse sibi finxisset, nec priùs perquisiuisset, an ea optaret quæ consequi posset & quæ cum hominis natura convenirent. Te verò amice, multa & admiranda versantem in somniis, ubi te pupugit hæc oratio, è somno exilire fecit. Deinde succenses ipsi, vix adhuc oculos aperiens, nec facilè somnum excutiens præ voluptate eorum quæ dixisti. Idem accidit ijs qui beatitatem inanem sibi confingunt, si interea dum ditescunt, & thesauros effodiunt, & reges agunt; & in cæteris fœlices sunt (qualia multa Dea illa Euche, hoc est, Votum facilè operatur, donis magnificum, nulláque in re contradicens, sive quis velit fieri volucer, sive colossæa magnitudine conspicuus, sive montes totos aureos invenire) Si igitur hæc illis animo versantibus, veniat puer qui necessariarum rerum aliquid postulet, velut unde panis sit emendus, vel quid respondendum ei qui mercedem cõductæ domus iamdudum expectans reposcit, ita stomachantur, ac si qui interrogavit, & interpellavit omnibus illis bonis ipsos privasset: ac parum abest quin pueri nasum mordicus avellant. Verùm, amice, ne eo sis animo erga me, si te effodientem thesauros, & volantem, & eximias cogitationes concipientem, & quæ nequeas assequi sperantem, ego tuus amicus, non permisi te per omnem vitam, cum somnio, fortè quidem iucundo, sed tamen somnio cõversari: sed volo ut experrectus res agas quæ ex usu sunt, & quæ te communia cogitantem per reliquum vitæ spatium comitentur. Siquidem quod modò faciebas, & mente versabas, nihil ab Hippocentauris, & Chimæris, & Gorgonibus differt: nec ab aliis quæ somnia, quæ poetæ, quæ pictores liberi confingunt, quæ nec fuerũt unquam, nec esse possunt: quibus tamen vulgus credit, talibúsque visis vel auditis demulcetur, quia nova sunt & monstrosa. Et tu audito quopiã fabulatore qui dicat esse mulierem aliquam insigniter formosam, Gratiis ipsis, & Vrania formosiorem, priùs quàm expẽderis an vera dicat, & an sit uspiam gẽtium hæc mulier, amore statim captus es, ut perhibent Medeam ex solo somnio exarsisse in Iasonis amorẽ. Quod autem te potissimũ ad amorem illexit, aliósq; quotquot illius simulachri tecum amore inflammatur, hoc fuit ut mihi conijcienti videtur, quòd qui de muliere verba faciebat, siquidem creditus est primùm vera dixisse, consentanea orationi inducebat. In id enim solú intenti eratis, ideóq; vos naso trahebat postquam semel primã ansã ipsi tradidistis, & ad dilectã ducebat ea via quam rectã dicebat. Facilia enim ut puto quæ postea sunt agenda. Neq; quispiam ex vobis ad ingressũ conversus inquirebat, nũ esset verus, & an per oblivionẽ ingressus esset eam viã quam devitare oportebat. Verum præeuntiũ vestigijs insistebat, sequendo ut oves præcedentem pastorem, cùm æquũ fuisset statim in aditu perpendere nunquid erat ingrediendum. Clariùs autẽ intelliges quod dico, si tale quiddam non absimile compares cũ ipso. Nam si aliquis ex poetis illis sũmè audacibus dicat olim fuisse tricipitẽ quẽdam & senis manibus instructũ hominẽ: tuq; hæc primũ nullo negocio admiseris, & prius credideris, quã exploraveris an id fieri possiet: pari ratione reliqua etiam inferet, eum scilicet sex etiam oculos, & sex aures habuisse, tresq; simul voces emisisse, triplicíq; ore comedisse, & digitos triginta, non ut nostrũ unusquisq; in ambabus manibus decem habuisse, & si bellandũ esset, tres manus singulas, peltã, parmam Persicã, aut clypeũ tenuisse: tres verò, hanc quidẽ securim incusisse, illam verò hastã vibrasse, aliã autẽ gladio usam fuisse. Ecquis ipsi hæc dicenti nõ crederet? Nam cũ initio conveniunt, quod protinus erat considerandũ, an admittẽdum, & concedendũ esset ita se habere. Sed si semel illa concesseris, influunt reliqua, nec sistẽtur unquã. Nec jam facilè est fidem illis denegare, siquidem consẽtanea sunt & similia concesso principio. Quæ vobis etiam accidũt. Tantus enim est vester amor & alacritas, ut non scrutati quomodo se habeant, quæ vobis in aditu offeruntur, progrediamini rerũ cõsequentia pertracti: nec in mentẽ veniat, an falsũ etiã sit quod priori est consentaneum. Veluti, si quis dicat, bis quinque septem esse, & credas ipsi, nõ facta apud te supputatione: inferet etiã quater quinque quatuordecim omnino esse: quod quidem faciet quousque libuerit: qualia etiam admirabilis geometria facit. Illa enim ijs qui artem exordiũtur, absurda quædam postulata proponens, eaq; sibi concedi volens, quanquã consistere nequeunt, individua puncta, latitudinem nõ habentes lineas, & id genus alia putridis super fundamentis ædificat, cúmque à falso principio exordiatur, vera tamẽ ad faciendã demonstrationẽ vult dicere. Haud secus etiam vos datis uniuscujusq; sectæ principiis, iis quæ inde sequuntur fidem habetis, & eorũ consequentiã, etsi falsam, veritatis indicium esse existimatis. Tum pars vestrûm conceptis spebus immoriuntur, antequã veritatem viderint, & impastores illos cognoverint: pars verò quanvis se deceptos sentiant tandem ad seniũ iam provecti regredi metuunt, cùm pudeat ipsos id ætatis confiteri, se puerilibus negociis occupari, non intellexisse. Proinde in ijsdẽ studiis præ pudore perseverant, & præsentem conditionem laudant: & quoscunque possunt ad eadem hortantur, ne soli sint decepti, sed hoc solatii habeãt: quòd multi etiam aliis cõmunib. secum malis conflictantur. Etenim id vident, fore ut si verum faterentur, non amplius ut nunc, & supra plebem venerandi viderentur, & simili honore afficerentur. Quare non ultro fateantur, cùm non sint nescii fore ut si his rebus excidissent, similes aliis censerentur. In perpaucos autẽ incidas, qui præ fortitudine audeant confiteri sibi impositum fuisse, aliósq; dehortentur, qui similia experiuntur. Quòd si quem eiusmodi virum nanciscaris, hunc veritatis amantẽ, & bonum, & justum, & si velis philosophum appella. Huic enim soli appellationem illam nõ invidero. Cæteri verò, vel nihil veri sciunt, scire putantes, vel si sciãt, id metus aut pudoris causa occultant, & quia volunt aliis honore præferri. Porrò, per Minervam, quæcunque disputavi, missa faciamus hoc ipso loco abjecta, & eorum inducatur oblivio, qualis fuit rerum ante Euclidem ducem gestarum. Ponamus autem rectã esse præ omnibus hanc Stoicorum philosophiam, & dispiciamus numquis eam adipisci queat, vel num frustra laborent quicunq; ejus consequendæ desiderio flagrant. Etenim promissiones admirãdas audio, quando qui summũ fastigiũ attigerint, fœlicitate potiẽtur. Solos nimirũ illos bonos simul omnib. haud dubiè potituros. Sed enim quod dicam deinceps, meliùs ipse noris, si quem nactus fueris istiusmodi Stoicũ & inter Stoicos summũ, qui posset nec mœrore affici, nec à voluptate pellici, nec irasci: invidia autem valdior & divitiarum contemptor, atque in universum fœlix esset, qualem oportet esse regulam, & indicem vitæ quæ secundum virtutem vivitur. Etenim in quo vel minimum quid desideratur, imperfectus est, tametsi cæteris omnib. abũdet. Si tamen hoc nõ obtinuerit, nõdum est fœlix. *Herm.* Nullũ talẽ vidi. *Luc.* Euge Hermotime, quia non mentiris ultro. Ad quem igitur finem intẽtus philosophiæ vacas, quando neq; tuũ præceptorẽ, neq; illius, neq; illo priorem, neque si ad decimã generationẽ ascenderis quẽquã Stoicorũ perfectè sapientẽ, & propter hoc fœlicẽ fuisse vides? Neq; enim illud rectè dixeris sufficere, si quis fœlicitati proximus fuerit: siquidẽ inde nihil emolumenti. Nihilo secus enim extra viam, & sub dio sumus, tum qui foris ad januã stat, tũ q procul adhuc distat. Differũt autẽ quod ille magis discrucietur, qui è propinquo videt ea quib. est privatus.

Deinde ut proximè ad fœlicitatem accedas (illud enim tibi concedam) tot labores te ipsum absumendo exantlas: & tibi in tædio & labore, & vigiliis deorsum procumbenti tantum ætatis præteriit. Ac denuo, ut ais, alios viginti ad minimum annos in labore exiges, ut evadas octogenarius. Ecquis sponsor tibi te tot annos victurum fidem fecit? Nihilominus eorum eris qui nondum sunt compotes fœlicitatis, nisi tu solus hoc te consequuturum putes, & persequendo capturum, quod ante te plerique & strenui, multoque velociores persecuti, non assecuti sunt. Sed si videtur, assequere, totum assecutus obtine. Non video tamen primùm quanti sit momenti illud bonum, ut sit dignum tot laboribus præmium: deinde quandiu per reliquum vitæ tempus eo fruèris, cùm iam senex sis, & ætate ad quamvis voluptatem intempestiva, pedemque alterum quod ajũt, in capulo habeas: nisi te ô generose, ad vitam aliam hac exercitatione præparas: ut quum ad eam veneris, suaviùs vivas, quomodo vivendum sit edoctus. Perinde ac si quis se exercitiis præpararet ac instrueret ad meliùs cœnandum, donec imprudens fame necaretur. Atqui ne illud quidem, ut puto, animadvertisti, virtutem in actione consistere, velut in justè, sapienter, & fortiter factis. Vos autem, (at vos quum dico, summos illos philosophos intelligo) omisso horum quærendorum & faciendorum studio, verbula misera meditamini, & syllogismos, & dubia, maximamque vitæ partem in hisce conteritis: in quibus qui vicerit, victor egregius vobis videtur. Quo puto nomine etiam hunc vestrum præceptorem miramini, senem virum, quòd secum versantes in dubia coniiciat, & calleat quo pacto interrogare, sophismatis implicare, dolosè agere & in laqueos inevitabiles immittere oporteat. Ac sic omisso planè fructu qui ex opere percipitur, circa corticem estis occupati, folia tantùm alii in alios in vestris disputationibus effundentes. An verò alia sunt quæ facitis omnes Hermotime, à mane ad vesperam? *Hermot.* Minimè: sed hæc ipsa. *Lucian.* Annon igitur rectè quis dixerit, vos relicto corpore umbram venari, vel serpentis exuvium neglecto tractu? vel potiùs idem agere, ac siquis infusam in mortarium aquam ferreo pistillo tunderet, ratus se rem necessariam, & conducibilem agere: cùm tamen ignoret aquam similiter aquam manere, quamvis tundendo, quòd ajunt, humeros decutiat. Permitte mihi ut te hic interrogem, num excepta eruditione per omnia præceptori tuo similis esse velles, nimirum ita iracundus, ita minutus, ita rixosus, ita voluptarius; tametsi per Iovem non multis videatur. *Herm.* Quibusnam? *Lucian.* Vis Hermotime tibi narrem, quæ nuperrimè virum quendam senio confectum, quem ad sapientiam discendam plurimi juvenes adeunt, de philosophia disserentem audivi? Cùm enim à quodam ex discipulis mercedem exigeret, indignabundus dicebat eum debiti tempus præstitutum præteriisse, quem oportebat ante sedecim dies, mensis tricesimo nimirum id persoluisse. Sic enim inter se convenisse, ideoque indignabatur. Tum adolescentis avunculus qui aderat, homo rusticus, ac præ vobis imperitus, desine, inquit, ô admirande, dicere te maxima injuria fuisse affectum si à te verbula mercati, mercedem nondum solvimus. Etenim ea quæ nobis vendidisti, etiamdum ipse habes, neque quicquam tibi de tuis præceptis est imminutum. Cæterùm quod ab initio optabam, quum hunc adolescentem tibi commendavi, nihilo melior tua opera factus est. Quippe qui vicini mei Echecratis filiæ virgini raptæ vitium intulit: & de vi illata fuisset accusatus, nisi ab Echecrate paupere talento scelus redemissem. Matri etiam ipsi nuper alapas impegit, quia ipsum in sinu efferentem cadum deprehenderat, ut haberet ni fallor, symbolas quas in convivia conferret. Etenim quantum ad iracundiam, excandescentiam, impudentiam, audaciam, & mendacium attinet, superioribus annis longè meliùs sese habebat, quàm nunc. Atqui maluissem ut in his corrigendis apud te profecisset, quam illa didicisset, quæ quotidie nobis, è quorum re non est, in cœna disserit: scilicet ut crocodilus puerum rapuit, quem se redditurum promisit, si nescio quid responderet pater: vel ut necesse est noctem non esse, si dies est. Nonnunquam etiam generosus ille cornua nobis affingit, nescio quomodo sermonem connectens. Nos autem hæc deridemus. Maximè verò quum obturatis auribus, apud se meditatur habitus quosdam, & dispositiones, & comprehensiones, & imaginationes, multaque id genus nomina commemorando. Quinetiam ipsum audimus dicentem, Deum in cœlo non esse, sed omnia permeare, veluti ligna, lapides, animalia, imò etiam vilissima. Quumque mater ipsum interrogat, cur ita nugetur, ipsam irridet: sed si has nugas, inquit, diligenter didicero, nihil obstabit quominus sim solus dives, solus rex: alios verò mancipia, & piacula præ me putem. Cùm hæc dixisset vir ille, vide mi Hermotime, cuiusmodi responsum, quàm sene dignum philosophus ille reddiderit. At nisi, inquit, is se addixisset mihi, Nonne multò atrociora commissurum fuisse putas? aut fortè per Iovem carnifici tradendum? At nunc frænum saltem iniecit ipsi philosophia, & præter hanc verecundia. Propterea vobis est modestior, atque etiam tolerabilis. Hoc enim illi pudorem incutit, si indignus appareat habitu, & nomine, quæ comitantia ipsum moderantur. Itaque justus fuero, si mercedem à vobis accepero, non quòd meliorem reddiderim, sed pro iis quæ non admisit reveritus philosophiam. Siquidem etiam nutrices talia de pueris dicunt, nimirum præceptoris ædes illis adeundas esse. Etenim quãvis boni aliquid nondum possint discere, saltem nihil mali committent dum ibi manebunt. Cæterùm omnes officij mei partes implevisse mihi videor, Assume autem quemcunque volueris qui doctrinæ nostræ sit gnarus, & cras veni: videbis ut interrogat, & ut respondet, & quæ didicit, & quos libros jam legit, de axiomatibus, de syllogismis, de comprehensione, de officiis: aliaque diversa. Quòd si vel matrem percussit, vel rapuit virgines, quid hæc ad me attinent? non enim me pædagogum ipsi præfecistis. Hæc ille senex de philosophia disserebat. Tune etiam diceres Hermotime, satis esse, si ob id philosopharemur, ut nihil eorum quæ peiora sunt committeremus? Annon ab initio alia spe inducti vacare philosophiæ volebamus? Nonne ut omnia perlustrando rudi vulgo moderatiores essemus? Quid igitur nonne hoc responderes? *Hermot.* Quid aliud, quàm quod propemodum lachrymor, usque adeò me commovit vera tua oratio: Et quod impendi tempus lugeo, & quos feci sumptus, mercedes non exiguas pro laboribus pendendo. Nunc enim tanquam ex ebrietate ad me rediens, video cuiusmodi illa sint quæ amabam, & quantas ærumnas pro illis exhauserim. *Lucian.* Sed quid ô bone lachrymis est opus? Nam id prudentius esse puto, quod Æsopus in fabulis commemorat: ubi dicit, quendam in littore maris consedisse ut numeraret undas, & doluisse ac graviter tulisse quòd erraret, donec adveniens vulpes dixit ipsi. Cur ô generose propter præteritas undas cruciaris? Oportet ut omissis illis hinc numerare incipias. Et tu quandoquidem ita tibi videtur, in posterum meliùs feceris, si communem omnibus vitam vivere decreveris, & cum vulgo verseris, nihil absurdi aut fastuosi sperans. Nec te pudeat, siquidem sapis, quòd senex consilium mutaris, & ad meliora transeas. Hæc omnia quæ dixi, ne putes amice me adversus Stoicos instructum, quasi mihi cum illis essent susceptæ peculiares inimicitiæ, dixisse. Sed est communis in omnes hæc oratio. Eadem enim in te dixissem, si vel Platonis, vel Aristotelis sectatorem te præbuisses, cæteris indicta causa damnatis. Nunc verò siquidem disciplinam Stoicam prætulisti, in Stoicos invehi visa est oratio, quanquam nihil in ipsos habet peculiare. *Hermot.* Rectè dicis, Jam itaque abeo ut habitum etiam ipsum mutem. Videbis igitur propediem, neque barbam ut nunc hirsutam & profundam, neque victus rationem temperatam, sed remissa & libera omnia. Mox purpuram induam, ut norint omnes, non ampliùs esse rem mihi cum nugis illis. Atque utinam ea omnia evomere possem, quæ ex ipsis audivi. Ac probè scias, neque me pigeret helleborum bibere propter hoc ipsum, alio fine quàm Chrysippus, ne quid eorum quæ dicunt, mihi veniret in mentem. Quare magnam habeo tibi gratiam Luciane, quòd me à turbido asperoque torrente jactatum, meopte motu traditum, & secundo flumine cum aqua fluentem retraxisti, mihi juxta Tragœdorum illud superveniens, Deus ex improviso ostensus. Videor autem mihi non absurdè facturus si caput abrasero, ut qui è naufragio incolumes evaserunt, veluti festivitatem meæ salutis hodie celebraturus, excussa ex oculis meis tanta caligine. Porrò in posterum quemcunque philosophum, etsi invitus inter eundum nanciscar, non secus ac rabiosos canes aversabor, & devitabo. *Titulo Hermotimi.*

Lucianus: Apollo. Veráne hæc dicunt pater, quòd quidam seipsum coram Olympiis in ignem coniecit, homo jam senex, necnon generosus ad talia præstigiator? Dixit enim Luna se illum ardentem vidisse. *Iupiter.* Verissima Apollo: utinam nunquam facta fuissent. *Apol.* Num adeò bonus erat senex, nec dignus qui in igne periret? *Iup.* Et illud forsitan. At ego multam molestiam memini me perferre tunc ob nidoris fœtorem, qualem par est exhalari ab humanis corporibus quæ assantur. Etenim nisi in Arabiam, ut habebam, statim abiissem, fumi fœditate, certò scias, periissem. Ettamen in fragrantia tanta, & aromatum copia, thurisque abundantia, vix mihi nares oblivisci, & dediscere volebant illius odoris probrum: sed & nunc illius recordatio nauseam mihi ferè movet. *Apol.* Sed quid volebat quum ita secum egit? aut cui bono in pyram ingressus conflagravit? *Iup.* Hoc quidem omnino facere non possis fili, quin Empedoclem ante ipsum crimineris qui in crateres Ætnæ insiliit & ipse in Sicilia. *Apol.* Gravem dicis melancholiam. Verùm iste quam tandem huius cupiditatis causam habuit? *Iup.* Ejus orationem tibi recitabo, quam in celebritate habuit, quũ apud ipsos pro morte sua verba fecit. Dixit enim, si bene memini. Sed quænam est ista quæ huc properat perturbata, & lachrymans, prorsus offensæ cuipiam similis? At potiùs est Philosophia, & nomen quidem meum quiritans inclamat. Quid fles ô filia? aut cur relicta vita venisti? nunquid Idiotæ rursus, tibi struxerunt insidias ut antè, quando Socratem ab Anyto accusatum occiderunt? ipsosne ideo fugis? *Phi.* Nihil tale, ô pater, sed illi, plebs nimirum, me laudabant, honoreque prosequebantur reverentes, & admirantes me, ac tantùm non adorantes, tametsi quæ dico non admodum intelligerent. Hi verò, quonam modo dicam, familiares, & qui se amicos esse asserunt, meumque nomen induerunt, ille me gravissimè læserunt. *Iup.* Philosophíne insidias aliquas tibi struxére? *Phi.* Nequaquam ô pater, siquidem injuria mecum affecti sunt. *Iup.* A quibus igitur injuriam perpessa es, si nec idiotas nec Philosophos incusas? *Ph.* Sunt nonnulli ô Iupiter, inter multitudinem & philosophantes medij, habitu, aspectu, & incessu nobis similes, similique modo ornati. Nam se mihi subditos esse perhibent, nostrumque nomen usurpant, discipulos, contubernales, & sodales nostros se esse dicentes. At vita ipsorum scelestissima ignorantia, temeritate, & petulantia est referta. Nobis injuria haud parva. Ab his offensa profugi, ô pater. *Iup.* Molesta sunt hæc, filia, verùm qua re potissimùm te læserunt? *Ph.* Considera pater, num parva. Etenim cùm vidisses humanam

manam

manam vitam, iniquitate, & injustitia plenam, utpote quæ ignorantia & injuria versetur, & ab ijs turbetur, res humanas miseratus quod tanta inscitia conflictarentur, me in terram demisisti, injungens ut operam darem, quò desinerent à mutuis iniuriis, & violentia, vitáque belluina: & ad veritatem respicientes, pacatiùs conversarentur. Dicebas enim cùm me demitteres, quid faciant homines, & quomodo sint affecti ob ignorantiam, ô filia, vides tu quoque. Ego verò, quia me illorum miseret, te quam solam tantis erroribus mederi posse arbitror, ex omnibus delectam, ut illos cures, demitto. *Iup.* Scio me tunc id genus multa dixisse. Tu verò quæ sequuta sunt jam dicito, quomodo te susceperint, quumprimum devolasti, & quæ nunc ab ipsis pertuleris. *Ph.* Ini, pater, nõ ad Græcos statim: sed quod opus mihi videbatur esse difficilius, Barbaros videlicet instituere & docere, huic operi primùm incũbere volui. Græcos autem omisi, tanquam qui facillimè subigi possent & celerrimè, ut putabam, frænum suscepturi, collumque jugo subdituri essent: & ad Indos primùm me contuli, gentem omnium quæ vivunt maximam, quibus nullo negocio persuasi, ut ab elephantis descendentes, mecum conversarentur. Itaque Brachmanes fœlix hominum genus, Nechræis, & Oxydracis finitimi, hi omnes mihi subditi sunt, nostrísque vivunt institutis, vndè à vicinis omnibus honorantur, & mortis admirando quodam genere moriuntur. *Iup.* Dicis-ne Gymnosophistas? Nam inter cætera, audio ipsos conscenso ingenti rogo, sponte comburi, nihil de habitu, aut sede mutantes. Sed hoc nihil magni. Nam recens in Olympijs simile quid accidisse vidi: ac verisimile est te tum interfuisse quum senex ille conflagravit. *Ph.* Ne Olympiam quidem veni pater, metu scelestorum illorum, quos dixi, quia videbam plerosque illorum, eò proficisci, consilio convitiis incessendi eos qui convenissent, & clamoso latratu opisthodomum implendi. Itaque quo pacto mortuus ille sit, non vidi. Post Brachmanas igitur in Aethiopiam statim, inde Aegyptum descendi: & cum Sacerdotibus, & Prophetis eorum versata sum: quos cùm res divinas docuissem, Babylonem ivi, Chaldæos & magos initiatura. Inde in Scythiam: postea in Thraciam, ubi Eumolpus & Orpheus mecum congressi sũt. Quibus in Græciam præmissis, Eumolpo quidem res omnes divinas à nobis edocto, ut eos initiaret: Orpheo autem ut accinens Musica cogeret, eorum vestigia statim pressi. Atque ubi primùm veni, nec me admodum amplexi sunt, nec omnino excluserunt Græci. Sed paulatim cùm iis conversata, septem ex omnibus amicos, & discipulos collegi, alium ex Samo, alium ex Epheso, alium ex Abdera, omnino paucos. Post quos Sophistarum genus nescio quomodo mihi suppullulavit, neque mea absolutè æmulans, neq; valdè discrepans: sed tanquam Centaurorum genus, compositum quid & mixtum, in medio arrogantiæ & philosophiæ errans, neque ignorantiæ penitus adhærens, neque fixis oculis nos intueri valens: sed tanquam hebetudine cæcutientes, obscurum quid, & dubiam nostri imaginem, umbrámve quandoque cernentes. At hi, omnia accuratè à se percepta esse existimarunt. Hinc illa inutilis apud illos & superv- anea sapientia, atque illorum iudicio inexpugnabilis, accensa est: nimirum versutæ, dubiæ, & absurdæ responsiones: præterea inextricabiles & labyrintheæ interrogationes. Quòd si ab amicis meis prohibentur, & redarguuntur, indignantur, ac contra illos conspirant, tandémque in ius rapiunt, & ad cicutam bibendam tradunt. Et quanvis fortasse tum confestim fugere, nec eorum conversationem amplius tolerare oportuisset: Antistenes tamen, & Diogenes, ac paulò post Crates, & Menippus, mihi persuaserunt, ut paulum moræ adderem. Quod utinam nunquam factum esset: non enim tanta postea fuissem perpessa. *Iup.* Nondum mihi dicis, ô Philosophia quanam iniuria sis affecta, sed indignaris solùm. *Ph.* Atqui audi Iuppiter, quanta sit. Scelestum quoddam hominum genus est, atque ut plurimum servile ac mercenarium, ob negotia nobiscum à pueris non versatum. Serviebat enim, aut mercede operam locabat, aut alias artes, quas decebat istiusmodi homines addiscebat, sutoriam, fabrilem, fullonicam, & lanificam, ut lanam carminatam facilè elaborare, & nere possent mulieres, & cõmodè ducerent, cùm illæ aut tramam versarent, aut licium circumvolverent. Talia igitur in pueritia exercentes, ne norant quidem nomen nostrum. Postquam verò inter viros censeri cœperunt, & reverentiam animadverterunt, qua vulgus amicos meos prosequitur, & ut homines eorum loquendi libertatem tolerant, & se curari gaudent, & consulentibus parent, denique increpantes formidant, hæc omnia dominium haud parvum esse arbitrabantur. Verùm addiscere quæ huic professioni conveniunt, longum erat, imò potiùs prorsus impossibile. Artes verò, sordidæ etiã cũ labore vix poterant necessaria suppeditare. Nonnullis etiam servitus, gravis, & ut est, intollerabilis videbatur. Repensa, ultimã anchoram, quam navigantes sacram vocant, visum est demittere, ad socordiam optimam declinando, audaciam quoque, & ignorantiam, ac impudentiam in auxilium advocando, quæ potissimũ ipsis opitulantur: & nova convitia excogitando, quæ in promptu essent, quásq; solas in ore haberent suppetias. Vides qualia ad Philosophiam viatica? Se componunt, & transformãt per quã eleganter: & mecum agunt, ut nimirum Aesopus ait Cumanum illum asinum fecisse, qui cùm leoninam pellem induisset, & asperè derudisset, ipse leo videri cupiebat: & forte erant qui ipsi crederent. Nostra verò, planè sunt, ut scis, facilia, & in promptu imitabilia.

De externis loquor: haud enim magni est negotij, tritam vestem induere, & peram collo suspendere, & baculum in manu habere, & vociferari, imò potiùs rudere, aut latrare, omnibusque maledicere. Equidem securitatem, quòd nihil ob talia passuri essent, formæ reverentia præstare debebat. Libertas autem, prompta; invito domino, etsi vellet ab eo avertere, qui baculo est percutiendus. Cæterùm facultates non ampliùs paucæ; neque tenuis, ut antè, maza: obsonium verò, non salgama, non agrestis cepa: sed omnigenæ carnes, & vinum quàm suavissimum, & aurum unde volunt. Etenim circumerrantes tributum colligunt: aut ut loquuntur ipsi, oves tondent; multosque daturos existimant: aut habitus reverentia, aut malè audiendi metu. Etenim illud, ut puto, videbant; fore ut ex æquo inter rectè philosophantes collocarentur: nec quisquam esset qui talia judicaret & discerneret, si exteriora tantùm essent similia. Inprimis enim redargutionem non accipiunt, siquis ita modestè, & sensim interroget: sed confestim clamant, & ad suam arcẽ, maledicentiam scilicet confugiunt, & ad lignum paratum. Ac si opera quæras, verba multa: quòd si à sermonibus judicare velis, vitam considerandam esse censent. Proinde tota civitas huiusmodi malitia referta est: & iis maximè, qui Diogenis, Antisthenis, & Cratetis titulos assumunt, & disciplinæ Cynicæ se addicunt. Cæterùm quod natura optimum est in canibus, veluti custodia, vel domus tutela, aut heri amor, aut memoria, id nequaquam imitantur: sed latratui, gulæ, rapinæ, crebræ Veneri, adulationi, divitum blanditiis, & frequentationi mensarum, diligenter operã dant. Videbis igitur paulò pòst quonam hæc evadant. Omnes enim ex officinis exilientes, artes relinquent desertas cùm cernant se labore fatigari, ab aurora ad vesperam usq; operi incumbentes, & vix istiusmodi quæstu victum comparare. Segnes verò & subdolos homines in omnium rerum copia vivere, tyrannicè quidem postulantes, ac promptè accipientes, & quum non acceperint, indignantes, neque si acceperint, laudantes. Hæc videntur ipsis Saturni sæculum, sponteque mel ipsum è cœlo in ora influere. Porrò res hæc minùs esset molesta, si tales cùm sint, alia nulla injuria nos afficerent. Sed hi cùm admodum casti & severi, extrinsecus, & publicè appareant, si puerum nacti fuerint formosum, aut speciosam mulierem, aut speraverint, æquum est tacere quæ faciunt. Nonnulli verò suorum etiam hospitum uxores adulterio corrumpendas abducunt, Iliensis illius juvenis instar, ac si & ipsæ quoque essent philosophaturæ. Deinde communes has omnibus qui congrediuntur, proponentes, Platonis præceptum implere se putant, nescientes quo pacto sacer ille mulieres communes esse debere censuit. Quæ verò in conviviis agunt, utque inebriantur, longum esset recensere. Et hæc faciunt, quomodo putas, dum ipsi ebrietatem, adulteria, luxuriam, & avaritiam reprehendunt. Nihil igitur invenies inter se magis contrarium, quàm ipsorum dicta, factaque: ut, assentationem sibi odiosam esse dicunt, cùm assentatione Gnathonidem & Struthiam superare possint: & alios vera loqui hortantur, cùm ipsi ne linguam quidem movere queant, quin mentiantur. Voluptas omnibus verbotenus est invisa, hostis Epicurus: sed re ipsa quidvis ob eam faciunt. Iræ præterea vehementia, levissimarumque rerum perturbatione, necnon iræ facilitate nuper natos infantulos superant. Non parvum igitur risum spectatoribus movent, quum quavis de causa bilis ipsis effervescit, lividoque colore cernuntur, impudentiam & animi impotentiam aspectu præ se ferentes. Os verò spuma, vel veneno potiùs est refertum. Ne sis ibi quum fœda illa illuvies effunditur. Aurum, aut argentum, hercle, possidere nolo: sufficit obulus: quo lupinos emam: nam potum fons seu rivus præbebit. At paulò pòst non obolos vel drachmas paucas, sed totas postulant divitias: adeò ut mercator quispiam tanto onere impleri posset, quantum illis ad quæstum Philosophia confert. Inde postquam ad satietatem corrasêre, & victum comparavêre, abjecta illa infœlici lacerna, agros nonnunquam, mollesque vestes, & crinitos pueros, totasque domos emunt, Cratetis peræ, Antisthenis lacernæ, ac Diogenis dolio longum vale dicentes. Talia quum idiotæ vident, iam despuunt Philosophiam, omnesque tales esse putant, meamque doctrinam criminantur: adeò ut longo jam tempore, non potuerim vel unum ipsorum mihi conciliare: sed idem ac Penelope mihi accidat, scilicet ut quantum ego texo, tantum momento dissolvatur. Ignorantia verò & iniustitia, quum vident nostrum opus infectum, irritumque esse laborem, à risu non temperant. *Iup.* Proh Dij! qualia nobis perpessa est ab execrandis illis Philosophia! Quare tempus est dispiciendi, quid sit opus facto, quoque modo sint puniendi. Fulmen enim uno ictu, & cita mors aufert. *Apollo.* Ego tibi consilium dabo, pater. Iam enim & ipse odi arrogantes illos, ineruditos, Musarum gratia indignatus. Nam fulmine, tuave dextra digni non sunt illi. Sed si videtur, Mercurium pœnæ exactorem ad ipsos demittemus, qui, utpote in disciplinis versatus ipse, celerrimè cognoscet eos qui rectè philosophantur, & qui minùs. Tum hos quidem, ut par est, laudabit: illi verò, quemadmodum ei ex tempore videbitur, plectentur. *Iup.* Rectè dicis Apollo. Verùm & tu Hercules, unà Philosophiam ipsam ducentes, ad homines ite quàm celerrimè, & decimum tertium hunc laborem non parvum à te confectum iri puta, si tam scelestas, & impudentes beluas excideris. *Her.* Atqui præstaret, pater, Augiæ fimum rursus expurgare, quàm cum his manus conferre: abeamus tamen. *Ph.* Invita quidem: sed ex patris sententia est sequendum. *Merc.* Descendamus, ut etiam paucos ex

ipſis hodie conteramus. Sed quà eundum eſt Philoſophia? ſcis enim ubinam ſint.

Annon manifeſtum eſt, eos eſſe in Græcia? *Ph.* Nequaquàm, niſi admodum pauci qui rectè philoſophantur, Mercuri. At hi nihil Attica paupertate indigent, ſed ubi multum aurum aut argentum foditur, ibi nobis ſunt quærendi. *Mer.* Ergo rectà in Thraciam eſt abeundum. *Herc.* Rectè dicis, & viæ dux ero vobis. Novi enim Thracum res omnes, ut pote qui ſæpius ad illos acceſſerim. Et nunc huc mihi flectatis. *Merc.* Quònam ais? *Herc.* Videtiſ-ne Mercuri, & Philoſophia, duos montes, omniúmque pulcherrimos? Major, Hæmus eſt, oppoſitus verò, Rhodope: at campus interiectus, perquam fertilis, ab utriuſque radice confeſtim ſe pandens, tréſque colles perpulchros aſſurgentes, aſperitate non deformes, tanquam ſubiacentis urbis multas arces: jámque urbs apparet. *Merc.* Ita per Iovem Hercules, maxima, omniúmque pulcherrima: cujus pulchritudo eminus reſplendet, quin & maximus fluvius illam alluens præterlabitur. *Herc.* Hebrus eſt, civitas verò Philippi illius opus: & jam nos ad terram, & ſub nubibus ſumus: quare quod fœlix fauſtúmq; ſit, ingrediamur. *Merc.* Ita fiat. Cæterùm quid faciendum, & quomodo inveſtigandæ feræ? *Herc.* Hoc tui muneris jam eſt Mercuri, ſiquidem es præco. Ne igitur præconium enuntiare cuncteris. *Merc.* Haud difficile hoc: ſed illorum ignoro nomina. Tu igitur Philoſophia, dic quo nomine ſint compellandi: & ſigna inſuper. *Ph.* Ne ipſa quidem ſciò certò quomodo vocentur: quia mihi cum ipſis non fuit commercium. Cæterùm non aberrabis ſi eos à poſſidendi deſiderio, Poſſidonios, aut Poſſidippos, aut Poſſicleas, aut Poſſifundos, aut Poſſidoros nominaveris. *Merc.* Bene dicis. Sed quinam hi ſunt qui & ipſi circunſpectant? atqui accedunt, & videntur aliquid velle loqui. *Viri.* Poſſetis-ne, ô viri, vel tu optima nobis dicere, num tres præſtigiatores unà videritis, & mulierem Laconicè abraſam, aſpectu maſculo, & planè virili. *Ph.* Papæ! hi nos quærunt. *Viri.* Quomodo vos? Etenim Fugitivi illi omnes: nos autem mulierem potiſſimùm quærimus, ab ipſis manciparam. Intelligetis autem, cur nam ipſos quæramus. Nunc igitur ſimul præconium pronuntiemus. Siquis mancipium Paphlagonicum, ex Sinopenſibus barbaris, tali nomine, quale à poſſeſſionibus imponitur, ſubpallidum, ad cutim tonſum, barba horridum, pera inſtructum, lacerna indutum, iracundum, ineruditum, voce aſpectum, maledicum, certa libertate vivens, indicato. *Dominus.* Heus tu intelligo, quod prædicas mancipium. Illi enim apud me nomen erat, Scarabeus: comam autem alebat, & barbam avellebat, meamque artem norat. Nam in fullonica officina ſedens, tondebat quicquid floccorum in veſtibus ſuperfluum effloreſcit. *Ph.* Ille ipſe ſervus tuus eſt: at nunc Philoſopho ſimilis, qui accuratè in fullonia ſe polivit. *Dom.* Proh audaciam! Scarabeus philoſophatur, inquit. Noſtri autem, nulla eſt ratio. Omnes utique inveniemus, ſiquidem hæc intelligit, ut ait. *Ph.* Sed Hercules, quisnam eſt hic alius qui accedit, pulcher, citharam geſtans? *Herc.* Orpheus eſt, qui mecum in Argo navigavit, nauticorum hortatorum omnium jucundiſſimus. Nam ad cantum ipſius, non fatigabamur remigantes. Salve optime, & perquam canore Orpheu, ſiquidem Herculis non es oblitus. *Orph.* Vos quoque ſalvete Philoſophia, Hercules, & Mercuri. Sed tempus eſt ut mihi detis indicinæ præmium: ego enim planè novi quem quæratis. *Merc.* Quin oſtende Calliopes fili, ubinam ſit. Auro enim non indiges, ſapiens cùm ſis. *Orph.* Rectè dicis: ſed ego domum quidem in qua habitat vobis indicabo: ipſum verò minimè, ne apud eum malè audiam. Etenim eſt ſummè ſceleſtus, ac uni huic rei ſtudet. *Merc.* Oſtende ſolùm. *Orph.* En proxima hæc. Ego verò procul à vobis abeo, ne videam ipſum. *Merc.* Attende. Annon mulieeis vox eſt, aliquid ex Homero recitantis? *Ph.* Ita per Iovem. Sed quid dicat, audiamus. *Fug.* Non minùs hunc odi, nigri quàm limina Ditis, Qui colit aurum animo, & ſimulat contraria verbis. *Merc.* Proinde odio habendus tibi Cantharus, Hoſpitis offenſor, & ſe præbentis amicum. *Marit.* De me hoc carmen, cuius uxorem abduxit, quia ipſum receperam. *Fug.* Ebrius, atque canis facie, ſed pectore cervus, Conſilio ignavus, ſed longè ignavior armis, Therſites vecors, pravarumque optima pica, Regibus illicitè, & fruſtra contendere ſuetus. *Dom.* Iure execrandi hæc verba ſunt. *Fug.* Prima canis, poſtrema leo, media ipſa Chimæra, Horrendum exhalans animum trini canis acris. *Marit.* Hei mihi uxor qualia perpeſſa es à tot canibus. Quin ex illis ipſam concepiſſe dicunt. *Merc.* Confide, Cerberum tibi, aut Geryonem pariet: ut Hercules iſte alium laborem rurſus habeat. Sed accedunt, ita ut fores pulſare non ſit opus. *Dom.* Teneo te Canthare: ſiles iam? age videamus quid habeas in pera, fortè lupinos, aut fruſta panis. *Merc.* Minimè per Iovem: ſed zonam auream. *Herc.* Ne mireris. Nam in Græcia Cynicum ſe eſſe dicebat, ſed hic eſt planè Chryſippeus. Quare leanthem ipſum non diu pòſt videbit. Nam cùm ſit adeò ſceleſtus, à barba ſuſpendetur. *Dom.* Tu verò nequam, nonne es Lecythio meus fugitivus? certè non alius. O rem riſu dignam! quid non fiet? etiam Lecythio philoſophatur? *Merc.* Nunquid tertius ille domino caret? *Dom.* Minimè: verùm ego dominus, ſponte ipſum in malam rem dimitto. *Merc.* Quorſum? *Dom.* Quia teterrimè fœtet: eumque Vnguentodorum appellàbamus. *Merc.* Hercules malorum depulſor, audíſne? deinde pera, & baculum: atqui tu uxorem recipe. *Marit.* Minimè, non ſi reciperem priſcum librum in utero gerentem. *Merc.* Quomodo librum? *Mart.* Quidam, ô bone, triceps eſt liber. *Merc.* Nihil abſurdum ſiquidem unus ex Comicis trigalcatus. *Fug.* Tuum eſt, Mercuri dehinc judicare. *Merc.* Ita mihi videtur. Ut hæc mulier ne pariat monſtrum multiceps, ad virum in Græciam revertatur: atque hi duo fugitivuli dominis traditi, diſcant quæ antea: Lecythio quidem ſordidos abluere panniculos: Vnguentodorus autem, lacera veſtimenta reſarcire, priùs quidem malua flagellatus. Deinde ut etiam hic tradatur picatoribus, ut pereat vulſus primùm: inſuper pudenda, & muliebri pice inquinetur: deinde nudus in Hæmum ſublatus, vinctis pedibus in nive maneat. *Fug.* Heu malorum ah ah, papæ, eheu. *Dom.* Quid hoc eſt, tragicas voces interſeris? Sed ad picatores iam ſequere, exuta priùs pelle leonina, ut aſinus eſſe cognoſcaris. *Lemmate Fugitivorum.*

Lucianus: Philon. Variam, Lycine, diſputationem in cœna apud Ariſtænetum heri vobis fuiſſe narrant, ac philoſophicos quoſdam ſermones habitos, nec parvam ſuper his exortam contentionem: imò niſi mentitus eſt Charinus, etiam ad vulnera uſque rem proceſſiſſe, denique conventum ſanguine dimiſſum eſſe. *Lyc.* Et unde Philon, reſcivit hæc Charinus? neque enim is nobiſcum eſt cœnatus. *Ph.* Ex Dionico medicó, ajebat accepiſſe ſeſe. Dionicus autem opinor, erat ex convivis. *Lyc.* Ita ſanè: ſed non omnibus ab initio interfuit: ſed ſeriùs, ferè ſub medium pugnæ, & paulò ante vulnera ſupervenit. Proinde demiror, ſiquid certi referre potuit, qui non ſpectârit illa, unde lis inter eos nata deſierit in ſanguinem. *Ph.* Proinde Lycine, etiam Charinus ipſe, ſi ſingula uti geſta ſunt, audire planè vellemus, juſſit ut te conveniremus. Etenim dixiſſe Dionicum, ſe toti negotio interfuiſſe: te verò accuratè tenere quicquid actum eſt, eorumque ſermones meminiſſe, ut qui res iſtiuſmodi non obiter, ſed diligenter audire conſueveris. Itaque omnino nos ſuaviſſimo hoc epulo excipies, quo neſcio an ullum mihi ſit jucundius: in primis cùm in pace ſobrii, & ſine ſanguine extra teli jactum ſimus expulaturi: ſive ſenes, ſive juvenes aliquid in cœna debacchati ſunt: ea mero compulſi & dicere, & facere quæ minimè decebat. *Lyc.* Vis, Philo, ut hæc in vulgus narrando efferam quæ in vino & ebrietate petulantiùs acta ſunt: cùm eſſent potiùs oblivioni tradenda, omniaque illa Dei illius Bacchi opera cenſenda: qui neſcio an quenquam ſuis orgiis non initiatum, & bacchationis expertem prætericrit. Proinde vide ne hominis ſit parum bene morati, eiusmodi ad amuſſim exquirere, quibus in convivio relictis rectius erat diſcedere. Odi enim, inquit poëta, memorem compotorem. Nec à Dionico rectè factum, quòd hæc apud Charinum effutivit, & pridianam hominum Philoſophorum temulentiam divulgavit. At ego, apage, nihil iſtiusmodi velim dicere. *Ph.* Ludos me facis, Lycine. At non erat apud me ſic agendum, ut qui cognôrim apprimè te dicendi longè eſſe cupidiorem, quàm ego ſim audiendi. Et mihi videris, ſi tibi deeſſent auditores, vel ad columnam aliquã, vel ad ſtatuam acceſſurus, quò omnia uno ſpiritu connectens effunderes. Quòd ſi nunc voluero diſcedere, non ſines me abire quin audiverim: imò venies, comitabere, rogabis. Atque ego te tum viciſſim ludam. Quin ſi ita vis, abeamus ea ex alio audituri: tu verò ne dicas. *Lyc.* Nihil ſuccenſeas, narrabo enim, ſiquidem tantopere cupis: ſed ea lege ut apud vulgus non efferas. *Ph.* Ni prorſus Lycine morum ſum oblitus, tute meliùs id feceris, & prior omnibus denarrabis: ita ut me nihil opus fuerit. Sed id mihi reſponde primùm, An filio Zenoni uxorem ducens Ariſtænetus, convivio vos accepit? *Lyc.* Non: ſed Cleanthidem filiam locabat filio fœneratorii Eucriti, philoſophiæ operam danti. *Ph.* Formoſiſſimo per Iovem adoleſcenti, adhuc tenero, nec admodum nuptiis maturo. *Lyc.* Sed nullum utique aptiorem habebat: quem cùm videret modeſtum, & ad ſtudia philoſophiæ propenſum, præterea ſolum Eucrito diviti filium, ſponſum ex omnibus delegit. *Ph.* Non levem dicis cauſam, quia nimirum dives eſt Eucritus. Verùm Lycine, quinam erant convivæ? *Lyc.* Alios quidem, cur tibi recenſeam? Ex Philoſophis & oratoribus, quos potiſſimùm audire cupis, erat Stoicus ille ſenex Zenothemis: unaque Diphilus, cognomento Labyrinthus, Ariſtæneti Zenonis filij præceptor. Ex Peripateticis autem Cleodemus: noſti hominem dicacem, & argutatorem, quem diſcipuli gladium, & bipennem vocant. Aderat etiam Hermon Epicureus: quem ingredientem Stoici torvis oculis obtuebantur, & averſabantur, palamque tanquam parricidam & impium deteſtabantur. Hi quidem Ariſtæneti ipſius amici, & familiares, ad cœnam fuerant invitati: & cum his Iſtiæus Grammaticus, & Rhetor Dionyſodorus. Et propter ſponſum Chæream, Ion Platonicus præceptor eius intererat convivio: vir aſpectu gravi, ac decore divino, & multam vultu modeſtiam præ ſe ferens, unde vulgus regulam ipſum vocat, ad eius animi rectitudinem reſpicientes. Huic ingreſſo aſſurrexerunt omnes, & ut quempiam ex præſtantioribus ſalutarunt: adeò ut Deus aliquis adveniſſe videretur, cùm unà adeſſet Ion ille admirandus. Cùm autem jam eſſet accumbendum, omnibus ferè præſentibus, ad dextram quidem ingreſſis, totam illam ſpondam mulieres quæ complures erant, occuparunt. Inter quas erat & ſponſa, valdè diligenter obvelata, fœminis hinc atque hinc ſtipata. Porrò ex adverſo oſtij reliqua turba, pro cuiusque dignitate collocata. E regione mulierum, primus Eucritus, ſecundus Ariſtænetus. Tum ambigi cœpit, utrum altero priorem oporteret accumbere, Zenothemine Stoicum quippe ſenem, an Hermonem Epicureum. Nam hic erat Caſtoris ac Pollucis ſacerdos, & nobiliſſimæ inter cives familiæ. Verùm eam hæſitationem ſolvit Zenothemis. Si me, inquit, Ariſtænete, minoris Hermone ducis, viro videlicet iſto, ut ne quid aliud mali dicam, Epicureo, diſcedo, totumque convivium vobis relinquo.

linquo. Et puerum ilico tanquam discessum parans, advocat. Tum Hermon, priores partes, inquit, habe Zenothemi: quanquam etsi nihil aliud, vel hoc nomine par erat concedi, quòd sacerdos sim, ut planè contemnas Epicurum. Rideo, inquit Zenothemis, sacerdotem Epicureum: simulque cum dicto accubuit. Post hunc Hermon: deinde Cleodemus Peripateticus, pone hunc Ion, proximè hunc sponsus, post eum ego, juxta me Diphilus, huic assidebat Zenon discipulus, postremò Rhetor Dionysodorus cum Istiæo Grammatico. *Ph.* Papæ, Lycine, Musarum conventum quendam mihi narras fuisse istud convivium, quippe plurimis sapientibus, doctisque viris refertum. Atque equidem Aristænetum laudo, quòd cùm optatissimum hoc festum celebraret, præ ceteris sapientissimos viros convivio excipere voluerit, delectis ex unaquaque secta præcipuis, non hos, non illos, sed omnes promiscuè advocans. *Lyc.* Etenim, amice, non modò est è divitum istorum vulgo, sed etiam literarum est studiosus, & maximam vitæ partem in his versatur. Itaque initio taciti cœnabamus, variusque erat apparatus. Neque enim arbitror operæ pretium, ut enumerem condimenta, cupedias, & aromata, quæ cuncta affatim suppetebant. Interim Cleodemus, inclinatus in Ionem, vides, inquit, illum senem, Zenothemin dicens (subauscultabam enim) ut sese opsoniis ingurgitat, utque jure vestem opplevit: quàm multa puero à tergo stanti porrigit, alios latere se putans, & post se accumbentium immemor? Hæc igitur ostende Lycino, quò sit testis. Mihi autem non opus erat, ut indicaret Ion: quippe qui hæc perspicuè videram. Hæc simulatque dixit Cleodemus, irruit in convivium Alcidamas Cynicus non vocatus, vulgatum illud lepidè præfatus, Menelaum ultro venire. Quare plerisque visus est turpiter & impudenter fecisse: & quod cuique tum in mentem veniebat, in eum torquebant, alius hoc, Insanis Menelae: alius verò, Verùm Agamemnoniæ menti non ista placebant: ad hæc alia quæ pro tempore lepidè & salsè dici poterant, in eum obmurmurabant. Nam palam nullus audebat quicquam dicere, propterea quòd metuerent Alcidamantem, utpote convitiatorem egregium, unumque è Cynicis omnibus clamosissimum Qua quidem re adeò visus est excellere, ut nulli non formidandus esset. At Aristænetus collaudatum illum, quòd non vocatus advenisset, jussit accepta sella, juxta Istiæum ac Dionysodorum accumbere. At ille, apage, inquit, muliebre ac molle quiddam dicis, uti in sella aut scamno sedeam, quemadmodum vos mollibus in stratis propè supini accumbentes, supposita purpura, epulamini. Quin ego vel stans cœnavero, in ipso interim convivio obambulans. Quòd si defatigatus fuero, tum humi substrato pallio, cubito innixus jacebo, qualem Herculem pingunt. Ita fiat, inquit Aristænetus, siquidem isthuc mavis. Tum Alcidamas convivium in orbem lustrans, cœnabat, Scytharum ritu ad uberiora pascua subinde sese transferens, unaque cum iis qui inferebant edulia, circumiens. Ac tamen dum cibum caperet, operi intentus erat, de virtute, & vitio differens: tum aurum & argentum dicteriis incessens. Nam Aristænetum interrogabat, quidnam sibi vellent tam multa, tam magna pocula, cùm non minùs usui possent esse fictilia. Verùm illum iam molestum se præbentem, in præsens compescuit Aristænetus, ministro innuens ut ingentem calicem, infuso mero, illi porrigeret. Atque id quidem optimè excogitasse putabat, nescius quantorum malorum scyphus ille esset author futurus. Quem simul atque accepit Alcidamas, paulisper siluit, ac in solo sternens sese, jacebat seminudus, ut se facturum erat pollicitus, cubito humi fixo innitens, simulque dextra scyphum tenens, qualem Herculem Pholensem pictores fingunt. Jam verò & inter alios calix assiduè circumagebatur: tum invitatiunculæ ad bibendum, & confabulationes ortæ, demum & faces illatæ. Interim ego cùm puerum assidentem Cleodemo, pocillatorem formosum, subridentem vidissem (oportet enim arbitror accessiones convivij, commemorare, ac in primis siquid elegantius factum est) tum attentè observabam quid rideret. Et paulò pòst, hic quidem accessit, ut à Cleodemo poculum accepturus. Ille verò digitum, ipsius compressit, & drachmas duas, opinor, ipsi unà cum poculo dedit. Tum puer, ad compressum digitum denuo risit, nec tamen nummum sensit: ita ut eo non accepto, delapsæ duæ drachmæ strepitum ediderint, & ambo admodum perspicuè erubuerint. Ambigebant autem proximè assidentes, cuius essent nummi: cùm & puer negaret à se projectos, & Cleodemus iuxta quem strepitus acciderat, sibi excidisse dissimularet. Verùm ea res neglecta est, & dissimulata, quam non ita multi viderant, præter unum, ut mihi quidem visum est, Aristænetum. Puerum enim clam subductum paulò pòst loco movit, innuitque ut Cleodemo admoveretur aliquis ex illis exoletis, & robustis, videlicet mulio quispiam, aut equiso. Ad hunc modum ea res utcunque abiit, magnum illatura Cleodemo pudorem, si ad omnes permanasset, nec protinus Aristænetus extinxisset, inducta dextrè admodum temulentia. Porrò Cynicus Alcidamus (jam enim erat potus) percõtatus quodnam esset nuptæ nomen, imperato magna voce silentio, conversis ad mulieres oculis, Præbibo, inquit, tibi Cleanthi, nomine ducis Herculis. Quod cùm risissent omnes, ridetis, inquit, ô scelesti, quòd sponsæ, Herculis dei nostri nomine, præbibi: imò illud sciatis velim, ni scyphum à me traditum accipiat, nunquam talem filium ipsi nasciturum, qualis ego sum, interrita fortitudine, mente libera, ita robusto corpore: simulque se ipsum ad ea usque quæ sunt maximè pudenda, renudabat, unde risus convivis denuo est excitatus: quem indignè ferens surrexit, acribus & efferatis intuens oculis, & pacem non amplius acturus videbatur. Et forsan alicui baculum illisisset, nisi commodùm illata fuisset ingens placenta, qua conspecta mitior fuit, & stomachari desiit, eaque se obambulans ingurgitabat. Iamque plurimi erant ebrii, & clamoribus perstrepebat convivium. Nam Rhetor Dionysodorus ibi quasdam orationes pronũtiabat, & à famulis ponè astantibus laudabatur. Istiæus verò Grammaticus, qui posterior sedebat, versus recitabat, & eôdem Pindari, Hesiodi, & Anacreontis carmina comportabat, ita ut una ex omnibus oppidò ridicula cantio reddita sit. Potissimùm verò illa, veluti futura prædicens: Commisêre simul clypeos. Tum illud, Tum verò clamorque virûm, luctusque coortus. At verò Zenothemis librum minutis elementis scriptum à puero acceptum legebat. Verùm cùm ij quorum partes erant edulia inferre, aliquantisper, ut solent, cessarent, Aristænetus sedulo curans, ne vel id interea temporis, aut otiosum esset, aut voluptatis expers, scurram accersi jussit, qui ridiculum aliquid diceret aut faceret, quò magis etiam exhilararentur convivæ. Moxque ingressus est deformis quidam deraso capite, paucos in capite pilos arrectos habens. Hic & saltavit se ipsum distorquens, & inuertens, quò majorem risum concitaret: & chori canticum componens, Ægyptica voce, recitavit. Tum iis qui aderant, dicteria jaculabatur: quorum alij ad scommata ridebant. Verùm ubi & in Alcidamentem simile quiddam contorsisset, catulum illum Melitæum appellans, indignatus ille (jamdudum autem illi videbatur invidere, quòd probaretur, & convivarum oculos retineret) abjecto pallio ad luctam provocavit: quod ni faceret, dixit se baculum illi illisurum. Ita miser ille Satyrio (nam id ei scurræ nomen erat) congressus luctabatur. Eaque res erat multò jucundissima, quod vir Philosophus cum scurra luctaretur, feriret, & vicissim feriretur. Eorum autem qui aderant alij pudore afficiebantur, alij ridebant, donec ictibus fatiscens Alcidamas, ab homuncione, omnium plausu comprobato, est superatus. Itaque hæc multo risu excepta sunt. Tum ingressus est Dionicus medicus, non multò post concertationem. Ajebat autem in mora sibi fuisse Polyprepontem tibicinem, quem phrenitide correptum curabat: & quiddam ridendum narravit. Dixit enim in ædes illius venisse se ignarum hoc iam morbo hominem teneri. At ilum protinus surrexisse, foribusque occlusis, strictoque gladio tibias ipsi tradidisse, & jussisse ut caneret: quod cum facere non posset, illum scutica quam habebat supinas manus percussisse. Tandem se in tanto periculo, istud commentum esse. Seipsum ad certamen provocasse, ea lege ut qui victus esset, certum plagarum numerum acciperet. Ac sese priorem malè cecinisse: deinde traditis illis tibiis scuticam ab illo accepisse: gladium autem extemplo per fenestras in aream projecisse: cumque postea iam minori discrimine cum ipso luctaretur, vicinos advocasse, à quibus revulsa fera fuit servatus. Ostendebat autem plagarum vestigia, & liventia quædam in facie tubera. Tum Dionicus, postquam hac narratione non minùs quàm scurra placuisset, propè Istiæum accumbens, de reliquiis cœnabat. Atque hic non sine numine nobis advenit, imò prorsum usui futurus ad ea quæ postea contigerunt. Nam puer quidam in medium prodiens, qui se ab Etœmocle Stoico venire dicebat, epistolium quoddam adferens, aiebat ab hero sibi mandatum, ut eo palam omnibus audientibus perlecto, rursus domum sese reciperet. Hic igitur permittente Aristæneto, ad lucernam legebat. *Ph.* Num ô Lycine, sponsæ laudes, & nuptiale carmen, cuiusmodi multa facere solent? *Lyc.* Videlicet nos quoque tale quidpiam existimabamus: verùm ad id non accedebat. Eratque hoc argumentũ. Etœmocles philosophus Aristæneto. Quàm non movear conviviis, omnis anteacta vita mea fuerit testis. Qui quidem cùm quotidie mihi complures ea causa molesti sint, te multò ditiores, tamen haud unquam illis morem gessi: perpendens nimirum quantum sit in eiusmodi compotationibus tumultus, & petulantiæ: verùm adversus unum te mihi videor merito stomachatus, qui tantum temporis à me officiosissimè cultus, & observatus, tamen indignum habueris, quem vel inter reliquos tuos amicos numerares, sed solùm ex omnibus præterieris, idque vicinus cum sim. Proinde tua causa magis discrucior, qui quidem te tam ingratum præbueris. Nam ipse fœlicitatem nequaquam in hoc statuo, siquis mihi impertiat, vel aprum, vel leporem, vel placentam, quæ mihi affatim contingunt apud alios, qui officia norunt. Quandoquidem etiam hodie cum apud discipulum Pammenem cœnare mihi licuerit, opiparam (ut aiunt) cœnam, non annui tamen vehementer obsecranti, tibi scilicet demens me reservans. At tu nobis præteritis, alios accipis convivio. Merito. Neque enim quid sit melius dignoscere potes: nec apprehensivam illam phantasiam habes. At scio unde hæc mihi sint profecta, nempe ab egregiis istis philosophis tuis Zenothemide, & Labyrintho. Quibus equidem (absit invidia dicto) vel unico syllogismo mihi videor os protinus obturare posse. Aut respondeat istorum aliquis quid sit Philosophia: aut hæc quæ inter elementa traduntur: quid habitio differat ab habitu: ut nihil de perplexis illis interrogationibus dicam: quid sit syllogismus cornutus, quid acervalis, quid metens Verum tu quidem istis fruaris licet. Nam ego qui quod honestum est, in bonis solum duco, facilè tulero contumeliam. Atqui ne possis posthac ad istam excusationem confugere, ut dicas te mei oblitum fuisse, nimirum in tanto strepitu, & occupatione, bis te hodie sum allocutus, primùm mane domi tuæ: deinde rursum in Castoris, ac Pollucis æde rem divinam facientem. Atque his quidem de rebus hæc responderim.

Quòd ſi tibi videor cœnæ gratia ſuccenſere : quid Oeneo acciderit cogita. Videbis enim etiam Dianam ſuccenſentem, quòd ille ſe ſolam non adhibuiſſet ſacrificio, cùm reliquos omnes Deos acciperet convivio. Nam hac de re ſic alicubi meminit Homerus.

Non meminit, vel non ſuccurrit, at acriter arſit.

Et Euripides.

Hæc terra Calydon Pelopij eſt ſoli, fretum
Quæ eſt parte, campos divites pingues habens.

& Sophocles.

Immiſit agris Oenei aprum maximum,
Torquens ſagittas eminus Latonia.

Hæc tibi è plurimis pauca citavi, ut intelligeres cuiusmodi præterito viro, Diphilum ad cœnam adhibeas, cui filium etiam tradidiſti. Rectè: jucundus enim eſt adoleſcenti, & cum ipſo ad gratiam converſatur. Atque adeò ni mihi dictu turpe fuerat, addidiſſem, & aliud quiddam: quod tu, ſi libet, è Zopyro eius pædagogo verum eſſe cognoſces. Verùm non convenit obturbare in nuptiis, neque accuſare quenquam: præſertim criminibus usque adeò pudendis. Tametſi Diphilus dignus in quem facerem, quippe qui duos jam diſcipulos à me retraxerit. Ego tamen ipſius Philoſophiæ cauſa reticebo. Porrò famulo huic mandavi uti ſiquam partem dare velles, vel apri, vel cervi, vel placentæ, mihi deportandam, ut hoc pacto te mihi de cœna purgares, ne reciperet, ne ad hoc ipſum à nobis miſſus fuiſſe videatur. Hæc amice dum legerentur, ſudor undique præ pudore mihi manabat, & quod dici ſolitum eſt, optabam ut mihi terra dehiſceret, cùm viderem eos qui aderant, irridere ſingula, potiſſimùm qui Etœmoclem norant, canum hominem, & gravitatem præ ſe ferentem. Itaque mirabar, quòd hactenus ipſos, barba & vultus ſeveritate deceptos latuiſſet cujusmodi vir eſſet. Cæterùm Ariſtænetus videbatur non per contemptum præteriiſſe ipſum: verùm quòd deſperaſſet, ſi fuiſſet invitatus, eum promiſſurum, morigerumque ad res huiusmodi ſe præbiturum: eoque ne tentandum quidem eſſe putaſſe. Perlectis à famulo literis universum conviviũ oculos ad Zenonem & Diphilum convertebat, quòd trepidarent, & pallerent, & vultus inconſtantia, crimen ab Etœmocle intentum agnoſcerent. Porrò Ariſtænetus quanquam erat perturbatus, & tumultu plenus, tamen nos jubebat bibere, idque quod acciderat commodè vertere conabatur, ſubridens interim, ac famulum dimiſit, reſpondens ea ſibi curæ fore. Paulò pòſt Zeno ſurgens clanculum ſe ſubduxit, à pædagogo ſubmonitus ut diſcederet, tanquam id jubente patre. Tum Cleodemus, qui iamdudum occaſionem quæritabat (nam geſtiebat omnino cum Stoicis conflictari: & diſrumpebatur, quòd idoneam anſam non haberet: ſed cùm præbuiſſet epiſtola illa, Huiusmodi, inquit, facit ille Chryſippus egregius, & Zeno ille mirabilis, & Cleanthes, verbula miſera, & duntaxat interrogationes, & ſpecies Philoſophorum. Cęterùm Etœmocles ſunt plerique: & videtis quàm graves ſint epiſtolæ. Denique Ariſtænetus hic Oeneus eſt. Etœmocles Diana. Dij boni bene auſpicata omnia, & feſtivitati congruentia. Ita per Iovem, inquit Hermon ſupra hunc accumbens, nam audierat, opinor, aprum quendam ad cœnam ab Ariſtæneto paratum, eoque putabat non intempeſtivè apri Calydonii factam eſſe mentionem: per lares Ariſtænete, primitias mitte quamprimum, ne protinus ſenex ille, ſicuti Meleager, fame contabeſcat: tametſi nihil acerbum ipſi accideret: ſiquidem Chryſippus cenſet hæc eſſe indifferentia. Chryſippum nominatis, inquit Zenothemis, erigens ſeſe, maximaque voce intonans: An ex uno homine qui non legitimè philoſophiam exercet, nempe præſtigiatore iſto Etœmocle, metimini Cleanthem & Zenonem viros ſapientes? At quinam eſtis vos qui hæc dicitis. Nonne tu Hermon, auream cæſariem Caſtoris & Pollucis circumtondiſti? cuius facti pœnas dabis, carnifici traditus. Tu verò, Cleodeme, nonne Soſtrati diſcipuli tui uxorem ſtupraſti? & deprehenſus, turpiſſima paſſus es. Annon igitur ſilebitis, cùm huiusmodi dedecorum vobis ſitis conſcij? Atqui meæ uxoris non ſum leno, Cleodemus inquit, quemadmodum tu. Neque hoſpitis diſcipuli, accepto viatico quod depoſuerat, poſtea per Palladem, à me non acceptum deieravi, neq; quaternis drachmis fœnero, neque diſcipulos obtorto collo in vincula duco, niſi in tempore mercedem perſoluerint. Verùm illud, inquit Zenothemis, haud quaquam poſſis inficias ire, te Critoni miniſtraſſe venenum quo patrem necaret. Tum ſimul bibit, & quicquid in calice ſupererat, circiter ferè dimidium, in ambos effudit. Proximus etiam Ion conſperſus eſt, eo malo non indignus. Hermon igitur de capite merum abſtergebat, reclinatus, præſentes omnes contumeliæ atteſtans. Cleodemus autem, cùm calicem non haberet, conversus Zenothemin conſpuit, & læva prehenſum à barba, erat alapam illiſurus: & ſenem illum occidiſſet, niſi Ariſtænetus manum cohibuiſſet. Is mox tranſcenſo Zenothemide inter utrumque medius aſſedit, ut eo veluti muro dirempti, pacem agerent. Dum autem hæc fiebant Philo, varia volvebam in animo: eratque illud in promptu, nullum eſſe operæ pretium ſiquis diſciplinas perdiſcat, ni ſimul & vitæ rationes ad id quod optimum eſt, componat: cùm viderem illos qui verbis alios antecellerent, quàm ridiculos factis ipſis ſeſe exhiberent. Deinde & illud veniebat in mentem, verumne ſit quod vulgo dicitur: videlicet eruditionem à recta ratione bonisque inſtitutis abducere iſtos, qui ſolos libros aſſiduò ſpectarent, easque commentationes quæ illis inſunt. Etenim tot Philoſophorum qui aderant, nullum fortè a lapſu immunem cernere erat. Verùm alii faciebant turpia, alii turpiora dicebant. Neque enim iam poteram eorum quæ fiebant, culpam vino authori imputare: mecum reputans cuiusmodi eſſent quæ Etœmocles neque cibo, neque potu, etiamdum deguſtato, ſcripſerat. Ita inverſæ erant rerum vices: & idiotæ modeſtè admodum epulantes videbantur, neque vino petulantes, neque indecorè ſeſe gerentes. At ridebant duntaxat, eosque opinor, damnabant, quos ſuſpexerant, ex habitu judicantes eos eſſe alicuius pretij. Contrà ſapientes illi, & in libidinem ferebantur, & convitiis certabant, & ſeſe cibo potuque ingurgitabant, vociferabantur, & ad manus usque veniebant. Cæterum admirandus ille Alcidamas, etiam in medio meiebat, fœminas non reveritus. Ac mihi quidem, ſiquis hæc quæ in eo convivio gerebantur, rectiſſimè voluiſſet conferre, ſimillima videbantur iis quæ de Eride Dea poëtæ fabulantur, nempe hanc quòd non eſſet ad Pelei nuptias advocata, malum in medium convivium projeciſſe, ex quo tam ingens bellum apud Trojam ortum fuerit. Itidem Etœmocles mihi viſus eſt, epiſtola illa, quaſi malo quopiam in medium proiecta, non minùs malorum, quam habeat Ilias, excitaſſe. Neque enim finem contentionis fecerunt, Zenothemis ac Cleodemus, poſtquam medius inter eos ſedit Ariſtænetus. Age, inquit Cleodemus, in præſentiarum quidem ſat eſt, ſi literas neſcire evincamini: ſed craſtino die vos ulciſcar quibus conveniet modis. Reſponde mihi Zenothemi, vel tu, vel elegantiſſimus ille Diphilus, qua tandem gratia pecuniæ poſſeſſionem inter indifferentia ponendam eſſe cenſeatis: cùm ex omnibus nihil aliud ſpectetis, quàm ut ipſi quamplurimum pecuniæ poſſideatis. Atque ob id, ſemper apud divites hæretis, fœneratis, & uſuræ incumbitis, neque non mercede docetis. Rurſus cùm voluptatem deteſtemini, atque hac de cauſa Epicureos vituperetis, turpiſſima facitis, & patimini voluptatis gratia, indignè ferentes ſiquis vos ad cœnam vocarit: & ſi vocemini, non ſat eſt tantum vocare, ut cibo turgeatis, niſi & famulis tantum donetis. Quæ cùm diceret, pariter revellere conabatur linteum quod Zenothemidis puer tenebat, omni carnium genere refortum: eratque eo ſoluto, carnes in ſolum proiecturus, niſi fortiter reſiſtens puer illud non remiſiſſet. Hìc Hermon. Euge Cleodeme, reſpondeant qua gratia damnent voluptatem, cùm ipſi ſupra cæteros omnes ſtudeant voluptati. Quin magis, inquit Zenothemis, tu Cleodeme, reſpondeto quamobrem divitias inter indifferentia numeres. Imo tu potiùs. Et ad hunc modum diu ſunt altercati, donec Ion, capite tandem in apertum prolato, deſiſtite, inquit, Ego, ſi libet, ſermonum argumenta proponam in medium hac feſtivitate digna. Vos porro citra contentionem viciſſim & dicite, & auſcultate, ut nimirum etiam apud Platonem noſtrum, alternis dicendi vicibus res ut plurimùm agitatur. Id dictum probabant cùm omnes qui aderant, tum in primis Ariſtænetus, & Eucritus, in ſpem erecti fore ut ab hac moleſtia liberarentur. Et Ariſtænetus priorem in locum ſeſe recepit, iam partam eſſe pacem ratus. Jamque nobis inferebatur ea convivii pars, abſolutam cœnam vocant, ſingulæ ſingulis aves, carnes aprugnæ, & leporinæ, piſcis Tagenicus, placentæ, breviter illa, quæcunque liberum eſt comedere, vel domum aſportare. Apponebatur autem non ſua cuique quadrula: verùm Ariſtæneto & Eucrito communis eadem in menſa: eratque utrique capiendum, quod ſua ex parte erat. Communis etiam Zenothemidi Stoico, & Hermoni Epicureo: deinceps Cleodemo, & Ioni: poſt hos ſponſo, & mihi. Diphilo autem pars duorum appoſita, cùm Zeno iam diſceſſiſſet. Hæc memineris Philo, quoniam aliquid iis ineſt ad hanc narrationem utile. *Ph.* Meminero ſanè. *Lyc.* Ergo primus exordior, inquit Ion, ſiquidem videtur. Et interpoſita brevi mora, Fortè conveniebat, inquit, ut apud eiusmodi viros de ideis, atque incorporeis ſubſtantiis, deque animi immortalitate ſermo haberetur: cùm ne mihi contradicant, ii qui diverſam Philoſophiæ ſectam ſequuntur, de nuptiis dicam ea quæ congruunt. Optimum illud eſſet, ſi nuptiis opus non haberemus, ſed Platonis ac Socratis dogma ſequuti, pueros amaremus: nam ſoli qui ita facerent, virtutem abſolutam pertingerent. Quod ſi viris omnino ducendæ ſint uxores, eas juxta Platonis ſententiam communes habeant, videlicet quo zelotypia vacemus. Hæc riſu ſunt excepta, quod intempeſtivè dicerentur. Tum Dionyſodorus, Non deſines, inquit, barbarica iſta nobis occinere? Nam ubi zelotypiam iſtam requiras, aut apud quẽ? Et tu ſceleſte, inquit, loqui audes? Et cùm iam, opinor, convitia regeſturus eſſet Dionyſodorus, quæ conveniebat, vir ille optimus Iſtiæus Grammaticus, Deſinite, inquit, ego vobis epithalamion recitabo: ſimulque cœpit legere. Erant autem Elegiaci verſus hi, ſi ſatis memini. Nuper Ariſtæneti in ædibus unica ſummo Nutrita eſt ſtudio diva Cleanthis hera: Virginibus cunctis reliquis præſtantior una, vel potior Phœbe, vel potior Venere. Salve & tu juvenum validiſſime, ſponſe valentum, Nereo prior, ac fortior Æacida. At rurſum vobis hoc carmen ſæpius olim, Commune ambobus coniugiale canam. Ob hæc riſu, ut conſentaneum eſt, oborto, reliquum erat ut fercula tollerentur. Tum Ariſtænetus atque Eucritus uterque appoſita ſibi ſuſtulerunt, ego quæ mihi, Chæreas quæ ipſi, pariter Ion & Cleodemus. Porro Diphilus etiam Zenonis digreſſi partem tollere parabat, affirmans ea uni ſibi fuiſſe appoſita, ideoque cum miniſtris pugnabat, & manibus utrinque iniectis inter ſe trahebant, non aliter quàm Patrocli cadaver hinc atque illinc attrahere conantes: tandem victus eſt, & reliquit, multum riſum præbens convivis: maximè cùm eam ob rem poſtea ſtomacharetur, perinde quaſi atroci affectus iniuria. Hermon autem, & Zenothemis, qui unà, ut dictum eſt, accumbebant: hic quidem, ſcilicet Ze-

nothemis superiùs, ille verò inferiùs, reliqua quidem quoniam æqualia fuerant apposita, citra pugnam sustulerunt. Sed avis Hermoni apposita, erat altera paulò pinguior, quod ita casu evenerat, opinor. Iamque suam uterque sublaturus erat, ibi Zenothemis (sed mihi animum omnino adverte Philo, iam enim ad ipsum negotii caput pervenimus) *Zenothemis* inquam, relicta sua, appositam Hermoni, quam dixi pinguiorem, sustulit. At ille contrà nitens retinebat, haud sinens ut ea in re potior esset. Inter hæc clamore coorto, utrique in alterum irruentes, ipsis avibus facies mutuò cædebant: ac barbis invicem prehensis ad opem vocabant, Hermon Cleodemum, *Zenothemis* Alcidamantem & Diphilum: atque alii ab huius, alii ab illius partibus steterunt, præter unum Ionem, qui se neutrum servabat. Cæterùm illi conferris manibus pugnabant. Ac *Zenothemis* quidem, appositum Aristæneto scyphum è mensa sublatum, proiecit in Hermonem, Atque hunc haud tetigit, aliò sed flexus aberrat. Verùm sponsi caput in duas partes divisit, aliò gravissimoque vulnere. Itaque mulierum orta est vociferatio, mediumque in prælium insilierunt multæ, cum primis autem mater adolescentis viso sanguine: sponsa etiam ei metuens prosiliit. Inter hæc strenuum se præbuit Alcidamas *Zenothemidi* opem ferens: & illiso suo baculo, Cleodemi quidem calvariam, Hermonis verò maxillam comminuit: & è famulis nonnullos ipsis opem ferre parantes, vulneravit: qui tamen non cesserunt. Verùm Cleodemus intentato digito Zenothemidi oculum effodit: tum admorsus narem mordicus avulsit. Porrò Hermon Diphilum Zenothemidi suppetias venientem è sponda in caput præcipitem dedit. Sauciatus est & Istiæus Grammaticus, dum eos dirimere conatur, calce videlicet in dentes illius illiso, idque à Cleodemo, cùm hunc Diphilum esse putaret. Iacebat igitur miser ille, Sanguinem ab ore vomens, ut eius Homerus ait. Præterea tumultus atque lachrymarum plena erant omnia: dum & mulieres eiularent, Chæreæ sponso circumfusæ, dumque alij has student compescere. Sed malorum omnium maximum erat Alcidamas, posteàquam semel ad suum rediisset ingenium, obvium quemque feriens: multique in eo prælio cecidissent, scito, nisi baculum is fregisset. Ego autem rectus stans ad parietem, videbam singula, neque me admiscebam, Istiæi doctus exemplo, periculosum esse conflictus istiusmodi dirimere. Lapithas itaque Centaurosque vidisses, everti mensas, effundi sanguinem, proiici scyphos. Demum Alcidamas subversa lucerna, maximas induxit tenebras. Iamque res, ut verisimile est, atrocior multò esse cœpit, cùm non facilè lumen aliud suppeteret, & multa ac gravia in tenebris commissa sunt. Et cum tandem aliquis lucernam afferret, deprehensus est, Alcidamas quidem tibicinæ vestem attollens, & per vim cum ea congredi properans, Dionysodorus autem, alio quodam in facinore ridiculo proditus est. Nam ut surrexerat, scyphus è sinu illius in solum decidit. Postea excusans, Ionem aiebat in tumultu calicem sublatum sibi tradidisse, ne amitteretur: Id ita factum studio asserebat Ion. His rebus dimissum est convivium à lachrymis in ridiculum exitum conversum: idque Alcidamantis, Dionysodori, & Ionis gratia. Tum qui erant saucii, malè se habentes sarcinæ instar deportabantur: maximè senex ille Zenothemis, pariter tum oculo, tum nare mutilatus, enecari se præ cruciatu clamans: adeò ut Hermon, quanquam ne ipse quidem expers malorum (nam huic duo dentes fuerant excussi) palam attestaretur: Memineris, inquiens, ô *Zenothemis*, ne posthac dolorem in mediis habendum ducas. At sponsus vulnere iam à Dionico curato, domum revectus est, fasciis revincto capite, eidem impositus vehiculo, quo sponsam erant abducturi. Atque ita miser ille amaras nuptias celebravit. Deinde etiam aliis pro sua virili remedium adhibebat Dionicus Et postquam dormivissent, plerique mediis in viis vomentes, asportati sunt. Cæterùm inibi remanebat Alcidamas: hominem enim extrudere non poterant, postquam semel sese in spondam abiecerat, ibique transversus dormiebat. Hic fuit, ô bone Philo, convivij finis. Quapropter rectè illud quod in tragœdia scriptum reperitur hîc dixeris. Sunt fortunæ varij casus, Multaque non sperata faciunt Dij: Nec sperata eveniunt. Nam hæc sanè non expectatum exitum sortita sunt Idque jam didici, non esse tutum, cui non sit opus, cum eiusmodi philosophis agitare convivium. *Titulo Symposij, sive Lapitharum.*

Lucianus: Pamph. Unde nobis ô Lycine, aut quidnam ridens advenis? Tu quidem semper es hilaris, verùm hoc solito majus videtur esse, de quo risum compescere nequeas. *Ly.* E foro advenio tibi Pamphile. Porrò mox efficiam ut tu quoque mecum rideas, simul atque audieris, cuiusmodi, Philosophorum inter se contendentium, litis actioni interfuerim. *Pam.* Iam isthuc ipsum profectò ridiculum est quod ais, philosophos invicem lites agitare. Cùm oportuisset, etsi res erat magni momenti, animo tranquillo controversiam componere. *Lyc.* Unde illi, ô beate, animo tranquillo litem diremissent, qui solida plaustra conviciis onusta, alter in alterum effuderunt, vociferantes, miraque pervicacia contendentes? *Pam.* Nunquid Lycine, de disciplinis pro more disceptabant, quòd essent diversæ factionis? *Lyc.* Nequaquam: sed aliud quippiam hoc erat. Nam eiusdem sectæ erant ambo, eiusdemque scholæ: & tamen orta inter eos lis erat, quam qui cognoscebant judices, erant civitatis optimates, natu maximi, & sapientissimi, apud quos quispiam inconcinnè loquutus pudefiat, tantum abest ut ad tantam impudentiam convertatur. *Pam.* Quin tu igitur litis argumentum exponis, quò videlicet ipse etiam cognoscam quæ res tibi tantùm risum concitarit? *Lyc.* Scis Pamphile salarium, idque neutiquam exiguum, ab imperatore fuisse constitutum singulis Philosophorum generibus, putà Stoicis, Platonicis, Epicureis, præterea Peripateticis, ità ut unicuique sectæ præmium esset æquale. Cæterùm demortuo ex his quopiam, alius in eius locum subrogandus erat, qui esset optimatum calculis probatus. Porrò præmium, non erat pellis bubula iuxta poëtam, nec porcellus: verùm singulos in annos decem millia nummorum, quos accipiunt, uti doceant juventutem. *Pam.* Hæc scio. Quin aiunt quempiam ex illis diem nuper obiisse: alterum, ni fallor, è Peripateticis. *Lyc.* Hæc ipsa Helena, Pamphile, propter quam illi certamine singulari conflictabant. Et hactenus nihil in illis erat ridendum, nisi quòd cum philosophos esse se profiterentur, ac pecunias contemnere, tamen earum gratia perinde atque pro patria in discrimen adducta, pro religione majorum, pro monumentis progenitorum decertarent. *Pam.* Atqui Peripateticorum istud est decretum. Non admodum esse negligendas pecunias, sed eas in tertio bonorum genere censendas. *Ly.* Rectè dicis. Nam ista quidem ajunt, & more maiorum bellum ipsis ortum est. Verùm quæ secuta sint postea, iam accipe. Primùm complures alii, in defuncti illius funebribus ludis decertabant: sed inter hos præcipuè duo viribus pares: puta Diocles ille senex: nosti quem dicam: contentiosum illum: præpterea Bagoas, qui Eunuchus esse videtur. Inter hos priùs de philosophicis decretis est decertatum: & uterque specimen suæ doctrinæ dedit, quo se Aristotelis dogmatum sectatorem esse ostendit. Ac per Iovem in hoc certamine neuter alterò superior erat. Quare litis exitus hîc fuit. Diocles desinens suæ eruditionis specimen edere, ad Bagoam transivit, ac vitam illius præcipuè arguere conatus est. Bagoas itidem istius vitam taxabat. *Pam.* Idque merito Lycine: siquidem eius rei magis erat habenda ratio. Proinde si ego causæ iudex fuissem, maiori studio ut mihi videtur, cum quæsivissem qui moribus præstantior, quàm qui in disputando promptior esset: atque illi potiùs quàm huic victoriam adiudicassem. *Lyc.* Rectè dicis: meque eiusdem sententiæ habes. Verùm ubi iam conviriis & maledictis essent satiati: tandem Diocles dixit, neque principio Bagoæ fas esse, utpote Eunucho, philosophiæ operam dare, eiusque præmia sibi vendicare. Imò hoc hominum genus, non solùm ab hoc contubernio secludendum: verùm ab ipsis etiam sacris, purisque vasis, & à publicis omnibus cœtibus eiiciendum censuit: ostendens inauspicatum quoddam, occursuque infaustum fore spectaculum, siquis mane domo egressus, quempiam huiusmodi videret. Atque hac de re multis verbis disserebat, affirmans Eunuchum neque mulierem esse, neque virum, sed quiddam ex utroque compositum, & conflatum, planeque monstrum, ab hominum natura alienum. *Pam.* Novum crimen narras Lycine. Iamque & ipse ad ridendum impellor, ô amice, tam inauditam accusationem audiens. Sed alter ille quid? num obticebat? an verò ipse ausus est ad ista respondere? *Lyc.* Initio quidem pudore ac metu (nam id istis est familiare) diutius obticebat, & erubescebat; cumque sudare manifestum erat. Tandem tenuem quandam ac muliebrem edens vocem, negabat æquum facere Dioclem, qui se quòd Eunuchus esset, à philosophia secluderet, cum qua mulieres etiam commercium haberent. Adducebantur Aspasia, Diotima, Thargelia, quæ causam illius adjuvabant. Præterea Academicus quidam Ennuchus natione Gallus, qui paulò ante nostram ætatem inter Græcos claruit. Verùm Diocles, etiam illum ipsum, si extaret, & simili curaret, etiam prohibuisset, nihil expavefactus opinione quam apud vulgus obtinebat. Idem etiam quædam commemorabat in eum à Stoicis, potissimùm verò à Cynicis dicta ad concitandum risum, de mutilo corpore. Hâc in re judicum cognitio versabatur & caput quæstionis erat, Num Eunuchus censendus esset idoneus qui ad philosophiam admitteretur, quique juvenibus præfici postularet. Cùm alter diceret oportere habitum, & corporis integritatem philosopho adesse, maximè verò gerendam illi esse promissam barbam, quò videlicet iis qui discendi studio accedunt, vir fide dignus appareat, non indignus decem illis millibus drachmarum, quæ ab imperatore capiuntur. Cæterùm Eunuchorum conditionem etiam quàm Spadonum esse deteriorem: siquidem hi virile quiddam aliquando sunt experti: at illi statim ab initio excisa est virilitas: estque anceps animal, non aliter quàm cornices, quas neque in columbis, neque in coruis annumerare possis. Alter contrà responderet, eo judicio non de corporis agi figura, sed de animi virtute, proinde mentis qualitatem, & dogmatum cognitionem esse expendendam. Eius rei testis citatus Aristoteles, qui Hermeam Eunuchum, Atarnensem tyrannum supra modum sit admiratus: adeò ut illi perinde atque Diis sacra fecerit. Ausus est & illud addere Bagoas, multò magis idoneum esse erudiendis adolescentibus eunuchum, cùm nullam ob ipsos calumniam recipere possit, neque Socraticum illud crimen in hunc competat, quòd adolescentulos corrumpat. Deinde quæ ille in mentum imberbe fuerat cavillatus, ea hic facetè, saltem ut videbatur retorsit. Etenim si è barbæ prolixitate, inquit, philosophos æstimare convenit, nimirum hircus ante omnes jure primas tenebit. Hîc tertius quidam astans (nomen hominis silebitur) Atqui iudices, inquit, iste malis lævibus, ac fœminea voce, reliquoque corporis habitu Eunucho assimilis, si vestes detrahantur, planè vir vobis apparebit. Alioqui mentiuntur qui ferunt eum aliquando in adulterio deprehensum, membra in membris, ut legum tabulæ loquuntur, habentem: atque id quidem temporis ad Eunuchum confugisse, eaque reperta late-

bra abſolutum fuiſſe, cum judicibus crimen perſuaderi non poſſet, ut qui è ſpecie hominem judicarent Eunuchum. At nunc mihi palinodiam canturus videtur, idque propter propoſitum præmium. Hæc cùm dicerentur, omnibus, ut par erat, riſus eſt obortus. Porrò Bagoas magis perturbatur, atque in colores verſus innumerabiles, frigido ſudore manans, omnem in ſpeciem ſeſe variabat: ac neque decorum ſibi exiſtimabat adulterij crimen agnoſcere, neque rurſum eam accuſationem inutilem ad præſens certamen arbitrabatur. *Pam.* Hæc Lycine, profectò ſunt ridicula, neque vulgarem vobis, uti conjectandum eſt, voluptatem prębuerunt. Verùm quò tandem res evaſit? Et quid ſuper his pronuntiarunt judices? *Lyc.* Non erat eadem omnium ſententia. Sed alij volebant ut nudatum illum, quemadmodum in emptitiis ſervis fieri conſuevit, inſpicerent, num quod ad teſtes attinet, philoſophari poſſet. Alii rem magis iſta ridiculam ſtatuebant: nempe ut mulieribus aliquibus è luſtro acerſitis, juberent illum congredi & coire, aſtante interim è judicibus quopiam, qui ætate provectiſſimus, & fide ſpectatiſſima eſſet, qui inſpiceret num philoſophum ſe præſtaret. Poſtea verò, cùm riſus omnes occuparet, & nemo non cachinnans ventre doleret, viſum eſt ut integra cauſa in Italiam reiiceretur. Et nunc alter, ut aiunt, ad eloquentiæ oſtentationem ſemet exercet, atque inſtruit, & accuſationem adornat, quodque ſuæ cauſæ maximè adverſatur, adulterii crimen commovet. Quod quidem facit iſte, more malorum rethorum, quum ex ipſo crimine adverſarium inter viros recenſet. At Bagoas, ut ajunt, diverſa curat, ac ſæpe virum agit, negotiumque præ manibus habet: & ſe tandem victoria potiturum ſperat, ſi modò docere poſſit ſe nihilo deteriorem eſſe aſinis equas ineuntibus. Id enim, amice, viſum eſt optimum philoſophiæ documentum, atque una demonſtratio, quæ refelli non queat. Proinde optarim ut filius meus, qui eſt juvenis admodum, non animum & linguam, ſed penem ad philoſophiam paratum haberet. *Titulo Eunuchi.*

Lucianus: Demonax omnibus Cypriis excelſior factus, & ſeipſum rebus pulcherrimis dignum ratus, ad philoſophiæ ſtudium ſe contulit, non per Iovem ab Agathobulo, neque à Demetrio ante ipſum, neque ab Epictero excitatus: ſed cum his omnibus eſt converſatus, præterea cum Timocrate Heracleota, ſapiente viro, eloquentia & ingenio ornatiſſimo. At Demonax, è nullo eorum, ut dixi, invitatus, ſed propria ad res præclaras alacritate, & inſito erga philoſophiam amore, ſtatim à puero permotus, omnia humana bona deſpexit: cumque ſe libertati, & loquendi fiduciæ totum tradidiſſet, in ea conſtanter perſtitit, cùm & ipſe rectam, ſanam, inculpatamque vitam viveret, & videntibus atque audientibus exemplum exhiberet, animum ſuum, veritatemque quam in philoſophando obſervabat. At non illotis, quod ajunt, pedibus, ad hæc ſtudia acceſſit: ſed & cum poetis fuerat enutritus, & plurima memoriæ mandarat, & in dicendo ſe exercuerat. Ea verò quæ in philoſophia tractantur, non paulum, neque ut eſt in proverbio, ſummo tantum digito attigerat, ſed exactè tenebat. Præterea corpus exercuerat, & ad tolerantiam laboribus aſſuefecerat. Breviter, Hoc curavit, ne alterius cuiusquam egens eſſet. Quare poſtquam ſenſit ſe ſibi non amplius ſufficere, ultro è vita migravit, multò de ea re Græcorum præſtantiſſimis ſermone relicto. Philoſophiæ verò non unam ſpeciem ſelectam colebat: ſed multis ad id commixtis, qua gauderet non patefecit. Apparebat quidem eum Socrati ſe magis addixiſſe, tametſi habitu, & vitæ frugalitate Diogenem æmulari videretur. Non tamen adulterabat ea quæ ad victum pertinebant, admirationis emerendæ gratia, utque ab iis reſpiceretur quibuscum verſaretur. Verùm ne tantillum quidem faſtu correptus, communi cum aliis vivendi ratione utebatur, & communibus reipub. legibus parebat. Porrò Socraticam ironiam non admittebat, ſed Attica gratia ſuas diſputationes implebat, ita ut eius diſcipuli abirent, nec contemnentes eum ut non generoſum, nec reprehenſionum eius ſeveritatem refugientes: ſed pervarii præ lætitia fierent, & longè modeſtiores, atque hilariores, deque futuro bene ſperarent. Nunquam itaque viſus eſt vociferans, aut ſupra modum contendens, aut indignans, etſi aliquis illi eſſet increpandus. Ipſa quidem peccata inceſſebat, ſed peccantibus ignoſcebat, petito à medicis exemplo, qui morbos quidem curant, iram verò in ægrotos non exercent. Exiſtimabat enim hominis eſſe peccare: Dei verò, & viri Deo paris errata emendare. Quare cùm ita vitam inſtituiſſet, nulla re indigebat: amicis verò, ubi par erat, operam præſtabat. Quorum ſiqui ſecunda fortuna frui viderentur, eos commonefaciebat, ne bonis ad breve tempus duraturis efferrentur. Eos verò qui vel paupertatem lugerent, vel exilium moleſtè ferrent, aut ſenectutem, morbúmve incuſarent, cum riſu conſolabatur, quòd non viderent brevi futurum ut ea quibus affliguntur, ceſſarent: bonorum autem & malorum oblivio, longaque libertas, omnes intra breve temporis ſpacium exciperet. Ipſi etiam curæ erat, diſſidentes inter ſe fratres conciliare, & uxoribus pacem cum viris firmare. Aliquando etiam apud populum ſeditionibus perturbatum concinnam orationem habuit, multosque illorum adduxit ut patriæ modeſtè ſubſervirent. Hoc modo ſe in Philoſophiæ uſu mitem, manſuetum & hilarem præbuit. Solummodo amici vel morbus, vel mors ipſum affligebat: quaſi maximum in rebus humanis bonum, amicitiam duceret. Ideoque amicus erat omnibus, nec fuit quisquam qui homo eſſet, quem familiarem non exiſtimaret. Plus autem, minúsve lætabatur, eorum ſolummodo conſuetudinem devitans, quotquot illi videbantur propter ſpem obſequij delinquere. Et hæc omnia ea cum gratia, & Venere faciebat, dicebatque, ut ſemper, juxta Comicum illud Suadela labiis illius inſideret. Itaque Athenienſium cùm omnis populus, tum magiſtratus, ſummopere illum mirabantur, eumque ut ex optimatibus quempiam ſemper conſpexerunt. Quanquam principio multos offendit, & odium non minus quàm à multitudine contraxit, propter libertatem, & loquendi fiduciam: & multi in illum Anyti & Meliti inſurrexerunt, qui eadem Demonacti obiiciebant, quæ illi olim Socrati, quòd nemo ſacra facientem illum animadvertiſſet, quodque ſolus omnium nunquam Eleuſiniis initiatus fuiſſet. Ad quæ viriliter admodum coronatus, nitidaque veſte amictus, & in concionem progreſſus, partim moderatè, partim aſperiùs, quàm pro ſua profeſſione, reſpondit. Etenim ad hoc, quòd nuſquam ſacra feciſſet Minervæ, Nolite mirari, inquit, Athenienſes, ſi priùs illi nunquam ſacrificaverim, neque enim illam oblatis à me ſacrificiis indigere putabam. Ad alteram verò accuſationis partem nempe myſteriorum, eam dixit ſibi eſſe cauſam, cur cum illis hactenus non fuiſſet feſtivitatis particeps, quia ſive mala forent myſteria, nondum initiatis non reticuiſſet, ſed ab orgiis eos avertiſſet, ſive bona, ea præ humanitate omnibus expoſuiſſet, adeò ut Athenienſes qui iam lapides in illum contorquendos præ manibus habebant, erga illum mites, & placidi evaſerint ilico: atque ex illo cœperint eum colere & revereri, denique admirari. Quanquam ſtatim ab initio orationis ad illos habitæ, aſperiore uſus eſt procœmio. Viri enim inquit, Athenienſes, cùm me iam videatis coronatum, iam me immolate. Etenim nunquam antehac litaſtis. Nonnulla etiam addere volo, ſcitè & urbanè ab illo dicta. Bonum autem fuerit à Phavorino, & iis quæ illi dixit incipere. Cùm enim ex aliquo Phavorinus audiſſet, illum ſuas diſſertationes ludibrio habere: maximè verò membrorum in illis nimium fractas delicias, ut non generoſam, at muliebrem mollitiem, ac Philoſophiæ minimè convenientem, Demonactem adiit, ab eoque quæſivit, quisnam eſſet à quo ſubſannaretur: homo, inquit, cui ſunt aures deceptu non faciles. Inſtante verò quodam Sophiſta, atque interrogante, Quibuſnam viaticis inſtructus ô Demonax, à puero ad Philoſophiam acceſſiſti: Teſticulis, inquit. Idem aliàs Demonactem adiit, & interrogavit, quam philoſophiæ ſectam magis amplecteretur. Quis verò, inquit, tibi dixit me philoſophari? jamque abiens ſuaviter admodum riſit. Ille verò interrogante quid eſſet quod rideret, Demonax ridiculum, inquit, mihi viſum eſt, ſi tu barba tenus judicandos putas philoſophos, qui barbam ipſe non habes. Sidonio etiam qui Rhetor Athenis olim clarus fuit, dicente in ipſius laudem, eum philoſophiam omnem eſſe expertum (malum autem non erit ea referre quæ dixit) Si me ad Lyceum vocarit Ariſtoteles, ſequar: ſi ad Academiam Plato, veniam: ſi ad Pœcilem Zeno, commorabor: ſi vocarit Pythagoras, tacebo. Surgens igitur è medio auditorum, Heus tu, inquit, nomine compellans, vocat te Pythagoras. Præterea Pythone quodam ex prætextatis Macedonibus, juvene formoſo illum provocante, ac quæſtionem ſophiſticam proponente, jubenteque ut ſyllogiſmi ſolutionem diceret, unum inquit, novi fili, quòd concluderis. Cumque ille indignaretur, ob ſcommatis ambiguitatem, & comminaretur, ſtatim tibi virum oſtendam. Hic verò ridens interrogavit. Etenim virúmne habes? Cùm etiam athleta quidam ab eo deriſus quòd florida veſte indutus cerneretur, cùm eſſet Olympiorum victor, illi vulnus lapide in caput inflixit, unde manavit ſanguis. Quod qui aderant indignabantur, ac ſi percuſſus quisque fuiſſet, & clamabant ut ad Proconſulem iret. Sed Demonax, Nequaquam inquit, viri ad Proconſulem, ſed ad medicum. Olim etiam cùm deambulando annulum inveniſſet aureum in via, appoſita in foro ſchedula, poſcebat ut qui annulum amiſiſſet, quicunque tandem illius dominus eſſet, veniret, & indicato pondere, gemma, & typo, eum reciperet. Venit ergo formoſus adoleſcens, qui ſe amiſiſſe aiebat. Qui cùm ſani nihil diceret, Abi, inquit, ô puer, tuumque annulum ſerva, etenim hunc non amiſiſti. Quispiam verò è Romanis ſenatoribus, cùm Athenis ipſi filium oſtendiſſet, valdè formoſum, ſed effœminatum & deliciis fractum: ſalutat te, inquit, meus hic filius. Tum Demonax, pulcher ille eſt, inquit, teque dignus, & matri ſimilis. Porrò Cynicum in pelle urſi philoſophantem, non Honoratum, quod illi nomen erat, ſed Arceſilaum vocandum cenſuit. Cùm quidam interrogaſſet, quis illi terminus fœlicitatis eſſe videretur, reſpondit, ſolum eſſe fœlicem eum qui liber ſit. Illo autem ſubiiciente multos eſſe liberos, At illum puto inquit, qui neque ſperat, neque timet quicquam. Ille verò, quomodo, inquit, hoc fieri poteſt? omnes enim ut plurimum his ſervimus. Atqui, inquit, ſi res humanas perpenderit, eas neque ſpe, neque metu dignas eſſe comperies, quum triſtia, & jucunda omnia ceſſaverint. Peregrino autem Protei filio ipſum objurgante quòd ſæpè rideret, & hominibus illuderet, dicenteque Demonax, nonne Cynicum agis? Reſpondit, Peregrine, nonne tu hominem? Phyſicum quoque de Antipodibus diſſerentem, ſurgens ad puteum deduxit, illique umbra in aqua demonſtrata, quæſivit, Numquid tales eſſe Antipodas aſſeris? Præterea quopiam magum ſe eſſe profitente, carminaque efficacia habere, quibus omnes illiceret, & exhiberet quæcunque vellet, Ne mireris, inquit, Nam eandem quam tu artem calleo, Et ſi placet ad piſtricem me ſequere, & videbis me unica incantatione, & exiguo pharmaco ipſam adducturum, ut mihi det panem nummum ignaens, æqualem cum incantationibus vim obtinentem.

Cùm

Cùm verò Herodes illustris, Pollucem immatura morte sublatum lugeret, currúmque vellet ipsi iungi, & tanquam ascensuro præstò esse, aggressus hunc, Demonax, à Polluce, inquit, epistolam tibi affero. Cùm autem ille gavisus esset, & putaret illum cum suo dolore in communi concurrere, dixit, Quid igitur ô Demonax, sibi vult Pollux? incusat te, quòd ad ipsum non proficisceris. Hic ipse, alteri filium lugenti, & in tenebris se coërcenti, dicebat se esse magum, & filij umbram ex inferis ipsi reducere posse, si tres tantum homines illi nominaret, qui neminem unquam luctu essent prosequuti. Cum ergo hic diu secum hæsitaret, siquidem, opinor, neminem hujusmodi proferre poterat, tandem ait, ô ridicule, an te solum intolerabilia ferri existimas, neminem videns luctus expertem? Quinetiam eos risu dignos censebat, qui in sermonibus utebantur planè vetustis vocabulis, & peregrinis. Itaq; cùm aliquando quempiam aliquid interrogasset, illéque plus quàm Atticè respondisset, Ego quidem, inquit, amice nunc te interrogavi, tu verò mihi, ut Agamemnonis tempore respondes. Dicente quopiam ex amicis, abeamus Demonax in fanum Æsculapii, pro filij salute oraturi, Valdè surdum, inquit, Æsculapium existimas, si non potest nos hinc precantes exaudire. Cùm aliquando duos vidisset philosophos magnopere ineruditos in quæstione altercantes, alterum absurda rogantem, alterum nihil ad rem respondentem, Nonne videtur vobis, inquit, ô amici, horum alter hircum mulgere, alter illi cribrum supponere? Cùm Agathocles Peripateticus sese efferret, quòd solus dialecticorum esset primus. Atqui, inquit, Agathocles, si primus, non solus, si solus non primus. Porrò cùm Cethegus vir Consularis, quando per Græciam in Asiam proficiscebatur, futurus patris in exercitu vicarius, ridicula multa & diceret, & faceret, Posteaquam ex amicis quispiam eadem videns diceret illum magnum scelus esse: per Iovem, inquit, Demonax non magnum, Cùm verò Appollonium philosophum aliquando conspexisset, cum multis discipulis in equo discedentem, quando accersitus abibat, ut regis esset præceptor, Accedit, inquit, Apollonius, ejúsque Argonautæ. Alio verò interrogante, num ipsi anima videretur immortalis, Immortalis, inquit, sed ut cætera omnia. De Herode dicebat verum dixisse Platonem, affirmantem haud unam nobis esse animam. Neque enim esse ejusdem animæ Regilaum & Pollucem, ut vivos epulis excipiat, & talia meditetur, Ausus est quoque aliquando Athenienses publicè interrogare, audita sacrorum præfatione, quam ob causam barbaros excluderent, idque cùm ea sacra Eumolpus barbarus & Thrax instituisset. Cùm etiam hyeme esset navigaturus, dixit quispiam ex amicis, Annon times ne submersa navi à piscibus devoreris? Atqui demens essem, inquit, si à piscibus depasci metuerem, cùm tot pisces ego ante comederim. Cuidam verò Rhetori pessimè declamanti, suasit ut exercitationi incumberet. Cùmque hic dixisset, semper apud me declamo, Meritò utique ista dicis, cùm auditore stulto utaris. Viso etiam vate qui mercedis, gratia publicè vaticinabatur, Non video, inquit, quamobrem mercedem exigas. Etenim si hoc nomine exigis, quasi aliquid ex fati decretis mutare possis, parum illud est, quantumcunque postularis. Sin autem omnia ut Deo visum est eventura sunt, quid potest tua vaticinatio? Quodam verò sene Romano corpore bene habito, armatam adversus palum pugnam commonstrante, & interrogante, Quomodo Demonax tibi pugnasse videor. Rectè, inquit, siquidem ligneum adversarium habebas. Quin etiam ad dubias quæstiones aptè erat comparatus. Interrogante enim quopiam ludibrii gratia, Si mille minas ligni combussero, Demonax, quot erunt fumi minæ? Pondera inquit, cinerem, & reliqua omnia fumus erunt. Polybio quodam, homine valdè indocto, & inepto, dicente, Imperator Romanorum civitate me donavit, Vtinam, inquit, te Græcum potiùs quàm Romanum fecisset. Cùm & prætextatum quendam vidisset, purpuræ latitudine superbientem, admoto illius auri capite, prehensaque veste, & commonstrata, inquit, hoc ante te ovis ferebat, & ovis erat, Cùm lavans in balneis, in aquam ferventem inscendere reformidaret, & quispiam eum ut meticulosum argueret, Dic mihi, inquit, Num pro patria id ipsum passurus eram? Interrogante quodam, Qualia in Orco esse existimas? Præstolare, inquit, indéque tibi per literas significabo. Cuidam etiam Admeto malo poetæ, dicenti se monostichon epigramma scripsisse, quod testamento mandasset inscribi suo cippo, quod referre non fuerit deterius.

Corpus humo tegitur, Admetus ad astra volavit,

Effuso risu, dixit, Adeò elegans, Admete, est epigramma, ut illud jam inscriptum esse optarim. Cùm vidisset quispiam eum cruribus innixum, prout accidere solet senibus, interrogavit. Quid hoc est rei? Demonax. Ille verò ridens, inquit, Charon me momordit. Intuitus Lacedæmonium servum suum flagris cædentem, Desine, inquit, servo tuo similem te ostendere. Cùm Danaë quædam fratri litem intenderet, judicio contende, inquit, Non enim es Danae Acrisii filia. In primis verò adversus eos pugnabat, qui non ad veritatis investigationem, sed ad ostentationem philosopharentur. Quare viso Cynico qui tritum pallium & peram habebat, pro baculo verò vehementer vociferabatur, dicebátque se Antisthenis, Crateris, & Diogenis esse æmulum, Ne mentiaris, inquit. Tu enim es Hyperidæ discipulus. Cùm athletas multos videret malè, prætérque certaminis legem pugnantes, atque non pancratio sed morsu decertantes, Non abs re, inquit, nostri temporis athletas, comitantes s[illegible]cii, leones appellant. Vrbanum quoque, simúlque mordax est illud quod Proconsuli dixit. Erat enim ex iis cui illita pice sunt crura, totúmque corpus. Cùm autem Cynicus quidam lapide conscenso, hoc ipsum illi obiiceret, ac impudicitiæ accusaret, indignatus Proconsul, Cynicum pertrahi jussit, quem aut fustibus contusurus, aut exilio mulctaturus erat. Verùm Demonax fortè interveniens, veniam pro eo deprecatus est, quòd pro consueta Cynicis loquendi libertate id ausus esset. Respondente autem Proconsule, Nunc quidem impune istum tibi dimitto: sed si posthac tale quippiam ausus fuerit, quas pœnas meretur? Tum Demonax, illum jubeto dropace inungi. Alteri cui Rex & castrorum & maximi exercitus imperium crediderat quærenti quà ratione quispiam optimè imperare possit, Si ira vacet, inquit, & pauca quidem loquatur, multa verò audiat. Sciscitanti cuidam num & ipse placentis vesceretur, Numquid existimas apes fatuis suos favos facere? Apud Pœcilen cùm statuam conspexisset manu mutilam. Tandem aliquando, inquit, Athenienses ænea imagine Cynægirum cohonestarunt. Quinetiam cùm Rufinum Cyprium, claudum illum dico, Peripateticum, vidisset diu in pergulis versantem, Claudo Peripatetico, inquit, nihil est impudentius. Cum aliquando Epictetus simul objurgando, suaderet ei ut duceret uxorem, & liberis procreandis operam daret, cùm hoc etiam viro philosopho conveniat, ut suo loco alterum naturæ relinquat, argutissimè ei respondit. Da mihi igitur, Epictete, unam tuarum filiarum. Illud etiam est memoratu dignum, quo Herminum Aristotelicum notavit. Etenim cùm sciret illum quovis scelere fœdatum esse, innumeráque flagitia perpetrare, Aristotelem verò, ejúsque decem categorias in ore semper habere, Hermine, inquit, decem categoriis revera es dignus. Atheniensibus aliquando consultantibus ad Corinthiorum imitationem de constituendo spectaculo gladiatorum, Ne priùs, inquit, Athenienses hæc decernatis, quàm misericordiæ aram subvertatis. Cùm in Olympiam aliquando venisset, eique imaginem æneam erigere decrevissent Elei, Nequaquam istud facietis, inquit, viri Elei, ne majores vestros afficere probo videamini, quòd neque Socrati, neque Diogeni statuam reposuerunt. Ipsum etiam hæc legum perito dicentem audivi, periculum esse ne sint irritæ leges, sive malis, sive bonis scribuntur. Etenim hi non egent legibus, illi à legibus nihilo meliores redduntur. Vnum potissimùm Homeri versiculum canere solebat.

Strenuus & segnis fato moriuntur eodem.

Laudabat autem Thersiten, tanquam Cynicum concionatorem. Interrogatus quis illi potissimùm ex philosophis probaretur, Omnes, inquit, admiratione sunt digni: verùm ego Socratem colo, Diogenem admiror, Aristippum amo. Vixit annos fermè centum, nullo morbo, nullo mœrore affectus: nemini ullam molestiam intulit; nihil à quoquam petivit: amicis officiosum se præbuit, nullũ unquam inimicum habuit. Atque ipsum amore tanto prosequuti sunt Athenienses atque universa Græcia, ut prætereunti magistratus assurgerent, magnumque silentium omnes agerent. Postremò, cùm jam esset senio confectus, non vocatus in quamcunque domũ incidisset præteriens, in ea cœnabat, & dormiebat: quam qui incolebant hoc aliquem esse Dei exortum ducebant, & bonum aliquem genium in ædes ingressum. Prætereuntem verò pistrices certatim ad se trahebant, unaquæque cupiens ut à se panem acciperet: & quæ dedisset, hoc sibi cedere fœlicitati putabat. Quinetiam illi poma solebant offerre pueri, patrem illum vocantes. Seditione verò Athenis aliquando orta, in concionem ingressus est: cumque solummodò apparuisset, silentium ipsis imposuit. Quos cùm resipuisse vidisset, nihil loquutus abiit. Porrò cùm intellexisset se sibi non amplius opem ferre posse, dicta ad præsentes, qua in certamine præcones uti solent clausula. Iam finis est pulcherrimorum munerum. certaminis: non esse differendum amplius tempus monet. Et cùm ab omnibus abstinuisset hilaris è vita migravit, & qualis obviis semper apparuit. Paulò verò antequam moreretur, interrogante quopiam, De sepultura quid imperas? Ne huius rei satagatis, inquit, etenim fœtor me sepeliet. Respondente autem illo, Quid igitur, annon turpe fuerit, si tanti viri corpus volucribus & canibus dilaniandam obiiciatur? Atqui nihil est absurdum, si mortuus quoque nonnullis animalibus utilis sum futurus. Cæterùm Athenienses magnifico funere illum elatum publicè sepelierunt, diuque luxerunt: ac sedem lapideam, super qua fatigatus quiescere solebat, adorarunt, & in viri honorem coronarunt, rati sacrum etiam esse lapidem, in quo sedisset. Nemo verò est qui funus non sit comitatus: ac potissimùm ex philosophis, qui suppositis humeris illum, tulerunt ad sepulchrum usque. Hæc perpauca ex multis commemoravi, ex quibus lectori colligere liceat, cuiusmodi vir ille fuerit. *In Demonacte.*

Maximus Tyrius: Crotoniata oleastrum amat Olympicam, navali victoria Atheniensis delectatur, Sparriata pedestri, venatione Cres, Sybarita luxu: Thebanus tibiis afficitur, Ionicus choris. Mercator aurum, vinosus vinum, elegantiores homines amores, qui cantu delectatur, cantum, dicendi studium orator sequitur. Scire igitur velim an & hoc animal, quod philosophum dicunt homines, nulla prorsus re delectetur. Lapidis mihi vitam narras, nedum ut animal, cui videre, cui vivere, cui moveri, cui sapere contingit: quod appetitu, sensu, cupiditatibus impellitur: hoc deceat. Dices fortasse, aliquid esse quo delectetur, quod uno tamen dici vix possit nomine. Beatitudinem nimirum.

Equidem simplicitatem lubet admirari tuam, si aliquem ex omnibus quos jam commemoravimus in suis quas persequitur voluptatibus, cessurum tibi esse existimes: ac non responsuros esse pro se singulos, hunc quod certet, hunc quod laborem subeat, hunc quod negotietur, hunc quod venetur, hunc quod agriculturæ, hunc quod militiæ nomen dederit, alium quod amet, alium quod canet, alium quod dicat solius causa beatitudinis. Nisi forte illum ipsum Sardanapalum existimes, cum effœminato isto corpore, cum oculis patrantibus, cum implexa cæsarie: qui in purpura defossus, in regia sua conclusus, in media pellicum turba versatur, aliud quid proposuisse sibi, præter beatitudinem. Nec enim volens infelix fuit. Quid ille qui Oceano conviciatur, qui Apin mactat, aliud cum hæc faceret, quàm beatitudinem sectatus est? Ego quidem Xerxen vel cum ipso Iove de beatitudine audacter certaturum fuisse non dubito: tam videlicet sibi felix vel propterea videbatur, quod aliquot navibus, tanquam ponte, aquam stravisset: Europam Asiamque brevi & mox perituro conjunxisset vinculo. Et enimvero cum ejusdem apud Homerum dignitatis sit Neptunus cum Iove: ab hoc (quæ insania est hominis) vapulat, in vincula conjicitur. Quid reges commemoro Barbaros? Nonne Pisistratum vides, qui & Græcus & Atheniensis est quo studio in arcem quotidie currat: non aliter quam si beatitudinem ibi cum antiqua Minervæ olea defossam putaret. Et licet voto frustretur, non tamen propterea desinit. Quid quod Polycratem ne regis quidem Ægyptiorum monita in officio continere potuerunt, quo minus se efferret, magnificeque de felicitate sentiret sua: quod Ionicum mare & in eo plurimas triremes haberet, quod palam annuli preciosam, quod in amicis Anacreontem, in deliciis haberet Smerdiam. Sed fortasse venia danda est principibus, quod à luxu & voluptate speciosis decepti videantur malis. At vero non audis quibus laudibus Æacidas Homerus prosequatur, quos dicit,

Non secus ac epulis gaudere horrentibus armis.

Iam quid bello minus est amabile? Et tamen res tam odiosa, tam invisa, non postremæ sortis amatores habuit. Qualis postea Philippus fuit, qui cum in Macedonia manere, in Amyntæ bonis, in Perdicæ felicitate vitam potuisset agere, alibi eam per ambages plurimas, tanquam in tota Macedonia non esset, quærere maluit. Huius videlicet causa cum Triballis pugnavit, Illyrios invasit, Byzantium obsedit, Olynthum evertit, Athenienses fefellit: cum Thessalis se conjunxit, cum Thebanis fœdus iniit: Elateam occupat, Phocenses perdit, pejerat, mentitur, mutilatur. Nullum tam scelestem aut dictum aut factum erat, à quo abstinendum sibi Philippus putaret: ne dedecus quidem aut infamia. Quæramus ex Philippo, cuius rei gratia tantum subeat molestiæ, tot in rebus gerendis pericula, tot incurrat mutilationes corporis. Infelicitatem tibi proponis? Ridiculum est hoc quærere. Quamvis enim quod quærebat non inveniret, non aliud tamen eum impulit. Hujus causa & Alexander, Europam, tanquam bonorum omnium sterilem relinquendam sibi putavit: in Asiamque transivit: quasi vero Sardibus inter auri ramenta, aut in Caria, inter Mausoli thesauros, aut in Babyloniorum muris, aut in Phœnicum portubus, aut Ægyptiorum littoribus, aut in Ammoniorum arenis defossa jaceret felicitas. Quid quod nihil illi satis esse potuerit, non Dari fuga, non Ægypti expugnatio, non Ammon pater, non Babylonis deditio, quo minus cum exercitu in Indiam excurreret. Quæramus causam ex Alexandro cur tantopere discurrerat. Quid petis? quid proponis tibi? quid tam studiose sequeris? Aliúdne dicturus est, præter beatitudinem? Reges relinquamus & principes. Nonne eadem in plebe vides? Nonne eodem omnes festinant undique? An alio fine hunc terra, illum mare occupatum tenet? Alius militare, alius literis vacare mavult: hic uxorem ducit, ille liberos nutrit.

Vt omittam eos qui ex rapto vivunt, qui contumeliis gaudent: qui munera captant, quos stupra delectant, qui mercede addicunt operam. Quorum plerique difficilem plenamque periculorum ingrediuntur viam: & ut verius dicam, per præcipitia & manifestas abyssos incedunt. Qui licet infelices judicentur ab aliis, sponte hoc & non ignari faciunt. Et tamen omnes, quos hactenus diximus, aliquid agere videntur. Quid iam de ociosis illis, qui sine certo vitæ scopo oberrant passim, dicendum putas? An hos ipsos sine spe aliqua boni consequendi vivere arbitraris? Non ita me Deus amet. Frustra namque adulator tanto negocio alienæ serviret libidini, frustrà suaviludius aliquis admirationes & risus tam diligenter excitare & movere tentaret: membra sua inflecteret ac distorqueret circulator, ut artes suas venditaret & miracula: alius denique quivis, qui magno labore nugas agit. Sic Babylonem ad Persarum regem venisse dicitur quidam natione Ionicus: qui mirificam quandam vellet ostentare artem. Offulas habebat parvas rotundasque, quas in hunc usum fecerat: eas tam certo ictu in mucronem acus ex distanti loco dirigebat, ut nunquam ab acie eius aberraret. Neque minus magnifice de hac acu sua eiusque arte sentiebat, quam Achilles de hasta sua, quam ex Pelio monte Homerus illi fabricavit.

Rursus in Lybia quidam eius regionis fuit, Psaphon nomine, qui felicitatem ambiret, non parvam quandam, me hercules, aut quam vulgus hoc affectat, sed ut videri Deus posset. Plurimas itaque, quas canoras esse judicabat maxime, aves collegit: easque canere hæc verba docuit: MAGNVS DEVS PSAPHON. Atque ita edoctas rursus in priorem locum demittebat. Itaque tum ipsæ hæ tum aliæ, vocem earum imitatæ, hoc canebant. Ibi Libyes, qui divinum hoc augurium esse judicabant, Psaphoni continuo rem sacram facere: atque ita comitiis avium Libycus Deus designatus est Psaphon. Quamvis hac in parte nihil regi Persarum debeat, quem non prius adorare Persæ voluerunt, quam rex à libidinoso equo creatus est. Sic cum nihil in rebus sit humanis, in quo non diversum aliquid ab alio invenias: in eo tamen conveniunt, quod ut communi amore bonum omnes prosequuntur, ita varia eo diversaque via tendant: nec ullus sit propemodum, qui vel idem agat, vel fortunam eandem sequatur. Sic cum omnibus unus sit boni ipsius amor insitus, non tamen hic magis quod quærit quam ille consequitur. Sed ut qui noctu aurum aut argentum quærunt, neque lumen habent, quo quod quæritur dignoscant, sed ex pondere tantum & tactu conjecturam faciunt incertam: pugnis sæpe & dentibus inter se velitantur. dum nemo quod in manu habet vult dimittere, ne forte habeat, neque à quærendo abstinere, ne forte non habeat.

Hinc tumultus oritur & contentio, hinc clamores diversi: dum alij adhortantur, alij quærunt, alij gemunt, alij insequuntur alios, alij lamentantur, alij rapiunt, aliis eripitur. Sæpe omnes clamant præ gaudio & victoriam canunt, tanquam bonum omnes repererint, cum tamen habeat nemo. Rursus tam incerti sunt omnes, ut singuli in verba inquirant singulorum. Hoc est illud quod terram turbat & mare, hoc est quod conciones convocat, judicia cogit, implet carceres: naves fabricat, triremes deducit, aciem instruit. Hoc est quod equis suis equites, aurigas curribus, arcibus imponit tyrannos. Hinc imperatores, hinc milites,

Qui mactent homines: urbem depascitur ignis,
Abducunt pueros alij, comptasq; maritas.

Infinita denique alia mala sunt, quæ propterea hominibus eveniunt, quod sperent bonum & ignorent. Expectationem namque boni, tanquam scintillam aliquam, mortalium animis inseruit Deus: inventionem vero abscondidit.

Nigra illa radix, par flos albedine lactis.

Non enim me decipiet Homerus, quamvis alio utatur nomine. Scio quid sibi velit illud moly: intelligo hoc quod obscurius ab eo dicitur, nec me latet, quam difficilis inventu hæc res sit,

Mortali generi, superi namq; omnia norunt.

Nunc hominibus de frivolo nescio quo lebete, qui apud Lydos coquitur ora, cula reddit Apollo. Nunc de muro ligneo, nunc de Isthmi angustiis, nunc de futuro terræ motu, nunc de imminente bello, nunc de pestilentiæ adventu. Quæ vero his omnibus potiora sunt oracula, quo pacto vitari bellum possit, quo pacto muro ne opus quidem habeamus, quo pacto pestem ne timeamus quidem; sola hæc reticet. De his neque ex Delphis Apollo, neque ex Dodona Iupiter, neque alia è terra oracula mittit alius Deorum aliquis. Quæ de his respondet sola philosophia est. O pulchra oracula, ò divinationem multo utilissimam! Cui hac conditione credam, ut nullam in ea ambiguitatem deprehendam. Peto certum, peto sine repugnantia ulla oraculum. Ego quod vitæ securæ transigendæ rationem doceat, oraculum requiro. Responde, quo mittas mortale genus, qua via sit eundum, quem ad finem. Sit modo unum, sit modo omnibus commune. Nunc multas video philosophiæ colonias, aliumque mitti alio. Sicut in Bœotiam Cadmus, Syracusas Archias, Tarentum Phalanthus, Miletum Nileus, Rhodum versus Tlepolemus. An vero terram diversis locis distingui, aliosque aliam ejus occupare partem, necesse est: bonum vero unum, inseparabile, copiosum, nullius rei est egenum: tale denique, ut omnibus qui ratione menteque sunt præditi, sufficiat abunde. Sicut sol unus, unum est bonum omnibus qui vident, Musica una, bonum unum omnibus qui audiunt, una sanitas, omnibus qui carne sunt vestiti. Iam & alijs animalibus, prout in greges suos divisa sunt genera, unum ad conservationem sui seorsim concessum est bonum. Æqualem vitam ducunt, eundem finem sequuntur omnia quæ inter se sunt similia, cum singulis singula. Sive ea videas quæ volant, sive quæ incedunt, sive quæ repunt: tam ea quæ in aquis degunt, quam quæ carnibus aut herbis pascuntur: quæcunque gregratim vivunt, quæcunque mansueta, quæcumque agrestia sunt; sive illis cornua addas, sive demas. Quod si vitam eorum mutas, naturæ vim infers. At vero humanum gregem, qui maxime societate conservatur, omnium maxime mansuetus est, communitate gaudet maxime, ratione præ cæteris est præditus, non solum vulgares cupidines, & brutales appetitus vanique amores disiungere possunt ac divellere: sed & illa, quæ omnium rerum stabilissima habetur, Philosophia, in plures populos; studiosos sui secat, diversis eos legislatoribus tradit, totum gregem dissipat. Alium ablegat alio. Pythagoram ad Musicam, ad Astronomiam Thalen, in solitudinem Heraclitum, ad amores Socratem, ad castitatem Carneadem, ad labores Diogenem, ad voluptates Epicurum. Videsne magnam ducum copiam, videsne diversas tesseras? Quo me vertam? cui me tradam? cujus imperiis me dicto audientem dabo? *Dissertatione 19.* Quis sit philosophiæ finis.

Maximus Tyrius: Veram invenire rationem est difficile. Plerunque enim id evenit homini, ut quo fœcundiore sit ingenio, eo minus valeat judicio. Et reliquæ quidem artes, in iis circa quæ versantur singulæ, cum ipso progressu plura semper inveniunt quotidie.

Philosophia quo plus proficit, eo contrariis magis ambiguisque abundat argumentis. Non aliter quam agricolæ, qui instrumenta cum habent plurima, minus fœcundo tamen agro utuntur. Et civilia quidem judicia, sententiæ judicum ac corona, tum pigmenta oratorum populique dirigunt suffragia. Hic vero quis nobis judex erit, qua tandem verum à falso distinguemus sententia? Ratione? At nullam invenies cui non dari possit contraria. Affectione? Parum fidum narras judicem. Multitudine? plures hic indocti sunt. Opinione? Deterioribus favet illa. Ecce tibi, vel in hoc ipso de quo agimus, cum voluptas inter se virtusque contendant atque inter se componantur, nonne & vi sua virtutem ejicit voluptas, & opinione vulgi superior evadit, & numero vincit testium, & vehemenius afficit? Illud vero quod restat, in quo omne virtuti est præsidium, ipsa ratio, non minus secatur, non minus dividitur, nec raro suum voluptati defert patrocinium. Invenies aliquem qui ornate pro voluptatibus dicat, virtutem vituperet, & quod dici solet, à viris ad fœminas transferat imperium. Simulque & habitum mutet philosophi, & retineat nomen. Relinque, mi homo, una cum oratione tua & nomen. Ipsa fundamenta evertis. Nihil philosophiæ cum voluptate est commune. Alius est voluptaris, alius sapientiæ studiosus. Distincta sunt nomina, distincta sunt opera, distinctum est genus. Sicut aliud est Laconicum quam Atticum, aliud Barbaricum quam Græcum. Si enim Spartiatam te esse dicas, aut Græcum, aut Doricum, aut Heracliden, & tiaram tamen admireris Medicam, aut mensam Barbaricam, aut essedū Persicum, jam ad Persas deficis, transis ad Barbaros: Pausaniam exuisti, Medus es, es Mardonius. Depone & nomen cum genere. Et vulgus quidem cum voluptatem laudaat, facile ferre possum. Animus enim illis illiberalis est, rectæque rationis penitus ignarus: cujus miseriam deplorare, cujus ignorantiæ possis ignoscere. Epicuri vero nomen cum recordor, ferre hominem non possum. Nec enim philosophiam admitto, quæ lasciviat. Sicut imperatorem non fero stationem qui deserat, tantumque in fuga dux sit, nec agricolam qui segetes suas incendat, nec gubernatorem qui marinos metuat fluctus. Navigare oportet, imperare oportet, terram colere oportet. Laborum plena hæc sunt omnia. Nihil quod pulchrum, quod honestum sit ab ignavia producitur. Quod si ea quæ honesta sunt voluptates dicas sequi, concedam. Sequantur: dummodo ubique præcedat honestas:

—— rex unicus esto.

Et dominus, cuicunq́ dedit ——

Iupiter ut regnum gerat. Nam si ordinem confundas, ut imperet voluptas, morem gerat ratio, durum animo tyrannum & inexorabilem præficis. Cui ubiq; & sine excusatione ulla serviendum est: etiam cum fœda & injusta imperat. Quem enim voluptati terminum præscribes, quæ à cupiditatum vires sibi assumit licentia? Insatiabilis hic tyrannus est: qui & quæ adsunt despicit, & quæ non adsunt desiderat. qui & abundantia accenditur, & spe erigitur, nimiaque lascivit copia. Hic tyrannus contra honestatem irritat turpitudinem, cōtra justitiam armat injustitiam. Nihil enim est quod facilius sibi satis fieri patiatur, quam corporis necessitas. Sitit aliquis? ubique fontes sunt. Esurit aliquis? ubique fagi sunt. Sol ille quem vides quavis penula calidior est. Hæc prata quovis spectaculo amœniora sunt. Hi flores genuinum odoris oblectamentum sunt. Et hactenus quidem voluptati præfigi potest terminus: ipse nimirum usus. Quem si semel transcenderis longiusq; processeris, liberum voluptati cursum nullisque definitum spatijs concedis, virtutemque penitus intercludis. Hoc est quod plus habendi semper sitim excitat, hoc est, quod tyrannides creat. Sicut nec regio angusta Pagasardæ Persarum regi, neque Cyri sufficit nasturtium: verum universa voluptatibus illius vectigalis est Asia. Nisæos illi equos alit Media, meretriculas Græculas Ionia, Barbaros eunuchos educat Babylon: artes cujuscunque generis subministrat Ægyptus, ebur suum Indi, odores Arabes. Ne ipsi quidem nihil voluptatibus illius suppeditant fluvij. Pactolus aurum, triticum Nilus, aquam præbet Choaspes. Quid quod ne hæc quidem illi sufficiunt, quin peregrinas amare incipit voluptates? Atque eo fine Europam petit, Schytas persequitur, Pæones evertit, Eretriam capit, navibus Marathonem invadit, ubique obertat denique. O deplorandam in homine paupertatem! Quis enim pauperior illo esse potest, qui nunquam concupiscere desinit? Animus enim humanus cum semel ultra quam flagitat necessitas, voluptates gustaverit, priora semper negligit, optat nova. Vt revera Tantali de hoc mutato nomine narretur fabula. Quid enim aliud est, quam perpetua sitis ejus hominis, quem explere voluptas non potest? quid aliud quam cupiditatum aqua, quæ fluit semper aut refluit: quæ tristissimis semper imbuuntur curis, tumultu, ac metu. Si adsit voluptas, times ne abeat, si absit, times ne non veniat. Vt eum qui hæc sectetur, nec dolore vacare unquam, nec ullas sentire voluptates sit necesse, perpetuaque in confusione rerum & ambiguitate versari. Iam cogita quem qualemque animo præficias tyrannum. Vt si Critiam loco Solonis Atheniensibus, ut si Pausaniam loco Lycurgi præficias Lacedæmonijs. Ego enim qui libertatem amo lege opus, opus ratione habeo. Hæc erectam immobilemque felicitatem servabit mihi; sine metu ullo, nullius indigam auxilij. Non dejectam animo, non quæ illiberalibus se submittat artibus: à quibus tanquam rem magnam, paulatim voluptatem emendicet suam. Non frustum panis tantum, ut mendicus ille Homericus, me hercules,

—— Non enses magnosq́ lebetes.

solum, sed quæ etiam his absurdiora sunt. Obsonium à Mithæco videlicet, vinum à Sarambo, citharam à Conno, cantum à Milesia. Et quis erit horum modus, quis felicitatis ejus quæ ex voluptate oritur terminus? Vbi[tandem consistemus]? cui deferemus præmium? Quis tam beatus ille, tam vigil, tam industrius, quem nec noctu nec interdiu ulla latet aut præterit voluptas? Qui omnem animum, omnes sensus, non aliter quam flagella sua marinus polypus, eo intendit, ut omnes simul quæ ubique sunt attrahat voluptates. Fingamus, si videatur, hominis quem voluptatum beat felicitas, hujusmodi imaginem. Vnum esse qui eodem tempore colores videat iucundissimos, sonos audiat suavissimos, naribus odores percipiat gratissimos, succos gustet diversissimos, tepore foveatur iucundissimo, venereæ rei sit intentus. Si enim spatium concedas intermedium, separesque voluptates ac disiungas sensus, enervas voluptatem. Cujus enim juvat præsentia, ejus necessario nocet absentia. Quis ergo tam firmus est animus, ut tantum voluptatis ferre possit impetum, quæ quietem nullam, respirationem admittat nec minimam? Quis miserrime cum hoc agi non intelligat, futurumq; ut ociari aliquando & vacare ipse desideret? Quæ enim diutius perseverat voluptas, fit molestia. Quid ergo miserius ea esse voluptate potest, quæ commiseratione digna videtur. O Jupiter Diique reliqui, patres artificesque terræ & maris, quæq; vigent in illis, quodnam hoc est animal, cui hunc locum, hanc vitam tribuistis? Quam audax, quam temerarium, quam loquax! Bonum non respicit, quod agendum est prætermittit, voluptatibus pascitur: sicut ducem suum populus, ita hanc sequitur.

Debuerat nasci nunquam vel coniugis expers

interire totum hoc genus: si nihil voluptate à vobis maius poterit consequi. Quomodo autem non posset? Respondeamus enim cum Homero pro Iove. Habet, inquam, habet mentem, habet rationem. vita prætерea eius ex mortalibus constat immortalibusque principiis. Estque tanquam animal in medio utriusque positum: quod ab humana quidem contagione corpus deducat, è divino autem fonte mentem. Jam corpori proprium est voluptas, menti ratio. Et corpus quidem cum brutis commune habet, peculiarem autem sibi mentem. Quare ibi quære bonum hominis, ubi eius est operatio: Ibi operationem, ubi instrumentum, ibi instrumentum, ubi eius conservatrix pars est Ab ea iam incipe. Utrum alterum conservat, corpus anima, an animam corpus? Conservatricem invenisti partem.

Quod animi instrumentum est? Mens. Operationem quære. Quæ mentis operatio est? Prudentia. Invenisti id quod bonum dicimus. Si quis vero hanc in homine partem, quæ prudentiæ capax est, quæ Deum respicit, contemnat, fœdam illam alteram (corpus nimirum) voracemque quæ voluptates curat, velit pascere, cui hoc dicemus esse simile? Fabulæ huic me hercules. Fingunt in Thessaliæ Pelio fuisse homines poetæ, monstroso corpore, qui ab umbilico equi pone attrahebant formam. In eiusmodi forma monstrosa necesse fuit belluinam una saginare partem: loqui quidem ut hominem, saginari autem ut belluam. Videre ut homines, coire ut belluas. Euge poetæ, poetarumque filij, antiquæ generosæque Musæ primi parentes: quam manifeste nobis illud quod voluptatibus nos coniungit ostendistis vinculum. Simulac enim belluinæ imperant animo libidines, formam quidem integram relinquunt, sui vero obsequio eum qui utitur hominem in belluam convertunt. Hoc sibi Centauri volunt, hoc Gorgones, hoc Chimæræ, hoc Cercopes. Deme ventris libidinem, belluam demsisti homini. Deme penis, belluam amputasti. Dum vero vivunt una cum aliquo ac nutriuntur illa, quem in obsequium traxere sui, in eo necesse est cupiditates eorum dominari, animumque voces eorum persona. *Dissertatione 34. Quis sit philosophiæ finis.*

Maximus Tyrius: Quid causæ est cur nihil delinquere aut absurdi committere histriones putentur, qui Dionysiis poetarum repræsentant fabulas: quod nunc Agamemnonis, nunc Achillis vocem exprimant, Telephi subinde aut Palamedis personam induant, aut aliud quodcunque drama postulet: semperque iidem cum sint, alii tamen videantur? Quod si quis ludos Bacchicos reliquasque delectationes theatro malit relinquere, aliamque in vita communi esse existimet fabulam, quæ non jambis medius fidius aliquot, quos festi unius causa poeta aliquis consarcinavit ex arte, aut cantiunculis, quas apte inter se chorus moduletur, sed ipsa vita ejusq; constet actionibus, quæ philosopho digna esset fabula (ut pote argumento verior, tempore perpetua, nec ex poetæ repræsentanda præscripto, sed ipsius Dei) si quis ad actionem dico hujus fabulæ veniat histrio, primasque in choro sibi sumat, qui & dignitatem poetæ tueri, diversisque orationis gestibus res omnes quæ à Deo in hoc conscriptæ sunt dramate, commodè exprimere posset, meritone reprehendi deberet hic homo aut vafer haberi? Vel qualem Protea describit suum Homerus, quem heroem facit marinum, qui in formas omnes transit, omnes in naturas? An vero aliter hic agitur? Vt, exempli gratia, si nemo sine arte Musica eiusque ad felicitatem pervenire posset scientia, adesset autem aliquis, qui Doricos quidem modos teneret omnes, in Æolicis autem, si quando eos ars quæ varia est requireret, obmutesceret, nullus eius hominis usus in arte ea esset quæ diversitatem vocum ac varietatem requirit.

Cum vero Musices eiusque quæ ex modulationibus hauritur voluptatis usus sit exiguus hominibus, sed robustiore quadam Musa sit opus, quam Calliopen Homerus, philosophiam Pythagoras, alio alius appellat nomine: tali ergo, quem afflaverit hæc Musa hoc studium, si & dignitatem tueri eius, & nunquam suam silentio confiteri velit imperitiam, minus quam vulgaribus istis, ad omnia vocum modorumque genera accommodandam esse vitam arbitramur? Si enim ita se res ferrent, ut in tam longo perpetuoque ævo pars vitæ esset quæ philosophia opus non haberet, fortasse diversa hac multimodaque nihil esset opus modulatione Musica. Si res humanæ vultum servarent suum, si eodem modo procederent, non ut voluptatem mœror, mœrorem voluptas, casum casus exciperet. Atque hæc ipsa sursum secum deorsumque mentem singulorum traherent.

Talis mens hominum terræ quos sustinet uber,
Qualem cottidie genitor velit esse Deorum.

Conversionem enim rebus quotidie humanis inducit Deus: nec alia quam in diem earum est conditio. Quippe sicut fluviis qui è perpetuo oriuntur fonte, nomen unum est, Spherchius videlicet, Alpheus, aut simile, nova autem semper aquarum accessio, quarum hæc transiit, illa accedit, oculis imponit, ut unum idemque esse videatur flumen: eodem modo è perenni res humanæ fonte, mira quadam perpetuaque velocitate fluunt, nascuntur, proveniũt: cursum vero eorum nemo sentit, nec aliter humana in eo decipitur ratio, quam in fluvio aspectus: ut unam eandemque esse arbitretur vitam. Ea autem res diversa inprimis est ac varia, quæ à casibus negotiisque multis mutatur & occasionibus. Huic præest ratio, quæ præsentibus semper se accommodat. Non aliter quam medicina in corpore instabili, quodque nunc in hanc, nunc illam varie movetur partem, & aut fame aut nimio infestatur cibo, utrumque tam hoc quam illud arte certa temperat, ut nec cibo egeat, nec repleatur nimium: idem in vita humana sermo potest philosophicus: ut ipsis se accommodet, affectionibus, adeoque si quæ duriores sunt mitiget, si quæ hilariores sunt approbatione sua confirmet. Quod si vivendi unus esset modus, eademque ratio, una opus disciplina esset, una vivendi consuetudine. Nunc vero certum vides citharœdo tempus esse, cum ad fides molliter canit,

——— cum mensa redundat
Frugibus atq; epulis, meraq; è crateribus altis
Effundit pincerna. ——

Certum tempus oratori in judicio frequenti: certum Dionysiis poetæ, cum chorum suum flagitat spectator. Sola philosophia tempus non agnoscit certum, sola vitæ humanæ arctissime adhæret, neque magis ab ea separari, quam lux potest ab oculis. Quod enim oculo relinquis opus, lucem si demis illi? Et tamen visus noster nocte etiam potest aliquid: licet caliget enim, auxilium tamen manuductoris flagitat in tenebris. At ex humana vita rationem si tollas, de semita continuo sua per asperas incertasque aberrabit salebras, donec in præceps feratur. Quod in Barbaris vides, si qui eorum ratione destituuntur: alij prædæ causa semper vagantur, manent semper alij, alij mercede locant operam, alij quo error ducit sequuntur. Nam ut è pecudum grege pastorem si tollas, fistulam demas, gregem dissolvis: ita in hoc hominum grege, rationem si demas, quæ vitæ dux est, in unum errantes quæ cogit, quid aliud agis? Dissolvis nimirum ac disiungis hunc gregem: natura quidem cicurem & mitem: sed quem pabulorum facile corrumpit incuria: qui pastorem requirit commodum, non qui flagris semper aut stimulis in eorum rigide advertat contumaciam. Non aliud enim mihi facere videtur, qui nullum prorsus omittere philosophandi vult tempus, quam si viro quis militari, qui & inter cataphractos pugnare cum laude, & eminus tela tam ex equo quam è curru possit dirigere, certum aliquod belli tempus præfigat, aut parti alicui ex omnibus astringat: idque tam varia in re ambiguaque. Forte enim athletæ ut Olympicis certet, Isthmica vero negligat, aliquis permittat. Quamvis nec hæc reprehensione careat ignavia. (Non enim facile à se generosa impetrare potest anima, ut non omnia experiri malit quam ociari: nec oleastrum tantum Olympicis, sed & pinum Isthmicis, & apium Argolicum, & mala consequatur Pythica. Cum præcipue non causa sua hæc certamina subeat anima, sed ob eam qua cohæret cum corpore suo & versatur consuetudinem, victoria ipsius quoque delectetur & præconio.) Vbi vero totus animæ solius labor poscitur, solius animæ certamen cernitur, hic occasionem illius negliget anima, hic volens sciensque torpebit? Ubi nec mala nec oleaster proponitur, sed aliud præmium, quod, si pulchritudinem intueare, magis expetendum, si spectatorum commodum, magis sit utile: quod postremo vitam dicentis efficacius commodet. Tempus certaminis huius & locus non est unus, neque raro indicitur ex improviso: in quibus tota sua sponte convenit Græcia, non ut oculos pascat, nec voluptatis spe tantum, sed virtutis: quod meo quidem judicio bonum animæ magis est proprium quam voluptas ulla. Illud præterea videbis, ad reliqua quæ robore aut arte corporis constant certamina, nullum eo animo venire spectatorem, ut imitari id quod agitur aut sequi velit. Siquidem ex alienis ibi voluptatem oculorum aucupamur laboribus, nec in mille unum invenias spectatoribus, qui eorum optet esse è numero, qui medio in stadio pulvere fœdantur, aut currunt, aut premunt aut premuntur, aut vapulant: nisi anima quædam fortasse sit degener, tantumque servilibus nata ministeriis. Hic vero tanto hoc certamen illo liberalius esse, hos labores illis utiliores esse reor, tanto magis hoc quam illo spectatorem sanæ mentis affici, ut non facile reperiri aliquem ex illis posse putem, qui non certare malit quam spectare. Quæ vero causa est? quia corporis nimirum artes laboresque earum, corpus non facile sustinet quodvis: estque ea res non in voluntate cuiusquam posita, sed naturalis, sed spontanea, & quæ ex infinito hominum numero paucissimis sit concessa. Nam aut corporis mole Titormo, aut viribus Miloni, aut robore Polydamanti, aut velocitate similem prius nasci oportet Lastheni. Quod si quis infirmior sit Epeo, deformior Thersite, minor Tydeo, Ajace tardior, omniaque quæ vituperari possint simul in corpore coniunxerit, & certare tamen velit, frustra hoc optat, frustra sperat. At vero animæ contra certamina se habent ac illud.

Pauci quippe sunt mortaliũ, qui non ad hæc satis à natura sint instructi. Nõ quod per se arbitrer aut sponte sua nasci animæ virtutes: ut qui sciam & naturam aliquid conferre, nõ secus quam qui muro maximo fundamentum subijcit parvum, aut navi altissimæ parvam carinam. Cogitationibus autem humanis contubernales duos adjunxit Deus, Amorem ac Spem: alteram quidem tanquam alarum remigium leve, quod in altum per se feratur, animamque secum sursum ferat & extollat: viamq; qua quod petit consequatur, ostendat. Quod quidem appetitionem humanam vocant philosophi. Spes vero animam comitantur, ut illam quam diximus appetitionem sustineant ac solentur: non illæ quidem cæcæ, ut ab Attico dicuntur poeta, sed perspicacissimæ, ne ante deficiat anima, sed ea quæ maxime optat consecuturam se confidat. quæ quidem Spes ex humanis si exulasset rebus, jam diu commercia sua negotiator & stipendia miles, & navigationem mercator, & rapinas suas prædo, & nocturna intermisisset furta scortator. Quod illa neutiquam permittit, sed illarum studio accendit rerum quæ nec fieri possunt, nec ad finem interdum perventura sunt suum. Certo enim divitias sibi negotiator proponit, miles sperat vincere, evadere mercator, prædo lucrari, scortator fallere. Interim subita quædam singulis intervenit calamitas, quæ negotiatorem spoliat, militem interficit, mercatorem mergit, in vincula conjicit prædonem, prodit scortatorem. Quorum omnium appetitus una cum spe occidunt sua. Nihil enim horum est cui fines suos assignarit Deus aut limites: non divitiæ, non voluptas, non aliud quodcunque sibi proponere homo possit: sed infinita est eorum possessio: ut qui ea sequuntur maxime, voti si fiant compotes, sitiant maxime. Minus enim est quicquid consecuti sunt eo quod expectant. Cum vero aliquid anima persequitur, quod stabile, quod certum, quod non ambiguum est, sed definitum, quod vi sibi insita hominem trahit, quod & labore comparari, & ratione comprehendi, & voto ambiri & exambiri spe possit, ibi demum animæ certamen succedit, ibi finem consequitur suum, ibi victrix declaratur. Hoc unum est, non aliud cujus causa spectatores suos convocant philosophi. Quare denuo athletarum utamur exemplo. Inter quos nullus est qui non optet, alium certaminis causa in stadium descendere neminem, ut solus ipse sine ullo pulvere consequatur victoriam: siquidem uni è multis etiam contingere est necesse. Hic vero qui ad certamen plurimos pellexerit, victor putatur. Faxit enim Deus, ut meorum aliquis spectatorum in hac mecum certet cathedra, ejusdem mecum pulveris, ejusdem laboris fiat particeps. Hoc enim uno modo summa cum laude coronam auferam, victorque spectante tota Græcia à præcone designabor. Hactenus enim licet clamor non desit populi, nec coronam consecutus sum, nec vocem præconis audivi. Quo enim disciplinarum mihi harum exercitatio, & frequens illa decertatio? Vt laudem consequar? Satis habeo. Vt gloriam? Satias me tenet. Et ut brevius dicam: Est ne aliquis, qui sermonem laudet, nec sermone uti velit, cum nec voce careat nec auditu? Estne aliquis qui philosophiam laudet, nec eam amplectitur, qui & animum ad discendum habeat, & magistrum? Plane quemadmodum tibias ac citharas, aut si quæ Dionysiis præterea in tragœdiis aut comœdiis adhibentur instrumenta, omnes laudant, nemo imitatur. Nisi forte & hic plurimum à voluptate laus absit. Nemo est enim qui non delectetur: qui autem vere laudarit, etiam imitabitur. Priusquam enim æstimat ne laudat quidem. Fit etiam sæpe ut Musicæ imperitus aliquis, tibiam si audiat amore capiatur artis, nec amplius abhorreat. Sæpe etiam absens modulationem tamen auribus retinet, carmen ruminat, secumque tacitus cantillat. Etiam hoc vestrum imitetur aliquis. Forte enim & ipsas incipiet amare tibias. Homo fuit, ut dicitur, qui animalia quædam magno, ut ferunt, domi studio alebat: hic aves habebat quæ suaviter matutinum illud canebant, incondite tamen ut reliquæ solent. Hæ cum quotidie audirent hunc tibicinem, qui artis suæ faceret periculum, respondere voce cœperunt: auresque ita ad tibiam paulatim earum formavit, ut quoties inflare cœpisset, tibiam voce præeuntem, ut in choro fieri consuevit, sequerentur omnes. Qui ergo fit ut ipsi homines, frequenter si audiant non inconditos tibiæ modos, verum voces sapientes, articulatas, uberes, ad imitationem excitandam compositas, saltem ritu avium, nobiscum canere recusent? Mihi qui de rationibus nostris & studio hactenus tacuerim, nihil grande, nihil magnificum publice aut privatim dixerim, vestra liber causa libere confidenterque loqui. Offertur vobis magnus disciplinarum apparatus, ô juvenes.

Nec

Nec simplex ille, sed diffusissimus, amplissimus, uberrimusque: qui ab omnibus audiri potest, ad omnes cuiuscunque generis pertinet homines, omnia artium studia, omnium disciplinarum sub se complectitur genera: hic large, hic gratuito citra tergiversationē ullam maxima vobis præbetur copia: omnibus, qui modo capaces eius futuri sunt, in medio proponitur. Oratoriæ aliquis studiosus est? Ecce via expedita, sufficiens, facilis, sublimis, admirabilis, nusquam interrupta, firma, non inquinata. Poëticen aliquis amplectitur? Metra solummodo alicunde sibi comparet, reliquaque hinc petat. Sublime illud in oratione dico, illustre, splendidum, fœcundum divinumque. Etiam dispositio argumenti, fabulæ constructio, vocum ubertas, minimeque vitiosa hinc proveniet harmoniæ ratio. At civilis potius te scientia delectat, viamque qua commodissime tractes populum invenire te postulas? En tibi rem ipsam. Curiam ante oculos, oratorem, suadam dicendi, & verborum vim vides. Estne autem aliquis, qui hæc quidem negligit omnia, philosophiam autem amplectitur? Hic vero magniloquentiæ meæ vela contraho, remitto, aliam personam induo. Rem magnam dicis, quæque manuductore opus habeat minime vulgari: qui non humi repat aut ijsdem quibus populus utatur moribus. Iam si quis in verbis ac nominibus, aut in artificiosis orationibus, aut refutatione argumentorum, aut contentione mutua, aut fallaciis, similiumque versari rerum studio philosophiam velit, non magno magistrum negotio invenire posse videor. Sophistarum plena sunt omnia. Res hæc ubique obvia, ac in oculos passim incurrit. Quin etiam dicere non verear, plures esse qui doceant hanc philosopiam quam qui discant. Quod si minima hæc philosophiæ pars est, & tantilla quidem quantam nescire est dedecus, scire autem non ita magnæ est rei, si eam consequamur non est quod insolescamus propterea. Eo enim modo & illi qui prima literarum elementa docent, qui circa syllabas versantur, & cum pueris balbutiunt aliquot, admiratione digni essent. Præcipua autem philosophiæ pars, & quæ eo ducit semita, præceptorem requirit, qui animos juniorum erigat, studia eorum & desideria non aliter quam pædagogus aliquis gubernet: eorum appetitiones voluptatibus doloribusque attemperet. Sicut illi qui equos domant, non penitus eorum spiritus infringunt, nec tamen uti ubique iis permittunt. Quippe sicut equi animos habenæ & lora, equitisque ac magistri ars moderatur, ita animum hominis oratio, non ignava aut sordida, non supina: sed quæ lenibus vehementibusque temperata affectibus, ne tantillum ocii auditoribus relinquat, ut in verba inquirere eorūq; adhærere possint voluptati. Sed ut tubæ instar, quæ nunc classicum canit, nunc receptui sonat, secum tollat. Eiusmodi oratione ei si opus sit qui philosophiam sequitur, quærendus est omni studio, explorandus, eligendus, qui docere eam possit. nec refert senex sit an juvenis, dives an pauper, magni nominis an ignotus. Est autem senectus, ut videtur, juventute infirmior, divitiis paupertas, celebritate ignobilitas. Fit tamen ut quibus ea adsint incommoda, facilius ad eam perveniant homines. Non raro enim ad philosophiæ studium, commeatum suppeditat fortunæ infelicitas. Ergo quia pauper erat Socrates, continuo qui pauper est imitabitur, si Diis placet, Socratem. Bene nobiscum agitur, quod non & simi de philosophia contendant & ventricosi. Quod vero non pauperes tantum sed & ditissimos celeberrimosque juxta ac nobilissimos, incitare ad hoc studium soleat Socrates, nemo recordatur. Scivit enim Socrates, ut arbitror, dum philosophiam Æschines profitetur aut Antisthenes, parum ad Atheniensium Remp. boni inde perventurum esse, aut tantum potius ad illius temporis neminem, quantum ad posteros ex illarum memoria dissertationum. At si philosophiam aut Critias professus esset aut Critobulus aut Callias, multas gravissimasque ætatis illius Athenienses clades vitassent. Nec enim Diogenem imitatur qui cum pera incedit & baculo. quia potest cum his esse aliquis Sardanapalo infelicior. Aristippus ille olim purpura indutus, unguentis delibutus, non minus temperans habebatur Diogene. Nam quemadmodum si quis vim quandam cōsecutus esset corporis, quæ ignem ferret, & quidlibet contemneret: nihil credo metueret ipsi Ætnæ corpus admovere: ita si quis probe adversus voluptates sit munitus, ne in ipsis quidem si versetur, uri potest aut ardere, aut liquescere. Philosophum vero non habitus probabit, non ætas, non fortuna, sed judicium, sed sermo, sed animi institutum: à quibus solis dignitatis suæ suffragia capit philosophus. Reliqua quæ fortuna solet addere, histrionicorum instar sunt amictuum. Eadem enim poëmatum est præstantia, sive princeps ea recitet, sive famulus. Agamemnon sceptrum gerit, pellem bubulcus, arma Achilles, pannos laceros cum pera Telephus. Neque magis tamen Agamemnonem, quam Telephum spectator audit. Animus quippe magis poëtæ verba quæ dicuntur quam fortunam eius respicit qui dicit. Idem existima de oratione philosophi: virtutem eius non variam non diversam esse, sed unam eandemque. Actores vero eius alium alio habitu in vitæ scenam à fortuna produci. Pythagoram in purpura, in lacerna Socratem, cum thorace Xenophontem & clypeo, cum pera ad instar Telephi & baculo Sinopensem illum athletam. Aliquid tamen & ipse ad præsentationem sui dramatis singulis addebat habitus. Itaque homines in stuporem dabat Pythagoras, arguebat Socrates, persuadebat Xenophon, exprobrabat Diogenes. Ego quidem & beatos hos histriones judico, qui agunt, & spectatores qui audiunt. Quem vero nos poetam, quem inveniemus histrionem, qui ornatu certo instructus, nec ut muta interim persona in theatris Græcorum pro dignitate possit versari? Quæramus hominem. Fortasse invenietur alibi, nec si id eveniat, contemtus abibit. *Dissertatione trigesima septima.* Omni subjecto philosophiam convenire.

Alcinous: Ea quæ Platoni proprie attribuuntur decreta atque opiniones, ita tradi posse videntur. Philosophia est appetitio sapientiæ: vel, solutio animæ à corpore, & conversio quædam ad ea quæ revera sunt & intellectu videntur. Sapientia autem divinarum humanarumque rerum est scientia. Philosophus autem est, qui à philosophia denominatus est, quemadmodum à musica musicus. Hunc porro, ab ipsa ita comparatum esse oportet natura, ut ad eas maxime idoneus sit disciplinas quæ ad cognitionem eius quæ intellectu percipitur essentiæ, non autem eius quæ oberrat ac fluxa est, aptum reddere eum ac deducere possint. Deinde, ut natura veritatis amans sit, nullo autem modo recipiat mendacium. Sed & temperantem quodammodo nasci oportet, easque animæ partes quæ affectibus efferri solent, contractas à natura habere. Quisquis enim semel eas amplexus disciplinas fuerit, quæ in consideratione eorum versantur quæ revera existunt, totumque eo appetitum converterit, nunquam voluptates corporis admiraturus est. Oportet præterea liberali animo philosophum esse. Etenim rerum vilium æstimatio ac cura, homini veritatem rerum contemplaturo maxime adversa est. Ita præterea natura factum, ut justitiam diligat, siquidem & ad veritatem, temperantiam & liberalitatem. Adde quòd docilem, & lenta præditum memoria oportet esse. Nam & hæc philosophum informant. Quæ quidem naturæ commoditates, si disciplina atque educatio, quæ oportet accedat, perfectum ad virtutem efficiunt: si contra negligantur, maximorum causæ sunt malorum. Atque has quidem Plato eodem cum virtutibus nomine temperantiam, fortitudinem & justitiam, appellare solet. *Cap. 1. de doctrin. Platon.*

Alcinous: Studium certe philosophi in tribus potissimum ex Platonis versari videtur sententia: in contemplatione & cognitione eorum quæ sunt: in virtutum actione: & in sermonis consideratione. Diciturque eorum quæ sunt cognitio, contemplativa: eorum quæ ad actionem pertinent, activa: differendi cura, Dialectica. Quæ quidem, in dividendi, definiendi, inducendi, ac ratiocinandi modum dividitur. Postrema rursus in Apodicticam, quæ circa ratiocinationem necessariam versatur, & in Epichirematicam, quæ circa probabilem; & in Rhetoricam, quæ circa enthymema, quæ ratiocinatio imperfecta vocatur: ac denique in Sophismata. Quam tamen non ut præcipuam partem, sed ut necessariam colet philosophus. Eius quæ in agendo versatur philosophiæ, pars prima in formatione morum, altera in familiæ administratione, postrema in Reipub. versatur conversatione. Et prima quidem moralis, secunda domestica, tertia civilis dicitur. In contemplativa rursus, pars una ea quæ fixa ac immota sunt, & quæ divina sunt, primasque rerum causas investigat, quam Theologiam vocamus: altera astrorum circuitusque cœlestium ac reversiones corporum ad unum idemque principium, mundique constitutionem: quæ naturalis scientia dicitur. Quæ vero per Geometriam, reliquasque quæ mathemata vocantur investigamus disciplinas: Mathematica nuncupatur. Eo ergo modo cum dividatur in suas & distinguatur Philosophia species: de Dialectica primum consideratione, ex opinione Platonis dicendum erit, & primo quidem de ipso judicandi instrumento. *De doctrina Platonica cap. 3.*

Alcinous: Deinceps de contemplativa dicendum est philosophia. Cuius alia Theologica, alia Physica, alia est Mathematica. Et Theologicæ quidem, primarum supremarumque ac principalium cognitio causarum, finis est. Physicæ, quæ sit mundi natura perdiscere: quale animal homo, quem in universo habeat locum: utrum rebus omnibus divina præsit providentia, aliosque sub se Deos habeat, tum ad Deos, quo pacto se habeant homines. Mathematicæ finis, planam, & in tres porrectam dimensiones naturam cognoscere, motumque ac cœlestium progressus perpendere. Cuius primo summatim proponatur contemplatio. Hæc ad confirmandam mentis aciem à Platone excogitata est: utpote quæ animam acuat, & ad rerum divinarum contemplationem reddat promptiorem. Illud autem ad numeros quod spectat, cum & ipsum pars sit Matheseos, non mediocrem ad ea quæ sunt percipienda vim suppeditat: sed & ab errore atque ignorantia quæ circa sensibilia versatur, nos liberat, & ad rerum cognoscendam recte essentiam præbet auxilium. Sed & ad gerenda bella reddit idoneum: præcipueque in ea quæ circa instruendas versatur acies scientia. Geometria quoque plurimum ad ipsius boni conferre intellectum videtur: si quis non mechanicæ causa actionis ipsam sectatur, sed ut eius adminiculis ad id quod semper est ascendat, nec in iis quæ oriuntur quotidie & occidunt versetur. Quinetiam Stereomatria, id est solidorum dimensio, quam maximè utilis est. Post secundam enim accretionem eius, sequitur eius contemplatio, ut quæ tertium eius contineat incrementum. Vtilis præterea, ut quarta quædam disciplina Astronomia est, per quam cœli syderumque motus, tum diei ac noctis, mensiumque & annorum consideramus artificem: & quasi familiari via quadam, ipsum investigamus qui hæc fecit omnia, & ab iis disciplinis tanquam per inferiores gradus aut elementa, ad altiora progrediamur. Sed & Musicam discere oportet, quàm ad auditum referemus.

Nam quemadmodum ad Astronomiam oculi creati sunt, sic ad harmoniam aures: Et sicut Astronomiæ cum incumbimus, ab iis quæ oculis percipiuntur, ad invisibilem ducimur essentiam: sic & dum auribus vocum haurimus harmoniam: ab iis quæ audiuntur, ad ea quæ intellectu percipiuntur, gradatim ascendimus. Quamobrem nisi fine isto Mathematicas prosequamur disciplinas, imperfecta sane & inutilis, neque ullius momenti futura est hæc contemplatio. Oportet quippe confestim ex iis quæ oculis percipiuntur & auribus, ad illa quæ sola cernit ratio transire. Siquidem Mathematicorum consideratio, quoddam ad divinorum contemplationem est quasi præludium. Arithmetica quippe & Geometria, quique eas colunt, ad illius quod revera est pervenire desiderant cognitionem. Quam tamen non aliter consequuntur quàm per somnium quasi, revera autem pervenire eò non possunt: cum & principia ipsa, simulque quæ è principiis componuntur ignorent. Nihilominus tamen ad ea quæ diximus conferunt plurimum: ideoque nec scientias, disciplinas huiusmodi Plato appellandas esse censuit. Et Dialectica quidem ita comparata est methodus, ut per hypotheses geometricas, ad prima quæ non sumuntur ex hypothesi, assurgat principia. Quapropter Dialecticam jure scientiam appellavit. Disciplinam verò mathematicorum, nec opinionem, quod iis rebus clariora sunt quæ sub sensum cadunt: neque rursus scientiam, quia obscuriora sunt quàm intelligibilia prima: sed opinionem corporum, scientiam primorum, cogitationem mathematicorum. Fidem præterea & imaginationem ponit: alteram quidem eorum quæ sensu percipiuntur, nempe fidem: alteram verò imaginum & visorum. Quoniam verò Dialectica efficacior est quàm mathematica, ut quæ circa divina æternaque versatur: ideo & mathematicis præponitur omnibus, tanquam murus quidam & munimentum reliquorum. *Cap.7.*

Idem: Sequitur ut de principiis, & iis quæ Theologicæ sunt contemplationis breviter disseramus, ducto à primis initio: & ab iis ad creationem universi, eiusque contemplationem descendamus: unde tandem ad generationem quoque hominis, naturamque eius perveniamus. Ac primum de materia tractandum est. Hanc sanè fictioni subiectam, & omnium receptaculum, nutricem, matrem, locum, subjectumque nominat, eamque sine sensu tangi, & adulterina quadam ratione vult comprehendi. Ejus esse proprium, omnes rerum ortus suscipere ac nutricis instar eas gerere: formas item omnes admittere, cum ipsa suapte natura omnis formæ qualitatis expers sit & speciei. Talia vero in ea tanquam in tabula effingi ac formari, easque eam figuras admittere, cum nec figuram ipsa nec qualitatem habeat ullam. Neque enim ad varias formarum impressiones futuram esse idoneam, nisi qualitate omni, iisque quas susceptura esset formis, penitus careret.

Siquidem eos videmus, qui unguenta ex oleo parant suaveòlentia, id quod maxime expers sit odoris, quærere: eosque qui formas vel ceræ vel luto impressuri sunt, primum materiam ipsam polire penitus atque lenire, donec figuræ deleantur pristinæ. Convenit namque materiæ omnium capaci, si modo formas omnes susceptura sit, nullam ut illarum naturam habeat, sed absque qualitate omni atque specie subiiciatur formis. & cum huiusmodi sit, neque corpus neque incorporeum quid erit, sed potentiâ corpus, quemadmodum æs potentia est statua, quoniam tum statua efficietur, cum eius suscipiet formam. *Cap.8.*

Idem: Cùm verò principii cuiusdam rationem habeat materia, alia quoque præter materiam Plato introducit principia: unum videlicet tanquam exemplar, quod idearum est, alterum quod paternum dixeris, quod patris & autoris rerum omnium est Dei. Est autem idea quod ad Deum, intelligentia Dei: ad nos verò, primum intelligibile: ad materiam, mensura, ad mundum hunc, qui in sensus cadit: exemplar: ad seipsam vero essentia. Quicquid enim adhibito fit intellectu, ad aliquid referri necesse est. Quemadmodum si aliquid ab aliquo fiat, ut à me meiipsius imago, eius exemplar præsupponi oportet. Et si externum nullum sit, unusquisque in seipso in primo concipiens artifex, eius deinde in materiam transfert formas. Definiunt autem ideam, eorum quæ secundum naturam fiunt, æternum exemplar. Plurimis namque visum est Platonicis, eorum quæ arte fiunt nullam dari ideam posse, ut clypei atque lyræ: neque rursus eorum quæ præter naturam, ut febris, ac bilis non naturalis: neque singulorum, ut Socratis & Platonis: neque vilium vel abjectorum, ut sordium, aut festucæ: neque relatorum, ut majoris & excedentis. Esse namque ideas notiones sive intelligentias Dei æternas ac seipsis perfectas.

Quod verò sint ideæ, sic probant: Sive intellectus Deus ipse sit, sive intelligens quiddam, intelligibilia habet sua, & ea quidem æterna atque immobilia. Quod si hoc ita se habet, ideæ sunt. Etenim si materia ipsa per se mensura caret, ab aliquo superiori & à materia penitus remoto, mensuram suscipiat necesse est. Verum quidem est antecedens, verum igitur consequens. Et si hoc, ideæ sunt, utpote quæ mensuræ quædam sunt materia carentes. Accedit, quod si mundus non fortuito talis est, non solum ex aliquo, verum etiam ab aliquo factum esse oportebit. Neque id solum, sed & ad aliquid etiam esse factum. Id verò ad quod factus sit, quidnam aliud præter ideam esse possit? Unde rursus sequitur, ideas esse. Item si intellectus à vera opinione differt, id quoque quod intelligibile est, differet ab opinabili. Hoc si est, intelligibilia erunt ab opinabilibus distincta. Quare erunt prima intelligibilia, quemadmodum & prima sensilia. Ex quo ideas esse concluditur. Atqui differt intellectus ab opinione erunt vera ergo Ideæ. *Cap. nono.*

Idem: Deinceps de tertio dicendum est principio, quod licet penè ineffabile Plato autumet, tamen hoc modo ostendi posse videatur. Si intelligibilia sunt, eaque nec sensibilia sunt, neque eo sunt quod participent cum illis, sed intelligibilibus primis adhærent, sunt prima intelligibilia simplicia, quemadmodum sensibilia prima. Antecedens verum; verum ergo & consequens. Homines vero perturbationi sensuum obnoxij, quoties intelligibile quiddam cōtemplari statuunt, in cogitationem statim sensilis alicuius recidunt, quo fit ut vel magnitudinem, vel figuram animo simul comprehendant, vel colorem: atque ita sincere hoc ipsum intelligere nequeant. Dij autem sine mixtione corporalium pure nimirum atque syncere intelligunt.

Quoniam verò anima melior est intellectus: intellectu autem eo qui in potentia, melior ille, qui actu semper omniaque & simul intelligit: hic denique pulchrior qui eius est causa, quique his superior omnibus, id revera non aliud quam Deus erit, quem primum dicimus, qui in causa est, ut mundi semper agat intellectus. Agit autem ipse immobilis in hunc, quemadmodum sol in oculum, cum ad eum convertitur, & ut id quod appetitur movet appetitum, cū immobile ipsum maneat. Sic ergo & hic intellectus cœli totius movet intellectum. Et cum primus hic intellectus sit pulcherrimus, pulcherrimum quoque intelligibile illi subjici necesse est. Nihil autem ipso pulchrius: seipsum ergo suasque semper intelligit notiones. Et hæc quidem functio illius, dicitur idea. Quinetiam Deus ipse primus, æternus, ineffabilis: seipso perfectus, id est nullius egens, semperque perfectus, id est omni absolutus tempore, undique perfectus, id est omni ex parte absolutus: divinitas, essentia, veritas, ipsa proportio, bonum. Neque verò hæc ita dico, ut circumscribam, sed ut unum intelligatur in omnibus.

Et bonum ob eam quidem causam dicitur, quòd in omnia pro facultate cuiusque beneficia sua conferat, atque ita omnium bonorum sit causa. Pulchrum verò quod ipse natura sua utrunque sit, plus & æquale. Veritas autem, quod omnis ita veritatis sit principium, ut Sol universi est luminis. Sicut pater quod causa sit omniū, cœlique totius mentem, mundique animam ad se suasque exornet notiones. Ex voluntate enim sua omnia seipso complevit, mundi animam excitans & ad se convertens: quippe cum intellectus ejus sit causa: qui à patre adornatus, naturam vicissim huius mundi totam exornat.

Ineffabilis præterea est, solaque, ut ante dictum est, mente potest percipi: nec enim genus, aut species est, aut differentia: sed nec accidere illi quicquam potest. Neque malum: hoc enim nefas dictu est: neque bonum: siquidem alicuius ac maxime bonitatis particeps, talis dicendus esset. Neque differentia ulla: nec enim id secundum ipsius notionem potest fieri. Neque quale: non enim qualitate hoc ipsum factus est quod est, aut ab ea perfectus. neque rursus qualitatis expers: non enim qualitate ulla ad se pertinente privatus est. Neque pars cuiusquam, nec ut totum ex partibus constitutum: neque ut idem aut diversum quippe cum nihil illi contingat quo ab aliis secerni queat. Sed nec movet, nec movetur.

Quare prima ad intelligendum eum ratio, per abstractionem erit horum: quemadmodum punctum quoque abstrahendo à sensilibus, intelligere solemus: primo quippe superficiem, deinde lineam, postremo punctum consideramus. Secunda vero in quadam rationis similis proportione, hoc pacto: Quam rationem Sol habet ad visum & ad ea quæ videntur, cum ipse tamen non sit visus, huic vero præstet ut videat, his autem ut videantur: eandem profecto rationem ad eum qui in anima nostra est intellectum, & illa quæ intelliguntur, primus habet intellectus. Quippe cum non sit ipse intellectus, in his tamen actum perficit intelligendi, illis vero dat ut intelligantur, dum eam quæ inest illis, illustrat veritatem. Tertius autem intelligendi modus, fit huiusmodi. Aliquis cum eam videt quæ in corporibus est pulchritudinem, statim ad eam transit, quæ est in animo: deinde ad eam quæ in officiis ac legibus: postremo ad immensum pulchritudinis mare: post quæ ipsum bonum considerat, ipsum amabile, ipsum expetendum: quod tanquam lumen aliquod effulget, eique, quæ paulatim ita ascendit, occurrit animæ.

Cum hoc vero statim Deum ipsum comprehendit animo, propter eius, quæ in honorato est, excellentiam. Partis quoque expertem considerat, quoniam nihil illo prius est. Pars siquidem, atque illud ex quo constituitur aliquid, prius eo est cuius pars est. Planum namque prius est, quàm corpus, & linea prius quàm planum. Rursus cum partes non habeat ullas, neque loco moveri, nec qualitatibus poterit mutari. Etenim si mutabitur, vel à seipso vel ab alio id fieri necesse erit. Si ab alio, illud potentius esse oportebit: sin à seipso, aut in deterius id fiet aut in melius. Quorum absurdum est utrunque. Ex quibus omnibus sequitur, incorporeum quid esse Deū.

Quod & ex iis probari potest. Si corpus esset Deus, ex materia constaret & forma: siquidem corpus omne ex materia formaq; sua cum materia conjuncta, concretum quiddam est: quod quidem simile ideis efficitur, & earum ineffabili quadam ratione est particeps. Absurdum autem est, Deum ex materia constitui aut forma.

Neque enim aut simplex esset, aut principalis. Quamobrem incorporeum quiddam Deus est. Præterea ex eo: si corpus est, ex materia constat. Ideoque vel ignis est vel aer, vel terra, vel aqua, aut aliquid ex iis conflatum. Atqui nullum ex iis per se est principiale. Præterea, materia sua erit posterior, siquidem constet ex ea. quæ quoniam absurda sunt, incorporeum esse Deum erit existimandum. Etenim si corpus erit, & corrumpi posse eum, & natum esse, & mutari posse, ex eo sequetur. Quorum singula de Deo si dicantur, erunt absurda. *cap. 10.*

Idem: Sed & qualitates esse incorporeas, hoc modo demonstrari possit. Omne corpus subiectum est, qualitas verò non subiectũ sed accidens: non ergo corpus est qualitas, Præterea nullum corpus in subiecto est, omnis qualitas in subiecto est, non ergo corpus est qualitas. Item, qualitati contraria est qualitas: nullum verò corpus, quà corpus, contrariũ corpori: nõ ergo qualitates sũt corpora. Vt omittam rationi maximè esse consentaneum ut quemadmodũ materia qualitatis est expers, ita & qualitas materiæ sit expers. Et si materia careat qualitas, carebit & corpore. Iam si qualitates sunt corpora, duo ac tria eodẽ in loco erunt corpora: quod à ratione procul abludit.

Quod si incorporeæ sunt qualitates, ergo & quod harum vim efficiẽdarũ habet, est incorporeũ. Efficientia præterea nulla esse nisi incorporea possunt. Siquidem suapte natura patiũtur corpora ac diffluunt, neque eodem se modo semper habent, neque in eodem statu persistunt aut manent: nam & ubi efficere aliquid videbuntur, ibi multo priùs pati ea reperies. Vnde sicut aliquid purè ac simpliciter ad patiendũ est aptũ, ita necesse est aliquid quod revera agat, esse. Id verò nihil esse aliud quàm incorporeum facilè videbimus. *capite 11.*

Philostratus: Apollonius ajebat, oportere rectè philosophantes, adveniente aurora cum Deis versari; præcedente autem die de Deis loqui; reliquum verò tempus humanis rebus & sermonib. impendere. *l. 1. c. 12.*

Philostratus: Philosophiæ contemptor deterior est milite, qui in pugna clypeum abijcit. Abijcienti clypeum, alius dari rursũ potest nihilo priore deterior, ut inquit Archilochus. Philosophia verò quo pacto recuperari potest ab eo, qui semel eam contempserit aut abjecerit? *l. 2. Apollonij c. 3.*

Philostratus: Nero homines philosophari nonsinebat, ignaváq; opera philosophorum ipsi videbatur, quæque divinandi peritia sese absconderet adumbraretve. itaq; philosophicum pallium in judicio traductum est, ut divinandi artis prætextus. *lib. 4. Apoll. initio. cap. 12.*

Ibidem circa finem: Quod si quis ob hæc metuendum esse Neronem existimat, & propterea philosophiam refugit, non tutum esse putans præter illius voluntatem aliquid agere, sciat hoc illis nequaquam esse metuendum, qui veram sapientiam modestiamque attigerunt. Talibus enim omnia quæ à Deis immittuntur prosperè succedunt, & conviciatorum nugas perinde ac ebriorum hominum sermones parvifaciunt; quod illos dementes quidem, non tamen metuendos arbitrarentur. Pergemus itaque Romam si robubusti erimus. Contra Neronis enim jussa philosophiam exterminãtia, Sophoclis elogium satis est, dicentis sub persona Antigonæ: *Hæc iussa nunquam Iupiter dedit mihi, neq; Musa, neq; oracularis Apollo.*

Philostratus: Plurimos apud Græcos esse audio, qui tanquàm alienam rem philosophiam deprædantes, eaque tanquam veste ineptè se tamen induentes, elati incedunt vestem trahentes alienam. Et certè sicut prædones, qui innumeris pœnis se obnoxios esse cognoscunt, in deliciis degunt; eodem modo apud vos Philosophiæ prædones feruntur Veneri ac ventri indulgere, & vestibus mollissimis uti. Huius enim mali causam esse arbitror leges vestras, si quis enim numisma adulterinum cuderit, capite plectitur: si quis etiam pupillum circumvenerit, aut aliud quippiam fecerit eiusmodi. Philosophiæ verò simulatores aut corruptores, nulla ut audio apud vos lex exercet: nec ullus huic rei magistratus præficitur. *lib. 2. Apoll. c. 12.*

Philostratus: Transmissurus in Græciam Nero, publicè per præcones edixit: ne quis philosophus Romæ intra mœnia permaneret. *libr. 4. Apollonij fine.*

Philostratus: Apud Indos pauci philosophiam attingunt, & hi tali ratione probantur. Opus est adolescentem decem & octo annos natum penes fluvium Hypasim ad eos pervenire: atq; antea publicè profiteri ipsum oportet se operam philosophiæ daturum, ut liceat volentibus à tali incepto prohibere, siquidem minimè purus à scelere. Scelus autem dico primum à patre matréve proveniẽs. Cavendum enim ne quid ab illis turpitudinis sortiatur: neve ab eorũ parentibus usq; ad genus tertium rursus pergentibus: quo in genere quæritur, ne quis eorum contumeliosus aut incontinens, aut avarus, aut injustus fuerit. vbi autẽ in ipsis nulla vitiorũ macula reperitur, tũ adolescẽtes mores diligenter inspiciũt, multipliciter illum tentantes ac probantes: & primò quidem an ingenio ac memoria valeat, experiuntur, an sit natura verecundus. & non astu ad tempus id simulans. deinde an sit ebriosus, an gulæ deditus, an jactator, an ridiculus, an audax, an convitiator, an parentibus aut doctoribus institutoribusve usque quaq; obtemperans, an formositate sua abutens. *l. 2. Apollonij. c. 12.*

Philostratus: Optimus est virorum philosophantium index tyrannis. *initio capitis primi libro septimo de vita Apollonij.*

Philostratus: Ego pro philosophia moriendum itidem arbitror, sicut pro templis, pro muris, & majorum sepulcris. nam pro taliũ salute multi & præclari viri mortem oppetierunt. Philosophiæ verò perdendæ causa, nec ego mori vellem, nec eorum quisquam qui illam & Apollonium amant. *l. 7. c. 6.*

Iulianus in Cæs. loquitur Octavianus Augustus: Ita verò me Philosophiæ obsequentem præbui, ut Athenodori loquendi libertatẽ, tantùm abest ut graviter molesteq; tulerim, ut ex ea modestior evaserim, & hominem haud secus, quàm Pædagogum, imò quàm patrem sum reveritus. Quin Arrium in amicorum & familiarium meorum numerum ascribo. Et in summa nihil à me in Philosophiam ast peccatum.

Iulianus Imp. Diogenes & Lamprias, si quis alius hoc tempore, philosophantur. Atque hi Reip. munera & quæstus aspernantur: attamen si patria eorum operam desideret, ei pro viribus serviunt: tum caussas agunt, Rempub. administrant, legationes suscipiunt, & pecunias liberaliter impendunt, denique re ac factis philosophię crimina refutant, & quod vulgo creditur, philosophos patriæ inutiles esse, falsum demonstrant. Vtitur enim illis ad res istas patria, & justitiæ caussam defendere conantur nostro auxilio usi, nos verò tuo. *Epist. 36.*

Libanius: Vniversa quidem philosophia pretiosum & cœleste est bonum. mihiq; videntur ij qui illius cultores non admirantur, fortasse & Deos ipsos parvi pendere. Sed philosophiæ deditos tantum præstare reliquis par est, quantum hi bestiis antecedunt. *Chreja secunda.*

Libanius: Tametsi alios locupletaverit gravissimo certè morbo conflictatur: neque calamitatis magnitudinem conspicere mihi videtur: tantam subiit ægrotationem, aut amentiam, aut nescio quid de ejusmodi re dicam. sibi tamen beatus ac fortunatus videtur: & tùm ita existimet, peius tamen se gerit, quasi sibimet imprecaretur, divitias odit, delitias aversatur: priorem felicitatem arbitratur cladem: præsentium malorum amator est: squallida cæsarie, pallido cutis colore, obtutu mœsto, corpore sordente: necq; pallio cultiore, sub dio se affligens, humi cubare sustinet: solẽ tolerat, ad frigus exuitur. adde quod mediocri admodum cibo alitur: aqua vero abunde sitim explet, & paululum dormit: magnam noctis partem pervigil atra bile agitatur. Qui autem eò adductus sit, videte. horrendi quidam sunt apud vos, qui aliis labem inferunt, infortunati ipsi sorte: quibus aliud munus nullum est, quam ut seipsos cruciẽt tanquam injurios, & pervigiliis opprimant, & fame & laboribus perimant, expallescentes, absque calceis, dimidia corporis parte denudatos, quibus vel si quis occurreret, imprecaretur. Illi meum regem correptum fascinaverunt verborum flumine. *Declamatione undecima.*

Libanius: Nonnulli ut ad philosophorum scholas mitterem suadebant, tanquam si in illorum auditoriis virtus sedem haberet. Mihi autem virorum mores partim placebant, partim displicebant. Nam quod squallidi, & tonsuræ studiosi illotique sunt, & non plus quàm cicadæ comedunt, mente præditi videntur: quod autem negligunt opes, & vellicant quæ inter homines præstantissima sunt, atra bile laborantium est, & eorum qui plurimum abiunt ab iis cognoscendis quæ in rem sunt. At enim eos pecunias coacervare vellem, ceteroqui vivere suo more, ut nunc faciunt. nam sic & dum nihil impenderent, ditescerent. *Declam. 37.*

Heliodorus: Tu quidem, ut vis statue, & existima de nobis, qui hæc facimus nauci. neque enim ad aliorum arbitrium vivimus: sed meram honestatem & æquitatem sectantes, nobis ipsi satisfacere cupimus. *libr. 10. Aethiopicorum.*

Themistius: Qui me Philosophum appellavit, non animadvertit satis non esse, philosopho patre esse genitum, sed ejusmodi informationibus atque educatoribus ali atq; institui, animumq; adhuc recentem & simplicem imbui oportere. ita enim maximè figura imprimi atque altius penetrare possit, nec in superficie ipsa consistat. quibus ego præsidiis nescio quomodo sum orbattus. *Orat. 1. cui titulus Explorator.*

Themistius: Ecce, impleri mihi pectus sentio ac mihi repente undequaque confluunt quas animo excogitavi, probandi, explorandique rationes, quibus in præclaræ civitatis descriptione Philosophos purgavit, ac perfectius, quàm simulacra Phidias, elaboravit. Ante omnia igitur sacris è nuptiis procreentur, sacræ autẽ nuptiæ sunt, cum optimus vir, optima cum muliere conjungitur, ac copulatur. Quare formam hanc imprimis (Auditores) considerare, accurateque contemplantes, si necessaria vobis esse videatur, dare operam ut & diligenter custodiatis, & in promptu semper habeatis. Ita porro considerare. Vobis utique cum equi in ædibus multi, multique canes sunt, tum in agris boum, ac pecorum greges.

Quoties igitur ex iis vultis crassos nobis ac fortes vitulos, aut generosos pullos, aut venatorios catulos gigni, utrum nã nullo delectu ex omnib. educitis, an potissimum ex optimis quibusque propagare studetis? Nam ego vos & admissarium equum explorare video, feroxne sit, & elata cervice, ac liber: & canem de qua catulos educere vultis num laconica utique generosa sit, non mala quępiam canicula, puta ex cane ac vulpe prognata, vel Melitæa. Idemque in tauro, atque ariete facitis. Iam cum triticum, aut ordeum

vitemque, aut olivam ſeritis, ac plantatis, per Cererem, Baccumq; amabo vos, ecquid plantas aut ſemina parvipenditis? Non firmiſſime id potius perſuaſum habetis è probis ac mitibus frugibus optimas vobis ac fructiferas arbores, ac legumina, contra ex agreſtib. ac degeneribus deteriora, atque agreſtiora naſcitura? Num igitur deliraſſe Theognidem putamus cù is indignaretur graviterque ferret, quod cæteris in rebus diligenter iſta procuremus in hominibus negligamus? Nec in iis vim habere iſtud arbitramur, ſed eum puta qui ex Coco ſit, aut Piſtore natus inter chænices atq; heminas educatus, parem tantæ Philoſophiæ dignitati, ac mentis ſublimitati eſſe credimus? Nec illud intelligimus ſordidum hoc & ſervile ſtirpis vitium prorſus aliquid in animis impreſſum relinquere, nec purum quicquam, aut ſincerum, ſupraque radicis conditionem videri permittere, ſed ad priſtinam naturam trahere, ac revocare conſueviſſe, quemadmodum natura diſtortos ramos nulla unquam ratione correxeris, quantumvis manibus inflectas atque incurves, quin ad naturæ ſuæ pravitatem recurrant.

Etenim eiuſmodi ſane hominem quòd in iis rebus educatus ſit, humi reſpicere ad ſervilia quædam miniſteria neceſſe eſt. Quod enim ſublime rectumque ac liberale eſt, id ea cui jam inde à teneris conſuevit ſervitus eripuit, quæ occulta ac fraudulenta tenebroſaq; omnia amplecti propter morum ſimilitudinem cogit. In iis itaq; vehementes, atque conſtantes ſunt, utpote quæ jam à pueritia norunt ac condidicerunt; domino ſcilicet cùm verbis adulari, tùm factis, in eius ſe gratiam inſinuare, conſervos criminari, atque ex ædibus proturbare. Atque iſta quidem faciunt, præ incredibili ſolertia, identidem flectentes ac vertentes ſeſe, contrahentes, attolléteſve ſupercilium, ſicubi utilitas poſtulat humiles, ac dejecti rurſumque Deos atque homines contemnentes, propterea ijsdem illiberali quadam vivendi ratione educatis pervicax atque implacabile odium inſitum eſt, ob idque facile contra quemlibet invidia atque hoſtili animo replentur: quibus nulla unquam mala philoſophiæ inſtitutis alieniora oriri inter homines poſſunt.

Turpe autem eſt Eleos & Piſatas Olympiacum illum oleaſtrum tàm magnifice celebrare, neminem ut ad certamen nudari patiantur, niſi quis Patrem ſuum, ac matrem, & ſtirpis integram ac ſinceram radicem comprobare poſſit. Præſertim qui corporum dumtaxat certamen inſtituant, in quo corporum rationem habere ſufficeret, validane ſint & firmiter compacta.

Verum Philammonem illum nunquam ad Alpheum aſpergi pulvere ſiviſſet, niſi teſtem ſe generis eius profeſſus eſſet Ariſtoteles, atque in filium adoptaſſet. Nos in virtutis certamen quemlibet delectu nullo conſcribemus. Non autem nudum ipſum animum adſcititiis involucris deſpoliatum diligenter intuebimur, accurateque perſcrutabimur, num mutilus ſit ac non integer! Lacedæmonios audio cum cæteris in rebus Lycurgum dedecorare, tum ad Orthiæ Dianæ aram promiſcue ſervos atque ingenuos ſiſtere, Heloten non minus quam Erypontidem aut Agiadem, vel hoc nō abſurdè potius, verberum enim certamen, & præmium eſt. Age nunc verbis noſtris fidem ex rebus ipſis adjungamus. univerſos enim philoſophandi principes invenietis, ſi majores illorum inveſtigaretis, ab Iove, ut Homerus ait, educatos, ac genitos, Proverbioque huic, A Codro, conſentaneos non aliter, opinor, quam puros ac limpidos latices perſcrutantes, humo deterſa, vetuſtis è fontibus ſcaturire deprehendimus. Sed quis uno aliquo nos contrario exemplo in errorem inducat, iſtud ſi ita libet concedamus, difficile quidem, ſuapte tamen natura fieri poſſe ut qui eo vitio ſit infectus virtutis compos exiſtat. Iam reliqua indicia & argumēta quærenda ſunt, quæ in Philoſophi mente inſculpta eſſe multo magis neceſſarium eſt quam eburneum in Pelopidis humerum. *Oratione 1. cui titulus Explorator.*

Themiſtius: Si quem aliquando videritis, qui velut Princeps Philoſophiæ, ac Corypheus ſe gerat, iis autem præſit, quæ paulo ante dixi, & affixus ſit, nec abſcedat unquam, etiamſi Diomedea neceſſitas contigerit, ſcitote, auditores, vos ab eo homine decipi, qui Agamemnonis perſonam agat, cum intus Mithæcus quidam, aut Theario ſit. At vos nequaquam id ei permittite, nec paucis ille voculis ſcitis atque elegantibus vobis imponat, quas nihil ad ſe pertinentes furtim ſubtrahens, & circumagens, atque interpolans, velut Autolicus furta ſua, eadem ubique circumfert, exultans apud eos inſolenter ſeſe venditans qui verum dominum ignorant. Sed vos hunc in modum rogantes ab eo ſciſcitemini. Heus tu, quandoquidem Philoſophum te eſſe, idque in ſummo Philoſophiæ genere profiteris; plane id quidem boni vellemus noſtræ Civitati abundantur, ac copioſe ſuppetere: ſed quemadmodum ſi te medicinam profiteri videremus, non tamen temerè tibi domos noſtras cōmitteremus, neque uxores, aut liberos, niſi ante planum nobis id feciſſes, plærosque à te ſanos ex ægris factos, multos item ex naneis integros, nec non aliquot te medicamenta feciſſe, ac potiones ſolerter atque utiliter confectas. Ad hæc nonnullos diſcipulos artis, & ſucceſſores: ex iis enim illa quidem medicinæ opera, hæc indicia ſunt. Ex utroque porro omnis ſcientia dijudicaretur. Eodē modo & nunc, vir optime, aliquod nobis egregium tuum facinus edicito, cujusmodi Philoſophi hominis pleraque eſſe ſolent.

Quandonam oblatas pecunias contempſiſti, veluti Xenocrates ille quinquaginta talenta ab Alexandro miſſa? Quandonam debitori remiſiſti ut olim Zeno Citticus? Quam contumeliam pertuliſti, qualem à Thraſymacho Socrates? Quando magiſtratuum beneficia mercedis nomine collata repudiaſti, ſicut Phalerei Theophraſtus? Sed eſto nihil horum præſtiteris, at voluptates aſpernaris, neque ſcorta coemiſti, nec meretricem deperiſti, nec eoſdem ſervos feciſti. Sed cujuſmodi multa ſunt recentiorum, nec pauciora veterum Philoſophorum decreta ſapientiæ, num eodem modo parvæ à te aut majores lucubrationes conſcriptæ ſunt, de virtute & vitio, aut de natura rerum, aut quomodo verum à falſo diſtinguatur? aut quid tandem per Muſas aliud? Atque ut nihil lucubrationum edideris, diſcipulos ſaltem aliquos finxiſti quatuor, treſve, aut unicū, iſtum ſcilicet, qui tibi Philoſophiæ cognitionem acceptam refert? Quod ſi hæc omnia propoſita, aut horum partem aliquam demonſtrare minimè poſſit, ſed nugari ac clamare pergat, definite hominem mirari, aut credere Iovis filium Mercurium Iove ac cœlo relicto, exigua carne circumfuſum in urbe vobis oberrare, ne ſi infinita quidem voluminum aut ſcriptorum nomina ſigillatim percenſeat. *Orat. 1. cui titulus Explorator.*

Themiſtius: Nulla philoſophiæ ſecta longius ab altera ſeparatur: ſed quemadmodum ſpatioſæ atque amplæ viæ divortia ac diverticula alia majore, minore alia flexu circummeantia, in eundē nihilominus terminum concurrit. *Orat. 2.*

Themiſtius: Philoſophiæ & majeſtatis plenus habitus, & procera corporis ſtatura & veſtibus decens. Quo quidem cultu etiam etiam virtutes Philoſophiæ contubernales ac ſocios repræſentare pictores ſolent, crines neque ſparſim neglecti, atque errantes, neq; comēdi lenocinio in cirros contorti, ſed medio quodam ornatu, qui ad modeſtiam ſit, & elegantiam compoſitus. Nam Philoſophia nativam habens pulchritudinem tantam, quanta verbis explicari non poteſt, quicquid adſcititium, ac fucatum eſt repudiat, ac rejicit. Quare neque oculos depingit, neque ementitus rubor genas illius inficit: ſed modeſtiæ plenus citra artem toto ex vultu effloreſcit. Aſpectus ipſe verecundiam proferens, ita ut eam in contuentes adeo ipſos transfundat. Iam enim quibuſdam, vel ſolus Deæ iſtius aſpectus ſatis fuit, vitam ut ſuam ad modeſtiam componerēt. Polemo quidem ille Atticus, qui in comeſtationibus ac tibiis, atque ebrietate plurimum antea per luxu ac laſciviam verſari ſolitus eſſet, cum ad Xenocratis contubernalem Philoſophiam oculos adjeciſſet, tibiæ illæ extemplo omnes evanuerunt, comeſtationesq; & vagus atque impudicus amor Polemonis animo excidentes cōtemptui deinceps fuerunt. Pro quibus caſtiſſimo Philoſophiæ amore ſuſcepto, eo uſque inſatiabili animi cupiditate pervenit, ut etiā Deæ illius ſacris initiaretur. *Orat. 7.*

Themiſtius: Eſt hæc Philoſophiæ lex, nihil omnino ſolius oblectationis gratia perficere, ſed ubique cum eo quod jucundum eſt, quod utile eſt admiſcere: ut benigniores medici facere ſolent, qui medicamenta ſenſu percipiantur condimentorum ſuavitate diſſimulant. Nam & tibi opum & divitiarum oſtentatio alia ad faſtū dumtaxat & magnificentiam refertur, alia ſimul & terrorem incutit, neque uſum tamen prætermittit. *Orat. 12.*

Themiſtius: Mihi eo magis enitendum eſt, ne beneficiorum tuorum magnitudini nimium imparem gratiam rependam, quo tu Philoſophiam non multum felici conditione apud multos utentē, hoc rurſum tempore quaſi poſtliminio in Palatium revocas, ut eleganti ori modo habitu tecum aſſiſtat. Nec minore doctrinæ, quā Caſtrorum Imperium honore proſequeris. * Sic authores Imperii tui, huius olim diſciplinæ majoribus ampliſſima quæque deferebant, velut Ario Cæſar Auguſtus, Tiberius Thraſylo, Magnus ille Trajanus Dioni aurea lingua prædicto, Epicteto denique Antonini duo; Omitto cæteros: Præter illos vero is, qui non ita pridem ab eodem quo tu Deo cognomen acceperat, familiæ meæ, ac ſtirpis authori. Horum tu veſtigia conſectaris, in omnium oculis Philoſophiæ conſortium tibi adjungens. Cæterum Philoſophia publicè honorata, publicè item, ac palam gratiam refert, orationibus videlicet, ac monimentis, quæ egregiæ factorum gloriam ad diuturnā ſucceſſionem temporis propagare poſſint, & caducis, ac frugacib. æternam memoriam famamque conciliare, nec non conſilium in tempore, atque audaciam præſtare. Hæc enim Philoſophiæ & facta, & munera propria ſunt: ob eaque initio Imperiis adſcita eſt, nec inutilis eſt habita: Non ut Silanionis opus exequatur, in quo pridem mercede conducti homines operarii, ac publici ſuam Græcis operam navabant.

Verum vis noſſe quid tandem Philoſophia conferat? Hæc vivam, ac ſpirantem legem eſſe Principem dicit legem, inquam velut cælitus in tempore delapſam, de eo quod omni ævo bonum atq; commodum ſit, ac quantam naturæ illius derivationem & [illegible] rerum providentiam, in illud ubique reſpicientem, & ad illius ubiq; imitationem numinis conſtitutum, verè Iove genitum, verè ab Iove nutritum, ut Homeri verbis utar: qui cum Deo cæteris habeat appellationis communes, hoſpitalem, ſupplicum curam gerentē, amicitiæ Præſidem, fructuum largitorem, datorem bonorum, ſuppeditatorem Iuſtitiæ, commodorum adminiſtratorem, diſpenſatoremque felicitatis. Eiuſmodi à Philoſophis Imperatoribus tributa penduntur, iis quidem, qui nequaquam nomen illud ementiuntur. *Orat. 12.*

Themiſtius: Nihil vereor appellare philoſophiam, Imperatoris Amicam: quam hominum jam ſeſe conſortio ſubtrahentem retinuit ille, & apud vos collocavit; tantoque honore ac gloria cumulavit

lævia, ut jam multi ſint qui illam reſpiciant, & requirant, ac ſibi vendicare, & ſtudioſe obſervare parati ſint. Revera enim natura hæc eſſe omnium rerum videtur, ut quod in pretio atq; exiſtimatione eſt, colatur ab omnibus; quod vile ac ſine honore eſt, negligatur. *Orat. 13.*

Themiſtius: Vos id fortaſſe perſuaſum habetis, ſi quis ſusq; deq; de Syllogiſmis diſputet, & argumentationes, quæ Vrides, id eſt nullæ dicantur, dignoſcere poſſit, & involutas explicare, itemque Affirmantes, ac Negantes propoſitiones intelligere, veluti Philo, vel Heliodorus, quorum præclara monimenta ſunt, Dominans, atque Cornutus, moleſta quædam, atque improba ſophiſmata, quorum & intelligentia difficilis, nec utilis notitia eſt: inſtar illius lori, quo Midæ plauſtrũ erat alligatum: eiuſmodi, inquam, hominẽ philoſophari putabitis, vel eum potiùs, qui in lectulo ſedens de virtute ſæpius, atque audacia, & fortitudine apud tres, quatuorve adoleſcentes ſermonem inſtituat, ſive de Republica, ac legibus, cujus ne ager quidem bene adminiſtratur, aut de magnificentia, & immenſis ſumptibus, qui ne aurum quidem unquam, aut ſtaterẽ attigerit. Vel quemadmodum ira coercenda ſit, quem nemo iraſcentem reformidet; vel denique quomodo ſuperior eſſe nihilo ãplius & victo. Sed qui cùm iniuriæ alteri faciendæ poteſtatem habeat, Anaxagora ſeſe juſtiorem exhibet, qui in ſumma libidinum, ac voluptatum licentia Xenocrate temperatior eſt, cumq; delitiis etiam ſupra Sardanapalum illum affluere poſſit, Sinopenſi Diogene famis, ſitisque tolerantior eſt, qui facere iratus omnia cum poſſit, manſuetudine filium Ariſtonis ſuperat: qui fortitudinem non præcipit, ſed exercet, tolerantiam item non docet, ſed in perferendis laboribus præfert: nec quid clementia ſit explicat, ſed eum hominibus impendit: qui eiuſmodi ſit, hunc ſi verum, ac germanum Philoſophum dixerimus, nunc falſo tandem, atque alieno nomine cohoneſtabimus? Atqui non ita aliis nos in rebus gerimus: ſed & Fabrum ex opere ipſo pronunciamus, & ex calceamentis ſutorẽ, ac Medicum eum, qui ægritudinibus medeatur. *Orat. 14.*

Themiſtius: Quid novum tandem facio, aut quid inſolens comminiſcor, ſi, cum Philoſophiam hactenus manentem domi, atque ægrè ferentem, & fora hominum, ac conventicula fugientem offenderim, eidem perſuadeo, ut in apertum lucemque prodeat, nec decorem, ac pulchritudinem ſuam vulgaribus hominib. invideat, & ita conſuefacio, ut non ſingulis tantum benefaciat, quemadmodum Medicina, ſed populo univerſo? Nam Medicina fortaſſis in eundem locum omnia cogere nequeat, quæ ex æquo corporibus quibuslibet, ac morbis expediant: ſed neceſſe eſt, ut ad ſingulorum, qui eadem ægritudine tenentur, ædes ſeſe conferat. At Philoſophia minimè curam corporum gerit, quibus plerique morbi peculiares ſunt, nec cubiculo affixa, vel lectulo eſt: ſed animarum opitulatrix eſt, quibus magna ex parte communes ſunt morbi, quarumque ea naturæ conditio eſt, ut ubivis curari queant.

Quare multo ei maior opportunitas eſt, cum ad concionem, nullo rubricato funiculo compulerit homines, arduum in ſuggeſtum aſcendendi, itaque ſucclamandi, quemadmodum alicui ex Tragœdorum machina Deo quo ruitis homines, nihilque corũ quæ fieri oporteat, per imprudentiam atque ignorantiam agitis? Qui quidem in pecuniis colligendis laborem omnem, ac ſtudium ponitis, filiorum verò quibus eaſdem tradituri eſtis, nullam curá ſuſcipitis, quò juſtè uti illis ſciant: neque prius voſmet ipſos curaſtis, ſed cum & vos ipſos & liberos veſtros videatis, ubi literas ac verba, nominaque ſatis ſuperque didicerint, in quibus perfectam virtutis diſciplinam ineſſe creditis, nihilominus tamen malè in adminiſtrandis pecuniis verſari, nonne ob tale inſtitutionis genus inſanitis? Aut quomodo non eos quæritis, qui vos à tam perverſo judicio, imprudentiaque liberent? Atqui propter ejuſmodi ſocordiam, ac negligentiam, non propter conjunctionum ignorationem plena ſunt fora pugnantibus, ac concertantibus. Et cum eos dixeris, qui corpus exercent, animæ curam abiiciunt aliud ejuſmodi facere? eam quidem partem, cuius imperium eſt, negligere, ei verò ſtudere, quæ alteri ſubdita eſt, quà qui uti neſciat, melius eſt ut ſinat.

Igitur qui medicamentis uti neſciat, conſultius fecerit, ſi non utatur, ſed medico permittat, & qui Tibiis canere neſciat, ſi Tibicini: qi equo neſciat, Equiti: ſimiliter qui ſe ipſo uti non norit, ei ut in ſervitute degat, quam in libertate, multo melius eſt, ſic, tanquam navigii mentis ſuæ gubernacula alteri committenti, qui regendorum, ac moderandorum hominum artem ſibi comparârit.

Hæc enim & alia ejus generis à Socrate & Platone, velut præconibus, pronuntiata ejuſmodi non ſunt, ut ei quidem prodeſſe poſſint, alteri noceant quod in multis corporum medicamentis evenit, ſed & Oratorem & privatum, & Ducem, egenum item, ac divitem, juvenem, ac virili ætate præditum, & ſenem meliores, atq; ad virtutem capeſſendam audaciores efficere poſſunt. Communia enim omnibus hominibus auxilia ſunt, atque remedia, & ex æquo nobilibus, atque iis quorum cenſus quingentorum medimnorum eſt, aut ſecundi cenſus Civibus congruunt. Nec pro facultatum ratione audienda ſunt illa, ſed ſi quotannis in concionem cum uxoribus, ac liberis frequentem Populum convenire Lex permitteret, tum ejuſmodi proponere ſermonem oporteret, qui ordinatoris ac concionatoris inſtar eſſe poſſit. Nam quo in plures ac frequentiores diceretur, eo & efficacior videretur, & majoris apud Auditores authoritatis, & fidei.

Non enim quemadmodum cum pluribus laudati minus gaudent homines, ita juſſi aliquid, aut admoniti. Verùm hic cõmunio ipſa plurimum de dolore detrahit, ac ſuſpicione, quum natura ſua increpatio omnis, atque admonitio ſecum adferr. Ac quemadmodum in exercitibus quæcumque omnibus in commune militibus Imperator præcipit, ea unusquisque ſtatim exequitur, in eoq; ſocium ſuum vincere, atque excellere contendit, Si vero uni aut alteri præcipiat, non modò prolixiori ei ſermone opus eſt; ſed & non parva aliqua occaſione & magno quodam operis præmio.

Idem in conſiliis dandis homines ſuſtinent. Si quem enim beatorum, ac locupletum hominum capiat aliquis, atque in angulum ſeducens ſubmiſſa voce caſtiget, ac reprehendat: Nimirum, ô egregie vir, magis conſentaneum eſt unicuique, ut animam ſuam, quã domum, pretioſam efficiat. Tu verò cum in parietibus tuis multa, ac varia depingas, animum tuum nullâ pictura diſtinctum velut tabulam deletam relinquis. Cumque cubiculum tuum rude & impolitum nolis relinquere, Heſiodo Poetæ hac in re obtemperans, mentem tamen tuam impolitam circumferens intereſſe nihil putas. Hac ſi ſolum reprehenſione caſtiget, ſuſpectum habebit, & infenſus erit, ac commonitionem illam, contumeliam interpretabitur. Sin ille manum attollens, eademque ipſa commutans, apud populum concionando dicat, nihilo hic quidem minus mordebitur, atque utilitatem capiet: tu vero non hunc illumve reprehenderis, ſed peccatum ipſum, ac crimen redargueris. Ineſt enim in ſermonum medicamentis ſanè novum illud & admirandum, quod nihil neceſſe ſit eum, qui vel triverit, vel temperarit ipsũmet ad ægros accedentem cataplaſmate imponere, vel illinere.

Verum hic cum in medio infirmorum hominum ea poſuerit, tũ qui ægritudine maximè tenetur, tametſi occultum penitus morbum, atque in penetralibus ipſis foveat; etſi id mortales omnes ignorent, prodit ipſe ſeſe, atq; è turba proſilit, & medicamentum arripit, & ſi quid habeat morbi, medicamine illo gaudet, ac medela fruitur. Quod ſi pertinaci atque inſanabili morbo ſit affectus, ſi pugnare, ac convitiari paratus ſit, non ſibi ipſi, nec ægritudini ſuæ, ſed ei qui medicamentum præpararit, & id præ dexteritate humanitateque ſua in commune protulerit, convitietur ſanè, & infenſus reddatur. Verùm neque Medicum propterea deficere par eſt, & ab ægris diſcedere, quod pauci omni arte ſuperiorem morbum habeant, nec Philoſophos in multos non verba facere, quod inter multos Mammacuthus aliquis & Cyrebio nihil ex oratione utilitatis ceperunt. *Orat. 15.*

Baſilius Imperator: Medici labor inanis eſt, ſi quæ ab eo exhibetur medicinà corpus non curat: ita vana eſt philoſophi oratio, quæ non poteſt animi perturbatis motibus mederi. ſicut enim medicis proprium eſt de corporibus philoſophari: ita & philoſophos neceſſe eſt animorum morbis medicinam facere. Illos igitur exiſtima veros medicos, qui arte ſua norunt morbos è corporibus hominũ expellere: & philoſophos non fictos, qui perturbationes ex animis hominum ſuis perſuaſionibus evellere, ſi modò per omnia obſequentes in firmorum aures habeant. *cap. 54.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus: Nihil videtur habere Philoſophia præſtantius, quàm quòd modicis contenta eſt, ampliores opes non deſiderat. Nam ſi cupiditates eaſdem, quas cæteri habent: non video quid proſit. Neque me præterit, judices, quàm multa dici adverſus hãc profeſſionem ab his ſoleant, quorum libertatem non impediunt perſonæ. Quippe hos illi & vanos vocant & otioſos, & in ambitũ ipſum, contra quem maximè diſſerere videntur alligatos. Mihi cũ fratre quæſtio eſt. Hæc ergo leviora dixiſſe ſatis eſt, Philoſophiam non eſſe neceſſariam. Ego autem mores naſci puto, & propriam cuiusque naturæ virtutem. alia forſitan diſcantur: quædam experimentis cognoſcenda ſunt. Boni mores conſtant voluntate. Id ſ atere diverſis utriusque partis exemplis poteſt. Nam & optimos viros citra philoſophiam fuiſſe conſtabit: & ſtudioſos ſapientiæ usque ad ultima exempla ſcelerum nequitiæq; veniſſe. Non enim, ut opinor, ex iſtorum ſcholis abſtinentiam didicêre Fabricii, Curii: nec uti mortem contemnerent, Decii conſecuti ſunt: nec vetera horum explicando monumenta tulit civitas populi Rom. liberatores Brutos, tulit Camillos, antequam ulla iſtius ſimulatio irreperet. Iam verò ſi ex diverſo intueri placeat, quis ignorat ex ipſa Socrat s (quo velut fonte omnis philoſophia manaſſe creditur) ſchola, evaſiſſe tyrannos & hoſtes patriæ ſuæ? Non eſt igitur neceſſaria philoſophia.

Atqui enim ut ſtudio perveniri ad ſapientiam poſſit: via tamen eius incerta. Namque ut omnes in unum philoſophos contraham, non tamen inter eos conſtare poteſt, quæ potiſſimùm ſecta diſcenda nobis: quibus præceptis parendum ſit. Pugnant inter ſe, atque diſſentiunt: & perpetuam hanc per ſæcula litem trahunt. Aliis ſũmum bonum, voluptas habetur. Quidam id in nuda virtute poſuerunt. Nonnulli miſcere iſta conati ſunt, atque confundere: & ex bonis corporis, animique eorum quæ extra eſſent, ad finem vitæ beatæ perveniri poſſe exiſtimaverunt. Delectavit quoſdam modus hominum. Iam vero quanta circa Deos pugna? Quidam nihil agi ſine providentia credunt. Alii curam Deorum intra ſidera

continent. Quidam in totum Deos sustulerunt. Quidam cùm hoc erubescunt, cura vacare utique dixerunt. Hi nos ad administrationem Reipublicæ hortantur: illi nihil periculosius civilibus officiis credunt. Quosdam videas odio pecuniæ ferri, nudos, expositosq; veluti ad provocandas calamitates. Sunt qui voluptates non animi modò, sed etiam corporis, inter præcipua ducant bona. Quibus credam? quibus accedam? quicquid probavero, plures negaturi sint. Nec portò quæcumq; præcipiuntur, stare possunt. Ergo & non necessariam esse philosophiam, & difficilem electionem esse dicimus: atque inter ipsos etiam plerosque philosophos constat vix posse percipi. Neque ego ignoro esse quosdam, qui quanquã nomen Sapientiæ facilè atq; avidè (ut sic dixerim) dederunt: tamen quidam sapientiam ex fabulis Reip. tunc, & inter eos qui studuerunt, qui elaboraverunt, nullum adhuc inventum esse confitentur. Veruntamen, ut aliqua etiam de universo loquamur: quis usus ipsorum virorum? Militiæne utilis, an civilibus officiis? Quid in his deprehendas, præter fictam frontem & perpetuum otium, & quandam ex arrogantia auctoritatem? Verùm sint ista (ut dicitur) magna. Ego hæc ad formam legemq́ue paterni testamenti voco. Quid civitati prosunt? Amputant vitia. Nimirum luxuriosus est, nemo pecuniæ cupidus. *Declam. 268.*

Quintilianus Senior: Quis est iste filii habitus? quæ sordes? quid mihi hanc invidiam facis, ut cùm habeas patrem, cibum ab aliis petas? Adversus fortunam te exerces. Quid enim accidere gravius potest? frigus, famem pateris, ne quando accidant? & ideo aliquid pateris, ne quando patiendum sit? vos verò novo genere ambitus, adorationem miseria captatis, inde illa impudentia, quòd verecũdiam inter crimina ponitis, & appellationem quoque passim nuper dedistis. Omnis verò philosophiæ tractatus alienus moribus nostræ civitatis est, tamen utique placuerat: nonne aliæ sectæ justiores? attenderes Physicis: quæreres utrumne ignis esset initiũ rerum: an verò minutis editus & mirabilibus elementis: perpetuus hic mundus, an mortalis esset. Viderint alii: ego in te hanc patiẽtiam corporis ferre non possum: in alias te spes sustuli: de dignitate tua cogitabam. Quod si abdicationem ferre non potes, si carere hereditate malum judicas: deprehensus es, damno pecuniæ moveris, & detrimento famæ: & homo qui has ipsas opes quotidie incusas, tamen concupiscis. Dignus es igitur. *Declamatione 283. m.*

Plinius Iunior: Euphrates affirmat etiam esse hanc philosophię, & quidem pulcerrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, judicare promere & exercere justitiã, quæq; ipsi doceant, in usu habere. mihi tamen hoc unũ non persuadet, satius esse ista facere, quam cum illo dies totos audiendo discendoq́ue consumere. *1. Epist. 10.*

Plinius Iunior: Ex omnibus qui nunc se philosophos vocant, vix unum aut alterum invenies tanta sinceritate, tanta veritate, ut Artemidorum. mitto qua patientia corporis hiemes juxta & æstates ferat: ut nullis laboribus cedat: ut nihil in cibo aut potu voluptatibus tribuat; aut oculos animumq́ue contineat. sunt hæc magna, sed in alio: in hoc verò minima, si cæteris virtutibus comparentur, quibus meruit, ut à C. Musonio ex omnibus omnium ordinum assectatoribus gener assumeretur. *libro tertio Epistola undecima.*

❡ Poetarum.

Aristophanes Nubibus v. 410.

Quàm tu inter Athenienses felix posthac eris atq́ beatus,
Si memor es & indagator, & ærumnæ patientia cordi
Tuo inest; neq́ fatigaris vel stando multum, vel eundo;
Neq́ doles algens neq́ prandere appetis, atq́ insuper omni
Vino abstines, atq́ exercitiis & nugis aliis; &
Optimum id esse omnino ducis, quod conveniens viro honesto,
Vincere agendo, consultando, bellando fulmine lingua
ST. At ego pro duro animo. pro somnifuga cura invenienda,
Propareo, & vitam discrucianti ventre, & non nisi thymbram.
Comedente. bono sis animo, me incudem tibi dare possim.

Aristophanes Nubibus v. 838.

Et quid boni aut frugi apud illos discat aliquis?
S. Imo omnia, quæ inter homines callidam
Redolent sapientiam, teq́ ipsum primulum
Nosces, quam ineptus sis, & quam crassi ingenÿ.

❡ Emblematum.

Batillius. XXXVI.

Philosophiâ maximè nobilitari homines.

Mirandum clypei vixq́ enarrabile textum
Et non humanæ conspicis artis opus,
Quale decus nato magnum & tutamen in armis
Cærula Pelidæ mater habere dedit.
Illic non aquilas, non crustatosve dracones
Fecerat ignipotens, terribilesve feras.
Non avia, aut Thedit is, patris aut insigne vetustum,
Cælata aut proavi fulmina dira Iovis.
Sed mare, sed terras, & quod vertigine cælum
Assidua rapitur, sideraque ipsa trahit,
Arcturum pluviasque Hyadas, geminosq́ Triones,
Ventos & nubes, Pleiadumque chorum,
Et quem olim comitem sibi Delia sumpsit, & illum
Serum agitare boves quem sua plaustra tenent.
Vrbesque & populos, & castra, & prælia, leges,
Iura, magistratus, fœdera sacra fidem,
Iustitiaq́ simul, belli pacisq́ labores,
Atque artes Phœbi, paciferique DEI.
Hac nempe & rerum occultas cognoscere causas,
Doctrinâ & mores excoluisse suos,
Hoc unum, nostrum est quod avorum vincat honores,
Omni aliâ & generis nobilitate prius:
Hic clypeus, nobis unus tela omnia contra
Fortunæ, in quem illa & torta, retusa cadant.

Batillius LXIII.

Vanæ sapientiæ studium.

Conscia nunc etiam culpæ fugit improba lucem
Nyctimene, volucris crimine facta suo,
Solis & occasum servat, tristesque tenebras.
Queis acri visu sidereoq́ micat.
Ascalaphis & sunt tam grandia lumina nostris,
Queis nihil in mediâ luce videre queunt;
In tenebris lynceum cernunt, vaniq́ sagaci
Ingenio in rebus consilioq́ vigent.

Camerarius LXV. Centur. 3.

Vtraque felicitas. Asteria Assidatorum.

Vivere præclarè, ac rerum cognoscere caussas,
Vnica & ad laudem atq́ unica ad astra via est.

Camerarius LXXVIII. Centuria 4.

Sacros custodit in arbore fructus. Draco.

Aurea ceu vigili servabam mala labore,
Tu quoq́ sic serva cælica dona tibi:

❡ Apophthegm. Sacr.

Nicephorus: Veluti arcana & divina quædam res cœlitus ad homines delapsa est Christiana (quam monachis veteribus Nicephorus adscribit) Philosophia: quippe quæ & disciplinarum artes, & disputationum nugas, ut quæ supervacaneæ sint, otiúmque quod in studiis melioribus poni queat, sibi vendicent, impedimentoque adeo ad puritatem vitæ sint, prorsus negligat: soláque dativa utens virtute, ea quæ ad illam perficiendam & ad vitia tolienda faciunt, doceat & excolat: quæ verò inter hæc habentur media, eorum nullam ducat rationem, prorsus autem circa res versetur honestas, atque eos qui à vitiis longè absint, virtutem autem minùs consectentur, pravos atque improbos censeat. Non enim ostentationem, sed actionem virtutis admittit: nihili prorsus eam, quæ ab hominibus provenit, gloriam faciens. Et quum generosè fortiterque animæ perturbationes expugnat, tũ necessarias naturæ res non supra modum curat, vilipendens etiam quascunque corporis imbecillitates. Viribus autem à divinâ mente acceptis ad immortalem illã mentem sublimis tollitur, nocte dieq; illam cogitans atq; intuens: miris etiã modis colens continuisq; precib. concilians. Puritate verò animi, bonorúmq; operum factis, ad sinceritatem religionis grassans: externas expiationes & quæcunque eius generis sunt lustrationes despuit, & unum piaculum esse peccatum ipsum putat. Atq; ita rebus externis superior facta, imperiúmque (ut ita dicam) in eas obtinens, neque ab inordinata vita, neque ab ulla necessitate, ab honesto debitoque proposito suo transversa agitur, neq; cõtumeliis affecta perturbatur. Sed neque indignum quidquam patiens, vindictam meditatur. Tantùm etiam abest ut vel morbus, vel rerum necessariarum inopia eam adurgens de statu suo deturbet, ut talibus quoque ærumnis magis lætetur, generositatem & mansuetudinem suam declarans. Per vitam itidem omnem illud studet, ut quàm minimo indigeat, atque quantum humanæ naturæ captus permittit, proxime ad Deum accedere nititur. Transitu autem sive diverticulum præsentem existimans esse vitam, neque occupationibus negotiorum irretitur, neque providentia rerum præsentium tenetur. Et habitum hominis succinctum expeditúmque, qui nullis sit superfluis rebus oneratus, laudans ad futuram respicit beatitudinem, felicémque illam quietem expectat: omni quoque erga Deum pietate, in animo suo, veluti in domicilio excepta, verborum fœditatem, ut rem ingratam, repudiat. Quas enim illa actiones à moribus suis longè proscripsit, earum neque mentionem verbis facere sustinet. Naturæ verò necessitates paulatim constringens, ut carnem moderatione domans, lasciviam castitate comprimit, injustitiam æquitatis amussi propellit, mendaciam exigit veritate, composito vivendi more omnem accidit inæqualitatem. Familiarius etiam pro societate humana se hominum accommodando, & proximorum animis conformando, benè vivendi institutum confirmat extraneorum simul & amicorum, ut eis provideat, curam habet: egentium res suas & opes ducit esse communes, & cuicunque debentur tribuit. Gaudet illa cum gaudentibus, mœrentibus nihil non adhibet consolationis. In summa ad id quod re vera summum bonum est, studium omne convertens sermonibus castis & cogitationibus spiritualibus seipsam erudit, cultum formæ superfluum prorsus negligit, maledicta magnopere aversatur: colloquia cum veneratione & honoris præfatione ingreditur, auditorem priùs veluti medicamento curans. Longè ab ea abest iracundia, convicium, iurgium. Quòd enim vera ratione prædita est, irrationalem omnem declinat motum: &, ut se-

mel dicam, perturbationum, quæ vel in anima, vel in corpore sunt, omnium domina existit. *Niceph. eccl. histor. l. 8. c. 39.*

Iustinnus Martyr. Philosophus dici non meretur qui Christianos velut impios insimulat: eósque illarum rerum propalam reos agit, quorum ipse prorsus ignarus sit: hócque eo moliens, quò solùm desiderio & voluntati imperitæ multitudinis, quàm ipse ac sui similes errore cæcaverunt, satisfaciat. Quòd si, cùm Christi doctrinam non perlegerit, in nos tam nequiter incurset, omnino nequã est, & par plebeiis imperitisque hominibus, qui maxima ex parte præcavent, ne de his quæ non norint, vel temerè disceptent, vel falsa testimonia dicant. Sin verò cùm perlegerit, magnum in illis & abditum mysterium non intelligat: aut cùm intellexerit (ne veniat in suspicionem quòd ejus religionis sit) hæc agat, est multò planè ignavior & nequior: qui quidem imperita ac temeraria vulgi opinione ac inani metu victus, tam turpiter succumbit, céditque. *Eusebius, l. 4. Eccl. hist. cap. 15.*

Anonymus: Duo philosophi accedentes ad senem quendam eũ orabant, ut eis verbum ædificationis diceret. Senex verò silebat. Tum philosophi, Nihil respondes nobis, pater? At senex, Quod sitis inquit, eloquentiæ studiosi, non ignoro, quòd autem non veri sitis Philosophi affirmo. Quandiu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis? Sit ergo philosophiæ vestræ opus, semper meditari mortem: silentioque & quieti vos assuefacite. *Ioannes Moscus, in prato spirituali. c. 156.*

Divus Paulus Apostol. Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundum Christum. *Coloss. 2. 8.*

Tertullianus: Hunc Apostoli locum explanans *lib. de præscriptionibus adversus hæreticos*, dicit, Apostolus fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam, affectatricem, & interpolatricem veritatis, de cõgressibus noverat, ipsam quoque in suas hæreses multipartitam varietate sectarum invicem repugnantium &c. *capite septimo.*

Athenis expertus linguatam civitatem, cùm omnes illic sapientiæ atque facundiæ caupones degustasset, inde concepit præmonitorium illud edictum. *De anima cap.* 3. Paulò ante dixerat, Nihil omnino cum Philosophis, Patriarchis (ut ita dixerim) hæreticorũ, super anima experiremur. Eodem nomine insignit Philosophos, *lib. adversus Hermogenem, cap. 8.* & eodem c. 3. l. de anima Philosophiam appellat Concussionem veritatis.

Hac Apostoli sententia, inquit, omnes hæreses damnantur, quòd omnes ex subtili loquentiæ viribus & philosophiæ regulis constét. *Adversus Marcion. l. 5. c. 19.*

Damnat Tertullianus artem illam τοχικὴν (quam alibi vocat struendi & destruendi versipellem artificem) quæ probabilia tantũ conlectans nusquam pedem figit. At doctrinam rectè disserendi ipsemet Tertullianus accuratè persecutus est, ut eruditissima ejus scripta testantur. Et verè dictum est à Nazianezno, *Oratio ad 150. episcop.* Veritatem logicis disputationibus tritam in lucem proferri. Et à Basilio *in 5. caput Esaiæ*, Dialecticæ virtutem esse, naturas rerum distinctè dividere, quæ sunt affinia dignoscere, & discernere contraria. Augustinus autem, *lib. 3. contra Academicos*, Si Dialectica, inquit, est scientia veritatis, sic illam novit sapiens, ut sophistarum calumnias contemnendo enecet. Item, *lib. 2. de ordine cap. 12.* Dialectica (id est, ars rectè disserendi, seu τρόπ☉ παιδείας) est disciplina disciplinarum quæ docet docere ac discere, quæ scit scire, & alios scientes facere.

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Theophilus. Quis te rerum divinarum humanarúmque sedula indagatrix Philosophia digno elogio concelebret? quæ vitæ dux ejusdem tranquillitatem largita es, & terrorem mortis (si Tullio fides) sustulisti. At verè te sustulisse, declaravit Theophilus. Apud quem dum Sapritius Præfectus instaret, ut mente cultúque mutato, rursus à vero Deo desisceret ad Idola, a iàs miserâ morte multandus: verus Dei amicus, *Summa*, ait, *sapientia est, ut Philosophiã declarem erga omnes meos affectus, & tuos cruciatus nihil timeam.* Cui Præses: Ergon' tormentis requiem, morti vitam postponis? ille: *Ego & tormenta timeo, & mortem perhorresco; sed illa tormenta quæ finem non habent, illam mortem quæ æternas tenebras patitur.* Sur. tom, 1. in vita Dorotheæ.

S. Basilius, & Iulianus Apostata: Bellum fatale in Persas suscepturus Iulianus, cùm sibi obvium haberet Basilium, clamabat: *Ego te-Basili in Philosophia excello.* Cui Basilius lento gradu pertransiẽs: *Vtinam Imperator Philosophus esses!* insinuans, non in tot tantosque errores prolapsum fuisse, si Philosophiæ sedulam operam impendisset: hæc enim, si ulla est alia,

——recto vivere talo
Ars dedit, ut veri speciem dignoscere possis,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro:
Quæque sequenda forent, quæque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notares.

Sur. tom. 1. in vita Basilii.

Cosmas Monachus. Erat is quo præceptore usus olim Damascenus Philosophiæ professor eruditus. Qui rogatus de statu suo & professione, totus in lachrymas solvebatur. advenit solatium laturus Damasceni pater, &, ánne vitæ & mundi, cui renunciarat, amissionem fleret, rogat; qui ait: *Nequaquam: sed id unum me affligit, quòd, cùm artium omnium disciplinis imbutus sim, hactenus mihi negatum, ut per Philosophiam filium mihi similem generem; quo aurea illa Philosophorum progenies semper in mundo conservetur.* Sciebat enim, quòd hinc caperent

——juvenesque senesque
Finem animo certum, miserisque viatica canis.

In vita Io: Damasceni, apud Sur.

¶ Monosticha Trochaica.

Et plerique Philosophi nati sunt suam extra Græciam.
Haud cuivis nota sunt ædes Philosophia quas incolit.
Philosophari vis: virtutes passim factis exprimas.
Philosophia etiam suum est cum feminis commercium.
Philosophus vita plus prodest hominum, quàm Rex optimus.
Pilosophum vita efficit, non scipio, non pallium.
Qui Philosophus esse quæris, quære solitudinem.
Vxori Philosophiæque dare operam pariter haud potes.

¶ Jambica.

Ad philosophiam est iter quoque sine viatico.
Aliter fere Philosophus quam loquitur facit.
Amittitur Philosophia si intermittitur.
Barba atque amictus philosophum non perficit.
Etiam à Philosophis nocte versantur molæ.
Factis potius Philosophum quam dictis refer.
Nihil habet Philosophus & habet omnia.
Nil possidet vir philosophus superfluum.
Nullus Cupido animam philosopham vulnerat.
Operam philosophus spernit mercenariam.
Philosophandum est paucis, nam omninò, non placet.
Philosophia omnis fons beatitudinis.
Philosophus ecquis morte non perit malâ?
Philosophus ecquis prælio unquam intercidit?
Philosophus esse sanè vulgus non potest.
Philosophus est qui haud quærit res superfluas.
Philosophus est qui vitâ virtutem docet.
Philosophus haud vivit sibi, sed omnibus.
Ridicula multa Philosophus pallio occulit.

Picturæ.

¶ Sententiae Patrum Graecor.

D*Ivus Chrysostomus:* Pictores quidem & statuarii cùm se incluserint, cum magna industria, diligentia & silentio agunt omnia, nemini ostia aperientes. *Homilia tredecimo ad Corinthios secundo.*

Chrysostomus: Neque enim si in imagine viderimus divites, eos esse dixerimus beandos & æmulandos; quomodo neque mendicos illic depictos, infelices & miserabiles. Atqui illi sunt firmiores & stabiliores iis, qui sunt apud nos divites. Magis enim in pictura manet dives, quam ipsa rerum natura. Nam ille quidem sæpe etiam ad centum annos sic apparens duraverit. Hic autem cùm ne annum quidem unum in suis facultatibus se deliciis impleverit, repentè privatus est omnibus. *fine Homilia trigesimo octavo ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Typus quidem donec ventura est veritas, veræ rei nomine vocatur: postquam vero advenit veritas, non amplius. Simile quiddam evenit in adumbrata pictura. descripsit quispiam regem adumbrans. Lineamenta illa adumbrata quamdiu pigmétorum flos & color verus se in conspectum non dat: regem vocamus. at ubi iste color accessit, obscuratur veritate typus neq; apparet: tuncque dicimus, imo nunc est Rex. antea non erat.

Basilius Seleuc. Qui artis & colorum subsidio rerum visarum naturas moliuntur efformare, umbras quasdam præformant, antequam colorum florem indant. *Sermone. 13.*

¶ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Xenophon: Præterea si quando cum aliquibus colloqueretur, qui artificia nossent, & quæstus gratia iis uterentur, etiam his proderat Socrates. Nam, quum aliquando ad Parrhasium pictorem ingressus esset, cumque eo colloqueretur: Num pictura, mi Parrhasi, ait, earum rerum est adsimilatio, quæ res cernuntur? Nam & concava, & eminentia, & obscura, & lucida, & dura, & mollia, & aspera, & levia, & nova & vetera corpora per colores repræsentãdo exprimitis. Verè dicis, ait Parrhasius. Atqui quum formas elegãtes imitamini, quando non facile est unum hominem nancisci, in quo reprehensionis omnia sint expertia: de multis colligentes ea, quæ in singulis pulcherrima sunt, ita scilicet tota corpora, ut pulchra videantur, efficitis. Sic facimus, ait. Quid verò? Subjecit Socrates, num indolem animi ad persuadendum aptissimam, & suavissimam, & amicissimam, & desiderabilem maxime, maximeq; amabilem imitamini? an vero illa inimitabilis est? Quo pacto, mi Socrates, ait Parrhasius, possit hoc esse imitabile, quod neque proportionem, neque colorem, neque quidquam habet illorum, quæ

modo tu commemorabas, ac omnino ne cerni quidem potest? Annon, inquit, usuvenit homini nonumquam, ut blande, vel hostiliter quosdam intueatur? Ita mihi videtur, ait. Ergo in oculis est, quod exprimi potest? Omnino, inquit. At in amicorum rebus secundis & adversis eidemne vultus esse tibi videntur eorum, qui solliciti sunt, & qui non? Nequaquam, ait. Nam in prosperis hilares, in adversis tristes fiunt. Ergo possunt, ait Socrates, hæc quoque repræsentari? Omninò, respondit Parrhasius. Quin etiam indoles quædam magnifica, & liberalis, & humilis, & illiberalis, & casta, & prudens, & petulans, & turpis, per vultum, per gestus hominū, tam eorum qui stant, quam qui moventur, elucet. Verè dicis, ait. Et possunt igitur hæc quoque imitando exprimi? Omnino, inquit. Vtrum ergo, subiecit Socrates, illa cernere lubentius homines putas, per quæ honesti, boni, amabiles mores elucent: an per quæ mores turpes, improbi, odio digni? Multum inter hæc mi Socrates, ait, profectò interest. *cap. 29. lib. 3. Memorabilium.*

Halicarnassæus: Sculptores & pictores nisi magnam experientiam longo tempore collectam habeant, & dudum in artificiosis antiquorum operibus oculos triverint, facile ea internoscent, nec satis affirmare poterunt, eo quod solum fama audiverunt, hoc esse Polycteti opus, hoc Phidiæ, hoc Alcamenis; & inter pictores, illā esse Polygnoti, illam Timantis, illam Parrhasii tabulam. *cap. 59. de vi dicendi Demosthenis.*

Aristides Sophista: Aliud præterea nihil est appingendum, qualia sunt in impiis quibusdam & horrendis picturis, quas ego miror, quomodo qui primi viderunt, ab earum artificibus & auctoribus manus abstinere potuerint, tum cur adhuc in mediis templis conspiciantur. *fine orationis Isthmiacæ in Neptunum.*

Epictetus Hadriano: Quid est pictura? Veritas falsa: videmus enim poma picta, flores, animalia, aurum, argentum, & non est verum.

Philostratus: Censes ne aliquid esse picturam? Certè, inquit Damis, si quid est & veritas. Quid autem efficit ars eiusmodi? colores, infit, miscet inter se omnes; ut cæruleum viridi, & album nigro, & rubicundum pallido. Tum Apollonius: Hos verò cuius causa quæso permiscet? Neque enim aspectus duntaxat gratia miscere puto, sicut puellæ quando flores miscent. Imò, inquit Damis, imitationis caussa id faciunt, ut per eos canis, aut equi, aut navis, aut hominis imaginem exprimant, aut aliquod eorum quæ sub sole sunt. quin etiam solis ipsius aliquando similitudinem referunt, & illum quandoque ostendunt quadrigis vehi; nonnunquam cœlum ipsū calefacere: quando & æthere ipsum, & Deorum domos lustrando describit. Imitatio igitur quædam est, pictura. *l. 2. c. 10.*

Philostratus: In hoc, inquit Apollonius, ambo consentimus, imitandi facultatem à natura hominibus provenire, pingendi verò peritiam ab arte. quod etiam de fingendi arte dicendum censeo. Picturam verò ipsam arbitrari mihi videris non ex coloribus duntaxat constare, quandoquidem unus tantum color veteribus pictoribus satis erat: posteriores verò quatuor adhibuere, inde paulatim pluribus ac pluribus usi sunt. Quin etiam lineamentis quibusdam absq; ullo colore nonnunquam pingunt: quam picturam ex umbra duntaxat luminibusq; constare dicēdum est. In ipsa enim rei similitudo cernitur, etiam forma, & mens, & pudor, & audacia, quamvis coloribus tales affectus careant. Neq; verò sanguinem, neq; comarum aut pubescentis barbæ florem non exprimit; sed quamvis simpliciter, unoq; modo composita, flavi hominis, aut albi similitudinem repræsentant. Quin imò si Indum ex his quendam albis lineamentis designaverimus, tamen quasi nigrum se adspicientib. offert. nasi enim simitas & erecti capillorum cincinni, tum genarū eminentia, & stuporis imago quædam oculis circumfusa, denigrat ea quæ ab oculis alba conspiciuntur, atque illum qui pictus est, Indum esse rectè considerantibus demonstrat. Quare non absurdè dixerim picturam aspicientes imitativæ facultate indigere. nemo enim rectè laudabit pictum equum, aut taurum, nisi qui animal illud mente intueatur, cujus similitudinem pictura demonstrat *l. 1. cap. 10. sub finem.*

Simocatta: Aureum Callicatrem, imaginem ajunt tibi pinxisse. Picturam autem non Terpsitheam existimo referre, sed Lacænam Helenam. Equidē per certissimas Perasii tabulas. Itaq; & arti, & naturæ vim attulisti, huic injuriam inferendo, illam falsam reddendo. Nam artem Perasij fallere coegisti, & quæ tibi non insunt ea tabulis variare, veluti naturæ defectū ac fallacias ornans, magnāq; illius inertiam ostendens. Ego verò etiam pictorem laudo. non enim tuæ deformitatis pictor esse potuit: & naturæ sapientiam admirata sum, quæ pessimæ animæ corporis elegantiam non credidit. *Erato Terpsichoræ. Epist. 6.*

Simocatta: Concitantur etiam palmæ amore naturali, & fœminam mas concupiscit, & circumsurgit masculus amore, atq; coma dilectā amplectitur. Quòd si fœmina procul à mari distet, Plenes è fœmina sublatas, mari circumplicant, & sophismate quodā hujus amorem excitant. Si igitur non celeriter ad nos redire potes, mitiga mihi per pictorem vim amoris, & tabulis pictura tuæ imaginis mihi spectaculum præbeat. Sufficit enim etiam opinio ad eludendos eos qui nimio amore flagrant. *Epist. 18.*

Themistius: De Parrhasio ferunt, cùm suscepisset pingendū Mercurium, suā in tabula expressisse imaginem; & hodieque spectatores scripturæ inscriptione falluntur. existimant enim à Parrhasio Deum ipsum honoris caussa hoc munere affectum esse, à picturā longius aberrantes. qui quidem ut stultitiæ atq; arrogantiæ crimē effugeret, alieno nomine ad sui picturam abusus est. *Oratione decima quarta.*

❡ Romanorum.

Calpurnius Flaccus: Lex erat, Virorum fortia facta pingantur: item altera, Viri fortes de præmio armis contendant. Fratres fortiter fecerunt. pater à minore petit ut majori cederet: non impetravit. prælio interfuit majori minor. Petit præmio, ne facta pingantur. pater contradicit: additq;, Infecta quemadmodum esse possunt quæ facta sunt? picta quidem interim non sunt; sed in omnibus pectoribus incisa sunt, in oculis, in animis, in ipsis deniq; manibus tuis. *Controversia 21.*

Plinius Iunior: Peto autem ut pictorem quàm diligentissimum assumat. nam cum est arduum similitudinem effingere ex vero, tū longè difficillima est imitationis imitatio. à qua rogo ut artificem quē elegeris, ne in melius quidem sinas aberrare. *fine Epistolæ vigesoctavæ lib. 4.*

Incertus Panegyristes Maxim. & Const. Imp. Fortunatus pictor ille quisquis fuit, & quamvis Apellem ipsumq; Parrhasium scientia vicerit, materia tamen imaginis quam arte felicior. quanquam enim ipsi ferant, difficillimam esse præcipuæ cuiusq; formæ imitationem (quia certis suis notis citò deformitas exprimatur: similitudo autem pulcritudinis tam sit ardua quam rara est pulcritudo) non tantum tamen ille cepit laboris ex ore vestro divinas species transferendo, quantum divinitatis hausit, cominus vos inspiciendo, intuendo sollicitè, & curiosè ab hilaritate illius ætatis vultus immobiles & serios exigendo, promendoq; deniq; amoris vestri tacita præsagia: ut quod invicem vobis verecundia negabat, liberè vos in imagine cerneretis. *cap. 6. fine.*

Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 10. contra falsos Episc.

Optimus est pictor, veras vivumq; tuentes
Qui scite formas exprimit in tabulis:
Non qui multiplices frustra variosq; colores
Miscens, ante oculos florida prata locat.

Prudentius passione Cassiani.

Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

Plautus Asinariæ 2. sc. 3. v. 22.

Non potuit pictor rectius describere ejus formam.

Ausonius Edyllio 7.

Bissula nec ceris, nec fuco imitabilis ullo,
Naturale decus ficta non commodat arti,
Sandyx & cerussa, alias simulate puellas,
Temperiem hanc vultus nescit manus. ergo age pictor,
Puniceas confunde rosas, & lilia misce:
Quiq; erit ex illis color aëris, ipse sit oris.

Idem ad pictorem.

Pingere si nostram pictor meditaris alumnam,
Aemula Cecropias ars imietur apes.

Hilasius de Virgilio.

Subduxit morti vivax pictura Maronem:
Sed quem parca tulit, reddit imago virum.

❡ Monosticha Trochaica.

Ardua est imitationis in melius imitatio.
Corde sculpta imago, pictam mille præcedit modis.
In pictoris officina plurimum silentij est.
Iudicare de picturâ vel queunt rudissimi.
Omne reddit pictor orbi mors quod atra sustulit.
Picta non sunt è propinquo contemplanda imagines.
Picturam semel vel statuamq; vidisse sufficit.
Præstat forma oculis quæ incurrit, verbis quam quæ pingitur.
Quidquid orbi Parca tollit, pictor orbi mox refert.
Summa libertas poetis, summa est & pictoribus.
Vel probi pictura quemvis ad virtutes excitet.
Viva ubi est persona, picta nunquam imago ostenditur.
Viva ubi persona præsto est, nemo pictam postulat.

❡ Jambica.

Et turpis aliquam pictor pulcram pinxerit.
Pictor tabellis falsa adumbrat plurima.
Pictori habenda in pluribus nulla est fides.
Pictura non est, falsa abest cui veritas.
Pictura semper veritati proxima est.
Poeta multa vana, pictor plura habet.

Pietatis.

❡ Sententiae Patrum Graecorum.

Clemens *Alexandrinus:* Dei cultus est continua animæ cura ei, qui est præditus cognitione, & eius perpetua in Deo occupatio per charitatem, quæ nunquam intermittitur. Cultus enim qui versatur

ſarur circa res hominum, unus quidem eſt qui reddit meliores: alius verò, qui in miniſterio occupatur: medicina quidem corpus, philoſophia verò animam reddit meliorem. Ac parentibus quidem à filiis, magiſtratibus autem ac principibus ab iis qui parent eorũ ditioni, occupata in miniſtrando accedit utilitas. Similiter autem in Eccleſia, eam quidem quæ facit meliores, presbyteri ſervant in eccleſia: eam autem quæ ſervit, diaconi. Ambobus his miniſteriis Angeli Deo ſerviunt in diſpenſatione & œconomia rerum terrenarum & ipſe qui eſt cognitione præditus, qui Deo quidem inſervit, hominibus autem oſtendit eã quæ meliores facit contemplationẽ, quomodocunque ad erudiendum fuerit conſtitutus, ad hominum correctionem. Ille enim ſolus eſt pius ac religioſus, qui pulchre ac citra ullam reprehenſionem, in rebus humanis Deo ſervit. Sicut quippe plantarum cultura eſt optima, per quam naſcuntur & comportantur fructus, ſcientia & agriculturæ experientia hominibus utilitatem afferens: ita eius qui eſt cognitione præditus, pius ac religioſus Dei cultus, eorum hominum fructus qui per ipſum crediderunt in ſe accipiens, cum plures ad agnitionem veniant, & per ipſam ſalvi fiant, optimum comportat proventum per experientiã. Quatenus autem θεοπρέπεια (ita enim vocatur cultus Dei majeſtati conveniens) eſt habitus qui id conſervat quod Deum decet: θεοπρεπὴς, id eſt, qui convenienter Dei majeſtati Deum colit, ſolus erit Dei amicus. Is autem erit qui novit quid deceat & in ſcientia & in vita, qua ſit vivendum ei qui eſt futurus, & jam Deo aſſimilatur. Ea ergo ratione erit primum Dei amans: Nam ut qui patrem honorat, amat patrem; ita qui Deum honorat, Deum amat. Qua quidem rationẽ mihi quoq; videntur eſſe tria effecta cognoſcendi poteſtatis: primo res noſſe: ſecundò, id efficere quod verbum ſeu ratio dictaverit: tertio, ea quæ occulta fuerant apud veritatem, prout Dei majeſtati convenit, tradere poſſe. Is ergo cui perſuaſum fuerit Deum eſſe omnipotentem, & divina myſteria didicerit à filio ejus unigenito, quemadmodum fuerit is ἄθεος, id eſt impius? nam ἄθεος quidem eſt qui nõ putat eſſe Deum: δεισιδαίμων autem, hoc eſt, ſuperſtitioſus, qui timet dæmonia: qui omnia in Deorum refert numerũ, & lignũ, & lapidem, & ſpiritum, & hominem qui vivit è ratione redactum in ſervitutem. Fides ergo eſt noſſe Deum, quę eſt prima poſt fiduciam doctrinæ Servatoris, nullo modo injuſta facere, idq; exiſtimare decere Dei agnitionẽ. Eo reſpectu in terra quidem res eſt præſtantiſſima homo, qui eſt maxima in Deum pietate. In cœlo autem res eſt præſtantiſſima, Angelus, qui loco propius & jam purius eſt æternæ & beatæ vitæ particeps. Perfectiſſima autem & ſanctiſſima, & maximè principalis, & quæ maximè imperat, & eſt maximè Regia, & longe beneficentiſſima, eſt natura filii, quæ eſt ſoli omnipotenti propinquiſſima. &c. *libri 7. Stromatum ferè principio.*

D. Nazianzenus: Piæ ac Deo charæ animæ eſſe cenſebat, divinis rebus humana omnia ſubmittere. *Oratione decima nona in funere patris.*

D. Nazianzenus: Nihil apud Deum ita amplum & magnificũ eſt, ut doctrina perpurgata, & anima veritatis dogmatibus inſtructa atq; perfecta. Etenim Deo quidem, qui omnia creavit, à quo omnia, & in quem omnia, nullum ſatis dignum munus efferri poteſt, non modò ſi unius hominis opus & divitiæ in eam rem impẽdantur, ſed neq; ſi omnib. omniũ hominũ operib. & facultatibus in unum cumulatis eum quiſpiam honore afficere velit.

Nonne cœlum & terram ego impleo dicit Dominus? Et, Qualem domũ ædificabitis mihi? aut quis locus requietis meæ? Quoniã autẽ infra ipſius dignitatem nobis neceſſariò ſubſiſtẽdum eſt, quod ſecundum eſt, pietatem à vobis poſtulo, cõmunes, inquã, apud me atq; æquales divitias, quibus eum etiam, qui admodum clarus & ſplendidus eſt, fortaſſe ſuperabit qui gravi inopia premitur, ſi animi magnitudine præſtet. Voluntatis enim eſt hæc liberalitas & munificentia, non opum & copiarum. Accipiam quidẽ hæc quoque (ne dubitetis) de manibus veſtris. *Oratione trigeſima ſecunda.*

D. Greg. Nyſſenus: Non facilè eſt, atque haud ſcio an etiã prorſus fieri non poſſit, ut rebus per hanc vitam jucundis, quæ apparent, aliquis præferat bonum quod non apparet: ut facilè vel ædib. expelli, vel ab uxore ac liberis, à fratribus, ſororibus, parentibus & æqualibus ſegregari & omnium quæ per vitam jucunda ac ſuavia ſunt, expers eſſe malit, niſi ipſe Dominus eum, qui juxta propoſitum vocatus fuerit, ab bonum adjuvet. *Orat. octava de beatitudine.*

Chryſoſtomus: Paucis exiſtimare ſe ſatiari, eſt animi imbecilli, paucis exiſtimare ſe ditari, eſt nauſeantis & miſeri. inſatiabilis enim res eſt pietas; & mentis eſt puerilis arbitrari ſe totum accepiſſe & cùm ne ſit quidem in prooemiis, ſe efferre & magnificè de ſe ſẽtire, tanquam finem apprehenderit, *Homilia 12. ad Corinth. 1.*

D. Chryſoſtomus: Quemadmodum corpus noſtrum, non ſi ſemel nutriatur, habet totius vitæ ſubſtantiam, ſed quotidiano indiget cibo: ita & in religione atque pietate diebus ſingulis operum egemus auxilio. *2. ad Timoth. Homil. 3.*

Iſidorus Peluſiota: Carbones ſuccenſi ſunt ab eo, hoc eſt ſancti viri à Deo. Quoniam enim Deus noſter ignis conſumens eſt, idcircò qui per animi puritatem Deum contemplantur, carbones non abs re appellantur: ut qui per coniunctionem cum Deo inflammentur, ac luminaria in mundo exiſtant. *libri primi Epiſtola ſecunda.*

S. Iſidorus Peluſiota: Pietate, optime vir, nihil utilius atque cõducibilius. Nam ea laureatis quoque Imperatoribus ſartam tectamque ſubditorum obedientiam ſervat. Hanc igitur ante oculos propoſitam habens, da operam, ut imperii ſcapham modereris: quò tranquilli, quantum in te ſitum erit, ii, quibus præes, perſtent. Quòd ſi hoc negotium labores habet, jucunditates etiam animique voluptates habet. Quòd ſi dixeris, Non ſimul atque eodem tempore: reſpondeam, Nec enim fieri poteſt. Quandoquidem enim dum bellum gerunt in mutuam gratiam redire non ſuſtinent, Idcirco per ſummitates copulantur. Nam ad quẽ labores acceſſerint, voluptates etiam atque oblectamenta poſtea ſubſequentur. *l. 2. Ep. 136.*

Sanctus Iſidorus Peluſiota: Divina quædam res eſt ſermo: divinior autem, virtus: diviniſſima denique, pietas. Quamobrem, qui & ſermone, & opere, & fide ornatus eſt, inſuperabilis eſt, & clarus ac celebris, ſummaque beatitudine dignus. Cui autem horum aliquid deeſt, tantum huic decedit, quantum ejus, quod deeſt, portio requirit. *libro tertio Epiſtola centeſima decima octava.*

S. Iſidorus Peluſiota: Pietatis, vir elegantiſſime, duplex eſt modus. Vnus ſanctiſſimus maximeque divinus in anima. pulcherrima enim hæc victima eſt, Deoque inprimis grata, mentem piam habere, divinæque præſentiæ ſibi ſpeciem fingere, atque in animæ delubro fixam & ſtabilem tenere. Alter in corporis caſtitate. Nam qui his duobus modis deſtitutus eſt, nec ſi pretioſiſſimos terræ ac maris theſauros offerat, aut omnia ea animantia, quæ Legis præſcripto non ita pridem immolabantur, adhibeat, gratiam apud Deum initurus eſt, *libro tertio Epiſtola centeſima ſexageſima tertia.*

Iſidorus Peluſiota: Virtutum congruentia juſtitiæ pulchritudinem efficit: quæ quidem cogitationem omnem, ac ſolertiam tum manus, tum colorum excedit. Verùm quemadmodum in corpore valentior pulchritudinis pars eſt pietas. Quod ſi etiam virtutum congruentia inſuper acceſſerit, eximia quædam pulchritudo futura eſt. *lib. 3. Epiſt. 268.*

¶ PHILOSOPHORVM ORATORVMQ; GRAECORUM.

Xenophon: Venerabatur Ageſilaus delubra etiam in hoſtico quod exiſtimaret, Deorum auxilia non minus in hoſtili, quam pacato ſolo quærenda eſſe. Quod ſi qui Diis eſſent ſupplices, eos non violabat, ne ſi hoſtes quidem eſſent: quod abſurdum eſſe duceret eos, qui è fanis aliquid furto ſubtrahant, ſacrilegos adpellare; qui autem ſupplices ab aris avellant, pro religioſis habere. Numquam hymnos dicere deſinebat, quod Deos arbitraretur non minus factis religioſis, quam ſacrificiis puris delectari.

Quinetiam quoties fortuna utebatur proſpera, non homines prę ſe contemnebat, ſed Diis habebat gratias: & fiduciæ plenus, plures mactabat hoſtias quam rebus ſuis metuens voveret. Et conſuefecerat ſe, ut quoties in metu eſſet, hilaritatem præ ſe ferret: rebus contra ſecundis humilis eſſet. *capite quinquageſimo vitæ ejus.*

Xenophon: Dic mihi, mi Euthydeme, quale quiddam eſſe putas pietatem: Et ille: Pulcherrrimum profectò, ait. Potes ne igitur dicere, qualis ſit homo pius? Is, ait, eſſe mihi videtur pius, qui deos honore adficit. An autem licet eo modo deos honore adficere, quo quiſque vult? Non, ſed leges quædam ſunt, ſecundum quas id faciundum eſt. Ergo qui ſecundum leges illas facit, is ſcire poſſit, quo pacto dii ſint adficiendi honore? Sic arbitror, ait.

Ergo qui deos honore novit adficere, non aliter id faciundum putat, quam uti ſcit? Non aliter, inquit. An verò deos aliquis aliter adficit honore, quam uti putat adfici debere? Non arbitror Ergò qui novit ea, quæ legitima ſunt erga deos, is legitime deos honore adfecerit. Omnino, ait. Qui igitur legitime ipſos honore adficit, is ita honorat eos, ut fieri oportet? Cur non? Qui verò ſic, ut oportet, honorat, an pius eſt? Omnino, inquit. Ergo qui legitima novit erga deos, eum rectè pium definiverimus. Ita mihi videtur, ait. *capite vigeſimo nono libri quarti Memorabil.*

Xenophontis: Quia videor animadvertiſſe, deos hominibus abſque rerum earum cognitione, quæ ſuſcipiendæ ſunt, & perficiendi eas ſtudio, non fas eſſe voluiſſe, ut proſperitate fruerentur, ac prudentibus & ſtudioſis partim conceſſiſſe felicitatem, partim non: idcirco equidem ordior à cultu divino, atque efficere conor, ut mihi precanti fas ſit & valetudinem bonam contingere, & corporis robur, & honorem in Republica, & benevolentiam ab amicis, & honeſtam incolumitatem in bello, & incrementum divitiarum honeſtum. Quibus ego auditis: Tibine hoc curæ eſt, inquam, Iſchomache, ut opulentus fias, ac magnas facultates nactus, in earum curatione multum negotij habeas? Omnino, ait Iſchomachus, ea mihi curæ ſunt, de quib.

rogas. Nam mihi jucundum esse videtur, mi Socrates, deos magnifice colere, & amicis indigentibus prodesse, & urbem hanc, me quod adtinet, opum ornamento non carere. Sunt illa sane præclara, inquam, Ischomache quæ commemoras, hominisque valde potétis. Quid ni enim? quum multi sint, qui sine aliorum ope ne vivere quidem possint: multi boni consulant, si parare possint, quantum ipsis sufficiat. At vero qui non modo domum suam administrare possunt, sed etiam nonnihil facere lucri, de quo & reipublicæ ornamentũ accedat, & amici subleventur: cur illi non & copiosi, & potentes existimari debeant. *cap. 42. Oeconomia.*

Epictetus: Religionis erga Deos, præcipuum illud esse scito, rectas de eis habere opiniones; ut sentias & esse eos, & benè justeq; administrare universa: parendũ esse eis, & omnibus ijs quæ fiant acquiescendũ: & sequenda ultrò, ut quæ à mente præstantissima regantur: sic enim nec incusabis eos unquã, nec ab eis negligi te cõquereris. Aliter autem id fieri nequit, quam si ijs, quæ in potestate nostra non sunt, relictis, tam bona, quam mala, in iis quæ in nobis sita sunt collocaris. nam si quid illorum senseris esse bonũ aut malum, aliter certè fieri non poterit, quin cùm ijs, frustratus fueris quæ velles, & in ea quæ nolles incideris, & culpes & oderis illarũ rerum auctores. illud enim natura est insitum omni animaliũ generi, aut ea quæ nocitura videantur, eorũq; caussas, fugiant & aversentur: contrà, utilia & caussas eorum persequantur & admirétur. Nulla igitur ratio est, ut is qui noceri sibi putat, eo lætetur quod nocere videatur. unde etiam ipso damno ut gaudeatur, fieri nequit. Hinc fit ut & patri filius convitietur, cùm ea quæ in bonis habentur filio non impertierit. & illud est, quod inter Eteoclem & Polynicem bellum concitarit, quod bonũ existimabant imperiũ. Hac de caussa Deos execratur agricola, ob hoc nauta, ob hoc mercator, ob hoc ij qui liberos & uxores amittunt. nam ubi utilitas, ibi etiam est pietas. Quamobrem qui id dat operam ut sic & appetat & aversetur, quemadmodum decet; is eadem opera & pietati dat operam. Libandum autem & sacrificandum, & offerendæ primitiæ sunt unicuiq; ritu patrio, castè, non luxuriosè, nec indiligéter, nec sordidè, nec supra facultates. *cap 38. Enchiridij.*

Arrianus: Sedeo gemens, & quemcumq; possum maledictis lacero; ipsum adeò Iovem & Deos ceteros. nam si me non curant, quid mihi rei cum ipsis est? At impius eris. quid ergo? pejus ne mihi tum erit quam nunc est! illud enim omnino meminisse oportet, nisi in eadem re & pietas & utilitas collocetur, non posse in ullo pietatem conservari. *cap. 27. lib. 1. Epict.*

Libanius: Multi numen colentes, cùm celerem ex cultu divino utilitatem non perciperent, ad impietatem facilè sublapsi sunt.

Mox: Duæ sunt caussæ, quæ homines ad Deorũ cultum incitant, impietatis pœna, & piæ mentis merces. *Oratione Patrocli ad Achillem.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: Tunc est infinita pietas, cùm in illa debeas amare quod feceris. *Declam. 2. §. 8.*

Plinius Iunior: Neque enim congruens esse arbitror, quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulos invidere, qui sunt omnibus honoribus pulcriores. *Epist. 8. l. 3.*

CL. Mamertinus: Etenim ceteræ virtutes & bona cetera processu ætatis eveniunt: fortitudo annis accedentibus roboratur: continentia disciplinæ præceptis traditur: justitia cognitione juris addiscitur: ipsa denique illa, quæ videtur omnium rerum regina esse, sapientia, perspectis hominum moribus & exploratis rerum docetur eventis; solæ cum nascentibus pariter oriuntur pietas atque felicitas: naturalia sunt enim animorum bona, & præmia fatorum. *cap. 18. genethliaci Maximiani.*

Ausonius: Aguntur gratiæ Imp. piissimo; cujus laudis locupletissimum testimonium est, pater divinis honoribus consecratus; instar filii frater ad imperium adscitus: à contumelia belli patruus vindicatus; ad præfecturæ collegium filius cum patre conjunctus; ad consulatum præceptor electus. *Panegyrico in Gratianum.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 26. de Dei desiderio.

Gens hominum vario grassatur tramite vitæ:
Agricola hic: salsas findit at alter aquas.
Hastis ille manus armat: canit ille peritus:
Ille pugil; sævas opprimit ille feras.
At mea sors, magnus Deus est, multiq; dolores,
Atq; gravis morbus, qui mihi membra quatit.
Ad breve me lacera tempus scelerate: relinquam
Nam tecum gaudens aspera cuncta brevi.

Prudentius hymno Romani.

Omnes capaces esse virtutum pater
Mandavit annos: neminem excepit diem,
Ipsis triumphos annuens vagitibus.

Plautus Rudente 1. sc. 3. v. 3.

Hoc Deo complacitum est? me hoc ornatu ornatam,
In incertas regiones, timidam, ejectam.
Hanccine ego ad rem natam miseram me memorabo?
Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam?
Nam hoc mihi haud labori est laborem hunc potiri,
Si erga parentem aut Deos me impiavi.
Sed id si paratè curavi ut caverem;
Tum hoc mihi indecorè, iniquè, immodestè
Datis Dij. nam quid habebunt sibi igitur impij
Posthac, si ad hunc modum est innoxijs honor
Apud vos? nam me si sciam fecisse,
Aut parentes scelestè, minus me miserer.
Sed herile scelus me sollicitat, eius me impietas malè
Habet. is navem atq; omnia perdidit in mari:
Hæc bonorum ejus sunt reliquiæ.

Ausonius Epistola 25. v. 48.

Nec possum reticere, iugum quod libera nunquam
Fert pietas, nec amat blandis postponere verum.

¶ Emblematum.

Camerarius LXIII. centur. I.

Testante virebo.

Pyramidis surgentem hederam munimine cernis?
Talis stat pietas fulta favore Dei.

Camerarius I. centur. 2.

Casta placent superis. Elephas abluta Lunam intuens.

Injiciat nobis brutorum hac cura stuporem,
Qui tarda incipimus quærere mente DEUM.

PIETATIS ERGA DEUM ET PROXIMOS, parentes, liberos, maritos, subditos, amicos, & inimicos.

¶ Apophthegm. Sacr.

Iacob Patriarcha: Quum præcepisset Deus Iacobo, Surge, Ascende Bethlem & conside ibi, & fac ibi altare Deo illi forti, qui apparuit tibi cùm fugeres metu Esaui fratris tui, dixit Iacob familiæ suæ & omnibus qui erant secum, Removete deos alieni populi qui sunt inter vos, & mundate vos, mutantes vestimenta vestra. Postea surgentes ascendemus Bethlehem, ut faciã altare Deo illi forti qui exaudivit me in die angustiæ meæ, & adfuit mihi in ipsa via qua profectus sum. *Genes. 35. 1. 2. 3.*

Ruth. Quum Noemi post diuturnam commorationem in Moabitarum agro de reditu suo in Bethlehem Iudæ cogitaret, Orpam & Rutham, nurus suas, multis verbis persuadere conata est, ut apud Moabitas manerent. Orpa discedente, Noemi Ruthæ dixit, Ecce reversa est fratria tua apud populum suum & ad deos suos, revertere post fratriam tuam. Sed dixit Ruth, Ne aversa esto mihi ut relinquam te, recedendo à te: nam quocunque iveris ibo, & ubicunque diversata fueris diversabor: populus tuus, populus meus: & Deus tuus Deus meus est. Vbicunque moriar & ibidem sepeliar: sic faciat Iehova mihi & sic pergat: nam sola mors separatura est inter me & inter te. *Ruth. 1. cap.*

Elias Propheta: Congregatis Baalitis sacrificulis in monte Carmeli, accedens Elias propheta ad populum Israeliticum, *Quousque* inquit, *claudicaturi estis in duabus istis cogitationibus? Si Iehova est Deus ipse, sequimini eum: sin autem istorum Baal, sequimini eum*: sed non responderunt ei populus ille quicquam. *1. Reg. 18. 21.*

Theodosius Iunior: Quodam anni tempore, procelloso admodũ & turbido, consueta statutaq; spectacula, populo ea flagitãte Theodosius iunior in circo edidit. Vbi autem circus hominibus refertus fuit, tempestas cœpit esse vehementior. At cùm magna vis nivis præceps delaberetur, tũ Imperator perspicuè declaravit, quo animo erga Deum affectus esset. sic enim populum per præcones cõpellavit: Quin multò satius est ut neglecto spectaculo omnes uno ore Deum precemur, uti ab iminente procella conservemur incolumes. Vix hæc verba protulerat, cùm omnes in circo, uno animorum consensu, summaq; cum alacritate, Deo preces fundere cœperunt, totaq; civitas quasi una Ecclesia fuit. Tũ Imperator in media populi frequentia, privati hominis habitu incedens, hymnos recitare exorditur: nec spes certè illum frustrata est. Nam aer serenus factus est: & annonæ caritas, Dei benignitate, in omnium rerum affluentia cõmutata. *Socrates eccles. hist. l. 7. c. 22.*

Anonyma: Adolescens quidam in superstitione Gentiliũ educatus, quũ ad piam quandã mulierẽ Antiochenã accessisset, percontatur qua via posset superstitionem patris, idolorum Sacerdotis, devitare, & veritatis quam illa profitebatur, compotem fieri? Cui illa, Oportet, inquit, patrem deserere, & illi tuum illiusque creatorem præponere: & aliam petere civitatem, in qua potes latitare, & impii tyranni manus effugere. *Theodoret. eccl. hist. l. 3. c. 13.*

Anonyma: Captiva mulier Christiana inter Iberes, quum Christi virtute Iberũm reginã ex morbo curasset, à rege donis remunerari jussa, se divitiarum minimè indigere respondit, pietatem se habere pro divitiis asserens, regemque munus amplissimum recepturum, si Deum quem illa colebat, vellet agnoscere. Hæc loquuta dona remittit. *Socrates hist. eccl. l. 1. c. 16.*

Eusebius Samosatenus: Quum ad Eusebium Samosatenum Episcopum Valentis Imperatoris nuntius, edictum quo in exiliũ pellebatur attulisset, Eusebius eum tacere & causam adventus occultare jussit. Nam si plebs, inquit, studio pietatis educata, id intellexerit, te demerget in flumen, & à me certè pœnæ tuæ mortis expetentur. Hæc loquutus & vespertino precum ministerio de more perfunctus, tempore, quo somnus solet obrepere. senex solus, fide unius famuli fretus, ex urbe egreditur. Sequitur famulus, cervical tantùm & librum secum deportans. Quum

postea

postea Samosateni cives ad eum accessissent, rogantes ut apud ipsos maneret, nec sineret oves lupis tradi, persuadere non potuerunt. nā eis recitavit præceptum Apostoli, quo perspicuè iubemur magistratibus & potestatibus obtemperare: donisque eorum repudiatis, ac eos ad Orthodoxam doctrinam sedulò retinendam cohortatus in exilium lubens abiit. *Theodoret. eccl. hist. lib. 4. c. 13.*

Origenes: Literis ad martyrium Origenes patrem Leonidem impellens, his verè vocib. hortatus est: Obfirma te, pater: martyrium fortiter sustine: nec aliud quicquam nostra causa molire. *Euseb. eccl. hist. lib. 6. cap. 2.*

Nicephorus: Principum salus vera pietas sola est: sicuti contra absq; illa nihil prosunt exercitus, equi, satellites, ensium vis, virorúmque innumerabiles copiæ, aurum item & argentum, plurima terræ jugera, & quicunque alius præterea est apparatus. *Niceph. eccl. hist. lib. 14. cap. 2.*

Valentinianus Imperator: Deus justus judex, pietatis studiosos non in illa beata vita sòlùm honore & gloria afficit: verùm etiam spem de præclaris illis laborum remunerationibus, quæ in cœlo expectantur, conceptam, etiam donis in hac vita suppeditatis planè confirmat. *Theodoret. lib 3. Eccles. hist. c. 15.*

Constantinus: Constantinus lepra percussus, consilio quorundā quum puerulorum sanguine lavandus esset, audiens matres ejulantes, & causa tanti luctus cognita, misericordiaque commotus ac prolixè illachrymans: Romani, inquit, imperii dignitas & amplitudo fontem atque radicem veram habet pietatem. Vt igitur ex ea me provenisse omnibus liquidò ostendam, valetudinem meam innocentium puerorum vitæ posthabeo. *Nicephor. eccl. hist. lib. 7. cap. 34.*

Terentius. Quum Terentius, dux longè præstantissimus ab Armenia, erectis victoriæ trophæis, revertisset, Valensque ei imperasset, uti donum aliquod pro laboribus peteret: ipséque donum quod cupiebat dignum homine pietatis institutis ornato Valeti indicasset (petebat enim non aurum, non argentum, non agros, non domum, sed ut templum illis, qui pro doctrina Apostolica se in discrimen conjecissent, concederetur) Valens accepto libello supplici, & cognitis rebus quæ in eo continebantur, admodū stomachatus, illum dilaceravit, jussitq; ut alias res peteret. Terentius verò collectis laceri libelli particulis: Accepi, inquit, jam abs te, ô Imperator, donum, habeóq;, nec aliud petam. Nam quid ego animo instituerim, judicet ille qui hujus universitatis judex est. *Theodoretus. l. 4. eccl. hist. cap. 28.*

Anonyma: Quum Iulianus, Iuliani apostatæ avunculus, & Orientis præfectus, impietatis suæ gravissimas Deo daret pœnas, ferunt ejus uxorem, mulierem ob fidei præstantiam egregiè nobilitatā, ad maritum dixisse, Debes meritò, mi vir, Christum Servatorem laude prædicare, quòd tibi hac castigatione suam potentiam ostēderit. Nam quē oppugnasti planè te præteriisset, nisi consueta sua lenitate usus, has plagas divinitus tibi inflixisset. Miser ille partim conjugis oratione, partim cruciatu sibi imposito morbi causā perspiciens, orat Imperatorem ut templū his quibus erat ablatū restitueret. Sed neq; hoc ei persuasit: & ipse extemplò migravit è vita *Theodoret. eccl. hist. l. 3. c. 12.*

Eusebius Samosatenus: Quum Eusebius Samosatenus Dolichā, oppidulū, accessisset, ut ibi episcopum quendam in sede allocaret, in ingredientē mulier quædam Ariana hæresi admodū laborans, tegula è superiore loco dejecit, qua caput eius diminutū fuit: quo quidem vulnere paulò post ex hac ad hanc longè præstabiliorē vitā migravit. Qui cum jam esset moriturus, eos qui aderant jurando obstrinxit, ne ullū suppliciū de ea quæ facinus fecerat, omnino sumerent: in hac re Christum Dominum, & conservum Stephani imitatus. *Theodoretus eccl. hist. lib. 5. c. 4.*

Theodosius Imp. Quum ad liberos suos Theodosius Imperator aliquando venisset, eosq; cum magnifico splendore sedentes, Arseniū autem præceptorem, virū laude præstantissimū, inter docendū eis astantem reperisset, illos insignibus principalibus nudavit, insuper adiiciens, Si tales se præbituri essent, ut mores vitámq; suam ad disciplinam & leges Dei componerent, propensū & illū fore, ut eis imperiū in manus tradat ad civiū & subditorū cōmodum & utilitatem accōmodatū: sin minùs, conducibilius esse dixit, ut sic privati vitam exigerent, quàm doctrina nulla cum periculo imperarent. *Niceph. eccl. hist. lib. 11. c. 23.*

Placilla: Theodosio Imperatori Placilla uxor sæpiùs solebat dicere, Semper te, mi vir, oportet cogitare, qui olim fueris, & qui jā sis. Ista assiduè animo complectens, non te ingratum ostendes erga patronum; sed imperium, quod suscepisti, justè & legitimè gubernabis: atq; illud ritè administrando, eum qui ipsum donaverit, augustè sanctéq; coles. *Theodoret. eccl. hist. l. 5. c. 18.*

Fridericus Comes Palatinus: Fridericus Comes Palatinus Rheni, anno 1463. ultima Iunii, quatuor Principes Carolum Marchionem Badensem, Georgium episcopum Metensem, Ioannem episcopum Spirensem, & Vlricum comitem Wirtembergensem, Heidelbergam obsidentes, & de urbe oppugnanda consultantes, equitatu suo ex improviso circūdatos cepit: populares ex urbe procurrentes, undiq; discursos hostes memorabili victoria superarunt. Captos Principes & magna pecuniæ vi redemptos, splendido excepit convivio: obsonia regali luxu illata, panis solus deerat. Causam rogatus Princeps, Vastatis vestra incursione segetibus, quam rusticis meis, eam & mihi injuriam intulistis. Discite nūc subditorū sudoribus parcere, quorum laboribus victum nostrū constare videtis *Nauclerus. Curæus in annalibus Silesiæ.*

Ferdinandus: Mortuo fratre, rege Hispaniæ, & superstite in cunis filio, cùm proceres ad eum deferrent regni titulum atq; nomē, mira pietate puero providit. Convocatis enim proceribus, cùm seipsum regem nominaturus videretur, puerum repentè in medio consessu procerum extulit, En regem vestrum exclamans: hūc colamus & observemus: primúsq; adeo debitū honorē ei exhibens, proceres suum exemplum sequi, & fidem suam puero adstringere fecit. Dignus ob hoc ipsum, qui postea Cataloniæ & Aragonum regna mira felicitate acquisierit & propagarit. *Ioa. Pontanus. lib. 2. de Magnanim.*

Fridericus III. Saxoniæ dux. Multis ab Erfordensibus injuriis affectus, comitiis populo indictis, de bello an suscipiendum esset iniit consiliū. Eques quidam, magnæ authoritatis, bellū summo studio suadebat, à dedecore, atq; à facilitate victoriæ ductis argumentis. Et Dux, Præclare tu quidem, Sigismunde Listi, pro teipso, cujus interest bella ex bellis seri, concionatus es: pro me non item, cuius gloria & incolumitas ex subditorū cōmodis potius, quam ex hostium ruina & interitu pendet. Concione in præsens dimissa, non multò post, conventu VVormaciense, Erfordenses coram Carolo V. Imp. graviter accusatos, insperato suo dignatus patrocinio, ex inimicis amicissimos reddidit. Has artes si reliqui imitarentur, plures Principes quàm tyrannos haberemus. *Ioannes Agricola in proverbiis German. Velox consilium, velox malum.*

Alphonsus rex. Ferdinandūs pater, & ipse inclytus rex, moriens Alphonsū filiū iis penè verbis alloquutus fertur: Optime fili, quoniā regna, quæcunq;, dum Deo placuit, obtinui, ad te ætatis prærogativa deferri & scio & volo, optarim eas modò terras quas ea parte Hispaniæ, quā Castellā vocitant, habemus, Iohanni fratri tuo, si modo per te liceat, relinquere. Quod ne molestè feras, abs te peto, & si pateris, etiā rogo. Tū Alphonsus, Ego, mi pater ac domine, satis intelligo isthæc regna & tua ferè omnia ad me quidē pertinere, sed nō aliter quā beneficio tuo. Idcirco & pluris semper volūtatē tuā & feci, & facturus sum, quàm ætatis privilegiū. Imò verò si pro tua singulari prudentia regnis ita demū prospicis iri consultū, si Iohannē regni successorē reliqueris, nihil recuso, quin ipsū vel ad omnia instituas hæredē, non aliter mihi credas velim, voluntati per me tuæ usq; ad postremū spiritum parebitur quàm divinæ. Tum Ferdinandus, Macte, inquit, esto pietate & obedientiâ, fili, & obortis lachrymis cū dimisit. *Anton. Panorm. de gestis Alphonsi.*

Matthias Corvinus: Ineunte vere anni 1469. Matthias Corvinus, rex Hungariæ, ducens exercitū 16000 hominū, adortus Bohemiā & Moravia, ita crudeliter provincias illas devastavit, ut ab omni hominū memoria, Bohemi cladē tristiorē sese non expertos esse dicerent. Georgio Podiebracio regi deerant vires quas tā rapido flumini posset opponere. Impetravit igitur à Matthia colloquiū, eūq; oratione valdè querula & demissa affatus esse scribitur: Quæ mea peccata in te tanta sunt, inquit, optime mi fili, ut in me ita asperè sævire statueris, qui te ex carcere, ubi vitæ & necis tuæ potestatē habebā, ad locuples regnū emisi, etiā filia mea nuptum tibi data: tu verò nunc, projecto omnis humanitatis sensu, mihi dignitatem & vitā eripis? Matthias respondens, Nullo privato odio, inquit, in te incensus sum: sed quia Pontifex, caput Ecclesiæ, te, tanquam hæreticū & hostem Ecclesiæ, damnavit, regno deturbavit, mihiq; mandat ut te excutiam, & accedit etiā authoritas Romani Cæsaris, ego tanquā Princeps pius & religiosus obedio. Georgius lachrymis obortis Matthiæ respondit, Deus qui est inspector & judex cordium, testis erit meæ affectionis, & ille mihi benignè tribuet, ut in vera fide & agnitione ipsius ex hac vita migrē. Pius Princeps tandem à rege Matthia, unius anni inducias obtinuit, ut interea de conditionibus perpetuæ pacis ageretur. Et ita bellum ex Bohemia depulit. *Ioachim. Curæus, annal. Silesiæ.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cui pietas virtusq; cordi, vel Dei sacrarium est.
Cui pietatis est voluntas, ne impietatis arguas.
Est decus summum, pietatis ergò ferre dedecus.
Etiam inter gladios cruentos pietas invenit locum.
Grandis in suos pietas, est ipsum impietas in Deum.
Iura apud bonos pietatis plus valent omnes quam opes.
Mater omnium est virtutum pietas in summum Deum.
Navigat semper secunde vita in hoc salo pius.
Plus apud bonos pietatis jura valent, quam omnes opes.
Pro Deo pium pugnare, pro Deo pium est mori.
Pro pio est, quodcumq; gestum est mente sincera Deo.
Qui desiderat nocere nemini vere est pius.
Qui Deum novit colitq;, non potest quin sit pius.
Qui pietati a morte operatur, haud habendus est pius.
Quidam amore sunt pij, quidam lucro, quidam metu.
Quo colitur magè cum periculo, pietas hoc magè eminet.
Sæpe sub pietate viscus delitet libidinis.
Seu vivat homo, seu moriatur, nunquam Pietas interit.
Sola pietas exhalantes ne quidem animam deserit.
Vir pius non imparatum pectus ærumnis gerit.
Vtilitas pari pietasq; totum obeunt orbem ut gradu.

§ JAMBICA.

Benevolum habere vis Deum usq;? esto pius.
Carnosus esse non queas idem & pius.
Cervice nunquam vir tulit jugum pius.
Colere pietatem minimè facile Principi est.
Est fundamentum pietas virtutum omnium.
Etiam absq; lege jus colunt ac fas pij.
Hostes per ipsos pietati tuta est via.
Isto tu pauper es cùm nimis sanctè pius.
Justis Deus piisque semper prospicit.
Modimperatrix pietas virtutum omnium est.
Morti immerentes impia est pietas dare.
Nemo est pius qui pietatem metu capit.
Nemo in Deos, nisi adjuvetur, est pius.
Pari utilitas pietasq; inambulant gradu.
Periclitatur pietas in negotiis.
Pietas eum servat, qui hanc servat sedulò.
Pietas ferè magna impatiens injuriæ est.
Pietas frequenter ipso vultu læditur.
Pietas gubernatrix virtutum est omnium.
Pietas ibi ferè est ubi est & utile.
Pietas profectò summa virtutum omnium est.
Pietas vel ipso sæpe vultu læditur.
Pietas virtutum fundamentum est omnium.
Pietate majus an bonum est mortalibus?
Pius putandus, cui præsto est felicitas.
Piorum honos, Deo servire, maximus.
Prodesse cunctis, nulli obesse vult pius.
Prohibuit ullus officium pium metus?
Redire pietas, unde submota est, solet.
Res tædiosa est vir pius & inglorius.
Sæpe & genus pietatis est crudelitas.
Stat in piorum corde pietas fortior.
Virum Deus pium muro ex omni eruit.

Pigritiæ.

§ SENTENTIÆ.

Isocratis: Athenienses antiqui tenuiores ad agriculturam & negotiationes deducebant; non ignari & inopiæ caussam esse pigritiam, & ad facinus inopia plerosq; impelli. Quare fonte malorum sublato, etiam cætera delicta, quæ inde velut ebullirent, censebant posse præcaveri. *In Areopagitico.*

§ POETARUM.

Plautus Rudente 4. sc. 2. v. 10.

Nam ut de nocte multâ impigrè exsurrexi,
Lucrum præposui sopori & quieti
Tempestate sæva experiri expetivi
Paupertatem heri quei ex mea sententia
Tolerarem, opera haud fui parcus mea. Nimis homo
Nihili est qui piger est, nimisq; id genus odi ego male.
Vigilare decet hominem, qui vult sua tempori conficere officia.
Non enim illū expectare oportet, dum herus se ad suum suscitet officiū.
Nam qui dormiunt libenter, sine lucro & cū malo quiescūt.
Nam ego nunc mihi qui impiger fui, reperi ut piger si velim siem.
Hoc ego in mari quidquid inest reperi; quicquid inest, grave quidem est: aurum
Hic ego inesse reor.

Ausonius Epig. 110.

Sanus piger, febriente multo est nequior.
Potat duplum, dapesq; duplices devorat.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Salomon: Paupertatem ex pigritia nasci dicit, Proverb. c. 10. 4. 5. & 24. 30. & cætera. & 18. 9. & 19. 5. & Ecclesiastici cap. 4. 5. & 10. 18. tarda est ad opus, Proverbiorum cap. 15. 19. & 19. 15. & Eccles. 4. 5. ejus odium, Proverb. 10. 26. Ad formicas autem piger remittitur, Proverbiorum 6. 6. & cætera. eius inertia describitur, Proverb. 19. 24. & 20. 4. Excusationes vanæ, Proverb. 22. 13. & 26. 13. 14. 15. 16. miseria ejus, Proverbiorum 13. 4. & 21. 25. 26.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Es piger? verum laborem quævis discito ex Api.
Impiger parat sudore, quod vir fortis sanguine.
Impiger sibi invenit, ut post si velit piger siet.
Publicè nocet qui alienâ desidiâ suam obtegit.
Summè pigri amant securum per opulentiam otium.

§ JAMBICA.

Adsecla pigris semper indigentia est.
Cur somno inerti deseras patriæ decus?
Melius pigrasse, quam properasse est ad nefas.
Nemo externus pigro obstat; ipse obstat sibi.
Non alius; ipse verùm obstat piger sibi.
Pigritiam inusus, pigritia veternum parit.
Quidquid piger torquet, suus asinus devorat.
Se pigra nunquam virtus astris extulit.

Videantur reliqua titulo *Desidiæ, Ignaviæ, Inertiæ, Otij, Quietis.*

PIORUM LIBERATIONIS.

Ithro Socer Mosis. De successu legationis generi & Israelitarum liberatione certior factus, filiam apud se cum duobus liberis dimissam ad eū reducit, genero & populo beneficium Dei gratulatus his verbis, Benedictus sit Iehova, qui eripuit vos è manu Aegyptiorū, & è manu Pharaonis: qui eripuit hunc populum, ne subjectus esset manui Aegyptiorum. Nunc agnosco magnum esse Iehovam præ omnibus Dijs, &c. *Exod. 18. 9.*

David: Quum Saul eum deterrere vellet à pugna adversus Goliathum, dixit David, Iehova qui eripuit me à leone & ab urso, idē eripiet me è manu Pelischtæi istius. *1. Sam. 17. 37.*

Nebucadnezar: Liberatis è fornace ardenti tribus juvenibus, dixit, Benedictus sit Deus horum, Sadraci, Mesaci, & Habednegonis, qui mittens Angelum suum eripuit servos suos, qui confisi sunt in ipso: quum verbum regis mutantes exposuerunt corpus suum ut non colerent neque adorarent ullum Deum præterquam Deū suū. *Dan. 3. 28.*

Daniel Propheta: Postquam coniectus est in foveam leonum, & ibi servatus à Deo, Darius rex ad foveam appropinquando inclamavit Danielem voce tristi, dicens, O Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, quem tu colis jugiter, potueritne te liberare à leonibus? Tunc Daniel, Rex, inquit, in secula vive. Deus meus misit Angelū suum qui occlusit os leonum, ut non læderent me, &c. *Dan. 6. 21. 22. 23.*

Iesus Christus Dominus noster: Proposita discipulis suis parabolâ de judice iniquo, viduam molestias ei creantem tandem vindicante, ut doceret, oportere nos semper precari, nec segnescere, addit, Audite, quid judex ille injustus dicat: Deus autem non vindicabit electos suos clamantes ad ipsum die ac nocte, etiamsi iram differat super ipsis? (id est quantumvis tardus videatur in ulciscendis ipsorum injuriis.) Dico vobis vindicabit eos citò. *Luc. 18. 6. 7. 8.*

Idem. Inveniens in templo ægrotum quem sanaverat, dixit ei, Ecce, sanus factus es: ne pecca amplius, ut ne quid deterius tibi accidat. *Ioan. 5. 14.* Ostendit quis liberationum nostrarum sit usus, nempe ut malis nostris & Dei gratuita bonitate edocti, novis peccatis novas afflictiones nobis non accersamus.

Stephanus Diaconus: Patriarchæ, inquit, invidia moti Iosephū vendiderunt abducendum in Aegyptum: sed erat Deus cùm eo, & eruit eum ex omnibus afflictionibus ipsius, deditque ei gratiam & sapientiam coram Pharaone rege Aegypti, qui constituit eum præfectum Aegypto & toti domi suæ *Act. 7. 9. 10.*

PIORUM LÆTITIÆ.

Sara Abrahami uxor: Quum jam vetula Abrahamo centum annos nato filium peperisset Isaacum, dixit, *Risum fecit mihi Deus: quisquis audiet, arridebit mihi.* Et, *Quis dixisset Abrahamo, certò lactabit filios Sara? Attamen peperi filium in senectute ejus.* Genes. 21. 6. 7.

PIORUM REFUGII.

Ezechias rex: Quum audiret blasphemas voces Rabsacis, lacerans vestimenta sua & tegens se cilicio, ingressus est domum Iehovæ, & misit legatos ad Isaiam prophetam, dicentes: Sic ait Ezechias. *Dies angustiæ & increpationis & irritationis dies hic: cùm venerint filij usq; ad os matricis, & vis adsit ad partum. Utinam audiat Iehova Deus tuus omnia verba Rabsacis, quem misit rex Assyriæ Dominus ejus ad afficiendum probro Deum viventem: & arguat verba ista quæ audierit Iehova Deus tuus: itaq; effer precationem tuam pro hoc residuo quod præsens est:* 2. Reg. 19. 1. 2. &c. Subjūgitur deinde ardentissima precatio ipsius Ezechiæ postquam accepisset minaces & blasphemas literas regis Assyriorum, & paulò pòst insignis liberatio. *Vide Isai cap. 37.*

Piraticæ rei.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Halicarnassæus: Hoc vix pirata aliquis aut prædo dixisset, qui modò in præsentia animo obsequatur suo, de futuro nihil laborat. *cap. 46. de iudicio hist. Thucydidis.*

Aristides Sophista: Ac primum urbs Athenarum adjunctū purgavit mare & Græciæ quasi lemam abstulit, sublatis ijs qui ad fores molesti erant (piratas dico & barbaros omnes) & longissimo coactis à Græco littore recedere: unde & insularum orbis securè cæpit habitari, & per mare Aegeum tuto licuit navigare, binas vel ternas unius insulæ urbes, velut in continenti, nonnunquam prætereundo &c. *Orat. Panathenaica.*

Philostratus: Majores nostri, inquit Indorum rex, cunctos ad loca navibus appellentes, interrogabant an piratæ essent: adeo vitjum hoc, quamvis magnum, commune omnibus esse arbitrabātur. *l. 2. Apollonij cap. 11.*

Helio-

Heliodorus: Ego quod debetur ei qui primum navē adversariorum conscendit, quam ob rem nōn reporto? Quoiam, inquit, Trachinus non postulasti: sed ne divisio quidem adhuc est proposita eorum quæ capta sunt. Tum ille: Igitur virginem captivam mihi deposco. At cùm Trachinus, præter ipsam quodvis accipe, dixisset, Pelorus sermonem excipiens: Dissolvis igitur & abrogas piratorum legem, quæ ei qui primum navem hostilem conscendit, & se pro omnibus certamini periculosissimo obtulit electionem pro ipsius arbitrio tribuit. Non hanc, inquit Trachinus, optime, dissolvo, sed alterius legis auctoritate & patrocinio nitor, quæ ut præfectis cedatur imperat. itaq; cùm eam puellam amem, & accipere velim in uxorem, anteferri me tibi justum esse pronuncio. Tu verò nisi id quod lex imperat feceris, non multo post plorabis, percussus hoc poculo. Pelorus autem eos qui aderant intuitus, videtis, inquit, quæ sint laborum præmia. sic & vestrum quilibet aliquando præmio privabitur. quid deinde factum? Mari comparasses viros repentino turbine concitatos: adeo cæcus quidam & stultus impetus ad ineffabilem tumultum eos impellebat, vino simul & ira, tanquam furore quodam, correptos. divisi enim partes, hi honorem reverentiamque tribui præfecto, illi non dissolvendam esse legem tumultuabantur *lib. 5. Aeth.*

Alciphron: Qui sunt animo dubij, à benevolentibus expectant. Et ego qui multa sum horis loquutus. Neque enim tibi quicquam ô mulier audebam, nunc enuncio, petóque ut melius consilium adferas. Audi verò quemadmodmodum res habeat, & quò de te sententiā oporteat ferri. Nostræ res in maxima ut scis mendicitate versantur, & victus nobis planè tenuius. Nihil enim facit mare ad alimonium. Lembus igitur quem vides remigio præditus, multis remigibus actus Corycium navigium. Latrones autem maris, supplementum in eo sunt. Hi me socium volunt adsciscere facinoris, infinitam pecuniam pollicentes. Itaque ad aurum quod promittunt & vestitum inhio. At homicida fieri non possum, neq; lapide manus contaminare, quas mare à puero usq; ad hoc tempus puras ab injuria conservavit. In egestate autem perseverare difficile est & intolerabile. Horum tu delectionem pondera. Quocunque enim inclinaris ô conjunx, illò certissimè sequar. Solet enim ambiguam sententiam amicorum consilium rescindere. *Eucolymbus Glaucæ. Epist. 8.*

§ ROMANORUM.

Cicero: Ecquem audisti in Sicilia antea captum archipiratam, qui non securi percussus sit?

Post pauca: Hostem acerrimum atq; infensissimum populi Romani, seu potius communem hostem gentium nationumque omnium, quisquam mortalium privatus intra mœnia domi suæ retinere poterit? *Verrina 5.*

Cicero: Quis unquam prædo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, ut cùm integram prædam sine sanguine habere possit, cruenta spolia detrahere mallet: *pro Sext. Roscio Amerino.*

Idem: Pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium cum hoc neque fides debet neque jusiurandum esse commune. *l. 3. de officijs.*

Cestius Pius: Non est credibile temperasse à libidine piratas, omni crudelitate efferatos, quibus omne fas nefasque lusus est, simul terras & maria latrocinantes; quibus in aliena impetus per arma fit; etiam ipsa fronte crudeles, & humano sanguine assuetos, præferentes ante se vincula & catenas, gravia captis onera. A stupris removere potuisti, quibus inter tot tanto majora scelera, virginem stuprare innocentia est. *Seneca controversia. 2.*

Iunius Gallio: Capta es à piratis: inter servos, inter homicidas, in illis myoparonis angustiis spatiata es. Viderimus quid in te audere potuerit feritas hostium, libido barbarorum, licentia dominorum. Certum habeo, judices, cùm hanc feritatem barbarorum audiatis, faveris illi ut quam primum mutet servitutem. Sic istam servavere piratæ, ut qui lenoni essent vendituri. *Ead. Seneca Contr.*

Silius Bassus: Archipiratæ filia vocatur, puto ex aliqua nata captiva: certè animum ejus natura à patre abduxerat: misericors erat, deprecabatur, flebat, movebatur periculis omnium: nihil in illa deprehendi poterat piraticum. *Seneca Controversia 6.*

Q. Haterius: Cæpit subito quo solebat cursu orationis fervere, quasi exaudiret aliquem tumultum, vastari omnia ac rapi, comburi incendiis villas, fugas agrestium: & cùm omnia complesset terrore, adjecit: Quid exhorruisti adolescens? socer tuus venit. *fine ejusd. 6. Controv.*

Romanus Hispo. Mercedem duplam dabo, ut præcidatis filio manus. obstupuere piratæ ad talem epistolam: & cùm captivum dimitterent, dixerunt, I dic patri tuo, non omnia piratas vendere. *Controv. 7. Seneca.*

Portius Latro: Nocens est iste: sed mihi frater est. naturæ jura sacra sunt etiam apud piratas. *Seneca Controversia 16.*

Quintilianus: Piraticam quoque, ut Musicam & fabricam dici, adhuc dubitabant mei præceptores. *libro 8. Institutionum Orator. capit. 3.*

Quintilianus pater: Me per omnia maria volitantem, ut plus filio relinquerem, circumvenit sævius ipso mare latrocinium. Describam nunc ego pendentem fluctibus carcerem, & catenas macie mea laxatas, & detritam lateribus meis consciam malorum carinam, & obrutam perennibus tenebris feralis loci cruentam cæcitatem? Ista vero si quid pudoris habeo, tacenda sunt: alioqui quis mihi ignoscet quod vicarium accepi. *Declamatione sexta §. 3.*

Idem: Dùm recedere ab uxore nolo, filium non redemi. At illum interim quotidiè situs carceris strangulat, insidunt ossibus catenæ: exemplum sæculi in myoparone moritur. Sepelissent etiam talem virum etiam ipsi piratæ, nisi eos conscientia scelerum metusque pœnarum ab omni littore arceret? Quod unum poterant, secundis projicere ventis. excepit mitior mater tempestas, & (si qua dici potest calamitatum felicitas) prospero cursu cadaver tantum nō ad ipsa majorum sepulcra depositum est. *§. 7.*

Florus: Interim dum populus Romanus per diversa terrarum distractus est, Cilices invaserant maria, sublatisque commerciis, rupto fœdere generis humani, sic maria bello quasi tempestate præcluserant. Audaciam perditis furiosisque latronibus dabat inquieta Mithridatis præliis Asia: dum sub alieni belli tumultu, exteriq; Regis invidia impunè grassantur. &c. *cap. 6. lib. 3.*

Quintilianus: Conscientia scelerum metusque pœnarum, ab omni littore arcet piratas. *Declam. 6. §. 7. pr.*

Eumenius: Gloriare tu verò, Cæsar invicte, alium te orbem terrarum reperisse, & Romanæ potentiæ gloriam restituendo navalem, addidisti imperio terris omnibus majus elementum, confecisti, inquam, bellum quod cunctis impendere provinciis videbatur. tamque latè vagari & flagrare poterat, quàm latè omnis Oceanus, & mediterranei sinus alluunt. neque enim si metu vestri lues illa solis Britanniæ visceribus iutabuit, idcirco nescimus, quanto se aliàs furore jactasset, si fiduciam pervagandi quà patebat habuisset. nullo siquidem certo fine montium aut fluminum terminabatur, quem dispositæ limites custodi[illegible]tuerentur: sed ubique navis licet nobis virtutem felicitatemq; vestram haberemus magnis tamen terroribus imminebat quà jacent maria, quà venti ferunt. Recursabat quippe in animo illa sub Divo Probo & paucorum ex Erancis captivorum incredibilis audacia & indigna felicitas; qui à Ponto usque correptis navibus, Græciam Asiamque populati nec impunè plerisque Libiæ littoribus appulsi, ipsas postremò navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas, & immenso itinere pervecti, Oceanum quà terras irrupit intraverant, atque ita eventu temeritatis ostenderant nihil esse clausum piraticæ desperationi, quò navigiis pateret accessus. Itaque hac victoria vestra, non Britannia solum servitute est liberata, sed omnibus nationibus securitas restituta, quæ maritimo usu tantum in bello adire periculi poterant, quantum in pace commodi consequuntur. &c. *c. 18. Panegyr. Constantio Cæs.*

Egesippus: Diversis ex locis ad urbem Ioppen se contulere complurimi qui vastata regione subsidium alimoniæ mari quærebant. itaque statuentes huiusmodi navigia, quæ usui prædonum accommoda forent, speculati commeantium transitus, universa prope Phœnicis atque Aegypti commercia populabantur: adeo ut crebre prædationis terroribus omne illud mare clauderent, atque indubii periculi metu navigandi usus interciperetur. *cap. 20. lib. 3. de excidio Hierosolymitano.*

§ EMBLEMATIS.

Batillius.

In Piratas.

Niliacis monstris quæ stulta Aegyptus adorat
Piratas sævos assimilare licet,
Non modò qui æquoreis passim grassantur in undis,
Vicinos circum sed populantur agros.

Videantur alia titulo *Latrocinij, Prædæ, Rapinæ, Militum.*

Piscium ac Piscationis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: Age piscium quoque naturam mihi considera, per aquas labentium, & per liquidum elementum, ut ita dicam, volantium, ac proprium quidem aerem tutò haurientium, in numero autem periclitantium, quemadmodum nos quoque in aquis solemus: mores etiam eorum, & affectus, & coitus, & generationes, & magnitudines, & pulchritudines, certas item mansiones & oberrationes, congressus ac secessiones & proprietates terrestribus animantibus pene consimiles, nonnullorum etiam societates & contrarias, tam in formis, quam in nominibus, proprietates. *Oratione 34.*

Isidorus Pelusiota: Quemadmodum nautæ hamum esca occultant, ac pisces improvisò capiunt: eodem modo improbi hæresum defensores sermonis suavitate perversas suas sententias obtegentes, simpliciores homines ad mortem tanquam hamo quodam capiunt. *lib. 1. Epistola 102.*

§ ORATORUM GRAECORUM.

Alciphron: Quantùm mare differt à tellure, tantùm etiam nos qui hoc opus facimus, ab iis qui in urbibus ac pagis habitant dis-

Iuncti ſumus. Nam hi vel intra portas ſe continentes, Rempublicam adminiſtrant, vel agris colendis dediti, fertilitatem è gleba ad vitæ ſuſtentationem expectant. Nobis autem, quibus in aqua vita eſt, mors eſt terra, quemadmodum piſcibus, qui minimè poſſunt aërem reſpirare. Quid igitur paſſa es ô conjux quòd relicto litore & lini ſtaminib. urbem frequentas & Palladica Bacchinaliáque cum opulentis Athenienſium fœminis celebras. Non eſt hoc ſapere, neque benè aut rectè ſentire. Non ità te pater ex Aegina, ubi naſci te, & educari contigit, ut ſacra obires, meæ poteſtati conjugio tradidit. Si urbem amas, vale, & à viro diſcede. Sin te marina delectant, reverte re meliorem partem ſecuta: longaque tibi oblivio fallacium in urbe ſpectaculorum veniat. *Cymothus Tritonidi Epiſtola IV.*

Alciphron: Non ad corvos eiicietur ſpeculator Leſbius. Glacie congelatum ex aliqua parte mare proclamavit, non aliter quàm ſi omnis turba veniret, Thynnorum & Pelamidum. Nos autem freti verriculo, ferè totum ſinum circumdedimus. Dein indignabamur, & pondus erat gravius quàm pro piſcium onere. Spe igitur etiam ex proximis aliquot vocabamus, promittentes nos partes eis daturos, ſi nobis opem ferrent & labore juvarent. Poſtremò magno niſu ſub veſperam ſerò, maximam Camelum extraximus, fœtentem jam & vermibus ſcatentem. Hanc piſcationem, non ut rideres tibi facere planam volui, ſed ut cognoſceres, quibus & quot machinis fortuna me infortunatum impugnet. *Euſagenus Limenarcho Epiſt. XVII.*

¶ Romanorum.

Petronius Arbiter: Percurrere piſcatores parvulis expediti navigiis ad prædam rapiendam, deinde ut aliquos viderunt, qui ſuas opes defenderent vt mutaverunt crudelitatem in auxilium. *Satyrico loquitur de naufragis.*

¶ Poetarum.

Oppianus lib. 1. ἁλιευτ. v. 35.

Tolerantibus laborum piſcatoribus improviſa quidem ſunt certamina.
Spes autẽ inſtabilis permulcet mentes tanquam ſomnium.
Non enim immobilem ſupra terram decertant:
Sed ſemper horridaq; & indomitum furenti
Aqua circumaguntur, quam etiam ex terra conſpicere
Terrorem affert, & tantum oculis uſurpare.
Lignis verè in exiguis procellarum famuli
Errabundi, & animum in fluctibus ſemper habentes,
Semper quidem nubem purpuream ſpeculantur:
Semper autem horrent nigricantem meatum maris:
Nec ullum impetuoſorum ventorũ tegumentũ neq; ullũ imbriũ,
Præſidium, non ignis auxilium auctumnalis ferunt.
Ad hæc etiam ſævi deformia terricùlamenta ſtagni
Certe pertimeſcunt, quæ ipſis occurrunt,
Quando humidi adytum trajiciunt maris,
Nec ſane ulla canum marinam viam ducendo monſtrat
Piſcatoribus. veſtigia enim obſcura ſunt natantibus
Neq; ipſi conſpiciunt, ubi prope veniet ad capturam
Occurrens: non enim unam viam inſiſtit piſcis;
Pilis autem debilibus, reflexiq; æris,
Labris & perticis retibusq; valent.
Non tamen voluptate deſtituitur, ſiquidem volueris
Delectari.

Oppianus lib. 3. ἁλιευτ. v. 29.

Principiò quidem piſcatori corpus & membra adſint
Iuxta & velocia & robuſta, neq; nimis
Obeſa, neq; etiam carne deſtituta. Namq; neceſſe eſt
Sæpè ipſum validis protractis decertare
Piſcibus: quibus immane ineſt robur, quamdiu maris
Genetricis ſuæ in ulnis volutati turbant.
Neceſſe verò eſt & de petra deſilire, & petram inſilire
Facilè: Neceſſe item eſt labore marino vigente
Celeriter permeare longam viam, inq; profundiſſima
Subire & manentem in fluctibus tanquam in terra
Morari, laboribus occupatum, quibus in mari
Viri certant tolerantem animum habentes.
Animo autem piſcator experientiſſimo & conſilio
Sit: Quoniam valde multa & varia machinantur
Piſces, cum inciderint in irremeabiles dolos.
Audax verò maximè & imperterritus atq; temperans
Sit: neq; ſomni amans ſatietatem: acutè verò videat,
Vigilans & corde & oculis apertis.
Benè autem ferat & hyemem Iovis, & ſiticuloſum tempus
Sirij: deſideret vero labores, ametq; mare.
Sic enim felix in captura & Mercurio carus erit.

Plautus Rudente 2. ſc. 1. v. 5.

Hicce hami, atq; hæ arundines, ſunt nobis quæſtu & cultu.
Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum.
Pro exercitu gymnaſtico & palæſtrico hoc habemus,
Echinos, lepadas, oſtreas, balanos captamus, conchas
Marinam urticam, muſculos, plaguſias ſtriatas.
Poſt id piſcatum hamatilem & ſexatilem aggredimur.
Cibum captamus è mari, ſin eventus non venit,
Neq; quidquam captum eſt piſcium, ſalſi lautique purè
Domum redimus clanculum, dormimus incænati.
Atq; ut nunc valde fluctuat mare, nulla nobis ſpes eſt,
Niſi quid concharum capſimus, incœnati ſumus profectò.

Idem 2. ſc. 2. v. 5.

Salvete fures maritimi, conchitæ atq; hamiotæ,
Famelica hominum natio, quid agitis? ut peritis?
P. ut piſcatorem æquum eſt, fame, ſiti, ſpeq;.

Plautus Rudente 4. ſc. 1. v. 6.

Sed Gripus noſter, quid rerum gerat,
Miror, de nocte qui abijt piſcatum ad mare.
Pol magè ſapiſſet, ſi dormiviſſet domi.
Nam nunc & operam ludos facit & retia,
Vt tempeſtas eſt nunc, atque noctu fuit:
In digitis hodie per coquam quod ceperit,
Ita fluctuare video vehementer mare,

Eadem, 4. ſc. 3. v. 4.

——— Turbida tempeſtas heri fuit:
Nihil habeo, adoleſcens, piſcium, ne tu mihi eſſe poſtules.
Non vides me referre uvidum rete ſine ſquamoſo pecu?

Plautus Curcul. 5. ſc. 2. v. 40.

——— Pietas mea,
Serva me, quando ego te ſervavi ſedulò.

Auſonius Epiſt. 4. v. 52.

An quia venatus ob tanta pericula vitas,
Piſcandi traheris ſtudio? nam tota ſupellex
Dum notini tales ſolita eſt oſtendere gazas,
Nodoſas veſtes animantum nerinorum,
Et jacula, & fundas, & nomina villica lini,
Colaq;, & inſutos terrenis vermibus hamos.
His opibus confiſe tumes? domus omnis abundat
Littoreis dives ſpolijs.

Auſonius In Moſella v. 240.

Iam verò acceſſus faciles qua ripa miniſtrat:
Scrutatur toto populatrix turba profundo.
Heu male defenſus penetrali flumine piſcis:
Hic medio procul amne trahens humentia lina,
Nodoſis decepta plagis examina verrit:
Aſt hic tranquillo quà labitur agmine flumen,
Ducit corticeis fluitantia retia ſignis.
Ille autem ſcopulis ſubjectas pronus in undas,
Inclinat lentæ connexa cacumina virgæ,
Indutos eſcis jaciens letalibus hamos.
Quos ignara doli poſtquam vaga turba natantum
Rictibus invaſit: patulaq; per intima fauces
Sera occultati ſenſerunt vulnera ferri:
Dum trepidant, ſubit indicium: criſpoq; tremorè
Vibrantis ſetæ nutans conſentit harundo.
Nec mora: & excuſſam ſtridenti verbere prædam
Dextera in obliquum raptat puer excipit ictum
Spiritus. ut fractis quondam per inane flagellis
Aura crepat: motoq; adſibilat aëre ventus.
Exultant udæ ſuper arida ſaxa rapinæ:
Luciferiq; pavent letalia tela diei.
Quiq; ſub amne ſuo manſit vigor, aëre noſtro
Segnis anhelatis vitam conſumit in auris.
Iam piger invalidos vibratur corpore plauſus.
Torpida ſupremos patitur jam cauda tremores.
Nec coeunt rictus. hauſtas ſed hiatibus auras
Reddit mortiferos expirans branchia flatus.
Sic ubi fabriles exercet ſpiritus ignes,
Accipit alterno cohibetq; foramine ventos
Lanea fagineis alludens parma cavernis.
Vidi egomet quoſdam leti ſub fine trementes
Collegiſſe animas: mox in ſublime citatos,
Cernua ſubiectum præceps dare corpora in amnem,
Deſperatarum potientes rurſus aquarum.
Quos impos damni puer inconſultus ab alto
Impetit, & ſtolido captat prenſare natatu.
Sic Anthedonius Bœotia per freta Glaucus
Gramina guſtatu poſtquam exitialia Circes
Expertus, carptas moribundis piſcibus herbas
Sumpſit, Carpathium ſubijt novus accola pontum.
Ille hamis & rete potens, ſcrutator operti
Nereos: æquoream ſolitus convertere Tethyn.
Inter captivas fluitavit prædo catervas.
Talia deſpectant longo per cærula tractu.

¶ Monosticha Trochaica.

In maris degunt profundo piſcium vaſtiſſimi.
Meum quod rete atque hami ſunt, meum potiſſimum eſt.
Mors in terrâ piſcatoris, vita contrà eſt in ſalo.
Nil mage abjectum aut egenum ſtagni piſcatoribus.
Omnis eſſe piſcis omni non poteſt ſub æquore.
Piſcium dulciſſimi ſunt, piſcium in quibus parum eſt.
Piſcium Euxino in profundo eſt & ſua innocentia.
Piſcium gens tota muta eſt, ſi ſcarum unicum excipis.
Piſcibus fas jusque nullum eſt: piſcibus deeſt pudor.

§ JAMBICA.

Etiam marinis piscibus Rhenus scatet.
Fame, sitiq́; speq́; piscator perit.
Piscatio quæ fit venenis improba est.
Piscationi commodum est silentium.
Piscis, licet marinus, & sale indiget.
Se solus unco hamato acipenser expedit.
Tellus ferè omnis piscatori naufraga est.

Placendi, seu Probationis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: Sol etiam post nubem quæ prius obducebatur, jucundior illucescit; & ver post hiemis tristitiam dulcius est, & ridens tranquillitas, atque in modum stagni fusum æquor, littoribusque alludens, post ventorum tumultum & tumescentes fluctus lætior & suavior. *Oratione decima & octava.*

§ ORATORUM GRAECORUM.

Aristides rhetor: Quid? equi nonne ii sunt optimi ac præstantissimi, & maximè spectantibus voluptati, qui validissimè ac potentissimè intra orbitam progrediuntur, ubique propriam servantes virtutem? Quin & natura sic est comparatum, ut idem sit & optimum, & ad usum sui jucundissimum. nam & corporum formæ, eodem modo sese habent. Itaque sive Ganymedem dixeris, sive Pelopem, sive quempiam alium, is præter fortunæ sortem etiam spectatores allicit. ac meritò quidem. Vt enim pulcritudini inest gratia, ita è gratia sequitur amor: quod enim alicui gratum est, id eum est necesse desiderare. Quo fit, ut quemadmodum res turpes amari negant, ita pulchras à Deis quoque appeti poëtæ tradant. *Oratione contra violatores mysteriorum.*

§ ROMANORUM.

Plinius Junior: Hac severitate aurium lætor, ac sicut olim theatra malè musicos canere docuerunt: ita nunc in spem adducor, posse fieri, ut eadem theatra bene canere musicos doceant. omnes enim qui placendi caussa scribunt, qualia placere viderint, scribent. *lib. 3. Epist. 18.*

Symmachus: Athanasium bonis artibus clarum, securius amare cœpi, postquam de eo judicium tuum comperi. Magna enim prærogativa est placuisse sapienti. *lib. 7. Epist 125.*

§ POETARUM.

Io. Sarisberiensis præfat. Policratici.

Sed quia nemo potest cunctis virtute placere;
Sufficiat paucis te placuisse bonis.

P. Vergilius.

Humor alit segetem: segeti contrarius humor.
Quod juvat, hoc dulce est: quod cogitur, altera mors est.

C. Petronius.

Inveniat quod quisq́; velit, non omnibus idem est,
Quod placet: hic spinas colligit: ille rosas.

Martialis. lib. 5. Epigr. 29.

Rubiginoso cuncta dente qui rodit,
Hominem malignum forsan esse tu credas:
Ego, esse miserum credo, cui placet nemo.

§ EMBLEMATIS.

Camerarius LXXVI. Centur. 3.

Quod cæteris venenum. *Sturno cicuta cibus est.*

Est uni jucundus amor, nocet alteri amasse:
Quodq́; uni prodest, alteri obesse potest.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

A probo unico probari præstat, mille quàm à malis.
Arbitris virtutum probitas facilè semet approbat.
Arduum omnibus placere rebus in gravissimis.
Artis haud perfectæ habendus ille, vulgo qui placet.
Civibus tuis placere vis? placeas ipsius Deo.
Civibus præesse amabile: ast placere ingens labor.
Civibus præesse dulce, sed placere iis arduum est.
Displicere seclo oportet si placere vult Deo.
Dulcius canit cucullus quàm philomela Asellulis.
Est chorus Theophrasti major, Zenonis concinnior.
Est malus, caussam probari qui suàm cupit malo.
Gentium nusquam invenire est qui approbet sese omnibus.
Grata vis tua esse cunctis? fac nihil des gratia.
Haud datum est multis ut grata sint quæ faciant omnia.
Malumus placere oculis mortalium quàm ipsi Deo.
Maxima est laus iis placere qui toti populo placent.
Maximum vitium mulieri est, cum sibi nimis placet.
Ne quidem cum æstate pluvit Iupiter cunctis placet.
Nemo hominum potest probari in omnibus per omnia.
Nemo plus placet Deo, ipse quam sibi qui displicet.
Nemo transit ad secunda si priora displicent.
Nil refert utrum volueris fieri, an factum comprobes.
Nil tui placet Deo, nisi quod jam habes ipse à Deo.
Non potest placere cuiquam cui Deus minimè placet.
Non potest placere cælo cui decus mundi placet.
Non potest placere multis, omnibus qui displicet.
Non potest vulgo placere nuda virtus cui placet.
Non potes placere cunctis si magister civium es.
Non potest Deo placere, proximo qui displicet.
Non potest Deo placere, qui placere homini cupit.
Non potest homini placere, qui placere vult Deo.
Non potest Philosophus esse qui placere vulgo avet.
Non potest placere mundo cui Deus cæli placet.
Omnibus debet probari, Princeps ipse quem probat.
Omnibus placere posse, ne quidem datum est Deo.
Omnibus placere nulla res potest æqualiter.
Omnibus placet cui acris displicentia est sui.
Optimis placere, fructus est laboris optimus.
Quàm pudendum est glande vesci jam repertis frugibus.
Quæ placet multis, periclo custoditur maximo.
Qui multis cupit placere, displicere vult bonis.
Qui magistratus malos fert Rex, eosdem & approbat.
Qui scelus laudat probatq́; est turpior quam qui facit.
Quod nimis placet, manere non sinit Livor diu.
Quod placet, differre tardum est, gaudium non fert moras.
Quo places potissimum tibi, hoc te idem pessundabit.
Rebus in magnis placere cunctis natura haud sinit.
Rex suus Reginæ: sponsa cuiq́; sua sponso placet.
Si cupis placere Christo, displice seclo prius.
Si Deo cupis placere, jam placere homini nequis.
Summa laudis vel placere uni, is modò sit optimus.
Tam malum est placere cunctis quàm placere nemini.
Tam malum in nullo placere quem sibi, quàm in omnibus.
Turpius peccat malum qui laudat quam qui perpetrat.
Vir sapiens placere cunctis, stultus uni vult sibi.
Vis placere cunctis? multis quære, non tibi, utile.

§ JAMBICA.

An vivet unquam qui placebit omnibus.
An vixit unquam qui omnibus fecit satis?
Augetq́; honesta plurimum quisquis probat.
Bonis placeas potius, quàm placeas plurimis.
Bonis placere mavelis, quàm pluribus.
Congratulatur corvus operibus lupi.
Cunctis placere tractans ardua haud potes.
Cunctis placet placenta tantum, & Thasium.
Doctis probandum est, multitudo quod probat.
Ego esse miserum credo, cui nemo placet.
Etiam ipsa virtus adprobat se pessimis.
Etiam optimum probat malorum pessimus.
Etiam probant bonum, qui non faciunt bonum.
Etiam probant meliora, qui patrant mala.
Facilius est placere uni quam pluribus.
Homini placere si cupis, Deo nequis.
Injudicando multitudo non placet.
Legis vigorem habet placet quod Principi.
Multi improbant mala: at nemo bona improbat.
Multi probant, sed non tamen faciunt bonum.
Multis placere difficillimum omnium.
Nemo id probat quod non putat posse assequi.
Nihil potest placere, quod non & decet.
Non est, fuitve, eritve, gratus omnibus.
Nulli placent sua, qui ad aliena respicit.
Nulli placet suum qui aliena respicit.
Omnes placent sibi, omnibus qui displicent.
Periculosum est cùm placet quisquam sibi.
Placere cui ante contigit quam perspici?
Placere cunctis, ipse Iupiter nequit.
Placere te bonis stude, quàm pluribus.
Placet Deo omnis ille cui placet Deus.
Probis probari potius quam multis velim.
Quem non probamus, ejus cuncta displicent.
Quidquid placet Deo, placet rectissimè.
Qui displicet malis, bene audit, non malè.
Quisquis nimis placet sibi, omnibus displicet.
Quisquis placet bono uni & omnibus placet.
Quò quis sibi placet plus, plus se decipit.
Quod nunc homini placet, post paullò displicet.
Quod quisq́; sperat assequi posse id probat.
Rarus animus est ad defendenda quæ placent.
Scelus facit, quicumq́; comprobat scelus.
Sua cuiq́; sponsa pulchra est: & mihi mea.
Suus cuiq́; amor placet: mihi meus.
Suspecta habeto multitudo quæ probat.
Vni placere promptius quam pluribus.
Vnus placere scriptor omnibus nequit.
Vatiniis ultro probari opprobrium est.

Vix invenias aliquem qui displiciat.

Vide plura titulo ***Approbationis*, *Laudis*, *Æstimationis*, *Electionis*, *vitæ genus*.**

Podagræ.

Lucianus: Tragopodagra. Podager.

O *Triste nomen, ô & exosum Dijs*
Podagra, lachrymosa Cocyto sata,
In Tartari specubus opacis edita,
Erinnys utero quam Megæra suo tulit.
Et uberibus aluit, cuiq; parvulæ
In labra lac stillavit Alecto tetræ
Inominatam quis deorum te dedit
Luci, futuram noxiam mortalibus?
Nam mortuos si perpetrati criminis
In luce sequitur pœna, non erat siti
Plutonis atra puniendus in domo,
Proles Imoli Tantalus, nec Sisyphus
Saxo, nec hîc versandus Ixjon rota.
Tuis sed omnes omnium scelerum reos
Aptare decuit membrifragis cruciatibus.
Vt calamitosum corpus aridum meum
Manibus ab extremis ad infimas pedum
Plantas, ichore tetro, amara cum bile
Per vim retentis flatibus stringens poros,
Habet se, & inde clausum acerbius dolet.
Per ipsa currit ignea pestis viscera,
Carnémq; vorticibus populatur ignium
Ætna velut crater facibus exæstuans:
Aut Sicula vallis æquorearum rupium,
Aestibus inevolubilibus: ubi fluctuans
Sinuosa ruinas unda scopulorum ferit.
Incomprehensum ô mentibus mortalium
Malum irritis te ut mitigamus foribus
Omnes, inani dum stolidi spe fallimur.
Chorus. *Iuga Dindymi Cybeles*
Phryges ululante voce
Tenero frequentant Atti.
Ad tibiaque cantum
Phrygia, super juga Tmoli
Comum celebrant Lydi.
Et in armis tum furentes
Solenne Cretico evan
Numero canunt Curetes.
Clangitq; Marti feroci
Tuba prægravis, tumultus
Canendo bellicosos.
Sed nos tui Podagræ
Mystæ tibi sacramus
Ineunte vere luctus,
Vbi pullulat virescens,
Pratum per omne, gramen:
Zephyriq; spiritu arbores
Teneras comas regignunt:
Nuptijsq; hirundo mœstis,
Hominum canit per ædes:
Nocturna perq; sylvam
Philomela flens Attica
Ityn canendo luget.
Pod. *O qui labori Bacule fers opem meo,*
Sortite partes tertij pedis, gradum
Fulci trementem, dirige & nobis iter,
Leviaq;, ut innitar solo, vestigia:
Et membra patiens excita de lectulo:
Et linque culmen ædium sublimius:
Nigrámq; ab oculis excutiens caliginem,
Prodi foras: & ad rutilum solis jubar,
Auram serenam spiritu læto trahe.
Ter quinq; namq; præteriêre jam dies,
A sole quum procul in tenebris abditus
Incomposito in lecto cubans distorqueor.
Adest animus, adest voluntas sapius
Vt in pedes me conijciam, fores petens,
Sed corpus imbecille vota deserit.
At anime propera, pauperem podagricum
Sciens esse, & inter mortuos hunc ponito,
Obambulare qui nequit, licèt velit.
Sed eja.
Quænam ista turba est, qui manu fustes tenent.
Cincti coronis frondis Actea caput:
Cujus celebrant ebrium Dei chorum?
An Phœbe Pæan numen extollunt tuum?
At Delphica nulla cingit illos laurea.
An fors canitur laus aliqua Bacchanalium?
Sed non adest signum comis hederaceum.
Age qui, vel unde nam venitis hospites,
Exponite nobis, veraq; fateamini.
Et quam Deam canatis amici dicite.
Cho. *At tu quis es, vel unde nos interrogas?*
Vt enim baculus, gressusq; nobis indicant,
Mysten videmus insuperabilis Deæ.
Pod. *Vnus quidem sum: sed Deam non dedecens.*
Ch. *Venerem sacræ Deam Cypri,*
Ex ætheris ortam semine,
Nutriit in æquoreis aquis
Nereus decentem fabricam.
At Tethis in læto sinu,
Oceani Iunonem in alveis,
Olympij uxorem Iovis,
Nutrivit ulnis candidam,
Summusq; divûm Iupiter
Est virginis interritam
Enixus indolem vertice,
Turbas moventem Palladem.
Sed hanc beatam Deam
Primam cubitis Ophion senex
In delicatis protulit.
Quum desiit tenebrosa lux,
Auroraq; orta est lucifera, &
Sol cuncta lustrans, tum simul
Se vis Podagra protulit.
Te prodeuntem ex ilibus
Parca, abluit Clotho: ætheris
Risitq; vultus splendidus,
Cælo sereno detonans.
Hancq; in papillis nutrijt
Pluto beatus lacteis.
Pod. *Sed qualibus sacris ministros excitat?*
Cho. *Ex ore ferreo sanguinem non fundimus:*
Non illigatur flexibus colli pilus,
Nec terga talis perstrepunt sonantibus:
Nec frusta cruda pascimur carnis boum.
Quum vere tenuis pullulat flos ulmeus,
Merulaq; ramis insidet loquacula,
Sagitta mystis tunc acuta figitur,
Subitq; clanculum artuum penetralia.
Pedem, genu, cavosq; nodos ossium,
Talosq;, coxas, crura, scapulas, & manus,
Brachiaq;, carposq;, artuum & cavernulas.
Depascitur, vorat, urit, inflammat, tenet,
Mollitq; dum Dea linquere membra jusserit.
Pod. *Ex initiatis unus ergo, & nescius*
Eram: proinde mitis accedat Dea.
Simulq; cum mystis ego hymnos ordiar,
Solitum podagricis modulaturus melos.
Cho. *Tranquillus æther esto nunc:*
Linguis faveant podagrici:
En nixa baculo, diligens
Lectos, ad aras it Dea.
Salve Deûm mitissima,
Famulis veni mitis tuis,
Vultu sereno: vereq; hoc
Nos libera doloribus.
Pod. *Quis est hominum, cui non ego insuperabilis*
Regina morborum Podagra nota sim?
Quam nulla placant thura fumigantia,
Affusus aris nec cruor ardentibus,
Suspensa templis divitum aut donaria.
Nec ipse Pæon omnium cælestium
Medicus deorum vincere pharmacis potest,
Phœbi-ve doctus filius Aesculapius.
Mortalium ex quo siquidem fuit genus,
Omnes meas vires retundere gestiunt,
Omnemq; turbant pharmacorum industriam,
Plantaginem terunt, apijq; semina,
Foliaq; lactucarum, & agreste peplion,
Et marrubium amnicolamq; potamogetona:
Alij Cnidas terunt, alijq; symphytum,
Lentes palustres, pastinacamq; illinunt
Coctam, foliaq; persica, atq; hyoscyamum,
Bulbos, papaver, malicorium, psyllium,
Thus, atq; radicem ellebori, nitrum, merum
Cum fœno græco, gyrinen, collamphacon,
Gallam cupressi, pollinem hordeaceum,
Crudaq; crambes folia, gypsumq; ex garo
Capræq; fimum monticolæ, stercus viri,
Fabasque molitas, Asij florem lapidis,
Alij rubetas, quosq; araneos vocant
Mures, lacertas, atq; mustelas coquunt,
Ranas, hyænas, tragelaphos, vulpeculas.

Cujus metalli, haud facta sunt pericula?
Quis non probatus succus, & lachrima arboris?
Animalium omnium ossa, nervi, tergora,
Adeps, cruor, medulla, lotium, merda, lac?
Alii remedium quatuor ex rebus bibunt,
Alij quidem ex octo, exq; septem plurimi:
Alius bibens sacram, repurgari studet,
Aut carminibus animum adhibens illuditur.
Iudæus excantat fatuum nactus alium:
Rursus alius a fonte remedium petit,
Omnes sed illos jubeo plorare: atque sic
Tentantibus me, occurrere iracundior
Soleo: sed in me excogitantibus nihil
Mitem & benignam præsto me: nam qui meis
Communicat mysterijs, primùm statim
Loqui docetur suaviter, dehinc jocis
Oblectat omnes: cúmq; risu cernitur,
Plausúq; cunctis, fertur is ut in balneum,
Quam dixit Aten ille Homerus, illa sum:
Caput virorum calco: plantas occupo
Pedum tenellas: cúmq; sim ποδῶν ἄγρα,
Vulgo podagra dicor. At meorum agite
Mystæ orgiorum, canite non victam Deam.

Chorus.

O nympha ingenium adamantinum habens.
Multipotens, animo Dea valido,
Audi vota tuorum supplicum.
Magna potentia, vis tua magna,
O regina opulenta Podagra,
Quam Iovis horret pernix telum,
Quámq; profundi fluctus pelagi,
Quam rex Orci trepidat Pluto.
O gaudens nodis, lecti grata,
Cursiverans, talorum tortrix,
Calci crematrix, male humitanga,
Ossi tremenda, genufraga, pernox,
Articulos cruciandi cupida,
Curvigenuflexa, potens Podagra.

Nuncius.

Domina peropportuna te fers obviam,
Audi, neq; enim tibi nuntium fero frivolum;
Sed socia verbis ipsa res adjungitur.
Nam civitates dum tuo jussu, pede
Lento peragrans, scrutor omnes per domos
Numquis tuam non hîc colat potentiam:
Alios tuarum vi manuum sat repperi
Regina domitos, mente bona quiescere
Audaculi sed hi duo temerarij
Præsente turba dejerabant acriter
Venerabilem non esse tuam potentiam,
Sed eiiciendam de genere mortalium,
Quare potenti vinculo tenens pedem,
Stadia duo emensus venio quinta die.
Pod. Quam subitus ades ô nuntie velocissimè.
Sed queis relictis invius oris venis:
Clarè refer quò celeritatem intelligam.
Nun. Quinq; graduum scalas reliqui primitus,
Tremulásq; luxatis trabium compagibus:
Deinde sternax me excipit mox area,
Duris renitens ad pedes impulsibus.
Quod iter ubi confeci gravibus vestigiis,
Stratam silicibus ingrediebar semitam,
Ituq; scrupulis acutis asperam.
Hinc incidens in lubricam, & planam viam,
Dùm propero progredi, solutum retrahit
Calces malè firmas ilico cœnum retro:
Quà transeunti liquidus & membris mihi
Sudor fluebat, æger ut fessum gradus
Deficeret. inde lassus omni corpore,
Latam quidem, at tutam minus insisto viam:
Variis & hinc, & inde me vehiculis,
Vt currerem, cogentibus, & urgentibus.
Quare celeriter sublevans segnem pedem,
Transuersus occursum fugiens, cessi loco,
Donec citis quadriga transiret rotis:
Mystes enim tuus nequibam currere.
Pod. Non ista gratis gesta rectè res erit,
Mi nuncie: tuæ nanq; promptitudini,
Parem rependam gratiam pretio pari:
Gratum istud esto præmium triennio
Toto dolores perpeti tantùm leves.
Sed vos scelesti Dij & invisissimi,
Quinam, vel à quibus parentibus editi
Audetis obniti Podagræ potentiæ,
Cujus superare vim nequit Saturnius?
Heus dicite pessimi. Quoniam heroas ego
Quamplurimos domui, sapientes ut sciunt,
Priamus pede celer ille, canitur podagricus,
Perijt podagra Peleo Achilles satus:
Et Bellerophontes podagricus me pertulit,
Potensq; Thebarum Oedipus podagricus,
Et ex Pelopidis podagricus erat Plisthenes.
Et filius Pæantis etiam podagricus
Classi imperavit: fuit & alius celer
Dux Thessalorum, qui simul atq; prælio
Victus ceciderat Protesilaus, præfuit
Classi, podagricus licèt, & æger foret.
Ithacæ quoq; principem Laertis filium
Vlyssem ego, non spina necuit trigonos.
Nunquam ergo gavisuri ô calamitosissimi
Pœnam patiamini meritis vestris parem.
Med. Syri quidem genere Damasceni sumus,
Multa fame verò coacti, & inopia
Terram, & mare peragramus, errantes, vagi.
Habemus autem quod pater unguentum dedit.
Per hoc mala consolamur ægrotantium.
Pod. Dicas quod unguẽdum & quis apparatus hîc.
Med. Mystæ eloqui me sacramentum non sinit,
Nec ultimum morientis edictum patris,
Qui jussit hanc celare nos vim pharmaci,
Quod sævientem te quoq; scit compescere.
Pod. An igitur ô execrabiles, malè perditi,
Vllius usquam tanta vis est pharmaci,
Meam quod inunctum vim sciat compescere?
Sed sine paciscamur, age tali fœdere,
Et experiamur anne virtus pharmaci
Futura sit superior, an flammæ meæ.
Huc ô sevëra statim undiq; convolantia
Tormenta præsides meæ vesaniæ
Ocyus adeste: tuq; soleas infimas
Pedum sub ipsos usq; digitos urito,
Tu calcibus insili, profundam tu riges,
A femoribus ad genua tabem felleam:
At vos manuum repentè digitos flectite.
Tor. En imperata singula fecimus tibi.
Iacent, miseriq; clamitant gravissimè,
Per omnia torti membra tuis complexibus.
Pod. Intelligamus hospites verissimè
Vobisne prosit illitum hocce pharmacum.
Nam si palam sit istud adversum mihi,
Mundum relinquens ibo sub terræ sinus
Obscura, & ignora, in profunda Tartara.
Med. En unximus, flammæ dolores nec levat.
Hei mihi, papæ miser discrutior, intereo,
Omnia populatur membra mea cæcum malum,
Non Iupiter fert tale telum fulminis,
Non ulla sic procella sævit æquoris,
Non impetuosi tanta vis est turbinis,
An asperos sustineo morsus Cerberi?
Num virus Echidnæ membra mea depascitur?
An tunica saniè tincta Nessi sanguinis?
O Dea miserere: nam neq; meum pharmacum,
Nec aliud inhibere poterit cursum tuum,
Victrix sed omnium omnibus es suffragiis.
Pod. Desinite nunc tormenta, dolores cedite,
Mecum quia cœpta litis illos pœnitet.
Et norit unusquisq; me solam omnium
Illachrymabilem, & immedicabilem Deam.
Cho. Cũ Iove Salmoneus certare volens tonitribus
Fumigero perijt repressus numinis jaculo.
Pœnituit Phœbo congressum Marsyam satyrum,
Quando cutim circum cavit ejus suave Pythius.
Litis habet luctum memorem quoq; fæta Niobe:
Nanq; & adhuc lugẽs Sipylũ rigat uda lachrymis.
Mæonis ad lites Arachne, quia Pallada vocat,
Perdita, nunc scelus id testantia stamina plicat.
Impar enim est divorum affectibus humana vis,
Vt Iovis, ut Latonæ, ut Palladis, utq; Pythij.
Mites, atq; leves, celeresq;, brevesq; dolores.
Sedari, ferri, facilesq; absistere, & invalidos,
Neve graves pedibus fer, ubiq; Podagra celebris.
Multæ sunt formæ miserorum:
Sed podagros morbi soletur
Exercitium & consuetudo.
Quare eritis socii immemores cruciatuum:
Aequo animo, si placita non fiant,
Nec placitis iter inveniat Deus.
Quisquis es hic cui morbus gravis est,
Te ludi, rideriq; feras,
Nam hæc hujus natura rei est,

Idem Lucianus: Proloquitur Podagra.

Gravis hominibus, & inauspicati nominis
Podagra vocor, mortalibus dirum malum,
Quæ vinculis astringo nerveis pedes,

Ingressa

Ingressa clam sub artuum compagines.
Ridere verò soleo eos quos torqueo,
Dum prologui veram mali causam haud volunt,
Aliamq; fictam in promptu habent, qua se tegant.
Quilibet enim se decipit mendacio,
Luxatum alicubi, aut graviter allisum pedem
Dum dictitat, veramq; causam supprimit.
Quod enim ipse celat, & latere alios cupit,
Hoc tempus invito arguit eo pòst tamen.
Ac tum domitus, veroq; nomine me vocans
Gestatur ab amicis, triumphus omnibus.
At verò ad hanc rem, adjutor est labor mihi.
Neq; enim sine hoc ego sola quicquam potuero.
Hinc mordet illud, mihi & ferit præcordia,
Quòd author ille cùm mali sit omnibus,
A nemine petitur maleficis conviciis:
Sed imprecationibus diris petor,
Quasi hoc modo mea effugere possint vincula.
Cur ista nugor, nec ferens iram meam,
Non dico cujus gratia huc advenerim?
Etenim Dolon generosus audax Ocypus
Effertur in nos, nosq; dicit esse nil.
Irata verò, læsa ceu morsu mulier,
Læsi vicissim hunc non medicabili malo,
Vt moris est mihi, pedis petere articulos,
Ac nunc quidem dirus Labor locum eum tenet,
Plantamq; terebrat infimam stimulis suis.
At ille, ceu cursu, aut palæstra offenderit
Pedem, magistrum decipit, miserum senem,
Sed bilosum, ægrè movens captum pedem.
Progreditur infœlix domo ipsus huc foras.
Ocypus. Sed unde acerbus venit in pedes dolor
Hic absq; vulnere, me nec ire, stare nec sinens?
At nervum, ut arcu qui sagittas emovet,
Intendo: iniqua cogit & vis proloqui,
Cedit dolentium ultimum jam tempori.
Nutritor. Attolle teipsum fili, & alleva, cadens
Ne fortè, tu qui claudus es, me dejicias.
Ocy. En teneo te absq; pondere, & tibi pareo,
Ægro pedi insistens, doloremq; opprimens,
Nanq; juniori turpe, pueros inter, est,
Obmurmurans minister, invalidus senex.
Nut. Ne, ne quid horum stulte,, ne mihi objice:
Juveniliter ne me lacesse, illud sciens,
Quòd juvenis est, quando est opus, quivis senex,
Ac crede dicenti: ultimum hoc si subtraham,
Stabo senex, at tu juvenis cades humi.
Ocy. Laboris expers tu senex labens cadis:
Siquidem parata in sene voluntas semper est:
Sed res & opus haud quaquam in eo itidem vigent.
Nut. Sententias cur dicis, haud quonam modo
Plantam occupavit hic tui pedis labor?
Ocy. Ludendo cursu, dum levem pono pedem,
Currens retorsi, & me implicavit hic labor.
Nut. Denuo igitur curre, uti monebat, qui sedet,
Barbamq; sub tonsore vellit hispitus.
Ocy. Dum luctor ergo, ceu volens parembolam
Iacere, hanc plagam tuli: mihi tu hoc credito.
Nut. Qualis fuisti miles, ut parembolam
Iaciens plagam ferres? refers mendacia,
Eadem ista diximus aliquando nos quoque,
Fatendo veritatem amico nemini.
At nunc vides ut cuncta, deest quidpiam.
Quassansq; facilè, intorquet huc illuc labor.
Medicus. At ubi, ubi, amici, reperiam inclytum Ocypum,
Et pede laborantem, & vacillantem gradu?
Medicus ego accepi ex amico quopiam
Premi dolore eum, stare propter quem nequit.
Sed ipsus hic propè jacet ante oculos meos,
Stratus supino per cubile corpore.
Salvere jubeo per Deos te, ac tuum, hic deest aliquid.
Quid istud Ocype dic mihi statim. hic etiam deest aliquid.
Si fortè enim cognoro, tollam forsitan
Gravem dolorem, cum mali causa gravi.
Ocy. At me vides ò Soter & Soteriche,
Tubæ ipsius nomen gerens Soteriche,
Sævus dolor pedem mihi arrodit malè,
Gressumq; timidè facio, & haud planum pede.
Med. Vnde, aut quid accidit, expedi, aut quibus motis?
Nam medicus audiens rem ut est, dempto metu
Melius adit, non audiens errat ferè.
Ocy. Dum exerceo cursu, & arte me gymnastica,
Me sauciavit quispiam coætaneus.
Med. Cur ego non est tristis inflammatio
Inibi, nec ulla mitigans rigatio?
Ocy. Quoniam haud amo, ex lana illigata vincula,
Vt quæ afferant deformitatem inutilem.

Med. Quid ergo tibi videtur? incîdam pedem,
Nam si hoc feres, scias licet, quàm plurimum
Exhauriam tibi secando sanguinem.
Ocy. Fac quicquid invenire nunc novum potes,
Vt me hoc pedum dolore liberes citò.
Med. Et sectionem acutam, & ariferream,
Cruoribibulam, semicurvam infero tibi.
Ocy. Sine, sine.
Nut. Soter quid agis? tibi-ne accidat Soteria.
Adhibere ferrisatum laborem sustines.
Malumq;, nil planè sciens, infers pedi.
Deceptus etenim audisti opera, quæ audisti modò.
Nam neque palæstra iste, neque cursu, ut dictitat,
Certando læsus est: id ergo ex me audias.
Principio enim, sanus quidem venit domum,
Post autem edens multum, & bibens miser,
Solus super lectum cadens, somnum capit.
Deinde excitatus nocte, clamat, dæmone ut
Perculsus, omnes unde corripit metus.
Dicebat autem, unde hoc malum mihi? heu miser,
Fortasse dæmon potitur aliquis pede.
Noctu insuper solus quoque residens thoro,
Ceu præco lamentando prosequitur pedem.
At ubi diem jam gallus intonat tuba,
Accessit, & tristem mihi imposuit manum,
Plorans, febricitans, corpori innitens meo.
Tibi verò, quæ dixit prius, mentitus est,
Sæva hæc volens morbi tegere mysteria.
Ocy. Verbis senex armatus omnis semper est:
Nil iactitans non, ast opere præstans parum.
Nam qui dolet falsumq; amicis differit,
Similis edenti mastichen famelico est.
Med. Deludis omnes tu, aliaq; aliis implicas,
Dicens dolere te, ast ubi doleas, tacens.
Ocy. Sed quomodo morbi tibi causam eloquar?
Nam doleo, verùm quod doleo, tantùm scio.
Med. Quando absq; causa quispiam dolet pede,
Post hac inania verba fingit ut lubet,
Sciens grave illud, quo implicatus est malo.
Atque is etiamnum. hic deest aliquid.
Vbi verò & alterum pedem invadet dolor,
Flebis gemens, at dicere unum tibi volo,
Hoc illud est, nolis, velis, hoc illud est.
Ocy. Quid illud autem? quodve nomen est ei?
Nut. Nomen quidem habet, è duplici factum malo.
Ocy. Hei mihi quid hoc? dic obsecro te, dic senex.
Nut. Ab eo loco principium habet ubi nunc doles.
Ocy. Quantum ergo dicis à pede initium habet.
Nut. In fine sæva nomen huic Agra adjice,
Ocy. Quo me ergo pacto miserum adhuc?
Nut. Est sæva nempe, nanq; parcit nemini.
Ocy. Soter quid ais? quid me autem?
Med. Paulum sinas me, negligor tui gratia.
Ocy. Quid hoc mali autem, aut quid tibi accidit grave?
Med. In grave malum incidisti, & insanabile.
Ocy. Nunquid me oportet claudicantem vivere?
Med. Tu claudus ut sis, nihil id est, ne-ve hoc time.
Ocy. Quid pejus autem?
Med. Iacere utroq; te impeditum pede manet.
Ocy. Hei mihi novus hic unde me invasit dolor,
In altero pede, huicq; compatitur malè?
Quo-ve penitus modo obrigui, ut ire hinc volo?
Formido verò dimovere pedem nimis,
Stultus, quasi infans derepente exterritus.
Sed obsecro te per Deos Soteriche,
Tua siquid ars potest, mihi non invidens
Medeare: alioqui pereo: nam malum latet
Intus: pedesq; ceu sagittis transfodit.
Med. Equidem remota ambagine verborum procul,
Hac qua medici alij solent uti modo,
Ipsaq; re nullam salutis ferre opem,
Cuncta patienti breviter exponam tibi.
Principio inevitabile in malum miser
Planè incidisti: non enim compactilem,
Ferroq; fictam pede subisti compedem,
Sed sævam, & abditam omnibus prorsus malam,
Cujus hominum natura non tulerit onus.
Ocy. Heu miser, væ væ mihi.
Vnde hic mihi tacitus pedem terebrat dolor?
Suscipite me manibus priusquam concidam,
Perinde uti Satyri sub ulnas Bacchicos.
Nut. Equidem senex sum: at ecce tibi pareo tamen,
Iuvenemq; te longævus ipse manu rego.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Anonymus: Hinc rectè proposita quæstione inter quosdam, *Quódnam esset molestissimum otium?* variis variè respondentibus, ait unus: *Podagricum*. Pontan.

Pœnæ.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECOR.

D. *Chryſoſtomus:* Ut nec gehennam improbis nec ſupplicium comminatus eſſet Deus, certe id quovis ſupplicio deterius fuerit: quòd ſi delectantur, pœnæ certè additamentum mihi narras: neque enim ſi quem videro nudum, currentem, cœno corpus totum, ut colore, ſordidantem, tùm autem ſeſe minimè præ pudore obtegentem, quin potius ſibi hoc nomine placentem, huic ſanè de eo facto gratulabor? quin cùm potius deplorabo, quòd ne ſe quidem indecorè agere perſentiſcat. Ut autem & contumeliam ipſam manifeſtiùs declarem, patiamini, ſi placet, & me aliud exemplum uſurpare. Si enim virginem hac pœna mulctares, ut ſola in cubiculo verſans cum brutis animantibus rem haberet, poſtea autem eadem illa huiusmodi coitione delectaretur: nónne, obſecro, fieret, ut, vel hoc potiſſimùm nomine, lacrymabilis foret, quòd morbo liberari ea nequiret, non ob aliud, niſi quòd morbum ipſa ſuum ne ſentiret quidem? omninò ita liquet. *Homilia 4. ad Romanos.*

D. Chryſoſtomus: D. Paulus oſtendit in ipſamet demum improborum voluptate ſummum reſidere ſupplicium. quod ſi minimè perſentiunt, ſed delectantur, ne mirum tibi ſit. Etenim qui inſaniunt, ac phreneſim patiuntur, ij certè multas, & eas miſerandas in ſemet injurias dum inferunt, ob quæ facta aliis lacrymas cient, ob ea rident quidem ipſi, & inſoleſcunt, nec tamen illos propterea dixerimus ſupplicio liberatos, ſed hoc nomine pœna graviori affligi, quòd ne ipſi quidem nôrint, quibus, quantiſque in malis verſentur miſeri. neque enim ab ægrorum, ſed à ſanorum calculo ſententiam ferre nos oportet. *Homil. 4. ad Romanos.*

D. Chryſoſtomus. Iudices, quos in dignitate conſtitutos, gravioris alicuius criminis convictos habent, eos prius honoris ſui ornamẽtis ſpoliant, quam ſupplicio mulctatos abdicant. *Homilia 6. ad Rom.*

D. Chryſoſtomus: Et quomodo, inquies, æternum puniemur, cùm heic brevi tantùm tempore delinquamus? Quo pacto qui brevi temporis momento unicam cædem tantummodo committit, continuæ ac perpetuæ metallorum damnationi adjudicatur? *Homil. 12. ad Rom.*

D. Chryſoſtomus: Si & iudices, & domini, & præceptores, etiamſi barbari ſint, bonos quidem honorant, malos verò puniunt: qua ratione putas à Deo contraria debere fieri, eiſdemque afficiendos & bonum ſimul & malum? Quando verò & malitiæ futura eſt liberatio? Si enim qui ſupplicium nunc expectantes, interque tantos timores & judicum leges verſantes, nunquam tamen a malitia deſiſtunt: cùm eò abierint, & timorem illum depoſuerint: ut non ſolùm in gehennam non incidant, ſed & regnum aſſequantur: quando malè agere deſiſtent? An hoc benignitatis ſit, dic oro: malitiam ſcalpendo alere, nequitiæ premium ponere, eadem utrumque mercede æſtimare, modeſtum & laſcivum, fidelem & impium, Paulum & diabolum? *fine Homilia 25. ad Romanos.*

D. Chryſoſtomus: Pleríque eo ſunt animo, ut cùm mulcta non ultra ſe porrigit, quam ut bona non accipiant, facilè id ferant. cùm autem dolor etiam accedit, non item. magnam, inquio, auditorum partem non perinde excitat bonorum largitio, ut tormentorum comminatio. *Homil. 10. ad Corinth. 2.*

D. Chryſoſtomus: Quid viſceribus illis mitius leniusque fingi poſſit? quippe qui ſuos alienis permixtos cernens plagam quidem inferre vult, cæterum ſe cohibet, atque indignationem tantiſper reprimit, quoad illi ſeceſſerint, ut hos ſolos feriat, vel potius ut ne hos quidem. Ob id enim his minatur, atque ſe illos tantummodo recuperare cupere, ut & iſti quoque correcti ad meliorem frugem migrent, nec in quemquam iram effundat. Ut enim præſtantiſſimus medicus, & pater communis, & patronus ac procurator, ita omnia agebat, ita omnium commodis conſulebat, impedimenta ſubmovens, peſtiferos homines coercens, undique curſitans. *Hom. 21 ad Corinth. 2.*

D. Chryſoſtomus: Neque velim exiſtimes, quemadmodum hic fieri ſolet, ita & in futura vita contingere, ut ſcilicet ſolatium aliquod ferat, ſocios habere miſeriæ. Unde id conſtat? Ex ſubjecto ſcilicet exemplo. Dic enim, quæſo, ſi quis damnatus ignibus, filium quoque ſuum una intueatur, nidoremque ex ipſius carne aſcendentem hauriat naribus, nonne morietur? Nam ſi hi quoque qui ſane ſunt, dum hæc fieri vident, pene reſolvuntur: multo magis id paſſuri ſunt, qui ea clade vexantur. At ne iſta mireris, audi quid dicat ſapiens quidam: Et tu captus es quemadmodum & nos, & in nobis computatus es. Eſt enim fere ad miſericordiam pronum humanum genus, aliorumque calamitatibus facile commovemur. Nam quo pacto pater filium in eadem damnatione poſitum vidẽs, ſolatium capiat? Contra penitus, pœna illa ex ea ſocietate auctior fiet. Eadem profecto ratione ſi vir uxorem conſortem damnationis aſpiciat, & homo itidem hominem, ſolatij nihil, ſed ſupplicij plurimum accipiet cumulum. At tunc lege magis iſta patiemur quam nunc: neque enim ſimiles ſunt cruciatus utriusque temporis, ſed tunc profecto erunt duriores. Erit quippe tunc gemitus omni conſolatione deſtitutus, quum omnes ſe invicem in ſuppliciis videbunt, omneſque mugitum pariter dabunt. Quippe & hi qui fame tabeſcunt non ſolatium capient, ſi calamitatis ſuæ ſocios habeant: etſi item filij parentes, vel parentes itidem filios, vel uxorem vir, aut virum uxor, eadem clade ſecum affici viderint, num conſolari poterunt? neque ſi amicos quidem aſpicimus nobiscum unà pœna torqueri, ullum capiemus omnino ſolatium: imo ex ea ſocietate cruciatus noſter augetur. Præterea clades nonnullæ ſunt, quæ licet communes cum plurimis ſint, præ acerbitate tamen nihil conſolationis admittunt. Nam exempli cauſa: Sit quiſquam igni impoſitus, & alius una uratur: quo pacto iſti ſe mutuo ſolari poterunt? Experti nempe id ſumus, ſi quando vehementioris febris ardore tenemur, tunc nempe nos omne ſolatium deficit: & merito ſane. Ubi enim ea invaluerit peſtis, difficile jam animus aliquid conſolationis admittit. An non vides eas quæ amiſerunt viros, licet plurimas enumerare mulieres poſſint idem perpeſſas: nihilo tamen ſegnius luctu ac mœrore ſe conficere? *Homilia 10. ad Timoth. 1.*

D. Chryſoſtomus: Si Deus diebus ſingulis eorum quæ peccamus pœnas à nobis exigeret, vix vel paucis annis vivere permiſſi eſſemus. neque enim dies ulla tranſit ſine noſtris ſceleribus, ſed innumeris quotidie modis offendimus: & nemo noſtrum ætatis vigeſimum attigiſſet annum, niſi ingens eſſet patientia, quæ nobis pœnitentibus ſpatium daret, ut peccata diluere valeamus. Vnusquiſque igitur ingrediatur conſcientiæ ſuæ cubiculum, & quæ à ſe geſta ſunt cuncta diſpiciat, vitamque ſuam omnem excutiens, animadvertet innumeris ſe ſuppliciis dignum. Et cùm illi cogitatio impia dixerit; cur nam ille mille ſceleribus plenus pœnas non luit? ex ſuorum conſideratione factorum deſiſtet indignari. illa enim ideo videntur magna, quia palam ſunt. ceterum ſi ſua illis conferat, plura forte & majora inveniet. *2. ad Timoth. Hom. 3.*

D. Chryſoſtomus: Si ipſe perperàm invitus facias, Principis quoque imperiis obſequens, ne ſic quidem erit juſta defenſio. Sin verò cogas alios perpetrare eadem, peccatum longè gravius ac funeſtius fit. Quàm enim iſte jam ſperare veniam poteſt, qui alienæ etiam perditionis auctor eſt? *Homilia 2. Epiſt. ad Philem.*

Baſilius Seleuc. Qui injuriam fecit ac deinde ad ſupplicium conquiritur ex perpetrati facinoris audacia mali ſolatium capit, & conſcientiam circumferens accuſatricem ſui perſequenti ex animo patrocinatur, actaque ſua juſtè dijudicans pœnam non quæritur. At qui ſolicitè ab eo, quem non raro ſervavit ad necem circumvenitur: beneficentiæ ſuæ recordatione attonitus, quod per eam in arma contra ſe concitavit adverſarium intolerabili doloris morſu ſauciatur. *Orat. 16. ante finem.*

S. Iſidorus Peluſiota: Non crudelitatis atque amentiæ fuit, vir ſtudioſiſſime, quòd ſapientiſſimus Petrus, eos, qui peccaverant, morte affecit, verùm præſcientis doctrinæ, multa hominum peccata præſanantis. Nam cùm tunc Evangelij ſementem facere incepiſſent, ac ſtatim enata zizania conſpexiſſent, ſapienti conſilio ea confeſtim evulſerunt, ne unà cum tritico aucta futuro igni ad exuſtionem ſervarentur. Ad eundem enim modum divinus quoque Moſes, legem ab initio ſtatim violatam perſpiciens, etſi ob exiguum peccatum, ſaxis tamen eum obrui juſſit, qui die Sabbati ligna collegerat: Deum videlicet hanc ſententiam tuliſſe ſcribens. Siquidem legis transgreſſio, tam in parvo ac levi, quàm in magno atque atroci crimine judicatur. Nam profectò primi quoque generis noſtri authores ob arboris fructum deguſtatum, acerbiſſima, & vita & morte mulctati ſunt *Lib. 1 epiſt. 181.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quòd nondum pœnas dederis, vir optime, non eò tibi redigetur, ut nullas pœnas pendas, ſed ut graviores & atrociores luas, niſi reſipiſcas, atque acceptas clades ſarcias. *Lib. 2. epiſt. 41.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam per literas ex me quæſiviſti, quidnam ſit, quamobrem multi perſæpe iiſdem flagitiis admiſſis non iiſdem pœnis affecti fuerint: reſpondeo, id hinc fieri, quòd magna ſit judicis integritas & ſinceritas. Etenim in peccatis, non ipſa tantum peccati ſpecies quæritur, verùm etiam eius qui peccavit, animi ſententia, & dignitas & tempus, & locus, & ſexus: & poſt admiſſum ſcelus, an ex ſcelere voluptatem ceperit, an omni doloris ſenſu caruerit, an in ſcelere perſtiterit, an pœnitentia ductus ſit, an caſu aliquo peccarit, an ex amore, an de induſtria. Ac multa item alia ſunt, per quæ hoc examen graſſatur. Nam & temporis diſcrimen expenditur, & vitæ degendæ ſtatus. Non enim is qui ante legem & qui poſt legem, & poſt gratiam, idem peccatum admiſit, eadem pœna mulctabitur: verùm ille mitiore, alter graviore, poſtremus acerbiſſima. Hæc enim omnia in ſacris Scripturis apertè prædicata ſunt. *Lib. 2. epiſtol. 86.*

S. Iſidorus Peluſiota: Mentem oportet, velut reginam ſummum imperium obtinentem, horrendas atque armis omni ex parte munitas & inſtructas rationes ad ſenſuum portas demittere, quæ obviam prodeant, inſidiasque ante ſtruant, hoſteſque prohibeant: non autem aditu ipſis primùm conceſſo, dubiam poſtea pugnam ſuſcipere, quæ perſæpe in alteram partem propendebit, hoſtibuſque tropheum porriget. Ob eam enim cauſam ſalutaris quoque ſermo eum qui impudico oculo aliquem perſpiciat, ſupplicio affecturum ſe comminatus eſt, cùm alij Legumlatores facinus duntaxat puniant: ne difficile ac nimis arduum bellum ſit, verùm facilè ac proclive. *Lib. 2. epiſt. 107.*

S. Iſidorus Peluſiota: Si graviſſimas eas pœnas eſſe meritò judicamus, quarum multi conſcij ſunt (nam occultæ leviores quodammodo eſſe ſolent) qualem hunc cruciatum eſſe veriſimile eſt, cùm præſentibus cœleſtibus populis atque in hominum omnium oculis & aſpectu conſtituetur? *Lib. 2. epiſt. 223.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quemadmodum fortis & humanus rex legibus cum armis conjunctis omne contumeliæ ac petulantiæ ſtudium profligat, eos nimirum qui legum auditioni morigeros ſe præbent, citra pœnam ad officium revocans, eos autem qui præfracto & contumaci animo ſunt, vi atque armis coercens: eodem modo pius ac manſuetus ſacerdos legibus metum adjungens, atque imperium lenitate condiens, omne improbitatis ſtudium; quantum quidem in ipſo ſitum eſt, fugat: eos nempe ſubditorum, qui ſermonibus cedunt, ſermonum ope atque adjumento curans, eos autem, qui pervicaces, & immorigeri ſunt, legitimis animadverſionibus eò, velut porrecta manu, ducens, ut poſthac minimè peccent. *Lib. 2. epiſt. 260.*

S. Iſidorus Peluſiota: Vehementer tu quidem ſcribis te mirari, quo pacto Achab, quamvis præcognitâ ſuâ morte, tamen eam evitare atque effugere non valuerit. Ego verò id minimè miror. Neque enim fieri poteſt, ut effugiat ſceleratus divinam animadverſionem. Hæc enim eorum animos fallens, qui ipſam fallere conabantur, efficit, ut volentes eam declinare, in ſuamet ipſorum retia, per ea quæ moliuntur, incidant. *Lib. 3. epiſt. 23.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quod impius non evaſurus ſit animadverſionem (divinam,) ſed aut in hac, aut in alterâ vitâ certò ſubiturus ſupplicium: multi verò utrobique, & hîc & illîc puniantur; id non noſtra tantùm ratiocinatio collectioque, ſed & divina oracula ſuggerunt. Ac plures quidem (quos pro exemplo adducere poteram) in præſentiarum omittam: ſed unius mentionem faciam, & quidem ejuſmodi hominis, qui tametſi videretur ſapientiâ quadam atque vafritie ſuâ impunitatem ſibi conciliâſſe, tamen pœnas effugere non potuit. Ioab, ille Davidis militiæ dux, animo imperatorio, & robore & haſtâ inſignis, cum collegas quoſdam ſuos quà invidiâ quâ fraude de medio ſuſtuliſſet, tandem divinæ juſtitiæ ultionem non latuit. Nam cum exiſtimaret, ſe arte atque aſtutià quadam hanc depuliſſe, Adoniam adfectantem regnum, amicum non eſt averſatus, ſed eum in electione adjuvit, ſperans fore, ut hoc pacto non ſolùm ſupplicium cædibus à ſe perpetratis debitum effugeret, ſi prius benevolentiam ſibi adjunxiſſet novi regis, verùm hoc amplius gratiam quoque ab ipſo iniret. Nam cujus rei metua, ne fieret, tyrannum adjutum ibat, eam ipſam rem illa præparatio ei acceleravit: Et quarum rerum præſidio ſe diras Davidis declinare poſſe confidebat, pro eas ipſas res in opus & in effectum illas produxit, & callidum inventum ipſi in laqueum eſt converſum: Quodque fugiebat ne pateretur, id fugiens paſſus eſt: & id, quod (ipſius quidem opinione) avertere omnes moleſtias omniaque adverſa debebat, vice verſâ tale deprehendit, quod potius accerſeret calamitates. Si igitur animadverſionem divinam nullâ ratione licet effugere (ut certè non licet) quo pacto, quæſo, vos, ô animum habentes omni genere crudelitatis & feritatis armatum, dolis & machinationibus ac vaframentis ſtratagematum, putatis vos eorum, quæ iniquè & ſceleratè perpetrâſtis, ſupplicia evaſuros? *Lib. 4. epiſt. 184.*

Syneſius: Quem pædotribam emeram ignarus morum ejus, eſt quidem nequam. nam & male natus eſt, & educatus, neque abhorrentem ab indole naturaque inſtitutionem nactus eſt, jam tum à puero in coturnicum conceptaculo, & alea, & poprinis volutatus. Ceterùm pœnas quidem ex ipſo nullas alias ſumpſerim. ſua enim cuique nequitia ſufficiens pœna eſt. *Epiſtola trigeſima ſecunda.*

¶ LATINORUM.

Oroſius: Provocat pœnam ſuam obliviosa malitia. Impietas enim flagella quidem excruciata ſentit: ſed à quo flagellatur, obdurata non ſentit. *Lib. 7. adverſus paganos initio cap. 22.*

S. Salvianus: A Deo quidem punimur, ſed ipſi facimus ut puniamur. cum autem puniri nos ipſi facimus, cui dubium eſt, quin ipſi nos noſtris criminibus puniamus? quia quicunque dat cauſſam qua puniatur, ipſe ſe punit, ſecundum illud: Funibus peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur. *Initio libri. 8. de gubernatione Dei.*

Ennodius: Non eſt culpa ſpeciali plectenda ſupplicio, quæ in erratis habet auctorem. *Lib. 1. epiſt. 16. f.*

Ennodius: Miſericorditer vindicta comitatur errantem: nec ulla eſt potior patientia, niſi quæ veniis aditum non recludit. *Lib. 6. epiſt. 1. m.*

Ennodius: Qui in putribus membris non utitur ferri medicina, ſerpentibus morbis præſtat obſequium. nam niſi ſecentur tabefacta, contaminant. *Dictione 6. m.*

Ennodius: B. Paulus Apoſtolorum principem lenitatis inceſſit, quod fluxis & profligatis mentibus parentis adhuc ſervaret affectum: nec in profundum ductis ulceribus ferro medicante ſuccurreret. reſcindenda docens lanienis ſecreta morborum, & manifeſtæ deſperationi ſalutiferum eſſe vulnus adhibendum: ne dum manus medici per pietatem à ſectione carnis corruptæ ſuſpenditur, de abſtinentia teli invitetur exitium: quia dum parcit ægris dextera, curandos interficit: nec grandis eſt differentia, utrum letum inferas, an admittas: mortem languentibus qui cum poſſit non excludit, inflixit.

Io. Sariſberienſis: Vt ait Lucius, Principem ſenem moribus eſſe oportet, & qui moderatiora ſequatur conſilia, & vicem gerere medicorum, qui morbos curant, nunc inanitione in oppletis, nunc refectione in vacuis: & dolorem nunc cauterio, nunc fomentis. *cap. 8. lib. 4. Policratici.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Phalaris Eumelo: Cum neque opinione neque re ſit iniquum, eum qui prior ad malefaciendum acceſſit, plectere, quoniam prius à te perfectum eſt, alterum à nobis futurum expectabis. *Epiſtola. 134.*

Phalaris Cebroni: Cur non potiùs, qui noſtrum ingenium admirantur, quòd tam crudelibus tormentis utar, eos qui ex vobis inſidias machinantur, hoc ipſo deterrent. Sed punitorum calamitatem lugetis: non autem, ut ne Phalarim injuria afficiant ſuadetis. Atque mihi quoque ſatius erat, non ad ejuſmodi puniendi rationem compelli, vobis autem commodius, non uti tam inconſulta omnia, temeritate. Deinde ſi pro meo, ingenio benevolentiæ & miſericordior eſſem, quid faceretis niſi tam ſeverum in puniendo me gererem, cùm ne tolerabilem quidem pœnam ſperantes, etiam audeatis aggredi? proinde mihi facilè fuerit à ſævitia diſcedere, ſi vos priùs ab injuria diſceſſeritis. *Epiſtola. 99.*

Phalaris Neolaida: Nihil mali aut ingrati tibi per me contingere volo. Plura enim bona quàm mala te præſtitiſſe reperio. Proinde ſit hoc etiam unum in tuis bonis, ut ne crudelior animi metu adverſus te ſævire me cogas. *Epiſtola. 89.*

Phalaris Catanenſibus: Captos ex veſtris civibus aliquos, cùm nullam omnino ſpem ſalutis haberent amplius: quoniam vobis eorum cædes non admodum cordi eſſet, incolumes ſervavi: non quòd inimicitias, quæ mihi vobiſcum intercedunt, è memoria deleviſſem. Omnium enim oblivioſiſſimus eſſem, ſi minori ſupplicio, quàm ira me hortatur, vos afficere negligerem. Cùm verò dignas mihi pœnas lueris, tum vobis calamitatis magnitudo, ſcelera perpetrata in mentem revocabit. *Epiſtola 30.*

Ariſtides Rhetor: Athenienſes Triptolemi iter per aerem factum, quatenus imperfectum fuit ſuppleverunt. ille namque duntaxat bene de omnibus merebatur: hi etiam, punire quos oportebat, aggreſſi ſunt: quoniam exiſtimabant hoc quoque publicè commodum fore, ſi injurioſi & ſuperbiores plerique dignas pœnas luerent. *Oratione Panathenaica.*

Ariſtides Rhetor: Leges ijs qui ſponte peccaverunt, duplam eorum, qui inviti nocuerint, mulctam imponunt. *Oratione contra proditores myſteriorum.*

Libanius: Omnium longè abſurdiſſimum eſt, crimina quidem aliorum eſſe, alios autem ſupplicio affici: & eos qui injuriam intulerunt, ut inſontes & indemnes dimitti: poſt tantam verò annorum ſeriem, alios vice illorum ærumnas exequi. *Vlyſſis oratione ad Trojanos.*

Libanius: Si Deis virtus placet, & quæ cum ornatu fiunt: perſpicuum eſt eos contrarijs ſuccenſere: & maximè quidem velle factum nihil eſſe iniqui & injuſti: ſin minus, eos certe qui commiſerunt ſupplicio affectos exemplo alios coercere atque emendare: probeque cognoſcere, juſtitiam quandam Deorum in obſcuro poſitam res humanas proſpicere, & infeſtos ulciſci. Vnde in civitatibus, in quibus continentia honoratur, & vitioſa non ſunt in pretio, omnia ad beatitatem ſpectant: pax & terræ fertilitas, & genera proſapiæ diſtincta, & liberorum ſatus, ſucceſſione perpetua abſque ullo obſtaculo procedentes: hoſtes autem & morbi communes, & quæcunque humanam naturam inficiunt & vaſtant, cives exercent, qui quæ urbs à civium libidine Deorum delubra non pura conſervat. Teſtis eſt Troja, ante Alexandrum adulterantem beata: & non amplius jam civitas. cecidit enim & periit: illudque Aſiæ ornamentum cum primum illius viri improbitatem & ſcelus ſenſit, malorum æſtu abſorpta eſt, ut infelicitatis exemplar ſit. Quod ſi Trojani, prudenti & honeſto conſilio uſi, injurium perdidiſſent, tanquam facinoroſum & cladem certam patriæ ſimul inferentem: & Helenam reddidiſſent perpeſſis injuriam, religioni Deorum ſatisfacientes atque urbem expiantes quantum in ipſis erat: nihil obſtaret quominus etiam nunc Troja ſtaret. *Oratione Oreſtis ſuper matricidio.*

Libanius: Amiſſo filio, accedo ut pœnas ab occiſore exigam? quod unum injuria affectis ad conſolationem relinquitur. *Declamationis 22. initio.*

Libanius: Quia in cancellis circumſcriptis non te continuiſti, ipſe in reatu conſtitutus es. nam qui in exigenda pæna modulum exceſſit, majori ex parte injurius eſt. *Declamatione vigeſima ſecunda.*

Libanius: Oporteret opinor Aeſculapii alumnos diſſecare corpora quæcunque putruerunt, & hortulanum quos compererit ramos emorientes: & patres nihilo ſequius à familia ſua demere quod immundum eſt: non tam pro ſe ipſis id molientes, quàm pro civitate quæ iſtos aluit. nam virum nefarium à civitate exemiſſe, perinde eſt atque corruptum membrum à corpore amputaſſe. *Declamatione. 35.*

Leo Imperator: Non modò in veris certaminibus, ſed etiam ipſo exercitationis tempore, omnes præfecti atque cohortes militares convocandi, & hæ leges militares recenſendæ ſunt, quæ mulctas has continent.

2 Si miles Quintano aut Quartano ſuo adverſetur, caſtigetur: ſin quartanus aut quintanus decano ſuo adverſetur, caſtigetur quoque

que. Sin decanus centurioni, pari modo. Sin quis ex cohorte audeat hoc adversus suum ipsius comitem facere, capite plectatur.

3. Si quis injuriam à quoquam acceperit, ad cohortis suæ præfectum referat: sin ab ipso præfecto lædatur, majori alicui præfecto narret.

4. Si quis audeat magicam exercere, quo tempore milites domum suam remittuntur, perpetuò ab omnibus aciebus expellatur.

5. Si qui conjurationem aut pactum aliquod contra præfectum suum quavis de causa fecerint, capite plectantur, & in primis illi, qui huius seditionit & conjurationis authores fuerint.

6. Si cui custodia civitatis aut castelli alicuius commissa est, isq; eam prodideris, aut invito præfecto deseruerit, extremo supplicio afficiatur: neque ille solùm, sed is etiam qui cùm conscius huius facinoris, id ipsum tamen præfecto indicare noluit.

7. Si quis seipsum inimicis prodere velle deprehendatur, extremo supplicio afficiatur.

8. Si quis cùm decani mandata audierit, non agat ea, castigetur. Sin propter ignorantiam offenderit, decanus ipse qui hoc illi non indicavit, castigetur.

9. Si quis bestiam aliquam aut rem sive magnam sive parvam invenerit, & eam præfecto suo non tradiderit, tum ipse tum qui conscius illi est, quasi fures utrique castigentur.

10. Si quis damnum municipi suo fecerit, & illud voluntate sua non resarcierit, duplam illi mulctam persolvat.

11. Si quis aliquo vocationis tempore intermissionem aliquam habeat, & eo tempore arma sua neglexerit, & decanus eum non coegerit nova comparare, aut saltem præfecto suo hoc non indicaverit, tum miles tum decanus castigentur.

12. Si quis præfecto suo non obtemperaverit, legibus castigetur.

13. Si quis damnum militi aut municipi fecerit, duplum illi restituat.

14. Si in hybernis fuerit exercitus, & in ipso itinere dux vel miles damnum municipi fecerit, & illud iterum, quemadmodum par est, non compensaverit, duplum illi persolvere cogatur.

15. Si quis belli tempore sine commeatu, id est, dimissione exercitus, militem dimittere audeat, triginta numis mulctetur. Hybernis autem duos aut tres menses hoc faciat: pacis tempore pro intervallo loci commeatus sive dimissionis tempus militi concedatur.

16. Si cui custodia Civitatis aut Castelli alicuius commissa est, & eam prodiderit, vel sine necessitate aliqua ad vitam pertinente discesserit, cùm posset locum defendere, capite plectatur.

Hæ congregatis ipso exercitationis tempore militibus, & alio quovis idoneo tempore, ad militum & præfectorum scientiam mulctæ legantur.

17. Constituendæ præterea illis reliquæ mulctæ sunt, quæ belli tempore necessariò servandæ sunt.

18. Post instructas cohortes, hæc illis legantur.

19. Si miles belli tempore aciem suam aut cohortem reliquerit, aut aufugerit, aut locum in quo constituitur anteverterit, vel cadaver despoliaverit, vel ad insequendos hostes excurrerit, vel ad tuldum sive impedimenta, vel fossatum, id est, castra hostium accesserit, capite mulctetur, & omnia bona detrahantur, & cohorti universæ, quia aciem dissoluere cogitabat, & aliis insidias struebat, distribuantur.

20. Si universæ aciei instructæ aut ipsius conflictationis tempore, fuga (quod absit) nulla rationabili de causa certaque fiat, præcipimus, milites cohortis eius quæ primò terga dabat, & primùm ex acie discessit, quasi decimari, & à reliquis cohortibus sagittis configi, quia aciem dissolverũt, & authores omni ex parte hujus fugæ fuerunt.

21. Sin quosdam ex illis sauciatos esse contingat, eos omni hoc crimine liberamus atque exoluimus.

22. Si bandi, id est, cohortis alicuius ab hostibus ereptio fiat, quæ sine ulla certa aut manifesta causa discedit, hi quibus custodia hujus cohortis commissa est castigentur, & omnium subjectorum abjectissimi contemptissimique sint. Sin quosdam ex illis pugnando sauciatos esse contingat, istos hac mulcta liberos esse volumus.

23. Si jam fossato, id est, castris positis contingat (quod absit) alicuius turmæ sive aciei fugam fieri, neque ad defensores accurrunt, neque fusi & fugati ad castra contendunt, sed contemptu aliquo ad alia loca transvolant, hi qui hæc faciunt sic puniantur quasi cæterorum proditores & contemptores.

24. Si miles in prælio arma abiiciat, puniatur is quasi qui ipse se nudat, & hostes armat.

25. Si quis præfectus arma militi detraxerit, vel excusationem pro eo attulerit cur ad diem commeatus non venit, aut ubi domum venerat ita servitio illum occupatum detinuit, ut stationem suam neglexerit, & arma contempserit, præter ea quæ à nostro Scrinio constituta sunt, castigetur & mulctetur: Imperator auri libra: Turmarcha numis triginta sex: drungarius, id est, præfectus cohortis milliariæ numis vigintiquatuor: comes, id est, præfectus cohortis, numis duodecim. *Cap. 8. rei tactica.*

§ Romanorum.

Quintilianus Senior: Et sanè habeat hoc lucrum magna nequitiæ, quod non ferè puniri pro meritis potest. *Declamation. 262. fine.*

Poetarum.

Prudentius Psychomachia 6.

Exitÿ sit pœna eadem, quibus & genus idem est.

Prudentius martyrio Romani.

Nec vim decebat innocenti ætatulæ
Inferre lege; nec loquenti talia,
Furor sinebat efferatus parcere.

Plautus Amphitr. 3. sc. 1.

Simul Alcumena, quam vir insontem probri
Amphitruo accusat, veni ut auxilium feram.
Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,
Id Alcumenæ si innocenti huic expetat.

Plautus Trinummo 2. sc. 4. v. 187.

Æquũ videtur quin quod peccarim, potissimũ mihi id obsit.

§ Apologorum.

Phædrus Fab. 84. Calvi & Muscæ.

Calvi momordit Musca nudatum caput,
Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gravem.
Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulæ
Voluisti morte ulcisci, quid facies tibi
Injuriæ quia dederis contumeliam?
Respondit: Mecum facilè redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem lædendi scio:
Sed te contemti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare, vel majore incommodo.
Hoc argumento veniam dari docet
Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens
Illum esse quavis dignum pœna judico.

Rusticus & Sus. *Anonymus.*

Vastantem segetes & pinguia culta ruentem
Liquerat abscissa rusticus aure suem,
Vt memor accepti referens monumenta doloris
Vlterius teneris parceret illa satis.
Rursus in excepti deprensus crimine campi,
Perdidit indulta præsidus auris onus.
Nec mora, prædicta segeti caput intulit horrens,
Pœna sed indignum congeminata facit,
Tunc domini captum mensis dedit ille superbis,
In varias epulas plurima frustra secans.
Sed quum consumpti dominus cor quæreret apri,
Impatiens fertur quod rapuisse coquus,
Rusticus hoc justam verbo compescuit iram:
Adfirmans stultum non habuisse suem.
Nam cur membrorum totiens in damna venisset,
Atq; uno totiens posset ab hoste capi?
Hæc illos descripta monent, qui sapius ausi,
Nunquam pescatis abstinuere manus.

De Viro maligno & Dæmone. Fab. 58.

Vir malignus quum plurima perpetrasset scelera, & sæpius captus, & carcere conclusus arctissima & pervigili custodia teneretur, dæmonis auxilium implorabat, qui sæpenumero illi affuit, & è multis eum periculis liberavit. Tandem iterum deprehenso, & solitum auxilium imploranti, dæmon magnum calceorum pertusorum fascem super humeros habens apparuit, dicens: Amice, amplius tibi auxilio esse non possum, tot enim loca pro te liberando hactenus peragravi, ut hos omnes calceos contriverim. Nulla mihi superest pecunia, qua alios valeam comparare. Quare pereundum est tibi.

Hæc admonet fabula, ne existimemus nostra semper impunita fore peccata. Laur. Abstemius.

§ Emblematis.

Camerarius LXV. Centuria 4.
Contraria prosunt.

Et fluvialis equus corpus cum sanguine purgat,
Purgatur cæsis publica resq; malis.

§ Apophthegm. Christianor.

Iacobus Carrariensis Princeps Patavinus. Moderatæ Punitionis veluti summum ad virtutes bonum, ita delictorum impunitas est grave ad quodvis scelus malum. Erat Jacobus Carrariensis, qui laxatis foribus, è vita excessurus quosvis admittebat, qui queri de se vellent. Venit cum aliis unus, qui arroganter pecuniam quam ob remissam capitis damnationem acceperat, sibi restitui postulavit, tanquam contra justitiæ ordinem datam. Cui Princeps, generosa, licet exili voce: *Si tunc justitia in te reddita fuisset, nunc quod injustè facis, queri de me non posses. Nullius ergo peccati conscius sum: nisi fortè, quòd mitiùs quàm merueras, fueris multatus.* Probè ergo monet Horatius Sat. 3.

——— *Adsit*
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas;
Nec scuticâ dignum, horribili insectare flagello.

Bernardus Scardeonius, lib. 3. class. 13. descript. Patavij.

Morio Ludovici Regis Gall. Venerat ad Regem quidam perpetrati homicidij veniam petens. Rex facti enormitatem considerans, quodque iam tertiò in illud crimen incidisset impunè; *Ecquid*, ait, *rursus tu veniam? iam tertium homicidium est.* Nil cunctatus qui fors aderat, Morio; *Quid*, inquit, *Domine, tertium? imò primum dumtaxat est, quod hic perpetravit. Secundum & tertium tuum est: quia si primum non condonasses, reliqua non perpetrasset.* Philipp. Camer. Medit. hist. c. 100.

D. Ludovicus Franc. R. Præclarè itaque Ludovicus. Postulaverat ab eo quispiam gratiam pro reo capitalis criminis: impetrat. At paulò pòst dum preces ad Deum conciperet ex Psalmis Davidicis, & in illum Psalmi 106. versiculum incidisset: Beati qui faciunt justitiam in omni tempore: protinus eam gratiam revocari jussit, dicens: *Princeps, qui cùm crimen punire possit, illud non punit, non minùs coram Deo reus est, quàm si ipse perpetrasset.* Annal. Franc.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A labore ad otium; ad pœnam à voluptate est iter.
A metu legum solutus, haud tamen pœna caret.
Absq; horrore destinata quis videt pœnis loca?
Absolutio Gabinij, lex impunitatis est.
Alia de pulice est sumenda, alia de ferâ ultio.
Amplianda pœna quando criminum crescit seges.
Animadversione paucorum, imperij omnes admones.
Ante damnandos turpare, quàm punire, barbarum est.
Antecedentem scelestum pœna prendit claudicans.
Arboris mala ne ramos sed radicem incidito.
Castiges magis timore pœnæ, quam spe præmij.
Civis acrius puniri debet homine extraneo.
Conterendus illico est ut apparuerit scorpius.
Constitutæ leges sunt in facta; futura haud puniunt.
Contumax equus domatur, non item confoditur.
Corpus omne ne tabescat membra quædam tollimus.
Corporis morbo ars medetur; animi morbos mors necat.
Corpori ut parcamus omni membro uni non parcimus.
Crimen expiari oportet perpetratum est quo loco.
Cum decimatur miles etiam sortiuntur strenui.
Cuncta Pœna sunt aperta clausa centum clavibus.
De potentiore pœnas exigit sublimitas.
De servis pœnas minores sumimus quam filiis.
Dedecus sit pœna ubique, nuspiam pecunia.
Deficiente nutrimento vel flamma ingens interit.
Digna dignis! sic Sarmentus habeat crassas compedes.
Divites luunt in ære, pauperes in corpore.
Duci aliquem juberi Cæsar est ubi, indignissimum est.
Duplicem pœnam meretur factus è bono malus.
Durius bono est de alio quam de se pœnas sumere.
Esse pœnam nostram iniquum est, ille cum peccaverit.
Est minus gravis, reorum turba quam levat, nota.
Exemplum omnibus curato sit turbator omnium.
Expers criminis paterni filius cur plectitur?
Fas ubiq; pauperes punire, divites nefas.
Fine vita pœna noxarum etiam gravium solvitur.
Grande supplicium quandoq; gloria est grandissima.
Haud male ipsum te exuas anima, ut pariter scelere exuas.
Hoc lucrum habet nequitia magna, pro meritis pœnam haud luit.
Improbè viven., expectat semper omne id quod meret.
Improbis pœnaq; durant à supremo funere.
Improbos tandem prehendit pœna laneo pede.
Imprudentiæ sed non & pravitati ignoscere est.
In pari caussâ fortunam disparem pati, impium est.
Innocentem pro nocenti luere pœnas impium est.
Insontem punire, sontem non punire, par scelus.
Iudicium minus manifesta; clara pœnam postulant.
Iusta pœna non justam arcet clam palam licentiam.
Iustius nil fulmine illo, quod feritus percolit.
Lex hominem non punit, illud punit in eo quod est malum.
Liberat fortuna multos pœnâ: neminem metu.
Multiplex pœna est, earum sed metus gravissima.
Mutilari pejus multò, morte quàm statim obteri.
Nec pater pro nato, natus nec pro patre plectitor.
Nemo iniquus est, à tergo pœna cui non est sua.
Nemo unquam malè interemptus, est infamis, innocens.
Neminem pœna à peccando atrocitas deterruit.
Nocte sumi de damnato pœna non solet reo.
Non inauditus perivit, qui palam fuit malus.
Non medicina, verùm clades, plurium punitio est.
Non meretur ille pœnam qui mereri se putat.
Non potest plecti ut meretur jure grandius scelus.
Non sat est punire sontes, præmiis orna & bonos.
Non tam pœna præsens torquet, ac pœnæ exspectatio.
Non vexat censura corvos sed columbas alites.
Nulla legum atrocitate hominem à malo deterreas.
Nulla mortium quam quæ per ignem fit velocior.
Nulla pœna præmiumve fingat è malis bonos.
Nulla ubi pœna est malorum, ibi esse non licet bonis.
Ob genus nex non injusta est: est ob innocentiam.
Ob priores mitigetur pœna subsequentium.
Obviam itur haud pusillis pestibus, sed grandibus.
Occidátne morte simpla criminosus multiplex?
Omnibus minimè assignanda culpa, unius quæ fuit.
Optima in malis profectò res est pœna terminus.
Plurimis cruenta mens est, pura sit licet manus.
Plus punitur qui delinquit clanculum, quàm qui palam.
Pœna deprendet scelestum sit licet claudo pede.
Pœna etiam gravium noxarum fine vita solvitur.
Pœna grandior videtur, quæ à miti venit viro.
Pœna grandis, vita iniqua est, fine qua caret sui.
Pœna nunquam adhuc reliquit debitum noxæ caput.
Pœna pertinet ad exemplum: vix ad noxam pertinet.
Præmio pœnaq; quamvis contines rempublicam.
Prærogativa ampliorem procreat culpam amplior.
Pravitatem usq; usq; puni, non & infortunium.
Provocat delicta, pœnas qui minores irrogat.
Provocant malum ad majora qui pusilla haud puniunt.
Publicitus terras in solas hinc deportetur scelus.
Publicum malum, jus ac fas vindicari publicè.
Publicum violatum iniquè sanguine unius eluas.
Puniendus cui male facta plura, facta quàm bene.
Puniuntur scelera, quamvis subsidant citra exitum.
Quæ facis naturâ, pœnis nusquam sunt obnoxia.
Qui peccarunt, semper pœnam versari ante oculos putant.
Qui repugnat, duplicatas in se plagas excitat.
Qui statim punit nocentem, plures dein fieri vetat.
Quo quis plura novit, pœnas & majores sufferat.
Rebus adversis delicta quis puniret militum?
Retia haud tenduntur vulpi: morsibus perit canum.
Rutilius ne plectitor, si Æmilius aliquid fecerit.
Sæpe dum falsum punitur incidimus verum in scelus.
Sæpe usu magis salubris pœna misericordiâ est.
Septies percussa debet morte aliquid plus perpeti.
Si perpendis quæ merearis, meritis levius plecteris.
Sit licet lentus, venit tandem adscriptus pœnæ dies.
Solvere haud decet profundis sceleribus pœnas breves.
Spiritus armare exemplo impunitatis, pessimum est.
Supplicium nullum merentur quæ cavere non potes.
Supplicium nullum meretur qui legitimè quid facit.
Tam malum est dimittere sontem, quàm punire innocentẽ.
Tempus an ullum est perire quo nocens non debeat?
Tutius chordas remittere est lyræ quàm intendere.
Vir malus, membrum ut caducum, segreget se civibus.
Vis malos punire summè? absq; pœna linquito.
Vix vigent pœnæ severa temporum absq; infamiâ.
Vnicum reum coërce: mille mille corrigas.
Vt mea pœna sit, item oportet esse delictum meum.
Vt pœna eximis reum, haud unà eximisq; infamia.

¶ JAMBICA.

Æmilius fecit: at Rutilius plectitur.
Ætas minor majore levius plectitor.
Aliquando mors pœnarum vel levissima est.
Aliquando pœna, facinus dum monstrat, docet.
Aut impetu, aut casu, aut studio delinquitur.
Bis puniendus factus è bono malus.
Bonis saluti est quisquis punit improbos.
Cædi interesse filij patrem, impium est.
Crescentibus delictis pœna se erigit.
Culpam antecedit semper pœna quamlibet.
Dedecoris haud est ostracismus: gloria est.
Delicta atrocia atroces pœnas postulant.
Delicta patrum haud transeunt in filios.
Dilata pœna, bis nocet innocentiæ.
Diuturna non est pœna, ferri quæ nequit.
Emollias pœnam magis quam exasperes.
Est culpa, pœnæ anteambulo non subsequa.
Etiam bonorum à pœnâ publicatio est.
Etiam eguerunt liberi Themistoclis.
Et multi vitam mortis titulo consecrant.
Extrema non timentur, cum jam certa sunt.
Fecisse, facta summa pœna injuria.
Frustra favorem carnificis quærit reus.
Fullonem ubi ferire vis, faber cadit.
Gravitate pœnæ, compensatur tarditas.
Haud constituta pœna improvidentia est.
Ibi esse oportet pœnam, ubi est & noxia.
Ibi esse pœna debet ubi ipsa noxia est.
Id demum est homini turpe, quod meruit, pati.
Indomitum equum duro coerceas lupo.
Lex nulla nata punit innocentiam.
Magnum nefas est pro altero plecti alterum.
Malis mori ipse quam punire innoxium.
Malo unico punito mille corrigas.
Medicus dolores tollit & doloribus.
Mitissime punitur imprudentia.
Mos est ibi puniri ubi delinquimus.

Multos coërcet pœna unius improbos.
Nemo bis ob delictum idem pœnas luat.
Nemo hominum agens injustè pœnas non luit.
Nemo nocens sibi ipse pœnas irrogat.
Nemo sui luit pœnam infortunij.
Nequitia cuiq; pœna magna sat sua est.
Ni facient quæ illos æquum est, haud sic auferent.
Nodo malo malus quærendus cuneus.
Non omnium pœnæ pares sunt criminum.
Nullus potest puniri homo vitâ innocens.
Palam improbi, jam sunt damnati ab omnibus.
Patri benigno paululum pœnæ sat est.
Perdendus haud est, corrigendus sed malus.
Persæpe pœna vim naturæ corrigit.
Persæpe pœnam prævenit pœna metus.
Plectatur is qui injuriam intulit prior.
Pœna affici æquum est quemvis insanabilem.
Pœna ei sua est, cui carnifex conscientia est.
Pœna satiat mites, pœna irritat truces.
Pœnæ haud solent, depensæ ubi sunt, reppeti.
Pœnæ minaq; salutigeræ mortalibus.
Pœnæ unius ferè metus fit plurium.
Pœnam haud luat quem culpa nulla contigit.
Pœnas tua statim luis dementia.
Ponenda pœna sceleribus ultima ultimis.
Puni malum unum, & mille corriges malos.
Puni malos, imò & malorum conscios.
Punire quamvis justè, & execrabile est.
Quæ corporis pars peccat, & pœnas luat.
Quæ vindicantur sæpe, fiunt sapius.
Quædam facilius abscindas quam temperes.
Quem terra nec fretum recepit, pendeat.
Qui perdit hominem ob bestiolam, jam hominem exuit.
Quos culpa jungit, pœna iniquè separet.
Radice sublata illicò stirps interit.
Revocare pœnam præsidi haud licet suam.
Reges boni pœnas ferè dant cùm exigunt.
Ruina lapsis una sufficit sua.
Semper suæ par esto pœna noxiæ.
Sentit nocens prius carnificem quàm videt.
Serò potius nequitiæ, quam nunquam obvies.
Serò potius obstes, quam nunquam, audaciæ.
Vnius ob culpam malè omnes punias.
Vnum malum quam multos melius est pati.
Vrbi salutem sontium fert ultio.

Pœnitentiæ.

§ Sententiae Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Voluntarie enim peccantibus nobis, postquam acceperimus agnitionem veritatis, non amplius relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicij, & zelus ignis, qui est devoraturus adversarios. Continuæ autem & se vicissim excipientes propter peccata pœnitentiæ, nihil differunt ab iis qui omnino non crediderunt, præterquam in eo solo quod se peccare senserunt: neque scio utrum sit deterius, prudentemne ac scientem peccare, an cum pro iis quæ peccavit pœnitentia ductus fuerit, rursus peccare. Eo enim quod utrinque arguatur peccatum apparet: illud quidem condemnatum, propterea quod factum sit ab operario iniquitatis, hoc vero, ab eo qui præscit id quod est faciendum, aggrediente ut malum. Et ille quidem iræ fortasse & voluptati obsequitur, non ignorans quibus gratificetur: hic autem qui cum ductus sit pœnitentia, propterea quod sit gratificatus, deinde rursus recurrerit ad voluptatem, ei conjungitur qui ab initio peccat voluntarie. Cujus enim ductus est aliquis pœnitentia, hoc rursus faciens, quod à se condemnatum facit, hoc sua sponte peragit. *Lib. 2. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Qui enim eorum quæ fecit, ducitur pœnitentia, non amplius facit vel dicit. Propter ea autem quæ peccavit torquens animam, bona facit. Remissio ergo peccatorum differt à pœnitentia: ambo autem ea ostendit in nostra potestate. Eum ergo qui accepit remissionem peccatorum, non oportet amplius peccare, nempe in prima & sola peccatorum pœnitentia: ea autem fuerit eorum quæ prius fuerunt in gentili & prima vita: ea inquam, quæ fuit in ignorantia. *Lib. 2. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Omni vitio carere, hominis modulum excedit, soliusque Dei est (nihil enim de Angelis dico, ne vitiosis affectionibus occasionem demus, atque improbis contentionibus fenestram aperiamus:) perditè autem & incurabiliter ægrotare, pravæ illius & adversariæ naturæ, atque eorum, qui ab ea afflantur: at verò post peccatum ad meliorem mentem redire, hominum esse, verum proborum, & qui ex ea classe sint, quæ salutem consequitur. Nam etsi pulvis hic improbitatis aliquid secum trahit, ac terrenum hoc tabernaculum mentem sursum tendentem, aut certe ad hoc creatam, ut rursum tendat, deprimit: at imago tamen limum repurget, ac conjugem carnem, rationis pennis sublevatam, in sublimi collocet. Melius quidem nobiscum ageretur, si nec huiusmodi purgatione opus haberemus, nec omnino purgati fuissemus (integra videlicet atque incolumi nobis manente dignitate illa, ad quam etiam per huiusce vitæ disciplinam properamus) nec per amarum peccati gustum à vitæ ligno excidissemus: at illud item melius ac præstantius est, ut, cum peccamus, in nos animadvertatur, quàm ut labentes minimè castigemur. Quem enim amat Dominus, castigat, paternæque benevolentiæ argumentum est increpatio: contra, omnis anima, quæ admonitionis & castigationis expers est; incurabilis manet. Quocirca non grave est plagis affici, sed plaga meliorem non fieri gravissimum & acerbissimum est. *Oratione 15.*

D. Greg. Nyssenus: Nos verbis quidem pœnitentiam pollicemur, factis verò nihil studij laborisque præstamus: sed eadem vivendi consuetudine utimur qua prius; eadem in vultu hilaritas, idem in corporis cultu victuque splendor. somno ad societatem usq; indulgemus, negociis & occupationibus, animo sedulitatis oblivionem inducimus: pœnitentiæ nomen inane duntaxat, & nullũ expressum factis retinemus. Si regiæ mensæ particeps, ab eo honore ob crimẽ aliquod excidisses, quantam pecuniæ vim expenderes, ut in Regis gratiam redires, ut honorem pristinum redimeres? quorum autem fores supplex, hæsitans, dolens, frequentares? vitam profectò ipsam tibi acerbam duceres, squalore, & luctu, & vultus dimissione dolorẽ animi præ te ferres: omnem denique ut ajunt, moveres lapidem, ut ab ea te calamitate liberares. Nunc autem quia Dei est sejunctus amicitia, & verè sublimem illam dignitatem amisit, quem laborem impendit, quod studium adhibet, quid eximium gerit; quo demissum, humilem, afflictum animum ostendat? Non est consentaneũ, ut qui se ægrotare confitetur, eadem victus ratione utatur, qua illi qui prospera sunt valetudine. alius ægrotantis, alius valentis est vivendi modus, ille pro arbitratu suo vivit, quocunque vult proficiscitur, omni officio ac munere liberè fungitur: hic autem in angusto jacet cubiculo, procul ab omnium consuetudine, omnibusque negotiis remotus. Agriculturã omittit, licet eius antea studiosissimus. cumulandæ pecuniæ curam abiicit, quamvis ad rem, uti mercator, attentior. Qui cõviviis olim magnificis & Sybariticis delectabatur, aqua nunc & panis frustulo vescitur. non liberis operam dat, non uxoris utitur consuetudine, die illi noctuque res est cum medicis, quos magnis præmiis accersit, ut eorum opera convalescat. hæc qui corporis morbo laborat. Tu verò cuius animus æger est, cur non ad medicum properes, cur non ei confitendo morbum ostendis tuũ? quid pateris? ut depascatur? ut superetur? ut inflammetur? Tandẽ aliquando resipisce, ac te ipsum nosce. Deum offendisti, procreatorẽ tuum irritasti, eum qui & præsentis vitæ potestatem habet, & futuræ dominus ac judex est. Deliciis indulgens, in morbum delapsus es: eum mediis & jejuniis cura. animus laborat incontinentia; adhibeatur temperantiæ medicamentum. multiplici ac nimia pecuniæ cupiditate in febrim incidisti, liberalitate & eleemosyna depellatur: hæc enim est nimiæ expletæ mentis curatio. Læsit te rerum alienarum direptio: quæ rapta sunt ad proprios dominos revertantur. Mendacium te proximè duxit ad interitum: veritatis studio periculum evitetur. Quid enim aliud est pœnitentia, nisi dissolutio & eversio præteritorum, quæ vel re, vel cogitatione sunt admissa? *Oratione de acerbe alios judicantibus.*

Chrysostomus: Qui postquam peccavit usus est pœnitentia, non est dignus qui lugeatur, sed qui beetur: ut qui migrarit in locum justorum. Dic enim, inquit, prior tuas iniquitates, ut justificeris. Si autem postquam peccavit est impudens: nõ est tam miserabilis eo, quòd ceciderit: quàm quòd jaceat, cùm ceciderit. Si autẽ grave est, propter peccata non pœnitere: propter peccata intumescere, quantum meretur supplicium? Nam si is, qui propter rectè facta extollitur, est immundus: qui propter peccata extollitur, quamnam veniam consequetur? *Homil. 11. ad Cor. 1.*

Chrysostomus: Præoccupemus faciem ejus in confessione: ne si hinc excesserimus inexcusabiles, extremum subeamus supplicium. Nam si in vita præsenti qualecunq; studium & diligentiam ostenderimus, maximum lucrum faciemus. Sin autem cùm heic fuerimus, meliores non excesserimus: etiamsi vehementiori illic ducamur pœnitentia, nihil nobis proderit. Oportebat enim intra septa manentem decertare, non postquam spectaculum sit solutum lamentari & flere inutiliter. Quod quidem faciebat etiam dives; lamentans quidem & ejulans, sed frustrà & temerè, quandoquidem despexerat illud tempus quo hæc fieri oportebat. Non ille autem solus, sed multi quoq; nũc sunt illi similes: qui pecunias quidẽ nolũt despicere, animam autẽ despicient pro pecuniis. *Homil. 23. ad Cor. 1.*

Chrysostomus: Qui seipsum condemnavit: duplici ratione Deum placat, & quod peccata agnoverit, & quod in futurum sit tardior. *Homil. 28. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus. Non ex scelerum tantum natura, sed & eorum etiam animo atq; affectione indicenda pœnitentia: quemadmodum fecit Apostolus in eo qui assuerat novervæ, quod ipsius imbecillitatem extimesceret. *Homil. 4. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Cùm peccatum admisimus: animum conteramus, nec verba duntaxat proferamus. Siquidem complures novi, qui se quidem peccata sua deflere ajunt, at interim nil magni operantur: verùm jejunant illi quidem, ac vestes asperas gestant: cæterùm majori pecuniarum cupiditate flagrant, quàm caupones: ira magis corripiuntur, quàm feræ: atque obtrectatione magis, quàm alij laudationibus delectantur. Pœnitentia ista non sunt. Pœnitentiæ larvã atque umbra ista sunt, non pœnitentia. *Homil. 4. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: An non vides, quemadmodum in splendidis ædibus, ii qui dedecore atque ignominia affecti sunt, cùm etiam ab infimis quibusque servis contumeliam accipiunt, non tamen colluctentur: sed ob infamiam eam, quam peccatum ipsis inussit, æquo animo id ferent. Cura igitur ut idem quoque facias. Si quis te convitijs insectetur, ne exasperéris, sed ingemiscas: non ob illátam tibi contumeliam, sed ob peccatum quod te in ignominiam conjecit. Cum peccaveris ingemisce: non quòd pœnas daturus sis (nihil enim hoc est) sed quòd dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, ut filium quoque suum tua causa tradiderit. Ingemisce igitur, neque unquam id facere intermitte. E enim hoc demum est confessio. Non nunc lætum, cras autem mœstum, ac rursum lætum te præbe: verùm perpetuo in luctu ac tui contritione mane. Beati enim, inquit, qui lugent, hoc est, qui assidue hoc faciunt. Itaque sic te compara, ut semper hoc facias, tibique ipsi animum intendas, ac pectus tuum conteras: non secùs ac si quis amisso filio unicè charo in luctu versetur. Scindite enim, inquit, corda vestra, & non vestimenta vestra. Porrò, quod fractum est, haudquaquam se in altum extulerit: quod contritum est, haudquaquam exsurrexerit. Ob eamque causam alter ait, Scindite: alter autem, Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Quantumvis sapiens sis, quantumvis dives, quantumvis princeps: pectus tamen scinde, nec ipsum altum de se sentire atque inflari sine. Nam quod scissum est, non inflatur: atque ut etiamsi aliquid sit à quo extollatur, tamen quia scissum est, inflationem ferre nequit. *Homilia 4. ad Corinthios. 2.*

Chrysostomus: Quomodo in medicorum adjumentis, est medicamentum, quod multas quidem capit herbas, sed unam quæ obtinet principatum: ita etiam in pœnitentia, eleemosyna ipsa est herba quæ principatum magis obtinet, & ipsa facit universum. *Homilia 9. Epist. ad Hebræos.*

Basilius Seleuc. Hæc veræ pænitentiæ indicia, lugens anima, plorantes oculi, improbitatis correctio, impietatis fuga, carnis contritio, animi contractio, injustitiæ desertio. *Oratione 12. m.*

Idem: Pænitentia pænitentiam genuit. homines immutantur: & Deus consilia retractat. O divinam clementiam, ad quantam dignitatem evexit pænitentiam! homines lachrimantur, & Deus immutatur, lugent mortales, & decretum solvit immortalis. *Ibidem.*

Basilius Seleuc: Quam multi quotidianis offensionibus in iram me accuunt? quàm multi peccatorum incentivo legibus meis injuriam faciunt? Hic pecuniarum raptiones adornat: alter proximo dolos texit: alius alienas nuptias spoliat: alius lites consuit jus deprædans, alius ex perjurio divitias corrogat: alius, animum ad alterius cædem intentumidum habet, lingua adulatur, alius invidiæ jaculum immittit in proximum; alius damnum intulisse gloriæ ducit, & injuriam potentiam reputat. At venite omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. In me dumtaxat propensi estote, & curationem referte: apud vos crimina, apud me medicamenta: apud vos vulnera; apud me pharmaca. Solum pænitentiam quæro, & hulcus sano: Ostendite mihi mutatos mores, & à molestia este liberi. Mosaica quidem lex ad creata singula gladium intentat, cum terrore morti adjudicat, & devotionis sententiam mox ipsa infert, nescit ullam sceleris remissionem, pœnitudinis lachrymas aversatur, simul cum prævaricatione prævaricatorem tollit. Ego verò peccatum quidem odi, peccatoris autem facti pœnitentis me miseret, & si lachrymas fluentes videro, debitum remitto, quæ inspicio malefacta, dum morum conversionem respicio, despicio, & præsentem offensionem oblitero: dum spem de futuris facinoribus concipio, factis subsecuturis priora extero. *Orat. 29. m.*

Basilius Seleuc: Pœnitentium arma, ira Dei valentiora. *Oratione 13. m.*

S. Isidorus Pelusiota: Ne dum per inficiationem id aucuparis, ut minimè errasse videaris, in aliud peccatum incidas (nemo enim malo malum curat, incredibilis enim cujusdam absurditatis hoc quidem etiam apud externos ac prophanos esse censetur:) verum per pœnitentiam allata peccato medicina in eum statum te adducas, ut non iam ampliùs pecces. *Lib. 1. epist 145.*

Isidorus Pelusiota: Si Dei patientiam ac lenitatem contemnis, ô miser, saltem præsentia te commoveant. Multi enim ad futura cæcutientes, hujus vitæ suggillationes vitant. Quòd si & hæc & illa pro nihilo ducis, & hic tui risum, & illic fletum commovebis. *Lib. 1. epist. 184.*

Isidorus Pelusiota: Si cælum libri instar convoluitur, & astra cadunt, & Orion ac terra, & omnia quæ ipsius complexu coercentur, igne conflagrant, cunctaque nuda & aperta magno illi Dominicæ præsentiæ diei præparantur: ecquid ipse incuria laboras, ac non, ut rationes redditurus, te præparas, verùm ut criminum expers, atq; incognitus futurus, pœnitentiam differs? Vide igitur ne tum denique tibi in mentem veniat pœnitentia, cùm desperationi soli locus erit. *Lib. 1. Ep. 188.*

Isidorus Pelusiota Nam alioqui pœnitentiæ lacrymæ non modo reprehensione carent, verùm etiam Deo, thymiamatis instar, gratæ ac jucundæ sunt. *Lib 1 epist. 200.*

Isidorus Pelusiota: Si Deus malorum author est, quî fit ut super se pluat ac solem oriri faciat, atque ad senilem usque ætatem hîc tibi vitam prorogarit, qui multis mortibus jampridem dignus eras? verùm ob ipsius misericordiam ad hoc usq; ætatis, pœnitentiæ ac resipiscentiæ causa, servatus es *Lib. 1. epist. 240.*

S. Isidorus Pelusiota: Longè quidem pulcherrimum est, non peccare, atque à Deo non procul remotum. Pulchrum autem illud quoq; est cùm in peccatum lapsus sis, pœnitudine duci, acquâ primùm è lapsu exurgere. Quoniam igitur à priori, ut quod vires tuas prorsus superaret, excidisti, posterioris, ut quod nec vires tuas excedat, nec difficile sit, curam gere: ne alioqui desperatio tyranni cujusdam instar, te in captivitatem trahat. *Lib. 1. epist. 381.*

S. Isidorus Pelusiota: Præclara quidem & laude digna est pœnitentis animi resipiscentia: sed pauci eam consequi possunt. Deus igitur, qui nos vitam per resipiscentiam obtinere vult, de pectore tuo aquam educet, quæ tibi pro altero quodam lavacro sit, ac voluntaria piscina, conscientiam tuam ab inquinamentis repurgans: ut Angelis, quos peccando in mœrorem conjecisti, lætitiæ causam præbeas. *Lib. 1. epist. 408.*

S. Isidorus Pelusiota Male feriata, & in turpibus rebus occupata impiorum hominum audacia & amentia nihil divinarum rerum contumeliæ expers relinquit. Quoniam igitur quæstiones quoque nunc abs te propositæ ejusdem sterilitatis segetes sunt, omissis illis vera audi. Hæc verba, pœnitet me quod unxerim Saulem in regem, divinam prænotionem haudquaquam traducunt, nec ipsius ignorantiam, absit. verùm singularem atque incredibilem quandam ejus misericordiam, & humanitatem ostendunt. Quoniam enim, inquit, Hebræi quidem ut qui regem poposcissent ac me repudiassent, animadversione digni erant, at non ita ut in eos animadvertit Saul regiam dignitatem consecutus, idcirco tum illorum vicem dolet, ut qui gravibus incommodis affecti sint, tum hujus quoq;, ut qui sævum & acerbum se ipsis præbuerit. Quapropter in illorum animum ac voluntatem culpa conferenda, non in ejus qui eorum petitioni cessit, benignitatem. *Lib. 1. epist. 439.*

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidem divina providentia, quò magis suæ salutis prodigos eos, qui peccant esse conspicit, eò magis ipsorum saluti consulit, idcirco regio & humano lenitatis præconio utens, clamat, pœnitentiam agite: appropinquavit regnum cælorum. Quòd si ij, qui peccant, admonitionem hanc contemnentes ac pro nihilo putantes, lenitatem hanc, ut incuriam, damnarint, fortasse quidem in hac quoque vita, prorsus autem cùm vindicandorum scelerum tempus advenerit, non jam iis parcet, qui sibi ipsis parcere recusarunt, verùm acerbissimas ab iis, à quibus ipsius lenitas contempta est, pœnas exiget. Eoque spectat illud Scripturæ, quod ex me intelligere cupiisti, Tacui, num etiam semper tacebo, ac sustinebo? Emovebo atque exsiccabo simul. Æquum est enim eos qui nullam ex tanta lenitate utilitatem acceperunt, verùm ab ea graviorum scelerum occasionem traxerunt, divinæ iustitiæ supplicijs atque tormentis constrictos teneri. *Lib. 2. epist. 222.*

S. *Isidorus Pelusiota:* Præstat quidem, integram & incolumem, atque ab omni perpessione liberam animi pulchritudinem habere. Sin autem eam conservare difficile sit, at saltem in parvis quibusdam & quæ facilè sanari queant, ac non in gravissimis & lethalibus detrimentum accipere. Neque enim, quia pœnitentiam divino munere nobis concessam esse, audis, idcirco ad peccandum progredere, tanquam omnino sanitatem adepturus: verùm illud scito, primùm quidem multos, nec pœnitendi quidem spatium habuisse, ut qui inter ipsa flagitia pœnas persolverint. Deinde pœnitentiam diuturno tempore vitia curare solere. Nam & laboribus & jejunio & vigilia & eleemosyna & precibus, atque omnibus id genus rebus opus habet, ut contracta vulnera sanentur. Tertiò illud cogitandum est, quòd, etiamsi persanentur, tamen morbum cicatrix prodit. Neque enim idem est integrum corpus, & sanatum, neci dem vestis integra & discissa: etiamsi alioqui artificio quodam eò adducta esse videatur, ut scissio non facilè deprehendi possit. Atque ut etiam in pristinam pulchritudinem asseratur, non tamen leviter, ut dixi, in integrum restituitur; sed cum innumeris laboribus, & luctibus ac tormentis quæ anima ea, quæ in peccatum prolapsa est, sibi ipsi accersit. *Lib. 3. epist 157.*

Isidorus Pelusiota: Quandoquidem ij, qui mala dogmata severunt, morte graviorem cruciatum, his, qui fidem ipsis adhibuerunt, pepererunt, saluberrimi medicamenti loco sit iis, qui sauciati sunt, pœnitentia & resipiscentia. *Lib 3. epist. 269.*

Synesius: Quamquam supremum illud demum malorum est, ne præsentis quidem mali sensum ullum percipere: eorumque proprium est, qui emergere nequaquam cupiant: Sicut callosa durities, quòd dolorem nullum amplius pariat, curationis ac salutis memoriam nullam adfert. Ideo extrahendi è malis vim habet pœnitentia. Quisquis enim ea molestè fert in quibus versatur; inde se omni ope subducere nititur, maximaque purgationis pars est voluntas, hinc enim & quæ fiunt & quæ dicuntur, dextram, ut ita dicam, porrigunt. Quæ si perfuerit animæ expers est quælibet expiatrix cæremonia, utporè quæ præcipuè compacto consensuque mutilata sit. Propterea hîc & illîc maximam, ac præcipuam ad universi ordinem opportunitatem præbent, aptæ bonorum malorumque temperationes, quæ molestiam vicissim afferunt, & à stolida lætitia animam repurgant, ac calamitates eæ, quæ præter meritum accidere dicuntur, plurimum momenti habent ad dissolvendam affectionem eam qua infimis rebus adhærescimus.

Nimirum per hæc prima in eos qui mente præditi sunt providentia invehitur: per quæ ij qui mente carent persuadere sibi nequeunt posse animam unquam, quæ nihil adversi hisce in rebus experta sit à materia revocari. ob id ingentes illas ac celeberrimas felicitates putandum est ad animarum insidias ab inferorum præsidibus Dæmonibus esse comparatas. *Libro de Insomniis.*

¶ LATINORUM.

Chrysologus: Hæc est Christi magna, larga, , sola misericordia quæ judicium omne in diem servavit unum: & homini totum tempus ad pænitentiæ deputavit inducias, ut quod de vitiis infantia suscipit, rapit adolescentia, invadit juventus, corrigat vel senectus: & de peccato vel tunc pœniteat, quando sentit jam se non posse peccare: & tunc saltem reatum deserat, quando illum reliquerit jam reatus: faciat de necessitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine. *Sermone 42. m.*

Chrysologus: Et nos fratres, qui de voluntate meritum non quæsivimus, acquiramus vel de necessitate virtutem: ne judicemur, judices nostri simus: pœnitentiam debemus nobis, ut possimus nobis auferre sententiam. Prima est felicitas, perpetua innocentiæ securitate gaudere, inviolatam servare mentis & corporis sanctitatem: nulla immunda mundi inquinamenta sentire, reatus conscientiam non habere, vulnera nescire peccati, gratiam semper possidere virtutum, semper sub spe vivere cælestium præmiorum: sed si quo forte nostra mens jaculo fuerit confixa peccati, si caro tumescat ex crimine, si vitiorum sanie fragilitas humana corrumpatur: tunc ægris illa, quæ sunt sanis, pœnitentiæ medicina succurrat, ferrum compunctionis accedat, apponatur adustio tunc doloris, adhibeantur suspiriorum tunc fomenta, tumentis conscientiæ fervor evaporet: tunc reatus hulcera lachrymis abluantur, immundiciam corporis cilicia tunc detergant. Ferat, ferat amaram pœnitentiæ curam, qui servare debitam noluit sanitatem. Cui vita sua chara est, dura nulla est cura: medicus non sit ingratus, qui per dolorem revocat ad salutem. *Sermone 167. m.*

Chrysologus: Semper quidem cum perdita reperimus, novum capimus cumulum gaudiorum: & est jucundius nobis invenisse perdita, quàm non perdidisse servata. *Sermone 168. m.*

Ennodius: Nunquam est sera correctio. multis gradibus recursus est ad salutem: præter desperantem nullus excluditur. fructus veniæ, est proximus coronæ. *Apol. pro. Synodo.*

Io. Sarisberiensis: Dein Saul ad increpationis Samuelis crimen inobedientiæ, sub prætextu religionis maluit excusare, quàm dolere per pœnitentiam, quæ secunda tabula post naufragium, relicta est peccatori. *cap. 27. libri 2. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Deum nulla excusatio flectit, nisi cum quis proprio judicio accusatur: Nihil movet ad veniam, nisi cum nocens nudam detegit culpam. Misericordiam nihil admonet, nisi cum animus charitate succensus, in se ipso conteritur. Nihil persuadet propitiandum esse, nisi cum mens manum operis extendit ad satisfaciendum. Si quis enim fatetur culpam, inutilis est confessio, nisi satisfactionis animo, currat ad veniam. Peccavi, inquit Judas, tradens sanguinem justum. Fuit itaque vera usquequaque confessio: sed inutilis, quia potius cucurrit ad laqueum quem meruerat, quam ad fontem misericordiæ quam demeruerat, & obstinationis suæ duritia præcluserat sibi. Eum tamen pænituit fecisse, quod fecerat, sed non eo devotionis affectu, qui lapidem adjutorij sufficeret emollire. Pœnitentia siquidem ductus laqueo se suspendit. Vitam ergo digno finivit supplicio: sed quia malitiam non correxit, veniam sibi nullo salutis procuravit remedio. Sic enim & apud inferos scribitur esse stimulus pænitudinis, licet nulla sit correctio pravæ voluntatis. *Lib. 2. cap. 27. Policratici.*

¶ PRINCIPUM GRAECORUM.

Brutus Pergamenensibus: Dolobella nobis quidem hostis: at vobis amicus est, quem in omnibus ejus conatibus contra nos susceptis, ope vestra juvatis. Quid verò maneat illos aliud, qui conspirationem cum ipso fecerunt, quàm ut subacti captique hostili modo tractentur. Neque enim pœnitendi locus est iis concedendus, qui non antequam omnibus viribus exhausti destitutique sint, pœnitudine ducuntur. *Epistola. 7.*

Pergamenenses Bruto: Amicitiæ quæ nobis intercedit cum Dolobella tu caussa es, qui tam serò literas mittas. Etenim necesse est ejus mandatis obedientiam reverentiamque præstare, antequam habeamus, ad quem confugiamus ac declinemus. Pœnitudinem verò in posterum ne eripias iis, qui licèt, tardè, at cùm potestas data est, quicquid per ignorantiam est commissum, corriguntac emendant. *Epistola 8.*

Iulianus Cæsar Paneg. 3. in Constantium: Quotquot belli hujus administros Tyrannus habuit, horum omnium mors ipsa manifesta, neque obscurum exilium, aut nonnullo etiam pœnitentia fuit. Plerique enim ad Imperatores supplices venerunt: ab eoque omnes veniam consequuti sunt, qui hac in parte Thetidis filium magnanimitate superavit. Hic enim Patroclo extincto ne vendere quidem quos in prælio ceperat amplius volebat; sed supplices, atque ad genua provolutos necabat. Noster verò impunitatem proponebat omnibus, qui conjurationem ejurare vellent, non modo extremi supplicij, vel exilij, vel pœnæ cujusvis alterius metum auferens; sed insuper quasi ex maximis ærumnis, atque infelici cum Tyranno vita pristinum in statum, atque in integrum restituens.

Iulianus Imp. in Cæs. Loquitur Alexander Magnus: In eos qui non habita temporis ratione deliquerant in me, & supplicio affecti fuerant, secuta est pœnitentia, prudens valde & eorum qui erraverunt, & lapsi sunt, servatrix Dea.

Libanius: Multi sæpe à juventute culpis obnoxia ad adulteriorem ætatem provecti, virtute admirationem excitaverunt. Ac veluti in dramate ornatu mutato, ita moribus commutatis, alij ex timidis fortes visi sunt: alij ex incontinentibus temperantes: quidam ex audacibus æqui & modesti; nonnulli ex ignavis gnavi & seduli: alij denique lascivis moderati; & iis, ob quæ ante carpebantur abjectis, ad bonam frugem redierunt: atque inter bonos & de civitate optimè meritos habiti sunt, propter ea quæ pro patria præstiterunt. *sub finem Declamationis quadragesimæ primæ.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 1. de rebus suis.

—— animæ vitiorum sordibus atræ
Munere nulla Dei melior concessa medela est
Quam fletus, tristisque cinis, saccique prementis
Asperitas.

Prudentius Psychomachia 5.

Pœniteat, per si qua movet reverentia summi
Numinis, hoc tam dulce malum voluisse nefanda
Proditione sequi. si pœnitet haud nocet error.
Pœnituit Ionathan jejunia sobria dulci
Conviolasse favo sumpto, mellisque sapore.
Heu, male gustato regni dum blanda voluptas
Oblectat juvenem, juratoque sacra resolvit.
Sed quia pœnituit; nec sors lacrimabilis ulla est;
Nec tingit patrias sententia sæva secures.

¶ APOLOGI.

De Urso, qui uxori oculum eruit. Fab. 147.

Ursus dum fortè cum uxore rixaretur, oculum illi eruit. Sed postea pœnitens, tanto dolore affectus est, ut ungues sibi mordicus præcideret. Deinde quum inter loquendum diceret, præ suo in ursam amore, se propriis armis exuisse. Quid, inquit uxor, istud mihi luscæ nunc prodest? Antequam oculum mihi erueres, istud faciendum fuit.

Fabula indicat, post illatas injurias seram esse pœnitentiam, quũ facta infecta fieri non possunt. Abstemius.

¶ APOPHTHEGM. SACR.

D. Augustinus: Dicere inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum Baptismum etiam laudatos Christianos & sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit, ultima qua defunctus est ægritudine. *Possidonius, in vita Augustini, cap. 30.*

Chrysostomus. Chrysostomo, pœnitentiæ doctrinam introducenti, atque ita dicenti, Vel decies millies per pœnitentiam resipiscens Ecclesiam ingredere, Sisinnius Episcopus Novatianus respondit, Paratus etiam ego sum pœnitentem admittere; modò deinceps similibus per peccatum non circumveniatur malis. *Niceph. eccl. hist. lib. 12. cap. 36.*

Idem. Si millies lapsus pœnitentiam egeris, in Ecclesiam ingredere. *Socrat. hist. eccl. lib. 6. cap. 19.*

Theodosius. In templum admissis, solutis excommunicationis vinculis, Imperator Theodosius, supinus in terram cadens, & supplex humili voce ad Dominum clamavit, Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum. *Niceph. eccl. histor. lib. 12. cap. 41.*

David. Quum ambitione impulsus Israelem omnem jussisset numerari, resipiscentia deinde ductus dixit ad Jehovam, *Peccavi valde in eo quod feci: sed nunc, Iehova, transfer quæso iniquitatem servi tui, nam stultè egi valde.* Gadi autem prophetæ tria Dei flagella proponenti & responsum petenti, dixit, *Angustia est mihi valdè: incidamus quæso in manum Iehovæ: nam magna sunt miserationes ejus: in manum autem hominis ne cadam.* Itaque posuit Jehova pestem in Israele, &c. *2. Samuel. 24. 10. 14.*

Idem. Vide Angelum Dei qui percutiebat populum Israeliticum, conversus ad Iehovam dixit, *Ecce ego peccavi, & ego iniquè feci: hi autem, hæ oves quid fecerunt? sit quæso manus tua contra me & contra domum paternam meam.* 2. Samuel. 24. 17.

Idem. Ejusdem post adulterium & homicidium illud nefandum in historia sacra reperitum seriò resipuit, & animi angores ac fidem misericordiæ Dei incumbentum testatus est. *2. Sam. 12.* & divino illo Psalmo quinquagesimo primo.

Roboam & Principes Iehudæ. Semaja propheta veniens ad Roboamum ac principes Iehudæ, qui congregati erant Hierosolymis metu Sisaki regis Ægyptij, dixit eis, *Sic ait Iehova, Vos dereliquistis me, ideo ego quoque derelinquo vos tradendos in manum Sisaki.* Tum deprimentes se principes & rex, dixerunt, *Iustus est Iehova.* Quod cum videret Deus, tunc misertus est eorum, &c. *2. Chron. 12. 5. 6.*

Princeps & Seniores Iehudæ. Audito Ieremia Propheta, innocentiam suam tuente, dixerunt principes & omnes seniores populi ad Sacerdotes & ad prophetas, Nullum est in viro hoc crimen capitale, cùm nomine Iehovæ Dei nostri sit alloquutus nos. Et surgẽtes quidam e senioribus terræ, alloquuti sunt totam congregationem populi, dicendo, Michæas Moraschtites prophetabat temporibus Fzechiæ regis Iehudæ, & alloquebatur totum populum dicẽdo,

Sic ait Iehova exercituum, Sion sicut ager arabitur, & Hierosolyma in cumulos erit, & mons huius domus in excelsa sylvosa. An omnino morte affecerunt illum Ezechias & totus Iehuda? annon reveriti sunt Iehovam, & deprecati sunt faciem Iehovæ, atque pœnituit Iehovam illius mali, quod eloquutus fuerat contra eos? nos ergo facimus magnum malum contrà nos ipsos. *Ierem. 26. 16. &c.*

Daniel Propheta: Prænunciata gravissima Dei sententia adversus Nebucadnezarem, subjecit, Quapropter, ô Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua justitia abrumpe, & iniquitates tuas gratia erga afflictos: si fortè erit prorogatio tranquillitati tuæ. *Dan. 4. 27.*

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Iesus Christus: Demus etiam locum Pœnitentiæ; per quam ij qui culpa sua lapsi, resurgunt ad pristinum nitorem: quamque distulisse semper nocuit. Vultis quanta sit eiusdem necessitas? attendite quid animarum nostrarum Medicus & Salvator ad se venientibus imperârit. Venerant ad eum qui nuntiarent de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus sacrificiis commiscuit. quibus respondens, dixit: *Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* quo loco summam hujus post naufragium tabulæ necessitatem insinuavit. *Luc. cap. 13.*

S. Petrus Apost: Haud secùs Beatus Petrus, quærentibus quibusdam Iudæis, Quid faciemus viri fratres? respondit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm.* Actor. cap. 2.

S. Ambrosius: Nec dispar in Ambrosio fraternæ charitatis adfectus. Theodosium Imp. propter cædem Thessalonicæ factam, ingressu Ecclesiæ prohibebat. Cui, cùm ille David regem homicidam fuisse & adulterum diceret, respondit Ambrosius: *Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem.* Quare impositam sibi ab eo publicam pœnitentiam palàm egit. *Breviar. Rom. 7. Decemb.*

F. Borgia: Non immeritò ergo Franciscus Borgia, percontanti quænam potissima Pœnitentiæ virtus, respondit: *Quod viam in cælum muniat.* Hæc enim est angusta illa porta, per quam jubemur ingredi, quæque ad vitam æternam recto tramite ducit. *In Vita eius.*

Eques Anonymus: Sed ut salutaris ad vitam spiritualem est Pœnitentia, post admissum scelus ilicò assumpta: ita plus æquo dilata, noxia est & abominabilis. cuius rei non pauca supersunt exempla. Narrat Beda fecisse in Anglia equitem, Coenredro Regi mirum in modum familiarem: qui cùm à Rege suæ salutis admoneretur, ac præsertim pœnitentiæ: nunquam acquievit, dicens sibi tempus pœnitendi superesse. Paulò pòst, fatali morbo correptus, dum Rex iteratò instaret de admissis sceleribus pœniteret: *Non iam,* inquit, *ne id metu mortis videar fecisse: ubi sanitatem recepero, spondeo me suæ Majestatis monitis obtemperaturum.* At incautum oppressit mors: & de salute desperans, infelix animam infelicem efflavit. *Beda lib. 5. Hist. Ang. cap. 14.*

Impœnitens Anonymus. Non minùs insipiens ac propriæ salutis contemptor ille. qui animæ suæ prospiceret cohortantibus, dicebat assiduè: *Hacce cura mihi impendat: ego in supremo articulo vitæ, tribus verbis salutem consequar.* At non consecutus est eam, quam optabat. factum enim, ut hiemali aurâ pontem lacerum transiliret: ex quo cùm sibi necessariò cadendum, adeoque intereundum esse videret, tria verba, spei expers, inclamavit: *Capiat omnia Dæmon:* undique obrutus, cùm equo cui insidebat, demergebatur: impiorum vota nunquam exaudiente Altissimo. Providè & cautè hortatur Ovidius:

Sed propera, nec te venturas differ in horas:
Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Th. Staplet. in Prompt. morali.

Vsurarius Anonymus: Quod etiam verè ita se habere præsenti exemplo concludam. Monebat vir pius & religiosus Vsurarium, ut dum ætas tempusque sineret, ad imitationem Zachæi publicani, de injustè acquisitis justè disponeret. renuit. fit æger: instat, ut priùs, alter. At morbo virtutem superante, exclamabat æger: *Pœnitentia ubi es? heu! de cetero pœnitere non valeo, judicante hoc justo judice: qui dum pœnitere potui, non volui.* Spec. exempl. Part. 2. exemplo 215.

Carolus V. Imp. Et hi quidem in re seria, & quæ ad animæ salutem: in alia Carolus Imperator se prodit. Fuerat Hadriano, qui postmodum creatus Pontifex eius nominis VI. commissus adhuc adolescens. Verùm magnitudo rerum & Imperij, tenerum adhuc à studiis abduxerat. Dum itaque Genuæ Oratorem audivisset Latinè perorantem, nec plenè satis cepisset, tristi ore confessus est: *Agnosco nunc maximè, & cum dolore quidem, Hadriani magistri mei divina monita cùm has Latini sermonis elegantias nequeam percipere: ac meminerim prædixisse eum, me puerilis incuriæ pœnas aliquando daturum.* Arbiter horum est *P. Iovius in vita Hadriani VI. Tom. 2.* de Viris Illustr. Ita quàm plures videmus, qui, juvenilibus annis somno jocisque peractis sine honore, jam maturiores effecti,

——— *cùm lapidosa chiragra*
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi iam seri vitam ingemuêre relictam.

Henricus VII. Angl. Rex. Similis etiam pœnitentia, quamvis in re graviore, diu ante Carolum, Henrico VII. Angliæ Regi fuit. dum namque consobrinum suum morte multasset, factique pœniteret postmodum, ac pro alio quodam etiam capitis reo plures è proceribus supplices ad eum accederent, conceptum animo dolorem testatus, ingemuit. &, *Nemo vestrûm,* inquit, *consobrini mei causam apud me egit.* Patiuntur quippe amantes etiam justè læsi, aliquando se per amicum teneri, & quasi suspendi à proposita sententia. Refert *Th. Stap. Prom. æstiv. Dom 3. post Pent.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

An potest pœna ulla major esse pœnitentiâ?
Consequi solet nefanda facta pœnitentia.
Criminis medicina princeps, ipsa pœnitentia est.
Criminis piget prioris, & novum rursus struis?
Dedecet bonum, nedum Deum ipsum pœnitentia.
Defuit cavere Epimetheo, pœnitere haud defuit.
Desipit cui pœnitere comparatur præmio.
Desperatio facessat: pœnitudo sufficit.
Est mala, at judicium ad auget ægra pœnitentia.
Et Deum ipsum ubique vincunt arma pœnitentium.
Facta ubi est injuria, omnis sera pœnitentia est.
Gratia ara exposita cunctis pœnitentibus placet.
Insapientis corde nullus pœnitentiæ est locus.
Infelicium medela est una pœnitentia.
Iudici bono, frequenter pœna est, pœnitentia.
Iustus est semper resurgit qui per pœnitentiam.
Ne Dei quidem resistit ira pœnitentia.
Non dolere post peccatum, majus peccato malum est.
Non patrare pœnitenda viri est emendatissimi.
Non semper pœnâ, contentus esto & pœnitentiâ.
Nulli non turpi voluptas mixta pœnitentiæ est.
Nullum factum pœnitendum cujus extat, est Deus.
Optimus portus pœnitenti est consilij mutatio.
Optimum est nihil peccare, mox redire ad se alterum est.
Pœnitebis quidquid animo haud rectè affecto feceris.
Pœnitenti, portus optimus est animi mutatio.
Pœnitenda non facere est viri hercle emendatissimi.
Pœnitentia est inanis culpa quam inquinat sequens.
Pœnitentia id Deo est quod Iudici innocentia.
Pœnitentia quam reponit firmior ferè est fides.
Pœnitentiæne portus clauditur sanatibus?
Pœnitentiæque fructus est coronæ proximus.
Principum fere usque & usque sera pœnitentia est.
Præmium parum, plus urget pœna pœnitentiam.
Pridie caveas ne facias quod te pigeat postridie.
Quæ fit accepto malo, eheu, sera pœnitentia est.
Solitudo liberioris pœnitentiæ est parens.
Vera dum sit, esse sera pœnitentia haud potest.
Vincitur Deus quoque armis ipse pœnitentium.
Vix deliquit ille quem jam deliquisse pœnitet.
Vult Deus non peccatoris mortem at pœnitentiam.
Vultus alius est mœroris alius pœnitentiæ.

§ JAMBICA.

Ad se Dei trahit oculos pœnitentia.
An ulla major pœna pœnitentiâ?
Caveto ne sit sera pœnitentia.
Errata delet cuncta pœnitentia.
Et pœnitenti adfinis ejulatio est.
Factum bonum turpatur pœnitentia.
Heu, cur transacta, non futura, expendimus?
Nil sic Deo repugnat cor quàm impœnitens.
Nulla est voluptas absque pœnitentia.
Non pœnitere injuriarum, pessimum est.
Nunquam nocenti sera pœnitentia est.
Peccare turpe, haud pœnitere turpius.
Peccata fletus cuncta purgat largior.
Pœnæ metus malos, pudor tenet bonos.
Pœnam abstine, si spes est pœnitentiæ.
Pœnam dedit facti gravem, quem pœnitet.
Portus salutis homini pœnitentia est.
Quem non subivit sera pœnitentia?
Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.
Quo culpa maior, hoc item est major dolor.
Sapientiæ principium pœnitentia est.
Semper locum relinque pœnitentiæ.
Stultè emitur ipsa pretio Pœnitentia.
Terram adspicit, non cœlum, ubi aliquem pœnitet.
Tollenda nulli spes est pœnitentiæ.

Poeticæ rei.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Synesius: Poëticæ à Deo concessum est, ut gloriam hominum famamque dispenset, cuius in te honestas omnis redundat. *Epistola 49.*

Syne

Synesius: Poetica vi opus quispiam habet, ut posteris illustris videatur, neque absentibus ignotus sit. Præclara enim quæque facinora; si præconio orationis destituantur, excidunt è memoria, & oblivionem induunt, solo illo quo fiunt tempore inter eos qui viderint celebrata. Quamobrem præter spem oblatum vobis hoc cōmodum magnifaciendum est, & summo studio complectendum etiam citra necessitatem. Nam ob Musarum reverentiam etiam harum sacerdotes omni humanitate prosequi æquum est: nec inferiores iis habere, qui aulas principum adulari didicerunt. *Epistola 99.*

Phalaris Stesichoro: Carminibus in honorem Clearistæ scriptis, magnam à nobis mirámque gratiam inijsti. Etenim & nostræ rogationi morem gessisti, & singularum partium artificium incredibili quadam concinnitate temperasti. Et ipsius scripti formam magna gloria fuit non apud me solùm, qui ad eundem modum omnia, quæ sunt à Stesichoro profecto, mirari soleo, verumetiam apud reliquos auditores Agrigentinos, quorū ingens fuit copia. Nō autem hi soli, qui præsentes audiverunt, aut qui nunc in vita sunt, verùm etiam quotquot sequens ætas tulerit omnino. A me igitur, ut dixi, pro poesi hac tibi gratia debetur. Mea quidem petitione nō modo nunc existentibus, verùm etiam in posterum futuris mortalibus hoc carmen donasti. De me verò meisque quod in epistola significare videbaris, per Iovem socialem, & communes aras, nullibi, per poesim, vel ut de pessimo, vel ut de bono mentionem unquam fecisti. Exosum est enim meum nomen propter fortunam & calamitates. At commendetur saltem Phalaris scriptis Stesichori, sive meliore opinione hominum vulgata, sive contrà existimas esse. *Epistola 79.*

Phalaris Himerensibus: Ego pro Stesichoro quidvis agere paratus sum. Quod si adversus ipsam etiam Parcā arma mihi capienda fuissent & de morte dimicandum, nihil timuissē: saltéut vobis aliisq; mortalibus divinum virum florentemque carminum laudibus, cōservassem, quem sanctissimæ Deæ Musæ lyricis universis anteposuerunt, à quo cantus choròsque acceperunt. Hoc vos considerare velim, ubicunque terrarum sepultus sit Stesichorus, cum Himerēsem esse: qui omnis patriæ propter virtutem appellabitur, at vester permanebit. Tum ne cogitetis, Stesichorum in mortuis numerari. Etenim in poematis suis quæ communia cunctis hominibus fecit, superstes est atq; vivit. Quare prædicate bonis avibus ô Himerenses, apud vos natum educatúmq; Heroem, apud vos eruditum institutumque vixisse, senescentem in Hymnis & carminibus. Apud Catanenses verò qui hoc voluerunt sive potuerunt, natura in diversum commutata mortem obiisse. Et Himeræ templum ædicetur Stesichori, sempiternum virtutis monimentum: Catane verò sepulchrum, quod summo studio ab ipsis observatur & expetitur. De hoc igitur, quod vobis visum fuerit, statuite, atque me neque pecuniis, neque armis, neque corporibus defuturum vobis putate. Vnum autem illud antè perpendite, neque si ceperitis urbem Siciliæ vobis Siculis inhonestum fore; neque si non ceperitis urbem Siciliæ, vobis Siculis honestum fore, aut tutum. Vim autem ne lugeatis, neq; deploretis, neq; ob eius casum quicquam moliamini. Corpus enim Stesichori morte absumptum est.

Nomen verò temporis æternitas exceptum in vita nobilitat & in memoria fœlicitati consecrabit. Carmina verò eius versus & omnia genera poematum publicè per omnia templa, scriptis mandata collocare: & quenque vestrûm in domo sua privatim iubeo & adhortor. Tum enim è medio discedet & evanescet Stesichorus, cùm horum aliquid non diligenter custoditum servatúmque fuerit. Adhæc operam imprimis dare, ut in cæteros mortales hæc trāsmittantur & dispergantur: scientes, majore admiratione civitatē, quæ talem hominem tulerit, quam ipsum virum, habitam iri. *Epistola 54.*

Aristides Sophista: Felices verò sunt poetæ & ab omni molestiâ liberi. nec enim tantum licitum est illis argumenta qualiacunq;, sive illa falsa sint, sive inepta, sive omninò absurda, suscipere: sed & pro suo arbitrio sententiis eadem variant & argumentis; quorum alia quidem cùm per se nihil significent, si quis ea quæ præcedunt & quæ sequuntur auferat, postquam tamen ea recitatis omnibus intellexerimus, approbamus, quasi præclarè nobiscum actum sit; quod ea perceperimus: aliorum verò initia si illi exposuerint, reliquam partem omittunt; quasi ipsos incepti pœniteat. nonnulla etiam vel principia tollunt, vel media deligunt; istud rati sufficere: quasi verborum quidam sint tyranni. nihil præterea vel intentatū vel invium relinquunt: sed in machina Deos extollunt, & in navibus victores adjungunt quibuscunque ipsis libuerit: nec hominib: tantum adsidentes, si ita contingat, faciunt; sed etiam compotantes ac lumen præferentes. &c. *Orat. in Sarapim.*

Aristides Rhetor: Cùm ad poetas me refero communes Græcorum nutricios & magistros, qui se nihil ex se scire, ne navium quidem numerum, apertè profitentur; & Musas perpetuò ut ipsos doceant, orantes, fatigant, quasi ipsi interpretum loco sint: illæ autem revera de omnibus vaticinentur rebus; hoc potius existimo laudandum esse nonnunquam, quod arte careat, quam vel scientiam poetis sufficere dicendum: quod nec ipsi faterentur, vel Musarum donum contēnendum. erga si quis carmen, absque arte fecerit, hoc non difficile, sed divinum sæpè judicabitur: sin optimè sine arte dixerit, magnum erit? equidem cur id fiat non video. *Oratione priore Platonica de Rhetorica, ubi de furore entheo plura.*

Dio Prusæus: Fertur, quod Alexander, quum adhuc esset adolescentulus, cum Philippo patre collocutus sit de Homero, valde viriliter, atque animosè. Sermones autem illi propemodum & de regno erant. Alexander enim jam tum in expeditionem proficiscebatur cum patre, tametsi Philippus prohiberet; sed non poterat cū retinere: quemadmodum generosi non sustinent domi relinqui, cæteris venatum exeuntibus, sed consequuntur, nonnunquam etiam ruptis vinculis: aliquando quidem perturbant alios in opere, propter juventutem & desiderium vocem emittentes, & ante tempus feram excitantes, interdum autem prosilientes capiunt ipsi, hujusmodi aliquid & illi accidit in principio, ut & pugnæ in Chæronæa & victoriæ dicant ipsum causam præstitisse, quum pater cūctaretur adire periculū, Tunc ergo à militia reversi, sacrificabāt Musis in Dio Pieriæ, & certamen Olympiorum proponebant; quidam ferunt antiquum esse apud eos. Interrogavit illum igitur Philippus in congressu: Quî fit ô fili, quod ita ibi vehementer stupori est Homerus? Nam illi uni ex poetis incumbis. Oporteret siquidē alios negligere: sunt enim viri sapientes. Et Alexander respondit: Ideo pater, quod non quævis poesis regem decere mihi videtur, sicut neque quodvis vestimentum. Cætera quidem poemata ego arbitror partim esse convivatoria, partim amatoria, partim autem laudatoria athletarum & equorum, qui victoriam sunt adepti. Alia etiam continent lamentationes super defunctis; alia autem risus aut conviciorum & salium facta sunt gratia: ut sunt poetarum comicorum, & ea quæ Parius poeta fecit. Nonnulla forsan etiam popularia dici possent, consilia & admonitiones vulgo adeoq; privatis hominibus præscribentia: quemadmodum sunt (opinor) Phocylidis & Theognidis. Ex quibus quid utilitatis capere posset vir, qui nobis similis sit, cunctisque præstare velit, atque omnibus imperare? Homeri autem poesim solam video ingenuam esse, & magnificam, & verè regiam, cui animum advertere decet eum virum, qui maximè quidem imperaturus sit omnibus, qui ubique sunt hominibus quod si autem fieri non possit; quamplurimis, & maximè illustribus, vere futurus, ut ille ait, pastor populorum. Si minus, quomodo tamen non absurdum fuerit, quod rex quidem equo non nisi optimo uti velit, ex poetis autem & infimis adhærere, quasi ocioso illi esse liceat? Hoc scias velim, inquit, ô pater, me non solum alium poetam, sed etiam aliud carmen quàm Homrri heroicum audientem, dolore affici. Valde igitur illum Philippus admiratus est, propter animi magnitudinem, quoniam perspicuum erat, nihil eum frivolum aut abjectum in animo cogitare, sed tale quod Heroum aut semideum factis possit comparari. Attamen volens illum excitare, Hesiodum autem, (inquit) ô Alexander, parvi judicas esse pretii poetam? Nequaquam (inquit) at quantivis precij, sed non regibus, neque imperatoribus fortasse. Quibus nam autem tandem? Hic Alexander subridens, Pastoribus (inquit) & fabris lignariis, & agricolis. Pastores enim ait charos esse Musis; fabros lignarios autē admodū peritè monet, qua ē conveniat axim excidere, agricolas autem quando aperiendum sit dolium. Quid igitur? (inquit Philippus) nonne hæc utilia sunt hominibus? Non nobis certè (inquit) ô pater, neque Macedonibus huius, sed superioris seculi, qui erant pastores & agricolæ; & serviebant Illyriis & Triballis. Neque quæ circa sementem (inquit Philipppus) atque messem ab Hesiodo ita magnifice dicta, tibi placent?

Pleiadum exortu gnatarum maximi Atlantis
Messes, arva sed incipias proscindere casu.

Multo magis, dixit Alexander, mihi ea placent, quæ sunt apud Homerum de agricultura. Et ubi de agricultura Homerus dixit: quæsivit Philippus; an ea dicis, quæ sunt in clypeo, imitamina arantiū & metentium, vindemiantiumque? Minimè, inquit Alexander; sed illud longè magis *Iliad.* A:

Ast hi, ut messores, verso in contraria vultu,
Hordea triticeamq; metunt qui ex ordine frugem,
Arvis in locupletis heri, at crebri inde manipli
Sternuntur terra: sic Trojani atq; Pelasgi,
Mutuò se adversis vastabant frontibus acri
Impete, nil memores trepidi, vacuiq; timorū.

Hæc quidem scribens Homerus, victus est ab Hesiodo, dixit Philippus. Annon audivisti epigramma in Helicone tripodi inscriptū, HESIODVS MVSIS HELICONIDIS. NVNC AVTEM OBTVLIT; QVVM HYMNO IN CALCIDE VICISSET DIVINVM HOMERVM. Et admodum justè victus est, dixit Alexander, neque enim regibus præsentibus certavit, sed agricolis atque plebeiis, immo hominibus voluptuosis & mollibus. Quamobrem ultus est Eubæenses in sua poesi Homerus. Quomodo? admirabundus interrogavit Philippus. Quia illos solos inter Græcos tędissime circuntondit, sinens eos comam retro dimittere, sicut nunc quidam pueros tenellos.

Hic cùm arrisisset Philippus, dixit, Scis, hinc ô Alexander, non esse contristandos bonos poetas, nec argutos historiarum scriptores, ut in quorum potestate sit, quicquid velint, de nobis dicere. Non omnino, inquit, in illorum potestate est. Neque enim Stesichoro bene cecidit, quod adversus Helenam mentitus est. Atqui Hesiodus, ô pater, non videtur mihi neque ipse ignorasse suas vires, quanto inferior esset Homero. Quomodo dicis? Quod quum ipse

de Heroibus caneret, ipse fecerit mulierum catologum, & re ipsa gynæceum quasi hymnis celebraverit, concedens Homero viros celebrare. Ex hoc interrogavit Philippus. At tu, Alexander, utrũ cuperes Agamemnon, Achilles, an illorum aliquis fuisse heroum, an Homerus: Nequaquam (inquit Alexander) sed præcellere longe Achillem, & alios. Neque enim te minorem puto Peleo, neq; Macedoniam infirmiorem Phthia, neq; Olympum minus gloriosum monte Pelio dixerim, quin neque viliorem eruditionem apeptus sum sub Aristotele, quam ille à Phænice [Amyntoris filio, homine in exilium pulso, & cui cum patre non conveniret. Ad hęc, Achilles quidem subditus erat aliis, & mittitur cum parvis copiis, propriè ad hoc ut alteri auxilium ferret, ego autem nunquam quẽquam hominum ferrem regnare super me. Hic Philippus paulùm irritatus, nunquid non ego, inquit, super te regno, ô Alexander? Non super me certe, inquit. obedio enim tibi non ut regi, sed ut patri. Ergo tu quoque, inquit Philippus, temet dices ex dea matre progenitum, quemadmodum Achilles? aut Olympiadem comparandam Thetidi putes? Et Alexander sensim subridens. Mihi quidem ô pater, dixit, fortior videtur, quàm omnes Nereides. Hic ridens Philippus, non fortior solum, inquit, ô fili, verum etiam bellicosior. Neque enim unquam desinit mecum bellum gerere. Hæc ita hactenus illi inter se, seriis tamen admixtis, iocati erant. Rursus autem interrogavit eum Philippus. At quum usque adeo, ô Alexander, Homerum admiraris, quare despicis eius sapientiam? Quia, inquit, & in ludis Olympicis libentissime audirem præconem, vocem magnam & claram emittentem, nec tamen ipse vellem proclamare alios victores, sed multò magis proclamari. Hæc autem dicens, manifestabat, quod Homerum quidem putaret excellentem & divinum reipsa præconem virtutis, sese autem & illos viros, athletas & certatores pro bonis factis existimaret. Nihil sane absurdum, inquit, ô pater, etiamsi bonus poeta esset, præstante hoc natura, quandoquidẽ & Rhetorica opus est regi. Nam tu frequenter rescribere cogeris & contradicere Demostheni, rhetori valde vehementi & impostori, atque aliis quoque qui Athenis rempublicam administrant. Equidem vellem sane, dixit Philippus jocans, ô fili concedere Atheniensibus Amphipolim, pro Demosthenis vehementi eloquentia. Sed quomodo Homerum sensisse putas de Rhetorica? Videtur mihi, inquit, ô pater quod eam admiretur. nunquam enim Achilli doctorem orationum applicuisset Phænicem. At enim, missum esse ipsum à patre, ut fieret orator sermonum & factor operum. Et alios quoque optimos & maxime regios scripsit studiosos fuisse non minus circa hanc facultatem: ut Diomedem & Ulyssem & Nestorem, atque hunc excellentissimum prudentia & sermonis suadela fuisse. Ait enim in Poeseos principio,

Dulcior à cuius lingua vox melle fluebat,

ut & optaret Agamemnon, sibi decem dari tales senes consiliarios, magis quàm juvenes, quales erant Ajax & Achilles. Fore enim, ut cito caperetur Troja. *Oratione altera de regno.*

Dio Prusæus: Cùm res ita dubia sit, multamque habeat ignorationem, ne sic tamen suspicari possunt errorem. Hoc autem in causa esse dicebat, quod Græci essent voluptuosi; & quæcunque audirent ex aliquo jucunde dicente, ea etiam vera existimarent. Et poetis permitterent mentiri quicquid vellent, dicerentque id illis licere: tamen crederent esse vera quæ dicant, eosque testes ad ea interdum adhiberent quæ sunt ambigua. Apud Ægyptios autem non licere quicquam carminibus dicere, neque ullam esse omnino poesim. Scire enim eos, quod hoc voluptatis pharmacum sit ad auditum. Quemadmodum igitur ij qui sitiunt, non indigent vino, sed sufficit illis aquam bibere: ita etiam qui vera nosse volunt, nihil indigent carminibus, sed sufficit illis simpliciter audire. Poesis autem persuadet ut falsa audiantur, & tanquam vinum bibantur frustra. *Oratione II.*

Lucianus: Tibi vir optime, ad omnia facilè possum respondere: nempe eorum quæ cecini, nihil mihi esse proprium, sed Musis: à quibus æquum erat ut dictorum & omissorum rationem postulares. Ego verò super iis quæ privatim scio, pascendi inquam, & regendi pecora, à stabulis abigendi, & mulgendi ratione: & siqua sunt alia pastorum opera, & officia, respondere possem. At Deæ sua munera quibus voluerint, & quandiu id rectè se habere putarint, præstare consueverunt. Non tamen erga te mihi deerit poëtica urbanitas. Neque enim utique minutissima quæque perquirendo, à poëtis exigendum est, ut perfectè omnino ad unamquamque syllabam ipsorum dicta respondeant: & siquid in poëseos cursu per imprudentiam elabatur, id acerbè examinandum: sed sciendum nos & metri, & soni concinni causa multa interserere: alia verò plana cùm sint, carmen ipsum nescio quomodo sæpe recipere. At tu nostrorum bonorum maximo nos privas: nempe libertate & fingendi licentia. Atque alia quidem poeseos ornamenta quàm multa sint non vides, verùm minutias quasdam & spinas excerpis, & ansas sycophantiæ quæris. At hæc non solus neque in me solum, sed multi etiam alij artis eiusdem professoris Homeri scripta incessunt; admodum tenuia, ac potissimùm minutula quæque persequentes. *Dissertatione cum Hesiodo.*

Lucianus: In præsentia autem Archilochi illud tibi dico, quòd videlicet cicadam ala comprehendisti. Si modo poetam Archilochum fuisse audisti, qui genere fuerit Parius, homo liber admodum, & dicax, neque convitiari unquam veritus, etiamsi quam maximè molestus futurus esset iis, qui in jamborum ipsius otium incurrerent. Ille igitur cùm malè à quopiam istorum audiisset, hominem ait alis cicadam comprehendisse: comparans seipsum cicadæ Archilochus, natura quidem streperæ, ac nulla cogente necessitate, vocali: quoties autem etiam ala comprehenditur, altius quiddam stridenti. Tu quoque igitur, inquit, homo infœlix, quid tibi vis, qui poetam loquacem contra te ipsum irritas, alioqui causas, & materiam suis jambis quærentem? Atque hæc tibi quoque nunc interminor, haud equidem per Iovem me ipsum cùm Archilocho conferens: unde enim hoc possem, ut qui longè adeò inferior illi sim? sed quòd tibi conscius sim, innumera quædam jambis digna, abs te in vita perpetrata esse: ad quæ mihi videtur ne ipse quidem Archilochus sufficere, assumpto etiam Simonide, & Hipponacte, ut vel unum aliquod eorum, quæ in te sunt, malorum describant. Adeò ceu pueros quosdam tecùm collatos, malitia superasti & Orodœcidem, & Lycamben, & Bupalum, quibus jambos ille suos consumit. Atque adeò videtur Deus quispiam risum istum tunc tuis immisisse labiis, quando Apophradis hujus mentio est facta: quo manifestius quam In Scythis fieret, & indoctum esse te magnopere, & communia hæc, atque ante pedes posita ignorare: principium autem commodum orationis contra te instituendæ, suppeditares homini libero, teque familiariter, idque exactè noscenti, nihilque verituro, quominus omnia foras eloquatur, imò verò proclamet quæcunque etiam nunc post multa illa superiora noctu & interdiu agis. At inane forsán & supervacaneum fuerit, erudiendi modo apud te dicendi libertate uti. Neque enim ipse unquam melior futurus facilè es ex ea objurgatione, non magis quam scarabeus si monitus sit, ut ne amplius in stercore se volutet, cui semel assueverit. Neque etiam quenquam esse arbitror, qui adhuc ignoret ea, quæ tu es aliquando ausus, quæque homo ætate iam confectus in te ipsum delinquis: non ita tutus, neque obscurè malus es: neque etiam opus quopiam est qui leoninam pellem tibi detrahat, ut te prægrandem esse asinum pateat, nisi quis ex Hyperboreis veniat, aut in tantum sit Cumæus, ut non statim conspectum te asinum omnium contumeliosissimum agnoscat, quanquam non expectarit, dum rudentem etiam audiat. Ita jam olim & à me, & apud omnes, & sæpe, res tuæ proclamatæ sunt, & famam inde haudquaquam exiguam nactus es supra Ariphradem, supra Sybaritam Misthonem, supra Chium illum Bastam, qui similia calluit. *Pseudologista.*

Maximus Tyrius: Spartam olim veniebat Syracusanus quidam sophista, qui neque elegantiam dicendi cum Prodico, neque inanem garrulitatem cum Hippia, neque artificium orationis cum Gorgia, neque injustitiæ patrocinium profitebatur cum Thrasymacho, nec in ulla denique liberalium disciplinarum parte versabatur. Contra vero tota Syracusij hujus sophistæ ars in ipsa actione, & quidem tali, quæ cum usu pariter quotidiano ac voluptate, esset conjuncta, ponebatur. Obsonia quippe cibosque eleganter præparabat, variis condimentis apte concinneque compositis igni admotos, gratiores, quam per se erant, efficiebat. Ut propemodum non minus jam esset apud Græcos celebre in hac arte Mithæci nomen, quam in statuaria Phidiæ. Spartam ergo se contulit bonus ille vir, quo tempore, reliquis adhuc imperabat urbibus, nobilemque illam suam integram servabat potentiam; idque artis suæ fiducia, quam gratissimam illis futuram judicabat. Quæ spes eum vehementer frustrata est. Magistratus namque Lacedęmonius statim ad se vocavit hominem, jussitque finibus suis excederet, aliamque in terram, populumq; eum, cui & voluptatem artis suæ & usum commendare posset, se conferret. Se enim statuisse, si quo condimento cives egerent, non aliunde id quam à labore mutuari: ideoque necessario tantum cibo non artificioso sibi opus esse. quippe cum in nutriendis corporibus nullis illecebris, sed potius simplicitate quadam victus uterentur. quæ non magis quam leonum corpora, egere condimentis existimabant. Ita Mithæcus cum arte sua Sparta excessit. Nec tamen minus propterea reliquis acceptus fuit Græcis, quorum pro voluptatis suæ studio singuli amplexi sunt eum, non pro contemptu Lacedæmoniorum rejecerunt. Quod si & abaliis videtur artibus, non paulo quam hæc Mithæci fuit honestioribus, exempla esse desumenda: scimus Thebanos tibiarum cantu delectari, & hanc musam quasi vernaculam esse Bæotis. Athenienses eloquentiæ operam dant, ut vere oratorium studium dici possit ars Attica. Disciplina Cretensium est, venari, montes superare, sagittare, currere. Thessalorum, equitare, Cyrenensium aurigari, Ætolorum prædari. Iaculo Acarnanes, pelta valent Thraces, insulani navigant. Quod si aliorum studia ad alios transferas, perit natura atque usus singulorum. Quid enim navibus mediterraneo opus est, aut tibiis qui inflare eas nescit, aut equo qui in montibus, aut curriculis qui in campestri terra habitat, aut arcu cataphracto, aut sagittario clypeo? Sicut igitur in illis diversas artes diversa loci populique ingenia, aut diversa consuetudo amorque consuetudinis distinguit, neque singulæ illarum aut omnibus gratæ, quia quibusdam sunt, aut invisæ omnibus, quia nonnullis sunt; sed pro usu hominum laudatur unaquæque: quid vetat eos qui tam præclaræ Reip. cives futuri sunt, quos ex rationis præscripto Plato, sub novis legibus & quæ nihil cum vulgaribus commune habent, eduxit, rursus ex eiusdem rationis præscripto consuetudines quasdam & instituta servare, quibus à teneris innutriti sunt ipsi? Fieri enim potest ut hæc illi amplectantur, quia ex usu suo esse sciunt: alij vero nõ item, quibus non conveniunt. Si enim urbem unam cum altera, aut cum

Rep. Remp. aut leges cum legibus, aut cum legislatore legislatorem, aut cum educatione educationem conferre nobis esset propositum, non sine ratione institui posset hæc comparatio: cum scire vellemus quid deesset singulis. At vero si quis partem totius segregatam sumat, eamque seorsim intueatur, deque ea ex hominibus qui vel usi ea vel non usi sunt inquirat, ita fortasse fieri posset, ut omnia quibus utuntur homines, æque ab honore & infamia distarent, nec facile judicari posset, utrum alteri præferendum esset. Quippe & educationes, & remedia, & vivendi rationes, aliaque quæ in quotidiano hominum versantur usu, non omnibus eadem sunt prorsus, sed unum sæpe idemque huic conducit, illi nocet: huic jucundum, illi molestum est. Facile enim aut usus, aut occasio, aut vitæ institutum efficit, ut unumquodque horum aliud alij esse videatur. Quæ cum ita sint, ad Homerum transeamus, ac de eo judicemus quam æquissime. Vt nec eorum testimonio utamur, qui Platonem amant, rejiciunt Homerum, aut qui Homerum mirantur, Platonem non ferunt. Non enim alterum ab altero divisum est & quasi separatum, cum simul & Platonis scripta colere & mirari Homerum liceat. Id autem fiet hoc modo. Civitatem, sola contemplatione instituit Plato; non Creticam hercules, neque quam aut Dores, aut Peloponnesii, aut Siculi, aut Athenienses incolerent. Id quippe si spectasset, non Homero tantum, sed cum hoc & Hesiodo & Orpheo, & si quæ præterea antiqua Musa est; quæ juventutis animos suaviter mulcere ac delinire, & cum voluptate molliter miscere veritatem posset, opus esset. Sed, ut dixi, exemplum tantum civitatis, exemplum tantum Reip. ostendit; magis accuratum quam usui accommodatum. Idem quod statuarii nostri faciunt, qui cum è singulis corporibus, quæ in iis pulchra sunt, mira arte colligant, & ex tam diversis unam imaginem efficiant; hæc ipsa tam apte inter se confundunt & miscent, ut unam quoque eamque concinnam & veram exprimant pulchritudinem. Cum qua tamen nulla naturalis pulchritudo corporis tam est accurata, ut venire in certamen possit. Artes quippe absolute pulchrum aliquid desiderant, cum quotidianus usus longe minus accuratus sit. Quod si quis hoc concederet hominibus, ut humanum corpus fabricare possent, dubium non est, ut ego arbitror, quin terræ ignisque qualitates, cum alijs quæ apte conjunctæ inter se & temperatæ humanum corpus constituunt, ita absolute miscerent novi illi artifices, ut nec remediis ullis, nec lenociniis, nec præscriptionibus medicis in victu illis opus esset. Iam si aliquis ex his artificibus unum audiret qui leges præscriberet homini, quem fecisse eum fingimus, & inter cætera hoc quoque: Nihil illi medicina Hippocratis opus fore. quare hominem lana coronatum, quod de Homero Plato dicit, unguentoque delibutum, ad alios mitteret: ibi enim locum habituram illius artem, ubi locum habet morbus. Si hæc, dico, audiret aliquis, nec æquo ferret animo, quod Asclepij, quod Asclepiadarum artem contemneret, nonne oppido ridicule eum accusare videretur, qui artem rejiceret, non quam contemneret: sed quam neque usui sibi nec voluptati esse posse sciret? Cum enim sint duo à quibus Homerus Hesiodusque & si qui alij à poetica celebrari solent harmonia, utilitas nimirum & voluptas; neutro horum ad Remp. Platonis, conferre eorum quicquam possunt carmina: nec utilitate, dico, nec voluptate. Nam utilitatem si spectes, tota ea in educatione accurata & salubribus ibi monitis consistit. quare neque ullam dicendi audiendiq; quæ velis libertatem aut licentiam admittit: nec ullam ibi fabulam ex matribus suis pueri hauriunt, quam ipsæ prius à rumore vano hauserunt. Nullum enim dictum, nulla disciplina, nulla delectatio, temere & sine certa ratione eam intrat Remp. Ne ibi necessario Homerum requiri putes, qui conceptas de Diis opiniones cum quadam numerorum elegantia in majus tollit: humilesque & demissas vulgi cogitationes admirari & stupere cogit. Hæc enim propria poetici sermonis vis est, ut male institutorum hominum aures ita suo strepitu detineat, occupetque, ne temere ineptis cum vulgo opinionibus accedant: sed ante omnia, id quod res est cogitent, poetam omnem obscure scribere, atque ea ipsa, sicut in rebus divinis, aliter intelligenda esse. At vero in ea urbe in qua nihil plebejum nulli negligentiæ locus est, quid hoc remedio est opus? Græcus quidam ex Anacharside illo celeberrimo, quæsisse dicitur, essent ne tibiæ in Scythia; ille, Nec vites inquiebat. Voluptas enim alia aliam trahit, alia cum alia cohæret: quæ cum semel fluere cœpit, nunquam desinit, nunquam inhiberi potest. Nec aliud ad salutem restat remedium, quam fontem ipsum sistere, ortum voluptatis impedire. Qualis cum sit Platonis Resp nullam oculorum auriumve delectationem admittit. Ex quo sequitur, nec poeticen, si voluptatem parit, in hanc Rempublicam admissum iri: cum ob utilitatem potius admitti poterat. Vt omittam multas extitisse inter homines non imaginarias sed veras Resp. quę & optime essent constitutæ, optimisque uterentur legibus, quæ tamen Homerum ignorarent. Nuper enim Sparta recitare versus ejus cœpit, nuper Cretes, nuper qui in Libya sunt Dores, qui tamen omnes non nuper, sed antiquitus à virtute commendati fuerunt. Nec enim de Barbaris necesse est dicere: quos non vereor ne versus Homeri didicisse putes. Et tamen virtutem apud Barbaros invenies, quam Homericæ poesi non debent. Quod nisi ita se haberet, beatissimi rhapsodi essent: quos omnium hominum constat esse dementissimos. Atqui longe aliter se res habet. Pulchra sunt fateor Homeri poemata, longeque omnium pulcherrima, maximeque illustria, & revera digna quæ à Musis canantur. Non tamen omnibus pulchra, nec pulchra semper. Nec enim in musicis modulationibus unus tonus est, nec unum tempus idoneum omnibus. Pulchrũ in bello, id quod Orthion vocant, pulchrum in convivio, quod Parœmon dicitur. Pulchrum apud Lacedæmonios, quod Embaterion, pulchrum apud Athenienses quod Cyclion appellant. Pulchrum ei qui hostem insequitur, quod Enceleusticon, pulchrum illi qui fugit quod Anacleticon vocant. Iucunda est omnis ars musica, sed non idem omnium usus. Quod si in commemoranda heroum virtute, nil præter voluptatem spectasse Homerum existimas, vide ne examen ingens lascivorum nobis furiosorumque admittas poetarum, qui in hac quidem parte Homero sunt præferendi: atque ita suffragio tuo ne jucunditatis quidem ei palmam relinquas. Iucundus, fateor, jucundus est, sed longe major ejus pulchritudo: quæ lectori non permittit ut delectetur, sed ut laudet tantum. Laus autem ut cum voluptate conjuncta est, ita non est ipsa voluptas. Nam si non aliud in Homeri scriptis quam voluptatem amamus, ut in tibiæ alicujus aut citharæ cantibus, jam non ex Platonis tantum alumnis, sed & ex Lycurgi, & Cretensium, omnique regione & civitate Homerum exigis, ubi cum virtute labos laudatur. *Dissertatione septima*, Vtrum recte Homerum è Republica sua dimiserit Plato.

Maximus Tyrius: Libet Homeri exemplo ad hanc dissertationem Deorum advocare aliquem: & fortasse non alium, quam eandem quam ille solet Calliopen.

> *Dic mihi Musa virum sapientem, quiq; vagatus;*
> *Plurima conspexit.*

Non quod inhospitalem terram peragraverit, aut infestum mare transmiserit, aut cum feris agrestibusq; vixerit hominibus. Hæc enim in fabulis tantum suis referre ille solet de quo loquor. Ipse vero animo, qui levissimus est, faciliusque quam corpus locum loco commutat, ubique vagatus est, perlustravit omnia. Ille quæ in cœlo moventur, quæ in terra mutantur; ille Deorum consilia, hominum naturas, solis lumen, syderum choros, generationem animalium, refluum maris gremium, fluviorum ostia, aeris diversitatem perspexit. Vt omittam politica, œconomica; quæ ad bellum, quæ ad pacem pertinent; nuptialia, rustica, equestria, nautica; artes quascunque, diversissima vocabula, diversas rerum species; lamentantes, gaudentes, lugentes, ridentes, bellantes, irascentes, epulantes, navigantes. Vt ego quoties in Homericam incidi eloquentiam, fateri habeam necesse, ejus me laudibus per me parem esse non posse: quare tutius videtur ab ipso versus mutuari aliquot, ne soluta hac oratione laudes ejus videar deterere.

> —— *præ quovis hominum mihi magnus Homere es.*
> *Seu te Calliope docuit, seu flavus Apollo.*

Musarum vero & Apollinis disciplinam absit ut aliam putemus esse, quam qua in ordinem suum animus redigitur. Ea autem quid est aliud quam philosophia? Philosophiam quid aliud quam accuratam divinarum humanarumque rerum scientiam putemus esse? Quæ virtutem, quæ præclaras rationes, quæ aptam vitæ concinnitatem, moresque inducit temperatos. Hujus scientiæ professio & scopus variis olim sub figuris latebat: quibus sine ulla austeritate animos sibi commissos tractabat simul docebatque. Cum alii mysteria, alii occulta sacra disciplinam suam appellarent: alii fabularum, alij musices, alii postremo divinationis nomine eam induerent. Ita cum utilitatem omnes spectarent unam, non una tamen dicendi utebantur figura.

Postea vero nimia sapientiæ copia cum lascivire inciperent homines, cœperunt & velum hoc sapientiæ detrahere: ita philosophiam amictu suo spoliarunt, philosophiam in contemptum adduxerunt, cuivis eam obiecerunt, cuivis tanquam scortum prostituerunt. Neque aliud quam solum rei nomen reliquerunt: quod ipsum ineptæ quædam cavillationes occuparunt. Eo igitur deventum est ut Homeri Hesiodique carmina, totaque antiqua illa & divina Musa, pro fabulis habeantur: nec aliud in iis quam narrationes nudas, quam numerorum suavitatem, quam harmoniæ elegantiam, sicut in tibia aliqua aut cithara, miramur.

Quod vero solum in ijs admiratione est dignum, negligimus, nec virtutis nomine dignum censemus. Ita Homerus è philosophorum numero ejicitur, philosophorum princeps. Ex quo enim sophisticæ illæ ex Thracia Ciliciaque in valere Græciam ineptiæ; Epicuri atomi, ignis Heracliti, aqua Thaletis, Anaximenis spiritus, discordia Empedoclis, Diogenis dolium, aliaque infinita, philosophorum quæ inter se pugnant semper & concurrunt agmina, omnia verborum plena cœperunt esse. Nihil præter sibilos sophistarum inter se contendentium ubique audis: actio vero ipsa virtutis pro deserta jacet. Et tamen nusquam illud, quod omnes in ore habent, de quo tota concertat Græcia, ipsum dico bonum, invenies. Cum antiqua illa, quæ plane adhuc redolet Homerum, sapientiæ ratio, generosos, verosque ac genuinos philosophiæ protulerit eduxeritque alumnos.

Illius Musæ alumnus erat Plato. Licet enim præceptorem hunc ejeret, vestigia apparent tamen, semen illius disciplinæ se prodit.

> *Sic gressum, sic ille manus, sic ora ferebat,*
> *Talis cæsaries, & pulchri luminis ardor.*

Vt dicere non dubitem, nulli quam Homero magis similem Platonem esse, quamvis Homerum fugere, Socratem sequi videatur velle.

velle. Nec existima me dictionem Platonicam cum Homerica, verba cum verbis, nomina cum nominibus conferre, tametsi & hæc ex eodem illo fonte Musico, sicut ex Oceano Mæotis, ex Mæotide pontus, ex ponto Hellespontus, ex Hellesponto mare defluxerunt: sed ex mente utriusque & sententijs affinitatem noto. Qua de re alias commodius. Nunc de Homeri instituto, quæ par est dicamus.

Videtur mihi Homerus cum & divina naturæ indole, & judicio exquisitissimo, & singulari rerum omnium esset præditus experientia, hoc consilio philosophiæ se dedisse, ut sub illa quæ tum temporis placebat ratione metrica, cum omnibus eam communicaret. Illa autem erat poetice. Hanc ita proposuit, ut nec Ionicam, nec Doricam omnino esse vellet aut Atticam, sed quæ toti esset communis Græciæ. Quippe cum omnibus loqueretur, omnes quoque Græciæ totius linguas in unam aliquam poeseos formam simul & contulit, & miscuit: quo quidem illud est consecutus, ut & accepta essent omnibus quæ scriberet & perspicua, singulis vero jucunda.

Rursus cum in toto genere humano paucissimos esse sciret qui bene judicarēt, maximam vero partem populariter duci malle; nec in horum nec in illorum peculiariter gratiam poesin divisit suam: quod ab Hesiodo est factum. qui primum in opere peculiari heroūm familias & genera recensuit: initioque à mulieribus facto, quo è genere, quibus è matribus, oriundi essent singuli demonstrat. Rursus Theologiam conscripsit, cum qua Deorum generationem conjungit. Vt omittam, quæ ad vitam moresque formandos conscripsit: ubi & opera quæ agenda sunt, & dies quibus agi debent, præscribit. Non eo modo Homerus scripsit, nec enim singula in eo aut distincta seorsim, aut omnia inter se confusa sunt. Ac primo operis totius forma sub qua latent reliqua, fabulosa, narratio. Rursus alia in eo opere, quod de Trojanis rebus, alia in eo tractat, quod de Vlyssis miseria relinquit. Ita tamen ut theologica ut politica tā hic quam ibi immisceat manifesta: ut virtutes, ut improbitatem hominum, ut affectiones, ut fortunas tam adversas proponat quam secundas.

Quæ omnia tamen diversi argumenti sunt. Non aliter quam si instrumentum dari possit musicum, quod omnes simul harmonias conjungeret: cujus voces omnes inter se convenirent. Aut ita potius. Nescio an audieris unquam multa simul instrumenta, tibiæ sonum, lyræ vocem, chori cantum, cumque his tubam simul fistulamque, & si quę alia instrumentorum aut nomina aut genera sunt, cum humanæ vocis concentu, una inter se misceri. Quorum singula cum peculiari fiant arte, tamen ita temperata sunt cum singulis, communem ut efficiant Musam. Et, ut brevius dicam, talis est Homeri poesis, qualis pictura Polygnoti futura erit aut Zeuxidis, si simul pictores illi fiant philosophi aut nihil pingant temere. Duplicem enim sibi scopum proponent: quorum alter artem, alter spectabit virtutem. Quod ad artem, ut figuræ ac corpora veritatem referant, quod ad virtutem, ut congrui linearum ductus, ipsam diligenter repræsentent pulchritudinem.

Ita & de Homeri judica libris; duo in iis esse spectanda: quorum alterum ad poesin pertinet, & fabulæ speciem habet: alterum ad philosophiam, & virtutem commendat, veritatem docet. Statim in ipso operis principio introducuntur duo: alter Thessalicus adolescens, alter rex, sed ætate major; Achilles dico & Agamemnon. Quorum hic præ nimia ira in contumeliam erumpit, ille contumelia affectus, incipit irasci. Hic effigies diversorum habes affectuum, juventutis alterum, alterum potentiæ. Oppone utriq; Nestorem: qui & ætate provectus, & prudentiæ singularis, & admirabilis est facundiæ. Rursus inducitur ab eo Thersites, visu deformis, lingua maledicus, moribus incompositis. Vt plane populi effrænis agnoscas imaginem. Oppone & huic virum bonum, ducem perfectum, qui supervenit.

Hic quemcunq; virum regum de stirpe videret,
Lenibus hunc verbis adstans retinebat eundem:
Quem vero è populo clamantem, & vana moventem,
Hunc sceptro percussit.

An aliud tibi facere videtur Socrates, cum regales principesque viros lenibus verbis demulcet, & excipit: ut puta Timæum aut Parmenidem; aliumve regium hospitem.

Quem vero è populo clamantem & vana moventem
Aspicit:

hunc oratione aspera increpat. Puta Thrasymachum aliquem, aut si quis alius convitiator & maledicus. Rursus ad Homerum redeamus, ejusque Barbaros. Nam & hic vitia virtutesque inter se oppositas videbis. Intemperantiam Paridis, temperantiam Hectoris: timiditatem Paridis, fortitudinem Hectoris. Quin & conjugium eorum si consideres, alter hac in parte felix, alter miseratione dignus est. alter detestandus, laudandus alter, alter adulter, alter legitimus maritus est. Considera & reliquas virtutes, viritim divisas. Fortitudinem Ajaci, sollertiam Vlyssi, audaciam Diomedi, consilii prudentiam Nestori tribuit: in qua probæ vitæ absolutæque virtutis imaginem habemus. Quare alteram illi operum suorum partem Agamemnon asscribit. Et hæc quidem, ut paucis absolvam, nihil aliud quam quædam eorum quæ ab eo multis proponuntur sunt vestigia.

Quod si & de Diis nonnulla, è quibus Homeri institutum appareat, adferre lubeat: cum unico Platonis exemplo, tanquam imagine quadam, conferemus reliqua; antiqua dico, cum recentioribus: ut orationis appareat indoles. Siquidem hoc potissimum nunc agimus. *Magnus namq; in cœlo Iupiter*, ait Plato alibi: Iovemque introducit, qui alato invehitur curru, deosque ducit reliquos. Apud Homerum imperator reliquorum ita loquitur Iupiter:

Ne quis sive Deus seu sit Dea, gaudeat illos
Sermones nobis evertere: sed mea quisq;
Consilia probet, ut confestim facta sequantur.

Et cum dicto currus illi jungitur, equi currunt,

Veloces, pulchreq; aurato crine comantes.

Etiam Neptuno in mari currus jungitur.

Sic fluctus petit: heic exultant maxima cete.

Pluto illi tertium regnum obtinet: trifariam enim Homero divisa sunt omnia: Neptuno tribuitur,

—— canus ut vivat semper in undis
Æquoris

Pluto incolit

—— tristes caliginis umbras.

Iupiter vero cœlum. O accuratam divisionem, vereque philosophicam!

Sunt & alia apud Homerum diversarum rerum principia & ortus, quæ dementes pro fabulis habent: philosophi pro rebus gravissimis. Invenies virtutis principium: sed sub Minervæ nomine, quæ præstantibus viris quocunque in labore fert subsidium. Est & amoris: sed Veneri asscribitur, quam cesto præficit, quæ amorem immittit. Est & artificij: sed hoc Vulcani est, qui igni præficitur, qui artes hominibus tradit. Apollo choreas orditur, Musæ cantum, bellum Mars, ventos producit Æolus, fluvios Oceanus, fruges Ceres. Vt nulla pars naturæ totius sit Homero sine Diis, sine præfecto, sine imperio, sed omnia divinis nominibus, omnia divinis sermonibus, omnia divinis abundent artibus. Quod si elementa eorumque spectes discordiam, videbis pugnam in Trojano campo, non Græcos inter eorumque adversarios, non cædentes inter cadentesque,

—— ubi sanguine multo
Stillat humus, ——

sed ignis & fluvii: quorum alterum intumescere videbis, magnisq; ac crebris assurgere undarum fluctibus: alterum violento impetu ipsis fluvii incumbere vorticibus, comasq; ejus ac totum ornatum amburere: salices videlicet & myricas, lotumque, & juncos: tumalumnos ejus, & quæ fert reliqua.

Anguillæ, piscesq; alij, qui flumine pulchro
Hinc atq; hinc duxere choros, torrentur ubiq;.

Nec componi pugna nisi Iunonis interventu potuisset, quæ contentionem dirimit, bellum componit, elementa conjungit.

Sed hanc allegoriam prætermittamus: ac ea potius quæ nostra sunt, quæ ad hominem spectant, videamus. Hæc Reip. forma non in Piræeo fingitur, neque in Creta sancitur, sed à vero philosopho heroicis exemplis, heroica operis forma, delineatur. Hic principes, qui ipsi res gerunt, sed non sine maturo consilio, videbis. Hic belli duces præstantissimos, sed qui in acie præcedunt. Hic castam in medio libidinosissimorum juvenum mulierem. Hic regem probum, qui erronem excipit hospitio. Virum bonum, qui omnibus calamitatibus totam opponit industriam.

Ostendam & Resp. tibi duas, plane operibus inter se oppositas, quas Homerus verbis, auro delineavit Vulcanus. In altera nuptiæ, cantus vigent, & tripudia; reges judicant, populus litigat:

Ast aliam cingunt urbem duo castra virorum.

Si non hoc satis manifestum videtur tibi, aliud habebis manifestius. Cogita duas insulanas urbes, alteram Phæacum, alteram Ithacensium. In altera verecundia, in altera obtinet contumelia. In altera reges justi, in altera injusti proci. Illi regem venientem Dei instar venerantur: hi regis insidiantur uxori. Sed & finis illis est diversus. His hilaritas perpetua, vita secura, hospitalitas: in mari classes, in terra fructus. Illi in ipsis suis voluptatibus radicitus pereunt. Hic exitus contumeliosam excipit nequitiam, hic immoderatæ licentiæ est finis. Ipsum vero Vlyssem nonne vides, quo pacto dum omnibus virtutem molestijs opponit, etiam animum ab ea sumat, & fiduciam? Hoc est illud Circes Moly, hæc est vitta illa quam in mari invenit, hoc Polyphemi manibus eripit virum, hoc ab inferis reducit. hoc cymbam illi fabricat, hoc Alcinoum persuadet, hoc procorum ictus patienter perfert, hoc Iro parem in lucta reddit, hoc Melanthii contumelijs. Hoc domum illi liberat, uxorem vindicat, hoc virum efficit, qualem Homerus Iove genitum, Diis similem, Plato felicem vocat. *Dissertatione decima sexta.*

Philostratus: Poëtica gens multi & plures quàm apum examina. Pascunt autem hos quidem prata, illos verò domus & urbes. Et convivantur hæ quidem favis, illi verò splendido obsoniorum apparatu. Quidam etiam poetæ pemmatis vescuntur. Hos putemus amatoriorum poetas, de quorum numero unus est & Celsus hic, qui suam ipsius vitam scriptis mandavit, quemadmodum bonæ cicadæ. Vt autem non rore sed cibis alatur, credo tibi curæ fore. *Heretiano Epistola 17.*

Libanius in Progymnasm. Neminem equidem poetarum omnium, negligentem esse veritatis optarim; præsertim qui de Musarum instinctu memorare se perhibeant ea quæ memorant; sed studere magis ut verum narrarent, quàm ut delectarent auditores. Sed Homerum omnium maximè hoc vitare oportebat, tam præ-

clarum

clarum & magnificum poëtam. hic verò & ipſe mendacia perſequi deprehenditur, cùm alibi non rarò, tum maximè. *in Iliados ſtatim principio, &c.*

Libanius: Miſerabiles ſunt accuſatores poëtarum, ſi tamen dementibus & inſanis tribuenda eſt miſericordia. nam quis non videt, planè non eſſe apud ſeſe eos qui poetas reprehendunt? minor autem non hoc ſaltem illos intelligere, ſub poetarum nomine accuſari Muſas ipſas. Si enim de Muſarum numine ſua poetæ opera perficiunt, hisque illi maledicunt, neceſſe eſt impeti Muſas effectrices poeſeos. *Progymnaſm. de Achille irato.*

Libanius: Vel omninò à poematibus abſtinendum eſt, vel opera danda ut delectationis modò gratia illa attingamus: perſuaſi, hoc quidem præſtare poſſe, veritatem verò prorſus neglexiſſe. *progymn. de Chryſe.*

Libanius: Miror eos qui fatentur ſe longe abeſſe à divino illo poetarum furore, cùm non vereantur hos reprehendere, non ſaltem hoc intelligere, quod poetarum criminatio in ipſas Muſas redundet. nam harum ſunt ea quæ memorantur, vox autem illorum ſola eſt. *progymnaſm. de armis Achillis.*

Libanius: Socrates multis quidem in locis poetarum meminit, non ſemper cum vituperio. ſed ubi audientem reddunt meliorem, & doctos, & generoſos, & divinos, & aliis id genus elogiis appellat. quando autem nocere animadvertit, & obſequentem in maximum malum impellere, iis adverſatur, & præcipitium oſtendit, nec ſinit juvenum animos in perniciem ruentes ferri. In his porrò animadverſionibus hac via progreditur. quærit, numquid Heſiodus ſit ſapiens? neceſſe eſt fama præventum fateri. Quid? nonne hic opus omne laudat? dum canit: Nullum opus eſt probrum. hoc ſecundum interrogante Socrate, quippe locus negationi non eſt: igitur qui murum effodit & ſepulcrum, ſapientem virum teſtem habet quod jus non violet. ibi neceſſarium eſt interrogatum dubitare, ac præſentes ridere; nullum ab his dictis ad mala lucra currere, ſed ad contraria. nam poeta convicto, & riſum movente, norunt non omnia deinceps opera temerè eſſe aggredienda. Sic etiam cum Pindaro ſermocinatur, ne quis adoleſcens auditis: Dextera forti violatur æquum, legibus contemptis violentas manus inferat. *Declatione 29.*

Themiſtius: Nonnunquam in theatro poeta gravi & horribili caſu diu ſuſpenſis ſpectatoribus, repente præter ſpem è machina fabulæ ſuæ difficultatis illius exitum invenit. *Orat. 14.*

❡ ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Multos, inquit Eumolpus, ô juvenes, carmen decepit. nam utquisque verſum pedibus inſtruxit, ſenſumque interiorem verborum ambitu intexuit, putavit ſe continuo in Heliconem veniſſe. ſic forenſibus miniſteriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tanquam ad portum faciliorem refugerunt, credentes facilius poema exſtrui poſſe, quam controverſiam ſententiolis vibrantibus pictam. Cæterùm neque generoſior ſpiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum meus poteſt, niſi ingenti flumine literarum inundata. Effugiendum eſt ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate: & ſumendæ voces à plebe ſummotæ, ut fiat, Odi profanum vulgus & arceo. Præterea curandum eſt, ne ſententiæ emineant extra corpus rationis expreſſæ, ſed intecto veſtibus colore niteāt. Homerus teſtis & Lyrici, Romanusque Virgilius & Horatij curioſa felicitas. Ceteri enim aut non viderunt viam qua iretur ad carmen, aut viſum timuerunt calcare. Ecce! belli civilis ingens opus quisquis attigerit niſi plenus literis, ſub onere labetur. Non enim res geſtæ verſibus comprehendendæ ſunt, quod longe melius Hiſtorici faciunt, ſed per ambages, Deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt liber ſpiritus: ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quàm religioſæ orationis ſub teſtibus fides.

Petronius Arbiter: Ego poeta ſum, & ut ſpero non humillimi ſpiritus, ſi modò coronis aliquid credendum eſt, quas etiam ad imperitos deferre gratia ſolet. *Satyrico.*

Plinius Iunior: Adiicis M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia foviſſe. Sed ego nec rogandus ſum nec hortandus. nam & poeticen ipſam religioſiſſimè veneror, & te validiſſimè diligo. *Lib. 3. epiſtol. 15.*

Plinius Iunior: Martialem, ut amiciſſimum, defunctum eſſe doleo. dedit enim mihi quantum maximè potuit: daturus amplius ſi potuiſſet. tametſi quid homini poteſt dari majus quàm gloria & laus & æternitas? At non erunt æterna quæ ſcripſit. non erunt fortaſſe: ille tamen ſcripſit tanquam eſſent futura. *Libr. 3. epiſtola 21. fine.*

Plinius Iunior: Gratum eſt vel maximè, quod me celandum non putaſti, fuiſſe apud te de verſiculis meis multum copioſumque ſermonem, eumque diverſitate judiciorum longius proceſſiſſe. extitiſſe etiam quoſdam, qui ſcripta quidem ipſa non improbarent, me tamen amicè ſimpliciterque reprehenderent, quod hæc ſcriberem recitaremque. quibus ego, ut augeam meam culpam, ita reſpondeo. Facio nonnunquam verſiculos ſeveros parum, facio & comœdias, & audio & ſpecto mimos, & lyricos lego, & ſotadicos intelligo: aliquando præterea redeo, jocor, ludo, utque omnia innoxiæ remiſſionis genera breviter complectar, homo ſum. Nec verò moleſtè fero hanc eſſe de moribus meis exiſtimationem, ut qui neſciunt, talia doctiſſimos, graviſſimos, ſanctiſſimos homines ſcripſiſſe, me ſcribere mirentur. ab illis autem quibus notum eſt, quos quantosque auctores ſequar, facilè impetrare poſſe confido, ut errare me, ſed cum illis, ſinant, quorum non ſeria modò, ſed etiam luſus exprimere laudabile eſt. An ego verear (neminem viventium, ne quam in ſpeciem adulationis incidam, nominabo) ſed ego verear ne me non ſatis deceat, quod decuit M. Tullium, C. Calvum, Aſinium Pollionem, M. Meſſalam, Q. Hortenſium, M. Brutum, L. Sullam, Q. Catulum, Q. Scævolam, Sergium Sulpitium, Varronem, Torquatum (imò, Torquatos) C. Memmium, Lentulum Getulicum, Annæum Senecam, Luceium, & proximè Virginium Rufum? & ſi non ſufficiunt exempla privata, D. Julium, D. Auguſtum, D. Nervam, T. Cæſarem? Neronem enim tranſeo: quamvis ſciam non corrumpi in deterius, quæ aliquando etiam à malis, ſed honeſta manere quæ ſæpius à bonis fiunt. inter quos vel præcipuè numerandus eſt P. Virgilius, C. Nepos, & prius Ennius Acciusque: non quidem hi Senatores: ſed ſanctitas morum non diſtat ordinibus. Recito tamen, quod illi an fecerint, neſcio: ſed illi judicio ſuo poterant eſſe contenti: mihi modeſtior conſtantia eſt, quam ut ſatis abſolutum putem quod à me probetur. itaque has recitandi cauſas ſector: primùm quod ipſe qui recitat aliquando acrius ſcriptis ſuis, auditorum reverentia, intendit: deinde quod de quibus dubitat, quaſi ex conſilij ſententia ſtatuit. multa etiam à multis admonetur. quid quisque ſentiat, perſpexit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio: quæ ſatis apertis notis judicium ab humanitate diſcernunt. *Lib 5. epiſt. 3.*

Plinius Iunior: Virginius tamen circa me tantum benignitate nimia modum exceſſit; niſi quod tamen poetis mentiri licet. *fine epiſt. 21. lib. 6.*

Plinius Iunior: Maximi oratores poeticen & in oblectationibus habuere, & in laude poſuere: *medio ferè. Epiſt. 4. lib. 7.*

Idem: Poſtremò placuit multorum exemplo, unum ſeparatim hendeca ſyllaborum volumen abſolvere: nec pœnitet; legitur, deſcribitur, cantatur etiam, à Græcis quoque, quos Latinè hujus libelli amor docuit: nunc cithara, nunc lyra perſonatur. Sed quid ego tam glorioſè? quamquam poetis furere conceſſum eſt. & tamen non de meo, ſed de aliorum judicio loquor, qui ſive judicant, ſive errant, me delectant. Unum precor, ut poſteri quoque, aut errent ſimiliter, aut judicent. *fine epiſtolæ ejusdem.*

Plinius Iunior: Fas eſt & carmine remitti, non dico continuo & longo, id enim perfici niſi otio non poteſt, ſed hoc arguto & brevi, quod aptè quantaslibet occupationes curasque diſtinguit. Luſus vocantur, ſed hi luſus non minorem interdum gloriam quam ſeria conſequuntur. atque adeo (cur enim te ad verſus non verſibus adhorter?

Vt laus eſt cera, mollis cedensq́ ſequatur
Si doctos digitos, doctaq́ fiat opus:
Et nunc informet Martem caſtamq́ Minervam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum:
Vtq́ ſacri fontes non ſola incendia ſiſtunt;
Sape etiam flores vernaq́ prata lavant:
Sic hominum ingenium flecti duciq́ per artes
Non rigidus docta nobilitate decet.

Itaque ſummi oratores, ſummi etiam viri, ſic ſe aut exercebant aut delectabant, imò delectabant exercebantque. nam mirum eſt ut his opuſculis animus intendatur remittaturque. recipiunt enim amores, odia, iras, miſericordiam, urbanitatem, omnia denique quæ ad vitam pertinent: atque etiam in foro cauſſisque verſantur. Ineſt his quoque eadem quæ aliis carminibus utilitas, quod metri neceſſitate devincti ſoluta oratione lætamur, & quod facilius eſſe comparatio oſtendit, libentius ſcribimus. *Epiſt. 9. lib 7.*

Plinius Iunior: Optime facis quod bellum Dacicum ſcribere paras. nam quæ tam recens, tam copioſa, tam lata, quæ denique tam poetica, & quantum in veriſſimis rebus, tam fabuloſa materia? *epiſtola 4. lib. 8.*

Plinius Iunior: Itaque poemata quieſcunt, quæ tu inter nemora & lucos commodiſſimè perfici putas. *Epiſt. 10. lib. 9.*

Plinius Iunior: Magna auctoris fides, tametſi quid poetæ cum fide? tamen auctor, cui bene vel hiſtoriam ſcripturus crediſſes. *Lib. 9. epiſt. 33.*

Cl. Mamertinus: Neque enim fabula eſt de licentia poetarum, nec opinio de fama veterum ſæculorum, ſed manifeſta res & probata. *Cap. 1. Paneg. Maximi.*

Latinus Pacatus: Scio fabulas poetarum, auribus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus tribuiſſe miracula: quæ ut ſint vera, ſunt ſingula. *Cap. 4. Panegyrici Theodoſio Aug. dicti.*

❡ POETARUM.

D. Greg. Nazianzenus in vita ſua.

Iam mentis atra nubilum verſus fugat,
Iuvenesq́ lætos reddit, & ſimul docet,
Mulcetq́ pectus ſuaviter.

Plautus Pſeudolo 1. ſc. 4. v. 5.

——— *Neque nunc quid faciam ſcio,*
Neq́ exordiri primum, unde occipias, habes,
Neq́ ad detexendam telam certos terminos.
Sed quaſi poeta tabulas cùm cepit ſibi,
Quærit quod nuſquam eſt gentium, tamen invenit,

Facit

Facit illud verisimile quod mendacium est:
Nunc ego poeta fiam. viginti minæ
Quæ nusquam nunc sunt gentium, reperiam tamen.

Phædrus præfat. lib. 3. Fabular.

Phædri libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, à negotiis
Vt liber animus sentiat vim carminis.
Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horæ pereat officij mei.
Non ergo causa est manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices: aliquæ venient feriæ
Quæ me soluto pectore ad studium vocent.
Legesne quæso potius viles nænias
Impendas curam quàm rei domesticæ,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Vt adsuetam fortiùs perstes vicem.
Mutandum tibi propositum est & vitæ genus,
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego quem Pierio mater enixa est jugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi
Fœcunda novies artium peperit chorum,
Quamvis in ipsa natus sim pene schola,
Curamq; habendi penitus corde eraserim,
Et laude invita in hanc vitam incubuerim,
Fastidiosè tamen in cœtum recipior.
Quid credis illi accidere qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigilia,
Docto labori dulce præponens lucrum?

Aristophanes Pluto v. 799.

Neq; enim decet poetam comicum, nuces
Et bellaria projicere spectatoribus:
Vt sic auram popularem & plausum captitet.

Aristophanes Ranis. v. 1027.

Heus, responde cur decet admirari, quæso, poetam?
E. Propter dexteritatē ingenij, & doctrinam, quia meliores.
Efficimus cives in republica.

Incertus auctor, ex imitatione Propertij.

Hac urbem circa, stulti monimenta laboris,
Quasq; vides moles, Appia, marmoreas,
Pyramidasq; ausas vicinum attingere cælum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die:
Et Mausolaum miseræ solatia mortis,
Intulit æternum quo Cleopatra virum:
Concutiet, sternetq; dies: quoque altius extat
Quodq; opus, hoc illud carpet, edetq; magis.
Carmina sola carent fato, mortemq; repellunt.
Carminibus vives semper, Homere, tuis.

Incerti auctoris.

Nullum opus exurgit, quod non annosa vetustas
Expugnet, quod non vertat iniqua dies:
Tu licet extollas magnos ad sidera montes,
Et calidas aques marmore Pyramidas.
Ingenio mors nulla nocet. vacat undiq; tutum,
In læsum semper carmina nomen habent.

Ausonius Epigr. III. Dido.

Invida cur in me stimulasti Musa Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ?
Namq; nec Æneas vidit me Trojus unquam,
Nec Libyam advenit classibus Iliacis:
Sed furias fugiens atq; arba procacis Iarbæ,
Servavi fateor, morte pudicitiam,
Pectore transfixo: castos quod pertulit enses.
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse juvat: vixi sine vulnere famæ:
Vlta virum, positis mœnibus, oppetij.
Vos magis historicis, Lectores, credite de me,
Quàm qui furta Deûm concubitusq; canunt,
Falsidici vates: temerant qui carmine verum,
Humanisq; Deos assimilant vitiis.

Guntherus lib. 1. Ligurini v. 34.

Certa quidem vatis dementa, carmen agreste
De tanto cecinisse viro: sed parce furori
Princeps magne pio, nec te præsumptio nostra
Exagitet: solis licet insanire poetis.

§ EMBLEMATUM.

Batillius L.
Cælo Musa beat.

Creditus occisæ matris de sanguine natus
Præpetibus pennis Pegasus astra petit,
Postquam jam à casto domita est sessore Chimera,
Deq; sacro Aonias vertice fodit aquas.
Nempe hac virtuti respondet Fama, virosq;
Inlustres cælo docta Camæna beat.

Batillius LI.

Quid petitur sacris nisi tantum fama Poetis?

Æternum decus est hedera, & Parnassia laurus
Perpetuo semper frondis honore viget,
Inde comas merito cingunt & timpora vates,
Queis æterna solet non nisi fama peti.

Batillius LII.
Poetarum gloria.

Iactatis pennis aude te credere cælo,
Poppæ, æthereas atque agitare vias.
Hoc tua quæ potuit tibi sic disponere Musa
Remigium alarum, prævia Musa reget.
Cedet & ipsa tuis impulsa volatibus aura,
Et tenues venti brachia mota ferent.
Nec dubita, vel tuta time, velut Icarus alter
Inde novis facias nomina lapsus aquis.
Dædaleum hîc nihil est; non ceris igne solutis
Musa tibi & lino nexuit istud opus.
Nata tibi à puero rata sed commercia cæli,
Et Phœbo ut Musa subdita cura tui est.
In manibus lauro, lauro inductâq; capillis
Agnoscet vatem per sua signa Deus.
Inq; suos tollet currus, tibi grande referre
Toto & quem lustrat nomen ab orbe dabit.

Batillius LIII.

Poeticæ suavitas.

Nascenti ingenij primis jam certa diebus
Dircæo hæc vati signa fuisse ferunt,
Cui myrti ramos inter laurosq; jacenti,
Parvulus dum molli membra quiete levat,
Musarum volucres ceu circum alvearia fusæ
Dulci instillato nectare labra rigant.
At mihi, quæ Hyblæis non messos collibus hortos,
Non violam, aut cytisos, Cecropiumve thymum,
Divarum instinctu sed totum Helicona videntur
Depastæ, dignis deposuisse favis.
Tantum illi augurium digna dare & omina tanta
Gloria qui vatum tanta futurus erat.

Camerarius XXII. Centur. 3.

Unius coloris. *Cygnus.*

Salvete ingenij divum unica cura poetæ,
Pectora salvete ô candidiora nive.

Camerarius XXIV. Centur. 3.

Aspiret mollior aura.

Dulcisonum mollis Zephyrus demulcet olorem:
Et vatum extimulat pectora dulcis honos.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Alphonsus Arag. Rex.
Aut prodesse volunt, aut delectare Poetæ,
Aut simul & jucunda & idonea dicere vitæ;

inquit Horatius. Quare non immeritò summo honore pariter & amore eos persecutus legitur Alphonsus. Nam cùm Parthenopen iter faceret, venissetque ad eum locu, munde Sulmo videri poterat, eamque Ovidij patriam intellexisset: urbe salutata, *Ego*, inquit, *huic regioni quæ non parva regni mei Neapolitani pars, lubens cedam, ut poetam hunc habeam: quem, licet mortuum, pluris faciam, quam Aprutij dominatum.* Spieg. in libr. 1. Panorm. de Gest. Alphon. cap. 47.

Carolus IX. Franc. Rex. Ille quoque fovere eos solitus, qui in Poesi excellerent, eisque præmia largiri: minùs ampla tamen, ut semper nova meditantes, sæpiùs redirent. Dicebat autem: *Poetas equis generosis similes, quos nutrire oportet, non saginare.* Meminerat fortassis illius Persij in Prologo:

Quòd si dolosi spes refulserit nummi;
Corvos Poetas, & poetridas picas,
Cantare credas Pegaseium melos.

Annal. Franc.

Thomas Morus. Et ille miles Phœbi, Musarum castra secutus aliquando, receperat versus quosdam à filia sua Margaretâ conscriptos; iisque lectis, dicebat: *Singulos hos versus non singulis aureis, quod Cherilo fecit Alexander; sed si animo par esset facultas, singulas syllabas unciis binis auri compensarem.* Thom. Stapler. in Vita cap. 11.

Anonymus Poeta. Quis non ergo appositè & eleganter respondisse fatebitur quemdam Poetam, qui Adrianum VI. Pont. Max. crebris versibus, quorum in locum ipse nummos aliquando rependerat, salutabat. Dicenti namque sibi Adriano, eò quòd toties rediret, & eadem encomia mutato metri genere offerret:

Desine

Desine pro numeris nummos sperare Poeta;
Carmina si dederis, carmina reddidero.

ille inexspectatò, miro cum lepôre, liberiùs tamen, ut ingenia illa sunt, subjecit:

Ni tibi pro numeris numeros Fortuna dedisset,
Non esset capiti tanta corona tuo.

Recensuit inter alia à se observata, Francisc. Svvertius junior, egregius memorabilium rerum & sermonum indagator.

¶ Monosticha Trochaica.

A Musis veniunt Poetæ: Reges veniunt à Iove.
Absq; nomine alma virtus, si poeta deest, perit.
Absq; vate manca virtus, claudaq; orbis gloria est.
Ad lyram Phœbi tremiscunt ira quos odit Iovis.
Alitum permagna turba est: paucula sunt oscines.
Aufer a virtute vatem, sæculo primo interit.
Carminum bonis doctisq; debita præconia.
Carminum decus futura sæcula usq; promovent.
Consules fiunt quotannis: sæcla vix vatem ferunt.
Cur calentibus poeta te implicas negotijs?
Contumax ars est poetæ, corrigiq; se haud sinit.
Cygnus haud canit, secundus quàm cùm ei est Favonius.
Dia gloriationi versuum oda congruit.
Fama unum unicumq; curæ præmium est poeticæ.
Fonte docta non sudantur, verùm fronte carmina.
Fortium laus est perennis. Musa nam nulla interit.
Fulget aurum obryzum, at illo carmen est fulgentius.
In superstites poetæ non in mortuos fremunt.
Induunt oblivionem cuncta vate quæ carent.
Iupiter quos odit, assis Aonum haud faciunt melos.
Lætior, post fata, virtus ac fides vatum nitet.
Laus poetæ ad nullam certam & solidam frugem pervenit.
Laudis expertes poetam non amant, magis timent.
Nemo mediocres poetas æstimat, pauci bonos.
Nemo nunc bonus poeta est, plurimi vivunt mali.
Nemini poeta medius notus est; paucis bonus.
Nomen, ô virtus, inane es absq; vi poetica.
Non canit verum poeta, non canit mendacium.
Non lyra Orphei, ipsius Orpheus homines leniit ac feras.
Non potest amare vatem, laudis est in quo nihil.
Non potest poeta magnus esse qui unà non furat.
Non tam vocis quàm virtutis sunt concentus carmina.
Nulla facta tam diu durant, quàm vatum præconia.
Omnia in maius poetica ausus extollit tuba.
Ordo Apollini sacratus nescit invidentiam.
Pindari os unum Thebanam publicam rem illuminat.
Quid? poetas túne censes scribere ea quæ sentiunt?
Quis poeticas fervit, mentis integer, fores?
Quod sacrat poeta, verum est, sit licet mendacium.
Quod speculum formæ, hoc præclaris actibus sunt carmina.
Rex malus non fert poetas: rex bonus magnifacit.
Rex malus timet poetas, rex bonus cultu excipit.
Rex poetarum cui cura est, regnat & post funera.
Regibus charus poeta: charior tamen Deo est.
Si quis est bonus poeta, vir profectò haud est malus.
Sobrius lector poetâ de ebrio queï judicet?
Sponte est sua poeta liber, imo rex sui.
Tolle vates, nulla virtus transilibit inferos.
Væ potentiæ; poeta cui creber dicit malè.
Veritas penes poetas non est, ast opinio.
Vina ni potes, poeta nullus esse unquam potes.
Vix poetico est habenda testimonio fides.
Vox aedonum vigebit cùm tacebunt noctua.
Vt tripodi insidet poeta Musa, mentis haud sua est.

¶ Jambica.

Aliena multi carmina edunt pro suis.
Aliter poetæ scribunt, aliter sentiunt.
Aliquid loqui ingens, mens nisi mota non potest.
Bonus poeta semper est vir optimus.
Cantânt vel ultrò ver ubi est aedones.
Cycnis canendum est, cùm tacebunt graculi.
Cygni canores gracculis silentibus.
Est & poetarum usq; vivax gratia.
Etiam à poetis discere est facundiam.
Etiam decus sunt carmina immortalium.
Etiam thymi flos apiculis mel sufficit.
Et obstetrix poesis est mendacij.
Examinare libra Musicam nequit.
Facio meum ubiq; quidquid est dictum bene.
Frequens poeta, sæculi laus aurei est.
Frustra fores pulsat sanus poeticas.
Gens dia vatum funere absumi negat.
Haud admodum curæ est poesi veritas.
In secla vatum parca nullum jus habet.
Lusus poetæ freti sunt sapientiâ.
Nec commodum est nec dignitas in carmine.
Nil gente vatum vivit innocentius.
Orphei lyram pulsans Neanthus interit.
Potans aquam diluta condit carmina.
Pacem volunt habere mentis carmina.
Placet sibi suis poeta in canticis.
Poema fit, vel mortis in viciniâ.
Poesis est jucunda res, & utilis.
Quam seminat stirpem poeta, haud interit.
Quod gentium nusquam est, poeta repperit.

Politicæ rei.

¶ Sententiæ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

XEnophon: Lycurgus haudquaquam alias civitates imitatus, imò etiam contraria plurimis statuens, ut patria sua felicitate ceteris prę staret, effecit. Quippe statim, ut ab ipso principio rem ordiar, quod subolis procreationem adtinet, alij puellas, quæ pariturę sunt, & recte videntur educari, quam maxime modico fieri pane potest, ac prout licet obsonio pertenui alunt: & quidem eas ita regunt, ut à vino vel prorsus abstineant, vel diluto utantur. Ut autem plerique opifices sedentarij sunt, sic Græci ceteri puellas ab omni motu liberas lanificium exercere volunt. At quomodo potest exspectari, ut quæ sic educantur, insigne quid pariant? Lycurgus autem existimabat, vel ipsas ancillas ad vestem parandam sufficere: ingenuarum munus inprimis esse ratus, procreare liberos. Itaque primum non minus femineum sexum habere corporis exercitia jussit, quam masculum. Deinde sicut viris inter se certamina cursus & roboris instituit, sic etiam feminis: quod statueret ex utroque parente robusto etiam subolem robustiorem nasci.

Jam ubi ad virum accedit mulier, quod alios immodice videret initio cum uxoribus consuescere: hac etiam in parte quiddam diversum statuit. Quippe sanxit, pudore virum præpediri debere, quo minus ad uxorem vel ingrediens, vel egrediens, ab aliis conspiciatur. Hoc modo si consuescant, majori eos erga se desiderio teneri necesse est: & fœtus, si qui producantur, fieri robustiores, quam si satietas inter eos obrepat. Præterea potestate adempta, ne quivis uxores ducerent, quum ipsis lubitum esset; jussit, ut dum vigerent corpora, matrimonia contraherent, idque non minus ad rectam procreandi rationem conducere putabat. Quod si usuveniret, ut vetulus uxorem juvenculam haberet: quia complures in hac ætate videbat esse, qui uxores diligentissime custodiant, etiam hac in parte contrarium quiddam statuit. Jussit enim, ut hic senex eo viro, quem ob corporis & animi dotes suspiceret, ad uxorem adducto, subolem susciperet. Quod si quis feminæ coniugium aversaretur, ac nihilominus præstantium liberorum cupidus esset: etiam huic lege permisit, ut quamcunque fœcundam & indolis generosæ conspexisset, eius marito persuasione suam in sententiam adducto, ita deinde prolem ex ea procrearet. Atque huiusmodi multa concessit. Etenim hac ratione feminæ binas domos occupant, & mariti earum liberis suis fratres adjungunt, qui in generis quidem ac virium societatem veniunt, à facultatibus tamen excluduntur. Hoc modo quum de procreatione subolis statueret aliud, quam ceteri, num Spartæ viros tam proceritate, quam robore præstantes produxerit; consideret, qui volet.

Equidem quia de procreatione dixi, etiam utriusque sexus institutionem exponam. Ex Græcis ergo ceteris ij, qui rectissime liberos suos instituere se ajunt, ubi primum pueri norunt ea, quæ dicuntur intelligere: mox servos eis pædagogos præficiunt, mox eos ad magistrorum ludos mittunt: ut & litteras, & musicam, & quæ ad palæstram pertinent, discant. Præterea puerorum pedes calceis teneriores reddunt, & corpora vestium mutationibus ad molliciem consuefaciunt: cibi modum ventre metiuntur. Lycurgus autem pro eo, quod illi seorsum singulis servos pædagogos præficiunt, virum eis præesse cum imperio voluit, ex illorum numero, qui magistratus summos obeunt. Huic à puerorum gubernatione pædonomi est inditum nomen, cui quidem potestatem plenam colligendi pueros concessit, & eosdem puniendi graviter: inspectanti, an quis nequiter agat. Eidem ex Ephebis quosdam, qui flagella gestarent, adjunxit: ut quum res posceret, pœnas pueris irrogarent. Quo factum, ut magnum verecundiæ, magnum in pueris obedientiæ studium esset. Pro eo vero, quod alij calceis pedes emollirent: jussit, ut nuditate pedes duriores efficerent. Existimabat enim futurum, si ad hoc semet exercitarent, ut multo facilius ardua loca conscenderent, per declivia tutius descenderent, exsilirent, prosilirent, currerent discalceati, si quidem pedes adsuefecissent, multo expeditius, quam calceati. Itidem pro eo, quod illi vestibus ad molliciem se comparabant: statuit, ut ad unum se vestimentum anno toto adsuefacerent: quod putaret hac ipsos ratione tum ad frigora, tum calores rectius instructos fore.

Cibi tantum masculo sumendum censuit, ut præ repletione non gravetur, & penuriam cibi aliquam tolerandi non ignarus sit.

Exiſtimabat enim illos, qui ſic inſtituerentur, magis, ubi uſus ita poſceret, labores ſine cibo toleraturos; magiſque futurum, ut ſi eſſet imperatum, ab eodem cibo longius ad tempus abſtinendo durarent, minus obſonii requirerent, quamvis eſcam denique faciliꝰ admitterent. Præterea putabat alimentum, quod corpora gracilia potius efficeret, quam cibo dilataret, ad ſalubrius vivendum, & ad incrementum proceritatis adjumenti plus adferre. Vt autem à fame non nimium premerentur, non conceſſit ille quidem eis, ut ſine negotio conſequerentur, quibus ipſis opus eſſet: ſed permiſit, ut ea furto ſubtraherent, quibus levari fames poſſet. Non tamen eum idcirco ipſis conceſſiſſe, ut artificioſa induſtria ſibi victum pararent, quia non haberet, quod aliud illis daret; neminem ignorare arbitror. Nimirum patet eum, qui aliquid furto ſit ablaturus, neceſſe habere, ut noctu vigilet, interdiu fallat, inſidias locet, atque etiam exploratores paret, ſi quidem aliquid accipere velit. Quamobrē pueros ad hæc omnia condocefaciebat, quod eos ad paranda neceſſaria ſollertiores, adeoque bellicoſiores facere vellet. Fortaſſe quis dixerit: Cur igitur, ſi quidem furari bonum quid eſſe arbitrabatur, multis eum verberibus caſtigabat, qui deprehendebatur: Nimirum ideo, mea quidem ſententia, quod aliis etiam in rebus, quas homines docent, non recte aliquid exſequentem plectant. Quamobrem illi quoque in deprehenſos, ut parum peritos fures animadvertunt. Quumque ingenioſum eſſe ſtatuiſſet, ſi qui plurimum tritici raperent: eos tamen ab aliis ad aram Orthiæ flagris cædi juſſit. Quo quidem ſignificare voluit, quod is, qui exiguo tempore dolores perfert, diuturna voluptate cum gloria frui poſſit. Præterea ſignificatur hoc ipſo, mollem ac ignavum hominem, quum celeritate opus eſt, utilitatis minimum capere, moleſtiæ plurimum.

Vt autem pueri etiam moderatore ſuo abſente, numquam aliquo deſtituerentur, qui eis præeſſet: inſtituit, ut ex civibus, quicumque præſens quovis eſſet tempore, poteſtatem haberet tum imperandi pueris quod ex uſu eſſe videretur, tum plectendi ſi quid delinquerent. Quare perfecit, ut etiam pueri verecundiores eſſent. Quippe nihil ita neque pueri, neque viri reverentur, atque præfectos ſuos. Vt autem ne tunc quidem, ubi forte nullus ætatis virilis adeſſet, rectore pueri ſuo carerent: ſanxit, ut is, qui eſſet in claſſe qualibet acerrimus, maribus imperaret. Quo fit, ut iſtic pueri numquam rectore careant. Etiam de puerorum amoribus dicendum mihi videtur, quod hoc quoque ad inſtitutionem pertineat. Alijs in more Græcis eſt, ut vel conjuncti vir ac puer degant, quod fit apud Bœotos; vel formæ venuſtate muneribus potiantur, quod Eleis in uſu eſt. Nonnulli ſunt, qui prorſus amatores cum pueris etiam colloqui vetant. Lycurgus autem his omnibus contraria ſtatuens, ſi quis vir eſſet ejuſmodi, qualem eſſe deceret, indolemque pueri admiratus, amicum ſibi ſincerum efficere cuperet, & cum eo verſari: hoc ipſum laudabat, eamque putabat inſtitutionem eſſe optimam. Sin aliquem pueri corpore dumtaxat capi adpareret, id vero turpiſſimum eſſe ſtatuit: adeoque perfecit, ut Lacedæmone omnes inter ſe conjuncti amore tam ſancte caſteque viverent, quam parentes cum liberis, fratres cum fratribus ſolent. Quæ ſane fidem apud quoſdam non mereri, nihil miror. Nam leges in pleriſque civitatibus libidines ejuſmodi non coercent. Atque hactenus de inſtitutione tam Laconica, quam ceterorum Græcorum dictum eſt. Vtra vero promtiores ad parendum, & verecundiores, & continentiores in ijs, ubi neceſſe eſt, viros efficiat; id etiam conſideret, qui volet.

Enimvero poſteaquam è pueritia tranſeunt ad adoleſcentiam, tum Græci quidem ceteri pædagogis magiſtriſq; liberos ſuos committere deſinunt, neque quiſquam amplius eis imperat, ſed juris ſui fiunt: Lycurgus autem his quoque contraria ſtatuit. Nam quod animadverteret illis, qui hac eſſent ætate, ſpiritus à natura maximos ineſſe, maximamque petulantiam redundare, cupiditates denique voluptatum vehementiſſimas adeſſe: idcirco tunc plurimis eos laboribus ſubiecit & occupationes eorum plurimas excogitavit: Quumque addidiſſet eum, qui hæc fugeret, expertem fore deinceps rerum egregiarum omnium: perfecit, ut non tantum publice conſtituti, ſed illi etiam, qui gererent privatim curam ſingulorum, operam darent, ne præ ſecordia remiſſis animis, contemtui civibus univerſis eſſent. Præterea quum vehementer animis eorum pudorem inſerere cuperet, inſtituit: ut in via manum utramque intra veſtem continerent, incederent taciti, nuſquam circumſpicerent, ea tantum intuerentur, quæ ante pedes eſſent. Unde patuit, ſexum marem etiam femineo ſe modeſtius poſſe gerere. Sane vocem illorum minus audias, quam ſi lapidei: minus oculos flexeris, quam ſi eſſent ahenei: deniq; verecundiores eſſe duxeris, quam ſint eæ, quæ in thalamis degunt virgines. Quod ſi etiam ad philitium veniant, ſatis habendum, hoc ex eis audiri, de quo interrogati ſunt. Atque hanc Lycurgus ætati puerili curam adhibuit.

Ceterum multo maximam diligentiam puberibus impendit, quod eos duceret, ſi tales evaderent, quales eſſe conveniret, plurimum momenti civitatis commodis adlaturos. Itaque quum videret illorum, in quorum animis maxime ſtudium contentionis quoddam exiſteret, & choros auditu, & certamina gymnica ſpectatu eſſe digniſſima: arbitrabatur, ſi puberes in contentionem virtutis inter ſe committeret, etiam illos hoc modo ſummam fortitudinis laudem adſequuturos. Exponam autem, quomodo inter ſe hos commiſerit. Eligunt Ephori ex eorum numero, qui ætate ſunt vegeta, tres viros, quos Hippagretas vocant. Eorum quisque centum ſibi viros deligit, ac ſimul declarat, quamobrem alios præferat, alios reiiciat. Itaque illi, qui honorem hunc non conſequuntur, inimici fiunt tam iis, à quibus reiecti ſunt, quam his in electione ſibi prælatis: ſeque obſervant mutuo, num aliquid adverſus ea, quæ honeſta ducuntur nequiter committant. Atque hæc eſt diis acceptiſſima & inprimis utilis reipublicæ contentio; qua demonſtratur, quid viro forti faciundum ſit: & utrique ſemet in eo ſeorſum exercent, ut ſemper ſint præſtantiſſimi, ac res ſi poſtulet, ſingillatim reipublicæ totis viribus opitulentur. Præterea neceſſe eſt, ut integritati virium ſtudeant. Nam ubicunque congreſſi fuerint, ob hanc inter ſe rixam colluctando pugnant. Et dirimere pugnantes cuiusvis eſt in poteſtate, qui forte intervenerit. Quod ſi quis dirimenti non obtemperet, eum moderator juventutis ad Ephoros deducit: à quibus ille multatur, acerrimo ſtudio id efficere volentibus, ne quis unquam ab ira ſuperatus impediatur, quo minus legibus pareat. Qui vero jam pubertatis annos exceſſerunt, è quorum numero magiſtratus ſummi creantur, eos Græci ceteri, detracta virium exercendarum cura, in militiam nihilominus proficiſci jubent. Lycurgus autem introduxit, ut illa in ætate quam honeſtiſſimum habeatur, venationi operam dare, niſi quod publicum munus impediat: ut etiam hi non minus, quam puberes, perferre labores militares poſſint.

Ac prope jam explicatum eſt, quæ cuilibet ætati ſtudia Lycurgus præſcripſerit. Qualem vero victus rationem univerſis inſtituerit, jam exponere conabor. Spartanos igitur Lycurgus iis moribus reperit, ut pro Græcorum reliquorum conſuetudine domi ſuæ victitarent. Quumque animadvertiſſet, in his plurimos nequiter ſe gerere, convictus illos in publicum eduxit, quod ea ratione futurum exiſtimaret, ut minime imperata transgrederentur. Cibum etiam eo modo dari eis juſſit, ut neque nimium replerentur, neque penuria laborarent. Multa vero etiam præter exſpectationem fiunt de illis quæ venando capiuntur. Et locupletes nonnunquam prædam venatu captam in commune conferunt. quo fit, ut menſa nunquam careat iis rebus, quibus veſcantur, quam quidem diu convictus ille durat; nec tamen ſumtuoſa ſit. Sublatis etiam potationibus non neceſſariis, quæ tum corpora, tum animos labefactant, poteſtatem eis bibendi reliquit, ubi quisque ſitiret. Nam hac ratione putabat potum minime noxium, & longe ſuaviſſimum effici. Quamobrem qui fieri poteſt, ut aliquis ex iis, qui ſimul hoc modo victitant, vel gula, vel temulentia ſe, remve ſuam familiarem perdat? Etenim aliis in urbibus plerumque æquales inter ſe verſantur, inter quos minimum eſt pudoris. Lycurgus vero Spartæ ſic omnia miſcuit, ut illic juniores ab experientia ſeniorum ut plurimum erudiantur. Nam more patrio commemoratur in publicis illis epulis, quidquid in republica quiſque præclare fecerit. Quo fit, ut iſtic minimè vel iniuria, vel ex vino petulantia, vel factum turpe, vel turpe dictū adhæreſcat. Etiam ad hoc utiles ſunt epulæ foris publicæ, quod obambulare cogantur, ubi domum diſcedere volunt: atq; operam dare, ne præ vino titubent: quippe qui ſciant ſe non ibi manſuros, ubi cœnaverint, & tenebris perinde ſibi utendum, ac die. Non enim cum face licet ei, qui necdum militiæ vacationem impetravit, incedere. Quum autem animadvertiſſet Lycurgus eos, qui à cibo ſe laboribus exercent, & boni coloris & ſucculentos & robuſtos eſſe; qui vero à laboribus abſtinerent, tumentes, ac deformes, imbecilloſq; cōſpici: ne id quidem neglexit, ſed conſiderans eum, qui ſponte ſua labores ſuſciperet, exhibere corpus ad quævis idoneum ac ſufficiens: præcepit, ut ſemper is, qui quolibet eſſet in gymnaſio natu maximus, curam adhiberet, ne unquam ipſi deteriores evaderent inter eos, qui convictu eodem uterentur. Qua in re mihi quidem non aberraſſe videtur. Nec enim facile quis homines inveniat, qui Spartanis aut bona valetudine, aut corporis viribus præſtent. Nam pariter & cruribus, & manibus, & cervicibus exercentur.

Præterea ſecus hac etiam in parte judicabat, quam alij plurimi. Nam ceteris in urbibus quiſque ſuis liberis, ſervis, facultatibus præeſt. Lycurgus autem, qui efficere vellet, ut cives nullo ſibi invicem damno dato, etiam commodis quibuſdam opera mutua fruerentur: inſtituit, ut quiſque tam ſuis, quam alienis liberis imperaret. Quod ſi quis ſciat, eos pueros, in quos imperium ipſe ſibi ſumit hos vel illos habere patres: neceſſe eſt ſic eis imperet, quemadmodum & ſuo vellet imperari. Si quis autem puer verberibus aliquando cæſus ab alio, patri ſuo id enunciet: turpe eſt, non eidem alias inſuper plagas addere. Vſque adeo fidem ſibi invicem habent, nequaquam futurum, ut turpia pueris præcipiant. Sanxit etiam, ut famulis, ſi eorum opera quis egeat, alienis uti liceat: inſtituta venaticorum quoque canum communione. Itaque ſi qui canibus egent, ad venationem alios invitant; ac ſi cui non ſit otium, ut ipſe venetur, lubenter canes concedit. Itidem utuntur & equis. Nam qui æger eſt, aut vehiculo indiget, vel celeriter aliquo pergere cupit, ſicubi equum videat, eum ſumit, ac poſteaquam illo recte uſus eſt, reſtituit. Ne id quidem apud ſuos fieri voluit, quod ceteris eſt in uſu. Quippe quum præ venandi ſtudio ita nox eos oppreſſit, ut neceſſarijs ad victum egeant, eorumque parati nihil habeant: ſanxit, ut illi, qui venari deſierunt, inſtructa relinquant; qui vero iis egent, apertis ſigillis, & acceptis neceſſarijs, cetera rurſus obſignata relinquant. Atque hoc modo communicatis inter ſe rebus, etiam illi, qui pauca poſſident, participes omnium fiunt, quæ regio illa fert, ubi quid ſuum ad uſum requirunt.

Etiam hoc ratione quadam diversa reliquorum à Græcorum consuetudine Lycurgus Lacedæmone sanxit. Nam aliis in urbibus omnes quocunque modo possunt rem faciunt. Hic agrum colit, ille naviculatoriæ deditus est: hic mercatura, ille opificio exercendo se alit. Spartæ vero Lycurgus ingenuis, quo minus ea, quibus rem facere possint, adtingant, interdixit: iussis suis, ut illa tantum ad se pertinere ducerent, quæcunque ad libertatem civitatibus parandam faciant. Nam cur istic opes aliquis adfectaret, ubi quum ipse instituisset, ut omnes ex æquo rebus ad vitam necessariis potirentur, eademque ratione victus uterentur, hoc ipsum effectum erat, ut opes voluptatis causa non expeterentur? Ne vestium quidem causa pecuniæ studendum. Non enim magni pretii veste, sed corporis egregia constitutione ornantur. Non item propterea, ut contubernaliū causa facere sumtum possint, pecuniæ ipsis cogendæ sunt. Sanxit enim, ut gloriosius habeatur, corporis labore prodesse sodalibus, quam faciendis sumptibus: quorum alterum ab animo, alterum ab opulentia proficisci demonstrabat. Etiam per nefas rem facere, his ipsis rebus vetuit. Nam primum eiusmodi monetam instituit, cujus si tantum in domum inferretur, quantum minas X. æquaret; fieri non posset, ut id vel dominis, vel servis occultum esset. Etenim & amplo id collocari spatio & plaustro necesse esset vehi. Aurum autem argentumque perquiri solet, ac sicubi conspectum fuerit, possessor multatur. Cur igitur istic quærendis opibus opera detur, ubi comparatio plus molestiæ, quam usus voluptatis exhibeat? Enimvero cives Spartanos inprimis & magistratibus & legibus parere, scimus omnes.

At ego Lycurgum ne quidem adgressum arbitror egregiam illam reipublicæ constitutionem, prius quam civitatis optimates suā in sententiam adduxisset. Eius rei hoc argumentum habeo, quod qui aliis in urbibus potentiores sunt, ne videri quidem volunt metuere magistratus: adeoque ducunt hoc esse ab homine libero alienum. Spartæ vero præstantissima dignitate viri maxime magistratus observant, ac sibi gloriosum putant, si humiles sint, & arcessiti non gradatim incedendo, sed currendo se parendi studiosos esse declarent. Existimant enim, si ad summam obedientiam præstandam duces ipsi fuerint, etiam alios ipsorum exemplum sequuturos quod quidem ita accidit. Et consentaneum vero est, hos ipsos Ephororum potestatem una cum Lycurgo instituisse: quod animadverterent, obedientiam summum & in urbe, & apud exercitum, & in familia bonum esse. Nam quanto major magistratus potestas esset, tanto plus terroris civibus adlaturam arbitrabatur ad hoc, ut dicto essent audientes. Igitur Ephoris virium satis est ad multandum, quem velint, & subito multam exigendi potestas iisdem est, atque etiam magistratus, dum adhuc cum imperio sunt, loco movendi, vel carceribus constringendi, vel in judicium de vita vocandi. Tanta quum eorum potestas sit, non quemadmodum aliis fit in urbibus, magistratus creatos ex animi arbitratu toto anno uti permittunt imperio suo: sed regum instar, eorumve præsidum, qui certaminibus gymnicis moderantur, si quem in leges aliquid committere animadvertunt, eum mox puniunt.

Quumque multa præclare Lycurgus excogitaverit, quibus efficeret, ut cives legibus obtemperare vellent: inprimis hoc pulchrum equidem statuo, quod multitudini leges non prius tradiderit, quam cum optimatibus Delphos profectus, Apollinem consuluisset, an Spartæ status melior feliciorque futurus esset, si legibus, quas tulisset ipse, pareret. Is vero quum oraculū respondisset, omnino id ex usu fore: tum demum eas tradidit, non modo contra leges, sed etiam pietatem facturos statuens, si legibus oraculo Pythio comprobatis non obtemperassent. Hoc etiam in Lycurgo admiratione dignum est, quod in civitate sua perfecerit, ut vitæ turpi mors honesta præferretur. Nam si quis rem consideret, inveniet pauciores ex his perire, quam ex illis, qui è periculo subducere se malunt. Adeoque verum ut dicam, magis virtutem comitatur incolumitas diuturnior, quam ignaviam. Nam virtus & alacrior est, & suavior, & expeditior, & firmior. Etiam hoc manifestum est, gloriam inprimis comitem virtutis esse. Etenim viris fortibus omnes adjungere se belli societate volunt.

Qua vero arte consequutus sit, ut hoc efficeret; id quoque rectum erit haud omittere. Nimirum Lycurgus plane præstitit, ut viri fortes beatam, ignavi miseram vitam agerent. Nam aliis in urbibus quum ignaviter aliquis se gerit, duntaxat hominis ignavi cognomento notatur: ac nihilominus negotiatur in eodem foro vir ignavus, quo strenuus; ibidem & sedet, & exercet se, si velit. At Lacedæmone quivis pudendum duxerit, hominem ignavum vel in idem contubernium, vel ad eadem exercitia in luctis admittere. Sæpenumero etiam vir huiusmodi, quum dividuntur, qui pila ex adverso ludant, neutram ad partem admissus pro supervacaneo relinquitur: itidemque in choris ad ignominiosa loca reiicitur. In via quoque aliis ut cedat necesse habet, & in consessibus, & inter juniores ut adsurgat. Præterea ut puellas ad se pertinentes alat domi, quæ & ipsæ culpam alienæ ignaviæ sustineant: ut caveat, ne domo prodeat mulier, eoque nomine multam persolvat: ut unctus nitidusq; non obambulet, honestæ famæ homines non imitetur, nisi à melioribus verberari velit. Huiusmodi quum ignavos infamia premat, nihil miror, istic mortem adeo probrosæ infamique vitæ anteferri. Videtur etiam mihi Lycurgus egregie lata lege demonstrasse, qua ratione virtus ad senectutem usque possit exerceri. Nam quia judicium de senatoribus ad vitæ metam retulit, hoc ipso effecit, ut ne quidem in senecta laudis & honesti studium negligeretur. Hoc quoque dignum admiratione, quod fortium virorum senectuti consuluerit. Quia enim sanxit, ut judicandi de animo jus penes seniores esset: perfecit, ut hominum vegetorum robore senectus sit honoratior. Ac merito sane certamini huic inter alia mortalium certamina studium maximum adhibetur. Nam & ludi gymnici sunt illi quidem egregij, verum ad corpora pertinent: at hoc de senum ordine certamen, de fortibus animis judicium facit. Quanto igitur animus corpore præstat, tanto majoris animorum certamina, quam corporum, fieri debent. Jam illud etiam in Lycurgo qui non insignem admirationem meretur: quod quum animadvertisset eos, qui virtutis studiosi non sunt, non posse patriam majorem ad potentiam evehere: omnes Spartæ coegerit in omni se genere virtutum exercere. Itaque ut homines privati privatis virtute præstant, & virtutem studiose colentes, eiusdem exercitia negligentibus: sic urbibus haud dubie cunctis Sparta virtute præstat, quippe quæ sola publicæ laudis & honesti studio teneatur. An non enim hoc quoque præclarum, quod quum urbes ceteræ plectant, si quis in alium injurius exstiterit: Lycurgus nihilo minus in eum animadvertat, qui se negligentem in hoc declarat, ut sit vir optimus? Existimabat scilicet, uti quidem adparet, à plagiariis, vel fraudatoribus, vel furibus, tantum eos injuria adfici, qui damnum accipiunt: ab ignavis autem, effeminatisque totas civitates prodi. Quo fit, ut mea sententia maximas his pœnas jure constituerit. Præterea suis necessitatem quandam, quæ recusari nequeat, colendi omnem virtutem civilem, imposuit. Nam iis, qui præscripta legibus perficerent, pariter universis rempublicam propriam esse voluit: nulla neque corporum imbecillitatis, neque tenuitatis facultatum habita ratione. At si quis præ ignavia defugeret labores in obeundis iis, quæ leges jubent: eum Lacedæmone in numero parium ne quidem haberi debere decrevit.

Jam quod hæ leges antiquissimæ sint, patet. Nam Lycurgus Herculis nepotes adtigisse perhibetur. Sed licet antiquæ sint, tamen nunc adhuc maxime novæ sunt aliis. Etenim quod admiratione dignissimum est, huiusmodi vitæ studia collaudant omnes, imitari nulla civitas cupit. Atque hæc quidem communia sunt pacis ac belli bona. Si quis autem cognoscere vult, Lycurgum bellicis etiam in rebus quiddam invenisse rectius, quam ceteri: de eo licet hæc audiat. Primum Ephori annos ætatis indicant publice, quibus in militiam tum equitibus tum peditibus armatis, atque etiam opificibus eundum sit. Quo fit, ut quorumcunque opera in urbibus homines utuntur eorum omnium Lacedæmonij copiam in castris habeant. Itidem quibuscumque machinis & instrumentis exercitui communiter opus est, ea partim plaustris suppeditari mandatum est, partim jumentorum subvectione. Nam ea ratione, si quid deest, obscurum minus esse possit. Ad armorum certamina, huiusmodi quædam excogitavit. Vestem eos puniceam habere voluit, & scutum æreum. Existimabat enim, genus hoc vestis minime cum muliebri commune quidquam habere, ac tale scutum bello aptissimū esse. Nam & celerrime nitescit, & sordes haud facile contrahit. Fecit etiam illis, qui pubertatis annos excessissent, comam alendi copiam: quod eos hoc pacto grandiores, ac vultu magis liberali, terribilioresque visum iri arbitraretur. Quibus in hunc modum instructis, in sex cohortes equitatum ac gravem armaturam distribuit. Quælibet autem civium cohors polemarchum unum habet, centuriones quatuor, quinquagenum præfectos octo, manipulorum duces sexdecim. Ex his vero cohortibus, ubi sic imperatur, nonnunquam milites per manipulos disponuntur, nonnunquam in ternos, nonnunquam in senos. Quod autem complures existimant, armatorum aciem Laconicam valde implicatam esse: ij vero sequius opinantur, quam sese res habeat. Nam in acie Laconica præfecti loco principe consistunt, & series quælibet habet omnia, quibus repræsentatis opus est. Tam facile est autem, hanc aciei rationem intelligere: ut nemo, qui homines queat adgnoscere, possit unquam errare. Nam aliis præcedendi munus datum est, aliis imperatum, ut sequantur. Ordinum vero promotiones, tanquam à præcone, manipularis præfecti verbis indicantur: fiuntque phalanges tum rariores, tum densiores: quarum rerum nihil omnino cognitu est difficile.

Quod autem hæc acies, etiamsi turbata fuerit, cum obvio quovis similiter dimicari possit: id intellectu facile non est, extra quam iis, qui Lycurgi legibus instituti fuerint. Facillima sunt & ea Lacedæmoniis factu, quæ vel gladiatoribus peresse difficilia videntur. Nam quum in cornu pergunt, sequitur à tergo manipularia series. At si phalanx hostilis ex adverso interea se ostentaverit, manipulario duci denuntiatur, ut ad frontem clupeum versus consistat: atque ita si penitus, donec phalanx hostibus adversa steterit. Jam si acie ipsorum hoc pacto disposita, hostes à tergo venientes adparuerint: quælibet series evolvitur, ut fortissimi quique semper hostibus oppositi sint. Quod si aliquando dux agminis ad latus lævum sit, ne tum quidem conditione se deteriore esse putant, imo nonnunquam meliore. Nam si qui eos undique cingere conarentur, non versus partes nudas, sed armis munitas eos circumdarent. Si certa de causa visum aliquando sit expedire, ut cornu dextrum ductor obtineat: verso in cornu agmine phalangem evolvunt, donec ad dextram sit ductor, & agmen extremum ad lævam.

Rursus si ab hostibus ad dextram constitutis acies sese ostenderit progredientium in cornu, nihil agunt aliud, quam quod centurias

ſingulas,triremis inſtar,hoſtibus velut objecta prora , convertunt ;
qua ratione ſeries ea , quæ extremo eſt in agmine , haſtam verſus
conſtituitur. At ſi à lævo latere acceſſerint hoſtes , ne hoc quidem
permittunt : ſed repellunt eos, vel adverſas ſeries adverſariis obver-
tunt.

Qua ratione fit,ut extremi agminis ſeries clupeum verſus conſti-
tuatur. Dicam etiam,quo pacto Lycurgus caſtra eſſe metanda cen-
ſuerit. Nam quia quadrati agminis anguli ſunt inutiles , in orbem
caſtra ponebat,extraquam ſi monte tuti eſſent,vel à tergo murum,
fluviumve haberent. Excubias quidẽ diurnas inſtituit, quæ intertus
caſtra verſus ſpectarent. Nam amicorum, non hoſtium cauſa illæ
conſtituuntur. Hoſtes ab equitibus obſervantur iis è locis , de qui-
bus proſpici longiſſime poteſt. Quod ſi quis noctu extra phalan-
gem progrediatur,à Sciritis ea de cauſa inſtituit habẽdas excubias :
& hoc tempore præſtant id mercenarij milites,quibus aliqui Laco-
nes adſunt. Jam quod cum haſtis ſemper obverſantur , id ſciendum
eadem de cauſa fieri , ob quam ſervos etiam ab armis arcent. Præ-
terea mirum videri non debet eos , qui ad naturæ neceſſaria ſece-
dunt,neque ab ſe invicem,neque ab exercitu longius progredi: quã
uti caveant,ne ſibi mutuo moleſtiam creent. Hæc enim ſecuritatis
cauſſa faciunt. Caſtra ſæpius mutant, partim ut hoſtibus detrimen-
tum adferant,partim ut amicis proſint. Etiam à lege mandatur La-
cedæmoniis omnibus , qui expeditionibus interſunt , ut exercitiis
utantur. Quo fit,ut ipſi magis inter ſe magnanimi evadant, ac ſu-
pra ceteros indole magis eſſe liberali videantur. Locus exercitatio-
nis & curſus intra id ſpatium neceſſario deſcribitur , quouſque co-
hors ipſa pertinet,ne quis ab ſuis commilitonibus recedat longius.
Peractis exercitiis,polemarchus primus uti ſedeant , per præconem
edicit, quod quidem luſtrationis cuiusdam inſtar eſt : deinde pran-
dium uti ſumant , ac ſpeculatorem mox dimittant. Hinc inter ſe
converſantur milites,ac ſe quieſcendo recreant ante veſpertina ex-
ercitia. Secundum hæc per præconem denuntiatur, ſumendam eſſe
cœnam:& poſteaquam hymnos diis cecinerint, quibus eſt facta res
ſacra,armis incubando quietem capiendam. Nemo vero miretur,
tam multa me ſcribere. Nam minime quis à Lacedæmoniis o-
miſſum aliquid reperiat in re militari, quod quidem curandum ve-
niat.

Commemorabo etiam,quam Lycurgus rei poteſtatem & digni-
tatem in exercitu adſignaverit. Primo regem , cinctum ſatellitio,
cum iis, qui adſunt regi , civitas alit. In eius contubernio ſunt pole-
marchi,ut ſemper illi præſto ſint communicandorum conſiliorum
cauſa,ſi quidem uſus ita poſtulet. In eodem regis contubernio viri
præterea tres ex parium numero degunt,qui quidem eis omnia ne-
ceſſaria procurant:ne ab ulla impediantur occupatione , quo minus
res bellicas ſtudioſe tractent. Repetam vero altius , quo pacto rex
cum copiis in expeditionem domo proficiſcatur. Primum domi ad-
huc ſacrum Jovi ductori,& adjunctis ei diis facit , ac ſi litatum illic
fuerit,ignifer ſive ferialis ſublato ab ara igne,ad regionis fines præ-
cedit , ubi rex Jovi Minervæque rurſum ſacrificat. Ubi diis hiſce li-
tatum ambobus eſt,tum deinde limites regionis tranſit. Atque ab
his ſacris ſublatus ignis præfertur, & nunquam extinguitur , ſe-
quente omni hoſtiarum genere. Quoties autem rex ſacrificat,pri-
mo id crepuſculo facere occipit , quaſi benevolentiam Dei cupiens
antevertere. Adſunt ſacrificio polemarchi , centuriones,quinqua-
genum præfecti , militum ſtipendiariorum duces , impedimentis
præfecti , ex civitatum denique prætoribus cui lubet. Adſunt præ-
terea duo Ephori, qui nihil illi quidem agunt curioſius , niſi à rege
adhibiti : ſed conſiderantes tamen, quid quiſque faciat, omnes, ceu
fieri par eſt , modeſtiores reddunt. Poſteaquam facta eſt res ſacra,
rex arceſſitis omnibus , quid faciundum ſit imperat. Quo fit , ut ſi
hæc videas,exiſtimes ceteros quidem homines ſtudio ſubitario rem
militarem tractare: Lacedæmonios autem ſolos reabſe bellicorum
operum artifices eſſe. Poſteaquam rex ducere copias cepit , ſi qui-
dem hoſtis ſe nullus oſtendat; nemo ipſum præcedit , præter Sciri-
tas , & equites exploratores. Sin prælium committendum eſſe pu-
tant,rex agmine primæ cohortis ſecum ſumto,converſoque ad ha-
ſtam pergit,donec medio inter duas cohortes,ac duos polemarchos
loco ſit. Qui vero poſt hos collocandi ſunt , illos maximus natu in-
ter eos,qui ad tabernaculum publicum pertinent,ordinat. Sunt au-
tem hi,quicunque contubernio cum paribus eodem utuntur,& ha-
ruſpices , & medici , & tibicines , & copiarum apud impedimenta
præfecti,& ſi qui ſponte ſua expeditioni adſunt. Quo fit,ut eorum,
quæ fieri neceſſe eſt,nihil deſideretur : quippe quod nihil non ante
proſpectum ſit.

Etiam hæc præclare Lycurgus utiliterque,mea ſane ſententia,ad
armatum certamen excogitavit. Nam quum jam hoſtium in con-
ſpectu capra mactatur , lege conſtitutum eſt , ut omnes , quotquot
adſunt,tibicines tibia canant,ac nemo Lacedæmoniorum ſerto ca-
reat. Etiam ut arma polita niteant,edicitur. Juveni quoque,ac delec-
cto ad pugnam incundam permittitur , ut hilarem & egregium ſe
gerat. Atque hi ſane ſolent etiam manipularium præfectum inci-
tando cohortari. Nam à quovis manipularium præfecto exterius ad
unumquemque manipulum nihil auditur. Ut autem omnia recte
fiant, polemarchi curæ committitur. Quodnam tempus eſſe metã-
di caſtra videatur,regis eſt in arbitrio ſitum: itemq; commonſtran-
di,quo ea loco muniri debeant. Prẹterea ſive fœderatorum,ſeu ho-
ſtium dimittere legationes, ad regem pertinet. Quoties aliquid a-
gendum eſt,omnes à rege initium ſumunt. Si quis judicio diſcepta-
turus ad regem veniat ad Hellanodicas ſive Græcorum judices à re-
ge remittitur:ſi pecunia quis egeat , ad quæſtores : ſi prædam adfe-
rat,ad manubiarum diſtractores. Quæ quum hoc modo gerantur,
rege nihil in exercitu reſtat negotij, quam ut rerum divinarum re-
ſpectu ſit ſacerdos,humanarum vero,imperator.

Quod ſi quis me roget , an hac etiam tempeſtate Lycurgi leges
immotẹ mihi permanere videantur:de hoc profecto non jam equi-
dem amplius audacter aliquid adfirmavero. Nam ſcio Lacedæmo-
nios pridem maluiſſe domi modicis cum facultatibus conſuetudi-
ne mutua uti,quam in præfecturis civitatum per adſentationes de-
generare. Scio metuiſſe antehac eos ſibi,ne aurum poſſidere depre-
henderentur:jam nonnulli ſunt,qui hoc ipſo ſemet oſtentant,quod
aurum poſſideant. Præterea ſcio peregrinos ob eam cauſam olim
eiectos Sparta fuiſſe,neque conceſſas Lacedæmoniis peregrinatio-
nes:ne ab exteris cives improbitatem ac deſidiam haurirent. Nunc
mihi conſtat eos,qui loco videntur apud ipſos eſſe principe, ſtudio-
ſe in hoc incubuiſſe : ut nunquam non apud exteros urbium præfe-
cti eſſent. Fuit item aliquando tempus , quum id operam dabant,
ut principatu digni eſſent : nunc id magis enituntur , ut imperent,
quam ut imperio digni ſint. Itaque fit , ut Græci , qui olim Spartam
profecti Lacedæmonios orabant, ut duces adverſus illos eſſent, qui
iniuſte agere viderentur , nunc magna ex parte ſeipſos ad impedi-
endum cohortentur , ne ad Lacedæmonios rerum ſumma redeat.
Neque vero mirum videri debet , quod in has reprehenſiones in-
currant: quando palam eſt,eos neque Apollini,neque Lycurgi legi-
bus parere.

Lubet etiam commemorare, quæ pacta ſe auctore Lycurgus in-
ter regem & civitatem eſſe voluerit. Nam ſolus hic principatus in
eodem permanet ſtatu,quo fuit ab initio:ceteras adminiſtrationum
publicarum formas vel immutatas , vel etiam nunc aliquis mutari
comperiat. Sanxit igitur, ut rex pro ſalute civitatis rem divinam in
omnibus ſacris publicis faceret , veluti qui ortus à Deo eſſet. Idem
quocunque civitas militum copias mitteret , ducis ut munere fun-
geretur. Adtribuit hoc quoque , ut de victimis cæſis honoris cauſſa
quædam ipſe caperet. Præterea tantum agri eximij multis in urbi-
bus finitimis ad uſum regis ſecrevit,ut mediocrium quidem illi fa-
cultatum copia non deſit,non tamen opibus antecellat. Atq; uti re-
ges etiam foris aliorum uti contubernio poſſent,ad hoc eis taberna-
culum publicum ordinavit,eumq; honorem illic addidit, ut in cœ-
na duplex ipſis portio cederet : non id quidem , ut duplo plus,quam
alij, vorarent:ſed ut aliquid inde honoris cauſa dare alij poſſent , cui
libuiſſet. Præterea regi utrique poteſtatem deligendi contuberna-
les binos conceſſit,quos Pythios vocãt. Permiſit etiam, ut de omniũ
ſcrofarum partu porcum acciperet,ne unquam rex victimis careret,
ſi qua in re Dij conſulendi eſſent. Propter domum regiam ſtagnũ
aquæ copiam ſuppeditat. quod quidem ad multa per eſſe utile, ma-
gis intelligunt ij , qui eo carent. Etiam de ſella regi adſurgunt o-
mnes, exceptis Ephoris,quum in ſellis Ephoricis conſident. Menſi-
bus ſingulis jurejurando ſe invicem adſtringunt , Ephori quidem
nomine civitatis,rex autem ſuo. Regis jurisjurandum eſt, regnum
ſe geſturum ex præſcripto legum latarum:civitatis, conſervaturam
ſe regnum ipſius inconcuſſum,ſi quidem jusjurandum hoc ſancte
ſervaret. Atque hi honores in patria regi , quam diu vivit, conceſſi
ſunt;nõ illi certe multum privatorum honoribus potiores. Etenim
neque regibus animos addere tyrannicos voluit , neque civibus eo-
rum poteſtatem inviſam reddere. Qui autem regi mortuo conceſſi
ſunt honores,iis Lycurgi leges indicare volunt, non ſe Lacedæmo-
niorum reges ut homines , ſed tanquam heroas honore eximio ad-
feciſſe. *hactenus Xenophon de Republica Lacedæmoniorum.*

Xenophon: Jam in Athenienſium republica,quod eam reipublicẹ
formam ſequuti ſint, propterea non laudo : quia dum illam prætu-
lerunt aliis,improbos homines meliori eſſe conditione , quam bo-
nos,maluerunt. Atque hæc cauſa eſt,quamobrem eos non laudem.
Quia vero probatæ ſunt eis hæ rationes, equidem oſtendam, rem-
publicam eos ſuam incolumem conſervare atque etiam alia perfi-
cere,in quibus aberrare Græcis ceteris exiſtimentur. Primum igi-
tur hoc dicam,merito pauperes ac plebem ibi plus poſſe, quam no-
biles & divites , idque ob hanc cauſam : quod plebs & rem navalem
expediat, & potentiam civitati conciliet : adeoque gubernatores, &
incitatores nautarum , & quinquaginta remigibus præfecti, & pro-
retæ , & navium fabricatores illi ipſi ſunt , qui multo magis reipu-
blicæ potentiam amplificarunt , quam cives , quam nobiles , quam
homines frugi. Hæc quum ita ſe habeant,æquum eſſe videtur,ut o-
mnes magiſtratuum dignitatumque participes fiant , ſive per ſor-
tem,ſeu per ſuffragium: utque cuivis civium dicere liceat, qui qui-
dem velit. Deinde quotquot magiſtratus ſive ſuperiores, ſeu infe-
riores,toti populo vel ſalutis,vel periculorum auctores ſunt,eorum
uti particeps ſit vulgus , non eſt neceſſe : neque plebs fortes præto-
rias,neque præfecturas equitum ad ſe pertinere putat. Animadver-
tit enim , ſe plus emolumenti capere , dum magiſtratus hoſce non
obit:ſed illis relinquit gerendos,qui plurimum poſſunt. Quotquot
vero magiſtratus habent ſtipendia , reique familiari conducunt,
hoc etiam vulgus ambit.

Quod autẽ nonnulli mirantur,ubiq; plus eos hominibus nullius
momenti,& pauperibus,& plebeis, quam egregiis viris tribuere: in
hoc ipſo popularem civitatis ſtatum ſe conſervare declarant. Quip-
pe dum pauperes,& plebei,& nauci homines aliquo loco ſunt, & ad
aliquem numerum excreſcunt:ſtatum civitatis popularem augent.

Sin

Siñ divitibus, & egregijs hominibus bene ſit: tum vero plebei vires adverſarijs ſuis adjungunt. Sunt autem ubique terrarum optimates dominatui plebeo contrarij. Nam in optimatibus libidinis ac injuſtitiæ minimum eſt, ſtudium vero rerum honeſtarum accuratiſſimum: contra, in plebe plurimum inſcitiæ, confuſionis, improbitatis. Etenim paupertas magis eos adducit ad turpia, & plerique mortalium propter penuriam neque liberaliter educari, neque recte inſtitui poſſunt. Fortaſſe dixerit aliquis, non permittendum eſſe, ut omnes vel dicendi poteſtatem habeant, vel ſenatores ſint: ſed id peritiſſimis & præſtantiſſimis viris relinquendum eſſe. At illi nihilominus in hoc quoque ſibi rectiſſime conſulunt, licet futilibus etiam dicendi poteſtatem faciant. Nam ſi dumtaxat egregij viri & orationes haberent, & ſententias dicerent: ſui ſimilibus prodeſſent, non autem plebeis. Nunc quum ſurgat ad concionandum aliquis nullius pretii, quicumque voluerit: facile tum ſibi, tum ſui ſimilibus quod expediat, invenit. At inquiet aliquis, ecquid hujuſmodi homo boni vel ſibi, vel populo poſſit excogitare? Nimirum intelligunt illi, hujus imperitiam ac futilitatem, conjunctam cum benevolentia; plus ſibi prodeſſe: quam viri egregij virtutem ac ſapientiam, cum malevolentia conjunctam. Poteſt igitur fieri, ut his moribus civitas non efficiatur optima: ſed ſtatus tamen popularis hac ratione maxime conſervabitur. Populus enim bene conſtituta republica non delectatur, in qua ſibi ſit ſerviendum: ſed liber eſſe vult, & imperio potiri, ac malum interim civitatis ſtatum floccipendit. Nam quod tu non recte conſtitutum exiſtimas, idipſum potentiam plebis libertatemque ſuſtinet. Quod ſi bonum reipublicæ ſtatum requiris, primum videbis in eo peritiſſimos leges ferre. Deinde boni malos punient, deque republica conſultabunt, & homines inſanos neque conſilijs adeſſe, neque orationem habere, neque concionari permittent. Quapropter ex his bonis celerrime plebs ad ſervitutem reciderit. Servorum autem, & advenarum maxima eſt Athenis petulantia, neque pulſandi eos cuiquam illicius eſt, neque ſervus tibi cedet. Cur autem hoc moribus illicita receptum ſit, equidem exponam. Si conſuetudo ferret ſervum hominem ab ingenuo verberari, vel advenam, vel libertum: ſæpenumero civem aliquis Athenienſem, quem ſervum eſſe arbitraretur, pulſaret. Nam neque veſtitu, neque forma, quidquam iſtic plebs ſervis, adveniſve præſtat. Iam ſi quis etiam miratur, quod iſtic & delicate ſervos, & ſplendide quidem nonnullos vivere patiantur: hoc quoque certo eos judicio facere conſtat. Nam ubi potentia navalis ab opibus pendet, ibi poſthabitis hominibus liberis, ſervire mancipijs oportet; ut lucris potiamur, quæ illi ab ſe parta nobis adferunt. Vbi vero ſervi opulenti ſunt, ibi meus ut ſervus te metuat, non expedit. Lacedæmone quidem meus ſervus te metuit. Iam ſi me ſervus tuus metuat, ſane verendum, ut res ſuas mihi det, ne quo ſit in periculo. Quamobrem nos Athenienſes æqualitatem quamdam ſervis & liberis conceſſimus, itemque advenis & civibus; quod advenarum egeat opera civitas, quum propter opificiorum multitudinem, tum rei navalis cauſa. Hæc inquam eſt ratio, quamobrem merito quædam æqualitas inter cives & advenas à nobis facta ſit.

Ceterum eos, qui corporum exercitijs ibi, Muſicæque dediti ſunt ſtudijs plebs non ſuſtulit; quod exiſtimaret id expedire, ac ne poſſe quidem ab ſe his dari operam, ſentiret. In chori vero principatu, ac gymnaſiorum, triremiumque præfecturis, intelligunt penes opulentos eſſe chori principatum, commoda vero in vulgus conferri: eodemque modo locupletes triremibus & gymnaſiis præeſſe, vulgus autem in triremibus & gymnaſiis verſari. Vult igitur pecuniam accipere vulgus, atque ita canere, currere, ſaltare, navigare; ut & ipſum habeat aliquid, & divites reddantur tenujores. Ne in judiciis quidem magis ejus quod juſtum eſt, quam commodi ſui rationem habent. De ſociis autem, quod navigiis eos adeuntes, calumniari & odiſſe videntur egregios illic viros, ita ſentiunt; fieri non poſſe, quin ſubiecti oderint eos, qui cum imperio ſunt, ac ſi majores locupletum & potentium vires ſi[illegible] in civitatibus, imperium populi Athenienſis haud diu duraturum: ob has inquam cauſas viris egregijs honores adimunt, facultates auferunt, exſilia capitiſque pœnas irrogant, & nihili homines evehunt. Contra, qui Athenienſes frugi ſunt, ii ſalutem virorum egregiorum in civitatibus ſociis tuentur; quod animadvertant ſibi ex uſu eſſe, conſervari ſemper in urbibus optimates.

At dixerit aliquis, in eo vires & potentiam Athenienſium conſiſtere, ſi pecunias eorum ſocij conferre poſſint. At plebeis hominibus magis expedire videtur, ut Athenienſium unuſquiſque facultates ſociorum obtineat, relicto illis quantum opus ſit ad victum & operas exſequendas, ademtaque inſidiandi poteſtate. Hac etiam in parte populus Athenienſis uti conſilio malo exiſtimatur, quod ſocios Athenas navigare ad petendum jus cogant. Verum illi contra ratiocinantur, quantum in hoc inſit Athenienſium populo commodi. Primum eſt, quod è judiciis anno toto ſalaria percipiant. Deinde, quod domo reſidentes, nullis emiſſis navibus, civitates ſocias adminiſtrent; plebeoque ſtatui addictos incolumes ſervent, adverſarijs eorum in judicijs oppreſſis. Quod ſi judicia ſinguli exercerent in patria, nimirum Athenienſibus infenſi, eos ipſos de numero ſuorum opprimerent, quicumque populo Athenienſium inprimis amici eſſent. Præterea populus Athenienſis, dum jus Athenis ſocij petunt, hæc lucratur. Primum è centeſima in Piræeo civitati proventus major accedit. Deinde lucrum percipit, cui vel cœnaculis inſtructa domus eſt, quæ locare poteſt, vel jumentum meritorium. Itidem ſociorum adventus emolumentum vocantibus in jus præconibus adfert. Præterea ſi Athenas ſocii jus petitum non irent, ſolos ex Athenienſibus illos honoribus adficerent, qui ad ipſos navigant: nimirum prætores, triremium præfectos legatos. Nunc vero ſociorum unuſquiſque populum Athenienſem blandiendo demereri cogitur, quippe qui intelligat, Athenas ſibi proficiſcendum, cauſamq; agendam non apud alios, quam apud populum. quæ ſane lex Athenis eſt. Etiam in judicijs ſupplicare cogitur, & ſi quis ingrediatur, manum ejus prenſare. Quæ cauſa eſt, quamobrem ſocii multo magis populo Athenienſi ſerviant. Præterea propter id, quod extra fines patriæ poſſident, & propter magiſtratus gerendos apud exteros, tacite remo navem agere tum ipſi, tum comites diſcunt. Eſt enim neceſſe, ut qui ſępius navigat, remũ in manus ſumat, tam ipſe, quam famulus, reiq; navalis adpellationes diſcat. Etiam boni gubernatores fiunt, partim propter uſũ navigiorum, partim propter exercitationem. Exercent autem ſeſe alii navigium minus gubernando, alij navim onerariam: ac nonnulli ad triremes hinc tranſeũt. Complures ſtatim velut in ipſo ingreſſu in naves, remigãt: exercitati jam ante nimirũ in hoc per omnẽ vitã.

Ceterum terreſtris militiæ, quæ Athenis non ſatis bene comparata eſſe videtur, hęc eſt ratio. Arbitrantur Athenienſes, hoſtibus ſe & inferiores, & ſuperiores eſſe. Socijs vero, qui tributum eis pendunt, longe etiam terra præſtant, ac ſe terreſtribus copijs præcipue valere putant, ſi ſocijs ſint ſuperiores. Præterea fortuna quadam talis ipſorum eſt conditio. Poſſunt ij, qui parent in terra continenti aliorum imperio, parvis ex oppidis coire, conjunctiſque copiis pugnare. At vero maritimorum ſubditorum, hominum videlicet inſularium oppida conjũgere vires non poſsũt. Eſt enim in medio mare, quique rerum potiuntur, etiam maris imperiũ obtinent. Quod ſi etiam fieri poſſit, ut inſulares clam in unam conveniant inſulam, fame peribunt. Quotquot autem civitates ſubiectæ Athenienſium imperio, in continenti ſitæ ſunt; earum quæ majuſculæ ſunt, metus cauſſa parent: quæ minores, propter penuriam. Nec enim oppidum ullum eſt, cui non opus ſit aliquid vel importari, vel exportari. Nequit autem hæc conſequi, ſi non ijs obtemperet, qui maris imperio potiuntur.

Deinde poſſunt ij, qui mare ſua in poteſtate habent, eadem facere, quæ rerum terra domini: nimirum nonnunquam vaſtare poſſunt agrum etiam potentiorum. Poſſunt enim propter ea loca naves adpellere, ubi vel nullus ſit hoſtis, vel pauci: at ſi hoſtes adcurrant, conſcenſis navibus diſcedere licet. Atq; hoc qui facit, minori eſt in difficultate, quam qui terreſtribus cum copijs expeditionem ſuſcipit. Deinde poſſunt ij, qui maris imperium tenent, ſuis à finibus quam libet longo itinere navigare: quum iis, quibus eſt potentia terreſtris, non liceat multorum dierum itinere ab agro ſuo diſcedere. Sunt enim tardi progreſſus, & fieri non poteſt, ut is, qui terra facit iter, commeatum longo tempore ſufficientem ſecum ferat. Itidem qui pedes incedit, neceſſe habet, uti vel per amicorum fines eat, vel pugnando vincat: qui autem navigat, ubi ſuperior eſt, de navibus poteſt egredi: vbi inferior, præterlegere licet mare proximum ei terræ, donec vel amicorum ad fines pervenerit, vel eorũ qui ſunt ipſo inferiores. Deinde frugum labes, quę à Iove ſunt, graves illis accidunt qui terra rerum potiuntur: qui vero mari, facile has ferunt. Non enim pariter omnibus regionibus eæ damnũ dant. Quo fit, ut ex ea, quæ fructus uberes tulit, commeatus ad illos perveniat, quibus mare paret. Quod ſi etiam leviorum quorumdam facienda eſt mentio, primum propter imperium maris Athenienſes ex commerciis mutuis varios epulãdi modos invenerunt. Quidquid rei ſuavis vel in Sicilia, vel in Italia, vel Cypro, vel Ægypto, vel Lydia, vel Ponto, vel Peloponeſo, vel alibi erat: hæc omnia in unũ congeſta ſunt, propter maris imperium.

Deinde quum linguas omnes audiant, aliud ex alia delegerunt. Et Græci quidem magis peculiari tum lingua, tum victus ratione, tum habitus, utuntur: Athenienſes vero miſta quadam ex omnibus tum Græcis, tum barbaris. Jam ſacrificia, fana, feſta, lucos & delubra quod adtinet, quia populus intelligebat, non poſſe quemvis pauperem ſacrificare, epulari, fana ſua poſſidere, civitatem pulchram & amplam incolere: quo pacto hæc quoque fierent, excogitàvit. Itaq; civitatis ſumtu multæ hoſtiæ publice mactantur, & populus eſt is, qui epuletur, & ſorte victimas inter ſe partitur. Gymnaſia, lavacra, apodyteria privatim homines quidam opulenti habent: at populus ſibi peculiariter multas palæſtras, apodyteria, lavacra ædificat: plusque vulgus his fruitur, quam pauci ac beati. Divitias etiam ſoli ex Græcis ac barbaris Athenienſes habere poſſunt. Nam ſi qua civitas lignis abundat ad naves fabricandas, ubinam ea vendet, ſi non eum, qui maris obtinet imperium, prius ſibi conciliaverit? Rurſum ſi qua civitas ferri, vel æris, vel lini copiam habeat, ubinam ea vendet, ſi non prius eum, qui mari potitur, ſibi conciliaverit? Atqui ab his ipſis naves mihi ſunt, & ab uno ligna, ferrum ab alio, ab alio æs, ab alio linum, ab alio cera. Præterea non patientur, qui adverſarij nobis ſunt, hæc exportari alio, vel mari non utentur. Equidem qui nihil ex terra comparo, per mare omnia hæc habeo. Nulla vero civitas alia utrumque horum habet, nec ſuppetunt eidem ligna & linum. ſed ubi maxima lini eſt copia, ibi regio lævis ac nuda eſt, & ſilvis caret. Ne quidem æs, ac ferrum, ex eadem eſt civitate; neque alterius generis duo, vel tria, oppido uni ſuppetunt: ſed hoc huic, illud iſti.

Præterea juxta quamvis terram continentem vel litus est porre-
ctum, vel adjacet insula, vel fretum aliquod. Itaque domini maris
istis in locis adpellere possunt, ac illos, qui terram continentem in-
colunt, damno adficere.

Unum tamen eis deest. Nam si Athenienses insulam incolerent,
simulque maris imperio potirentur: facultatem haberent ex arbi-
tratu suo lædendi alios, neque tamen detrimenti quidquam accipe-
rent, quam quidem diu mari dominarentur, neque vastationem a-
gri paterentur, neque hostis adventum metuerent. Nunc vero cul-
tores agrorum, & quotquot ex Atheniensibus locupletes sunt, ho-
stium ad voluntatem sese accommodant; plebs autem, quod sciat
eos nihil rerum suarum neque igni, neque ferro vastaturos, ab o-
mni metu libera vivit, nec hostibus se summittit.

Præterea si insulam incolerent, ab alio etiam metu essent liberi:
nimirum ut nunquam civitas à paucis proderetur, neque portę ape-
rirentur, neque hostes una irrumperent. Nam quo pacto hæc insu-
lam incolentibus acciderent? Nec populus inter se dissideret, si in-
sulam habitarent. Nunc enim, si existerent inter eos seditiones,
hac spe tumultuarentur, quod terra hostes arcessituri essent. At ve-
ro si incolerent insulam, nihil esset cur illud metuerent. Postea-
quam igitur ab initio insulam non habitarunt, nunc id agunt, ut fa-
cultates suas committant insulis, maris imperio freti: atque interim
vastari agrum Atticum patiantur. Animadvertunt enim se, si eius
miserantur, alia quædam majora bona amissuros. Præterea necesse
est, ut in societatibus ac fœderibus civitates eæ constanter perstent,
quæcunque paucos rerum administrationi præficiunt. Quod si pa-
ctis conventis non steterint, à quonam profecta esse injuria putari
possit, quam ab illis paucis, qui pepigere? At quæ populus pepige-
rit, in iis licet ei conferenti culpam in illum, qui vel suaserit, vel de-
cretum fecerit, negare se aliis adfuisse, neque sententiam illorum
probasse, qui de iis, de quibus convenerit, populum frequentem
sciscitantur. Idem si aliter sentiat, prætextus innumeros invenerit,
quo minus id faciat, quod nolit. Quod si mali quiddam acciderit ex
eo, quod populus scivit: queritur populus, paucos quosdam homi-
nes adversantes sibi, rem totam corrupisse. Sin boni quid evenerit,
eius causam ad seipsum refert. Salibus comicis in populum agi,
eumque proscindi conviciis non patiuntur, ne ipsimet male au-
diant: singulos autem exagitare jubent, si quis ita velit. Norunt e-
nim plerumque non è populo, neque de plebe illum esse, qui in co-
mœdiis exagitetur: sed vel opulentum, vel nobilem, vel potentem.
Nimirum pauci ex egentibus ac plebeis exagitantur, ac ne illi qui-
dem aliam ob causam, quam propter curiositatem, & quod populo
esse potiores quærant. Quo fit, ut homines huiusmodi exagitari
moleste non ferant. Mihi quidem dubium non est, intelligere po-
pulum Atheniensem, qui sint egregij cives, qui nullius momenti.
Quumque hoc intelligant, amant eos, qui sunt utiles ipsis, & com-
modi, licet nullius pretij sint: egregios autem potius odere. Non
enim existimant, virtutem multitudini utilem esse, sed damnosam.
Contra, quum nonnulli natura sint ex plebe, idque reipsa; non ta-
men indole plebea præditi sunt. Ac populi quidem dominatum
ipsi populo condono. Nam cuivis sibiipsi commodare bona cum
venia licet. Verum qui, quum ex populo non sit, mavult habitare in
urbe populi dominatui subjecta, quam in ea, quæ à paucis regatur: is
injustè agere constituit, & scit facilius latere se posse, si malus sit in
republica populari, quam quæ à paucis administretur.

Equidem reipublicæ Atheniensis rationem non probo, sed quia
sic visum est ipsis, ut imperio populi pareant: recte mihi statum
popularem civitatis incolumem servare videntur, idque hoc pacto,
quo demonstravi. Præter hoc, video nonnullos eam ob causam A-
thenienses reprehendere, quod interdum illic responsum nec à se-
natu aliquis, nec à populo possit impetrare, qui totum istic annum
hæret. Fitque hoc Athenis nullam aliam ob causam, quam quod ob
negotiorum multitudinem omnes, responso dato, dimittere non
possint. Nam qui possint? quum eos necesse sit primum tot dies
festos celebrare, quot nulla Græci nominis civitas celebrat: quibus
occupati minus expedire reipublicæ negocia possunt. Deinde ne-
cesse est eos de tot litibus, causis publicis, actorum rationibus co-
gnoscere, de quot ne homines quidem universi cognoscunt. Iti-
dem senatus necessario multa de bello deliberat, multa de ratione
pecuniæ conficiundæ, multa de legum latione, multa de iis, quæ
in urbe quovis tempore accidunt, multa sociorum agit in nego-
tiis, tributum exigit, navalium pariter & templorum curam gerit.
An vero fuerit mirandum, si, quum tot sint negocia, dare omnibus
responsa nequeant.

Verum dicunt nonnulli, confici eius negocium, qui cum pecu-
nia vel senatum vel populum adeat. His ego fatebor, multa posse
Athenis pecunia impetrari; atque etiam futurum, ut plura impe-
trentur, si plures pecuniam numerent. Sed scio tamen, civitatem
non posse sufficere ad hoc, ut omnibus ea conficiantur, quæ requi-
runt: ne quidem si multo plus auri & argenti quis eis donet. De his
etiam cognosci necesse est, si quis navim non reficit, vel si publi-
cum aliquid inædificat. Præterea danda judicia choragis ad Libe-
ralia, Thargelia, Panathenæa, Promothealia, Vulcanalia, idq; quo-
tannis. Et triremibus quadrigenti singulis annis præficiuntur, qui-
bus petentibus judicia quotannis danda sunt. Præterea in magi-
stratus examina judiciaque habenda sunt, inquirendæ causæ pupil-
lares, custodes captivorum constituendi. Et hæc quidem singulis
annis agenda veniunt. Interdum & causæ militares disceptandæ
sunt, & si quod aliud injustum facinus repente exstiterit, & si non-
nulli petulantiam insolitam & impium facinus commiserint. Præ-
ter hæc valde multa sunt, quæ silentio prætereo.

Maxima vero pars commemorata est, exceptis tributorum indi-
ctionibus. Eæ plerunque quinto quolibet anno fiunt. Age igitur,
nonne existimandum est, de his omnibus cognosci debere? Dicat
aliquis, mox esse cognoscendum. At si fateri oportet, omnino co-
gnoscendum esse de omnibus: necesse est, per annum id fieri. Sed
nunc ne quidem ad hoc anno toto judicando sufficiunt, ut injuste
agentes coerceant, idque præ hominum multitudine. Age vero di-
xerit aliquis, judicare quidem debent, sed pauciores. Ergo necesse
est, si tribunalia pauca instituant, ut quolibet in judicio pauci sint.
Itaque facile fiet, ut ad paucos judices machinatio quædam insti-
tuatur, & per advocationes sententiæ ferantur iniustiores. Præterea
cogitandum est, necessarium esse Atheniensibus, ut festos dies a-
gant, quibus exerceri judicia non possint. Et agunt illi dies festos
duplo plures, quam alij: quamquam ego plures non ponam illis,
quos ea civitas celebrat, quæ paucissimis feriatur. Quæ quum ita se
habeant, nego posse rerum Athenis alium esse statum, quam qui
modo sit: nisi paullatim tolli hoc, illud addi queat. Multum certe
immutari non potest, ut non aliquid de populi potestate decedat.
Nam ut respublica melius adfecta sit, excogitari multa possunt: ut
autem forma popularis maneat, & simul hoc idonee reperiatur,
quo melius administretur, id facile non est: extra quam, si paulla-
tim, ut modo aiebam, vel aliquid addatur, vel detrahatur.

In hoc quoque Athenienses non rectum mihi sequi consilium
videntur, quod in oppidis seditione agitatis deteriores aliis præfe-
rant. Faciunt hoc autem certo judicio. Nam si meliores antefer-
rent, nimirum præferrent eos, qui non in eadem cum ipsis essent
sententia. Quippe nulla in civitate benevoli sunt optimates vulgo,
sed deterrimi quique singulis in urbibus vulgo bene volunt. Exi-
stit enim in paribus erga pares benevolentia. Quapropter etiam
Athenienses sibi congruentia præferunt. Quoties autem partes o-
ptimatium sequi constituerunt, nequaquam hoc eis profuit, sed
brevi plebs in servitutem redacta fuit. Id à Bœotis contigit. Rur-
sus ubi Milesiorum optimates amplexi fuissent, intra modicum
tempus illi defecerunt, & plebem trucidarunt. Itidem quum Lace-
dæmonios Messeniis prætulissent, non multo post subactis Lace-
dæmonij Messeniis, bellum adversus Athenienses susceperunt.
Fortassis autem suspicetur aliquis, neminem Athenis injustè suis
honoribus spoliari. Ego vero quosdam esse dico, qui per injuriam
ab honoribus remoti fuerint, sed paucos. At paucos esse non opor-
tet, qui popularem Athenis statum adgredi velint. Quippe sic se res
habet, ut nihil animis ij concipiant, quibus jure honores ademti
sunt; sed illi duntaxat, quibus hoc immerentibus accidit. Quonam
autem modo putare possit aliquis, multos Athenis infamia notari,
quum illic vulgus hominum magistratus gerat? Ex hujusmodi ve-
ro causis infames Athenis existunt, si juste non gerantur imperia, si
vel proferantur ad populum, vel fiant, quæ justa non sunt. Hæc qui
secum expendere voluerit, non est quod cogitet, Athenis quid-
quam esse periculi ab iis, quibus irrogata sit infamia. *Reipub. Athe-
niens.*

Xenophon: Equidem in hac sententia sum perpetuo, ut quales
sint præsides, tales & respublicas esse statuam. Quia vero nonnulli
ex iis, qui hactenus Atheniensium reipub. præsunt, scire quidem
illi, quid justum sit, non minus, quam homines ceteri perhibentur,
at propter inopiam plebis cogi, ut paullo se gerant erga civitates
suas iniquius: considerare mecum ipse adgressus sum, an aliqua ra-
tione cives suis ex finibus ali possint, quæ quidem ratio esset justis-
sima. Existimabam enim futurum, ut si id accideret, eadem opera
consultum inopiæ ipsorum esset; atque effectum, ne Græcorum de
ipsis aliorum iniquior esset opinio. Consideranti vero mihi ea, quæ
cogitaram, primum visa est ipsa regio esse talis à natura, quæ maxi-
mam proventuum vim suppeditare possit. Atque ut intelligatur,
hoc vere me dicere: primum, quæ Atticæ natura sit, commemora-
bo. Anni ergo tempora heic admodum esse mitia, fructus ipsi, qui
proveniunt, testantur. Etenim multa, quæ alibi ne pullulare qui-
dem possent, heic fructus suos proferunt. Atque ut solum ipsum, ita
etiam mare, quod regionem ambit, omnium rerum feracissimum
est. Quinetiam quæcunque bona dij singulis anni temporibus
suppeditant, ea bona omnia heic & tempestive admodum incipiũt,
& tardissime deficiunt. Neque tantum potior est iis, quæ in annos
singulos & florent, & senescunt: sed habet etiam hæc regio perpe-
tua quædam bona. Nam saxi nativi perennis est in ea copia, de quo
fana pulcherrima, pulcherrimæ aræ, signa deorum maxime decora
fiunt: quod quidem saxum complures & Græci, & barbari deside-
rant. Præterea solum quoddam est, quod aratum non ferret fru-
ctum: at si fodiatur, multo plures alit, quam si frumenti ferax esset.
Etenim divino quodam munere haud dubie sub eo est argentum.
Quumque multæ sint urbes tum terra, tum mari finitimæ, ne qui-
dem in ullam earum vel exigua terræ argentiferæ vena perti-
net.

Cap. 2. Neque vero absq; ratione fecerit, si quis existimet, urbem
hanc Græciæ, imo vero totius terrarum orbis in medio sitam esse.
Quanto scilicet longius absunt aliqui ab ea, tanto molestiora vel
frigora vel æstus experiuntur. Quotquot item ab extremis Græciæ
finibus ad alios itidem extremos pergere voluerint, omnes tam-
quã circuli umbilicum Athenas vel præternavigant, vel prætereũt.

Ac tametsi ex omni parte ab aquis non adluitur, nihilominus quovis vento, quæ necessaria sunt, adfert;& quæ vult, exportat; quippe quæ à mari utrimque ambiatur. Etiam terra mercatus multos admittit, quod terra sit continens. Præterea quum barbari plurimis urbibus vicini negotia facessant, Athenienses vicinas illas habent civitates, quæ maximo à barbaris intervallo distant. Horum igitur omnium causam, ut dixi, positam in ipso esse solo arbitror.

Cap. 3. Quid si ad nativa bona, primum accedat advenarum cura? Nam hic mihi proventus ex optimis esse videtur. Quippe quum illi seipsos alant, & multis commodis civitates adficiant; non tamen ullam mercedem accipiunt, sed potius etiam pensionem advenis impositam offerunt. Existimo autem curam eam suffecturam, si adimamus illa, quæcunque reipublicæ nulli sunt usui, ac potius advenis infamiæ notam inurere videntur: itemque si liberemus hoc eos onere, ne militatum ire cum civibus armati pedites advenæ cogantur. Etenim magnum quiddam est, si periculum ab eis absit; magnum, à liberis & domo quemque sua discedere. Quinetiam utile civitati fuerit, si potius cives una militatum eant; quam si, quod modo fit, eorum ordinibus adjungantur Lydi, Phryges, Syri, aliique diversi generis barbari, cuiusmodi plerique sunt advenæ. Præter hoc vero bonum, quod his ordinum militarium societate liberatis existeret: etiã ornamento esset civitati, si viderentur Athenienses in prœliis sibimetipsis potius fidere, quam exteris. Quod si cum advenis communicemus præter alia, quæ cum ipsis communicari convenit, etiam rei equestris usum: arbitror nos id effecturos, ut magis benevolo præditi erga nos animo, civitatem ipsam viribus auctam majoremque reddituri sint. Deinde quum magna pars urbis intra muros deserta sit, & areæ domorum vacuæ, si decreto civitatis concederetur, ut domos exstructas possiderent, quicumque hoc petentes digni esse viderentur: multo plures ac præstantiores etiam ob has caussas arbitror expetituros, ut Athenis habitent. Quod si etiam magistratum institueremus, qui ut pupillorum sunt custodes, ita & ipse inquilinorum custos diceretur, atque illis præmium quoddam proponeretur, quorum opera plures inquilini existerent: hoc quoque majorem erga nos in animis inquilinorum benevolentiam excitaret, & omnes, uti quidem consentaneum est, quotquot alibi cives non essent, Athenis consequi jus inquilinorum cuperent, & proventus augerent.

Cap. 4. Urbem vero hanc nostram ad exercendam mercaturam tum optatissimam esse, tum maxime quæstuosam, nunc exponam. Primum enim navis quælibet heic pulcherrimos ac tutissimos receptus habet, ubi licet adpulsis tempestatis caussa suaviter quiescere. Præterea mercatores plurimis in civitatibus commutare oneribus onera necesse est, quod nummis illæ foris inutilibus utantur. Athenis vero maxima rerum est ad exportandum copia, quibus homines egent: sin onerare mercibus navem permutatis nolint, egregias avehunt merces, quicunque argentum avehunt. Nam ubicunque tandem illud vendiderint, ubique plus recipiunt, quam prius habebant. Quod si quis mercaturæ præfecto præmia proponat, ei scilicet, qui æquissime celerrimeque dijudicet ea, de quibus controvertitur, ut impediri non necesse sit illos, qui navigiis discedere volunt: etiam has ob caussas longe plures, & quidem libentius heic negotiarentur. Esset etiam tum utile, tum honestum, mercatores & naucleros loco magis honorato in consessibus ornari; atque illos etiam ad hospitij necessitudinem invitari, qui navibus ac mercibus egregiis civitati prodesse viderentur. Hoc enim honore adfecti, non tam quæstus, quam honoris caussa redire ad amicos properarent. Enimvero quo plures in urbem admitterentur, Athenasque venirent, eo plus mercium importaretur, exportaretur, emitteretur, venderetur, mercedis ac tributi acciperetur. Nec ad hæc proventuum incrementa sumtus ulli requirerentur, præter decreta humanitatis plena, & ipsam diligentiam.

Cap. 5. Quotquot autem proventus alios nobis accedere posse puto, ad eos impensis opus fore animadverto. Neque tamen despero, quin cives perlubenter ad has collaturi sint, quum mecum ipse cogito, civitatem hanc multa id temporis contulisse, quum Lysistrato duce opem Arcadibus ferret: multa item, duce Hegesilao. Scio item sæpenumero triremes magno sumtu emissas esse, quum quidem illis effectis esset obscurum, utrum id profuturum potius, quam obfuturum esset: minime autem dubitaretur, nunquam recepturos quæ contulissent, nec participes futuros eorum, quæ contribuissent. Neque vero tam egregium aliunde lucrum paraverint, quam ex illis ipsis, in quæ factæ prius impensæ fuerint. Etenim qui decem minas contribueret, is singulos in dies sesquiquintum velut triobulum nauticum reciperet: qui vero quinque minas, amplius sesquitertio. Plurimi autem Athenienses quotannis plura recepturi essent, quam contribuerent. Nam qui minam prius expenderint, prope duarum minarum proventum habituri sunt, & eum quidem in urbe; quod humanis in rebus tutissimum esse, maximeque durabile videtur.

Cap. 6. Atque arbitror equidem, si litteris mandaturi simus eorum nomina, qui beneficium reipublicæ præstituri sint, ad omnem posteritatem: etiam multos hospites contributuros, & quidem urbes quoque nonnullas id expetituras, ut monumentis litterarum inserantur. Quinetiam reges quosdam, & tyrannos, & satrapas fore spero, qui desideraturi sint, ut hujus beneficij participes fiant. Cæterum ubi iam subsidium comparatum erit, bonum atque utile fuerit, naucleris diversoria quædam præter illa, quæ jam facta sunt, exstrui propter ipsos portus: bonum item mercatoribus, ad loca emtioni ac venditioni opportuna: denique publica diversoria venientibus Athenas adsignari. Quod si etiam nundinatoribus habitationes & tabernæ vendendis mercibus idoneæ tum in Piræo, tum in urbe parentur: simul id & civitati ornamento foret, & multi proventus inde perciperentur. Videtur etiam mihi conducere, ut periculum fiat, num quemadmodum triremes publicas habet civitas, ita & onerarias naves publicas parare possit, ut eas acceptis fidejussoribus locet, velut alia quoque publica. Nam si hoc fieri posse videretur, magnus etiam hinc proventus accederet.

Cap. 7. Præterea si argenti fodinæ instruerentur ita, ut debebant, existimabam ex iis insignẽ pecuniæ vim præter fructus ceteros proventuram. Lubet autem ignaris, quæ potissimum vis atque commoditas earum sit, exponere; qua cognita, rectius etiam iniri à vobis ratio poterit, quo pacto sit eis utendum. Ignotum autem nemini est, & veteres illas esse, & operas in eis fieri: ac ne conatur quidem indicare quisquam, à quo tempore cœptæ sint. Quum autem hoc modo iam ab antiquo argentifera terra fodiatur, & egeratur: velim consideretis, quantula pars sint ejecti hactenus acervi collium sponte nascentium, quique argentum occultant. Neque locum illum argento abundantem deminui constat, sed amplius semper extendi. Quo etiam tempore maxima hominum in eis copia fuit, nemini unquam defuit quod ageret: sed semper ea, quæ agenda erant, operarum numerum superabant. Et nunc quoque illorum, qui in metallis habent mancipia, nemo deminuere numerum mancipiorum cupit: sed plura potius, quantum potest, adquirit. Etenim quum pauci fodiunt & quærunt, etiam paucæ, ut equidem arbitror, opes reperiuntur: sin multi, multis partibus copiosior argenti materies prodit. Quo fit, ut hoc solo in opere, quod quidem sciam, nemo fabricas novas instituentibus invideat.

Cap. 8. Præterea qui agros possident, norunt omnes dicere, quot jumentorum juga, quot operarij ad fundum colendum satis sint: ac si plures, quam sufficiant, adhibeantur, hoc ipsum in damno ponũt. At in his eruendi argenti operibus omnes operariis egere dicunt. Nec enim heic idem accidit, quod in artificum ærariorum copia, ubi quum facta ex ære opera vili venduntur, everti fortunæ horum solent, & ferrariorum similiter: itemque ubi magna frumenti vinique copia provenit, fructibus vili væneuntibus, agrorum culturæ sunt inutiles; adeo quidem, ut multi relicta soli cultione ad mercaturam, ad cauponariam, ad usuras se convertant. Nimirum argenti materies quanto copiosior extiterit, & argenti plus fuerit, tanto plures ad illud opus se conferre solent. Etenim supellectili familiæ necessaria comparata, non multum ulterius coemi solet: at argenti nemo adhuc tam multum habuit, ut nihil amplius requireret: sed si qui permultum nacti fuerint, quod redundat, defodiunt: quo quidem non minus delectantur, quam si eo uterentur. Quinetiam quum civitates secunda utuntur fortuna, tum civibus maxime argento est opus. Viri enim in arma elegantia, & generosos equos, in ædes & structuras magnificas pecuniam impendere volunt: mulieres vero ad cultum sumtuosum, & mundum aureum animos adiiciunt. Rursus quum civitates caritate annonæ laborant, aut bello ingruente, quia terra nullo cultu adhibito otiosa est, tum ad commeatum comparandum, tum ad auxiliares copias nummos requirunt. Quod si quis dixerit, aurum nihilo esse minus utile, quam argentum: huic non magnopere repugnabo. Illud tamen scio, quod etiam aurum, si magna eius esse copia videatur, minoris esse soleat æstimationis, & argentum reddat pretiosius. Atque hæc à me idcirco explicata sunt, ut fidenter quam plurimos homines in argenti fodinas mittamus, atq; illic substruamus haud dubitanter: quum neque argentifera terra defectura, neque futurum sit, ut argentum ullo unquam tempore vilescat. Videtur autem mihi civitas ipsa hæc ante me perspexisse. Nam peregrinis etiam, si qui velint, excolendi metalla potestatem facit, æquali pensione.

Cap. 9. Ut autem etiam apertius de adquirendo victu loquar, nunc exponam, qua ratione instauratæ argenti fodinæ civitati possint esse utilissimæ. Nec ex iis, quæ dicturus sum, ullam quæro mei admirationem, quasi aliquid difficile repertu invenerim. Nam quæ dicturus sum, partim etiam nunc omnes cernimus, partim vero eadem ratione se habere præterita, licet audiendo cognoscere. Illud admodum admiratione dignum est, quod quum sentiat civitas multos privatos ex se locupletatos esse, tales non imitetur. Jam pridem enim de iis, quibus ea res curæ fuit, audivimus; Niciam Nicerati filium in argenti fodinis mille homines habuisse, quos Sosiæ Thraci locarit, qui ultra impensas obolum pro singulis cottidie persolueret, numerumque mancipiorum hunc semper integrum ac parem exhiberet. Fuerunt & Hipponico sexcenta mancipia eodem isto modo elocata, quæ cottidie minam ferebant ultra impensas: & Philemonidi mancipia trecenta minæ semissem, & aliis, ut cuique facultates suppetebant. Sed quid necesse est vetera commemorare? quum & hoc tempore multi sint homines in argenti fodinis ista ratione locati? Et hæc quidem, quæ à me dicuntur, si peragantur; illud tantum novi fiat, ut quemadmodum privati comparatis mancipiis proventum sibi perennem adquisiverunt; ita coemat & ipsa civitas mancipia publica, donec unicuique Atheniensium tria contigerint. An hæc autem, quæ dicimus, fieri possint: secum de singulis cogitans qui volet, judicet. Hoc quidem plane perspicuum est, posse fiscum facilius, quam privatos, pretium mancipiorum cogere. Senatui quidem certe facile est, per præconem edi-

cere, ut qui volet, adducat ſua mancipia; atque ita quæ oblata fuerint, pretio redimere. Poſteaquam autem coemta fuerint, quid cauſæ ſit, cur aliquis minus velit à republica conducere, quam à privato, quum iiſdem conditionibus obtenturus ſit? Conducunt enim à republica lucos, ſacra, domos; & ab eadem vectigalia redimunt. Ut autem redemtæ res ſalvæ ſint, licet fiſco fideiuſſores à conductoribus accipere, quemadmodum etiam ab iis, qui vectigalia redimūt. Immo vero facilius eſt emtori vectigalis fraudare, quam conductori mancipiorum. Nam quo pacto deprehendi ab aliquo poſſit argentum publicum averti, quum ſit huic ſimile privatum? Mancipia vero ſigno publico notata, ſi pœna conſtituta ſit & vendenti & exportanti, quomodo ſubduci furto poſſint? Atque hactenus civitatem & comparari huiusmodi homines, & conſervare poſſe paruit.

Cap. 10. Si quis rurſus cogitet, exiſtentibus multis operariis, extituros etiam multos, qui mancipia pro mercede conducere velint: is in hac cogitatione futurum confidat, ut multi jam à mancipiis instructi, alias inſuper operas publicas conducant. Habent enim magnas opes argentariæ, & in ipſis operibus multi ſeneſcunt, & multi quoque alij tum Athenienſes, tum peregrini, corpore quidem illi nec velint, nec poſſint opus facere; ſed animi tamen adhibita cura, libenter neceſſaria ſibi adquiſiverint. Itaque ſi primum cogantur mille ducenta mancipia, coniici poteſt, intra quinque annos aut ſex, de hoc ipſo proventu civitatem non pauciora ſex millibus habituram. Jam ex hoc numero, ſi obolum unusquisque diebus ſingulis immunem adferat, ſexaginta talentorum proventus annuus erit. Ex iis autem ſi viginti talenta in alia mancipia impendantur, reliqua quadraginta, prout res poſtulabit, in alium aliquem uſum conferre civitati licebit. Quumque numerus ad decem millia excreverit, jam centum talentorum proventus exiſtet. Verum longe plus accepturam rempublicam, teſtes mihi eſſe poſſunt, ſi qui ſunt adhuc, qui meminere, quantum vectigal ex mancipiis civitas ante captam ab hoſte Deceleam perceperit. Illud quoque teſtimonio eſt, quod quum innumerabiles omni tempore in argenti fodinis opus fecerint, nihil hæ tamen ab illis hoc tempore differant, quarum mentionem majores noſtri fecerunt. Et ea quidem, quæ nunc fiunt, omnia teſtantur; nunquam plura mancipia illic eſſe poſſe, quam ipſa requirant opera. Nec enim illi, qui fodiunt, vel profunditatis, vel cuniculorum finem inveniunt. Atqui licet hoc tempore nihilo minus novum opus facere, quam prius. Neq; quisquam certo ſe ſcire poſſit dicere, num in locis hactenus excitis plus argenteæ materiei ſit, an necdum apertis.

Cap. 11. Cur igitur, dicat aliquis, non nunc etiam, ſicut antea, multi novum opus faciunt? Quia pauperiores ſunt, qui res metallicas faciunt, non ita pridem inſtaurari cœptas. Operis etiam novi adgreſſio periculoſa eſt. Nam qui fructuoſum opus excolendum invenit, copioſus & dives efficitur: qui vero non invenit, ei ſumtus impenſi pereunt. Itaque periculum illud non admodum adire huius ætatis homines volunt. Mihi tamen habere videor quoddam conſilium in hoc quoque negotio, quomodo novi operis inſtituendi ratio tutiſſima eſſe poſſit. Athenis enim decem ſunt tribus, quarum cuique ſi civitas parem mancipiorum numerum concederet, ipſæ vero fortunam communem experiundo, novum opus adgrederentur: ita fieret, ut inventum ab una quidpiam, univerſis utilitatem exhiberet. Sin duæ, aut tres, aut quatuor, aut etiam dimidia pars tribuum inveniret, haud dubie majores ex eiusmodi operibus utilitates caperentur. Omnes enim ſpe ſua fruſtrari, præteritorum exemplo caret. Poſſent etiam privati eadem ratione ſe conjungendo & conſociando, fortunam tutius periclitari. Neque vero metuendum eſt, ne vel fiſcus privatos his ſtructuris lædat, vel privati fiſcum: ſed ut armorum ac belli ſocii, quo plures coniuncti fuerint, hoc ſe mutuo firmiores reddunt: ſic in argenti fodinis quo plures erunt, qui faciant opus, eo plus bonorum & reperient & reportabunt. Expoſitum, qua ratione conſtituta republica, univerſis Athenienſibus de publico ad victum neceſſaria ſuppeditari poſſe arbitrer.

Cap. 12. Quod ſi qui ſunt, qui exiſtiment, ad hæc conficienda permagnis impenſis opus eſſe, nec unquam ſatis magnam pecuniā conferri poſſe; ne ſic quidem animum deſpondere debent. Non enim ita comparata res eſt, ut aut ſimul omnia fieri, aut ex eis utilitatem nullam capi neceſſe ſit; ſed ubi quæque primum ædificata fuerint, vel domus, vel naves, vel emta fuerint mancipia, ſtatim hæc utilitatem adlatura ſunt. Quinetiam vel ob hanc cauſam utilius erit hæc particulatim, quam ſimul omnia fieri. Nam ſi ſubito ædificemus multi, majori cum ſumtu, & pejus abſolvemus, quam ſi res particulatim fiat. Mancipiorum autem permagnum quærentes numerum, & deteriora, & carius emere cogemur. Sin vero pro ratione facultatum rem conficiemus, quæ erunt recte inſtituta, rurſus imitari licebit: ſin autem in aliquo peccatum fuerit, ab eo abſtinebimus. Præterea ſi omnia ſimul fierent, paranda quoque nobis eſſet omniū copia. Sin alia perficiantur, alia differantur: adquiſitus iam ante proventus neceſſaria ſuppeditabit. Illud fortaſſe videri poſſit omnibus ſummopere metuendum, ne, ſi civitas valde multa mancipia compararit, etiam opera nimis magna copia onerentur. Verum hoc quoque metu liberati erimus, ſi non plures, quam ipſa requirunt opera, ſingulis annis immittemus. Ita mihi quidem videtur in his rebus eam ſequi rationem optimum eſſe, quæ ſit facillima. Quod ſi rurſus exiſtimatis ob tributa, hoc bello exacta, ne tantulum quidem poſſe contribui: ſane quantum ante factam pacem vectigalia reddebant, tantum in adminiſtratione reipublicæ anno proximo impendite: quæ vero amplius illa reddent tum propterea, quia pax eſt, tum quia inquilinorum & mercatorum ratio habebitur, ac pluribus huc confluentibus & importabuntur, & exportabuntur plurima, & ad portum mercatus erunt frequentiores; hæc inquam recipientes, ut quam maximi ſint proventus, efficere debetis.

Cap. 13. At ſi quis eſt, qui vereatur: ne ſi bellum ingruat, hoc ſit inane inſtitutum: is cogitare debebit, ſi quidem hæc efficiantur, bellum fore formidoloſius hoſtibus ipſis, qui inferent, quam civitati noſtræ. Quid enim ad belli uſum hominum multitudine utilius? Nimirum hi multis reipublicæ navibus explendis idonei fuerint, multi terra graves hoſtibus eſſe pro republica poſſint, modo quis eorum curam ſuſcipiat. Mea quoque fert ratio, belli etiam tempore fieri poſſe, ut argenti fodinæ non deſerantur: præſertim quum non procul à metallis ſitis ad mare, quod meridiem verſus extenditur, una ſit munitio in Anaphlyſto, altera vero in Thorico, verſus mare aquilonale: quorum locorum alter ab altero ſtadiis circiter LX. diſtat. Si igitur hæc duo tertium aliquod caſtellum in editiſſimo ſaltus loco excitetur, in unum locum ex omnibus his caſtellis operas convenire licebit: ac ſi quid hoſtile ſenſerint, breve ſpatium quilibet ad tutum receptum habebit. Quod ſi majores hoſtium copiæ irruerint, ac frumentum, aut vinum, aut pecudes invenerint extra munitiones: ea nimirum ſecum auferent. Si maxime argenti metallis potiti fuerint, quid aliud habituri ſunt, quo utantur, niſi ſaxa? Et quo tandem modo in metalla hoſtes irruptionem facere poſſint? abeſt enim à metallis ex intervallo proximo urbs Megara multo longius quingentis ſtadiis, abſunt deinde proximo ex intervallo Thebæ multo amplius ſexcentis.

Cap. 14. Itaque ſi ad argenti fodinas illinc alicunde venerint, ut ipſam urbem prætereant neceſſe eſt: ac ſi pauci fuerint, ab equitibus, & illis, qui præſidij cauſa regionem circumeunt, eos interemtū iri conſentaneum eſt. Vt vero deſerta regione ſua, cum magnis copiis è finibus ſuis exeant, non facile fuerit propterea: quod urbs Athenienſis ita longe propior eſſet futura civitatibus eorum, quam illi ipſi, qui ad metalla ſe conferrent. Si tamen accedant, quonam modo illic manere poſſint, à commeatu deſtituti? Quod ſi copiarum aliqua cum parte pabulando neceſſaria parare velint, erunt in periculo tum pabulatores, tum res ipſæ, de quibus contendendum: ſin exeant ſemper omnes, non tam oppugnabunt alios, quam ipſi oppugnabuntur. Non igitur illa tantum de mancipiis penſio civitati ad alendos ſuos incrementum adferet, verum etiam ubi magnus hominum ad metalla concurſus erit, plures & ex foro, quod illic inſtituetur, & ex publicis ad argenti fodinas ædificiis, & ex fornacibus, & omnibus aliis, proventus accedent. Fiet enim & illic civitas admodum populoſa, ſi ad hunc modum inſtructa fuerit: nec fundi minoris erunt iſtic dominis ſuis, quam heic ad urbem fundos poſſidentibus. Itaque ſi quæ dixi, facta fuerint, non ſolūm pecuniis copioſiorem, verum etiam magis paratam ad faciundum imperata, magisq; ſtudioſam ordinis, & bellicoſiorem fore civitatem noſtram confirmo. Nam qui ſe juſſi fuerint exercere, multo diligentius obibunt in exercitiis peragenda, ſi victus eis copioſior ſuppetet, quam qui gymnaſiarchæ parent in decurſione cum facibus: itidemque conſtituti ad præſidia caſtellorum, & geſtare parmas, & regionem obire juſſi, hæc omnia majore ſtudio facient, ſi victus cuique pro laboribus ſuis tribuatur.

Cap. 15. Quod ſi evidens eſſe videtur, pace ad hoc opus fore, ſi proventibus hiſce potiri civitas velit: an non par fuerit, etiam pacis cuſtodes quosdam conſtitui? Nam delectus hic magiſtratus efficiet, ut omnes mortales & lubentius & frequentius hanc urbem adeant. Si qui vero judicant, eandem civitatem in pace perpetua minus potentiæ, gloriæ, celebritatis habituram in Græcia: hi ſane rem opinione mea non rite conſiderant. Nam beatiſſimæ dicuntur reſpublicæ, quæ longiſſimo tempore in pace permanſerint. Et Athenarum ea ratio eſt, ut in pace ſupra civitates alias omnes incrementum ſumant. Quis eſt enim omnium qui huius urbis, ſi quieta ſit, adjumento non indigeat? Atque ut à naucleris & mercatoribus ordiamur, an non qui frumento, vino, eoque ſuavi, oleo, pecudibus abundant, item qui & conſilio, & re, quæſtum facere poſſunt? His addantur opifices, ſapientiæ profeſſores, philoſophi, poetæ, quique iſtorum opera tractant, & qui rerum ſpectatu, qui auditu dignarū, qui ſacrarum & religioſarum ſtudio tenentur. Præterea ſi qui multa cito vendere & emere velint, ubi facilius quod cupiunt adſequentur, quam Athenis?

Cap. 16. Quod ſi nemo his contradicit, ſed nonnulli dum civitati principatum recuperare cupiunt, bello magis, quam pace, id effici poſſe arbitrantur: ij velim primum Medica mihi tempora conſiderent, utrum vi potius, an noſtris erga Græcos beneficiis & maris principatum, & Græciæ quæſturam adepti ſimus. Præterea quum ſævius uti hac præfectura viſa civitas, imperium admiſiſſet; an non tum quoq; ab injuriis abſtinentes, rurſus ab inſulanis ad hoc ſponte ſua permotis navalem præfecturam conſequuti ſumus? Quid? an non Thebani quoque provocati beneficiis imperij ſummam Athenienſibus conceſſerunt? Quin & Lacedæmonij non vi coacti à nobis, ſed beneficiis adfecti, Athenienſibus ut quod vellent de principatu conſtituerent permiſerunt. Nunc vero propter hanc rerum in Græcia perturbationem caſus quidam hoc adtuliſſe civitati noſtræ videtur, ut nullo negotio, ſine periculo, ſine ſumtu, Græcos ſibi rurſus adjungere poſſit. Civitates enim, quæ inter ſe bella gerunt

niti licet ut reconciliemus: licet etiam, si qui in illis dissideant, in gratiam ut redeant, efficere. Si declaretis vobis esse curæ, ut templo Delphico libertas pristina restituatur, idque efficiatis non belli cum aliis societate, sed mittendis per Græciam legatis: nihil erit mirum, si Græcos omnes vobiscum unanimes, confœderatos, socios habebitis adversus illos, qui templum Delphicum à Phocensibus desertum occupare conati sunt. Quod si etiam præferatis, dare vos operam, ut terra marique omnia pacata sint: equidem cunctos existimo votis expetituros, ut Athenæ, secundum patriam cuiusq; suam, maxime salvæ sint.

Cap. 17. Si rursus quisquam est, qui existimet bellum, quam pacem esse reipublicæ nostræ magis fructuosum ad pecuniam conficiundam: non video, qua ratione hæc melius dijudicari possint, quã siquis res ante gestas consideret, & earum qui fuerint eventus civitati nostræ secum reputet. Reperiet enim, quondam in pace permultum pecuniæ in urbem invectum, quæ omnis pecunia bello absumta fuerit. Intelliget etiam, si considerare volet, hoc quoque tempore multos proventus bello defecisse: & eos, qui percepti sint, in omnis generis usus exhaustos esse. Jam vero pacato mari, eosdem & auctos esse, & iis uti licere civibus arbitratu suo. Si quis autem me roget, an etiam aliquo injuria civitatem hanc adficiente, censeam cum eo pacem colendam: equidem id dicere nolim, sed hoc potius adfirmo, nos hostes facilius ulcisci posse, siquidem à nobis auctor injuriæ nullus existat. Quippe sic adversarij nullos habebunt armorum bellique socios. Sed enim si nihil est eorum, quæ à me dicta sunt, quod fieri non possit, & quidem facile: ac isthæc agendo si Græcis amiciores & gratiores erimus, urbem tutius incolemus, gloria majore fruemur, plebs rebus omnibus ad victum necessariis abundabit, locupletes impensis bellicis liberabuntur, quũque futura sit major omnium rerum copia, magnificentius etiam quam nũc dies festos celebrabimus, & templa instaurabimus, itemque muros & navalia reficiemus, sacerdotibus, senatui, magistratibus, equitibus more patrio præbere solita restituemus: quo pacto non fuerit operæpretium, nos hæc quam primum adgredi, ut etiã nobis adhuc superstitibus rempublicam in tuto collocatam felicemque videamus? Quod si vobis hæc agenda placuerit, equidem id consilij dederim, ut aliquibus Dodonam Delphosque missis, deos illos consulatis: an satius, meliusve sit huic civitati, tam in præsentia, quam in posterum, hanc eius formam institui. Si adnuerint, censerem rursus interrogandos, quosnam deos nobis conciliando, quam rectissime atque optime simus hæc effecturi. Quoscunque vero deos illi selegerint, iis litando placatis, rem ordiri par erit. Nam quæ res numine propitio suscipiuntur, eas semper reipublicę melius feliciusque cessuras, consentaneum est. *De proVent. CiVitat.*

Demosthenes Senatui populoq; S. Quod de meo in patriam reditu, semper omnibus vobis deliberandi copiã fore puto: nunc de eo nihil scripsi. cùm verò videam hoc nunc esse tempus, quo vos, si recta consilia sequamini, simul & gloriam & salutem & libertatem adipisci possitis, non modò vobis, sed & reliquis universis Græcis: sin erraveritis, deceptive fueritis, non facilè posse eandem occasionẽ recuperari: duxi meã, quam de hisce haberem opinionem, in medium esse proferendam. Difficile quidem est per literas pertexere cõsilium. Multa enim vos ante rem cognitam soletis interpellare. Ac dicenti facile est, quid velitis, animadvertere: quodq; ignoratur, rectè explicare. Libello autem nullum tale adjumentum suppetit contra tumultuantes. Si tamen audire voletis cum silentio, & expectabitis, dum rem omnem cognoveritis: spero dijs propiciis, quanquam breves hæ literæ sunt fore ut appareat, me & optimo studio ea conari pro vobis quæ deceant, & quæ vobis expediant perspicuè declaraturum. Neq; verò eo consilio hasce ad vos dedi literas, quasi vobis desint oratores, aliive qui impræmeditati, quicquid in mentẽ inciderit, dicant. Sed quæ per experientiam, & ut in gerendis rebus versatus, habeo cognita, ijs expositis, dicendi in publico studiosis uberem eorũ quæ esse putem è Repub. materiam suppeditare: vulgo optimorum consiliorum delectum, facilem reddere volui. Ac cur hanc epistolam scribere instituerim, hæc sunt.

Primùm omnium Athenienses, vos concordes esse propter communem civitatis utilitatem oportet. ortasq; in prioribus conventibus missas facere dissensiones. Deinde consentientibus animis omnes, alacriterque, quicquid decretum fuerit, adjuvare. Nihil enim constanter simpliciterque agere, non modò est indignum vobis, & animi parum generosi: sed summo etiam cum periculo conjunctum. Iam nec illud vobis ignorandum est, ea quæ per se ad statum rerum vestrarum tuendum satis non sunt si ad reliquas copias adjungantur, effectura, ut multò facilius omnia consequamini. Quæ igitur illa sunt? Neque civitati ulli, neque ullis viris, qui cujusque urbis vetera instituta defenderunt, irascendum est: sed delenda potiùs ex animis memoria injuriarum. Nam istiusmodi metus efficit, ut qui se fœderatis, in manifesto periculo versantibus, necessarios esse sciunt, opem iisdem promptissimè ferant: qui metu isto liberati, omnes fient mitiores: in quo non parva est utilitas. Ac oppidatim proclamare talia, stultum fuerit, imò ne fieri quidem id potest. Sed prout vos cum civibus vestris egisse viderint: ita efficietis, ut quisque cum cæteris etiam actum iri expectet. Proinde censeo, neque civitatem, neque ducem, neque oratorem, neque plebejum quenquam eorum, qui antehac eum defendisse statum, qui tum fuit, visi sunt, à quoquam ullo modo vel taxandum vel objurgandum: sed concedenduum esse hoc, omnes cives ea egisse, quæ oportuerit, postquam benignitate deûm conservata Republica, vobis licitum est, de integro, vestro arbitratu deliberare: & cogitandum, quemadmodum in navi, cum hi velificatione, illi remigatione utendum censent, dici ab utrisque omnia propter salutem tuendam: id verò prælatum esse consilium, quod cùm deorum voluntate congruerit. Quòd si de præteritis ad hunc modum statueritis: & fidem invenietis apud omnes, & officio bonorum virorum fungemini, & res vestras non parum erigetis: & eos qui in urbibus adversati vobis fuerunt, eò redigetis, ut aut consilia mutent omnes, aut omnino aliqui esse in culpa ipsi videantur. Quæ igitur è Republica sunt: ea magnis animis & civiliter administrate, & privatarum rerum recordamini.

Atque hæc ego moneo, non eandem humanitatem expertus apud nonnullos: sed per injuriam & seditionem, in aliorum gratiam quasi propinatus. Verùm nec privatæ explendæ iracundiæ gratia, Reipublicæ commodis nocendum puto: neque ullam privati odij partem publicis utilitatibus admisceo: sed ad quæ alios adhortor, ea mihi primò esse facienda censeo. Quæ igitur præparanda, quæque cavenda sunt, & quibus agendis (quantũ quidem humano consilio provideri potest) prosperrimo uti successu posse videamini: ferè à me explicatum.

Quotidianis autem negocijs præesse, & casibus subitis recte uti, & cujusque rei intelligere occasiones, & judicare quæ res benignitate verborum obtineri possint, quæ item vi extorquendæ sint: ducum officium est, qui rebus administrandis sunt præfecti. Qua etiam de causa durissima est dicendæ in concilio sententiæ provincia. Nam rectè consulta, & magno studio laboreque probata, sæpe propterea corrumpuntur, quòd ij qui ea in mandatis habent, aliter exequuntur. Nunc tamen bene successura esse omnia spero. Nam si quis Alexandrum eò fortunatum putat, quòd ei prosperè successerunt omnia: is illud reputet, eum agendo & laborando, & audendo, non desidendo, fuisse fortunatum. Posteaquam igitur nunc mortuus est: fortuna quærit aliquos quibus adsit: ij vos esse debetis, & duces, per quos geri necesse est, quàm benevolentissimos copiis præficere. Quodque unusquisque vestrûm facere poterit & volet: id ad seipsum dicat & promittat: caveatque ne fallat, neque tergiversandi gratia, sibi data esse verba, non persuasum esse, causetur. Quicquid enim vos neglexeritis: id qui resarciat, neminem invenietis. Neque idem periculum est in iis rebus, quas tum cùm voletis, agere licebit, consilia sæpe mutare & in iis, propter quas bellum erit gerendum. Sed in huiusmodi rebus sententiæ mutatio non est aliud, quàm consilii & instituti clades. Ne verò tale quippiam committite: sed quicquid acturi estis, id generosis & paratis animis decernite, & ubi semel decreveritis, ductu & auspiciis, tum Dodonæi Jovis, tum reliquorum deorum, qui multa vobis & præclara & bona & vera oracula reddiderunt, illorumque ope implorata, vocisque pro victoria iis omnibus nuncupatis, adjutrice fortuna propicia libertatem Græcis restituite.

Dio Prusæus: Primum quidem, ô viri optimo Varino gratiæ agendæ sunt, cum propter aliam alacritatem, quam erga civitatem ostendit: tum quòd volentibus vobis ad concionem convenire, rursus permisit non solum promptè, verum etiam libenter. Hoc enim ejus erat qui vobis crederet, sciretque ad nihil absurdum vos usuros esse hac potestate. Neque enim ligna videlicet viridia quisquam componit ad comburendum, quum præsciat necesse esse multum & absurdum fumum exoriri: neq; perturbatum populum in idem congregat prudens præses, nisi si qua major necessitas incumbat. Nunc ergo vestrum officium est, non illius consilium fallere: verum ostendere, quòd modestè & honestè vos in concione geratis. Et primum mihi videtur, ornamentum nobis esse quærendum in mutua amicitia, concordiaque: & si huc veniat accersitus, de aliis quæ clamavistis supersedendum. Ipse enim quæret publica negotia, etiamsi vos prohibere velitis. In præsentia autem gratias agite, & dexteras iniicite, cunque laude & honore suscipite: ut non quemadmodum medicus ad ægrotos, timide & illibenter, curæ causa, sed tanquam ad bene valentes libenter & alacriter accedat. Etenim nunc quidem discedit, post hodiernum fortasse diem, rediturus est autem paulo post: & tunc, si non ipsi antea vobis persuadere poterimus, si quis quid publicarum rerum habet, judicibus & arbitris invicem usi, licebit & dicere & clamare. Quippe antea eos loco pellere, neque audire & rem exquirere velle, valde ingratorum est. Nuncubi rem tentastis? aut quando petiistis ab illis? aut quis vobis non obtemperavit? Tum laudes quibus me honorastis, etiam in eos rogo vertere omnes. Quemadmodum enim in convivio valde turpe est, si unus solus multis discumbentibus bibat: atque ideo alij non solum pocillatori, sed etiam bibenti indignentur: hoc ipsum & in civilibus laudibus est. Atque hæc facientes, vos ipsos ornabitis: sicuti civitatis ornatus maximus est, civium laus.

Ob quam rem enim aliam magnifice de vobis sentitis? Nonne magnitudine quidem aliæ præstant civitates? Et, per Jovem, divitiis, abundantiaque & publicis ædificiis. Unum autem hoc est, quo nobis placebimus ferè apud omnes homines, quod viros habemus idoneos & ad agendum, & ad dicendum: & quod maximum est, qui patriam diligant. Si quis verò hoc vobis auferat, qua civitate etiam minima videbimini meliores? Nunc enim, si quod vobis incidat dissidium cum aliqua civitate (quod dij avertant) deinde illi vestros cives conviciis incessant, dicentes esse raptores & infideles, quomo-

do feretis? Nonne graviter? Nonne statim clamabitis, & convicia jactabitis, atque ad manus forsan venietis, quod antea factum est frequenter? Itane quæ aliis dicentibus audire non sustinetis, ea dicetis ipsi adversum vosmetipsos? Si quando incidat dissidium, & illi vobis obiiciant, hanc civitatem malos habere cives, & esse seditiosos, non erubescitis? Ego sanè, deos vobis juro omnes, vehementer molestè tuli, dicente ad me quodam, Reconciliare civitatem; illique indignatus sum. Absit enim ut illam videam diem, in qua vobis reconciliationibus opus sit: sed in inimicorum (ut ajunt) capita, talia vertantur; hoc est, in execratos Getas, in neminem autem aliorum populorum. Quæ enim foret nostræ peregrinationis utilitas, nisi vos ad talia perducere possemus obedientes, concordiæ semper orationem congregantes, & amicitias contrahentes in quantum possumus, inimicitias autem & lites & contentiones irrationabiles fatuasque auferentes omni pacto?

Honestum enim & utile omnibus similiter est, civitatem videri ejusdem esse sententiæ, & amicam sibi, & compatientem: Pulcherrimum spectaculum est, & felicissima omnium possessio, una omnibus de rebus inter cives sententia apparens: sique cives vituperium & laudem in idem conferant, tam bonis quàm malis certum utrisque testimonium. Pulchrum est enim, quemadmodum in choro ordinato concinere unum idemque canticum, & non pravi more instrumenti dissidere, duplicibus vocibus & sonis resonantibus, tanquam ex confracta tibia: in quo, ferè sita est contemptio & infelicitas, & ut civitas nihil valeat neque apud præsides, neque apud alias civitates. Neque enim à dissonantibus choris quisquam facilè exaudit quid dicant, neque à dissidentibus civitatibus. Quemadmodum una navi vectis, non est possibile ut quisque separatim salutem consequatur, sed simul omnes: ita neque una in civitate versantibus. Decet autem vos, quandoquidem eruditione præstatis & natura, & verè pureque Græci estis, in hoc ipso generositatem ostentare.

Multa autem de his dixissem opinor, pro argumenti magnitudine, nisi corpore oppidò malè affectus fuissem vosque (ut dixi) non vidissem dissidere. Neque enim quicquam factum est, neque nascitur apud vos hic morbus: sed fortasse brevis quædam fuit suspicio quasi ophthalmiæ, eamque à vicinis habuimus. Consuevit autem hoc & mari sæpius accidere, quum profundum fortiter inundat, tempestasque exorta est, ut eam extrà quoque nonnunquam, & in portubus, licet incertè, significet. Num putatis fori & theatri, & gymnasiorum & porticuum, pecuniarumque aliquam esse utilitatem seditiosis? Non hæc sunt quæ honestam faciunt civitatem, sed modestia & amicitia, & ut invicem sibi credant. Quando autem senatum vituperatis, eos qui vobis præsunt, eos qui ex omnibus sunt, delecti, nònne vosmetipsos vituperatis? Nam si optimi inter vos pravi sunt, quid de aliis credendum est? Nos ergo nostra perdemus? Nemo hoc dicit: sed bene nostis, quòd in omnibus civitatibus sunt publicæ pecuniæ, atque has habent aliqui, quidam per ignorantiam, quidam autem alio modo: & providendum est ut sint saluæ, at non cum inimiciis, neque cum dissidio. Hi publicas faciunt erogationes, & frequenter vobis de suo contulerunt: persuadete eos, atque rogate. Quòd si repugnent, jurè agite adversus solos, omni excluso extraneo. Nonne vos estis qui sæpenumero nos laudastis tota die, hos vocantes optimates, illos Olympios, alios servatores, alios denique educatores? Itane, per Iovem atque deos, vosmet falsi testimonii condemnatis? Et utrum nunc hæc irati dicitis, an tunc illa adulantes? & nunc decepti magis, an tunc decipientes. Non quiescetis ab hoc principio, & cognoscetis, vos valde gratiosos habere cives, civitatemque quæ possit esse beata? Ego multa possum, diis volentibus bene facere, hosce habens auxiliatores: dicoque illud quod proverbio fertur, Unus vir, nullus vir.

At fortasse indignati estis, quod opus non est perfectum. Perficitur, & valde citò absolvetur, maximè his incumbentibus, studiumque adhibentibus, ut voluntariè quid conferant: neque enim inviti vobis sunt polliciti. Quamobrem autem ab his exigitis, à me verò non exigitis? An quia videor vobis præstitisse? Itane putatis me hoc imputare, quòd meam patriam fecerim honorabiliorem, quandam pecuniarum occasionem exhibens: quemadmodum à Buleuticis, atque hercle à reditibus auctis, propter gubernationem? Porrò hæc similia sunt, ut si precatus essem pro vobis, dij autem præstitissent. Et quum iterum potero, iterum faciam. Potero autem, si fuero animo tranquillo, hosce habens amicos: & nihil vobis horum imputo. Neque enim liberi parentibus pro expensis vota imputant. Num existimatis me de porticu aut alia re quadam verba fuisse facturum, si vos vidissem dissidere?

At hoc perinde esset, ac si quis ægrotum hominem & phreniti de laborantem, cui opinor emplastrum esset imponendum, reclinatoque nulla irritamina adhibenda, unguento ungeret, eique coronam imponeret: quæ etiam bene valentibus, nihilque mali habentibus, summo in ocio adhiberi solent, Non putatis Athenienses quando movebant seditiones, hostesque inducebant, seque mutuò prodebant miseri, & Propylæa habuisse, & Parthenonem, & porticus, & Piræum? At plorantibus illis, majus quiddam resonuerunt Propylæa, & navalia, & ipse Piræus. Quanquam magna & populosa civitas, seditionibus vexata & desipiens, potest aliquantum temporis calamitatem ferre: sed tamen & hæc videtis, qualia sint. Non se invicem accusant, non expellunt, non hos quidem in senatum introducunt, illos autem educunt: non quemadmodum in terræ motu, omnia moventur, omniaque sunt suspensa, & nihil firmum. huc tamen rerum venerunt, ut non sufficiant illis sui ipsorum præsides: sed quemadmodum insanabilibus morbis, peregrinis medicis opus habent. Atque hoc est quod ferocioribus equis fieri solet, quando frenum eos retinere non potest, armilla illis extrinsecus iniicitur.

Mihi sane in his & rerum cura vestrarum est, non minus tamen & mearum. Nam si philosophus, qui ad rempub. accessit, non potuit efficere, quo civitas concordiam haberet: hoc intolerandum jam, atque indeclinabile malum est. Ut si navium fabricator navigans, non efficiat ut navis eat: aut si quis sese gubernatorem dicens, ad ipsum fluctum declinet: aut domum accipiens ædium constructor quispiam, vidensque cadentem, atque hoc negligens, dealbando & pingendo se aliquid putet efficere.

Si mihi propositum esset in præsentia de concordia dicere, dixissem utique multa & de humanis & de cœlestibus rebus, quod hæc divina & magna concordia opus habeant, amicitiaque: quæ si absint, in discrimine est pulchrum hoc ædificium, mundus ne pereat, & corrumpatur. Sed fortasse longior sum quàm convenit, quum jam eundum sit, & advocandus præses. Hoc unum tantum dicam. Non turpe est, quum apes inter se concordent: & nemo unquam vidit examen movere seditionem, aut inter se pugnare: simul autem opus faciunt, simulque vivunt, atque sibi ipsæ præbent escam, eaq; fruuntur: homines concordare non velle? Quid ergo? Nonne & illic nascuntur fuci quidam sævi, & mel devorantes? Ita per Jovem, nascuntur quidem: attamen & hos frequenter sinunt agricolæ, nolentes totum perturbare examen: & satius putant, mellis aliquid absumi, quàm omnibus apibus inferre tumultum. Forsan apud vos nullus est fucus agrestis, confractum quiddam sonans, gustansque de melle. Quinetiam & formicas valde jucunde videre licet, quomodo facile conversentur inter se, quomodo egrediantur, quomodo onera suscipiant, quomodo mutuo cedant in viis. Nonne turpe est, homines esse imprudentiores bestiolis ita parvis, & mente carentibus? At hæc alias quodammodo dicta sunt. Seditionem autem ne nominari quidem apud vos æquum est, neque quisquam de ea dicat: sed mihi videtur, expiata civitate, non scilla, neque aqua, verum re multo mundiore, nempe oratione, cætera communiter esse faciunda, deque ædilibus aliisque cogitandum; advocandumq; ad hæc senatum, ut quemadmodum consuevit, provideat civitati. Erunt enim vobis omnia perquam facilia. Atque hæc ut diligenter faciatis, vobis dignum est, & propter prætorem quem fecistis; ne hominem accipientes inexpertum, postea in undis & procella relinquatis. *Oratione 48.*

Pontificis maximi.

❡ SENTENTIÆ PATRUM.

D. *Nazianzenus*: Illud novi, neminem magno Deo, & sacrificio, & pontifice dignum esse, qui quidem prius Deo hostiam viventem seipsum non exhibuerit; aut, ut rectius loquar, Dei vivi templum sanctum ac vivum factus sit. *Oratione. 29.*

Io. Sarisberiensis: Memini me causa visitandi dominum Adrianum Pontificem quartum, qui me in ulteriorem familiaritatem admiserat, profectum in Apuliam. Mansique cum eo Beneventi ferme tres menses. Cum itaque, ut fieri solet, inter amicos, sæpe plurimis conferremus, & ipse quid de se & ecclesia Romana sentirent homines, à me familiarius, & diligentius quæreret, ego apud eum usus spiritus libertate, mala, quæ in diversis provinciis audieram, patenter exposui. Sicut enim dicebatur à multis Romana ecclesia, quæ mater omnium ecclesiarum est, se non tam matrem exhibet aliis, quam novercam. Sedent in ea Scribæ & Pharisæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam, pretiosam suppellectilem congerunt, auro & argento onerant mensas, sibi etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus, quam vana gloria introducit. Concutiunt ecclesias, lites excitant, collidunt clerum & populum, laboribus & miseriis afflictorum nequaquam compatiuntur, ecclesiarum lætantur spoliis, & quæstum omnem reputant pietatem. Justitiam non tam veritati, quam precio reddunt. Omnia namque cum pretio hodie, sed nec cras aliquid sine pretio obtinebis. Nocent sæpius, & in eo dæmones imitantur, quod tunc prodesse putantur, cum nocere desistunt exceptis paucis, qui nomen & officium pastoris implent. Sed & ipse Romanus Pontifex omnibus gravis, & fere intolerabilis est. Præterea omnes arguuntur, quod ruentibus & collabentibus ecclesiis, quas patrum construxit devotio, altaribus quoque incultis palatia extruit, & ipse non modo purpuratus, sed deauratus incedit. Palatia splendent sacerdotum, & in manibus eorum Christi sordidatur ecclesia. Provinciarum deripiunt spolia, ac si thesauros Crœsi studeant reparare. Sed rectè cum eis agit altissimus, quoniam & ipsi aliis, & sæpe vilissimis hominibus dati sunt in direptionem. Et ut opinor, dum sic in invio erraverint, nunquam deerit eis flagellum domini. Os siquidem Domini locutum est, quia quo judicio judicaverint, judicabuntur, & sua mensura remetietur eis. Antiquus dic-

rum

rum mentiri non novit. Hæc, inquam, pater loquitur populus, quandoquidem vis ut illius tibi sententias proferam. Et tu, inquit, quid sentis? Quia ergo justas, urges, præcipis, cum certum sit quod Spiritui sancto mentiri non licet, fateor, quia quod præcipis, faciendum est, etsi non sitis omnibus operibus imitandi. Nam qui à doctrina vestra dissentit, aut hæreticus, aut scismaticus est. Sed Deo propitio, sunt qui non omnium vestrum opera imitentur. Paucorum ergo labes sinceris maculam, & universali ecclesiæ ingerit. Et in ea opinione, frequentius moriuntur, ne totam corrumpant ecclesiam. Sed & boni rapiuntur interdum, ne malitia immutentur, & quia Roma corrupta apud Deum, his reperitur indigna. Tu ergo quia id habes officij, quære & insere humiles vanæ gloriæ & pecuniæ contemptores. Sed timeo ne dum pergis quærere quæ vis; ab imprudente amico audias quæ non vis. Quid est pater quód aliorum discutis vitam, & teipsum minimè perscrutaris? Omnes applaudunt tibi, pater omnium vocaris & dominus, & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergo pater es, quare à filiis munera & retributiones expectas? Si dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repressa, eos ad fidem non revocas? At urbem vis Ecclesiæ tuis muneribus conservare. Nunquid eam sic Silvester muneribus acquisivit? In invio pater es, & non in via. Eisdem est conservanda muneribus, quibus est acquisita. Quod gratis accepisti, gratis dato. Justitia regina virtutum est, & erubescit quovis pretio permutari. Si gratiosa futura est, sit gratuita. Nequaquam prostituatur ad pretium, quæ corrumpi non potest. Integra est, & semper incorrupta. Dum premis alios, & tu gravius opprimeris. Risit Pontifex, & tantæ congratulatus est libertati, præcipiens ut quotiens sinistrum aliquid de ipso meis auribus insonaret, hoc ei sine mora nunciarem. *Libri sexti nugarum Curialium capite vigesimo quarto.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Adrianus IV. & Marcellus II. PP. Quò ergo major urbibus Roma, eò major quàm ceteros Prælatos laborum moles summos Pontifices manet. quod intuitus Adrianus, qui illud subiit aliquando, *Tantum*, ajebat, *hujus muneris est pondus, ut & robustissimos non premat modò, sed & opprimat.* Cujus dicti Marcellus, qui post Adrianum Pontificatum gessit, memor, postquam diu siluisset, manu mensam, cui accumbebat, percutiens; *Non video*, inquit, *quomodo qui hunc locum tenent, salvari queant.* Onuphrius Panuinus in vita Marcelli.

Patres Conc. Sinuess. Quantus autem honor huic ordini deferendus, exhibuerunt suo exemplo Conc. Sinuess. Patres. dum enim tyrannidem in Christianos exercente Diocletiano, Marcellinus Pont. immanitati suppliciorum cedens, in fidei professione nutasset; facti pœnitens, Sinuessæ in Campania Concilium 180. Episc. coëgit. à quibus, cilicio indutus, petiit suæ culpæ condignam pœnam præscribi. at illi summa cum reverentia id recusarunt, dicentes: *Tuo te ore, non nostro judicio judica. Prima namq; sedes à nullo mortalium, præterquam à solo Deo, judicatur.* Platina in vita Marcell. Breviar. Rom. 26. Apr.

Pius II. Pont. Ille verò, *Grave*, dicebat, *est Pontificis onus: at beatus, qui illud benè defert.* Platina in Vita.

Adrianus V. Pont. Idipsum animo volvens Adrianus V. dum rogaretur, quodnam supplicium capitali suo hosti imprecaretur; respondit: *Vt sit Pontifex.* Ita de B. Brunone quidam meminêre:

Rennuit oblatum sibi Bruno Pontificatum,
Cernens esse statum Magnatum raró beatum.

Ex libro Gall. Rer. memorab.

Fredericus Imp. Primus. Hic in gratiam à Pontifice receptus, cùm se ejus pedibus humiliter advolueret, Pontifex Davidicum hunc rithmum, Super aspidem & Basiliscum ambulabis, protulisse commemoratur. ad quod Cæsar gravi vultu respondit: *Non tibi, sed Petro.* tanquam hominem facilè contemneret, personæ verò dignitatem probè veneraretur. *P. Iovius Elog. lib. 1.*

Valentinianus Imperator. Auxentio defuncto, cùm de successore ageretur; Valentinianus, convocata Synodo, *Talem*, inquit, *in Pontificali sede constituite, cui & nos, qui gubernamus Imperium, syncerè nostra capita submittamus.* At petebat Synodus, ipse eum eligeret, quem huic muneri idoneum judicaret. Verùm ille; *Supra nos*, inquit, *est talis electio. Vos gratia divina potiti, & illo splendore fulgentes, meliùs eligetis.* Hist. Tripar. lib. 7. cap. 8.

Thomas Morus. Angliæ Cancellarius, dum Henricum regem Ecclesiæ primatum obtinere negâsset, ideoque judicibus ad mortis sententiam accipiendam sisteretur; rogatus, num tandem ab eo errore mentem revocare nollet; quod sentiebat, palàm explicavit, dicens: *Iam integris septem annis omnium veterum monumenta evolvi: neq; tamen uspiam reperi, hominem laicum & sæcularem caput esse posse, aut fuisse Ecclesiæ.* Nemo enim sibi sumit honorem illum: sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. *ad Hebræos cap. 5. In Vita eiusd. apud Staplet.*

¶ Monosticha Trochaica.

Dignitatis cumulus senibus pontificatus additor.
Pontifex communis orbis, est Dei vicem, parens.
Pontifex es factus? omni jam abstineto sanguine.
Vniversorum saluti ex æquo servit Pontifex.

Populi.

¶ Sententiæ Oratorum Graecorum.

Aristides Rhetor: Etenim si ne Hippocentauris quidem, non omnibus simul, sed singulis, cùm duplicis essent naturæ, gratificare facilè quis dicendo posset, quomodo populi voluntates cognoscere ac semper observare queat? nec enim unus est populus, neque voluntatis unius, nec erit, ut arbitror, sed instar fluctuum, alius aliò fertur, in omnibus dispares, ætatibus, studiis, naturis, cupiditatibus: diversæ singulis sententiæ, si quidem est ea dicenda sententia, quæ longissime est à veritate remota. alij præterea nunc, alij post adsunt, quemadmodum folia videntur eadem esse, & arborum earundem, cùm sint à prioribus diversa. Qualibus ergo cupiditatibus serviet orator, aut quorum placita sequetur in dicendo, vel gratiam captabit, qui sic affecti sint, ut vix ipsi quid velint, scire possint? quin tantum abest; ut idem omnes sentiant, ut eorum nemo de iisdem rebus idem semper apud se, ut ita dicam, sentiat, quin oratore tanquam duce semper indigeat. quos ergo spectabit? postquam enim multis serviendum est, ij autem non consentiunt inter se, neque omnibus eadem ratione gratificari quisquam possit; quomodo poterit eorum libidini orator servire? simul enim & his gratificabitur, & illos offendet. itaque non tam jucunda quàm molesta erit ipsius oratio. *Oratione priori platonica, pro Rhetorica.*

Aristides: Nam quod nec factu difficile, nec absurdum sit, ut populum offendant etiam ij qui optimè populi causa loquantur; sed & hæc ipsa meritò fiat ærumnarum causa, cùm de optima sententia volunt decedere: id non è vatibus est cognoscendum: sed is qui multis populis est ac civitatibus æqualis, Plato Aristonis filius apertè testatur; idque in eo sermone, in quo Socrates apud ipsum injustè periclitatur. quæ sunt ergo verba? [Non potest hominum quisquam servari, qui vobis, vel alicui multitudini vere se opponat, & injuste multa atque contra leges in Rep. fieri prohibeat: sed eum, qui re vera justitiam tuebitur, oportet, si vel paululum victurus est, suam rem, non publicam gerere.] Esto, amice. Et miraris, Miltiadem, Themistoclem, Periclem, & Cimonem populum offendisse, cùm ei optima quæque, suavibus omissis, proponerent? Atqui hinc nasci pericula confiteris esse, nec ea vel paululum evadi posse. Utrum ergo mirabimur eos offendisse, idque culpabimus: an illud potius admirabimur, quod tanto tempore perdurarunt, nec vel citius cladem suam acceperunt, vel, postquam offenderant, morte sunt multati, sed mediam quandam viam tenuit populus, & partim pudore ductus est, quippe qui rectè ab illis gubernatus esset, atque aliquam retinuit mansuetudinis speciem, partim rei naturam non potuit effugere; verum insitorum populo peccatorum quandam consecutus est partem. *Oratione Platonica 2.*

Dio Prusæus: Evidentius vobis (si placet) disseram de populi natura, hoc est, de vobis ipsis. Quippe hoc unum est utilium: & magis vobis profuero, quam si de cœlo & terra dicerem. Ajo populum maxime similem esse viro primati, & valde forti, magnam quandam potestatem & robur habenti: & tanto majori primati, & plurimum principi, quanto ipse major fuerit populus, & civitatis nobilioris. Huius igitur reges sunt dij, pro communi salute præfecti, revera curatores & præsides boni & justi. Et bonorum quidem voluntarij promi: mala verò raró tribuentes, & necessitate compulsi, ornatu lætantes civitatum. Qui verò è diverso sunt duri & feri, tyranni vocantur, sævi tam ad audiendum quàm ad congrediendum. Horum quidem ira ad omnia est prompta, quemadmodum ferarum bestiarum: aures autem obstructæ, & ingressus in eas non patet sermonibus æquis sed adulatio & deceptio obtinent apud eos. Similiter autem & populus. Nam aliquis est bonus & æquus, mitisque & tranquillus verè, qui gustare possit loquendi libertatem, neque in omnibus velit deliciari, humanus, magnanimus, venerans bonos tam viros quam sermones, corripientibus docentibusque gratiam habens: quem ego censéo divinæ & regiæ naturæ esse dicoque condecens esse ut quis hunc accedat, & alloquatur, quemadmodum generosum equum loro inutili mansuete ducens, haud indigens annulis. Complures verò & audaces & superbi, & implacidi ad omnia, & novarum rerum cupidi, tyrannis similes, & longè peiores: utpote quorum malitia non uniusmodi est, neque simplex, sed commixta ex quamplurimis: ut valde varia & sæva sit bestia, ut poetæ & opifices fingunt Centauros & Sphingas & Chimæras, ex omnigenis naturis in unam formam idolum componentes. Huiusmodi autem cum portento congredi, aut contra ire, insanientis cujusdam vere factum est, aut admodum animosi, & alati Perseos aut Bellerophontis. Alexandrinorum ergo populum infinitum (ut ajunt) utra in parte ponamus? Ego sanè me vobis exhibui: ut illis, qui melioris sint naturæ. Fortassis autem & alius hoc præsumpserit, qui melior me sit.

Et sanè, neque habetis spectaculum pulchrius, neque admirabilius quam vos ipsos modeste gerentes & attendentes. Divinum enim quiddam est, & gravitatis revera plenum & magnificum, po-

puli vultus mansuete compositi, neque risu vehementi ac intem-
peranti effervenntis, neque tumultu continuo & incomposito per-
turbati, sedquum est auditio una tantæ multitudinis. Aspicite au-
tem vos ipsos in præsentia, & quum consueta spectaveritis, quales
nam sitis. Mihi nunc sanè spectatu dignissimi videmini & plebeiis
& regibus & nemo est qui non ingrediens obstupesceret, vosq; ho-
nore afficeret, ut si nihil aliud, hoc saltem vobis non parvum præ-
stitit sermo, ut unam horam vos modeste geratis. Nam & ægrotan-
tibus momentum ad salutem non modicum est, si paulisper pos-
sunt quiescere. In aliis autem sodalitatibus quum vobis inciderit
confusionis spiritus: quemadmodum si velox ventus commoverit
mare lutosum & sordidum, plane tum (opinor) juxta Homerum
spuma videtur, & palea, & algarum copia effusarum: similiter tum
apud vos videntur scommata, plagæ, risusque. Quis igitur vos ita
affectos laudare queat? Non enim propter hoc & principibus vide-
mini magis immunes.

Et antea quendam dixisse ajunt: *De Alexandrinorum verò mul-
titudine quid quis dicat, quibus duntaxat obijcere oportet multum
panis (ita enim multo melius custodiri) & spectaculum equorum, ut
quibus cætera omnia nulli sunt curæ.* Nonne vos, quum se quis ex
majoribus inhoneste gerit in medio omnibus videntibus, eum de-
spicitis, & censetis nullius precij, etiamsi centies inter vos aliquam
habeat potestatem: ipsi autem potestis videri graves & honesti ta-
lia facientes? Nescitis, quòd sicut princeps & rex progrediens tunc
clarissimè videtur, ut oporteat eum nihil ignobile aut turpe facere:
hoc modo & populus, quum huc progressus fuerit, & in unum con-
gregatus? Oportet quidem (opinor) & alias vos modeste gerere: sed
tamen quando quis quid facit apud se, non publicum id, neque ci-
vitatis est putandum: in theatro autem videntur publici mores.
Vos autem præcipuè hoc in loco incircumspecte vos geritis, glo-
riamque destituitis urbis: quemadmodum malæ mulieres, quum
oporteret eas honestè in publico vivere, etiamsi domi immodeste
se haberent.

Quid igitur, dicat forsan aliquis. Num hoc solo delinquimus,
quod viciose spectamus? Et de hoc solo nobis dicis, aliud autem ni-
hil? An metuis & de cæteris differere? Et quidem, forsan dicet ali-
quis, quod quamvis multa dixerim, nullum tamen dederim vobis
consilium, neque planè exposuerim, id de quo vos præcipue repre-
hendo: hoc autem officium esse docentis. Ego verò & nunc me ar-
bitror multa & utilia dixisse attendentibus & de Deo, & de populi
natura: & quod oporteat audire, & non repudiare sermones. Hoc
enim (opinor) admodum fuit necessarium, ut nempe primùm
præpararem vos, ut sustineretis audire. Quare si nihil aliud, hoc
tamen haud vulgare vobis præstitit sermo, quòd tanto tempore se-
detis, modeste vos gerentes. Namque & ægrotantibus magnum ad
sanitatem momentum est, si paulum quiescant. Atqui de aliis o-
mnia percurrere, præsertim in una die, eoque vos denique compel-
lere ut malitiam & delicta condemnetis, non est possibile; non si
mihi decem linguæ, decemque ora essent: nisi mihi cœlestes Musæ
Jovis filiæ in memoriam revocent, quanta ubique malitia sit apud
omnes, non apud vos solos. Illud autem ipsum de quo cœpi dicere,
videte quale sit.

Quomodo enim cœnetis apud vos, aut dormiatis, aut gubernetis
suam quisque domum, non admodum manifestum est: quomodo
autem specteris, & quales nam hic sitis, omnes Græci & barbari no-
verunt. Civitas enim vestra magnitudine & loco, immensum quã-
tum differat, & clare secundas obtinet partes inter omnes quæ sunt
sub sole. Ægyptus enim, tanta natio, vestræ corpus est civitatis.
immo mantissa. Nam fluminis naturæ proprietas præter alia o-
mnia, sermone explicari non potest, nec non illius utilitas & mira-
cula: & quòd mare circa vos totum recipiatis, & portuum pulchri-
tudines, magnitudinesque classium, & ubique terrarum nascen-
tium copia & dispositio: & mare quod extrinsecus adjacet rubrum
& Indicum, cuius nomen antea difficulter audiebatur: ut negotia-
tiones non insularum, neque portuum, neque freti modici & an-
gusti, sed propemodum totius terrarum orbis exerceantur apud
vos. Posita enim est in coniunctione quadam totius terræ, & multis
deductis gentibus, quemadmodum in forum unius civitatis, in
idem loci congregat omnes, atq; mutuo alterum alteri ostendit, &
quantum fieri potest unam ex omnibus facit gentem.

Fortassis ergo gaudetis hæc audientes, vosque putatis laudatos,
hæc me dicente, quemadmodum ab aliis qui semper vobis adulan-
tur? Ego verò laudavi aquam & terram, & portus & loca, & omnia
potius quàm vos. Ubi enim dixi quòd sitis prudentes, & modesti,
& justi? Nonne his contraria? Hominum siquidem laus est disci-
plina, mansetudo, concordia, ornatus reipublicæ, attendere rectè di-
centibus & non undique conquirere voluptates. Subvectiones au-
tem mercium, & discretiones, excellensque copia venalium atque
navium; mercatus & portus & fori sunt encomia, non civitatis.
Neque enim si aquam quis laudet, ea laus hominum est: sed puteo-
rum. Neque si de temperie aeris quis dicat, homines dicit esse bo-
nos: sed regionem. Neque si de piscibus civitatem unquam lauda-
verit, sed mare aut lacum, aut flumen. Vos autem si quis Nilum
laudibus evehat, animos tollitis, quasi ipsi fluentes ex Æthiopia.
Ferè autem & alij complures ob tales res gaudent, seque beatos ju-
dicant, si habitent (juxta Homerum) insulam arboribus consitam,
aut altam, aut continentem quendam pascuosum, & vicissim ha-
bentem umbrosos montes, aut fontes perspicuos: quorum nihil il-
lorum proprium est. Virtutis autem ne somnium quidem illis cu-
ræ est.

Ego autem horum recordatus sum, non ut vos extollerem, neq;
ut me familiariter eadem canentibus rhetoribus aut poetis com-
pararem. sunt enim illi eloquentes, & magni sophistæ & imposto-
res. nostra verò vilia sunt, & sermones soluti, haud tamen de vili-
bus. Ipsa enim quæ dicta sunt, non sunt magna: at de magnis, quan-
tum fieri potest. Et nunc hæc dixi de civitate, ostendere vobis cu-
piens, quod si vos inhoneste geratis, hoc clam fieri non possit, neq;
inter paucos, sed inter omnes homines. Video enim ego non solum
Græcos apud vos, neque Italos, neque à propinquis regionibus Sy-
ria, Libya, Cilicia, neque qui supra illos Athiopas habitant, neque
Arabes: sed etiam Bactrianos, & Scythas, & Persas, & Indorum quos-
dam, qui concurrunt, & semper apud vos versantur: ut vos quidem
audiatis unum (si ita fortuna ferat) citharœdum, & illum familia-
riter notum: audiamini autem à sexdentis gentibus, qui vos non
norunt: & videatis quidem tres aut quatuor aurigas, videamini au-
tem à tot Græcis & à tot barbaris. Quid eos putatis, quum ad ter-
ræ terminos pervenerint, dicere? Nonne, civitatem (dicent) vidi-
mus cætera quidem admirandam, & humanorum spectaculorum
omnium optimum spectaculum, & templorum ornatu, & civium
multitudine, rerumque necessariarum abundantia: & omnia exactè
suis enarrantes quantum possunt, quæ paulo antè dixi, de Nilo &
regione & mari: & quod maximum est, apparitionem Dei: furen-
tem autem ob cantica, & cursus equestres, & nihil dignum facien-
tem? In suis ipsorum rebus illi quidem homines sive sacrificent,
sunt moderati, sive ad sua negotia eant, aut alia faciant: quum au-
tem theatrum ingressi fuerint, aut stadium, tanquam pharmaca si-
bi illic habeant defossa, nihil jam sciunt rerum priorum, neque e-
rubescunt dicere aut facere quicquid illis venerit in mentem. Et
quod omnium est gravissimum, studium adhibentes circa specta-
cula, non spectant: & audire volentes, non audiunt: manifeste men-
te capti & delirantes, non solum viri, sed & pueri & mulierculæ.
Postquam autem cessaverit illa vehementia, & soluta fuerit con-
cio, turbatio quidem violentior est extincta: adhuc tamen in com-
pitis & angiportis manet, perque totam civitatem plurimos dies:
sicuti magno desinente incendio, aliquandiu fumum ascenden-
tem, & partes adhuc quasdam ardentes, videre licet.

Atqui forsan aliquis Persarum aut Bactrianorum dicet, quod &
ipsi sciant equitare: & optimi ferè videntur esse equites. huic enim
rei ob principatum libertatemque student: attamen nihil tale, neq;
simile passi sunt. Vos autem qui equos nunquam tetigistis, neque
ascendistis, non potestis vos ipsos retinere, sed similes estis claudis
de cursu contendentibus. Quare quum timidi sitis, & minime mi-
litares, in multis jam equestribus pugnis evasistis victores. Consi-
derate autem, ne de vobis verius hi dicant, quam de Græcis Ana-
charsin Scytham dixisse ajunt: habebatur enim sapiens. venit au-
tem in Græciam mores spectatum, hominesque. Dicebat igitur,
quòd in unaquaque Græcorum civitate certus designatus esset lo-
cus, ubi interdiu insanirent. (dicebat autem de gymnasio.) Post-
quam enim huc venientes se exuerint, unguntur pharmaco. Hoc
autem (dicebat) illos instigare ad insaniam. Statim enim hi qui-
dem currunt, illi autem se mutuo deiiciunt: alij vero manus exten-
dentes, pugnant adversus hominum neminem, alij vero cæduntur.
His factis, abrasoque pharmaco, statim ad se redeunt, & amantes
jam mutuo affecti incedunt cernui, erubescentes ob ea quæ fece-
runt. Ille quidem ludens, deridensque rem (meo judicio) non ma-
lam, hæc dicebat. De vobis autem quid quis dicat? Nam & vos quum
convenitis, cæstibus pugnatis, clamatis, proiicitis, saltatis, quo quas-
so usi pharmaco? Videlicet illo dementiæ, quod non potuistis illa
animo cernere moderato.

Neq; enim hoc me putetis dicere, quod non huiusmodi facien-
da sint in civitatibus. Facienda enim sunt fortassis, & necessarium
est, propter multorum infirmitatem & ocium. Fortasse verò sunt
etiam inter optimos qui tali indigeant exercitio, & solatio in vita.
Facienda autem sunt cum decoro, & habitu homines liberos decen-
te. Non enim circa hoc ullus equorum curret tardius, neque peius
canet ullus canentium, si vos geratis decore. Nunc autem auriga-
rum quempiam decidere è curru, rem atrocem existimatis, & cala-
mitatem omnium maximam: ipsi autem excidentes è convenienti
decoro, vestraque dignitate, nihili facitis. Et si vobis citharœdus
inconcinnè canat, & præter tonum intelligitis: ipsi autem omnino
extra naturalem harmoniam exorbitanter, valdeque inconcinnè
vos gerentes, non in animo expenditis. Atqui quot vestrûm propter
hæc jam perierunt? Ignominiosi illi enim jure habentur omnes.
Sirenes autem num aliud quid faciebant, ut fabula refert? Nonne
perdiderunt eos, qui vehementer ipsis lætabantur? At illæ in deser-
to erant pelago, & longe ab hominibus sua habebant domicilia, in
scopulo quodam, quo nemo facile appulit: quin etiam illic, qui pru-
dens fuit, quieteque auscultavit, servatus est. Hi autem in medio
ferè orbis terrarum, in populosissima omnium civitate, talia ope-
rantur: non (per Jovem) propter suam quandam voluptatem ac vir-
tutem, sed vestram propter stoliditatem. Cur enim extra theatrum
eodem auscultant modo quo alij, & frequenter molesti habiti sunt,
ne fortè illic illorum oblitæ essent aures? Quid igitur hoc ostendit?
Non, per Jovem, musices vim, neque artis excellentiam: sed audito-
rum levitatem, imbecillitatemque civitatis.

Ajunt igitur jam quosdam eorum qui perierunt ex tali causa
animo-

animose se gessisse, non deprecantes mortem; sed supplicantes ut diutius audire liceret. Hoc autem est admirabile in opprobrium & derisum civitatis, quod apud alios quidem viri strenui & tyrannorum interfectores celebrantur memoria sempiterna, quod patriæ salutis causa se morti obtulerint: apud vos autem pro chorda proptérque parvam voluptatem hoc patiantur, immo propter inanem gloriam. Non enim tantum lætitia affecti, quantum putantes, & volentes, semetipsos produnt. Tanta verò miserorum est infelicitas, ut animosum id esse putent, quod est ignavissimum: & honestũ, quod turpissimum. Mallem equidem latrocinia exercens mori, quàm ob talem causam. Illa enim viri pravi mors est, hæc autem infelicis mancipij. Et latro injuria fortasse affectus, ad hoc venit, pro legibus certando destitutus: & forsan aliquod generosum facinus efficere potuerat, si non talem nactus esset Genium. Iste verò ex clamore solum & dementia infausta, propterque vocem, & malam eius inclinationem, dissonasque flexuras & nugamenta, caninosque latratus & clades, inglorius perit. Est autem talis capræ mors. Nam & illæ, si quid gustantibus valde videatur dulce, apud illud dispereunt. Quid igitur hoc præclari est, ô infelices? Pro justitia enim, & virtute, & primis honoribus legibusque, & pro bono rege, si res postulet, laborare & mori, boni, & non vitæ cupidi animi est: pro psaltria vero strangulari, ignobilis piaculi, vitaque indigni.

Sed hos omittamus. Verùm in ipso spectaculo quæ turpiter fiunt, plenaque sunt contumeliarum, extollere, & venerari, quantæ tandem verecundiæ est? Quum quidam tantum non in labris animam habeant, quemadmodum (opinor) eos decet, qui etiam per aures felicitatem excipiant. Salvatorem atque Deum vocant, miserum hominem. Quanto putatis risu vos à diis derideri, quando deinde ipsos adorantes, eadem adfertis nomina, atque per ea colere divinam alios cogitis naturam? Porrò æqua mente præditus est Deus, uti Deum (opinor) decet, & mansuete fert vulgi dementiã. Quapropter vobis, ut pueris pædagogos, dedit prudentissimos in civitate, cum quibus & spectetis, atque alia melius faciatis. Quomodo enim alioqui alter ab altero vobis temperaretis? At quales vos ipsos homines arbitramini, quibus libertas non conducit? Sic enim est (per Jovem) & res ipsa natura talis est.

Nonne enim & in aliis civitatibus canunt & voce & tibiis, & currunt, & omnia fiunt quæ etiam apud vos & apud alios quosdam? Verùm nusquam tantus huius rei amor est, neque asylus. Novistis Rhodios, ita prope vos viventes in libertate, cumque securitate omni: sed apud illos neque currere in civitate videtur decorum, sed & hospites increpant qui protervè vadunt. Quare meritò magni fiunt, & omnem consequuntur honorem. Reverentes enim seipsos primùm, & nihil stultum facientes, jure (opinor) & ab aliis & à præfectis reverentiam consequuntur. Quanquam enim & in aliis plurimis eadem facere inveniemus & modestos & stultos, puta comedere, ire, ludere, spectare: natura enim compellit, ut multis similibus indigeamus: differunt tamen inter se in omnibus & primùm quidem comedendo. Hi enim neque indoctè neque indecenter degunt, sed honestè pariter & mansuetè: convivium, non vinolentiam auspicantes: amice compellantes alios, simul edentes, non fastum erga eos ostendentes: illi autem sæve atque intemperanter, cum clamore & dissolutione irascentes, ridentesque, alterque alteri cibum præripientes, non cohortantes denique abeũt, malum aliquod convivis dantes, aut ab illis accipientes, quale olim fuisse aiunt, Centaurorum convivium.

Et quid opus est alia recitare singillatim? Quin & incessus non communus est videlicet, neque simplex. hujus enim declarat sedatos mores, & attentionem sui ipsius: illius vero perturbationem, impudentiamque. cum festinanter graditur, loquitur inter eundem: aut postquam cadentem servavit aliquem, pugnat adversus alium. Similiter etiam circa spectacula, hi quidem sunt inexplebiles & avidi, & circa omnia similiter stupidi fortuita: illi autem modestè & cum pace participes fiunt. At non vos: sed attoniti sedetis, & subsilitis magis quam saltatores, & dimicatis ob cantiones. Alios quidem homines ebrietas ad cantum & saltationem trahit: apud vos autem fit è diverso. Cantus enim ebrietatem efficit, & vinolentiam. Vini quidem talis est natura, ut sui compotes esse non possint, sed multa difficilia facere cogantur qui eo sinistrè & immoderate utuntur. Qui verò ob cantum offendant, multoque peius sint affecti quàm vinolenti statim à principio, non quemadmodum in compotatione procedente potu, alios videre non est. Nam apud quosdam barbarorum ebrietatem dicunt fieri lenem, & per vaporem, quibusdam suffitum facientibus, deinde gaudent & exurgunt ridentes, omniaque faciunt quæ bene poti facere solent, sed absque ulla mutua læsione. Inter Græcos autem vos soli per aures & vocem id patimini, immo nugamini peius quam illi, & depravamini, magisque similes estis crapulantibus.

Atqui Musarum & Apollinis dona sunt blanda, & mitia. Hunc enim Pæona & Alexicacon appellant, ut mala avertentem atque sanitatem in animis corporibusque efficientem, non morbum, neque furorem. Illas verò, virgines perquam verecundas & modestas. Atque musica propter curationem humanarum inventa videtur affectionum, & maxime in rectum convertere posse statim animos sævitia ac feritate affectos. Ob hanc rem & philosophorum quidam, ad lyram semetipsos composuerunt matutini, ita cessare facientes ex somniis collectam perturbationem. Quin etiam diis cũ cantu sacrificamus, ut compositi & moderati simus. Alius rursus modus est tibiæ & cantus in luctibus quo videlicet (opinor) affectionum asperitas duriciesque passionum [illegible]anetur, mæstitiaq; mollior efficiatur per cantum occultum cum luctibus: quemadmodum medici inflammata hulcera madeficientes, emollientesque, dolorem cessare faciunt. Non minus & in conviviis visa est docere musices potentia, inducens animis harmoniam, ordinemque voluntarium, & lubricam vini delectationem cum cognata [illegible]oniolans potentia, ut illi commixta concinnum fiat & moderatum convivium.

Hæc iam omnia inversa sunt, & translata in contrarium. Non enim à Musis, sed à Corybantibus detinemini, & credibilia redditis poetarum figmenta. Ut enim illi introducunt Bacchas quasdam insanientes ob cantum, & Satyros: ita vos similia facto repræsentatis. Igitur duntaxat pellibus vobis cervinis & thyrsis opus est, & ut Leones feratis in ulnis. Cætera verò valdè mihi similes videmini Nymphis, Satyrisque. Hilares enim estis semper, & cachinnones, & saltatorum amantes. Verum non ultro vobis sitientibus scatet vinum, ex saxo aliundè quodam, aut saltu: neque lac & mel ita facile habere potestis, summis digitis scindentes terram: quin ne aqua quidem huc pervenit ultro, neque offam habetis in facultate utique, sed & hanc ex meliorum manu accipitis. unde fortasse tempus foret ut cessaretis à debacchationibus magisque illis attenderetis. Jam autem si modo chordam audieritis, tanquam audivissetis tubam, haud amplius potestis servare pacem. Nunquid non Lacedæmonios imitamini? Ajunt enim eos antiquitus bellasse ad tibiam: vos autem ad citharam illud facitis. An vultis, quandoquidem populos & ego regibus comparavi, videri cum Nerone eodem laborare morbo? At neque illi profuit tanta experientia circa hoc, & studium.

Quanto autem melius imitaremini præsentem imperatorem, eruditioni & sermoni attendentem? Non deponetis ergo turpem hanc & immoderatam æmulationem? Non vitabitis in alios dicteria jacere, præsertim inter homines (si fas est dicere) nihil magnum aut admirandum in se habentes? Si enim Ismenias caneret apud vos, aut Timotheus ille antiquus, aut Arion, quo canente in pelago delphinas ajunt ad nave accessisse, & posthæc ejectum eum fortè fortuna recepisse, incolumemque conservare, quomodo essetis affecti? Horum enim nullus est Amphion, neque Orpheus. nam hic quidem erat Musæ filius: isti autem nati sunt ex Amusia, id est, ex ipsa canendi imperitia subvertentes & confringentes cantus gravitatem, atque omni pacto veterem mutilantes musicam. Quis enim istorum absolutam aut virilem consonantiam canere novit? Imò norunt muliercularum cantiunculas, & sonitus saltatorum, & vinolentias lascivarum cantionum: & sicuti mali & curiosi coqui, contritis modulis plebeios & avidos movent auditores. Quare non à cygnis, neque lusciniis nominata est illorum apud vos ipsos imitatio: sed, ut par est, Cyzethmis & Hylegmis assimilatis, tametsi philosophos noverim ita appellatos. Charædi autem Cynici apud vos solos nati sunt. Amphion quidem (ut ajunt) cantu condidit, & turribus munivit civitatem: isti autem subvertunt, & destruunt. Et Orpheus sanè feras cicuravit, & canoras reddidit per cantum; isti autem ex vobis hominibus feras bestias fecerunt, & ineruditas.

Habeo autem vobis & alium dicere sermonem, quem ex homine Phryge audivi, Æsopi cognato, qui aliquando huc peregrinatus est, quem de Orpheo & vobis dicebat. Est autem absurdior, & longior multo quam vestra cavilla. Considerate ergo si vultis audire, & nolite irasci. Dicebat ergo ille, circa Thraciam & Macedoniam Orphea cecinisse, sicut dictum est: atque illic animalia ad eum accessisse, magnam quandam (puto) omnium ferarum, copiam. Inter eas autem plurimas fuisse aves & oves. Leonibus enim & similibus bestiis, propter fortitudinem & ferocitatem difficulter persuaderi potuisse: & partim omnino non appropinquasse, partim vero statim recessisse, non lætantes cantibus. Volatilia autem & oves magis accessisse, nec amplius avelli potuisse: oves quidem, opinor, propter stoliditatem, hominumque amorem: aves autem, quod & ipsæ canorum genus sint, & obstreperum. Vivente quidem Orpheo, secutas illum esse undique, simul & audientes illum, & pascentes. Nam & illum ferè in montibus & circa saltus plurimum commoratum. Quum autem is in fata concessisset, desertas planxisse, molesteque tulisse: ita ut mater illius Calliope, propter illarum erga filium benevolentiam & amicitiam, à Jove impetraverit, ut earum corpora in humanam mutarentur formam, animi autem manerent quales erant prius.

Dura est jam reliqua sermonis pars, & referendo eam vobis clare dicere. Dicebat enim ex illis Macedonum quoddam genus ortum esse, & hoc postea statim cum Alexandro mare transisse, & hic cœpisse habitare. Et propterea iam Alexandrinorum populum à cantu duci, ut nullos alios: & si audiant citharam qualemcunque, mente excidere & horrere, quod illis Orphei veniat in mentem. Esse autem moribus levem & stolidum, utpote ex tali prognatum semine: quandoquidem alios Macedonas fortes & bellicosos fuisse dicunt, & specie barbaros. Dicebat autem & de citharœdis vestris postea talem sermonem.

Animalium enim in concursu ad Orphea, alia quidem duntaxat
voluptate affecta esse, & obstupuisse, nihilque conata esse imitari:
canum autem quosdam, utpote genus impudens & curiosum, ag-
gressos esse musicam, atque tunc statim meditatos, ad sua discess-
isse. Quumque in homines essent transformati, eam adhuc natu-
ram servare. Esse autem hoc citharœdorum genus: propterea eas
non posse suam prorsus relinquere naturam, sed paulum quiddam
adhuc ex Orphei doctrina retinere, multum verò canini can-
tus apud eos versari. Hæc quidem ille Phryx ludendo dice-
bat.

Ego verò Lacedæmoniorum vobis factum narrare volo, quo-
modo illi egerunt cum homine citharædo, qui tum celebris erat
inter Græcos. Quia enim nimis videbatur esse suavis & excellens,
non solum non honoraverunt eum: sed ablata cithara, & fidibus
incisis, è civitate abire jusserunt. Illi igitur rem ita habebant su-
spectam, & custodiebant aures, ut ne corrumperent auditus, neve
delicatiores fierent quam oportet. Vos autem ita ignave in servitu-
tem à tali voluptate redacti estis, ut vix dici queat. Propter vos au-
tem jam res mihi videtur etiam rhetorum fore & philosophorum
quorundam. Immo verò rhetores neque facile cognosci possunt.
Quum enim videant vestrum circa hoc studium, desideriumque,
omnes jam canunt & rhetores & sophistæ, & omnia terminantur
cantu: ita ut si quis transeat forum judiciarium, haud facile norit,
utrum intus potent: an judicia exerceant. Et si sophistæ domicili-
um in propinquo sit, non licet cognoscere disputationem. Porrò
mihi videtur quod etiam qui in gymnasio procedunt, jam quoque
exerceantur ad cantum & ægrotantes sanentur. De arte enim jam
nunc apud vos disputant canentes. In periculo autem vita fere tota
est, ne comessatio facta sit, non jucunda quidem, neq; mitis, sed a-
grestis & sæva, saltantium pariter, & lasciva canentium, hominesq;
occidentium.

Igitur Lacedæmonii immensum quantum à nobis differant,
circa hæc, ut dixi, cautè agentes. Illi enim ad imperandum erant
idonei, & Græcis præfuerunt multos annos, omnes verò barbaros
vicerunt semper. At vos ne imperio quidem parere bene scitis.
Quare nisi præfectos nacti essetis, difficulter (opinor) servaremi-
ni. Indicio autem sunt ea, quæ postremo vobis evenerunt. Quum
enim adhuc in vestra eratis potestate, nonne rex vester circa tibia-
rum cantum erat occupatus, & huic uni attendebat? vos autem
adversus illum inimicè, adversus vos autem mutuo seditiose eratis
affecti, separatim quiq; & per vosipsos rempublicam corrumpen-
tes, Simaristi & hujusmodi sodalitatum vocabulis constitutis, ut
eum ad fugam compuleritis? Et post hæc bello reductus est, & per
Romanos. Tandem ille quidem canens tibia, vos autem saltantes,
civitatem perdidistis. Et nunc tam humanos habentes præsides,
in suspicionem tamen eos contra vosmetipsos duxistis, quum æ-
quiore uti custodia voluissent atque antea: & hoc prohibueritis
propter superbiam, non sanè struentes insidias. Num vos enim
deficiatis à quoquam? Vosne bellum gerere possitis unum diem?
Nonne in exorta perturbatione audaciam ostenderunt suam mul-
ti cavillis duntaxat, pauci quidam quod erat obvium jacientes se-
mel aut bis: quemadmodum qui perfundunt prætereuntes, dein-
de mox discubuerunt canentes, alij vero iverunt ad monilia, haud
secus quàm si festus esset facientes.

Et illud quidem meministis ridiculum, quod optimus ille Co-
non vobis oraculum respondit, eo progressus, ubi præcipuè vestra
multitudo coierat: & ostenso quodam brevi loco, prædixit, ut si i-
pse quidem illuc præveniret, victoriam foret adeptus, vosque o-
porteret quemque recedere ad sua, & hinc abire: si autem vos (in-
quiebat) quatuor aut quinque passus, vicistis, & ego abeo. Hæc
autem dicebat parcens vobis, vosque deridens, & tanquàm pueris
alludens, ad exercitum adventabat. Et ille neminem permisit at-
tingi, licet videret omnes esse nudos, paratosque perditioni. Quum
igitur vim post fecerunt? Petulantes illi & intemperantes, & ex in-
dustria subvertere confundereque omnia insidiose moliti, non an-
tè vos dimiserunt, quàm bellum gustaretis, reique atrocitas ad ter-
minum usque progrederetur.

Cur verò horum sum recordatus? Ut sciatis, quæ nascantur ex
tali vitæ dissolutione. Non enim possunt, ita attoniti circa parva &
nullius precii, & viciose & intemperanter se gerentes in iis quæ
quotidie faciunt, in aliis esse modesti, & de majoribus rectè con-
sulere. Morum enim levitas & inconsideratio non sinit manere
in minoribus: neque ullum habet modum delictorum demen-
tia, sed ad omnia similiter progreditur, & omnia pari tentat facili-
tate.

Nolite ergo putare parvis de rebus haberi sermonem, quando
quis vobis de tumultibus in theatro disserit. Non enim tam cito
paupertas solet accidere propter damna paulatim accepta, quam
malitia provenit ex his particularibus delictis: & postremo cum
susceperit incrementum, in ipso etiam fine interitum adducit. Et
hæc hactenus quidem, de iis quæ in theatro fiunt. Cæterum cum
in stadium perveneritis, quis dicere queat illic exorientes clamo-
res, & tumultum, & sollicitudinem, & habituum mutationes, &
colorum, & convicia quæ & quanta jactetis? Quippe si non equos
videretis concertantes, & hoc consuete, sed ipsi tragicis flagris im-
pellemini, haud ita sævè deberetis esse affecti. Ipsum (opinor)
quod de Ixione dicitur, magnas esse nugas effic[illegible]s: qui in rota a-
pud poetas vinctus est, & punitur, propter aliquam certam impie-
tatem.

Age igitur, si interea Deorum vobis aliquis assistat, dicatque in-
vehens: O boni, insanitis, & adhuc non conditis in animum
unde habeatis cibum atque potum? Quid adeo vehementer tu-
multuamini? Quod hoc studium? quod certamen? Non enim Pe-
lops est qui persequitur, neque Oenomaus, neque Myrtilus. Is qui-
dem Jovis est nepos, alter vero Mercurij filius. Neque de regno, ne-
que de uxore, neque de morte disceptatio est proposita: sed certa-
men est mancipiorum pro vili argento, nunc quidem victorum,
nunc vero vincentium, semper eorundem. Si hæc dicat, quid re-
spondebitis? An manifestum, quod non ea audiretis illo tempo-
re, neque si ipse vobis Pelopis progenitor loqueretur? Quod igitur
quis auxilium inveniat? aut quemnam Deorum placare oportet?
Est in Olympia juxta Nemeum hippodromum Neptuni exterren-
tis equos ara, ubi maxime contigit equos consternari, multosque
confringere currus. Visum est igitur Elæis, quasi divina quadam
voluntate id fieret, ædificare aram. Et ex illo deinde aiunt locum
illum tutum factum. Multo verò magis ego vobis consulo, ut
Deum hunc placetis, aramque ædificetis eidem, non (per Jovem)
pro equis, sed pro vobis ipsis, ut non perturbemini, neque excidatis
è disciplina. Nonne enim hæc divinitus prorsus immissa sunt, &
majore indigent aversione? Ferunt ab antiquâ quadam regina in
Creta ex Heliadibus amatum esse taurum: quumque cum eo con-
cubuisset, sævum quoddam & magnum peperisse monstrum. Me-
tuo & ego equinum civitatis hujus amorem, ne quid difficile vo-
bis & peregrinum procedente tempore afferat. Rursum ajunt a-
liam virginem in alicuius fluminis incidisse amorem, quotidieque
itasse ad alveum, illiusque spumam ulnis indidisse, & aquam su-
scepisse sinu. Athenis quoque illud ipsum animal, quod & apud
vos in precio est, amatum esse ajunt, & nunc est in civitate locus sic
nominatus, Equi & virginis inaccessum. Ajunt enim, quod pater
puellam cum equo incluserit, atque ita disperierit puella. Conside-
rate verò, ne & vos à tali concupiscentia pereatis.

Qualis enim Homerus, aut quis hominum potest ea quæ acci-
dunt enarrare? Non enim ille ita dicit, currus fieri humiles in-
terea, & rursus valde excelsos in cursu, ut vestros pati illud animos
videre licet. Ait autem sic, ut vobis paulum quid gratificet:

At currus humiles modò, tellurique propinqui,
Elati modò celse ibant, rapiente volatu.
At verò aurigæ stabant in curribus altis,
Quisque animo trepidi; palmam obtinuisse studentes,
Hortabantur equos etiam flagrisque sonoque
Quisque suos, illi verò lati in pulvere campi
Ibant præcipites. ———

Hic quidem aurigas fecit certatores & ambitiosos, spectatores
autem per silentium spectantes, sicut etiam conveniebat. Dun-
taxat in fine ait, Ajacem Locrum spectasse indecentius, & convi-
cia jactasse, propter equos Eumeli. Hic autem ille est, qui dein-
de impie egit circa Mineruam capta Troia: etiam ipse propterea
fulmine percussus est, tempestatisque & naufragij omnibus causa
fuit. Qui enim in hujusmodi audax est, & petulans, neque etiam in
aliis modestus esse potest: sicut jam dixi.

Hoc igitur tale exemplum malitiæ dementiæque propositum
est, sed non à similibus hominibus, quales sunt inter vos. Nam ve-
strûm nullus ad pugnam est idoneus, neque ad strenue agendum,
neque ad expugnandas urbes, ut ille. Vestrûm autem nullus in spe-
ctaculo quiete consistit, sed multo magis volatis quàm equi & auri-
gæ & ridiculi estis, & præceditis & caditis. Quare non male quis-
piam ex spurcis his poetis tale carmen fecit:

At currus humiles modò, tellurique propinqui,
Elati modò celse ibant, fervente volatu:
At nullus stabat penitus, nullusque sedebat
Sede locoque suo spectator, pallidus illis
Vertebat timor, & turpis trepidatio mentem.
Hortabantur, & ob palmam se mutuo vastis
Vocibus & gestu, manibusque ad sidera tensis,
Cunctos quisque Deos votis precibusque vocabant.
Utque gruum resonat, picarumque æthere clangor,
Sic illi simulac zythum vinumque bibere
Pro stadium clangore volant, rabieque furentes,
Ast alij, sturnorum & picarum ut venit agmen,
Clamore immenso vidissent quando ruentem
Cornipedem, qui fata viris fert tristia stultis,
Vociferabantur vastè, pugnaque cadebant
Mutua, & ut ventus paleas fert per loca plana,
Utque ebullit edax altis in vallibus ignis,
Quem partes rapidus convoluit ventus in omnes,
Impete procumbunt luci radicitus ignis:
Sic hi pugnabant ardenti corpore flamma
Consimiles, nec tu posses tum dicere solem
Sedibus in superis, nec Phœbes lampada salvam,
Quale genus siquidem foliorum, tale virorum est,

Qui

Qui mentis bonitate vigent, miroq; feroces,
Cantorum studio citharæq; feruntur amore.
At vox amborum superas ascendit ad arces.
Sic autem acrè tuens dixit sibi quisq; propinquo,
Ebrie, lumina habes canis & qui pectora cervi,
Quid trepidas, spectasq; isto in certamine currus?
Ast agerem tenta mecum, quo prauta solvas
Deflexus. Porrò Hippocoon respondit ad illa:
Quæso sede tacitus, moremq; meis gere dictis.
Namq; tibi famulus nequam est, tardiq; caballi.
Huic verò vartus pedibus sub fune jugali
Dixit equus: Num non cernis, quam magnus & ipse,
Et pulcher sim? mors nihilo minus imminet atra
Et pulchro & magno mihi, & haud vitabile fatum.
Sic utinam vobis aliqua præsentibus atq;
Omnibus unglas det magni soror alta Tonantis,
Edatis penitus garritus ut mihi nullos,
In quavis etiam sedentis parte theatri.
Sic ait: Ast illi regem fulgentis Olympi
Multa precabantur. ———

Hæc ego vobis ex multis & vilibus pauca recitavi, quòd non mihi soli deridiculi videamini. Sanè turpe est (viri Alexandrini) quòd percunctantes de civitate, alia quidem valde admiranda audiant: de vobis autem ipsis nihil honestum dici, neque imitatione dignum, sed è diverso ut homines vitiosos infamari, mimis & morionibus similiores quàm hominibus mente sanis, ut quidam comicorum inquit. Accedit ad hæc omnia, quòd turba apud vos est scurrilis, & nautica dissolutio. Simile enim est, ut si quis ædes videat admodum pulchras, dominum autem earum mancipium, qui nec januam custodire dignus sit. Omni enim ex parte melius est solitudinem aspicere, & quindecim locupletes homines, quàm multitudinem miserorum & insanientium hominum infinitam, tanquam fimum profundum ex varijs sordibus in unum coacervatum. Neque civitatem rectè dixeris, quæ ex talibus constat: ut neq; chorum, qui ex qualibuscunque congregatis: neque exercitum, quamlibet turbam. Neque enim Xerxis exercitus splendidus erat, nisi forte ad perfodiendos montes, aut aliud simile opus efficiendum. Neque Trojanorum civitas felix: quod pravorum & lascivorum plena erat civium. Atqui magna erat, & celebris: eam tamen Ithacæ civis expugnavit, ille illius parvæ & ignobilis civitatis, eam, quæ latissimas habebat regiones. Metuo vero, ut & vos eodem modo pereatis, (etsi frigidius est, quàm ut dicatur) quod & illam ab equo quodam disperiisse ferant: verum illi quidem fortasse ab uno, vos autem à pluribus capti estis.

Non enim hoc solum putetis civitatis esse expugnationem, si quidam diruant mœnia, & occidant homines, & mulieres abducant, domosque exurant. Hæc fortasse extrema est, & brevi confecta, faciensque ut illi, qui sunt eam experti, magis misericordia videantur digni, quàm derisu. Apud quos autem fuerit rerum omnium negligentia honestarum, unius autem rei ignobilis cupido, hominesque eam duntaxat suspexerint, circaque ea conversentur, aut subsilientes & insanientes, & mutuo cedentes, infanda dicentes, deosque ipsos conviciis sæpenumero enecantes, & quæ sunt ad manum projicientes, & nudi nonnunquàm è spectaculo domum redeuntes: hæc est turpis & probrosa civitatis expugnatio. Quippe homines captos esse dicimus non solum à latronibus aut socijs, sed etiam à meretricibus & ventre, & alia quadam vitiosa cupiditate. Proinde in captivitatem ductus rectè dici potest vir & civitas, quæ melioribus remissis studiis, neque audit neque videt quicquam quod sit salutare: sed capta ab ebrietate & mulierum cantu, aut curribus fertur, & agitur, & tota omnino tumultuatur circa hæc, & proclamatur. Hæc (per Iovem) capta esse rectè dici potest, idque impetu & virtute: ut nemo tam captus, manibusque post terga revinctus esse dici queat. Non enim si cujusquàm corpus imperio subijcitur, de ea solum queri convenit servitute & fraude: anima autem cum in servitutem redacta est, & perdita, dissimulandum, aut obiter castigandum est. Sunt talia quidem intoleranda, si à singulis fiant: omni autem ex parte turpiora sunt, si publicitus appareant.

Etenim & reliqui morbi donec singulos invadunt, non magnam neque terribilem appellationem sortiuntur: cum verò res communis fit, tunc appellatur pestilentia. Summatim enim sic etiam habet, ubi omnia delicta obtinuerunt publicè. Etenim ubique gentium aliqui sunt vinosi & scortatores & mulierosi idque in omnibus civitatibus; sed hoc non difficile, neq; excellens quiddam. Cum verò invaluerit vitium, & videatur commune, fiatque publicè, tum fit insigne & magnum. Qualis enim civitas est ex ijs, quæ non vehementer sunt desertæ & parvæ, in qua non quotidie aliquis omnino febri corripiatur? sed Caunios tamen solos ea apprehendit, & illorum est opprobrium, quia omnes ea laborant: quemadmodum etiam à rebus melioribus aliqui fuerunt admirationi, & gloriam reportarunt. Quot enim putatis Atheniensium, aut Megarensium, aut Corinthiorum sua corpora exercuisse, vixisseque laboriose? Multos utique, præsertim quando illis necessarium erat, ut strenuos se præstarent viros pro patria.

Cur igitur soli Lacedæmonii hoc habuerunt nomen, fructumque hujus gloriæ tulerunt, atque etiamnum ferunt? Quia publice in id incubuerunt, ut strenui essent. Athenienses verò quia magis studuerunt eloquentia excellere, & poesim chorosque amaverunt, eam ob rem fuerunt admirationi. Quare hanc ob causam considerate, ne vos non similiter gloriæ fiatis participes cum Atheniensibus & Lacedæmoniis, sed magis cum alijs quibusdam. Nolo enim nominare.

Quod enim jam sæpius dixi, turpia fiunt turpiora, magisq; ridenda, quando ipsas occupant civitates. Quemadmodum in Comœdiis, personarumq; repræsentationibus Carione quidem introducto ebrio & annoso, & Davo, non admodum movent risum: Hercule autem tali conspecto, atq; ut solent in crocoto circunducto, ridiculum videtur. Simili modo & populus tam valde cantillans per vitam, & rursum aurigans sine equis, turpe fit deridiculum. Hoc ipsum enim Euripides ait, Herculem passum furentem, sic dicens:

Tunc inde gradiens, nullum habens currum, tamen
Habere se dicebat, hinc currus rotas
Conscendit, & quasi stimulum haberet in manu
Sic verberabat. ———

Ne igitur & vos talis furor apprehendat, ob zelum quem habetis propter Alexandrum. Nam & ille dictus est Iovis filius. Potius verò non Herculi assimilari debet vester populus, sed Centauro cuidam, aut Cyclopi ebrio & amenti, corpus quidem habenti validum & magnum, animum autem indoctum. Per Iovem, nonne videtis quantam imperator vestræ civitatis curam habeat? Ergo vos quoque vicissim oportet ambitiosos esse, & patriam facere meliorem, non (per Iovem) fontibus neque templorum vestibulis (hæc enim vos non potestis consummare, neque unquàm illius superaveritis magnanimitatem) sed disciplina & decore, & demonstrando vos esse modestos & constantes. Ita enim neque eorum quæ facta sunt illum pœnitebit, sed pluribus insuper vos benefactis cumulabit, atque hinc illi fortasse huc veniendi desiderium facietis. Non enim ita eum huc ædificiorum pulchritudo adduxerit: omnia enim meliora & splendidiora habet, quàm quæ hic vel usquàm gentium sunt: sed cum audierit, eos qui ipsum sunt excepturi, benevolentia & fide dignos, & missorum & gubernantium quisque vos extulerit. Nolite enim putare, quod cum vos interrogetis de huc appellentibus, quales sint, & deinde juxta famam quam de illis audistis, statim talem quoque animum erga eos habeatis: illi vero nihil de vobis curiose inquirant, qualis nam sit Alexandrinorum populus. Igitur cum audierint, quod prudens sit, & non ut nunc diximus, quæ stupidus & levis, & parvorum admirator, & rerum vilium amator, ut citharædorum & aurigarum; haud obscurum est, quomodo erga vos afficientur.

Theophilum quendam ajunt apud nos fuisse, virum sapientem, qui semper apud vos silentium tenuerit, nolueritque quicquam differere: & quem animum existimatis ipsum erga vos habuisse? Vtrum ut erga sapientes, nullaque indigentes curatione: an magis, ut insanabiles desperasse? Perinde enim est, ut si quis mercator merces multas & preciosas habens, adnaviget civitati: deinde sive à ventis quibusdam, sive alia fortuna detentus, & commoratus illic longum tempus, neque proponat venalium quicquam, neq; ostendat unquam. Manifestum enim quod extremæ eos damnaverit paupertatis & inopiæ, eoque noluerit illis esse molestus frustra: clare sciens, quod illorum hominum nullus quicquam emeret, neque etiam fortasse progrederetur. Ita ergo Theophilus, quum multa & magna apud se domi haberet venalia, abscondit, sciens extrema vos laborare inopia, non pecuniarum sed mentis & constantiæ.

Proinde in fata concessit, silentio præteriens vestram civitatem: hoc est, condemnans eam. Et vos certum quendam sæpius audivistis, dicteriorumque illius meministis, & alterius certi canticorum: Theophilum verò haud scio an unquam audieris. Quemadmodum quidam ait scarabeos in Attica, licet illic mel sit purissimum, illud tamen nunquam gustare, neque si effundatur, sed potius alium cibum: ita & vos sermones de virtute, virosque sapientes non curatis, sed estis hilares, & ad cavillandum omnium facundissimi: quod sane populi studium esse nunquàm debet, neq; civitatis, sed Thersitæ cujusdam. Illum enim dixit Homerus, inter omnes Græcos venisse ad Trojam morionem, & qui nosset ridiculus esse apud Argivos. Porrò quod ridiculum est, non est bonum, neque preciosum: sed læticia, & inopia mentis, & ignorantia, & gaudio homines risum gubernant.

De herba utique audistis, quam Sardonion vocant: quæ risum quidem facit, sed difficilem, & perniciosum. Ne ergo ita vehementer illi sitis addicti, neque Musarum expertes: neque odiosas neque indoctas reddite Charites, sed magis imitemini Euripidem sic dicentem,

Miscere ego nunquam cessabo Charites Musis,
Siquidem jucunda nimis conjunctio fit talis.

Vt ne Museion sive causa vobis locus esse videatur in civitate: quemadmodum puto & alij loci temere nomen sortiti sunt, rem non habentes cum nomine.

Atqui metuo ne etiam mihi contigerit, quod Ægyptiorum cuidam valde antiquorum musicorum accidisse. Illi enim aliquando Genius in somnis prædixerat, fore ut in asini aures caneret. At ille futurum tempus non attendit, neque somnium illi erat curæ, ut quod nihil esset. postquam autem tyrannus Syriæ Memphim venit, aliis eum Ægyptiis admirantibus accersivit. Omni ergo alacritate specimen artis, & accuratius multo exhibebat. Ille verò (quum esset musices ignarus) jussit eum desinere, ignominia afficiens. Qui somnii illius recordatus: Hoc ergo est (inquit) in asini aures canere. At tyrannus ab interpretibus auditis quæ dixisset, vinxit, & flagris cecidit hominem: & belli ajunt eum autorem extitisse. *Oratione 32.*

Heliodorus: Rex cùm subrisisset, & multis modis ob stoliditatem Oroondatem reprehendisset, quod de conditionibus dissereret, homo qui non ex se, sed ex altero, utrum illi vivendum an moriendum esset, anceps animo penderet: Stultum est, inquit, propter unius amentiam, delere internecione tantam multitudinem. *Libr. 9. Æthiopicorum.*

¶ Poetarum.

Terentius 1. sc. 2. Andriæ.

Meum gnatum rumor est amare. DA. id populus curat scilicet.

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Polycarpus. Veluti crebra in mari tempestatum, ita in Populo sententiarum commutatio. cui proinde vir prudens vix unquam satisfecerit. Cùm fidei suæ rationem Herodi Proconsuli reddere juberetur Polycarpus, diemque diceret, quo cum eo ageret: Proconsul, ut coram populo se excusaret, mandavit. Cui Polycarpus: *Nunquam id fecero. Principibus honor debetur, modò Deo non sit contrarius: populo autem furenti nemo potest satisfacere.* Euseb. lib. 4. Eccl. Hist. cap. 15.

Ioannes XXIII. Pont. Vide Apophth. de Vulgo.

Petrus Aldobrandinus Card. Illius etiam ab ore profectum aliquando: *Principi cum populo plus negotij, quàm olim Herculi cum tauro.* Videbat enim populum, utpote belluam multorum capitum, uno rationis freno arceri vix posse. *Henr. Farnes. suprà.*

Philippus I. Hisp. Rex. Clari generis magnæque dignitatis vir; alebat, ut Reges solent, falconem, qui ceteris illius generis ferocior, in aquilam (quam in palatij vestibulo in pompam Rex videndam exhibebat) fortè involat, eique adunco rostro fauces præscindit. Indignatus Rex, aquilicidam talionis pœna multari imperat. Factum redarguentibus; *Indecorum est*, ait, *& impium, populum in Principem exsurgere.* Aquila enim avium princeps. Significabat autem allegoricè, licentiæ fræna nunquam populo relaxanda. *Chron. Hispan.*

¶ Monosticha Trochaica.

Aut regit nimvis superbè plebs aut servit intimè.
Dat Vatinio, haud Catoni, plebs gubernaclum sui.
In plebem atq; ingenia vilia res devenient prospera.
Maximè miratur id quod non capit plebecula.
Plebs citò iram gaudiumq; sumit, & cito abijcit.
Plebs honestis rarò fasces obijcit; sæpe improbis.
Plebs probrum ingens ducit rebus haud superare in omnibus
Plebs timet se despicientes, se timentes suspicit.
Plebis est favere pravis, optimates spernere.
Plebis infimæ rumorem ineptè affectet Rex bonus.
Plebis iram provocare, provocare est in se apes.
Plebis unico momento laus odiumq; vertitur.
Plures à populo damnati innoxij, quàm noxij.
Plurimum est urbanæ plebis ingeniis procacia.
Populi scita magnâ ex parte sapientes quiq; abrogant.
Principum delicta pendit sæpius plebs innocens.
Qualis est maris, popelli talis est constantia.
Quid se dignum quidve indignum, cognitum plebs nō habet.
Rebus in malis popellus quæ cupit ferè facit.
Respicitne unquam ad periclum plebis impetus suum?
Sæpe de bonis sinistrè judicat plebs pestilens.
Sunt ferè plebis ministri quos vocamus principes.

¶ Jambica.

Exuberanti plebs lascivit otio.
Flet ipsa Achivûm turba, quod fecit, nefas.
Impunè plebs, ubi pertimet, contemnitur.
In judicando, multitudo non placet.
Iræ populum suæ celeriter pœnitet.
Majora populus semper à summo exigit.
Mala vita populo quàm bona est jucundior.
Malè auribus lupum teneas, populum benè.
Muscipula plebis usq; lex agraria est.
Nec gaude nec dole in popelli injuriis.
Nemo sapienter toti populo irascitur.
Nunquam popellus suadet honesta absq; utili.
Palam mutire plebeio, piaculum est.
Parere populi est: imperare regium.
Paullatim plebem primulum facias tuam.
Plebs etsi honorem, plus tamen quærit lucrum.
Plebs fortuita maximè ad culpam trahit.
Plebs imperita quei peritè judicet?
Plebi supervacanea est astutia.
Plerisq; plebis constitit magno favor.
Plerumq; peccat plebs ob imprudentiam.
Populus, capitum tyrannus est complurium.
Populi ruina sunt sacerdotes mali.
Populi sinistra semper æstimatio est.
Populi sui vitalis est Rex spiritus.
Robusta res est turba, mente sed caret.
Semper malè ipsa de bonis plebs iudicat.
Sentina plebs est: haurienda cùm putret.
Vrbana plebs procacior quam rustica est.

Possesionis.

¶ Sententiæ Patrum Latinorum.

S. *Chrysologus*: Adhuc voco filium, ut amarius doleas perdidisse te quod tibi gratia dederat, & natura. quia, non habuisse doloris non est tanti, quanti habita mœroris est perdidisse. *Sermonis 123. pr.*

Chrysologus: Sicut dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur; ita nomina ipsa sæpe sanctorum merita indicant, testantur insignia. *Sermone 154. in D. Stephanum.*

Ennodius: Nemo diligentius propria tuetur, quàm qui aliena non appetit. *Vita Epiphanij c. 25. f.*

¶ Oratorum Græcorum.

Isocrates: Lacedæmonij cùm & urbem alienam, & agri non modo quod satis esset, sed quantum nulla Græca urbs, haberent, his contenti non fuerunt: sed ipso eventu edocti, si leges spectemus, urbes & regiones eorum videri, qui eas justè legitimeque partas possiderent; revera autem eorum fieri, qui pulcherrimè rem militarem exercerent, & in præliis hostem superare possent: agricultura neglecta & opificiis, nunquam destitere vexare & evertere Peleponnesi civitates. *Panathenaico.*

Iulianus Imp. in Cæs. Et Trajano quidem rebus à me in debellandis tyrannis fortiter & prosperè gestis, meritò præponi debeo. in quo verò eam quam acquisierat regionem recuperavi, haud absre par judicarer; nisi quod perdita recipere, quàm parare, excellentius est. *Loquitur Constantinus.*

Libanius: Atqui non satis est cepisse rem aliquam ac tenere, Pari: fit enim ut & tollat quis unde non deceat, & possideat non sua. Neque enim ideo protinus jure quis possidet, quia rem nactus est, sed ità demum, si citrà culpam? Eoque non simpliciter spectari convenit, si quid capiatur; sed longè magis quibus rationibus capiatur. hinc enim & illud perpenditur. Vides impunè non esse sacrilegis, res Deorum sustulisse. Ceterùm si possedisse, per se efficax esset ad defensionem; oporteret quicunque rem penes se esse fateantur, à negotio liberari. nunc, ut opinor, solum isthuc, ac præterea nihil, crimini vertendum est, si quis teneat in quæ jus non habet. Itaque non satis est per se manum injecisse, sed accedat necessum est, citra injuriam. *Declamatione Menelai.*

Simocatta: Quoniam temperantia etiam in fabulis celebrata est, age Chrysippe, fabulam tibi non expertem gravitatis explicem. Accidit aliquando, ut aves Jovem adirent & Olympium ducem peterent. Hoc enim avibus molestum erat, quòd sine magistratibus confusè viverent, & maximo bono ductu carerent, quamobrem plurimi inter eas nascebantur tumultus. Annuit igitur Jupiter, & voluntas in opus producta est. Et supplicantibus donat egregium donum. Regiam enim dignitatem largiebatur. Mandavit itaque avibus ut ad paludes ac fontes abirent, & sordes suas abluerent, atque aquis explorationem ducatus credidit. Erat enim elegantia apud Jovem in precio. Ita lavabant aves. Deinde confestim ad Jovem recurrunt, & suam pulchritudinem quælibet ostendebat. Graculus verò suam deformitatem metuens, naturæ fabricationem adulteravit, alieno ornatu suam elegantiam decorans. At redarguit deformitatem noctua, & affictitium ornatum ob oculos protulit. Cùm enim suas pennas agnosceret, quasi ad se pertinentes auferebat, & reliquis avibus exemplum prodebat, ut quilibet suas auferret. Sic rursus factus est, Graculus Graculus. Fabula Chrysippe veritatem, quasi sermone insonat, magnamq; nobis temperantiam narrat observandam. Sic enim homines, nihil hîc possident suum, sed viventes quidem paulisper affictitio gloriamur ornamento. Mortui verò amittimus ea quæ non sunt nostra. Sperne igitur pecunias & corpus. Animus autem tibi curæ sit, qui est immortalis. Quod enim sempiternum est, idem & immortale. Mortalia verò exiguo tempore sunt nostra. *Epist. 34.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Prædia agris meis vicina atque etiam inserta, venalia sunt: in his me multa sollicitant, aliqua nec minora deterrent. vereor enim ne sit incautum, rem tam magnam iisdem tempestatibus, iisdem casibus subdere. tutius videtur incerta fortunæ, possessionum varietatibus experiri. habet enim multum jucunditatis soli cælique mutatio, ipsaque illa peregrinatio intersita. *Lib. 3. epist. 9.*

Poeta-

POETARUM.

Guntherus lib.1.v.628.

Adfuit heic Saxon, non adfuit Austricus, ut qui
Iudicium fugeret. nam causa semper in omni
Iudicium spoliatus amat: qui possidet, odit.

¶ EMBLEMATIS.

Camerarius XXVII. Centur.2.

Mihi pascua soli.

Solus opima tenet bos pascua, parta tuetur;
Tu quoq; sic dotes solus habeto tuas.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Causa est melior possidentis, cùm de lucro quaeritur.
Corpore & animo, uti quaesita, sic perit, possessio.
Cùm nil proprium cuiusquam est, omnium sunt omnia.
Desiit omnia possidere homo, esse dum vult propria.
Est molestum possidere, nemo habere quod cupit.
Iustè opes adeptus, haud injustè easdem contine.
Nemo possidet Deum nisi quem Deus quoq; possidet.
Noli possidere plus quam poscit usus corporis.
Nullius boni, absq; amico, dulcis est possessio.
Nuncium remitte mundo possidebis & Deum.
O ager quot heros habuisti, & habebis dein in posterum!
Parta iniquè, non modò se; parta justè devorant.
Parta opes mera è rapinâ, plusquàm hero prosunt; nocent.
Plurima erogans, putatur possidere plus triplo.
Plus haberis possidere divitias, quam quaerere.
Possidenti non conducit, arte quod caret suâ.
Possidere vis Deum? orbi nuncium remittito.
Possideri Europa à rege digna regum maximo.
Possidet bonâ fide per judicem qui possidet.
Quae cum amore sunt possessa, cum dolore perdimus.
Quae victoriâ obtinetur, justa utiq; est possessio.
Quisq; habet sibi quidquid spei atq; laudi ducitur.
Quisq; tanti sese credat esse, quantum possidet.
Quod Rex possidet per amicos, possidet vel maximè.
Quod sine amore possidetur, sine dolore amittitur.
Singuli dominio, at omnia Rex imperio possidet.
Solius sapientia, expers mortis, est possessio.

¶ IAMBICA.

A sorte opum omnis pendula est possessio.
Aliud proprietas, aliud est possessio.
Bos est tuus si cornu utroq; contines.
Deus propitius, optima est possessio.
Diutinè uti benè licet partum benè.
Dominum loquuntur tituli affixi limiti.
Ferro parata non senet possessio.
Hoc invidiosior es, quo plura possides.
Iam quisq; habetur ipse tanti quanti habet.
Minimè in bonis est illud quod evincitur.
Nemo suum securus agrum possidet.
Nil nostrum eorum est, quae usq; & usq; transeunt
Nullius est, nisi utilis possessio.
Plus laudat unusquisq; quod jam possidet.
Possessio mortalium ultima est salus.
Possessio nudo animo adquiri non potest.
Possessionem illud voco quod utile est.
Possessionum nulla animo est divinior.
Pro nostro habemus quod diu possedimus
Quaesita ferro, per brevis possessio est.
Queis est parum agri, illum metiuntur passibus.
Qui possidet multa, ille item multis eget.
Quo major, hoc molestior, possessio est.
Sic posside tanquam diurnae sint opes.
Totus sapienti mundus est possessio.
Vis possidere cuncta? posside nihil.

Videantur plura titulo, *Acquisitionis, Dominij.*

Posteritatis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

PLato: Mihi autem & tibi ita se res invicem habet, ut neque nos ulli (ut liberè dicam) Graecorum incogniti simus neque familiaritatem nostram hujus seculi homines conticescant: certum quoque illud habeto, neque posteros tacituros. Tales sunt qui eam norunt, utpote neque parvam, neque obscuram. Quorsum haec? Statim aperiam, altiùs rem aliquanto exorsus. Naturae quidem legis sapientia potentiaque excellens in idem tendunt. Semperque ista duo se invicem affectant, persequuntur, congrediuntur. Deinde etiam istis homines admodum delectantur, quoties sive in carminibus poëtarum, sive privatis colloquiis hujusmodi quaedam referunt, aut audiunt: ceu cùm de Hierone & Pausania Lacedaemonio loquuntur homines, gaudent Simonidis familiaritatem quae cum illis fuit, commemorare: & quae apud eos dixit, fecitque referre. Similiter Periandrum Corinthium, & Thaletem Milesium unà celebrare consueverunt, Periclem & Anaxagoram, Croesum atque Solonem, ut sapientes: & Cyrum, ut potentem. Atqui haec imitari poetae Creontem & Tiresiam simul inducunt: Polyeidumque & Minoa: Agamemnonem & Nestorem: Vlyssem & Palamedem: atque ut mihi videtur, eadem ratione prisci homines Jovi Prometheum conjunxerunt. Horum verò alios consentientes, alios dissentientes inducunt: alios autem quandoque concordes, quandoque verò discordes. Eorumq; tam dissensiones quàm consensiones canunt.

Cuncta verò haec ideo dixi, ut illud ostenderem, quòd etiam cùm mortui fuerimus, de nobis homines non silebunt. Quocirca non est negligendum à nobis: sed cura habenda temporis subsequentis. Fit enim natura quadam, ut ignavissimi homines nihil curent quae sit de ipsis futura opinio: probatissimi autem viri cuncta faciant quò in futuris seculis bene inter homines audiant. Quam ego conjecturam facio, esse aliquem sensum iis qui mortui sunt, rerum quae in vita geruntur. Quoniam optimi sic fortè divinant: deterrimi autem nequaquam. Validiora verò sunt divinorum virorum praesagia, quàm aliorum. Puto autem, si liceret superioribus illis de quibus loquor, suam consuetudinem emendare: plurimam operam adhibituros, ut meliores de se quàm nunc opiniones circumferrentur. Hoc nobis quidem etiam nunc favente Deo, facere licet, & si quid in superiori familiaritate nostra est peccatum, tam factis quã dictis emendare illud atque corrigere. Equidem hoc dico, veram fore opinionem (praesertim quantùm ad philosophiam attinet) de nobis, ut si boni simus, bonam, si mali, malam existimationem habituri simus. Atqui nos ista curantes, nihil magis pium agere possemus: & negligentes, nihil aequè impium & prophanum. *Epistola 2. ad Dionysium regem.*

Aristides Rhetor: Quin nec hoc vel Plato, vel alius ignorat quispiam, magnorum & praeclarorum virorum memoriam atque gloriam, praeter praesentem laudem, etiam posterorum fortunis solere prodesse, nec rarò civitates quasdam ex majorum alicujus memoria, adjumentum in cladibus sensisse; ut & ipsis Atheniensibus saepe videmus contigisse. *Oratione 2. Platonica pro Quatuorviris.*

Aristides: Divino contenti judicio, nostrum quisque servemus ordinem; & ita simus erga majores affecti, ut erga nos affici posteros velimus. Etenim turpe sit, ut ait Demosthenes, quos nec hostes neque inimici laude spoliarint, eos à nobis amicis debita reverentia & humanitate privari. *Orat. 2. Platonica extremo.*

¶ ROMANORUM.

Crematius Cordus: Suum cuique decus posteritas rependit. nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modò Cassij & Bruti, sed etiam mei meminerint. *apud Tacitum lib. 4. Annalium cap. 35.*

Iustinus: Sufficit mihi in tempore judicium tuum; apud posteros, cum obtrectationis invidia decesserit, industriae testimonium habituro. *Praefatione libri 1. historiae Philippicae.*

Quintilianus: Etiamsi nostra judicia malignitas & invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sunt posteri nostri. *Dialogi de Oratoribus cap. 23.*

Plinius Iunior: Virginius Rufus tringinta annis gloriae suae supervixit. Legit scripta de se carmina, legit historias, & posteritati suae interfuit. *Lib. 2. epistola. 1.*

Plinius Iunior: Deliberas mecum quemadmodum pecunia quã municipibus nostris in epulum obtulisti, post te quoque salva sit. honesta consultatio, non expedita sententia. numeres Reipub. summam? verendum est ne dilabatur. des agros? ut publici negligentur. Equidem nihil commodius invenio quam quod ipse feci. nam pro quingentis millibus nummûm, quae in alimenta ingenuorum ingenuarumque promiseram, agrum ex meis, longè pluris actori publico mancipavi, eundem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus. per hoc enim & reipubl. sors in tuto, nec redditus incertus, & ager ipse, propter id quod vectigali largè supercurrit, semper dominum à quo exerceatur inveniet. Nec ignoro me plus aliquanto quàm donasse videar erogasse; cùm pulcerrimi agri pretium necessitas vectigali infregerit, sed oportet privatis utilitatibus publicas, mortalibus aeternas anteferre multoque diligentius muneri suo consulere quàm facultatibus. *Epist. 18. lib. 7.*

Plinius Iunior: Alius alium: ego beatissimum existimo qui bonae mansuraeque famae praesumptione perfruitur, certusque posteritatis cum futura gloria vivit. ac mihi, nisi praemium aeternitatis ante oculos, pingue illud altumque otium placeat. Etenim omnes homines arbitror oportere, aut immortalitatem suam aut mortalitatem cogitare: & illos quidem contendere, eniti; hos quiescere, remitti, nec brevem vitam caducis laboribus fatigare, ut video multos, misera simul & ingrata imagine industriae, ad vilitatem sui pervenire. Haec ego tecum, quae quotidie mecum; ut desinam mecum, si dissenties tu: quamquam non dissenties, ut qui semper praeclarum aliquid & immortale meditaris. *Epist. 3. lib. 9.*

Plinius Iunior: Nec ipse tibi plaudis: & ego nihil magis ex fide quàm de te scribo. Posteris an aliqua cura nostri; nescio: nos certè mereamur ut sit aliqua, non dico ingenio, id enim superbum, sed studio, sed labore & reverentia posterorum. Pergamus modò itinere instituto: quod ut paucos in lucem famamque provexit, ita multos è tenebris & silentio protulit. *Epistola 14. lib. 9.*

Plinius: Ut ceterorum hominum, ita Principum illorum etiam, qui Dei sibi videntur ævum omne & breve & fragile est. itaque optimum quemque niti & contendere decet, ut post se quoque reipubl. prosit, moderationis scilicet justitiæque monumentis, quæ prima statuere consul potest. *Cap. 78. panegyrici ad Trajanum.*

¶ Emblematis.

Camerarius XXIII. Centur. 3.

Sibi canit & orbi.

Ipsa suam celebrat sibi mens bene conscia mortem,
Ut solet herbiferum Cygnus ad Eridanum.

¶ Monosticha Trochaica.

Arbores sedo seramus profuturas alteri.
Arbores seruntur alteri usui ut sint seculo.
Cuilibet suam rependit postera ætas gloriam.
Cura nulla est posterorum infensis aut obnoxijs.
Filiorum etiam è tenebris gloria effert posteros.
Gloriam suam reponit cuiq; seclum postumum.
Grata venit ad sepultos posterorum gloria.
Haud ferè patrum institutis derogat gens postera.
Omnis posterior prioris vincere ausus expetit.
Postera ætas cuiq; habebit vera testimonia.
Postera ætas invidia expers falsa reddit nomini.
Postera ætas vera testis omnis est industria.
Posterus fere æmulari jussa majorum assolet.
Posteri culpam majorum vix unquam justè luunt.
Posteri instituta avorum qui æmulantur prævalent.
Posteri vitam majorum, nisi sequuntur, improbant.
Posteris perenne lumen est majorum gloria.
Posteris servire quærunt maximè viri optimi.
Qui voluptati obsequuntur, posteros parum adjuvant.
Rustici arbores serunt quæ prosint sæculo altero.
Serior suum rependit cuiq; posteritas decus.
Simus in majores, in nos cupimus esse ut posteros.
Tuta nec res est nec æqua, tradere odia posteris.
Vera de nobis loquetur ætas saltem postera.

¶ Jambica.

Culpam luunt quandoq; posteri patrum.
Decus suum ætas cuiq; reddat postera.
Deus piorum suffragatur posteris.
Delicta etiam luunt majorum posteri.
Et filiorum noxias luunt patres.
In posteris punitur & perjurium.
Nil posteris relinque præter optima.
Quod spondet ætas præsens, credit postera.
Sæpe in nepotes expetunt culpæ patrum.
Suum rependit cuiq; posteritas decus.
Vixit diu qui vixit usq; ad posteros.

¶ Oratorum Romanorum.

Quintilianus Senior: Potestatem tibi vitæ ac necis lex dedit. Ultra regnum omne, ultra tyrannidem omnem est, hoc diu licere. Fulmina ipsa velociter cadunt. habet finem aliquem expectationis, securis illa carnificis. *Declam. 309. post med.*

Calpurnius Flaccus: Sceleratis ingeniis & plus quam civilia cupientibus, non dominari instar servitutis est. *Controversia 6.*

Calpurnius Flaccus: Permissæ licentiæ magna securitas est potestas cum moderatione. *Controversia 12.*

Plinius: Arduum est duas, easque summas simul capere potestates. *Cap. 59. fine panegyrici ad Trajanum.*

Plinius: Civile hoc erat, & parenti publico convenientissimum, nihil cogere, semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, ut non sit gratior potestate libertas. *Cap. 87. paneg. ad Trajanum.*

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 37. Aquilæ & Cornicis.

Contra Potentes nemo est munitus satis:
Si verò accessit consiliator maleficus,
Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit.
Aquila in sublime sustulit testudinem,
Quæ cum abdidisset cornea corpus domo,
Nec ullo pacto lædi posset condita,
Venit per auras Cornix & propter volans:
Opimam sanè prædam rapuisti unguibus.
Sed nisi monstrâro quid sit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te lassabis pondere.
Promissa parte, suadet ut scopulum super
Altis ab astris duram inlidat corticem
Qua communita facilè vescatur cibo.
Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
Simul & magistræ largè divisit dapem.
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

Babrias. Δρῦς. Fab. 56.

Δρῦν ἦγε ῥεῖθρον πνεύμασι βεβλημμένην,
Αὐτὴ δ' ἄλεξι καὶ δόναξι πεύθετο,
Πῶς εἰσὶν ὀρθοὶ, πνεύμασι δὲ λόμεθα.
Πτῶσις ἐκείνων ἐστὶν ἡμῶν ἡ στάσις.

Ἐπιμύθιον.

Εἴκε καιρῷ μὴ ἀντιτάσσεσθαι.

Quercus.

Quercum trahebat fluentem ventis dejectam.
Illa vero alicas & calamos rogabat,
Quomodo essent recti? ventis servimus
Casus illorum est, nostra est statio.

Adfabulatio.

Vi temporis non resistendum.

De Ulmo & Silere. Fab. 53.

Ulmus in ripa fluminis nata, siler sibi proximum irridebat, ut debile & invalidum, quod ad omnem vel levissimum undarum impetum flecteretur, suam autem firmitatem & robur magnificis extollebat verbis, quod multos annos assiduos amnis impetus inconcussa pertulerat. Semel autem maxima undarum violentia ulmus perfracta, trahebatur ab aquis. Cui siler ridens, inquit: Cur me deseris vicina, ubi est nunc fortitudo tua?

Fabula significat, sapientiores esse, qui potentioribus secedunt, quam qui resistere volentes turpiter superantur. Abstemius.

¶ Monosticha Trochaica.

A se aliquid factum infirmari non fert impotentia.
Absq; humanitate, res est bellumna potentia.
Ad latus potentioris omnis inclinatio est.
Aequior tanto esto quanto es omnibus potentior.
Altior quanto est potestas, tanto item est impurior.
Applicari fas potenti, at implicari ei nocet.
Consilij expers gratiaq; hodiè omnis est potentia.
Cum potentia improbus vir summa, summū item est malū.
Cum potestate homo scelestus publicum infortunium est.
Dignius nil præpotenti quam sit ut placabilis.
Est parum potens potestas mole nisa non sua.
Frena riparum facit flocci amnium ingens vastitas.
Gaza quod puero, hoc potestas imperito musices.
Haud unquam satis fida est, ubi jam nimia est potentia.
Improbus potens, an non est cum sica Phreneticus?
Levis atq; inops potentia absq; injuria est.
Magna labitur potestas solitudine aut mora.
Magna ubiq; mutat mores in pejus potentia.
Maximè æquo animo potentes æqua oportet noscere.
Mente destituta sana vis superba corruit.
Nemo amicus nemo inimicus cuipiam potentia est.

Potentiæ sive Potestatis.

¶ Sententiæ Patrum.

D. *Greg. Nazianzenus:* Omnis potentia in persuasionem & coactionem dividitur. *Oratione tertia, stelitentica prima adversus Iulianum.*

Ennodius: Potiorum sublimitas communione geminatur, & facem præfert eminentissimo gratia concessa subjectis. *Libro 5. epistola 22.*

Ennodius: Totum felicitati tribuitur nihil amori; circa humiles rara dignatio. Optimus ille, qui celsior. *Lib. 9. epist. 13. a. m.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Euripides: Sin etiam potentiam aliquam affectassemus, in quem alium usum hanc potentiam quàm primùm ad utilitatem civitatis, deinde amicorum adhibituri eramus? & quòd ad ostentationem pertinet, multò magis in conspectu amicorum & non minimè malevorum posse aliquid voluissemus. *Epistola ad Cephisophontem.*

Apollonius Scopeliano: Si tibi potentia suppetit, ut equidem suppetit, prudentia quoque est acquirenda. Nam si prudentiam haberes, deessetque potentia, similiter opus tibi foret potentia. Semper enim alterum alterius indiget, perinde ac visus luminis, lumenque visus. *Epistola 21.*

Nil aliud modò est potestas quàm populatio pauperum.
Nimia ubi est, ibi esse fida non solet potentia.
Nimia ubi est, sat esse fida non potest potentia.
Non contemnitur potestas, nisi contempsit se ipsamet.
Non diu durat parata per scelus potentia.
Non excelsa sed prærupta cuncta sunt potentibus.
Non frequenter vi sed astu tollitur potentia.
Non modò cogit potestas cùm invitat, sed supplicat.
Non nocendo, sed juvando ostenditur potentia.
Nubibus propinqua turris semper Austro vapulat.
O potestatem caducam mole qua non stat sua!
Parcius potestate utere, semper uti quei queas.
Piscium mos est, minorem major usq; ut devoret.
Plebs latet secura, Livor impetit potentiam.
Plus potentium indignamur noxiis quàm pauperum.
Possidenti heu quot timores incutit potentia!
Publicum est malum impotenti cum potentiâ improbus.
Publicum infortunium est, viri improbi potentia.
Quæ bona est, suadet potestas; quæ mala est, cogit suos.
Qui bene utitur potentia, ea omnium est dignissimus.
Quidlibet sibi potestas vult licere in quemlibet.
Quis sui: nam possit esse par potentioribus?
Quisq; fas putat sibi omne quod potestati licet.
Quo potestas major, hoc & perniciosior malo.
Quo potestas se minorem ducit hoc major cluet.
Quot potentiæ palam assentantur, clam tot invident.
Sæpe supplicium malum malam expiat potentiam.
Si patrat scelus, pusillum non patrat potentia.
Socrates derisor omnium, inprimis potentium.
Sors via diversa magnas destruit potentias.
Suavitate temperata jugis est potentia.
Viribus modum quæ imponit tuta ea est potentia.
Vix paraveris potentiam ullam absq; eloquentia.
Vix potest potentia esse magna sine eloquentia.
Vix bonâ fide potentia exuit discordias.
Unica submissione fit potens potentior.

§ JAMBICA.

Avaritia omnis pestis est potentiæ.
Censenda non est in bonis potentia.
Circumdati multis Potentes polypis.
Cogit rogando, cum rogat potentior.
Contra potentes nemo munitus satis.
Cultorum abundè est ardua potentiæ.
Domos potentes usq; Erinnys incolit.
Et improbis magna obtigit potentia.
Etiam metu societas fit potentia.
Fato datur, fato potestas tollitur.
Fraudem occulit potentis assentatio.
Heu, quàm usq; ubiq; incerta res potentium!
Heu! sordibus quibus enitur potentia!
Homo præpotens, majora sperat quàm capit.
Homines potentes quid sunt? fortunæ manus.
Humiles laborant, ubi potentes dissident.
Invidia ibi est, ubi nimia est potentia.
Lex omnium est, potentiori cedere.
Livoris expers nusquam potentia est.
Magnatum amore eia utere, haud abutere.
Nemo potentes aggredi tutus potest.
Nulli fuit diu impotens potentia.
Nunquam potenti vera laus viro obtigit.
Omnis potestas impatiens consortij est.
Peccata nulla pusilla sunt potentium.
Pecunia, ac miles, nervi potentiæ.
Potentia omnis mater est superbiæ.
Potentia abuti turpe ad impotentiam.
Potentiâ in summâ minimum est licentiæ.
Potentior nemo, potens quam qui est sui.
Potentior quidquid facit, quasi præcipit.
Potentiori te adplices, non implices.
Potentiores quos læsere & oderunt.
Prudentia ibi raro est ubi potentia.
Qui fortior plerumq; item est iniquior.
Qui plus potest, quamvis bonus, formidini est.
Quidquid potentes somniant, mox obtinent.
Quo major est potestas, hoc & servitus.
Quo mollior potestas, hoc securior.
Quod est furenti ensis, potestas improbo est.
Rara est, potestas summa, cum concordiâ.
Reddit statim homines ebrios potentia.
Semper comes potentiæ impotentia.
Submissa, ne quidem in malis potentia est.
Tantum timet quantum nocet potentia.
Tete adplices potentibus, non implices.
Tuta est parum potestas, absq; viribus.
Virum potestas, vir potestatem arguit.
Vix sempiternam inveneris potentiam.
Ut fulmen, ira sic nocet potentium.

Præceptoris.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Nazianzenus*: Certè alios docere aggredi, priusquam ipsi satis edocti simus, ac figulinam in dolio discere, hoc est, in aliorum animabus pietatem meditari & exercere, valde stultorum aut temerariorum hominum esse videtur: stultorum, si ne inscitiam quidem suam agnoscunt; temerariorum, si cùm eam cognitam habeant, hoc tamen negotium aggredi non verentur. *Oratione 1.*

D. Chrysostomus: Non artes ac studia, sed mendacium & conficta dogmata despicabiles reddere solent præceptores. *Homil. 2. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Ad præceptorem qui & puerorum & Dei sit amans pertinet, non tantum sermone instruere, sed & precationibus divinum auxilium instructis impetrare. *principio Homil. 27. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Doctoris est sermonem juxta auditorum captum & commodum variè subinde tractare. *Homilia 29. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Istud potissimum est generosi doctoris, non solum sermone quos imbuit & docet, sed & precibus juvare: unde & dicebat; Nos verò precationi & ministerio verbi adhærebimus. *Homilia 32. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Boni est magistri per se docere quæ dicit; hoc est exemplo suo præcedere. *Homilia 20. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Hoc est doctoris, non solum consiliis opem ferre, sed etiam votis ac precibus. *Homilia 44. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Hoc cumprimis ex magistri officio est, non confestim pœnas sumere, sed corrigere, atque in inferendis suppliciis cunctantem ac tardum esse. *Homil. 21. ad Corinth. 2.*

D. Chrysostomus: Ac sanè omissis etiam periculis multas & graves habet molestias præceptor, vigilias, dicendi ac docendi labores, reprehensiones, accusationes, querelas, obtrectationes. Levia hæc dic mihi? sexcentis se linguis exponere, cùm liceret sua unius curare? *Homilia 1. ad Philip.*

D. Chrysostomus: Non æquè se venerandum præbet doctor qui accipit, sed ille potissimum honore afficitur qui non accipit, verùm interea non juvatur discipulus, sed fructum amittit. *Homilia 9. fine ad Philip.*

D. Chrysostomus: Hoc præceptoris est, non tantum monere, sed etiam precari, & per obsecrationem quoque auxiliari; ut neque à tentationibus obruantur, neque ab errore circumferantur. *Homil. 14. ad Philip.*

D. Chrysostomus: Tanquam si nutrix foveat filios suos, ita oportet esse doctorem. Num nutrix adulatur ut gloriam consequatur? num pecuniam petit à parvis pueris? num est gravis & molesta? an non sunt benigniores & mitiores quam matres? *Homil. 2. ad Thessalon. 1.*

D. Chrysostomus: Magna est doctoris fiducia, quando à rebus rectè à se gestis potest increpare discipulos. *Homil. 5. ad Thessal. 2.*

D. Chrysostomus: Non solum auctoritate doctori opus est, sed etiam lenitate multa: sicut non sola lenitate, sed auctoritate summa indiget *Homil. 17. initio ad Tim. 1.*

D. Chrysostomus: Quemadmodum agricola, non absque utilitate laborat, verùm prior ipse ante omnes suorum percipit fructū; ita & doctorem frui laboribus suis consentaneum est. *2. ad Timoth. Homil. 4.*

S. Isidorus Pelusiota: Boves ij, quibus os camo non coercetur, alacriùs messem conficiunt: qui autem laboribus suis frui prohibentur, segnitie torpent, ac laborem aversantur. Eodem modo magistri, cùm per inobedientiam & contumaciam minimè ipsis contumelia infertur, lætis animis labores ferunt. Cùm autem nullum susceptorum laborum fructum perspiciunt: eos incassum docere piget. Quapropter, si ea, quæ nunc rursum quæsivisti, ex me intelligere aves, ea quæ priùs didicisti, reipsa ostende. Sin autem te ea minimè scire apparet, quorsum hæc quoque tibi exponemus? *Lib. 1. epist. 394.*

S. Isidorus Pelusiota: Præceptores ij, qui consentaneam magistris vitam consectantur, non modò reprehensione omni subliniores se custodiant: verumetiam divinarum virtutum opibus abundent. Illud enim vulgarium etiam hominum est: hoc summa virtute præditorum: Qui, ut etiam nullum verbum emittant, silentio tamen quavis voce clariori discipulos suos erudiunt, non ipsorum aures oblectantes, verùm animis lumen ac splendorem afferentes. Nam qui magistro nihil præter sermonem inesse existimant, & aures obtundunt, & risum movent. At qui operibus emicant, etiamsi silentium colant, spectatorum tamen animos erudiunt. Atque illud est, quod ex me intelligere quæsivisti, Sacerdotes loquimini ad cor Hierusalem. Multi enim sunt, qui loquendo

molestiam exhibeant: pauci autem qui operibus doceant. Quibus
nimirum Dei quoque cultui consecrari, ac sacerdotij munere fun-
gi maximè convenit. *Lib. 2. epist. 1.*

§ Latinorum.

Ennodius: Non refugit professionem meam monitoris officiũ,
quia decet præcedentes emendatio: & sicut post tergum relictis par
est facem de innocentia proferri: ita ratio flagitat, ut etiam verbis
iter, quod sequantur ostendas: cùm divini voce constet hortaminis,
Argue sapientem & amabit te: & non reticeat sæcularis assertor, qui
præceptorem sancti voluere parentis esse loco. Jure enim in affe-
ctionis supercilio collocatur, quem benignitas corrigenti propriùs
asserit, quàm ipsa natura generis. Genuisse etenim libidinis testi-
monium est, erudisse pietatis. *Parænesi didascal. pr.*

Ennodius: Ritè comparantur arbustis rudimenta parvulorum.
Quos postquam parentum sollicitudo à matris radice decerpsit,
providendum est cui solo juxta vota commendet. Post deliberatio-
nem doctoribus jura nostra transcribimus. Tunc fiunt institutione
vestri, quos nobis natura concesserit. tunc incipit sibi tantum stu-
diorum lima vindicare, quantum origo vix prævalet. Pene enim
non injurium est, vinci prosapiem collatione doctrinæ: quia patris
officium habet luxuriem comitem, præceptoris, sollicitudinem: ge-
nitor fit delitiis, institutor laboribus: libertatem origo tribuit, di-
gnum libertate monitor facit. Ergo magis vestrum est, quod lau-
datur in homine. nemo enim, si desit testimonium facundiæ, pote-
rit prædicare quod nascimur. Splendorem familiæ prodit lingua,
quam tribuitis; sit præco generis, magistri beneficium: inerudita
nobilitas cæleste munus abjurat. Adstringite ergo artioribus vin-
culis per ætatem erratici palmitis lapsus: sine sobole ramos ferro
castiga: novellum cespitem fotu, quo cuncta fruticare soles, attol-
le. *dictione 8. §. 2.*

Ennodius: Genus est singulare laudis in doctoribus, discipuli e-
ruditio. Achillis lingua Chiron innotuit: fecit sequacis meritum o-
pinionem illius plus amari, cuius per se fortè facundia in lucem nõ
potuisset exire. Maro vester tantis institutores suos commendavit,
quantis ipse notus est. & certè illos per merita sua fama non prodi-
dit. Hieronymus noster, nisi præceptorem suum Gregorium dice-
ret, illo melior censeretur. sed illi applicanda sunt bona nominati, à
quo sumpsisse videntur originem. In summa, ut dixi, cælum pulsat
magistri opinio perfectione discipuli. *Dictione 8. §. 3.*

Ennodius: Salve ergo, nutritor profectuum, fax & splendor in-
genuitatis: qui nobilia germina laboriosis purgando sarculis in fru-
ctibus facis agnosci: qui in cano flore novellæ posteritatis, quan-
tum horreis paretur, ostendis: qui de ferarum cubilibus, & bubo-
num habitaculis ad fora nos revocas, unde majores penè jam longa
ætate discesserant. Non enim patent eruditis loca ista, quibus scien-
tiam non primoribus labris ipsa contulerint. Cujus enim tuba co-
gnoscitur eloquij, nisi cujus puerilia innotuerint rudimenta ser-
monum? Tibi ergo debentur hæc beneficia, quòd citaturus reum
causidicus inter atria jam probata dictionem metuendus incipiet.
Tibi spes unica honestæ professionis adscribenda, quòd nobilitas
decursis brevi temporibus liberali sudore placitura est. *Dictio-
ne 7.*

§. Regum, Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Phalaris Cleostrato: Prorsus mihi cum risu videtur admiran-
dum, aliquos tua doctrina sapientiores fieri. Nam qui conatur alios
objurgare, eum omni vitio carere necesse est. Tu verò cum & eo-
rum quos doces & cæteris omnibus generum flagitiis tenearis, ta-
men quasi inculpatus ad omnem malitiam, ita hortaris & mones.
Epistola 9.

Philippus Rex Aristoteli Philosopho: Filium mihi genitum scito:
quod equidem Deis habeo gratiam; non proinde quia natus est,
quam pro eo quod nasci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim
fore, ut eductus eruditusque abs te, dignus existat & nobis, & rerum
istarum susceptione. *apud Gellium libr. 9. cap. 3. Noctium Attica-
rum.*

Xenophon: Deinde, si quid ab his peccatum est, eius culpam ac-
cusator in Socratem confert: quod autem eos admodum adolescen-
tes, qua ætate consentaneum est, maxime contumaces & intempe-
rantissimos fuisse, Socrates modestos reddiderit, id vero nulla di-
gnum laude putat accusator? Atqui eo modo de aliis non judicatur.
Quis tibicen, quis citharœdus, quis magister alius, posteaquam di-
scipulos idoneè satis instituit, si deinde ad alios profecti peiores e-
vaserint, culpam eius rei sustinet? Quis pater, si filius eius cum ali-
quo magistro vivens, modestus sit, deinde alterius usus consuetu-
dine pravus efficiatur, priorem culpet: ac non tanto magis priorem
laudet, quanto peiorem factum filium apud posteriorem, res ipsa
declarat? Quin ne parentes quidem, quum filios secum habent, filiis
delinquentibus culpam ullam merentur; modo ipsi continenter ac
modeste se gerant. Sic æquum erat etiam de Socrate judicium fie-
ri. Si quid ipse rei turpis designabat, merito malus esse videbatur: at
si constanter summam continentiam coluit, qui fieri potest, ut jure
culpam eius vitij sustineat, quod in ipso non erat? Quinetiam si ni-
hil ipse delinquens, illos tamen vitiose se gerentes adspiciens, lau-
dabat; jure scilicet reprehendebatur. At vero quum Critiam Euthy-
demi amore captum, eoque non aliter, atque illi, qui corporibus ad
Venerem abutuntur, frui velle animadverteret: dehortatus est, quũ
illiberale esse diceret, neque decorum viro probo & honesto, ab a-
mato, apud quem esse magno velit in pretio, aliquid mendicare, ac
pauperum instar supplicare, darique sibi quidpiam petere, quod ne
quidem bonum sit. Quibus cum Critias non obediret, neque se a-
verti pateretur, dixisse Socratem perhibent, quum aliis multis præ-
sentibus, tum Euthydemo: accidisse quiddam Critiæ porcorum na-
turæ consentaneum, qui concupiscat ad Euthydemum se adfricare,
quemadmodum porcelli soleant ad saxa. *Lib. 1. Memorabil. cap. 10.*

Alexander Aristoteli S. Non rectè fecisti, qui auscultatorias di-
sputationes edideris. Qua enim re nos alios posthac superabimus,
cùm eæ disputationes quibus eruditi fueramus, omnibus erunt
communes. Ego verò malim optimarum rerum cognitione, quàm
potentia excellere.

Aristoteles Alexandro S. Scripsisti ad me de sermonibus auscul-
tatoriis hac sententia, quòd putes eos clam fuisse servandos & cu-
stodiendos. Scias igitur eos editot & non editos. A solis enim his
qui nos audiverunt, intelligentur.

Halicarnassæus: Neque enim artium præcepta per se sufficiunt
etiam cupidos sui artifices excellentes efficere, sine meditatione &
exercitatione. quin ea ipsa præcepta, ut sint vel nullius vel alicuius
precij, in iis situm est, qui elaborare, & molestiæ aliquid suscipere
in illis velint. *Extremo libelli de collatione verborum.*

Aristides Sophista: Quanquam multa in multos contulisset, à
nemine tamen mercedem unquam poposcit; nisi quod artis gratia
non verebatur honorarium accipere: quod putaret id juvenibus
conducere, si sumptum in disciplinas factum sustinerent, qui qui-
dem facultatibus abundarent. nam pauperibus quidem adeo mole-
stus non erat, ut etiam de suo suppeditaret. *In obitum Alexan-
dri.*

Aristides Sophista: Maximum inter nos erat, quod æquè potera-
mus alter de altero gloriari; cùm & ego de tali præceptore me jacta-
rem, & ille nos nostraque ad suam pertinere gloriam arbitraretur.
Oratione funebri in Alexandrum.

Aristides Rhetor: Non convenit præceptorem in theatris docere
pueros, quæ voluptati sunt & recreationi destinata: sed alia sunt uti-
que loca, quæ nomina à re ipsa ducunt, in quibus doceant, philoso-
phi, idque non comicè subsanando & impudenter maledicendo,
verùm ut liberos decet instituendo, utque inter cetera turpitudi-
nem caveant maximè, docendo. *Oratione de non agendis comœ-
dijs.*

Aristides Rhetor: Ergo musicam quidem & Geometriam, & ar-
tes alias, etiam admodum viles, non omnes, qui ad præceptores itãt,
addiscunt, sed ex multis valde pauci: nec in his perfectionem sum-
mam à præceptore quisquam requirit, nec, si discipulus non rectè
agat omnia, nec doctori sit similis, ob id præceptor vel artem igno-
rare, vel ultro supprimere, vel denique inique agere dicitur: cum
Homeri dictum, quod ad pueros refertur, etiam in his valere scia-
mus:] Nam pauci, inquit, similes nati evasere parenti, Peiores ple-
rique patre, at pauci meliores.] atque ex discipulis alius evadit simi-
lis, alius dissimilis, hic peior, ille melior, atque ita cum in ætatibus,
tum in artibus accidere novimus: civilem vero scientiam nisi Athe-
nienses omnes docuerint Themistocles, Pericles, Miltiades, & Ci-
mon, atque cunctos ex ordine tributim ac viritim meliores reddi-
derint, scientia quasi theatrali pecunia distributa, ne ipsos quidem
ea in re excelluisse dicemus? Figulum non accusas, qui non cunctos
fictores reddiderit: Græcorum principes accusas, quoniam non
cunctos sibi similes effecerunt, nec illud Protagoræ tui tibi sufficit,
si vulgus vel ex parte aliqua ad virtutem perduxerunt: verum nisi
omnia quam rectissime populus, & quasi vir unus administravit, id
jam præfectis imputas? Enimvero nec medicos video, quamvis ex-
cellentes esse videantur, sic prorsus morbos tollere, ut ne vestigium
quidem in corpore remaneat, verum & antiquam carnem sæpius
relinquere, & mitigationem in locupleti beneficio ponere, nec ul-
lis remediis naturam superare posse, quin, ut unum sanent morbũ,
ita post alterum suboriri non impediant. Nec enim semper ars suf-
ficit, verum vincit natura. Num ergo mirum erit, si nec illi, cum
multa bona docuissent Athenienses, ac noxas multas impedivis-
sent, semper eos cohibere potuerunt, neque morbos immortales
curarunt, sed à populi natura, Sive potius communi humana, sunt
victi, nec iniquitatem prorsus è civitate potuerunt extirpare, quẽ-
admodum cum agricolæ quotannis agri detrimenta excindunt,
nec per totum semen penetrant. hoc modo si & illos, cum civitatem
purgare vellent, necessarium injustitiæ atque ingrati animi semen
effugit, & remansit, nec ipsis obtemperarunt omnia, quin etiam per
se populus nonnulla statueret: cur hæc improbitatem Viris adfe-
rant, aut ipsis imputentur aliena, quasi quis exorta seditione, & his
meliori parti præpositis, tum aliorum in hos peccata his ipsis tri-
bueret. quomodo autem sit æquum, qui nec ea fecerint, & insuper
prohibere voluerint. Quinimo non ipsi accusandi, sed pro ipsis ac-
cusandum erat.

Aristides Rhetor: Præceptorum turba potius ad ignorantiam fa-
cit. *Oratione funebri in Eteoneum.*

Philostratus: Sicut aquilarum pulli teneras adhuc pennas forti-
ti, & à parentibus volatus edocti, non longè ab ipsis primò disce-
dunt: deinde robustiores facti ipsos etiam parentes supervolant.
Pari modo Apollonius dum parvus esset præceptori Euxeno ob-

tempe-

temperabat, ipsiusque agebatur arbitrio; grandior aliquanto se usus est pædagogo. *Lib. 1. Apoll. cap. 5.*

Philostratus: Interroganti quandoque Dialectico quodam, cur Apollonius nunquam aliquid quæreret? quoniam, inquit, cùm essem adolescens satis multa quæsivi; nunc non quærere, sed inventa docere opus. *Lib. 1. c. 13.*

Philostratus: Socij quoque Apollonium secuti sunt, nihil ipsum interrogantes, nec verbum omnino facientes. ipse enim in primis hos eos docuerat, ut sibi aliquid dicenti facientive parerent. *Lib. 5. c. 6.*

Iulianus in Cæsaribus: Sic Deis in orbem sedentibus, Silenus Dionyso juveni & venusto Jovi patri suo proximo, proximus, ut decebat educatorem & institutorem, assedit.

Libanius: Aderat cum puero custos illius, sed puer decus ætatis suæ non servabat. id cum fieri cerneret Diogenes, correctionem requirere judicavit. quid facit ergo? adolescentem quidem præterit, & in præsidem illius fertur, ac multa verbera tergo impingit, additq; his orationem: non opportere talem esse institutorem. Atque ego primùm utriusque causa laudo virum; & quod non reformidarit manibus quoque uti in doctrina temperantiæ; & quod explicuerit, qua de causa id faceret. nam eos qui valde injusti essent, re ipsa castigandos putavit: cùm verò non reticuit qua causa incitatus ad verbera devenisset, eo ipso ostēdit afflicto, quare afflictus fuisset. Quod si post verbera abiisset tacitus, nihil prohiberet & ignorare peccatum suum pædagogum, & in ea ignoratione nihilo reddi meliorem. Et quidem delictorum adolescentis pœnam exigere ab institutore, cordatorum esse reperiemus. perpendamus enim animis, cuius rei gratia mercede conducant parentes eos qui præsint liberis suis. num quod cupiant frustra impendere pecunias, consumere divitias? imo nemo tam insanus est. quid spectant igitur? Sciunt adolescentiam esse natura proclivem ad peccandum, & quæ frugalitati cōtraria sunt semper approbare, fugere verò ea de quibus felicitatem consequi possent, & persequi ea unde miserrimi futuri esse videantur. Unum ergo adolescenti à provectioribus ætate discendum, quibus adhibere animum, & à quibus abstinere debeat. Ideoque plurimum in hoc student, ut investigent custodes filiorum suorum quam maximè idoneos: amussim actionum pueri designantes sententiam custodis.

Hujus rei argumentum est, quod omnes de pueri moribus conjecturam faciunt ex custodis moribus: & hic si frugi est, de illo quoque in expectatione sunt meliore: sin aliter est, deteriorem etiam spem de adolescente concipiunt. Itaque patris est officium, argentum numerare: custodis autem curare reliqua sine omni tergiversatione. propter hoc enim licere volunt his, ut & verberent pueros, & obstringant, & torqueant, denique ut ea in filios experiantur, quæ in servos dominis permittuntur, ne qua negligentiæ aliquando excusatione uti possint. Quid aio igitur? vel quid ait potius Diogenes? Heus tu, iste si voluerit potare ultra modum, nequaquam permittes. item somnum alieni temporis discutito. tum delabentem ad inertiam, suscita: illiusque observa aspectum, habitum, vocem, ne quod inconcinnum accidat. Ac primum quidem hortationibus uti conare, deinde in refragantem animadverte; magisque ut acerbus in studio temperantiæ tuendæ videaris facito, quàm ut de lenitate damnum accipiatur. adest scutica; impinge tergo crebra verbera. extimescat ille scipionem tuum. nisi enim tuus illi, at tibi meus erit formidandus. Talem sentiendum orationem illam esse Diogenis. eo enim ait, Istáne disciplina tua est? omnia illa complexus est. nam ille custos aut aderat assiduo apud puerum, aut non. Si discessit ab eo, manifestus fuit proditor pueri. sin aderat, utrum placebant peccata an minus? quod si volente ipso peccare licuit puero, quis iam illo sceleratior? sin minimè voluit ita fieri, quid accidit igitur quo minus vetaret? non enim certè repugnaturus illi adolescens fuerat, qui sciret sibi necesse obedire, neque oculos contra attollere.

Quod si fortè puerum Diogenes verberibus affecisset, ut custodem affecit, an non dicturum eum fuisse arbitramur: ô sapientissime Diogenes, equidem rectum esse judico id, quod concedit is in cujus potestate sum. ac tu nunc petulantiam istam, ego verò disciplinam esse censeo: atque hoc utor signo, quod custos me hinc non abstrahat. Hæc si audiret Diogenes, fateri cogeretur, se verberibus sine judicio usum. ita profectò. ideoque neque fecit huiusmodi quidquam, neque audivit. ac quoniam ubique initia & fundamenta rerum considerare æquum est, & ad illa posteriora omnia referre (nam ea quæ occasionem præbuere, consequentium omnium causam habent) cùmque petulantiæ dedecus ab adolescente admitteretur, custodis verò procuratum esset negligentia; non in nudum commissum inquisivit Diogenes, sed in eum quoque, à quo illud commotum fuisset. atque veniam dedit delicto; sed eum odio est prosecutus, qui formidinem inde removisset. nam absque cuius permissu nunquam perpetraretur, eum pœnas commissi persolvere debere statuit. Sit enim certè absurdissimum, si quid rectius adolescens egerit, ejus laudis fructum capere præsidem, si rationi reddendæ, uti secus ille se gesserit, obnoxius esse nolit. Ego sæpe vidi præclarè referentem memoria adolescentem ea, quæ proposita fuissent; atque custodem in hoc gloriari. item, celerrimè illum intelligere, hunc se magnum facere: illum temperantem esse & modestum; at hunc, si minus laudaretur ipse, ægerrimè pati. Quum etiam parentes si videant filiorum suorum institutionem quam rectissimè procedere, cum ad literas, tum mores quod attinet; puerum ne tantillum quidem in his admirari solent; sed lectunt se ad inspectorem & ducem; huic plaudunt, hunc laudant, huic pecuniam offerunt: plura etiam quam tum dederint illum expectare jubent. Est igitur justa & simplex oratio; Bona adolescentis ut quasi ipsius propria, nemo admiratur: ne puniat ergo contraria. Custos aufert laudem dexteritatis: esto delictorum quoque supplicium ejusdem. Haberent enim illi præ ceteris eximium hoc commodum, si muneribus potiri, & delictorum nullam pœnam sustinere concederetur.

Verùm id non decet. sed si præmia expetunt, etiam pænas non recusent erratorum. sique ambiunt laudem, ne indignentur ob verbera. Hoc jus ubique servari reperiemus. Chorus in canendo erravit? à theatro magister accusatur: neque de choro quisquam reprehenditur, sed is exploditur qui non ritè numeros concinnaverit. apparet enim si præiret hic vera via; singulos illos secuturos fuisse. Bos si cornu petat, utrum huic an bubulco potius succensemus? Si equus improbus videtur, cum ne; an potius agitatorem accusamus. Ipse etiam gubernator videat, nautæ ut strenui sint, sibique sciat rationem eorum, quæ deliquerint reddendam esse. Ut enim in eos qui primos pilos ducunt, crimina sequentium redundant: horum enim quid facere milites oporret, nutus definit: ita & puerilium peccatorum culpam, omnes meritò in caput custodis impegerint.

Quod dico, manifestius erit, si ad maximas urbes Græciæ fortè respiciamus; Atheniensium inquam & Lacedæmoniorum. nam Athenienses quidem non receptis iis qui navali ad Arginusas prælio occubuerant, duces belli condemnarunt morte; reliquis ne irati quidem fuere: cum tamen universi pariter sepulturam mortuorum neglexissent, sed quia à ducibus fluxisse negligentiam sciebāt, ideo & crimen & supplicium horum esse voluerunt. Lacedæmonij verò facile declararunt, honore quo affecere Themistoclem, omnia reliqua ad eos qui auctores sunt referri. post illa enim præclara facinora adversus barbaros gesta, venit Spartam Themistocles. at Spartani eum corona ornerunt, illius consilio occasionem pugnæ Salaminiæ adscribentes. Quare nequaquam ignoravit Diogenes cui verbera deberentur. æquum autem est, & hunc qui sapiunt ut laudent, & re quoque ipsa imitentur. *Chreia 2.*

Libanius: Natum educavi, ut vos liberos vestros: ac præter alia, etiam ad præceptores misi; cùm probè nossem, magnam vim in animis habere rectam institutionem. *Declamatione 20.*

Libanius: Anyti filij & accedebant & gaudebant Socratis colloquio, neque pater dissuadebat; idque meritò. nam sciebat ut is qui conversatur, etiam admiraretur; qui verò admiratur, etiam æmularetur; & frequentia conversationis, gigneretur etiam imitandi cupiditas. qui verò concupiverant instituta Socratis, statim plerisque meliores erant. *Declam. 29.*

Libanius: Sit præceptor Critiæ atque Alcibiadi Socrates. si hic quidem dixi quod facientibus conduceret, illi verò animum non adhibuerunt, cùm alia ipsis placerent: quid opus est Socratem illorum vice odio prosequi? Quemadmodum si quis agricolam, qui nihil in terræ cultu laborum prætermiserit, & manibus, instrumentis & bobus & seminibus, ut fieri assuevit, adhibitis; nihil tamen quicquam postea acceperit, à terra quæ ferax non erat, autorem eventus judicaret: verùm in promptu ipsi est & de arte sua disserere & terræ specimen dare. in aliis etiam artibus videmus alios doctorem prætereuntes: alios parem industriam assequentes: hunc minus percipientem: illum ne hilum quidem proficientem: hinc coriarius alius melior est alio, & faber fabro præstat: atque in aliis alter alteri antecellit; licet eosdem nacti sint magistros. Est enim (ô Dij) Natura violentior ac valentior disciplina: quippe cùm prava est trahit ad se, & omnem doctrinam inanem ostendit. quòd si non ita planè se haberet in omnibus eiusdem artis opificibus, compar esset scientia. jam verò si, natura ubique principatum tenente, non ita hominibus videretur: sed ob discipulorum imperitiam, magistrum castigarent, dissiparentur artes, nemine amplius docere audente, ut peius cum ipso ageretur: verùm doctoribus, opinor, ubique gratia debetur: eorum autem qui ad discendum accedunt, crimen est. *Declamatione 29.*

Themistius: De Valentino Iuniore ad me allatum est: cùm ab omnibus tam Græcis quàm Barbaris adoretur, nihilominus sese præceptori suo submittere: Et Gallis quidem Germanisque formidabilem esse, coram eo verò à quo disciplinis imbuitur, è tribunali descendentem, quoties Barbaris jus dicit, demissis in terram oculis stare, seseque privatis adolescentibus circumspectiorem atque observantiorem erga informatorem suum præbere. ô felicem eò timore juvenem! quantam olim ad fiduciam metus eum iste perducet? *Oratione 11.*

Simocatta: Si non habet Socrates vitæ pignora, ne præficiatur tuo filio pædagogus. Pignora autem vitæ intelligātur liberi. Quem enim natura docuit esse patrem, hunc etiam pueros educare atque instituere credibile est, cùm experientia didicerit generationis affectum & amoris in liberos dolorem. *Epistola 58.*

Dionysius Sophista: Neque pater unquam possit liberos de se prognatos odio habere: & eruditionis ac morum præceptor videtur præstantior esse patre. Nam ille cum voluptate operam dat prognēdis liberis. Hic verò artis consilio, bonos efficit. Persiste igitur bonum animum habere neque dubita de meo in te amore, quoniam

niam artis pater est melior, neque diffidere unquam deprehenda-
ris, num quis etiam fuerit. Nam & qui natura sunt patres, aliquan-
do solent liberos ad iram commovere, at non etiam invicem belli-
gerantur. *Epistola 24.*

¶ Romanorum.

Petronius Arbiter: Minimum in his exercitationibus doctores
peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere. nam nisi di-
xerint quæ adolescentuli probent, ut ait Cicero, soli in scholis re-
linquentur. Sicut ficti adulatores cùm cœnas divitum captant, nihil
prius meditantur, quam quod putant gratissimum auditoribus fo-
re: neque enim aliter impetrabunt quod petunt, nisi quasdam insi-
dias auribus fecerint: sic eloquentiæ magister, nisi tanquam pisca-
tor eam imposuerit escam hamo, quam scierit appetituros esse pi-
sciculos sine spe prædæ moratur in scopulo. Quid ergo est? paren-
tes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege
proficere. Primum enim sicut omnia, spes quos suas ambitione do-
nant: deinde cùm ad vota properant, cruda adhuc studia in forum
propellunt, & eloquentia, qua nihil esse majus confitentur, pueris
induunt adhuc nascentibus. quod si paterentur laborum gradus
fieri, ut studiosi juvenes lectione severa mitigarentur, ut præceptis
sapientiæ animos componerent, ut verba atroci stilo effoderent, ut
quod vellent imitari diu audirent, sibi nihil esset magnificum quod
pueris placeret, jam illa grandis oratio haberet majestatis suæ pon-
dus. nunc pueri in scholis ludunt, juvenes ridentur in foro; & quod
utroq; turpius est, quod quisq; perperam discit, in senectute confi-
teri non vult. *Satyrico.*

Plinius Iunior: Nec ignoro suscipiendas offensas in eligendo
præceptore: sed oportet me non modò offensas, verùm etiam si-
multates pro fatris tui filiis tam æquo animo subire, quàm paren-
tes pro suis. *Lib. 2. epist. 18. fine.*

Plinius Iunior: Cum patrem tuum suspexerim magis an amave-
rim dubitem, teque in memoriam eius, & in honorem suum unicè
diligam; cupiam necesse est, atque etiam quantum in me fuerit eni-
tar, ut filius tuus avo similis existat paterno maternoque; quibus
ita demum similis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit;
quas plurimum refert à quo potissimum accipiat. Adhuc illum
pueritiæ ratio intra contubernium matris tenuit: præceptores do-
mi habuit, ubi est vel erroribus modica, vel etiam nulla materia:
jam studia eius extra limen proferenda sunt; jam circumspicien-
dus rhetor Latinus, cuius scholæ severitas, pudor imprimis, castitas
constet. adest enim adolescenti cum ceteris naturæ fortunæq; doti-
bus, eximia corporis pulcritudo; cui in hoc lubrico ætatis non præ-
ceptor modò, sed custos etiam rectorque quærendus est. Videor de-
monstrare posse Jul. Genitorem. vir est emendatus & gravis; paullo
etiam horridior & durior, ut in hac licentia temporum. Quantum
eloquentia valeat, pluribus credere potes. nam dicendi facultas, a-
perta & exposita statim cernitur. vita hominum altos recessus, ma-
gnas latebras habet: cujus pro Genitore me sponsorem accipe. ni-
hil ex hoc filius tuus audiet nisi profuturum, nihil discet quod ne-
scisse rectius fuerit: nec minus sæpe ab illo quam à te neque admo-
nebitur, quibus imaginibus oneretur, quæ nomina & quanta susti-
neat. proin faventibus Deis trade eum à quo mores primum, mox
eloquentiam discat; quæ male sine moribus discitur. *Libr. 3. epi-
stola 3.*

Plinius Iunior: Proximè cùm in patria mea fui, venit ad me sa-
lutandum, municipis mei filius prætextatus. Huic ego, Studes? in-
quam. respondit Etiam. Ubi? Mediolani. Cur non heic? & pater
ejus (erat enim unà, atque etiam ipse adduxerat puerum.) Quia
nullos heic præceptores habemus. Quare nullos? nam vehementer
intererat vestra qui patres estis (& opportunè complures patres au-
diebant) liberos vestros heic potissimum discere. ubi enim aut ju-
cundius morarentur quàm in patria? aut pudicius continerentur
quàm sub oculis parentum? aut minore sumptu quàm domi? Quā-
tulum est ergo collata pecunia conducere præceptores? quodque
nunc in habitationes, in viatica, in ea quæ peregrè emuntur (omnia
autem peregrè emuntur) impenditis adiicere mercedibus? Atque
adeo ego, qui nondum liberos habeo, paratus sum pro republ. no-
stra, quasi pro filia aut parente, tertiam partem ejus, quod conferre
vobis placebit, dare. totum etiam pollicerer, nisi timerem, ne hoc
munus meum quandoque ambitu corrumperetur; ut accidere mul-
tis in locis video, in quibus præceptores publicè conducuntur. Huic
vitio, uno remedio occurri potest, si parentibus solis jus conducen-
di relinquatur: iisdemque religio rectè judicandi, necessitate colla-
tionis addatur. nam qui fortasse de alieno negligentes, certè de suo
diligentes erunt: dabuntque operam ne eam à me pecuniam non-
nisi dignus accipiat, si accepturus & ab ipsis erit. Proinde consenti-
te, conspirate, majoremque animum ex meo sumite, qui cupio esse
quàm plurimum quod debeam conferre. nihil honestius præstare
liberis vestris, nihil gratius patriæ potestis. edoceantur heic qui
heic nascuntur, statimque ab infantia natale solum amare consue-
scant. atque utinam tam claros præceptores inducatis, ut à finitimis
oppidis studia hinc petantur: utque nunc liberi vestri aliena in lo-
ca, ita mox alieni in hunc locum confluant. *Lib. 4. epist. 13. med.*

Plinius Iunior: Pertinet ad profectum tuum, à patre disertissi-
mo viro discere quid laudandum, quid reprehendendum: simul ita
institui ut verum dicere assuescas. Vides quem sequi, cujus debeas
implere vestigia. O te beatum, cui contingit unum atque idem o-
ptimum & conjunctissimum exemplar; qui denique eum potissi-
mum imitandum habes, cui natura esse te simillimum voluit. *Epi-
stol. 13. lib. 8.*

Symmachus: Frater vester diu animi affectus dolore ob amissum
magistrum, cœpit aurem præbere solantibus: cujus mœstitudo me
quoque graviter sauciavit, præter cogitationem quæ nos de eligen-
do præceptore sollicitat. *Lib. 6. epist. 34. pr.*

Ausonius: Quid tu mihi debes? & contra, quid non ego tibi de-
beo? Anne quod docui? hoc ego possum verius retorquere, dignū
me habitum qui docerem: tot faciundia doctrinaque præstantes
preteritos, inclinata in me dignatione, ut esset quem honorares &c.
Panegyr. ad Gratianum.

¶ Poetarum.

Aristophanes Nubibus v. 868.

Ουκ ἐς κοράκας; καταρᾷ σὺ τῷ διδασκάλῳ.
Non abis ad corvos, execratus præceptorem tuum?

Aristophanes Nubibus v. 1467.

*Age fili, adesdum. Chærephontem & Socratem, ludificatores
nostros
Perdamus. PH. ego verò magistros haud quaquam affecero
aliqua injuria.*

Ausonius Edyllio 5. v. 67.

*Nec rudis hoc avus admoneo, sed mille docendo
Ingenia expertus. Multos lactantibus annis
Ipse & alui: gremioq; fovens, & murmura solvens.
Eripui tenerum blandis nutricibus ævum.
Mox pueros molli monitu, & formidine leni
Pellexi, ut mites peterent per acerba profectus,
Carpturi dulcem fructum radicis amaræ.
Idem vesticipes motu jam puberis ævi.
Ad mores, artesq; bonas, fandiq; vigorem
Produxi: quanquam imperium cervice negarent
Ferre: nec insertis præberent ora lupatis,
Ardua temperies, dura experientia, rarus
Eventus longo rerum spectatus ab usu,
Vt regat indocilem mitis censura juventam.
Quæ tolerata mihi, donec jam ærumna juvaret,
Leniretq; usum bona consuetudo laborum.*

¶ Apologi.

De Sue & Cane. Fab. 41.

Sus irridebat canem odorisequum, qui domino murmure & cau-
da adularetur, à quo ad artem aucupatoriam multis verberibus, au-
riumque vellicationibus fuerat instructus. Cui canis: Nescis, inquit,
insane, nescis, quæ ex verberibus illis sim consecutus? per ea enim
suavissimis perdicum, coturnicumque carnibus vescor.

*Hac fabula nos monet, ne iniquo feramus animo præceptorum ver-
bera, quæ multorum bonorum causa esse consuevere.* Laur. Abste-
mius.

¶ Emblematum.

Batillius XL.

In auribus stulti ne loquaris.

*Qui blandâ indocilem linguâ diverberat aurem,
Pierio stolidum pectus & imbre rigat,
Infelix operam perdit, ceu currere asellum
Frænatum qui se posse docere putat.*

Batillius XLI.

Rudis expertum docet.

*Ridetur monitor, qui non experta monebit,
Cui rerum & nullus quas docet usus erit:
Vt si, perspicuo queis fulgent lumina visu,
Commonstrare velit luminis orbus iter.*

Camerarius XI. Centuria 3.

Cœlo ut se permittant.

*Vos virtutis iter gnatis monstrate parentes,
Ipsa Aquila ut pullos fida volare docet.*

Camerarius LXX. Centuria 13.

Melior doctrina parentum.

*Vt canere alma docet pullos philomela tenellos,
Sic genitor gnatos format & ipse pius.*

¶ Monosticha Trochaica.

*Absq; moribus, magister plus nocet quam prodest.
Appetis dominatum demens præmaturè præcocem.
Cui magistro unquam imputata est discipulorum tarditas.
Detrahit fidem præceptis qui aliter, quam docet, facit.
Discipulum doce quæ non vult sed quæ discere expedit.
Discipuli quidquid delinquunt, ad magistrum respicit.
Eja, Lyde, leniter qui sæviunt, sapiunt magis.
Hic quid agas, ubi si bene quid præcipias, nemo obtemperat?*

Id do-

Id docere, quod novit quem doceas, est stultissimum.
Largior nunquam magistrorum est bonorum copia.
Non potest alijs præire, qui sibi ipsi deficit.
Non potest alios docere se docere qui nequit.
Nullus est pejor præceptor quàm sui præsumptio.
Omne quod dicit magister id puta verissimum.
Præsidi qui non obaudit inconcinnus est chorus.
Præter improbos magistros, adplica te arctè bonis.
Qui linguâ docent calamoq; sunt & pro parentibus.
Qui monet se doctiorem, vitulus est docens bovem.
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrent viam?
Quid potest ab eo sperare quis, malum esse quem docet?
Quisquis haud colit magistros, nec parentibus placet.
Roscio spectante gestum agere in scena, impudentia est.
Se propinat deridendum, qui alia quàm docet, facit.
Semper est legendi, non item audiendi occasio.
Si mala vita es magister; pestis hercle publica es.
Temeritatis ultima est docere aliquid quod nescias.
Turpe non est id docere, quod honestum est discere.
Verbis sit magister oportet quam verberibus promptior.
Vita plus moresq; possunt, sermo quam docentium.
Vita primum examinanda deinde & eruditio.
Vita qualis præceptoris talis & discentium est.
Vt patres ama magistros, utq; principes time.

¶ Jambica.

Ama magistrum; mentis est enim parens.
Balbutit & magister cum tyrunculis.
Bene discitur paterno in contubernio.
Chori imputes errata præceptoribus.
Conditio eadem est præceptorum quæ seminum.
Contraria facere quàm doces turpissimum est.
Curationes ægrum obire aliquem improbum est.
Discas diu docere quod rectè cupis.
Docere factis plus queas quam vocibus.
Docere nemo quod parum didicit potest.
Malignitas sine præceptore discitur.
Multum est magistrum habere cui acquiescimus.
Nisi hoc facis quod præcipis, mendacium est.
Paucos magistro videas obsequi suo.
Præcipere mitem convenit puero senem.
Stultissimum est docere alium quod noverit.
Stultissimum est docere alios quod nescias.
Stylus docenti convenit remissior.
Præceptor est sancti parentis in loco.
Præsumptuosi sunt qui ipsos semet docent.
Præstat docere vitâ quàm sermonibus.
Proba materies est si probum adhibeas fabrum.
Pueri magistros non amant, amant viri.
Quam quisq; norit artem, eandem exerceat.
Quod rectè didicit aliquis, rectè alios docet.
Sermone quod doces, doceq; moribus.
Turpe est magistro si ambigit de iis quæ docet.
Veneratio debetur præceptoribus.

Prædæ.

¶ Sententiae Graecorum.

X*Enophon:* Quum vero in mentem Cyro venisset, neque se ab esculentis, neque à potulentis instructos accessisse, sine quibus ne ulla suscipi expeditio, nec fieri quicquam aliud queat: considerаret autem quo pacto & celerrime copiam horum & rectissime parare posset: animadvertit, omnibus militantibus opus esse quodam, qui & tabernaculi, & rerum necessariarum, ut eæ paratæ militi adventanti essent, curam gereret. Itaque intelligens, esse vero consentaneum, maxime tunc illos in castris deprensos ac repertos esse, colligendis videlicet vasis intentos: per præcones edixit, ut procuratores Castrenses omnes adessent, & sicubi procurator nonnullus esset, maximus natu è tabernaculo veniret: gravissima quæque interminatus iis, qui non paruissent. Illi quum etiam dominos obtemperare cernerent, statim paruerunt. Quum adessent, primum sedere jussit illos, quibus esset plus in tabernaculo commeatus, quã pro duobus mensibus. Hos quum adspexisset, rursus imperat, ut sederent, quibus esset unius mensis commeatus. Ibi tum fere omnes adlocutus est.

Agite vero, inquit, ô viri, quicumque vestrum mala exosi estis, & boni quidpiam à nobis consequi cupitis, promtis animis procurare, ut quolibet in tabernaculo cibi ac potus plus duplo paratum sit & dominis & famulis, quam cottidie parare consuevistis. Quin & alia parata sint omnia facite, quæcumque dapes effectura sunt bonas. Quippe mox aderunt, utricumque vicerint, æquumque putabunt esse, ut res necessarias omnes adfatim habeant. Itaque scire vos volo è re vestra futurum, si eos sine querela exceperitis. Hæc illi quum audissent, magno studio imperata faciebant.

Cyrus autem convocatis cohortium præfectis, hujusmodi quædam ad eos protulit. Non ignoramus, amici, licere jam vobis, ut priores prandeatis ante commilitones illos nostros, qui absunt, adeoque paratis exquisite cibis ac potu fruamini. Verum arbitror equidem, plus ex hoc prandio nos utilitatis minime percepturos: quam si pareat, de sociis nos esse sollicitos: neque tantum vinum nobis additurum esse hoc convivium, quantum si perficere possimus, ut horum commilitonum nostrorum studia nobis constent. Quod si eos, qui iam persequuntur, & interficiunt hostes nostros, & cum resistentibus prœlio decertant, usque adeò negligere videbimur, ut etiam prius quam cognoverimus, quid rerum agant, prandeamus: vereor, ne turpitudinis manifestæ macula nosmet adspergamus, & in penuria sociorum vires nostræ debilitentur. At vero curam eorum gerere, qui & labores perferunt, & periculis semet exponunt, ut adventantes scilicet res habeant necessarias: hoc vero epulum multo nos magis exhilaraverit, de mea quidem sententia, quam si statim ea, quæ gulæ grata sunt, faciamus.

Etiam hoc cogitetis velim, ut ipsos maxime revereri non debeamus: nihilo tamen minus alienam à nobis & satietatem nimiam, & temulentiam esse debere. Nec dum enim confecimus ea, quæ volumus: sed constituta nunc in acie discriminis omnia studium diligentiæ requirunt. Nam in castris hostes habemus numero longe nobis ipsis, eosque solutos: à quibus adhuc cavere nos convenit, & eosdem custodire, ut sint, qui nobis res necessarias parent. Absunt præterea nobis equites, qui quidem sollicitudinem nobis adferunt, ubinam sint: ac si redeant, mansuri ne sint nobiscum. Quapropter, mea quidem sententia, cibus eiusmodi hoc tempore potusque nobis est sumendus, cuiusmodi quis existimet ad hoc idoneum maxime, ut nec somno nec dementia repleamur. Scio itidem magnam in hisce castris pecuniæ copiam esse: de qua non ignoro fieri posse ut nos avertamus, quantam voluerimus: ut illa nobis sit cum iis, qui nobiscum eam capere, communis. Verum non tam nobis futurum ego fructuosum arbitror, si has ipsi sumamus, quam si justos illis nos declaremus: atque hoc ipso id comparemus, ut nos majori, quam modo, benevolentia complectantur.

Etiam ipsarum pecuniarum divisionem Medis, & Hyrcaniis, & Tigrani postquam advenerint, permittendam arbitror: ac si minus quoque nobis tribuerint, id ipsum in lucro ponendum esse. Nam ob hæc lucra lubentius nobiscum manebunt. Nos quidem hoc tempore commodi proprij rationem habere, parum duraturas opes nobis conciliarit. Verum his neglectis illa parare, unde divitiæ nascuntur: hoc nimirum meo judicio nobis ac nostris omnibus opes suppeditare magis perennes possit. Arbitror autem, propterea domi quoque nos adsuefactos ad frænandam libidinem gulæ pariter, & intempestivi quæstus: ut utroque, quum ita res exigit, commode possimus uti. Quibus autem in rebus potioribus, quam præsentibus, edere queamus disciplinæ specimen: equidem non video.

Hæc Cyri fuit oratio, quam Hystaspas Persa, unus ex æqualium numero, huiusmodi verbis comprobavit. Absurdum nempe fuerit, Cyre, nos in venatione quidem sæpenumero ciborum abusu toleranter abstinere, quadam ut fera potiamur, eaque non admodum magni pretij: at in conatu venandi solidam felicitatem & opulentiam, si nobis ea patiamur esse impedimento, quæ pravis illa quidem hominibus imperiosè dominantur, sed bonis ac fortibus cedunt, non existimari debere, fieri quiddam à nobis, quod minimè deceat. Hoc modo Cyri sententiam Hystaspas adprobavit, omnibus etiam aliis adsentientibus.

Et Cyrus: Agite verò: inquit, quando de his eadem est omnium nostrum sententia: mittite de suo quisque manipulo viros quinque inprimis serios, qui per castra circumeuntes, collaudent eos, quoscunque res necessarias parare viderint: in negligentes autem nihilo parciùs, quàm si essent ipsorum domini, animadvertant. Et hæc quidem illi faciebant. Medorum verò quidam, quum partim plaustra rebus exercitui necessariis referta, quæ dudum è castris hostiũ excesserant, adsequendo reverti coegissent, advehebantur, partim intercepta carpenta cum præstantissimis mulieribus, quas vel conjuges legitimas, vel concubinas suas, formæ causa viri secum sumserant, ad castra adducebant. *Cap. 13. & 14. lib. 4. Cyropædiæ.*

Xenophon: Die vero iam illucescente, Cyrus primum arcessitis Magis jubet, ut Diis rite, quæ fas esset ob res adeò prosperas, eximerent. Qui tum in hoc erant occupati, convocatis æqualibus Persicis dixit: Multa bona, commilitones, Deus nobis ostendit. At nos, ô Persæ pauciores hoc tempore sumus, quam ut illa tenere in potestate possimus. Nam sive ea, quæcumque laboribus nostris adipiscimur, non conservabimus, rursus aliena erunt: sive quosdam ex nostris custodes adquisitorum relinquamus: statim nullas nobis esse vires, parebit. Quamobrem mihi videtur, cuidam è vobis quamprimum in Persiam eundum esse, qui doceat ea, quæ à me dicuntur, & ut quam celerrime mittatur exercitus, jubeat: si quidem Persæ & imperium, & fructum Asiæ, suam in potestatem venire cupiant. *Cap. 23. lib. 4. Cyropædiæ.*

Xenophon: Convocatis autem præfectis equitum & Hyrcaniorum, huiusmodi orationem habuit: Ne mirum vobis sit, amici & socij, quod sæpius vos convenire jubeo. Nam quum res præsentes novæ sint, pleræque adhuc ordine carent. Quæ vero necdum in ordinem revocata, & adhuc confusa sunt, ea semper negotia facessere necesse est, donec suum quæque locum acceperint. Multa iam bona, multi à vobis homines capti sunt: sed quoniam & ignoramus ipsi quænam horum cuiusque nostrum sint, neque his ipsis constat,

quem

quem quisque dominum habeat: ideirco non admodum multos ex eis videre est officium facere, fereque ambigere omnes, quid abs se fieri oporteat. Quapropter itane comparata sint, vos ista discernite. quumque adeo tabernaculum aliquis adeptus est, quod satis & ab esculentis est instructum, & à potulentis, & famulitio, & stragula, & alia veste, rebusque ceteris, quæ requiruntur ut in tabernaculo militari commode degi possit: huic sane nulla opus est accessione alia, nisi ut is, cui obtigit, sciat horum curam sibi, tamquam suorum gerendam esse. Qui vero in ea divertit tabernacula, quibus pleraque desunt: his vos inspectis, quod deest, supplete. Scio equidem, multa etiam superatura esse. Nam hostibus omnia fuere copiosiora, quam pro multitudine nostra. Venerunt etiam ad me Assyriorum regis aliorumque præpotentium quæstores, & penes se aurum signatum esse dixerunt, ac tributorum quorumdam mentionem fecerunt. Itaq; per præconem imperate, ut istæc ad vos omnia deferant, ubicumque consederitis, & terrorem incutite, si quis id, quod imperatum est, non fecerit. quumque acceperitis ea, duplum quidem equiti, pediti simplum tribuite: ut habeatis, si quibus indigueritis, atque etiam ut aliquid emere possitis. Forum vero castrense, inquit, ab ullo violari statim præco prohibeat, jubeatque caupones ac mercatores vendere merces suas venales, iisque distractis, alias advehere, ut castra nostra frequentiam hominum habeant. Hæc illi statim proclamabant.

Medi vero & Hyrcanii: Quo pacto nos, inquiunt, absque te ac tuis hæc distribuerimus? Quæ ipsorum verba Cyrus ita excepit: Eane vestra sententia est, ut quidquid tamdem agatur, rebus omnibus nos omnes interesse oporteat? neque satis ego facturus sim vobis, agens pro vobis, quod usus postulet: neque vos, pro nobis? Quanam alia ratione, si non hac, plus habituri negotii simus, & minus effecturi? Enimvero videte obsecro, ait. Nos hæc vobis custodivimus, & vos creditis, à nobis esse recte custodita. Vos igitur itidem distribuite, nosque credemus vobis, recte distributa esse: ac vicissim nos alijs in rebus quiddam, quod sit ex usu publice, peragemus. Primum videte, quod nobis partim adsint equi, partim adducantur. Eos ita si relinquemus, ut insideat nemo, neque quidquam nobis proderunt, & ob curam ipsorum molesti etiam nobis erunt. Sin equites eis imponemus, eadem opera tum negotiorum molestia liberabimur, tum virium accessione nos confirmabimus. Iam si sunt alii, quibus eos detis, & quibuscum, si sit opus, pericula libentius adeatis, quam nobiscum: nimirum his eos tradite. Sin nos in primis adstites habere vultis, nobis eos date. Nam modo, quum provecti absque nobis ad hostes, prœlii discrimen adiretis, magnum nobis metum incussistis, ne quid vobis accideret: atque etiam magno pudore nos adfecistis, quod istic non essemus, ubi vos eratis. Verum si accipiemus equos, sequuturi vos sumus: ac si quidem una vobiscum in equis dimicantes, majores adferre utilitates videbimur, nihil ad alacritatem summam reliqui faciemus: sin pedites putabimur opportunius vobis adesse, proclive fuerit descendere, statimque adeo vobis pedites adfuturi sumus, & quibus equos tradamus, excogitabimus.

Hæc Cyrus dixit, ad quæ illi responderunt: Nos, Cyre, neque viros habemus, quos equis hisce imponamus: neq; si haberemus, quum tu hoc velis, aliud sententiæ tuæ præferremus. Itaque nunc equos ipsos accipe, & quod optimum facto putabis, facito. Ego vero accipio, inquit, adeoque nos, quod felix & faustum sit, equites efficiamur: & vos, quæ communia sunt, dividite. Ac primum quidem, ait, Diis eximite, quodcumque Magi è disciplina sua indicarint. Deinde Cyaxari seligite, quæ seligendo maxime rem gratam vos ipsi facturos arbitramini. Illi cum risu, mulieres formosas deligendas huic ajebant. Ergo mulieres, inquit, deligite, & quidquid aliud visum vobis fuerit. Postea vero, quam huic selegeritis, Hyrcanii, facite quantum potestis, ut omnes hi Medi, qui me ultro sequuti sunt, nihil habeant, quod querantur. Et vos item Medi primos hosce socios nostros honoribus & præmiis ornate, quo recte se consuluisse suis rebus existiment, quum nostræ se amicitiæ adjungerent. Etiam de omnibus partem nuntio tribuite, qui à Cyaxare venit: nec ipsi solum, sed iis quoque quos secum habet: atque etiam hunc obsecrare, ut nobiscum maneat, idque mihi probari dicite, ut quum rectius intellexerit singula, vera renuntiare Cyaxari possit. Persis autem, qui mecum sunt, quæcumque vobis præclare instructis superarint, sufficient. Quippe nos in deliciis non admodum educati sumus, sed populari ratione quadam. Itaque fortassis etiam risui vobis essemus, si quid splendidius nobis adtribueretur: sicuti futurum scio, ut equis insidentes admodum nosmet vobis ridendos præbeamus; ac fortassis, ut arbitror, etiam in terram decidentes. Secundum hæc illi ad prædæ divisionem accessere, quum ob equitatus hujus mentionem valde riderent.

Cyrus arcessitis cohortium præfectis, jussit ut equos reciperent, & instrumenta equestria, cum equorum curatoribus: & quidem ad numerum acciperent, pares videlicet militum singulorum numero, sorte quamlibet in cohortem ducta. Proclamari etiam per præconem jussit, ut si quod in Assyriorum, aut Syrorum, aut Arabum exercitu mancipium esset, vel è Media, vel Persia, sive Bactriana, sive Caria, sive Cilicia, sive Græcia, sive aliunde vi abductum, se conspiciendum exhiberet. Quo quidem audito præconio, multi se lubenter exhibuerunt. Cyrus ex eorum numero selectis, qui forma præstabant, ut liberis hominibus arma esse gestanda dixit; ab se data: sibi autem curæ futurum ut res necessarias haberent. Simul eos ad præfectos cohortium mox deducens, iisdem commendat: & jubet, ut crates, ac gladios exi es eis darent, quibus instructi, sequerentur equitatum: atque ut pro eisdem commeatum perinde, ac pro Persis suis, acciperent. Ipsi vero cohortium præfecti loricati, & hastati semper equis veherentur, quod quidem primus orsus est facere: ac singuli suo loco peditibus æqualium præfectum ex æqualibus alium constituerent. *cap. 26. & seqq. lib. 4. Cyropadiæ.*

Xenophon: Iam & Medi aderant, quæque Magi Diis eximia servanda dixerant, ea Magis tradiderunt. Cyro pulcherrimum selegerant tabernaculum, & mulierem Susianam, quæ omnium in Asia fuisse formosissima perhibetur, & insigniter peritas musicæ duas. Secundo autem loco, Cyaxari secundaria. Simul alijs talibus ipsimet sibi supplebant ea, quibus deficiebantur: ut rei nullius indigi militarent. Nam magna omnium erat copia. Itidem & Hyrcanij acceperunt ea, quibus ipsis opus erat. Etiam Cyaxaris nuntium ad æquales cum ceteris partes admiserunt. Tabernacula vero, quæ superabant, Cyro tradiderunt, ut ea Persæ haberent. Nummos tum se distributuros ajebant, ubi collegissent universos, idque deinde præstitum. Hæc ab eis & acta tunc, & dicta. Cyrus autem Cyaxari selecta ut illi acciperent atque custodirent, jussit: quos ei maxime familiares esse norat. Ac mihi quidem quæ datis, ait, lubens accipio. Vtetur autem his vestrum quilibet, qui eis potissimum indigebit. Et Medus quidam musicæ studiosus: Ego vero, inquit, mi Cyre, quum audirem vespere musicas mulieres istas, quas tu nunc habes voluptatem audiendo percepi: ac si quidem harum unam tu mihi dederis, existimabo jucundius esse, versari in castris quam domi manere. Ego vero, subiecit Cyrus, dono hanc tibi, & majorem tibi videor habere gratiam, qui petieris: quam tu mihi, qui eam accipis. Vsq; adeo vobis gratificari sitio. Atq; ita mulierem accepit is, qui petierat. *Cap. ultimo libri quarti Cyropædia.*

Xenophon: Cyrus autem Sardibus movit, & numeroso istic peditum præsidio relicto, Crœsum quoque secum retinens, multa multis & varijs opibus onusta plaustra secum avexit. Accessit autem Crœsus ad Cyrum, ferens accurate descripta, quæcumq; singulis in plaustris essent, easque scripturas, Cyro tradens, ait: Hos libellos, mi Cyre, si habeas: scies, quinam recte sit redditurus: quæ vehit, & qui non recte. Ad ea Cyrus: Facis tu quidem probe, ait, mi Crœse, qui provideas. Sed mihi sane has opes vehent, qui digni sunt, ut etiam eas possideant. Quamobrem si quid suffurabuntur, sua furto subtrahent. Quæ quum dixisset, amicis & præfectis libellos istos tradidit: ut scirent, quinam ex iis, quibus essent cæ res creditæ, salvas & integras redderent, qui non redderent. *Cap. 25. lib. 7. Cyropadiæ.*

Heliodorus: Ad navem properantes, onus exponebant: aliisque spretis (multa enim erant & varia) auri & argenti, & lapidum pretiosorum, & serici quantum quisque poterat, efferentes. Cùmque jam satis esse videretur, & tot res erant, ut & prædonum cupiditatem satiarent, præda in littore posita, eam in onera & portiones distribuebant, non dignitate singulorum quæ accepta erant, sed æquali pondere partitionem instituentes. *Libro Æthiopic. 1.*

Idem. Loquitur Thyamus dux: Hactenus vobiscum vitam egi, nihil mihi præ cæteris ex multitudine præcipui tribuēs. sed seu pecuniæ distribuendæ fuerant, æqualitatem amavi: seu captivi divendidi, summam in medium attuli, judicans, eius qui præclare velit imperare muneris esse ut ipse plurimas res gerat, partorum cum aliis æqualiter sit particeps. Ex captis vero, viros quidem vobis adjudicabam semper, qui robore corporis usui futuri erant; imbecilliores divendebam. Injuriæ autem in mulieres prorsus sum expers, cùm ingenuas aut pecunia redemptas, aut ipsius miserationi fortunæ adductus dimitterem; inferioris verò conditionis, quas non tam jus belli captivas, quàm consuetudo servire cogebat, singulis ad obsequia distribuebam. In præsentia verò, unum tantum ex reliquis spoliis peto à vobis, hanc peregrinam virginem; quam cùm possem mihi ipse dare, melius me facturum existimo, si communi vestro consensu accepero. hactenus ut reliquarum rerum ex præda particeps non sim futurus. *eod. lib. 1.*

Heliodorus: Antro egrediebantur, omnino thesauros qui ibi erāt reconditi, non attingentes. etenim opes ex spoliis partas, impuras ducebant. *Lib. 5. rerum Æthiopic.*

Heliodorus: Postquam aderat regi is, qui Oroondatem ceperat, pete quidvis, inquit ad eum Hydaspes. Ille autem; Non opus est rex ut quidquam petam, qui contentus sum futurus eo quod habeo, si à te mihi adjudicatum fuerit, quod ab Oroondate abstuli, & simul ostendebat pugionem Satrapæ, lapillis distinctum magni pretij, & multorum talentorum sumptu comparatum: ut multi ex circumstantibus exclamarent, privati hominis fortunam excedere, & magis regium thesaurum esse. Arridens igitur Hydaspes: Quid inquit, magis regium esse possit, quam me eam magnitudinem animi conservare, quæ hujus avaritia non capiatur, & eam despiciat? deinde & corpus captivi spoliari, jus belli concedit victori. Quamobrem abeat accipiens id consentibus nobis; quod vel invitis obtinuisset, haud difficulter absconditum. *Lib. 9. Æthiopic.*

¶ Poetarum.

P. Syrus Mimus:

Rapere est, accipere quod non possis reddere.
Rapere est, non petere, quidquid invito auferas.

§ EMBLEMATUM.

Camerarius XXX. Centur. 4.

Prædæ spes vana capit. *Hamis capti pisces.*

Pisciculos viden' ut pomposa cucurbita fallat?
Nil solidi illa tamen, sed tegit insidias.

Camerarius LII. Centur. 4.

Decipiens capitur. *Cancer ostreum fallens.*

O benè factum! aliis qui fata inimica parabat,
Se magis astutum repperit artificem.

§ APOPHTHEGM. SACR.

Alaricus. Roma ab Alarico capta, cùm Gothus quidam virginem consecratam ætate provectam in transitu reperisset, eam modestè admonuit, ut si quid apud se auri argentique haberet, sponte exhiberet. Illa fideli conscientia quod habuit revelavit. Cumque ille vasorum formam & pulchritudinem ex illa antiqua Romanorum opulentia mirarentur, virgo ait, Hæc vasa mihi de sacrario B. Petri Apostoli sunt commissa. tange si audes: ego sacra non audeo tibi dare. Gothus ad nomen Apostoli perterritus, hoc regi nunciavit. Is confestim reportari omnia ad sacrarium S. Petri curavit, dicens, Cum Romanis se bellum gerere, non cum Apostolis Jesu Christi. *Rodericus Toletanus, lib. 2. rerum Hispan. cap. 5.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Abstine à villis potentum fructibusq; callidus.
Cui præda ante oculos est, hostem minimè persequitur suũ.
Direptores sæpe aguntur mutuam hinc inde in necem.
Fit citò ingens præda plures quæ paratur per manus.
Heu quæ non dulcedo prædæ se dat in pericula!
Hoste omisso consectari spolia obest vincentibus.
Incertum facies terrorem, multis prædatus locis.
Miles quæq; adversa prædæ perferat cupidine.
Militi cum cura haberi præda non potest diu.
Mortuorum æquè ac vivorum res prædatur rex malus.
Pensat prædæ aviditas omnes cædes atq; vulnera.
Per viam haud prædare miles: sic alienas nam tuos.
Præda capta dividunda militi æquis partibus.
Præda fermè cum majore dote abit quàm venerat.
Prædà utiq; imbecilliores sunt potentioribus.
Prædæ ubi cupido fervet! ordo abest, abest modus.
Pulchrius referre ab hoste manubias, quam munera.
Qui manus præda impedit, sua obstat is victoriæ.
Sæpe solvit militum arcta præda contubernia.
Sancit natura ut esset præda majoris minor.
Semper errat gens in armis rapto adsueta vivere.
Tolle spem prædæ; tulisti vota item certaminis.
Vilis ad prædam es? traharis ergo merum in ludibrium.
Vis potentibus nocere? villa agroq; eorum abstine.
Vulpium fit sæpe præda quod lupus recondidit.

§ JAMBICA.

Et miles ad virtutem præda incenditur.
Fortissimus quandoq; præda ignavia est.
In hostico ne vastes, uti quo potes.
Non prohibet avidas flamma victoris manus.
Opes Deorum in prædas militi haud cadunt.
Parata præda destruit cupidinem.
Persæpè præda noxia & prædantibus.
Plerasq; præda mutilat victorias.
Plerumq; magno magna præda cum malo est.
Prædâ jam opulentus miles, animum habet domi.
Prædas agit qui inordinatè, & interit.
Prædator ipse à prædâ sæpe ducitur.
Si præda habetur absq; cura, inusui est.
Spoliis opes ex hostium speciosissimæ.

Prædestinationis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus:* Quæ nostra ipsorum sunt consideremus, si quo pacto meliores reddamur: ne vocemus Deum in judicium, neque scrutemur; cur hunc reliquerit istum vocaverit. Hoc etenim nihil aliud fuerit: quàm si servus suopte vicio rejectus, curiosè excutiat heri œconomiam. Miser ac ærumnose, cùm te rationum tuarum solicitum esse oporteret, & quomodo Dominum tibi conciliares; à Domino rationem exigis, tanquam rationem non redditurus? eaque prætercurris, quorum pœnas ut tu luas necesse est? *Homilia 26. ad Romanos.*

S. Isidorus Pelusiota: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Dominus ad eum, qui, ut se sequeretur, rogaverat, respondet: ut qui corda cognita haberet (finxit enim sigillatim corda hominũ, Sigillatim autem dictum est, quia ad ea efficienda ope atque auxilio alterius opus minimè habuit) atque hominem illum versutis ac fraudulentis cogitationibus detentum esse, atque ab improbis spiritibus incoli, vitioque ita hærere perspiceret, ut ab eo revocari non posset. ac propterea eum à suo cœtu ablegabat, ne pertinax ipsius improbitas, iis qui fidem amplexi essent, offensionis causam afferret; in illum videlicet oculorum aciem intendentibus, ac dominicam potentiam imbecillitatis condemnantibus, ut qui discipulum ad virtutem immutare nequivisset. *Epist. 15. lib. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Non quia Dominus Judæ voluntatem animique institutum prævidit, vir eximie, idcircò ille in proditionis crimen lapsus est: verùm quia homo nefarius proditionem parturiebat, ideò is, qui abditos & occultos pectoris motus cernebat; futura tanquam præsentia, præmonstravit. *Lib. 1. epist. 56.*

§ LATINORUM.

Io. Sarisberiensis: Si vero alij præordinati erant, si labi non poterant, quare pro eis tanta sedulitate filius intercedit? Salvandi ergo erant: & tamen dum peregrinabantur à domino mortem poterant promereri, ad vitam nulla necessitate prædestinationis arctati. Gloriatur quis quod eum nihil separabit à charitate Christi, & tamen castigat corpus suum, & in servitutem redigit, ne forte cum aliis prædicaverit, ipse reprobus inveniatur. In apocalypsi quoque monentur angeli ecclesiarum nunc agere pœnitentiam; & prima opera facere, ne moveatur candelabrum eorum, nunc tenere locum suum, ne eundem alteri cedant. Cur ita si quæ futura erant, mutari non poterant? Hæc quoque sententia nec gentilium philosophos latuit, qui fatorum seriem dicunt immobilem, non quia moveri non possit, sed quia moveri omnino non contingit. Hinc est illud, *Exire a mediis potuit Pharsalia fatis.*
Itemque poeticum, quo senex Carnotensis in angustiis fortunæ frequentius utebatur, *Fata viam invenient, &c.*
Quæ vero elapsa sunt, & secundo dispositionis effectu completa, naturaliter quidem non possunt non fuisse; licet nihil asserere in alterutro audeam in injuriam disponentis. Ait tamen doctorum doctissimus, Hieronymum loquor: Audenter loquar, licet Deus omnia possit, virginem tamen post ruinam suscitare non potest. Potest tamen coronare corruptam. Et quidem diffinitionem virginis, eodem interpretante, Apostolus ponit, ut sit virgo quæ sancta est corpore & spiritu. Sed proculdubio Deus & sanctificare animam virtutibus, & carnem potest redintegrare corruptam, ut tota substantia sui videri possit, quæ ceciderat, suscitata. Quod si oratorio tropo usus intellexit quæ fuerunt non posse non fuisse, non necesse fuit ad virginem prostratam recurrere, cum in præteritis omnibus simili sententia vel errore, hoc idem potuerit inveniri. *fine lib. 2. Policratici cap. 22.*

Prædicationis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus:* Huc ingressus est dives, seu vir, seu mulier, non curat quomodo audiet Dei eloquia, sed quomodo se ostentabit, quomodo cum fastu sedebit, quomodo cum multa gloria, quomodo sit alias superatura vestium magnificentia, habituque, visu & incessu se reddet magis ornatam ac venerandam, totaque ejus cura ac solicitudo in hoc versatur, num hæc aut illa vidit. Numquid est admirata? Num recte sum ornata? ut non putrescant vestes, ut non disrumpantur: & tota eius in hoc consistit cura. Similiter vir quoque dives ingreditur se pauperi ostentaturus, & ei timorem incussurus per amictum vestium, propterea quod multos habeat pueros. Stant autem turbam arcentes & abigentes. Ille autem præ nimio fastu ne hoc quidem dignatur facere, sed eam rem scit esse adeo indignam homine libero, ut licet sit valde tumidus, & elatus, non sustinet eam facere, sed mandat servis: hoc enim facere est plane servile morumque impudentium. Deinde sedentem statim subeunt curæ domesticæ trahentes in omnem partem, circumfluit fastus qui obsidet animam: existimat se gratificari & nobis, & populo, & fortassis etiam Deo, quod intrarit in domum Dei. Qui autem adeo est inflatus, quomodo poterit unquam curari? Dic, quæso, si quis accesserit in officinam medici, & à medico gratiam non petit, sed existimat se ei gratificari, & mittens postulare medicamentum vulneri applicandum, occupetur circa vestes, aliquidne boni adeptus recesserit? Non sane arbitror. Horum autem omnium causam dicam si vultis. Existimant se ad nos intrare quando huc intrant: existimant se à nobis audire quæ audiunt, non attendunt, non cogitant quod ad Deum ingrediuntur: quod ipse cum eis loquitur. Quando enim lector quum surrexerit dicit, Hæc dicit Dominus, &c. & stans Diaconus silentio indicto omnibus os obstr[illegible]it, non lectori honorem habens hoc facit, sed ei qui per illum cum omnibus loquitur. Si scirent quod sit Deus qui hæc dicit per Prophetam, omnem fastum abiicerent. Nam si loquentibus cum eis magistratibus, non sustinent foris habere animum, multo magis Deo loquente. Nos ministri sumus, ô dilecti.

Nos non nostra dicimus, sed quæ sunt Dei. E cœlo quotidie venientes leguntur epistolæ. Dic autem, quæso; Si quispiam, dum omnes nos adsumus, ingressus esset, Zonam habens auream, erectaque cervice superbeque incedens & se efferens, diceret se esse missum à rege terreno, & ad totam civitatem afferre epistolam de rebus necessariis, an non omnes converteremini? An non etiam non jubente Diacono magnum adhiberetis silentium? Ego sane arbitror. Nam hic etiam audivi legi epistolas Regis. Deinde si quispiam quidem veniat à Rege, omnes attenditis. A Deo autem venit & è cœlis loquitur Propheta, & nemo est qui attendat. *Homilià 3. ad Thessalonicenses 1.*

D. Chrysostomus: Sicut apud agricolas semina quidem semel deiiciuntur, non manent autem perpetuo, sed magna opus habent quæ eis adhibeatur cultura & curatione: & nisi terra proscissa contexerint ea quæ deiiciuntur, seminarunt avibus semina legentibus. Ita nos quoque, nisi continua recordatione protexerimus ea quæ sunt dejecta, in aerem omnia proiicimus. Diabolus enim rapit, & nostra perdit negligentia, & sol exsiccat, & imber obruit, & spinæ suffocant. Quamobrem non sufficit, quum semel dejeceris discere, sed magna opus est assiduitate, aves abigendo, spinas excindendo, petricosa multa terra replendo, omne quod damnum affert arcendo, & amoliendo, & tollendo. Sed in terra quidem universum est agricolæ: illa enim jacet inanima, ad patiendum solum parata. In hac autem terra spirituali nequaquam. Non est universum doctorum ac magistrorum. Sed si non est pars maxima, dimidium quidem certe est discipulorum. Atque nostrum quidem est sementem deiicere, vestrum autem est facere quæ dicuntur: memoriæ per facta fructus ostendere: spinas radicitus evellere. *Homil. 3. ad Thessa. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Duo hæc in causa fuisse existimo, cur homines ad divinam prædicationem lubentibus animis accesserint, nimirum & sermonem authoritate ac fide plenum, & prædicantiũ mores. Alterum enim alterius nervus ac robur erat; nimirum sermo, qui fide dignus erat, & vita sermonem confirmans. Non enim alia prædicantes, alia faciebant (alioqui enim ridiculi fuissent, ut nonnulli nostræ tempestatis: nihil enim acerbi dicere volo) verùm congruentem atque consentaneam sermoni vitam præbentes, homines subigebant. Quocirca etiam Christus, cùm illud exploratum haberet, sermonem actionis expertem, mancum & imbecillem esse: eum autem, qui ab actionibus inspiretur, vivum & acrem atq; efficacem esse: eos in omni priùs virtutis ac philosophiæ genere, tum per opera, tum per sermonem erudivit, ac divinis gratiis coornavit: atque ita demum ad hominum aucupium emisit. Illud enim perspectissimum habebat, quòd præconum mores ad alliciendos mortalium animos non minorem, quàm miracula, vim habituri essent. Itaque cùm per universum terrarum orbem dispersi essent, ac velut pennati agricolæ pietatis doctrinam disseminassent, moresq; suos ex magistri præscripto composuissent, vitamque non modò ab omni reprehensionis nota remotam, sed etiam prorsus admirabilem præberent, hac demum ratione, quicquid terrarum sol lustrat, devicerunt: ac neque sapientia & doctrina, nec potentia, nec opes, nec regnum, nec tyrannis, nec barbarica crudelitas, nec dæmonum phalanx, nec diabolus ipse, nec fames, nec præcipitium, nec vincula, nec denique aliud quicquam ex his, quæ horrenda esse videntur, ac revera sunt, ipsos fudit ac deiecit: verùm omnes cesserunt ac manus dederunt, clademque omni victoria & trophæis splendidiorem esse duxerunt. Præstantius enim esse judicantes, honestè vinci, quàm malè vincere, cæli cives constituti sunt. *Lib. 2. epist. 251.*

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Iesus Christus. Quantum utilitatis per Prædicationis officium Christiano orbi accesserit, vel ex eo constabit, quòd Salvator nostri generis Christus, ex hoc mundo ad Patrem iturus, idem unicè discipulis commendarit, dicens: *Ite in mundum universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit; & baptizatus fuerit, salvus erit.* Matth. cap. ult.

SS. Petrus & Ioannes. Dominici itaque præcepti memores isti, dum jubentur abstinere à propagatione nominis Jesu, respondent: *Si justum est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, judicate. Non enim possumus quæ vidimus & audivimus non loqui.* Act. cap. 4.

Benjamin Diaconus. Ille etiam in carcere biennium detentus, dũ ea lege solutus esset, ne ampliùs Dei Evangelium prædicaret; memor villicationis suæ, dicebat: *Neq; possum neq; debeo, talentum mea fidei commissum, in terram abscondere.* memor servi illius nequam, qui propter absconsum talentum, in tenebras exteriores missus est. *Theod. lib. 5. cap. 28.*

S. Franciscus. Egregius etiam sui talenti dispensator Franciscus, quem rogasse aliquando confratres suos ferunt, Quid vobis consultius videtur, an quòd orationi, an verò quòd prædicationi vacem? & enumeratis commodis utriusque, quamque Deo grata essent, tandem conclusisse: *Attamen prædicationis officium suis potissimùm commendare voluit Redemptor noster, dum ipse cum peccatoribus conversatus est: cujus vestigio cùm nobis insistendum sit, utilius, Deoque gratius futurum, intermissa quiete, foras egredi ad laborem.* quod & præstitit. *Bonav. cap. 12. in Vita.*

Anonymus Religiosus. Nullius verò personæ conditionem spectandam, sed liberè annuntiãdum quod veritas dictat, docuit Viennæ Austriæ concionator Alberti primi Imp. Ille enim & Imperatorem & proceres conspicatus, oscitanter verba sua excipientes; voce intenta, *Quæritur*, inquit, *salvarine Principes possint?* Et re agitata in utramvis partem, excussoque audientium somno; *Quid ni*, ait, *possint? si modò Baptismo suscepto, in cunis vagientes moriantur.* Æn. Sylv. lib. 3. Com. in Panormit.

Anonymus. Sed factores verbi, non auditores tantùm, requirit Apostolus. Cujus doctrinæ memor quidam è Saracenorum finibus, ubi plures annos vixerat, reversus Florentiam, dum interfuisset concioni celeberrimæ fratris Alberti de Sartiano, totus in lachrymas abiit. ac causam percontanti Alberto, quid in tantum fleret; *Saracenorum*, respondit, *calamitatem, & Christianorum oscitantiam atq; ingratitudinem.* causamque addens, *Si namq;*, ajebat, *hæc prædicatio facta fuisset Damasci in centum millium coronâ, ausim spondere, plures octoginta sex millibus ab errore convertendos fuisse.* Refert Bernardinus à Busto, Par. 1. Ros. serm. sermone 3.

Anonyma Matrona. Quid tandem de devoto fæmineo sexu dicemus? Requirebat honesta quædam Matrona ab omnibus domesticis, num concio esset facta. Respondentibus illis iterùm atque iterùm, & factam affirmantibus, eò quòd certo certiùs interfuissent, imò notabilia quædam ex ea proferrent; *Dicta est*, inquit illa, *sed necdum facta concio. Superest eam nunc faciatis, & quæ audistis opere adimpleatis.* Sciebat autem, quòd, qui auditor est verbi & non factor, comparetur à Jacobo Apostolo, viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Recenset *P. Ioan. David in Verid. Christ. cap. 97.*

Prædictionis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

Chrysostomus: Quoties Deus magna quædam moliturus est, ea multo ante tempore denunciat, hominum aures præparans, ad ea cùm advenerint accipienda. *Homil. 1. ad Romanos.*

§ ROMANORUM.

Seneca: Fatorum series indicia futuri ubique præmittit, ex quibus nobis quædam familiaria; quædam ignota sunt. Quidquid fit, alicuius rei futuræ signum est: fortuita, & sine ratione vaga, divinationem non recipiunt. cuius rei ordo est, etiam prædictio est. Cur ergo Aquilæ hic honor datus est, ut magnarum rerum faceret auspicia, aut corvo, aut paucissimis avibus; ceterarum sine præsagio vox est? Quia quædam in artem nondum redacta sunt: quædam verò ne redigi quidem possunt, ob nimiam remotam conversationẽ. ceterum nullum animal est, quod non motu & occursu suo prædicat aliquid. nõ omnia scilicet, sed quædam notantur. auspicium est observantis. ad eum itaque pertinet, qui in ea direxerit animum: ceterum & illa quæ pereunt. Quinque stellarum potestatem Chaldæorum observatio excepit. quid tu? tot millia siderum judicas otiosa lucere? &c. *Lib. 2. natural. quæst. cap. 22.*

Quintilianus: Non fuit contentus meliora prædicere mathematicus; sed quæ certissima est vera proferentium fides, quicquid deprehenderat protulit in medium. *Declam. 4. §. 2 f.*

Quintilianus: Homo qui de partu consulebatur, non confudit turbavitque responsum, nec per varias ambages indeprehensibilem sparsit errorem. nihil ita locutus est, ut illud audientium interpretatio traheret dirigeretque quò mallet. Atqui in eo tota ratio fallendi est, non dare consulentibus quod deposcant, sed caligine, magna promissorum varietate suspensos sic dimittere, ut quidquid casus attulerit, putent esse prædictum. *Declam. 4. §. 16.*

Quintilianus: Necesse est ut majores notas futura promittant, quæ non temerè nascuntur. Sic futuras tempestates pelagi fragor, & conscium nemorum murmur enunciat: sic periturorum fata populorum ardentes cælo faces & crinita siderum flamma præcurrit. *Declamat. 4. §. 17.*

Idem: At nunc putet ista aliquis fortuitò, non arte sentiri. possit fortasse casu evenire quod futurum sit: non potest casu fieri quod prædictum est. *§. eodem in fine.*

§ POETARUM.

Plautus Milite 3. sc. 3. v. 37.

Bonus vates poteras esse: nam quæ sunt futura dicis.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Isaacius. Quum Valentem adversus Gotthos unà cum exercitu Constantinopoli exeuntem videret Isaacius eremita, ad eum accessit, & freno equi, quo ille vehebatur, manibus arrepto, voce sublata dixit, Quonam, ô Imperator, proficisceris, qui adversus Deum bella geris, neque tecum illius trahis opem? Nam ille quodammodo contra te Barbaros excitavit, quoniam & tu adversus illum impiorum hominum peregrinas & blasphemas linguas exacuisti: eosque qui prout decet de illo sentiunt, atque illum debitis laudibus efferunt, ex sacris ædibus eiecisti.

Redde igitur rectè sentientibus, & sincerè fidei Nicenæ decretum servantibus, quas ademisti sacras ædes: & [illegible] nullo victor in bello evades. Si enim tu adversari illi desieris, & quieveris, quiescet scilicet & ille quem tu oppugnas. Sin verbis hisce contemptis in aciem perveneris, reipsa experiere, quàm durum sit contra stimulum calcitrare, & in cœlum impotentem linguam tollere. Neque enim ipse redibis, & perdes quas tecum ducis copias. Valens vehementiore ira commotus, Ego verò, inquit, redibo cum præclaro trophæo, & dignas à te temeritatis tuæ sumam pœnas, prædictionemque tuam falsam esse ostendam. Et confestim comprehendi hominem, & in custodia asservari, donec rediret, jussit. At ille abductus vociferabatur, Eneca etiam, inquiens, si mendacia esse deprehenderis verba mea. Paulò post Valens cum suo exercitu fœdè periit. *Nicephorus eccles. hist. lib. 11. cap 50.*

Zeno Imperator. Post suorum cædem & fugam, in castellum, quod Constantinopolim accolæ nominant, casu quodam profugit. Itaque ad fugæ comites cum alto gemitu: Ludibrium (inquit) Dei prorsus est homo qui me quoque sic ludificat. Vates quidem consului, mense hoc Julio ex necessitate quadam me Constantinopoli esse oportere responderunt: & ego me in urbem Constantinopolitanam venturum esse putavi. Nunc verò fugiens & desertus ab omnibus, tumulum hunc miser teneo, castello urbis cognomine reperto. *Suidas.*

Ioachimus Abbas. Ex continenti Messana ad reges Franciæ, Angliæ, Siciliæ eventum belli sacri, quod vocabant, prænoscendi cupidos productus, ituros eos, sed parum profecturos, respondit: quod nondum diram belluam (in qua voce explicanda nonnulli postea hæsitarunt) sua fata appeterent, nec terræ sanctæ recipiendæ dies illuxisset. Nimis verus vates Ioachimus extitit. *P. Aemilius de reb. gestis Francorum, lib. 6.*

Anonymus: Divi Bernardi mater, cùm in ordine filiorum tertium (illum nempe Bernardum) gestaret in utero, somnium vidit præsagium futurorum, catellum scilicet totum candidum, in dorso subrufum, & latrantem in utero se habere. Super quo territa vehementer, cùm religiosum quemdam virum consuluisset, continuò ille Spiritum prophetiæ concipiens, trepidanti & anxiæ matri respondit, Ne timeas: bene res agitur. Optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, & tanquam bonus canis gratia linguæ medicinalis in multis multos morbos curaturus est animarum. Quo responso mulier pia & fidelis quasi à Deo suscepto, læta effecta est, &c. *Autor vitæ D. Bernardi, lib. 1. cap. 1.*

Videantur alia titulo *Futuri, Divinationis, Augurii.*

Præfecti seu Præsidis provinciæ.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Duo tresve aulici adulatores Juliani Imp. tales erant, ut nulla res obstitura fuisset, quominus brevi terras omnes & maria Romanorum imperia subjecta expilassent, nisi secundior rebus exitus maturius contigisset. adeo latrociniis & avaritia priores illos Centimanos vincebant. Provinciarum sanè imperia non optimis & moderatissimis, sed crudelissimis hominibus mandabantur: atque ad honorem ac dignitatem aliquam obtinendam unum suffragium erat, à fide defectio: ab eoque dornis consequebantur, qui sibi ipsis pessimè consuluissent. *Orat. quarta, steliteutica altera.*

D. Nazianzenus: Mihi præses nihil aliud esse videtur, quàm virtutis adjutor, & vitij adversarius, sive incruentum imperium gerat, ut nos Theologi, sive id quod gladium & lorum junctum habet. Cruorem enim tibi minimè adiiciemus; quippe quem virtute imperium tenere scimus, non vi coercere; ac metu potius quàm suppliciis improbos coercere: quæ quidem optimi imperij lex est. *Epistola 46.*

D. Nazianzenus: Tu nobis præfectus es etiam post præfecturam. alio enim modo quam vulgus solet de rebus judicamus. quoniam virtutes omnes, quæ quidem præfecto dignæ sint, complexu tuo tenes. Plerique enim ex eis qui sublimibus thronis insident, apud me humi jacent; nimirum quos manus humiles & abjectos efficit, servosque eorum quibus præsunt. Permulti rursus alti & sublimes, quamvis inferiori loco atque ordine sint, nempe quos virtus in alto collocat, ac majoribus imperiis dignos reddit. *Epist. 50. principio.*

Idem paulo post: Non jam nobiscum est magnus Olympius, nec gubernacula nostra gerit. periimus, proditi sumus. Ego certe eo destituor. qui ex eo reddebar honoratior, quod multis hominibus benignitatem tuam conciliarem. Ac nunc quidem itinere vestro, cum meliori ductu ac pompa abite, multas nobis lacrimas relinquentes, multas item vobiscum opes efferentes, quasque non multi præfecti secum absportant, bonam nempè existimationem, & quod in omnium animis inscripti atque incisi estis, hoc hujusmodi columnis quæ non facile moveri possunt.

S. Isidorus Pelusiota: Habes quidem animum principatu atque imperio dignum, ut qui jam inde à primis annis improbitatem odio habueris. Accepisti autem nunc quoque ab Imperatore præfecturam, eam vim ac potentiam, quam institutum animi tui requirebat, tibi præbentem. Quoniam autem utrumque hoc donum Dei beneficio tibi contigit, utroque, pro virili tua, ad ipsius cultum utere: ut majorem quoque tibi potentiam concedat, si hanc abs te purè atque integrè administrari noverit. Siquidem pastoritium etiam munus cum animi magnitudine conjunctum in potentissimum regnum commutare novit. *Libri primi Epistola 133.*

S. Isidorus Pelusiota: Levitatem vestram equidem demiror; quòd exiguus & contemnendus Imperii hominis Cappadocis ventus usque adeo vos omnes, ut arundinem, circumegit, atque ipsi impiis ejus conatibus administram operam navatis, dum ne eadem, quæ alij, patiamini, formidatis. Quocirca si unà cum eo desinere, ac postquam magistratu abierit, cum eo hinc demigrare, in animum induxistis, meritò patriam diripitis. Si autem ille quidem imperandi finem facturus, atque abiturus est, vos autem in patria mansuri estis, ab adversariorum partibus abscedite, vosque ad propinquos & necessarios vestros adjungite. *Libri primi Epistola 430.*

S. Isidorus Pelusiota: Carthaginienses, homines minùs malos, Lex magistratum gerere prohibet. Cappadoces autem, quorum ingens est improbitas, nulla Lex ab imperio ac præfectura removet. Quoniam igitur & de omnibus bene mereri cupis, & parem cupiditati potentiam habes, aut legem immuta, Cappadoces potius, quàm Carthaginienses à gerendo imperio arcens, aut cum his illos quoque copula. Quòd si, ut verò consentaneum est, pecuniis imperia emercantur (quæ barbarus etiam quispiam emens, non modò prohibetur, sed etiam gravissimo supplicio mulctatur, si pecunias dederit) at sic quoque Cappadocibus duntaxat imperent, qui hoc merentur, ut suis vinciantur catenis. *Libri primi Epistola 485.*

Idem: Gigantium istic habes, Domine, qui ea, quæ priùs egit, incognita atque obscura esse putat, rursumque imperium ac præfecturam adipisci meditatur. Quoniam igitur plurimis incommodis atque calamitatibus nos hîc affecit, (quo nomine in eum à vestra integritate animadverti oportet) prolixa autem oratione ad ipsius facinora cognoscenda minimè indigetis, utpote multis curis undique obsessi, hoc habete: Cappadox est: ut Cappadox imperium gessit. Quare Cappadoce ampliùs à vobis haud quicquam obtineat. *Lib. 1. Epist. 486.*

S. Isidorus Pelusiota: Ægyptios quidem ob crudelitatem ac morum immanitatem Lex ab imperio & perfectura arcet: Cappadoces autem, qui eos improbitate superant, non item. Quoniam igitur nos, Cappadocem præfectum nacti nationis adstruendas calumnias propensæ periculum frequens fecimus, vos autem imperatoris voluntatem, quibus in rebus vultis, habetis, hos quoque illis copulate; ut ne cuiquam alij regioni Cappadox præsit, quàm suæ. Consentaneum enim profectò est, eos patria acerbitate mutuò ad sese irrigari ac perfundi. *Lib. 1. Epist. 489.*

S. Isidorus Pelusita: Particeps tu quoque, ô Sacrum caput, contumeliarum Cappadocis fuisti, cùm in hac urbe domicilium haberes, atque vana & horrenda impuri ac scelesti oris juramenta cum mellito & frequenti, Adoro te, cognovisti, obtrectationes quibus & privatim adversus singulos, & publicè adversus omnes usus est, nefaria & sacrilega latrocinia, novam descriptionem, quæstuosum adversus Deum & pauperes studium, comparatas matrimoniis insidias, sepulchrorum effossiones, vincula in quæ conjectus est, ea item quibus cùm ad castra traheretur, astrictus est, cruciatum eum ac nuditatem quam illic divinitus, ut ad meliorem mentem rediret, sustinuit. Quoniam autem harum omnium rerum oblivione captus, præfecturam rursum, ut ad nos allatum est, affectat, ne id quæso permittas: verùm omnibus viribus prohibe. Sic enim & tibi, & urbi, & illi ipsi commodabis, tibi nimirum gloriam, urbi quietem, illi ne multa peccet, ac pluribus rursum suppliciis afficiatur. *Lib. 1. Epist. 490.*

S. Isidorus Pelusiota: Quò præstantioribus & excellentioribus negotiis administrandis præfectus es, eò vigilantiorem ac perspicaciorem te esse par est: ne à divinis conatibus lapsus, majorem criminis notam subeas. Tantam enim, si à summis virtutibus aberres, accusationem esse necesse est, quanta, si munus tuum ab omni reprehensione sartum tectumque conservaris, merces futura sit. *Lib. 2. Epist. 32.*

S. Isidorus Pelusiota: Quamvis ex his, qui populi curam ac præfecturam susceperũt, nonnulli sint, ut abs te dictum est, qui cùm se pauperum negotium agere primò simulent, in privatum tandem quæstum desinant: tu tamen eos, qui naufragium faciunt, ne attende, verùm iis, qui clavum tutò tractant, ac secunda aura navigant. *Lib. 3. Epist. 88.*

Synesius : Quî fit ut Phœnicibus quidem Phœnices non impe-
rent, nec Cœlosyri Cœlosyris ; Ægyptij itidem omnibus potiùs
provinciis, quàm patriæ, Afri soli patriæ præficiantur ? Soline Afri
fortissimi sunt, ac legibus opponere sese constitutum habent ? Qui-
bus cùm plura adversus violatores supplicia apposita fuerint ; tam
depravata ingenia impetu in eas graviore præcipitant. Necesse erat
perire funditus Pentapolin, quæ Cyrene adjacet. Verùm fames, &
bellum nondum quantum satis erat consumpserunt ; & moram fa-
ciunt, & paulatim disperdunt. Igitur quod ad interitus celeritatem
restabat, excogitavimus. Quamquam hoc ipsum est quod vetus ad-
modum oraculum de Pentapolis exitu vaticinatum est. De paren-
tibus hoc, & avis accepimus ; Res Libyæ Ducum pravitate perdi-
tum iri. Hoc enim oraculi fragmentum est: sed etsi in fatis hoc po-
situm sit, aliquam tamen mali dilationem invenite. Etenim Medi-
corum ars ipsa mortem quidem ab hominibus, quando hæc eorum
natura est, non penitus propulsat; nihilominus moram aliquam fa-
tali necessitati iniicit.

Ejusmodi aliquid ab imperandi facultate petimus, naturæ con-
tra morbi vim opituletur; non interitum maturet, ne quæso, ne hoc
magni Anthemii temporibus eveniat, ut Romana Provincia me-
dio ex illius Imperio deleatur : dicito illi, dicito per scientias obse-
cro : Non tu mittendæ legis causâ extitisti ; novæ, inquam, ad ve-
teres additæ, quæ multa & acerba minitatur iis qui Patriæ suæ im-
perium ambiant ? Cur non igitur iis succenses, qui acta tua perfrin-
gere omni ope contendunt ? Ac si quidem non ignoti tibi sunt, in-
juriam facis ; sin ignoti, negligis : minimè autem facere id decebat
hominem imperandi peritissimum, sed huic uni maximè animum
adjungere, ut qui tui loco præponendi sunt quàm optimi deligan-
tur. Divina namque & magnificentissima illa providentia est, in
qua sedulò cura in boni viri delectum impenditur. Sed enim in hoc
Gentis universæ cura suscipi potest.

Imprimis igitur ab administratione reiiciendi illi sunt, qui le-
ges quasi infestis calcibus petunt. Contra quas Patriæ suæ imperi-
um habent, contra quas nobis velut prædiis oppigneratis mutuo
pecuniam accipiunt ; inhibete malum : mittite ad nos magis legi-
timos magistratus, non cognoscentes, neque cognitos, ex natura
ipsa, non privato animi affectu de rebus judicantes : nunc enim ita
se res habet : hûc navigat dominus, qui antea in Repub. dissidebat,
suamq; illam civilem dissensionem è Tribunali exercet. Pleraque
verò & alia indè mala oriuntur : versantur in conviviis calumniæ.
Mulieris donum fit civis alicujus calamitas. Inde excitatus accusa-
tor : quicumque verò legum violatarum non arcessiverit, condem-
natur ipse, nisi antequam damnetur ; eadem cum damnatis susti-
nuerit : vidimus qui ob hæc in vincula conijceretur ; quòd eum qui
nuper optimo Imperio functus esset, peculatus accusare nollet ; vel
non vidimus potius : quin accedere propiùs interdictum erat, velut
sceleratis, aut majestatis reis ; donec quicquid libitum est perfece-
runt, eaque lege Solem intueri homini concessum est, ut Genna-
dium in jus vocaret ; sed Pentapolis nostra in multis est à Genna-
dio Syro sublevata : quorum illud maximum est ; quod orationi &
persuasioni Imperium permittens, nemine nostrum advertente
plus pecuniæ in publicas rationes intulit, quàm crudelissimi quiq;
& atrocitatis nomine celeberrimi : propter quam nemo lachryma-
tus est, propter quam nemo agrum vendidit, contributionem il-
lam piam meritò aliquis appellaverit, quam non injuria aut verbe-
ra extorserunt.

Quod verò ad cives attinet : heu præteritorum memoriam ! heu
experimentum præsentium ! Nihil ergo novum postulamus, , sed
pro legibus Anthemium deprecamur ; Pro legibus inquam, earum
custodem, quarum vetustatem quidem par est revereri. Legum e-
nim est illa quoque dignitas. sin cuiquam videantur, decretorum
recentiora quæq; vivum adhuc, & ut ita dicam animatum regnum
præ se ferentia. *Epistola 73.*

Latinorum.

Egesippus : Cavendum judicibus, ne major querela quam injuria
sit ; gravior quoque invidia ; quam commissorum pretia. sæpe e-
nim qui primò verecundius deliquerint, accusati insolentiores sũt,
& qui antea occultè furati sunt, postea palam latrocinantur. Nihil
itaque tam exasperat fervorem vulneris, quàm ferendi impatien-
tia. denique impensiùs in ipsis agrestibus feris arctissima vincula,
si se excitent, imprimuntur, si quiescant relaxantur. gravis quoq;
febrium vis, tolerando minuitur, inquietudine augetur. Quod si
norunt sibi consulere agrestia, ut naturæ obliviscantur quò dolo-
rem allevent ; quanto magis in hominibus frequens id docuit usus,
quod eorum qui læsi sunt tolerantia, lædentibus fuerit verecundiæ ;
ut sine accusatore correxerint, quod accusati non emendassent. *Li-
bri secundi capite nono excidij Hierosolymitani.*

Egesippus : Albinus quoque eadem à Romanis potestate sibi cre-
dita, nullum nequitiæ genus prætermisit, rapinarum improbus præ-
do ; ut qui non dedisset pecuniam, in vincula raperetur quamvis in-
noxius ; qui dedisset, etiam reus absolveretur. avaritia gignebat su-
perbiam ; ut pauperioribus tyrannum se præberet, mancipium di-
tioribus. idem tamen etsi prætergressus nequitiam superiorum, ita
à successore Floro, quasi deses ac lentus in flagitijs, longo sed pro-
ximo intervallo præteritus ac derelictus, ut comparatione deterio-
ris integer æstimaretur : & qui primò questi fuerunt ut afflicti, po-
stea Festum quasi Bonum judicem desiderabant, hic enim singulos
exuerat ; Florus urbes diripiebat, inquinatissimus in obscœnitati-
bus, in sævitia crudelissimus ; armis omnia conturbans, & prælia de
prælijs serens ; qui nec obsecratus ignosceret, nec exaturatus par-
ceret. *lib. 2. cap. 2. excidij Hierosol.*

Egesippus : Et tamen non reprehendo, neq; abnuo Florum præ-
sidem in vos scelestè consuluisse : sed querela Romanis deferenda
fuit, non arma inferenda. *capite 16. libri quinti de excid. Hierosolym.*

Io. Sarisberiensis : Respublica homini comparata, oculorum, au-
rium, & linguæ collatio consistit in præsidibus provinciæ. Præses i-
gitur qui in jure reddendo, provincialibus præsidet. Hic autem æ-
qui & iniqui debet habere notitiam, & facultatem, & animum e-
jus quod justum est exequendi. Nam sicut medico eventus mortali-
tatis imputari non debet, ita siquid triste per imperitiam ejus con-
tigerit, ei meritò imputatur. Quod si novit, & non vult, non ex i-
gnorantia, sed ex malitia condemnatur. Finis siquidem utriusque
damnatio est. Licet ignari mitius puniantur, nisi forte ignoranti-
am negligentia procuraverit. Nam si ignorantia invincibilis est,
non affert mortem, sed ab innatis tenebris excusatur. Si vero scit,
& vult æquitati servire, nec potest, non tam præsidis est culpa quam
principis. Sed ad religionem judicis, hæc eadem pertinere certissi-
mum est, cum ipsum juris oporteat habere notitiam, voluntatem
boni, vires exequendi, & sacramento debeat esse legibus obligatus ;
ut sibi omnino illicitum noverit, ab earum sinceritate diver-
tere.

Nam de sapientia ejus, sapientia docet. Iudex, inquit sapiens, judi-
cabat populum suum, & principatus sensati stabilis erit. Secundum
judicem populi, sic & ministri ejus ; & qualis rector est civitatis, ta-
les & inhabitantes in ea. Sed & vires necessarias esse, non tacuit di-
cens : Noli quærere judex fieri, nisi valeas virtute irrumpere ini-
quitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum
in agilitate tua. Non pecces in multitudine civitatis, nec te immit-
tas in populum ; neque alliges duplicia peccata, nec enim in uno
eris immunis. Noli esse pusillanimis in anima tua, exorare & facere
eleemosynam non despicias. Ne dicas in multitudine munerum
meorum respiciet Deus & offerente me Deo altissimo munera mea
suscipiet. Non irrideas hominem in amaritudine animæ, est enim
qui humiliat & exaltat circumspector Deus. Ex his diligenti lectori
occurret, quod voluntas boni non minus judici necessaria est, quàm
notitia, vel potestas ; cum non modo de suis sed ex alienis delictis
teneatur, & duplici suorum & aliorum prematur onere, ut nec in
multitudine munerum citra munditiam voluntatis sit ei fiducia
ante Deum. Vnde & Plato egregiæ quidem & luculenter (si tamen
audiatur) eos, qui de reipublicæ gerendo magistratu contendunt,
ita inter se versari asserit, ut si nautæ sub adversa tempestate decer-
tent, quis eorum potissimum debeat gubernare. In quo fortunæ
calculo, aut nullus, aut rarus, idemque temerarius est, qui sine arte
& viribus vendicet magistratum.

Et in eo quidem tempore nihil miserabilius vidi, quàm judices
scientiæ legis ignaros, bonę voluntatis inanes, quos convincit amor
munerum & retributionum, id virium quod habent in obsequio
avaritiæ, jactantiæ, aut carnis & sanguinis exercentes, & à necessi-
tate sacramenti legitimi absolutos. Ex quo planum est, principes
qui eis ordinariam jurisdictionem contulerunt, juris esse ignaros
vel contemptores. Sed quicquid de peritia juris dicamus, aut de vi-
ribus exequendi, judicem oportet esse religiosissimum, & qui o-
mne iniquum morte ipsa magis oderit. Quia ergo præsides ordina-
riam habent jurisdictionem, vel juris dicendi potestatem, ipsorum
& judicum aliorum una est speculatio, & quod de his dicitur, faci-
le ad aliorum consequentiam trahitur.

Est itaque primum quod ex necessitate officii utriusq; indicitur,
ut justitiæ in omnibus pareatur ; & nihil eorum quæ facienda sunt,
fiat ad pretium. Nam quod injustum est, usquequaque non licet, ut
nec pro temporali vita fieri liceat. Quod vero justum est, mercedis
interventu non indiget, cum per se fieri debeat, & iniquum sit ven-
dere quod debetur. Justitiam ergo vendere iniquitas est ; injustiti-
am, iniqua insania. Hæc siquidem ubiq; reprobata est, ut nusquam
esse debeat, illa ubique debita est, ut sine scelere vendi non possit.
Neque enim Balaam ex eo culpatur, quod populi Dei causam con-
demnaverit, aliudve dixerit, quam quod Dominus inspirabat, sed
quia avaritia excæcatus est, infidelium causam instruens, quomodo
ad provocandum iram Dei delinqueret Israël, dictante malitia pro-
curavit. Quærebat ergo quomodo justè justificaret causam impii,
& quasi illuso Deo, gratiam ejus subtraheret electis. Aut si adversa
justificari non posset causa, hoc saltem agebat, ut & ab ista recede-
ret Deus. Compugnantibus namque iniquis, vincere (ut dicitur)
consuevit, qui viribus superior est. Balaamitas videas plurimos, qui
licet iniquam nolint ferre sententiam, corrupti tamen muneribus,
justitiam partis unius, in alteram quavis arte transferre moliuntur.
Non facile dixerim utrum sit nequius, licet venditor æquitatis, ma-
litiam fuco fallaciori coleret. Potest tamen videri nequior, qui of-
ficii sui principem & reginam, cui fides famulatur, quasi mercem
in foro distrahit, ac si servus infidelis dominum vendat. Omnis e-
nim magistratus, justitiæ famulus est. Constat enim quia æquitas
alienatur è venditore, licet ad emtorem non transeat, & empta ini-
quitas sic ad emtorem transit, ut nequaquam à venditore recedat.
Et quod in alijs contractibus non reperitur, solus ille justitiam ven-
dit, qui non habet. Siquidem ante commercium relinquit sordi-
dum venditorem.

Nonne

Nonne sordidus est, qui ad acceptas, vel oblatas sordes, conscientiam polluit, & non tam justitiam venalem habet, quàm animam suam? Doctor gentium divitias, honores, & totius mundi variam supellectilem contemnit ut stercora, ut solum lucrifaciat Christum; ratus omnia, quæ dispendium saluti afferunt, sordibus aggreganda. Rectè quidem & fideliter, eo quod nihil mundum, nihil honestum, nihil decens salutem impedit, sed sola turpitudo, quæ sicut dedecet, sic & immunda est, & certè inutilis, adeo damnosa, ut nullo temporali emolimento valeat compensari. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, faciens detrimentum animæ suæ? Et vide, quia non dixit mundum inutilem ubi salus perditur, sed etiam ubi minuitur gloria. Quantumvis rutilent gemmæ, aurum splendeat, & omnibus lenocinijs suis arrideat mundus, quicquid munditiam hominis perimit, sordidum; quod decorem animæ extinguit, turpe; quod honestatem subvertit, ignominiosum est. Vnde & apud antiquos etiam salutiferæ veritatis ignaros, omne quod ex debito officij gratuitum esse oportet, si fiat ad pretium, in sordibus computatur. Ipsius quoque pretij sic delitant interpretationem, ut non modò pecuniam, speciemve contineat, sed obsequium, omnemq; operam, quatenus alias non debetur. Quod enim ex sordibus est, quid erit nisi sordidum? Non enim potest arbor mala, fructus bonos facere, cum in eo vis naturæ consistat, ut similia ex similibus procreentur.

Cæterum quia præsidum, & aliorum judicum, communem esse inspectionem præmisimus, æquitatis, & publicæ quietis ministri sunt, quos tanto circumspectiores, & cautiores oportet esse, magisque sollicitos, quo illius reservantur examini, cujus prudentia circumveniri non potest, aut justitia corrumpi, illo obtinente, ut in quo judicio judicaverint, judicentur, & mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & supereffluentem in sinus suos à judice justo recipiant. *Libro quinto Policratici capite undecimo.*

Io. Sarisberiensis cap. 15. Policratici lib. 5. Pertinet autem ad religionem præsidis, providere ne potentiores viri injurijs afficiant humiliores, ne defensores eorum calumniosis criminibus insectentur innocentes. Prohibebitque illatas exactiones, & violentias factas & extortas metu venditiones, & cautiones vel sine pretij numeratione, ne & ipse provinciam in præbendis hospitijs oneret, denique ne quis iniquum lucrum, vel damnum sentiat, præcavebit. Congruit enim bono & gravi præsidi, curare ut pacata & quieta sit provincia: quod facile obtinebit si solicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosq; conquirat. Nam & sacrilegos, latrones, fures, plagiarios, conquirere debet, & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, receptatoresque eorum, sine quibus latro diutius latere non potest. Omni vero jus reddenti observandum est, ut in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur. Vnde mandatis adjicitur, ne præsides in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant. Nam ex conversatione æquali, contemptio nascitur dignitatis. Et summatim ita jus reddi debet, ut autoritatem dignitatis ingenio suo augeat. Sed & in cognoscendo, nec excandescere adversus eos, quos malos putat, nec precibus calamitosorum illachrymari oportet. Id enim non est constantis & recti judicis, cujus motum animi vultus detegit.

Ioan. Sarisberiensis lib. 5. cap. 16. Policratici: De censura legum, summa continentia magistratibus omnibus sit indicta. Adeo quidem, ut qui ordinariam gesserit potestatem, quicquid ex vetere delegationis titulo profligaverit, cum dispendio pudoris atque fortunæ, id est, honoris atque dignitatis de proprijs facultatibus intra provinciam positus inferre cogatur. Lege Iulia repetundarum tenetur, qui cum aliquam potestatem haberet, ob judicandum, vel non judicandum, vel non decernendum, aut ob denunciandum testimonium vel non denunciandum pecuniam acceperit; & in summa; quo magis aut minus quid ex officio suo faceret. Nec usucapi potest quod accipitur, antequam redeat in potestatem ejus à quo profectum est, aut heredis. Venditiones quoque & locationes, pluris minorisve factas lex ista rescindit, & ea damnati, testimonium publicum dicere, aut judices esse, aut postulare prohibentur. Et licet convicti extra ordinem puniantur, plerunque damnantur exilio, vel etiam durius, prout admiserint. Sed & ab heredibus pœna repetitur.

Inspice verba legis, & quanta indignatione crimen hoc persequatur attende. Ut unius, inquit, pœna, metus possit esse multorum, ducem qui malè egit ad provinciam, quam nudaverat, cum custodia competenti ire præcipimus, ut non solum quod egit, non dicam domesticus, sed manipularius & minister accepit, verum ut id quod ipse à provincialibus meis rapuit, aut sustulit, in quadruplum invitus exsolvat. Itemque, Omnes cognitores & judices à pecuniis, atque patrimoniis manus abstineant, neque alienum jurgium putent suam prædam. Etenim privatarum litium cognitor, idemque mercator, statutam legibus cogetur subire jacturam. Et illud, Jubemus quoque & hortamur, ut si quis forte honoratorum, decurionum, possessorum, postremò etiam colonorum, à cujuslibet ordinis judice fuerit aliqua ratione concussus, si quis sciat venalem de jure fuisse sententiam, si quis pœnam vel precio remissam, vel vitio cupiditatis ingestam, si quis postremo quacumque de causa improbum judicem potuerit approbare, is vel administrante eo, vel post administrationem depositam in publicum prodeat, deferat crimen, delatum approbet: cum probaverit & victoriam reportaturus & gloriam.

Utinam hæc vel audiantur à nostris, nam ut serventur optare vix audeo. Quos quotiens diligentius intueor, concussores mihi potius videor videre, quam judices, ac si ad hoc solum dati sunt, ut provinciam spolient. Sed & leges ipsæ & consuetudines, quibus nunc vivitur, insidiæ sunt & laquei calumniãtium. Verborum tendiculæ proponuntur, & aucupationes syllabarum. Væ simplici qui syllabizare non novit.

§ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Xenophon: Quumque esset Babylone, visum est ei, satrapas jam mittendos esse ad nationes in ditionem redactas. Enimvero præsidiorum magistros in arcibus, & tribunos eorum militum, qui per regionem in excubiis erant: alij, quam sibi, parere nolebat. Atque hæc ita prospiciebat, quum cogitaret, eo pacto futurum, ut si quis satraparum opibus & hominum multitudine fretus, insolenter se gereret, imperiumque detrectare niteretur, mox adversarios suos in ipsa regione haberet. Hæc igitur facere quum vellet initio convocandos judicabat, quos adesse referret, remque his prius exponendam: ut quas ob caussas mitterentur ii, qui mittendi essent, scirent. Nam hac ratione laturos id æquioribus animis arbitrabatur. Sin præfectus aliquis jam constitutus esset, atque hæc deinde animadverteret: graviter laturos ducebat, velut existimãtes, ea non aliam ob causam fieri, quam quod fides sibi non haberetur.

Convocatis igitur iis, hujusmodi quædam loquutus est: Sunt nobis, amici, subactis in urbibus & præsidiarij milites, & eorum præfecti, quos tunc reliquimus. Illis ego discedens præcepi, nihil ut aliud curiose instituerent agere, sed munitiones & castella tuerentur. His igitur equidem magistratum non adimam, quum præclare, quæ jussi erant, conservarint. Verum alij mihi satrapæ mittendi videntur, qui regionum incolis præsint, acceptoque tributo, tum præsidiariis stipendium persolvant, tum quidquid necesse fuerit, perficiant. Etiam mihi videtur iis, qui è vobis heic degunt, & quibus ego negotia impono, dum ad obeunda quædam munera ad istas nationes eos ablego, istic & agros, & ædes adsignandas esse: ut & tributum huc illis adferatur, & quum eo venerint, suas in ædes possint divertere. Hæc quum dixisset, plerisque amicorum in omnibus subactis urbibus donabat ædes ac subditos. Atque hac etiam tempestate posteri eorum, qui tunc illa consequuti sunt, in agrorum, quorum alii alia in regione siti sunt, possessione manent: quamvis ipsi apud regem sedes domesticas habeant. Necesse est autem, inquit, ut de satrapis, ad regiones illas mittendis, ejusmodi dispiciatis: qui meminerint huc etiam mittendum esse, quidquid in quovis solo pulchri bonive fuerit: ut etiam nos, qui heic manemus, omnium bonorum, quæ ubiq; proveniunt, participes simus. Nam si quid uspiam rei terribilis existat, id etiam nobis propulsandum erit.

Hæc loquutus, finem dicendi fecit: ac deinde, quos ex amicis animadverteret eundi cupidos, secundum conditiones propositas: habito delectu, eos, qui maxime viderentur idonei, satrapas misit, in Arabiam, Megazybum: in Cappadociam, Artabatam: in Phrygiam majorem, Artacamam: in Lyciam & Ioniam, Chrysantam: in Cariam Adusium, quem ipsi petierant: in Phrygiam, quæ propter Hellespontum sita, & Æolidem, Pharnuchum. Ciliciæ vero, & Cypro, & Paphlagonibus satrapas Persicos nullos misit: quod ultro visi essent adversus Babylonem Cyri signa sequuti. Sed tamen his etiam tributa indixit adferenda. Vt autem Cyrus id temporis constituit, sic etiam nunc arcium præsidia regis in potestate sunt, & præsidiariorum tribuni à rege constituuntur, & apud regem descripti census eorum exstant.

Præterea satrapis omnibus, quos emittebat, edixit: ut omnia, quæcumque se facere viderent pro viribus imitarentur. Primum equites & curruum agitatores ex illis Persis ac sociis, qui comitarentur ipsos, instituerent. Quicumque vero & agros, & domos publicas consequuti essent: eos ad frequentandam portam cogerent, utq; temperantiæ studiose addicti, satrapæ semet utendos exhiberent, si quid usus posceret. Etiam liberos, qui eis nascerentur, ad portam educarent & instituerent, quemadmodum apud ipsum fieret. Itidem satrapam, quos haberet ad portam, venatum producere debere: ac tum se, tum suos ad res bellicas exercere. Qui autem mihi, ait, pro ratione potestatis suæ currus plurimos, plurimos & lectissimos equites effecerit: hunc ego, tamquam egregium belli socium, & qui custodiæ imperii tum Persici, tum mei, sit particeps, honoribus ornabo. Sint apud vos etiam sessionibus perinde, atq; apud me, viri præstantissimi præ ceteris honorati. Sit & mensa, quæ sicut & mea, primum domesticos alat: deinde sat bene instructa sit etiam ad impertiendum amicis, honoremque illis exhibendum, qui singulos in dies aliquid præclare gerent. Etiam septa vobis hortorum sunto, ac feras alite, nec ipsi unquam labore nullo præcedente cibum vobis adponite, neque pabulum equis non exercitis obiicite.

Non enim fieri poterit, ut unus ego virtute humana vestrum omnium bona tuear: sed necesse est magno me pariter animo, cum viris fortibus, à me summittendis, auxilio vobis esse: ac vos itidem

dem fortes esse viros oportet, & cum vestris, qui & ipsi viri fortes sint, socia mecum arma conjungere. Velim hoc etiam consideretis, nihil me horum, ad quæ jam vos cohortor, servis imperare: & quæ vobis faciunda esse aio, hæc ipsemet exsequi omnia studeo. Deniq; ut vos ego me imitari jubeo, sic etiam vos magistratus illos, qui vestro imperio continentur, ad imitationem vestri condocefacite. Atque hæc uti tum Cyrus instituit, sic etiam hodie cuncta regis imperio subjecta præsidia custodiuntur, & omnes magistratuum portæ officiose frequentantur, omnesque tum amplæ, tum exiguæ domus simili modo administrantur: omnes ex iis, qui adsunt, præstantissimi sessionibus honoris ergo supra ceteros ornantur: omnia itinera eodem modo instituuntur, perque paucos præfectos res omnino multæ brevi compendio curantur.

His indicatis, quemadmodum se gerere singuli deberent: ac manu militum cuique data, sic eos dimisit: ut prædiceret universis, pararent sese, quod suscipienda in annum proximum esset expeditio, & lustrandi milites, arma, equi, currus. Hoc etiam ab auctore Cyro profectum, ut ajunt, nunc quoque servari animadvertimus. Circumit hinc inde quispiam regiones cum exercitu singulis annis, qui si satraparum aliquis indiget auxilio, fert ei auxilium: si quis insolenter se gerit, eum sanam ad mentem revocat. Quod si quis vel tributum adferre negligit, vel incolas tueri; vel ut terra culta sit, vel aliquid aliud ex iis, quæ sunt imperata, prætermittit: hæc ille corrigit omnia. Si vero nequeat facere, regi denuntiat. Is ubi rem audit, de eo, qui spreto imperio se contumaciter gerit, deliberat: ac sæpenumero ij, de quibus dicitur, Regis filius descendit, Regis frater, Regis oculus: licet aliquando non conspiciantur, circitores illi sunt. Nam unusquisque horum è vita revocatur, ubi rex ita jubet.

Etiam aliud quiddam excogitasse Cyrum cognovimus, quod ad magnitudinem imperij pertinet, de quo celeriter intelligeret, qui etiam rerum longe remotarum status esset. Quum enim considerasset, quantum itineris equus agitatione diurna conficere viribus integris posset; equorum stabula parari curavit, quæ tantumdem distarent, & in his equos constituit, cum illis, qui eorum curam gererent. Ordinavit & quolibet loco quendam, qui tum ad recipiendum litteras adlatas, tum ad tradendum eas aliis idoneus esset: quique defatigatos equos & homines exciperet, ac recentes summitteret. Atque hoc in itinere ne noctu quidem interdum cessari dicitur, sed nuntio diurno succedere nocturnum. Quæ quidem ita quum fiunt, ajunt nonnullos iter hujusmodi gruum volatu celerius conficere. Quod si verè non dicitur, saltim hoc manifestum est, omniũ pedestrium itinerum quæ homines conficiant, hoc velocissimum esse. Bonum est autem, ut quamprimum aliquid animadvertitur, etiam cura sine dilatione adhibeatur. *Cap. 43. & seqq. lib. 8. Cyropadia.*

Xenophon: Sed Critias tamen hoc manifesto prodidit. Quippe quum Trigintaviri complures cives, eosque non infimos interfecissent, multosque ad injuste agendum impellerent: dixit forte Socrates, mirum videri sibi, si bubulcus quispiam, qui & numerum vaccarum imminuat, ac deteriores reddat non malum se bubulcum esse fateatur: sed hoc magis etiam mirum, si quis præses civitatis factus, & cives pauciores deterioresque reddens, non erubescat, neque malum se civitatis præfectum esse fateatur. *Libr. 1. Memorabil. cap. 11.*

Lysias: Hi in bello ex pauperibus facti sunt divites, eis quæ vestra sunt vobis subtractis; vos verò propter hos, pauperes. Atqui hæc non sunt proborum populi præfectorum opera, in adversitatibus vestris vobis surripere vestra, sed sua potius vobis largiri. *Cap. 3. Orationis 26. adversus Epicratem.*

Dio Prusæus: Porrò ea quæ deinceps accidunt, non quantum quis putet, profuerunt civitati; quòd nempe præfectorum quidam fuerunt violenti, eosque vos punivistis. Hoc enim eò quidem profuit, ut videremini esse aliqui: & non solum vobis ipsis, sed etiam aliis suppetias ferre posse: & per Jovem, ut deinde illi ad delinquendum pigriores essent, contulit quod dederunt pœnas. alioqui verò civitatem invidiosam reddidit, utque videremini natura morosiores esse, & ad querimonias prompti. Sæpius enim accusare jam olim habitum est signum calumniæ, maximè quando de præfectis ad præfectos querela defertur. Inimicitias enim fieri suspicantur, non inde quod subditi aliquid injuriæ sint passi, sed quod imperio subesse nolint. *Oratione 34.*

Dio Prusæus: Nihil eorum quæ fiunt in civitatibus, præsides latet (majores autem præsides dico, quam hic sunt) sed quemadmodum pueros domi dissolutiores apud magistros accusant necessarij; ita etiam populorum delicta illis annunciantur. *Oratione 46.*

Philostratus: Magistratus accommodatos esse dico oportere gentibus, ad quas gubernandas eos mittes: scilicet ut qui Græcè sciunt, Græcis præsint, Romane loquentibus, homines eiusdem linguæ Id dico; quia dum versarer in Peleponneso, vir Græciæ præsidebat ignarus linguæ Græcæ; ita ut nec ipse Græcos, nec ipsum Græci loquentem ullatenus intelligerent. Errabat igitur ipse plerumque, & in multis etiam fallebatur. assessores enim & judicij consortes pecunia corrupti, perversè causas judicabant, calumnias in præsidem velut in servum referentes. *Lib. 1. Apollonij cap. 13.*

Iulianus Imp. Quod verò ad ipsum attinet, scit me persæpe se provinciales vexante, tacuisse, contra quam dignitas mea postularet; cùm quædam non audirem, alia non admitterem, nonnulla non crederem, multa in eius familiares & domesticos converterem. *Epist. 17.*

§ ROMANORUM.

Trajanus Imperator Plinio Iuniori: Tu dabis operam, ut manifestum sit provincialibus, electum te esse, qui ad eosdem mei loco mittereris. Rationes autem in primis tibi rerum publicarum tibi excutiendæ sunt: nam & esse eas vexatas satis constat: multæ enim pecuniæ varijs ex caussis à privatis detinentur: præterea quædam minime legitimè sumptibus erogantur. *lib. 10. epist. 29.*

Trajanus Imperator Plinio Iuniori: Ego ideo prudentiam tuam elegi, ut formandis istius provinciæ moribus ipse moderareris; & ea constituas, quæ ad perpetuam ejus provinciæ quietem essent profutura. *Epistola 118. lib. 10.*

Plinius Iunior: Ego & Tacitus, adesse provincialibus jussi, existimavimus fidei nostræ convenire, notum Senatui facere, excessisse Priscum immanitate & sævitia, crimina quibus dari judices possent: cùm ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset. *Lib. 2. epist. 11.*

Plinius Iunior: Cæcilius Classicus, homo fœdus & apertè malus, proconsulatum in Bætica, non minus violenter quam sordide gesserat: qui ut accusationem totius provinciæ voluntaria morte prævertit, nihilominus Bætica etiam in defuncti accusatione perstabat. provisum hoc legibus, intermissum tamen, & post longam intercapedinem tunc reductum. addiderunt Bætici, quod simul socios ministrosque Classici detulerunt, nominatimque in eos inquisitionem postularunt. *post pauca:* Placuit inprimis ipsum Classicum ostendere nocentem. hinc aptissimus ad socios ejus ac ministros transitus erat: quia socij ministrique probari, nisi illo nocente, non poterant: è quibus duos statim Classico junximus, Bæbium Probum, & Fabium Hispanum; utrumque gratia, Hispanum etiam facũdia validum. Et circa Classicum quidem brevis & expeditus labor. sua manu reliquerat scriptum, quid ex quaque re, quid ex quaque causa accepisset. miserat etiam epistolas Romam ad amiculam quandam jactantes & gloriosas, his quidem verbis: Iò, iò, liber ad te venio: jam sestertium quadragies redegi, parte vendita Bæticorum. Circa Hispanum & Probum multum sudoris. Horum antequam crimina ingrederer, necessarium credidi elaborare ut constaret ministerium crimen esse; quod nisi effecissem, frustra ministros probassem. neque enim ita defendebantur, ut negarent, sed ut necessitati veniam precarentur: esse enim se provinciales, & ad omne proconsulum imperium metu cogi. Consilij nostri exitus fuit: bona Classici quæ habuisset ante provinciam placuit Senatui à reliquis separari: illa filiæ, hæc spoliatis relinqui. additum est, ut pecuniæ quas creditoribus solverant, revocarentur. Hispanus & Probus in quinquennium relegati. adeo grave visum est, quod initio dubitabatur, an omnino crimen esset. *Lib. 3. epist. 9. med.*

Plinius Iunior: Vides à medicis, quamquam in adversa valetudine nihil servi ac liberi differant, mollius tamen liberos clementiusque tractari. Recordare quid quæque civitas fuerit; non ut despicias quod esse desierit. absit superbia, absit asperitas: nec timueris contemptum. an contemnitur qui imperium qui fasces habet, nisi qui humilis & sordidus, & qui se primus ipse contemnit. Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur: male terrore veneratio acquiritur: longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor. nam timor abit, si recedas; manet amor; ac sicut ille in odium, hic in reverentiam vertatur. Te verò etiam atque etiam meminisse oportet officij tui titulum, ac tibi ipsum interpretari, quale quantumque sit ordinare statum liberarum civitatum. nam quid ordinatione civilius? quid libertate pretiosius? porrò quam turpe, si ordinatio eversione, libertas servitute mutetur? *Epistola ultima libri octavi.*

Plinius Iunior: Magna res acta est omnium qui sunt provinciis profuturi, magna omnium qui se simpliciter credunt amicis. Brutianus cùm Atticinum comitem suum in multis flagitiis deprehendisset, Cæsari scripsit; enumeravitque crimina fœda manifestaque. ille cùm diluere non posset, ita regessit, ut dum defenditur, turpis, dum accusat sceleratus probaretur. corrupto enim scribæ servo, interceperat commentarios interciderat que: ac per summum nefas utebatur adversus amicum crimine suo. Fecit pulcerrimè Cæsar: non enim de Brutiano, sed statim de Atticino perrogavit. damnatus & in insulam relegatus. Quod tibi scripsi, ut te sortitum provinciam præmonerem, plurimum tibi credas, nec cuiquam satis fidas: deinde scias, si quis forte (quod abominor) fallat, paratam ultionem; qua tamen ne sit opus, etiam atque etiam attende. neq; enim tam jucundum est vindicari, quàm decipi miserum. *Epistola 22. lib. 6.*

Plinius Iunior: Julius Bassus sortitus Bithyniam rediit reus. hoc illum onerabat quod homo simplex & incautus, quædam à provincialibus ut amicus acceperat. nam fuerat in provincia eadem quæstor. hæc accusatores furta ac rapinas; ipse munera vocabat: sed lex munera quoque accipi vetat. Heic ego quid agerem? quod iter defensionis ingrederer? negarem? verebar ne planè furtũ videretur, quod confiteri timerem. præterea rem manifestam inficiari, augentis erat crimen non diluentis: præsertim cùm reus ipse nihil integrum advocatis reliquisset: multis enim atque etiam Principi, dixerat sola se munuscula, duntaxat natali suo aut Saturnalibus accepisse, & plerisque misisse. Veniam ergo peterem? jugularem reũ, quem ita deliquisse concederem, ut servari nisi venia non posset, tanquam rectè factum tuerer? non illi profuissem, sed ipse impu-

dens extitissem. &c. Censuit Bæbius Macer lege repetundarum Bassum teneri: Cæpio Hispo, salva dignitate judices dandos. uterque rectè. quia & Marco legem intuenti, consentaneum fuit damnare eum qui contra legem munera acceperat; & Cæpio, cùm putaret licere Senatui, sicut licet, & mitigare leges & intendere, non sine ratione veniam dedit facto vetito quidem, non tamen inusitato. prævaluit sententia Cæpionis. *Lib. 4. epist. 9.*

Plinius Iunior: Egregiè facis (inquiro enim & persevero) quod justitiam tuam provincialibus multa humanitate commendas: cujus præcipua pars est, honestissimum quemque complecti, atque ita à minoribus amari, ut simul à principibus diligare. Plerique autem dum verentur, ne gratiæ potentium nimium impertiri videantur, sinisteritatis atque etiam malignitatis famam consequuntur: à quo vitio longè recessisti, scio, sed imperare mihi non possum quo minus laudem, similis monenti, quod eum modum tenes, ut discrimina ordinum dignitatumque custodias; quæ si confusa, turbata, permista sint, nihil est ipsa æqualitate inæqualius. *Epistola 5. lib. 9.*

Cl. Mamertinus: Florentissimas quondam urbes Barbari possidebant: Gallorum illa celebrata nobilitas aut ferro occiderat, aut immitibus addicta dominis serviebat: porrò aliæ quas à vastitate barbarica terrarum intervalla distulerant, judicum nomine à nefariis latronibus obtinebantur. Ingenua indignis cruciatibus corpora subjacebant; nemo ab injuria liber, nemo intactus à contumelia, nisi qui crudelitatem prædonis pretio mitigasset. ut jam barbari desiderarentur, ut præoptaretur à miseris fortuna captorum. *Cap. 4. Paneg. Iuliano Aug. dicti.*

Symmachus: Tecum super talis viri laude gratulandum, qui è provincia suburbana tantum reportat publici desiderij, quantum reliquit exempli. *Lib. 1. epist. 84. m.*

Symmachus: Præsumo tibi accepto ferendum, si provinciæ commodaverit posterioris mutatio. Auctor est enim bonorum sequentium, qui relinquit exemplum. *Lib. 9. epist. 70. f.*

¶ POETARUM.

Martialis lib. 10. epist. 88.

Semper pauperior redit potestas.

¶ APOLOGI.

De Pretore repetundarum damnato. Fab. 98.

Prætor, qui provinciam, cui præfuerat, expilaverat, repetundarum accusatus fuerat. Cumque ægrè ablata restitueret, dicebat quidam è provincialibus: hic noster Prætor mulieres imitatur, quæ fœtus concipientes mira voluptate afficiuntur, cùm autem eos emittunt, incredibili dolore torquentur.

Fabula significat, aliena non esse surripienda, ne illa deponere coacti, mœrore conficiamur. Abstemius.

Prælati sive Episcopi.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus:* Aliorum me puduit, qui cùm plerisque nihilo meliores sint, atque utinam non etiam multò pejores, illotis, ut dici solet, manibus profanisque animis in sanctissima mysteria sese inferunt, ac prius quam digni sint, qui ad res sacras accedant, sacrarium ipsum ambiunt, & circum sacrosanctam mensam sese invicem premunt ac protrudunt, tanquam non virtutis exemplum, sed victus parandi occasionem & subsidium hunc ordinem esse judicantes, ac non minus referendis rationibus obnoxium, sed imperium ab omni censura immune. qui etiam ipsos eos quibus præsunt, numero jam ferè superant; ob pietatem utique miseri, ob splendorem infelices. *Oratione prima de fuga in Pontum.*

D. Nazianzenus: Ecquis, cùm nondum vacaverit, ac Dei sapientiam, in mysterio absconditam loqui didicerit, sed parvulus adhuc sit, adhuc lacte alatur, adhuc ex iis sit qui inter Israelitas non numerantur, nec in Dei castris recensentur, nondum deniq; Christi crucem tanquam vir ferre queat, ac ne aliud quoddam fortasse præstantius membrum sit, læto tamen alacrique animo se Christiano cætui caput constitui patietur? Non profectò, si quidem consilio meo ac judicio standum putabit. Est quippe hic metus omnium maximus, hoc periculum omnium gravissimum, huic quidem certè, qui & operæ præclarè navatæ magnitudinem, & rei infeliciter gestæ perniciem intelligit. Alius igitur mercaturæ causa naviget, & longa maria traiiciat, & cum ventis ac fluctibus perpetuò confligat, magna vel lucra facturus si ita casus tulerit, vel pericula subiturus, quisquis nimirum vel navigandi peritia, vel negotiandi arte excellit. Mihi potius atque optabilius est, in terra degenti, atq; exiguum arvum & dulce sulcanti, vivere ut potero cum pauca & exigua maza, quam ob ingentes quæstus grave ac diuturnum periculum suscipere. Etenim sublimi viro detrimentum est res magnas non aggredi, nec virtutem ad multos propagare, sed in parvis consistere; non secus ac si magno lumine parvam domum illustret, aut virilibus armis puerile corpus obtegat. parvo autem salus in eo consistit, ut parvum onus subeat, neque iis rebus quæ vires ipsius excedunt, seipsum subiiciens, simul & risum moveat, & periculum adjungat. *Oratione prima, de fuga in Pontum non longe à fine.*

Chrysostomus: Ad magnam pervenisti auctoritatem, & aliquando ecclesiasticam assecutus es administrationem: ne ingentes sumas spiritus. Non tu acquisivisti gloriam, sed Deus ea te induit. Parce ergo tanquam alienæ; ea non abutens, neque utens ad ea quæ non decet, neque intumescens, neque eam tibi vendicans: sed existima te esse pauperem & inglorium. Neque enim si purpura regia tibi servanda esset tradita, oporteret abuti veste, & eam corrumpere; sed ei qui illam dedit conservare diligentiùs. *Homil. 10. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Doctorum est virtus, non honorem, non gloriam quærere ab iis quibus imperant, sed ipsorum salutem, & pro iis omnia facere. nam qui illud quærit, non fuerit doctor aut magister, sed tyrannus. Non enim Deus propterea te eis præfecit, ut tu magis colaris & observeris, sed ut tua quidem negligantur, quæ verò sunt illorum omnia ædificentur. *Initio Homiliæ 8. ad Ephes.*

D. Chrysostomus: Si quis est ex præfectis Ecclesiæ, qui vitam non inopem agat, nullaque re egeat; etiam si sanctus sit, tamen nolo ei des: sed huic præpone illum qui eget, quamvis non adeò admirabilem. Quid ita? Quoniam ipse etiam Christus hoc ita vult, idque illis verbis indicat: Cùm facis cœnam aut prandium noli vocare amicos tuos, neque cognatos, sed debiles, claudos & cæcos; eos nimirum, qui tibi par pari referre non possunt. Non enim temerè sunt quilibet invitandi: sed esurientes, sed sitientes, sed nudi, sed peregrini, sed ij, qui ex divitiis ad inopiam sunt redacti: non enim absolutè dixit, aluistis me; sed addidit, esurientem. Esurientem, inquit, me vidistis, & dedistis mihi manducare. Quod si quemvis esurientem nutrire opus est; multò magis cùm ad cibi necessitatem viri sanctitas accesserit. Duplici enim nomine officium justum est; quòd & in sanctum, & in esurientem confertur. Ergo si quis sanctus quidem fuerit, sed non egeat; nihil ei dato: non enim hoc lucrum est: non enim hoc Christus præcepit: quin imò ne sanctus quidem ille fuerit; qui cùm abundet, accipit tamen. *Homilia 1. ad Philippenses.*

D. Chrysostomus: Habet emptitius servus opus quodpiam imperatum: id ubi perfecerit, jam sui dominus est. At verò iste per multa discinditur, atque ea ab eo exiguntur, quæ sæpe vires exuperant, ac nisi dicendi peritus fuerit, hinc rursus maledictis impetitur. Si verò id fuerit consequutus, inanis illi gloriæ crimē inuritur, & nisi excitet mortuos, nullius ferè momenti existimabitur. Continuè hujusmodi voces exaudit, Ille religiosus atque perfectus est: hic verò noster non ita est. Quòd si modico ac sobrio fruatur cibo, rursus crimina resonant: Oportebat, inquiunt, illum cibo suffocare. Si lavantem viderit quispiam, plurima in eum intorquentur convitiorum spicula. Indignus protinus judicatur, qui aspiciat Solem, quandoquidem illa gerit, quæ ille. Atque ille lavat, inquit, ut ego, comedit, bibit, vestimentis operitur, domus curam gerit atque familiæ: cuius ergo rei gratia ille mihi prælatus est? Sed & famulos habet, qui illi ministrent, & asello vehitur: cur præesse mihi debet? Vide, quæso, quanta rerum absurditas? num ille debet carere ministro, ut sibi necesse sit & incendere ignem, & aquas afferre, & ligna perfringere, atque in forum sæpe necessariò ingredi? Et potest esse major perversitas, majorque confusio? *Homilia 1. ad Titum.*

D. Chrysostomus: Etsi doctor sua omnia rite disponat, quamdiu tu minus recte vales, angoris vacuus esse non potest, quum duplex ab eo ratio sit exigenda. Jam verò considera, quantum periculi sit, per singulos subditorum discuti, rationemque pro omnibus reddere. Quantumvis illis honoris impendas, quantumlibet obsequij deferas, nihil his periculis referre par poteris. Nam etsi animam ponas, ipse hoc pro te jugiter facit: quod si non facit in hoc seculo, quum tempus postulat, perdit ipsam in futuro. Tu contra neque ad verba usque illi subiici vis. Hoc nempe est malorum omnium causa, quod rectorum auctoritas perit, nulla illis reverentia habetur, nullus honor, nullus metus. *Homil. 2. ad Timoth. 2.*

D. Chrysostomus: Si præpositorum vitas discutere pergimus, ipsi doctores nostros ordinare contendimus, perversoque ordine naturali, quæ supra sunt infra esse volumus; ut superius pedes, inferius verò caput sit. *Cap. 2. ad Tim. 2.*

D. Chrysostomus: Quanto fuerit celsior dignitas, tanto sacerdotis majora sunt pericula. Sufficit quippe vel unum episcopatus rectè factum auctorem suum in cælum attollere, unumq; peccatum in ipsum iniicere gehennæ profundum. Cæterum ut alia omnia omittam, quæ diebus singulis incidunt, si quando contingat, ut quempiam, sive amicum, sive alterius cuiuslibet occasionis gratia indignum, ad episcopatus promoveat apicem, & magnum illi permittat regimen civitatis, quantis se ignibus facit obnoxium? Neque enim animarum pereuntium solùm, quas perdit à religione & timore Dei alienus, verùm & omnium, quæ ab illo geruntur, ipse pœnas exolvet. Nam qui in ordine privato parum religiosus erat, multò profectò magis id patitur quum ecclesiæ gubernacula regenda susceperit. [Votis itaque omnibus optandum, ut qui antea pietate præditus fuerit, talis permaneat suscepto munere administrationis.] Quippe tunc & inanis gloria vehementiùs imminet, & pecuniarum amor & fastus: quum principatus ipse præstet licen-

tiam offensionis & contumeliæ, atque maledicta, & alia prorsus innumera. Si quis igitur, ut antea dixi, parum religiosus fuerat, multò erit irreligiosior, huiusmodi adminiculis nixus. Tum igitur hujusmodi ecclesiæ, omniumque quæ ille peccaverit, & quæ subjecta plebs offenderit, erit obnoxius. Quod si is, qui unam animam scandalizat, expedit ei, ut mola asinaria suspendatur circa collum eius, & demergatur in profundum maris: qui tot animas scandalizat, & urbes integras, & plebes, viros, mulieres, pueros, cives, rusticos, incolas suæ civitatis, aliarumque urbium, quæ illi subjectæ sunt, quid pati merebitur? Nempe verò si plura triplo, quàm diximus, addas, nihil dicturus es, adeo vehemens pœna atque cruciatus huiusmodi hominibus imminet. *Homil. 1. ad Titum.*

S. Isidorus Pelusiota: Quanquam tu vecors es atque contumax, tamen vel fando illud audisti, quòd olim divinorum Apostolorum discipuli vendentes suas facultates ad ecclesiam pauperum causa deferebant. At tu contrà omnino faciens, ecclesiæ ac pauperum bona domi tuæ impiè ac nefariè colligis. Huic igitur impietati finem impone: œconomus enim hinc dictus est, quòd pauperibus, quæ ipsorum sunt, tribuat. Propria autem ipsorum meritò sunt ecclesiastica bona *Lib. 1. epist. 269.*

S. Isidorus Pelusita: Divina quædam res est sacerdotium, ac rerum omnium præstantissima. In illud autem ij omnium maximè contumeliosi sunt, qui malè illud ac scelerate administrant. Quos etiam sacerdotio fungi omnino non oportebat, ne stulti atque amentes homines, eorum qui improbè ac flagitiosè id muneris gerunt, crimina in sacerdotium convertere auderent. Siquidem iis, qui contumelia illud afficiunt, omissis, culpam in illud conferunt: cùm contrà ipsum ultionem consequi par esset, utpote ab impuris & scelestis hominibus, quibusque illud attingere nefas est, indignè ac petulanter exagitatum. Nam cùm in mundanis imperiis ac præfecturis aliud est ipsa res, aliud is, qui non ut convenit, eam tractat, imperioque ordinem suum ac dignitatem obtinente, is qui contumeliam ipsi intulit, extremo supplicio afficitur, quidnam causæ est, quamobrem in sacerdotio res confundunt, eorumque, qui non, ut officij ratio postulat, illud administrant, scelera in illud conferre nituntur? Quamobrem desinant ii, qui ob Eusebium & Zosimum, & Palladium & Maronem sacerdotium parvipendunt, nec vindicem Dei gladium in seipsos acuant: verùm illos quidem, si sapienter se gerere non sustinent, ut impios & execrandos homines, ac pietatis & virtutis hostes insectentur: sacerdotium autem laudibus efferant, & corona donent, ut quod omnibus, quæ congrua sunt, tribuat. Illius enim opera, & regeneramur, & divinorum mysteriorum participes efficimur: quibus sublatis nemo cœlestia præmia consequi potest: quemadmodum ex ipsius veritatis oraculis ab omni mendacio alienis constitutum, primo quidem his verbis utentis, Nisi quis regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu [sancto,] non intrabit in regnum cœlorum: nunc autem, Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit partem mecum. Quocirca si his remotis sempiternam sortem vel hereditatem consequi non possumus: hæc autem non alia ratione quàm per sacerdotium perficiuntur: qui tandem fieri potest, quin is qui illud contemnit, contumeliam rebus divinis inferat, animamque ipse suam aspernetur? Ac proinde, ne hæc contingant, sacerdotium divinam quandam rem esse existimemus: eos autem, qui indignè illud obeunt, lacrymis prosequamur, nec eorum errata, ei cui vindicta debetur, ascribamus. *Lib. 2. epist. 52.*

S. Isidorus Pelusiota: Cùm multa verè sint, ut inquis, quæ admirationem mereantur, unum tamen est, quod omnium maxime miror, quodque idoneo mihi argumento est, omnia corrupta & perdita esse. Quocirca illis omissis hoc præsertim nunc dicam ac demonstrabo. Dic igitur istis, quibus populi maximè curæ sunt, vel, ut rectiùs loquar, quibus curæ quidem esse debeant, verùm nullo omnino modo sunt: Cùm vos, per ea quæ agitis, quidnam Sacerdotium sit, vobis ignotum esse confiteamini, quorsum tandem aliis molestiam exhibetis? Nam si paternam tyrannidem nacti estis, ita sanè, ut imperatis, imperate; ut illis quoque nobilibus ac fama celebratis tyrannis crudeliores & immaniores vos ipsos præbeatis. Multi enim illorum leniùs ac mitiùs quàm vos, erga eos, quos tyrannide oppressos tenebant, se gesserunt. Si autem paterna cura vobis commissa est, quid tyrannos sævitia superatis? Quid eos qui divino cruore redempti sunt, ipsi in servitutem trahitis? Quid ex alienis calamitatibus opes vobis comparatis? Quid probos ac tẽperantes viros ridetis? Quid virtutis studiosis insidias struitis? Quid adulatoribus favetis? Quid eos, qui liberè loquuntur, expellitis? Nam si vos ea quæ agitis, agere desinatis, verisimile est etiam promiscuæ plebis virtutes, quæ nunc vestra causa mortuæ atque extinctæ sunt, rursus ad vitam redituras esse. *Lib. 2. epist. 234.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui Apostolicam mentem minimè intellexerunt, nec sapientiæ penetralia conspicati sunt, dum Apostolica oracula sinistra interpretatione depravare minimè periculosum esse censent, in væcordiam decidisse videntur. Quidnam enim est, quod dominandi cupiditate temulenti dicunt? Scriptum est, Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ego verò, quin hoc scriptum sit, haud quidem inficias ierim: quòd autem ita, ut ipsis placet, intelligendum sit, planè repudiem. Maximè enim, priùs etiam quàm ad explanationem accedam, ea, quæ post hæc verba sequuntur, ad multos ab hac cupiditate reprimendos satis magnam vim habent. Neque enim cuiuslibet hominis est imperium huiusmodi arripere, quod regnum quoque antecellit: (illud quippe divina, hoc humana moderatur.) verùm paucorum admodum, quos non minùs iis, quibus præsunt, quàm pastores ovibus, ne quid amplius dicam, præstare æquum fuerit.

Quid igitur ait? Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, modestum, hospitalem, doctorem, patientem, non vinolentum, non percussorem, sed mansuetum, non litigiosum, non avarum, domui suæ bene præpositum, filios habentem subditos cum omni gravitate. Si quis autem domui suæ prẹesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei curam habebit? Non neophytum: ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli. Ecquid autem horum à plerisque (quorum numerum ipse quoque auges) præstitum est, ut rem, quæ ipsorum captum superat, expetant? An ea ipsorum vita est, in quam nulla reprehensio cadat? An ea vigilãtia sunt, ut animi oculum insomnem habeant? An pudicitiæ laude ita exsplenderunt, ut non modò integram atque incolumem mentem habeant, verùm etiam eos, qui in impuros concubitus tanquam œstro quodam ac furore perciti feruntur, vel tacentes ad meliorem mentem revocent? An tanta ipsis modestia inest, ut & ex ipso incessu & aspectu, & ex ipsa voce, spectatoribus terrorem injicere queant? (siquidem ii, qui Episcopatum nacti sunt, non secus atque universæ philosophiæ simulachrum spectandos sese præbere debent) An usqueadeò hospitales sunt, ut ignotos etiam pauperes domum ad epulas invitent? An doctrinæ sermonem studio ac meditatione ita consecuti sunt, ut etiam cælestis gratia ad arcanorum ac spiritualium sermonum fontes in ipsorum lingua collocarit? An ea in ipsis mansuetudo ac morum facilitas emicuit, ut nunquam adversus quenquam debacchati sint? An à pecuniarum amore ita abhorrent, ut honestis etiam ac justis rationibus partas facultates egentibus distribuerint? An ea patientia præditi sunt, ut eos etiam, à quibus sine ulla causa contumeliis afficiuntur, & accusantur, perferant? An deniq; alia ea ipsis ornamenta præstò sunt, quæ Paulus, optimum Pastorem pingens, exposuit?

Quidnam, quæso, est, quod eos in tantum furorem præcipites egit? Nam cum preclare secum actum putare deberent, quòd in subditorum classe censentur (taceo enim quòd ea quoque, siquid eorum, quæ oporteret fierent, ob sua flagitia exturbari mererentur) ipsi contrà ea appetunt, quæ consequi nequeunt, atque Episcopatus amorem in se ipsis alunt, Apostolumq;, qui exitialem eorum morbum profligare studuit, tanquam morbo suo patrocinantem testem citant. Equidem ipse orationem, adversus eos impetum facere gestientem, habenasque omnes remittere properantem, resque magis summarias attingere, atque illud demonstrare, ne dignos quidem qui inter Christianos censeantur, eos esse, qui in sacras Scripturas ita contumeliosi sunt, sicq; in minimè ludicris rebus ludunt, summa vi retinui ac tanquam equum in campum ruentem fræno retraxi: eamq;, ut ad hujusce dicti explorationem sese conferret, impuli.

Quid igitur divinus ille vir dixit? illa inquam oculatissima mens, ille, inquam, qui hujusmodi imperium sine ulla reprehensionis nota administravit? Si quis Episcopatum desiderat. Non dixit, Vnusquisque Episcopatum desideret. Non præcepit: non imperavit: non lege sanxit. Verùm quoniam multos esse norat, qui dominandi cupiditate, velut ebrietate quadam correpti tenerentur, ac virtutem quidem minimè experent, imperium autem affectarent, atque Episcopatus labores & sudores ac pericula, curasque & vigilias minimè perspicerent (ad eum enim omnia ea, quibus subditi opus habent, suspensa sunt. quæ tandem ista? eorum, qui divino cultui consecrati sunt, explorationes, esurientium alimoniæ, sitientium pocula, nudorum indumenta, eorum, quibus injuriæ inferuntur, præsidium, eorum qui orbitatem lugent, procurationes, viduarum defensio, eorum qui injuriam inferunt, ultiones, eorum qui flagitiosè ac sceleratè imperium gererẹ conantur, reprehensiones, ægrotorum curationes, eorum qui ob tentationes offenduntur, correctiones, eorum qui in vinculis tenentur, solutiones, eorum qui in calamitatibus versantur, consolationes, eorum qui in peccatum labuntur, castigationes) quoniam, inquam, cùm hæc omnia, ac multò etiam his plura, quæ ne singulis commemorandis sermonem in longum producam, à me prætermissa sunt, certamina Episcopatus habeas, quidam tamen animi oblectationem ac delicias eum esse arbitrabantur, atq; nec viribus suis perpensis, nec imperii magnitudine considerata ad hujusmodi negotium prosiliebant, ut periculosum hunc impetum reprimeret, eosque, ne minus, quod plerorumque captum ac facultatem excederet, temerè aggrederentur, moneret, his verbis usus est, Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

Non dixit, Quilibet desideret: probè enim facit (sic enim locutus fuisset, si non opus ipsum, sed ejus amore flagrantem laudare voluisset) sed, bonum opus desiderat. Vt enim omittam quòd arduum negotium, quòdque ægrè confici possit, opus appellant non modo ii, qui apud Gentiles eruditi habiti sunt, sed etiam Scripturæ sacræ, cùm ajunt, Virum fidelem operosa res est invenire, id quod ab omnibus intelligitur, eloquar. Opus est hæc res, vir optime, non ludus atque animi oblectatio: cura, non luxus: munus referendis rationibus obnoxium, non imperium ab omni censura liberum atque immune: paterna procuratio non tyrannica licentia dispensatoria præfectura, non eiusmodi potestas quæ sub reddendarum rationum necessitatem minimè cadat, Ego Episcopatu-

opus

opus mirificè laudo: divinum enim est, ipsius autem amorem minimè laudo: periculosus enim est. Non dico, bene facit: neque enim, ne probatissimos quidem viros hunc amorem in animo alere, verùm pro viribus expellere oportet.

Vide quemadmodum Apostolus, (qui hujusmodi certaminis periculum fecerat, innumerisque sudoribus diffluebat, ac ne quis eorum, qui ipsius fidei commissi fuerant, quantum quidem in ipso erat, intereat, in vulneribus & plagis, atque insidiis & mortibus versabatur) eos, qui imperia ambiunt, ut harum palæstrarum expertes & imperitos, atque honorem solum ob oculos sibi proponentes metu terroreque afficiat, ac modò non agitato capite clamet, Si quis Episcopatum desiderat, labores intueatur, atque illud spectet, an ferendis illis par esse queat. Pericula conspiciat (adversus eum enim armis instruuntur invisibiles, ac plerunque etiam visibiles inimici) ac non honorem suum animo perpendat. Mortes contempletur, non delicias. Insidias & curas conspiciat: non autem in voluptatem animique remissionem oculos coniiciat. Illud sciat, quòd si quis ad hunc thronum evehatur, idcirco instituitur, ut legitimè certet, non autem ut citra periculum in luxu ac deliciis versetur. Nam qui honoris solius compos effectus est, aliaque omnia jura, quæ ad Episcopatus administrationem attinent, contempsit ac pro nihilo duxit, tum hîc sexcentis probris incessetur, atque etiam interdum de hujusmodi honoris gradu deiicietur: tum illic apud incorruptum judicem in tremendo illo tribunali clamoribus exagitabitur, nimirum fame oppressis clamantibus, Nobis ne necessario quidem alimento frui contigit: hic autem in luxu ac congerendis pecuniis versatus, reliqua in ambitionibus suis consumpsit: nudis autem dicentibus, Hic nobis vi frigoris acerbiorem se præbuit: ægrotis item, Graviorem se nobis hic, quàm morbus, exhibuit: pupillis, Nihil ab hoc opis ac præsidii consecuti sumus: viduis, Hic cõsolatoriam orationem minimè nobis commodauit: in vincula conjectis, Hic nullas commiserationis lacrymas nobis fudit: calamitosis, Hic medicam manum nobis minimè porrexit: ac denique, ut summatim dicam, omnibus iis, quorum Episcopus creatus est, eum clamore insectantibus. Quid porro incorruptum illum judicem facturum putas? Annon in eum acriùs animadversurum, qui ne ex ipso quidem honore melior effectus est? Nemini profectò id obscurum est. Quòd si quis meis verbis diffidit, sententiam quoque ipsi recitabo. Dividet enim eum, partemque eius cum infidelibus ponet.

Hæc igitur cum animis nostris reputantes, divinas res ludibrio ne habeamus. Nam qui privatis etiam rationibus reddendis vix pares fuerimus, posteaquam tot populorum clamores & insectationes nobis ipsis comparaverimus, ubi tandem os nostrum ostendemus? *Libri tertij epistola ducentesima decima septima.*

❡ Patrum Latinorum.

Ennodius: Quis sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci decessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat. *Apol. pro Synode.*

Ennodius: Tu his conditus & formatus cœli beneficiis, plus agendo populum instituis quàm loquendo. Illa monita discipulorum conscientiam eruderant, quæ præbentur exemplo. Sine pudore invitat ad innocentiam, qui illam non fuerit ipse sectatus. *Dictione 3. m.*

Ennodius: Splendorem Pontificis, res non lingua testetur. plus lucet claritas huius officij, veritatis indicio quàm loquelæ. *Mox:* Scimus quantum erit humilior famulantibus, qui ad religiosum vocatur imperium. Necesse est ut etiam extremæ conditionis personis obtemperet, cui imminet sic jubere. *Dictione 5.*

Ennodius: Adsit Deus, ne ad Ecclesiasticam dignitatem veniat, nulla bonæ institutionis incude formatus. *Lib. 5. epist. 4. f.*

Io. Sarisberiensis: Apud homines qui negotiantur, grandis videtur esse prudentiæ, sed tamen illicitæ, quæque calliditas & dolus est, si alia pondere vel mensura sua distrahant, & aliis comparent aliena. At in prælato ratio exigit æquitatis, ut quod aliis imponit onus, ipse præferat, & quod docere voluerit, opere studeat adimplere. hoc est enim in judicio & justitia pascere, non in austeritate & potentia imperare. *Lib. 8. Policr. cap. 17.*

❡ Poetarum.

Guntherus lib. I. v. 559.

Electo partes gemino de Præsule litem
Pertulerant: quas dum placidè componere rector
Et revocare diu frustra studuisset in unum,
Tandem ex sufflato qui poscebatur utroq;
Tertius invitus datus est à Principe pastor.

Videantur plura titulo *Antistitis, Episcopi.*

Prælationis.

Ausonius: Scrupulosus hic mihi locus est, & propter eam, quam nunquam appetivi gloriam recusandus. cùm prior renunciatus sim, satis est tuum retinere judicium. Interpretes valete meritorum. Neque autem ego, sacratissime Imp. in tenui beneficio gradum nuncupationis amplector. Num est hæc gloria ignota Ciceroni? prætorem me, inquit, populus Rom. primum fecit, consulem priorem. Ex ipsa ejus sententia intelligitur, commendabilius ei videri uni quam pluribus esse præpositum. Nulla enim est quidem contumelia secundi: sed ex duobus gloria magna prælati. Alexandri Magni Macedonis hoc fertur, cùm legisset Homericos versus, quibus Hectore provocante è novem ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, unum deligi placeret sortis eventu; trepida ubi conceptione votorum Jovem opt. max. totus precatur exercitus, ut Ajacem vel Tydei filium, aut ipsum regem ditium Mycenarum sortiri patiatur Agamemnonem? Occiderem, inquit, illum qui me tertium nominasset. O magnanimitatem fortissimi viri! nominari inter novem tertius recusabat; ubi certè pluribus antecelleret quàm subesset. Quanta hic verecundia gravaretur posterior de duobus? est enim in hoc numero arduæ plena dignationis electio. cùm universis mortalibus duo qui fiant Consules præferuntur, qui alteri præponitur, non uni, sed omnibus antefertur. *Panegyrico ad Gratianum.*

Prælij.

❡ Sententiæ Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Deinde dicit quidem Heraclitus: Marte cæsos dij honorant & homines. Et scribit Plato in quinto de Republica: Eorum autem qui in bello mortui fuerint, qui præclare se gerens obierit, an non primum quidem dicemus eum esse aurei generis? Omnium maximè. Aureum autem genus per deos est ex iis qui sunt in cœlo & in sphra inerrante, qui maxime principatum obtinent humanæ providentiæ. *Libro Stromatum 4.*

D. Greg. Nyssenus: Cùm in bello pars aliis potentior occubuit, reliqua pars exercitus nullo deinceps in pretio à victoribus habetur. *Initio orat. 7. contra Eunom.*

D. Chrysostomus: Contentio & pugna est vehementer, quando pro rebus magnis suscipitur. *Homilia 22. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Primum est eorum qui in ordinata sunt acie, ut sciant rectè stare: & ex eo multa provenerint. *Homilia 23. ad Ephesios.*

Synesius: Ego verò eos omnes, qui rei interfuerunt, libentissimè coronarem, ac præconis voce prædicarem, Primi enim egregiorum facinorum authores se præbuerunt, ut hoc attonitis ac lymphatis istis ostenderent, non eos esse Corybantas neque ex Rheæ matris asseclis dæmonibus, sed homines æquè ac nos vulneribus ac morti obnoxios. *Epistola 122.*

❡ Latinorum.

Egesippus: Accedit illud quod consuetudo victoriarum incentivum nobis sit præliandi. nam etsi illi pro patria, pro liberis dimicant, non ideo promptiores eos esse quam nos oportet: neq; enim minus est, imò haud scio an etiam amplius pro nobis, quam pro nostris decernere. pro nobis præliamur, & cùm præliamur pro gloria, ne minores simus eo quod sumus. quis ergo dubitet plus esse pro gloria decernere quàm pro salute? nobis autem bellum hoc pro existimationis est periculo, ne jus partum intercidat. periclitamur etiam victores gentium & principes orbis terrarum, Judæis pares videri, quos ex æquo nobis adversarios constituimus, si non aliter nisi pari numero congrediamur. Majores nostri magnas hostium copias parva manu frequenter fuderunt. & quid nobis conferunt quotidiana exercitia, quid diuturnus labor, si pares ad prælium venimus? &c. *Cap. 24. lib. 3 excidij Hierosolymitani.*

Egesippus: Titus festinabat conficere bellum sed sine suorum dispendio, qui etiam ipsos hostes servare si posset, quam perdere malebat: nec aliud monebat militem, nisi consultò bellandum; eam solam esse veram virtutem cui sit comes prudentia. nam sine consilio fortitudinem temeritatem videri, nec usquam magis cavendum quam in victoria. perire enim cum inferiore superiorem, victi triumphus est. Consulendum igitur ne videatur eventus fuisse quod vicerit; ignaviæ quod consortium periculi non evaserit. *fine capitis duodecimi lib. 5. de excidio Hieros.*

Zeno: Adversus validiores & longum & frequens est prælium. *in Psalm. 128.*

Zeno: Mos est eorum, qui nequaquam longis, atque assiduis præliis prævalent, ut victorem exercitum, & firmis agminibus incedentem à tergo adeant, & dorso, sicubi jam prætereat, insidias machinentur. Illic dolos fabricant: illic omnia insidiarum artificia exercent. Ita & peccatores tentatos incassum fideles viros euntes jam in veritatis via dorso adeunt: insidiantur dorso: dolos concinnant. *in Psalm. 128.*

S. Salvianus: Illi crediderunt in manu Dei esse victoriam, nos in manu nostra, imò in sacrilega & impia Hunnorum. denique rex hostium, usque ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit, ante bella in oratione jacuit; ad bellum de oratione surrexit: priusquam pugnam manu capesseret, supplicatione pugnavit: & ideo fidens processit

cessit ad pugnam, quia jam meruerat in oratione victoriam. *Lib. 7. de gubernatione Dei.*

S. Valerianus: In maximis præliis non desunt pugnatori solatia, si fortissimorum virorum requirantur exempla. *Homil. 16.*

Chrysologus: Hostem proprio mucrone turbare, singulare est insigne virtutis. *Sermone 157. m.*

¶ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Xenophon: Hæc dum Assyrius ageret, Cyaxares misso ad Cyrum quodam, tempus esse dicebat, in hostem ducendi. Licet enim pauci jam, ait, extra munitiones progressi sunt, tamen interea dum nos ad eos accedemus, permulti erunt. Itaque non expectemus, donec ipsi plures nobis sint: sed eamus dum adhuc facile superiores eis nos futuros arbitramur. Ad ea respondebat Cyrus: Certo te scire velim, mi Cyaxares, nisi eorum plures parte dimidia victi fuerint: dicturos esse, nos multitudinis metu paucos è suis invasisse. Idcirco se minime victos existimabunt, sed aliud tibi prœlium subeundum erit, in quo melius fortasse sibi consuluerint, quam hoc tempore, quo seipsos nobis offerunt, velut è penu promendos, ut cum quanto velimus eorum numero pugnemus. *Cap. 26. lib 3. Cyropædiæ.*

Xenophon: Mittit denuo Cyaxares, Cyrum non recte facere significans, qui tempus tereret, & non quam primum in hostem duceret. Tum vero Cyrus nuntiis respondit: Sciat plane Cyaxares, inquit, nondum hostes eo numero castris egressos esse, quo oporteat, atque hoc cunctis audientibus ei renunciate. Quando tamen ei sic videtur jam copias ducturus sum. Hæc loquutus, ac Diis adoratis, exercitum produxit. Quumque celerius etiam ducere cœpisset, præibat ipse, milites sequebantur, servatis illi quidem ordinibus, quod usu diuturno exercitati, ordines in progrediendo servare scirent: & præsentibus animis, quod æmulationes inter eos existerent, corporaque roborata laboribus haberent, & antistites in ordinum principiis extra solos præfectos nulli essent: & libenter denique, quia prudentia valerent. Sciebant enim, jamdudum edocti, tutissimum esse, facillimumque, comminus hostes invadere præsertim qui sagittarij sint, & jaculatores, & equites. Quumque adhuc extra ictum telorum essent, Cyrus hanc tesseram militarem eis significari jussit: *Iupiter auxiliaris & dux.* Ea quum reddita vicissim, ad Cyrum rediisset ibi tum pæana Castoribus pro more primus exorsus est, & milites universi religiose magna voce simul insonuerunt. Nam tali rerum momento, qui religiosi sunt erga deum, minus homines metuunt. Pæane absoluto, æquales illi Persici una pergebant, hilari vultu, periti ex institutione, mutuo conversis in se oculis, adstites substitesque nominatim compellantes, atque hæc iterantes verba: Heus viri cari, heus viri fortes: ad sequendum semet exhortabantur. Quæ quum audiissent, qui pone sequebantur; vicissim primos, ut præsentibus animis præirent, clara voce incitabant: adeoque totus Cyri exercitus alacritatis, cupiditatis gloriæ, roboris, fiduciæ, cohortationis, intelligentiæ prudentis, obedientiæ plenus erat: quod equidem maxime adversariis formidabile arbitror. *Cap. 28. lib 3. Cyropædiæ.*

Xenophon: Interea Cyrus hostes oppositos sibi persequens, advenit: quumque Persas loco pulsos videret, indoluit: & animadvertens, nulla ratione citius hostes revocari posse, quo minus progrederentur ulterius, quam si ad eorum terga circumveheretur: imperat iis quos secum habebat, uti sequerentur, & ad ipsorum terga circumvehitur. Heic irruentes aversos cædunt ac multos perimunt. Quod quum Ægyptij sentirent, hostes à tergo esse clamabant, & inter ipsos ictus se vertebant. Tum vero & equites & pedites promiscuè præliabantur. Et quidam, quum subter equum Cyri cecidisset, & conculcaretur, gladio ventrem equi ferit. Equus autem saucius quum nutaret, Cyrum excutit. Tum vero perspicere potuisses, quanti sit æstimandum, principem à subjectis sibi diligi. Nam statim universi clamorem tollunt, & impetu facto pugnant: pellunt, pelluntur: feriunt, feriuntur. Unus autem ex adparitoribus Cyri quum ex equo desiliisset, Cyrum in equum suum sustulit. At Cyrus ubi conscendisset, undique iam Ægyptios cædi vidit. Nam Hystaspas cum equitatu Persico iam aderat, itemque Chrysantes. Verum hos in Ægyptiorum phalangem amplius irruere non sivit, sed ut extrinsecus sagittas ac tela conicerent, jussit. Posteaquam autem circumvectus ad machinas pervenit, visum est ei quandam in turrim adscendere, quo circumspiceret, an alicubi aliæ quoq; hostium copiæ subsisterent, ac præliarentur.

Ut adscendit, campum refertum vidit equis, hominibus, curribus: fugientibus, persequentibus: vincentibus, succumbentibus: hostibus quidem fugientibus, suis autem vincentibus. Ex iis vero, qui vincerentur, nusquam alios amplius conspicere poterat, præter Ægyptios. Hi quum ad inopiam consilij redacti essent, sic armis undique circumdati, ut ea conspicerentur, subter clupeos consederũt: & faciebant illi quidem nihil amplius, multa vero graviaque perpetiebantur. Quos Cyrus admiratus, & dolens viros fortes interire, suos omnes pedem referre jussit, qui dimicabant adversus eos undique: nec ulli amplius, ut in eos pugnaret, concessit. Misso autem caduceatore, interrogavit eos, utrum omnes interire mallent propter eos, à quibus proditi fuissent: an bona cum existimatione conservari, quod essent viri fortes. At hæc illi responderunt: Quo pacto possimus esse salvi cum existimatione bona, quod viri fortes simus? & Cyrus iterum: Quia nos, ait, vos solos conspicimus, qui & substant, & dimicare velint. Quid vero deinceps, ajunt Ægyptij, recte agendo servari possimus? Ad hoc Cyrus: Salvi esse poteritis, inquit, nemine, sociorum prodito, traditis armis, & eorum amplexi amicitiam, qui vos conservare malunt, quum liceat interimere. His illi auditis, rursum interrogant: Si tuam fuerimus amplexi amicitiam, quas ad res uti nobis voles? Beneficia, respondit Cyrus, conferam, & vicissim accipiam.

Et Ægyptij rursum: Quæ beneficia narras? inquiunt. Ad ea Cyrus: Stipendium vobis, ait, illo majus dedero, quo nunc meretis: quam quidem diu bellum geretur. Pace vero facta, cuicunque vestrum mecum manere lubuerit, eum & agro, & oppidis, & uxoribus, & servitiis donabo. Quibus auditis oraverunt Ægyptij, hoc unum exciperetur, ne adversus Crœsum sub signis eorum militarēt, quod illi soli se ignoscere dicerent. In ceteris & conventum, & data fides acceptaque fuit. Et qui tunc manserunt Ægyptij, nunc quoque regis in fide permanent: deditque Cyrus eis urbes in regione superiori, quæ hac etiam tempestate urbes Ægyptiorum adpellantur: & Larissam & Cyllenen, propter Cumam, haud procul à mari: quas etiam nunc illorum posteri possident. His rebus confectis Cyrus jam sub ipsas noctis tenebras reversus, Thyribaris castra locavit. *Cap. 11. & seqq. lib. 6. Cyropædiæ.*

Xenophon: Prius vero, quam in hostium conspectum venirent, ter exercitum quiescendo refecit. Ubi jam ad stadia viginti accessissent, hostium copias adventantes contra se cernere cœperunt. Quum autem utrique jam se mutuo in conspectu haberent, & hostes decrevissent ab utroque latere phalangem adversam circumvenire: stiterunt phalangem suam, quod aliter circumdare non liceat, & inflexerunt ad intercipiendum in medio hostem, ut instructo agmine suo utrimque instar litteræ gamma, undique simul dimicarent. Quæ Cyrus tametsi videret, nihilo tamen magis restitit: sed eodem modo præibat. Quum autem animadverteret, procul ab ipsis utrimque flexum fieri, quo cornua flectendo extendebant: Animadvertis, inquit, Chrysanta, ubi hostes flexionem instituant? Prorsus, ait, Chrysantas, atque adeo res mihi mira videtur. Nam cornua, mea quidem sententia, longe à sua phalange abstrahunt. Sic est profecto, ait Cyrus, ac longe etiam à nostra. Cur id? Nimirum, ait, metuunt ne, si cornua nobis propiora sint, phalange procul adhuc remota, nos ipsos invadamus. At qui poterunt deinde, inquit Chrysantas, aliis alij adjumento esse, quum tam procul ab se invicem absint? Manifestum est, ait Cyrus, quod ubi cornua è regione laterum exercitus nostri adscendendo constiterint: quasi in phalangem cõversi pariter ex omni parte nos adgredientur, simul undique adversum nos pugnaturi. Ergone tibi, ait Chrysantas, recte hoc consilij capere videntur? Vero, ad ea quæ prospiciunt, inquit: quod autem adtinet ea, quæ non prospiciunt: etiam peius sibi consulunt, quam si adversis cornibus nos invaderent. Sed tu Arsama, inquit, peditatui modice præito, sicuti me præire vides: ac tu Chrysanta pari gradu cum hoc copias equestres ducens sequitor. Ego verò illuc abeo, unde mihi tempestivum videtur, ordiri prælium: & simul in transitu singula considerabo, quo pacto nobis ista se habeant. Illuc ubi venero, & congressuri jam inter nos erimus: pæanem exordiar, ac vos subsequimini. Quando autem manus cum hoste nos conserturi simus, facile vos sentietis, quum non exiguus tumultus futurus sit: ac deinde cum curribus Abradates in adversos impetum faciet. Sic enim ipsi significabitur. Vos autem sequi oportebit quam maxime contiguos curribus. Nam hoc modo in hostes plurimum perturbatos incidemus. Adero etiam ipse, & quam celerrime potero, Diis volentibus, eos persequar.

Hæc loquutus, quum tesseram militarem hanc dedisset, Jupiter servator & dux, progressus est. Quumque inter currus & loricatos pergeret, quoties aliquos in ordinibus adspiceret, ajebat modo: Quam jucundum est milites, vultus vestros intueri: modo apud alios dicebat: An intelligitis, milites, certamen jam propositum esse non solum de hodierna victoria: sed etiam de ea, quam prius obtinuistis, adeoque de felicitate universa? Hinc ad alios accedens: Deinceps, ajebat, nunquam Dij nobis accusandi erunt, commilitones. Nam facultatem concessere multa & egregia nobis adquirendi. Saltem nos, milites, fortiter nosmet geramus. Rursus ad alios hujusmodi: Quasnam ad communes epulas lautiores nosmet invitare possemus quam ad has ipsas? Nam modo facultas vobis est, si viri fortes esse volueritis, multa & egregia commoda mutuo vobis conferendi. Rursus ad alios: Nostis, opinor, milites, proposita jam esse præmia: vincentibus quidem, ut persequantur, feriant, occidant, bona possideant, præclare audiant, liberi sint, imperent: ignavis autem, his contraria scilicet. Quisquis ergo seipsum diligit, mecum prælium ineat. Nam nihil equidem ignaviæ, nihil turpitudinis volens admittam. Rursus ubi ad quosdam accessisset, qui prælio superiori interfuissent, ajebat: Ad vos vero, milites, quid verbis opus est? Nostis enim, cujusmodi diem viri fortes in prœliis agant, & qualem ignavi. *Cap. 3. & 4. lib. 7. Cyropædiæ.*

Xenophon: Ibi vero Agesilaus secum ipse cogitans, necdum hostibus peditatum adesse, sibi vero nihil eorum, quæ ad bellum paraverat, deesse: opportune se facturum arbitrabatur, si decerneret prælio cum hoste posset. Itaque cæsis victimis, recta phalangem adversus instructos equites ducebat: mandans, ut expeditibus armaturæ gravis, qui annis x. pubertatem excesserant, secum in hostem cursu ferrentur, & jussis itidem cetratis cursu subsequi. Equitatui quoque denuntiat, ut in aciem adversam impetum faceret: se, cum

copiis universis, subsequuturum policitus. Exceperunt impressionem equitum Persæ, quotquot erant viri fortes. At ubi simul imminere omnia terribilia vident, acie inclinata, partim recta in flumen decidunt, partim fuga sibi consulunt. Eos subsequuti Græci, etiam castris hostium potiuntur. Tùm vero cetrati, ut fit, ad prædas se convertunt. *Cap. 12. Vitæ ejus.*

Xenophon: Nec jam hoc dicturus sum, quod quum multo pauciores & imbecilliores haberet; nihilominus conflixerit: quandoquidem id si dicam, videar Agesilaum amentem, ac me stultum pronuntiare, qui hominem temerè periclitantem de summa rerum laudem: sed hoc apud me potius in admirationem venit. Quod copias non minores hostilibus comparaverit, & sic armis instruxerit: ut omnia merum æs, omnia esse mera purpura viderentur. Dederat itidem operam, ut milites possent labores perferre; animosq; ipsorum ea compleverat ferocia, ut ad pugnandum adversus quosvis satis essent idonei. Prætèrea contentionem mutuam inter suos excitarat, ut singuli se præstantissimos declararent. Spe denique repleverat omnes; futurum policitus, ut universi multa bona adipiscerentur, si viros se fortes gererent. Existimabat enim, viros ejusmodi promptissime in hostem dimicaturos, quæ sane ipsum opinio minime fefellit. *Cap. 18. Vitæ eius.*

Xenophon: Neque tamen illac suos educebat Agesilaus, ubi rebus omnibus potiores erant hostes, sed ubi cives superiores futuri erāt, suis adversus hostem in acie magno cum animi robore collocatis. Existimabat enim se, si spatiosa quædam in loca progressus esset, ab omni parte circumveniri posse: sin artis & superioribus in locis se contineret, rebus omnibus hoste potiorem futurum. *Cap. 25. Vitæ ejus.*

Heliodorus: O infelices, dicebant, cur ita amentes estis, & contra vires adeo invictas, & longe vestris superiores, adversas manus tollitis, manifestum vobis interitum accersentes. Adhuc humanitus vobiscum agimus: permittimus ut scapham ascendatis, & servetis vos incolumes, si velitis. At ii qui erant in holcade, quamdiu prælio sine discrimine & bello cruento decernebant, audaces erant, & neutiquam se excessuros esse dicebant. Sed postquam ex piratis quidam audacior insiliens, & gladio obvium quemque feriens, cæde & morte bella geri docuit, tum pænitebat facti Phænices, & procumbentes, ut ipsis parcerent, imperata facturis, orabāt. Illi quamvis jam cæde grassabantur (conspectus enim sanguinis irritatio & excitatio fit animi) tamen jussu Thrachini præter omnem spem parcebant. *lib. 5. Æthiopic.*

Aristides: Quod si Periclem dices non eduxisse copias, vide num quis eorum, qui sunt rei militaris periti, crimen hoc sit agniturus. Nam nec omni tempore nec omni loco dixerint, atque adeo nunquam debere imperatorem quidem pugnare: sed maxime quidem minimum subire discrimen, ac consilio potius, quam manū bellum gerere, sicut & Lacedæmonij solent: sin etiam pugnandum sit, cum sociis potius quam solos, cum pluribus quam cum paucioribus, cū præstantioribus quam cum deterioribus prout cujusque res ferunt, debere. Nam in necessitate constituti non facile rem accurate perpendunt: donec autem judicij sunt compotes, inepte facerent ac infeliciter, si omissa securitate, id quod esset hostibus profuturum, sua sponte deligerent. Iam enim illorum ducerer exercitum, atque illis imperator esset. Quocirca non hoc erat dicendum, copias eum non eduxisse: sed num id, cum esset faciendum, & pugnandum, omisisset, considerandum.

Nam & Lacedæmonios ajunt, cum eos aliquando premerent Thebani, & vel ad pugnam exire vel deteriores esse se confiteri juberent, ita respondisse: utri quidem essent meliores, res ab utrisque pro Græcia gestas testari: ceterum non ad hostium occasionem vel mandatum se pugnaturos esse, sed cum sibi visum foret, nec in ea re Thebanorum uti velle consilio. Atque hæc responderunt & fecerunt, Agesilao duce, qui quidem belli studiosus esse, si quis alius Græcorum, videbatur. Sed quid erat Pericli faciendum? Quia si tu eo tempore præfuisses exercitui, quid faciendum tibi vel dicendum putasses, cum Athenienses tot essent in universum, cum socij partim per insulas, partim per continentem essent dispersi, cum hostium sexies decem millia regionem occupassent, eorumque Peloponnesiorum (nam nec hoc leve est additamentum) quique contra Græcos omnes potuissent pugnare, nec difficulter, ut arbitror, si duces habuissent Athenienses ac Periclem, vel totum orbem terrarum in suam redegissent ditionem? Omitto jam morbum tantum, qui eos insuper infestabat, & alios prorsus absumserat, alios inutiles reddi, derat quique etiam sine belli impetu non admodum facile tolerari poterat. Nec hoc ignorabat Pericles, si quidem vinceret, iterum cum pluribus esse præliaturum, & alios reperturum permultos, qui de trophæo ambigerent, quemadmodum fecerant antea Corinthij, & in easdem res succederent: itaque Cadmeam esse victoriam relaturum. sin aliter ei res succederet, Vrbem esse proditurum.

Nam ut hostium singuli parte periclitabantur, ita ipsorum urbis area simul in discrimen veniebat, & una de omnibus jaciebatur alea, de corporibus, opibus, gloria, imperio, solo urbis, spe, & quodcumque quis dix rit aliud. Quocirca non putavit sibi tam iniquum certamen esse subeundum, nec summam rerum nulla spe lucri proposita periculo prodendum: idque prudenter, ut arbitror, & imperatorio usus consilio. Nam & pugiles videmus non in ea, quæ habent adversarij robustissima, incumbere, nec sponte se comprehendendos præbere, verum & ab illis longissime recedere, & iis, quibus excellunt, uti conari, ac victoriam sibi parere. Quæ cum Pericles quoque considerasset, non eam debit hostibus contra Vrbem occasionem, verum illos in Attica permittens nugari, centum navibus in Peloponnesum navigavit, exercitum ipse ducens. Ita fiebat, ut illi aliquam Atticæ partem, hi totam propemodum hostilem regionem popularentur. Tum vero cogebantur ex Attica fugere, qui nuper in eam quasi ad prædam se contulerant. *Orat. 2. Platonica.*

Onosander: Neque unquam ad expeditionem aut conflictum copias componat Imperator, nisi priùs sacris ritè peractis. Ideoque popis ac vatibus comitatus incedat. Optimè etiam fiet si peritè ipsemet exta inspicere sciat: totamque artem addiscere haud difficulter poterit; indeque à se ipso consilium capere. & si quidem in extis læta & fausta signa compererit, tum demum ad rem aggrediatur, omnesque Duces ad extorum quoque inspectionem aduocet, ut ipse deinde militibus suis animos addant, ac renuncient Dis juvantibus ac volentibus prœlium iniri. Milites enim multo audaciores & alacriores esse solent, cum pericula subire se existimant Dis authoribus; ac singuli, quasi victoriam certò adepturi, & signa & imperia pro virili parte observant. Quumque hostia pro universis pulchrè litatur, singuli etiam qui de suis rebus tristius aliquid ominabantur, securiores fortioresque fiunt. Si verò periculum sacrificia minentur, satius erit subsistere atque exspectare, etsi luctuosæ calamitates imminere videantur. Nihil enim infelicius eveniet eo, quod numinum ostentis commonstratum est. Si quid autem lætius futurum erat, litari necesse fuit. Itáq; plures hostiæ eodem die mactandæ. Hora enim unâ, & brevissimum temporis momentum, sive importunam occasionem præripias, sive opportunam amittas, non parum obesse potest. Et meo quidem judicio, extispicina, alio quodam contemplationis genere, astrorum in cœlo motus, ortus, occasus, figurarum triquetras, quadratas, rectilineares, sive ex diametro inclinationes & conversiones imitari ac repræsentare videtur. Eorum certè per brevissima momenta variæ vires ac significationes, diei unius, imò horulæ spatio, & reges faciunt, & captivos. Enim verò quia extorum inspectio consulentibus fausta omnia de pugnâ committendâ plerumque promittit, totius tamen exercitus in ipsâ pugnâ perniciem demonstrat, operæ pretium fore existimo hac de re nonnulla dicere. *fine capitis 10. Strategici.*

Onosander: Si Castra Imperator contra hostile vallum posuerit, ut cœna tempori parata sit accurare debet. si quidem penes eum sit, copias, quando volet, ad conflictum educere, horam cibi sumendi, ut lubebit, militibus imperet. Si verò in hanc necessitatem adactus sit, vel propter locorum quædam incommoda, vel minùs validam valli munitionem, vel aliam ob causam, ut pro arbitratu hostium cogi possit arma sumere, atque in pugnam prodire, minimè vereatur etiam matutinis horis prandii signum militibus dare, ne jejunos ad certamen educere cogatur. Nam haud quaquam parvi pendenda aut negligenda rerum istarum cura. Milites enim sobriè prānsi, nec nimio satietatis onere ventrem sufferti, solent esse in prœliis fortiores. Nec raenter profligati sunt exercitus, deficientibus nimiâ esurie viribus, quandò scilicet, non momento, sed nocte ferâ adveniente certamen dirimitur. *capite 12. Strategici.*

Onosander: Imperator interdum expeditus in equo, si in dextro suorum cornu sit, exclamet: Milites qui in lævo sunt, dextrum hostium cornu vincunt. Si in sinistro sit, dicat superiores esse in dextro; sive id ita verè fiat, sive secus. Necessarium enim mendacium dici oportet, certamen ubi extitit ingens. Item si longiusculè dissitus sit hostium Dux, aut in altero cornu, aut medio agmine versetur, rursus vociferari debet: Occubuit hostium Imperator, sive ille rex, sive quo alio cunque nomine vocetur. Et hæc contentâ voce ita proferenda sunt, ut hostes quoque exaudire possint. Commilitones enim qui suos virtute bellica præstantiores hostibus esse audiunt, duplo fortioribus ac promtioribus animis roborantur. contrà hostium vires, strage suorum perceptâ, metu debilitatæ concidunt. quin & aliquando ad hujusmodi rumorem illicò in fugam se sedant. Tantum persæpe utilitatis adfert, suos & hostes juxtà decipere; illos quidem fausto, istos verò luctuoso mendacio. *Cap. 23. Strategici.*

Onosander: Videat etiam Imperator, ut exercitus armis splendentibus instructus fulgeat. Quod facili negocio fiet, si gladiorum mucrones probè acuantur, & galeæ loricæque frequenter abstergeantur. Milites enim quasi micantibus armorum scintillis terribiliores apparent: multæque per oculos species in animos delapsæ, perterrere adversarios solent. *Cap. 28.*

Idem post: Committantur copiæ cum jubilatione & barritu, & aliquando etiam concitato cursu. Nam & adspectus, & clamor, & rigidi armorum horrores, hostium mentibus terrorem stuporemq; incutiunt. Priusquàm verò ad manus veniant milites, denso agmine supra capita sua gladios sustollunto, eosque ad solem crebrò crispanto. Nam expolitæ cuspides, fulgentesque enses, solis radijs elisi ac repercussi, mutuâ coruscatione horrendum quasi belli fulgur vibrant & ejaculantur. Et hæc quidem si ab hostibus fiant, contrariâ quadam arte ipsi perterrendi sunt; sin secus, ita priores percellendi. Nec parum aliquando confert, temporis opportunitatem exspectando, non statim instructis præproperâ festinatione copiis accelerare, sed propter vallum manere, donec hostilem procinctum, qualis ille sit, quibuscumque in locis stet, exploraverit. *cap. 29.*

Idem adhuc: Atq; tunc quidem meditari debet Imperator, quosnam & quibusnam in acie ordinandâ opponi oportere censeat, & quo tandem modo: imitari quoque prudentem medicum, corporis morbo ante perspecto medicinam facientem: ac denique copias suas educere, ut conducibile fore existimaverit. Etenim persæpe Imperatores exercitus suos pro adversariorum armaturâ hominibusque, atq; etiam majorum moribus ornare & ordinare coguntur. *Capite 30.*

Idem: Imp. si hostium copias equitum multitudine suis fore potiores animadvertat, seligat, si possit, loca ardua, & angusta, & montibus adjacentia, minimeque equitatui pervia; aut pugnam, quantum poterit, subterfugiat, donec in opportuna suis rebus loca pervenerit. Relinquantur etiam ad vallum nonnulli qui castra & impedimenta custodiant, ne si hostium Imperator sola ac deserta illa esse compererit, aliquos alleget, qui obvia quæque diripiant, regionemq; illam occupent. *Cap 31. Strategici.*

Leo Imperator: Turmarchæ ut banda omnia integra sint, atque ad usum militatem apta, ante diem belli unum atque alterum præparabunt, atq; adeo bandophoris, id est, signiferis cohortium dentur. Cohortis unusquisque comes sua constituat contubernia, & si qua sint defecta, expleant.

2. Exploratoribus & speculatoribus sedulò hostium statum exquires, qui motus illorum, quanta multitudo, qualis acies: itaque te adversum eos præparabis, ut ne subitò ac de improviso invadare ab illis. Vbi vacaverit autem, exercitum tuum per drungos, id est, cohortes milliarias & turmas congregabis: neque enim omnes simul unum in locum coges, narrabisque illis quæ dictu necessaria sunt, vel tuipse, vel præfecti tui, antiquas illis commemorando victorias, prioresque felicitates: talibusque dictis animabis illos. Regis præterea largitatem, studiumque referendæ gratiæ, præmiaque bene meritis proposita repetes. Recensenda quoq; mãdata sunt, reliquæq; præceptiones quæ vel abs te, vel à singulis præfectis singulæ turmæ antè acceperunt.

3. Si quosdam ex inimicis contingat ab excubijs capi, vel ad nos deficere, si generoso corpore armatique fuerint, exercitui nequaquam ostendendi sunt, sed ad alium quempiam locum clanculum amandandi. Sin humiles ac viles fuerint qui defecerunt, universo exercitui monstrabis. Captivos autem nudos circumduces, mandabisque ut ab omnibus militibus voce contendant, ne ab illis interficiantur, quò militibus nostris omnes hostes miserabiles esse videantur.

4. Hostibus autem jam imminentibus communique bello jam expectato, præfectis cohortium præcipies, ut ne excursiones contra inordinatè vagantes milites faciant, sed diligenter observent, ne militem ullum ex suis lassatum reddant aut etiam vexent: sed eos qui in aliqua mentis perturbatione aut solicitudine excruciantur, aut opinionem alicujus anxietatis afferunt, relevent, atque ad aliquam hilaritatem & alacritatem traducant. Sin ne sic quidem à mœstitia & mœrore avocari possunt, ad paululum temporis secernes eos, & ad alium locum, justa aliqua causa adhibita, usq; ad belli exitum ablegabis, ut ne ad inimicos transfugientes aliquid indicẽt, quod minimè patefaciendum fuit. Populares autem atque indigenæ hostium, quemadmodum suprà ostendimus, longo antè tempore segregandi sunt, neque in bello adversum suos pugnare permittantur.

5. Quando ad pugnam dimicationemque ipsam venturus es, adversos casus belli mente pertracta, & illas calamitates quantum fieri potest anteverte. In primis autem; quemadmodum sæpe à me commemoratum est, dierum aliquot commeatus pro militibus equisque provehatur. Castra munitiora fiant, idoneisque in locis, ubi aqua omnino defendi potest, ponantur. Curæ tibi quoque prandium militum sit. Si enim quando communi consilio decretum est bellum incipiet, tum quo tu tempore optimum judicabis, prandeat exercitus. Sin hoc minimè futurum sit, jam impendente bello, milites manè prandeant, ut magis firmi fiant, & per integrum diem, si tandiu bellum duraverit, minus viribus deficiantur.

6. Non modò alijs temporibus, verum etiam appetente jam belli tempore, consilium abs te minimè negligendum est, sed turmarchas tuos, & si quem præterea solertem prudentemque virum judicas, ad consilium ex tempore capiendum advocabis, & de rebus agendis deliberabis.

7. Advertendus diligenter etiam locus in quo conflictatio belli futura est.

8. Præcipies etiam Præfectis, ut ad primum sonum buccinæ ejus noctis quæ diem belli antecedit, equos aquatum educant, ne si hoc prætermittatur, equorum vires in bello deficiant.

9. Præcipies etiam, quemadmodum suprà à nobis mandatum est, ut unusquisque miles quando ad dimicationem belli procedit, habeat in sello pungio suo unam aut duas libras panis, aut farinæ, aut biscocti, aut paxamadij, aut carnis: habeat etiam phlascium in argabia plenum aqua, non vino, adversus omnes fortuitas res circũstantes & casus nec opinatos. Sæpe enim profligatis hostibus, & ad munitionem aliquam accurrentibus, obsidendi à nobis diem unam ac noctem sunt: aut si usq; ad diem conflictatio producenda sit, necesse est commeatum afferri, ut ne commeatus penuria res agendæ impediantur.

10. Si adversus potentem nationem bellum futurum est, & in timore aliquo ac demissiore animo exercitus noster fuerit, ne statim apertè ac publicè cum illis confligas, sed ante diem belli cum delectis quibusdam strenuisque militibus, clàm, & non apertè, illorum partem aliquam adoriaris. Si enim quidam ex hostibus vel omnino interficiantur, vel vivi capiantur, exercitus illud fortitudine ac robore effectum judicabit, & vires colliget, timoremque deponet, atq; adeo paulatim assuefient audaciores esse, & hostes alacrius invadere.

11. Si hostes te nec opinatò opprimant, neque id ad usum tuum pertinet ut cum illis dimices, vel quia locus asper atque condensus est, vel tempus importunum, ut, magnis frigoribus aut caloribus, ne tum coneris cum illis præliari, sed teipsum collige potius, & locum idoneum ad castra ponenda quære. & prælium differ donec commoditatem temporis ac loci aliquam habeas: neq; committes ut invitus cum illis confligas. Hoc si feceris, non inimicos fugies, sed incommodum locum devitabis.

12. Deo victoriam dante & hostibus profligatis, abstineant omnino milites à cadaveribus inimicorum spoliandis. Nam cadavera aut impedimenta aut castra hostium ante perfectum belli exitum invadere, valde periculosum ac perniciosum est. Itaque præcipiendum omnino est, ut istis rebus milites abstineant. Sæpe enim victores talibus de causis non superati, verùm iterum funditus deleti sunt, hostibus de improviso incursantibus & periculum inferentibus.

13. Hostibus jam appropinquantibus & imminente bello, quẽadmodum antè admonuimus, non modò si in fossato, id est, castris copiæ tuæ fuerint, ibique hostes expectaverint, fœnum aut palea unius atque alterius diei jumentis reponetur: sed etiam si castra moveat exercitus, & ad alia loca commeare velit, atque aciem ibi instruere, fœnum aut paleam unius diei secum ferant, ac in castris suis reponant: fortassis enim pueri & administri militum ab hostibus prohibebuntur eo die exire, & fœnum secare, aut pabulum colligere, aut jumenta ad pastum emittere.

14. Sin hostes immineant multi, non absurdum fuerit, quemadmodum antè diximus, unumquenque in itinere faciendo frumentari ac pabulari, atque illud in castris reponere. Neque enim castris jam positis, pueri & administri ab hostibus, si præsertim equites multi fuerint, pabulatum & frumentatum ire sinentur. Hæc abs te ante belli diem, partim præcipienda, partim conficienda sũt, ut perfectior ac dispositi[illegible] præfectorum militumq; tuorum constitutio fiat. Restat u[illegible] ipso belli die, quidque persequendum tibi tuisque, & à quibus refugiendum sit, paucis explanemus. *cap. 13. rei tacticæ.*

Leo Imperator: Hoc ante omnia præcipiendum est, ut purus ac sanctus exercitus tuus sit, & pridie vesperi preces efficaces ac diuturnæ adhibeantur, omnesque Deo consecrentur, verbis factisque persuadeantur se Deum adjutorem habere, atque hoc modo ad bellum puros, synceros, alacresque procedere.

2. Ipso belli die ne multum te fatiges, ne lassitudine ac perturbatione aliqua rerum necessariarũ obliviscaris, neq; cura aut solicitudine excrucieris, sed strenuè atq; alacriter aciem transeas, & oratione tua omnium animos excites.

3. Neque enim manibus consertis cum hoste confligere imperatoris est, sed quæ facto opus sunt providere, & idoneo in loco stare, ubi aspicere dimicantes possit, & solutos ignavosq; incitet ad alacriter bellum gerendum, atq; adflictę parti studeat subsidijs suis, id est, lateranis & tergistitibus, opem ferre.

4. Si adversum sagittarios bellum copijs tuis suscipiendum erit, locorum asperitates, & pedes lateraque montium primosque conscensus devita, & si fieri possit, nequaquam in ea parte confligas, & vel in editiori parte montis copias tuas locato, vel omnino à monte recedas, & in æquabiliori loco magisque plano aciem instruas, ut ne hostes insidias molientes, ex eminentiore loco in vos invadant.

5. Nec verò cum hostium acie confligas, néve tuam illis aciem commonstres, priusquam illorum aciem instructam animadverteris, & illorum insidias molitionesque exquisiveris.

6. Si loca in quibus conflicturus es, aperta & campestria sint, & haud satis commodè liceat secundam aciem tuam occultare, ut ne in itinere faciendo adversum hostes appareat, eam jam prope primam aciem abducito, ut duæ hæ acies una solùm esse hostibus videantur: quando verò ad unius milliaris spatium ab hostium copijs abfuerint, tum secunda acies paululum se retardet, atque à prima acie ad justum intervallum se separet, & ad suam formam, quam antè secundæ aciei descripsimus redẽat, inde fiet ut nostræ aciei apparatus quam minimè ab hostibus cognoscatur.

7. Discessiones fugasque hostium diligenter attende, neq; intemperanter propter hostium fallaces dolos insequere illos, sed ordinatè ac instructis copijs, idque potissimum si aliquam certam victoriæ fiduciam habeas.

8. Si ab hostibus incursio quædam in primam aciem fiat, eamq; neque lateranis neque insidijs adversum eos structis defendere possis, extremas secundæ aciei oras assumes, illucque transferes, si uno ex latere veniant, ad eam partem: sin utroque ex latere, ad utranque partem. Similiter adversum eos qui à tergo secundæ aciei veniunt, si tergistites satis multi ad illos repellendos non fuerint, hoc idem facies, ne cæteri distracti ad præsidia primæ aciei minus valeant.

9. Si ingens hostium fuerit exercitus, & multitudine hominum

ac ju-

ac jumentorum adflictus ac penè oppreſſus fuerit, ne coneris eminus jam hoſtibus venientibus, copias tuas ad celſum aliquem locum deducere, ne multitudine conſpecta animum jam tui deſpondere incipiant, ſed humili & cavo in loco eos inſtrue, ubi neq; hoſtes viſuri ſunt, neque ab hoſtibus cerni poterunt: & quando uno aut dimidio ſigno hoſtes abfuerint, ad excelſiorem locum ducantur, ut confligere poſſint priuſquam animo deficere aut langueſcere incipiant.

10. Sin talis locus non inveniatur, ſed eminus hoſtes exercitui tuo appareant, copijs tuis ipſa in acie inſtructis dices, non hominum, ſed jumentorum atque impedimentorum ibi permagnum eſſe numerum.

11. Si hoſtibus adhuc minus inſtructis adoriri eos atque invadere potes, majus damnum illis facies.

12. Omnino autem ſemel atque iterum conſiſte, quando ad ſpatium unius aut duorum milliarium ab hoſtium acie ante bellum diſtas, ut exercitus tuus variè inſtruatur, ut ne ſecuros ſe putent hoſtes, quia per exploratores noſtras copias antè cognoverunt, & contrà eas aliquid molitionis machinati ſunt.

13. Si pedeſtris exercitus non fuerit, militum pueros, id eſt, adminiſtros in caſtris relinques, & per univerſum caſtrorum ambitum ad foſſam cuſtodiendam dividantur, armiſque interiorem ejus partem muniant, ſive ſagittis, ſive jaculis, ſive funda valeant. una quoque cohors cum illis excubias aget, portaſque caſtrorum atque univerſi ambitus defendet. unus iſtis ſit præfectus honeſtus atque integer.

14. Neque tuldum tecum in acie circumferas, ſi aliter fieri poterit: prompta enim atque expoſita hoſtibus præda eſt, ſi in bello eſſe advertatur.

15. Si proficiſcenti tibi de improviſo ſubita hoſtium incurſio fuerit, neque caſtris ſatis commodè & tuto in loco tuldum ponere poteris, tum dextrum ad latus ſecundæ aciei obliquabis, ibique unam & alteram cohortem quæ ex ſuperfluis hominibus eſt, ad ejus cuſtodiam ſegregabis.

16. Si nullum jumentis repoſitum in caſtris pabulum habeant, ipſo belli die cæteris ad bellum procedentibus, palicaria, id eſt, adminiſtri militum & præfectorum pabulatum eant ad partem à tergo aciei relictam, & dum bellum geritur quantum poſſunt pabuli comparent. Pabulatoribus autem iſtis dentur banda & ſigna quædam diverſis & editioribus in locis, ut adverſo aliquo caſu incidente, revocari illis poſſint, & ad caſtra curſu contendant, ut ne intercludantur, ſed ab hoſtium impetu ſerventur. Hoc propter incerti belli eventum fieri debet. Si enim adverſum aliquid ceciderit, commeatum & pabulum in promptu milites ſi habeant, ad pugnam facilè ſtatim prodeunt, & offenſionem acceptam bellandi ſtrenuitate reſarciunt: vel ſi id minus efficere poſſint, integris copijs atque inſtructa acie, dum adhuc equi firmi ſunt, recedant, priuſquam vel animi equitum magis concidant, & equorum vires magis labefactentur: quod facilè uſuvenit, ſi commeatus in promptu non fuerit. Nam poſt offenſionem belli, nemo pabulatum prodire audet, equique fame laborantes magnam anxietatem militibus inijciunt: utile autem ac ſalutare conſilium capi non poteſt, inopia ſimul ac formidine prementibus. Omnino autem pabulum jumentorum ad unum atque item alterum diem repoſitum habeant, eoque etiam amplius, ſi paſtiones propè fuerint.

17. Si primo conflictationis die adverſus belli exitus cadat, quod abſit, inutile nobis, atque inidoneum eſſe videtur, eodem ſtatim tempore conari hoc quod amiſſum eſt recuperare; & fuſos ſuperatoſque ad aliquod publicum prælium redire velle. Neque verò hoc ut facias conſilium tibi darem: perdifficile enim omnibus hoc eſt, neque ſtatim offenſio accepta refutari poteſt. Rarum autem hoc eſt, & Romanis inuſitatum. Itaq; etiam ſi nihil adverſum caderet, ſperaveritque imperator amiſſam dignitatem ſecundo prælio ſe recuperaturum, multitudo tamen militum ſi cauſam cognoſcat, ad conſerendas manus minus eſt habilis: hic enim exitus belli, quaſi divinitus antè decretus eſſet, magnam animi formidinem perturbationemque invehit.

18. Itaque ſine gravi ac neceſſaria cauſa, ne coneris coràm atq; apertè inſtructis copijs cum hoſte poſt offenſionem belli acceptam dimicare, ſed dolo atque aſtu, occaſione ſe offerente, conare illos ſubitò adoriri, & juxta vetus dictum, Poſt fugam, pugnam redintegrabis, ut ad veteris offenſionis oblivionem exercitus veniat, atque iterum coire in ſocietatem multitudinis, & cogere juſtis cauſis ſæpe oblatis ſe audeat, quas omnes perſcribere facile haud fuerit.

19. Sin poſt offenſionem acceptam iterum tamen cum hoſte cõfliges, prima acies quaſi antea profligata in ſecundam aciem conferenda eſt: ſecunda autem cum quibuſdam è prima acie delectis viris ad primam traducatur. Nam cùm hæc minor prima ſit, ipſa per ſeipſam ſatis eſſe non poteſt.

20. Retardare autem in belli eventu minus proſpero haud utile eſt, niſi aliqua ſpes ſocietatis aut alius modus præſidij expectetur: vel, quod ſæpe fit, reſponſio ab hoſtibus afferatur quam divulgari neceſſe non ſit, ſed à Præfectis ſolùm cognoſci. Quod ſi fieri ſtatim poſſit quod ab hoſtibus proponitur, non differatur, ſed ſedulò vel jurejurando, vel alio quopiam pacto tranſigatur. Sin pernicioſum & ad contemptum alicujus aut univerſæ multitudinis contumeliam fuerit, hæc atq; illis duriora in vulgus noſtrum efferenda ſunt, ut exercitus ira concitatus, ac neceſſitate compulſus, impetuoſius adverſum hoſtes procedat, atq; obedientior præfectis ſuis ſit: quanto enim major tardatio fuerit, tanto magis ſuperati milites formidoloſiores erunt, & victores audaciores exiſtent.

21. Priuſquam autem univerſum robur tuorum conſidat, adhortandi tibi per turmarchas, per decanos, quintanos, milites tui ſunt, commemorandumque eſt illis, non eſſe jam tempus ignaviæ ac ſocordiæ, ſed impreſſionum atque incurſionum in hoſtes faciendarum, & quæ clades atque offenſio antè accepta fuit, ea jam virtute ac rebus gerendis delenda atque obliteranda eſt. Hæc atque ijs ſimilia illis narranda ſunt.

22. Si ſpes aliqua eſt acie inſtructa prælium recuperari poſſe, hac via quam ſuprà dixi procedatur. Sin hoc modo non proficiatur, pro periculorum ratione optimam ſibi viam conquiret.

23. Si peditatus hoſtium vincat, cum equis ordinatè diſceſſiones atque demigrationes ex eo loco fiant, atque ita permaneant.

24. Sin equites fuerint, ſuperflua & gravia tum jumenta, tum alia quæcunque prætermittenda ſunt, peditesque conſtituendi, & ſine jumentis equitibusque univerſos in duas phalanges ſive acies, aut in unam quadratam oblongam formam inſtrues, in medio jumenta atque impedimenta ponas, extra hæc milites in acie, quemadmodum prædiximus, atque ultra eos ſagittarios: atq; ita diſceſſiones demigrationeſque tutò facies.

25. Rurſum ſi proſperè ad victoriam bellũ inclinet, & Deo jam propitio victor evadis, ne ſola depulſione hoſtium contentus ſis, quaſi imperitus qui tempore uti neſcit: neque importunum illud audias, Vince, ſed ne nimis vincas: ne ſi lubrico tempore cedas, majores tibi moleſtias accumules, & incertum rerum futurarum eventum reddas, ſed everſione hoſtium abſoluta utendum omnino eſt.

26. Si ad aliquam munitionem hoſtis confugit, vel vi & manu, vel alijs quibuſvis formis, hominibus & jumentis, inſtructa acie in ſummas anguſtias coercendus eſt, vel alia quavis conſentiente atque idonea utilitate, uſquedum perfectè illum everteris: neque tum defatigari oportet, quando paulùm illum repuleris: neque rei univerſæ exitum, propter exiguam amplius laborum patientiam abijcere debes, poſt tantos labores atque ſudores, poſt tanta belli pericula: quoniam in venatione quod penè effectum eſt, perinde eſt ac ſi nihil eſſet.

27. Militum tuorum ordinis conſervatio poſt victoriam negligenda tibi non eſt, ſed inſtructis copijs cum ſcientia & attentione militari proſequantur hoſtes, Imperatorque ipſe attendat diligenter quid facto opus ſit. Neque enim ad incolumitatem veſtram, hoſtiumque perniciem potentia ſola valet, ſed ſecundum Dei benignitatem, imperatoria ac diligens rerum adminiſtratio, præcipua ac ſummè neceſſaria eſt.

28. Temporibus ac locis idoneè commodeque utaris. Si bellum publicum futurum perſpexeris, omnia loca perluſtrabis, nuda atque expoſita loca haſtatis tuis eliges. Neque ſolùm dextræ ſiniſtræque poſitæ partes perſcrutandæ ſunt omni ex parte aciei uſque ad belli finem, ſed & finitima loca exploranda ſunt, ne foſſæ vel naturales vel artificioſæ ſint, vel dolus aliquis lateat.

29. Ipſo belli die, quemadmodum prædiximus, excubijs ſimul cum prima luce in quatuor partes illius loci ubi conflictatio futura eſt diviſis, aut duo aut tria circumcirca milliaria, præcipies, ut non modò motus hoſtium advertant & ſignificent, ſed etiam eos qui ab hoſtibus deficere volunt perluſtrent, & apud ſe detineant. Hoc modo enim eos qui ab exercitu noſtro aufugiunt, facilè prohibebunt, & eos qui ab inimicis volunt ad nos deficere, cum omni incolumitate ab aliorum contumelia integros conſervabũt, ne à quibuſdam malis viris exagitentur: quod abs te erga eos qui ad noſtras partes profugiunt, quaſi juſtum & neceſſarium conſervetur.

30. Quæ in anteriore parte exercitus excubiæ ſunt, ante ſuam partem uſque dum intra unius ſagittæ jactum venerint aciei hoſtium ambulent, eamque ducant, ne foſſæ ullæ ac lacus fiant, aut dolus ullus ſuſceptus ſit, ſuoſque tum admoneant, ne de improviſo in aliquod malum veniant.

31. Neceſſarijs locis ac temporibus non modò ſimplices, verùm etiam duplices vigiliæ conſtituendæ ſunt, ut ſi quid alteram lateat, ambas latêre non poſſit.

32. Si inſtructa acies, ſi locus idoneus fuerit, ne expectent dum hoſtes eos invadant, ut ne malum aliquod ac dolum machinentur, ſed confeſtim in eos omni impetu ac incurſione ruendum eſt.

33. Si dilatio aliqua conflictationis habeatur, ſecunda acies in locis condenſis ſylvoſiſque atque aſperioribus occultanda eſt, ut ne ſi hoſtes longo antè tempore eam animadverterint, inſidijs aliiſque molitionibus multis appetant atque invadant.

34 Quoniam de excubiis mentionem fecimus, oſtendendum quemadmodum hæ firmandæ ſunt. Excubias in duas partes divides, ut alteræ vigilent, alteræ viciſſim dormiant. Nemini enim fidem habeas, quamvis receperit, ſe integram noctem vigilaturum. Somnus .n. ac ſopor de improviſo ſporte quadam ſua opprimũt. Cũ vigilare volũt, recti pedibus cõſiſtãt: ſeſſiones .n. ac recuba-

tiones corpora in ſomnum præcipitant: ſtationes autem pedum, mentem indormientem excitant.

35. Bello jam confecto, qui ſauciati fuerant relevandi conſolandique ſunt: qui ceciderunt, honeſtum funus habeant, laudibuſque multis cohoneſtentur, qui pro fide Chriſtiana, pro fratribus, ſuam ipſorum vitam profuderunt. Hoc autem juſtum religioſumque factu eſt, & alacritatem multam viventibus affert.

36. Si liberi illis fuerint aut conjunx; ſi hoc conſtet ſtrenuè illos atque alacriter in prælio dimicaſſe; honeſtis modis abs te relevandi ſunt.

37. Quoniam Romanos omneſque alias nationes videmus acies ſuas ita inſtruere, ut quam maximè eminus cerni poſſunt, trucem magis aſpectum vultu ac facie, quàm armis lucentem & coruſcantem aciem in bello præ ſe ferant: quanquam hoc umbratile citò evaneſcit; nam ſecundum Dei voluntatem, Imperatoris adminiſtratione, & exercitus alacritate, bella conficiuntur: propter eos tamen qui hæc requirunt, ſi ſylvoſa aut cava loca fuerint, ibi copiæ occultandæ, & longo antè tempore hoſtibus non oſtentandæ ſunt, ut ne ſi ante unum aut alterum ſignum ab hoſtibus cognoſcantur, inſidiæ illis dolique ſtruantur.

38. Si nudus locus puruſque aër fuerit, caſſides ſuas non capite, ſed manibus geſtent, donec prope hoſtes venerint: ſcuta autem parva coràm in pectore ferant, tegantque galeas & caſſides: vel à tergo humeris geſtent, ſi ſcuta ferrea ac ſplendida habeant: ſed & ferrum haſtarum, prædicto modo occultetur: ut arma eminus nullo modo luceant, cùm præſertim ejuſmodi ſigno ſi conſignentur hoſtes, mentes illorum anticipentur, & in formidinem quandam ante bellum cadant.

39. Inſidias autem occultas atque abditas eo modo facies, quem tibi antè deſcripſi. Si enim idoneè opportuneque fiant, maximas utilitates in bello afferunt, magnaſque admodum copias ita deleverunt, ut nullus locus confligendi aciei univerſæ relinqueretur.

40. Qui enim locorum opportunitate ad hæc abundabant, vel condenſis in locis, vel cavis in receſſibus, vel in colle aliquo magno, vel vallibus vel montibus finitimis uſque ad hoſtium copias productis, ut ab hoſtium notitia hoc modo occultari poſſint, & molitiones idoneas ſtruere, inſidias ſuas poſitas habebant: iſti à tergo hoſtium de improviſo irruentes, ante manus conſertas fuderunt eos, & in fugam verterunt.

41. Alij prope hoſtium copias, cùm locum non haberent idoneum, hoc minimè fecerunt, ſed à latere in medio ſuæ hoſtiumq; aciei eos collocantes, vel à tergo ſuæ aciei obliquantes, majores copias in inſidijs collocaverunt; & minores ad coràm confligendum cum hoſtibus inſtruxerunt.

42. Alij partem exercitus non majorem, ſed minorem in inſidijs locaverunt, conflictatione jam incœpta, fugæ voluntariæ ijs qui in acie inſtructi erant ſeſe mandantibus, & hoſtibus illos confusè inſequentibus, & locum illum ubi inſidiæ ſunt locatæ tranſeuntibus: qui in inſidijs poſiti erant à tergo hoſtes invadunt: qui verò antè aufugerunt, teſſera facta quam antè ſibi propoſuerant, converſi iterum in hoſtes, inſequuntur eos. Hoc autem ferè plerunque adverſus aquilonares homines ſcythicaſque nationes maximè fit, quia confuſæ atque inordinatæ ſunt, ut Turcæ, & qui ſunt ijs ſimiles.

43. Si quis foſſam altam ad octo aut decem pedum latitudinem ſatis longo intervallo effoderit, hancque lignis tenuibus, ceſpite, fœno atque aggere contexerit; quaſi una eademque cum finitimis locis terræ ſuperficies eſſet, nihilque à circunſtante terra diſtet, eductum autem aggerem univerſum ibi jacere non ſinat; ne aliquam novitatis ſuſpicionem afferat, in medio autem ejuſdem foſſæ loca quædam firma reliquerit, ad id tempus notata & deſignata exercitui tuo, & utrinque hinc atque illinc prope foſſam inſidias abditis in locis clàm collocaverit, & ante foſſam reliquos inſtruxerit, deinde conflictatione incœpta voluntariam fugam; qui inſtructi in acie ſunt, ſimulaverint, & per cognita firmaque loca ſecurè tranſierint, hoſtes autem impetuosè ac vehementer inſequãtur, deinde ij qui fugam ſimulabant converſi in eos, alijs in foſſam præcipitatis; alijs inopinata hac machinatione in fugam conjectis, magnam partem hoſtium delebunt, niſi ab hoſtibus hoc antè animadverſum, vel à quibuſdam transfugis indicatum ſit.

44. Similiter ſi palis quis defixis fecerit duos aut tres ingreſſus, ſecuros integroſque relinquens & inſtructæ aciei cognitos: deinde ante palos eos aciem inſtruat, & in ipſa conflictatione fugam ſimulans incitet hoſtes ut in hos palos ruant; & ſubitò à latere intervenientes inſidiæ, & ij qui fugam moliebantur converſi, hoſtes magnopere lædent.

45. Hujuſmodi etiam dolus adverſus hoſtes ſine foſſis & palis ſuſcipitur, ſi quis ferreos tribulos, id eſt, murices ad tempus vinculis conſtrictos proijciat, qui poſt uſum expletum contrahi in ſe iterum poſſint, ad latitudinem centum pedum, ad longitudinem aciei inſtructæ: in medio quatuor aut quinque tranſitus relinquito certorum pedum latitudine, qui exercitui bellaturo noti ſint; ramis magnis aut haſtarum cuſpidibus peregrinis, aut terræ aggeribus ad modum tumuli aut acervi lapidum cumulatis, aut alijs evidentibus ſignis non ad initium ſive frontem longitudinis horum tribulorum poſitis, ſed ad exitum altitudinis ad utranq; oram tranſitus notati. Conflictatione jam incœpta fugam ſimulent, & ubi hæc nota ſigna exercitus tranſierit, auferantur ea aut deijciantur à certis quibuſdam equitibus ad hoc conſtitutis: inſidiæ tum hinc atque illinc utroque ex latere adverſus hoſtes irruant, ubi jam in hos tribulos irruerint, nec antrorſum aut retrorſum procedere poſſunt.

46. Hæc fieri ſine tribulis eodem modo poſſunt, ſi quis rotundas quaſdam foſſas variè diſperſas, quas antiqui hippoclaſtas nominabant, ducat ad ſpatium unius, ad altitudinem duorum aut trium pedum, & acutos palos defigat in illis: has diverſas & diſtantes à ſe trium pedum omni ex parte intervallo, fodies ad univerſi ſpatij latitudinem pedum centum quinquaginta, ad longitudinem totius aciei intervalli. Hoc confecto quando ad conflictationem ventum eſt, par eſt ut prima acies ad unius milliaris ſpacium ante eum locum inſtruatur, ſecunda poſt univerſum intervallum duobus aut tribus ſagittæ jactibus ab eo loco abſit, ut ſi opus fuerit & qui è prima acie in fugam verſi ſunt, ſecurè per ea loca evadant, eiſdem intervallis ſecunda acies ſine offenſione tranſeat, atque adeo hoſtes invadat.

47. Quando non ante fraudem hanc apparatam, ſed poſt eam acies inſtruitur, tres ſagittæ jactus ab eo loco acies inſtruatur: & quando hoſtes vel tranſierint, vel in loco fraudis molitæ fuerint, occurrant illis noſtri, ut pro celeritate equi illorum lædantur. Loca autem iſtius fraudis opportuna & integra ad tranſeundum, lata admodum relinqui non oportet, ut ne magnus hoſtium numerus ſecurè nos acriter adoriatur.

48. Hæ rerum aggreſſiones atq; doli clàm & à paucis fidelibuſque hominibus vel ipſo die belli, vel uno antè die, ad veſperam vel noctu fiant; eo ipſo loco quo bellum expectatur, ibique hoſtes præſtolari. Ad hoc tempus autem quibuſdam ex exercitu muniantur, præcipuè autem ſigniferis; ut ſciant ſe aſſervari: & poſt banda denſati ambulent, quemadmodum opportunitas locorum recipit.

49. Hoc omnibus mandandum eſt, ut in retrocedendo iterum banda ſequantur, ne, quod abſit, quidam palantes, in has pedicas incidant.

50. Ex ijs prædictis machinationibus omnibus, quemadmodum nos arbitramur, hæ tribulorum machinationes tum facillimè tum obſcuriſſimè ſingulis in locis fiunt, ideoque ad locorum naturam acies inſtruatur.

51. Si tibi utile videbitur incurſiones adverſus hoſtium aciem facere, ad unam & alteram cohortem, vel pro exercitus tui numero plures etiam, præfectoſque illorum fortes atque audaces, prudentes ſtrenuoſque deliges, eoſque ad dextrum latus loci, ſi idoneus fuerit, unas inſidias contra hoſtium copias, & ad lævum itidem alias collocabis.

52. Si ab hoſtibus invadantur, hic apparatus hoſtium coërcendus eſt, neque permittendum illud tempus vacuum eſſe, quo ſe inſtruant. Sin ab hoſtibus non invadantur, ex ea parte vel in tuldum hoſtium quod ad eam partem locatur; invadant, vel in extremum agmen & tergus hoſtium, vel in cornu, id eſt, partem ambientem extremas oras aciei hoſtium, ut ne hoſtes aut ſecunda acie inſtructa, vel inſidijs poſt copias illorum collocatis, tuas inſidias ſuis lædant. Inſidias enim tuas quaſi in excubijs eſſe oportet, ut tutò incurſionem hoſtium ſuſtineant, eoſque opportunè invadant.

53. Inſidiarum tempus diligenter advertas, neque longo tempore ante aciem inſtructam eas loces, ne cùm pauci in inſidijs ſint, ab hoſtibus opprimantur: nec rurſus nimis tardentur, ne conflictatio ſi aliquandiu antè incœperit, inutiles atque inanes inſidiæ ſint.

54. Sed dum univerſa acies procedit, ipſæ quoque inſidiæ ſive unæ ſive duæ ſint, adverſus hoſtes ſe præparent, ſed ita, ut paulùm ante eas, acies procedat. Ex eo fiet, ut acies per loca expoſita ambulans, ad ſe aciem hoſtium pertrahat; inſidiæ per latebroſa loca incedentes ſimiliter ſe attrahant, ſeque mutuò ſpeculando, ſignificando; conjectando obſervent, quive priores alteros anteverterint, retardent ſe & præſtolentur eos, ut ſimul quantum fieri poſſit utræque tum copiæ tum inſidiæ hoſtes adoriantur. Inſidiæ autem paulò nunc ante eant, ut quando hoſtes inſidijs cœperint commoveri, acies tum propè adducta confligat.

55. Hoc modo ſi loca idonea fuerint, duobus ex lateribus inſidiæ collocandæ ſunt, ſi potiſſimum magnum habeas exercitum, ut alteræ inſidiæ incurſantes reprimant, alteræ autem hoſtes invadant.

56. Si cùm invaſerint minus ſecundè res illis proceſſerit, vel cùm acies tota profligata eſt, tum illi invadere cœperint, ne ſic quidem retrocedant aut hoſtes dimittant, neque ad ſecundam aciem veniant, & cum ijs qui ſe in fugam dederunt, permiſceant, ſed eminus conſiſtant, illoſque à tergo adoriri atque invadere conentur, ut hoc modo à fuga ſuos retardent.

57. Tutum hoc arbitramur eſſe, ut qui ad inſidias vel ad incurſionem à tergo atque à latere alicujus aciei mittuntur, vel ad tuldi cuſtodiam, vel ad celere ſubſidium alicujus partis afflictæ, vel ad tergus aciei cuſtodiendum, ſive ad excubias, drungiſti magis, id eſt, ſimul, confertim, quaſi maza, ſine ordine inſtruantur, neque in longam aciem, id eſt, ad ordinem contubernij aut decuriæ aut quincuriæ, hic enim apparatus ſplendidior ac illuſtrior, fortior atque ordinatior eſt, & tutò conflictationes in prælio facit, tardior

tamen

tamen minus flexibilis ad usum est. Hæc autem drungisti apparatio, omnia contraria habet, & in insidiis facilius latere potest: minore loco contenta confestim manus conserere potest: itaque exercitatione ac usu exploranda hæc opportunè sunt, & quod maximè utibile est experiendo teneatur.

58. Sed hoc pro magnitudine exercitus ad hoc emissi, & pro locorum situ fiat. si enim æquales copiæ aut majores, quàm quæ in conspectu acies instruitur, ad insidias emittuntur, ut uno è loco exeant, tum in contubernia dividantur: sin pauci emittantur, iique ad diversa loca separentur, tum drungisti sive confertim absque ordine densati ambulent.

59. In iis enim, quemadmodum dixi, differentia quædam est. Nam quæ ordine insidiæ struuntur, fortiter & tutò pugnare possunt: illæ quæ confusæ & confertæ densantur, ad subsidia celeriter afferenda, & persequutiones vehementesque incursiones ac turbas valent.

60. Hanc igitur idoneam aciem equitum continuatione, quemadmodum prædiximus, ad optimam quantum fieri potest formam traduces, si imperita harum rerum fuerit: sin ea satis edocta fuerit, neque mandatis belli tempore, neque ulla alia præceptione opus erit; ipsa enim instructio atque exercitatio unumquemque docent quid facto potissimum opus sit.

61. Omissiores autem quidam atque imperitiores, hanc aciem ad instruendum variam & multiplicem esse, atque adeo laboriosam existimant. Hi intelligant, athletas & aurigas, aliosque ejus generis homines, qui ad lusum atque oblectationem se exercent, qui si assequantur quod cupiunt, mediocrem inde pecuniam colligunt: sin frustrentur, dolore quodam haud ita damnoso affliguntur, multum laboris sudorisque sustinere, magnam inediam cibi, magnas vigilias, irrequietem exercitationis molestiam perferre, ut quæ adversariis suis offensioni esse possunt, & quæ ad suæ industriæ conservationem valent, cognoscant: quanto major operosiorque cura cum omni diligentiá provisioneque suscipienda est, ut exercitationes bellicæ acierumque instruendarum rationes cumprimis teneantur, ubi si quæ offensio fuerit, vel mortem statim, vel deteriorem morte fugam affert, fructus autem ingentem lætitiam, magnas commoditates, existimationem bonam, memoriam nulla oblivione obscurandam habet.

62. Absurdum enim, noxium & perniciosum est, uno eodemq; modo omnino instrui, & quavis fortuita offensione totius multitudinis hominum periculum existere: neque eum qui peccaverit potius cognosci debere, quàm reliquos secum omnes in discrimen pertrahat, quando non multa rerum capita per se agenda sunt, sed adversariorum consilia orationem nostram provexerunt. Atq; hæc nobis de equestri acie dicta sunto: de pedestribus & admixtis copiis jam ea dicemus quæ ipso belli tempore opportuna judicamus, de quibus accuratius alio loco verba fecimus.

63. Ex iis alij scutati sunt, qui & graves appellantur. Scutatos igitur ad hunc modum describes. Primùm instrues contubernia sive manipulos cohortis uniuscuiusque, quænam ad dextram, & quæ ad lævam præfecti cohortis esse debeant.

64. Procedente præfecto simul cum signifero & buccinatore suo, reliquisque qui illum sequi consueverunt, procedant primò lochagi sive præstites sinistræ partis, deinde dextræ.

65. Ubi in ipso aciei instruendæ loco fuerint, consistat præfectus & signifer eius, & qui assolent, cum eo sint. Instruantur utrinque contubernia quemadmodum à nobis præscriptum est, primùm laxiore intervallo, ut ne se mutuò angustiis affligant, ad sedecim virorum altitudinem, & leves à tergo illorum. Cuspides hastarum sursum spectent, ut ne ab illis impediantur.

66. Ante frontem ambulent campiductor, vel qui loca explorant, & mandator, alter qui ad loca deducat, alter qui mandata ex Imperatoris sententia det.

67. Cohortibus jam in mœras, drungos, id est, cohortes milliarias & μέρη, id est, turmas adductis, acies universa instruatur, levesque diversis in locis constituantur.

68. Sagittarios à tergo uniuscujusque contubernij, pro numero eorum qui in contubernio sunt, locabis: id est, singulis sedecim scutatis quatuor leves, ut in quaternarium numerum divisis scutatis & gravibus, unus illis à tergo sagittarius adjungatur: sin usus requirat aciei, in altitudine alternis scutatum & sagittarium constitues, interdum in contubernia & cornua aciei. Interius equitibus conferes, sæpe etiam exterius, parvo ab illis spacio, paucis cum scutatis, ut equites exteriores defendant. Si multi fuerint leves, hoc observetur. Qui vel rhictaria vel tzicuria vel tale aliquid gestant, vel à tergo contubernij scutatorum locandi sunt, vel ad summas oras aciei, & non in medio: funditores autem omnino ad summas oras aciei locabis.

69. Ad summas oras peditatus, equites constituantur: majores autem cohortes cum præfectis suis exterius. Et si multi fuerint equites, id est, plures duodecim millibus, ad decem virorum altitudinem contuberniorum instructio fiat: sin pauciores hoc numero fuerint, ad quinque virorum altitudinem apparentur. Sint verò præterea à tergo ad subsidium extrà currus collocati, ut si qui hostes à tergo nostrorum immineant, repellantur: sin minus, ad altera adjungantur: primò autem ad lævam, ut ne impedimento sint ubi tempus fuerit, & forma stationis commutanda erit.

70. Equitibus præcipies, ne nimis impetuosè ruant in hostes, neque à pedestri acie longius discedant, quamvis profligentur hostes, ut ne insidiis ab hostibus structis, aliquo longo intervallo, reliqua acie nudati, vexentur, nempe pauciores: sed si ab hostibus opprimantur, post aciem confugiant, & currus non transeant: sin ne sic quidem resistere poterunt, ex equis descendant, & pedibus seipsos defendant.

71. Si aciem instruere vis, non tamen eo ipso die prælium committere, & in equites tuos hostes irruerint, & eos sustinere non possint equites tui, ne ad cornua aciei & curruum illos præstolentur: quod si fecerint, majore in medio intervallo opus est, ut commutatis, quod sæpe fit, equitibus, non angustia premantur, neque hostium sagittæ illos lædant.

72. Haud ignoramus nos complura ex istis in capite de exercitatione recensuisse: sed absurdi nihil est, illa eadem in belli apparatione, iis qui in militia sunt repetere. Sic enim antea rem totam pertractavimus, ut omnia quæ ad bellum pertinerent, ad exercitationem quoque apparentur, nisi quòd sine ferro tota exercitatio suscipi debet: unde commemorandi harum rerum gratia non verebimur illis similia iterum recensere. Non enim hoc leve admodum esse putandum est, sed cumprimis necessarium.

73. Partes aciei instructæ centum aut ducentorum pedum spatio à se mutuò separabis, ut ne in itinere faciendo semet mutuò affligant. Conflictationis tempore jungantur & adhærescant hæ partes divisæ, & sibi mutuò opem ferant, mediæque parti, ubi Imperatoris aut alterius delecti Principis bandum locandum est, obtemperent. Medium enim aciei locum propterea os & umbilicum antiqui vocaverunt, ut illi cæteræ partes obtemperent.

74. Quoniam contrahi & densari cùm brevius tùm tutius est, quàm rarefieri & dilatari, minimè initio viarum committendum est ut ad sedecim virorum altitudinem contubernia sive manipuli instruantur, sed ad quatuor virorum altitudinem, ut longè amplior hostibus videatur esse exercitus, & graves laxiores rarioresque inambulent. Usus enim áliquis si fuerit, ad octo vel sedecim in itinere facilè deducentur & addensabuntur.

75. Si enim addensata jam contractaque acie, in longitudinem producenda ea est, longo ad id conficiendum tempore opus est: & periculosum est hostibus jam cominus adventantibus, aciem in longitudinem producere.

76. Signiferi usque ad instructam aciem equis vehantur cum præfectis suis, in acie autem pedibus consistere debent.

77. Itaque neque plures sedecim virorum altitudine, quanquam hostium acies altior fuerit, instruantur: neque pauciores quatuor, quanquam tenuiores hostium copiæ fuerint. Nam plures esse sedecim, inutile est; pauciores quàm quatuor esse, imbecillum est. media autem acies quatuor scutatorum sive gravium est.

78. Summum silentium ut in exercitu sit providebis: & contubernij uniuscuiusque ultimani, si susurrum aliquem suorum audiverint, hastilibus hastarum suarum pungant eos, & in conflictationibus sive in prælio ipso anteriores impellant, ut ne quidam ex illis ignavia retardentur.

79. Ne committas ut longum iter pedites graves ambulent, sed si hostes tardaverint & cunctentur, & permanendum aciei nostræ est, ibi tum diu stare eos non permittes, ne gravi armatura pressi in prælio lassati inveniantur: sed sedes illis requietemque parabis, & quando cominus venerint, tum excitabis eos, ut ne lassati ac debilitati maneant.

80. Neque prælij tempore ante aciem ambulent ulli præter turmarchas, equites, mandatores duos, campiductores duos, cum stratore uno, spathario, id est, armigero uno, quemadmodum à nobis prædictum est, donec hostes propius advenerint, tum unusquisque ad suas partes veniat, & ibi consistat.

81. Si caragum, id est, currus sequi oportet aciem, instruatur unius sagittæ jactu ab acie, suasque partes ordine sequatur: tantumque intervalli currus obtineant, quantum acies ipsa occupat, ut ne si eminus ab ea absint, omni subsidio destituantur.

82. Vniuscuiusque currus extrema pars cilicio tegatur, ut singuli aurigæ altè consistentes & pugnantes quasi ex propugnaculis & pinnis murorum opem ferant: bovesque à conjectis sagittis tuti conserventur. Currus autem balistarios vel sagittarios vel manganicis alacatiis refertos, per universum intervallum divides: complures autem ex illis maximè utiles summis in oris instruas.

83. Aurigas autem vel fundarum vel tzicuriorum vel matzuciorum, vel sagittarum conjectores esse oportet: interius autem reliquum ponatur tuldum: ut medio in loco curruum atque aciei collocentur, quò si aliqua occasio sese offerat, in duplicatam aciem scutati dividantur, sive equites sive pedites, nullum habeant impedimentum, neque confundantur si aliquando vis ulla curribus inferatur.

84. Si magnæ hostium copiæ fuerint, & à tergo in currus impetum faciant, & aurigæ illis vel in duplicatam aciem separati obsistere nequeant, paucas tribulos sive murices coniicere oportet: quibus conjectis diligenter observandum est, ut ne per eam viam, sed per aliam viam incedant ut offensio omnis tribulorum vitetur.

85. Hoc autem in primis præcipiendum est, ut die belli pedestri & permista acie instructa, si multi equites hostium & longè supra nostrum numerum fuerint, & caragus noster nos non sequa-

tur, ne coneris æquo in loco atque expoſito aciem inſtruere, ſed in locis aſperis & difficilibus potius, ut limoſis, harundinoſis, ſaxoſis, inæqualibus, condenſis.

86. Curabis etiam ut quæ à tergo vel à lateribus incurſiones fieri poſſunt, hæ, quemadmodum ſæpe admonui, excubiis adhibitis provideantur. Quoſdam autem ſcutatos ad extremas oras curruum & in medio collocabis, ut hoſtibus reſiſtant incurſionem vel in currus, vel in aciem, vel in equites facientibus.

87. Si hoſtibus adhuc in caſtris & in confuſione verſantibus, bellum inferre & confligere cum illis poteris, magnopere illos lædes.

88. Multos equites in pedeſtribus præliis ne admiſceas, ſed in extremis oris aciei paucos ad tria aut quatuor millia equites loricatos atque idoneos conſtitues, qui ſi occaſio ulla tulerit, profligatos jam hoſtes inſequantur atque invadant. In pedeſtri enim exercitu majorem equitum numerum ponere haud ſatis tutum eſt.

89. Si hoſtes cùm equites ſint pertimeſcant cum peditibus noſtris confligere, multique equites noſtri fuerint, pauci autem pedites, equites in anteriore parte collocabis, pòſt autem pedites ad unum aut alterum milliare diſtantes in acie collocabis, equitibusque mandabis longius hoc intervallo ſe non ſeparent, aut ab acie pedeſtri recedant. Quòd ſi ab hoſtibus premantur, non directè ad aciem pedeſtrem redeant, ſed ad latus ſe obliquent, & à tergo peditum ad aciem ſuam perveniant, ne directa declinatione, peditum inſtructa acies diſſoluatur.

90. Conflictationis ipſius die pedeſtres copias, quemadmodum à me prædictum eſt, longum ſpacium ultra duorum milliarium intervallum à caſtris non movebis, ne gravi armatura opprimantur. Quòd ſi hoſtes prælij conflictationem diſtulerint conſideant & requieſcant donec hoſtes cominus fuerint.

91. Si æſtas fuerit, caſſides ſuas detrahant, ut capita perflentur. Vino abſtineant eo omni tempore, ne efferueſcens caliginem cerebro offundat: ſed aquam in curribus geſtent, & ſigillatim aquam ſingulis dent, quando ordine in acie conſiſtunt.

92. Ante tempus belli pedeſtres copias univerſas uno aliquò die coges in unum locum, quemadmodum equitibus facies: & ſi noverunt milites mandata legis, id eſt, mulctas militares, commonefaciendi horum omnium ſunt: ſin minus, per præfectos ſingulos in unaquaque cohorte ſui admoneantur de iis mulctis quæ belli tempore futuræ ſunt: & hæc cum cognoverint, ſic ad aciem ipſam veniant.

93. Haud abs re fuerit, brevi tibi antiquæ aciei inſtruendæ formam demonſtrare, quam in pedeſtribus & permiſtis copiis uſurpabant, quando maximè exercitu magno deſtituebantur.

94. Univerſas pedeſtres copias in ſedecim millia trecentos octoginta quatuor viros conferebant: quoniam cum hic numerus ex multis milliaribus numeris conficitur, ad perfectam aciem efficiendam ſatis valet, & à tanta multitudine dividi partirique uſque ad unitatem poteſt. atque univerſam aciem perfectam phalangem vocabant.

95. Hæc phalanx apud eos in duas æquales partes dividitur, & à fronte phalangis ſive aciei æqualiter uſque ad caudam, id eſt, extremum agmen per univerſam altitudinem hæc æqualis partitio tranſeat: & dimidia pars, dextrum cornu & caput appellatur, in qua octo millia virorum, & centum nonaginta duo viri eſſe definiuntur: alteram dimidiam partem lævum cornu & caudam nominant, æquo & pari numero cum priore contentam, id eſt, octo mille centum nonaginta duos viros habentem. Medium interſtitium, ſive inanis ille ac intermedius locus, umbilicus vocatur & oſtium phalangis, in quo Imperatoris ſtatio eſt, ad intuendum ea quæ in bello fiunt, & omnia quantum fieri poteſt diligenter adminiſtranda.

96. Univerſa hæc acies graves vocantur, qui ſcutis integris & haſtis & ſpathis aliisque armis ſtipati, graviorem reliquo exercitu armaturam habent.

97. Poſt hanc duplicem gravium aciem, levium acies inſtruitur, qui multò expeditiorem lerioremq; armaturam gravibus geſtant, quia facilè quò volunt percurrere poſſunt: in quibus jaculatores ſunt. Iſtorum acies dimidia numero eſſe debet primæ aciei, id eſt, octo millia virorum & nonaginta duo.

98. Deinceps poſt hanc equitum, acies armatorum inſtruatur: horum etiam acies dimidium numeri levium contineat, id eſt, quatuor millia quadraginta ſex.

99. Pedites in quatuor partes inſtruebant, graves ſimul & leves, quemadmodum uſus poſtulat, admiſcentes: & ad latera gravium leves in duas partes diſtribuebant, vel etiam in anteriori parte, quēadmodum Imperatori commodiſſimum videbatur.

100. Equites in duas diſtribuebant partes hinc atque illinc, vel à tergo peditum & poſt eos, vel ad latera, & quemadmodum uſus exigebat. Imperator enim non quemadmodum vult, ſed quemadmodum neceſſariò cogitur, inſtruit exercitum. Nam adverſus hoſtium equitatum, ſuum inſtruet, ut laxum ſpatium habentes non impediantur agere, quæ equites par eſt ad peditum ſubſidium defenſionemque facere, ſive antè, ſive ad latus, ſive pòſt à tergo conſtituantur.

101. Melius eſſet ſi leves ante gravium aciem, vel, ſi id neceſſitas poſtularet, ad latus inſtruerentur. Nam ſi in medio collocantur, inutilia atque irrita illorum arma fiunt: qui enim jacula vel ſagittas vel fundas vibrant, in altum emittere coguntur, & ex eo ſuos magis quàm hoſtes lædunt. Tela enim per ante ſtantium capita deferentur. Funditores autem impedientur, quia juſtum ſpacium ad fundas manibus verſandas habere non poſſunt.

102. Si hoſtibus plures leves adfuerint quàm nobis, graves præſtites antè collocandi à nobis ſunt; qui ſcuta magna atque oblonga, quos thyreos vocant, ad univerſi corporis longitudinem tegendam geſtent: qui verò ad tergus illorum ſtant, ſupra caput anteriorum ſcuta ſua attollentes ſic procedant, donec intra ſagittarum telorumque jactum fuerint: ſic enim tecti atque, ut ita loquar, incruſtati, nihil mali ab hoſtium conjectis telis capient.

103. Si hinc atque illinc nobis levium ſubſidium fuerit, ij primi antequàm conflictatio fiat, ſagittas & tela in hoſtes conijciant, vel etiam poſt incœptam conflictationem ad latera hoſtium aciei invadentes, tela in eos immittant, ut ſimul & ad latera perturbentur, & coram ex adverſo labefactentur.

104. Si aliqua munitio adfuerit, ea leves admodum juvabit: nā ad eam concurrentes, in hoſtes ſecurius atque audacius tela conijcient: ut ſi præcipitium aliquod, aut ripa fluvij, aut collis eminens, aut ſi qua hujus generis munitio fuerit. Inter acies autem intervallum quoddam eſſe debet, ut ſi leves omnia tela emiſerint priuſquàm conflictatio eſſe cœperit, & adhuc cominus hoſtes magis ac magis veniunt, cum ordinis quadam conſervatione leves redeant, & mediam phalangem pertranſeuntes, ſecurè ſine offenſione ad extremam aciei partem perveniant. Neque enim tutum eſt ut circùm ſe per extremas oras aciei obliquent, & ſic eò deveniant, ut ne in medio ab hoſtibus intervenientibus perimantur, neque in arma gravium, denſata jam contractaque acie, incidentes vulnerentur.

105. Alias acies armatas atque inſtructas habeas, ut quando leves omnia tela conjecerint, tum alij apparati accedant, & loca illorum expleant.

106. Quando altitudo aciei, uſu hoc interdum poſtulante, ad longitudinem ducitur & attenuatur, non couſque diducenda acies eſt, ut univerſa ſine ulla altitudine imbecillis fiat, ne ab hoſtibus ſtatim circuncludatur: facilè enim continget in bello circundari hoſtibus, & tranſitum quoque per medium aperiri, neq; anteriore ſolùm ex parte circumveniri eos, ſed etiam irruptione per medium facta, à tergo illos noſtrarum copiarum inveniri, atque adeo magnum damnum hoſtibus noſtris inferre. Hoc autem Imperator diligenter laborabit non modò ut devitet, ſed etiam ut quærat tale aliquid adverſus hoſtes moliri.

107. Neque verò ſic aciem tuam in altitudinem denſes, ut facilè ab hoſtibus circumveniatur, ſed milites ad latus atque à tergo ſtantes æquè ac præſtites armabis, ita enim poterunt hoſtium circumventioni magis obviam ire.

108. Solertis prudentiſque Imperatoris eſt, in ejuſmodi locis, ſi id aſſequi poſſit, aciem inſtruere, in quibus neque circuncludi, neque ullam aliam offenſionem belli accipere poſſint, quemadmodum à nobis ſuprà commemoratum eſt. Multùm enim belli tempore ad utilitates inveniendas prudentia imperatoria valet, quod divinæ clementiæ benignitatiſque donum ego ajo, & arbitror Imperatoribus à Deo dilectis ſolere dari, ad virtutem ſuam amplificandam.

109. Quidam olim tempore prælij hoſtibus jam meliores partes habentibus falſum quoddam & facetum commentum animo architectabatur, exclamans hoſtium imperatorem interfectum eſſe. Quoniam verò tempus jam inſtans nequaquam celeriter largiebatur omnibus quid facto opus eſſet excogitandi, hoſtes procul ab imperatore cùm eſſent, & hoc verum exiſtimarent, repentè animo concidebant: milites autem præfecti ſic exclamantis magis animati robur colligentes, quaſi vera jam fama eſſet, alacriores reddebantur. Hoc rumore ſic diſperſo, victor evaſit qui hunc rumorem injecerat. Itaque ſolertia opportunitate rerum capta, perſæpe hoſtes omnes profligat.

110. A recentioribus rei militaris peritis præceptum eſt, ut hoſtibus acies tua inſtructa minus ſplendida videatur, ſed armorum fulgorem uſque ad ipſum belli tempus occultet; propter pervagatam apud alios eā de re famam. Onoſander autem in ſcriptis ſuis de re militari, contrarium potius præcipere videtur, ut omnino illuſtris ſplendidaque acies noſtra hoſtium aciei videatur.

111. At mihi hic videtur ignorare, talem rumorem ſolere admodum diffundi, vel ea quæ ante prælium gerenda ſunt omnia prætermittere, & ipſo conflictationis tempore, quemadmodum recentioribus & mihi quoque videtur, ſubitò & confertim fulgorem armorum demonſtrare: major enim perturbatio animorum invehitur, quando non eminus venientium armatorum fulgor aſpeciem oculorum perſtringit, & conſuetum familiaremque aſpectum habet, ſed quando quæ videbatur & putabatur acies valde ſordida eſſe, ea ſubitò & de improviſo ſplendida atq; illuſtris apparet: hoc enim divini præſidij ſignum atque omen hoſtes capient. Vtile autem tibi fuerit Imperator, ipſo belli die aciem tuam, non antè, demonſtrare, priuſquàm illorum copias intellexeris quomodo & quali cum forma inſtruantur.

112. Aliorum in prælio dimicantium curam habebis, quemadmodum tibi antè explicuimus; potius quàm tu ipſe in periculum aut diſcrimen turbulentius incurras, ubi nulla neceſſitatis vis hoc

à te poſtulat: imò verò omnino à manibus conſerendis, & fortitudine tua demonſtranda abſtinebis. Neque enim ita exercitum adjuvabis prælians, ut lædes moriens, quod in manibus conſerendis ab omnibus expectatur. Si enim ſolo rumore falſo, quemadmodum antè admonuimus, interfecti Imperatoris, univerſa natio hoſtium profligata eſt, quanto magis vera jam fama, ingens inferetur exercitui tuo, Imperatore interfecto, clades.

113. In tuto igitur collocatus, vide & gere quæ facto opus ſunt. Tunc enim maximè Imperator in honore eſt, quando pro neceſſitatis celeritate idoneè omnia adminiſtrat, & ſecurus quæ fieri poſſunt conſilio anticipat.

114. Si quid opus ſit, eo ipſo tempore oratione milites animandi ſunt, & præmiis, quæ ſtrenuè ſe gerentibus in regno noſtro repoſita ſunt, excitandi. Admonendi etiam ſunt, Dei præſidium nobis adeſſe: harum rerum ſigna quædam etiam apparere, quæ nobis divinitus victoriam portenderent. *cap.14. rei tactica.*

¶ Romanorum.

Quot generibus pugna publica committatur &, quomodo etiam qui inferior numero & viribus eſt, valeat victoriam obtinere.

Vegetius: Depugnationum ſeptem ſunt genera vel modi, quum infeſta ex utraque parte ſigna confligunt. Una depugnatio eſt fronte longa, quadrato exercitu, ſicut etiam nunc propè ſemper ſolet prælium fieri. Sed hoc genus depugnationis periti armorum non optimum judicant, quia cùm in prolixo ſpacio tenditur acies, non æqualis ſemper campus occurrit, & hiat aliquando in medio ſinus, aut curvatura fit, & ita in eo loco acies frequenter irrumpitur. Præterea ſi multitudine adverſarius antecedit, à lateribus aut dextram, aut ſiniſtram alam circumvenit, in quo periculum magnum eſt niſi ſupernumerarios habeas, qui procurrant, hoſtemque ſuſtineant. Hoc genere ſolus debet confligere, qui & plures & fortes habuerit bellatores, ut ex utroque cornu hoſtem circumveniat, & quaſi in ſinum ſui concludat exercitus. Secunda depugnatio eſt obliqua, quæ plurimis melior. In qua ſi paucos ſtrenuos loco idoneo ordinaveris, etiamſi multitudine hoſtium & virtute turberis, tamen poteris reportare victoriam. Hujus talis eſt modus: Cùm inſtructæ acies ad congreſſum veniunt, tunc tu ſiniſtram alam tuam à dextra adverſarij longius ſeparabis, ne vel miſſilia ad eam, vel ſagittæ perveniant. Dextram autem alam tuam ſiniſtræ alæ illius junge, & ibi primum inchoa prælium: ita ut cum equitibus optimis, & probatiſſimis peditibus ſiniſtram partem illius, ad quam te junxeris, aggrediariis atque circumeas, & detrudendo atque ſupercurrendo ad hoſtium terga pervenias. Quòd ſi ſemel adverſarios exinde pellere cœperis, accedentibus tuis indubitatam victoriam conſequeris, & pars exercitus tui, quam ab hoſte ſubmoveris, ſecura durabit. Ad ſimilitudinem autem A literæ, vel libellæ fabrilis, acies in hoc dimicandi genere conſtituitur. Quòd ſi te prior adverſarius hoc fecerit, quos poſt aciem ſupernumerarios diximus debere poni, tam equites, quàm pedites ad ſiniſtrum tuum colliges cornu, & ſic adverſario reſiſtes magnis viribus, ne arte pellaris. Tertia depugnatio eſt ſimilis ſecundæ: ſed in hoc deterior, quòd à ſiniſtro cornu tuo cū illius incipis dextro confligere. Nam quaſi mancus impetus eſt eorum, & aperti cum difficultate aggrediuntur hoſtes, qui in ſiniſtro dimicant cornu. Quod apertius ut ſit, explanabo. Si quando alam tuam ſiniſtram lōgè habueris meliorem, cum ea fortiſſimos equites pediteſque conjunge, & in congreſſu ipſam primam applica ad alam hoſtium dexteram, & quātum poteſt, adverſarij dextram partem pellere, & circuire feſtina. Tu autem aliam exercitus partem, in qua deteriores bellatores habere te noſti, à ſiniſtra illius longiſſimè ſepara, ne vel gladiis invadatur, vel ad eam tela perveniant. In hoc genere cavendum eſt, ne inimicorum cuneis tranſverſa tua acies elidatur. Hoc autem modo, uno caſu utiliter pugnabitur, ſi adverſarius infirmius dextrum cornu habuerit, & tu longè fortius ſiniſtrum. Quarta depugnatio talis eſt: Cùm ordinaveris aciem, ante quadringentos vel quingentos paſſus, quàm ad hoſtem pervenias, non ſperante eo, ſubitò ambas alas tuas incitare te convenit, ut ex utroque cornu improviſos hoſtes vertas in fugam, & celerius victoriam conſequaris. Sed hoc genus certaminis licet citò ſuperet, ſi exercitatos fortiſſimoſque produxerit, tamen periculoſum eſt, quia mediam aciem ſuam, qui ſic dimicat, nudare cōpellitur, & in duas partes exercitum ſeparare. Et ſi primo impetu victus non fuerit inimicus, habet poſtea occaſionē, qua invadat & diviſa cornua, & mediam aciem deſtitutam. Quinta depugnatio eſt quartæ ſimilis. Sed hoc unum amplius habet, quod levem armaturam & ſagittarios ante mediam aciem ponit, ut illis reſiſtentibus, non poſſit irrumpi. Nam ſic de dextro cornu ſuo, illius ſiniſtrum: & de ſiniſtro cornu ſuo, illius dextrum aggreditur. Quòd ſi fugare potuerit, ſtatim vincit: ſin minus, media acies illius non laborat: quia à levi armatura ſagittariiſque defenditur. Sexta depugnatio optima eſt, prope ſimilis ſecundæ, qua utuntur qui de numero ſuorum, & de virtute deſperant. Et ſi bene ordinaverint, quamvis cum paucioribus, ſæpe victoriam cōſequuntur. Nam cùm inſtructa acies ad hoſtes accedit, dextram alam tuam ſiniſtræ alæ hoſtium junge, & ibi per equites probatiſſimos & velociſſimos pedites incipe prœlium. Reliquam autē partem exercitus tui, longiſſimè à dextra parte adverſariorum remove, & in directum porrige, quaſi veru. Nam ſi partem ſiniſtram illius & à lateribus & à tergo cœperis cædere, ſine dubio vertes in fugam. Adverſarius autem nec de dextra parte ſua, nec de media acie poteſt ſuis laborantibus ſubvenire, quia acies tua extenditur, & totam ſe porrigit ad ſimilitudinem I literæ, longiſſimeque recedit ab hoſtibus. Quo genere in itineribus ſæpe cōfligitur. Septima depugnatio eſt, quæ loci beneficio adjuvat dimicantem. In hac quoq; & cum paucioribus, & cum minus fortibus poteris adverſarium ſuſtinere, ſi montem, aut mare, aut flumen, aut lacum, aut civitatem, aut paludes, aut abrupta in una parte habeas, ex qua hoſtis non poſſit accedere, & reliquum exercitum tuum directa acie ordines. Sed in illa ala, quæ munitionem non habet, omnes equites & ferentarios ponas. Tunc ſecurius pro tuo arbitrio cum hoſte confliges, quia ab una parte loci natura te munit, ab alia duplex propè ponitur equitatus. Illud tamen obſervandum eſt, quo nihil melius invenitur, ut ſive dextro cornu tuo pugnare volueris, ibi fortiſſimos ponas: ſive ſiniſtro, ibi ſtrenuiſſimos colloces: ſive in medio cuneos facere volueris, per quos acies hoſtium rumpas, in cuneo exercitatiſſimos ordines bellatores. Victoria enim per paucos fieri conſuevit. Tantum eſt, ut electi à duce ſapientiſſimo, in his locis, in quibus ratio & utilitas poſtulat, ordinentur. *Cap.20. lib.3. de re militari.*

Viam abſcedendi hoſtibus dandam, ut deleantur facilius fugientes.

Idem: Plerique rei militaris ignari, pleniorem victoriam credunt, ſi adverſarios, aut locorum anguſtiis, aut armatorum multitudine circumdederint, ut aditum nō inveniant abſcedendi. Sed clauſis ex deſperatione creſcit audacia, & cùm ſpei nihil eſt, ſumit arma formido. Libenter cupit commori, qui ſine dubio ſcit ſe eſſe moriturum. Ideoque Scipionis laudata ſententia eſt, qui dixit, viam hoſtibus, qua fugiant, eſſe muniendam. Nam cùm abſcedendi aditu patefacto, mentes omnium ad præbenda terga conſenſerint, multi more pecudum trucidantur. Nec inſequentium ullum periculum eſt, cùm victi (quibus defendi poterant) arma converterint in fugam. Hoc genere quanto major fuerit exercitus, tanto facilius multitudo proſternitur. Neque enim ibi requirendus eſt numerus, ubi animus ſemel territus, non tam tela hoſtium cupit declinare, quàm vultum. Ceterum clauſi, licet exigui numero & infirmi viribus, hoc ipſo tamen ſunt hoſtibus pares, quia deſperantes ſciunt aliud ibi licere non poſſe.

Nam una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem. Cap. 21.

Quemadmodum ab hoſte recedatur, ſi conſilium pugna diſpliceat.

Idem: Digeſtis omnibus, quæ ratio militaris experimentis & arte ſervavit, unum ſupereſt docere, quemadmodum recedatur ab hoſtibus. Nam diſciplinæ bellicæ, & exemplorum periti nuſquam majus periculum imminere teſtantur. Qui enim ante congreſſum recidit ex acie, & ſuis fiduciam minuit, & inimicis addit audaciam. Verùm quia hoc ſæpius neceſſe eſt evenire, quibus modis tutò poſſit fieri, declarandum eſt. Primùm ut tui neſciant, ideo te recedere, quia declinas inire conflictum, ſed credant arte aliqua ideo ſe revocari, ut ad oportuniorem locum invitetur hoſtis, ac facilius ſuperetur: aut certè inſequentibus adverſariis ſecretiores collocentur inſidiæ. Nam neceſſe eſt, ad fugam parati ſint, qui ducem ſuum ſentiunt deſperare. Illud quoque vitandum eſt, ne hoſtes te recedere ſentiant, & ſtatim irruant. Propterea plerique ante pedites, equites poſuerunt, ut diſcurrentes adverſarios videre non ſinerent, quando pedites abſcedebant. Item articulatim incipientes à primis, ſingulas acies ſubducebant, retroque revocabant, in gradu ſuo manentibus reliquis: quos ſenſim poſtea ceſſimq; ad illos jungebant, quos ſubduxerant. Aliquanti primum exploratis itineribus, noctu cum exercitu recedebant: ut hoſtes die orto, cùm intellexiſſent, non poſſent comprehendere præcedentes. Præterea levis armatura præmittebatur ad colles, ſub quos ſubitò tutò revocaretur exercitus: & ſi hoſtes inſequi voluiſſent, à levi armatura, quæ ante occupaverat locum, additis equitibus fundebantur. Nihil enim periculoſius exiſtimatur, quàm ſi inconſultè inſequentibus, ab his qui in ſubſeſſa fuerint, vel ante ſeparaverint, obvietur. Hoc tempus eſt, quo oportunè collocantur inſidiæ, quia adverſus fugientes major audacia & minor cura eſt. Neceſſariò autem amplior ſecuritas gravius ſolet habere diſcrimen. Imparatis, cibum capientibus, in itinere claſſis, equos ſuos paſcentibus, ac nihil tale ſuſpicantibus ſuperventus aſſolent fieri. Quod & nobis vitandum eſt, & hoſti in eiusmodi occaſionibus pernicies inferenda. Hoc enim caſu oppreſſis, nec virtus poteſt, nec multitudo prodeſſe: quia qui in acie publica vincitur pugna, licet & ibi ars plurimum proſit, tamen ad defenſionem ſuam poteſt accuſare fortunam. Qui verò ſuperventus & inſidias ſubſeſſas paſſus eſt, culpam ſuam non poteſt excuſare: quia hæc evitare potuit, & per ſpeculatores idoneos ante cognoſcere. Cùm receditur, talis fraus ita fieri conſuevit. Recto itinere pauci equites conſequuntur, valida manus occultè per alia mittitur loca: ubi ad agmen inimicorum pervenerunt equites, tentant leviter atque diſcedunt. Illi credunt quicquid inſidiarum fuerit, præteriiſſe, & ſine cura reſolvuntur in negligentiam. Tunc illa manus, quæ ſecreto itinere deſtinata fuerat, ſuperveniens opprimit ignorantes. Multi cùm ab hoſte diſcedunt, ſi per ſiluas ituri ſunt, præmittunt, qui anguſta vel abrupta loca, ne ibidem patiantur inſidias. Et rurſus poſt ſe præciſis arboribus vias claudunt, quas compedes vocant, ut adverſariis facul-

tatem adimant persequendi, & penè utrique parti in itinere ad subsessas communis occasio est. Nam qui præcedit, oportunis vallibus, vel silvosis montibus, quasi post se relinquit insidias, in quas cùm inciderit inimicus, recurrit ipse, & adjuvat suos. Qui verò sequitur adversis semitis, longè antè destinat expeditos, ut præcedentem adversarium arceat transitu, deceptumque à fronte & à tergo concludat. Dormientibus noctu adversariis, & qui præcessit, potest regredi, & qui sequitur, quantumvis intersit, potest supervenire per fraudem. In transfretatione fluviorum, qui præcedit, illam partem tentat opprimere, quæ prima transierit, dum reliqui alueo separantur. Qui autem festinato itinere sequitur, illos qui nondum potuerunt transire, conturbat. *Cap.22.*

Quid oporteat fieri, si quis desuetum à pugna habeat exercitum vel tyronem.

Flavius Vegetius: Omnes artes, omniaque opera quotidiano usu & jugi exercitatione proficiunt. Quòd si in parvis verum est, quanto magis decet in maximis custodiri? Quis autem dubitat, artem bellicam rebus omnibus esse potiorem, per quam libertas retinetur, & dignitas provinciæ propagatur, & conservatur imperium? Hanc quondam relictis doctrinis omnibus Lacedæmonij, postea coluere Romani. Hanc solam hodieque Barbari putant esse servandam. Cetera omnia aut in hac arte consistere, aut per hanc assequi se posse confidunt. Hæc dimicaturis est necessaria, per quam vitam retineant, & victoriam consequantur. Dux ergo, cui tantæ potestatis insignia tribuuntur, cuius fidei atque virtuti possessorum fortunæ, tutela urbium, salus militum, reipublicæ creditur gloria, non tantum pro universo exercitu, sed etiam pro singulis contubernalibus debet esse solicitus. Si quid enim illis eveniat in bello, & ipsius culpa, & publica videtur injuria. Ergo si tyronem, vel diu armis desuetum exercitum ducit, singularum legionum sive auxiliorum, necnon etiam vexillationum vires, animos, consuetudinem, diligenter exploret. Sciat etiam (si potest fieri) nominatim quis comes, quis tribunus, quis domesticus, quis contubernalis, quantum possit in bello, autoritatemque maximam severitate sumat, omnes culpas militares legibus vindicet, nulli errantium credatur ignoscere, in diversis locis, ex diversis occasionibus omnium experimenta præcipiat. His (ut oportet) curatis, cùm dispersi ad prædandum securi oberrant hostes, tunc probatos equites vel pedites cum tyronibus, aut inferioribus mittat, ut ex occasione, fusis inimicis, & illis peritia, & reliquis crescat audacia. Ad transitus fluviorum, ad præcipitia montium, ad silvarum angustias, ad paludum & viarum difficultates, superventus nullo sciente disponat, atque iter suum ita temperet, ut aut cibum capientes, aut dormientes, aut vacantes certè, securos, inermes, discalciatos, distractis equis, nihil suspicantes ipse paratus invadat, quatenus in huiusmodi certaminibus sui fiduciam colligant. Nam qui ante longum tempus, aut omnino nunquam videre homines vulnerari, vel occidi, cùm primum aspexerint, perhorrescunt: & pavore confusi, de fuga magis quàm de conflictu incipiũt cogitare. Præterea si excurrant adversarij, longo itinere fatigatos aggrediatur, & ultimos vel certè insperatos superveniat. Eos etiam, qui longè à suis aut pabuli, aut prædæ gratia commorantur, subitò occupet cum delectis. Illa enim antè tentanda sunt, quæ si malè cesserint, minus noceant: si benè, plurimum prosint. Inter hostes discordiarum serere causas sapientis est ducis. Nulla enim, quamvis minima natio, potest ab adversariis perdeleri, nisi propriis simultatibus seipsa consumserit. Nam civile odium ad inimicorum perniciem est præceps, ad utilitatem suæ defensionis incautum. Unum illud in hoc opere prædicendum est, ut nemo desperet fieri posse quæ facta sunt. Dicat aliquis. Multi sunt anni, quibus nullus fossa, vel aggere, valloque mansurum circundat exercitum. Respondebitur, Si fuisset ista cautela, nihil nocturni aut diurni superventus hostium nocere potuissent. Persæ imitantes Romanos, ductis fossis castra constituunt: & quia arenosa sunt propè omnia, saccos, quos inanes portaverant ex pulverulenta (quæ effoditur) terra complent, eorumque cumulo aggerem faciunt. Omnes barbari carris suis in orbem connexis ad similitudinem castrorum, securas à superventibus exigunt noctes. Veremur ne discere nequeamus, quæ à nobis alij didicerunt? Hæc ex libris discenda, quæ usu antea servabantur, sed omissa diu nemo quæsivit: quia vigentibus pacis officiis, procul aberat bellorum necessitas. Sed ne impossibile videatur disciplinã, cuius usus intercidit, reparari, doceamur exemplis. Apud veteres res militaris in oblivionem sæpius venit, sed à libris repetita est, postea ducum autoritate firmata. Scipio Aphricanus sub aliis Imperatoribus Hispanienses exercitus frequenter victos accepit: hos disciplinæ regula custodita, omni opere fossisque faciendis ita diligenter exercuit, ut diceret fodientes luto inquinari debere, qui sanguine hostium madere noluissent. Cum ipsis denique Numantinos sic, capta civitate, concremavit, ut nullus evaserit. Metellus in Aphrica, Albino imperante, subjugatum accepit exercitum, quem ita emendavit veteribus institutis, & disciplina majorum, ut postea eos, à quibus sub jugum missi fuerant, superarent. Cymbri quoque Cepionis & Manilij & Syllani legiones inter Gallias deleverunt: quarum reliquias cùm C. Marius suscepisset, ita erudivit scientia & arte pugnandi, ut innumerabilem multitudinem non solum Cymbrorum, sed etiam Teutonum & Umbrorum publico Marte deleret. Facilius autem est ad virtutem novos instruere, quàm revocare perterritos. *Cap.10.lib.3.rei militaris.*

De Tempore ad pugnam eligendo.

Iulius Frontinus: Publius Scipio in Hispania, cum comperisset Hasdrubalem Pœnorum ducem jejuno exercitu manè processisse in aciem, continuit in horam septimam suos, quibus præceperat, ut quiescerent, & cibum caperent: cumque hostes, inedia, siti, mora sub armis fatigati, repetere castra cœpissent, subitò copias eduxit, & commisso prælio, vicit.

Metellus Pius in Hispania adversus Herculeium, cùm ille oriente protinus die instructam aciem vallo eius admovisset, fervidissimo tunc tempore anni, intra castra suos continuit, in horam diei sextam, atque ita fatigatos æstu, facilè integris & recentibus vicit suorum viribus.

Item junctis cum Pompejo castris adversus Sertorium in Hispania, cùm sæpe instruxisset aciem, hoste, qui imparem se duobus credebat, pugnam detrectante: quodam deinde tempore, quum Sertorianos milites animadvertisset magno impetu instinctos, deposcentes, pugnam, humerosque exercentes, & lanceas vibrantes, existimavit ardori cedendum in tempore, recepitque exercitum, & Pompeio idem faciendi autor fuit.

Posthumius Cos. in Sicilia, cùm castra eius à Punicis trium millium passuum spacio distarent, & dictatores Carthaginensium quotidiè ante ipsa munimenta Romanorum, dirigerent aciem, exigua manu levibus assiduè præliis pro vallo resistebat: quam consuetudinem contemnente jam Pœno, reliquis omnibus per quietem intra vallum præparatis, ex more pristino, cum paucis sustinuit incursum adversariorum, ac solito diutius detinuit, quibus fatigatis, post sextam horam, & iam se recipientibus, cum & inedia quoque laborarent, per recentes suos, hostem, quem prædicta profligaverant incommoda, fugavit.

Iphicrates Atheniensis, quia exploraverat, eodem assiduè tempore hostes cibum capere, maturius vesci suos jussit, & eduxit in aciem, aggressusque hostem ita detinuit, ut ei nec confligendi, nec abeundi daret facultatem. Inclinato deinde iam die reduxit suos, & nihilominus in armis retinuit: fatigati hostes non statione magis, quàm inedia, statim ad corporis curam & cibum capiendum festinaverunt: Iphicrates rursus eduxit, & incompositi hostis aggressus est castra.

Idem cùm adversus Lacedæmonios pluribus diebus castra cominus haberet, & utraq; pars certis temporibus assiduè pabulatum lignatumq; procederet, quodam die militum habitu, servos lixasque dimisit ad munera, milites retinuit, & cum hostes dispersi issent ad similia munera, expugnavit castra eorum, inermesque cum fasciculis passim ad tumultum recurrentes, facilè aut cecidit, aut cepit.

Verginius Cos. in Volscis, cùm procurrere hostes effusos ex longinquo vidisset, quiescere suos ac defixa tenere pila jussit. Tunc anhelatos, integris viribus exercitus sui aggressus avertit.

Fabius Maximus, non ignarus Gallos & Samnites primo impetu prævalere, suorum autem infatigabiles spiritus, inter moras decertandi etiam incalescere, imperavit militibus, ut contenti essent primo congressu sustinere, ut hostem mora fatigarent: quod ubi successit, admoto etiam subsidio suis, in prima acie universis viribus oppressum fudit hostem.

Philippus ad Cheronæam, memor sibi esse militem longo usu duratum, Atheniensibus acrem quidem, sed inexercitatum & impetu tantum violentum, ex industria prælium traxit: moxq; languẽtibus jam Atheniensibus, concitatius intulit signa, & ipsos cecidit.

Lacedęmonij certiores ab exploratoribus facti, Messenios in eam exarsisse rabiem, ut in prælium cum conjugibus ac liberis descenderent, pugnam distulerunt.

C. Cæsar bello civili cùm exercitum Afranij & Petreij circumvallatum, siti angeret, isque ob hoc exasperatus, interfectis omnibus impedimentis ad pugnam descendisset, continuit suos, arbitratus alienum dimicationi tempus, quòd adversarios & ira & desperatio incenderat.

C. Pompejus fugientem Mithridatem, cupiẽs ad prœlium compellere, elegit tempus dimicationi nocturnum, ut abeunti se opponeret: atque ita præparatus, subitam hostibus necessitatem decernendi injecit. Præterea sic constituit aciem, ut Ponticorum quidem oculos adversa luna perstringeret, suis autem illustrem & conspicuum præberet hostem.

Jugurtham autem constat memorem virtutis Romanorum, semper inclinato die committere prælia solitum, ut si fugarentur sui, opportunam noctem haberent ad delitescendum.

Lucullus adversus Mithridatem & Tigranem, in Armenia majore apud Tigranocertam, cùm ipse non amplius quindecim millia armatorum haberet, hostis autem innumerabilem multitudinem, eoque ipso inhabilem, usus hoc eius incommodo nondum ordinatam hostium aciem invasit, atque ita protinus dissipavit, ut ipsi quoque reges abjectis insignibus fugerent.

Cl. Tiberius Nero adversus Pannonios, cùm barbari feroces in aciem oriente statim die processissent, continuit suos, passusq; est hostem nebula & imbribus, qui fortè illo die crebri erant, verberari, ac demum ut fessum stando & pluvia non solum animo, sed & lassitudine deficere animadvertit, signo dato, adortus, superavit.

C. Cæsar in Gallia, quia compererat Ariovisto Germanorum regi institutum, & quasi legem militibus non pugnandi decrescente Lu-

te Luna, tum potiſſimum acie commiſſa impeditos religione hoſtes vicit.

D. Auguſtus Veſpaſianus, Judæos Saturni die, quo eis nefas eſt quicquam feriæ rei agere, adortus ſuperavit.

Lyſander Lacedæmonius adverſus Athenienſes apud Ægoſpotamum, inſtituit, certo tempore infeſtari naves Athenienſium, deinde revocare claſſem, qua re in conſuetudinem perducta, cùm Athenienſes poſt digreſſum eius ad contrahendas copias diſpergerentur, extendit ex conſuetudine claſſem, & recepit. Tum hoſtium maxima parte ex more dilapſa, reliquos adortus, occidit, & univerſas naves cepit. *Lib. 2. Stratag. cap. 1.*

De loco ad pugnam eligendo.

Idem: Marcus Curius, quia phalangi regis Pyrrhi explicatæ reſiſti non poſſe animadvertebat, dedit operam, ut in anguſtiis confligeret, ubi conferta ſibi ipſa eſſet impedimento.

C. Pompeius in Capadocia elegit locum caſtris editum, unde adjuvante proclivio impetum militum, facilè ipſo decurſu Mithridatem ſuperavit.

C. Cæſar adverſus Pharnacem Mithridatis filium dimicaturus, in colle inſtruxit aciem, quæ res expeditam ei fecit victoriam. Nam pila ex edito in ſubeuntes barbaros emiſſa, protinus eos averterunt.

Lucullus adverſus Mithridatem & Tygranem, in Armenia majore, apud Tygranocertam dimicaturus, collis proximi planum verticem raptim cum copiarum parte adeptus, in ſubjectos hoſtes decurrit & equitatum eorum à latere invaſit, averſumque, & eorundem partem peditum perturbantem inſequutus, clariſſimum victoriam retulit.

Ventidius adverſus Parthos non antè militem eduxit, quàm illi quingentis non amplius paſſibus abeſſent, atque ita procurſione ſubita adeò ſe admovit, ut ſagittas, quibus ex longinquo uſus eſt, cominus applicitus eluderet: quo conſilio, quia quandam fiduciæ etiam ſpeciem oſtentaverat, celeriter barbaros debellavit.

Hannibal apud Numiſtronem, contra Marcellum pugnaturus, cavas & præruptas vias objecit à latere, ipſaque loci natura pro munimentis uſus, clariſſimum ducem vicit.

Idem apud Cannas, cùm comperiſſet Volturnum amnem, ultra reliquorum naturam fluminum ingentes auras manè perflare, quę arenarum & pulueris vertices agerent, ſic direxit aciem, ut tota vis à tergo ſuis, Romanis in ora & oculos incideret: quibus incommodis mirè hoſti adverſantibus, illam memorabilem adeptus eſt victoriam.

Marius adverſus Cymbros ac Theutonos conſtituta die pugnaturus, firmatum cibo militem ante caſtra collocavit, ut per aliquantum ſpacij, quo adverſarij dirimebantur, exercitus hoſtium potius labore itineris profligaretur: fatigationi eorum deinde incommodum aliud objecit, ita ordinata ſuorum acie, ut adverſo ſole, & vento & pulvere barbarorum occuparetur exercitus.

Cleomenes Lacedæmonius adverſus Hippiam Athenienſem, qui equitatu prævalebat, planiciem in qua dimicaturus erat, arboribus proſtratis impedivit, & inviam equiti fecit.

Iberi in Aphrica ingenti hoſtium multitudine excepti, timentesque, ne circumirentur, applicuerunt ſe flumini, quod altis in ea regione ripis profluebat: qui ita à tergo amne defenſi, & ſubinde cùm virtute præſtarent, incurſando in proximos, omnem hoſtium exercitum ſtraverunt.

Xantippus Lacedæmonius ſola loci commutatione, fortunam Punici belli convertit: nam cùm deſperantibus iam Charthaginenſibus mercede ſolicitatus, animadvertiſſet, Aphros quidem, qui equitatu & elephantis præſtabant, colles ſectari: à Romanis autem, quorum robur in peditibus erat, campeſtria teneri, Pœnos in plana deduxit: ubi per elephantos, diſſipatis ordinibus Romanorum, ſparſos milites per Numidas perſecutus, eorum exercitum fudit: in illam diem terra marique victorem.

Epaminundas dux Thebanorum, adverſus Lacedæmonios directurus aciem, pro fronte eius decurrere equitibus juſſis, cùm ingentem pulverem oculis hoſtium objeciſſet, expectationemque equeſtris certaminis prætendiſſet, circumducto pedite ab ea parte, ex qua decurſus in adverſam hoſtium aciem ferebat, inopinantium terga adortus cecidit.

Lacedæmonij trecenti contra innumerabilem multitudinem Perſarum, Thermopylas occupaverunt, quarum anguſtiæ non amplius, quàm parem numerum cominus pugnaturum, poterant admittere: eaque ratione quantum ad congreſſus facultatem, æquati numero barbarorum, virtute autem præſtantes, magnam eorum partem occiderunt: nec ſuperati forent, niſi per proditorem Ephyaltem Trachiniam circumductus hoſtis, à tergo eos oppreſſiſſet.

Themiſtocles dux Athenienſium, cùm videret utiliſſimum Gręciæ, adverſus multitudinem Xerxis navium, in anguſtijs Salaminijs decernere, idque perſuadere civibus non poſſet, ſolercia effecit, ut à barbaris, ad utilitates ſuas Græci compellerentur: ſimulata namque proditione, miſit ad Xerxem, qui indicaret populares ſuos de fuga cogitare, difficilioremque rem ei futuram, ſi ſingulas civitates obſidione aggrederetur. Qua ratione effecit, ut exercitus Barbarorum primum inquietaretur, dum tota nocte in ſtatione cuſtodiæ eſt: deinde, ut ſui manè integris viribus, cum dictis barbaris vigilia marcentibus confligerent, loco ut voluerat arcto, in quo Xerxes multitudine qua præſtabat, uti non poſſet. *Lib. 2. Stratag. cap. ſecundo.*

Quemadmodum intempeſtiva poſtulatio pugnæ inhibeatur.

Iulius Frontinus: Q. Sertorius, quòd experimento didicerat, imparem ſe univerſo Romanorum exercitui, ut barbaros quoque inconſultè pugnam expoſcentes doceret, adductis in conſpectum duobus equis, altero prævalido, altero admodum exili, duos admovit juvenes ſimiliter affectos, robuſtum & gracilem: ac robuſtiori imperavit, equo exili univerſam caudam abrumpere: gracili autem, valentiorem per ſingulos pilos vellere: cumque gracilis feciſſet quod imperatum erat, validiſſimus cùm in infirmi equi cauda ſine effectu luctaretur: Iam inquit Sertorius, naturam Romanarum cohortium per hoc vobis exemplum oſtendi milites, inſuperabiles ſunt univerſas aggredientibus: eaſdem lacerabit & carpet, qui per partes attentaverit.

Idem cùm videret ſuos pugnæ ſignum inconſultè flagitantes, crederetque rupturos imperium niſi congrederentur, permiſit turmæ equitum ad laceſſendos hoſtes ire, laborantique ſubmiſit alias, & ſic recepit omnes: tutiſque & ſine noxa oſtendit, quis exitus flagitatam pugnam manſiſſet: obſequentiſſimiſque inde eis uſus eſt.

Ageſilaus Lacedæmonius, cùm adverſus Thebanos caſtra ſuper ripam poſuiſſet, multoque majorem hoſtium manum eſſe intelligeret, & ideo ſuos arcere à cupiditate decernendi vellet, dixit, reſponſo Deûm ſe ex collibus pugnare juſſum: & ita exiguo præſidio ad ripam poſito, acceſſit in colles. Quod Thebani pro metu interpretati tranſierunt flumen, & cùm facilè depuliſſent præſidium, ceteros inſecuti avidius, iniquitate locorum à paucioribus victi ſunt.

Scorylo dux Dacorum, cum ſciret diſſociatum armis civilibus populum Romanum, neque tamen tentandum arbitraretur, quia externo bello poſſit concordia in cives coaleſcere, duos canes in cōſpectu popularium commiſit. hiſque acerrimè inter ipſos pugnantibus, lupum oſtendit, quem protinus canes, omiſſa inter ſe ira, aggreſſi ſunt, quo exemplo prohibuit barbaros ab impetu Romanis profuturo.

Quemadmodum ſit incitandus exercitus ad prælium.

Idem: M. Fabius & Cn. Manlius Coſ. adverſus Hetruſcos propter ſeditiones detrectante prælium exercitu, ultro ſimularunt cunctationem, donec milites probris hoſtium coacti, pugnam depoſcerent, jurarentque ſe ex ea victores redituros.

Fulvius Nobilior, cum adverſus Samnitium numeroſum exercitum, & ſucceſsibus tumidum, parvis copiis neceſſe haberet decertare. ſimulavit unam legionem hoſtium à ſe corruptam ad proditionem. imperavitque (ad eius rei fidem) tribunis, & primis ordinibus & centurionibus, quantum quiſque numeratæ pecuniæ, aut auri argentique haberet, conferret, ut repræſentari merces proditoribus poſſet: ſe autem his, qui contuliſſent pollicitus eſt, conſummata victoria, ampla inſuper præmia daturum. Quæ ſua perſuaſio Romanis alacritatem attulit & fiduciam: unde etiam præclara victoria, commiſſo ſtatim bello, peracta eſt.

C. Cæſar adverſus Germanos & Arioviſtum pugnaturus, confuſis ſuorum animis, pro concione dixit, nullius ſe eo die opera, niſi decimæ legionis uſurum: quo conſecutus eſt, ut decimam tanquam præcipuæ fortitudinis teſtimonio cogeret, & ceteros puderet, ne penes alios gloria virtutis eſſet.

Q. Fabius, qui egregiè ſciebat, & Romanos eius eſſe libertatis, quæ contumelia exaſperaretur, & à Pœnis nihil juſtum aut moderatum expectabat, miſit legatos Carthaginem, de conditionibus pacis: quas cum illi iniquitatis & inſolentiæ plenas retuliſſent, exercitus Romanorum ad pugnandum concitatus eſt.

Ageſilaus Lacedæmoniorum dux, cùm propè ab Orchomeno ſocia civitate caſtra haberet, comperiſſetque pleroſque ex militibus precioſiſſima rerum deponere intra munimenta, præcepit oppidanis, ne quid ad exercitum ſuum pertinens reciperetur, quo ardentius dimicaret miles, qui ſciret ſibi pro omnibus ſuis pugnandum.

Epaminundas dux Thebanorum, adverſus Lacedæmonios dimicaturus, ut non ſolum viribus milites ſui, verum etiam affectibus adjuvarentur, pronunciavit in concione, deſtinatum Lacedæmoniis, ſi victoria potirentur, omnes virilis ſexus interficere, uxoribus autem eorum & liberis in ſervitutem adductis, Thebas diruere, quæ denunciatione concitati, primo impetu Thebani Lacedæmonios expugnaverunt.

Eutidas dux Lacedæmoniorum, pugnaturus eodem die, quo claſſe vicerant ſocij, quamvis ignarus actæ rei, vulgavit nunciatam ſibi victoriam partium, quo conſtantiores ad pugnam milites haberet.

Aulus Poſthumius prælio, quo cum Latinis conflixit, oblata ſpecie duorum in equis juvenum, animos ſuorum erexit, Pollucem & Caſtorem adeſſe dicens, ac ſic prælium reſtituit.

Archidamus Lacedæmonius adversus Arcadas bellũ gerens, arma in castris statuit, & circa ea duci equos noctu clàm imperavit: quorum vestigia manè (tanquam Castor & Pollux perequitassent) ostendens, adfuturos eosdem ipsis prœliantibus persuasit.

Pericles dux Atheniensium initurus prœlium, cùm animadvertisset lucum, ex quo utraque acies conspici poterat, densissimæ opacitatis, vastum alioqui & Diti patri sacrum, ingentis illic staturæ hominem, altissimis cothurnis, & veste purpurea, coma venerabilem in curru candidorum equorum sublimem constituit, qui dato signo pugnæ, proveheretur: & voce Periclem nomine appellans, cohortaretur eum, diceretq; Deos Atheniensibus adesse: quo penè ante conjectum teli hostes terga verterunt.

L. Sylla, quo paratiorem militem ad pugnandum haberet prædici sibi à dijs futura simulavit. Postremò etiam in conspectu exercitus, priùsquàm in aciem descenderet, signum modicæ amplitudinis, quod Delphis sustulerat orabat, petebatque, ut promissam victoriam maturaret.

C. Marius sagam quandam ex Scythia habuit, à qua se dimicationum eventus prædiscere simulabat.

Quintus Sertorius, cùm barbaro, & rationis indocili milite uteretur, cervam candidam insigni formæ per Lusitaniam ducebat, & ab ea, quæ agenda aut vitanda essent, prænoscere se asseverabat, ut barbari ad omnia tanquam divinitus imperata obedirent.

Hoc genere Strategematicῶn non ea tantum parte utendum est, quà imperitos existimabimus esse, apud quos his utemur, sed multò magis ea, quæ talia erunt, excogitabuntur, ut ab his monstrata credantur.

Alexander Macedo sacrificaturus, inscripsit medicamento aruspicis manum, quàm ille extis erat suppositurus: literæ significabant victoriam Alexandro dari, quas cùm jecur calidum rapuisset, & à rege militi esset ostensum, auxit animum, tanquam Deo spondente victoriam.

Idem fecit Innides aruspex, prœlium Eumene cum Gallis commissuro.

Epaminundas Thebanus, adversus Lacedæmonios fiduciam suorum religione adjuvandam ratus, arma quæ ornamentis affixa in templis erant, nocte subtraxit, persuasitque militibus, Deos iter suum sequi, ut prœliantibus ipsis adessent.

Agesilaus Lacedæmonius, cùm quosdam Persarum cepisset, quorum habitus multum terroris præfert, quoties veste tegitur, nudatos militibus suis (ut alba corpora & umbratica contemnerẽt) ostendit.

Gelo Syracusarum tyrãnus, bello adversus Pœnos suscepto, cùm multos cepisset, infirmissimum quenque præcipuè ex auxiliaribus, qui nigerrimi erant, nudatum in conspectu suorum produxit, ut persuaderet contemnendos.

Cyrus rex Persarum, ut concitaret animos popularium, tota die in excidenda quadam silua eos fatigavit, deinde postridie præstitit eis liberalissimas epulas, & interrogavit, utro magis gauderent: cũque ei præsentia probassent: Atqui per hæc (inquit) ad illa perveniendum est: Nam liberi beatique esse, nisi Medos viceritis, non potestis. atque ita eos ad cupiditatem prœlij concitavit.

L. Sylla quia adversus Archelaum præfectum Mithridatis, apud Pyrea pigrioribus ad prœlium militibus utebatur, opere eos fatigando, compulit ad poscendum ultrò pugnæ signum.

Fabius Maximus veritus, ne qua fiducia navium, ad quas refugium erat, minus constanter pugnaret exercitus, incendi eas, priusquam iniret prœlium, jussit. *lib. 1. Stratagem. cap. 11.*

De emittendo hoste, ne clausus prœlium ex desperatione redintegret.

Frontinus: Gallos, eò prœlio quod Camilli ductu gestum est, desiderantes navigia, quibus Tyberim transirent, Senatus censuit trãsvehendos, & commeatibus quoque persequendos. Ejusdem generis hominibus postea per Pomptinum agrum fugientibus via data est, quæ Gallica appellatur.

L. Martius eques Romanus, cui duobus Scipionibus occisis, exercitus imperium detulit, cùm circumventi ab eo Pœni, ne inulti morerentur, acriùs pugnarent, laxatis manipulis, & concesso fugæ spacio, dissipatos sine periculo suorum trucidavit.

C. Cæsar Germanos inclusos, ex desperatione fortius pugnantes, emitti jussit: fugientesque aggressus est.

Hannibal, cùm ad Trasimenum inclusi Germani acerrimè pugnarent, deductis ordinibus fecit eis abeundi potestatem, euntesq; sine suorum sanguine stravit.

Antigonus rex Macedonum Ætolis, qui in obsidionem ab eo compulsi, fame urgebantur, statuerantque eruptione facta commori, viam fugæ dedit, atque ita infracto impetu eorum, insecutos, aversos cecidit.

Agesilaus Lacedæmonius, adversus Thebanos cùm acie confligeret, intellexissetque, hostes locorum conditione clausos, ob desperationem fortius dimicare: laxatis suorum ordinibus apertaque Thebanis ad evadendum via, rursùs in abeuntes contraxit aciem, & sine jactura suorum cecidit aversos.

Cneus Manlius Cos. cum ex acie reversus capta ab Herruscis Romana castra invenisset, omnibus portis statione circundatis, inclusos hostes, in eam rabiem efferavit, ut ipse in prœlio caderet. Quod ut animadverterunt legati ejus, ab una parte remota statione, exitum Herruscis dederunt, & effusos persecuti, occurrente altero consule Fabio, ceciderunt.

Themistocles victo Xerxe, volentes suos pontem rumpere prohibuit; cùm docuisset potius esse, eum expelli ex Europa, quàm cogi ex desperatione pugnare.

Idem misit ad eum, qui indicaret, in quo periculo esset, nisi fugam maturaret.

Pyrrhus Epirotarum rex, cùm quandam civitatem cepisset, clausisq; portis ex ultima necessitate fortiter dimicantes eos, qui inclusi erant, animadvertisset, locum illis ad fugam dedit. Idem inter cæterà præcepta imperatoria memoriæ tradidit, non esse pertinaciter instandum hosti fugienti: non solum, ne fortius ex necessitate resisteret, sed ut postea quoque facilius acie cederet, ratus non usque ad perniciem fugientibus instaturos victores. *lib. 2. Stratagematum cap. 6.*

De constituenda per constantiam acie.

Frontinus: Servius Tullius adolescens, prœlio quo Tarquinius rex, adversus Sabinos conflixit, signiferis segnius dimicantibus, raptum signum in hostem misit, cujus recipiendi gratia Romani ita ardenter pugnaverunt, ut & signum & victoriam retulerunt.

Furius Agrippa Cos. cedente cornu, signum militare ereptum signifero, in hostes Hernicos & Equos misit: quo facto ejus prœlium restitutum est. Summa enim alacritate Romani ad recipiendum signum incubuerunt.

T. Quintius Capitolinus Cos. signum in hostes Phaliscos ejecit, militesque id repetere jussit.

M. Furius Camillus Tr. Mil. consulari potestate, cunctante exercitu, arreptum manu signiferum in hostes Volscos & Latinos traxit, ceteros puduit non sequi.

Saluius Pelignus, bello Persico idem fecit.

Qu. Furius, averso exercitu, cùm occurrisset, affirmavit non recepturum se in castra quenquam nisi victorem, reductisque in aciem, victoria potitus est.

Scipio apud Numantiam, cùm aversum suum videret exercitum, pronunciavit sibi pro hoste futurum, quisquis in castra redisset.

Sinilius Priscus dictator, cùm signa legionum ferri in hostes Phaliscos jussisset, signiferum cunctantem occidi imperavit, quo exemplo perterriti hostem invaserunt.

Cossus Cornelius, magister equitum adversus Fidenates idem fecit.

Tarquinius, adversus Sabinos cunctantes equites, detractis frenis, concitatisque equis procurrere & perrumpere aciem jussit.

Marcus Attilius Consul bello Samnitico, ex acie refugientibus in castra militibus aciem suorum opposuit, affirmans secum & cum bonis civibus dimicaturos eos, nisi cum hostibus maluissent, ea ratione universos in aciem reduxit.

L. Sylla, cedentibus jam legionibus exercitui Mithridatico, ductu Archelai, stricto gladio in primam aciem procurrit, appellansque milites dixit; Si quis quæsisset, ubi Imperatorem reliquissent, responderent pugnantem in Bœotia, cujus rei pudore universi eum secuti sunt.

Divus Iulius ad Mundam suis referentibus pedem, equum suum abduci à conspectu suo jussit, & in primam aciem pedes prosilijt: milites dum destituere Imperatorem erubescunt, redintegrarunt prœlium.

Philippus veritus, ne impetum Scytharum sui non sustinerent, fidelissimos equitum à tergo posuit, præcepitque, ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur, perseverantius abeuntes trucidarent. Qua denunciatione cum effecisset, ut etiam timidissimi mallent ab hostibus quàm à suis interfici, victoriam acquisivit. *lib. 2. cap. 8. Stratagematum.*

De his, quæ post prœlium fiunt, si res prosperè cesserint, & de confirmandis reliquijs belli.

Frontinus: C. Marius, victis prœlio Teutonis, reliquias eorum (quia nox circumvenerat) circumsedens, sublatis subinde clamoribus, per paucos suorum territavit, insomnemque hostem detinuit, ex eo consecutus, ut postero die irrequietum facilius debellaret.

Claudius Nero, victis Pœnis, quos Hasdrubale duce in Italiam ex Hispania traijcientes exceperat, caput Hasdrubalis in castra Hannibalis ejecit: quo factum est, ut & Hannibal luctu (nam frater occisus erat) & exercitus desperatione adventantis præsidij affligeretur.

Lucius Sylla his, qui Præneste obsidebantur occisorum in prœlio ducum capita hastis præfixa ostendit, atque ita obstinatorum pervicaciam fregit.

Arminius dux Germanorum, capita eorum, quos occiderat similiter præfixa, ad vallum hostium admoveri jussit.

Domitius Corbulo, cùm Tygranocertam obsideret, & Armenij pertinaciter viderentur toleraturi obsidionem, in quendam ex Megistanis, quos ceperat animadvertit, caputque ejus balista excussum,

cussum, intra munimenta hostium misit: id fortè decidit in medium consilium, quod tum cum maximè habebant barbari, ad cujus conspectum velut ostento consternati ad deditionem festinaverunt.

Hermocrates Syracusanus, superatis acie Carthaginensibus veritus, ne captivi, quorum ingentem manum in potestatem redegerat, parum diligenter custodirentur, quia eventus dimicationis in epulas, & securitatem compellere victores poterat, finxit proxima nocte equitatum hostilem venturum: qua expectatione assecutus est, ut solito attentius vigiliæ agerentur.

Idem rebus prosperè gestis, & ob id resolutis suis in nimiam securitatem somnoque & mero pressis, in castra transfugam misit, qui præmoneret se fuga elapsum, dispositas enim ubique à Syracusanis insidias, quarum metu recepit aciem. Illi cum adventarent, persecuti, in fossas deciderunt, & eo modo victi sunt. *lib. 2. Strategematum cap. 9.*

¶ Apologorum.

Æsopi Mures & Feles: Muribus & Felibus bellum erat. Continuo autem victi Mures; cum una convenissent, suspicati id propter Regis defectum evenire, duces selectos elegere: qui insigniores cæteris esse dum volunt, cornua sibi adaptavere. Ingruente prælio mures vinci omnes contigit: Cæteri verò facile cava subiere: at duces ob cornua ingredi cum nequirent, capti devorati sunt.

De Vipera & lima. *Anonymus.*

Vipera fabrilem, dapis anxia, tendit in ædem.
Incipit hæc limam rodere, lima loqui:
Nescis posse meum, quæ sit mea gloria, nescis,
Dente meo pateris, non ego dente tuo.
In tenuem ferrum forti molo dente farinam,
Et cadit attritu dura farina meo,
Ferrea mordaci castigo tubera morsu,
Aspera plano, seco longa, foranda foro.
Deliras igitur cum dente mineris inermi.
Rideo, quum fertor, vulnera ferre gemis.
Fortem fortis amat, nam fortem fortior angit:
Majori metuat obvius ire minor.

De Ariete cum Tauro pugnante Fab. 79.

Aries quidam inter lanigeros greges, erat tanta cornuum, & capitis firmitate, ut cæteros arietes statim facileque superaret. Quare cum nullum amplius arietem inveniret, qui occursanti sibi auderet obsistere, crebris elatus victorijs, taurum ausus est ad certamen provocare. Sed primo congressu, cum in taurinam frontem arietasset, tam atroci ictu repercussus est, ut ferè moriens hæc diceret: Stultus ego, quid egi? cur tam potentem adversarium ausus sum lacessere, cui me imparem creavit natura?

Fabula indicat, cum potentioribus non esse decertandum. Laur. Abstemius.

¶ Emblematis.

Camerarius XXXII. Centuria 3.

Exitus in dubio est. *Aquila & Ardea.*

Sunt dubij eventus incertaque prælia Martis:
Vincitur haud raro, qui prope victor erat.

¶ Monosticha Trochaica.

A nobis stat, tela nulla in prælio qui in nos jacit.
A tergo hostem invadens terret quam pro numero latius.
A via defatigatos si aggredi potes, necas.
Ad manus pigrant venire res quibus non sunt bona.
Æque amicos atque inimicos pugna noctu conficit.
Æque animi pugnare fas est viribus quam corporis.
Æquior Luna est, à tergo stat quibus pugnantibus.
Aliud est loqui de pugnis, aliud congredi hostibus.
Alterum feri, sed sic ne latera pateas alteri.
Amittant prius animam fortes quam suo migrent loco.
Angustus locus quæratur copiis minoribus.
Ante prælium te hyemale & oleo & ignibus fove.
Ante prælium trophæa qui erigit, se destruit.
Ante pugnam incede lentus: curriculo ire noxium est.
Aut domi mortem reportat fortis aut victoriam.
Bellicæ rei scientia pugnandi alit audaciam.
Buccinâ auditâ ante pugnam trepidant vel fortissimi.
Certiora vulnera è ripa, è navi quàm dirigas.
Contra vim magnam hostiũ arte pugnes mage quã viribus.
Cum noto hoste, ac sæpe victo, congrediendum est acrius.
De salute primitus, mox cerne de victoria.
Dedecus letho arce; mortem perque pectus excipe.
Dexterum opperire tempus, dextera ut sint prælia.
Error in pugna sodalem sæpe pro hoste interficit.
Fortior omnis pro salute pugna, quàm pro gloriâ.
Fortis, & sui & sodalis tutor est in prælijs.
Fulgor auri, fulgor argenti haud tegit nec vulnerat.
Gignitur primis fiducia aut metus eventibus.
Grandior quo pugna quæque, major hoc victoria est.
Haud facile excusationem admittit agon bellicus.
Haud parem conflictum assumere usus ac torpor potest.
Hostis fortem aliquando eandem sensit & mitem manum.
Hostium contemptus animos ad pugnam magnos facit.
Hostium jus fasque armorum prælium atque acies parat.
Hostium tentare mentem vel levi pugna licet.
Imperita multitudo haud usui est in prælijs.
Imperitus ignavusque numero quovis vincitur.
In delictis præliorum nulla jam emendatio est.
In periculis pugnisque solito sis prudentior.
Inter confertos teli ictus nullus absque vulnere est.
Interest nihil virtutis, dimicet terra an mari.
Integros honor dolorque lapsos ad pugnam incitat.
Ire Cattos ad bellum videas, alios ad prælium.
Laus honosque jure comit mortuos in prælijs.
Major est reverti ab hoste, quàm rapi in pugnas, labor.
Marte adverso non pugnatur impares in copias.
Marte communi esse certus exitus pugnæ nequit.
Maximum in pugna ijs periclum, qui timent vel maximè.
Maximum in pugna periclum maximè timentibus.
Miles haud ventrem latusque, sed caput ac collum petit.
Miles prælio asperatus nusquam ulli consulit.
Militi pugnandum non est antequam litaverit.
Mites abhorrent sanguine atque cædibus boni.
Multitudini hostium impar, stultè cernat prælio.
Morte honesta turpe vitat dedecus fortis fugæ.
Ne pugnes simul duobus, si unum avertere es potis.
Non in somnis quæritur, sed prælio victoria.
Non modo in pugna se servat fortis at & proximum.
Non modum ullum ponit iræ pugna cui pro patria est.
Noxissima est quocumque prælio imperitia.
Nullus ictus absque vulnere est in multitudine.
Oblivíscitur salutis laudis amor cùm dimicat.
Obscurè loquare, ne hostes quæ velis intelligant.
Omnis prælij haud mage est quam judicij anceps alea.
Ordine hosteis insequare, vel prodis victoriam.
Parvis in bello momentis: casus magni intercidunt.
Partium studio progressa ad prælium ipsa feminæ.
Pectus offer; nota dorso nusquam victoria est.
Plura fortibus consilijs, quam bonis prælijs patres.
Plus nocet quocumque prælio imperitus, quam juvat.
Prædam avent non prælium omnes qui nimis ferociunt.
Prælium dirimere suevit nox interventu suo.
Prælium manus requirit non & ampla nomina.
Prælium omne separatur Nox ubi nigra advenit.
Prælium pauci profligant, non integri exercitus.
Prælium parvo momento est aut mali aut boni exitus.
Prælium vis vincere? acri acrem adde virtuti dolum.
Prælium urget imperitus: at peritus extrahit.
Prælij fine, terminanda militis licentia.
Prælij secundum eventum fermè cedunt cetera.
Prælij unius casus summæ rerum non præjudicat.
Prælio primore victus, victor est ferè altero.
Prælijs etiam secundis atteruntur copiæ.
Præliantibus patescit campus ad pulcram necem.
Præliari noli miles terra sub te si movet.
Præliaturi & majores cogitate & posteros.
Præmio aut dolo pugnare non placet Quiritibus.
Præterit malos Mars semper, semper obterit bonos.
Pransum oportet ac paratum militem ante prælium.
Promptius pugnare nusquam est, quam suis in finibus.
Pugna clara haud expatratur absque vi discriminum.
Pugna constans pauciores terræ allidit, quam fuga.
Pugna primò tristis, inde pignus est victoriæ.
Pugna ubi est, pro muro habetur crassiore audacia.
Pulvis athletam, unda nautam, pugna militem probat.
Pulverem, ventum atque solem prælians à tergo habe.
Quam minus parcis tibi ipse in prælio, hoc es tutior.
Quanta vis, quanta est potestas sortis omni prælio!
Qui minimè in pugna sibi parcit, tutus maximè omniũ est.
Quis non autumet beatos mortuos in prælio?
Quo Galle scutum, te nisi integrum tegit?
Quos necat Mars, Divi hominesque summo honore munerãt.
Quos necat Mars, multo honore Divi hominesque percolunt.
Res cogendæ sunt in arctum, tela uti in vanum cadant.
Rem gerunt manu priores, jure rem gerunt pares.
Sæpe perditas servavit res in prælijs pudor.
Sæpe ne quidem clamorem perfert hostis militum.
Sæpe prælium secundum cladem primam corrigit.
Sæpe quod robur nequiret præstat in pugna pudor.
Sæpe strenuus facit sese agminis novissimum.
Sparsas hac illac cohortes vel facillimè opprimas.
Strenuè nunquam pugnabit qui hostium servus fuit.
Summa fortunæ potestas est quocunque prælio.
Summæ sereí Rex servet: dubiis pugnis eximat.
Tam juvant in prælio arma ahenea ac merè aurea.

Tela in agmen missa densum, non cadunt frustranea.
Tendere extra vallum eum jube, hosti qui cessit loco.
Turpe detrectare pugnam, ad pugnam si quis provocat.
Vel scuto vitanda mors est, vel pedibus fugacibus.

¶ JAMBICA.

A prælijs ætas senes ipsa avocat.
Ad præliandum & militem excitat pudor.
Ad prælium armis indiget nullis fides.
Ad prælium jejunus ire non potest.
Amittere in pugna signum, ultimum est nefas.
Aspectu etiam ipso consummantur prælia.
Aut vincere, aut mori pugnando, fortium est.
Balearicâ fundâ præludas prælio.
Cælo humido uti commode haud est arcubus.
Certare si vis, id face auctis viribus.
Clamor ferè de prælij index exitu est.
Clamore solo etiam hostes debellaveris.
Coitio prima, coitio est acerrima.
Delicta nequeunt præliorum corrigi.
Edicta vatum præliantes erigunt.
Et caussa pugnæ facta aliquando æquatio.
Et fortiorem in prælio ignavus conficit.
Et lex, & ætas quosdam a prælijs avocant.
Et prælium, sol, pulvis, ventus adjuvant.
Etiam in Deos Idas telum direxerit.
Etiam temeritas hostem in prælium elicit.
Extrema, sese cogitant, non proximum.
Finis sequendi, mox & satietas fuit.
Formidat indoctus; doctus pugnam adpetit.
Fortuna plus in pugnâ, quam virtus potest.
Fortuna pugnæ auxilio mutatur novo.
Fusum cruorem rubra vestis occulit.
Haud præliandum est cum anni infesto tempore.
Haud temerè summa rerum danda in aleam est.
Haurire oportet sanguinem aut dare hostibus.
Impransus a pranso usq; & usq; vincitur.
In imparem hostem facile ex æquo prælium est.
In morte & ipsâ vivit ira fortium.
In pace leones, cervi sunt in prælio.
In prælio aurum non juvat: ferrum juvat.
In prælio Mars pignerat promptissimum.
In prælio mori mors perpulcerrima est.
In prælio non sunt, sed in bello, omnia.
In prælio, peditem penes plus roboris.
In prælio plus usus, quam vis perficit.
In prælio quoq; Ventus ac Sol militant.
In prælio robur nec dat nec fert locus.
In prælio spoliator utiq; prævalet.
In prælio vulpes, leones sunt domi.
In prælijs, momentum fama maximum.
In prælijs mortem oppetunt fortissimi.
In prælijs, peccare fas tantum semel.
In prælijs, pro munimento audacia est.
In prælijs pietas plus quam numerus potest.
In prælijs, virtus valet, non copia.
In prælijs virtutis est loco pudor.
Infirmiorem immisce fortioribus.
Latrocinio clam vincas, prælio palam.
Minus est ferire, tueri quam vitalia.
Mors misera non est, commori cum quo velis.
Muri instar est in prælijs audacia.
Nec nocte cessat pugna pertinacium.
Nil prius est in prælio iracundiâ.
Noli tua una cuncta pugnæ credere.
Non se pares cuncti exhibent in prælijs.
Non ubi pugnes, sed ubi vincas, considera.
Occasio pugnet; pugnet necessitas.
Parvâ manu magnas profligas copias.
Periculosa prælij omnis alea est.
Periculosus in bello error nominis.
Plus fert suis elephas pericli, quam hostibus.
Plus militem in pugnâ animus arma quam juvat.
Post magna prælia & imbres largi decidunt.
Potius moriare quam in pugnâ excidas loco.
Promptissimos in prælio mors occupat.
Pugna secunda animi incitantur omnium.
Pugnantium crescit cum pugnâ gloria.
Pugnantibus nocent locorum angustiæ.
Pugnare contra umbram suam, est & militis.
Quandoq; æquatio ipsa caussa prælij est.
Qui prælium fugit fatetur se imparem.
Quo longior pugna hoc corona honestior.
Quod ensis est speculiq; contubernium?
Serum est venire prælij sub exitum.
Simul cohortes accendæ, haud singulæ.
Solatium honestæ mortis, ex cæde hostium est.
Valde efficax est ipsa in tergum incursio.
Vbi pugna dura, ibi clarior victoria.
Vel plane omissum accendat unus prælium.
Vitâ potius fortis loco quam cesserit.
Vix acriter vir sumat fessus prælium.
Vulneribus adversis pulchrè in pugnâ cadas.

Præmeditationis.

¶ SENTENTIÆ PHILOSOPHORVM GRÆCORUM.

EPictetus: Mors, & exilium, & omnia quæ in malis habentur, ob oculos tibi quotidiè versentur; omniũ verò maximè mors: & nihil unquam humile cogitabis, nec impensè cupies quidquam. *cap. 28. Enchir.*

Simplicius: Sed si Demosthenes eam spem bonam appellat, qua & salus conservetur, & periculum evitetur: vix, ac ne vix quidem fieri potest, ut is qui spem salutis atque successum perpetuo foveat ingruentes calamitates moderato & æquo animo ferat. Neque enim corpus neque animus subitas mutationes sine perturbatione fert: cum & anni tempora (licet eorum mutatio paulatim fiat) morbos plerumque gignant. Neque vero timidos, ignavos, mœstos, ista difficultatum & periculorum præmeditatio efficiet. Nam si actionem & bonam & utilem esse animo (hoc est homini) ratio monstrarit, tametsi non absque periculo, ut boni desiderium & fidentes & actuosos facit: sic periculi cogitationem id consolatur, quod rectæ rationi paruerint, quæ præceperit, expetendum illud opus etiam cum periculo fuisse. Nam periculum & damnum cum ad corpus & res externas pertineant, non proprie mala sunt nostra, nostrarumve rerum, si modo sapimus. Vtilitas vero rei honestæ, vel cum periculo suscipiendæ, cum sit animi, hoc est bonorum nostrorum: multis doloribus, damnis, exilijs & ignominijs æquari, ac potius præponderare potest, & excellentia boni consolari. Omnis enim homo bonum majus cum minore malo conjunctum amplectitur, præsertim si bonum esse nostrum, malum vero alienum esse videatur. *ad 8. cap. Epict.*

Simplicius: Quantum intersit præparatum aut imparatum aliquid excipere: cuivis est perspicuum. Neque enim res acerbæ tantum, sed & jucundæ præter spem oblatæ animos perturbare solent. Nam molesta quidem subito obturant & contrahunt visionem, unaque cum ea & corporis & spiritus temperamentum. Jucunda vero subito diffundunt & divellunt, ac dissipant robur animorum. Hinc fit, ut similes casus utraque horum quantumvis inter se contraria sequantur, ut animorum deliquia, ut rigores & exanimationes, ac ipsa prope mors. *ad Epict. cap. 17.*

¶ LATINORUM.

Seneca: Effugere vitæ mala non potes; contemnere potes: contemnes autem si sæpe cogitaveris, & futura præsumpseris. Nemo non fortius ad id cui se diu composuerat, accessit, & duris quoque, si præmeditata erant, obstitit. At contra imparatus, etiam levissima expavit. Id agendum est, ne quid nobis inopinatum sit: & quia omnia novitate graviora sunt, hæc cogitatio assidua præstabit, ut nulli sis malo tiro. Servi te reliquerunt? Alium compilarunt, alium accusaverunt, alium occiderunt, alium prodiderunt, alium calcaverunt, alium veneno, alium criminatione petierunt. Quidquid dixeris, multis accidit. Deinceps quæ multa & varia sunt, in nos diriguntur. quædam in nos fixa sunt, quædam vibrant & cum maximè veniunt, quædam ad alios perventura nos stringunt. nihil miremur eorum ad quæ nati sumus: quæ ideo nulli querenda, quia paria sunt omnibus. ita dico; paria sunt: nam etiam quod effugit aliquis, pati potuit. Æquum autem jus est, non quo omnes usuri sunt, sed quod omnibus latum est. Imperetur æquitas animo, & sine querela, mortalitatis tributa pendamus. &c. *Epistola. 107.*

¶ POETARUM.

Virgilius lib. 6. Æneid. v. 103.

——— *Non ulla laborum.*
O virgo, nova mî facies inopinave surgit:
Omnia præcepi, atq; animo mecum ante peregi.

Plautus Pseudolo 1. sc. 5. v. 101.

Egone ut cavere nequeam cui prædicitur?
P. Prædico ut caveas; dico, inquam, ut caveas: cave.

¶ APOLOGI.

De Gliribus quercum eruere volentibus. Fab. 35.

Glires quercum arborem glandiferam dentibus eruere destinaverant, quo paratiorem haberent cibum, ne victus gratia toties ascendere & descendere cogerentur. Sed quidam ex eis, qui ætate & usu rerum, ac prudentia cæteros longè anteibat, eos absterruit dicens: Si nutricem nostram nunc interficiemus, quis futuris annis, nobis ac posteris nostris alimenta præbebit.

Fabula hæc monet, virum prudentem debere non modò præsentia intueri, verùm etiam futura longe prospicere. Abstemius.

Videantur plura titulo *Circumspectionis, Futuri, Improvisi, Initij, Perseverantiæ.*

PRÆ-

Præmij.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

Chryſoſtomus: Si enim qui plura præſtiterunt, plus mercedis accepturi non eſſent, multi redderentur ſegniores. Unde neq; in regno par honor, neque in diſcipulis pares omnes, ſed præſtantiores reliquis tres erant, & in ipſis tribus multum rurſus differentiæ repertum eſt. Multa quippe diligentia apud Deum eſt etiam uſque ad extremos: nam & aſtrum ab aſtro differt, inquit, in gloria. Quanquam omnes fuerint Apoſtoli, omnes ſuper ſedes duodecim ſeſſuri ſint, omnes ſua reliquerint, omnes ſimul cum ipſo verſati fuerint: tamen tres ex illis accepit. Rurſus & horum trium quosdam eminere & excellere dixit. Sedere enim, inquit, à dextris & ſiniſtris, non eſt meum dare, niſi quibus paratum eſt. *Homil.31.ad Romanos.*

Chryſoſtomus: In omni virtute non tam laborum acrimoniam, quam præmiorum ſuavitatem, atque antea omnia Chriſtum, qui certaminum cauſa eſt, ob animum tibi propone; ſic fiet ut certamina impigrè adeas, atque omnem vitæ curſum cum voluptate conficias. neque enim quidquam eſt, quod tantam ad ciendam voluptatem vim habeat, ut animus ſibi bene conſcius. *Homilia 12. ad Corinth. 2.*

Chryſoſtomus: Non ſufficit liberari vitio, ſi oportet aſſequi regnum cœlorum: ſed etiam multa virtutum opus eſt operatione. Nam ut à gehenna quidem liberemur, abſtinere oportet à ſcelere: ut autem regnum aſſequamur, virtus eſt amplectenda. An neſcitis; quòd in externis etiam judiciis, quando facta examinantur, & ad concionem convenit tota civitas, ita fiat? In externis enim judiciis vetus eſt mos ut corona coronetur aurea, non qui nihil mali fecit civitati, hoc enim ſolùm ſufficit ad non dandas pœnas; ſed etiam qui magnis eam affecit beneficiis. Sic oportebat duci ad hunc honorem. *principio Homiliæ 16. ad Epheſios.*

Chryſoſtomus: Subſidium ferre, hoc eſt communicatio in Evangelium. Etenim quando ille quidem prædicat, tu verò prædicantem foves, & adjuvas: illius coronæ communes tibi fiunt. Nam & in externis certaminibus non ad illum, tantùm qui certat, corona pertinet; ſed etiam ad pædotribam, & ad miniſtrum, omninòque ad omnes illos, quicumq; athletam inſtituerunt. Etenim qui illum confirmant ac recreant, eos victoriæ quoque participes fieri æquum eſt. Iridem verò in bellis non ſolus ille, qui præclarum facinus edidit; ſed omnes etiam, qui ei utilem operam dederunt, non injuria ad trophæorum gloriæque partem vocantur: perinde ac diligens illa opera, & miniſterium, pars quædam ac ſocietas certaminis fuerit. Atqui ſanctis inſervire, tantum abeſt, ut parvum quiddam ſit: ut multum omninò valeat. Nobis enim communes facit repoſitas illas mercedes. *Homilia 1. ad Philippenſes.*

S. Iſidorus Peluſiota: Matris filiorum Zebedæi petitionem Dominus, non ut ejusmodi quæ vires ſuas excedat, aſpernatur (nam quod vult poteſt) verùm ut abſurdam reijcit. Dic enim, inquit, ut duo filij mei ſedeant, unus à dextris tuis & alter à ſiniſtris in regno tuo. At juſtus ille mercedum repenſor æquo ac rationi conſentaneo quodam judicio abſurditatem huiusmodi coercet. Non eſt, inquit, meum ſimpliciter poſtulantibus dare: verùm iis, qui labores ſubierunt, mercedem præbere. Neque enim juſti judicis eſt ſudores contemptui habere, ac ſegnibus & ignavis largiri. Quamobrem ſi hujusce ſeſſionis eos cupiditas tenet, certamina illa minimè ignorant, in quorum præmium ea, iis qui legitimè certant, præparata eſt. *Lib 1.Epiſt.137.*

S. Iſidorus Peluſiota: Labores fructuum tuorum manducabis. Pſalmicus modulus hic eſt, omni vitæ generi conducibilis. Quod perinde eſt ac ſi diceret: vos qui ſanctæ atque honeſtæ vitæ curam geritis, ipſius fructus comedetis, immortalibus ſcilicet coronis à Deo coronati. Ac rurſum intemperantes & flagitioſi homines ſcelerum ſuorum pœnas recepturi ſunt. *Lib.1.epiſt.414.*

S. Iſidorus Peluſiota: Lubentiùs ego, cùm de omnibus bene meritus eſſem, tanquam qui injuria omnes affeciſſem, pœnas darem, quàm cùm unum læſiſſem, tanquam de omnibus bene meritus, corona donarer ac prædicarer. *Lib.3.epiſt.390.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam quæſiviſti, quid cauſæ ſit, cur is qui quinque talenta acceperat, & lucrando duplicârat, quique duo, eodem potitus uterque ſit præmio: reſpondeo, id meritò factum eſſe. Quia enim differentiam inter illos fecerat non hujus quidem ſocordia, alterius verò induſtria, ſed depoſiti quantitas (diverſa,) quam accommodatam ad vires eorum qui id exercebant dedit herus: idcircò jure ac meritò eadem utrique laus tributa eſt, quamvis lucri proventus non eſſet idem. *Lib.4.epiſt.106.*

Baſilius Seleuc. Laborem primùm videam, & tunc coronam concedam. opera videam, & meritum honorem decernam. *Oratione 28.m.*

LATINORUM.

Egeſippus: Cæſar pronuntiat dignum magis ſacerdotio Hircanum videri. Antipatro autem detulit poteſtatis electionem. tum ille eundem arbitrum honores & moderatorem expetens, atque in eo qui honorem daret ponens menſuram honoris, aſturè ſatis & verecundè decus tulit & incrementum potentiæ. *Lib.1.cap.25. de excid. Hieroſ.*

Chryſologus: Præmia ſtatuuntur ſemper his, quibus certamina dura proponuntur; ac pro magnitudine certaminis, præmij præponitur magnitudo. *Serm.22.pr.*

Chryſologus: Sic agricola fructus uberes, & exatiatas epulas cantàt, ut imminentem vomeris laborem non ſentiat & ſudorem. Sic nauta portus modulatur & lucra, ne undarum ruinas, ne maris diſcrimina pertimeſcat. Sic miles, ne vulnera metuat, ut gladios non pertimeſcat, prædas perſonat & triumphos. *Serm.118.pr.*

Chryſologus: Bonus villicus quando copioſum fructum continuo labore conquirit, venire dominum ſuum ad lucrum ſuum cupit, ſuum concupiſcit ad gaudium: diligens operarius quando opus ſuſcepti laboris impleverit, ut mercedem percipiat, patrem familias deſiderat advenire: devotus miles poſt conflictum, poſt victoriam, præſentiam regis optat, ut præmiis ſudores & vulnera remuneratione compenſet: ſic ad palmam ſuam cupit venire Chriſtum, qui bella mundi indefeſſa virtute proſternit: ſic Chriſtum venire non vult; qui ſuperatus illecebris ſæculi de pœna trepidat; de venia nil præſumit. *Serm.158.m.*

Ennodius: Si tollantur virtutis præmia, quem laboraſſe non pudeat? *Lib.4.epiſt.32. a.f.*

Ennodius: Par quidem diſcipulis incipiens magiſter eſt, & inter exordia doctor nulla eſt ab auditoribus ſorte ſublimior. expertis honor debetur ingeniis: vix mediocrem cultum exigunt non probati. Illa ſunt vera præconia, quæ longus ſudor elicuit: blandimentum eſt, non judicium, quotiens laborem gloria ingeſta præceſſerit. Inter maculas numeret, quoscumque triumphos ante diſcuſſionem campi miles adquiret. Qui properatis ſubeunt Olympiaca bella veſtigiis, nunquid eis ante conſummationem certaminis ſuppetit ſpes coronæ? dicente Apoſtolo, non coronatur, niſi qui legitimè certaverit. Ecce nec illos decet ante meritum prædicatio, à quibus juſtè poſcitur poſt laborem. *Dict.5.pr.*

Ennodius: Qui tollit ſudoris præmium, frangit ſtudia dimicandi. *Mox:* Tolle ſpem prædæ; tuliſti vota certaminis. & ſi defraudatur genius laureati, ad pœnitentiam redibit, quidquid contemptu lucis expetiit. *& poſt:* Neſcis, loquaciſſime hominum, quàm juſtus dolor de amiſſa laboris fruge naſcatur. *Dict.22.a.m.*

Ennodius Petitorio: Deus arbiter univerſitatis & conditor illa res humanas lance diſpenſat, ut & fideles præmium & pœnam rebelles accipiant. Laſſis enim devotorum obſequiis valetudinem tribuit, dum muneris oblatione ſuccurrit. perdit laboris memoriam mens terrenis obligata carceribus, quotiens illi viciſſitudine ſubvenitur. in antiquum ſudoris juveneſcit affectum, qui neceſſitatem gratiæ melle commutat. Sanctorum pœnæ, dum corona quæritur, abjurantur. Cui dubium eſt, quòd nec ad cœlum ſine fiducia remunerationis acceditur?

❡ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Phalaris Timoſtheni. Militum dimidia pars ad caſtellum maneat & illud evertat. Reliqui maris vias ſuffodiant: ut inundatione penetrante, cultus ex inculto campus reddatur. Præmium verò utrorumque his, qui primi ſuum opus perfecerint, tribuatur. *Epiſtola 62.*

Phalaris Polymneſtori. Copioſus gravisque prædicator apud nos Lacritus extitit, cùm aliorum tuorum omnium meritorum, tum auxilij ſcutatorum maximè. Nam & tua, & pugnantium virorum opera captum expugnatumque caſtellum aſſerit, cùm ipſe ſuis equis quietem & otium tua voluntate conceſſiſſet. Ego verò ſi etiam omnia data à me munera recepiſſes, tamen vererer me hercule, ne tu benevolentia me ſuperares. Jam verò cùm tu munera ita ut mittuntur non recipias: Rex ego me ſuperatum ab uno privatæ conditionis homine fateor. Si verò ne nunc quidem tertiam prædæ partem receperis, nec in milites diſtribueris, quam Lacrito ſtatim etiam dante recipere non potuiſti; ſcias nos jam fieri non ad benefaciendum, (Hoc enim per te nobis non concedebatur,) ſed beneficij capiendi in poſterum coges fieri cunctatiores. *Epiſtola 133.*

Idem eidem. Timori noſtra increpatio tibi fuit, eò quod non iterum rogaturi eſſemus, quare prædam quoque ut volebamus, iis qui labores pertulerunt, quaſi periculorum præmium reddidiſti, & rectè quidem. Nam & lætitiam ſummam attuliſti, & petendi quidvis à te in poſterum libertatem dediſti, virosque cùm neceſſitas urgebat, promptiores alacrioresque effeciſti. Quis enim labores in ſe gratis recipiat? Nemo ſanè quicunque tandem ſubeat aut toleret. Aliis igitur, hæc quoque adeptus es. At verò cùm in hoc inſumas, ut idoneos nobis facilesque milites facias, ſi ad futura ſit opus, hæc quoque reportare videris. *Epiſtola 134.*

Xenophon: Heic è præfectis cohortium quidam ſubridens: Equidem novi quendam, inquit, etiam media de plebe, qui nobiſcum æqualitatem non ita temere ſervandam eſſe ſuadebit. Quemnam hunc dicis? quærebat alius. Eſt mihi profectò, ait, contubernalis quidam, qui plus aliis in omnibus habere quærit. Tum alius: Etiamne plus laborum? interrogat. Minime vero, ait. Nam heic quidem, in mendacio deprehenſus ſum. Semper enim æquo admodum fert animo,

animo, in laboribus, & ceteris hujusmodi, plus alium habere, qui quidem velit. Et Cyrus: Ego vero statuo, inquit, homines tales, qualem nobis hic etiam modo narrat, si quidem navum & dicto audientem habere exercitum velimus, eximendos ac removendos esse. Nam militum plerique mihi sic comparati esse videntur, ut sequantur, quacumque quis duxerit. Ducere vero, mea quidem sententia, viri fortes ac præclari conantur ad res præclaras & honestas: ad improbas, improbi. Atque adeo frequenter accidit, ut homines nihili suam in sententiam plures pertrahant, quam virtute præditi. Nam improbitas per voluptates in præsentia se offerentes procedendo, multis harum opera persuadet, uti secum sentiant. Virtus autem in ardua directo ducens, non admodum efficax est in hominibus illico temereque sibi adjungendis: maxime si sint alij, qui è diverso ad declivem mollemque viam cohortentur. Idcirco si qui ex ignavia laborumque detrectatione solum improbi sint, eos equidem arbitror quasi fucos sumtu modo socios defraudare. Qui vero & mali sunt in laboribus socij, & ad captandum commoda sua strenui sunt atque impudentes, hi etiam ad res improbas se duces præbent: quippe qui efficere sæpenumero possint, ut improbitati præcipua commoda cedant. Quapropter omnino sunt homines ejusmodi nobis eximendi. Neque vero circumspiciendum vobis est, qua ratione de civibus ordines expleatis: sed quemadmodum equos optimos quæritis, non vestra in patria natos: sic homines ex omnibus sumite, quoscunque vobis & roboris & ornamenti plurimum adlaturos existimabitis. Mihi quidem hoc quoque testimonio est, recte nobis id cessurum: quia nequit esse currus celer, ad quem juncti sunt equi segnes: nec exercitus justus, in quo cum aliis juncti sunt injusti. Neque domus recte administratur, quæ famulis improbis utitur. Immo etiam minus detrimenti accipit, si servis egeat: quam si ab injustis perturbetur. Hoc quidem certe amici, scire vos volo, remotionem militum malorum non eam modo nobis utilitatem adlaturam, quod mali aberunt: sed illi etiam, qui nobiscum manebunt, quotquot sane pleni jam improbitatis esse cœperunt, rursum ab ea repurgabuntur: & boni malos ignominia notatos quum viderint, multo alacrius virtutem colent. *Cap. 16. & 17. lib. 2. Cyropædiæ.*

Xenophon: Primum equidem, Persæ, Deos laudibus prosequor, atque idem vos facere arbitror: quod victoriam salvi & incolumes adepti simus. Et ob hæc quidem Diis gratias, quibuscumque rebus possumus, persoluere nos oportet. Vos autem non possum non equidem omnes collaudare. Nam quod gestum est rei, cum magno vestrûm omnium decore patratum est. Verum ubi ab iis, à quibus par est, sciscitatus fuero, quænam quisque promeritus sit: tunc ex dignitate cuiusque conabor & verbis & ipsa re præmia vobis tribuere. De Chrysanta quidem, cohortis præfecto mihi proximo, sciscitari alios non necesse habeo, quum ipse nôrim, qualem se gesserit. Nam & alia, quæcumque vos etiam fecisse arbitror, præstitit: & quum ego pedem referre jussi, compellato nominatim ipso, tametsi gladium sustulerat, ut percussurus hostem: statim tamen mihi paruit, eoque omisso quod facturus erat: id fecit quod imperabatur. Nam & ipse suos abduxit, & aliis idem faciundum magna diligentia significavit. Adeoque prius extra tela cohortem abduxit, quam hostes animadverterent, nos pedem referre: quamque arcus tenderent, & tragulas in nos ejacularentur. Unde fit ut & seipsum, & milites suos per obedientiam incolumes servet. Equidem alios quosdam vulneratos video, de quibus, ubi consideravero, quo tempore vulnera acceperint, tum deinde sententiam meam aperiam. Hunc vero Chrysantam, ut bellicis in rebus strenuum & prudentem, & ad parendum, & imperandum idoneum, in præsentia quidem honore tribunatus adficio: & quum Deus aliquid aliud boni largietur, ne tunc quidem eius obliviscar. Quin vos etiam universos, ait, admonitos volo. Nam quæ modo in hac pugna vidistis, ea vobis apud animos vestros nunquam non cogitanda sunt: ut vobiscum ipsi statuatis, utrum virtute vita conservetur, an fuga: utrum cum iis, qui pugnare volunt, melius agatur, an cum illis, qui pugnare nolunt: cuiusmodi voluptatem adferat victoria. Nam de his optime iam statuetis quum & periculum feceritis, & res ipsa recens gesta sit. Atque hæc si cogitabitis, nimirum meliores evasuri estis. Nunc ut accepti Deo, & fortes, & moderati viri cœnam instruite, Diis libate, pæana præcinite, simul ut fiat id, quod imperatum est, providete. *Cap. 1. lib. 4. Cyropædiæ.*

Brutus Rhodiis. Xanthios qui defectionem fecerant, in nostram potestatem compulsos retractosque funditus delevimus, & urbem eorum incendio flammisque subvertimus. Patarensibus verò quòd nobis adfuissent, viresque suas nobiscum conjunxissent tributorum immunitatem largiti sumus, ipsos liberos & sui juris esse jussimus, & ad reparanda, quæ tempus apud ipsos corrupisset & devorasset, quinquaginta talenta dono dedimus, Vobis autem si velitis, ob oculos cernere datur, utrum consultius sit bellum nobis, ut Xanthij fecerunt indicere, an ut Patarenses, societatem fœdusque coire. *Epist. 11.*

Rhodij Bruto. Non statim, si tu Xanthiis libertatis assertoribus duriter & crudeliter usus es, idcirco nos Patarenses, qui mercede sibi jugum servitutis imponi passi sunt imitabimur. Sed fortunam illorum deprecamur, magnitudinem verò annorum & generositatem tenere ac sequi conabimur. Horum autem voluntatem abominamur, neque tuorum munerum liberalitas ad æmulandum eorum propositum nos invitabit. Gloriosius enim esse persuasum habemus, cum periculo vitæque discrimine libertatis jura defendere, quàm lucri causa transfugas fieri. *Epistola 12.*

Lysias: Censeo neque æquum esse, si qui multa in rempubl. beneficia contulerint, eorum alios obtinere præmia, & assequi gratiam: neque si qui multa iniqua patrarint, ea insontibus probro & crimini dari. *cap. 2. orationis de populari statu.*

Lysias: Recordamini quæso, quare eos, qui se viros in reip. negotijs præstiterunt, honoretis, flagitiososque dedecore afficiatis. Vsu enim hæc ambo recepta sunt, non magis caussa præteritorum, quam futurorum; ut de industria viri boni esse studeant, & mali nulla ratione evadant. *cap. 8. Orationis 30.* contra Philonem.

Dio Prusæus: Nunc ad ipsam rem accedo, hoc tantum præmittens, mihi convenire videri, ut omnia in vita juste & honeste gerantur, & maxime qui publicè quippiam faciunt, non eo solum quod publica magis quàm privata conspicua sint, si qua gerantur inconvenientia: verum etiam propterea, quod privatorum delicta non confestim demonstrent civitatem esse viciosam, ex ijs vero quæ publicitus non eo quo convenit modo geruntur, necesse est & civitatem & singulos videri flagitiosos. Quales enim fuerint plures in populari gubernatione, tales etiam videntur publici esse mores: quæ enim his placent, obtinent videlicet, non alia. Maxime vero dico ego familiare esse bonis, ut honestissimis gravissimisque attente utantur. Nam apud quos talia negliguntur, ibi & pravitas quædam civitatis declaratur, nihilque aliarum rerum commode geri potest. Atqui quod secundum ea quæ ad deorum cultum sunt destinata, quæ vos præ cæteris putatis esse maxima, nihil sit honestius neque justius, quàm honorare bonos viros, & benefactorum meminisse, arbitror oratione non indigere, tametsi & utilitatem in hoc non minus videas. Qui enim studiosi sunt circa benefactores, quique juste agunt cum iis à quibus sunt dilecti, eos arbitrantur omnes gratia dignos: & vellet quisque prodesse pro suis viribus cuique, multosque habere benevolos & adjutores quum flagitat tempus, atque hinc civitas tota & quisque privatus tutius degit. Proinde hæc putate (viri Rhodij) valde viciose apud vos, & non ex civitatis dignitate tractari. De iis dico, quæ ad benefactores pertinent, & honores fortium virorum, quæ sanè ab initio haud ita apud vos sunt tractata quondam. E diverso enim, quemadmodum & alia quædam vestra excellenter quis approbare admirarique queat, ita mihi quoque videmini honoris providentiam habuisse. atque hoc quis cognoscat, respiciens ad imaginum multitudinem.

Flagitiosa vero absque causa obtinuit consuetudo per aliquod tempus, qua de cætero nemo apud vos honore afficitur (si vultis verum nosse) atque simul superiores & generosi viri, proque civitate strenui promptique, non solum privati, verum etiam reges & populi, contumelia afficiuntur honoribusque privantur. Quando enim alicui statuam decernitis, (facile autem hoc vobis jam in mentem venit, tanquam facultate suppetente) illud quidem non culpaverim tempus & moram intercedere: è diverso enim continuo erectus est quemcunque dicitis, immo verò antea quam decernitis: res vero accidit absurdissima. Prætor enim quæcunque illi visa est ex consecratis his statuis, eam designat: deinde destructa priore inscriptione, atque alterius nomine insculpto, finem habet prioris honor, & de cætero is habet eam imaginem, qui vobis ea dignus est visus. Nempe vos consideratis, facile ita & utiliter fieri posse, ut admirabilis sit facultas, resque exoptanda, si vobis solis licet quemcunque vultis æneum sistere absque expensis, nullamque drachmam neque vobis exsolventibus neque iis qui honorantur. Quis enim non admiretur civitatem ob sapientiam?

At equidem puto alia quoque quæ faciunda sunt in vita, multoque labore & sumptu non modico indigent, gratis & admodum facile effici posse, si quis negligat decorum, & facti veritatem. Nempe statim sacrificia quæ frequenter diis solvimus, licet non offerre, & nihilominus dicere obtulisse: modo nos si videtur, coronemus, adque aram accedamus, & pavimenta attingamus, aliaque faciamus quæ in sacrificiis fieri solent. Quid autem, non eandem victimam in gyro ad omnes statuas circumducentes, ad Jovis statuam, ad Solis, ad Minervæ, atque ubique libantes, omnibus putamus nos diis sacrificasse? Nonne facile? Et quis est qui prohibeat? Denique si aram aut templum deorum cuidam nunc ædificare velimus, (nam & si omnium apud vos deorum templa sint, haud tamē impossibile reor, melius priore instruere, & majoribus ipsum honoribus cumulare velle) nonne promptum est aliorum quempiam deorum ex æde expellere, aut transferre ab iis quibus iam sunt consecrata, aut inscriptionem mutare tantum, id quod nunc facimus? Et quidem Apollinem, & Solem & Dionysium, quidam dicunt eundem, & vos ita existimatis: multi quoque simpliciter omnes Deos in unam quandam vim & potentiam contrahunt, ut nihil differat hunc vel illum colere. Circa homines verò nihil est simile: sed qui dat huic quæ sunt alterius, illi quæ sua sunt aufert. At hercle, non simile est, trāsgredi ea quæ ad deos pertinent, aut ea quæ ad homines, Neque ego hoc dico. Transgressio tamen fit singulorum quę ad hos pertinent, quando quis haud rectè cum his agit, & neque eos quidem qui quid justè acceperūt, id retinere sinit, eis vero qui eadem promeriti sunt, injustè tribuit: & illos quidem dono fraudat, his vero donat, tanquā insidias struens & circumveniens: Natura quidem rei similis est. Et facere quidlibet cum deceptione & impostura, atque facere cum extremis sordibus idem est. Discrimen autem hoc est, quod ea quæ diis non congruè fiunt, impietates vocantur, quæ vero hominibus

inter

inter ipsos, injuriæ. Esto sanè, ut impietas huic quod examinamus, negocio non adhæreat: reliquum autem nomen, si non observatione vobis dignum videtur dimittatur.

Atqui & impietatem fortasse quis inveniat facto huiusmodi adhærere: (Dico autem non de vobis, neque de civitate: neque enim vos unquam ita decrevistis, neque publice factum est, sed ipsum per se considero negotium) atque circa defunctos perperam facta, impietates vocantur, hancque habent appellationem à legibus in quoscunque tandem fiant. Bonos autem viros & civitatis benefactores contumelia afficere, atque eorum honores solvere, & memoriam destruere, haud equidem video quomodo aliter nominari queat: quemadmodū & qui vivos benefactores injuria afficiunt, non sane rationabiliter ab hoc opprobrio fuerint liberi. Illi certè qui adversus parentes delinquunt, quia prima & maxima in nos contulerunt beneficia, merito impij dicuntur. Et deorum quidem cultus est videlicet, si ut libet quis illis vel suffitum modo faciat, vel etiam attingat eo quo convenit animo, nihil minus fecit. Neque enim horum ullo fortasse Deus indiget, nempe statuis aut sacrificiis: alioqui tamen non incassum ista fiunt à nobis. Nam alacrem erga illos nostram ita voluntatem atque affectum declaramus. Homines verò indigent & corona, & imagine & primo loco in consessu, & memoria ad posteros. Etiam multi propter hæc mortui sunt, ut vel statuam nanciscerentur, aut præconium, aut alium honorem, atque suis posteris relinquerent opinionem sui æquam, memoriamque.

Siquis igitur à vobis sciscitetur, universis his olim ablatis, nullaque in posterum recordatione relicta, neque laude benefactorum, quorumquemque putetis virum emersisse admirandum apud omnes, prompteque in bello decertantem, aut tyrannos expellentem, aut semetipsum liberosque devoventem salutis communis gratia, aut magnos exantlantem labores virtutis causa? quemadmodum Herculem fecisse ajunt, & Theseum, aliosque semideos & Heroas: neminem vos nominare posse puto. Nam quæ provocantem quemlibet, quælibetque pericula contemnere, & labores sustinere, vitamque voluptuosam & socordem despicere faciat, haud illam ullam apud plerosque causam invenias. Hoc est, quod in pugnis facit strenuos viros ex adverso vulnerari, neque tergo dato aufugere, tametsi nonnunquam salutis id præsidium sit. Propter hoc, ait Poeta, Achillem noluisse summam consecutum senectutem domi mori: atque Hectorem solum stetisse ante civitatem, cumque omnibus si oporteret, pugnare fuisse paratum. Hoc erat, quod Lacedæmoniorum quosdam fecit in locis angustis in acie stare adversus tot Persarum millia. Hoc fecit vestros majores omnem terram & mare implere trophæis: & quum reliqua Græcia quodammodo extincta esset, solos ipsos per se defendere communem Græcorum autoritatem, usque ad præsens tempus. Unde merito mihi videmini excelsiores animos, quàm omnes illi, gerere. Illi enim in principio bene gestis rebus adversus barbaros clari erant, in cæteris deliquerunt, invidiæ magis & dementiæ & contentionis quàm virtutis specimen exhibentes: donec nemine extrinsecus obturbante, ipsi ienio defecerunt, & quemvis volentem esse dominum receperunt. Vos autem tot bellis egregiè administratis, omnia non minus fortiter tolerastis, aut generose bellastis.

Veruntamen illud sanè manifestum est, quod neque vos, neque alij quidam qui vel inter Græcos vel barbaros magni unquàm videntur extitisse, ob aliud quid ad gloriam pervenerunt, & potentiam, quàm quòd sigillatim decus sibi quæsiverunt, plurisque fecerunt bonam apud posteros famam, quàm ipsam vitam. Nam vestis, & epigramma, æneumque stare, magnum esse videtur generosis viris: & digna virtutis merces, non unà cum corpore perire nomen, neque in eadem conditione esse cum his qui nunquam sunt nati, sed vestigium quoddam relinqui, & signum (ut ita quis dicat) strenuitatis. Athletas hosce certaminum videtis, quanta patiuntur semet exercentes, sumptumque facientes, & denique sæpius mori eligentes in ipsis certaminibus. Quid igitur, si quis auferat coronam. cuius gratia contendunt, & inscriptionem futuram in Olympia aut Pytho, victoriæ? Nunquid putatis eos unam duntaxat diem solem toleraturos, nedum alia quæcunque huic negotio adhærent injucūda & gravia? Quid vero, si fiat palam illis, quod imaginem quàm erexerint, alius suam facturus sit, ablatoque erigentis nomine, semet inscripturus: num putatis quenqaum illuc spectatum venturum, nedum certatum? Unde etiam reges (puto) judicio contendunt pro tali testimonio. Ab omnibus enim magni æstimantur virtutis signa: & nemo ex vulgo eligat, ut quicquid honestum putat esse, id solum factum ab ipso sit, nemo autem sciat. Per Jovem, num ignoratus quòd istud factum non illos solos ignominia afficit, verùm etiam civitatem orbat benevolis in futurum, alacriterque pro ea certaturis?

Neque enim hoc cuiquam vestrum incidat, quod licet unum quemlibet statuarum honorem evertatis, reliquis tamē incolumes mansuros. Primùm enim qui maximum destruunt, & quem præcipuè unusquisque desiderat adipisci, hi confitentur videlicet, civitatem maxima in parte nocere: si quidem ajunt noxium esse, omnes eos honores evertere. Accedit huc & illud, quod apud quos unum abrogatur, apud eos omnia pariter abrogata sunt, & rerum affinium firma ne una quidem est. Qui enim causam transiliunt, propter quam non visum est quid contingere posse, atque eam nullius faciunt, omnia everterunt, quæ eundem habebant prætextum ut firma permanerent. Veluti si quis unam quamlibet tollat pœnarum, neque aliarum ullam relinquit solidam. Si quis autem maximam abroget, exilium, aut mortem, minores multas in posterum ne scriptas quidem esse videri necesse est. Quemadmodum igitur qui depravant monetam, tametsi partem lædant, universam tamen corripuisse videntur, rem judicio persequendam facientes: similiter & qui partem quandam honorum aut pœnarum abrogant, rem totam evertunt, nullius precij esse ostendunt.

Quinetiam si quis me interroget, quum maximum utriq; nocumentum quantum fieri potest adferant, & qui honores suspectos reddunt, & pœnas infirmas, si utraque caveri nequeant, utrum eorum ab æquioribus & moderatioribus hominib. fieri judicem, absq; ambiguitate, id de pœnis dicerem. Quippe hoc referri posset ad humanitatem, ad misericordiam, adque alia similia, quæ familiaria sunt benignis. Oblivisci autem optimorum virorum, virtutemque suis privare præmiis, fieri non potest ut ullum habeat decentem prætextum: sed est ingratitudo, invidia, parcitas, quæ omnibus turpissimis necessario conveniunt. Præterea ij qui supplicia remittunt, pravos quidem minus à maleficiis arcent: illi autem in maximis delinquunt circa benefactores. Tanto autem hoc illo peius, quanto injuria afficere alterum peius est, quàm non vehementer alterum prohibere. Proinde neque hoc dici potest, quod non hoc maximum sit, inter ea quæ quibusdam data sunt. præterquam enim quod hoc omnibus liquidum est, sibi ipsis etiam contraria dicent, qui dixerint. Aiunt enim necesse esse, multos in præsentia honorare duces, quibus omnibus si oporteat imagines fabricare, magnas quasdam futuras expensas, eo quòd alij honores non sint ex illorum dignitate: neque illos accepturos, tanquàm multo minores. Sanè quod ad expensas pertinet, quale sit, videbitis paulo post: maximum vero esse eum honorem, quem auferunt ab iis qui prius acceperunt, ex his in confesso est.

Verum, quum absurdum plane sit præterire quenquam honore dignum, & nihil rependere pro beneficio, ut omnes confiteri necesse est, hi qui infra dignitatem quenquam honorare non ferendum putant, honorantque quantum justum existimant, deinde nihil causantes, auferunt quæ dederunt, qui non nimiam quandam faciunt injuriam? Illud enim ingratitudinem arguit erga benefactores, hoc autem contumeliam. Illud est non honorare fortes viros, hoc vero ignominia afficere. Illi enim quæ videntur debere viris fortibus, non tribuunt: hi vero, quæ solent fieri adversus sceleratissimos, ea faciunt illis. Si quis enim eorum qui quondam habiti sunt moderati, denuo facinus designet insanabile, graveque, puta si proditionem suadeat, aut tyrannidem, talium honores solent abrogari, etiamsi inscriptionem quandam antea sint adepti. Ita ne verò nō turpe est, vos eisdem afficere, quos confitemini esse optimos, quibus impios & scelestos afficere leges jubent, quibus & sepultura negatur? Itaque quantum mihi videre videor, quanto apud alios cuncti honorum consequendorum tenentur desiderio, tanto aut majore etiam tenebuntur apud vos, ut nunquam adipiscantur horum quippiam: nempe quanto unusquisque injuriam & contumeliam majus malum existimat, quàm honorem bonum esse censet. Si ergo quem voceris ad primum consessus locum, aut civem faciatis, referatisque in publicas tabulas, postea suscitaturi è loco, & civitatem adempturi: malle illum arbitror eos à nobis honores se nunquam consecutum, quàm consecutum cum ignominia spoliari.

Tyrannos igitur, aut reges, quorum postea quidam violenter atque inique imperantes imagines abstulerunt, nominaque obscurarunt, quod quidem puto & in vestra civitate accidisse: affirmare ausim, si præscivissent hoc futurum, neque suas à quoquam imagines erigi, neque nomina inscribi permissuros fuisse. Quanquam hoc non solum illos injuria affectos & atrocia passos: sed & prætextum ostendit esse inanem, propter quem fortasse vos quidam illud censent facere, quum magis rei adversetur. Si enim necessarium pariter & utile dixerint esse alios honorare, quomodo non contrarium hoc sit illi, quod antea honoratos ita afficitis contumelia? Quod enim superiorum quispiam nunquam accepisset, hoc sciens futurū: quomodo veri simile est, præsentium aliquem id libenter accipere, qui quid fiat, cernat? Proinde, si non propter illos qui mox futuri sunt benefactores, tamen propter hos quos nunc honoramus, par erat, ea ab re abstinere. Omnes siquidem suspecta habent quæ ab iis præstantur, quos norunt, laudatum prius quendam, habitumque amicum, ita habere neglectui: maxime vero, qui eadem adipiscuntur, quibus vident alios qui ante acceperunt spoliari. Si verò demum hoc fieret, ut ipsi accipiant, immo ut videantur accepisse, omnino iam negocium simulationem esse, & subsannationem existimant. Multo igitur melius erat, volentibus afficere apud vos, ne magni penderetis antea honoratos, ut dicerent nullam esse amplius necessitatem honorandi quenquam: quàm econtrario, maximam hujus esse civitati necessitatem. Et apud plures nunc quàm antea hoc vos male audire facit. Proinde (per Jovem & omnes deos) si vobis supremam gratiam essent habituri, qui nunc videntur imagines adipisci, vehementerque laudaturi populum, nec ita tamen oporteret illud fieri. Solum enim quærere ea, quibus factis alicui quis placeat, haud illum ita demerebitur. Quod si verò ea faciens, alium quem non convenit, injuria afficiat, aut in universum præbeat causam, quo minus convenientia considerentur, hoc (per Deos) neq; liberorum est hominum, neque moribus moderatis præditorum.

Nemo enim etiam valde perversorum quicquam eligit vitiosum, quod non sibi ad præsens commodum arbitretur.

Cæterùm illud ipsum summa pravitas est, lucri & usus gratia à nulla re turpi & iniqua averti, neque curare quale sit quod faciat, sed id solum an utile. Quare qui præsentem colit, negligit autem eum qui paulo post futurus est amicus: & præteritæ quidem necessitatis obliviscitur, futuram vero utilitatem maximi facit, an nescitis quomodo sit appellandus? An non talis apud omnes nominatur adulator? An non degener & infidelis censetur? Nunc ergo ne hoc quidem restat civitati, ut quidam ab ea colantur, seque putent magni aliquid nancisci, quorum nomina inscripseritis. E diverso enim indignantur, queruntur que apud se, etiamsi soleant, aliter nolentes vobis adversari. Si cui monetam donaretis adulterinam, nemo sponte acciperet, immo potius contumeliam quàm donum factum illud arbitraretur: honorem autem & adulterinum, & nihil habentem sani, sponte putatis accipere quenquam? Verùm si quis servus alienum vas cui reddat tanquam suum, mentiens, vehementer quisque indignatur, deceptus: & demirarer, si non morte talem vos plecteretis. at si alienam quis imaginem, nihilque sibi convenientem deceptus accipiat ab iis, quorum in potestate non est (quod enim alij quis dederit, ejus in potestate jam non est idipsum deinde alteri dare) num gratiam illis deceptoribus habiturum putatis? Obsecro autem, si sermones videantur amariores, ne mihi irascamini. non enim vos dico hoc facere, sed quodammodo invita civitate hoc ipsum fieri negocium.

Quod si igitur tale est, ut expensum prorsus turpe videatur: tantò promptius vos auscultare dicentem oportet, ut liberemini in posterum ab hac turpitudine. Neque enim etiam in corporibus difficilia, absque dolore curari possunt. Frequenter verò hoc ipsum signū est, quod valde approperet medicina, si valde doleat id cui medendum est. Quod igitur dixi in exordio, ne nunc quidem contarer dicere, quod ubiq; familiare sit bonis viris ut sani appareant, nihilque veteratorium habeant, neque difficile, sed quàm longissimè à deceptione & pravitate absint. Dico autem de vestri similibus præcipuè vero eam rem puto, quæ consistit circa honores & donationes. Turpe enim putare, capessere honesta, & inique facere id quod omnium sit æquissimum, hominum est uniuscuiusque naturam non intelligentium. Quemadmodum igitur ij qui in sacra delinquunt, quam qui in alia quæcunque, pejores sunt: ita & qui circa hæc, iniqui & pravi apparent. Quid enim sacrius honore aut gratia? An ignoratis, quod hominum quam plurimi deas esse censent Gratias? Si quis igitur earum statuas concidat, aut aras subvertat, eum putatis impie agere: si rem ipsam detrimento afficiat, corrumpatque, unde etiam deæ nomen sunt adeptæ, nullo modo gratiam referens, sed cuncta timide atque illiberaliter faciens, artificioque quodam ingratum se exhibens benefactoribus, eū ne dicemus prudentem, præque aliis intelligentia præditum? Atqui caupones, qui in mensuris dolose agunt, quibusque inde victus quæritur, ob turpe lucrum odio prosequimini & punitis: civitatem autem inclytam circa laudes bonorum virorum dolose agere, & donationes cauponari, non verecundamini, nempe astuta & veteratoria facientem quæ honesta esse debent? Et neque hoc animadvertitis, quod neq; cum cauponibus quisquam facile amplius commercium habet, apud quos malæ sunt mensuræ?

Et sanè quod hæc res talis sit, nonne ipsa ratio exprobrando ita spectare cogit? Si quis enim vos interroget, utrū velitis honoratos à vobis, quibus putatis dedisse imagines, verum nosse, & quale sit factum vestrum, an eos latere: non obscurum est, quid sitis dicturi, atque id sanè prudenter. Quid enim prohibuit statim in decreto perscribere, quemadmodum alia, ita & hoc: esse imaginem illis unam datam ex consecratis, aut certi cujusdam, si & illius eum nomen vultis cognoscere? At nunquam puto hoc scripsistis. Quamobrem, quod ea quæ recte fiunt, nihilque habent absurdi, nemo obtegat, manifestum est. Quod autem minime quis caveat, ne ij quibus beneficia confert, norint quomodo gratiam adipiscantur, & quæcunque circa honorem fiant, si quidem quispiam id simpliciter & juste faciat, priore mihi adhuc evidētius videtur. Quare necesse est istud facinus esse undique vitiosum; & neminem ne privatum quidem decere. Qui enim in iis, quibus aliquos beneficio afficit, ipse prius affectus, aut etiam per Jovem beneficia inchoans provocansque ad amicitiam, fraudem facit & fucum, quid ille aliud aliter faceret? Scitis igitur, quod neminem facinus lateat, sed sit diffamatum divulgatumque apud omnes, non solum postquam satis abunde & impudenter eo abusi sunt quidam, sed ideo quòd apud vos fiat. Civitatis enim dignitas & magnitudo nihil ignotum esse sinit, eorum quæ in ea fiunt: & eo quòd in aliis vos ipsos omnium gravissime geratis: præterea id quod præ cæteris Græcis felicissime vivitis, excitat invidiam æmulationemque, ut multi sint qui scrutentur, si quid delinquere videmini. Proinde qui magis ea quæ faciunt ignorari quàm sciri volunt, maliciæ hoc signum edunt: si verò ea quæ nemo non audit latere, stultitiæ, quorum utriusque nolletis utique civitatem esse ream.

At per Jovem, sumptum faciemus, si non iis quæ præsto sunt statuis utamur. Et quantis opus erit pecuniis, si omnibus apparabimus statuas, quibus decernimus? Et quanto melius, paucioribus dare id doni, quam plures decipere: atque à pluribus damnari, & odio dignos haberi, manifeste scientibus id quod facitis? Etenim si non vehementer moderati sunt, quos quomodocunque in præsentia erigitis, quod nullo modo sentientes diceretis, videte quid fiat. Propter malos enim injuria afficitis bonos. Nam quod majores vestri neminem frustra neq; indignum sunt admirati, ego planè affirmaverim. Si verò bonos honoratis, eos tali verisimile est negocio indignari. Quis enim vir moderatus vellet alium malè tractari, & juste datis spoliari propter se? Aut quomodo non super hoc facto magis irascatur, quàm gratiam habeat? Certè mulierem nemo sustineret bonus ducere per adulterium, eo quod priorem maritum injuria affecerit: immò nemo prorsus duceret eam quæ est alterius viri, etsi frequenter hoc fiat haud mala ex causa. Honorem autem alterius quem non licet juste accipere, neque sine illius contumelia, quenquam diligere putatis: præsertim neque ipsum sperantem, quòd nihil tale sit passurus?

Porrò mancipium quis empturus, an unquam aufugerit considerat, & non permanserit apud primum herum: donum autem & gratiam, quam quis infidelem arbitratur, & perspicue novit nihil habere firmi, voluntariè admittat? Romani enim sunt complures eorum, & quis eos attingat? Astantes autem illis Macedones, alij verò Lacedæmonij, & quamobrem hos attingimus? Atqui consecratos olim omnes, aut certè quàm plurimos, propter beneficentiam dicetis esse positos. qui verò nunc honorantur, eorum multos propter potentiam colitis. Vtros autem eorum justius est pluris facere, omittam. Quod si non omnes juste possident quæ data sunt, utros magis par est in re incerta accipere, neq; eos ipsos fugit. Sciūt enim omnes, quanto firmior sit beneficentia, quàm potentia. Nulla enim potentia est, quam non abrogat tempus, nullam autem beneficentiam. Vt igitur hyperbolen illam quis dimittat, aliquo modo veram, quòd erga civitatem molestius affecti sint, hoc tanto honore affici querentes, quod obtingit in contumeliam recipiant, suique contemptum: at hoc sane firmiter scio, quod nullam vobis gratiam habeant, neque se quicquam ex facto nactos arbitrentur, scientes fallaciam facti, per Iovem. Deinde ea, quæ etiamsi hi susciperent, non tamen par erat auferri illis qui prius acceperunt, auferimus ab habentibus neque aliis dari.

Quin etiam, si quidem, in quibus civitas videtur aliquo indigere, expensas duntaxat consideramus, & quomodo facilime fiat, nihil aliud exquirentes? numquid prohibet, non hoc solum paratissimum esse donum, verum etiam si cui quid aliud donare volueritis, terrā, argentum, domum si volueritis his auferre qui habent? Aut quid opus est reditus quærere, & publica expendere, quando opportunū fuerit mœnia reficere aut naves, & non potius ea accipere quæ illius sunt, aut civium alicuius, aut peregrinorum inter vos habitantium? At nónne vociferabuntur, seque atrocia pati dicent? Ergo licebit videlicet non illis attendere? Etenim licet nunc sint quibus talia accidere possent, quum vos talia faciatis: prius tamen nemo alter majore utebatur potestate quàm populus. Num igitur qui nunc vivebant, ita se exhibuerunt erga singulos unquam, qui hoc omnium putarunt intolerabilissimum, deosque rogaverunt, ne unquam tale accideret tempus, quo oporteret viritim quemque ex propriis conferre? Et sanè hoc raro apud vos accidisse memorant, & ne in omnibus quidem bellis, sed tantum quum semel civitas ad extremum periculum devenisset.

Forsan autem quis dicat, quòd civitatis sint statuæ. At enim & regio civitatis est, nihilominus tamen possidentium quisque dominus est rerum suarum. Atque in genere si quis percunctetur, cuius est insula? aut, cujus est Caria? respondebunt, Rhodiorum. Sin verò aliter interroges, cujus hoc est prædium, aut ager? manifestum est, quod domini sis auditurus nomen. Et imagines simpliciter quidem omnes Rhodiorum esse dicunt, privatim autem unamquamq; illius aut illius, cuicunque data est. verùm prædia & domos & alias possessiones haud cognoscere queas cujus sint, nisi interroges: imago vero inscripta est, & non solum nomen, verùm etiam figuram servat accipientis, ut accedenti statim liceat nosse, cujus sit. Dico autem de iis, in quibus adhuc verum permanet nomen. Atqui in publico stare risu dignissimum est, si quis planè hoc signum esse putat, quod statuæ non sint illorum qui acceperunt, sed civitatis. Ita enim licebit dicere, & ea quæ in medio foro venum exposita sunt, populi esse: etiam naves videlicet, non possidentium, sed civitatis, quandoquidem in portubus consistunt.

Quod igitur audivi à quodam hac de re dicente tanquam firmissimum, non potero abscondere: quod publice vos statuas in acta retulissetis. Quid autem istud est? Nam & omnem planè regionem, & Carpathum hanc, & continentem, atque alias insulas, & summatim multa possunt inveniri, quæ communiter quidem in acta publica retulit civitas: divisa autem sunt in singulos per partes, per totum vero non. Nisi fortè hoc modo quisque honoratorum imaginem habet, sicut aliam quampiam possessionem: atque ideo minus ad eum pertinere dicatur, nullaque ipse affici injuria, si vos illius imaginem alteri detis. Sexcentos enim invenietis modos, quibus quid cujusq; esse dicimus: & plurimum inter se differunt, ut sacerdotiū, magistratum, nuptias, civitatem: quorum nihil habentibus licet alteri dare, neq; eo uti modo quo velit. Communis igitur in omnibus præfinita est æquitas, qua omnia quæ quis juste accepit, cujusq; semel nactus est possessionem, etiam in aliquod certum tempus, quemadmodum puto magistratus, firmiter retinet, atq; à nemine auferri debent. Quomodo igitur istius est possidere quodcunque, quam si quis, qui se strenuum præstitit virum, eoq; dignus est beneficio, pro multis & bonis possideat honorem? A quo autem fide digniore majoreque quàm à populo Rhodiorum & vestra civitate?

Quippe & hoc non modicum est, non Calymnios esse qui dederunt, neque hosce malis utentes consiliis, Caunios. Quemadmodum in rebus privatis, quanto quis meliorem & fide digniorem profert possessionis autorem, tanto firmius retinet: nemoque super ea re cum eo disceptaverit. Atqui tota civitas, quamcunq; quis nominare potest, uno viro privato, tametsi sit honestissimus, quavis in re fide dignior est, & melior: & quæ publicitus geruntur, privatim gestis fortiora sunt.

Considerate verò, quod omnes arbitrentur ea magis rata haberi, quæ publice contrahunt per civitatis literas, atque ita gestorum nihil licet rescindere: neque si quis emat ab aliquo prædium, aut navem, aut mancipium, neque si qua det ad usuram, neque si quis servum manumittat, neque si quod præstet. donum. Quid tandem accidit, quod hæc aliis sunt firmiora? Quia civitatem fecit, rei gestæ testem, qui ad hunc modum quicquam rerum suarum administravit. Per Iovem. Itane ergo quæ quis à privato consecutus est civitate teste, illis spoliari nequit: quæ vero quis accepit non solum publicè, sed etiam ipso populo præstante, firma non erunt? Et quod ab alijs hoc modo gestum est, non rescindetur, propter civitatem: quæ autem civitas ipsas fecit, facile ita retractabuntur? Præsertim quum non similiter uti dedit, sic etiam communi auferat consilio: sed uno homine, si ita cadat, prætoris potentiam obtinente, hoc faciat? Atqui etiam literæ publicæ sunt de his, pro quibus dico. Plebis scita enim scripta sunt videlicet de honoribus facta, & publicè permanent in omne tempus. Repensio enim beneficii adeo diligenter apud vos curatur: ablatio autem ab iis qui acceperunt, admodum facile. Deinde illud non potest fieri absque decreto omnibus vobis consentientibus, hoc autem consuetudine quadam contingit, etiam si uni tantum videatur. Veruntamen hæc (ut dixi) publice conscripta sunt, neque solum in plebiscitis, sed super ipsas etiam imagines, & nomen ejus qui honore affectus est, & statuam populum dedisse, atque hæ rursus in publico sunt propositæ.

Quod igitur neque publica in tabulas relatio, neque positio in publico, obstet, quo minus statuæ eorum sint qui acceperunt, jam olim fortasse manifestum est: cæterùm ne quis conetur contradicere, illud vobis dicam. Nostis haud dubie Ephesios, apud quos multæ sunt pecuniæ partim privatorum reconditæ in Dianæ templo, non solum Ephesiorum, sed & hospitum, & hominum undecunque gentium, partim & populorum regumque. Deponunt autem omnes eò securitatis gratia, nemine unquam auso locum afficere injuria, tametsi plurima jam bella gesta sint, civitasque sæpius fuerit capta. Quare quod in loco communi pecuniæ illę jaceant, palam est: sed & publice secundum indicem eas describere Ephesiis mos est. Quid igitur? Nunquid ex illis sumunt, quum postulat necessitas? An fœnerantur, quod forsan non videtur intolerandum? At opinor citius deæ mundum detraherent, quam illas attingerent. Atqui Ephesios non dicetis esse vobis locupletiores. E diverso enim vos antea quoque ditissimi fuistis Græcorum, & adhuc estis: illos autem videre licet indigentiores degere, haud tamen illas licet auferri deponentibus. Imaginis autem suæ ita nemo est dominus, neque vos rem esse similem putetis. Nam non omnia esse civitatis quæ publico in loco posita sunt, neq; publicas tabulas sunt relata ostendere volens, ideo hoc exemplo usus sum. Quod enim nemo ad aliud imaginem habet, quam ut stet, apud vos, quo uno differunt hi ab illis qui illic pecunias deponunt, adhuc magis pro illis facit. Quæ enim neque accipientibus auferre licet, non etiam utique dantibus licere convenit. In universum autem frustra contendere visus sum, adversus dicentem, quod civitatis essent omnes statuæ. In hoc enim nullum est argumentum, quod facinus istud non sit absurdum. Donaria in templis suspensa, quæ civitas ipsa comparans ex propriis dicavit, nemo hercle dubitaverit quin publica non sint. Num igitur haud intolerandum, si hisce abutamur ad aliud quid? Ita per Iovem. Sunt enim donaria diis dicata, imagines autem sunt honores: & illa data sunt dijs, hæ autem viris strenuis, qui sane dijs proximi sunt. Siquidem diis chari omnes boni dicuntur esse, & sunt. Deinde vos quidem injuria afficit non solum quiquid vestrarum possessionum aufert, verum etiam qui vestris nocet amicis. an Deos dicemus (ut verisimile est) minorem amicorum curam gerere, aut possessionum?

Cæterum omnia quidem firmiter retinere convenit possidentes, & præsertim sub imperio populari, & apud vos: qui vobis maxime placetis, quod legitimè justeque cuncta vestra administretis, maxime autem puto honores & beneficia. Non ideo solum, quod alia quidem & viciosus habere queat, hæc autem soli virtute præditi: verùm etiam propter illud, quod alia licet ex alia causa possidere, vel ex hæreditate, vel empto, horum autem ex sola virtute obtingit possessio. Quin etiam, quarum rerum quis solvit precium dominis, nullus dubitat videlicet, quin justum sit sinere, ut ille eas habeat: idque tanto magis, quanto pluris emit. Igitur omnes hi dederunt precium, unuiquisque suæ imaginis, & hoc non mediocre. hi enim rem militarem strenuè administrarunt pro civitate, illi legationes, alii etiam trophæa ab hostibus attulerunt, alii quidam & pecunias fortasse dederunt, non hercle mille aut quingentas drachmas, quanti constat imaginem erigere. Quid igitur?

Nonne legibus sancitum est apud non prorsus injustos, ut ulla respoliatus restitutionem consequatur. Ei quiquid deposuit, licet id auferre ab depositario. Nunquid igitur velletis reddere beneficia, pro quibus illas statuas decrevistis? Emolumentum adferet rependentibus quando quidem emolumenta semper spectari debere quidam putant. Si quis igitur aut bellum aliquod cum virtute profligavit, quod si non profligatum forte esset ab illis tunc, nos nunc civitatem non haberemus: aut libertatem nobis attulit, aut conditorum fuit unus hujus civitatis (neque enim clare possumus dicere, qui nam sit, quibus hoc usuvenit, aut usuveniet, facinus ita temere factum, & duntaxat consuetudine quadam) nonne difficile est dicere quod post hæc sequatur, quod nempe à civitatis commercio recedendum erit, nolentis facere quod justum est? Si verò oportet, quotusquisque est qui tale quid dedit, quod neque à volente reddi possit? Sexcenti autem sunt, qui suas ipsorum animas profuderunt pro civitate, propriaque vita emerunt imaginem & inscriptionem, sicuti & antea dicebam. Nunquid non atrocia patiuntur illi nunc? Neque illud dici potest, quod nos non hi sumus, qui acceperunt. Primùm enim universorum debitores sumus, quæ majores acceperunt, non minus quam qui ipsi, ad quoscunq; pertinuerit illud genus. Neque enim vos à successione destitisse dicetis. Deinde omnia quibus tunc eos aliqui beneficio affecerunt, magnoque studio incubuerunt, patientes aut agentes pro illis, ea jam consueta, ordinata & magna vos habetis, ut gloriam, ut civitatis amplitudinem, & quod excepta una omnibus aliis præstet. Si igitur, quia à vobis honores non acceperunt, propterea minus inique vos facere putatis eos auferendo, aut si quid cui aliarum possessionum aufertis, res nimis perspicuas ignoratis. Primùm quidem, quod qui quem spoliant, & eum qui accepit id quo spoliatus est, neque minus eum quicunq; dedit, afficiunt injuria: veluti si quis publica destruat ædificia, quæ civitas singulis beneficii gratia construxit: unde magis intelligere potestis, civitatem ab eo injuria affici. Proinde eadem ratione & civitas in omnibus quæ cui privatim dedit, atque is qui illis spoliatur, injuria pariter afficiuntur. Ergone vos, & eos quibus imagines erexistis, & civitatem quæ dedit, hoc est vosmet ipsos injuria afficietis?

Atqui adversus alium delinquit sui commodi gratia, maliciæ solum habetur reus apud multos: qui vero in eo quo quid adversus alium inique agit pariter & semetipsum injuria afficit, pravitatis quidem excellentiam quandam præ se tulit, ex superfluo autem stultus videtur. Ad hoc, videre possis & aliud. Qui enim spoliat, is circa rem ipsam delinquit, natura quid faciens absurdi: qui verò aliquem datis à se honoribus & beneficiis privat, non solum communem illam regulam, qua neminem lædere jubemur, transgreditur, verùm etiam bonum virum afficit injuria, & hunc quem minimè illi conveniebat. Nusquam enim videre est, malis datos honores: neque iis, à quibus nihil beneficii acceperunt. Quanto igitur pejus sit bonos spoliare honoribus, quàm alios, & benefactoribus nocere, quàm quemlibet alium injuria afficere, nemini obscurum est. Vt igitur Ephesios aliquid ex illis depositis sumentes pecuniis, ita hercle juxta hoc ipsum quis dicere queat delinqueret & eos, qui hoc modo agunt cum imaginibus, non solum propter hæc modo dicta, quod homines quos minime convenit afficiunt injuria, quorum multos ne norunt quidem, sed etiam propter causam hoc ex negocio exorientem. His enim qui depositum quoddam non custodiunt, nemo quicquam amplius rerum crediderit suarum: contumeliosos vero erga benefactores, nemo beneficio dignos judicat: ut vobis periculum sit, ne nemo vobis posthac benefaciat: illis vero, ne amplius custodiant aliena.

Volo igitur factum quoddam vestrum referre, non vetus quidem, sed non præclarum minus apud omnes quàm valde gravia: ut rebus comparatis videre possitis, an tales in universum dignum sit istiusmodi quid designare. Post continuum enim, & longum illud Romanorum bellum quod inter se gesserunt, quando vos in calamitatem incidere contigit propter benevolētiam erga plebem, postquam finis erat impositus rebus difficilibus, & omnes jam putabant se salvatos, quemadmodum in magnis morbis sæpenumero difficili opus est auxilio, ita etiam tunc visa sunt negocia talem postulare correctionem: unde omnibus exteris concessa est debitorum remissio. Libenter autem illis admittentibus, remq; pro dono reputantibus, vos soli inter alios non recepistis, tametsi captivitas vobis nuper admodum (ut dixi) accidisset, & hostes in civitate solas ædes relinquissent: attamen grave vobis visum est, in qualicunque tempestate transgredi quicquam æqui: propterque calamitates quas vos apprehendissent, insuper etiam fidem destruere vestram. Atque alia omnia permittentes Romanis, hoc unum illis noluistis concedere, ut aliquid turpe eligeretis lucri gratia. Quibus enim illorum civitatem (opinor) non videbatis indigere propter virtutem simul & felicitatem, his vestram quoque non egere demonstrastis ob solam virtutem. Haud igitur dicetis minorem (ô viri Rhodii) gratiam deberi iis qui benefecerunt, quàm qui solvunt debitum. Deinde non sponte exoluere quod debebatur, grave vobis visum est: à reddentibus autem auferre, mediocre. Non enim cum omnibus turpiter se gerere turpius esse credidistis, quàm si vos solos ita gereretis. Verùm tanta mutatione eo quo dixi tempore facta, circaque omnes confusione, quæ data erant licebat firmiter retinere eos qui ante recepissent, & nemo ausus est exigere quicquam ab iis qui quid essent adepti. Porrò vos in præsentia neque permittitis beneficia rependere benefactoribus, sed qui nihil passi estis eorum quæ illi tunc, præsertim qui ceciderant extremè, id nūc fortunati facitis, quod tum illorū ne unus quidam.

Sed factum id circa debita, invenias etiam in alio tempore: & Solonem ajunt apud Athenienses olim fecisse. Præter enim quod frequenter necessario id contingit ex inopia æris alieni: est tamen quando neque injustè fit propter magnitudinem usurarum, quando nonnulli sæpius in illis sortem recepissent. Quod verò beneficia, quæ pro benefactis quidam receperunt, aufertis, nullam rationabilem potest habere causam, neque quisquam introduxit unquam; sed hujus unius inter omnia nunquam fuit opportunitas.

Atqui hæc duo similiter summa in legibus cautione digna sunt, & execratione, multisque extremis, si quis introducat novas tabulas, aut agrorum divisionem. Horum alterum quidem apud vos non factum est: alterum verò, quod omnino nullo tempore accidit considerate, componentes huic negocio quod examinamus: Nam regione denuo divisa hoc esset gravissimum, quod æquaretur qui prius possederat, ei qui nihil possedisset: imagine vero alteri data, nequaquam is cui ablata est, æqualis est ei qui accepit: Hic enim assecutus est honorem, alteri verò nihil reliquum est. Age ergo, si quis interroget prætorem vobis præsidentem, jubentemque eradere inscriptionem, atque alium inscribere; quid est quod facis? An adhuc (per Jovem) inficias ire potest: quod intoleranda faciat? Adeóne neque civitatem tot retro annis hic vir (per Jovem) neque vos revereatur, præsertim si sit moderatus? Ego sanè puto, & artificem rubore suffundi. Si verò domum liberi aut cognati quidam advenirent illius viri, quantas illos putatis emissuros lachrymas, quando quis incipiat demoliri nomen? Certe: sed & consurgent omnes adversum vos, & procedent ad populum vociferantes. Num ergo ne quid tale accidat, non prohibebitis, neque adhibebitis curam? Equidem nihil tale de vobis crediderim, magis vero & nunc aio latere hoc factum: sed non sinetis, quum rem intellexeritis. Nondum enim totam rem videlicet scitis. Quare semel prohibere convenit per Jovem.

Cæterum non simile est, quum multi sint, quibus nullus est cognatus, & res contingat nulli notorum. Ego verò quod etsi quidam ignorent, cognatos sibi esse horum quosdam, quod veri simile est, non minus tamen propterea injuria afficiantur, majoribus ita despectis, omitto. Sævius autem alioquin mihi esse videtur id quod fit in illos, quibus non superest amicus, & ne unus quidem. Si quidem inter viventes censetur gravius esse eos afficere injuria, quibúsne unus quidem amplius superest adjutor. Juxta hoc dicant ergo, nihil esse mali pupillis nocere undiquaque desertis: qui neque semetipsos vindicare possunt, neque alium habent sui curam gerentem. At vos è diverso, magisque his læsis indignamini, & publice instituitis tutores, ut ne qua injuria afficiantur. Summa, inter omnes sermones quos dicturi sunt, quorum nullus quicquam habet æqui, hic talis longe absurdissimus est, quod nullam ex natis statuam attingant, neque quas quis norit cujus sint: sed ignotis quibusdam, & valde antiquis abutantur. Quemadmodum si quis dicat, se nemini illustrium civium facere injuriam; sed plebeiis, & quos nemo novit. Atqui per Jovem non est simile. Inter viventes enim, & propter nobilitatem, & propter virtutem alius alio notior est: & propter divitias hoc contingit, atque alias rationabiles causas. Circa imagines autem contrarium quis dicat, nempe quòd illæ sint meliorum virorum. Non enim propter ignobilitatem aut malitiam quandam eos ignoramus, qui à suis splendidissima dona sunt nacti: sed propter temporis hoc factum est longinquitatem. Quanto igitur superiorum homines seculorum semper omnes putant posteris meliores natura; & quosdam olim hunc honorem nancisci rarius contigit: tanto circa meliores viros, majorumque autores bonorum se delinquere confitentur. Quòd autem hæc utraque vera sint, liquet: Valde enim antiquos, semideos fuisse scimus: quique eos sunt secuti, non multo peiores: deinceps vero sequentes, semper minores juxtà tempus: & tandem qui nunc vivunt, quales nos ipsos esse novimus.

Et olim quidem non omnibus qui mortem oppetiissent pro civitate, erigebantur æreæ statuæ: sed tantum si quis egregia admodum & admiranda designasset. Nunc autem prænavigantes honoramus; cujus rei causa posteriores potius & nuperrime consecratæ transmutandæ essent. Neque enim illud ignoratis utique, quod omnes qui sapiunt veteres amicos magis amant, plurisque faciunt, quàm nuper factos: & pater nos adeo plus quàm omnes à se cognitos. Qui enim adversus hos delinquunt atque aliquid transgrediuntur, eos solos injuria afficiunt: qui vero erga illos officij aliquid abrogant, majores etiam suos, qui eos ante possederunt, negligunt. Summa, quemadmodum quando viventium quispiam apud vos exploratur, quem vel ipsi bene nostis, vel omnino ignoratis, his qui eum norunt attenditis, & suffragia fertis secundum testes: ita ergo, ut ne hi pravi videantur, id ipsum facite: quando quidem de viris sermo habetur, quos ajunt à nemine cognosci viventium, ab his qui eos noverunt discite. Qui igitur tunc vivebant, & manifestissime eos noverant, benefactores civitatis existimarunt: quibus fidem abrogare, quum sint progenitores vestri, vobis fas non est, neque pravos dicere. Non igitur neque tale quid dici potest, quod satis multo tempore habuerunt honorem: non enim poterunt ostendere, plus temporis eos esse honoratos à civitate, quàm civitatem ab illis cultam benefactis.

Quemadmodum igitur, qui debitum olim contraxit, atque olim dissolvit, nihil plus fecit, quàm qui nunc reddit quod debet: similiter neque si quis valde ante longum tempus beneficio accepto, aliquem tunc remuneravit. Alioqui enim qui immunitate olim data, aut pecuniis, aut terra, aut alia hujusmodi re spoliantur, minus fortasse injuria afficerentur, quàm qui postea, iisdem acceptis. Qui enim per aliquod tempus talia possedit, emolumentum ex iis percepit, & utilitatem. In honore vero nihil est tale. Illi enim opulentiores sunt & in reliquum tempus: habent enim, quæ ex iis acquisiverunt. His verò è diverso contingit, ignominiosiores esse factos. Ubi enim minus est damnum? apud eos qui multo tempore fructum perceperunt. Ubi major est ignominia? apud eos qui valde antiquo honore spoliantur. Quod ergo neque ab impietate istud facinus vindicari queat, maxime hoc modo sciri potest: etiamsi quibusdam hæc propter hyperbolen dicere videor: non, ut antea dixi, quòd omnia simpliciter sint impietates, quæ adversus defunctos patrantur: sed quòd omnes veteres admodum viri, heroes censentur: & si nihil habeant eximium, propter ipsum tamen puto tempus. Tam graves verò, adeoque maximis dignos habitos honoribus, quorum nonnulli & heroum parentationes habuerunt, quique tot annos ænei steterunt, ut & eorum memoria sit extincta, quomodo congruit eandem habere appellationem, cum his qui nostris temporibus vel paulo ante mortui sunt, alioqui etiam nullo precio digni habiti? Atqui impietatis adversus heroas, nemo sanè dubitaverit, non eandem habere æstimationem, quam illæ circa Deos. Quid igitur? Nonne saltem injuria est, memoriam abrogare? honorem auferre? nomen excludere? Atrox sanè, & miserum, ô Jupiter!

An si quis coronam auferat, unum fortasse aut alterum durantem diem, aut maculam aliquam æri aspergat, hunc putabitis impiè agere: eum vero qui prorsus demolitur & transponit & evertit gloriam, nihil facere absurdum? An si quis hastulam eripiat è manu, aut galeæ abrumpat cristam, aut scutum auferat à brachio, aut equo frenum, carnifici statim illum tradetis, & eandem sustinebit pœnam cum sacrilegis: quemadmodum nimirum multi mortui sunt ob hujusmodi causas, & nihil illis plus imputant, quàm quòd nomine carentium quandam & valde antiquarum mutilarunt imaginem: publice autem civitas omni ex parte peior & viciosior apparebit circa Heroas? Et nunc si quis dicat ingrediens, quod deprehensus sit hospes quidam, aut civis, manum aut digitum auferens à statua, clamabitis, & è vestigio jubebitis rotæ imponere. Atqui manu quidem ablata, aut phiala, (si fortè tenuit) honor permanet, & symbolum virtutis retinet is qui honoratus est, æs autem solum diminutum est: sublata vero inscriptione, sublatum est utique testimonium & existimatio, illum virum fuisse laude dignum.

Volo igitur, quod Athenis quidem factum scio, puto autem & hic fieri, secundum legem quandam admodum justam, vobis dicere. Illic enim, quando publice civium quendam ob scelus commissum mori oportet, prius illius nomen è publicis tabulis deletur. Quamobrem? Primùm quidem ab hoc, ne qui civis sit, tale quid patiatur: sed quantum fieri potest, in peregrinorum habitus numero. Deinde etiam supplicii ipsius (puto) id non minima esse videtur pars, quòd nec appellatio amplius appareat illius, qui huc progressus est scelerum, sed omnino obscuretur: sicuti etiam puto, quod non sepeliuntur proditores, ut nullum restet ad posteros scelesti viri monumentum. Age nunc si quis dicat, idem apud vos fieri benefactoribus, quod apud multos moris est fieri sceleratis, an non valde dolebitis? Nolite igitur irasci ei, qui id videtur nunc dixisse: ne enim amplius, neque semper dicatur, vobis autor esse poterit.

Porrò si quis unum tantum verbum eradat è columna quadam, an non occidetis illum, haud jam inquirentes quodnam erat, aut de quo? Et si quis eo veniens ubi vobis publicæ tabulæ servantur, apicem quendam tantam aut syllabam cuiusdam decreti deleat, an non ita eum habebitis, quemadmodum si quis quid de curru detrahat? Ergóne qui inscriptionem tollit imaginis cujusdam, minus quid facit, quàm qui columnam abradit? Atqui totum delet decretum, juxta quod ille honorem accepit: imo prorsus irritum facit id quod scriptum est. At si quis condemnatus ob quamcunque rem, & pœnam quandam sortitus, semetipsum deleret, abrogare videretur rempublicam: ut gravius vobis videatur, quempiam à pœna quadam sese liberare, quàm privare honore alium. Non igitur ne illud quidem prætereundum, quandoquidem sermonem tanquam de impietate feci. Scitis enim manifeste, quòd tota quidem civitas sit sacra: statuarum autem multas invenietis in ipsis templis stantium, hanc passas injuriam. Nam & antiquissimas hasce esse contigit, & prætorum quisque quemcunque volebat obsequio demereri, eum quasi vobis honorantibus contendebat quàm honestissime locare. Et quid sermonibus opus est? Arbitror enim nihil referre, an sic an aliter locentur: nisi quod, ut ego nunc dicebam, multorum nomina sunt transmutata: & quorundam (puto) valde propinque diis astantium. Itáne, ubi neque qui malum quid patrarunt, si eo confugiant, consuetudo est lædere: non grave est, si benefactores injuria illic afficere videamur: & defensionem, quam tales loci flagitiosis præbent, solis (ut verisimile est) bonis præbere non possint? At si quis thuribulum unum eo loci positum mutet, aut philalam, nō minus sacrilegus censebitur, quam qui abstulerūt: si verò imaginem mutet, aut honorem, nihil absurdi facit?

Atqui

Atqui & ſtatuas quis dicere poſſet dijs conſecrata eſſe donaria, eas nempe quæ ſunt in templis. Et multę talem habent inſcriptionem, puta: Ille dijs conſecravit ſemetipſum, aut patrem, aut filium, cuicunque tandem deorum. Si igitur ab alijs donarijs conſecratis auferens conſecrantis nomen, aliud tantum inſcribat, illum non impie agere dicemus? Certe Apollo non permiſit, ex porticu pullos auferre Cumano, ſuos dicens eſſe ſupplices. Quibus ergo argumentis tentabunt quidam, rem hanc eſſe æquiorem, demonſtrare?

Peſſime hoc probant, quum dicunt, ſe valde antiquis abuti, & quaſdam eſſe ſine inſcriptione. Nam ſi quis etiam hoc illis det ita habere, haud dicerem id quod eſt in promptu, me nunc loqui de inſcriptis: ſed neque illas attingi debere ajo. Conſiderate enim (viri Rhodij) cauſam, quamobrem quaſdam ita poſitas eſſe veriſimile ſit. Neque enim oblitum eſſe, neque gravatum poſitorum veriſimile eſt, neque pepercisse hac in re expenſis. Nullæ enim erant. Reliquum eſt igitur, ut ex duobus alterum fuerit in cauſa: aut quod quidam fuerint valdè magni, atque in veritate heroes, eoq; non putarunt illorum nomina inſcribi oportere, ut qui omnibus alioquin eſſent noti: exiſtimantes propter tunc vigentis gloriæ excellentiam, in omne tempus atque in poſterum nomen manſurum, ut quorundam ſemideorum, aut etiam, deorum: deinde tandem propter temporis longitudinem in ignorationem veniſſe. Deos enim non moris eſt inſcribere: ut ego non deſperem, & aliorum quaſdam eſſe hujuſmodi. Thebis Alcæus quidam conſecratus eſt, quem Herculem eſſe ajunt, antea ita vocitatum: & apud Athenienſes Eleuſinii ſacerdotis pueri imago eſt, non habens inſcriptionem, & illum dicunt eſſe Herculem. Et apud alios ſcio multas partim ſemideorum, partim Heroum ſtatuas: ut Achillis, Sarpedonis, Theſei, propter hoc antiquitus non inſcriptas. Et Memnonis ita in Aegypto coloſſum eſſe ajunt. Cæterùm in quibuſdam gloria permanſit, tempuſque famam cuſtodivit: at vero non in omnibus id contigit, quicquid tandem fuerit in cauſa. Proinde & apud vos non impoſſibile eſt, tales quaſdam eſſe. Quale igitur eſt, Herculis aut Tlepolemi (age dicite) aut Solis filiorum cujuſdam ſtatuam, dare illi, bono quidem viro, & honore digno, (ſint enim omnes quos civitas colit, tales: & oportet ſanè optare, ut omnes ſint boni, maxime præfecti) ſed non tamen illorum unquam ſimili? Neque illi ipſi quos honoratis dicere poſſent, ſe illis modicum quid ſolum eſſe minores. Verùm etſi metuerent tale quid dicere, ergo ne vobis ex prædictis videtur, potius ab his re incæpta (dico autem de non habentibus inſcriptiones) eam ad omnes transferendam, aut valde eſſe talibus parcendum?

Atqui ignorationis & antiquitatis cauſa ſimilis eſt: ut ſi quis dicat, neque eos qui valde antiqua refodiunt ſepulchra, nihil delinquere, quod nemo illinc ſepultis reliquus ſit cognatus, neque ſciamus quinam ſint. Sepulchrum quidem non eſt argumentum virtutis, ſed opulentiæ: neq; poſſumus dicere, quod qui in ſepulchris jacent, fuerint ſtrenui, niſi ſi quis publicè ſepultus videatur, quod quodammodo his contigiſſe reor. Imago autem propter ſtrenuitatem data eſt, eoque quòd quis antea habitus eſt vir fortis. Quod enim nemo horum erectus ſit, convictus furti aut adulterij, non eſt incertum: neque etiam propter facta mediocria, ſed quantum poſſibile eſt propter maxima. Quòd igitur & divina quadam potentia providentiaque (ut ita dicam) tales participent, factum vobis circa ſtatuam volo dicere. Theagenes quidam fuit, Thaſius athleta. hic videbatur fortitudine antecellere ſuis æqualibus & jam cum alijs multis, & in ludis Olympicis ter acceperat coronam. Vt autem à certaminibus deſtitit, venitque in patriam, corpore ob ſenectutem defecto, vir fuit nemine inferior circa rempublicam: ſed quantum fieri poterat, optimus. Hinc, ut veriſimile eſt, inimicitias ſuſcepit cum quodam rempublicam adminiſtrante. At is huic viventi tantum invidebat. Hoc autem mortuo, facinus ſtultiſſimum omnium & maximæ impietatis deſignavit. Hujus enim ſtatuam in media ſitam civitate, noctu flagris cædebat. Igitur ſive forte fortuna, ſive Genio quodam illi indignante, mota eſt tandem è baſi, & ſecuta eſt una cum flagro, & occidit hominem. Quum autem lex eſſet, quæ iubet in mari demergere, ſi quid inanimatum incidens quempiam occidat: occiſi illius cognati, iudicum ſententia ſtatuam obtinent, & ſubmergunt. Quum autem peſtilentia coorta eſſet (ut aiunt) ſæuiſſima, atque Thaſii nullo modo liberari poſſent à peſte, demum oraculum adeuntibus, exules illis eſſe reducendos, reſpondit Deus. Quum autem omnes eſſent reuerſi, nulluſque foret reliquus rurſus conſulentibus Deum, ita antiſtitam reſpondiſſe ferunt:

Theagenis verò vos longa obliuio capit,
In nuda indignè prorſus recubantis arena,
Qui luctator erat longè fortiſſimus olim.

Quo reſponſo palam erat, quòd etiam prius non exulum gratia id datum fuerat oraculum, quodque peſtilentia nulla aliam ob cauſam accidiſſet. Et nullus hoc reſpondeat: Quid? ergo nos ſtatuas demolimur, aut in mare proiicimus? At ignominia afficitis illos quorum ſunt, & aufertis ab habentibus, id quod tunc quoque diſplicuit Deo: quando de ære non veriſimile eſt eum fuiſſe ſollicitum. Ne igitur puteris, ob Thaſii illius contumeliam Genium ita eſſe indignatum: inter eos autem qui à vobis ſunt honorati, neminem eſſe diis charum, neque heroa. Non ergo neque hoc licet dicere, quod non etiam hoc ob inimicitias à quibuſdam fieri poſſit, ſi quis prætorum odio habuerit quempiam, qui ante eum vixit. Id quod Theageni accidit audiviſtis, quod nempe acciderit propter invidiam, æmulationemque contractam ex republica. Etenim ſi modo in ſolis vetuſtis id ſe dicunt facere, tempore procedente (quēadmodum in vicioſis ſemper ferè contingit conſuetudinibus) neceſſe hoc erit & ad plures pervenire. Neque enim quicquam cauſari poterunt, quum in illius poteſtate totum conſiſtat negocium. At hercle prohibebunt neceſſarij. Si verò abſentes fuerint, aut ignoraverint, aut quum reſciverint, quid faciemus? Nunquid hunc oportebit rurſus eradere, quē quis præoccupans inſcripſerit?

Quum ergo facinus hoc vehementer ſit abſurdum, imo impium, minus tamen eſſet intolerandum, ſi non ob talem prætextum contingeret, qualem dicunt quidam, quaſi civitatem defendentes. Nam propter argentum quidvis facere, inter alia turpia omnes turpius ducunt, quam ſi aliam ullam ob cauſam. Quando igitur prætexentes ſumptum, aut quod oporteat facere expenſas atque alias ſtatuas, putant ſe rem honorifice excuſaſſe: certum eſt quod majus comparant opprobrium, ſi pecuniarum gratia injuriam facere videamini, præſertim quum ſitis divites, ut alij Græcorum nulli. Et cur tandem tempore progenitorum veſtrorum nihil tale factum eſt, quum non plura haberent quàm vos nunc habetis? Quòd enim inſula non ſit facta pejor, & ex Caria fructum percipiatis, & ex parte Lyciæ, & civitates poſſideatis tributarias, pecuniæque jugiter multæ à multis deponantur populo, & priores nullus abſtulerit, neminem putate ignorare. Et neq; dicere poteritis, vos nunc majores facere expenſas. nam etiam tunc in omnia, in quæ nunc, factæ ſunt: in conventus ſolennes, in pompas, in ſacrificia, in mœnia, judicibus, ſenatuique. Nunc ergo non ſunt majores prioribus etiam in alijs. Sumptus enim bellici, quum ipſi ferè continenter bella geſſerint, raroq; interdum quieverint, non ſunt opinor comparandi expenſis in pace factis. non enim ſimile, centum navium aut etiam plurium claſſem emittere, & rurſum ſeptuaginta & triginta aliarum, atque his domum non reverſis nonnunquam in tribus aut quatuor annis: neque, aſſiduè triremes navigare non ſolum uſque ad Cyprum & Ciliciam, ſed interdum quidem in Aegyptum, interdum vero in Euxinum, denique etiam in ipſo Oceano: neque peregrinum militem alere munitiones & regionem defendentem: cum eo, quod nunc veſtro tempore videre licet, nempe unius ſingulis annis aut duorum Aphractorum occurſu in Corinthum. Et hæc dico non exprobrans, neque vos pejores majoribus veſtris conſtituens. Non enim, quod non poſſitis hæc, ſicut & illi: ſed quod talium nunc tempus non ſit, & in pace degatis. Palam enim eſt, illos quoque maluiſſe non tot adire pericula: & propterea laboraverunt, ut aliquando tandem ſtabilirentur res. Verùm hoc tantum dico, quod non pares illorum atque veſtræ ſint expenſæ.

Vt enim quis alia omittat, quæ ad navalia & arma & machinas, de quibus nunc dixi, ſpectant: ipſum utique quod ad mœnia pertinet, par non eſt ut veſtro tempore inſtruuntur. Nam & ſi quis ponat, inter diligentiam nihil intereſſe, fiunt tamen per ocium & paulatim, & quando placet: tunc autem non licebit emittere. Et nunc quidem ea quæ vos decernitis, ædificantur: tunc autem, quæ cogebant hoſtes. Quin etiam neque hoc dicere licet, quod plures honoretis. Ipſa enim hoc multitudo indicat, ſtantium ex illo tempore ſtatuarum. Abſque hoc autem quis dicere poſſet, plures nunc eſſe, qui decus ſibi quærant beneficijs erga civitatem? At hercle, vobis incumbit neceſſitas, præfectos omnes honorandi. Quid igitur? Nonne & Athenienſes & Lacedæmonij, & Byzantini & Mitylenæi, eos ipſos colunt? Attamen quando illis videtur alicui æneam erigere ſtatuam, erigunt, & ſumptibus ad hoc abundant.

Atqui jam quendam audivi Rhodiorum dicere, non pares eſſe illorum & veſtras res. Illis enim ſolam supereſſe libertatem exceptis Athenienſibus & hos tamen nihil magni poſſidere: veſtram autem civitatem invidia laborare apud omnes tanquam opulentiſſimam, ideoque eam pluribus benevolis indigere. Præterea neminem Romanorum ægrè ferre, ſi non apud illos erigatur: honorem autem hujus civitatis eos non negligere. Hæc ſanè ſunt vera quidem, magis autem propterea ab illo facinore deſiſtere debetis. Qui enim magni æſtimant honorem apud vos nanciſci, veriſimile eſt eos non negligere quomodo eum conſervent, neque quomodo eum conſequantur: ſed pariter & animum conſiderare veſtrum. Qui autem confitentur invidioſas eſſe civitatis opes, eos non conveniebat ad calculos revocare ſumptus. Quippe tanto plures propterea præ alijs honoratis, quanto plura quàm illi poſſidetis. Et ſanè Imperatorum etiam num facitis imagines, & aliorum qui autoritate pollent. Neque enim vos fugit, nihil eſſe hoc modo erigere. Vt ergo in poſterum aliquos honoretis, ita turpe vobiſque indignum ipſis facinus deſignabitis? Si enim cum omnibus eodem modo ageretis, præter imperatores, non ita argueremini. Nunc autem ſunt quos illic erigitis, ut aliis palam ex his fiat, quod eos non honoretis. Si verò ex plebe hi ſunt, & qui nihil profuerunt, cujus gratia vos inhoneſtè geritis? Aut quid vobis vultis, eos colendo? præſertim quum vobis facultas ſit, alio modo illorum curam gerere. Etenim munera plura hoſpitalia, & liberalitas in excipiendo, plebejis ſufficit, etiam ſi ſit quis præſtantior. Præterea & decretum ſufficeret ſimplex, ut vel in Prytaneium vel conſeſſus honorabilem locum vocaretur. Nunc ſiquidem videmini, quemadmodum naucleri qui navem nimis onerarunt, & cum tempeſtate confli ctantur, propterea jacturam facere ſtatuarum.

Atqui age, si quis vobis dixisset, multas statuarum vendendas, ut pecuniarum habeatis copiam: quis non putaret, illum hoc dicentem esse mancipium. Attamen venditis: licet non ut avehantur, sicut opinor & valde improba mancipia. Breviter autem bene nostis, quòd nihil horum magnum est, neque preciosum, nisi propter dātes, si dent ut tale. Si verò ex his rebus, quid est, quæ cuicunque volenti & vulgari facile tribuuntur, cito videbitur nullius esse precij. Quocirca honestius est apud vos vocari, quam apud alios imaginem nancisci. Atque à vobis sedentibus quenquam laudari, splendidum est: alij vero etiam si se clamando ruperint, non videntur satis laudare. Coronam in ludis Olympicis scitis utique oleaginam esse, quam multi pluris faciunt quam vitam, non quod illic nata olea, aliquid in se habeat admirandum: sed quod non facile, neq; pro re parva detur. Proinde ferè circa vestra tempora, ut scitis, imperatorum quidam, ita valde eam affectavit, ut concupiverit illic victoriam, certaveritque apud Elæos, atque hunc felicitatis terminum statuerit suæ. Si verò omnes coronassent venientes ad spectaculum præfectos, quam admirationem, aut qualem amplius gloriam corona habuisset? At illos ajunt neq; epistolas resignare, quæ in commendationem athletarum cujusdam scriptæ sunt, nisi postquam certaverit. Et hoc nullum illis unquam attulit periculum, sed è diverso honorem & laudem, ut digni certaminum præpositi censerentur. Neque enim existimetis Romanos ita esse lævos & indoctos, ut neminem sub se perferant liberum esse, neque bonum, sed malle mancipijs imperare. Deinde Elæi tanti sua faciunt, nemine Peloponnesiacorum, quod ad alia attinet, meliores: vos autem prætereuntes timetis, ut si uni cuipiam non æneam erigatis statuam, libertatem putetis vos amissuros.

Verùm si quidem ita valde in discrimine versatur libertas, ut vobis ex quavis levi causa auferatur, servitus urbis ex omni parte melior est jam. Nam qui corpus habent tam periculosè affectum, ut amplius portare nequeant, ijs mori melius est quam vivere. Si enim vobis tanto servata tempore fides, & apud illorum plebem benevolentia, societasque omnis fortunæ rempublicam stabilire non potest, neque Mithridates devictus, neque Antiochus, neque maris imperium per multa pericula & labores traditum, neque icta ante tot annos amicitiæ fœdera, neque ipsæ juxta ipsum Iovem usq; huc stantes columnæ, neque vestræ copiæ periclitatæ usque ad Oceanum, neque postremo propter illos capta civitas: sed, si non illum & illum adulatione serviliter colatis, omnia hæc subversa sunt, ut semper expectanda sit ira vel odium: vehementer male res vestræ habent, nullaque re firmiter potestis inniti. Ausim etenim dicere, licet non libenter audiatis, melius quam vos degere eos, qui media in Phrygia serviunt, aut in Aegypto vel Libya. Qui enim ignorantur nulloque habentur in precio, si quid faciunt, minus turpe est: tam vero insignibus celebratisque apud omnes, necessitatem incumbere, quemadmodum canes solent ignobiles, adulari prætereuntibus, intolerandum est.

Age verò, si prorsus honorare oportet omnes, ut quis civitatem extrema laborare fingat inopia, quanto melius est ipsum de imagine statuenda decretum mittere, ut si velit, suis erigat sumptibus. At per Iovem, turpe est si tantas confitebimur angustias, & Rhodijs indignum. Et quis prudens non malit haberi pauper quam pravus? An quod nunc fit, minus vobis turpe videtur esse? ut quis possit statuas vestras commemorare, sicuti domos, quod antea hæc quidem fuerit illius, nunc vero sit illius, facta: & si hic decesserit, rursum erit hæredis, vel emptoris? Atqui imaginem nullo licet jure transferre, sicut domum.

Iam enim audivistis quendam tale quippiam ex tempore dixisse, quod etiam apud alios hoc videatur fieri. Et rursus alium, quod & apud Athenienses multa nunc fient, ob quæ quis haud immerito eos objurget, etiam circa honores. Illi enim certum quendam Olympium vocarunt, qui neque natura illorum civis est, sed homo ex Phœnicia, non à Tyro & Sidone, sed à vico quodam aut continente, præsertim brachia pice oblitum, & fascias ferentem. Illum quoque levem admodum poetam, qui etiam apud vos aliquando artis suæ specimen exhibuit, non solum æneum erexerunt, sed etiam juxta Menandrum. Dicere quoque solent, qui civitati male loquuntur, illi etiam tributum epigramma, quod super Nicanoris erat imaginem, qui illis Salaminem redemit.

Ego verò, si quis aut reprehendens Athenienses hæc dicit, atque ostendens quod nunc inhabitantes non sint civitate digni, neque ea gloria quàm superiores reliquerunt: aut universam Græciam miserans, quo reciderit, quando talia faciunt, qui tempus quoddam illi videntur præesse, bene ipsum puto dicere. Sin autem dico, quòd neque vos conveniat animos tollere, neque melius sapere quàm illi, haud queo satis explicare stupiditatis abundantiam, ista dicentis. Non enim, quemadmodum rectè ab aliis facta omnes prędicare solent æmulationis & exhortationis gratia: similiter etiam, si quid viciose apud alios fit, commemorandum est, ut id alij imitentur: verum è diverso, ut vitetur, neve improvise in simile quid incidamus. Namque si quis eos laudare volens, illa dixit, aut demonstrare, non minorem esse gloriam consecutus: ille fuit utique stolidus, immo impudens, nisi quod secundum suam sententiam, præbuit ansam quandam peccare volentibus. Sin autem ut turpia & probra omnes talia proferunt, & nemo civitatem laudare volens tale quid diceret unquam, sed sive maledicens quis, aut reprehendens maxime, & invehens, omnino stolidus est, per talia nos adhortaturum se sperans, ut negligamus ea quæ apud nos fiant.

Ut si quis tentans Athletam persuadere ut cedat, coronamque omittat, ad eum dicat: Non vides illum discedentem ante te, flagris cæsum? Aut hercle si quis ostendens histriones illic cadentes & exibilatos, ita te consoletur, ut ne tu quoque attendas, sed similiter certes. Ita nunc vobis propemodum illi dicunt: Non videtis Athenienses, quàm inhonestè se gerant? quàm male audiant? quàm sint in exemplum omnibus ignobilitatis & injuriæ, qua patriam affecerunt? Cæterum haud scio, utrum quis eos ponat ut colluctatores vestros, quemadmodum putant, an (quod omni ex parte & melius & justius) & hos & Lacedæmonios, omnesque hujusmodi, partem potius esse vestri, quàm vos illorum? Sed neque colluctatores delinquentes ratio dictat imitandos esse: sed è diverso, tanto magis rectè facere, ut omni in re videamini eos præcellere, & non solum propter illorum pravitatem, verùm etiam propter vestram ipsorum virtutem gloriosi sitis. Neque enim & cognatos in delictis decet imitari, sed magis prohibere eos. Itane ergo nitimini vestris ipsorum factis, illorum delicta minora facere? Præterea, quia in aliis nihil ab illis differtis, nihil fortasse opus erit ut in hoc uno vobis decus quæratis, curetisque ut illis videamini meliores? Nunc verò nihil est quod illic fiat, de quo quis non erubescat. Ut statim id quod ad gladiatores attinet, in quo ita vehementer æmulati sunt Corinthios, imo superarunt in felicitate & illos & alios omnes. Nam Corinthij quidem extra civitatem spectant in valle quadam multitudinem quidem recipiente, loco vero alioqui sordido, & in quo nemo liberum hominem sepelire velit. Athenienses verò in theatro spectant honestum hoc spectaculum, sub ipsa arce, ubi Dionysum super orchestram disposuerunt, ut sæpius nonnulli in ipsis sedibus obtruncentur, ubi pontificem aliosque sacerdotes necesse est sedere. Quin Philosophum de hoc dicentem, eosque corrigentem, non receperunt, neque laudarunt: sed ita sunt indignati, ut ille generis claritate Romanorum nullo inferior, tantam autem obtinens gloriam, quantam nemo inter valde multos assecutus est, solusq; post veteres maximè visus ad sermones congrue vixisse reliquerit civitatem, malueritque alibi in Græcia versari. Sed non vos (ô viri Rhodii) tale quid sustineretis, apud quos lex est, qua cavetur, ne unquam carnifex ingrediatur civitatem.

Cujus igitur gratia hujus feci mentionem? Nemo mehercle conviciis incessere volens Athenienses: è diverso enim, omnes moderatos illorum subit misericordia: sed ut cognoscatis, quod de cætero vobis nulla sit ad illos comparatio, sed ad vosmetipsos, adque alios quicunque sunt modesti. Quin etiam omnia quæ quis adversus Athenienses dicat, aut contra Lacedæmonios, aut alios quoscunque, apud quos alia quædam viciose & valde supine administrantur, mihi in hoc certamine feret suppetias. Quod enim circa imagines fit, apud illos ita fieri non licet videre: ita ut quod ne apud eos quidem delinquitur extreme perditos, quomodo nō maximam habeat absurditatem? Præterea magis ipsa quæ circa honores fiunt, inter se composita, hoc ipsum ostendunt. Si enim præsentium quandam cuidam veterum applicari videtur intolerandum: quanto magis intolerandum est, ita cuiquam illorum auferre honorem, ut alteri detur? Et si nomen cuiusdam inscribere alteri multo minori, tantam adfert damnationem: dele.e atque destruere nomen melioris, si ita cadat, qualem tandem rem videri putatis?

Atqui si quis vos Cauniorum, aut Myndiorum dicat esse similes, valde irasceremini, & maledictis ab eo diceretis onerari civitatem: quomodo ergo amplius defensionem vobis adferre potest, quod ulla res apud vos & illos similiter fiat? Quemadmodum si quis & mœnia apud vos diruenda putet, aut ruentia sinere, eo quod & apud illos corruerint, immo vero apud alios ferè omnes. At mœnia corruerunt propter pacem, cætera autem nonne sunt pravitatis indicia? Porrò ita agere cum antiquis benefactoribus, ob ingratitudinem fit. Ego verò ausim dicere, apud illos ne benefactoribus quidem injuriam fieri. Quis enim apud Caunios fuit unquam vir generosus? Aut quis illis unquam aliquid boni fecit? Nam hi serviunt non vobis solis, sed etiam Romanis, propterque summam dementiam & nequitiam duplicem sibi servitutem comparaverunt. Hæc autem & de aliis huius farinæ quis dicat. Ego verò in universum, tametsi tantos quidam gerant animos, quantos vos ipsi juste: non tamen ad alios, quæ faciant, vos respicere oportere puto, nedum ad tanto inferiores: sed ad vestram ipsorum gloriam, autoritatemque civitatis. Ridiculum enim esset, si quis vestrorum civium, Dorieus ille aut Leonidas, quos toties ajunt in ludis Olympicis evasisse victores, ad alium quendam respiciens se exerceret, pręsertim ad eum qui nunquam consecutus esset coronam. Cum Atheniensibus sane & Lacedæmoniis si vultis examinari, concedo: sed cum illis qui olim vixerunt. Nam similium quisque merito vobiscum dijudicatur. Quippe & athletam adhuc elatum animi, & quem nondum robur deficit, non ægrotantes convenit provocare, sed sui similes celebres: neque cum defunctis, sed iis qui fortitudine vigent, de victoria contendere. Sin minus, illud facere, quod eum superiorum nullo inferiorem declaret. Hæc quidem sana est ad talia ratio.

Si quid verò prætermittendum est, neque ad eos qui tunc fuerunt optimi, vos comparantes rem examinare: neque ad præsentes, qui à viciosissimis nihil differunt; sed ad medios illorum, aut etiam his inferiores. Igitur apud Athenienses regnante Philippo (maxi-

me ve-

me verò quando imperio aliis concesso, solam retinuerunt libertatem) Leptines quidam legem tulit, quod oporteret immunitates auferre ab iis qui haberent à populo, præter Harmodium & Aristogitonem, atque haud amplius in posterum licere cuiquam hoc donum dari. Quid ergo? Num amplexi sunt legem? Nequaquam: sed propter hanc scriptam legem damnatus est. Age nunc comparate hanc vestram consuetudinem illi legi: & si vobis aliqua conveniēs videbitur, custodite eam, faciteque fortiorem in posterum. quòd sanè necessario fiet, nisi eam in præsentia abrogaveritis. Si verò undique considerata, peior inventa fuerit, imitemini illius temporis Athenienses: magisque absurdum quàm fuit id quod illi tunc abrogarunt, & vos nunc abrogare. Et mendacem quidem ostendere civitatem, & circa dona infidelem, injuriamque facere benefactoribus ablata retributione, & omnia hujusmodi, æqualiter communia utrisque sunt, sed illic quidem qui habuerant immunitates, non carebant compendio. Quæ enim ea ex remissione acquisierant, in omne illis reliquum deinceps remansit tempus, ditioresque ex ea erant futuri. His verò quibus auferuntur imagines, ex eo quod prius sunt honorati, nihil plane superest præter contumeliam, ignominiamque. Ad hæc, ille qui tunc legem tulit, accusavit eos qui acceperant immunitatem: malosque eorum multos esse probavit, non solum non beneficiis dignos. ut illud solum fuerit intolerandum, quod non omnibus reprehensis, omnes tamen dono privabat. Hic autem, auferentes nihil habent quod dicant adversus illos: quos enim ne nôrunt quidem (ut ajunt) quomodo eos possent culpare? Præterea lex quosdam excepit, eos nempe qui maximis civitatem videbantur affecisse beneficiis, Harmodij & Aristogitonis posteros. Hic verò nihil est exceptum. Nam quum res fiat absque scriptura, & neque secundum legem, neque secundum decretum, de nullo prorsus est interdicta: & quibuslibet contingere potest, circa quoscunque prætori visum fuerit.

Atqui lex intoleranda facere videbatur, auferens populi potestatem, ut neque de cætero tale donum decernere liceret. Et quanto satius erat prohibere à principio, ne populus quid donaret, (si non profuit civitati) omitteretque benficia collocare, quàm auferendi ea uni dare potestatem? Quum enim turpe sit (quod nemo poterit negare) auferre aliquid illis qui acceperunt: secundum legem quidem id semel factum est, secundum consuetudinem vero semper contingit. Et sanè si grave videtur, aliquam auferre civitati potestatem: vos quoque eam aufertis, eo quod non firma custoditis quæ dedit. Cuicunque enim vos tribuitis honorem, non amplius in vestra est potestate, ut eum retineat: sed unius in hominis jurisdictione id situm est, nempe prætoris. Atqui pejus est consuetudine quid non esse in vestra potestate, quàm si esset prohibitum legibus. Hi enim non spoliati sunt quodammodo hac potestate, quod ne facerent, semetipsos lege prohibuerunt: sed voluntariè destiterunt, utilitatis gratia. In consuetudine verò, neque hoc dicere licet quod semetipsos privarunt eo, quo de neque judicaverunt, neque deliberarunt. Et illic quidem consolationem quandam habebant ex æqualitate & communitate rei, omnibus similiter oblatis immunitatibus. Apud vos autem illi quem casus obtulerit, imago aufertur, & frequenter meliori. Præterea illic lex aufert ab habente, non ut alter eam accipiat: apud vos vero huius gratia fit, quod omni ex parte molestius est, quàm duntaxat spoliari.

Et quidem illud non ignoratis utique, quanto gravius sit pati quid propter alium, quàm propter seipsum. Igitur ex lege quidem id evenit, ut ne quidam haberent immunitates, propter quos ut indignos dicebat & cæteros restituere debere: ex vestra autem consuetudine eam ob causam spoliantur habentes, ut alij accipiant. hoc vero omni modo gravius est patientibus. Proinde si circa quos maxime necessarium est, circa eos quis vult videre, quibus nam injuriam faciat hæc consuetudo, & quos contristatura erat illa lex, auferens non solum immunitatem ab habentibus verum etiam imaginem ab iis qui sunt nacti, ita consideret reliquos utrorumque. Hi enim quodammodo nihil passi sunt: quod enim acceperunt tanquam auctarium, id perdiderunt, majore illis dono reservato. Circa alios vero fortasse eadem videtur ratio, Cæterum res manifesta (opinor) est etiam inde. Quanto enim donum imaginis præstat munerum vocationi, tanto sunt meliores qui id sunt adepti. Præterea inde quoque res clare perspici potest. Immunitas enim accipientes facit ditiores: & hi maxime eam concupiscunt, qui fuerint circa pecunias studiosi: imago vero, honestatem solam in se habet, & honorem. Quanto igitur omnes diceremus esse meliores, qui gratis ob unamque gloriam quibusdam malunt benefacere, quam pro argento & lucri causa: tanto ausim ego dicere non solum meliores homines ab illa consuetudine injuria affici, verùm etiam à melioribus vos prohiberi beneficia percipere, id quod illi lege prohibentur?

Cæterum anceps animi sum, cur non & legem tandem hac de re feratis, juxta quàm in posterum agatis, si quidem ita vestra est sententia. At per Jovem haud parvam haberet turpitudinem talis lex in civitate lata. Itane ergo id quod scribere putatis turpe, facere turpe non est? Et quanto melius, non uti quibusdam viciose scriptis, quam facere? Aut utros diceres esse meliores? eos ne, qui ita sunt animati erga absurda, ut etiam si permissa sint, ab eis abstineant, an eos qui non concessa faciunt? Verum ego dicerem, id quod in confesso est, nequaquam quidem quicquam iniquum aut indecens faciundum; apud quos tamen tale aliquid lege fiat, minus reprehendi posse, quàm si fiat ex consuetudine. Primum enim lex certis finita est limitibus neque deterior fieri potest: neque enim scriptis auferre licet, & adiicere. consuetudo vero si fuerit viciosa, necesse est indies eam viciosiorem fieri, eo quod non est comprehensa, neque definita.

Dico autem hoc ideo scilicet, quod hæc consuetudo statim (ut aiunt) initium sumpsit à contritis statuis, neque jam in suis stantibus gradibus. His enim abusos esse prætores, reparantes eas, & quodammodo denuo alias facientes. Deinde quod reliquum erat, integris quidem, sed non habentibus inscriptiones, inscriptiones affixerunt: & postremo iam etiam inscriptis quibusdam, & admodum vetustis. Verum siquidem erit, quod ajunt, quod tandem necesse sit nullum restare discrimen. Nam in aliis jam ita res habet: insumptibus in ornatus neglectu, in deliciis. Et nunquam malarum quicquam consuetudinum invenietis stabile atque firmum, donec undiquaque prohibeatur. Eo enim quod indies appositionem suscipit, fermeque caret redargutione, nemoque facile cernit quanto hoc illo sit deterius, ad omnia procedit. quemadmodum (opinor) & ulcera quædam, & morbi, qui indies naturaliter incrementum capiunt.

Accedit huc & illud, quod qui lege quid faciunt rerum malarum, non id quasi tale faciunt, sed in errorem perducti: qui vero viciosa faciunt consuetudine, universi sanè dicere possent, eos scientes volentes delinquere ea, quæ scripta esse neq; ipsis quidem congruum videatur. Non ergo ideo quod antea cœpit, multumque temporis duravit, propterea minus convenire vobis existimetis, illa negligere. Nihil enim minus notantur turpitudine qui talia custodiunt, quàm qui primum susceperunt: sed è diverso magis, quid primum factum est, latere potuit tum viventes, præsertim quum adhuc observarentur hi qui facerent, quod autem à multis usuvenit annis, nemo id ignoret necesse est. Atque alioqui prorsus hic vobis ablatus est prætextus, qui de hoc ipso sederis judicaturi. Quemadmodum igitur, si quid vobis rerum honestarum auspicandum foret, non utique contaremini: quare similiter vos convenit esse affectos, si quid viciosarum abrogandum est. Ne ergo consuetudini tempus suffragetur, si quidem est flagitiosa: ut mihi jam olim videor demonstrasse. Non enim, si longum tempus vos damno affecit, ideo opinor illi convenire, ut nunquam damno afficere desinat. Neque enim si hominem flagitiosum à longo tempore comprehenditis, dimittitis eum temporis gratia, quod vixit flagitiis dans operam. Neque, si quis morbum sanare posset olim molestum, ad sanitatem denuo redire supersedeat. Arbitror vos autem, si quis deorum vobis planum faceret, futurum ut postea aliquando civitas perturbaretur: omnino illud provisuros, quantum in vobis est: deinde non neglecturos quod aliis sit nociturum, quia his consequens est. Ergóne id sinetis, quod vos ipsos in maximis injuria afficit, ideo tantum quod superioribus temporibus incœpit? Hoc quidem omnino stolidum est, si quis id putat nunquam prohibendum, quod consuetò quidem; absurde autem fit.

Rogo autem vos, id potius cogitetis, quod quum multa sint in civitate, quorum omnium gratia jure gloriamini: primùm quidem leges, & disciplina circa rempublicam, ob quæ præcipue vobis placetis: deinde (opinor) hujusmodi, templa, theatra, navalia, mœnia, portus, quæ partim quidem divitias ostendunt & magnanimitatem, priorisque magnitudinem potentiæ, partim autem pietatem erga Deos: non minus lætemini tamen super multitudine statuarum, atque id meritò. Non enim solum hujusmodi ornatum adfert, sicut alia diis consecrata donaria, sed etiam civitatis fortitudinem maxime declarat, & mores. Neque enim homines contempti à multis beneficia percipiunt, neque volunt, neque fortasse possunt multos honorare. Præterea & hoc inest. non enim solum, quod plurimæ apud vos sint statuæ, id accidit: verùm (opinor) etiam ideo, quod quum Romani sæpius undique supellectilem templorum palatiorumque acceperint, nunquam eorum quidpiam moverint quæ apud vos sunt. Quum & Nero, tantum desiderium studiumque circa hoc habens, ut ne iis quidem in Olympia abstinuerit, neque iis quæ Delphis erant, licet præ cæteris omnibus illa templa honorasset, præterea quoque plurimas ex Atheniensium arce transtulerit, multas quoque ex Pergamo, quum illud fanum sibi competeret? (de illis enim quę fuerunt apud alios, quid opus est dicere?) Eas duntaxat quæ apud vos erant, intactas dimiserit: tantamque ostenderit erga vos benevolentiam & honorem, ut totam civitatem judicaret sanctiorem, quàm præcipua templa. Nostis enim, quot Craton solus illi miserit, orbem ferme omnem peragrans hujus gratia, neque vicum ullum præteriens, atque tandem etiam huc venerit. Quum autem vos, ut par erat, contristaremini, spectandi gratia se dixit adesse. Neque enim se habere potestatem quicquam eorum attingendi, quæ hic essent. Proinde, præter communem aspectus ornatum, aliam etiam vobis gloriam acquirit imaginum multitudo. Amicitiæ enim erga duces, atque illius erga vos reverentiæ, testimonia atque demonstrationes hæ sunt.

Ergone Romani quidem & Nero hoc modo ea quæ apud vos sunt servaverunt, & veneranda judicarunt: vos autem non custodietis? Et Nero quidem imperatorum vehementissimus, & plurimum sibi tribuens, & ad omnem potentiam omnia minora existimans, nullius abstulit imaginem eorum qui apud solos Rhodios erant honore affecti: ipsi autem vos auferetis? Et quanto melius erat & hic idem factum esse? Apud alios enim manent honorato-

rum nomina,& inscriptiones nemo delevit: vos autem tanquam a-
liquid ab illis mali perpessi eraditis. A qui & hoc dicere quis possit,
quod si ab imperatoribus essent ablati,non adeo injuria aff ctos vi-
deri viros. Non enim tanquam aliis daturi, sed ornatu indigentes
transtulerunt,ita ut nullus eorum nomen abstulerit, neque illis in
deterius cessit translatio. pro Megaris enim,& Epidauro,& Andrio-
rum & Mycenensium foro, in Romanorum templis consecratæ
sunt. Hæc quis non dicat melius esse, quàm quod per vos ita eorum
destruuntur honores? Nullum enim in vobis fuisset delictum: neq;
si vestros ipsorum benefactores injuria affecissetis, & Heroas, sed
simul cum illis vobis facta esset injuria.

Verùm si quis vos interroget, etiam si videatur ridiculum, cur
tandem neque vos neque alius ullus fictiles feceritis imagines illis,
quos hoc censuistis dono dignos,quod utique facilius est, & nullos
aut valde parvos postulat sumptus? diceretis (opinor) non solum,
ut ne illi contumeliâ notarentur, sed etiam ut manerent, si fieri
possit,in sempiternum bonorum virorum honores. Nunc ergo sci-
tote,statuas vobis universas cereis esse infirmiores. Non enim quòd
solem ferunt,considerandum est, Ob adulationem enim erga alios
corrumpuntur, atque certo cuidam ob qualemcunque causam in-
scribuntur, & jam non sunt illæ quæ fuerunt antea. Longe igitur
deterior talis est corruptio. Tunc enim argui poterat materiæ fra-
gilitas,nunc autem civitatis malicia apparere videtur. Quapropter
simili modo datis statuas, quo puppas istas pueris dant ementes.
Nam & illi ita dant,ut paulo post ob confractas contristentur.

Num ignoratis,quanta insit huic rei turpitudo? & quantum exci-
tis risum publicitùs mentientes, & hoc ita manifeste? In decretis
enim scribitis, erigi oportere certi cujusdam imaginem. Quomo-
do (dicat vobis aliquis) viri Rhodij scribitis, erigi oportere, quæ
jam erecta est ante annos fortasse quingentos? Mulieres sibi pueros
supponentes, judicatis esse pravas, & intolerandum quod facere
existimatis,quod mendaciis utuntur: vos autem non verecundami-
ni, hoc facientes circa imagines, dicentesque statuas illorum esse
quorum non sunt: præsertim quum vos non prætereant scomma-
ta, quæ jaciuntur adversus civitatem? Multi enim ajunt, Rhodio-
rum statuas similes esse histrionibus. Quemadmodum enim illi in
scenam prodeunt alia atque alia sumpta persona, ita vestras statuas
aliam aliàs sumere personam: ut modicum absit, quin ideo erectæ
sint,ut alias personas repræsentent. Eundem enim nunc quidem es-
se Græcum, nunc verò Romanum, rursus autem fortasse Macedo-
num aut Persam. Atque hæc ita perspicue in quibusdam, ut qui vi-
deat,confestim agnoscat. Vestitus enim, & calceatus, & alia simi-
lia, mendacium arguunt. Et sexcenta prætermitto quæ fiunt: ut,
quod hominis valde senis imagini,juvenis cujusdam nomen inscri-
bitur: admirabili quodam (opinor) à vobis invento dono, si unà
cum honore etiam ætatem datis. Et rursum, quòd Athletæ cujus-
dam statua erigitur, quæ hominis est valde imbecillis, & corpore
mediocri. Nam quòd certus quidam apud vos videtur equitans,
aut cum hostibus congrediens,aut exercitum producens, homo qui
nunquam suis ipsius pedibus terram attigit, atque à ferentium hu-
meris descendit, nihil est fortasse absurdi. Verum quòd certus qui-
dam apud vos stat cæstibus pugnans, qui & corpore sit tenui & im-
becillo,cæstumque nunquam attigerit,planè ridiculum est.

Et hæc dico, non (per Jovem) odium mihi à vobis asciscere vo-
lens,neque infamare civitatem: sed ut nihil se indignum, neque a-
lienum ab alia disciplina & republica facere videatur. Et mihi sanè
videtur quod meritò huc provectus sim, propter benevolentiam
erga omnes Græcos,non solum propter eam quam habeo erga vos:
ut si quid haberem recti, etiam hic apud vos dicerem & significa-
rem. Antea enim ex multis constabat communis autoritas,& multi
Græciæ imperaverunt: vos, Athenienses, Lacedæmonij, Thebani,
aliquod tempus etiam Corinthij,antiquitus Argivi. Nunc verò a-
liorum autoritas nulla est. Partim enim eorum prorsus destructi
sunt & perierunt,partim vero inhonestè se gerunt,facientes qualia
auditis, atque omni modo veterem obscurantes gloriam, putantes
se versari in deliciis, stulti: proque lucro numerantes, quod nemo
eos prohibeat delinquere. Reliqui autem vos estis, inque vobis so-
lis consistit, ut videantur inter Græcos clari extitisse viri, neque o-
mnino contemptui habitos. Propter eos siquidem qui ita sua u-
tuntur patria,ut vere quidam dicunt,nihil obstitit olim, quo minus
omnes Græci Phrygibus & Thracibus contemptiores essent ha-
biti.

Quemadmodum igitur domo felici & magna exhausta, quando
unus adhuc superstes est successor, in eo sunt omnia: & si quid is
delinquit,& male audit,totam obscurat domus gloriam, omnesque
dedecore afficit superiores: ita etiam vestræ res habent erga Græ-
ciam. Nolite enim putare, ô viri Rhodij, quenquam illorum illius
tenere principatum, nolite putare. Eorum enim qui adhuc vivunt,
gloriamque & ignominiam sentiunt,est principatum tenere. Res
autem illorum interierunt, & omni modo turpiter miserabiliterq;
sunt corruptæ: & ne cogitare quidem de cætero licet excellentiam
splendoremque priorum gestorum,si quis homines inspiciat. Cæ-
terum lapides magis declarant gravitatem magnitudinemq; Græ-
ciæ, & ruinæ ædificiorum. Quoniam eos qui nunc inhabitant, &
rempublicam gerunt, ne Mysorum quidem quis posteros dixerit.
Quare mihi videntur civitates funditus eversæ melius agere, quàm
ita habitantur. Illarum enim integra adhuc manet memoria, no-
menque ex prioribus rebus honestis adeptum, ob nullum facinus
contumelia afficitur. Quemadmodum (puto) & mortuorum cor-
pora sublata esse ut nemo videat, melius omni ex parte est quàm
videri putrescentia.

Et hæc fortasse plura quàm par sit, mihi venêre in mentem, re-
cordanti totius conditionis. Illud autem vobis planum facere vo-
lebam,quod soli relicti sitis ex Græcis,quos quis admonere audeat,
& pro quibus adhuc quis contristetur, si quid delinquére videami-
ni. Meritò ergo attenderetis, omniaque talia exactius expenderetis,
quàm majores vestri. Illis enim in multis aliis suppetebat osten-
dendæ virtutis facultas. nempe, aliis imperando, succurrendoque
injuriam passis,auxiliaribus copiis conciliandis, civitatibus extruē-
dis,vincendo hostes. vobis autem horum nihil facere licet. Relin-
quitur autem (opinor) ut vobis ipsis imperetis, & civitatem gu-
bernetis,& aliquem honore afficiatis,& plaudatis non eo modo quo
multi,& consulatis judicetisque,diisque victimas offeratis, agatisq;
festos dies: in quibus omnibus videmini alijs meliores. Quamo-
brem & hujusmodi vobis laudem pariunt, cognoscunturque apud
omnes ut non parva: incessus, cæsaries,& quod nemo tumultuose
vadit per civitatem, compellanturque propter vestram consuetudi-
nem & peregrinantes hospites compositè incedere: sicut (puto) &
homines agrestes, quando in palæstram aut gymnasium veniunt,
minus incontinue moventur. Præterea huc accedit & vestitus mo-
dus, ut alicui ridicula videri queat purpuræ mensura. Iam & illa
manifestiora, quod spectatis cum silentio, & popysmis utimini
moderatis. Hæc omnia gravitatis commendant civitatem, propter
hæc omnia ab alijs differre videmini, in his omnibus estis admira-
tioni, atque diligimini: magisque quàm portus, quàm mœnia,
quàm navalia, vos ornant antiqui mores, & verè Græci. unde vos
quilibet, simulac è navi descendat, novit, etiam si sit barbarus, aut
veniat è civitate quadam Assyriæ aut Ciliciȩ. apud alios verò si non
quis audiat loci nomen, Age (inquiunt) quid vocatur? & nulla est
inter Lycæum Academiamque differentia.

Cujus igitur gratia jam finem faciens, hoc ego dico, & planum
facere volo? Quòd tanto magis vos decus quærere oporteat, nihil-
que leviter transmittere eorum quæ fiunt. Et si hoc modo in omni-
bus quæ facitis, fueritis animati, nihil fortasse majoribus vestris
videbimini deteriores. In tali enim rerum statu semetipsos custodi-
re, manereque in virtutis habitu, videtur mihi sanè admirandum.
Quemadmodum (puto) in navigantibus videre licet, quòd tem-
pestate irruente, aut vento vehementi, ne lascivissimi quidem in-
ter eos quicquam turpe faciant, sed duntaxat ad navigandum ad-
vertunt animum: in tranquillitate vero, & nautarum & vectorum
palàm conspiciuntur procacitates, tametsi non sint libidinosi. Si-
mili,opinor,modo & in bellis evenire solet, quod & ignaviores ex-
citentur & antecellant: in tanta autem pace & socordia optimorum
virorum, in nullam turpitudinem aut confusionem deduci, non
est quorumvis, sed singulari virtute præditorum. *Oratione. 30.*

Libanius: Si à peccante pœnam exigeres, cur eum qui rectè e-
git,debita gratia fraudares? non enim æquum est improbitatem
castigare, & probitatem negligere: neque ex dimidio tantum quod
justum est facere, quandoquidem leges supplicia distinxerunt,non
odio prosequentes eos quos puniunt: sed meliores efficientes etiam
alios metu talia patiendi,proinde honorant & castigant ad eundem
finem, ut bonos omnes cohortando efficiant, quin etiam omnis
honos, & eum qui decoratus est ad majorem erga civitatem bene-
volentiam incitat: atq; alios ad imitationem & æmulationem im-
pellit: pœna verò dum mortem infert, eum qui mortuus est non
amplius utilem vobis præstat: sed ceteros fortassis à similibus faci-
endis timore coërcet, & improbos quidem misericordiam conse-
cutos, cùm supplicium subire oportuisset, probos fieri licet; & in
eos qui veniam concedunt benevolentes: sed probi meritò honore
non affecti, fieri nequit ut in eos à quibus remunerati non sunt,
benevoli existant. Quare sublata benevolentia, una etiam tollitur
voluntas beneficium conferendi, cùm pericula vocant. Quamo-
brem plus nocet urbi malos non puniri, quàm probos minime ho-
norari. *Declamatione. 31.*

Libanius: Si quod majus est destituitur mercede, neque id quod
minus est honorare convenit. At enim molestius est largiri præ-
mia ijs qui parva facinora præstitêre, quam bene meritum nullo
prorsus honore prosequi. illud enim pravus tantum affectus est,
ingrati animi labes: hoc verò duplicem animi morbum continet,
vecordiam & invidiam. & tamen nescio unde livor occasionem in
me invenerit. nam ubi commune factum est cum multis, meritò
apud eos qui sibi mutuo invident, quisque plus habere contendit,
quasi major ab ipso portio effecta sit: ubi autem omne opus unius
viri est, quem invidiæ locum patere par est? nam si opere uno à
multis perfecto, quando unus inter omnes eximie præstat, & ma-
xima pars ab eo perspicue peracta fuit, cedunt reliqui; & modestè
patienterque ferunt: quid causæ esset cur donum meum invidere-
tur? cùm ego qui honoror nil commune cum ullo habeam, quod
à me factum sit. *Declamatione 31.*

¶ ROMANORUM.

Plinius: O te dignum qui de magistratibus nostris semper hæc
nuncies,nec pœnis malorum,sed bonorum præmijs bonos facias!
Accensa est juventus, erexitque animos ad æmulandum, quod lau-
dari videbat. nec fuit quisquam quem non hæc cogitatio subiret,
cùm sciret, quidquid à quoque in provincijs bene ferer, omnia te
scire.

ſcire. Vtile eſt, Cæſar, & ſalutare præſidibus provinciarum hanc habere fiduciam, paratum eſſe ſanctitati & induſtriæ ſuæ maximū pretium, judicium Principis, ſuffragium Principis. Adhuc autem quamlibet ſincera rectaque ingenia etſi non detorquebat, hebetabat tamen miſera ſed vera reputatio; vides enim ſi quid benefecero, neſciet Cæſar, aut ſi ſcierit, teſtimonium non reddet. Ita eadem illa ſeu negligentia ſeu malignitas Principum, cùm maleconſultis impunitatem, rectefactis nullum præmium polliceretur, nec illos à crimine, & hos deterrebat à laude. At nunc ſi bene aliquis provinciam rexerit, huic quæſita virtute dignitas offertur. patet enim omnibus honoris & gloriæ campus: ex hoc quiſque quod cupit petat, & aſſecutus ſibi debeat. *caput 70. panegyrici ad Trajanum.*

Plinius: Habuerat hunc honorem periculis noſtris Divus Nerva, ut nos etſi minus bonos, ut bonos tamen promovere vellet: quia mutati ſæculi ſignum & hoc eſſet, quod florerent quorum præcipuum votum ante fuerat, ut memoriæ Principis elaberentur. *fine cap. 90. panegyr. ad Trajanum.*

¶ POETARUM.

Plautus Pœnuli Prologo v. 36.

Quodq; ad ludorum curatores attinet;
Ne palma detur cuiquam artifici injuria,
Neve ambitionis cauſſa extrudantur foras,
Quo deteriores anteponantur bonis.

Plautus Truculento 3. ſc. 6. v. 56.

— *Hoccine mihi ob labores tantos tantillum dari?*

Guntherus lib. 2. v. 602.

Protinus armato cuidam congreſſus inermis,
Fortior ad terram ſcopulo deturbat ab alto
Præcipitem, verſoq; gradu veſtigia victor
Fortuna comitante refert, & corpore toto
Integer, ad ſocios & regia ſigna reverſus,
Se pariter caſtris & tuta mente recepit,
Mirans ipſe ſuum revocato pectore factum.
Cui Rex ob facinus præclarum, præmia laudis
Digna referre volens, titulos, & nomen equeſtre,
Armaq; cornipedesq; feros, cultusq; nitentes
Largiturus erat: puduit conſurgere tantum
Plebejum, generisq; ſui tranſcendere fines,
Et ſub fortuna potius remanere priori
Credidit, acceptis largis a Principe donis.

¶ APOLOGORUM.

De Porco poſt mortem gratiam domino referente. Fab. 158.

Porcus criminatus ab ovibus, quod domino, à quo tanta paſcebatur diligentia, nullam referret gratiam: quum ipſæ lac, lanam, agnoſque illi præberent: mortuus, inquit, referam: non ab re me nutrit.

Fabula indicat, quod nemo abſq; ſpe præmij laborem ſubit. Laur. Abſtemius.

Babrias Περὶ Λύκου καὶ Γεράνου. Fab. 39.

Εἰς λαιμὸν ὀστοῦν ἐμπεπήγη τοῦ Λύκου,
Μισθῷ γ' ἑλὼν Γέρανος, ᾔτει τὴν χάριν.
Ζῶον τράχηλον ἐκ Λύκου λαιμοῦ φέρων,
Μήδ' ἄλλο μηδὲν μισθὸν ἢ τοῦτο σκόπει.

Ἐπιμύθιον

Πρὸς τοὺς ἐπὶ κίνδυνον πρᾶξιν ἐγχειρήσαντας, καὶ μετὰ τὸ σύνθημα ζητοῦντας μισθόν.

De Lupo & Grue.

In Lupi gutture os infixum erat,
Mercede autem quum extraxiſſet Grus, petebat precium.
Saluum collum ex lupi gutture ferens,
Nullam aliam mercedem, quàm hoc conſidera.

¶ AFFABULATIO.

In eos qui periculoſum negotium aggrediuntur, & poſt conventionem, quærunt mercedem.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Abſq; paſtu permanere flamma perpetim nequit.
Bis peccat qui precium meriti ab improbis deſiderat.
Certatim omnium cupido præmij ſtudium arrigit.
Corrigas cur pœna eadem crimina haud æqualia?
Corrigas ſpe præmioq; cùm peregrè eſt militem.
Cuncta peſſum eunt, ubi eodem ſunt boni loco ac mali.
Deme præmia iniquitati: nemo erit gratis malus.
Des potius ne quis delinquat, quam ob delictum, præmia.
Fert laborum oblivionem præmij omnis dulcitas.
Improbis eadem probisq; cedere improbiſſimum eſt.
Ingenui haud eſt imputare cum nil ipſius promeret.
Innocentes & nocentes perperàm eodem habeas loco.
Languet omnis deſtituta præmijs induſtria.
Laudes atq; grates meritis dantur à victoriâ.
Liberali animo labores merces ſunt ampliſſima.
Luculenta luculentis præmia à periculis.
Lumini inſtilles oportet oleum, ſi vis vivere.
Maleſactorem amitti ſatius, quàm relinqui beneficum.
Maximè reor æquum ferri bona bonis, malis mala.
Maximos tuos vis eſſe? maxima ijs des præmia.
Merces ejus qui poteſt jubere, vis precaria eſt.
Militi minus magisve præbe pro virtutibus.
Ne virtutis ad labores, ſed coronas reſpice.
Nemo amplectitur Virtutem ipſam auferas ſi præmia.
Nemo hominem ita exuit, animi cauſſâ ut ſit malus.
Non labores perpendendi in arduis ſed præmia.
Non ſat eſt punire ſontes, præmijs orna & bonos.
Non movet decor recti ipſe, ſi abſint facti præmia.
Nulla merces ſi intercedit, homo hominem non diliget.
Nullis meritis mitigatur homo natura perfida.
Nupſit Herculi aurea Hebe ſed peractis jam malis.
Particeps periculorum, ſitq; bonorum particeps.
Orbe in hoc, pugna atq; arena eſt: præmium cæli dabunt.
Pœna cur unius fiat alterius, dic, præmium?
Pœna præmiumq; quamq; continet rem publicam.
Poſt operum graves labores præmium quis non petit?
Præferenda ſunt ſecundis prima itemq; tertiis.
Præmium belli meretur, particeps periculi.
Præmium ingens calcar ac fax ad pericula omnia eſt.
Præmium nemo meretur à malo qui ultrò abſtinet.
Præmium nemo quietis ac laboris abſtulit.
Præmium nullum iis debetur, qui auſpicij non ſunt ſui.
Præmium nullum meretur nauta qui in portu perit.
Præmium par ipſe debet in pari periculo.
Præmium quicumq; differt, aufert mercenario.
Præmium virtus laboris non vult, præmium ſui eſt.
Præmium virtutis factorum ipſa conſcientia eſt.
Præmium virtutis omne pura conſcientia eſt.
Præmio bono, maloq; facias quem bonum ac malum.
Præmio bonos, maloſq; pœnâ, publicè affice.
Præmio periculum par, par periculo præmium.
Præmio pœnaq; quamvis fulcias rempublicam.
Præmio quivis laborem impendit & periculum.
Præmia ad pericla calcar ſunt, ſimulq; ſunt faces.
Præmia ignavi ſequuntur, rectè facta ſtrenui.
Præmiis lucrisq; amantes milites reddas tui.
Præmiis natura nullis mitigatur improba.
Quàm ſæpe heu perverſa virtus recti præmia abſtulit.
Qui periculis adfuêre, & adſequantur præmia.
Qui ſuum bonum recuſat ferre; perferat malum.
Quis mage gaudeat periclo quàm pericli præmiis.
Quod datur digno, ſuum omnes eſſe judicant decus.
Quos penes ſunt damna belli, ſint & belli præmia.
Sæculi eſt decus, ubi honeſtat digna laus verè viros.
Sannio fructus potitur debitos induſtriis.
Si mercedem das amico, da potius plus quàm minus.
Sponte honeſta cum petuntur, quò metus, quò præmium?
Sublatis pretiis ſtudiorum, etiam ſtudia ipſamet ruunt.
Tantalus ſitim famemq; nactus, Heben Hercules.
Teſtimonio ampliori, & præmium des amplius.
Virtus ſæpe muneratur, quam fefellit exitus.
Vis amari Rex à cunctis? parva magnis munera.
Vt flagitium quiſq; navit, præmiis attollitur.

¶ JAMBICA.

Ad præmium feſtinus, ad pœnam piger.
Athleticæ plagæ in coronas deſinunt.
Bello ac periclis ſumma mereas præmia.
Bonos beando proximè itur ad Deos.
Cur pœna unius alterius ſit præmium?
Debetur ei nil, legis munus qui facit.
Deſidia iniquè aufert ſudoris præmium.
Deſit corona, nulla erit victoria.
Dignus quibus quiſq; eſt ea nemini neges.
Exempla præmiorum virtutes alunt.
Haud facta deſunt fortium, ſed præmia.
Haud præmium eſt, cui jungitur neceſſitas.
Id omne vile eſt præmium cui ſuum eſt.
Indignus eſt expers laboris præmio.
Inviſa meriti præteriti & memoria eſt.
Malus gladiator non citò accipit rudem.
Merces piorum ſemper in tuto ſita eſt.
Mercede conducto venalia omnia.
Mercede nullâ gratiam emeris Dei.
Mercede vitam redime; ſed non qualibet.
Meriti veteris officium, conſerves novo.
Merito recenti crimen eluas prius.
Meritis bonis, ætate creſcit dignitas.
Meritis honeſtè & merita repenſaveris.

Ne palma detur cuiquam artifici injuriâ.
Nemo omnium esse gratuitò velit bonus.
Nemo omnium esse gratuitò velit malus.
Nil adspicit qui currit, præter præmium.
Nil turpe cuiquam, præmium cujus placet.
Nunquam bonis virtus sua mercenaria est.
Os obligari bovi trituranti nefas.
Perpes profectò servus mercenarius est.
Pij sumus ad mercedem, ad mercedem impij.
Qui recta prava faciunt, his nunc præmium est.
Quis præmium usquam ante experimentum accipit?
Quò quis meretur plus præmij, minus capit.
Si præmium desit mali, desint mali.
Spes præmij laboris est solatium.
Stultus, pretium stultitiæ illicò auferes.
Sunt cuncta pœnâ præmiove pervia.
Togâ, sagoq; cuncta spectant præmium.
Virtus sibi una atq; unica ipsa præmium est.
Vir mentis altæ præmium haud prædam petit.
Virtus seipsam habet laborum præmium.
Vt fecerit sementem quisq;, ita & metet.

Præsagij.

¶ Monosticha Trochaica.

Exstinguenda regna, cœlo nunciant signa aut solo.
Non obit rex, non creatur, astra quin prænuncient.
Nulla adhuc periere regna sine signis prænuncijs.
Nunciant id sidera ante rex ubi ingens nascitur.
Principum necem antecedunt signa semper turbida.
Quilibet præsagus est in clade rerum publica.
Sæpius vox forte lapsa vertit in præsagium.

¶ Jambica.

Et signa clades antecedunt publicas.
Fati imminentis sua sunt & præsagia.
Præsaga verè lingua jam morientium est.
Vox fortuita, sæpe fit præsagium.

Præsentiæ.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

Divus Nazianzenus: In morbis calamitas ea quæ præsenti doloris sensu afficit, molestior semper est, quàm ea quæ præsens non est. *Oratione 15.*

D. Nazianzenus: Humanus affectus est, cùm magnis quibusdam rebus spe conceptis, in eas subitò incidimus, opinione nostra inferiores eas videre. *Oratione 20.*

D. Chrysostomus: Nonne cor meum erat tecum? Papæ! quanta est virtus doni & charismatis, cùm faciat omnes esse simul & unà, & efficiat etiam ea quæ sunt procul scire? Jam judicavi ut præsens. Non finit eos aliquid aliud mente versare. Tulli enim sententiam tanquam præsens, ne mihi dixeris dilationes & prorogationes: nihil enim aliud fieri oportet. *Homil. 15. ad Cor. 1.*

D. Chrysostomus: Certè invidia aliunde non existit, quàm quòd ex præsentibus rebus pendemus; imò verò neque aliunde omnia mala. Nam si pecuniam & gloriam mundi hujus pro nihilo putes; neutiquam iis, quibus suppetunt, invidebis. Sed quoniam istis inhias, ista admiraris ac stupes; idcircò invidiæ, idcircò inanis gloriæ stimulis agitaris; ac denique omnia hinc proficiscuntur; ex admiratione, inquam, vitæ præsentis, rerumque ad illam pertinentium. Invides illi, quem vides ditescere? At ille misericordia potiùs ac lacrymis dignus est. Sed continuò cum risu inquis; ego lacrymis dignus, non ille. Profectò lacrymis dignus & tu; non ideò quòd pauper es, sed quoniam teipsum miserum ducis. Eos enim, quibus nihil mali adest, ac tamen ægro animo sunt, lacrymis prosequimur: non quòd malè habent; sed quòd cùm minimè malè habent, habere se putant. Etenim dic mihi, si quis à febre liber mœreat, valensque decumbat, atque in lectulo circumferatur; nónne iste lacrymis dignior, quàm febri laborantes? Tu quoque lacrymis dignus; proptereà quòd teipsum miserabilem ducis, minimè verò propter paupertatem. nam paupertas ipsa vel beatissimum te faceret. *Homilia 2. ad Philippenses.*

Chrysostomus: Semper vos habemus in mente. Vide quanta sit dilectio. quamvis autem eos haberet perpetuò in corde, quærebat tamen eorum in aspectu seu facie præsentiam. quippe planè est ardentis amoris, videre, audire, alloqui, & hoc multum contulerit. *Homil 3. ad Thessal. 1.*

D. Basilius Andronico Hegemoni. Si corporis viribus tantum valerem, ut peregrinationes facilè perferre possem, & hyemis incommoda pati, non literas dedissem, sed ipse profectus essem ad tuam celsitudinem: quod apud animum meum reputarem, neque principem virum, neque idiotam quemquam sic literis persuaderi posse, ut si ipse præsto sis, & partim crimina diluas, partim ad pedes te supplicem abiicias, partim veniam depreceris, ex quibus nullum est, quod epistola possit facilè præstari.

S. Isidorus Pelusiota: Quòd quidem experimento famam beatus Timotheus superarit, aspectuque, quàm auditione præstantior fuerit, omnes quibus suavi ipsius consuetudine frui donatum est, exploratum habent. Quòd autem ipse quoque tantum eloqui posse optarim, quantum cupio, nemo, ut opinor, dubitat. At quoniam optare facile est, consequi autem difficilius est quæ facilè ac promptè optantur, idcirco ego quidem tacebo: tu verò ex his rebus, quas certò cognitas habes, encomium ipsi contexere ne graveris. *Lib. 3. epist. 304.*

Synesius: Joannes, quem quidem ideo quod te amat, diligo, difficili morbo conflictatus est, malum autem illi non tam morbus erat, quam quod sacro abs tuo capite esset remotus, quando & nunc eodem in statu hæret. Jam tertium illud molestiorem ei ægritudinem facit. Etenim milite dignum aliquod facinus edere gestit, proindeque impatienti animo necessariam istam cessationem perfert. *Epist. 37.*

¶ Latinorum.

Salvianus: Nos magis laudamus illa quæ tunc fuerunt, quàm ista quæ nunc sunt; non quia si eligendi facultas esset, semper habere illa mallemus, sed quia usitatum hoc humanæ mentis est vitium; cùm intueatur illa magis semper velle quæ desunt. *Lib. 1. de gubernatione Dei.*

Orosius: Ut assolent humanæ mutabilitati omnia sordere præsentia; novitates rerum actu, audituque prurientibus, ipsa etiam vita fastidio est. *Lib. 3. adv. Paganos cap. 2. fine.*

¶ Oratorum Philosophorumq; Graecorum.

Aristides Rhetor: Ij qui pulcras amant mulieres, formæ præstantia capti, qualis quidem ament sciunt, veruntamen si quis eos interroget, nihil de absentibus possent dicere, præsentes autem ostenderent. *In Æsculapij puteum.*

Lucianus: Nimirum vobis persuasit fabula de electro, populos esse ad Eridanum fluvium, quæ lachrymentur ipsum, Phaëthontem lugentes, easdemque populos sorores esse Phaëthontis, quæ adolescentem lamentantes, mutatæ sunt in arbores, suisque lachrymis electrum stillant. Hæc utique cùm poëtas audirem canentes, sperabam, siquando ad Eridanum venissem, unamque ex populis subiissem, me sinu extenso paucas aliquas lachrymas excepturum, quò electrum haberem. Et sanè non multò antè alterius negotij gratia, ad ea loca veni. Nam mihi adverso Eridano erat navigandum. Neque tamen cùm omnia perlustrassem, populos vidi, neque electrum: at neque Phaëthontis nomen erat incolis notum. Cum enim quærerem & sciscitarer, quando ad populos electrum de se præbentes venturi essemus, irridebant nautæ, & quid vellem, jubebant planiùs dicerem. Tum ego fabulam ipsis narravi, Phaëthontem fuisse Solis filium, qui cùm adolevisset, à patre petiit ut per unum diem sibi currum regere liceret: quo impetrato è curru deturbatus periit: ejus autem sorores hîc alicubi, apud vos, inquam, lugentes, ubi in Eridanum est delapsus, in populos fuisse transformatas, eumque flendo electrum emittere. Quisnam, inquiunt, hæc tibi dixit impostor & mendax? Nos verò neque aurigam ullum delapsum novimus, neque quas dicis, populos habemus. Quòd si quid hujusmodi apud nos esset, putas nos duorum obolorum gratia remigaturos, aut adverso flumine navigia tracturos, quibus lachrymas populorum colligentibus facile esset ditescere? His dictis non mediocriter sum perculsus, & pudore affectus tacui, quòd quiddam revera puerile mihi accidisset, ut crederem poëtis tam absurda mentientibus, ut nihil sani placeret ipsis. Unica igitur hac spe nec illa mediocri deceptus, indolebam ac si è manibus electrum perdidissem: ego qui jam animo concipiebam quem mihi præberet usum. Porrò & apud ipsos pro certo putabam fore, ut cygnos invenirem complures in fluvij ripis canentes: ac denuo nautas interrogabam, cùm adhuc navigaremus. At cygni, quando vobis dulce illud melos accinunt, hinc atque illinc fluvio incumbentes? Ajunt enim eos cùm essent Apollinis assessores, canorique homines, hîc alicubi in aves esse mutatos, ideoque etiamnum canere, musices non oblitos. Tum illi ridentes, tu homo, inquiunt, non desines falsa hodie de regione nostra, & de fluvio dicere? Nos autem qui semper navigamus, & ferè à pueris nauticam in Eridano exercemus, paucos quidem cygnos in fluvij paludibus nonnunquam cernimus, qui inamœna, debilique voce crocitant: ita ut corvi & graculi præ illis sint Sirenes. Cæterùm illos dulce, quemadmodum dicis, canentes, ne in somnis quidem audivimus. Itaque demiramur undenam ista de nobis conficta ad vos venerint. In multis id genus facilè decipiuntur, qui singula plus justo amplificantibus credunt. Itaque ego equidem quod ad me attinet, vereor ne vos qui nuper advenistis, ac nos nunc primùm audivistis, sperantes fore ut electrum & cygnos apud nos inveniretis, deinde paulò pòst abeatis, deridentes eos qui meis orationibus multas opes inesse spondebant. At Deos testor, me neque à vobis, neque ab alio quoquam auditum esse, atque un-

quam auditum iri mea sic magnificè jactantem. Etenim in alios quospiam Eridanos incidere possis, quorum ex sermonibus non electrum, sed aurum ipsum destillat, cum cygnis illis poëticis sint multò facundiores. Mea verò dicendi ratio quàm sit simplex, & à fabulis aliena, videtis, neque ipsi insit modulatio. Itaque vide ne tibi tale quid accidat, quum majora de nobis speraveris, quale iis qui quæ sunt sub aquis, spectant. Nam cùm existimarent tanta esse ea, quanta ipsis ex alto videbantur, umbra sese ad splendorem dilatante, postquam retraxerint, multò minoribus inventis illis; dolent: Jam igitur effusa aqua, meisque rebus revelatis, tibi prædico, ut magni nihil hausturum te expectes, alioqui fore ut te falsæ spei accuses. *De Electro.*

Iulianus Imp. Dum tecum est hospes, colito, dimitte volentem, sic lex Homeri præcipit: at nobis amicitia est longe major, quàm illa hospitij, nempe hæc, quam doctrina quæcunque est, ac religio conciliat. Quare nemo me jure accusasset, quasi Homericam legem violarem, si te apud nos diutius manere voluissem: Sed cùm viderem, corpusculum tuum curationis ac solatij majoris indigere, permisi tibi ut ires in patriam, & de commoditate itineris providi: usum siquidem publici vehiculi tibi concessi. Æsculapius & dij omnes te deducant, atque iterum ad nos adducant. *Epist. 40.*

Libanius: Quomodo nos invicem adspiciemus post epotam à Socrate cicutam? multa, Athenienses, multa cum adsunt fastiditis, cum desierunt, desideratis. *Declam. 29.*

Heliodorus: Apparet ex verbis tuis Cnemon, te nondum amorem expertum esse. scires enim profectò quod & ea quæ nihil habent periculi formidolosa amantibus existunt; solisque oculis, in iis quæ jucundissima & gratissima sunt, fidem habent. illorum verò absentia, metum jam & sollicitudinem in animabus amore captis efficit. Ejus causa est, quod sibi persuaserunt, uterque alteri carissimi nunquam re relicturos esse, nisi eorum conjunctioni aliquod triste obstet impedimentum. *Lib. 6. Æthiopicorum.*

Heliodorus: Chariclia quidem Euphrati iterum traditur asservanda; in lucro maximo in adversis rebus ponens consuetudinem Theagennis, & facultatem rationes suas ei enarrandi. Ab Arsace enim & hoc ad augendam pœnam excogitatum fuerat, quo juvenes tanquam illis illudens excruciaret, ut in uno carcere conclusi spectatores essent mutuò suarum calamitatum, dum vinculis ac cruciatibus affligerentur. sciebat enim quod dolor ejus qui amatur, magis amantem quam suus excruciat. At vero ipsis factum hoc cōsolationis loco potius erat, & in similibus doloribus versari lucrum ducebant, si alteruter ex ipsis minus cruciatuum sustineret, victum se esse ab altero, & quasi inferiorem ac languidiorem in amore existimans. Licebat verò illis versari secum, & mutuò se consolari, confirmareque ut fortiter ac generosè fortunam quæ accidat, & propter pudicitiam & fidem erga se mutuam adita certamina uterque ferrent. *Lib. 8. Æthiopicorum.*

Themistius: Si accuratè loqui velimus, illic unusquisque non Deus solum, sed homo esse putandus est, ubicumque prodesse aliis potest, & præclarum opus aliquod præstare. Nonne enim & Solem ipsum videris quemadmodum in aliquantula cœli parte conspicuus omnia nihilominus ipse perlustret? Nam corpus ipsius quamvis maximum non ubique tamen est, vis autem & radij universa pervadunt, terras, maria, insulas, continentem, montes, prata, fluvios, fontes, ad animalia ipsa etiam, ac stirpes accedunt. In hæc enim omnia salus inde, ac vita promanat. Quisquis igitur utilitatem ubique percipiendam putat, nec ubique persolvendas gratias putat, ridiculus is est, nec ab impietate multum alienus. Neque illud animo reputat, etiam illos qui Deum hunc fixis oculis contueri maximè cupiant, primum in aquis oculorum aciem experiri, ut illius imaginem sustinere, ac contendere oculos possint, ne si vero illo splendore universo repente completi fuerint, nō luce potius quam caligine perfundantur. &c. Videantur enim huc pertinentia titulo *Victoriæ. Oratione 13. ad Constantium Imp.*

Procopius Sophista: Sic animi præ se fert imaginem sermo, & qualem absentes habeant sententiam ostendit, non minus quàm pictor ea quæ vult effingit. Cùm enim literas vestras perlegerem, quem experientia non noveram, huncipsum tenere videbat, ut si quis inscriptione sublata, epistolam tradidisset benevoli patris ac humani literas ad filium esse putassem. Ejusmodi suos alumnos virtus reddere videtur. Quòd enim tu qui neque vidisti me unquam neque antea cognovisti & sermonis initium facis, & omnia præsentia bona mecum communicas, qua laude non id dignum habeatur? Sed tamen statui etiam si quid accidat, meam Ithacam non destituere. Sed Homericum Ulyssem hac in re sequor, quòd posthabitis omnibus, parvam insulam amabat, & cujus inter optimas ne mentio quidem existat. *Epistola 25.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Gaudes quod me venturum esse polliceor: sed contrahes frontem cùm adjecero, ad paucos dies, &c. *fine Epistol. 6. libr. 3.*

Plinius: Diceris justissimus, humanissimus, patientissimus fuisse; sed diceris. æquum est aliquando nos judicio nostro, nostris oculis, non famæ semper & rumoribus credere. quousque absentes te absente gaudebimus. Liceat experiri. &c. *Cap. 59. panegyrici ad Trajanum.*

Eumenius: Ipse autem signifer Allectus, cur ab eo littore quod tenebat abscessit, cur classem portumque deseruit, nisi quod te Cæsar invicte, cujus eminentia vela conspexerat, timuit jam jamque venturum? Vtcunque cum ducibus tuis maluit experiri, quam præsens majestatis tuę fulmen excipere. demens, qui nesciebat quacunque fugeret, ubique vim vestræ divinitatis esse; ubi vultus vestri, ubi signa coluntur. *Capite 15. panegyrici Constantio Cæs. dicti.*

Nazarius oratione ad Constantinum Cæsarem Aug. Quis oro; Constantine maxime (præsentem enim mihi alloqui videor, qui etsi conspectu abes, revelli tamen mentibus non potes) quis inquam. &c. *Cap 3.*

Symmachus: Malim reditum tuum quàm paginas impetrare. sunt quidem illæ Tulliano segmentatæ auro: sed de præsentibus amicis bona plura sumuntur. Ipsa etiam verba melius ex oris fontibus fluunt, quàm mandantur textis papyri. *Lib. 3. epist. 12.*

Symmachus: Plurimum mihi opis atque adjumenti tuæ litteræ ad confirmationem sanitatis impertiunt. Primò, quòd te memorem nostri esse testantur: dehinc, quòd indicia tuæ prosperitatis adportant. Fateor igitur adhuc infirmam valetudinem meam scriptorum tuorum assiduitate refoveri: atque intelligo, quantum ex præsentia tua commoditatis habiturus sim, quum tantum ex literis salubritatis accipiam. *Lib. 7. epist. 71.*

Symmachus: Inter hæc si mihi evenerit aspectu & colloquio tuo defrui, explebor gaudij satietate. *Lib. 8. epist. 27. f.*

¶ Poetarum.

Plautus Mostellariæ 1. sc. 1. v. 65.

Quid est? quid tu me nunc obtuere furcifer?
G. Pol tibi istuc credo nomen actutum fore.
T. Dum interea sic sit: istuc actutum sino.
G. Ita est. sed unum hoc scito; nimio celerius.
Venire quod molestum est, quàm id quod cupidè petas.

Terentius Heautontim. 3. sc. 3.

Facis indignè injuriam illi, qui non abstineas manum.
Nam istæc quidem cōtumelia est, hominem amicū ad te recipere,
Atq; ejus amicam subagitare. Vel heri in vino quam immodestus
Fuisti! S. Factum est. CH. quàm molestus! ut equidem
Ita me Dij ament, metui quid futurum deniq; esset. novi ego
Animos amantium; graviter advertunt quæ non censeas.
CL. At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum, pater.
CH. Esto: at certè concedas ab ore eorum aliquantisper aliquò.
Libido multa fert. ea prohibet facere tua præsentia.
Ego de me facio conjecturam. nemo est meorum amicorum hodie.
Apud quem expromere omnia mea occultè Clitipho audeam.
Apud alium prohibet dignitas, apud alium ipsius facti piget,
Ne ineptus, ne protervus videar. quod illum facere credito.
Sed nostrum est intelligere, utcūq; atq; ubicumq; opus sit obsequi.

Horatius Epod. 1. v. 7.

Vtrumne jussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Quas ferre non molles viros,
Feremus? & te vel per Alpium juga,
Inhospitalem & Caucasum,
Vel Occidentes usq; ad ultimum sinum,
Forti sequemur pectore?
Roges, tuum labore quid juvem meo?
Imbellis ac firmus parum.
Comes minore sum futurus in metu,
Qui major absentes habet.
Vt assidens implumibus pullis avis,
Serpentium allapsus timet
Magis relictis: non, ut adsit, auxilij
Latura plus præsentibus.

¶ Monosticha Trochaica.

Certè major est animorum, corporum præsentiâ.
Cuncta displicent paveni, at maximè præsentia.
Multa cum adsunt fastidimus, eadē cum absunt quærimus.
Nemo cogitat futura, cui placent præsentia.
Perditus quoq; interventu vitia supprimit probi.
Qui præsentia haud ferunt desiderant absentia.
Qui præsentibus contenti sunt futura haud cogitant.
Quisq; ibi est homo Deusq;, ubi prodest, ubi nocet.
Quid videat futura stultus? vix videt præsentia.
Res minus pe unt absentes qui parcunt præsentibus.
Suspice ut libet præteritos nec præsentes despice.
Tempus omne præsens ante desinit esse quam venit.
Tutiora habemus quæ absunt jam malis præsentibus.
Vltima ubi timentur, livor spernitur præsentium.

¶ Jambica.

Adesse ubiq; Deum puta: haud deliqueris.
Assiduitas præsentiæ fastidio est.
Auget nec-opina gaudium præsentia.
Contentus esse adsuescito præsentibus.
Ducas tuum solùm illud esse quod fuit.

Ex antefactis æstimes præsentia.
Ex præteritis facilè æstimes præsentia.
Præsens calamitas quàm futura plus premit.
Præsentis est vera admodum admiratio.
Præsentis ursæ quærimus vestigia?
Præsente pejor semper venturi metus.
Præsente quidvis extricabile est Deo.
Præsentibus carent, futura qui appetunt.
Præsentibus meliora cuiq; absentia.
Præsentia amori sunt vel longinquissima.
Præsentia ex præteritis seriò æstimes.
Præsentia omnes in commune spernimus.
Præsentia oblectant magis quam absentia.
Præterita cures, sed magis præsentia.
Præterita linque; consulas præsentibus.
Quemcunq; vult animus quotidiè conspicit.
Quis audeat peccare coram Socrate?
Sapiens fugit futura, agit præsentia.
Semper gravis status præsens est civibus.
Stultum est metu futuri præsens perdere.
Verere semper Numinis præsentiam.

PRÆSENTIÆ DEI.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Gedeon. Israelitico populo à Midianitis oppresso, Angelus Jehovæ apparuit Gedeoni dicens, Jehova est tecum, vir fortissime. cui Gedeon, Attende, inquit, ad me Domine: si est Jehova nobiscum, at quare nobis obvenit totum hoc? & ubi sunt mirabilia ejus omnia quæ enarrabant nobis patres nostri dicendo, Nónne fecit Iehova ut ascenderemus ex Ægypto, cùm nunc deseruerit nos Iehova, ac tradiderit nos in manum Midianitarum. Postea Gedeon multiplici signo confirmatus, Midianitas feliciter debellavit. *Iudic. cap. 6. & 7.*

Theodorus adolescens. Iulianus Apostata, quum Theodori adolescentis, orthodoxæ fidei athletæ fortissimi, constantiam in suppliciis perferendis audivisset, Christianorum gloriam multo fieri illustriorem videns, adolescentem carcere liberari jubet. Qui rogatus, à quibusdam, Ecquid doloris acerba illa & crudelia tormenta passus, sensisset? respondit, se initio aliquantum doloris sensisse: at postea ei apparuisse quendam, qui linteo molli & frigido faciem sudore manantem continenter tergebat, jubebatque bono animo esse. Et propterea cùm carnifices ab eo cruciando cessarent, se non voluptatem, sed afflictionem ideo sensisse, quòd is qui ejus levasset cruciatum, unà discessisset. *Theodor. eccl. hist. lib. 3. cap. 10.*

Ephraimus Abbas. Huic magna continentiæ laude celeberrimo cùm quadam die se obtulisset meretricula, miris illecebris animum ejus indecenti libidine inflammare, vel bilem ei movere (cui nunquam obnoxius fuerat) laborans, Abbas victum se simulans, sese illam sequi jubet. Cumque unà ad magnam populi turbam progressi essent, Hoc loco, inquit ille ad eam, tecum rem habere est animus. Cui illa respondens, Quî (ait) in tanta hominum frequentia tale flagitium perpetrare ausimus? Ad quæ Abbas, *Cùm ergo hominum præsentiam verearis, quanto magis debes timere Deum ubiq; præsentem & occulta quævis intuentem?* Quibus aliisque pluribus verbis eam rubore suffusam, & impietatis convictam à libidinum fœditate avertit. *In vitis Patrum.*

Præsidis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad gregem canes mittendi pastoresq;, non lupi.
Ad præfecturas parentum nobilitas non sufficit.
Ægrius regas ipsum te quàm integram provinciam.
Amplius quàm fascium sex nulli usus Proconsulum est.
Arbores domat securis altas, nec tamen tumet.
Arduè æque te tuosq;, quàm regas provinciam.
Bellicis civilibusq; præsidet rebus Deus.
In provinciá deliquit uxor? præses plectitor.
In regem pudor redundat præ rapacis præsidis.
Non studet provinciæ sed nomini tantum ambitus.
Pastor ad gregem canisque spectat, haud hians lupus.
Plurimi Licinnij sunt, pauci ubiq; Octavij.
Præfectura occasiones mille furtorum parit.
Præsidem ferox ferocem postulat provincia.
Præsidem officiis colunto, haud asperanto jurgiis.
Præsidum delicta regi jure populus imputet.
Præsidum in provincia haud est emptio, est ereptio.
Præsidum mores tuorum noris, aut perdis tuos.
Præsidum plus sæpe uxores, quàm ipsi peccant præsides.
Præsidibus, furta ac rapinæ nuncupantur, munera.

§ JAMBICA.

Avaritiam repetundarum infringit metus.
Etiam tument re non secundá Præsides.
Labor tuus sit, Principis sit gloria.
Ne sit veteri imperium ulli, ubi venerit novus.
Proconsul est nocens cui est comes nocens.
Res mira! eosdem quos populus odit colit.
Revereri oportet haud vereri Præsides.
Solis nocet vis Ibidum serpentibus.

Præsumptuositatis.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

S. *Isidorus Pelusiota:* Persuasio inanis sapientiæ impedimento est profectui. Quocirca evacuare oportet tumorem & fastum: (Talis enim res est græcanica gentilium sapientia, nihil solidum neque stabile habens) atque ita impleri divinâ eruditione. Quemadmodum enim in corpore, si flatus inanis in ventre insideat, coctionem lædit: sic etiam vecordia, si aditum præcluserit sanæ rationi & orationi, sanitatem animæ lædit. Maximum verò eius sanitatis fundamentum est modestia: quam ipsa quoque naturæ nostræ conditio, ex quo ortum accepit, tantum non editâ voce clamans docet, ut quæ nihil sit nisi pulvis & cinis, & supercilium ac fastum eorum, qui arrogantiæ morbo laborant, ipsis rerum argumentis comprimit. *Lib. 4. epist. 6.*

S. Salvianus: Stultæ præsumptiones perditionis causæ sunt, non salutis. *Libro secundo contra avaritiam.*

S. Salvianus: Nemo sibi in vita, in morte, in actu, in dono, in testamento suo hominem Deo præferens, de vitæ ac professionis prærogativa aliquid blandiatur. Pœnalis est homini ac perniciosa securitas: præsumptæ spes, sarcinæ sunt reatus; usurpata absolutio damnationem parit. quicumque sibi se excusat, accusat Deo. nemini itaque facilis sua causa sit. Nullus difficilius evadit, quam qui se evasurum esse præsumpserit. *Sub finem libri quarti contra avaritiam.*

§ PHILOSOPHORUM.

Symmachus: Hanc opem de tui animi æquitate promisi. Certa est enim de bonorum mente præsumptio. *lib. 9. Epist. 37. m.*

§ APOLOGORUM.

Æsopi Canis & Vulpes. Canis Venaticus Leonem casu oblatum insequebatur, cùm verò conversus ille rugiisset, expavescens canis retro fugit. Vulpes eum conspiciens ait; ô caput improbum! Leonem insequutus es, cujus ne rugitum quidem ferre sustinuisti.

Æsopi Cauda & membra serpentis. Serpentis cauda, ducere & præcedere rogavit. Cætera verò membra dixêre; Quomodo sine oculis & naso nos ductura es, ut cætera animalia? Illam verò nequaquam persuasere, donec sapere coacta fuit. Cauda imperavit duxitque, cæca trahens integrum corpus: donec in barathrum saxosum devoluta, tergum & totum corpus laceravit, Turbata vero caput rogavit, ajens, serva nos, si velis, domine, malam enim contentionem experta sum.

Æsopi Graculus & Pastor. Aquila in altum devolans saxum, agnum rapuit. Graculus eam intuitus, ex æmulatione voluit imitari. Impetu igitur multo in arietem irruit. Implicitis vero in pecudis villis pedibus, eximi cùm non posset, tamdiu motitavit alas, donec quod accidisset subolens Pastor, eum cœpit: & præcisis pennis grandioribus, ut vesper ingruit, filiis domum detulit. Queis interrogantibus quid hoc volucris esset, ut ego quidem, respondit, optimè scio, Graculus est: ut verò vult, Aquila.

Plura huc spectantia reperire est titulo *Amoris sui, Arrogantiæ, Artium, Episcopi, Discendi, Doctrinæ, Prælati, Superbiæ.*

Præteriti.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

P*Halaris Alcandro.* Neque tu neque alius quisquam mortalium putet se mihi verbis metum incutere posse, etiamsi taceam, neque verò factis speret. cum enim & bellandi sim peritus & neque injustè neque ultrà vires glorier, & temporum mutationes instabiles dubiasque noverim, itemque fortunæ varietatem; cumque de his melius verba facere quàm audire possim, tantam in memetipso spem habeo, quantam nemo hominum. Confido autem numini, nunquam me ulciscendis injuriis fore inferiorem. Pignus enim ab ipso certissimum hoc teneo, quod omnes insidiatores in potestatem nostram coegerit. *Epistola 91.*

Polybius: Præteritos casus commemorare, & de iis quæ impendent, pronunciare facile est. nam & narrare quæ scias pronum; & futura prædicere, conjectura ex iis quæ jam acciderunt, ducta, haud sanè difficile est. *Principio libri 6. histor.*

Libanius: Video quid futurum sit; & ex iis quæ jã acta sunt colligo: quæq; perpessus sum, sequentiũ documẽta sunt: atq; iis quę perspecta sunt, quod obscurũ est exploratur. *Achillis orat. ad Vlyssem.*

¶ ROMANORUM.

Calpurnius Flaccus: Infecta quemadmodum possunt esse, quæ facta sunt? *Controversia 1.*

Plinius: At in præteritum subvenire ne Dij quidem possunt, tamen subvenisti, cavistique ut desineret quisque debere quod non esset postea debiturus. *Cap. 40 panegyrici ad Trajanum.*

¶ POETARUM.

Plautus Truculento 4. sc. 2. v. 17.

——— *Stultus es,*
Qui facta infecta verbis postules. Thetis quoq; etiam
Lamentando pausam fecit.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ex eo quo præterivit æstimes præsentia.
Facta quæ sunt, facta ne sint, ne quidem Deus potest.
In timore magno, pejus creditur quod præterit.
Infecta reddi facta quæ sunt, quei queant?
Ne quidem Dij subvenire rebus præteritis queunt.
Nec lapidem, nec ore verba missa quisquam revocet.
Nemo quod fuit, in præterito ponit, verùm in perdito.
Omne ego pro nihilo esse ducto, quod fuit, quando fuit.
Quæ prius fuere memento, & post futura intelliges.
Quæ semel sunt facta, Clotho non mutet, non Atropos.
Quisq; laudat tempora acta, nemo sed vita exprimit.
Si futura scire mens est, consulas quod præterit.

¶ JAMBICA.

Æquo ferendum animo esse infectum quòd nequit.
Ex præteritis prudens futura conijcit.
Ex præterito futuri consilium venit.
Factum quod est, jam prorsus immutabile est.
Factum quod est infectum fieri non potest.
In præterita inquisitio crudelissima est.
Infecta jam esse non queunt, quæ facta sunt.
Infecta reddi facta quæ sunt, quei queant?
Minimè ulla vis rectè facta irritum efficit.
Nunquam potest dies reverti crastinus.
Perisse quod vides, id ducas perditum.
Præterita carpi mage queant quam corrigi.
Præterita de futuris rectè judicant.
Præterita nec condemnant quem nec judicant.
Quod præterivit de futuro prædocet.
Quod præterit potest reprendi, haud corrigi.

Videantur plura titulo, *Doctrina, Futuri, Præsentia, Prudentia, Providentia.*

Pravitatis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A minore pravus usq; scandit ad majus scelus.
Cui nihil virtutis hæret pravitas statim interit.
Expugnare pravitatem res facillima omnium.
Ferro & igne pravitatem frangito, haud sententiis.
Haud habet boni delectum pravitatis quem detinet.
Nacta opes, incendium ingens excitarit, pravitas.
Pravitas virtutis expers haud diu est durabilis.
Pravitas virtutis expers omnis, illico interit.
Pravitate animus subactus, haud delectum habet boni.
Pravitate audacius nil est aut impudentius.
Quamvis impunita, pœnæ sat sibi ipsa est pravitas.
Quando pravitas laudatur fit quoq; incurabilis.
Tota in hoc est ut pessundet queis infensa est pravitas.

¶ JAMBICA.

Curare verbis pravitatem non queas.
Est maximus morborum morbus pravitas.
Fere in suam currit ruinam pravitas.
Haud pravitatis ullus usus ad bonum est.
Hoc pravus est miserior quo felicior.
Persæpe pravus praviorem se invenit.
Quid non abest ijs, res quibus & virtus abest?
Rationis omnis planè egena pravitas.
Res est parum considerata pravitas.
Semper furit, nunquam quiescit pravitas.
Semper ruit fragore magno pravitas.
Tantum timet quantum timetur pravitas.

Precum ad Deum.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

C*Lemens Alexandrinus:* Quid ergo sibi volunt Pythagorei, cum jubent cum voce precari? non quod, ut mihi quidẽ videtur, existimarent Deum non posse exaudire eos qui tacite loquuntur, sed quod justas vellent esse preces, quas non veretur quis fundere multis eas scientibus. Nos autem de precatione quidem, paulo post suo tempore tractabimus. Debemus autem habere opera clamantia, tãquam in die ambulantes. Luceant enim opera tua. Et ecce homo, & opera ejus ante faciem ejus. Ecce enim Deus, & opera ejus. *Libr. 4. Stromatum sub finem.*

Cl. Alexandrinus: Orat ergo is qui est cognitione præditus, etiam cogitatione, omni hora per charitatem Deo conjunctus, & familiaris effectus. Et primũ quidem petet remissionem peccatorũ, postea non amplius peccare: deinde posse benefacere, & omnem quæ facta est per Dominum creationem, & dispensationẽ intelligere, ut mundo corde effectus per agnitionem quæ est per filium Dei, facie ad faciem in beati spectaculi mysterio initietur, exaudiens scripturam quæ dicit: Bonum est jejunium cum oratione. Jejunia autem significant omnem generaliter abstinentiam ab omnibus malis, tã quę actu fiunt, quam quæ verbis, & ipsa cogitatione. *Lib. 6. Stromatum.*

D. Greg. Nyssenus: Video quod omnibus rebus ceteris, in præsenti ætate magis studetur; cùm alius ad aliud studium animum convertit: orationis verò bonum, studio sibi homines non habent. Negotiationi diluvio institor incumbit, merces suas ementibus antè ceteros eundem quæstum exercentes exhibere contendens, ut præventis aliis, desiderantis emere necessitatem præoccupet, & suum vendat. Similiter etiam emptor, dum providet ne ab alio prævẽtus frustra requirat id quo opus habet, nõ ad orationis, sed ad venditionis locum, forum videlicet rerum venalium currit: atque omnibus pari lucri cupidine captis, proximum prævenire cõtendentibus, per aliarum rerum studia surripitur tempus orationis ad negotiationẽ translatum. Ita artifex & operarius: ita qui dicendi studium sectatur literisq; ac disciplinis liberalibus incumbit: ita litigator, ita cui judicandi munus obvenir, quisq; in id quod in manibus habet, studio totus addictus, obliviscitur operam dare orationi, damnosum ad rem propositam sibi ducens, si circa Deum occupatus sit. nam qui artem quidem exercet, inutilem quandam & inefficacem rẽ ad propositum opus, divinum auxilium esse putat: idcirco omissa oratione, in manibus spem ponit, oblitus interim ejus qui manus dedit. *Homil. de oratione ad Deum.*

Chrysostomus: Ne ægrè feramus cùm non exaudimur, vel cũ serò exaudimur. neque enim sumus Paulo meliores, qui ob utrunq; gratias agit: &, id quidem oppidò convenienter. se enim semel totum manui res omnes undequaque gubernanti cùm dedisset; ac cum tanta obedientia submisisset cùm quanta lutũ figuli pedibus se supponit, sequebatur quacunq; Deus duceret. *hom. 2. ad Rom. ante med.*

Chrysostomus: In precibus quoque vigilantem animum præstare possumus: si, quem alloquamur, cogitemus: si illud reputemus: nos sacrificium offerre, gladiumq; in manibus, ignem ac ligna habere: si cœli portas per cogitationem referemus: si illuc migremus, acceptumque Spiritus gladium in victimæ jugulo defigamus, ipsiq; vigilantiam immolemus, ac lacrymas effundamus. Hic n. hujus victimæ sanguis est. Tali altare illud cęde tingitur. Ne igitur sinas quidquam humanarũ cogitationum animã tuam tùm occupare. Subeat in mentem, Abrahamum, cùm sacrificium offerret, non uxori, non servo, non alii cuiquam, ut adesset, permisisse. Eodem modo tu quoque minimè sinas, ut servilis ullus & illiberalis affectus tibi adsit: sed solus in montem ascende, ad quem ille ascendit, & ad quem nefas est alium quenquam ascendere. Quòd si quæ hujusmodi cogitationes unà conscendere conentur, impera eis cum auctoritate, ac dic: sedete heic; ego autem & filius, postquam adoraverimus, revertemur: atq; asina & pueris, & si quid brutum ac stolidum est, humi relictis, si quid ratione præditum est, accipe atque ascende; quemadmodum ille assumpsit Isaac. *Homil. 5. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Non dormientibus nobis dat auxilium Deus, sed ipsis, quoque laborantibus. nam adjutor non est otiosi adjutor, sed ejus qui ipse quoque operatur. *fine Hom. 21. ad Ephes.*

Chrysostomus: Nunquam accedens pro te solo roga, & sic Deum habebis propitium. *Homil. 24. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Paulus preces nostras non nudam petitionem esse vult, sed cõjunctam cum gratiarum actione pro iis quæ accepimus. quomodo enim petet quis futura qui de præteritis gratiam nõ habet? Quamobrem de omnibus gratiæ habendæ sunt, etiam de iis quæ videntur molesta. id enim verè grati hominis est. Illud enim ipsa rerum natura postulat: hoc verò ab animo grato, valdeque erga Deum affecto, atq; ex illo penitus pendẽte proficiscitur. Has preces agnoscit Deus, alias verò ne nosse quidem vult. Hujusmodi igitur res precemini quæ agnoscãtur. omnia. n. ad nostram utilitatem administrat, tametsi id nos non percipiamus: atq; magnam illa nobis adferre utilitatem id argumento est, quod non percipimus. *Homil. 14. ad Philipp.*

D. Chrysostomus: Et quid mihi, inquit, opus est aliorum precibus quum fuero intentus operi? Ne te eo redigas, ut opus habeas. Nec ego quidem hoc volo: sed opus semper habemus si sapiamus. Paulus non dicebat, Quid mihi opus est precibus etiamsi qui precabantur non erant eo digni, imo vero ne pares quidem. Et tu dicis, Quid mihi opus est precibus? Petrus non dixit, Quid mihi opus est precibus? Oratio enim, inquit, fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Et tu dicis, Quid mihi opus est precibus? Propterea tibi opus est, quoniam existimas te non opus habere. Etiamsi fueris, sicut Paulus, opus habes precibus. Ne te extollas, nę reddaris humilis. Sed, ut dixi, si simus quidem intenti operi, ipsi efficiunt, & quæ fiunt ab ipsis pro nobis preces. Audi Paulum dicentem, Scio enim quod mihi proveniet ad salutem per vestram orationem & subministrationem spiritus Iesu Christi. Et rursus, Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis. Vt ex multis personis ejus quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis. Et tu dicis, Quid mihi opus est oratione? Sin autem simus pigri, nemo nobis prodesse poterit. Quid profuit Hieremias Iudæis?

Non ter ad Deum accessit, & ter audivit, Ne preceris, nec roges
pro populo isto, quoniam non te exaudiam. Quid Sauli profuit Sa-
muel? Non eum luxit usque ad extremum diem? non solum pro
eo oravit. Quid profuit Israëlitis? Nonne dicebat, Absit ut peccem
intermittens orare pro vobis. Non omnes perierunt? Nihil prosũt,
inquit preces. Imo vero valde prosunt, sed quãdo nos quoq; aliquid
agimus. Nã simul agunt preces & opem ferunt. Simul aũt agit qui-
spiam & opem fert ei qui ipse operatur. Sin autem maneas piger &
otiosus, ex eis non magnam accipies utilitatem. Nam si valerent
preces nos otiosos & regnum introducere, cur non omnes Græci
fiunt Christiani? Non oramus pro toto mundo? Non hoc quoque
faciebat Paulus? Non rogamus ut omnes convertantur? Cur mali
non fiunt boni? si nihil à se afferant. Valde ergo prosunt preces,
quum nos quoque à nobis quæ sunt nostra attulerimus. Vis scire
quantum prosint preces? Audi Cornelium, Tabitham. Audi et-
iam Jacob dicentem Labano, Nisi timor patris mei esset mihi, va-
cuum me dimisses. Audi autem Deum quoque rursus dicentem,
Protegam hanc civitatem propter me, & propter David servum
meum. Sed quando? Tempore Ezechiæ qui erat justus. Nam si
valuerunt preces etiam tempore valde sceleratorum, cur non etiam
quando venit Nabuchodonosor, hoc dixit Deus, sed tradidit civi-
tatem? Quoniam plus valuit scelus & vitium. Rursus hic ipse Sa-
muël oravit pro Israëlitis, & impetravit. Sed quando? Quando
ipsi quoque Deo grati erant & accepti, fugarunt & propulsarunt i-
nimicos. Et quid opus, inquit, alterius precibus, quando ego Deo
sum gratus? Ne hoc dixeris, ô homo. Opus est, & valde opus est.
Audi enim Deum dicentem de amicis Jobi. Et orabit, inquit, pro
vobis, & dimittetur vobis peccatum, quoniam peccarunt quidem,
sed non magnum admiserant peccatum. *Homilia 1. ad Thessal.*

Idem fine ejusdem primæ: Neque preces Sanctorum contemna-
mus, neque totum in eas coniiciamus, tum ne pigri simus & so-
cordes, & temerè insidiis circumveniamur, tum ne à magno lu-
cro excidamus: sed & hortemur ad orandum, & ad manus pro no-
bis porrigendas, & ipsi virtutem sectemur.

Chrysostomus: Sed quoniam paternis vos complector visceribus,
quoniam omnia audet charitas, non solum in ecclesia, sed & domi,
ante alia fundo preces pro vestra sanitate animæ & corporis. Nullæ
enim aliæ preces sacerdoti æque conveniunt, atque pro bonis po-
puli Deum adire & apud eum intercedere, antequam pro suis pre-
cetur. Nam si Job statim surgens tam multa faciebat pro filiis car-
nalibus, quanto magis nos debemus facere pro spiritualibus? *Ho-
milia 4. ad Thessalon. 2.*

D. Chrysostomus: Vnum quidem rogare pro multis, magnæ est
audaciæ, & quod multa eget fiducia: multos autem, quum simul
convenerint, pro uno precari, non est grave nec oportunum. Non
enim suæ virtuti credens hoc facit unusquisque, sed multitudini &
consensui, quem semper maxime respicit Deus, & eo movetur ac
placatur. Vbi enim fuerint duo aut tres congregati in nomine meo,
illic sum in medio eorum. Si ubi sunt duo aut tres congregati est in
medio: multo magis apud vos. Quod enim per se precans quospi-
am non potest accipere, hoc accipiet precans cum multitudine.
Quamobrem? Quoniam etsi non virtus propria, sed tamen con-
sensus magnam habet vim: ubi fuerint, inquit, duo aut tres con-
gregati. Cur dixit duo? Nam si unus fuerit in nomine tuo, cur non
es illic? Quoniam volo omnes simul esse, & non esse divulsos. Nos
ergo alter alterum condensemus ac constipemus, charitate con-
jungamus ac colligamus. *Homilia 4. ad Thessalonicenses 2.*

D. Chrysostomus: Neque totum sanctorum precibus permitten-
do, nos ipsos oportet esse otiosos, & ad vitium currere, & nihil
præclarum aggredi: neque rursus bona operando hanc opem de-
spicere. Multum enim potest & magna est quæ pro nobis fit oratio,
sed tũ demũ quando nos quoq; operamur. *Initio Hom. 5. ad Thess. 2.*

D. Chrysostomus. Qui necessariò cogitur Deo referre gratias pro
felicibus proximorum successibus, ipsum quoq; amare compellitur,
sibiq; familiarius jungi: quod si pro felicitatibus proximorum gra-
tiæ agendæ sunt, quanto magis pro his, quæ in nos sive clã, sive ma-
nifeste proveniunt: pro his etiam quæ nobis inferuntur ad salutem
nostram, etsi illa etiam tristitia esse videantur? Deus quippe ad uti-
litatem nostram cuncta dispensat. Omnis igitur oratio nostra gra-
tiarum actione non careat. Si autem & pro his qui nobis familiari-
tate junguntur orare jubemur, non fidelibus solum, sed etiã infide-
libus, considera quantum malum sit adversus fratres orare? Ille nẽ-
pe te orare pro inimicis jussit, tum etiam adversus fratrẽ oras: non
adversus te ipsum orare convinceris. Deum. n. ad iracundiam pro-
vocas, dum verba penitus stolida loqueris, ac dicis Deo: ita illic fac
retribue ei, percute illum. Ista quippe à Christi discipulis mansuetis
ac mitibus longe remota sunt, neq; illo digna ore quod sacris instru-
ctionibus deditum sit. Nihil amarum, nihil durum ea lingua profe-
rat quæ divinis rebus assueta est: nihil ex illo ore prodeat crudele,
quod dominico corpore sæpius saginatur. Mundam servemus lin-
guam, non per eam maledicta, non verba atrocia proferamus. Si. n.
maledici regnum Dei non possidebunt, quanto magis hi qui contra
proximorum salutem orant? Necesse est. n. eum qui contra aliquem
orat, etiam contumelias inferre. Contumelia autem & oratio mul-
tum ab invicem distant: maledictum item, atque oratio multum ab
invicem distant. Accedis ad Deum, ut illum tibi propitium facias, &
contra alium oras? Nisi ipsi dimiseris, nec tibi omnino dimittetur.
At vero tu non modo non dimittis, verum etiam Deum ne dimit-
tat deprecaris. Vide ad quæ malitiæ prærupta accesseris, si ei qui
non dimittit non dimittitur, ei etiam qui Dominum ne demittat
precatur, quomodo dimittetur? Non illi profecto noces, sed tibi
ipsi: nam etsi pro tuis orans delictis fortassis audiendus eras, facit
pessima intentio, quo contra fratrem oras, ut neque pro teipso au-
diri merearis: quippe impuro & contaminato ore preces offers.
Nam re vera immundum hujusmodi os recte censetur, atq; omni
fætore, omnique spurcitia plenum: nempe enim quum debueras
pro tuis metuere sceleribus, & omni conatu, ut remissione potire-
ris orare, accedis ad Deum, ut eum concites adversus fratrem tuum:
itane obsecro paves ac trepidas, & pro tuis culpis, solicitus es? Nõ
vides quãtum tibi incommodi parias. Imitare vel pueros, qui scho-
lis traduntur, ac liberalibus disciplinis, qui quum viderint socios
& contubernales suos rationem reddere cogi eorum quę didicerint,
eosque qui negligentiores fuerint cæli, ac per singulos discuti, con-
cidique verberibus, admonentur quid de se sperare debeant, & pæne
præ timore moriuntur: & si quis ex sociis eos crebro pulsaverit, ne-
quaquam irascuntur, quum metus ille animum penitus occupave-
rit: neque magistrum interpellare habent, sed unum tantum intu-
entur, quo pacto scilicet egredi, atque elabi absque verberibus pos-
sint: solumque id tempus semper versatur ante oculos, & quum ex-
cesserint januas, eo jam metu liberi, maxima tenentur voluptate:
tu vero stans, ac pro tuis sceleribus deprecans, non exhorrescis ali-
orum peccata omnia voluere? Et quo pacto Deum exorare poteris?
Nempe enim dum contra proximos oras, adversus temetipsum il-
lum amplius provocas, nec permittis eum indulgentiam tuis præ-
stare criminibus. Nam dicit tibi Deus, Quo pacto vis, ut ea quæ in
me peccasti dimittam, qui illorum quæ in te deliquit proximus, cu-
pis atque oras ut ultor existam? *Homilia 5. ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Ex oratione duo præcipua oriuntur bona, quod
odium omne quo alios prosequimur, deponimus. Nemo enim ad-
versus eum inimico esse animo potest, pro quo obsecrationes facit,
& illi ipsi meliores fiunt. Nihil enim ita doctrinam commendat,
nihil magis ejus vires insinuat, quam hujusmodi charitas. Consi-
dera deniq; cujusmodi sit eos diligere, qui insidiis appetunt, qui fla-
gellant, qui undiq; exagitant, qui deniq; necant, dum hi qui ista pa-
tiuntur, Deum pro his ipsis qui se ita afficiunt, intentissimis oratio-
nibus pulsant. Vides ut superiorem omnibus Christianum evadere
velit? Quemadmodum enim in infantibus pueris, quum is qui a pa-
tre portatur infantulus patris ceciderit faciem, nihil ex hoc obtun-
detur dilectionis affectus: ita & nos quũ ab his qui extra sunt cædi-
mur nihil ex priore benevolentia remittere omnino debemus. *Ho-
milia 6. ad Timoth. 1.*

Chrysostomus: Porrò si pro gentilibus oportet orare, constat pro-
fecto quod & pro hæreticis ipsis, pro omnibus quippe hominibus
orare necesse est Hoc autem & alia ex ratione bonum honestumq;
est, quod scilicet eiusdem nos naturæ participes sumus, Deusq; hu-
jusmodi benevolentiam & laudat & suscipit, amplectiturq; affectũ
in alterutrum magnum. Si ergo, inquies, Deus ipse dare vult, quid
hoc me orare necesse est? Multum hoc omnimodis confert. Nã per
hujusmodi orationis studium, te ad eum diligendum trahit, neque
sinit efferari, sufficiunt & hæc illos attrahere ad fidem. Plurimi
namque mortalium dum adversus homines proterve contenderẽt,
à Deo discesserunt. *Homil. 7. ad Timoth. 1.*

Chrysostomus: Quid dicis? Deum precatura pergis, & ornamenta
aurea circumfers, flavosq; crines & ipsos auro compositos? An vero
saltatura ad ecclesiam pergis? Nunquid hic nuptias, & lasciviæ oble-
ctamenta conquiris? Nũ ut tui spectaculum prębeas advenisti? num
tibi nunc instruendus est thalamus? Illic nempe monilia, illic orna-
menta aurea, illic ornatus criniũ, illic pretiosa vestis locũ aliquãdo
fortassis habeat. At vero nunc nullo tibi huiusmodi ornatu atq; ap-
paratu opus est. Accessisti ut Deum pro peccatis tuis suppliciter de-
preceris, ut tuis in illum sceleribus veniam cum gemitu ac lacrymis
petas, accessisti, ut Dominum tibi propitium facias: quid te ipsam
ornari improbo atq; intempestivo studio contendis? Nõ iste suppli-
cis habitus. Quo n. pacto ingemiscere potes, ac lacrymas fundere,
atq; intentissime ut decet orare, quæ ejusmodi ornatu cõpta proce-
dis? Nam etsi lacrymas fuderis, risum cernentibus hujusmodi lacry-
mæ movebunt. Neq; enim auro amicta debet incedere, quæ lacry-
mas pro peccatis profundere intendit. Est enim potius scæna quædã
atque simulatio, si ex eodem animo, ex quo tanta sumptus magnifi-
centia, tãtaq; ambitio perdiit, inde ẽt profundi lacrymas viderint.
Ampta omnem ejusmodi simulationem, circumcide abs te omnem
illum scenæ atq; histrionum gestum. Deus n. profecto non irride-
tur. Ista minus & saltatoribus, & his qui in scena versantur, relin-
quenda sunt: sobriæ atq; ornatæ mulieri nihil ejusmodi congruit.
Homil. 8. ad Timoth. 1.

Chrysostomus: Quomodo magistrum audiens balbutientẽ, & ele-
menta recensentem, non dicis ipsum ignorare. & quando interro-
gat, ubi est hoc elementum, scis quod non ignorans interrogat, sed
discipulum volens instituere: ita etiam Deus; non oratione indigẽs
orabat, sed te volens inducere, ut assidue sis intentus oratione, ut
eam facias sine intermissione, ut sobriè, & cum magna vigilantia.
Homil. 27 epist. ad Hebræos.

S. Isidorus Pelusiota: Mihi ex animi sententia procedebat adversa
valetudo, paulatim videlicet me ex tempestate ac procellis subdu-
cens. Quoniam autem Deus me rursum inter fluctus manere jussit,
precibus tuis navigationem meam juva; ut ne quid à tranquillitate
alienum mihi accidat. *Lib. 1. epist. 224.*

S. Isido-

S. Isidorus Pelusiota: Oratio, non nudis verbis, sed probis potiùs actionibus dirigitur. Vide enim quemadmodum divinissimus vir David secundum innocentiam suam judicium de se ferri postulet: & pietatis plenissimus Ezechias, pietatem suam ac religionem Deo supplicem offerat: & viduæ Joppenses, mulieris defunctæ virtutes ac præclaras actiones ad deprecandum adhibeant. Si ad eundem modum precationem tuam expleas, ad Deum rectà contendet, ac justitiam tuam tanquam lucem educet, & judicium tuum tanquam meridiem. *Lib. 1. epist. 386.*

Idem: Quandoquidem apertiore tibi explicatione opus esse dixisti, dilucidiùs rursum loquar. Vis tibi Deus opituletur? Vide si, cùm posses, ei qui tua ope indigebat, adjumento fueris. Petis ut opes tuas augeat? Vide an eas, quas habes, rectè administraris. Vis judex facilem se tibi ac placabilem præbeat? Hostilium injuriarum memoriam ex animo depone. Vis benignitatem ac misericordiam consequi? Iis, qui tibi obnoxij sunt, remitte. Præclarum enim est remuneratione atque debito salutem adipisci, ac non semper gratia: id quod est improbi & maligni hominis. *Libro primo, epistola 387.*

S. Isidorus Pelusiota: Risu profectò dignus es, mi homo (quem ego quo nomine appellem nescio, dum stuporem tuum reprehendo) quando precaris: Confige timore tuo carnes meas. Eorum enim hæc est precatio, qui quod in se est conferunt, & jejunant, & suâ sorte contenti, parvoque beati vivunt, eaque ratione carnis exsultantem lasciviam castigant & compescunt, quique cælitùs opem & auxilium suæ exercitationi mitti postulant. At illis minimè convenit, qui, quemadmodum tu facis, crapulâ immodicâ corpus saginant, & variis omnimodisque deliciis petulantiam tantùm abest ut reprimant, ut priùs excitent, & benè curatâ cuticulâ ipsos etiam athletas vincunt. Perinde namque facere videris, ac si in meretriciis hærens amplexibus, & scorti amori dans operam, interea pudicitiæ compos fieri optes. Eorum enim est istud votum, qui meretricis retibus altiùs volant: non eorum, qui ipsius compedibus ultrò semetipsos induunt. Vel perinde, quasi ex navi teipsum in immensum pelagus proïjciens, pro salute & conservatione tui supplicares. Et quo pacto quæso hunc talem hominem ipsa, si velit, salus servare possit? Nam iis, qui omnia quæ in se sunt, implent, quique artem suam in auxilium vocant, ne à tempestate submergantur, ejusmodi convenit precatio: nequaquam verò iis, qui etiam antè quàm coorta in mari fuerit tempestas, seipsos in pelagus præcipitant. Desine igitur delicias facere. Nam si ventrem perdomueris, etiam iis quæ sub ventre sunt, eris superior: nec ultrà ridiculum te præbebis, ut qui contraria te consequi posse optes iis quæ agis. *Lib. 4. epist. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Is quidem, qui virtutem germanitùs atque ex animo adamavit, etiam divinum numen jure meritoque invocet ad opem ferendam, quo desideria sua ad optatum exitum perducat. At qui cum eâ perpetuum bellum gerit, is ne quidem si Deum in auxilium vocârit, propitium habebit. Quæ ergo hæc est amentia, quod cum carnem tuam crapulâ & ebrietate assiduâ pinguefacias ac sagines, ignemque igni addas, & nullam non voluptatis viam novam rimeris, & libidinem sopitam quoque excites & instiges ultrò, tamen in precibus dicere ausis: Confige timore tuo carnes meas. Nam ei quidem, qui jejuniis & humicubationibus & pervigiliis carnem suam tabefacit, & spiritus habenis obsequentem exhibet, convenientissima aptissimaque est hæc precatio. Qui verò, id quod tu facis, ita parat & assuefacit carnem, ut luxuriâ exultet, quique luxuriosas comessationes & temulentiam perpetuò affectatur unde voluptates ebulliunt, ei non modò non convenit ista precatio, verùm etiam ludibrij, imò & periculi plena est. Quando enim integerrimam illam divinam mentem ea rogat, quæ facere non vult, tum verò non solùm homines, sed ipsum quoque judicem fallere conatur. *Lib. 4. epist. 4.*

S. Isidorus Pelusiota: Omnes homines ita sunt affecti, ut illis studeant & opitulari & attendere, quos viderint nequaquam dormientes neque ignaviæ deditos; sed qui ipsi se præparant, & instruunt, & prompti sunt ad officij partes peragendas. Qua igitur fronte tu postulare audes, ut dum ipse dormis, ac stertis, nullaque salutis tuæ curâ tangeris, insuperabile auxilium cæleste ad te advolet? Cumque voto tuo frustraris, id ægrè fers? Præcedant itaque ea quæ tuarum sunt partium, quæque à te exiguntur; & tunc demum ea quæ sunt auxilij divini, subsequentur. Nam si non solùm verbis imploratum fuerit, verùm etiam factis advocatum, quasi suâ sponte accurret. Quod enim dormientes excitat, & nolentes instigat, id certè nequaquam deseret illos, qui à se ipsis virtutem amplectuntur, quin potius adjurabit eos sedulò, & ad finem felicem perducet virtutis officijque rectam actionem. *Lib. 4. epistola 12.*

B. Synesius Episcopus: Actum de omnibus est, periere funditus omnia, solæ urbes adhuc reliquæ, atque ad hoc usque tempus quo scribimus, reliquæ: quid sequenti die eventurum sit, novit Deus. Ad hæc precibus tuis opus est, iis inquam precibus, quæ Deum flectere ac mitigare solent. Ego sæpius & privatim & publicè frustra sum deprecatus. quid frustra dico? In contrarium mihi vertuntur omnia. Ea demum peccatorum & gravium & multorum conditio est. *Epistola 69.*

¶ Latinorum.

Egesippus: Quis hæc & talia considerans non admitteretur & non intelligat, in oratione nobis meliora esse arma quam in virtute? illa enim sibi divinum auxilium adhibet, hæc corporis. Didicit hæc arma quæ non carnalia sunt sed fortia Deo &c. *Videantur aliquot exempla eorum, qui exorarunt quidvis à numine contra hostes, Lib. 5. cap. 16. excid. Hierosol.*

S. Salvianus: Quæ ratio est, ut doleamus nos non audiri à Deo, cùm ipsi Deum non audiamus? & insusurremus non respici à Deo terras, cùm ipsi non respiciamus ad cœlum; ut molestum sit despici à Domino preces nostras, cùm præcepta ejus despiciantur à nobis? Fac nos pares esse Domino nostro, quis justæ querimoniæ locus est, hoc pati quemque quod fecerit? salvo eo quod probare facile possum, nequaquam nos pati illa quæ facimus, & mitius multo nobiscum Deum agere, quam nos cum Deo. *Lib. 3. de gubernatione Dei.*

S. Chrysologus: De omni re quamcunque petierint, fiet illis. Salva tamen ea cautela & reverentia, ut à Deo quæ Deo digna sunt postulentur: qui enim mala à Deo postulat, Deum mali judicat & sentit authorem: & qui vilia & indigna precatur, præstantis potestatem & potentiam degener petitor ignorat. Non ergo impia, sed pia: non terrena, sed cœlestia: non illecebris, sed virtuti congrua: non digna odiis, sed apta concordiæ, à tali semper exoranda sunt largitore. *Sermone 132. m.*

Ennodius: Quæso ut orationum vestrarum nunquam me propugnatione nudetis: quia nullus mihi murus potior esse adversus peccati arietem poterit, quàm si illarum me tutela defenderit. *Lib. 9. epist. 16.*

Ennodius: Semper cùm rogatur exuberat, qui iram naturali moderatione non terminat. *Vita Epiphanij cap. 16. f.*

¶ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Xenophon: Quid autem? mi fili, subjecit Cambyses, eorumne meministi, de quibus inter nos aliquando convenit? nimirum ea, quæ dij largiti sunt, rectius ab hominibus geri, qui didicerint, quam ab imperitis: & eosdem laborando plus effecturos, quam si otiosi sint: & si curam adhibeant, securius acturos, quam si negligenter se gerant. Adeoque nobis videbatur, ita peti à Diis oportere bona, si tales nos exhibeamus, quales esse convenit. Memini profectò, inquit Cyrus, hæc ex te audire, atque illi, sermoni tuo adsentiri me necesse erat. Etiam hoc addere te memini, ne fas quidem esse à Diis petere, ut equestri prælio victoriam adipiscantur, qui rem equestrem non didicerint: nec ut sagittandi rudes, ejusdem artis peritos sagittando superent: nec ut gubernandi rudes optent, naves à se gubernando servari: nec qui semina spargere neglexerint, optent bonum sibi frumentum nasci: nec ut salutem petant, qui sibimet in bello non caveant. Hæc enim omnia contra leges divinas esse. Qui autem optarent ea, quæ non fas sit: illos ajebas merito sic apud Deos nihil impetrare, ut qui petunt iniqua, repulsam apud homines ferunt. *Cap. 37 lib. 1. Cyropædiæ.*

Arrianus: Non temerè neque forte fortuna feruntur fortiter casus humani; sed & ætate opus est, & certa vitæ ratione, & Deo duce. Non nemo è portu solvit, nisi sacra Deis fecerit, eorumq; opem implorarit, neque aliter serunt agricolæ, nisi Cerere invocata. Tantam autem rem qui neglecto numine aggreditur, num tutò aggreditur? *Cap. 21. lib. 3. Epicteti.*

Hierocles: Porrò accedito ad opus, ubi Deos precatus fueris ut conficias. Rectè; neque enim quæ honesta sunt ita solùm debemus suscipere, tanquam ea ipsi per nos, nulla Dei ope possimus gerere: neque rursum ita nuda precum ratione contenti esse, ut nihil ad ea paranda, quæ petuntur, adiiciamus. Ita enim aut virtutem, quæ Dei sit expers (si fas id dicere) amplectemur; aut preces inefficaces: quorum quidem alterum eo ipso, quòd Deo careat, virtutis naturam præfocat: alterum autem, quia iners, precum resolvit efficaciam. Quî enim honestum esse queat, quod secundum divinam regulam non geritur? quî rursum quod ex ejus ratione fit: non ejusdem auxilio penitus egeat, ut subsistat? est enim virtus ipsa, Dei imago in animo rationis participe. Eget autem exemplari imago quælibet, ut subsistat. Frustra deinde adipiscaris aliquid, si eo non spectet, ad cujus similitudinem partum est id, quod honestum est. Decet ergo preces eos adhibere, qui ad virtutis opus se accingunt; & operari, qui hujus adeptionem precantur. *Cap. 48. Carm. Pythag.*

Philostratus: Damis narrat aliquando audisse Apollonium precantem: Dei concedite mihi pauca habere, & nullius indulgere. *Lib. 1. cap. 21*

Philostratus: Thura manibus capiens Apollonius, O summe Sol, inquit, eò me terrarum mitte, quò me profecturum esse cognoscis; & concede precor, ut viros bonos agnoscam; improbos verò neque agnoscam, neque agnoscar ab illis. hæc dicens igni thura imposuit diligenter. *Lib. 1. cap. 20.*

Philostratus: Telesinus quæsivit, Quid tu ad aras accedens precaris Deos? Ego ait Apollonius, precor, ut justitia apud homines valeat, & leges non solvantur: utque sapientes pauperes sint, ceteri verò sine fraude ditentur. Talia verò petens, inquit Telesinus, tibi etiam satisfecisse censes? Certè, inquit Ap. omnia enim oratione complector una, & ad altaria veniens ita precor: O Dij præbete mihi, quæ mihi debentur. quod si bonus sim vir, majora etiam quam peto assequar; sin verò inter pravos Dei me collocarunt, contraria mihi ab eisdem promerens, neq; Deos accusare potero, si me ipsum malis dignum judicavi, cùm sim pravus. *Lib. 4 cap. 13.*

Philostratus: Cùm multi ad templum confluerent, sacerdotem interrogabat Apollonius, num justos esse Deos arbitraretur. cùm annuisset, num etiam eosdem censeret prudentes. imò quid prudētius numine? inquit sacerdos. Res autem hominum scire illos an ignorare putas? Imò, ait, hoc maximè à Dijs arbitror homines superari, quod homines ob ingenij imbecillitatem quæ ad se pertinent non satis norunt: dij autem quæ & hominum sunt, & simul quæ ad seipsos spectant, omnia pariter intelligũt. Recte, inquit Apollonius: eaque propter rationi consentaneum esse videtur, eos qui ad Deos omnia cognoscentes accedunt talibus verbis orare oportere: ô Dei, quæ mihi debentur ea præstate. Quænam verò sunt quę Dei hominibus debent? inquit sacerdos. bonis inquit ille, & sanctis bona; pravis & scelestis contraria. Dei igitur rectè facientes, mente sanum & sceleribus incorruptum, non aurea corona, sed bonis omnibus exornant: quem autem vitiis quasi maculis injustum corruptumque invenerunt, ad supplicium servant; eo magis etiam iis irati, quod impij cùm sint, templa tamen ingredi & sacris interesse audent. His dictis, ad Æsculapium respiciens; philosopharis, inquit, præclaram & tibi congruam philosophiam, non sinens scelestos ad te venire, etiamsi omnes Indorum Sardensiumque divitias tibi donent. neq; enim tui numinis colendi gratia sacrificant, aut donaria in templo suspendunt, sed quod pro sceleribus meruere supplicium, id pecuniis redimere conantur: quod vos Dei cùm sitis justissimi, haudquaquam permittitis. *Lib. 1. de vita Apollonij cap. 8.*

Maximus Tyrius: Homo quidam Phryx, ut est in fabula, vitæ desidis, pecuniæq; appetens, fontem quendam vino inficit: hunc fontem sitis levandæ causa accedit Satyrus, vinosus Deus, bibitque, atque ita capitur. Petit dementissimus Phryx ille à captivo Deo votum, quod maxime & petere hunc & perficere illum decebat. Auream videlicet omnem sibi terram fieri, aureas arbores, segetes, prata, pratorumque flores. Annuit Satyrus. Cumque jam terram haberet auream, annonæ penuria Phrygas invadit. Ibi Midas divitias deplorare suas, preces aversari priores, nec vero Satyrum ut prius, verum Deos Deasque precari omnes, ut priorem sibi fertilem illam fœcundamque ac fructuosam restituant paupertatem: aurum vero in hostium transferant capita. Ille quidem cum lachrymis hæc petebat, frustra tamen. Utrumque, tum leporem tum veritatem ad quam nos deducit, laudo in fabula. Quid enim aliud quàm dementissimi votum hominis, qui adversa sibi precatur, proponit? Qui ut consequatur petit, damnat cum consecutus est. Jam captivitas vinculaque & vinum Satyri occulte hoc innuunt, multos esse qui petunt, multos etiam qui violenter aliquid impetrant, qui si voti potiantur sui, à Diis se hoc donum quod petebant consecutos volunt. Quod est falsissimum. Nihil enim quod bonum non sit, largitur Deus: sed ut beneficia quæ ab ebriis accipimus, ita hæc insana insanæ fortunæ dona sunt. Quid vero Lydus ille, an non ipso Phryge est dementior, qui ab Apolline Persarum regnum petit, magnamque Deo vim auri mittit, nec secus cum illo agit, quam cum magistratibus suis plebs solet, quos muneribus corrumpunt? Et cum sæpius Delphis accepisset hoc oraculum,

Crœsus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim,

Ex voto suo interpretatus est: quare & Halyn transiit, & magnum Lydorum regnum evertit. Audio & apud Homerum Græcum quēdam qui precatur.

Iupiter Ajacis da vel magni Diomedis,
Divitis aut sortem regis prodire Mycenæ.

Perficit votum Jupiter.

Exilit galea sors quam prodire petebant Aiacis. ——

Et Priamo quidem qui pro terra sua intercedit, boves quotidie ovesque Jovi mactat, votum irritum relinquit. Contra Agamemnoni, qui alienam invadit terram.

——*promisitq; deditq;*
Mœnibus eversis Troiæ, ut remearet ad Agros.

Et Apollo qui antea Chrysæ injuriam non vindicabat, postquam libere eum increpuit, jussitque meminisset nidorem coxarum, quas obtulerat, tum demum sagittas suas in exercitum Græcorum emittit, ut ne à multis quidem ovibusque abstineat & canibus: quos novem continuos invadit dies. Quid hæc sibi volunt poetarum optime? Helluonem esse Deum putas, aut muneribus corrumpi, aut vulgi instar se habere? Visne etiam ut hoc tuum verum credamus,

——*flectuntur numina sæpe?*

An contrà non flecti Deum, nec humana vota perficere, nec precibus moveri? Mutari enim aut pœnitentia duci, non Deo tantum sed & bono viro indignum est. Homo enim qui facile à proposito deducitur mutatque sententiam, si à malo ad bonum abit, male consilium iniit: sin ad malum à bono, male consilium mutavit. Improbitas autem in Deum non cadit. Jam qui petit, aut dignus est id consequi, aut indignus. Si dignus est, consequetur etiamsi non petat. Si indignus, non consequetur etiamsi petat. Nec enim qui dignus est & non precatur, ob id indignus est quod non precatur: neque qui indignus est consequi, & consequi precatur, propterea dignus est quia est precatus. Sed contra qui consequi dignus est, nec Deo molestiam exhibet, eo dignior est ut consequatur. qui vero indignus est & molestus, etiam ob id indignus est. Et alteri quidem verecundiam fiduciamque tribuemus: fiduciam quidem, quod consecuturum se credat, verecundiam autem, quod quiescat, quamvis non consequatur. Alteri imperitiam cum improbitate: imperitiam, quod Deos precetur, improbitatem quod nihil impetret. Quid enim si imperator exercitus Deus esset, peteretque ab eo qui impedimentis tantum gestandis esset idoneus, cataphracti locum: contra qui armis idoneus esset quiesceret, an non è re exercitus futurum putas, ut hunc cum impedimentis relinqueret, illum ad cataphractos referret? Et tamen aut nescire potest, aut muneribus corrumpi imperator, aut decipi: quæ in Deum non cadunt. Quare nec precantibus dabit si indigni sunt, neque non precantibus negabit, si digni. Et enimvero quæcunque sibi evenire precantur homines, aut providentia, aut fati necessitas, aut sortis instabilitas, aut postremo artis mutat dispensatio. Jam providentia Dei, fatum necessitatis, ars hominis, sors fortuiti opus est. Et horum quidem singula vitam sortita humanam sunt.

Quæ precamur ergo aut ad providentiam Dei, aut ad fati necessitatem, aut ad artem humanam, aut ad cursum fortunæ referenda sunt. Ac primo ad providentiam si referantur, quid prece opus est? Si enim est Dei providentia, ea vel universalia providet, singula vero negligit (sicut reges legibus ac jure urbes gubernant integras, singulos autem non intuentur mortales) aut inter ea quæ singula respiciunt censetur. Jam utrum eligis? An ut circa universa providentia versetur Dei? Non ergo obtundendus erit. Si enim quid petas quod cum salute pugnet universi, non impetrabis. Quid enim si singulæ corporis partes loqui incipiant, quotiesque aliqua illarum morbo infecta, amputanda est medico, postulet ab illo ne se corrumpat? Annon responsurus illis est Asclepius, non æquum est vestra causa, miserrimæ, corpus interire totum, sed pereundum est vobis, ut illud conservetur. Idem in universo hoc fieri videmus. Pestes Athenienses, terræmotus Lacedæmonios exercet, Thessalos inundatio, ardet Ætna. Horum tu interitum corruptionem vocas. Causam vero novit medicus, nec preces membrorum respicit, sed totum conservat: hoc enim illi curæ est. Quod si singula curat Deus, ne sic quidem orandum est: id enim tale est, ac si medicamentum aliquis aut cibum à medico poscat æger. Nam si prodest, & non petenti dabit: si nocet, ne petenti quidem. Eorum ergo quæ à providentia fiunt, nec petendum nec orandum quicquam est. Quid autem quæ à fato? Nempe & hic ridiculæ sunt preces. Facilius enim regem flexeris quam tyrannum. Tyranno enim simile est fatum: nec superiorem agnoscit, nec mutari potest. Hoc frænum humano gregi iniicit, quo violenter eos trahit, cogitque parere trahenti: sicut Syracusios Dionysius, Athenienses Pisistratus, Corinthios Periander, Thrasibulus Milesios. In populari enim statu aliquid suada potest, aliquid preces, obsequium, & supplicatio. In tyrannide vis regnum obtinet, ut in bello:

Hunc precor Atride conserva & præmia posce.

Quæ igitur fato persolvemus præmia, ut necessitate eius nos expediamus & vinculo? Quod aurum, quod obsequium? Quam victimam, quas preces? Cum nec Jupiter ipse invenerit, quo eam averteret, sed hoc modo lamentetur?

Hei mihi quod charum nobis Sarpedona natum,
Fata, Menœtiadæ manibus voluere necari.

Et Thetis exclamat,

Hei mihi cui natus pariter præstansq; miserq; *Contigit.*

Tale est fatum, Atropos, Clotho, ac Lachesis, immutabile, semel definitum, cui credita est humana vita. Cur ergo fatum, cum inexorabile sit, quisquam illi supplicet? At neque quæ à fortuna deveniunt precibus petenda sunt: & multo quidem minus quam reliqua. Nec enim cum principe insano agendum est: ubi nec consilium, nec judicium, nec temperatus affectus, sed furor, sed rationis expers habitus, sed insani motus animi, perpesque libidinum vicissitudo, summæ præsunt rei. Talis est fortuna, sine ratione, insana, improvida, surda, nullis divinationibus obnoxia: sed quæ euripi instar refluit ac impellitur; nec ulla gubernatoris arte dirigitur. Cur igitur aliquis instabili, insanæ, inæquali, proculque à congressu hominum remotæ rei, preces commendet suas? Post fortunam sola ars restat. Quis autem faber pulchrum aratrum à Diis petat, artem cum habeat? Quis textor amiculum pulchrum, artem cum habeat? Quis faber ferrarius pulchrum clypeum, artem cum habeat? Quis homo fortis animi præsentiam, artem cum habeat? Quis bonus felicitatem, artem cum habeat? Quid ergo quod nec ad providentiam, nec ad fatum, nec ad artem spectat, nec ad fortunam, petendum à Diis relinquitur? Opes petis? Noli Deos obtundere; nihil boni petis? noli fatum obtundere; nihil necessarij petis: noli fortunam obtundere; nec enim subvenit egentibus: noli artem obtundere; Menandrum namque dicentem audis:

Videbis artes haud diu senescere,
Nisi magistro sint avaro subditæ.

An non ita res se habet? Vir bonus es? Mores tuos muta, fraudes strue, improbitatem cole, ea res curæ sit tibi. lucri causa leno esto aut caupo, prædo aut veterator, perfidus aut sycophanta, precio æquum bonumque perverte. Victoriam petis? Hanc in bello à stipendiario milite, in judicio impetrabis à sycophanta. In mercatura petis aliquid? Hoc navis & mare ventorumque tibi perficient flamina. Forum præterea patet, venale est quod petis. Quid Deos obtundis? Honestati renuncia: ditesces. Sive Hipponicus sis, superior evades: sive Cleo aut Melitus, obtinebis.

Quod

Quod si adorandum accesseris Deum, judicium intras severum & inexorabile. Nec enim peti quæ petenda non sunt, ullus ferat Deus, nec quæ danda non sunt daturus est. Inquirit atque examinat singulorum preces austere: & ad utilitatis normam dirigit tua. Nec aditum præbet, ut vulgo fit in judiciis, cupiditatibus hominum, quamvis lamententur, quamvis misericordiam implorent, quamvis multum pulveris capiti inspergant: & quod interdum fieri solet, Deo exprobrent.

—— si quando tua circum limina cinxi.

Dicit enim Deus, si bona bono fine petis, bonus ipse, accipe, siquidem es dignus. Hæc si petas, nihil precibus opus est: etiam tacendo accipies. Atqui dices in Piræum ibat Socrates, ut preces suas Deæ offerret, aliosque idem ut facerent, monuit: nec aliud est Socratis vita, quam preces perpetuæ. Etiam Pythagoras precatus est, ac Plato, & quisquis alius lubenter salutaret Deos. At tu Hercules, preces philosophi votum eorum quæ non habet, esse existimas: ego nihil aliud quam orationem esse puto, quam colloquium cum Diis de bonis præsentibus, testimoniumque virtutis. Nisi forte divitias aut Atheniensium magistratum, petiisse existimas Socratem. Ne Di sirint. Ille virtutem animi, tranquillitatem vitæ, mores inculpatos, plenam fiducia mortem, bona præclara, & quæ libenter donare Dii solent ab illis petebat, quæ deinde à semet, illis concedentibus, sumebat ipse. Quod si quis à terra navigationem petat prosperam, à mari fructus uberes, à textore aratrum, penulam à fabro, inanis, indonatusque abibit, repulsam feret. O Iupiter, Minerva, & Apollo, morum inspectores humanorum, non alios profecto quam philosophos habere vos discipulos decebat, qui artem vestram magno exciperent animo, ac pulcherrimam plenæque felicitatis messem colligerent. At rarissima est hæc agriculturæ ratio: vix unquam nec nisi sero fructus ejus proveniunt, neq; eodem modo. Raro tamen hoc & exiguo in humana vita opus est fomite, sicut in multa nocte tenui luce. Exiguum est enim in natura humana quod pulchrum est: & tamen ab exiguo hoc conservantur omnia. Quod si è vita tollis philosophiam, fomitem ejus vivum tollis ac spirantem: tollis id quod solum precari novit. Sicut corpori animam si demas, vitam abstulisti, sicut diei si solem, diem abstulisti. *Dissertatione trigesima, An orandus sit Deus.*

Iulianus Imp. Fratrem Iulum patriarcham omni observantia dignum hortatus sum, ut & tributum quod vobis imperatum dicebatur, prohibeat, & nemini in posterum liceat vectigalia ejusmodi à vobis exigere, quo summa vobis securitas & otium sit in meo regno, & majore studio pro meo regno vota faciatis Deo optimo & opifici, qui mihi dignatus est suis purissimis manibus coronam imponere. Solent namque qui solicitudine aliqua permuntur, mente constringi, neque tam confidenter manus ad Deum orandum tollere: atqui cura penitus vacui sunt, tota mente gaudent, & pro regno supplices manus ad Deum maximum porrigunt, in quo situm est, ut regnum nostrum in optimo statu versetur, sicut optamus. *Epist. 25. ad Iudæos.*

Heliodorus: Ad templum contendebam supplicaturus Deo, ut me oraculo instrueret de fuga. sed erat vel quavis cogitatione celerius numen: & iis qui actiones suas ad illius voluntatem accommodant, auxiliatur etiam non imploratum, & benevolentiâ sæpe preces antevertens. *Lib. 4. Æthiopic.*

¶ ROMANORUM.

Plinius: Bene ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capere: quod nihil ritè, nihil providentur homines sine Deor. immortalium ope, consilio, honore auspicarenter. Qui mos cui potius quam Consuli, aut quando magis usurpandus colendusque est, quam cùm imperio Senatus, auctoritate Reip. ad agendas optimo Principi gratias excitamur. *Initio Paneg. ad Trajan.*

Symmachus: Divina miseratio pias aures applicat votis parentum. *Lib. 5. epist. 33.*

Latinus Pacatus: Ut in divinis rebus operantes in eam cœli plagam ora convertimus à qua lucis exordium est: sic ego vota verborum quæ olim nuncupaveram soluturus, id oratione mea tempus arripiam quo Romana lux cæpit. *Capite 3. Paneg. Theodosio dicti.*

¶ POETARUM.

Synesius Nymno secundo.

Cuncta à tuo consilio
Pendent: tu autem es radix
Præsentium, præteritorum,
Futurorum, eorum quæ sunt.
Tu pater, tu es mater:
Tu mas, tu fœmina:
Tu vox, tu silentium:
Natura natura fœcunda.
Tu ò rex, seculi seculum,
Quantum id quidem fas est voce testari.
Longùm salve radix mundi,
Longum salve centrum rerum,
Unitas divinorum numerorum
Substantia carentium regum.
Longùm salve, longùm salve,
Quia penes Deum gaudia.
Ad meorum propitias aures
Pandito festivitatem carminum:
Sapientiæ pandito lucem,
Largitor illustrem felicitatem,
Largitor decus splendidum.
Vitæ tranquillæ,
Paupertatem foras pellens,
Terrenamq; pestem divitiarum.
Ab artubus arceto morbos,
Et libidinum fœdum impetum:
Edacesq; animi curas
A mea vita propulsa;
Ne mentis alæ
Gravatæ in terram decidant,
Sed liberas pennas tollens,
In tui sacris nati
Arcanis saltem.

Plautus Amphitr. Prologo.

Pater huc me misit ad vos oratum meus,
Tametsi pro imperio vobis quod dictum foret
Scibat facturos: quippe qui intellexerat
Vereri vos se & metuere, ita ut æquum est Iovem:
Verùm profectò hoc petere me precariò
A vobis jussit leniter dictis bonis.

Terentius Adelph. actu 4. sc. 5.

Tu potius Deos comprecare: nam tibi eos certè scio
Quo vir melior multo es quã ego sum, obtẽperaturos magis.

Terentius Adelph. 4. sc. 5.

Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem accersas: abi.
Æ. Tu potius pater, comprecare. nam tibi eos certè scio,
Quo vir melior multo es, quam ego sum, obtemperaturos
magis.

¶ APOLOGORUM.

De Milvo ægrotante. *Anonymus.*

Morbi mole jacet milvus, matremque precatur
Ut pro se superis det sacra, detq; preces.
Mater ait, mi nate, deos & sacra deorum
Læsisti recolunt impia facta dei.
Criminis ultores pensant pro crimine pœnam.
Dum sacra turbares, pœna timenda fuit.
Te cogit timor esse pium, te pœna fidelem:
Hic timor, hæc pietas cum nece sera venit.
Qui maculat vitam, mundas cur incolit aras?
Quem sua facta premunt, cur aliena levat?

Rusticus & Hercules. *Anonymus.*

Hærentem luteo sub gurgite rusticus axem
Liquerat, & nexas ad juga tarda boves,
Frustra dispositis confidens numina votis
Ferre suis rebus, quum resideret, opem.
Cui rector summis Tirynthius infit ab astris,
Nam vocat hunc supplex in sua vota Deum;
Perge laborantes stimulis agitare juvencos,
Et manibus pigras disce juvare rotas.
Tunc quoque congressus, majoraq; viribus ausus
Fac superos animis conciliare tuis.
Disce tamen pigris non flecti numina votis,
Præsentesq; adhibe, quum facis ipse Deos.

De Nautis sanctorum auxilium implorantibus. Fab. 19.

Nauta quidam in mari subita & atra tempestate deprehensus, cæteris ejus sociis diversorum auxilium implorantibus, Nescitis, inquit, quid petatis. Ante enim, quàm sancti isti ad Deum pro nostra liberatione se conferant, hac imminente procella obruemur. Ad Deum igitur confugiendum censeo, qui absque alterius adminiculo à tantis malis nos poterit liberare. Invocato igitur Dei omnipotentis auxilio, ilico procella cessavit.

Fabula indicat, ubi potentioris auxilium haberi potest, ad imbecilliores non fugiendum. L. Abstemius.

De Bove cornua à Deo petente. Fab. 173.

Bos ægrè ferebat vires inermes sibi à natura datas, quoniam armis carebat, quæ viribus potiora putabat. Rogavit ergo Jovem, ut sibi cornua concedere dignaretur. Quod cum impetrasset, statim voti sui eum cœpit pœnitere. Nam quum inermis liber esset, à nemineque capi posset, natis cornibus laqueo comprehensus ad arandum ducebatur, & immensos labores subire cogebatur.

Fabula indicat, nihil à Deo petendum, nisi quod ille nobis profuturum intelligit. Abstemius.

¶ EMBLEMATUM.

Batillius XV.

Dij facientes adjuvant.

Alciden lapso vocat ut succurrat asello,
Nec sese ipse movens segnis agaso sedet:

Cui Deus, At primum tu hæc otia tollere debes,
Primus & ad partes ipse venire tuas.

Camerarius XXX Centuria prima.
Fragrat adustum.

Thura inodora manent, nisi sole vel igne calescant;
Sic bene quo fragret, cor prece adure pia.

Carsius Emplemate sacro II.

Clamaverunt justi, & Deus exaudiit.

Intensis opus est clamoribus ut sonet Echo:
Si strepis exiguo murmure Nympha silet.
Nympha tacet tacitis, sed surgat ad æthera clamor,
Mox responsa tibi vel geminata dabit.
Vota quid effundis summis innata labellis?
Ad tepidas cœli non patet aula preces.
Tende latus clamore, Deus responsa remittet:
Heic pia mens, heic vox fervida, pondus habent.

§ Apophthegm. Sacr.

Iesus Christus Dominus noster: Quum precaberis, inquit, ne esto ut hypocritæ. amant enim in conventibus & in angulis platearum stantes precari, ut appareant hominibus. Amen dico vobis, eos perceptam habere mercedem suam. Tu verò quum precaris, introito in conclave tuum; & clauso ostio tuo precare Patrem tuum in occulto: & Pater tuus qui te aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo. Precantes autem ne eidem blaterate ut Ethnici. Putant enim fore ut sua illa loquacitate exaudiantur. Ne igitur ipsis assimilemini. Novit enim Pater vester quibus sit vobis opus, antequam vos petatis ab eo. Vos igitur ita precamini, Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c. Duo vitia in precibus nostris maximè cavenda esse docet Christus, ambitionem videlicet & inanem garrulitatem. *Matth. 6.5.* &c.

D. Augustinus: Hippone jam per trimestre spatium obsessa; provenit (inquit Possidonius) ut unà cum eodem ad mensam constitutus & inde confabulantibus, cœperit coram nobis dicere, overitis me hoc tempore nostræ calamitatis Deum rogare; ut aut hanc civitatem ab hostibus circundatam liberare dignetur, aut si aliud ei videtur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certè ut me de hoc seculo accipiat. *Possidonius, in vita Augustini, cap. 20.*

§ Monosticha Trochaica.

Actione expletur haud & syllabis precatio.
Ad Deum prece usque instare, pulcra est impudentia.
Ad Deum vitam per omnem fundit at preces pius.
Arctius Deo cohæret plura qui à Deo petit.
Aspice, ô Deus, misellos, liberaque omni à malo!
Da Deus virtutem opesque! da virtutem eja, atque opes!
Et Deus triumphos ipsis annuit vagitibus.
Fortius cæli penetrant fornicem juncta preces.
Haud Deos adeunt fidenter, mens quibus liquida est minus.
Improbi Deos iratos despuunt, boni invocant.
In secunda, æquè ut sinistra, re pius Deum invocat.
Inscius voti, crucem ultrò muneris loco petit.
Ne quidem Deos rogantes verum eisdem dicimus.
Nil Deos vere intelligere, nisi sit dictum centies?
Nil queunt preces malorum, quam malum ut sibi attrahat.
Non decet gnaras Dei aures demorari ambagibus.
Non movent preces Deum æqua; improbæ preces movent.
Non quæ sunt bona, at videtur quæ bona à Diis quæsumus.
Omne quod justum est rogato; id impetratum senties.
Qualibet prece invocandum Numen est in re pius.
Qui Deos prius negabat, in periculo his vovet.
Quisque rectè orare novit, rectè novit vivere.
Si nequit quis ore, mutos corde questus fundit at.
Talis esto semper qualis esse vis dum oras Deum.
Vita honesti tota nonne perpes est precatio?
Ut Deus quod utile est det, quod volunt multis negat.

§ Jambica.

Aderit Deus seu non voces; seu invoces.
Audit Deus cujuslibet lingua preces.
Bono precanti, non malo, Dii obtemperant.
Deus preces non audit, cùm non expedit.
Et hostium & Deorum iras places prece.
Etiam Deos veneratur iratos pius.
Etiam secundis invoces rebus Deum.
Et invocandus voce non tacita Deus.
Mendax precator impetrata haud obtinet.
Multum preces piorum à Numine impetrant.
Non supplicat Deo mala conscientia.
Nemo allocutus surda Divûm numina est.
Nunquam Deum importunè adire possumus.
Persæpe pœna poscitur pro munere.
Plus quàm rogatur sæpe concedit Deus.
Posce à Deo præstare quæ dignum est Deum.
Preces Deus non audit clancularias.
Preces piorum exaudit illico Deus.
Quæ non manu sunt in tua, à Deis pete.
Quis non opes potentiamque à Diis petit?
Sedere præstat, Numini cùm supplicas.
Si quid petis boni; à te cur id non petis?

Precum ad homines.

§ Sententiae Patrum.

Divus *Greg. Nyssenus*: Si oratio negotium qualecunque præcesserit, peccatum adversus animam aditum non inveniet. Dei enim memoria in corde fixa ac fundata, irrita consilia adversarij manent, justitia sese mediam ubique controversiis interponente. prohibet item agricolam à peccato oratio, in exiguo agri modo fructus multiplicans, ne postea amplius unà cum plus habendi cupiditate peccatum ingrediatur. ita viator, ita qui expeditionem vel nuptias parat, ita quicunque animum ad aliquod negotium adjecit, si cum oratione quodlibet agat; prospero ac felici successu negotiorum à peccando abducetur; nullo adversario animam ad vitium trahente. Sin autem relicto Deo, negotio totus intentus fuerit, omnino necesse est; ut à Deo remotus cum adversario prorsus versetur. recidit autem à Deo, qui per orationem sese Deo non conjungit. per orationem enim cum Deo esse contingit. at qui cum Deo est, ab adversario remotus est. *Homilia de Oratione ad Deum.*

Chrysologus: Medicus austera remedia cum recipere persuadet ægrotos, agit precibus, non compellit imperio: sciens infirmitatis, non voluntatis esse, quod salutaria respuit, quoties profutura repellit infirmus. Et filium pater non potestate, sed amore ad rigorem pertrahit disciplinæ, non ignorans quàm sit aspera immaturis sensibus disciplina. Et si corporalis infirmitas ad curam precibus sic movetur, si puerilis animus vix ad prudentiam ducitur blandimentis: quid mirum si Apostolus, qui semper est & medicus & pater, humanas mentes morbis carnalibus sauciatas, ut ad remedia divina subrigat, sic precatur, Obsecro, inquit, vos, per misericordiam Dei. *Sermone 108. pr.*

§ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Plato: Preces tyrannorum necessitati permixtas esse non ignoramus. *Epist. 7. ad Dionis cognatos.*

Iulianus: Qui omnia quæcunque velint extorquere possunt, horum preces ad persuadendum ac flectendum idoneæ sunt. *Orat. 2. ad Eusebiam Imp.*

§ Romanorum.

Quintilianus Senior: Accedit ad patrem, manuque sublata, rogo, dicit; imo jubet. Non sunt enim preces ubi negandi libertas non est.

Mox: Reliqua à vestris animis interrogate: is qui armatus rogat, quid facturus sit si non impetraverit? Duc sunt, opinor, inter quæ quæstio interposita videatur. hic si non impetrasset; aut occisurus fuerat, aut moriturus. non dico utrum credibilius sit, utrum facilius.

Mox: Quid facit ad preces solitudo? ista instrumenta sunt parricidij, hæc occasio, hic locus, hoc tempus. *Declam. 28. m.*

Plinius Iunior. Cùm familiaritatem nostram, ut soles prædicare, ad præsidium ornamentumque sumpseris; nihil est quod negare debeam, præsertim pro patria petenti. quid enim precibus aut honestius piis, aut efficacius amantis? *Epist. 18. lib. 6.*

Ausonius in præfatione Centonis: Quid facerem? jussum erat: quodque est potentissimum imperandi genus, rogabat, qui jubere poterat, Imperator Valentinianus.

§ Poëtarum.

C. Laberius Mimus.

Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas
Movere potuit in juventa de statu;
Ecce in senecta, ut facilè labefecit loco,
Viri excellentis mente clemente edita,
Summissa, placidè blandi loquens oratio.
Etenim Dii negare cui nil potuerunt,
Hominem me denegare quis posset pati?

§ Monosticha Trochaica.

Ad preces quascumque surdus usque & usque est impius.
Ah ne me obsecra, quæ orando à me impetrare non decet.
Carius res nulla constat, comparata quàm prece.
Liberè minus rogamus pro nobis quàm pro altero.
Magna qui petit, molestiam aut facit vel accipit.
Magna qui petit, aut dolebit, aut tristabit alterum.
Non bonum est contingere omnia hominibus ipsi quæ vovet.
O felicem à quo rogare nemo rem audet improbam!
Qui petit bene, antefertur illi qui bene annuit.
Qui rogat, sibi mentiri quam negari mavelit.
Vota prævenire suetus Rex, quid expectet preces.

JAM-

§ Jambica.

Apumice undam haud postules: ipsus sitit.
Abjectius pro te roges quam pro altero.
Cogi potest in mortem quis, non in preces.
Cogit rogando cùm rogat potentior.
Cùm quid petis; moneas amicum, ne roges.
Differ potentem: nam inferet vim si negas.
Est ditior quodammodo à quo poscitur.
Exprimere jus est ferro, quod nequeunt preces.
Fiunt ferè preces degeneres ob metum.
Multâ adjuvari non petit prece æquitas.
Negare quid queas pro se rogantibus?
Non est petendum, jure quod cui quis neget.
Pecuniam fundas facilius, quàm preces.
Petas iniquum oportet æquum quei feras.
Potens amicus dum precatur imperat.
Quid obseratis auribus fundis preces?
Sunt & preces contra quibus dici haud queat.

Primatus.

§ Apophthegm. Sacr.

Iesus Christus Dominus noster. Quum discipulos suos, de ambitiosa filiorum Zebedæi petitione indignatos advocasset, ait, Scitis principes Gentium in eas dominari, & màgnates potestatem exercere in eas. Verùm non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, esto vester minister: & quicunque voluerit inter vos primus esse, sit vester servus. Sicut filius hominis non venit ut sibi ministretur, sed ut ministret, detque animam suam in redemptionis pretium pro multis. *Matth. 20. 25. 26. &c.*

Idem. Dicebat discipulis suis, Ne vocemini doctores: unus enim vester est doctor, nempe Christus. Sed qui maximus est vestrûm, sit minister vester. Porrò qui sese extollet deprimetur: & qui sese demiserit, extolletur. *Matth. 23. 10. 11. 12.*

Meletius. Quum in Ecclesia Antiochena, conventus separatim ab Orthodoxis sub Meletio & Paulino agerentur, tandem Meletius hoc schisma ægrè ferens Paulinum his verbis affatus est: Quoniam & mihi istarum ovium procurationem commisit Dominus, & tu aliarum curam suscepisti, ipsæque oves inter ipsas in veræ pietatis communione consentiunt, greges, ô amice, concordiæ vinculis cõjungamus, & contentionem de primatu dirimamus. Et cùm oves communiter pascamus, communem illis ritè moderandis adhibeamus curam. Quod si sedes contentionem gignit, ego hanc contentionem depellere conabor. Nam ponamus, quæso, in ea sede librum Evangelij, & utrinque nos sedeamus. Quòd si ipse priùs è vita abiero, tu solus, amice, gregem moderaberis: sin autem tibi illud contigerit, ego rursus curam ovium pro virili geram. Verùm tametsi ista placidè & leniter à Meletio dicebantur, Paulinus tamen illis minimè acquievit. Itaque Sapores, dux Christianus, eorum quæ utrinque dicta erant judex constitutus, magno Meletio templa tradidit: Paulinus autem ovium, quas ab initio à reliquis segregaverat, antistes permansit. *Theodoret. eccl. hist. lib. 5. c. 3.*

Principis.

§ Sententiæ Patrum Graecorum.

D*ivus Nazianzenus:* Minimè easdem res Principibus ac privatis convenire existimo: quandoquidem neque eiusdem utriq; sunt dignitatis. Privato enim homini asturè quoque aliquid facere fortasse concedemus. Nam qui vim apertam adhibere nequit, hic si vafrè & callidè aliquid fecerit, veniam aliquam meretur. Imperatori autem, cùm vi & potentia superari admodum turpe sit, tum verò turpius sit, ut opinor, & indignius est, conatus suos & intentiones arte occultare. *Oratione tertia stelitcutica prima in Iulianum.*

D. Nazianzenus: Proceres, potentiorem timete: qui sublimius solis insidetis, sublimiorem. Ne quid admireris, quod non permaneat: ne contemnas, quod certum & stabile sit: ne quicquam arctius constringas, quod, cum manibus tenetur, effluit, ne quid ex iis, quæ non in invidia, sed in odio sunt experas: ne magnopere te efferas, ut ne profundius deiiciatis: ne animos hinc attollas, quòd malis præstantior appareas, verùm id tibi molestiam pariat, quòd à probis superetis. Proximi tui lapsum ne ride: verùm tu, quàm poteris tutissimè, transi, atque interim humi jacenti manum porrige. Nec, cum mœrore afficeris, secundarum rerum spem abiice, nec, cum prosperis rebus frueris, mœrorem. Annus unus quatuor partes vehit, atq; unicum temporis momentum multas rerum mutationes. Fac, ut & solicitudo voluptatem, & spes melior tristitiam reprimat. *Oratione 43.*

D. Chrysostomus: Neque sanè putes Christianæ Philosophiæ dignitatem extenuari ac lædi, si præsente Principe honoris gratia exsurrexeris, sive caput detexeris. Si enim ista Paulus tum cùm gentiles adhuc essent principes præcepit, multo magis oportet ea fidelibus exhibere. Quod si majora tibi concredita esse dixeris; disce non nunc honoris tui tempus esse. peregrinus enim hic es, & advena. tempus erit quo omnibus apparebis illustrior. nunc vita tua abscondita est cum Christo in Deo. quando Christus comparaverit; tunc & vos comparebitis in gloria. ne quæras ergo in præsenti hac fragili vita retributionem *Homil. 23. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Quod principatus sunt, quod hi quidem imperant; isti verò subjecti sunt, quodque non simpliciter ac temerè cuncta feruntur, nec fluctuum instar populi huc atque illuc circumaguntur, divinæ sapientiæ opus esse duco. *Homilia 23. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Principem oportet ob aliorum magis quàm ob proprias dolere calamitates *Homil. 29. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Si videris virum clientem stipatum multitudine in forum erumpere sericis amictum vestibus, atque equo vectum: noli stupescere, sed potius ride. Ac sicuti quum pueros videris constituto inter se principe ludere, risum tenere non potes: ita & hic facito. Nihil hoc illo deterius est, imo hoc longe gratius: quippe quod à puerili ætate magna cum simplicitate & innocentia geritur. Hic nempe risus voluptati permixtus est: contra, ille ridiculus, ac turpitudine plenus. Deo gratias age, quod te hujusmodi scena fastuque turgido eripuit. Nam siquidem ipse volueris, humili tu loco natus, celsior eo evades, qui vehiculo fertur. Quo pacto? Quod ille scilicet corpore quidem humo modicò superior est, cæterum animo terræ affixus est. Adhæsit enim, inquit, virtus mea carni meæ. Tu vero mente in cœlo versaris. At clientes ille plurimos habet se deducentes: at incertum est, magis ille, an equus honoretur. Quid autem hac stoliditate deterius? Sequuntur homines, ut jumentum facilius transeat. At forte equo vehi inter appetenda ducatur? Sed servis istud quoque commune est. Quid autem dici irrationabilius possit, quam velle ex equorum ac pretiosæ vestis clientumque apparatu putari illustrem? Quid ea gloria dici vilius atque abjectius potest, quæ in equis consistit, ac famulis? Virtutis studiosus es? nullo istorum utere, proprias habeto divitias, propriumque ornatum. Hæc enim & nequam homines, ac scelerati & rustici, latronesque omnes, qui divites sunt, habere valent. Mimi item, atque saltatores feruntur equis, famulosque habent, qui ante se currant: mimi tamen atque saltatores sunt, & ex equis ac famulis nihilo honestiores evaserunt. Quoties enim eis qui hujusmodi sunt, nulla est animi virtus: frustra & incassum hæc extrinsecus apponuntur. Et quemadmodum caduco parieti, aut nimium fragili corpori quælibet quisque apposuerit, in sua imbecillitate perdurat: ita & hic nullum anima emolumentum ab his quæ sunt extrinsecus sumit, sed eadem permanet, quantalibet ei quisque forinsecus ornamenta circumdet. Non ista miremur attoniti, cæterum animos à temporalibus, ac fluxis rebus, ad æterna digniora transferamus, cælestium tangamur desiderio, spiritualia tantum consectemur, quos nos re verà honestos faciunt, ac verendos. *Homil. 11. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Qua ratione docebit alios qui seipsum antea non docuit? quippe plurima indies principatus parit crimina, molestumque & ingratum facit, etiamsi quis modestissimus fuerit; innumerasque quotidie necessitates iracundia suggerit. Nisi igitur quisque ad hoc longè præmeditatus accesserit, molestissimus erit, plurimaque corrumpet ac perimet, ex his qui sui muneris sunt. *Homilia 2. Epist. ad Titum.*

D. Io. Chrysostomus: Qui fuerat ad imperium promovendus Joseph, eum prius optimum præsidem domus fuisse necesse erat. præfuit domui, præfuit carceri, non tantum carceri, sed veluti domui. *Homil. 4. epist. ad Titum.*

D. Chrysostomus: Cùm principes insimulamus, nostra nobiscum reputemus: inveniemus nos ipsos plus avaritiæ rapinæque studere, quàm illos, si ista non re, sed voluntate metiamur. Dic enim quæso, si quis rem pauperis furto abstulisse deprehenditur, alius verò divitis substantiam expilat, nonne simili uterque plectitur pœna? Quid item homicida? nonne perpetrati homicidij æquè pœnas dabit, sive ille debilem ac pauperem, sive divitem valentemque necavit? *2. ad Timoth. Homil. 3. fine.*

Pelusiota Theodosio Imperatori: Si Christi regnum adipisci studes, quod corruptionis omnis expers perpetuitas tanquam corona cingit, quodque Deus pro caduco imperio, iis qui præclarè atque honestè istud administrarint, præmij loco constituit, potentiam tuam mansuetudine ac suavitate tempera; convenientique dispersione onus divitiarum leva. Neque enim salvatur Rex per multam potentiam: neque impij simulachrorum cultus crimen effugit, qui fluxis opibus parcit. *Lib. 1. epist. 35.*

Pelusiota: Rerum ac gentium principatus, & thronorum fastigia, & tribunalium severitates, si probis animis conjungantur, verè principatus sunt, cœlestem ordinem imitantes. Sin autem in improbas voluntates incidant, tyrannides potiùs existunt, invitis imperantes, atque illecebræ ac suadelæ loco contentiones & seditiones machinantes. Quid igitur tu prioribus relictis unà cum posterioribus vexaris? Neque enim eos, quibus præes, malo afficis, verùm teipsum ante eos ulcisceris. Siquidem subditorum temeritas ac petulantia cùm Præsidi alliditur, vehemens est, atque eiusmodi quæ vix fræno coerceri possit: in vulgus autem divisa, exigua & inventu difficilis existit. *Lib. 1. epist. 148.*

S. Isidorus Pelusiota: Nihil æquè tam apud homines amplum ac præclarum, quàm apud Deum splendidum & laude dignum ali-

quem reddere solet, ut ea quidem, quæ velit efficere posse, semper autem benigna atque humana, & velit, & faciat. Quoniam igitur potestas in imperio inest, cura ut humanitas ei admisceatur: quo deposito etiam magistratu, clarum ac celebrem te præbeas. Nam si iracundiæ indulgeas, ac potentia tua & authoritate abutaris, gloriam tuam extingues, atque immanitatis & feritatis opinionem referes. Etenim ijs, qui peccant veniam impertire, divina quædam res est: è vestigio autem eos implacabili animo excruciare, belluina & serpentina. Ecquis igitur omissa divini numinis imitatione animalibus humi serpentibus similem se præbere in animum induxerit? Nemo profectò: nisi qui & divinum metum, & humanam existimationem atque gloriam parvipendit. *Liber 2. Epist. 15.*

Isidorus Pelusiota: Ad eorum, qui paupertate, vel alicujus potentia premuntur, deprecationes, apertas ac celeres aures habe, vir admirande: per lenitatem ac facilitatem, iis etiam, qui tardiùs locuti sint, ad loquendi viam ducem te præbens: Contrà ad maledicorum & calumniatorum fictos sermones easdem clausas atque invias custodi, eorum ad improbè loquendum impetum per torvum atque horrendum aspectum coercens ac reprimens. *lib. 2. Epist. 120.*

S. Isidor. Pelusiota: Vel solus, vel certè præ cæteris illud curare debes, ut quantum in te est, subleventur ii, qui in calamitates inciderunt. *lib. 3. Epist. 220.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui non solùm eos, quibus injuria fit, ulciscitur, sed etiam illud providet, ne quis alium injuriâ afficiat, hic non modò acris ac fortis principis, verùm etiam sapientis Legislatoris nomen meretur: ut qui alterum per imperii potentiam, alterum per animi prudentiam conficiat. *lib. 3. Epist. 314.*

S. Isidorus Pelusiota: Mirifica quædam de te ij, quibus conspectu tuo frui contigit, ubique decantant, nempe quòd, cùm mansuetudinis decus atque ornamentum sis, atque affusum vultui tuo pudorem habeas, eos tamen, qui peccare instituunt, oculorum gravitate deterres: sic nimirum te comparans, ut ijs, qui rectè atque integrè vivunt, serenum ac placidum vultum, iis autem, qui desidia torpent, horrendum ostendas. Illum enim iis, quibus injuria fit, profers. Istum verò iis, qui injuriam inferunt, obtendis. His igitur admirandis virtutum dotibus, vir admirande, in perpetuum utere. *lib. 3. Epist. 375.*

Synesius: Si ullæ sunt civitatum animæ (ut revera sunt, præsides, divinæ, atq; è Geniorum numero) universas puta gratiam habere tibi, bonorumque esse omnium memores, quæ summo magistratu in omnes gentes contulisti. Proinde illas ipsas singulis temporibus adesse tibi credito advocatas & socias, communemque pro te Deum precari, uti meritis te præmiis compẽset, pro eo quod illum quo ad fieri potest perfectè sis imitatus. Bene enim aliis facere hoc solùm habent homines cum Deo commune: Imitatio porrò conciliatio quædam est idque quod imitatur cum eo conjungit, quod imitandum proponitur. Quamobrem sic habeto, affinem te Deo esse factum, ejusdem beneficæ communione voluntatis, dulcissimaque te ipsum spe fove, cujusmodi ei animi affectioni consentanea est. O magnificentissime, solus, aut cum paucis meritò solus appellande. *Epistola. 31.*

Synesius: Plura ex Simonidis familiaritate commoda Hiero consecutus est, quàm ex Hieronis Simonides. Ac Deum juro amicitiæ nostræ præsidem, neque te beatiorem de magni illius Anthemij familiaritate prædicavi, quàm de tua magnum eundem Anthemium. homini enim potestate prædito, quæ melior possessio est quã amicus, qui synceris sit minimeque fucatis moribus? Qualem ego Theotimum novi, mitissimum ac Deo carissimum caput. *Epistola. 49.*

§ Patrum Latinorum.

S. Chrysologus: Sicut honor capitis ad membra pertendit; ita mẽbrorum pœna ad dolorem capitis, ad capitis pertendit injuriam. *Sermone 173. m.*

Egesippus: Vespasianus eligitur, vir ab adolescentia militiæ triumphalis inveteratus stipendiis, qui impacatas Gallicas Germanorum tumultu & ferocia geminæ temeritatis in bellum relapsas, pace diuturna composuerat. Britanniam quoque inter undas adhuc latentem Romano imperio armis acquisiverat; cujus triumphatæ opibus Roma ditior, claudius consultior, Nero fortior æstimabatur. itaque quarum gentium bella non viderant, subjugatarum trophæa celebraverant. Sub hoc duce, iterum dico, Nero terribilis erat; Nero metuendus, potens foris, tutus domi; æquatis inter se Vespasiani fide ac fortitudine. quantus iste vir, cujus armis vitia Neronis apud exteras gentes abscondebantur; ut ludibrium rerum humanarum, & eviratæ impuritatis opprobrium, triumphis quoque illustraretur. *cap. 1. libri 3. excid. Hierosolym.*

Egesippus: Ludibrium istud quod accidit imperitante Tiberio, non putavi prætereundum, ut ex eo deformitas intelligatur Imperatoris. Sicut enim boni Principis vita, probitatis quædam præscriptio, & per universos vivendi forma est; ita Imperatoris colluvio, lex flagitiorum est. *initio cap. 5. lib. 2.*

S. Egesippus: In hujusmodi ordinationibus Archelaus, secutus paternæ speciem consuetudinis, angustioris animi tenuit sententiam; more quodam insito mortalibus, ut apud eos minus suspecta sit ignavia hebetiorum, quàm gratia bonorum: cùm infirmus animus insolentior sit in rebus secundis; prudentior autem noverit vicem referre beneficiis. *cap. 13. libri secundi de excidio Hierosolymitano.*

Egesippus: Domitianum publicis præfecit negotiis Mucianus, ne quis nævus deesset rebus secundis. nondum tamen Domitiano se penitus infuderat libido flagitiorum, rudis erat adhuc vitiis ac tyro criminibus, ut potestatibus. *capite 33, libri quarti de excid. Hierosolymitano.*

Egesippus: Interea Titus advenit, clamore exercitus excitus & accersitus ad remedium. Romanis continuo vires additæ præsente Cæsare, & pudor aluit audaciam.. *capite 20. libri 5. de excidio. Hierosolymitano.*

Egesippus: Insolentiores vos nostra absentia fecit; quia nos occupatos putastis. sed nunquam ita occupati sumus, ut absentes simus orbi terrarum. nam & absentes adsumus, & longe positis propius assistimus. utque anima in corpore omnia membra vivificat sua, sic Romana providentia omnibus imperii partibus adest, & totum orbem Romanum tanquam præsens gubernat. nam si singulis animis illa vis divina regendi corporis virtutem dedit; quanto magis Romano vigore, quo quasi unum totius imperii nostri corpus animatur, tuendi ejus vitalem quandam substantiam subministravit? *loquitur Titus ad Iudæos lib. 5. cap. 46.*

Ennodius: Ventilemus historias, interrogentur annales. apud quos constitit, refusum, exuli, quem cruore suo rex genitus emerat principatum. *Paneg. Theod. cap. 4. f.*

Io. Sarisberiensis: Sed ignosces viro doctissimo, rusticanam simplicitatem exprimenti, aut quia pauperum vita, divitibus res videatur exigua, qui humanum genus, ut paucis serviat, asserunt institutum. *capite decimotertio libri 1. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Quatuor sunt quæ Plutarchus nititur reipubl. principibus inculcare: reverentiam Dei; cultum sui; disciplinam officialium & potestatum; affectum & protectionem subditorum. Deum ergo in primis asserit honorandum, deinde seipsum colendum; post ut doctrinam præpositi; totius disciplina domus redoleat; & tandem universitas subjectorum de capitis præpositorum sibi incolumitate lætetur. *cap. 3. lib. 5. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: In Græcia quis major aut clarior Alexandro? Ei Antigonus pædagogus citharam fregit abiecitque, dicens, Ætati tuæ jam jam regnare convenit, pudeatque in corpore regni voluptatem luxuriæ dominari. Quod & ille patientissimè tulit, licet plerunque impatientissimus fuerit, & patrem sibi sicut virtute, ita vitiis superaret. *libro tertio Policratici cap. 14.*

Io. Sarisberiensis: Tyranni & Principis hæc est differentia sola, quod hic legi obtemperat, & ejus arbitrio populum regit, cujus se credit ministrum, & in Reipublicæ muneribus exercendis, & oneribus subeundis, legis beneficio sibi primum vendicat locum, in eoque præfertur ceteris, quod cum singuli teneantur ad singula, principi onera imminent universa. Vnde merito in eum omnium subditorum potestas confertur, ut in utilitate singulorum & omnium exquirenda & facienda, sibi ipse sufficiat, & humanæ reipublicæ status optime disponatur, dum sunt alterius membra. In quo quidem optimam vivendi ducem naturam sequimur, quæ μικροκόσμου sui, id est, mundi minoris, hominis scilicet, sensus universos in capite collocavit, & ei sic universa membra subjecit, ut omnia recte moveantur, dum sani capitis sequuntur arbitrium. Tot ergo & tantis privilegiis apex principalis extollitur, & splendescit, quot & quanta sibi ipsi necessaria credidit. Recte quidem, quia populo nihil utilius est, quam ut principis necessitas expleatur: quippe cum nec voluntas ejus, justitiæ inveniatur adversa. Est ergo, ut eum plerique definiunt, princeps potestas publica, & in terris quædam divinæ majestatis imago. Proculdubio magnum quid divinæ virtutis, declaratur inesse principibus, dum homines nutibus eorum colla submittunt, & securi plerumque feriendas præbent cervices, & impulsu divino quisq; timet, quibus ipse timori est. Quod igitur princeps potest, ita à deo est, ut potestas à domino non recedat, sed ea utitur per suppositam manum, in omnibus doctrinã faciens clementiæ, aut justitiæ suæ. Qui ergo resistit potestati, Dei ordinationi resistit, penes quem est autoritas conferendi eam, & cum vult, auferendi vel minuendi eam. Neque enim potentis est, cum vult sævire in subditos, sed divinæ dispensationis, pro beneplacito suo punire, vel exercere subjectos. Vnde & in persecutione honorum, Athila interrogatus à religioso cujusdam civitatis Episcopo, quis esset; cùm respondisset, Ego sum Athila flagellum dei, veneratus in eo scribitur divinam majestatem Episcopus; Bene, inquit, venerit minister Dei: & illud, Benedictus qui venit in nomine domini, ingeminans, reseratis ecclesiæ foribus, persecutorem admisit, per quem & assecutus est martyrii palmam. Flagellum enim domini excludere non audebat, sciens quia dilectus filius flagellatur, & nec ipsius flagelli esse nisi à domino potestatem. Si itaque adeo venerabilis est bonis potestas, etiam in plaga electorum, quis eam non veneretur, quæ à domino instituta est, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, & legibus devotione promptissima famulatur? Digna siquidem vox est, ut ait Imperator, majestate regnantis, se legibus alligatum principem profiteri. Quia de juris autoritate, principis pendet autoritas; & revera majus imperio est, submittere legibus principatum; ut nihil sibi princeps licere opinetur, quod à justitiæ æquitate discordet. *lib. 4. Nugarum Curialium capite 1.*

Io. Sarisberiensis: Si constitutus princeps susceptum ministeriũ

fideli-

fideliter gesserit, tantus ei honos adhibendus est, & reverentia tanta, quantum caput omnibus membris corporis antecellit. Gerit autem ministerium fideliter, cùm suæ conditionis memor, universitatis subiectorum se personam gerere recordatur, & se non sibi sui vitam, sed alijs debere cognoscit, & eam illis ordinata charitate distribuit. Totum ergo se Deo debet, plurimum suæ patriæ, multum parentibus ac propinquis, extraneis minimum, non nihil tamen. Sapientibus igitur & insipientibus debitor est, pusillis & majoribus. Quæ quidem inspectio communis est omnium prælatorũ, & eorũ qui spiritualium curam gerunt, & qui secularem jurisdictionem exercent. *lib. 4. Policr. cap. 3.*

Io. Sarisberiensis: Nec habebit argenti & auri immensa pondera. Eant nunc & Domino prohibente, argentum sibi & aurum thesaurizent, facientes ex calumnia quæstum, de paupertatibus aliorum abundantiam quærant, de rapinis divitias, & singularem sibi beatitudinem statuant in calamitate multorum. *libri 4. Policratici cap. quinto.*

Io. Sarisberiensis: Timeat Princeps Dominum, & se prompta humilitate mentis, & pia exhibitione operis, servum profiteatur. Dominus enim servi dominus est. Servi itaque Domino Princeps, dum conservis suis, subditis scilicet sibi, fideliter servit. sed & Dominum Deum esse agnoscat, cui non plus timoris ex majestate, quã amoris ex pietate exhibendum est. Pater enim est, & cui nulla creatura, ipsius faciente merito, negare potest dilectionis affectum. Si ergo, inquit dominus sum, ubi est timor meus? si pater, ubi est amor meus? *lib. 4. Policratici cap. 7.*

Io. Sarisberiensis: Sit rex in verbo affabilis, munificus in beneficiis, & integræ auctoritatis, servet in moribus dignitatem. Famam namque benignitatis conciliat sermo bonus, & lingua gratiosa. Amorem fidelissimum & constantissimum, etiam à durioribus, extorquent beneficia, & quem fecere fovent & solidant. Et morum dignitati debetur reverentia subditorum. Egregiè quidem Trajanus optimus Augustorum, arguentibus eum amicis, quod in omnes nimium, & ultra quàm Imperatorem deceat, communis esset, respondit, se talem velle Imperatorem esse privatis, quales Imperatores sibi esse privatus, optasset. *libri quarti. caput 8. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Sicut potentes potenter tormenta patientur, sic & justitiæ præmiis fruentur plenius si rectè exercuerint potentatum; & tantam in futuro præ subditis habebunt gloriam, quanta virtute eos in magna delinquendi licentia præcesserunt? Potuit, inquit, transgredi, non est transgressus; facere mala, & non fecit: ideo stabilitata sunt bona ejus in domino. ad justitiam namq; principibus reputatur etiam cum temperant ab injuriis; & facubias delinquendi, est eis materia meritorum. Declinare à malo, in eis magnum est, etiamsi magna bona non faciant, dum tamen subditos indulgentia malorum non perimant. *lib. 4. policratici capite decimo.*

Io. Sarisberiensis: Sed & stultitia consumit reges impios: quia in depressione populi, robur principis enervatur. Populus namque contritus erigere vires principis non potest, aut non vult. *lib. 5. cap. 6. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Iucunda est conclusio, cùm potestas publica sic studet præesse, ut in universitate sua tristem aliquem esse non patiatur. *libro quinto Policratici capite sexto.*

Io. Sarisberiensis: Sicut principem levia proferre non decet, sic neque facilem quidem esse ad levia audienda. Ait enim Sapientia: Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Confabulationibus & conviviis se totis viribus immiscet Venus, cujus qui prima missilia libenter admittit, quin posterioribus gravius vulneretur, vix èvadit.

Visus, & alloquium, contactus, & oscula, factum.

sicut se præcedunt ordine, ita & ex necessitate doloris inferunt partum. Voluptatis siquidem finis, pœnitentia est. Si mihi non credis, vel Demostheni crede, id asseveranti respuente Laidis avaritiam. Nosti quis dixerit: Habet hoc voluptas omnis, stimulis agit furentes, apumque par volantium, ubi grata mella fudit, Fugit, & imis tenaci, Ferit icta corda morsu. Initia namque cupidinis dulcia sunt super mel & favum: at novissima ejus quovis absinthio amariora sunt. Quis enim est finis confabulationis conviviorum & expletæ libidinis, nisi pyra incensa, & quæ in omnes cives desolationis incendia spargit? *lib. 6. Policratici cap. 23.*

Io. Sarisberiensis: Porrò etsi in officio virtutũ sit remissior principatus, colendus tamen est: & sicut apes in humeris regem suum attollunt, ita subiecti, quos pedes & membra vocant viri prudentes; dummodo vitiis perniciosus non sit, omnimodum exhibeant famulatum. nam etsi laboret vitiis ferendus est, tanquam in quo salutis auspicia provincialibus extant.

— Rege incolumi mens omnibus una:
Amisso, rupere fidem.

Illyrici & Thraces cùm Macedonas bello superarent, ab infante duce superati sunt, prolato in cunis & pone in aciem posito. Quanti ergo esse debet jam provectus ætate & dignitate, si tanti habetur utroque provehendus? Licet autẽ duriusculè videatur tractare populum, tamen auctoritas dignitatis, & officij utilitas debet provincialium animos mitigare. *Lib. 6. Policrati cap. 24.*

Io. Sarisberiensis: Si in sui ipsius cultu quique laboret, & quæ exteriora sunt reputet aliena, profecto optimus erit status singulorum & omnium, vigebitque virtus & ratio prævalebit, regnante undique mutua charitate, ut sit caro subjecta spiritui, & spiritus plena devotione Domino famuletur. Quæ si processerit, nec tumore capitis onerabuntur membra, nec destitutione membrorum, aut ignavia languebit caput. Ista siquidem à peccati infirmitate proveniunt. Nam & inferiorum delicta, bonum principem demerentur, & peccata superiorum subditis sunt occasio & autoritas delinquendi. Vnde illud: Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Mansuescit itaque princeps ab innocentia populi, & populares motus reprimit innocentia principalis. Placido namque Deo, omnis creatura mitis est, & servit homini, & eo indignante omnis creatura armatur in ultionem ejus. Corvus Heliam pavit. Ursus famulatum impendit prophetæ. Vt pareat Danieli, ferocitatem naturæ dedidiscit leo, & collectam nescit esuriem. Unda siccis justorum calcatur pedibus, adversus pueros succensus ignis in fornace non proficit. Ad votum fidei, aer imbres, & terra fructum negat, & cælum ipsum in impios evomit ignes suos. *libro sexto Policratici capite. 29.*

Io. Sarisberiensis Dici solet, quia sine læsione unguium, non facile removetur robur à subere, sed multo æquius & citius læditur, quisque obsequium membrorum sejungit à capite. Vigeat semper excellentia capitis, quia in eo totius corporis consistit salus. Varro in Satyra quæ Menippæa inscribitur, & de officio matrimonij instituta est, ait, Vitium conjugis aut tollendum est, aut ferendum. Qui tollit vitium, commodiorem conjugem præstat; qui fert, seipsum efficit meliorem. Sic principis & subjectorum vitia, aut ferenda sunt, aut tollenda. Horum quippe confœderatio, affectum conjugis aut æquat, aut præcedit. Sed & ipsa Varronis verba, ferre & tollere, lepide quidem composita sunt. Apparet autem quia tollendi nomen, correctionis est nota. Constat equidem ejus esse sententiam, ut feratur, quod tolli non potest. Hoc tamen fidelis adijcit interpretatio, ut vitium intelligatur, quod honestè ferri potest, & religione incolumi. Vitia enim flagitiis leviora sunt, & sunt nonnulla quæ non ferri licet, aut quæ fideliter ferri non possunt. Ex causa fornicationis licenter divertit conjunx à conjuge, & plerunque patronus est turpitudinis, qui crimen cælat uxoris. Inde est forte, Qui adulteram retinet, stultus & impius est. Hæc autem in mœchia corporali & spirituali, quoad aliquid æquè obtinent, etsi deterior sit spiritualis, & studiosius declinanda. Similiter & in membrorum compagine, ferendi aut tollendi Varronis est regula admittenda. Nam quin membra curari oporteat, nemo ambigit, sive in fomento olei, sive in austeritate vini, quod Samaritanus infundit vulnerato, procedat cura. Quod autem tollenda sint, ex eo liquet quod scriptum est, Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proijce abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te. Hoc in membris omnibus principi arbitror observandum, ut non modo eruantur, abscindantur, & procul eijciantur, sed fidei aut publicæ saluti dentur in scandalum, sed ita conterantur, ut in exterminio unius, universorum incolumitas procuretur. Cui inquam parcet, qui etiam in oculos suos sævire præcipitur. Utique nec auris, nec lingua, aut si quid aliud in corpore reipublicæ degit, securum est, si insurgat in animam, ob gratiam cujus ipsi oculi effodiuntur. Cum autem Deus offenditur abusu criminum, aut ecclesia conculcatur totius animæ periclitatur salus. Quod ita alienum est ab officio principis, ut quotiens ista proveniunt in republica, aut omnino non sentire credatur princeps, aut dormire, aut in diversorio esse. Sol eminet universis, & cuncta videat, & dijudicet universa. Solem alterum, principem esse credo, Rectè utique facit cùm

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcet,

qui alvearia spoliant, & quicquid dulce est, ebibunt, aut asportant. Rectè cum ecclesiæ promovet culmen, cum religionis dilatat cultum, cum superbos humiliat, & exaltat humiles, munificus in egenos, in copiosos frugalior; cum virtutes præmio, & vitia æqua pœnarum lance remunerat, cum justitia usquequaque ambulat ante eum, & ponit in via prudentiæ aliarumque virtutum gressus suos. Equidem

Sic petitur cælum, non ut ferat Ossan Olympus,
Summaq; Peliacus sidera tangat apex.

Inquit sapientia: Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris. Eoque spectat sapientis edictum, ut quisque non humiliatur in facie principis, merita confusione obductus, gloria quam usurpavit, dignus est spoliari. Honorum siquidem distributor est, & dum rectè ministrat principatum, penes eum est perpetua dispensatio munerum. Rectè quidem ministrat, cum eo præsidente, lætantur populi, & in regno æquitatis totius terræ latitudo exultat. Perpetuam, inquam, quia ut scriptum est, rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. Quis ergo honorem detrahat ei, quem audit à Domino perpetuo munere honoratum? Planè in insensibilem principis statuam quicquam præsumere. quandoque crimen extitit majestatis, & morte acerbissima, prout veteribus placuit, puniendum. Quis ergo imaginem Dei, qui est princeps. malitia præsumente impune offendit? Proinde consiliosissimum est illud sapientis: In cogitatione tua, regi non detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti, quia aves cœli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas annunciabunt sententiam. Nunquid ergo quicquam licebit in opere, aut

verbo,

verbo, cum & ipsa cogitatio, cubiculique secretum, & sententia cordis arceatur, ne quid moliatur, aut concipiat adversus principem? *Cap. 26. Policratici. Lib. 6.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRAECORUM.

Anacharsis: Nullus bonus ac justus princeps subditis exitio est: neque pastor bonus oves deperdit. Tibi verò tota regio vacua subditis, & malè à principibus administrata. Omnis privata domus ad nihilum est redacta, ut non possit summæ rerum emolumento esse. Te verò melius est parcere, quorum sis dominus. Non enim privatæ facultates accrescunt regno & conservantur. Nunc si cares viris quibus utaris ad bellum, & pecunias rapis quibus geras. non milites & justè spectantes unum corpus, nisi reliqueris victum sufficientem, avolabunt & in montibus, in desertis naturalibus domicilia collocabunt, atque apum labores obibunt. *Epistola 7. ad Terea.*

Xenophon: Erat autem ea hominum erga ipsum adfectio, ut natio quævis detrimentum accipere se duceret, si non Cyro mitterent, quidquid ipsis egregium in regione sua vel nasceretur, vel aleretur, vel arte perficeretur. Itidem quævis urbs, quivis homo privatus opulentum se arbitrabatur, si rem Cyro gratam præstitisset. Nam & accipiebat à singulis Cyrus ea, quorum copiam illi, qui dabant, haberent: & vicissim eis largiebatur quibus eos defici animadverteret. *cap. 49. lib. 8. Cyropadiæ.*

Xenophon: Quod si trutina & norma pro invento utili mortalibus haberi debent, ad efficiunda præclara opera: etiam mihi egregium exemplum Agesilai virtus esse videtur iis, qui fortitudinem exercere volunt. Nam quis impius fiat, si religiosum imitetur? quis injustus si justum? quis petulans si modestum? quis intemperans, si temperantem? Agesilaus enim non tam eo, quod aliorum rex esset, quam quod imperare sibi posset gloriabatur: neq; tam quod adversus hostes, quam quod ad omnem virtutem civibus suis dux esset. Enimvero quod à morte laudatur, non idcirco quisquam hanc orationem putet esse næniam, sed celebrationem potius existimet. Nam primum de ipso commemorantur ea, quæ de vivo prædicabantur. Deinde quid à lamentatione longius abest, quam gloriosa vita, & mors decora? Quid encomiis item convenientius, quam victoriæ pulcherrimæ, maximique momenti facinora? Ac jure quidem ille beatus prædicetur, qui quum statim à puero cupiditate gloriosi nominis incensus esset, sic illud consequutus fuit, ut quisquam omnium ætatis suæ hominum. Idem quum honoris ac dignitatis à natura inprimis esset adpetens, ex quo rex factus fuit, perpetuo invictus exstitit. Quumque longissimam vitæ humanæ metam adtigisset, sic è vivis excessit, ut nihil committeret dignum reprehensione vel in eos, quibus præerat, vel adversus quos bellum gerebat. *capite 49. Vita ejus.*

Xenophon Agesilaus: Facultatibus non juste tantum, sed etiam liberaliter utebatur; quod homini justo satis esse duceret, ab alienis abstinere, liberalem putaret etiam sua debere hominum ad utilitatem conferre. Semper religiosus erat, & honeste quidem viventes, necdum felices; qui vero gloriose mortem oppetiissent, eos jam beatos existimabat. Majorem esse calamitatem putabat, scientem, quam inscium res præclaras negligere. Gloriæ nullius cupiditate ducebatur, cujus quæ essent propria, non elaboraret. Cum paucis hominibus videbatur mihi judicare, virtutem non tolerantiam esse, sed voluptatem. Si laudaretur, magis gaudebat; quam si opes adquisivisset. Fortitudinem plerumque potiùs cum consilio, quam periculis ostendebat: & sapientiam re potius, quam verbis exercebat. In amicos mitissimus, hostibus maximo terrori erat. Quum labores egregie toleraret, sodalibus tamen libentissime cedebat: magis actiones pulchras, quam pulchra corpora desiderans. Norat modeste rebus uti secundis, adversis spei plenus esse poterat. Non jocis, ut festivus esset, ac gratus; sed moribus studebat adsequi. Animi magnitudine non cum injuria, sed judicio utebatur. Itaque spretis jactabundis, etiam mediocribus erat humilior. Etenim vilem corporis cultum ornamento sibi ducebat, exercitu probe ornato: tum ipse si quam paucissimis egeret, amicis quam plurimum prodesset. Præterea dum certaret, gravissimus adversarius: ubi vero victoria potitus esset, admodum facilis erat. Ab hostibus difficulter circumveniri poterat, ab amicis facillime falsa persuasione decipiebatur. Semper hoc sibi propositum habebat, ut res amicorum in tuto locaret, hostium labefactatas everteret. Qui cognati erant, nominabant officiosum erga propinquos: qui opera ejus utebantur, nihil recusantem: qui aliquid officii exhibuissent, memorem: per injuriam læsi, opitulatorem: in eodem periculo constituti, post Deos, servatorem. Videtur idem mihi solus inter homines declarasse, corporis quidem robur senescere, sed animi vires in viris fortibus senectutis expertes esse. Numquam ille saltim despondit animum, quo minus magnæ ac pulchræ virtutis studio duceretur, quam diu corpus ferre robur animi poterat. Qua igitur juventute non ipsius senecta præstare visa fuit? Quis ætate vegeta hostibus adeo fuit terrori, ut Agesilaus extrema in senectute? Quonam sublato majorem hostes voluptatem cepere, quam Agesilao, tametsi senex admodum vitam cum morte commutaret? Quis tantum fiduciæ sociis præbuit, quantum Agesilaus, licet ad vitæ finem pervenisset? Quid amici iuvenes magis desiderarunt, quam Agesilaum, qui senex è vivis excesserat? Is adeo perfecte semper utilis patriæ fuit, ut etiam postea, quam è vita migravit, plurimum adhuc rempublicam juvans, ad illud æternum domicilium diverterit. Monumenta quidem virtutis suæ veluti per universum terrarum orbem consequutus fuit, ita sepulturam in patria regiam obtinuit. *cap. 52. 53. 54. Vita ejus.*

Xenophon: Ne nos pudeat, Persarum regem imitari. Nam illum ajunt, quod agriculturam, & bellicæ rei artem pulcherrimas & maxime necessarias existimet, utramque maximo studio colere. Quibus auditis Critobulus: Tune vero, mi Socrates, inquit, Persarum regem inter alia agriculturæ operam aliquam dare credis? Si hoc modo, ait Socrates, rem consideraverimus, fortassis intelligemus, Critobule, num inter alia etiam agriculturæ det operam. Etenim rerum bellicarum maxime studiosum esse fatemur idcirco, quod in omnibus nationibus, quæ tributum ei pendunt, constitutum sit cuique prætori, quot equites, sagittarii, funditores, scutari stipendiis ali debeant; qui ad continendum in officio subiectos ipsius imperio sufficiant, & si hostes invadant ipsius regnum, tueri illud possint. Præter hos, alit in arcibus præsidiarios, & annonam dat præsidiariis istis præfectus is, cui datum est hoc negotii: rex autem in annos singulos & stipendiarios & alios lustrat, quibus injunctum est, ut sint in armis; omnesque in unum cogit, exceptis iis, qui arces custodiunt, ad eum locum, quo conventus indicitur. Qui vicini sunt locis iis, in quibus degit, eos ipse inspicit: ad eos autem, qui procul habitant, fidos quosdam homines mittit, qui eos inspiciāt. Ac magistri quidem præsidiorum, & tribuni, & satrapæ, qui numerum constitutum habere se integrum palam ostendunt, militesque bonis equis & armis instructos exhibent: à rege honoribus augentur, & ingentibus donis collocupletantur. Quos vero prætores vel negligere præsidiorum magistros, vel quæstum suum facere comperit: eos graviter punit, ademptoque ipsis imperio, alios eorum loco rerum suarum curatores constituit. Atque hęc quia facit, haud dubie nobis aliquid bellicis in rebus studij ponere videtur. Præterea quantum regionis suæ peragrās ipse inspicit, in eo etiam omnia ipse explorat: quantum vero ipse non inspicit, id missis fidis hominibus invisit. Et quos quidem prætores animadvertit egregie habitatam terram exhibere, solumque cultum, & arboribus, pro cujusque soli natura, fructibusque plenum: eis alium etiam agrum adtribuit, & muneribus cohonestat, & locis in consessu honoratis ornat. Quorum vero terram incultam esse videt, ac à paucis habitatam, vel propter ipsorum asperitatem, vel petulantiam, vel negligentiam: iis multatis, & magistratu dejectis, alios eorum loco prætores constituit. Hæc dum facit, an tibi minus curare videtur, ut terra colatur ab incolis, quam ut à præsidiis recte custodiatur? Et sunt ei sane prætores ad utrumque constituti, non iidem: sed alij præsunt incolis, & operas facientibus, deq; his vectigalia colligunt, alij præsidiis armatis præsunt. Ac si quidem præsidij magister regionem non satis defenderit, incolarum prætor, & is, qui operum faciundorum curam gerit, accusat ipsum: quod ob negligentiam custodiæ exerceri opera non possint. Sin præsidij magistro pacem operibus faciundis præstante, prætor regionem à paucis habitatam, & incultam exhibeat: vicissim ille à præsidij magistro accusatur. Nam fere illi, qui terram male colunt, neque præsidiarios alunt, neque tributa possunt pendere. Ubi vero satrapa constitutus est, is curam horum utriusque habet.

Secundum ea Critobulus: Quod si, mi Socrates, inquit, hæc facit rex; nihilo mihi videtur minus agriculturæ, quam operum rei bellicæ curam gerere. Præter hæc, ait Socrates, quascumque regiones incolit, & quocumque se confert, studiose dat operam, ut horti sint, quos paradisos vocant, omnibus referti, quæcumque pulchra & bona enasci de terra possunt. Atque in his ipse magna ex parte versatur, quum anni tempus id fieri non prohibet. Profecto igitur, inquit Critobulus, curari necesse est illic, mi Socrates, ubi rex versatur, ut pulcherrime instructi sint paradisi tum arboribus, tum aliis rebus è terra nascentibus. Proditur etiam à nonnullis, mi Critobule, ait Socrates, quoties rex munera largiatur, primum eos arcessi ad ipsum, qui præclare se in bello gesserint; quod multum arare, nihil prosit, nisi sint, qui arantes defendant: deinde, qui regiones suas quam optimas præstant, & cultas reddunt. Etenim dicere regem, ne vivere quidem posse viros fortes, nisi sint, qui terram colant. Et Cyrum ajunt, maxima gloria regem, dixisse aliquando ad eos, qui ad accipienda munera vocati essent: merito sibi utraque dona deberi. Nam se regionem optime posse instruere, & quæ jam instructa sint, defendere. Cyrus ergo, mi Socrates, subjecit Critobulus, si hoc dixit, non minus gloriabatur eo, quod regiones cultas efficere posset, atque instruere: quam quod rei militaris peritus esset. At profecto, subjecit Socrates, si vixisset Cyrus, longe præstantissimus in imperio futurus fuisse videtur. Ejus rei quum alia fuerunt argumenta, tum illud etiam, quod quum de regno manum cum fratre conserturus proficisceretur, nullus ab ipso ad regem transiisse feratur: multis milibus hominum à rege ad ipsum deficientibus. Equidem magnum esse argumentum virtutis in imperatore statuo, si homines eum lubenter sequantur, ac manere apud ipsum in periculis velint. Cyro autem, dum viveret, & in prælio amici aderant, & quum interfectus esset, omnes circum mortuum pugnantes cum ipso occubuerunt, extra unum Ariæum, qui lævo in cornu collocatus fuerat. Atque hic Cyrus perhibetur Lysandro, quum à sociis dona ferens ad eum venisset, inter alias comitatis & benevolentiæ significationes, quemadmodum aliquando Lysander ipse cuidam

hospiti

hospiti suo Megaris narravit, etiam hortum, qui Sardibus est, ipsemet ostendisse. Hunc Lysander quum admiraretur ob arborum pulchritudinem, & quod æqualiter essent omnia consita, quod ordines arborum recti, quod angulis accurate factis ornata omnia, quod odores multi ac suaves obambulantes ipsos comitarentur, hæc inquam ille quum admiraretur: Equidem, ait, admiror horum omnium pulchritudinem, Cyre: multo tamen magis eum suspicio, qui singula tibi sic & dimensus est, & disposuit. Quæ ut Cyrus audisset, delectatum eis dixisse: Atqui omnia hæc, mi Lysander, ego dimensus sum ac disposui. Non nulla sunt etiam, quæ ipsemet consevi. Tum Lysander se Cyrum intuentem, conspecta vestium ipsius pulchritudine, & odore percepto, torquium denique armillarumque animadversa elegantia, ceterique ornatus, quem habebat, dixisse commemorabat: Quid ais, Cyre? Tune manibus tuis aliquid horum consevisti? Respondisse vero Cyrum: Hoccine tibi admirationi est, mi Lysander? Mithren juratus testor, numquam me, quum recte valeo, cibum capere prius, quam vel ex bellicis, vel rusticæ rei exercitiis, vel alia quapiam studiosa contentione sudaverim. Atque his auditis Lysander ipse ajebat, manum se Cyri comprehendisse, ac dixisse: Iure mihi beatus esse videris, Cyre. Nam simul & vir egregius, & fortunatus es. Hæc tibi ego commemoro, Critobule, inquit Socrates, ut scias, ne felicissimos quidem homines ab agricultura posse abstinere. *Oeconomico.*

Isocrates Timotheo salutem: De mutua inter nos benevolentia credo multorum sermonibus certiorem fieri. Quod audio te rectius & prudentius patre imperium tractare, id verò tibi gratulor. Item quod magis ad parandam insignem gloriam, quam ad opes comparandas anniteris. Non enim leve virtutis specimen præ te fers, sed multo maximum, qui sis hoc animo affectus. Quod si pertinaciter, in his, quæ jam dicuntur de te præstiteris, non deerunt crede mihi, qui & prudentiam tuam & hoc consilium laude prosequantur. Arbitror autem, si omnia parentis sui consilia vel facta proponantur, ex eorum collatione, dilucidum & perspicuum omnibus fore, quantum & sapientia valeas, & reliquos antecellas. Plærique enim homines non tam commendare & honorare solent eos, qui claris parentibus nati sunt, quàm qui à crudelibus & immanibus parentibus orti, nullo flagitio parentum similes existunt. Sic enim natura comparatum est, ut in omnibus gratiora sint nobis ea bona, quæ contra spem & expectationem contingunt, quàm quæ expectata sperataque. Quod te animo agitare oportet & inquirere ac pervestigare, quo pacto, cum quibus & quorum consilio Reipublicæ calamitates restituas in integrum atq; cives ad benefaciendum modesteque vivendum adhorteris, ac eis suaviorem securioremque vitam efficias, quam præterito tempore fuit.

Hæc pertinent ad officium bene prudenterque imperare volentium, quorum nonnulli reliquis neglectis hoc solum spectant ut ipsi cum summo scelere vitam exigant, & præstantissimos civium atque sapientissimos partim interficiant, partim exactione tributorum vexent. Non enim vident, decere sapientes & in hoc dignitatis gradu positos, non aliorum incommodis, voluptatem sibi constituere, sed suis curis fœlicitatem civium promovere, neque acerbo duroque in omnes animo esse, suamque salutem negligere, sed adeò mansuetè justéque rebus præesse, ut nemo ipsis audeat insidias moliri: tanta verò diligentia suum corpus præsidio munire quanta si omnes in ipsius interitum conspirassent. Nam qui sic animo sunt instructi & ipsi suam vitam extra periculum collocare possunt, & apud reliquos Græcos nomen sibi famámque parare, quibus majora bona vix invenire queas.

Inter scribendum mihi venit in mentem, quàm omnia prosperè fortunatéque tibi contigissent. Nam opum magnificentiam, quæ sine Tyrannica vi acquiri nullo modo potest, magna violentia multisque offensionibus contractam tibi parens reliquit. His verò rectè & liberaliter uti, tuum est, cujus inprimis tibi habenda cura est. Meam quidem sententiam, aperiam, de qua sic accipe. Si te movent divitiæ, delectat magna & ampla potentia, juvant pericula, quibus horum comparatio constitit, alios tibi in consilium adhibendos censeo. Sin hæc tibi abundè suppetunt, virtutem verò, gloriam honestam & multitudins favorem expetis, meis tibi sermonibus auscultandum est, & cum his qui suas civitates bene gubernant, æmulatione est contendendum, conandumque ut ipsos post tergum relinquas.

Sed audio Cleommem, qui Methymnæ tenet imperium, tum in aliis actionibus bonum honestumque & prudentem sese præstare, tum tantum abesse vel ut aliquos trucidet, vel ut in exilium agat, vel ut facultates eorum populo diripiendas tradat, vel ut quidvis aliud eis mali inferat: ut etiam suis in gerenda Rep. adjutoribus securitatem maximam præbeat, & exules restituat, & reductis pristinas possessiones, è quibus ejecti fuerant, reddat, iis verò qui emerant, quæ singuli tenuerunt. Adhæc omnes suos cives armare, perinde ac si nemo novos motus esset excitaturus: sin aliqui auderent, sibi ante mortem oppetendam putare, & virtutem ejusmodi civibus ostendendam, quam longius, cum magno civitatis incommodo in vita manendum.

Isocrates; Neq; mireris si tibi tam facile scribo: Clearchum verò nihil unquam rogavi nam omnes propemodum qui à vobis navigant, te inter optimos & præstantissimos meorum aliquando discipulorum numerant. Clearchum autem id quidem temporis, dum apud nos fuit, omnes qui eum noverunt, ingenuitate & mansuetudine maximè ferunt excelluisse & in consuetudine erga sodales humanissimum extitisse: postquam verò imperium arripuerit, subitò tantam fecisse commutationem, ut omnes, quibus antea notus fuisset, in admirationem adduceret. Ab illo igitur ob has caussas sum abalienatus. *Eidem Timotheo.*

Plato: Fortitudine quidem, celeritate ac robore præstare tale est, ut aliorum quoque esse possit: sed veritate, justitia, magnificentia, & hujusmodi quadam honestate & dignitate præcellere, ad eos qui ista gerunt, & talium sibi gloriam vendicant, præ cæteris attinet. Manifestum sanè est quod dico. Meminisse autem debemus, oportere nos, ut te non latet, plus aliis quàm pueris antecellere. Itaq; constare omnibus debet, tales nos esse quales videri volumus: præsertim cùm Deo juvante perfacilè sit futurum. Cæteris siquidem hoc contigit, ut multa loca obire compulsi fuerint ad id consequẽdum: rerum verò tuarum status hujusmodi est, ut ex universo, ut ita dixerim, terrarum orbe unum in locum, & in illo ipso in te unum maximè oculi omnium sint conversi. Tanquam igitur subjectus oculis spectatusque ab omnibus, conare Lycurgum illum antiquum exprimere, & Cyrum: & si quis alius videatur unquam moribus & publicis institutis excelluisse: præsertim quum sit multorum ac penè omnium vestrorum opinio post Dionysium sublatum res esse perituras, propter tuam & Heraclidis & Theodoti cæterorumque nobilium ambitionem & excellendi cupiditatem. Primùm quidem optandum est, ne quisquam talis existat: quòd siquis apparuerit talis tu medebere, ut res in melius deducantur. *Epistola 4. ad Dionysium Regem.*

Plato: Nos audientes multa de rebus vestris, nihil apertè percipimus. Nec te lateat eam esse de te apud quosdam opinionem quasi de homine, aliquanto minus quàm decet, officioso atque affabili. Memento igitur necessariam esse ad res gerendas, hominum benevolentiam: austeritas verò solitudinem amicorum parit. *Epist. 4. ad Dionysium.*

Plato: Dio certè eandem habebat voluntatem quam ego dicerem & mihi & aliis quicunque moderati sunt, habendam esse: videlicet ut potestas vel propria, vel amicorum, vel civitatis opterur, quò in ipsis honoribus & potentiis quis constitutus præsertim in maximis, se & suos & patriam beneficijs justis afficiat. Neque verò id fit, si quis ad id duntaxat incumbat, ut divitiis se amicosque, & utlibet ærarium expleat per insidias crudeliumque conjurationes: ipse pauper videlicet impotens se continere, se præ animi angustia voluptatibus succumbens: præterea opulentos homines tanquam inimicos decernens trucidet, rapiatque pecunias: atque interea sociis, familiaribusque edicat, sibi quidem in his cùm sit egenus, succensendum non esse. Eodem modo si quis similiter civitatem suam beneficiis afficiens honoretur ab ipsa: dum multis res paucorũ civium per sua decreta distribuit: vel si quis magnæ præsidens civitati pluribus minoribusque civitatibus imperanti pecunias minorum civitatum injustè attribuat suæ. Hoc enim pacto, neque Dio, neq; alius unquam sponte sua ad potentiam progreditur perniciosam & sibi & posteris perpetuò futuram. Prudens verò ad cõstituendam accedit Rempublicam legesque condendas justissimas atque optimas. & id quidem absque cædibus, expulsionibusque civilibus. Quæ modò cùm ageret Dio constituens pati impias injurias potiùs quàm facere, cavens quoque ne ipse pateretur, cecidit tamen, cùm jam ad summum superandorum hostium pervenisset. Neque mirum alicui quod accidit Dioni videri debet. Pium enim virum temperatumque & prudentem, omnino quidem in rebus ejusmodi impii nunquam fallunt. Sed neque mirandum est si idem, quod probo gubernatori forsan acciderit: quem futura tempestas haud admodum latet. sed insueta & idcirco improvisa tempestatum magnitudo latere potest, ac vilatendo submergere. Hoc utique modo Dionem sors aliquantùm fefellisse videtur. Quòd enim mali essent, eum non latebat, quamvis quàm profunda esset in eis inscitia & iniquitas voracitasque latuerit. Qua quidem in re deceptus occubuit, Siciliam incredibili dolori subjiciens. *Epistola 7. fine.*

Aristoteles; Qui imperia ad subditorum beneficium atque utilitatem referunt, non à fortuna neque natura adducuntur, ut principatibus confidant, quorum solet esse mutatio, atque conversio, sed virtutibus sese efferunt, & hi rectè quidem atque sapienter omnino dignitates gerunt. Nihil enim est in hominum vita solidum aut constans, aut quòd non usque ad vesperam Solis cursus acerba & aspera perturbatione commutet, & in alium locum transferat. Fortuna cuncta vitæ genera, quasi tragœdias actione, ita nostris calamitatibus & malis variat, atque tollit, siquidem non aberramus à veritate, quòd alio modo quemadmodum è terra nascentia, sic viros aliquando florere contingit, & robore ac vigore certis temporibus acquisito, longè cæteris præstare. Quamobrem annitere, ut neque crudelius in imperio Græciæ te geras, neque ineptiis validius. Alterum enim petulantiæ signum est, alterum manifestæ temeritatis argumentum. Sapientum enim principum hoc est officium, ut non ab imperiis, sed per imperia sibi nomen & admirationem pariant, ut si fortuna sit immutata, nihilominus iisdem laudibus digni habeantur. Cæterùm vale quam rectissimè atque mentem quidem ad sapientiæ disciplinam, corpus verò ad valetudinem revoca & excerce. *Epistola 1. ad Philippum regem.*

Aristoteles; Dubium est mihi, quæ vel qualia primùm ad te scribam.

bam. Adeò quæ animo & cognitione voluo, cuncta mihi videntur magna & admiranda, nihilque video quod sit oblivione dignũ, memoriæ verò, & adhortationi familiaria, quorum nihil ullum tempus obscurabit unquam. Nam honestæ præceptorum admonitiones & adhortationes, spectatorem habent universum seculorum ordinem. Quamobrem in hoc omnibus viribus incumbe, ut imperio non ad injuriam, sed ad benemerendum utaris, ut retineas perium, quo nihil majus in hominum vita fieri potest. Proinde natura quæ mortalis est, cum sæpe fato succumbat & intereat, tamen propter operum magnitudinem, æternam memoriam possidet. Hæc igitur tecum perpende. Non enim temeritas in tuis rebus inest ut aliquorum, quorum etiam in animis flagitium & scelus est. Tibi genus clarissimum & regnum paternum, disciplina firma & gloria pervagata, & quantùm fortunæ commodis excellis, tantùm virtutibus etiam inter bonos te præstare convenit. Cæterùm fac quæ sint utilia, quæ verò statuisti perfice. *Epistola 2. ad Alexandrum.*

Aristides: Illud primum summa cum laude dici de eo potest, priusquam regnum capesseret, regno dignum fuisse. etenim qui vel per alios imperium acquisiverunt, vel à majoribus per manus acceperunt, ij vel vim juri prætendentes, vel generis seriem ac successionem conservantes, regnum sibi compararunt. qui vero cum nihil ipse, nec promisisset, nec postulasset, omnibus ipsum obsecrãtibus & ad regnum capessendum adhortantibus se dedidit, huic jampridem virtutis ergo præmium hoc debebatur. etenim cum illis de regno contendunt multi, cum hoc autem nullus. Sive præterea metui, quo erga ipsum afficiebantur, sive, ut dicebam, moribus optimis ac justissimis illud tribuendum putarent, manifestò ubique apparebat is qui rex erat eligendus. Quum & ii qui ante ipsum regnarunt facilè possunt animadvertere, quantum in hoc ipso primum ab illo differant. illi enim per bella multa & cædes, ad rerum administrationem accesserunt, tum ex magistratu multis occisis, tum aliis quam plurimis irreparabili clade affectis, ita & civitates ipsorum diriperentur, & regiones multæ vastarentur, & homines plurimi perirent: adeo ut ne ipsi quidem de se ausint dicere, an per omnia sese innocenter gesserint. hic autem tanta cum innocentia & probitate rerum gubernationem suscepit, ut nec in creatione, nec in regno auspicando cæde ulla opus ei fuerit; nec ut in rerum mutatione & constitutione, injuriam ullam quisquam passus sit, neq; quidquam eorum quæ talibus in rebus neccessariò multa solent accidere, contigerit, nec vel cives, vel civitates, vel regiones indignum aut grave quidquam sint perpessæ. Tanta enim Dei curam adhibuerunt, quò piè & innocenter ad regnum accederet, ut ea quæ furoris erant & amentiæ aliis attribuerint, quæ justitiæ, humanitatis & pietatis ipsi reservarint.

Quin nec post regnum partum, severius quidquam vel fecit vel consectatus est; nec ut alii solent reges, cùm quosdam ex magistratu metuunt, eos de insidiis sibi positis incusantes, vel morte, vel exitio mulctare, tale fecit aliquid, nec mores pristinos mutavit; sed adeo ab his omnibus abhorret, & aversatur supplicia, ut multi etiam ex iis qui sint insidiarum manifestò convicti per ipsius humanitatem superstites vivant: id quod non tantum clementiæ est indicium, aut quod innocenter erga omnes se gerat, nec potentioribus invideat, sed quod nullo prorsus metu percellatur, neque ob rerum eventus turbetur, nec ad iram sit proclivis, sed firmo constantique erga omnes animo. *Laudatione M. Antonini Philosophi Imper.*

Aristides Rhetor: Omnes quidem principes natura subjectis suis præstant: si quis autem in potestate etiam gratificatur & persuadet, non cogit, atque ultra officium suum etiam suorum cupiditatem spectat, hic est verè politicus ille, quemque Homerus patris instar mitem esse duxit. is autem cui hoc tribuitur, orator etiam, ni fallor, optimus fuit. *Orat. 1. Platonica, de Rhetorica.*

Aristides Rhetor: Iam si Principum delicta sunt consiliariis tribuenda, cur nos potius, quàm te ipsum accensas, quoniam illorum crimen etiam tibi convenit. Tu autem Dionysium reddidisti meliorem, sive Hermocratis F. sive Dionysii? nam cum utroque versatus es. quem ex consuetudine tua fructum retulerunt? Atqui disputabas cum illis nimirum de justitia, de lege, de Rep. & æqualitatem Geometricam etiam apud illos prædicabas, ipsique tanto tenebantur audiendi studio, ut etiam te revocarent, nec tu labori ulli pepercisti, quo per illos aliqua felicitate fruerentur civitates. Enim vero nesciebas te his proverbiis omnibus teneri: in igne nere, lapidem coquere, saxa seminare. Quid enim illi ex admonitionibus tuis ac sermonibus lucrati sunt? quam rem vel divinam vel humanam post eum diem, quo tibi aures præbuerant, rectius administrarunt? qua priorum delictorum pœnitentia ducti sunt? quo Philosophiæ studio, reliquis omissis, commoti? quid vel in urbe vel extra urbem rectius se habuit? quis vel Gelous, vel Leontinus, vel aliorum in Sicilia Græcorum aliquos illos bonos ac justos per te tuosque sermones est expertus? aut si nullus Græcorum, quis Barbarorum? quibusnam Siculis meliores se præbuerunt? at si nullis Siculis, cum quibusnam ex Italia Barbaris vel Græcis melius quam prius, egerunt? ad quid eos, vel apud quos homines tua Resp. meliores effecit? cui Carthaginensi, si Græcum nominare nescis, aut aliij ex Africa barbaro Tyrannus visus est virtutem colere, postquam Platonica didicit dogmata, sive seniorem dicas, sive juniorem? *Orat. Platonica 1.*

Dio Prusæus: Erat Hercules, ut omnes aiunt, Iovis filius ex Alcmena, rex autem non solum Argiuûm, sed totius Græciæ. hoc autem complures non norunt: sed quòd peregrinatus sit cum exercitu, suumque defenderit principatum. Atq; Eurystheum ajunt tunc regnasse, qui erat omnium maximè industrius, & omnium eo loci optimus. Hæc sanè frusta dicuntur à quibusdam. Ille autem non solum rex erat Græciæ, sed ab exortu solis usque ad occasum omnium terrarum princeps: aut omnium utiq; hominum, apud quos Herculis templa sunt. Erat autem & simpliciter institutus, non versutus, neque excellens sophismatibus & astutiis infelicium hominum. Dicunt autem & hoc de Hercule, quòd nudus incesserit, leonis duntaxat exuvium habens, & clavam. hoc autem ideo dicunt, quòd ille neque aurum neque argentum, neque vestimenta magni æstimarit: sed omnia hæc duxerit esse nihili, nisi quatenus dari possent, atque donari. Multis igitur non solum infinitas pecunias & terram & armenta equorum boumque, verùm etiam regna & civitates totas dono dedit. credidit enim omnia sua esse, & nihil alienum: ex donatis autem acquiri accipientium benevolentiam. Non igitur & in hoc verum dicunt, quòd solus circumiverit, absque exercitu. neque enim civitates expugnari, neque hominum tyranni pessundari, & omnibus ubique mandata dari possunt, sine copiis. quia autem ipse manibus atque animo promptus erat, corpusque habebat validum & plus omnibus laborabat, ideo solum ivisse dicunt, & fecisse omnia quæ volebat. Sanè pater multam adhibuit diligentiam, illi immittens appetitus, adque bonorum virorum colloquia inducens. significavit autem & illi per auguria, & per holocausta, & per omnem vaticinandi scientiam, singula. posteaquam autem vidit, quòd vellet imperare sibi ipsi, neque cuperet voluptates, neque lucra, quorum gratia vulgus divitias amat, sed quomodo posset plurima, & quàm plurimis benefacere, tametsi cognosceret ejus generosam naturam, suspicatus tamen, quantum poterat, esse mortalem, & quòd prava inter homines essent exempla deliciarum & libidinum, & multi interdum subverterent invitum, præter suam & naturam & sententiam, etiamsi rectè custoditus sit. hæc perpendens, Mercurium misit, jussis quæ facere deberet. is autem perveniens Thebas, ubi iuvenis adhuc educabatur Hercules, indicavit & quis esset, & à quo missus. & assumens eum, ducit viam hominibus neque tritam neque notam, donec venit in summitatem montis conspicuam, & valde excelsam, & in extremitatibus valde præruptam, rectis præcipitiis & profunda valle, flumine in gyro circumfluente, multumque (strepitum) & sonum reddere, ut qui ex imo suspicerent, unum viderent sursum verticem, sed revera erat geminus ex vera radice, & multa erat inter eos distantia. Vocabatur autem alter quidem regia arx, sacellum Iovis regis, alter tyrannica, cognominata Typhonis. duos autem habebant deforis accessus utraque ad se: Regia quidem, tutum & latum, ut absque periculo & offensione per eum ingredi possit etiam curru vectus, si cui datum sit à maximo deorum: altera autem, angustum, tortuosum & violentum, ut plurimi conantes eo accedere, disperierint per præcipitia & flumen, ut pote præter justitiam, opinor, euntes. Apparent quidem, ut dixi, plurimis, scilicet à longè aspicientibus, ambo vertices unus esse, & propè eodem in solo. supereminet autem regius vertex, ut ipse quidem supra nubes sit, in ipso puro & sereno aere, alter autem multo inferius, circa ipsum maxime nubium concursum, tenebrosus & obscurus. Mercurius igitur ei illuc ducto, ostendit regionis naturam. Quum autem Hercules, ut juvenis & ambitiosus, valde cuperet inspicere ea quæ intus essent: Sequere igitur, inquit, ut manifeste scias aliorum diversitatem, quæ recondita sunt stultis. Ostendit igitur illi primùm super majorem verticem, sedentem in splendida sede mulierem, speciosam & magnam, candida veste exornatam, sceptrum habentem non aureum, neque argenteum, sed alterius naturæ puræ & multo splendidioris, qualem fere Iunonem pingunt. Vultus autem erat hilaris pariter & gravis, ut omnes boni quidem confidenter aspicerent, malorum autẽ nemo aspicere posset: non magis quàm cui visus est infirmus, suspicere potest ad solis circulum. Videbatur autem illius species & constans, & semper sui similis, & obtutus nunquam immutatus. Multam autem laudem & quietem sine tumultu continebat locus, erantque omnia plena fructuum, animaliumque lætantium ex omni genere. Aderat etiam illic aurum ingens accumulatum, & ferrum. at illa nihil affecta erat erga aurum, neq; delectabatur eo: sed fructibus magis, & animantibus. Quum igitur eam vidisset Hercules, pudore & rubore suffusus est, honorans & venerans, ut filius probus matrem generosam. & Mercurium percontatus est, quænam Deorum esset? Qui dixit: Ipsa tibi est beata dea Basileia, Iovis regis gnata. Hercules autem gavisus est, & confidentiam sumpsit erga eam. Et rursus interrogavit, quænam essent mulieres apud eam versantes? quàm sunt, inquiens, honestæ & magnificæ, & virili vultu. Hæc quidem, respondit, quæ nos acri & miti vultu aspicit à dextris, sederque, Iustitia est, maxima sane, clarissimaque splendens pulchritudine. Circa eam autem est Eunomia, prorsus illi similis, nec admodum inferior pulchritudine. Porrò in altera parte quæ sedet mulier, oppidò speciosa, & delicate vestita, & læte subridens, eam vocam Pacem. Ille autẽ qui prope Basileiam consistit, ante ipsum sceptrum, vir fortis & canus & magnanimus, appellatur Nomos, id est lex. idem etiam Logos orthos, id est recta ratio vocatur: à consiliis & assessor, sine quo nihil illis fas est facere, neq; cogitare. Hæc igitur audiens Hercules,

cules, vidensque delectatus est, & attendit animum, ut nunquam eorum oblivisceretur. Inde jam descendentes, postquàm circa tyrannicum ingressum venerunt, Heus tu, inquit, veni & specta etiam alteram, quam multi amant, & pro qua multa & varia habēt negotia, sese mutuò interficientes, & insidias struentes miseri, nonnunquam filij parentibus, & parentes liberis, & fratres fratribus, desiderantes maximum malum, & beatam prædicantes potestatem cum dementia conjunctam. Et primùm quidem illi ea quæ circa ingressum erāt ostendit, ut unus quidem appareret, manifestus & ipse fere qualem prius dixi: periculosus autem, & ad ipsum ducens præcipitium: multæ autem erant obscuræ occultæque frustrationes. & in circuitu quodammodo exesus erat locus, & disiectus subter ipsam, puto, sedem. viæ autem & semitæ omnes conspersę sanguine, & plenę mortuorum per harum autem nullam duxit eum: sed per aliam deforis mundiorem, tanquam, puto, spectatorem futurum. Postquam autem ingressi sunt, deprehendunt Tyrannidem sedentem excelso data opera in loco, fingentem se & comentem, ut quàm simillima esset Basileiæ, multo etiam excelsiore melioreque, ut putabat, utebatur throno, plurimas alias habente scalpturas, & dispositiones auri & eboris & electri & hebeni, omnigenisque coloribus variegato. In basi autem thronus non erat tutus, nec firmiter fixus, sed mobilis atque labascens. Erat autem & aliud nihil ordine decenti dispositum, sed ad gloriam omnia, & superbiam, deliciasque. multa quidem sceptra erant, multæque tiaræ & diademata in capite. Quin & imitans illius mores, pro amicabili subrisione humile quiddam & dolosum tractim ridebat: pro gravi autem vultu, tetricum atque ferox quiddam tuebatur. Porrò ut magnanima videretur, haud aspiciebat accedentes, sed despiciebat, afficiebatque ignominia, unde omnium sibi etiam odium conciliabat. Nullius autem prorsus habebat curam. quietè etiam sedere non poterat, frequenterque circumspiciebat in gyro, & exiliebat sæpenumero è throno. Aurum autem nunc turpissime servabat in sinu, nunc vero rursum dense abiiciebat, timore consternata: deinde statim diripiebat quod quis haberet transeuntium, etsi paucissimum foret. Vestes autem variæ erant, partim purpureæ, partim puniceæ, partim quoque croceæ. quin etiam candidæ quædam apparebant vestes. stola quoque multis in partibus erat dirupta. Variè etiam erat colorata, timens trepidansq; diffidens atque excandescens. Et interdum quidem ob ægritudinem humilis, interdum vero sublimis videbatur. Et nunc quidem ridebat vultu plane petulante, rursus autem continuo lamentabatur. Erat autem & cœtus circa ipsam mulierem, nulla ex parte illis similium, quas dixi esse circa Basileiam, sed Crudelitas, Contumelia, & Iniquitas, & Seditio, quæ omnes corrumpebant eam, & pessime perdebant. pro amicitia autem aderat Adulatio servilis & illiberalis, haudquaquam illius struens insidias quàm ceteræ illæ, sed maxime omnium eam perdere quærens. Postquam autem & hæc sufficienter spectaverat, percontatur illum Mercurius, utræ res ipsi magis placerent, atque utra ex mulieribus? Alteram equidem (inquit) admiror & diligo, & videtur mihi vera Dea esse, imitatione admirationeque digna. hanc autem alteram odiosissimam equidem arbitror, & scelestissimam, ut libentissime eam præcipitem darem ex hoc scopulo, & disperderem. His applausit Mercurius, eaque Jovi renunciavit. & ille permisit ei imperium super universum hominum genus, ut idoneo & sufficienti. quapropter sicubi videret tyrannidem aut tyrannum, supplicio afficiebat, occidebatque tam apud Græcos quàm apud Barbaros; sicubi autem regnum & regem, honorabat atque custodiebat. Et propter hoc terrarum & hominum servator dictus est, non quod beluas ab illis expulerit (quomodo enim multum adeo nocumenti adferret leo, aut aper ferus?) sed quod immites & pravos homines supplicio affecerit, & superborum tyrannorum destruxerit abstuleritque potestatem. *Oratione 1. de regno.*

Dio Prusæus: Atqui si quis uni homini imperare non potest, pręsertim valde vicino, apud quem & versatur, neq; rursus unam suam ipsius animam regere: quomodo ille possit regnare super multa atque innumerabilia hominum millia, ubiq; dispersorum, quemadmodum tu dicis? Quorū multi habitant in terræ finibus, quorumq; plurimos neque vidit, neque unquam visurus est, neq; vocem intelligit? Simile enim est, ut si quis dicat, eum qui imbecillem adeo habeat visum, ut neque quæ ante pedes sunt videat, sed opus habeat manuductore, visu pertingere posse ad longissimo distantes intervallo: quemadmodum qui à longe ex pelago montes atque insulas vident. Aut, si quis dicat, eum qui cum astantibus non possit loqui ut audiant, totis populis & castris loqui posse ut exaudiatur. Namq; mens quiddam visui simile habet: & quemadmodum hic corruptus, ne propinquissima quidem videt, sanus vero usq; ad cœlum & astra pertingit: eodem modo & prudentis animus, omnes homines potest gubernare, at insipientis ne unum quidem suum ipsius corpus potest custodire, neq; unam domum. Pleriq; enim qui imperium obtinent, quia ipsis licet omnia accipere, omnia concupiscunt: & quia in ipsorum manu est jus, ideo sunt iniqui: & quia non metuunt leges, ideo neque esse autumant: & quia non coguntur laborare, ideo nunquam cessant deliciari: & quia nemo eos mala passus ulciscitur, ideo nunquam affligere & malè facere cessant: & quia una ipsis rara est voluptas, ideo nunquam implentur voluptati dantes operam: & quia ipsos nemo vituperat aperte, ideo nihil eorū facere intermittunt, ob quæ jure male audiunt: & quia ipsos nemo vult contristare, ideo adversus omnes sæviunt: & quia ira commotis omnia licet facere, ideo continue irascuntur. Bonus autem princeps, sicut tu, contraria studet. Nihil enim concupiscit, quòd omnia se putet habere: abstinet & à voluptatibus, quòd nulla non potiri possit, si appetat. justior quoque est quàm alij, ut qui omnibus justitiam exhibeat: delectatur autem laboribus, quòd sponte laboret: & diligit leges, quòd non timeat. Atque hæc rectè sibi persuadet. Cui enim majore opus est prudentia, quam qui tantis de rebus deliberat? cui accuratiore justitia, quàm qui est supra leges? & cui modestia continentiore, quàm cui omnia licent? & cui majore fortitudine, quàm qui omnia salva conservat? Et sanè aliorum multorum imperatori, nūc quidem quàm plurimis opus est sumptibus, nunc vero exercitibus pedestribus atque equestribus, & muris & navibus & machinis, si retenturus est subditos, hostesque repulsurus: & si quis desciscat à principatu, ad obedientiam compulsurus. imperium vero suiipsius, nullis indiget sumptibus, minimique est negotij, periculique expers. Neque enim sumptuosa, neque laboriosa, neque periculosa est hominis continentis vita.

At quamvis hujusmodi sit, omnium tamen difficillimum est. Quoniam Sardanapalus ille omnibus decantatus, habebat Ninum, habebat & Babylonem, civitatum, quæ olim fuerunt, maximas: parebantque illi omnes gentes in altero habitantes continente, usque ad terras inhabitabiles, quas dicunt: regnum autem ad eum nihil pertinebat, non magis quàm ad aliquem mortui putrescentes. Cōsultare, aut judicare, aut exercitum ducere neque volebat, neque poterat. In regia verò, aufugiebat in mulierum conclavia, jacebatque in lecto deaurato pedibus in altum sublatis sub palliis & purpureis, quemadmodum defletus à mulieribus Adonis, acutiorem emittens vocem quam eunuchi: collum quidem inflectens, à segnicie autem & umbra albus & tremens, corpore lividus, oculos invertens sicut ex strangulatione, quem à pellicibus haud facilè erat dinoscere. Atqui tempus aliquod retinuit (ut videbatur) principatum temere administratum, quemadmodum navim absque gubernatore, sæpius aberrantem, nemine retinente in pelago, sed forte fortuna aeris tranquillitate fruentem: quam parva exorta procella, atque unus facile fluctus submergit. Quin etiam currum videre licet, nemine aurigante huc illuc discurrentem in certamine, qui victoriam certe nunquam adipisci potest, perturbat autem & disperdit vicinam spectatorum turbam. Neque enim insipiens unquam rex esse poterit, non magis quam cæcus viæ dux fieri: neque iniquus, non magis quam regula curva & inæqualis, quæ alia opus habeat regula: neque timidus, non magis quam leo animum accipere cervi, aut ferrum ceræ aut plumbi molliciem. Cui enim fortior conveniebat continentia, quam plurimarum in medio voluptatum viventi, plurimaque negotia gubernanti, minimumque agenti ocium, atque de summis plurimisque rebus gerenti sollicitudinem? *Oratione 63.*

Epictetus: Cum ad magnatum aliquem iturus es, proponito tibi, fore ut eum domi non invenias, ut inclusus sit, ut occludantur tibi fores, ut ille te negligat. quod si hoc statu venire decuerit; ea feras quæ fiunt: neque ipse unquam dicas, non fuisse tanti. id enim plebejum est, & ejus qui res externas calumnietur. *cap. 52. Euch.*

Simplicius: Suscepta profectione ad Principem, secutis iis quæ dicta sunt, valde nos facti pœnitet, & ea nobis accidisse indignamur: vel quia principio non rectè consuluimus, vel quia supra quam decet, eventis illis sumus perturbati. Utrumque autem plebeium est, & eorum qui rebus externis non rectè utuntur, neque ita ut eorum natura fert, sed eas magnifacientium. *ad cap. 52. Epict.*

Iulianus in Caes. Sinite, inquit, eos qui sequuntur ex isto prudentiores evadere. An ignorasti, ô Probe, medicos melicrato amaris medicamentis infuso, jucundiora propinare? Tu verò, qui nihil unquam cuiquam condonasti, cùm in tota tua ratione longe severior & asperior, quàm par erat, fueris, iniquam, sed tamen meritam calamitatem pertulisti. Nemo enim aut equis, aut bobus, aut mulis, nedum hominibus rectè præfuerit, nisi eorum gratiæ & voluntati aliquid dederit, ut fit cùm medici ægrotorum cupiditatibus in levibus rebus indulgēt, quò illos sibi in majoribus obsequentes præstēt.

Themistius: Eorum Principum qui legitimè imperio successerunt, nemo unquam fuit, quin Philosophiam, tanquam patrium aliquod ac hereditarium sacrum veneratione sit prosecutus: ut etiam plerique sibi eam tanquam moderatricem adsciverint, & vitæ suæ præfecerint. Quibus illa consentaneam gratiam ac pręmium refert, dum eorum egregiam memoriam ac famam nulla unquam oblivione deletam ad perpetui successionem temporis propagat. Nam qui paulo antè eidem affectæ injuria defuisse ac contempsisse visus est: etsi mali nihil ille quidem commisit, tamē quia neglexit solum, nec rationem ejus ullam habuit, cum hac una invidia ac dedecore, reliquam nominis gloriam compensare nullo modo potest, &c. Non ita vos, licet inter armorum strepitus educati, sed eam ad vos arcessitis, & adestis illi, atque amplissimos honores habetis.

Paullo post: Illustre quiddam atque amplum est, Philosophiæ semina ac reliquias conservare. est enim hoc beati imperij ac felicis indicium, cùm ejusmodi crescit ac viget disciplinæ studium: magnoque apud eos in pretio virtutem haberi necesse est, apud quos in cultu atque observatione sit Philosophia: in qua quidem immortalem atque perpetuam tui memoriam defigi ac collocari convenit.

Non enim hi solum qui bene de civitatibus merentur sempiternam sui memoriam relinquunt, sed & ij qui præclaras artes honore prosequuntur. Etenim dum genus hominum manebit, nunquam deerunt aliqui, qui in divinioribus illis disciplinis operam suam collocent: ex quo fit, ut eorum qui honorificè atque humaniter illam tractaverint, ad omnem penè seculorum posteritatem fama perveniat. *Orat. 9. ad Valentem Imp.*

Themistius: Igitur in primis (Imperator) hoc tuum consilium laudo, quod cum Agricolas levare tributorum onere studeas, minimè id Philosophis concessum velis: quin illos quidem libentissimè videres quotannis de eo quod antea dederant aliquid detrahentes. Ab orationibus autem amplius semper quiddam exigere soles. Et quod eo admirabilius est: ex orationibus ipsis, nostras atque peregrinas vernaculis ac tuis anteponis. Causa autem hæc est: quod non affixus sis verbis, sed intimum in iis sensum, ac latentem explores: nec te pulchritudo lenociniumque verborum, sed sententiarum ornamenta delectent. Ideoque, ut videtur, honestiori apud te in loco est Philosophia, quam Rhetorica. Nam quod tu præcipuè amas, hoc præcipuè ars illa consectatur, non ut verba, sed uti mentem quam optimam efficiat, idque in dicendo respiciat, non ut maximam audientibus voluptatem, sed fructum potius atque utilitatem concilict, quod præsertim à te probari videmus. Cum enim erga adulatores suspiciosus sis commonentibus facilem te, ac tractabilem præbes.

Nam Callisthenem quidem Alexander quòd ad instituta, moresque Macedonum retinendos hortaretur, libertatem illius cum ferre non posset, excussit. Tu verò etiam dubitantes, ac pigrantes Philosophos arcessis: ac quanto tempore hic apud nos permanere cogeris inter orationes, ac disputationes hiemem traducis. Jam apud te eundem, quem Duces, principatum loci obtinent Philosophi. Ita fit ut & consilij & virium præsidio fulciaris. Propterea siquidem Minervam Jovis ex capite deducunt Poëtæ, quo præclarè istud significant, neque rationem actionis, nec rationis expertem actionem proficisci à Principibus oportere: Sed & efficacem mentem, ac consilium, & mentis, atque consilij plenam efficacitatem esse debere. Atque hoc superiorum temporum experimenta confirmant.

Sive enim Alexandrum spectes, sive Augustum, sive Marcum, nullam aliam ob causam invenies eos ad tantam gloriam pervenisse, nisi quod non procul à paludamentis pallia versarentur, nec minore quàm Parmenio pretio erat Aristoteles, nec Arius Agrippa. Quicunque vero vel Philosophiæ, vel bellicæ rei fuere supra modum addicti, etiam partem illam, cui se impensius dediderant, cum altera, quam neglexerant destruxerunt. Fieri enim nullo modo potest ut aut gloriosa, ac illustris oratio sit, nisi ea factis ipsis quoque comprobetur, aut cùm insequenti tempore adæquetur egregiorum facinorum laus, si non eorum memoria orationis beneficio commendetur. *Oratione 10. de pace ad Valentem.*

Themistius: Quod si in eo diutius hærere, ac commorari vellem, istud ipsum, quod leve, ac perexignum est, magnum vobis, & plurimi faciendum videretur. Nimirum quod Imperatoris corpus adamante omni laborum assiduitate sit firmius. Adeo facile illud, ac nullo negotio, vel inopia macerat, vel siti excruciat, vel suppellibus transigendo tempore vegetum, atque excitatum reddit, vel hyemi objicit, vel denique æstibus, atque ardoribus exponit. At Alexander ille Darium quidem debellabat, à Cydno vero gelido, & purissimo amne divictus est: multaque sæpius incommoda ex illa intemperantia perpessus est; cum etiam æstate nivem circumferret, interque cæteros in Indiam apparatus glacies quoque, & certa refrigerando potui vasa numerarentur. Verùm Imperator non adversus tempestates contendit, sed Deo hac in parte se accommodat: cum ne ijs quidem remedijs, quæ contra se una quæque tempestas citra artem, atque in promptu suppeditat; si hoc utilitas postulet, capiatur. *sub finem Orationis 14.*

Themistius: Videtis ut fulgur raro vibretur & in paucos: lux autem undequaque & in omnes emanet. Non licet ergo ijs qui benevolentiam erga homines contempserunt, similitudinem cum Deo habere. Non enim peritè equitando aut sagittando, aut jaculando, Deum quis imitabitur: neque hercle corporis libidines coercendo. Hæc nimirum abjecta nimis animi bona sunt, & reapse terrestria & humana. Solum autem illud sincere divinum & cæleste est in potestate habere, & facili negotio felicitatem hominum exequi: atq; in hoc ipso divinitas consistit; ex qua perpetuò vos nominamus: & quam nefas est aliter verè prædicari, quam antegressa humanitate. Sic verò animadverte. Cùm tria sint quæ in Deo eximia extant, æterna vita, præstantia potentiæ, beneficentia erga homines, sine ulla intermissione: hoc tantum verò quod postremo loco dictum est, Rex ad similitudinem cum Deo pervenire potest. Nam vel ad omne ævum aliquando pertinere, aut præpotenti robore cum Deo contendere, nemini unquam in mentem veniat, modo certè Aloadas dementia non antevertat. Verùm virtus & clementia ac benevolentia in homines (cunctor sane dicere & valdè cunctor, sed concedit veritas quæ illi vicinior est, qui naturę societatem adeptus est) hæc, inquam, Deo parem faciunt: hæc deiformem. sic Jovis alumnus sit Rex: sic Jove genitus: sic divinum ipsi cognomen tribuentes non mentiemur.

Non si Athon montem à terra avulserit: non si Asiani cadaveribus oppleverit. Nam terræmotus unius & pestilentiæ hi sunt effectus, & multo majores, magisque stupendi. Atque hæc non sunt inter indicia, quæ à Deo recensuimus: verùm quod magis elucet in beata natura, summum bonum est. Idcirco nomen etiam hinc ipsi imposuimus, ut dignissimum & divinitati convenientissimum. Quoniam longævum esse, & robore excellere, in multis etiam inanimatis rebus inesse cernimus. At Homerus hoc non rectè autumare videtur, duo nimirum dolia in Jovis æde esse collocata; atque alterum quidem bonis sortibus refertum, alterum verò contrariis.

Nulla siquidem in Cœlo cella penuaria malorum est. Sed dolium istud hinc mixtum & infectum est, ex luto & argilla terræ nostræ: atque ipsum nos explemus, & evacuamus; neque puros fontes superorum bonorum manere sinimus: quæ continuo suppeditat,

——*indefessa mente,* ut loquitur Poesis philosophica, ——*dator ipse bonorum.* *Eunomiæ Quæstor: cui Dice* (Justitia) *&* *Eunomia* (bona legum constitutio) *assident:* cui Gratiæ adsistunt, *Euphrosinæ læta, Aglaia, ac peramæna Thalia.* Cujus omnia ex benignitate ducta sunt cognomina: quippe qui Melichius, à suavitate: Philius, ab amore: Xenius, ab hospitum tutela. Hicesius, à supplicium ope: Poliens, ab urbium: Soter, ab omnium salute. Equidem mallem vos, Impp. hosce titulos præscribere cognominibus vestris, ut diviniores multò, magisque decoros, quàm nomina à devictis nationibus data: horum enim nulla è Cœlo est: non Persici, non Germanici: non aliorum quotquot recensueris. Præterquam quòd si quos Barbari rebelles motus excitaverint adscribentes eas laudes, mendacij argui necesse est.

Hi autem Tituli jam olim vobis à maioribus sunt relicti: iisque tum belli, tum pacis tempore uti fas est: imò in thronis etiam considentibus, & amico gratoque nutu, ac brevi alloquio tantum honorum recensum stabilire licet. Quale dictum jamdudum accepi Romanum Imp. protulisse:

Hodie non imperavi. nam nihil cuiquam præstiti.

Hæc profectò sententia multis & magnis equitum peditumque prosperis præliis comparata præponderat. Equidem non minore illam cum stupore admiror, quam Alexandri Trophæa. Quid ais, Imp. Deo simillime? Hodie non imperasti; quoniam de nullo hodie bene meritus es? Ecquando in plures beneficium contulisti, quàm cùm hoc celebre dictum enunciasti: quo omnes qui post te imperarunt munus suum edocti sunt, & quid semper ipsis facto opus esset, si nomine sui dignitatem conservare vellent? Quocirca Imp. æquum sane est dicere, ne illam quidem Imperij tui diem tibi perisse.

Nam jacturam de qua verbo conquestus es, hæc à te prolata oratio resarcit. Tale vero quiddam de alio quoque Imper. recitare possem, non valde priscum, neque aurei illius seculi: sed ævi nostri eorumque qui nunc te circumstant, qui cùm superior factus esset, inque potestatem suam accepisset eum à quo molestia affectus fuerat in motu Hesperiæ, postquam Barbarus fugatus est: simulatque principatum est adeptus, inimicitiam deposuit: & malevoli convicia beneficiis eximiis prosequutus est: ut ad pœnitentiam induxerit eum qui peccarat, & dolore ab ipsomet concitato auctorem punierit, cum ex iis quæ pateretur, quantum deliquisset sentiret. Itaque injuria nulla vicissim illata, superavit eum à quo offensus fuerat. Nam quæ hæc virtutis propria est victoria: punitio, ultioque potentiæ. Par autem est magnum se facere, non æstu, sed magnitudine animi. Hæc enim est divina magnitudo: illa verò parva atque humana. Proinde in pronis & curvatis altius quiddam est, quàm in erectis & elatis.

Porrò optarem ego homines non vos, sed pro vobis metuere, atque eodem timoris genere ab omnibus subditis imperium vestrum quasi quodam satellitio stipari, quo pro nobis invicem timemus. Cæterùm aliena quidem apud te recito: tua verò nescio quo modo prætermitto: cum tamen adhuc in auribus meis insitum penitus sermonem circumferam, quem nuper in Senatu instituisti, ac futuræ felicitatis fidejussorem exhibuisti. Quapropter humanam naturam sæpe admiratus sum, quòd cùm una sit absque controversia, in multas tamen dotes & partes variè se conferat. Nam quæ divinus Plato de imperio definivit, hæc dilucidè agnosco in iis quæ à te dicta sunt, verbis tantum aliis expressa. Duntaxat subditorum commodo prius Reges, non aliena opera usos, sibi ministrasse, non molli adulationisque pleno, sed laborioso victus genere educatos, rustico operi intentos muniis publicis occupatos, sed dio commoratos militia functos, in vitæ humanæ difficultatibus versatos & auctos, ut Cyrus, ut Darius, ut Numas, ut Romanorum clarissimi. Tum, Imperij morbum periculosiorem esse, cùm subditi calumniatoribus favent addictique sunt, quàm cùm barbaris serviunt: ut corpori, opinor, periculosiores sunt ægrotationes quæ intus accidunt, quàm quæ foris adveniunt. Hæc omnia quæ narravi, ex Academiæ penetralibus eruta sunt. Equidem te Imper. ajo oportere illum sermonem ob oculos ponere, in quem velut in speculum quotidie intuens, & lumina figens, non cæsariem decentius componas: sed principatum Romanorum melius regas.

Minimè tibi insuper opus erit Marci præceptis, neque aliis veterum Imp. dictis, si quis præclarè & scitè aliquid enuntiarit. Enimverò domi Phœnicem habes: domi eorum quæ dicenda, quæque agenda sunt, enarratorem. *Orat. 16. ad Valentinianum & Valentem.*

Heliodorus: Æqualis est Arsaces & accommodata ad omnem fortunam. quin etiam magis est auxilio eis qui præter dignitatem quippiam sunt passi. *Lib. 7. Æthiop.*

Heliodorus: Ob victoriam impleta erat repente lætitia Meroe, cùm noctu & interdiu cætus & sacrificia in singulis familiis & vicis, ac tribubus Deis celebrarent, frequentarêtq; delubra; nõ perinde in victoria, ut in salute Hydaspis regis acquiescentes: quod is vir æquitate simul & clemẽtia in subditos ac lenitate, eum affectum animis populi instillaverat, ut eum in patris loco diligerent. *lib. 10. Æthiop.*

Heliodorus: Ego verò tanta sum erga vos, cives, & patriam benevolentia præditus, ut haud multũ curans & generis successionem, & patris primã appellationem, quæ omnia mihi per hanc unicam filiã eventura fuerant, Deis eam sacrificare pro vobis properem. *lib. 10. Æthiopic.*

Dionysij Sophistæ. Qui gloriosè gerunt imperia, quemadmodum vos, inprimis id operam dant, ut plurimos amicos in magistratibus sibi adjungant. Recipiamur igitur in amicitiam tuæ magnificentiȩ, cùm ego tũ is, qui vobis epistolam reddit. Ego quidem, ut qui scripserit. Sodalis verò Modestus, facilè quæ petierit consequendo. *epistol. 8.*

Basilius Imperator: Obstringe te huic necessitati, ut omnia tibi oculis inspicienda esse ducas, & nihil non inspectum prætermittas. quippè imperator cùm sis; in terris quidem neminem superiorem habes, qui te cogere valeat: sed Regem habes eum qui dominatur in cælis, cui sicut omnia curæ sunt ut Deo, necesse quoque est tibi curæ esse ut Regi: nihil ergo per socordiam neglectum prætereas, cùm te scias esse sub Deo. Quemadmodum enim ea quæ à te diligenter inspecta administrantur, inde multum emolumenti capiunt: ita quæ non inspecta neglectim prætereuntur, in magnam perniciem labuntur: etsi omnibus in rebus non parvum est quod parum abest, præcipuè tamen Regibus sapiens hoc dictum optimè quadrat & convenit.

Basilius Imperator: Teneri te scito eodem modo referre gratiam Deo, quo beneficia ab eo suscepisti, ut ne quasi invitus creditori debitum solvas, sed pro acceptis gratijs duplices vicissim gratias rependas. Redde igitur largitori bonorum, pro mutua gratia, bona: & quam ab eo gratis accepisti dominationem, eam beneficijs in tuos conferendis impende: sed eos tamen ad benefaciendum ditiores esse putato, qui te sunt minores, quod ad imperii potentiam attinet: non enim eam accepisti ut effunderes, sed suscepisti, ut administrares, & probæ administrationis mercedem ab eo reciperes. *Cap. 52.*

§ Philosophorum Oratorumq; Romanorum.

Quintilianus: Habet hoc mali Principum innocentia, quod inimicos esse nobis, nisi postquam nocuerint, nescimus; & tunc omnibus patemus insidijs, quoties nos odit inferior. *Decla. 11. §. 1. m.*

Plinius Iunior: Gravissimi Principis judicium in minoribus etiam rebus consequi pulchrum est. *lib. 4. Epist. 8.*

Plinius Iunior: Evocatus in consilio à Cæsare nostro ad Centum cellas, longè maximam cepi voluptatem. quid enim jucundius quàm Principis justitiam, gravitatem, comitatem, in secessu quoque, ubi hæc maximè recluduntur, inspicere. *Epist. 13. lib. 6.*

Plinius Iunior: Testatur Senatus, & se libenter ac merito hanc summam inter reliquos honores, ob fidem diligentiamque Pallantis decernere cæpisse: voluntati tamen Principis sui, cui nulla in re fas putaret repugnare, in hac quoq; re obsequi. *lib. 8. epist. 6.*

Plinius Iunior: Dij immortales festinaverant virtutes tuas ad gubernacula reip. quam susceperas admovere. præcor igitur, ut tibi & per te generi humano prospera omnia, id est, digna sæculo tuo contingant. *libri 10. Epist. 1.*

Plinius Iunior: Cùm sciam, Domine, ad testimonium laudemque morum meorum pertinere, tam boni Principis judicio exornari, rogo dignitati ad quam me provexit indulgentia tua, vel auguratum vel septemviratum, quia vacant, adijcere digneris &c. *Epist. 8. lib. 10.*

Plinius Iunior: Salva magnitudine tua, Domine, descendas oportet ad meas curas; cùm jus mihi dederis referendi ad te de quibus dubito. *Epist. 40. lib. 10.*

Plinius Iunior Trajano Augusto: Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscipimus, Domino, pariter & solvimus; precati Deos, ut velint ea semper solvi, semperque signari. *lib. 10. Epist. 44.*

Plinius Iunior: Diem, Domine, quo servasti imperium, dum suscipis, quanta mereris lætitia celebravimus; præcati Deos, ut te generi humano, cujus tutela & securitas tuæ innisa est, incolumem florentemque præstarent. *libri 10. Epist. 60.*

Plinius: Sæpe ego mecum, Patres conscripti, tacitus agitavi, qualem quantumque esse oporteret, cujus ditione nutuque terræ, maria, pax, bella regerentur: cum interea fingenti formantique mihi principem, quem æquata Deis immortalibus potestas deceret numquam voto saltem concipere, succurrit similem huic quem videmus. Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace. alium toga, sed non & arma honestarunt. reverentiam ille terrore, alius amorem humilitate captavit. ille quæsitam domi gloriam, in publico, hic in publico partam domi perdidit. postremò, adhuc nemo extitit cujus virtutes nullo vitiorũ confinio læderentur. At principi nostro, quanta concordia, quantus concentus omnium laudum omnisque gloriæ contigit; ut nihil severitati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati detrahatur? Iam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis & dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere Deûm festinatis senectutis insignibus ad augendam majestatem ornata cæsaries, nonne longeque lateque Principem ostentant? *capite quarto Panegyrici in Trajanum.*

Plinius: Æquiore animo ferunt homines quem Princeps parum feliciter genuit, quam quem male elegit. *cap. 7. fine panegyr. ad Trajanum.*

Plinius: In Principe qui electo successore fato concessit, una itemque certissima divinitatis fides est bonus successor. *cap. 11. paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Vt plena altaribus, augusta victimis cuncta! ut in unius salutem collata omnium vota! cùm sibi se ac liberis suis intelligerent precari, quæ pro te precarentur. *cap. 23. Panegyr. ad Trajan.*

Plinius: Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis: manet Imperatori quȩ prior oris humanitas, dexteræ verecundia. incedebas pedibus? incedis. lætabaris labore? lætaris, ea denique omnia illa circa te: nihil ipsum te fortuna mutavit. Liberum est, ingrediente per publicum Principe, subsistere, occurrere, comitari, præterire. ambulas inter nos non quasi contingas, & copiam tui non ut imputes facis. hæret lateri tuo quisquis accessit; finemque sermoni suus cuique pudor, non tua superbia facit. Regimur quidem à te, & subjecti tibi, sed quẽadmodum legibus sumus. nam & illæ cupiditates nostras libidinesque moderantur: nobiscum tamen & inter nos versantur. Emines, excellis, ut honor, ut potestas, quæ super homines quidem, hominum sunt tamen. *cap. 24. paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Quod enim præstabilius est aut pulcrius munus Deorum, quam castus & sanctus, & Diis simillimus Princeps? Ac si adhuc dubium fuisset forte casuque rectores terris, an aliquo Numine darentur, Principem tamen nostrum liqueret divinitus constitutum &c. *cap. 1. paneg. ad Trajan.*

Idem panegyr. cap. 2. Unum ille se ex nobis, & hoc magis excellit atque eminet quod unum ex nobis putat: nec minus hominem se, quam hominibus præesse meminit. *paneg. Trajan.*

Plinius: Facilius est, ut esse aliquis successor tuus possit quàm velit. quis enim curæ tuæ molem sponte subeat? quis comparari tibi non reformidet? Expertus & ipse es, quam sit onerosum succedere bono Principi. An prona parvaque sunt ad æmulandum, quod nemo incolumitatem turpitudine rependit? Salva est omnibus vita & dignitas: nec jam consideratus & sapiens qui ætatem in tenebris agit. eadem quippe sub Principe virtutibus præmia quæ in libertate: nec benefactis tantum ex conscientia merces. Amas constantiam civium, rectosque ac vividos animos non, ut alij, contundis ac deprimis, sed foves & attollis. Prodest bonos esse, cùm sit satis abundeque si non nocet. His honores, his sacerdotia, his provincias offers: hi amicitia tua, hi judicio florent. acuuntur isti integritatis & industriæ pretio: similes dissimilesque alliciuntur. nam præmia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt. pauci adeo ingenio valent, ut non turpe honestumque prout bene ac secus cessit expetant fugiantve. ceteri, ubi laboris inertiæ, vigilantiæ somno, frugalitatis luxuriæ merces datur, ead. ista quibus alios artibus assecutos vident consectantur: qualesque sunt illi, tales esse & videri volunt, & dum volunt fiunt. *cap. 44. paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Nam quod precatus es, ut illa ipsa ordinatio Comitiorum bene ac feliciter eveniret nobis, reique publicæ, nonne tibi tale est, ut nos hunc ordinem votorum convertere debeamus, Deosque obsecrare, ut omnia quæ facis quæque facies prosperè cedant tibi, reipublicæ, nobis, vel (si brevius sit optandum) ut uni tibi, in quo & respubl. & nos sumus? Fuit tempus, ac nimium diu fuit, quo alia adversa, alia secunda Principi ac nobis. Nunc communia tibi nobiscum tam læta quam tristia: nec magis sine te nos esse felices quam tu sine nobis potes. An si posses, in fine votorum adjecisses, VT ITA PRECIBVS TVIS DEI ANNVERENT, SI IVDICIVM NOSTRVM MERERI PERSEVERASSES? adeo nihil tibi amore civium antiquius, ut ante à nobis, deinde à Deis, atque ita ab illis amari velis, si à nobis ameris. Et sanè priorum Principum exitus docuit ne à Deis quidem amari nisi quos homines ament. *cap. 72. paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Plerique Principes cùm essent civium domini, libertorum erant servi. horum consiliis, horum nutu regebantur. per hos audiebant, per hos loquebantur: per hos præturæ etiam & sacerdotia, & consulatus, imo & ab his petebantur. Tu libertis tuis summum quidem honorem, sed tanquam libertis habes; abundeque sufficere his credis, si probi & frugi existimentur. scis enim præcipuum esse indicium non magni principis magnos libertos. ac primum neminem in usu habes, nisi aut tibi, aut patri tuo, aut optimo cuique Principum dilectum; statimque hos ipsos quotidie deinde ita formas, ut se non tua fortuna, sed sua metiantur: tanto magis digni quibus honor omnis præstetur à nobis, quia non est necesse. *cap. 88. panegyrici ad Trajanum.*

Nazarius Paneg. Constantino Aug: Existimare quidem de Principibus nemini fas est: nam & in vestibulo suo inquirentem repellit objecta veneratio, & si qui mentem propius adegerunt; quod oculis in Solem se contendentibus evenit, præstricta acie videndi facultate caruerunt. Verum tu facis, Principum maxime, ut patere videantur quæ prius obstructa fuerant, qui tam optas totus videri, quàm ceteri recusabant. non terror obtentui est, nec occultandis quæ plerunq; extrinsecus latent, demorandoq; aspectu ostentatio speciosa prohibetur. Obtutus hominū benignus receptas, nec intuentem iniquus fulgor retundit, sed serenum lumē invitat. Nūc denique intelligimus quæ desideranda in prioribus fuerūt, postquā ea quæ operta in ceteris veriti sumus, in te reserata veneramur. *ca.5.*

Nazarius Paneg. Constantino Aug: Numquam est excelsior principatus, quàm cum se publico submittit officio. *cap 18.*

Eumenius Paneg. Constantino Aug: Inter omnes participes majestatis tuæ, hoc habes præcipuum, quod Imperator es, tantaque est nobilitas originis tuæ, ut nihil tibi addiderit honoris imperium, nec possit fortuna numini suo imputare quod tuum est, omissis ambitu & suffragatione. Non fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis favoris eventus te Principem fecit: imperium nascendo meruisti. quod quidem mihi Deorum immortalium munus & primum videtur & maximū, in lucem statim venire felicē, & ea quæ alii vix totius vitæ laboribus consequuntur, jam domi parta suscipere. Quāvis n. magna sit & admiranda felicitas, quæ stipendijs in ordinem meritis, & militiæ gradibus emensis ad fastigium istud majestatis adscendit, & solis virtutis mixa radicibus ad tantum potentiæ robur invaluit (quod quidem etiam tu, quantum per ætatem licuit, consecutus es, & quamvis te supra omne acquirendæ gloriæ moras Fortuna posuisset, crescere militando voluisti, & adeundi belli periculis, ac manu cum hostibus, etiam singulari certamine conferenda, notiorem te gentibus reddidisti, cum non posses esse nobilior) magnum inquam est ab se profectum ad maxima pervenire: longè tamen aliud est niti per ardua, & juga montium petere è plano; aliud ipsa ortus sui sublimitate fultum verticem temere fortunæ, & quæ summa sunt, non sperare, sed habere. Sacrum istud palatium, non candidatus imperij, sed designatus intrasti, confestimque te illi paterni lares successorem videre legitimum. neq; enim erat dubium quin ei competeret hereditas, quem primum Imperatori filium fata dedissent. &c. *cap.3. & quarto.*

Eumenius: Sed neque Sol ipse, neque cuncta sidera humanas res tam perpetuo lumine intuentur, quàm vos tuemini; qui sine ullo fere discrimine dierum ac noctium illustratis orbem, salutiq; gentium non his modò quibus immortales vultus vestri vigent, sed multo magis illis divinarum mentium vestrarum oculis providetis nec solùm quà dies oritur & præteritur, & conditur, sed etiam ex illa Septentrionali plaga salutari beatis luce provincias. Adeo, Cæsares, vestra in orbem terrarum distributa beneficia propè plura sunt quam Deorum. *cap.4. Panegyrici Constantio Cæsari dicti.*

Eumenius: Pietati tuæ gratias agimus, qui cùm scires itinerum regionum nostrarum aditum atque aspectum tam fœdum tamq; asperum, tamen illò deflectere, & urbem illam sola opis tuæ expectatione viventem illustrare dignatus es. Boni Principis est libenter suos videre felices; sed melioris invisere etiam laborantes. *cap.7. gratiar. act. Constantino.*

Eumenius: Hoc loco venit in mentem mihi, quam delicata illorum Principum fuerit in administranda republ. & adipiscenda laude felicitas; quibus Romæ degentibus, triumphi & cognomina devictarum à Ducibus suis gentium proveniebat. Itaque Fronto, Romanæ eloquentiæ non secundum, sed alterum decus, cùm belli in Britannia confecti laudem Antonino principi daret? quamvis ille in ipso vrbis palatio residens, gerendi ejus mandasset auspicium, veluti longæ navis gubernaculis præsidentem, totius velificationis & cursus gloriam meruisse testatus est. At enim tu Cæsar invicte, omnis istius & navigationis & belli, non modò pro imperii jure præceptor, sed rebus ipsis & exemplo constantiæ tuæ hortator atque impulsor fuisti. &c. *cap. 14. paneg. Constantij Aug.*

Eumenius Rhetor: Quod tantum carmen Amphioni; quæ tanta plectro fidibusque dulcedo, quam secuta quondam saxa perhibentur, ut ducentibus subvecta modulis, & ad intervalla carminum resistentia; sponte murum velut arte construerent, quanta in his Imperatorum & Cæsarum literis inest ad omnes animorum impetus, effectusque rerum ciendos vis atque permotio, qui quod jubere possint, suadere dignantur; & cùm vel tacitas horum ac vultu tenus significatas voluntates summi patris Iovis sequatur auctoritas, cujus nutum promissionemque firmantis totius mundi tremor sentit, ipsi tamen ultrò imperandi potestatem cohortendi humanitate concilian t? quin etiam laudibus incitant: quibus ego divinæ benignitatis illecebris; etiamsi omni sensu antea caruissem, ad quamvis perfecto intelligentiam adducerer. Siquidem tantos Principes unum hominem tanta laude decorare; non est oratorem admonere sed facere. *cap. 15. de restaur. Mænianis Oratione.*

Incertus Panegyristes Constantino Aug. Næ, tu Imp. nimio nostri amore nescisti ad securitatem nobis vere providere, qui nō omnia tecum arma movisti; cùm in tua conservatione salus nostra sit. *ca.3.*

Incertus Panegyristes Maxim. & Constant. Impp: Iustitiam verò patris atq; pietatem sic imitaris, ut omnibus ad te confugientibus, diversamque opem aut contra aliorum injurias, aut pro suis commodis postulantibus, quasi legata patris videaris exsolvere, idque ipsum coram gaudeas prædicari, quidquid tu justè ac liberaliter feceris, filium Constantii necessario præstitisse. *cap.5.*

Incertus Panegyristes Maxim. & Const. Augg: An te unquam, Constantine, liberi nostri nepotesque patientur vel cùm ad summam perveneris senectutem, reipublicæ vela contrahere, quæ tam felicibus ventis etiam juvenis impleveris? Sed tamen utcunque fas fuerit eum Principem quem anni cogerent, aut valetudo deficeret receptui canere; te verò, in quo adhuc istæ sunt integræ solidæque vires, hic totius corporis vigor, hic imperatoribus ardor oculorum, immaturum otium spirasse miramur. Quid enim aliud participi majestatis tuæ dare potuit veniam quietis, quàm ut tu imperio succederes pro duobus? *capite nono.*

Idem paullo post: Quousque hoc Maximiane patiar, me quati, te quiescere, mihi libertatem adimi, te usurpare tibi illicitam missionem? An quod Divo Augusto post septuaginta ætatis, quinquaginta imperii, non licuit annos, tam citò licuit tibi? ideone te mihi ille, cujus tot aras, tot templa, tot nomina colo, Hercules dedit, ut tu in suburbano otiosus sedens usum dicatæ mihi virtutis amitteres? redde te gubernaculis meis, & quoniam tranquillo mari portum intrare properasti; vade per fluctus, mei quidem amore sollicitus, sed tua majestate securus. &c. *capite undecimo.*

Idem deinde: O Imperator æterne, pietatem tuam, quæ tuum illum cælestem animum semper invictum sola vicit! non potuisti resistere sanctæ illius parentis (patriæ) imperio; & invitus licet paruisti; & te illis vigiliis, illisque curis quas viginti annis expertus fueras reddidisti. Quibusnam tu domina gentium potes compensare beneficiis hoc tui Imperatoris obsequium? qui tanto usu sciens quantus sit imperandi labor, propter te non utitur illa quam degustaverat, voluptate, tantumque Reipubl. onus suscipit post quietem facilius fuerat jugiter imperasse. quamvis enim magnum laborem consuetudo non sentit: intermissa desiderant novas vires. Quanta opus fuit tibi, Imp. æterne providentia, quanta auctoritate, ut subsidia Reipubl. jacentia erigeres, exanimata recreares, dilapsa colligeres? Mirabamur te post imperium esse privatum: multo magis mirum est, imperium ferre post otia. solus hoc, ut dicitur, potuit Deus ille (Phæbus) cujus bona sunt quod vivimus, quod videmus, ut habenas male creditas, & cursum devio vectore turbatæ tranquillitatis reciperet, rursumque dirigeret. &c. *cap.12.*

Idem post aliquam multa: Quamquam in istis quidem partibus non caruit Respubl. pristina firmitate, ibi pene funditus corruit, unde tu, Maximiane, discesseras. adeo illic plurimum habuerat stabilitatis asserta, ubi deserta maximè vacillavit. non aliter enim quàm solet terra ventis, aut aquis subter immissis intermissa sui soliditate nutare; ita cuncta Italia atq; ipsa Roma, subducta repente, qua sustentata fuerat, dextera tua, cōtremuit ac penè consedit. *ca.12.*

Cl. Mamertinus: Multis fortasse mirū videbitur, & tamen re ipsa verissimum est, te cùm ad restituendam rempubl. à cognato tibi Diocletiani numine fueris invocatus, plus tribuisse beneficij quàm acceperis. neq; enim specie tenus ac nomine fortuna imperii consideranda est. Trabeæ vestræ triumphales, & fasces consulares, & sellæ curules, & hæc obsequiorum stipatio & fulgor, & illa lux divinum verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt ornamenta meritorum pulcherrima quidem & augustissima: sed longè illa majora sunt, quæ tu impartito tibi imperio vice gratiæ retulisti; admittere in animum: tantæ Reipubl. curam, & totius orbis fata suscipere, & oblitum quodammodo sui, gentibus vivere, & in tam arduo humanarum rerum stare fastigio, ex quo velut terras omnes & maria despicias, vicissimque oculis ac mente collustres ubi sit certa serenitas, ubi dubia tempestas, qui justitiam vestram judices æmulentur, qui virtutis vestræ gloriam duces servent; accipere innumerabiles undique nuncios, totidem mandata dimittere, de tot urbibus & nationibus & provinciis cogitare; noctes omnes diesque perpetua sollicitudine pro omnium salute transigere. Hæc omnia cùm à fratre optimo oblata susceperis, tu fecisti fortiter, ille sapienter. neque enim cùm reipubl. navem secundus à puppi flatus impleret, salutarem manum gubernaculis addidisti, sed cùm ad restituendam eam, post priorum temporum labem, divinum modò, ac ne id quidem unicum sufficeret auxilium, præcipitanti Romano nomini juxta Principem subijsti; eadem scilicet auxilii oportunitate qua tuus Hercules Iovem vestrum quondam Terrigenarum bello laborantem magna victoriæ parte juvit, probavitque se non magis à Deis accepisse cælū, quàm eisdē reddidisse. *Paneg. Maxi. c.2.*

Cl. Mamertinus: Tu quidem certe Imperator, tantum esse in concordia bonum statuis, ut etiam eos qui circa te potissimo fungūtur officio, necessitudine tibi & affinitate devinxeris; id pulcerrimum arbitratus, adhærere lateri tuo, non timoris obsequia, sed vota pietatis. quorum ductu proximè, cùm felicissimis auspiciis vestris uterentur, lubrica illa fallaxque gens Barbarorum, ut merebatur, affecta est, vestra hæc, Imper. vestra laus est: à vobis proficiscitur, etiam quod per alios administratur. Vt enim omnia commoda cælo terraque parta, licet diversorum numinum ope nobis provenire videantur, à summis tamen auctoribus manant, Jove rectore cæli, Hercule pacatore terrarum: sic omnibus pulcerrimis rebus, etiam quæ aliorum ductu geruntur, Diocletianus facit, tu tribuis effectum. vestræ, inquam, fortunæ, vestræ felicitatis est, Imp. quod jam milites vestri ad Oceanum pervenere victoria. *cap. 11. paneg. in Maximian.*

Cl. Mamertinus: Sed profectò maturè ille illucescet dies, cùm vos videat Roma victores, & alacrem sub dextera filium. quem ad

honeq;

honeſtiſſimas artes omnibus ingenij bonis natum, felix aliquis præceptor expectat: cui nullo labore conſtabit divinam immortalemque progeniem ad ſtudium laudis hortari. Non neceſſe erit Camillos & Maximos, Curios & Catones proponere ad imitationem, quin potius veſtra illi facta demonſtret, vos identidem & ſemper oſtendat, præſentes & optimos Imperatoriæ inſtitutionis auctores. *Cap.14. panegyrici in Maximianum Imp.*

Cl. Mamertinus: Numina ſemper aliquid agunt, agendumve curant: ut jam nobis illa pro vobis quam ſuſceperamus cura ponenda ſit; cùm non laborare vos, ſed parentes Deos videamus imitari. *Et mox:* Ex iſtis ergo cauſſis ſtirpis veſtræ patriorumq; inſtitutorũ illa veniunt quæ ſæpe miramur (interdum etiam pro amoris impatientia timebamus) quod expeditiones veſtras numerare non poſſumus, quod diutius in iisdem manere veſtigiis dedignamini, quod vos à continuo rerum curſu gerendarum, non modò amœnitas locorum, aut nobilitas urbium, ſed ne ipſa quidem victoriarum veſtrarum lætitia remoratur. *& poſt:* Ambo cum ad Orientem Occidentemque occupati putaremini repente in medio Italiæ gremio apparuiſtis. Hos fructus capitis operum maximorum: ſicq; interim meritorum conſcientia triumphatis, dum triumphos ipſos ſemper vincendo differtis; quod quæcũq; pulcerrima facilis, continuò tranſitis, & ad majora properatis. &c. *cap. 4. genethl. Maximiani.*

Cl. Mamertinus: Hoc ipſum felicitatis eſt, quod ut conſpicere vos invicem complectiq; poſſitis, in manu veſtra eſt. Solem ipſum Lunamq; cernimus quia totius mundi funguntur officiis, nō niſi poſt multa ſæcula certa lege temporum convenire: veſtra tam libera eſt & beata majeſtas, ut in ſummis rebus generis humani nihil vobis neceſſe ſit, niſi veſtræ parere pietati. ceterùm ſi quis ad humana reſpiciat, quantò magis magnitudo veſtræ felicitatis appareat. homines privatis rebus intenti, ita plerumq; propriis difficultatibus implicantur, ut omnino vacent aditu ſuorum. vos tantæ reipublic. adminiſtratione ſuſcepta; quos huc atque illuc tot urbes, tot caſtra, tot limites, tot circumjecta Romano imperio flumina, montes, littora vocant, tantum animis ac fortuna valetis, ut in unum cōvenire poſſitis nihilo minus orbe ſecuro. neque enim pars ulla terrarum majeſtatis veſtræ potentia caret, etiam cùm ipſi abeſſe videamini. Ne tantulum quidem barbaræ nationes audent animos attollere, quod vos in interiora imperii veſtri ſeceſſeritis: quin imò magis in vobis fiduciam pertimeſcunt: quod ſe contemni ſentiunt cùm relinquũtur. itaq; illud poetæ Romani, *Iovis omnia plena*, id nũc ego de utroque veſtrûm audeo prędicare, ubicunque ſitis, in unum licet palatiũ conceſſeritis, divinitatem veſtram ubique verſari, omnes terras, omniaque maria plena eſſe veſtri. *cap.14. genethl. Maximiani.*

Cl. Mamertinus: Quomodo tam multa tam brevi tempore? & rectè. ſed imperator noſter addit ad tempus quod otio ſuo detrahit. nihil ſomno, nihil epulis, nihil otio tribuit, ipſa ſe naturalium neceſſariumque rerum uſurpatione defraudat; totus publicis commodis vacat. itaque grandævum jam imperium videbitur his, qui non ratione dierum aut menſium, ſed operum multitudine & effectarum rerum modo Iuliani tempora metiatur. *cap. 14. oratione ad Iulianum Auguſtum.*

Cl. Mamertinus: Inter Principes facit morum diſſimilitudo diſcordiam. *cap.5. Panegyrici dicti Iuliano Imp.*

Cl. Mamertinus: Inter hæc mirari nequeo, quod tam ſeverè parcus in ſemet, in cives ſuos tam liberalis eſt ac remiſſus, laboris aſperrima ſumens, ut nos quietis rebus agitemus: cùm id uſuvenire advertamus, ut qui remotam à voluptatibus vitam ſequantur, difficiles & moroſi ſint, ſibi parum læti, ſed aliis triſtiores, mæſtas atque ſollicitas etiam privatas domus faciant. At ſanctiſſimus Imper. impenſe ſtudet, ut nos pro dignitate habitemus, ut commodis affluamus, ut caſtam quidem, ſed hilarem ducamus ætatem: cùm alios Principes labor truces, remiſſos deſidia reddiderit, ſemperque ſeriis Imperatoribus gratia, communibus defuerit induſtria. neque quiſquam ſibi moleſtus ita ſe facilem ceteris præbuit, ut non ad ſuum exemplum alios coerceret. Noſter Imp. nihil ſibi veniæ, nihil ceteris moleſtiæ ac laboris impartiens, ſuo negotio omnibus otium præſtat, divitiarum largitor, curarum avarus, laborioſiſſima negotiorum præoptans ipſe agere quàm aliis imperare. *cap.12. orationis ad Iulianum Aug.*

Cl. Mamertinus: Habitari ab juſtis viris terras in Oceano ferunt, quas fortunatorum inſulas vocant, quod per eas non arato ſolo frumenta naſcuntur, fortuitis vitibus juga collium veſtiuntur, ſponte pomis arbor gravatur, ad herbarum vicem olus vulgo eſt. quantula illa ſunt, ſi Deum auctorem conſideres munera? nempe nobis quoque, cùm agrum non noſtris manibus excolamus, hæc illaborata naſcuntur. quanta felicior noſtra conditio, quanto beatitudo præſtantior? non ſpica triticea, non viles uvarum racemi, ſed opes atque divitiæ nihil laborantibus ingeruntur: provinciæ, præfecturæ, faſces ſponte proveniunt. tu tu, inquam, maxime Imp. exulantes relegatasque virtutes ad rempublicam quodam poſtliminio reduxiſti. tu extincta jam literarum ſtudia flammaſti; tu Philoſophiam paulo ante ſuſpectam, ac nec dum ſpoliatam honoribus ſed accuſatam ac ream, non modò judicio liberaſti, ſed amictam purpura, auro, gemmisque redimitam in regali ſolio collocaſti. &c. *Videatur locus cap. 23. Orationis ad Iulianum. Aug.*

Cl. Mamertinus: Nemo ſimularis blandiciis, nemo falſa pollicitatione deceptus eſt. Quis neſcit aliorum Impp. hilarem diritatem, cachinnantemque ſævitiam, à quibus ingenita crudelitas figmento lætitiæ tegebatur? Mira eſt in Principe noſtro mentis ac linguæ cõcordia. non modò humilis & parvi animi, ſed ſervile vitium ſcit eſſe mendacium. & verò cùm mendaces homines aut inopia, aut timor faciat, magnitudinem fortunæ ſuæ Imperator qui mentitur ignorat. Quis, oro vos, plura præbuit fidei conſtantiæque documenta? Omnes quos privatus in familiaritatem recepit, eodem habet Imperator affectu. nemo gradu pulſus, nemo aditu prohibitus, nulli Palatij fores clauſæ ſunt, omnes bonos habet, in recipiendis amicis optimus judex eſt. Si aliqui ſunt improbi tolerandi, familiarium vitiis immutabilis eſt amicus. At mutant ſecundæ res animos. Noſtrum Principem ſi nondum mutaverint, quando mutabunt? cujus unquam divinior felicitas fuit &c. *mox:* Videte num ſecundis rebus elatus aliquid de prioris vitæ manſuetudine & moderatione mutaverit. mutavit planè, mutavit. nam civilior factus proſperorum infregit invidiam. &c. *cap.26. & 27. Orationis ad Iulianum Auguſtum.*

Cl. Mamertinus: Sed ſint, ſanctiſſime Imp. ea quæ tu juſtè, moderatè, civiliter facis aliis fortè miraculo: mihi eſſe non poſſunt, qui te omnibus humanis vitiis abſolutum & liberum ſciam, ſolo immortalitatis amore flagrare; dirigere omnes opes & cogitationes tuas ad memoriam poſteritatis æternam: atque his maximè ſervire judicibus, qui de rebus geſtis tuis ſine odio & gratia venturis ſæculis judicabunt. Non poteſt quidquam abjectum & humile cogitare, qui ſcit de ſe ſemper loquendum. *cap.31. Orationis ad Iulianum Aug.*

Latinus Pacatus: In integro itaque rem totam eſſe faciamus, & in quodam orbis terræ comitio quæri putemus, quiſnam ille ſit qui debeat tantam molem ſubire, & nutantia Romanæ rei fata ſuſcipere: nonne is omnium ſuffragiis hominum tributim centuriatimq; legeretur, cui felix patria, cui domus clara, cui forma divina, cui ætas integra, cui militarium civiliumque rerum uſus contigiſſet? cuncta igitur à capite propoſito ordine exequamur, jam profecto conſtabit eum Principem declaratum, qui & ab omnibus legi debuerit, & ex omnibus. *capitis 3. fine Paneg. Theodoſio Aug. dicti.*

Latinus Pacatus: Neque enim tua illa præterita bellicę rei gloria, quam per tot laborum experimenta quæſiviſti, adſcribenda fortuna eſt. cui hoc nomine etiam ſuccenſeri poteſt, quod quem ſceptro & ſolio deſtinaverat, nũquam indulgenter habuit: ſed ut ſeveri patres his quos plus diligunt filiis triſtiores ſunt: ita illa te plurimis bellis, & difficillimis reipublic. temporibus exercuit, dum aptat imperio. *cap.8 Panegyr. Theodoſio Aug. dicti.*

Latinus Pacatus: Orat ecce te dominus meus, idemq; adhuc tuus: & qui poſſet cogere mavult impetrare. Imperium quod ab Imperatore defertur tam tibi nolle jam non licet, quam velle non licuit. Solus igitur, Auguſte, ſolus, inquam omnium qui adhuc imperaverũt, ut Princeps eſſes præſtitiſti, alios empta legionum ſuffragia, alios vacans aula, alios affinitas regia impoſuere reipublicæ. te nec ambitus, nec occaſio, nec propinquitas Principem creaverunt. nam & eras à familia Imperatoris alienus, & aſciſcebaris tertius, & cogebaris invitus. *cap.12. Panegyrici Theodoſio Aug. dicti.*

Latinus Pacatus: Ecquis Imperatorum unquam putavit amicitiæ cultum in regia laude ponendum? humilis hæc virtus, dubiumque an virtus, judicabatur, nec palatiis digna, ſed periculis habebatur. inde facilius inveneris qui pecuniam ex ærario, quam qui ex animo fidem prompſerit. Optimus ille, ditabat, non etiam diligebat: prodeſſe noverat, amare neſciebat. Tu amicitiam, nomen ante privatum, non ſolum intra aulam vocaſti, ſed indutam purpura, auro, gemmisque redimitam, ſolio recepiſti, reque non verbis aſſeruiſti, Principis mentem tanto in ſuos benigniorem eſſe debere, quanto ſit fortuna præſtantior, cùm fide ac facultate paribus agas, & familiaribus tuis, Imperator, tribuas quod privatus optaras. quamquam quæ capere vota potuerunt, quod plerique te Principe conſecuti ſunt? nec nunc de his honoribus loquor, quos in quemcunque conferre Imperatori neceſſe eſt. Dux aliquis evehitur? exigit diſciplina caſtrorum. Præfectus attollitur? imponendum eſt provinciis caput. Conſul creatur? habiturus eſt nomen annus. Ita in ſummis illis pulcherrimisque beneficiis eſt aliqua præſtantis utilitas. A te nova benignitate is amicis honos habitus eſt, qui totus eſſet illorum quibus deferebatur, nihilque ex eo ad te redundaret, niſi dandi voluptas: cui cùm eſſent domi filij, geminæ illæ ſpes oculique reipublicæ, dilatis eorum magiſtratibus, amicos conſulatu ornavit. Si mehercule vir ille divinus, felicitatis publicæ auctor, parẽs tuus viveret, quid aliud expectaſſet à filio, quam ut nepotibus anteferretur? præſtitiſti igitur amicis, quo plus nec patri præſtare potuiſſes. O benevolentiæ tuæ ſingulare conſilium! auges tempore dignitatem quæ incrementum ex magnitudine non habebat. renunciantur amici ante filios tuos Conſules.

Eat nunc ſui oſtentatrix vetuſtas, & illa innumeris litterarum vulgata monumentis jactet exempla, Pirithoi fidem prædicet, & decãtatum omnibus ſcenis Phocæi juvenis laudet officium. Pytheam etiam, ſi videtur, dicat & Damona, quorum alter in amici morte ſe vadem obtulit, alter ad diem vadatæ mortis occurrit. ut hæc eſſe vera credamus, quæ mendaciis vatum in plauſus aptatum caveatum, fidem tempori debent: num præſtare credendo plus poſſumus, quàm ut iſtos qui amicitiæ laude cenſentur amicorum fuiſſe quam ſui diligentiores putemus? ſed cùm inſtituente natura plus ferè filios, quàm noſmetipſos diligamus, omne vicit exemplum, qui amicos his prætulit, quos ſibi præferebat.

Sed tu quidem ad exonerandam debentium verecundiam, quæ in tuos confers, non vis videri præstare sed reddere. geramus tibi morem, & beneficiorum summas tuorum pro tua voluntate ducentes, quidquid familiaribus tuis tribuis, non expendi potius, sed rependi putemus: enimverò cùm leviter cognitos, aut etiam semel visos iis honoribus simul ditas, quibus & amici possent esse contenti, nonne omnibus vis probare, amicum tibi esse qui bonus sit? cuicunq; quid publici mandatum fuerit officij, præmium spondetur, & redditur. sibi humilitatem & tenebras suas imputet jacens virtus, quæ non obtulit se probandam. quod conscientiæ tuæ sufficit; honoratus est qui probatus. &c. *Cap. 16. & 17. Panegyrici Theodosio Aug. dicti.*

Ausonius: Nullum unquam diem ab adolescentia tua, nisi adorato Dei numine, & reus voti, & illico absolutus egisti: lautis manibus, mēte pura, immaculabili conscientia, & quod in paucis est, cogitatione sincera. Cujus autem unquam egressus auspicatior fuit, aut incessus modestior, aut habitudo cohibitior, aut familiaris habitus condecentior, aut militaris accinctior.

Post pauca: In cibis autem cujus sacerdotis abstinentior ceremonia? in vino cujus senis mensa frugalior? Operto conclavis tui non sanctior ara Vestalis, non Pontificis cubile castius; nec pulvinar Flaminis tam pudicum.

In officiis amicorum non dico paria reddi: antevenis, & quoties in obsequendo præcedimus, erubescis pudore tam obnoxio, quàm in nobis esse deberet ab Imperatore præventis.

In illa verò sede, ut ex more loquimur, consistorij, ut ego sentio, sacrarij tui, nullus unquam superiorum aut dicenda pensius cogitavit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expedivit.

Et aliqua de oratoriis virtutibus tuis dicerem, nisi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpitius acrior in concionibus nec majoris Gracchi commendabilior modestia fuit; nec patris gravior auctoritas. Qui tenor vocis cùm incitata pronuncias? quæ inflexio cùm remissa? quæ temperatio cùm utraque dispensas? Quis Oratorum læta jucundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius, aut dixit, aut quod est liberum cogitavit. Vellem si rerum natura pateretur, Xenophon Attice, in ævum nostrum venires, tu qui ad Cyri virtutes exequendas votum potius quàm historiam commodasti; cùm diceres non qualis esset, sed qualis esse deberet. Si nunc in tempora ista procederes: in nostro Gratiano cerneres, quod in Cyro tuo non videras, sed optabas. Qui dicturi estis laudes Principis nostri, habetis veluti seminarium unde orationum vestrarum jugera compleatis, ego ista perstrinxi. *Panegyr. ad Gratianum.*

Ausonius: Ades locis omnibus: nec jam miramur licentiam poëtarum, qui omnia Deo plena dixerunt. Spem superas, cupienda prævenis, vota præcurris, quæque animi nostri celeritas Divûm instar affectat, beneficiis præeuntibus anteceditur. præstare tibi est quam nobis optare velocius. *Initio panegyr. in Gratianum.*

Symmachus: Quin assume constantiam; & quid diceat magis quàm quid libeat expēde: præcipuè cùm ipse fatearis in amore Domini nostri Theodosij venerabilis Principis, omnium te carissimorum pignorum gratiam reperisse. *Lib. 2. epist. 23.*

Symmachus: Tibi peregrinationem senio esse invitus audivi, vel quod est dictu dignius, parum credidi: cùm patriæ bona & pignorum gaudia in optimi Principis dignatione possideas. Quare abiice Baianas cogitationes, & virtuti infructuosam quietem. omni otio labor hic tuus lætior est. *Lib. 2. epist. 17. f.*

Symmachus: Tandem sextum Kal. Martias Mediolanum per Ticini longinqua perveni. nunc laborem meum Domini & Principis nostri blandus sermo solatus est. *Lib. 7. epist. 13.*

Idem: Sextum Kal. Martias Mediolanum multo anfractu circumvectus intravi, veneratusque Dominum & Principem nostrum; cujus sermo divinus itineris mei laborem compensavit. *Lib. 7. epistola 14.*

Symmachus: Te pro amico meo Benedicto oratum volo, ut innocenti fautor arrideas, nec eum publicæ felicitatis, quæ ad universos pari ratione manavit, solùm exsortem esse patiaris. Interest enim serenissimorum temporum gloriæ, ut sicuti omnibus in hac vita positis ac locatis communis est cœli spiritus, lux diei; ita demētiam maximi Principis nostri sentiant vota & facta cunctorum. *lib. 9. epist. 1.*

Symmachus: Adde hoc quod in ore fortissimi Principis agis, & publico bono sine satietate defrueris: quæ res non compensat modò, sed etiam commendat laborem. *Lib. 9. epist. 81. m.*

Symmachus: Sed quia in talibus negotiis voti magis quam ingenij ratio versatur, non metuo imparis famam; dum fugio nomen ingrati erga urbem cœlo & sideribus acceptam: cui bona terrarum omnium congesta præstatis, atque id præcipuè vobis putatis accedere, quod Roma quæsiverit. Recepimus veteris prærogativæ fidem, securitatem. Siquidem constat Imperantibus vobis, populi esse Romani quicquid ubique generosum vel gignit natura, vel informat industria. Enimvero etiam posteris egregium dedistis exemplum. Scient futuri ita demum affluere publicas voluptates, si eas Palatia non requirant. Hoc est specimen animi continentis, sibi negare quod aliis deferatur, & lætitiam cæterorum propriis anteferre solatiis. Hoc usus bonos Principes decet. Namque aurium & oculorum fructus caducus est, largitatis æternus. Alij triumphis suis hæc dona servassent, ut posita lauro novis actoribus personarent Pompejana proscenia: ut pro captivis tetrarchis Indicæ currum belluæ prævenirent, ut equorum longus ordo instar gentium duceretur. Vester triumphus Arsacidas post tergum revinctos, & gazas victæ Babylonis accipiet. In magnos quippe animos non cadit affectata jactatio. Nescitis tribuenda differre: quicquid nationum famulatus obtulerit, statim publicum est. Meritò vos Senatus ac populus ore celebrat, devotione veneratur, amore complectitur. Mihi credite, arcana omnium pectorum possidetis: illa bonarum necessitudinum loca, quibus liberorum, quibus parentum immoratur affectio. *lib. 10. epist. 22.*

Symmachus: Et ideo motus ambiguis, oraculo numinis vestri discingenda cuncta servavi. nam in rebus dubiis, una est salubritatis via, ut divina quæque, vel Deo proxima consulantur. *lib. 10. epist. 32. f. ad Theodosium.*

Symmachus: Scivi meliorem esse judicum causam, quæ rerum dominis reservatur *lib. 10. epist. 36. m.*

Symmachus. Parentes generis humani, magis justitia quàm invidia commoventur. *lib. 10. epist. 36. f.*

Symmachus: Æquum est, ut majestatis vestræ informetur arbitrio, humana cunctatio. *lib. 10. epist. 43. f.*

Symmachus: Nos venerari potius quàm interpretari oracula divina consuevimus. *lib. 10. epist. 43. f.*

Symmachus: Amari, coli, diligi, majus imperio est. *lib. 10. epist. 54.*

§ Poetarum.

Martial. lib. Spectac. Ep. 10.

Quos decet esse hominum tali sub Principe mores,
Qui jubet ingenium mitius esse feris?

Ausonius Epigr. primo. de Gratiano Imp.

Phœbe potens numeris, præses Tritonia bellis,
Tu quoque ab aerio præceps Victoria lapsu,
Come serenatam duplici diademate frontem,
Serta ferens: quæ dona togæ, quæ præmia pugnæ.
Bellandi fandiq; potens Augustus, honorem
Bis meret, ut geminet titulos, qui prælia Musis.
Temperat, & Geticum moderatur Apolline Martem
Arma inter Chunnosq; truces, furtoq; nocentes
Sauromatas, quantum cessat de tempore belli,
Indulget Clarijs tantum inter castra Camœnis.
Vix posuit volucres stridentia tela sagittas,
Musarum ad cal[illegible] fertur manus. otia nescit.
Et commutata m[illegible]atur arundine carmen.
Sed carmen non molle modis: bella horrida Martis
Odrysij, Thressæq; viraginis arma retractat.

Ausonius Edyll. 2. ubi pater ejus loquitur.

Vitati cœtus, ejuratiq; tumultus,
Et semper ficta Principum amicitia.

Joan. Sarisberiensis præfat. Polycratici.

Quod prohibet fieri, scelus est; quod præcipit, æquum:
Iuraq; pro libitu stantq; caduntq; suo.
Huic, quæ sola placet, sola virtute placebis:
Quæ tibi si desit, cetera cuncta nocent.
Iura colit, pacem statuit, fundatq; quietem,
Et tumidos hostes mente manuq; domat.
Sed seu jura vocent, seu fulminat ensis in hostes,
Non nisi sancta gerit, non nisi sancta probat.

§ Apologorum.

Phædrus Fab. 15. Asinus seni pastori.

In principatu commutando sæpius
Nil præter domini nomen mutant pauperes.
Id esse verum parva hæc fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat senex:
Is hostium clamore subito territus
Suadebat Asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus, quæso num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?
Senex negavit: Ergo, quid refert mea
Cui serviam, clitellas dum portem meas.

De Ranis. *Anonymus.*

Dum nihil auderet ludentes lædere ranas,
Supplicuere Iovi ne sine rege forent.
Iuppiter huic voto risum dedit: ausa secundas
Rana preces, subitum sensit in amne sonum.
Nam Iove dante trabem, trabis ictu flumine moto,
Demersit subitus guttura rauca timor.
Placato rediere metu, videre tigillum;
Stando procul regem pertimuere suum.
Vt novere trabem per se non posse moveri,
Pro duce fecerunt tertia vota Iovi.
Ira Iovem movit, regem dedit, intulit hydrum,
Hydrus hiante gula cœpit inire lacum.
Clamitat ecce lacus, morimur pie Iuppiter, audi,
Iuppiter exaudi, Iuppiter affer opem.
Nos sepelit venter, nostris sumus esca tyranni,
Aufer cædis onus, redde quietis opem.

Ille refert, emptum longa prece ferte magistrum,
Vindicet æternus otia spreta metus.
Omne boni precium nimio vilescit in usu,
Fitq; mali gustu dulcius omne bonum.
Si quis habet quod habere decet, sit lætus habendo,
Alterius non sit qui suus esse potest.

Statuarius. *Avienus.*

Venditor insignem referens de marmore Bacchum
Expositum pretio fecerat esse Deum.
Nobilis hunc quidam, funesta in sede sepulchri
Mercari cupiens compositurus erat.
Alter adoratus ut ferret munera templis,
Redderet & sacro debita vota loco.
Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen,
Quum spes in pretium munera dispar agit.
Et me defunctis seu malis tradere divis,
Sive decus busti, seu velis esse deûm.
Subdita namq; tibi est magni reverentia facti,
Atq; eadem retines funera nostra manu.
Convenit hoc illis quibus est permissa potestas,
An præstare magis seu nocuisse velint.

De Mulo & Equo. Fab. 47.

Mulus conspiciens equum aureo freno, ephippioque insignem, & purpureis opertum phaleris, rumpebatur invidia, illum beatum reputans, qui continuò optimis vesceretur cibis, & decoro amiciretur ornatu, se autem præ illo infelicem, qui clitellis malè dolatis oppressus, quotidie maxima onera ferre cogeretur. At ubi vidit equum pugna redeuntem, multis affectum vulneribus, præ illius calamitate se felicem appellabat. Longè melius esse dicens, quotidiano labore durum victum quæritare, & turpiter vestiri, quàm post optimos & delicatos cibos; & tantos ornatus mortis adire discrimina.

Hæc fabula monet, regibus & principibus minimè invidendum, quia divitijs & opibus abundent, ut cùm vitam eorum longe pluribus periculis, quam pauperum videamus esse subiectam. Abstemius.

§ EMBLEMATUM.

Had. Junius Emblemate XVII.

Hostis colubris ales insidet sc[illegible]
Substrata quod Niloi equi pr[illegible]it terga.
Domat superbos, impiosq; proculcat
Sceptrum æquitatis, noxiosq; consumit.

Had. Junius Emblemate XXXVIII.

Stat vidua quercus læto honore frondium,
Quas rapido Boreas decussit asper turbine.
Princeps avitum sæva cui resixerit
Imperium Nemesis, tuetur is gentis decus.

Batillius XLVII.

Herculis Musagetes.

Templa hic cum Musis (clari monumenta Philippi,)
Musarum Alcides duxq; comesq; tenet:
Tam bene conveniunt illæ hujus nomine tutæ,
Clarus hic illarum vocis & artis ope.

Batillius CVIII.

Princeps consilij expers.

Ætnæo qualis frendens Polyphemus in antro
Exustas postquam sensit habere genas,
Iactata hac illac versabat in omnia passim
Brachia, nec tanti meta furoris erat:
Talis multa movet Rex inconsultus, inanes,
Irrita sed quæ sint tantum habitura sonos.

Camerarius XCIX. Centur. 1.

His ornari aut mori.

Fronde oleæ, lauri, quercus contexta corolla
Me decoret, sine qua vivere triste mihi.

Camerarius LII. Cent. 2.

Sua alienaque nutrit.

Non cives tantum princeps, sed nutrit & hostes;
Alterius fœtum ceu lupa cana feræ.

Camerarius II. Centur. 3.

Dominus providebit. *Aquila insistens Orbi.*

Et læta simul & tristis provisio sortis,
Inprimis Virtus principe digna viro est.

Camerarius XC. Centur. 3.

Labor omnibus unus. *Alvearium.*

Doctus Apum & studia & mores & jura revolvat,
Qui bene vult pupillis dicere jura suis.

Camerarius Embl. 1. Centur. 4.

Quàm bene conveniunt. *Physeter sequens pisciculum.*

Hoc balæna suo tuta est ductore per undas,
Principe & est felix plebs vigilante suo.

Typus Regis. Emblem. XXII.

Excubias grus sola gerit, pars cætera dormit
Tuta, nec insidos sperat ab hoste dolos:
Grus notat hæc Regem, vigilantem pro grege, qui si
Dormiat; incautum vastet ovile lupus.
Florent. Sconhovius.

§ APOPHTHEGM: SACR:

David. Cùm prope essent dies Davidis ut moreretur, præcepit Salomoni filio suo, dicendo, *Ego decessurus sum brevi, pro consuetudine totius terræ: sed confirmare & esto vir. Et observato observationem Iehovæ Dei tui, ambulando in viis eius, &c.* Addit deinde præcepta de Joabi & Semei suppliciis capitalibus. 1. Reg. 2. 1. &c. Primùm hîc commonefactio proponitur de nostra mortalitate. Secundò, regula gubernationis omnibus regibus principibus & aliis magistratibus traditur. Tertiò, fortitudinem & animi præsentiam, virtutem esse magistratui necessariam.

Idem: Ut optimi principis officium Psalmis 72. & 101. præcipuè describit, illud etiam in multis suæ administrationis regiæ partibus fideliter expressit, ut ex lib. 2. Samuelis colligi potest. Vide etiam libros Regum & Chronicorum quæ sapientissimorum principum effigiem in Salomone, Asa, Josaphato, Ezechia, Josia exhibent.

Asa, Rex. Cùm quiesceret terra Iehuda, temporibus Asæ, & nullum gereretur secum bellum annis illis, nam quietem ei dederat Jehova, dixit Asa Judæis, *Ædificemus civitates has, & circundemus muro, & turribus, valvis & vectibus, tantisper dum hæc terra nobis exposita est, quandoquidem requisivimus Iehovam Deum nostrum; requirentibus dedit quietem nobis circumquaque:* quapropter ædificarunt & prosperati sunt. Cùm autem prodiisset contra eos Zerach Æthiops cum copiis innumeris, procedens Asa adversus eum, instructis aciebus, invocavit Jehovam Deum suum dicens, *O Iehova; nihil est apud te opem ferre destituto viribus; vel juvare inter multos: opem fer nobis, Iehova Deus noster: nam tibi innitimur, & in nomine tuo venimus contra multitudinem istam; ô Iehova, tu es Deus noster; ne obtineat vires contra te mortalis.* Fide pugnavit pius princeps & præclarissimam de victis hostibus victoriam reportavit. Ita enim fracti sunt Æthiopes coram Jehova & exercitu ejus, ut non esset illis instauratio. *Vide 2. Chronic. 14. cap.* Hæc victoria illustre est testimonium de efficacia fidei & invocationis. Non enim armis Asæ deletus est hostilis exercitus, sed divino terrore. Quoties ergo terrores & pericula omnis generis in nos impendent, imitemur quantum fieri potest Asam, nec de viribus nostris victoriam speremus, sed de eius gratia, de quo ait Apostolus, Vincimus per eum qui dilexit nos. Item, Gratia sit Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.

Iosias, Rex. Josia domus Dei instaurationem urgente, summus sacerdos librum legis authenticum nactus ad regem mittit, cujus lectione perculsus, dicit Sacerdoti & aliis, *Ite, consulite Iehovam pro me & pro populo,* nempe pro toto Jehuda, super verbis libri hujus qui inventus est: nam magnus æstus est iræ Jehovæ, quæ accensa est in nos: eo quòd non auscultarunt patres nostri verbis legis hujus, ut facerent omnino prout præscriptum est nobis. *2. Reg. 22. 13.* Eximium Dei servum Josiam vi[illegible]emus. Verè enim expavit propter iram Jehovæ, & doluit Deum esse offensum, non modò laceratione vestium, sed etiam ingenua hac confessione, *Magnus est æstus iræ Domini, quæ accensa est in nos.* Fidei verò & boni propositi signum minimè fallens est missio legatorum ut consulant Jehovam, id est, prophetissam Huldam. Si enim non credidisset doctrinam propheticam esse veram, eique parendum & obediendum esse, nequaquam tanta reverentia audivisset scripta Mosis, nec tales legatos ad fœminam dono prophetiæ ornatam misisset. Nihil porro prodest audire veritatem, si non auditionem fructus sequatur.

Constantinus Imperator. Episcopis sui seculi dicebat, Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam à Deo Episcopus constitutus sum. *Euseb. de vita Const. lib. 4. cap. 24.*

Constantius Imperat. Consi[illegible]ni pater. Christianos homines, & veritatem Dei firmo animi proposito semper professos, stipatores suos & ipsius regni custodes apostatis & profanis omnibus eiectis Constantius constituit: nequiens id genus homines in præcipuis maximeq; necessariis amicis & familiaribus numerandos esse, multoq; pluris quàm æraria ingenti thesauro referta meritò æstimandos. *Euseb. de vita Const. lib. 1. cap. 11.*

Athanasius. Rerum, inquit, cœlestium teneri desiderio, & earum perdiscendarum studio duci pium Imperatorem cum primis decet. Nam eo pacto cor habebit revera in manu Dei positum, & imperium pacatè ac tranquillè ad multorum annorum curricula administrabit. *Theodor. eccl. hist. lib. 4. cap. 3.*

Nicephorus. Principibus, inquit, ad salutem sola satis vera est pietas: sicuti contra, absque illa nihil prosunt exercitus, equi, satellites, ensium vis, virorumque innumerabiles copiæ, aurum item & argentum, plurima terræ jugera, & quicunque alius propterea est apparatus. *Nicephorus eccl. hist. lib. 14. cap. 2.*

Placilla. Theodosij Imperatoris piam conjugem Placillam nonnullis illam à pauperum & infirmorum cura avocare studentibus respondisse ferunt, Auri distributio Imperatorem decet: ego autem pro ipso imperio, ei qui idipsum dedit, operam hanc offero lubens. *Theodor. eccl. hist. lib. 5. cap. 18.*

Eadem. Imperatori Theodosio, viro suo, talia verba frequenter subiiciebat: Considerare te semper, conjunx suavissime, oportet, & quisnam antea fueris, & in quem locum te evexerit universitatis hujus Deus. Si enim perpetuam ejus rei obtinueris memoriam, non prorsus te ob accepta beneficia ingratum præstabis erga eum: sed ex præscripto legum Dei, quod ab eo accepisti gubernabis imperium, & ita eum qui id tibi commisit ut fideli ministro, ritè coles. *Niceph. eccl. hist. lib. 12. cap. 42.*

Sozomenus historicus. Sola pietas, inquit, est Principum verus ornatus. *Præfat. in suam hist. eccl.* Item, Sola pietas Principibus ad salutem sufficit: absque illa verò nihil est vel exercitus, vel Imperatoris fortitudo, vel apparatus reliquus. *Sozom. eccles. histor. libr. 9. cap. 1.*

Evagrius. Princeps, inquit, non ex eo quod aliis imperat spectari debet, sed ex eo quòd seipsum ita regere ac moderari potest, uti nullum absurdum voluptatis genus sinat in animum irrepere, sed ita invictum se ab intemperantia præstet, ut vita ejus sit tanquam imago virtutis, quam & imitentur subjecti ejus, & ad virtutem erudiantur. *Evagrius eccl. hist. lib. 3. cap. 1.*

Nicephorus. Ego dixerim, inquit, non ex eo verum Imperatorem, qui legibus solutus arbitrio suo vivat, quòd aliis imperet, æstimari: verùm si in seipsum potiùs potestatem exerceat, neque pravi quicquam animum suum subire sinat: unde ille adversus fœditatem & turpitudinem invictus, & à libidine omni alienus, perinde atque animata virtutum effigies, cives subditosque suos universos ad imitationem sui pertrahat. *Niceph. eccl. hist. lib. 16. cap. 1.*

Tiberius Imperat. Christianus. Non solùm, inquit, certaminum omnium multò maximum est, creditum sibi sceptrum pro eo atque par est conservare: verùm etiam hæreditatem imperii, ita ut decet, ad eos quos oportet, transmittere. Et sanè æquum esse admodum arbitror, decessoribus Principibus successores debere esse præstantiores, ut illorum errata isti corrigant. Quod nisi fiat, imperij ipsius ditionem omnem, propterea quòd imbecillibus fundamentis nitatur, labi & corruere necesse est. *Nicephorus eccles. hist. lib. 18. cap. 6.*

Idem. Potestatis insolentiam (*verba Tyberij ad Mauricium*) ratione fac frenes, & philosophiæ artibus sapienter potentię scapham gubernes: Imperium namque res quædam est sublimis & excelsa, in altum qui ei insident sustollens, & rectè cogitata excutiens. Minimè verò opinionem eam, quòd prudentiâ omnibus anteeas, concipe: quamvis fortunâ, quæ tibi sublimis contigit, omnes superes. Porrò civium & subditorum benevolentiam potiùs quàm metum fac consecteris: & objurgationem magis, perinde atque magistrum quendam, quàm assentationem amplectere. Potestas namque res quædam est, quæ admoneri docerique nolit, & castigationem ægrè ferat. Ante oculos tuos assidens justitia excubet, quæ vitæ nostræ actionum remunerationem, pro summa sua potestate constituit. Purpuram perinde atque vilem pannum tibi iniectum esse, per philosophiæ studium existima. Coronam autem, qua caput tuum cinctum est, nihil à lapillis qui circa marinum littus fluctibus alluuntur, differre puta. Ipse purpuræ flos, qui subtristior est, exhortari mihi Principes videtur, ut moderationē animi rebus secundis servare assuescant, neque nimiùm lætentur, aut luctuosa ista monarchiæ stola superbiant. Imperij siquidem sceptrum non immoderatam potestatem, sed splendidam potiùs servitutem exercere admonet. Iræ imperet humanitas & misericordia, arrogantiæ autem timor. Nam & apibus natura duces dedit, earumque regem aculeo quasi quadā spontanea & naturali potestate armavit, ut pungere etiam eum possit, qui legitimè non pateat. Sed apis minimè tyrannicum, verùm communi utilitati commodum & justum aculeum habet. Itaque illius saltem erimus imitatores: siquidem ratio ipsa, consilia meliora subiicere non valeat. Equidem ad te hæc, veluti productor tuus & parens. Consilij autem nostri judicem habebis potestatem ab omni affectione & muneribus incorruptam, simul & virtutes ipsas remunerantem, & vitia coercentem. *Nicephorus eccl. hist. lib. 18. cap. 6.*

Iustinus. Justinus ad res gerendas ineptum se sentiens, Tyberium sapientissimum & verè nobilem virum declarat Cæsarem: cùmque tunica Imperatoria eum indueret, lænaque circumvestiret, sic clara voce loquutus est: Ne te in errorem inducat vestis splendor, neque illustris ornatus istarum rerum, quæ sub aspectum cadunt, decipiat, quibus ipse in fraudem impulsus imprudens meipsum gravissimis suppliciis obnoxium reddidi. Itaque tu in Republica summa cum mansuetudine & animi lenitate regenda, mea vitia præstato. Atque digito magistratus demonstrans: Non oportet, inquit, horum consiliis morem gerere. nam hi me in istas, quas cernis, miserias deduxerunt. *Evang. eccl. hist. lib. 5. cap. 13.*

Idem: Nicephorus exhortationem illam paulò prolixiùs quibusdam additis, recidat his verbis:

Quum imperatoriam coronam purpureámque vestem Iustinus Tiberio successori suo, antea excubitorum comiti, imponere vellet, eum ita compellavit: Ne te, vir optime, umbra ista phantasiæ seu apparatus hujus, & vestis hæc decipiat: quibus & ipse, præterquam deceret, transuersim raptus non sensi meipsum supremis pœnis obnoxium reddere. Tibi verò curæ erit ut peccata quoque mea corrigas. Corriges autem, si rectè & benignè rempublicam administrabis. Nec omnino istis tibi parendum erit (principes demonstrans) nam & ipsi me in eas quas cernis ærumnas conjecerūt. Honora Deum & Ecclesiam ejus, olim quidem herām & dominam, nunc verò matrem tuam. Qui facultates & possessiones habent, habeant: quibus eæ desunt, eis tribue. Perinde atque in teipsum, ita in omnes animum intende. Nosce verò, & quis antea fueris, & quis hodie factus sis. Si non vis peccare, ne arrogans & superbus fueris. Ipse namque vides, quis ego paulò antè fuerim, & quid nunc sim. Pauperes inprimis dilige, & eleemosynæ apud te non deficiant, &c. *Nicephorus eccl. hist. lib. 17. cap. 40.*

Basiliscus Imperator: Imperatoris est sedulò prospicere, ut subiectis non in præsentia solùm, sed etiam in posterum secura tranquillaque vita provido ejus consilio suppeditetur. *Euagrius ecclesi. hist. lib. 3. cap. 4.*

Ioannes Commenus Imperator: Is moriturus, convocatis cognatis, amicis, atque magnatibus, productóque Manuele, filio natu minimo, quem Isaacio natu majori præferri curavit: inter multa egregiè, piè & scitè dicta, etiam quæ sequuntur effatus est. Vestris manibus robur & vires Deus addat contra populos qui bellis student, quique sacrosanctum Dei nostri nomen non invocant. Id autem fiet, si vos successus à dextra altissimi & excelso ejus brachio pendere statueritis, & Dux vobis divinitus contigerit, non truculentus, non perplexo ingenio, non ventris & gulæ mancipium, qui à palatio, non magis quàm penicillo & coloribus expressæ imagines avellitur. Nam ut Principis mores sunt, ita res ferè administrantur, utpote à quo pendeant: qui si ignavus sit, ruunt in deterius: sin bonus est & strenuus, eriguntur & florent. Quippe Deus Davide authore, bonos & integros provehit, distortos verò cum iniquis in barathrum præcipitat. *Et paulò post.* Equidem fateor Naturam principatum natu majoribus deferre solere. Deum verò in designandis regibus aliam rationem plerunque sequi animadverto. Nec enim humano more personæ rationem habet, nec pretia rerum canis & ætate metitur: sed indolem animi, mansuetudinem, lenitatem intuetur, mandatorumque suorum observationem. Quibus de causis, ego quoque corruptrici naturæ in multis non obsequor, sed eius institutis, ut pusillę mulierculæ consiliis in rebus gravioribus repudiatis, Deum omnis pravæ affectionis expertem, authorem sequi malo. Aliis subjunctis, Manuelem Isaacio prætulit in imperio prudens Imperator, qui aliquot diebus post moritur. *Nicetas Choniates, Annal. lib. 1.*

Ludovicus cognomine Sanctus. Prudens & pia fuit admonitio Ludovici regis Galliæ, qui Sanctus appellatur, ad filium successorem in regno, quæ inter alias multas à Johanne Tilio recensetur: Ita, inquit, te gerito, ut necessarij & familiares tui possint te liberè admonere mali quod commiseris, & docere quid sit faciendum. Siquidem natura humana in his rebus quæ ad voluptatem pertinent, ad id sæpiùs inclinatur, quod sibi detrimento esse solet, atque id unum profuturum putat, quod ipsa cupit perficere, hincque revera in fraudem inducta, neque quid conducat solertia perspicere, neque periculis admonita, vel modestiam animi discere, vel ad id quod decet redire potest. *Philippus Camerarius, in meditationibus historicis, cap. 90. ex Ioannis Tilij lib. 2. de rebus Galliæ.*

Fridericus III. Imperator. Fridericus III. Imperator cuidam dicenti multos esse qui ipsi maledicerent: respondisse, accepimus summos Principes scopi instar esse, ad quem omnes ferè linguarum tela colliment: ac cùm hominibus querulis satisfacere nequeant, dandam operam, ut quoad ejus fieri potest, conscientiam servent puram coram Deo. *Grynæus in Habac. pag. 225.*

Maximilianus I. Imperator. Landantur non immeritò reges & principes, quibus administratio regnorum commissa est, quando non ab aliorum nutu & consiliis planè pendent, omniaque in suos familiares reiiciunt, ipsi planè desides, & ad imperium inutiles: sed ipsimet industrij sunt in rebus ad salutem & incolumitatem subditorum suorum spectantibus. Hoc sanè observavit Maximilianus I. Imperator præstantissimus. Ideoque Iovius eum dicere solitum fuisse scribit, Turpe quidem esse magno Principi nescire literas, sed longè turpissimum his eum moribus atque virtutibus omnino caruisse, quæ populis & gentibus imperantem cum eximia pietatis atque excellentiæ laude, contra superbiam atque libidinem, & reliquas immoderati animi cupiditates invictum penitus & incorruptum præstarent. Vide Iovium *in vita Hadriani Pontificis.*

Tiberius Imperator Christianus. Dicebat eos quibus prolixior est faciendi quæ volunt potestas, eos peccata plura consequi. *Niceph. eccl. hist. lib. 18. cap. 6.*

Ludovicus XII. Gallorum rex. Acceptis literis Palicij, quibus de victoria ad Ravennam de Hispanis reportata, neceque præstantissimi ducis sui Gastonis Fuxei admonebatur, ad amicos conversus, Utinam, ait, ego Italia exclusus essem, viveret verò Fuxeus, reliqui superessent proceres: hostibus verò tales eveniant victoriæ: si sic iterum vincimus, victi sumus. Ita vetus id jure repeti tunc potuit, Flet victus, at victorem evertit ipsa victoria. *Arnold. Ferron. de rebus gest. Francorum, lib. 3.*

Eberhardus Dux Wirtembergensis. Is princeps optimus & suis subditis acceptissimus, in principum Germanorum solenni conventu, aliis alias suarum regionum dotes prædicantibus, hoc uno

gloriabatur, Quod in cujusvis suorum subditorum gremio, etiam in vastissima solitudine, somnum capere securus posset. Eximia & verè gloriosa ac viro Principe digna gloriatio. *Ioachimus Camerarius in vita Philippi Melanchthonis.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Petrus Aldobrandinus Card. Cum ad imperandum in Dei Opt. Max. locum suffectus sit Princeps, quem sine Religione nemo sequi potest: dicere consuevit Religiosus Antistes Aldobrandinus: *Nihil magis spectare decet Principem, quàm Religionem. idq́; tribus de causis: cùm, quia homo est: tum, quia Dei minister: ac deniq́;, quia Reipub. rector est & gubernator.* Henricus Farnes. in Apophth. de Principe.

Idem. Et quia populi sui obsequium refugere videtur, qui Dei negligit imperium: *Maxima,* ajebat, *Principis commendatio in Religione consistit.* & verè, respirat in inclinata fortuna populus, ubi Principem videt Religioni deditum. *Ibid.*

Idem. Rogatus, quínam Principum forent clementissimi: *Maximè,* respondit, *religiosi. quia nihil est Religione clementius.* Hinc noluit vetustas deorum simulachra ex lapidibus aut metallis effingi, quia durior esset illa materia: sed ex ligno, quod ad usum hominum crescit. *Ibidem.*

Idem. Sciscitanti quoque, quid potissimùm Principi curandum: *Religio,* respondit. instanti, Quid insuper? *Ne,* ait, *ea deseratur. quæ Religioni debetur obedientia.* ô si Angliæ Regum pectoribus insculpta aliquando & inscripta fuisset hæc imperandi norma! viveret adhuc avitus pietatis cultus, quem jam pridem liliatus pater suo stigmate fœdavit. *Ibid.*

Petrus Aldobrandinus Card. Incunabula Reipub. & militaris disciplinæ ab uno Hercule trahi, asserebat superstitiosa vetustas. unde quærenti, qualem esse oporteret Principem: respondebat illustriss. Cardinalis Aldobrandinus: *Fortem. quia imperij tutela fidissima, Fortitudo.* Præclarè Seneca;

Rex est qui metuit nihil,
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia:
Occurritq́; suo libens
Fato. Ibidem.

Idem. Interrogatus autem, quo fortitudinis studio duci deberet Imperator; *Eo,* inquit, *quo ferebatur Pelopidas Thebanus.* Is enim cùm ad expeditionem proficisceretur, monenti conjugi suæ saluti prospiceret; *Hoc,* inquiebat, *gregario militi curæ sit: Principem certè decet, non se solùm, sed & totum exercitum à perditione servare immunem.* Ibid.

Idem. Dixisse eum etiam memoriæ proditum est: *Fortem qui lacessit Principem, suo se gladio jugulat.* Ita Brasidas vir magnanimus, hasta quam è vulnere eduxerat, suum hostem interemit. *Ibid.*

Petrus Aldobrandinus Card. Magno quidem in pretio Principis fortitudo apud magnos; at non minori, eiusdem Præsentia. unde rogatus Petrus Aldobrandinus, quídnam in conflictu renitentibus summum adferret præsidium; *Conspectus,* inquiebat, *Principis.* Hoc sentiens Agabrias ajebat, pluris esse pecudum exercitum leone duce, quàm leonum imperante pecude. Debet ergo Princeps juxta Silium,

Primus inire manum, postremus ponere Martem.

Henr. Farnes. Apophth. de Principe.

Require Dux bonus, strenuus, *&c.*

Petrus Aldobrandinus Card. Ridiculos eos dicebant viri sapientes olim, qui vocem in quæstum conferunt: nec officium in deliberando, sed spem sequuntur. est enim consilij obses, non quæstus, sed prudentia. Quod ut sapientissimus ille Antistes doceret, dicebat: *Consilium est Principatus baculus: sine quo stare non potest. jacere verò potest Princeps.* Henr. Farn. ibid.

Idem. Interroganti autem cuidam, quo armorum genere hostium vis maximè possit reparari; *Vmbone,* dixit, *Palladis: quo qui tegitur, lædi non potest.* Sanè res bellica sine consilij prudentia, nec utilitatem habet, nec laudem. *Ibidem.*

Idem. Dum Imperatori imbecillo cum robustissimo hoste confligendum aliquando foret, rogatus, Quomodo talis Imperator se geret, ut victoriam reportet? *Vt leopardus,* ait, *cum leone* Innuebat autem, arti & consilio magis quàm viribus fidendum. Hinc Verinus in Distichis:

Consilio vilius, quàm viribus arma geruntur;
Militis est robur, consiliumq́; Ducis.

Ibidem.

Henricus IV. Imp. Jungatur Alphonso Henricus. qui rogatus, cur plebeio habitu Imperator uteretur; *Quia,* inquit, *Regum est, non corporis sed animi ornatu excellere.* Ioan. Peregrinus.

Marcus Barbaricus Venet. Dux. Cùm huic item obiiceretur, quòd in puniendo, & se de injuriis vindicando tardior esset, respondit: *Boni Principis est, non se ulcisci de inimicis: sed sufficit ut se ulcisci posse declaret.* Laudatur meritò illud Senecæ:

Qui vult amari, languidâ regnet manu.

Corozetus.

Sophia Tiberij Cæs. Imp. Neque latuit Sophiam Tiberij II. Conjugem, matronam prudentem & religiosam, rem magnam esse bonum Principem. Ita enim sæpiùs eam ad maritum locutam ferunt; *Præstat esse malum hominem, & bonum Principem: quàm malum Principem, & bonum hominem.* significans, melius esse Principi benè facere, & malè audire; quàm benè audire, & malè facere. *Ex lib. Rer. mem. Gall.*

¶ Monosticha Trochaica.

À bono parente, Princeps nomine uno discrepat.
A suis, quam ab hoste, plures interimuntur Principes.
Absq́; cædibus regnare Principi diu arduum est.
Absq́; sanguine imperare Principi, diu arduum est.
Adsidet Iovi Ius & Fas: cur non vobis, Principes?
Alius odit principatus, alius odit principes.
Altior quacumq́; Princeps est bonus injuriâ.
Ambulant paribus Philosophi Principesq́; passibus.
Auxilium est civile, nomen invocare Principis.
Civium labore fit res gloriosa Principum.
Civium sortem ipse malim quàm tiaras Principum.
Cuilibet benignitate subvenit Princeps bonus.
Cùm suæ Princeps saluti parcit, parcit publicæ.
Cuncta consiliis trahunt, non & sequuntur Principes.
Cuncta fortunæ vatere Principes rentur suæ.
Cunctâ legum ac magistratuum in se cur Princeps trahat?
Debet & inservire multis, multi cui inserviunt.
Dedecus ferè Vniversi est Principis securitas.
Dedecus pastoris est si non habet pecus benè.
Detegunt interna frugi Principem, nauci extera.
Dextera sua tutatur corda Principum Deus.
Dicuntur quidem omnes, pauci sed patres sunt patriæ.
Discit orbi cuncta Princeps, quisq́; quæ discit sibi.
Duplicem fert principatum quisquis unum despicit.
E cubiculo labores quis prospectet Principis?
E penu Clius dimanat Principum omnis gloria.
Eheu, quam sunt prona Principum ingenia ad formidinem!
Est necesse navigare, haud est necesse vivere.
Est suis lex viva Princeps cuiq́; cedit quæ suum.
Est videntis legis instar civibus Princeps bonus.
Et diu & noctu in theatro vivunt Orbis Principes.
Ex potentiâ magis, quam ex vero statuunt Principes.
Falsa virtus Principis plus vulgo adfert formidinis.
Famam amare cum virtute Principis mos est boni.
Gloria atq́; honor labores Principum facit leves.
Gloriosius nil est impunè læso Principe.
Græci omnes sciunt honesta soli at Spartani colunt.
Heu quam multa Principum aures recta præter navigant!
Hostium manus evadet, qui suorum haud effugit.
Iam princeps scholas obibat Antoninus Philosophus.
Immodici multos honores occidere Principes.
In suis amant, in hoste Principes probant fidem.
Inquietæ servituti princeps omnis subjacet.
Invenisse videri malis quam fecisse tuos bonos.
Invidet sibi ipse Princeps qui melioribus invidet.
In re pauci se tuentur Principes, vi plurimi.
Iustitiâ ac Pietate quivis Principes fiunt Dei.
Læta sors pravi magistri Principem docent mala.
Largius bonos honora; parcius puni malos.
Magnum item adfert adjumentum Principi eruditio.
Membro principe ægrotante, corpus omne habet malè.
Militum ingenti corona cingitur princeps malus.
Multa audire, multa cernere, haud decorum Principi est.
Multi Principi insidiantur, plures Principatui.
Ne brevi, Princeps auditu maximas res transeas.
Ne quidem imperium profani miles toleret Principis.
Nec clementiæ affectanda nec sævitiæ gloria est.
Nec privatis mente præstant Principes nec corpore.
Nemo amicus nemo fidus est ingrato Principi.
Nomen haud à regno sed per regnum quærunt Principes.
Nonnihil concede iniquis, regnum ubi palam obtinent.
Non potest bonus vocari, cui comes præest malus.
Non potest diu latere sceptra qui tulit manu.
Non potest mutare mores Rex, licet velit, malus.
Non potest præesse cunctis, qui occupatur proprio.
Non sinit lex Persam adire Principem immuni manu.
Nulla non amore patriæ cura levior Principi est.
Nulli adhuc concessa constans Principum innocentia.
Nummi adulterini iniquo usus est sub Principe.
Nunquam amicis confidenti corde intersunt Principes.
Omnium minimè soli sunt, soli ubi sunt Principes.
Omnium securitati providens spernit suam.
Omnium securitatem Princeps præfert propriæ.
Optimus tantum est dies primus malum post Principem.
Parva Principum delicta vulgo habentur maxima.
Pauper est sibi, divesq́; publico, princeps bonus.
Pax magis felicitasq́; Principum est, quam Temporum.
Pace vivendum in tuâ tibi est armato Principi.
Pertinent ad publicam rem Principum bona ac mala.
Plures à suis occisi sunt quàm ab hoste Principes.
Pluribus prodesse posse, Principis bonum unicum est.
Plus nocent exemplis, ipso quam peccato Principes.
Plus proba qui dona poscunt, dona quàm qui ultro oggerunt.

P steri

Posteri priorum exemplis corrumpuntur Principum.
Præsta te bonum atque justum, & imperes feliciter.
Princeps in se sit severus, in suos mitissimus.
Princeps orbus ac senex ferè omnibus contemptus est.
Principis fortuna doni non desiderat vices.
Principis tutela turpis, imputari cui potest.
Principi bono urbium alma ritè creditur salus.
Principi cuicunque nemo sponte paret: cogitur.
Principi cuicumque sola munit imperium fides.
Principi est honos habendus instar humani Iovis.
Principi insidias inermem struere, vix fidem invenit.
Principi ne obnitere, etsi te exuat bonis tuis.
Principi ne suaviora consulas, sed optima.
Principi nocere forti nemo vult, nemo potest.
Principi præstare, nobis quàm optare est velocius.
Principi reserves grandia atque difficillima.
Principem esse, non est nudum habere nomen Principis.
Principem malim malum, amicos ipsius quam Principis.
Principem malum exsecrantur, etiam qui faciunt malum.
Principem sperni necesse est, ipsa ubi lex spernitur.
Principem spernit modestum plebs, ut odit asperum.
Principe adverso quis in se studia vertat civium?
Principes boni haud fortuna fidunt ast virtutibus.
Principes boni manere non queunt boni, ob suos.
Principes bonos in uno sculpas omnes annulo.
Principes dolo suorum plures, quam bello cadunt.
Principes fer cumq; quales, ac bonos voto expete.
Principes malim Romanos quàm Cattorum feminas.
Principes præstent libenter, quod futurum est plurium
Principes paucissimi sunt queis Seianus haud suus.
Principes per regna nomen, non à regnis quæritant.
Principes procul Neronis cuncti absunt quinquennio.
Principum æquè, uti parentum, ferto contumelias.
Principum auribus, ferè quod utile est, & asperum est.
Principum est servare cunctos velle, perdere neminem.
Principum in salute posta civium omnium est salus.
Principum laus tota falsa est, quam timoris os canit.
Principem laudum illecebræ ad bonam mentem incitant.
Principum est, cùm multa possis, facere viribus modum
Principes metu exterorum æquabiles sunt in suos.
Principum noxæ expiantur innocentum sanguine.
Principum pauci Camœnis aurem habent idoneam.
Principum peccata clade cives expiant sua.
Principum prætextus haud est causa, sed pro ea valet.
Principum quidem promittere, at dare est honestius.
Principum quis est, sinistra fama cui non incubet?
Principum scelus ruinâ patria immensâ luit.
Principum vel cum periculo publicamus crimina.
Principatus ac libertas unius non sunt loci.
Principatus est custodia, est salus Auctoritas.
Principatus reddit, Princeps quod spopondit mortuus.
Principatus vis insigne scire summum? purpura est.
Publica parcit saluti Princeps, cùm parcit sua.
Publicâ fortunâ princeps sanguinans exstinguitur.
Publicos quoscunq; luctus flebis, flebis Principis.
Pulcrum est ingenio mereri Principis indulgentiam.
Quare amorem apud populares, quare hostes inter metum.
Qualis pulmonis marini, vita talis Principum est.
Quei queat valere Princeps, ipsa ubi lex morbida est?
Qui parens bonus piusq; est, talis esse rex potest.
Qui suas oves deperdit pastor haud dici queat.
Quidquid laudis est in membris omne refertur ad caput.
Quidlibet sibi licere in quemq; Principes volunt
Quis non Princeps se fatetur alligatum legibus?
Quo frequentior videtur Sol fit hoc acceptior.
Quod navarchus in triremi, hoc sunt in orbe Principes.
Rarò Principis quæ facta est in melius mutatio.
Rentur multi, summam in luxu fortunam esse, Principes.
Rex bonus nihil consultat sine viris primariis.
Se patrem studet vocari non herum Princeps bonus.
Se suosque nosse virtus est suprema Principis.
Semper servit universis Princeps, sæpe singulis.
Serra quævis ligna scindit, nec ideo excelsum sapit.
Sic homine utere, ceu curator post Deum sis omnium.
Sic tuo cum cive vivas, ut parens cum liberis.
Sol licet non sit ubique, cuncta luce implet tamen.
Stercus, atque urina, avaro non parit sub principe.
Sub malis Principibus esse magni etiam possunt viri.
Tam mendicus aerem haurit, quam quos vestit purpura.
Temperante Principe, ecquis civium est intemperans?
Veste sub densâ quandoque suffocantur Principes.
Vindicet tuas Senatus, non tute ipse, injurias.
Virtus maxima est servare patriæ cives patri.
Virtutis loco voluptatem aucupantur Principes.
Viva lex, non scripta, Princeps civibus praest suis
Vix se legibus tenent in quas jurarunt Principes.
Vnius Cyri est, amare tanquam ipsummet se suos.

Vt fugit lacerta Solem, sic fuge & Rex publicum.

§ JAMBICA.

Æquum est bonumque Principes quidquid volunt.
Alio imperante Princeps dici non potes.
Animo æstimantur, non ornatu, principes.
Animosum esse principi magnos decet.
Auctor bonorum est omnium Sol omnibus.
Benignus usquequaque princeps est bonus.
Bona valetudo pulcrè ipso à capite incipit.
Commune damnum crimen adfert principis.
Cum perdidere, amant amicum principes.
Curat magis princeps suos quam se bonus.
Debent dare etiam multa famæ principes.
Domum ut tuam, princeps, negas rem publicam.
Donare famæ multa debent principes.
Et fraudulenta principum clementia est.
Et ipsa forma commendando principi est.
Etiam toros scandunt Deûm caprarij.
Ex insidijs perire, ferme principum.
Ferrum sui formidant lateris principes.
Fictæq; semper amicitiæ sunt principum.
Haud audiendus est superbè homo miser.
Haud innotescit illicò mors Principum.
Haud victus idem pecoris est ac Principis.
Honora animo mage nobiles quam corpore.
In principem unum culpa cunctorum redit.
Iucunda res amica lingua Principis.
Lætare incolumis, Roma, salvo Principis.
Lætare incolumis, Roma, salvo Principe.
Lætos dies agro quis exigit Principe.
Legis videntis instar Princeps est suis.
Legis vigorem habet placet quod principi.
Levis popellus Principum est vita arbiter.
Mens nemini patere debet Principis.
Mens omnibus patere debet Principis.
Metus Pudorq; frena bina Principum.
Mors Principis turbarum dat licentiam.
Natus mage est princeps colendus, quam datus.
Nil largiatur Princeps, dum nil auferat.
Nil rerum est humile, nisi odisse, Principi.
Non hercle tot sunt, quot vocantur Principes.
Non judicat contra leges princeps pius.
Non maximus modo Iupiter est, at & Optimus.
Nostrum est, ubique Principi quod nascitur.
Obsurduerunt aures vero Principum.
Odiosa cunctis Principum superbia est.
Omnes habent suum Sejanum principes.
Opes egenis eroga atque fortibus.
Oves suas quis pastor unquam perdidit.
Parcit sibi Princeps cùm parcit alteri.
Pascit gregem pastor probus, vorat malus.
Pastor bonus pro ovibus animam ponit suis.
Pauci sciunt quidnam sibi liceat Principes.
Periculosa Principum mutatio est.
Perit suum quod corpus haud curat, caput.
Pietate & Iustitia Dij fiunt Principes.
Præcipua rerum, ad famam Princeps dirigit.
Primus dies post Principem malum optimus.
Princeps bonus, Dei est imago sanctior.
Princeps bonus, pœnas dat, pœnas cùm exigit.
Princeps bonus, quid quam procurator Dei est?
Princeps malus, quid est Dei quam carnifex?
Princeps philosophus pro Deo est populis suis.
Princeps sciat non exsequatur omnia.
Privati inimicum; amicum, Principes timent.
Proceritas decora, honesta Principi.
Prorumpit in bellum ira ferme Principum.
Quærenda virtus Principis, non patria.
Quævis sciunt pravis magistris Principes.
Quemcumque fama perpes Principem manet.
Quod pastor ovibus, hoc & Princeps civibus.
Rerum ministri puniendi atrocium.
Romanus orbem totum ceu præsens regit.
Sæpe esse surdum Principi & mutum optimum est.
Studeant amari non timeri Principes.
Suspensus animo semper est Princeps novus.
Timent tyrannum cives, Principi timent.
Te principatu quem generis dignum exhibe.
Tondere oves oportet, haud deglubere.
Tutum nihil, nihilque firmum Principi est.
Venale quidvis est malo sub Principe.
Veri patientes ulli vix sunt Principes.
Vicem Deorum in terris Princeps fungitur.
Vis magna populi est· Principis major tamen.
Vna facit Princeps, quos dicit, optimos.

Principis Institutio vel Educatio.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Synesij Episcopi ad Arcadium Imp. Utrumne tandem nisi quis ex amplissima aliqua, ac locupletissima civitate venerit, & magnificas secum, ac delicatas orationes adferat, cujusmodi Rhetorica & Poetica publica pignora publicæ artes pariunt eum cum huc accesserit demisso vultu esse oportebit, quasi ne hiscendi quidem in Palatio libertas sit, quod nec patriæ splendore commendetur; neque festivorum, & consuetorum Acroamatum, quibus rex, regisque adsessores demulceantur voluptatem conciliare possit? An adventantem potius tandem aliquando Philosophiam benignè excipietis? Et quisquam erit, qui longo intervallo huc prodeuntem non dubiè agnoscat, sed tanquam hospitem deductam apud quos par est commendabit? horum enim non sui ipsius, sed vestri causa indiget, ut minimè despecta inutilis sit. Ea vero sermones instituet, non placidos illos, quiq; juvenum animos oblectatione quadam afficiant, sicut nec expressa affectuum figuratione diffluentes, nec verborum lenociniis ad adscititij decoris ostentationem instructos. Sed contrario plane modo iis, qui assequi poterunt, gravi nimirum, ac divinum præ se aliquid ferente, viriles, & majestatis plenos, atque illiberali adulatione facilè potentiorum favoris aucupium detrectantes. Hi autem adeò sanè rigidi, adeoque temerarij sunt, &, ut in regiis ædibus peregrini, ut ne satis quidem sibi fore dicant, si quis non omnia omninò laudare, quæ ad regem pertinent, regemque ipsum permittat, sed & molestiam insuper intentent, seseque cor ipsum non strictim duntaxat puncturos, sed ad imum usque penetraturos comminentur, si ex ea forte tristitia quisquam adjuvari queat.

Atqui regiis auribus liber, atque ingenuus sermo maximi faciendus est; ea autem ex omnibus laus, quæ perniciem cum voluptate consciscit, venenatis potionibus similis mihi esse videtur, quas melle perfusas morituris propinant. An verò nescis coquinariam quidem artem superfluis apparatibus cibos condientem, minimeque naturales appetentias excitantem corporis statum labefactare, Gymnasticam verò, & Medicinam utramque momentaneum dolorem inferentem sarta tecta conservare? Te igitur ego, vel si idipsum moleste sis laturus, ex eorum qui servantur numero esse volo. Nam carnes quidem acris, atque adstrictoria vis salis diffluere non patitur: Adolescentis vero regis animus quocumque impetus feret præ potestatis licentia progressurus, verborum veritate cohibetur. Ita ergò novum, atque inusitatum orationis genus patienter sustinere minimeque apud vos insolentiæ damnetur, nec ei antequam processerit silentium imperetur, quod nec blandæ persuasioni inserviat, nec adolescentibus gratificari, aut colludere, sed planè Censorij, accessuque difficilis Pædagogi officium usurpare velit. Quod si tale istud consortium æquo animo ferre possitis, neque omnino iis laudibus, quas audire soletis, aures vestræ corruptæ sint.

——— *ipse adsum intus ego.*

Me ad te cùm auro caput, tum animum Philosophia coronaturum, Cyrene mittit, Græca civitas, antiquum, & venerabile nomen infinitis olim sapientum carminibus celebrata; nunc pauper, & humilis, ingentiaque, ac deserta rudera, cui regia munificentia opus est, si quid gerere velit veteri illa sua origine non indignum. huic tu porro inopiæ, quandocumque libuerit, remediumque adhibebis idque in tua voluntate situm est, ut ab ampla, felicique patria altera mihi ad te denuò corona perferatur. At oratio ne nunc quidem ulla civitate indiget, quò loquendi libertatem habeat, & Imperatorem audacter compellet. Veritas siquidem verborum nobilitas est, nec pro loco ulla unquam vilior aut gloriosior extitit oratio.

Pergendum itaque Deo auspice, & orationum, vel, ut verius dicam, operum præstantissimum aggrediendum: Nam qui uni homini, regi, ut quam optimus sit, prospicit, ad omnes non modo familias, verum etiam civitates & nationes, sive parvas, sive majores, finitimasque aut dissitas constituendas brevissimo viæ compendio progredietur: quæ omnia quocumque modo affectum regis animum experiri necesse est. Vísne sane eam tum primum rationem ineámus, ut dicentem non gravatè audias? (consultum enim fuerit prædam non ante tempus è cubili excitatam abigere) dicamus, inquam, quæque regi agenda sint, quæque non sint, honesta turpibus ex adverso collocantes: tu vero utramque partem sigillatim expendens, ubi quod congruum est agnoveris, hoc quidem amplectere, utpotè decreto Philosophiæ receptum, aliud autem repudiato: atque ita in animum inducito: hoc te perpetuò facturum, illud nunquam in posterum admissurum. Quamobrem ipso orationis tempore ob ea quæ minus decent, quorum & nos vana. & tu tibi conscius es, apud te indignabundus, & pudore suffusus appareas, quoniam id in te esse comprobatum sit, quod nequaquam esse oporteret. Ejusmodi nempe color nonnullam ex factorum pœnitentia virtutem repromittit, verecundiaque illa divina est, & Hesiodo esse videtur. Contrà qui in delictis pervicax est, quem confessæ ignorantiæ dispudet, cautius ex resipiscentia consilium non lucratur, neque verborum medicamento, sed, ut Sapiens dixerit, castigatione opus habet. Ita Philosophia, asperam se ab initio, & tractatu difficilem præbet. Jam enim quosdam vestrum perturbari, eamque loquendi libertatem iniquo animo ferre sentio. Verum id ego me facturum ab initio professus sum; & eorum erat qui hoc antea intellexisset, fortiter sese præmunire, atque irruentis impressiones sustinere. Quanquam tibi hæc & auditu jucunda sunt, & uno ab omnibus ore prædicantur. Ego vero una tecum fateor tantam imperij magnitudinem in nullo eodem homine reperiri; acervatimque congestas divitias supra veterem illum Darium, & repetitum sæpius decies millenarium equorum numerum, quique iis utantur sagittarios & loricatos, adversus quos si ducem habuerint, imbelle est quicquid opponatur. Urbes præterea innumeræ supplices venerantur, quem neque maxima pars intuitæ sunt, neque intuituras se unquam sperant spectaculum voro omni præstantius. Hæc tibi à nobis dicta fuerint, longe aliis omnibus veriora.

Quid causæ est igitur cur mihi non planè cum illis conveniat? illi inde laudandi tui materiam sumunt, felicemque appellant: Ego autem minime hinc laudandum quenquam censeo, fortunatum tamen sanè prædicabo. Eadem porro natura non est, sed utrumque diversum, laus, & beatitatis prædicatio. Beatus enim aliquis ob ea etiam, quæ externa sunt prædicatur: laus nonnisi internis convenit, in quibus felicitas stabilitur. Illud improvisum, & inexploratum naturæ munus est, hoc bonum animi proprium. ideò hoc quidem per se constans & stabile, beatitas autem incerta est, sæpiusque in id quod contrarium est compulsa æqua lance rependitur. Præterea ad eam conservandam Dei ipsius auxilio opus est, & mente, & arte, & tempore, præclare quoque gestis, & ubivis, & variis, quæ nec experientia ulla constant, nec sunt iis, qui experiuntur facilia. Non enim quemadmodum homini secundus fortunæ successus advenit, ita sine labore, ac solicitudine conservatur. Sed vides nimirum quarumnam vitarum copia tragicorum Scenis suppeditetur, non in quibus plebeij, aut pauperculi, sed in quibus potentissimi principes, aut tyranni incommodis afficiuntur. Quippe mediocris domus magnitudinem calamitatis non capit, neque infortuniorum gravitati mendicorum vita obnoxia est. qui vero lautiore utitur successu, is in periculis, & altera fortunæ conditione esse solet illustris. Quinetiam virtus sæpenumero secundas res inchoavit, lausque ipsa beatitatis prædicationem antecessit, quasi fortunam puderet, si non manifestis virtutibus testimonium redderet. Hujus si exemplis fides facienda est, non est quod peregrina conquiramus. Veniat tibi Parentis in memoriam, videbis in virtutis ei mercedem imperium contigisse. At fortuna virtutis causa esse nequit: Rectè autem, & secundum virtutem factorum quidam fortasse hactenus felicitatem una contraxerunt. faxit Deus ut ex eorum numero sis, ut ne frustrà hic Philosophia sermonem instituerit. Regis tibi majestas eatenus honorifica sit, quatenus ad virtutis exercitationem contulit, eandemque evexit, cum & materiam suæ magnitudini consentaneam desideraret, neque rege inferiori posset vitę proposito contineri.

Excolendus itaque animus, uti regiè sese habeat, & fortunæ patrocinandum est, ne inconsiderantiæ, & temeritatis accusetur, quia non ab iisdem primordiis tibi, & parenti vita processit: huic militia regnum conciliavit: te ad militiæ laborem regia dignitas impellit, virtutemque fortunæ acceptam referre debes: illi bona cum labore parta, tu eorundem sine labore hæreditatem sortitus es: labore profectò ad ea tuenda opus est. Atque illud est, quod jampridem dicebam, arduum, & molestum, quod infinitos oculos requirit, ne ut fortuna assolet, medio in itinere gradum referat, quẽadmodum mali viæ comites faciunt, his enim illius inconstantiam sapientes assimilant. Videsne ut ne parenti quidem (etsi is manifestè ob pręclare à se, & cùm laude gesta imperator esset proclamatus) senectutem laborum expertem invidia reliquerit, unde neque ipsi Deus coronæ. Sed cum adversus duos Tyrannos profectus esset, utrisque prostratis de altero triumphans vita excessit, non ulli quidem hominum, sed naturæ tamen cedens, contrà quam neque armorum fortitudo, neque ingenij calliditas valet: virtutemque pro sepulturæ honore consecutus est, pacato vobis imperio, & sine contentione relicto, quod & vobis virtus & virtutis interventu Deus ipse tueatur. Quandoquidem cùm ubicunque Dei auxilium necessarium sit, tum iis præsertim, qui fortunam, non certaminibus, non proprio labore, atque industria quæsierunt, sed ut vos hæredes illius extiterunt. quam qui felicissimam Dei beneficio est adeptus, cuique in prima ætate magni regis appellationem concessit, eum nullam non laborem perferre oportet, & ab omni vitæ commoditate separari, ac somni quam parcissimi, sollicitudinum autem plurimarum esse participem, si quis regis nomen non immerito sibi velit obtinere.

Recteque omninò vetus sententia. Subditorum multitudinem Regem non potius facere quam Tyrannum, sicut nec ovium multitudo pastorem potius, quàm coquum, qui illas abigit, ut mactatis, non modo ipse famem expleat, sed & aliis epulandas vænum proponat. Iisdem prorsus limitibus Regem censeo à Tyranno dissidere. Nam quod ad fortunam pertinet, ambobus haud dissimilis est. In multos uterque homines imperium habet: Verum qui id in vitæ ratione sequitur, quòd subditis commodum videtur, qui laborem, & molestiam perferre vult, ne quid illis molestum sit, qui pro illis periclitatur, ut in pace, & securitate degant, quique vigilare, & in maximo concursu sollicitudinum versari sustinet, ut noctu, & interdiu subditi malis omnibus vacent, hic in genere quidem oviũ

Pastor,

Paſtor, in hominum vero genere Rex eſt. At qui per luxum poteſtate abutitur, & imperium voluptate, ac deliciis conterit, ſuas omnes cupiditates explendas ſibi eſſe ducens: unde ſubditi graviſſimis damnis afficiantur, idque ex multorum imperio lucrum deputat, ſi quamplurimi ſuis libidinibus, ac cupiditatibus ſerviant, & ut uno verbo dicam, qui gregem non ſaginare, ſed à grege ſaginari vult, eum inter pecora coquum appello, eum Tyrannum eſſe cenſeo ſi quod ſubditum eſt, populus ſit ratione præditus: hęc unica eſt Regis norma.

Tu vero jam ad hoc tete examen admoveto, cui ſi quadraveris merito auguſtam hanc auguſtæ rei appellationem tibi vendicato, ſin ab eo diſſideas, quod diſtortum eſt corrigere, & ad regulam teipſum accommodare contendito. Non enim de juvenili ætate deſpero cujuslibet illam incrementi capacem eſſe, tantum ipſam aliquis ad virtutis æmulationem extimulet, invectus ſiquidem valido utrinque momento prægravatur: uti flumina, quâ viæ facilitas datur impetu vehementiore prorumpunt: ideò juniori Principi neceſſaria Philoſophia eſt, quæ aut eum antevertat, aut à decurſu in alterutrum altera ex parte cohibeat. Alia namque aliarum virtutum vitia in confinio ſunt, & ab una quaque non in aliam, quàm in proximam lubricus eſt, præcepſque lapſus, Regiæ autem dignitati Tyrannis vicina, & foribus admodum propinqua eſt, ſicut fortitudini temeritatis, liberalitati prodigentia. Ac qui magnanimus eſt niſi Philoſophiæ beneficio intra virtutis limites coerceatur, ſi paululum prodierit, pro magnanimo arrogans fiet, & mente depravatus. Alium itaq; nullum præter Regiæ virtutis morbum, Tyrannidem diſcernas, ac reformides; cum præſcriptis hac oratione indiciis ad id utens, tùm eo potiſſimum, quo regi pro moribus leges ſunt: tyranno pro legibus mores: Imperium verò communis diſcrepantium à ſe invicem vitarum materia eſt. Cæterum proſperitatis, & felicitatis ſummum quodammodo culmen attigit, cujus ad voluntatem omnia conſequuntur. Ejus autem volũtas prudentiam ſequitur: cumque in externas res dominatum obtineat, contubernali nihilominus tanquam præſtantiori imperio cedit, ab eaque rerum agendarum ſignum, & quaſi teſſeram expectat. nec enim ad felicitatem Imperium ſufficit, neque in potentia eſt à Deo conſtituta beatitudo, ſed accedat prudentia, vel potius præcedat oportet, qua quàm optime poteſtatem exerceat. Atque illam ego vitam hominemque abſolutiſſimum prædico, qui integrè ex utroque coaleſcat, neque alterutra parte claudicet, qui imperare cum ſciret imperium ſit ſortitus, quoniam firmiſſimum id propugnaculum eſt, in quo cum animi prudentia vis, & poteſtas conjungitur, quæ ſi mutuò diſſocientur, & inconſideratæ vires, & imbellis prudentia levi negotio ſuperantur.

Ac ego inter ea, quæ à ſapientibus Ægyptiis fiunt, Mercurium demiratus ſum. Ægyptii duplici Dnum ſpecie fingunt, juvenem juxta ſenem collocantes, idipſumque præcipientes: Si quis ipſorum præclarè ſacra ſit inſpecturus, cum & ſagacem, & fortem eſſe oportere: quando alterum ſine altero parum adjumenti conferre poteſt: Eadem ratione in ſacrarum ædium veſtibulis Sphingis effigiem collocant, arcanum utriuſque virtutis conjungendæ Symbolum, quæ qua parte beſtia eſt, robur, qua vero parte homo eſt, prudentiam ſignificat. Vis enim corporis prudenti moderamine deſtituta præceps ruit, cuncta miſcens, atque confundens, minimeque idonea ad agendum ea mens quæ manuum officio caret. Regium ſanè quidem ornamentum virtutum omnium concurſus eſt, prudentia tamen præ ceteris maximè regi convenit: hanc tibi aſſeclam concilies, reliquæ enim tres ſororem natu grandiorẽ ſequentur, ſtatimque contubernales apud te omnes bellique ſocias habiturus es. Dicam cum ego ſermonem, qui etſi ſubinde auditus inſolens, atque abſurdus videbitur, omninò tamen eſt cum veritate conjunctus. Quoties aut imbecillitatem cum viribus, aut cum opibus paupertatem, aut ſuperiores in omnibus rebus partes cum inferioribus confero, ſi à prudentia ſeparatæ, ſinceræque mutuò comparentur, paupertatis, & imbecillitatis, privatæque principatus loco, conditionis præſentia, multo iis felicior eſt, qui mentis nequaquam ſunt, prudentiæque compotes. Etenim minus certè deliquerint, ſi animi improbitas ipſum ad agendum proceſſum nequeat invenire. Nam externa bona, quæ adminiſtra ab Ariſtotele, & Platone ducibus meis appellari conſueverunt, nihilo ſecius vitiis, quam virtutibus inſerviunt: Proptereà & ambo illi, & qui ab iis Philoſophiæ rivuli promanarunt, neque meliori ipſa appellatione dignati ſunt, neque deteriori prorſus addicenda eſſe judicarunt, ſed adminiſtra vocant; quæ nunc boni, nunc mali rationem habeant; pro eorum qui utuntur affectu diverſis ea coloribus depingentes. Quemadmodum ergò magnopere expetendum eſt, ut ſcelerato homini inſtrumenta deſint, quo inefficax ſit illius nequitia: ita ei adeſſe optandum eſt, qui rectè uſurus ſit; à quo omnes cum civitates, tum privati emolumentum percipiant, ne inutilis, ac iners virtutis natura in tenebris, atque obſcuritate marceſcat, quin potius in homines beneficiis juvandos ſuam facultatem inſumat. Ad eum uſum parata, & in promptu poſita bona compares: hoc enim ſolum pacto bonis iiſdem uteris. Itaque per familias, & civitates, & populos & nationes. & continẽtes univerſi regia providẽtia, & prudẽti ſollicitudine fruãtur, quã Deus ipſe, ſeſe in intellectilib. rebus Archetypum præbens providentiæ ſuæ quandam imaginem tribuit, inferioraque iſta jubet ex ſublimiorum rerum imitatione temperari. Proinde ſummi Regis amicus eſt, qui hîc eadem cum illo appellatione gaudet, niſi nomen ementiatur. Tunc autem non fuerit ementitus, cum vel alterum ex divinis nominibus in ipſo reperietur. Quod antequam explicemus non intempeſtivum erit nonnulla ex philoſophia præmittere, ut ad eorum quæ dicam intellectum aditus præmuniatur.

Nullum uſquam nomen inventum eſt, quod Dei naturam aſſequeretur, ſed cum ab ea exprimenda homines aberrarent, per ea quæ ab illo fiebant ipſum attingere conati ſunt: Sive ergo patrem conditorem, ſive aliud quippiam dixeris, ſive principium, ſive cauſam, hæc omnia reſpectus quidam ſunt, & ad ea quæ ab illo oriuntur comparationes, & regem igitur ſi appelles, ab iis quorum rex eſt, non à propria perſona naturam illius apprehendere conaberis. Venio jam ad reliqua ejus nomina, quæ vobis pollicitus in hoc tempus diſtuleram. ecquid vero eſt quod hujus loci principi attributum, ac cum eo conjunctum ratum facere ipſum dixeram, palamque comprobare non falſo ſed meritò id ſibi nomen vendicare? Bonum utique Deum omnes tam ſapientes, quàm imperiti homines ubique celebrant, idque univerſi mutuo conſenſu, atque una voce profitentur, licet quod ad alia attinet variis de Deo ſententiis diſſideant, & incorruptam illius, atque individuam naturam mira opinionum diverſitate partiantur. Nondum tamen hoc ipſũ bonum, quantumvis extra contentionem poſitum, Dei in natura ſua ſtabilitatem declarat: Ex iis verò quæ poſteriora ſunt, corrogatur. Nec enim boni nomen abſolutum quid auribus ſonat, ſed illis bonum, quorum efficax eſt, quique eo frui poſſunt: Nam nihil aliud ſibi vult hujus nominis ſenſus, quam ut Deum bonorum omnium cauſam ſignificet, ſacræq; in Auguſtiſſimis myſteriis patrum noſtrorum preces, quæ ad Deum ſupra omnia eminentem clamant, non ipſius principatum prædicant, ſed providentiam, curamque venerantur. Itaque & Deus eorum quæ congruunt munificentiſſimus, vitæ ſcilicet, naturæ, & intellectus, & ſi quid aliud eorum quæ poſteriora ſunt non indignum ſit, quòd à priori derivetur. Tibi vero conſentaneum imprimis eſt, ut quem ſemel accepiſti ordinem nunquam deſeras, neque ei nominis affinitati rem pudendam facias, ſed ad ejus imitationem te conferas, civitateſque non ſolum omni bonorum genere cumules, ſed etiam felicitatem quantam potes in unumquemque ſubditorum effundas: Ita demũ magnum tete regem nuncupantes à veritate non aberrabimus: non conſuetudini hunc honorem permittentes, non utilitatem captãtes, non iram deprecantes, ſed ipſo animi judicio annuentes, fidæque mentis interpretis linguæ operam adhibentes.

Age vero regem tibi, tanquam ſimulacrum quoddam erigens hac oratione deſcribam: tu porrò ſimulacrum iſtud vivens, & animatum oſtendes. Ad ejus igitur opificium, ſi opus fuerit, nonnihil ex iis aſſumam quæ vetuſtis, ac felicibus viris in animum inciderunt. Ea vero nihilo hæc aliis minus, imò magis amplectere; quaſi citra omnem controverſiam ea regem apprimè deceant, de quibus idem eſt cum antiquorum, tum noviſſimorum ſapientum judicium. Religio autem, & pietas firma imprimis ejus Baſis ſubjiciatur, in qua ſtabile, atque inconcuſſum ſimulacrum perſtet, nec unquam Baſi firmiter inſidens ulla vis tempeſtatis excutiat. Illa vero una & aſcendet, & pluribus in locis apparebit, potiſſimumque in vertice reſidebit. Inde ſermonem exorſus primum omnium Regem duce, ac principe Deo ipſum ſui ipſius regem cenſeo eſſe oportere, Monarchiamque ſibi quandam in animo conſtituendam: ita enim habeto, non uniforme quippiam, aut ſimplex eſſe hominem, ſed in unius animalis coagmentationem, promiſcuam, ac multiplicem facultatum turbam una à Deo eſſe introductam, noſque monſtrum eſſe hydra ut opinor prodigioſius pluribuſque capitibus præditum. Non enim eadem parte intelligimus, aut appetimus, aut triſtamur, aut iraſcimur, neque qua voluptate afficimur, eadem & timemus. Sed vides ut in iis maris inſit, fœminæque diverſitas, aliud quod audax, aliud quod formidoloſum ſit: Inſunt prætereà quæ omnimodè ſibi invicem contraria ſunt, ineſt & media quædam natura, quæ omnia hæc permeat, quam mentem appellamus, quamque ego profligato turbæ, atque inconditæ multitudinis imperio, dignam judico, quæ in anima regis dominatum obtineat.

Is enim conſentaneum regnandi initium ceperit, qui ab eo, quod ſecundum naturam eſt, imperandi auſpicium fecerit: quoniã quicumque rationis expertes animæ partes cicuratas, & tractabiles reddens rationi obſequentes efficit, & ad unius principatus ſapiens moderamen multitudinem componit, hic vere divinus, ſive rex, ſive privatus homo eſt: Rex autem eo magis quo ſuam univerſis nationibus virtutem communicat, uniuſque bonis quamplurimi homines fruuntur. Neceſſe eſt enim interiora in eo tranquilla eſſe perpetuò, ac ſeditione vacare, & vel aduſque vultum divinam in his ſerenitatem relucere. Eſtque id non formidabile, ſed majeſtatis plenum ſpectaculum, cum placido, minimeque fluctuanti ingenui pudoris affectu, amicis quidem, idem autem eſt ac ſi bonis dicamus honeſtum de ſe ſtuporem injicit, hoſtes vero, eoſdemque malos terrore afficit. Pœnitentiæ autem nullus in ejuſmodi anima locus eſſe poteſt; quicquid enim molitur, ex communi molitur omnium animæ partium conſenſu, propterea quod ſingulæ ad unius moderamen temperatæ neque partes eſſe, neque in unum, idemque totum conſentire dedignantur. At qui earum partium incubitum, & functiones diſterminat, hiſque ut in agendo multiplices ſint permittit, viciſſimque animal in ſuam ſententiam trahere

nititur; eum nunc excelso, nunc supino, abjectoque animo videas, modo appetitu, modo fuga, doloribus, voluptatibus, absurdisque cupiditatibus perturbatum, nec unquam sui ipsius ille similis est,

Nec me latet quæ mox facienda sint mala
Sed ira nostra est consilio omni fortior,

dicebat aliquis, qui æqualium facultatum diversitatem, ac dissidiũ agnoscebat. Istud profectò primarium, ac summè regium est, suiipsius esse regem, mentemque domesticæ belluæ, quasi moderatricem præficere, neque cum infinitis propemodum hominibus dominari velis ipsum turpissimis dominis servire, voluptati, dolori, & quæcumque his affines belluæ suum in animali domicilium habẽt.

Hinc à seipso progrediens Rex cum propinquioribus primum, & amicis conversabitur, quibuscum una coeuntibus de summa rerum consilium capiet, non id nominis dissimulanter usurpans, neque perinde agens, ut qui molestam & invidiosam dominationem longè reipsa & factis humaniori, quam veriori appellatione emolliunt. Nam quæ ulla rege dignior possessio, quam amici consortiũ? Quis secundarium rerum particeps jucundior? Quis in adversis fortunæ casibus tolerandis stabilior? Quis in laudando syncerior? Quis in acriter objurgando minus molestus? Probi autem, ac benigni regis quódnam evidentius populo argumentum, quam si beatos eos faciat quorum familiaritate utitur? hoc enim pacto etiam longinquioribus amabilem sese præstabit, bonisq; id in voto erit regis amicitiam sibi demereri posse. Quorum contraria omnia tyrannis suppetunt, propter quos scitum id Proverbium invaluit, Procul Jove & fulmine: quod eorum causa, qui cum familiaribus suis insidiose versantur, multò tutiorem esse docet otiosam cum securitate vitam, quam ea omnia pericula quæ in illustri vitæ statu reperiuntur. Simul enim atque ob tyranni gratiam beatus aliquis prædicari cœpit, mox in ejusdem offensionem incurrens miseratione dignus existimatur.

Rex autem id exploratum habet, Deum quidem sibi sufficere, & antiquam eam esse naturam quæ supra id omne, quod subditum est, assurgit. Homini verò multis atque ejusdem conditionis hominibus imperanti ad cujuslibet rei animadversionem propriam naturam satis superque non esse. Hunc igitur naturæ defectum supplens amicos in ejusdem naturæ communionem adsciscit vim quodammodo suam multiplicans, ita enim fiet, ut & omnium oculis videat, & omnium auribus audiat, omniumque animis in unum consentientibus consilium capiat. Verum cavendum præsertim idque totis animi viribus, aut etiam si fieri potest universa ad hoc regiarum aularum arma comparanda sunt, ne amicitiæ personam extrinsecus circumfusa incautis obrepat adulatio. Sola quippe hæc nequicquam vigilantibus satellitibus imperium deprædatur: nisi enim penitus arceatur in ima usque conclavia sensim penetrat, regumque nobilissimam partem, animam nimirum, adoritur. Quandoquidem propensum in amicos studium non minima regis virtus est. Hoc Cyro illi eximio, ac præstanti viro, hoc Agesilao præ cæteris regibus tam apud Græcos, quam Barbaros immortalem nominis gloriam comparavit.

Quæ igitur agenda fuerint perspecta habebit, certumque inter amicos consilium capiet. Ut autem opus ipsum consequatur plurimarum manuum auxilio opus est. Unde paulatim nostra procedens oratio regem è Palatio eductum post amicos militibus, secundis quasi amicis, conciliat, atque in campum descendere jubet, ut hominum, armorum, equorumque recognitionem faciat. Ibi & cũ equite equitabit, & cum pedite decurret, & cũ armato armatus incedet, & cum Cetrato Cetra exercebitur, & cum levis armaturæ militibus jaculabitur, unumquemque operum communione in vivam societatem, amicitiamque pelliciens, ut ne ergâ eos dissimulator sit, dum commilitones vocabit, sed in concione verba facientem cognoscant, testenturque reipsa nomen istud ab eo comprobari. Invitus fortasse, atque ægrè id audias, quod tibi à nobis labor injungatur. Verum mihi crede regium corpus minimè labore tentatur. Quisquis enim palam laborem capessit nequaquam labore vincitur, Rege autem corpus exercente, atque in stativis & sub dio agente, & in armis ætatem conterente omnes ubivis homines, quasi in Theatro spectatores sunt. Siquidem præsentium oculos in sese convertit, neque aliò quisquam intueri sustinet, rege in conspectu hominum aliquid moliente, omniumque auribus decantata principis gesta personant. Atque eiusmodi consueto, qua Imperator non raro spectandum se militibus præbet, ad excitandam in militum animis sui benevolentiam eamque firmissimam præcipuam vim habet. Ecquod verò tutius Imperium est, quam illud, quod amore, & charitate munitur? Quisnam privatus, quantumvis mediocri conditione, securior, aut ab insidiis tutior quam rex ille, quem non metuunt sed cui metuunt subditi.

Militaris profectò ista nario simplex, & ingenua est, & consuetudine facile capitur: Et Plato ipse militare genus custodes appellat, canique præsertim æquiparat, quod quidem animal amicos, atque inimicos cognitione, & ignoratione discernit. Quid vero indignius eo Imperatore, quem propter solos pictores cognitum habent imperii propugnatores? Neque vero id solum emolumenti ex frequenti ea consuetudine hauriet, quod exercitum tanquam unum ejusdem naturæ corpus circumfusum habeat, verum etiam plæraque quæ eo tempore aguntur, alia ad rei bellicæ exercitationem conducunt, alia velut Imperatorii muneris initiationes, ac præparationes quædam sunt; quæ ad majora, & seria animum excitare solent. Nec enim minimum est, belli tempore ducem exercitus, aut legatum nominare, aut turmarium, aut agminis præfectum, aut vexillarium, si necesse fuerit, aut ex veteranis notos aliquos appellare, atque adhortari: Eos inquam, qui in unoquoque tam equestri quam pedestri ordine in honore sunt & dignitate cõstituti. Homerus enim quendam ex Diis Græcorum certamini præsentem inducens sceptri percussione ab ipso Juvenes ait impletos,

——Robore forti:

ita ut eorum animi

Majori pugnæ furerent, & martis amore,

neque eorum pedes, manúsve quietem sustinere possent. Nam hoc,

Pes infra, supraque manus jam sponte cientur,

nihil aliud est quam sponte sua ad pugnæ certamen gestiunt. Ego vero idem planè facturum Imperatorem judico, si nominatim suos appellet, & vel eum qui classici clangore non movebitur ad gloriæ studium inflammaturum, vel bellicosum militem ad prælium instigaturum. Nemo enim est, qui non coram rege strenuè laborem velit suscipere. Atque ita poeta sensisse videtur, tam pacificum, quam bellicosum regem, incredibilem inde utilitatem percipere, qui hoc ipsum primum animadvertens, ad militum strenuitatem plurimum momenti habere sine gregarii quidem milites Imperatori sint ignoti, Agamemnonem inducit non modo nominatim suos vocantem, sed & fratrem admonentem, ut præter ejusmodi appellationem addito insuper parentis nomine, & à majoribus unumquemque compellet, omnibusque honorem deferat, nec grandiores spiritus ducat. Nam honorem deferre idem est ac laudare, si quidpiam ab aliquo aut rectè, aut feliciter confectum meminisset. Vide ut Homerus regem popularis hominis laudatorem faciat: Et quisnam sanguini pepercerit qui se à rege audierit commendatum? Jam hoc igitur ex eo tibi commodum suppetet, quòd frequenter cum militibus verseris. Eorum verò prætereà mores, vitamque perspicies, ac id intelliges, quis cuique ordo in quavis occasione conveniat. Etenim hoc ipsum insuper considera. Bellorum Imperator artifex est, uti sutor calceamentorum. Et is ergo ridiculus est, si suæ artis instrumenta nesciat, & rex ipse quónam pacto militibus peritè, velut instrumentis utetur, nisi ea ipsa cognoscat? Verum cum eo hactenus perventum sit, si quod in iis sermonibus communissimum est ad præsentem huius orationis materiam demittatur, forsitan à scopo non aberrabimus:

Quis scit an ipse animum moveam tibi numine dextro?
Consilium est hominis non aspernabile veri.

Ita ergo sentio: nihil olim aliud tantam Romano Imperio perniciem attulisse, quantam in Imperatore prope Scenicus ornatus, cultusque corporis, quem perinde ut qui sacris operantur in occulto habere solent. Tum etiam quòd Barbarico atque insolenti more quæ ad vos attinent spectantibus exponantur. Quandoquidem quod inane, ac specie tenus est cum rei veritate esse non potest. Non est tamen quod id à me dictum molestè feras: Nec enim istud tua culpa commissum, sed eorum, qui primi morbi illius authores extiterunt, pestemque eam summo in pretio studioque habitam temporum successioni tradiderunt. Quamobrem severior illa gravitas, idipsumque quod metuitis, ne si vos sæpius spectandos præbeatis nimium sitis hominibus vestris familiares, vos domo penitus clausos, & à vobisipsis quasi obsessos detinet, ut paucissima & videatis, & audiatis, à quibus rerum agendarum prudentia colligitur, corporisque duntaxat voluptatibus indulgeatis, & iis præsertim, quæ sunt præ cæteris materiæ immersæ, quas cum tangendi, tum gustandi sensus suppeditat, ac marini Pulmonis vitam haud dissimilem agatis. Quandiu ergò humanam conditionem aspernamini ne hominis quidem perfectionem attingitis: Nam ii, quorum in quotidiano victu aliisve in rebus consortium adsciscitis, exiguo capite juxta, & mente, quos natura deerrans adulteratos edidit, uti numismata mensarii corrumpere ac depravare solent: ita ut regi munus sit stolidus homuncio, eoque acceptius, quo stolidior est: ii eodem tempore imperfectè & ridere, & flere gestientes, indecoris gesticulationibus, strepitibus, aliisque quibus possunt scurrilitatibus unà vobiscum perperam tempus absumũt, mentisque caliginem, quam ex eo contrahitis, quod secundum naturam nequaquam vivitis, gravioris mali solatio demulcent: horum mutili nec perfecti animi sensus; verbaque auribus vestris multo accommodatiora sunt, quam sententia aliqua ex Philosophia deprompta, & diserto, ac volubili ore pronuntiata. Quod autẽ ad eam utilitatem spectat, quæ ex egregia illa, domesticaque custodia vobis accidit, dum ex populo eos quidem, qui mente præditi sunt, suspectos habetis, atque iis superbè vos, & cum ostentatione venditatis, stulti verò duntaxat, rudesque admittuntur, quibus vos palam manifestos exponitis, id propè intellexisse oporteret, iisdem artibus unumquodque augeri quibus conflatum est.

Sed si animo percurras quovis terrarum propagata Imperia, sive Parthorum, sive Macedonum, sive nostrum illud in quo degimus, homines populares, & militares, qui sæpius in media

acie sub dio agerent, humique dormirent, neque minus laboris, plus voluptatis ferrent, cujusque ditionis finis latissime protulerũt, homines inquam singulari cum diligentia bona comparantes, quique cum ad summam beatitudinem pervenissent ægrè hunc ordinem sine prudentia tenuissent. Felicitas enim onus quoddam esse videtur plumbo gravius. Eum ergò subvertit, ac deprimit, qui id humeris imposuerit, nisi plane sit robustus. Animi autem robur ut natura repromittit, sic assidua exercitatione perficitur. Ad quod tete (Imperator) Philosophia hortatur, id ne eveniat cavens quod ex oratione consequitur. Unumquodque enim contrariis opibus, quam quibus constitutum est, destruitur. Non ego patria instituta Romanorum Imperatori censeo esse infringenda: verum ea patria instituta existimes; non quæ heri, aut nudiustertius in luxu, ac deliciis depravatam rempubl. irrepserunt, sed quæ cùm servarent imperium sibi compararunt. Quod si mihi non credis;

Age verò per illud, quod regibus præest, numen (tu vero ad patienter audiendum enitere, mordax enim sermo est) quonam tempore Romanas res melius sese habuisse putas? Num ex quo purpurati, & inaurati estis, lapillosque ex montibus, & Barbaro mari quæsitos alios redimitis, alios subligatis, alios cingitis, alios appẽditis, alios fibulatis, aliis insidetis? Quocirca in spectaculum evasistis mira varietate, ac colorum diversitate distinctum, Pavonum instar Homericam imprecationem in vosipsos trahentes, lapideã scilicet tunicam. Vobis autem non illa quidem tunica satis est; non enim Consulatum gerentibus in Senatorum concilium aditus patet, quando hi aut magistratus designant, aut aliam quamlibet ob rem consederunt, nisi ejusmodi insuper amictu sitis obvoluti. Itaque nimirum vos homines suspiciunt quibus intueri licet; quasi solos Senatorum beatos, solos Senatorum onus sustinentes; quin & onere hoc exultatis. Quemadmodum si quis aureis vinculis constrictus, arctiusque pretiosissimis compedibus, malum ipsum non sentiret, neque quod in carcerem conjiceretur misere secum agi crederet, calamitatis magnificentia deceptus; nihilo tamen facilius movebitur quam hi qui cippò lignorum omnium vilissimo vinciuntur. Imò verò neque pavimẽtum ipsum vobis intolerabile est; neque si in nudo solo inambuletis, sed spargenda aurosa terra, quã ex ulterioribus continentibus vehicula vobis, & actuariæ naves advehunt. Nec aspernandus eorum est exercitus, qui fossitium hunc pulverem respergunt. Non enim regium id ducitis, nisi vel ipso calceamentorum corio delitiàs ostentetis. Num igitur melius nũc vobiscum agitur à quo hæ circa reges ceremoniæ institui cœperũt; latibulisque vos lacertarum in modum continetis, ægrè, si fortè ad Solis splendorem prodeuntium; ne vos homines esse homines ipsi deprehendant? An potius tunc cum exercitibus præficiebantur homines in propatulo vitam agentes, Sole adusti, reliquoque in victu sine ullo artificio simplices, non Dithyrambicum, ac Tragicum tumorem spirãtes, sed Laconicis pileis tecti, quos in statuis pueri spectantes derident, quosque senior plebs felices fuisse non putat, imò vero si vobiscum conferantur planè infelices? Atqui illi ipsi minime intersepta domo neque Asiaticos, neq; Europæos Barbaros arcebant, sed iis rebus, quas agebant, suos illis fines admonebant esse muniendos, cum sæpissime aut adversus Parthos profecti Euphratẽ, aut adversus Getas, ac Massagetas Istrum trajicerent. Nunc illi alia pro his sibi nomina imponentes; nonnulli & vultum artificio quodam immutantes, ut novum, ac immane genus terrâ editum videantur, terrorem animis nostris injiciunt adversus nos vicissim flumen trajicientes, pacisq; mercedem auferre postulant,

——ni fortiá roborá sumas.

Verum mittamus, si libet, eam priscorum temporum cum præsentibus collationem, ne in adhortationis specie probrosè incessere videamur idipsum declarantes, quantum imperatoribus superbi, atque arrogantis cultus accessit, tantundem decessisse veritatis. Si vero, quemadmodum ad eam quæ in vobis est varietatem progressa diutius in eo nostra immorata est oratio, ita aliquã sui partem pristinæ illi Imperatorum sive rusticitati malimus sive simplicitati, tribuat, non incommodè profusio; ac frugalitas oppositæ sibi invicem emerserint: Eoq; pacto nuda hæc ambo considerans misso fucato illo, atq; adscititio, verum, ac germanum regis decorẽ amplectere. Quamobrem illam quidem opibus maxima ex parte circumscripsimus, huius autem non ex eo, sed aliunde petenda cognitio est. Neque enim supervacuis opibus prædita est, cum in earũ conquisitione nequaquam occupetur; sed ipsius imagines in morib. potius vitaq; positæ fuerint. Quanquam & opus ipsum statim unà cum ejus vitæ, quæ naturæ consentanea est, productione consequatur. Operæpretium est igitur unius Imperatoris morum, operisq; fecisse mentionẽ. Quodlibet enim ad omnia secum trahenda satis superq; erit. Imperat. olim quendam extitisse ferunt, haud ita vetustum, sed quem huius temporis senũ avi facile cognoscere potuerunt, nisi & ipsi juvenes liberos susceperint, & à junioribus liberis avi postmodum facti sint. Ferunt inquam illorum quendam adversus Persas ad vindicandum, illatam his Romanis injuriam cũ exercitu profectum, cum ad extrema Armeniorum juga pervasisset, priusquam in hostile solum incurreret, cibum sumere cupientem, exercitui ut ex impedimentorum sarcinis promptis viaticis vescerentur imperasse, utpotè è vicino, si opus fuerit, victum comparaturis; Ostendebat autem Parthorum agros; quæ cum agerent interim Parthorum legatos adfuisse, qui se quidem existimarent regiis primum proceribus occursuros, eorumque rursus clientibus, ac denuntiatoribus, adeoque fore, ut nonnisi multis posteà diebus ab Imperatore legatis jus diceretur. Verum sub id forte tempus accidisse, ut Imperator cœnaret. Nec enim ejusmodi tunc erat satellitum stipatio, selectus ex ipso exercitu alter exercitus, juvenes omnes, omnes staturæ procerioris, flavescente, ac exquisitius ornata cæsarie;

Vnguentisq; caput semper, vultumq; peruncti.

Scuta ex auro lanceasque portantes, ex quibus, quoties occurrunt, regem conjicimus, uti opinor ex præeuntibus radiis Solem; sed universa acies proprium munus obiens circa Imperatorem, atque imperium satellitum officio fungebatur. Illi autem simplici, nec affectato cultu corporis, non penes ornatum, sed penes animũ, imperatoriam dignitatem habebant, internisque dotibus multitudinem antecellebant; exterius autem Gregariorum nihil dissimiles videbantur quo in habitu deprehensum à legatis Carinum ajunt: Purpurea vestis humi per herbam jacebat, cibus autem erat pridianum ex pisis elixis pulmentum, inque his frusta quædam, & inveterata porcinarum carnium salsamenta. Eos ergò cum vidisset, neque surrexisse; neque quicquam mutasse fertur, sed è vestigio vocatis dixisse, se quidem illos scire ad sese venire; se enim Carinũ esse, juvenique regi ut eadem die renuntiarent jubere; ni saperet omnem ipsorum saltum, campumque omnem intra lunare spatiũ Carini capite fore nudiorem, simulque dicentem detracto pileo caput ostendisse nihilo galea adjacente villosius: Ac si quidem esurirent, ut manum unà in ollam immitterent permissurum, sin minus, jubere se eadem hora discedere, & quasi jam finito legationis tempore extra Romanum vallum esse. Hæc cum populo, hostiumque principi renunciata essent, quæ & vidissent, & audiissent, quod verisimile erat futurum, horrorem, metumque omnibus injectum; si cum ejusmodi hostibus dimicandum sit, quorum rex neque regem se esse, neque caluum pudori habeat, ollaque insuper apposita compransores invitet, moxque superbum regem territum accessisse, nihil non cedere paratum, eum qui Tiara, & Candye ornabatur, ei cui ex vilissimis lanis amictus, pileusq; essent.

Aliud eo recentius accepisse te aliquando puto. Neque enim cuiquam credibile est inauditum eum esse Imperatorem, qui sese intra hostium fines committens sub specie legationis exploratoris vicem præstiturum receperat. Tunc enim publicum munus capessere idem erat ac civitatum; exercituumque esse ducem, plurimique ideo ejusmodi imperium detrectabant. Ac unus ex iis cum adolescentiam imperando contrivisset, laboribus defatigatus ultro privatus consenuit. Alioqui & seriùs tibi ipsum Regis nomen usurpatum indicabo; quod ab eo est tempore Romanis prætermissum, à quo Tarquinios populus civitate profligavit. Nos enim ex illo regis nomine vos & dignamur, & appellamus, prorsusque ita scribimus: vos autem sive scientes sive inscientes, consuetudinique id tribuentes, appellationis hujus invidiam declinare velle videmini: neq; ergò ad civitatem, neque ad privatum, neque ad provinciæ Præfectum scribentes, neq; ad Barbarum principem regium istud nomen gloriose unquam affectastis. Sed Imperatores vos ducitis: Imperator autem Ducatus militaris nomen est, qui agenda omnia suscepit. Ita Iphicrates & Pericles Athenis Imperatores Duces navigabant: Neq; liberum populum nomen illud offendebat, sed ipse legitimam hanc belli præfecturam suffragiis comprobabat. Ceterum Athenis magistratus quidam regis nomine tenuis erat, reddendique rationibus obnoxius, Plebe, vt credibile est, id nominis per ludibrium vsurpante, vtpote qui mera libertate fruerentur. Imperator vero neque Monarcha erat, & serium quippiam cum re, tũ nomine habebatur. Quomodo ergò non evidens illud est in Romana Repub. animi moderatioris argumentum; quando illa, etiamsi manifestè in Monarchiam desciverit; eorum nihilominus malorum odio, quæ Tyrannidem consectantur, cautè, religioseque regium nomen sibi vendicat? Quippe Monarchiam tyrannis invisam reddit, Regia dignitas amabilem efficit; eamq; Plato divinum inter homines bonum appellat. Idem autem ipse quod divinæ sortis est particeps omni fastu docet, arrogantiaque vacare oportere. Neque enim Deus quasi in Scena seipsum ostentans; aut prodigiis; monstrisve editis, sed tacita quadam via gradatim contendens justè humanas res moderatur; iisque omnibus adesse paratus, quæ natura sunt ad participandum idonea. Hoc modo regem sentio commune omnibus bonum, nec insolentem esse debere.

Tyranni enim etsi præstigiis quibusdam fucum facere soleant, delitescantq;, & terrorem dum apparent, incutiant, non est tamen quod illis invideamus, si vera majestate destituti ad simulationem confugiant. Nam qui nihil sani, aut integri habet, & hoc ipsum intelligit; qui fieri potest ut non lucem fugiat, quo sui contemptum devitet? At solem hactenus nemo despexit; quanquam quid est quod frequentius videatur? Proinde rex, si verum se esse, nec aliter convinci posse confidat, omnibus maxime sit expositus; Nihilo enim minus; imò vero magis admirabilis, gratusque futurus est. Etenim claudum illum regem, quem toto opere Xenophon cõmendavit, neq; ii, quos ipse duceret, neq; quorũ regiones peragraret, neq; adversus quos tẽderet contẽptui habuerũt, etsi in qualibet civitate ad publica maxime loca diverteret, vbi qcq̃d ageret omniũ erat oculis expositũ, si quis videndi Spartanorũ ducis desiderio teneretur. Verum ille parvo exercitu in Asiam penetrans hominem

cum,

eum, quem innumeræ nationes tanquam Deum adorabant, propemodum Imperio deturbavit. Cumque domesticis Magistratibus revocantibus, quæ de Asia susceperat consilia perturbata essent, victorias de Græcis quamplurimas abstulit, ab eoque solo homine in certamine victus est, à quo præ cæteris omnibus æquum erat Agesilaum superari, si de frugalitate contendisset. Epaminondas is erat, qui quoties ad convivium à civitatibus vocaretur, ad easdem ventitans (nec enim alia ratione criminis apud magistratus suspicionem effugisset) acre acetum potabat: ne (inquit) Epaminondas domestici victus oblivionem capiat. Attico vero adolescente eius ensis capulum irridente, quod ex vilissimo ligno rude, & inelaboratum esset. Atqui (inquit) dum pugnabimus capuli quidem periculum non facies, ferrum autem non pœnitendum tibi videbitur. Quod si imperare quidem regium est, imperat autem is, qui in subditos tales, quales esse decet, dominatum exercet, ex eodem studiorum vivendique genere, quo ii utuntur, qui dominandi peritiã habent, facile intelligimus, quandoquidem non Barbari, aut arrogantis, sed modesti, ac temperantis beneficio omnia modis omnibus in unum contrahuntur, fastum omnem, luxumque imperio exterminandum esse, ut cui nihil cum eo, quod alienum est, commune esse debeat: atque inde primum deducta Oratio est.

Jam verò & ipsa à nobis ad suum principium oratio, & ad veterem illam disciplinam imperatoria à te dignitas revocetur. Necesse siquidem est emendata, castigataque vita, ac reduce temperantia unâ cum eâ non modo pristina ornamenta restitui, verum etiam eorum, quæ ab adversa parte sunt, omnium esse mutationem. Tu vero Imperator revocandæ felicitatis author sis, nobisque Imperatorem imperii rursum administratorem præbeas. Nam ea in quibus versamur non amplius ignavia procedere, ulteriúsve progredi possunt. Nunc enim omnes sunt in summa novaculæ acie collocati, Deoque, & Imperatore ad Rempub. opus est, qui Romani imperii fatum istud rescindat, quod jampridem conceptum, & in lucẽ edendum est, quodque ego, unâ & reliquum orationis adtexens, ac regem effingens, quem velut præstantissimum quoddam simulacrum erecturus inchoaveram, jamjam instare manifestis judiciis evincam, nisi sapienti illud fortique imperio prohibeatur. Et ut ipse sis, qui prohibeas quantum in me situm erit allaborabo. Deus autem bonis viris perpetuò, planeque opitulator, ac propitius est. Unde ergò missis iis quæ universè informabantur, ex ejus regis occasione quem nostra mente, animoque effinxit oratio ad præsentem rerum statum devenimus? Regi cum militibus sæpius versandum, non domi sese continendum esse Philosophia præcipiebat. Benevolentiam enim, quæ sola firmissimum est regis præsidium, ex quotidiana consuetudine colligi ostendebat. Cujusmodi igitur cum militibus regis amator Philosophus corpus ipsum & exercere jubet, & iisdem in stativis agere? Cum iis videlicet, quos agri, & civitates & ut uno verbo dicam, universa terra imperio subdita propugnatores suppeditat, deligitque reipubl. legumque custodes, à quibus & educationem, & institutionem acceperunt: ii n[illegible]nque sunt, qui canibus à Platone comparantur.

Sed neque à Pastore inter canes Lupi collocandi sunt, etsi catuli olim sublati cicurati esse videantur, alioqui male ipsis gregem cõcrediderit: ubi enim aliquam in canibus imbecillitatem, aut ignaviam esse senserint, statim in illos, & gregem & Pastores sævient. Neque à legislatore danda arma sunt iis, qui in ipsius legibus nati, aut instituti non fuerunt. Non enim ab ejusmodi hominibus ullũ habet benevolentiæ pignus, quando aut audacis, aut futura præscientis est numerosam juventutem alienis institutis educatam, suis moribus utentem, quæ ad bellum spectant in regione exercentem cum videat, nequaquam formidare. Aut enim illos necesse est sapientes esse credamus, aut si probè de ea re desperemus, Tantali lapidem putemus tenuissimis funibus supra rempub. esse suspensum. Tunc enim primum invadent, cum suos ipsos conatus ex animi sententia successuros existimabunt. Hujus utique rei aliquot jam præludia, ac velitationes fiunt, nonnullæque cum tumore inflammatur imperii, ut corporis partes, quocum quæ aliena sunt in eiusdem sani temperamenti concordiam coalescere nequeunt. Alienum autem omne ut à corporibus, ita à civitatibus excerni oportere tam medici, quam Imperatores dixerunt. At neque contrarias illis vires opponere, & perinde ac si illæ nostræ essent vacationem à militia postulantibus indulgere, cæterosque qui in regione sunt aliis rebus occupari permittere, quid aliud quam hominum ad interitum festinantium est? Cum potius quam arma gerere hic Scythas permittamus, petendi sint ab amica Agricultura qui ipsam tueantur homines, ac tantisper ii centuriandi sint, dum & Philosopho è Schola, & operario è quæstuario artificio, & è vænalium foro eo qui ibidem versatur excitato, ignavæque fucorum instar plebi, quæ præ otii abundantia in Theatris perpetuò degit, tandem serio agendum persuaserimus, priusquam à risu ad gemitum transeant: adeò neq; melior neque deterior ullus pudor impediat, quominus propriæ à Romanis vires comparentur.

Etenim in familia juxtâ ac in rebuspublicis protectio, defensioque penes mares est, penes fœminas autem eorum, quæ intra ædes sunt, cura atq; sollicitudo. Quomodo ergò apud nos alienos esse mares tolerabile est? aut quomodo non turpius est, viris florentissimum Imperium, aliis bellica gloria, ac contentione cedere? Me vero si victorias nobis plurimas reportarent, puderet mihi ab iis ulla in re esse commodatum. At illud,

Sentio & agnosco, ——

(est enim omnibus iis qui mente præditi sunt exploratum) quandocumque hæc ipsa quæ dicuntur mas, & fœmina neque germana, neque alias cognata fuerint, minima occasione ad id opus esse; ut armati civibus dominari velint; imbellesque aliquando cum exercitatis in armorum certamine manum conserturos. Itaque antequam eò res veniat, quò jam processit, recuperandi Romanis animi sunt, paulatimque victoriis per sese administrandis assuefaciẽdi, ut neque illorum consortium ferant, & quicquid Barbari est ab omni penitus ordine removeant. Proinde à magistratibus primum arceantur, & à Senatoriis honoribus excludantur, quibus pridem pudori fuerunt quæ sunt apud Romanos, & esse videntur honestissima. Quando nunc & consiliariam ipsam Themidem, & belli præsidem Deum arbitror præ pudore occultari, quoties Barbarico renone indutus homo chlamydatos ad bellum ducit, aut quoties aliquis scortea, qua amiciebatur, penula deposita, togam induit, & cũ Romanis Magistratibus primum à Consule subsellium habens, legitimisque viris post eum sedentibus, de rerum statu deliberat. Illi autem paululum curia egressi rursum pelliceas vestes sumunt, togamque ubi inter comites fuerint, derident, quâ cum felicem stringendi ensis peritiam esse negant.

Ego vero cum in multis aliis, tum in eo maxime stoliditatem nostram demiror. Quælibet enim domus quantumcumque felix Scythicum servum habet, estque unicuique, & structor, & furnarius, & Amphorarius genere Scytha: Nec non inter pedisequos qui depressiores grabatulos, & plicatiles succollant, ut his etiam in via domini insidere possint, Scythæ omnes sunt; quasi jam olim à majoribus generi huic sit à natura tributum, ut Romanorum servitio accommodatissimum ac dignissimum esset. Jam verò flavos illos, & Euboico in more comatos apud eosdem homines privatim quidem servos esse, publicè vero magistratus cum insolens sit, tum in hoc spectaculo præ cæteris admirabile est. Ac nisi ita se res habeat, nescio quódnam sit illud quod Ænigma vocetur. Atque in Gallia quidem Crixus & Spartacus arma cum infamia gerentes ut theatro Popul. Rom. piaculo essent, dum fugitivi adversus leges malevolo animo sunt, servile dictum bellum excitarunt, quod tunc temporis Romanis calamitosissimum accidit, contrà quos & Consulibus, & Imperatoribus, & Pompeii fortuna opus fuit, cum ipsa tantum non civitas funditus sublata esset. Quanquam qui cum Spartaco, & Crixo una defecerunt, neque ejusdem cum illis, neque secum invicem nationis erant, sed ipsa fortunæ communio occasionem nacta mutuum in his animorum consensum efficiebat. Natura enim, ut opinor, servi omnes, dum victoriæ compotes fore sperant, dominorũ hostes sunt. Nũ igitur ita sese nostræ res habẽt?

An potius luculentior multo à nobis malorum materies alitur: Nam neque duo duntaxat, neque infames inter nos sunt seditionis authores, sed amplissimi, & execrandi ac cum mancipiis nostris necessitudine conjuncti, duces eos habent qui summa sunt & apud ipsos, & apud nos authoritate,

Nostro istud vitio. ——

Horum, simul libuerit, præter eos quos habent, servos quoque nostros milites fore tibi persuadeto, eosdemque petulantes, atque audaces, qui se sceleratissimis factis libertate satiabunt. Quare destruenda vobis ista munitio est, externaque morbi occasio prohibenda, priusquam suboccultа illa fractura dehiscens indicium edat, priusquam hostilis inquilinorum animus evidentius innotescat. Incipientia utique mala superantur, progressa confirmantur. Repurganda autem Imperatori primum castra sunt, ut in frumenti acervo fieri solet, è quo zea excernitur, cæteraque boni, ac genuini seminis exitio adnascuntur.

Quòd si non amplius facilia tibi ista consulere videor; non id animadvertis apud quorum te hominum Imperatorem quanam de gente sermonem instituam? quam scilicet Romani antea debellarunt, ex quo nominis ipsorum fama inter homines propagata est, omnesq; & manu, & consilio vincunt, quibus cum bellum gerunt; nec non & terram peragrarunt, ut Homerus Deos ait,

Iura observantes hominum, simul impia facta.

Scythas contra illos Herodotus ait, nosque videmus eodem omnes morbo timiditate tentari: ii enim sunt, ex quibus ubique mancipia deliguntur, qui nihil usquam terræ possident, propter quos Scytharum solitudo in Proverbium abiit, qui natale semper solum fugiunt, quos sedibus suis (ut tradunt ii qui res antiquas memoriæ prodiderunt) Cimmerii primum exegerunt moxque & alii, ac mulieres nonnunquam, & Majores nostri, & Macedonum rex, quorum ab his quidem in eos populos, qui trans ipsorum regionẽ sunt, ab illis vero in eos qui cis erant, pulsi recesserunt. Nec prius fugiendi modum faciunt, quam ab iis qui utrinque propellunt, in eos qui ex adverso sunt protrudantur, sed cum incautos facta impressione obruerint aliquandiu perturbant, ut Assyrios olim, & Medos, & Palæstinos.

Et nunc ad nos non bellum inferre cupientes, sed supplices venerunt, quando iterum sedibus suis sunt profligati. In Romanos autem incidentes, non armis molliores sed moribus, quales fortè ergâ supplices esse consentaneum erat, rudis atque imperita hominũ natio mox quod verisimile esset præstare, insolentius sese habere, beneficium maleficio compensare. Quibus de causis cùm parenti tuo adversus eos cum armis profectò pœnas dependissent, confestim miseri, ac supplices cum uxoribus considebant.

Ille verò bello victor misericordia longè inferior erat: supplices itaque surgere jussos in belli societatem, ac civitatis recepit, magistratuumque participes fecit, terræque nonnihil insuper istis Romanæ reipubl. pestibus assignavit, vir indolis magnificentiam & generositatem ad mansuetudinem, clementiamque convertens. Verum virtutem minime id quod Barbarum est intelligit. Inde enim exorsi in hunc usque diem nos derident, sibiipsis eorum conscii, tam quæ de nobis meriti essent, quam quibus sunt à nobis affecti. Ejus rei fama finitimis quoque illorum aditum ad nos patefecit. Et ex peregrinis equestres aliquot sagittarii relicta patria ad homines nimium faciles proficiscuntur, comiter ac benignè excipi sese postulantes, atque in exemplum sibi nequiores illos proponentes. Ita ut ad eam quam vulgus vocat, persuasionem cum necessitate conjunctam malum ipsum progredi videatur: Philosophiæ enim non multum de nominibus pugnandum, quæ administram animi sensibus operam requirit, vel si eam ex ima fæce populi ad res explicandas dilucidam, ac consentaneam corrogare necesse sit. Quomodo ergò non difficillimum est recuperata nominis gloria,

Inde canes fatis expellere tristibus actos?

Sed si me audias id ipsum quod operosum est facillimum apparebit, auctis militaribus numeris, eorumdemque beneficio & spiritibus: nec nõ propriis exercitibus conflatis id Imperio adjicias, quod jampridem decessit. illud nempe Homerus, præstantissimis viris quasi eximium attribuit

Ingens esse solet divini Principis ira.

Animo itaque adversus eos homines opus est, ac vel ex imperio terram colent, quemadmodum Lacedæmoniis olim Messenii positis armis servierunt, aut eadem via fugam arripient, iisque qui transfluvium habitant renuntiabunt, non eandem amplius in Romanis humanitatem inesse. Sed eorum ducem esse generosum quendam adolescentem,

Acrem hominem, immeritum vel qui culpaverit ultrò.

Verum missa hæc faciamus.

Hæc porrò educatio, institutioque bellicosi principis est, deinceps vero de pacifico rege disseramus. Ac bellicosus quidem omnium maxime pacificus fuerit: Soli enim illi pacem colere licet, qui lacessentes ulcisci, ac malè afficere potest. Eumque regem dixerim omni ex parte rebus ad pacem attinentibus instructum esse, qui cum injuriam inferre nolit, propulsandæ injuriæ facultatem sibi comparavit: bello quippe, nisi ipse gerere possit, ab alio premetur. Atque cum bello pax felicior sit, quoniam pacis causa bellum instituitur (finis autem iis, quæ sui causa sunt, merito anteponendus est) consulto sane fecerit, si se toti Imperii corpori, quod bifariam tribuitur, inarmatum & inermem populum, vicissim utrique parti dediderit, ac post milites civitatibus populisque sui copiam faciat, quibus militum opera agriculturæ & reipublicæ securitatem conciliavimus: ita verò sui copiam faciet, ut quascumque potest non modo nationes, sed & civitates perlustret; quas autem adire non potest, quoad poterit quam optima ratione prospiciat. Cæterum legationes cum alioqui sacrum quidpiam sint, tum hîc præsertim maximi faciendæ sunt, quarum consuetudine Rex non minùs quæ dissita, quàm quæ proxima sunt, intelliget, neque videndi sensu imperii sollicitudinem circumscribet. Verùm & id quod collapsum est, etiamsi non viderit, restaurabit, & in egestate laborantes populos largitionem faciet, & publicis sumptibus jamdudum vexatis publica munera remittet; bella sive imminentia occupabit, sive indicta jam, & conflata rescindet; aliudve quidpiam insuper procurabit. Hæc legatorum beneficio Dei instar poterit,

Cuncta audire, & cernere cuncta.

Quibus accessu facilem se præbeat, sitque Pater ceu mitis, & talem se nullo discrimine tam ergâ finitimos, quam non finitimos præstet. Ab Homero enim de eo quem pacificum faciebat rege semel id dictum accepimus.

Primum ergo militibus imperandum, ut civibus & rusticis parcant, minimeque molesti sint, eorum laborum memores, quos ipsorum gratia susceperunt. Nam ut civitatis terræque commoda tueatur Rex & propugnat, & milites conscribit. Quare qui peregrinum quidem à me hostem propulsat, ipse autem moderatè mecum non agit, is à cane mihi non differre videtur, qui lupos propterea longissime abigit, ut per otium gregem commodè dilaniare possit, cùm potius in custodiæ mercedem eum lacte satiari oporteat. Quapropter accurata pax est, milites ita comparatos esse, ut inermi plebe tanquam fratribus uti velint, solisque iis, quæ præfinita sunt, stipendiis contenti sint.

Neque tributis civitates exhaurire regium est: bono enim principi ubinam tantis pecuniis opus est? cum neque insolenti animi fastu sumptuosa opera moliatur, nec temperati usus loco inanem, atque ambitiosam magnificentiam affectet, neque juvenili consilio in Scenicos ludos gnavorum hominum labores perperàm consumat, sed nec plurimorum bellorum necessitate cogatur, quæ non demensis vesci Laco olim quidam dicebat. Ab insidiis enim, & invasione securum eum qui bonus sit nostra faciebat oratio. Quamobrem si ad ea contrahatur quæ necessaria sunt, supervacuis nihil opus erit, eorumque minime molestus exactor esse potest: cum de residuis quidem quæ necessaria sunt remittet, quæ verò pro cujusque facultatibus conferuntur, æqui boníque consulet. Rex autem pecuniæ appetens multo est institore turpior: hic enim familiæ egestati subvenit: in illo vero animi nequitia omni prorsus excusatione caret. Atque ego sæpenumero unamquamque animi perturbationem mecum ipse reputans, qualésnam sibi deditos homines efficiat, privatos adeò ipsos, quæstuariam illam nationem dico, mihi videor animadvertere præ cæteris ignobiles atque improbos, planeque illiberales esse, in eaque sola repub. quæ intestinis dissidiis laborat non penitus infamem locum obtinere. Qui quidem primi sui contemnendi authores fuerunt, quoniam circa id quod præcipuum, & infimum est, in contraria naturæ consilia deflexerunt: hæc enim corpus animæ obsequio subjecit, externa ad corporis usum revocavit, posteriori vero secundas partes dedit: at illi animam & corpus ei quod tertium est subjungunt. Sese igitur ipsos aspernantes, principemque animæ partem in servitutem redigentes, quid est quod illi magnum honestumve moliri, aut deliberare queant? Quos ego formicis ignobiliores, atque insipientiores pronuntians veritatis causa non erubescam: illæ enim vitæ necessitate quæstum metiuntur, hi vitam quæstu, lucríque necessitate censent esse metiendam. Procul igitur à se, & à subditis exitiosam hanc pestem amoliatur, ut princeps bonis bonus imperet virtutisque contrà æmulationem inducat, in qua ipse rex & certator, certaminis arbiter esse debet.

Etenim turpe est (inquit aliquis) jaculandi pugnandíque solum certamina esse publica, imò etiam coronam ab iis qui ita vicerint reportari, temperantiæ autem, virtutisque nulla esse. Quocirca verisimile, vel potius verisimili certius, omninoque necessarium est, si eo modo affectum regem civitates sequantur, vetustissimam illam, auream inquam, ac celeberrimam vitam instituturas, & ut nullum in malis studium posituras, ita in bonis, potissimumque pietate operam collocaturas: ad quam dux ipse rex erit, cujuscumque sive majoris, seu minoris operis auspicium à Deo supplex postulans. Nimirum nihil videri, aut audiri potest honestius eo Rege, qui in populo manus attollens, communem suiipsius populique principem adorat.

Nec à ratione alienum est divinum quoque numen religiosi principis cultu, reverentiaque gaudere, eumque arcana quadam necessitudine sibi conciliare. Hinc ergo quoniam Deo gratus est ad humanitatem item compositus erit, talemque se subditis præbebit, qualem ipse principem experitur: in quo quid non eorum quæ ad vitæ usum accommodata sunt expectandum est?

Ac mihi rursum ad ea quæ paulò ante dicebamus regressa festinat oratio. Regis signum notamque penes beneficentiam constituimus, unaque in eo posuimus, ut & bonorum munificus largitor & propitius esset, communesque cum Deo illius appellationes in memoriam reduximus. Hæc igitur ipsa, & quæ cum his antè dicta sunt, quàm regem hac Oratione informandum reciperemus, nunc per partes digerantur, nostrumque istud simulacrum impleant. Quorum summa breviter hæc erat, ejusmodi principem cum in bonis conferendis liberalitate sit animi præditus, tum nihilo magis ea re defatigatum iri, quàm Solem suos in stirpes, atque animantia radios effundentem: Nec enim lucere ei laboriosum est, utpotè cuius in natura splendor & fons ipse luminis continetur. Itaque à se ipso in id vitæ genus introductus cuncta per sese moderabitur, quatenus id quod subditum est providentia eius assequetur.

Adsessores verò suos, qui ab eo solo secundi, inter reliquos primas tenent, regia animi moderatione componet, juvandorum hominum pro rata quemque concessæ facultatis portione studiosos. Atque quamprimum ulterius hominum cura progreditur, quo pluribus commissa fuerit; At vero præterea in tanta imperii magnitudine exterarum Provinciarum Præfecti dimittendi sunt. Deinceps autem juri dicundo Magistratuum delectus faciendus est, quia divina hæc est, magnificaque providentia. Nam singula loca, hominesq; aut controversias velle cognoscere maximæ usquequaque discursionis est: neque Dionysius ipse cum unius, nec integræ quidem insulæ imperium constituisset, eidem administrandæ par esse potuit, Verum paucorum curatorum interventu plurimorum hominum curam licet suscipere. Hãc divinam, ac generalem Providentiam appellarunt, quam in solidis, ac constitutis moribus manentem, & in minimas etiam partes incumbẽtem, ne minimæ quidem partes effugiunt. Eandem ad res gerendas divinum numen adhibens non ipsum quidem quæ in his inferioribus sunt minuta quæque persequitur, sed natura tanquam manu utitur, suo constãter in statu manens, & bonorum ad extremum usque causa est, causarum scilicet omnium ipse causa.

Eo modo Regi universorum cura capessenda est: habeat ille quàm fieri potest justissimos, atque optimos Rectores, in quos Imperium dividat: paucos enim facilius, quam multos cognoscet, eosdemq; facilius rectè secúsve administrantes sentiet. Virtutis porrò, non divitiarum, ut nunc assolet, inita ratione, magistratuum delectus habeatur. Quandoquidem medicis corpus committimus non qui ditissimi, sed quicumque demum suæ artis peritissimi sint. Magistratus vero præ divite multò magis is eligendus est, qui regendorum hominum peritia valet, quoniam plura ob id ipsum pejus meliusve constituta ne sint periclitantur. Quid enim si quis

ex

ex hoc ipso, quod improbus esset, divitias congessit, num ab eo æquum est magistratum geri, nec ab eo qui sit quidem pauper, sed legum tamen, justitiæq; cultor, qui ob ipsum quod justus est paupertate laborans pudore non afficitur? Atqui ille sanè quomodocumque dives Magistratum pecuniis mercatus cujusmodi sit æqui distributor idoneus nesciat: videtur enim (ut ita dicam) non facile is injustitiam odio prosecuturus, nedum pecunias contempturus, aut Prætorium minime venalium judiciorum forum redditurus. Si quidem credibile non est eum sublato vultu torvis ac rigidis oculis aurum ex adverso intueri posse; contra vero verecundia motum iri, nonnihilque remissurum, ac demum avide amplexurum esse, cui eo ipso gratiam habet, quod parte aliqua divitiarum reipub. administrationem permutarit, & tanquam aliquid aliud civitates conduxerit. Novit ergo se ejus beneficio in honore esse, sublimique in solio sedere, non modo à numerosa alia plebe, sed & à lautioribus justis, ac pauperibus magnifice circumspectum.

Tu vero fac ut virtutis aliquid in pretio habeatur, quamvis sit cũ egestate conjunctum, nec te prudentia lateat hominis, aut justitia, reliquaque animi bonorum multitudo sub vili abjectaque veste delitescens, quin potius in medium producas, dignumque censeas qui virtutem omnium oculis subjiciat, quã quidem domi segnem contineri nefas sit, sed sub dio agere, atque inter certamina versari oporteat. Sic enim habeto, illos quidem à te in præsentia collaudatum iri, te vero eum fore perpetuò, cujus nomen hoc præconio celebretur, à quo felicioris imperij specimen temporum successioni fuerit commendatum.

Quod si ita feceris, multos statim videbis, quos partarum divitiarum pudeat, alios etiam qui voluntariæ mendacitatis nomine sibi placeant: ex eoque quod probrosa sit divitiarum conquisitio, paupertas vero honestissimo in loco habeatur, inveterata jam de illis inter homines opinio dilabetur. Nam cum plurima sint à Deo regiæ dignitati præstabilia beataque concessa, tum non minus, imò multo magis cæteris omnibus vim eam mirabitur quispiam, prædicabit, quam in subditorum animis præcipuam habet: propterea quod rex quamlibet ingenii opinionem veteri consuetudine, ac antecedentibus deliciis inustam tunc nullo negotio mutat, cum id quod contrarium est in pretio habere, maximique facere videtur. Quocumque enim rex gaudet, hoc subinde invalescere, studioseque ab plerisque affectari necesse est.

Verum cum eò hactenus orationis pervenerim, libet nonnulla in Philosophiæ gratiam vota concipere. Te ô Imperator Philosophiæ amor capiat, synceriorisque disciplinæ. Necesse enim erit ex iis, quos ante dixi, rivales tibi esse multos, qui quidem aliquo in honore ac pretio sint: quando in præsentia, ut neglectui habetur, periculum est ne penitus extinguatur, adeoque ne fomentum quidem iis, qui eam accendere voluerint, ullum amplius relinquatur. Num igitur pro Philosophia vota à me modo concepta sunt? An potius ei quidem nihilo deterius futurum est, etiam si ex hominum consortio secedat. Suum enim apud Deum domicilium habet, circa quem etiam dum hîc versatur, maximem operæ partem collocat, ac quoties delapsam terrestris sedes non recipit, apud patrem manet, meritò id ad nos usurpans.

——Non mihi vestro
Est opus ipsa Iovis solo me dignor honore

Humanæ autem res ea præsente, aut absente sive deteriores, sive meliores, omninoque felices, aut infelices sunt: pro his ergo una & Philosophia vota concepimus. Faxit Deus ut ejus voti compos evadam quod cum Plato nuncupasset minimè est assecutus. Videam à te Philosophiam cum Imperio conjunctam: neque amplius de regno differentem me quisquam audiet. Sed enim tacendi nunc tempus est, quoniam hoc uno sum omnia complexus: quod si contigerit, dedi quod ab initio contendebam, Oratione quidem ipse regis simulacrum ostensurum me pollicitus. Verè enim sermo rei umbra quædam est: à te vero vicissim idipsum animatum, ac vitale repetebam. Brevi utique posthac videbo, regisque mihi opus ipsum exhibebis, nisi extra tuas aures sermones isti nostri versentur, sed influant potius, atque in interiores animi recessus subeant. Neque vero sine aliquo numinis afflatu, ad eam cohortationem impulsam esse Philosophiam puto, Deo videlicet hac in parte ministrantem, qui, ut conjici nullo negotio potest, in amplificandas res tuas studiosius incumbat. Ego vero non immeritò primus ex meorum seminum fœtu emolumentum aliquod percepero, si qualem te Imperatorem fingo, talem aliquando experiar, cum de iis quæ civitates flagitant ultro citroque sermonem communicabo. *Oratione de Regno.*

Phalaris Paurolæ filio suo. Cum urgentis cujusdam negotii causa, venissem Himeram, Stesichori filias audivi ad Lyram canentes carmina, quæ partim à Stesichoro composita, partim ipsarum propria essent. Filiarum autem cum à Stesichori carminibus lõgè vincerentur, reliquorum tamen comparata, plurimum excellebant. Itaque eum ter beatum judicavi, qui docuisset: ter beatas verò, quæ præter naturam ad tantum eruditionis fastigium pervenissent. Esto verò Paurola. Nam ob eam quoque causam scire magnoperè cupio, quo tandem consilio corpus exerceas armis, venationibus aliisque laboribus; animum verò non instruas oratione Græcisque disciplinis, quem primum & solum in his exercitatum esse conveniebat, corporis enim eatenus habenda cura est, dum valetudinem & robur tuearis, nisi quis ad sacra certamina, præparet & exerceat. Ad animum verò excolendum omnibus nervis incumbendum est ei, qui cum honore & dignitate in Republ. quæ per Democratiam administratur, vitam agere velit, nisi tu, quemadmodmodum aliqui te deferunt, vitam cum imperio & potestate quasi lege tibi debitam, sequi ac imitari statuisti, & ea de causa vires etiam corporis exerces, putans ad tantam acquirendam potentiam, robur tibi aptum & idoneum fore. Quod si ita habet, si sapis, ab eo quem regni pænitet, non sponte aut libenter; sed necessariò in ejusmodi vitæ genere versantem, consilium accipe. Cui enim utriusque constat experientia, is parere, quàm imperare, potius expetit. Alter enim à reliquis periculis omnibus liber & solutus, unum tantummodò metuit Tyrannum.

Tyrannus verò tum extraneorum insidias, tum etiam satellitum vim pertimescit. Necesse est enim ut inter omnes reliquos honores & miserias, primùm custodes stipatoresque metuat. Proinde considerata prudenter consulentis patris in te benevolentia, ac cunctis æqualis ut sis contende. Dominium verò, quod continuis terroribus & perpetuis periculis constat hostibus & filiis hostium relinque. Sin imperitia & ætatis vitio putas aliquid suavitatis, & jucunditatis, in Tyrannica vita inesse, neque ærumnarum & calamitatum tibi in mentem venit; tota via aberras. Et id tibi propter inscitiam accidit. Tu verò Deum sedulò precare, ne quando Tyrannicam vitam tibi experiundam objiciat. *Epistola 67.*

Philippus rex: Scito mihi filium natum esse. Maximam igitur diis gratiam habeo, non tam ob nativitatem filii, quàm quod in tuam ætatem ejus nascendi tempus incidit. In spem enim venio, eum tua educatione atque institutione, dignum nobis & regni successione evasurum. *Epist. ad Arist.*

Plato: Si tu quidem omnino philosophiam spernis, valere sinamus. Sin autem vel ab alio audisti, vel ipse per te invenisti meliora quàm ea quæ à me traduntur, illa complectere. Quòd si nostra tibi placent, nos quoque maximè honorare debes. Nunc autem, tanquã ab initio, tu præito, ego sequar. Honoratus enim à te, te honorabo: non honoratus autem, conquiescam. Præterea si tu honorare priùs me cœperis, philosophiam videberis honorare: idque apud multitudinem, quod tu in primis cupiebas, tibi gloriam pariet, tanquam sapientiæ amatori: Sin autem ego te honoravero me minimè honorantem, divitias admirari videbor & sequi, hoc verò quàm turpe ab omnibus censeatur, non ignoramus. Ut autem summatim dicam, te honorante, ambobus honor erit: me autem honorante, ambobus infamia. *Epist. 2. ad Dionysium regem Siciliæ.*

Plato: Olim Dionysium Dio educare atque erudire contenderat, quò eum regem regno redderet dignum: talemque se illi per omnem vitam præstare statuerat. Obtrectatores autem calumniatoresque Dionysio persuaserunt, Dionem quasi tyrannidi insidiantem in eo tempore hæc omnia machinari: ut mens Dionysii disciplinæ studiis irretita; dominationem negligeret, eamque Dioni totam relinqueret. Dio verò gubernationem dolo usurpans, illum expelleret. *Epist. 7.*

Isocrates Alexandro salutem: Cum ad patrem tuum literas mitterem, indecenter facturum putabam, si te in eodem loco versantem, neque compellarem, neque salutarem, neque tale quoddam scriptum mitterem, quod nescientibus satis evidenti signo esset, me jam non ob senectutem desipere neque omnino delirare: sed relictam adhuc & superstitem ætatem non indignam esse ea facultate, qua juvenis pollebam. Audio quidem ex omnium sermonibus te perhumanum Atheniensium nominis amantem & Philosophiæ deditum esse. Qua in re non stultè sed persapienter facis. Nam & eos ex civibus nostris te suscipere non qui sui ipsorum rationem non ducunt malisque conatibus animum adjiciunt, sed quorum conversationis te non pœniteat, & cum quibus conferens communicansque de rebus, non lædaris, neque injuriam patiaris, quemadmodum sapientes uti familiaritatibus decet. Dialecticæ quoque studia non improbare, ne illud quidem quod in contentione & litibus versatur: sed tamen ita statuere, hoc in privatis exercitationibus & congressibus, magnum ad victoriam momentum habere, non autem competere neque multitudinis præfectis, neque regnum tractantibus. Non enim utile, neque decorum esse his, qui reliquos anteeunt sapientia, vel ut ipsi cum suis in gerenda republ. adjutoribus contendant, vel ut alios repugnare sibi patiantur. Hoc igitur studium te non admodum probare: sed eam institutionem sequi quæ in ornata prudentique oratione consumitur, qua quotidie solemus in negotiis obviis & impendentibus uti, & quam ad consultandum de Republ. adhibemus, cujus instinctu videris idonea de rebus agendis mandata tuis subditis imponere, & non stultè, quæ ad officium singulorum pertineant, tum honestorum & justorum tum eorum quæ sunt his contraria judicare, Adhæc utrosque pro dignitate tractare. Sapis igitur, qui in his operam ponas. Nam & aliis & patri tuo spem facis si per reliquam ætatem omnem in hisce permanseris fore ut tantum prudentia cæteros vincas, quantum pater tuus excellit universos.

Apollonius: Demetrio Suniẽsi. Do te Tito regi præceptorem, moderatoremq; regni bene recteque gerendi. Tu verò da: ut ego verè sim illi locutus, permittasque ei præter iram omnia. *Epist. 89.*

Iulianus Cæsar: Non magnum est divitis atque opulenti Principis esse filium; sed illud verè magnum est, paterna etiam virtute superata, nihil omnino pudendum majoribus suis aut indignum committere. *Oratione 3. in Constantium Imp.*

Themistius: Jampridem paternæ virtutis nomine debitum tibi Imperium fuerat: sed postquam eorum qui ante Imperium gesserant, natu grandior vita functus est, debitum istud recipere cunctatus, ne imminere ei videretis, qui è Constantini stirpe postremus supererat, ad id temporis reservatus es, ut citra cujusquam injuriam paternum debitum reciperes. Nam Alexandro apud Babilonem defuncto, Macedones successorem nullum idoneum repererunt: sed Ptolemæo Lagi filio Aridæum stolidum prætulerunt, tanquam pecunias mortui fratris loco; superstiti persolverent, non imperium conferrent, cujus hæres ille unicus est qui illud conservare, ac tueri noverit. Nostri vero illi suffragatores, & milites affinitati corporis animi cognationem anteposuerunt, atque hæredem virtutis, hæredem etiam Purpuræ constituerunt. *Oratione 12.*

Themistius: Etiam inter artes ac disciplinas (carissime Puer) quædam Regum propriæ, & alumnæ vere Jovis sunt, aliæ subditis, ac privatis idoneæ. Quotquot enim ad magnitudinem quandam animum extollunt, & majestatem, ac gravitatem ingenerant suique prius Regem illum faciunt, qui sit aliorum futurus, ejusmodi & acroamata, & documenta Regibus conveniunt: quæcumque vero linguam solum excolunt, animum ornamenti omnis expertem relinquunt; eæ & abjectæ sunt, atque humiles, nec multum sane Principi necessariæ. Ergo quemadmodum nec arma cum subditis eadem indues, nec similibus vestimentis uteris; nec in iisdem ædibus habitabis, sed omnia tibi, quàm subditis, erunt splendidiora, equi, canes, ministri, vehicula: sic tibi præstantissimæ divinissimæque artes addiscendæ erunt, per quas verè à nobis divinitatis tibi nomen attribuatur. Neque enim parenti tuo quod Attice loqui nesciret obstitit quo minus omnium, qui unquam fuerunt Imperatorum clementissimus haberetur. Quod autem reipsa magis, quam nominibus philosophetur, hac parte longe est omnibus præstantior: velut ipse totius cæli moderator, ac Princeps, non quia præclarissimè loquitur ab cæteris omnibus adoratur: sed quia vitæ largitor, dispensatorque felicitatis, & bonorum administrator est, quodque in difficultatibus ad eum cum fiducia recurrimus.

Et quidem Tragœdiarum scribendarum Dionysius Tyrannus erat non imperitus artifex: verum fabulis argumentisque suis Siciliam magis, quam Scenam implevit. Quē vero servatorem appellati convenit, aut consiliarium, aut urbis custodem, quæ sunt Jovis cognomina ei est ejusdem Jovis temperantia, sapientiaque comparanda. Hanc vero tuus quidem præ se fert Parens, sed tibi ad eam etiam doctrinam licet adjungere. Quod si te Platoni, atque Aristoteli permiseris, illi adhuc in terris ambulantem te ad regni cælestis regiam perducent, omnemque loci hujus dispositionem, atque ordinem exponent, & mundi illius arcana, ac mysteria patefacient. Regiam illam Clementia, Benignitas, atque Humanitas, tanquam satellites custodiunt; ad eam malignitas nulla succedit, nulla propinquat calumnia; criminatio longius omnis arcetur. In eum ordinem Parentes tui, ac moderationem intuentes humanas res administrant, ab ipsis primum domesticis laribus exorsi, ac inter se ordinem illum mutuo conservantes, & sine strepitu eorum communione gaudentes, quæ ab omni communione abhorrere hactenus videbantur, honoris gloriæque dico, atque Imperii Solique ex Imperatoribus non tabulis leges inscribunt, quibus colere inter se societatem subditi sibi jubeantur, sed semetipsos societatis, ac concordiæ leges constituunt: Nemo est enim qui si Rectores, ac Principes suos intueatur, plus aliquid quam sua intersit habere concupiscat. Et vero ejusmodi fructus, atque istius Justitiæ vos commoda parcipitis. *Oratione 11.*

Nazarius: Rapitur ad similitudinem suorum excellens quæque natura, nec sensum ac lentè indicium promit boni, cùm involucra infantiæ vividum rupit ingenium, unde enim Principis maximi tam effusus in liberos animus, nisi quod in illis jam simulacrum sui conspicit. Commendet inferioribus suos sola necessitudo naturæ, & qualescunque diligant qui in illis quod ex se desiderent non habent; præstantissimum Principem hoc maximè juvat, quod in annis prioribus jam sunt ductæ lineę, quibus virtutum suarum effigies posset includi, & pater optimus, sed melior Imperator, non tam sibi quam reipublicæ gaudet, cùm liberos sibi similes intuetur: quibus ad perficienda quæ ingenerata sunt bona, non segnis virtutum opifex disciplina conjungitur: ut spes æquiparandi patris certa sit; quippe indole similes, sed sub eodem magistro discendi fortuna felicior, ipsum à tenero intuentes, in ipsum oculis ac mente conversi, nihil ab ejus contemplatione deflectunt, incerti mirentur an diligant, nisi quod necesse est utrunque permixtè simul fieri. nam & amor factorum commendator est, unde nascitur admiratio; & facta cùm mira sunt, amorem invicem creant. Ita spectantibus liberis quidquid ab eo pulcerrimè geritur, cùm propter ipsum magis placuit, tum studio imitationis inolescit. *Oratione paneg. ad Constantinum Imp. cap. 4.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Discit Imperator orbi, quisque discit quod sibi.
Iam nihil constat minoris atque filius patri.
Instituto privatorum rectior quam Principum est.
Liberi regum, adulantes inter, discunt omnia.
Liberis regum, doctrina virtusq; una adnascitur.
Liberos docet regum aut Thraso, aut Colax, aut Charephon.
Merces equisonis, anteit pædagogi præmia.
Pauperis mala? peior omnis regis educatio est.
Plus equis datur instituendis optime, quam filiis.
Principum proles magistra sola sufficit sibi.
Quid regem docere servus possit quam absurdissima?
Quos equis nollent, magistros Principes dant filiis.
Quot majores, præceptores tot etiam adsunt Regibus.
Regibus pueris, majores pro doctore sunt sui.
Tantum equitare rectè discit Optimatis filius.
Vniverso prodest orbi qui Regem bēnē instruit.

§ JAMBICA.

Docere reges non potest nisi regius.
Inter Gnathones educantur Principes.
Quid rege natus discat a servo ultimo?
Regum pueros quinam docent? vanissimi.
Regumq; natis tradit artes servulus.
Vt anima animam, sic rex doceat regem bene.

Principi.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: Optimus hic ordo est, ut qui sermonem, vel rem aliquam auspicatur, à Deo initium ducat, & in Deo conquiescat. *Orat. Apologetica 1. initio.*

D. Nazianzenus: Acrior ac ferventior quivis esse solet, cùm aliquid auspicatur. *Oratione 2.*

D. Nazianzenus: Quemadmodum Sol matutinis radiis in oculos suavissimè incedens, meridianis fervidior & splendidior stat: eodem modo illa, cum haud parva pietatis officia primum subobscurè ostendisset, postremo lumine magis exsplenduit. *Oratione 12. de matre sua, in funere patris.*

D. Nazianzenus: Quidnam voluntates divisit? ut quemadmodum in corporum morbis, causis prius circumcisis, at turbulentarum animi perturbationum fontibus obstructis aut exsiccatis; ita demum profluentes hinc rivulos effectusque simul amputemus. Neque enim fieri potest, ut principiis non rectè consideratis quidquam de fine præclarè cognoscamus. *Oratione 26.*

Chrysostomus: Diligenter nobis attendamus, ac malorum scintillas nondum accensa pyra antevertentes restinguamus, verbi gratia. Pejeras assiduè? ne ad hoc solùm te obfirmaveris, sed & jusjurandum tolle, ac tibi res citra laborem succedet. multò enim difficilius est jurantem non pejerare, quàm prorsus à jurejurando abstinere. Injuriarum illator es, conviciator, percussor? legem tibi præscribito, nec succensurum te, nec quovis clamaturum modo: sic fiet, ut unà cum radice fructus intereat. Lascivus es, nepos, luxu perditus? tibi ipsi rursus terminum hunc præfigito, ut neque mulierem aspicias, neque in theatrum ascendas, neque in foro formæ alienæ pulcritudinem curiosè perscruteris.

Minus enim laboriosum fuerit, prorsus abstinere à formosæ mulieris aspectu, quàm ea conspecta, ac desiderio semel admisso, animi motum ab eo desiderio proficiscentem repudiare. Sunt enim certamini ipsis in exordiis leviora, immo verò ne concertationis quidem indigemus, nisi adversario valvas adaperuerimus, vitiositatisq; semina admiserimus. *Homilia 12. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Ea magis eligenda, quæ habent initium difficile, quàm qui finem, obviam est. exemplum sumatur ab artibus: Ipsæ quidem habent initium labore plenum, finem autem quæstuosum. At nemo, inquis, artem attigit, qui non habebat qui cogeret. Nam postquam sui juris fuerit adolescens: magis eliget in initio vivere in deliciis, & in fine pati mala innumerabilia; quàm affligi in principio, & ex illis laborib. postea fructus assequi. Ea ergo eligere est mentis ejus qui est orbus, & puerilis socordiæ: contraria autem, prudentiæ, & magni animi virtutis. Sic ergo nos quoque si non essemus mente pueri, non assimilari essemus illi orbo & insipienti, sed illi qui habet patrem. Oportet ergo mentem expellere puerilem, non autem res accusare: & aurigam conscientiæ præficere, qui non sinet ventri indulgere, sed currere & decertare.

Quomodo enim non est absurdum; pueros quidem cum labore & afflictione ducere ad res quidē quæ exordia habent laboriosa, bonū autē finē; nos autē contra affici in rebus spiritualibus? Atqui ne in rebus quidem, quæ ad hanc vitam pertinent, est omninò perspicuum, quod futurus sit bonus finis. Nam & mors immatura, & paupertas, & calumnia, & rerum mutatio, & multa alia ejus-

modi,

modi, post multos labores ut fructibus privemur efficiunt. Quòd si etiam assequantur qui persequuntur, non erit magnus quo fruentur fructus. Nam simul cum vita præsenti dissolvuntur illa omnia. Heic autem non currimus pro ejusmodi rebus fluxis & caducis: neque de fine timemus: sed & major & tutior est spes, postquam hinc excesserimus. Quænam ergo est venia, & quæ excusatio iis, qui nolunt se exuere & parare ad labores heic subeundos pro virtute? *Homil.14.ad Corinth.1.*

Chrysostomus: Hoc ipsum est omnium malorum causa, quod ob pusilla non indignamur. ob id enim majora scelera subierunt, quod minoribus debita correctio non adhibetur. & quemadmodum in corporibus qui vulnera neglexerunt, febres gignunt & putrefactiones, ac mortem denique; itidem & in animis qui pusilla dissimulãt, majora invitant. Etenim si iis qui à divinis præscriptis resilire conabantur, & paulum quiddam secus quam oportet tentabant, mox ab initio fuisset adhibita conveniens increpatio, nequaquam nata fuisset hæc pestis, nequaquam tanta tempestas ecclesias occupavisset. *Cap.1.ad Galatas.*

Chrysostomus: Aliud est ostium clausum recludere, ac negotiò dare principium; aliud post deinceps confidenter agere. *Cap. 2. ad Galatas.*

Chrysostomus: Semper principium & exordia sunt difficilia. hæc ergo jaciamus tanquam fundamenta, & deinde omnia expedita erunt ac facilia. *Homil.9.epist.ad Hebræos.*

¶ LATINORUM.

Ennodius: Non æstimes grave esse quod moneo. Et quia ego te de germine censeo, tu de primordiis non pavescas. Fuit & ille incipiens qui timetur. Et quoties scalpente terram digito ductus aquæ per pulverem trahitur, turbidum fluit omne quod primum est. *lib.1.epist.18 f.*

Ennodius: Bona in principiis locata vos animent; & quemlibet rancorem detergeat in exordio (juxta oratoriam disciplinam) locata dulcedo *lib.8 epist.5.m.*

Ennodius: Qui inter exordia occurrit vitiis, & occasionem lapsus adimit, & concupiscentiæ purgat auctorem. *Dictione 3.f.*

Io. Sarisberiensis: Utique qui miserè ascendit, rotatur miserius, & miserrimè deiicietur: nec lætos habebunt exitus, quæ malo sunt inchoata principio. *Cap.23.Policratici, lib.8.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Plato: Omnibus in rebus & dicendis & cogitandis, principium semper à Deis est sumendum. *Epistola octava ad Dionis propinquos.*

Mithridates consobrinus Regis Ponti. Cùm has igitur difficultates omnes antea animo perspicerem, tamen nihilominus hunc laborem suscepi, mihi quidem breve exercitium, tibi verò rem parum utilem: sed & vulgò forsitan abjectum & contemptum. Sic enim fieri solet, ut quæ videntur ante conatum, admirabilia, ea cùm perfecta esse cognita sunt, quasi facilia despectui habeantur. *in epistolis Græcorum.*

Xenophon: Quod si vobis hæc agenda placuerit, equidem id consilij dederim, ut aliquibus Dodonam Delphosque missis, deos illos consulatis; an satius, meliusve sit huic civitati, tam in præsentia, quã in posterum, hanc eius formam institui. Si adnuerint, censerem rursus interrogandos, quosnam deos nobis conciliando, quam rectissime atque optime simus hæc effecturi. Quoscumque vero deos illi selegerint, iis litando placatis, rem ordiri par erit. Nam quæ res numine propitio suscipiuntur, eas semper reipublicæ melius feliciusque cessuras, consentaneum est. *fine libri de proventibus Atheniensium.*

Halicarnassæus: Principium autem est optimum, & à principio sunt omnia; estque adeo totius dimidium, vel totum, teste Platone. *cap.1.præceptorum de oratione natali.*

Aristides Rhetor. Omnium rerum principia sunt in Deo, ab eoq; cuncta processerunt *Hymno in Iovem.*

Æneas Sophista: Qui principium invenit, finis ei non est difficilis. *Epistola 24.*

ROMANORUM.

Iulius Firmicus: Difficilia semper, & ardua, ad quæ rudes, & indocti, inconstantia trepidationis accedimus: Nec facile possumus consequi ratione, quicquid non præcedentia nobis magisteria tradiderint: sic prima literarum signa, cum quadam fastidij aspernatione cognoscimus. Sic in incognito itinere constituti, in primis vestigiis penè deficimus. Vides, ut primos discentes computos digitos tarda agitatione deflectant? Ille quem vides natantem, ex crebra submersionis trepidatione deficere, post paululum, assidua brachiorum agitatione firmatus, per summas elapsus undarum spumas, facili se mobilitatis levitate suspendit. *lib.1.cap.2.sub finem Astronom.*

Symmachus: Molestè fero mandatorum vestrorum calere principia usque ad sollicitudinem meam; mox autem per silentium frigere successus. *lib.6.epist.11.pr.*

Symmachus: Sperare debemus talem fore in reliquis disceptatorem, qualem tibi ostendit prima cognitio. *lib.9.epist.114.*

Latinus Pacatus: O quam parvis veniunt summa mala principiis! Sic in ultimum ferè Italici generis excidium, effracto Cn. Lentuli ludo mirmillonum agmen emicuit. sic bella Consulibus ancipiti, Marte pugnata Cilix pirata conflavit. sic tenentibus arma fugitivis, Romana diu pila cesserunt ferro ergastulorum. Quis non ad primum nuncium novi sceleris risit? nam res infra dignitatem iracundiæ videbatur, cum pauci homines & insulani, totius incendium continentis adolerent, & regali habitu exulem suum illi exules orbis induerent. &c. *Cap.23.orat.ad Theodosium.*

¶ POETARUM.

Plautus Pœnulo 5.sc.2.v.14.

Si ad eam rem testes habeam, faciam quod jubes.
M. Quid tu mihi testes? quin tu insistis fortiter.
Aliqua Fortuna fuerit adjutrix tibi.
A. Incipere multò est quam impetrare facilius.

Terentius Heautontim.5. sc.5.

——— *Hæc dum incipias, gravia sunt,*
Dumq; ignores: ubi cognoris, facilia.

Ausonius in Monosyllabis.

Incipe, quidquid agas: pro toto est prima operis pars.

¶ EMBLEMATIS.

Batillius CLIX.

Vitia maturè extinguenda.

Opprime dum nova sunt vitiorum semina, jamq;
Nequitiæ stimulos frangere disce puer.
Qui manibus pressos infans eliserat angues,
Postmodo non illum terruit hydra virum.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cuncta facta cuncta dicta exordiamur à Deo.
Nulla non res gressu ovanti principium anteit suum.
Nulla non res principium anteit maximo gradu suum.
Nulla non vadare possis juxta fonteis flumina.
Principium Deo indicante facile est reliqua prosequi.
Principium finisq; dulcis rerum est, queis favet Deus.
Principio nondum reperto quisq; ad finem cursitat.
Rem modò auspicare: finem repperire haud arduum est.
Sæpe malo ex principio magna conflata est familiaritas.
Rebus in cunctis vim habent prima atq; extrema maximã.
Sit domus qualis futura, vestibuli ore proditur.
Vt male posuimus principia, sic sequuntur cetera.

¶ JAMBICA.

Bonum principium finis sequitur & bonus.
Dimidium operis totius principia occupant.
Mali principij finis existit malus.
Summa è minimis procedunt principijs mala.

Privati.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

Salvianus: Salvator nos pro aliis sicut pro nobis jussit cogitare, Paullus plus aliorum nos commodis jussit consulere quam nostris. Quid ergo horum facimus Christiani? puto omnino quod neutrum. nam tantum abest, ut aliorum commodis aliquid cum propria incommoditate præstemus, ut omnes vel maximè nostris commodis cum aliorum incommodo consulamus. *libr.3. de gubernatione Dei.*

¶ ORATORUM GRAECORUM.

Iulianus Cæsar: Nam quæ adversus domum tuam Tyrannus cõmiserat, tametsi nihilo essent iis quæ ad publicum pertinerent deteriora, minus tibi curanda esse duxisti: adeo communia privatis & visa sunt, & videntur esse cariora. *Paneg.in Constantium Aug.*

Libanius: Tu Alcibiadem & Critiam obiicis, multos autem prætermittis probos, qui tametsi à republ. recesserint, nihilominus eorum mores suspicere licet: quandoquidem etiam in privatis virtutis specimen edi potest. *Declam.29.*

¶ ROMANORUM.

Cornelius Tacitus: Privato usui bonum publicum postponitur. *lib.6. Annalium cap.16.*

C. Tacitus: Privatæ domus laus est, sua retinere: de alienis certare, regiæ. *lib.15. Annal.cap.1.*

C. Tacitus: Privato major visus Sulpicius Galba dum privatus fuit, & omnium consensu capax imperij, nisi imperasset. *lib.6.Historiarum cap.49.*

C. Tacitus: Privatus publicè loqui non debet. *lib.6. historiarum cap.49.*

C. Tacitus: Privatis cogitationibus est progressus, & prout veliint, plus minusve sumitur è fortuna. imperium cupientibus, nihil medium inter summa & præcipitia. *lib.2 historiarum. cap.74.*

§ Monosticha Trochaica.

Alteri vivas oportet, vivere si ipse vis tibi.
Copulat res publica urbes, priva res has dissipat.
Haud ecclesiæ vocanda est causa, privatus dolor.
In certaminibus privata cura erumpunt publicis.
Magnum ibi est commune, census est ubi privatus brevis.
Nemini non cariora sunt privata publicis.
Plus gravat malum privatum, publicum gravat minus.
Priva semper evertere studia publicum bonum.
Publicas injurias fert lentè, qui haud ferat suas.
Publicè bonus esse nescit, qui privatim est improbus.
Publicus diu, privatus esse jam dein haud potest.
Qui suam malè rem gerit, bene non geret rem publicam.
Res magis privata curæ cuique, res quàm publica.
Sæpe major quis privato dum est privatus creditur.
Semper privatæ ante habenda publica est securitas.

§ Jambica.

Aliter privatum violes, aliter Principem.
Antiquius privato habendum publicum.
Homini suus privato oportet sit modus.
Privata quis non prætulit reipublicæ ?
Privata vita publicâ securior.
Privatus esse non potest, diu potens.
Privatus esse non potest, diu publicus.
Privatus est quis ? ne loquatur publicè.
Privatus usus, publico valentior.
Republicâ ruente, & privatus ruit.
Semper nocent privata studia publicis.

Videantur cætera titulo **Publici, Reipublicæ.**

Privilegij.

§ Sententiae Romanorum.

Quintilianus Senior: Negant rogationem esse recipiendam, quæ ad singulos homines pertineat. Ego porrò hoc in eo jure quod perpetuum, & in omnia tempora scribitur, existimo esse servandum. Potest enim dici mihi, in honorem hominis unius obligas tempora futura, & omnes eadem necessitate constringis. itaque quotiens ad præsens tantummodo tempus rogatio fertur, ne ferri quidem nisi de singulis potest. Quòd si hanc tollimus consuetudinem, nec duces ad exercitus ducemus, nec provincias decernemus, nec imperia prorogabimus: omnia enim ista rogationibus ad singulos pertinentibus consummantur. At enim contra legem rogatio est. Si confiterer, dicerem tamen non ferè rogationis esse causam, ubi lex est. Quid enim necesse est convocari Tribus, contrahi populum, si idem effici jure vetere, & jam olim constituto potest? Igitur si rogatio supervacua ubi lex non est, non ferè poterit ferri nisi contra alicujus voluntatem.

Quintilianus Senior: Omne privilegium contra reliqua jura est: Viribus fortibus non possunt præmia persolvi, nisi cum alia inclinatione alicujus legis. *Declam.315. Sermone.*

Seneca: Quædam privilegia parentibus data sunt. Quomodo horum extra ordinem habita ratio est: sic aliorum quoque beneficiorum haberi debet. &c. *lib.3. de beneficijs cap.11.*

Nerva Trajanus: Quædam sine dubio Quirites, ipsa felicitas temporum edicit: nec spectandus est in iis bonus Princeps, quibus illum intelligi satis est; cùm hoc sibi quisq; civium meorum spondere possit, me securitatem omnium quieti meæ prætulisse; ut & libenter nova beneficia conferrem, & ante me concessa servarem. Ne tamen aliquam gaudiis publicis afferat hæsitationem, vel eorum qui impetraverunt diffidentiam, vel ejus memoria qui præstitit, necessarium pariter credidi ac lætum obviam dubitantibus indulgentiam meam mittere. Nolo existimet quisquam, quæ alio Principe vel privatim, vel publicè consecutus, ideo saltem a me rescindi, ut potius mihi debeat, si illa rata & certa fecero. nec gratulatio ullius instauratis eget precibus, & qui non habent, me quem fortuna imperij vultu meliore respexit, novis beneficiis vacare patiantur; & ea demum sciant roganda esse quæ non habent. *lib. 10. Plinij post epistolam 66.*

Videantur alia titulo *Legis, Prælati, Principis, Regis.*

Probationis.

§ Sententiae Romanorum.

Salvianus: Melius est plus probare aliquid quàm necesse est, quàm minus fortasse quàm negotio debeatur. *lib.1. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Infructuosus est & inanis labor, ubi non recipit probationem pravus auditor. *lib.3. de gubernatione Dei.*

Quintilianus: Sat erat verbo negare, quod verbo ponitur. *Declamatione 12. § 33. p.*

Quintilianus: Lis nulla est, cui probatione opus non sit: quam partim extra dicendi rationem accipit orator, partim trahit ipse ex causa. Ex priore genere sunt, præjudicia, rumores, tormenta, tabulæ, jusjurandum, testes &c. *lib 5. instit. oratoriar. cap.1.*

Cornelius Tacitus: Probationes scelerum, arroganti & subdola mora subvertit Piso. *lib.3. Annal. cap.7.*

Videantur alia titulo *Placendi.*

Probitatis.

§ SENTENTIÆ PATRVM GRAECORUM.

Divus Nazianzenus: Noli mirari si quid præter opinionem tuam dixero. Videris tu quidem mihi viri constantis & solidi atque animi firmitate præditi existimationem habere: multa tamen simplicitas magis quàm cautè & circumscriptè consultare atque exequi. nam qui vitio liber est, is quoque ad suspiciendum vitium segnior esse consuevit. cujusmodi quiddam nunc quoq; contigit *2. Epistola 21.*

D. Chrysostomus: In medio nationis pravæ & perversæ. At hoc demum admirabile est, neque etiam quum pungaris, atque impellaris, eo adduci. Nam & sydera in nocte fulgent, in tenebris emicāt; tantumque abest, ut ullam pulchritudinis suæ jacturam faciant; ut splendidiora etiam appareant: ubi enim lux advenerit; non æque apparent. Ita etiam tu, si inter perversos homines rectus manseris; lucebis magis; longeque admirabilius erit, sine reprehensione esse. *Homil.8. ad Philip.2.*

D. Chrysostomus: Quomodo bene olens unguentum non in se cōclusum habet bonum odorem, sed procul emittit, & aerem odoris illitum sic etiam immittit in sensus propinquorum: sic etiam viri præclari & admirandi non in se conclusam teneat virtutem, sed per famam suam juvant plurimos. Neque dixit, vulgo jactata est, sed resonuit. Sicut tuba clarè resonante repletu totus locus; ita præclara vestræ fortis & magni animi virtutis fama, sicut illa resonans, sufficit adimplendum orbem terræ, & pari sono perveniundum ad omnes qui sunt ubique. nam res magnæ, ubi quidem gestæ fuerint, canuntur clarius. *Homil.2. ad Thessal.1.*

S. Isidorus Pelusiota: In hac quoque vita, vir optime, optimiae maximè regij vir (sic enim eos, qui virtutibus florent, appellare fas est) magis vivunt, quàm maximè serviles, (sic quippe vocare par est eos, qui præpostteris voluptatibus ancillantur.) Probi enim ac virtute præditi omnibus rebus sublimioribus sunt, non modò animi molestiam, sed etiam timores & pericula, & qua suis mutationes superantes: non nihil perpetiendo, sed (quod multo majus est, ac divinam huiusmodi vitam conspicuam facit) ingruentia etiam ea contemnendo. Contrà qui in scelerum cœno volutantur, mihi ob eos, qui hinc oriuntur, mœrores, & metus, & pericula, atque infinitum perturbationum examen, ne vivere quidem videntur. Nam sive mors expectetur, etiam ante mortem præ metu moriuntur: sive contumelia, sive paupertas, aut aliud quoddam inopinatum mali genus, priùs etiam, quàm id ipsis experiri contingat, intereunt. Si ergo hæc ita se habent ut habent, etiamsi nolimus, demus operam, ut eos, qui, & hîc, & illic præclarè atque cum gloria vivunt, imitemur. *lib.2. epist.147.*

S. Isidorus Pelusiota: Quisquis probitatis particeps est, huic virtutem honore affici gratissimum erit. Quemadmodum enim si Legislator quispiam maximas flagitiis pœnas constituat, haudquaquam ipse ad perpetrandum flagitium paratus esse existimandus est: eodem modo cùm quis eximia & singularia virtutis præmia audiens, voluptate afficitur, ad omne virtutis genus propensus ac paratus esse existimatur: atque bonis quidem omnibus refertus, nullo autem malo infectus. Nec verò mirum atque absurdum est, quòd probi viri virtutem admirentur, atque amore complectantur. *lib.1. epistol.227.*

S. Isidorus Pelusiota: Probum virum, & Dei amantem, & hominum item amore præditum esse oportet: ut nec ob virtutis sublimitatem, animumque divini numinis cultui addictum & consecratum homines contemnat, nec rursum propter homines divinum numen negligat. Quamvis enim charitas erga Deum multo major sit: tamen si cum charitate ac benevolentia erga homines connectatur, magis explendescit. *lib.3. epist.138.*

§ Latinorum.

Ennodius: Pars quædam probitatis est, si implere nequeas, nosse meliora. *Dictionis 7. fine.*

§ Philosophorum.

Hierocles: Apparet fermè eò infirmiorem esse probi viri in hoc vitæ genere conditionem, quod injustè non sumit unde non deceat & quod justè sumptus facit in quæ oportet. est etiam in his quæ corporis sunt, injuriis omnium maximum opportunus; qui nec imperium affectet, nec imperantibus adulatur serviliter. *capit.14. Carmin. Pythag.*

§ En-

§ EMBLEMATUM.

Camerarius LXV. Centur. 2.

Vires animosq; ministrant. Cervi capra anguibus pasta.
Nulla venena probis vitij sortisq; maligna
Obsunt; quin potius robora dant animis.

Camerarius LXXI. Centur. 2.

Vndiq; inermis.
Commoda plurima ovis praebet, nocumentaq; nulla:
Sic benefac cunctis, nemini obesse velis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Aliud est probitas, aliudq; frontis imbecillitas.
Arbitra virtute nunquam caussam habet malam probus.
Comis ut bonis, malis sic injucundus est probus.
Gratuitò nemo pravus omnium est, ut nec bonus.
In labiis malus probitatem fert, in pectore fert bonus.
In statu quocunque rerum par sibi est probus.
Inimicitiam amicitiamq; fronte vir praefert probus.
Mens probis mirè polita est, improbis picta est domus.
Mortuus desideratur, temnitur vivens probus.
Nemini gravis, molestus nemini vir est probus.
Non potest probus vocari, qui sibi tantum est bonus.
Non probus felicitate sed virtute se aestimat.
Praestat & probis honesta nuditas auro Indico.
Principemq; se esse mavult quam videri vir probus.
Privata odia posthabere publico bono probi est.
Probus est quem non poenitet quàm sit probus ac frugi bonae.
Proximũ haud sic adflat stacte, regnum ut integrũ probus.
Publicum bonum est modestâ cum potentia probus.
Si quibus potes prodes, nocesq; nemini, es probus.
Spe bona probi una ubiq; antecedunt improbos.
Tam malum est laudare pravum, quàm probum reprẽdere.
Tã malum est odisse justos quàm malum amplecti improbos
Talis intus est & extra, se videri ut vult, probus.
Tunc mage eminent probi inter improbos cùm fluctuant.
Vir probus sibi male esse mavelit, quàm molliter.
Vnicum votum proborum est, displicere pessimis.
Vt probis nil est in orbe, nil ita in caelo est malis.

§ JAMBICA.

A mente nunquam lingua dissidet probo.
Bonum hoc habet quoque vir probus, nulli invidet.
De legibus mores trahit suos probus.
Dicit facitq; honesta semper vir probus.
Difficilius damnare probo, quàm decipi.
Etiam probitatem in hoste quovis diligas.
Etiam sui superior redditur probus.
Heu, quod probitas per sese tuta ipsa est parum!
Gratus ferè orbem omnem esse poenitet probum.
Iam pro malo vir spernitur passim probus.
In sorte utraq; semper est idem probus.
Indigna quidem probi, haud inopina, perferunt.
Injuriam haud probo infert, cùm infert, improbus.
Nec scit pati nec facere injuriam probus.
Nil improbum patravit unquam vir probus.
Non magna eloquitur, magna sed vivit probus.
Non odit unquam vir virum probus probum.
Nulli bonum suum extero invidet probus.
Nunquam cadit sub virtutum arbitro probus.
Nunquam Deis neglectus vir est probus.
Plerosq; gratis esse poenitet probos.
Praeda innocens cunctorum nascitur lepus.
Probitas, pretij cujusvis est carbunculus.
Probus, videri non vult, esse vult bonus.
Probo, fidei nunquam oritur poenitentia.
Probum improbet necesse est, qui improbum probat.
Quod non probum est in amore, vel turpissimum est.
Secum loqui cùm solus est suevit probus.
Semen premas probitatis, haud item opprimas.

Videantur alia titulo **Bonitatis & Improbitatis.**

Procationis aut Rivalitatis.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Aristides Rhetor: Recte illud se habet, & cum ratione fieri videtur, ut ij qui uxores ambiunt, ad fores puellarum sedeant, easque, vel earum parentes, aut cognatum aliquem sibi devincire studeant. oratorum contra criminantes quod non declamaret.

Heliodorus: Haud ab re accidit ut erubescas ea dicere, quae mulieres occultare magis decet. sed quoniam semel amorem sensisti, & Theagenes conspectus te cepit; scito te non solam neque primam hunc affectum experiri, sed cum multis illustribus feminis, cum multis quoque virginibus, alioquin (cetera si spectes) pudicis. Maximus enim Deorum est Amor, ipsosque etiam Deos interdum superare dicitur. Ceterùm considera quo pacto optimè tuas res in praesentia constituas. siquidem expertem esse amoris initio, beatitudo quaedam est: at ubi captus sis, ad moderationem revocare animum, sapientia singularis est, quod & tibi, si credere volueris, licet; cupiditatis nimirum turpe nomen repellere, conjunctionis autem legitimum vinculum amplecti, & in matrimonium vertere morbum. *lib. 4. Æth.*

§ LATINORUM.

Petronius Arbiter: Ego maestus & impatiens foederis novi, non cibum, non potionem capiebam, sed obliquis trucibusque oculis utrumque spectabam. omnia me oscula vulnerabant, omnes blanditiae quascunq; mulier libidinosa fingebat: nec tamen adhuc sciebam, utrum magis puero irascerer quod amicam mihi auferret, an amicae, quod puerum corrumperet. utraque inimicissima oculis meis, & captivitate praeterita tristiora. *Satyrico.*

Symmachus: Pro filio meo Auxentio, parentis religionem, petitoris ambitum fidem testis in me recepi. Si quid igitur tantarum rerum autoritas apud te ponderis habet, admitte quaeso in familiam tuam juvenem cunctis vitae bonis & fortunae muneribus excultum. Vadem me tibi in omnia spondeo, quae solet parentum sollicitudo trutinare: licet noverim futuros generos moribus aestimari. Et tamen huic post ornamenta naturae, etiam census ad honestatem redundat. Possem copiosius loqui; sed non vult veritas verbis juvari. Quare si tibi videor non inanis assertor, perpende hominem de testimonio meo: & ei, quem pignoribus meis libenter adnumero, dignare filiae tuae spondere conjugium. Credas velim, cùm vota processerint interventu meo, non minorem te gratiam, qui rogaris, quàm illum, quem commendo, consecutum fore. *lib. 9. epist. 7.*

Symmachus: Religiosa potius quàm invidiosa quaestio est quae fidem pactorum repetit. Nolo igitur existimes culpabiliter ad me delatum, quòd pactas filiae tuae nuptias cum Herculeo amicissimo meo haesitatione suspendas. Sed caeteris, quos matrimonij dete impetrati vel adjutores scit fuisse vel testes, me quoque voluit admovere, ut suspensa diu vota novi hortatoris impulsus acceleret. Maneat igitur oro te, stabilitas promissorum, nec senatoriam fidem voluntatis mutatio devenustet. Prosit etiam pacto foederi meae pro illo petitionis adjectio: cui non sine contumelia placita denegabis, quum promptè nobis deferre etiam intenta debueris. Certè ea viri modestia, ea in foro Romano dignitas est, ut quantum ei gratiae tribuisti, tantum ornamenti ex genero consequaris. Vberes laudes ejus & vitae honestamenta prosequerer, si novum aliquem videreris admittere. At quum tibi eius bona esse comperta evidenter astruat dudum recepta conditio; non debeo eius protelare praeconium, quem tibi suscepti foederis pignus indicat jam probatum. *lib. 9. epistola 40.*

Symmachus: Voto ac desiderio suo me adjutorem Severus adscivit: petitque ut filio ejus conjunctionem filiae tuae spondeas: cujus rei impetrationem facilem fore promittit personarum aequatio, & honestae fortunae congruitas. *lib. 9. epist. 46.*

§ POETARUM.

Plautus Asinariae 5. sc. 1. v. 3.

Numquidnam tibi molestum est, gnate mi, si haec nunc mecum accubet?
A. Pietas pater oculis dolorem prohibet. quamquam ego istanc amo,
Possum equidem inducere animum, ne agrè patiar quia tecum accubat.
D. Credam istuc, si esse te hilarum videro. A. an tu esse me tristem putas?
D. Putem ego? quem videam aequè esse maestum, ut quasi dies si dicta sit.
A. Ne dixis istud. D. ne sic fueris, illicò ego non dixero.
A. Hem! aspecta, rideo. D. utinam male qui mihi volunt sic rideant.
A. Scio equidem quam ob rem me pater tu tristem credas nunc tibi;
Quia istaec est tecum. atque ego quidem hercle, ut verum tibi dicam pater,
Ea res male habet; ac non eò quin tibi non cupiam quae velis.
Vnam istam amo: etiam tecum esse, equidem facile possem perpeti.
D. At ego hanc volo. A. ergo sunt quae exoptas: mihi quae ego exoptem volo.

Plautus Aulularia 2. sc. 2. v. 55.

Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum. E. bono.
M. Quid fide? E. meliore. M. factis? E. neque malis neque improbis.
M. Ætatem meam scis? E. scio esse grandem, itidem ut pecuniam.
M. Certè edepol equidem te civem sine mala omni malitia

Semper

Semper ſum arbitratus; & nunc arbitror. E. aurum huic
olet,
Quid nunc me vis? M. quoniam tu me, & ego te qualis ſis,
ſcio;
Quæ res bene vertat, mihiq; tibiq; tuaq; filiæ,
Filiam tuam mihi uxorem poſco. promitte hoc fore.

Plautus Sticho 5. ſc. 4. v. 47.

Hæc facetia eſt, amare inter ſe rivales duos;
Vno cantharo potare, & unum ſcortum ducere,
Hoc memorabile eſt: ego tu ſum, tu es ego: uni animi ſumus,
Vnam amicam amamus ambo: mecum ubi eſt, tecum eſt
tamen:
Tecum autem ubi eſt, mecum autem ibi eſt. neuter alteri
invidet.

Terentius Andriæ 2. ſc. 1.

Quid tibi videtur? adeon' ad eum? B. quid ni? ſi nihil im-
petres,
Vt te arbitretur ſibi paratum mœchum, ſi illam duxerit.

Terentius Andriæ 4. ſc. 2.

—— Myſis

Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deſerturum,
Non ſi capiundos mihi ſciam eſſe inimicos omnes homines.
Hanc mihi expetivi: contigit. conveniunt mores. valeant
Qui inter nos diſsidium volunt: hanc niſi mors mihi adimet
nemo.

Terentius Eunuchi 1. ſc. 2.

In hoc biduum Thais vale. TH. mi Phœdria
Et tu. numquid vis aliud? PH. egone quid velim?
Cum milite iſto præſens, abſens ut ſies;
Dies noctesq; ames me; me deſideres,
Me ſomnies, me exſpectes, de me cogites,
Me ſperes, me te oblectes, mecum tota ſis.
Meus fac ſis poſtremò animus; quando ego ſum tuus.

Terentius Heauton. 4. ſc. 6.

Minas quidem jam decem habet à me filia:
Quas pro alimentis eſſe nunc duco datas.
Hasce ornamentis conſequentur alteræ.
Porrò hæc talenta dotis apposcent duo.
Quam multa injuſta ac prava fiunt moribus!
Mihi nunc relictis rebus inveniendum eſt
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

§ EMBLEMATUM.

Camerarius XCIV. Cent. 3.

Meus ignis ab ortu. Nitedula nocte volans.
Ne forte in tenebris offendas, ſit tibi ſummè
Flamma iter oſtendens provida cura Dei.

Catſius Emblemate nuptiali IV.

Da vincula flammis.

Arte faber ſtrictisq; faces moderatur habenis,
Vt mage jungendis flamma ſit apta cadis.
Hujus ad exemplum, rapidos compeſce furores,
Turpiter huc illuc ne tuus ignis eat.
Ante cave Veneris præbere clientibus aures,
Quam ſit propoſiti conſcia facta parens.
Illa patri referet, cui res erit anxia curæ:
Ipſius arbitrio ſtetq; cadatq; gener.

Catſius Emblemate nuptiali VII.

Sera poſt vulnus cautio.

Nulla puella ſapit quæ præbet amantibus aurem,
Dum neſcit generum quem velit eſſe parens.
Ducimur alloquio, quo nos vocat ardor amantis,
Vtq; redire juvet poſtea, nulla via eſt.
Sera fuga eſt ceti, quem cuſpis adunca fefellit
Cùm faciles aditus bellua ſtulta dedit.
Difficile eſt uncos removere Cupidinis hamos,
Vt ſemel in tenero corde reſedit amor.

Idem Emblemate VIII.

Serius perficit qui nimis properat.

Cùm Domino culpante moras cita cœna paratur,
Lixa vafer lento tunc rotat orbe veru.
Quoq; minus properat, magis hoc rubet igne ferina:
Quæ celeri rapitur turbine, cruda manet.
Si qua veru docta verſare Cupidinis arte
Virgo velit, tardas debet habere manus.
Si properas, properare cave: mora calcar amanti eſt:
Quæ properat, Veneris dulce retardat opus.

Catſius Emblemate nuptiali IX.

Quod licet, ingratum eſt.

Ad laqueos dum ſponte venit, nil vincula ſtringunt;
Quaq; capi cuperet non capietur avis:
Sed dare terga paret, tunc deniq; fila coibunt;
Atq; iterum quoties hæc ſtetit, illa labant.
Si qua prior petijt dignam tulit illa repulſam.
Turpe petens mulier, turpe puella rogans.
Si qua capi gaudet fugiat; fuga dulcis amanti eſt,
Acrius illa docet poſcere, ſi qua negat.

Catſius Emblemate nuptiali XII.

Non niſi mota capit.

Rete vides, non quod manibus vafer attrahit auceps,
Sed quod avis motu deprimit ipſa ſuo.
Capta ſit, an capiat, vix qui videt iſta viator
Dixerit, in volucrem lina coacta ruunt.
Virginis effigies ſit ut hæc in amoribus opto,
Ne cadat, impulſu quin cadat acta proci.
Pande plagas, licet hoc, ſed non tamen attrahe caſſes:
Si ſapis, heic auceps præda ſit ipſa ſibi.

Idem Emblemate XIII.

Monſtrat non ducit.

Nocte Pharus vaſtum radios diſpergit in æquor,
Nulla tamen nautis obvia flamma venit.
Nauta tuum eſt dare vela notis, mare tundere remis:
Falleris expectas dum ferat ignis opem.
Si facies comitem te perneget eſſe Dianæ,
Cultus & à Veſtæ clamet abeſſe focis,
Hoc ſatis eſſe reor. vocet ignis ad oſtia puppim;
Optatos ſtudeat nauta ſubire ſinus.

Idem Emblemate XIV.

Niſi præda quieſcit.

Sponte duci Phrygio natam pater ipſe Latinus
Obtulit, oblatam Troicus hoſpes amat.
Hæc tamen, hæc alijs tractanda negotia mandet,
Si ſapit, & docta ſe tegat arte pater.
Per tacitas melius geritur res iſta latebras:
Aptius in multis hic movet, alter agit,
Sic ave fallit avem, rerum velut inſcius, Auceps,
Nec minus occulto retia fune trahit.

Idem Emblemate XV.

Tentanda via eſt.

Falleris infelix; corrupto vivimus ævo:
Fraus apud aſtutos nec latet ulla diu.
Adde quod oblata vix gaudeat ullus amica:
Quippe recurva cibis æra ſubeſſe timet.
Dum Priamus natam nuptum dare tentat Achilli,
Nil agit, & triſti fronte repulſus abit.
Nil pater heic tentet, niſi nota ſit ante voluntas
Illius, in tacita quem tibi mente petit.
Auribus explorat glacialia marmora vulpes,
Quæ niſi firma ſatis, callida ſiſtit iter.

Idem Emblemate XVI.

Nimio ſplendore fatiſcit.

Culta placent lepidis (modus hic tamen abſit) ephebis:
Mundicijs ſatis eſt ſi foveatur amor.
Optat amans dare dona tui potiora parentis,
Cùm poſitu cultu virginis, uxor eris.
At tibi colla videns regalibus abdita gemmis,
Gratia quæ noſtri muneris, inquit erit?
Vidi ego mobilior queis veſtis abegit amantes:
Territa gemmarum cur luce juventa fugit?
Iam padis immodico ſic diſperit ardor olivo:
Sic nimio languens ſtellio ſole jacet.

Catſius Emblemate nuptiali XVIII.

E frigore fervor.

Igne licet caleas, ne ſit manifeſtus amanti:
Quid placida ſemper fronte videnda Venus?
Aurea lux Phœbi poſt nubila gratior orbi eſt:
Dulcior à rapidis quæ ſtrepit aura Notis.
Ardor abit, flacceſcit amor, torpetis amantes,
Dum nimium vobis ſtulta puella favet.
Viva ſuperfuſis calx fervet, & æſtuat undis,
Ac ſimili flammas excitat arte faber.
Diſce negare: viget puer aliger arte negandi:
Dura placebit Veneri, vulnere creſcit amor.

Catſius Emblemate nuptiali XX.

Si nimis emungas extinguitur.

More Sabinarum frontem caperare ſeveram,
Et niſi dura loqui ſi qua puella velit,
Illa fero teneros procul ore fugabit amantes,
Et melius duri militis uxor erit,
Molliter Idalijs recubare ſuetus in umbris
Non didicit Veneris triſtia ferre vir.

Sini-

Si nimis emungas, perit ignis, & æmula soli
Flamma tenebroso pressa vapore jacet.

Idem Emblemate XXI.

Quaque est via nulla feruntur.

Dic age blanditias, fer basia, funde falernum:
Sparge rosas, avidis da melimela procis;
Protinus infelix (nec enim modus ullus amanti)
Protinus audaci sub pede pressa gemes.
Est faba quæ gracili modò fas hæsisse bacillo;
Pergit in aerias ambitiosa vias:
Nec tetigisse sat est fastigia summa phaselo,
Vlterius gyro luxuriante ruit.
Exit in immensum temerarius ardor amantum;
Et quamvis toleres plurima, plura petunt.
Nec satis his vel totus amor. sua furta sodali
Si narrare nefas, non placet ipsa Venus.

Catsius Emblemate nuptiali XXII.

Quid juret non curat amans.

Nonne vides? tremit acta Noto, similisq; precanti
Dum spirat, tremulum flectit arundo caput.
At simul ut desævit hiems, assurgit in altum,
Nullaq; supplicij signa prioris habet.
Crabro rosas ac mella colit, dum spicula condit;
Cùm ferit, amisso cuspide fucus abit.
Supplicat omnis amans, & dat bona verba puellæ
Dum negat, & calidas respuit ipsa preces.
At fremet, at teneræ convitia dicet amica,
Vt semel optata gaudia nocte tulit.

Idem Emblemate XXIII.

Sale tange, liquescit.

Vt sine labe fluat primi tibi temporis ætas,
Auris ad obscœnos sit tibi clausa jocos.
Hi, pubes lasciva parat cum bella pudori,
Prima Dionæi tela nepotis erunt.
Ergo ubi nequitias aliquis voces ve pudendas
Ausus erit stulta garrulitate loqui,
(Arridere nocet) vultus oppone severos,
Et matronali verba timenda sono.
Serpere si patiare, notat piger atria limax,
Solvitur in liquidas qui sale sparsus aquas.
Voce tona, nec parce minis, dum scurra jocatur,
Protinus impuro desinet ore loqui.

Catsius Emblemate nuptiali XXXIV.

Virgo ludendo læditur.

Fronde levi juvenes jactoq; lacessere malo
Conveniens castis moribus esse nego.
Flore latebit Apis (res heic eà digna relatu est)
Hanc videt ac tenero pollice virgo petit.
Nec mora, nec requies; tandem ferit illa puellam:
Huic tumet infesta cuspide læsa cutis.
Virgineam quid crabro manum petis improbe? clamat:
Ludimus, & mens te lædere nulla fuit.
Dum pueros lusu lasciva puella lacessit,
Sæpe tumor vexat corpora, sæpe timor.

Idem Emblemate XXXVIII. Nuptiali.

Facetus amator, ridiculus maritus.

Pectore (quis furor est?) tu nil nisi basia volves,
Munia cùm sacri sunt obeunda thori?
Fœda facesse Venus! res est veneranda maritus:
Turpe voluptatis nomen abhorret Hymen.
Non aliquis, mihi crede, nepos, Veneris ve satelles
Aptus erit castæ sceptra tenere domus.
Memnonis effigiem plerìq; sequuntur amantes:
Sole micante boant, hoc abeunte silent.
Dum tuus ille Paris primò furit actus amore,
Basia mille feres, basia mille dabis.
At simulac stolidi deferbuit æstus amantis,
Protinus emeriti militis uxor eris.

Iac. Catsius Emblemate amatorio X.

Mite pyrum vel sponte fluit.

Si grave prolixos tibi pectus abhorret amores,
Candida conjugij si tibi meta placet;
Hanc ut ames sit cura, soror cui nubilis instat:
Nonne vides? frondes fronde premente ruunt.
Hæc sit amica tibi, cui serior ingruit ætas:
Crede mihi, caussam Tempus amantis agit.
Mitia sponte fluunt, pyra cruda tenacius hærent;
Nec sequitur facilem quæ viret uva manum.

Sive amator, sive gladiator repete.

Martia picus avis, longis dare vulnera ramis
Dum parat, & rostro robora dura petit,
Protinus, ut quercum primo modò contudit ictu,
Quærit an admittat pervia rima diem.
Picus amatoris nimium properantis imago est;
Primo admittendum se putat esse die.
Fallimur. haud primis cadit icta bipennibus arbor
Robora vasta cupis sternere? sæpe feri.

Catsius Emblemate amatorio XXVI.

Inverte larvam & avertes.

Larva quod est pueris, id amantibus esse repulsam,
Tam puer arcitenens, quam Cytherea jubent.
Frons in utraq; quidem metuenda; sed inspice tergum;
Aut levis hinc cortex, aut cava pinus erit.
Quid gemis optata te spe cecidisse puella?
Pristina libertas hinc tibi salva redit.
Spes sublata metum quoq; sustulit. arrige mentem:
Fronte quod horrendum est ludicra terga gerit.

Catsius Emblemate amatorio XXIX.

Fugat, non capit.

Dum cava lustra subit Viverra, cuniculus hostem
Vt fugiat, celeri deserit antra pede.
Morderi metuens laqueis se tradit habendum.
Sæpe labor socio quod negat, arte feres.
Anxia virgo fugit cùm rusticus instat amator;
Et fruitur præda cui magis apta manus.
Vicisti, sis capta licet, lepidissima rerum:
Nam fuit in votis, ne capiare, capi.

Catsius Emblemate amatorio XXXI.

Inter manum & mentum. *Canis & Anas.*

Post varios tandem qui me pressere labores,
Obtigit hæc oculis præda videnda meis.
Hanc sequor ingenti conamine; jamq; propinquo,
Iam crepitant fauces, jam mihi guttur hiat.
Sed dum capturiens vestigia proxima stringo,
Ah! reliquum video nil mihi præter aquas.
Somniat heu! vigilans, & se quoq; ludit amator:
Bulla, vapor, nihil est, se quod habere putat.

Procrastinationis.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

D*ivus Io. Chrysostomus*: Quid ergo faciemus ut salvi simus? Incipiamus ex virtute vivere, dum tempus habemus. Virtutes nobis distribuamus, sicut agriculturam agricolæ. In hoc mense expugnemus maledictum & contumeliam, iram injustam, & nobis imponamus legem, & dicamus: Hodie hoc rectè faciemus. Et in hoc mense nos ipsos doceamus patientiam, & in alio aliam virtutem, & quum ad hujus virtutis pervenerimus habitum, veniamus ad aliam, sicut in disciplinis ea quæ sunt acquisita servantes, & alia adsumentes. Post illam veniamus ad contemptum pecuniæ. Primùm manus contineamus ab avaritia & plura habendi cupiditate, & tunc faciamus eleemosynam. Non omnia temerè confundamus, iisdem manibus & rapientes & dantes eleemosynam. Postea ad aliam virtutem, & ab illa ad aliam. Turpitudo & stultiloquium & scurrilitas ne nominetur quidem apud vos. Hæc interim rectè geramus. Non parantur hæc sumptu, non labore, non sudore. Sufficit velle, & confecta sunt omnia. Non est opus magnam viam ingredi, neque magnum mare transmittere, sed studium adhibere, & esse prompto & alacri animo, & linguæ frenum imponere. importunas contumelias, iras, impuras libidines, delicias, sumptus nimios, pecuniæ cupiditates, perjuria & juramenta assidua à nostra expellamus anima. Si nos sic colamus, spinas quæ prius erant evellentes, & semen cæleste iniicientes, poterimus bona promissa consequi. Veniet enim Agricola, & nos reponet in horreum, & bona omnia consequemur. *Homilia 25. epist. ad Hebræos.*

Chrysologus: Semper homo bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit. *Sermone 125. m.*

§ POETARUM.

Terentius Andriæ 2. sc. 1.

—— *omnia experiri certum est prius quam pereo.*
B. quid hic agit?
CH. *Ipsum hunc orabo: huic supplicabo: amorem huic narrabo meum.*
Credo impetrabo, ut aliquot saltem nuptijs prodat dies.
Interea fiet aliquid spero. B. id aliquid nihil est.

Terentius Heautont. 2. sc. 2.

Datur modo! fruere dum licet. nam nescias
Ejus sit potestas posthac, an nunquam tibi,

Martialis lib. 1. Epig. 16:

Non bene distuleris videas quod posse negari.
Et solùm hoc ducas, quod fuit, esse tuum.

Exspectant. videantur. seqq. tit. Gaudij.

Videantur reliqua titulo, *Dilationis, Festinationis, Moræ, Pigritiæ.*

Procurationis.

¶ SENTENTIÆ.

XEnophon : Socrates, quum aliquando sodalem alium quemdã veterem longo ex intervallo videret: Vnde nobis ades, ait, Euthere? Sub exitum belli, mi Socrates, inquit, peregre veniebam, nunc ex hoc ipso loco. Quando enim extra fines Atticæ sita prædia mihi sunt ademta, nec pater in Attica mihi quidquam reliquit: cogor jam domi degens corpore faciundis operis victum quærere. Et videtur hoc mihi præstare, quam aliquem rogare mortalium: præsertim quum pigneris nihil habeam, quo pecuniam accipere mutuo possim. At quam diu putas, ait Socrates, corpus tibi suffecturum, ut victum pro mercede laborando quæras? Profecto non diu, inquit. Itaque quum consenueris, sumtu tu quidem egebis, at nemo tibi mercedem pro corporis laboribus pendet. Vere dicis, inquit. Ergo, subjecit Socrates, præstat ea te opera jam nunc adgredi, quæ tibi etiam quum senueris alendo sufficiant: atque ut locuplete quodam convento, qui socio procurationis indigeat, sic illi te juvanti vicissim prosis; ut operis præsis, & fructus congeras, & facultates ipsius una custodias. Ego vero, mi Socrates, inquit, ægre servitutem perferre possim. Atqui civitatum præsides, publicarumque rerum curatores, non idcirco magis serviles, sed magis ingenui existimantur. Omnino, mi Socrates, non admodum velim me reprehensioni alicujus obnoxium esse. Atqui, mi Euthere, inquit Socrates, non facile reperiri potest opus, in quo non aliquis culpetur. Est enim difficile, sic aliquid agere, ut nihil omnino delinquas: atque etiam, quum absque delicto factum est aliquid, in judicem non iniquum incidere, difficile est. Nam equidem miror, te in iis etiam operis, in quibus nunc versaris, facile consequi, ut inculpatus maneas. Quamobrem danda est opera, ut culpandi cupidos fugiamus, æquos autem æstimatores sectemur: itemque negotia, quæcumque conficere potes, ut suscipias; quæ non potes, caveas: quidquid autem feceris, in id uti quam rectissime promtissimeque incumbas. Nam ita futurum arbitror, ut minime culperis, inopiamque tuam maxime subleves, ac facillime omnis expers periculi magna in rerum copia etiam in senecta vivas. *cap. 96. lib. 2. Memorabilium.*

Calpurnius Flaccus : Nemo unquam magistratum fecit vicarium, nec in alio militavit, nec sacra gentilia insertiva stirpe corrupit. *Controversia. 24.*

Prodigalitatis.

¶ SENTENTIÆ THEOLOGORUM.

EGesippus : Nihil vobis commune innoxijs est cum prædonibus, sobrijs cum ebriatibus: utinamque vini esset illa ebrietas & non furoris; qui ubi se flagitiis ingurgitarunt, dissipando proprias possessiones, diripiunt aliena, & male parta nequius dissipant. nullus rapiendi finis, quia nullus abliguriendi modus &c. *cap. 7. libri 4. de excidio Hierosolymitano.*

Salvianus : Qui aut abundantia nimia, aut securitate vitiantur, desinunt esse perditi, cùm destiterunt esse securi. *libro 6. de gubernatione Dei.*

¶ PHILOSOPHORUM ROMANORUM.

Seneca : Nec audacem quidem timoris absolvimus: ne prodigum quidem avaritia liberamus. *libro 4. de beneficijs cap. 27.*

Corn. Tacitus : Prodigis nulla fere spes quàm in rebus novis. *lib. 15. Annal. cap. 35. & lib. 1. Histor. cap. 21.*

Corn. Tacitus : Prodigi de suis, ijsdem sunt erga aliena sumptibus. *libro primo Histor. cap. 20.*

¶ POETARUM.

Lucianus *in Theronem prodigum.*

Quum juvenis Theron bona, filius ille Menippi,
Patria inexhausta perderet ingluvie:
Dives opum quidam dolet hinc accedere duram
Pauperiem, patri junctus amicitia:
Et miserum lachrymis sic consolatur obortis:
Sume animos, dos est en tibi summa gener.
Ille ubi jam præter spem partas, sorte novata,
Sensit opes, priscum concipit ingenium.
Omnis in hoc labor est, ventri ut famuletur inerti
Per fas atq; nefas: sic perijsse juvat.
Hinc inopem rursus socer arguit, omnia retro
Dum fluitare videt, fortéq; lapsa simul.
Iamq; madent genæ, & luctu miser omnia complet,
Nec Theron, sed dos jam dolet, & soboles.
Heu nimium serò didicisse juvat, alijs non
Esse bonum, quisquis non fuit ipse sibi.

Plautus Amphitr. 4. sc. 2.

Prodigum te fuisse oportet olim in adolescentia.
A. Quidum? M. quia senecta in ætate a me mendicas malũ.

Plautus Trinummo. 2. sc. 4. v. 13.

Non tibi illuc apparere, si sumas, potest:
Ni tu immortales rere esse argentum tibi.
Sero atq; stultè, prius quod cautum oportuit,
Postquam comedit rem, post rationem putat.

Plautus Truculento 2. sc. 3.

Vt rei servire suave est? væ misero mihi,
Post factum plector, quia ante partum perdidi.
Verùm nunc si qua mihi obtigerit hereditas,
Magna atq; luculenta, nunc postquam scio
Dulce atq; amarum quid sit ex pecunia
Ita illam ego edepol servem, itaq; parcè victitem,
Vt nulla faxim cis dies paucos siet.
Ego illos qui nunc me culpant confutaverim.

P. Syrus Minus:

Perdendi finem nemo nisi egestas facit.

¶ EMBLEMATVM.

Batillius CCX.

In malè prodigos.

Ceu rigidis ficus innata in rupibus, apta
Non nisi sunt corvis vulturibusq; legi;
Sic nisi cum scurris & adulatoribus hauris
Quas te largiri, prodige, dicis opes.

Catsius Emblemate Ethico XLVI.

Avarum excipit prodigus.

Dum tibi vita manet, miseranda sortis Aselle,
Non intermisso membra labore gemunt.
Interea tribulis & amara vesceris herba,
Vixq; datur gelido fonte levare sitim.
Sed morere, infelix, mox tibia festa sonabit,
Et tua pastor ovans ducet ad ossa Choros.
Quærat avarus opes, jam prodigus imminet heres,
Qui male congestas dilapidabit opes.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Argumenta Opum, sunt sumptus jam super vacanei.
Delicijs avium patrimonia avolant amplissima.
Eroganda, haud eroganda jactat prodigalitas.
Nulla tam capax est arca, cui fundus non sit suus.
Non diu simul moratur Sordidus cum Prodigo.
Patrio indignus sepulchro est perdidit qui opes patris.
Perfacile est rem bene paratam comitate perdere.
Plus sapit palatum quam cor perditis nepotibus.
Prodigalitatis omnis est parens pecunia.
Prodigis prodest egestas: de malo nam fit bonus.
Quid prodest virtus patrum nepotibus nepotibus?
Quid tyrannus concupiscat nudis ex nepotibus?
Rem suam omnem ubi comedit, calculos tractat nepos.
Vasta res oportet adsit magnifico atq; prodigo.

¶ JAMBICA.

Census pereuntis sensus nullus prodigæ.
Culina fœdum est exitium patrimonij.
Pecuniæ ne fructus est profusio?
Per comitatem facilè dissipes tua.
Productè prodigum esse amatorem addecet.
Promum requirit condus, Æsopum Euclio.
Silvas prius vendit nepos quàm vineas.

Prodigij.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Nulla in orbe fit ferè absq; prodigijs mutatio.
Prodigia hostijs votisq; religio quaq; expiat.
Prodigio quod nuntiatur, consilio haud avertitur.

¶ JAMBICA.

Agitata ventis unda venturis tumet.
Crinita stella, certa pestis Principum est.
Prodigia sunt mala imminentis nuncia.
Prodigia tantum jam audiuntur in metu.

Proditionis.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Chrysostomus*: In bellis quidem vel nolentes & inviti produntur sæpe milites: hic autem nisi ipse ultrò transfugeris, superabit te nemo. *Homil. 11 ad Romanos.*

Synesius Episcopus: Sed heus tu propterea nunc quidem execrabilis es, qui communis fortunæ contra quàm cæteri sis particeps: feliciter enim inter infelices degis; at ego communem cùm civitate infelicitatem sustineo. Scito tamen naturæ hanc esse legem, ut in toto partes comprehendantur. Ac quando ex corporis detrimento splen supra modum excreverit, donec universum corpus steterit, gliscit quidem, & distenditur; eo vero pereunte, unà etiam perit. Sic tu quoque præsenti successu utens paulatim consiliis tuis fatalis & patriæ & tui pestis atque exitium eris. Eo usque Lasthenes Philippi amicus appellabatur, donec Olynthum prodidit: cum autem qui urbe careat, quî verisimile est esse felicem? *Epistola 94.*

§ LATINORUM.

Egesippus: Solutus vinculis Cæcina, dirigitur ad Vespasianum ab Antonio: ibique non solum salutis securitate, sed etiam pręmiorum solutione consolatus est maculam proditionis ipsius. *cap. 31. fine lib. 4. de excidio Hierosolym.*

Egesippus: Phinees tradidit vestem omnem sacratam, sed coactus metu; unde & veniabile apud suos flagitium fuit. tamen etsi voluntas defuit, deesse virtus non debuit. licet plerumque severius judicemus quàm præcavere possimus si ipsi in tali versemur necessitate; refugere tamen debemus furti ministerium, & judicium proditionis. *cap. 48. lib. 5. de excidio Hierosolym.*

Ennodius: Externis adversariis sine labore congredimur. inerme pectus invenit, qui de gratiæ fruge in affectum prorumpit inimici. *Dictione 14. pr.*

§ PHILOSOPHORVM ORATORVMQVE GRAECORUM.

Xenophon: Perfecit nobis Gadatas, socij, quæ nos omnes magni æstimanda duximus, atque etiam prius, quam ullo à nobis beneficio esset adfectus. At nunc Assyrius fines ejus invadere nuntiatur, qui nimirum eadem vult opera supplicium de illo sumere, à quo se magnum accepisse detrimentum putat: & fortassis etiam cogitat, si nihil ab ipso accidat illis mali, qui ad nos deficiunt, & ipsius socij ad internecionem à nobis deleantur: par esse creditu, brevissimo tempore neminem ab ipso futurum. Præclarum ergo quiddam facere videbimur, si alacribus animis opem Gadatæ tulerimus, homini bene de nobis promerenti: & juste fecerimus, si gratiam referamus: atque etiam, mea sententia, rebus nostris recte consuluerimus. Nam si videbimur in oculis omnium eniti, ut eos, qui nos lædunt, lædendo vincamus & bene merentes beneficiis superemus: consentaneum est, multos amicitiæ se nostræ libenter adjuncturos, & neminem futurum, qui nos sibi hostes esse cupiat. Sin Gadatam negligere videamur, quo ore per Deos immortales aliis persuaserimus, ut nobis gratificentur? qui nosmet audeamus laudare? qui possit aliquis nostrum Gadatam intueri, si tot ipsi numero, beneficiis ab uno superemur, & quidem hoc modo rebus ipsius comparatis? Hæc Cyrus dixit, eaque consenserunt omnes acriter esse faciunda. *cap. 24. lib. 5. Cyropædiæ.*

Lysias: Operæpretium est autem & hoc considerare, quod si quis munitionem aliquam prodidisset, aut navem, aut exercitum, in quo pars aliqua civium erat, extremo afficeretur supplicio. At hic universam rempublicã cùm prodiderit, nequaquam tamen velut pœnam subiturus, se adornat. *Capit. 7. Oratione 30 in Philonem.*

Aristides Rhetor: Arithmius Zelites cùm ad regis usum in Peloponnesum aurum attulisset, hostem eum populi Atheniensis unà cum tota familia, & intestabilem declararunt. *sub finem orationis Panathenaicæ.*

Libanius: Iste perversis omnibus legibus, ratusque unumquodque solum alteri simile esse, vel potius minime simile, ac hostile civicum, civicum hostile, pervertit atque confudit ea quæ ubique firma ac fixa sunt. Illos benevolentia complexus, quos par fuerat odisse: odio persequens eos, quorum tangi respectu favoris debuisset. Ipse enim, quod utinam factum non esset, apud nos natus, & educatus ad domesticam cladem, sumpta jam toga virili, cum fides ei haberetur, aliorum quidem civium sensus non fuit imitatus: neque difficilibus temporibus utilitatis aliquid à se protulit. Sed ficta benevolentia verbis, inflectens nos atque pervertens, atque ita semper aliquid adiiciens potestati suæ, quale; pro tellus, & sol, & fana, ac sepulchra! consilium cœpit in nos? Fuit nobiscum, sed aliò spectavit. Vixit apud nos, Sed pro hostibus vixit: cum civibus rem divinam, sed vota pro hostibus fecit. Consilij nostri particeps, pars concionis fuit, decreta perscripsit, non nostræ res ut meliores fierent, sed in potestatem hostium ut pervenirent. Ac vobis quæ essent, statim & illis fuere nota: omnia ab isto procurante, & vendente. Congressus fuisti, ô scelerum caput, cum hostibus communibus. Admisisti orationem adversus patriam Accepisti aurum contra patriam. Venditor esse sustinuisti rerum preciosissimarum. Extendisti manum ad precium sumendum. Neque exhorruisti, cum cogitares de qua illud lucrum quæreretur. Ac contra urbem, in urbem pecunias apportavisti: illamque incoluisti, quam vendideras. Explica jam sermones judicibus, habitos inter vos. Stato nobiscum, desertis civib. Stabo. Accipe mercedem cõtra patriam. Accipiam. Fac nequid quod ibi geretur ignoremus. Scietis omnia. His etiam forte adjectis talibus: Nihil vobis laboris, nihil negocij suscipiendum, ut urbem capere positis: nã plus virium proditio habitura est quàm arma. Respicite jam totam urbem, considerate magnitudinem, pulchritudinem illius; templa, fora, communes opes, singulorum facultates, legiones, equitatum. pueros, mulieres, ubertatem, elegantiam. Universa hæc iste, ut mercem forensem venum dedit, & pro reditu habuit urbis eversionem. Et nunc tanta de impietate ditatus, vos aspicit, quos vendidit. At vos cunctamini, & orationem auditis. Quodnam facinus malum omnium in quæ pœnæ constitutæ sunt simile isti cernentes? quam in deos contumeliam? quam in mortuos? Adulter amore saucius, unam domum læsit. Est hoc flagitium grave, sed in uno malum insistit. Qui interimit inimicum suum, non omnib. deinceps hoc facit. Manus aliquis admovit sacris, at non ipsa etiam simulachra sustulit. Deliquit in mortuos aliquis, & bustum violavit, sed ita ut ab iis abstinuerit quæ ad deos pervenissent. Istorum igitur quisque, ab aliquo facinore abstinuit, aliquo se cõtaminavit. Adulter non etiam certe hominem interfecit. Cujus manus pollutæ sunt, non jam etiam adulterium commisit. Qui ditari sacris quęsivit, non ideo sepulchra quoque perfodit. Qui copiam parere aliquam voluit de bustis, abstinuit tamen à sacris. Proditorem verò cũ nominaro, simul omnia maleficia memorari scitote. Quæ enim in illis distincta sunt, ea in hoc uno colliguntur. Quem enim fugit, capta urbe mulieribus vim afferri, viros jugulari, insaniri in busta, fana non spoliari modò, sed etiam dirui? In hoc igitur illos iste superavit universos, quod lęsit, & singulos gravius. Illorum enim damna in parte quadam versantur, at proditionis injuria communitatem rerum affligit. *Loco communi in Proditorem.*

Libanius: Quod vos si quis interroget, quid maximè vobis videatur horrendum? satis scio dicturos universos, legum confusionem in tyrannide. At enim eo est difficilior proditio tyrannide, quo illius finis, ut nulla reliqua urbs sit. hęc autem convellens omnia, urbis tamen respectum retinet. non enim fugit eum qui tyrannidem appetit, conservandam esse urbem, siquidem ipsius potentia conservari debeat. Qui verò dat proditori aliquid, ob ipsius dat urbis fundamẽtum. Quid potissimum funditus urbem perdit? sat scio respondebitis, victores hostes. At iste jam hostibus, talia perficientibus, odio majore dignus Quamobrem? quia illa fiunt ab iis qui legitimũ bellum gerunt: & ipsum nomen effectio sequitur: hostes enim hostiliter agunt. hic autem una cum hostibus suam urbem evertens & delens, quam tueri debuerat, hostibus est amarior. Præterea cavendum ab hostibus: denunciant enim inimicitiam. hic verò inter eos quos perdit delitescens, maleficus est. Quod si jucundus vobis est hostium interitus, fieri ne poterit quin parvum hujus supplicium mors videatur fore? Vidi multos furti reos, vosque iratos: neque injuria: nulli enim maleficio clementia debetur. proinde convictos furti denariorum decem, punitis: proditorem cùm teneatis, manibus vestris non discerpitis. Qui quidem proditionis nũc caussam dicit, per omnia verò illa processit, furta, adulteria, sacrilegia; in quibus eruditus mihi videtur omnem metum abiecisse: itaque tandem ad hoc pervenit. quin enim maxima maleficia, perpetrarunt, ut iste hoc, plane declarant à minoribus illò se progressos esse: cùm fallendo pœnamque effugiendo majora conciperent animo. *in Proditorem.*

Libanius: Ecquisnam proditorem emit, qui hostili terra jam potitur? Quis enim cùm expedirè robore propriæ virtutis opus aliquod perficere potest, alienum sibi ad res ejusmodi ministerium conducit? Nam quæcunque per nos ipsos rectè gerimus, sagacitatis opinionem gignunt, aut virium, aut alicujus alius prærogativæ, ei cujus opera res peracta est. at verò furtum per proditionem, dedecus illi potius qui prodit, quam celebritatem iis qui hoc pacto superarunt adfert. atque his quidem non honestum, illi verò ignobile nomen paratur. Non igitur emere per me urbem voluissent, quam per se facillimè mancipare posse existimabant. *Declamat. 31.*

Onosander: Proditoribus fides & promissa ab Imperatore servanda sunt: nec considerandum quales illi antea extiterunt, sed quales deinceps futuri sunt; ut postquam sibi hostium partes amplectentibus gratiam haberi perspexerint, animos ad ea beneficia convertant suos. Quisquis enim proditori dat, munus accipit potiùs quàm confert. Ideoque promta esse debet Imperatoris hac in re liberalitas. quippe de hostium proditâ civitate judex aut arbiter non est, sed patriæ suæ Imperator. *Capite 38. Strategici.*

Heliodorus: Oroondates ex ijs quæ belli caussæ & præmia fuerant se decessurum esse dixit, & dimissurum Philas urbem & smaragdi fodinas: ceterùm petere ut in ipsum nihil durius statuatur, neque se ipse, neque milites dedat. sed si velit Hidaspes integrum officium humanitatis declarare, concedat nullum damnum inferentibus discedere Elephantinam: quod sibi perinde esset nunc moriatq; deinceps superstitem proditionis exercitus à Rege damnari. Quin etiam gravius illud esse futurum & asperius quandoquidem nunc simplex genus mortis & usitatum illi subeundum esse: tunc verò crudelissimum & cum acerbissimo supplicio nova quadam ratione conjunctum. *libro nono Æthiopicorum.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Primum omnium, nego fieri potuisse, ut prodi-

proditor conscios non haberet. Intuemini naturam, intuemini magnitudinem sceleris. prodere populum, civitatem, exercitum, non est unius. *Declamat. 307. p.*

Quintilianus Senior: De proditore non est misericordia. Qui misereri proditoris potest, crudelis est. *Declamat. 307. sub finem.*

Eumenius: Maximianus literas ad sollicitandos exercitus misit, fidem militum præmiorum ostentatione turbaturus; securè scilicet usurus exercitu, quem venales manus habere docuisset. Quo quidē illius errore declaratum est, Imperator, quantum te militum tuorū amor complecteretur, qui te omnibus donis quæ ille promiserat, omnibus honorum oblationibus prætulerunt. Rara illa virtus continentiæ, vix à paucis sapientiæ præceptoribus aliquando servata, propter te, Constantine, omnium hominum est facta communis: nec solum hi quos ratio, literæ, vitæ quies mitigavit, sed etiam ille militarium ardor animorum, respectu tui lucra contempsit. Fuerint aliqui exercitus alacritate ac viribus tuo similes; tibi uni contigit exercitum habere sapientem. Multi olim fortasse pravi Duces, armis impares, largitione certarunt: sed brevis eorum fuit & caduca popularitas, quos facilè vicit quisquis imitatus est. hic firmius, hic æternus est reipublicæ custos, quem ipsum per se milites amant, cui non blandita nec vendita servit adulatio, sed simplex & sincera devotio. Dona tua, Constantine, manifesta sunt grata militibus; sed hoc gratiora, quod tua sunt: quæcunque porrigis manu tua fiunt acceptiora. Quàm nemo potest tecum hac ambitione contendere? insuperabile genus est largitionis, cùm ipse militi præmium est Imperator. Itaque tribuis tu quidem tuis exercitibus etiam plura quàm cupiunt; sed tuum te magis nomen, tua de memoria patris auctoritas, tuæ ætatis gratia, tua denique ista venerabilis forma commendat. *Cap 16. Panegyr. Constantino Aug.*

De eliciendis ad proditionem.

Frontinus: Papyrius Cursor Cos. apud Tarentum, Miloni, qui tum præsidio Epirotarum urbem obtinebat, salutem ipsi & popularibus, si per illum oppido potiretur, pollicitus est. Quibus præmiis ille corruptus, persuasit Tarentinis, ut se legatum ad consulem mitterent, à quo plena promissa ex pacto referens, in securitatē oppidanos resoluit, atq; ita incustoditā urbem Cursori tradidit.

Marcellus, cùm Syracusanum quendam Sosistratum ad proditionem solicitasset, ex eo cognovit remissiores custodias fore die festo, quo Epicides præbiturus esset vini epularumque copiam: insidiatus igitur hilaritati, & quæ eam sequebatur socordiæ, munimenta conscendit, vigilibusque cæsis, aperuit exercitui Romano urbem nobilibus victoriis claram.

Tarquinius Superbus, cùm Gabios in deditionem accipere non posset, filium suum Sextum Tarquinium cæsum virgis ad hostem misit, is incusata patris sævitia persuasit Gabinis, ut odio suo adversus regem uterētur, & dux ad bellum electus tradidit patri Gabios.

Cyrus Persarum rex, suum comitem Zopyram explorata ejus fide, truncata de industria facie, ad hostes dimisit: ille assentante injuriarum fide, creditus inimicissimus Cyro, cùm hanc persuasionem adjuvaret, procurrendo propius quotiens acie decertaretur, & in eum tela dirigendo, commissam sibi Babyloniorum urbem tradidit Cyro.

Philippus oppido Samiorum exclusus Apollonio præfecto eorum, ad proditionem corrupto persuasit, ut plaustrum lapide quadrato oneratum, in ipso aditu portæ poneret, confestim deinde signo dato insequutus oppidanos, circa impedita portæ claustra oppressit trepidantes.

Hannibal apud Tarentum, quæ à præsidio Romano, duce Livio tenebatur, Eoneum quendam Tarentinum quem ad proditionem solicitaverat, ejusmodi fallacia instruxit, ut ille per causam venandi noctu procederet, quasi id per hostem interdiu non liceret: egresso ipsi apros subministrabant, quos ille tanquam ex captura Livio offerret, idque cùm sæpius factum esset, & ideo minus observaretur, quadam nocte Hannibal venatorum habitu, Pœnos comitibus eius immiscuit: qui cùm onusti venatione, quam ferebant recepti essent à custodibus, protinus eos adorti occiderunt. Tunc fracta porta admissus cum exercitu Hannibal omnes Romanos interfecit, exceptis his, qui in arcem profugerant.

Lysimachus rex Macedonum, cum Ephesios oppugnaret, & illi in auxilio haberent Mandronem Archipiratam, qui plerunque oneratas præda naves Ephesum appellabat, corrupto ei ad proditionem, junxit fortissimos Macedonum, quos ille restrictis manibus pro captivis Ephesum introduceret: qui postea raptis ex arce armis, urbem Lysimacho tradiderunt. *lib. 3 cap 3 Stratagem.*

Qua ratione proditoribus & transfugis occurratur.

Frontinus: CL. Marcellus cognito consilio Battei Nolani, qui corrumpere ad defectionem populares studebat, & Hannibali gratificabatur, quòd illius beneficio curatus inter Cannenses saucius, & ex captivitate remissus ad suos erat, quia interficere eum, (ne supplicio eius reliquos concitaret Nolanos) non audebat, accersitum ad se allocutus est, dicens: fortissimum eum militem esse, quod anteà ignorasset: hortatusque est, ut secum moraretur: & super verborum honorem, equo quoque donavit. Qua benignitate non illius tantum fidem, sed etiam popularium, qui ex illo pendebant, sibi obligavit.

Hamilcar dux Pœnorum, cùm frequenter auxiliares Galli ad Romanos transirent, etiam ex consuetudine, ut socij exciperentur, sibi fidelissimos subornavit, ad simulandam transitionem, qui Romanos excipiendorum causa eorum progressos ceciderunt. Quæ solertia Hamilcari non tantum ad præsentem profuit successum, sed in posterum præstitit, ut Romanis veri quoque transfugæ forent suspecti.

Hanno Carthaginensium Imperator in Sicilia, cùm comperisset Gallorum mercenariorum circiter quatuor millia conspirasse ad transfugiendum ad Romanos, quòd aliquot mensium mercedes non receperant, animadvertere autem in eos non auderet, metu seditionis, promisit prolationis injuriam, liberalitate pensaturum: quo nomine gratias agentibus Gallis, per tempus idoneum datis pollicitis, fidelissimum dispensatorem ad Otacilium Cos. misit: qui tanquam rationibus interversis transfugisset, nunciavit, nocte proxima Gallorum quatuor millia, quæ prædatum forent missa posse excipi. Otacilius nec statim credidit transfugæ, nec tamen rem spernendam ratus, disposuit in insidiis lectissimam manum suorum, ab ea Galli excepti dupliciter, Hannonis consilio satisfecerunt, & Romanos ceciderunt, & ipsi omnes interfecti sunt.

Hannibal simili consilio se à transfugis ultus est. Nam cùm aliquos ex militibus suis sciret transfugisse proxima nocte, nec ignoraret exploratores hostium in castris suis esse, palàm pronunciavit, non debere transfugas vocari solertissimos milites, qui ipsius jussu exierint ad excipienda hostium consilia, auditis quæ pronunciavit, retulerunt exploratores ad suos. Tum comprehendi à Romanis transfugæ, & amputatis manibus remissi sunt.

Diodorus, cùm præsidio Amphipolim tueretur, & duo millia Thracum suspecta haberet, quæ videbantur urbem direptura, mentitus est paucas hostium naves proximo littori applicuisse, easque diripi posse. Qua spe simulatos Thracas emisit, ac deinde clausis portis non recepit. *lib. 6. cap. 16. Stratag.*

Frontinus: Camillo Phaliscos obsidenti, ludimagister liberos Phaliscorum, tanquam ambulandi causa extra murum eductos, tradidit, dicens repetendis eis obsidibus necessariò civitatem imperata facturam. Camillus non solum sprevit perfidiam, sed & restrictis post terga manibus magistrum virgis agendum ad parentes tradidit pueris, adeptus beneficio victoriam, quam fraudem non concupierat. Nam Phalisci ob hanc justitiam sponte ei se dediderunt.

Ad Fabricium ducem Romanorum medicus Pyrrhi Epirotarum regis pervenit, pollicitusque est daturum se Pyrrho venenum, si merces sibi, in qua operæprecium foret, constitueretur. Quo facinore Fabricius egere victoriam suam non arbitratus, regi medicum detexit: atque ea fide meruit, ut ad appetendam amicitiam Romanorum compelleret Pyrrhum. *lib. 4. cap. 4. Stratagem.*

§ POETARUM.

Aristophanes Equitibus v. 462.

Atqui haud latet me, quid in Argolide feceris:
Equidem Argivos amicos prætendis: at tibi
Privatum cum Lacedæmonijs conventum agis.

§ APOLOGORUM.

Æsopi Homo & Perdix. Perdicem quidam cùm cæpisset, occisurus erat. Id deprecabatur Perdix aiens, sinas me vivere, plures enim perdices tibi pro me venabor. Cui ille, ideò magis te mactabo; quod familiaribus & amicis tuis insidiari velis.

De Quadrupedibus & Avibus. *Anonymus.*

Quadrupedes pugnant avibus, victoria nutat:
Spes onerata, metu vexat utrumque gregem.
Linquunt aves qua sumit avis de vespere nomen,
Nec timet oppositi castra juvare chori.
Armat aves Aquilæ virtus, & viribus implet,
Et monitu, torpet altera turba metu.
Amplexatur aves pennis victoria lætis,
Pro titulo pœnam transfuga sumit avis.
Vellera nuda suo, pro plumis vulnera portat
Edictumq; subit, ne nisi nocte volet.
Non bonus est civis qui præfert civibus hostem
Utiliter servit nemo duobus heris.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

David: Rechab & Baana Principes turmarum Isbosethi filij Saulis, quum attulissent caput Isbosethi ad Davidem, eique obtulissent, putātes illud munus ei fore acceptissimum, respondens David, *Vivit Iehova,* inquit, *qui redemit me ab omni angustia: quum eum qui nuntiabat mihi mortem Saulis apprehensum occiderim, quod oportebat me ei præstare pro nuncio: quanto magis oportet hominibus improbis qui occiderunt virum iustum domi ejus in cubili ejus: jam ergo an non reposcerem sanguinem ejus è manu vestra, & tollerem vos è terra?* Iussit itaque David ut occiderentur, &c. *2. Samuel, 4. 9. 10, &c.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Crimina universa crimen proditoris in se habet.
Crimen unum proditoris cuncta vincit crimina.
Ecquis ei credat alienos, ipse suos qui prodidit?
Frustra amico amicum speres, qui ante amicum prodidit.
Haud capax est mensa frugi proditionum; amant dapes.
Insperato honore veles proditoris dedecus.
Neminem non proditionis vis tyranna suspicit.
Omnibus proditio grata est; nulli at gratus proditor.

Pro scelus! vitaq; caussâ patria ipsa proditur.
Proditor quamvis celeriter debitam pœnam invenit
Proditor scelus nefandum, proditor scelerum est caput.
Proditor sui est, opem qui ab inferioribus petit.
Proditori habere honorem forte fas; fidem at nefas
Qui miseretur proditoris omnium immanissimus est.
Rarus est patriæ servator, proditores plurimi.
Vt suos tollat inimicos, urbs à cive proditur.
Vtilis licet sit, omnis proditor nequam est tamen.

¶ JAMBICA.

Captis dolorem iramq; renovat proditor.
Cum proditore pax iniri non potest.
Et proditionis est nutricula Inopia.
Gravissimum proditio criminum omnium.
Haud majus est probrum quàm amicum prodere.
Invisus etiam est ijs, queis servit, proditor.
Multum arma possunt, plus proditio sed potest.
Proditio, criminum omnium gravissimum.
Se proditores primos vendunt omnium.
Supra probrum omne posse amicum prodere.
Vel ipsa ob aurum proditur cognatio.
Vnius haud est, civitatem prodere.
Vrbs proditorem intus qui habet, jam perdita est.

Profani.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

S. *Isidorus Pelusiota:* Prophanos homines, vir optime, ac divinis sermonibus indignos vita, qui ea etiam persæpe, quæ omni commendatione ac laude digna sunt, risu prosequuntur: quibus autem fas est, ijs loquere. Neque enim canibus, aut porcis humana forma præditis, verum his, qui angelicam vitam ducunt, sancta porrigenda sunt, quemadmodum divinis oraculis proditum est. *lib. 2. Epist. 213.*

Isidorus Pelusiota: Absurdum enim, vel potius nimis temerarium & audax est negotium, & à mysticis legibus abhorrens, ut in adyta insiliant seseque penetrent, qui ne vestibulis quidem sint adhuc digni. Quemadmodum enim in templo ea quidem quæ foris erant, omnibus adire licebat: quæ verò intus erant sacra, quæ velo comprehendebantur obtecta quamvis alioquin adiri poterant, tamen à vulgo non consecrato & profano adiri non poterant: quæ denique intima erant sancta sanctorum, & sacratissima sacra, ad ea nec illis quidem patebat aditus, qui vitam agerent inculpatam, sed soli fas erat ingredi summo sacerdoti, qui nimirum seipsum consecrârat, & omnem mortalem rugam deposuerat: Sic etiam erga hosce Salomonis libros affecti esse debent adolescentes: & primum quidem omnium splendore morum virtute; deinde verò rerum ad hanc vitam pertinentium nullitatem atque inanitatem condemnare: & sic demùm ea attingere, quæ vulgus hominum assequi nequit. Nam qui cùm extra septa esse debeant, si temerario ausu in sacra divina non initiati irruere præsumpserint, pœnas dabunt extremas. *lib. 4. Epist. 40.*

Isidorus Pelusiota: Reverà dignum admiratione est oraculum, quod tibi exponi petijsti. Illud enim dictum: Nolite sancta dare canibus, neque proijcite margaritas vestras ante porcos, ne quando conculcent eas pedibus suis, & conversi lacerent vos: talem quēdam parit sensum. Quia verbum Divinum est sacrosanctum, & margarita reverà pretiosissima: canes autem & porci sunt, non solùm qui circa dogmata Christianæ religionis, sed etiam qui circa actiones labuntur: conculcatio autem est contentio atque concertatio de illis suscepta. dum alij dogmatum rectitudinem sinceritatemque evertere conantur; alij optimam vivendi rationem contumeliâ afficiunt: Laceratio denique eorum qui divinum verbum tanquam legati annuntiant, optimaque dant consilia, est contemptus & ignominia, quâ eos afficiunt qui non rectè vivunt: hanc ob caussam dixit, Ne tanquam rem aliquam vilem ac paratu facilem proijcite verbum, ne & ipsum contumeliâ afficiatur, & vos traducamini ac ludibrio habeamini ab ijs, qui nihil rectè neque dicunt, neque faciunt. Sunt autem qui non absurdè dicant, Quod etiam sacerdotium prohibeat dari improbis atque impuris, ne & ipsum injuriâ afficiant, & in eos à quibus electi sunt, irruant, bonam atque honestam, qua prius præditi erant, existimationem dilacerantes: Quòd si etiam peccantibus laicis dixeris non esse danda divina mysteria, scias te rectè accipere. Si denique etiam dixeris, quod prohibeat divinum impartiri baptismum illis, qui simulant quidem, se ad finem Christianam accedere, sed interim non desistunt à præsentibus vitæ institutis, scito nihil te à vero aberrare. *lib. 4. Epist. 181.*

Synesius: In Hydrace vico locus quidem est editissima in parte quod olim castellum erat munitissimum, quo terræ motu disiecto, nihil præter desertas parietinas superfuit: & hactenus quidem aliquot sui partibus ad utriusque usus accommodatum fuerat, sed ingruentia belli tempora, quandoquidem muro cingi, & ad priscum usum revocari potest, faciunt ut possessoribus suis ingentis admodum pretij esse videatur: De hoc inter fratres nostros, sed & alios religiosissimos Episcopos Dioscorum, & Paulum summa erat contentio, Erythritem Dardanites insimulabat per insidias ab eo tentatum, quemadmodum quòd sua nihil referret, sibi vindicaret, dum alienum locum Deo consecrat, & postquam hunc in modum pietatis speciem arripuit, deinceps violenta manu callidum scelus esse defensum. Ad hæc religiosissimus Paulus, nonnihil quidem allegare conatus est, se clivum prius occupasse, fuisse jam olim Ecclesiam antequam religiosissimus Dioscorus locum illum possideret. Verum si non segnius quisquam, & oscitantiùs inquirat, citò veritas comprobatur. Quemadmodum tuum vanum illud omne, ac futile apparuit. Quod enim hostili excursione compulsi homines necessariò ibi præcati sunt, non ea res locum illum consecrat. Alioqui montes omnes, omnesque convalles Ecclesiæ sint, nec ullum erit castellum, quod non publicum esse possit. In quibus omnibus, cùm prædabundi hostes excurrunt, preces & sacra mysteria fieri solent, sed & ædes omnes quæ impijs Arij temporibus preces, ac sacra mysteria receperunt. Quæ sunt nihilominus privatæ: fugæ enim & illud instar habet, quando & illi hostes sunt.

At ego tempus excitatæ Ecclesiæ quærebam, si ultro condonantibus, si permittentibus iis ad quos pertineret, factum illud esset. Contraria iis omnia evidenter demonstrata sunt. Episcoporum alius postulabat, alius cujus ea possessio erat denegabat. Tandem abiit is claves secum deferens, aperit ille, & mensam importans ædiculam parvam vasto in colle consecrat. Sed nusquam nisi transverso toto colle ad ædiculam patet aditus, callideque istud excogitatum erat quo sibi clivum usurpater: mihi verò acerba res illa cōprimis videbatur, & omni acerbitate major, nec æquo id animo ferendum cùm sacrarum legum gratia, tum propter Reip. jura: permisceri enim simul omnia sive nova iniretur publicandi lex & ratio, sive ex sanctissimis, ac religiosissimis rebus, de exsecrandis ac detestabilibus judicium ferretur, ut oratio & sacra mensa & mysticum velum violentæ incursionis instrumenta redderentur, deque iis rebus jam in urbe decretum erat, ita enim forte evenerat ut paucis exceptis Ptolemaïdem Episcopi omnes convenirent, ut de civili quadam re deliberarent. Qui cùm istud audivissent factum ipsum detestabantur, mutare tamen non audebant.

Ego verò superstitionem à pietate separari volo, est enim illa vitium virtutis larva circundatum, quod philosophia tertium genus impietatis esse deprehendit. Nihil ergo sacrum, nihil sanctum arbitror, quod neque juste, neque legitimè sit susceptum: neque id mihi occurrebat, ut dictam illam dedicationem perhorrescerem, neque enim Christianorum res ejusmodi sunt, ut sacris illis at ceremonialibus elementis, aut vocibus, tanquam naturali quadam attrahendi vi necessariò adductum numen sequatur, quód mundano spiritui contingeret, sed ita ut ad moribus & perturbationibus vacuam, & Deo quàm conjunctissimam mentis dispositionem accedat. At ubi ira, & furor inconsultus, & pervicax animi motus ad agendum præit, quî fieri potest ut ei rei spiritus sanctus intersit, quamobrem sic eram paratus ut mutandum illud omne pronuntiarem: ille autem & antea mutationem illam recepisse & jurejurando confirmâsse manifeste convincebatur: quo libenter arrepto, jam sententiam declinabam, atque illum sibi judicem constituebam, suumque ipsum jusjurandum exequi compellebam. Tergiversante autem illo, ac protrahente, cùm Ecclesiastici negotij causa eo me contulissem, necesse habui in rem præsentem venire, ibique controversiam disceptare. Rursus autem ex finitimis locis Episcoporum turba collecta concurrebat, alio aliis de causis convenïente. quibus omnibus præsentibus, meque ipso, limites ostendebantur Dardanitæ partem manifestè discriminantes.

Ad hæc Seniorum testimonia, & consensus eorum, qui hactenus repugnabant, Religiosissimum Dioscorum loci illius dominum declararunt. Ac instante Dioscoro fratre necesse fuit libellū infamem omnibus in commune legi, quem ad sanctitatem tuam religiosissimus Paulus Epistolæ nomine conscripserat fœdam ac petulantem adversus fratrem comœdiam, ex qua quidem non in eum qui malè audiret, sed qui malè diceret pudor redundaret. Sed est sanè secundum in bonis pudore affici: vacare enim peccato divinæ prorsus & conditionis est & naturæ, ruborem verò illum qui ob malefacta obrepit, modestiæ esse aliquis dixerit. Quæ cùm in re præsenti religiosissimus Paulus suscepisset, oratorio omni artificio firmiorem ex animi sui sententia pœnitentiam declaravit. Quod enim peccasse fateretur, quodq; turpem dolorem tanquam de voluntaria noxa conceperat, nos ei omnes benevolos & eodem ferè modo affectos præstitit. Ac nostrum quidem hac in re factum minus admirandum est. Sed religiosissimus Episcopus Dioscorus, postquàm eum, qui pervicaciùs hactenus contenderat; moderatiorem vidit, sententiis judicum superior, voluntate superatus est, & in religiosissimi Pauli arbitrio relictum utrum vellet, præstaret collemque retineret, an redderet: egregio Dioscoro, multas optiones admittente, quarum ne unam quidem ante hujus pœnitentiam audire sustinuisset. Nam & solum clivum vendíturum se dixit, & totam simul hanc possessionem, cum alia re commutaturum, aliaque quamplurima excogitavit, vias ille ac rationes abunde suppeditans, quibus qui eas proponere occuparet, alterum sibi demereretur. At iis cæteras conditiones aspernabatur: cupiebat verò in eandem ipse venditionem succedere, quæ fratri Dioscoro facta erat, ejusq; loco totius possessionis dominus pari omninò jure constitui.

Factus itaque est, præter collem, etiam vinearum & olivetorum dominus: illi autem magnificētia possessionis istius loco major minoris loco possessio relicta est: communeque utriusque bonum, fraterna caritas, & intra evangelicas leges permansio, quæ præcepta omnia caritatis potissimum affectu contineri & cohiberi pronuntiant. *Epistola 67.*

§ ORATORUM GRAECORUM.

Libanius: Præter alia mala in hoc etiam sunt infelices Potidæatę, quod ne pro his quidem quæ passi sunt, vocem proferre queant (se mutuò scilicet depasti) ecquis enim homines flagitiis contaminatos, aut cùm videntur, aut cùm loquuntur toleret? *Declamatione decimanona.*

ROMANORUM.

A. Gellius: Et quam ille homo festivissimus fabulæ suæ spectandæ legem dedit, eandem ego commentariis meis legendis dabo: ut ne ea attingat neve adeat profestum & profanum vulgus, à ludo Musico diversum. *lib ultimo Noct. Attic. cap. ult.*

Macrobius: Et ut facilè secerni possit, quæ ex his abs se abdicet, ac velut profana ab ipso vestibulo sacræ disputationis excludat, quæve etiam sæpe ac libenter admittat divisionum gradibus explicandum est. *lib. 1. Somn. Scipion. cap. 2.*

§ POETARUM.

Virgilius lib. 6. Æneidos.

—— procul ò, procul este profani
Conclamat Vates, totoq; absistite luco.

Horatius lib 3. Ode 1.

Odi profanum Vulgus, & arceo.
Favete linguis. carmina non prius
Audita, Musarum sacerdos,
Virginibus puerisq; canto.

Horatius lib. 3. Ode 2.

Vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus fragilemq; mecum
Solvat faselum. Sæpe Diespiter.
Neglectus, incesto addidit integrum.

Ovidius lib. 2. de arte.

Quis Cereris ritus audet Vulgare profanis,
Magnaq; Threicia sacra reperta Samo?

Ovidius lib. 14. Metamorph.

Hinc procul Æsonidem, procul hinc jubet ire ministros:
Et monet arcanis oculos removere profanos.

Lucianus lib. 10. Pharsal.

Fas mihi magnorum, Cæsar, secreta parentum
Prodere, ad hoc ævi populis ignota profanis.

Juvenalis Satyra 2.

Solis ara Deæ maribus patet: ite profanæ
Clamatur: nullo gemit hîc tibicina cornu.
Talia secreta coluerunt orgia tæda,
Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto.

Silius Italicus lib. 17. Punicor.

Tum puppe è media magno clamore sacerdos,
Parcite pollutis contingere vincula palmis:
Et procul hinc, moneo, procul hinc quæcunq; profana.

Claudianus lib. belli Getici.

—— procul arceat altus
Iupiter, ut delubra Numæ, sedemq; Quirini
Barbaries oculis saltem temerare profanis
Possit, & arcanum tanti deprendere regni.

§ EMBLEMATIS.

Camerarius LXXIV. Cent. 1.

Procul este profani.

Sic tua majestas Deus une & trine profanos,
Vt reprobos angues alma triphylla fugant.

Videantur plura titulo *Mysteriorum, Arcani, Secreti.*

Professoris.

§ SENTENTIAE ROMANORUM.

S*Vetonius:* Vespasianus Imp. ingenia, & artes vel maximè fovit. Primus è fisco Latinis Græcisque rhetoribus annua centena constituit. præstantes poëtas nec non & artifices coëmit; item colossi refectorum insigni congiario, magnaq; mercede donavit &c. *cap. 18. centena, faciunt aureos Gallicos bis millenos & quingenos.*

Iulius Capitolinus: Antoninus Pius Imp. rhetoribus, & philosophis, per omnes provincias, & honores, & salaria detulit. Vitæ ejusdem Cæsaris *cap. 11.* consulatur & lex sexta Digestorum tit. *De excusationibus tutorum*, item lex quarta Codicis, titulo *De professoribus & medicis.*

Impp. Maximianus & Const. Merentur & Galli nostri, ut eorum liberis quorum vita in Augustodunensium oppido ingenuis artib. eruditur, & ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum Constantij Cæs. ex Italia revertentis suscepere comitatum, ut eorum Indoli cōsulere cupiamus. Proinde quod aliud prȩmium his quam illud conferre debemus, quod nec dare potest nec eripere fortuna? unde auditorio huic, quod videtur interitu præceptoris orbatum, te vel potissimum prȩficerȩ debuimus, cujus eloquentiam & gravitatem morum ex actus nostri habemus administratione compertam. Salvo igitur privilegio dignitatis tuæ, hortamur & professionem oratoriā repetas, atque in supradicta civitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare; ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes; nec putes hoc munere antepartis aliquid tuis honoribus derogari: cùm honesta professio ornet potius quam destruat dignitatem. Denique etiam salarium te in sexcentis millibus nummûm, ex reipubl. viribus consequi volumus; ut intelligas meritis tuis etiam nostram constare clementiam. Vale Eumeni carissime nobis. *cap. 14. Orat. Eumenij de restaurandis scholis.*

Symmachus: Inter præcipua negociorum sæpè curatum est, ut erudiendis nobilibus philosophi præceptores ex Attica poscerentur. Itaque nonnullos jus & auctoritas publica in usum nostræ urbis accepit, D. Imperator. Nunc vestri sæculi bonitas, ultrò optimatem sapientiæ Romanis gymnasiis arrogavit. Siquidem Celsus, ortus Archetimo patre (quem memoria litterarum Aristoteli supparem fuisse consentit) juventuti nostræ magisterium bonarum artium pollicetur, nullum quæstum professionis affectans. Atque ideò dignus in amplissimum Ordinem cooptari: ut animum vitiis avaritię liberum, dignitatis præmio muneremur. Sunt huius rei exempla nobilia, quæ prudens æmuletur imitatio. Nam & Carneadem Cyrenæum, & Pœnum Clytomachum Atheniensis Curia societate dignata est: itidem ut nostri Zaleucum, legum Locrensium conditorem, civitate donarunt. Dignum est igitur æternitate numinis vestri, Celsum, genere, eruditione, voluntate laudabilem, adjudicare nobilibus pignore dignitatis, cum prærogativa scil. Consulari, ne sumptum eius magis quàm magisterium quæsisse videamur: non sine avaritiæ nota, si ab eo munia publica postulemus, qui spondet gratuita præcepta. *lib 10. epist. 18.*

Prohibitionis.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Nazianzenus:* Porrò quàm Juliani præclara & humana sententia! Quid enim grave (inquit justus judex, minimeque Christianos persequens) si manus una Gentilis decem Galilæos interfecit? Hæc verò annon perspicua crudelitas? annon persecutionis edictum, & quidem iis, quæ publicè proponuntur, multo expressius & formidabilius? Quid enim interest, periculum Christianis edicas atque promulges, an te Christianorum persecutoribus delectari præ te feras, magnique criminis loco ducas, moderatione quadam erga eos uti? Velle etenim Imperatoris, lex est non scripta, imperij & potentiæ patrocinio septa, & quidem scriptis legibus, quæ potentia non fulciuntur, longè firmior atque valentior. *Oratione tertia, quæ est in Iulianum stelitentica.*

D. Chrysostomus: Cùm quippiam concupiscimus, deinde prohibemur, concupiscentiæ flamma magis attollitur. Verùm non id per legem: illa enim prohibuit, ut te ab eo abducat. Peccatum verò, hoc est, segnities tua, & mala mens, bono in contrarium usa est. Verùm non id medici crimen, sed ægroti, qui quod accepit medicamen, eo non rectè usus est. non enim ob id legem dedit, ut concupiscentiam accenderet, sed ut restingueret. Secus autem evenit. at non illa insimulanda, sed nos. Neque enim in jus ille meritò vocandus incusandusque fuerit, qui quòd febrienti alicui, & frigidam intempestivè concupiscenti, minimè potestatem fecerit, ea se potione ad satietatem usque implendi, perniciosæ ejusmodi voluptatis appetentiam auxisse visus est. Medici enim est monere tantùm, abstinere autem ejus qui æger sit. *Homil. 12. ad Roman.*

S. Isidorus Pelusiota: Noli negligere gratiam, quæ in te est. Ne ad eorum, quibus præes, culpas conniveas: ne alioqui, quæ ab ipsis fiūt, à te autem permittuntur, tua potiùs fiant, ut qui, cùm possis, iis mederi nolis. *lib. 1. epistola 410.*

§ LATINORUM.

Salvianus: Quod vitasse eos res fœdas diximus, minus est. Potest enim quis inhonesta horrere, non tollere. illud magni & singularis est meriti, non solum ipsum labe non pollui, sed providere etiam, ne unquam alij polluantur. procurator enim est quoddam modo salutis humanæ, qui non tantum id agit, ut ipse bonus sit, sed efficere hoc nititur, ut alij mali esse desistant. *lib. 7. de provident. Dei.*

Salvianus: Potestas magna & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. in cujus enim manu est, ut prohibeat, jubet agi si non prohibet admitti. *lib. 7. de gubernatione Dei.*

§ ORATORUM GRAECORUM.

Libanius: Itaque Agamemnon quidem lasciviebat: populi verò permittebant, atque ille quidem munere fraudabat, hi non vetabāt. Igitur commune delictum ejus est qui patravit, & eorum qui non inhibue-

inhibuerunt, quos majori prosequeris misericordia; cùm hi magis in noxa sint. Nam qui improbo jus violare concessit, cùm liceret compescere, ille ipse potius facinus commisit. Si proditionem præsensero, nec cohibuero, pœnas luere debeo iis qui proditi sunt. Si homicida me permittente cædem patraverit, non sum sceleris purus. Si Agamemnon insolescens, exercitum dolore non affecit, ab utrisque injuriam accepi. Lex autem communis apud Græcos & Barbaros est, ulcisci eum qui lacessivit. *Achillis oratione contra Vlyssem Agamemnonis ablegatum.*

Libanius. Priamus videns Paridem incumbere fabricæ classis qua raperet Helenam, non avertit eum ab audaci incepto, non dissuasit, non coëgit: ne ruanum quidem vertit, ut injustum facinus prohiberet. Atqui si ille quidem navigavit, eripuitque: hic autem cùm coercere posset, cōcessit pergere; mente flagitiorum particeps fuit. quem etiam omne scelus ad illum spectat, penes quem fuit non sinere hæc perpetrare. *Vituperio Hectoris.*

Libanius: Multæ arrogantiæ est prohibere, quod eum qui accepit oblectat; aliorum verò neminem lædit. *Declam. 10.*

Libanius: Dum cædem non compescuistis, approbavistis necem, dum non reprehendistis trahentem, abductum hæc pati oportere, judicastis. At si vobis integrum erat volentibus servare, quænam obstaculo fuere? nonne satis fuisset duo verba proferre, & dicere tātummodo, Mittite hunc hominem. non enim valentior est præfectus universo populo. dum ergo sivistis interficere, quantum certè in vobis fuit, pulcrè cædem factam esse confessi estis. Quamobrem si omnibus placuit, ne ego solus peragar reus. *Declam. 28.*

Libanius: Exules certe verbis ulciscentur Socratis cædis auctores, neque istos tantum Athenienses qui accusarunt, sed & vos, sed etiam reliquam civitatem; perinde ac si qui permiserunt, hoc ipso quod non impedierunt, præstiterint. *Declam. 29.*

Libanius: An hunc quidem ob noxas quas fecit, te verò ob eas injurias quas cùm posses arguere permisisti, pœnam sustinere par est? Nam cum eo qui male agit, is qui malum quod adest prohibere noluit, statuendus est. *Declam. 29.*

¶ Poetarum.

Prudent. adversus Marcionitas.

Si non vult Deus esse malum, cur non vetat, inquit?
Nil refert auctor fuerit, factórve malorum,
An ne opera in vitium sceleris pulcerrima verti,
Cùm possit prohibere, sinat. &c.

Ausonius de Claudio Imp.

Libertina tamen nuptarum & crimina passus,
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

¶ Monosticha Trochaica.

Languor est, frui potestas cùm parabilis datur.
Non delinquit qui non prohibet, cùm prohibere non potest.
Plus delinquit qui haud vetat, quã qui ipse infert injurias.
Quæ vetamur, illa avemus; sordet omne quod licet.
Quod licet minus est gratum, urit acrius quod non licet.
Sollicitant signata furem: vile habetur quod patet.
Suspicatur id libido dulcius quod non licet.

¶ Jambica.

Aperta quæ sunt transit effractarius.
Concessa perdit inconcessa qui appetit.
Culpa caret qui scit prohibere si nequit.
Haud est parum vetare fieri injuriam.
Illicita amantur: excidit quidquid licet.
Injuriam infert qui non prohibet cum potest.
Immodicè amantur sola, amare quæ nefas.
Patrat scelus, scelus patrari qui haud vetat.
Patrat scelus, per quam patrandi copia est.
Quæ non licent desideramus maximè.
Qui non coercet crimina, illorum est reus.
Qui non vetat peccare cùm potest, jubet.
Quidquid vetatur, eo abstinemus ægrius.
Quod concupiscis, fit vetitum jucundius.
Quod non licet mens suspicatur dulcius.
Sequi videntur, qui prohibere non queunt.
Vicinum habet, permissa res, fastidium.

Videantur plura titulo, *Injuriæ, Peccati.*

Promissionis.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D*Ivus Nazianzenus:* Hoc unum Ex Iuliani Imp. rebus habeo quod admirer. Nam multos quidem eorum, qui ipsi noti ac familiares fuerant ac præsertim ex Asiaticis scholis, summo studio, quasi mirifices quibusdam beneficiis eos ornaturus, accersebat, ac spe animos eorum erigebat, vetera ipsius promissa in memoriam revocantes. At cùm adessent, hoc illud videlicet, calculorum præstigiæ, & oculorum ludificationes. Hos enim hoc modo, illos alio eludens, quosdam etiam mensa comiter accipiens, ac multum illud, Sodalis, propinans, instarque alius cujusdem illecebræ, suaviter fundens, infectis tandem rebus dimittebat, haud satis constitutum habentes illius ne fraudem magis, an suam ipsorum levitatem accusarent. *Orat. 4.*

¶ Latinorum.

S. Valerianus: Si homo obnoxius beneficijs, promissioni suæ satisfaceret, & studio devotionis implendæ fidem placitis exhiberet, neminem unquam repetitio debiti ingrata confunderet; nec esset cuiquam imputandi locus, si mox promissi muneris votum sequeretur effectus. Sed inde est quod interdum amicitiarum fides læsa suspirat; quia necesse est aliquoties homini aut redhibitionis increpare moram, aut debitoris exprobrare perfidiam. Inimicitias enim dixisse est, promissa denegasse: quia ad litem pertinet, si quid aut hic invitus reddit, aut ille per moras exacerbatus exigit. *Homilia 4.*

S. Chrysologus: Sicut magnæ promissionis longa expectatio accendit animum, mentem fatigat: ita sensus omnes, & interna ipse viscerum suscitat optatus promissionis effectus. *Sermone 130. pr.*

Io. Sarisbersensis: Promissio gratiæ conciliandæ non proficit, sed quasi deceptio fraudulenta, illam quæ esse videtur plerumque extinguit. Tanto quidem validius, quo cum prudentiori & graviori viro negotium geritur. Simplici as namque circumvenientium insidiis latius patet, & facilius supplantatur. Vnde ille qui non urbem, sed orbem lascivis implevit amoribus, sollicitatorem puellarum & impudicum instruens amatorem, ait:

Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis dives quilibet esse potest.

At Philosopus numquam, aut rarissimè, & hoc ex justa causa asserit conducibile. Si enim promissionis implendæ facultas non suppetit, temerarium est promittere quod præstari non potest. Si vero potestas affuerit largiendi, nisi voluntas beneficij producat effectum, promissor non gratiam de promisso, sed de mendacio contrahit maculam. Quod si ex intervallo promissi fidem impleverit libertatis decor, & beneficij species ipsa fuscatur, eo quod qui distulit, interim visus est noluisse. Vnde versificator egregius,

Denigrat meritum dantis mora, nam data raptim
Munera, plus laudis, plusq; favoris habent.

Præterea quis de futuro certus, ut sciat se quandoque posse implere quod differt? *libr. 13. Nugarum Curialium capite vndecimo.*

Io. Sarisbersensis: Quis sapiens securè quod ex facilitate naturæ pendet promittit, cum leviter possit, ex causis quam plurimis impediri? Ad hæc ex justa causa potest interdum mutare quilibet voluntatem. Dignus etenim beneficio pro tempore videtur aliquis, qui processu rerum, eodem reperitur indignus. Et interdum dignus est, qui ad frugem melioris vitæ conversus, beneficium meritis etiam à manu extranea, ut vulgo dici solet, extorquet. In his mutare propositum sæpe non est criminis, sed virtutis. Nam ut à fabulis doceamur. Theseus unico filio suo non fuisset orbatus, si voluisset mutare propositum. Et Phœbus urgente stimulo doloris, quem de Phaëthontis ruina conceperat, exul à cæli regione, Admeti non pavisset armenta, si ei votum, quod ei Stygis interposito sacramento, filio ambitioso obligaverat, mutare licuisset. Et ne fabularum instrumenta contemnas, rex incredulus, quod ex Evangelica habes historia, salubrius incautum & perfidum solvisset juramentum, quàm in extinguenda lucerna verbi, auferendo præambulum gratiæ, veritatis occidendo præconem, mensam pollueret, convivium incestaret, regiam pessundaret majestatem, dum incestui cuncta serviunt, & obtemperant saltatrici.

Ethica quidem regula est quia non omnia sunt semper promissa solvenda; si forte aut accepturo damnosa, aut perniciosa sint promittenti. Et lex amicitiæ illa prævaluit, qua sola honesta peti licet ab amicis aut fieri. Ipsoque jure cautum est, ut nulla promissio, quæ turpem aut tristem habeat exitum, impleatur. Postremò antecedens promissio, consequentis beneficii gratiam aut extinguit aut minuit. Et sicut Jacula, quæ prævidentur, feriunt minus, & quæ omnino non præcaventur magis lædunt, ita & in beneficiis quod ex promissione conceptum est, minus accipitur, & quod ex insperato provenit, gratius acceptatur. Licet enim nuda promissio apud juris, ut dicitur, peritos non pariat actionem, promissor omnis apud veritatem (ut dici solet) pollicem fixit, & jure civili cessante, fidei naturaliter obligatur. Sed quis actor durius aget, quam fides, si ipsa ceperit accusare? Si agit conscientia, quis absolvet? Certe,

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi
Displicet autori, prima est hæc ultio, quod se
Iudice, nemo nocens absolvitur.

Si verò ipsa justificat, quis condemnat? Proculdubio qui in illo timetur articulo, dominus est, ubi & dies contemnitur humanus, & conscientia quod obloquatur non invenit. Si vero animam accusant opera, & illi conscia testis assistit, & causam veritatis examinet æquitatis, quis quæso Prætor in ream, obnoxiamque mendacio gravius vindicabit? Sanè Prætor etsi viva vox juris esse dicatur, sententiam ejus veritatis plerumque retractat.

Sed veritatis sententia manet irretractabilis. quia justitia ejus justitia in æternum, & lex ejus æquitas. E contra in prætorio sæpe summum jus, summa injuria est. Quisquis ergo promittit debitor est, & veritatis urgente sententia, sponsionis fidem compellitur adimplere. Porrò quod necessitas extorquet, gratiam minuit. Unde illud philosophicum quod præmisi. Promittere ne festines, ne cum volueris non possis, aut nolis ex justa causa cùm possis, aut cùm effeceris gratiam perdas, aut minuas; eo quod te ante illaqueaveris in verbo oris tui. Fit tamen ut non modo licitum sit promittere, sed & conducibile. *Libri tertij Nugarum Curialium cap. undecimo.*

§ ORATORUM GRAECORUM.

Simocatta: Promittis multa, & pauca præstas, atque linguam habes actione sublimiorem. At si verborum concinnitas apud te in admiratione est, pictores tua lingua præstantiores sunt, qui ea fingunt & exprimunt in tabulis, quæ natura efficere non potest. Sin ex promissionibus voluptatem capere audientes putas, parumper quidem exhilaras. Non autem multò pòst graviorem molestiam facessis. si quidem & insomnia pulcherrima non tantam nobis dormientibus voluptatem afferunt, quantam vigilantibus tristitiam. Quare consentientia cùm lingua facta habeas, ne amicis etiam mentiendo reddaris invisus & inimicis vituperandi materiam præbeas, veritatem non colendo. *Epistola 37.*

§ ROMANORUM.

Symmachus: Si novum beneficium peteremus, longior ambitus esset adhibendus. Sed cùm promissa repetantur, admonere te potius quàm rogare convenit. *lib. 10. epist. 11. p.*

Symmachus: Præcipua quidem beneficia numinis vestri populus Romanus expectat, D. D. Imperatores. Sed ea jam quasi debita repetit, quæ æternitas vestra sponte promisit: non quòd sibi tribuenda diffidat, (nusquam enim major spes est quàm in bonorum Principum sponsione) verùm ne existimetur oblata fastidiosè sperare, nisi instanter exegerit. Orat igitur clementiam vestram, ut post illa subsidia quæ victui nostro largitas vestra præstabit: etiam curules ac scenicas voluptates Circo & Pompejanæ caveæ suggeratis. His enim gaudet urbana lætitia, cujus desiderium pollicitatione movistis. *lib. 10. epist. 19.*

Latinus Pacatus. Velim tu dicas unde, cùm tantis promissa persolvas, quid cui promiseris scias; nec te vel reipubl. cura, vel ipsa illa tuorum beneficiorum turba confundat, ut parcior tardiórve, tempore quem modóve decipias. quis debitor verecundus ita mutuum ad diem reddit, ut tu quod promittis, appendis? nec imponi negligentibus arbitreris: quotidie in beneficia tua quærimus, & memoriam convenimus, & ne singulis insidietur oblivio, cum altero quisque conferimus, unum invenire non possumus, cujus spem atque expectationem non dicam fefelleris, sed (quæ delicatior est querela) distuleris. Solamne me, Imp. benevolentiam tuam mirari putas? at ego miror etiam memoriam. nam cui Hortensio, Lucullóve vel Cæsari tam parata unquam adfuit recordatio, quam tibi sacra mens tua, loco momentoque quo jusseris, reddit omne depositum? Utrum te tamen ipse admones? an ut illi majestatis tuæ participi Deo feruntur assistere fata cum tabulis, sic tibi aliqua vis divina subservit, quæ quod dixeris scribat & suggerat? nihil ita primoribus labris polliceris, quin promisso fidem subdas, & verba re sancias. nemo jam, nemo beneficia quæ dederis ab eo tempore credit computanda quo dederis; quia tam sunt certa quæ spondes, ut tum videantur accepta cum spondes. Jam illud ipsum quod ante promittis, nonne de summo purissimæ mentis candore proficiscitur? nam cujus est animi nec vota hominum fatigare, nec adhibere muneribus artem difficultatibus, sed denunciare præstanda; ut & prolixior sit sensus bonorum, nec repentina felicitas faciat attonitos, & similes reddat ingratis? animos enim nostras subitis affectibus impares, proinde lætitia ac dolor, si deprehendat, externat. an non illa Romana pietatis notissimæ mater, nuncio mali Cannensis exterrita, filio reduce quẽ flebat, diriguit in mortem, nec par esse gaudio potuit, quę superfuerat orbitati? Conscius igitur cælestis arcani, & naturalium depositorum, mavis hominibus sperata procedere, quam insperata supervenire. nec immeritò namque fugitiva successuum repentinorum voluptas, ut occupat sic relinquit; felicitas longior est expectare securum. itaque cùm hactenus à Natura esset statutum, ut bona sua homines ante nescirent, & tum primum inciperent felicitate gaudere cùm cœpissent esse felices; tu promittendo præstanda invenisti tempus quod nobis natura subtraxerat; ut quos adepta solùm juvabant, etiam adipiscenda delectent. *Cap. 19. Panegyrici Theodosio dicti.*

§ POETARUM.

Plautus Pœnulo 1. sc. 2. v. 148.

Bene promittis multa: ex multis omnia incassum cadunt.

§ EMBLEMATUM.

Batillius LXXXVIII.

Fumo punitur qui fumum vendidit.

Vendere qui fumos simul his illisq; solebat,
Polliciti & vana fallere quemq; fide,
Dignum merce refert pretium, fumoq; sub ora
Supposito, dignâ crimina morte luit.

Camerarius IX. Cent. 1.

Mitte non promitte.

Gratior est fructu ficus quam flore salicta,
Missa ego promissis anteferenda reor.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Admone, haud roga, promissa cùm rei repetis fidem.
Ægrius cuncti promissis quàm speratis excidunt.
Auferetur id præmium a me, quod promisi per jocum.
Benè promittis multa: ex multis omnia incassum cadunt.
Beneficis oratione ad rem auxilium est emortuum.
Cum periculo promittas quod tua haud est in manu.
Dicta factis confirmare, nunquam suevit improbus.
Dicta quæ sunt tunc laudamus facta eorum ubi est fides.
Divitum est promittere, & nil dein præstare divitum est.
Est loco jurisjurandi Principum promissio.
Ex amico fit inimicus cui promissa non facis.
Fructus est orationis qui juvat; umbra non: juvat.
Inimicitias indicit qui promissa denegat.
Isthæc dicta te experiri & operis & factis volo.
Nemo honestè polliceri, quod suum non est, potest.
Non decet loqui, complere quàm quod possit Principem.
Non plus quàm semel tenetur quæ bis pollicita est idem.
Non sat est beneficium inire verbis si haud re comprobas.
Non sat est quid polliceri: verba fac re sancias.
Principum quidem promittere, at dare est honestius.
Proximum est à promittente, stuprum rogata, si tacet.
Quæ scelere ullo impletur, illa improba est promissio.
Qui timet trepidatq; largè pollicetur omnia.
Quin tu hinc pollicitationes aufers, & quod fers, cedo.
Res ubi non comitatur verba, informis valdè oratio est.
Spe minus dolet frustratis, quam promissis qui excidunt.
Ultra verba rarò adscendunt promissorum acres minæ.

§ JAMBICA.

Cùm pollicetur pauperi dives, petit.
Facilius aliquid dixeris quàm feceris.
Fecisse præstat, quàm promittere, optima.
Firmare factis dicta, justi aut fortis est.
Implere par est regem quidquid annuit.
In debitum quævis cadit promissio.
Loqui facile, præstare sed rem non item est.
Morbus gravis est, cùm haud suppetunt dictis data.
Ne pollicearé magna, magna verùm age.
Non est amici polliceri, sed dare.
Præstare difficilius quàm promittere est.
Promisi ego illis. M. de te largitor puer.
Promissio nuda actionem non parit.
Promissiones quædam omnem vincunt fidem.
Promissum iterare, meditatio est fallaciæ.
Promissa factis comprobare haud omnium est.
Promissa multa destruunt ipsam fidem.
Promissa non præstare prudentem pudet.
Promissa non solvenda semper omnia.
Promissa nunquam cor honestum deserit.
Promissa rebus sanciunt statim probi.
Promissa quæ sunt; postules ceu debita.
Promissa quævis abnegare nefarium est.
Promissa regum certa firmet veritas.
Quæ certa non sunt, ne promittas militi.
Quæ scelere impletur impia est promissio.
Quidquid Deus promittit, ipsemet facit.
Rara aulico in promissis est constantia.
Verbis initum beneficium, re comprobes.
Vox umbra facti est: ergò utrumq; consonet.

Prosperitatis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*ivus Nazianzenus steliteutica 1. in Iulianum:* Hanc quoq; illi adversus nos concedit exundans multorum iniquitas, Christianorùmque, ut sic loquar, ad summum bonitatis provecta valetudo, contrariámque mutationem quærens, licentiaque & honor, & saturitas, ob quam in insolentiam ac petulantiam prolapsi sumus. Verè enim difficilius esse videtur præsentia bona tueri ac retinere, quam absentia adipisci: faciliusque est sublatam ex oculis felicitatem studio & cura recuperare, quam præsentem conservare. Atque contritionem quidem præcedit contumelia, ut præclarè habetur in Proverbiis: gloriam autem humilitas: aut, ut dilucidius loquar, quemadmodum calamitas insolentiam, ita splendor & gloria humilitatem comitatur. Dominus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, atque contrariis contraria vicissim inducit, qui omnia justè admetitur.

Quod ipse quoq; David perspectum & exploratum habens, hoc in bonorum numero collocat, quod animo contractus & depressus fuerit, gratiamque habet ei, à quo depressus est, tanquam hinc divinarum justificationum cognitio ipsi accesserit. Priusquàm, inquit, humiliarer, ego deliqui: propterea eloquium tuum custodivi: dejectionem scilicet inter delictum & resipiscentiam interponens, utpote ab illo quidem genitam, hanc autem parientem. Peccatum enim dejectionis parens est: dejectio autem resipiscētiæ. Nos quippe, cùm probi & moderati essemus, in altum sublati, eoque paulatim provecti, ut in hanc rerum speciem hominumque multitudinem Dei ope ac favore pervenerimus, posteaquàm ingrassati sumus, recalcitravimus: & posteaquàm dilatati fuimus, in arctum redacti sumus: quamq; in persecutionibus & calamitatibus gloriam potentiamque collegeramus, eam in secundis rebus delevimus. *Orat. 3.*

D. Nazianzenus: Exploratum habetis, minoris esse negotii, sublatam ex oculi felicitatem revocare, quàm Dei beneficio præsentem conservare: illam enim prudentia & moderatio reducit, hanc socordia dissipat. illudque insuper, ægra corpora remediis quidem & inedia relevari, ac sanitati restitui; restituta autem per incuriam & ingluviem paulatim rursum defluere, atque in eosdem morbos relabi. *Oratione quarta, stelisteutica altera contra Iulianum.*

S. Isidorus Pelusiota: Da operam, vir optime, ne te tanquam unū è vulgo immutet rerum secundarum aura; verùm firmum atque constantem amicis servet philosophia, cum qua es educatus. Illud enim imperitis ac gregariis contingere solet: hoc autem iis, qui ingenti sapientia præditi sunt: quorum in cœtum nomen tuum ascriptum est. *lib. 3. Epist. 255.*

S. Isidorus Pelusiota: Illa quidem felicitas, quæ alicui præter rationem contigit, solet plerunque in contumeliam procedere. Quæ verò secundum rationem obvenit, sæpenumero bonum parit exitum. Veruntamen non desunt etiam aliqui ex eorum numero, qui præter rationem ac meritum suum nacti potentiam, prosperitatis auram moderatè tulerint, atque ita laudem fuerint consequuti: Cōtrà ex iis qui nobili prosapia & splendidis parentibus orti fuerunt, nonnulli extiterunt, qui honorem suum in contumeliam verterent. Quapropter oportet animi propositum ac voluntatem potius accusare eorum, qui potentia ac operibus suis ultra rectæ rationis modum utuntur. *Lib. 4. Epist. 72.*

❡ Latinorum.

Egesippus: Quis ignorat cum illis esse Deum, qui sibi omnia subjecerunt nisi quæ nimio æstu aut gelu invia sunt? & ideo extra Romanum imperium, quia eadem extra usum humanum. *cap. 15. lib. 5. de excidio Hierosolymitano.*

Salvianus: Adversa nobis per iracundiam Dei veniunt; secunda per gratiam nos autem è diverso omnia agimus. ac primum quando exoratus sua ipsa misericordia Deus (neque enim unquā nos ita vivimus ut exorari mereamur) pacificos nobis dies, proventus uberes, divitem bonis omnibus tranquillitatem & abundantiā dederit super vota crescentem: tanta secundarum rerum prosperitate corrumpimur, tanta morum insolentium pravitate vitiamur, ut & Dei penitus obliviscamur, & nostri: & cùm omnem fructum datæ à Deo pacis in hoc consistere Apostolus dicat, ut quietè vivamus in omne pietate & castitate, ad hoc tantum data à Deo quiete utimur, ut in ebrietate, ut in luxuria, ut in flagitiis, ut in rapinis, ut in omni scelere atque improbitate vivamus: quasi verò beneficiū datæ pacis, vacatio sit probrositatis, & ad hoc inducias tranquillitatis Deo donante capiamus, ut licentius securiusque peccemus. Indigni itaque cælestibus donis sumus, qui beneficiis Dei non bene utimur, & facimus rem bonorum operum materiam tantum esse vitiorum: quo fit ut pax ipsa contra nos sit, quia sic agitur à nobis, ne expediat rem accepisse qua deteriores fiamus. *lib. 6. de gubernatione Dei.*

❡ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Dio Prusæus: Multos feliciter agere, & magna consequi, nunquā ægritudine affecerit eum qui sapiat: maximè quum & ipse præcipua nanciscatur, & fortassis etiam illis nanciscendi præbeat ansam. Simile enim foret, ut si quis uni sibi vellet splendere solem, aut Jovem pluere, aut ventos flare, aut nullum alium de fonte bibere posse. *Oratione 40.*

Iulianus: Plerumque secundis rebus præter meritum uti, stolidis hominibus majorum calamitatum initium præbet. *Paneg. 1. ad Constantiam.*

Libanius: Res prosperæ sæpe judicium depravant. *altera ethopoeia Niobes.*

Libanius: Quod rarissimum esse videtur, prudens in prosperis appare; quo utrunque celebrari possis, tum barbarorum internecione, tum æquitate morum, *Declam. 20.*

Paulo post: Difficile est hominem perpetuò prosperitate frui.

❡ Romanorum.

Plinius: Quam utile est ad usum secundorum per adversa venisse? Vixisti nobiscum, periclitatus est, timuisti, quæ tunc erat innocentium vita. Scis & expertus es, quantopere detestentur malos principes, etiam qui malos faciunt. meministi quæ optare nobiscum, quæ sis queri solitus. *capit. 44. Panegyrici ad Trajanum.*

❡ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 51. ad Vitalianum.

Ne quisquam instabiles vita dum trajicit undas
Iactitet, Vnus ego vita adversa omnia fugi.
O Samia quondam gentis qui sceptra tenebas,
Quàm prudens tibi consilium, dum sistere cursum
Niteris optata sortis nimiumq; secunda:
In mare nam medium, placidus tibi livor ut esset,
Annulus est jactus, pretio tibi carior omni.
Atq; illo mira ipse quidem ratione potitus
Rursus es: at non fugisti miserabile lethum.

Ennodius Carmine 1.

Dulcia cùm variis succedunt læta periclis,
Effectus rerum cor solidare solet.

Ennodius Carmine 2.

Gaudia transcendunt vires, vox læta superbit:
Ingenii maciem prospera non metuunt.
Dulcia temporibus famulantur fila secundis:
Quod felix meruit nobile carmen erit.

Plautus Pseudolo 1. sc. 1. v. 36.

Quasi solstitialis herba paulisper fui:
Repente exortus sum repentino occidi.

Plautus Sticho. 2. sc. 2. v. 33.

Secundas fortunas decent superbia.

Ausonius de Capua.

——freta secundis
Nescivit servare modum.

❡ Emblematum.

Seba. Navis in portu impingens.

Tota viden' ventis expandens vela secundis,
Vt perit optato littore mersa ratis?
Hæc tu mente notes, cui sors aspirat amica,
Hac eadem ne te qua vehit unda ruat.

Batillius LXXXIX.

Et cum fortuna statque caditque fides.

Dum fortuna fuit, qui nos curaret amicus,
Fortunam & comites, qui sequerentur, erant;
At simul abscessit, sese subducere & illi
Cœpere, & casum quem dabat illa, sequi,
Delphinum similes, pueris qui alludere circùm
Nantibus ut soleant, quatinus unda subest.
Haud tamen accedunt propius, ripave propinquant,
Et nunquam plenis egrediuntur aquis.

Batillius. CXXXIII.

In prospera fortuna caute ambulandum.

Decedens Phœbus crescentes duplicat umbras,
Quas summus tenues exiguasq; facit.
Quo tibi majorem titulum fortuna, magisq;
Altum alios inter dat tibi ferre caput,
Vtere prudenter, frenumq; immitte calenti
Inde animo, & mediam disce tenere viam.

Camerarius III. Cent. 1.

Prospiciente Deo.

Si faveat cælum, bene surculus arbore crescat:
Si faveat numen, tu quoque magnus eris.

Cassius Emblemate Ethico XXXV.

Superba felicitas.

Sunt humiles animi rebus plerunq; sub arctis,
Et rigidos mores fata sinistra fugant.
Res ut læta redit, mens ebria surgit in altum:
Optima sors homini pessima corda facit.
Anne vides? chalybis mitescit in igne metallum,
Dum fornax rabidis follibus acta gemit?
At faber hunc tollatq; foco, mergatq; sub undas,
Major erit subitò, quam fuit ante. rigor.

Fortunæ utriusque memento. Embl. LX.

Ecce triumphali Capitolia celsa petentem
Axe Ducem, ut redda vota precesq; Iovi;
Præcedit captiva cohors victiq; Tyranni,
Victor & audaces aureus urget equos,
Hunc aliquis sequitur qui tintinnabula pulsans,
Admonet à lætis rebus abesse fidem.
Fortunam reverenter habe; nam vitrea tota est,
Cumque nihil statuis firmius esse, ruit.

Flor. Schonhovius.

§ Apophthegm. Christianor.

S. Ambrosius. Mundi Prosperitatem, veram quidem prosperitatem, sed falsam jucunditatem dicebat August. At ejusdem institutor directorque Ambrosius, dum ad domum divitis cuiusdam divertisset, qui sibi omnia ex voto, toto vitæ tempore evenisse gloriabatur, e vestigiò recessit. Rogatus à comite, cur fugeret tam liberalem hospitem; *Ne*, inquit, *unà cum eo perpetua prosperitate uso, malè peream.* neque id vanum augurium. Vix enim domo recesserat, dum ea cum omnibus eam incolentibus terræ hiatu fuit absorpta. *Paulin. in Vita.*

Marcus Pisanus. Quid verò hoc exemplo illustrius? Erat Ugolinus Gidarescus Pisanus, qui cò devenerat, rebus secundis sublatus, ut nutu imperioque quasi cuncta administraret: divitiis, nobilitate, filiis, nepotibusque affluens, beatum se & felicem prædicabat. Cumque festo sui natalis die fortunam apud amicos extolleret, cæloque æquaret, ausus ad extremum, familiarium quempiam interrogare, num quid sibi deesse existimaret: qui attentâ rerum humanarum fallaci specie, quamque volucri orbe circumagantur, vel certè mente à Deo mota; *Sola*, inquit, *ira numinis procul diuq; abesse à tam secundis rebus non potest.* neque verè abfuit. Paulò enim pòst turri à Gibellinis inclusus, misera fame cum liberis extinctus est. de quo ita lusit aliquando Cornelius Kilianus Dufflæus:

Vrbs Pisa, atque Arnus qui Pisas irrigat amnis,
Testes exitij sunt, Vgoline, tui.
Cùm turri inclusus, charissima pignora natos
Esurie extingui cernis, & ipse peris.
Pòst Danthes duce Virgilio regna infera lustrans
Necdum ibi sedatam comperit esse famem.
Nam videt infidi te Ruggerij occiput ore
Horribili & rabidis dentibus impetere.
Fortunæ miserum mortales discite casum,
Esurie ecce Comes dira Vgolinus obit.

Require Adversitas, & Fortuna.

§ Monosticha Trochaica.

Ad secundorum venire per sinistra usum utile est.
Astra gratius nitescunt flare Libs ut desiit.
Auferunt secunda rectum: melius sapimus in malis.
Cygnus haud canit, secundus quam cùm ei est Favonius.
Dij Deæque hominem adjuvant cui suppetunt res prosperæ.
Fragilitatis nimia humanæ in prosperis oblivio est.
Haud minus discriminum re prospera quam tabida est.
Iupiter meis admisce prosperis quiddam mali!
Improbis res prosperæ sunt, at probis improsperæ.
Imprudentibus malorum sunt origo prospera.
More plumbi, prospera non res ferenteis proterunt.
Non minus diffatigamur prosperis quam tristibus.
Nullius diu in complexu sors moratur prospera.
Nunquam amicis absq; offensa res tacetur prospera.
Omnium non est, servare semet rebus prosperis:
Prosperitatem hominum summi mens regit Iovis.
Prospero utere velut Autumni fructibus; cito interit.
Prospera usq; & usq; magnis omnia accidunt viris.
Prosperis plerumq; rebus triste quid Sors adjicit.
Quo magis navis gravatur, hoc facilius mergitur.
Quotus est quisq; quem secunda non mutent sapientium?
Rarus est qui sorte utatur usquequaque prosperâ.
Res secundas hinc Superbia inde ambit Lascivia.

§ Jambica.

Adversa frenant, prospera animos efferunt.
An quid nefastis esse prosperum potest?
Haud testis est prosperitas innocentiæ.
Haud est sapor rerum bonarum in prosperis.
Haud vivit ullus cuncta cui sint prospera.
Multum in secundis rebus est ferocia.
Nemo diu sortem secundam sustinet.
Raro sua erga cautus est quisquam bona.
Rarissima in re prosperâ prudentia est.
Res prolabuntur prosperæ ad superbiam.
Rerum secunda non habent unquam modum.
Rerum secundarum aura mutat quoslibet.
Sapor bonorum nullus est in prosperis.
Tumidus secundis, timidus est idem in malis.

Providentiæ divinæ.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

CLemens *Alexandrinus*: Videte ne quis sit qui vos abducat ab fide in Christum per philosophiam & inanem deceptionē, quæ tollit providentiam secundum traditionem hominum. Quæ est enim secundum traditionem divinam philosophia, constituit & cōfirmat providentiam; qua sublata videtur fabula Servatoris œconomia, cum nos secundum elementa hujus mundi & non secundū Christum feramur. Quæ est enim Christo consentanea doctrina, & opificem Deum esse asserit, & deducit providentiam usque ad singularia, & talem elementorum novit esse naturam, ut in eam cadat ortus & mutatio, eaque docet à Deo regi ad hoc ut vim assimilantem ac dispensantem habeant, adeo ut mens principalis omnem præcedat doctrinam. Elementa autem colunt, Diogenes quidem aerem, Thales vero aquam. Hippasus vero ignem: & qui principia faciunt atomos philosophiæ nomen suscipientes, impii quidam homunculi & voluptati dediti. *lib. 1. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Non multum iis, qui nausea & vertigine laborant, dissimiles sumus, qui omnia sursum deorsumq; verti putant, cum ipsi vertantur. Idem enim his, de quibus loquimur, accidit. Neque enim Deum sapientiorem se esse sustinent, quamprimum ad eventum aliquem quasi vertigine correpti hæserint: cùm contrà faciendum ipsis sit, ut vel in ratione conquirenda elaborent, velut cura & diligentia veritatem fortasse consecuturi, vel de his rebus sapientiores viros magisque spirituales consulant (quandoquidem id quoque inter Spiritus dona numeratur, nec omnium est sciētia) vel eam denique per vitæ purgationem aucupentur, atque à vera Sapientia sapientiam postulent. Isti verò (ô miram stultitiam!) ad id, quod paratius & proclivius est, se conferunt, nec ratione mundū gubernari falso asserunt, cum ipsi rationem ignorent. Ita propter inscitiam sapientes sunt, aut propter supervacaneam sapientiam, ut ita loquar, insipientes ac stolidi. Ex quo factum est, ut alii casum atque fortunam, fortuitò sanè temereque confictam, induxerint: alii siderum principatum quemdam rationis expertem atque indissolubilem, res arbitratu suo, imò etiam necessariò, contexentiū, & errantium quarundam atque fixarum stellarum congressus & recessiones, ac motionem, quæ mundo dominetur: alii, quod quisque sibi animo objecit, ærumnoso hominum generi invexerint, quicquid nimirum ex ipsa providentia comprehendi conspicique nequit, in varias opiniones variaque nomina partientes. Nec defuerunt, qui magnæ quoque paupertatis providentiam damnarent, dū ea quidem, quæ supra nos sunt ab ipsa regi atque gubernari judicarunt, cæterum eam ad nos usque, qui ea vel maximè indigemus, demittere gravati sunt: perinde ac vererentur, ne benefactorem eo meliorem esse pronunciarent, quòd plures beneficiis afficeret, aut ne Deus bene de pluribus merendo defatigaretur. *Oratione decima sexta.*

D. Greg. Nyssenus: Quis intuens & animadvertens harmoniam, id est conspirantem, consentientem & quasi concinentem copulationem atque coagmentationem rerum universitatis, cælestiumq; ac terrestrium miraculorum, & quemadmodum elementa natura inter sese contraria, ineffabili & occulta quadam societate atque communione ad eundem omnia scopum atque intentionem unumquodque suam vim ad rerum universitatis permansionem, durationem & incolumitatem simul conferentia atque contribuētia conferuntur, implicantur & connectuntur, cumque juxta qualitatum proprietatem, neq; commisceri, neque consociari possint, non tamen secedunt ab invicem, neque contrariis qualitatibus inter sese commixta atque contemperata, aliud per aliud corrumpūtur: sed & illa, quibus ea natura est, ut in sublime ferantur, deorsum vergunt atque feruntur, calore solis per radios deorsum fluente: corporaque gravia ac ponderosa sublevantur & attolluntur per vapores extenuata: ut & aqua præter sui naturam ad supera feratur, per aerem flatibus vecta, & æthereus ignis ad terram deferatur adeò, ut & infimæ partes caloris expertes non sint, & terræ superfusus imbrium humor, cum unus natura sit, innumeras germinum producat differentias, omnibus subjectis aptè atque accommodatè inhærens atque insidens: celerrimam item axis in orbem circumque rotundum conversionem atque revolutionem, interiorumque circulorum in contrarium motionem, subjectionesque & congressus coitusve atque concinnas, aptas, ratas constantes, convenientes, & æquales digressiones, distantiasque siderum: hæc si quis oculis intelligentiæ atque acie mentis intuetur, an non apertè per ea, quæ apparent, docetur, quod divina vis artificiosa solersque in rebus universis apparens, atque per omnia pertinens ac fusa, cum partes accommodat & adaptat toti, tum totum partibus explet, atque una quadam vi rerum universitas coercetur & continetur, dum ipsa in seipsa manet & circum se ipsa movetur, ac neque moveri unquam desinit, neque in alium quendam locum, præter eum, in quo est, transmigrat. *de anima & resurrectione.*

D. Chrysostomus: Fortasse dicet incredulus, esse parem apud omnes honorem. Dic mihi, homo ingrate, quænam dicis non esse Dei bonitatis, & quamnam dicis honoris æqualitatem? Hic vel ille ornatus filiis: alius insanit & vexatur à dæmone: alius qui ad extremam venit senectutem, totam vitam transegit in paupertate: alius in morbis gravissimis. Hæcne sunt opera providentiæ? Hic quidem est surdus: ille verò mutus. hic est pauper: alius verò sceleratus, atq; adeò sceleratissimus, & plenus malis innumerabilibus, fruitur pecuniis, & alit meretrices & parasitos, præclarasque & magnificas ædes possidet, & vitam agit quietam & omni negotio vacuam. Multaque eiusmodi colligunt, longam contexentes orationem adversus Dei providentiam. Quid ergo eis dixerimus? Quid verò, nullane est rerum providentia? Si sint quidem Græci, & dicant nobis

mundum ab aliquo administrari: rursus nos quoque eadem eis dicemus: Quid ergo? nulla est providentia? Quomodo ergo vos Deos colitis, dæmones & heroes adoratis? Nam si est providentia, præest omnibus & omnium curam gerit. Si sint aliqui qui non ægre ferant Christiani, vel etiam Græci, & qui labascant, quid eis dicemus? Tam multáne, dic quæso, casu facta fuerint bona; lux quotidiana, certus & benè dispositus ordo & providentia, astrorum chorea, noctium & dierum cursus ex æquo consistens; naturæ consequentia & in plantis, & in animalibus, & in hominibus? Quis est, dic quæso, qui hæc administrat? Si nullus est qui præsit, sed casu cōstant omnia: quis hunc tam pulchrum, tam magnum fornicem, nempe cælum, circumductum super terram, aut etiam super aquas statuit? quis dat tempora ferendi fructus? quis tantam vim posuit in seminibus & plantis? Nam quod fit casu, est planè inordinatum: quod autem est benè ordinatum, fit arte. Quid enim, dic quæso, ex iis quæ apud nos casu fiunt, non multa plenum est confusione, multoque tumultu & perturbatione? Nec dico solùm casu, sed etiã faciente aliquo, verùm faciente sine arte ut exempli causa; Sint ligna & lapides, & sit calx, & iis acceptis homo ædificandi imperitus ædificet & operetur non omnia perdit & corrumpit? Rursus sit navis absque gubernatore; quæ omnia habeat quæ oportet habere navem præter gubernatorem: non dico non instructa, sed ne instructa quidem poterit navigare. Et terra, quæ est tanta, stans super aquam, absque aliqua quæ eam continet potestate, tanto tempore stat firma & stabilis? Hæcne ullam habent rationem, & non hæc cogitare est mille modis ridiculum? Et siquidem etiam ferat cælum; ecce aliud onus. si autem cælum quoque feratur in aqua, rursus alia quæstio. Sed opus est providentia. Nam quæ feruntur super aquas, non oportet esse incurva, sed concava. Quare? Quoniam corpus quidem concavi totum immergitur in aquis tanquam in nave. Incurvi autem corpus quidem totum est supernè, extrema autem solùm impendent & attingunt. Ei ergo opus est corpore duro & resistente, & quod possit continere ut ferat onus impositum. At aer fert cælum. Sed is est aqua multò mollior & laxior, & ne subtilissimum quidem quicquam potest continere, nedum tantam molem. Planè si velimus quæ sunt providentiæ & universe, & sigillatim, ac minutatim persequi: totum ævum nos deficiet. *Homilia 19. ad Ephesios*

D. Chrysostomus: Quod omnia sunt hujusmodi, ut de eis sit Dei cura & providentia, ex iis quoque quæ apud nos fiunt potest conjici. nullum enim manet eorum cuius non geratur cura & providentia: sed & greges & alia omnia opus habent ut regantur. *Homilia 5. ad Coloss.*

Isidorus Pelusiota: Vis abeuntes colligamus zizania, ajunt angelicæ virtutes, divinæ voluntati benevolo semper animo administram operam præbere cupientes. Quoniam & segnitiem nostram ac socordiam, & ingentem Dei lenitatem conspiciunt. Verùm hoc facere prohibentur, ne unà cum zizaniis evellatur & triticum: hoc est, ne rapiatur peccator ad vitæ emendationem spectans, ne unà cum improbis parentibus insontes liberi simul excludantur, qui adhuc quidem sæpe in paternis lumbis sunt, verùm apud Deū, utpote occulta cernentem, jam existunt. Angelorum enim classes, ut conservæ naturæ, ea quæ nondum præsentia sunt, ignorant. Deus autem & intelligit, & persæpe istud fecit. Neque enim Esau peccantem, nondum edita prole, demessuit, ne unà quoque Iobum evelleret, qui ex eo genus duxit: nec item Matthæum portoriis exigendis operam dantem morte affecit, ne Evangelii prædicationem impediret: nec libidini atque impudicitiæ studentes meretrices oppressit, ne pœnitentiæ exempla deessent: nec Petri abjurationem ultus est, quoniam calentes ipsius lacrymas prospiciebat: nec persequentem Paulum morte abscidit: ne orbis terrarum fines salute frustrarentur. Omnia ergo zizania, quæ messem expectant, nec ad pœnitentiæ fructum sese convertunt, magno igni præparantur, ut quæ sterilitate prorsus laboravit. *lib. 1. Epist. 195.*

§ Latinorum.

S. Salvianus: Incuriosus à quibusdam & quasi negligens humanarum actuum Deus dicitur; utpote nec bonos custodiens, nec coercens malos: & ideo in hoc sæculo bonos plerumque miseros, malos beatos esse. Christianis ad hæc refellenda sufficere deberet solus sermo divinus: sed quia multi aliquid in se habent paganicæ incredulitatis, sciant ii, ne illos quidem paganos eadem sensisse de incuriositate Dei ac negligentia, Pythagoras, &c. *initio libri 1. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Ajunt igitur à Deo omnia prætermitti, quia nec coerceat malos, nec tueatur bonos, & ideo in hoc sæculo deteriorem statum esse meliorum. bonos quippe esse in paupertate, malos in abundantia, bonos in infirmitate, malos in fortitudine, bonos semper in luctu, malos semper in gaudio; bonos in miseria & abjectione, malos in prosperitate & dignitate. Primum igitur ab iis qui hoc ita esse vel dolent vel accusant, illud requiro, de sanctis, hoc est de veris & fidelibus Christianis, an de falsis, & impostoribus doleant. Si de falsis; superfluus dolor, qui malos doleat non beatos esse: cùm utique quicunque mali sunt, successu rerum deteriores fiant, gaudentes sibi nequitiæ studium bene cedere, & ideo vel ob hoc ipsum miserrimi esse debent, ut mali esse desistant, vindicantibus improbis quæstibus nomen religionis, & præferentes ad sordidissimas negotiationes titulum sanctitatis; quorum scilicet nequitiis si miseriæ comparentur, minus sunt miseri quam merentur: quia in quibuslibet miseriis constituti, non sunt tamen tam miseri quam mali, nequaquam ergo pro his dolendum quod non sunt ac divites ac beati; multo autem pro sanctis minus: quia quamlibet videantur ignorantibus miseri, non possunt tamen esse aliud quam beati. Superfluum autem est, ut eos quispiam vel infirmitate vel paupertate, vel aliis istiusmodi rebus existimet esse miseros, quibus se illi cōfidunt esse felices. nemo enim aliorum sensu miser est sed suo: & ideo non possunt cujusdam judicio falsò esse miseri, qui sunt verè sua conscientia beati, nulli enim, ut opinor, beatiores sunt, quam qui ex sententia sua atque voto agunt. Humiles sunt religiosi? hoc volunt. pauperes sunt? paupertie delectantur. sine ambitione sunt? ambitum respuunt. inhonori sunt? honorem respuunt. lugent? lugere gestiunt. infirmi sunt? Infirmitate lætantur. Cum enim; inquit Apostolus infirmor, tunc potens sum. nec immeritò sic arbitratur, ad quem Deus sic loquitur: sufficit tibi gratia mea. nam virtus infirmitate perficitur.

Nequaquam ergo nobis dolenda hæc est afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. Itaque quidquid illud fuerit quicumque verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quamlibet dura nulli beatiores sunt, quam qui hoc sunt quod volunt. Soleant quamvis esse nonnulli, qui turpia atque obscęna sectantes, etsi juxta opinionem suam beati sunt quia adipiscuntur quod velunt; re tamen ipsa beati non sunt; quia quod volunt nolle debuerant. Religiosi autem hoc cunctis beatiores sunt, quia & habent quæ volunt & meliora quam quæ habent, habere non possunt. Labor itaque, jejunium, & paupertas & humilitas, & infirmitas, non omnibus sunt onerosa, sed tolerare nolentibus. sive enim gravia hæc sive levia, animus tolerantis facit, nam sicut nihil est tam leve, &c. Videatur titulus Paupertatis. *libro 1. de gubernat. Dei.*

S. Salvianus. Stoici Deum gubernatoris vice intra id quod regat semper manere testantur. Quid potuerunt de affectu & diligentia Dei rectius religiosiusque sentire quam ut eum gubernatori similem esse dicerent. hoc utique intelligentes, quod sicut navigans gubernator, nunquam manum suam à gubernaculo, sic nunquam penitus curam suam Deus tollit à mundo, ac sicut ille & auras captans & saxa vitans & astra suspiciens, totus sit simul tam corporis quam cordis officio operi suo deditus; ita scilicet Deum nostrum ab universitate omnium rerum, nec munus dignantissimæ visionis avertere nec regimen providentiæ suæ tollere, nec indulgentiam benignissimæ pietatis auferre, &c. *libr. 1. de provid. Dei.*

S. Salvianus: Si in tantis vitiis in tanta improbitate viventes, fortissimos, florentissimos, beatissimosque esse pateretur; suspicio fortasse aliqua esse poterat, quod non respiceret scelera Romanorum Deus, qui tam malos tam perditos beatos esse pateretur. Cùm verò tam vitiosos tam improbos, infirmos & miserrimos esse jubeat, evidentissimè patet, & aspici nos à Deo, & judicari; quia hoc patimur quod meremur. Sed mereri nos absque dubio non putamus: & hinc est, quod magis rei & criminosi sumus, quia non agnoscimus quod meremur, maxima quippe accusatrix hominum noxiorum est usurpatrix innocentiæ arrogantia. Inter multos siquidem eorundem criminum reos nullus est criminosior quàm qui se non putat criminosum, itaque & nos hoc solum malis nostris addere possumus, ut nos innoxios judicemus. Sed, inquiet aliquis, meliores barbaris sumus, à quibus tamen subjugamur. Certè, quod non est dubium, meliores esse debebamus: exque hoc ipso utique deteriores sumus, si meliores non sumus, qui esse debebamus. Criminosior enim culpa est, ubi honestior status. si honoratior est persona peccantis, peccati quoque major invidia, furtum in omni quidē homine malum est facinus, sed damnabilius sine dubio in Senatore, cunctis fornicatio interdicitur, sed gravius multo est, si de clero aliquis, quam si de populo fornicetur. ita & nos qui Christiani esse dicimur, si simile aliquid barbarorum impunitalibus facimus, gravius erramus.

Atrocius enim sub sancti nominis professione peccamus. Ubi sublimior est prærogativa, major est culpa. ipsa enim errores nostros religio quam profitemur accusat. Criminosior est ejus impudicitia qui promiserit castitatem. fœdius inebriatur sobrietatem fronte prætendens. Nihil est Philosopho turpius vitia obscęna sectanti: quia præter eam deformitatem quam vitia in se habent, sapientiæ nomine plus notatur, &c. *libr. 4. de gubernatione Dei.*

§ Philosophorum Oratorumq; Graecorum.

Xenophon: Aristodemum, cognomento Parvum, Socrates quum accepisset neque diis sacrificare, neque preces concipere, neque divinatione uti, adeoque ridere omnes, qui hæc facerent: Dic mihi, ait, Aristodeme, suntne homines aliqui, quos sapientiæ nomine sis admiratus? Quum ille adsensus esset: Dicito nobis, inquit Socrates, eorum nomina. Equidem, respondit is, Homerum in pangendis carminibus epicis admiratus sum maxime: in dithyrambo, Melanippidem: in tragœdia Sophoclem: in statuaria, Polycletum: in pictura, Zeuxin. Utri vero, inquit Socratus, videntur tibi digni esse

majori

majori admiratione: num qui ſimulacra mentis & motus expertia perficiunt, an qui animalia mente & efficacitate prædita? Multo magis profecto miror auctores animalium, ſiquidem ea non fortuito, ſed certo judicio conſilioque facta ſint, Utra vero vel fortuita, vel conſilii judicas eſſe opera: num ea, de quibus adſequi conjectura non licet, quanam de cauſa facta ſint: an quæ manifeſto ſunt ad utilitatem aliquam relata? Nimirum ea profecta eſſe à cõſilio convenit opera, quæ utilitatis cauſa fiunt.

An non igitur tibi videtur is, qui ab initio fecit homines, utilitatis cauſa eis addidiſſe, per quæ ſenſu perciperẽt ſingula: nimirum oculos, ut ea cernerent, quæ cerni poſſunt: aures, ut audirent, quæ audiri poſſunt? Odorum certe, ſi nares additæ non fuiſſent, quis nobis exſtitiſſet uſus? Quinam ſenſus fuiſſet rerum dulcium, & acrium, & ſuavium illarum omnium, quæ ore percipiuntur, ſi non lingua in nobis fuiſſet condita, quæ harum eſt exploratrix? Præterea non tibi videtur hoc quoque putandum eſſe providentiæ opus, quod quum viſus imbecillis ſit, palpebris hunc quaſi foribus munierit, quæ ubi viſu opus eſt, aperiuntur; obrepente ſomno, clauduntur? Vt autem ne venti quidem nocerent, cilia quaſi cribrum à natura quoddam addidit; ac ſuperciliis, quaſi quibuſdam ſuggrundiis, quæ ſupra oculos ſunt texit: ut ne quidem ſudor de capite manans eos læderet. Quòd item auditus voces omnes excipiat, numquam tamen repleatur: quod dentes anteriores univerſis animalibus dati ſint velut ad ſecandum, molares vero ad comminuendũ, quæ ab iis acceperint: quod os, per quod immittuntur in animalia, quæcumque ab eis adpetuntur, prope ab oculis & naribus collocarit: quumque moleſta ſint, quæ excernuntur, canales horum averterit, ut quam remotiſſime ab ipſis ſenſibus aveherentur: hæc igitur tam provide facta fortuitane opera ſint, an à cõſilio profecta, dubitas? Minime profecto, inquit, ſed mihi ſic ea conſideranti ſapientis cujuſdam opificis, & animantium ſtudioſi artificium præ ſe ferre videntur. Jam quod cupiditatem procreandæ ſubolis indiderit, ac matribus cupiditatem educandi, educatis maximum vitæ deſiderium, maximumque mortis metum: nimirum hæc quoque videntur illius eſſe artificiis conſentanea, qui ut eſſent animalia, certo conſilio conſtituerit.

Tu vero non teipſum aliquid habere prudentiæ putas? Interroga me, ac reſpondebo. An vero nũquam alibi quidquam eſſe putas prudentiæ? præſertim quum ſcias, quod exiguam terræ partem habeas in corpore, quum ea magna ſit: quod parum habeas humoris, quum humor multus ſit: itemque ſingulis rebus ceteris, quæ magnæ ſunt, exiguam partem quum accepiſſet, ita deinde corpus tuum compactum fuit. Mentem vero, quæ ſola nuſquam eſt, quodammodo feliciter prehendiſſe te putas; atque hæc ampliſſima, numeroq; infinita per dementiam quandam in hunc ordinem eſſe redacta puta? Ita profecto, inquit Ariſtodemus. Nam auctores non video, ſicut earum rerum opifices cerno, quæ heic fiunt. Nimirum tu ne tui quidem ipſius animum cernis, qui rerum in corpore potitur. Ideoque, ſi ita velis, licet tibi dicere, nihil te judicio tuo facere, ſed omnia fortuito. Tum Ariſtodemus: Ego, mi Socrates, inquit, numen non ſperno: ſed arbitror id eſſe magnificentius, quam ut cultu meo indigeat. Immo, ait Socrates, quanto magnificentius tui curam habere dignatur, tanto magis honore vult abs te adfici. Equidẽ, inquit Ariſtodemus, ſcire te volo, non me Deos neglecturũ, ſi putarẽ eos res humanas curare. Tu ergo curare ipſos res noſtras non arbitraris, quũ primo inter animalia cetera ſolũ illi hominem erectum eſſe voluerint, (& habet hoc erecta figura, ut proſpici longius poſſit, & rectius ſuperna ſpectari, vt minus lædamur) atque etiam viſum, auditum, os addiderint. Deinde ceteris quidem, quæ humi repunt, pedes dederunt, qui ſolum hoc eis præbent, ut incedere poſſint: homini vero etiam manus addiderunt, quæ plurima perficiunt, ob quæ ceteris illis beatiores ſumus. Linguam vero quum animalia cuncta habeant, ſolam humanam ejuſmodi condiderunt, vt ore alias alibi contacto, vocem quaſi articulet, omniaque ſignificet, quæcumque ſignificare nobis inter nos libeat. Jam quod rei venereæ voluptates animalibus ceteris ita dederint, vt certum anni tempus eis præſcripſerint, quum nobis ad ſenectutem vſq; has continuo ſuppeditent, quale quiddam eſt?

Neq; tamen ſatis hoc Deo fuit, vt corporis curam haberet: ſed, quod maximum eſt, etiam præſtantiſſimum animum hominis naturæ dedit. Nam cujus alterius animalis animus deprehendit primum de diis, qui hæc ampliſſima longeque pulcherrima conſtruxerunt, eos eſſe? Quod item aliud genus, præter homines, deos colit? Quinam alius animus humanum ſuperat in præcavenda fame, ſiti, frigoribus, caloribus: vel in medendo morbis, vel exercendo robore, vel ampliori doctrina comparanda, vel in eorum memoria retinenda, quæcumque vel audierit, vel viderit, vel didicerit? An enim plane tibi manifeſtum non eſt, homines inter animalia cetera quaſi deos quoſdam vivere, longe ab ipſa natura tum corpore tum animo ceteris præſtantes? Nec enim ſi bovis haberet corpus, mentem a. hominis: facere, quæ voluiſſet, potuiſſet: nec illa, quæ manus quidem habet, ſed mente carent, ceteris præſtant. Tu vero quum utrumque pretii longe maximi conſequutus ſis, non curare te deos arbitraris? At quidnam vbi fecerint, curam eos habere tui putabis? Quum miſerint, inquit Ariſtodemus, quemadmodum tu dicis eos mittere, conſiliarios eorum, quæ vel agenda, vel non agenda ſint. Verum ubi quid Athenienſibus, ſubjecit Socrates, per divinationem conſulentibus reſpondent, annon tibi quoque reſponderi putas? Non quum ceteris Græcis, quum hominibus univerſis portenta mittunt, quibus aliquid ante denuntiant? Te ſcilicet ſolum eximẽtes, extra curam ſuam collocant? Num arbitraris deos hominibus opinionem indituros fuiſſe, quod & beneficiis, & pœnis adficere poſſint, ſi non revera id poſſent? Et homines arbitraris perpetuo deceptos horum nihil unquam ſenſiſſe? Non vides quod quæ inter res humanas & antiquitatis & ſapientiæ principatum tenent, nimirum urbes & nationes, divino cultui ſint addictiſſimæ; quodque hominum ætates prudentiſſimæ res divinas maxime curent?

Diſce, inquit, ô bone vir, etiam mentem tuam, dum ineſt corpori, ex arbitratu ſuo corpus gubernare. Quamobrem exiſtimandum eſt, illam quoque ſapientiam, quæ eſt in hoc univerſo, ſic omnia regere, quemadmodum ipſi gratum eſt: non oculum tuum ad multa uſque ſtadia pertingere poſſe, & non poſſe Dei oculum ſimul omnia intueri: neq; animum tuum tam de rebus, quæ heic accidũt, quam de illis, quæ in Ægypto, & Sicilia, cogitare poſſe: & non poſſe Dei ſapientiam ſimul omnia cura ſua complecti. Enimvero ſi, quemadmodum animadvertis, dum homines colis, qui te viciſſim colere velint; ac dum gratificaris, qui viciſſim velint gratificari; dum conſulis alios, quinam prudentes ſint, perſpicis; eodem modo deos etiam colendo periculum feceris, an quid tibi velint iisde rebus, quæ hominibus obſcuræ ſunt, conſulere: tum vero intelliges numen tãtum ac tale eſſe, ut omnia pariter videat, & audiat omnia, & ubique adſit, & pariter omnium curam gerat. Hæc quum diceret Socrates, non mihi tantum in familiaribus ſuis efficere videbatur, ut quoties ab hominibus conſpicerentur, rebus impiis, injuſtis, turpibus abſtinerent, ſed etiam quoties in ſolitudine degerent: quippe qui exiſtimarent, nihil umquam eorum, quæ agerent, occultum eſſe diis poſſe. *lib. 1. cap. 20. & ſeqq. Memorabilium Socrates.*

Xenophon: Dic mihi mi Euthydeme, Socrates ait, cogitarene tibi aliquando ſubijt, quam diligenter Dii paraverint ea, quibus homines indigent? Minime profecto, inquit Euthydemus. At noſti, ait, primum nos lucis egere, quam Dii nobis ſuppeditant? Novi, inquit, atque hanc niſi haberemus, oculos ſane quod adtinet, cæcis eſſemus ſimiles. Nihilominus requietis cauſa, qua egemus, noctem nobis largiuntur, longe commodiſſimum quieſcendi tempus. Hoc etiam, inquit, omnino gratiarum actionem meretur. Quia vero ſol lucidus eſt, ac nobis horas diei, aliaq; clarè demonſtrat, nox autem propter tenebras eſt obſcurior: aſtrorum lucem noctu protulerunt, quæ noctis horas nobis indicarent; quo fit, ut multa tum, quę neceſſe ſit, perficiamus. Ita eſt, inquit. Enimvero luna non ſolum noctis, ſed etiam menſis partes nobis patefacit. Omnino ait. Quid autem? quum nutrimento egeamus, quod illud è terra nobis producant, & ad hoc anni tempora convenientia tribuant, quæ nobis non modo magna copia neceſſaria præparant, ſed ea quoque, de quibus delectationem capimus? Etiam hæc, inquit, magnæ ſunt deorum erga homines benignitatis & clementiæ. Quod item nobis aquam largiantur, rem adeo pretioſam, ut producat & augeat una cum terra & cum anni temporib. omnia, quæ nobis uſui ſunt, ſimulque nos etiam alat, ac nutrimentis noſtris omnibus admiſta faciat, ut & confici ea facilius poſſint, & uſui noſtro magis ſint accommodata, & ſuaviora? Quodque maxima nobis eamdem copia largiantur, quum illa plurimum egeamus? Hoc quoque, ait, providentiæ opus eſt. Quod item nobis ignem dederint, qui nobis opem adverſus frigus, & adverſus caliginem ferret, noſque in omnibus opificiis, rebuſque ceteris, quas utilitatis cauſa ſuſcipiunt homines, adjuvaret? Nã ut ſummatim dicam, nihil homines, quod operæpretium ſit, abſque igne rerum ad vitam utilium parare poſſunt. Etiam hoc benignitatis eſt eximiæ. Quod item ſol poſteaquã in hyeme ſe convertit, accedendo partim ſuccreſcere quædam facit, partim exſiccat, quorum ſcilicet tempus præteriit; ac poſteaquã id perfecit, non accedit propius, ſed avertit ſeſe cavens, ne ſupra modum nos calefaciendo lædat: deinde quum recedens eo pervenit, ubi animadvertimus ipſi futurum, ut frigore cõgelaſceremus, ſi quidem abiret longius, ad eam cæli partem revertitur, ubi nobis plurimum prodeſt? Profecto, ait, etiam hæc omnino videntur hominum cauſa fieri. Quod item, quum manifeſtum ſit, non poſſe nos nec æſtum, nec frigus tolerare, ſi repente illa exiſterent, ſol ita paullatim accedat, atq; ita paullatim abſcedat, ut ipſimet ad utraq; vehementiſſima nos perveniſſe ignoremus?

Ego quidem hoc ipſum, ait Euthydemus, modo conſidero, aliane quapiam re Dii occupentur, quam ut commodis hominum inſerviant. Nam illud ſolũm mihi eſt impedimento, quod hæc animalibus etiam ceteris cum homine communia ſint. An vero non perſpicuum eſt, ait Socrates, etiam animalia hominum cauſa naſci ac nutriri? Quod enim aliud animal tot commodis fruitur ex capris, ſuibus, equis, bobus, aſinis, animalibus ceteris, quot homines? Ego quidem certe plura de his homines percipere puto, quàm de plantis. Nam & aluntur, & rem faciunt non minus de animalibus, quam plantis. Etiam magna pars hominum naſcentibus è terra non utitur ad cibum, ſed pecudum lacte, caſeo, carnibus pro nutrimento utentes vivunt. Præterea cicuratis ac domitis utilibus animalibus, omnes ad bellum, aliaque multa utuntur, veluti adjutoribus. In hoc etiam adſentior tibi, ait. Nam inter ea video quædam longe nos ſuperare viribus, quæ tamen adeo ſe hominib. ſubjiciant: ut eis quamcumque ad rem velint, utantur. Quod item

Dii hominibus, quum multa sint pulchra, & utilia, sed inter se diversa, sensus addiderint ad singula congruentes, per quos bonis omnibus fruimur. Item, quod rationem nobis natura concesserint, qua de rebus sensibilibus ratiocinando & reminiscendo discimus, ad quæ singula conducant; multaque molimur, per quæ bonis fruamur, & mala depellamus. Quid? quod eloquendi facultatem nobis largiti sint, per quam invicem omnia bona inter nos docendo cōmunicamus, & leges ferimus, & rempublicam administramus? Omnino videntur, mi Socrates, valde Dii de hominibus esse solliciti. Quid? quum nobis in futurum utilia prospicere non possumus, quod ita nos juvent, ut per divinationem consulentibus se de futurorum eventu respondeant, & quo pacto fiant optime, doceant? Te quidem, ait, mi Socrates, etiam familiarius uti videntur, quam ceteris: quando tibi, ne quidem interrogati abs te, significant; quid vel faciundum, vel non faciundum sit. At verum me dicere, etiam tu intelliges, si non exspectaveris, donec deorum formas intuearis: sed suffecerit inspicienti eorum opera; tum venerari, tum honore prosequi Deos. Velim etiam cogites, Deos ipsos ita se nobis ostendere. Nam & Dii ceteri, quum bona nobis largiantur, nihil tamen horum ita largiuntur, ut in apertum prodeant: & is, qui mundum universum composuit & continet, quo pulchra & bona omnia cōprehenduntur, quique utentibus eo semper expertem detrimenti, & morbi, & senectutis exhibet, atque etiam cogitatione celerius obsequentem sine ullo errore: is inquam maxima quæque facere cōspicitur, atque hæc gubernans, nihilominus cerni non potest. Etiam consideres velim, quod sol, quum omnibus esse conspicuus videatur, non permittat hominibus, uti se accurate adspiciant: sed si quis imprudenter eum spectare conetur, videndi facultatem amittat. Præterea Deorum quoque ministros conspici non posse reperies. Nam fulmen de loco quidem superiore demitti patet, & omnia, in quæ incidit, vincere: non tamen vel quum ferit, vel quum recedit, cernitur.

Nec venti videntur, quamquam eorum effecta nobis conspicua sint, & accedētes sentiamus. Quinetiā si q̄d rerū humanarū aliud, animus hominis certe quiddam cū natura divina commune habet. Patet enim hunc in nobis imperare, quamquam nō cernatur. Quæ considerantem te nequaquam ea, quæ cerni nequeunt, contemnere decet: sed de iis, quæ accidunt, eorum potestate animadversa, numen ipsum honore prosequi.

Scio equidem me, ait Euthydemus, ne minima quidem in parte numen, mi Socrates, neglecturum. Verum id mihi molestum est, quod nemo mihi hominum beneficia divina gratiis rependere meritis videatur. Tibi vero mi Euthydeme, ait, molestum hoc ne sit. Vides etenim Delphicum Deum interrogatum, quo pacto quis gratificari Diis possit, respondere ex civitatis instituto ac more. Est autem institutum hoc ubique, ut pro facultatibus Dii sacrificiis placentur. Qui ergo possit aliquis rectius & religiosius Deos honore adficere, quam si ita agat, ut ipsimet jubent? Sed tamen de facultatibus minime aliquid remittere oportet. Nam quum aliquis hoc facit, non se Deos honore prosequi declarat. Itaque nihil intermittentem adficere Deos honore pro viribus oportet, & confidenter bona maxima sperare. Nemo enim mentis compos ab aliis majora sperare potest, quam ab iis, qui plurimū prodesse possunt: nec alia potius ratione, quam si eis placeat. Et quo pacto magis placere possit, quam si maxime ipsis obtemperet? Hæc tum dicens, tū ipse faciens, & religiosiores & modestiores reddebat familiares suos. *cap. 15. & seqq. lib. 4. Memorabilium.*

Arrianus: Ex singulis quæ in mundo fiunt rebus, providentia laudari facile potest, si cui duo hæc insint: unum, facultas naturam cujusque rei perspiciendi: alterum, gratus animus. Nam alioqui vel utilitates multiplices rerum conditarum non intelliget, vel gratiam pro iis non habebit. Si colores fecisset Deus, vim autem eorum contemplatricem non fecisset: quænam esset eorum utilitas? Nulla prorsus. Rursus si vim illam fecisset, naturam autem rerum non talem ut sub vim illam perspiciendi caderet, quæ sic etiam ejus esset utilitas? Nulla penitus. Quid vero si utrumque sic fecisset? Ne sic quidem ulla esset ejus utilitas. Quis ergo est, qui hoc cum illo, & illud cum hoc coagmentarit? Quis est qui gladio vaginam aptarit, & vaginæ gladium? Nemone? Atqui ex ipsa rerum perfectarum structura pronuntiare solemus, omnino artificis alicujus eas esse opus. Itane hæc singula artificem suum demonstrant, res autem aspectabiles & aspectus & lux non demonstrant? Itane mas & femina, & utriusque ad coitum alacritas, & partibus ad eam rem destinatis utendi facultas: ne hæc quidem artificem demonstrant? At hæc quidem eum demonstrant: talis autem ratio cogitationis, ut non simpliciter rerum sensilium formæ nobis imprimantur, sed ea vi prædita, ut etiam inde aliquid colligamus, & abstrahamus, ut sensu præceptis rebus aliquid adjungamus, & quædam per eas componamus. atque adeo transeamus ab aliis ad alia hisce finitima: ne hæc quidem permovere queunt aliquos, eoque verecundiæ adigere, ne artificem deserant? Explicent ergo nobis quid illud sit, quod hæc singula peragat? aut qui fieri possit, ut res tam mirabiles & artificiosæ, temere ac fortuito exstiterint? Quid ergo? in nobis solis hæc eveniunt? multa quidem in nobis solis, quæ præcipue necessaria fuerunt compoti rationis animanti: sed & multa reperies, nobis communia cum brutis. Nunquid ergo illa, res quæ fiunt, intelligunt? Nequaquam. aliud enim est rei usus, aliud intellectus. Ac illa Deus sic instruenda censuit, ut visa sequerentur: nos vero, ut rerum usum intelligeremus. Itaque satis illis est edere, bibere, quiescere, procreare, aliæque cujusque illorum functiones. Nobis autem, quibus intelligendi quoque vim ille tribuit, non item hæc sufficiunt. Nisi enim rite & ordine, & naturæ cujusque rei ac rationi convenienter egerimus, nequaquam nostro fine potiemur. Quorum enim ratio diversa est, eorum & officia & fines sunt diversi. Cuius ergo ratio ad usum tantum est destinata: ei qualiscumque usus est satis. Quod vero intellectum usui conjunctum habet id, nisi illud etiam accesserit, ut rite omnia gerantur, finem suum nunquam assequetur. Quæ ergo est animantis cujusque ratio, & quasi fabrica? aliud eo destinatum est ut sit esui, aliud ut rei rusticæ sit usui, aliud ut caseum ferat, aliud ut aliam consimilem habeat, utilitatem. Quas ad res quid opus est intelligere visa, eaque discernere? Hominem autem in vitam introduxit Deus ut spectatorem tum sui, tum operam suorum: nec spectatorem duntaxat eorum, sed & explicatorem. Quare homini turpe est, inde & auspicari, & ibi desinere, ubi brutæ animantes, imo potius inde quidem auspicandum est: sed ibi desinendum, ubi & natura in nobis desiit, desiit autem in contemplatione atque intelligentia, & totius vitæ ratione naturæ convenienti. Proinde videte, ne spectaculi hujus expertes moriamini. Ad Olympia quidem proficiscimini, ut Phidiæ aliquod opus videatis & in malis quisq; suis numerat, si illis non visis moriatur. Ad ea vero opera spectanda & intelligenda, ubi nulla peregrinatione est opus, quæ jam adsunt, quæq; præsto atque in promtu sunt, non avide confluetis? Non tandem intelligetis, neque qui sitis, neque cur nati sitis: neque etiam qui illud sit, cujus spectandi vobis copia data est? At in vita molesta quædam & acerba eveniunt, nunquid olympiæ non eveniunt? non æstuatis, non in angustiis versamini? non male lavatis? non madescitis cum pluit? non tumultum, clamorem, reliquasque molestias fertis? Nimirum hæc omnia, cum magnificentia spectaculi conferentes, toleratis & sustinetis. Agite vero, non vires accepistis ad omnem eventum ferendum? magnitudinem animi nō accepistis? fortitudinem non accepistis, quibus quæcumque acciderint feratis? tolerantiam non accepistis? Et quid amplius ea curæ mihi sunt, quæ evenire possunt, si sim magnanimus? quid me quasi tumultuantem de gradu dejiciet? aut quid dolore plenum exsistet? Non utar facultate ad illa, quorum causa accepi eam? sed lugebo & suspirabo? Næ sed mucores mihi destillant.

Qua ergo gratia manus habes, mancipium? nonne ut ipse te emungas? Ergone consentaneum est, mucores in mundo exsistere? At quanto præstat, te emungere, quam naturam accusare? In quem virum evasurum fuisse putas Herculem, nisi leo talis exstitisset, & hydra, & cervus & aper, & injusti quidam homines & feri, quos ille expulit & purgavit? quidnam fecisset, si nihil hujusmodi exstitisset? nonne stragulis involutus dormisset? Itaque primum non factus fuisset Hercules, in talibus delitiis & otio stertens per omnem ætatem. Deinde ut factus esset, quæ fuisset illius utilitas? quis usus brachiorum ejus? quis tanti roboris? quis tolerantiæ & animi generosi, nisi tales conflictationes eum ad talia certamina excitassent atque exercuissent? Quid ergo? hæc te illi parare oportet: ac dare operam, ut alicunde leonem in ejus agrum introducas, & aprum, & hydram? Stultitiæ illud quidem, atque insaniæ fuerit.

Cum vero exstitissent, inventaque essent: peroportuna fuerunt ad Herculem demonstrandum, & exercendum. Age igitur & tu his animadversis, inspice facultates quibus es præditus, easque intuitus, dic: invehe nunc, ô Jupiter, quemvis casum. Habeo enim instrumenta à te data, & occasiones, quibus id consequar, ut quicquid acciderit, ornamento mihi esse possit. Sed vos hæc quidem recusatis: sed partim ne quid accidat trementes desidetis partim ob ea quæ acciderunt ejulantes, lugentes & gementes. Postea Deos incusatis. Quid enim aliud sequitur talem molliciem, nisi impietas? Enimvero Deus non modo facultates nobis eas dedit, quibus omnes eventus ferremus animis neque abjectis neque fractis: sed, quod erat boni regis & veri patris, eam rem ita tribuit, ut neque prohiberi neque cogi neque impediri posset: ac totam nostræ potestati commisit, ne sibi ipsi quidem vi aliqua relicta, ad eam vel prohibendam vel impediendam. Hæc cum libera & propria habeatis, eis non utimini: neque animadvertitis, quæ acceperitis, & à quo: sed lugentes sedetis, & gementes, alii erga ipsum datorem excæcati, neque auctorem beneficii agnoscentes: alii præ mollitie ad querelas & incusationes ipsius Dei aversi? Enimvero ad animi magnitudinem & fortitudinem suppetere tibi occasiones atque instructionem, id ego tibi demonstrabo: ad conquerendum autem & accusandum, quas occasiones habeas, id tu mihi demonstrato. *cap. 6. lib. 1. in Epictetæa.*

Arrianus: De Diis sunt qui dicant, non esse numen: alii, esse q̄dē, sed ignavū & negligēs, nulliq; providere: tertii, q̄ & esse, & providere sed magnis & cælestib. terrenoiū a. nulli. quarti, etiā terrestribus & cælestibus: sed in commune duntaxat, non autem unicuique privatim. quinti, quorum fuere & Ulysses & Socrates, qui asserant, se clam Deo ne moveri quidem posse. Itaque ante omnia necessarium est, probe meditata habere hæc singula, rectene dicantur? Nam si Dii non sint: finis esse qui potest, sequi Deum?

sint

sin cum sint, nullius rei curam gerunt: etiam sic quo pacto rectum erit?

Quod si & sunt, & curant, neque tamen quicquam hominibus atque adeo mihi impertiunt: quo pacto jam vel sic rectum erit? His igitur omnibus vir bonus consideratis, suum animum gubernatori universitatis submittit: quemadmodum boni cives legi civitatis. Qui autem eruditur, hoc proposito ad institutionem debet accedere. Quo pacto ego in omni re sequi Deos potero? Quo pacto in divina gubernatione acquiescam? quo pacto fiam liber? Liber enim est, cui ex sententia eveniunt omnia: quem nemo potest impedire. Quid ergo? væcordia est libertas? absit. nam insania & libertas minime conveniunt. Sed ego volo quicquid mihi visum fuerit evenire, quomodocumque visum fuerit. Insanus es, deliras. nescis rem pulcram esse libertatem, & magni momenti? me autem temere velle, & temere decreta fieri: id adeo non pulcrum esse videtur, ut omnium etiam turpissimum sit. Quomodo enim in scribendo agimus? scribam Dionis nomen ut volo? non: sed doceor ita scribere, ut scribendum est. Quid in Musicis? eodem modo. Quid denique in artis omni scientiæque genere? alioqui non esset operæ pretium scire quicquam, si res cujusque voluntati accommodarentur.

Hic igitur solum, in re maxima & præcipua, libertate, mihi permissum est temere velle? Nequaquam. sed illud est erudiri: si discas ita velle fieri omnia, ut fiunt. Quomodo autem fiunt? Ut ea disposuit is qui disposuit. Sic autem disposuit, ut æstas esset & hyems, ut fertilitas & sterilitas: ut virtus & vitium, & omnes id genus repugnantiæ, ut inter sese universa consentirent. Unicuique nostrum etiam corpus, & partes corporis, & rem familiarem, & socios dedit. Huius igitur dispositionis memores ad institutionem sic accedere debemus, non ut rerum naturam mutemus (id quod nobis neque conceditur, neque expedit) sed ut eo rerum nostrarum statu qui est, quique ab ipsa natura institutus est, contenti, nostrum animum iis quæ fiunt accommodatum habeamus. *Cap. duodecimo, libri primi; Epictet.*

Arrianus: Atqui vel una rerum creatarum satis esset, verecundo quidem homini & grato, ad providentiæ sensum percipiendum. neque verò mihi magna nunc proferto: istuc ipsum duntaxat, ut ex herba lac nascatur, & è lacte caseus, è cute lana. quis est qui ista fecerit aut excogitarit? nemo, inquit. O magnam impudentiam & stuporem. Age, omissis naturæ operibus, ea quæ illis obiter accedunt, contemplemur. Nunquid inutilius est pilis, qui mento enascuntur? quid ergo? nonne iis etiam maximo cum decore usa est? nonne per eos marem & feminam discrevit? nonne statim eminus cuiusque nostrum natura clamitat: Vir sum: sic ad me accedito: sic colloquere mecum: nihil aliud require. Ecce signa in promtu sunt. Rursus in mulieribus, quemadmodum ipsi voci mollius quiddam immiscuit, sic & pilos istos illis ademit. Non ita decuit, sed indiscretum fuit relinquendum animal, & proclamandum unicuique nostrum, se esse virum. Nonne autem signum hoc pulcrum est & decorum & honestum? quanto elegantius crista gallorum? quanto magnificentius, juba leonum? itaque tuenda erant signa Dei, & nequaquam abiicienda: neque sexus, quantum in nobis quidem esset, confundendus, ab ipsa natura distinctus.

Nunquid oratione hæc satis aut laudari aut illustrari possunt? nam si sani essemus: quid nobis aliud agendum erat & publice & privatim, quam numen celebrandum & laudandum, & grates persolvendæ? nonne & inter fodiendum & arandum & edendum hymnus hic cantandus erat Deo: Magnus est Deus, qui nobis instrumenta præbuerit hæc quibus terram excolamus: magnus est Deus, qui manus dederit, qui degluttiendi vim, qui ventrem, qui effecerit ut latenter crescamus, ut dormientes respiremus: hæc singulis in rebus cantanda erant, & hymnus maximus ac divinissimus resonandus, quod facultatem dederit harum rerum intelligentem, & utendi ratione instructam. Quid ergo? cum vulgo excæcati sitis, nonne oportebat esse aliquem, qui hoc munere fungeretur & loco omnium, hymnum de Deo publicaret? quid enim possum aliud senex claudus, nisi celebrare Deum? quod si luscinia essem, lusciniæ officio fungerer: si olor, oloris. Nunc rationis cum particeps sim, Deus mihi celebrandus est, hoc meum munus est, hoc exsequor: neque stationem hanc deseram, quoad licuerit, & vos ad eandem hanc cantilenam exhortor. *lib. 1. cap. 16. Epict.*

Arrianus: Tales sunt res nostræ quemadmodum in celebri conventu, jumenta vendendi causa adducuntur, & boves: vulgus autem hominum partim emturi, partim vendituri: pauci autem sunt qui spectandæ causa celebritatis adsint, quique inquirant. Quo pacto istud fit? Quamobrem? Qui sunt, qui celebritatem illam constituerunt? Qua de causa? Sic & in hac celebritate. Nam alij nihil ultra pastum curant. Quam multi enim in possessionibus, fundis, servitiis, magistratibus versamini? Ea vero nihil aliud sunt nisi pabulum. pauci autem homines sunt qui celebritati vacent, spectandi studiosi, & cogitent: Quid ergo mundus est? Quis eum administrat? Nemo. Id fieri qui potest? Urbem quidem, aut domum, nec minimum durare tempus sine gubernatore & curatore posse videas: tantam autem & tam præclaram fabricam, temere ac ita fortuito ferri credas? Est igitur qui eam administret? Qualis & quomodo administrat? Nos vero ab eo conditi, qui & quales sumus? & ad quod munus? Nunquid cum eo connexi, & ad eum aliquo modo affecti sumus, aut nullo penitus? Hæc sunt quæ paucis his accidant, quique postea huic uni rei vacent, ut celebritate perspecta discedãt. Cur autem à vulgo deridentur? Quia & illic spectatores à mercatoribus. Quod si jumenta sensu aliquo essent prædita, deriderent & ipsa eos, qui quicquam præter pabulum admirentur. *sub finem cap. 14. lib. 2. Epictet.*

Simplicius: Sunt qui existiment esse numina & quidem talia, qualia sunt exposita, bona & summa potentia prædita, perfectissimaque cognitione: sed ea res humanas contemnere tanquam viles, & sua curatione indignas. In hanc vero sententiam devenerunt ex humanarum rerum perturbatione, cum homines improbos vident imperiis, opibus, valetudine florere, & usque ad obitum secundis rebus uti, easque interdum liberis suis quasi per manus tradere: bonos autem viros ab eis immaniter excarnificari, nulla sequente (ut putant) ultione. His enim de causis, alij esse Deum negare non dubitant: alij, quamvis & esse Deum, & talem esse propter communes notiones fateantur: tamen res humanas ab eo curari non credunt, præsertim privatis calamitatibus conflictati. Neque enim tantam fore perturbationem, neque tam improbos impunitos, quam bonos viros multos permansuros, divina providentia mundum procurante. Est igitur de his etiam in universum dicendum, & divisione explicanda hæc quęstio. Nam si dij cum sint, non consulunt rebus humanis: aut quod ignorant iis esse consulendũ, non consulunt. Quod si est, aut quia non possunt non provident: aut quia nolunt. Jam si quia non possunt, id fit, aut propter magnitudinem rerum humanarum, Dei potentiam excedentium: aut ob parvitatem & vilitatẽ, providentiam effugientium. Sin cum possit, non vult: aut ob delicias & ignaviam eas negligit: aut rursus quod ob parvitatem & utilitatem, quamvis possit, eas aspernatur. Cum autem generalis divisio sit hujusmodi: interim ad omnes eius sectiones sic dicendum: Cum tale sit numen, quale descriptum est, cognitione præditum exquisitissima, & potẽtia firmissima, & voluntate optima & omnes res à seipso producat: nec ignorat res à se conditas esse curandas (qui stupor ne in stupidissimas quidem pecudes cadit: nam illæ quoque suos curant fœtus) nec ob magnitudinem relinquit (qui enim major erit res condita suo conditore?) neque ut viliores, quam quæ curentur, aspernatur. nam si tales erant, cur omnino condebantur? At nec voluntas eius est accusanda, quasi ob delicias & socordiam eas negligat. hominum enim isti affectus sunt, nec omnium, sed non proborum: cum ne pecudes quidem ita vel delicatæ vel ignavæ sint, ut fœtus suos negligant. Neque vero tanquam viles eas contemnit, quas condere non est dedignatus. Sic nullo modo fieri potest, quin Deus consulat rebus à se conditis. Sequitur, ut seorsim iis respondeamus, qui quod divinam magnitudinem intelligunt, ac potius intelligere sibi videntur, res humanas extenuant, & divina providentia indignas ducunt. Esse hominem & res humanas non ex vilissimis universi rebus. Nam & animans est homo, & anima præditus maximi pretii, & rationis capaci: nec est ullum animalium genus, quæ quidem nasci soleant, magis pium, & religiosius, Quare homo nec inhonorata, neque vilis est Dei possessio: neque etiam res humanæ, quas animus rationis particeps administrat. Quod si quis vel exiguam rem statuat esse hominem, eo faciliorem eius esse curationem fateatur. Sicut enim sensus majora facilius apprehendunt, minoraque difficilius (nam quo quæque minora sunt, eo difficilius & videntur & audiuntur) ita vires & facultates minora cum facilius ferunt, tum magis retinent illa quam majora. Facilius enim gestatur mina quam talentum, medium jugerum facilius aratur & foditur quam integrum. Quo quis igitur minorem hominem statuerit, eo faciliorem eius esse curationem assentietur. Jam si totum mundum curat Deus, mundi etiam partes eum curare est necesse, ut & artifices faciunt.

Nam medicus, cura totius corporis suscepta, ne partes quidem negliget: neque imperator, neque paterfamilias, neque reipubl. gubernator. Partibus enim neglectis, totum ipsum peius affici est necesse. Absit igitur ut Deus in sua curatione hominum diligentia vincatur, qui una eademque arte & partes & totum curant, cum ipsarum partium causa, tum vero propter totum. Nos vero eventus quosdam ægre ferimus, ignorantes quatenus ista quoque conducant universo. Si quis vero existimat Dei rerum humanarum curam, quæ multum habeant confusionis, multum perturbationum atque tumultuum, negotium facessere Deo, eumque à sua beatitate abstrahere: eum apparet humanis curatoribus similes putare Deos, & rationem curationis ignorare, qui necesse esse existimet, sicuti nos, ita Deum etiam, si quid curet, seorsim illi adesse & persequi singulas suas actiones, nec ulli rei alteri vacare interim posse.

Neque cogitat is qui ita sentit, vel legislatorem, constitutis in republica legibus, definisse, quæ cuique facto pœna, quæ pro injuria satisfactio debeatur: easque curatrices ad minutissima quæque statuisse, cum ipse interim à more & consuetudine sua non recedat, & quamdiu leges durarint, tamdiu per eas urbi consulat. Neque etiam considerat, Deum multo prius & magis condito universo, animales esse nostras actiones, multumque habere & virtutis & vitij, perspexisse: & rationem excogitasse, qua jus cuique suum tribueretur, ut & in loca deteriora detruderetur: & quali fortuna uteretur, ut animus qui male se gesserit, adversam, qui melius, bonam experta-

experiatur: & quid cuique perferendum aut faciendum sit pro dignitate inter sese, & à sese invicem. Cæterum causas, ut tales aliive evadamus, & ab alia dignitate ad aliam perveniamus, id voluntati cujusque nostrum reliquit. Quales enim fieri volumus tales evadimus, ob animi libertatem, & quia penes nos est tam virtus quam vitia, omnibusque Deus præfecit potestates, quæ cuique destinent id quo dignus est, usque ad minutissimas actiones. Neque cum initio semel commentatus esset, tempore quodam à providentia recessit: sicut homo leges tulisse contentus est. Neque enim initium temporis habet divina bonitas, per quam, quia ipsa est omnia bona fiūt: neq; Deus alias adest, alias abest, corporum enim ista sunt Sed & ipse semper omnibus adest, exemtus ab omnibus: & ejus providentia, quia ipse semper ubiq; est, & bonus est, ad omnes res porrigitur pro convenienti cuiq; dignitatis distributione; & ut à lumine Solis illustrantur omnia, & alia vident, alia videntur, alia virent, alia generantur, atque etiam alia candescunt, alia nigrescunt, alia densantur, alia liquefiunt, & prout cujusque captus est, ita unius & magnæ bonitatis ejus absque negotio fit particeps, nihil in horum ullo sole faciente, neque à sua beatitate abstracto: Sic multo magis divina bonitate, quæ & Solem mundo donavit, omnia fruuntur absq; negotio, & bona fiunt, pro ratione sui captus, nihil ad hæc Deo faciēte, neque distracto. Neque enim cum agit, vicissim patitur, ut res naturales: neque adventitiam habet bonitatem, quæ aliquando exhausta deficiat: neque ea natura est, ut alias alia agat, sicut noster animus, ac interdum procurando mundo desit, aut contentioni illi ad bonum quod à mundo prorsus exemtum est. Nam si humanus animus perfectus, & ad Deum reductus, in sublimi versari & totū administrare mundum dicitur; quanto magis Deus, auctor animi, citra solicitudinem & occupationem, consulet rebus à se conditis? Acne illa quidem, quæ iis accidunt, qui boni aut improbi habētur, eam vim habent, ut loco moveant providentiæ curationem. Neq; enim verum id est quod putamus, bonos aliquando calamitosos esse, atque affligi, malos vero fortunatos & beatos: si modo illa vera sunt, eum esse bonum hominem, qui malum & bonum humanum in rebus nostræ potestati subjectis collocaret: ac talis qui sit, eum nunquam frustrari appetendo, neque unquam in id incidere quod declinaret. Quod si ita esset: nunquam ei quicquam accidere mali? Nam & ij qui controversiam movent, malum esse dicunt frustrari desideriis, & in ea quæ declines incidere. Quare nunquam infortunatus est homo bonus, neque male cum eo agitur: & vicissim malos homines esse infelices, qui vitam naturæ humanæ contrariam agant, omnes fateantur.

Hi vero suæ libertatis & facultatis obliti, qua natura humana à cæteris distinguitur, in rebus externis bonum humanum & malum collocant, in valetudine corporis prospera, in divitiis, potentia, nobilitate, deliciis, & similibus: mala vero in contrariis Itaque ea quæ in his bona videntur, appetunt: alia, ut mala declinant. Necesse porro est in externis rebus, cum in nostra potestate sitæ non sint, & iis quæ appetuntur fustrari, & in ea quæ declinantur incidere. Quæ utraque ne adversariorum quidem judicio bona sunt, sed mala. Quare mali cumplerumque in mala incidant, si paulisper resipuerint, intelligent se neque fortunatos, neque beatos esse, sed contra miseros & infelices. Quod si quis fingat eos in rebus externis aut plerumque, aut etiam semper secunda fortuna uti: magis etiam infelices erunt. Quum enim iis rebus potiuntur, gliscunt in eis affectus & cupiditates naturæ humanæ repugnantes. Cuilibet autem id quod est ipsius naturæ contrarium, & malum est, & calamitosum.

Quia vero non tantum necessitate demonstrationum cogendi sunt auditores, sed paulatim etiam in nostram sententiam adducēdi, si eos amplecti velis ea quæ de rebus externis, bonis, ut habentur: eorum illos cōmonefacio, quæ ante dicta sunt: nec ea quæ mala, tametsi cum laboribus & difficultatibus conjuncta: neque bona propria bona. sed & mala quæ putantur, tum ægrotantium medicinas esse, tum valentium exercitationes. Bona vero & ipsa pro necessitate & dignitate tam accipientium quam eorum quibus adimuntur, dari atque auferrri. Nam divitiæ quidem ei qui recte iis uti potest contingunt, ut & ipse facilius agitet, & aliis habeat benefaciēdi facultatem: & ad beneficia voluntatis incrementum. Improbis vero in pænam & castigationem. Etenim avari per omnem ætatem in congerendis opibus solicitè occupati, semper impendente metu, nullum ex pecunia fructum capiunt. Qua pæna quæ justior & facetior esse possit? Luxuriosi autem homines mendicis sunt egentiores: & præ delitiis quidam intereunt, propterque divitias in maxima pericula devocantur, neque sui ipsorum pro dignitate curam gerunt: ob divitias neque boni quicquam discentes, neque vitam naturæ humanæ consentaneam exquirentes & amplectentes.

. Sic valetudo, sic potentia nocent, maxime improbis: ac partim castigandi, partim ulciscendi causa tribuuntur ut afflictione perturbationum obsaturati, tandem evomant affectionum commotionem, & jam ad castigationem & purgationem idonei reddantur. Nam curatori animorum id curæ est, non ut animæ actiones secundum affectus, sive metu, sive propter alios affectus, cohibeantur: sed ut ipse malus habitus & parva consuetudo destruatur. *ad cap. 38. Epict.*

Lucianus: Nam si cœlum explanavit ut pellem, terram autem firmavit super aquas, stellas formavitq;, hominemque ex nihilo, ut esset, in lucem produxit, quid mirum adeò, si res quoque omnium ibi describantur? Nam & tu si domunculam aliquam ædificasses, ancillas autem & servos in ea multos congregasses, nunquam te lateret quicquam eorum, quæ ab illis gererentur, quamvis abjectum & vile. Quanto igitur magis probabile est, eum qui omnia creavit; Deum, cuncta expeditè, ac facilè percurrere, & uniuscujusque consilia & actiones animadvertere. Nam tui dii, pro Cottabis, ab iis qui rectè sapiunt, habentur. *Cri.* Rectè omnino dicis, & mihi nunc diversum accidit, atque Niobe olim: ex statua enim in hominem conversus sum. *titulo Philopatridis.*

Hierocles: Quei possunt sacris supplicationibus pro Dei dignitate uti, qui providentiam atque justitiam humana negant intueri; animumque nostrum immortalitate præditum externa ista quandoque sortiri, prout se voluntariis motibus dignum præbuerit. *cap. 17. carm. Pythag.*

Aristides Rhetor: Quanquam nec Theseus exul & in Scyro peremptus, à Deo neglectus fuit; qui longo post tempore, ut narrant, Athenienses ejus ossa referre jussit. *Oratione 2. Platonica pro Quatuorviris.*

Libanius: Ego Deis injustitiam objicere non destiti, qui velut tyranni urbis arce occupata, nihil de hominibus æquale sentiunt, nec pariter iis consulunt: dum alios ærumnosos faciunt, alios beatos: atqui par fuit ipsos non solum esse dominos, & è cælo hic degentes alere; verùm etiam pro iis qui injuriam acceperunt in prætoriis causam suscipere, & neutiquam sicuti nunc audent, adsistere: nunc autem in malis nostris delicias agunt, omne jus evertentes. Agedum signa ratione possem ipsos huc abductos affari paucis, quidnam responderent? Vos qui coli vultis & victimis potiri, arbitrati estis humanum etiam genus fingere oportuisse, sivè luto ad eorum figmentum adhibito, sive quavis alia re, præclarè. Quid ergo sibi vult quod statim iniqui erga figmenta fuistis, ut hunc quidem majorem effeceretis, alium verò minorem: hunc robustum, illum infirmum; hunc tardum, illum velocem; alium forma insignem, alium deformem? sed hæc omitto; & nullæ reddantur rationes dotis corporum. Quid igitur criminari quis, Senatores, potissimum queat? & quidni multam injustitiam carperet, quòd qui nobis ita compararunt & corpora & vitam, ut pecuniis ad salutem opus sit, domo, veste, ministris, jumentis, supellectile, argento & auro: aliis quidem hæc multa & ampla suppetunt; alios autem in penuria & egestate vivere cogunt: deinde nomen quidem est commune ut liberi dicantur, opera verò assignantur aliis quæ dominorum sunt, aliis quæ servorum. Quam ob rem? nonne geminæ manus sunt omnibus, nonne pedes bini? nonne aures & oculi totidem? quare igitur uni naturæ, non unam præfecerunt fortunam? nunquid multò moderatius belluis usi sunt, quam nobis? nunquid leo, leone locupletior est? nunquid lupus, lupo? nunquid aliarum ferarum ulla ditior est alia? omnes in montibus dormiunt: omnes iisdem nutriuntur. omnes aquam bibunt. fontes communes sunt: communes fluvii: apud illas inopia laborare, & ditescere locum nō habet: ideoque invident nemini.

Nostra verò qui se habent? Hercules, quanta inæqualitas est? hic locupletes, qui auri vim domi conditam habet; alius egenus, cui pro necessariis ad victum & cultum cura est. Deinde hic extemplo locuples, alius inops existit. qua de causa? sæpe enim interrogabo. Nonne iisdem legib. vivūt? Non eandem terrā calcant? Nonne eūdem hauriunt aerem? Et quid cives dico? In eodem genere & prosapia fortuna ejusmodi moliri satagit, ut idem sit sanguis, facultates autem non æquales: verum ita hos quidem extollit, illos deprimere gaudet: ut istius famuli splendidiores sint, quam illius domestici & familiares: & illi incedant in summos digitos erecti: alii submissi trepident. hæc certè justissimorum constitutio deorum etiam in terræ ingenio talia committit peccata: siquidem alia est aurifera, alia argenti fodinas habet, ad alia ne ferrum quidem erueres: hæc frumenti ferax, illa vitium fœcunda est: nonnulli cautes habitant. mitto sola terrarum. Iam ex duobus mercatoribus qui unam conscenderant navem, alter rediit beatus: alter cum paucioribus, quam cum mare ingressus est.

Quisquis igitur tam iniquos nactus præfectos, non indignatur, ægrotat animo, dum ob ea non dolet ob quæ æquum esset. At enim censores Dii sunt eorum quæ fiunt, & probos opibus compensant, atque improbos paupertate puniunt. atque hic certè est iniquitatis fastigium: nonne videtis improbos bene rem agentes? nonne optimos infortunio mactatos? quot porro contumeliosi & adulteri & parentum percussores, & homicidæ & proditores admodum divites sunt? quot verò honesti, & modesti & probi & justi & Deum timentes, & amicos observantes, & legibus obedientes & patriæ curam habentes, vix habent unde victitent? Quid opus est altius repetito principio hunc sermonem firmare? sed vos, ô quingenti viri, diceretne aliquis esse improbos & multa eorum quæ leges prohibent facere. & Diis pænæ obnoxios esse? nec vos id enūciaretis, neque ego vobis sum conscius, quòd tales sitis. Quid ergo, omnes ex amplis ædibus nunc venitis, & rursus è loco migrantes ad delicias pergetis? enimvero multos vestrum novi unum facultatum genus pro refugio habere, mercedem quæ hinc, provenit. Quomodo igitur bonis & æquis meliora accidunt? & iis qui ejusmodi non sunt pejora? Qui verò necesse non est alterum è duobus, ut vel non sint qui dicuntur Dii, & eorum loco casus fortuitus imperet: vel ab illorum principatu justi & juris munus absit? *Oratione 8.*

§ POETARUM.

Oppianus lib. 2. ἁλιευτ. v. 4.

——Quid ab hominibus perfici potest
Absq; Diis? Ne quidem pedis plantam sustollere,
Ac ne quidem aperire palpebrarum illustres circulos:
Sed ipsi gubernant & dirigunt singula,
Procul propè præsentes. Necessitas vero est immota
Obtemperare illis Hanc autem nullum est robur, neque ulla vis,
Asperis maxillis superbè reluctantem
Effugere, velut pullum respuentem frenos.
Sed semper Dij omnium supremi habenas ubique
Inflectunt, quoquo voluerint: Ille verò sequitur, quicunque sanus est,
Priusquam aspero flagello etiam invitus compellatur.
Illi etiam artes lucrosas hominibus
Dederunt habere, & omnem solertiam eos docuerunt.

§ EMBLEMATIS.

Had. Junius Emblemate XIX.

Quo sacer excurret Nilus in arva,
Prascius, alluvie libera ponit
Ova, monens meritò nos Crocodilus
Qua fata immineant antè videre.

§ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Abrahamus Patriarcha. Accepto mandato Dei, ut Isaacum filium unicum quem diligebat in monte regionis Morijæ Deo offerret in holocaustum, confestim itineri cum Isaaco se accinxit. Rogatus autem ab Isaaco qui ligna holocausti ferebat, ubi esset parva pecus ad holocaustum? respondit, *Deus poospiciet sibi de parva pecude ad holocaustum, fili mi.* Per miraculum postea recepto filio vocavit nomen loci ubi ista evenerunt, *Iehova providebit*, ex quo deinde dictum est, *in monte Iehova providebitur.* Genes. 22. 7. 8. 14.

Ioseph Patriarcha. Quum Juda filius Jacobi se in Benjaminis vicem retineri luculenta oratione sedulò ac supplex petiisset, Ioseph oratione Iudæ permotus sublata voce cũ fletu dixit ad fratres suos, Ego sum Ioseph; An adhuc pater meus vivit? Illi autem quum ex eius conspectu perturbati essent, subjecit, Accedite quæso ad me: ego sum Ioseph frater vester quem vendidistis deducendum in Ægyptum. Sed nunc ne vos dolore crucietis, neque displiceat in oculis vestris, quòd vendidistis me abducendum huc: nam victus causa misit me Deus ante vos, ut efficiat vos superstites in hac terra, & ut in vita conservet vos liberatione maxima. Nunc itaque nequaquã vos estis qui misistis me huc, sed Deus ipse qui constituit me patrẽ apud Regem, & Dominum toti familiæ eius, & dominatorem in tota terra Ægypti, &c. *Gen. 45. 3. &c.*

Salomon. De *providentia* Dei cognitione, immensitate, peculiari efficacia cor regis inclinante, corda scrutante, omnes alente & vivificante, vide scitè dicta Salomonis, Proverb. 5. 21. & 15, 3. & 17. 3. & 21. 1. 30. & 27. 21. & 29. 13. *Ab eadem* providentia *mundum administrari* non à fortuna, ostendit, Proverb. 8. 31. Eccles. 9. 11. 12. *Rerum eventus* esse ab ea, Proverb. 21. 32. *Actus nostros* etiam præcogitatos regere, Proverb. 16. 19. *Sortes* item & quæ videntur esse fortuita, Prov. 16. 33. & 18 18. *Sortem nostram* ab ea pendere, Prov. 29. 26. Ab ea igitur pẽdendũ, Prov. 16. 3. Eccl. 7. 16. *Nec* contra eã *murmurandũ* esse, Eccles. 7. 11. &c. & 8. 10. 11. 14. *Illius vias à piis intelligi*, Prov. 28. 5.

Iesus Christus Dominus noster. Dicebat discipulis suis, Ne solliciti estote de anima vestra, quid esuri sitis: neque de corpore, qua re sitis induendi. Anima plus est quàm alimentum, & corpus quàm vestitus. Considerate corvos neque serere, neque metere: quibus non est cella neque horreum, & tamen Deus alit eos: quantò vos præstatis volucribus? Quis autem ex vobis solicitè cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum unum? Itaque si ne id quidem quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Considerate lilia quomodo crescant: non fatigantur, neque nent. Dico autem vobis, ne Salomonem quidem cum omni gloria sua amictum fuisse ut unum illorum. Quid si herbam quæ hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ita circumvestit, quantò magis vos, ô exigua fide præditi? Vos igitur ne quærite, quid esuri sitis, aut quid bibituri: & ne suspenso animo estote. Hæc enim omnia gentes mundi requirunt: Pater autem vester novit vos istis indigere. Quin potiùs quærite regnum Dei, & omnia hæc adjicientur vobis. *Luc. 12. 22. 23. 24. &c.* Seria cogitatio de providentia Dei, remedium est tutissimum adversus stultissimas & maximè anxias hominum de hac vita solicitudines. At de regno Dei solicitis, optimus ille Pater cœlestis opportunè & abundè providebit. Ideo addebat Christus, *Ne time, ô parve grex: nam visum est Patri vestro dare vobis regnum.* quasi dicat, Stultum est à Deo optimo maximo minima non sperare, qui maxima ultro largiatur.

Nicetas Choniates. De supplicio Isaaci Angeli, qui in Andronicum sævierat, & à fratre postea excæcatus est, agens, scitè & graviter subjicit, Utrum verò numinis vindicta pœnas illas Isaacio dederit, aliis considerandum relinquo. Vult enim Providentia, quæ omnia optimè gubernat, etiam in inimicissimorum suppliciis moderationem adhiberi, & semper in conspectu esse humanæ potestatis inconstantiam & imperii amissionem: ne (ut omnium rerum vicissitudo est) quemadmodum quisque tractarit cæteros, ita & ipse ab aliis divino judicio tractetur. Et hæc sapientissimè Nicetas, *Annal. de reb. gestis Isaaci Angeli, lib. 3.*

Nicephorus Gregoras. Providentia, inquit, cuncta gubernans sæpe multitudini equorum & exercituum non subservit: exiguis verò copiis & parum locuplete spe fretis magis adest, maximasque victorias largitur. Nam illorum spem arma sæpe & reliqui apparatus abundantia velut adulterat: nec sursum ferri ad vitæ necisque Dominum sinit, sed gravi quodam pondere deorsum premit, humique versari cogit. Horum contra fiduciam penuria expeditiorẽ facit, ac propemodum ad percurrendum cœlum ac vocis ardentioribus ad supernam dexteram invocandam impellit. Hinc est quòd multi magna spe deiecti contrarium experiuntur: alii verò ex inopia & sui desperatione maximos triumphos sunt adepti. *Annal. lib. 4.*

Didymus. Documenta, inquit, de providẽtia & judicio divino assiduè tecum recolito, eorumque summam (omnes enim ferè in illis labuntur) memoria custodire laborato: quorum altera, de judicio scilicet in corporum differentia, inque ea, quæ est mundi mutatione, facilè discernes: altera de providentia, in modis illis quibus à vitiositate & inscitia ad virtutem & cognitionem ducimur, facilè animadvertes. *Socrates hist. Eccl. lib. 4. c. 18.*

Iacobus eremita. Dæmon, Æthiopis nudi forma, ad Iacobum eremi incolam accedens & sancti viri constantiam ferre non valẽs, minatus est se eum virga percussurum. Tũc Iacobus, si tibi, inquit, permissum est à Deo universorum, percute, & plagam lubenter accipiam, ut qui ab illo feriar. Sed si non sit tibi permissum non percuties, licet millies insanias. His auditis dæmon aufugit. *Theodoret. hist. sanct. Patrum, vita 21.*

Evagrius. Salutaris Dei erga humanum genus providentia (inquit) ante plagam inflictam remedia parare, & gladium iræ suæ clementia demulcere, & cùm res in desperationem venerunt, suæ misericordiæ quasi fores aperire solet. *Evagr. ecclesiast. hist. lib. 4. cap. 6.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Additum haud parum est pavoris cuiq; providentia.
Bruta sæpe hominem antevertunt dote providentia.
Cogitandum ceu futurum quidquid cui fieri potest.
Divos non curare opinor quid agat humanum genus.
Ingruenti attendit undæ nauta, scissas negligit.
Mæsta nunquam, læta semper dia providentia est.
Non citò perit ruina, rima cui formidini est.
Non quod ante pedes modò est vide, & futura prospice.
Pauca perficit cupido, multa providentia.
Pridie caveas ne facias id quod pigeat postridie.
Providè gerentium usq; florida est felicitas.
Providere quam deinde pænitere mavelim.
Providere satius est, quam pænitere postea.
Qui futura prospicit mala, aufert vim præsentibus.
Quisnam ad anchoram stet unam fluctibus pleno mari?
Quod malum non ante visum est, id ferit vehementius.
Si qui, quæ eventura sunt, provideant, æquiparent Iovi.
Vir malus nullam Dei esse credit providentiam.

§ JAMBICA.

Et præparant cibos hiemi herinacei.
Facilè remedio provides quod prævides.
Fortuna aliud est, aliud providentia.
Haud negliguntur res Deo mortalium.
Mollis mali præcogitati ictus venit.
Natura non est absq; providentia.
Navem adprobè gemella firmat anchora.
Præcogitati mollis est ictus mali?
Prædestinatio haud est sine præsentia.
Prævisa mentem lenius vexant mala.
Prævisa tela si nocent, minus nocent.
Res in secundis tristes prudens prospicit.
Terret minus malum omne quod prævideris.
Tun' prospicere aut judicare, nostram in rem quod sit potes?

Provinciæ.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

ARistides Rhetor: Cùm tantum regatis imperium, tantaque polleatis potentia, in eo vel maximè excelluistis, ut soli ex omni memoria liberis hominibus imperaretis. itaque nec Caria Tissapherni, nec Pharnabazo Phrygia nec Ægyptus est alicuiquã tradita, nec ulla gens ejus cui sit in servitutem data, neq; ipsa libe-

ro,

ro;tanquam familia, esse dicitur: sed ut in singulis fit urbibus, ita vos in orbis totius tanquam unius urbis, administratione, imperatores quasi per comitia constituitis, qui præsunt & provideant populo, non qui dominentur. itaque cedunt alter alteri quando cujusque tempus expiravit, nec vel obviam sibi invicem facile fiunt, nedum de provincia tanquam sua quidquam disceptent. quin etiã appellant & provocant à populo ad concilium, non minori accipientium quam provocantium de judicio metu. quocirca tantum videntur homines quantum velint, præfectorum imperium nunc pati. Quandoquidem alius restat magnus judex, quem nullum jus unquam latet, & apud quem summa cernitur atque decentissima parvi & magni, nobilis & ignobilis, pauperis & divitis, generosi & vilis, æqualitas, & quod inquit Hesiodus,

Extollit facile atque elatum deprimit idem,

judex iste atque princeps, quocunque jus eum direxerit, ut ventus navem, qui non divitem citius quam pauperem deducit, sed eũ qui contigerit, ex æquo semper adjuvat. *Encomio Romæ.*

Aristides Rhetor: Barbaros pro suo quemque ingenio vel clementius vel asperius regitis; prout hominum principes, equorum magistris cedere non decet; verum pro indole comperta, singulos gubernare. *Encomio Romæ.*

Philostratus: Vespasianum deinde nunquam vidit Apollonius, quamvis per literas sæpe accersitus, hac de causa. Nero Græciam liberam dimiserat, præclarius aliquid operatus, quam mores ejus exigerent: & civitates ad mores Atticos Doricosque redierant, & ob earum concordiam omnia florebant. verum tanto bono diutius perfrui Græciæ non licuit. adveniens enim Vesp. libertatem sustulit, & seditionibus passim concitatis, multa crudeliter iracundeque in immeritos gessit. Hæc igitur non iis modò qui talia patiebantur, verùm etiam ipsi Apollonio videbantur graviora, quam imperii mores expeterent. Quare ita scripsit Imperatori: Audio te Græciam redegisse in servitutem; atque ob hoc aliquid Xerxe plus te habere arbitraris: oblitus propterea videris minus aliquid habere quàm Nero. Ipse enim quod habebat sponte repudiavit. quippe ludens Græcos liberavit: tu autem agens seriò, in servitutem eosdẽ redigisti. *lib.5.cap.14.*

¶ Latinorum.

Annæus Florus: Plus est provinciam retinere, quam facere. itaq; per partes jam huc jam illuc missi duces, qui ferocissimas & ad id tẽporis liberas gentes, ideoq; impatiẽtes jugi, multo labore, nec incruentis certaminibus servire docuerunt. *cap.17. lib.2. loquitur de Pœnis & Hispanis.*

Idem: Sed difficilius est provincias obtinere quàm facere. Viribus parantur, jure obtinentur. Igitur breve id gaudium. quippe Germani victi magis quam domiti erant, moresque nostros magis quam arma sub Imperatore Druso susceperant. postquam verò ille defunctus, Vari Quintilii libidinem ac superbiam haud secus quàm sævitiam odisse cæperunt, &c. *capite ultimo sub finem §. secundi libri 4.*

Cl. Mamertinus: In hoc statu Gallias nactus Imperator, nimirũ habuit adversus hostem laboris atque discriminis: una acie Germania universa deleta est, uno prælio debellatum. sed emendatio morum, judiciorumque correctio, & difficile luctamen, & periculi, plenum negotium fuit. nam ut quisque improbissimus erat, ita maximè Cæsaris rebus inimicus, vitandis legum pœnis de novo scelere remedia quærebat: & quia defendere admissa flagitia non poterat, in ultorem juris invidiam congerebat. Et cum sancti Principis mores atque instituta falsarum vituperationum licentiam submoverent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant: in omnibus conventiculis quasi per benevolentiam illa jactantes, Iulianus Alemaniam domuit, Iulianus urbes Galliæ ex favillis & cineribus excitavit, &c. videatur locus *cap. 4. Paneg. dicti Iuliano Aug.*

Egesippus: Gabinius in quinque conventus Iudæam divisit, ut potestatem minueret, ex qua oriebatur potior rerum insolentia. *lib.1.cap.19. de excid. Hierosf.*

¶ Monosticha Trochaica.

In quæstum reperta tributa gravius fert provincia.
Maximo duci ne credas maximam provinciam.
Mitior præses feroci haud congruit provinciæ.
Munera imperij impigrè obeunt queis absunt injuriæ.
Municipalis & se bellis miscet æmulatio.
Ne provincia ulla detur, facere qui rectè nequit.
Non nisi improbis aquaria obvenit provincia.
Sæpe proprio cruore vincitur provincia.
Sanguine heu, provinciarum vincitur provincia.
Sunt Phrygum fines Mysumq; at arduum has distinguere.

¶ Jambica.

Longinqua regni sæpe Princeps visitet.
Mutare sedes metus & odium perpulit.
Parata peccanti est opulens provincia.
Provincia habita avare ad hostem deficit.
Provinciam plus obtinere est quam assequi.
Provinciam vires parant, jus obtinet.
Quædam tueri durius quam vincere est.
Quæras facilius, quàm teneas Provinciam.

Cetera huc spectantia petenda è titulo, Præsidis, Victoriæ, Hostis.

Proximi.

¶ Monosticha Trochaica.

Alterâ manu carere malim quàm operâ proximi.
Nulla locus est abstinere proximorum injuria.
Proximum Deo est habendum id omne quod est proximum.
Proximum qui negligit, nec res suas rectè gerit.
Proximo nocere non est propria absq; noxia.
Proximos facit, virtutum, haud sanguinis, cognatio.
Quei Deum queas amare proximum si non amas?
Si boni petis quid, a te ipso id pete: alterum haud adi.

¶ Jambica.

Nemo sibi uni vivit, ast & proximo.
Nemo sibi vult anteire a proximis.
Qui proximus Christi est, tibiq; est proximus.
Qui proximum juvat, quoq; ipsum se juvat.
Quis proximum se proximis reddit suis?
Tam proximus nemo alteri quam ipsi est sibi.
Quod membro sunt sibi invicem, hoc quisq; alteri est.
Tam proximus nulli, quam proximus tibi es.

Prudentiæ.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Cùm sit autem multiplex prudentia quæ extensa est per totum mundum, & per omnia humana, in unoquoque eorum mutat appellationem. Et cùm primis quidem causis se applicaverit, appellatur intelligentia: quando autem eam demonstrativa ratione confirmaverit, nominatur cognitio, sapientia, & scientia: quando autem versatur in iis, quæ tendunt ad pietatem, & à principio deductam absque contemplatione acceperit rationẽ, per operationis quæ est in ipsa observationem, fides dicitur: & si in rebus sensilibus id quod videtur constituerit, tanquam in his verissimum, recta opinio: & in iis rursus quæ admotis manibus fiunt actionibus, ars. Cùm autem absque primarum causarum contemplatione, similium observatione & traductione, ad aliquid agendũ impulsionem ceperit, & aliquid constituerit, appellatur experientia: cujus est proprius ille revera principalis sanctus spiritus, quem post firmam ac stabilem fidem, postremò per inspectionem assumit is qui credidit. *lib.6. stromatum.*

D. Nazianzenus: Prudentia & dementia magno interstitio disjunctæ sunt, nec minus inter utramque est discriminis, quàm inter diem & noctem. Quocirca qui virtutem amplexus est, haud mihi ab eo differre videtur, qui rem unamquamque perspicuè cernit, sursumque prospectat, clarissimæque lucis tempore iter facit. contra qui se vitio, atque omnis generis erroribus implicuit, haud absimilis est homini in profunda caligine oberranti: quippe qui cæcitate affectus sit, atque à negotiorum tenebris occæcatus. *Oratione 53.*

D. Chrysostomus: Ad res administrandas & dispensandas nihil est æquè aptum atque prudentia. prudentiam autem nihil æquè impedit atque pravitas & vitium, frausque & insidiæ. Non videtis biliosa corpora quàm sint injucunda, cũ omnis flos in eis emarcuerit? quã sint imbecilla & gracilia & inepta ad omnia? tales etiam sunt hujusmodi animæ, non est enim animæ alius morbus regius quàm vitium & improbitas. non ergo res est fortis ac valida vitium & improbitas. exemplo nobis sit Absolon, &c. *Homil.15. ad Ephes.*

S. Isidorus Pelusiota: Dominus nos prudentes ut serpentes esse jubet, vir ingeniosissime: sic nempe ut caput nostrum, hoc est fidem in Christum, in omni tentatione conservemus. Etenim quibuscũque adversis casibus ac plagis serpens prematur, incolume atque illæsum caput servat. Ac rursum arte ac versutia vetustatem exuit, in arcta quadam & angusta rima sese comprimens, ac senium deponens. vult igitur nos quoque per arctam viam & afflictionem, veterem hominem exuere, ac pro eo novum induere, qui ad ejus imaginem renovatur. *lib.1. Epist.126.*

S. Isidorus Pelusiota: Prudentia simplicitate temperata, divinam quandam rem, hoc est numeris omnibus absolutam virtutẽ parit. At si altera ab altera sejungatur, illa in perversitatem incidit, hæc in stultitiam desinit. Etenim illa ad malum aliquod patrandum apta est: hæc fraudi ac deceptioni patet. Ac propterea divinum oraculũ per unam imaginem hoc minimè declaravit: (neq; enim in iis animantib. quæ ratione carent, prudentia cũ simplicitate cõjuncta est: verũ alia improbitatẽ, alia simplicitatẽ consectantur) verùm his verbis usus est, Estote prudẽtes sicut serpentes, & simplices sicut co-

lumbæ. Hæc autem non eò spectat, ut serpentis venenum ac percutiendi libidinem imitemur (vituperantur enim Judæi, ut serpentes & genimina viperarum) nec rursus ut versutiam ac fraudem (neq; enim istud exemplum juxta omnem rationem accipitur, sed ex aliqua duntaxat parte, alioqui exemplum non esset, sed res omnino eadem:) verùm ut veterem hominem, hoc est vitium, tanquam serpentis pellem, exuamus, atque fidem quidem, ut ille caput, custodiamus, corporis autem exiguam curam geramus, cætera verò missa faciamus, atq; his columbæ simplicitatem admiscemus: non ut ipsius stoliditatem exprimamus (traducitur enim Ephraim ut stulta columba, non habens cor) verùm ut ipsius simplicitatem ab omni improbitate remotam imitemur. Quòd si ita lubet, per aliud etiam exemplum oratio nostra grassabitur. Leo vocatus est, non modò Christus, sed etiam vir justus, & diabolus: at non eadem ratione. (Ut nim antè dixi, non juxta rationes omnes exemplum usurpatur, sed juxta illam duntaxat partem, quæ instituto sermoni conducit: ac quod reliquum est jubetur valere) Christus quippe ob regiam amplitudinem, atque invictũ robur hoc nomine appellatus est. Recũbens enim, inquit, dormivit ut leo. Justus autem vir ob intrepidum animum, ac nihil periculi metuentem. Justus enim confidit ut leo. Diabolus denique ob feritatem cruorisque sordendi aviditatem. Circuit enim ut leo, quærens quem devoret. Cùm igitur ex uno animali varias imagines Scriptura sacra exhibuerint, nec tamẽ propterea speculationes confundamus; verùm cuique quod ipsi aptũ est, tribuamus, quin miraris, si Paulus luti imaginem ceperit, nõ ut voluntatis humanæ libertatem convellat, quam utiq; prædicat, verùm ut non modò ingentem obedientiam, quam vir justus meritò ad Deum habere debet, ostendat, sed eorum etiam, qui purissimam illam, atque & sermonem omnem & cogitationem excedentem scientiam insectari non dubitant, furori medeatur. *lib. 2. Epist. 175.*

❡ Latinorum.

Egesippus: Plurimum in bello prudentia valet, quæ cauta semper & perspicax incertorum providet casus. *capite trigesimo lib. 5. excidio Hieros.*

❡ Philosophorum Oratorumq; Graecorum.

Aristides Rhetor: Denique cùm solus & futura præscire & præsentibus uti potuerit Pericles, meritò prudentiæ laudem, si quis res humanas consideret, consequatur. *Oratione secunda Platonica, pro Quatuorviris.*

Hierocles. Est divinorum bonorum primum & maximum prudentia; cujus munere efficitur, cum bene in animo rationis participe stabilita est, ut recta de rebus omnibus consilia capiamus; ut mortem feramus fortiter; ut facultatem amissionem quiete atque moderatè. Potest enim prudentia mortalis vitæ huius mutationes omnes, & fortunæ, quæ ipsam sequitur, prudenter, atque intrepidè sustinere. Considerat enim rerum naturam, videtque omnia necessariò, quę ex terra, & aqua prodierũt, in eadem rursum dissolvi; nec adversus necessitatem exasperatur inmaniter; nec habet pro ignotis eorum quicquam, quib. sumus obnoxii; nec dubitat quod mortale est, interire. Novit enim fatum esse mori omnibus, & quod sit corporum nostrorum durationi tempus definitum: quo instante, non decet ægrè ferre; sed ipsum, veluti legem divinam, amplecti non repugnantes. Id enim ipsum est, quod fati nomen hoc loco significat; ut terminis quibusdam necessariis vitam mortalem hanc nobis definiri demonstret: esse autem prudentiæ proprium instituta sequi meliora; quæ haud mori nequaquam, sed vita rectè defungi postulat. Pari verò ratione nec quæ sit divitiarum natura ignorat; easq; accedere quidem aliquando, aliquando a. recedere certis quibusdam rationibus: quibus reluctari stultum fuerit. Neq; enim eorum domini sumus, quæ non sunt in nostra potestate. Non sunt autem in nostra potestate nec corpus, nec divitiæ: nec omnia denique, quæ sunt à nostra rationis participe natura separata. nec sane imperium adipisci nostræ facultatis est; neq; retinere, quamdiu volumus: sed quod in iis accedere potest, atq; recedere, id demum nostræ facultatis est, & naturæ proprium, quæ rationis est particeps; si eam non sine ratione se gerere in iis, quæ contingunt assuescamus; sed divinis contineri limitibus, quibus omnia nostra definiri convenit. Habet igitur hoc loco quod in nobis situm est, ideò potestatem maximam; quòd iis, quæ non sunt in nobis uti rectè possit; & quod istarum etiam rerum cupiditate arbitrii vires non opprimantur. Quænam est igitur prudentis judicii sententia? Corpore quidem, & divitiis, cum adsunt, rectè uti, & ad virtutis auxilium adhibere; cùm a. recedunt, nosse quid deceat, aliarumq; virtutum præsidio doloris molestiam superare. Ita enim & pietas in Deos servabitur, & justitiæ mensura, si quod rationis capax est, rerum eventis uti rectè atq; honestè didiceret; ipsaque prudentiæ decreta illis opponere, quæ fortuito, nulloq; ordine solent contingere. Alias enim minime virtus observari queat; si in natura rationis participe non insit vis aliqua, quæ rectè sentiat. Præstantiora enim, quatenus ejusmodi sunt, nec ipsa sequi poterit; sed tanquam tyrannorum vi impulsa, afficietur: nullamq;, nec vita præditorum, nec corporis etiam rationem habebit; aut facultatum distribuendarum viam, quę rectè sit, inveniet, cùm sine ratione se gerere consueverit. Vide enim ut qui omnino mortem fugiunt, aut divitias cupidè venantur, multa necessariò contra jus faciant, multa blasphement; partim quidem nefariis adversus Deum execrationibus utentes, ejusque providentiam abnegantes, ubi in ea prolapsi sunt, quæ stultè fugiebant; partim etiam aliis nullam non injuriam, aut damnum inferentes, & cæterorum omnium res in suum commodum atq; utilitatem quacumq; possunt ratione, congerere atq; vertere conantes. Atq; ita planè manifestum est in illis falsæ persuasionis damnum, quæ mala omnium maxima producit: injustitiam quidem, adversus eos, qui sunt generis ejusdem; impietatem autem adversus præstantiores.

A quibus erit ille penitus immunis, qui superioribus versibus persuasus mortem fortiter esse ferendam judicarit; neque divitiarum amissione dolendum. Sumit porrò ex istis justitiæ colendæ argumentum; cum ab alienis esse temperandum judicat: cùm nemini inferendam injuriam: cùm denique ex aliorum dannis sua non esse comparanda. Quorum nihil ille quicquam observare poterit, qui mortalem sibi esse animum arbitratur, quique sine ratione quidnam sit illud, quod in nobis moriatur; quidnam etiam, quod divitiis egeat; quidnam denique, quod virtutem colat, & eadẽ juvetur, agitare consuerit. Sola enim istarum rerum dijudicatio studium colendæ virtutis pepererit, & honestatis comparationem excitarit: ad quam, ex illo nosce teipsum; & ex illo etiam, quo sui quemque pudere præcipitur, divinus motus est. Decet enim ex nostra dignitate cæterorum etiam officia in factis atque verbis ponderare. Fuerit autem officiorum non violata ratio, si à justitia non recedatur: ideoque cæteris virtutibus ea præponitur; ut officiorum mensura existat. *cap. 14. Carm. Pythagor.*

Iulianus Cæsar: Quod vero ad prudentiam attinet, etsi dux ad eam idonea tibi egregia illa, quam sortitus es, natura, atque indoles foret; aderant nihilominus ex Romanis præstantissimi quique, qui te civili disciplina, ac solertia formarent: & rituum, atque legum, ac peregrinorum institutorum scientiam, assidua, quæ cum illius loci Barbaris inibas, colloquia comparabant. Atqui Ulyssem nobis Homerus cum omni ratione prudentem comprobare vellet, versutum fuisse narrat, & plurimorum mentes hominum perspectas habuisse, ac civitates eo consilio prælustrasse, ut ex omnibus optima quæque colligeret, possetque cum omni hominũ generi versari.

Sed huic quidem nihil ad paucos illos quibus imperabat, tanta variorum morum experientia opus erat. Eum vero qui ad tantam educaretur imperii amplitudinem, non in tugurio aliquo institui decebat, neque regnum, uti Cyrus ille quondam, per ludicrum imitari, aut æqualibus suis jus dicere; quod ab eodem factũ accepimus; sed cum nationibus, ac populis, & militum legionibus versari, imperare omninò quæ in rem essent, nihil non denique earum rerum attingere, quas ubi ad virilem ætatem pervenisset tractare pro voluntate atque arbitrio deberet. Quocirca ubi egregiè quæ apud illos essent omnia percepisti, tandem ad nos reversus Parthorum, ac Medorum gentibus ad resistendum solus objectus es. *Paneg. in Constant. Imp.*

Basilius Imperator: Summo quidem in honore & pretio apud omnes est prudentia, & ab omnibus vehementer expetitur; omnis enim eam laudant, ut bonam; sed non omnes laborant ut eam adipiscantur: quò fit ut raro qui ea præditus sit invenire possis.

Tu verò da operam, non solùm, ut eam contubernalem habeas, sed etiam siquis est qui illam teneat, ut eum tibi adjungas, in pretio habeas, & cum illo frequens nocte dieque verseris: ille enim solus animum tuum juvare plurimum poterit, & quæ tibi plerumque in angustis rebus inexplicabilia videbuntur, ea per illum, Deo juvante, expedite perficies: aut enim te prudentem esse oportet, aut uti consilio prudentum: in quibus, quasi in solio suo, Deus conquiescit. *cap. 15.*

❡ Romanorum.

Nazarius: Dolis credo, existimavit te decipi post se. sed non virtus tua de congressione quàm prudentia est de fraude securior. quis enim ad præsentiendum sagacior? quis vigilantior ad videndum? quis contemplatur præsentia acrius, ventura prolixius, ambigua certius, captiosa felicius? non hic tecum Lynceus ille certaret, qui ut poetæ ferunt, parietũ septa & arborum truncos visu facilè trajiciebat, aut etiam ille quem eadem vetustas locuta est, cum in Siciliensi specula constitisset, conspicari solitum naves quæ Africæ portum subirent, cùm prospectum hominis non aer offusus, quem crassiorem exhalatio maris faceret, non tãta disjunctarum regionum longinquitas impediret. *Orat. in Constantinum Aug. cap. 11. fine.*

❡ Poetarum.

Bias apud Ausonium.

Quod prudentis opus? cùm possis nolle nocere.
Quid stulti proprium? non posse, & velle nocere.

❡ Apophthegmatum Sacrorum.

Iacobus Patriarcha: Postquam in domo Labanis soceri per

quatuor-

quatuordecim annos serviisset, discedendi veniam impetrare conatus est. Renuenti autem Labani & mercedem pro futuris laboribus offerenti, Jacob dixit, Tu novisti quomodo servierim tibi, & quale fuerit pecus tuum apud me. Nam exiguum erat quod habebas ante me: erupit autem in multitudinem, quia benedixit Jehova tibi ad illatum pedem meum: jam verò quando operabor ego similiter pro domo mea? *Gen. 30. 29.*

Idem. Audiens Esauum fratrem suum cum quadringentis viris obviam sibi procedere, timuit & humili prece ad Deum concepta de placando fratre, quem sibi infensum esse putabat, cogitans, greges ovium, caprarum, &c. munera ei mittenda tradidit in manus servorum, & quemque gregem seorsim, edixitque servis suis, Transite ante me, & spatium interponite inter greges alios ab aliis. Præcepitque primo servo dicendo, Cùm occurrerit tibi Esau frater meus, & interrogaverit te dicendo, Cujus es? & quò abis? & cujus sunt ista? tu dicito, Sum servi tui Jacobi, hoc est præmissum munus pro Domino meo, pro Esauo: atque ecce etiam ipse Jacob post nos. Idem præcepit etiam secundo, etiam tertio, etiam omnibus qui procedebant post greges illos, dicens, in hanc sententiam alloquimini Esauum, cùm inveneritis eum: tandem dicite. Etiam ecce servus tuus Jacob post nos. Dicebat enim Jacob, Placabo vultum ejus hoc munere quod procedit ante me, ut postea aspiciam vultum ejus, fortassis suscipiet vultum meum. *Genes. 32. 17. 18. &c.*

Idem. Dinæ raptum quum Simeon & Levi fratres ejus crudeliter punivissent, interfectis Chamore, Schecemo & maribus civitatis eorum, abacta etiam ingenti præda, dixit Iacob ad Simeonem & Levin, Perturbastis me, faciendo ut fœteā apud incolas regionis hujus apud Cenahanæum & Perizzæum: cumque ego sim hominibus paucis instructus, si congregentur adversum me ut percutiant me, excindar ego & familia mea. *Genes. 34. 30.*

Moses Dux Israelitarum. Mittens Moses jussu Dei duodecim viros ad explorandum terram Cenahani, edixit eis, Ascendite hac in meridiana plaga, & conscendite istum montem. Tum considerabitis terram illam qualis sit, & populum qui habitat in ea, utrum fortis sit an debilis, utrum paucus sit an multus: & qualis sit ea terra in qua habitat, utrum bona sit an mala: & quales civitates illæ in quibus habitat, utrum in castris an in munitis locis: rursus qualis sit ipsa terra, utrum pinguis sit an macilenta, utrum sint in ea arbores nec ne: confirmate itaque vos ut accipiatis de fructu illius terræ. *Num. 13. v. 17. &c.*

Salomon. Dicit *prudentiam* versari in mediis quærendis, Eccles. 10. 10. Prov. 18. 15. *Eius laus*, Prov. 13. 15. *Vtilitas*, Proverb. 9. 12. & 16. 22. & 17. 2. & 19. 2. 8. & 20. 5. & 21. 16. *Omnia sunt per eam gerenda*, Proverb. 13. 16. *Tempus proprium spectat*. Proverb. 13. 12. & 15. 23. & 16. 21. & 26. 11. & 30. 32 Eccles. 3. 1. usque ad 9. & 8. 6. 7. *Bellis utilis est*, Proverb. 20. 18. & 24. 5. 6. Eccles. 7. 2. & 9. 18. &c. *Attendit rei suæ, neque est curiosa*, Eccles. 10. 2. Proverb. 16. 17. & 17. 24. *Pericula prospicit & vitat*, Proverb. 22. 3. & 27. 12. *Diffidit de se ipsa*, Proverbior. 28. 14. *Improbi prudentes esse non possunt*, Proverbior. 24. 7.

Ester regina. In altero convivio, regi Assuero urgenti Ester coram Hamane Iudæorum hoste postulatum suum tēpestive exponit, pro sua & populi sui incolumitate, dicens, *Si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & si apud regem bonum videtur: concedatur mihi vita ad postulatum meum, & populus meus ad petitionem meam. Nam venditi sumus ego & populus meus, quos perimant, interficiant, & perdant: quod si in servos & ancillas venditi fuissemus, siluissem: sed non est iste hostis utilis, damnosus est regi.* Petente autem rege, quis est iste, & ubi iste est, quem provexit eò audaciæ animus ipsius, ut faceret ita? dixit Ester, *Vir hostis & inimicus Haman pessimus, iste est.* Inde Hamanis supplicium, conjuratorumque illius clades, & populi Iudaici liberatio. *Vide Estera cap. 7. 8. & 9.*

Iudas Macabaus. Eximia prudentia & fortitudine à Dei Spiritu indutus, strategemate insigni hostiles copias vitans, & castra inimica aggressus, videns milites suos ob gentium numerum & multitudinem armatam & belli peritiam trepidantes, dixit eis, Ne timeatis multitudinem istorum, & impetum istorum ne formidetis: mementote ut servati sunt majores nostri in mari rubro, quando persequebatur eos Pharao instructus copiis. Nunc ergo inclamemus Deum cœli, si miserebitur nostri, & recordatus fœderis majorum conteret castra ista hodie in conspectu nostro: ut cognoscant omnes gentes, esse qui liberet & servet. Hostibus autem fusis fugatisque, reversus Iudas & copiæ ejus, à persequutione illorum, edixit populo, Ne concupiscatis spolia, hostes enim sunt ex adverso nostri: sed state nunc contra inimicos nostros, & expugnate illos: postea verò liberè spolia illorum capite, &c. *1. Macab. 4. 8. &c.*

Ionathan Macabaus. A Bacchide & copiis multis obsessus, dixit suis, Surgamus jam, & pugnemus pro nobis ipsis: non enim est hodierno die, ut antehac. Nam ecce bellum imminet ex adverso nostri, & à tergo nostro, aqua verò Iardenis hinc & inde, palusque & saltus: non est declinandi locus. Nunc ergo inclamate Deum cœli, ut servemini à manu inimicorum. Tunc commissum est prælium, & Ionathan cæsis mille hostibus, incolumis cum suis militibus evasit. *1. Macab. 9. 44. &c.*

Simon Macabaus. Senex factus duos filios suos majores natu accersens dixit eis, Ego & fratres mei paternaque domus mea gessimus bella Israelis à juventute ad hodiernum usque diem, & prosperè successit manibus nostris ut liberaretur persæpe Israel. Nunc autem consenui: vos verò ad hoc officium idonei estis. Estote loco meo & fratris mei, & procedentes pugnate pro gente nostra: auxilium autem à cœlo adesto vobis. *1. Macab. 16. 2 3.*

D. Augustinus. Servandum in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in institutis sanctæ memoriæ Ambrosii compererat, ut uxorem cuiquam nunquam posceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in sua patria petitus iret ad convivium: de singulis rebus præstans causas ne dum inter se cōjugati casu jurgarent, & eum maledicerent per quem conjuncti essent. Sed planè ad hoc sibi jam illis consentientibus petitum interesse debere affirmabat sacerdotem, ut vel eorum jam pacta & placita firmarentur, vel benedicerentur. Et ne militiæ commendatus suam culpam malè agens suffragatori tribueret. Et ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus, temperantiæ amitteretur modus. *Possidonius, in vita Augustini, cap. 27.*

Constantinus Imperator. Multi ex numero Sacerdotum qui ad Concilium Nicenum accesserant, non ut hæresin Arii refutarent, sed tanquam ad causas suas ac privatas disceptandas, tempus opportunum sibi jam oblatum putarunt, ad res corrigendas quæ ipsorū animos offendissent. Itaque singuli libellum de criminibus quæ aliis objicerent, Imperatori Constantino offerre, & peccata jam ante in se admissa exponere cœperunt. Cùm autem istud in dies fere singulos accideret, dat mandatum Imperator, ut singuli crimina quæ aliis objicere constituerant ad certum diem proponerent. Ubi dictus dies venit Imperator oblatis sibi libellis acceptis: Istæ, inquit, criminationes tempus quidem sibi præstitutum habent, diem videlicet magni judicii: judicem autem, qui sit tum de omnibus sententiam pronunciaturus. mihi verò non est fas, cum homo sim, ejusmodi causarum cognitionem arrogare: præsertim cùm & qui accusant & qui accusantur sacerdotes sint. Nam non deberent se tales præbere, ut ab homine judicentur. Age igitur, deletis criminibus, exemplū divinæ clemētiæ in dāda mutuò venia imitati, jungamus amicitiæ fœdera: & fidei negotia quæ nos in hunc locum venire cōpulerunt, seriò pertractemus. Hac habita oratione, Imperator jubet tū criminationes illatas nullius esse momenti, tum libellos cōburi: diemque constituit, ad quem de rebus fidei vocatis in controversiam decideretur. *Sozom. eccles. hist. lib. 1. c. 16.*

Olympias. Ad Præfecti Constantinopoli tribunal, quum Olympias diaconissa, eximiæ pietatis mulier, traheretur, atque illo interrogante, quid ita tandem Christianorum ædem sacram incendisset? composito placidoque animi statu illa: Non hoc, ait, ô Præses, vitæ meæ institutum est. Substantiam enim, quod ipse quoque nosti, meam non exiguam, ferè omnem ei sacrorum fanorum structuræ insumpsi. Ubi verò ille subobscurè se illius vitam scire significaret, Olympias, Proinde judicis munus, inquit, relinque, accusatorisque personam sume, & alius nobis detur judex. Et quum ad alias accusationes vanas præfectus decurreret, Olympias iniquum esse dixit, eā quæ publicè per calumniam traducta & in judicio de crimine objecto non convicta esset, ad alterius rei, quæ in crimen atque judicium non venisset, causam dicendam pertrahere velle. Quod si tibi, inquit, videtur, jube me patronos producere criminum eorum quę proximè mihi sunt intentata, &c. *Nicephor. eccles. histor. lib. 13. capit. 13.*

Sebastianus comes. Fuit in comitatu aulico regis Genserici quidam comes Sebastianus, gener Comitis Bonifacii, illius, qui Vandalos in Africam pertraxerat, consilio & viribus domi militiæque valens. Hujus prudentiam suspectam habens tyrannus, cùm per insidias non liceret, religionis prætextu eum tollere decrevit, & obnixè ab eo petiit, ut Arianam hæresin profiteretur. Cui Sebastianus per parabolam respondit, his verbis: Veluti panis similagineus, ut regiæ mensæ esset dignus, excussa furfurum crassitie, & admixta similageneæ massæ conspersione per ignem transivit & aquam: ita ego quoque mola verbi Divini in Ecclesia comminutus, & pœnitētiæ excerniculo purgatus sum, & sacri baptismatis undis cōspersus, & ignibus sancti Spiritus coctus, Christianus ut fierem. Si igitur panis iste iterum in minutissimas partes comminutus, undaque conspersus denuo pinsetur, meliorque efficiatur, faciam quod tibi tuisque visum fuerit. Rex nihil quidem quod cōtradiceret habuit, sed paulò post alio commento eum sustulit. *Victor, libr. 1. historiæ Vandalicæ.*

Anonymus. Eremita quidam exagitabatur libidinosis cogitationibus, imprimisq; illi pulchritudo alicujus notæ sibi fœminæ mēte continuò obversabatur. quibus impressionibus quum vix resistere posset, ab alio Eremita fortè cognoscit, illam fœminam ante plusculos dies esse mortuam. Hoc cùm ille cognovisset, contulit se noctu, ubi ea esset humata, & reserato sepulchro pallio suo detersit saniem putrefacti cadaveris: mox reversus in eremum, & ingruentibus impuris suggestionibus fœtorem illius infecti pallii intuitus est, subjiciens, *Ecce, habes desiderium quod quærebas, satia te ex eo.* Et ita hoc fœtido panno cruciabat semetipsum, donec recederent istæ libidinosæ cogitationes. *Ex Vitis Patrum recenset D. Philippus Camerarius, meditat. hist. c. 12.*

Lupus episcopus. Trecensis seu Tricassinæ (vulgò *Troys en Champagne*) antistes divus Lupus, habitu indutus pontificali, cum multitudi-

titudine cleri, Atilæ à pugna Catalaunica reliquas Galliæ urbes eversuro advenienti fit obvius. Et facta salutatione interrogat Atilam, Quisnam esset qui tot regibus devictis cuncta vi sibi subderet? Cui Atila, Ego, inquit, sum rex Hunnorum, flagellum Dei. Tum Lupus ingemiscens, Et ego Lupus vastator gregis, dignus flagello ejus, cui quis resistet, quo minus in quos volet sæviat? Veni igitur, Dei mei flagellum, quò libet proficiscere: omnia tibi, ut Dei ministro, me non repugnante patebunt. Jubet inde portas urbis reserari, ac Atilam (frænum equi honoris causa manu tenens) summa veneratione introduxit. Qui sive humanitate ductus episcopi, sive Dei voluntate, sine ullius cæde & detrimento, per urbē mediam cum omnibus suis copiis progressus, altera urbis parte egressus est. *Olahus cap. 9. in Atila. Marull. libr. 5. cap. 2. Aventinus lib. 2. hist. Boiorum.*

Fridericus elector, & Ioannes Saxoniæ duces. Duces Saxoniæ fratres, Fridericus elector, & Joannes, in Albi à Torga Vvitebergam navigarunt, cùm recens soluta glacie magnæ moles congelatæ Albi innatarent. Hæ navim utrimque quassarunt, ut cum Vvitebergæ in ripam, vicinam arci, egressi essent, carina navis mox latè finderetur, & latera, resoluta deciderent. Intuentur id spectaculum principes stantes in ripa, cum magna admiratione cogitantes, quātò in periculo fuerint, & agnoscentes divina ope navim servatam esse integram, donec ipsi inde egressi essent. Tandem post longum silentium, inquit dux Fridericus ad fratrem, Fateamur, nos divinitus servatos esse, atque grati beneficium divinum celebremus, qui nos & in hoc periculo & in aliis protexit. Quod autem nobis egressis navis dilaceratur, profectò metuo post nos nostræ navis, id est, domus Saxonicæ, dilacerationem. Hanc sagacem conjecturam eventus comprobavit, Sleidano teste. Historiam autem & scitè dictum recitat. *D. Caspar Peucerus in Commentario de divinationum generibus.*

§ Apophthegm. Christianor.

Petrus Aldobrandinus Card. Nullum numen abest, si sit Prudentia, inquit Juvenalis. Cujus intuitu sciscitanti quandoque, *quænam esset vitæ magistra*, respondit Cardinalis Aldobrandinus; *Prudentia. Soli*, inquiens, *Prudentiæ alumni ad rectè vivendum idonei sunt.* Facit enim illa (ut habet Claudianus) ne quid inconsultus agas. *Henricus Farnesius suprà de Apophthegm. Princ.*

Idem: Cùm præteritorum malorum jam quasi obducta cicatrix recrudesceret, & refricaretur admissi sceleris in imperando memoria, rogatus quomodo rectè Respub. gubernari possit; respondit: *Vna est rectè gubernandi ars, sine qua nec regere quis potest, nec regi: Prudentia. Ibid.*

Idem: Interroganti, *Quid maximè timet vir prudens? Res*, inquit, *fortuitas.* Significabat autem, prudentis non esse, inanibus honorum aut cupiditatum blandimentis seduci. *Ibidem.*

§ Monosticha Trochaica.

Casuum vitare fluctus, est opus prudentium.
Est miserrima è periclis nata cui prudentia.
Fortitudo ævi est virentis; at senum prudentia est.
Multa audire, videre multa, progenerat prudentiam.
Nil potest prudentia absq; præsidio potentiæ.
Pervicacia undiquaq; pejor est prudentiâ.
Simplicitate temperata, dia res prudentia est.
Vita longa, multus usus, procreant prudentiam.
Vnius toto vel orbi serviat prudentia.

§ Jambica.

Audaciam seni excutit prudentia.
Etiam in ratione carentibus prudentia est.
Malis bene uti, nervus est prudentiæ.
Mensura justitiæ optima est prudentia.
Natura nunquam verba dat prudentibus.
Nil dulcius profectò homini prudentia.
Nil non potest Robur junctum Prudentiæ.
Non ficta magnus est Deus prudentia.
Non omnis aptus est locus prudentibus.
Peccata saltem homini ingenerant prudentiam.
Plus proficit valentiâ prudentia.
Præcepta non desiderat prudentia.
Prudens nequit falli, nequitque fallere.
Prudentis auro dignius commercium est.
Prudentia homini murus est ahenens.
Prudentia rarè est ubi potentia.
Prudentia omni melior fortitudine.
Prudentiæ omnis vita fit suavissima.
Prudentia una ad omnia inexpugnabilis.
Prudentium fidele testimonium est.
Reverà oculus mentis nostræ prudentia est.
Sine ratione nil agit prudentia.
Verâ nihil lucrosius prudentiâ.
Vix quæritur longo absq; usu prudentia.
Vnicuiq; sua Deus prudentia est.

Publicani.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Polybius: Vectigalium jus & arbitrium est penes Senatum. nam & diem proferre potest, & si quæ intervenerit calamitas, mercedum parte publicanos relevare: aut si quis casus impedierit quo minus exitum res habere posset, locationem rescindere. *lib. 6. Historiarum cap. 15.*

Romanorum.

Livius: Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque prædiorum rusticorum tolli placebat. nam neque sine publicano exerceri posse: & ubi publicanus est, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse: *libro 45. cap. 18.*

Quintilianus Senior: Adversus quales homines vectigal conduximus, & precio vicimus? quamvis pœna sit, quamvis in commissum veniant ea, quæ quis professus non est, tamen fallere nos volunt, tamen mille artibus circumscribimur. quota quæque pars est quæ deprehendatur? *Declamat 341. a. f.*

Corn. Tacitus: Publicanis jura extra ordinem reddita à prætore, &c. *lib. 13. Annal. cap. 51.*

Suetonius: Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit: ac ne in locatione novorum vectigalium immoderatius licitarentur propalàm monuit. *in vita Iulij Cæsaris capit. 20.*

Io. Sarisberiensis: Publicanorum omnium à maximo usque ad minimū cætus, concussioni nunc potius quàm justitiæ vacat; & ita in populum debacchatur, ut quod reliquit unus, alii non morentur auferre; ac si juxta conquestionem propheticam ad hoc instituti sint, ut residuum locustæ comedat bruchus. Et ut eis sit major licentia nocendi, unus in se plura coacervat officia, ut quod ab uno non accepit beneficio, tollat ab alio. *cap. 1. Policratici lib. 6.*

Io. Sarisberiensis: Ait B. Laurentius, Mediolanensis Episcopus, Quid est publicanus? Nonne caput rapinæ, & lex violentiæ? Quid est publicanus? Prædo sine pudore, medicus exterminii. Nonne immanior est finibus publicanus? Fur namque vel timens furatur: hic autem delinquit confidenter. Fur laqueos legis timet; hic quicquid fecerit, legem putat. Lex furem deterret ab illicitis; hic ad iniquum malitiæ suæ compendium, legem trahit. Quis eo iniquior, qui verbis justitiæ justitiam damnat, & armis innocentiæ, spoliat, vulnerat, occidit innocentes? Lege utique legem perimit, & dum alios urget ad legem, exlex est. Nam sicut prætor etiam cum inique decernit, jus dicit, habito tamen respectu non ad quod facit, sed ad id quod facere debet; sic & publicanus etiam cum delinquit, jus videtur implere, habita tamen officii non malitiæ ratione. Sed quid est officium publicani? Luca referente didicimus, quia publicani venerunt ad Johannem, ut baptizarentur ab eo. & dixerunt, Magister quid faciemus? Respondens autem dicebat illis: Nihil amplius quam quod constitutum est vobis exigatis. Ecce officium publicani exigere & recipere quod statutum est. Quicquid autem amplius est, à morbo exigentis est & accipientis, non præbentis. Hoc autem ad omnium magistratuum officiales porrigitur, ut ab eis nihil amplius exigatur. Apparitores itaque licenter exigunt, quod eis debetur ex sportulis, & omnium stratilatum ordines, salarium constitutum justè accipiunt. Concutere tamen & vexare non licet ut extorqueantur & munera. *lib. 6. Policratici cap. 1.*

Videantur plura titulo, Tributi, Vectigalis.

Publici.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Isidorus Pelus. Generosus ille Paulus, præstantissimus inquam ille dux, qui regis electioni minimè decori fuit, atque ut nihil omnino aliud quàm Ecclesiæ utilitatem ob oculos propositam habens, privata commoda negligebat, & aliorum errata corrigebat, omnia ad Ecclesiæ ædificationem fieri oportere clamabat. Nos contrà, (ut qui gloriam nostram spectemus,) id quod nostris rebus conducere videtur, Ecclesiæ utilitati anteponimus. Atqui Ecclesiæ gloria omnino ad nos quoque redundat, nostra autem non omnino ad commune commodum transit. Nam si, ut nosipsos commendare videamur, proximorum ædificationem nihili pendamus, an non jactura lucrum superabit? *Lib. 3. Epistol. 25.*

Dio Prusæus: Hoc tantum præmitto, mihi convenire videri, ut omnia in vita juste & honeste gerantur, & maxime qui publice quippiam faciunt, non eò solum quod publica magis quàm privata conspicua sint, si qua gerantur inconvenientia: verum etiam propterea, quod privatorum delicta non confestim demonstrent

strent civitatem esse viciosam, ex iis vero quæ publicitus non eo quo convenit modo geruntur, necesse est & civitatem & singulos videri flagitiosos. Quales enim fuerint plures in populari gubernatione, tales etiam videntur publici esse mores: quæ enim his placent, obtinent videlicet, non alia. Maxime vero dico ego familiare esse bonis, ut honestissimis gravissimisque attente utantur. Nam apud quos talia negliguntur, ibi & pravitas quædam civitatis declaratur, nihilque aliarum rerum commode geri potest. *Oratione 31.*

Arrianus: Si Cynicus esse cupis, primum tuis in rebus non amplius te tui similem esse oportet, nec quicquam eorum facere quæ nunc facis. Non incusandus Deus, non homo, appetitus tibi plane auferendus est: aversatio ad ea sola quæ nostri arbitrij sunt transferenda: non te iracundum esse decet: non indignabundum, non invidum, non misericordem: puella pulchra tibi videri non debet, non gloria, non puellus, non placentula. Illud enim tenendum est cæteris hominibus, parietes, ædes & tenebras esse, si quid ejus generis agant, & multas celandi rationes. Alius claudit januã, collocat aliquem ante cubiculum: qui, si quis venerit, dicat eum domi non esse, non agere otium. At Cynico istarum rerum omnium loco est verecundia, nisi forte nudus & sub dio turpiter facere velit. Hæc domus illius est, hæc janua, hi cubicularij, hæ tenebræ. neque enim velle debet suarum rerum quicquam occultare. Alioqui abiit, & Cynicum amisit, illum sub dio agentem, illum liberum: cœpit aliquid eorum quæ foris sunt formidare: cœpit egere occultatione, nec cum vult potest. Ubi enim se occultabit, & quomodo? Si vero publicus ille institutor, pædagogus ille forte aliquod facinus admiserit: quæ nam eum perpeti necesse erit? Hæc ergo formidantem qui fieri potest toto animo confidere & omnibus aliis præesse? Nulla ratio id sinit: fieri nullo modo potest. Primum igitur tuus animus tibi repurgandus est, & illud vitæ institutum. *lib. 3. cap. 21.*

Libanius: Absit ut condonetur ulli, qui ob domesticarum rerum curam, in reipubl. statum intuens, periculum imminens despicit. *Declamatione 29.*

¶ ROMANORUM.

Vellejus Paterculus: Livius Drusus, cum ædificaret domum in Palatio, promitteretque ei architectus, ita se eam ædificaturum, ut libera à conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset, neque quisquam in eum despicere posset: Tu verò inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam ab omnibus perspici possit. *lib. 1. cap. 14. fine.*

Seneca: Tunc felicem te esse judica, cùm poteris in publico vivere; cùm te parietes tui tegent, non abscondent; quos plerumque circumdatos nobis judicamus, non ut tutius vivamus, sed ut peccemus occultius. Rem dicam ex qua mores æstimes nostros: vix quemquam invenies qui possit aperto ostio vivere. Ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit. sic vivimus, ut deprehendi sit, subitò adspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum auresque vitare? bona conscientia turbam advocat; mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cùm tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem. *Epistola 43. fine.*

Tacitus: Eodem anno gravibus senatus decretis libido feminarum coercita: cautumque ne quæstum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus, eques Romanus fuisset. nam Vestilia, prætoria familia genita, licentiam stupri apud Ædiles vulgaverat: more inter veteres recepto, qui satis pænarum adversas impudicas in ipsa professione flagitii credebant. *cap. 85. lib. 2. Annalium.*

Corn. Tacitus: Publicum bonum postponitur usui privato. *lib. 6. Annal. cap. 16. lib. 1. histor. cap. 12. & 33. & 90.*

Idem: Publicum bonum impeditur simultatibus privatis. *lib. 13. Annal. cap. 55. lib. 14. cap. 38.*

Tacitus: Publicis malis haud abutendum ad occasionem odii privati. *lib. 15. Annal. cap. 73.*

Symmachus: Dicet aliquis, sumptum publicum denegatum alienæ religionis impendiis. Absit à bonis Principibus ista sententia, ut quod de communi quibusdam tributum est, in jure fisci esse videatur. Nam cum Respul. de singulis constet; quod ab ea proficiscitur, fit rursus proprium singulorum. Omnia regitis: sed suum cuique servatis, plusque apud vos justitia quàm licentia valet. Consulite certè munificentiam vestram, an hæc publica velit existimari quæ in alios transtulistis. Semel honori urbis delata compendia desinunt esse tribuentium; & quòd à principio beneficium fuit, usu atque ætate fit debitum. *lib. 10. Epist. 54. f.*

¶ POETARUM.

Plautus Rudente 2. sc. 7.

Obsecro hospes, da mihi aliquid ubi condormiscam loci.
S. Istic ubi vis condormisce; nemo prohibet: publicum est.

¶ EMBLEMATUM.

Camerarius L X V I. Centur 3.

Nos alijs. *Aves Seleucidæ locustas devorantes.*

Qui prodesse alijs studet, is sua commoda spernat,
Ne pereat turpi gloria pulchra lucro.

Intus canere odiosum. Embl. LIX.

Dum sibi concentus Aspendius edit, ubiq;
Spernitur, & populo displicet iste sonus:
Omnibus inservire decet; Prudentia vera est
Publica privatis præposuisse bonis.

Flor. Schonhovius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Alteri vivas oportet, si tibi vis vivere.
Charitas nati utilitati posthabenda publicæ.
Civium privata si res, etiam opima publica est.
Commodi dulcedo privi sæpe mala aluit publica.
Conferas vitam universam ad commune publicum
Cuiq; privata est stimulatio; vile publicum est
Dedit omnes rei privatæ: nemo curat publicum
Differunt tuta omnes; paucis publicum curæ est decus.
Gentis excidium, malis male opponas domesticis.
Gratiâ, eheu, cur privatæ publicum cedit bonum?
Imbecilliora gesta sunt privata publicis.
Male privata obstat voluptas utilitati publicæ.
Negligenda res privata est ob salutem publicam.
Nemini admodum sunt curæ, publicè quæ commodant.
Nemini non sis amicus bene merenti publicè.
Noxium puta privatim publico quidquid nocet.
Perdit & privata, si quis negligens in publicis.
Privatim esto alienum quidquid insalubre publico est.
Privati bonum cujusq; continetur publico.
Publicæ rei damnosus, singulis quoq; efficit.
Publicæ securitati malè privatam præferas.
Publicè admittenda non sunt, quæ privatim carpimus.
Publicum bonum privatim etiam unicuiq; est usui.
Publicum bonum simultas usq; privata impedit.
Publicum bonum spectare semper vir probus solet.
Publicum cura ut privatum; eo ast ut alieno abstine.
Publicum malum è privata nascitur dementia.
Publicum qui tractat hodie, demetit messem auream
Publico privata rixa proditur in certamine.
Publico suis velit quis inservire impendijs?
Publica à populo occupari quàm à paucis præstat bona.
Qui bono vivit alieno, vivit præcipuè & suo.
Qui de publico bene, bene meretur & de singulis.
Qui de publico male, male meretur & de singulis.
Qui se subtrahit, juvet ne publicum, verè est malus.
Quis suam nolit salutem posthabere publicæ.
Quodq; ab omnibus fit, passim pene scitur ab omnibus.
Rebus optime est privatorum: optime est & publicis.
Serviendum est non tuæ, verum utilitati publicæ.
Si male est rei privatæ, publicæ rei haud bene est.
Tanquam alienis abstinendum rebus est à publicis.
Turbidos & appetentes Stoa publici facit.
Turpius probo privatim cadere quàm vel publicè.
Væ regno illi, ubi privata præferuntur publicis.
Vita talis privatorum est, qualia studia publica.
Usui bonum privato publicum postponitur.

¶ JAMBICA.

Augent suum mali, boni augent publicum.
Esse incipit crimen licitum quod publicum est.
Etiam scelus nocet privati publicè.
Grande est nefas optare cladem publicam.
In publico secare ligna, noxium est.
Nil fœdum in uno est; quod genti sua publicũ est.
Non negligit bonum bonus vir publicum.
Perdit suas res, publicas qui negligit.
Plus quisq; publico utitur, quam de suo.
Potiora sunt sano privatis publica.
Privata non servat qui prodit publica.
Privata perdit publicum qui negligit.
Privata quivis anteponit publicis.
Privata quis non prætulit reipublicæ?
Privata vita multa velat crimina.
Privata vita publicâ securior.
Quis non suam rem agit magis quàm publicam?
Quis non timoris tempore timeat publici?
Rectum atq; justum est ex usu quod publico est.
Viri optimi est spectare lucrum publicum.

Pudicitiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Ac pudicitiæ quidem laude adeo excelluit, ut idem simul & amabilissimus & castissimus esset: quæ duo haud facile in unum concurrunt. *Oratione decimanona, in funere patris.*

D. Nazianzenus: Qua fronte pudicitiam exigis, quam ipse vicissim non præstas? quomodo quod non das petis? quomodo vir corpori pari honore prædito imparem legem statuis? *Oratione tricesimaprima.*

D. Chrysostomus: Fieri potest ut quis pudicitiam præstet, non tamen id Dei metu faciat, sed inanis gloriæ studio ductus. *Homil. 13. ad Corinth. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Etsi callidè ac singulari artificio Ægyptia mulier cupiditatis ac libidinis vela expanderat, laqueumque, ut adolescentem caperet, statuerat, atq; & per oculos eum velut præstigiis quibusdam ludebat (tragicum enim in modum corpus adornabat) & per aures eum deliniebat (nam ei per aures quoque nullum non tentationis genus admovebat) & per odoratum concutiebat: pretiosissima enim unguenda spirabat: & per tactum titillabat: nam retinebat ipsum: & per gustatum quidem extimulabat (verisimile est enim eam priùs etiam quàm retia sua explicaret, luxum ei adhibuisse, & si non ut amato indulgentem, at certè ut hospitem ac peregrinum miserantem) ac denique per promissa demulcebat, ac velut quibusdam veneficiis inficiebat (se enim eum domini loco habiturum pollicebatur:) tamen frustra ipsi cessit hæc venatio. Ac Ioseph castitatis fructum colligebat, non illum quidem sine labore, ut nonnulli arbitrantur (non enim adversus eam duntaxat, sed etiam adversus juventutis florem, nitentem & exilientem, ac muliebrem congressum appetentem, ipsi certamen erat: ipsa autem victoriæ folia habere videbatur, habere inquam videbatur: etenim apud synceras aures hoc quoque muliebris petulantiæ ac lasciviæ argumentum erat. Nam ei quæ, ne sibi vis afferatur, metuit, hoc ei minimè studio est, ut insuper etiam illius, qui vim affert, vestem eripiat: verùm præclarè secum agi putat, nec optatius quicquam habet, quàm ut vim effugiat. Verùm ipsa libidine temulenta, lasciviæ suæ notas pudicitiæ argumenta esse ducebat. Quocirca etiam, ut opinor, dominus accusationem quidem, ob eam fortasse quam uxor habebat, castitatis existimationem, admisit (nam alioqui cognitum & exploratum habebat, quã facilè mulieoris natura hoc affectu caperetur, ac præsertim cum pulchritudinis, quæ robustos etiam homines plerunque subigit, aculeis incitatur) ipsum autem ne ullo quidem verbo ad eum habito (quod nonnulli reprehendunt) in vincula conjecit: non barbaricum facinus, ut quidam opinantur, perpetrans (nam alioqui ipsum etiam obtruncasset, aut certè, hujusmodi crimine necem afferente, legibus tradidisset) verùm, ut à vero non abludit, illud fortasse cogitans, eam ipsius amore ad insaniam usque correptam, nec ea re, quam captabat, potitam, hujusmodi accusationem instituisse: quòd si loquendi potestatem ipsi faceret, eum non modò illatum sibi crimen dissoluturum, verùm etiam in ipsam accusatricem retorturum. Imò verò, ut quod verius est dicam, pudicitiæ arbiter & viri iracundiam sedavit, & castitatis columnam posteris erexit, & fratribus fame laborantibus nutricium servavit, & Ægypto præfectum designavit. *lib. 2. Epist. 236.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum pudica mulier, castitatis notas in facie gestans, eorum, qui impudicos in eam oculos conjiciunt; expectationes castigatas reprimit: eodem modo pudica anima virtutis tesseras in sensibus ferens, eorum, qui ipsius pulchritudinem corrumpere cupiunt, spes excindit. Quisnam enim hujusmodi oculum suavitate & ingenuitate temperatum conspiciens, propiùs accedere audeat? Quisnam autem linguam, quæ honestatis & gravitatis delubrum sit, intuens, non sibi aditum omnem ad congressum venereum interclusum arbitretur? Quisnam denique reliquos sensus virtutum instrumenta esse animadvertens, præposterum consilium dare minimè pertimescat? Quocirca vos quoque, ô leonis mihi chari nobiles fœtus, ita vos conservate, ut iis familiaritatibus nullus omnino ad vos aditus pateat: quò & vestram, & paternam gloriam augeatis. *Lib 3. Epist. 287.*

¶ LATINORUM.

Zeno: Pudicitiam qui colit, quantæ nobilitatis sit, facillimè cognoscit: est enim tantæ virtutis, ut sit honorabilis etiam hostibus suis. Hæc totius humani generis fundamenta confirmat: hæc nominum proprietates universis affectibus præstat: hæc parentum, conjugum, liberorumque sacra jura custodit: hæc in utroque sexu conspicua, in omni ætate miranda, in quavis conditione non dubia, solo sibi devota, semper benè conscia, prorsus nulli rei subjecta unum tantummodo metuens, ne sit ampliùs, quàm vocatur. Denique in solitudine, quæ à metuentibus vocatur occasio, se tanquam arbitrum timet: omneque secretum plus, quàm publicum reveretur. Pestiferas odit blanditias carnis inimicæ: & quicquid ingesserit mundus voluptatis, aut muneris, totum respuit, præsumens totum se habere, si pura sit. Neminem fœdè desiderat: nec ulli similiter se desiderabilem præstat. In suo statu omni loco, omni tempore manet, plus honestati consulens, quàm utilitati. Vultis scire quantæ felicitatis sit? Si te amet, qui habet, diligit: & qui non habet, diligit. *Sermone de Pudicitia.*

Zeno: Beata cùm alludit in pueris: beatior, cum adolescentibus lapsus feliciter timet: beatissima, cum in juvenibus carnalia extinguere laborat incendia. Sane in senibus ut est honoranda, ita miranda non est: quia licet sit victrix, tamen triumphi sui palmam senectutis cum vigore partitur: cessat enim concupiscentiæ pugna, ubi subcrebrescẽtibus morbis ipsa necessitate etiam impudicorum pudica sunt membra. *Serm. de Pudicitia circa medium.*

Zeno: O quantum es miranda pudicitia, quæ aliter laudari te non vis, quàm ut custodiaris, solo bonæ conscientiæ ornamento contenta. Tu in virginibus felix: in viduis fortis: in conjugiis fidelis: in sacerdotibus pura: in martyribus gloriosa: in Angelis clara: in omnibus verò regina. Tu nunquam carni, nunquam ulli subjaces legi. De voluntate nasceris, sed bono puritatis voluntatem ipsam paris: quia voluntas fit voluptas postmodum tua, cum per eam quotidie tricenos, sexagenos, centenosque colligis fructus. Tu in pauperibus dives, in divitibus ditior, æqualis in omnibus consumatis. Tu es honor corporum, tu thesaurus animarum. Tu fundamentum, culmen, ac fructus omnium coæquarum. Tu tui propositi insolubilis nodus æternus. Per te legitima jejunia celebrantur, per te allegatæ priusquam fundantur, acceptantur preces. Tu es sacrificium Deo carum, tu legitimum Dei templum: sacrarium pudoris. Te corruptio intrare non novit. Per te seculum vincitur: concupiscentia omnis eliditur: diabolus subjugatur: Antichristus non timetur: Spiritus sanctus inducitur: glorificatur Christus: Deus pater omnipotens propitiatur. Postremo ille felix in futurum regnabit, qui tecum illò pervenerit. *sub finem Sermonis de pudicitia.*

Ennodius: Tu pudicitiæ in illa ætate custos inventus es, in qua & lex obsequitur desiderijs. sæpe enim est pueritiæ ambitum, quem licentia fulcit, horreri. *Dictione. 3.*

Io. Saruberiensis: Vt pudicitia inter virtutes eminet, sic petulantia in vitiis abjectissima est: & cum illa utrumque deceat sexum muliebrẽ, tamen magis exornat. Siquidem doctissimi viri vox est, pudicitiam imprimis esse retinendam, qua amissa omnis virtus ruit. In hac muliebrium virtutum principatus est. Hæc pauperem commendat, divitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram. Bene meretur de majoribus, quorum sanguinem sobole furtiva non vitiat. Bene de liberis, quibus nec de matre erubescendum est, nec de patre dubitandum est. Bene imprimis de se, quam à contumelia alieni corporis vendicat. Captivitatis nulla major calamitas est, quam ad alienam libidinem trahi. Viros consulares illustrat eloquentia, in nomen æternum transfert gloria militaris, triumphosque novæ genris consecrat. Multa sunt, quæ per se clara ingenia nobilitant; mulierum propriè virtus pudicitia est. Hieronymus testis est, quod antequam religio Christiana fulgeret in mundo, unicubas semper habuisse inter matronas decus: per illas Fortunæ muliebri sacra fieri solitum: nullum sacerdotem bigamum, nullum flaminem bimaritum. Hierophantes quoque Atheniensium diutissime cicutæ sorbitione castrari, & postquam in pontificatum fuerint allecti, viros esse desinere. *lib. 8. Policratici. cap. 11.*

¶ PHILOSOPHORVM ORATORVMQVE GRAECORUM.

Libanius: Formæ quidem jam venustæ satis habes, ô filia, prout Deis ac fortunæ visum est: ac munera quidem naturæ non reprehendenda sunt: par autem est etiam externis quæ penes te sunt superinstruere, ut non minus animo quam corpore floreas. Etenim hujus naturam quidem quivis admirabitur, & illius esse dona quæ ad formam spectant, reputabit. Quod si pudica fuerit, & omni quæ virgines decet actioni incubueris; hoc profectò nullus ex omnibus erit, qui non tuum esse decus affirmet. At siquidem vultus pratum amænum subindicas, animi autem abdita (quod Dij non sinant) pejoribus actis contaminas, atque temperantiæ ornatus absit itemque verecundiæ honestas non adsit, ad nihilum tibi formæ dotes recident. Enimvero & genus dedecorabis, & temetipsam cum formosa specie. ceterum corporis nitorem animi deformitas coarguet. *Declamat. 35.*

Heliodorus: Ego nullam defugio neque deprecor calamitatem. verùm ut non caste moderateque vivam, nihil est tam violentum quò pertrahi possim. *loquitur Chariclea libro primo Æthiopicorum.*

Heliodorus: Memineris præclari tui ortus, colens pudicitiam, quæ sola muliebris virtutis & animi regij character est; & parentes imitare eam exercens. *libro quarto Æthiopicorum.*

Basilius: Omni labe impudicitiæ purum conserva, non solum corpus, sed etiam animum tuum. Quemadmodum enim impudica vita à Deo nos separat: ita in castitate transacta, nos ei conciliat. Sit ergo lux tua splendida & clara in oculis tuorum: & esto perfecta imago virtutis iis qui sub tua ditione vivunt: nisi enim pudicitiam ipse servaveris, qua fronte eos qui tuæ dominationi subjecti sunt, ad eam servandam cohortaberis? nam quæ facientem te viderint, eadem quoque permitti sibi facere interpretabuntur: solent enim ad exemplum Principis mutari subjecti. Sicut ergo, nisi in animum induxeris benè vitam instituere, gravis detrimenti causa subjectis eris: ita si pudicitiam cum cæteris virtutibus colueris, salutis author universo tibi subjecto populo fuisse videberis: & eam inde mercedem referes, ut non solùm te Deo dignum, ac placentem, sed eos etiam, qui tibi obediunt, præstitisse judiceris. *Imperator. Cap. 19.*

¶ ROMANORUM.

Calpurnius Flaccus: Vbicunque periclitatur pudicitia suam legem habet. *Controversia 3.*

Quintilianus: At ego, si qua est fides, pudicitiam in milite etiam laudare erubesco. Feminarum est ista virtus. *Declam.3.§.2.*

Quintilianus: Suum quisque habeat fortasse judicium. mea sententia, non satis pudicus est miles, qui armatus tantum negat. Ad primum statim obscænæ libidinis sermonem, non aliter quam si in hostem classicum cecinisset, gladium illum quem à te pro pudicitia nostrarum conjugium acceperat, per pectus infandi corruptoris exegit, & in latus ultra pedem. *Declam.3.§.6.*

Quintilianus: Miles hac contumelia percussus, indignis his vocibus contaminatus, nihil amplius aget quàm renuet? Et quis non illum, inter prostitutos habeat, si commiserit ut possit iterum appellari? &c. *Declam.3.§.8.*

Quintilianus: Dicam nunc ego, præcipuam semper curam Romanis moribus pudicitiæ fuisse? Referã Lucretiam, quæ condito in viscera sua ferro, pœnam à se necessitatis exegit; & ut quamprimũ pudicus animus à polluto corpore separaretur, se ipsa percussit, quia corruptorem non potuit occidere? Si nunc placet tibi miles, quid ego Virginium narrem, qui filiæ virginitatem, qua sola poterat morte defendit, raptumq; de proximo ferrum non recusanti puellæ immersit? *Mox:* Virorum quæ pudicitia est, nisi non corrumpere? *Declamat.3.§.10.pr.*

Quintilianus: An ignoramus, Imperator, quanta quondam populi Rom. exarserit seditio, cùm ex domo fœneratoris addictus, lacero verberibus tergo prorupisset in publicum, & illas suppliciorum notas tulisse se quereretur, quod vim corruptoris pati noluisset? Et ille tamen quamquam hoc flagitium conatus in addicto ac penè servo videbatur & vix libero, aliquatenus memor fuisse Romanæ sanctitatis; qui vim obscœnissimam non tentaverat nisi adversus alligatas manus: eo tamen usque populi Rom. vindicta processit, ut ardentibus bello finibus, ad delectum nemo responderet, nisi & pœna corruptoris, & abrogatione legis satisfactum esset. Nolebat militare, quamvis hanc injuriam non miles acceperat. Quid de Fabio Eburno loquar, qui filium impudicum cognita domi causa necavit. *Declamat.3.§.16.p.*

§ Poetarum.

Plautus Trinummo 4.sc. 2. v.104.

——— *Pudicum neminem*
Esse oportet, qui abs terra ad cælum pervenerit.

Terentius Andriæ 1. sc.5.

Pamphile, hujus formam atq; ætatem vides,
Nec clam te est, quàm illi utraq; res inutiles.
Et ad pudicitiam, & tutandam ad rem sient.

Terentius Heautontim.2.sc.2.

Ubi ventum est ad ædes, Dromo pultat fores:
Anus quædam prodit. hac ubi aperuit ostium,
Continuò hic se conjicit intrò: ego consequor.
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.
Hinc sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam te absente exegerit.
Nam ea res dedit tum æstimandi copiam
Quotidianæ vitæ consuetudinem:
Quæ, cujusq; ingenium ut sit, declarat maximè.
Texentem telam studiosè ipsam offendimus;
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Sine auro ornatam, ita uti quæ ornantur sibi,
Nulla re malâs expolitam muliebri:
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. pax. CL. Syre mi, obsecro
Ne me in lætitiam frustra conjicias. S. anus
Subtemen nebat. præterea una ancillula
Erat: ea texebat una pannis obsita,
Neglecta, immunda illuvie. CL. Si hæc sunt, Clinia,
Vera, ita ut credo, quis te est fortunatior?
Scin' hanc quam dicit sorditatam & sordidam?
Magnum hoc quoq; signum est, dominã esse extra noxiam;
Cùm ejus tam negliguntur internuncij.
Nam disciplina est eisdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.
S ubi dicimus rediisse te, & rogare uti
Veniret ad te, mulier telam deserit.
Continuò, & lacrymis opplet os totum sibi, ut
Facilè scires desiderio id fieri tuo.

Ovidius lib.2. Fastorum. versu 723.

Dum vacat, & metuunt hostes committere pugnam,
Luditur in castris: otia miles agit.
Tarquinius juvenis socios dapibusq; meroq;
Accipit. ex illis rege creatus ait:
Dum nos sollicitos pigro tenet Ardea bello,
Nec sinit ad patrios arma referre Deos;
Ecquid in officio torus est socialis? & ecquid
Conjugibus nostris mutua cura sumus?
Quisq; suam laudat studijs certamina crescunt;
Et fervet multo linguaq; corq; mero.
Surgit cui dederat clarum Collatia nomen;
Non opus est verbis; credito rebus, ait.
Nox superest: tollamur equis; urbemq; petamus.
Dicta placent. frenis impediuntur equi.
Pertulerant dominos: regalia protinus illi
Tecta petunt: custos in fore nullus erat.
Ecce nurus regis fusis per colla coronis
Inveniunt posito pervigilare mero.
Inde cito passu petitur Lucretia; cujus
Ante torum calathi, lanaq; mollis erat.
Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant, &c.

§ Emblematis.

Batillius CLXXVI.

Præcipua laus mulieris Pudicitia.

Ut statuæ decus est facies, illâq; revulsâ
Non decus in reliquo corpore truncus habet;
Femineos mores sic nec laus ulla sequetur,
Qui careant castæ laude pudicitiæ.

§ Apophthegm. Sacr.

Abimelec rex Gerari. Quum Isaaci imprudentia Rebeccæ pudor labe fuisset ferè aspersus, re detecta Isaacoque accersito dixit Abimelec, Quid hoc est quod fecisti nobis, parum abfuit quin concubuerit unus ex populo cum uxore tua, &c. Præcipitque Abimelec toti populo suo, edicendo, Qui tetigerit hunc virum aut uxorem ejus omnino morte plectetur. *Genes.26.10.11. Vide etiam Gen.22.9. & apopht. de reprehensione.*

§ Apophthegm. Christianor.

Ioan. Macer Marascallus Franc. Pudicitiam, muliebris sexus potissimum ornamentum, pertractanti, id unum verendum, ne exequi valeam vel minimam earum rerum partem, quæ tantæ virtutis præconio debentur: satius tamen duxi parcè de ea loqui, quàm silere omnino. Videamus ergo quantum subjecta exempla Pudicitiæ decus illustrent. Joan. Macer obvias quasvis mulieres, & in eis pudicitiam, detecto capite revereri solitus erat. cumque fortè duas salutasset, rogat qui illi à latere, cur id faceret; an sciret se salutem impertivisse meretricibus? Qui ait: *Si ita est, nescio. malim tamen exhibere reverentiam decem inhonestis fœminis, quàm falli non salutando unam pudicam.* Sentiebat sanè cum Plauto in Amphith. non eam esse dotem, quæ dos dicitur; sed pudicitiam, & pudorem, & sedatam cupidinem. *Corozet.*

Iulianus Apostata. In hoc quoque, etsi à pietate & religione nostra abiit, admiranda hęc pudicitia fuit. quem fides certa habet, functâ Helenâ conjuge, nihil unquam venereum attigisse. celebrabat sæpè, & recolebat illud Bacchilidis Poëtæ: *Ut egregius pictor vultum speciosum effingit, sic pudicitia celsiùs consurgentem vitam exornat.* Coll. ex Mon. Pol. I. Lips. cap.17.

Pelagius Galiciæ Princ. Filius. Addatur Pelagius. Ille Abderamini regi Maurorum datus obses. Et ecce forma ejus captus Barbarus, florem hunc sibi destinat, & alludere cœpit, contrectare, & tentare. Ille reiicit, idque sæpiùs: donec vim parat amator. cui iste ingenua ira pugnum impegit, &, *Tolle canis,* inquit, *vitam: non pudicitiam mihi extorquebis* Præclarum in puero exemplum. *Ibidem.*

Ludovicus XII. Gal. Rex. Videbat Annam Reginam dominandi libidine flagrantem, & multa quoque contra se molientem. Monentibus autem se in tempore de ea vindicaret; *Uxori,* ait, *pudicæ plura sunt condonanda.* Hanc solam in conjuge magni ducens virtutem, Pudicitiam: quæ, dum semel deperit, nulla est reparabilis arte. *P. Aemil. in Vita.*

Petrus Aldobrandinus Card. Quid si Petrum Aldobrandinum hîc, licet præpostero ordine, inserere fas; quantus Pudicitiæ custos exstiterit, unum ejus dictum declarabit. rogatus enim, *quidnam potissimùm humanis affectibus dominaretur; Pudor,* respondit, *& Pudicitia.* quinimò sæpiùs ab eodem prolatum: *Homo sine pudore & pudicitia, & nomen amittit & hominis naturam.* Verissimum certè. nullum enim animal præter hominem, sensum habet pudoris. *Henricus Farnes. suprà.*

Lege Apophth. de Castitate.

§ Monosticha Trochaica.

A statuis pudicitiæ nil differunt viri nudi.
Erubescunt & pudici de pudicitia loqui.
Est pudica quæ inquinari cùm licebat noluit.
Et Deus parvam pudici cordis intravit casam.
Fama pudicitiæ admodum res est tenella in feminis.
Filiam mater pudicam non pudica optat sibi.
Gloriæ causâ pudica es impudica Numini es.
Mens cui est pudica, corpus impudicum non habet.
Mentibus regnum pudicis est minus quàm hymen suus.
Nil homo nudus pudicæ distat à signo æreo.
Non sat est corpus pudicum; mens pudica est omnia.
Ornandæ menti pudica, non & corpori studet.
Rara pudicitia in viris, in feminis sed rarior.
Ut statuas nudos pudica femina aspicit viros.

§ Jambica.

Decor pudicam feminam esse non sinit.
Etiam pudicam non pudicus suspicit.

Nudus pudica statua habetur, non homo.
Nulla est satis pudica de quâ quæritur.
Nulla nocent menti pudicæ injuriæ.
Perdit suum pudorem, alienum qui appetit.
Pudica non est, fama pudicam quam negat.
Pudica adhuc vivit maritus mortuus.
Pudicitia Bruto æquavit Lucretiam.
Pudicitia Graccho æquavit Corneliam.
Pudicitia est virorum, non corrumpere.
Pudicitia mulieri maximum est decus.
Pudicitia virtus mulieris propriè est.

Pudoris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D*Ivus Chrysostomus:* Cœlum quidem videntes Græci, non erubescunt: sed si viderint virum sanctum, philosophiam exactè ostendentem, præ pudore delitescunt & se condemnant. *Homil.18. ad Corinth.1.*

D. Chrysostomus: Pudore afficiuntur homines, cùm priora mala afferuntur in medium, etiamsi sint absoluta, & nullum habeant periculum. *cap.2. Homil.4. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Grave malum est turpia facere; sed si te cùm facias pudeat, quasi dimidium malum est: sin etiam inde te efferas ac magnificè circumspicias, summus jam est animi stupor. *Homil.13. ad Philipp.*

S. Isidorus Pelusiota: Pudore ob ea quæ oportet scire affici, à pudore proculdubio liberat: Nescire autem, in immortalem infamiam conjicit. *lib.3. epist.400.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRÆCORUM.

Dio Prusæus: Sed quid erat, quod iam olim interrogare festinas? De hoc adolescente, quisnam sit, & cujus filius: quo ego, ut nullo unquam, obstupui. Ætas enim puerum esse ostendit, sedecim forsan, aut septemdecim annorum. Magnitudo autem, nulli virorum cedit. Tantus autem pudor illi inest, ut & accedentem continuo pudere faciat. Et non licet diutule faciem ejus intueri, nisi & ipse fortè fortuna respiciat. Nemo enim adeo impudens lapideusque est, qui substineat, iterque ex adverso intuens eum: sed statim necesse est avertere, & transferre oculos. Quod autem ita fiat, vehementer admiror: quòd pulchritudo, si adjuncta sit pudori, & ipsos impudentes avertit, cogitque pudore suffundi. Fortassis non animadvertisti, quod fit in aquis. Quid nam? Quòd sole radios immittente directos, maxime resplendeat. Et fortasse vidisti in parietibus vibratum & circumcursitans lumen non verum, sed à solis splendore in aquis factum, ad id quod maxime ex adverso directe est. Tale igitur aliquid & à vero pudore relucet, facitque ut amantes videantur pudore suffundi. Postea statim audacia sumpta, impudentes sunt: ut mihi sanè & pædotribes visus est, licet & ipse antea quasi numine afflatus atque obstupefactus fuisset. *Oratione 22.*

Simplicius: Succensemus & indignamur ob ea mala quæ nobis alij faciunt: eorum verò nos pudet, quæ in alios ipsi admittimus, magis verò erubescendum si nos ipsos violamus; eoque magis si id cavere nobis licuisset. Erubescit autem is, qui turpitudinem suorum peccatorum, quæ ultro fecit, agnoscit. *ad finem cap.34. Epict.*

Iulianus Imp. Erubescũt homines, vehemẽter, ô Dij immortales, in rebus honestis, fortitudine animi ac pietate: in turpissimis exultant, ut in sacrilegio & corporis animique ignavia. *epist.28.*

Heliodorus: Ad hæc non amplius continuit se Arsacæ, sed id illi accidit quod omnibus in universum amantibus accidere solet. cùm occultas esse suas rationes putant, erubescunt, cùm sunt deprehensi, omnem pudorem amittunt. qui latet, cunctantior est; deprehensus audacior efficitur. Quemadmodum & illam conscia mens redarguebat, & Thyamim aliquid suspicatum esse de se existimans, non faciens flocci Antistitem & antistitij dignitatem, omnemque pudorem muliebrem adiiciens, inquit, &c. *Lib.8. Æthiopic.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Pudoris difficillima ratio est in lite pecuniaria. *Declam.265.pr.*

Symmachus: Scio virtuti cognatum pudorem. *Lib.10.epist.1.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carmine 64. in muliebrem fucum.

Ἄκριτον ἦν τοπάροιθε βροτῶν γένος, ὅ τε φέριστος,
Ὅς τε χερειότερος, ὡς φάτις ὠγυγίη.
Πολλοὶ μὲν δοκέεσκον ἀνάρσιοι, ὄντες ἄριστοι,
Πολλοὶ δ᾽ αὖτ᾽ ἀγαθοὶ, ἔμπαλιν ἀφραδέες.
Κῦδος ἀτιμοτάτοισιν ἀτιμίη δὲ τ᾽ ἀρίστοις
Ἕσπετο, οὔτι δίκη τῶν δ᾽ ἐπαμοιβομένων.
Ἀλλ᾽ οὐ λῆθεν ἄνακτα θεὸν κακίη μεδέουσα,
Ὀψὲ δ᾽ ἀλάστορας τοῖον ἔειπεν ἔπος.
Οὐ θέμις ἐστ᾽ ἀγαθοῖσιν ἐμὸν κλέος ἠδὲ κακοῖσιν
Ἔμμεναι, ὧδ᾽ ἂν ἔοι πλειοτέρη κακίη.
Τοὔνεκα τοῖσιν ἐγὼ σημήιον ἐσθλὸν ὀπάσσω,
Ὄφρ᾽ εὖ γινώσκῃς, ὅς κακὸς, ὅς τ᾽ ἀγαθός.
Ὣς εἰπὼν ἐρύθηνε παρήια τοῖς ἀγαθοῖσιν,
Αἷμ᾽ ὑπὸ δέρμα χέας, αἴσχεος ὀρνυμένου.
Θηλυτέραις δὲ μάλιστα, ἐπεὶ καὶ εἶδος ἀραιαὶ,
Καὶ κραδίην ἁπαλαὶ, πλεῖον ὑπεσκέδασε.
Τοῖς δὲ κακοῖσιν ἔπηξε, καὶ ἄτροπον ἔνδον ἔθηκε,
Τοὔνεκεν οὐδ᾽ ὀλίγον αἴσχεσι συμφέρεται.
Τὰν σύ μοι ἴη ἔσχα πολύχροε οὐ γὰρ ἐρευθος
Αἰδέομ᾽ εἰ καὶ μοι τόσσον ὑπερθε φέρεις.
Τοῦτο γὰρ ἐστιν ἔρευθος, ἀναιδείης ἀνέρευθος
Ἔκγονον, ὃ κλύζει ὄμβρος ὁπρὶν Σοδόμων.
Μὴ γράψῃς τὸ πρόσωπον ἀτασθάλε, μηδὲ δολώσῃς
Σὸν χρόα, κάλλος ἐμοὶ μοῦνον, ὃ δῶκε φύσις.

Tanta olim, ut fama fert, inter homines erat perturbatio, ut optimi à sceleratissimis nullo modo internosci possent. Ac multi quidem præstantissimi homines injusti ac nefarij habebantur: multi contra, cum stulti ac vecordes essent, probitatis tamen existimatione florebant. Infimos ac abjectissimos homunciones gloria, excellentissimos quosque contemptus sequebatur: utrisque nimirum iniquam vitij virtutisque mercedem ferentibus. At Deus improbitatem meliori conditione esse, principatum obtinere perspiciens, eamq; rem ægrè ferens, tandem aliquando his verbis usus est. Haudquaquam æquum est bonos ac malos eadem gloria frui: sic enim vitium in dies augeretur. Quocirca præclarum signum ipsis imponam, quo perspicuè cognosci queat, quis bonus, quis malus sit. Hac oratione habita bonorum quidem genas rubore tinxit, suffuso scilicet pelli sanguine, quoties turpitudo aliqua animum adoriri pararet. Quem etiam ipsum muliebribus, quia & rariori cute, & molli pectore sunt, uberius infudit. At vero malis sanguinem condensavit, immotumque intus tenuit: eoque efficitur, ut ad nullam turpitudinem erubescant. Quo in numero te pono, quæcumque variis coloribus tincta es. Nec enim tuus iste rubor me movet: quamlibet copiosus in superficiem luceat. Ex impudentia enim oritur hic robor, quem pristinus ille Sodomorum imber obruit. Proinde ne faciem tuam pingas, ô improba mulier, nec cuti tuæ imposturam facias. Nullam enim ipse aliam pulchritudinem agnosco, quam eam, quæ naturæ dono contingit.

Nonus libro 42. Dionysiac.

Clam Beroen adspiciebat. stantis verò
Virgo instabilem oculum observans Bacchi,
Vestimento splendentem suam abscondidit genam;
Et magis combussit Bacchum, quod famuli amorum
Verecundas quò magis intuentur mulieres,
Etiam eo plus amant abscondita facie.

Plautus Bacchid. 4. sc. 9. v. 90.

Stultè fecisse fateor: sed quæso pater,
Ne me in stultitia, si deliqui deseras.
Ego animo cupido, atque oculis indomitis fui:
Persuasum est facere, cujus nunc me facti pudet.
N. Prius te cavisse ergo, quam pudere æquum fuit.

Plautus Epidici 2. sc. 1. pr.

Plerique homines, quos cum nihil refert, pudet; ubi pudendum est,
Ibi eos deserit pudor, cùm usus est ut pudeat.

Plautus Milite 3 sc. 1. v. 30.

Novo modo tu homo amas, siquidem te quidquam quod faxis pudet.
Nil amas, umbra es amantum, mage quã amator Pleusides.

Plautus Pseudoli 1. sc. 3. v. 44.

Hunc pudet quod tibi promisit, quæque id promisit die,
Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.
B. Nimio id quod pudet facilius fertur, quàm illud quod piget.
Non dedisse istum pudet? me quia non accepi, piget.

Plautus Trucul. 2. sc. 1. v. 36.

Erubui mecastor misera, propter clamorem tuum.
S. Itáne erubuisti? quasi verò corpori reliqueris
Tuo potestatem coloris ullius capiendi, mala.
Buccas rubrica, cera omne corpus intinxti tibi.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Affici pudore, magnus impudicis est pudor.
Alterius perdet pudorem quisquis amisit suum.
Corrigas pudore quam non tenuit objurgatio.
Cùm nihil refert, pudet quem; cùm refert, nihil pudet.
Ego illum perijsse duco, cui quidem perijt pudor.
Erubescere ac pudere pœnam summam quis neget?
Erubescit & pro alienis culpis tenerior pudor.
Erubescimus ea audire quæ fecisse non pudet.
Est magis cura pudor quam vita honestis mentibus.
Est pudor parens honesti est pudor recti pater.

Est

Est pudor solum beatis: nullus est miseris pudor.
Et meretrices prodire non sinit pudor bonas.
Exornat pudor venustam, deformem redimit pudor.
Exsuit mulier pudorem, simul ac vestes exsuit.
Illum ego periisse duco, cui quidem periit pudor.
In pudore principatus virtutum muliebrium est.
In pudore incommoda tot sunt, quod sunt & commoda.
Ingenuos pudor facilius exsuperarit quam metus.
Liber est pudore ab omni, quem pudor suus tenet.
Neminis magis pudere oportet quam ipsius sui.
Nil mali est natura vallo quin pudoris sepserit.
Nimio id quod pudet facilius fertur, quam illud quod piget
Novo modo, ut homo, amas, siquidē te quidquā, q faxis, pudet
Nullus est pudor lenoni: nullus est pudor lupæ.
Nunquam eum pudet, pudorem qui nusquam à se segregat.
Omnium virtutum honestas semper est comes pudor.
Optimum est nihil peccare, ei pudere proximum est.
Pauperem pudor commendat, divitem extollit pudor.
Pol pudere quam pigere præstat, totidem literis.
Publico pudor vulgatus non satiat, verùm incitat.
Quæ pudor non est patrasse, ea audire erubescimus.
Quàm mage vestis obsoleta, tanto curatur minus.
Quem nihil pudet, neq; metuit quemquam, quid nō fecerit?
Quem vides cunq; erubentem, cense eum probum è probis.
Quisquis in loco veretur, nondum eum liquit pudor.
Quos tormenta non devincunt, interdum vincit pudor.
Sapius, minus in rubore est, quàm in culpâ, constantia.
Saltem tute, si pudoris egeas, sumas mutuum.

§ JAMBICA.

Aliquid in eo salvæ est adhuc rei, qui erubet.
Amabilitati cùm pudore haud convenit.
Amittitur pudor ipse si deprehenditur.
Bonæ locus spei illi est, cui præstò: & pudor.
Causam malorum plurium est factus pudor.
Cognatus est cunctis pudor virtutibus.
Cognatus est virtuti proximus, pudor.
Confusio oris crebra pro modestia est.
Consumitur peccando sæpius pudor.
Cunctas honore honestat ætates pudor.
Deprehensus ut pudor ferè est, amittitur.
Et disciplinæ quilibet prodest pudor.
Et fortibus semper metu potior pudor.
Et quibus abest pudor, abest ipsa humanitas.
Etiam dolores impedit justos pudor.
Etiam pudorem expugnat heu necessitas.
Etiam pudore corrigas pravissimos.
Etiam pudorem immodicus exsuperat labor.
Etiam qui scelera perpetrant, scelerum pudet.
Etiam suus quidam pudori adest rubor.
Flatu pudoris flos levi corrumpitur.
Instabile regnum ibi est, ubi exulat pudor.
Iustum dolorem magnus impedit pudor.
Mens queis honesta est, frontis his imbellia est.
Metus pudoris est comes, pudor metus.
Multum potest pudor, lucro sed it minor.
Multi erubescunt si haud ferunt nomen mali.
Multum pudor lædit viros, multum juvat.
Multum quidem metus pollet; sed plus pudor.
Nil non timori mistus efficit pudor.
O mors, pudoris maximum læsi decus!
Peculiaris est pudor Quiritibus.
Persæpe causa fit pudor nimius mali.
Persæpe non tam nos damnum angit quàm pudor.
Plures hominum conservat quàm perdit pudor.
Præstat pudorem mente, non facie, probus.
Prodest pudor aliquando, aliquando obest pudor.
Pudor bonos validius inhibet quàm metus.
Pudoris expers animus, & sensu caret.
Pudorem alienum si appetis perdis tuum.
Pudore amisso, felix esse quei queas?
Pudore amisso, haud alia abnuerit femina.
Quandoque & ipsos excutit pudor metus.
Quid de se apud se loquitur, immeritò rubet.
Quivis pudor cedit malis novissimis.
Quivis pudor pecuniâ expugnabilis.
Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
Redire nescit, qui semel perit pudor.
Semper aviditas est dives, & pauper pudor.
Semper nocet pudor cui non ratio sua est.
Signum pudoris illico indicat pudor.
Suus pudor quidam est etiam impudentiæ.
Timor pudorque extremis rebus exsulant.
Vbi est Amor Liberq; ibi exulat pudor.
Vbi fames ibi esse non potest pudor.
Vbi pudor nocet, stultitia est, non pudor.
Vbi timor locum occupat, est ibi & pudor.
Vel falsâ opinione gravabitur pudor.
Virtus ubi, cognatus est ibi & pudor.
Virtutis ingens est adminiculum pudor.
Vix continetur honestis artibus pudor.

Pueritiæ.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*ivus Chrysostomus:* Non videtis infantes, quando à parentibus portati eius qui portat genis plagas manu incusserint; quàm lubenter concedit pater filio ut iram expleat, & quando eum viderit bilem inaniisse lætatur? Ita nos quoque faciamus, & cum Græcis loquamur tanquam patres cum infantibus. Infantes enim & pueri sunt omnes Græci: idque dixerunt quidam apud eos: illos semper esse pueros, neque ullum Græcum esse senem. Non ferunt enim pueri, ut de ulla re utili curam gerant. Ita etiam Græci semper volunt ludere, humique semper jacent; & humi serpunt ac reptant, & quæ humi sunt, nempè terrena, affectant. Pueri autem sæpè, cùm nos loquamur de rebus necessariis; eorum quæ dicuntur nihil sentiunt, sed semper rident. Ita etiam Græci; quando de regno loquimur, rident. Et quomodo ex ore pueri multa manans saliva sæpe cibum & potum inquinat: ita etiam ex ore Græcorum verba fluentia vana & immunda, etiamsi necessarium dederis alimentum, maledictis semper vexant eos qui præbent; & ut auferantur rogant. Pueri rursus, quando latronem viderint egredientem; & quæ sunt intus auferentem; non solùm non prohibent, sed etiam arrident insidiatori: sin autem calathulum aut sistra abstuleris, aut aliquod aliud ludicrum; indignantur, & ægrè ferunt, se dilacerant, & solum pulsant. Ita etiam Græci videntes diabolum paterna omnia sibi auferentem, & quibus sua vita continetur; rident, ad eum tanquam ad amicum accurrentes: si quisquam autem aut possessionem, aut divitias, aut puerile aliquid abstulerit; se discerpunt. Et tanquam pueri nudantur; nec sentiunt, nec erubescunt: ita etiam Græci cum meretricibus & adulteris volutati, naturæ leges nudantes, & nefarios concubitus inducentes; non curant. *Homil. 4. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Parvi pueri parva quidem hianti ore stupent ac mirantur: rerum autem valde magnarum non tanta tenentur admiratione. *Homil. 36. ad Corinth. 1.*

Basilius Seleuc. Vultis esse pueri? puerorum mores imitamini, morum simplicitatem adsumite. Illis nulla de dignitate vox, illi primas non ambiunt, hac ægritudine non laborant, non norunt efflorescentem parentum nobilitatem, non super divitiis elatione vana gloriantur, non ob patritarum gloriarum multitudinem. Insuper consuescunt cum iis, quæ una secum sunt ætate: videbis dominum simul, & famulum in omnibus conversantes: videbis pauperem puerum, & opulentum ignaros discriminis, quo distant inter se, sedis celsioris ignaros, ignaros diversæ educationis. Verùm manent eorum ingenia ab affectibus pura, mens impermista malitiæ, voluntas à versutia libera, ratio à malitia aliena, animus ad malitiā inexercitus; nondum enim per ætatem ratio fastu intumuit, nondum nobilitatis flore delectari didicerunt, nondum aures avitis facinoribus percussæ sunt, nondum dignitatis affectibus inquinati, nondum creatis à rebus magnum quidquam efferentur, nondum honoribus exultat natura, nondum mores honorum cupiditate capiuntur: sed ipsum naturæ nomisma remanet adulteris notis impercussum. *Oratione 28. m.*

§ ORATORUM GRAECORUM.

Dio Prusæus: Nunc eo delicto, quo Athenienses olim, deliquitis. Quum enim illis respondisset Apollo, si vellent bonos viros in civitate provenire, ut optimum quod esset puerorum auribus insererent: illi aliud animadvertentes, aurum inseruerunt, Dei videlicet responso non intellecto. Hoc enim puellas magis decebat, & Lydorum aut Phrygum pueros. Porrò Græcorum pueris, præsertim Deo præcipiente, haud aliud congruebat, quàm eruditio & sermo, quæ nactos merito bonos efficiunt viros, & civitatum servatores. Illi igitur male usi sunt puerorum auribus, vos autem vestris ipsorum adhuc pejus. Populi enim auditorium est theatrum: hoc autem aliquid honestum, aut honorabile vobis, nunquam aut admodum raro ingreditur. Nam musicorum sonitibus instrumentorum tumultuque semper plenum est, & scurrilitate & scommatibus, auri nulla ex parte similibus. Quapropter rectè dixi, vos seriarum rerum laborare inopia. Neque enim ipsi seriosi estis, neque qui vobiscum agunt consuetudinem, & frequenter ad vos ingrediuntur. *Oratione 32.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Profert à sinu nutricis ream, non peccant hi anni, ne in novercis quidem. Parvulæ serpentes non nocent: feræ etiam mansuescunt. *Declamat. 381.*

§ POETARUM.

Aristophanes Thesmophor. v. 578.

Quid verò est puer? puerum enim te conveniens est appellare,
Quousq; ita genas depiles habueris.

Oppianus lib. 3. ἁλιευτ. v. 581.

— Pueri inexperti
Ignis cermentes flagrantis splendidum
Fulgorem, radijs delectati rident:
Attingere verò cupiunt, & in flammam manū extendunt
Puerilem. mox autem ipsis inimicus apparet ignis.

¶ EMBLEMATUM.

Camerarius L V I Centuria 1.

Surget uberior.
Luxuriem segetis castigat falce colonus.
Ingenium præcox reprime: sic sapies.

Camerarius L X I X. Centur. 3.

Nulla mihi mora est.
Vix exclusa volat perdix: sed sæpe ruina
Ingenium præcox unica caussa fuit.

Quod cito fit, cito perit. Emblem. X X I.

Quò flamma fumo clarius sese exerit;
Hoc est minus vivacior;
Namque imminentis finis, est maturitas
Præcursor, atque nuncius:
Rarò perennat ingeni præcox vigor,
Puerque qui spirat virum.

Flor. Schonhovius.

Semper pueri. Emblem. X X V I I.

Rixantur pueri, si quis lapidesve nucesve
Auferat, & semper vilia quæque stupent;
Nos etiam pueri, qui, donec vita superstes,
Propter opes luteas digladiamur humi.

Florent. Shonhovius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ante vitæ suavitatem quàm gustent pueri occidunt.
Post juventam postque canos durat & puerilitas.
Promptius verbis regatur quis puer, quàm verbere.
Pueri animum qui se gubernat admodum infirmū gerunt.
Pueri sunto qui minores annis sunt septemdecim.
Turpia oderit simulque puer honestis gaudeat.

¶ JAMBICA.

Amor puerilis amorum est ferventissimus.
Brevisque vita est qui puer senem crepat.
Esse non potest diuturnus fructus & præcox simul.
Cessatione pueris nihil optatius.
Cornix volanti adhuc cibum pullo exhibet.
Dentes cadunt plerunque septuennibus.
Effeminat mollis puerum educatio.
Ferè puer bonus in virum evadit malum.
In exitu decor eminet pueritiæ.
Loqui ad voluntatem haud potest pueritia.
Ne des puello: etenim omnium oblivi scitur.
Odi puerulos præcoci sapientiâ.
Pueri ante discunt vitia, vitia quàm sciant.
Raro diurnat indoles præcox nimis.
Statim & in puero virtutis fulget indoles.
Summus decor pueritiæ est in exitu.
Tractabilis minus puer quàm bestia.
Verbo magis puerum arguas quam verbere.

Puerperij.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

C*Lemens Alexandrinus:* Sanguis invenitur primùm genitus in homine, quem nonnulli dicere ausi sunt substantiam animæ. Hic autem sanguis naturali conversus concoctione, postquam mater concepit & uterum gerit, charitate consentiente & unà quodammodo patiente, efflorescit & senescit, ut sit infans absque metu: & carne quidem humidior est sanguis, ut qui sit veluti quædam caro humida: sanguinis autem lac est id quod est iucundius & subtilius. Sive enim est sanguis qui fœtui qui est in utero suppeditatur, & per maternum prius umbilicum mittitur, sive ipsa menstrua à proprio motu exclusa, naturali diffusione ab almo & generationis authore Deo ad ubera jam turgentia se conferre jubentur, & à calore convertuntur spirituum, atque ita efficitur jucundum & suave nutrimentum, id quod mutatur sanguis est: ex omnibus enim mēbris maximum habent consensum ubera cum matrice. Vbi enim in partu vas abscissum fuerit per quod sanguis ad fœtum deferebatur, obstruitur quidem meatus, sanguis autem ad ubera impellitur, & cùm illuc permultum defluxerit, extenduntur, & sanguis in lac mutatur, non secus ac mutatur sanguis in pus in ulceratione: sive à venis apertis, quæ sitæ sunt in mamillis, per fœtus distensiones, in naturales mamillarum cavernas sanguis transfunditur, ei autem commixtus qui ex vicinis arterijs emittitur spiritus, manente integra quæ subiicitur sanguinis substantia, undæ instar agitatus albescit, & tali interruptione ritu spumæ mutatur, affectione quadam ei quæ mari evenit non absimili, quod quidem Poëtæ dicunt ventorum concitum insultibus salis asperginem expuere. Veruntamen adhuc habet sanguinis substantiam. Eodem modo fluvij quoque dum magno feruntur impetu, circumfusi aëris interceptione lancinati spumam cum murmure exprimunt: & quod in ore nostro est humidum, spiritu exalbescit. Quam est ergo absurdum non fateri, sanguinem in eum fulgorem eamq; albedinem à spiritu converti, eamque suscipere mutationem in qualitate, non autem in substantia? Nihil certè quod melius nutriat, neque quod sit dulcius, nec lacte candidius, inveneris. Est id itaque omni ex parte spiritali nutrimento simile, quod est quidem dulce propter gratiam, nutriens autem tanquam vita, candidum autem ut dies Christi. Sed & sanguinem Verbi ostensum est esse tanquam lac. Ea ergo ratione in puerperio dispensatum lac infanti subministratur, & ubera quæ interim recta virum respiciebant, jam ad puellum inclinātur, quod à natura elaboratum est nutrimentum, ut ad capiendum facilè exhibeant edocta, ad salutis educationem. Non enim tanquam fontes ubera parato lacte influente plena sunt, sed alimentum mutantia, lac in se ipsis efficiunt, & exhalant. Alimentum autem quod est ipsum conveniens ac utile puello recenter compacto & nato, à Deo altore & Patre eorum qui generantur & regenerantur, elaboratur, quemadmodum veteribus Hebræis manna cœlitus defluebat, supercœleste Angelorum nutrimentum. Vnde & nunc quoque nutrices id lactis quod primum ad potum effunditur, eodem quo illud nutrimentum nomine manna appellaverunt. Cęterum mulieres quidem prægnantes, cum matres factæ fuerint, lac emittunt. Dominus autem Christus fructus Virginis, non beata duxit ubera fœminea, nec ea ad nutrimentum delegit: sed cum amans & benignus Pater Verbum impluisset, ipsum jam spiritale alimentum factum est bonis & moderatis hominibus. O miraculum mysticum! Vnus quidem est universorum pater. Vnum est etiam Verbum universorum, & Spiritus sanctus unus, & ipse est ubique. Vna autem sola est mater virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater hæc sola, quoniam sola non fuit mulier. Virgo est autem simul & mater, integra quidem & inviolata, ut virgo: amans autem, ut mater: quæ suos accersens infantulos, sancto lacte, nempe verbo infantili enutrit. Ideo autem lac non habuit, quod lac esset hic infantulus pulcher & appositus, scilicet corpus Christi, novum cœtum verbo nutriens: quem ipse Dominus carnali labore peperit: quem ipse fasciis alligavit Dominus, precioso sanguine. O sanctum partum! ô sanctas fascias! Verbum est omnia infanti, & pater, & mater, & pædagogus, & altor. Comedite, inquit, meam carnem & bibite meum sanguinem. Hæc apposita & convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, & carnem præbet, & effundit sanguinem, & ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium! Veterem & carnalem nos jubet exuere corruptionem, quemadmodum & vetus nutrimentum: alterius autem novæ Christi diætæ effectos participes, illum, si fieri possit, recipientes, in nobis ipsis reponere, & servatorem intra pectus comprehendere, ut carnis nostræ affectiones integras perfectasque reddamus. *lib. 1. Pædagogi. cap. 6.*

Clemens Alexandrinus: Cæterum caro quoque ipsa, & sanguis qui est in ipsa, veluti per quandam remunerationem, lacte irrigatur & augetur. Porro autem ejus quod conceptum est formatio, fit semine commixto ac contemperato cum puro, quod relictum est, excremento menstruæ purgationis. Quæ est enim in eo facultas, sanguinis naturam conglobans, quemadmodum coagulum facit lac concrescere, formationis efficit substantiam. Facile enim producit bona temperatura: quæ autem sunt extrema, propensa sunt ad filiorum sterilitatem. Jam enim in ipsa terra, quod nimiis imbribus inundatur, semen abstrahitur, propter humoris autem siccitatem desiccatur. Qui est autem viscosus succus, semen continet & producit. Jam vero nonnulli quoque animalis semen statuunt esse spumam sanguinis quod ad substantiam, qui innato masculi calore in conjunctione turbatus, ventilatus spumescit, & deponitur in venis seminariis. Hinc Diogenes Apolloniates vult res Venereas Grçce esse dictas ἀφροδίσια. Ex his omnibus clarum est sanguinem esse humani corporis substantiam. Quinetiam qui est in utero, primum quidem est lactea humidi coagulatio: deinde hæc coagulatio in sanguinem conversa caro efficitur: concreta autem in utero à naturali & calido spiritu, à quo effingitur fœtus, vivificatur. Sed etiam postquam est in lucem editus puellus, eodem sanguine alitur. Natura enim sanguinis est fluxus lactis, & fons nutrimenti lac est, quo etiam mulier ostenditur & verè peperisse, & esse mater: per quod etiam benevolentiæ stimulum accipit. *libro primo, Pædagogi cap. 6.*

D. Chrysostomus: At enim prægnanti, inquit, tempus clam non supervenit: scit enim post novem menses partum futurum. Imò verò planè clanculum. nam aliæ quidem pariunt septimo mense, aliæ verò nono. Alioqui autem & dies & hora est incerta: neq; sunt multa partus indicia. nam multæ etiam in via pariunt, & extra domum, cùm non præscissent. Deinde sæpe aliqua ludens, ridens, nihil

hil omnino prævidens, repentè inexplicabilibus arrepta doloribus in parcendi labore discerpitur. *Homil.9.ad Thessal.*

S. Isidorus Pelusiota: Ob id autem non dixit, *peperit*, ne abortivus fœtus esse existimetur: verùm, *lactat.* Siquidem lactis fontes partum confirmant. Veri etenim partus argumentum certissimum est lactis profluvium. *lib.3.epist.180.*

¶ Oratorum Graecorum.

Philostratus: Cantu olorum excitata Apollonij mater, simul somno soluta est, & puerum peperit. sufficit enim omnis exsternatio ad partum ante diem promovendum. *libro primo, de vita Apoll. cap.4.*

Themistius: Et verò quicumque liberos ab uxoribus editos in solitudinem exponunt, eos vituperamus ac probris afficimus, quasi injuriam Reip. faciant, cùm eam civibus fuudent, quos genuit; neque eos nutriant, nec legionarios forsitan forturos, aut fundibularios, aut velites, ad illius usum præparent. Quod si idem ille multo liberis omnibus meliores ac dignitate præstantiores sermones in tenebris defodiat, ac concludat, velut spuriam & adulterinam prolem, nec in publicum producat, quo suam ob tales liberos felicitatem palam demonstret, nonne is malevolentiori in Remp. animo erit, publicaque imprecatione dignus? *Oratione 15.*

Simocatta: Apud amatores distrahis, & derides nos ob partum laxatam esse mihi contractionem & vigorem corporis illudens. Tu verò tuam versutiam occultasse videris, cùm immaturum fœtum detrahis scelestissima. Abortum enim quàm partum habes potiorem, & nascentem infantem asperioribus medicamentis in ventre suffocas, & homicida Medea multò crudeliores cædes patras. Liberorum interfectricem illam instituit perfidus conjunx laudatricem ac certaminum adjutricem. At tu propter formæ, atque elegantiæ decus, innumerabiles clades efficis meretricula. Desine tandem sævitiam & inhumanitatem tuam cælare, & nostram pietatem ludibrio habere. Humanior apud nos est partus quàm abortus. Scias verò terram etiam tibi succensere: & pro filiorum cæde pœnas à non cunctante expetit. *Epistola 30.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Thesmoph. v.826.

Multa mulieres nos jure accusare possemus
In viris justè, unum verò supra modum maximum.
Oportet enim nostrum, si pepererit aliqua virum bonum & frugi civitati,
Centurionem, vel imperatorem exercitus, accipere honorem aliquem,
Primamq; sellam & honoratiorem locum ipsi dari in Thesis & sciris festis,
Et in alijs festis, quæ nos agere & celebrare solemus.
Si verò timidum & malum virũ aliqua pepererit mulier,
Vel trierarcham pravum, vel gubernatorem improbum.
Posteriorem ipsam sedere scaphio detonsam,
Ea quæ fortè pepererit. Qua enim ratione par est, ô civitas,
Hyperboli sedere matrem indutam
Albis indumentis, & capillos demissos habentem prope matrem Lamachi?
Et fœnori dare pecunias; cui oportebat si fœnori daret alicui
Et fœnus exigeret, dare nullum hominum fœnus,
Sed auferre vi pecunias dicentes hoc;
Digna scilicet es fœnore, cùm pepereris talem fœtum.

Oppianus lib.1. ἁλιευτ. v.483.

Arctata pisces cruciatibus ægrè edunt partum.
Sic nec facilem partum, ne quidem piscibus fata
Concesserunt; neq; solum molestæ partiones
Terrestribus mulieribus, sed ubique.

Oppianus lib. 4. ἁλιευτ. v. 193.

——Merulus venit alias aliam pragnantem
Dolorum partus causa. qualem in animo dolorem sustinet
Mater, unica celerem partionem filiæ
Primipara horrens: hic enim magnus metus est mulierum:
Ipsam vero nihilo minor attingit partus
Laborum fluctus: ubiq; vero extra thalamũ circumagitur
Vota faciens, suspirans, suspensum animum habens,
Donec vocem quæ laborem solvat intus audiverit:
Sic ille circum uxores trepidans uritur animo.

Oppianus lib.1.venat.v.357.

Certè & Lacones ingeniosa commenti sunt
In suis caris uxoribus, cùm utero turgent:
Pingentes in tabulis prope constituunt splendidas formas,
Eos scil. qui olim emicuerunt inter homines, adolescentes:
Nireum, & Narcissum, venustumq; Hyacinthum,
Castoremq; insignem galea, & Amyci interfectorẽ Pollucẽ,
Semideosq; juvenes, quiq; inter Deos spectabiles (sunt,)
Apollinem laurea redimitũ, & hederã gestantem Bacchũ.
Illæ verò oblectantur amabilem formam intuitæ,
Pariuntq; formosos, super forma obstupefactæ.

Plautus Amphitr.5 sc.1.v.18.

Atq; illam geminos filios peperisse conspicor,
Neq; nostrum quisquã sensimus cũ peperit, neq; prævidimus

Ibidem v. 40.

Ubi utero exorti dolores, ut solet puerperæ,
Invocat Deos immortales, ut sibi auxilium ferant;
Manibus puris, capite operto.

Mox v. 46.

——dum hæc aguntur interea uxorem tuam
Neq; gementem, neq; plorantem nostrum quisquam audivimus.
Ita profectò sine dolore peperit.

Plautus Truculento 1.sc.2 v.92.

Horresco misera, mentio quoties fit partionis.
Ita pene fuit Phronesium. i intro iam amabo,
Vise illam, atq; operire ibi jam exibit. nam lavavit.
D. Quid ais tu? quæ nunquam fuit prægnans, quei parere potuit?
Nam equidem uterum illi nunquam extumere sensi.

Plautus Trucul.2.sc.6. v.37.

Salve, qui me interfecisti pene & vita & lumine:
Quiq; vim magni doloris per voluptatem tuam
Condidisti in corpus, quo nunc etiam morbo misera sum.
S. Eia, haud abs re, meã voluptas, tibi obvenit istic labor.
Filium peperisti, qui ædes spolijs applebit tuas.
P. Multo ecastor magis oppletis opus est tritici granariis;
Ne, ille priusquam spolia capiat, heic nos exstinxit fames.

Terentius Andriæ 1.sc.4.

——Lesbiam adduci jubes,
Sanè pol illa temulenta est mulier, & temeraria,
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem.
Tamen eam adducam. importunitatem spectate aniculæ;
Quia compotrix ejus est.

Terentius Andriæ 3. sc. 2.

Adhuc Archillis, quæ assolent, quæq; oportet
Signa ad salutem esse, omnia huic esse video.
Nunc primum fac istac ut lavet; post deinde
Quod jussi ei dare bibere, & quantum imperavi
Date: mox ego huc revertor.
Perecastor scitus puer natus est Pamphilo.
Deos quæso ut sit superstes.

Terentius Andriæ 4. sc.5.

Quem ego heri vidi ad vos adferri vesperi?
M. Oh hominem audacem! D. Verum. vidi Cantharam
Suffarcinatam. M. Dijs pol habeo gratias,
Cùm in pariundo aliquot affuerunt liberæ!

Ausonius.

Omnia quæ vario rerum metimur in actu,
Astrorum dominatus agit. terrenaq; tantum
Membra homini, è superis fortuna, & spiritus auris,
Septeno moderanda choro: sed præsidet ollis
Sortitus regimen nitidæ sol aureus æthræ.
Nec solum in nobis moderatur tempora vitæ,
Dum breve solliciti spatium producimus ævi.
Creditur occultosq; satus, & tempora vitæ
Materno ducenda utero, formare videndo.
Et nondum exortæ leges componere vitæ.
Namq; ubi conceptus genitali insederit alvo.
Haud dubium solem cuicunq; insistere signo.
Qui quum vicini stationem cœperit astri,
Contiguos nullum transfundit lumen in ortus.
Ast ubi conversis post menstrua tempora habenis,
Scandit purpureo jam tertia sidera curru:
Obliqua exilem dimittit linea lucem,
Aspirans tenues per inertia pondera motus.
Quarta in sede viget primi indulgentia solis.
Suadet & infusus teneros coalescere fœtus:
Fulgur tetragono aspectus vitale coruscat
Clarum, & lene micans: quinti qui cardine signi
Incutit attonitam vegetato infante parentem.
Nam sexto vis nulla loco: quia nulla tuendi
Æquati lateris signatur regula Phœbo.
Ast ubi signiferæ media in regione cohortis
Septimus accepit lines rutilantia flammis
Recto castra situ: turgentis fœdera partus
Iam plena sub luce videt nec fulgura parci
Luminis intendens, toto igne coronæ.
Hinc illud: quod legitimos Lucina labores
Prævenit: & gravidos sentit subrepere nixus
Ante expectatum festina puerpera votum.
Quod nisi septeno quum lumina fudit ab astro,
Impulerit tardi claustra obluctantia partus
Posterior, nequeat, possit prior, an quia sexto
Æmulus octavi conspectus inutilis astri
Nescit compariles laterum formare figuras.
Sed nono incumbens signo cunctantia matrum

Vota levat, trigono vires sociante sequenti.
At si difficiles trahit Ilythyia
Tetragono absolvet dubiarum vincla morarum.

¶ Monosticha Trochaica.

Conceptus suos fœtusq; abigere plus est quàm nefas.
Concipit perdix audire vocem ubi maris potest.
Conjugem qui habet prægnantem, haud absq; liberis obit.
Cùm fluit lac è papilla partus signum putant.
Curre, obstetricem arcesse, ut cum opus est ne nobis sit.
Grandior natu per annos jam diu parere haud potest.
Innuit partum propinquum venter extumens gravis.
Lacte ali præstat parentis quemlibet, quàm extranea.
Nil moror alienâ mihi operâ fieri plures liberos.
Non tamen paupere molestus partus est quàm diviti.
Non venenum sed medicina est obstetrix quod exhibet.
Partum ex quo censes, nisi ex illo, cui nuptum est data.
Paupere in domo satis vel quavis est fœcunditas.
Phœnix ales principium ipse generis ac finis sui.
Punienda non est prægnans nisi post partum femina.
Primo in flore item puellas abstulit fœcunditas.
Quid sit esse matrem nescit, quæ nunquam partum edidit.
Quinquagesimum post annum femina ulla vix parit.
Sub tyranno mater partum abominatur editum.
Tam dolet regina in partu, quàm quævis paupercula.
Temulentæ cur committas primo partu feminam?
Ter malim sub armis vitam cernere, parere quàm semel.
Vagiens puer, tumensq; bulga, fructus conjugum est.

¶ Jambica.

Certum ad diem non respondet fœcunditas.
Conciliat animos conjugum partus ferè.
Et mense partus undecimo excludi potest.
Felicis uxor mense tertio parit.
Fœcunditas ætatem exprobrat feminis.
Lac in papillis utique partum aliquem arguit.
Non subijci partus & publicè interest.
Nulla felix sub tyranno dicitur puerpera.
Omnes mariti haud illico fiunt patres.
Prægnans amore, absq; obstetrice ulla parit.
Prægnans amore, est ipsus obstetrix sibi.
Prægnans licet sit concipit tamen lepus.
Prægnans marem ecqua admisit unquam bestia?
Prohibere nasci homicidij festinatio est.
Vt feminæ parere est, viri sic gignere est.

Pugnæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Nazianzenus:* Adversus eum qui obsistit ac contra nititur, infestissima esse acies hostilis solet. *Oratione 21. in laudem magni Athanasij.*

D. Greg. Nyssenus: Est perspicuum, quod prout fuerit instructa acies adversariorum, vetus imperator exercitus suos armat copias. *Homilia tertia in canticum canticorum.*

D. Chrysostomus: In regibus fieri solet, ut non modò qui pugnant, sed & qui vasa custodiant honoris participes sint. sæpe contingit, ut paria bellatoribus acciperent præmia, quamvis non fœdassent cruore manus, neque arma cepissent, imò ne prælium quidem adspexissent. *2. ad Timoth. Homil. 3.*

D. Io. Chrysostomus: Is qui in bello periclitantem deserit, & seipsum hostili subducit manui, suis digna increpatione & mulcta plectitur; quasi omnia corruperit ac perdiderit. *2. ad Timoth. Homilia 10.*

¶ Latinorum.

Egesippus: Neque enim est quod vereor, sed plenum verecundiæ arbitror, quod vos vincendo defatigabimini: illi autem quoties vincuntur, audaciam sumpsere, & lassati vos rebus secundis, cùm illi adversis duriores sint. Attollite igitur animos Romani viri, & adversus catervas hostium, freti patria virtute, exsurgite. Neque vos numeros moveat plebis Iudææ; cùm illos tot vestræ virtutis insignia non deterreant, quæ longè numero validiora sunt. neque enim ulla in Hebræis vel rei militaris scientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia; nullus disciplinæ usus, nulla tolerandi patientia. solum in prælium deferunt mortis contemptum. sed nemo unquam moriendo vicit hostem sed perimendo. Illi nesciunt arma nisi in bello: nos in pace armis exercemur, ut in bello casus belli dubios non sentiamus. insuetis enim eventus dubij, veteranis solennis triumphus. Quid enim aliud agimus quotidie, nisi ut nobis vana nunquam prælia sint? unusquisque domi suæ quasi in prælio exercetur; ut in prælio meditatio quædam certaminis sit. denique non erraverit quisquam asserens, quod meditationes nostræ, bella sine sanguine sint, bella nostra meditationes sint. Progredimur in bellum muniti undique: tegitur galea caput, lorica pectus, totumque clypeo corpus. ubi feriat hostis Romanum militem reperire non potest, quem ferro septum circumspicit. alijs talia arma oneri sunt, nobis integumento; quia usu levantur. adversus inermes igitur ac nudos prælium nobis est. An verò metuimus ne numero circumveniamur? primum liber in præliis equitatus est, cedendo atque insequendo bellum proludit; & quamvis maximas acies circumcursat, & quibus libitum fuit spaciis excedit. deinde in ipso pedestri certamine, non tam numerus plurium conficit prælium quā virtus paucorum. multitudo enim disciplinæ insolens ipsa sibi est impedimento; in prosperis ad victoriam, in adversis ad fugam. virtus verò patiens, & secundis valescit, nec usque ad finem labitur in adversis. *cap. 24. libri 3. de bello Hierosolym.*

Egesippus: Imminebant partibus Duces, eoque major contentio, dum quisque suis ductoribus pericula sua gestit probare. Simon suos urgebat terrore & formidine; Romanos Titus pudore sui quam maxime conveniebat, quod morte gravius arbitrantur, non exhibere pericula sua Cæsari, cum ipse toties pro exercitu periculis offerre se non dubitavisset. Armabat eos vincendi consuetudo, & cedendi ignorantia: præcipueque præsens uniuscuiusque virtutis arbiter Titus, à quo non remuneratio fortitudinis expectabatur, sed supra omnia fructus amplissimi erat præmii, illo spectante quicquam strenue gessisse, quod ei non displiceret. *cap. 12. lib. 5. de excid. Hieros.*

S. Valerianus: Difficile sine periculo vitæ suæ transigit, cui adversus sublimiorem potestatem causa dimicationis incumbit. *Homilia 14.*

Orosius: Varietas scriptorum de numero occisorum, fallacia est. Fallaciæ autem causa profecto adulatio est, dum victoris laudes accumulare, virtutemque patriæ extollere, vel præsentibus, vel posteris student. Alioquin si inquisitus non fuisset numerus, nec qualiscunque fuisset expressus. Quod si gloriosum est Duci & patriæ plurimos hostes interemisse, quanto magis lætum patriæ, & duci beatum potest videri, suorum vel multos, vel paucissimos perdidisse. ita lucidissime patet, quod simili impudentia mentiendi, qua occisorum hostium numero adjicitur, sociorum quoque amissorum damna minuuntur, vel etiam omnino reticentur. *lib. 4. cap. 20. adversus Paganos.*

Io. Sarisberiensis: Marius, cùm eum Teubonus quidam ad pugnæ certamen provocaret, respondit, si cupidus mortis esset, se vitam laqueo posse finire; & sapientem non tam pugnam quàm victoriam quærere. *cap. 14. lib. Policratici.*

¶ Oratorum Graecorum.

Aristides Sophista: Prudentiæ exempla edidit clarissima in bellis gerendis: ubi cùm videret eos qui bellicosi esse videbantur, eam habere opinionem, ut existimarent non consilii bonitate, sed pugna victoriam esse comparādam, illos nequaquam secutus est; quod arbitraretur contra ęquales qui præclare fortitudine superarentur armis; contra barbaros a. consolio utendum esse. Etenim sciebat eum quoq; qui multa hominum millia contra Gręcos adduxerat, nec vel terra vel mari potuerat capi, unius viri industria superatum fuisse. nā cū consultatione possumus superiores evadere, quid opus est pericula suscipere? Deinde prælio vincere vulgarib. etiā contigit hominibus: prudētia & sapientia superare, tantū est eorū q̃ cōsilio valēt. Præterea qui corporis robore in omni tēpore ac loco uti volūt, si quidē felices fuerint prōsunt; sin vincātur, maximis cladib. & sese & amicos implicāt. qui a. rerū gerendarū rationes secū putant, si recte fecerint, æquè voti compotes fiunt: sin erraverint, damnū tamē nullū sentiunt. quæ cùm nec Rex ignoret, non putat insulsos ac temerarios homines sibi imitandos esse, sed consilii præstantia securitatem comparandā. *Laudatione M. Aurelij Antonini Augusti.*

Aristides: Bellerophon certè Chimęram, ut ajunt poetæ, devicit, non in mare, sed in aerem super Pegasum ascendens: nec tamen igni non poterat ex terra resistere. Themistocles autem, sat scio, vel aliis appositis, si Dędalum potuisset imitari, barbaros invasisset, nedum, si terrestri prælio ex altiore irrupisset loco, ignaviæ crimē incursisset. Lacedemonios quidem ais ipse in pugna Plataica subsistere noluisse, verum Persas eo, quo sibi expediebat, protrusisse. nā Scythas, qui fugientes vicerunt, omitto. Quocumq; quis superiorē se fore sperat, eo vim hostium repellat, pręsertim si nihil contra jus iniquius agat. Jam si suo duntaxat consilio his in rebus usus esset Themistocles, cum quis diceret ab illo fuisset accusatum? Cū Deus quoq; idem jusserit, quid consequatur, ut equidem vereor dicere, ita quivis facile intelligit. Themistocles certe prorsus absolvitur. *orat. 2. Platonica pro Quatuorviris.*

Iulianus Cæsar: At enim nunquam hostibus inferiorem discedere felix esse ac fortunatum objiciet quispiam: Verum obsistere fortunæ multò est robustius; id q̄ majoris virtutis indicium est. Ecqs enim gubernator bonus est, qui pacato ac quieto mari navem dirigit, cum summa in alto tranquillitas est? aut quis currus moderator idoneus, qui in plano, atq; ęquali spatio faciles equos ac tractabiles, & celerrimos jungit, & interim suam in his artem atq; industriam ostentat? Quāto verò ille præstantior est sive navis gubernator, qui ingruentem tempestatem præsagiat ac præsentiat, atq; ut eam denitet operam adhibeat, quod si ullis fortasse de causis in illam inciderit, integram navem atque incolumen cum onere ipso conservet? sive currus moderator, qui & contra locorum asperitatem pugnet, & equos una permutet, ac si qua in re peccent violenter compellat.

Atque

Atque ut uno verbo dicam ex eventu fortunaque nullam artem examinare convenit, sed unamquamque in seipsa spectare: Neque Cleon Imperator Nicia præstantior est, tametsi ad Pylum feliciter rem gesserit; neque alius quisquam eorum, qui fortuitò potius quàm certo animi consilio victoriam retulerit. Ego verò nisi etiam fortunam tuam hostium fortuna meliorem, ac justiorem, imo omnium mortalium præstantissimam ducerem, facere huic injuriam meritò viderer, quæ omnem ejus rei sensum, in qua superiores essent, hostibus ademerit. Etenim qui sincerè de iis quæ hactenus dicta sunt judicare velit, par est ea quæ nostris parum feliciter cesserint, inexpugnabili cuidam caloris vehementiæ tribuere. Quòd verò in æqualem calamitatem hostes conjeceris, id virtute tua factum arbitrari. Quod denique offensiones suas animadverterint, secundas res ignoraverint, id verò felici quadam sorte concessum putare. *in Constantium Imp. Paneg 1.*

Iulianus Cæsar: Et Magnentius quidem eò amentiæ atque audaciæ processerat, quod adversus exploratores paululum feliciter rem gesserat: quos quidem cum universo exercitu insidiatus interfecerat. Adeò plerumque secundis rebus præter meritum uti, stolidis hominibus majorum calamitatum initium præbet. Siquidem præsente hoc successu rerum elatus infelix quæ ante Italiam erant munita locū deseruit, & ad Noricos, ac Pæonas negligēter, & incautè profectus est, celeritate sibi opus esse, nō armis ac bellica virtute ratus. Quod ubi comperisses, exercitum ex loci angustiis ac difficultatibus eduxisti, persequente illo, atque urgere se fugientem, non autem induci per fraudem existimante; donec ambo in aperto constitistis. Cumque jam ad eos campos perventum foret, qui Myrsæ imminent, Equites illicò utrinque opportunis locis collocati, peditibus in mediam aciem conjectis. Tu verò, Imperator, flumen ad dexteram habens, sinistroque cornu hostium aciem superans, statim illorum phalangem in fugam egisti, ac dissipasti, quæ perperam instructa fuerat, utpote quam imperitus bellicæ rei, atque imperatoriæ artis ordinaverat. At is, qui se persequi hactenus crediderat, cùm ne manum quidem conseruisset, passis manibus fugere cœpit armorum strepitu perterritus, neque bellico clamore personantium exercituum vociferationem sustinens. *Paneg. 1. in Const. Imp.*

§ ROMANORUM.

Incertus Panegyristes Constantino Aug. Laudare me existimas, Imp. cuncta quæ illo prælio feceris? Ego verò iterum queror. Prospexeras omnia, disposueras universa, summi Imperatoris officia compleveras: cur ipse pugnasti? cur te densissimis hostium globis miscuisti? cur salutem reipubl. in pericula tanta misisti? An nescire nos putas, quod dum nimio capereris ardore, in media hostium tela deveneras, & nisi viam tibi cædibus aperuisses, spem totius generis humani & vota deceperas? Quid tibi est, Imp. cum inferiore fortuna? toto quippe impetu ferebare, torrenti similis amni, quem abruptæ radicitus silvæ & convulsa funditus saxa sequerentur. illos pugnare fas est quibus suo cujusque fato aut vincendum est, aut cadendum. tu, cujus ex vita omnium fata pendent, ad ullum discrimen accedas? inter tot tela gladiosque verseris? quis hoc à te exigit, aut quis pati possit, ut quidquam in te belli casibus liceat? Deceat te Imperator hostem ferire? imò non decet laborare. Spectavit ex edito monte Xerxes navale certamen. Augustus aliud agens vicit apud Actium. Fuit etiam qui sublatus in scalas invicem nexas concurrentes eminus vidit exercitus; ut nec interesset periculo, & adesset eventui. Ignava, inquies, exempla: Sed tuta; graviorq; metus est periculi tui quam lætitia victoriæ. An non ipsi cæsis fugatisq; hostibus, interfectoque etiam ipso eorum duce, Comites & Tribuni corripuêre lacrimantes, amplexique illud tuum anhelum pectus, cruentas manus, & quidquid de sanguine profundæ cædis emerserat, hinc atque inde clamarunt; Quid egeras Imp. in quæ nos fata conjeceras, nisi te divina virtus tua vindicasset? quæ hæc est impatientia? aut quo tibi manus nostras, si versa vice pugnas ipse pro nobis. *Cap. 10.*

Incertus Panegyristes Const. Aug. Hæc est fiducia Imperatoris invicti, & suorum mentibus freti, non dubitare, nec trahere bellum, sed proximum quodque pugnæ tempus putare victoriā. non enim res erat tibi, ut Quinto Maximo cum Annibale victore; ut post res asperas locum tempusque captares: sed urgere te successus tuos, & quamprimū subvenire urbi decebat. sapiētis enim Imperatoris est, fractis reb. cunctando consulere, secundis nō deesse fortunæ. *cap. 15.*

Incertus Paneg. Const. Aug. Quid hoc triumpho pulcrius, quo cædibus hostium utitur etiam ad nostrum omnium voluptatem, & pompam munerum de reliquiis barbaricæ cladis exaggerat, tantam captivorum multitudinem bestiis obiici, ingrati & perfidi non minus doloris ex ludibrio sui quàm ex ipsa morte patiantur? Inde est quod cùm exitum differre liceat, perire festinant, seq; letalibus vulneribus & mortibus offerunt. Ex quo ipso apparet, quàm magnū sit vicisse tam prodigos sui. facile est vincere timidos & imbelles, quales amœna Græcia & deliciæ Orientis educunt, vix leve pallium & Sericos sinus vitando sole tolerantes, & si quando in periculum venerint, liberalitates immemores, ut servire liceat orantes. Romanū verò militem, quem qualemcunq; ordinat disciplina, & sacramenti religio confirmat, aut trucem Francum, ferina solùm carne distentum, qui vitam pro victus sui vilitate contemnat, quantæ molis sit superare vel capere? *cap. 24.*

Nazarius orat. in Constan. Aug. Difficillimam pugnæ partem tibi deligis, & tanquam pro fortunæ gradu modus virtutum debeatur; ita inter tuos non vis principatu magis excellere quam labore. Cumulatissimum quidem Principis munus est, si manu cesset, non cessasse consilio: sed tu non segnior gerere quàm jubere, simul exercitus tuos monitu regis, opere juvas, incendis exemplo, &c. *cap. 29.*

Nazarius orat. in Constan. Aug. Omnes te rogamus, cum filium præsentem laudaveris, cùm jam reipubl. flagitanti, cùm Galliis desiderantibus reddes, iterum atque iterum moneas revertentem (neque enim persuaderi facile potest) ut si armis contusa vestris Barbaria aliquid tamen moverit, sit ille animo, sit consilio tui similis. temperet modò dexteræ, manu parcat, & sit aliquid, quæsumus, in quo te iterum nolit imitari. *cap. 37.*

Latinus Pacatus: Et te quidem Imp. Auguste, ad asserendam rempubl. usurpandamque victoriam, suffecisset in bella vel solum venire. nam si olim domini adversus rebelles servos dimicaturi, flagra in aciem detulerunt, tantaque vis conscientiæ fuit, ut ab inermis verterentur armati, & qui obtulerant mortibus pectora, darent terga verberibus: nonne tu quoque legionibus otiosis rem totam visus egisses? an sustinere te coram, & solum oculorum tuorum ferre conjectum ille quondam domus tuæ neglectissimus vernula, mensularumque servilium statarius lixa potuisset? non statim totum subisset hominem præterita sui tuique reputatio? &c. *cap. 30. Panegyrici Theodosio Aug. dicti.*

§ POETARUM.

Prudent. Psychomachia 5.

Cæde Ducis, dispersa fugit trepidante favore
Nugatrix acies. ——

Plautus Amphitr. 1. sc. 1. v. 83.

Sed fugam in se tamen nemo convertitur;
Nec recedit loco, quin statim rem gerat.
Animam amittunt, priusquam loco demigrent.
Quisq; uti steterat jacet, obtinetq; ordinem.

Terentius Eunuchi 4 sc. 7.

Quid ignave? peniculóne pugnare, qui istum huc portes, cogitas?
S. Egóne? imperatoris virtutem noveram, & vim militum
Sine sanguine hoc fieri non posse, qui abstergerem vulnera.

Pulchritudinis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D*Ivus Nazianzenus:* Illa est, quæ cùm aliæ mulieres ob formæ elegantiam, tam nativam quam fictam & ascititiam, gloriari atque animis efferri soleant; ipsa contrà hanc unam quæ in anima divinaque imagine, sive tuenda, sive pro viribus repurganda, posita est, pulchritudinem agnoscebat: pictos autem & arte quæsitos ornatus ad scenicas mulieres abijciebat. *Oratione 19.*

D. Nazianzenus: Pulchritudo ea quæ in coloris elegantia & apta membrorum compositione animo fingitur, temporis utique est & morbi ludibrium. *Oratione 31.*

D. Greg. Nyssenus: Quis parvæ scintilhulæ solem comparat? aut parvam stillam cum immensa aquarum voragine confert? nullam enim comperationem habet, neque cum voragine gutta, neque cum solis radiis minima scintilla. Eodem modo se habent omnia quæcunque homines tanquam pulcra admirantur, comparatione facta cum eo, quod omne pulcrum atque bonum excedit.

Paullopost: Pulcritudinem quæ sensibus percipitur, quæve in terris in nostra hac vita cernitur, sive illa sit in rebus inanimis, sive in corporibus animatis; bono aliquo colore excogitato, vis sensuum nostrorum per se satis est, ut eam nos adspiciamus, admiremur, demonstremus aliis, ac sermone, quasi in tabella quadam expressa sit pulchritudinis hujus species, Notam eam ceteris faciamus; neque enim ejus exemplar intelligentiam fugit. At quomodo fiet, ut ob oculos divinam pulchritudinem oratio, quæ nullam describendi artem comperit, non dicendi colorem, non figuram, non magnitudinem, non integritatem formæ, neque ullas planè id generis nugas habet? Quod enim omni ex parte obscurum est, neque ulla forma expressum, quodve ab omni magnitudine alienum, longeque ab his omnibus positum est quæ corporis sensibus cernuntur, id quomodo aliquis cognitum ex iis rebus haberet, quæ solo sensu comprehenduntur? *capite 10. de Virginitate.*

D. Greg. Nyssenus: Alexander carbonarius, ut maximè virtutem ad quam adspirabat assequeretur, operam dabat, ut talis esse ignoraretur, contemptione genere vitæ veluti turpi quadam persona sese occultans. Atque alioquin etiam, quòd eximio flore juventutis præditus esset, periculosum esse ducebat ei, qui continentiam sibi sectandam proposuisset, corporis sui pulchritudinem patefacere, felicitate naturæ tanquam in pompa sese ostentantem: noverat enim ejusmodi rem gravium offensionum ac dilectorum occasionem plerisque præbere solere. Ne igitur vel sibiipsi aliquid accideret imprudenti, quod factum doluisset, vel alienis oculis casus & offensionis materiā præberet, idcirco se carbonario opificio veluti persona quadam deformi consultò circundat, quo tam corpus labo-

ribus ad virtutem exerceretur, quàm pulchritudo sordibus carbonum infecta obtegeretur, & simul pecunia, quam ex laboribus quærebat, ad mandatorum exequutionem dispensaretur. *Oratione de Vita D Greg. Thaumaturgi.*

D. Greg. Nyssenus: Si historia rerum ab eo gestarum incondita est, sermone nostro consultò prætermittente eas quæ solerti quadam excogitatione adhiberi rebus solent, amplificationes & exaggerationes; fuerit etiam hoc non levi apud eos qui recto judicio res æstimant, testimonio & argumento, quod nullo modo de industria miracula viri augeantur, tanquã cujus rerũ memoria sufficiat ad perfectissimã laudem; veluti nativa quædam pulchritudo, quæ nullius lenocinij supervacua adhibita cura in facie efflorescit. *Vita Greg. Th.*

D. Greg. Nyssenus: Lubenter pulchritudini formę & ætatis oratio immoratur, solet enim ex magnitudine pulchritudinis creaturarum, etiam ea quæ est in occulto pulchritudo æstimari: quoniam & animi puritas per id quod apparebat, elucescebat; & is qui apparebat homo, dignum domicilium erat ejus qui latebat visumque effugiebat. *Orat. 2. in 40. martyres.*

D. Greg. Nyssenus: Descriptio pulchritudinis attrahit omnem juvenum cupiditatem ad id quod ostenditur; accendens desiderium ut sit particeps venustatis & elegantiæ. *Hom. 1. in cant. Canticorum.*

D. Chrysostomus: Si mundanus homo formosam aliquam puellã conspicatus fuerit; protinus captus trepidat, rabidique canis in morem eam sequitur: cùm contra faciendum sit. Etenim cùm mulierem egregia forma præditam cernis: ne hoc spectes quomodo cupiditatis tuæ compos fias, sed quonam pacto cupiditate libereris. Et quanam ratione id fieri possit, inquies? Neque enim amare mei est arbitrij. Cujus ergo, dic mihi? Insultus diaboli. Omninò igitur diabolum esse arbitraris, qui insidias struat? Luctare igitur, & pugna cum morbo. At non possum, inquies. Age igitur hoc primùm te docebimus; ignaviæ tuæ esse, id quod tibi accidit: teque ab initio dæmoni aditum præbuisse; ac nunc, si voluntas ita tulerit, eum facillimè propellere posse. Age enim, qui adulterium perpetrant; utrum amore ducti id perpetrant, an quòd simpliciter pericula expetant? Amore ducti haud dubiè. Num igitur veniam propterea obtinent? Minimè. Quid ita? Quoniam ipsorum est peccatum. At quid syllogismos nectis, inquies? conscius mihi ipse sum, me affectum hunc submovere velle; nec tamen id possum: verùm id imminet, graviterque me premit & excruciat. Vis quidem illud, ô homo, submovere? at non ea facis, quæ ab iis, qui submovere cupiunt, requiruntur. Verùm perinde facis; ut si quis febri correptus, ac sese frigida aqua ingurgitans, dicat: Quanta comminiscor, dum febrim extinguere studeo: nec possum, sed flammam potiùs meam accendo. Videamus igitur num tu quoque ea facias, quę morbum inflamment; cùm tu ea excogitare putes, quæ extinguant. *Homil. 7. ad Corinth. 2.*

D. Chrysostomus: Pulcritudo, cùm advenerit morbus & senectus, cedit, moritur, & interit. *Homil. 13. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Si quis à theatro & à scena abducto aliquo incontinente & impudico, qui amore corporum flagrat & bacchatur, ostenderet puellam virginem in ipso flore ætatis, & quæ in aliis superet æquales, & vultu supra omnia membra, & quæ teneros mollesq; habeat oculos, leniter insidentes, leniter volventes, flexibiles, mites, serenos, subridentes, & multo quidem pudore compositos, & multa gratia, nigris palpebris, inferne autem & superne sit coronata & animatam, ut ita dicam, habeat pupillam, nitidum frontem, inferne autem genam ad summum ruborem venientem, instar marmoris subjectam planam & æquam. Deinde mihi ostenderit Paulum lacrymantem, ea dimissa ad ipsum spectandum exilirem. Ab ejus enim oculis resplenderet pulchritudo spiritualis. Nam illa quidem facit juvenum evolare animos, accenditque & urit. Hæc autem contra comprimit. Hujus qui videt oculos, oculum animæ efficit pulchriorem, ventrem comprimit, replet philosophia & multa cõmiseratione, & adamantinam mollire potest animam. *Homil. 12. ad Colossenses.*

D. Chrysostomus: Ne erudiamus viros solas intendere uxorum facies. nam si hujusmodi ornatus deserviat studio, cito vir tuus hujusmodi amare faciem consuetus, vultu meretricio capietur. Quod si illum docueris amare in uxore mores, venustamq; dignitatem, non facile convolabit ad scorta. neque enim hæc in meretrice reperiet, sed contraria penitus. Noli docere virum risus suavitate decipi, neque fracto solutoque incessu capi; ne adversus teipsam illi arma ministres: instrue illum castitate gaudere. poteris autem id, cùm hujusmodi habitum præfers. nam si levis inconstans, ac lubrica fueris, quomodo verbum honestum & grave proferre poteris? quis te non rideat atque subsannet? *fine Homil. 4. ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Vis videri pulchra? ego quoque hoc volo, sed pulchritudine quam Deus quærit, quam Rex concupiscit. Quemnã vis habere amatorem? Deum an homines. Si sis pulchra illa pulchritudine, Deus tuam concupiscet pulchritudinem. Sin autem hac absque illa, ille quidem te abhorrebit: erunt autem tui amores viri execrandi & scelesti. Nullus enim est bonus, qui amat mulierem junctam matrimonio. Hoc etiam cogita in mundo externo. Nam ille quidem mundus, mundus, inquam, animæ, Deum attrahit: hic autem viros sceleratos. Vides quòd vestri curam gero, quod de vobis sum solicitus, ut sitis pulchræ. Verè pulchræ, & gloriosæ: vera, inquam, gloria gloriosæ: ut pro viris sceleratis habeatis amatorem Deum omnium Dominum. Quæ autem illum habet amatorem, cui erit similis? Choros ducit cum Angelis. Nam si quæ à Rege amatur, supra omnes beata ducitur: quæ à Deo multo amore diligitur, quanta erit ejus dignitas? Etiamsi dixeris universum orbem terræ; nihil erit dignum illa pulchritudine. Hanc ergo exerceamus & colamus pulchritudinem. Hoc mundo ornemur, ut ad cœlos perveniamus, in cœnacula spiritualia, in thalamum sponsi in quem nullus cadit interitus. Nam hæc quidem pulchritudo ab omnibus expugnatur: & quando etiam pulchre manserit, & neque morbus, neque sollicitudo eam vexaverit, quod quidem fieri non potest, non permanet annos viginti. Illa autem semper floret, semper viget. Non est illic quod metuas mutationem. Non irruens senectus inducit rugam. Non ingruens morbus flaccidam efficit & marcidam. Non ex animi ægritudine profecta cura eam corrumpit: sed est his ut omnibus superior. Hæc autem priusquàm apparuerit recedit. Et quum apparuerit, non multos habet admiratores. Nam qui sunt quidem modesti & temperantes, non admirantur, qui autem admirantur, cum libidine admirantur & lascivia. *Homilia 82. ad Hebræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Pulchritudine atque opibus, ut apparet, gloriaris, aliosque, quibus hæc desunt, pro nihilo ducis: illud ignorans, te fœno quàm ocyssimè marcescente coornatum esse. Atque item pecunias tanquam aquam contines, quæ alios ex alijs humectat, ac rursum ad alios fluit. Quamobrem aut ad infidas huiusmodi opes, perinde atque ad umbram, & fumum, & ventos, animum adiice: aut illud scito, te umbræ, & fumo, & ventis confidere. *Libro primo, epist. 274.*

S. Isidorus Pelusiota: Si corpoream pulchritudinem spectes, illud cogita, præclarum hunc florem crastino die pulverem fieri, atque hodiernum ignem postera luce in cinerem labi. Quicquid enim finem habiturum est; & quidem celerrimum, quantumvis splendidum & expetendum esse videatur; contemptui esse debet: ac præsertim, cùm supplicium quoque parit. *Libro tertiò, epistola 143.*

S. Isidorus Pelusiota: Multi, qui corporis formâ eximiâ emicuerunt, etiam animi pulchritudine splenduerunt. Quòd si fidem mihi non habes, specta castissimum Josephum. Cum enim esset formosus aspectu, & pulcer visu, ut scriptura de ipso testatur, & Ægyptia fœmina quæ in ipsum insaniit: At castitatis ac temperantiæ virtute etiam amplius fulgebat, & flammam ab ætate adolescentiæ excitatam extinguebat (neque enim lapideus erat) & tyrannicam vim adulationis muliebris conculcavit. Major autem, si quid mei est judicij, vis est adulationis quam timoris. Cæterùm cogitare quoque oportet, quod & hera fuerit ea quæ adulabatur, & ornata eximiè, & tunicam voluptatis deposuerit, & mulier, gravis atque efficax orator, ad dementandum eos qui non sibi cavent, & antiquum Diaboli instrumentum, per quod multos fortes viros dejecit. Veruntamen hisce omnibus machinis ille superior extitit. Quòd si etiam femineum sexum videre volueris hac in re coronatum, specta nobilissimam Susannam quæ in juvenili corpore, & formâ quæ verbis sat explicari non possit, refutavit ac repulit Seniorum libidinem, & castitatis pretiosiss. thesaurum non perdidit. Quod autem multi traducere solent formosos & bonos, noli mirari. Primùm enim videntur eos traducere propter illos, qui pulcritudine corporis abusi sunt ad nequitiam. Deinde, quia multi hanc velut artem factitant, ut hominibus maledicant & obtrectent. Tertiò, multi mortales quia ipsam attingere animam non potuerunt, exterius appositum ornatum vulnerare aggrediuntur. Et attestantur hoc (nihil enim vetat quo minus iterum iisdem exemplis utamur) cùm Josephus ipse, qui & fratrum & heræ calumniis appetitus est: tùm Susanna à Senioribus condemnata. Sed incorruptus judex & illum & istam coronavit. Quare noli in formam conferre culpam, sed potius in turpem ac deformen animam, quæ in pulcerrimo corpore habitat, idque dehonestat, probro affectum. *lib. 4. epist. 76.*

Synesius: Natura omnes formæ ac pulchritudinis desiderio tenemur, ad quam magna ex capillorum laude fit accessio, quos jam inde à pueris nobis natura conciliavit. *Initio Encomij Calvities.*

¶ Latinorum.

S. Zeno: Omnis caro fœnum, & gloria ejus, sicut flos fœni: cujus si curam geris, pecuniam te esse cognoscis. An ejus virtutem diligis? frangit, ac subigit illam quivis dolor. An pulchritudinem ejus? & commutabilis res est: & quæ una febri, vel qualibet facillimè deleatur injuria. Ecce procuratores, vel gubernatores ejus oculi aliquo ictu extincti subsidunt. nonne cadaver est unum? Ecce tabidus pulmo pinguibus sputamentis exesus detestabili omnia macie gestatoris sui ossa denudat. Nonne horrebit etiam sibi quodammodo illa excarnata umbra tractabilis? Longum est ire per singula. Ecce peremptorius aliquis morbus totam machinam lecto prosternit. ecce tempestas undique mortis incumbit: nonne statim illa, quæ erat domina voluptatum, fit præda morborum? postremò jacentes reliquas mors vendicat sibi, insuper ei pœnas gehennæ paritura. Tunc carnalis Minus ille finitur, exanguique nihil jam suffragantia tota illa ornamenta medentur, nisi quòd à falsè plangentibus adhuc viventi rapiuntur. *Sermone de Spiritu & carne.*

Ennodius: Turpissimis sunt moribus quæ pulcras se esse meminerunt. *Dictione 26. m.*

Ennodius: Procul à maturitate vestra, illiciens decore formositas. *lib. 8. Epist. 5. a. m.*

PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRAECORUM.

Isocrates: Insigni pulcritudine prædita fuit: qua in tota rerum natura nihil est augustius, nihil preciosius, nihil divinius. Cujus vires hinc facilè intelliguntur. Multa enim sunt, quibus plus honoris quam vel fortitudine, vel justicia, vel sapientia præditis habeatur. Eorum autem quæ pulchritudine destituuntur, nihil diligi: sed contemni potius omnia, quæ hujus boni expertia sunt: & virtutem cò potissimum celebrari, quod omnium actionum pulcherrima sit, reperiemus. Quantum autem pulchritudo antecellat omnibus rebus: è nostris affectionibus erga formosos potest intelligi. Nam cæteris rebus, quarum usus aliquis nobis esse potest, tantùm potiri volumus: animi verò propensione ulterius haud progredimur. at pulchrorum amor natura nobis est insitus: cujus tanto majores vires sunt, quàm ut deliberandi spacium præbeat: quanto res ipsa est præstantior. Ac ijs quidem qui vel sapientia, vel alia quapiam facultate præcellunt, invidemus, nisi nos quotidianis beneficiis alliciant, & sui amorem quasi extorqueant: formosis autem è primo statim aspectu benevolentia conjungimur: & solos eos, quemadmodum Deos, colendo non defatigamur: sed libentius eis inservimus, quàm alijs imperamus: majoremque illis gratiam habemus, si multa imperent: quam si nihil faciendum denuncient. Jam si qui alteri cuipiam præcellentiæ obnoxij sunt: eos insectamur, & adulatores nominamus: servos autem pulchritudinis, elegantes & industrios existimamus. Tanta denique pietate & cura formam complectimur: ut, si qui formosorum malo consilio florem ætatis prostituerint: severiore censura notemus, quàm eos qui aliena corpora violarunt. Qui verò ita suam formam custodiunt, ut, tanquam in templum, nullus improbis pateat aditus: eos reliqua ætate, perinde ac si toti civitati benefecissent, honoramus. Et quid opus est humanis opinionibus recensendis immorari? cùm Jupiter optimus maximus in aliis potentiam suam demonstret, ad pulchritudinem verò humili persona suscepta accedēdum esse censeat? Amphitryoni enim factus similis, ad Alcmenam venit: in aureum imbrem mutatus, cum Danae congressus est: oloris figura, in sinum Nemeseos confugit: atque iterum ejusdem avis speciem cùm haberet, Ledam sibi despondit: denique semper arte quapiam, nunquam vi, tales naturas eùm consectatum esse constat. Et apud Deos, forma tanto est quàm apud nos honoratior: ut etiam suis uxoribus, cùm ab ea vincuntur, ignoscant: multæque dearum immortalium proferri possunt: quæ, cùm humanę formæ succumberent: tantum abfuit, ut ulla rem eam sibi dedecori esse putaret, aut clam habere studeret: ut tanquam re bene ac laudabiliter gesta, hymnis celebrari potius quàm sileri voluerint. Cujus rei signum illud evidentissimum est, quòd plures ob formæ præstantiam, immortalitatem adeptos esse scimus; quàm propter virtutes cæteras universas. *Laudatione Helenæ.*

Xenophon: Atque heic jam maxima ex parte facies ejus adparuit, & collum & manus adparuerunt. Adeoque scito, mi Cyre, tam mihi quam aliis eam intuentibus visum esse, numquam mulierem in Asia vel esse natam, vel exstitisse talem ex mortalibus. Sed enim, inquit, omnino tu eam spectabis. Et Cyrus: Immo vero multo minus, ait, si talis est, qualem tu prædicas. Quid ita? inquit adulescens ille. Quia si nunc, ait, postquam de te audivi, eam esse formosam, persuaderi mihi patiar, ut ad spectādum illam abeam, non admodum otiosus: vereor, ne multo citius illa mihi rursum persuadeat, ut spectatum redeam, ac deinde neglectis fortasse rebus iis, quæ mihi gerendæ sunt, oculis in hanc fixis desideam.

Et adulescens ille cum risu inquit: Existimásne, mi Cyre, formam humanam tantum habere virium, ut nolentem cogat facere, quod facto non sit optimum? Nam si hoc ita comparatum esset à natura, omnes eodem modo cogeret. Ignem, inquit, adspice, ut omnes itidem urat. Nam talis à natura est. At ex formosis alij amantur, alij non amantur: & alius alios amores habet. Est enim hæc res in voluntate posita, & unusquisque quos vult amat. Jam neque frater sororis amore tenetur, sed alius: neque pater filiam, sed alius amat. Etenim metus & lex ad coercendum amorem virium satis habent. At vero si lex promulgaretur, ut qui non comedunt, non esuriant: & qui non bibunt, non sitiant: utque nec hyeme algeant, nec æstate caleant: in his ut homines parerent, lex nulla posset efficere. Sunt enim à natura sic comparati, ut his sint inferiores. Amare vero, in voluntate positum est. Unusquisque sane amat, quæ sibi conveniunt, ut vestes & caligas.

Qui fit igitur, inquit Cyrus, si voluntarium quiddam est amor, quod fieri nequit, ut aliquis desinat, quum vult? Vide ego, qui præ dolore, quem ex amore percipiebant, flerent: & iis, quos amabant, servirent: tametsi prius, quam amarent, servitutem rem malam esse arbitrarentur: quique multa largirentur, quibus carere suo sine incommodo non poterant. Tum qui optarent, ut amore non secus atque morbo quodam alio liberarentur, neque tamen liberari possent: sed validiore necessitate vincti essent, quam si ferro fuissent constricti. Itaque etiam se suis amoribus exhibent amantes ad obsequia multa sine fructu, ac ne quidem aufugere conantur, quum ejusmodi habeant mala, sed potius amores suos ipsi, ne aufugiant, observant. Et adulescens ille ad hæc: Faciunt vero, quæ dicis, ait. Et sunt profecto hujusmodi homines secordes & futiles. Quo fit, mea quidem sententia, semper ut optent mori, tamquam miseri: quumque rationes infinitæ sint è vita excedendi, non tamen excedunt. Iidem furari quoque conantur, & ab alienis haud abstinent. Verum ubi quid vel rapuere, vel furto subtraxere, vides ipse, inquit, te primum increpare furantem & rapientem, quum nulla necessitas eos ad furtum adigat; neque veniam dare, sed pœnas sumere. Sic ergo neque formosi ad amandum se cogunt; nec ad adpetendum ea, quæ adpetenda non sunt: sed nullius momenti homunciones in omnibus cupiditatibus sunt impotentes, ac deinde in amorem culpam conferunt. At honesti probique viri tametsi & aurum, & equos bonos, & mulieres formosas expetant: nihilo tamen minus ab his omnibus facile semet abstinere possunt, ut per injuriam ea non adtingant. Ego quidem certe, tametsi hanc conspexerim, perque mihi venusta visa sit: tibi tamen adsum, & equito, & cetera quæ mei sunt officij, præsto.

Profectò, inquit Cyrus, discessisti fortasse citius, & ante id tempus, quo solet à natura machinis suis amor homines occupare. Nam fieri potest, ut etiam ignem quis tangens, non statim uratur: & è lignis flamma non statim emicat. Ego tamen nec ignem ultro tangere, nec formosos adspicere soleo. Ne tibi quidem consulo, mi Araspa, ut oculos formosis diutius immorari sinas. Nam ignis quidem non nisi tangentes urit, ac formosi etiam eos, qui è longinquo spectant, sic accendunt, ut amore flagrent. Bono animo sis, ait, mi Cyre. non enim futurum, ut ita capiar, ne quidem si numquam hanc spectare desinam, ut aliquid præter decori rationem admittam. Rectissime, inquit, ais. atque adeo hanc mihi adservato, quemadmodum jubeo, ejusque curam gerito. Nam fortasse mulier hæc opportune nobis usui magno fuerit. His dictis ab se invicem tunc discesserunt. Adulescens autem ille tum quod supra modum formosam mulierem videret, tum quod ejus honestam bonitatem animadverteret, tum etiam, quod coleret eam, seque putaret ei gratificari, & illam non ingratam esse sentiret, quæ vicissim per famulos suos curam adhiberet, ut venienti necessaria suppeterent, ac si quando ægrotaret, nihil ut ei deesset: his igitur omnibus factum, ut amore caperetur, nec mirum aliquid ei fortassis accidit. *cap. 2. & 3. lib. 5. Cyropædiæ.*

Xenophon: Tametsi vero & Abradatas, & currus ejus sane pulchrum spectaculum exhiberent: prius tamen homines eum contemplari non potuere, quā Panthea discessisset. *cap. 27. lib. 6. Cyrop.*

Xenophon: Ac initio quidem, ubi statim aliquis animadvertisset, quid ageretur; elegantiam formæ à natura quiddam esse regium existimasset, præsertim si quis hanc, ut tum Autolycus, cum verecundia modestiaque conjunctam haberet. Primum enim, veluti quum noctu jubar aliquod exoritur, omnium oculos illud in se convertit: ita tum quoque Autolyci venustas oculos omnium ad se trahebat. Deinde illorum, qui eum adspiciebant, nemo erat, cujus animus hunc intuendo non adficeretur. Alij plus solito silebant, in aliis gestus etiam aliquis novus cernebatur. Ac videntur quidem omnes spectatu digni, qui ab aliquo deum adflati detinentur: verum quibus à diis ceteris id accidit, præterquam quod adspectu sunt truculentiores, & in loquendo terribiliores, etiam vehementiores esse videntur. At vero qui ab amoris pudici numine adflati sunt, ij tum quod oculos adtinet, amabiliores sunt; tum vocem mitiorem fingunt; & gestus ad speciem quandam maxime liberalem conformant. Quæ quum id temporis præ amore Callias faceret, conspicuus illis erat, qui essent huic deo initiati. Atque hi quidem cœnabant taciti, quasi mandatum hoc ipsis ab aliquo potiore fuisset. *cap. secundo Convivij.*

Xenophon: Sed tu Critobule, in certamen adversus Socratem de pulchritudine non descendis? Non profecto, ait Socrates. Nam fortasse lenonem apud judices magna esse in existimatione videt. Nihilominus ego, subjecit Critobulus, non recuso. Doceto autem me, si quid habes doctrinæ, te pulchriorem esse quam ego sim. Tantum, ait, lucerna aliquis propius adferat. Primum ad caussæ te inquisitionem provoco. Tu mihi respondeto. At tu interrogato. Vtrum igitur pulchritudinem in homine tantum existimas esse, an etiam in aliqua re alia? profecto, ait, mea quidem sententia est etiam in equo, & bove, & multis rebus inanimis. Nam & scutum esse pulchrum scio, & gladium & hastam. Et qui fieri potest, ait, quæ invicem sibi nulla sunt re similia, esse omnia pulchra? Si ad opera, quorum caussa nos ea singula paravimus, bene fuerint elaborata, vel apta satis à natura illis usibus, quibus serviunt, & ipsa pulchra sunt, inquit Critobulus. Nosti ergo, cui nobis usui sit oculus? Ei scilicet, ait, ut videamus. Hoc igitur pacto tuis pulchriores oculi mei fuerint. Qui sic? Nam tui tantum directo adspiciunt, mei etjam transuersim, propterea, quod exterius promineant. Ergo tu cancrum ais inter animalia cuncta præditum esse oculis optimis? Maxime vero, inquit. Nam habet oculos à natura egregie ad robur etiam comparatos. Esto sane, ait. At uter nasus, meusne, an tuus est pulchrior? Equidem, ait, meum esse pulchriorem arbitror: si quidem odores percipiendi caussa dij nobis nares condiderūt. Nam meatus narium tui terram versus spectant, mei vero sursum expansi sunt: quo fit, ut ab omni parte odores recipere possint. Nasus autem simus quomodo recte potest esse pulchrior? Quia nihil est, ait, quod obsepiat, sed permittit, ut oculi mox, quæ velint, videant. At nasus sublimior, quasi si faciat id per injuriam, sepimento quodam oculos dijungit. Quod os autem adtinet, ait Critobulus, equidem tibi cedo.

Nam si mordendi causa factum est, longe tu magis aliquid morsu avellere possis, quam ego. At vero quia tibi labra sunt crassa, non meum putas osculum esse mollius? Videor, inquit, uti tu quidem prædicas, etiam asinis os habere turpius. Sed enim non existimas argumentum illud esse satis magnum, me pulchritudine te superare, quod & Naides, quæ divæ sunt, Silenos pariant; mihi, quam tibi similiores? Non possum, inquit Critobulus, amplius contradicere. Itaque distribuantur sane calculi, ut quamprimum sciam, quid me vel perpeti, vel multæ nomine exsolvere oporteat. Hoc tantum velim, ait, ut clanculum eos ferant. Nam tuas & Antisthenis opes metuo, ne me copia sua opprimant. *Cap. 23. Convivij.*

Dio Prusæus: Dij boni, quàm excelsæ staturæ adolescens, & formosus? Præterea species illi est antiqua, qualem ego in nemine hujus seculi vidi: sed similis est consecratus admodum veterum puerorum imaginibus. Nam posteriorum imagines semper pejores & ignobiliores esse videtur, tam ita ab opificibus factæ, quàm quod magis illi ipsi tales sunt. Certè rem dicis malam, quemadmodum plantæ atque animalia, ita & pulchri tempore defecerunt, ut leonibus accidisse ajunt in Europa. Neque enim illorum superest genus. Prius verò erant & circa Macedoniam, & aliis in locis. Malum hercle est, si ita pulchritudo periit ex hominibus. Virilis, ô bone, pulchritudo, nam muliebris forsan adhuc redundat. Vir autem pulcher, & raro nunc extat, & existens à plurimis ignoratur: multo magis quàm pulchri equi à mulionibus. Quin etiamsi quis talem attingat, fit cum contumelia, & nullam ob rem bonam. Quare mihi videntur, etiamsi extent, citò desinere, & obscurari. Non enim sola virtus laude agetur, verùm etiam pulchritudo, ab honorantibus eam, & venerantibus. Porrò neglecta, & nemine in eam spectante, aut pravis spectantibus, extinguitur, sicuti specula.

Nunquid ergo (quod Athenienses sæpe fecerunt) & nos oportet præsens seculum perscribere interregnum, quod nullus sit formosus? Ita hercle, ut Persæ quidem existimabant: nullus autem Græcorum, aut quispiam ex Triginta. An nescis Critiam illum ex Triginta viris, pulcherrimam dixisse speciem, inter mares quidem esse fœminam, inter fœminas autem è diverso? Igitur merito Athenienses illum fecerunt legislatorem, ut refigeret veteres leges: qui & nullam reliquit. Esto. Persæ verò quomodo existimabant? An non manifestum, quòd eunuchos faciebant ex formosis, ut ipsis quàm pulcherrimi essent? tantum differre putabant fœmineam formam, quod ad pulchritudinem attinet. Ita ferè & omnes barbari, qui ut cætera animalia, veneream duntaxat rem cogitant. Ut igitur dicitur fecisse Dædalus, taurum decipiens, ligno circundato tergore bovis: ita & illi mulieris speciem circumponunt amatoribus, aliter autem nesciunt amare. Fortasse autem & cibus in causa est Persis, quòd diu aluntur à mulieribus, & senioribus eunuchis: pueri vero cum pueris, & adolescentes cum adolescentibus prorsus nullam habent familiaritatem, neque nudantur in palæstris & gymnasiis. Unde ego puto accidere illis, ut rem habeant cum matribus: quemadmodum pulli, quando adultiores facti, adhuc sequuntur matres, inire eas conantur. Cibi verò vis & hinc ostenditur. Multo enim pulchrior est equus asino. Asini autem non concupiscunt equos, propter naturam, nisi si quis nutritus sit lacte equino. Similiter & equus sub asino educatus, affectus est.

In homines verò, & potestas multum habet iniquitatis. Neronem ergo omnes novimus nostrò tempore, quòd non solum virilia exsecuerit amato, sed & nomen illi indiderit muliebre, nempe suæ amicæ & uxoris, quam ille concupiscens duxerat: palam exclusa priore, sub qua regnum acceperat. Quod erat nomen mulieri, quod indidit eunucho? Quid hoc ad te? Prorsus sanè. Nonne dicta fuit Rhodogune? Sed ille quidem & capillos capitis discrevit, & famulæ eum sequebantur quocunque iret, amiciebaturque veste muliebri, aliaque sic cogebatur facere. Denique propositi sunt magni honores, & immensa pecuniarum copia, si quis illum facere posset mulierem. Et erant qui pollicerentur. Cur enim non promitterent tanta danti? An nostis, dantis potentia quanta sit? Sanè ubi & quando imperatorem creare oportet, ditissimum eligunt, & à quo sperant quamplurimum argenti recepturos se. alia vero non sunt illis curæ, qualiter habeant, etiam si omnes adepto imperio sit castraturus, & alios, & eos ipsos qui pecunias receperunt, & insuper omnibus fortunis spoliaturus. Hoc verò maxime superabat Nero: & nemo illi ulla de re quam diceret contradicebat: neque impossibile ajebat, quod jusserat: ita ut quum quendam etiam volare jussisset, ille ei promiserit, multoque tempore nutriebatur intus apud eum in aula, tanquam volaturus. Solus enim haudquaquam parcebat pecuniis, neque dando neque accipiendo. Propter unam illam ergo contumeliam, qua eunuchum affecit, & interfectus est. Iratus enim foras extulit illius consilia, ad eos qui circa illum erant: atque ita ab eo defecerunt, coactique sunt quocunque tandem modo eum perdere. Nondum enim etiamnum illud certum est: quandoquidem quod ad alios attinet, nihil obstitit, quo minus perpetuò imperium tenuisset. & adhuc omnes cupiunt eum vivere, plurimi quoque id putant: neque semel, sed frequenter, post eius mortem affirmatum unà cum multis, vehementer putantibus eum vivere. *Oratione 21.*

Dio Prusæus: Ipse autem fuit hominum pulcherrimus, non modo hujus seculi, verùm (ut conjicere licet ab excellentia) etiam omnium simpliciter qui quovis seculo nomen sunt adepti ob pulchritudinem, quicunque fuerunt mortales. Alii enim qui habiti sunt formosi, partibus quibusdam corporis præditi decentibus visi sunt formosi: quum visus semper jucundissima videre velit, negligatque deteriora. Quidam verò speciosum corpus natura non sunt nacti, juventus autem illis accessit: deinde qui vincebantur à juventutis decore, eosque videntes, pulchritudinem eam appellarunt, quum semper juventus floreat in omnibus & animalibus & plantis. Tales igitur invenias sexcentos, qui iidem nunc pulchri habentur, nunc turpes: quique his quidem valde placeant, apud alios vero nullo habeantur in precio. Integra autem & vera pulchritudo, omnibusque admiranda, nondum cuiquam obtigit, sicut huic. In toto enim corpore eam possedit, & semper similiter & ante pubertatem, & post: neque mutata est, licet huc usque ætatis pervenisset: neque etiam si ad longissimam senectutem processisset, foret obscurata. Hoc verò indicium est excellentiæ. Neq; enim solum inter plebejos dijudicatus præcelluit, neque à paucis spectatus admirationi illis fuit, sed semper ferè inter omnium pulcherrimos athletas conversatus est. Qui enim maximi & speciosissimi habentur, plurimamque corporum curam gerunt, illi sunt. Conspectus est autem propemodum ab omnibus hominibus. Nulla enim civitas est insignis, neque gens ulla, quò non pervenerit: & apud omnes similiter eandem habuit gloriam, quod neminem vidissent pulchriorem. Ille igitur, quum quamplurimis quidem esset admirationi, inter pulcherrimos autem solus haberet pulchritudinis famam, manifestum est, divina eum fuisse quadam forma præditum. Proinde ego primùm eum beatum dico ob pulchritudinem, quæ humanorum bonorum illustrissimum est, & jucundissimum tam deis quàm hominibus, habentique promptum & cognitu facilimum. Nam alia bona quum cui adsunt, latent ferè, ut fortitudo & prudentia, nisi ex facto quodam demonstrentur: pulchritudo vero non potest latere. Siquidem & habenti apparet: & dicere posses quod etiam prius, atque etiam aliis acutum sui sensum præbet. Præterea quoque alia bona invidiosa sunt, & inimicos habent: pulchritudo autem sui sensum habentes facit amicos, nullumque sibi inimicum permittit fieri. *Oratione 28.*

Dio Prusæus: Porrò eidem inesse difficilimum est fortitudinem pariter, & pulchritudinem, modestiamque. Pulchritudo enim homines maxime mollit, persuadetque deliciari, ut nullius alterius gloriæ indigos, quum quis & celebris factus est ob formam, socordiaque est suavior. Invenias autem à principio reputans, pulcherrimos ex prioribus complures, nullum fortitudinis neque virtutis facinus designasse. Sed Ganymedes quidem eo quod puer ex hominibus sublatus est, nihil videtur splendidum fecisse. De Adonide vero, & Iasone, aut similibus, quicunque magnam ob formam adepti sunt gloriam, nihil præterquam de pulchritudine audimus. Solos autem quis dixerit ex valde pulchris fortes fuisse Theseum & Achillem, atque his non admodum modestia inerat. Neque enim unquam ille quidem Helenam vi rapuisset, neque hic movisset seditionem. Hippolyto sanè modestia erat: an fortis vero fuerit, incertum. Neque enim verum indicium est venatio. *Oratione 29.*

Aristides Rhetor: Vt in pulchro corpore decora sunt initia & finis; ita in hoc mari Ægeo quoq; contigit, ut & initium & finis singulari excellunt gratia, hoc est, quod ajunt, à capite ad pedes usque pulchritudine admodum est insigne. *Oratione in Pelagus Ægeum.*

Arrianus: Quid pulcrum facit canem? Virtus canis si adsit. Quid equum? virtus equi si adsit. Quid ergo hominem? Virtus opinor hominis si adsit. Et tu ergo adolescens, si pulcer esse vis, in isto elaborato, ut virtute humana sis præditus. quæ autem illa est? Vide quosnam ipse laudes, cum sine affectu aliquos laudas; justos ne an injustos? justos. utrum modestos an intemperantes? modestos. continentes an incontinentes? continentes. Ergo si talem præbueris, scies te pulcrum fore. quo ad autem hæc neglexeris, turpem te esse necesse est; etiamsi ad exornandam formam nihil prætermiseris. *cap. 1. lib. 3. Epict.*

Lucianus: Menippus. At ubi nam sunt formosi illi ac formosæ Mercuri? ducito me docetoque ut pote recens huc profectum hospitem. *Mer.* Non mihi licet per ocium Menippe: verùm illuc dextrorsum respice. Illic & Hyacinthus est, & Narcissus, & Nireus, & Achilles, & Tyro, & Helena, & Leda: denique quicquid est veterum formarum. *Men.* Ossa tantùm video, & renudatas carnibus calvarias, pleraque omnia similia. *Merc.* Atqui hæc sunt quæ poëtæ cuncti mirantur, ossa scilicet, quæ tu videris contemnere. *Men.* Helenam mihi commonstra, ipse enim non possim eam dignoscere. *Merc.* Hæc calvaria, Helena est. *Men.* Et hujus gratia mille naves ex universa Græcia impletæ sunt, totque Græci & Barbari ceciderunt, totque urbes eversæ sunt. *Merc.* At non vidisti Menippe, vivam hanc mulierem: nam tu quoq; dixisses vitio vertendum non esse, *Pro tali muliere diu tolerare labores*, Siquidem siquis arefactos flores abjecto decore coloris contempletur, deformes nimirum ipsi videantur: at iidem donec florent, & colorem obtinent, sunt speciosissimi. *Men.* Proinde illud demiror Mercuri, si Græci non intellexerint sese pro te usque adeò momentanea, quæq; tam facilè emarcesceret, laborare. *Merc.* Non mihi vacat Mercuri, tecum philosophari. Quare delecto loco ubicunque velis, prosterne temet, ac recumbe. Ego verò mortuos alios traducam. *Dialogis mortuorum.*

Lucianus: Atque ita Philo, primus exorsus, in hunc modum verba fecit. Quàm indignum verò est, quòd, cum quæcunque in singulos

gulos

gulos dies agimus, pro iis tanquam pulchris, omnem operam ac diligentiam adhibeamus, de ipso pulchro sermonem nullum habemus, sed perinde silentes ac taciti sedemus, ac si metuamus, ne fortè verbum aliquod de iis, pro quibus tantopere laboramus, vel imprudentibus nobis excidat. Atqui ubinam aliquis oratione meritò utatur, si, cùm de illis, quæ nullius pretii sunt, tantopere contendat, de eo quod omnium pulcherrimum est, planè conticescat? aut quomodo id quod in verbis pulchrum est, rectiùs quàm omnia alia servari poterit, si de ipso fine eorum, quæ quotidie aguntur dicere prætermittamus. Verùm ne videar monere quidem scire, quo pacto oporteat nos circa pulchrum affectos esse, dicere autem ipsum, de eo nihil posse, quoad fieri potest, de eo breviter differere conabor. Nam pulchritudine omnes quidem cupierunt potiri: pauci autem omnino illam sunt assecuti. Qui verò donum hoc fortè adepti fuere, illi omnium beatissimi fuisse visi sunt, & apud deos, & apud homines meritò honore affecti. Atque huius rei argumentum tale fuerit. Nam eorum qui ex Heroibus in numerum deorũ recepti sunt, Hercules, & Dioscuri, & Helene, Iovis sunt proles: quorum ille quidem, fortitudinis causa, honorem hunc consecutus esse dicitur. Helena autem pulchritudinis gratia, cum se ipsam in deam mutasse, tum fratribus Dioscuris, causa fuisse, ut ante ipsam, in cœlum ascenderent, iis quæ cæteri vita functi sub terra obnoxii premuntur, exoluti. Quamquam etiam, quicunque hominum dignus unquam judicatus fuit, ut deorum consuetudine frueretur, alium reperire non licet, quam qui pulchritudinis particeps fuisset. Nam & Pelops eadem hac causa cum diis Ambrosiæ particeps fuit, & Ganymedes ille Dardani, dicitur omnium summo deorum ita potitus esse. Quare etiam ipsum neque ullum deorum cæterorum alium voluisse secum venationis huius, amorum suorum videlicet, participem fieri, sed sibi soli decorum arbitratur esse, in Gargarum Idæ devolare, atque inde amasium suum, in eum locum, ubi per omne tempus cum illo consuetudinem habere, subducere.

Tantam autem curam ille semper habuit pulchrorum, ut non solùm de cœlo dignatus eos fuerit, illuc ipsos attollens: sed & ipse in terram quocunque fors tulit, descenderit, ut cum amatis singulis locis congrederetur. Ac eam quidem ob rem, in cygnum conversus, cum Leda rem habuit, ob eandem autem & Tauri facie Europam rapuit. Assimilatus autem Amphitryoni procreavit Herculem, multaque alia Iovis vaframenta enumerare quispiam possit, quibus ille eorum congressu, quorum desiderio tenebatur, potitus fuit. Quod autem maximum est, quodque aliquis miretur, cùm ille cum diis versaretur (neque enim hominum ulli conversatus est, præterquam pulchris) quoties inter illos concionem aliquam habuit, ita austerus fingitur à communi Græcorum poeta, ut in priore quidem oratione, Iunonem, quanquam illa antea ubique increpare ipsum consuevisset, nihilominus, tamen ita perterruerit, ut ea satis habuerit, quòd nihil gravius pateretur, & intra verba duntaxat, illius ira consisteret. In posteriore autem, deos universos non minore terrore affecerit, terram unà cum ipsis hominibus, & mare quoque, in sublime sublaturum sese minatus. At verò quoties cum pulchris congressurus est, ita mansuetus, & blandus, omnibusque æquabilis redditur, ut apud omnes alios, etiam ipso eo, quod Iupiter est deposito, videlicet ne molestus aut ingratus cuiquam eorum, quos amat, videatur, alienam aliquam formam induat, eãque pulcherrimam, & qua maximè putat, intuentem allici posse. Tantum reverentiæ & honoris pulchritudini exhibet. Ac non solum ipse quidem Iupiter ita pulchritudine captus est, cæterorum autem deorum nullus, ut hæc magis accusationem Iovis continere videantur, quàm pro pulchritudine dicta esse, sed si quis diligenter considerare volet, omnibus etiam diis eadem hæc accidisse deprehendet. Ut, verbi gratia, Neptunum Pelopis forma captum fuisse. Hyacinthi autem Apollinem, & Mercurium Cadmi. Præterea neque deas pudet pulchritudine captas videri, sed hanc quasi æmulationem quandam honoris inter se habent, puta eam quæ cum pulchro aliquo rem habuit, narrare posse hominibus sese dedisse. Iam verò, cùm ex cæteris omnibus, unaquæque suæ ac certæ rei præses sit, de iis, quibus quæque præest, nulla cum altera contendit, sed Minerva quidem hominibus ad bella gerenda præit, haudquaquam cum Diana de venatione pugnat, eodemque modo & illa Minervæ de re militari concedit. De nuptiis autem Iuno Veneri, neque hæc illi molesta est ob ea, quibus illa præsidet. At contrà singulæ ob formã & pulchritudinem eò usque animo efferuntur, omnesque alias excellere sibi videntur, ut cum Eris ipsas inter se mutuo discordes & inimicas reddere vellet, nihil aliud objecerit illis, quam pulchritudinem, ratæ hoc pacto facilimè sese hoc quod volebat, effecturam esse. Ac prudenter sanè hoc excogitavit. Animadverteritque vel inde aliquis pulchritudinis potestatem. Nam postquam pomum illud accepissent, & inscriptionem legissent, cũ unaquæque suum illud esse censeret, neque tamen ulla contra se ipsam suffragium ferre sustineret, quòd videlicet altera turpior esset, ad Iovem, harum quidem patrem, illius autem etiam fratrem & conjugem deveniunt, litem hanc illi disceptandam committentes. Ille autem cùm & per se ipse sententiam, quænam earum pulcherrima foret, proferre posset, & multi fortes, & sapientes, & prudentes cùm in Græcia, tum inter Barbaros essent, quibus eadem causa delegari potuisset, Iudicium hoc Paridi, Priami filio commisit, manifestum adeò calculum ferens, quòd & prudentiam, & sapientiam, & vires pulchritudo anteiret. Porrò tanto semper studio tantaque cura, formosæ audire expetivere, ut & heroum pariter, & deorum exornatori poetæ persuaserint, non aliunde magis, quàm à pulchritudine sese appellare. Proinde libentius audierit niveis lacertis Iuno, quàm, antiqua dea, & Saturni magni filia. Minerva autem neque Tritogenia, quàm Glaucopis vocari maluerit. Et Venus, universo etiam redemerit, nominari, Aurea. Quæ cuncta ad pulchritudinem pertinent. Atqui hæc non modò argumento sunt, quo pacto illi, qui potiores habentur circa hanc se gerant: sed & testimonium perhibent neutiquam falsum, quòd cæteris omnibus, præstantior eadem sit. Proinde Minerva quidem fortitudine pariter & prudentia præstare illam suffragatur, utrique enim harũ præsidet ipsa. Iuno autem universa dominatione, atque potentia, expetendam magis esse, sententia sua declarat, in partem etiam Iove tanquam patrono, advocato. Quòd si igitur divina adeò res & veneranda, pulchritudo est, deinde & diis tantopere affectata, quomodo tantum honestum nobis fuerit, si non & ipsi deos imitantes, cùm rebus tum verbis, quibuscunque modis poterimus, pulchritudini patrocinemur.

Atque hæc quidem Philo, de pulchritudine peroravit, hoc quoque ad finem addens, quòd etiam plura his dicturus fuisset, nisi sciret orationem in conviviis longiorem improbari. Cæterum post illum statim Aristippus verba facere cœpit, multis antea ab Androcle invitatus. Neque enim volebat, veritus proximo post Philonem loco dicere. Exorsus autem inde est: Multi sæpe homines (inquit) omittentes de rebus optimis & nobis conducentibus dicere, ad alia nescio quæ argumenta abripi consuevere, ex quibus sibi quidem famam comparaturos se putant, auditores autem verbis nihil conferentibus obtundunt. Ac dicere solent, alii quidem de iisdem rebus inter se verbis contendentes, alii autem ea, quæ non existunt, commemorantes, alii etiam de iis, de quibus minimè necesse est, verba facientes. Quos sanè decebat omnibus hisce relictis, quo pacto conducibile aliquid dicere fortè possint, apud animum cogitare. Hos igitur, quando nunc ego de iis, quæ existunt, nihil sani cognovisse existimo, præsertim cùm aliorum ignorantiam de rebus optimis, reprehendentem in eadem vis incurrere, omnino stultitiæ cuiusdam esse putem: idem argumentum orationis utilissimum atque pulcherrimum auditoribus proponam, quodque quivis fatebitur dignissimum esse, quod pulcherrimum quoq; vocetur. Quòd si igitur de alia aliqua re verba faceremus, & non de pulchritudine, satis fuisset unum aliquem dicentem audisse, & exinde argumento eo relicto, ad alia transisse: nunc autem præsens hoc tantam dicendi copiam præbet iis, qui de eo orationem instituunt, ut haudquaquam si quis pro dignitate ipsum non tractarit, ob id infeliciter sibi successisse rem arbitrari debeat, sed si post multos alios, nonnihil ad priores laudes etiam ipse conferre potuerit, benigniorem fortunam experiri putetur. Nam quòd manifestè adeò, à superioribus, in honore habitum semper est, ab hominibus autem ita pro re divina, & expetenda, existimatum, omnibusque quicunque vivũt, peculiare ornamentum existit, præterea & eos, quibus adest, ab omnibus amari & coli: illos autem quibus abest, odio haberi, neque dignos quos aspicias, videri, facit, quisnam dicendi facultate præditus tanta fuerit, ut id pro eo ac dignum est, laudare sufficiat? Veruntamen, quoniam ita multis ipsi opus est laudatoribus, ut vix unquã pro dignitate tractari queat, nihil alienum aut indecorum fuerit, etiam nos aliquid de eo dicere conari, quamquam verentes nonnihil, verba facere pòst Philonem. Adeò autem omnium quæ sunt, veneratione dignissima, maximeque divina res pulchritudo est, ut etiamsi omittamus dicere, quibus honoribus dii pulchros afficere, superioribus certè temporibus illis, Helena ex Iove nata, in tanta apud omnes homines admiratione fuerit, ut cum adhuc infra ætatem esset, Theseus ob aliam quandam rem in Peloponnesum profectus, conspecta illius forma, in tanta admirationem ipsius venerit, ut eum & regnum haberet maximè tutum, & gloria excelleret nequaquam vulgari, nihilominus tamen putarit, sibi vitam vitalẽ, ut ille ait, non esse, si illa careret: rursum autem se omnes alios feliciores felicitate supergressurum esse, si secum illam cohabitare contingeret. Atque hoc animo cùm esset, à patre quidem ipsius accipere illam desperavit, neque enim elocaturum ipsum illam, cum nondum ad justam ætatem pervenisset, cæterùm imperio illius cõtempto atque despecto, spretisque insuper etiam omnibus, qui tum in Peloponneso agebant potentibus, assumpto Pirithoo, raptus socio, à patre vi abreptam in Aphidnam, Atticæ regionis oppidum asportavit.

Tantam autem gratiam habuit Pirithoo pro hoc auxilio præstito ut ipsum per omne deinde tempus ita amarit, ut etiam posteris in exemplum abierit, Thesei & Pirithoi amicitia. At postquam etiam illum oportebat ad Plutonis proficisci regnum, ambientem filiam Cereris Proserpinam, postquam multis ipsum dehortatus à proposito, ne quid tale tentaret, avertere non potuit, unà cum ipso profectus est, arbitratus debere se hanc illi referre gratiam, ut pro eo etiam animam in periculum poneret. Cæterùm ubi hoc profecto peregrè, illa Argos mox rediisset, postquam ætate nubilis facta est, quanquam principes, Græciæ, & formosas alias, & ex parentib. præclaris natas, ex tota ea terra ducere uxores sibi possent, nihilominus tamen convenientes, huius proci facti sunt, cæteris omnibus, perinde ut vilioribus contemptis. Scientes autem, quòd non absque certamine ab uno aliquo ducenda esset, metuentesque ne

pugnantibus inter se aliquibus, bellum inde toti Græciæ oriretur, de communi sententia in hæc verba jurarunt, quòd omnes auxiliū ferre vellent ei, quicunque uxorem hanc ducere dignatus fuisset, neque cuiquam concedere, qui injuria aliqua afficere illum aggressus esset: existimantes videlicet, quisque sibi auxilium & societatem hanc parari. Propria quidem igitur sententia frustrati omnes sunt, præter Menelaum, communis autem pacti experimentum statim dederunt. Non enim multò pòst, cum contentio inter deas de pulchritudine orta esset, disceptatio eius litis Paridi Priami filio delegata fuit. Qui cum judicio inferior esset, quàm ut inter corpora dearum cognoscere posset, donorum autem cogeretur judex fieri. Ac Iuno quidem offerret illi totius Asiæ imperium, Minerva robur & vires ad bella, Venus autem Helenæ huius nuptias Ipse verò contrà secum ita cogitaret, quòd imperia quidem etiam vilibus & contemptis hominibus obvenire possent, Helena autem, non statim ullus posterorum dignus futurus esset, nuptias hujus cæteris rebus omnibus anteposuit. Postea verò exorta celebri illa expeditione contra Trojanos, & Europa tunc primum contra Asiam bello concitata, cùm Trojani possent Helena reddita sine periculo ac metu terram suam retinere, Græci autem hanc illis habendā permittentes, omnibus illis difficultatibus, quæ ex bello & expeditionibus percipiuntur, liberari: neutri consulere sibi ipsi voluerunt, rati non aliam pulchriorem belli causam, ob quam morerentur, invenire se posse. Jam verò & dii, cùm certò scirent liberos suos in eodem bello perituros esse, haudquaquam illos ab ea absterruerunt, sed ad id ultro proficisci fecerunt, rati non minorem illi gloriam consecuturos eos esse, si pro Helena mortem obiissent, quàm quòd deorum filii procreati essent. Et quid attinet de filiis deorum dicere? cùm ipsi dii majore gravioreque certamine inter se eodem bello congressi fuerint, quàm tunc, cùm contra gigantes bellum gessere. Nam in illo contra Gigantes communibus ac mutuis auxiliis dimicarunt: hic autem ipsi contra se ipsos arma tulerunt. Quo sanè argumento, quodnam aliud clarius esse potest, quanto etiam ipsis Diis judicibus, cæteras mortalium res omnes antecellat pulchritudo? Nam cùm pro aliarum quidem rerum nunquam ulla ullo modo inter sese discordes fuerint, pro pulchritudine autem, non solùm filios suos in mortem obtulerint, sed ipsi inter se dimicarint, nonnulli autem etiam vulnerati fuerint: an non omnibus calculis pulchritudinem cæteris rebus universis anteposuerunt? At enim ne penuria quadam de pulchritudine dicendi, circa hunc locum commorari diutius videamur, ad alium hinc transire volo, haudquaquam his quæ antè dicta sunt, ad comprobandam pulchritudinis dignitatem, inferiorem, nempe ad Hippodamiam Arcadis illius Oenomai filiam. Quam multos enim ille, pulchritudine huius captos, ostendit, mortem subire voluisse potiùs, quàm ab hoc dissociatos, lucem intueri.

Nam postquam adultam ætatem attigit puella, illamque pater non parvo intervallo cæteras omnes anteire conspexit, ipse quoq; forma illius captus est. Tanta enim hæc in illa excellebat, ut etiam eum, à quo nata fuerat, præter naturam illexerit. Proinde cùm ipse quidem illam, apud sese retinere cuperet, elocare autem velle ei, qui dignus illa foret, simularet ut hominum accusationem evitaret, technam quandam machinatur, cupiditate sua multò injustiorem, per quam putabat, id quod animo intendebat, facilimè sese conficere posse. Nam currui, quem quoad fieri maximè potuerat, ad celeritatem arte comparat, equis, qui ea tum ætate in Arcadia omnium velocissimi erant, junctis, cum procis puellæ, aurigatione certabat, ei videlicet, qui certamine superasset, sponsam illam proponens: qui verò victus esset, illum capite privandum edicens. Iubebat autem etiam ipsam unà conscendere currum, quò videlicet illi, huic intenti, aurigationis obliviscerentur. Cæterùm cùm qui primus certamen hoc iniisset, successu caruisset, & præterquàm quod à puella, etiam vita excidisset, reliqui cum ad certamen obeundum cunctari, & eorum quæ semel decrevissent, quicquam detrectare futile ac juvenile quiddam esse censerent: rursum autem crudelitatem Oenomai detestarentur, alius alium prævertit moriendo, perinde ac si metuerent, ne non pro puella illa mori possent. Ac processit cædes ea, donec tredecim eorum juvenum interficerentur. At dii, cùm illum ob pravitatem hanc odissent, pariter autem & eos qui mortui fuerant, & puellam miserarentur, alteros videlicet, quòd tantæ rei possessione privati essent, puellam autem, quòd forma sua per ætatem frui non posset, pro juvene eo, quicunque mox certaturus esset (erat autem is Pelops) curam advertentes, & currum illi donant pulchriorem arte factum, & equos immortales, quorum ope puella potiturus, ac dominus illius futurus esset. Et sanè factus quoque est, socero ad terminos victoriæ occiso. Adeò pulchritudo ipsa, cum hominibus divinum quiddam esse videtur, & ab omnibus coli consuevit, tum à diis quoque sæpenumero cum summo studio observata est. Quam ob rem nemo nos meritò reprehenderit, quòd operæ pretium putamus, hæc de pulchritudine disseruisse. Atque ad hunc modum & Aristippus orationem suā peregit. *Her.* At tu etiam restas Charideme: quare fac, ut quasi quandam coronidem imponas oratione tua, pulchris hisce de pulchritudine dictis. *Char.* Nequaquam, per deos quæso, ulterius progredi me cogas. Satis enim sit, indicasse tibi, & quo pacto conversati fuerimus, & hæc quæ modo dixi: præsertim cum ne illa quidem satis adhuc meminerim, quæ modò commemoravi. Multò enim faciliùs ea memoria repetiveris, quæ ab aliis dicta sunt, quàm quæ ipse dixisti. *Her.* Hoc igitur illud est, quod ab initio consequi cupiebam. Neque enim mihi tantopere orationes illorum ac tuam audire cura fuit. Quare si me hac privaveris, etiā illa frustra laborasse te scias. Sed per Mercurium quæso, totam orationem, quemadmodū à principio exorsus fueris, mihi recita.

Cha. Satius quidem fuerat, contentum his quæ dixi, à difficilioribus abstinere me: attamen quando ita cupis, & nostram audire orationem, in hoc quoque morem tibi gerere necesse est. Proinde hoc pacto ipse quoque verba feci. Si primus ipse cœpissem de pulchritudine dicere, prooemio longo opus haberem: nunc autem quando post multos alios, qui ante me verba fecerūt, dicturus sum, nihil alienum puto fuerit, si illorum antè dictis, perinde ac prooemio usus, sequentem orationem subjungam. Præsertim cùm non alio loco, sed hoc in convivio, eodemque die, orationes istæ habeantur, ita ut liceat & præsentes latere nos, perinde ac si non quisq; privatim verba facere, sed eandem singuli per vices prosequantur orationem. Proinde alteri quidem sufficerent ad laudem utique comparandam, ea quæ vestrum unusquisque seorsim de pulchritudine dixit. At verò hic adhuc tantum superest, ut & iis, qui post nos venturi sunt, extra ea quæ nunc dicta sunt, satis laudum ad prædicandam illam suppetat. Plurima enim undique circunstant, quæ & ipsa eam de se opinionem præbent, quasi singula eorum primo loco dici debeant, non aliter atque in prato aliquo floribus fœcundo, ubi semper ea quæ novissimè apparent, carpentes potissimùm alliciunt. Ego verò ex omnibus illis delectis, quæ mihi videbbuntur minimè prætereunda fuisse, paucis dicam, ut & pulchritudini debitum suum reddam, & vobis, omissa verborum prolixitate rem gratam faciam. Proinde illi quidem, qui vel ob fortitudinem, vel ob aliam aliquam virtutem præstare nobis videntur, si non quotidie honestis actionibus benevolentiam sibi concilient, & nos quodammodo ad amandum se cogant, invidemus illis magis, undecunque etiam eis negotia, quæ geruntur, minus bene procedunt. Pulchris autem non modò non invidemus formam suam, sed simul atque aspeximus, capimur, & plus quàm amamus eos, neque gravamur, tanquam superioribus, quantum nobis licitum fuerit, & servire quoque illis. Libentiùs igitur quispiam obedierit formoso alicui, quàm imperaverit ei, qui talis non est, majoremque gratiam habuerit formoso, multa jubenti, quàm si nihil quicquam præcipiat. Ac cæterorum quidem bonorum, quibuscunque caremus, ulteriorem assequendi curam nullam gerimus, at pulchritudinis nulla unquam nobis satietas oboritur, sed sive Aglaies filium illum, qui cum Achivis ad Troiam profectus fuit: sive Hyacinthum formosum illum, sive etiam Lacedæmonium Narcissum, pulchritudine superemus, tamen nobis ipsi minimè satisfacimus, sed semper timemus, ne fortè videamur apud posteros, ab aliis superati fuisse. Propemodum autem omnium eorum, quæ inter homines geruntur, ut ita dicam, quasi quoddam commune exemplum, pulchritudo proposita est. Nam neque duces negligunt ad pulchritudinem exercitus suos instruere, neque oratores ad eandem orationes suas componere, neque etiam pictores, imagines ac tabulas suas secundum illam depingere. Et quid attinet ista recensere, quorum finis quoque pulchritudo est? Quin illa quoque quibus necessariò utimur, haudquaquam prætermittimus, quin omnia, quam maximè fieri potest eum summo studio, quàm pulcherrimè apparemus. Nā Menelaus quidem, non tantùm curavit usum ædium, quantum ut pulchritudine earum ingredientes quasi attonitos redderet. Et ob hoc sumptuosissimas pariter & pulcherrimas eas ædificavit. Neque etiam sententia falsus est. Nam Ulyssis filius ita admiratus eas fertur, cùm ad percunctandum de patre, eò loci venisset, ut ad Pisistratum Nestoridem in hunc modum dixerit: Talis & ætherii forsan Iovis aula renidet. Et ipse adolescentis pater non aliam ob causam minio infectas duxit naves, cùm unà cum Græcis ad Troiam proficisceretur, quàm ut aspicientes eorum aspectu obstupefacere posset. Et fermè si quis singulas artes perpendere volet, reperiet omnes eas ad pulchritudinem tendere, eamque consequi, pro summo ducere.

Adeò autem pulchritudo cæteras res cunctas excellere videtur, ut iis, quæ vel cum justitia, vel sapientia vel fortitudine aliqua fiūt, multa alia invenias majori pretio digna censeri: at verò quæ cum hac specie commune aliquid habent, iis nihil quicquam melius invenire licet, ut rursum & illis, quibus hæc conjuncta non est, nihil quicquam inhonestius. Quippe solos eos qui pulchri non sunt, turpes vocamus, perinde quasi pro nihilo habendum sit, quicquid tandem aliquis habuerit, in quo cæteros antecellat, si idem pulchritudine careat. Proinde & eos quidem qui vel in republ. degentibus imperio præsunt, vel tyrannorum potestati subjecti vivunt, alteros quidem populares vocare solemus, alteros autem adulatores. Solos autem eos, qui huic potestati subjecti sunt, & admiramur, & cum philoponos, tum philocalos nominamus, adeoque communes benefactores censemus esse, eos, qui pulchrorum procuratores sunt. Quando igitur ita venerabilis res, pulchritudo est, ita autem ab omnibus etiam votis expetitur, & quasi pro lucro putatur, huic ministrare saltē aliquid potuisse, quomodo non meritò reprehenderit nos quispiam, quòd cum tantum lucrum lucrifacere possumus, ultro illud prodamus, ne hoc ipsum quidem verentes, damnum videlicet quod mox accipiemus? At tantam quidem ego quoque orationem habui, multis, quæ mihi de pulchritudine amplius dicere licebat, omissis, postquam conversationem hanc in longum adeò

prog

progressam, videbam. *Her.* Felices sanè vos, quibus tali conversatione frui licuit. Ferme autem jam etiam ego non minus voluptatis, quàm vos, per te videlicet, accepi. *titulo Charidemi.*

Philostratus: Aves excipiunt nidi, pisces saxa, formosos oculi. Atque illorum quidem sunt errores, traductorum & transmigrãtium aliàs in alia loca. Ducit enim illa temporum opportunitas quocũque venerint. At pulchritudo, si semel in oculos influxerit, non ampliùs discedit ex hoc diversorio. Sic etiam ego te excepi & fero undiquaque in oculorum retibus, & sive mercaturæ causa iter ingrediar, tu mihi pascere videris, atque adeò sedens lapides persuadere; sive in mare, te mare abducit, ut Venerem profunditas, sive in pratum, ipsos etiam flores superas. Atqui nihil tale ibi nascitur. Etsi enim sunt pulchri gratiosique, tamen unius tantùm diei. Atque etiam si prope fluvium sim, hic quidem nescio quo pacto evanescit. Te verò illius loco fluere puto pulchrum & magnum atque multò etiam majorem mari. Quòd si in cœlum respiciam, solem existimo decidisse, & inferius obambulare, at illius loco te apparere quem volo. Sin noctescat, duas video duntaxat stellas, Hesperum atque te. *Epist. 50.*

Lucianus: At profectò tale quippiam conspecta Gorgone accidebat spectantibus, quale mihi nuper, Polystrate, visa muliere summè formosa, accidit. Nam quod ea fertur fabula, parum abfuit, quin ex homine saxum factus sim, & spectaculi admiratione diriguerim. *Pol.* Mirum, hercle, admodumque violentum dicis spectaculum, siquidem etiam Lucianum mulier in stuporem induxit. Tu enim adolescentum forma facillimè afficeris: ita ut Sipylum totum loco citiùs moverit quispiam, quàm te à formosis dimoverit, ne hianti ore illis astes, & sæpe illachrymeris, ut illam Tantali filiam Nioben perhibent. At dic mihi quænam est saxifica illa Medusa; & cuias: ut & nos illam videamus. Non enim spectaculum illud nobis invidebis, neque zelotypia laborabis, si futurum est ut ea visa prope te dirigeamus. *Luc.* Atqui probè scias oportet, fore ut etiamsi solùm è specula illam intuearis, mutum te, & statuis immobiliorem reddat. Et hoc fortè magis ad pacem facit, minusque lethale erit vulnus si conspicias ipse. Sed si te illa conspexerit, qua ratione ab illa abscedes: siquidem te vinctum abducet quocunque volet, quemadmodum lapis heracleus ferrum? *Pol.* Desine Luciane, prodigiosam pulchritudinem effingere: sed mihi dicito quænam sit illa mulier. *Luc.* An me rem verbis auxisse putas, qui vereor, ne quum eam videris, ingenii culpa non satis laudasse videar: tantò apparebit excellentior? Verùm, quænam illa sit, dicere non possim. Magnus circa illam cultus, & splendidus apparatus, eunuchorum multitudo, ancillæ permultæ cernebantur, denique omnia videbãtur, quàm pro vulgari fortuna ampliora. *Pol.* Ergo ne nomen quidem es sciscitatus, quomodo vocaretur: *Luc.* Nequaquam. Hoc solum scio illam esse ex Ionia oriundam. Nam quidam ex spectatoribus, proximum intuitus, cùm transisset, Tales, inquit, Smyrneæ sunt pulchritudines. Nec mirum est, si Ionicarum urbium pulcherrima, mulierem tulit pulcherrimam. Qui verò hæc dicebat, mihi videbatur esse Smyrneus, adeò illa gloriabatur. *Pol.* Proinde hoc revera prout lapis fecisti, qui neque illam secutus es, neque Smyrneum illum, quænam esset, interrogasti. Atqui speciem illius, quoad fieri potest, oratione mihi demonstra: sic enim fortè cognovero. *Luc.* Vides quantam rem à me exigas? Nulla oratione, præcipuè verò mea, tam admirabilis imago declarari possit, ad quam delineandam vix Apelles, vel Zeuxis, vel Parrhasius viderentur idonei: aut siquis Phidias, aut Alcamenes. Ego verò archetypum artis imbecillitate labefactarem. *Pol.* Attamen Luciane, quali erat vultu? Neque enim periculosa fuerit audacia, si familiari tuo huius imaginis lineamenta demonstraveris. *Luc.* At me hoc tutiùs facturum puto, siquos priscorum artificum ad hoc opus ascivero, ut mihi mulierem hanc efforment. *Pol.* Quomodo hoc dicis? aut qui tot antè annis vita functi veniant ad te? *Luc.* Facilè, dummodo te non pigeat ad interrogata respondere. *Pol.* Interroges licet. *Luc.* Nunquam-ne, Polystrate ad Cnidios es profectus? *Pol.* Maximè. *Luc.* Nunquid Venerem illorum prorsus vidisti? *Pol.* Pulcherrimum per Iovem Praxitelis operum. *Luc.* Nunquid & quod de ipsa dicunt indigenæ, audivisti, ut quidam hanc statuam amavit, & clam in templo relictus, statuam quoad potuit, compressit. Sed hoc aliàs à te commemoretur. Age verò, siquidem, ut ais hanc vidisti, Dic mihi num illam Alcamenis Hortensem Athenis videris. *Pol.* Omnium sanè hominum, Luciane essem inertissimus, si pulcherrimum Alcamenis figmentum contempsissem. *Luc.* Illud te non interrogabo Polystrate, num in arcem sæpe ascendens, Calamidis Sosandram contemplatus sis. *Pol.* Illam etiam sæpe vidi. *Luc.* Hæc quidem sufficiunt. Quodnam verò Phidiæ operum in primis laudasti? *Pol.* Quodnam aliud, quàm Lemniam, cui etiam suum nomen inscribere est dignatus? Quinetiam per Iovem, Amazonem illam quæ hastæ innititur. *Luc.* Pulcherrima sunt ista, ô amice. Itaque non ampliùs aliis artificibus indigebis. Age verò jam ex omnibus his, quoad eius fieri poterit, unicam imaginem compositam tibi ostendam, quæ quod in quaque est eximium, habeat. *Pol.* Sed qui hoc fieri potest? *Luc.* Haud difficile, Polystrate, si hinc imaginibus orationi traditis, illi permiserimus ut ornatum transferat, & quàm maximè concinnè componat, & aptet, observata simul commixtura, & varietate. *Pol.* Rectè dicis: proinde assumptis illis demonstret. Velim enim scire quid hisce sit factura, aut quomodo ex iis unam non dissonantem absolutura. *Luc.* Atqui videndam tibi jam præbet hanc imaginem, ita componens. Veneris è Cnido adductæ si tantùm caput sumpserit (non enim reliquo corpore nudo opus habebit) quoad comam & frontem, sciteque ducta superciliorum lineamenta, ea se habere sines, ut à Praxitele facta sunt. Quinetiam oculorum mobilitatem, cum hilaritate, & gratia conjunctam, prout visum est Praxiteli retinebit. Genas autem, & quæcunque priores sunt vultus partes, ab Alcamenis hortensi venere mutuabitur: præterea manus extremas, concinnos carpos, ductiles digitos, in tenue desinentes, ab eadem. Totius verò faciei ambitum, & genarum mollitiem, & nasi justam magnitudinem præbebit Lemnia, & Phidias. Idem quoque dabit oris commissuram, & cervicem ab Amazone desumptam. Sosandra verò & Calamis eam verecundia ornabunt. Risus tenuis latitansque erit, ut illius. Vestitus expeditus, & mundus à Sosandra petetur: nisi quòd aperto erit capite. Ætatis verò modum ab illa Cnidia potissimùm metiatur: prout à Praxitele est expressus. Quid tibi videtur Polystrate, num pulchra futura est hæc imago, ac in primis quum accuratissimè absoluta fuerit? *Pol.* Adhuc ô generosissime aliquam formam omisisti extra statuam, quum sic omnia in unum contulisti. *Luc.* Hoc minimum est, amice, nisi pauca tibi videbuntur ad formæ decus conferre, videlicet color, & cujusque partis decorum: ut nigra sint exquisitè, quæ nigra: alba, quæ huiusmodi esse oportet: atque rubor efflorescat. Ac jam de his periclitamur, quum adhuc quod maximum est, desideramus. Unde igitur nobis hæc parabimus? an accersemus videlicet pictores, inprimis verò eos qui fuerunt præstantissimi miscendis, & accommodandis coloribus? Accersatur sanè Polygnotus, & Euphranor ille, & Apelles, & Action qui diviso opere, pingant. Euphranor colorem comæ illinat qualem Iunonis. Polygnotus superciliorum decus, genarum ruborem inducat, qualem Delphis in cœnaculo Cassandram fecit. Idem quoque vestem referat tenuissimè elaboratam, ut quæ par est succingantur, multa verò venris diffundantur. Porrò corpus reliquum exprimat Apelles secundum suam Pacaten, ne nimium albedinis habeat, sed modicè rubescat. Labia faciat, qualia Roxanes Action. Quin potiùs præstantissimum pictorum Homerum, præsente Euphranore, & Apelle suscipimus. Nam cujusmodi colorem Menelai femoribus illevit, assimilatis ebori leniter purpura intincto: ejusmodi sit totum corpus. Hic ipse oculos pingat, amplitudine decoros. Partem operis suscipiat Thebanus ille poeta, ut palpebram elaboret. Illam verò faciat Homerus risus amantem, candidis lacertis, & roseis digitis decoram. Denique multò justiùs illam cum aurea Venere comparabit, quàm Brisei filiam. Hæc igitur fictores, pictores, & poetæ elaborabunt. Quod autem in omnibus nitet, quibus hoc est Gratia, imo potiùs omnes simul, quotquot Gratiæ, quotquot Cupidines chorum circũducunt, quis imitari possit? *Pol.* Divinum quoddam dicis opus Luciane, & revera cœlitus delapsum, quale apud superos extat. Quid autem vidisti eam facientem? *Luc.* Librum habebat præ manibus, in duas partes complicatum, quarum alteram legere, alteram legisse jam videbatur. Inter progrediendum autem nescio qua de re cum quodam ex comitantibus differebat: non enim tam clara voce loquebatur, ut exaudiri posset. At ridendo, Polystrate, dentes ostendebat, Dii boni, quàm albos, quàm justæ magnitudinis, & inter se coaptatos. Sicubi monile pulcherrimum vidisti ex nitidissimis, & magnitudine paribus margaritis compositum, adeò concinnâ serie erant nati. Plurimum verò decoris ex rubore labiorum illis accedebat. Itaque serrato illi Homerico ebori similes apparebant. Neque ex illis alii latiores erant, alii eminentiores, alii distantiores, quales plerisque sunt: sed erat una omnibus æqualitas, idem color, eadem magnitudo, similis continuitas. Denique magnam hoc spectaculum pariebat admirationem, quòd omnem humanam speciem superaret. *Pol.* Quiesce. Iam enim planè intelligo quam mulierem dicas, cùm eam ab his, & à patria cognoscendam præbueris: quodque eunuchos, ac per Iovem milites aliquos eam comitari dixeris. Regis uxorem, ô beate celebrem illam dicis. *Luc.* Quodnam illi est nomen. *Pol.* Planè elegans, Luciane, & amabile. Etenim cognominis est formosæ illi Abradatæ conjugi: quam sæpe audito Xenophonte nosti, qui modestam & formosam quandam mulierem laudat. *Luc.* Per Iovem afficior, perinde ac si viderem ipsam, quoties Xenophontis locum lego: ac loquentem propemodum audio, quæ fecit dicendo, & ut maritum armabat, & qualis erat quum ipsum ad pugnam deducebat. *Pol.* At optime vir ipsam ceu prætercurrentes fulgur semel vidisti, & vulgaria illa, corpus, & formam dico, laudare videris. Sed animi dotes cernere non potes: neque nosti quanta sit eius pulchritudo longè quàm forma corporis præstantior & divinior. At ego novi, qui eius sum familiaris, ac popularis, atque adeò cum ea sermonis commercium habui. Vt enim probè scis ipse, mansuetudinem, humanitatem, magnanimitatem, modestiam, eruditionem formæ anteponere soleo: siquidem digna sunt quæ corporis dotibus præferantur. Siquidem absurdum ridiculum foret, ut siquis vestem præ corpore admiraretur. Porrò absoluta mihi videtur esse hæc pulchritudo, quando & animæ virtus, & corporis venustas in idem concurrunt. Nimirum multas tibi possum ostendere, forma quidem præstantes, cæterùm pulchritudinem fœdantes: adeò ut illis tantùm loquentibus, ea moriatur, & flaccescat, reprehensioni, & turpitudini obnoxia, cumque anima, prava nimirum hera, immeritò conversans. Et sanè tales templis Ægyptiis, meo judicio sunt similes. Ibi enim, templum quidem est pul-

cherri-

cherrimum, & maximum, sumptuosis lapidibus extructum, auro & picturis distinctum. Intus verò, si Deum quæras, est vel simia, vel ciconia, vel hircus, vel felis. Cuiusmodi multas mulieres formosas videre est. Proinde corporis forma non sufficit, nisi justis exornetur ornamentis. Non autem dico purpura & monilibus, sed iis quæ priùs dixi, virtute, temperantia, æquitate, humanitate, atque aliis, quæcunque his terminis comprehenduntur. *Luc.* Proinde Polystrate, eadem, quod ajunt, mensura sermonem sermone rependas, vel cùm possis, etiam cumulatiùs. Et à te depictam animæ imaginem, commonstra, ne illam ex dimidio tantùm admirer. *Pol.* Non leve nobis amice negocium injungis. Non enim perinde facilè est id quod patet oculis, laudare, atque quod visum fugit oratione declare. Atque existimo ad hanc imaginem exprimendam, opus mihi fore opera, non fictorum, non pictorum tantùm, sed etiam philosophorum, ad quorum regulam Simulachrum dirigam, & ad antiquam plasticen formarum edam. Sed rem aggrediamur. Primùm vocalis est, & facunda. Illudque, dulciorem melle orationem ex ejus ore manare, de ipsa potiùsquàm de Pylio sene, dixisset Homerus. Omnis autem vocis tonus, qualis est mollissimus: neque gravis ita ut viro conveniat: neque prorsus tenuis, ita ut sit effœminatus & solutus: sed qualis esset pucro nondum pubescenti, jucundus, & blandus, inque aurem sese leniter insinuans, ut ea desinente, verba adhuc insonent, & aliquæ immorentur reliquiæ, quæ aures circunsonent, auscultationem echus instar producendo, mellitaque verborum vestigia, ac persuasionis plena in animis relinquendo. Quũ verò eximium illud canet, in primis ad citharam, tunc utique tacendum halcyonibus, cicadis, & oloribus. Præ illa enim hæc omnia cantus sunt rudia. Quinetiam si lusciniam Pandione natam dicas, rudis etiam illa & imperita, quanquam vocem multisonam emittit. Orpheus quoque & Amphion qui ad demulcendos auditores fuerunt usque adeò accommodati, ut ad melos res inanimas invitarent, illi me judice si hanc audissent, taciti derelictis citharis, ad auscultandum astitissent. Etenim harmoniæ rationes accuratissimas observare, ut nequid peccet rhythmus, sed ablatione & positione tempestiva modulorum mensuræ serventur, & cithara consonet, eodemque tempore lingua exerceatur, & plectrum, & decens digitorum tractus, & agilis membrorum motus, undenam hæc suppetissent Thraci illi, & huic in Cithærone boves pascenti, & citharæ pulsationem curanti? Itaque Luciane, siquando canentẽ illam audieris non ampliùs ut Gorgonum visu solùm obstupesces, ex homine in lapidem conversus, sed etiam quàm esset efficax Sirenum modulatio, cognosces. Astabis enim, sat scio, delinitus, patriæ & domesticorum oblitus. Quinetiam auribus cera obturatis, per ceram etiam melos penetrabit, huiusmodi est id quod auditur, Terpsichores alicuius, aut Melpomenes, aut Calliopes ipsius documentum, quod infinitas, omnigenasque illecebras habeat. Vt uno verbo complexus dicam, quia quæso, te huiusmodi cantionem audire, cuiusmodi per talia labia, perque illos dentes emanare par est. Vidisti autem ipse quam dico: itaque & audisse existima. Nam hæc accurata vocis elegantia, & merè Ionica, quodque in colloquiis blanda est, multumque Atticæ gratiæ habet, admirationem non meretur. Nam hoc ipsi est hæreditarium, & à majoribus contractum. Neque id secus esse conveniebat, cùm ratione coloniæ, Atheniensium sit particeps. Neque enim vel illud mirari velim, si poesi gaudet, & cum ea sæpe versatur, quando est Homeri civis. Una hæc, Luciane, vocis præclaræ, & modulationis imago, ut quis tenuiter exprimere possit. Iam verò & alias considera. Non enim unam, sicut tu, ex multis compositam, referre decrevi. Hoc enim perexile esset, & more graphico absolutum, tot formas, & multiforme quiddam, sibi ipsi adversans, ex multis perficere. Sed omnium animæ virtutum, sigillatim, una imago ad archetypum expressa depingetur. *Luc.* Diem festum, Polystrate, publicumque convivium mihi denuntias: & mihi videris mensuram cumulatiorem remetiturus. Proinde auctarium adjice: nam nulla res est qua perinde possis mihi gratificari. *Pol.* Ergo quandoquidem necesse est, omnibus eximiis rebus liberales disciplinas præire, ac istis in primis quæ meditatione constant: age jam etiam hanc construamus, variam utique & multiformem, ne & hac in parte tua fingendi arte simus inferiores. Et sanè pingatur, quæ omnia simul Heliconis bona possideat, non ut Clio, & Polymnia, & Calliope, atque aliæ, quarum unaquæque unicam scientiam callet: sed omnium scientia muniatur: præterea Mercurii, & Apollinis dotibus sit prædita. Quæcunque enim poetæ versibus exornata prodiderunt, aut historici scriptis mandarunt, aut philosophi monuerunt, hisce omnibus Imago exornetur: ita ut non leviter color illinatur, sed indelebilibus pigmentis in imum usque ad satietatem imbuatur. Et ignoscendum est si nullum huius picturæ archetypum queam ostendere. Neque enim uspiam in veteribus de huiusmodi absoluta disciplinarum cognitione fit mentio. Verumtamen si tibi videtur, ista reponatur, non enim uti mihi videtur, est mala. *Luc.* Elegantissima profecto, Polystrate, & lineamentis omnibus absoluta. *Pol.* Porrò post istam Sapientiæ, & Intelligentiæ imago est depingenda: ad quam multis nobis opus erit exemplaribus, maxima parte veteribus, atque uno quidem, & Ionico illo. Cæterùm eius pictores & artifices erunt Æschines Socratis socius, & ipse Socrates, imitandi dexteritate omnium artificum præstantissimi, quatenus cum amore pingebant. Porrò Milesiam illam Aspasiam, cùm qua Olympius, ipse quoque maximè admirandus conversabatur, non ignobile prudentiæ exemplum proponentes quanta rerum peritia, quanto in administranda repub. acumine, solertia & prudentia polleret, hoc omne ad nostram hanc imaginem accurata amussi transferamus: præter quàm quòd illa, quanvis Colossæa esset magnitudine, parva in tabella depicta erat. *Luc.* Quorsum hoc dicis? *Pol.* Quoniam Luciane, non æquè magnas dico imagines, quæ sunt similes. Non enim æqualis nec propè, vetus Atheniensium Respub. & præsens Romanorum potentia. Itaque quanvis illa similitudine respondeat, hæc tamen potior est magnitudine, veluti depicta in latissima tabula. Secundum autem & tertium exemplar, Theano illa, & poëtria Lesbia, & præter eas Diotima. Hæc quidem Theano, animi magnitudinem ad picturam conferat: Sappho institutæ vitæ jucunditatem. Diotimæ verò similis erit non in iis tantùm ob quæ Socrates ipsam laudavit, sed etiam reliqua mentis acie, & consilio. Talis & illa Luciane, tibi reponatur Imago. *Luc.* Per Iovem, Polystrate, admiranda. Tu verò, amice, alias depinge: benignitatis nimirum, & humanitatis, quæ morum mansuetudinem, & in egenos clementiam commonstrabit. *Pol.* Proinde & illa assimiletur Theanoni Antenoris conjugi, & Arete, & filiæ ejus Nausicaæ, & si qua alia in negociorum & fœlicitatis magnitudine erga fortunam modestè se gessit. Deinde post hanc Castitatis imago depingatur, & erga familiarem Benevolentiæ, ut juxta illam Icari filiam, quam Homerus pudicam scribit, maximè sit continens. Talem enim ille Penelopes imaginem descripsit. Vel etiam per Iovem, juxta illi cognominem Abradatæ conjugem, cujus paulò antè meminimus. *Luc.* Hanc etiam modis omnibus pulchram effecisti, Polycrate, jamque ferme finem habent Imagines: omnem enim animam, & partes laudando percurristi. *Pol.* Non omnem. Nam maximæ laudis caput reliquum est. Dico verò cùm in tantam rerum magnitudinem provecta sit, ut neque fastum in secundis induat, neque supra sortis humanæ modum efferatur, fortunæ confidens. Sed se in plano contineat animo non insolenti, nec arroganti molesta: & populariter erga eos se gerat cum quibus commercium habebit, & salutet, & comiter excipiat. Quæ eo sunt colloquentibus jucundiora, quo, cùm à majore procedant, nihil tragicæ granditatis præ se ferunt, ut qui magnitudine potentiæ non ad superbiam, sed ad beneficentiam utantur. Atque hi bonis à fortuna datis maximè digni visi sunt: soli etiam effugere invidiam queant. Nemo enim præstanti inviderit quem prosperis rebus moderatè utentem videat: nec instar illius Homericæ Ates super hominum capita incedentem & inferiora calcantem. Quod iis accidere solet qui abjecto sunt animo, cùm fortuna nesciunt uti: postquam fortuna nihil tale sperantes, repente in volucrem & sublimem currum evexit, intra præsentes facultates non manent, neque deorsum despiciunt, sed in arduum semper nituntur. Quare quemadmodum Icarus, liquefacta ipsis quàm celerrimè cera, & defluentibus alis, præcipites in mare, & fluctus devoluti deridentur. Sed qui Dædali in morem alis utuntur, neque nimium efferuntur, gnari cereas sibi esse illas, sed humanæ facultati impetum accommodant, & contenti sunt si undis paulò altiores ferantur, ita ut alas semper madefaciant, nec Soli tantùm liquandas exhibeant, hi tutò simul & prudenter pervolant. Quod & in ista Imagine maximè laudaveris. Quocirca meritum ab omnibus fructum percipit, qui precantur ut hæ alæ ipsi permaneant, & bona magis magisque affluant. *Luc.* Sic quidem fiat ô Polystrate. Neque enim solùm corporis venustate conspicua est, prout Helena, sed pulchrior & amabilior, cùm his præsidiis animam muniat. Conveniebat autem magno regi, bono mansuetoque viro, hoc etiam bonum simul cum aliis quotquot possidet, ad fœlicitatem: ut & ipsius tempore mulier huiusmodi nasceretur, & ejus consuetudinis desiderio flagraret. Non enim hæc fœlicitas est exigua, mulier de qua Homericum illud aliquis meritò dicere possit, eam cum aurea Venere de forma contendere, & operibus, Minervæ parem esse. Neque ulla ex omni mulierum numero cum ipsa comparetur, non corpore, non indole, inquit Homerus, non ingenio, nec operibus. *Pol.* Vera dicis Luciane. Quare si tibi videtur, commixtis Imaginibus, Corporis, quam tu finxisti, Animæ quas ego delineavi, unam ex omnibus compositam libro mandemus, quem omnibus admirandum exhibeamus, tum huius ætatis hominibus, tum etiam posteris. Itaque hæc erit longè diuturnior, quàm Apellis, Pharrasij & Polygnoti imagines, eaque illis multò gratior, quatenus non ligno, cerave aut coloribus constat, sed suggesto à Musis commento expressa est, quæ cùm corporis pulchritudinem, & animæ virtutes una commonstret, absolutissima Imago futura est. *Titulo Imaginum.*

Iulianus Cæsar: Quin etiam nonnullas mulieres, tanquam maximarum auctores celebrant, quæ propter pulchritudinem illustres celebresque non felici admodum successu fuerunt; quandoquidem tumultus ac diuturnorum bellorum infinitis nationibus virisque causam præbuisse videntur, quot scilicet ex tam ampla regione par est conscribi potuisse. *Paneg. 2. in Eusebiam Imperatricem.*

Iulianus: Enimverò mihi lascivè oculis quoquoversum aspicere, quo pulcer corpore, non mente, vobis videar, mores mei non sinunt. nam vobis quidem (Antiochensibus) judicibus, vera animi pulcritudo in vitæ deliciis tota est posita. *in Misopog.*

Libanius: Filiam formosam esse non inficiabor: at quantò forma præstantior fuit, tanto plures audivit à me de pudicitia institutos sermones, singulis, ut ita dicam, diebus his verbis: filiola, conspicua

ſpicua quidem es forma; ideòque multos habebis qui tibi ſtruant inſidias. ſed heus, tu vincito pulcritudine pulcritudinem; animi decore, corporis decus. pulcritudo verò animi in virgine eſt caſtitas, & pudicitiam accuratè conſervare uſque ad nuptias. hæc laudabat & præſtabat, pudica ac continens. *Declamatione 23. circa principium.*

Libanius : Nos juniores decet contra adulteros ſcribere. ac nil mirum. cum juvenculis habitamus. quod ſi etiam facies venuſtate alias ſuperent, ut uxori noſtra accidit, providente patre ut oblectaret oculos marito corpuſculum mulieris: qui certè talem nactus eſt conjugem, prout convenit affectus eſt, dum omnem cautionem formæ protegendæ adhibet. *Declamat. 34.*

Libanius. Sponſa opes ingentes adferet? Atqui non admiror opulentiam. Pulcritudine corporis emicat? At non tuta poſſeſſio eſt. idque oſtendit Helena. *Achillis Oratione adverſus Vlyſſem.*

Heliodorus : Dux ipſe deſcendens ex equo ipſe, ac idem ſcutifero facere juſſo imponit captivos Theagenem ſaucium & Charicleam. Reliquis quidem, ut ſpoliis collectus ſequerentur imperans, ipſe è veſtigio juxta currens, & ſuſtollens, & ſuffulciens, ſi forte quis ipſis laberetur. Nec vacabat gloria id quod fiebat. ſervire is qui imperabat videbatur, & victor miniſtrare captis in animum inducebat. Sic enim nobilitatis ſpecimen, & pulcritudinis aſpectus vel prędonum ingenium ſibi ſubjicere & vincere ferociores poteſt. *libro AEthiopicorum primo.*

Heliodorus: Pulcritudo neque ſub terram occultata latuerit, ſed mea quidem ſententia, etiam illinc in lucem prodiret. *libro AEthiop. 2.*

Heliodorus: Rhodope etiam Memphim petulanter veniebat, omnibus venereis illecebris atque laſcivia exactè inſtructa. neque fieri poterat, ut non quivis, qui in illam incidiſſet, caperetur: adeo inevitabilem quendam & invictum faſcinum ex illius oculis attrahebat. Pudet dicere; & me vicit ſæpius viſa. vincebat & continentiam, quam in vita ſummo ſtudio ſervaveram. Ac diu quidem multumque oculis corporis, animi oculis reſiſtebam; ad extremum tamen victus, & affectu amatorio, tanquam aliquo onere preſſus ſum. *libro AEthiop. 2.*

Heliodorus: Pulcritudine corporis ſic omnes ſuperavit Chariclia, ut omnium oculi peregrinorum æquè ac Græcorum, in illam conjiciantur. denique ubicunque apparuerit, ſeu in delubris, ſeu curſibus, ſeu in foro, tanquam recens facta ſtatua Dei cujuſpiam, omnium mentes ac vultus in ſe vertit. *lib. AEthiop. 2.*

Heliodorus : Theſſalam juventutem ſic exornatos adeo deſpiciebant & præteribant oculi eorum qui aderant, & in præfectum equitum Theagenem conjiciebantur, ut videretur tanquam à fulgure totum id quod prius lucebat, obſcuratum eſſe: tantum lucis nobis conſpectus attulerat. *lib. AEthiop 3.*

Idem poſt pauca : Idem judicium apud omnes obtinebat, non poſſe quidquam humani apparere, quod Theagenis pulcritudinē ſuperaret. At roſeis poſtquam digitis Aurora refulſit, ut Homerus ait, atque è templo Dianæ evecta eſt Chariclia, tunc quod & Theagenes vinci aliquando poſſet, cognovimus: ſed eatenus vinci quatenus nativa muliebris formæ venuſtas prima viris comparens, majorem quandam & ſingularem ad alliciendum vim habet.

Heliodorus: Magnam vim habet etiam ad conciliandam aſpiciētium benevolentiam, formæ venuſtas. *lib AEthiop. 4.*

Heliodorus: Poſtquam contuitu ſuo juvenes illuſtrarunt eos qui irruebant, concidit illis animus, & torpebant dexteræ. formoſos etiam barbaricæ manus verentur, ut videtur, & ad amabilem aſpectum etiam immanis oculus torpeſcit. *lib. 5. AEthiopic.*

Simocatta: Elegantiam, magis quàm morum gravitatem amantes diligunt. Non enim ſapientiam amores profitentur, ſed venuſtate corporis, impudicum oculum ineſcant. Si igitur ob mores Rhodocliam amas, tuis voluptatibus non dominantur ac imperant amores. Philoſopha enim ratione telum venereum non tangitur. *Epiſt. 66.*

Simocatta: Corymbo & cicada gloriatur Gorgias, nondum lanugine vultum obtegens, & formæ pulchritudine ſuperbit, atque nobis eſcam ſtoliditatis objicit elegantiam. Ego verò ſenectutem morbum & dolorem tabulis inſcribam, & ante januam faſtuoſi nebulonis ſuſpendam. Hos enim habebit aliquando pulchritudinis hoſtes. *Epiſt. 69.*

Baſilius Imperator : Inſignis forma corporis idoneum hominem reddit, qui in aula aſſiſtat principi: Sed animi pulchritudo, gratum & placentem Regi cæleſti facit: at illa momentaneam adfert honorum fruitionem: hæc autem æternam invenit cum Deo ac Domino conciliationem. Tu verò alium non habes ſuperiorem, cui pulchritudine corporis placeas: ſed Deum habes Dominum, qui corporis formam non requirit, ſed animi generoſitatem. huic igitur placere ſtude per omnia, illius imaginem in te conſervans incorruptam atque incontaminatam, per temperantiam & morum puritatem, *cap 53.*

§ ROMANORUM.

Petronius Arbiter : O felicem inquit matrem tuam, quæ te talem peperit! Macte virtute eſto. Raram facit mixturam cum ſapiētia forma. *Satyrico.*

Petronius Arbiter : Iam Gyton mirabili forma exarmaverat nautas, cæperatque etiam ſine voce ſævientes rogare. *Satyrico.*

Eumenius : Tua denique iſta venerabilis forma commendat. pulcrum enim Dii boni, & cæleſte miraculum Imperator adoleſcens in quo illo quæ jam ſumma eſt fortitudo, adhuc tamen creſcit, in quo hic fulgor oculorum, hæc veneranda pariter & grata majeſtas, præſtringit ſimul & invitet aſpectus. Talem magnum illum regem Agamemnona, talem Theſſalum virum Achillem mēte concipio; quorS ſumma virtus pulcritudini conjuncta celebratur. Non fruſtra enim doctiſſimi viri dicunt, Naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe, quantos illos cæleſtis ſpiritus intrarit habitator. itaque te cùm ingredientem milites vident admirantur & diligunt, ſequuntur oculis, animo tenent, Deo ſe obſequi putant, cuius tam pulcra forma eſt quam certa divinitas. *cap. 17. Panegyr. Conſtantino Aug.*

Nazarius Orat. in Conſtantinum Aug. Iam illa vix audeo in tāto Principe commemorare; quod nullam matronarum cui forma emendatior fuerit, boni ſui piguit; cùm ſub abſtinentiſſimo Imperatore ſpecies luculenta non incicatrix licentiæ eſſet, ſed pudoris ornatrix. quæ ſine dubio magna, ſeu potius divina laudatio, ſæpe in ipſis etiam Philoſophis non tam re exhibita, quam diſputatione jactata. *cap. 34.*

Latinus Pacatus: O digna Imperatore nobilitas, ejus eſſe filium Principem, qui princeps eſſe debuerit, qui hunc Romani faſtigii apicem, non ſolùm fortitudine atque ſapientia, ſed decore etiam corporis & dignitate potuerit æquare? Velut tua hæc forma venerabilis, quam fortunæ ſuæ par eſt? quam longe lateque conſpicua commendat imperium? ut planè in ambiguo ſit, utrumne te magis noſtris mentibus virtus, an obtutibus vultus inſinuet.

Non fruſtra planè opinione Sapientium, qui naturalium momenta cauſarum ſubtilius ſciſcitati, arcanis cæleſtibus nobiles curas intulerunt, auguſtiſſima quæque ſpecies plurimum creditur trahere de cœlo. ſive enim divinus ille animus venturus in corpus, dignum prius metatur hoſpitium; ſive cùm venerit, pro habitu ſuo fingit habitaculum; ſive alterum ex altero creſcit, & cùm ſe paria junxerunt utraque ſunt majora, parcam arcanum celeſte rimari. tibi iſtud ſoli pateat, Imp. cum Deo conſorte ſecretum. illud dicam quod intellexiſſe hominem, & dixiſſe fas eſt, talem eſſe debere qui à gentibus adoratur, cui tota orbe terrarum privata vel publica vota redduntur, à quo petit navigaturus ſerenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auſpicium. Dudum, ut video, indignatis hanc gloriam: ſed parere eam in laudum tuarum partem cōſtitui, quæ ſolebat in aliis ſola laudari. virtus tua meruit imperium, ſed virtuti addita forma ſuffragium. illa præſtitit ut oporteret te Principem fieri, hæc ut deceret. *cap. 6. Panegyrici Theodoſio Aug. dicti.*

§ POETARUM.

D. Nazianzenus in vita ſua.

——ὀ γὰρ λανθάνει
Τὶ κρεῖττον ὀδὲν.
Pulchræ rei latere nil prorſus poteſt.

Plautus Epidici 5. ſc. 1. v. 16.

Hæc eſtne ut tibi dixi? aſpecta, contempla Epidice,
Vſq; ab unguiculo ad capillum ſummum eſt feſtiviſſima.
Eſtne? conſidera, vide. ſignum pictum pulcrè videris.

Plautus Milite 1. ſc. 1. v. 61.

Rogitabant hiccine Achilles eſt, inquit tibi?
Imò eius frater, inquam. innuit illarum altera.
Ergo mecaſtor pulcer eſt, inquit mihi,
Et liberalis viſus. cæſaries quam decet?
Næ illæ ſunt fortunatæ quæ cum iſto cubant.
P. Itane aiebat tandem. A. quæ me ambæ obſecraverint,
Vt te hodie quaſi pompam illac præterducerem.
P. Nimia eſt miſeria pulcrum eſſe hominem nimis.
A. Moleſtæ ſunt mihi: orant, ambiunt, obſecrant,
Videre ut liceat: ad ſeſe arceſſi jubent,
Vt tuo non liceat operam dare negotio.

Plautus Menæchmus 1. ſc. 2. v. 66.

——O! ſolem vides
Satin' ut occæcatus eſt præ huius corporis candoribus.

Plautus Pænulo 1. ſc. 2. v. 64.

Dii immortales! omnipotentes! quid eſt apud vos pulcrius?
Quid habetis, magis quei immortales vos credam eſſe, quam ego ſiem?
Qui hæc tanta oculis bona concupio. nam Venus non eſt Venus:
Hanc equidem Venerem venerabo, me ut amet poſthac propitia.

Terentius Eunuchi 2. ſc. 3.

——Occidi!
Neque virgo eſt uſquam; neque ego, qui illam è conſpectu amiſi meo.

Vbi quæram? ubi investigem? quem percunctier? quam insistam viam?
Incertus sum: una hæc spes est, ubi ubi est, diu celari non potest.
O faciem pulcram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres:
Tædet quotidianarum formarum.

Terentius Phormionis 1. sc. 2.

——Virgo pulcra, & quo magis diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida;
Lacrima, vestitus turpis; ut ni vis boni
In ipsa inesset forma, hæc formam exstinguerent.

Petronius Arbiter.

Non est forma satis; nec quæ vult bella videri,
Debet vulgari more placere sibi.
Dicta, sales, lusus, sermonis gratia, rursus,
Vincunt naturæ candidioris opus.
Condit enim formam quidquid consumitur artis,
Et, nisi velle subest, gratia tota perit.

Ausonius Epigr. 6. ad Crispam.

Deformem quidam te dicunt Crispa: at ego istud
Nescio pulcra mihi es: judice me satis est.
Quin etiam cupio, junctus quia zelus amori est,
Vt videare aliis fœda, decora mihi.

Claudianus in sepulcrum speciosæ.

Pulcris stare diu Parcarum lege negatur.
Magna repente ruunt; summa cadunt subitò.
Heic formosa jacet, Veneris sortita figuram,
Egregiumq; decus, invidiam meruit.

§ APOLOGI.

Aphthenius: Ficum irridebat olea, quasi ipsa quidem omni tempore florida, ficus verò cum tempore mutaret florem. quo cum aliquando nix caderet, comantem deprehendens oleam, ramisque insidens, una cum pulchritudine & ipsam simul corrupit, at huic cum nudam destitutamq; foliis inveniret, in terram defluens non obfuit.

Pulchritudo nescia sibi temperare, habentibus est vituperio.

§ EMBLEMATUM.

Camerarius L I. Centuria prima.

Aliter cœlestia durant.

Ah quàm forma rosas cito deficit inclyta pulchras!
Non ita Cœlestis quas Paradisus habet.

Camerarius L II. Centur. 1.

Caduca voluptas.

Hæc rosa centuplici ceu flore decora, caduca est:
Sic forma & vita mox perit omne decus.

Catsius Emblemate nuptiali XL.

Pulcrorum etiam Autumnus pulcher.

Ambrosium latè rosa tunc quoq; spargit odorem,
Cùm fluit, aut multo languida sole jacet.
Stultus amor formæ est; labat is veniente senecta,
Non secus ac putri sub trabe sidit opus.
Adde quod & febres minuunt, & cura decorem;
Et totidem causis cessat amare puer.
Firmius ingenium est, ipsisq; nitescit ab annis,
Et causas pro se mille favoris habet.
Non tibi canicies veteris vestigia flammæ
Auferet, aut rugæ finis amoris erunt.
Si jungare viro, cui mens magis ore refulget;
Illa vel extremos perstat ad usq; dies.

Iac. Catsius Emblemate amatorio XLIX.

In ostio formosa; in recessu nihil.

Insulsa est, quia tota patet, Rhodopeia moles,
Atriaq; interior nulla recessus habet.
Hanc ego formosæ nego nomina vera mereri,
Purpureis tantum si qua sit apta genis.
Plura peto: deposco salem, geniiq; lepores.
Hæc mihi præcipuè dote puella placet.
Vnica quidquid habet frons perspicit hora; recentes
Ingeniosa dabit semper amica jocos.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

An jucundius marito pulcra quid est conjuge?
Aut habet nævum aut verrucam corpus omne pulcrius.
Corporis virtus venusti plus est quam gratissima.
Corporis paritq; amorem pulcritudo corporis.
Cum pudore pulcritudo, pulcritudo est altera.
Est tyrannis pulcritudo, sed pusilli temporis.
Fallax vita! animisq; pulcram turpibus faciem induis.
Femina est ubicumq; pulcra diu latere non potest.
Feminam natura pulcram haud reddit, sed adfectio.
Flos virtutis est futuræ, pulcritudo corporis.
Fortis est res robur, illo ad pulcritudo fortior.
Iam rosa ipsa consenescit purpuram antequam explicat.
Ignis proximos, remotos ustulat formositas.
Moribus turpissimis sunt se quæ pulcras sentiunt.
Moribus pulcris videre feminam, pulcerrimum est.
Naturale nil mage est quam pulcra amare corpora.
Nemo cum Deis versatur qui non sit pulcerrimus.
Nemo feminam admiretur absq; pulcritudine.
Nil adeò pulcrum est, quo non sit aliud alibi pulcrius.
Nil mage augustum orbe toto pulcræ pulcritudine.
Nil nisi terra nil nisi pulvis pulcritudo corporum est.
Nil quidem pulcri est in imbre; plurimum tamen juvat.
Nobis latere nescit pulcritudo feminæ.
Non quàm pulcra, sed quam recta regula exstet quæritur.
Omnibus fidem profani rebus pulcris denegant.
Pauperes puellæ longè pulchriores ditibus.
Plurimæ se pulcriores quàm reapse sint putant.
Plurimum trahit de Olympo pulcritudo augustior.
Pulcer es? cave decolores moribus formam malis.
Pulcra bis est quæ decorat actibus formam bonis.
Pulcra corporum simulacra, pulcriora pectorum.
Pulcra cuncta oculos animumq; derepente ad se trahunt.
Pulchra ea est cui adjumenti nil ad pulcritudinem.
Pulcra quæ sunt, aut labori obnoxia aut periculo.
Pulcra sæpe ab haud venusta carpitur manu rosa.
Pulcritudo feminarum tota fermè est in genis.
Pulcritudo ingens latere non potest, ubi ubi est diu.
Pulcritudinis letho omne solvitur statim decus.
Qualis ætas florum, talis est & pulcritudinis.
Quæ pulcerrima pluribus sunt, exoptamus maxime.
Quidquid est pulcrum, per oculos mox ad animum transilit.
Semper arte, pulcras nunquam vi, superavit Iupiter.
Vbi ubi est, diu cælari pulcra facies non potest.

§ JAMBICA.

Aetio pulcra omnium anteit pulcriorum corpora.
Animi decori corporis cedit decus.
Bis imò ter videre pulcras res, juvat.
Cuicumq; pulcro, pulcra etiam est autumnitas.
Et forma mentes expugnat adamantinas.
Et pulcrâ facie sæpe inveni pessimos.
Et pulcritudini adsecla insolentia est.
Etiam imperat ipsi pulcritudo robori.
In saxa pulcræ mutant hominem Gorgones.
Nequit esse pulcrum id cui voluptas non adest.
Nil gratius decore, nil fugacius.
Nil pulcritudo est quam decipula feminæ.
Oculis haud ulla pulcra sanis femina est.
Præstat placere morum pulcritudine.
Pulcer licet sis, non venustus es tamen.
Pulcherrimum est idem quod est justissimum.
Pulcrum est, rei quod est cujusq; proprium.
Pulcrum id vocari, quod dat aut damnum aut malum?
Pulcri nihil latere diu prorsus potest.
Pulcrum quod est, haud fortuitò nascitur.
Quod maximè pulcrum est, amabile maximè est.
Semper facit pulcrum quid is qui est optimus.
Servire pulcræ, quam imperare, mavelim.
Si mens mala est, nil pulcritudo juverit.
Spectandus animus: pulcritudo nil juvat.
Sunt pulcra cuncta queis juventa adest sua.
Sunt pulcra, tempestiva quæ sunt, omnia.
Vnâ febri omnis pulcritudo exstinguitur.

Puritatis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

A viro suo statim uxor, pura nunquam ab altero est.
Maximam laudem concinnat summa vitæ puritas.
Purus est, quisquis aberrans socium pro hoste interficit.
Purus is est, qui nullius conscius sibi mali.

§ JAMBICA.

Cui lauta mens est, puro & idem corpore est.
Cui pura mens est, purus toto est corpore.
Immunda quam moves magis, fœtent magis.
Puras Deus mentes cupit nedum manus.
Purgare si vis alios, te purga prius.
Rem puram ab impura re contingi nefas.

Pusilla-

Pusillanimitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus*: Si quis laudaverit, intumescis: & si vituperaverit, deprimeris. & quomodo corpora. imbecilla offenduntur vel a quibuslibet, ita etiam pusillæ & abjectæ animæ. Eos enim qui sunt hujusmodi non solùm paupertas, sed etiam perdunt divitiæ; non tristitia solùm, sed etiam gaudium; & quæ sunt jucunda magis, quàm quæ tristia. Nam paupertas quidem cogit esse modestum & tēperantem: divitiæ autem sępe educunt etiam ad aliquod magnum malum. & sicut qui febricitant, ab omnibus effunduntur: ita qui sunt animo corrupto & depravato, læduntur ab omnibus. *Homil. 35. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Vitium est pusillanimitas, quæque æquè perdit ac socordia & segnicies. qui non fert contumeliam, est pusilli animi: qui non fert tentationem est pusilli animi. hic est qui supra petram est seminatus. *Hom. 10. ad Thessal.*

¶ APOPHTHEGM. SACR.

Victor abbas. Quidam conveniens Victorem abbatem, quærebat remedium adversus pusillanimitatem. Cui respondit Victor, Hæc passio morbus animæ est. Sicut enim cæci oculis, quanto magis patiuntur, plus sibi videntur lumen intueri: qui veros sanos habent oculos, modicum: ita & pusillanimes ex modica tentatione citò perturbantur, & magnam illam esse existimant: qui verò anima sani sunt, magis gaudent in tentationibus. *Ioann. Moscus, in prato spirituali, cap. 164.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad leves gemunt quoque ictus ulcerosa corpora.
Arduum est servare mentem forte æquabilem.
Cogita non quot sequuntur te, sed ipse quot prais.
Cognitus sibi nec ipsi est, sorte utraque degener.
Commodè malis posse uti, commodè bonis; viri est.
Dextera datum sinistra exciperit morositas.
Mentis est nimis pusillæ nulla sors cui placet.
Nec satis facit pusilla mens sibi nec alteri.
Notus haud sat est sibi ipsi, mente semper qui tremit.
Qualibet homo animi pusilli curvus ab injuria est.
Quei queat sibi placere sors cui neutra sat placet?
Qui malam nequit fortunam ferre, nec feret bonam.
Quod ipse fert, gravissimum quisque autumat.
Spiritus submissiores cur geris quam te decet?

¶ JAMBICA.

Animus pusillus, semper interpres malus.
Animus pusillus tristiora cogitat.
Ignorat ipsum se, nimis qui despicit.
Mens trepida ex re qualibet legit malum.
Qua pejor est sortem suam quisque aspicit.
Ridet Deus, mortalis si ultra fas tremit.
Pejora semper autumat mens degener.

Videantur alia titulo, *Æquanimitatis, Fortitudinis, Arrogantiæ, Humilitatis, Præsumptionis, Superbiæ, Magnanimitatis, Cognitionis sui, Longanimitatis.*

POLYANTHEÆ TOMI SECUNDI LIBER DECIMUS QUINTUS.

Quærendi.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

B *Clemens Alexandrinus*: Sint autem nostra Commentaria, propter eos qui impudenter ac imperite ad ea legenda sunt accessuri, varia, & ut ipsum nomen indicat, contexta, ab uno ad aliud continens transeuntia, & per verborum quidem seriē ac cōtextum aliud significantia, aliud vero indicantia. Qui enim aurū, inquit Heraclitus, quærunt, multum terræ fodiunt, & parum inveniunt: qui autem id quod vere aurei generis cognatum est scrutantur, multum in pauco invenient: inveniet enim Scriptura unum qui sit eam intellecturus. Iuvant ergo & ad revocandum in memoriam, & ad veritatem aperte declarandam, ei qui potest quærere cum ratione, Stromata Commentariorum. Oportet autem nos quoque adlaborare, & his alia adinvenire, quoniam iis qui ea via eunt quam nesciunt, sufficit rectam solummodo indicare, postea autem est ingrediendum, & reliquum viæ inveniendum. Quemadmodum dicunt, servo aliquando sciscitanti, quidnam agendo placiturus esset domino, respondisse Pythiam, invenies si quæsieris. Et est quidem revera, ut videtur, difficile, pulchrum & honestum quod latet invenire, quoniam sudor ante virtutem est positus:

Via longa est atque acclivis ad ipsam.
Ardua namque prius, sed cum ad fastigia ventum,
Fit facilis, quæ difficilis valde ante clueret.

Est enim revera arcta & angusta via Domini, & regnum Dei est violentorum. Unde quære, inquit, & invenies, tenens viam vere regiam, & non prætercurrens. Est ergo in exiguo quidem spacio multa genitalis copia seminum eorum dogmatum quæ comprehenduntur in hoc opere, tanquam ager omnibus herbis plenus, ait Scriptura. *lib. 4. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Iustus ergo quæret inventionem quæ oritur ex charitate, ad quam contendens, efficitur fortunatus. Pulsanti enim, inquit, aperietur. Petite dabitur vobis. Qui enim regnum rapiunt, sunt violenti, non contentiosis orationibus, sed rectæ vitæ assiduitate: & orationibus quæ fiunt sine intermissione, dicti sunt vim afferre, ut qui ex prioribus peccatis contractas abstulerint maculas.

Turmatim vitium certe vel pendere possis.

Et,

Deusque duris fert opem laboribus.

Non enim ex pugnatu difficilia Musarum dona, in medio sita sunt à quolibet auferenda. Ignorationis itaque animadversio est prima disciplina ei qui verbo seu rationi convenienter ambulat. Cum ignorasset quispiam, quæsivit: & cum quæsiisset, invenit magistrum: & cum invenisset, credidit: & cum credidisset, speravit: & cum hinc dilexisset, dilecto similis efficitur, hoc esse studens quod prius dilexit. Talem fere viam & rationem Socrates indicat Alcibiadi, sic roganti. Non aliter existimas me de iis quæ sunt justa cognoscere? Certe, si quidem inveneris. Sed non putas me posse invenire? & maxime quidem, si quæsieris. Deinde existimas me non posse quærere? Ego quidem existimo, si putaris te non nosse. Hac ratione sunt etiam prudentum virginum lampades, quæ noctu sunt accensæ in densis tenebris castitatis, quas esse noctem tacite significavit scriptura. Prudentes animæ mundæ ut virgines, cum intelligant se esse sitas in mundana inscitia, lumen accendunt, & mentem excitant, tenebras illuminant, & ignorationem expellūt, & quærunt veritatem, & expectant adventum præceptoris. Fieri ergo non potest, inquam ego, ut sit vulgus philosophum.

Thyrsigeri multi, pauci sunt re quoque Bacchi,

ex Platonis sententia. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Et non est in omnibus, inquit Apostolus, cognitio. Orate autem ut liberemur à pravis & perversis hominibus. Non est enim omnium fides. Quinetiam Cleanthis quoque Stoici philosophi Poëtica, hoc modo scribit similia:

Ne spectes famam, dum vis sophos esse repente,
Terreat amentis nec te sententia vulgi.
Iudicium sapiens & justum non habet ullum
Vulgus, & in paucis vix hoc reperire licebit.

Magis autem sententiose & breviter Comicus,

Pulchra in tumultu judicare non decet.

Audierunt enim, ut existimo, pulchram illam quæ nobis dicit sapientiam: In medio insipientum, observa occasionem. In medio autem cogitantium, versare perpetuo. Et rursus: Sapientes occultabunt sapientiam. Pignus enim veritatis exigit vulgus probationē, non contenti nuda quæ ex fide salute.

In pravis sed qui vincunt non credere tutum est,
Præcipiat nostra tibi sic persuasio musa.
Dissecto noscas intra tua viscera verbo.

Pravis enim inquit Empedocles, hoc est familiare, velle quæ sunt vera vincere ex eo quod non credant. *libro Stromatum 5.*

§ POETARUM.

Terent. Heauton. 4. sc. 1.

Quid agam? aut quid comminiscor? ratio de integro in-
tegro ineunda est mihi.
Nil tam difficile est, quin quærendo investigari possiet.
Quid si hoc sic incipiam nunc? nihil est. si sic? tantundem
egero.
At sic opinor. non potest. imò optumè. euge optimam habeo.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Flore apis non fert ab omni mel suum, sed quæritat.
Fonte pro boni invenimus sæpius Oceanum mali.
In spinis quærenda non est uva, ficusq; in rubo.
Margaritam perditam inter ipsa quæras stercora.
Nemo quærat quod suum est, vult invenire si suum.
Nil tam difficile est, quærendo investigari quin queat.
Non omnis quicumq; nodum quærit in scirpo, invenit.
Non quod est necesse, sed quod non necesse, quæritur.
Plura quærens quam necesse est, sæpe perdit quæ jam habet.
Quærere aurum perspicacis in luto prudentia est.
Quando virtute is fruetur, usq; eam qui quæritat?
Qui non quærit, invenire nullam certè rem potest.
Qui quod est suum usq; quærit, nuspiam illud invenit.
Qui viam ad mare nescit, amnem quæritet comitem.
Quis locum quærat dolo, alma veritas ubi quæritur?
Quisq; laudat, sed non idem quæritat prudentiam.
Quod via non quæritur sua, invenire quei queas?
Sæpe non quæsita sponte in lucem veritas venit.
Sæpe quod fugit quærentes, non quærentibus obviam est.
Vis tuum invenire? noli quærere id quod sit tuum.
Vix quærentibus obveniunt bona; mala ultrò se ingerunt.

§ JAMBICA.

Aliena quæ sunt si quæras, tua invenis.
An sit Deus, ne quære; crede sed Deum.
Credas Deum colasq; quærere at fuge.
Et sæpe quod in manibus habemus quærimus.
Etiam invenire est laureolam in mustaceis.
Haud obviat farina qui molam fugit.
Hominem inter vivos frustrà quæras mortuum.
Honesta non occulta quæruntur bonis.
In pectore amicus, non in atrio quæritur.
In pisce frustra spinam quæras obvio.
Incerta dum petimus, & certa amittimus.
Ipsis rosæ sunt colligendæ è sentibus.
Lepus tute es, & pulpamentum quæritas?
Mage quæritur res, quàm fides clientium.
Mors esse longè non potest quærentibus.
Multi malum quærunt bonis præsentibus.
Multos amicos quærens nullos invenit.
Ne quære, quæso, mollia, in dura ne incidas.
Nemo Deum quærit, nisi qui invenit prius.
Noli adsectare, quod tibi non est datum.
Præsentibus ursæ quærimus vestigia?
Quæras opes difficilius, quàm custodias.
Quærenda conjunx non oculis, verùm auribus.
Quærenda nulli, parta quæ sunt omnibus.
Quærenda virtus, sed prius pecunia.
Quærenda virtus, sed repertas post opes.
Quærens Deum perenne quærit gaudium.
Qui quærit aliquid, cæcus est ad cetera.
Qui quæritat sortem bonam, malam invenit.
Quod non cupis reperire, noli quærere.
Quod non potest fieri, id sequi est insania.
Regum imperium grave quidquid quærit invenit.
Semper mage homines illa quæ absunt quærimus.
Videtur optimum omne quidquid quæritur.

Videantur plura titulo *Diligentiæ, Industriæ, Ingenij, Laboris, Studii.*

Quæstionis.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

B. *Clemens Alexandrinus*: Stultas & ineruditas quæstiones vitare divinitus suasit Paulus, quoniam generant pugnas: & clamat Æschylus,

Ne in ijs labores temere quæ nihil juvant,

Nam eam quidem quæ una cum fide convenit quæstionem, quæ supra fundamentum fidei superædificat, splendidam ac magnificam veritatis cognitionem, optimam esse scimus. Scimus autem quod neque ea utique quæruntur quæ sunt manifesta, ut, exempli causa, an sit dies, cum sit dies. Neque ea quæ sunt incerta, & nunquam futura sunt manifesta, ut illud, sint ne stellæ pares an impares. Sed neque ea quæ convertuntur: quæ etiam ab iis qui adversantur in differendo, ex æquo dici possunt, ut illud, an sit animal quod est in utero, an non animal. Quartus modus est, quando ex alterutra horum parte producitur argumentum, contra quod dici, & quod solvi non potest. Si ergo quærendi causa omnibus modis de medio tollitur, fides firmatur ac stabilitur. Eis ergo illud producimus, contra quod dici non potest, quod Deus est qui dicit, & de unoquoque eorum de quibus quæro tradit in scriptis. Quis est ergo adeo impius & à Deo alienus, ut Deo non credat, & probationes à Deo postulet tanquam ab hominibus?

Rursus ex quæstionibus, aliæ quidem sensu indigent, ut si quis quærat an ignis sit calidus, aut nix alba. Aliquæ vero admonitione & increpatione, ut ait Aristoteles: ut illa interrogatio, an oporteat honorare parentes. Sunt etiam quædam dignæ quæ puniantur, cujusmodi est, quærere probationes, an sit providentia. Cum sit ergo providentia, non ex providentia factam fuisse prophetiam, & eam quæ in Servatorem facta est œconomiam divinamque dispensationem, putare, est nefarium. Et forcasse ne conari quidem oportet hæc probare, cum sit manifesta divina providentia, ex aspectu omnium quæ videntur effectorum, quæ arte constat & sapientia, quorum alia quidem fiunt ordine, alia vero ordine manifestantur. *libro Stromatum 5.*

D. Nazianzenus: Cùm ex Christo quæritur, In qua potestate hoc facis? propter ingentem eorum qui interrogaverant ineptiam, vicissim ipse quoque interrogat, Baptismus Joannis de cælo erat, an ex hominibus? atque utrinque interrogatores suos premit ac constringit. Unde etiam nobis nonnunquam ad Christi imitationem eos qui curiosa disputatione nos lacessunt comprimere, quæstionumque absurditatem absurdioribus interrogationibus solvere licet. *Orat. 31.*

S. Isidorus Pelusiota: Divinus Paulus omissa persæpe enunciatione percunctationem adhibet, quòd hac ratione suaviorem ac magis efficacem demonstrationem se redditurum arbitretur. Ajebat enim ad eos, qui in tentationibus versabantur, easque molesto animo ferebant, Quis enim filius, quem non corripit pater? ut per interrogationem plus ponderis ac significationis demonstrationi afferret. Atque item alio loco, Decet mulierem detecto capite Deum orare. hac scilicet interrogatione id agens, ut clariorem & apertiorem hujusmodi absurditatem redderet. Siquidem enunciationes permulti quoque oppugnare ac refutare aggrediuntur: quæ autem per interrogationē proferuntur, & movent, & silentium adversariis indicunt: ac præterea lenitatis & facilitatis opinionem dicenti conciliant. *lib. 3. Epist. 184.*

Io. Sarisberiensis: Nodos omnium quæstionum solvere non sufficio. Quis enim adeo sapiens est, ut omnibus cujusvis imperiti nedum tuis quæstionibus satisfaciat? *lib. 2. Policratici cap. 26.*

Io. Sarisberiensis: Nemo est qui omnia, quæ etiam ab imperitis quæruntur, sufficiat explanare. *lib. 7. Policratici cap. 12.*

§ POETARUM.

Bibaculus apud Suetonium.

Catonis modo, Galle, Tusculanum,
Tota creditor urbe venditabat?
Mirati sumus, unicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes solvere posse quæstiones:
Unum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti! en jecur Cratetis!

§ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Constantinus Imperator. Quæstiones, inquit, quas nulla lex canónve Ecclesiasticus necessariò præscribit, sed inanis dissoluti ocii certatio proponit, licet ad ingenii acumen exercendum instituantur: tamen interiore mentis cogitatione continere debemus, & neque in publicos populi conventus temerè efferre, neque vulgi auribus inconsultò concedere. Quotus enim quisque est, qui rerum tam gravium, tantaq; obscuritate involutarum vim, vel satis accuratè providere, vel pro dignitate explicare valeat? Quod si quisquam sit, qui istud se facilè efficere & consequi posse confidat, quota (quæso) est illa multitudinis pars quam possit efficere ut idem ipsum intelligat? Aut quis tandem est, qui in curiosa quæstionum ejusmodi pervestigatione, extra prolapsionis periculum possit cōsistere? Quocirca in talibus rebus loquacitas coercenda est, ne vel cùm nos præ ingenii nostri imbecillitate, quod propositum est explorare non possimus: vel auditores inter docendum, præ intelligentiæ tarditate ad accuratam sermonis instituti comprehensionē pervenire non queant: ex re alterutra populus aut in blasphemiæ aut in dissensionis necessitatem incurrat, &c. *Euseb. de Vita Const. lib. 2. cap. 67.*

Vide Apophth. *de Curiositate.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Desinas id percunctari quod nihil refert tua.

Nemo

Nemo de bonis vicini, quisq; quærit de malis.
Plus queat rogare stultus unus quam decem eloqui.
Quærimus magis, mali quis quam boni quid gesserit.
Quæstioni magnæ inepta est perbrevis responsio.
Vir bonus se interrogari de re eadem bis dolet.

§ JAMBICA.

Haud sciscitanda cuiquam sunt, quæ lex vetat.
Minime est pudor quæsisse quæ nescieris.
Permulta quærit improbus; probus nihil.
Quærendum haud est de re eadem bis probus.
Quando hoc erit? quando illud? pueri quæstio est.
Quod indicari non bonum est, malè quæritur.

Quæstionis, seu Torturæ.

§ SENTENTIÆ ORATORUM GRAECORUM.

Lysias: In jus vocatus testes ipsi obtulit, dicens eosdem me nunc habere servos, quos eo tempore possidebam, quo agellum illum mihi comparavi; paratum me esse, si quem velit, tormentis dedere: quod arbitrarer, ea ratione argumentum vos habituros illustrius cùm eorum quæ hic dicit, tum etiam eorum quæ ego feci. Hic autem noluit, asserens nihil esse fidendum servis. At mihi sanè mirum videtur, qui suorum delictorum causa torti rem ipsam confitentur, cum certo sibi moriendum sciant; eos in dominorum causa, quibus solent esse iniquissimi, malle tormentorum supplicia perferre, quàm arcanis revelatis, dolore præsenti liberari. At illud satis liquere existimo, Senatores, quod si Nicomacho servos postulanti, non tradidissem; mihi ipsi male conscius procul dubio vi[illegible]us fuissem: quum est idcirco, cum me illos offerente, hic acceptare noluerit, ut idem de ipso judicetur; præsertim cum idem utrisque esset periculum. Nam si de me confessi fuissent, nulla mihi restituisset excusandi ratio: huic autem; etsi non fuissent confessi quæ postulabat, nihil inde damni proveniebat. Itaque longe magis huic conveniebat, quod efferebatur acceptare, quã me tradere. *cap. 8. de sacra oliva trunco.*

ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Confessa est cùm torqueretur. Ubi tantum robur animi, ubi tam firmam solidamque mentem, quæ non dolore vincatur, non ignibus cedat, non verberibus ingemiscat? hanc verò satis fortiter, ac supra sexum suum fecisse credo, quod nihil dixit antequam torqueretur. quippe vel primæ tantum minæ, ac timor ille exercitus qui modò feliciter pugnaverat quamlibet confudisset feminam, orbam, stupentem malis. *Declamatione 272. m.*

Quintilianus Senior: Nondum erat tortus qui torqueri poterat, illa illa quæstio fuisset quam timuisti. Difficile est contra dolorem ægris durare corporibus; & facile est integro sensu perferre quam semel indueris persuasionem. Ideo ars inventa est: illæ torquent nocturnæ cogitationes, illa recordatio præteritorum, illa expectatio futurorum. illa est quæstio gravis, cùm vulnera cæduntur, cùm persuasum est animo, nullum esse finem tormentorum. Non igitur peracta quæstio Ducit me indignitas rei: venenum proditori dedisti. *Declamat. 307. ante f.*

Quintilianus Senior: Frequenter judicia hujusmodi exercentur, ut si res in notitia dicitur esse servulorum, torqueri mancipia videamus. Si mos civitatis, & conditio militiæ pateretur, se in tormenta obtulisset. *Declam. 312. fine.*

Quintilianus Senior: Dicas oportet, dispensatorem suum finem tormentorum quæsisse: ideo confessum ut dimitteretur. *Declamationis 353. fine.*

Quintilianus Senior: Tortus dixit. eo minus credo. mentiuntur plerumque torti. deinde habuit mentiendi causam, quod expulsus fuit. *Declamatione 379, fine.*

Quintilianus Senior: Anus torta. una quæstio adversus hunc sexum, adversus hanc ætatem non sufficit. Sufficiẽtes jam per se distendis artus, lacerasque verberibus jam non cohærentem cutem: & hoc dicis, Mentiris. Tamdiu potest mentiri contra tuam voluntatem? etiam cùm robustissimi torquentur, etiam cùm animos asperrimus dolor tendat, plurimum tamen interest quid responderi sibi velit, qui torquet. Dura non dico contra ignem, non dico contra flagella, contra hactenus veritatis inquisitio est, qua victum te speras, si verum dixerit. Cùm verò repetas tormenta, cùm reducas carnificem, quid aliud dicis quàm illud, Torque donec mentiatur? Magna, herculè, tibi contigit magna victoria: perdomuisti mulierem anum. expressa vox est jam fugientis animæ. Miserere, non est tuus. Jam parce: verum dixisti. Hic jam credo tortor admonitus, instaret, perseveretque, eam adhiberet artem quæstioni, ut moreretur mulier, dum tu victor & hilaris adversario tuo quid egeris, nuntias. Rogo cùm mulier eadem in tormentis diversa dixerit, non est manifestum id te maluisse quod credidisti? *Declam.*

Quintilianus: Neq; ego, Judices, quemquam vestrum dubitare crediderim, ex qua conscientia, qua trepidatione descendat, ut quis torqueri nolit inimicum. *mox:* Crudelius & indignius est, quàm torqueri, non impetrare Tormenta. *Declam. 7. §. 1.*

Quintilianus: Lex, inquit, Liberum hominem torqueri vetat. Per fidem, judices, quis non hoc eum respondere credat, cujus tormenta poscantur? Nemini judices, credo dubium, legem quæ torqueri liberum hominem vetat, hoc prospexisse tantùm, ne quis torqueretur invitus: & jura quæ nos à servilium corporum conditione secernunt, impatientiæ tantum succurrisse nolentium. Omnium beneficiorum ista natura est, ut non sit necessitas, sed potestas. Quicquid in honorem alicuius inventum est, desinet privilegium vocari posse, si cogas. Cuncta, si videtur, jura percurrite: nusquam adeo pro nobis solicita lex est, ut quod præstat, extorqueat. Dedit cæco talionis actionem, non manus recusantis impellit. Injuriarum cædis agere permisit, sed non cogit invitos. Adeo penè levius est ultionem perire, quàm potestatem. Genus servitutis est coacta libertas, & eadem iniquitas, quicquid de invito homine facias. Vis scire quid lex ista prospexerit? Non exigo ut torquearis. Quàm multa dii deæque non minus sunt justa quàm lex exigit, quarundam invidia rerum, ut vinci se magnitudo patiatur? & quicquid accidisse mireris, tantundem poscit in ultione novitatis. Filius in conspectu patris occisus est, torquete securi. nihil iniquius fieri potest.

Ignoscant persuasiones, si facinus istud omnium illicitatum rerum consumpsit invidiam. Et unde tormentis salva justitia est, plus est de quo quæritur, quàm quo modo quærendum est. Nullum debet inimicum videri genus probationis esse quod solum est. Et quicquid potuit prodesse severitati, nunquam nocuit exemplo. Sufficit libertatis reverentiæ, quod torqueris inviti, quòd contra me non alius invenit. Liberum torqueri non licet. Hoc est, judices, propter quod filium meum dives coram me non timuit occidere. Filium igitur meum in conspectu meo occisum esse contendo. Quid dicitis? Ita non erat contra proclamationis huius fidem, si nunc agere possem quietum modestumque miserum? Vultis, cùm hoc viderim, tantum testimonium dicam? Mirum hercle si scindo vestes, nudo corpus, ignes, flagella deposco? Insaniat necesse est pater, cum solus hoc sciat? Fallitur, judices, quisquis, hoc quod postulo, contemptum, quisquis audaciam vocat. Filius urit, exagitat, & inter tormenta fugio dolorem. Si mentientis est velle torqueri, invenite quid facere debeat qui verum dicit, & non probat. *Declamat. 7. §. 4. pr.*

Quintilianus: Tormenta postulo. En ad quod confugiat homo q se sciat posse mentiri. Nulla est ratio quæstionum relicta mortalibus, si adjuvant contra veritatem, & sublata est de rebus humanis necessitatis huius utilitas, si jam tuetur ultro, explicatque fingentibus. Hucusq; durant artis ingenia mortalium: & licet sit aliquis secreti firmitate compositus, hominem tamen ultra non sequitur animus. Non vacat asserere quæ finxeris, tunc cùm vix prodest & verum fateri. Et nemo non contra id torquetur, quod dixit ante tormenta. Nõ refert, cuius ad equuleum nominis persuasionem, quas silentii afferas causas. In quæstionibus tãtum corpora sumus, & nemo non contra aliquem torquetur affectum. Exigam quæstionem, an recusem? Quid interest tormentis brevi futurus similis homini q fateatur invitus? Novũ judices, inauditumq; reb. humanis aperitur exemplũ Nemo unquã ideo torqueri non debuit, quia mentiretur. Sed si fas est, judices, dubitare de fide quæstionũ, alius debet esse suspectus, ille scilicet in quo serviliũ pectorum recessus, in quo verniles excutiũtur artus. Quotiẽs tortori est rixa cũ mẽbris, tũ cruciatus agnoscit assiduis suppliciis durata patiẽtia, & homini nõ est nova res dolor corporis appliciti, quod scissa laceraq; veste primum ferre non potest pudorem, quod nescit ad flagellorum vices membra componere, nec ullo verbera frangit occursu. Nos inquã sumus quos leges supervacuum putavere torqueri. Unde nobis inter ista secretum? In tormentis libero homini opus est patientia, ut verum dicat. *Declam. 7. §. 6.*

Quintilianus: Suspecta tibi est nostra patiẽtia. Vides enim, hortatur nos cõtra dolorẽ primæ robur ætatis, solidũ plerumq; corpus. Quã facilis, quã expedita res est torqueri miserum! Affero ad quæstionem jam planctibus mẽbra liventia. Quantũ animæ, quantum sanguinis orbitas traxit? Quanto imbecilliora sunt hæc quotidianis lamentationib. everberata vitalia? Quicquã ergo fingere potest hic pallor, hæc macies, & jam torto similis infirmitas? Adjice ꝙ nihil minus in quæstione diu possis dicere si mẽtiaris, quã ꝙ oculis scias: & brevissimũ confessionis est genus dixisse ꝙ videris. Felices, dives, quos tortor interrogat, qui non habent in sua potestate credentes. Impatiẽtissima res est, posse cũ velis desinire torqueri. *Declamat. 7. §. 8.*

Quintilianus: Accusatoris tormenta nunquam timebit reus, nisi de quo credi potest & ante tormenta. *Declamat 7. § 10. p.*

Quintilianus: Dissimules licet, non est innocentiæ metus, cùm timentur aliena tormenta. *Declam. 7. §. 12.*

Quintilianus: Omnium quidem, judices, incertorum suspiciones, pessime semper à corporibus incipiunt: nec bene de cuiusquam moribus illam partem hominis interroges, quæ non animo sed dolore respondeat. *Declam. 18 §. 17. m.*

Quintilianus: Quæstionem illud vocas? pœna, supplicium, & malorum meorum exitus fuit. Nulla ratio est interrogandi hominem, cui non fas est, nisi negare. *Declam. 19 §. 13. p.*

Quintilianus: Quisquis in tormentis occiditur, ideo tortus est, ut occideretur. *Declam. 19 § 17.*

Idem: Non explicant tormenta quæstionem quæ occidunt. *§. 19.*

¶ Monosticha Trochaica.

De ſe confeſſus aliorum haud eſt torquendus in caput.
Mentiuntur ſervi eximere dum tormentis ſe volunt.
Pro gradu cuiuſq; ſontis quæſtio eſt item ſua.
Quæſtio in civem ſuum Vrbi eſt utique & animadverſio.
Quæſtione vera, falſa quæſtione idem eruas.
Quæſtionem in nos haberi de ſervis æquum eſt minas.
Sæpe & ipſis fortiores ſtant rei tortoribus.
Sæpe ficta, ſæpe falſa, quæſtio omnis exprimit.
Tortor major eſt qui pungit ſumma quam ima perforat.

¶ Jambica.

Apud tyrannos pro pœnâ quæſtio eſt.
Dum vera dicat torqueas medium reum.
Et per cruentas quæritur verum vias.
Et veritatem quæſtionis vi eruas.
Fari jubes, tacere quia ſuadet metus.
Fatere: ne cogat ad verum dolor.
Gradu reorum forma tormentis datur.
Magnus negantes cogit ad verum dolor.
Mentitur is dolorem qui pati nequit.
Mentitur is dolorem qui pati poteſt.
Neceſſitas fatendi vera, quæſtio eſt.
Perſæpe fallit veritatem quæſtio.
Quæri in dominos de ſervis injuſtiſſimum eſt.
Quis admovet tormenta confitentibus?
Quis torſit unquam ſervum hominem in domini caput.
Sæpe impares tormentis non vera adnuunt.
Solum rei torquentur crimen qui negant.
Tam falſa quam vera elicit trux quæſtio.
Tormenta creſcunt dum fatiſcit carnifex.
Tormenta multos vincunt ut falſa annuant.
Tormenta quos non vincant, vincit hos pudor.
Tormenta ſunt, ut exprimatur veritas.

Quæſtoris.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Greg. Nyſſenus:* Terræ principes quando aliquem acceperint qui publica ſupra modum appetierit, & ſe regia pecunia, etiam ſupra ſatietatem impleverit; deſperant quidem fore ut reddat. acerbè autem puniunt, pœna contenti pro pecunia. *Orat. contra differentes baptiſmum.*

D. Chryſoſtomus: Qui eorum qui legendis ac ſuſcipiendis pecuniis operam navant, integritati confidunt, nec ſiniſtri quidquam de eis ſuſpicatur, uberius copioſiuſque erogare ſolet. *mox:* Quid ſignificat, Ad gloriam domini, & veſtram alacritatem? hoc eſt, ut & Dei gloria celebretur, & vos promptioribus animis ſitis, cùm probos atque integros eos eſſe perſpexeritis. qui pecunias ſuſcipiunt, nec quemquam eſſe, qui ullam ipſis, ne falſam quidem ſuſpicionẽ conflare poſſit, &c. *Homilia 18. ad Cor. 2.*

Chryſoſtomus: Oportet diſpenſationis ignorare cauſam ad quos ſit aliquis ex ea fructus rediturus: nam ſi pateat cauſa eorum quæ fiunt, tota perierit utilitas. Quapropter ipſum quidem, qui diſpenſationem adhibet, ſcire cauſam oportet eorum quæ geruntur: eos quibus eſt profutura diſpenſatio, hanc oportet ignorare, itaque Timotheus mittendus ad Iudæos circumciſus eſt, quo doctor eſſet acceptior apud auditores. quam cauſam noverat quidem Timotheus, non etiam diſcipuli, &c. *cap. 2. ad Galatas.*

Syneſius: Pœmenius hic qui tibi literas dedit, miſſus eſt ad nos ab Artabazaco, qui paulò ante principatum tenuit, bonorum omnium curator, quæ hiſce in locis poſſideret. Sed in eo munere obeundo perhumanum ſe, ac facilem præbuit. Quanquam quis alius ita occaſione hac uteretur. At Pœmenii poteſtas nemini Afrorum gravis atq; oneroſa extitit. Non leve hoc argumentum eſt: Magno civitatum omnium mœrore diſcedit. At tu hominem amicè, atq; uti par eſt, probitatis nomine collaudato. *Epiſt. 134.*

¶ Latinorum.

Io. Sariberienſis: Tradunt Phyſiologi, quod ex locuſta naſcitur bruchus, qui ita vocatur quouſq; alas habeat. Exinde ſuccreſcentib. alis, cum cœperit volitare, vocatur athelebus. Cum enim pleniſſime volare poterit, efficitur locuſta. Iterum & multo gravior eſt bruchus, quam locuſta, & athelebus quia ei deſunt alæ, nec cito poteſt abſcedere. Ideoq; quocunq; venerit, fruges omnino conſumit. Locuſta tamen & athelebus quocunque venerint nocent, & forte in locis pluribus, ſed tamen minus brucho, qui cum inſiderit non movetur, donec labores hominum omnino exhauriat. At in officialib. eundem bruchum, athelebum invenies, & locuſtam, qui propinquis noceat & remotis, & illius cui ſemel inſederit, fortunam devovet, nec ante abſcedat, quam omnes ejus auferat facultates. Quis numerare poteſt, quot pupillos officioſiſſimè circumſcripſerit, & quot venales injuria fecerit agros, & quot apud nos licentia iſtorũ ſuis nudatos bonis, ſub imagine religionis aliove prætextu, non tã Romipetas & peregrinos, quam exules fecerit? Vtique jam fiunt iſta palam, nec eos præſides aut proconſules cohibent, quia (ut dici ſolet) operibus lupi congratulatur corvus, & miniſtro iniquitatis, impius judex applaudit. Hoc autem omnibus his uſu innotuit, principes quorum infideles ſunt ſocii furum, quos cum in maleficio viderint, currunt cum eis, adjicientes iniquitatis partem, ut lucri quãcumque recipiant portionem. Si miſertus fueris pauperis, ſi occaſum juſtitiæ fleveris, ſi decreveris ſubvenire, ſi obmutire audes, ut ad ſingula quæ dicunt, aut faciunt, non dixeris euge, euge, accuſantibus Herodianis] læſæ majeſtatis reddes coram præſide rationem. Cum niſi in omnibus acquieveris, Cæſari contradices, & quicquid dictet, niſi ſic eat, & niſi ſic ſtet, eſt in perſonam regis, contraque coronam. Conſurget, ingeminabitur, & uſque ad nubes invaleſcet officialium clamor, replicantium voce magna, Hunc invenimus ſubvertentem populum, & prohibentem tributa dari Cæſari, negantemque Cæſarem regem eſſe, & miniſtris eius univerſa de jure licere. Hinc invenimus evacuantem paternas leges, novas introducentem, & vetuſtiſſimæ conſuetudinis contemptorem. Huius rei teſtes ſumus.

Quod ſi tuam purgare volueris innocentiam, aut pro juſtitia quicquam aſtruere, ſi Chriſtum dixeris regem eſſe, cui magis oporteat quam hominibus obediri, ſi eccleſiæ eius, quoniam hoc odioſiſſimum eſt, aliquod protuleris privilegium, continuo vociferantes intonabunt; Quid amplius deſideratis teſtes? Ecce vos ipſi audiſtis blaſphemiam. Quiſquis aſſerit talia, contradicit Cæſari. Si vero judex innocentiam videns, juſtitiamque reveritus diſſimulaverit, undique conclamabunt, Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Ut unius pœna, liberatio ſit multorum, tolle & dele hunc, ut vivat & valeat Barrabas. Omnes enim ſunt quaſi corpus unum, quod ſicut manifeſta convincunt opera, ex pater diabolo eſt, cuius iſti ſunt membra.

Egregiè quidem de iſtis beatus Job ait; Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, & compactum ſquamis ſe prementibus. Una uni conjungitur, & ne quidem ſpiraculum incedit per eas. Una alteri cohærebit, & tenentes ſe, nequaquam ſeparabuntur. Aſſiſtunt ſibi, quia convenerunt in unum adverſus dominum, & adverſum Chriſtum ejus.

Tantaque vigent autoritate, ut quicquid dixerint ita obtineat, ac ſi inveniatur in actis. Atteſtatio eorum veritati præjudicat. Non eſt præter principem, cui liceat obviare eorum ſententiis. Niſi eos princeps coerceat, licet omnes dicant quia pax eſt, non eſt utique pax, aut illa pax ſola eſt, in qua eſt amaritudo amariſſima. Nam cum alias habita moderatione inculpatæ tutelæ, vim vi repellere liceat, concutientibus, ſpoliantibus, torquentibus his, mutire non licet.

Juris etenim videntur eſſe miniſtri. Excuſatur qui aliquid ob tutelam proprii corporis fecerit: ſi tamen quavis injuria trahentibus his reſtiterit, dignus pœna qualibet judicatur. Si crinem turbatum & turpatum protrahit, ſi barbam vellit, ſi aures quaſi nimium breves producit, ſi dat alapam, aut percutit pugno impiè, ſi alterum eruit oculum, ſuſtine patienter, niſi utrumque mavis amittere; quia quicquid præſumunt, Cæſaris dextra factum jactitat. Si telum manu geſtas, ſi ſpontaneam detrectas præbere cervicem, ventrem nudat, oſtentat jugulum, cervicem extendit, & te provocat, ut ſi audes, Cæſaris inteſtina telo rimeris, & quo libuerit modo, manum mittas in Cæſarem. Se enim perſonam Cæſaris gerere gloriatur. At ſi hæc eſt dextera Cæſaris, quænam ſiniſtra erit? Profecto factio iſtorum, non juſtitiam exequitur, ſed illudit, & non implet, ſed evacuat legem: licet nonnulli ſæva prærogativa verborum, adverſus mentem legis ſuum fraudulenter tueantur errorem. Sapientes enim ſunt, ut faciant mala.

Cum vero provincialibus ſit hæc peſtis pernitioſa, nulli pernitioſior poteſt eſſe, quam principi. Bona ſiquidem provincialium principis ſunt. Ad neceſſitatem & uſum principis, omnia quæ provincialium ſunt, de jure exponuntur. Provincia tota quaſi arca principis eſt, quam quiſquis exhaurit, graviſſimè delinquit in principem, cujus extenuat facultates. Nam provinciales quaſi quidam ſuperficiarii ſunt, & quoties uſus exigit poteſtatis rerum ſuarum non tam domini ſunt, quam cuſtodes. Si vero neceſſitatis non incumbit articulus, ſua ſint provincialium bona ſua, quibus nec ipſe princeps licenter abutitur. Si enim expedit reipublicæ ne quis re ſua male utatur, abuti aliena uſquequaque non licet. At cum per miniſtros iniquitatis & ſceleris, & ſatellites Sathanæ, viros Herodianos, fuerit exhauſta provincia, ſi neceſſitas imminet, quibus utetur princeps? Proinde ſi ſapit, in chamo & freno maxillas eorum confringet, ne videlicet me luporum, quos improba ventris agit ingluvies, vaſtare poſſint & lacerare provinciam, & injuriam principis, quaſi vires totius reipublicæ exhaurire. Alioquin & ipſe majeſtatem incidet, provincialibus omnibus odioſus, redditurus ſuo judici rationem in diſtricto examine, de operibus manuum ſuarum, & de læſione provincialium, quos injuſte, & quaſi per fraudem ſub umbra tuitionis manu ſpoliavit, & laceravit inermi.

§ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Plato: De pecuniis tibi liberè id quod res est aperiam: æquum est enim, & simul domesticos tuos expertus, de iis quoq; commemorabo. Qui tibi assiduè pollicetur se de iis sumptibus, quos faciendos arbitrantur, te admonituros, admonere tamen nolunt, ne in offensionem tuam incurrant. Itaque illos tu assuefacias oportet & cogas tum hæc tum alia tibi exponere. Debes enim tu quoad poteris, omnia nosse, indexque eorum esse, neque ullius rei notitiam fugere. Hæc enim est ad principatum tuendum conservandumque vel commodissima ratio. Si quidem si sumptus rectè facies, si nomina rectè dissolveris, cùm ad alia omnia, tum ad opum possessionem conservationemq; maximam jure dices esse opportunitatem. Providebis etiam ne te apud homines illi calumnientur, qui se tui studiosos esse jactant. Hoc enim ad tuam existimationem minimè conducere videtur. *Epist. 13. ad Dionysium.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Civium rex est suorum dispensator publicus.
Lydius lapis Quæstura est: juvenum mores detegit.
Qui sibi nihil reservat dispensator optimus est.
Sacrilegi est nec rectè census dispensare pauperum.
Turpe imò nefarium habere quæstui rempublicam.

§ JAMBICA.

An publicano quidpiam est rapacius?
Quæstor malus esse Ædilis haud poterit bonus.
Sacrilegus est qui è publico captat lucrum.
Ubi publicanus jus ibi vanum publicum est.

Quæstus.

§ SENTENTIÆ POETARUM.

Plautus Asinariæ 1. sc. 3. v. 34.

Vera dico: ad suum quemque hominem quæstum esse callidum.

Plautus Trucul. 2. sc. 4. v. 60.

—— Nunc tu te interim
Quasi pro puerpera huc procuras? P. quippeni?
Ubi sine labore res geri pulcrè potest.
Ad suum quemq; æquum est quæstum esse callidum.

Plautus Trucul. 5 sc. 1. v. 40.

Venitne in mentem tibi, quod verbum in cavea duxit histrio;
Omnes homines ad suum quæstum callent & fastidiunt.

§ APOLOGORUM.

Piscator & Piscis.

Piscator solitus prædam suspendere seta,
Exigui piscis vile trahebat onus.
Sed postquam superas captum perduxit ad auras,
Atq; avido fixum vulnus ab ore tulit:
Parce, precor supplex, lacrymis ita dixit obortis,
Nam quanta ex nostro corpore damna feres?
Nunc me saxosis genitrix fœcunda sub antris
Fudit, & in propriis ludere jussit aquis.
Tolle minas, tenerumq; tuis sine crescere mensis;
Hæc tibi me rursum littoris ora dabit.
Protinus immensi depastus cærula ponti,
Pinguior ad calamum sponte recurro tuum.
Ille nefas captum referens absolvere piscem.
Difficiles queritur casibus esse vices.
Nam miserum est, inquit, præsentem amittere prædam;
Stultius & rursum vota diurna sequi.
Incerta pro spe non munera certa relinque,
Ne rursus quæras, forte nec invenias.

De Aucupe & Fringilla. Fab 39.

Auceps tetenderat volucribus retia, largamque illis in area effuderat escam, pascentes tamen aves non capiebat, quia sibi videbantur paucæ, quibus pastis ac avolantibus, aliæ pastum adveniunt: Quas quoque propter paucitatem capere neglexit. Hoc per totum diem ordine servato, ac aliis advenientibus, aliis abeuntibus, illo semper majorem prædam expectante, tandem advesperascere cœpit. Tunc auceps amissa spe multas capiendi, quum jam tempus esset quiescendi, attrahens retia, unam tantum fringillam, quæ infelix in area remanserat, cepit.

Hæc fabula indicat, qui omnia comprehendere volunt, sæpe pauca vix capere posse. Laur. Abstemius.

De Vulpe gallinam incubantem occidere volente.
Fab. 151.

Vulpes rustici cujusdam domum ingressa, reperit in nido gallinam ovis incubantem, quæ eam rogabat, dicens: Ne me obsecro in præsentia occidas macilentam. Expecta paululum, dum pulli mihi nascantur, quos ut tenellos absque dentium dolore esse poteris. Tunc Vulpes: Non essem, inquit, inter vulpes numeranda, si nunc esuriens, spe pullorum, qui nondum nati sunt, paratum omitterem cibum. Dentes validos gero, qui quamlibet durissimam carnem molere consueverunt: Hæc dicens gallinam devoravit.

Fabula indicat, eum amentem esse, qui incerta spe majorum rerum, præsentes omittit. Abstemius.

§ EMBLEMATUM.

Catsius Emblemate sacro XLI.

O curvæ in terras animæ!

Dum salit ad numeros, erectaq; corpora tollit
Simius, huncq; aliquis jam negat esse feram.
Forte nuces alius medium projecit in agmen.
Vidit, & in prædam bestia stulta ruit,
Nil hominis retinens. Quibus assuetudine tantum
Futilis in vano perstrepit ore fides,
His modici dum spes affulgeat ulla lucelli,
Excidit, heu! fluxæ religionis amor.

Catsius Emblemate Ethico XLIX.

Male partum male dilabitur.

Corpore cùm Rhodope, Graiis invisa puellis,
Turpiter immensas accumulasset opes,
Quid tandem? è quæstu fit pyramis, ardua moles,
Alta cui vastus sidera lambit apex:
Sola viatori sed quæ modo lumina pascat,
Nec recreet positis corpora lassa thoris.
Per scelus immensas quid opes cumulasse juvabit?
Turpiter è manibus res male parta fluit.

Camerarius XCI. Cent. 3.

Sine injuria. Apes circa flores.

Quæ multis prosint, sapiens fert, colligit, auget,
Ut varios flores sedula libat apis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad malas partes ne adducas animum quæstu gratia.
Gratia quæstus adeundum nemini ad rempublicam est.
Gratuito quis scelestus? gratuito quis probus?
In bono hospite atq; amico quæstus est, quod sumitur.
Magnitudo ubi spectatur quæstus, deficit fides.
Maximus quæstus, servire maximè omnium commodis.
Nullus quæstus tantus est, quam parcere illud quod habes.
Non potest quæstus si eum sumtus superat consistere.
Omnes homines ad suum callent quæstum & fastidiunt.
Pauci honestum, plures id quod expedit, palam adprobant.
Quæstus absq; damno iniquus nemini unquam contigit.
Quæstus invido est alienis immorari incommodis.
Quæstui divina avarus posthabet; malo at suo.
Qui quæsitis non maturè parcit, maturè esurit.

§ JAMBICA.

Avaritiæ divina etiam sunt quæstui.
Haud facile gratuito quispiam est bonus.
Infortuni arra certa quæstus est malus.
Nemo non oculis opertis suamet computat bona.
Nemo omnium gratuito uspiam est malus.
Nil turpe mundo est, præmium cuius placet.
Nunquam rem facient, qui spem pretio non emunt.
Persæpe quæstus stultitiæ imprudentia est.
Quæ parta sunt malè, dilabuntur & malè.
Quæstus malus mera arrha fortunæ malæ est.
Quæstus malos, damna æstima gravissima.
Quæstus sui properare caussâ, nauticum est.
Quemq; ad suum æquum est esse quæstum callidum.
Quod quæstuosum est improbo probissimum est.

Videantur uberiora titulo *Lucri, Mercaturæ Negotiationis.*

Questus, seu Querelæ.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

S. *Isidorus Pelusiota*: Qui enim clamant, & angores animi sui ad proximos efferunt, ii non exiguum percipiunt doloris solatiũ & levamentum. Nam quodammodo leviora fiunt narrando mala (ea quæ nos cruciant:) Qui verò aut metu aut aliam quampiam ob caussam silentio calamitates suas involvunt atque occulunt, sed solo suspirio cruciatum subindicant, illi intolerabilem experiuntur mali invasionem, quippe quæ ad sanationem non inclinet, sed potius ad augmentum & intensionem spectet. *lib. 4. Epist. 110.*

Theophrastus Ethicis Character: Querela iniqua est expostulatio nullo jure facta. Hominis autem queruli mores istiusmodi sunt, ut si ad eum amicus portionem aliquam è convivio miserit, dicat ei qui afferat, affertur, Hoc illud est quod ego ad cœnam non sum vocatus: invidisti nimirum mihi jusculum & villum tuum. & cum illum amica etiam & etiam suaviatur, Miror, inquit, si tu ex animo ista mihi des basia. Jovi succenset, non modo si non pluat: sed etiam si serius. cumque in via crumenam invenit, Ego vero, ait, thesaurum nullus unquam reperi. Similiter quum parvo mancipium emerit, utpote exorato multis precibus venditore, Mirum sane, inquit, si tantulo quicquam emerim quod sit alicuius pretii. Jam si quis lætum illum nuntium ipsi afferat, Filiolo, inquiens, auctus es: Adjice, ait ille, Et dimidia bonorum pars tibi periit, tum quod res est dixeris. Idem postquam in Iudicio omnium calculis vicit, nihilominus tamen de eo conqueritur, qui orationem scripsit quam pro se habuit, ut qui multa ipsius justa omiserit. Iam si ad sublevandam ipsius egestatem amici pecunias contulerint: & dicat deinde aliquis, Nunc esto hilaris: Quo pacto esse possum? inquiet: cum & singulis sua sit pecunia reddenda: & hoc amplius, gratiæ cuique tanquam pro accepto beneficio habendæ?

Libanius: Ii qui auguntur, solamen aliquod percipiunt, dum ea quæ patiuntur in vulgus enunciant. *Declam. 7.*

Libanius. Etsi generosi sitis admodum, & honesti probique, & leges honoretis; attamen calamitates etiam valde modestum ac prudentem sæpenumero ad vocem ejaculandam suis moribus indignã induxerunt. *Declam. 12.*

§ ROMANORUM.

Zeno: Vehemens commotio est, cùm is de injuria sua queritur, qui se potest facillime vindicare. *Sermone 3. de Isaia.*

Zeno: Non leve crimen est cùm de eo ille queritur, qui mox eum poterat & punire. *Serm. 4. de Isaia.*

Ennodius. Nosse vos credo, de offensis illud remanere quod tegitur; & quod in vocem erumpit amoveri. *lib 4. Ep. 12. f.*

Plinius Iunior: Me prædia materna parum commodè tractant; delectant tamen ut materna; alioqui longa patientia occallui. habent hunc finem assiduæ querelæ, quod queri pudet. *lib. 2. Epist. 15.*

Plinius: Ita comparatum est, ut de nullo minus Principe querantur homines, quam de quo maximè licet. *cap. 46. paneg. ad Trajanum.*

Symmachus: Dulcis est querela quæ nascitur ex indulgentia. Vos modo facilè noveritis hanc expostulationem magis esse religiosam quàm justam. *lib. 1. Ep. 2.*

Symmachus: Nolo memineris quòd aliquando animo tuo succensui. Amor fiduciam nutrit: Quid tam liberum quàm amicitia? Negotiis plerumque apposita est expostulatio sine labe concordiæ. Ita verum est quòd hodie tibi gratias ago, ut illud non potuerim dissimulare quòd dolui. Cassa fide sunt qui jugiter blandiuntur. Sed quid diutius ea retexo, quorum te oblivisci volo? *lib. 1. Epist. 31. f.*

§ POETARUM.

Phædrus lib. 2. fabular. fine.
Omnem querelam submovet felicitas.
Ausonius de Opilio Imp.
Mox cum prole ruit, gravibus pulsare querelis
Cesset perfidiam: quæ patitur, meruit.

§ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Iacob Patriarcha. Quum Jacob Dei mandato Labanis domo & Mesopotamia relicta, terram Cenahan cum tota familia, inscio Labane, repeteret, persecutus est eum Laban, & assecutus in monte Gilhadis, perscrutatus est tentoria Iacobi, Leæ, Rachelis & ancillarum, ut inveniret idola sua quæ Rachel posuerat in clitellis cameli. accensa autem est ira Iacobi adeo ut jurgans cum Labane diceret, Quæ est prævaricatio mea? quod peccatum meum, quòd insectatus es me? Quandoquidem contrectasti omnia suppellectilia mea, quod invenisti ex omnibus supellectibilibus domus meæ, pone hic coram cognatis meis, & cognatis tuis, ut dijudicent inter utrumque nostrum. Hic est vigesimus annus, ex quo fui tecum: oves tuæ & capræ tuæ non abortiverunt: & arietes gregis tui non comedi. Discerptum non retuli ad te, ego illud luebam, de manu mea reposcebas illud: similiter furto sublatum interdiu, & furto sublatum noctu. Fuit cùm interdiu absumeret me æstus, recederetque somnus meus ab oculis meis. Hic mihi est vigesimus annus domi tuæ: servivi tibi quatuordecim annos pro duabus filiis tuis, & sex annos pro grege tuo: immutasti autem mercedem meam decies, Nisi Deus patris mei, Deus Abrahami & pavor Isaaci adfuisset mihi, haud dubiè nunc inanem dimitteres me: afflictionem meam & laborem manuum mearum respexit Deus, cùm reprehendit te hesterna nocte. *Genes. 31. 36. 37. &c.* Post hanc justam defensionem & querelam initum est fœdus inter Labanem & Iacobum, ut refert Moses eodem capite.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Iugis hoc habet querela, quod queri tandem pudet.
Assidua hunc habent querelæ finem, quod queri pudet.
Crimen haud leve est, cùm queritur ulcisci qui se potest.
De nullo minus queruntur homines, quam de quo licet.
Dulcis est querela quæ ortum debet indulgentiæ.
Et levamen in querelis cuilibet sorti malæ est.
Haud locus justæ est querelæ cùm pateris quod feceras.
Liber est magis querelas mutuas inter dolor.
Mutuas inter querelas, est dolor liberrimus.
Ne quidem querela injusta contemnenda Principi est.
Nemini non in querelis est levamentum mali.
Non potest queri mali auctor factus ipse qui sui est.
Plurimum victis querela est; virium nil, aut parum.
Qui suæ infelicitatis auctor est, queri nequit.
Quis queratur de fortuna civis, salvo Cæsare?
Vix tristia taceas, cum semel proruperint.

§ JAMBICA.

Haud effugit rex abditos questus malus.
Delusa spes, vanam ad querelam recidit.
Haud effugit questus secretos, Rex malus.
Hominum querelas magna pars manu facit.
In gratiâ parci, in querelâ prodigi.
Minime queri melius quam judicarier.
Non omnia quæ dolemus, & quimus queri.
Nunquam ægra possis absque questu tangere.
Nunquam à querela avertito aurem pauperum.
Omnem querelam submovet felicitas.
Parcè gaudere oportet, & sensim queri.
Proclivior querela tenerrimè amantium est.
Quem spes delusit, huic querela convenit,
Querela inique excluditur dolentium.
Quis non homo de sorte questus est suâ?
Solatio est miseris, queri de iniuriâ.

Quietis.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Sine bello ac negotiis sedemus, silentii præmium ab omni periculo vacuum omnibus rebus anteponentes. Quin ex hac etiam quiete, nonnihil fructus cepimus, ex morbo Dei misericordia utcunque recreati. *Epist. 51.*

Aristides Rhetor: Ii ferè quiete vera fruuntur, qui se non usquequaque ea indigere ostendunt. *Oratione Panathenaica.*

ROMANORUM.

Orosius: Habet se res ita apud plerosque, ut ex longa requie, vel parvam obortam sollicitudinem, intolerabilem laborem putent. *lib. 1. advers. Paganos cap. 6.*

Incertus Panegyristes Constantino Imp. Quisnam iste est tam continuus ardor? quæ divinitas perpetuo vigens motu? omnium rerum intervalla sunt, cessat terra novalibus: dicuntur interdum flumina resistere: Sol ipse noctibus acquiescit. tu Constantine solus infatigabilis, bellis bella cõtinuas, victorias victoriis cumulas; quasi præterita sint obliterata si desinas, non putas te vicisse nisi vincas. *cap. 22.*

Latinus Pacatus: Gaudent profectò divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas, & quicquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Ut indefessa vertigo cęlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, ut sol stare nescit; ita tu Imp. continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeũtibus semper exercitus es. Vix tecta Hispanica successeras, jam Sarmaticis tabernaculis tegebaris. vix emerita arma suspenderas, jam hosti armatus instabas. Vix Iberum tuum videras, jam Istro prætendebas, &c. *cap. 10. Orationis Theodosio dicta.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad laborem fortiores à quiete mittimur.
Adsequi famam ac quietem magnam non potes simul.
Corpus ut ferat laborem longius, quiete eget.
Dissident fructus quietis, & laborum præmia.
Impotens nulla ubi est potensque nulla ibi est bonis quies.
Longius vivet, quieta vita cui data à Deo est.
Nil potest magnum esse quin sit, & quietum idẽ & decens.
Nulla non infructuosa est quies virtutibus.
Post longam labor quietem quilibet magis gravat.
Pretium idem malit quietis quisque quam libidinis.
Quod velis prolixè facere, id aliquando ne feceris.
Tempus est frui quiete, parta ubi ingens gloria.
Tunc quiescas jure quando dici iners nequiveris.
Uberes ubi quiescit cogitat fructus ager.
Vera eis quies quiete sese egere qui negant.

§ JAMBICA.

Ægro ad salutem plurimum prodest quies.
Arcus retensus cum voles erit utilis.
Curis soluta à morte quid differt quies?

Dulcis quietis mater innocentia.
Frui quiete non potest quisquis timet.
Illi perit quies cui deest securitas.
Iners ab ipsa morte nil differt quies.
Labore in omni nil quiete dulcius.
Natura semper in motu cælestium est.
Nil sic tumores quam reses sanat quies.
Nutrit quietis gratiam exercitatio.
Quæ non fluunt aquæ attrahunt putredinem.
Quem continens non conficiat tandem labor?
Quidquid labor contraxit, tollet id quies.
Quies diuturna, mater est Lasciviæ.
Quieta mens mandata scrutatur Dei.
Quietiores sunt boni usq; quàm mali.
Quo major est res quæq; eo est quietior.
Vires novas requirit intermissio.
Vitium quieti levitas inimicissimum.

Videantur alia titulo *Ocij, Tranquillitatis.*

POLYANTHEÆ TOMI SECUNDI LIBER DECIMUS SEXTUS.

Rabularum.

¶ Emblematis.

Had. Junius Emblemate II.

Grunnitum suis immundi cane pejus & angue
Indus Elephas invisum habet.
Obstreperos rabulas, qui litibus omnia miscent,
Odisse par est principem.

Rapinæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Nazianzenus:* Sic te compara, ut Lavacrum non modò corpus, sed imaginem quoque abluat: non modo peccata eluat, sed mores etiam emendet: non modo pristinas vitæ sordes abstergat, verùm fontem quoque ipsum expurget: non hoc tantùm in animo tibi insculpat, ut opes honestis rationibus quæras sed etiam ut honestè inopiam subeas, aut, quod levissimum est, malis artibus quæsitas deponas. Quid enim tibi profuerit, ita peccati veniam impetrasse, ut tamen ei, quem læseris, damnum non sarciatur: cùm tu duplici scelere constrictus tenearis, altero, quia sceleratis artibus facultates tuas auxisti, altero quia partas opes retines. Ita, quamvis illa tibi noxa condonata sit, hac tamen hodierno die adhuc implicaris. Hodie enim apud te aliena res est. Ideoque minimè sublatum & extinctum est peccatum, sed tempore solùm intercisum. Pars enim altera ante Baptismum perpetrata est: altera post Baptismum manet. Lavacrum enim admissorum peccatorum veniam habet, non eorum, quæ admittuntur. *Oratione 40.*

D. Chrysostomus: Quod quisque rapuit, & præter æquum accepit, id deponere nequaquam audet, veritus ne amittatur atque ex manibus elabatur, sed perpetuò apud se retinet. at qui naturalem quampiam dignitatem habet, is minimè etiam metuit ab illa dignitate descendere: certò enim scit nullum sibi illius amittendæ periculum imminere. Tyrannus metuit in bello purpuram deponere: Rex verò id fidenter ac tuto facit. cur? quia non ex rapina principatum habet. *Homil. 7. ad Philipp.*

D. Io. Chrysostomus: Non tua sunt quæ deripis, sed aliena, quantumlibet illorum te dominum dicas. neque enim si depositum accipias, eo tempore quo abest scilicet qui deposuit, tua illa esse dicis, licet penes te sint. Si igitur quæ volentibus & agentibus gratias eis qui deposuerunt, nostra non sunt, ne illo quidem tempore quo ea habemus; multo minus illa quæ invitis ac nolentibus rapimus. ille namque eorum dominus est, cui direpta sunt, quamvis penes te sint condita. *2. ad Timoth. fine Homiliæ sextæ.*

Chrysostomus: Cùm raptores nostris se subduxerunt oculis, quasi desperantes, neque ipsi insequimur, neque alios hortamur ad eos tenendos, sed abire permittimus. *2. ad Timoth. Homil. 10. fine.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Furtum quoque, ut putas, servile vitium est? & tu furtum dives facis, quando à Deo vetita præsumis. omnes siquidem furta faciunt, qui illicita committunt. Sed quid ego tam minutè; cùm facinoribus apertissimis non furta tantum divitum sed latrocinia comprobentur? quotusquisque enim juxta divitem pauper, aut intactus, aut tutus est? Siquidem pervasionibus præpotentum, aut sua homines imbecilli, aut etiam seipsos cum suis pariter amittunt: ut non immeritò de utrisque personis Sacer sermo testatus sit: Venatio Leonis onager in heremo; sic pascua sunt divitum pauperes. quamvis tyrannidem hanc non pauperes tantùm, sed penè universitas patiatur generis humani. quid enim omnium aliud dignitas sublimium quàm proscriptio civitatum? aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura quam præda? nulla siquidem major pauperculorum est depopulatio, quam potestas. ad hoc enim honor à paucis emitur, ut cunctorum vastatione solvatur. quo quid esse indignius, quid iniquius potest? Reddunt miseri dignitatum pretia, quas non emunt. commercium nesciunt, & solutionem sciunt. Ut pauci illustrentur mundus evertitur, unius honor orbis excidium est. Sciunt hoc Hispaniæ, quibus solum nomen relictum est: sciunt Africæ, quæ fuerunt: sciunt Galliæ devastatæ, sed non ab omnibus: & ideo in paucissimis adhuc angulis vel tenuem spiritum agentes: quia eas interdum paucorum integritas aluit, quas multorum rapina evacuavit. *Lib. 4. de gubernatione Dei.*

¶ Oratorum Graecorum.

Iulianus Imp. ad Anthiochenses: Nihil vobis commemoro eorum quæ ante annos decem justè in vos ipsi perpetrastis; cùm populus in locupletum domos cum clamore flammans inferret, magistratum necaret: vicissimque ob hæc ipsa, quæ iratus justè, sed immoderatè gesserat, pœnas susciperet. *mox:* Agri jugerum tria millia infructuosa esse dixistis, vobisque concedi postulastis, cùm verò id obtinuistis, divites soli cæteris fraudatis ea usurpastis. hoc à me inquisitum, plane compertum est. Ego autem illos agros injustis possessoribus ereptos, nihilq; de superiore immunitate inquirens eorum quos vectigales maximè esse oportebat, gravissimis civitatis rebus administrantis attribui. Et nunc qui apud vos quotannis equos alunt, habent immunia tria millia jugerum, partim patrui & cognominis mei prudentia ac diligentia, partim meo beneficio, qui furibus atque impostoribus sic castigatis, jure vobis mundum videor evertere. Nam lenitas in istos & clementia, mihi credite, hominum improbitatem alit & corroborat.

Libanius: Quo igitur sperasti maximè nos flectere posse, quòd virginem remissurus sit: hoc nullius momenti ad studium tibi est. Ecquis enim tam minimè malus, qui non ob spoliationem doleat, magis quàm ob restitutionem gratiam habeat? Etenim etiam bonis suis potiri, jure cujusque contingit. quamdiu autem ereptum aliquid est, jus violatum est. atque hoc quidem crimen existit: illud verò beneficium non est. Nam qui quod apud me perpetuo manere oportuit, eripuit, posteaque reddidit: raptu molestiam exhibuit, reddendo non gratificatur. At enim quæ gratia est ab alienis absistere? Quod ergo fieri non possit solutio flagitiorum per restitutionem, hinc facile noris. nunc ad me Briseis redit. præclarè. unde nam igitur redit? ab Agamemnone? hoc vero ipsum quòd ab Agamemnone revertitur, quæ fabrica mihi solverit? jam donec ab illius tentorio exierit, molestia planè insanabilis constat. Præterea non corpus tantum mulierculæ ereptum est, verum etiam contumelia factis accessit: imo etiam totum facinus petulantia fuit. Quare femina quidem apud nos erit: sed convitio temulento affectum non fuisse, unde supererit mihi? Itaque si cujus gratia virginem abripiebat, id minime tollet; iniquitas remanet: & licet puellam remittat, manet contumelia. si Græcorum aliquis irruens & insidians vulneraret, sauciatus ab ira non temperaret, dum vulneri medicamentum adferentem cerneret: quippe expeditum simul & justum foret dicere, O vir pessime, eccûrnam comparavisti

medicamento usum, cùm integrum esset omnino manus apud te continere? eccur, quando ferire non debueras, ictum emendas? nunc verò tu quidem ita censes: si dixerit Agamemnon, Solutum est malum, revertitur virgo: accurrens ego amplexabor virum, tanquam si læsus non essem. at non usque adeo insanio & attonitus sum. Enimvero redditionem ipsam, injuriæ argumentum esse existimo. Nam interim dum quis dimittit antiquis dominis, quæ olim fraudaverat, se non decenter eripuisse ostendit. quando igitur audio redditionem, cogito de spoliatione, & simul animum subit quod monendum est. per deos, si quis principatu ipsi erepto per plures paucioresve dies: deinde iterum lubens regno restituto abscederet: numquid illum nihil pœna dignum perpetrasse putaret? quid? si quis cum Clytæmnestra rem haberet, dum hic abest: viso autem ipso non amplius mulierem frequentaret: num gratum, cordatum & optimum reputaret eum qui non usquequaque injuriam fecisset? tu vero per Minervam, si Penelopem tuam vir Ithacensis abstractam à regiis ædibus domum apud se abductam teneret: postea cum audiret te renavigasse, restitueret in pristinum locum: num quid gladio minimè opus in ipsum esse arbitrareris, nec acta oderis, sed eorum gratiam habebis? præclare sanè cum improbis ageretur, si in alienis sibi quantum vellent indulgentes, deinde restitutis rebus, inter familiares intimos referrentur. atqui id Autolyco avo tuo neutiquam satis fuisset, si furti convictus dixisset, Reddo, tollite furto sublata, quid vociferamini? in quo læsi estis? At enim ab initio probum esse par est: neque, jus violando illudere, & verba dare. velim autem te non moleste audire, si cum Penelope & Clytemnestra Briseidis mentionem facio. Nam quod cuique carum est, idem in honore & pretio est: illa verò mihi est plurimi: nec fortuna quidquam obstat. Ergo ut vobis non sufficeret, neque alii. & profecto si injuriæ solutionem arbitremur esse redditionem, pravum morem in exercitum tacitè inducemus? Eripiet tibi, Diomedes quidem munus tuum: Ajax verò Ajacis: hic Locrensis: Menelaus autem Nestoris: alius vero hujus aut illius. Quòd si oriatur indignatio, omnes reddent: ita ut injuria læsis silentium reliquum sit. At istud non erit, neque contingat, ô Neptune. Verùm hic quiddam est isto gravius: si solus perpessus sum quæ nullus amplius ausus fuerit. *Oratione Achillis ad Vlyssem.*

Libanius: Quæ injustè parta possessaque sunt, multò melius est deponere, quàm perpetuà detinere. proinde qui sapere possunt, vel cum magna pecuniarum jactura, tali calamitate jucundissimè liberarentur. Verum, quei præclarum esset pro talibus corpore decertare, quæ vel nemine reposcente præclarum esset emisse? *Orat. Vlysses ad Trojanos.*

Themistius: Ex ordinibus militum ipsis excluso omni luxu, necessariarum rerum inducta copia est; qua quidem fit, ut qui in præsidiis sunt, minimè cogantur hostium loco provincialibus bellum indicere, minimè ab illis quidem propter inducias abstinere, Agricolas verò præ inopia vexare ac diripere: sed nescio quomodo contrario quam ante ordine, conversus in militibus metus atque audacia reperitur. Siquidem cùm barbaros aspernantur, tum mirum in modum agricolas formidant, eorumque querimonias sustinere eis terribilius, quam multa Scytharum millia: ita foris hostes armorum, domi milites legum metus coërcet. *Orat. 10*

Latinus Pacatus: Est improborum Principum postrema defensio, auferre donandi gratia, & invidiam rapinarum, magnitudine munerum deprecari. at quæ, malum, ratio est, abstulisse omnibus quod nullus habiturus sit? Et privatorum quidem avaritiæ, licet mala, tamen aliqua defensio est: timetur inopia, & reponitur senectuti, & prospicitur heredi. quam affert caussam concupiscendi Princeps qui quantum ubiq; est habet? *cap. 27. Panegyrici Theodosio Aug. dicti.*

¶ Poetarum.

Guntherus lib. 2. v. 16.

Sed quia defectu miles cogente ciborum,
Dum rigidam duro transiret limite vallem
Et loca nec Cereri fœcunda, nec hospita Baccho,
Illicito raptu sacras spoliaverat ædes,
Ante profecturis quam Rex procedere castris
Vellet, & humani tractare negocia regni,
Instituit placare Deum, regiq; superno
Seq; suosq; piis humiles supponere votis.
Protinus ex omni collectos agmine nummos
Corrogat, atq; viris commissa fidelibus æra,
E quibus hic præsul, comes ille, probatus uterq;,
Distribui justa spoliatos sorte per omnes
Imperat, & licita compensat damna rapina.
Nobile Regis opus: quamvis penuria factum,
Vt quondam sancti David, excusare valeret,
Non tamen hac in re caussas attendere, sed rem:
Nec quid sit licitum perpendere, sed quid honestum.
Mentis quippe bonæ proprium est, agnoscere culpam
Culpa ubi nulla subest.

¶ Apologorum.

Æsopi Lupus & Leo: Lupus de grege raptam ovem in latibulum detulit. Leo obviam factus, ovem abstulit. Procul stans Lupus dixit, injustè meum rapuisti; Cui subridens Leo, tibi scilicet, ait, justè ab amico donatum erat.

Babrias Κερδώ. Fab. 47.

Ἐισδῦσα Κερδὼ πρὸς δρυὸς κοίλης βάθος
Εὕροσκε δαῖτα ποιμένος καὶ δὴ φάγεν.
Ὡς μὴ προκύπτειν ἐκ πάχους, εἶπεν δέ τις,
Θέλεις προελθεῖν, ὥσπερ εἰσῆλθες γένου.

Ἐπιμύθιον.

Τὰ ὀλέθρια πάθη ζημίας ἴσας θεραπεύονται.

Vulpes.

Ingressa Vulpes quercus cavæ profunditatem
Reperit cibum pastoris, & comedit
Vt exire præ crassitudine nequiret, dixit aliquis
Vis exire, ut cum ingressa es fias.

¶ Adfabulatio.

Perniciosæ adfectiones æquas pœnas demerentur.

¶ Emblematis.

Camerarius LXXXII. Cent. 3.

Dabis improbe pœnas. *Corvus serpentis sopiti raptor.*

Iustitia pereat semper sic vindice, quisquis
Alterius vitæ struxerit insidias.

¶ Monosticha Trochaica.

Auferre omnibus quod uni des, rapina maxima est.
Dextera haud æque expedite continet quid, quam rapit:
Ego istos novi polypos, qui ubi quid tetigerint, tenent.
Haud minus populatione quem obteras quam prælio.
Haud unquam desit rapinæ occasio tyrannidi.
In rapinarum facile spem vertitur & mendicitas.
Ne speciem quidem rapturi præbeat miles bonus.
Nemo rapta sic tuetur ut dominij rem sui.
Nido aves auferre noli cum suis parentibus.
Non modo damnum in rapinâ est, est & contumelia.
Non modò hominum, tempore quoq; est laus abstinentia.
Pasta ubi est locusta ibi nihil quæritur dein frondeum.
Pauperant hominem è rapinis partæ opes, non ditant.
Promptius manus rapinas occupant quàm continent.
Qui proprium largitur ille utiq; haud aliena subtrahet.
Quid nisi usq; quaq; raptus vita militantium est?
Rapto vivere iniqua: rapto res mori pulcherrima est.
Res magis proprias tuemur, quàm rapinarum obvia.
Sæpe erumpit in bellum acre crebra deprædatio.
Sæpe fit rapina vulpis quod lycaon condidit.
Turpiter pecuniam furaris, turpius rapis.
Veritus de magno prædam, quàm grege exiguo auferas.
Vidi petere milvium, etiam cùm nil auferret tamen.

¶ Jambica.

Aliena facilius rapias, quàm serves tua.
Diuturna non sunt regna raptu condita.
Et plaustro ab ipso sæpe tolluntur boves.
Gravius suas res quàm alienas incessere.
Haud femina ulla rapta est quin voluit rapi.
Incendijs licentius raptum exerceas.
Mage æquitas auget rem quàm rapacitas.
Major rapiendi per tenebras licentia est.
Procul à suis rapiunt cubilibus feræ.
Qui devoravit cuncta, cuncta item egerit.
Quis non rapinis clam palamve se obligat?
Quod non habes, à nemine eripi potest.
Quod quis tulit rapinà, non deponitur.
Quod uni ereptum est, tradere alteri haud licet.
Rapere atq; abire semper consuevit lupus.
Rapiendi aviditas, insidiatrix militis.

Raptus.

¶ Sententiæ Oratorum Romanorum.

Q*Vintilianus Senior:* Abdico raptorem, nec dum dico cujus: hoc certè dico, rapuisti virginem: pacis faciem turbasti: fecisti propter quod justè occidi posses. *Declamatione 186.*

Quintilianus Senior: Lex quæ decem millia solvere raptorem pro ablata virginitate voluit, contra eos scripta est qui nihil aliud egerunt. Differunt autem hæc & personis, & temporibus, & locis. Nam ut pulsatus civis injuriarum aget, si magistratus erit, majestatis crimen obligabitur: si legatus erit, bello vindicabitur & jure gentium: & eadem pecunia sublata ex privato, furtum erit: ex sacrario temploque, sacrilegium. Sic raptor ejus quæ nihil aliud quã virginitatem ultum ibit, decem millia solvet: alia erit conditio ejus qui rapuerit in comitijs, qui rapuerit eam quæ sacerdotium petebat,

hat, immò, ne ingratus sim adversus beneficia populi, jam quantum in illo erat, acceperat. *Declamatione 251.*

Quintilianus Senior, contra enim qui de geminis sororem unam rapuerat: Nec sanè in caussa raptus, amor fuit, non propositum matrimonij, non cupiditas nuptiarum. nihil horum cogitavit qui nescit quam rapuisset. *Declamationis 270. fine.*

Quintilianus Senior: Nulli tolerabile aut æquum videri potest in gravissima injuria, qua virginitatem perdidit, qua florem ætatis amisit, qua prima illa gratia apud maritum futura, prærepta est, neque mortem optaverit, neque bona accipiat. *Declamationes 276. fine ipso.*

Quintilianus Senior: Ne raptæ quidem nomen habere potest, quæ nupta est: sicut nomen pupillorum legitimo tempore finitur: sicut orbam nemo post nuptias dixerit: sicut virginis appellationem nox illa maritalis aufert; ita ne rapta quidem dici potest, quæ maritum habere cæpit. *Declamatione 280. a. m.*

Quintilianus Senior: Scitis quam multa error, quam multa permisceat fortuna; cũ præsertim ad hæc & obscuritas noctis, & paullo liberioris meri. quis enim aliter vitiator est? *Declamat. 309.*

Quintilianus Senior: Expugnasti domum, & virginis prætextam scidisti; & puellam usque in eam injuriam traxisti, qua nihil gravius bella habent. *Declamatione 349. a. m.*

Quintilianus Senior: Sed ne illud quidem credibile est, filiam nuptias optaturam fuisse, nisi te volente. primùm, quod in nulla virgine tantum audaciæ, tantum confidentiæ est, ut apud magistratum, & de re summa, audeat optare inconsulto patre: & illa utique non fecisset &c. *Declamatione 343. med.*

Heliodorus: An ignoras quod pater virginis primum dignitatis locum Delphis obtinet? an non legum tibi venit in mentem, quæ capitalem pænam in tales constituunt? Haud multum refert, inquit, etiamsi moriar potitus Chariclia. *lib. 4. Æthiop.*

Videantur plura titulo, ***Adulterij, Scortationis, Virginitatis.***

Raritatis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

D. *Chrysostomus:* Qui magnum quid habent & pulchrum; quãdo soli id habent, magis efferuntur. sin autem apparuerit, eos cum alijs id possidere, hoc eis minus accidit. *Homilia 19. ad Corinthios 1.*

Idem mox: Quomodo solum habere extollit, ita unum & alterum habere socium ex ijs qui excellunt, non minus hoc facit. propterea non se solum ponit Apostolus sed omnes. Non enim dixit, Ego quoque habeo scientiam, sed, Scimus quod omnes scientiam habemus.

Aristides Rhetor: Maxima quæque in paucissimos cadunt. *Oratione priore Platonica de Rhetorica.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Insitum mortalibus studium magna & inusitata noscendi, omnes undique exciverat. *lib. 2. Epist. 11.*

Plinius Iunior: Sumus tamen in Centumviralibus caussis rariores: quod initium est, gradatim desinendi. *libri secundi Epist. 14. extremo.*

¶ Poetarum.

Martialis lib. 4. Ep. 29.

Obstat, care Pudens, nostris sua turba libellis,
Lectoremq; frequens lassat & implet opus.
Rara juvant. primis sic major gratia pomis:
Hibernæ pretium sic meruere rosæ.
Sic spoliatricem commendat fastus amicam;
Ianua nec juvenem semper aperta tenet.
Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quàm levis in tota Marsus Amazonide.

¶ Monosticha Trochaica.

Inter Æthiopes videre formâ albos mirè est volup.
Ne quidem solem admiramur propter consuetudinem.
Pulegium censetur Indis plurimi, sordet piper.
Quidquid est rarum atq; carum non loco omni nascitur.
Quidquid insolitum est, in ipsâ turba etiam notabile est.
Rara, digna sunt honore: copia fastidium est.
Rarus est vir fortis, rarus prudens; justus rarior.

¶ Jambica.

Ardentius appetitur id quod rarius.
Cùm poma fugiunt, hinc sunt & gratissima.
Insusitatum quidpiam statim allicit.
Non veritate, at raritate, aurum bonum est.
Quo rarior scientia, hoc pomposior.
Quo rariora quæq;, honori hoc sunt magis.
Quod sæpe fieri non potest, fiat diu.
Rarum esse cures omne quod gratum voles.
Rarum effice omne id, esse gratum quod voles.
Rarum omne, carum est: contrà sordent obvia.
Rarum omne carum est: contra vile est quod domi est.
Vix computantur illa quæ rarò accidunt.
Vt optimum quidq; est ita est rarissimum.

Rationis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM Graecorum.

CLemens *Alexandrinus:* Quicquid est præter rectam rationem, id est peccatum. Iam vero generales animi affectiones seu perturbationes hoc modo definiendas censent philosophi. Cupiditatem quidem, appetitionem quæ non paret rationi: Metum autem, dissolutionem quæ non paret rationi: Voluptatem autem, elationem animæ quæ non paret rationi. Si ergo quæ in ipsam rationem, qui est Dei filius, inobedientia committitur, peccatum generat, quomodo non necessario rationis obedientia, quam quidem finem dicimus, parit ac procreat id quod vocatur honestum ac decorum? Ipsa enim virtus, est animæ concinna & congrua affectio, quæ rationi subiicitur per totam vitam. Quin etiam, quod est supremum omnium, ipsam Philosophiam definiunt, studium rectæ rationis, adeo ut sit necessario delictum, quicquid fit propter errorem rationis, & merito græce vocetur ἁμάρτημα, hoc est, erratum, quod etiam peccatum significat. Iam enim, quando primus homo peccavit, & Deo non obedit: Et jumentis, inquit, assimilatus est homo, qui præter rationem aberrasset, merito rationis expers existimatus comparatur jumentis. Hinc etiam dicit Sapientia: Equus ad coitum, libidinosus, & adulter irrationali jumento assimilatus. Et ideo subjungit: Quocunque super eum sedente hinnit. Non amplius, inquit, homo loquitur. Non est enim amplius particeps rationis, qui peccat præter rationem: est autem expers rationis belua, dedita cupiditatibus, cui omnes voluptates insident. Quod ex rationis autem obedientia recte & ex virtute geritur, προσῆκον & καθῆκον, hoc est, quod congruit & convenit, nempe officium, vocant Stoici. Quod autem καθῆκον, est προσῆκον. Obedientia autem fundatur mandatis. Eæ autem monitionibus, quæ cum sint eædem, veritatem sibi scopum proponentes, ad extremum expetendum, qui finis putatur, instituunt. Pietatis autem ac religionis finis est æterna in Deo requies. Ævi autem seu æternitatis principium, est noster finis. Quod est itaque in pietate honestum recteque & ex virtute factum, id quod decet ac convenit, nempe officium, operibus efficit. Unde officia merito in actionibus, non autem in dictionibus consistunt. Et est Christiani quidem actio, rationalis animæ operatio, ex syncero ac prudenti judicio & appetitione veritatis, quæ per conjunctum & in partem veniens, peragitur corpus. *Lib. 1. Pædagogi. cap. 13.*

D. Greg. Nyssenus: Ut paterfamilias domi suæ passurus mihi non videtur, ut res fœdas ac turpes cernat, veluti non stratum lectum, aut mensam sordium plenam, aut vasa preciosa quæ aliquo conjecta sint, ubi sordium situs est, quę verò sunt ad usus minus honestos accommodata, ut in oculis adeuntium illa posita sint; sed aptè ille atque ordine recto cuncta collocando, suumque rei cuique locum tribuendo: cùm exploratum habeat, quo ordine res domi suæ sint, tum fidenti animo, quasi nullo pudore prohibitus, hospites ac peregrinos accipiet. eodem modo domicilij nostri corporei domino ac moderatori, id est, rationi agendum arbitror; ut quæ in nobis sunt, omnia rectè instituat, singulisque animi potestatibus, quas & pro instrumentis & vasis, summus nostræ naturæ opifex fabricatus est, iis aptè & ad honestatem utatur. Itaque dicimus, oportere eum, appetitum in animo puro dedicatum, veluti donarium quoddam ac bonorum suorum primitias Deo segregare, & semel consecratum, intactum porrò atque integrum servare, nullis vitæ sordibus contaminatum. Excandescentiam verò & Iram, & Odium, quasi canes aliquos ostij custodes, ad solam peccati repugnantiam, in vigilia & statione manere; adversusque furem & hostem natura eum usum esse, qui in divini thesauri perniciem additum sibi facit, atque ob eam causam venit ut furetur ac mactet, & perdat: pro telo aliquo audaciam & fortitudinem afferat, porret, ne ulla formidine quæ incidat, aut subditis impiorum affectibus animus contristetur: spe autem & tolerantia quasi baculo inniti, si quando quis tentationibus defatigetur: in peccatis verò pœnitentiæ tempore, si usus venerit, doloris remedium parare atque adhibere; quasi neque hoc aliàs utile sit ac salutare, nisi ad solum huiusmodi pœnitentiæ usum. tum verò recta horum regula justitia erit, quæ docet, quid in omnibus & dictis & factis sit à peccato alienum, quóve modo animi partes institui oporteat, quave ratione, quod cujusque proprium sit, pro dignitate tribuatur. Cupiditatem autem quæ in plus habendo posita est, multam illam quidem & immensam in singulorum animis, si quis ad eam, quæ à Deo est, appetitionis vim addiderit, is in hac ipsa plus habendi cupiditate beatissimus erit, illic vim faciens, ubi laudabile est vim facere. Atqui sapientiam prudentiamque rerum omnium quæ expediant, consultrices ac vitæ suæ contubernales adhibebit; ut nullo unquam tempore aut imperitia, aut

impru-

imprudentia in errorem abducatur. Sin autem ijs, quas commemoravi virtutibus, neque ut par est, neque ut earum natura postulat, quis usus est, ad idque quod minimè decet, earum usum converterit; vel quia ad res turpissimas cupiditatem adjicit, vel quia in vicinos odium concipit, vel quia iniquitatem colit, vel quia se contra parentes acrem ostendit, atque absurda quæque audeat, inaniaque speret; hic certè, cùm prudentiam ac sapientiam à contubernio suo repellat, ingluviem quandam atq; intemperantiam sibi socias adjungit. qui si in reliquis eodemmodo facit, insulsus utique est & monstri similis; ita ut ejus absurditas declarari pro dignitate non possit. Vt enim si quis perturbatè armatus, galeam invertat, ut & faciem tegat, & conum in posteriorem partem inclinet, pedesque in thorace thabeat, ocreas pectori accommodet; quæque à læva ad dextram commutet, dextræ vero partis ad armaturam levæ apponat: quod igitur verosimile sit in militia ut huic eveniat, qui ita præposterè est armis instructus; hoc ipsum consentaneum est illi in vita accidere, qui mente ita perturbata est, ut animi virtutum usum pervertat. Quin adhibenda est à nobis quædam diligens in his convenientiæ decorique ratio, quam in animis nostris vera temperantia inserere solet. *Cap.18.de Virginitate.*

D.Chrysostomus: Qui est, ut oportet, fidelis & fortis, ratione & causa non eget pro iis quæ jussus fuerit, sed contentus est sola traditione. qui est autem imbecillior, cùm etiam causam didicerit, tūc majori studio tenet quod dictum est, & obedit cum majore alacritate animi. *Homil.26.ad Corinth.1.*

D. Chrysostomus: Blasphemia est rationibus divina velle discutere: ita nihil commune habet humana ratio collata divinis. *Homil. 5.ad Timoth 1.*

D.Chrysostomus: Sicut statera, si lancem loco motam habeat, pondera justè non judicat: ita & anima nisi habeat rationis lancem stabilem, ac firmiter vi divini timoris affixam, res sincerè dijudicare non valet; sed circumfertur jugiter atque deprimitur. *2.ad Timoth. Homil 5.*

S.Isidorus Pelusiota: Si statim ab ipso ortu ea animi tui pars, in qua ratio sedem habet, læsa & vitiata, aut etiam propter incurabiles quosdam morbos extincta & deleta fuisset, fortasse ob ea, quæ abs te perpetrantur, veniam obtinuisses. Cùm autem id tibi minimè acciderit, verùm ob singularem quandam atque insuperabilem socordiam, eam animi facultatem obrueris vel potiùs necaveris, idcirco ne veniam quidem ullam ab iis, qui hæc spectant, consequeris. Nam cùm eam per congruentem curam & diligentiam rursum exsuscitare queas, non modò, ut id fiat, nihil curæ suscipis, sed etiam, ut nunquam id fiat, laboras. Tantùm enim improbitas virtutem apud te superavit, ut ne improbitas quidem esse censeatur. Quocirca si ab hominum dicterus liberari cupis, oculos paulum erige: ut, quò malorum proruperis, intelligens, pedem referre studeas. *Lib.3.epist.369.*

§ LATINORUM.

Salvianus: Nullum admodum malum facinus ratione subsistit quia rationi non possunt scelera conjungi. *Libro 4. de gubernatione Dei.*

Io. Sarisberiensis: Sicut ab eo quod notum est notio, sic & ratio ab eo quod ratum est, id est, certum & firmum Grammaticè denominatur. & profectò inanis est ratio hominis, cui persuaderi nihil potest, quin semper & in omnibus opinionum lubrico vacillet. *cap. altero lib.7.Policratici.*

§ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Simplicius: Ratio quidem, ut proverbio dicitur, communis omnibus est Mercurius. *ad cap.71.Epicteti.*

Hierocles Inesse hominibus rectam rationem, eo evincitur, quod qui injustus est, ea etiam rectè judicet quæ ad se nihil attinent; & intemperans temperanter, & malus denique rectis consiliis in eis rebus utatur, ad quas nullis ante perturbationibus accedit occupatus. unde fit, ut qui sit improbus, ad virtutem transire queat, si priorem malitiam aversetur. nec tamen eam ideo existere etiam oportet, quæ prava ratio dicitur; ut vitiorum sit ista principium, sicut & illa virtutum. sufficit enim præsens recta ratio, tanquam lex in civitate, & ad ea quæ fiunt secundum se & præter se, definienda; & ad probanda quidem alia; alia autem coercenda. nec opus est quidquam malorum principio, sive intus lateat, sive foris male agendi causam præbeat; sed bonorum auctore primo maximè atque solo, eoque à rationis participibus substantiis separato; Deo videlicet, recta deinde ratione quæ illis inest; & quæ substantiæ attactu moderetur. *cap.17. carm.Pythag.*

Libanius: Animus rationis usu spoliatus, idem patitur quod illi currus, qui cùm auriga careant, temerè incerto cursu huc illuc feruntur. *Declam.9.*

§ EMBLEMATIS.

Bellum Rationis cum Affectu. Embl. XXV.

Vt dira Serpens semper in solo repens,
Ciconiæ perenne concitat bellum;
Sic vilis illa turba Mentis, Affectus,
Rationis alta regium impetunt callem.

Florent. Schonhovius.

§ APOPHTHEGMATUM CHRISTIAN.

Iesus Christus: Ita nobis semper vivendum monet Lactantius, ut rationem Deo reddendam arbitremur. idque instinctu Dominici dogmatis, quo nos instruit, tam districtim villicationis nostræ rationem reddendam; ut dicat, *Quoniam omne verbum otiosum* (quod nempe ratione justæ necessitatis aut piæ intentionis caret) *quod locuti fuerint homines, rationem reddent de eo in die judicij.* Matth. cap.12.

Abbas Anonymus: Hic ut erat religiosus & pius, animo sæpiùs volvens Salvatoris de reddenda ratione dictum, conspicabatur quēdam è suis profusiùs ridentem, & quasi stomachatus, *Coram cælo,* ait, *& terra rationem totius vitæ nostræ acturi sumus; & tu rides?* In vitt.PP.de Compunctione.

Ioan. Episcopus Roffens. Incomparabili vitæ innocentiâ ille vir, dum ob amplissima merita à Rege ad primam Angliæ Cathedram sollicitaretur: eâ quam obtinebat contentus, *Beatum me existimo,* aiebat, *si de minuto hoc grege mihi concredito, in die Domini rectè valeam respondere.* Sciebat vir sanctus, Dominici gregis sanguinem de manibus Pastorum requirendum. *N. Sander. lib. 1. de Schism. Angliæ.*

Vide Judicium extremum.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Crassiores non ratione captes sed miraculis.
Esse nil potest diuturnum, ratio cui non subest.
Excutit ratio terrorem omnem obvium prudentibus.
Liberum est suique juris quod ratione præditum est.
Maximè ducas ratione in queis rationis est nihil.
Ratio nascitur quidem, sed recta non nisi discitur.
Turpe nil est è rationis fonte quod natum.

§ JAMBICA.

Affectionum ratio rectrix omnium est.
Aliud ratio, aliud damnat conspiratio.
Idem est, rationi attendere, ac sequi Deum.
Menti ratio, voluptas propria corpori est.
Nil est diuturnum, Ratio cui sua non subest.
Nulla est ratio quæ non habeat contrariam.
Nunquam ratio recedit a cælestibus.
Ratio impetret quod impetratura est dies.
Rationis expers omnis, omnis improbus.
Ratione judicanda, non sensu, omnia.
Ratione verâ virtus cuivis obvenit.
Sequimur quà ratio, non quà veritas trahit.
Solum rationum habet justitiam quod habet.
Splendescit usu ratio, inusu agit situm.

Rebellionis.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

B*Asilius Seleuciensis:* Terrarum reges hostili subjugato exercitu, in odiosiorem servitutem rebelles vi mittunt, & spiritum submittere cogunt; mutata vitæ ratione audaciæ pænas exposcentes. *initio Orat. 29.*

Egesippus: Ipse urbem ingressus, minis magis quam supplicio affecisse contentus pacis perturbatores, remisit omnibus; ne quis vel odio vel domesticis excitatus negociis, innoxios in invidiam deduceret, & gravissimi criminis pulsaret atrocitate: cùm multo tolerabilius sit id quod incertum est, formidini participis conscientiæ derelinquere, quàm condemnare innoxium: sæpe enim reum corrigit metus; pæna autem innocentis, sine ullo remedio correctionis est. *cap. 4. libri 4. de excidio Hierosolymitano.*

Egesippus: Latrocinium hoc, quasi nævum in corpore, diu dissimulandum putavimus; aliquando commoti auferendum credidimus, ne fulgorem imperij Romani vestra inobedientia, & quædam interpolaret caligo. *cap. 46. lib.5. excid. Hieros.*

§ PHILOSOPHORUM GRAECORUM.

Xenophon: Tu vero Cyre, quodcunque voles, inquit, interrogato vera dicturum: quidvis tandem ea de caussa mihi evenerit. Dic igitur, inquit, mihi: bellumne gessisti aliquando cum matris meæ parente Astyage, Medisque ceteris? Gessi vero, inquit. Victus autem ab ipso, nonne conditiones has accepisti, tributum te adlaturum, & una cum ipso militaturum, ubicumque denuntiasset, & munitiones habiturum nullas? Ita est. Iam ergo quamobrem neq; tributum attulisti, neque misisti exercitum, & munitiones cœpisti exstruere? Libertatis, inquit, cupiditate tenebar. Nam præclarum mihi visum est, & me liberum esse, & libertatem liberis meis relinquere. Certe præclarum est, inquit Cyrus, ita pugnare, ne quis umquam servus fiat. At si quis vel bello victus, vel quondam alio modo redactus in servitutem, id moliri deprehendatur, ut dominorum se potestate eximat: huic primus ipse mihi dicito, utrum ceu viro bono, & recte se gerenti honorem habeas: an eo potitus, ut injuste agentem plectas? Plecto, inquit, non enim concedis mihi, ut mentiar. Responde mihi liquido, ait Cyrus, & singulatim in hunc modum: Si quis cum imperio sit, ac delinquat, utrum esse illum cum potestate pateris, an ejus loco constituis alium? Alium, ait, constituo.

Quid vero, si magnas opes habeat, divitémne permittis esse, an ad paupertatem redigis? Eripio, inquit, homini, quæ possidet. Si ad hostes etiam ipsum deficere animadvertas, quid facis? Occido, inquit. Cur enim potius mendacij convictus moriar, quam veritatem fassus.

Heic Armenij filius, auditis hisce, avulsa tiara, vestes etiam discerpsit. Fœminæ vero sublato eiulatu ora sua dilaniabant, quasi & pater jam perisset, & actum de omnibus ipsis esset. Quibus Cyrus indicto silentio, rursus inquit: Esto sane, hæc jura tua sint Armenie. Nobis autem quid secundum hæc faciundum consulis? Tacebat Armenius, dubius secum, an sui necandi consilium Cyro daret, an iis contraria doceret, quæ se facturum fuisse dixerat. At filius ejus Tigranes Cyrum interrogans: Quando pater ambigere videtur, inquit dic mihi Cyre, an consilium de ipso dare debeam, tibi quod ex usu maxime futurum arbitrer? Cyrus qui animadverterat, id temporis, quo venari cum ipso Tigranes solebat, quendam hominem ei doctum familiarem, & admirationi magnæ fuisse, quid tandem dicturus esset, audire percupiebat. Itaque jubebat alacriter, quod sentiret, proferret. Ego igitur, inquit Tigranes, si tu quæcunque pater vel deliberando instituit, vel patravit, probas: sic auctor tibi sum, ut qui maxime, quo ipsum imiteris. Sin eum deliquisse omnino statuis, hoc tibi consilij do, ne eum imiteris. Ergo minime delinquentem imitabor, ait Cyrus, si quod justum est, egero. Ita est, inquit ille. Erit igitur animadvertendum, de tua quidem ratione, in patrem tuum: si quidem justum est, in hominem injuste agentem animadvertere.

Utrum igitur, mi Cyre, melius esse ducis, tuo cum commodo pœnas re sumere, an tuo cum detrimento? Nimirum hoc pacto, subjecit ille, supplicio me ipsum adfecero. At tu plurimum ipse tibi damni adtuleris, ait Tigranes, si tum occidas tuos, quum tibi quantivis pretij fuerint, si tua sint in potestate. Verum qui possint esse homines, inquit Cyrus, id temporis maximi pretij, quo deprehensi fuerint in facinoribus improbis? Si tum, ut equidem arbitror, frugi fiant. Nam mihi, Cyre, sic esse res comparata videtur, sine sanitate mentis ne quidem virtutis cujusvis alterius usum ullum esse. quis enim fuerit usus hominis robusti, vel fortis, vel equestris rei periti, si sanus mente non sit? quis divitis? quis hominis in civitate potentis? At si mente sit sanus, & amicus omnis utilis est, & omnis servus bonu. Hoc igitur, inquit, dicis: etiam patrem tuum hoc ipso die de insano frugi hominem factum esse. Omnino, ait. Ergo tu sanitatem hanc esse dicis adfectionem animi, sicut est ægritudo, non quiddam disciplina parabile. Verum si prudentem esse necesse est eum, qui mente sanus sit homo futurus: nequaquam subito quis ex insano frugi evaserit. Quid autem, mi Cyre, inquit, nunquam adhuc animadvertisti hominem etiam unum ex insania mẽtis conantem pugnare cum alio se potiori quum victus esset, mox dementiæ adversus hunc suæ finem fecisse? Non item, ait, civitatem unam adversus aliam se opponentem vidisti, quæ victa confestim alteri parere, quam repugnare mallet?

Quam vero, subiecit Cyrus, etiam tu patris victi cladem narras, qua mentis eum ad sanitatem revocari adfirmes? Quod sibi profecto conscius est, se libertatem adpetendo, ad eam servitutem redactum, in qua nunquam antehac fuerit: atque etiam nihil eorum perficere potuisse, quæ habenda clam, vel furtim agenda, vel conficiunda per vim existimârat. Te vero scit in iis, in quibus ipsum fallere volueris, sic fefellisse: ac si quis cæcos, aut surdos, & nullius etiam mentis homines fallat. Quæ autem occultanda putaris, ea sic te clam habuisse scit: ut quæ loca sibi parata esse tutissima existimabat, hæc ei tu septa prius effeceris, quam ipse persentisceret. Celeritate vero tantum eum superasti, ut è locis procul dissitis magno cũ exercitu profectus ipsum anteverteris prius, quam copias sibi proximas cogeret. At vero tibi ne videtur, inquit Cyrus, hominis ita victi clades sufficere ad efficiendum, ut frugi sit, atque alios se potiores adgnoscat? Multo sane magis, ait Tigranes, quam quum in pugna quis inferior discedit. Quippe non nemo robore inferior, rursus exercito corpore, se pugnam instauraturum putat: & captæ civitates, adscitis belli sociis, denuo posse pugnari existimant. Verum quos aliqui seipsis præstantiores arbitrantur, iis nonnunquam nulla etiam adacti necessitate parere volunt. Videris tu, subjecit Cyrus, non existimare, hominibus petulantibus alios se continentiores esse notos: nec furibus illos, qui non furantur: nec mendacibus eos, qui vera dicunt: nec injuriarum auctoribus eos, qui juste agunt. An ignoras, inquit, nunc etiam patrem tuum nos fefellisse, neque pactis inter nos conventis stetisse, quamvis sciret nos nihil eorum, quæ Astyages pepigit, violasse? Equidem nec ipse dico, solum hoc homines frugi reddere, quod se meliores nôrint: si non hoc etiam accedat, ut se potioribus pœnas dent, quemadmodum patri meo nunc usuvenit.

At enim, ait Cyrus tuus pater nihil adhuc mali perpessus est omnino: metuit quidem sat scio, ne gravissima quæque patiatur. Ergo tu quidquam existimas, inquit Tigranes, vehemente metu magis homines servilem in modum demissos reddere? Num ignoras eos, qui ferro cæduntur, quod animadversionis genus gravissimum existimatur, tamen adversus eosdem pugnare velle? At quos admodum metuunt homines, eos ne quidem benigne adloquentes audent intueri? Hoccine dicis, inquit, metum hominibus majori esse supplicio, quam si reabse adfligantur? Tu quoque verum me dicere, ait, nosti. Scis enim eos, qui metuunt, ne in exsilium è patria pellantur, & qui pugnaturi metuunt, ne succumbant, in mœrore degere. Itidem qui inter navigandum metuunt, ne naufragium faciant, & qui servitutem ac vincula timẽt, ne cibo quidem ac somno præ metu frui possunt. At qui jam sunt exules, quiq; jam victi sunt, ac servitutem qui serviunt, nonnunquã possunt etiam magis, quam fortunati homines, cibo, potu, somno uti. Præterea manifestius est etiam in his, quale onus sit metus. Quippe nonnulli dum metuunt, ne capti morte multentur: præ metu mortem prius oppetunt, vel in præcipitium acti, vel strangulati, vel sibi ipsis manus adferẽtes. Usque adeo metus inter omnes res terribiles maximo impetu animos percellit. Ac patri quidem meo, ait, quid esse nunc animi putas, qui non solum sua, sed etiam mea, & uxoris, & omnium liberûm caussa servitutem metuit?

Et Cyrus: Credo equidem, inquit, haud difficulter, sic modo hũc affectum animo esse. Verum arbitror ejusdem hominis esse, prosperis rebus insolenter agere, adversis subito consternari, & libertatem nauctum rursus efferri animo, deque integro negotium facessere. Est ita profecto, inquit, Cyre: delicta nostra suggerunt illa quidem caussas, ne fides nobis habeatur. Sed enim tua est in potestate, præsidia castellis imponere, locaque munita tenere, atque aliud quodcunque voles fidei pignus capere. Nos quidem ij erga te erimus, qui rebus his magnopere non offendantur. Nam recordaturĩ sumus, horum nos auctores existere. Quod si ex iis alicui tradito imperio, qui nihil in te deliquerint, fidem ipse non habere videberis, cave, ne simul & beneficium præstes, & amicus illis haud esse puteris. Rursus, si dum cavebis, ne odio graveris, juga ipsis non imposueris, quo minus insolenter se gerant: vide, ne illi magis etiã, quam nos modo, tibi sint ad mentem sanam revocandi. At ego me profecto, inquit Cyrus, ejusmodi ministros, quos sciam adductos necessitate suas præstare mihi operas, illubenter usurum arbitror. Quos autem animadvertere viderer ex benevolentia, & mei amore, quod facto sit opus, mecum adgredi: hos ego delinquentes etiam laturum me facilius existimo, quam eos: qui, tametsi me oderint, abunde tamen omnia coacti facere studeant.

Ad quæ Tigranes: A quibus autem, inquit, amorem tantum umquam consequeris, quantum modo tibi licet à nobis adipisci? Ab iis arbitror, ait Cyrus, qui numquam hostili fuerint in me animo: Si hos adficere beneficio velim, quemadmodum tu jam, ut in vos beneficium conferam, hortaris. Num, mi Cyre, possis, inquit, quemquam hoc tempore reperire, cui tanta largiri queas, quanta patri meo? Primum si aliquem vivere sinas, qui numquam in te fuerit injurius; quam illum existimas tibi gratiam habiturum? Quid item, si liberos ipsi, & uxorem non adimas? quis eo te nomine magis diliget, quam qui arbitratur, jure sibi suos eripi? An ullum nosti, qui gravius laturus sit, in Armenios se regnum non obtinere, quam nos? Quapropter etiam de hoc, ait, perspicuum est: eum, qui molestissime fert, se regem non esse, maximam tibi gratiam habiturum, si abs te imperium impetraverit. Quod si etiam curæ tibi est, inquit, ut res heic quam minime turbatas, ubi discesseris, relinquas: considera, num tranquilliora futura sint omnia, novato imperio, an usitato remanente. Itidem si curæ tibi est, ut exercitum amplissimum educas; quem existimas hujus delectum rectius habiturum, quam qui eo sæpius est usus? Si Pecunia quoque tibi sit opus, quem rectius illo confecturum hanc putas, qui & novit, & habet, quidquid ejus heic est? Mi Cyre, vir optime, cave ne nobis amissis, majori te detrimento adficias, quam quo adficere te pater hic meus potuisset.

Hujusmodi quædam Tigranes proferebat. Cyrus autem hæc audiens, mirifice delectabatur, quod arbitraretur omnia sibi confecta jam esse, quæ Cyaxari facturum se receperat. Nam dixisse meminerat, existimare se futurum, ut majori Armenius amicitia ipsis adjungeretur opera sua, quam inter eos antea fuisset. Itaque deinceps Armenium ipsum compellat. Si vobis, inquit, in his morem gessero, dic mihi Armenie, quantum missurus es exercitum mecum, quantumque pecuniæ ad bellum hoc conferes? Ad quæ Armenius: Nihil tibi, mi Cyre, ait, nec simplicius nec æquius dicere possum, quam ut copias universas, quas quidem habeo, commonstrem: eas ubi tu videris, quantum tibi visum fuerit, exercitum abducito: illo relicto, qui agro nostro præsidio sit. Itidem de pecunijs: æquum est, ut quas habeam, tibi significem: tu deinde statuas, quantum ex his auferre velis, & quantum relinquere. Cyrus autem: Age igitur, inquit, ostendito mihi quantæ tibi sint copiæ, quantumque pecuniæ habeas, dicito. Heic Armenius: Equites quidem, ait, Armeniis fere sunt octies mille; quadragies mille pedites. Pecuniæ vero summa, cum thesauris, quos pater reliquit, ad argentum redacta, tribus talentorum millibus major est.

Et Cyrus nihil cunctatus: De exercitu sane, inquit, partem dimidiam adjungito mihi, quandoquidem Chaldæi finitimi bellum tibi faciunt: de pecunia vero, pro talentis quinquaginta, quæ tributi nomine pendebas, duplum Cyaxari solvito propterea, quod solutionem neglexeris. Item mutuo mihi centum altera dato. pro quibus ego mutuo datis tibi policeor, vel alia me, Deo bene juvante, beneficia majora in te collaturum, vel ipsam pecuniam denumeraturum, si quidem potero. Sin autem, videri quidem, ut arbitror, potero destitutus à facultate reddendi, sed injustus tamen merito meo non censebor. Et Armenius: Obsecro te profecto, mi Cyre, inquit, noli hoc pacto loqui: ceteroqui minus bono in te animo ero. Existimabis scilicet, quascunque pecunias nobis reliqueris,

queris, nihilo minus tuas esse: atque illæ sint, quas hinc tecum aufers. Esto subjecit Cyrus. Verum ut uxorem recipias, quantum mihi pecuniæ dederis? Quantum mea in facultate fuerit, inquit. Quid? ut liberos? etiam pro his, ait, quantum mea in facultate fuerit. Ergo jam hæ, subjecit Cyrus, duplo ampliores fuerint iis, quas tu possides. Et tu Tigranes, ait, dic mihi, quanti redimeres, ut uxorem tibi recipere liceret? Is vero novus tunc forte maritus erat, & summo hanc amore complectebatur. Equidem, inquit, vel animæ pretio meæ redemerim, ne umquam hæc servitutem serviat. Tu igitur, inquit, tuam abducito. Nam equidem eam in captivitatem venisse nequaquam arbitror, quando tu numquam nos deseruisti. Tu quoque Armenie, tam uxorem quam liberos abducito, nullo pro iis pretio soluto: ut se liberos ad te venire sciant. Ac modo quidem apud nos cœnate, sumpta vero cœna, quo libitum erit animo vestro, discedite. *cap. 3. & seqq. libri tertij Cyropædia.*

Themistius: Neque enim indignationem judicem adhibuisti, nec vindictam ad iræ mensuram accommodasti: sed cum perturbationem ratione esses moderatus, una ut legibus clementior visus es, & ubique cum scripto jureconsentiens, quoties observare quod erat scriptum, quam transgredi Imperatoriæ esset dignitati convenientius. Igitur facinus ab errore & infelicitate separasti. Etsi enim Platonis dogmata minimè ore pronuncias; nec Aristotelis scripta pervolvis; nihilominus quæ illi sentiunt reipsa, atque factis comprobas. Non enim eadem animadversione dignos judicasti cum iis qui perduellionem ab initio animo conceperant eos, qui impetu armorum abrepti fuissent, aut ei cessissent, qui jam vicisse omnia crederetur: sed illos quidem merito condemnasti, alios verbis castigasti, cum postremis condoluisti. Tanta vero est Clementiæ magnitudo, ut vel iniquo animo feramus, si quis eorum modo qui extrema quæque metuebat minima etiam in re molestia afficiatur: nec mediocriter commovemur: non jam si veniam omnino deneges, sed si quamlibet eam exiguo tempore differas. Nuper enim cum è palatio ad hodiernum usque diem mœroris ac tristitiæ pleni, nec assecuturos nos quæ postulata erant putabamus, non renuente beneficium, sed differente. Hoc autem non postulantium stoliditas, sed dantis magnificentia facit, quæ benignitatis ac clementiæ suavitatem ac diffusionem, quæ minime vulgaris est, notiorem omnibus, atque illustriorem reddit. Siquidem non iis quæ sordidissima, sed quæ purissima sunt quālibet exigua macula sit apparet. Ita plane si quid ab iis qui crudelitate & atrocitate præstiterunt, humaniter sit gestum, omnium memoria celebratur. Quorum verò eximia atque excellens clementia fuit, ab iis si quid per incuriam omissum est, nulla unquam oblivione deletur. Semper enim insignius illud ac memorabilius est quod præter spem contingit.

Itaque Neronis celeberrima est adversus Masonium facilitas: contra Alexandrem vero pro Callisthene etiamnum commovemur. Atque ille quidem iræ stimulos addidit, & ut erumperet incitavit: hic autem quod minime statim cessisset constantior quam antea unquam est habitus. Periclem sanè ferunt apud Athenienses gloriari solitum, quod Imperio administrationeque sua inimicitias dissolveret. Tu vero (Imperator) cum & tantis injuriis esses affectus, nec Periclis similem Potentiam, atque Imperium gereres, benigniorem te nihilominus forensi illo declamatore præstitisti, ac duplicem ex eo facto victoriam reportasti. Non enim iis tantum qui arma contra te ceperant, sed etiam qui tecum ceperant superior fuisti, cum & eos qui se opposuerant debellaveris, & injuria affectos atque offensos placaveris. Quorum priores quidem virtute superasti; aliorum animos atque iracundiam mitigasti: non ignorans quantum à legitimo bello intestina ac civilis discordia differat.

Ac barbaros quidem Romanorum armis assiduè esse persequendos: Romanis vero contra Romanos hanc esse moderationem adhibendam, tamdiu ut bellum inferatur, quod omnis offensio atq; injuria farciatur. Et quemadmodum corporis morbidum membrum qui cum medicamentis persanare possit, mavult abscindere, non universo remedium adhibet, sed hoc ipso quod deest imbecillius facit: sic cum imperium omne Romanum, civitatis instar unum idemque sit; plane hoc in illius detrimentum redundat, quod cum revocari ad sanitatem posset fuerit deperditum. Quamquam manum, aut crus aut aliam quamlibet ægram, ac male affectam partem saniorem quam ante morbum fuerat efficere Medicina non potest: Homo vero qui moderatam aliquam pænam tulerit, meliorem se aliquando erga eum exhibuerit, à quo sit benigne atque humaniter tractatus.

De Romanis sic accepimus; cum Masinissam Afrum à quo erant hostiliter vexati in potestate habitum ultro dimisissent, commemorari non posse quæ ab eo sint in ipsos postmodum collata beneficia: Illud vero Socratis præclarum qui commune illud dictum ac vulgare corrigebat. Amicis quidem benefaciendum esse inimicis vero mala, Corrigebat autem: illud servando, alterum mutando. Quod enim amicis benefaciendum dicit, id vero laudabat, quod inimicis male, id ita emendabat, ut diceret amicis benefaciendum esse, non male inimicis. Et ad eum qui ita comminabátur, nisi te arripiens occidero, sic contra minatus est, nisi te amicum fecero. Quod si quis hanc animi facilitatem Pallio dicat convenire, non Purpuræ: ego vero clarissimos tibi Reges commemorabo, qui se Socratis haud dissimiles præbuerunt. Ad Philippum Amyntæ filium nescio quis Centurionem quendam detulit, tanquam hostili in eum esset animo, facileque malum aliquod machinaturus, nisi quā celerrime tolleretur è medio. Quid igitur Philippus? Non ferro statim usus est: verum inimicitiæ (inquit) isti causam præbuimus: hic enim haud utique Macædonum deterrimus. Igitur cum cæteris in rebus hominem fovere incipit, tum dotem ei insuper numerari jubet cum formosam puellam deperiret. Nec quisquam deinceps etiam ex ijs, qui pridem inter amicos probati fuerant, Regi fidelior fuit.

Sic benefacta malefactis potiora videntur.

Non enim ita facilè quisquam homo inter homines existere potest quin eum à quo extrema quæque metueret, si mitem in se, atque honoris insuper aliquid deferentem videret, non statim benevolentia prosequatur. Nam qui meritas pœnas effugerit, quo justius eas commiserat, eo condonanti magis obstrictus est. Sic enim Alexander cum Memnonem Darii Præfectum nonnulli interficere suaderent, simulatque in potestatem ejus venisset: nequaquam, respōdit: quin potius ex Darij amico Alexandri amicum faciamus, atque ita studium in illum voluntatemque suam in nos transferet. Idem & Thebanorum ille Imperator fecisse dicitur. Nam cum Thebanicos ejicere ex urbibus vellent, qui Lacedæmoniis faverent, sic eos est allocutus: Atqui nullius, ô Thebani, natura Thebanorum aut Lacedæmonium amicus procreatur: sed quilibet sibi quod commodum est undequaq; procurans, ijs sese accommodat, à quibus meliora se consecuturum speraverit.

Hæc igitur spes subditorum animis ingeneranda est, nec ad eos vobis conciliandos armis opus habebitis, sed ultro vestris sese partibus adjungent. Atque hæc quidem celeberrimi apud Græcos duces fecerunt. Romanorum vero Imperatores quonam modo? Omnes, quorum quidem illustria sunt nomina, eadem qua tu erga afflictos sese ratione gesserunt. Veluti Pompejus erga eos, qui cum Settorio defecerint: Cæsar cum iis, qui Pompejum secuti fuerant: Augustus cum Antonianis: Marcus cum iis qui pro Cassio steterant. Mitto recentiores, eosque qui ad nostram ætatem propius accesserunt. Qui quidem omnes præclare naturam hominum assecuti, id intellexerunt; nihil ad alliciendam benevolentiam efficacius esse benignitate ac beneficentia: longeque id optimum esse Principi, amore ac gratia subditos allicere, non metu ac terrore dominari. Hoc enim fit ut volentibus, illo ut invitis ac detrectantibus dominetur. Et benevolentiam quidem vrbibus nunquam, benevolentia verò quamplurimas urbes expugnatas, atque eversas fuisse comperimus. Sed Privato sanè non adeo facile est inimicos in amicitiam ac familiaritatem traducere. Nam cum eodem loco, conditioneque cum iis est, qui sese offenderunt, neque cum iram remittit cognosci potest: propterea quod liquidam, ac certam ulciscendi facultatem non habet: nec cum beneficio provocat, quia sæpe numero ut maxime velit, facere istud non potest: Princeps vero, cujus utramque in partem, male scilicet, beneque faciendi commoditas nota omnibus est, id pugnare debet, uti meliorem in partem, velut latrunculorum in ludo calculum, qui in deteriori sit, transferat. Et eos qui à se hactenus diffidebant, liberalitate, ac largitate fidos sibi ac familiares efficiat.

Atque ego mutationem hanc Rege digniorem ea esse puto, qua aut Xerxes continentem ac mare, aut Circe homines, aut Medea senium, aut Autolycus furta sua transmutarunt. Neque enim ibi cum Natura ipsa certamen suscipitur, sed Divinitatis concessa plane via ea est, & Mercurii munus, animos hominum ex horridis & agrestibus mansuetos, ex infensis benevolos, & conciliatos reddere. Jam vero libenter quidem artem inveniremus, qua in argentum æs, aut argentum in aurum convertere possemus. Quisquis autem homines casu aliquo, sive certo consilio, frænum excutientes cicurus, ac mansuetos facere potest, is si commonitionibus omissis in eum à quo parumper offensus est implacabile odium suscipiat, nonne aurigis ipsis stolidior est, qui condumaces equos non jugulant statim, sed ubi mitiores reddiderint, iisdem deinceps melioribus utuntur? Possum & ego alium tibi nominare Regem, qui & si tam late non regnarit quam Philippus, aut Alexander, nihilominus hoc Appollini Pythio dubium reddiderit, Deumne an hominem appellari eum oporteret, Lycurgum videlicet Spartanum. Hic igitur cum nequaquam in opibus ac pecuniis damnum accepisset, sed ei ab Adolescente quodam in concione fuste percutiente alter oculorum esset effossus, postquam illum in potestate domi habuit, quo tandem pacto ullus est, quomodo rependit injuriam? Effodit nimirum & ipse non oculum quidem ejus, à quo id perpessus fuerat sed temeritatem animi, atque audaciam. Propterea ille qui de arenæ numero quantus esset, quotve in mali congij, ambigebat, de Principe sic affecto Deus an homo esset pronunciare nesciebat. Tu vero non unum dumtaxat, ut Lycurgus, mitigasti, nec unū item, velut Alexāder, amicum ex infenso reddidisti, neq; certum tibi hominem qui convitiatus fuerat reconciliasti, quasi nuperrime eam tibi gloriam peperisses. Verum per nationes ac gentes, inde Duces, illinc ordinum Præfectos, hinc Centuriones innumeros percensere licet, sagittariorum item atque equitum turmas, ac amplissimi denique consilii Senatores, quibus tot tantisque non multo post quod adhuc deest adjecturum te certo scio. Tum mihi quoque audacter licebit dubitare, Deumne te an hominem pronuntiem.

Non quod atrocius in quenquam modo, ac præter quam quod æquum est, sit statutum: sed quod illud etiam quod infra æqui mensuram est tibi tute imposueris. Atque illud homines requirent, non quid eorum delictis, sed quid iis quæ abs te in alios erant constituta, fuerit consentaneum. Neque mirum illis videbitur, si minus ab omnibus, qui eidem culpæ affines essent, eædem sint pœnæ repetitæ, sed illud potius, si non in omnes, qui se eodem crimine obstrinxerant, par sit atque eadem humanitas impensa. Quando si quis per se res ipsas consideret, honorificentius eos qui capti deprehensique fuerant tractasti, quàm plærique soleant eos: qui sua causa plæclare, atque egregie sese gesserint. Hoc enim optimè intellexisse videris, etsi ingentes in Principe animos inesse oporteat, tamen ingentes illos animos obedientes esse debere, ut ratione quoquo velis flectantur. Quorum vim atque impetum, ubi semel deferbuerit, revocare, non magnæ, sed pusillæ potius abjectæq; mentis est: veluti si puer vulnus sine dolore jam sanatum fodicet iterum, & in vociferando tempus consumat, cum adhibere remedia, atque ita liberari sit consultius. Iræ porro tumentis adhuc remedium subitum quidem ratio ipsa est, qua tu illam tum impotentem & adhuc ferventem compescuisti. Deinceps vero etiam ferocissimis quibusque longinquitas medetur. Quod autem neutra ratione inflecti, atque emolliri potest, id extra naturam divinam juxta, atque humanam habendum existimas. Ob id Homerus cæteros quidem Deorum flexibiles atque exorabiles, Plutonem unum rigidum, & implacabilem esse dicit. Quare solus ex Imperatoribus id assecutus es, ut quos benignius, ac clementius habueras, eos gravius vindicares, cum iis pudorem, ac pœnitentiam iniiceres, & criminis conscios suomet ipsos dolore punires: qui quidem ex eo quod nihil à te mali perpessi essent, quantum scelus admiserant intellexerunt.

Est autem homini libero acerbior multo is dolor, qui ex verecundia, quam qui ex cruciatu corporis percipitur. Cujus rei argumento est, quod hunc sustineant, patienterque ferant, præ pudore verò sæpe numero vitam ipsam profundant. Quanto putas cum gemitu temeritatē illi suam deplorant? quantis putas suspirijs fraudem illam ac præstigias prosequuntur? cum inter se comparant quem cujus loco sibi delegerint, cumque eum in sese meliorem experiuntur, quem offenderint, quam cujus partibus inducti deceptique sese adjunxerint. Neque enim in ipso rerum discrimine tolerabilis erat, sed ubi parumper jactatus à fortuna, atque elatus videbatur, supercilium Xerxis, ac Cambysis insolentiam, ac libidinem præ se ferebat, neque mancipiorum instar moderatè tractans eos, quibus fraudulenter imposuerat. *Oratione nona, de his qui imperante Valente in calamitatem inciderunt.*

§ Poetarum.

Guntherus lib. I. v. 524.

Tandem multorum vix eluctante rogatu.
Magnorumq; Ducum, multo prius ære redemptis
Parcitur, & justi fera Principis ira resedit.
Nec melius stulta furor atque superbia plebis
Puniri poterat, quàm tanti ut causa tumoris
Eriperentur opes: ut quos opulentia rerum
Fecerat elatos, in se revocaret egestas.

Guntherus lib. 3. v. 35.

Quid luimus miseri? quid dignum fecimus iræ
Rex invicte tuæ? quæ tantum causa furorem
Movit, ut imbellem, solitumq; fideliter hymnos
Pro populo Christi, pro te quoque sæpius ipso,
Si credis, resonare Deo, cum plebe nocenti
Perdere coneris tanto molimine clerum?
Quod scelus hic nostrum? nisi si scelus esse putetur,
In medio populi sedem posuisse nocentis.
Nos neq; consiliis immania cœpta, nec acta (fortè actis
Invimus: invitis fiunt hæc omnia nobis.
Illi civiles causas, & pondera rerum
Inter se tractare solent: nos vulgus inerme,
Nos abjecta manus, nullis adhibemur eorum
Consiliis, tantum studiis nocturna diurnis
Iungimus assiduos soliti depromere psalmos,
Et precibus pulsare Deum. sed bella nec illos
Exercere sinunt in tantis cladibus usus.
Vndique concutimur bello, lapidumq; rotatu
Templa flagellantur, sacris altaribus astans
Confixus telis expirat morte sacerdos.
Ergo pius pariter pereunte peribit iniquo,
Nec vixisse piè sub judice proderit æquo?
Si scelerum vindex, consolatorq; piorum
Venisti? si jura tuis, legesq; reformas
Gentibus, inque suum satagis revocare vigorem,
Parce bonis, & perde malos, propone quibusq;
Iustitiam meritis, compensans præmia causis.

Guntherus lib. 5. v. 474.

Tu quoq; victa cades, tanto graviore ruina,
Quanto nunc aliјs tibi firmior esse videris.
Parva cadunt levius, nec multa mole premuntur:
Magna sub ingenti franguntur pondera lapsu.

Guntherus lib. 7. v. 239.

Brixia ubi regi tentatis restitit armis,
Plus quoq; quàm potuit, tandem contrita solutis
Mœnibus, accepit dominum quem fecerat hostem,
Vixq; redempta suos multo luit ære tumores.

§ Emblematum.

Barillius CCXX.

Rebellio plebis.

Qualis ubi indomatâ frenis cervice repugnans
Sessorem tergo depulit asper equus;
Rectoris vacuus per saxa, per avia, præceps
Et cursum & vitam nullo inhibente rapit:
Talis jam abruptis plebs Gallica fertur habenis,
Qua libitumq; furens hac sine lege ruit:
Exitus at quam mox forte accessurus eadem
Idem, at idem quam mox exitiumq; manet.

Idem CCXXI.

Hydra rebellionis.

Idem qui ad plebem Lernæas pugnet ad hydras,
Secto illa & crescat corpore firma magis.
At tibi & hanc Galle Alcides contundere detur,
Nec clavæ extremus sit labor ille tuæ.

§ Monosticha Trochaica.

Cum rebellibus pax nulla Regi, quàm in victoriâ.
Illico erumpet voluntas, ut metus recesserit.
Invicem ambo remittamus, ambo quæ deliquimus.
In rebelles ultione opus magis quam prælio.
Liberorum vindicanda est leniter defectio.
Major urbs ubi defecit, non quiescunt cetera.
Plurimos rebellionis crimen falsum interficit.

§ Jambica.

Defectioni danda & venia est altera.
Descisse jam videtur qui deliberat.
Nodus malus, cuneum sibi expetit malum.
Patientium vim tetricam defectio est.
Populus resumit arma, cessit ut metus.
Rebellionis atrox conscientia est.

Reconciliationis.

§ Sententiæ Patrum Graecorum.

D*Ivus Nazianzenus*: Probi consilii & tolerantiæ tempus est, nosque ita comparandi, ut nemo nobis animi magnitudine præstantior appareat; nec multi nostri labores & sudores temporis puncto collabantur. Hæc scribo quia Eusebius Episcopus est animo erga nos jam admodum amico, & ad simultates componendas propenso; ac tempore velut igni ferrum emollitur: putoque fore ut deprecatrices etiam & evocatrices literæ ad te veniant. Quem antevertamus, ut ad eum venientem vel scribentes, ac deinde ad eum nos conferentes. ne postea nos pudeat, si victi fuerimus, cùm vincere licuerit, præclare videlicet & philosophicè cedendo. *Epistola decima nona.*

D. Chrysostomus: Si quispiam abiens, protinus inimicum sit complexus, ambas conseruerit manus, ei circumfusus sit, osculatus, & lacrimatus: etiamsi ille sit fera, etiamsi lapis, etiamsi quodvis; ab hac benignitate mitigabitur. *Hom. 4. ad. Thess.*

D. Io. Chrysostomus: In regiâ qui sunt in vinculis, & regem offenderunt, stant foris. qui vult autem eos reconciliare, non ipsos introducit, sed ipse foras egrediens eos alloquitur, donec ipsis dignis effectis conspectu regis, eos introducat. *initio. Homilia 3. Epistola ad Hebræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Quòd sermo blandus ac sapientiæ plenus medicamenti cujusdam instar iracundiam è medio corde ferventem extinguere queat, perquàm exploratum habeo. Num autem in nostris quoque sermonibus pharmacum quoddam, quod iram sedare atque consopire possit, invenire liceat, illud verò non item exploratè novi. Verùm si quidem aliquid profecisse affirmem, præclarè res habebit. Sin autem conatus meus frustra fuerit, maximum quidem mœrorem accipiam, at minimè tamen mihi ipsi succensebo. Quoniam igitur contentio ac simultas vestra in longissimum usque porrecta, non modò vos, sed etiam multos alios gravissimè convulneravit, illud quidem pervellem, vos eam extinguere ac delere, atque ad amicitiam redire. Si verò hoc nondum, ut quidam ajunt, fieri potest, at certè immodicam hanc contentionem animorumque pertinaciam silentio enervare, ac non dicendis tacendisque verbis eam adaugere. Nam si, quæ nefas est, alter adversus alterum proloqui desinatis, sensim ac paulatim extincta & prostrata contentio, ut amicitia excitetur, efficiet. Quemadmodum enim iis, qui adversa valetudine laborant, gravius non se habere, meliùs se habendi initium fuerit (etenim in acutissimis morbis idem valetudinis status pro meliore statu haud immeritò habetur:) sic etiam vobis gravi morbo correptis (neque enim est quòd vosipsos sanos esse existimetis, dū alter in alterū ita debacchamini) si morbus non ingravescat, sanationis principiū hoc fuerit,

Quare sive vobis inimicitiam funditus delere, ac de medio tollere placeat, sive eam non longiùs progredi, mihi ipsi bonam spem non eripiam: sermonemque ut maledicos sermones comprimam, bene impensum esse censebo. *lib. 2. Epist. 83.*

S. Isidorus Pelusiota: Si, tanquam in gratiam redituri, qui nuper amici erant, inter se dissident, levius malum est: si autem tanquam in implacabili odio ac simultate permansuri, gravius. Quoquo verò animo sint, tu da operam, ut quàm ocyssimè in gratiam eos reducas: ne alioqui temporis mora difficilius hoc negotium reddat. *lib 3. Epist. 297.*

S. Isidorus Pelusiota: Amicus tuus, ut iis, qui simultatem eam, quæ ipsi tecum intercessit, probri loco objecerunt, silentium indicat, istuc se contulit. Profectus est enim, ut non modò præsentem comitatem ac benevolentiam superet, sed etiam ut pristinam animi offensionem extinguat. Supinis itaque manibus eum excipe. *lib. 3. Epist. 302.*

S. Isidorus Pelusiota: Disce, ô sapientissime, & disertissime, id quod, ut apparet, ignoras, nempe quòd si amicis aut inimicis, inter se dissidere contingat, non eodem modo concertabunt: verùm illi quidem, ut, in mutuam gratiam redituri, contendent, hi autem, ut inexpiabile bellum habituri. *lib. 3. Epist. 380.*

S. Isidorus Pelusiota: Et in veteri quoque Testamento, vir erudite (quoniam ab eo duntaxat nobiscum disputas, Novo prætermisso) si non apertè ac disertis verbis, at obscurè saltem nobis mãsuetissima illa natura, ut cum inimico in gratiam redeamus, his verbis utens: Si videris jumentum inimici tui prolapsum in foveam, non pertransibis, sed eriges ipsum. Quòd si tu in hujusce oraculi penetrale oculorum aciem intendere nequis, ego tibi illud interpretari, ac Legislatoris mentem explicare conabor. Non enim quòd animantis cura tantopere tangeretur, sed ipsorum maximè hominum causa hanc legem tulit. Nam inimicus, ad prolapsum animal erigendum accedens, inimicum omnino alloquetur, ac dicet, Tu istinc erige, ego hinc. Colloquium porro reconciliationis præludium est, ac via ad amicitiam ducens. Quamobrem divinæ providentię tranquillitas tria pulcherrima hoc loco sibi informanda proposuit: unum quidem, ne pereat animal: alterum, ne tantam dominus ejus jacturam faciat: tertium denique, ut inimici in gratiam redeant. Qui enim beneficio affectus est, nisi sensu magis quàm lapides privatus sit, ei à quo beneficium acceperit, par pari referre curabit. Alter verò beneficus audiens, inimicum non ampliùs eo nomine definiet. Viden', quî ineffabilis illa sapientia ad bonitatem & humanitatem collimans leges suas ferat? *libri tertij Epist. 389.*

S. Isidorus Pelusiota: Oportet non erga eos, qui in gratiam redire nolunt, implacabilem esse, sed potius, quantum quidem in nobis est situm, etiam cum implacabilibus fœdus facere, si modò nullum inde pietati detrimentum inferatur. Et hoc sanè est quod divinus Paulus monuit, cùm ait: Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Nam velut is qui exactissimè cognitam perspectamq; haberet rerum naturam (humanarum) & qui nôsset, quàm multi non dubitent hominibus virtutis studiosis adversari ac repugnare: id exegit, quod ad nos pertinet nostrique est muneris, etiamsi alii fortè dum nos nihil reliqui facimus quod officium nostrum postulat, bellum iniquum nobis indicant, vel pietatem oppugnantes, vel alienam & abhorrentem à virtute vivendi rationem sectantes. *lib. 4. Epist. 37.*

Synesius: In montem, aut pelagi undantes cum murmure fluctus

Homerus contentionis mala procul amandari exoptat. Philosophia verò ne initio quidem aditum illis ad animum præbet: Verùm imbecilliores nos sumus, quàm ut philosophemur, quod quidem ad me attinet. Nolumus tamen militibus esse deteriores, quos versibus suis ille descripsit. Rursum itaque Homero utendum est, qui alicubi dixit,

Incipe, nam natu minores.

Pugna enim atque contentio absit quidem omnino: sin aliqua intervenerit, eam junior inchoet. Tale enim quiddam Neptuno in animum venit, ut auspicandi prælij juniori Deo potestatem faceret. Grandiorem vero natu, præire ad honestissima quæque consentaneum est: honestissima porro Concordia est. Ego autem quã te non modo senior sim, verum etiam senex de cute manifestum est (ajebat Pherecydes.) Quare meæ sunt excusandi partes. Quòd si insuper eum, qui primus peccarit, primum cedere atq; animum remittere oportet, & tu me eum esse vis, hoc etiam tua causa concedo. Decet enim qui te prior conciliare sibi studuerit, subinde eum tibi quæ volueris condonare. *Epistola. 116.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRAECORUM.

Phalaris Leontinis: Si vobis placet, ut bellum susceptum deponam, ne vereamini Lycinum mihi tradere, ut omnem iram in hunc evomens, desinam civitati iratus esse. Neque verò crudeliùs eum tractabo, quàm omnes vos intelligo velle. *Epist. 5.*

Aristides Sophista: Antiquum hoc dictum vobiscum reputate, cùm delicta utrinque tolli possint, quin eum quem sortiti sunt exitum habeant, tum sanabilem esse bonorum mentem. *fine Orationis ad Rhodios de concordia.*

Libanius: Cùm cerneret affligi suos, cùm legati advenissent, qui offenso satisfacerent, cùm multa præclarè dicta fuissent, ipse tamen perseveravit in iis, quæ omnino ne quidem incipere debuisset. Non Ajacis cognitionem, non Phænicis canos & lacrymas, à quo educatus fuisset, reveritus. Ac cùm ij quibus damna fuerunt data, vident legatos hostium, à quibus etiam natura dissident, habitu humili, iracundiam deponunt, & pace facta, humanitate eos complectuntur. *Vituperio Achillis.*

Libanius: Nam in aliis omnibus familijs consensus, amoris illecebræ, communes sermones, mensæ communes: oblectationes concinnæ: spes meliores insunt. Apud nos verò expostulationes, accusationes, æstus animi, indignatio, lamentatio, mœstitia, opinio injuriæ ultro citroque illatæ, bellum intra fores; conciliatio nulla ex parte admissa. non piget te, mi pater, odisse domesticos? non despondisti vociferari & disrumpi? atqui urbes cum urbibus sæpe maximis de rebus expostulantes, ac jam ad pugnandum paratæ, exercitibus jam in procinctu stantibus, ante vulnera deposuerunt dissidium, & votis conjunctis redierunt in gratiam. at tu cùm pater sis, immortalem simultatem foves, & appellationem ipsam indicium conciliationum non efficis: sed iis malus infestusque es quos procreasti; cùm te non fugiat, quid feræ in fœtibus suis faciant. Quænam ergo Furia nuptias tuas copulavit? in quem Deorum deliquimus, ut tales à nobis exposcantur pœnæ? quare non exposuisti nos pater recens editos, quos adhæc nutrire cogitabas? *Declamatione quadragesima.*

Libanius: Quod si aliunde hæc accidissent; & non ei placuisset ærumna confestim calamitatem sustulisset, supplicationibus, occursibus, obsecrationibus, precibus, lamentis, lachrymis: cùm semper adesset; conversaretur, unà viveret. magni porrò ad conciliationem momenti fuisset, inter pocula, gemendo, revocare domum fratrem. Sed horum nihil præstitit: aut patrem omnino avertisset ab ira: neque enim truculentior feris fuit: neque plus filium quàm hostes oderat, quibuscum sæpe nobiscum initi fœdera, cùm repente armati irrupissent, o sol; & magnam civium partem absumpsissent, & urbem solo adæquare festinarent. *Declamatione quadragesima prima.*

¶ ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Tantum omnem scabitudinem animi tanquam bonarum artium magister, deleret sine cicatrice. Incultis asperisque regionibus diutius nives hærent: ast ubi ea aratro domefacta tellus nitet; dum coqueris, levis pruina dilabitur. Similiter in pectoribus ira considit: feras quidem mentes obsidet, eruditas prælabitur. *Satyrico.*

Petronius Arbiter: In hæc verba fæderibus compositis, arma deponimus: & ne residua in animis etiam post jusjurandum ira remaneret, prætcritã aboleri osculis placet. Exhortantibus universis odia detumescunt, epulæ ad certamen prolatæ conciliant hilaritate concilium, exsonat cantibus totum navigium. *Satyrico.*

Petronius Arbiter: Exosculatus pectus sapientia plenum, injeci cervicibus manus: & ut facilè intelligeret rediisse me in gratiam, & optima fide reviviscentem amicitiam, toto pectore adstrinxi. *Satyrico.*

Quintilianus: Semper odiorum honestus occasus est; & dum simultates nihil aliud habent quam nocendi cupiditatem; speciosa in melius animi mutatio, est cum exempli honore. Iunctæque ex hostili penè concursu in affinitatem manus. *Declamatione 9. & 22. f.*

¶ POETARUM.

Plautus Amphitr. 3. sc. 2. v. 63.

Primum cavisse oportuit ne diceres:
Verùm eadem si idem purgas, mihi patiunda sunt.

Terentius Hecyræ 5. sc. 1.

—— *Qui*
Post factam injuriam se expurget, mihi parum prosit.

Terentius Phorm. 5. sc. 8.

Redeat sanè in gratiam: jam supplicij satis est mihi.
Habet hæc ei quod dum vivat, usq; ad aurem obganniat.

¶ APOLOGORUM.

Babrias Περὶ Ὄφεως καὶ Γεωργοῦ. Fab. 11.

Ὄφιν θέλων τὶς ἀντ' ὀλέθρου παιδίου
Πλήττειν, πέτραν τ' ἔσχισε, καὶ φιλεῖν θέλειν.
Ὄφις δὴ φησι, πῶς γένοιντο συμβάσεις,
Ἕως σὺ τύμβον τὸν δ' ἐγὼ πέτραν βλέπω;

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι αἱ μεγάλαι ἔχθραι ἀδιάλλακτοί εἰσιν.

De Serpente & Agricola.

Serpentem quis pro filij interitu
Percussurus, petramq; scidit, & amare volebat.
Sed ait Serpens, quomodo fient conventiones,
Quandiu tu tumbam hanc, ego lapidem video?

AFFABULATIO.

Magnas inimicitias esse irreconciliabiles.

De Rustico & Angue. *Anonymus.*

Rustica mensa diu nutritum foverat anguem.
Humanam potuit anguis amare manum.

Gratia longa viri subitam mutatur in iram.
Ira per anguineam dirigit arma caput.
Vulneris auctor eget, se vulnere credit egenum.
Angui pro venia supplicat; anguis ait:
Non ero securus dum sit tibi tanta securis,
Dum cutis hæc memorat vulnera facta sibi:
Qui me læsit, item lædet si lædere possit.
Expedit infido non iterare fidem.
Sed te si pigeat sceleris, scelus omne remitto.
Nam gemitus veniam vulnere cordis emit.
Qui primo nocuit, vult posse nocere secundo.
Quæ dedit infidus mella, venena puto.

¶ Emblematis.

Batillius XXVII.

Reconciliatio.

Miti dura, novo fuerit si quercus amore
Juncta oleæ, Pacis prospera signa dabit,
Quæ mollire animis tumidas discordibus iras
Aspera quæ ad sese flectere corda queat,
Irarum causas, odij quæ semina tollat,
Deductasq; iterum nectat amicitias.
Divisos, Pax alma, redi conjungere fratres,
Divisis iterum Regibus, alma, redi.

¶ Apophthegm. Sacr.

Iesus Christus Dominus noster: Si munus tuum, inquit, attuleris ad altare, & illic memineris fratrem tuum habere aliquid contra te: omitte illic munus tuum coram altari, & abi: primùm reconciliator fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum. Esto amicus adversario tuo citò, dum es in via cum eo, nequando te tradat adversarius judici, & judex te tradat ministro, & in custodiam conjiciaris, &c. *Matt. 5. 23. 24. 25.*

Idem: Adiens Iesum Petrus dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? an usq; septies? dicit ei Iesus, *Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagesies septies.* Propterea simile est regnum cœlorum regi, qui voluit conferre rationem cum servis suis, &c. *Matth. 18. 21. 22. 23. &c.* Christianus si injuria afficiatur, concordiæ pro virili studere, injuriam sæpe repetitam sæpius condonare: denique persuasum habere debet, minimas esse hominum offensas, quibus ceu debitis nobis obligantur, si cum peccatis, quibus Deum offendimus, conferantur.

D. Cyprianus: Lue dira grassante, quæ multos ethnicos de medio auferebat, alios languentes & egenos relinquebat, Cyprianus aggregatam uno in loco Christianam plebem de misericordiæ bonis instruit, dicens, non esse mirabile si nostros tantùm debito charitatis obsequio foveremus: eum perfectum posse fieri, qui plus aliquid publicano vel ethnico fecerit: qui malum bono vincens, & divinæ clementiæ instar exercens, inimicos quoque dilexerit, qui pro persequentium se salute, sicuti Dominus monet & hortatur, orarit. Oriri, inquit, facit Deus jugiter Solem suum, & pluvias subinde nutriendis seminibus impertit, exhibens cuncta ista non suis tantùm, sed etiam alienis: & qui se Dei etiam Filium esse profitetur, cur non exemplum Patris imitatur? Respondere nos decet natalibus nostris, & quos renatos per Deum constat, degeneres esse non congruit, sed probare potius in sobole traducem boni patris æmulatione bonitatis. *Pontius Diaconus in vita D. Cypriani.*

Iordanus Plescovius: Consul Lubecensis, Iordanus Plescovius, cùm mandato Cæsaris Sigismundi post longum exilium cum collegis in urbem reductus, pristino loco & dignitati restitueretur, atque seditiosus Senatus supplex veniam peteret, humanissimè & piè respondit: Est nobis Deus misericors, & remittit nobis debita nostra: itaque libenter etiam vobis, propter Deum, omnem injuriam condonamus. *Paul. ab Eitzen, ethic. lib. 4. cap. 23.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cum malis in gratiam est fas jam redire mortuis.
Est memor sui omniumq; qui citò redit in gratiam.
Proximorum vix fidei bona est reconciliatio.

¶ Jambica.

Amantium facilis reconciliatio est.
In gratiam quis non redit cum mortuo?
Post mortem inimici quisq; in gratiam redit.
Reconciliatio inter potentes vix tenet.
Quis non redeat in gratiam cum mortuo?
Vel hostis est hominis amicus mortui.

Videantur plura titulo, *Concordiæ, Discordiæ, Iniuriæ, Veniæ.*

Recreationis.

¶ Sententiæ Græcorum.

D*ivus Nazianzenus:* Inambulabam ego solus, vergente jam in occasum Sole. locus porrò in quo spatiabar, maris ripa erat. Soleo enim ferè hujusmodi oblectamentis labores dissolvere ac relaxare. quandoquidem nec perpetuam contentionem nervus ferre potest, sed laxari nonnunquam arcus cornua oportet, si quidem rursus intendendus sit, ac non sagittario inutilis tum futurus, cùm eo utendum erit. Inambulabam igitur, atque ita pedibus ferebar ut oculi maris aspectu fruerentur.

Themistius: Omne illud quod caducum & mortale, & naturæ imbecillioris particeps est, duabus his maximè rebus indigere cernimus, intermissione scilicet perpetui laboris, & cura aliqua provisioneque, ne aliquando evadat deterius. Quare eodem modo & animum nostrum cogitemus alios ad relaxationem ac quietem, alios ad curam & sollicitudinem sermones desiderare. *Orat. 7. hortatoria ad philosoph.*

Lucianus: Mos est athletarum, ac eorum qui summa diligentia corpus exercent, non modò bonæ habitudinis, atque exercitationis rationem habere, verùm etiam tempestivæ remissionis, quam maximam utique exercitationis partem arbitrantur. Idem literarum studiosis convenire duco, ut post multam rerum seriarum lectionem, animum relaxent, eumque ad laborem postea suscipiendum, vegetiorem comparent. Conveniens autem hoc otium fuerit ipsis: si talium rerum in lectione versentur, quæ non solùm ex facetiis, & lepore tenuem animi recreationem præbeant: verùm etiam non rudem speculationem præ se ferant: quale quiddam de hisce scriptis sensuros existimo Non enim solummodò materiæ novitas, atque instituti festivitas, neque quod varia mendacia probabiliter, & verisimiliter confinximus, eos ad legēdum illiciet: sed quòd eorum quæ narrantur, singula non sine morsu taxant aliquem veterum poëtarum, & scriptorum & philosophorum, qui portentosa, & fabulosa multa literis mandarunt: quorum nomina subjecissem nisi futurum esset ut ea tibi ex lectione innotescerent. *Initio libri primi historiæ veræ.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Ut in vita, sic in studiis pulcerrimum & humanissimum existimo severitatem comitatemque miscere: ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam excedat. qua ratione ductus, graviora opera lusibus jocisque distinguo. *Epist. 21. lib. 8.*

Symmachus: Accurre perniciter, ut feriarum requie laboris fastidium tergeatur. Certè si tibi ergastuli istius amor tantus est, adesto impiger. Ad dicendum promptior reverteris. *lib. 3 epist. 23.*

Symmachus: Est quidem familiare virtuti, delinimentum exercitij sensibus admovere. nam & Achillem vatum maximus refert ægrum amissi, curas fidibus resolvisse. *lib. 3. epist. 74. f.*

¶ Poetarum.

Lucianus in Vitam.

Sex horæ tantùm rebus tribuuntur agendis:
Vivequ post illas, littera ζῆθι monet.

¶ Apologi.

Phædrus Fab. 53.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Æsopum nucibus cum vidisset, restitit,
Et quasi delirum risit: quod sensit simul
Derisor potiùs quam deridendus senex.
Arcum retensum posuit in media via:
Heus, inquit, sapiens, expedi quid fecerim.
Concurrit populus: ille se torquet diu
Nec quæstionis positæ causam intelligit.
Novissimè succumbit: tum victor Sophus
Citò rumpes arcum semper si tensum habueris,
At si laxaris, cum voles, erit utilis.
Sic lusus animo debent aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

¶ Monosticha Trochaica.

Arcum Apollo haud usq; tendit: est ubi pulsat chelyn.
Inter infantes equitavit ipse in arundine Socrates.
Iunge ludicris severa, junge tristibus jocos.
Lusit in turba puerorum nucibus Æsopus senex.
Mentem sæpe arcumq; laxa, sæpe si uti eis cupis.
Semper arcum non intendit Phœbus; & lyra vacat.

¶ Jambica.

Animus remitti non resolvi quæritat.
Durabile haud est requie alterna quod caret.
Laxat voluptas modica animos, & temperat.
Laxato cornua arcui, aut inusus est.
Post multa virtus opera laxari solet.

Regenerationis.

¶ Sentent. Patris Graeci.

S*. Isidorus Pelusiota:* Dictum illud: Auferam ab ipsis (videlicet, qui divinæ institutioni spontè obsequuntur, seseque accommodant) cor lapideum: indicat habitum animæ sensus ac dolo-

doloris omnis expertem, planeque ſtupidum, divinis legibus repugnantem. Quod autem ſequitur: Et dabo ipſis cor carneum, ſignificat (habitum animi) facilè cedentem atque obſequentem; & ſpiritualibus ſanctionibus ſe ſubmittentem: Vnde etiam celebris ille virtutis chorus gigni ſolet. Quòd ſi per exempla quoque hoc diſcere cupis, auſculta. Quemadmodum grammatici & ſophiſtæ pueros, quos ſordidos acceperunt in diſciplinam, mundatos remittunt, non quidem linguas eorum iterum juveneſcere facientes, (neque enim id fieri poteſt per rerum naturam) ſed artem ipſis inſerentes: neque animas eorum immutantes, ſed ignaviam exterminantes: ita etiam divina ſapientia improbitatem ignorantiamque expellens & velut exilio damnans, intelligentiam & ſcientiã in animos introducit. *lib. 4. Epiſt. 160.*

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Ieſus Chriſtus Dominus noſter: Quum ad eum acceſſiſſent Nicodemus, dixit ei, Amen amen dico tibi, niſi quis fuerit genitus denuò, non poteſt videre regnum Dei. Dicit ei Nicodemus, Quomodo poteſt homo gigni qui ſit ſenex? num poteſt in uterum matris ſuæ ſecundò introire, ac gigni? Reſpondit Ieſus, Amen amen dico tibi, niſi quis fuerit genitus ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quod genitum eſt ex carne, caro eſt: & quod genitum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt. Ne mireris me dixiſſet tibi, Oportet vos gigni denuò. Ventus quò vult ſpirat, & ſonum ejus audis, ſed neſcis unde veniat, & quò vadat: ita eſt quiſquis genitus eſt è Spiritu. *Ioann. 3. 3. &c.*

Regni.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

B*aſilius Seleuc:* Non poteſtis dignitatem ſimul & regnum amare. Regnum cæleſte amantem gloriæ ſui cupitorem repellit, ambitioſa deſideria rejicit: humilitatis eſt merces, non ambitionis diverſorium. Submiſſiores eſte moribus, & à Gratia coronabimini. *Oratione 28. ante finem.*

Chryſoſtomus: Non modò dignitas eſt imperium tenere, ſed ars etiam, & quidem omnium artium præſtantiſſima & ſublimiſſima. nam ſi externum ac profanum imperium ars eſt & ſcientia omnium præclariſſima, multò profectò magis hoc noſtrum. *Hom. 15. ad Chorint.*

D. Ioan. Chryſoſtomus: Si quis regnum invadere nititur, nonnè innumeras ante ſibi mortes proponit? nonne cùm ſeſe inſtruxerit armis, cùm rei bellicæ peritus evaſerit, cùm omnia hujus rei cauſſa comparârit, ita demum invadere pergit? Non ita nos agimus; ſed regnum cælorum dormitantes rapere volumus, atque ideo vacuis manibus abimus. *2. ad Timoth. fine Homiliæ ultimæ.*

D. Io. Chryſoſtomus: Futura concupiſcamus; ſic enim hæc quoque ſequentur quæ ad hanc vitam pertinent. Fieri enim non poteſt, ut qui ea quærunt quæ Deo congruunt, humana quoque non aſſequatur. hæc eſt ſententia ipſius veritatis hoc dicentis. *Homiliæ octavæ fine Epiſt. ad Hebræos.*

D. Gregor. Nyſſenus: Præcipuum regni ſignum cenſetur eſſe purpura. *Homilia 7. in cantic. canticorum.*

D. Greg. Nyſſenus: Summum humanæ vitæ faſtigium, eſt regnum. *ſub finem Orationis tertiĳ de beatitutinibus.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam ex me per literas ſciſcitatus es, quidnam illud ſibi velit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo, ac dixiſti, Quid igitur? omniſne, qui imperium gerit, à Deo inſtitutus eſt? hoc dixerim, te mihi videri (ac velim ne mihi ſuccenſeas: nihil enim futile dicam) aut Apoſtolicas voces minimè legiſſe, aut certè non animadvertiſſe atque intellexiſſe. Neque enim dixit Paulus, Non eſt poteſtas niſi à Deo: verùm de re ipſa diſſerit, his verbis utens. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Nam quòd inter homines imperia & magiſtratus ſint, atque alii imperent, alii pareant: ac non temerario & cæco impetu omnia ferantur; populis videlicet, fluctuum inſtar huc atque illuc ſeſe agitantibus, hoc à divina ſapientia proficiſci ait. Quoniam enim qui dignitate pares ſunt, bellum plerumque excitare ſolent, idcirco populare imperium minimè eſſe permiſit, ſed regnum. Ac poſt illud multa alia imperia effecit. Quænam tandem, inquis? præfecti ac ſubditi, viri & uxoris, patris & filii, ſenis & iuvenis, heri & ſervi, magiſtri & diſcipuli. Quin in brutis etiam animantibus idem perſpicere liceat. Atque hoc apes comprobant, quæ Regis imperio ſubſunt, & grues, & ſylveſtrium pecudum greges. Quod ſi mare quoque conſideres, ne id quidem hujuſce diſciplinæ expers eſſe comperietur. Multa enim illic piſcium genera ſub unius piſcis principatu ac velut imperio militari cenſentur. Vnde etiam longas peregrinationes ſuſcipiunt. Siquidem ubique moleſtiſſima res eſt ſublatio principatus, confuſioniſque ac perturbationis cauſa. Quo etiam fit, ut ne in corpore quidem, quod unum eſt, pari dignitate omnia ſint, verum ex membris alia præſint, alia ſubſint. Quocirca rem ipſam, poteſtatem inquam, hoc eſt imperium & regnum à Deo formatum atque inſtitutum eſſe profitendum eſt, ut ne ornatus in ſtatum inornatum degeneret. Quòd ſi quis impius ac ſacrilegus in illud irruperit, haudquaquam ſcilicet hunc à Deo creatum ac deſignatum eſſe dicimus, verùm permiſſum eſſe: quo nimirum aut Pharaonis in modum improbitatem omnem ſuam evomat, atque ita extremo ſupplicio excrucietur; aut eos, qui crudelitate opus habent, ad meliorem mentem revocet; quemadmodum Rex Babylonis Judæos. *lib. 2. epiſt. 216.*

S. Iſidorus Peluſiota: Operæprecium eſt, amice, relictis bonorum nominibus ad res ipſas contendere. Regnum enim, & opes, ac gloria, nomina quidem ſunt apud externos: res autem apud Chriſtianos. Quemadmodum etiam contrà, dedecus, & mors, & paupertas, mera quidem apud nos vocabula ſunt: res autem apud illos. Ac ſi lubet, imperium, quod tanto ſtudio tantaque contentione ab omnibus expetitur, in medium proponentes, ab eo cætera quoque omnia confutemus, atque illud tacentes, quod breve eſt, ac citò extinguitur (multi enim ex imperii thronis ad tumultum delati ſunt, luctuſque præconum voces excepit.) iſtudque item omittentes, quòd permulti avitis quoque bonis per proſcriptionem ſpoliati ſunt, cùm floret, tum maximè illud exploremus, ac meretricis fucos & pigmenta minimè detrahamus; verùm ornatam & fucatam in medium producamus, ut tum etiam ipſius deformitas ſeſe prodat. Itaque cultum ac dignitatem & actores, & præconis vocem, & populi obedientiam, eamque ſui, qua omnes afficiunt admirationem adhibeamus; ac perpendamus, an non hæc, quæ præclara & expetenda videntur, non modò ſupervacanea ſint, atque inanis quædam & utilitatis expers opinio, verùm etiam noxia & cum detrimento conjuncta.

Quid enim hinc ille, aut corpore, aut animo (nam hoc homo eſt) melior efficitur? An propterea ſublimior, aut ſanior, aut pernicior exiſtit, aut liquidioribus ſenſibus erit? Id profectò nemo dixerit. Ad animum igitur nos conferamus. Vtrum itaque ab hac pompa temperatior, aut ſuavior, aut prudentior reddetur? Minimè ſanè, verùm contrà omnino. Neque enim quod in corpore, idem etiam in animo evenire ſolet. Nam illud quidem ad virtutem ſuam nihil aſſumpſit: hic autem vitium etiam aſſumpſit. Siquidem & amentiam, & inanem gloriam, & arrogantiam, & iracundiam, aliaque ſexcenta vitia hinc contrahit. Quòd ſi gaudet, ac ſuperbit & inflatur, atque adverſus omnes extollitur, hoc verò præſertim totius mali caput eſt: quippe cùm latro etiam poſt prædam gaudeat, & raptor poſt admiſſam fraudem, & adulter poſt perfoſſum & violatum alienum matrimonium, & ſicarius poſt cædem perpetratam. Quamobrem, ne mihi illud quiſquam commemoret, quòd gaudeat: verùm an commodè atque utiliter, oſtendat, & ego ipſi gratulabor.

Quoniam igitur ſolus ille liberrimus, ac ſummo imperio præditus eſt (nam ipſos quoq; reges dignitatis amplitudine ſuperat) qui à vitĳs & turbulentis animi motibus immunis eſt, virtutem amplectamur, atque improbam illam ſervitutem à nobis depellamus, animiſque ita conſtituti ſimus, ut nec imperium, nec opes & copias, nec ejuſmodi quicquam felicitatis nomine prædicandum, magnaque contentione perſequendum exiſtimemus, verùm hoc duntaxat, ut vitiis ac turbidis affectibus liberemur. *lib. 3. epiſt. 134.*

Iſidorus Peluſiota: Vitium quidem, hoc eſt res infauſta & dedecoris plena, dominatur, cùm tyrannis rerum potitur. Virtus autem palmam obtinet, cùm regnum res exornat & moderatur. Tyrannis enim ad ſuam, regnum autem ad ſubditorum utilitatem omnia refert. *lib. 3. epiſt. 194.*

S. Iſidorus Peluſiota: Dei regnum cœlorum regno ſublimius & excelſius quibuſdam eſſe videtur: quibuſdam autem unum atque idem: quod nunc à regnante Deo, nunc ab iis, qui ſub ipſius regno ſunt, hoc eſt cælis, appelletur. Utri autem veritatis ſcopum attigerint, tuæ ſapientiæ fuerit judicare. *lib. 3. epiſt. 206.*

S. Iſidorus Peluſiota: Mirari te dicebas, quâ ratione Apoſtolus ebrioſum & maledicum in eodem quaſi cenſu cum adulteris & ſcortatoribus collocârit. Ajo itaque, Si eandem cum his pœnam ſubituros eos dixiſſet, tum verò ſolutionem (huius dubitationis) inquirere oporteret. Cum autem eos æquè atque iſtos regno (cœleſti) fruſtratum iri dixerit: quid cauſæ eſt, cur id quod dictum eſt, obſcurum tibi inſtar ænigmatis videatur? Aliud enim eſt, dicere, extra omnem honorem & gloriam eos fore conſtitutos & aliud, dicere, pari ſupplicio affectum iri. Non enim dixit, Pares dabũt pœnas (quod tu fortaſſis non intellecto Paulino) dicto putâſti dictum eſſe, ſed, Regnum Dei non poſſidebunt. Nam extra gloriam quidem inquit, omninò poſiti erunt: interea tamen ſecundum quantitatem & qualitatem & numerum peccatorum judicabuntur. Magna enim ac multiplex eſt divini judicĳ exquiſitio. *lib. 4. epiſt. 42.*

S. Iſidorus Peluſiota: Scripſiſti mihi, Quid ſibi velit, quod regnum cœlorum grano ſinapis comparetur. Exilis quidem eſt, cum ſeminatur, divini præconĳ ſermo, ſi cum illis conferatur dogmatibus, quæ unquam tradita ſunt ab iis qui ſapientiæ famâ & opinione celebres fuerunt, & breviſſimis annuntiatur verbis, non ſolùm ob compendium orationis, ſed etiam ob plebejum genus dicendi. Si verò excolatur, creſcit atque diffunditur latiſſimè & ſuperior invenitur omnibus qui unquam in admiratione fuerunt, ſermonibus: nec immeritò: quippe qui veritatem pariat, nec in exornando mendacio occupetur. Veritate autem majus eſt nihil. Unde etiam effectum eſt, ut qui philoſophiæ ſe nomine jactabant, ſuis dogmatibus longùm valere juſſis, divinam illam umbram expetant, & ad ipſam confugiant. Quàm multi enim Pythagorei cum antea faſtus ac deſpicientiæ fuiſſent magiſtri, hujus divini verbi facti ſunt diſcipuli?

Quàm multi item Platonici supercilium, quod ipsis extulerat suum ornatè dicendi studium, demittentes contrahentesque, sub illius umbrâ consederunt? Quàm multi denique Aristotelici & Stoici, spretâ illâ, quâ prius gloriabantur & se magnificè efferebant, sapientiâ præclarè secum actum existimârunt, si inter auditores verbo obsequentes collocarentur? *lib.4.epist.76.*

§ LATINORUM.

Orosius: Si creatura Dei, meritò & dispensatio Dei sumus. Quis enim magis diligit quàm ille qui fecit? quis autem ordinatius regit, quàm is qui & fecit & diligit. quis verò sapientius & fortius ordinare & regere facta potest, quàm qui & facienda providit, & provisa perfecit? Quapropter omnem potestatem à Deo esse, omnemque ordinationem, & qui non legerunt sentiunt, & qui legerunt cognoscunt. Quod si potestates à Deo sunt, quanta magis regna, à quibus reliquæ potestates progrediuntur? Si autem regna diversa, quanto æquius regnum aliquod maximum, cui reliquorum regnorum potestas universa subiicitur? quale à principio Babylonium, & deinde Macedonicum fuit, post etiam Africanum, atque in fine Romanum, &c. *adversus Paganos cap.1.lib.2.*

Egesippus: Alexander, ut regnum adeptus est, fratrem quem adverterat regni competitorem statim interemit. reliquum qui supererat ex fratribus, vitæ ac saluti potius quàm regno intentum, reservavit, vacuum negotiorum. *lib.1.cap.9.de excid. Hierosol.*

Egesippus: Ajebant miserum hoc in regnis esse, quod dominus eligeretur: miserius quod invitis imponeretur. Solatium servitutis videri, si ipsi sibi dominum eligant, eo quod fiat benignior si deferatur imperium: superbior si usurpetur. longè itaque Archelaum Herode intolerabiliorem futurum, cùm ipse assumpserit regnum, iste acceperit. *lib.2.de excid. Hier.cap.1.*

Io. Sarisberiensis: Celebre est illud sapientiæ, quia regnum à gente in regnum, à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos. Nonne vides quàm brevi subversum sit solium primi regis in populo Dei? Saul & Jonathas cum cæteris filiis exigentibus culpis, in montibus corruerunt, ut thronus illius, qui de post fetantes electus est, firmaretur. Omnium historiarum percurre seriem, & regum successiones in brevi videbis, & quasi in exordio telæ domino præcidente, succisas. Et quo reges fuerint clariores, eo citius, si adversus Deum intumuerint, conculcatur semen eorum. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum, certè nec fortitudo. Si ille insurgit, si persequitur, ad emendicata sacramentorum suffragia, ad præsidia munitorum, frustra decurritur, quia non est, qui de manu illius possit eruere. Quis Alexandro major in Græcia? Ei tamen non suus legitur successisse, sed filius saltatricis. Quis Cæsareæ domus seriem nescit? Rarus eorum, aut nullus filium reliquit heredem, & omnes in brevi post varia pericula, & cædes sui, & suorum plurimas diversis mortibus, & fere ignominiosis quasi in momento deleti sunt, & descendētes ad inferos, successores habuerunt aut hostes aut ignotos. Quid obsecro tam potentia regna, tam citò subvertit & transtulit? Certè indignatio Dei, quam in se multiplex injustitia provocabat. Est autem (ut Stoicis placet) injustitia mentis habitus, quę à regione morum exterminat æquitatem. Animam namque privare justitia, vel ex privativa particula nominis declaratur. In eo autem maximè justitia constat, si non noceas, & ex officio humanitatis prohibeas nocentes. Cum vero noces, accedis ad injuriam. Cum nocentes non impedis, injustitiæ famularis. Est autem contumelia, quando tumorem mentis in læsione alterius manifesta operis sequela comitatur. Eoque iniquitati servit, quod in eum, cui reverentia pro conditione officij vel naturæ consortio debetur insolenter insurgit. Dolus autem est (ut diffinit Aquilius) cum aliud agitur, & aliud simulatur. Malus utique, quotiens fit intentione nocendi. Differt autem plurimum dolus à contumelia, quoniam hæc superbè & manifestò, ille fraudulenter & quasi ab insidiis nocet. Hæc sunt, quæ tamen incurrunt, cathedras subvertunt omnium potestatum, quia à contrariis perpetuatur principum gloria. Dolus namque ex timiditatis imagine infirmitatis notam habet, & fortitudini plurimum adversatur. Contumeliam prudentia reprimit, ingeminans jugiter, quid in terram & cinerem superbit terra & cinis? Injuriam temperantia non admittit, nolens inferre alij, quod sibi nollet ab alio irrogari. Et injustitiam justitia excludit, usquequaque faciens alij quod faciendorum vellet ab alio fieri sibi ipsi. Hæ sunt quatuor virtutes, quas philosophi cardinales appellant, eo quod à primo fonte honestatis, quasi primi rivuli emanare credantur, & de se bonorum omnium fluenta propagare.

Hæc forte sunt quatuor flumina, quæ de paradiso delitiarum Dei egrediuntur, ut irrigent omnem terram, quo fructum desiderabilem afferat in tempore suo. Quodcunque lignum secus aquas istas positum est, non arescit. Quod verò vel radicitus non humectant, dissolvitur & & aridum perit tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. Hinc quidem non duces exceptos arbitror, non potentes, quia regnum gloria transferetur, si injusti, injuriosi, contumeliosi, inventi fuerint aut dolosi. Os siquidem domini locutum est. Verum tamen salvo intellectu sapientiorum, non ab re est (ut opinor) quod nomina vitiorum, locutione plurali exposuit, & in ipsa pluralitate diversitatē quandam prudenter inseruit. Ait enim, ut prædictum est, Quia regnum de gente in gentem transferetur, propter injustitias & injurias, & contumelias, & diversos dolos. Quod autem diversos in fine subjecit, puto communiter ad omnia referendum, & tam pleno concipiendum intellectu, ut non modo referatur ad diversas species vitiorum, sed & varias figuras personarum complectatur, & modos omnes, quibus à quocumque hæc vitia committuntur. Princeps enim tenetur de omnibus, & omnium autor esse videtur, quia cùm omnia possit corrigere, eorum merito particeps est, quæ noluit emendare. Cum enim potestas publica sit, ut prædiximus, omnium vires exhaurit, & ne in se deficiat incolumitatem omniū debet procurare membrorū. Quot autem in administratione principatus extant officia, tot sunt principalis corporis quasi membra. Dum autem singulorum officia in integritate virtutis, & suavitate opinionis conservat, quandam quasi membris sanitatem procurat & decorem. Cum vero ex negligentia aut dissimulatione potestatis circa officia, sit virtutis aut famæ dispendium, quasi in membra eius, morbi & maculæ incurrunt. Nec diu subsistit incolumitas capitis, ubi languor membrorum invalescit. *Lib.5.Policratici cap.12.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRAECORUM.

Xenophon: Nunquam urbs Sparta invidia mota, quod eximiis honoribus ante illos fruerentur, abrogare imperium familiæ voluit, & reges nunquam majora concupivêre, quam leges ferrent, quibus initio regnum acceperant: Itaque nullum aliud imperium, non popularem civitatis statum, non dominationem paucorum, non tyrannidem, non regnum inconvulsum permansisse constat: quum solum hoc regnum perpetuum sit. *cap.1.Vita Agesilai.*

Xenophon: Cæterum & regnum, & tyrannidem, utrumque judicabat esse quidem ille imperium; verum inter se differre statuebat. Nam regnum esse putabat in homines volentes, secundum civitatum leges, imperium; at in homines nolentes illegitimum imperium, quodque ex arbitrio principis penderet, esse tyrannidem. *cap.33 lib.4. Memorabilium.*

Aristides Rhetor: Quin imò fructum imperij secundum Oebari dictum conceperunt. qui primus fertur Cyro longiorem peregrinationem ægrius ferenti, dixisse, prorsus illi, nollet, vellet, obeundū esse imperiū, si quidem salvum cuperet; utris more, cujus quascunq; partes calcaret, humiles fierent, terramq; contingerent: à quibus autem recessisset, mox exurgerent, & rursum calcatæ subsiderent: desultorij quidam reges, quique hoc à Schytis nomadibus distarent, quod nō plaustris sed essedis circumveherentur, vagi quidam & errones Principes, quiq; propter incredulitatem & metum, ne in eodem loco diu subsisterent, regionem suam, re vera ut utrem aliquē premerent. itaque nunc Babylonem, nunc Susa occuparent, rursum Ecbatana, instar pastorum, nec perpetuò aliquid obtinere possent, neque id etiam studerent. hæc enim eorum erant verè qui de regni possessione diffidebant. cùm nec urbes, nec regiones velut suas curarent, vel ornatu vel magnitudine augerent: sed ea (quasi rem alienā invasissent) turpiter & ignaviter consumerent: illud unum conantes ut imbecillos haberent cives, & homicidiis alter alterum ordine velut pentathli superare certantes: nam hæc erat inter ipsos cōtentio, ut & homines quamplurimos jugularent, & domos urbesq; quā plurimas everterēt, & juramenta quam plurima fallerent. hæc itaq; ferè percipiebant è tantis opibus commoda: quæq; his natura conjuncta sunt, odia atq; insidias eorum, quos hoc modo tractaverant: tum defectiones & intestina prælia, rixasque perpetuas, & contentiones continuas. atq; hæc quidem ipsi lucrabantur, quasi diris potius quàm votis ad imperium essent evecti: cives autem ea quæ talibus erant consentanea, & jam ferè dicta sunt. nam & liberorum forma parētibus, & uxorum pulcritudo maritis creabat periculum, nec tam injustissimus quisq; quam ditissimus morte tradebatur. Urbes verò plures propemodum evertebantur quàm nunc conduntur. facilius autem bello quam obedientia salus comparabatur, cùm illi ut in præliis facile vincebantur, ita violentum exerceret imperium, & cùm eos qui obtemperabant, ut servos contemnerent, tum liberos ut hostes punirent, itaque vicissim alios odio haberent, aliis essent otiosi. Quid quod sæpenumerò cives magis quam hostes timebant, bellique arbitrio plerunq; utebantur. Hæc autem inde fiebant, quoniam nec illi imperare, nec hi parere noverant: nec enim potest quis rectè parere, cùm Principes malè imperant. nondum enim imperium à dominatu divisum erat, nec à rege dominus quidquam differebant. Quocirca neque magnos faciebant progressus, quandoquidem non solet hoc nomen extra domum egredi, & cùm in urbes ac regiones pervaserit, facile perire. Alexander verò qui solus ante vos imperium obtinuit, terramque peragravit, regnum potius acquirere quam regnare videbatur. *Encomio Romæ.*

Aristides Rhetor: Nullum unquam fuisset imperium magnum constitutum, si metuissent eius auctores, ut cōstitutum tenere possent. at hinc pulcerrimè rem esse divinam imperium patet, quandoquidem seipsum conservat. Quemadmodum enim in ædibus privatis uno vel altero famulo difficulter utimur; multos autem inter se opponimus; sic in imperiis copia subjectorum potentiā Principum confirmat: siquidem cuncti se invicem metuunt. Non aliter Sicilia nobiscum conjuncta, cùm ipsa hoc modo servabitur, tum has res tuebitur, & imperij vinculum, si verum est dicendum, existit. Multi enim ac diversi generis homines subacti, receptum non habebunt, verùm omne quod effugient malum in lucro ponent, postquam de re tota desperârint. *Orat. Sicula priore.*

Dio Prusæus ad Imp. Trajanum : Socrates Atheniensis, vir senex & pauper, interrogante quodam, an felicem existimaret Persarum regem? Fortasse (inquit) felix est: se autem id nescire dicebat, quod cum eo nunquam congressus esset, neque cognosceret quali sit animo præditus: quod non aliunde (opinor) felicitas obveniat, non à vasis aureis, aut à civitatibus, aut à terris, aut ab aliis hominibus, verùm unicuique ab seipso & suo ipsius animo. Socrates igitur, quoniam non expertus erat Persæ animum, inexpertum se quoque putavit felicitatis illius. Ego autem, generosissime Imperator, veni ad te & forsan nemine minus experientiam tuæ habeo naturæ, quod magis veritate & loquendi libertate gaudeas, quàm adulatione & deceptione, deinde voluptates ratione carentes suspectas habeas, ut & homines adulatores, labores autem sustineas, existimans eos virtutis esse probationem. Quoniam autem te video (Imperator) conversantem cum viris antiquis, atque scientiam habentem prudentium & exactorum sermonum: ajo te manifestè hominem esse beatum, qui secundum deos maximam quidem obtineas potentiam, optimè autem ea utaris.

Cui enim licet omnibus frui suavibus, & nihil experiri laboriosorum, & quantum fieri possit, socorditer vitam agere, & (ut compendio dicam) facere quicquid libeat, non modò nemine prohibente, sed etiam omnibus approbantibus; hic vir, quum magis secundum leges judicat, quàm qui sorte ad judicandum electi sunt, & humanior est rex, quàm qui in civitatibus magistratum gerunt, cujus sunt rationem reddituri, justiorque dux, quàm sunt milites qui ipsum sequuntur, & in omnibus magis industrius operibus, quàm qui ob necessitatem laborant, minusque vult delicijs uti, quàm quibus nullius cibi copia est, benevolentiorque est subjectis, quàm patres indulgentissimi sunt erga liberos: formidolosior autem est hostibus, quàm invicti & inexpugnabiles dij, quomodo non dicat quis, hujus viri bonum esse genium, non sibi tantum, sed etiam alijs omnibus? Vulgarium etenim hominum, & plebejorum, qui parvum aliquem principatum obtinent, parvus est genius, & qui habenti tantum prosit, cui autem quamplurimæ obediunt civitates, perque cujus consilium multæ gubernantur gentes, innumerabilesque populi atque inter se commixti ab ejus unius pendent prudentia, hic sanè fit omnium hominum servator & custos, siquidem talis fuerit. Illius enim, qui princeps est omnium, & imperator, prudentia quidem sufficiens est, ut & imprudentibus prosit, consultat enim similiter pro omnibus. modestia autem petulantiores modestos reddit: inspicit enim similiter omnia. justitia verò & injustis sese communicat, fortitudo etiam minus animosos, non servare modò, verum & audaciores reddere potest. Nemo enim ita nimis timidus est, ut non confidat eum sequens, qui cum victoriam adepturus est, neque usque adeo remissus, ut segnis sit, eum videns imperantem, cui soli imperium distribuit Deus, neq; rursus ita vehementer impudens, ut cum præstò sit illi, cui laborare necesse est, non velit illi collaborare. Videtur autem mihi & Homerus id ipsum dicere. Quum enim fecisset mentionem boni regis, post omnia dixit.

Ornaturq; omni populus virtute sub ipso.

Talis enim rex, aliis quidem existimat virtutem esse honestam possessionem, sibi ipsi autem necessariam.

Cui enim majore opus est prudentia, quàm qui rebus de maximis consultat? & cui exactiore justitia, quàm ei qui major est legibus? cui validiore fortitudine, quàm ei sub quo omnia servantur? cui modestia contentiore, quam ei cui omnia licent? quem autem magis delectant virtutis facta, quàm eum qui omnes homines sui ipsius animi spectatores & testes habet, ut quicquid faciat latere non possit, non magis quàm sol ingredi per tenebras: omnia enim cætera illustrans, primum semetipsum ostendit. Et hæc dico, non nescius quod ea quæ dicta sunt, plus temporis ad dicendum postulent, sed non est periculum, ut aliquid ego assentatione loqui videar. Neque enim modicum, neque per modicum tempus specimen meæ præbui libertatis. Et si ego antea quidem, quando omnibus videbatur necessarium mentiri propter timorem, solus ausus fui veritatem dicere, præsertim quum de vita periclitarer; nunc autem, quando omnibus licet vera dicere, mentior, quum nullum instet periculum, næ ego planè ignarus sim opportunitatis vel ad loquendi libertatem, vel ad assentationem?

Et omnes quidem, qui aliquid sponte faciunt aut pecuniarum faciunt gratia, aut gloriæ, aut propter aliam aliquam voluptatem, aut porrò (opinor) propter virtutem, honorantes nempe ipsas honestas actiones. Ego verò pecunias quidem à nemine concupivi accipere, quum multi dare voluissent, mea autem propria, quæ modica sunt, non solum communicavi aliis, sed & abijcere videor persæpe. Quam autem venatus sum voluptatem, quando etiam ipsi adulatores, quique palam hanc adulandi artem factitant, confiteantur, omnium jucundissimum esse assentari? quomodo enim jucundum sit, alium injustè laudare, qui forsan mallet eum justè vituperare? Et sanè neque probabilis neque honesta esse videtur assentatio, ut vel precii vel virtutis causa illi studeas.

Omnium enim (ut summatim dicam) vitiorum turpissimum juvenias adulationem. Primùm etenim, id quod honestissimum justissimumque in vita est, corrumpit, nempe laudem, ut jam haud amplius videatur credibilis, neque vera: aut (quod omnium pessimum est) virtutis præmia vitio attribuit. Itaque multo pejus faciunt, quàm qui corrumpunt monetam, qui virtutem fide carere faciunt. Deinde autem opinor pravus interdum fatuus dicitur, & est revera. Insipientia autem omnes vincit adulator. Solus enim ex his qui veritatem corrumpunt, apud eos audet mentiri, qui maximè noverunt eum mentiri. Quis enim ita rerum inexpertus est suarum, aut quis ita stolidus, qui nesciat, utrum magis labores quàm socordiam amet: atque utrum majore afficiatur voluptate, eo quod plus possideat, quàm quod justa faciat: & utrum succumbat voluptatibus, an sit honestarum amans actionum? Proinde quo se maximè gratificari putat ijs quos laudat (ut mihi quidem videtur) eo maximè frustratur. contrarium est enim odio laborare, quàm non gratificari ei, qui non planè sit levis. deinde, qui pauperem laudat ut divitem, ipse quidem mentitur; laudato autem paupertatem exprobrat. rursus qui turpissimum laudat honestum, quid facit aliud, quàm eum turpitudine aspergit? Aut qui mutilum dicit integrum esse, quomodo gratum faceret illi, suum in memoriam reducens infortunium? rursus autem, qui fatuum ut prudentem prædicat, is forsan esse possit fide dignissimus, propter audientis dementiam: atque hoc majus dat damnum. Persuadet enim, ut suum ipsius consilium sequatur, nihilq; permittat prudentibus. Nam qui timidum ut fortem admiratur, is justissimè ejus fruitur dementia, cui adulatur. ocyssimè enim (opinor) perierit illi obtemperans, pariterque fortitudinis factis admovens manus. Summa, adulator deprehensus non damnatur solum, sed & odio habetur. putatur enim derisus gratia dicere. Faciens autem fidem quod vera dicat, non magnam tamen adipiscitur gratiam. quid enim gratificari videatur, quod vera dicat? Quin etiam multo gravior est quàm mentientes testes. Hi enim non corrumpunt judicem, sed tantum decipiunt: qui autem adulatur, simul cum laude & judicem.

Porrò ne ego quoque adulationis reus agar à calumniatoribus, neque tu in oculos velis laudari, sermonem faciam de bono rege, qualem nempe esse oporteat: & quod sit discrimen inter eum qui se fingit principem esse, longissimè autem abest à principatu & regno. Si quis autem dixerit, me eosdem facere sermones: hoc mihi cum Socrate commune crimen fuerit. Ajunt enim, aliquando Hippiam Elæum per multum tempus audivisse Socratem de justitia & virtute dicentem, & pro similitudine adducentem (ut solebat) nautas & medicos & sutores, & lutifigulos, eumque ut sophistam dixisse. Rursus ne tu hæc ô Socrates? Ille quum arrisisset, dixit: Et quidem de eisdem. Nam tu quidem, ut par est, ob sapientiam nunquam eadem dicis de eisdem: nobis autem hoc unum videtur honestissimum esse. Quippe eos qui mentiuntur, scio multa & dissimilia dicere: ijs autem qui veritatem dicere volunt, non est possibile ut alia quàm vera dicant. Ego sanè si quidem vidissem argumentum aliud gravius, tibique convenientius, illud utique tractare instituissem: nunc autem neque medicum alios quosdam audire aut dicere sermones rectè posse puto, quàm qui sunt de corporis sanitate & morbo? hi enim sani appellantur. neque navis gubernatorem alios, quàm eos qui sunt de tempestatibus & ventis & sideribus. hi enim navitici jure dicuntur. neque principes & reges alios, quàm de principatu atque hominum gubernatione. Quid autem de his censuerit Socrates, dicere conabor.

Post responsum enim super felicitate, percontatus est ille Socratem, quæstionem talem movens. O Socrates (inquit) hoc tu quidem magis quàm cæteri nosti, quod omnium qui sub sole vivunt hominum, ille longè potentissimus sit, neq; minorem ferè quàm dij habeat potentiam: ita ut illi in manu sit, quæ impossibilia sunt, facere possibilia. Posset enim, si vellet, facere, ut mare pedibus transiretur, & montes navibus, flumina autem deficerent & siccarentur ab hominibus bibentibus. An non audivisti, quod Xerxes Persarum rex ex terra fecerit mare, dispartiens maximum montium, & separans à continente Athon, per mare autem pedestres ducens copias, curru invectus sit, quemadmodum (opinor) Neptunum vehi inquit Homerus, & fortasse similiter & delphines & cete ex imo subierunt ratem, quando ille vectus est? Et Socrates, ne hoc quidem tibi possum dicere, an quum hoc fecerit, plurimùm potuerit, quemadmodum tu dicis, an minimum, an omnino nihil. Considera autem hoc inde. Si quidem fuit moderatus, & fortis & justus, & cum consilio fecit quæcunque fecit, validam eum puto & maximam habuisse revera potentiam. sin vero timidus, & fatuus, & lascivus, & iniquus fuit, & contumeliæ causa ista conatus est, è contrario mihi videtur imbecillior fuisse, quàm sunt valde pauperes, qui nullam terræ glebam possident, quam ob victum ligone conterant, nedum ut maximos montes frangant, quemadmodum tu dicis. Qui enim nequit continere iram, quæ nonnunquam propter minima oboritur, neque potest abstinere à turpissimis cupiditatibus, neque potest repellere animi ægritudinem, quum interdum nihil triste acciderit, neque potest sustinere, ne eos quidem qui voluptatis causa incidunt, neque potest animi abigere timorem, qui in rebus difficilibus nihil prodest, sed obest maxime, quomodo hic non valde sit imbecillis, qui vincitur & à mulieribus, & ab eunuchis? An tu illum fortem esse putas, qui infirmior sit somno, re omnium mollissima, à quo constrictus sæpenumero absque vinculis, non alteri modo, sed neque sibiipsi auxilio esse potest, neque adjutorem vocare ullum ex his qui vellent auxiliari?

Hæc

Hæc quum ille audivisset, dixit: Illud certè nosti, Socrates, quod regnet super maximam & optimam totius orbis partem. Præter Græciam enim, & Italiam, & paucas alias gentes in Europa, universas alias sibi subjecit. Et toti quidem Asiæ imperat usque ad Indos. Ferunt autem multi, etiam in Libya, illi complures obedire. In Europa autem, Thraciam & Macedoniam sibi subjecit, unde & rex magnus solus ille nominatur. Et Socrates dixit, sed neque hoc ipsum scis prorsus, an ille rex sit ullius civitatis, aut vici. Tu ergo (inquit) solus non audisti de hoc, quod omnes norunt? Audio (inquit) multos eadem, quæ tu dicere, & Græcos & Barbaros: quod autem noscere non sinit, quod dico tale est. Haud scio (ô bone) an legitimè & justè in omnibus præsit, talisque sit qualem sæpe prædicasti. nam si est benignus, & humanus, & legitimus, curamque gerit salutis & utilitatis subjectorum, ipseque primus & felix & prudens est, quemadmodum dixi, & aliis communicat suam felicitatem, neque separat suam ipsius & subjectorum utilitatem, sed tunc maximè gaudet, existimatque se optime vivere, quando videat bene vivere subjectos, potentia maximusque est, & rex vere. Sin autem est amans voluptatum atque pecuniarum, & contumeliosus & iniquus, semetipsum putans solum augeri debere, ut quàm plurimas possideat pecunias, maximisque & plurimis fruatur voluptatibus, & socorditer vivat, & absque laboribus, subjectos autem universos pro servis habeat, & ministris suarum deliciarum, neque pastoris humani moribus est præditus, tegumenta & pascua providens suis subditis insuper, & feras repellens, contraque fures cautionem adhibens; sed ipse primus diripit perditque, & aliis idem permittit, quemadmodum hostilem prædam; nunquam equidem talem dixerim principem, aut imperatorem, aut regem, sed multo magis tyrannum & latronem, quo nomine compellavit Apollo Sicyonium tyrannum, tametsi multas haberet tiaras, multaque sceptra illi obedirent.

Hujusmodi Socrates consueverat dicere, adhortans semper ad virtutem, & meliores reddens & principes & plebeios. Similia autem dixerunt de principatu & regno, & qui post eum vixerunt, sapientissimas videlicet (quantum fieri potuit) sententias secuti. Principio autem rerum differentiam ipsa nomina manifestant. Dicitur enim Principatus, legitima hominum gubernatio, & providentia hominum secundum legem. Regnum autem principatus immunis à reddenda ratione. Lex verò regium decretum. Tyrannus autem & tyrannis, contrarium his violentum quiddam sunt, & illegitimus hominum usus, ejus qui sibi videtur viribus prævalere. Si autem & nos cogitamus & dicimus de divino, & diis charo & præpotente rege. Tres enim existimantur species Rerumpublicarum manifestissimæ, quæ factæ sunt juxta legem & jus, assistente bono Genio, & simili Fortuna. una quidem & prima, & quæ maximè cõtingere potest, ea est, qua de nunc dicimus, quando scilicet viri unius boni consilio & virtute, civitas, aut plurimæ gentes, aut universi homines reguntur. altera autem Aristocratia dicitur, in qua non unus, neque multi aliqui, sed pauci aliqui optimi præsunt: multum jam à priore distans, quod ad potentiam utilitatemque attinet. hoc mihi videtur & Homerus cogitasse, quum diceret,

Haud est multorum bona res dominatio, verùm
Unus sit dominus, rexq; omnibus imperet unus,
Cui sceptrum legesq; dedit Saturnius ipse.

tertia autem, omnium infirmissima propemodum est & moderatione & virtute, quæ populo intendit invenire tandem conditionem æquam atque vivendi legem, ea appellatur Democratia. plausibile nomen, & mite, si quidem fieri posset. Tribus autem his, sicut dictum est, rerumpublicarum specieb. tres existunt contrariæ, & iniquæ corruptiones. Et prima quidem, & optima atque potentissima, Tyrannis est, in qua unius pessimi injuria & violentia, alii pereunt. altera post hanc dicitur Oligarchia, dura & iniqua, quæ è divitum quorundam & pravorum paucorum cupiditate, adversus plebeios & inopes conspiratio est. reliqua autem deinceps, varius est & omnigenus multitudinis impetus, nihil scientis simpliciter, sed tumultuantis semper atque ferocientis immodestorum opera oratorum, ut fluctus ferus & difficilis à ventis duris huc illuc impulsus. Sed de felici divinoque statu, qui modo obtinuit, quædam sunt commemoranda diligentius.

Multæ sunt sanè imagines perspicuæ, & exempla minimè obscura hujusce principatus, quæ natura in armentis & apum examinibus notanda præstituit, quod naturaliter melior imperare inferioribus debeat, eorumque curam gerere. Neque quicquam illustrius aut pulchrius fieri potest quam universitatis est imperium ꝙ sub primo atque optimo Deo Iove constituitur. Qui igitur tantus est rex, primùm quidem pius est erga deos, utpote adeptus à diis maximum honorem & fidem. Et primùm sanè ac maximè veneratur divinam naturam, non confitens solum, sed etiam persuasus ꝙ dii sint, ut jam & ipse suos habeat pro dignitate principes. Putat autem aliis hominibus utilẽm esse suam providentiam: haud secus, quàm sibi deorum principatum. Et sanè illi hoc certum est, quod nunquam dona sit accepturus à malis hominibus: quia neque deos donariis & victimis iniquorum hominum gaudere arbitratur, à solis verò justis oblata admittere. quamobrem colit eos liberaliter & his; at verò nunquam cessat eos honorare honestis factis, & justis actionibus. Unumquemque deorum placat, post summi Dei potentiam.

Arbitratur autem virtutem esse pietatem, vitium verò impietatem. Esse enim impios & scelestos, non solum qui templa spoliant, aut conviciis deos incessunt: sed multo magis qui timidi sunt, & iniqui atque intemperantes, fatuique, & breviter quicunque contrarium quid faciunt & potentiæ & voluntati deorum. Nõ solum autem censet esse deos, sed etiam dæmonas, & bonos heroas, nempe bonorum virorum animas, & mortali natura mutatas. Hoc autem dogma si firmiter tenet, non modicè gratificatur etiam sibiipsi.

Curam autem pro hominibus non rem perfunctoriam, neque negocium intolerabile existimat, gravatus, puto, curas suscipere: sed suum proprium opus & artem. Et quando aliud quid facit, non rem seriam, neque suam facere. Quando vero hominibus prodest, tunc existimat se suum officium perficere, utpote à maximo Deo ordinatus ad hoc opus, cui fas non est ulla in re non obedire, neq; ob ullam contristari, eam nimirum ad se pertinere existimans. Nullus enim adeo est mollis & voluptuosus, qui non delectetur sua propria actione, etiamsi sit laboriosa. Ut minimè quidem nauclerus contristatur laboribus in mari, minimè etiam agricola operibus circa agriculturam: minimè quoque venator, quem oportet venatione laborare: tametsi vehementer laboriosa sit agricultura, valde etiam venatio. Non igitur respuit laborare, & molestias ferre aliorum gratia: neq; in hac parte pejus se vivere existimat, si ipsum plurimos suscipere oporteat labores, multaque sustinere negocia. Videt enim & solem nullo deorum minorẽ non contristari, quod hominum salutis & victus gratia, perpetuo transigat quæcunque agit.

Fortitudinem quidem & continentiam & prudentiam, necessarias existimat, etiam iis qui justitiam non curant, tyrannidemq; affectant. nam nisi hoc studeant, tales quàm ocyssimè perduntur. Quare tyrannus magis etiam his dat operam, quando se maximè videt his indigere. quanto plures enim habet osores, pluresque insidiatores, & neminem fidum, & qui ipsius curam gerat: tanto magis (si modò tempus aliquod servari vult) vigilandum sibi & curis insistendum esse videt: & si se velit ulcisci, ne deficiat rebus bellicis: & passus insidias, ne ignoret insidiatores: & abstinendum esse à voluptatibus & ventre & somno, rebusque venereis minimè attendẽdum: quanto magis autem his opus est ei qui diligitur ab omnibus, & neminem habet insidiatorem? Nam licet easdem curas habere, aut plures, multoque majora negotia oporteat, similiter autem abjicere voluptates, similiterque pericula sustinere: quanto tamen quæso melius cum justitia & virtute, quàm cum pravitate & injustitia, his omnibus studere? & cum laude potius videri velle talis quàm cum vituperio? & diligi pariter ab hominibus atque à diis, quam econtra odio haberi? Et præsens quidem tempus homini breve quiddam est, & nulla certa ratione constans: comprehendit autem vitę plurimum memoria piorum, & spes futurorum. Utrius igitur viri magis putamus animum lætari, & utrius contristari, & utrius spes confidenter agere, & utrius consternari? Proinde & suaviorem esse necesse est vitam boni regis.

Cernis enim ubique ita Deum ordinasse, ut id quod melius est, imperet & provideat inferiori: ut ars ei, quod est sine arte, infirmitati, fatuoque fecit providere & consiliis adesse id, quod providentia præditum est. In hominibus autem hisce curis principatus nequaquam segnis est, neque molestia gravatus, neque plus adhæret remissioni & ocio, sed curis & laboribus. Id quod inde colligere licet. Nam in navi licet vectoribus absque cura agere, & ne aspicere quidem mare, quinetiam neque scire (quod ajunt) ubi nam terrarum sint: & multi hoc modo navigant in serenitatibus: & hi quidẽ talis ludunt, illi autem canunt, alii convivantur tota die: quam autem eos apprehenderit tempestas, involuti expectant eventum. nonnulli autem & somno oppressi, non ante surrexerunt quàm jam essent in portu. Nauclero autem necesse est aspicere in mare, necesse suspicere ad cælum, necesse prospicere ad terram: quin & ea quæ sunt in profundo, non licet ei ignorare, nisi velit in saxa incidere sub aquis latentia, aut arenarum congeries illi soli noctu quidem minus licet obdormire, quàm natantibus, interdiu autem, sicubi brevem aliquem somnum suffuratur, hunc tamen suspensum habet, & dubium, ut sæpe exclamet, aut velum contrahi, aut clavum sisti, aut aliud aliquid rerum nauticarum: ut dormiens ille magis gerat navis curam, quàm alii valde vigilantes.

Atq; etiam in expeditionibus, unusquisque militum sui duntaxat curam gerit, armaque & escam non hîc acquirere, sed parata habere cupit. unius autem curam gerit sanitatis suæ, uniusque salutis. Ducis autem munus est, curare ut omnes bene sint armati, omnesque satis habeant tegumenti, nec solum ut hominum ventres impleantur, sed etiam ut equorum. Quòd si autem non omnes habeant necessaria, magis contristatur, quàm si ipse ægrotet, atque illorum salutem non minoris æstimat quam suam ipsius. siquidem victoria acquiri nequit, nisi milites sint salvi: pro victoria autem, bonorum multi mortem etiam oppetere eligunt.

Rursus id ipsum & in rebus singulis uniuscujusque nostrum intelligi potest. Corpus enim, utpote fatuum, neque sibiipsi succurrere potest, neq; ut sui ipsius curam gerat, à natura factum est, quandoquidem anima relinquente, neque modicum temporis potest subsistere, sed confestim solvitur atque perit. Anima autem pro ipso omnia curat, omnesq; machinas movet, & plurimum discruciatur afflicta. Et corpus ipsum quidem præsentem duntaxat sentit dolorẽ, anima a. prius quã dolor adveniat discrutiatur, sæpe

etiam quando tantum futurus est trepidat. Mortemque corpus quidem nunquam sensit. anima autem & hanc intelligit, permultaque patitur eripiens corpus ex morbis, eripiens ex bello, eripiens ex tempestatibus, eripiens ex mari. sic undique laboriosior anima est, magisque afflicta, quàm corpus, attamen ea divinor est, & ad regendum dignior.

Præterea omnes homines confitentur, virum esse muliere robustiorem, & ad imperandum aptiorem, atqui illæ domestica ferè opera curant, & ætatem exigunt sub tecto, inexpertæ tempestatum, inexpertæ bellorum, inexpertæque periculorum. Viris autem congruit in militiam ire, congruit navigandi solertia, illisque necesse est sua opera sub dio perficere: sed per Jovem, non propterea beatiores quis dixerit mulieres viris. Quicunque autem tandem propter debilitatem, vel molliciem, amaverunt illarum vitam, quemadmodum Sardanapalus, turpitudine jam ubique facti sunt diffamati.

Denique quod maximum est, solem vides, quanto præstet omnibus hominibus beatitudine, quum sit Deus, quod tamen non renuat nobis perpetuo subservire, & nostræ salutis gratia facere universa. Quid enim aliud quis dicat, solem perpetuo operari, quàm ea, quorum homines indigent? Facit & discernit horas, auget & nutrit omnia animantia, omnesque plantas, suppediat pulcherrimum & suavissimum spectaculum, nempe lucem, sine qua cæterorum bonorum nulla est utilitas, neque cælestium, neque terrestriũ, imo neque ipsius vitæ. & hæc omnia non gravatur gratis impartiri.

An non eum servitutem servire quis dicat, planè duram? Etenim si vel paululum fraudulenter agat, suumque transgrediatur ordinem, nihil prohibet omnes homines, omnemque terram, & omne mare disperire, & omnem hunc formosum & beatum mundum & turpissimam horribilissimamque immundiciem videri. Nunc autem, tanquam in lyra concinnè tractans sonos, nunquam excidit ex pura & summa harmonia, unam & eandem progrediens viam. Et quoniam indiget terra tempore, ad generandum nascentia, adque augendum, & ad perficiendum: indigent & animalia, & corporum salutis gratia, & voluptatis naturalis: indigemus & nos omnium maximè, ut qui quàm plurimo auxilio opus habeamus: ideo æstatem fecit, semper propius ad nostram accedens habitationem ut omnia plantet, omnia nutriat, omniaque perficiat, divinamque & admirabilem exhibeat hominibus læticiam, festumq; diem.

Quoniam autem rursus multa, & nos quoque opus habemus diversa complexione, (indigent enim corpora, ut frigore contrahantur: indigent plantæ, ut densentur, indiget terra imbribus) rursus abit à nobis, certo modo recedens. Ita autem sollicitè & per minuta observat suos terminos ad nostram utilitatem, ut sive accedẽs paulo propius accederet, omnia comburentur: sive recedens modicum transgrederetur, omnia frigore geluque perirent. Quoniã autem imbecilliores sumus quàm ut mutationem feramus præcipitem, paulatim ista machinatur, & quodammodo nos latens, & consuefacit in vere ad ferendam æstatem, exercetque in autumno ad sustinendam hyemem: & ex hyeme fovet paulatim, & ex æstate refrigerat, ut sine dolore ad utrumque frigoris atque æstus excessum perveniamus. Præbet autem & lucem, & ad videndum pulcherrimam, & sine qua nihil agi potest. Dormientes quidem in silentio agimus, & nihil utimur luce: quantum autem satis est ad vigilandum, diem fecit: & quantum necessarium ad dormiendum, noctem produxit. Circumque omnem terram vadens, alibi alios ad requiem hortatur, aut suscitat: prætervolans ab iis qui amplius luce non indigent, & iis qui jam indigent apparens. Et hæc machinans perpetuò, nunquam gravatur. Ubi autem Deus omnium pulcherrimus & illustrissimus non despicit per omne tempus hominum curam gerere, nuncubi hominem Dei amantem & prudentẽ in hoc gravari oportet? Atqui potius quantum potest, oportet enim imitari illorum potentiam & humanitatem.

Hæc autem considerans, non offenditur ferendis laboribus: cõtemplatur autem, quòd labores sanitatem præbeant, & salutem, insuper etiam bonam gloriam, contrà autem deliciæ omnia his contraria. Præterea labores quidem semetipsos semper minores faciunt, & ad ferendum leviores: voluptates autem majores, minusq; nocivas, si post labores adhibeantur. Sin hoc minus fiat, labores quidem semper difficiliores fiunt: & voluptates languescunt, infirmæque esse demonstrantur. Homo enim qui semper versatur in deliciis, & per omnem vitam nullum attingit laborem, is certè neq; ullius laborem perferre, neque ullam sentire queat voluptatem, ne vehementissimam quidem. Itaque laboriosus & continens, non solum ad regnandum maximè idoneus est: verumetiam suavius vitã transiget, quàm ij qui contrariis sunt moribus. Vigiliarum quidem & somni ex æquo milites participes sunt, partim quidem custodientes, partim autem requiescentes: dux autem magis vigilat, quàm omnes qui custodiunt.

Amicitiam censet omnium suarum possessionum pulcherrimam & sanctissimam esse: neque sic turpe regno privari, neque ita periculosum indigere pecuniis, ut amicis. Neque enim ille expensis & exercitibus, & alia potentia custodiret felicitatem ita, ut amicorum fide. Solus enim nemo, ad quicquam, ne privatarum quidem rerum, sufficiens est. Regibus autem, quanto plura & majora agere necesse est, tanto pluribus quoque cooperariis opus est, & majore etiam benevolentia præditis. Necessarium enim maxima & seria negocia aut aliis credere, aut penitus omittere. Et plebeiis quidem adjumento sunt leges, ut non facilè afficiantur injuria ab iis quibus cum contrahunt, aut pecunias credentes, aut domum locantes, aut alicujus operis communionem facientes (illæ enim damno mulctant facientem injuriam) regibus autem, ne injuria afficiantur ab iis quibus credunt, non ex legibus adiutorium quærendum est, sed à benevolentia. Potentissimos enim omnium esse eos par est, qui apud reges versantur, simulque principatum administrant. Adversum hos non est alia custodia, quàm diligi: ut non sit tutum, quibusvis potentiæ quicquam credere. Quanto autẽ quis amicos potentiores facit, tanto potentior & ipse fit.

Vide autem quod aliarum possessionum, partim quidem necessariæ solum & utiles omnibus videantur, delectationem autem nullam præbeant: partim autem suaves solum, non autem utiles: econtrariò verò multæ suaves inutiles inveniuntur. Igitur & quæcunque necessariæ & utiles sunt possessiones, omnino nullam præbent voluptatem possessoribus. Quæ autem delectabiles, non propterea statim sunt etiam utiles nam e regionè multæ ex suavibus inutiles esse convincuntur. Deinde mœnia quidem, & arma, & machinæ & exercitus, sunt necessariæ possessiones dominantibus; siquidem citra has, principatus servari non potest: delectationem autem non video qualem, præter utilitatem habeant. Pulchra autẽ nemora & domicilia, & preciosæ staturæ, & picturæ argutæ summæque artis, & aurei crateres, & variæ mensæ, & purpura, & ebur, & electrum, atque unguentorum odores, & delectationes, quæ ex spectaculis aut conditionibus oriuntur, vel ex voce aut organis, adhæc mulieres speciosæ, & pueri venusti, universa hæc nullius utilitatis, sed voluptatis tantum gratia inventa apparent. Vni autem amicitiæ contigit, ut omnium sit utilissima, omniumque suavissima possessio.

Rursus autem (opinor) ex necessariis maximè, ut sunt arma & mœnia, & exercitus & civitates, sine gubernantibus amicis neque utiles, neque conducibiles sunt, sed & valde periculosæ: amici autem & præter has utiles sunt. Et hæ in bello solum utiles, semper autem in pace victuris (si posset fieri) inutiles atque graves: sine amicitia autem, neque in pace vivere tutum. Præterea suaves de quibus dixi possessiones amicis communicare, delectabilissimum: solum autem frui in solitudine, omnium injucundissimum est, & nullus substinere posset. Adhuc autem molestius, si oportet communicare cum iis, qui non diligunt. Quæ enim læticia jucunda, etiam si omnia adsint maxima, & quod symposium suave, sine præsentium benevolentia? Quę denique victima diis grata, absque unà convivantibus? Nonne enim & res venereæ illæ suavissimæ, & maximè expertes injuriarum, quæ fiunt cum amicitia coeuntium? Et quæcunque conciliant benevolentiam hominibus supervenere à puerorum aut mulierum amoribus. Multa enim cognominis sunt amicitiæ, quemadmodum (verbi gratia) & utilitates, quæ autem ex formositate & venustate oritur amicitia, meritò nominata est Amor: & videtur pulcherrimus esse decorum.

Præterea utilia medicamenta, ægrotantibus quidem sunt utilia, sanis autem supervacua: amicitia autem opus est non modò sanis, sed & ægrotantibus: & custodit quidem divitias, suppeditat autem necessaria paupertati, clariorem reddit gloriam atque obscurat ignominiam: unum autem hoc difficilia quidem omnia minuit, bona omnia auget. Quæ enim calamitas extra amicitiam non intolerabilis? Et quæ felicitas absque amicis non ingrata? Quod si solitudo tetrica & terribilissima res est, non hominum solitudinem oportet rem talem putare, sed solitudinem amicorum: quandoquidem non habitare cum non benevolis, solitudo bona est. Ego quidem neque felicitatem esse eam reor, si neminem habet voluptatum participem: facilius enim quis calamitatem durissimam ferat cum amicis, quàm solus felicitatem maximam. Vt ego illum miserrimum esse meritò judicem, qui in calamitatibus quidem plurimos habet insultantes, infelicitatibus autem neminem qui simul voluptate fruatur.

Cui autem plurimi sunt & optimi amici, inimicus autem nemo, & multi quidem qui diligant, plures qui laudent, vituperare autem eum possit nemo, quomodo non talis perfectè sit fælix? Talis enim vir multos habent voluptatis participes, neminem autem insultantem, eo quod fortunatus sit in omnibus & quod multos quidem habeat amicos, & hostem neminem. Si autem oculi & linguæ & manus hominum maximi faciunda sunt, non solum ut lætentur viventes, verùm vt possint vivere: his non minus, sed magis etiam amici utiles sunt. Oculis enim vix ea videre licet, quæ sunt ante pedes: per amicos autem, ea etiam quæ in terræ finibus sunt spectare. Et auribus haud quis audiat nisi valde propinqua: per benevolos autem, nullius non necessariæ rei ubique gentium auditum habent. Et lingua quidem præsentibus tantum significat. & manibus quis licet vehementer sit robustus, non majus perficiat opus quam duorum virorum: per amicos autem potest cum omnibus colloqui, & omnia opera assequi Benevoli enim omnia quæ illi sunt conducibilia, & dicunt & faciunt. Quin quid omnium est incredibilissimum, quum sit vnus multis ille præditus amicis, multa simul potest in vno tempore facere, deq; multis simul consiliũ capere, atq; multa videre, multaq; audire, inque multis simul esse locis, quod & diis difficile est: & nihil vsquam relinquere desertum ab ejus providentia. Quapropter non minus ipsorum amicorum

jucun-

jucunditates, bonum virum naturaliter lætificant, quam propriæ quædam delectationes. Quomodo enim non ſit beatiſſimus, cuicunque licet multis corporibus ſimul voluptate & lætitia frui? multiſque cogitationibus curare & conſultare? multiſque animis fortunato eſſe, & gaudere? Si verò gloria ambitioſis affectanda, ſæpenumero certè glorioſus eſſe queat laudantibus amicis. Sin verò divitiæ naturaliter ſolent lætificare poſſidentes, ſæpenumero certè dives eſſe queat, qui amicis tribuit de rebus præſentibus. Atq; ſuave eſt, quum ſuppetit rerum copia, donare liberis hominibus ſuave rurſus & dona accipere eum qui juſtè accipit, & propter virtutē. Qui igitur dona dat amicis dādo lætatur: perinde enim eſt, ac ſi ipſe poſſideat.

Etenim verus eſt ſermo, qui communia demonſtrat eſſe amicorum omnia. proinde quum bona habeant boni, maximè utique fuerint ea communia. Et in cæteris quidem rebus non omnino vult talis rex præcellere plebeios, ſed plerunque eſſe in illis inferior, veluti in ocio, ſegnicie, remiſſione: in una autem amicitia vult plus poſſe & habere. Et in hoc ſe nihil putat facere abſurdum, verùm etiam exultat, quod magis à minoribus diligitur quam parentes: magiſque à ſenioribus quam ipſi filios diligunt: magiſque à familiaribus quam illi ſuos æquæ conditionis familiares diligūt: magiſque ab iis qui ſolo auditu audiunt de ipſo, quam valde propinqui ſe invicem diligunt. Quum autem ſit cognatorum & familiarium amantiſſimus, eſt tamen ubi majus bonum exiſtimat eſſe amicitiam quam cognationem. Sine cognatione enim utiles ſunt amici: ſine amicitia verò, neque valde propinqui ſunt conducibiles. Tanti autem æſtimat amicitiam, quod neminem putet unquam injuriam paſſum ab amico, ſed hoc ex his eſſe quæ dicuntur impoſſibilia. Itaque malo affici ab amico, cenſet eſſe impoſſibile. ſimul enim ut quis deprehenſus eſt injuriam feciſſe, manifeſtavit ſe, ꝙ non fuerit amicus. Quicunque autem grave quid paſſi ſunt, ab inimicis paſſi ſunt: pro amicis quidem habitis, ſed non cognitis, quod eſſent inimici. Reprehendenda igitur eſt ipſorum ignorantia, ſed non vituperandum amicitiæ nomen: quum fieri poſſit ut & pater filium injuria afficiat, & puer delinquat adverſus parentes, ſimiliter & fratres mutuo mali aliquid faciant. Ita autem prorſus amicitiam rem ſacram exiſtimat, ut & Deos ſibi conetur facere amicos.

In omnibus igitur prædictis licet intelligere, quod his bonis, quæ commemoravimus, omnia contraria eveniant tyrannis, non modice autem idem intelligi poteſt ex jam dictis. Omnium enim egentiſſimus amicorum eſt tyrannus. neque enim poteſt facere amicos. ſui enim ſimiles malos ſuſpectat, à diſſimilibus autem & bonis odio habetur. Qui autem odio habetur, inimicus eſt, & iniquis iniquus. Nam hi quidem jurè eum oderunt, qui autem ejuſdem rei tenetur deſiderio, ſibi invicem ſtruunt inſidias. Itaque rex Perſarū unum quempiam habuit, qui dictus eſt Regis oculus: atque hic non erat homo gravis, ſed ex vulgaribus ignorans quod boni regis amici omnes ſint oculi. Porrò amans familiarum & cognatorum qui non eſſet excellenter, qui quidem familiares & cognatos partem ſuæ animæ exiſtimat, & providet non ſolum ut ſint participes prædictæ felicitatis, multo ſed magis ut digni videantur communicatione principatus? Et hoc illi ſemper ſtudium eſt, ut eos non ob cognationem, ſed propter virtutem videatur honoribus præ aliis cumulare.

Et eos qui ſanguine illi ſunt propinqui, præ omnibus diligit, & neceſſarios amicos exiſtimat. nam amicos quidem diſſolvere poteſt difficultas quædam inter eos incidens: inter cognatos verò non poſſibile eſt diſſolvi cognationem, ſed qualeſcunque tandem ſint, neceſſe eſt hoc audire nomen. Uxorem autem non lecti tantum & rei venereæ conſortem exiſtimat, verùm & conſilii & operum, & totius vitæ cooperatricem. Solus autem felicitatem non molliciem exiſtimat, ſed multo magis virtutis ſtudium; & virtutem non neceſſitatem, ſed voluntatem: & fortitudinem, non miſeriam, ſed ſecuritatem.

Et voluptates quidem auget laboribus; proptereaque iis fruitur majoribus. Labores autem conſuetudine facit leviores, & hæc eadē putat eſſe utilia & ſuavia. Cernit enim plebeios, ſi rectè ſunt valituri, & perventuri ad ſenectutem, nunquam ocioſo & laboribus experti corpori cibum præbere: ſed alios quidem artes exercere, quarum nonnullæ magnum requirunt laborem: & alios eſſe fabros ferrarios, illos autem & navium & domorum conſtructores. eos autem qui terram poſſident, exercere ſe in laboribus circa agriculturam: qui verò in urbe degunt, facere aliquid eorum quæ in civitate fiunt. Eorum autem qui ocium agunt, eſſe gymnaſia plena & palæſtras, & partim currere in curriculis, partim luctari: eos autem qui non ſunt athletæ, aliud aliquid facere circa certamina. Et ut ſimpliciter dicam, unumquemque qui non valde ſit fatuus, & cibos & lavacra, & labores, & omnia eò exercitia dirigere, ut benè valeat.

Princeps autem ab his omnibus plurimùm differt, quòd non fruſtra laboret: nec corporis ſolum ſtudeat incremento, ſed propter actus rerum. Aut enim venit ad aliquid earum quæ indigent providentia, aut prævenit ubi velocitate opus eſt, aut conficit aliquid cōfectu difficilium, aut exercitum recenſet, aut regionem manſuefacit, aut civitatem ædificat, aut flumina pontibus ſternit, aut terram facit perviam. Atque hic non ſanè putatur beatus eſſe, quòd poſſidere poſſit pulcherrimos equos, & optima veſtimenta, & alia ſimiliter: ſed quod amicos optimos. Et longè illi turpius eſt pauciores plebeijs habere amicos, quàm illis in rebus plebeijs ſuperari. Cui enim ex omnibus hominibus eligere licet fideliſſimos, & ferè nullus ſit qui non ei libenter obtemperet, volenti ejus opera uti: quomodo non ridiculum ſit, non uti graviſſimis? Plurimi quidem ex potentibus, eos qui quoquo modo in aulam venerunt, quique adulari volunt, amat, & expellunt alios, & optimos adhuc magis: hic autem ex omnibus ſelectionem facit, abſurdum exiſtimans ex inſulis equos accerſere, quod meliores ſint Theſſalicis, & canes ex India, hominibus autem ſolis uti vicinis. Omnia enim illi ſuppetunt, unde amicos & amicitiam parare poſſit. Trahuntur enim ad benevolentiam, ambitioſi quidem laude: apti autem ad regimen, ſi participes fiant principatus: bellicoſi autem, ſi faciant aliquid rerum bellicarum: diligentes autem, ſi negocia gubernent: qui verò magno ſuorum affecti ſunt amore, familiaritate. Quis igitur magis poteſt rectores creare? & quis plurium indiget induſtriorum? quis etiam poteſt plura communicare negocia? cui alii licet credere res bellicas? à quo illuſtriores conferuntur honores? apud quem menſa eſt glorioſior? Quod ſi emenda ſit amicitia, quis copioſior pecuniis? ita ut nullum habeat, qui de pecuniis cum eo auſit inire certamen.

Præterea autem oportet, quum homo natus ſit, interque eos qui in hac vita præcellunt, numeretur, & ipſum aliquod habere ſolatium. Unde ſanè multi multis acciderunt morbi ignobiles, damnoque afficientes animos, inſuper & detrahentes regni majeſtatem. Hic quidem à cantione correptus, ætatem tranſegit cantillans, & lamentationes occinens in theatris; & ſui regni incurioſus, amavit hiſtrio veterum regum agere perſonas. alius autem tibiarum amator factus eſt.

Bonus autem rex nunquā huiuſmodi aſſiduè audit; optimum autē inventum putat venationem, & hac maximè gaudet, per quam corpus fit robuſtius, animaque fortior, & ad omnes res bellicas exercetur. Etenim equitare & currere neceſſarium, & ſuſtinere in curſum multarum fortium ferarum, & æſtum perferre, frigusque tolerare, ſæpe quoque periculum facere & famis & ſitis, reique cupiditate aſſuefaciētem ſe perferre omnia cum delectatione. Quippe non de Perſarum loquimur venatione. Illi enim hortis incluſas, (ſi quando concupiſcerent venari) tanquam in carcere beſtias occidebant, ut nullum ſcilicet haberent laborem quærendo, neque periculum in occidendo, utpote infirmas, & in ſervitutem redactas: ſimul etiam abſtulerunt ſibi gaudium ob inventionem, & ſtudium ad comprendendum, & ſollicitudinem ob eventum. Simile autem quid fecerunt, quemadmodum ij qui bellicoſi eſſe volunt, & relicta hoſtibus pugna, ut captivos domi acceptos interficiunt. *Oratione de regno tertia.*

Dio Pruſæus: Num vis de Agamemnone prudentes audire ſermones, unde animus fructum percipere poſſit: an ægre fers, Agamemnonem Atrei filium in ſermonibus nominari? Neque ſi de Adraſto Talai filio diceres, aut Tantalo, aut Pelope, modeſte ferrē, ſi inde melior futurus ſum. Atqui recordatus ſum nuper ſermonū quorundam, quos tecū conferrem, ſi mihi quærenti velles reſpōdere. Confer, ut cum reſponſuro. Suntne aliqui hominum rectores, ſicut alii ſunt caprarum, alii porcorum, alii verò equorū aliqui etiam boum, nēpe univerſi qui communiter paſtores appellantur? An non legiſti illum Cratini verſum:

> *Eſt paſtor conſtitutus & caprarius,*
> *Nec non bubulcus.* ———

Non hercle haberem tibi dicere, an paſtores illi nominentur omnes qui animalia paſcunt. At non ſolum, ô bone, irrationabilium animalium dicuntur paſtores, verum etiam hominum, ſi Homero de his credendum eſt. Sed cur non reſpondiſti ad id, quod initio quæſivi? Quòdnam? An aliqui ſint hominum rectores. Quomodo non eſſent aliqui tales? Quibus eos nominibus appellas? Non dico autem de militum rectoribus in bello, quos Imperatores nominare conſuevimus, totius exercitus præfectos: quemadmodum & per partes, ut manipulorum decanos, & cohortium centuriones: & totius claſſis & unius triremis præfectos atque alii plures ſuas ita habēt appellationes in bellis, paucorum hominum rectores, eo quòd maxima tunc providentia præfectura homines indigeant. Neque de chorearum coryphæis interrogo, qui vocentur, nempe qui ſigna dant canentibus & cantica dirigunt. Neque de ſympoſiorum præfectis, neque de aliis ſi qui alterius hominum cœtus, ad unam actionem aut certum tempus curam gerunt, aut alterius rei principatum accipiunt: ſed de ipſis hominum rectoribus in republica viventium, terramque colentium (ſi ita contingat) degentiumque ſimpliciter; ut Cyrus rector fuit Perſarum, & Medorum Deioces, & Græcorum, à quibus habent nomina; ut Aeolus Aeolenſium, & Dorus Dorienſium, & Romulus Romanorum, & Dardanus Phrygum.

At tu nihil difficile quæſiviſti. Omnes enim iſti, quos tu nunc nominas, reges vocabantur, & erant: & principatus ipſe de quo dicis, nempe univerſaliter homines regere, ipſiſque imperare, à dicenda cauſa immunis, regnum vocatur. Ergo tu non regnum fuiſſe putas, imperium illud Heraclidarum, qui tot annis Lacedæmone regnaverunt? Illi enim non omnia faciebant ut ipſis videbatur, ſed in multis obediverunt Ephoris, Et ante quam inſtitutus eſt ille magiſtratus in Sparta, regnante Theopompo, in annum, nihilominus in ditione ſua habuerunt reges: ita ut & Pauſaniam Cleombroti fi-

ti filium, qui victoriam adeptus erat in Platæis, voluerint quidem in carcerem conjicere: fugientem autem in Minervæ templum illi profuit, neque quod ex genere erat Heraclidarum, neque quòd pueri erat tutor, neq; quòd toti Græciæ præibat, non solum Spartæ Postea verò Agesilaum, bellum adversus Persarum regem gerentẽ, & circa Sardeis jam victoriam adeptum pugnandoque in ditionem omni inferiore Asia redacta, misso ministro ad se vocarunt: atque is nullum diem distulit, quum tot Græcorum totque Barbarorum factus esset dominus. Non igitur fuit rex Spartæ Agesilaus, qui aliis obedivit imperantibus. Et quomodo non essent hi reges, ad exactam regni rationem?

Ergo neque Agamemnonem in Ilio dices regnasse super Argivos & Achivos, quòd habebat principatus procuratorem, virum senem, Nestorem illum canum: atque illo jubente, muro circundatæ sunt naves, & fossa circumducta ad navalis munitionem, totumque exercitum divisit in ordines Agamemnon? Antea enim, ut veri simile est, temere pugnaverant pedites equitesque, promiscuè omnibus commixtis, Pyliis & Argivis, & Arcadibus & Bœotis. Nestor autem tandem illi mandavit, exercitum secundum gentes distinguere, ut tribus tribui ferret suppetias, & gens genti. Ita autem (inquit) & duces cognosces qui strenuus sit, aut ignavus. Si verò duces, haud dubie etiam milites: simul docens utilitatis magnitudinem. Et quamobrem ita faciebat? Nempe, ut sciret & ipso mortuo, imperatoriam artem Agamemnon. Atque hic plane illic Nestori auscultabat, ut non solum si quid præcepisset præsens id prõpte faceret: sed etiam, si quid per somnium putasset Nestorem dicere, neque id omitteret. Somnium igitur de pugna ita eum decepit, quum putasset Nestorem suadere. Non solum autem Nestori auscultabat, qui videbatur Achivorum prudentissimus, sed neque absq; senioribus quicquam faciebat. Quare quum educturus esset exercitum, somnio persuasus, non antea eduxit, quam seniorum coacto concilio apud Nestoris navem. Atque experimentum quod capere volebat de multitudine, an amplius remanere vellent, & bellum conficere, non obstante quòd iratus esset Achillei: non aliter cæpit, quàm re prius relata ad concilium. Multi autem oratorũ, impræmeditate non cunctatur decreta ad populum ferre. Ille verò, re prius deliberata cum senioribus, sic mentionem faciebat apud vulgus de belli statu.

Hoc sanè nihil est absurdi, si quum rex esset, etiam aliis concedebat consulendi copiam: & consiliarium habebat, cui propter senectutem posset fidere. Ipse tamen omnium rerum mansit dominus. Alioqui quamobrem hoc modo ea fecit, quæ pertinebant ad Chryseiden, Nestori optimo non auscultans? Quemadmodum nẽpe & multi plebeii, non obedientes magistratibus, neque legibus, multa faciunt inique, pro quibus & pœnas luunt. Nonne perducti ad judicium statim mulctantur, prout quisque videtur mulcta dignus? Admodum. Quid igitur Agamemnon, non tibi videtur illius inobedientiæ postea redargutus esse à Nestore, quando illum accusavit propter illud factum apud prudentissimos sociorum, ipsis ducibus pœnæ æstimationem proponens, quid pati aut pendere eum oporteret? Accusationem fecit gravissimam utpote vehemens rhetor, dicens quòd graviter affectus esset erga negocia.

Irato tu rex ex quo Briseida Achilli
Emissis famulis ex papilione tulisti,
Consilio haud sanè nostro. nam plurimùm ab isto
Ipse dehortabar facto. tu verò furori
Magnanimo parens, hominem fortissimum, ab ipsis
Dijs quoque honoratum, spoliasti tradito honore.
Præmia namque illius habes, ablata potenter.
Verùm age adhuc etiam nunc consultemus, ut illum
Placemus, donisq; huc adducamus opimis,
Blandis & verbis. ——

Atque hercle non modo redarguit eum sermonibus; sed etiam mulctam intendit pro delicto omnium gravissimam. Iussit enim eum rogare Achillem, & omnia facere ut homini persuadeat. Atque is sibi ipsi mulctam irrogat pecuniariam primum: quemadmodum qui condemnati sunt in judiciis, dicunt quæ dare & pendere possint pro injuria. Preterea & jusjurandum se recipit præstiturum, quasi victimis cęsis, de Briseide, quòd eam ex quo acceperat, non attigisset. Pro eo autem solo quod de tentorio transduxisset ad tentorium, multum promittit aurum se daturum, & equos & tripodas, & lebetas, & mulieres & civitates. Postremo quasi non esset satis, ex tribus quas habebat filiabus unius optionem dedit, qua cum degeret: quod nemo unquam sententia judicum coactus est pati pro ancilla, præsertim captiva, & cui nihil accidisset, ut elocaret filiam cum magna dote, absque mutua donatione: quare hac causa nullam scimus plebejam acerbius judicatam. Nunquid tibi videtur, per Deos imperare Græcis Agamemnon, immunis à dicenda causa, & non plane accuratas pendere pœnas pro omnibus quæ fecit? *Oratione 57.*

Philostratus: Vespasianus Imp. manibus ad cælum sublatis; O Jupiter, inquit, utinam ego sapientibus imperem & mihi sapientes? *lib 5. Apollonij c. 10.*

Iulianus Apostata: Neque verisimile est tantam imperii amplitudinem ac potentiam, nisi pari prudentia administraretur & contineretur, diu posse perseverare. nam fortunam sequentem brevi aliquo tempore florere facile est, quæ verò comparata bona fuerint, sine prudentia conservare, non adeo facile est, vel potius fieri fortasse penitus non potest. *Panegyr. 1. ad Constantium Imp.*

Iulianus: Tuus verò parens partem illam imperii quæ ad se pertinebat, piè sibi ac sanctè comparavit, cùm senis mortem ac fatalem exitum expectasset. *Paneg. 3. in Constantium.*

Libanius: In regno, pro lege est subditis, voluntas potiuntis rerum. *Progymnasmate, an ad Agamem. venerit Chryses.*

Idem eodem loco: Multa imperia in odio subditorum eversa sunt, non enim manu copiosa, neque judicii sui præstantia consistit imperii firmitas, sed in subjectorum benevolentia; quam si quis possit convertere, facile deinde converterit & destruxerit imperium quoque.

Themistius: Ergo validum mihi argumentum est, quod à Deo prodiit electio vestra, benevolentia inter vos mutua, parque studium. Cùm enim cognatio eos etiam qui patrimonium acceperunt, ad irreconciliabile odium adducat: quid de vobis quivis habeat dicere? Qui ne lege quidem ulla cogente, naturæ juri adstipulati estis, & Regni tanquam paternam hereditatem divisistis quiete & absq; strepitu: quod alii jure hereditario à patre obveniẽs mutua cæde adierunt: Numquid vero his referta est antiquorum dramatum Scena; vincuntque adeo Scenas quæ recentiora sunt? Ut despondeat animum, qui retrò commearet ad juvenes Thebanos, ad Pelopidas, ad Cambysem, ad Neronem, ad Domitianum, ad Severi filium, ad eos qui heri & nudius tertius, qui cum natura multiplices ipsos faceret, ab ipsismet redacti sunt ad solitudinẽ: ac tanta generis tamque numerosa copia, unius principatus studio à semetipsa consumpta est.

Præ vobis autem, parum quiddam est Xerxes; parum Seleucus, parum etiam Philetæri filius. At enim hoc tantum nomine celebres fuere, quod moderatè honesteque usi sint fratribus de regno controversantibus. Ac velut incredibile quiddam celebratur Medus, qui Ariemeni pepercit, cùm is disceptavisset cum ipso de patrio principatu. Canitur etiam Eumenes, quod Attalo ignoverit, qui novis rebus studuerat. Vos autem fraternum amorem amplius quiddam esse, quàm æqui bonique studium agnovistis. Non enim ex eo quòd nullam vobis invicem injuriam intulistis, sed ex eo q̃ mutuis vos officiis, ac beneficiis prosequuti estis, præclarè vobiscũ agi putantes, laudis certamen instituitis. Nam cùm alterius benignitas profusior est; nusquam tamen discrimen plus largientis eminet. Alioquin is qui regni participem facit, laboris etiam consortem reddit, eum certè qui novit cuius rei particeps factus sit; nõ voluptatis, nec desidiæ: Adeò ut qui super his purpuram communicat, non omnino benefaciet, nec illi solum, cujus nequitiæ subsidium addit; sed nec aliis omnibus, quos gemina frui improbitate necesse est. Præterea, ut milites plus habent, quam dedere, è suffragio: sic etiam Frater tuus, cùm te sibi adjunxerit, tametsi majori deinceps observantia, & reverentia sit colendus. Hoc verò nequaquam invidiam illi comparat: quoniam id quod tradidit, ad illum revertitur. *Oratione 16. ad Valentinianum & Valentem.*

Dionysius Sophista: Impera fœliciter. Fœliciter autem ages, si bonum ac justum te gesseris. Quoniam etiam numen bonos amat. Memoriam autem amicorum, præter cætera firmissimam ac stabilissimam habeto. Sed earum rerum quæ in oblivionem abstrahũt, duplicem admonitionem dedi, his quibus adhortatus sum, & eum qui dat, & id quod datur.

ROMANORUM.

Cl. Mamertinus: Quæ ulla unquam videre sæcula talem in summa potestate concordiam? qui germani, geminive fratres indiviso patrimonio tam æquabiliter utuntur, quam vos orbe Romano? ex quo profectò manifestum est, ceterorum hominum animas esse humiles & caducas, vestras verò cælestes & sempiternas. Obtrectãt sibi invicem artifices operum sordidorum: est inter aliquos etiam canoræ vocis invidia: nihil denique tam vile tamque vulgare cujus participes malignis æmulationis stimulis vacent. vester verò immortalis animus, omnibus opibus, omnique fortuna, atque ipso est major imperio, &c. *cap. 6. Genethliaco dicto Maximiano.*

Cl. Mamertinus: Facta tua gloriosissima famæ laude passim celebrata sunt; in tantum ut fratris Imperatoris mererentur invidiã. quid enim à te aliud consortis Imperatoris alienavit animum, nisi gloriæ tuæ splendor? eæque illi in te odii fuere causæ, quæ amoris inflammatrices & fidei obsides esse debuerunt. *cap. 3. Paneg. Iuliano Aug. dicti.*

Cl. Mamertinus: Multi post exactos reges imperium universæ reipublicæ solitarium cupierunt. nota sunt recordantibus nomina eorum qui in propria furentes affectati regni supplicia pependerunt. Mitto veteres qui saxo præcipites dati, quorum bona publicata, domus erutæ, interdicta posteris nomina, non paucos huiusmodi furore vecordes etiam nostra ætas tulit, qui propter cæcam imperandi cupidinem in ferrum ruerunt: si hoc Deus paulisper vitæ redditos alloquatur; Heus (verbi gratia) Nepotiane atque Silvane; per infestos gladios præsentesque mortes imperium petivistis. at nunc ultrò vobis potestas regnandi datur, ut ea quæ Julianus conditione regnetis, ut pro omnium otio diu noctuque vigiletis, & cũ Domini vocemini libertati civium serviatis, sæpius prælium quam prandium capessatis; nihil cuiquam auferatis, & ultrò omnibus largiamini,

mini, nulli gratificemini, in nullum saeviatis, toto in orbe terrarum nullius virginis fama violetur; sit lectulus etiam sine concessis & legitimis voluptatibus, vestalium toris purior, aestate Alemannicũ pulverem, hyeme pruinam Thraciae intectis verticibus perferatis; profectò verborum ipsorum molestiam delicatae aures non poterunt sustinere; & tantis negotiis territi, non modo imperium, sed etiam vitam perosi, ad inferiores aliquot inferos redire properabunt. videbunt enim justum principatum laboribus, curis, vigiliis inquietum, cujus illi faciem amoenam & amabilem contemplantes, laborum aspera non videbant. *cap. 13. orat. ad Iulianum Aug.*

Eumenius, de Maximiano Herculio genero Constantini: Quid, oro, sibi voluit? quid optavit? aut quid amplius adipisceretur his quae à te fuerat consecutus, cui tu summa & diversissima bona, privatum otium, & regias opes dederas, cui digredienti ad annulos federas, cui impensius etiam quam tibi occurrere obsequia nostra mandaveras, cujus omnibus jussis sic statueras obedire ut penes te habitus, penes illum potestas esset imperii. Quisnam ille tantus fuit, non ardor potentiae (quid enim te imperante non posset?) sed error jam desipientis aetatis, ut sexaginta natus annos gravissimas curas & bellum civile susciperet? Nullis, ut res est, muneribus fortuna expletur, quorum cupiditates ratio non terminat, atque ita eos felicitas ingrata subterfluit, ut semper pleni sperum, vacui cõmodorum, praesentibus careant dum futura prospectant. *cap. 15. Panegyrici Constantino Aug. dicti.*

Latinus Pacatus: Invitus cogebaris. Audite hoc publici parricidae, qui oblita caede dominorum sceptra cepistis, & qui pericula non minore quam scelere imperium vita paciscentes, sanguinis precio regium nomen emistis, repulsam patitur principatus, & unus est ambitus candidati, ne declaretur. Credétne hoc olim ventura posteritas, & praestabit nobis tam gloriosam fidem, ut nostro demum saeculo annuat factum, quod tantis infra supraque temporibus, nec invenerit aemulum, nec habuerit exemplum? Sed qui vitae tuae sectam rationesque cognoverit, fidei cunctanter accedet, nec abnuisse dubitabit imperium sic imperaturum. Illi enim illi avidè regna desiderent, quos soluta legibus vita delectat, quorum crudelitas indemnatos necãdi, cupiditas privata rapiendi, libido honesta faedandi atque impunitatem requirunt. quid tua intererat te Principem fieri, qui futurus eras in Imperatore privatus? nisi forte in te hodie aut pudicitiae remissior cultus, aut minor sanguinis humani metus, aut alienae rei major appetitus. idem es qui fuisti, & tantum tibi per te licet quantum per leges licebat. Ius summum facultate & copia commodandi, non securitate peccandi experiris.

Unum tibi praestitit Principatus, ut certum haberemus omnes, etiam sub Imperatoribus aliis vixisse te legibus tuis. nam qui nihil facit licenter cùm potest, nunquam voluit. Quin ubi primum te imperio praestitisti, non contentus ipse ultrò vitia rejecisse, alienis vitiis corrigendis curam adjecisti; idque moderatè, ut suadere potius honesta quàm cogere videreris. & quia vel longo Orientis usu, vel multorum retrò Principum remissione, tantus quosdam luxus infecerat, ut adulta consuetudo lasciviae haudquaquam facile videretur obtemperatura medicinae; ne quis se pati injuriam putaret, à te voluisti incipere censuram, & impendia Palatina minuendo, nec solùm abundantem rejiciendo sumptum, sed vix necessarium usurpando dimensum, quod natura difficillimum est, emendasti volentes. An quis ferret moleste ad Principis semet modum coerceri? aut substractum terrarum hominumque dominum, parcè contenteque viventem, modico castrensi cibo jejunia longa solantem; adhoc aulam omnem Spartanis gymnasiis duriorem, laboris, patientiae, frugalitatis exemplis abundantem, neminem unum inveniri qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum littorum piscem, peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem? nam delicati illi ac fluentes, quales tulit saepe respublica, parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernae poculis rosae innatassent, nisi aestiva in gemmis capacibus glacie Falerna fregissent. horum gulae angustus erat noster orbis: namque oppositas dapes non sapore sed sumptu aestimantis, illis demum cibis acquiescebant quos extremus Oriens aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, quos invitae quodammodo reluctantique naturae hominum pericula rapuissent. ut taceam infami saepe delectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes militasse conviviis; nonne cognovimus cujusdam retro Principis non prandia saepe traxisse. Tuae Imp. epulae, mensis communibus parciores, locorum ac temporum fructibus instruuntur. hinc certatim in omnes luxuriae pudor parsimonia cultus inolevit, & quiescentibus legum minis subit quemque privatim sui paenitentia. sic est enim sic est, exasperat homines imperata correctio; blandissimè jubetur exexemplo, &c. *cap. 12. & sequentibus Panegyrici Theodosio Imp. dicti.*

Latinus Pacatus: Si per rerum naturam liceret, ut ille Romanae libertatis assertor, regii nominis Brutus osor, precariae redditus vitae, saeculum tuum cerneret studiis virtutis, parsimoniae, humanitatis imbutum ac refertum, nullum toto orbe terrarum, superbiae libidinis crudelitatis extare vestigium; jam teipsum quà publicè quà privatim videret priscorum duritia ducum, castitate pontificũ, consulum moderatione, petitorum comitate viventem; mutaret profecto sententiam tanto post suam, & cum Romanam dignitatem ac libertatem probaret, meliore in statu Imperatore te esse, quam Consule se fuisset, necessario fateretur Tarquinium submoveri debuisse, non regnum. *fine capitis vigesimi Panegyrici Theodosio dicti.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus de vita sua.

Ἀναρχία γάρ ἐστιν ἡ πλειστarχία.
Vbi imperant plures, ibi nemo imperat.

Claudianus laude Serenae vers. 58.

Namq́ aliae gentes quas faedere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in usus
Imperij: Phariae segetes, & Punica messis
Castrorum devota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis sudant equitatibus alae.
Sola novum latius vectigal Iberia rebus
Contulit Augustos. fruges, araria, miles
Vndiq́ conveniunt, totoq́ ex orbe leguntur:
Haec generat qui cuncta regant.

¶ Apophthegm. Sacr.

Salomon. Unde mutatio regnorum oriatur ostendit rex sapientissimus, *Proverb. 28. 2. Eccles. 4. 14.* eorum splendor, *Proverb. 14. 28.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Iesus Christus. Prosequamur nunc Reges & Regna, & quaenam utriusque conditio ac natura intueamur. Rex regum Christus à Scribis & Pharisaeis per calumniam tentatus, quòd in Beelzebub Principe daemoniorum ejiceret daemonia; iis convocatis, os suum in parabolis aperiens, dicebat: *Quomodo potest satanas satanam ejicere? Et si regnum in se dividitur, non potest regnum illud stare.* significans regni stabilimentum esse, Concordiam. Benè Seneca:

—— Regnum non capit duos.
Nec regna socium ferre, nec taedae sciunt.

Marci cap. 3.

Regni pomoeria ampliaret monenti, respondit: *Melius est benè imperare, quam imperium ampliare.* Nicol. Reusn.

Carolus IX. Fran. Rex. Quos non labores lubens is pertulit, ut regno potiretur? Dum enim in regem ungeretur, anxia erat mater ne per aetatem (nam vix annum decimum excesserat) non esset sufficiens caeremoniis omnibus, quae tam solemni actu adhibentur, sufferendis. At, *Feram,* inquit ille, *nec recusabo hunc laborem, quoties se regna offerent.* Non tamen sine causa in Oedipo Seneca inquirit,

Quis quámne regno gaudet? O fallax bonum!
Quantum malorum fronte quam blanda tegis?
Vt alta ventos semper excipiunt juga,
Imperia sic excelsa fortunae subjacent.

Annal. Franc.

Henricus Glareanus. Hic facetè admodum Regum Principúmve mores corripiens, rogabatur cùm esset fortunae tenuioris, qualem vitam ageret. Qui, *Regalem,* ait, *nam splendidè ac lautè rem familiarem gero: & cuivis me debitorem obstringo.* Corripiebat, inquam, profusam magnatum in subditos temeritatem, à quovis vitae statusque necessaria exigendi, & paucis, idque non nisi dum lubet, satisfaciendi. *Ex lib. Ser. conviv.*

Fredegundis Franciae Reg. Etiam Faeminae hîc locum suum vẽdicant. Fredegundis, dum mortuo marito bello provocaretur, filiũ suum Clotarium, adhuc infantem, primores de regno consultura, secum ferebat. &, *Non parvi,* ajebat, *vobis aestimari debet Rex & dominus vester, quamquam aetate parvulus, ut in conspectu vestro regnum vastari patiamini. Ego neque animo fracta, neque consilij inops, rebus deero.* quod & opere complevit. Nam ipsum exercitum quasi Ductrix anteibat, natum ab uberibus pendentem gestans. *Gaguin. lib. 11 De reb. Gall.*

Require Gubernare. Princeps. *&c.*

¶ Monosticha Trochaica.

Arma etsi vacent dolique, magna oneri cedunt suo.
Cuncta magna semper perdit ignorantia.
Destruat libido regna citius, virtus quàm paret.
Fide regnis! huc & illuc qualibet sors fert opes.
Firmius regnum putandum est, unum si penes manet.
Humanorum divinorumq́ omnium, regnum optimum est.
Multi iniqui atque infideles, pauci regno sunt boni.
Muta libertas obest plus saepe regno, quam loquus.
Non modo regno superstes Crassus, & rogo fuit.
Non potest gratum esse regnum cui suus perpes labor.
Nulla vi sic regna firmes, quantum amore civium.
Optimè regnum servabis, si lucrum contempseris.
Plurimum boni est in regno? plurimum quoque est mali.
Regnum apud Deos hominesq́ res speciosissima omniũ est.
Regnum eheu, quantum malorum fronte quam blandâ tegis!
Regnum fastidire majus est, quàm regnum admittere.
Regna cedere absq́ pugna, turpe vel vilissimo est.

Regna vi minus sibi firmet Rex quàm benevolentiâ.
Regna cum scelere, graviora sunt exilijs omnibus.
Regnorum status fortuna dubia agit variâ vice.
Sive pace, sive bello, media regni haud negligas.
Temporis momentum regnis evertendis sufficit.

¶ JAMBICA.

Arma atq; leges omne regnum continent.
Ars prima regni est, posse & invidiam pati.
Et bruta honorem debitis regna exhibent.
Etiam dolis regnum mulieribus occupes.
Immane regnum est, posse fine regno pati.
Imperia Regum excelsa Fortunæ objacent.
In servitutem cadere de regno grave est.
Ingesta quamvis regna sapiens respuit.
Ius fasq; regni, haud est servare per nefas.
Muliebre non est regna tutari urbium.
Quid regna sunt, nisi magna latrocinia?
Qui recte agit, pœnam fert, regnum qui male.
Regi à duobus solibus mundus nequit.
Regnum dabatur olim continentibus.
Regnum datum virtuti semper prosperum est.
Regnum Dei haud obvenit dormientibus.
Regnum omne regno grandiori subjacet.
Regnum paratum scelere & invisum est Deis.
Regnum perenne est, caritas quod sustinet.
Regnum voluptas mutat in tyrannidem.
Regni columnæ binæ, Pœna & Præmium.
Regni fores sunt proximæ Tyrannidis.
Regni præsidia, amici sunt firmissima.
Regni vetustas ingenerat audaciam.
Regno, ante regnum, haberi dignum, maximum est.
Regno boni suspectiores quàm mali.
Regno novo minimè expedit crudelitas.
Regno potentes, plura quàm fas est petunt.
Regno tuendo, tam nefas quam fas valet.
Regna atque reges dissipant libidines.
Regnorum interitus Principum dissensio.
Suâ laborat Roma magnitudine.
Superbia est tumorq; regnum devitum.
Durare regna nesciunt crudelia.
Suspectiores regno boni, quàm mali.
Vultus Ducis, victoriæ augur optimus.
Vultus tyranni, pœna gravior est nece.

Regni Cupidinis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Anteit cupido regni ceteras cupidines.
Imperant dominandi desideria & ipsis regibus.
Libera est minus quæ caris exhibetur servitus.
Maximum imperij libido est malum mortalibus.
Pro regno patriam suosq; multus inflammaverit.
Regni avidus scelerosa quævis perpetraverit palam.
Serviunt affectus omnes imperij cupidini.

¶ JAMBICA.

Cupido regni, fas nefasq; proterit.
Imperia pretio quolibet constant bene.
Libido regni fratribus necem intulit.
Nec liberis parcit suis regni fames.
Nil abnuit sceleris, dominari qui cupit.
Regni cupido ne quidem parcit patri.
Regni Cupido stergan omnem destruit.
Regni sitis nec proprio sanguine abstinet.

Regni Successoris.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Æquius regem ferunt genitum quàm electum nequiter.
A Sole occidente prudens ad orientem vertitur.
Cædis ultor est successor antecessoris sui.
Donec eligatur unus, quisque multos destinat.
In regem minimè eligendi proximi, sed optimus.
Nemo gentium est qui dominum vult alienigenam pati.
Non facit sceptrum monarchas aureum; fides facit.
Patriæ magis bonus Rex consulit quàm liberis.
Regiæ stirpis homines reperire est mercenarios.
Regna suscipit parentis Rex bonus cum moribus.
Rexne sit, trivio conceptus & educatus stercore?
Rex prior cùm notatur, Rex eadem præsens facit.
Rege mortuo malo, spes excitatur non metus.
Regibus periculosum est successorem prodere.
Sæpe regni ad majestatem vile pervenit genus.
Si qui Rege sunt meliores, iis queinam Rex imperet?
Sumitur minore rex quam quæritur periculo.

¶ JAMBICA.

Et regna quondam erant hereditaria.
Etiam obveniat regnorum honos vilissimis.
Habere regnum casus est: virtus dare.
Iure optimus regnum inter optimos gerat.
Mors Regis est occulta dum alter imperat.
Nemo suum unquam successorem sustulit.
Nullus suum unquam successorem sustulit.
Occulta mors est Regis, dum alter imperat.
Oriens amatur, Occidens contemnitur.
Quid submoves regnum? Tarquinios submove.
Regem futurum fatum in occulto tenet.
Reges quoq; extitere de caprarijs.
Regum ultimus semper vocatur optimus.
Tantum optima est lux prima post regem malum.

Religionis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: Philosophiæ dediti ac Dei amore, quique ante tempus in cælis civium munere funguntur, tametsi alioqui pacati ac moderati sint, hac tamen in re lenes & faciles esse nō sustinent, cùm per silentium & quietem Dei causa proditur: verùm heic admodum bellaces sunt, atque in confligendo acres ac feroces (hujusmodi enim zeli æstus est) citiusque aliquid, quod non oporteat, emoverint, quam quod ex officio sit, prætermiserint. *Oratione 21.*

Isidorus Pelusiota: Quoniam nihil habens quòd divinissimam religionem incuses, adversus sacerdotes quosdam accusationem convertisti, versutia tua ab omnibus, qui quidem prudentia minimè careant, facilè deprehensa est, qui divinam quidem vitæ rationem summis laudibus extulerunt, accusationem autem in eos cōventionis studio teipsum removeas, ea, quæ dixi, comprobabis. Quid enim absurdi dicimus, cùm rem ipsam explorari ac perpendi oportere dicimus: ac, si bona esse comperiatur, amplectendam esse, etiamsi quidam eorum, qui eam consectari videantur, ad ipsum quoque vitii fundum prolapsi sint: si autem turpis atque inhonesta, fugiendam esse, quantumvis nonnulli ex iis, qui ipsi addicti sint, ad ipsum virtutis verticem pervenisse videantur? Amplectenda enim virtus est, etiamsi omnes, quibus minimè rectum de rebus judicium est, eam vituperant, fugiendum autem vitium, etiamsi omnes, quos vitia delectant, illud laudibus ac prædicatione efferant. Neque enim ab iis, qui adversa valetudine laborant, sed à sanis, rerum judicia capienda sunt. Nam si ægrorum judicia sequamur, philosophiam quoque ipsam condemnabimus *libr. 3. Epistol. 242.*

¶ LATINORUM.

Egesippus: Præter eos qui bellum moverent, plerique etiam Sacerdotum inficiebantur, atq; inter ipsas quas mactaverant hostias immolabantur. quamvis enim frequens super universos rueret telorum seges, & ubique fervérent prælia, tamen sacerdotes sacrificādi ministerium solenniter obibant, nec feriabantur commisso sibi munere; & quo in interioribus erant templi, eo gravius perimebantur; quia tormento acta graviores ictus habebant. *cap. 1. libri 5. de excid. Hierosolym.*

Egesippus: Itaque conclusi undique, alii se præcipitabant, alii patriæ incendiis exurebantur. Sacerdotes tamen usque ad ultimum in suo munere perseverabant, hortantes se invicem, ne in posterioribus ponerent officium religionis, quam salutis præsidium: rectè secum agi, si pietati impenderent, quod deberetur necessitati, pulcherrimumque, si in patriæ sinu sepeliri liceret. Quid autem juvaret videre, & superstitem vivere religioni? præclarum potius opus muneri commori pio. Quod si quis periculi metu deserat, sacrilegium est: si quis impleat, sacrificium, & pia passionis victoria. Insulati itaque Sacerdotes inter suas hostias immolabantur, & amicti sacerdotibus stolis inter cadavera cæsorum humi jacebant. *libr. 1. cap. 17.*

Egesippus: Cæditur Ananias sacerdos, claro genere ortus, licet nemo clarior sit splendore generis quàm religionis munere. illo enim affectatur mobilitas; hoc non desideratur. habebat sibi vetus prosapia diversorum fasces honorum? habent & sacerdotes suos fasces, qui elevantur non humeris sed moribus; & attolluntur non virgarum proceritate, sed laborum perseverantia, fidei altitudine, pietatis fastigio. *circa finem cap. 22. lib. 5. de exc. Hier.*

S. Salvianus: Non est itaque quod competere quisquam aut nō obesse divitias religioni putet. impedimenta hæc sunt non adjumenta; onera non subsidia. possessione enim & usu opum non suffulcitur religio, sed evertitur; unde fallaces divitias vocavit Dominus: bona enim & putantur & appellantur, ac per hoc fallunt homi-

homines nomine præsentium bonorum, cùm sint causæ malorum æternorum. *lib. 2. contra avaritiam.*

S. Salvianus: Professio religionis non aufert debitum sed auget: quia adsumptio religiosi nominis, sponsio est devotionis; ac per hoc tanto plus quispiam debet opere, quantò plus promiserit professione: secundum illud: Melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. *lib. 2. contra avaritiam.*

S. Salvianus: Imò sub specie religionis vitijs sæcularibus mancipati, post veterum flagitiorum probrosa crimina, titulo sanctitatis sibimet inscripto, non conversatione alij sed professione nomen tantum demutaverunt, non vitam; & summam divini cultus habitum magis quam actum existimantes, vestem tantummodò exuere non mentem. Vnde illi se minore invidia criminosos putant, qui cùm pœnitentiam quasi egisse dicant, sicut mores pristinos, ita etiam habitum non relinquunt. nam taliter fermè omnia agunt, ut eos non tam putes anteà pœnitentiam criminum egisse, quàm postea ipsius pœnitentię pœnitere; nec tam prius pœnituisse quod male vixerint, quam postea quod se promiserint bene victuros; &c. *lib. 5. de gubernatione Dei.*

¶ Oratorum Graecorum.

Dio Prusæus: Huc ad vos iter converti, semper divina meliora fructuosioraq; existimans humanis, qualiacunq; sint. *Oratione 12.*

Themistius: Tu deinde tuæ erga homines curæ ac sollicitudinis initium à constituenda religione fecisti. Solus enim, ut apparet, non ignoras, non in omnibus posse subditos à Principibus cogi, sed esse nonnulla quæ vim omnem, ac necessitatem effugiant, minisq; omnibus sint, ac mandatis superiora: quemadmodum & cæteræ virtutes omnes, & erga Deum maximè pietas, atque religio. Porro in ejusmodi bonis, ut ne ea ficte cuipiam simulateque suppetant, liberam animi propensionem, suique juris, ac voluntariam principem habere locum oportere: Recte id quidem, ac sapienter prorsus animadvertẽs. Nã si neque hoc edicto tuo (Imperator) facere potes, is ut benevolus in te sit, cui non in animo istud collibuerit, quanto magis pios efficere, ac religiosos illos non potes qui hominum decreta reformident, brevem, ac minime diuturnam necessitatem, atque imbecillum terrorem, quem & sæpius tempora tulerunt, & sæpius abstulerunt. Hinc est quod ridiculè omnino non Deum colere, sed Purpuram convincimur, & in mutanda religione Euripo instabiliores sumus. Et olim quidem unus Theramenes erat: nunc cothurni omnes sunt: heri tantum non inter decem, hodie inter quadraginta numerari, iidem ad aras, ad victimas, ad simulacra, atque mensas. non ita (divinissime Imperator) fecisti: sed cum in cæteris Imperator & esses, & perpetuo sis futurus, quod ad religionem cultumque numinis pertineret, in cujuslibet esse arbitrio tua lege constituisti. Hac in parte Deum imitatus, qui cum naturalem quandam ad religionem propensionem communem omnium hominum fecisset rationem tamen, modumque colendi numinis in uniuscujusque voluntate ac libertate sitam voluit. Quisquis verò vim, ac necessitatem infert, is concessam à Deo potestatẽ eripit. Propterea Cheopis, & Cambysis leges vix cum illorum qui constituerant vitæ tempore adæquatæ sunt: divina autem, tuaque sanctio immobilis, ac sempiterna manet: uti uniuscujusq; animo liberè permittatur, quodcumque judicaverit, iter pietatis arripere. Hac ipsam vero legem neque opum, ac facultatum ereptio, neque cruces, neque ignis unquam perrumpere potuerunt: verum corpus quidem si ita contigerit abduces, atque interficies, animus autem libera una cum lege mentem circumferens avolabit, quamvis extortum ab lingua fortassis aliquid fuerit. At ego te etiam (Imperator) confido, divinæ istius legis rationem intelligentem hunc in modum illius vestigia esse consecutum. Nimirum hominem esse ita comparatum, ut quæ contentione quadam, ac certandi studio perficiat, in ea gerenda vehementius incumbat: quæ vero citra contentionem agat, ea lentius, ac remissius capessat: sic ipsa æmulorũ, atque adversariorum inopia oscitantes, atque inertes facit. Facilè enim semper animus ad laborem concertationis studio provocatur. Ob id egregiam illam pietatis contentionem non excludis: non illum ardoris erga divinum cultum, ac pietatis stimulum retundis, mutuum invicem certamen ac studium. Quemadmodum autem sub eodem certaminum moderatore, feruntur quidem cursores omnes, nec eodem tamen omnes curriculo, sed hac isti, alia illi parte: ita tamen ut ubique qui vincitur nullum præmium reportet: Sic unum tu maximum, ac verum certaminum præsidem esse arbitraris: ad eum tamen non una tantum via perveniri, sed aliam rectiorem, asperam aliam, aliam æquabilem, ac planam esse. Cæterum omnes ad idem illud diversorium pertinere: nec aliunde certamen hoc nobis, ac concitationem oriri, quam quod non eadem omnes via progrediantur. Quòd si una duntaxat relicta cæteras obstruxeris, certaminis campum, ac spatium obsepies. Verus hæc hominum natura est, & hoc dictum; Sacra alius Divorum alii facit, Homero antiquius est. Ac nescio an minime Deo gratum sit istiusmodi inter homines consensum reperiri. Natura quippe (ait Heraclitus) occultari amat, & ante naturam naturæ author, atque artifex Deus: quem ob id unum maximè veneramur, atque obstupescimus, quòd non proclivis sit illius cognitio, nec in superficie posita, aut ante pedes abjecta, nec aut sine sudore, aut alterá tantum manu apprehendere possimus.

Idem post pauca: Persis ipsis antea mutuo nobis infestiores eramus: quorum excursionibus molestiores quæ utraque ex secta, & ab ipsa Civitate accidebant, accusationes erant. Tibi (ô carissime Deo Imperator) ante actum tempus perspicui hujus rei exempla suppeditat. Sine ipsa in se suspensa trutina permaneat. Noli alteram in partem momentum illius deprimere. Patere undecumque ad cælum pro Imperio tuo vota, precesque pertingere. Neque tibi exercitus (Imperator) ullus ex una eademque hominũ specie conflatur: sed alii gravioris armaturæ sunt, equites alij, alij funditores: ac nonnulli ad tutelam corporis tui, ac præsidium dispositi sunt, alii ipsis proximi, alij longissime remoti, alij vero vel hoc ipso contenti sunt, si astipatoribus tuis cognoscantur: alii denique ne hoc quidem assequuntur.

Nihilominus tamẽ à te omnes animo, ac voluntate pendent, nõ milites modo, verum etiam cæteri omnes homines, & inermes subditi velut agricolæ, oratores, qui orationibus aures præbent, Philosophi. Hoc quoque varietate totius universi authorem, ac Principem delectari puta: Aliis institutis, ac ritibus uti Syros, aliis Græcos, aliis Ægyptios cupit, nec Syros adeo ipsos iisdem omnes legib. censeri, sed adhuc bifariam illorum instituti ratio distribuitur. Nullus enim eadem cum proximo suo penitus sentit; sed aliud uni, aliud alteri videtur. Quid nos igitur, quæ fieri nullo modo possunt violenter efficimus. Atque cum cæteri omnes Divinum Imperatorem nostrum amare de ea lege plurimum oporteat, tum eos potissimum, quibus non modo libertatem tribuit, sed & jura ipsorum explicat, nihilo sanè Empedocle deterius, veterem illum Empedoclem intelligo. Recte enim illud novit, unicuique humanorũ bonorum fraudem, ac fallaciam in propinquo esse positam, ita ut & magnificentiæ personam præstigiæ, & impostura pietatis assumant. Propterea cum alias promoveat, alias tamen prohibet, & cũ templa patefaciat, incantationum, ac præstigiarum sacraria intercludit, ac legitimis sacrificiis permissis, veneficiis licentiam nullam facit: prorsus eadem cum Aristonis filio Platone constituens: cujus vobis ego verba ipsa proferrem, nisi prolixiora ea essent, quam tẽporis ratio pateretur. *Oratione 12.*

Themistius: Non defuere patrum memoria importuni Principes, qui hanc vim afferre hominum animis conati sunt, ut quam ipsi religionem accepissent, eam cæteris ingratiis tentarent obtrudere: sed hoc unum effecerunt ut præsentis pænæ metu multos cogerent tegere, quod sentirent: neminem ad suam sententiam traducerent. Ita non Deum quem illi volebant, sed purpuram verebantur imperatoriam: neque tum unus ut quondam Athenis, sed omnes Theramenes existebant. Itaque apparuit postea, quid sentirent: & veluti suppressa aliquandiu flamma repente eluctata prorumpit & emicat, ita cum ad tempus simulassent, ad præscriptum Imperatoris colere se religionem, libere postea cum metus abscessisset, opiniones suas de divino numine protulere. Nihil enim diuturnum esse potest, quod simulatum est: simulatum est autem, quod metu, non ex animo suscipitur. Sapienter igitur à te decretum est, ut quam quisque religionem probabilem duceret, ad eam se adjungeret, in eoque animi sui tranquillitati serviret. Neque hæc à te primum lex excogitata est, sed æqualis est vitæ hominum, & jam inde ex omnium sæculorum æternitate à Deo sancita. Informavit enim Deus omnium mentes quamvis agrestium & barbarorum notione sui, studiumq; pietatis ita omnib. insculpsit, ut neque persuadendo; neque cogendo ex animis exui possit. Rationem verò & viam qua coli velit non præscripsit, sed cujusq; judicio voluntati permisit. Quocirca qui vim adhibet, pugnat cum Dei & naturæ lege: qui quã potestatẽ hominibus Deus tribuit, eam tendet adimere: Quanquã frustra omnis labor suscipitur. Stabile. n. & ratum nihil esse potest, ꝙ sit naturæ adversarium; ad exiguumque tempus ejusmodi leges (si modò legis nomẽ attingunt) durare possunt, suaque sponte extabescunt. Quod Cambysæ & aliorum quorundã legib. accidisse legimus, q̃ ꝙ Dei legẽ conarẽtur perrũpere, vix ad cujusq; ętatẽ, à quo erãt latæ, viguere. At Dei lex, q̃ eadẽ tua est, abrogari hominũ jussis nõ põt: & orta jã inde ex æternitate, per omnesq; nationes æquabiliter fusa, deinceps ad infinita ventẽtis tẽporis ætatẽ sancta & inviolata ꝓpagabitur. Est a. Dei lex, ut nulla necessitate volũtates nostræ devinciãtur, quo minus solutæ ac liberæ quã velint viã ingrediãtur, æterna illã & præstantissimã mentẽ angustè sancteq; venerãdi. Hãc neq; multatio bonorũ ex intimis animorũ sensibus eripere, neq; equulei paliq; perfringere, neq; enses ignesq; ꝓfligare, neq; vetustas ipsa, q̃ cætera cõficit omnia, delere põt. Corpus q̃dẽ ipsũ rapi à te ad suppliciũ & interimi põt: at animus, q vel Deus est, vel Dei satu generatus, neq; vinculis verberibusve coerceri, neq; vita multari põt: sed solutus à te cõpage corporis, & veluti magno beneficio affectus, lætus & alacer cũ Dei lege libertatẽ suã circũferens ad cælestẽ orã subvolabit, ubi neq; tyrannorũ diritas neq; carnificũ gladij terrere poterũt, quò minus se in optatissima quiete jactet, etiamsi lingua sensum explanare suũ non poterit. Arbitror a. Imp. te ꝓ tua sapiẽtia etiã causã huius divinæ legis perspexisse, eãq; ob causã diligenter eius vestigiis institisse. Vidisti. n. ꝓfecto, jacere solere ea q̃ nõ sunt hominũ studiis & cõtẽtionib. excitata. Artes q̃dẽ quarũ magnus in vita usus & delectatio est, nũquã ad tãtã sublimitatẽ & elegãtiã pervenissent, nisi artificiũ inter ipsos, discrepãtia judiciorũ, & certamẽ quoddã extitisset. Quippe ipsa Philosophia mater omniũ laudãdarũ artiũ ab exiguis orta principiis nõne doctissimorũ hominũ dissensione ita crevit, ut ab ejus absolutionẽ nihil desiderari videatur? Deniq; sic res habet. Industriã acuit & studiũ incẽdit hominũ inter se æmulatio atq; cõtẽtio; cõtraq; lãguorẽ & ignaviã animi

affert, omnia omnib. aſſentiri, nullaq; de re cõtrariis rationib. cõfligere. Atq; hæc eſt illa contentio quam utiliſſimã hominum vitæ elegantiſſimis verſibus ſcripſit Heſiodus. Habet igitur eandem rationem religio, quam omnes artes, omnes ſcientiæ, omnia quæ digna ſunt, in quibus parandis, vel ornandis ſtudium ponatur, Iamdudum vix aut ne vix quidem umbram ullam haberemus religionis, ſi omnium mortalium idem ſemper ritus ſacrorum eadem fuiſſet habendarum ceremoniarum ratio. Nunc varietate opinionum, & ad hunc diem altum auctumque eſt ſtudium religionis, & à poſteritate ad ſempiternum tempus ſtudioſè retinebitur. Qui currunt ſtadium, contendunt illi quidem omnes omnibus nervis ad eundem pervenire judicem, à quo præmio afficiantur: non tamen eadem omnes inſiſtunt via; ſed alius hinc, illinc alius, curſum intendunt. Ita tu unum eſſe magnum quendam & verum vitæ quaſi certaminis præfectum & moderatorem arbitraris: pergi autem ad eum non una via, ſed alia aſperiore, alia planiore; alia directa; omnibus tamen ad unum eundemque terminum, velut i diverſorium, perveniri: alacritatem autem & voluntatem properandi, non aliunde innaſci, quàm quod non eodem omnes utuntur itinere, ſed cuique integrum eſt qua velit via proficiſci. Sin unam viam reliqueris, cæteris obſeptis & intercluſis, nimirum contracto ſpatio urgebis eos anguſtiis & omne currendi ſtudium reſtinxeris.

Hæc hominum non recens ſed perantiqua natura eſt & qui illum fecit verſum,

Atque alius alij faciebat ſacra Deorum,

Homerum ætate antecedit. Nam ſi verum dicimus, Deo ipſi grata eſſe non poteſt hæc opinionum conſenſio, quam imperiti homines moliuntur; quin eam ipſe diſtinere, neque velle coaleſcere videtur. Nam natura (ut ait Heraclitus) occultari vult, multoque magis naturæ Dominus & fabricator Deus. Quocirca quod à cognitione noſtra ſe longiſſime removit, neque ad captum ingeniorum noſtrorum ſe demittit, ſatis argumenti habet, non poſtulare eum ab omnibus unum idemque jus religionis; ſed cuique de ſe ſua non aliena ſponte opinandi facultatem relinquere. Ex quo etiam evenit, ut major quædam in hominum animis admiratio divini numinis, & religioſior æternæ illius majeſtatis veneratio ingeneretur.

Fit enim ut quæ in promptu ſunt & ad omnem intelligentiam abjecta, faſtidiamus & pro nihilo ducamus: contra magni æſtimemus & admirationi habeamus ea quæ ſublata ſunt altius, quàm ut eò vis intelligentiæ noſtræ poſſit pervadere. Sed ut à te ipſo non diſcedam, Imperator, in exercitu tuo ordines, muneraque militiæ diverſa ſunt. ſunt Prætoriani milites, ſunt Legionarii: ſunt qui ex equo depugnent, ſunt qui pedeſtres rem gerant, ſunt qui funda vel ſagittis hoſtem feriant. habes qui intima familiaritate tibi conjuncti ſint, quibus conſilia tua concredas omnia: abſunt alii à tua cognitione longius; alii beatos ſe ducunt, ſi modò ulli è ſatellitibus tuis noti ſint, alijs de facie vix notus es; alijs ne hoc quidem contigit, ſed auditione tantum & fama nomen tuum accepere, & horum longe maxima ſubjectorum ditioni tuæ hominum pars eſt. Omnes tamen in tam diſpari munere & ſtatu ex te pendent, tuum nutum reſpiciunt, te ſibi regem divinitus datum agnoſcunt & gloriantur. Hac varietate etiam delectari exiſtimare debes Principem & moderatorem hujus univerſitatis. Aliam formam religionis vult eſſe apud Ægyptios, aliam apud Græcos, aliam apud Syros. Neque tamen apud Syros ipſos una omnium eſt, ſed alius alia vel religione tenetur vel ſuperſtitione conflictatur.

In amplis familijs liberi ſunt & ſervi, & horum in utroque genere mirabilem reperire licet appetitionum, judiciorum & ingeniorum varietatem: quæ tantum abeſt, ut domum dedecoret, vel dominum offendat, ut etiam mirum in modum familiam exornet, & non mediocrem dominus ex ea capiat voluptatem. Tota hæc machina, quæ ultimi cæli complexu continetur, quem mundum dicimus, magna quædam domus eſt, cui præeſt præſtantiſſima Natura, & ab omni contagio materiæ ſegregata, quem notiſſimo nomine Deum appellamus. Hic ab univerſo hominum genere, velut familia ſua, ſibi ut domino ſanctiſſimè deſerviri vult: ſic tamen ut nemini libertatem eripiat, quo minus ſuo quiſque utatur ingenio, imo gratiſſimum & jucundiſſimum ipſi ſit, videre infinitã hominum multitudinem, toto terrarum orbe ſparſam certatim in ſuo quemque & diſpari genere ad ſui cultum concurrere, & hoc ſibi ad gloriam & magnificum decus mirabiliter aptum patet.

Quæ igitur dementia eſt, id agere, ut omnes homines iiſdem opinionibus inviti imbuantur? quod neque fieri poteſt, neque ſi poſſit, debet. Tua ſapientior ratio eſt, Imperator, qui nemini opinionem extorques ſuam, ſed judicia relinquis libera; cum eo tamẽ ut ne per nomen & ſpeciem religionis, vel cauſæ perturbandæ reip. vel latebræ peccatis quærantur. Hanc ego legem commodiorem etiam judico, & utiliorem ſummæ Reipubl. quàm fœdus quod cum Barbaris nuper eſt ictum. Fœdere enim iſto aſſequimur, ut cum barbaris & alienigenis ne belligeremur: tua lege omnes ſeditiones & pugnæ inteſtinæ, quibus laborabamus, ſublatæ ſunt. Nam ſuperiore tempore, quod probè noſti, graviores eramus ipſi nobis, quàm omnis equitatus & peditatus hoſtium externorum: magiſque remp. afflixerunt delationes, quibus una religio adverſus alteram graſſabatur, quàm in provincias noſtras incurſiones omnium barbarorum. Quamobrem, Imperator, ſine paribus pendere libram examinatam ponderibus, neque committe ut alteram lancem impellas, ut paribus & concordibus votis omnes homines quacumque religione utantur, incolumitatem à Deo & diuturnitatem Imperio tuo precentur. *Oratione 20.*

¶ Romanorum.

Plinius: Hæc perſuaſio ſuperbiſſimis dominis erat, ut ſibi viderentur Principes eſſe deſinere, ſi quid facerent tanquam Senatores. Plerique tamen non tam ſuperbia quàm metu quodam ſubmovebantur. An ſtuprorum ſibi inceſtarumque noctium conſcij auſpicia polluere, ſacratumque Campum nefario auderent contaminare veſtigio? non adeo Deos homineſque contempſerant, ut in illa ſpatioſiſſima ſede hominum Deorumq; conjectos in ſe oculos ferre ac perpeti poſſent. Tibi contra, & moderatio tua ſuaſit & ſanctitas, ut te & religioni Deorum & judicijs hominum exhiberes. *cap. 36. fine Panegyrici ad Trajanum.*

Plinius: Civitas religionibus dedita, ſemper Deorum indulgentiam piè merita *fine cap. 74. Panegyr. ad Trajanum.*

Symmachus: Conſtantius princeps nihil decerpſit ſacrarum virginum privilegijs, decrevit nobilibus ſacerdotia, Romanis cæremoniis non negavit impenſas: & per omnes vias æternæ urbis lætum ſecutus Senatum, vidit placido ore delubra, legit inſcripta faſtigijs Deum nomina, percontatus eſt templorum origines, miratus eſt conditores. Cumque alias religiones ipſe ſequeretur, has ſervavit imperio. Suus enim cuique mos, ſuus cuique ritus eſt. Varios cuſtodes urbibus cunctis mens divina diſtribuit. Vt animæ naſcentibus, ita populis fatales genij dividuntur. Accedit utilitas, quæ maximè homini Deos aſſerit. Nam cùm ratio omnis in operto ſit; unde rectiùs quàm de memoria atque documentis rerum ſecundarum, cognitio venit numinum? Iam ſi longa ætas auctoritatem religioni facit, ſervanda eſt tot ſæculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes qui ſecuti ſunt feliciter ſuos. *lib. 10. Epiſt. 34.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus de vita ſua.

Suadere certè eſt æquius quam cogere,
Magisq; nobis convenit, & illis item,
Socrate ſummo nitimur quos Numini.
Nam quod coactis perq; vim quiſquam facit,
Nervis ut arctus vinctus, & firma manu,
Aut curſus animi nudiq; arctatus, ſtatim
Datur ut facultas, priſtinam vim deſpicit.
At ſponte quod fit, durat in cunctos dies;
Amoris ut quod vinculum ſtringat tenax.

¶ Fabula.

De Lupo, qui ſe religioni addixerat. *Fab. 134.*

Lupus in ſenium deductus, cùm non amplius venari poſſet, ſeſe religioni addixit, ſumtoque monachi habitu, cibum oſtiatim mendicabat. Reprehenſus ab alio lupo. quid vis, inquit, faciam? dentes deciderunt, currere non valeo, quare aliter vivere poſſe diffido.

Fabula declarat, multos homines religioni ſeſe addicere, quia aliter vitam degere nequeunt. Laur. Abſtemius.

¶ Emblematum.

Ideodatus Seba. Vera Religio.

Quænam, age, tam lacero veſtita incedis amictu?
Religio, ſummi filia vera Patris.
Cur veſtis tam vilis? opes contemno caducas.
Quis liber hic? Patris verba ſacrata mei.
Cur nudum pectus? decet hoc candoris amicam.
Cur innixa cruci? crux mihi grata quies.
Cur alata? homines doceo ſuper aſtra volare.
Cur radians? mentis diſcutio tenebras.
Quid docet hoc frænum? mentis cohibere furores.
Cur tibi mors premitur? mors quia mortis ego.

Batillius. LXIV.

Larvata religio.

Aſpicis ut vano larva terrore tremiſcat
Exanguis viſu diffugiatq; puer,
Vixque animus redeat, ni commonſtratur inanis,
Inque manus illi larva terenda datur?
Confuſam eripiunt multis Telchinea mentem,
Orgia, lymphato ſollicitantq; metu.
Quæ propius ſi perſpicias, ſe ludicra produnt,
Illaq; poſt tantum pertimuiſſe pudet.

Camerarius XLIII. Centuria 3.

Terræ commercia neſcit. *Avis paradiſiaca.*

Felices nimium quorum ſuper æthera mentes,
Sublata cuncta hæc infera deſpiciunt.

¶ Monosticha Trochaica.

Abdicat ſe humanitate religionem qui abdicat.

Absq; conjuratione relligio vix est nova.
Destruunt pleriq; sectas moribus vita malis.
Devoravit nata matrem Relligio gazam ut parit.
Ex contemptu, relligionis ne sapientiam aucupes.
Fingitur Relligio, alimenta sint inertia ut sua.
Magna gentium plerumq; relligio est in frivolis.
Majus est nil religione; nil fide est sublimius.
Mœnibus bene Vrbs, melius sed relligione cingitur.
Multitudini regunda relligio quidvis potest.
Nemo amicus alteri sit relligionis nomine.
Non curvant dites cervicem relligione, ast pondere.
Non opum fulcitur usu relligio, ast evertitur.
Non potest Deo esse charus quisquis est vita improba.
Non timent Deum, qui eundem non profunde diligunt.
Officium omne religionis absq; iure claudicat.
Nulla ratio homini cum cælo, si relligio tollitur.
Nulla relligio constringit quemquam, ut occultet scelus.
Quàm mage addis relligioni robur, tam mage accipis.
Quisnam adit Deum quàm egenus? quisnam honorat quam miser?
Quis popelli opinionem spectet in rebus sacris.
Relligio ac sapientia, unà, si non sunt, nihil valent.
Relligio diversa eundem populum in bella concitat.
Relligio fit opinione & mente recta de Deis.
Relligio minimè improbanda propter pastores malos.
Relligio non conditiones hominum, at animas inspicit.
Relligio omnis æstimatur mente sola, haud hostijs.
Relligio potest suaderi animæ; imperari non potest.
Relligio simulatur, quærat ut alimenta Inertia.
Religio tunc verticem effert, cùm superstitio jacet.
Religionem augere quæris? religionem vi premas.
Sæpe Iupiter neglectus incesto integrum addidit.
Spernitur sacras popelli circa res opinio.
Tempore æstimanda non est relligio, sed numine.

§ JAMBICA.

Auctoritatem relligioni ætas facit.
Custodia acris Religionis est metus.
Divina vulgi non requirunt calculos.
Etiam sine armis relligioni vincere est.
Nulla esse potest relligio, ubi nullus metus.
Populum ferocem mitiges Deum metu.
Post relligionem quis non ponat omnia?
Quidvis potest cogi; relligio non potest.
Quo justior quis, hoc est relligiosior.
Quod relligioni aufertur, omnibus perit.
Religentem oportet esse, religiosum nefas.
Relligio nulla cogitur: spontanea est.
Relligio nulla obstringit, ut tegas scelus.
Relligio ubique congruit cum moribus.
Relligio virtutum omnium fastigium.
Res tutior nulla est, timere quam Deum.
Sacra est ubiq; relligio caducei.
Summa est ratio pro relligione qua facit.
Superstitione relligio subvertitur.
Tollas metum, relligioq; ipsa tollitur.

RELIGIONIS AMOR, ET CONSTANS Professio.

§ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Daniel Propheta. Statuens Daniel cum animo suo ut non contaminaret se portione cibi regii & vino potionum Nebucadnezaris, requisivit à principe aulicorum ut non contaminaret se, & dixit promo, Proba quæso servos tuos (nempe Danielem, Ananiam, Misaelem & Azariam) diebus decem, denturque nobis de leguminibus quæ comedamus, & aquæ quas bibamus: deinde inspiciantur coram te vultus nostri, & vultus puerorum qui comedunt portionem cibi regii: & prout videris, age cum servis tuis, &c. *Daniel. 1. 8. 12.*

Patres quidam in concilio Ariminensi. Quum versutiam & fraudes hæreticorum orthodoxam fidem de Christi deitate labefactare contendentium suboluissent, dixerunt uno ore, Nos minimè huc propterea convenimus quòd essemus fide destituti (eam etenim integram servamus quam ab initio accepimus) sed ut, si quid novi quisquam de ea moliretur, ei obsisteremus. *Socrates lib. 2. hist. eccles. cap. 29.*

Iovianus Imperator. Cùm à militibus Romanis post Juliani apostatæ interitum, Jovianus Imperator eligeretur: Non possum, inquit, cùm sim Christianus, ejusmodi hominibus imperare, neque regere Iuliani exercitum, qui tam pestiferæ doctrinæ præceptis imbutus sit. Nam qui sunt ita instituti, hi divina destituti providentia, tum ab hostibus facilè expugnari, tum eisdem materiam ad lætitiam præbere solent. Quibus verbis auditis, milites conclamare uno ore ac dicere: Ne animus tibi, ô Imperator, ulla æstuet dubitatione, neque nostri imperium tanquam improbum devites. Nam & Christianis hominibus, & disciplina veræ pietatis educatis imperabis. *Theodoret. ecclesiast. histor. libr. 4. capit. 1.*

Iuventius & Maximianus. Milites Christiani duo, Iuventius & Maximianus, quæ in foro vendebantur aqua lustrali jussu apostatæ Iuliani aspersa esse audientes, in quodam convivio scelus illud horrendum deplorantes, dixerunt, O Deus, tradidisti nos regi iniquo, qui te deseruit supra omnes gentes terræ. Quos cùm Iulianus accersivisset, ut dicti rationem redderent, Nos, inquiunt, in vera religione educati, & legibus inprimis præclaris quas Constantinus & ejus filii tulerunt, obsecuti, non possumus non graviter & acerbè jam lamentari, cùm videamus omnia impio scelere referta, & tum esculenta tum poculenta nefandis & execrabilibus victimis contaminata. Ista nos & domi ingentem vim lachrymarum profundere, & coram te jam flebiliter conqueri coegerunt. Ista solùm in tuo imperio nos malè habent. Iulianus autem gravibus suppliciis eos privavit, imo verò iniquo & calamitoso tempore eripuit: & coronás victoriæ eis conciliavit. *Theodoret. lib. 3. Eccles. hist. cap. 14.*

Liberius episcopus Romanus. Quum Imperator Constantius Liberio, Romano Episcopo, Athanasij partes tuenti dixisset, Tantane orbis terræ pars, Liberi, in te residet, ut te solus homini impio subsidio venire, & pacem orbis ac mundi totius dirimere audeas? respondit Liberius, Esto quòd ego solus sim, non tamen causa fidei propterea fit infirmior. Nam olim tres solùm erant reperti, qui regis mandato resisterent. *Theodoret. eccles. hist. lib. 2. cap. 16.*

Felicitas. Sub Antonino Pio & Vero Felicitas, vidua Romana, primaria fœmina, ad Christi fidem conversa, suam quoque familiam cum septem filiis ad agnitionem Christi perduxit, & multas mulieres Christo lucrifecit. Publio urbis præfecto mandatum est, ut Felicitatem cogeret sacrificare diis, eoque sacrificio iram & pœnas deorum avertere. Huic autem minas precibus addendi Felicitas respondit, Nec blandimentis his moveor, nec terroribus & minis frangor. Spiritum sanctum habeo, qui mihi suggerit vires, ut parata sim pro fidei meæ confessione quidvis perpeti. Et ad filios conversa, Filii carissimi, inquit, in fide & confessionne persistite: vos jam expectat Christus cum sanctis suis: pugnate pro animabus vestris, & fideles vos exhibete Christo. Spectante matre filii horrendis suppliciis affecti sunt. Postremò mater quoque ipsa necatur, anno Veri sexto. *Beda.* De constantissima illa heroina extat elogium apud Gregorium, quod ut scitè dictum apponemus. Felicitas credendo extitit ancilla Christi, prædicando verò mater Christi facta est: prædicando peperit filios Deo, quos carne pepererat mundo. Filios suos carnem suam esse noverat, sine dolore morientes videre non poterat. Sed erat vis amoris interior, quæ carnis dolorem superabat. Rectè igitur hanc fœminam ultra martyres dixerim, quæ toties est in filiis & desideranter extincta. Dum enim multiplex martyrium obtinuit, ipsa quoque martyrii palmam vicit: quia ob amorem Christi sola ei sua mors minimè suffecit. Felix quæ octuplici patientia, octies martyr, octo donanda coronis, cælum ascendit. *Marullus lib. 5. cap. 6.*

Christiani Nicomedienses. Quum natalis Christi festus adesset dies, & multitudo ætatis omnis, quæ Christi censetur, in templo Nicomediæ natalem eum celebratura convenisset, Diocletianus, Ecclesiæ persequutor acerrimus, veluti opportunum tempus & lucrosam occasionem nactus, per quam furorem suum adimpleret, misit eò qui templum clauderent, & ignem circumcirca accenderent. Aderat ibi præco, qui voce clariore promulgabat, ut qui vivere vellet, ex templo exiret, & in proxima Iovis ara thura adoleret: alioqui, nisi obtemperaret, unà cum æde ipsa conflagraturus. Tum verò in templo ipso quidam pro multitudine ea omni, cum insigni libertate propalam respondit, & pulcherrimam illam edidit vocem: Omnes nos Christiani sumus, unum eumque solum Deum & regem credimus esse Christum, & ipsi Patrique ejus, & Spiritui sancto sacrificari, atque omnes unà efferri facilè parati sumus. Vix ille dixerat, & ignis est accensus, qui in temporis veluti momento ecclesiam omnem complexus, illos omnes, viginti millium numerum explentes, in cinerem redegit. *Niceph. eccl. hist. lib. 7. cap. 6.*

Anonymus. Doctrinam nostram non verborum fraude, aut disserendi aliqua arte, primi ejus autores atque adeo spectatores prodidere, sententia & fide nuda bonisque operibus simpliciter & apertè fundatam. *Niceph. eccles. hist. 8. cap. 15.*

Theophilus Iunior. Quum audisset Theodosius junior Ioannem quendam, Scribam primarium, imperii affectatorem, non sine peculiari Dei providentia oppressum fuisse, sic populum ludos circenses peragentem affatus est: Relictis his oblectamentis, huc potius, si videtur, nos referamus: ad Ecclesiam profecti, preces Deo, quibus illi pro tyranno ipsius manu occiso agamus gratias, piè fundamus. Quæ cùm dixisset, non modò spectaculis finis impositus est, verum etiam omnes illis neglectis, per medium circum una voce gratiarum actione pariter cum Imperatore decantantes iverunt, rectaque ad templum contenderunt: ibique totum diē commorati sunt, & civitas universa instar unius fuit Ecclesiæ. *Socrat. eccl. hist. lib. 7. cap. 23.*

RELIGIONIS UT VIRTUS.

§ Apophthegm. Christianor.

Theodosius major. Magno apud magnos olim in pretio habita Religio: cujus non solùm observandæ, sed & amplificandæ tantum studium apud plerosque fuit, ut vix ullum ei par viderit hæc ætas. Arcadium & Honorium Imperij sui heredes & filios, ita moriens hortabatur Theodosius major: *Imprimis & ante omnia religionem & pietatem excolite, per quam & pax servari, & bella confici & hostes fundi, & trophæa statui, & denique victoria obtineri poterunt.* hinc benè Horatius:

DI multa neglecti dedère
Hesperiæ mala luctuosa.

Cedrenus in Theodos.

Platinus anonymus. Erat hic ex Henrici VIII. regis asseclis: qui conspicatus quosdam morti adjudicatos; hos ob Catholicam fidem propugnatam, illos propter oppugnatam, *Na,* inquit, *imposterum ego regiæ Religionis ero, id est nullius.* magis impiè quā olim Ethnici: quorum ea maxima; Omnes Religione moventur, eaque vita constat. *Sander. lib. 1. de Schis. Angl.*

Vide Apophthegm. de Christianismo. Christi honore. *&c.*

RELIGIOSI STATUS.

S. Laurentius Patr. Venet. Quamvis in omni vitæ statu salus benè operanti advenire possit, ac merita laborum merces rependi: illum nihilominùs excellentiorem præstantiorémve existimamus, qui magis compendiosâ, licet angustiori semita, ad vitam ducit operantem: estque is quem Religiosum dicimus. cujus egregiam dignitatem & præstantiam quandoque dicto suo expresserunt viri Religiosi. Et quidem Laurentius Patriar. Venet. de bono Religionis differentibus dixisse commemoratur: *Consultò Deus gratiam Religionis hominibus occultavit: nam si cognosceretur illius felicitas, omnes ad eam concurrerent.* Sur. tom. 1. in Vita.

Idem. Adolescentem nobili genere oriundum, qui fratrum suasu cœnobium ingressus vitæ monasticæ se dederat, patri restituit, eique causam sciscitanti; *Religionis,* dicebat, *propositum à Spiritu sancto est: non ab humana suadela.* Sur. tom. 1. in Vita.

Pambo Abbas. Ille verò hoc modo juniores qui religioni se consecraverant, hortabatur: *Talis esse debet Religiosus, quale corpus mortuum; quod neque voluntatem habet; neque sensum: aut qualis baculus in manu senis, qui eo ad arbitrium utitur.* In vitis PP. de Obedien.

S. AEgidius. Neque hunc silentio involvendum sentio: qui roganti, quidnam esset Religio; *Curia,* ajebat, *magni Regis, in quam ingredi cuivis datum, & nullius reputatur artis: at non ita, benè & competenter in ea conversari.* Notabat autem, plures Religionem ingredi, & manere irreligiosos; at (ut habet vulgatum) cucullam non facere monachum. *Ex Sent. aureis S. AEgidij.*

S. Franciscus. At in Religionis & fidei obedientia nullius valoris esse genus, opes, formam, quæ sunt velut mundi quædam numismata, facto dictoque asseruit Minorum pater Franciscus. Dum enim asello veheretur, eumque collega duceret, cœpit is intra se dicere; Non de pari ludebant parentes ejus, & mei: tamen ipse equitat, & ego pedes ejus asinum duco. Hoc eo cogitante, descendit asino vir sanctus, & ait: *Haud æquum est frater, me asino, te pedibus incedere: quia me longè in sæculo nobilitate & potentia superasti.* Obstupuit alter, & rubore suffusus, veniam cum lachrymis petivit. *Bonav. in Vita, cap. 11.*

S. Hilarion. Neque illud infimum Religionis bonum, quòd in ea conviventibus omnia sint communia, uti olim sanctis Apostolis: ita ut distribuatur unicuique prout ei necessarium fore Superiores perspexerint. Quare Hesychium monachum reprehensum ab Hilarione, testis est Hieronymus, quòd propriæ libertatis amantior, ab aliis segregatus viveret. Itaque ut gratiam apud Hilarionem iniret, ei fasciculum cicerum ex horto detulit, quibus ad mensam appositis, tantum fœtorem fructus ille proprii studii per eam diffundit, ut Hilarion exclamaret: *Non sentis putorem teterrimum, & in cicere latere avaritiam? mitte bubus, mitte brutis animalibus, & vide num comedant.* Hieron. in vita Hilarion.

Franc. Borgia. At hic *Religiosam vitam* dicebat *crucem esse perpetuam & martyrium:* quòd Religiosus seipsum vincere necesse habeat, & perpetuò obtemperare ex voto debeat. *lib. 4. Vit. cap. 8.*

RELIGIOSI HABITUS.

S. Anastasius Martyr. Non ipsam Religionem modò, sed & Habitum ejusdem indicem in pretio habuisse, laudi datur. In terram prostratus Anastasius, dum tam crebris pulsaretur ictibus, quàm imber deorsum guttas emittit; solam illam à percutientibus gratiam efflagitavit, ut religiosum amictum exueret. rogatus, cur ita; *Ne,* inquit, *is unà cum meis membris probro afficiatur.* Sur. tom. 1. in Vita.

Ludovicus Caroli II. Franc. Reg. F. Ejusdem ordinis est quod sequitur. Dum spreto Franciæ regno, & paterna hereditate, Ludovicus ad S. Francisci institutum transivisset; gratulabundus ei de confratribus, dixit: Multum hodie splendoris Franciscanæ familiæ per te accessit. Cui ille: *Quinimò, multo amplius mihi per hunc habitum.* Hier. Platus lib. 2. De bono statu Relig. cap. 37.

Remedij.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

EPictetus: Quicquid inciderit, in eo memento, ad te conversus, inquirere, qua facultate sis ad usum ejus instructus. Si quem formosum formosamve videris; ad eam rem temperantiæ facultas in promptu erit. si labor objectus fuerit, tolerantiam reperies. si convicium patientiam invenies. quod si te ita consuefeceris, visis non obtemperabis. *cap 14. Enchiridij.*

Simplicius: Ægrotans & remedia morbi scripta inveniens, meritò profectò erubescas, si ea perspicuè distincteque legat, atque aliis etiam, si opus sit, declaret; ipse autem morbi sui remediis non utatur. *ad cap. 73. Epicteti.*

§ Latinorum.

S. Valerianus: Maxima est spes recuperandæ salutis fontem nosse languoris. *Homilia 20.*

Quintilianus Senior: O miseram liberandæ adolescentiæ meæ sortem, & malis quoque ipsis tristiora remedia. *Declamatione 377. m.*

Calpurnius Flaccus: Nec remedia quærenda sunt, ubi major supplicij sanatio. *Controversia 11.*

Calpurnius Flaccus: Profiteor mortem me filii non quidem velle, sed malle. Vos cogitate quanto sint mala illa graviora, quorum sunt etiam remedia crudelia. *Controversia 35.*

Quintilianus: Illa vera sunt remedia, quæ fugatis morbis causisque languoris postea non sentiuntur: & ea tantum innocenter dabuntur, quæ potentiæ suæ qualitate consumpta, desinunt cùm profuerunt. *Declam. 14. §. 10.*

Nazarius orat. in Constantinum Aug. Facilior quidem & multo proclivior lædendi quàm commodandi semper est via; vulnerare integrum quam saucio mederi, dissipare rapta quàm divulsa componere. cessit tamen rerum hæc conditio Principi nostro; nam quidquid mali sexennio toto dominatio feralis inflixerat, bimestris ferè cura sanavit. *cap. 33.*

Symmachus: Ergo quoniam remedia minora non prosunt, ad majora confugimus. *lib. 7. Epist. 66. m.*

Symmachus: Quæso ut utilitati publicæ velox remedium porrigatis. urgentibus enim causis, negari non potest illatio solennis impendij. *lib. 10. Epist. 50. f.*

§ Monosticha Trochaica.

A blandæ modo medicinæ transeas ad asperum.
Asperat medela morbum sumpta tempore haud suo.
Contumax feroxque contra remedium omne fit dolor.
Detegat morbos oportet sanus esse qui cupit.
Explices necesse morbum est si levari eo velis.
Extremo ferè servantur medicamenta fortia.
Haud queas morbos medicamine omnes curare unico.
Indices necesse est morbum, liberari illo si aves.
Non potes curare eodem quoslibet morbos modo.
Nulla adhuc remedia inventa contra feminam malam.
Purulentum ulcus curatur sectione, haud carmine.
Quidquid extimescimus, remedium habet, aut solatium.
Remedium contra venena & de serpente quæritur.
Sæpe vulnero gravior ipso vulneris curatio est.
Summa ibi spes est salutis, morbi origo ubi patet.
Tardiora sunt remedia naturæ, eheu, quam mala.
Tristiora sæpe & ipsis ipsa remedia sunt malis.
Vulneris persæpe cura gravior ipso vulnere est.

§ Jambica.

Animo mederi nemo polluto queat
Collyrium unum, non medetur omnibus.
Collyrio uno oculi haud curantur omnium.
Contrariorum remedia etiam contraria.
Cuivis remedium haud facile inveniat quis malo.
Curanda sunt quædam ægris ignorantibus.
Dulci oblinas amara succo pharmaca.
Etiam ubi mori remedium est, occidere est scelus.
Et ferrum & ignis sæpe medicinæ loco est.
Etiam remedia insunt malorum ipsâ in morâ.
Graviora quædam sunt remedia periculis.
Iners malorum remedium, ignorantia est.
Magno malo remedium haud postules leve.

Malagma quæras jam subnascenti ulceri.
Malum inveteratum, idem malum incurabile.
Medela summis unica est mors in malis.
Morbos remedium sæpe adauget, non necat.
Multos remediis sanes & fallentibus.
Nodus malus cuneumq; postulat malum.
Nodo malo malus petendus cuneus.
Non est amarum quod secat salubriter.
Nullum antidotum invenire adversus Cæsarem est.
Remedio ex ipso, sæpe vitium nascitur.
Remedio oportet abesse contumeliam.
Remedia dura diuturni morbi haud ferunt.
Remedia ne graviora sint, quàm noxia est.
Remedia ne sint duriora periculis.
Remedia quædam tristiora sunt malis.
Remedia suspectanda, quorum usus latet.
Remedia sunt pro nullis quæ adsunt serius.
Sanant quoque ægros ustio atque sectio.
Sæpe arte morbus plus valet medentium.
Sæpe in mali morâ, remedium inest mali.
Semper doloris remedium est oblivio.
Sine remedio timere quid, stultissimum est.

Reminiscentiæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus:* Cæsarium non habeo, dicam enim etsi parorum philosophicus est affectus: Cæsarii rebus acquiesco, & si quid aliquando videam quod mihi memoriam illius refricet, hoc amplector atque exosculor; ac velut cum intueri mihi videor, simulque versari & confabulari. Id adeo mihi nunc in literis tuis accidit. nam simul ac primam epistolæ partem legi, ac Philagrium te nomineque mihi suavissimum vidi, omnes mihi veteres jucunditates in animum repente subierunt; urbes, studia, mensa, paupertas, atque jucundissima sodalitii, vel ludicra, vel seria, literarii sudores, communes præceptores, spei sublimitas, ceteraque omnia laudum ornamenta, quæ quisquam percensere possit: quorum ego sola recordatione apprimè delector. *Epistola 40.*

Maximus Tyrius: Cretensis quidam Athenas olim venit, Epimenides nomine, qui Atheniensi populo mira quædam nec admodum creditu facilia adferebat. Se cum aliquando clara luce in Dictæi Iovis antrum secessisset, multos ibi annos alto sopore oppressum fuisse, Deosque in somnis vocesque eorum usurpasse, atque ita veritati litasse & justitiæ. Qua fabula nihil aliud videtur mihi indicare voluisse Epimenides, quam vitam hanc animæ humanæ respectu, nihil aliud quam longum multorumque annorum esse somnium. Quod tamen persuasisset facilius, si Homeri versus, ubi de somniis poeta agit, adjunxisset. Vult enim ille alibi, duas esse somniorum (nam ita vocat) caducorum portas, alteram eburneam, corneam alteram. Jam somnia illa quæ per corneam transeunt, vera esse & fide digna. Altera contra inania & fallacia, nihilque quod vigilanti in mentem venire possit, animo offerre.

Eodem pertinebat Epimenidis sive fabula, sive vera historia. Somnium enim revera hæc vita nostra est, quo in corpore hoc defossus ille animus, satietate nimia & crapula, vix unquam de veritate rerum somniat: & hæc ipsa quæ vident per eburneam plerisque portam adveniunt. Cum contra si pura alibi ac sobria sit anima, & quam minimè hæc sive crapula afflat sive satietas, huic verisimile sit alteram per portam advenire somnia: eaque ipsa manifesta ac distincta, veroque quam proxima. Hoc Epimenidis fuit somnium. Primus vero Pythagoras Samius dicere ausus est, interiturum esse corpus suum, animam vero mortis immunem seniique evolaturam esse: priusquam enim huc veniret, extitisse olim. Crediderunt vero & hoc homines, & quod olim corpore alio in terra vixisset, Euphorbus Trojanus. Quippe & hoc ipsum ita persuadebat. Forte fortuna Minervæ templum intrabat, in quo multa variaque dona cum videret, inter alia clypeum, forma Phrygium, vetustate jam detritum invenit. Hunc se novisse dixit: in Iliaco enim prœlio ab eo ereptum sibi fuisse, à quo & interfectus est. Quæ verba cùm vehementer admirarentur cives, detraxerunt clypeum, in quo inscriptionem hanc invenerunt: PALLADI MINERVAE AB EUPHORBO MENELAUS.

Si vis & aliud tibi referam. Homo fuit Proconnesius, cujus corpus aliquandiu humi jacebat, non plane quidem sine spiritu, ita tamen ut vix quicquam superesset vitæ, mortique esset quã proximum. Interim anima relicto corpore in cœlo ad instar avis errabat, omniaque infra se posita videbat: terram, mare, fluvios, urbes, gentes hominumque affectiones, & naturas quaslibet. Mox reversa corpus intrabat denuo ac erigebat: quo velut instrumento usa quæcunque usquam viderat narrabat.

Quid ergo hæc Epimenidis Pythagoræ ac Aristeæ volunt sibi? Aliudne existimas quam ocium quod vir bonus à voluptatibus reliquisque corporis affectionibus agit: cum à tumultu illius vindicata anima, penitus in se mentem convertit suam, atque ita denuo relictis rerum simulachris, ipsam contemplatur veritatem. Nihil certe aliud hoc quam suavis quidam somnus est, in quo somnia quidem quamplurima, verissima tamen omnia se nobis offerunt. Non aliud, quam si alis quibusdam in altum noster erigeretur animus, non supra summa tantum montium juga, quamdiu in caliginoso hoc & confuso versatur aere, sed longe sublimius in immutabili illo æthere, à serenitate simul & quiete ad contemplationem veritatis leniter deductus. Quæ autem est tandem ea deducendi ratio, aut quo potissimum convenienter eam designabimus nomine? An disciplinam, an eodem cum Platone nomine reminiscentiam dicemus? An utrumque simul, hoc & illud, ut duo videlicet rei uni tribuamus nomina? Talis ea est ergo reminiscentia, quale illud quod interdum oculo accidit, cui cum semper videndi adsit potentia, nonnunquam tamen caligo aut tenebræ viam ipsam obsident, quæ à contemplatione rerum oculum avertant.

Accedit ergo ars, quæ licet videndi illi non tribuat potentiam, impedimentum tamen tollit, liberumque radiis egressum concedit. Puta animam nostram talem esse videndi potentiam, quæ ea quæ sunt natura perspicit & cognoscit. Huic communi corporum evenire calamitate, ut caligo offusa, eripiat aspectum, aciem obtundat, propriumque lumen extinguat. Accedere postea rationis artem, quæ tanquam medicus scientiam illi quidem non confert, aut præbet novam: sed eam quam habet, licet tenuem admodum confusamque ac vacillantem, erigit. Sicut ergo gravidis artem simul manumque obstetricia admovet, fœtum excipit, dolores mitigat, simulque fœtum jã maturum in lucem educit, puerperamque dolore liberat: eodem modo animæ jam gravidæ, jam partui propinquæ obstetricatur ratio. Ita tamen ut quamplurimæ, vel obstetricum imperitia, vel dolorum vehementia, vel ignavia abortiantur seminum: paucæ contra raræque ad finem suum perveniant animæ. Finem dico perfectum ac plenum, quique à majoribus non degeneret suis. Ipsa autem animi conceptio, mens dicitur, partitudo sensus, partus ipse reminiscentia. Sed & omnes animæ natura pariunt, partitudines sensu sustinent, pariunt ratione.

Sicut igitur nihil sine semine, nec aliud à semine, ut homo ex homine, bos è bove, olea ex olea, vitis è vite, nascitur: sic etiam si veritatem intelligat animus, necesse est vera illa esse, quæ animo insita sunt semina. Quod si sunt, etiam semper fuerunt: si semper fuerunt, immortalia sunt. Ut nihil aliud sit quam quædam, ut ita dicam, eorum quæ in animo sunt efflorescentia seminum, scientia, ac matura vere perfectio: quam contra ignorantiam dicunt, nihil aliud quam quidam quasi torpor eorum. Quod si corpori similis sit anima, morti videlicet obnoxia & corruptioni si dissolvatur & putrescat, magnifice de ea loqui vereor: sicut nec magnifice de corpore loqui possum. Caduca namque periculisque proxima, dubia, incerta, intemperansque res ejus respectu homo est. Si talis sit animus, nec scire quicquam nec reminisci poterit nec discere. Facilius enim cera sole liquefacta impressam sigilli imaginem servaret, quam disciplinam animus, si quidem sit corpus. Mutatur enim corpus omne ac movetur, celeriterque Euripi instar huc illuc fertur. Nunc ex infantia in pubertatem excrescit, nunc ex juventa in senectutem delabitur. Talem esse animum, neque Pythagoræ neque Platonis concedunt oracula. Sed nec id judicavit qui præcessit eos Homerus, cui etiam apud inferos loquuntur animæ, ac ne ibi quidem divinare desinunt. Idem fere dicit citharœdus ille apud eum alibi:

Sponte mea didici. tribuerunt numina musam.

Nec fallitur: sponte enim discit animus, scientiamque à Diis natura sua copiose consequitur. Nisi fortè reliqua quotquot sunt animalia sponte opera sua cognoscere, nec præceptorem ullum agnoscere dicamus; non ad fortitudinem leones, non ad fugam servos, non ad cursum equos: (ut aves taceam, quas in arborum culminibus spontanea arte nidos suos contexere, araneasque quas spontaneo filo retia sua in aere suspendere, sicut & lustra serpentes, & antra pisces natura mater docuit: quod omnes denique animalium artes singulæ generi suo ad salutem tuendam à natura donatæ sunt) homini autem cunctorum animalium, quod ad intellectum, facile principi, insititiam forisque inductam tribuamus scientiam? Apage. Alterum enim necesse est, ut aut invenerit quod scit, aut didicerit. Quorum utrumque per se infirmum est, nisi natura adsit scientia. Qui invenit enim quomodo utetur invento si usum ignoret illius? Si enim mediterraneus aliquis, ut est apud Homerum, cuidam occurrat, qui temonem navis gestat, dicet;

Vanum hominem gestare humeris ingentibus illum.

. . . .

. . . . Quæram unde didicerit. Ex eo enim qui nescit scire non potest: sin ex eo qui scit, quæram ex præceptore quo pacto & ipse didicerit. Necesse enim & hunc vel invenisse vel didicisse. Quod si invenit, rursus quæram quo pacto uti potuit, si non intel-

lexerit. Sin ex alio didicit, libebit & hunc interrogare. Quando autem desinemus tandem, quove loco consistet discendi ex aliis modus? Necesse est enim tandem ad eum nos deducat, qui non didicit, sed invenit. Cui eadem illa dicemus : atque ita sponte ad id quod quæritur nos deducet ratio. Propria enim animæ est inventio, quæ spontanea genuinaque & agnata est nobis: neque aliud quam opinionum est in animo excitata veritas; quarum excitatio atque ordinatio scientia dicitur. Ipsam si lubet cum milite confer, qui in castris extra ordinem passim oberrat suum & vagatur. Aut potius, ut Homerum sequamur, fingamus noctem esse, quietemque in castris profundam, aliosque omnes ordine somno sepultos altissimo jacere,

An non Atriden pastorem Agamemnona gentis,

detineat: qui ordine omnes excitet, aciemque instruat:

——equites & robora primum,
In medio jubeat timidas procedere turmas.

Tale quid existima & in animo fieri nostro, noctem videlicet somnumque in ea qui cogitationes ejus opprimat oboriri profundum. Rationem autem imperatorem esse aut regem (vel quodcunque eam appellare velis) qui singulos adeat, sopitos excitet, excitatos ordine disponat. Somnum ipsum oblivionem, excitationem è somno, reminiscentiam voca. Curam vero conversationemque eorum quos jam ordinavit ratio, memoriam. Excitatur autem paulatim reminiscentia, dum aliud ex alio inquirit anima, & à præsenti ad id quod futurum est quasi manu deducitur. Videre etiam in actionibus humanis ejusmodi reminiscentias licet. A Demodoco in Phæacum convivio canitur,

Lis Laertiaden Pelidenq; inter Achillem.

Adest Ulysses, cantilenam audit, auditam agnoscit, lachrymasque effundit. Quis igitur dubitet, quin ab hoc tanquam principio ad reliqua quæ ibi gesserat ejus abierit animus: corpusque una cum Phæacibus ibidem loci potaverit, pars altera in Ilio fuerit: dum singula quæ ibi viderat memoria ruminat, infinitaque quæ ad tempus illud conspexerat, uno hoc admonitus, tanquam præsentia cernit iterum? Quid quod sæpe aliquis lyram cum videt, de amasio suo cogitat, qui tractavit eam? Agilis namque & expedita est reminiscentia. Sicut enim ea quæ facile moventur corpora, motum tamen impulsumque manus requirunt, à quo initium cum semel acceperunt, diutissime eum conservant: sic mens nostra, ut in memoriam redeat, exiguum nacta principium, quod à sensibus accipit, longe lateque plurima reminiscitur. Res enim singulæ sive præsentes eæ sive anteactæ sint, quas semel contemplatus est animus, aliquo inter se cohærent modo. Aut tempore, sicut noctem dies, juventutem senectus, ver æstas excipit. Aut affectione, ut pulchritudinem amor, contumeliam ira, secundam fortunam gaudiū, adversam mœror sequitur. Aut loco, ut

Pharinq; Spartamq;, columbiferam quoque Thisben.

Aut distributione,

Bœotis dux Peneleos & Leitus heros,
Arcesilausq;, Prethoenorq;, Cloniusq;.

Aut potentia,

Iupiter Ajacis da vel magni Diomedis,
Divitis aut sortem regis prodire Mycenæ.

Sensus igitur qui tanquam in vestibulo constituti sunt animæ, simulac rei alicuius arripuerint initium, mentique tradiderint, mēs vicissim hæc arripit, reliquaque hujus intuetur beneficio, donec ea quæ vel temporis, vel naturæ, vel distributionis, vel loci, vel honoris, vel potentiæ ratione inter se cohærent, omnia simul percurrit. Sicut enim in longe aliqua tenuique hasta fieri videmus, ut extremam qui partem movet, motum illum ad alteram usque finem per totam diffundat: aut in longo protensoque fune, primam qui partem quatit, totum necessario, eunte ad finem usque motu illo, movet: ita exiguo tantum ad recordationem rei totius menti opus est initio. Jam præclaræ indolis homo, & ad virtutem natus, illud à se sumit initium: mox viam ingreditur mentisque contemplationes tanquam itinere instituto petit: quas & assequitur, & recordatione volvit ac memoria. At qui minus à natura consecutus est, Socrate opus habet, non qui doceat quicquam, sed tantum interroget, ac examinet: ipse enim quæ vera sunt respondet. Quis autem respondebit quæ ignorat? Nisi quis hominem existimet, qui manu deducitur dum incedit, non incedere. Quid autem inter eum interest qui manu ducit, & qui interrogat, aut eum qui incedit & qui respondet? Alter enim à se actionem habet, alter confirmat illam & regit. Sed neque ille qui manuducitur, discit incedere, neque qui interrogatur, discit respondere. Et tamen uterque, alter quidem incedit, potest enim: alter respondet, novit enim. Uterque autem utrunque confirmat & juvat. Corpus enim à natura habet quod incedit, quod ratiocinetur animus. Qui si æternus est, ut est revera, necesse est ab æterno intellectus illi rerum inesse & scientias. Cum vero duplici vita fruatur anima, altera pura, clarissima, nullis exercitata calamitatibus, altera turbida, concitata, diversisque fortunæ intricata casibus: hic dum versatur obscuritate plurima perfusa est & caligine, & quod temulenti solent, capitis vertigine laborat. Inter hæc non secus quam immodica vini ingurgitatione exæstuans, non longe abest ab insania: nisi quod interdum se colligit, ut neque plane vacillet, neque omnino sincera utatur ratione, sed in ignorantiæ rationisque sedeat confinio. Postquam vero hinc illuc tanquam è Cimmeriorum terra se subduxerit, claroque frui cœperit æthere, nec amplius cum corpore morbisve aut ullis luctatur calamitatibus; tum demum veritatem ipsam perspicit, puraque ratione assequitur. Tum in Deorum Deorumque filiorum recepta consortium, supra summos cœli cum iis vagatur fornices, divinæque aciei ascribitur, cui imperator præest ac dux Jupiter. Tunc integra utitur memoria, nunc tantum reminiscitur. Tunc confidit sibi, nunc errat tantum. Præclarus nihilominus animus, & qui corporis sui hospitem bonum nactus est Deum, etiam hic à tumultu se vindicat: relictoque quantum in se est corporis consortio, quæ vel vidit ibi vel audivit, ruminat memoria. Nec aliud est cur Mnemosynen Musarum matrem esse tradant poetarum fabulæ. Nihil enim aliud Musæ sunt illis quam scientia: chorus videlicet divinus, opusque Jovis, quas producit ordinatque Mnemosyne. Colamus Musas, colamus Mnemosynem. *Dissertatione 27 Utrum disciplinæ sunt reminiscentia.*

¶ Latinorum.

Latinus Pacatus: Si dulcis in bonis miseriarum recordatio est, si nautas tempestatum, si medicos juvat meminisse morborum, cur non tu quoque mala nostra audias, ut tua beneficia recognoscas? *cap. 24. Panegyrici Theodosio dicti.*

Orosius: Dixisse Æneam Virgilius refert, cum post pericula sua suorumque naufragia residuos ægre socios solaretur: forsan & hæc olim meminisse juvabit. Hæc sententia semel aptè ficta, semper vim sui triplicem diversissimis affectibus refert: cùm & præterita tanto gratiora habentur in verbis, quanto graviora referuntur in gestis: & futura dum desiderabilia fastidio præsentium fiunt, semper meliora creduntur: ipsis autem præsentibus ob hoc nulla in parte miseriarum justa comparatio adhiberi potest; quia multo majore molestia afficiunt, quantulacunq; sint ista quæ sunt, quàm illa sive transacta sive ventura: & si magna dicuntur, interim omnino tunc non sunt. velut si quis nocturnis pulicibus titillatus, atque ex eo vigiliis anxius, alias fortè quas aliquando ex ardentissimis febribus diu sustinuit, vigilias recordetur; proculdubio impatientius feret istarum inquietudinem, quam illarum recordationem. Sed quamvis apud omnium sensus pro captu temporum ita videri queat, nunquid tamen aliquis existet, qui vel in ipsa anxietate pronunciet, graviores pulices esse quam febres? aut acerbius, accipiat se vigilare sanum, quàm dormire non potuisse moriturum? Quæ cùm ita sint, delicatis istis & querulis nostris utramque concedo, ut hæc quibus nunc, quia sic expedit, interdum admonemur sentiendo, gravia putent. *præfat. libr. 4. adversus Paganos cap. 6.*

Repentini.

¶ Monosticha Trochaica.

Altius terret repente quidquid inscio accidit.
Hostium adventus recentes territant, non cogniti.
Haud ullum stultis beneficum est, quam quod sub oculis est.
Non ita expectatus hostis terret; ut recentior.
Paulisper animum sapientis & repentina emovent.

¶ Jambica.

Etiam viros fortes subitus exterreas.
Facile imparatum vel parvâ manu opprimas.
Inopina vitæ est summa mors felicitas.
Mors non opina, mortium optatissima.
Quis non pavescit ad repentina omnia?
Quod ante non provisum est validius ferit.
Terrent repentè visa, visa non prius.
Victor recedit qui repentinò advenit.

Repetitionis.

¶ Monosticha Trochaica.

Centiesq; milliesq; repetas usui omnibus.
Neminem non tædeat rem eandem audire millies.
Non potest dici nimis illud, quod sat nunquam discitur.
Sæpe dic illud, quod unquam non potest dici satis.
Ter quaterq; dicta vitæ proferas salubria.

¶ Jambica.

Audire semper res easdem quis queat?
In re optima esse non potest fastidium.
Pulcra atque recta bisq; terq; dicito.
Quæ pulcra sunt, cur non iteremus sæpius?
Quod dicitur rectè, bis id dici haud nocet.

Reprehensionis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Nazianzenus:* Magnum quidem est nihil molesti degustasse; imò nec magnum fortasse, si modò verus hic sermo est, Quem Deus diligit castigat, ac flagellat omnem filium quem recipit, & cujus curam habet. Illud verò magnum, ne omninò quidem peccasse, aut certè non gravissimè: quandoquidem eum vitæ statum, qui omni prorsus peccato vacet, Deus supra humanæ naturæ modum constituit. proximum autem ut mihi videtur illud est, ut cùm admisso aliquo peccato castigati fuerimus, ac postea soluti, & indulgentius habiti, in disciplinæ saltem sensu permaneamus, ac secunda ob secundum peccatum verbera fugiamus. Ne tempestatis in tranquillitate obliviscamur, nec morbi in sanitate, nec captivitatis, reversi in Hierusalem. *Orat. 4. steliteutica altera.*

D. Nazianzenus: Quis in jocando argutior? quis in objurgando lenior? sic ut neque increpatio in temeritatem, neque indulgentia in molliciem recideret, sed utriusq; excessum fugeret, utroque cum ratione & tempestivè utens, juxta Salomonis leges, omnibus rebus tempus constituentis. *Oratione 20. de Basilio magno.*

D. Nazianzenus: Quoniam hæc atque hujusmodi facinora tua sunt, age jam inquitates quoque meas mihi narra: ut vel malus esse desinam, vel erubescam. Etenim maximè id quidem optarim, omni culpa vacare: sin autem hoc minimè conceditur, at illud saltem, ut si quid iniqui admittam, ad meliorem viam revocer: quæ secunda prudentum hominum classis est. Nam etsi justi illius more, in mei accusatione primas partes non occupo: at certè peccatis meis ab alio medicinam adhiberi gaudeo. *Oratione 25. adversus Arrianus.*

D. Nazianzenus: Erat Athanasius in increpando placidus, in laudando erudiendi vim habens; sic utrumque temperans, ut neutrum horum per immoderationem labefactaret, verùm & increpatio paternam charitatem, & laudatio imperio dignam gravitatem obtineret: nec autem mollities dissoluta, aut severitas rigida & tetrica esset, quin potius illa facilitatis & benignitatis, hæc prudentiæ nomen haberet, utraque vero sapientiæ laudem consequeretur: ita denique se comparans, ut nec sermone, propter mores abundè ad institutionem sufficientes, magnopere opus haberet, nec rursus, propter vim facultatemque dicendi, virga admodum egeret, sectione porrò multò minus, ob virgam moderatè ferientem.

D. Chrysostomus: Ea tolerabilior potissimum est correctio, qua ad alium verso sermone, alius percellitur. neque enim permittitur, ut qui correptus est excandescat: & tamen interea correctionis pharmacum latenter insinuando admittitur. *Homilia 25. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Honesta & ad suscipiendum facilis est exhortatio, quando post reprehensiones inferuntur verba quæ pudorem incutiunt. Hoc enim sufficit ad impudentem animum cohibendū, & ad magis feriendum in manifestis reprehensionibus & ad corrigendum dolorem & impudentiam futuram ex accusatione. Quod orationum autem pudorem in reprehendendo incutientium est maximè admirabile, hoc est: quòd duo habeant contraria, & graviorem præbent sectionem quàm manifesta criminatio; & efficiunt ut qui arguitur, dum graviùs secatur, magis fortiter toleret. *Homilia 12. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Qui audivit, quod non exprobrans, sed diligens hoc dicit, magis admittit correctionem. *Homilia 13. ad Corinth 1.*

D. Chrysostomus: In aliorum memoria sitam perpetuò audire punitionem, efficit ut facile admittatur reprehensio; cùm adversus sua peccata se exuerit decertaturus. neque enim hîc tanquam hæc de eis sciens, neque tamen reprehendens ac convincens intentat minas: quod quidem vel maximè sufficit ad retinendum auditorem, & ad non dimittendum ut resiliat; quando ad ipsum non dirigitur oratio; sed inde finitè dicta latenter ejus ferit conscientiam. *Homilia 16. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Per se quidem ad percellendum sufficit reprehensio. quando autem facta fuerit ad comparationem eorum qui se rectè gesserunt, & ornantur laudibus, majorem habet aculeum. *Homilia 26. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Nos quoque alter alterum erudiamus & castigemus: & neque qui arguit, irascatur. Non est enim hoc correctionis sed animi perturbationis. Neque qui arguitur, ægrè ferat. Quod fit enim, est medicina, non odium & inimicitiæ. Si autem medici urunt, & non reprehenduntur, etiamsi sæpè aberrant à fine; sed & qui dolent, dum uruntur & secantur, beneficio se affici existimam ab ijs qui hunc dolorem excitant: multò magis eum qui suscipit reprehensionem ita affici oportet; ut eum qui corrigit pro medico habeat, non pro inimico. Porrò autem nos quoque qui increpamus, accedamus cum multa mansuetudine & cum multa prudentia. Et si videris fratrem tuum delinquentem, ut Christus jussit, noli in publicum proferre reprehensionem, sed eum reprehende inter te & ipsum solum; non exprobrans, nec jacenti insultans, sed dolens & ægre ferens. & te ipsum quoque exhibe paratum ut reprehendaris, si quid pecces. *Homilia 44. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Correpturus aliquem cave ei exprobres, idque tibi accidat quod Pharisæo. nihil enim hinc redit lucri; non ad te qui dicis, non ad illum qui audit sic accusatus. Sed ille quidem evadit impudentior. Nam quandiu quidem latet, scit erubescere: postquam autem evaserit manifestus, quod ex eo quoque habebat frenum expellit. Qui autem audit, rursus magis læditur. Nam sive rerum rectè à se gestarum fuerit sibi conscius, inflatur, alterius tumens accusationibus; sive peccatorum, fit promptior & alacrior ad vitium. Et ipse rursus qui dicit, & apud eum qui audit in mala erit existimatione, & Deum in se magis irritavit. Quamobrem rogo omne verbum obscœnum & fœtidum ejiciamus: si quid bonū ad ædificationem, hoc dicamus. At cupis illum ulcisci? Cur ergo te pro illo ulcisceris? Nam qui studes ulcisci eos qui tibi fuerunt molesti, ita ulciscere ut Paulus jussit ulcisci. Si esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, da illi potum. Sin autem hoc quidem non facis, solùm autem insidiaris: in teipsum ensem stringis. Quamobrem, si ille maledicat, orna eum laudibus & encomijs. Sic enim & illum poteris ulcisci, & teipsum liberabis à mala suspicione. Nam qui dolet eo quòd malè audiat, hoc videtur pati ex mala conscientia. Qui autem irridet ea quæ dicuntur; maximum profert indicium, quod nullius rei malæ sibi sit conscius. Cùm ergo nec audienti, nec tibi, nec ei qui accusator prosis: & in teipsum stringis gladium: vel ex hoc ipso evade moderatior fine. *Homil. 44. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Convenit auditores unà cum Antistitibus, ob eos, qui peccant, dolore atque iracundia inflammari. Non enim in ipsis totum positum est, sed partim etiam in nobis. Etenim si is, qui flagitium aliquod admisit, se quidem à patre asperioribus verbis accipi, cæterùm à fratribus adulatoria oratione deliniri videat: segnior utique efficitur. Proinde cùm pater objurgat, tu quoque fac simul cum eo irascaris: sive ut fratris curam gerens, sive ut duntaxat cum patre stomachans. Magnum studium exhibe; ac non quia objurgatus est, sed quia peccavit. Alioqui si extruam quidem ipse, tu verò destruas, quid aliud assequimur, quàm ut inani labore nos ipsos conficiamus? Quin potiùs non heic tibi damnum hæret: verùm pœnam quoque tibi accersis. Nam qui obstat, quò minùs vulnus curetur, non minori, quàm qui afflixit, imò etiam graviori supplicio afficitur. Neque enim par crimen est: aliquem ferire, & impedire ne remedium afferatur. Hoc enim omninò mortem gignit, illud autem non omninò. Hæc autem ad vos, idcircò mihi dicta sunt: ut cùm antistites justis de causis irascuntur, vos quoque una cum ipsis irascimini: ut cùm quempiam objurgatum videritis: ipsi eum magis etiam aversemini, quàm magister ipse. Date operam: ut qui deliquit vos potiùs, quàm magistros ipsos pertimescat. Etenim si magistri solius timor in ipsius animo versetur, citò peccavit: sin autem tot oculos ac tot ora pertimuerit, cautiùs proculdubio vitam instituet. Quemadmodum enim nisi hæc faciamus, extremas pœnas daturi sumus: ita si hæc præstemus: quæstum eum, quem peccantium correctio parit, consequemur. Quamobrem ita faciamus. Quòd si quispiam Christianis hominibus convenire dixerit, humanitatem erga peccantem fratrem adhibere: discat ille, humanitate eum uti, qui irascitur: non eum, à quo præmaturè qui peccat vocatur, nec peccati sui sensu affici sinitur. Uter enim, quæso, febre ac phrenesi laborantem misericordia prosequitur? isne qui in lecto eum sternit, ac vinculis adstringit, atque à noxiis cibis & potionibus arcet: an qui ei mero se ingurgitandi facultatem præbet, ac sui juris & arbitrij eum esse jubet, omniaque facere, quæ ab homine sano atque incolumi valetudine fieri debent? An non morbum quoque hic exulcerat, qui humanitatis officio fungi sibi videtur: cùm contra ille morbum pellat ac profliget? Eodem modo heic quoque judicamus. Humanitatis enim est, ægrotis non ubique indulgere, ac præposteris ipsorum cupiditatibus adblandiri. Nam & tu, si equum videris, qui in præcipitia feratur: frænum iniicis, acritérque inhibes, ac sæpe flagellas. Atqui cruciatus hoc est: verùm hujusmodi cruciatus salutem ei affert. Eandem igitur erga eos qui peccant, rationem tenet. Vinculis eum, qui facinus improbum admisit, coerce, usque dum ipse Deum sibi propitium ac placidum reddiderit. Solutum ac liberum eum ne linquas, ne arctioribus divinæ iræ vinculis constringatur. Si vincula ipse injecero, Deus non jam vinciet: sin autem in vinculis eum non tenuero: ejusmodi eum vincula manent, quæ frangi nullo modo queant. Si enim nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur. Proinde non est, quòd hanc rem crudelitatis ac sævitiæ esse arbitreris, sed summæ clementiæ & benignitatis, præstantissimæque medendi rationis, nec vulgaris erga peccatoris salutem curæ. Verùm satis diu pœnas expenderunt, inquis. Quàm diu, quæso? Annum unum, & alterum, ac tres. Atqui temporis moram non quæro, sed animæ correctionem. Hoc itaque fac demonstres: síntne compuncti, síntne in melius immutati: & res tota confecta erit. Quod nisi ita sit, nihil profectò temporis diuturnitas emolumenti attulerit. Neque enim, sæpiúsne obligatum vulnus fuerit, quærimus: sed an obligatio illa quidquam profuerit. Ac siquidem etiam ad exiguum tempus adhibita profuit, non jam ampliùs adhibeatur: si autem nondum eam adhibuisse juvit, etiam post decem annos adhibeatur. Denique heic tibi eius, qui vinctus est, solvendi præscriptus terminus esto: nempè ipsius utilitas. Si ad hunc modum & nostris & cæterorum curam geramus; ac non hominum gloriam aut ignominiam spectemus, verùm futuræ vitæ

cruciatum ac probrum; atque ante omnia Dei offensionem & iracundiam nobis ante oculos ponentes, pœnitentiæ pharmaca non leviter imponamus: tùm ad integram sanitatem quàmprimùm veniemus, tùm futura bona consequemur. *Homilia 14. ad Corinthios 2.*

D. Chrysostomus: Tum placidè leniterque loqui discipulis, cùm opus est acrimonia, non doctoris, sed corruptoris potius fuerit & hostis. *Homil. 1. ad Galat.*

D. Chrysostomus: Increpationes si non fuerint vehementer acerbæ, facillimè possunt recipi. *cap. 2. ad Galat.*

D. Chrysostomus: Quemadmodum divites sportulas mittunt egentibus, quo si quando & ipsi in egestatem inciderint, eadem ab aliis consequamur, sic & nobis est faciendum, neque is qui corrigit alterum efferatur animo, gnarus posse & se peccare &c. *cap. 6. ad Galatas.*

D. Chrysostomus: Scortatus est frater? ne gloriosè & insolenter probro eum ac contumelia afficias, nec delicatè ei insultes. auditori nihil prodes, & eum lædis: meritò, ut qui clavum ipsi infixeris. Sin ei suadeas quæ sunt agenda, magnam das ei gratiam. *Homilia 14. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Ne occultes talentum. Propterea habes rationem, propterea linguam & os: ut corrigas proximum. Sola bruta non gerunt curam proximi, neque brutorum ullam habent rationem. Tu autem qui Deum vocas patrem, & proximum fratrem, videns eum mala facientem innumerabilia, eius gratiam præponis ipsius utilitati. Ne hoc facias rogo. Nullum est tantum amicitiæ indicium, quantum fratres peccantes non despicere. Vidisti eos esse inimicos? reconcilia. Vidisti eos per avaritiam fraudare & plura acquirere? prohibe. Vidisti injuria affici? eos defende. Non illis, sed tibi priori es gratificatus? Propterea sumus amici, ut prosimus alter alteri. Aliter audiet ab amico, aliter à quolibet. Quemlibet habebit fortè suspectum, & doctorem similiter; amicum autem non itidem. *Homilia 18. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Hoc ubique facit Paulus quando scribit ad aliquos: si habeat aliquid quod reprehendat, & aliquid quod laudet; prius laudat, & tunc descendit ad crimina. prius enim sibi conciliat & benevolum reddit auditorem, & accusationem liberat ab omni suspicione; & ostendit se quidem velle omnino laudare, sed ad ea dicenda impelli à necessitate. *Homil. 2. ad Coloss.*

Chrysostomus: Magnum quiddam habet reprehensio, cùm facta fuerit citra suspicionem. *Homilia 7. ad Coloss.*

Chrysostomus: Quando alteri dixerimus quod alteri congruit, non tantum illum corrigemus, quantum eum qui est reus. *Homil. 10. ad Coloss.*

Chrysostomus: Hoc quoque est multæ perversitatis, quod qui increpat, ludibrio habetur tanquam austerus. *Homil 12. ad Coloss.*

Chrysostomus: Etiamsi verba videantur esse indecora, non est tamen scopus indecorus, sed etiam valde conveniens ei qui vult expellere animi immunditiam. nam nisi ipsa verba audierit impudēs animus, pudore non suffunditur. Etenim medicus volens ejicere putredinem, digitos prius immittit in vulnus, & nisi prius inquinet manus quæ medentur, non poterit mederi. ita ego quoq; nisi prius os inquinem quod vestris medetur vitiis, non potero vobis mederi. imò verò nec hoc inquinatur, nec illæ manus. quamobrem? quoniam non est naturalis immunditia, neque ex nostro corpore, sicut nec illic ex manibus illius, sed ex alienis. Si autem ubi est alienum corpus, non recusat ille suas manus tingere, ubi nostrum, dic quæso, recusabimus? corpus enim nostrum estis vos; imbecillum quidem & immundum, sed tamen nostrum. *Homil 6. ad Thessalon. 1.*

D. Chrysostomus: Non eos notat ex nomine, ne aperta reprehensione impudentiores fierent. *Homil. 1. ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Grave quiddam ac molestum argui, idque tunc maximè, cùm senex arguitur, atque ab adolescente. *Homil. 13. ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Ut temerè & indiscusè judicare perniciosum est: ita manifesta peccata non persequi, viam aperit ad audenda facinora. Sicut enim si impunè peccetur, plurimi delinquunt: ita si peccata puniantur, complures virtuti student. *Homil. 15. ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Argue eos dure: quia & hoc mansuetudinis est. nam vehemens reprehensio quando ita fit ut à mansuetudine non discedatur, ea maximè est quæ operari consuevit egregiè quod suū est. Licet enim profectò acrius cum mansuetudine carpere: quam quod audacia ac feritate confundere. *2. Timoth. Homil. 6.*

D. Chrysostomus: In medicis dicimus: Vulnus inflixit & secuit, medicamentumque intulit. nam quodlibet desit, alterum inutile fit. Nam si absque argumentis increpes, temerarius esse videberis, nullusque te perferet. ubi verò præcessit probatio, tunc & increpationem facilius suscipit: alioquin impudens fiat. Quod si arguas vehementer & increpes, obsecrationemque subducas, rursus omnia perdis. Quippe reprehensio per se intolerabilis est, nisi habeat admixtam obsecrationem: sicut & sectio salutaris licet sit, nisi plurimi dolorem consolentur, non eam sustinet languidus. *2. ad Timot. Homil. 9.*

D. Chrysostomus: Nec pari eodemque modo omnibus infligendum est vulnus increpationis, sed discretim, variè, & habita uniuscujusque subditorum ratione. Nam sicuti qui mansuetum & ad opera pietatis strenuum durius increpat, ipsum utique perimit ac perdit: sic qui blandius eum demulcet, qui opus habet verborum acrimonia, utique illum corrumpit, nec sinit ad meliorem vitæ frugem exsurgere. *Homil. 3. epist. ad Titum.*

D. Chrysostomus: Neque is qui arguitur ægre ferat: sumus enim homines, & sunt in nobis vitia & defectus. neque qui arguit hoc faciat tanquam irridens & traducens, sed privatim cum lenitate & mansuetudine. Multa lenitate opus habet qui arguit, ut ita persuadeat ferre incisionem. Non vides cum quanta lenitate medici adhibent curationem quando urunt? Multò. Nam & igne & ferro vehementiùs reprehensio facit exilire. & ideo medici magnum ponunt studium ut leniter ferant incisionem, & quàm placidissimè fieri potest eam adhibent, & parum cedentes, & deinde concedentes ut respirent. Sic sunt etiam faciendæ reprehensiones, ut & qui arguuntur non resiliant. Etsi ergo oporteat contumelia affici, & plagas accipere, non recusemus. Nam & illi qui secantur, valide & plurimum vociferantur adversus eos qui secant: sed illi nihil horum spectant, sed eorum solam qui laborant salutem. Ita hic quoque oportet omnia facere utiliter ad reprehensionem, omnia ferre aspicientes ad mercedem propositam. *Homil 31. ad Hebraos.*

S. Isidorus Pelusiota: Terrorem mihi Scripturæ exempla inferunt: atque ut ea, quæ opus est, scribam, necessitate adducor. Nam sive pater sum, ut ipse ais, condemnationem Heli pertimesco, propterea quòd peccantes filios non castigavi: sive, ut potiùs persuasum habeo, filius tuus sum, quippe qui magni illius Marci speciem atque habitum præferas, angorem mihi ac solicitudinem affert Jonathæ pœna, quia patrem Pythonissan quærentem minimè prohibuerat, ob idque ante eum, qui scelus admiserat, is qui prohibere poterat in bello interiit. Quamobrem ne & ego condemner, & tu divinum judicium subeas, simultates ac dissidia comprime. Ne privatæ ac domesticæ contumeliæ ultionem, qua tanquam ære quodam alieno à mortalibus obstrictus es, in viventem Ecclesiam deriva, atque æternam ipsi dissensionem pietatis specie atque obtentu compara. *lib. 1. epist. 370.*

S. Isidorus Pelusiota: Medicus Hippocrates incurabili morbo correptis manum admoliri vetat, cui nonnulli ex iis qui de tua salute, ut hominis ab omni doloris sensu remoti, vel potius mortui, desperarunt, nos quoque qui te ad pœnitentiam cohortamur, tanquam Æthiopem dealbare conantes, Comicis dicteriis insectantur. Ego verò, multas in hominibus mutationes, & jam extitisse audiens, & fieri conspiciens, & futuras expectans, rectè mihi facturus esse videor, si, bona spe fretus, te excitem ac corrigam. Quòd si (id quod utinam ne accidat) mea me spes fefellerit, illud certè lucrabor, ne quis me criminari possit: nec iis, qui navigant, crudeliorem me præbebo, qui cùm aliquem è navi lapsum viderint, demissis velis eum ex undis extrahere nituntur. Quòd si ille servari nolit, nemo jam erit, qui eos hoc nomine accuset, quòd eum, qui noluerit, minimè conservarint. Quamobrem ex vitii fundo emerge, ac petulantiæ & lasciviæ tuæ finem impone. Cogita quàm caduca & fragilis hæc vita sit: quàm acerbum futuræ vitæ supplicium. Quid tu incassum, vel ut rectiùs loquar, in malum ac perniciem tempus consumis? veniat tibi in mentem, quemadmodum, cùm unam duntaxat animam habeas, omni eam flagitiorum genere contaminaris. Libera quæso, & te ipsum vitio, atque infamia, & suggillatione, ac cruciatu: & Ecclesiam labe: & altare macula, & eum, qui te in sacrum ordinem cooptavit, criminatione: ac denique sanctos viros lachrymis, quas sine ulla intermissione profundunt. *lib. 2. epist. 16.*

S. Isidorus Pelusiota: Scio te non eloquentiæ ostentandæ studio, nec ut hinc gloriam aucuperis, ad Zosimum & Palladium & Maronem admonendos te contulisse: verùm benevolentia & charitate ductum hanc operam suscepisse. Quòd si illi, cùm ab omnibus sugilletur, tamen à te solo sugillari se existimēt, ac proinde adversum te stomachentur, ne timeas. Divinum enim auxilium habes, quod & tuas partes tueatur, & illos ulciscatur. *lib. 2. epist. 178.*

S. Isidorus Pelusiota: Nam ut rudem docere, sic improbum redarguere oportet. *lib. 4. epist. 17.*

S. Isidorus Pelusiota: Reprehensores vitiorum sæpenumero solent improbi, cùm sint plures, & malè ab ipsis dissonent, languentes ac ignavos reddere quò minus liberè in vitia invehantur eaq; compescant. Miscenda igitur est comitate libertas reprehensionum, & vituperium charitate temperandum, atque ita admonitiones adhibendæ sunt. Quòd si ne sic quidem illi utilitatem ullam inde percipiunt, sed insuper etiam malè repudiant ac traducunt eos, qui maximis coronis digni sunt, omninoque etiam à Deo præconiis rectè factorum ornabuntur: generoso magnoque animo id ferant vitiorum reprehensores & correctores, ac doleant, non quidem suarum rerum consideratione (nihil enim aliud ipsis accidit, quàm quod scelerati ac detestabiles visi sint, cum tales reverà minimè sint) sed super illorum perversitate & insaniâ, quòd ita incurabilibus morbis laborent, ut etiam medicis probra atque convicia ingerant. *lib. 4. epist. 139.*

§ Patrum Latinorum.

S. Salvianus: Omnes admodum se laudari volunt: nulli grata reprehensio est. imo quod pejus multo est, quamlibet malus, quamlibet perditus mavult mendaciter prædicari, quam jure reprehendi, & falsarum laudum irrisionibus decipi, quam saluberrima admonitione servari. *initio lib. 8. de gubernatione Dei.*

Ioan. Sarisberiensis: Ego vel ad inimici vocem non refugiam emen-

emendari: imò & amicum ducam, qui meum castigabit errorem. *prologo Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Augusto tympanizante in cœna, à quodam militum probrosè dictum est: Vidésne ut cinædus orbem digito temperet? Cujus ille verbi percussus amaritudine, os, manus, & animum, in ævum ab huiusmodi levitate suspendit, habuitque semper gratiam exprobranti. *cap. 7. lib. 1. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Familiare sapienti est, ut magno placet Augustino, potius à quolibet reprehendi, quàm sive ab errante, sive ab adulante laudari. nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus. si inimicus insultat, ferendus est. amicus si errat, docendus; si doceat, audiendus. Laudator verò & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem. *lib 3. cap. 14. sub finem.*

Io. Sarisberiensis: Quod si Duces in injuriam suam aliquid dictũ putant, doceantur, quod non in perniciem, sed salutem ægrotantium propinantur amaræ medicinæ. *lib. 6. Policrat. prologo.*

Io. Sarisberiensis: Nemo in injuriam suam reputet quippiam dici, cùm nulla sit derogatio personarum, sed fugiendorum sola concussio vitiorum. In quo quidem me præstitum ire obsequium tam malis quàm bonis arbitror; dum in his approbatur quod faciunt: & his notatis vitiis possint proficere, ut probentur. *Prologo Policrat. lib. 7.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRAECORUM.

Plato: In hac ergo sententia constitutus, quoties aliquis me de rebus gravioribus consulit, sive ad divitias, sive ad corporis vel animi purgationem pertineant, si quotidiana illius vita modum aliquẽ servare posse videatur, vel saltem consulenti mihi videatur obtemperaturus, libenter consulo, neque priùs desino quàm initium pro viribus ad finem usque perduxerim. Si autem aut omnino non petat à me consilium: aut qui petit, manifestè appareat consulenti mihi nullo modo obtemperaturus: ultrò quidem non accedo ad consultandum: per vim verò, ne si meus quidem sit filius. Servo tamen etiam invito consulerem, ac vi adhibita compellerem. At patrem vel matrem per vim cogere nefas esse arbitror, nisi propter morbum mente alienatos. Quòd si suo quodam more vivant, qui mihi nequaquam probetur, neque infensus adversarer frustrà monendo, neque rursus blandiendo eorum cupiditatibus assentarer ea porrigens, quibus ego si indulgerem, vivere nolim. Hac eadem mente circa patriam vir prudens esse debet: ut ita reprehendat civitatis errores, si neque frustrà sit reprehensurus, neque ob reprehensionis studium periturus. Vim autem patriæ per Reipublicæ mutationem afferet nunquam, quando absque expulsione & cæde civiũ emendari non possit. Sed quietem aget, votoque precabitur optima & sibi & patriæ. Hoc igitur pacto ego vobis consulerem. *Epist. 7. ad Dionis propinquos.*

Aristides Rhetor: Itaque fit, ut quod in vituperium rei proferunt, eo laudent urbem. nam & civitatis & hominis cuiusvis vitium ita demum cognoscitur, si mala in eo vel sola, vel bonis plura aut majora cernuntur. Qui autem omnibus examinatis, unum aliquid, aut item alterum reprehendunt, ij reliquis omittendis tacitè laudant: præsertim si non de homine, verùm de civitate, eaque totius Græciæ antiquissima, plurimisque rebus præclarè gestis celeberrima, judicium fiat. *Oratione Panathenaica.*

Aristides Rhetor: Et quamquam prudentiam res gestas subsequentem, & in otio factas reprehensiones, non esse magni momẽti tradunt; tamen etiam hoc concedam, ac si quis vel factum melius vel sermones præstantiores, vel consilium justius adhiberi potuisse ostenderit, ipse crimen in me suscipiam. sin nec eius administrationem ulla licet in re reprehendere, nec quidquam quod faciendum fuit non fecit, laudationes eius potius quam calumnias gratulabimur. *Orat. 2. Platonica.*

Epictetus: Lavat quispiam citò? ne dicas lavisse malè, sed citò. Bibit quispiam multum vini? ne dicas bibisse malè, sed multum. priusquam enim id decretum dijudicaris, unde scis an male? sic usu tibi veniet, ut alia visa certo comprehensa teneas, aliis assentaris. *cap. 67. Enchiridij.*

Simplicius: Judicio nos de rebus solidiore esse vult, ut neque vituperemus, neq; laudemus facta cuiusquam nisi scopo ejus cognito, ad quem illa referuntur. Ex eo enim judicium est ferendum, quod & qui verberat prodest, & qui alit nocet: & qui furatur, interdum rectè facit: & qui præbet, injustè. Sunt igitur, inquit, facta ipsa per se judicanda, & si quis cito lavat, dicendum, cito eum lavare: nec tamen adiicienda qualitas, quasi rectè aut secus faciat, donec eius consilium cognoverimus. Quid enim, si ob morbum, aut lucubrationes, curatione lavationis eguit? Consilium autem & finis in causa est, ut rectè secúsve sit factum. Et hic expectandus est, priusquam celeris lavatio, bona maláve dicatur. Nam & multum vini bibere licet, ob corporis temperiem, & qualitatem aeris, ut ante caniculam, & sub caniculam: & ob locum pestilentem. *ad cap. 67. Epict.*

Arrianus: Enimverò molestum est coargui hominem natu grãdiorem, ac fortasse jam tria stipendia emeritum. novi & ipse. *cap. 14. lib. 2. Epict.*

Idem ante cap. eiusdem finem: Atque alia quidem te ignorare, ferri fortasse potest: quo pacto autem me feres rationemque reddes & manebis, si ostendero, te ipsi tibi esse ignotum? Nullo modo facies, sed statim discedes cum indignatione. At quid ego mali tibi feci, nisi id quod speculum deformi, cùm eum ipsi talem ostẽdit qualis est. nisi forte medicus contumeliam ei facere videatur, cui morbum suum demonstrat. is cùm ait: Homo male mihi videris habere: febricitas; abstineto cibo, aquam hodie bibito. nemo enim dicit, ô contumeliam non ferendam! Si cui verò dixeris; Appetitiones tuæ æstuant, aversationes sunt humiles, aggressiones inter se pugnant, affectus naturæ non sunt consentanei, opiniones tuæ vanæ sunt & ementitæ; statim digressus ait, contumelia me affecit. *cap. 14. lib. 2. Epicteti.*

Arrianus: Enimvero quamvis dixero, adolescens monenti castigantiq; non obtemperabit. Nunquid Apollini obtemperavit Laius? Nonne digressus atque inebriatus, valere jussit oraculum? Quid ergo? Hacne de causa veritatem reticuit Apollo? Atqui ego quidem ignoro, sisne obtemperaturus mihi, an non. Ille vero certissime nôrat, illum non obtemperaturum esse: & tamen dixit. Cur vero dixit? Cur vero Apollo est? Cur reddit oracula? Cur locum istum sibi vendicavit, ut vates esset, ac fons veritatis, & à toto terrarum orbe cõsuleretur? Cur vero in templi vestibulo scriptum est, Nosce te, cum nemo id intelligat? Nunquid Socrates omnibus iis à quibus adibatur, persuadebat, ut semetipsos curarent? Ne millesimo quidem cuique. Sed tamen cum, ut ipse affirmat, munus hoc divinitus attributum haberet, in eo non cessavit. Sed & apud judices quid ait? Si me, inquit, ea conditione absolveritis, ut hæc posthac non faciam, quæ nunc facio: non feram, neque desistam. sed & juvenes & senes, denique obvios omnes aggrediar, ea rogaturus, quæ nunc rogo: in primis autem vos cives, quod mihi genere conjunctiores estis. Adeone curiosus es Socrates, & inquietus? Quid tua refert, quid nos agamus? Quid tandem dicis? Cum sis meus particeps & cognatus, teipsum negligis, & reipublicæ malum civem, præstas cognatis cognatum, & vicinis vicinum malum. *lib. 3. cap. 1. in Epictetaa.*

Arrianus: Ante omnia mentem illius sole puriorem esse decet: alioqui scurram & levem hominem esse necesse erit, qui ipse vitio cuipiam obnoxius, alios reprehendat. Vide cuiusmodi res sit: Regibus istis & tyrannis, quamvis ipsi quoque sint improbi, satellites & arma id præstant, ut reprehendere aliquos possint, & delinquentes puniant. Cynico verò armorum & satellitum loco conscientia dat istam potestatem. *cap. 22. lib 3. Epicteti.*

Dio Prusæus: Boni consulatis loquendi libertatem; quin etiam Athenienses, non in omnibus inveniemus deliquisse: verum hoc illi, & optime quidem faciebant. Poetis enim permittebant, non modo quemque viritim arguere, sed & publicitus civitatem ipsam, si quid non rectè facerent. Itaque inter alia multa, & talia in Comœdiis dicebantur: *Populus suffocator, morosus, seniculus & surdaster*; &, *Quid est Atheniensis? Res injurata.* Et hæc audiebant, dies festos agentes, inque populari viventes gubernatione; quum non solum suorum civium, si quem talia dicentium voluissent ira commoti perdere, domini erant constituti, verùm etiam super alios Græcos obtinebant imperium: licebatque illis, si voluissent nihil audire molestum. At vobis neque talis est Chorus, neque Poeta: neque alius ullus, qui vobis quid exprobret cum benevolentia, in lucemque proferat civitatis morbos. Proinde quandocunque tale quid emergat, cupide vobis amplectendum est, vosq; tum putare festum agere diem. Sed ne gravemini oro, quin etiam revereamini dicere, Quando finem faciet? &, Quando ingredietur præstigiator, aut nugator, aut alius ejusmodi? Hi enim (ut dixi semper vobis sunt præstò, neque metuendum est ne vos deficiant. Tales autem sermones, per quos homines fiunt felices, melioresque & modestiores, utque melius queant habitare civitatem, non frequenter audivistis: nolo enim dicere, Prorsus non audivistis.

Et hoc fortasse non vestri causa accidit, (palam facietis autem, si hodierna die sustinueritis) sed magis illorum qui philosophi appellantur. Illi enim partim prorsus non veniunt ad multitudinem, neque periculum subire volunt, nullam fortasse spem habentes se posse vulgum reddere meliorem: partim vero in auditoriis (quò vocant) voces exercent confœderatis assumptis auditoribus sibique cicuribus. Cynicorum verò (ita enim quidam appellantur) est in civitate quidem multitudo non parva: & sicuti alterius rei, ita & hujus magnus factus est proventus, neque is degener inter homines (ut dicam quod res est) nihil scientes, sed circa victus necessitates occupatos: hi autem in triviis & angiportis & templorum atriis congregant decipiuntque pueros & nautas, & hujusmodi turbam, scommata atque alia nugamenta converrentes, forensesque has responsiunculas. Quamobrem boni quidem efficiunt nihil, mali vero quantum fieri potest plurimum, assuefacientes homines fatuos, ut philosophos derideant: quemadmodum si quis puerum assuefaciat contemnere præceptores. quumque illorum oporteret extundere contumaciam, illi eam adhuc augent. Qui autem ad vos procedunt tanquam eruditi, partim ostentationis gratia sermones habent, & hos indoctos: partim poemata composita offerunt, certi quod valde cantilenarum amantes sitis. Hi, siquidem hoc faciunt ut poetæ & rhetores, non est fortasse intolerandum: si vero ut philosophi, lucri & suæ ipsorum gloriæ, non vestræ utilitatis gratia, hoc sanè tolerari non debet. Simile enim est, ac si medicus ad ægrotantes ingrediens, salutis illorum & curationis nullam habeat rationem: sed coronas, & meretrices, & unguenta illis inferat.

Cæterum pauci quidam loquendi libertatem intulerunt ad vos, & eam parcè, neque ita ut aures vestræ implerentur, neque ut orationem

tionem absolverent: sed uno aut duobus dictis verbis, & convicianTes magis quàm docentes, festinato recesserunt, metuentes interim ne tumultum excitaretis ipsosque repelleretis, ut qui hyemis tempore mare ingrediuntur ad brevem quandam & compendiariam navigationem. Hominem autem habere, qui purè & absque fraude libere loquatur veritatem, neque gloriæ gratia, neque propter argentum simulet, sed propter benevolentiam aliorum & paternam curam paratus etiam sit (si ita sors ferat) derideri, & multitudinis tolerare confusionem & tumultum difficile est, & civitatis valde felicis in tanta generosorum & liberorum hominum inopia, abundantia autem adulatorum & impostorum & sophistarum. Ego enim non à me ipso mihi videre videor hoc elegisse, sed ex divina quadam sententia. Quorum enim dij providentiam habent, illis comparant etiam bonos consiliarios, vel ultro venientes, & sermones convenientes atque utiles dici. Et de hoc vos minime decet dubitare, apud quos præcipuè divinitas honoratur, maxime verò ipsa suam ipsius ostendit potentiam, & tantum non singulis diebus per oracula somniaque.

Nolite ergo putare, nostri tantum dormientium curam Deum gerere, & privatim cuique significare id quod commodet: vigilantes autem negligere, & in communi & congregatis nihil rerũ monstrare utilium. Sæpenumero enim jam & vigilantibus profuit, & interdiu manifestè quædam prædixit. Scitis haud dubie Apidis famam hic in Memphi prope vos, quod pueri ludant annunciantes id quod Deo videatur, & hoc nõ vanum apparuit. Vester autem Deus tanquam (opinor) perfectior, per viros atq; serio vobis vult prodesse, non paucis verbis, sed forti & pleno vaticinio, & sermone perspicuo, deque maxime necessariis docenti, si sustinueritis cum voluntate & obedientia. Et primum quidem omnium hoc credite firmiter, quod quæ hominibus accidunt in bonum, omnia similiter sunt divina, etiamsi quis navigans peritum nanciscatur nauclerum, aut gens aut civitas bonos præfectos. Et si medicus opportune adsit ægrotanti, etiam hunc existimare oportet auxiliatorem venire à Deo missum. Et si quis sermones audiat prudentes, eos inde esse transmissos. In summa enim nihil fortunatum neque fructuosum est, quod non juxta Deorum & voluntatem & potentiam perveniat ad nos: & ubique omnium ipsi bonorum ditionem tenent, distribuuntque largiter volentibus recipere. Mala autem aliunde, tanquam ex alio quodam fonte profluunt, nobis propinquo, quemadmodum in hac ipsa aqua contingit. quæ enim servat & nutrit, fœcundatque, vere cælitus alicunde ex felici quondam fonte defluit: sordidos autem aquæ ductus & fœtidos, nos ipsi facimus, nostraque opera constituuntur. Nam propter hominum dementiam & delicias & ambitionem, difficilis est vita, plenaque errore, pravitate, ægritudine, & sexcentis aliis malis.

Horum autem unam medicinam & pharmacum dij fecerunt, nempe eruditionem & sermonem, quo quis per totam usus vitam, & assiduo, finem tandem attingit sanum & felicem. Qui autem rarò & per intervalla utuntur, aliquando quidem vivunt, aliquando verò alternatis vicibus mortui sunt. Attamen jam interdum ab immensis, ipsisque imminentibus malis sunt revocati. Qui verò semper inexperti sunt hujus pharmaci, & nunquam ad honesta ducenti sermoni aures accommodant, prorsus miseri sunt, nullum regimen neque propugnaculum habentes adversus affectiones, verum in nuda miseraque vita fluctuant, quemadmodum in lacera scapha & soluta, in omnium rerum iniquissima sententia & pravitate. Contingit autem fere, ut pessimus atque infortunatissimus quisq; longissime fugiat à sermone, nolitque audire, neque tametsi quis compellat: quemadmodum (puto) & hulcera nimis difficilia, non sinunt se tangi. & hoc est indicium, quod supra modum male habeãt. Tales autem apud alios medicos fortiores sibi medelam quærant, quum à mitioribus nequeant curari.

Duplex enim est remedium & providentia contra malitiam, quemadmodum & contra alios morbos: una quidem similis diætæ & pharmacis: altera autem sectioni & ustioni, conveniens magis principibus & legibus & judicibus quæ superfluum jam immedicabile evellunt. Meliores autem sunt, qui non facile id faciunt. Alteram autem curam officium esse aio eorum, qui persuasione & sermone animas possunt mansuefacere & emollire. Hi autem salvatores sunt, custodesque omnium qui servari possunt, antequam ad extremum progrediatur finem, pravitatem arcentes & retinentes. Utrisque sanè opus habent civitates: multo autem humaniore hi, qui potestatem obtinent. Pœnas enim sumere ita convenit, ut simul parcas: docere verò, ut nihil parcas. Et boni hoc est præfecti, ut ignoscat: mali autem philosophi, ut non sit acerbus. Supplicij enim plenitudo perdit, sermonis autem amaritudo naturaliter salvare solet. Periculum autem est, ne vobis magna eorum sit penuria, qui posterius sciant. Neque enim pecuniæ illis, neque potentia acquiritur ex hoc, sed magis odium & convicium, vituperiumque: quorum fortasse nulla habenda est cura. Quapropter ob illorum secessum silentiumque, contentionum vobis gliscit copia, & judiciorum, & asper clamor, & noxiæ linguæ, & intemperantes accusatores, calumniosæque scripturæ, & rhetorum denique turba. Quemadmodum (puto) propter medicorum inopiã, aut propter inexperientiam, plures fiunt pollinctores.

Atque ego hæc in principio accusavi: simul eos quoque, qui volunt procedere ad multitudinem, neque vobis audent disserere: sed dum graves esse volunt, inutiles existunt: similesque sunt ignavis athletis, qui omnibus sunt molesti in palæstris & gymnasiis, manibus gesticulantes & luctantes, in stadium vero procedere nolunt, solem, & plagas metuentes. At res ipsa vere difficilis est & propter vos. Non enim facilis toleratu tantæ tumultus multitudinis, neque infinitorum hominum millium aspectum ferre, absque cantilena & cithara proclive est. Hoc enim solum remedium est adversus tribus vestras: quemadmodum ajunt quorundam animalium adipem prodesse ad difficiles morbos. Proinde ego sanè, si cantionum essem peritus, haud huc sustinuissem ingredi sine concentu aut cantico. Nunc verò hunc mihi deest pharmacum: Deus autem (ut dixi) me confidere jussit,

Qui fortem quamvis hominem terrore metuq;
Concutit, & facilè victrici deniq; palma
Exuit: interdumq; animans ciet ad bona quæq;

Vt verò & ego Mercurii versus ad vos dicam, quibus ille se in Odysseia defendit apud Calypso, nuncii gratia, quod injucundum existimabat. Forsan nugari me dicetis, dicendi tamen sunt:

Iupiter invitum sanè huc me vadere jussit:
Namq; volens undas quis tot percurrat amaras,
Immensasq;? hominumq; nec est urbs ulla propinqua.

Ille quidem quum esset Deus, & alatus, quæritur de undis & pelago, deque inter civitates hominesque solitudine: ego vero homo, precii nullius, & nulla de gente, in vili palliolo, neque cantus dulcedine præstans, neque majorem alio habens vocem, cur, non extimui vestrum rumorem, neque risum, neque iram, neque sibila, neque scommata quibus omnes exterretis, omnesque ubique semper superatis & plebejos & reges? Præsertim quum audiam, Homerum & alios poetas semper canentes, quod multitudo res sæva sit, & impersuasibilis, & prompta ad injurias? Illo quidem ita dicente:

Hic hominum verò commota est concio, sicut
Immensi fluctus pelagi, quos Auster & Eurus
Fortiter impellunt, Iovis atra è nube ruentes.

Alio autem rursum:

Est malum instabile populus, mariq; similis
Parte ab omni: namq; ventis verberatus
Huc & illuc: siq; tranquillum sonat modò,
Mox tamen, ventis ut excitatus omnibus,
Surgit in rabiem, manusq; armat cruentas:
Siq; causa suppetit vel parva, civem Devoravit.

Forsan igitur ne & vos me tumultu & turbatione devoraretis, metuendum erat, vobis utilitatem adferre volentem. Si manseritis verò, & audieritis usque ad finem, omnibus eritis admirationi, videbiminique non solum sonorum periti atque saltationum, sed etiam sermonorum prudentium ut etiam mihi adversus eos qui me reprehendunt, damnantque quod huc sim ingressus, justa præbeatur defensio Nostis enim bene, quod me reprehensuri sint, & dicturi vanæ gloriæ cupidum, & insanum, qui me turbæ & tumultu objecerim. *Oratione 32.*

Dio Chrysostomus Prusæus: Vos autem me fortasse de astris & terra dicturum putastis. Et vestrùm quidam mihi irascuntur, civitatemque ajunt à me injuria affici: eos autem qui faciunt, non reprehendunt. Quidam autem fortasse derident, quod de nulla re meliore, repererim quid dicerem. Ego autem & medicos video nonnunquam attingere ægrotos non ea parte qua volunt, neque corporis pulcherrima: multosque novi ex his qui curabantur indignatos fuisse, attacta parte corporis male affecta. Ille verò laniat eam, secatque, parvi pendens illum clamantem. Non igitur omittam de his dicere, priusquam vehementer morsum sentiatis. Porrò admodum infirmum pharmacum vobis est hæc oratio, multoq; inferius quam par est. *Oratione 33.*

Dio Prusæus: Considerate verò, ne idem vobis contingat quod Iliensibus illis, qui Tragico cuidam, histrioni peregrinanti molesti erant, jubentes eum artis suæ specimen edere. Ille verò rogabat, omitterent & essent quieti. Quanto enim (dicebat) melius egero, tanto vos videbimini infortunatiores. Ergo multis quoque melius est, ut hominem philosophum silentium tenere sinant. Considerate autem rem, qualis sit. Athenienses enim soliti male audire, & (per Iovem) ob hoc ipsum convenientes ut conviciis proscinderentur, & proponentes certamen & victoriæ præmium illis qui id melius fecissent: quod quidem non suo invento, sed Dei faciebant consilio, & Aristophanem quidem audiebant, & Cratinum, & Platonem, atque hisce nihil mali fecerunt. in Socrate autem, qui sine scena & tabulatis exequebatur Dei mandatum, non lascive saltans, neque cantillans, non sustinuerunt. Illi enim suspectantes metuentesque populum, ceu dominum, adulabantur, sensim mordentes, & per risum: quemadmodum nutrices pueris, quum bibendum fuerit injucundum quid, ipsæ adferentes melle perungunt calicem. Quapropter non minus obfuerunt quàm profuerunt: superbia, cavillis, scurrilitate replentes civitatem. Philosophus autem redarguebat, admonebatque.

Atqui quando conviciis incessere, & cujusque stoliditatem pravitatemque manifestare præstet, quàm gratificari per sermones, & laudibus facere delicatos auditores, inde maxime cognoscetis. Quũ enim duo fuissent poetæ per omne ævum, quibus cum aliorum neminem comparare dignum est, Homerus & Archilochus: horum Homerus quidem, omnia ferè laudibus extulit, & bestias & plantas, & aquam & terram, & arma & equos: & nihil est, cujus modo

mentio-

mentionem fecit, quod absque laude & honore (ut ita quis dicat) prætererit. Vnum duntaxat ex omnibus execratus est Thersitem, atque hunc obstreperum dixit esse oratorem. Archilochus verò diversum ingressus est iter, adque vituperandum se contulit, cernens (opinor) homines hoc magis opus habere, & semetipsum primum. Quapropter solus & post mortem, & ante quàm nasceretur, maximum consecutus est à Deo testimonium. Eum enim qui illum interfecerat, è templo expulit Apollo, dicens eum Musarum interfecisse ministrum. Atque iterum quum causam belli diceret illius esse necem, rursus Musarum vocavit ministrum Archilochũ. Patri verò illius sciscitanti oraculum ante nativitatem, immortalem prædixit filium nasciturum. Itaque totum ad mordendum objurgandumque idoneum, adque manifestanda oratione delicta, palam est esse meliorem, & prælatum esse laudantibus. Si ergo vos laudibus magis delectamini, ad alios vobis eundum est.

Quando igitur quempiam videritis sibi ipsi primum adulantem in omnibus, quæ facit, & gratificantem in cibis, in vestimentis, & circumeuntem immodestè, illum putate & vobis adulaturum, & ab illo jucundum expectate sermonem, quem vos nominatis laudem: delicatum nempe, à delicato. Quando autem squalidum quempiam & contractum videritis, & solum incedentem, & semetipsum primùm examinantem, & conviciis impetentem: nolite ab illo ullam quærere adulationem, neque deceptionem, neque dextrum illum & blandum sermonem, qui maxime jam versatur circa populos & satrapas & tyrannos.

Haud tales siquidem sunt illis præstò ministri:
Sed juvenes bene amicti etiam tunicisq́ue, togisque
Atque oleo caput assiduè faciemq́ue peruncti.

Hi etenim tanquam comessatores quidam & ebrii, ad diem festum quendam & luxuriosorum conventum se pervenisse existimant. Alius autem quispiam cernens, quanta intoleranda & gravia ubique fiant, quodque hostium omnia sint & inimicorum plena, ubi deliciæ & deceptio dominantur.

Sese subijciens plagis immitibus ipsum,
Vestibus & laceris humeros indutus, egeno
Consimilis vernæ, latam pervenit in urbem,
Delicias unas sectantum & suave virorum:

non ut malum det proximis sicut Ulysses malum procis daturus domum rediit: sed è diverso quærens, nunquid boni occultè queat operari. Quid ergo talem hominem excitatis? Aut quid provocatis, morosum quendam & agrestem vobis visum oratorem? Non enim vestræ ita institutæ sunt aures, ut asperos & duros suscipere possint sermones: sed quemadmodum ungulæ sunt infirmæ jumentis, in locis mollibus & planis educatis: ita & vestræ aures sunt delicatæ, in adulatione videlicet educatæ, & sermonibus mendacibus. Quid igitur ea instituitis audire, quæ non poteritis sustinere?

Enimvero eodem modo animati estis, quo Æsopus ait oculos affici. Nam quum illi se putarent magni esse precij, os autem viderent aliis omnibus frui, atque etiam melle dulcissimo: indignati sunt, accusaruntque hominem. Qui postquam & illis mel indidit, senserunt morsum, lachrymarumque asperum illud & injucundum ducentes. Nolite ergo & vos gustum philosophicorum quærere sermonum, quemadmodum oculi mellis. Nam deinde (opinor) lachrymantes indignabimini, & dicetis fortasse, nequaquam philosophiam esse, ita loqui, sed convicia atque damnum. *Oratione 33.*

Philostratus: Tarsenses prius Apollonio infensi erant, propter graves objurgationes quibus in ipsos usus fuerat, cùm deliciosi mollesque ne verba quidem monentium perferre possent: tunc autem usque adeo eum amabant, ut conditorem alterum civitatis, & unicum urbis præsidium illum esse putarent. *lib. 6. cap. 15. Apollonij.*

Philostratus: Optima verò, ac laudatissima est in Dionis orationibus affectuum temperatio. Quoties enim impotentes, ac insolentes respub. increpat, neque contumeliosus, neque importunus videtur, sed perinde earum, ac equorum ferociam fræno potius, quam flagello compescere. Sin ad optimis legibus institutas civitates laudandas se conferat, non tam erigere, aut ad superbiam excitare, quã continere videtur, quasi citius interituras, si alium in statum degeneraverint. Sed & reliquo quoque philosophandi instituto fuit non omnibus exposito aut simulatorio, sed eiusmodi ut gravitate quadam instaret, non secus ac condimento insita sibi humanitate temperata. *lib. 2. de vitis Sophistarum.*

¶ Romanorum.

Symmachus: Ingenia humana prompta ad arguenda esse, omnibus liquet. *lib. 4. epist. 28. pr.*

¶ Poetarum.

Plautus Bacchid. 4. sc. 9. v. 57.

Optimus sum orator: ad lachrimas coëgi hominem castigandos,
Maleq́ue dictis quæquidem quivi comminisci. N. quid ait? C. Verbum
Nullum fecit. lachrimans tacitus auscultabat, quæ ego loquebar.

Plautus Bacchid. 4. sc. 9. v 96.

Quæso, ut sat habeas id pater, quod Chrysolus
Objurgavit me plurimis verbis malis,
Et me meliorem fecit præceptis suis:
Vt te ei habere gratiam æquum sit bonam.

Plautus Pœnulo 1. sc. 2. v. 41.

Soror, parce amabo: sat est, istuc alios dicere nobis.
Ne nosmet nostra etiam vitia loquamur.

Plautus Trinummo. 1. sc. 1. pr.

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune est facinus, verùm in ætate utile,
Et conducibile. nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commerita noxia,
Invitus, nisi me invitet ut faciat fides.

Solon per Ausonium.

Clam coarguas propinquum, quem palam laudaveris.

Thales apud Ausonium.

Cùm verè objurgas, sic inimice juvas.
Cùm falsò laudas, tunc & amice noces.

¶ Apologi.

Æsopi Fabula cerva: Cervam istis verbis admonuit mater, Cornu, fili, à natura habes, corpus verò magnum: & nescio quomodo adhuc evitas adorientes canes. Hæc ait, cùm canum procul auditur strepitus, & ipsa, quæ filium stare jusserat, se prima conjicit in fugam.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Abimelec rex Gerari: Reprehendens, & meritò quidem, Abrahamum, quod Saram vxorem suam dixisset esse sororem, ait, Quid fecisti nobis? aut quid peccavi in te, quòd induxisti super me & super regnum meum noxam magnam? opera quæ non sunt facienda fecisti adversum me. Quid videbatur tibi, quum faceres rem hanc? *Genes. 20. 9.*

Ejus successor, eodem nomine nuncupatus, Isaacum, Abrahami filium ob idem erratum reprehendens dixit ei, Omnino ecce vxor tua est hæc, & quomodo dixisti, Soror mea est? quid est quod fecisti nobis? parum abfuit quin concubuerit unus ex hoc populo cum uxore tua, & nos in reatum induxeris. *Genes. 26. 9. 10.*

Moses: Videns Aaronem graviter deliquisse quòd clamoribus populi fractus aureum vitulum conflasset, dixit ei, Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? *Exod. 32. 21.*

David: Saulis improbitatem perstringens, dicebat ei, Quare auscultas verbis cujusquam dicentis, Ecce David quærit malum tuum? *Item:* Agnosce & vide non esse in manu mea malum aut defectionem, neq; peccasse me in te, quanvis tu persequaris vitam meam, ut intercipias eam. *Item:* Post quẽ processit rex Israelis? quem tu persequeris? persequeris canem mortuum, persequeris culicem unum. Sed erit Iehova vindex, & jus dicet inter me & te: cognoscet, inquam, agétque causam meam, & vindicabit me è manu tua. *1. Samuel. 24. 10.* &c.

Idem: Quum uno comitatus David ad Saulem usque noctu in castris cum toto exercitu divinitus sopitum penetrasset, ejusq; hastam & phialam auferens tutò se recepisset in montem, clamore sublato milites & Abnerum militiæ præfectum excitans, dixit ad Abnerum, Annon vir egregius es? & quis est tibi similis in Israele? quare ergo non observasti adstans Domino tuo regi? nam veniret unus è populo ad perimendum regem Dominum tuum. Non est bona hæc res quam fecisti. Vt vivit Iehova, rei mortis estis, qui non observastis circa Dominum vestrum, circa unctum Iehovæ. His dictis, hastæ & phialæ (postea restitutarum) mentionem injecit, ut majorem ignominiæ notam illis inureret. *1. Samuel. 26. 15.* &c.

Nathan Propheta: Missus à Deo ad Davidem adulterio & multiplici homicidio pollutum, proposita Davidi de rapta ove parabola, quid juris esset expiscatus, dixit ei, Tu vir ille es qui veram proximi tui ovem rapuisti, &c. quare sprevisti verbum Iehovæ, faciendo quod malum videtur in oculis ejus? uriam Chittæum percussisti gladio, ut uxorem ejus assumeres tibi in uxorem: nam occidisti eum gladio Ammonitarum. Nunc itaque non amovebitur gladius à domo tua, &c. *2. Sam. 12. 1.* &c.

Elias Propheta: Quum videret Achab Eliam, dixit ei, Tu ne ille es, perturbator Israelis? qui dixit, Non perturbo Israelem, sed tu & domus patris tui: dum derelinquitis præcepta Iehovæ, & sequimini Bahalimos. *1. Reg. 18. 17. 18.*

Accedens deinde ad totum populum, jussu Achabi congregatum, dixit, Quo usque claudicaturi estis in duabus istis cogitationibus? Si Iehova est Deus ipse, vos sequimini eum: sin autem istorum Bahal, sequimini eum. *Vers. 21.*

Idem: Consultus à rege Achazia de gravissimi morbi eventu, respondit ei, Sic ait Iehova, eo quòd misisti nuntios consultum Baal-zebum Deum Hekronis, an propterea quòd non est Deus in Israele ad consulendum verbum ejus? Idcirco è lecto illo quo ascendisti non es descensurus, sed omnino moriturus. *2. Reg. 1. 16.*

Elisæus Propheta. Quum Jehoram rex Israelis & Jehosaphat rex Judæ, ac rex Edomæorum descendissent ad Elisæum, dixit Elisæus regi Israelis, Quid mihi tecum est? abi ad prophetas patris tui, & ad prophe-

prophetas matris tuæ. Cui dixit Iehoram, Ne ista dicito, quandoquidem vocavit Iehova tres reges hos, ut tradat eos in manum Moabitarum. Tunc dixit Elisæus, Vt vivit Iehova exercituum ante quem adsto, nisi personam Iehosaphari regis Iudæ susciperem, non intuerer te, neque aspicerem te. *2. Reg. 3. 13. &c.*

Abia rex. Gravis extat ejus reprehensio & oratio ad Israelitas desertores, An non vestrum erat, inquit, agnoscere Iehovam Deũ Israelis tradidisse regnum Davidi super Israelem in seculum, ipsi & filiis eius, fœdere salis? Attamen surrexit Jarobeam filius Nabati, servus Solomonis filij Davidis, & rebellavit contra Dominum suũ. Deinde congregati sunt ad eum homines vani, nequissimi, qui fortificarunt se contra Roboamam filium Solomonis, &c. Et nunc vos cogitatis confirmare vos adversus regnum Jehovæ, quod est in manu filiorum Davidis: quamvis sitis multitudo magna, tamen penes vos vituli aurei sunt, quos fecit vobis Jarobeam in deos. An non depulistis sacerdotes Jehovæ filios Aaronis & Levitas? & fecisti vobis sacerdotes, ut populi reliquarum nationum, &c. Vos dereliquistis Jehovam. Filij Israelis, ne pugnate contra Jehovam Deum majorũ vestrorum, non enim secundaremini. *2. Chronic. 13. 5. &c.* Prælium tunc commissum est, tam atrox & cruentum, ut caderent confossi ex Israelitis quingenties mille viri delecti.

Iehu Propheta. Prodiens in conspectum Josaphati regis Judæ qui è bello domum revertebatur, dixit ei, An improbo auxiliari & osores Iehovæ diligere te? at propter hæc incumbit tibi ira fervens à Jehova. *2. Chron. 19. 2.*

Zacarias filius Ioiadæ. Quum ex mandato Dei Iudæos idololatras reprehenderet, dicens. Quare transgredimini præcepta Jehovæ, ut non prosperemini? quia dereliquistis Iehovam, vicissim dereliquit vos: conjurantes contra eum obruerant eum lapidibus, qui quum moreretur, dixit, Videbit Jehova, & requiret. *2. Chron. 24. 20. 21. 22.*

Anonymus. Idololatriam Amasiæ regis Deus gravissimè ferens, misit ad eum Prophetam qui diceret ei, Cur quæris deos Edomæorum, qui non eripuerunt populum suum è manu tua? Amasias respondit, An consiliarium regi tradiderunt te? desiste, quare percuterent te? Itaque destitit Propheta dicens, Agnosco Deum iniisse consilium de perdendo te, quandoquidem facis hoc, ac non auscultas consilio meo. *2. Chron. 25. 15. &c.*

Hazarias & alij sacerdotes. Obstiterunt Uziæ regi in templum Iehovæ ingresso, ut adoleret super altare suffitus, dicentes ei, Non est tuum, ô Uzias, adolere Iehovæ, sed sacerdotum filiorum Aaronis, qui consecrati sunt ad adolendum: exi è sanctuario: nam prævaricatus es, neque futurum est tibi gloriæ à Iehova Deo. *2. Chron. 26. 18.*

Isaias & Ezechias. Ingressus Isaias ad regem Ezechiam, dixit ei, Quid dixerunt homines illi, & unde venerunt ad te? Cui dixit Ezechias, E terra longinqua venerunt ad me, Babylone. Iterum sciscitanti, Quid viderunt domi tuæ? respondit Ezechias, Quicquid est domi meæ viderunt: non fuit quicquam quod non ostenderim ei in thesauris meis. Tum dixit Isaias ad Ezechiam, Audi verbum Iehovæ exercituum, Ecce dies venturi sunt, quibus deportabitur quicquid est domi tuæ, & quod recondiderunt majores tui usque in diem hunc, in Babyloniam: non relinquetur quidquam, ait Iehova. De filiis etiam tuis qui prodibunt ex te, quos geniturus es, assument, ut sint aulici in palatio regis Babyloniæ. Dixit verò Ezechias ad Isaiã, Bonum est verbum Iehovæ quod loquutus es. Præterea dixit, Quãdoquidem futura est pax & stabilitas diebus meis bonum est. *Isai. cap. 39. 3. &c.*

Extant in libris Prophetarum singulis ferè paginis reprehensiones & objurgationes acerrimæ, nec non necessariæ, quæ cùm facilè occurrant, & ingens volumen efficere possint, paucas quasdam annotasse sufficiet.

Ioannes Baptista. Acriter reprehendit & objurgat Pharisæos & Sadducæos ad ipsius Baptismum accedentes, Progenies viperarum, inquit, quis vobis præmonstravit, ut fugeretis à futura ira? Ferte igitur fructum dignum iis qui resipuerint. Et ne putetis vobis dicendum apud vosipsos, Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, Deum posse etiam ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo, &c. *Matth. 3. 7. 8. 9. &c.*

Idem. Dicebat Herodi regi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui. *Marc. 6. 18.* Ob hanc liberam reprehensionem, decollatus est in carcere.

Iesus Christus Dominus noster. Ne judicate, inquit, ut ne judicemini. Quo enim judicio judicatis judicabimini: & qua mẽsura metimini, contrà metietur vobis. Quid autem spectas festucam quæ est in oculo fratris tui, trabem verò quæ est in oculo tuo non animadvertis? Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine eiiciam festucam ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo? Hypocrita, eiice primùm trabem illam ex oculo tuo, & tum dispicies ut eiicias festucam ex oculo fratris tui. *Matth. 7. 1. 2. 3. 4.* Reprehendere quidem alij alios debemus, sed nec temere, neque ut sanctiores videamur, neque ullo fratrum odio.

Idem. Quam plurimæ extant eiusdem reprehensiones & objurgationes apud Evangelistas aduersus discipulorũ infirmitatem, populi incredulitatem, Pharisæorum & aliorum hostiũ improbitatem impiam. Vide Matth. 15. 13. & 16. 23. & 17. 17. & 19. 14 & 20. 13. & 26. 10. 40. *Item* Marc. 8. 17. & 9. 19. & 14. 6. *Item* Luc. 5. 22. & 6. 2. & 8. 25. 55. & 11. 39. & 12. 14. & 22. 46. & 24. 25. *Item* Ioan. 3. 10. & 4. 48. & 6. 36. 43. 61. & 7. 19. & 12. 7. & 18. 23.

Apostoli.

D. Petrus. Ananiam & Sapphiram acerbè reprehendit, Simeonem item illum magum. *Vide Act. 5. 3. 9. & 8. 20.*

D. Paulus. Eius varias reprehensiones, quas sub aliis titulis antea descripsimus vide apud Lucam Act. 13. 10. 47. & 14. 15. & 23. 3. & 27. 21. Item epistolas eius ad Corinthios & Galatas.

Stephanus martyr. Primarios Iudæos sua illa divina oratione graviter feriens, dicebat, Dura cervice, & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis: sicut patres vestri, ita vos. *Act. 7. 51.*

Babylas episcopus. Quum Numerianus Imperator Antiochiam, quæ ad Orontem est, venisset, in Ecclesiam Christianorum ingressus esse dicitur: & quum ibi liberè, quasi per transennam inspicere arcana coram mysteria vellet, Babylas Episcopus, magno animo in faciem ei consistens, id prohibuit: non licere dicens, eum cruore ex idolorum sacrificiis pollutum, in domum Dei tam præcipitanter ingredi, & divina mysteria contaminatis oculis spectare. Quare Numerianus offensus, excruciatum illum necavit. Paulò post ipse Numerianus à socero suo interemptus est. *Nicephor. ecclesiast. hist. lib. 6. cap. 33.*

D. Ambrosius. Theodosius Imperator post cædẽ & lanienam civium Thessalonicensium suo jussu trucidatorum, quum Mediolanum venisset, & in Ecclesiam seu ędem sacram, pro more precatum iret, & jam ad fores eius adesset, occurrens ei Ambrosius Episcopus, & purpura eius apprehensa, in multitudine media, ne sacrarum ædium vestibulum tangeret, prohibuit. Resiste, inquit: virum enim impurum, & manus sanguine innocenti ferè adhuc perinique stillantes circumferentem, fas non est, ante legitimam debitamq; pœnitentiam, sacram ingredi ædem, aut divinorum mysteriorum participem fieri. Videris enim mihi, ô Imperator, non considerare animo tantum tot cædium scelus. Neque postquam iræ furor deferbuit ratio ipsa tãtum agnoscit facinus. Fortasse Imperialis potestas impedimento tibi est, quominus peccatum perspicias, & veluti nubes quædam potentia tanta rationi objecta est. Sed peropus est, naturam te tuam satis obnoxiam, quòd scilicet caduca simul & fluxa sit, & avitum atque à primo parente acceptum cinerem, ex quo constitimus, & in quem brevi diffluentes revertemur, considerare: nec purpuræ flore, qui luminibus mentis officit, in oblivionem eius quã illa obtegit corporis imbecillitatis adduci. Agnosce igitur te eiusdem naturæ & conditionis hominibus, atque adeo conservis tuis imperare. Communis enim omnium Dominus & Imperator est rerum conditor universarum. Quibus verò oculis divinum intueberis templum? Qualibus pedibus sanctum illud calcabis solũ? Quomodo manus tolles quæ cæde iniqua diffluunt? Quomodo etiam divinum Domini corpus eis excipies? Quomodo sanguinem preciosum ad os afferes, per quod ira transversim actus, tantum effudisti sanguinis? Quàm longissimè igitur absiste, neque tibi ipsi peccatum adaugendo iniquitatem conduplica. Vinculum autem quod Deus cælitus calculo suo comprobavit, suscipe, quod tibi veram incolumitatem conciliabit. Theodosius Ambrosij libertatem admiratus, verbis eius cessit, &c. *Niceph. eccl. hist. lib. 12. cap. 41.*

Romanus Imp. Romanus Imperator, à Stephano & Constantino filiis regno exutus, & in monasterium detrusus, eosdem non multò post à Cõstantino Leonis filio eodem relegatos his verbis exercuisse fertur: Festivum tempus, quod humilitatem nostram imperium vestrum visitare coegit: charitas puto, quæ me de palatio expulit, filiationem vestram non ibi diu permanere permisit. O factum bene, quod me pridem præmisistis! Confratres enim mei & commilitones mei, supernæ tantùm philosophiæ incumbentes, qualiter Imperatores suscipiendi sunt ignorarent, si non me iam dudum imperialibus institutis tritum haberent. Paratu jam frigidior occiduis aqua decocta pruinis. Dulces adsunt fabæ, lachana, porrique recentes. Non hîc marinæ delicię morbos, sed crebra potius ieiunia creãt. Turbam verò hanc tantam tam sumptuosa modicitas nostra non recipit: vestrum solummodo imperium suscipit, quod ne paternam deserat senectutem advenit. *Luitprand. lib. 5. cap. 11.*

Anonymus. Manuel Comnenus Imperator à Sultano Iconiense magno victus prælio, cùm in fuga aquam è præterfluente haustam sanguine infectam degustasset & effudisset, inquit, Infeliciter Christianorum sanguinem libavi. Ibi quidã audacter, Non nunc (inquit) Imperator, non nunc primùm, sed olim & sæpe, & ad ebrietatẽ usq; Christianorum sanguinem hausisti, dum pauperes subditos exactionibus vexas & deglubis. Eum Manuel ita æquo animo tulit, ac si surdus esset. Et cùm vidulos in quibus signata pecunia erat, à Persis effundi & diripi videret, Romanos hortatus est, ut impetu facto in barbaros pecuniam illam ipsis potius debitam arriperent. Tum rursus idem ille: Ultrò, inquit, ista prius Romanis danda fuit, non nunc, ubi cum difficultate & sanguine paranda est. *Nicetas, lib. 6.*

D. Bernardus. Reprehensione rariùs utebatur, monitis potiùs, & obsecrationibus agens. Quàm verò invitus, & non ex cordis amaritudine verbũ proferret amarum, ex eo maximè animadvertebatur, quòd perfacilè hujusmodi impetum cohiberet. Siquidẽ mirabatur hominum improbitatem, quos aliquando fortè turbatos, excusationem quamlibet rationabilem, satisfactionẽ quamlibet humilem admittere gravat, quòd ipsa suæ perturbationis passio miseros sic delectet, ut oderint omne remedium, ut contineant aures, claudant oculos, obiiciant manus & omni modo satagãt, ne semel orta commotio sedari valeat & sanari. Eius tamen obiurgationẽ non minus

facilè aliquando compescebat gravis & turbulenta responsio, quam humilis & modesta, ut ab aliquibus proinde diceretur cedenti insistere, cedere resistenti. Dicebat enim, ubi resonat utrinque modestia, dulce esse colloquium: ubi vel ex parte altera, utile: ubi ex neutra perniciosum. Ubi enim hinc inde duritia sonat, jurgium est, nõ correctio, nec disciplina, sed rixa, ut deceat magis interim dissimulare prælatum, & commotione nota utilius castigare subjectos: aut certè, si ita res exigit, observare consilium sapientis, quia stultus nõ corrigitur verbis. Loquitur ipse de increpationibus minùs utiliter, minùs patienter acceptis, in sermone super Cantica canticorũ quadragesimo secundo inter cætera dicens: Utinam neminem objurgare necesse sit. Hoc enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere: magis autem urget charitas. Quod si arguero, & fecero quod meum est, illa autem procedens increpatio minime quod suum est faciat, neque ad quod misi illam, sed revertatur ad me vacua tanquã acutum feriens, & resiliens: quid me animi tunc habere putatis, fratres? Nónne angor? nónne torqueor? Et ut mihi usurpem aliquid ex verbis magistri, quia de sapientia non possum, prorsus coarctor è duobus, & quid eligam nescio, placeréne mihi in eo quod locutus sum, quoniam quod debui, feci: an pœnitentiam agere super verbo meo, quod volui, non recepi. *Et infra.* dicas forsan mihi, quòd bonum meum ad me revertatur, & quia liberavi animam meam, & mundus sum à sanguine hominis, cui annunciavi & locutus sum, ut averteretur à via sua mala, & viveret. Sed etsi innumera talia addas, me tamen minimè ista consolabuntur, mortem filij intuentem. Quasi verò meam illa reprehensione liberationem quæsiverim, & non magis illius. Quæ enim mater, etiamsi omnem quam potuit curam & diligentiam ægrotanti filio adhibuisse se sciat, si demum se frustratam viderit, & omnes labores suos esse penitus inefficaces, illo nihilominus moriente propterea unquam à fletibus temperabitur? *Auctor Vitæ, lib. 3. cap. 6.*

Malachias Episcopus. Germana eius soror volens eum ab ecclesiæ ministerio revocare, Quid facis, inquit, ô insane? Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et hoc illi quotidie exprobrans ingerebat. Sed respondebatur mulieri stultæ juxta stultitiam suam? Misera, tu eloquij casti vocem tenes, sed virtutem ignoras. Ita ministerium ad quod coactus accesserat devotus tenuit, indefessus exercuit. *D. Bernardus lib. de Vita S. Malachiæ episcopi.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Iesus Christus. Magnum quandoque commodum adferre justam malorum Reprehensionem; nullum verò, si intemperata fuerit, testis est rerum magistra experientia. Neque parvæ virtutis est, eam cum moderamine adhibuisse. Christus veritatis magister, sanata ipso Sabbato muliere, quæ duo de viginti annis gravi morbo afflicta fuerat, indignantem quòd Sabbato curaret Archisynagogum acriter reprehendebat, dicens: *Hypocritæ, unusquisque vestrûm non solvit bovem suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis, non opportuit solvi à vinculo isto die Sabbati?* additque Euangelista: Et cùm hoc diceret, erubescebant omnes. Hæc enim optima ratio Apophthegmatis, adversarium confundere. *Lucæ cap. 13.*

Pambo Abbas. Cùm accepisset auri pondus in bonos piosque usus dispensandum, & diceret is qui dederat, Numera quantam summam conficiat? respondit: *Quod dedisti non eget numero, sed bono affectu.* significans quod habet Apostolus, Hilarem datorem à Deo diligi. *Socrat. Trip. Hist. lib. 8. cap. 1.*

SS. Basilius & Gregorius. Isti item librum conscripserant, cui (Pro veritate) titulum indiderant. Hunc ad Julianum Apostatam mittunt: quem ubi is accuratiùs evolvisset, rescribi ad eos curavit: Legi, & reprehendi. Cui protinus illi, *Etsi legisti, non intellexisti: si enim intellexisses, nequaquam reprehenderes.* Egregia castigatio, Imperatorem falsitatis & inscitiæ arguens. *Sozom. Trip. Hist. lib. 6. cap. 38.*

S. Thomas Archiep. Cantuar. Intellexerat Henrici regis decreto latam in se sententiam, ut perpetuo carceri inclusus detineretur. ac sedens eam placato animo accepit, magnaque gravitate respondit: *Ordo confunditur, si pastorem ovis, magistrum discipulus, patrem filius verberet.* meritò corripiens, majorem à minori impiè & contra justitiam condemnari. *Surius tom. 6. in Vita.*

Require Apophth. de Castigatione.

¶ Monosticha Trochaica.

Alterum quisquis reprendit, ni vacet malo, est malus.
Carpere arduum res gestas non est, has gerere arduum est.
De quibus teneris, alios arguere improbissimi est.
Dedecus suum fatetur sæpe qui alteri objicit.
Dicta, facta, aliena carpere, ardet animus omnibus.
Disce tuam mage ordinare vitam, quam aliam carpere.
In sinu nostro invenire est, carpimus quæ in altero.
Iuxta ineptum est se probare seque reprehendere.
Nemo ita est malus, reprehendi mente ut æqua se ferat.
Nemo tam est nequam ac scelestus increpandũ se ut putet.
Non sat, increpare verbis improbum: fustem quate.
Non tam facile te emendaris, alios quam culpaveris.
Objurga lapsum secretò primùm, deinde publicè.
Objurgare infortunatum, est alterum infortunatum.
Objurgatio infelicis alia est infelicitas.
Obsequi alteri arduum haud est, sed reprendi à nemine.
Plus timet reprehensionem quam periculum probus.
Qui et malus sit, alios ipse qui reprehendit malos?
Quo mage quis laudem meretur, hoc patientius carpitur.
Qui malos reprehendit, an non esse præcipit bonos?
Quo quis laude major, hoc reprenditur patientius.
Sæpius quoque arguere ab ipsis qui ante suaserant.
Tam malos domus reprendit quam bonos; imo hos magis.
Turpe verbo castigare, quem potes vi cogere.
Turpius quid est morbo affici illo, in alio quem improbas?
Vitio omni carere debet, dicere vult qui in alterum.
Vita quisque aliena mavult vituperari quam sua.

¶ Jambica.

A te commissa, arguere in altero potes?
Acerba, quamvis æqua, verba vellicant.
Æque bonos Momus reprehendit quam malos.
Arguere amicum gratiæ impotem, improbum est.
Castiga amicum clam, palam effer laudibus.
Clam perpetramus quæ exsecramur publicè.
Culpare quàm æmulari quid proclivius.
Exulcerata corporis mel vellicat.
Facillimum cuique carpere alterum.
Haud liberis coram objurgandus est pater.
Id absit imiter quod reprehendo in altero.
Iniquè objurges, vitæ qui auxilium tulit.
Laudare eundem & carpere ob eadem re improbum est.
Laudare se, vani est, stulti reprehendere.
Malè æmulamur illa, quæ reprehendimus.
Multis adest vitium alteri quod prædicant.
Non fert senex carpi se ab adolescentulo.
Nullum invenire est, carpere in quo sit nihil.
Odiosa res est, promptè carpere alterum.
Palam argue crimen, palam quod noxium est.
Patrare noli in altero quod carpseris.
Patrare turpe, in altero quæ carpseris.
Plagis docetur improbus, verbis probus.
Proclivius nihil est alium quam carpere.
Prolixa ne sint verba quæ sunt aspera.
Quæ carpis in alio, facere ipse ne audeas.
Qui non potest Venerem, crepidam ejus arguit.
Quis invenitur qui reprehendi se velit?
Quis, obsecro, es cujus lædi aureis est nefas?
Quod præterit potest reprendi, haud corrigi.
Reprehendi aliena quisque mavult, quam sua.
Rudem doce magister, argue improbum.
Sermo gravis malos non frangit; corrigit.
Stulti ut putentur sapere cœlum vituperant.
Verbis notas iniquè ea ipse quæ facis.

Repulsæ.

¶ Monosticha.

Consulatus fert repulsam si Cato repellitur.
Nescit repulsam ferre virtus sordidam.
Spes propinqua vel repulsæ flebili solatio est.

Responsi.

¶ Sententiæ Patrum.

Divus Chrysostomus: Vt sciatis, inquit, quomodo oporteat vos unicuique respondere. Aliter enim Principi, aliter ei qui alterius paret imperio. Aliter diviti, aliter pauperi. Quamobrem? Quoniam divitum & Principum animi sunt imbecilliores, ut qui tumeant & diffluant. Quo fit ut se magis demittere & accommodare oporteat. Pauperum autem, & eorum qui sunt subjecti alteri, solidiores & prudentiores. Quare & hic utẽdum est majori loquendi libertate, unum spectando, nempe ædificationem. Non quoniam hic quidem est pauper, ille vero dives, ille quidem plus honoretur, hic vero minus. sed propter imbecillitatem hic quidem feratur, ille vero non item. Vt, si causa non sit, Græcum ne voces sceleratum & execrandum: neque sis contumeliosus. Sed si de dogmate quidem rogeris, responde id esse execrandum & impium. Si nemo autem roget neque cogat, non leviter nec temere est dicendum, ne suscipias inimicitias. Quid enim necesse est super vacaneas sibi comparare inimicitias? Rursus si quempiam catechesi instituas, dic ut postulat subjectum argumentum: alioqui tace. Si sermo sit sale conditus, etiamsi in diffluentem inciderit animam, mollem restringit & flaccidam: & si in asperam, levigat duritiem. Si sit lepidus ac facetus, nec sit gravis ac molestus, nec rursus mollis, sed & austeritatem habeat & voluptatem Nam etsi sit supra modum austerus, magis lædit quam prodest. Sin autem sit supra modum lepidus & urbanus, magis est molestus quam juvat. Quamobrem oportet ubique esse modum. Nec sis tristis & fronte caperata, est enim injucundum; neque diffusus ac dissolutus: est enim abje-

ctum & concultatum: sed utriusque accepta virtute, fuge vitium, sicut apis, hujus quidem lætitiam & alacritatem, illius vero carpens severitatem.

Nam si medicus non similiter omnibus utitur corporibus, multo magis magister. Atqui non convenientia medicamenta magis tulerint corpora, quam anima sermonem. Vt accedit Græcus, & tibi fit amicus; de eo cum ipso nihil disserueris, donec cum eo tecum magna fuerit amicitia: & quum fuerit, paulatim. Vide & quando Paulus venit Athenas, quomodo cum eis disserebat. Non dicebat, ô scelerati & plane execrandi. Sed quid? Viri Athenienses, vos per omnia video esse tanquam superstitiosiores. Rursus quando probris oportebat afficere, non recusavit, sed cum magna vehementia dicebat Elymæ: Plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli inimice omnis justitiæ. Nam sicut illos probo affecisse fuisset inhumanitatis, ita hunc non affecisse fuisset pusilli & abjecti animi. *Homilia 11 ad Colossenses.*

S. Isidorus Pelusiota: Et si quibusdam tibi fortasse adblandientibus, responsum tuum à ratione ac judicio, non ab ira manasse visum est: mihi tamen contrà ab audacia potiùs & temeritate profectum esse videtur. Quamobrem tibi faciendum esse censeo, ut rationem iræ anteponas: sicque & ad loquendum, & ad scribendum te compares. Nam si ipsi ante rationem prosilire permiseris, nihil erit, quod non sursum deorsumque volvat. *lib. 3. Epist. 303.*

Io. Sarisberiensis: Regulariter proditum est, quod qui plus vel minus respondet quàm quæratur ab eo, lineam rectè disputandi ignorat. *libro septimo Policratici capite 12.*

❡ Monosticha Trochaica.

Aspere responde stultis: corium ijs, non cor, adest.
Caritati respondere nolle, utiq; impudentiæ est.
Cum tacet sapiens, loco ampli responsi silentium est.
Quisq; credit nisi respondes illico mendacijs.
Respondere verbo stultis non sat est, sed verbere.
Sæpe nutu sæpe abnutu largiter respondeas.

❡ Jambica.

Mendacijs responde ijs ut fidem abroges.
Responsio dilata, iter struit dolis.
Responsionis est item rubor loco.
Responsionis & subit vultus vicem.
Responsionis & loco silentium est.
Plerisq; responsi loco silentium est.
Tibi ego rationem reddam stimulorum seges?
Vultus pudica etiam respondet improbo.

RESPONSI MATVRI.

❡ Apophthegmatum Christian.

Iesus Christus: Qualis vir, talis sermo; habet vulgatum Proverbium. unde non obscurè ex respondentis ore, mentis qualitas elucescit. Rogantibus Iudæis, postquam Christus ementes & vendentes templo ejecisset, Quod signum ostendis, quia hæc facis? respondebat: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Maturè admodum & prudenter significabat, se tertia die à mortuis resuscitandum. *Ioan. cap. 2.*

Cæci Evangelici Parentes: Haud minimam laudem merentur isti. Filio quippe à Domino sanitati restituto, rogabant eos Iudæi, Hicne est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt? Illi autem responderunt: *Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est. Quomodo autem nunc videat, nescimus: ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur.* Maturè diluebant concitatorum hominum objectiones: omni suspicione, quæ de se haberi poterat, remota. *Ioan. cap. 9.*

Mulier Evangelica: Digna etiam illa quæ extrēto ævo vivat. ambulanti Domino juxta partes Tyri & Sidónis, Mulier Gentilis ex Syro Phænicia acclamavit, ut filiam quam energumenam habebat, à maligno spiritu liberaret. qui respondens, Non est bonum, ajebat, sumere panem filiorum, id est, alimenta filiis debita; & mittere canibus, id est, Gentilibus, quos Iudæi velut canes reputabant. cui illa: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Matura & inexspectata mulieris responsio, quæ Dei benignitatem erga quoscumque clarè repræsentat. *Matth. cap. 15.*

S. Augustinus: Percontanti, quid Deus ante mundi creationem fecisset; *Respondeo*, inquit, *non quod respondisse per jocum fertur, quidam eludens quæstionis violentiam; Alta, dicens, scrutantibus Gehennam parabat. Aliud est videre, aliud ridere. Hæc non respondeo. Libentiùs responderim, Nescio, quod nescio; quàm illud unde irridetur qui alta rogavit, & laudatur qui falsa respondit.* Coll. ex lib. 11. Confess. 12.

S. Antipas: Nec alium se exhibuit Antipas, quem dum Præfectus duriùs increparet, quòd antiqua deorum religione neglecta, insanam quãdam hominis in cruce acti doctrinam sequeretur, cùm non ignoraret vetera recentibus præstantiora. respondit enim: *Si vetustissima quævis observanda, cur non & Cain fratricidij inventorem imitamini? aut eos qui cælum conscendere conati? vel qui cum proprijs sororibus se commiscere non sunt veriti?* Quo dicto objectionem quidem diluit, at animi ferocitatem non minuit. *Sim. Metaphrast. in Vita. Lippelloo tom. 2.*

Nicolaus Episcopus Capuanus: Hunc ob raras dotes Paulus Pontifex ad Franciæ, Angliæ, & Hispaniæ Reges Oratorem miserat. cumque reversum Cardinalis Salviati percontaretur, quidnam maximâ admiratione dignum vidisset; paucis, & maturè, *Vidi in Galliâ*, inquit, *pulchrum & florens regnum, ac benè institutum legibus & disciplina: in Anglia autem, Regem pulchrum corpore, at moribus deformem: sed in Hispania, Regem prudentem & consilio magnum.* Peucerus & Strigelius.

RESPONSI PRÆCIPITIS.

Fredericus Dux Saxoniæ: Nihil ita cavendum, præsertim Principi viro, quàm in Respondendo Præcipitantia. quod non ignorans Fredericus Elector, dicebat quandoque ad suos: *Ego in rebus magnis, non nisi prævia deliberatione responderim.* Hinc multa etiam prudenter ab eo facta & dicta. *Phil. Camer. in post. pez. par. 4.*

Idem. Quin & iis qui nimium in respondendo præcipites, dicere solebat illud à Demosthene olim usurpatum; *Improbum civem judico eum, qui non paratus respondet.* Ibidem.

Causidicus Anonymus. Quare prudēter ille, dum causam quamdam in judicio produceret, eaque responsum postularet, *Priùs*, inquiebat, *deliberatione opus.* Cumque solus is esset, rogarentque judices, cum quo deliberandum sibi foret; caput manu contingens, *Cum isto*, inquit. *Ibidem.*

Rex Angliæ Anonymus. Neque tu silentio involvendus, quicumque es, generose Princeps. immeritò fateor & iniquè tui nominis famâ postuma ætas privatur. Rogabat te pater, quidnam optione data præ omnibus à Deo postulares; &, *Collum gruis*, inquis, *quo non nisi benè discussa verba depromam.* Quando tu meliùs illo, quē hoc ipsum gulæ explendæ gratia ferunt à diis postulasse? *Fulgos.*

Reipublicæ.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

Divus Nazianzenus: Vno homine rectè aut male se gerente, nihil hinc rei publicæ portenditur: at republica hoc aut illo modo se habente, singulos etiam eodem modo affici necesse est. *Oratione 20. in funere Basilij magni.*

D. Chrysostomus: Etiam ex rebus bonis & malis quæ accidunt, membra inter se sunt colligata. etenim calcaneo sæpe infixa spina, totum corpus sentit & est solicitum: & dorsum flectitur, & venter, & femora; & manus, tanquam satellites & ministri, procedentes attrahunt id quod est infixum, & incurvatur caput, & vident oculi cum magna solicitudine. Quare etiamsi pes minus habeat, quòd non possit ascendere: eo tamen quòd caput demiserit, est ei par, & eodem fruitur honore: & maximè cùm non propter gratiam, sed propter utilitatem id demittant pedes. Quamobrem etiamsi plus habet eo, quòd sit honoratius: attamen eo quòd cum sit tale, minori debeat honorem & curationem, & eius similiter moveatur commiseratione: magnam ostendit æqualitatem. Quid enim est calcaneo vilius? Quid autem capite honestius ac pretiosius? sed hoc vadit ad illud membrum, & secum omnia commovet. Rursus si aliquid passi sint oculi: omnia dolent, & omnia sunt in otio: & neque pedes ingrediuntur, neque manus operantur, neq; venter consuetis fruitur. Atqui est affectio oculorum. Quid ventrem liquefacis? cur pedes detines? cur ligas manus? Quoniam est illis colligatus, & modo ineffabili, totum corpus patitur. Nam si non simul pateretur, ne sustinuisset quidem esse socium ac particeps curationis ac providentiæ.

Quamobrem cùm dixisset, ut de eodem pro se invicem solicita sint membra; subjunxit: Sive patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra. Et quomodo congaudent, inquit? Coronatur caput, & totus homo glorificatur. Os dicit, & rident oculi & lætantur. Atqui non laudantur & probatur oculorum pulchritudo, sed linguæ. Rursus si pulchri appareant oculi, ornatur tota mulier: sicut ij quoque, cùm & rectus nasus, & collum rectum, & alia membra laudantur, gestiunt, suntque læti & alacres; & rursus affatim fundunt lacrymas in eorum dolorum & calamitatibus, etiamsi ipsi permaneant illæsi. Hæc ergo omnes cogitantes, imitemur horum membrorum dilectionem: neque contraria faciamus, insultantes malis proximi, & proximi bonis invidentes: hoc est enim furentium, & eorum qui sunt emotæ mentis. Etenim qui effodit oculum, maximum indicium profert desipientiæ: & qui manum excidit, insaniæ planè prodit argumentum. Si autem quod fit in membris, hoc etiam similiter fiat in fratribus: desipientiæ tribuit opinionem, & non vulgare damnum affert. Nam quandiu ille resplendet; tuæ apparet formæ pulchritudo, & totum ornatur corpus. Neque enim ad se solùm redigit pulchritudinem: sed etiam tibi largitur, quo possis tibi placere & gloriari. Sin autem extinxeris, toti corpori communes effeceris tenebras, & omnibus membris intuleris calamitatem. *Homil. 31. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Membra sic Deus dispensavit, ut inter ea esset multa charitas & concordia. Nam si unicuique suum est esse in salute proximi, ne mihi dixeris id quod est plus & minus. Heic enim non est plus & minus. Manente enim corpore, cerni potest differentia; pereunte autem, minimè. Peribit autem nisi etiam minora maneant. Si ergo etiam magna pereant parvis abruptis: similiter debent hæc parvorum curam gerere, & non secùs ac sui. utpote quòd in eorum salute maneant etiam majora. Quamobrem etiamsi millies dicas, quòd membrum est inhonestum & minus: nisi tamen ejus æquè curam geras atque tui ipsius, & non negligas tanquam minus: damnum ad te transibit. *Hom. 31. ad Cor. 1.*

D. Chrysostomus: Ne ergo dicas, iste aut ille est plebeius & è vulgo, sed cogita esse membrum illius corporis, quod conflat & continet universum: & sicut oculus, ita etiam iste facit corpus esse corpus. Ubi enim ædificatur corpus, nullus plus habet quàm proximus. Neque enim hoc facit corpus; quòd alterum quidem sit majus, alterum verò minus: sed quòd multa sint & diversa. Neque enim tu, quoniam es major, constituis corpus. Quomodo enim tu, quoniam es major, constituis corpus: ita etiam iste, quoniam est minor. Quamobrem ejus parvitas, cùm oporteat corpus ædificare, est tibi par in honore ad pulchram hanc collationem: idem enim quod tu potest. estque hinc perspicuum. Non sit aliquod majus & minus membrum, neque honestum & inhonestius: sed sint omnia oculus, vel omnia caput: non peribit caput? Cuivis est perspicuum. Rursus si omnia sint minora, idem eveniet. Quamobrem hac quoque ratione exæquantur quæ sunt minora. Si oportet autem etiam aliquid amplius dicere: ut maneat corpus, minor est is qui est mior. Quamobrem propterea est minor: ut cùm tu sis magnus, maneas. Propterea etiam eandem exigit ab omnibus curam & providentiam. *Homilia 31. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Quomodo magna non omnibus Deus, donavit omnia, sed illis quidem hoc, his vero illud: ita etiam fecit in minoribus, ne his quidem omnibus propositis. hoc autem fecit, magnum ex eo ædificans consensum & charitatem; ut unusquisque opus habens proximo, ad fratrem congregetur. Hoc & Deus administravit in artibus, hoc & in emolumentis, hoc & in plantis, & in membris nostris, & ut semel dicā, in omnibus. *Hom. 32. ad Cor. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Ex sacerdotio & regno, rerum administratio conflata est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim velut anima est, hæc velut corpus) ad unum tamen & eundem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem. Quapropter cùm Judaicæ res initium sumebant, sacerdotium, ut magis necessarium, institutum est, ac perdiu duravit. Posteaquam autem, cùm carni addictiores atque crassiores essent, regnum poposcerunt: illud ipsis concessum fuit, quippe quod vilissimum esset, atque eorum, qui sacerdotio minimè parebant, peccata coerceret ac restringeret. Quoniā igitur, partim quidem sacerdotium habentes elucebant, partim autem regnum obtinentes conservabantur, utroque autem sublato, nullum ipsis salutis subsidium reliquum erat: idcirco Daniel Propheta, ut illud ostenderet, fore, ut Judæorum res post Christum in crucem sublatum funditus delerentur, nec ullum lætioris spei vestigium ipsis restaret, nec melior ulla expectatio eluceret, his verbis usus est: Exterminabitur unctio, & judicium non erit in ea: per unctionem videlicet, sacerdotium indicans: per judicium autem, regnum, ac civilem statum. Ac maximè quidem per sacerdotij extinctionem, regni quoque, & aliarum omnium rerum eversionem simul demonstrabat (sublato enim ac prorsus deleto eo, quod caput erat, majorisque momenti, ne aliud quidem quicquam consistere poterat. nam regni quoque basis pietas erga Deum erat, quæ in Dei cultu posita censebatur. Sed tamen regnum etiam finem habiturum dixit: hinc nimirum perfectam Judaicæ Reipublicæ subversionem prædicens. Quod etiam res ipsæ testantur, ad multo præstantiorem & diviniorem cultum ac religionem traductæ. *lib. 3. epist. 249.*

¶ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Est autem Respublica, sicut Plutarcho placet, corpus quoddam, quod divini muneris beneficio animatur, & summæ æquitatis agitur nutu, & regitur quodam moderamine rationis. Ea vero quæ cultum religionis in nobis instituunt, & informant, & Dei (nec secundum Plutarchum Deorum dicam) cerimonias tradunt, vicem animæ in corpore Reipublicæ obtinent. Illos vero, qui religionis cultui præsunt, quasi animam corporis suspicere & venerari oportet. Quis enim sanctitatis ministros Dei ipsius vicarios esse ambigit? Porro sicut anima totius habet corporis principatum: ita & hi, quos ille religionis præfectos vocat, toti corpori præsunt. Augustus Cæsar eo usque sacrorum pontificibus subjectus fuit, donec & ipse, ne cui omnino subesset, Vestalis creatus est Pontifex, & paulo post ad Deos relatus est vivus. Princeps vero capitis in Republica obtinet locum, uni subjectus Deo, & his qui vices illius agunt in terris, quoniam & in humano corpore, ab anima vegetatur caput & regitur. Cordis locum senatus obtinet, à quo bonorum operum & malorum procedunt initia. Oculorum, aurium, & linguæ officia, sibi vendicant judices & præsides provinciarum. Officiales & milites manibus coaptantur. Qui semper adsistunt principi, lateribus assimilantur. Quæstores & commentarienses, non illos dico qui carceribus præsunt, sed comites rerum privatarum, ad ventris & intestinorum refert imaginem. Quæ si immēsa aviditate congesserint, & congesta tenacius reservaverint, innumerabiles & incurabiles generant morbos, ut vitio eorum totius corporis ruina immineat. Pedibus vero solo jugiter inhærentibus, agricolæ coaptantur, quibus capitis providentia tanto magis necessaria est, quo plura inveniunt offendicula, dum in obsequio corporis in terra gradiuntur, eisque justius tegumentorum debetur suffragium, qui totius corporis erigunt, sustinent, & promovent molem. Pedum adminicula robustissimo corpore tolle, suis viribus non procedet, sed aut turpiter, inutiliter & molestè manibus repet, aut brutorum animalium ope movebitur. *lib. 5 Policr. cap. altero.*

Io. Sarisberiensis: Si homini comparetur Respublic. in eo corpore pedes appellantur, qui humiliora exercent officia, quorumq; obsequio reipubl. membra per terram gradiuntur. In his quidem agricolarum ratio vertitur, qui terræ semper adhærent, sive in sationalibus, in consitivis, sive in pascuis, sive in floreis agitentur. His etiam aggregantur multæ species lanificij, artesque mechanicæ, quæ in ligno, ferro, ære, metallisque variis consistunt, serviles quoque obsecundationes, & multiplices victus acquirendi, vitæque sustentandæ, aut rem familiarem amplificandi formæ: quæ nec ad præsidendi pertinent autoritatem, & universitati reipublicæ usquequaque proficiunt. Hæc autem tot sunt, ut respublica non octipedes cancros, sed & centipodes pedum numerositate transscendat. Et quidem præ multitudine numerari non possunt, cum tamen non infinita sint per naturam, sed quia tam variæ figuræ sunt, ut nullus unquam officiorum scriptor, in singulas species, eorum specialia præcepta dederit. Verumtamen quod generale est omnibus & singulis procuratur, ut legis scilicet limites non excedant, & ad publicam utilitatem omnia referantur. Debent autem obsequium inferiora superioribus, quæ omnia eisdem vicissim debent necessarium subsidium providere. Unde Plutarchus ea dicit in omnibus exequenda, quæ humilioribus, id est multitudini prosunt. Nam paucitas semper pluribus cedit, Ea ergo causa instituti sunt magistratus, ut subditis injuriæ propulsentur, ipsaque respublica quasi illorum opificio calcietur. Est enim quasi discalciata, quando injuriis exponitur, quo nihil potest ignominiosius esse gerentibus magistratum. Afflictus namque populus, quasi principis podagram arguit & convincit. Tunc autem totius reipublicæ salus incolumus præclaraque erit, si superiora membra se impendant inferioribus; & inferiora superioribus pari jure respondeant, ut singula sint quasi aliorum ad invicem membra, & in eo sibi quisque maximè credat esse consultum, in quo aliis utilius noverit esse prospectum. *Libri sexti nugarum Curialium cap. 20.*

¶ Philosophorum Oratorumq; Graecorum.

Diogenes: Canis iis, qui Græci appellantur, gemitum dicit: qui quidem, & si nihil dixero, vobis est, qui facie homines, animo simiæ estis. Omnia simulatis, nihil cognoscitis. Vos igitur, cùm leges vobis ipsis feratis, quibus in superbiam elati, intumescentis malitiæ testem accepistis, nunquam in pace, sed assiduo in bello consenescitis, mali & malorum auctores, invicem invidentes, si paulò molliori veste alio alium vestitum, vel paulò ampliore argento, vel oratione facundiore, vel eruditiore potiùs præditum conspexeritis. Nihil enim sana ratione judicatis, sed ad ea quæ fidem vel persuasionem faciunt, vel gloriosa videntur, proclives, omnia vitio datis. Nihil neque vos, neque progenitores vestri cognoscitis: sed ignorantia & amentia vestra bonos viros maledictis urgetis, & persequimini. Odio autem vos habet, non modò canis, sed ipsa natura. Parva namque lætitia, multo dolore afficimini: & ante ductam uxorem, & postquam ducta est, quòd duxeritis, perditi estis & morosi. O, quot qualesque viros, alios quidem bello victos, alios in pace, quam appellatis, oblata causa, interemistis. Multi cruci affixi sunt, multi à populo jugulati. Alij publicè venenum biberunt. Alij rota versati sunt. Utrum igitur potius admittendum fuit, ô insana capita, an ut interimerentur? Ex mortuis nullam sanè accepimus utilitatem, nisi in quantum pecudum carne vescimur: hominibus autem bonis proculdubio opus est. Vos insani illiteratos & rudes Musicam doceatis, ut ea nobis aliquando usui sit: viris autem justis quāobrem vestra doctrina imbutis non utimini, quandocunque iis opus esset. An quoniam injustis indigetis, quando civitatem vel exercitum placet diripere. Neque dum hoc magnum. Sed quotiens, ut bona operemini, etiam meliora intueri licet. Et quos attingere potestis, injuria afficitis cùm majori vos digni essetis supplicio. Et Mercuralium & Quinquatriorum sollennitatibus in gymnasiis, & medio foro comeditis, bibitis, inebriamini, concumbitis, deliratis, in utramque partem consulitis muliebria patimini. Inde in nos impiè, clàm atq; palàm facitis. Hæc nihil curat canis, sed vobis omnia curæ sunt. *Epist. 27 ad Græcos.*

Darius Rex: Vir bonus, maximum bonum Reipublicæ, sermonibus honestis ac legibus, mentes bonas efficit, utiliter & tempestivè ad bona impellens. *Epistola ad Ephesios.*

Plato: Equidem adolescens dum essem, eandem quam plerique habui cupiditatem. Statueram enim cùm primùm mei ipsius compos factus essem, ad Rempublicam conferre. Interim talia quædam circa Rempublicam contigerunt. Nā cùm is qui tum erat Reipublicæ status à multis improbaretur: secuta mutatio est. Tunc unus & quinquaginta viri gubernatione suscepta: undecim in urbe, decem verò in Piræo forensium urbanarumq; rerū administrationē habebāt. Sed penes triginta viros summa erat omniū autoritas cōstituta.

Horum nonnulli domestici & noti erant mihi qui me statim ad Rempublicam capessendam invitaverunt, Atque ego nihil mirabile sum ob iuventutem perpessus. Quippe existimabam illos ab injusta vita civitatem ad justos mores debere convertere. Itaque diligenter in dies quid facerent, observabam. Verùm animadverti eos brevi admodum tempore ita se gerere, ut prior ille Reipublicæ status fuisse aureus putaretur. Nam & alia multa injustè fecerunt: & amicum meum seniorem Socratem, quem ego justissimum omnium qui tunc erant appellare non vereor, unà cum aliis quibusdam ad adducendum civium quendam ad se miserunt: ut ultimo supplicio afficeretur: Socratemque ipsum vel sponte vel invitum quasi participem sibi conjungerent: qui tamen parere noluit, ac potiùs cuncta pati gravissima constituit, quàm impiorum scelerum illis socius existere. Hæc igitur cùm viderem, & alia quædam non parva, graviter tuli, & ab illis malis me recepi. Nec multò pòst secuta horum triginta eversio est: totaque Respublica mutata. Rursus igitur quanquam moderatius, cupiebam tamen adire Republicam. Sed agebantur tunc etiam, utpote turbata Republica, quæ improbares permulta. Nec sanè mirum fuerit in hujusmodi mutationibus inimicos quosdam pœnas dare graviores, quanquam qui redierant, magna uterentur clementia.

Iterum sorte quadam accidit, ut Socratem hunc amicum nostrū potentes in Republica quidam accusarent, impium crimen objicientes, ac minimè omnium ipsi conveniens. quasi enim non rectè de diis sentiret, alii quidem in judicium traxerunt: alij sententiam in eum dixerunt condemnaveruntque, & eum hominem necavere, qui superiori tempore, quo nihil impiè faceret, unum ex ipsis tunc exulantem ducere, atque rei impiæ nullo modo particeps fieri sustinuerat.

Cùm hæc igitur animadverterem, & homines qui in Reipublicæ gubernatione versabantur, legesque & mores, quanto magis considerarem, quantoque magis ætate progrederer, tanto difficilius arbitrabar esse rectè Rempublicam gubernare. Neq; enim hoc fieri potest absque amicis sociisque fidelibus. Quos tum reperire haud facilè erat, non enim ampliùs patriis moribus institutisq; civitas nostra gubernabatur: & parare novos impossibile erat sine summa difficultate: utpote simul legibus moribusque penitus corruptis. Itaq; ego ille qui primus exarserā incredibili cupiditate me ad Rempublicam conferendi, intuens cuncta in præceps deferri, tandem quò me verterem, nesciebam. Et ab investigatione quidem nequaquam desistere placuit: si quid fortè melius eveniret, & circa hæc ipsa & universam Rempublicam: agendi verò opportunitatem aliquam expectare. Tandem verò compertum est mihi Respublicas omnes quæ nunc sunt, improbè gubernari. Nam quantum ad leges attinet, insanabiles fermè sunt: nullo instituto egregio sed fortuna quadam viventes. Quapropter dicere adductus sum, laudans rectam philosophiam quid justum sit, & quid non, tam in Republica quam in privata per eam duntaxat discerni. Itaq; non priùs desinere humanum genus in malis versari, quam aut homines rectè vereque philosophantes Rerumpubl. gubernationem adepti fuerint: aut hi qui gubernant, divina quadam sorte verè philosophentur. Hac ego mente Italiam Siciliamque adivi. hæc fuit prima in ea loca profectio mea.

Quò cùm venissem, vita illa beata quæ ferebatur plena Italicarū Syracusanarumque mensarum, nullo modo mihi placuit, bis in die saturum fieri, nec unquam pernoctare solum, cæteraque, quæ comitantur huic vitæ. Nemo enim omnium qui sub cœlo sunt, si in hujusmodi moribus ab adolescentia nutriatur, quavis natura & ingenio excellenti præditus, unquam tamen prudens evadet. Temperatus esse certè nunquam curabit. Eademq; erit de cæteris virtutibus ratio. Civitas autem nulla legibus acquiescere poterit, si cuncta in superfluos sumptus eroganda cives existiment: cæterisq; posthabitis omnibus conviviis duntaxat & Venereis oblectamentis obnixè putent operam impendēdam. Necesse est huiusmodi civitates modò in tyrannidem, modò in paucorum potentiam, modò in popularem statum mutari: neque unquam quiescere: justæ verò æquabilisque gubernationis, eos qui in his civitatibus potentes sunt, ne nomen quidem ipsum audire velle. *epist. 7. ad Dionis propinquos.*

Xenophon: Idem accusator sæpenumero Socratem Homeri verbis dicebat usum esse, quod Ulysses,

> *Si regem nanctus, magna aut virtute virum quem*
> *Conspiceret, verbis hunc demulcebat amicis:*
> *O felix, tibi non ignavi more timendum est,*
> *Verum ipsus sedeas, aliosq; sedere jubeto.*
> *At si quem media clamantem è plebe videret,*
> *Hunc sceptro ferit, & castigans talibus infit:*
> *Infelix, ne te moveas: melioribus aureis*
> *Præbet tuas, animi nullo qui robore præstans,*
> *Non es consiliis ullis, nec idoneus armis.*

hæc eum sic interpretari, ut poetam dicat probare, si plebeij pauperesque cædantur. At vero Socrates non hoc agebat, quod illo pacto seipsum esse cædendum existimasset: sed necessario dicebat eos, qui nec oratione, nec facto utiles essent, neque vel exercitui, vel civitati, vel ipsi etiam populo, siquidem ita requireret usus, possent succurrere: præsertim si etiam accederet audacia omni ratione ac modo coercendos esse, tametsi magnas opes possiderent. Et erat certe Socrates econtrario palam popularis & humanus. *cap. 15. lib. 1. Memorabilium.*

Halicarnassæus: Inops & dives hostes sunt in civili administratione. *cap. 6. de Oratorum scriptorumq; examine.*

Dio Prusæus: Cerno autem non solum ab eloquentia, verùm etiā à philosophia bonos & spectabiles exoriri viros in civitate: de quib. ego & privatim juvenes, & publicè, quum fuerit opportunum, hortari non cunctabor. Et vos populum rogo, ut ea quidem quæ ab iis qui rerum potiuntur, pręstari solent, speretis tanquam futura: optetisque obtingere vobis aut honorem aliquem, aut gloriam, aut pecuniarum facultatem: quæ autem vobis ipsis præstare potestis, ea interim præstare ne negligatis, disciplina longè ab aliis populis differente, pudore, atque obediendo viris bonis, operationum assiduitate, modestia circa quotidianum victum, nullaque rerum ultro obtingentium negligentia, neque animi; quantum unicuique suæ occupationes ocij tribuunt, promptè educando liberos, & erudiendo, faciendoque civitatem revera Græcanicam, tumultuque vacuam, moribusque compositam: & asperitatem fortitudinemque naturæ atque intellectum ad majora honestioraque vertendo, dissensionem verò & turbas mutuasq; offensiones quantum fieri potest excludendo. Est enim, ô viri, & populi disciplina: sunt quoque civitatis mores philosophici & humani. Neque solum Lacędæmoniis, neq; Atheniensibus atque aliis quibusdam antiquitus contigit, quum honestè viverent in republica, ut suas civitates ex admodum parvis & infirmis magnas & illustres redderent: verumetiam nunc licet idē volentibus. His enim quum operam dabitis, magis vobis proderit, quam senatorum multitudo, quam quod causæ apud vos discutiuntur; quamque ut extrinsecus reditus vobis aliquis pecuniarum existat, cum ipsa libertate, si quando & hanc consequimini. Bene enim scitis, quod libertatem, quæ dicitur, atque illud nomen, quod ab iis qui rerum potiuntur, multaque possunt, interdum contingit, possidere non liceat: veram autem libertatem, & quæ facto hominibus adesse solet, & vir & unaquæque civitas ex se accipit, magno & non abjecto animo, neque segniter sua gubernans. *Orat. 44.*

Aristides Rhetor: Quemadmodum totus hic mundus è quatuor constat elementis, quorum tamen unumquodque naturam ceteris habeat similem, verum ex potiori parte nomen seorsum ducat: sic & reipublicæ species, tametsi multum sint diversæ, inter se modo quodam connecti debent, ut vel unius vel paucorum, vel etiam multorum, verum ac justum habeat imperium. *fine Panathenaicæ.*

Epictetus: Sicut bonus equiso, non quidem bonos pullos alit, effrenes verò esurire sinit, sed ex æquo alit utrosque: sed alteros acrius castigat, & alteris æquare studet. ita etiam is cui respublica curæ est; quique regendę civitatis rationem tenet, moderatos cives beneficiis afficere studet, improbos vero neque subito occidit neque victum illis eundem invidet: sed vehementius castigat & urget eum, qui rationi & legi adversatur. *apud Stobæum.*

Simplicius: Quid ad te, inquit, si per te patria porticus & balnea non habebit. Neque enim calceos per fabrum ferrarium habet, sed per sutorem: neque arma per sutorem, sed per armorum fabrum. Omnis enim resp. tum sibi ipsi utiliter & juste administratur, cum quisque civis & incola suo intentus operi, aliena non curat: Si & faber ærarius, & quivis alius opifex curat, ut suum opus reipublicæ prosit. At dicat philosophiæ studiosus: ego vero quare utilis ero reipublicæ? Cui vicissim egregie respondet: Si efficeres ut alium civem fidelem & verecundum haberet, nonne utilius ei aliquid quam faber ærarius præstares? Maxime igitur eam adjuvabis, cum aliis ad hunc modum instituendis, monendo docendoque, tum vita & moribus honesti & boni civis munus obeundo, exemploque tuo longe majores quam reliqui sunt operibus afferes ad rempublicam utilitates. Quem igitur, inquis, in republica tenebo locum? Nam cæterorum quisque suo quopiam munere fungitur, alius magistratum gerendo, alius propugnando, alius aliquid ad degendam vitam utile suppeditando. Auctor igitur communiter ad hæc respondet: Quemcunque locum in civitate tenere poteris, conservata fide & verecundia eum teneto. Si verò dum pecunia, balneis, porticibus, eam juvare studes, fidem & verecundiam amiseris: fortasse ne illis quidem rebus eam juveris semel perfidus & impudens factus. Vtrum vero magis eam ornant? fideles & verecundi cives? an porticus & balnea? Verum quærendum est, quem locum in republica philosophus tenere debeat? Annon ejus potissimum, qui homines faciat, & fidelium ac bene moratorum civium quasi opifex quidam sit? Nec enim aliud ejus munus erit, quam & sese & alios ita repurgare, ut vitam naturæ humanæ convenientem, agant. omniumque communis pater erit & pædagogus, & corrector & consiliarius, seque curatorem præbebit omnium, & adjutor erit omnis boni. Congratulabitur iis quibus res secundæ sunt, vicem dolebit calamitosorum eosque consolabitur. Denique ea faciet, quæ is qui persuasum habet, peculiare suum munus esse, & in republica locum & curationem, qua omnibus hominibus pro virili sua bene faciat. Sin eum ad unum aliquod in republica munus seorsim destinatum videre volueris, & bene constitutis civitatibus utique principatus ei deferetur, ut cæteris antecellenti, ea ratione qua ovibus opilio. Erit & senator prudens, & imperator, si disciplinæ militaris peritus fuerit, ut & consilio & animi robore superior cæteris, Nam Socrates quoque in prælio ad Delium commisso, fortissime pugnavit: & per hostile agmen se recipientem, unum eum nemo, ut ajunt, persequi ausus fuit magnitudine animi ejus perterritis omnibus. Quin & Xenophon decem illis Græcorum millibus conservatis, Olympico præconio est ornatus.

Cæterum sciendum est, malas respublicas omnino tum animis esse perniciosas, tum divinam illustrationem repellere, tum honesta instituta conspurcare, tũ exempla recte vivendi abolere. Quapropter ad veræ institutionis initia plane impediunt animos, & ad doctrinæ confirmationem. Si quis tamen in tali republica repertus fuerit animus, singulari quodam fato corroboratus, is durioribus exercitationibus ad majorem virtutis perfectionem acuetur. *ad cap. 31. Epict.*

Alcinous: Plato. Rerumpublicarum quasdam esse dicit suppositas, quas in libris de Republica tradidit. In iis enim priorem quidem concordem, secundam verò diffidentem descripsit & flagrantem, quærens utra sit præstantior istarum, & quo pacto sint constituendæ. Est & apud eum juxta divisionem animæ, in tria membra divisa Resp. in custodes, adjutores, artifices. Quorum primis hoc tribuit, ut consulant & imperent. Secundis, ut cum opus est armis Rempubl. propugnent: qui irascendi facultati respondent. Postremis artes ac ministeria cætera. Principes autem vult esse philosophos, & primum contemplari bonum. Hoc enim modo duntaxat, ipsos recte administraturos esse omnia: quippe nunquam à malis liberari humanum genus posse, nisi aut philosophi regnent, aut qui regnant, divina quadam sorte philosophentur. Optime enim & cum justitia tunc administrari Rempub. cum unaquæque civitatis ita suo munere fungitur portio: ut principes consilium dent populo: propugnatores illis pareant, ac pro illis prælientur: reliqui verò superioribus libenter gerant morem.

Formas autem Reipub. facit quinque. Primam Aristocratiam, cum optimates imperant: secundam Timocratiam, cum ambitiosi regunt: tertiam Democratiam, cum populus: quartam Oligarchiam cum pauci: postremo Tyrannidem quæ omnium est pessima. Describit quoque alias ex suppositione Respublicas, cujusmodi est quæ libris de legibus instituitur, & quæ ex emendatione in epistolis extat. Qua apud eas civitates utitur, quas ægrotare in libris dixerat de legibus: quæ & distinctum iam locum, & ex omni ætate electos habent homines: ut pro diversitate vel naturæ suæ vel loci, diversa quoque institutione & educatione egeant, & armis. Qui enim maritimi, navigationi studeant, & navalia gerant prœlia: qui mediterranei, pedestrem gerant pugnam atque armaturam: leviorem, qui montes; graviorem, qui colunt littora. Nonnulli quoque ex iis equestrem pugnam exerceant. In hac vero civitate, nequaquam communes facit mulieres. Est igitur Politice, virtus quæ in actione simul & contemplatione versatur, cui propositum est, bonam beatamque ac sibi convenientem efficere civitatem. Considerat præterea & alia infinita: sed inter alia & hoc, bellumne sit gerendum necne considerat. *libri de Platonis doctrina cap 33.*

Iulianus Imp. Assidua cura reipubl. molesta est iis, qui negligentius in ea versantur: at qui diligentia & industria utuntur, æqui sunt, mea quidem sententia, & prudentes, omninoque ad omnia idonei. Quare, ipse mihi hanc opportunitatem, comparavi, ut sine ulla reipubl. negligentia, nonnihil quoque spatij ad relaxationem animi sumam. *& mox:* Ex eo accidit (quod sine invidia dicere liceat) ut dũ relaxamur, seria agamus; & dum hæc agimus minimè cruciemur & securè dormiamus: quoniam cùm vigilarem, non tam pro meipso quam pro cæteris omnibus, ut par erat, vigilavi *Epistola 12.*

Iulianus: De reipubl. administratione, quòd diligenter atque humaniter transigere omnia studes, gratum est. Etenim lenitatem ac moderationem cum fortitudine & robore ita temporare, ut illa erga bonos viros utare, hanc ad pravos severè corrigendos adhibeas, non mediocris ingenij ac virtutis rem esse arbitror. Hos fines tibi propositos esse & ad honestatem unicam referri cupio. Extremum siquidem virtutum omnium istud esse, non sine causa veterum sapientissimi crediderunt. *Epist. 31.*

Libanius: Atqui Tyrannidem & Rempublicam convenire non licet. Sed simulatque factus est quis omnium dominus. etiam civitatem cui id contigit, necesse est servire. Quod enim sunt heri mancipiis, hoc Tyranni subditis. Respublica vero æquitatem colit: jus honorat. quod plus æquo est, coercet: contrarium arcet: bona sua omnibus communia proponit. Hic inops est; ille locuples. alter quippe malis moribus est dum opibus abundat: alter melior est dum egestate premitur. Non præclarius agitur cum eo qui virtute præditus est, & pecuniis eget. Sed illi quidem gradus & auctoritas committitur: hic autem truditur & odio habetur. Duxit quis uxorem: & securus est de muliere. liberis auctus est. nec præ omnibus formidat petulantiam. integrum porro est rerum copia affluere, nec propterea ærumnas exequi: viventem quoque in tenui censu, licet virtutis gloria celebrari. Adhæc, qui in populari statu degunt, castè quidem vivunt, nullo cogente ipsos ad proterviam. ingenuè etiam vivunt: quod illis generoso ingenitum est animo: animosum verò pectus opera comitantur. proinde eos qui tali gubernatione reguntur, maxima ac præclarissima quæque perficere constabit: eorundemque augustissima extant trophæa. atque in bello superant hostes, potius quam tyrannis parentes. Nam ut non alia de causa laborantes viri in præliis quæ justa sunt consulunt; & gnaviter se gerunt. His strenuis actis, cum majores nostri alia gubernationum genera obscuravissent, hanc civitatem pulchrè administrarunt. *Loco communi contra Tyrannum.*

Libanius: Omnes quicunque unquam respublicas everterunt, id cum divitiis aggressi sunt. *Declam. 33.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Reipub. læsæ quædam sunt, judices, ad quorum pronunciationem oculi sufficiant. Satis erat accusatori ostendere, si quid hic læserit: aliqua publicorum operum incensa, eversa, vel corrupta navalia, arma usibus belli erepta, aliquid deniq; eorum quæ publicè possidetur (ea sunt enim reipublicæ) deterius hujus fraude atque injuria facta. *Declam. 260. pr.*

Symmachus: Non silebo alterum munus opusculi tui, quo prisca cuiusque reipubl. ex libro Græcæ in Latium transtulisti. Arma ab Samnitibus, insignia à Tuscis, leges dolare Lycurgi & Solonis sumpseramus. *lib. 3. epist. 11. m.*

Symmachus: Nunc interlucet homo homini. Senatus antiquum obtinet. Vivere libet, natum esse non pœnitet, & ad salutem spectãt omnia. Nulli à paupertate discrimen est. Respublica in vetustatem se recepit, & decrepitos mutavere animos, postquam vos ad virtutẽ verba fecistis. Pari vigilia prospectum videmus, ut res annonaria satietati urbanæ liberiùs ingeratur. Flandæ monetæ nequitiam decoquit larga purgatio. Nullo jam provincialis auri incremento trutinam spectator inclinat. *lib. 4. epist. 56.*

Symmachus: Ego vos Prætoriis meis fascibus primos interesse voluissem, festisque communibus decus facere. sed feram necesse est anteferri mihi causam Senatus. *lib. 8. epist. 14.*

Symmachus: Quis ferat obfuisse Reipublicæ privata certamina? Meritò illos Senatus insequitur, qui potentiam suam famæ principis prætulerunt. *lib. 10. epist. 54.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Equitibus v. 731.

Ego te jamdudum amo, voloq; tibi
Benefacere, ut & alij multi boni ac probi:
Sed nihil per malos valemus aut possumus.
Nam tu similis es pueris amari solitis:
Bonos probosq; ab amore tui tu respuis,
Teq; lucernariis & restionibus,
Et calceariis atque coriariis
Ipsammet te prostituis.

Ibidem versu 1138.

Me verò videte, utrum
Circumveniam hos catè,
Qui se sapere autumant,
Et fallere me clam.
Observo equidem undiq;
Illos (quasi qui nihil
Cernam) rapuisse: mox
Cogo evomere omnia
Quæ surripuerant; spatha
Exploroque camum.

Aristophanes Equitibus 856.

Quanto me tempore fraudasti, ludificando popellum.
CL. Istud me dixis infelix, neu te putes amicum
Inventurum, qui melior sit, quam ego. Nam ego cum unus essem:
Conjuratos solus compescui neque me latebat
Quicquam, quod in urbe clam fieret, nam clamavi repentè.
AG. Idem accidit tibi, quid his, qui anguillas aucupantur
Vbi tranquillus est lacus, nil piscium reportant.
At si lutum stagni sursum commôrint & deorsum,
Ibi capiunt demum: sic & tu capis, ubi priùs civitatem
Perturbas. Age verò, unum hoc dicas mihi: cùm venditares.
Tantum corij, dedistin' unquam sponte tua, huic popello
Corrigiam unam, ad suendos calceos, tuo ex amore?
PO. Non sanè, non, per Apollinem. AG. noras ergo vir iste
Quinam esset, at ego tibi emam, & dabo par isthoc calceorum.
PO. Ego, quantum video, te bene velle populo arbitror, & urbi
Amicum te esse, & digitis quoq; meis. CL. annon grave hoc sit
Quod calcei tantùm valent: mei autem nulla restat
In te memoria, a quo tanta accepisti bona. Nam ego olim
Sedavi sub agitatos, & Gryttum extinxi cynædum.
AG. Annon grave hoc Cynadorum nates inspicere & omnes
Sedare pathicos. Neq; sanè est, ut non sedâris illos
Ex invidia, metuens eos oratores futuros.
Sed cùm nudum videres hunc tantillulum popellum,
Ne quidem humerali veste dignum censuisti,
Etiam durante hyeme: at ego tibi dono pallium istuc.
PO. Na tale ne quidem Themistocles dare cogitavit:
Quamvis hac etiam in parte sapiens, Piræensis iste:
Mihi tamen hac tunica nil majus inventum videtur.
CL. Ah me miserum, quibus circum agis me modis dolosis?
AG. Minime: sed idem facio, quod poti, qui alvo urgente surgunt.
Nam ut illi alienis soleis, ita tuis moribus ego utor.
CL. At non superabis me, palpum obtrudendo: Nam ego popellum
Hac induam tunica. at tu malè dispereas verbero. PO. ehem,
Non tu hinc abis in rem malam, qui corium oles malignè?
AG. Sanè haud ineptè tibi circumdedit, ut te strangulet. Nam
Et ante hac tibi insidias struxit, scis caulem, opinor,
Istum Laserpitij, parvo venalem factum? PO. ego novi.
AG. Non abs re voluit illum tam vili venire nuper
Pretio: ut qui emitis, comedatis: ac post in foro sedentes
Pedatis judices: & vosmet invicem enecetis.

PO. Ita per Neptunum. Hoc dixit idem ad me quidam ster-
corosus.
AG. Nunquamne verò pedendo suffusi estis rubore?
Nam per Iovē Pyrrhandri quoq; commētum fuerat isthuc.
CL. Ah quibus insultas mihi scurrilitatibus, sceleste?
AG. Dea Pallas certò jussit, te te vincam vanitate.
CL. Non vinces. Ego enim affirmo tibi, mi popule, me daturū
Etiam ocioso, ut ollam mercedis sorbere possis.
AG. At ego do iam tibi pyxidem, cum unguento, ut tibiarū
Vlcera circùm ungas. CL. at ego canos mihi eligens capillos,
Iuvenem te faciam. AG. hem capesis leporis hanc caudam,
atque ocellos
Absterge. CL. ô popule, ubi ego emunxi, tu in caput absterge
meum.
AG. Imò in meum caput, in meum.
CL. Ego faxo, ut instructam tuis
Habeas triremem impendiis:
Navemq; veterem compares:
In qua reficienda haud queas
Perferre sumtus: postea
Excogitabo, ut putridum
In navi velum surrigas.
CH. Homo hic furenti ira æstuat:
Seda fervorem, seda, & foco
Ligna aufer: & cohibeas minas.
CL. Pœnam dabis pulcrè mihi,
Oppressus ærumnis malis
Nam ego faxo, ut inter divites
Relatus argentum luas.
AG. Ego nihil tibi comminor:
Sed istud imprecor, ut tua
Sartago stridat piscibus.
Tu verò, de Milesiis
Cùm proferes sententiam
Lucri cupidus: talentum ubi
Paraveris: ante piscibus
Repletus: ad cœtum properes.
Sed te, priusquam vescier
Occœperis, vir quispiam
Perturbet & talentum ibi
Tu capere vo-
Lens, cibo hôc stranguleris.
CH. Bellè, per Appollinem, Iovemq;
Atq; almam matrem.
PO. Et mihi palam videtur, etiam cætera
Bonus esse civis: qualis vix nullus fuit
Vnquam ex multis, qui digni sunt teruncio.
Tu verò Paphlago, dum ais, quòd me diligas,
Molestus es mihi alliis, quæ fœdè oles.
Et nunc agè redde mihi annulum. Neq; enim amplius
Quæsturam in urbe geres. CL. habe: sed hoc scias,
Si non sines me rem curare publicam,
Alium fore, me longè versutiorem præsidem.
PO. fieri nequit, meus ut sit isthic annulus:
Quoniam aliud apparet signum, me nisi oculi
Fallunt. AG. sine videam, quod signum sit tibi.
PO. Bubulæ adipis assatum folium ficulneum.
AG. Non hoc ficulneum est folium. PO. quid ergo inest?
AG. Larus inhians prædæ, qui è petra verba dat
Pro concione. PO. Hei me miserum. AG. quid rei est? cedò.
PO. Procul aufer, neq; enim meum habet, sed Cleonymi.
Tu verò hunc à me habe, & quæsturam suscipe.

Aristophanes Nubibus v. 587.

—— Hoc est, quod ferunt
Stulta consilia huic inesse civitati; sed tamen
Ea quæ vos peccatis, in melius Deam convertere.
Quomodo autem hoc profuturum sit, facilè docebimus:
Si Cleonem, larum illum furti damnatum atq; ambitus,
Capiatis, gulamq; ligno interstringuatis; tunc ad statum
Pristinum redibunt omnia; & si quid fuit ante hac
Peccatum à vobis, id in melius cedit reipublicæ.

Aristophanes Ranis. v. 1488.

Quibus utitur Respublica viris? num bonis?
BA. At unde? pessimè odit. ÆS. at gaudet malis?
BA. Minimè sed illis ad vim faciendam utitur.
ÆS. Quomodo igitur talem urbem servet quispiam?
Cui neq; Læna, neq; sagulum rectè congruit?
BA. Quæso reperi aliquid, an emergat denuò.
ÆS. Illic memorem, hic non est integrum proloqui:
BA. Minimè, sed hic dimitte, quæ censes bona.
ÆS. Quando hostium terram habituri sunt pro sua:
Suam pro hostili: naves, pro recta via:
Viam terrestrem pro re dubia & perdita.
BA. Benè, nisi quòd ea judex solus devorat.

Plautus Amphitr. 1. sc. 3.

Nunc, ne legio persentiscat, clam illuc redeundum est mihi:
Ne me uxorem prævortisse dicant, præ republica.

Plautus Captivis 3. sc. 2. v. 1.

Quid est suavius, quàm bene rem gerere bono publico?

¶ EMBLEMATUM.

Batillius CVII.

Nulla spes Reipubl. si potentia Principis sejuncta sit à prudentiâ.

Quid sperem in tanto jactatæ turbine rerum
Vt veniat nostræ lenior aura rati?
Quin mage jam afflictis potius diffidere rebus
Paschari incipiam, speq; minore trahi?
Fallit enim augurium, gemino nec lumine fratres,
Dira sed una tenet carbasa nostra soror.

Batillius CXX.

Speculum clementiæ Regiæ.

Intendit sensim fidicen, vel tensa remittit;
Nec temere abscindit dissona fila lyræ:
Consultat hoc speculum Rex æquo sævior, atq;
Parcè uti discat viribus inde suis.

Batillius. CLXXXIX.

Munerum societas in Repub.

Dissecta in digitos ut non infirmior inde est,
Inde operi tantó sed magis apta manus,
Principibus sic quæ stat nixa potentia multis,
Firma magis rerum pondera ferre valet.

Camerarius XI. Centur. 4.

Quem genuit, perdit.

Crudeli ingratum mare Delphinem expulit æstu.
Sæpè etiam Civis fert bonus exilium.

¶ APOPHTHEGM. SACR.

Salomon: Quibus columnis Respublica fulciatur & perstet incolumis docet Salomon, Prou. 11. 14. & 15. 22. & 20. 28. *unde amplificetur*, Prou. 11. 11. & 14. 34. *ejus delectatio*. Prou. 11. 10. *pessimus ejus status quando sit*, Prou. 28. 28. Prou. 29. 2. 8. 16. 18. Eccles. 5. 7.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absq; cædibus rei nulla publicæ mutatio est.
Absq; magistratu durare quæ queat respublica?
Absq; vi metuq; vix est ut rem mutes publicam.
Ægrotante membrorum uno corpus omne habet malè.
Ambitio tenacitasq;, publicæ pestes rei.
Auguratò pro salute publica usq; rem geras.
Ceteris membris dolemus actutum ut dolet caput.
Conjugem paucissimi, omnes eligunt pecuniam.
Conquiescit sub legum umbra publicæ rei salus.
Constat armis legibusq; qualibet res publica.
Consul est verus saluti qui universæ consulit.
De republica periti, haud imperiti judicent.
Ecquod Punicum malum exstat absq; grano putrido?
Feminæ utiq; sunt remotæ rebus a civilibus.
Firma prius rem, deinde adorna, publicam.
Impendas minimum tibimet plurimum reipublicæ.
In bonum ruens sinum, fermè est ut stet res publica.
In bonum ruens sinum, hæc stat, non ruit, respublica.
Lex, ratio, atq; consuetudo continent rempublicam.
Multa præter votum animi ob rem sunt facienda publicam.
Multorum imperijs geri res publica non potest bene.
Næ benè est reipublicæ, cui litteræ in pretio bono.
Ne quidem in cruce vir bonus rem deseruerit publicam.
Ne tibi rempublicam, sed te reipublicæ dica.
Nemo nascitur sibi ipsi: serviendum pluribus.
Nemini violata res unquam absq; pœna publica.
Nemini esse fama debet potior quam res publica.
Nemini violata res est absq; pœnis publica.
Non potest sibi esse felix infelix reipublicæ.
Nullus est cui non sit pars aliqua imbecilla corporis.
Nunquā inops divesq; idem in re sentiunt politica.
Nunquam inops quis aggredi ausus est statum reipublicæ.
Omne justum est, omne rectum, quòd fit è re publicâ.
Pœna pertinet ad exemplum; vix ad noxam pertinet.
Præmio pœnaq; quamvis contines rempublicam.
Pro republicâ insanire, maxima est sapientia.
Promptius bello quam pace rem mutabis publicam.
Publicæ rei absq; cæde nulla fit mutatio.
Publicæ rei minus bene consulunt illiberes.
Publicæ rei perampla cura nulla pauperi est.
Publicæ rei præfectus, dominis servit pluribus.
Publicæ rei Rex est, non est Regis Respublica.
Publicæ utiles rei, quoq; utiles sunt singulis.
Publicam ne rem administret ejus æri obnoxius.
Publicam rem nil adæq; servat quàm sacer Timor.
Publicam perire rem vis? tolle leges pristinas.
Publicam rem rite curant Fortitudo & Æquitas:

Publi-

Publicam rem vis perire? inde exulent jube bonos:
Publica ære, vulgo cura, panis & circensium.
Publica mavult ruina quisq; quàm sua obteri.
Publica pro re mori est æquius quam commori.
Publici salus reposta est ordinum in concordia.
Publico bene est, ubi artem quisq; quam callet facit.
Putridæ carnes curantur ferro item cauterio.
Quæ facit bene, ac benè audit, florida est respublica.
Quæstus summus est servire commodis Reipublicæ.
Quid est suavius quam benè rem gerere, bono publico?
Quod reipublicæ saluti est, impium dici nequit.
Relligio fidesq; sunt rei fundamenta publicæ.
Res inimicitiis privatis sæpe crescit publica.
Res potens Romana facta est asperis, non prosperis.
Res ubi privata floret, floret & respublica.
Res vigent æqualitate ac comitate publicæ.
Re sua ne quis male utatur, expedit reipublicæ.
Sæpe opibus minimè statura, stat fide respublica.
Salva res est publica, idem vult ubi juvenis ac senex.
Unius dolore membri corpus omne saucium est.

¶ JAMBICA.

Bicipiti nil monstrosius Republicâ.
Dives potestas publicam rem pauperat.
Et publica esse res potest sub pellibus.
Etiam vel unus homini digitulus dolet.
In corpore fragili odiosa minima offensio est.
In optima republica lex optimum est.
In Plebe vis, in Patribus est auctoritas.
Mater decoris mens regentis publici est.
Membri dolor cujuslibet corpus gravat.
Mores probi, probam arguunt rempublicam.
Multos præesse haud expedit summæ rei.
Nil melius est integritate in corpore.
Nil non licet patrare pro Republica.
Nunquam tyrannus convenit reipublicæ.
Pœna regas rempublicam atque præmio.
Qui nullam habet rem, rem ne curet publicam?
Regi nequit respublica absq; injuriâ.
Res Iustitiâ ac Labore crescit publica.
Res nulla quæ non sæpe peccet, publica est.
Reipublicæ salus obedientia est.
Rempublicam ferè una continet fides.
Rempublicam vendunt quoque ipsi Consules.
Republicâ vigente, & privatus viget.
Si calce spina hæret, dolent membra omnia.
Summum bonum Reipublicæ, concordia.
Tantum peritis cura sit reipublicæ.

Restitutionis.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

ZAchæus Publicanus. Magni momenti apud nos esse debet injustè acceptorum Restitutio: præsertim cùm nulli dimittatur peccatum, nisi restituatur quod fuerit ablatum. Cujus rei scrupulo tactus Zachæus Publicanorum Princeps, postquam Dominum Jesum in domum suam gaudens excepisset, memor quantum fortassis per iniqua vectigalia miserum popellum oppressisset; sterit, & ait: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Meruit ergo à Domino vocari filius Abrahæ; non quidem natura, sed exemplo ac imitatione. *Lucæ cap. 19.*

Carolus V. Imp. Verùm ut justitiæ Zachæi est testis Sacra pagina; ita Caroli Cæsaris Gandavum, quod de tanto cive gloriatur. Ille enim dum Franciscum Galliæ regem bello lacesseret, sæpè regiam hanc vocem protupit: *Etsi totum Franciæ regnum debellassem, redderem illud Regi, modò id quod meum esse contendo, mihi relinqueret.* Præclarè August. de verb. Apost. Quod invenisti, & non reddisti, rapuisti. Qui alienum negat, si potuit, tollit, *Auct. vita ejusd. German.* Item habetur in *Serm. Conival. Ioan. Pereg. Petrosel.*

Vide Furari. Furtum.

Resurrectionis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Gregor. Nyssenus:* Nō moveri ac durum esse adversus subjecta nostræque curæ commissa; nec hominum quidem benigniorum & optimorum est. Ita opilio vult valere sibi gregem, ac propemodum immortalem esse: item bubulcus variis curis boves auget: caprarius item capras fætus gemellos quoque tempore parere optat: & in summa, omnis pastor pecorisque magister ad finem quendam utilem respiciens, cum durare atque permanere sibi gregem atque armentum desiderat, tum fætura feliciter propagari cupit. Hoc cum ita sit, maximè decet artificem ac creatorem generis nostri reformare & instaurare corruptum opus: palam est, quòd qui cæteris fidem non habent, non ex aliqua alia causa pugnant & adversantur, quam quod arbitrantur fieri non posse, ut Deus id, quod mortuum ac dissolutum est, resuscitet. Mortuorum revera sensuq; carentium cogitatio, qui existimant aliquid esse, quod à Deo perfici & experiri non possit, & suam ipsorum infirmitatem majestati omnipotentia assignant. Sed ut argumentis & probationibus eorum reprehendamus amentiam, ex præsentibus & præteritis ostendatur id quod futurum quidem est, sed futurum esse non creditur. Audisti quòd pulvis ad formam redactus & homo factus est. Doce igitur me, quæso, tu qui tua sapientia omnia complecti vis, qua ratione tenuis pulvis dissipatus coactus sit? quomodo terra caro facta sit? atque eadem materia, qua ratione & ossa, & cutem, & adipem, & pilos confecerit? quomodo cum una sit caro, diversæ cùm formæ membrorum, tum qualitates & tactus sint? quomodo pulmo tactu mollis, colore lividus? jecur solidum, firmum & non cedens ac rubeum? cor constrictum ac durissima particula carnis? lien rarus & niger? omentum album & instar piscatoris retis à natura cōplicatum? Consideremus & illa, quo pacto prima mulier ex parva parte lateris integrum animal simile perfecto ac primo facta est? & pars ad omnia suffecit, & exiguum totum constituit? costa facta est caput, manus & pedes, viscerum & intestinorum flexuosa tortuosaque ac varia figura atque distinctio: caro, pili, oculus, nasus, os? omnia denique (ne longius orationem producam) omnia admirabilia, abhorrentia à communi opinione & sensu, ac mentis nostræ, qui Deo comparati universi exigua quæpiam portiuncula sumus, captum excedentia: apud Deum vero rationes fabricationis in promptu sunt & faciles, omnemque dubitationem excludentes, & admodum certæ. Quo igitur pacto sana mente præditi esse videbuntur, qui concedunt ex una quidem costa hominem esse factum, non autem credunt ex integri hominis materia eundem renovari? *Oratione 3. in Christi resurrectionem.*

D. Greg. Nyssenus: Qua ratione cum res humida rudis & informis sit, semen in caput concrescit? in tibias & costas durescit & cōsolidatur? cerebrum efficit tenerum rarumque, & os quo continetur, adeò durum & rigidum, variam denique animalis fabricationē & compositionem? ut breviter dicam, ac nimius ne sim minuatim singula persequendo. Quemadmodum igitur semen, quod initio informe est, dum occulta & ineffabili arte Dei tractatur, in speciem redigitur, & in corpora grandescit & adolescit: ita non modo non est absonum & absurdum, verum etiam admodum consentaneum atque probabile, materiam, quæ est in sepulchris, quæ quondam erat in forma, rursus in pristinam renovari figuram, ac rursus pulverem fieri hominem: quemadmodum nimirum etiam initio nactus est inde generationem. Concedamus Deo, quòd tantum possit, quantum valet figulus: & quid hic faciat, consideremus. Rude atq; informe lutum acceptum ad formam vasis redigit, idque radiis solis expositum siccat ac durat. Est autem, verbi gratia, id quod fingitur atque formatur urceolus, vel scutella, vel dolium: sed si quid temerè inciderit & subverterit, collapsum confringitur, & rudis & informis terra fit, suamque speciem amittit. At artifex, si voluerit celeriter corrigit ac reficit id, quod casu corruptum est, ac rursus arte lutum fingens nihilo priore deterius vas efficit. Atque hic quidem figulus parva potentiæ Dei creatura est, & Deo non creditur pollicenti se mortuos renovaturum? *Oratione 3. in Christi resurrection.*

Eadem 3. Orat. de resurr. Diligenter attendamus generationi tritici, & celeriter resurrectionis rationem discemus. Triticum in terram projicitur computrefactum autem humore, & ut ita dicam, mortuum, desinit in lacteam quandam naturam, quæ paulatim cōcreta atque coalita, quasi stimulus quidam fit albus & acutus: aucta deinde in eam magnitudinem, ut terra prominere & extare possit, ex albo sensim in herbescentem viriditatem mutatur: postea fit herba & coma glebarum: quibus infusa & leviter sparsa compluribus nixam fibris radicem subtus alit, futuro ponderi sustentaculū & adminiculum præparans: ac quemadmodum navium mali plurimis undique funibus distenduntur, ut firmi stabilesque permaneant, æquilibribus tractibus obnixi: ita funium in modum ex radice enatæ sustentamenta spicarum & retinacula fiunt. Postquam autem in culmum erectum triticum in altum tendere cœperit, geniculis & nodis Deus id firmat, veluti domum aliquam conjuncturis muniens, propter eam, quæ speratur comæ gravitatem: post hęc maturis jam viribus, diductis vaginis, quibus includebatur, producit spicam. Atque illic rursus miracula majora. Ordine enim porrecto structam undique videre licet ei frugem agnascendo quasi circumfundi: & singula grana peculiarem & proprium folliculū & quasi cellam habent.

Postremò prætenduntur aristæ graciles quædam & acutæ, arma, opinor, adversus aviculas, ut dum illarum quasi spiculis punguntur, frugem carpere atque vastare desinant. Vides quantum unum granum putrefactum miraculorum effectum in se contineat, ac cum solum ceciderit, quam multiplex resurgat? At homo nihil

insuper accipit amplius, sed recipit id quod habebat, ac propterea nostri renovatio videtur esse facilior, quam id quod in agricultura accidit frumento. Transi hinc ad considerationem arborum, ut hyems eis omnibus annis loco mortis sit. Decidunt enim poma, folia defluunt, arida remanent ligna omni decore spoliata. Postquam autem tempus veris appetierit, flos eis gratissimus innascitur: florē foliorum tegumentum excipit: at tunc veluti pulchrum & amænū spectaculum cum hominum oculos in se convertunt, tunc avium cantatricum frondibus insidentium quasi officinæ existunt, & admirabilis quędam circa eas amænitas ac gratia relucet, adeò ut multi ædes auro & lapide tum Thessalio, tum Laconico exornatas deseruerint, & jucundiorem sibi sub arboribus habitationem esse duxerint. Idcirco Patriarcha quoque Abraham sub quercu tabernaculū fixit, non prorsum inopia domicilij, sed quia tenebatur ea, q̄ ex ramis edebatur, voluptate. Etiam vita serpentium me deducit ad cōprobationem propositę rationis. Illorū.n. vivida virtus hyberno tēpore mortificatur, ac menses sex in cavernis delitescunt penitus immobiles. Cum autem statutum tēpus advenerit, & tonitrua in mūdo exaudita fuerint, quasi quoddam signum fragorem (tonitruum) accipientes, celeriter exiliunt, & longo intervallo consueta agunt. Quænam hujus rei ratio est? Dicat mihi quæsitor arbiter & explorator operum Dei, doceatque me, qua ratione cōcedat angueis quidem fragore tonitrui mortuos resuscitari, homines verò non admittat tuba Dei de cælo resonante animum recipere & vivificari? *Oratione 3. in Christi resurrection.*

D. Greg. Nyssenus: Quod maximè contra dicentes armat, & incredulitatis eorum causa est: hoc, ut opinor, præcipuum est, quod corporum extremam fieri abolitionem & interitum existimant. Sed res ita se non habet. Non enim omnino intereunt & abolentur, sed dissolvuntur in eas res, ex quibus, composita sunt in aqua, in aere, in terra & in igne. Manentibus autem principalibus elementis, & iis, q̄ ex illis constant, post dissolutionem ad ea accidentibus, in quibus prorsus salve manent etiam partes: cùm Deo maximè quidem facilè est vel ex iis, quæ non sunt, creare (etenim sic in principiis rerū universa naturam & originem sumpserunt) tum ex principiis suppetentibus naturam efficere longè certè facillimum & expeditissimum est. Ne igitur præclaram hominum, correctionem & emendationem videlicet infirmitatis ac fragilitatis nostræ, & secundam, ut ita dicam, generationem à morte liberam tollamus, neque nimio studio voluptatis benignam, studioque & amore hominum factam promissionem Dei sugillemus atque dehonestemus. Mihi enim præsentis argumenti adversarii videntur esse homines vitii atque nequitiæ amici, virtuti, inimici, libidinosi, avari, & oculis intemperantes, tum auditu & olfactu, omnibus denique sensibus influentē & obrepentem ipsis voluptatem in sese admittentes. Quoniam autem tractatus resurrectionis judicium propositum habet, & sacros libros audiunt, in quibus expressè ac disertè continetur, ꝙ nostra vita quæstioni & examinationi exempta non sit: sed cum ad alteram vitam renovati fuerimus, futurum, ut omnes ad tribunal Christi sistamur, ut illo judice dignas actæ vitæ retributiones & cōpensationes recipiamus: ꝙ sibi conscii sunt turpissimarum ac fœdissimarum actionum, quibus multas pænas meriti sunt, odio judicii tollunt etiam resurrectionem: quemadmodum servi mali, qui facultates & bona domini consumpserunt, & mortem & interitum (interim) Domini sibi proponunt, & pro eo quod cupiunt & optāt, vanas cogitationes sibi fingūt. Verùm nemo sanus ita sentiet. Quæ est enim utilitas justitiæ? quod commodum veritatis, bonitatis & omnis honestatis? cujus rei gratia homines laborant, & studio sapientiæ dediti sunt? ventris voluptatem sibi subjugantes, continentiam temperantiamq; amplexantes, somno ad exiguum tempus indulgentes, tempestatem & æstum tolerantes, si resurrectio non est? Dicamus juxta verba Pauli: Edamus & bibamus, cras enim morimur: Si resurrectio nulla, finis vero vitæ mors est; tolle mihi accusationes atque reprehensiones: permitte homicidæ, ut absque impedimento sua licentia utatur: sine adulterum liberè insidiari matrimoniis: insultet adversariis dives avarus & alieni usurpator, nemo convitiatorem coerceat, juret assiduè perjurus: manet enim mors etiam justum, religiosum, ac pium, jurisque jurandi observātem: mentiatur quivis alius quantum velit: nullus enim veritatis fructus: nemo pauperis misereatur: expers enim misericordia mercedis est. Hujusmodi sensus & cogitationes pejorem diluvio inducunt confusionem, & omnem suam quidem rationem expellunt: furiosorum autem & latronum quibuslibet cogitationes & consilia acuunt atque confirmant. Nam si resurrectio non est: ne judiciū quidem erit: sublato autem judicio, etiam timor Dei simul ejicitur. ubi autem timor non cohibet, & in officio homines continet, ibi cum peccato diabolus tripudiat, atq; choreas ducit. *Orat. 3. in Christi resurrectionem.*

D. Greg. Nyssenus: Illud quoque insuper consideremus, utrum ea, quę committunt ac perpetrant homines, verbi gratia, adulteriū, cædem, furtum, ac quicquid his affine est: aut ex contrario, sobrietatem, continentiam, & omnem vitio oppositam actionem, utriusque dicimus esse effectus, an animæ solum circumscribimus actiones? At etiam in hoc manifesta veritas est. Nusquam enim à corpore separata anima vel furtum committit, vel parietes perrumpit: neque contra sola vel panem esurienti dat, vel potum sitienti præbet, vel in carcerem haud gravatim concedit, t offi.ium & ministerū præstet ei, qui carcere affligitur: sed in omni actione ambo sibi invicem conjuncta simul & capessunt & perficiunt ea, quæ aguntur. Qua ratione igitur cùm hæc ita sint, & anteactorum judicium fore concedas, alterum ab altero divellis? & cum alterum alteri in commissis & perpetratis socium esse des, anima sola judicium determinas atque circumscribis? Quòd si quis verus delictorum humanorum judex fuerit, & diligenter perpenderit, unde primæ peccati causæ oriantur, fortasse prius in culpa atq; crimine corpus inveniet officii & honestatis fineis excedere. Nam quiescente sæpenumero anima, & in tranquillo statu sine ulla perturbatione constituta, oculus commotus videt ea, quæ non conspexisse melius fuisset, & in animam morbum transmittens, in tempestatem ac turbinem, quietem ac tranquillitatem convertit. Similiter aures inverecundis quibusdam atque exacerbantibus verbis exceptis, per quasdam quasi sui ipsarum fistulas, perturbationis aut inverecundiæ cogitationibus inferunt atque inducunt. Nonnunquam etiam nasus olfactu & attractu vaporum magnis & inconcessis vitiis, hominem inficit interiorem.

Solent item manus contractione validæ animæ robur effœminare. Atque ego paulatim ita progrediens atque considerans, magnæ peccatorum partis corpusculum esse causam invenio. Tolerat autem etiam pro virtute labores, & in certaminibus honestarum rerum laborat & affligitur, dum vel ferro secatur, vel igni crematur, vel flagris cæditur, vel gravibus vinculis oneratur, & omnem sustinet adversitatem & afflictionem, ne sacrā prodat philosophiā, tanquam egregiis turribus ornatam urbem quandam bello vitiorum atque nequitiæ circumsessam. Si igitur in præclaris factis unà cum anima laborat & affligitur, & in peccatis non abest: quibus rationibus & argumentis motus solam incorpoream in judicium adducis? At neque justa neque sanorum hominum oratio est. Si sola & nuda peccavit, solam etiam puniet: sin autem manifestum habet adjutorem, non hunc justus judex dimittet. Ego autem etiam hoc scripturam audio prodentem, quòd condemnati justi affiicientur suppliciis, igne, tenebris, verme. Quæ omnia compositorum, ac materialium corporum pænæ cruciatusque sunt: Animam verò per sese separatim ignis nunquam attigerit: nec tenebræ quidem ei molestæ fuerint, utpotè quæ oculis caret, & videndi instrumentorum expers est. Quid autem vermis effecerit, qui corporum non spirituum corruptricem vim habet? *Oratione 3. in resurrectionem Christi.*

D. Greg. Nyssenus: Sin aliquis eandem formam nobis reviviscentibus futuram dicat, ego, nec ut ejus sententiæ subscribam, facile adduci queam, nec utrum res aliter habeat, cogitare. Multa enim absurda illius, qui ita sentit, opinionem consequuntur, cum non eædem semper in eodem homine species formaque maneat, sed pro ætatum affectionumque varietate assiduè commutetur. Etenim qui nunc est adolescens, infans puerque fuit, mox erit vir, deinde ad vitæ medium terminum veniet, post illum transibit, fietque jam ætate provectus, & senex. Et qui horum in aliquo sunt ætatis gradu, non sunt inter se similes. sed alius regio morbo squallidus est, alius aqua intercute inflatus, alius confectus tabe, alius prava carnis redundantia corpulentus, alius bilis, alius sanguinis, alius pituitæ nimia laborat copia: qui quidem omnes, ut tales revivisçant, & iisdem cum morbis maneant, minimè putandum est; cùm omnia tunc in meliorem diviniorem que statum immutatione sint convertenda, nec facilè rursum est explicare, qualis futura sit præclara illa forma, qua decorabimur, cum spe nobis proposita sint ea bona, quæ nec oculis, nec auribus, nec cogitatione possumus comprehendere.

Quòd si quis formam, qua dignosci valeamus, in certa morum qualitate diceret sitam collocatamque fore, is non prorsus forsitan aberraret. Vt quemadmodum nunc quadam elementorum in nobis mutatione differentes in unoquoque notas impressas cernimus, prout alicujus eorum majore minoreve copia, propria cujusque forma colorque fingitur: ita quæ tunc propriam singulorum formam exprimam non elementa futura sint, sed vitiorum aut virtutum quædam inter se hoc aut illo modo commixtio, qua expressa uniuscujusque species apparebit. Cujus rei simile quiddam propemodum hic etiam contigit, cùm ipse vultus intimam animi affectionem indicat, ut hunc mœrore vinci, illum efferri iracundia, alium flagrare cupiditate, aut contra hunc natura lætum, illum minime iracundum, alium insigni quadam modestia præditum, facilè cognoscamus. Quemadmodum igitur in hac vita animi affectio est veluti forma quædam in vultu, atque oculis expressa, qua, quomodo se intus habeat homo, declaratur: sic mihi videtur, cum natura hominis divinorem adepta sit statum, ex moribus quisq; suis effingi, nec aliud esse, aliud videri, sed qualis est, talis omnino cognosci, ut qui castus, qui justus, qui mansuetus, qui purus, qui benignus, qui pius; atque inter hos qui bonis omnibus, aut qui uno tantum aut pluribus ornatus, quique in uno quidem inferior sit, in alio autem superior, constet. Ex his enim similibusque magis minusve præstantibus proprietatibus, quæ in ipsis conspicuè sunt, variæ singulorum differentiæ distinguuntur, donec novissima tandem, ut Paulus ait, inimica morte destructa, maloque cunctis è rebus penitus exturbato atque deleto, una in omnibus divina pulchritudo fulgebit, ad cujus exemplar initio formati sumus. *Oratione de Mortuis.*

D. Greg. Nyssenus: Videbis corporeum hoc amiculum, quod nunc morte dissolutum fuerit, ex iisdem rursus contexi atque componi, non hac crassa gravique textura, sed ad aeriam tenuitatem atque subtilitatem filo reconcinnato ad refecto, ut & adsit tibi quod diligitis, & in meliori magisq; amabili pulcritudine denuo restituatur. *de anima & resurrectione.*

D. Greg. Nyssenus: Si quæcunque sunt, non ex aliqua subjecta materia ad eam formam quæ conspiciuntur traducta sunt; sed divina voluntas fuit materia & essentia rerum ab opifice creatarum; multo magis fieri potest, ut quod jam est, rursus in propriam figuram reducatur; quàm ut quod non erat à principio, ad substantiam veniret & essentiam. *Orat. quod filius subjciatur Patri.*

D. Chrysostomus: Si quis non credit resurrectioni, cogitet quam multa Deus ex nihilo fecerit, & de illa quoque accipiat demonstrationem. Nam quæ jam facta sunt, sunt multò admirabiliora, & præter opinionem, & ingens habentia miraculum. Considera autē: acceptam terram commiscuit, & hominem fecit, terram quæ non erat antea. Quomodo ergo terra facta est homo? Quomodo autem producta est ipsa quæ non erat? Quomodo autem quæ sunt ex ipsa brutorum infinita genera, seminum & plantarum, cùm nulli dolores partus in illis præcesserunt; in his autem nulli demissi sint imbres, nulla extiterit agricultura, non boves, non aratrum, nō aliquid aliud quidquam conferret ad horum generationem? Propterea enim ex inanima & nullo sensu prædita tam multa ab initio edita sunt genera, & plantarum, & brutorum animalium: ut te ab alto doceret rationem resurrectionis: hoc enim est magis dubium, quàm resurrectio. Non sunt paria: extinctam accendere lucernam, & qui minimè apparet ignem ostendere. Non sunt paria; domum dirutam erigere, & quæ omninò non consistit producere. Nam heic quidem, si nihil aliud, subjecta est materia: illic autem ne apparebat quidem essentia. Propterea id, quod esse videbatur difficilius, priùs fecit: ut ex eo admitteres id, quod est facilius. Difficilius autem dixi, non Deo, sed quod ad nostrarum rationum attinet consequentiam.

Deo enim nihil est difficile: sed sicut pictor, qui unam facit imaginem, mille facilè faciet: ita Deo est facile decies mille facere mundos, eosque infinitos. Imò verò sicut est facile cogitare urbem, & mundos infinitos: ita Deo facere est facile. Imò verò hoc quoque est rursus multò facilius. Nam tu quidem breve saltem tempus consumis in cogitatione: Deus autem ne hoc quidem. Nam quantò re aliqua levissima, imò verò etiam mēte nostra, sunt graviores lapides: tantùm superatur mens nostra à celeritate Dei in faciendo. Admiratus es ejus in terra virtutem: cogita rursus quēadmodum factum est cælum, cùm non esset, quemadmodum infinita astra, quemadmodum sol, quemadmodum luna: eaque omnia, cùm non essent. Rursus dic mihi, quomodo steterunt postquam facta sunt, & super quid: quamnam habent basim subjectam: terra autem qualem: & quid sit post terram: & post illud rursus, quod est post terram, quidnam sit. Vides in quantam decidat vertiginem mentis tuæ oculus: nisi citò curras ad fidem, & ad ejus qui fecit virtutem, quæ non potest comprehendi. Si vis autem etiam ex rebus humanis facere conjecturam, poteris cogitationem tuam efficere alatam.

Quibusnam, inquit, rebus humanis? Non vides figulos, quemadmodum quod fractum & informe factum est vas effingunt? eos qui terram fundunt metallicam: quemadmodum terram aurum reddunt, & ferrum, & æs rursus aliam? qui vitrum conficiunt, quēadmodum transformant arenam in corpus continuum & perspicuum. Dicámne quomodo coriarii & qui vestes tingunt purpureas, aliud pro alio reddunt quod colore est imbutum? Dicámne de nostra generatione? Nónne exiguum semen primùm informe & expers figuræ immittitur in matricem quæ ipsum suscipit? Undenam est ergo tanta effictio hominis? Quid verò frumentum? an non nudum granum in terram dejicitur? non postquam dejectum est putrescit? Unde spica, aristæ, culmi, & alia omnia? Nónne parvum fici granum, si in terram ceciderit, & radicem, & ramos, & fructum sæpe tulit? Deinde horum quidem unumquodque admittis, neque de eo curiosè inquiris: à Deo autem solo nostrum corpus transmutante rationem exigis. & ubinam hæc merentur veniam? Hæc & quæ sunt hujusmodi Græcis dicimus. Nam apud eos, qui credunt scripturis, ne oratione quidem mihi est opus. Nā si de cunctis, quæ sunt illius, es curiosè inquisiturus, quidnam habet Deus amplius, quàm homines? Atqui ne de multis quidem hominibus studiosè inquirimus. Multò magis ergo de Dei sapientia non oportet esse nimis curiosum, neque poscere rationes. Primùm quidem fide dignus est qui pronunciāt. Secundò autem quoniam res non admittunt rationum perscrutationem. Non est enim Deus adeò egenus, ut ea sola operetur, quæ possint comprehendi imbecillitate tuarum rationum. Nam si fabri opus non comprehendis, multò magis nec Dei præstantissimi artificis. Nolite ergo non credere resurrectioni: alioqui à futura spe longè aberitis. *Homilia 17. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Et quomodo, inquit, cum corpus terræ mistum fuerit, & terra factum, & ipsa rursus alio fuerit translata, resurget? Hoc tibi videtur esse dubium & inexplicabile, sed non oculo qui sopiri non potest: illi enim aperta sunt omnia. Et tu quidem non vides divisionem, quæ est in confusione: ille autem novit omnia. Nam & quæ sunt in corde tuo tu quidem ignoras: ille autem novit omnia. Si ergo quoniam ignoras quomodo faciat resurgere, non credes etiam, quòd norit quæ sunt in cogitatione. Nam ne hæc quidem apparent. Atqui in corpore quidem est materia aspectabilis, etiam si fuerit dissoluta: illa autem cogitationes & rationes non cadunt sub aspectum. Qui ergo cognovit exactissimè quæ non cadunt sub aspectum, non videbit ea quæ sunt aspectabilia, & non facilè dividet corpus? Est cuivis perspicuum. Noli ergo non credere resurrectioni: est enim dogma diaboli: & in hoc studium ponit diabolus; non ut non credatur solùm resurrectio, sed etiam ut virtutis opera dissolvantur. Homo enim qui non expectat fore ut resurgat, & gestarum rerum reddat rationem, non citò attinget virtutem: non attingens autem virtutem, rursus non credet resurrectioni. Ambo enim alterum ab altero construitur; vitium ab incredulitate, & incredulitas à vitio. multis enim dubitationibus repleta est conscientia, formidans & horrens mercedis redditionem. Nam quoniam non vult sibi parare consolationem à mutatione ad ea quæ sunt optima, vult recreari ab incrudelitate. Te enim nec resurrectionem dicente, nec judicium; illud quoque dices: igitur nec ego reddam rationem eorum, quæ ausus sum admittere. Sed quid dicit Christus? Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Neque enim tam multa Deus esset operatus, si non esset nos suscitaturus, sed dissoluturus & in nihilum redacturus. Non cælum extendisset, non terram substravisset, non alia omnia pro hac solùm brevi vita fecisset.

Si hæc autem fecit pro præsenti, quid non faciet pro futura? Si autem non erit futura, iis quæ propter nos facta sunt in hoc sumus multò viliores. Nam & cælum, & terra, & mare, & flumina sunt nobis stabiliora; & nonnulla etiam ex iratis. Nam & cornix, & genus elephantorum, & multa alia, longiori tempore fruuntur hac vita quàm nos. Nobis autem est vita & brevis & laboriosa, non autem illis: imò verò est & longa, & ab animi ægritudine & curis magis libera. Quid ergo, dic quæso, servósne fecit meliores & præstantiores domino? Noli hæc, noli hæc existimare. Neque sis, ô homo, inops mentis: neque ignores Dei divitias, cùm talem habeas dominum. Etenim ab initio Deus te voluit facere immortalem, sed tu noluisti: etenim illa erant ænigmata & tacitæ significationes immortalitatis; cum Deo consuetudo & collocutio, vita non laboriosa nec afflicta, liberum esse à tristitia, curisque & laboribus, & ab aliis temporibus. Neque enim vestimentis egebat Adā, neque tecto, neque aliqua alia eiusmodi constructione: sed erat magis similis Angelis; & multa præsciebat ex futuris & multa repletus erat sapientia; & quod latenter fecit Deus hoc ille cognovit.

Et ideò dicebat: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Labor autem postea ortus est, postea sudor, postea pudor & timor, & non habere dicendi libertatem & fiduciam. Tunc autem non erat tristitia, non dolor, non gemitus. Sed non permansit in illa dignitate. Quid ergo, inquit, faciam ergo? Propter illum pereo. Certè non propter illum. Neque enim tu mansisti non peccans: sed si non idem peccatum alterum certè admisisti: Alioqui autem neque à supplicio accepisti damnum, sed lucrum. Nam si perpetuò quidem mansurus esses mortalis, aliquam fortè rationem haberet quod dictum est. Nunc autem animadverte hoc dictum: quòd etiam si mortale corpus habens Adam non peccasset, simile ei quod dictum est apud Theologum, medium inter magnitudinem & humilitatem; non re vera factus esset immortalis. Nunc autem es immortalis: & si velis, plus quàm Sol lucere poteris. *Homilia 17. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Etenim cùm in aliis inter se colliderentur Philosophi, in hoc dogmate tanquàm uno ore omnes conspirarunt, statuentes non esse resurrectionem. *Hom. 59. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Ne defleamus eos qui excedunt, sed eos qui vitam malè finiunt. Nam etiam agricola cùm viderit dissolvi frumētum, non lamentatur: sed quamdiu quidem videt solidum manere in terra, veretur & contremiscit; postquam autem fuerit dissolutū, lætatur. Initium enim futuræ sementis est dissolutio. Sic nos quoque tunc lætemur cùm ceciderit domus in quam cadit interitus, quando homo fuerit seminatus. Nec mireris, si sepulturam vocarit seminationem: ea enim est melior seminatio. Nam illi quidem succedit mors, & labores, & pericula, & curæ: huic autem, si rectè vivamus, coronæ & præmia: & illi quidem corruptio, ac interitus & mors; huic autem interitu carere, incorruptio, & immortalitas, & bona innumerabilia. in illa seminatione sunt complexus, & voluptates, & somnus: in hac autem vox solùm è cælis descendens, & omnia simul repentè perficiuntur. Et qui resurgit, non ampliùs deinceps adducitur ad vitam laboriosam: sed ad eum unde effugit dolor, luctus & gemitus.

Si autem defensionem requiris & patrocinium, & propterea eum defles: confuge ad omnium communem patronum, defensorem, servatorem, & benefactorem Deum, ad inexpugnabile auxilium, ad facile & promptum adjumentum, ad perpetuam quæ semper & ubique adest protectionem, & nos undique munientem. At consuetudo res est desiderabilis & amabilis. Ego quoque id scio. Sed si rationi motum animi commiseris, & apud te reputaveris quis sit qui accepit: & quòd, si forti animo tuleris, Deo mentem tuam offeris sacrificium: hunc quoque fluctum poteris evadere ac perrumpere: & quod tempus efficit, hoc faciet Philosophia. Sin autem mollis fueris & enervatus: tempore quidem

dem desinet animi perturbatio, tibi autem nullam afferet mercedem: Cum his autem rationibus, collige etiam exempla quæ sunt in præsenti vita, quæ sunt in divinis scripturis. Cogita quòd Abraham suum jugulavit filium; & neque flevit, neque verbum emisit acerbum. At ille, inquit, erat Abraham. Atqui tu vocatus es ut majora septa transcendas.

Job autem tantum quidem doluit, quantum est consentaneum patrem liberos amantem, & magnam curam gerentem eorum qui excesserant. Num quæ nos quidem nunc facimus, sunt inimicorum & hostium. Neque enim si aliquo in regiam abducto & coronato plangeres & lamentareris, te dixerim esse coronati amicum; sed valde inimicum & hostem. At non illum, inquit, lugeo, sed meipsum. Sed neque hoc est amantis, velle illum propter te angi & vexari, & incertis casibus futuris subjici, cùm adsit coronari & ad portum tendere: aut in mari jactari, cùm liceat esse in portu. At nescio, inquit, quò ivit. Cur nescis, dic mihi? Nam sive rectè vixit, sive secus: est manifestum quò sit abiturus. Propter hoc ipsum, inquit, plango, quòd peccator excessit. Hæc sunt prætextus & effugia. Nam si propterea cùm excesserit lugeas viventem eum transformare, & concinnare, & componere oportebat. Sed tu quæ tua sunt consideras & tibi proponis, non quæ illius. Si autem etiam peccator excessit: propterea etiam lætari oportet, quòd interscissa sunt peccata, & vitio non adjecit: & quoad ejus fieri potest ei succurrere, non lacrymis, sed precibus, & supplicationibus, & eleemosynis, & oblationibus. *Homilia 41. ad Cor. 1.*

D. Chrysostomus: Cùm Deus hominem, de quo spes omnis jam abjecta erat, quique ad ipsas usque mortis portas accesserat, in sublime revocat: nihil aliud quàm resurrectionis specimen præbet: ab ipsis nimirum mortis faucibus eum retrahens, qui in eas inciderat. Quo etiam fit: ut de in ultis, qui cùm ab omnibus deplorati fuerint, ac deinde ex gravi morbo aut intolerandis quibusdam tentationibus emerserint: illud usurpari soleat: Mortuorum resurrectionem in hoc homine vidimus. *Hom. 2. ad Cor. 2.*

D. Chrysostomus: Multi malè sibi conscii, nec volentes dare pœnas, ab hoc metu læduntur in fide resurrectionis: sicut ij quidem qui multa ac præclara rectè gesserunt, quotidie cupiunt videre illum diem. *Homil. 40. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus Nobis quidem sufficit sermo resurrectionis ad eũ consolandum qui cruciatur dolore. *Homil. 6. ad Thessal.*

D. Chrysostomus: Sed sunt quidam qui resurrectionem non credunt, quoniam Deũ nesciunt. Quid enim est, dic quæso, facilius, an ex nihilo ad hoc ut sint deducere, an dissoluta excitare & restituere? At quid dicunt? Ille passus est naufragium, & quum cecidisset, multi eum exceperunt pisces: & quilibet piscis membrum comedit. Deinde ex his ipsis alius quidam in hoc sinu, alius vero in illo est comprehensus, & ab alio devoratus: & isti rursus in aliis locis sunt mortui, & ipsi fortasse à belluis exesi qui comederunt pisces qui virum exederant. Quum tanta autem fuerit confusio & dispersio, quomodo vir ille iterum resurget? Quis pulverem reduxerit? Cur hoc dicis, ô homo? & nugarum contexis catenam, & tanquam rem ponis plane inexplicabilem & cujus nullus detur exitus? Nam dic mihi, si non in mare ceciderit, si piscis eum non comederit, neque rursus fuerit piscis devoratus ab hominibus innumerabilibus, sed justis factis fuerit vir ille positus in urna, & neque vermes, neque aliquid aliud ei fuerit molestum, quomodo resurget quod fuit dissolutum, quomodo pulvis & cinis conglutinabitur, undenam erit reliquus flos & vigor corporis. Hoc autem non est inexplicabile, & cujus non detur exitus. Si sint quidem Græci qui de his dubitant, eis dicemus innumerabilia. Quidnam? Sunt enim apud ipsos qui animas ad plantas deducunt, ad frutices, & canes. Dic mihi, quid est facilius, suum corpus accipere, an alienum? Alii rursus dicunt ab igne consumi, vestiumque & calceorum in integrum fieri restitutionem & non irridentur. Alii dicunt atomos. Sed adversus illos nulla est nobis disputatio. Fidelibus autem, si fideles sunt appellandi qui interrogant, dicemus tamen illud Apostolicũ, omnis vita à corruptione & interitu nascitur, omnes plãtæ, omnia semina.

Non vides quantum truncum habeat ficulnea, quot stipites, quot folia, quot ramos, quot frondes, quot radices tantum spatii occupantes & se insinuantes. Ipsa quæ est tanta & talis ex illo nascitur grano, quod fuit dejectum, ipsumque primo corruptum interiit: & nisi fuerit putrefactum & dissolutum, ex his nihil erit. Dic mihi unde hoc fit? Porro autem ipsa quoque vitis, quæ & ad videndum & ad fruendum tam est pulchra, nascitur ex illo tam deformi acino. Quid vero, dic quæso, an non est aqua illud unum quod defertur à superis? Quomodo autem in tam multa mutatur? Hoc enim est admirabilius resurrectione. Nam illic quidem idem subjectum est semen, & eadem planta, & magna est cognatio. Hic autem, dic mihi, quomodo unam habens qualitatem, & unam naturam, in tam multa vertitur? In vinea fit vinum: non solum vinum, sed & folia, & succus. etenim non solum botrus, sed & quod reliquum est vineæ, in ipsa alitur. Rursus in olea oleum, & quæcumque sunt alia, quod est mirabile, hic humidum, illic siccum, dic dulce, illic acerbum & adstringens, alibi amarum. Quomodo, hic quæso, vertitur in tam multa? Dic rationem, sed non poteris. In teipso autem, dic quæso. est enim hoc propius. Semen quod dejicitur, quomodo in oculos, quomodo in aures, quomodo in manus, quomodo in cor, quomodo in tam multa concinnatur & efformatur? An non in corpore innumerabiles sunt differentiæ, figurarum, magnitudinum, qualitatum, situum, facultatum, numerorum & harmoniarum? nervi, & venæ, & carnes, & ossa, & membranæ, & arteriæ, & articuli, & cartilagines, & quæcumque sunt his plura, de quibus medici exacte & accurate disserunt, quæ nostram continent naturam, eaque ab uno semine, An non hoc videtur tibi esse multo perplexius & inexplicabilius, quomodo quòd est humidum & molle, concrescit in os durum & frigidum. Quomodo in calidum & humidum, nempe sanguinem, unitum? Quomodo in frigidum & molle, nempe nervum? Quomodo in frigidum & humidum, nempe arteriam? Quomodo de his quæso, quomodo de his non dubitas? Non vides quotidie resurrectionem & mortem fieri in ætatibus? Quo abiit juventus? Vndenam venit senectus? Quomodo qui consenuit, seipsum quidem non potest juvenem facere, infantem autem procreat maxime juvenem? & quod sibi præbere non potest, præbet alteri? Hoc licet videre & in arboribus, & in animantibus, Quamquam quod præbet alteri, sibi prius debet præbuisse. *Homilia 7. ad Thessal.*

S. Isidorus Pelusiota: Cùm Deus ex nihilo ea, quæ vult, in ortum producere queat, multò magis ea, quæ jam corpora orta sunt, atque in terram redierunt, innovare poterit. Quòd autem futura sit, & quonam pacto futura sit resurrectio, & eorum, quæ seminantur, arcanum te docebit, & stirpium omnium motus, hyeme morientium, & verè ad vitam redeuntium. *lib. 1. Epist. 284.*

S. Isidorus Pelusiota: Resurrectionis corporum sermonem, ut impossibilem, ab Ethnicis irrideri dixisti. Operæpretium est igitur, quoniam Scripturas sacras rejiciunt, ex ratiocinationibus ac demõstrationibus ejusmodi sermonem extruere, qui velut vim afferat, efficiatque, ut quod obscurum est: perspiciamus. Quapropter si sapientes & eruditi sunt, quænam Philosophi dicant, considerent. Nam illi corpoream essentiam ex quatuor elementis conflatam ac temperatam esse asserentes, mutabilem hanc esse statuunt: quippe cùm elementa facilè inter se migrent. Etenim ignis, crassitiem cõtrahens, ac deorsum vergens, aer efficitur, aer aqua, aqua terra. Ac rursum, terra extenuata, in aquam, aqua in aerem, aer in ignem commutatur. Quid igitur incredibile dicimus, cùm corpus hoc, quod nunc maxima ex parte terræ particeps est, cùm attenuatur, æthereum ac spirituale fieri affirmamus? Resurgere enim illud dicimus, non cujusmodi nunc est, sed in meliorem statum immutatum & exornatum, atque ita, ut labem omnem & corruptionem, ac vitia, tanquam in fornace, deposuerit. Quocirca si sapientes & eruditi sunt, qui hæc considerant, incredulitati suæ finem constituant. Sin autem & literarum expertes, & Dialecticæ exercitationis imperiti sint, quærantque quidnam hoc aut cujusmodi sit, per exemplum oratio nostra gradietur, ut rudibus etiam & indoctis veritatẽ ostendat. Dicimus enim (ut declarandæ hujus rei causa crassius exemplum adhibeamus) quòd quemadmodum auri spuma, si aquam assumat, lutum efficitur: si autem igni admoveatur, aurum: nec jam ea patitur quæ priùs patiebatur: sic etiam corpus, cum immortalitate atque incorruptione versatum, ab omnibus his affectionibus, quibus nunc obnoxium est, prorsus immune ac liberum erit. Quòd si vim quoque ac potentiam illius prudenti animo perpendant, qui ex nihilo corpus in ortum produxit, ne his quidem ratiocinationibus opus habebunt. Nam qui illud ex nihilo effecit, multò magis effectum ad vitam revocabit. *lib. 2. Epist. 43.*

S. Isidorus Pelusiota: Spiritualia futura esse in resurrectione corpora duabus his de causis à divino Paulo dictum est: altera, quia levia & æetherea, atque ab omni perpessione & gravitate libera futura sunt: altera, quia divino duntaxat spiritui cessura sunt. Nunc enim, quamvis ipse adsit, eorum tamen, quæ geruntur, arbitrium anima obtinet. Tunc autem spiritus potiùs vasa & conceptacula erunt. Neque enim ipsa solùm, verùm etiam anima spiritualis erit, utpote cuncta ex illius legibus & præscriptis agens. Quòd si quis de peccatorum corporibus quærat, illud dicemus, quòd juxta priorem expositionem levia & æthereа erunt, vel quia ab igne quidem excruciabuntur, sed non absumentur: vel quia etiamsi peccare velint, minimè poterunt. *Lib. 3. Epist. 177.*

S. Isidorus Pelusiota. Si quidem sola anima præclaras edidit officii actiones, sola etiam coronetur. Sin autem corpus quoque partem sustinuit certaminum, coronetur etiam anima unà cum ipso corpore. Hoc enim justum & æquum & consentaneum & convenientissimum est. *lib. 4. Epist. 291.*

¶ LATINORUM.

Zeno: Quisquis resurrectionem negat, vitam suammet ipse condemnat: cur enim mereatur felicitatem futuri temporis cernere, quem videas sacrilega incredulitate Dei potentiæ derogare? Sed hoc amore criminum faciunt, ut putent impunita fore, quæ clanculo gerunt: nam si judicii diei appropinquare jam cursus advertetent, proculdubio & præsentia odissent, & futura credidissent, pariterque metuissent: nemo est enim tam vel ab istius mundi sapientiæ gustu jejunus, qui audeat dicere animas cum corporibus interire, cælestia cum terrenis absumi: præsertim cum eorundem ille sapientissimus dicat hanc esse mortem, cum corpore animus tamquam carcere clausus tenetur: illam esse veram vitam, cum idem animus custodia carceris liberatus ad eum locum, unde venerit, revertatur. Si ergo hoc ille sensit, qui non noverat Christum, cur

dubitet

dubitet Christianus, qui resurrectionem futuram & vidit, & spirat, & repositam sibi præsumit de Christo. *Sermon. de resurrectione pr.*

Zeno: Christianus ergo in toto dubitare non debet in statum pristinum mortuos excitari: talesque legitima die ante conspectum Dei ex illo naturæ secreto produci, quales fuerint pro sua quique qualitate suscepti, Apostolo dicente: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque corporis sui merita secundum ea, quæ gessit, sive bona, sive mala: etenim fratres facilius est reformare, quod fuerit, quàm instituì, quod ante non fuit. quod si non fuit, & est, multò magis poterit esse, quod fuit: quippe cum illius potentissimi artificis rerum omnium conditoris ipse situsus, impossibilium possibilitatem asserere: ex eoque, quod non est, facere, quod est: naturam creare extra naturam: nihil prorsus habere difficile: solumque ei hoc deesse, quod nolit esse: hæc est enim proprietas Dei id operari, quod non potest credi. Igitur non homines tantum, sed penè omnia suis mortibus vivunt. Unde pauca de multis attingam, ut omnium probationem haud dubiè in paucis expediam. Stellæ præcipites labuntur è cælo: & à tergo longo flammarum albescentium tractu funereæ faces solennitate in occasus suos. quasi quibusdam deducuntur exequiis: quas si per plagas, unde refixæ sunt, quæras, redivivi luminis lege suis sedibus resurrexisse agnoscas.

Sol quotidie nascitur: eademque die, qua nascitur, moritur: nec tamen instantis finis sorte terretur, suos ut repigret cursus: ut horas, ac momenta producat: ut saltem paulo diutius diei sui demoretur in vita, sed fidelis semper, semper intrepidus ad sepulchrum noctis cognatæ contendit, scius in ipso se habere, quod vivit. denique adimitur ei ortus, si ei aufertur occasus. Luna quoque, quæ veræ rationis humanæ omnia in se lineamenta depingit nata sanguineæ teneritudinis, dubio cornu primò quasi de cunis apparet: paulatimque crescendo jam puella, jam virgo pro quotidianæ ætatis incremento progrediens, lascivi cursus ambagibus carpit pensa mundana. At ubi matura aureo igne flagrantis luciflui aurigæ, par laboribus fratris angustis circulis argentum compleverit globum, paulatim devergit in senium, donec ultima senectute consumpta sua morte reviviscens, menstrualis ignis solenni germine accenso sumat rursus de fine principium. Similiter Phœnix avis illa pretiosa resurrectionis evidenter nos edocet jura: quæ nobilitatem generis sui non à parentibus accipit: non liberis tradit: ipsa sibi uterq; sexus: ipsa omnis affectus: ipsa genus, ipsa finis: ipsa principium. nō ex coitu nascitur, nec officio alieno nutritur. nō invita, non imprudens moritur, sed cum maturum leti tempus advenerit, à semetipsa invitatis sacris ignibus libentissimè concrematur. sepulchrum nidus est. illi favillæ nutrices: cinis propagandi corporis semen: mors natalitius dies.

Denique post momentum festo exultat in tumulo, non umbra, sed veritas: non imago, sed Phœnix: non alia, sed quamvis melior alia, tamen prior ipsa. Erubesce Christiana conscientia vel tot, ac tantis ex rebus quemadmodum rursum, eademque esses melior futura, cognosce. Præterea granum uniuscujusque frumenti conditum terræ interit: & tamen in eo id, quod intus est, reviviscit: nec mortem medulitus capit, sed suum sibi genitale in germen expirans vetusti corporis superficie deleta, immo in melioris naturæ jura transmissa, felix caput comis virentibus redimitum, quasi ab inferis emensum in superna sustollit, perennitatis gloriam fructu populoso venturum. Hoc hactenus Paulo firmante: Stulte tu, quod seminas, non vivificatur, nisi mortuum fuerit: Et subjecit dicens: Sic & resurrectio mortuorum: seminatur in interitum, resurgit in perpetuitatem: seminatur in infirmitatem, resurgit in gloriam: seminatur in infirmitatem, resurgit in virtutem; seminatur corpus animale, resurgit spirituale. *Serm. de resurr. ipso medio.*

Zeno. Oleaster sua infelix, & amarus est natura, sed cum fuerit peritissimi agricolæ artificis manu necessaria. provisione truncatus, nobilitate alieni seminis gravidatur, nutriturque ab eo ipso, quod nutrit, donec hospitis germinis adoptiva pinguedine assumptus, immo pinguedo ipse factus, totusque in acceptum translatus, in honore novæ frondis promotione ramis resurgentibus ornatus, jam non oleaster sit, sed oliva: cum & oleaster sit, & tamen oleastrum se non esse, quodammdo etiam ipse miretur. Igitur si homo potest facere, ut sit arbor, quod non fuit salvo, quod fuit, quanto magis Deus hominem poterit excitare; antequam peccasset in paradiso, in id, quod fuit. *sub finem Sermonis de resurr.*

Chrysologus: Bene credis, si te per Deum credis resurgere ex morte posse, cui resurgunt semper elementa: sic tempus ex tempore, sic ex nocte dies, sic de sepultura sua semina, nec tu perire poteris cum illa reviviscant: nec difficile est Deo facere de te sene, quod tu facis semper ipse de semine. *fine Serm. 57.*

Chrysologus: Crede Gomode morte resurgere te posse, quia antequam viveres nil fuisti. aut quare dubitas quòd resurgas, cum tibi totum quod in rebus est quotidie sic resurgat? Sol occidit, & resurgit: dies sepelitur, & redit: menses, anni, tempora, fructus, semina, cum transeunt ipsa moriuntur. cum redeunt sua ipsa morte reviviscunt: & ut resurrecturum te jugi, & vernaculo instruaris exemplo, quoties dormis, & vigilas, toties moreris, & resurgis. *Sermone 59 f.*

Chrysologus: Non solum, fratres, sine causa credidit, sed & sine causa vixit, qui se ad hoc solum natum credidit ut periret. Homo, quid tibi oritur quod non occidat? quid tibi quod occiderit, non resurgit? Dies manè oritur: & iterum resurgit in mane: sero sepelitur in nocte, & iterum resurgit in mane. Sol quotidie nascitur, quotidie moritur: resurgit ipse quotidie, tempora dum transeunt, pereunt: dum redeunt, reviviscunt. Vnde homo si Deo non credis, si non acquiescis legi, si non consentis auditui, vel oculis tuis crede, vel elementis resurrectionem tuam tibi jugiter prædicantibus acquiesce. Certè si ista longe sunt inferiora quę in tuis manibus sunt, & de morte tuo opere suscitantur, te posse Dei opere doceant suscitari. Vade ad semen Apostolo te docente: tolle triticum aridum sine sensu, sine motu: duc sulcum fodi terram, fac sepulchrum, sepeli triticum, inspice quemadmodum morte deperit, humore turgescit, putredine corrumpitur: & cum pervenerit ad totum, quicquid desperatio quicquid incredulitas, quicquid corruptela tibi superius ingerebat: tunc subito reviviscit in germine, in herba pubescit, juvenescit in caule, maturescit in fruge, & ad illam totam ipsam, quam tu periisse deflebas, speciem & resurgit & formam: ut te homo triticum non tam doceat manducare, quàm sapere: non tā cogat laborare, quam credere. *Sermone 118. ante finem.*

¶ Poetarum.

Prudentius Hymno in exequiis.

Quia cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem,
Compactaq; dissociari,
Et dissona texta retexi:
Hanc tu Deus optime mortem
Famulis abolere paratus
Inter inviolabile monstras,
Quò perdita membra resurgant.
Vt dum generosa caducis
Ceu carcere clausa ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quæ germen ab æthere traxit.
Si terrea forte voluntas
Luteum sapit, & grave captat;
Animus quoque pondere victus,
Sequitur sua membra deorsum.
At si generis memor ignis,
Contagia pigra recuset;
Vehit hospita viscera secum,
Pariterq; reportat ad astra.
Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat, ut alti
Repetat collegia sensus.
Venient citò secula, cum jam
Socius calor ossa revisat,
Animataq; sanguine vivo
Habitacula pristina gestet.
Quæ pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras;
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulcris
Impenditur, hinc resolutos
Honor ultimus accipit artes,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaq; myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.
Quidnam sibi saxa cavata
Quid pulcra volunt monumenta,
Nisi quod res creditur illis,
Non mortua, sed data somno.
Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, utpote credens
Fore protenus omnia viva,
Quæ nunc gelidus sopor urget.
Qui jacta cadavera passim
Miserans tegit aggere terra,
Opus exhibet ille benignum,
Christo pius omnipotenti.
Quia lex eadem monet omnes
Gemitum dare sorte sub una.
Cognataq; funera nobis
Aliena in morte dolere.

Idem eodem hymno.

Mors ipsa beatior inde est,
Quod per cruciamina lethi
Via panditur ardua justis,
Et ad astra doloribus itur.
Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis,
Nec post obitum recalescens

Compago

Compago fatiscere novit.
Hæc quæ modo pallida tabo
Color albidus inficit ora,
Tunc flore venustior omni,
Sanguis cute tinguet amœna.
Nam nulla deinde senectus
Frontis decus invida carpet,
Macies neq; sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.
Morbus quoq; pestifer artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans
Luet inter vincula mille,
Hunc eminus aere ab alto
Victrix caro, jamq; perennis
Cernet sine fine gementem,
Quos moverat ipse dolores.
Quid turba superstes inepta
Clangens ululamina miscet?
Cur tam bene condita jura,
Luctu dolor arguit amens?
Iam mæsta quiesce querela;
Lacrimas suspendite matres;
Nullus sua pignora plangat:
Mors hæc reparatio vitæ est.
Sic semina sicca virescunt
Iam mortua jamq; sepulta:
Quæ reddita cespite ab imo,
Veteres meditantur aristas.
Nunc suscipe terra fovendum,
Gremioq; hunc concipe molli,
Hominis tibi membra sequestro
Generosa & fragmina credo.
Anima fuit hæc domus olim
Factoris ab ore creatæ,
Fervens habitavit in istis
Sapientia principe Christo.
Tu depositum tege corpus,
Non immemor ille requiret
Sua munera fictor & auctor
Propriiq; ænigmata vultus.
Veniant modo tempora justa,
Cùm spem Deus impleat omnem,
Reddas patefacta necesse est,
Qualem tibi trado figuram.
Non si cariosa vetustas
Dissolverit ossa favillis,
Fueritq; cinisculus arens
Minimi mensura pugilli.
Nec si vaga flamina, & auræ
Vacuum per inane volantes,
Tulerint cum pulvere nervos;
Hominem periisse licebit.
Sed dum resolubile corpus
Revocas Deus atq; reformas,
Quánam regione jubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit ubi est Eleazar,
Quem floribus undiq; septum
Dives procul aspicit ardens.

Prudent. Hymno ante cibum.

Viscera mortua quin etiam
Post obitum reparare datur;
Eq; suis iterum tumulis
Prisca renascitur effigies,
Pulvereo coeunte situ.
Credo equidem, neque vana fides,
Corpora vivere morte animæ:
Nam modò corporeum memini
De phlegethonte gradu facili
Ad superos remeasse Deum.
Spes eadem mea membra manet;
Quæ redolentia funerea
Iussa quiescere sarcophago,
Dux parili rediviva humo
Ignea Christus ad astra vocat.

Prudentius de resurrectione.

Nosco meum in Christo corpus consurgere; quid me
Desperare jubes? veniam, quibus ille revenit,
Calcata de morte viis. quod credimus hoc est.
Et totus veniam; nec enim minor aut alius quàm
Nunc sum restituar. vultus, vigor, & color idem
Qui modò vivit erit; nec me vel dente vel ungue.
Fraudatum revomet patefacti fossa sepulcri.
Qui jubet ut redeam, non reddet debile quidquam;
Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncavit edax senium populante veterno,
Omne revertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors victa fidem, ne fraude sepulcri
Reddat curtum aliquid. quamvis jam cuncta vorarit
Corpora, debilitas tamen & violentia morbi
Virtus mortis erat. reddet quod particulatim
Sorbuerat quocunq; modo; ne mortuus omnis
Non redeat, si quid pleno de corpore desit.
Pellite corde metum mea membra, & credite vosmet
Cum Christo reditura Deo. nam vos gerit ille,
Et secum revocat. morbos ridete minaces,
Inflictos casus contemnite: tetra sepulcra
Despuite; exurgens quò Christus provocat, ite.

Prudentius hymno omnis horæ.

Hunc Patres Sanctiq; multi conditorem praevium
Iam revertentem secuti, tertio demum die
Carnis indumenta sumunt, eq; bustis prodeunt.
Cerneres coire membra de favillis aridis,
Frigidum venis resumptis pulverem tepescere,
Ossa, nervos, ac medullas glutino cutis tegi.

Prudentius lib. 2. contra Symmachum.

En ego gignendi, Dominus ac restituendi
Quod periit fluxitq; potens, arentia quæq;
In veteres formas aut flore aut fronde reduco.
Idq; ipsum quandoq; homini facturus, inani
Surgat ut ex cinere, structuraq; pristina constet:
Quæ mihi pro meritis, vel per tormenta rependat
Crimina, vel summa virtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc quacunq; in sorte manebit.

§ EMBLEMATUM.

Camerarius C. Centuria 3.

Vita mihi mors est. Phœnix in pyra.

Ex seipsa nascens, ex se reparabilis ales,
Quæ exoriens moritur, quæ moriens oritur.

Catsius Emblemate Sacro LI.

Æternitas.

Cùm suprema dies rutilo grassabitur igne,
Perq; solum sparget fulmina perq; salum;
Protinus erumpet gelido pia turba sepulcro;
Et tolletur humo quod modo vermis erat.
Hic cui squallor iners, cui pallor in ore sedebat,
Veste micans nivea conspiciendus erit.
Alma dies optanda bonis, metuenda profanis,
O ades, & parvum suscipe Christe gregem.

§ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Iob. Rejectis variis contumeliis, amicos explicatione suarum ærumnarum ad misericordiam hortatur, fidem & innocentiam suam palam fieri optans testificatione Dei, ut beneficio resurrectionis vitæque æternæ se consoletur, dicens, Quicquid sit, ego novi redemptorem meum viventem, & posteriorem super pulverem resurrecturum: proinde postquam evigilavero, & vermes confoderint istud, tamen carne mea me visurum esse Deum, Idem qui sum, ac non alienus visurus sum mihi, & oculi mei aspicient: postquam consumpti fuerint renes mei cum sinu meo. *Iob. 19. 25. 26. 27.*

Iesus Christus Dominus noster. Sadduceis resurrectionem ultimam stulta quæstione vellicantibus dixit, Erratis, nescientes scripturas, neque potentiam Dei. Nam in resurrectione neque uxores ducunt, neque nuptum dantur: sed sunt ut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione verò mortuorum non legistis quod vobis dictum est à Deo dicente. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Deus non est Deus mortuorum, sed viventium. *Matth. 22. 29. &c.*

D. Paulus Apostolus. De Resurrectione carnis differit, hanc firmissimis argumentis probans *1 Corinth. 15.* Argumenta autem ex Apostoli verbis desumpta ea sunt, & vere apopthegmata sacra.

1. Christus resurrexit. Ergo resurgunt mortui.
2. Si non est resurrectio mortuorum, Christus non resurrexit.

Probatio 2. arg. ab aliis absurdis.

Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio Evangelii, & vana est piorum fides, & Apostoli sunt mendaces.

Quum mors sit peccatorum pœna, frustrà crederemus remissa esse nobis peccata quæ maneant: manent autem peccata, si Christi mortem non excepit ejusdem resurrectio.

Nisi Christi resurrectio statuatur, perierint omnes in Christo mortui. Quis ergo fuerit fidei fructus?

3. Nisi altera vita statuatur, in qua beati sint qui in Christum sperant, nihil esset illis miserius, ut qui in hac vita sint calamitosissimi.

Conclusio superiorum argumentorum:

Christus erga resurrexit à vers. 12. ad 20. & 21. Eandem conclusionem statuit deinde pro enthymematis sequentis antecedente: Christus resurrexit: ergo & nos resurgemus.

Ratio. 1. Quia Christus non ut privatus aliquis sigillatim & per se considerandus proponitur, sed ut primitiæ.

Ratio 2. Quia considerandus est velut Adamo oppositus: ut sicut ex uno homine Adamo propagata mors est, sic etiam ex uno homine Christo propagetur vita.

4. Oportet Deum regnare, & quidem plenè ac perfectè. Hujus regni primus gradus in filij capitis resurrectione cōsiderandus est, complementum verò in integra membrorum cum capite conjunctione, ultimo illo die futura. *Versic. 14. &c.*

5. Quintum argumentum, à fine Baptismi, quod nimirum qui baptizantur, pro mortuis baptizentur, id est, ut adversus mortem remedium habeant, quum baptismus sit regenerationis lavacrum.

6. Nisi sit resurrectio mortuorum, quorsum Apostoli tot mortibus se quotidie objicerent?

7. Si nulla mortuorum resurrectio, cur alii cuipiam rei quàm ventri & luxui fuerit studendum?

Probata resurrectione, respondet eis qui id impossibile esse somniant, eosque ad rudes agricolas amandat, à quibus erudiantur *Vers. 35. 36. &c.* Differit deinde de qualitatibus corporum resuscitatorum, incorruptione nimirum, gloria & potentia. Tum de modo resurrectionis. Quæ omnia fusè & perspicuè explicat. *Vide præterea 4. caput 1. ad Thessalonicenses*, ubi seriem nostræ resurrectionis graphicè depingit.

Ex his frontibus fluunt dulcissimæ consolationes omnibus & singulis piis tum in hujus caducæ vitæ curriculo, tum in morte ipsa & carnis nostræ vario interitu.

Tertullianus. Inter veteres & recentiores Theologos, qui de hoc fidei articulo post Christum & Apostolum disseruerunt, Tertullianus principem locum tenere videtur, doctissimo illo libro de resurrectione carnis, quem si quis non oscitanter perlegerit, adversus Sadducæorum & Epicuræorum furores firmissimis nitetur argumentis.

Tertulliani autem rationes præcipuæ sunt.

Philosophis sanioribus, Pythagoricis & Platonicis non ignota fuit carnis resurrectio. Caro (cujus Sadducæi & alii fanatici prætendunt ignobilitatem) à Deo facta est: apud Christianos, abluitur, corpore & sanguine Christi vescitur, pietatis exercitiis maceratur, pro nominis Christi fide moritur. Ideo non separabitur à mercede quam anima apprehendit. *Cap. 1. 2. &c. usque ad 9.*

Christus, carnem, etsi infirmam & peccatricem, dilexit. *Cap. 9.*

Resurrectio carnis non excedit potentiam Dei, cujus exemplum extat in vicissitudine diei ac noctis, hyemis, æstatis, veris, ac autumni: Item in Phœnice. *Cap. 11. 12. 13.*

Dei justitia exigit carnis resurrectionem, ut boni remunerētur, mali puniantur: quod fieri non posset, si corpora prorsus interirent. *Cap. 14.*

Refutatis deinde hæreticis, spiritualem tantùm resurrectionem substituentibus, sententiam suam ex dictis Apostolicis & Propheticis abundè confirmat. *à 19. cap. ad 33.*

Excutit item quæcunque de hoc articulo apud Evangelistas & Lucam in Actis occurrunt. Et insigniores D. Pauli locos explicat. *Cap. 33. ad 51.*

Resurrectio carnis à Christo probatur qui carnem suam vexerit in cœlum. *Cap. 51.*

De qualitate corporum resuscitandorum & resuscitatorum postea disputat. Postremò concludit, Resurrecturos nos, non Angelos, sed sicut Angelos Dei; resurrecturam carnem, & quidem omnem, & quidem ipsam, & quidem integram, *à capite 52. ad 63. quod est postremum.*

¶ MONOSTICHUM.

Moritur quidem Phœnix, sed & renascitur.

Reverentiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

D. *Chrysostomus:* Rerum humanarum à nobis nulla habetur ratio, neque externi splendoris: sed ad Deum solum aspicimus. Quod nos quoque semper facere necesse est. Non solùm enim nos spectant Angeli; sed etiam ante illos, is qui proponit præmia certaminis. Non egemus itaque aliis laudatoribus. Hoc enim est illum afficere contumelia: quando eum tanquam qui ad admirandum nō sufficiat prætereuntes, ad conservos tendimus. Quomodo enim qui in parvo decertant theatro, magnum quærunt, utpote quòd illud non sufficiat ad ostentationem: ita etiam qui decertant in Dei oculis, & deinde laudem quærunt ab hominibus; majorem dimittentes, & minorem concupiscentes; ad se magnum attrahunt supplicium. Hoc ergo susque deque facit omnia: hoc universum orbem terræ conturbat: quòd ad homines aspicientes omnia agimus: & in bonis nihil esse ducimus quòd habeamus Deum admiratorem, sed à conservis requirimus famam & bonam existimationem: & in contrariis eo rursus conspecto, homines formidamus. Atqui ipsi nobiscū stabunt pro illo tribunali, nihil nos juvantes: Deus autē, quem nunc despicimus, ipse feret sententiam. Sed tamen cùm hæc sciamus, ad homines adhuc ore aperto inhiamus. q̄ q̄dē est primū peccatum & p̄sente q̄dē homine nemo voluerit scortari: sed etiāsi millies malo uratur, vincitur tyrānis vitii ac perturbationis à timore hominum: Deo a. vidēte nō solū adulteriū admittunt & scortātur, sed etiā alia multò graviora multi admittere & ausi sunt & audēt. Hoc ergo solū an nō sufficit ad mille è cælo dejiciēda fulmina? Et q̄d dico adulteria & stupra? Nam q̄ his quidē sunt multi minora, veremur facere corā hominib. Deo a. nō itidē. Propterea omnia orta sunt mala, q̄ in iis q̄ sunt adeò mala, nō Deū, sed homines reveremur. Propterea etiā q̄ verè sūt bona, cū multis nō videātur esse talia, fugimus: nō rerū examinātes naturā, sed ad vulgi aspiciētes opinionē. Et in malis itidē affecti rursus quædā q̄ non sunt bona, & vulgo videntur esse bona, tanquam bona persequimur ex eadem consuetudine: quo fit ut utrimque intereant. *Homilia 12. ad Corinth. 1.*

Ennodius: Quis nō perfectā reverentiā sit paratus impendere animæ in Dei cultura sublimi? quia peregrinum se facit à redemptoris gratia q̄ Deo non suspicit obsequēres. Indiciū n. est conversationis præcipuæ, Christi nostri amare cultores. p̄ximus est emēdatissimis, q̄ diligit jā p̄batos. testimonium dat bonorū sine dubitatione meritorū, si studeas laudib. p̄sequi sub debita continuatione perfectos. fit sanctis p̄ximus, q̄ in illis sine fuco prædicat sanctitatem. quemcumq; diligentia hortante prætuleris, dispendium pudoris est, ni sequaris. Quis salva verecundia per spinosa gradiēs purgatum iter attollat, & viam salutis adspiciens, calles eligat noxiorū? p̄fessio cæcitatis est, bona ante oculos in exemplū locata respicere, & unde imitatione proficias, non tenere. *Lib. 7. Epist. 14. pr.*

Io. Sarisberiensis: Reverētia q̄ corporaliter impēditur, aut in personis consistit, aut in reb. Personarum vero ratio habetur aut à natura, aut ab officio, aut à moribus, aut à conditione, aut à fortuna. Natura parentes veneramur & liberos & quos nobis caro conjunxit, ut puta uxorem, cognatos, & affines. Vnde & gentium jure receptum est, eo quod peræquè fit apud omnes gentes. Ad hoc etiam divino jure urgemur, qui scriptum novimus, Honora patrem tuum & matrē, ut sis longævus super terram, & q̄ patri vel matri maledixerit, morte morietur. Liberos non multum oportuit commendari, eo quod nemo carnem suam odio habuit. Sed nec uxorem, propter quam homo patrem relinquit & matrem, adhærens uxori suæ, ut sint duo in carne una. Non tamen in hac parte divinæ legis mandata desunt, etsi propter naturæ stimulum, qui satis urget, rarius inferantur, protenduntur tamē ad cognatos & affines, quos per se natura commendat. Officium vero est debitum exequendi quæ unicuique ex institutis, aut moribus agenda sunt. Ex eo namque personis singulis proprii congruunt actus: In his autem quæ sic agenda sunt, alia ad publicum, alia ad suum cujusque pertinent statum. Ex quo liquet officiorum quædam publica, quędam privata convenienter dici. Privatorum vero tanta multiplicitas est, quanta fere est diversitas personarum.

Publica quidem omnia referuntur ad duas species, aut enim à divino, aut ab humano jure descendunt. Hæc autem ex libris officiorum latius patent, sed pertinent ad præsentem articulum, ut publicis officiis reverentia impendatur. Tanta namque debetur eis, quāta est eminentia cujuslibet magistratus. Hanc quidem aut facit, aut indicat uniuscuiusque competens jurisdictio, cum reverentia magistratum, aut contemptus redundet in honorem, aut contumeliam subjectorum. Vnde in constitutionibus principum, magistratuum edictis, aut promulgationibus, per prolepsim plurium fit cōceptio personarum, ut non tam personæ, quam universitatis tota constitutio videatur esse, vel quævis alia promulgatio. Hoc etiam jura, vel canones ignoranti, ex usu quotidiano perspicuum est. Porro rationem officiorum, non modo canonum & legum scita, sed & ethicorum omnium præcepta exequuntur.

Mos autem est mentis habitus, ex quo singulorum operum assiduitas manat. Non enim si quid fit semel aut amplius, statim moribus aggregatur, nisi assiduitate faciendi vertatur in usum. Hic autem virtutes & vitia (non mores esse, æquè complectitur, licet vitia mores esse, sed à plerisque dicantur moribus obviare. In quo planum est, solas virtutes censeri nomine morum, cum bonos tamen, aut malos dicimus mores, vitia distinguimus & virtutes. Vnde moratos à bono, sive morigeros, morosos vero à vitiis nominamus. Quod & ipsum plenitudinis nomen videtur innuere, cum nulli in carne contingat adesse satietatem morum, & multis adsit superfluitas vitiorum. Cum ita à moribus quis reverentiam contrahere dicitur, ei virtutes quibus honor exhibendus est, inesse significatur. Quis enim non veneretur, & vereatur illum, quem prudentem, fortem, temperantem, credit & justum? Hinc est etiam consilium sapientis, ei qui timeri appetit, amari, honorari, & præferri, ut Deum timeat, amet, veneretur, & ei se tota devotione summittat.

Conditionem quidam esse definiunt, fortuitum personæ statum, quo aut adversis deprimitur, aut extollitur prosperis, & alterutrius fortis naturam suiipsius facie protestatur. Quale est quod alios veneramur ingenuos: aliis serviles contumelias irrogamus. Istorum divitias colimus: illorum contemnimus paupertatem. Fortuna semper consistit in his quæ improvisa emergūt.

Eam usquequaque nititur evacuare Plutarchus, & ex præmissis quatuor locis, naturæ, officii, morum, conditionis, totius reverentiæ manare credit originem. Superstitiosius tamen hoc infidelium more exequitur. Ille quidem in cultu deorum eos præcipuè asserit venerandos, qui ei familiarius & vicinius accedunt. Aut natura, ut Liber Indorum, domitor Hercules, qui eo ipso in se Jovem protestatus est, quod angues jugulavit in cunis. Aut officio, ut pontifices præfectosque sacrorum. Aut moribus, ut philosophos, qui mentis divinæ haustum investigatione & dispensatione sapientiæ indicāt. Aut conditione, ut quos favor numinis extulit, ut aliis præessent, ex causa potius familiari, quam officio publico. Nos autem quibus de cælo veritas illuxit, non deorum qui nulli sunt, sed veri Dei ministris, & amicis magnam reverentiam credimus exhibendam: sed & inimicis ejus interdum, quoniam hoc ipse præcipit, qui sæpe maximam ad eruditionem suorum, pessimis hominibus contulit potestatem. *Lib. Policratici 5. cap. 4.*

Io. Saruberiensis: Illa verò reverentia, quæ in rerum veneratione consistit, multiplex est. aut enim corporales res sunt, ut ædes & loca sacra, & quæ piis dicantur usibus, & sacrificia quæ visibiliter exercentur. aut incorporales, ut jura quæ sacris rebus competunt, quæ temerare, sacrilegium est morte piandum, aliave pæna gravissima, pro qualitate delicti. Rerum ergo sacrarum immunitatem convellere, insurgere in Deum est, & quasi vindicare eum in servitutem, &c. *lib. 5. Policratici cap. 5.*

¶ Oratorum.

Symmachus: Benignitas superioris nisi cultu teneatur, amittitur. *lib. 1. Epist. 40. m.*

¶ Monosticha Trochaica.

Erubescat ipsum se, qui solus est, præ cæteris.
Hic illius cultor est, ille illius: nemo suus.
Ille erit citò verendus, qui vereri aliquem potest.
Ipse qui se non veretur, quei vereatur alterum.
Omnibus verendus esse postulas? Deum time.
Plurimum terror patrare, plus potest reverentia.
Reverentiæ semper ferè adsitus timor.

¶ Jambica.

Citò erit verendus, qui vereri alium potest.
Debet vereri quisque seipsum maximè.
Culpa malus timor, bonus reverentia est.
Haud sæpe peccat, quem pudor frenat sui.
Multum potest terror, sed plus reverentia.
Nunquam revereri se quis ipsum sat potest.
Omes quidem verere, te sed maxime.
Qui non verentur homines, decipiunt Deos.
Qui non veretur se, veretur neminem.
Qui se veretur, fit verendus omnibus.
Qui se veretur, hunc verentur ceteri.
Qui se non veretur, is veretur neminem.
Quod non patrat terror, patrat reverentia.
Reverentia est timore longè fortior.
Reverere alios, sed neminem quàm te magis.
Se viliter ipsum colere, contemptus sui est.
Ubi reverentia, ibi quies modestior.

Videantur plura titulo *Adorationis, Cultus, Honoris, Pudoris, Maiestatis.*

Reus Rei.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

Isidorus Pelusiota: Chartam nobis cives miserunt, pro ecclesiæ foribus fixam, ut inquiebant, antequàm urbem ingredereris, quæ & omnibus purgandi potestatem adimit, & perfugium in ecclesiam claudit. Quod quidem non solùm crudelitatis, sed etiam impietatis suspicionem habet. Nam si nec causæ dicendæ potestatem facis, nec fugam in ecclesiam permittis, nimirum hac ratione, & calumniatores exacuisti, & injuriarum numerum auxisti. Quonam igitur pacto jus & æquum deprehendes? Quonam pacto eum, cui injuria infertur, conservabis? qui, ne à potente adversario conficiatur & opprimatur, quòd judicem non habeat, qui suas injurias ulciscatur, ad inexpugnabile templum confugit? Prætextus porrò est, venditionis judicii sentētia. Crudelitatem subi: & perfacilem mercatum habebis. *lib. 1. Epist. 174.*

Isidorus Pelusiota: Magna me admiratione afficit celebris illius Pauli fortitudo, per quam & cùm in judicium vocaretur, concionatoris munere fungebatur, & cùm causa ei dicenda esset, doctoris partes obibat. Doctoris enim est cum authoritate loqui: rei autem sermones suos pro tempore moderari. At hic tamen contrà se gerebat: nec mirum: habebat enim in seipso sapientiæ subministratorem ac moderatorem. *lib. 3. Epist. 300.*

Synesius: Quemadmodum & alias sæpe in tempore utilem me tibi præbui, ac fortunæ difficultatem levavi, quâ dicendo, quâ elaborando subinde pro mea virili parte; ita nunc de iis quæ tibi evenerunt, videor sententiam meam judiciumque præstare debere, quoniam opus ipsum nequeo. Synesium enim nequaquam fas est quamdiu spirat, & potest, non omni ratione paratum esse; quo de amicis bene mereatur. Audi igitur quæ honeste mihi apud te disputanda sunt. Siquidem dea est fama uti quidam ex nostris Poetis asserit, tu beatum Æmilium interfecisti non committens quidem sed consulens parricidium. Ac barbarum quidem spectaculum molitus: sicarium verò subjiciens ex tuis manipularibus longè crudelissimum. Hæc enim fama testatur, mentiri verò, dea cum sit, nefas illam est.

Sin Hesiodus nugatur, multa verò temere proferuntur, & hoc de te unum est ex multis: quod utinam ita sese habeat: minoris enim pecuniæ jacturam quàm amici habeo. Et nunc si minime culpæ obnoxius male audis, tu quidem infœlix es, minime tamen injustus: atque utinam ne infœlix quidem esses: ac in illo tibi justissimum odium deberetur, in hoc vero misericordia. Quamquam ego ita mihi necessitudine ac familiaritate capi posse videor, ut vel illo quidem modo factum utique sim detestaturus, tui vero nihilominus misserturus. Est autem ejus qui misereatur, auxilium ferre quoad licet, atque id excogitare quanam ratione prodesse posse arbitretur. Quamobrem utramque in partem tibi id me par est consulere quod optimum videatur. Sed idem plane sive criminis conscio, sive innocenti conducere videtur.

Itaq; fac te ad leges conferas, judicique committas una cum manipularibus omnibus, si quid & horum tibi curæ est. Quod si commissum abs te facinus est deprecare supplicia, contende, nullum procumbendi finem facito, donec judicis sententia tortori traditus fueris pœnasque persolveris. Percommode hoc tibi apud inferorum judicia cesserit, amice Joannes, si prius expiatus decesseris. Nec tu nihil præter verba hanc esse adhortationem duxeris, neque me tibi illudere putaveris: ita me sacra Philosophia juvet, liberique insuper mei, ut nisi tu mihi amicissimus fores, nihil ejusmodi fuerim consulturus, quod inimicis meis deprecor: atque utinam nunquam ipsis istud in animum veniat: melius esse ei qui injuriam fecerit voluntarias pœnas dependere; sed in iis quæ perpetrant perpetua quadam fœlicitate utantur, ut & diuturniori tempore scelerati sint, & omnibus illic suppliciis obnoxii.

Tibi verò ob singularem amicitiam, ausim arcana quædam patefacere. Non idem scilicet esse in crasso corpore, atque in simulacro, idoloque pœnas luere: homine siquidem fortior Deus est. divinæque omnis administrationis ac gubernationis umbra humanæ res sunt. Atque quem in Rebuspublicis usum habent carnifices, ut legum veluti manus sint, idem universæ naturæ officium præstant vindices diræ. Dæmones quidam expiandis scelerib. præsunt, candem in animis hominum artem exercentes, quam in sordidis vestibus fullones habent. Quod si quis vestibus sensus inesset, quid eas demum facturas arbitraris, cùm & calcib. subiguntur, & nitro perfricantur & omni ratione depectuntur? quantis verò cum cruciatibus veteres sordes & insitas penitus maculas elutum iri? Neque enim hoc dico plerisque sordes illas tam penitus adhærescere, difficilè ut exui possint, ac prius corruptæ laceratæque diffluant, quàm ad nativum statum revocari potuerint, propterea quod vitiū in naturam transit, sive id temporis longinquitate sive magnitudine factum. Animo qui eo modo sit affectus corruptionis capaci esse conduceret. Iam verò peccata quidem maculis ejusmodi, quæ elui nequeant proportione respondent. Animus vestimento illi obsoleto nec lotionem sustinenti non item, sed cùm immortalis sit, pœnas immortales luit, quoties hærente penitus, & illutibili noxa sese obstringit.

At enim si in qua quis deliquerit vita, in ea puniatur, non planè insitum & inolitum hunc affectum gerit, sed recens infectus, ut ita dicā animus, citò abluitur, ideo celerrimè quoad possumus subeunda pœna est: idque hominibus non dæmonibus vindicantibus. Quinetiam quorundam sermonibus celebratum est, facileque persuadeor, qui injuriam acceperint pœnarum arbitros esse, easque vel productiores vel breviores facere. Idcirco perinde est uni ingens aliquid malum inferre, ac plurib. mediocrem injuriam facere. Ulciscitur enim invicem unusquisque universis in pœnas expendi necesse est. Verum quando aliquis ejusmodi est ut sanari possit, multum apud judicem valet, tanta jam animum antea perpessum esse, ut vel apud affectos injuria misericordiam obtineat. Ecquando igitur verisimile est beatos Æmylii manes placatiores futuros? Sanè ita existimo, vel certò potius mihi persuadeo, supplici omni reverentiam haberi, qui in seipsum animadverterit. Et apud nos nonnunquam qui ad purgandum crimen producebatur, hoc ipso quod noxam fateretur, seque supplicio dignum diceret, supplicio est liberatus. At in iis etiam gloriari, & quodammodo epulari, ob quæ injuriam perpetraverit, sive eæ opes sint, sive corpora, offensiorem eum reddit, qui sit injuria affectus.

Quonam autem tete vertes, posteaquam corpore excesseris sive violenta aliqua pœna, sive alia quavis ratione, tum ipsos manes ipsis manibus intueberis, cùm neque inficiando futura sit lingua, sed recens adhuc sceleris vestigium expressum atque insculptum præ se habitura? Non vertigine tum corripieris? non hærebis? Tacens ac mutus protraheris, judicioque proponeris. Tuque & quemcumque

cumque publica pœnitentia non prius expiaverit: sed constantem esse oportet, fortis, ac generose vir, fortem enim te cupio; ac voluptates negligendæ, quas per facinus quæsivimus, neque hominum pudere nos debet, sed judici confitendum crimen est, & repentino supplicio vindices furiæ leniendæ. Nam cùm nihil omnino peccare maximum omnium bonorum est, tùm ad justitiam revocari secundum in bonis locum obtinet. Quisquis autem longo tempore injuriam faciens pœnæ expers manet, cum par est infelicissimum haberi, qui neque Deo neque homini curæ sit. Hoc enim considerato. Impunitum esse inter mala connumerari, & dicitur & auditur: igitur punitum esse in bonis censebitur. Contrariis enim contraria ratio attribuit.

Quod si præsens ego adessem, nihil te necesse foret molestiam hanc capere, ut & rubore suffunderis, & te ipsum deferres. Ego me tibi ultrò advocatum præberem, teque ad leges tanquam ad medicos adducerem. Vt enim stultus fortasse aliquis diceret, Ioannem à Synesio accusari, tu tamen rei utilitatem intelligeres, à me ut tibi parcerem tuique curam gererem, hanc esse accusandi provinciam susceptam, ut quantum in malis, felicior esse posses. Sed hæc quidem ita facienda censeo; si admissum facinus est, quod minime velim, tui ipsius atque urbis gratia, universa enim hoc parricidio contaminata erit cognata cæde perpetrata. Sin tu & manu, & voluntate innocens, quod utinam ita sit detestandi quidē ij sunt, qui ea adversus te comminiscuntur & illos quoque quæ apud inferos sunt supplicia expectant: quoniam nulli æque mores Deo execrabiles sunt, ac famigeratoris, qui ex obscuro vulnus infligit. ignavissimus enim cùm sit maxima infert mala, & quoddam iis inesse fatum dicitur, ut in cinædorum gregem adscribantur: idque ipsum inter cætera ejus artis esse præcipuum. Sunt enim & aliis in multis callidi ac solertes. Quare si quis rumores falsis de rebus spargere deprehendatur, hoc ipsum neque rogaveris, nec dubitaveris: sed quālibet firmus ac constans esse videatur, audacter hominem pronuncia semimarem, purum putum Cotytonis asseclam.

Tibi verò summa facultas ex ijs rumoribus datur convincendę calumniosæ existimationis, si te tuosque judicio permiseris. Ita enim in omnium conspectum prodiens dicito. Nonnulli sunt occulti mei calumniatores, qui cùm sua jam opinione damnati sint, latere nihilo minus volunt, sed multa tamen, & acerba objiciunt, quæ aliquibus etiam probaturi videntur, adeo versuti sunt, & ad disseminandos rumores instructi. Tum crimina percensens, ob quæ male audieris, nuptias scilicet, & indignum parricidium. Quandoquidem Spatalum quendam apud te esse dicunt, qui abs te subornatus eam cædem perpetraverit. Eundem ipsum sistens, ab judicibus supplex omnique ope contendito, ne sine quæstione dimittatur, néve indicta causa condemnetur. Neque enim ducum optime, istud allegaveris, propterea quod manifeste nemo tuum nomen detulerit, ideo tibi esse committendum, ut non omne quæstionum genus adhibeas ad vestigandam explorandamque rei veritatem.

Spartalus ille, qui omnium in sermone versatur, is ipse est, hominem tenes, utere ejus corpore, hunc si quidpiam commissum est, hodie sui juxta atque mei accusatorem fieri oportet. At si quidem ita te contestante non obtemperet, judex vel hoc ipsum abunde nobis hominibus erit. Sin & humanum se præbeat, & tui gratia eam causam audire velit; ibi verò operæ pretium est magnifice crimen diluere, & famigeratores illos pudore afficere, ac compescere. Nam Spatalum illum quidem minimè agere delitias oportebit, sed & vincietur, & suspendetur, & latera fodietur. Mirifici enim ad cōvincendam simulationem sunt carnifices, & ungues quidam ab illis excogitati sunt, eadem vi præditi, qua scientiarum ratiocinationes, ac syllogismi. Vnde quicquid prævalentibus iis elicitum fuerit, idipsum certissima veritas est. Hunc si in modum absolutus eris, recipe te è judicio victor, atque triumphans, ac tàm re ipsa, quā opinione hominum purus, atque innocens.

Sed si ego quæ in rem tuam esse videntur suggessi, tu verò nihil horum facis, neque te judici sistis, rei quidem veritatem vidit, novitque justitia. Omnino Dei ille cuncta pervadens oculus, & Libyam tùm vidit & convallem illam, & rumorem illum seu verum sive confictum, & Æmylii cursum, quæque is & à quo perpessus est, quid dixerit ipse, quídve audierit, si quid aut dixerit aut audierit. Et hoc insuper novit, tametsi apud Deum innocens sis, & sceleris expers, qui execrandum hocce facinus neque factis, neq; consiliis admiseris, nondū te tamen apud nos homines innocentē videri, quandiu purgatus non fueris. Neque dexteram conjungemus, nec ex eadem mensa vescemur: Æmylii quippe ultrices furias perhorrescimus, ne contage tua idem in nobis piaculum exprimas. Non desunt nobis domesticæ labes, nec aliunde arcessere opus est. *Epistol. 44.*

Synesius: Tertius ferme abhinc annus est ab sopitis dissentionibus reconciliataque pace, neque dum tamen ille rectà in Bithyniam profectus est, nec quam sortitus erat sedem repetiit, manet autem apud nos, quasi nihil suâ intersit, si quis eum privati loco habeat. Ego verò neque hactenus diu sacris legibus institutus sum, nec multa admodum didicisse par est, qui superiore nondum anno in Episcoporum essem numerum adscriptus. Sed cum senes quosdam animadverterim, qui se certum quidem nescire non dissimularent, magno autem in metu versarentur, ne quem in Ecclesiæ sanonem imprudentes offenderent, ideoque cum eo se atrocius gererent, & pro incerta suspitione certam hospiti infamiam aspergerent, qui neque communi tecto excipere vellent; ego illos nec reprehendi, nec imitari volui.

Scis igitur quemadmodum egi pater omni veneratione dignissime: in Ecclesiam quidem admittere illum nolui, nec sacram cum eo mensam communicavi: domi verò peræque atque innoxios observavi quæ mea agendi cum nostris ratio est. Nam cum eorum aliquis domum nostram venerit omnibus omni & facto sermone honorifico cedimus, nugari eos existimantes qui ideo succensent, quòd materna civitatis jura imminuamus. Quamquam ob id omnium ego curas humeris sustineo, solusque pro omnium otio otii sum expers. Sed magno id mihi apud Deum æstimabitur, ut laboris amplius, sic minus honoris ac dignitatis capere. Hunc autem ipsum Alexandrum, quoties ad Ecclesiam vado vellem quidem nusquam in foro videre: sed cum videre contigerit, aliò quopiam oculos converto, statimque per genas rubor suffunditur: at simul domesticum atrium præteriit, & sub eodem mecum tecto versatur, consentaneo omni honore prosequor. Quid igitur tandem à me ipso privatim publiceque dissentio? neutro in tempore ex animi mei sententiam faciens.

Sed partim legi obtempero; partim naturæ obsequor, quæ ad humanitatem proclivior est. Quamquam etiam vim naturæ facerem, si quid de lege certi haberem. Itaque nostræ interrogationis summa est, ad quam Evangelicæ successionis authoritatem, apertè, ac simpliciter respondere convenit, ac prout concepta quæstio est. Alexandrum habere Episcopum oporteat, nec ne. *Epistola 66.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Scio quidem quod omnes rei, veniales putēt semper reatus suos. nam & furta furibus leves culpæ sunt, & innocua ebriosis videtur ebrietas, & apud impudicos fornicatio scelus non est: quia nullum omnino tam grande crimen est, quod non cujus facinore committitur, ejus sententia sublevetur. *libro 4. contra avaritiam.*

¶ Oratorm Graecorum.

Lysias: Qui se purgat, licet æque faciles habeat vestras aures, eo tamē vincitur ab accusatoribus, quod hi longo jam tempore nobis insidiati, ab omni discrimine liberi actionē instituerint; nos autem non sine formidine, calumnia, ac periculo maximo contendamus. quare majori nos cum benevolētia audiri æquum est, quàm accusatores. Scire enim vos omnes arbitror, quod multi, postquam multis & gravibus criminibus alios accusassent, statim adeò manifestē convicti fuerunt mendacii, ut suis accusationibus maximum sibī conciliarint odium: & qui falsis testimoniis alios afflixerant, tunc damnati sunt, cùm nihil illud prodesset afflictis & injuria affectis. Cùm igitur talia multa, ut ego audio, contigerint, æquum est vos judices, accusatorum orationes nequaquam fidas & credibiles existimare, priusquam nos nostra dixerimus.

Lysias: Qui iniqua faciunt, adversariorum orationē veram esse non concedunt: sed ipsi mendaciis & hujusmodi molitionibus, eos qui rectè faciunt, in odium auditorum adducere conantur. *cap. 10. Apologia pro cæde Eratosthenis.*

Libanius: Duæ profectò res sunt, quæ reum à causa liberant; aut si nihil omnino patravit, aut si quæ fecit, jure sunt facta. Quod si neq; raptionem inficiari potest, neq; justam docere sustinet; quid supersit, per se liquet. *Oratione Vlyssis ad Trojanos pro Helena repet.*

Libanius: Ego fecisse quidem hoc facinus confiteor: sed vitium meum quod accusem non habeo. Quam ob rem? quia nemo est qui causam facti improbam esse probare possit: atqui cùm ejusmodi causa non sit, neq; factum illud perversum judicaretur. hoc enim quantum sit, multis rationibus percipere quis valeat, præcipuē verò ex legibus quæ de damno noxave latæ sunt, in quibus non parum discriminis est, an sponte, an invitus quis fecerit: atq; in capitalibus causis par idēve quis reperiat. Quid autem? duces exercitus etiam suas sæpe naves combusserunt, & fruges perdiderunt: atque his factis coronati sunt. Nam id non fecerant, ut iis qui strenuè se gesserant nocerent, sed ut adversariis obessent. ergo animi consilio probato, etiam quod factum est à crimine purgatum est. Igitur ne tu prætermissa causa ob quam facta res est, ipsum factum solum pronunties, quin sinas optime, Iudices, tota re expensa ferre sentētiam. *Declam. 27.*

Heliodorus: Omnino homines, etiam qui de suis rationibus desperarunt, semper quod superest temporis, ad dilationem mortis, in lucro ponunt. *lib. 9. AEthiopicarum rerum.*

Heliodorus: Manifestum est, quod nihil serii dicet, sed quod eis qui in extremo periculo versantur, peculiare est, inanium verborum figmenta, ad dilationem proferet: attamen dicat, quandoquidem ita Sisimithri placet. *lib. 10. AEthiop.*

§ Romanorum.

Quintilianus Senior : Rei nomen, nunquam in eum adversus quem non agitur, cadit. *Declam.24.m.*

Quintilianus : Causam qua conditione dixerit damnatus, exul, contra potentem, contra gratiosum, quid necesse est diu dicere? quando is exitus judicii fuit, ut non plures sententiæ pro adversario fuerint. non enim causa victus est, sed legibus, sed publica humanitate. *Declamat. 254.*

Quintilianus Senior: Qui semel delatus est reus, non potest absolvi, nisi accusetur. Si impetrassem, non absolveretis: si non impetrassem, damnareris. *Declam. 287.a.f.*

Quintilianus : Nunquid iniquè, judices, in tanti sceleris subscriptione deposco, ne nominibus reos velitis æstimare, sed moribus. *Declam.15.§.6.f.*

Plinius Iunior: Verebamur ne gratia singulorum collata ac permista, pro singulis quoque vires omnium acciperet. postremò ne potentissimi, vilissimo quoque, quasi piaculari dato, alienis pœnis elaberentur. etenim tum maximè favor & ambitio dominatur, cùm sub aliqua specie severitatis delitescere. *lib.3.Epist.9.*

§ Poetarum.

Aristophanes Pluto. v. 456.

Etiámne auderis hiscere, vos piacula?
In ipso deprehensi facinore pessimo?

Terentius Phorm.i.sc.4.

Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? AN. ipsus est.
Non possum adesse. G. aliquid agis? quò abis Antipho? mane.
Mane, inquam. AN. egomet me novi, & peccatum meum.

§ Monosticha Trochaica.

Actori haud licere debet, quod reo haud permittitur.
Anteunt delicta: pœna consequi solent reos.
Bis nocens est, qui in reatu jactat innocentiam.
Causa inaudita nocentem ne quidem damnes reum.
Ceu satelles, improbo usque addita est reo ultio.
Crimen auges, rem manifestam si negas, non diluis.
Crimine haud probato, pœna in actorem transit rei.
Cum reus se laudat, haud est laus ea, est defensio.
Damnat ipse se, citatus qui latebras quæritat.
Ego me non peccasse planè ostendam, aut pœnas sufferam.
Est reus non qui accusatur, sed vero convincitur.
Et rei mutatione dimittuntur temporum.
Evadat reus si rectè plura fecit quàm male.
Falsus innocenti obesse non solet rumor reo.
Gravius est reo exspectare pœnam, pœnam quàm pati.
Haud reus est qui dicit inter judices sententiam.
Innocentiam qui jactat post culpam, culpam duplat.
Majores cient adfectus si rei existunt probi.
Mitius fere est plectendus quam jubent leges reus.
Mortuorum de statu à quinquennio non quæritur.
Nemo tam est nocens ut ore se reum efferat suo.
Non abest procul à reatu quem malum vulgo autumant.
O miserrimum, pœna expers qui diu manet reum!
Plurimum prodest memoria patris filiò reo.
Plurimum refert reusne vilis an sis nobilis.
Quàm mage in malis est hoc & reus felicior.
Quamvis invisus nocensq; audiendus est reus.
Qui decedit in reatu, decedit statu integro.
Quid mage optet accusator confitentem quàm reum?
Quidquid æquo plus futurum est, pro reo præponderet.
Quod pharus laceræ phaleso naufraganti id rex reo.
Sons eò miserior est, quò longius vitam trahit.
Tā malum est insontem plectere, quā malū eripere est reū.
Tutius sceleris patrati quam incepti fieri reum.
Vita damnet absolvatq;, non miseratio, reum.

§ Jambica.

Actore non probante absolvitur reus.
Causam reus nisi dixerit, absolvi nequit.
Causas reorum lente prætor audiat.
Communis unus culpæ iniquè sit reus.
Crimen ratum, non testis, vita sed facit.
Cur non sequatur pœna confessum reum?
Curæ est Deo, ne quis lateat diu noxius.
Etiam audiuntur confessi licet rei.
Etiam inquinare innoxios volunt rei.
Etiam suum falsis vulgus subdit reum.
Mens noxij, nunquam æstimanda est exitu.
Minus favoris stat pro actore quàm reo.
Mortem ferè anteit ductus ad mortem reus.
Nemo nocens summâ absq; sollicitudine est.
Nemo reus fit quam diu cùm potentia est.
Nemo reus peccata fateri vult sua.
Nocens videri qui petit, mortem cupit.
Notam reorum turba major eluit.
Nunquam satis punitur impudens reus.
Omnes rei sunt, cùm quid accidit tristius.
Præstat reo tacere sapè quàm loqui.
Præstat reum præbere se hominibus quàm Deo.
Pudor reorum sape lenit judices.
Quandoq; & ipsus corrigit reum metus.
Quem læseris cumque, utique senties reus.
Reus æstimatur moribus, non nomine.
Secura nunquam sunt rei præcordia.
Sub rege iniquo fit nocens, non quæritur.
Tabulæ pares ubi sunt, absolvitur reus.
Vicinius est reo, putatur qui malus.
Vt seculo parcatur, absolvas reum.
Vili reus ruit, potens elabitur.

Regis.

§ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus* : Omnes, Constanti Imp. non tuæ solum, sed etiam superioris memoriæ Principes animi solertia & acumine longè antecellebas : qui barbaras nationes per gyrum repurgabas, tyrannosque intestinos ditioni tuæ partim sermonibus, partim armis subjiciebas ; & quidem utrunque ita dextrè & egregiè, quasi ab altero nihil molestię tibi exhiberetur: cujus cùm magna & eximia trophea armis & prælio quæsita, tum majora & illustriora sine ulla cruoris profusione parta, ad quem legationes & supplicationes undecunque confluebant. Cui nationes omnes partim jam dicto audientes erant, partim jam futuræ erant : ut in eadem causa essent omnes ij, quorum expugnatio in spe posita erat, ac si jam domiti atque in potestatem redacti essent : Qui Dei manu ad omnia consilia resque omnes gerendas utebaris. cujus denique & prudentia majorem sui admirationem movebat, quàm manuum vires; & rursus vires majori erant admirationi quàm prudentia; atque utroque præclarior illustriorq; erat pietatis gloria. *Stelitentica 1. in Iulianum. Oratione 3.*

D. Nazianzenus : Reges quoq; humiles & abjectos reddit calamitas. *Oratione 20.*

D. Chrysostomus: Depingito Regis ornatum, quem apud nos versari vides: nimirum homines aureis vestibus indutos, mulorum alborum auro ornatorum, eoq; sese efferentium paria, currus lapillis intertextis fabrefactos, stratum candidum, laminas circum currus ventilatione sese agitantes, dracones sericis in vestibus effigiatos, clypeos aureos habentes umbilicos, lora ab his ad summum rotarū gyrum multos per lapillos extensa, equos aureis stratis ac frænis cōspicuos. cùm a. rex sese aspectui nostro offert, tùm demum nihil eorū, quæ dixi, contemplamur: nam ille nos ad se unus convertit, tum a. & purpurea indumenta, & diadema, & cathedra, & fibula, & soleæ, & ingens oris splendor. *Homilia 14. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Reges tanquam Dii honorantur apud Ægyptios, divitiisque & thesauris fruuntur innumerabilib. *Hom. ad Cor. 1.*

D. Chrysostomus: Si quis privatam domum ingressus, cùm eam sit ludificatus & probro & injuria affecerit, extremum luet suppliciū; qui regis templum latronis fecerit receptaculum, cogita quod mala sit passurus. Hæc ergo cùm cogitaris, revere eum qui inhabitat: is enim est paracletus. *Hom. 18. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus : Reges efficimur, si improbas & absurdas cogitationes in potestate tenere voluerimus. Nam quòd is, qui talis sit, regnet, & quidem magis, quàm qui diademate cinctus est liquidò jam vobis demonstrabo. Multos ille exercitus habet: at nos quoq; plures illis cogitationes habemus. Neque enim infinita cogitationum, quæ in nobis sunt, multitudo enumerando percenseri potest: Nec verò multitudinem dumtaxat intueri licet ; sed etiam multos in hac cogitationum copiâ duces, tribunos, turmarum præfectos, sagittarios, fundibularios. Quid aliud est, quod regem efficiat? Vestisne? At hic quoque meliori ac præstantiori veste amictus est; quam nec tinea exest nec vetustas conficit. Quin multiplicem quoque coronam habet, nempe & miserationum Dei, (Benedic enim, inquit, anima mea Domino, qui coronat te in misericordia & miserationibus) & gloriæ, (Gloria enim inquit, & honore coronasti eum) & bonæ voluntatis, (ut scuto enim, inquit, bonæ voluntatis coronasti nos) & gratiarum: Coronam enim, inquit, gratiarum accipies capiti tuo. Vidésne quàm variè textum, quantoque gratius ac venustius sit istud diadema? Verùm enim verò aliud rursum & accuratiùs, horum regum statum expendamus. Ille stipatoribus suis dominatur, & cunctis imperat, omnesque ipsi parent & obsequuntur. At ego heic majus præstantiusq; imperium tibi ostendo. Nam multitudo quidem par est, aut etiam amplior. Superest a. ut subjectionem ipsam consideremus. Ac ne mihi eos in medium proferas, qui regia dignitate lapsi sunt, atq; ab ipsismet satellitibus suis trucidati; ne, inquam, eos in medium producamus: verū eos conquiramus, qui pulchrè in utraq; parte regnum administrarunt. Ac tu quidem, quos libuerit, pone: ego a. Patriarcham unum cunctis oppono. Nam cùm ipse filium mactare juberetur; cogites velim, quotiam tùm adversus eū cogitationes insurrexerint: Et tamen omnes sub-

subegit;atque omnes eum, magis quàm regem satellites, pertimescebant;ac vel solo obtutu omnes comprimebat: ita ut ne hiscere quidem earum ulla auderet; verùm cunctæ caput summitterẽt,ac velut regi cederent;quamvis alioqui acerrimæ essent, atque in primis acerbæ. Neq; n. hastarum cuspides tam horrendæ sunt, cùm à multis militibus subrigantur: quam tùm formidabiles erant illæ cogitationes. An non enim hastis atrocior erat illa, quã natura ciebat,commiseratio? Ac proinde animam illam, magis quàm præacuta cuspis,excindere poterãt. Nec.n.ulla hasta tam acuta unquam esse queat;quàm cogitationum illarum aculei,qui ab intimis visceribus acuebantur ac surrigebantur,justi viri animum transfigebant. Nam heic & tempore,& consilio,& plaga,& dolore opus est; ac tũ mors sequitur:illic autem nihil horum requirebatur: adeò tum celeriora,tum acriora vulnera erant. Et tamen,cùm adversus eum cogitationes arma induissent,ingẽs erat tranquillitas, omnesque cõpositè stabant: ornantes potiùs ipsum, quàm terrore afficientes. Eum enim,gladium extendentem, ante oculos tibi pone: ac quos volueris Reges, Augustos, Cæsares, in medium profer. Nihil enim simile dixeris:nec speciem ullam ejusmodi, tamque amplam & insignem,ac cælis dignam ostendere poteris. Tùm enim vir ille justus de potentissima tyrannide triumphum egit. Nihil enim est,ꝙ majorem vim atque adeò tyrannidem habeat,quàm natura. Atque ut sexcentos,qui necem tyrannis intulerint, proferas: nullum tamẽ ejusmodi nobis ostenderis. Etenim hæc palma angeli veriùs, quàm hominis tunc erat. *Homilia 3. ad Corinth. 2.*

D. Chrysostomus: Apud terrenos quoque Imperatores tum cum festi eorum dies agitantur, atque in consulari habitu cernuntur,is etiam qui exiguum aliquod munus offert, magnis beneficiis afficitur:iis autem diebus quibus judiciis operam dant magna cura & diligentia,magnoque examine opus est. *Homil. 12. ad Cor. 2.*

D. Chrysostomus: At neque rex vitam curis solutam vivit,sed multis molestiis atque angoribus refertam. Non enim ad diadema spectes,sed ad solicitudinum procellam: unde illi tumultus maximus exoritur: non ad purpuram, sed ad animam illa ipsa purpura nigriorem. Non æque corona ligat caput, atque animam solicitudo:non ad satellitum numerum specta:sed ad ægritudinum multitudinum: nullam enim privatam domum tot curis abundantem reperias,quot regiam. Mores singulo quoque die imminẽtes à suis etiam ipsis:& ante mensam, & ante poculũ ob oculos versatur sanguis. Noctu vero, dici non potest, quam sæpe somniis ac visis excitati prosiliant,atque hæc in pace: ꝙ si bellum ingruat:eo magis solicitudines intenduntur. Quid igitur tali vita fieri miserabilius potest? Adde quæ à suis, quos in ditione sua tenet: denique cognato sanguine redundat semper regale pavimentum. Ac si vultis, narrabo etiam quædam: & continuo id ita esse intelligetis. Ac potissimũ quidem vetera dicam:quæ tamen adhuc memoria non exciderũt, sed & nonnulla,quæ nostris contigere temporibus. Quidam, ut ajunt,uxorem,de cujus adulterio suspicabatur,nudam alligavit mõtibus:ac feris exposuit,matrem jam sibi factam regum multorum. Quam illum putatis vitam vixisse? non enim, nisi illum ægritudo exedisset,ad tantum supplicii sumendum descendisset. Hic vero idẽ suum ipsius filium interfecit, aut potius hujus frater seipsum cum filiis. Fertur a. hic & fratrem suum è medio sustulisse; atque hic ꝗdem sibi ipse manus attulit à tyranno comprehensus: ille vero sobrinum suum una secum participem regni, ꝙ ipse illi tradiderat. Alius a. uxorem vidit medicamentis è medio sublatam. Quoniam enim parere minime poterat, mulier quædam infelix, & misera, (infelix enim,& misera est,quæ ꝙ à Deo donandum erat sua se credidit sapientia præstituram:) præbitis medicamẽtis, & reginam interemit,& ipsa simul interiit. Alius a. postea pharmacis venenatis sublatus est,poculumq; ipsi fuit nõ jam potus,sed mors. Et ipsius etiam filio oculi sunt effossi, metu sequẽtis tẽporis plane immerenti. Ali⁹ verò neq; quã ob causã, nec quã miserabiliter è vita excesserit, exponere satis honestũ est. Eorum vero,ꝗ successerunt,alter ꝗdem perinde atq; infimus ꝗdam,& ærumnosus homo esset, cõbustus est cum equis, & trabibus,cæterisq; reb. omnibus: & uxorem viduam reliquit:quas.n.molestias in vita habuerit,ne dici ꝗdem põt: quas ex eo tempore,quo seditionem movit, subire coactus est: Alter vero,ꝗ nunc rerum potitur: nonne ex quo diadema gestat, perpetuo versatur in laboribus,in periculis,in molestiis,in mœroribus,in calamitatibus,in insidiis? At non hujusmodi cælorum regnum:sed postquã ipsum obtinueris, pax,vita,gaudium,lætitia. Cæterum,ꝙ dicebam,nulla hic vita est ærumnarum expers. Quod si in rebus etiam publicis regalis illa conditio,q̃ omnium beatissima videtur,tot redundat calamitatibus: quid putas in privatis,ac domesticis? ꝓfecto quod alia mala existant,ne dici quidem potest:multæ hinc sæpe fabulæ compositæ sunt. Omnes fere tragœdiæ, & fabulæ,quæ aguntur in scena,ex regibus contextæ sunt. Pleraque enim, quæ in fabulis repræsentantur, ex veris rebus constant. Ita & voluptatem habent Thyestea convivia: omnisque illa domus calamitatibus eversa est. Sed hæc quidem ex Ethnicorum libris cognovimus. Verum si vultis, scripturas etiam,quæ idem doceant,proferemus. Saul primus regnavit: nostis autem & hunc sexcentis pressum ærumnis interiisse. Post illum David,Salomon,Abias,Ezechias,Iosias itidem multis modis vexati. Nefas enim omnino est vitam hanc sine laboribus,sine ægritudine, sine ærumnis ducere. *Homilia 15. ad Philippenses.*

D. Chrysostomus: Deus pro utilitate communi ethnicos principatus constituit. Quam igitur absurdũ est,quum illi idcirco militent, & arma circumferant,ut nos in tranquillitate,atque otio simus,nos ꝓ periclitantibus,ac nostri causa labores subeuntibus,preces effundere detrectemus? Non igitur assentandi gratia hujusmodi mãdatum dedit, verum justitiæ servavit leges: nisi enim illi servarentur, atque inter bella & hostes prospere agerent, necessario & nostra omnia turbis,tumultibusque plena essent. Nam nos aut militare opus fuisset, ac per nosmet eadem subire pericula concisis illis, aut fugere,vagosque per orbem terrarum ferri. Sunt enim, inquit, hujusmodi veluti obices quidam hostibus oppositi, per quos nos in pace servemur. *Homil. 6. ad Tim. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Etiamsi quispiam rex sit,atque opibus circunfluat,ac voluptib. cumuletur, invictamque potentiam obtinens ab omnibus laudetur beatusque prædicetur,ut ꝗ omnib. (ut quidẽ existimentur)abundet: tamen & quid paulò antè,& quid aliquanto pòst futurus sit,animo volvere,ac non in contumeliam & insolentiam efferri debet. Quòd si hæc omnia in unum coire nequeunt (neq;.n. opibus prorsus voluptas quoq; adjũcta est, bellis nimirum animorum oblectamento labem afferentibus: nec si animi jucũditas & divitiæ in vanum concurrunt, securitas accedet,quòd fortasse quispiam ex primariis viris maximaque dignitate præditis tyrannidem meditetur. Vt plurimum.n. aut intestinæ insidiæ oriuntur,aut externa bella excitantur) quid est quamobrem ob vinum duntaxat ex iis quę speciem tantum boni habent,in superbiam ruimus,atque adversus omnes insolescimus? *lib 3. Epist 50.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui volentibus imperant, ij demum verè imperare mihi videntur:ac pręsertim cùm virtutis nomine conspicui sunt ij,qui subsunt: propter quos etiam dignum est imperium, quod certatim appetatur. Qui autem invitis imperant,eorum potiùs similes esse duco,qui cruciatu afficiuntur,quàm qui imperium administrant. *lib. 3. Epist. 72.*

¶ LATINORUM.

Zeno: Nulli facilius efferuntur, nisi quos inopinati honoris culmen extollit. David quippe humilis,abjectus, ignobilis sui jacebat in domo patris, oves semper pascendo, propemodum peregrinus, innocens cum innocentibus deputatus. Hic placuit Deo, unctus in regem,spiratus in vatem. non insolescit in regno; obumbrat neminem prophetæ terrore:injurias suas non exequitur regia potestate: odientes se diligit:inimicis parcit:parricidalibus filiis ignoscit:persecutorem suum,& quod magis est,regem aliquotiens à Deo in manus traditum sibi mavult semper timere, quàm occidere: inverso gratus officio, Deo Dei munus retinendo placiturus. rex mansuetus:pater pius:propheta modestus:totum potest: à toto dissimulat: magnis,ac mirabilibus seculi non immutatur: mitem,humilemq; retinet ubique pastorem. *Psalmum 130. m.*

Egesippus: Quærebat Antipater,quomodo cùm ipse Herodes etiam adulter regni fuerit, potuisse ab eo legitimum regem creari? *cap. 1. lib. 2. de excid. Hieros.*

Egesippus: Conveniens singulos affectu paterno, nunc mollioribus monitis,nunc minis,ut quæ pacis essent potius quam belli, sequenda arbitrarentur:ne vi exasperarẽt animum regis: qui si in offensus maneret,civem præstaret,si commoveretur tyrannum: etsi mitis esset natura Hircanus, caverent tamen ne eum contumelia exacerbarent. *lib. 1. cap. 25. de excid. Hieros.*

Egesippus: Quis eum regem perpeti potuisset,qui tetrarcha tam insolens fuit,ut tolerari nequiret? *cap. 43. lib. 1. de excid. Hieros.*

Egesippus: Quid facturus est Archelaus cũ legitimè regnare cæperit,qui ante regnum insolentissimus necasset plurimos, quia opem fessis rebus & tributorum allevationem poposcerant? remedium postulantib. bellum irrogatum. interfecta novem millia Iudæorum in ipsa venerabili apud suos Paschæ celebritate: pro pecudibus homines immolatos: sacratorum sanguinem fusum: spectaculum miserabile. si quis cæsorum stragem recẽseat,& Babylonios revertisse arbitraretur. quantò crudelius à cive commissa, quæ in hoste barbaro plena immanis sævitiæ atque impietatis æstimarentur. hanc sportulam civibus datam,hoc sacrificio Archelaum regni sui primordia commendasse. *2. cap. 1.*

Chrysologus: Peculia quoque pristinę libertatis, jam divitiis, jam regiis ditatus opibus qui reservat,captivus miseria se nescit esse felicem. Est consuetudinis, est animi felicis, ut adscitus ad regnum, ꝙ fuit proprium, quod privatum, mox parentibus, mox propinquis, civibus indigentibus, liberaliter prorogare: ne sit mendicus animo, qui censu fructus,& honore. *Serm. 23. ante finem.*

Chrysologus: Si à Deo potestas omnis,à Deo rex etiam dispensationis regiæ adeptus est dignitatem rationemque redditurus est, si in ullo creditæ potestatis excessere mensuram: si Rex justitiam custodivit, si æquitatem tenuit, si potestatem moderatus est, si misericordiam non omisit, si tenuit sic ponderis sui libram, ut in neutram partem potestatis suæ trutina perpensa declinaret: si omnium curam gessit, si civium procuravit quietem, si sic temperavit sensum: ut neque militi sufficientia deesset neque tributarius lassaretur. *Serm. 26. m.*

S. Chrysologus: Procedente rege,& plateæ mundantur, & omnis civitas diversis floribus & ornatibus coronatur, ut nihil sit, quod minus dignum vultui regis appareat. *Serm. 149.*

Ennodius: Spes certa quietis est & salutis, perfecta in gubernatore sapientia. Puppis, cujus magister ad clavi regimen intellectus dote præparatur, ubiq; stationem, ubique portum habet in fluctib. Certa est generalitatis securitas, quando rempublicam nobilibus regit artibus institutus. *Apolog.pro Synodo.*

Ennodius: Quis hoc veterum retro principium fecit unquam, ut inter munera, quæ pellito Getæ dare necesse erat, pro quiete communi filia poneretur? Nescivimus parcere sanguini nostro, dum servamus alienum. Nemo tamen hoc credat propriæ causa factum esse formidinis. nam in tanta circumspectione salutis omnium, solùm pro nobis timere non novimus. Bene enim apud nos compertum est, perire Imperatori laudem suæ virtutis, qui pro aliorum cautela non metuit. *Vita Epiphanij cap.20.*

Ennodius: Liguribus tuis largire quod proferas: tribue quod reponas. futurorum quæstus est, temporalis indulgētia. Boni principis mos est, cum virtutibus amare famam, & regnum ita ordinare, tanquam ad stirpis suæ posteros transiturum. Nutantes domini hæc tantùm, quæ accipiunt, diligunt: firmissimi illa potius, quæ dimittunt. Sic terris semina parva committimus, ut multiplicata capiamus. fœnus sine crimine fit triplicatum. boni Imperatoris est possessoris opulentia. *Vita Epiphanij cap 54.*

Io. Sarisberiensis: Melchisedech rex, nec patrem nec matrem legitur habuisse, non quod utroque caruerit, sed quia regnum & sacerdotium de ratione non pariunt caro & sanguis, cum in alterutro creando patrum respectus citra virtutum merita prævalere non debeat, sed salubria subjectorum fidelium vota; & cum alterutrius culminis apicem quisque conscenderit, oblivisci debet affectum carnis, & id solum agere ꝙ subjectorum salus exposcit. Subjectis itaque pater sit & maritus, aut si teneriorem noverit affectionem, utatur ea: amari magis studeat, quam timeri, & se talem illis exhibeat, ut vitam ejus ex devotione præferant suæ, & incolumitatem illius, quandam publicam reputent vitam; & ei tunc omnia rectè ꝓcedent, & pauco stipatus obsequio, prævalebit, si opus est, adversus innumerabiles. Fortis etenim est ut mors dilectio; & cuneus, quem funiculi amoris constringunt, non facile rumpiter. *lib.4. Nugarum Curialium cap.3.*

Io. Sarisberiensis: Cùm inquit, fuerit constitutus, qui se totius populi fratrem religionis cultu; & affectu charitatis profiteatur, nō multiplicabit sibi equos, quorū numerositate sit subditis onerosus. Equos quidem multiplicare, est plures quam ipsa necessitas exigat, vanæ gloriæ causa, vel erroris alterius congregare. Multum enim & parum, si Peripateticorum principem sequimur, legitimę quātitatis diminutionem in singulis rerum generib. significant, vel excessum. Licebit ne ergo canes multiplicare, volucresve rapaces, aut truces bestias, aut quælibet portēta naturę, cui equorum, q̄ ad militum necessarii sunt & usum totius vitę, ex legitima quātitate præfinitus est numerus? Nā de histrionib. & mimis, scurris & meretricibus, lenonibus, & hujusmodi ꝓdigijs hominū, q̄ principē potius oportet exterminare, quā fovere, nō fuerat in lege mētio facienda; q̄ q̄dam omnes abominationes istas, nō modo principis aula excludit, sed eliminat à populo Dei. Equorū nomine, totius familiæ & impedimētorū omniū, necessarius intelligitur usus. Cujus legitima quantitas est, quā ratio necessitatis, aut utilitatis exposcit. Ita tamen ut utile & honestū coæquentur, & civilitas cōscribatur honestis. Philosophis n. jā pridē placuit, perniciosiorē nullā esse opinionē illorū opinione, q̄ utile separāt ab honesto; & scientiā verissimā & utilissimā esse, honestū & utile in se usquequaq; cōverti. Plato, ut ferunt historiæ gentium, cū vidisset Dionysiū Siciliæ tyrānum corporis sui septum custódibus, Quod tantum, inq̄t, malum fecisti, ut à tam multis necesse habeas custodiri? Hoc utiq; principē nō oportet, q̄ officiis ita sibi omniū vincit affectus, ut quisq; subditus, ꝓ eo periculis imminentib. caput opponat. Cū etiam urgēte natura, se ꝓ capite soleant membra exponere, & pellem ꝓ pelle, & cūcta q̄ homo habet, ponat ꝓ anima sua. Sequitur: Nec reducet populū in Ægyptū, æquitatus numero sublevatus. Magna siquidem diligentia præcavendum est omni, q̄ in sublimitate cōstituitur, ne inferiores corrumpat exemplis, & abusione rerum, & per superbiæ aut luxuriæ viam ad confusionis tenebras reducat populum. Frequēs. n. est, ut subditi superiorum vitia imitentur, quia magistratui populus studet esse conformis & unusquisque libenter appetit, in quo alium cernit illustrem. *lib.4. Nugarum Curalium cap.4.*

❡ Philosophorum Oratorumq; Graecorum.

Xenophon: At is q̄ Cyri se cognatū esse dixerat aliquando, primus adhæc: Ego vero sic ajo, mi rex, inquit. Nam regem natura nihilo te minus ortum arbitror: quam ille rex est, q̄ dux apum in alveo nascitur. Illi. n. semper apes ultro parent, ac quocunq; loco manserit, ab eo nulla earum discedit. Quod si aliquo prodierit, nulla ipsum deserit. tam mirificus eis amor erga principem hūc suum innascitur. Itidem erga te mihi quodā modo vidētur hi homines adfecti esse. Nam quo tempore à nobis in Persiam ꝓficiscebare, quisnā Medorū vel juvenis vel senex abfuit, quo minus te sequeretur, donec Astyages nos retrogredi jussit? Postquam vero domo nobis è Perside opitulator advenisti, videbamus iterum amicos tuos ꝑpe omnes spōte sua te sequi. Quum rursus expeditionem in hæc loca suscipere cupivisti, omnes te Medi lubentes sequuti sunt. Et nunc adeo sic adfecti sumus, ut te præsente etiam in hostico simus animosi, & absque te domum reverti formidemus. Itaque ceteri quid facturi sint, ipsi exponent: ego vero, mi Cyre, atque illi, qui mea in potestate sunt, manebimus apud te: te intuendo, quævis sustinebimus: te beneficiis nos adficiente, tolerantes erimus *cap.6. lib 5. Cyropædia.*

Xenophon: Æquum est ut rex quæcunque animadvertit ex re civium suorum futura, in medium proferre. *capit.24. libr.8. Cyropædia.*

Xenophon: Reges ac principes non illos dicebat esse, qui sceptra tenerēt, nec illos, qui vel à quibusvis essent delecti, vel sorte, vi, fraudib. eò pervenissent: sed quotquot imperandi periti essent. Nam ubi quis fateretur, ejus esse, qui cum imperio præsit, imperare quod agendum sit, subditi vero parere: demonstrabat in navi eum, qui rei nauticæ peritus sit, aliis præesse, naviculatorem vero, cum ceteris omnibus, huic perito parere: itidem in agricultura illos, qui agros possiderent: in morbo, qui eo laborarent: in corporis exercitio, qui eo uterentur: alios denique omnes, quibus quiddam sit, quod curatione indigeat, si quidem se arbitrentur rem intelligere, curam ejus habere? sin autem, non modo peritis præsentibus obtemperare, sed etiam absentes arcessere; ut ipsis parentes, quæ oporteat, agant. In lanificio etiam mulieres viris præesse demonstrabat, quod illæ sciant, quo pacto exercendum sit lanificium, viri contra ignorent. Quod si quis adhæc diceret, posse tyrannum recte monentibus non obtemperare: Et qui non parere possit, respondebat, quum si quis recte monenti non obtemperet, damnum propositum sit? Nam si qua in re non pareat aliquis recte monenti, nimirum peccabit: qui vero peccat damno multatur. Quod si quis diceret, habere tyrannum potestatem occidendi eum, qui recte sapiat: Tu vero existimas, inquit, eum, qui præstantissimos quosque ex sociis occidat, damni expertem esse, vel leve damnum pati? Utrum enim arbitraris eum, qui hoc perpetret, incolumem posse manere, an potius hoc pacto celerrime periturum? *cap. 27. libr.3. Memorabilium.*

Aristides Rhetor: Debet verus rex secundum universi regem conformari, tum quantum ad humanitatem, tum quantum ad civium cunctorum curam pertinet. *Oratione in Regem.*

Aristides Rhetor: Quidquod & Reges eximiè rerum communitatem sectati sunt, atque concordiam cum vulgo studiosè observarunt? & populus ultrò sibi quemcumque reliquis præstare cognoverat præfecit, eoque tanquam perpetuo principe usus est. nec aliter erga paucos, qui ceteris meliores, inter sese autem æquales essent, gessit. & Senatus populi semper incremento, nunquam suo, studuit: idque pro justo sibique congruo lucro habuit, si publicæ saluti cum gloria præesset. *sub finem Orationis Panathenaicæ.*

Aristides Rhetor: Reges & Deorum voluntate cùm ipsi reguntur; tum humanas res administrant. *Palinodia de Smyrna instaurata.*

Aristides: Iam qui alios ad rectè agendum cogit, ipse multo prius ad id se præparavit. neque enim potest & justitiæ opem ferre, & eam primus ipse violare. *Oratione prima Platonica, de Rhetorica.*

Aristides Orator: Et reges dicendi periti, sunt prudentes; non ut ipsi modò suo fungantur officio, sed etiam alios ad id componant. quod omnino voluit Hesiodus, cum reges divino munere dicendi facultatem ait adipisci, &c. *Oratione prima Platonica.*

Dio Prusaus: Est ergo primùm deorum studiosus, & divinitatis cultor. Neque enim fieri potest, ut vir bonus & justus ulli magis fidat, quàm justissimis atque optimis diis, Quicunque autem, quum malus sit, se diis placere putat, eo ipso primùm jam pius nō est. aut enim fatuam, aut pravam statuit esse divinitatem. Secundum deos autem, hominum curam gerit, honorans quidem & beneficiis afficiens bonos, sollicitudinem autem gerens omnium. Quis enim pro armento boum magis sollicitus est, quàm is qui pascit? quis autem gregib. utilior, meliorq; quàm pastor? quis ēt studiosior est equorum, quàm is qui quàmplurimis imperat equis, & maxima ab equis capit emolumenta? Et quem par est tam esse humanum, quàm eum qui quamplurimorum quidem hominum rector est, maximè autem hominibus est admirationi? Grave est enim, si alterius generis & ferarū principes bestiarum, subditis sint benevolentiores quàm rex, qui hominibus mansuetis, & ejusdem generis imperat. Et quidem amant etiam & patiuntur maximè armenta pastores suos, equi autem aurigas. venatoresque à canibus custodiuntur & diliguntur, & alia similiter subjecta suos amant imperatores. quomodo ergo consequens sit, quum stulta & gratitudinis sensu carentia norint amentque eos qui ipsorum curam gerunt, ut animal omnium intellectu præstantissimum, & gratiam referre sciens, ignoret & insidietur? Imò etiam necesse est, mansuetum & humanum regem, non solum diligi ab hominibus sed etiam amari.

Hæc igitur quum norit, & natura talis sit, propitium & mitem exhibet animum suum omnibus, ut qui omnes existimet benevolos & amicos. Et arbitratur quidem se dignum qui plus habeat propter principatum, non pecuniarum, neque voluptatum, sed diligentiæ atque curarum. Itaque etiam laboriosior est magis quàm aliorum multi voluptuosi & avari. Didicit enim, quòd voluptates quidem eos qui semper circa ipsas versantur, & in aliis mul-

tis damno afficiant, & citò reddant erga ipsas impotentes: labores autem, & in aliis multis prosint, & semper reddant ad laborem validiores. Proinde illi soli licet, milites quidem appellare commilitones, & familiares amicos, non derisu nominis amicitiæ: patrem autem civium & subjectorum, non sermone tantum vocari, sed ipsis etiam ostendi operibus. porrò dominus non modo liberorum, sed neque servorum vocari. Regnare enim se putat non sui unius magis, quàm omnium hominum gratia. Hinc est quòd beneficia conferens magis lætetur, quàm quibus collata sunt: & unius huius voluptatis est insatiabilis. Nam cætera quidem regni officia existimat necessaria, unum vero beneficentiæ facinus esse voluntarium & felix. Et bonorum quidem minimè parcus est, ut quæ nunquam ipsum deficere queant: mali autem causam præbere natura prohibetur, quemadmodum & sol tenebrarum. Eum qui vident, quique cum eo conversantur, nolunt relinquere: qui autem de eo audiunt, videre cupiunt, magisque quam pueri ignotos parentes, hunc reperire. Timent eum quidem hostes, & nullus se fatetur hostem: amici autem confidunt: & qui valde illi propinqui sunt, arbitrãtur omnes sese quàm tutissimos esse. Cujus contrarium accidit ei, qui malus est, ut eius inimici quidem confidant, amici autem & qui proximi, consternentur, timeantque. Mansuetò porro & innocuo, quicunq; assiduò astant, iis magna cum fiducia licet vivere: eos autem qui accedunt eum, videntque, non terror, nec timor, sed reverentia subit, longè timore melior atque fortior. Necesse est enim ut ij qui timent, oderint, & aufugere cupiant: qui autem reverentur, maneant, & admirentur. Simplicitatem igitur & veritatem, existimat ad regem & prudentem pertinere: astutiam autem & dolum, ad fatuos, servilemque conditionem: considerans, quod & bestiarum timidissimæ ignobilissimæque omnium maximè mentiantur atque fallant.

Quum autem natura honorum cupidus sit, quia consueverint ferè homines honoribus afficere bonos, minus sperat fieri posse, ut honoretur ab invitis, quàm ut ametur ab iis, quibus sit exosus. Et bellicosus quidem ita est, ut bella etiam ipse administret, atque in hostico versetur, quoties est opus. Pacificus autem verè est, quod nihil illi reliquum sit bello persequẽdũ. Etenim & hoc novit, quod iis qui ad bellũ gerẽdũ optimè sunt instructi, maxime liceat in pace vivere. Natura autem similiter & sociorũ & civium & militum amans est. Quisquis enim contemnit milites, aut nusquam aut raro invisit periclitantes, laborantesque pro tuendo principatu, stultamque & inermen turbam colit assidue, perinde facit, ac si pastor ignoret eos qui gregem unà custodiunt, & neque cibum illis porrigat, neque cogitet ut simul aliquando vigilet cum custodientibus. Hic enim non solum bestiis, sed & canibus persuaserit, ut ne abstineant à grege. Quicunque autem milites quidem deliciis effæminat, neque exercens, neque laborare iubens, aliorum verò hominum obliviscitur, similis est gubernatori, qui nautas quidem corrumpit repletione & somno totos dies, vectorum autem & navis pereuntis nullam habet curam.

Si quis autem ad hæc quidem mediocriter affectus est, proximos autem sibi & amicos appellatos vi cogit, neque hoc prospicit, quomodo beati esse videantur, & omnibus suspiciendi, is nescit quod semetipsum & principatum prodat, eo quod veros amicos quidem mœstos reddit, alios autem absterret, ut nemo suam amicitiam cõcupiscat, sicque se privat pulcherrima utilissimaque possessione amicitia. Quis enim magis impiger ad laborandum, quando tempus exigit, quàm amicus? Quis promptior ad delectandum in felicitatibus? Cuius autem laus suavior, quàm amicorum? A quo verum auditum minus contristat, quàm ab amicis? Quod præsidium. quæ munitiones, quæ arma firmiora & meliora, quàm benevolorum custodia? Quot enim quis possidet amicos, tot oculis ea quæ vult videt, tot auribus audit quæ oportet, tot cogitationibus cogitat de iis quæ conducunt. Non enim est aliud, quàm si cui Deus unum corpus habenti, multos animos dedisset, qui omnes ipsi providerent. Porrò ut multis omissis, dicam manifestissimum signum: talis est bonus ille rex, ut quem boni viri laudibus prosequi non erubescant, neque in præsenti tempore, neque in futuro.

Et ipse quidem laudibus opificum & circumforaneorum non capitur, sed liberorum & nobilium, quibus vita etiam displiceat, si quid mentiantur. Quis igitur non beatum prædicaret talem virum, & vitam? & unde fieret, ut non certatim venirent homines, & visuri eum, & fruituri honesta illius mente, & bona? Quod enim gravius spectaculum, quàm rex generosus ac industrius? & quod suavius, quàm mansuetus & amabilis, qui omnes beneficiis afficere & concupiscat, & possit? Quid autem commodius æquo & justo? Et cuius vita tutior, quàm eius quem omnes similiter custodiunt? Cujus suavior, quàm qui neminem sibi existimat esse inimicum? cuius animus magis tristitia vacat, quàm qui nihil habet quod se incuset? Quis fortunatior illo viro, qui nulli non bonorum notus est? *Oratione prima de regno.*

Idem paullo post: Maximum & primum regem & principem, debent imitari semper mortales, mortaliumq; negotia gubernantes, & parem rebus diligentiam adhibere: ad illius exemplum, quantum fieri potest, dirigentes & conformantes suos ipsorum mores. quapropter & Homerus à Jove nutritos esse ait veros reges, & consilio illius similes, & Minoa illum, qui maximam justitiæ consecutus est gloriam, congerronem Jovis dixit fuisse. & fere quotquot unquam apud Græcos aut Barbaros fuerunt reges, non sunt indigni habiti hac ipsa appellatione, quod Dei huius discipuli & æmulatores fuerint, sicut & ipsa demonstrat oratio.

Iupiter enim solus Deorum pater & rex nominatur, & Polejus, & Philius, & Etærejus, & Omoginus, & insuper Icesius, & Phyxius, & Xenius, & plurimas alias appellationes habet, bonas omnes, & bonorum causa impositas. Rex quidem juxta principatum & virtutem est nominatus: pater autem, opinor, propter diligentem curam, mansuetudinemque: Polejus verò, juxta legem & communem utilitatem: Omoginus, propter generis communionem cum diis pariter & hominibus: Philius & Etærejus, quod omnes homines in unum contrahat, velitque inter se esse amicos, inimicum autem & hostem neminem: Icesius autem, ut qui facile exaudiat, & propitius sit supplicantibus: Phyxius verò, propter malorum evasionem, Xenius autem, quod & hoc principium sit amicitiæ, & quod hospites non negligat, neque alienum existimari velit ullum hominem: Ctesius vero & Epicarpius, ut qui sit fructuum causa, divitiarumque dator, & possessionis, non paupertatis, neque egestatis. Atque omnes hasce virtutes statim inesse oportet & virtuti regis, & appellationi. Bonum igitur esset dicere de omnium administratione rerum, quale sit nempe universum, quod ipsum illud beatum & moderatum semper transigat infinita secula continenter, per infinitos circuitus, cum anima bona, genioque pariter & providentia, & principatu justissimoque & optimo, nos autem similes sui præstet, juxta communem naturam & suam & nostram sub uno jure & legibus exornatos, & unius participes reipublicæ, quam qui honorat & custodit, & nihil contrarium facit, legitimus, diisque charus & honestus dicitur, qui autem perturbat quantum in ipso est, & transgreditur, illegitimus atque inhonestus appellatur, sive sit privatus sive princeps: multo major autem & omnibus apparentior est, quæ à principe committitur improbitas. Quemadmodum igitur inter eos quicunque sunt imperatores, exercituumque & civitatem ac gentium principes, quisquis tuos maximè imitaretur mores, & tuis se affectibus (quantum fieri potest) similem præstare studeret, is certe esset tibi amicissimus & amabilissimus; at si quis contrarius & dissimilis fieret, justæ subjaceret reprehensioni & ignominiæ, & mox ablato ab eo principatu, concedere eum cogeretur aliis melioribus, meliusq; administrare valentibus: sic etiam inter reges, ut qui, sicut arbitror, à Iove habent potentiam & procurationem, quisquis ipsum respiciens, ad ejus legem moremque justè & honestè omnia ordinat & imperat, bonum sortitur fatum, & finem vitæ fortunatum. qui vero transgressus fuerit, ignominia affecerit committentem aut dantem hoc donum, nihil utilitatis capiet ex bonis tam magnæ potestatis & potentiæ, præter hoc solum, quod manifestus fiet præsentibus & futuris, quod sit pravus & libidinosus, similemque tandem fabulosi Phaetontis nanciscetur interitum, ut qui fortem & divinum præter fatum ascenderit currum, cujus sufficiens esse non poterat auriga. Dicit autem & Homerus ita fere de his.

Quis crudelis & ipse est, & crudelia patrat,
Huic omnes homines vivos mala multa precantur,
Quin etiam infamant illum post funera cuncti.
Et contra, quicunq; est inculpabilis ipse,
Inculpabilia atq; patrat, famam istius amplam
Multis terrigenas circunfert hospes ad omnes,
Atq; virum inde bonum dicunt, laudantq; frequentes.

Oratione prima de regno.

Dio prusaus: Versus quidem facere ô pater, aut orationes solutas conscribere, quales tu in Epistolis (ex quibus te valde ajunt magnum nomen assecutum) non omnino necessarium regibus est, nisi forte quum adhuc puelli sunt, & ocium illius suppetit, quemadmodum & referunt Thebis laborem impendisse circa eloquentiæ studium. Neque philosophiam attingere ad summum, ingenue autem & simpliciter ostendere ipsis factis, morum humanitatem, mãsuetudinemque & justitiam insuper & excelsum animum & fortem, & præsertim gaudentem si cui benefaciant, quod quidem proxime ad Deorum naturam accedit. Et sermones quidem philosophia sumptos audire libenter, si quando sit opportunum, ut qui nõ contrarij appareant, sed consonent suis ipsorum moribus. Oblectari autem poesi, atque animum attendere, non quidem cuilibet, sed optimæ atque magnificentissimæ, consulerem illi qui generosus sit, regiumque habeat animum, qualem duntaxat novimus esse Homeri atque Hesiodi, huiusmodi saltem in rebus, deinde si quis alius quid dicit, quod in rem sit. Neque enim Musicam, inquit, omnem discere vellem, sed cithara duntaxat aut lyra uti ad deorum hymnos cultusque, præterea etiam puto, ad bonorum virorum laudes. Neque sane Sapphùs canere, aut, Anacreontis amatoria carmina, decorum esset regibus. Attamen si quid talium, Stesicori carmina, aut Pindari, si jubeat necessitas. Forsan autem etiam ad hoc sufficit Homerus. Atqui, inquit Philippus, quænam Homeri putas ad citharam cani posse? Et Alexander terribiliter obtuens, sicut leo, Equidẽ, inquit, ô pater. multa Homeri carmina etiam ad tubam cani haud indecens esse reor, at non receptui canentem, sed exhortantem atque invitantem, non à muliebri choro dicta, aut à virginibus, sed ab armata phalange, multo magis quàm illa Tirtæi apud Lacedemonios. Hic laudavit eum Philippus, ut qui bene, proque poetæ dignitate dixisset. Proinde, inquit ille, & huius, cuius modo mentionem fecimus, Homerus specimen profert. Scripsit enim, Achillem in Achivorum castris cunctantem non fracta, neque amatoria carmina

canentem, tametsi eum dicat amare Briseida, at cithara quidem uti, non hercle empticia, aut domo allata à patre, sed ex spoliis erepta, quando cepit Thebas, occiditque Eetionem Hectoris affinem.

Hac (inquit) *oblectabat animum, recubansq; virorum*
Illustres laudes & fortia facta canebat.

Nempe quod vir generosus atque regius nunquam oblivisci debeat virtutis; aut gloriosorum facinorum, sive bibat, sive cænat: sed semper ita degere, ut vel ipse magnum quid atque admirabile faciat, aut similium recordetur. Hæc ille dicebat ad patrem, suum demonstrans animum. Et sanè diligebat Homerum: Achillem autem non solum admirabatur, sed ei invidebat etiam ob Homeri poesim: quemadmodum deformes pueri invident formosis, quibus interdum meliores obtingunt amatores. Agamemnonem vero non dicebat beatum. Sperabat enim sese multo pluribus imperaturum, aut certe quantis ille. Aliorum autem poetarum non adeo magnam habebat curam. Porrò Stesichori atque Pindari recordatus est: & illius quidem, quod Homeri imitator esse videatur, expugnationemq; Troiæ pro Troiæ scripserit dignitate: Pindari autem, & propter illius splendorem naturæ, & quod quendam illius majorum atque cognominem laudaverit, nempe Alexandrum qui appellatus est Philellen. Nam de eo scripsit: O cognominis beatorum Dardanidarum. Et propter hoc, quum posterius subverteret Thebas, solam illius reliquit domum, quum jussisset ei inscribi: Pindari Musici Domum Ne Cremetis. Certè magnam referebat gratiam iis, qui ipsum non frigidè celebrassent: ita nimis erat ambitiosus. *Oratione tertia, de Regno.*

Dio Prusæus, de Homero: Quæ vero scripsit de virtute & vitiis, cui non utilia esse manifestum est? Et de regibus, quales esse oporteat, breviter suam declaravit sententiam. Quemcunque enim regum laudat, æqualem Jovi consilio esse ait, atque Jove educatos omnes bonos reges. Et Minoa illum, qui maximam justitiæ laudem apud Græcos consecutus est Jovis confabulonem atque discipulum vocat: quòd is videlicet primus & maximus omnium sit rex, norit atq; tradat regiam artem: quodque bonos reges eum respicere, & principatum juxta illius dirigere oporteat: ut homines Deo, quantum fieri potest, moribus fiant similes. Jovis autem mores, & regnum quale fuerit, in multis quidem & aliis declarat: quantum vero brevibus comprehendi potest, illius potentiam atque consilium sæpe manifestat, semper illum appellans, Hominumque deumque parentem: quod videlicet conveniat, regum curam paternam & procuratoriam esse, cum benevolentia & utilitate: & quòd nunquam aliter homini conveniat præfecturam aut imperium gerere, quam si diligat, provideatque, quando ne Jupiter quidem dignatur hominum pater appellari. *Orat 54. fine.*

Philostratus Apollonius juxta interpretem consistens, Gaudeo, inquit, ô rex Phraote, cùm te videam philosophiæ dare operam. Ego verò respondit rex, multo magis gaudeo quod talia de me opinaris. Tum Apollonius; num vobis inquit, hæc legibus præfinita sunt, an tu ipse regnum ad hanc vivendi normam rectitudinemque constituisti? Ego, inquit rex, modestè institutis legibus, modestius etiam utor, & opes possideo plures quam ceteri homines; paucis autem indigeo, mearumque rerum plurimas, amicorum esse censeo. Beatus igitur es, inquit Ap. tali thesauro, siquidem aurum atque argentum amicis postponis, à quibus multa tibi bona proveniunt. Imò, infit quandoque etiam inimicis divitias meas impertio. Barbaros enim quondam regioni huic infestos, & crebris incursionibus fines meos vexantes, pecuniis subigo, & ipsis tanquam custodibus regnum defendo; ita ut neque ipsi fines meos invadant, & sibi finitimos barbaros nobis alioquin permolestos coerceant. Interroganti autem Ap. num etiam Porus tributa illi impendere consueverit? Porus, inquit, rex bellum amabat; ego autem pacem. *lib. 2. cap. 11.*

Philostratus: Quæcunque rex modestè benigneque facit, ea illi majorem gratiam & beneficium afferunt, quàm iis qui eius imperio ditionique subjacent. *lib. 2. Apollonij cap. 14.*

Philostratus: Interroganti regi, quonam pacto stabiliter tutoq; regnare posset; respondit Apollonius, si multos honoraveris, paucis verò credideris. *lib. 1. cap. 23.*

Philostratus: Vespasianus Apollonium salutavit, ac precabundo similis, Regem me facito, inquit. Cui Apollonius, Feci, inquit, iam Deos adorās precatus sum, ut rex justus esses, generosus, modestus, & civitatum justus gubernator, & tanquam legitimus pater.

Mox: Qualem inquit visum tibi Neronis imperium? Respondit, Nero fortasse citharam aptare noverat; imperium vero contentione, remissioneque dedecoravit. Moderatum inquit rex, & in mediocritate constitutum regem esse jubes. Non ego, inquit Apoll. sed Deus ipse, qui æquitatem mediocritate definit. *lib. 5. cap. 10.*

Philostratus: Apollonius Vespasiano dicebat: Tibicen valde sapiens discipulos suos auditum mittebat ineptissimos tibicines, ut ex eis quo pacto cavendum non esset, addiscerent. Tu itaque Imperator, quomodo imperandum non sit, ab iis qui male imperarunt, jam didicisti. *lib 5. cap. 11.*

Philostratus: Quæcunque facere bonum regem oportet me doce, dicebat Apollonio Vespasianus. Non à me docenda inquit, poscis. regnum enim maxima res est omniū quæ apud homines sunt, nec ullo pacto doceri potest. Veruntamen quæ agendo recte agere meo judicio videberis, ea referam. Divitias igitur magni æstima, nō quæ in occulto repositæ jacēt (quid enim hæ ab arenæ cumulo differūt?) nec ea quæ ex collatione tributorum à gementibus hominibus proveniunt. Atrum enim sordidumq; putandum est aurum, quod ex lacrimis oritur. Divitiis autem optimè supra reges omnes uteris, si cū egentibus eas cōmunicaveris. Divitibus autem permittes, ut facultatibus suis tutò frui possint. Ne tibi liceat quodcunq; volueris, cave. sic enim rebus modestius uteris. Eminentiores spicas quæcunq; supra ceteras se attollunt, me amputato. injusta est enim in hoc Aristotelis ratio: sed difficiles potius molestosq; homines tanquā spinas è segetibus aufer; & res novas molientib. terribilem te ostende: minitando tamen magis quam puniendo. Lex verò tibi etiam rex dominetur. eris n. in illis ferendis modestior, si tu quoq; ipsas non cōtempseris. Deos nunc magis quàm antea venerare: majora namque ab illis recepisti. pro rebus etiam magnis illos precare. Quæ ad imperium attinent, tanquam rex administra; quæ ad corpus tanquam privatus. Talos, ebrietatem, amores, ut fugias quid moneā? qui nec etiam dum ætas ad illa te ferebat, unquā talia laudasti. Libertorum servorūq; quos tibi imperium concessit, delicias aufer; eò humilius servire ipsos assuefaciens, quo majori damno sunt subjecti. *libr. 5. cap. 13.*

Iulianus: Ac mihi sanè Deus facilis tibi, ac benignus videtur, cum jam tum initio summum ad imperium, ac rerum omnium potestatem virtutem tuam comparare vellet, circumduxisse, atque imperij totius limites ac terminos monstrasse: nec non & naturam locorum, regionum amplitudinem, nationum potentiam, civitatum frequentiam, populorum indolem, &, quod caput est, illorum ipsorum opes ac præsidia. De quarum rerum ne una quidem celari eum oportet, qui ad tantam imperij amplitudinem educatur. *Paneg. 1. in Constantium Imp.*

Iulianus Cæsar. Nemo quemquam commemorare potest, cui vel merito, vel præter meritum Imperatrix illa majoris alicuius, aut minoris pœnæ, ac supplicij causa fuerit. Athenis quidem olim ferunt, cum patriis legibus uterentur, ac domesticis institutis viverent, quo tempore magna illorum erat, & amplissima civitas, si par reo cum accusatore suffragiorum numerus esset, tùm Minervæ suffragio ei, qui condemnandus esset, adjuncto, utrumque ab omni crimine liberatum, ac tam eum crimen intulerat ab calumniæ suspicione, quàm eum qui accusatus fuerat ab objecto crimine liberum, & immunem extitisse. Hanc igitur humanissimam ac jucundissimam legem, quæ in iis judiciis retinetur, de quibus Imperator cognoscit, multo illa mitiorem ac benigniorem facit. Nam ubi reus ipse non parem omnino suffragiorum numerum sortitus est, tum illa precibus suis interpositis apud eum efficit, ut omnibus illum criminibus absolvat. Is autem sponte ac volens eiusmodi gratiam indulget, neque, quod ab Homero dictum est, ab Uxore ad assensum coactum se dicit dare ac concedere illud ultrò, sed invito animo. Ac forsitan haud absurdum est ea difficulter atque ægrè contumeliosis atque arrogantibus viris concedere. Neque verò si qui supliciis ac pœnis maximè digni videantur, eos omnino perdere, ac profligare convenit. Quod cum hæc Imperatrix animadverteret, nihil unquam mali cupiam, aut pœnæ, aut supplicij inferre voluit, non dicam regno alicui, aut civitati, sed ne familiæ quidem civitati. Dicam & illud audacius (neque enim falso id me dicturum confido) ne de uno quidem viro, aut muliere accusare ullus potest, cui vel minimam calamitatem attulerit. Contra verò quænam commoda, ac quibus conciliet, & conciliaverit hactenus, libenter ego pleraque singillatim enumerando percenseam; veluti quod hic illius beneficio paternam hæreditatem obtineat: ille lege sibi debitas pœnas effugerit: alius maximum in salutis discrimen adductus ab omni calumnia liberatus sit: innumeri denique honores ac Magistratus adepti sunt. *Orat. 2. ad Eusebium Imperat.*

Iulianus Imp. Omnes compertum habent neminem unquam Imperatorem præter Alexandrum illum Philippi filium extitisse, qui tot, tantaque in amicos distribueret. Etenim aliis ipsæ amicorum divitiæ hostium robore dubiæ magis ac formidolosæ fuerunt, alij subditorum sibi nobilitatem suspectam habentes clarissima familia ortos omnibus cōtumeliis afficientes, aut familias ipsas prorsus è medio tollentes, cùm publicè civitatibus ipsis maximarum cladium, tùm sibi nefandorum scelerum causam attulerunt. Ac ne quidem eorum aliqui se continuerunt, quo minus corporis bonis sanitati nimirum, aut pulchritudini, aut firmitati corporis inviderent. Nam virtutem animi in quocunque sibi subitorum sitam ne audire quidem sustinerunt.

Verum crimen erat istud ipsum, virtutis studium præ se ferre, perinde atque unum ex cæteris, parricidij dico, furti, ac perduellionis. Sed hæc non Regis aut Imperatoris, sed pessimi ac sordidi Tyranni esse facta non temere forsan aliquis dixerit: illam verò animi affectionem, qua non vecordes duntaxat illos, sed nonnullos etiam bonos ac clementes Principes fuisse constat, ut & in amicos commoverentur, & eorum potentiam imminuere cuperent, & quæ digna eorum meritis erant detraherent, quis hoc, inquam, de te affirmare ausus fuerit? Hoc enim Horum illum ferunt Regis generum ab socero esse passum, cùm is apud populum in honore, ac pretio illum esse iniquo animo pateretur. Et Agesilaus non obscurè id molestè tulit, quòd Lysandro summus ab Asiaticis honor haberetur.

Manifestum igitur est à te omnes illos virtute esse superatos: quando & divitibus opes ipsas, ac divitias multo stabiliore loco constituisti, quàm parentes liberis; & subditorum tibi nobilitatis curam habuisti; perinde atque totius civitatis conditor & legislator, & fortunæ bonis multa aut adjecisti, aut princeps ipse contulisti: adeo

ut do-

ut donorum magnitudine Regum munera vinceres, & eorum quæ concessa semel erant firmitate data à populis beneficia obscurares. Quod quidem meritò accidere mihi videtur. Illi enim propter eorum bonorum, quæ sibi deesse sentirent, conscientiam, illis penes quos ea essent invidebant. Quicumque vero fortunæ commodis egregiè est instructus, ut nullus eo possit pertingere, animi verò ornamenta fortunæ bonis multo illustriora possidet, nihil esse potest ejusmodi, quo indigens ipse alteri possit invidere.

Quod cùm tibi præ ceteris inesse sentias, gaudes nimirum aliorum bonis, & quæcumque à tuis rectè ac cum gloria geruntur, voluptatem tibi maximam adferunt, ob eaque honores illis, ac præmia partim largitus es, partim postea largieris, partim de quibusdam horum in præsentia deliberas. Neque istud tibi satis esse arbitraris, si unius civitatis, aut provinciæ unius, aut multarum simul amicis Imperia atque eorum amplitudinem, & dignitatem impertias: sed nisi præterea in Imperij communionem adsciscas, cuius gratia tantis susceptis laboribus Tyrannorum genus extinxisti, nihil à te rebus tuis gestis dignum esse factum existimasti. *Panegyrico 1. ad Constantium.*

Iulianus: Homerus cùm Achillis atque Agamemnonis contentiones commemorat, perinde ut in dramate aliquo mihi docere videtur, propositis hominibus quasi imaginibus utens; nihil bonos principes facere per contumeliam oportere, nec ubique summa uti potestate, nec habenas iræ permittere debere, quasi contumaci cuidam equo, qui sine fræno, atque auriga præcipiti cum impetu feratur. Cæterum ducibus quoque ipsis præcipere videtur, ne adversus superbiam Regis, & arrogantiam nimium excandescant, sed illius increpationes modestè ac temperatè sustineant, ut ne tota deinceps illorum vita pœnitentia plena sit. *Panegyrici 3. initio.*

Iulianus Cæsar: Est autem is primum omnium pius, neque Deorum cultus atque obsequij contemptor. Deinde is, qui parentum suorum tàm vivorum quam mortuorum observatorem se ac studiosum præbeat: quique in fratres benevolus sit, & consanguinitatis præsides Deos revereatur: atque in servos, & peregrinos humanus sit, ac benignus. Qui quidem ita bonis civibus placere studeat, ut vulgi curam cum justitia, atque eorum utilitate suscipiat: idem porrò divitias amat, non quæ auro argentoque graves sunt, sed sincera amicorum benevolentia, atque adulationis omnis experte officio refertas. Qui natura fortis ac magnanimus bello minimè delectetur, & civiles dissensiones oderit: sed si quæ vel casu aliquo contigerint, vel propter hominum improbitatem emerserint, viriliter sustineat, ac forti animo propulset: qui ad exitum cœpta sua perducat; neque prius abscedat, quam hostium vires omnes everterit, atque in suam potestatem redegerit: posteaquàm verò victoriam sibi armis pepererit, gladium suum à cæde cohibeat; quod scelus esse credat eum è medio tollere atq; interficere, qui non amplius resistat.

Idem porrò laboris patiens & magnanimus omnibus quidem socium se laboris adjungit, ac sibi eorum maximam partem imponit; & cum iis periculorum præmia communicat, gaudens & exultans non quòd plus cæteris auri argentiq; possideat, quod villas habeat magnificè ornatas, & instructas; sed quòd plerosque complecti beneficentia possit, & ea quæ cuique opus sunt omnibus indulgeat. Hæc verus in se Princeps exprimere atque usurpare studet. Cæterum cùm & urbis, ac civium, & militum amans sit, illorum veluti gregis sui pastor curam suscipit, diligenter hoc providens, ut pecora ipsa copiosa tutaque pastione satura gliscant ac vegeta sint. Hos verò inspicit, & ad fortitudinem, ac robur, & clementiam exercet fovet ac continet; quos tanquam bonos aliquos catulos, & gregis custodes egregios, nec non & rerum gerendarum socios, ac populi adjutores esse putat, non raptores, aut exitium gregis ac perniciem; ut lupi, canumque pessimi naturæ suæ atque educationis obliti, pro defensoribus ac propugnatoribus exitiosos se iis, ac pestiferos præbent. Neque verò somniculosos illos esse, aut oscitantes, atque inertes patitur, ne præsidiarij ipsi custodibus aliis indigeant: sed neq; erga Duces suos contumaces. Hoc enim intelligit: illud unum præ cæteris, ac nonnunquam etiam solùm longè saluberrimum institutum ad bellum administrandum sufficere.

Quin etiam milites suos ad tolerandos labores firmabit, & duratos ac minimè molles efficiet: quòd præclarè noverit nullo usui esse custodem illum, qui laborem detrectet, nec ei sustinendo par esse possit. Hæc autem non hortandis tantum militibus, aut collaudandis bonis, aut præmiis pœnisve severè ac constanter irrogandis, suadet ac cogit: sed multò magis dum seipsum eiusmodi præbet, ut & voluptate omni abstineat, & pecunias neque parum, neque admodum expetat; aut sibi subditis auferat: somnò verò haud multum indulgeat, ac desidiam aversetur. Etenim revera nullam ad rem utilis esse potest homo dormiens; aut vigilans dormienti similis. Habebit ille verò suos vel sibi, vel Magistratibus suis obsequentes: si quà optimis legibus uti ipsum, ac rectis se decretis accommodare perceperint: & principatum ei omnino animi parti tribuere; quæ ad regendum atque imperandum apta est, non ei quæ iracundia ac libidine fervet.

Jam verò ad eorum laborum patientiam ac tolerantiam; qui in expeditione atque armis perferendi sunt, aut earum omnium exercitationum; quibus ad externa bella comparantur, quis efficacius incitare potest eo duce, qui seipsum in iis subeundis constantem atque adamante firmiorem exhibet? Est illud sanè laboranti militi jucundissimum spectaculum; frugalis Imperator, ac temperans, qui laboris particeps est, & operi una instat, atque intendit: quique in periculis hilaris est & intrepidus, & ubi secura penitus omnia videntur, gravis est ac constans. Nam metum atque audaciam, perinde ut Imperator præ se fert, qui ei subditi sunt suscipere solent.

Neque verò minori quàm quæ hactenus dicta sunt, provisione curandum illud est, ut commeatus illi abundè suppetant, nec ulla re quæ ad victum necessaria sit indigeant. Sæpe enim etiam fidelissimi gregis custodes inopia coacti in pastores ipsos sæviunt; & eos cùm eminus vident allatrant, ac ne pecoribus quidem ipsis abstinent.

Qui igitur ejusmodi est, ut & in castris fortem se ac generosum, & Reipublicæ servatorem ac curatorem præbeat, is non modò externis periculis propulsandis, nec finitimis tantùm repellendis, bellove lacessendis Barbaris, verùm etiam seditionibus, ac depravatis moribus, & luxu ac libidinibus extinguendis, ingentibus malis remedium adferet. Contumelias porrò, atque injurias & scelerata, nec non habendi immodicam cupiditatem arcendo, quæ ex iis turbæ ac contentiones pullulant, malosque habent & infelices exitus, eas vel ipso initio nasci prohibebit; vel si jam exortæ fuerint è medio toller, atque è Republica sua quàm celerrimè potest exterminabit. Nec magis eum latebit, si quis civium leges, quàm si hostium aliquis vallum transgressus sit ac perruperit. Ac cùm legum ille bonus custos, tùm earum melior artifex erit, ac conditor, si quando tempus ac fortuna postulaverit; nec ulla ratione adduci ejusmodi poterit, ut falsam, & adulterinam, ac spuriam legem positis jam ac receptis inserat, nihilo magis, quàm ut inter liberos suos servile genus, atque ignobile referat.

Quare nihil ei juris atque æquitatis cura est antiquius, nec ei aut propinqui, aut amici persuadere possunt, ut eis gratificari velit, aut jura prodere. Etenim hoc informatione quadam animi præsumit: Communem quandam omnium domum esse patriam ac parētem; quæ & amicis ac genitoribus antiquior, atque sanctior sit, & fratribus, atque hospitibus, & amicis charior. Cui legem eripere, ac violare, atrocius esse crimen existimat, quàm in sacris pecuniis sacrilegum videri. Est enim lex fœtus quidam justitiæ, summique illius Dei sacrum quoddam, ac verè divinum donarium: quam nemo sui compos parvi faciet ac contemnet, sed omnia secundum æquitatem moderans bonos quidem præmiis libenter afficiet, improbos verò tanquam peritus aliquis medicus pro viribus sanare contendet.

Sed cùm duo sint delictorum genera, & qui peccant alii meliorem de se spem præbeant, neque à remedio penitus abhorreant, alii verò sine ulla sanandi spe in scelus erumpant, contrà hos leges malorum exitum mortem non ad illorum magis quàm ad aliorum utilitatem esse voluerunt. Verum duplex omnino Judiciorum genus institui necesse est. Eorum itaque quæ sanari possunt cognitionem ad se pertinere, ac medicinam arbitrabitur: reliqua quo ad poterit constanter defugiet; nec illud unquam sponte judicium attinget, in quo maleficii convictis reis pœna est mortis legibus constituta.

Quod si ejusmodi de rebus leges sanciat, contumeliam pœnis & atrocitatem, acerbitatemque detrahet; quæstioni verò moderatorum hominum, quorum per omne vitæ tempus non mediocriter probata ac spectata virtus extiterit, justissimos quosque præficiet; qui nihil præfracte, nihil præcipiti animi impetu, neque exigua aliqua unius diei parte statuentes; ac fortè ne deliberantes quidem, de civis capite tristiorem sententiam ferent. Principem verò ipsum neque in manibus gladium gerere ad cuiusquam civium necem oportet: etiamsi extrema quæque perpetraverit, neque aculeum ullum in animis hærere. Siquidem in genere apum Regi videmus aculeum à natura esse denegatum. Quanquam nihil est quod apes ipsas intueamur, sed ipsum met potius Deorum moderatorem ac Regem, cuius interpretem, ac ministrum verum esse Principem convenit.

Atqui quæcunque bona sunt, sine ulla contrariæ sortis admixtione procreata, & ad communem humani generis atque universi totius utilitatem pertinent, horum ille & est, & fuit hactenus conditor. Mala verò neque produxit ipse, neque ut essent constituit: sed procul è cælo fugavit, eaque circa terram, & animorum missam illinc coloniam oberrantia discernere, ac repurgare filiis suis jussit. Quorum quidem alij servatores humani generis & adjutores sunt; alij scelerum inexorabiles vindices: à quibus velox & acerbum supplicium vivis æquè hominibus, ac corpore solutis decernitur: alij præterea sunt tanquam ultores carnifices: qui ea quæ judicata fuerint, exequuntur: idque aliud est malorum, & vecordium Dæmonum genus.

Quamobrem hæc egregio & divini numinis amanti Principi imitanda sunt: ut plerisque virtutem suam amicitiæ interventu communicet; & Magistratus unicuique naturæ eius, atque ingenio consentaneos committat. Veluti si quis virili animo, & audaci, ac magnanimo fuerit, prudentiaque temperato, militaribus eum præficiet, ut opportunè vigore illo animi, ac robore possit uti. Qui verò justus, & clementia, atque humanitate præditus est, quique facilè ad misericordiam flectitur, ei civiles magistratus permittit, qui contractibus commerciisque præsunt: quo imbecillioribus, ac simplicioribus; & pauperibus contra potentes & deceptores ac callidos præsidium compareret, eosque qui ad violanda; corrumpendaque ju-

ra opibus suis, ac divitiis nituntur. At qui utraque virtute temperatus est, major huic in Republ. dignitatis gradus ac potestatis tribuendus est: nec non & capitalium causarum mandanda sunt judicia, quas pœna legitimumque supplicium sequitur, quod ad eorum qui injuriam passi sunt emolumentum refertur. Hoc si fecerit, rectè omninò prudenterque constituet.

Nam qui ejusmodi est, postquam cùm consilio suo sincerè, atq; incorruptè judicaverit, quæ decreta fuerint carnifici exequenda permittit: neque vel ob animi commotionem, vel propter mollitiem ab eo, quod natura rectum ac justum est, recedet.

Ac mihi sanè talis esse videtur is, qui omnium in Repub. præstantissimus est, qui nimirum utrorumque illorum bona in se habeat expressa: quæ verò in singulis eorumdem, quos paulò antè diximus, vitia ac pestes ex redundantia sunt, declinet ac fugiat, atque ipse porrò per semet inspiciat, ac moderet omnia, & Magistratuum veluti se quendam Magistratum gerat. Etenim qui maximarum rerum administrationi, ac provinciæ præsunt, quique una secum de summa re deliberant, hos & bonos esse, & sibi quàm maximè similes optabit; neque eorum simpliciter ac temerè delectum habebit: aut gemmariis, atque auri, purpuræque probatoribus deteriorem se esse judicem volet: quibus non una ad examinandum via sufficit, sed cùm callidiorum, ac fraudulētorum hominum variam, ac multiplicem improbitatem, atque artificia esse non ignorent, omnibus quoad fieri potest resistunt, atque iis depromptis ex arte sua probandi rationibus occurrunt. Idem igitur de improbitate si sibi persuadeat, variam illam esse nimirum & callidam, idque ipsum eorum quæ ab illa perpetrātur, molestissimum esse, quod sub ingentis virtutis specie imponat ac decipiat eos, qui aut perspicacius videre nequeant, aut præ temporis diuturnitate in inquirendo deficiant, preclarè sibi cavebit, ne in idem incommodum incidat.

Cæterùm ubi semel elegerit, & circa se optimos quosque adhibuerit, iis inferiorem Magistratuum delectum committet. Itaque de legibus ac Magistratibus hunc in modum constituet. Quod verò ad vulgus ipsum pertinet, eos qui in urbibus degunt, ignavos ac contumaces, neque porrò necessariarum rerum inopes esse sinet.

Ac rusticorum, & aratorum multitudo terram subigens & conferens custodibus suis, ac defensoribus alimenta mercedis nomine, quæque ad vestitum necessaria sunt suppeditabit. Omnes vero, Assyriis illis ædificiis & magnificis, ac sumptuosis impendiis rejectis, summa cùm ab externis tùm à domesticis hostibus pace, ac tranquillitate degent: & eum qui præsentium sibi bonorum author ac conciliator est, tanquam aliquem bonum genium amabunt, & divinum numen laudibus illius gratia prosequentur, ac pro eodem vota concipientes non simulatè aut lingua tenus, sed ex intimo corde, atque ex animo ei bona postulabunt: quæ quidem vota Dij ipsi præveniunt; & cùm divinis eum bonis cumulant, tùm humana non detrahunt. Quod si in fatale quoddam mali genus, quodque remedii omnis expers sit, inciderit, eum ad sese pertractum, choreæ veluti cujusdam socium sibi, ac contubernalem adsciscunt, eiq; immortalem gloriam in omne hominum genus conciliant. *Orat. 2. ad Constantium Imp.*

Iulianus: Cùm plura sibi quàm quæ obtinebat vindicare posset, fratribus sponte cessit, hoc sibi persuadens, eadem virtute ad multas, & paucas Provincias administrandas opus esse; nisi quod major illi est sollicitudo, cui plurimum hominum cura suscipienda est. Non enim ad luxus comparandum esse imperium existimat, nec quemadmodum in pecuniis, qui ad compotationes & voluptates iis abutuntur, ampliorum sibi quærendarum opum rationes excogitant; ita comparari Principem oportere, neque ullum bellum suscipere, nisi quod ad subditorum sibi utilitatem pertineat. Quare & illi superiores partes deferens, & ipse cùm virtute inferiores obtinens, ea re se judicabat, quæ præstantissima est, antecellere. *ibidem.*

Iulianus: An etiam de fortitudine gravitateque morum audire amplius aliquid vultis? Vtq; non solum ab hoste superari nequeat; sed neque ab turpi unquam cupiditate sit victus, aut egregiæ alicujus ædis, aut villæ magnificæ, aut baccatorum Smaragdis monilium amore flagrans, ea vi aut precariò iis quorum erant abstulerit? Sed nec liberæ cujusquam, aut servæ illicitam atque iniquam consuetudinem adamarit? Addo etiam non illorum bonorum, quæ annuæ tempestates ferunt, nimiam expetere saturitatem. Non illum æstivo tempore glaciei cupido sollicitat. Neque habitationem suam pro temporum varietate commutat. Verum ijs maximè quæ laborant Imperij partibus, adest semper, frigoris æque ac caloris immodici patiens. *fine Panegyrici 3. in Const. Imp.*

Libanius: Paris imperat Helenam defendamus: Principibus verò subministrare æquum est. Itane? an etiam si leges violēt, ô Trojani? etiamsi jugelent subditos, & liberos & uxores mancipent? etiam ne si urbem incendio vastent. Deinde regem nuncupabit quispiam sapiens eum, qui non deservit eis quibus imperat? num fugit vos magistratus nomen præstantioris esse? Is vero demum rex est, nisi appellationem inficiatur actis ipsis, felicitatis rector, justitiæ norma, optimorum exemplum. *Orat. Vlyssis ad Trojanos.*

Libanius: Probè etiam novi, si Priamus sicut Alexander lascivisset (lascivia autem ad urbis exitium est usus) minimè futurum ut senis petulantiam ferretis, cujus pœnas ipsa daretis: sed apud ipsum modesta & justa quædam haberetis dicere, & quæ conducerent ipsi persuadere: O rex, nos quidem ipsos tibi tradidimus, & summæ rerum præfecimus, non ut damno à te afficeremur, sed, si quisquam alius id tentaret, à te prohiberetur: neque certè, ut pro libidine abutereris regia dignitate: verum ut felicitatem augeres providentia: tu vero minus honeste videris uti concessis, multoq; minus spem nostram confirmare: quin potius ea quæ nemo sperasset aggredi, & duas res pessimas præstare: nam & deterrimum te declaras: & iis ipsis quibus jus violas, non profligas. Hæc & vos dicturos existimo, & Priamum pudore affectum iri, ac posteriori loco voluptatem suam habiturum, quam ceterorum salutem. Nolite igitur, quæ regem facere audentem vetaretis, hæc iis, qui authoritatis tantum non habent, permittere: neque usque adeo res confundatis, ut illum regem reputetis, qui principatum non tenet: nec majorem isti potentiam tribuatis, quàm iis qui imperium obtinēt. *Oratione Vlyssis ad Trojanos.*

Libanius: Iúsne violavi, Agamemnoni imperium conservando? Nam qui subditos conservat, regi dignitatem confirmat. *Oratione Achillis contra Vlyssem.*

Libanius: At enim nihil dico! ô domine Philippe, ubique sanè ades, & undiquaque vides, omniaque auscultas, quæ apud Athenienses potissimum. *Declamat. 16.*

Libanius: Quis non dominum amœnum & placidum censet eum, qui multorum caussa periclitatur? *Declamatione 32.*

Libanius: Cùm fugiendum somnium dicit Homerus, non addidit prorsus fugiendum; sed tempus dividit in somnum & curam. *Dedecus enim,* inquit, *est totam consultum sternere noctem; cui magnum commissum sit imperium.* rectè hoc quidem ille & appositè. Vide enim quam multis rex circumfluat. respicienda huic militum turba. danda opera, ut adversariorum virtutem & armorū superent usum; non ignorans multitudinem imperitam nulli esse usui. tum armorum & victus suscipienda cura: illa ut parentur optimè, hujus ut copia suppeditet. hos jubebit vallum extruere, illos fossam circūducere, alios palos defigere. Eidem considerandus navium numerus, deque his quæ sint integræ, quæ reficiendæ laborantes, cogitet de sagittariis, de equis, de legionibus; quæque bene se habuerint, ea conservet; quæ malè corrigat, ut meliora reddantur; detque operam ut adversarij cum seditionibus conflictentur.

Innumerabilia sunt quæ in rebus gerendis à rege possint requiri. Opus illi est, cùm ad consilia, tùm ad actiones, est & diuturni temporis spatio, licet breve sit, & noctis plurimum earundem rerum provisioni tribuendum. in hoc enim consistit salus imperij, si vox deliberationes admiserit, ipse verò die otio decreta peragat. Hæc Homerus dicit ei, qui multitudini præit. At privatos dimittit in somno. cur enim illa privetur horum aliquis voluptate, in possessione mancipiorum duorum, aut minarum quatuor, aut si malis, plurium sane talentorum? nam de his si ad nocturnum somnum non parum diurni etiam addiderit, tamen consulere poterit.

Privatis igitur longam concedit quietem, quod necesse non habeant sollicitari de multis: regibus verò magnitudo imperij quod tenent, somnum adimit. Quin etiam hoc turpe fuerit, hæc posse rectius perferre gubernatorem navis, quam eos quibus tantæ res cōmissæ sint. habent enim hanc legem naucleri, somnum vincere. vident hi alios per transtra fusos dormire, neque ideo suum munus deserunt, & ad illos deferuntur. non enim ignorant, nautam suo in loco quem accepit, etiam somno relinquere locum debere; sed gubernatorem navis imperium cogit respicere ad sidera. Videamus jam, qualem post hęc Agamemnon sese præbuerit. somnum discussit, & proceres illos convocavit, exploraturus hostium consilia tantamque rem emissis illis in nocte perfecit, ut Trojanis tristitiam, Græcis quamvis re inféliciter gesta, confidentiam conciliaret.

Verum enim verò, ne Trojanæ quidem copiæ in prosperitate ad secordiam delapsi fuêre: sed & ipse Hector præmia præposuit iis qui ad navale Græcorum accedere ausi fuissent. atque fortunam quidem deteriorem habuit Dolon, non tamen ut pravum hac re consilium Hectoris redarguitur. Omnino autem natura ipsa nobis successum consiliorum adjuvat, cùm non huc illuc distrahatur cogitatio atque mens in turba negotiorum, sed in tranquillitate facile inveniat ea quibus usus eget. ex eo Græcum apud poetas nomen habet Nox, quod ab intelligentia derivatur; natumque proverbium est, *In noctem consilij tempus conferendum esse.* hæc reges omnia considerare par est, minimeque servire somno, & cogitationibus esse intentos. *In progymnasm.*

Themistius: Lycurgum Spartianum Delphis ædem Apollinis ingredientem, ita compellasse Pythia dicitur.

Tu mea nunc in opima gradum fers templa Lycurge,
Chara Iovi soboles, calíq; tenentibus axem.
Téne Deum dubito, an mortalem dicere fas sit.
Sed divum mage dicendum te credo Lycurge.

Cur deum illum potius ô Apollo? an quod celeberrimas victorias Princeps ille reportârit? an quod occisorum ab se hostium cadavera cumulârit? An quod hastarum ac spiculatorum auro splendentium satellitio cingeretur? aut quoniam ante eum aureorum currruum Nisæis equis trahentibus pompa præcederet. sive quod tot quibus idem, & Tiara, ac purpurea veste fulgeret.

Verum

Verum ut Hellespontium hospitem merito ornatus iste atque ambitiosa ostentatio in stuporem adduxerit, adeo ut Xerxem Dari filium Deum arbitraretur, ego tamen (diceret Apollo) parvi ista facienda esse scio, ut quæ à plerisque nequissimis & stolidis Principibus habeantur, quos non modo Deos, sed ne homines quidem appellare deceat: velut est ille ipse Xerxes, usque eo vecors, atque amens, ut mare verberaret, & Hellesponto compedes injiceret: cui pro nihilo, leveque admodum esset, homini caput percidere. Propterea de illo si me aliquis interrogaret, minime dubitarem, Deus ne, an homo esset, sed utrum homo, an bellua potius existimandus.

Neque enim multis postea sæculis de Nerone Romanorum Imperatore dubitavi, tum cum ad hocce templum venit, num ad me Deus aliquis venisset: sciebam enim sub hominis figura latere belluam. Quamquam ille quidem eo habitu venit, ut & Citharam manibus teneret, & Citharædorum stolam gestaret, quam mihi gratiam esse Poetarum, ac Pictorum opinio est. Sed quoniam ineptus illius erat animus, & absurdus & imperiũ omne non externis tantum, sed domesticis etiam cædibus repleverat, ne dum illo introeunte gavisus sum, verum abhorrui omnino & abominatus sum, vittaque comam ejus implicans, exeunti coronam detraxi. Sed neque Crœsum Lydiæ regem magni admodum existimavi, quanquam ille ædes meas, laterculis aureis partim integris partim dimidiatis impleverat: verum luxus erat non virtutis illa Mollipedis compellatio.

Quæ cum ita sint, quid in Lycurgo tandem animadverti cujus gratia Deum illum potius quam hominem appellãdum censuerim? facilitatem nimirum, justitiam, atque pietatem, harumque principem omnium humanitatem. Cujus unius beneficio Reges ad Dei similitudinem accedunt. Nam cum ille Spartam accepisset sine ullis legibus perturbatissimam & bellorum tumultibus refertam, subinde eam pace, atque optimis legibus undequaque replevit. Adeoque miti & placato ingenio fuit, ut eum qui sibi in concione oculum effoderat, cum lapidibus obruere vellent Lacedæmonij servaverit, atque à supplicio vindicarit. Quem cum secum in domum suam adduxisset, ita informavit ac cicurem reddidit, ut pro nefario cive bonum illum virum efficeret. Præclare enim istud Rex ille noverat, non referenda injuria bonum principem, sed bene merendo iis à quibus lacessitus foret, superiorẽ videri oportere. Virtutis quippe hæc victoria est, vindicta vero potestatis. *Orationis quinta initio de Theodosij humanitate.*

Themistius; Tu subditis fructuosam pacem & efficacem constitue, uti per universum imperium propagetur. Audi enim quid à divino Platone dicatur: neque Cyrum, neque Darium reges exstitisse; multoque magis negaret fuisse Alexandrum. Videntur enim sic omnes imperio suo atque corpori providisse, ut specie tenus atque exterius incolume appareret: ut autem intus sanum esset & vegetum, nullam curam habuisse. quare hoc etiam ijs contigit, belli ut duces, non ut reges evaderent. est autem ducis laus in debellatione hostium: Regis verò in subditorum sibi felicitate posita. *Orationis decima extremo.*

Themistius: Oportet, ut arbitror, eum qui pastor esse aliquando debeat, scire quemadmodum lupi ab ovibus arceantur: sed illud imprimis, quemadmodum canes erudiantur, uti erga greges mites se, ac placidos præbeant. Hac porrò institutione à Calliope Reges imbuti Hesiodus Poeta testatur: eaque principibus ipsis utilior est, quam subditis. Interim versus ipsos audi, quos paulo post intellecturus es. Sic enim ait, cùm de Calliope loquitur, illam Musis omnibus antecellere.

Nam comitem sese, venerandis Regibus infert.
Quem Musa coluere Iovis magni inclyta proles.
Et Reges videre ortum Iovis inter alumnos,
Huic linguam dulci perfundunt rore, simulq;
Suavia distillant huic verba ex ore. Proinde
Hunc Populi ritè moderantem jura tuentur.

Papæ! quantam bonorum copiam Regibus Poeta conciliat, nisi Musas contempserint! Primum enim venerandos illos nominat, ideo nimirum quod pudore magis, ac veneratione, quam metu sibi subditos continebunt. Est autem id quod venerandum est apud eos, qui venerantur in honore, & pretio. Quod autem metuendum, metuentibus invisum, & ingratum.

Deinde etiam quoniam Diis caros esse ab ortu suo Principes necesse est, Quod quidem tibi potissimum, puerorum felicissime, convenire cernimus, siquidem pro faustis omnibus auspiciis, pro oraculis, pro divinatione omni, ipso ortu tuo divinum numen scelesti, atque execrabilis viri profligationem, & interitum prædixit. Ac Musas quidem partum tuum, ac nativitatem aspexisse perspicuum est: Alioqui quomodo Pater tuus pene corruptam, ac dissolutam Imperij harmoniam restituere potuisset? aut quanam ratione inconcinnos, ac dissentaneos sonos partim remittens, partim contendens, ad pulcherrimam temperationem, concentumque revocasset? Manifestum enim est cum te nascentem inspexerint, una & parentem tuum vidisse. Fieri enim non potest, ut si ametur fructus, radix ipsa negligatur.

Præterea Reges ipsos, quos Musæ respexerint, alumnos Jovis appellat, & ex illorum lingua suavissimum rorem distillaturum confirmat, utiles, ac fructuosas orationes roris nomine significans. Sed & Themidis quoque ac Justitiæ consortium iisdem promittit, quos ad sese subditorum sibi oculos atque animos conversuros asserit. Haud dubie Regem subditorum sibi delitias faciens, amatores vero subditos, unaque gratissimum in eorum aspectu spectaculum, ineius voce acroama cõstituens. Ejusmodi in te sunt (charissime puer) paterna omnia bona à Calliope collecta.

Etenim nonne vides, & adhærentem illi Themidem, & Justitiam assidentem, & cum eo legem assidue versantem? Forsan & hoc vel in ea ætate sentis, quemadmodum licet mortalibus omnibus imperet; ac terra, marique dominetur. Nihilominus alienum non existimet, majestate sua, senem, unum præceptorem, moderatoremque suum vocare: non quòd multis firmitate corporis antecellat, non quod instruendæ aciei peritia valeat, sed quod ad Musas ipsum deducat, eorumque sacrorum curationem, ac dispensationem habeat. Ob id penitus illi addictus, ac devinctus est. Quo enim sub imperatore tantum, quantum sub Patre tuo Musæ ornamenti, ac claritatis adeptæ sunt? Quis adeo juvenum animos ad studia literarum erexit? quis tanta præmia proposuit? quis eloquentiæ laude celebres cum illustribus virtute bellica ducibus parem ad dignitatis gradum evexit? De quonam audacter Philosophia honorificentius testimonium dixit? Noli igitur fas esse tibi putare ab eo Parentis studio desciscere. Hoc enim concessum tibi est, ut etiamsi cæteris in rebus à Patre vincaris, hac tamen parte si velis superior sis. Quod enim ille non facillimè consecutus est, hoc tibi plenissima cum facultate suppetit, præceptorum scilicet atque institutorum copia. *Oratione undecima.*

Themistius: Quis neget Platonem veri ac germani Regis laudatorem, ac prædicatorem esse non putat; cum ita disertè loquitur, ac scribit: Tunc optimam hominum vitam, ac felicissimam fore, cum juvenis Rex fuerit, temperans, sagacis memoriæ fortis, magnificus, atque docilis. Quare si vel unum ex omnibus illis verbis abest ab Imperatore nostro: si aut de eius Temperantia dubitari potest, cum quo si cõferatur, nullam omnino gravitatem morum habebit Hippolytus: aut memoriam jure quisquam reprehendat, cujus phantasiæ rerum imagines, quam sculpturæ annulis tenacius adhęrescunt: Aut certe fortitudinem: qui, cum pacem agere cum Tyrannis liceret etsi multis improbantibus, tamen privatis commodis Romanorum libertatem anteposuit.

De magnificentia enim illius in sumptibus quid est, quod dicere quispiam possit? Eandem vero aliis in rebus animi propriam si quis desideret, is apud se è duobus hominibus alterius salutem, pœnam alterius, ac vindictam cogitet: quorum alterum, qui privatim in sese commiserat, propter eius publicis in rebus virtutem, servavit, atque eripuit; Alterum vero nuper adulatio, atque blanditiæ nequaquam ab atroci exitio liberarunt, quod simulationem benevolentię in occasionem, quæstus, atque compendij vertisset.

Igitur si aliquid eorum nobis verborum deest, quemlibet potius prædicari à nobis fatebimur, quàm qui ab Aristonis filio laude dignus judicatur. Sin ille quidem Regias notas in commune oratione sua descripsit, quod vero exemplari careret: nobis verò formam quandam intueri à Deo concessum est, in qua notæ illæ perspicitæ, atque expressæ residerent, non magis, ut videtur, Divino Platone adulatores erimus, sed feliciores duntaxat quo iam quæcunque ille sibi per somnium finxit, ea nos reipsa, vereque sumus contemplati. *sub finem Orationis 13. ad Constantium Imp.*

Themistius: Sic fermè statuendum videtur: Tot esse Rerumpublicarũ, quot humanorum animorum species. Neque enim è quercu, aut è silice conflatæ Respublicæ, sed ex eo derivatæ sunt, quod singularum in hominum animis semina quædam insita sunt, atque vestigia. Multiplex quippe, ac virium quiddam animus est non minus quam Civitas: in quo & regium aliquid inest & iracundum, ac pugnax inest etiam populi vulgus, aliud ad rem attentum, aliud ignavum, ac voluptarium. Jam cæterorum quidem hominum, aut populari Imperio regitur animus, aut paucorum dominatui subjicitur, aut tyrannidem perpetitur. Nam voluptas ubi sceptra semel occupaverit, cætera omnia libertatis genera funditus tollit: sive lucri, atque opum cupidum genus, quemadmodum in paucorum dominatu contingit, qui ex censu cuiusque constituitur; sive pugnax, & iracundum, ut in Creta quondam, & Lacedæmone accidisse dicitur, sive denique promiscue genera omnia, maximo cum tumultu sortitò inter se principatum obtineant. At regali Imperio solius Philosophi animus administratur, in quo mens quidem omni tempore dominatur, ira vero arma, quocunque illa præceperit, monet, Reliqua turba privatis officiis adhærescit, nec de Imperio sibi usurpando cogitat.

Hinc est maximè (Auditores optimi) quod duo illa nomina, Rex videlicet, ac Tyrannus, tantopere secum invicem pugnent, atque dissentiant: neque unquam convenire inter se, ac concurrere possint: sicut nec mens unquam, & voluptas in unum coierint: sed quocunque tandem pacto gliscere altera, ac vigere cœperit corrumpi alteram, atque interire necesse est. Quanam igitur ea sibi invicem contrariantur ac differunt? Ambo enim hominum imperia sunt nec aliud Equis, aliud Hominibus præest. Verum hoc quidem cum virtute, & ad sibi subditorum commodum, illud cum improbitate, & ad privatam utilitatem præsidet. Ideoque homines divinum illud, ac beatum existimant, hoc perhorrescunt, atque execrantur.

Sed rursum tanquam luctator quidam, item probata atque excussa sæpius oratio, eandem perpetuo ad prehendendum ansam objicit, & Philosophum maxime Regem demonstrat, quod sua maximè

omnia

omnia rationis arbitrio, atq; Imperio permittat: quem non timent, sed pro quo timent subditi. Hunc non in conviviis ex vinolentia, & satietate eligunt homines, convivalem utique Regem, non multo post secundum crapulam mœrore conficiendum, velut in Saturnalibus evenit, sed sponte nascitur, & educatur, tanquam in apum examine, per se ab ortus initio excitatus, & à se ipso edoctus Rex: quem sponte, ac lætitia gestiens examen omne circumstrepit, ac circumvolat: non ideò quod statura corporis antecellat, ac communem hominum naturam exuperet, novem ulnas, aut cubitos procerus: quales Aloidas fuisse Poëtæ fabulantur. Quos quidem prodigiosa corporis moles in absurdas quasdam, & ab omni ratione alienas cogitationes, montium videlicet exstructiones, & quasi gradus quosdam in cælum, ac scansiones impulit.

Sic etiam Æthiopes, cubito atque mensura virtute comprobata, Reges suos designabant. Natura vero Rex ille est, quem non hinnitus equi Regem fecerit, non ærea Phialæ loco ablata galea, non Lyda mulier, irata pro eo quod nuda præter voluntatem deprehensa est: sed Philosophia ipsa cumprimis, quæ subditis præstantiorem illum ostenderit. Non ergo Tiara Regum, aut insigne amiculum, aut Penula regalis efficiunt, neque aureus Acinaces, neque torques, & annuli, non lictores, aut satellites, ac speculatores, non perpetuus quidam morientium militum numerus. Hæc enim omnia & Cambyses furiosus, & Xerxes arrogans habuerat, qui neque navigare, neque incedere eodem, quo cæteri homines, more sustinebat, sed itineris faciendi rationem mutabat.

Quamobrem è Græcia fugientem illum pauperes, ac tenues viri sola prudentia, ac Justitia freti, Themistocles scilicet Neoclis, & Aristides Lysimachi filij persecuti sunt. Quem vero Philosophia stipatu suo protegit, ac fovet, huius & in mari navigantes classes, & terra pedestres milites victoriam reportant. Quin ipsi etiam asperi, & inaccessi colles, sine ulla perfossione cedunt, seseque campestribus, ac depressis locis superanti planiores, facilioresque præbeat. Fluvius vero ipse non deficit, sed inundans, atque æstuans Imperatorem tuetur, ac pro eo contra Xerxes Nepotem quodammodo præliatur: sæpius vero pro armis, ac militibus solus ipsi sermo satis est.

Et interim quidem adstant hinc clypeis innixi gravioris armaturæ milites, inde Equites frænatis equis, hinc sagittarij remissis arcubus, inde funditores laxatis fundarum habenis, Imperator vero solus sine armis, citra hastam aut gladium è suggesto singulare prælium gerit, ac ne admotis quidem manibus purpuram detrahit, & Imperij prædonem in ordinem cogit. Quam in rem cum una quædam sapiens res sit Tragœdia, tum illud loquente dignissimum pronunciat.

Multa obtinet oratio
Hostile ferrum qua quidem perfecerit.

Quanquam Pericles ille Xanthippi filius, cuius in labiis persuadendi Dea sedisse dicitur, sæpenumero ex Atheniensium Tribunali ita descendit, ut minime esset, quod volebat, assecutus. Qui autem inter tot hominum millia, qui primi injuriam intulerant, & in armis erant, quorum neque natura eadem erat, & animus, linguaque dissimiles, in sublimi loco constanter, ac sine ullo terrore stare poterit, hunc per Deum (quæso) Philosophicum arcem pronunciare dubitabimus? Atqui Orpheum inter sapientes, & admirabiles viros numeramus, si cui credibile istud de Orpheo videatur, Musicæ ab eo peritia aves, ac bestias esse delinitas; Nos autem eum qui homines leonibus ferociores permulserit, atque emollierit ita appellare verebimur, quasi digniori eum Nomine, quam par sit, ornemus.

Ac Spartani quidem incruentam quandam, & sine lachrymis comparatam victoriam prędicant, quam de Arcadibus, post cladem illam Leuctricam retulerunt; Hac autem Imperatoris victoria nescio quam aut sanctiorem, aut nobiliorem aut denique Philosopho digniorem esse quisquam dixerit, qualem nunquam de Dionysio retulit Plato, nec Hipparini filius Platonis familiaris, & Auditor, qui quidem ægre collectis ex Academia militibus patria Tyrannū exegit: eratque tum incredibile Græcis spectaculum, Dionysium videre post Syracusanorum Tyrannidem in Cranio deambulantem.

Quantum à vero Philosopho ratione superari, præclare sensit is, qui & nomine jampridem erat, & conditione miles. Soli enim ij cum eorum, qui vincuntur, emolumento vincunt. Igitur secundum victoriam vita illi Arganthonio lōgiorem concessit: cum jam olim, diuque antea, curis, ac sollicitudinibus ætate gravioribus distraheretur, securas, ei minimeque anxias voluptates, ac delitias ministrās. Usque eo verò Divinum Numen Imperatoris curam gerit, uti puras, & contaminatas vel justa nece manus conservet, supra Pherecydem etiam ipsum, & Pythagoram: aut alterum Tyrannorum, qui ob illatas contumelias morte erat afficiendus, sui ipsius interfectorem esse coegerit. *Oratione 14.*

Heliodorus: Cùm omnia sint in tua potestate, interimere tamen absque judicio magistratuum Persicorum legibus est prohibitum. Opus igitur erit, ut laborem molestiamque suscipias in confingendo crimine & accusatione contra puellam. *lib. 8. Æthiop.*

Heliodorus: Agnovimus te ut regem; agnosce te tu quoque ut patrem. Qui es pater populi, esto & domi tuæ pater. *libro decimo Æthiopic.*

Basilius Imperator: Numinis beneficio regnum accepisti: sollicitè custodia s illud, quasi depositum fidei tuæ commissum, ut incolume conserves. Cave autem ne illius malus custos, degeneris aliquid atque indigni committas: sed sicuti cæteris prælatus es, ut omnibus imperares, ita contende ut virtute quoque cæteris antecellas: virtus enim omni principatu omnique authoritate præstantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis præstas omnibus, virtute autem ab alio præcelleris, imperator es in eo quod minoris excellentiæ est: in eo verò quòd præclarius est, imperator non es, immò alterius imperio subes. Ne sis ergo veluti suppositius atque adulterinus dominus, cùm te alius præstantior reperiatur: sed verus Imperator, cùm cæteris omnibus virtute antecedas. *Cap. 10.*

Basilius Imperator: In te propitium si Deum habere vis, ipse subjectis tuis esto propitius: nam etsi aliorum Dominus constitutus es, ipse tamen etiam servus es. Dominum enim habemus universi, cum videlicet qui rerum omnium dominationem manu tenet: totius autem humani generis unus & idem author & propagator est, nempè limus terræ, etiam si alius pulvis adversus alium intumescimus. Tu igitur qui nunc sublime elatus pulvis es, memento quantumcunque modò emineas, futurum aliquando ut ad terram deprimaris: ita nunquam adversus humiliorem pulverem animo effereris. Recordare peccatorum quæ adversus Deum commisisti, ita fiet ut facilè obliviscaris peccatorum proximi adversum te. *Cap. 14.*

Basilius Imperator: In subjectos tuos ne criminosus sis & querulus: molesta enim res est. neque in communi consuetudine prōptum ad alios reprehendendos te ostendas: odiosa valde res est. neque risum immoderatè effusum ama: male morati enim hominis est. sed esto lenis & mansuetus in eos qui offenderint: clemens in castigationibus delictorum: gravis moribus, mitis sermone, facilis aditu, affabilis congressu. hæc enim omnia subjectis amabilem te reddent, & patrem potius quàm regem appellari facient. *Cap. 28.*

Iulius Firmicus: Cave ne quando de statu reip. vel de vita Romani Imperatoris, aliquid interroganti respondeas: non enim oportet, nec licet, ut de statu reip. aliquid nefaria curiositate dicam⁹, sed & sceleratus atq; omni animadversione dignus est, si quis interrogatus de fato dixerit Imperatoris, quia nec dicere poteris de eo aliquid, nec invenire. Scire enim te convenit, quod & aruspices, quotiescumque à privatis interrogati de statu Imperatoris fuerint, & quærenti respondere voluerint, exta semper quæ ad hoc fuerint destinata, ac venarum ordines, involuta confusione conturbent.

Sed nec aliquis mathematicus verum aliquid de fato Imperatoris definire potuit, solus enim Imperator, stellarum non subjacet cursibus, & solus est, in cujus fato stellæ decernendi non habeant potestatem. Cum enim sit totius orbis dominus, fatum eius, dei summi judicio gubernatur, & quia totius orbis terrenum spatium, imperatoris subjacet potestatibus, etiam ipse in eorum deorum numero constitutus est, quem ad facienda, & conservanda omnia divinitas statuit principalis.

Hæc ratio & aruspices turbat. quodcumque enim ab iis invocatum fuerit numinum, quia minoris est potestatis, majoris potestatis, quæ est in Imperatore, non poterit explicare substantiam. Cui enim omnia ingenia, omnes ordines, omnes divites, omnes nobiles, omnes honores, omnes serviunt potestates, divini numinis & immortalis sortitus licentiæ potestatem in principalibus deorum ordinibus collocatur.

Quare quicumque aliquid de Imperatore quæsiverit, nolo ut eum truci, ac sævera responsione conturbes, sed ei docili sermone persuade, quod nullus possit de vita Imperatoris aliquid invenire, ut persuasionibus tuis monitus, istum furorem temeritatis, correcto mentis errore, deponat. Sed nec deferre te volo, si quis aliquid male quæsierit, ne cum ille ob illicitas animi cupiditates, capitali fuerit sententia subjugatus, morti eius causa extitisse videris, quod alienum est à proposito sacerdotis. *lib. 2. Astronom. cap. 33.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Vespis v. 510.

Iura dicens, nullus errem. B. non vides te scilicet
His viris debere ludum quos adoras & colis
Servitutem serviens. P. ah mitte servum dicere:
Imperator maximus sum. B. haud tu quidem, imo obnoxius.

Ausonius Monosyllabis.

Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex.

Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

Nimirum pulcrè quidam doctissimus; Esset
Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
Vel reges saperent, vel regnarent sapientes.

Guntherus lib. 1. Ligurini v. 216.

—— Diverso magna favore
Pondera librantes, nunc hos, nunc protinus illos
Inspiciunt, versantq; diu moresq; genusq;,
Ingenium, famam, fortunæ simplicis usum,
Eventum finemq; simul, quæ commoda regni
Inde fluant, quæ damna sui: judéxne severus,
An facilis, pius anne ferox, largitor honestus,
Ane rapax, pacem portendat, an arma minetur;
Omnia sollicito curarum examine pensant.

Guntherus lib. 1. Ligurini v. 282.

Nobilitate viget, claroq; hinc sanguine Reges,
Inde Duces contingit avos: facundia dulcis,
Forma nitens, animusq; sagax, manus impigra, sollers
Consiliis, belloq; ferox, & pace modestus,
Mente senex, ætate puer, prudentia rerum,
Certus amor, robusta fides, constantia mentis
Nec frangenda malis, nec sustollenda secundis,
Laudis amans, Largitor opum, crudelibus atrox,
Tranquillus placidis, ferus indomitusq; superbis,
Supplicibus facilis, justis pius, asper iniquis,
Fortis ad instantes casus, prudensq; futuri
Præteritiq; memor, sociis bonus, impius hosti.
Hæc sunt ô Proceres, hæc sunt quæ regna tueri
Ac munire solent: his artibus infima crescunt,
Maxima servantur, ni fallimur, artibus istis,
Seque suosq; reget: neque enim quas hactenus ultro
Et gratis coluit, sumpta mercede relinquet.
Nam quòd summa probos mutare potentia mores
Dicitur, ex alia sumptum magis æstimo causa:
Si quis fortè sibi perversæ conscius artis,
Ingeniiq; mali, tacitus captator honoris
Tempore dissimulat: cùm quod cupiebat adeptus,
In vitium, moresq; redit, mutasse videntur
Immeritiq; hominem violasse putantur honores,
Quos magis ille malo corrumpit & inquinat usu,
At cuicunque bonum, & nullo violabile castis
Ingenium natura dedit, si lætus honorem
Fortè tulit, quo dignus erat, tunc tempore rapto,
Illa latens probitas læto pubescere fructu
Incipit, & sese virtutum germina produnt.
Sic puer à tenero castis qui moribus ævo
Floret, & hunc habitum natura vertit in usum,
Qualis erit? quantusve putas? quæ gloria regni?
Quis decor Imperii tanto sub Principe surget?

Guntherus lib. 2. v. 155. de Longobardis.

Illa tamen legum prudens, & juris amori
Dedita gens, facto leges ac jura nefando
Infringit, maculatque gravi se sponte reatu,
Dum quem præcipuo venerari debet amore,
Atque timere simul, nunquam nisi territa Regem
Suscipit, & facili susceptum fraude relinquit.
Hoc magis imposito renuens se subdere Regi,
Quòd revocare suos victrix Alemannia Reges
Sæpe solet: quippe hæc tanto præsentia regna
Diligit affectu, quanto tremit illa pavore.
Inde fit, ut gemino noceat gens improba damno,
Dum premit indigno Regem malefida labore,
Et patitur meritas à justo Principe pœnas.
Sic ea quem mitem contemnit, sentit acerbum:
Ille ream punit, quam mallet habere fidelem.

Guntherus lib. 2 v. 210.

Ergo ubi Runcaliæ paucis residente diebus
Cæsare, fama loquax post tristia nubila clarum
Sidus, & ultorem violati juris adesse
Vrbibus & populis circumtulit: undiq; multi
Conveniunt, properantq; suas exponere causas,
Factaq; multorum mœstus efferre querelis
Impunita diu: quos longo tempore tutos
Fecerat, & scelerum cupidos absentia Regis.
Sic cùm post tenebras, hibernaq; frigora noctis
Igneus Æthiopum montes transcendere Phœbus
Incipit, & nitidos terris ostendere vultus:
Gaudet, & optati gratanter luminis ortum
Suscipit, æquoreis afflicta carina procellis:
Quam neq; Luna prius, nec cætera sidera fessam,
Inter nocturnas poterant servare tenebras.
Spes nitido cum Sole redit, jam temperat arte
Nauta ratem, clavumq; regit, jam tota resedit
Seditio, pelagiq; fragor cum nocte quievit.

Guntherus lib. 3. v. 90.

—— *ad te justissime Princeps,*
Attinet, Italicos jamdudum inquirere mores
Vlcisci scelerum noxas, punire nocentes,
Oppressos relevare manu, frenare superbos.
Nos proprios tantum contenti flere labores,
Oramus jam parce piis, hominesq; memento
Fœdere naturæ, fideiq; charactere junctos.

Guntherus lib. 3. v. 466.

Non turget loculis inserta pecunia nostris:
Nec multis opibus, sed laude venimus onusti:
Non est Teutonico cumulata pecunia cordi,
Nec sibi quærit opes, sed pulchræ laudis honores,
Non habet ille suum, sed habentibus imperat aurum:
Quanto Romanus studio cupidissimus æra
Congerit, & magno vigilans incumbit acervo,
Tanto Teutonicus, vel adhuc majore, paratas
Fundit opes, nitidasq; manus ærugine turpi
Fœdari scelus esse putat, dignumq; pudore.
Invigilent opibus cupidi, mihi sola potestas
Sufficit, & cunctis dare jura potentia terris.
Quo mihi divitias? cui servet gloria mundi,
Quem possessor opum cum paupere dives adorat.
Quicquid habet locuples, quicquid custodit avarus,
Quicquid in occultis abscondit terra cavernis,
Iure quidem nostrum, populo concedimus usum.
Rege figuratam, Regis patet esse monetam:
Cæsaris & domino sub, Cæsare fulget imago.
Quo mihi divitias? cui quæque potissima Reges,
Ac populo crebris non cessant mittere donis.
Semper habet veteres, semper videt aula recentes.
Vndiq; legatos, & ab omni Principe missos:
Semper ab ignotis veniunt nova munera terris.

Guntherus lib. 4. v. 473.

Non tamen occulti potuerunt fallere regem
Instrumenta doli: cælestia pectora sane
Nil transire potest. Sapiens quod prædicat hoc est.
Principibus, fili, tacitus maledicere noli.
Portat avis cæli maledicta latentia regi.

Guntherus lib. 6. v. 7.

Non tamen in tanta Princeps ignava quiete
Ocia carpebat; credens hoc perdere tempus,
Quo nihil adiectum regni proventibus esset:
Quamq; alius dederat pacem sibi sponte negabat.

Guntherus lib. 8. v. 167.

Nec placido regi victos parere pigebit.
Nullus honor siquidem populi, vel gloria major.
Quam domino servire pio.

Guntherus lib. 8. v. 535.

Tu velut eximium post tristia nubila tandem
Sidus ades, tu bella fugas, pacemque reducis:
Tu leges & jura novas: te præside rerum
Grata redit facies, certusq; renascitur ordo,
Nunc age, divina quicquid sententia mentis
Dictabit jus esse, jube: pro lege voluntas
Principis esse solet: quicquid decreverit ille
Esse ratum, mos est & juris habere vigorem.
Vtere iure tuo, quicquid rectumve, piumve
Esse putas, servare iube: nos verò volentes
Omnia suscipimus: libertas maxima nobis
Tam placido parere viro.

¶ Apologorum.

Æsopi Camelus, Elephas, & Simia. Cùm de rege è suis eligendo agerent Bruta; Camelus & Elephas, oppositi sibi æmulabantur, præpositum se iri sperantes, ob corporis molem & robur. Simia utrosq; ineptos regno esse dixit, quod Camelus quidem bilem adversus injustos non haberet: Elephas verò si regnaret, metus esset ne nobis insidiarentur porcelli.

Phædrus Fabula 2. Ranæ regem petierunt.

Athenæ cum florerent æquis legibus.
Procax libertas civitatem miscuit,
Frenumq; solvit pristinum licentia.
Hinc conspiratis factionum partibus
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Cum tristem servitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, sed quoniam grave
Omnino insuetis onus, & cœpissent queri,
Æsopus talem tum fabellam retulit.
Ranæ vagantes liberis paludibus,
Clamore magno Regem petiere à Iove;
Qui dissolutos mores ut compesceret.
Pater Deorum risit, atq; illis dedit
Parvum tigillum, missum quod subito vadis.
Motu sonoque terruit pavidum genus.
Hoc mersum limo cum jaceret diutius,
Forte una tacite profert è stagno caput,
Et explorato rege, cunctas evocat.
Illæ timore posito certatim adnatant,
Lignumq; super turba petulans insilit:
Quod cum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Iovem,
Inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere cœpit singulas. frustra necem
Fugitant inertes, vocem præcludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem
Adflictis ut succurrat. Tunc contra Deus;
Quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoq; cives ait,

Hoc sustinete, majus ne veniat malum.

Phædrus Fab. 31. Milvi & Columbarum.

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.
Columbæ sæpe cùm fugissent Milvium,
Et celeritate pennæ vitassent necem;
Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius ævum ducitis
Quàm regem me creatis icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præstem injuria?
Illæ credentes tradunt sese Milvio,
Qui regnum adeptus cœpit vesci singulas,
Et exercere imperium sævis unguibus.
Tunc de reliquis una: Meritò plectimur.

De Hirundine & avibus. *Anonymus.*

Vt linum pariat de lini semine semen
Nutrit humus: sed aves tangit hirundo metu.
Hæc ait, hoc semen nobis mala damna minatur,
Vellite pro nostris semina sparsa malis.
Turba fugit sanos monitus, vanosq; timores
Arguit; exit humum semen, & herba viret:
Rursus hirundo monet instare pericula; rident
Rursus aves. hominem placat hirundo sibi,
Cumq; viris habitans cantu blanditur amico;
Nam provisa minus tela nocere solent.
Iam metitur linum, jam fiunt retia, jam vir
Fallit aves, jam se conscia culpat avis.
Vtile consilium qui spernit, inutile sumit
Qui minus est tutus, retia jure subit.

Similitudo ad sequentem fabulam.

Fabula nata sequi mores & pingere vitam,
Tangit quod fugias, quodve sequaris iter.
Rege carens nec regis inops, sine lege nec exlex,
Absq; jugo gessit Attica terra jugum.
Libertas errore carens, se sponte coegit.
Et pudor ob legem fortior ense fuit.
Ne libitum faceret, regem gens libera fecit;
Et quæ non potuit pellere jussa, tulit.
Rex cepit linire bonos, punire nocentes
Quæq; levanda levans, quæq; premenda premens.
Hos onerat cives positos sub lege novella,
Quæ leniter poterant, vix potuere pati.
Vrbem triste jugum querula cervice ferentem,
Æsopus tetigit, consona verba movens.

De Avibus plures reges eligere volentibus. *Fab. 59.*

Aves consultabant de pluribus regibus eligendis, cum aquila tantos volucrum greges sola regere non posset, fecissentque voto satis, nisi cornicis monitu à tali consilio destitissent: quæ quum causam rogaretur, cur non plures reges duceret eligendos, quia difficilius, inquit, plures, quàm unus saccus implentur.

Hæc fabula docet, longè melius ab uno, quàm à multis principibus gubernari. Abstemius.

De Aquila in pulchritudine se cæteris avibus præferente. Fab. 107.

Aquila se in pulchritudine cæteris avibus præferebat, cunctis hoc verum esse affirmantibus. Pavo autem secum dicebat: Non pennæ te formosam, sed rostrum & ungues efficiunt, quorum timore nulla ex nobis audet tecum de formositate certare.

Fabula indicat, à multis res potentiorum non tam veritate quàm timore laudari. Abstemius.

§ EMBLEMATUM.

Had. Iunius Emblemate XIV.

Pyramides Pharium monumenta perennia Regum,
Errantibus circumligat hedera sequax brachiis.
Regum opibus firmis plebs sustentatur egena:
Mentisq; constans firmitas vires perenniter.

Had. Iunius Emblemate XLVIII.

Sublimem are Iovis statuam, patula aure carentem,
Sacrarat Minoïa Creta.
Principis est, regnum dextra moderantis habena,
Servam ne cui commodet aurem.

Batillius. CIX.

Rex populi curam gerens.

Non sibi sed pecori metuens fidissimus adstat
Ante gregem custos excubitorq; canis:
Consimilis Reges ineant vestigia curæ,
Hac populo & caveant sedulitate suo.

Batillius. CX.
Legum & armorum peritia.

Ensem dextra gerit, gestat manus altera librum,
Et Regem expressum tota tabella notat:
Scilicet ut Regum est gladius sine lege Tyrannus;
Sic nisi lex gladio septa, inhonora jacet.

Batillius CXI.
Rex stolidus & illiteratus.

Aspicis, ut gressu gaudens incedat asellus,
Timpora cui gemmis nexa corona premit?
Indocti & cui sint stolida præcordia mentis
Alphonso hac Regi Regis imago fuit.

Camerarius LXXVII. Centur. 1.
Severitas abdita, clementia in promtu. Betonica.
Quanta exto tellure juvo; nocet abdita radix.
Gratia sit celebris, non gravis ira ducum.

Camerarius LXXXIII. Centuria 1.
Quo mollius eo suavius.
Officium ut faciat, nimis, ô Rex, ne preme plebem,
Suavius ut spirent, Ocyma ne terito.

Camerarius II. Centuriæ 2.
Mansuetis grandia cedunt.
Præterit, haud Elephas animalia parvula lædit;
Nempe quod hinc clemens Rex imitetur habet.

Camerarius XLIV. Centur. 2.
Non mihi, sed populo. Capra Scythica, præcedens capreolorum gregem.
Rex bonus est pastor populi, tutorq; paterq;,
Nec sua, sed populi commoda sola cupit.

Camerarius LXXXIV. Centuriæ. 2.
Cominus & eminus.
Cominus ut pugnat jaculis, atq; eminus histrix,
Rex bonus esto armis consiliisq; potens.

Camerarius III. Centur. 3.

Et profundissima quæq;. Aquila è vertice montis videns cuniculum.

Sublimis volat, ima videt, regina volucrum.
Nonne vides, sit ut hæc regis imago boni?

Camerarius XXXVII. Centur. 3.
Pro lege & grege.
Sanguine vivificat Pelecanus pignora, sic rex
Pro populo vita est prodigus ipse sua.

Camerarius LII. Centur. 3.
Dulce & decorum est.
Gallina ut timidos defendit provida pullos
Sic populum auxilio Rex tegit ipse suo.

Camerarius LXXXV. Centur. 3.

Concordia regni. Hirundo æqualiter cibans pullos.
Sollicitam Progne curam spectate regentes,
Atq; fovete pari pignora vestra fide.

Camerarius IX. Centur. 4.
Tutius ut possit figi. Delphinus innexus anchoræ.
Auspiciis nostris tutum te littore sistam,
Stabit & in portu vestra carina suo.

Camerarius XIII. Centur. 4.
Nil desperandum. Anthias pisces loquitur.

Me duce squammigerum tutò genus ambulat undis,
Quoq; loco versor bellua nulla manet.

Camerarius LXXXVIII. Cent. 4.
His ducibus. Anguis gladio implicitus.

Serpentis ritu prudens: severus at idem
Fer gladium: & celebris laurea serta geres.

Rex imprudens Emblem. LXXI.

Privatus charo Polypherus numiae, nullo
Consilio errantes jactat ubiq; manus:
Haud aliter reges, ratio quos nulla gubernat,
Omnia perverso turbine semper agunt.

Flor. Schonhovius.

§ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Israelitæ. Omnes tribus Israelis, oppresso Isbosetho Saulis filio, venientes ad Davidem, in Hebrone, dixerunt, *Ecce nos, os tuum & caro tua sumus. Etiam heri & nudiustertius cùm Saul nobis præesset rex, tu eras qui educebas & reducebas Israelem. denique dixit Iehova tibi, Tu pasces populum meum Israelem, & tu præfuturus es antecessor Israeli.* David rex pepigit fœdus cum eis coram Iehova, & unxerunt Davidem in regem super Israelem. *2. Samuel. 5. 1. &c.*

David. Saul copias ducens in Davidem, ita divinitus sopitur noctu cum toto exercitu, ut David Abischaio comitatus ad Saulem usque penetraverit, quem cum Abischai vellet interficere, Ne perimito eum, inquit David: quis enim immissa manu sua in unctum

Jehovæ

Iehovæ insons esset, Vt vivit Iehova, non sinam: sed Iehova afficiet eum plaga, aut dies ejus adveniet ut moriatur: aut in bellum descendet ut consumatur. Absi mihi à Iehova, ut extendam manum meam in unctum Iehovæ. Sic vivus dimissus est Saul sopitus. *1. Samuel. 26. 9 &c.* Vide etiam *cap. 24. 7.* ejusdem libri.

Idem: Morte Saulis per Hamalekitam nuntiatâ, qui se illius interfectorem profitebatur, David supplicium de homicida sumpsit, dicens, *Quomodò non timuisti extendere manum tuam ad perimendum unctum Iehovæ: Cædis tua causa est super caput tuum: nam os tuum testatum est contra te* dicendo, Ego morte affeci unctum Iehovæ. *2. Samuel. 1. 14. 16.*

Idem. Iniit consilium David cum Chiliarchis & centurionibus, omnibusque antecessoribus, & dixit toti congregationi Israelis, *Si vobis bonum, & à Iehova Deo nostro videtur esse, passim dimittamus ad fratres nostros, qui reliqui sunt per omnes regiones Israelitarum, & cum eis ad sacerdotes & Levitas per civitates & suburbana eorum, ut congregentur ad nos. Ita divertamus arcam Dei nostri ad nos: nam non requisivimus eam diebus Saulis.* Dixerunt autem tota congregatio illa, Faciendum est ita: nam recta videbatur res illa in oculis totius populi, *1. Chron. 13. 2. 3.* Exemplum Davidis communicantis sua consilia cum præcipuis gubernatoribus populi admonet omnes reges & principes de vitanda ἰδιοβουλίᾳ. Is enim qui de sua unius sententia omnia gerit, superbus magis quàm sapiens est judicandus. Deinde rex seu princeps primùm omnium quærat regnum Dei & justitiam ejus, sicut David initio gubernationis suæ de nulla re magis sollicitus est, quàm de translatione arcæ in urbem Ierosolymam, hoc est de restitutione sacri ministerii, quod tempore Saulis conticuerat. Significat enim arca ministerium docendi in Ecclesia, cujus duæ sunt partes, Decalogus & Evangelium de Christo, quem proposuit nobis Deus propitiatorem in sanguine ejus per fidem. *Rom. 3.*

Salomon: Honorandi sunt Reges, teste Salomone; Proverb. 24. 21. & 25. 6. 7. *ira eorum* timenda, Proverb. 16. 14. Eccl. 8. 2. 4. *quomodo placanda*, Proverb. 25. 15. Eccl. 8.3. & 10.4. *Regum benevolentia* est salutaris, Proverb. 16.15. & 19.12. & 10. 2. *Qui regnare debeant* Prov. 19.20. Eccl. 10.5.6.7.16.17. *quales* esse debeant, nempe *non exactores*, Proverb. 29.4. *neq; ebriosi*, Prov. 31.4. &c. Eccl. 10. 17. *Non mendaces*, Proverb. 17. 7. & 29.12. *Non meretricibus addicti*, Prov. 31. 3. *Non insipientes*, Prov. 28. 16. Eccles. 4. 13. *Non improbi*, Proverb. 28. 15.

Regum munus est, malos dissipare. Prov. 20.3.8.26. & 25. 2. à justitia & æquitate non deflectere, Prov. 16. 10. 12. & 29. 14. *Eorum consiliarij*, debent esse prudentes, Prov. 14. & 35 & 16.13. *Veri*, Prov. 22.11. *Non iniqui*, Proverb. 25.4.5. *Consilia* regum non sunt curiosè scrutanda, Prov. 25.3. *Cor regum* est in manu Dei, Proverb. 21.1. Eccles. 10. 20.

Ezechias rex. Ezechias rex constitutus illico Dei cultum restituit: sacerdotibus imperans eorum sanctificationem, templique repurgationem: nam Sacerdotibus & Levitis jussu suo congregatis dixit, Auscultate mihi, ô Levitæ, jam sacrificate vos, & sanctificate domum Iehovæ Dei majorum vestrorum, & efferte quod separandum est è sancto. Nam prævaricati sunt patres nostri, & facientes quod malum videtur in oculis Dei nostri, dereliquerunt eum: & avertentes faciem suam à tabernaculo Jehovæ opposuerunt cervicem. Etiam occluserunt fores porticus, extinxeruntque lucernas, & suffitum non adoleverunt: deniq; Deo Israelis holocaustum non obtulerunt in Sancto. Quamobrem fuit fervens ira Iehovæ contra Iehudam & Hierosolymam: adeò ut tradiderit eos commotioni, desolationi & sibilo, quemadmodum videtis oculis vestris. Nam ecce ceciderunt patres nostri gladio, & filij nostri filiæque nostræ ac uxores nostræ in captivitate fuerunt propter illud. Nunc est mihi in animo pangendi fœdus cum Iehova Deo Israelis: ut avertat se à nobis æstus iræ ejus. Filij mei, nunc ne erretis: vos enim elegit Iehova, ut stantes coram ipso ministretis ipsi, & ut sitis ipsi ministrantes & adolentes. 2. *Chronic. 29. cap.* ubi jussa Ezechiæ regis prompto animo impleta fuisse legimus. *Vide etiam ejusdem libri cap. 30.*

Christus & Apostoli. De reverentia & obedientia Regibus & magistratibus debita Christus Dominus noster & Apostoli varijs locis præcepta tradunt, & suo exemplo nos sæpissimè ad officium diligenter & propter conscientiam præstandum hortantur, ut ex Matthæi 17.27. & 22 21. & Rom. 13.1.7. & 1. Timoth. 2. 2. & 1. Petr. 2.17. constat. Quid Apostolorum successores scripserint & senserint de Regibus & magistratibus, ac obedientia subditorum colligi potest ex Iustini, Athenagoræ & Tertulliani apologeticis libris. Itidem ex multis eorundem dissertationibus, quæ cùm ad dogma controversum de Magistratuũ & Regum authoritate adversus Anabaptistarum, seditiosorum, perduellium & fanaticorum errores pertineant, tractationibus & locis communibus Theologię dicta hęc relinquamus.

Columbanus. Convallo apud Scotos regnãte, mirum in modum Christi floruit religio, cunctis penè sese in regios mores (qui optimi erant) transformãtibus. Fama tantę in rege religionis sanctum virum Columbanum ab Hibernia ubi haud paucis patrum cœnobiis præerat, cùm piorum cœtu pertraxit in Albionem. Is in Hebrides primùm, inde in Hiberniam rediens, rogatus, Quænam vidisset in Albione miracula? Vnum omnium instar, respondit, Regem videlicet Convallũm, in mediis constitutum delitiis, cuique multò plura essent ad malum quàm ad virtutem incitamenta; cum sacerdotibus, monachis & venerandis Episcopis de vitæ sanctimonia contendentem. Cujus probata virtus cunctis suæ gentis adeo esset reverenda, ut ipsi nec aliis esse injurij, nec de rege ipso hiscere sinistri quidpiam auderent. Unde effectum sit, ut plus spectata in rege virtus ferocem populum à solitis flagitiis domesticisque seditionibus, in quas natura proclives essent, quàm ejusdem auctoritas, coërceret. *H. Boethius, hist. Scoticæ, lib. 9.*

Alphonsus Rex. Regum animas non privatorum libidini subjectas esse, sed sub Dei cura & tutela sacras lætasq; agere dicebat. *Anton. Panorm. lib. 1.* Idem nonnullos de se bene meritos, sed ipsum probris clã solitos lacerare cùm audisset, Regum esse, inquit, nõ solùm benefacere, sed mala etiam patienter audire. Ingratos nunquã effecturos, quominus ipse humanus & beneficus perstaret. *Ibidem.*

Idem. Cùm inter Sophistas aliquando de regum fœlicitate disceptatio esset, & suum quisque judicium offerret in medium, intervenit rex, Et quid ô amici, inquit, in id tantopere laboratis? Num putatis hoc ipsum quale sit, aut pleniùs, excogitari aut luculentiùs exprimi posse, quàm prodiderit vir divinæ sapientiæ Augustinus? Mox illius verba ipsa, ut erat singulari memoria, pronuntiavit. Quæ quidem ego commentariolis ideò intexui, quòd digna mihi visa sunt, quæ reges & principes terrarum universi memoria quidem & teneant, & observent. Reges utique felices Augustinus existimat, si justè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extollantur: sed se homines esse meminerint, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, majestatis eius famulam faciunt. Si Deum timent, diligunt & colunt, si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes, si tardiùs vindicant, facilè ignoscunt, si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendeque Reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt, si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent, si quod asperè coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant, si luxuria tantò est castigatior, quantò posset esse liberior. Si malunt cupiditatibus quàm quibuslibet gentibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem fœlicitatis æternæ, si pro suis peccatis humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium, Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos imperatores ac reges dicimus esse fœlices. *Anton. Panor. de dictis & gestis Alphonsi.*

Idem. Alphonsum nonnunquam solum absque comitantium pompa incedentem vidimus. Cùm ob hoc à plerisque argueretur, suaderetur que ut more aliorum principum, & ipse armatorum manu stipatus graderetur: exhorruisse consilium visus est, atque dixisse quidem minimè solum, ut isti crederent, sed innocentia associatum vadere, neque esse quod benevolentia civium fretus, quippiam extimescat. *Idem.*

Sigismundus Imperator. Beatos esse in terris reges ajebat Sigismundus Imperator, si exclusis superbis, mansuetudinis humanitatisque cultores in curiam adsciscerent. *Æn. Sylvius.*

Ludovicus XI. Galliarum rex. Eum aliquando dixisse ferunt, se in regno suo & potissimùm in aula propria, abundare rebus omnibus, una excepta. Quam verò innuere rem, dum quæreret unus ex familiaribus aulicis, Veritatem esse respondit. *D. Philippus Camerarius in meditat. historicis, cap. 90.*

§ Monosticha Trochaica.

A Deo est omnis potestas: omnis est rex à Deo.
A gregario ne distet veste rex, sed moribus.
A malo imperante discat imperare rex bene.
Actibus licentiam omnem rex tuis extermina.
Admodum periculosè raditur liber leo.
Afficiant regem mage ærumnæ aliorum quàm propriæ.
An quid est impunè læso rege gloriosius?
Appetens pecuniæ rex, institore turpior.
Arrogans rex atq; avarus, pro tyranno duplici est.
Assidet Iovi Ius ac Fas, Ius ac Fas usque ut patret.
Audiendi etiam ac loquendi adimunt reges commercium.
Auferas inique multis uni post quod prabeas.
Cæcus est rex destitutus luce providentiæ.
Caritatem civium rex raro servat longius.
Causam odij plerunq; reges procreant ultrò sui.
Ceteris quod pœna lexque est, hoc Fides Regi, hoc pudor.
Ceteros malis doctrina anteire, rex, quam copiis.
Civium damno maloq; plus dolet rex quam suo.
Civium omnium salutem rex libens redimit sua.
Civium sub rege egeno gaza tota naufragat.
Civium sub rege egeno tuta minus opulentia est.
Civibus magis prodesse quàm placere regium est.
Civibus sis talis, esse vis tibi quales Deos.
Civibus suis rex omne providet quod utile.
Civitatium regumq; res, merè contrariæ.
Clauda cui fides, nil prosunt regna sed magis nocent.
Comptior quo corpore es, rex, hoc animo es comptus.
Conditio hæc est superiorum, quidquid faciunt imperant.
Conjugum fratrum, parentum, regibus solitæ neces.
Corpus haud est regium ullo quod labore vincitur.

Crimen regis minimum majus est privati maximo.
Contumaciâ inferiorum lenitas regum interit.
Contumelia atque luxus regna cuncta conterunt.
Cuncta, etiam invidia, infra regum magnitudinem iacent.
Cuncta regi adsunt, modo adsit veritatem qui efferat.
Cuncta rex regit, cuiq; sed tamen servat suum.
Damna plus dolet suorum rex probus quam propria.
Dat pijs justisq; pacem, dat bonum regem Deus.
Dantur & post terga regum ad sceptra, heu, adsuetæ manus.
Decutit summas aristas rex malus, bonus fovet.
Deiotarum quisquamne vidit aut saltantem, aut ebrium?
Despici periculosum regibus; metui & magis.
Despicit pecuniam omnem rex heroi pectoris.
Deturbare de statu omnes volumus regi proximum.
Dextera excipe albicanteis haud nigros, rex, calculos.
Dextera molam versabat, rex licet jam, Pittacus.
Dignitas reposta regum est in salute civium.
Dignitate solâ Reges cæteris supereminent.
Dignus imperare non est qui tueri haud quit suos.
Dupla regis portio est, ut honoret illa quem velit.
E curis doloribusq; Regum constat purpura.
Eminentes frange aristas, si cupis regnum breve.
Esse rex potest bonusq;, familiæ pater bonus.
Esse Regem, onus tam est ingens, ingens ipsi quàm est honos.
Est decus, non dedecus regi, ire in veste civica.
Est felix mage quam bonus Rex qui non punit plurimos.
Est malum commune cunctis regibus suspicio.
Esto prudens aut consilijs utere Rex prudentium.
Experiendo Rex tentat quantum in cives liceat suos.
Expugnat Reges Voluptas, expugnat Pecunia.
Factus ut quis est Rex, mutus, cæcus, claudus redditur.
Fama apertiore regum noscas flagitia indies.
Filij Iovis sunt, artem queis indulget regiam.
Gaudio Regi est quamvis unius emendatio.
Gentibus suis quæ præstat, vix Regi sunt otia.
Gloriæ magis studere quam saluti, regium est.
Gloriæ potentiæq; qui studet, reges colat.
Hei quam falsa multa regum auri auscultator ingerit!
Heu quam multa audit, videt, sentitque Rex molestia!
Heu quàm multa sæva facere regem adigit necessitas!
Heu quam multa solâ reges curâ perdendi exstruunt!
Heu, voluptatem purarum reges ignarissimos!
Hostis est molestus regi? amicus est molestior.
Ille rex est major omni rege qui rectè facit.
Imperant reges homullis, serviunt affectibus.
Imperata res iniqua regibus, justissima est.
Imperio regi haud utendum, ubi agi potest res legibus.
Improbitatis virtutisq; quilibet rex est sui.
Imputat rex, omne quicquid est potestq;, uni Deo.
In Deos regem transcribet candor ac benignitas.
In labris aurum, bovemq; lingua, avarus rex gerit.
In mari quod Typhis est, hoc rex item est inter suos.
In peius fere mutantur reges jam nullo æmulo.
In suo quandoq; regno nemo minus quam rex potest.
In templis mali coluntur, in animis reges boni.
Insolens privatus est? rex fiet insolentior.
Insolenti honore regem qui afficit, regem arguit.
Integram dormire noctem regis immemoris sui est.
Iudices alijs maligni reges sunt æqui sibi.
Iulium plures amici confecere quam exteri.
Iura rex & ipse servet quæ præscribit alteri.
Iustitiâ ac Pietate quivis Principes fiunt Dei.
Iustitia atq; Fortitudo sunt columna regiæ.
Literas jactantiores vix ferunt reges probi.
Lævâ Apollo arcum ac sagittas: Gratias dextrâ tenet.
Longior regi haud petenda vita, sed probatior.
Mage animus rectus, tiara recta quam regem decet.
Magnitudini suæ rex paria habet pericula.
Majus est quocunq; regno diligi ac coli a suis.
Mane Crœsus, Irus esse quibit ante vesperam.
Maximè regem venerantur omnes, minimè quem timent.
Mentio regis non boni est, nisi inter Numina.
Mentio regum haud habenda est præterquam inter Numina.
Mentis est rex perpusillæ qui æstimat pecuniam.
Metitur cubitis virtutes regis Æthiops sui.
Multa oportet rex ignoscat, scire qui vult omnia.
Multa licent per regem nobis quæ regi non licent.
Multa regi non licent, quæ vel licent vilissimis.
Multitudo subditorum regis utique gloria est.
Morte regis, tantum domini mores mutant pauperes.
Mortuum quis regem honestat cùm est apud se lacrimis?
Multi reges non pastores populi agunt sui, at lupos.
Ne luxu antei privatos rex, verùm patientiâ.
Ne quidē amantur reges à Dijs insignos ultrò homines amāt.
Ne quidem reges in regnis minima curant omnia.
Ne quidem tum audire rex vult vera, dici cùm jubet.
Nec mendacium concinnat, vera rex nec supprimit.

Nil humile abjectumq; de se cogitat genus Deûm.
Ne speres regnum salubre posse sceleribus dari.
Ne suis quid sit mali, rex quodlibet subit malum.
Nemo Alexandri voto sortem, aut spes virtutem.
Nemo aliter sentire, nemo audet loqui, quam rex cupit.
Nemo munus detrectabit quod prius rex occupat.
Nemo rex dici meretur, imperandi nescius.
Nemo unquam satis pro merito gratiam regi refert.
Nemo unquam satis videtur servus imperantibus.
Neminem hostem, neminem amicum rex naturâ habet suâ.
Nil antiquius quiete publicâ regi bono.
Nil facit causâ sua rex, cuncta sed reipublicæ.
Nil habet sui; imò seipsum rex bonus debet suis.
Nil ibi est à rege tantum, rex ubi intutissimus.
Nil magis credas tuum, rex, quam per amicos quod tenes.
Nil potest contra Deum regum, aut Leo aut vulpecula.
Nil ubi est à rege tutum, rex ibi intutior.
Nolim amicus regis esse Persici, absq; commodis.
Nomen a regnis mali, per regna nanciscuntur boni.
Nomen est potentiæ rex: Iudex est sapientiæ.
Non animis modò sed oculis civium rex serviat.
Non cupit bonum esse civem rex suum, ipsos si timet.
Non decet regem ira, cuius prima dos clementia est.
Non dies, non nox recessus tutos præbet regibus.
Non magis valet privatis rex animo vel corpore.
Non minus flecti quam vinci turpe reges autumant.
Non opus rege in Senatu est de minutis cum actio est.
Non potest a quoquam amari rex, amat si neminem.
Non potest diu dissimulare rem, rex regnandi incapax.
Non potest diu regnare vis cui superbia est.
Non potest rex esse dives, cui sui sunt pauperes.
Non putat rex se obligari, aut si putat, certè haud amat.
Non refert diadema quânam in parte existat corporis.
Non sat est punire sontes, præmio orna item bonos.
Non voluptate ast labore rex regnum sentit bonus.
Noxia æque vilitas regno atq; non civilitas.
Nulla cura pulcri, honesti nulla Arsacidis barbaris.
Nullum amicum habet tyrannus; nullum rex Gnathonem habet.
Nunquam in hunc diem est repertus otiosus rex probus.
Obtinendæ iniquitati haud obstinare, rex novus.
Occupatius nihil regum est vacationibus.
Omne res divina regnum est, seque vi servat suâ.
Omnis ortus rex è servis, servus contra è regibus.
Omnium auribus rex qui audit cernitq; oculis, est bonus.
Omnium est, ubiq; quidquid nascitur regi bono.
Omnium vultum atq; voces rex circumspectat novus.
Omnibus bonum commune rex est, nemini malum.
Omnibus rex est beatus præterquam ipsimet sibi.
Optimè de quoq; mereri, regis unicum est bonum.
Optimum regni instrumentum sunt amici, non opes.
Optimusq; maximusq; regum est, rectè qui facit.
Optimos quoscunque dicit, optimos Princeps facit.
Par Deo, rex, esse quæris? te omnibus præbe patrem.
Patriæ parens vocari non potest rex qui rapit.
Pauci reges sunt suasmet qui donent injurias.
Pace juxta ac bello obire munia regni regium est.
Pessimis regum, dominatio absque ullo placet modo.
Pictus est rex, quem Sejanus circumagit sicut libet.
Plumbea ira regum, gratia ast eorum plumea est.
Plurimi Duces sunt, regum parva valde copia est.
Plurimum in regnis repostum est: plus tamen valet fides.
Plurimi regna ipsa, reges nullus aut rarus colit.
Plurima audiant, per pauca Principes respondeant.
Plus apud suos amore quàm timore rex potest.
Plus pecuniæ tyrannus plus cupit rex gloriæ.
Plus quàm rex est cui censuram fas agere est regnantium.
Plus solet suis timere rex benignus quam suis.
Pluris est vox una regis, quam multorum munera.
Portus est contra procellas seculi omnes rex probus.
Possidens regnum, bonorum possidet caput omnium.
Præclaræ admodum virtuti semper reges invident.
Prata floreis, astra cœlum, reges ornat veritas.
Principatum rex odiose auspicere à cædibus.
Principatus vis insigne scire summum? purpura est.
Pro salute singulorum cura regis excubet.
Pro suis nullum recusat rex bonus periculum.
Promovet virtutem & arcet à malo homines rex probus.
Promptius rex arguentem quàm assentantem perferat.
Prospere regunt apud quos consilium verum valet.
Publicam puni, tuammet neglige rex injuriam.
Publicum est, ubiq; quidquid nascitur regi bono.
Publico malo expiantur regum turpitudines.
Quei queat florere regnum lex ubi ipsa marcida est.
Quam malum est, cùm possidentur artibus reges malis!
Quanto clarior quis, fidus hoc minus regi est malo.
Quanto doctior rex es, tanto es tuis & gratior.
Quanto rex plus est adeptus, hoc mage est in lubrico.

Quem

Quem latent mali, est iners rex; quem minimè est injurius.
Qui genus sortemque animis suam haud æquant, statim invident.
Qui licens est ante regnum, rex erit licentior.
Qui magistratus malos fert rex eosdem & approbat.
Qui palam laborat, nullo rex labore vincitur.
Qui sibi imperare nescit omnium est rex pessimus.
Qui suos tueri ab hoste non potest, cur imperet?
Qui regnum à risu aspicantur desinunt in lacrimas.
Quilibet rex procurator est Dei; nec est suus.
Quisquis verus est rex cuncta regio facit modo.
Quo magis reges coluntur, hoc alios minus colunt.
Quo venit rex cumque, floret jusque fasque, & omnia.
Quod parens natis; id ipsum viribus rex est bonus.
Quod putat sibi cubile rex, theatrum omne orbis est.
Quod rati nauclerus est, id rex quoque est reipublica.
Quos sceptrum reliquit, alti mox relinquunt spiritus.
Rarus omnium dolore rex moritur mortalium.
Raro à regibus bonus tantum accipit quantum dedit.
Regia perfectiora sunt & mensa fercula.
Regia voluntates, sæpe ipsa adversantur sibi.
Regium est facere optime amicis, at inimicis pessimè.
Regium est statim exsequi omne posse quidquid collibet.
Regium facinus, virorum cædes est insignium.
Rex à cive amari malit quàm cumulari honoribus.
Rex aliis esto benignus, aliis formidabilis.
Rex an est is qui superbo miserias calcat pede?
Rex bonus à cive haud timetur, omnes sed pro illo timent.
Rex bonus bono, malus sed natus est publico malo.
Rex bonus calumniæ aures claudit, at pandit malus.
Rex bonus minime superbo miserias calcat pede.
Rex bonus nec executor offensarum est, nec memor.
Rex bonus nil à parente liberorum discrepat.
Rex bonus patrem vocare se studet, malusque herum.
Rex bonus probos honorat, rex bonus punit malos.
Rex bonus pudore cives continet, metu malus.
Rex bonus sancta incorruptâ jura cuique dat fide.
Rex bonus suis praire suevit exemplo omnibus.
Rex bonus suos coercet non mera vi, sed metu.
Rex bonus tam obtemperare quàm imperare noverit.
Rex bonus tantum minatur, rex malus tantum necat.
Rex character, rex imago est vera summi Numinis.
Rex cupidus pecuniarum turpior stabulario est.
Rex decumbit, rex febrit, rex fato obit, ceu rustici.
Rex Dei est imago, idemque imaginem regit Dei.
Rex Dei est imago: patres ergo nil quod sit malum.
Rex Dei viva est imago, rex imò alter est Deus.
Rex Deo est vicinior qui patrem agit quàm patruum.
Rex eâ usque parte ostendat, quâ prodest, potentiam.
Rex es? fac regis cælorum imaginem exprimas tuis.
Rex ferè foris beatus, non beatus est domi.
Rex gemit pœnam ad salubrem: membrum enim secat sibi.
Rex ibi esse tutus haud quit, tutum ab ipsa ubi est nihil.
Rex leo est, quod odit omne fronte & ore fert palam.
Rex licet bonus, est naturâ animal quod carne vescitur.
Rex lubens accipiat parva; magna rex donet libens.
Rex malus minus est invisus omnibus, quàm ipsi sibi est.
Rex malus timet bonos, humilimo cuique credulus.
Rex malus timori amicis rex amori eis bonus est.
Rex minus est gratus suorum qui non fert injurias.
Rex, mortalium saluti herclè administer est Dei.
Rex natura inerudita, capite cœlo ipsi imminet.
Rex pro necessitatem semper anteit metu.
Rex, poëtarum cui cura est, regnat & post funera.
Rex præest: populo supersit obsequendi gloria.
Rex qui amari quam timeri vult, regit securius.
Rex quis est, lapsis ut adsit, prolegatque supplices.
Rex quis est, ut jura dicat, arceatque injurias.
Rex sagax sit temperansque, & imperabit optimè.
Rex spei metusque liber nullus est, nullusque erit.
Rex, sua fortuna, læta: haud læta, refert ad duces.
Rex suis præstet necesse est, si imperare iis vult bene.
Rex suos in dexteram usque partem ponit calculos.
Rex timet minus malis ne quid patiatur quam patret.
Rex timet suis; tyrannus ipse ultro timet suos.
Rex viros dicat geratque cuncta per primarios.
Rex ubi est licentiosus, esse adstricta plebs nequit.
Rex ubi est avarus esse non potest plebs prodiga.
Rex uni Deo secundus, ceteris unus prior.
Regis aureis; regis oculos esse plureis, utile est.
Regis è periclo famam ne aucupes clementia.
Regis est, suis mage esse commodum, quàm ipsi sibi.
Regis ex unius vitâ vita pendet omnium.
Regis haud vis, sed cicuta est, hominem è medio tollere.
Regis integra est servanda auctoritas rei ultima.
Regis ira intelligatur; nemo eam sed sentiat.
Regis nomini frustra metu adstruas reverentiam.
Regis oculi, sæpe veris visis aliquid adlinunt.
Regi amicus esse nescis, lingua si non byssina est.
Regi firmat dignitatem, qui ejus servat subditos.
Regi haud convenit, qui se vult diligi, crudelitas.
Regem agis? severitatem tempera indulgentiâ.
Regem nasci credite, Eos quoties noctem summovet.
Rege de bono loquuntur clam homines eadem qua palam.
Rege nil differt à picto rex cui mens haud sua est.
Rege sub justo urbis esse non potest status malus.
Rege sub pio libertas, omnium acceptissima est.
Reges olim censebantur animo, haud cultu corporis.
Reges pauci sunt, privatis tuta vita queis foret.
Regum dicta, regum facta, scire nemo non avet.
Regum opes in arce non sunt, sunt in arca civium.
Regum opes sunt cuncta amore subditorum in publico.
Reges serva omnia & subjecta esse imperio volunt suo.
Regibus charus poëta est? at Deo est carissimus.
Regibus, corona civis servati, pulcerrima est.
Regibus data ad salutem hominum à Deo potentia est.
Regibus donare fastus impotentes arduum est.
Regibus datur potestas, sed datur divinitus.
Regibus jucunda pauca, multa sed sunt tristia.
Regibus non sunt amici, qui haud utuntur regibus.
Regibus nulla est voluptas, ne quidem per somnium.
Regibus paremus ipsis, jure sed precario.
Regibus plus eruditus quisque præstat quam accipit.
Regibus plus mansuetudo proderit formidine.
Regibus qui vera dicit gratia aut capite excidit.
Regibus qui vera dicit omnem amittit gratiam.
Regibus solis licitum omne est quidquid aliis non licet.
Regibus tantumdem honorum amor decernit quam metus.
Regna sceptrum non tuetur aureum, amici sed pij.
Regnorum status Fortuna variâ dubia agitat vice.
Roma regem petere malunt, quam inde habere barbari.
Sapiensque singulorum prospicit rex commodis.
Sæpius quo rex videtur, hoc fit gratiosior.
Sat privato non peccare: regem & suspicio gravat.
Sceptra nil sunt, quam fulgore nomen tectum evanido.
Scripta regi nulla lex est: lex animata est ipsemet.
Se defraudet rex honore ut largiatur alteri.
Segniter regnum administrat per scelus qui quæsiit.
Semper uni credulitatem reges addicunt suam.
Servat hostis rex; tyrannus hostis est trux civium.
Si diu regnare quæris, languida regnes manu.
Si non es legum minister, esse rex verus nequis.
Si rex verus es, tui regem esse ipsius convenit.
Sic habeare maximus, rex, ut habeare & optimus.
Subditos erga sit æquus rex, piusque erga Deum.
Sumptuosiore veste rex tuos quam te ipsum habe.
Tam nihil firmum est regenti, quin mox & casu ruat.
Tam putat rex turpe flecti, quam jugum quodvis pati.
Tradita est tutela regi civium, non servitus.
Triste inter suos lacrimantis regis est spectaculum.
Turpe medico funera multa; creber regi carnifex.
Tuta opes sunt subditorum, rex ubi non indiget.
Tutus esse in civitate, in qua timeris non potes.
Tutum ubi nil est à rege, rex quoque in periculo est.
Vita regum, regna & ipsa, stant caduntque uni Deo.
Vis ubique rex amari? parva magnis muneres.
Vix onus regni Damocles prandio unico tulet.
Vnus esto rex: hic orbis non capit Soles duos.
Vnum & alterum nece, omnes rex metu coërceat.
Vox tyrannica est, licet mihi: haud decet, vox regia est.
Vrbem uti domum paternam si regis, regnas bene.
Vsus ex æquo regis boni, etsi agentibus procul.
Vt caput corona regum, cura sic animum ligat.
Vulnerari quem de regno dimicantem, regium.

¶ JAMBICA.

A rege ferrum haud accipit malus; rapit.
Ad recta flecti regius negat tumor.
Ad regis exemplum orbis omnis fingitur.
Æquat Deis homines potestas regia.
Aliena virtus regibus formidini est.
Aliquando regis pro imperio, silentium est.
Amisso apum rege, omne examen solvitur.
An aliud est rex quàm minister publicus.
An esse longas regibus nescis manus?
Apes carere rege non possunt suo.
Arma ornamenti causa rex habet bonus.
Ars regis una est, curam gerere civium.
Asini auriculas quis non habet? Midas rex habet.
Auctoritas legum, regum est auctoritas.
Audire nunquam veritatem, regium est.
Audire verum velle, non est regium.
Aut regem oportet nasci quem, vel fatuum.
Audire vera regibus raro obtigit.
Bello optimus, pace esse pessimus potest.

Beneficiis regnum tene, haud injuriis.
Beneficiis superare quosvis Regium est.
Brevissima est de vitâ Regis quæstio.
Canem latrantem occidere anne regium est?
Caput imperat regis, pedes non imperant.
Capitis dolorem haud regia aufert fascia.
Cessat tumultus omnis ut Rex advenit.
Cognomen esse Iusti quis rex vult sibi?
Conditio regum misera, si miseros timet.
Consulere regi plena res periculi est.
Cor regis est Dei in tutela dexteræ.
Corpus pugil polit suum, Rex cor colat.
Corpus pugil, rex ingenium exercet suum.
Corona Regum electa est innocentia.
Cui jus valet imperii, transmittit inania.
De Rege bono, homines clàm loquuntur, quæ palã.
De se minus Rex cogitet, quam de suis.
Delator aures nil post in regias.
Desiderat scenam Regum impotentia.
Dextras duas, nullam sinistram Rex habet.
Dici nequit Rex ille, qui regit malè.
Dormire totam noctem, minimè regium est.
Etiam latrones vestis terret regia.
Ex plebe rex, ex rege plebs nascitur.
Ex regio nil fastu adsumit Rex probus.
Facti rationem reddere minimè regium est.
Fastigium qui infringit, altius levat.
Felicitas regum, populi securitas.
Formidolosa aliena virtus Regibus.
Fortuna casus Regum præcipites rotat.
Fortuna Regum cuncta permittit sibi.
Gemella proles, rara regnanti in domo est.
Habere regnum, casus est; virtus dare.
Hoc regium est, regnare nolle cum queas.
In more egregia regio insunt omnia.
In publicum quæ statuis, observes domi.
In rege vulgò lenitas condemnitur
In regium amicis plurima adsentatio est.
Inimica inter se, Rex, & libera civitas.
Injurias cur persequare Rex tuas?
Injustus haud impunis est, Rex sit licet.
Inquirere in sermones vulgi, haud regium est.
Iudex potest damnare, Rex ignoscere.
Lex à Deo rex est datus mortalibus.
Lex, imperandi sufficit regi modum.
Libuit & licuit: Regis est oratio.
Loco parentis Regem percolunt boni.
Lynceus & Argus quivis Rege sub bono est.
Lynceus & Argus multus, Rege sub malo.
Mage est ditare, quam ditari, regium.
Magnusque rex unius insidiis patet.
Magnum est onus capitis, insigne regium.
Malus tametsi regnet, servus est tamen.
Multum mali Regum latet sub fascia.
Multa audiet cernetque rex cui cor sapit.
Musis amato Rege suavius nihil.
Nemo imperat sicut cupit, sed ut potest.
Nemo referat pro merito Regi gratiam.
Nil convenit regi æquè, quam jus dicere.
Nimios honores qui fugit Rex, accipit.
Nocere posse ac nolle, verè regium est.
Noctu diuque cogita Rex publicum.
Non forte Rex terris datur, sed numine.
Non illicò est rex, nomen est cui regium.
Non imperat Rex cùm haud suis facit bene.
Non tam sibi est rex commodus quàm civibus.
Non vivit ipsi Rex sibi, sed civibus.
Nulla est voluptas vera summis Regibus.
Nulli labores corpus lassant regium.
Nulli magis reges coluntur quàm mali.
Nunquam Deum Deo Rex fallit proximus.
Occidit omne rex malus quod eminet.
Onus regendi cuncta, & sorti subjacet.
Operas solent Reges præstare mutuas.
Pastor bonus tondet pecus, glubit malus.
Pauperiem honestam, honestè semper Rex levat.
Pecunia Regum, non est regum; egentium est.
Perdit diem Rex quo nil præstat civibus.
Perenniter floret Regum innocentia.
Perfecta imago Rex virtutis sit suis.
Periculosa solitudo regibus.
Perire mavult Rex bonus, quàm perdere.
Per sola Regum munit imperium fides.
Plerumque pisci primitus putet caput.
Plerumque Regum stulti illudunt viribus.
Plus de suo Regi licet quàm publico.
Populo universo nemo Regum plus valet.

Præstat mori, regnare quàm precario.
Quæ non patrabit, Regis uxor quod patrat?
Quàm Rex timetur, tam timere cogitur.
Qui regere se nequit, regum est deterrimus.
Quicunque regnas, sanguine humano abstine.
Quidvis quam homo mavult videre rex malus.
Quis legibus Rex non suis obtemperet?
Quisquam ne regno gaudet? ô falsum bonum.
Quisquis miser Trojanus est, Hecuba est miser.
Quod civibus perit, magis Regi perit.
Quod occupat Rex munus, nemo deserit.
Quodcunque licuit Iovi olim, hoc regi licet.
Quoscunque terres, ipse plus Princeps times.
Regnare discunt Reges, victis hostibus.
Regnat, regitque regna Sortis, rex sui.
Regnum dolo qui peperit, regem aget dolo.
Regnum improbus rapit, meretur approbus.
Regnum mereri pulchrum est innocentiâ.
Rex à populi mansuescit innocentia.
Rex æqua non fert, ne dum ut toleret infima.
Rex, alter ut Sol, totus oritur omnibus.
Rex alteri esse quei queas si non tibi es?
Rex antecellat cæteros sapientiâ.
Rex cuncta format in similitudinem sui.
Rex dextera urna tantum tractat calculos.
Rex dicitur bene qui se regere noverit.
Rex est character atque imago numinis
Rex est præesse natus ut pastor gregi.
Rex est supremi viva imago numinis.
Rex gaudeat doleatque principaliter.
Rex hoste quovis plus nocet suis malus.
Rex imperat bonus suis volentibus.
Rex inter homines est, quod pastor circa oves.
Rex is supra leges est, qui lex est sibi.
Rex jure præstet omnibus queis imperet.
Rex justior quisque est ut est potentior.
Rex maximè regni mediam partem occupet.
Rex optimus sit ipse ut imperet bonis.
Rex perdidit diem quo nil fecit boni.
Rex perpetrat suis quæ vult in urbibus.
Rex quivis est Briareus, Rex quivis Argus est.
Rex se bonis impendit ultrò publicis.
Rex semet ornat, ornat amicos qui suos.
Rex sese eundem præbet omnibus bonus.
Rex sumptuosus, res molesta est civibus.
Rex verus, est servus suorum, non herus.
Rex verus omnis anteit virtutibus.
Regis boni terrent minæ, mali nocent.
Regis nocet morbus magis quàm civium.
Regi exprobrat scelus, scelus qui non facit.
Regi tacet cui Musa, minimè est regius.
Regi tuenda maximè Regum est salus.
Regem bonum optes: interim feras malum.
Regem malum malim, amicos quàm regis malos.
Regem voluptas lædit æquè ac subditos.
Rege à novo quidvis petas, & impetres.
Reges coluntur non sui caussa, ast opum.
Reges creati ut prosint, non incommodent.
Reges facit mens sana: pompa non facit.
Reges in omnes jus habet suum Deus.
Reges sapient sapientum consuetudine.
Regum asperat mores populus, vel mitigat.
Regum periculosa familiaritas.
Regum scelus omne in publica irrumpit mala.
Regum scelus majore taxatur modo.
Regum tiaras tollit ac premit Deus.
Regum ultimus, semper vocatur optimus.
Sæpe in suo minimum imperio ipse rex potest.
Salute Regis regni clauditur salus.
Securus est quem civium servat fides.
Sententiam colas Regum, haud examines.
Servire suetus omnis Oriens Regibus.
Servos decet mentiri, Reges dedecet.
Si cæteris coli vis, ipsum te colas.
Si judicas, cognosce: si regnas, jube.
Sic est profectò: hominem regere ars est artium.
Similis Deo sis, Rex, malis placabilis.
Simulatus animus haud cadit regem in bonum.
Sine Rege, vitam vivere nescit Cappadox.
Sit fama Regi longe potior quàm salus.
Solùm timere rex bonus pro se nequit.
Somno vacet parum rex curis plurimum.
Sua quemque; reges omnium clades premit.
Sub hebete multas rege uxor parat neces.
Sub Rege eodem, eisdem vita est legibus.
Sub rege iniquo fit nocens, non quæritur.
Sub rege iniquo, quidquid excelsum est cadit.

Subre-

Sub rege justo est urbis optimus status.
Summum decus profecto regium est decus.
Tanquam domum paternam, Rex suos regat.
Timere Reges dubia pro certis solent.
Vacare rebus & Camœnis, Regium est.
Vbiq; reges colere pietatem haud facul.
Vbi tutus est Rex ibi securi & subditi
Vel nutus unus Regis quingentos beet.
Vel vultu in ipso regium elucet decus.
Vitam sibi Rex qui negat, multis negat.
Vis scire qualis sit Rex? voci attendito.
Vix est superbus ut diu Rex imperet.
Vnus regat: plures ubi imperant, malum est.
Vti dolo, servile mage est quam regium.
Vulgoq; regi serviendum est mobili.

Regiorum liberorum.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

PHilostratus: Tu verò dicas velim, Iarcha, dicas velim, cur regis comites, fratrem ac filium, neque eadem accepistis mensa, neq; aliquo penitus affecistis honore? Quoniam, inquit, regnaturos eos quandoque putamus. Oportet enim ita negligendo monere, ne nimis superbiant. *lib.* 3. *Apollonij cap.* 9.

Philostratus: Filii duo tibi sunt, ô rex, & hi quidem generosi. ipsis igitur potissimum impera. nam si aliquid forte deliquerint, tibi profectò calumniam afferent. Minitare quoque te illis regnum non traditurum, nisi boni honestique esse perseverarint; ne tanquam hereditatem aliquam imperium existiment, sed quasi virtutis honestatisque mercedem. *lib.* 5. *Apollonij cap.* 13.

Philostratus: Demulcens Titi collum Apollonius, quod robustũ erat perinde atque eorum qui corpus exercent: Dic mihi inquit, quis tam valida cervice taurum subire jugum cogeret? Is inquit Titus qui me vitulum à primordiis educavit; patrem illis verbis denotans, & quod illius solum obtemperare præceptis à teneris assuefactus esset. Gaudeo, inquit Apoll. primùm quod te patri obedire paratum video, cujus dominatu gaudent etiam subditi, & qui natura filii non sunt. Quod si frequenter cum eo domi versaberis, inde honorem consequeris. Iuventute enim cum senectute regum gubernante, quæ lyra, quæ fistula, adeo suavem ac temperatam resonabit harmoniam? nam seniora junioribus concordabunt; unde & senectus roboris aliquid accipiet & juventus inordinatè non efferetur. *lib.* 6. *cap.* 14.

Philostratus: Ego tibi Demetrium sodalem meum, regalium morum præceptorem adjungam, hominem cui adest libertas loquendi & vera prædicandi, eaque constantia quæ nullo perterreatur; habet enim vim quandam Cynicam. Cùm Titus, audito canis nomine turbaretur; Telemachus, inquit Apollonius adhuc juvenis apud Homerum inducitur canes habens duos, qui tanquam famuli ipsum comitarentur ad Ithacensium concionem proficiscentem; quamvis hi comites rationis essent expertes. Tibi verò canis aderit, qui pro te adversus alios, & contra te ipsum, si quando peccaveris, sapienter tamen & non sine ratione latrabit. Dato igitur, Titus inquit, pedissequum canem. concedam enim non latrare tantum, sed etiam mordere, quoties injuste aliquid me facientem animadverterit, *lib.* 6. *cap.* 14.

Dio Cassius: Pertinax Imp. non passus est filium suum, puerum adhuc, antequam erudiretur, sacramento obstringi, aut spe nominis Cæsarei corrumpi. Non etiam educabat cum in palatio: sed quo die principatum est adeptus, omnes facultates privatas inter filium filiamque distribuit, eosque apud avum educari jussit; & cum eis, ut pater, non ut imperator, idque perrarò, erat. *lib.* 73. *historiæ Romanæ.*

¶ ROMANORUM.

Corn. Tacitus: Nec multo post Drusus Tiberii Imp. filius in illum vicum missus est, ut suesceret militiæ, studiaque exercitus pararet: simul juvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi, pater, seq; tutiorem rebatur utroq; filio obtinente legiones *lib.* 2. *Annal. cap.* 44.

Corn. Tacitus: Pontifices cùm pro incolumitate Principis vota susciperent, Neronem quoque & Drusum iisdem Deis commendavere. Tiberius in Senatu oratione monuit in posterum, ne quis nobiles adolescentum animos præmaturis honoribus ad superbiam extolleret. *lib.* 4. *Annal. cap.* 17.

Iulius Capitolinus: Filium Pertinacis Imp. senatus Cæsarem appellavit. Sed Pertinax nec uxoris Augustæ appellationem recepit: & de filio dixit; *Cùm meruerit. in vita ejus cap.* 6.

Idem: Filios suos in palatio nutriri noluit. *ibidem, cap.* 13.

¶ POETARUM.

Seneca.

Præferre patriam liberis regem decet.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Aut mali sunt Optimatum liberi, aut fiunt mali.
Cessit & regno Saturnus pulsus a gnato Iove.
Et patri verenda natus, regnet ut solus, secat.
Fama ipsa usque atrocior est, erga exitus regnantium.
Filij Regum ut nascuntur illico haud fiunt mali.
Filijs regum id libet omne, quod licet parentibus.
Firmiora munimenta imperij nulla filijs.
Fortunâ ex paterna usurpant filij licentiam.
Iunior princeps, parasitos fac caveas mensarios.
Nemo regnum patris optat, quam qui mortẽ item expetit.
Nondum intente curis, Regum filios stupris agunt.
Omne quod libet, licere vult sibi, stirps regia.
Pertinent adversa Regum semper adjunctissimos.
Plurimi Reges a natu regno pulsi sunt suis.
Quodlibet sibi, licere filij regum autumant:
Regia unam stirps parentum jactitat licentiam.
Rex pupillus, libertatis, non modò imperij indicet.
Rex qui conjugem natosque haud cogitat, non est pius.
Regibus natorum ingenia displicent civilia.
Sæpe Principem futurum in abdito Fortuna habet.
Stirpis regiæ mentiri haud arduum est originem.

¶ JAMBICA.

Nobilius aliquid genere regali adpetas?
Populi salus Regi anteferenda liberis.
Præferre patriam liberis Regem decet.
Regno timens Saturnus edit filios.
Regum superbam liberi adstringunt fidem.
Semper memento te esse natum Principis.
Summam putat fortunam in luxu Rex puer.
Tuto obtines, quod obtines per filios.

Videantur plura titulo *Regni, Regis, Principum educationis, Principum successionis.*

Rhetoricæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

ARistides Orator: Existimo omnes id assensuros esse, non eadem natura homines natos, sed è duabus partibus alteram vim inferre & aliena invadere solere, quam præstantiorem quis dixerit, non quidem virtute sed viribus; alteram verò vinci, & cùm prohibere nequeat, invitam concedere, quæ est imbecilliorum. hac ergo de causa homines vel Dei hominum gratia, tale quid invenerunt, quod & vim cohiberet, & æquitatis omnibus ac justitiæ quasi pignus esset, idemque tam vulgo prodesset quam eis qui vim excercebant. nam nec ij suarum erant injuriarum mercedem evasuri, quin imbecillioribus à se invicem primum paulatim interfectis, atque ita reliquis semper sublatis, se mutuo denique invaderent, quemadmodum de Spartis legitur; nisi forte hoc etiam indicat fabula.

Quare ne ipsis quidem fortioribus profutura tandem erat ea, quæ primum videbatur felicitas: sed qua re potiores erant, aut potius esse sibi videbantur, hæc erat illis exitio futura. Quocirca ne res humanæ funditus pessum irent, commune quoddam toti generi fuit inveniendum remedium, quod omnibus esset utile, fortibus, imbecillibus, justis: ita ut illi vel injusta agere vetarentur, vel cum injuria punirentur, hi verò securè viverent, postremi autem, quotquot ultrò justitiam colebant, mercedem decentem consequerentur. Inventa est igitur Rhetorica, prodiitque justitiæ custodia, & humanæ vitæ copula; ne vel manibus vel armis vel occupatione, vel multitudine ac magnitudine, vel alia re aliqua inæquali, res discernerentur potius, quam ratio suum cuique tranquille tribueret. hæc igitur est origo Rhetoricæ & natura; hoc ejus propositum, ut omnes homines conservet, & vim persuasione repellat. talibus autem tantisque de causis inventa cùm esset, sola vitalem nobis vitã effecit, cùm & ædes privatas & respubl. in concordiam redigeret; cùm ut docere ac discere omnibus honestum esse præstaret, cùm temeritatem ac tumultus fugere ubique & odisse prima docuisset. *Oratione priore Platon. pro Rhetorica.*

Aristides: At calumniantur quidam Rhetoricæ periti. Atqui & hoc ipsum ad Rhetoricæ dignitatem facit cur? quoniam & Medicinæ periti quidam pharmacis olim quosdam occiderunt, atque etiam alio quodammodo: sed non ideo mala est Medicina, quæ tantum à cæde facienda abest, ut per se quidem mortis, ut ita dicam, sit remedium. Quocirca qui eos, qui occidunt, maximo prosequuntur odio, ij servatores maxime colunt & amplectuntur. Quare & Rhetorica, si quidem injuriosos & adulatores nos efficit, turpis profectò, ignobilis, illiberalis, & bono viro est indigna censenda: sin ad homines & jus oratione conservandum est inventa, quod corpori Medicina, ut Gymnasticam nunc omittam, id animo præstat Rhetorica, quemadmodum in sermonis progressu patuit. Quocirca qui

calumniatores & adulatores maxime aversatur, is eam, quæ optima de causa est instituta, & istarum rerum adfert remedium maximi debet facere. Vt enim si quis occidat, medicinam pollicitus, non simul & medicus est & occidit: verum donec quidem medicus est, id nequaquam faciet, sed potius ab altero inflictum vulnus curabit, simul autem cum occisione artem quoque perdidit: ita & in hac causa non simul & oratores sunt, & calumniantur atque adulantur: verum donec sunt oratores, neutrum istorum nec aliud omnino quicquam turpe in ipsis cernitur, sed & injustos convincũt, & ignaros rerum statum docent, simul autem & hæc amittunt, & Rhetoricam.

Quo fit, ut Rhetoricæ nihil incommodent, cum peccant. tantum enim ab ipsa, quantum ab æquitate absunt. Nam & gubernandi ars, quamvis vectorum salutem se procurare fateatur, possit tamen eorum aliquis, qui in puppe sedent, navem in altum sublatam demergere, atque aliquid aliud efficere simile. Veruntamen nec ideo sugillare debemus artem, nec ajunt gubernatoris comitatum saluti vectorum maxime esse contrarium, neque piratas eodem loco, quo gubernatores, habet quisquam. Oportet enim gubernatorem tam quæ noxia quam quæ sunt navi utilia, cognoscere, sicut & medicum tam quæ periculum, quam quæ salutem corpori adferunt: sed utrobique ars utilia in usum vult adhibere, ac merito quidem, & pro nominis ratione. Ac tantum abest ut is, qui circa hæc malitiose se gerit, artis nomen conservet, ut si quis vel invitus peccet, quod ait Plato, non recte dicamus medicum vel gubernatorem errasse. Donec enim ars locum obtinet, non est errori locus, quandoquidem ex ipsa non licet errare, cum error ars non sit. Multo minus ergo, si quis de industria contra artem agat, artificem dicemus male agere, aut arti esse dedecori, verum potius artem huic duplici esse dedecori. *ead orat. 1.*

Aristides: Ars legum ferendarum postquam eas tulit, mox discedit: ars judicandi quoque post calculum, nihil curat amplius: verum hæc instar insomnis præsidii nunquã cessat excubare, quippe q̃ cũ illis initio fuerit conjuncta, ducendo ac docẽdo, & per se rursus obeat singula, instituens, legatione fungens, ac semper præsens quidvis componens: nec etiamsi omnes injuriæ ac delicta ex hominibus tollerentur, minus erit utilis, quemadmodum legibus & judicibus, hoc si contingeret, nihil foret opus: verum donec & sese mutuo & aliis utentur homines, constabit Rhetoricæ munus suum. *eadem oratione 1.*

Aristides: Jam legium quoque originem conquiramus & si non eadem esse, quæ Rhetorices, comperiatur, quivis hæc pro nugis habens, vincat. Atque id quidem fatebuntur omnes nullam ad rem aliam legibus opus fuisse, nisi ut nihil à nobis invicem damni pateremur, nec mali & audaces probis potiores essent, verum iis jure cederent. Hæc sunt legum duo, ut ita dicam, capita, pæna iniquorũ, & honor justorum. Nec enim potest melius æquitas observari, nec tutius hominum societas contineri, quam si suum cuique tribuatur, hæc autem in Rhetoricæ natura comprehendi constat. Quibus etenim satis erat silentio rem alienam occupare, iis non erat oratione opus, nec ut ipsi vincerent, qui aliunde poterant opem petere, nec ut alios audirent, cum id ipsum in decretis haberent, audire neminem. Qui autem aliter jus suum tueri non poterant, iis opus erat oratione, quæ persuaderet: quod quidem mox erat cum justitia conjunctum.

Nam qui sibi viribusque suis confidit, is quod sibi videtur, qualecumque tandem sit, vult exequi: qui ea considerat & meditatur, quibus etiam aliis persuadeat, is non dubitat, ea quæ captat, qualia sint examinare. Quapropter eandem Rhetorica, quam ars legum ferendarum, est naturam sortita, si quidem utramque diligentes velimus inspicere: atque adeo pars est Rhetoricæ ars legum, atque in omnibus inferior. Primum enim ipsis etiam legibus oratione erat opus ad persuadendum. Etenim si leges ea de causa, ut suum cuique concederetur, erant ferendæ, id autem fortissimis quibusque placiturum non erat, omnino fuit orationem adhibere necessariũ. Nam vim quidem non licebat iis inferre, quibus erat ea naturalis, nec hæc erat legum origo, quæ contra vim ferri debebant. Itaque per vim ferri non poterant, cum id primum contra leges futurum fuerit. Quare persuadendum fuit, ac maxime quidem iis, qui resistebant, ut mox meliores redderentur: aut saltem plerisque, & pro quibus leges ferebantur. Nam illi quidem naturæ suæ instinctum secuti, alios erant injuriis affecturi: hi vero Rhetoricæ suamque secuti naturam, illis benefacturi, si quidem modeste se gerere voluissent. Sin hoc illi non recipiebant, tum plerisque, & pro quibus leges ferebantur, persuadendum fuit, eas ipsorum causa ferri. Oratione igitur & persuasione fuit opus. *eadem oratione 1.*

Aristides: Quin imo quantum fortitudini prudentia, tantum rhetorica bellicæ præstat alacritati. ut enim summatim dicam, nihil est aliud rhetorica; quam prudentia cum facultate dicendi conjuncta; ut non ipse tantum quis optima quæque facere, sed etiam aliis persuadere possit. *Orat. 1. Platonica.*

Aristides paulo post: Quod in corpore Gymnastica simul & Medicina præstant, id in animo & negociis civitatum valet rhetorica. incerta enim num futura sint prævidet concionando: alia ne fiant, legibus ferendis providet: quædam etiam quantum potest conservat: quæ autem gesta sunt corrigit, injustos judicibus tradendo.

Aristides: Ubicunque leges vigent & judicia, ibidem & eloquentia floret. ubi manus potentior jus abripit, nihil ibi per rhetoricã videbis administrari. quid quod unius quasi sortis sunt ac naturã leges, judicia, & orationes. *Orat. 1. Plat. de rhetorica.*

Aristides: Rhetoricam quoque secundum eos qui eam ritè exercuerunt, & revera sunt assecuti, non qui eam avaritiæ suæ vel nequitiæ prætenderunt, examinare convenit per ipsam rei rationem, quamvis eam nemo sit assecutus; & calumniam adulationemque à rhetorica superare; quemadmodum & imposturas ac præstigias à tota Philosophia. *sub finem orationis primæ Platonicæ.*

Philostratus: Negligebant penitus oratoriam facultatem, & ejus disciplinæ professores aspernabantur, quod linguam duntaxat, non etiam mentem redderet eruditiorem. *lib. 8. Apollonij cap. 8.*

Lucianus: Sciscitaris adolescens, quo pacto Rhetor evadere, & venustissimum illud, vulgoque celebratum nomen, Sophista ipse censeri possis. Vitalem enim tibi vitam fore negas, ni talem quandam in dicendo vim assequaris, qua sis inexpugnabilis, & invictus, omnibusque admirandus, & suspiciendus, & celeberrimo nomine apud Græcos dignus videare. Ideo vias eò perducentes, quænam tandem sint, addiscere cupis. Quod non invideo, adolescens: in primis cùm tu ætate juvenili, rerum optimarum cupidus, nescius unde has compares, consilium quæ res est sacra, petiturus me adiisti. Audi igitur quantum utique in me situm est, atque admodum bono animo, quò facultatem summam adipiscaris, & quæ sint necessaria cognoscendi, eaque eloquendi, si posthac iis quæ ex me audieris, acquiescere volueris, eaq; assiduo labore exercere, & alacriter viam capessere, dum ad metam perveneris. Cæterùm rem non exiguam captas, quæ non mediocri studio indiget, sed pro qua multos labores, multasque vigilias subire, ac quidvis sustinere convenit. Considera igitur quàm multi qui antè nullius erant pretii, ob dicendi facultatem clari, divites, ac per Jovem nobilissimi visi sint. Atqui ne timeas, neque ob spectatorum magnitudinem desperes, ratus infinitos labores tibi perferendos. Non enim te per asperam, neque per arduam, ac sudoris plenam viam ducemus, ut ex media fessus regrediaris: siquidem nihil ab aliis differremus, qui per consuetam illam deducunt, longam, acclivem, laboriosam, atque ut plurimum desperatam. Sed nostri consilii præcipuum hoc est, ut per jucundissimam pariter, & compendiosissimam facilemque ac declivem viam, cum multa animi voluptate, deliciisque per florida prata, exquisitamque umbram, quieto, placidoque gressu conscendens, absque sudore summo insistas vertici, & veneris indefessus, ac per Iovem, epuleris discumbens, ac illos qui per aliam incedunt viam in ascensus clivo ab edito despicias, adhuc per confragosa, & lubrica præcipitia, vix surrepentes, ac nonnunquam in caput devolutos, multaque vulnera cautium asperitate accipientes. Tu verò multò antè in summo coronatus, fœlicissimus eris, brevi universa quæ à Rhetorica promanant bona, propemodum dormiendo consequutus.

Hæc utique promissio est admodum magna: verùm per Iovem amicitiæ præsidem, ne diffidas, si facillimè pariter, & jucundissimè hæc tibi nos demonstraturos affirmamus. Si enim Hesiodus cùm pauca ex Helicone folia accepisset, protinus ex pastore poeta evasit, & numine Musarum afflatus, Deorum & Heroum genus decantavit, an Rhetorem, qui est multo infra poetices magniloquẽtiam, brevi evadere erit impossibile, ei qui compendiosissimam viã didicerit? Itaque ego tibi narrare volo Sidonii cujusdam mercatoris consilium, quod ob incredulitatem imperfectum, ac audienti inutile remansit. Imperabat jam Persias Alexander, cùm pugna Arbelis commissa Darium profligasset: ac oportebat undique imperii tabellarios disponere, qui Alexandri ferrent edicta. Erat verò ex Persis longissima in Ægyptum via: siquidem montes circumire oportebat, hinc per Babyloniam in Arabiam venire, tandem peragratis longis desertis vix tandem in Ægyptum pervenire. Quod viginti longissimarum stativarum iter homo expeditus vigesimo die confecisset. Id ægrè ferebat Alexander, quoniam audiebat Ægyptios nonnihil tumultuari, nec habebat quo pacto quæ sibi agenda viderentur, Satrapis celeriter significaret. Tum mercator Sidonius, Ego rex, inquit, viam haud longam ex Persis in Ægyptum, me tibi ostensurum polliceor. Etenim si quis hos montes superarit, superarit autem triduo, confestim in Ægypto erit. Et sic se res habebat: verùm Alexander non credidit: sed deceptorem esse mercatorem existimavit.

Ita quamplurimis promissiones admirandæ incredibiles videntur. Sed cave idem tibi accidat. Etenim experientia cognosces, quò nihil prohibebit Rhetorem censeri, uno neque integrò die, montem ex Persis in Ægyptum transgressum. Cæterùm volo tibi, quemadmodum Cebes ille, primùm imaginem sermone describere, qua viam utramque ostendam (Etenim duæ sunt, quæ ad Rhetoricam perducunt) quam non mediocriter amare mihi videris. Illa itaque in eminenti solio sedet: admodum formosa, & aspectu eleganti, dextra tenens Amaltheæ cornu fructibus scatens omnifariis. In altera verò puta te Divitias videre adstantes, prorsus aureas, & amabiles. Adsint etiam Gloria & Potentia: circum ipsam verò laudes permultæ, parvis amoribus similes involuantur volitantes undique instar Nili, si aliquando depictum illum vidisti, crocodilo alicui, vel equo fluviatili insidentem: sicuti in eo plerique depingunt: parvos autem puerulos, quos Ægyptii Peches vocant, circum ipsum lusitantes: tales & circum Rhetoricam laudes. Tu verò amator accedis, desiderãs scilicet quàm celerrimè in summum evadere, ut quum ascenderis, eam uxorem ducas, illaque o-

mnia habeas, divitias, gloriam, laudes, lege enim cuncta fiunt mariti. Inde quum appropinquaris monti, initio quidem desperabis, eaque res tibi videbitur, qualis Macedonibus apparuit Aornus, eam undique præruptam conspicantibus, & vix avibus transvolatu facilem: Baccho aliquo, vel Hercule si subruenda foret, indigentem. Et ita initio tibi videbitur. Deinde paulò pòst, duas cernes vias. Vel potiùs, altera est semita angusta, spinosa, aspera, multum sitis ac sudoris præ se ferens: quam jam antea Hesiodus scitè ostendit, ita ut mei nihil indigeas. Altera verò lata est, florida, irrigua, qualem paulò antè dixi: ne eadem sæpius repetens, te qui jam Rhetor esse posses, detineam.

Tantùm hoc addendum videtur: nempe asperam illam, & arduam non habere multa viatorum vestigia: sed si aliqua, ea valdè vetusta. Per illam ego miser ascendi tantum laborans cùm haud necesse esset. Altera verò undique plana, nihílque habens confragosi, mihi non calcata, è loginquo apparuit, qualis sit. Haud enim cùm adhuc juvenis essem, quid optimum foret, cernebam: sed poetam illum vera loqui existimabam, dicentem, Ex laboribus germinare bona. Illud verò minimè sic se habebat. Multos enim video absque labore in majorem dignitatem evectos, fœlici orationum & viarum electione. Quum verò ad initium perveneris, probè novi te hæsitaturum. Iamque dubitas ad utram sit vertendum. Quid igitur jam tibi faciendum sit ut facillimè ad summum ascendas, fortunatus evadas, uxorem ducas, & admirabilis omnibus videaris, ego tibi expediam. Satis enim est me ipsum deceptum esse, & laborasse. Tibi verò nec sata, nec culta, tanquam Saturni tempore, omnia proveniant. Confestim igitur accedet ad te, vir quidam robustus, subdurus, gressu virili, multum solis in corpore ostendens, aspectu masculo, vigilans, asperæ illius viæ dux, nugas quasdam ineptus narrans, ut se sequaris cohortans, Demosthenis, Platonis, & aliorum quorundam vestigia demonstrans, magna quidem, ac præsentibus majora, sed jam obscura, & pleraque tempore obliterata. Addet te te beatum fore, ac lege nupturam tibi Rhetoricam, si per illa incesseris, velut qui super funes gradiuntur: si verò vel tantillum transgrediaris, vel extra rectum tramitem, aut in alteram partem magis inclines incessu, te à recta via, & ad nuptias deducente aberraturum. Inde te priscos illos viros imitari jubebit, inutilia orationum proponens exempla, nec imitatu facilia, qualia vetustæ sunt constructionis, Hegesij, Crateris, & Nesiotæ, constricta, nervosa, dura, lineisque accuratè producta. Laborem autem, vigilias, aquæ potum, & squalorem, hæc omnia necessaria, & inevitabilia dicet: cùm sine iis viam conficere sit impossibile. Et quod omnium molestissimum, longum peregrinationis tempus tibi præscribet, annos multos: non per dies, non per triennia, sed per integras Olympiades numerans: adeò ut hoc audiendo ante laborem defatigeris, animumque despondeas, illa fœlicitate sperata longum valere jussa. Insuper non parvam horum malorum mercedem reposcet: sed neque dux esse incipiet, quin priùs magna dona acceperit. Hic quidem, dicet ista, superbus, & revera priscus, ac ætate desipiens homo, mortuos veteres ad imitationem proponens, & jampridem defossas orationes eruere dignum censens: ac gladiarii fabri, vel intrepidi grammatistæ filium vellet imitari: idque in pace, neque Philippo ingruente, neque Alexandro imperante.

Quo tempore illorum sermones visi sunt utiles, ignorans qualis nunc inventa sit nova, brevis, facilis, rectaque ad Rhetoricam via. Sed tu nec credas, nec attendas ipsi, ne te alicubi acceptum præcipitet, vel demum, priusquam tot labores exhauseris, in senium perducat. Sed si omnino amas, vísque brevi cum Rhetorica congredi, adhuc vigens, ita ut ab ipsa redameris, aspero huic homini, & immodicè virili longum valere dicas, & ascendat ipse, aliósque quotquot poterit decipere, sursum ducat, quos anhelantes, & multo sudore perfusos destituat. Quum verò ad alteram viam veneris, complures alios, atque inter hos perquam sapientem, & perpulchrum invenies virum, molli incessu, cervice infracta, vultu effœminato, voce suavi, unguenta spirantem, summo digito caput scalpentem: capillos quidem paucos adhuc, crispos tamen, & hyacinthinos componentem, perquam delicatum Sardanapalum quendam, vel Cinyram, vel Agathonem ipsum lepidum illum tragœdiæ poetam. Hæc ideo refero ut hinc illum cognoscas, ac res tam divina, Venerique & Gratiis grata, minimè te lateat. Sed cur hæc dico? Etsi ad te nictantem accesserit, & aliquid, Hymettium illud os aperiens, & consuetam vocem emiserit, quamprimum intelliges eum non esse ex nobis quempiam qui terræ fruges comedimus: sed peregrinum spectrum, rore vel ambrosia enutritum. Itaque si ad istum accesseris, eique te tradideris, protinus Orator eris, etiam admirandus: & ut ipse vocat, rex in orationibus citra laborem evades, orationis moderans quadrigas. Nam te assumptum prima illa docebit. Sed potiùs ipse te alloquatur: siquidem ridiculum est me pro hujusmodi oratore verba facere, malum forsitan, talium tantorumque nimum, ne quem ago heroem, alicubi lapsus conteram.

Te igitur ita compellabit, reliquam adhuc tibi comam demulcens, & tenerum illud ac jucundum subridens, ut solet Comicam Thaidem, vel Malthacen, vel Glyceram, blanditia vocis imitatus. Nam asperum est virile robur, nec ad mollitiem & blanditias oratoris aptum. Dicet igitur de seipso perquam modestè loquens. Num ô bone, te Pythius ad me misit, Rhetorum præstantissimum appellans, ut Chærephonti olim perquirenti ostendit, quisnam ex cum viventibus esset sapientissimus? At si id non est, sed fama commotus venis, quoniam audieris omnes me summopere admirari, celebrare, obstupescere, & revereri, confestim intelliges ad quàm divinum virum venias. Expectabis autem te nihil tale visurum, quod cum hoc vel illo compares. Sed veluti aut Tityus aliquis, aut Otus, aut Ephialtes, res omnino supra illos admiranda, & prodigiosa tibi videbor. Siquidem invenies me alios tantum voce antecellere, quãtum tuba tibias, & cicadæ apes, & chori eos qui remissè canunt. Postquam verò & ipse Rhetor evadere cupis, idque haud facilè ab alio addiscere potes, solùm ô gloriolæ studium, ea quæ dico, sequere, ac omnia imitare: leges quoque quibus uti te jubeo, diligenter observa.

Quin potiùs jam accede nihil cunctatus, nec deterritus, si non fueris iis initiatus, quæ ante Rhetoricam alia præexercitatio multo labore, stultis & vanis hominibus ad viam patefaciendam proponit. Nullius enim eorum indigebis, Sed quod inquit parœmia, pedibus illotis ingredere, nihilo propterea deterior futurus, non si vel communissimum illud, nempe literas scribere nescias. Nam supra hæc omnia aliud quid est. Rhetor. Primùm autem dicam, quodnam viaticum ad iter conficiendum, tibi sit domo afferẽdum venienti, & quomodo parandus victus, quò possis illud quàm celerrimè conficere. Deinde ipse, alia procedenti per viam ostendẽs, alia verò ante solis occasum admonens, oratorem quovis potiorem te efficiam, qualis ipse sum, qui sine dubio, primas, medias, ultimasq; partes teneo eorum qui ad dicendum animum appellunt. Ergo quod est maximum, ignorantiam affer: deinde temeritatem: præterea audaciam, & impudentiam. Pudorem autem, æquitatem, modestiam, & verecundiam domi relinque. Nam sunt inutilia, & huic negotio adversantur. Quinetiam clamorem altissimum, ac cãtum inverecundum, meoq; similem incessum: siquidem hæc sunt perquam necessaria, solaq; interdum sufficiunt. Vestis autem sit venusta, & candida, Tarentini opificii opus, ut corpus transpareat. Crepida verò Attica, & muliebriter multifida, solea Sicyonia, socculis albis decorata, pedisequi multi, libellusq; semper. Hæc te conferre oportet. Alia per viam procedendo jam vide, & audi. Nam tibi leges enarrabo, quibus si usus fueris, Rhetorica te cognoscet, & admittet, non autem adversabitur, odioque prosequetur, tanquam non initiatum, & arcanorum exploratorem. Proinde primò quidẽ formæ potissimùm & decori vestitus gerenda cura. Deinde quindecim, aut non plura quàm viginti Attica quædam vocabula selecta, diligentérque exercitata, summa in lingua in promptu habe, quædam, deinde, num quodammodo, optime, atque id genus alia. Et in omni oratione, illa ceu condimentum insperge. Nulla tibi sit aliorum cura, si sint hisce dissimilia, incongrua, & absona. Tantummodo purpura sit pulchra, ac florida, licet pallium ex crassioribus pellibus sit consutum.

Deinde ubi obsoleta, & peregrina, raroq; ab antiquis usitata verba collegeris, hæc in eos ejaculare, cum quibus converseris: sic enim te vulgus intuebitur, & admirandum putabit, tuamq; supra se eruditionem, si ἀποςλεγγίσασθαι, τὸ ἀποξύσασθαι *abradere*, dicas, & τῷ ἡλίῳ θέρεσθαι, *soleuri* εἱληθερεῖσθαι, & *arrhabonem*, προτίμιον, & τὸν ὄρθρον *crepusculum* ἀκροκνεφές. Nonnunquam etiam tu nova finge, & monstrosa vocabula: ut *interpretandi peritum* εὔλεξιν, & *honestorum prudentem* σοφίνουν, *saltatorem* autem χειρίσοφον. Quum verò solœcismum, vel barbarismum commiseris, unum tibi sit remedium, impudentia. Confestimq; in promptu sit nomen poetæ vel scriptoris alicuius, qui neq; unquam fuerit, à quo sapiẽte viro, & voce summa absolutè claro, probetur hæc loquendi formula. Proinde tute ne prisca legas, neq; quæ nugator Isocrates, vel gratiarum expers Demosthenes, vel Plato frigidus scripta reliquere: sed orationes eorum qui paulò antè nos fuere, & quas exercitationes appellant, ut tãquam ex penu depromẽs, ab iis commeatum mutueris, quo in tempore utaris. Quum verò orandum erit, & qui aderunt, argumẽtum aliquod, aut dicẽdi occasionem tibi suggesserint: quæcunq; fuerint illa, difficilia dicantur, & vilipẽdantur, tanquam nihil prorsus his insit virile. Quum verò elegeris argumentum, nihil cures, & dicito quicquid in linguam venerit, eorum nihil solicitus, ut primum, prout est primum debito proferas tempore: deinde secundum, postea tertium. Verùm quicquid primum inciderit, primum dicatur: & si ita evenerit, ocrea capiti, tibia galeæ adaptetur.

Præterea festina, loquere expeditè, ac tantummodo ne taceas. Quod si de contumelioso, aut mœcho quopiam Athenis verba facias, quæ apud Indos, & Ecbatanos gerantur, referas. In omnibus sit Marathon & Cynægirus, sine quibus nihil fiat, semperque Athos navigetur, & Hellespontus pedibus teratur, & sol Persarum sagittis obumbretur, Xerxes fugiat, Leonidas sit admirationi, & Otryadis literæ legantur, & Salamis, & Artemisium, & Plateæ multa sint & crebra. Pauca verò illa vocabula inspersa innatent & efflorescant: & continuum sit illud quædam, & utique, etiamsi non sit iis opus, nam pulchra sunt, vel temerè prolata. Et si quando canendi tempus videtur esse, omnia canantur, & melos fiant. Si verò desit canorum negotium, quum judices concinnè nominaveris, harmoniam explesse te puta. At illud heu malorum! sæpius repetatur, & femur percutiatur, vocem dilata, & in dicendo screa, ac incedendo clunes diverte. Quòd si te haud laudent, indigneris, eosque conviciis insecteris. Si verò surrexerint, jam præ pudore parati exire, sedere jube: sitque penitus res tyrannica. Vt verò multitudo quoque tuam

tuam orationem admiretur, ab Iliacis incipiens, vel per Iovem, si videtur, à Deucalionis & Pyrrhæ nuptiis ad præsentia sermonem devolve. Etenim qui hæc intelligant, pauci erunt, qui maximè propter benevolentiam tacebunt. Quòd si quid dixerint, id ob invidiã facere videbuntur. Sed vulgus, habitum, vocem, gressum, deambulationem, cantum, crepidam, & tuum illud, atta, mirabitur: teque sudantem cernens, & anhelantem, non poterit non credere, te perquam aptum esse in dicendo certatorem. Præterea hæc celeritas, non parvam habet excusationem, & admirationem apud vulgus. Ideo cave ne aliquando scribas, aut meditatus prodeas: siquidem illud est manifestæ redargutionis.

Amici verò saliant semper, ac cœnarum pretium exolvant, si quando memoria te lapsurum sentiant, manum porrigentes, & inter laudes tuas, spatium præbentes, ut quod erat dicendum, rursus invenire possis. Etenim & hoc tibi sit curæ, ut proprium, & consonantem habeas chorum. Et hæc tibi in dicendo sunt observanda. Postea te, ubi processeris, more satellitum stipent obvelatum, & de iis quæ dixisti, interea differentem. Quòd siquis obviam tibi fiat, mira de te dicas, summisque laudibus te extollas, ipsique molestus fias. Quid enim præ me est Pæaniensis? & mihi fortè adversus aliquem ex veteribus est certandum: & alia huiusmodi. Sed quod est maximum, maximeque ad existimationem necessarium, propemodum omisi. Omnia quæ dicuntur irride: & si quis rectè dixerit, aliena, non sua ostentare videatur: quòd si mediocriter egerit, omnia carpantur.

Præterea post cunctos in auditoria ingrediendum: id enim insigne est,: omnibusque tacentibus, nova laus subdenda; quæ præsentium aures avertat, & interturbet: adeò ut omnes fastidium vocum nauseent, & aures obstruant. Interim manum haud frequenter moveas, id enim vile: nec nisi semel aut bis ad summum surgas. Plerunque autem subsanna, & palàm ostende tibi non placere quæ dicuntur. Abundè autem reprehensionum sycophanticis aures suppeditabunt. Cæterùm, confidere oportet. Etenim audacia, impudentia, mendacium promptum, ac semper summis in labijs juramentum, in omnes invidia & odium, & maledicentia, & probabiles calumniæ, hæc omnia te brevi celebrem, & conspicuum reddent. Et hæc quidem sunt palàm facienda, & foris. Privatim verò res omnes perpetrare constituas: alea ludere, inebriari, mœchari, superbire, & si non facis, omnibusque dicere, & literas à muliebribus scriptas ostendere. Nam & pulcher esse velis, & des operam ut à fœminis amari videaris. Vulgus enim hoc ad Rhetoricam referet, ut propter hoc etiam, usque ad gynæceum sis celebris. Atque istud ne vereare, etiamsi à viris ob quippiam aliud amari videaris, idque cùm jam sis barbatus, atque adeò per Iovem calvus. Sed adsint qui etiam ob id tecum consuetudinem habeant: at si nemo alius adfuerit, vel famuli sufficient. Nam hinc multa ad Rhetoctior imtilia accedunt, auricam upudentia, & temeritas. Cernis ut loquaciores sunt fœminæ, virosque superant conviciandi copia? Quòd si similia tibi accidant, cæteris præstabis. Iam verò & per omnia pice oblita depilari oportet: sin minus per illa prorsus. Os quoque ipsum ad omnia libenter tibi diducatur: & lingua sermonibus, & quibuscunque poterit aliis, subserviat. Potest autem non solùm solœcismum, & barbarismum committere, vel nugari, pejerare, conviciari, mentiri, calumniari: sed & aliud quid noctu agere. Et maximè quando tu unus tot amatoribus non sufficies, ipsa quidem omnia sciat facere, & fœcundior fiat, & nihil aversetur. Hæc si rectè didiceris puer, potes autem, cùm in iis nihil sit grave, audacter polliceor, te brevi Oratorem præstantissimum, nobisque similem evasurum.

Cæterùm quæ sequentur, mihi non dicendum, quàm multa bona tu à Rhetorica sis brevi consequuturus. Cernis enim me, qui ex obscuro patre, nec merè libero, quique diutius quàm Xoes, & Thmuis serviverit. matre verò sartrice, in bivio quodam natus sum. Ipse verò forma non omnino illiberali esse visus, sub initium ob victus penuriam, cum infœlici, suavi tamen conversabar amatore. Postquam autem viam hanc facillimam esse animadverti, eaque absoluta fastigium attigi: siquidem ô Adrastea chara, mihi omnia illa quæ antè dixi, viatica suppetebant, temeritas, ignorantia, impudentia. Primùm quidem non amplius desiderabilis appellor: sed jam Iovis & Ledæ filiis factus sum cognominis. Dein cum anu consuescens, primùm ab ipsa laurè accipiebar, simulans me amare mulierem septuagenariam, quæ dentes quatuor reliquos, eosque auro illigatos habebat: verumtamen ob paupertatem hunc laborem sustinebam: illaque capularis vetulæ oscula, fames reddebat mihi suavissima. Deinde parum abfuit, quin omnium bonorum quæ possidebat, hæres evaserim, nisi execrandus quidam famulus venenum ad illam tollendam à me emptum illi indicasset. Ob id in caput præceps ejectus, tamen neque tunc rebus necessariis carui: sed & orator esse videor, & in judiciis contendo causam plerunque prodens, & judicium gratiam fatuis promittens. Vt plurimum tamen succumbo, ac nihilominus viridi palma fores coronantur. Nam his erga infœlices illecebris ûtor. Præterea ab omnibus odio haberi, & morum pravitate, longè priùs quàm sermonum esse insignem, ac digito monstrari, en ille qui cunctis flagitiis præcellere fertur: non parva res esse mihi videtur. Hæc te moneo per Venerem, quæ meipsum multò priùs monui, nec gratiam exiguam mihi ipsi comparavi. Esto: generosus ille hæc dicere desinet. Tu verò si dictis credas, ibi te esse puta quò pervenire ab initio desiderabas, & nihil obstabit si leges has observaris, quominus in judiciis vincas, apud multitudinem clareas, & acceptus sis, & tibi nubat, non anus quæpiam Comica, quemadmodum legislatori illi & præceptori tuo, sed mulier pulcherrima, Rhetorica ipsa: ita ut cùm illo Platonis curru alato veharis, magis te deceat de te ipso loqui, quàm illum de Iove. Ego verò ignavus cùm sim, & timidus, è via vobis decedam, & Rhetoricæ ope ex obscuro emergere desinam, ignarus quo pacto vestra cum illa conveniant. Quin potiùs jam desino. Itaque sine pulvere victores proclamemini, & admirationi sitis, hoc solùm memoria tenentes, vos qui visi estis velociores, non superasse nos celeritate, sed quia facillimam pronamque viam inivistis. *Rhetor. præcept.*

¶ ROMANORUM.

Ennodius: Post apicem divinitatis ego illa sum, quæ vel commuto si sint facta, vel facio. quantisvis actionum tenebris involuto lux sufficit, quam loquendo contulero. Ego sum, per quam expectant homines reatum de turbida, & innocentiam de serena: per me fusca splendorem conscientia, per me luce sua radians adventitia nocte tegitur. vel si sit ignara tenebrarum, est quod nec confidit puritas, nec culpa suspirat. Ad meum compendium ubicumque est Romanus invigilat. fasces, divitias, honores, si non ornaveris, abjecta sunt. nos regna regimus, & imperantes salubria jubemus. Quid quod declamationum nostrarum oblectatio vincit universa, quæ sapiunt, & opinionem quam conciliamus, æterna est? Ante scipiones & trabeas est pomposa recitatio. de virorum fortium factis, quod volumus creditur. actum nemo æstimat, quod silemus. nobilia germina, ex nobis fusa, orbem totum sole claræ perfectionis irradiant. Poetica, Iuris peritia, Dialectica, Arithmetica, cùm me utantur qua genitrice, me tamen asserente sunt pretio. *Paneg. didascal.*

Petronius Arbiter: Num alio genere furiarum declamatores inquietantur, qui clamant, Hæc vulnera pro libertate publica excepi; hunc oculum pro vobis impendi: date mihi ducem qui me ducat ad liberos meos; nam succisi poplites membra non sustinent. Hæc ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc & rerum tumore, & sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut cùm in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri; quia nihil ex iis quæ in usu habemus aut audiunt, aut vident: sed piratas cum catenis in littore stantes, & tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis ut patrum suorum capita præcident; sed responsa in pestilentiam data, ut virgines tres aut plures immolentur; sed mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaque quasi papavere & sesamo sparsa. Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quàm bene olere qui in culina habitant.

Pace vestra liceat dixisse; primi eloquentiam perdidistis. lævibus enim atque inanibus sonis ludibria quædam excitando, effecistis, ut corpus orationis enervaretur & caderet. Nondum juvenes declamationib. continebantur, cùm Sophocles aut Euripides invenerunt verba quibus deberent loqui: nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, cùm Pindarus novemque Lyrici Homericis versibus canere timuerunt. Et ne poetas quidem ad testimoniũ citem, certe neque Platona, neque Demosthenem ad hoc genus exercitationis accersisse video.

Grandis, ut ita dicam, & pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali pulcritudine exurgit. nuper ventosa istæc & enormis eloquentia Athenis ex Asia commigravit, animosque juvenum ad margina surgentes, veluti pestilenti quodam sidere afflavit; semelque corrupta eloquentiæ regula stetit, & obmutuit. Quis postea ad summam Thucydidis, quis Hypetidis ad famam processit? ac ne carmen quidem sani coloris enituit; sed omnia quasi eodem cibo pasta, non potuerunt ad senectutem canescere. Pictura quoque non alium exitum fecit, postquam Ægyptiorum audacia tam magnæ artis compendiariam invenit. *Satyrico.*

¶ POETARUM.

Ennodius paneg. didascal. loquitur Rhetorica.

Nos vita maculas tergimus artis ope.
Si niveo constet merito quis, teste senatu,
Cogimus hunc omnes dicere nocte satum.
Et reus, & sanctus de nostro nascitur ore:
Dum loquimur, captum ducitur arbitrium.
Lana Tarentina laus urbis, gemma, potestas,
Qui sunt ad nostrum juncta supercilium?
Quid nostris servit studiis, mox imperat orbi.
Nil dubium metuens ars mihi regna dedit.

Risus, atque Irrisionis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

S. *Clemens Alexandrinus*: Rerum ridicularum, vel ridendarum potius actionum imitatores, exigendi sunt à republica nostra.

Cùm

Cùm enim verba omnia à cogitatione & moribus emanent, fieri non potest ut verba aliqua emittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis. Illud enim: Non est arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor mala quæ facit fructus bonos, hic quoque applicandum est. Sermo enim fructus est cogitationis. Si ergo qui risum movent sunt exterminandi à nostra republica, longe absit ut nobis permittamus risum movere. Absurdum enim est, quorum auditores esse prohibitum est, esse eorum imitatores. Multo autem est absurdius, studere ut ipse sis ridiculus, hoc est, probris incessendus & irridendus.

Si enim nemo ridiculam figuram suscipere, quemadmodum in pompis videmus nõnullos, sustinuerit: quomodo internum hominem magis ridiculam sustinere figuram jure passi fuerimus, idque palam? Quare non debemus sponte ridiculam assumere personam: multo autem magis est cavendum, ne in verbis esse & videri ridiculi velimus, id quod est omnium quæ sunt in homine longe preciosissimum, nempe sermonem ac ratione ludibrio habentes? Ridiculum est ergo hæc exercere, quandoquidem nec hujusmodi ridiculorum hominum oratio digna est quæ audiatur: per hæc nomina ad turpia facta consuefaciens. Urbane ergo & lepide loquendum est, non risus autem movendus: quinetiam ipse risus est comprimendus. Nam ipse quoque, si quomodo oportet proferatur, præ se fert decorem & honestatem: sin aliter prodeat, indicat intemperantiam. Nam, ut semel dicam, quæcunque sunt naturalia hominibus, ea ab illis minime tollenda sunt, sed eis potius modus & conveniens tempus adhibendum est. Non enim quoniam homo est animal facultate ridendi præditum, ideo perpetuo ridendum est, quandoquidem nec equus, cujus est proprius hinnitus, semper hinnit. Tanquam autem animalia ratione prædita, oportet nos temperate componere ut gravitatis severitatem nostræ, nimiumque intensam vehementiam moderate remittamus, non autem inconcinne dissolvamus.

Quæ vultus enim tanquam alicujus instrumenti fit per harmoniam decora remissio, appellata est Græce μειδίαμα, hoc est, subrisio. Ita & in vultu modestorum hominum, quæ est diffusio, risus dicitur. Immoderata autem & inconcinna vultus dissolutio, si sit quidem in mulieribus, appellatur Græce κιχλισμὸς, hoc est, risus immodestus & lascivus: is est autem risus meretricius: si vero in viris, καγχασμὸς, hoc est, cachinnatio. Est autem risus insolens & protervus ac procis conveniens. Stultus autem in risu extollit vocem suam, inquit Scriptura: Vir autem astutus vix sensim subridebit, Astutum autem nunc dicit prudentem, qui contrario modo quam stultus affectus est. Sed neque rursus oportet esse tristem, sed gravem & cogitantem: illum enim magis admitto subridentem, qui severa visus est facie subridere, quam qui non severa: minus enim fuerit risus ille irridendus. Oportet autem ipsum quoque subrisum doceri & castigari, & si ob turpes res excitatus fuerit, erubescere potius videri quam subridere, ne videamur per consensum collætari: si autem de rebus molestis, convenit potius tristiores videri, quam lætari, Illud enim est considerationis humanæ indiciũ, hoc autem exhibet crudelitatis existimationem. Neque enim est semper ridendum: est enim immoderatum: neque si adsint seniores, vel aliqui quos æquum est revereri: nisi forte ipsi quoque ut nos exhilarent, urbane aliquid & lepide dixerint.

Sed neque apud quoslibet ridendum est, neque in omni loco, sed neque omnibus, neque propter omnia. Maxime enim in adolescentulis & mulieribus risus facile ad calumniam trahitur. Terribile autem aliquid & rigidum præ se ferre eminus, abigit vicinos. Potest enim vel solo aspectu petulantiæ impetus frangere ac reprimere gravitas. Omnes vero verbo ut dicam, insipientes vinum:

Et ridere jubet, molle, & saltare lubenter

mores effœminatos convertens ad mollitiem. Est autem considerandum, quomodo hinc profecta dicendi licentia usque adeo auget turpitudinem & amplificat, ut ad turpiloquium usque eam perducat.

Et dixit, quod erat melius non dicere, verbum.

Improborum itaque hominum maxime in vino perspici solent mores, ut qui sunt omni simulatione nudati, propter illiberalem ejus quæ in vino oritur petulantiæ licentiam; per quam sopitur quidem ratio, quæ in ipsa anima ebrietate oppressa est & gravata: agrestes autem & omni urbanitate carentes excitantur affectiones, quæ in animi imbecillitatem facile dominatum occupant. *lib. 2. Pædagogi cap. 5.*

D. Nazianzenus: Quænam risum ita irrisit, ut Gorgonia? adeo ut vel leniter subrisisse, nimium plenè ipsi videretur. *Oratione 11.*

D. Io. Chrysostomus: Et quod malum est, inquit, risus? Non malum est risus, sed malum est id quod est præter modum, id quod est intempestivum. Insitus est nobis risus, ut quando viderimus amicos post longum tempus, hoc faciamus: quando aliquos perculsos & territos, ut subridendo eos recreemus & relaxemus, non ut cachinnos edamus & semper redeamus. Animo nostro insitus est risus, ut aliquando relaxetur animus, non ut diffundatur. Nam & nobis est insita corporum cupiditas, & non propterea quòd est insita, omnino ea uti necesse est, aut uti immoderatè, sed ei imperamus & eam continemus, nec dicimus, Quoniam inest utamur. Deo servi cum lacrymis, ut possis abluere peccata. *Homilia in Epist.*

❡ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Si quando, inquit Iob, ridebam ad eos, non credebant. Risus levitatis indicium est, & quo potentior, eò pudentior & reprehensibilior est. Ait enim, stultus in risu exaltat vocem suam. & Salvator flevit; qui utique risisse non legitur. neque enim facile crediderim pronum esse ad cachinnum, qui sub tanta ambiguitate de risu loquitur, ut etsi riserit, non credatur. *libro 5. Policratici cap. 6.*

❡ Philosophorum Oratorumq; Graecorum.

Hippocrates: Res & amicitia urget, ut quàm citissimè in Abderam trajiciam. Ægrotantem enim urbem, propter unum Democritum morbo affectum curare volo. Si quando de hujus viri fama accepisti, hunc patria dementiæ insimulat. At ego volo, imò verò exopto, illum re vera non delirare, sed eos ita opinari. Ridet semper inquiunt, neque in quovis negotio ridere cessat, hocque illis insaniæ signum videtur. Quare nostros qui Rhodi sunt amicos moneto, ut semper modum teneant: neque multum rideant, neque multùm tetrici sint; sed inter hæc modum teneant, uti his quidem gratissimus esse videaris, illis verò commentationi deditus; de virtute anxiè cogitans. Inest certè Damagete vitij aliquid, quòd ad singula rideat. Si enim immoderantia vitiosa est; quæ perpetua vitiosior. Eum autem sic alloquar, Democrite, si quis ægrotet, si quis interficitur, moritur, & obsidetur, & si quid mali incidit, & quicquid fit, materiam tibi risus præbet. An non bellum diis indicere videris, si cùm duo sint in mundo; gaudium & tristitia, alterum à te rejeceris? Beatus certè mihi videaris, verùm id fieri nequit, si neq; mater tibi ægrotet, neque pater, neque tandem liberi, aut uxor, aut amicus, sed ut propter tuum risum conserventur, omnia certè tibi prosperè cedunt. Sed quòd cùm ægrotant rides, cùm moriuntur gaudes; si quod malum audieris, exhilararis, maximè improbus es Democrite, longeque à sapientia aberras, si hæc vitia non existimas. Atra igitur bile vexaris Democrite, & periclitaris ne ipse Abderitanus habearis, prudentior autem sit civitas. *Epist. 9. ad Damagetum.*

Hippocrates: Tum ego. At verò sapientum optime Democrite (huius enim tui affectus causam deprehendere cupio) quonam tibi risu dignus visus sum, aut ei quæ dicta sunt, ut hoc cognito, causa desistam, vel tu reprehensus, importunos hos risus summoveas. Tum ille, si (mehercule) inquit, redarguere me poteris, curationem Hippocrates, qualem nullus unquam, feceris. Et quomodo (inquam) optime, reprehensione dignus non videaris, aut te absurdum non esse putas, si hominum mortem rides, aut morbum, aut demẽtiam, aut insaniam, aut melancholiam, aut cædem, aut quid pejus? Aut contrà, nuptias, aut conventuum celebritates, aut liberorum natales, aut mysteria, aut magistratus, aut honores, aut aliud quid prorsus bonum? Quæ enim commiseratione digna sunt rides, & de quibus lætari oporteat, ea etiam derides, adeò ut apud te neque boni neque mali ullum sit discrimen. At ille, rectè quidem dicis Hippocrates, verùm risus nostri causam nondum nosti, quam cùm didiceris, certus sum quòd meum risum meliorem curationem pro tua legatione patriæ tibique ipsi vicissim reportabis, qua etiam alios prudentiores reddere poteris. Pro quibus fortasse me etiam Medicinam mutuò docueris, ubi cognoveris quanto studio omnes homines ad ea quæ negligenda sunt & nullius pretii facienda contendunt, & in his quæ risu digna sunt consectandis vitam consumunt.

Tum ego, dic per Deos, inquam, nunquid omnis mundus se ægrotare ignorat, neque habet unde sui orationem legatione accersat? Quid enim extra eum esse potest? Quo audito, multæ (inquit) sunt Hippocrates mundorum infinitates, nolique (amice) naturam divitem ut parvam existimare. Sed hæc Democrite (inquam) suo tempore docebis. Vereor enim ne si quando infinitatem percensueris, ridere incipias. Nunc verò de tuo risu in vita reddendam esse tibi rationem puta.

At ille admodum perspicuè in me intuens, Duas inquit, mei risus causas existimas, bona & mala. At ego unum hominem rideo, amentia quidem refertum, rectè factis vacuum in omnibus consiliis pueriliter agentem, nullius utilitatis gratia immensos labores tolerantem, terræ fines & infinitos recessus agent, & auri comparandi gratia immoderatis cupiditatibus peragrantem, & nunquam ab his comparandis cessantem, semper verò ad copiam tumultuãtem, ne si ea destituatur, pudore suffundatur, quòd felix non dicatur. Quòd in terræ hiatus inquirens eorum manibus effodiat, qui partim quidem à terra inani irruente intereunt, partim verò diutiùs hac necessitate detenti, in supplicio tanquam in patria permanente, aurum & argentum perquirentes, pulveris vestigia & ramẽta pervestigantes, arenam aliam aliunde excitantes, & terræ venas excindentes, ad opulentiam semper terram matrem, tanquam hostilem, in glebas proscindunt, quam etiam cum admiratione calcant. Quantùm verò rideri debet quòd terram latentem cum labore amant, apertam contumelia afficiunt.

Canes emunt, quidam etiam equos, quidam verò multa circumscripta regione eam sibi adscribunt, & cum multis dominari velint, sibiipsis imperare nequeunt. Vxores ducere cupiunt, quas

paulò

paulò pòst repudiant, amant, deinde odio prosequuntur, cum cupiditate liberos suscipiunt, deinde eos adultos abdicant. Quodnam hoc inane studium & rationis expers, nihilque ab insania discrepans? Bellum intestinum gerunt, quietem optabilem non ducũt, regibus vicissim insidias tendunt, homines necant. defossa terra argentum investigant, argento reperto terram emere cupiunt, terra emta fructum divendunt, fructibus distributis rursus argentum capiunt. Quibus mutationibus & quantis vitiis obnoxij? Cùm opes non habeant, eas expetunt, si habent, abscondunt, dissipant. Eorum res adversas derideo, eorum infortunia intento risu excipio. Veritatis enim instituta violant, contentionis studio hostiles inter se rixas habent.

Cum fratribus verò, parentibus, & civibus mutuas cædes exercent, idque pro iis possessionibus, quarum nemo post mortem dominus esse potest. Injustam vitam consectantes, amicorum & patriæ inopiam despiciunt, indigna & inanimata divitiarum loco habent, pro universis facultatibus statuam mercantur, quòd simulachrum loqui videatur, eos verò qui verè loquuntur odio habent. Res non faciles amore prosequuntur, in continente habitantes, maritima expetunt, rursusque insulas tenentes, continentem affectant, cunctaque in suam cupiditatem pervertunt. Et in bello quidem fortitudinem laudare videntur, at indies à libidinum indulgentia & avaritia vincuntur, & affectibus omnibus tenentur. Thersitis autem vitam omnes referunt. Qua verò in re risum meum Hippocrates reprehendisti? Neque enim quisquam suam, sed alter alterius amentiam deridet, hi quidem ebrios, cùm ipsi sibi sobrii videantur, alij amantes, cùm ipsi graviore morbo laborent, hi verò navigantes, alii agriculturæ deditos. Neque enim artibus, neque operibus inter se consentiunt.

Tum ego, hæc quidem, inquam, vera sunt Democrite, neque alia quæpiam oratio ad convincendam mortalium miseriam commodior esse possit. Verùm ipsæ actiones hanc necessitatem veluti decreto quodam imponunt, ad rei domesticæ dispensationem, navium fabricationem, & reliquam Reipublicæ administrationem, in qua versari hominem oportet. Neque enim ad inertiam eum natura procreavit. Ex his rursus latè sparsa ambitio, multorum rectè sentientem animũ aberrare coegit, qui ad omnia velut sine lapsu summo studio contendunt, non tamen obscuritatem prævidere possunt. Quis enim (ô Democrite) uxorem ducens divortium aut mortem cogitat? aut liberos educans, interitum? Sed neque in agricultura & navigatione, regno, imperio, & omnibus quæ sunt in vita. Nemo enim se aberraturum animo antè percepit, sed quisque horum bona spe pascitur, deteriora verò ne meminit quidem. Num igitur tuus hic risus his minimè convenit?

Tum Democritus. Tardo, inquit, es admodum ingenio, proculque à mea sententia peregrinaris Hippocrates, neque tranquillitatis, & perturbationis modum propter ignorantiam prospicis. Qui enim hæc ipsa prudenti cogitatione disponunt, ij & facilè liberantur, & meum risum sublevant. Nunc verò velut in rebus vitæ convenientibus mente capti cæcutiunt, neque mente ratiocinationis experte inordinatum impetum facilè addiscunt. Satis enim fuerit hæc admonitio, rerum omnium commutatio, quæ subitis conversionibus incidens, repentinam & omnimodam rerum velut rotarum agitationem in mentis notione reponit. Illi verò tãquam hæc adaptata sit & firma, affectionum continenter incidentium obliti, aliter alius quæ tristitiam adferunt expetentes, quæ sunt incõmoda inquirentes, in multis calamitatibus assiduè versantur. Quòd si quis omnia quæ facit pro viribus mente versaret, vitam ab omni casu immunem servaret, se ipse probè noscens, & suam ipsius concretionem apertè intelligens, cupiditatis studium in infinitum nõ extenderet, sed naturam divitem & omnium alumnam, per ea quæ abundè suppetunt sequeretur. Quemadmodum optimus corporis habitus affectionum periculum denunciat, sic magnus rerum successus lubricus est. Rebus autem in adversis insignes conspiciũtur.

Alij verò antiquorum res minimè oculis subjicientes pravis suis actionibus pereunt, manifesta velut obscura non providentes, cùm tamen longam vitam exemplum habeant eorum quæ fiunt & non fiunt, ex quibus quod futurum est cognoscere oportebat. Hæc est mei risus materia, homines imprudentes, improbitatis suæ pœnas dantes avaritiæ, inexplebilis cupiditatis inimicitiarum, insidiarum, subdolorum consiliorum, invidentiæ. Difficile est multorum malorum machinatricem solertiam verbis exprimere, cùm eorum sit infinitas quædam, & in his cùm dolosis commentis prava mente inter se conversentur. Apud eos autem virtutis modus habetur, quod est deterius. Mendacia enim amant, & in his se exercent, voluptatis studium extollunt, legibus minimè parentes. Hic autem meus risus quæ ab his nullo proposito consilio fiunt, condemnat, cùm neque visionis, neque auditionis participes sint. At solus hominis sensus recta intelligentia eminus splendescens, quod præsens & futurum est prævidet. Omnia detestantur, ac rursus ad eadem se adjungunt, navigationem aversantes, navigant: agricultura propulsata, rursus agrum colunt, abdicata uxore, aliam inducunt: susceptos liberos sepeliunt, & his sepultis alios procreant, & rursus educant, senectutẽ exoptant, cumque eò pervenerint, gemunt, nulloque in statu firma mente persistunt.

Principes ac reges privatum beatum prædicant, privatus regium imperium affectat. Qui Rempublicam regit artificem tanquam periculi expertem laudat, artifex verò illum velut in omnia potentiam exercentem. Rectam enim virtutis viam puram, minimeque asperam, ac inoffensam non cernunt, per quam nullus incedere sustinet. Per inaccessam autem & tortuosam feruntur & per aspera delati incedunt & offendunt, plærique etiam decidunt, velut si quis persequatur anhelantes, partim sequentes, partim præcedẽtes contendunt. Et eorum quosdam impudentia fretos, nefandi alieni cubilis corrumpendi amores succendunt, quosdam etiam inordinatus avaritiæ morbus tabefacit, alij mutuas insidias struunt, Alij verò ambitionis studio in aera subvecti sceleris gravitate in exitii profundum præcipites deferuntur. diruunt, deinde ædificant, beneficium conferendo gratiam demerentur, deinde pœnitentia ducti, amicitiæ jura violant, maleque afficiendo ad inimicitias deveniunt, & cognationis jura bello appetunt, horumque omnium avaritia causa est. Quanam in re ab infantibus ludibundis discrepant? quos, cùm mens judicio careat, quicquid sese fortè obtulit, delectat.

Quòd ad cupiditates attinet, non multùm à brutis animantibus differunt, nisi quòd feræ in eo quod satis est se continent. Quinam enim leo aurum defossum in terram abdidit? Quinam taurus alienum usurpandi cupiditate, ad prælium impetu quodam delatus est? Quæ pardalis inexplebilem aviditatem admisit? Sitit quidem aper, sed quantum aquæ appetit. Lupus verò dilaniato quod sese obtulit necessario alimento, quiescit. At si dies jungantur noctibus, hominem non capit comessandi satietas. Et anniversariorum temporum ordo, brutis quidem animantibus coitus finem adfert, hic verò insano libidinis stimulo continenter agitatur. Quomodo Hippocrates, ejulantem ob amorem quod suo commodo privetur, non derideam? præcipueque si quis nullo habito periculorum delectu per præcipitia & alta maria feratur, intensio risu non excipiam? Non rideo eum qui navem multis mercibus onustam demersit, deinde mare incusantem quòd eam plenam submerserit? Equidem hæc minimè ridicula duco, verùm in eos aliquid molesti excogitare cuperem. Sed neque pro his medicinam esse oportuit, neq; aliquem qui Pæonia medicamenta conficeret. Cujus rei te admonere debeat tuus ille progenitor Æsculapius, qui pro servatis hominibus, gratam beneficij recordationem fulminis ictus reportavit. Non vides me quoque huius vitij participem esse, dum in insaniæ causam inquirens, animantia macto ac reseco, quam in hominibus perscrutari oportuit? Nonne vides mundum ipsum humanitate redundare, & infinitas adversus hominem affectiones cumulare?

Totus homo ab ipso ortu morbus est. Dum educatur inutilis, auxilium supplex implorat; dum increscit, improbus & demens est, institutione puerili indigens; in ætatis vigore constitutus, audax; ætate marescens, miserabilis, suos labores per imprudentiam excolens. Talis enim ex materno cruore sanie permixto promicuit. Propterea que hi quidem indignabundi & immodica ira referti in calamitatibus & pugnis, alij in adulteriis & stupris perpetuò versantur, alij in ebrietatibus, alij in rerum alienarum cupiditatibus, alij in suis perdendis. Quòd si possemus nullo intus relicto velamento omnium habitationes detegere, deinde ita quæ intus aguntur inspicere, hos quidem edere videremus, illos verò vomere, alios indignis verberibus torquere, alios venena miscere, alios insidias struere, alios rationibus studere, hos gaudere, illos plorare, hos amicorum accusationem meditari, illos verò nimia ambitione desipere. Et certè quædam sunt in animis altiùs reconditæ actiones. Et in his partim quidem juvenes, partim verò senes, petentes, denegantes, pauperes, rebus affluentes, fame oppressi. Hi luxu gravati, sordidi, vincti illi verò deliciis gestientes, multos alentes. Alij jugulantes, alij sepelientes, ea quæ habent pro nihilo habentes speratas possessiones captantes, alii quidem impudentes, alii parci, alii inexplebiles, alii quidem interficientes, alii verberibus afflicti, alii superbè se jactantes, alii inani gloria attoniti.

Et hi quidem equis addicti sunt, alii hominibus, alij navibus, alij lapidibus aut lignis, alij statuis ex ære, alij picturis. Et alij quidem legationibus alij rei militaris administrationibus, alij rebus sacris. Alij coronas gestant, alii armati sunt, alij interficiuntur. Et horum singuli partim quidem in pugna navali versantur, partim in militari officio, partim verò in agricultura. Alii verò in navibus onerariis, alij in foro, alii in concionibus, alij in theatro, alij in fuga, alii verò aliis quibusdam rebus. Et alij quidem ad voluptatis studium mollitiem & intemperantiam feruntur, alii ad otium ac desidiam. Cùm igitur tot indigenas & miseras animas videamus, quomodo eorum vitam ejusmodi intemperantiæ deditam ludibrio non habeamus?

Valde quoque metuo ne artem tuam Medicam ipsi non probent. Propter intemperantiam enim implacidè se habent ad omnia, & sapientiam insaniam existimant. Et certè suspicor plæraq; in arte tua, aut per invidiam, aut per ingratitudinem, palam contumelia affici. Ægrotantes enim simul ac servati sunt, causam diis vel fortunæ attribuunt. Plærique verò hoc suæ naturæ assignantes, bene merentem odio prosequuntur, parumque abest quin indignentur, si eis operam debeant. Multi etiam artis imperitiam præ se ferentes, cùm sint ignorantes, quod melius est damnant Calculorum enim suffragia stupidis attribuuntur, neque ægrotantes simul approbare volunt, neque ejusdem artis socii testimonio confirmare, cùm invidia obstet. Neque tu hujusmodi contumelias nõ expertus es, cùm probè sciam hæc quæ in memorabilibus affectionibus fiunt, te per causam aut invidiam nunquam lubenter convi-

nisinsectatum. Veritatis enim nulla est cognitio, neque testimonii confirmatio. Quæ cùm diceret subridebat mihique Damagete, divina quadam specie prioremq; formam oblitus esse videbatur.

Tum ego, Democrite præstantissime, magna hospitalitatis tuæ munera mecum in Co reportabo, cùm multa me sapientiæ tuæ admonitione compleveris. Præco enim tuarum laudum revertor, quòd naturæ humanæ veritatem investigasti & mente complexus es. Accepta autem à te mentis curatione discedo, cùm id tempus postulet, ut corpori consulatur. Cras verò ac deinceps, ad eundem locum revertemur. Quæ cùm dixissem surrexi, ille verò me comitari paratus erat, cumq; quidam, haud scio unde, accederet, libros tradidit. Et ego ad Abderitas qui me speculantes expectabant concitatiore gressu redij. Viri, inquam, Abderitæ, pro vestra ad me legatione magnas habeo gratias. Democritum enim virum sapiētissimum vidi, qui solus homines ad sanam mentem reducere potest. *Epist.12.ad Demagetem.*

Xenophon : Vbi ad Philippum ventum esset, quærebant ex eo, quidnam perspexisset in ratione movendi risus, quod propterea sese efferret. An non operæ pretium est, ait, quod quum omnes norint, me joculatorem esse, si quid nancti sunt boni, perlubenter ad id me invitant: sin quid accidit mali, fugiunt ita, ut ne quidem respiciant; veriti scilicet, ne vel inviti rideant? Iure tu, ait Niceratus, te effers. Etenim amici mei, quibus res sunt prosperæ, longe me fugiunt: at quibus adversi quid accidit, cognationem recensendo enumerant, nec umquam me missum faciunt. *cap.20. Convivij.*

Epictetus: Risus ne sit multus, nec ob multa, nec effusus. *cap.43. Ench.*

Simplicius : Maximum vitium exsultantis lætitiæ restringit, quæ risu declaratur, eademque ratione contrarium huic vitium, mœstitiam fortassis, improbat. Nam lætantis animi ebullitio quædam est risus, fitque in spiritu intumescente, & sonitum edit ebullitioni non dissimilem. Evertit igitur constantem & placidam animi corporisque habitudinem, ut & ploratus & ejulatus contrario moderationis stabilitati obstat. Ob hæc itaque frequens risus est vitādus: & si quando risum res postulet, ne sine ullo risu moribus asperioribus evadamus, & familiaribus stupidi & gratiæ omnis expertes videamur, pauca certe risu digna sunt. Vnde qui crebro ridet, cum apparet facile efferri lætitia. Quamobrem id non sæpe admittendum est, nec diu durare debet risus (hic enim est quem multum dicit) nec effussus esse, neque confusus, sed labiis leviter diductis fieri, ut non magna vultus appareat mutatio. *ad cap.43. Epict.*

Simplicius: Plerique mortales, eos qui à consueta vivendi ratione recedere volunt, moleste ferre consueverunt: & alias ne pejus cum ipsis agi videatur, familiares præsertim derident & subsannant: alias, quasi præter meritum insolescentes, opprobriis petunt, iratique simul & invidentes, alacritatem eorum retundere student. Itaque multi hoc derisu, his sannis, hisce opprobriis victi, desertis ordinibus ad pristinæ vitæ consuetudinem redierunt. Neque vero vultu & gestu tantum ridentur, subsannantur, conviciis exagitantur omnes: sed nonnulli cum ipsi, tum qui eorum institutionis adjutores sunt, capitis & fortunarum discrimen adeant, partim à cognatis ex amore, quod existimant eos vitæ inutiles fore: partim ab alienis, qui tum excellentiæ vitæ elegantioris invident, tum ob sui suæq; vitæ contemtum irascuntur. *ad cap.29. Epict.*

Simplicius : Ne alijs risum moveas. lubricus enim locus est, ut facilè ad plebejos mores delabaris. nā si ea dicas quæ plebeculæ risum moveant, indicio est, ea grata illi esse, & apta plebejis moribus. Æque igitur, aut magis etiam, eum qui risum movet, idiotam judicant; ut si prius eum reveriti fuerint, satis hoc ad observantiam ejus extenuandam virium habeat. Sunt tamen & ex iis qui prudentes habentur, qui risum moveant, ut faceti ac lepidi habeantur. *ad cap. 53. Epicteti.*

Libanius: Nugantur, ut in aliis omnibus, qui ridere proprium hominis esse statuunt. lacrymari & lamentari potius proprium cēsendum fuit. nam fletu digna plerique omnes faciunt. risus autem siquidem ob res bonas fuit, alienum usquequaque est ab homine, enimverò nunquam boni quidquam viderunt, nec videbunt; verum mala semper: inprimis vident se invicem, deinde ea quæ faciunt. ridere tantum uno die oporteret, quādo optima mors adest. *Declam.36.*

¶ Poetarum.

Plautus Asinariæ 5. sc. I. v. 13.

Hem, adspecta! rideo. D. Vtinam male qui mihi volunt, sic rideant.

¶ Apologi.

Eques Calvus *Avienus 10.*

Calvus eques capitis solitus religare capillos,
Atque alias nitido vertice ferre comas.
Ad campum nitidis venit conspectus in armis,
Et facilem frænis flectere cœpit equum.
Hujus ab adverso Boreæ spiramina præstant,
Ridiculum populo prospiciente caput:
Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Discolor adposita quæ fuit ante coma.
Ille sagax, tantis quòd risus millibus esset.
Distulit admota calliditate jocum.
Quid mirum positos referens, fugisse capillos
Quem prius æqua va deseruere coma?
Ridiculo cuiquam cum sis, absolvere temet
Opposita veri cum ratione stude.

Babrias. Περὶ Συὸς καὶ Μυός. Fab. 13.

Σῦς εἷλκέ τις Μῦν ἔργον ὄντ' ἀσιτίας
Οὓς χαλκέες βλέποντες ἔστησαν γέλων,
Ο Μῦς δ' ἔτι ζῶν, εἶπε μεστὸς δακρύων,
Ὡς οὐδὲ σὺν δύνασθε κἂν τρέφειν ἕνα;

Επιμύθιον.

Πρὸς τοὺς τὰ ἑαυτῶν παραπτώματα παραβλέποντας, τὰ δὲ τῶν ἑτέρων γελῶντας.

De Sue & Mure.

Sus quidam Murem trahebat ad sedandam esuriem.
Quos videntes fabri ferrarii riserunt.
Mus verò adhuc vivens ait lacrymarum plenus,
Ne unum quidem potestis pascere Suem?

AFFABULATIO.

Adversus eos, qui suos casus negligunt, alienos vero derident.

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Sabina Ridet fatuus nulla dum causa subest, inquiebant apud Græcos Comici: at prudens, causa dum subest, ridet. Aderat Pionio presbytero, dum quosdam ad Christianam religionem suscipiendam alliceret, Sabina, quæ cùm alios à fide videret alienos, eo quod se comburendos dicerent, risit. ad quam dum conversi illi dicerent; Rides in re seriâ? respondit: *Ita Deo placet, Christiani enim sumus: & qui fide firma in Christum sunt, risu ridebunt perpetuo.* Sur. tom.1. in vita Pionii.

Abbas Anonymus. *Vide* Ratio reddenda.

Flandri populi. Abominabilis est Domino omnis Irrisor, & illusores deludit: ut habet inter Proverbia Salomon. Quod Flandriæ populo olim evenit: rebellabant & tumultuabantur adversus Ludovicum suum Comitem; qui Philippum Valesium Franc. Regem in auxilium vocabat. Quo audito, illi Gallum gallinaceum lineo panno expressum editiori loco collocant, & cum eo hanc vocem inclamant: *Cùm hic gallus resonabit, Rex repertus* (ita Philippum, quasi illegitimè ad regnum vocatum, appellabant) *Casletum occupabit.* Ast & illud paulò pòst, & omnes eos occupavit: magno & merito eorumdem damno. *Ann. Franciæ.*

Ludovicus XII. Gall. Rex Paulò mitior ille. Promoverat ad cōsilium hominem indoctum & inexpertem. accurrunt ad eum plures, qui de ejusdem inscitia conquerantur. quibus ille: *Quot numero estis in palatio?* alii, Centenario inquiunt. Infert Ludovicus: *Quid? vos tanto numero non sufficitis ad rem quam vis discutiendā?* & ita confusos dimisit. *Corozet.*

Stephanus Moldaviæ Comes. Irruperant in ejus fines plura Turcarum millia; quibus se fortiter opposuit, ut brevi temporis spatio omnes fuderit, profligarit, & bonam partem cæciderit, ac Oratores ad Byzantii Imp. cum muneribus & hoc dicto mittit: *Latrunculi aliquot Turcici, nescio cujus instinctu, meos fines depopulare ausi: sed, Deo comite suæ temeritatis mihi pœnas dedere. Si similes illis adhuc tibi supersint, velim ad me eos destinari, quo & illi meritas pœnas luant.* & ita tanti Imperatoris potentiam quasi sibilo & cachinno excepit. *Paral. Ab. Vrsp.*

¶ Monosticha Trochaica.

Derisum haud sentire specimen stultitiæ vel maximum est.
Iram odiumq; sæpe risu frangere est venustulo.
Improbi rident probum, sed non ridetur probus.
Nolentes licet renident candor est queis dentium.
Per risum furunt hilarem qui insaniunt insaniam.
Ridiculi ferè sunt stulti aliorum contumeliâ.
Risus è fletu, eq; risu sæpe fletus nascitur.
Risui passim, atque ubique est, Simia ac Scholasticus.
Sæpe quem coram laudamus, absens est derisui.

¶ Jambica.

Etiam dolor ridiculos homines efficit.
Facilè ad derisum stulta levitas ducitur.
Hominis male est morati risus vastior.
Malum grave est ridere non in tempore.
Mortalis es: ridere noli mortuum.
Non semper est risu sub ipso gaudium.
Præstat mori quàm derideri ab hostibus.
Risus male emitur probitatis dispendio.
Scortationis ante risus ambulo est.
Solvi in cachinnum ob res solum pravas licet.
Stultusq; ridet nulla causa ubi subest.

Rogandi.

¶ Monosticha Trochaica.

Efficaciter rogat, rogandi causas qui exprimit.
Haud rogare posse, rogandi vel genus potissimum est.
Nunquam se bonus rogari poscit auxiliarius.
Qui petit bene antefertur, illi qui bene annuit.
Quid dabit petenti, se qui non petentibus dedit?
Scæva est bonitas exorari in exitium rogantium.
Vbi nulla petitio, ibi nulla item facta est mora.
Vnum pro multis rogare, maxima arrogantia est.

¶ Jambica.

Æquum est ad eum venire, à quo ipse quid velis.
Cuncta adsequaris regio suffragio.
Cura aptior cuivis rogatus quam rogans.
Iteratio rogantis, efficacior.
Iusta ab injustis petere, est insipientia.
Ne posce, quod negare possit, alterum.
Per se an per alium quis roget, nil interest.
Petit tutò quid candidatus Cæsaris.
Quid postules è pumice aquam, qui ipsius sitit?

Ruinæ.

¶ Monosticha Trochaica.

Arbores vetustiores difficulter subruas.
Causa multis est ruina fors fortuna prospera.
Centum annorum unius horto subruat fors glorias.
Fornicis saxum medium aufer, & sequentur cætera.
In superbiam exaltatus, ut ruit, bis interit.
Inter solium & genua aliena, vix momentum hora interest.
Molis ingentis ruina, non nisi ingens esse quit.
Nulla virtus est, ruinam quæ minantur, vertere.
Posteros semper ruina præcedentium docet.
Præcipitati non trahunt quod impulit, sed obvium est.
Principis non est, ruina est, tollere gentes integras.
Publica mavult ruina quisque quam priva opprimi.
Publica obteri ruina, quisque mavult, quam sua.
Quæ diu crevere vel horâ exstirpantur arbores.
Qui ruit de culmine alto, vertitur statim in nihil.
Sacrarum ædium ruina religiosis & sacra est.
Sæculo urbs quæ crevit uno, fit vel hora una cinis.
Silva non unius ævi flamma horaria interit.
Vna vel dies finem adfert regnis immanissimis.
Vrbs vel interit hora una: nascitur vix sæculo.

¶ Jambica.

Multi ruinam ei dum obstabant attrahunt.
Docet ruina præcedentum posteros.
Etiam ruina exstinguere est incendium.
Magna domus ruina vel gravissima est.
Multos merum, plures prosperitas obruit.
Nil non dehiscit fors ubi rimam facit.
Qui pendet à manu Dei nunquam ruit.
Quivis abit præceps luxu ac penuria.
Quisnam sapiens ultro ruinam proroget?
Regnum quod est, cui non ruina proxima est?
Ruina, vita splendida quam proxima est.
Sæpe in solidum reversa sunt titubantia.
Semper ruinæ anteambulo est securitas.
Semper ruina dives est merces sua.

Rumoris.

¶ Sententiae Romanorum.

Q*vintilianus Senior*: Locutus est populus. Si alia quæcumque mihi fama defendenda foret, dicerem tamen, judices, rem esse miraculo similem, quòd cum pauci ad vos testes producuntur, fidei vestræ jurisque jurandi satis idonei auctores habentur: quotiēs verò civitatis universæ consensus, & omnes qui intra hanc sedem sunt, unum aliquid certumque dixerint, rumor vocatur. In aliis fortasse falli ista possunt: utique verum dicit fama quæ de se loquitur. Quis enim loquebatur? populus. de qua re? quam facturus erat populus. Cum de comitiis consentiunt rumores, de se quisque dicit, hæc fiet: hoc est dicere, hanc faciam. non est ista fama: comitia sunt. *Declamat. 252.*

Quintilianus: In rumore, cujus probationes, cujus argumenta non habes, calumniæ genus est primum, credere. *Declamat. 11. §. 8. pr.*

Quintilianus: Rumor, inquit, fuit. Est hercules cui contra rerum naturam, contra parentes liberosque credatur. Rumor fuit. Hoc ergo sic audiemus, tanquam si diceres: conscius detulit servus, nunciavit ancilla. improvisus astiti, dum non timeor adveni. Rogo, judices, utrum credibilius putatis incestum de matre, an de rumore mendacium? Rem impudentissimam populus loquendo fecerat, nisi pater credidisset. Pessimum, judices, humanarum mentium malum est, quòd semper avidius nefanda finguntur: necusquam se majus operæ precium putant maligni facere sermones, quàm cùm incredibilia quasi deprehensa narrantur. Necesse est contentiosius loquaris, quod probare non possis: & affirmationem sumit ex homine, quicquid non habet ex veritate. Est tamen hoc iniquissimum de loquacitate populi, quòd plerumque famam accendit contentio non credentium. Materiam miraris rumoris, de qua nemo nec sibi credit? quam qui narrat, assignat alii? Rumor res sine teste, sine indice, res ex incertis improbissima, maligna, fallax, & similis silentio tuo. *Declam. 18. §. 8.*

Quintilianus: Famam atque rumores pars altera consensum civitatis & velut publicum testimonium vocat: altera, sermonem sine ullo certo auctore dispersum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas: quod nulli non etiam innocentissimo possit accidere, fraude inimicorum falsa vulgantium. Exempla utrinque non deerunt. *lib. 5. Institut. Orator. cap. 3.*

Cornelius Tacitus: Rumoribus relinquendum tempus, quo senescant. plerunque innocentes recente invidiæ impares. inquit Domitius Celer. *lib. 2. Annal. cap. 77.*

Corn. Tacitus: Rumor falsò vulgatus, ac temerè creditus, mirè aliendis animis. *lib. 4. Annal. cap. 46. & 1. Histor. cap. 51.*

Corn. Tacitus: Militibus, ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos occulto habitu; & maligna cura in omnes, quos nobilitas, aut opes, aut aliqua insignis claritudo rumoribus objecerat. &c. *lib. 1. Histor. cap. 85.*

Idem: Scriboniani contra Claudium incepta, simul audita & coercita. Nero nunciis magis & rumoribus quàm armis depulsus. *libro eodem cap. 89.*

¶ Monosticha Trochaica.

Conscius vita benè acta, falsa rumorum haud pavet.
Cuncta facta, cuncta Regum dicta, rumor excipit.
Ego rumorem parvi facio, dum sit rumen quei impleam.
Est rumigerulorum auditis semper aliquid addere.
Fingitur domi quodcunque, fit rumor, fit publicum.
Prospera res supprimuntur; dilatantur tristia.
Rumor absque auctore, proles otiosi est pectoris.
Sæpe sub populi rumore veritatis nil subest.
Serviunt omnes rumori, maximeque Principes.

¶ Jambica.

Calumniæ genus est, rumori credere.
Habenda non est temerè rumori fides.
Nemo fidem rumori habet nisi improbus.
Permulta multi; sed rumor scit plurimum.
Quibuslibet ne credito rumoribus.
Rumor malus statim palam est, bonus latet.
Rumor morâ senescit, crescit veritas.
Rumoribus servi ulciscuntur balthea.

Videantur plura titulo *Famæ, Sermonis.*

Rusticæ rei.

¶ Sententiæ Græcorum.

D. *Nazianzenus:* An verò injuriam vobis facimus, quod cùm ipsi palleatis, ac angustum quiddam in oppido spiretis, solemque ad certum modum accipiatis, nos contra pingues & nitidi sumus, & saturamur, neque ullius loci angustiis circumscribimur? At verò hæc nostra sunt. Deliciis enim indulgetis, & opibus polletis & in foro versamini. Hoc minimè probo. Quocirca vel lutum nobis exprobrare desine (neque enim tu urbem condidisti, neque nos hyemem) vel nos tibi pro luto caupones offeremus, & quidquid turpe & improbum urbes ferunt. *Epist. 6.*

Xenophon: Utrum vero, inquam, Ischomache, quum villico tibi est opus, exploras an alicubi sit quispiam ad hanc procurationem idoneus, eumque das operam ut emas; veluti quum fabro tibi est opus, sat scio sicubi peritum fabricæ noveris, eum te operam dare uti compares: an vero ipse villicos tuos instituis. Ego ipse profecto, mi Socrates, ait, in hoc incumbo, ut eos instituam. Nam si quis talis esse debeat, ut me absente rem meam satis idoneæ curet, quid eum scire aliud, quam meipsum oporteat? Quippe si sum ego satis ad hoc idoneus, ut præsim operis illis; etiam alium scilicet docere possum, quæ ipse teneo. Primum igitur, inquam ego, necesse est benevolo sit erga te ac tuos animo, si quidem ejus præsentia tuo lo-

to sufficere debeat. Nam sine benevolentia quisnam scientiæ procuratoriæ fuerit usus, cuicuimodi tandem illa sit? Nullus profecto, inquit Ischomachus. Verum ego primum sic eos conor instituere, ut erga me meosque benevolo sint animo.

At obsecro te per deos immortales, inquam, quo pacto quemcunque vis, doces; ut benevolentia te, tuosque complectatur? Benefaciendo, ait, quoties boni alicujus copiam nobis largiuntur. Ergo tu dicere vis, inquam, in eis, qui bonis tuis fruantur, benevolentiam erga te excitari, atque illos bene tibi facere velle. Esse enim, mi Socrates, instrumentum hoc benevolentiæ optimum video. At si quis benevolentiam erga te concipiat, inquam, Ischomache, an propterea satis ad procurationem erit idoneus? An non vides, quod quum homines, ut ita dicam, universi bene sibi velint; multi tamen sint, qui curam adhibere nolint, ut ea bona consequantur, quæ sibi cupiant evenire? Ego vero, inquit Ischomachus, quum tales villicos constituere volo, etiam eos doceo curam adhibere. Qui hoc? quæso per Deos, inquam. Etenim id ego plane sub doctrinam non cadere putabam, ut quis diligens efficiatur. Sane fieri non potest, mi Socrates, ait, ut quis serie quadam omnes diligentes esse doceat.

Quinam igitur, inquam ego, doceri possunt? Velim omnino mihi hos perspicue indices. Primum eos, ait, mi Socrates, qui à vino sibi temperare nequeunt, diligentes efficere non potes. Nam ebrietas oblivionem omnium, quæ agi oportet, inducit. Num igitur, inquam ego, qui ab hoc se continere non possunt, soli diligentes esse nequeunt, an & alii quidam? Profecto, ait Ischomachus, etiam illi, qui somno moderari non possunt. Quippe nec ipse dormiens facere, quæ debebat, nec alios ad hoc posset impellere. Quid igitur? inquam ego, soli sunt hi, quibus hæc diligentia tradi non potest, an præterea quidam alii? Sane mihi videntur, ait Ischomachus, etiam illi, qui perdite rebus venereis dediti sunt, ut alterius rei majorem curam habeant, quam illius, doceri non posse. Nam neque spes, neque cura reperiri alia jucundior facile potest, quam sit amoris occupatio: nec invenire supplicium gravius in proclivi est, quam si rerum expediundarum cura suis ab amoribus aliquis avocetur. Quāobrem quoscumque tales esse animadverto, de iis æmulius ago, ut ne quidem coner ipsos procuratores constituere. Quid autem, inquam ego, si quibus inest amor lucrifaciundi, num & illi ad intentionem in rebus rusticis institui nequeunt? Non profecto, ait Ichomachus, nequeunt, immo facillime ad hoc studium deduci possunt.

Quippe nulla heic opus est alia re, nisi ut eis dumtaxat ostēdas, fructuosam esse diligentiam. Ceteros autem, inquam ego, si & iis in rebus sint continentes, in quibus hoc ab ipsis requiris, & quæstus mediocriter cupidi sint, quo tamdem pacto doces, ut pro arbitrio tuo sint diligentes? Per sane simpliciter, ait, mi Socrates. Nam quum eos diligenter sua curare video, non solum collaudo ipsos, sed etiam ut ornem honore aliquo, do operam: sin negligentes esse, dicere ac facere conor id, quod eos mordeat.

Age vero, inquam, Ischomache, nonnihil ab hac oratione de iis, qui ad diligentiam instituuntur, deflectens, etiam illud mihi de instituendi ratione declarato: num fieri possit, ut quis ipse negligēs alios efficere diligentes possit? Nequaquam, ait Ischomachus, nulloque modo magis, quam si quis ipse musicæ imperitus, alios efficere musicos velit. Est enim difficile, doctore non recte monstrante discere, ut bene aliquid efficias: itidem quum exemplum negligentiæ dominus suppeditat, difficile est servum diligentem fieri. Atque breviter ut dicam, futilis domini servos numquam fuisse frugi animadvertisse videor. Frugi autem domini servos equidem nullius momenti quosdam vidi, non tamen tales, qui suis heris detrimento non essent. At qui reddere quosdam velit ad adtentionem idoneos, eum & inspicere opera necesse est, & in ea inquirere, & non illubenter auctori eorum, quæ bene perfecta sunt, gratiam referre, & non vereri merito illum supplicio adficere, qui negligens sit. Etiam illud mihi hominis barbari responsum præclarum videtur, quum rex equum nanctus bonum, quem cuperet quamprimum saginari, quemdam in primis equestris rei peritum interrogaret: quidnam equum celerrime pinguem efficeret. Fertur enim is respondisse, Oculus domini. Sic mihi videtur, Socrates, etiam alia domini oculus quam maxime pulchra & egregia efficere.

Ceterum ubi, inquam ego, jam alicui vehementer inculcaveris, diligenter esse curanda, quæ tu velis; num is idoneus ad procurationem erit? an & aliud quidpiam præterea discendum erit ei, siquidem villicus esse satis aptus velit? Erit profecto, inquit Ischomachus. Nam restat, ut & quid, & quando, & quo pacto sit agendū, intelligat. Nam absque hoc sit, quis villici usus potior fuerit, quam medici, qui haberet ille quidem ægrotantis alicujus curam, tum mane, tum vesperi eum conveniendo; verum quid ægrotus facere possit, quod ei conducat, nesciat? Quod si didicerit, inquam ego, quo pacto faciunda sint opera, num adhuc aliquid desiderabitur, an jam talis villicus tibi absolutus erit? Equidem arbitror, ait, discendā ei esse rationem imperandi operariis. Num igitur, inquam ego, tu quoque villicos instituis, ut ad imperandum sint idonei? Sane id enitor facere, ait Ischomachus. Quæso te per Deos, inquam, quo pacto eos instituis in hoc, ut rationem regendi alios teneant? Sane vulgariter, ait, mi Socrates. quo fit, ut fortassis etiam hæc audiens, risurus sis. Certe, inquam ego, minime risu digna res est, Ischomache. Nam qui efficere quosdam potest idoneos ad imperandum hominibus, eum patet etiam herilem quamdam disciplinam posse tradere, quam qui teneat, possit item tradere regiam. Itaque non irrisionem, sed magnam laudem mereri videris, qui hoc efficere possis.

Cetera igitur animalia, mi Socrates, ait, duabus hisce rebus parere discunt: partim quod, ubi nolunt obtemperare, puniantur; partim quod, ubi alacriter obsequuntur, benigne cum eis agatur. Ita pulli equorum obœdire domitoribus suis ea re discunt, quod quum parent, suave quid consequantur: contumaces autem, molestias quasdam experiantur, donec voluntati domitoris obsequantur. Etiam catelli, qui hominibus & intelligentia & lingua longe sunt inferiores, nihilominus & circumcursitare, & saltando se in caput devolvere, & alia multa eodem hoc modo discunt. Nam ubi parent, aliquid eorum, quæ expetunt, consequuntur: ubi vero negligenter se gerunt, dant pœnas. Homines autem etiam oratione reddi obœdientiores possunt, si quis demonstret ipsis expedire, ut pareant.

Servis ea quoque disciplina, quæ belluina videtur esse, valde cōducit ad hoc, ut parere discant. Nam si gratificeris cupiditatibus gulæ ipsorum, multum apud eos effeceris. Naturæ autem ambitiosæ etiam laude exacuuntur. Nam in nonnullis ingeniis non minor est fames laudis, quam in aliis cibi ac potus. Quum igitur eos docens, quos villicos volo constituere, ipse illa præsto, quibus effecturum me puto, ut homines magis obsequentes habeam: etiam hac ipsos in parte juvo. Nam & vestes, & calceamenta, quæcumque tribuenda sunt operariis, non omnia fieri æqualia curo, sed quædam deteriora, quædam meliora: ut rectius se gerentem melioribus ornem, & pejori dem deteriora. Videtur enim mihi, mi Socrates, inquit, omnino in bonis magnum quemdam animi mœrorem oriri, quum opera per se fieri vident, ac nihilominus æqualia secum præmia consequi eos, qui quum opus est, neque laborare, neque adire pericula volunt. Quamobrem nequaquam meliores cum deterioribus præmiis æqualibus dignor, ac villicos meos laudo, quum eos optima distribuisse video in maxime dignos: sin quem vel per adulationes, vel alia quapiam inutili gratificatione video potiorem honorem consequutum; id equidem non negligo, sed objurgo villicum, eumque docere, mi Socrates, conor, fieri ea ne cum ipsius quidem commodo.

Quum autem, inquam ego, villicus tibi satis, Ischomache, ad imperandum aliis idoneus factus est, ut jam illos obsequentes reddere possit; num illum jam perfectum tibi putas, an adhuc aliquid in eo desideratur, qui hæc, quæ tu narrasti, habet? Desideratur profecto, inquit Ischomachus, nimirum herilibus rebus ut abstineat, neque quidquam furto subtrahat. Nam si is, qui fructus habet in manibus, ausit eos sic intervertere, ut qui relinquuntur, operibus rusticis non prosint; cui quæso fuerit usui curatio hujus in agricultura? Num igitur, inquam ego, hanc quoque justitiam tu docendam suscipis? Omnino, ait Ischomachus. Neque tamen omnes ad parendum huic doctrinæ satis promtos invenio. Quamobrem partim ex legibus Draconis, partim Solonis quædam adsumere conor, quibus efficiam, ut in justitia famuli mei proficiant. Videntur enim mihi etiam hi viri multas leges de justitia doctrinæ huius cōdidisse. Nam perscripserunt, multandos esse, qui furtum faciant, ac deprehensos esse vinciendos, morteque adficiendos, qui adgrediantur. Quamobrem perspicuum est, eos has leges sic perscripsisse, ut qui turpem illum quæstum vellent injustis inutilem reddere. De his igitur quædam producens, atque alia de legibus regiis, famulos efficere justos in iis tractandis enitor, quæ in manibus habent. Nam illæ quidem leges, tantum pœnas delinquentibus constituunt; at regiæ non injustos tantum puniunt, sed justis etiam emolumentum adferunt. Quo fit, ut plerique injusti, dum justos locupletiores esse factos vident, præsertim quia lucri sunt cupidi, egregie se cōtineant, ne quid injuste faciant. Quos autem animadverto beneficiis adfectos, nihilominus injusta moliri; illis, ut insanabilis avariciæ hominibus, uti deinceps desino. Rursum quos animadvertero non tantum elatis esse animis, quod ob justitiam meliori conditione sint, sed etiam laudari à me cupere: hos velut ingenuos tracto, neque divites tantum facio, sed etiam honore prosequor, ut viros bonos & honestos. Nam in hoc mihi, Socrates, differre vir honoris cupidus à lucri cupido videtur, quod laudis honorisque causa & labores suscipere, quum opus est, velit; & adire pericula, & à turpibus lucris abstinere. Sed enim posteaquam hoc alicuius animo indidisti, ut prospere tibi omnia cedere velit, atque etiam ut curam adhibeat ad perficiendum hæc tibi, ac præterea parata sit ei scientia, ut opera singula majori cum utilitate fiant, sit etiam ad regendum factus per te idoneus, denique maxima copia tibi terra nata exhibeat itidem, ut tu ipse tibi: non jam amplius de hoc interrogabo, num quid in eo desideretur. Nam mihi videtur hoc modo villicus esse quantivis pretii, qui quidem talis sit.

Verum hoc, inquam, Ischomache, ne omiseris, quod à nobis dicendo levissime percursum est. Quid hoc est? ait Ischomachus. Dixisti scilicet, inquam, maximum esse quiddam discere, quo pacto sint elaboranda omnia.

Quod nisi fiat, ne studii quidem & curę ajebas ūsum ullū esse nisi

quis videlicet intelligeret, quæ, & qua ratione facienda sint. Tum Ischomachus: Tune me, inquit, artem ipsam agriculturæ jam docere jubes Socrates? Nimirum, inquam ego, hæc ea est, quæ peritos ipsius locupletes efficit; imperitos autem, tametsi magnopere laborẽt, nihilominus in rerum inopia vitam agere sinit. Ergo jam, mi Socrates, quæ artis hujus erga homines sit benignitas, audies. Nam quo pacto non generosum sit aliquid, eam & utilissimam esse, & exercendo jucundissimam, & pulcherrimam, & acceptissimam tum diis, tum hominibus, ac præter hæc etiam facillimam ad perdiscendum? Nimirum & animalia generosa vocamus, quæcumque quum pulchra sint, & procera, & utilia, mansueta sunt erga homines.

At enim ista, inquam, Ischomache, quo pacto abs te sint exposita, satis intellexisse videor, quomodo scilicet villicus instituendus sit. Nam didicisse me arbitror, qua ratione dixeris efficiundum, ut benevolo sit erga te animo, & diligens, & ad regendum idoneus, & justus. Quod autem ajebas, discendum esse illi, qui recte rem rusticam curare velit, quæ faciunda sint, & quomodo, & quando singula: ea mihi videmur, inquam, levius nonnihil oratione nostra percurrisse. Perinde ac si dicas, esse necessarium, ut litteras sciat is, qui scribere, quæ dictantur, & scripta relegere velit. Nam his auditis, equidem huic literas esse notas oportere, audiverim: id vero si sciam, nihilo magis, mea quidem sententia, litteras scivero. Sic nunc quoque peritum esse debere illum agriculturæ, qui curationem ejus recte suscipere velit, facile persuasus sum: sed quum id scio, nihilo magis teneo, quo pacto agricultura sit exercenda. Adeoque si statuero mox agrum colere, similis esse mihi videbor medico, qui circumeat ille quidem, & ægrotantes inspiciat; verum nihil sciat, quod eis sit usui. Quapropter ne talis sim, inquam, ipsa me agriculturæ opera doceto.

Enimvero mi Socrates, ait, non sic ad discendum agricultura difficilis est, ut artes ceteræ, quibus discendis prope consumi necesse est prius, quam discipulus exercere opus possit, quod ipsi alendo satis sit: sed partim operarios inspiciendo, partim audiendo tantum mox cognoveris, ut etiam alium, si velis, docere possis. Quinetiam arbitror, inquit, ne ipsum quidem te scire, quod magnam ejus partem jam teneas. Nam ceteri quidem artifices aliquo modo cælant ea, quæ sunt in arte cujusvis opportunissima: verum ex agricolis qui egregie conserit, maximam voluptatem capit, si eum alius adspectet: itidem putabis de eo, qui semina rectissime spargit. Quod si etiam roges de iis, quæ pulcherrime sunt elaborata, nihil te cælabit, quo pacto singula fecerit. Adeo, mi Socrates, ait, etiam mores quod attinet, agricultura generosissimos efficere videtur illos, qui in ea versantur. Enimvero, inquam ego, procemium ipsum pulchrum est, neque auditorem ab interrogando avertet. Tu vero propterea, quod decorum sit discere, multo magis eam mihi enarrato. Nam tibi turpe non est, quæ facilia sunt, docere: sed mihi longe turpius, ea nescire, præsertim quum sint utilia.

Primum igitur, ait, mi Socrates, demonstrare tibi volo, non esse difficile, quod in agricultura maxime varium esse prædicant, qui de illa plurimum verbis disserunt, quum eam exercendo non adtingant. Ajunt enim illi, qui agrum recte colere velit, primum soli naturam esse debere cognitam. Ac recte quidem, inquam ego, idipsum ajunt. Nam qui compertum non habet, quid ferre solum possit: is etiam, mea sane sententia, quæ semina spargenda, quid conserendum sit, scire non poterit. Id vero, subjecit Ischomachus, vel alieno in solo licet cognoscere, quid ferre vel possit, vel non possit, si quis & fructus & arbores inspiciat. Posteaquam vero quis hoc cognovit, non amplius cum Deo bellum expedit gerere. Non enim id, quo indiget, seminando & conserendo, majorem victus copiam consequetur: quam quantam solum lubens proferet ac educabit. At si ob ignaviam possessorum vires suas declarare nequeat, sæpenumero ex loco vicino veriora de ejus natura cognosci possunt, quam si vicinum aliquem interroges. Quinetiam incultum si sit, nihilominus naturam suam indicat. Etenim quod producit etiam agrestes fructus pulchros, si colatur, mites quoque fructus pulchros proferre poterit. Ac soli naturam hoc modo etiam ii, qui agriculturæ non admodum periti sunt, discernere possunt.

Enimvero hac in parte, inquam, Ischomache; satis jam mihi confidere videor; ut metuendum non sit, ne quod soli naturam cognitam non habeam, abstinendum mihi sit ab agricultura. Nam recordor, quid piscatores faciant, qui quum in mari occupentur, neque consistant ad inspectionem, neque lente progrediantur, sed rura cursu prætereant: nihilominus ubi fructus soli vident, haudquaquam pronuntiare de solo, quodnam bonum, quodve malum sit, dubitant: sed hoc vituperant, illud laudant: Adeoque video illos eodem modo de bono solo pronuntiare, quo solent agriculturæ periti. Unde vis igitur, inquit, mi Socrates, ut incipiam de agricultura tibi quædam in mentem revocare? Nam futurum scio, ut quo pacto colendus sit ager, indicaturus sim tibi, qui horum maximam partem sciat. Videor, inquam, primum hoc libenter scire cupere, mi Ischomache, quandoquidem hominis est maxime sapientiæ studiosi, quo pacto, si ita lubeat, terram exercendo maximam hordei, maximam tritici copiam consequi possim.

Ergone nosti, novalem præparari oportere ad sationem? Novi, inquam. Quid igitur, ait, si solum hyemis tempore incipiamus arare? At vero, inquam ego, tum non nisi lutum fuerit. Num igitur æstate tibi faciundum id videtur? Durior, inquam, erit terra, quam ut moveri à jumentis possit. Fortassis igitur, inquit, verno tempore fuerit hoc opus inchoandum. Nimirum consentaneum est, inquam, tum solum maxime motum diffundi. Immo etiam herbam ipsam aratro inversam, mi Socrates, ait, tunc fimi quidem aliquid solo suppeditare; sed nondum semen de se spargere, de quo possit aliquid enasci. Nam mea sane sententia, puto id quoque intelligi posse, si bona futura sit novalis, necessario puram à materia esse debere, ac ad solem maxime tostam. Omnino, inquam, existimo debere ad hunc modum hæc sese habere. Tunc vero putas, inquit, aliter fieri ea posse potius, quam si quis sæpissime per æstatem terram invertat? Equidem accurate scio, inquit, nullo modo magis fieri, ut materia summo in solo adpareat, & ab æstu exsiccetur, solum vero à sole torreatur; quam si quis terram æstate media, atque etiam in meridie jumentis moveat. Quod si homines fodiendo novalem faciant, ait, an non perspicuum est, eos quoque solum à materia separare debere? Ac materiam quidem, inquam ego, projicere, ut in agri superficie arescat: terram autem invertere, ut pars ejus cruda torreatur.

De novali, inquit, vides mi Socrates, utrique nostrum eadem videri. Videtur sane, inquam ego. De sementis autem tempore, num aliquid aliud statuis, ait, mi Socrates, quam id ejus esse tempus, quod omnes superiorum ætatum homines experti, itidemque qui nunc vivunt, experiundo optimum esse animadverterunt? Nam quum autumni tempus advenerit, homines omnes ad Deum respiciunt, quando terra irrigata seminandi potestatem eis facturus sit. Et sunt certe, inquam ego, mi Ischomache, omnes in ea sententia homines, ut sua quidem cum voluntate nequaquam arido in solo semen jaciant: nimirum quod multis cum damnis conflictati essent, qui prius sementem fecerant, quam jussi à Deo fuissent. Ergo in his, inquit Ischomachus, omnium hominum eadem est sententia. Nimirum quæ Deus docet, inquam ego, in iis accidit, ut consentiamus. Verbi gratia, videtur omnibus melius esse, ut hyeme vestes crassiores, si quidem possint, homines gestent. Etiam tum statuunt omnes ignem accendendum esse, si ligna suppetant. Verum in hoc, ait Ischomachus, valde dissident multi, mi Socrates, num optima sit sementis præcox, an media, an serotina. Deus ipse, inquam ego, non eodem ordine annos vertit, sed hic præcoci sementi commodissimus est, ille mediæ, alius serotinæ. Tu ergo, mi Socrates, ait, utrum ducis unam ex his sementibus eligendam esse, sive quis multum, sive parum seminis jaciat: an facto à maxime præcoce initio, seminandum usque ad maxime serotinam?

Tum ego: Mihi vero videtur, inquam, Ischomache, optimum esse, ut omnis sementis participes simus. Nam longe melius esse arbitror, semper tantum frumenti accipere, quantum satis sit: quam aliquãdo admodum multum aliquando ne tantum quidem, quantum sufficiat. Ergo tu, ait, hac etiam in parte mecum eadem es in sententia, mi Socrates, discipulus scilicet cum doctore, & quidem ante me, quid tui esset judicij, pronuntians. Quid vero? inquam ego, num in semine jaciendo varia quædam ars inest? Omnino, mi Socrates, ait, hoc etiam consideremus. Nam de manu quidem semen esse proiiciendum, opinor te quoque scire. Nimirum, inquam, hoc vidi. At proiicere alij æqualiter possunt, ait, alij non possunt. Hoc igitur, inquam ego, indiget exercitatione, perinde ac citharœdorum manus, ut inservire voluntati animi possit. Omnino, inquit. At si fuerit, ait, solum aliud tenuius, aliud densius. Quid hoc, inquam, dicis? Num tenuius vocas quod est imbecillius; densius autem, quod robustius? Hoc ipsum, inquit, dico. Atque adeo te interrogo, num seminis tantumdem utrique solo mandaturus sis, vel utri plus? Equidem, inquam, vino fortiori plus aquæ adfundere soleo: & homini robustiori plus oneris, si quid portandum sit, imponere: ac si qui sint alendi, mandaturus sim, ut plures alant ij, quibus facultates sint majores. At si solum imbecillum robustius fiat, inquam, num plus iniiciendum sit frugum, perinde ac in jumenta doceto me. Tum sublato risu Ischomachus: Ludis tu quidem, Socrates, ait. Verum hoc scias velim, si acto aliquo in terram semine, deinceps ubi multum è cœlo nutrimenti solum habuerit, herba de semine enata rursus solum aratro inverteris: futurum id solo pabuli loco, ac tanquam de stercore robur ei accedet. Quod si autem solũ de semine prorsus fruges producere sinas, difficile est solo imbecillo multum frugum tandem producere: sicut & imbecillæ sui difficile est multos porcellos majusculos alere. An tu hoc dicis, inquam, Ischomache, solo imbecilliori minus seminis mandandum esse? Ita profecto mi Socrates, inquit, tuque adeo fateris hoc, qui dicis, solere te omnibus imbecillioribus minus negotiorum imponere.

At sarcula, inquam ego, quamobrem frugibus immittitis Ischomache? An scis, inquit, hyemis tempore magnam esse aquarum copiam? Cur non? inquam ego. Ponamus ergo fruges aliquas ab his tegi, infuso limo, ac radices quasdam nudari à fluxione. Nonnunquam & materia per aquas una cum frugibus erumpit, easque suffocat. Hæc, inquam, omnia fieri consentaneum est. An non igitur, ait, heic tibi fruges ope quadam egere videntur? Omnino, inquam.

Quid autem agendo videntur tibi oppressis limo succurrere posse? Si solum, inquam, levius fecerint. Quid illis, quibus radices nudatæ sunt? Terram vicissim adgerendo, inquam. Quid si materia

cum frugibus enata eas suffocet, nutrimentumque illis eripuerit, quemadmodum fuci prorsus inutiles deripiunt ea, quæ apes pro nutrimento sibi elaborata reposuerunt? Oportet, inquam ego, propter nutrimentum frugum excidi materiam illam, quemadmodum fucos ex alvearibus ejici necesse est. Ergone tibi inquam, ratione quadam consentanea videmur sarcula frugibus immittere? Omnino. Verum equidem cum animo meo cogito, inquam, Ischomache, quale quiddam sit, apte similitudines adplicare. Nam tu valde me ad iram adversus materiam commovisti, posteaquam fecisti fucorum mentionem, multo certe magis, quam quum de ipsa materia diceres.

Sed enim, inquam, ab hoc jam tempore fruges erunt demetendæ. Quamobrem si quid habes hac etiam in parte, doceto me. Nisi quidem, ait, adpareat heic etiam eadem te scire, quæ mihi cognita sunt. Fruges quidem resecandas esse nosti. Quid ni nossem? inquam. Num igitur eas ita resecas, ut stes ubi ventus spirat, inquit, an contra ventum? Non certe contra hunc, inquam. Nam & oculis & manibus molestia quædam exhibetur, si quis adversus paleas & aristas metat. Num item malis summos culmos præcidere, an prope terram? Si brevis, inquam, sit culmus, equidem inferius abscinderem, ut palearum majorem copiam consequerer: at si procerus, recte me facturum arbitror, si eum in medio resecem; ut neque triturantibus labor supervacaneus addatur, neque ventilantibus. Quod item in solo relictum est, arbitror exustum aliquam solo utilitatem adferre: & in fimum conjectum, eum ipsum aucturum. Vides, inquit, mi Socrates, quo pacto tanquam in ipso facinore deprehendaris, quippe qui etiam de messe scias eadem, quæ ego?

Videor sane, inquam, & considerare lubet, num etiam triturandi rationem teneam. Scis igitur, ait, jumenta ad trituram adhiberi. Quid ni? inquam. Nosti etiam omnia pariter adpellari jumenta, boves, mulos, equos. Atque hæc existimas nihil aliud scire, nisi inter agendum frumenta calcare? Quid enim aliud, inquam ego, scire possint jumenta? Ut autem comminuatur id, quod comminui debet, atque tritura fiat æquabilis, cuinam, mi Socrates, hoc tribuis? ait, Haud dubie, inquam, trituratoribus. Nam & invertendo, & subjiciendo pedibus ea, quæ necdum trita sunt, semper scilicet id, quod exæquari oportet, egregie exæquaverint, remque maturrime confecerint. In his ergo, ait, nihil est quod tu minus, quam ego, scias. Secundum hæc mi Ischomache, inquam ego, ventilando frumentum purgamus. Tu vero mihi dicito mi Socrates, ait Ischomachus, num scias futurum, ut si ab ea parte areæ incipias, qua ventus adlabitur, paleæ per aream universam spargantur? Nimirum ita fieri necesse est, inquam ego. Ergo etiam est consentaneum, ait, eas in frumentum incidere? Multum scilicet fuerit, inquam, paleas supra frumentum in partem areæ vacuam deferri. Quid si quis, ait, ventilandi faciat initium à loco, qui aversus sit à vento? Perspicuum est, inquam, paleas mox in suo receptaculo fore.

Verum ubi jam purgaveris, ait, frumentum, usque ad areæ dimidium, num perges ita reliquas paleas eventilare frumento diffuso, an parte purgata retro quam artissimo loco congesta? Congesto, inquam, frumento purgato, ut paleæ ultra ipsum in partem areæ vacuam ferantur, ac non bis easdem eventilari paleas necesse sit. Profecto tu mi Socrates, ait, quo pacto frumentum purgari quam primum possit, vel alium docere queas. At equidem, inquam ego, ignorabam me hæc scire, & quidem jamdudum. Quamobrem in mentem mihi venit, an etiam ignorem ipse, me & auri fundendi, & canendi tibia, & pingendi peritum esse. Nam hæc nemo me docuit, uti nec agri colendi rationem. Video autem homines ita, ut agros colunt, etiam artes alias exercere. Idcirco, ait Ischomachus, jamdudum dicebam tibi, hac etiam in parte agri colēdi artem longe generosissimam esse, quod ad discendum sit facillima. Age vero, inquam, novi, mi Ischomache. Nam quum mihi de faciunda semente constaret, ignorabam ipse cognitum id mihi esse.

Num igitur, inquam, ad artem agriculturæ pertinet etiam arborum consitio? Pertinet sane, ait Ischomachus. Qui ergo, inquam ego, quæ ad sementem faciendam pertinent scio, quum consitionis imperitus sim? Tu vero, inquit Ischomachus, non ejus peritus es? Quo pacto? inquam, qui neque in cujusmodi solo consitio fieri debeat, novi, neque quam ad altitudinem infodi id, quod conseritur; neque ad quam latitudinem, neque quanta longitudine in terram demitti, neque quo potissimum pacto collocari, ut facillime frondescat. Age vero, inquit Ischomachus discito quod nescis. Vidisse autem scio te scrobes, quas plantis fodiunt. Sæpe quidem, inquam. Num igitur vidisti umquam altiorem tribus pedibus? Non altiorem vidi, inquam ego, pedibus duobus ac semisse. Quid autem? numquam vidisti aliquando, cujus latitudo tres pedes excederet? Immo non supra pedes duos, inquam.

Age vero, inquit, etiam hoc mihi respondeto; nunquam vidisti scrobem, quæ pedem unum profunda non esset? Immo ne pedis quidem unius & semissis, inquam ego. Nam plantæ inter pastinandum effoderentur, si quidem usque adeo in summa soli superficie consertæ essent. Ergo tu hoc, mi Socrates, inquit, satis nosti: non effodi scrobes pedibus duobus ac semisse profundiores, nec minus profundas pede uno cum semisse. Nimirum id, inquam ego, oculis conspici necesse est, quum adeo sit manifestum.

Quid vero? ait, num intuendo terrā sicciorem & humidiorem adgnoscis? Siccum mihi videtur, inquam, esse solum propter Lycabettum & si quod aliud huic est simile. Humidum vero, quod est in palude Phalerica, & si quod illi simile est. Utrum igitur in arido solo profundam plantæ scrobem foderes, an in humido? Profecto in arido, inquam. Nam si fodias in humido scrobem altam, aquam invenies, neque poteris amplius in aqua plantam conserere. Recte mihi dicere videris, ait. Ergo tu, quum effossæ scrobes fuerint, quando utræque plantæ collocandæ sint, jam vidisti. Maxime, inquam ego.

Quum igitur eas quam celerrime vis enasci, num germen surculi, subjectum solo culto, citius existimas, per mollem terram penetrare, an per duriciem incultæ? Patet, inquam ego, citius id per cultum, quam per incultum solum pullulare. Erit igitur, inquit, plantæ terra subjicienda. Quid ni? inquam. Utrum vero, si totum surculum rectum statuas, ut ad cælum spectet, magis eum radices acturum arbitraris, an vero si obliquum nonnihil sub terra subjecta deposueris, ut instar litteræ Gamma supinæ jaceat? Sic est profecto, inquam.

Plures enim hoc modo sub terra fuerint oculi, de quibus plantas sursum enasci video. Quamobrem existimo etiam oculos, qui sub terra sunt, idem facere. Quippe quum multa germina enascātur de terra, puto celeriter plantam pullulare. Quapropter tu de his etiam, ait, idem quod ego intelligis. Vtrum vero terram duntaxat adgesseris, an etiam bene circum plantam compresseris? Profecto comprimerem, inquit. Etenim nisi compressa sit, sat scio solum non compressum propter aquam instar luti futurum, ac per solem ad imum usque siccum. Itaque periculum esset, ne plantæ ab aqua propter humoris copiam putrescerent: propter siccitatem vero, sive laxitatem terræ radicibus calefactis exarescerent.

Itaque de vitium quoq; , mi Socrates, consitione nihil non, quod mihi cognitum sit, intelligis. Num & ficus, inquam, sic erit conserenda? Sic arbitror, ait Ischomachus, atque etiam arbores frugiferas omnes ita conserendas esse. Nam quæ in vitium consitione recte conveniunt, cur in aliis consitionibus improbes? At oleam, inquam ego, quo pacto, Ischomache, conseremus? Hac etiam in parte me tentas, ait, quum rectissime rem intelligas. Nam vides sane profundiorem oleæ scrobem fodi, quod maxima ex parte ad vias fodiantur. Vides & in omnibus seminariis esse stipites. Vides plantarum omnibus capitibus cœnum imponi, & partes in omnibus plantis summas esse tectas. Hæc omnia video, inquam. At quum videas, ait, quid eorum tibi cognitum non est? Num ignoras, mi Socrates, ait, quo pacto supra cœnum testa collocetur? Nihil istorum profecto, inquam, Ischomache, quæ commemorasti, ignoro. Sed rursus mecum ipse cogito, quamobrem quum tu me summatim interrogares, an conserendi rationem tenerem, id negaverim. Non enim videbar dicere posse, quo pacto consitio fiat. Verum idem posteaquam singillatim interrogare me cepisti, ea respondeo tibi, quemadmodum ais, quæ tu ipse scis, qui quidem insigniter agriculturæ peritus esse perhiberis.

Num, inquam Ischomache, interrogatio quædam est doctrina? Nam modo animadverto, quo pacto de singulis ex me quæsiveris. Etenim dum me per nota ducis, atque his consimilia commonstras, quæ me putabam ignorare persuades, ut opinor, etiam illa me scire. An igitur ait Ischomachus, si etiam de argento te interrogem, bonum sit, nec ne; persuadere te possim, nosse te rationem explorandi bonos & adulterinos nummos? Itidem de tibicinibus si te rogem, num persuadere possim, scire te rationem canēdi tibiis? itemque de pictoribus & aliis hujusmodi? Fortassis, inquam ego, quando tu me persuasisti, peritum me agri colendi esse, quanquam sciam hanc artem nullum unquam me docuisse. Nihil horum est, inquit, mi Socrates. Immo jampridem dicebam tibi, tantam esse erga homines agriculturæ benignitatem, tamque mitem hanc artem esse; ut & videntes, ut & videntes & audientes statim peritos sui efficiat.

Multa etiā ipsa docet, quo pacto quis ea pulcherrime uti possit. Primū vitis in arbores; si quidē aliquā arborem vicinam habeat, adscendens docet, qua ratione efficere debeas, ut vitis consistat. Deinde pampinos explicans, quamdiu sunt ejus uvæ adhuc teneræ, docet ea, quæ tum temporis soli exposita sunt, umbra quadam esse tegenda. Quum autem jam tempus est, ut uvæ à sole dulcescant, tum foliis decidentibus docet ipsa, se nudari debere, ac fructum esse maturandum. Ob fœcunditatem vero, quod alias uvas maturas ostendat, alias adhuc crudiores ferat; decerpendum semper esse docet, quod turgeat, quemadmodum & ficus legi solent.

Tum ego: Qui fit igitur, inquam, Ischomache, si quidem ea, quæ ad agriculturam pertinent, tam ad discendum facilia sunt, atq; omnes ex æquo sciunt, quid in ea faciundum sit, ut non etiam omnes pari ratione illam exerceant: sed alii magna rerum in abundantia copiose vivant, alii ne quidem necessaria parare possint, atque etiam ære alieno sint obruti? Id equidem exponam tibi, Socrates, ait Ischomachus. Nec enim vel agricolarum scientia, vel inscientia facit, ut aliis copia quædam suppetat, alii premantur inopia.

Neque tu facile audiveris didi sermonem hujusmodi quemdam: Res familiaris pessum ivit, quod seminator non æquabiliter semen in agrum sparsit, quodque recte plantarum ordines non instituit: nec quod quum nesciret, an solum aliquod vites ferret, in sterili eas solo consevit; nec quod ignoravit aliquis, etiam bonum esse sementi, novalem exerceri; nec quod ignoravit, bonum esse, terræ fimum admiscere: sed multo magis audire est, Ille frumentum ex hoc fundo nullum accipit. Non enim curam adhibet, ut semen in eum spargatur, vel ut fimum habeat. Vinum is non habet. non enim curam adhibet in conserendis vitibus, & colendis, quas habet, ut sint fertiles. Nec oleum nec ficus habet. non enim efficit cura studioque suo, ut habeat. Hujusmodi sunt, mi Socrates, in quibus agricolæ; quum inter se differant, etiam diversam fortunam experiūtur; idque multo magis, quam qui sapienter ad opera quiddam invenisse existimantur.

Etiam imperatores interdum quibusdam in actionibus imperatoriis, quum intelligentia non differant, nihilominus alii meliores, alii deteriores sunt haud dubie propter diligentiam. Nam quæ duces omnes norunt, & privatorum pars maxima; ea duces alii faciunt, alii non faciunt. Verbi gratia, norunt omnes potius esse, ut qui per agrum hostium transeunt, instructis ordinibus iter faciant; quod ita dimicaturi commodissimè sint, si usus ferat: hoc quum sciant, inquam, alii præstant, alii non. Norunt omnes optimum esse, diurnas & nocturnas excubias ante castra constitui: verum id quoque ut fiat, aliis est curæ, alijs non est. Difficile sit aliquem reperire, qui quum meatus angusti transeundi sunt, non intelligat potius esse, præoccupari opportuna loca, quam non: nihilominus hoc quoq; alii faciunt, alii non.

Etiam fimum ajunt omnes ad agriculturam optimum quiddam esse, ac provenire hunc sua sponte vident: tamen utut accurate sciant, quo pacto conficiatur, ac facile copiam ejus haberi posse; curam adhibent alii, ut colligatur, alii negligunt. Atqui aquam Deus, qui supra nos est, suppeditat & omnia cava, palustria fiunt: & variam materiem solum ipsum præbet, quod quidem ab ea purgare debet, qui sementem est facturus. Quæ vero removentur, de iis in aquam conjectis tempus ipsum effecerit aliquid terræ gratum. Nam quæ materies, quæ terra non in aqua consistente fimus fit? Quam item curationem solum requirat, sive humidius æquo ad sementem, seu ad consitionem salsius, norunt omnes: item quo pacto fossis aqua educatur, & terra salsa corrigatur, miscendo eam cum aliis non salsis, & humidis, & siccis: verum hæc quoque nonnulli diligentia sua complectuntur, alii non item. Quod si quis omnino ignoret, quid ferre solum possit, ac neque fructum ipsius aliquem, neque plantam inspiciendi copiam habeat, neque sit, ex quo verum audire de eo possit: annon multo facilius est cuivis homini facere soli periculum, quam vel equi, vel hominis? Nec enim quidquam est, quod fallendi causa ostentet: sed simpliciter quid vel possit, vel non possit, declarat cum indicatione veritatis.

Videtur etiam mihi terra ignavos & industrios egregie explorare, quæ omnia ad cognoscendum ac discendum facilia exhibeat. Non enim ut in artibus ceteris uti excusatione inscitiæ licet iis, qui eas non exercent, ita etiam heic fit: sed terram norunt omnes quum beneficium accipit, beneficium rependere. Quæ autem per agriculturam exercetur, ea insignis est ignavi animi accusatrix. Nam posse hominem absque necessario victu vivere, nemo sibimetipsi persuadet. At qui artem aliam nullam, qua rem faciat, novit; neque agrum colere vult: is præ se fert, quod vel furando, vel mendicando victum quærere cogitet; aut omnino rationis est expers.

Ajebat etiam multum in hoc, ut agricultura, vel fructuosa sit, vel cum detrimento conjuncta, situm esse; si, quum operarii sunt, & quidem complures, alius curam adhibeat in hoc, ut operarii suo tempore opere faciundo occupentur, alius id non curet. Nam facile vir unus decem aliis præstat, si suo tempore opus faciat: alius in hoc præstat ceteris, quod ante tempus non discedit. Permittere autem hominibus, ut toto die segniter opus faciant, id vero facile totius operis dimidiam partem differt & extrahit: sicut & in itineribus ad ducenta stadia, nonnunquam homines à se invicem stadiis centum distant ob celeritatē, quanquam & ambo sint juvenes, & valetudine integra utantur: quum scilicet unus id agit, cujus causa proficiscendi fecerat initium, alius animo est soluto, ac propter fontes, & sub umbris quiescendo se recreat, omniaque spectat, & auras teneras captat. Sic etiam in ipsis operibus perficiendis multum inter se differunt ij, qui agunt quod est ipsis mandatum, & qui hoc non agunt, sed ne opus faciant, prætextus quosdam inveniunt, concessa etiam otiandi facultate. Recte autem opus facere, vel negligenter curam faciundo adhibere, tantum inter se discriminis habent; quantum inter se differunt prorsus opus facere, vel prorsus otiosum esse.

Vt quum pastinantes, qui purgare vites à materia vepribusq; debent, sic pastinant, ut & copiosior, & pulchrior materia succrescat; quo pacto non esse dixeris hoc otiosum? Quæ igitur familias detrimento adficiant, multo magis hæc sunt, quam illæ imperitiæ nimiæ. Nam quum sumptus integri ex re familiari procedunt, opera vero non perficiuntur ita, ut ex sumptu aliqua redeat utilitas: mirum videri non debet, egestatem hinc pro abundantia rerum oriri.

Eum vero quæstum ex agricultura, qui diligentiam adhibere valentibus, & non sine contentione virium agriculturam exercentibus ad parandam rem efficacissimus est, pater meus & ipse fecit, & me docuit. Nunquam enim permittebat, ut agrum emerem cultum: sed hortabatur, ut eum, qui vel per negligentiam, vel possessorum inopiam incultus, minimeque consitus esset mercarer. Nam agros excultos magno parari pretio dicebat, & incrementum nullum habere. Qui autem incrementum nullum haberent eos neque voluptates pares suppeditare ducebat. Nimirum, quidquid vel possideretur, vel educaretur, quod in melius proficeret, id etiam plurimum delectationis adferre putabat.

Nihil autem majus incrementum habet, quam si fundus fertilissimus ex inculto fiat. Certe, mi Socrates, scire debes, nos complures fundos effecisse tales, ut jam multipliciter antiquum pretium superent. Atque hoc inventum, Socrates, tanti est pretii, tamque ad discendum facile: ut quum modo plurimum illud audieris, æque tamen ejus peritus, atque ego, discedas: possisque, si velis, alium etiam docere. Meus quoque pater neque didicit illud ab alio, neque sollicite meditando reperit: sed propter studium agriculturæ ac laborum, quo flagrabat, talem se fundum concupivisse narrabat, ut simul & quod ageret, & de quo utilitate percepta delectaretur, haberet. Erat enim à natura pater meus, Socrates, omnium Atheniensium agriculturæ, mea quidem sententia, studiosissimus.

Quibus auditis, equidem ex ipso quærebam: Vtrum autem, inquam, Ischomache, pater tuus fundos omnes, quos excoluit, possedit ipse: an etiam vendebat eos, si magnum aliquod pretium reperiret? Vendebat certe, ait Ischomachus, verum mox vicissim venditi loco alium emebat incultum, idque propter studium faciundi operis, quod in ipso erat. Dicis tu, inquam ego, Ischomache, patrem tuum revera nihilominus à natura studiosum agriculturæ fuisse, quam mercatores frumenti sunt cupidi. Nam quia studiosissimi sunt frumenti, ubicumque maximam ejus esse copiam audierint, eo se navigiis conferunt, trajecto Ægeo, Euxino, Siculo mari. Posteaquam tantum ejus nancti sunt copiam, quantam possunt maximam: per mare avehunt, & quidem illam in navim collocatum, qua ipsimet vehuntur. Vbi pecunia ipsis opus est, non temere illud quovis loco abjiciunt: sed ubi maximum ejus esse pretium audierint, & ubi sint homines, qui frumentum quantivis æstiment, illis adferunt, ac venditum tradunt. Eodem modo pater tuus fuisse studiosus agriculturæ videtur. Ad quæ Ichomachus: Iocaris tu quidem, ait, Socrates. Verum ego nihilominus exstruendarum ædium studiosos arbitror esse, qui ædificijs absolutis ea vendunt, ac alia deinde ædificant. Immo per Iovem, inquam, juratus dico tibi, mi Ischomache, omnino me tibi credere; qui existimes, omnes ea diligere, de quibus aliquid se percepturos utilitatis putant. Verum cogito, inquam, Ischomache, quam egregie totam orationem instituto argumento opitulantem exhibueris. Sumebas enim hoc argumentum, artem agriculturæ ad discendum inter omnes alias esse facillimam. Jam vero de omnibus quæ dixisti, ita se hoc habere prorsus abs te persuasus sum. Sic est, ait Ischomachus.

De hoc autem, mi Socrates, quod omnibus est actionibus commune, tum agriculturæ, tum administrationis civilis rationi, tum domesticæ, tum bellicæ rei, nimirum ut quis regendi peritus sit; adsentior equidem tibi, alios aliis judicio multum præstare. Sicut in triremi, quum in alto diurnæ sunt navigationes conficiendæ, alii ex eorum numero, qui hortando nautas excitant, ejusmodi quædam proferre ac facere possunt, ut hominum animos exacuant ad sponte laborandum: alii tam sunt imperiti, ut duplo plus temporis in eadem navigatione conficiunda consumant. Rursus illi cum sudore ac natura prædicatione tam ejus, qui cohortatur, quam qui obtemperant, de navi egrediuntur: hi sine sudore veniunt, ac non solum ipsi præfectum odere, sed etiam præfectus ipsos vicissim.

Eodem modo etiam imperatores alii ab aliis differunt. Nam alij milites exhibent ejusmodi, qui neque laborem ullum suscipere, neque periculum adire, neque dicto audientes esse, nisi quantum necessitas urgeat, velint; atque etiam magnifice se efferant propterea, quod duci suo adversentur. Iidem exhibent quoque nonnullos, qui, si quid accidat rei turpis adfici pudore nesciant. Contra divini, & boni, & periti rectores, quum vel hos ipsos, vel alios etiam sæpenumero accipiunt, talibus ipsis utuntur; ut turpe quiddam patrare verecundia præpediti nolint, ac rectius esse arbitrentur parere, atque etiam singuli obœdientia delectentur, & universi, quum labores suscipi necesse est, non illubenter eos suscipiant. Nimirum ut privatis nonnunquam hominibus laboris studium innascitur, sic etiam in exercitu toto à bonis imperatoribus studium quoddam excitari solet, ut omnes laborare, & ambitiose conspici cupiant à rectore suo, dum præclarum aliquod facinus edunt. Ceterum erga quoscunque rectores hoc modo milites, qui eos sequuntur, adfecti sunt, hi vero potentes rectores evadunt; non illi quidem, qui robustiore sunt corpore præditi, quam ipsi milites; & jaculandi sagittandique artem optime tenent, ac optimum equum habent, ut tamquam præstantissimi equites & cetrati ante alios discrimen adeant: sed qui hoc in militum animis efficere possunt, ut per ignem, & quodvis periculum, sequendum statuant. Hos certe merito quis magnanimos dixerit, quos sequuntur multi, eadem cum ipsis sentientes,

Itidem

Iidem par fuerit dicere, magna cum manu eum proficiſci, cujus voluntati multæ manus obſequi volunt: ac magnus idem reabſe vir eſt, qui res magnas conſilio potius, quam robore perficere poteſt. Sic in operibus cuiuſque ſuis, ſive villicus ſit, qui præeſt, ſeu magiſter operariorum, quicumque præſtare ſuos alacres, & contentis viribus laborantes, & adſiduos poteſt; illi vero ſunt, qui proficiunt in bonis, & abundantiam quamdam rerum ingentem comparant. Domino certe, mi Socrates, ipſo in opere conſpecto, qui & ignavum operarium maximo adficere malo poſſit, & alacrẽ honore maximo ornare; ſiquidem nihil ab operariis inſigne fiat, non poſſunt equidem eum admirari. Quo vero conſpecto moti fuerint, & quidam impetus operarios invaſerit, itemque contentio mutua, & ambitio, quæ nemini non eſt optima: hunc equidem regium quoddam ingenium habere dixerim. Atque hoc mea quidem ſententia, ut quovis in opere maximum eſt, ubi per homines aliquid efficitur, ita etiam in agricultura. Non tamen id profecto diſci poſſe dico vel intuendo, vel audiendo ſemel: ſed equidem ajo etiam inſtitutione illi opus eſſe, qui præſtare id velit, atque ut indoles in eo bona ſit: quod denique maximum eſt, divinus ſit homo neceſſe eſt. Quippe non omnino mihi videtur totum hoc bonum humanum eſſe, ut aliquis non invitis imperet, ſed divinum: quod quidem iis certo datur, qui revera prudentiæ ſacris initiati ſunt. At invitos tyrannide quadam premere, mea quidem ſententia datur iis, quos dignos eſſe dii ſtatuunt, ut ſic vitam degant, quemadmodũ apud inferos agere Tantalum perhibent in omne ævum metuentem, ne bis oriatur. *lib. 5. Memorabilium.*

Libanius: Fateor magnitudine quidem Rus ab Vrbe ſuperari: aliis autem rus urbem vincere affirmarem. Ac primum quidem eo ꝙ rus urbe eſt antiquius? quis enim ignorat primos homines qui in terra viſi ſunt, alios quidem in verticibus montium, alios in medio habitare ſolitos; loco urbium rura nepotibus tradidiſſe? Sero admodum congreſſos in unum urbes condidiſſe. Quod ſi quidqd antiquum eſt, honorabilius eſt rus majori in pretio habendum quã urbs. Jam vero cætus non meliores fuiſſe eos qui convenerant ſociatique erant oſtendit: ſed ad male agendum potius eos inter ſe conjunxit. ut ſi quis bene rem expendat majorem in urbibus injuſtitiam, quàm in agris inveniet. At enim agricolis unum opus eſt exercere terram, cum eaque ut plurimum verba faciunt, dum ſerunt, metunt, vindemiant, & vivunt ſudore copiam rerum comparantes.

Atqui in urbe degunt, delationibus, accuſationibus & calumniis utuntur, ad pecunias ſibi invicem eripiendas: & fabricas nectunt noctu, quas interdiu ad mutuam fraudem adhibent: ut forum ſit campus inſidiarum, ubi hic quidem illum, ille verò alium perdere quærit. ac merces ad exitum civium datur oratoribus: Atque adverſus imbecilliores ſcribuntur orationes. pecuniæ porro teſtes inducunt falſos, judiceſque corrumpunt. Etenim inertia ad hoc facinus impellit: ſicut etiam ad corporum amores: ſiquidem plerique in urbibus ſunt, qui inſidias tendunt adoleſcentibus: multi etiam conjugiis faciunt injuriam; cum habeant miniſtros ad hæc flagitioſorum genus lenonum. Namque hoc urbis artificium eſt, non ruris morbus. Iſti ſanè ebrii & commeſſantes, amantes & æmulantes, contentione ex ejuſmodi rebus orta convitijs & verberibus & vulneribus exagitati, perſæpe ad cædes mutuas rediguntur. Rus autem purum eſt furoribus ob res venereas: ſiquidem amant ruricolæ ſua aratra & boves & plauſtra & ſulcos. & cum ſuis tantum uxoribus rem habere norunt. ſcordum autem ipſos ab illis ad ſe non pellicit: neque verò ſumptibus in ſe factis inopes reddit. nec agricola cupidè certatimque ad aleas ſe confert. neque à cæna ad pultandas fores accedit. nec petulanter ſe gerit, nec ferit, nec cenſet palmarium eſſe magnum aliquod ſcelus patrare. Ceterum eorum quæ à temulentia oriuntur, nihil in iminime temulentos cadere poteſt. Ad hæc cum ſuis uxoribus liberorum tantum procreandorum gratia, copulantur. quòd ſi ſummum bonum eſt temperantia, & libidinibus non inſervire: hoc in iis qui rura incolunt, non iis qui in urbibus habitant, comperitur: Quomodo non hac etiam ratione rus oppidum vincere videbitur? Præterea ſi eos qui terra potiri cogitant, tempeſtatum anni & ſiderum peritos eſſe convenit, & opportunitatis cujuſque rei agendæ & ſoli naturæ, quidque hæc tellus ferre poſſit; quid illa: quid item non poſſit: ejuſmodi doctrinam quis mente præditus non ante ferat ei ſcientiæ, quæ dicendi virtutem parit in urbibus? qua multi multos profligant, legum calliditate ſuperiores facti. Jam utros fortiores exiſtimare par eſt, eos qui intra muros in mẽſis & tonſtrinis & unguentariorum officinis congrediuntur & confabulantur; an eos qui extra portas, urſos perſæpe & leones & pardos venantur? Nam cum lupis continuum eſt ipſis bellum, dum greges & armenta propugnant. Sunt etiam qui omni artificij genere, has feras capiunt, Vt ſileam ſerpentum inſultus, quos neceſſe eſt devincere ei, qui emori nolit. Atque his exercitiis videtur mihi quis ad aciem profectus audacius cum hoſtibus conflicturus, quam nugis quę tractantur in urbibus conſtrictus. Itaque utri ſanitatis magis participes ſunt, qui frigori & æſtui perferendo exercitati ſunt, & alimento temperato utuntur, & pro lavacro fontibus ac fluviis: an qui æſtate quidem radios fugiunt: hyeme autem in cubilibus ſtrati, in balneis lavantes; denique in ventrem ſuum mala cocorum commenta congerentes. Porrò medicorum liberi dicunt eos qui ruri vitam degunt in aere multo ſalubriore verſari: ideoque ægrotantes in urbe, rus deferri volunt, aëris temperiem pro ſubſidio artis adhibentes. Unde fit ut eorum quidam iisdem medicamentis ruri magis ægros adjuverint: aliis vero medicis hoc ipſum ſatisfuit, quòd ægrotantem rus traducerent.

Iam vero ſi longioris vitæ præmia ſtatuerentur, hæc deberentur iis qui ruri degunt. Adde quod is qui ruri habitat profectus in urbem, vertigine laborat, & quam celerrimè in agrum reverti tentat, qui & is deſiderio, at cùm oppidani conquieſcere conſtituerunt, ad agros, accurrunt; dum urbes quidem, procellas; agros vero portus reputant: proinde ruri animus ſtatim alacrior, & corpus levius efficitur. Quod ſi ubiq; id quod uſum explet, melius eſt eo quod in diget, ex agris alimentum urbibus datur: non ab urbibus ſuggeritur agris. Inſuper oppidani quidem flagris cæſum & tormentis cruciatum, tum ad gladium, tum ad ignem Iudicum ſententia deſtinatum vident: Agreſtes verò audiunt tantum. Igiturquantò minus auditus quam viſus triſtitiam comparat: tanto præſtantior eſt victus ruri quam in oppido. Deinde ruſticani quidem ſuos mores facilè conſervare poſſunt; plerique autem oppidanorum externorum adventu & conſuetudine inquinantur: multique à ſuis inſtitutis deſciſcentes, peregrina ſunt æmulati. Iam ſi ſcena hiſtrionibus, circulatoribus. & ejuſmodi præſtigiis rus vincitur ab urbe: hoc ipſũ eſt quo melius exiſtit, quia perniciem quæ ab iſtis exoritur effugit, ad honeſtiores voluptates percipiendas. An parum ad lætitiam facit juvencorum & ovium balatus? ac ſi quidem hæc adhuc magna non ſint, quid urbs opponeret luſciniarum vocibus? Præterea qua pictura jucundiora non ſunt violaria & roſaria, & prata, & rami cicadas portantes: tibiæ vero & fiſtulæ paſtorum ad ſtabula ducentium armenta & caprarum atque ovium greges, quibus nam ſpectaculis ſuaviores non ſunt. Arenam verò palæſtritarum & pugilum ſanguinem, æquúmne eſſet agitationi ſegetum comparare, & quinquertij certatorum plagas, cum taurorum certaminibus? An etiam epulari jucundius eſt ſub tecto à fabris ſtructo; quam ſub umbra ex arboribus parata, quibus inter texti pedent racemi? Quis in Theatro Chorus aures ita oblectat, ut qui uvas racemoſque calcant, & vinum cum cantibus conficiunt? Res ſane feliciſſima eſt Deum videre, & cum Deo verſari: hoc autem ruri potius quam in urbe quis nanciſcetur: quandoquidem Heſiodus oves paſcens Muſis obvius factus eſt: & Philippides longo poſt tempore Pani juxta Parthenium occurrit. Poſtremò ſi urbes meliores eſſent, haud quaquam in Helicone & Pieria Muſas commorari audiſſemus: ſed in maximis civitatibus. Atqui Dionyſius ruri apparet Icaro colloquutus, & munera nactus, largienſque vitem. *Comparat. Ruris & Vrbis.*

Æneas Sophiſta: Laërtes ætate affecta non volebat amplius regem agere, atque mortalibus imperare, ſed hortulanum ſe gerere, & arboribus operam dare. Tu verò mihi videris imitatus hominem eſſe. Non enim urbe & tuis relictis, tam longo tempore ruri deſideres, cum plantis colloquens. Oportebat autem non Laertis meminiſſe, ſed Socratis & dogmatum Socraticorum, in quibus ille jucundè & graviter loquens philoſophatur, quòd agri & arbores nihil doceant, ſed homines qui in urbe verſantur, huic potiùs obtemperans, neglectis agris & contemptis, in quibus non poſſunt agricolæ ſapientiæ fructum metere, recordare ſolitam illam vitam, in qua licet ſapientiam aliquam diſcere & docere, & quod maximum eſt, amicos exhilarare. *Epiſtola 2.*

❡ ROMANORUM.

Ennodius: Quasdam mundi artifex Deus provinciis felicitates ſtupenda ſecreti ſui largitate conceſſit. alias uberius, melius alias vinum juſſit effundere. aliis contulit triticeæ ſegetis ope gratulari. multas pomorum varietate vel utilitate donavit. Quibus hæc tamen ipſius naturæ repugnantis merita non dederunt, fecit eas relatore ſublimes. Non eſt unde jejuna cautibus gleba deſperet, nec unde non reſpondentia cultori arva ſubjaceant. Linguarum genio terris merita tribuuntur: & qualiter quis loqui potuerit, taliter rem de qua fuerit locutus attollit *&c. lib. 1. epiſt. 6. p.*

Plinius Iunior: In Laurentino meo, aut lego aliquid, aut ſcribo, aut etiam corpori vaco; cujus fulturis animus ſuſtinetur. nihil audio quod audiſſe, nihil dico quod dixiſſe pœniteat. nemo apud me quemquam ſiniſtris ſermonibus carpit: neminem ipſe reprehendo niſi unum me, cùm parum commodè ſcribo: nulla ſpe, nullo timore ſollicitor, nullis rumoribus inquietor. mecum tantum & cum libellis loquor. O rectam ſinceramque vitam: ô dulce otium honeſtumque, ac pene omni negotio pulcrius! ô mare, ô littus, verum ſecretumque muſ[illegible]am, quàm multa invenitis, quàm multa dictatis! *fine epiſt. 9. lib. 1.*

Plinius Iunior: Quin ergo aliquando in urbem redis? ubi dignitas, honor amicitiæ tam ſuperiores quàm minores. quouſque regnabis? quouſque vigilabis cùm voles? dormies quamdiu voles? quouſque calcei nuſquam, toga feriata, liber totus dies? Tempus eſt te reviſere moleſtias noſtras, vel hoc ſolum, ne voluptates iſtæ ſatietate langueſcant. Saluta pauliſper, quo ſit tibi jucundius ſalutari: terere in hac turba, ut te ſolitudo delectet. Sed quid imprudens quem evocare conor retardo? fortaſſe enim his ipſis admoneris, ut te magis atque magis otio involvas, quod ego non abrumpi, ſed intermitti volo. Ut enim ſi cœnam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutoſque miſcerem, ut obtuſus illis & oblitus ſtomachus his excitaretur; ita nunc hortor, ut jucundiſſimum genus vitæ nonnullis interdum quaſi acoribus condiat. *Epiſtola 3 lib 7.*

Plinius Iunior: Altius ibi otium & pinguius, eoque securius: nulla necessitas togæ; nemo accersitor ex proximo. placida omnia & quiescentia; quod ipsum salubritate regionis ut purius cœlum, ut aër liquidior accedit. Ibi animo, ibi corpore maximè valeo. nam studiis animum, venatu corpus exerceo. mei quoque nusquam salubrius degunt: usque adhuc certè neminem ex iis quos eduxeram mecum (venia sit dicto) ibi amisi. *fine epist. 6. lib. 5.*

Plinius Iunior: Villa Camilliana, est quidem vetustate vexata: ea tamen quæ sunt pretiosiora, aut integra manent, aut levissimè læsa sunt. Attendemus ergo, ut quam saluberrimè reficiantur. Ego videor habere multos amicos, sed hujus generis, cujus & tu quæris, & res exigit, propè neminem. sunt enim omnes togati & urbani. rusticorum autem prædorum administratio poscit durum aliquem & agrestem, cui nec labor ille gravis, nec cura sordida, nec tristis solitudo videatur. *Epistola 30. lib. 6.*

Symmachus: Animum meum Campani littoris commemoratione sollicitas: sed nobis quoque in Prænestino rure degentibus non minus voluptatum suppetit. Sint licet plures hominum sententiæ quæ maritimis montana postponant: ego tamen vitandis æstibus magis judico nemorosa, quàm cultu aperta congruere. *libr. 7. epist 35.*

Symmachus: Quod Formiis nostris Neapolitana ora præfertur, animadverto tui non esse judicij. In gratiam quippe præsentium non sententiam, sed verba mutasti: nisi fortè rerum tuarum collatio facit illud tibi esse jucundius ubi fructus uberior. Sed natura regionũ suis meritis, non nostris quæstibus æstimãda est. *lib. 7. epi. 37.*

Symmachus: Quid quod etiam jactari morbo matronam tuam simulas? cujus valetudini, si vera prædicas, solitudo non competit. plura enim Romæ salubritatis instrumenta sunt, major medentium numerus. Vide igitur ne aliud genus suspicionis incurras, si obsessam à morbo conjugem, vacuo secessu & intuta ablegatione maceraveris. *lib. 8. epist. 19. f.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Acharn. v. 32.

Amore pacis flagrans, intueor agrum:
Urbemq; exosus rus meum desidero;
Quod nunquam mihi dixit, carbones emptum abi,
Acetum, oleum: imo haud norat verbum emo;
Sed ipsum proferebat omnia, quiq; emat.
Aberat.

Terentius Eunuch. 5. sc. 6.

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi;
Neq; agri, neq; urbis odium me unquam percipit.
Ubi satietas cœpit fieri, commuto locum.

Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

Nam quid rusticitas non credere et indomitorum
Stulta virûm, pecudes inter ritusq; ferinos
Dedere sueta animum, diva rationis egenum?
In quamcunq; fidelem nebulonis callida traxit
Nequitia, infelix faciem gens præbuit aurem.

Plautus Mercatore 4. sc. 3. v. 17.

Urbani fiunt rustici. D. pudicius
Faciunt illi quam qui non fiunt rustici.
L. Numquid delinquunt rustici? D. ecastor minus
Quàm urbani, & multo minus malum quærunt sibi.

Furius Bibaculus.

Siquis forte mei domum Catonis,
Depictas minio assulas, & illos
Custodes videt hortuli Priapos:
Miratur, quibus ille disciplinis
Tantam sit sapientiam assecutus.
Quem tres coliculi, selibra farris,
Racemi duo, tegula sub una
Ad summam prope nutriant senectam.

Vovianus 60. in.

Adeste Musæ, maximi proles Iovis.
Laudes feracis prædicemus hortuli.
Hortus salubres corpori præbet cibos:
Variosq; cultus sæpe cultori refert:
Olus suave, multiplex herbæ genus:
Uvas nitentes atq; fœtus arborum.
Non deest hortis & voluptas maxima:
Multæq; mista commodis jucunditas.
Aquæ strepentis vitreus lambit liquor:
Sulcoq; ductus irrigat rivus sata.
Flores nitescunt discolore gramine,
Pinguntq; terras gemmeis honoribus.
Apes susurro murmurant grata levi,
Cum summa florum, vel novos rores legunt,
Fœcunda vitis conjuges ulmos gravat,
Textasve inumbrat pampinis arundines.
Opaca præbent arbores umbracula,
Prohibentq; densis fervidum solem comis.
Aves canoros garrulæ fundunt sonos:
Et semper aures cantibus mulcent suis.
Oblectat hortus, advocat, pascit, tenet,
Animoq; mœsto demit angores graves.
Membris vigorem reddit, & visum capit.
Refert labori pleniorem gratiam,
Tribuit colenti multiforme gaudium.

Ausonius Epistola 10. v. 17.

Nos etenim primis sanctum post Pascha diebus,
Avemus agrum visere.
Nam populi cœtus, & compita sordida rixis
Fastidientes, cernimus.
Angustas fervere vias, & congrege vulgo
Nomen platéas perdere.
Turbida congestis referitur vocibus Echo,
Tene, feri, duc, da, cave.
Sus lutulenta fugit: rabidus canis impete sævo:
Et impares plaustro boves.
Nec prodest penetrale domus, & operta subire.
Per tecta clamores meant.
Hæc & quæ possunt placidos offendere mores,
Cogunt relinqui mœnia:
Dulcia secreti repetantur ut otia ruris
Nugis amœna serijs.
Tempora disponas ubi tu tua: jusq; tuum sit,
Ut nil agas, vel quod voles.
Ad quæ si properas: tota cum merce tuarum
Veni Camenarum citus.
Dactylicos elegos, choriambum carmen, epodos,
Socci & cothurni musicam,
Carpentis impone tuis. nam tota supellex
Vatum piorum, chartea est.

Ausonius Edyllio 2. v. 30.

Hæc mihi non procul urbe sita est, nec prorsus ad urbem.
Ne patiar turbas, utq; bonis potiar.
Et quoties mutare locum fastidia cogunt,
Transeo, & alternis rure vel urbe fruor.

Claudianus de sene Veronensi.

Felix, qui propriis ævum transegit in arvis;
Ipsa domus puerum, quem videt ipsa senem:
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Unius numerat sæcula longa casæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator timuit, non classica miles:
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ nescius urbis,
Adspectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Consule computat annum;
Autumnum pomis, ver sibi flore notat.
Idem condit ager Soles, idemq; reducit,
Metiturq; suo rusticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui gramine quercum,
Æquævumq; videt consenuisse nemus
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumq; putat litora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmisq; lacertis
Ætas robustum tertia cernit avum.
Erret, & extremos alter scrutetur Iberos.
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Incerti auctoris.

Parvula securo tegitur mihi culmine sedes.
Uvaq; plena mero fœcunda pendet ab ulmo.
Dant rami cerasos: dant mala rubentia silvæ:
Palladiumq; nemus pingui se vertice frangit.
Iam quæ deductos potat levis area fontes,
Corycium mihi surgit olus, malvæq; supinæ,
Et non sollicitos missura papavera somnos.
Si vero alitibus fraudem contexere opertam,
Seu magis imbelles libuit circundare cervos,
Aut tereti lino pavidum subducere piscem:
Hos tantum novere dolos mea sordida rura.
I nunc & vitæ fugientis tempora vende
Divitibus cœnis, me, si manet exitus idem,
Hic precor inveniat, consumptaq; tempora poscat.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absq; vento & nube, arantis nil juvat summus labor.
Abstinent à terrà macrâ rustici, pinguem colunt.
Admonere voce præstat quam flagelli ictu pecus.
Aeris quærenda ruri non in urbe salubritas.
Anseres plerumq; pullos persimiles faciunt sui.
Antequam exeant vesparum igne occupes examina.
Arbor cui præcisa radix omnis est non germinat.
Arboris ramum virentem ostende; sistet bos fugam.
Arborum frugumq; vota: diu jacere sub nive.
Ardea Græcas salutant, Barbaras naves timent.
Aridum die florescit brumali pulegium.
Artium omnium parens est unica agricultio.
Aut locus subinde aut ætas cuncta mutat semina.
Bos senecta lassus ægra fortius figit pedem.
Carceres atq; ulcera omnia una purgat brassica.
Carius vendas refecta jumentorum corpora.

Concipit perdix audire vocem ubi maris potest.
Crescunt cum Luna ac decrescunt ostrea ac conchylia.
Damna æstatis fas hibernis est pensare eventibus.
Danda merces in fine, in opere cibus est operarijs.
Decedente lunâ cape augescit, adolescente aret.
Degenerat semen peregrino si solo commiseris.
Empto agro domus vendenda, provenire si cupis.
Est mage oblectatio omnis quàm labor venatio.
Et capellarum maritos esse oportet mutilos.
Ex camino item ferinas villicus carnes ferat.
Ex odore cervi serpens interire trux solet.
Falce opprimas flagellas luxuriantes vineis.
Fas bibere est, Iovis prox imber dum satisfacit satis.
Fortius ferire si vis, altius leves manum.
Garrulæ adveniunt, recedunt absq; voce hirundines.
Gratiora sunt quæ in agro sponte nascuntur suo.
Haud agri usus absq; cultu, haud sali absq; navibus.
Haud amantium est olere allium, est pugnantium.
Id voces jugum, die uno quod boves junctæ exarant.
Imber optimus soli omni, qui minutatim cadit.
In cultura agri facienda tempore quæque sunt suo.
In ventum ferè aquamve nubes se resolvunt sordidæ.
Inseris vites ut uvam proferat, non pampinum.
Insitiva de infelice oleastro oliva nascitur.
Italiam provinciasq; latifundia atterent.
Ligna cæsa silente lunâ, tuta sunt à vermibus.
Limes positus est agro litem arvis ut discerneret.
Luce vincias noctuq; liberes Caniculam.
Lumine ipso bestiarum repigratur impetus.
Macerat se clausa turdus liberam si avem aspicit.
Maximè gaudet frutetis hædus atq; arbusculis.
Maximus timor colono pene adultis fructibus.
Mel malum bonum fit, duplum si misces boni malo.
Militem simul famemq; ferre agricola non potest.
Mons arandus est transversus: improba est acclivitas.
Multitudo ibi vicorum est, terra ubi est feracitas.
Multò mage malum sibi quærunt urbani quam rustici.
Nemo adhuc fecit bene arvis quin statim id rependerint.
Nil paventius columba, nilq; ea fæcundius.
Non diu virescit aura spiritus abterranea.
Non male arboribus vetustis adseris plantas novas.
Non micat de palea flamma ventus ipse ni juvet.
Non modò Indus mollit agros, verùm & ipsos conserit.
Non modò intus corpus ungat oleum, at etiam extrinsecus.
Non modò nutrimur herbis, sed valemus rectius.
Non nisi insequentem in annum dives est vir rusticus.
Non novit rus scelera populos inter atque urbes sita.
Non pluit quando è cavernis grana formicæ efferunt.
Non sapit qui possidere vult, quod colere non potest.
Nunciatum aranti, dictum Dictatorem, Quintio.
Nulla ove adsequare fructum ferre quem pavo soles.
Nullus aquè ventus est serenus ac Septentrio.
Officium facis vicino filicem eius si eligis.
Omnis aër quo terris est proprior, hoc est crassior.
Optimum est meri medium, olei summum, mellis infimum.
Pabuli partem majorem parvus acquirit sibi.
Pectore ac collo conatur plus pecus quam cornibus.
Planta heri potissimum agros stercorat frequentior.
Plejadum metis subortum, quæ sata occidentibus.
Pleiadum sub ortu nox est omnium brevissima.
Plura agro sunt instrumenta qui fæcundus est minus.
Poma pulcriora cernas quam sint, si innatent vitro.
Prædijs nostris propinquis delectamur maximè.
Purum amant, licet relinquant nullibi purum, anseres.
Quale semen, provenire talis & messis solet.
Quæ nimis rigatur arbor fit radice putrida.
Quid boni potest sperare qui terra terram colit?
Quisquis est opes perosus, rura amet, silvas amet.
Quod manu coles honesta, latius fructum feret.
Rura vastiora laudes, quæ minora sunt colas.
Sæpius nummos quàm librum fert qui hero servus placet.
Scire, posse, velle colere; rustici nota optimi.
Semina imò plantas lædit nuda salsi fluminis.
Sentibus terra occupata ferre fruges quei queat?
Si jubar Solis bene haud fert Aquila pullus, est nothus.
Solstitialis herba repentè exorta, repentè item occidit.
Spes jucunditasq; arantes plus tenet, quàm commodum.
Structio lapidum insequenteis imbre crebro submovet.
Stultus est qui humo committit semen messis tempore.
Sunt animantium labori natura leges sua.
Sus lacu gaudet cœnoso, sed cubili comptulo.
Tam macrum nil est, aratro quod perstringi non queat.
Tam malum est habere agellos, non habere quam malũ est.
Tam malum est pecori otiari plus nimis, quam nil malũ est.
Terminus Iovi vel ipsi noluit concedere.
Terminos agri vicini clam palamve ne move.
Terminos clam fur agelli transferet, prædo palàm.
Torcular non fingit ipsa vina, sed solùm exprimit.
Tunc bibendum cùm sata imber irrigat latus Iovis.
Triticum in luto seras, seras in pulvere hordeum.
Væ telluri quæ colono destituta est impigro.
Nemo vappam ad prala, quàm qui est ipse vappa, nominat.
Villicus tua ne exito terminos colonia.
Vltimam ad maris radicem nulla tempestas venit.
Vomeris stiva ad secures misit olim Consules.
Vrgeas jumenta mane; non & à mero die.
Vt sata est semel decem annis herba durat medica.
Vtilissimè coletur per malos bonosq; ager.
Vulturum gens non habet marem, undiquaque femina est.

¶ JAMBICA.

Ad extrahenda aratra nata sunt boves.
Agrum colentes & viri sunt optimi.
Arbusta solutis procumbunt radicibus.
Cantus cuculli gaudium fert rusticis.
Catulos ferarum præda saginat mollior.
Cepas edendo incendere est ipsam sitim.
Collo pecus conatur plus quam cornibus.
Consanguinea Sapientiæ res rustica est.
Contenta plebs suis agrestis fructibus.
Cultura agri nil libero homine dignius.
Desecta pinus pullulascere haud solet.
Domini est docere, non audire villicum.
Dumeta, non campos caper desiderat.
Erga labores, res ager gratissima est.
Est gratius quod sponte nascitur suâ.
Est mater artium omnium agricultio.
Est ventus, aer unam in partem qui fluit.
Etiam mero cicadas rore paveris.
Fertilibus agris si imperas, exhaurias.
Frangiq; se strepitu juglans prænunciat.
Frugalitatem rura mortales docent.
Gregem putarunt esse quidam oves decem.
Haud evocanda est in forum gens rustica.
Haud unquam agricolæ standum est omni quàm pede.
Hibernus imber oculos auresq; impedit.
Ignota circumscriptio est agrestibus.
In proprio generosius quidq; provenit.
Inimica lux motusq; pinguitudini.
Malè agitur cum domino, quem villicus docet.
Manu tenere echinum suave nemini est.
Morum suorum gens tenax est rustica.
Ne villa fundum quærat inprimis cave.
Ne verberato oleam: imò oleam ne stringito.
Nec rex Olympi sprevit agrestum casas.
Nemo agricolâ toto orbe degit sanior.
Nihil homine libero agriculturâ dignius.
Nil expedit minus, quàm agrum coli optimè.
Nix in pruinâ est pendens congelatio.
Nocet capellis æstus, at frigus magis.
Non esse debet ambulator villicus.
Non herba tantum pecori, & homini nascitur.
Non naribus sed auribus spirant capræ.
Nubem videre nemo in ipsâ qui est potest.
Nullum est agris prius columbæ stercore.
Obnoxia est rubisq; lana longior.
Obnoxiæ non sunt laboribus capræ.
Occant prius semper, quâm sarrunt rustici.
Oleum solet gelascere vinum non solet.
Opes perosus silvas & rus colat.
Parens aliarum est artium agricultio.
Perpauca adhuc teguntur Iulio nive.
Prægnans licet sit concipit tamen lepus.
Præstat minus seras aresq; crebrius.
Prævaricatur arator, nisi adorat solum.
Provectus est agri, domini præsentia.
Pulcrè admoventur ipsis fontes vitibus.
Quamvis vetustum arbustum transferri potest.
Quatienda non est olea quæ potest legi.
Qui terminum moves, moves rem immobilem.
Quo editior est aër, hoc est & purior.
Remanet diurnus post obitum Solis calor.
Se pascit ipsum rus; macellum urbs postulat.
Suo labore omnes alit vir rusticus.
Vendacem oportet non emacem villicum.
Ventum minus depressa quæ sunt sentiunt.
Venti creant imbres, imbres venti enecant.
Vicini agri movere noli terminos.
Vita generis dulcissimum agricultio.
Vites malè altæ fructuum nihil ferunt.
Vix justus est qui agros emit contermines.
Vrbana plebs nulla antecellit rustica.
Vrbes procellas, rura portus nomines.

POLYANTHEÆ TOMI SECUNDI LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

Sabbathi.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

Clemens Alexandrinus. Septimum diem esse sacrum, sciunt & Græci, per quem universus mundus circum agitur eorum quæ viva gignuntur, & omnium quæ producuntur à natura. Hesiodus quidem sic de eo dicit:

Primum luna nova, & quarta est & septima sacra. Et rursus:
Septimo erit rursus lux vel clarissima Solis. Homerus autẽ:
Sacra dies vero post hac tum septima venit. Et:
Septima sacra fuit. Et rursus:
Septenumq; dies fuit, in quo cuncta peracta. Et rursus:
Luceq; septena ex ripis Acherontis abimus.

Quinetiam Callimachus quoque poeta scribit,
Omnia septenaq; die perfecta fuere. Et rursus:
Septimus inq; bonis, natalis septimus illi est. Et:
Septimus in primis, perfectus septimus extat. Et:
Sidereo in cælo septem perfecta fuere
Orbibus, omnia quæ apparent volventibus annis.

Quinetiam Solonis elegiæ septenarium numerum valde celebrant. *lib. 5. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Tertium præceptum significat, mundum à Deo esse factum: & dedisse nobis septimum diem ad quiescendum, propter eam quæ est in vita afflictionem, & malorum perpessionem. Deus enim indefessus, nullisque obnoxius est passionibus, & qui nullius indiget: quiete autem indigemus nos, qui carnem gestamus. Septimus ergo dies dicitur quies, abstinentia à malis, præparans illum primarium & ex quo cuncta orta sunt diem, qui est vere nostra quies, qui quidem prima quoque est revera lucis generatio, in qua omnia simul & cernuntur & possidentur. Ex hoc die prima sapientia & cognitio nos illuminat: lux enim veritatis, lux vera, umbræ expers, qui citra divisionem dividitur spiritus Domini in eos qui sunt per fidem sanctificati, qui est instar luminaris ad eorum quæ sunt agnitionem. Eum ergo per totam sequentes vitam nullis efficimur passionibus obnoxij: id autem est quiescere. Quocirca Solomon quoque ante cælum & terram, & omnia quæ sunt, omnipotenti dicit genitam fuisse sapientiam, cujus participatio quæ est per virtutem, non dico per essentiam, docet eos qui hîc fuerint rerum divinarum & humanarum habere scientiam id que per modum comprehensionis. Hæc quoque sunt obiter revocanda in memoriam, quoniam de septenario & octonario institui cœpit jam sermo. Qui est enim octonarius, videtur esse omnino propriè septenarius: septenarius autem aperte senarius, & hic quidem proprie esse Sabbatum. Septenarius autem operarius, nam & mundi ortus sex finitur diebus, & motus Solis qui fit à conversionibus ad conversiones, seu ab uno tropico ad alterum, perficitur sex mensibus, per quem partim quidem cadunt folia, partim verò plantæ pullulant, & seminum fiunt perfectiones. Ajunt fœtum quoque perfecte absolvi mense sexto, hoc est, centum & octoginta duobus diebus & dimidio, ut scribit Polybus quidem medicus in libro de Octomestribus, Aristoteles autem Philosophus in libro de Natura. Et Pythagórei, hinc, ut arbitror, à mundi ortu ex sententia Prophetæ numerum senarium perfectum, & eum appellant μεσευθὴν & γάμον. Μεσευθὴν quidem, id est, medirectum, quod sit medium recti, hoc est, decem & duorum: videtur enim ex æquo abesse ab ambobus: γάμος autem est, conjugium: nam ut conjugium generat ex masculo & fœmina, ita sex, ex impari quidem ternario, qui dicitur masculus, ex pari autem, nempè binario, qui fœmina existimatur, gignitur: bis enim tria fiunt sex. Tot rursus sunt motus maxime generales, per quos fertur omnis generatio, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, antè, ponè. Meritò ergo numerum septenariũ existimant esse sine matre & sine prole, Sabbatum interpretantes, & speciem quietis dicentes allegorice, in qua nec uxores ducunt, nec nuptum dantur amplius. Neq; enim ex numero aliquo ad aliquẽ sumẽtibus fit septenarius, neq; ad aliquẽ sumptus, facit alium ex iis qui sunt intra duodenarium. Octonarium autem cubũ appellant, cum septem errantibus inerrantem sphæram connumerantes, per quas fit magnus annus, veluti quędam periodus remunerationis eorum quæ sunt promissa. *libro Stromatum sexto.*

S. Isidorus Pelusiota: Id quod in lege dictum, minimè simplex est, verùm duplex quiddã habet, quod crassis quidem animis opertum est, tenuibus autem & acutis nudum & apertum. Dies septimus, inquit, sanctus vobis vocabitur. Non facietis in eo ullum opus (λατρευτὸν) servile: verùm quæcunque fient omni animæ: per λατρείαν hoc loco servitutem intelligit. Nihil igitur, inquit, servilium rerum, ac vos ab otio in Dei cultu collocando tanquam servos abstrahentium, die Sabbati facietis: nec quod vos peccatorum pondere deprimat. Est enim recreationis ac remissionis dies: nec ipsius dignitatem vitiorum colligationibus dedecorari, contumeliaq; affici convenit. Quod autem sequitur, nimirum, quæcunque fient, ea animæ fieri oportere, per hæc verba, ea omnia, quæ animæ lucrum afferunt, expleri præcepit, hoc est, precationem, quietem, admonitionem, beneficentiam, pudicitiam, continentiam, veritatem, puritatem, & quæ deinceps dicta sunt. Quæ quidem ad internum hominem transeuntia, externum scandalis & adversis casibus liberant: Superante videlicet eo quod melius ac præstantius est. *lib. 1. Epist. 71.*

Idem: Sacerdotes in templo Sabbatum polluunt, & sine culpa sunt. Quoniam cùm opus omne, quod manu conficitur, die Sabbati prohibitum sit, ipsi ligna cædunt, & ignem accendunt, & victimarum carnes distribuunt. Quæ quidem, ut communia opera, die Sabbati explere minimè permittuntur: ut autem hinc sacrificium conficiant, minimè vetantur, imò etiam jubentur. Atque hac ratione Sabbatum quidem per operationem pollui contingit: Sacerdotes autem, propter operationis diversitatem, extra culpam esse. *Epist. 72. lib. 1.*

¶ LATINORUM.

Chrysologus: Sed Archisynagogus indignatur, quare Christus sabbathis curet, hodieque Iudæus in Ecclesiæ cura zeli furore torquetur: dum cælestes sensus intelligentia terrena prevoluit, ac putat sabbathum jumentis, non hominibus consecratum, qui periclitanti bovi, vel asino sabbatho festinus occurrit, hominique morienti sabbatho pietatis quicquam, miserationis quicquam non indulget. Et hoc facit excors, ut in pectore violet sabbatum: & in homine ipsam violet sanctitatem, ac sic Deo Dei legę præscribit: & observando sabbathum Deo sabbathum sic refundit, quod Deus Iudæo pro labore terreno & opere carnis clementer indulsit. *fine Sermonis 105.*

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Iesus Christus. Diem Sabbati sanctificandum, districtim in veteri Lege Deus præceperat; quòd eum diem repræsentaret, quo expleta hujus mundi fabrica, ipse ab omni opere, cujus species vel semen non præcesserat, cessavit. Ideoque hunc superstitiosè observarunt Iudæi: nam dum in eorum synagogam Christus introisset, & oblatum sibi hominem aridam manum habentem curasset, calumniabantur quòd Sabbato curasset. Quibus ille: *Quis erit ex vobis homo, qui habet ovem unam, & si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nónne tenebit & levabit eam? Quantò magis melior est homo ove? Itaq; licet Sabbatis benefacere.* Quo dicto, superstitionem eorum repressit, qui Sabbato à quovis opere externo, quacumque subsistente causa, existimabant abstinendum. *Mat. c. 12.*

Idem. Cùm discipulis Sabbato per sata transeuntibus, spicasque ut manducarent vellentibus, insultarent Pharisæi, quòd facerent ea quæ non liceret in Sabbato; argumento à fortiori eos confundens; dixit: *Non legistis quid fecerit David quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neq; his qui cum illo erant, nisi solis Sacerdotibus?* Major quippe erat religionis contemptus, panes sanctos à laicis manducari, quàm vellere spicas in Sabbato. *Matth. cap. 12. Marc. c. 2. Luc. 6.*

Salomon Judæus & Angli Anonymi. *Require Talionem.*

Sacerdotij & Sacerdotis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Nazianzenus:* Priusquam animam quis pro virili, mentemque quantum satis sit, repurgarit, longeque supra alios ad Deum propinquarit, animarum curam & imperium suscipere, ac mediatorem inter Deum & homines agere (hoc enim fortasse sacerdos est) minimè tutum esse censeo. *Orat. 1. de fug. in Pontum.*

D. Chry-

D. Chrysostomus: Quemadmodum qui in domo Dei servit & sacris addictus est, qualiscunque is fuerit, contrahitur, ac severus magis castiorque redditur: ita & nos oportet omnem vitam dispositam habere sicut cultores Dei, & sacerdotes. *Homilia 20. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Contingit & laicos quidem in pietate vitam agere, sacerdotes autem in improbitate ac nequitia. & neque futurum esset baptisma, nec corpus Christi, neç oblatio per illos; si ubique dignitatem ac merita requireret gratia. Nunc autem etiam per indignos Deus solet operari, neque baptismatis gratia quidquam læditur à vita sacerdotis. Nam qui accipit, minus esset habiturus. Quamobrem etiamsi hæc rarò fiunt, fiunt tamen. Hæc autem dico: ne quispiam ex iis qui adstant, de vita sacerdotis curiosè inquirens, offendatur in mysteriis quæ peraguntur. Nihil enim affert sacerdos ad ea quæ sunt proposita, sed universum est opus Dei virtutis: & ille est qui nobis exhibet mysteria. *Homilia 8. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Est illud quoque observandum, quòd ubique servavit symmetriam ac moderationem; quærens solùm id quod est utile, non quod supervacaneum. Non enim dixit; quis militat, & non est dives: sed quis militat suis stipendiis unquam? Neque dixit; Quis plantat vineam, & aurum non colligit? aut fructum integrum non vindemiat: sed ex fructu eius non comedit? Neque dixit; Quis pascit gregem, & de agnis non exercet mercaturam? Sed quomodo, Et ex ejus lacte non comedit? Non ex agnis, sed ex lacte. Ostendens, quòd oportet doctorem parvo solatio esse contentum, soloque necessario. Hæc ad eos qui omnia volunt exedere, & totum fructum vindemiare. Ita etiam Christus legem tulit dicens: Dignus est operarius mercede sua. Non hoc autem solùm probat exemplis, sed etiam ostendit, qualem oporteat esse sacerdotem. Oportet enim eum habere & fortitudinem militis, & agricolæ diligentiam, & curam pastoris, & post hęc omnia nihil amplius quærere quàm necessaria. *Homil. 21. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Super cathedram Mosis, inquit, sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque vobis dixerint, facite. Secundum opera autem eorum nolite facere: ostendens quòd etiamsi malum habeas doctorem, nihil tibi prodesse poterit, nisi iis quæ dicuntur animum adhibeas. Non enim ob ea quæ fecit doctor, sed ob ea quæ audiisti nec obediisti, de te sententiam feret Deus: Quamobrem, si facias quidem quæ sunt præcepta, cum multa tunc stabis fiducia. Sin autem iis quæ dicuntur non obedieris, etiamsi decies mille corruptos ostenderis sacerdotes, hoc te minimè defendet. Nam Iudas quoque erat Apostolus, hoc tamen nihil unquam excusabit sacrilegos & avaros: neque poterit quispiam accusatus dicere: Enim verò Apostolus erat fur, & sacrilegus, & proditor. Imò verò hoc ipsum nos magis puniet & condemnabit, quòd ne aliorum quidem malis castigati sumus. Nam propterea hæc quoque scripta sunt, ut fugiamus illorum imitationem. Quamobrem, isto & illo dimisso, nos nos ipsos attendamus. Nam unusquisque nostrum pro se Deo reddet rationem. *Homil. 21. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Per sacerdotes generati estis æterna generatione. Per ipsos estis regnum assecuti. Per manus ipsorum fiūt omnia Per ipsos vobis portæ cælestes aperiuntur. Nemo seditionem agitet: nemo contendat. Qui Christum diligit, cujusmodicumque sit sacerdos, eum diliget, quod per eum sit veneranda assequutus sacramenta. Dic mihi, si velles videre regiam multo auro splendentem, & gemmarum fulgore coruscantem, inveneris autem eum qui habet claves, ille autem rogatus statim aperuerit & intromiserit, an non ipsum omnibus præponeres, non æque atque oculos amares, non osculareris? Hic cælum tibi aperuit, & non oscularis, non amplecteris? Si uxorem habeas, non eum maxime desideras qui eam tibi conciliavit? Ita si Christum diligis, si diligis regnum cælorum, agnosce per quos id habueris. *Homilia 10. ad Thessalonicenses.*

D. Chrysostomus: Quasi communis quidam totius orbis pater, sacerdos est. dignum igitur est, ut omnium curam agat; omnibusque provideat; sicut & Deus, cujus ministerio servit, & fungitur vice *initio Homil. 6 ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Perquam ineptum & absurdum est, si cùm emptitium servum introducimus domum, non prius illi aliquid domesticæ supellectilis tradimus, quam longo experimento sententię suæ atque voluntatis plurima indicia dederit: in ecclesia Dei non eadem utamur diligentia. *Homil. 11. ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Qui piè sacerdoti afficitur, longè majore pietate Deum reverebitur. Etsi enim malus fuerit sacerdos quispiam, attendit Deus, quod sui gratia illum etiam, qui dignus honore non est, obsequiis foves; ipseque tibi præmia exsolvet. Nam si ubi de hospitalitate agitur tantum, ubi quem suscipis ignoras, tantum præmiorum accipis; si ei subiiciaris cui imperat Deus, non multò magis mercede donaberis? *2. ad Timoth. Homil. 2.*

D. Chrysostomus: Cùm quis spiritualiter vivit, huius habitus ipse, & incessus, & verba & actus, & omnia prorsus audientibus prosunt, nihilque id impedit, aut prohibet fieri. *In epist. ad Philemonem præfatione.*

S. Isidorus Pelusiota: Aiunt nonnulli te sacerdotij cupiditate teneri, hoc est rei, quam multis, ac præsertim tibi, attingere nefas est. Quare aut mores tuos corrige, aut à templorum, quæ tibi attingere minimè licet, cupiditate absiste. *Epist. 22. lib. 1.*

S. Isidorus Pelusiota Virgam nuceam vidit Hieremias, vir in pluribus quàm alij Prophetæ, periculis versatus, sacerdotij typum & argumentum: cuius perspicuæ & superficiariæ partes, atque ut quispiam fortasse dixerit, primordia, astringentia & aspera sunt, acrimoniaque prædita, occultæ autem atque interiores partes stabiles & firmæ sunt, ac fulciendi vim habent. Quamobrem & sacerdotij labores strenuè ferre oportet: & ipsius præmia prompto & alacri animo expectare. *lib. 1 epist. 50.*

S. Isidorus Pelusiota: Clamores eos, qui ob vitam tuam ab omnibus excitantur, ferre nequeo. Ajunt enim, sermonem in te, tanquam in album dirigentes, Quonam pacto aliis sanctitatem impertis, prophanus ipse ac nefarius? Quonam pacto alios purgas, qui impurus es? Quonam pacto filios Dei efficis, qui servili animo es? Purgari priùs debes, atque ita purgare: priùs à sacrilegij crimine purum esse, ac tum sacerdotis munus subire. Hæc audiens, animi cruciatu afficior, tum quia hæc de te loquuntur, tum quia eos, qui ad divinam religionem accedunt, in mysticis symbolis detrimentum perpeti arbitrantur. Desine itaque, non modò tuam animam, sed etiam multas alias, pro quibus Christus mortem oppetiit, in exitium demergere. Cogita quonam hoc malum tendat, cùm eos, quos ipse non auro, sed pretioso suo cruore donato redemit, tu per vitæ tuæ improbitatem perdis. *lib. 1. epist. 65.*

S. Isidorus Pelusiota: Nos, vir optime, eidem cum Scribis & Pharisæis judicio obnoxij sumus. Ut enim illi se per legis meditationem legem exequi putabant, quòd literæ prædicationem ad rei operationem sibi satis esse pro sua negligentia existimassent: eodem modo nos quoque hoc ipso quòd Dei altaria contingimus, nos ad Deum appropinquare opinionis errore nobis fingimus. At Dominus hanc nostram opinionem amputans, his verbis utitur: Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Quod perinde est, ac si modo divinitati consentaneo diceret: Nisi vos, qui fucum ac prætextum ad Dei ministerium sufficere existimatis, opinionem in actionem convertatis, Dei regnum vobis minimè patebit. Quoniam enim verum regnum est; iis quoque, à quibus verè quæritur, aperitur. Porrò exuperantia justitiæ legis, est Evangelij sublimitas. Nam illa actionem punit: hoc autem nudam etiam voluntatem: nimirùm usq; ad intimas cogitationes judiciariam synceritatem ostendens. *lib. 1. epist. 79.*

S. Isidorus Pelusiota: Eusebij temeritatem, & Zosimi audaciam ne mireris, verùm Dei lenitatem, ad pœnitentiam nos ita expectātis, atque ex impura manu incensum accipientis. Nam si quis in sceleribus educatus, atque omni sordium ac peccatorum genere compunctus & inustus, Dei aras attingit, ac sancta prophanè tractat, ipse quidem pœnas luet: divinum autem sacrarium improbis ipsius actionibus minimè contaminatur. *lib. 1 epist. 120.*

S. Isidorus Pelusiota: Etsi concursatione ac pecuniarum mole Sacerdotium rapuisti, homines, utpote ad veritatem cæcutientes, fallens: at non item lest quòd putes te futuram retributionem latere posse. Nam nec miraculum in Christi nomine à quibusdam editum, nec dæmonum objurgatio, nec virtutum multarum operatio, exhorrenda flamma eos, qui huic obnoxij erunt, extrahere poterit. Quòd si quis dicat, cur ergò Deus edendorum miraculorum potestatem indignis hominibus faciebat? responderim ego: Quoniam Dominus ad conciliandam nomini suo gloriam divina signa perpetrabat, tum ut dæmonum insidias prohiberet, tum ut planam & inoffensam Evangelio viam muniret: Quorum utrumque graviorem ingratis hominibus pœnam afferet, quòd videlicet tantam à Deo potentiam consecuti, bonorum datorē sponte sua ignorarunt: dæmones nimirum eiicientes, ac morbos invocato Christi nomine profligantes, ingratitudinis autem ab ipsis convicti. Siquidem improbi ac sævissimi dæmones obsequentiores quàm isti, se præbuerunt, ut qui Domini nomen pertimuerunt, ac quàm celerrimè in fugam se dederint. Quamobrem ipsis inevitabile supplicium denunciatum est, illud nempè à Christo audientibus, Discedite à me operarij iniquitatis, nescio vos. *lib. 1 epist. 145.*

S. Isidorus Pelusiota: Dei Sacerdos, quoniam ad Deum appropinquat, animalium illorum multis oculis præditorum in morem, omni ex parte oculus esse debet, eorum instar nihil nesciens. Quoniam igitur inscitia laboras, leniter disce, nec clarissimum Sacerdotium infama: quod contumelia afficis, ut qui inertia & nundinatione omnes prodideris. *lib. 1 epist. 151.*

S. Isidorus Pelusiota: Si Christi altari ministras, da operam ut cum ipsius legibus munus tuum administres, mansuetum videlicet atque corde humilem & summissum te præbens. Neque enim forensem quandam præfecturam atque imperium, fastu ac pompa & insolentia tumidum, tractas: verùm pacatum ac tranquillum ministerium. Quòd si opes iniquis rationibus collectæ animos tibi tollunt, ipsæ quidem confestim evomentur, ut quæ natura fluxa & instabiles sint: tu verò ingentem tui risum excitabis, qui prætereuntibus rebus tanquam firmis ac stabilibus animum addixeris. *lib 1. epistola 157.*

S. Isidorus Pelusiota: Cùm sacerdos gregis forma, & Ecclesiæ lumen dictus sit, ac revera sit, subditos, ut ceram sigillo, sic ipsius moribus imprimi necesse est. Quocirca si lumen esse vis, scurrilitatem, ac risus petulantiam odio insectare: ne alioqui multos petulantiam ac procacitatem doceas: Sacerdos enim Domini omnipotentis Angelus est. Angelus autem risum nescit, Deo cum metu ac pavore ministrans, *lib. 1. epist. 319.*

S. Isidorus Pelusiota: Sacerdos ad omnes æquabilitatem obtinere debet, quæ omnem reprehensionis notam effugiat, utpote Dei,

qui omnibus bonus est, minister. Ac proinde iracundia adversus senem intumere desine: qui res tuas ex virtute gessit, cùm & te iniquũ facinus perpetrare prohibuit, & hominem de vita periclitantem conservavit. *lib. 1 epist. 388.*

S. Isidorus Pelusiota: Oportebat quidem omnes qui Domini Dei nostri cultui consecrati, atque ad Ecclesiæ ministerium destinati sunt, mutuas suas contentiones ac furiosas controversias comprimere, non autem ipsos aliunde patrocinia sua corrogare. Nunc ad stipendia duntaxat oculos coniectos habent, sanctioremque eam Ecclesiam esse ducunt, à qua uberiorem victus copiam accipiunt (ventrem videlicet pro Deo habentes, causamque cur divinum ac veneratione prosequendum nomen blasphemis vocibus laceretur, præbentes:) meliorum autem rerum curam abiiciunt, nec vel tantulam earum rationem habent. *lib. 1. epist. 447.*

S. Isidorus Pelusiota: Eorum, qui se mansueti ac facilis Domini, sapientisque magistri servos ac discipulos esse jactant, sacerdotiiq; munus & officium sibi obtigisse gloriantur, quidam hac re ad tyrannidem abutuntur: quidam ad quæstum & opes comparandas: quidam ad luxum & delicias. Atque alij quidem ad hoc, ut & seipsos, & amicos ignorent: alij autem, ut hostes suos ulciscantur: nonnulli etiam eos, qui probè atque honestè vivunt submoveant: eos autem, qui in turpissimis flagitiis deprehensi sunt, ad altiorem quoque dignitatis gradum provehant. Quòd si Eusebius, ut ad me scripsisti, omnium in unum collecta vitia exprimens, atque & eos, quos minimè oportet in sacrum ordinem allegens, & quæstui studens, & delictis ac voluptatibus indulgens, & seipsum atque amicos ignorans, & hostes ulciscens, & sacerdotij dignitate ad tyrannidem abutens, nulla omnino virtutis dote coronatus est: (nam ij, qui ea quæ à me commemorata sunt, perpetrant, quibusdam haud dubiè virtutibus instructi sunt) id tibi haud mirum videatur. Nam quia nec per seipsum id quod officij ratio poscit, perspicit, nec cujusquam monitis atque consilio uti sustinet, eò improbitatis provolutus est, ut eos etiam, qui omni virtutis genere florent, & Apostolicam vitam ducunt, ac Discipulorum Salvatoris notas retinent (sunt enim, sunt inquam, qui ita vivant: etiamsi nonnulli millies repugnent, omnesque in vitium prolapsos esse affirment) non modo laudet atq; imitetur, verùm etiam vituperet & eiiciat. Nam quia illorum vitæ rationem vitæ suæ reprehensionem esse existimat, improbitatem suã iis accusandis obtecturum se arbitratur. Quamobrem ne propterea segniorem ac languidiorem te præbeas. Consentaneas enim ille suis peccatis pœnas luet. *lib. 2. epist. 50.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui pretiosissima sacerdotij corona redimiti sunt, virtutibus potiùs quàm pecuniis & opibus affluere debent, & voluptatem instituto suo congruentem existimare temperantiam, ac non ventri, nec iis, qui ventrem sequi solent, affectibus cedere. Neque enim potestatem in cupiditatum subministratione, sed in patientia & laborum tolerantia, sitam esse arbitrari convenit. Quòd si pro veritate quoque aut pietate periculum proponatur, eos mortem fugere minimè par est: risum enim sui excitarent, si metu frangerentur, at non libenter eò pergerent, quò cum pervenerint, spes est fore, ut ea re, quàm per omnem vitæ cursum expetebant, potiantur. Divinam autem societatem expetebant. *lib. 2. epist. 290.*

S. Isidorus Pelusiota: Quisnam igitur non lacrymas mittat? quis non lugeat, non ipsum duntaxat, verùm etiam eum, qui sanctum sacerdotium ipsius fidei committere minimè veritus est? Nam cùm grave atque atrox sit, eum etiam, qui inter gregarios & obscuros censetur, tot vitiis contaminari: tum verò gravissimum atque atrocissimum est, eum, qui in sacerdotium invasit. *lib 3 epist 70.*

S. Isidorus Pelusiota: Aut ex alienis calamitatibus delicias tibi comparare desine, sopitam iam libidinem excitans atq; accersens: aut hæc faciens ad venerandum altare ne accede. Multos quippe offendens, ab accessu removes, ut qui tantam labem ac maculam illibato altari assidentem intueri minimè sustineant. *libr. 3. epistola 134.*

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidem omnes, quibus virtus vel ingenti vel exiguæ curæ est, sacerdotij dignitatem divino nutu tibi concessam esse persuasum habent, quidvis agere debes, ut ne divinam electionem per insequentes actiones probro ac dedecore afficias. Nam si animum ipse tuum sacerdotij lege coornaris, ac rectæ quidem rationi imperium afferis, iracundiam autem ipsi satellitem præbueris, edicasque ei, ne quid eorum, quæ Regi minimè grata sunt, efficiat, atque id omne quod per voluptates & mœrores vitio addictum est, ex animo tuo eieceris, hac demum ratione divino calculo honor abs te habitus fuerit. *lib. 3 epist. 150.*

S. Isidorus Pelusiota: Sacerdotij dignitas, iis, qui non, ut eo honore dignum est, vivere instituerunt, supplicij & cruciatus accessio existit. *lib. 3. epist. 275.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum rex, qui legibus paret, viva lex est: eodem modo sacerdos quoque qui sanctionum Ecclesiasticarum imperio subest, tacita norma & regula est. *lib. 3. epistola 306.*

S. Isidorus Pelusiota: Quòd sacerdotium regno præstantius sit, majoresque labores habeat (nam cùm labor unus desinit, alter vicissim exoritur) ac de reb. magis necessariis periclitetur (illud enim divina, hoc terrena moderanda & administranda suscepit) neminem ignorare arbitror. Quòd autem permulti, cujuslibet hominis esse, aut animis, aut corporibus imperare, inconsideratè ac stolidè judicantes, seipsos projecerunt, ac cum perditis subditis ipsi tandem in exitij voraginem cum dedecore atque infamia præcipites acti sunt, ne hoc quidem cuiquam obscurum & incognitum esse existimo. Cùm igitur hæc ita sint, magnopere miror, quonam pacto nonnulli, qui cùm ne hoc quidem ipsum præstiterunt, ut rebus suis rectè consulerent, verùm multis peccatis scateant, ac ne in subditorum quidem classe collocari debeant (quo in numero Presbyter quoque Zosimus est, cuius vita & moribus offensus ad me scripsisti) tamen ad sacerdotium, quod regno usque adeò sublimius est, prosilire, ac rem quam ne cum multis quidem pecuniis, cùm tales essent, accipere oportebat, pecunia emere minimè dubitarint. Verùm fortasse ipsi se suamque vitam ignorantes, ac ne huic quidem, quod rectè ab externis hominibus dictum est, Nosce teipsum, obtemperantes, atque etiam sacerdotij dignitatem minimè agnoscentes (nempe quòd magnitudini suæ par periculum habeat) illudque existimantes, sacerdotium imperium quoddam esse ab omni censura immune, non autem provinciam reddendis rationibus obnoxiam, negotium huiusmodi aggressi sunt, ad quod ipsis nullum aditum patere oportebat. *lib. 3. epist. 127.*

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidem sermonibus philosophari facile est, operibus autem arduum, atque illud quidem aures oblectat, hoc autem animos erudit, ob eam causam Deus ad eos qui sacerdotij munere redimiti sunt, id, quod tibi explanari cupis, clamat, Sacerdotes loquimini ad cor Hierusalem. Quoniam enim qui verbis duntaxat docent, non modò molestiam auditoribus exhibent, sed etiam irridendos ac suggillandos est propinant, idcirco actionũ virtutem, quæ ad auditorum animos penetret, ab ipsis requirit. Quamobrem sacrosanctum esse oportet eum qui consecratus est. Neque enim prophanum sacris operari fas est. *lib. 3. epist. 238.*

S. Isidorus Pelusiota; Cum omnis alia oratio, quæ rebus viduata est, mortua est atque inutilis, tum vel maximè illa, quæ ab iis, qui sacratissimo honestati sunt sacerdotio, profertur. Quantò enim promptiùs eâ uti videntur, tantò plus fidei ipsi derogant, qui ad ipsorum vitam attendunt. Oportet igitur, ut longam migrationem morum, magnamque ostendant mutationem, exercentes se in pietatis studio & quietam agentes vitam, & non inhiantes pecuniis, si modò aliquos velint mentem sibi adhibere & fidem. Nam si hæc fecerint, non solùm res subditorum benè beateque se habituræ sunt, verùm etiam ipsi præconiis ornabuntur. Neque verò id quod à Christo dictum est, ad hoc, ut nullus subditis relinqueretur prætextus: Super cathedrâ Mosis sedent Scribæ & Pharisæi. Omnia igitur quæcunque dixerint vobis ut faciatis, facite: id ergo ad suam ipsorum excusationem defensionemque, & ad aliorum ora obturanda proferre debent. Nam ea quæ excusatio esse videtur, augebit accusationem, non modò inevitabile supplicium pariens, verùm etiam dementiæ probrum affricans.

Ut maximè enim discipulis & auditoribus hoc audire expediat, tamen doctoribus minimè decorum est proferre, quod ignaviam, & socordiam ipsorum arguit ac traducit. Dictum est enim: Secundum opera verò ipsorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.

Etenim Christus quidem, prætextum omnem exterminare volens, præcepit, ut neque vita attenderetur magistrorum, si quando reprehensionis aliquam intuentibus ansam præberet, neque ea quę privatim ab ipsis designantur, si non consentiant cum cœlestibus oraculis; sed sola doctrina, quæ in Ecclesiis traditur: Quâ de causâ etiam Cathedræ Moysis Legislatoris fecit mentionem: Tunc enim non sua dogmata, sed scripturarum loquuntur: Ipsis verò non convenit talia proferre, quæ omnem ipsorum improbitatem demonstrant; sed potius operam dare, quantum omninò fieri potest ut omnem ansam & prætextum præcidant. Quòd si, quamvis laudabilem ipsi colentes vitam, aliquos tamen nihil juvant, nihil hoc ad ipsos pertinet.

Quemadmodum enim malè perverseq; vitam instituentes suam, non fiunt participes coronarum, quæ probis laudatisque sunt repositæ: Ita nec laudabiliter inculpateq; viventes erunt participes suppliciorum, quæ peccatoribus sunt parata. Tu igitur, inquit, ea quæ tibi incumbunt, rectè dispone: vitam dico, & sermonem. Hæc abs te exigo: & proficienti quidem (aliquid apud auditores tuos) congratulabor, & gaudebo tua gaudia; sin autem nihil (apud eos) profeceris, non afficiam te ignominiâ, sed coronâ donabo. Unusquisque enim propriam ac suam mercedem recipiet, secundum proprij laboris mensuram, non autem prout labor exitum est sortitus. Hæc ergo cogitantes tàm doctores (Ecclesiæ) quàm discipuli semetipsos ad virtutem compellant, omnem excusationem ac prætextum expellentes. *lib. 4. epist. 18.*

S Isidorus Pelusiota: Sacerdoti pro opibus est virtutis ornamentum, pro voluptate castitas, pro luxu frugalitas, pro lætitia, eorum, quibus proest, ad virtutem incrementum. Quòd si quis contraria his instituta sequens, sacerdotij nomine gloriatur, hic prophanus est, atque imperio indignus. *lib 3. epist. 354.*

Synesius: Neque ego vobis antea superior eram, omni robore, ac machinis sacerdotium detrectans. neque nunc me vicistis: sed divinum profectò fuit, quod nondum tunc, & nunc primum sit factum. Equidem non unam mortem pro ea functione subiissem. Neque enim satis mihi accommodatam rei dignitatem arbitrabar. Sed quoniam mihi Deus non quod cuperem, sed quod ipse vellet, imposuit, eundem illum precor qui vitæ gubernator extitit, eius esse

quod in gubernando dedit, moderatorem. Qui enim in philosophiæ otio, ac minime negotiosa rerum contemplatione ætatem contrivit tantumque vitæ curis ac molestiis tribui, quantum ad eam quæ in hoc corpore degitur vitam ac civile in rebus publicis officium satis esset, quî continuis illis curis possum sufficere? aut qui meipsum negotiorum turbis implicans in eas mentis pulchritudines animum possum defigere, quibus frui beati cuiusdam est otij, sine quibus mihi ac mei similibus vita universa vitalis esse non potest. Equidem assequi minimè possum; Deo verò omnia, ut ajunt, possibilia, etiam quæ fieri non possunt. Vos igitur ipsi supplices pro me ad Deum manus tendite, atque & urbanæ multitudini, & quæcumque in agris, aut in paganis Ecclesiis degit, meo nomine preces publicè privatimque universis indicite. Nam si à Deo derelictus non fuero, tum agnoscam sacerdotium non descensum esse à philosophia, sed ascensum. *epistola 11.*

¶ Patrum Latinorum.

Egesippus: Assuerunt se Pharisæi mulieri genus hominum secundum qualitatem affectus callidum, avidum negotiorum, pecuniæ appetens, qui captantes elatam mulierculam, secundum scientiam juris divini extollendo suam fecere, ut pleraq; etiam regni negotia ipsis committeret, adhiberent, quos vellent, quos vellent, excluderent, atque aulico exuerent ministerio. Quid plura? ita sese insinuavere, ut commodorum omnium fructus ad eos pervenirent: sumptus & molestiæ mulierem solam afficiebant. Nec mediocris mulieri spiritus, ut maxima quæque auderet, atque super feminei sexus conditionem prælia disponeret. Siquidem & præstantissimam de suis magnum paravit, & peregrini exercitus copias coegit ingentes, ut non solum domi tuta ad omnem regnandi securitatem foret, verumetiam exteris potentibus esset formidabilis. Ea tamen reliquis præstabat omnibus, sed Pharisæis quasi inferior obtemperabat. Erat Diogenes in regno eius, qui de potentissimis Alexandri amicis familiaritati eius inhæserat, eum adorsi obtruncavere, memorantes ipsius consilio octingentos illos in medio urbis ab Alexandro cruci suffixos in cæteros quoque facinoris autores quosque, ut pergeret ultio, mandatum. Necabant, non quos societas sceleris involuerat. *lib. 1. cap. 12.*

Egesippus: Hinc eò processum, ut ignobiles atque indignos substituerent sacerdotum principes; ut quibus nulla emerendi honoris gratia suffragabatur, ij contra meritum suum adepti sacerdotia, ad omne nefas conferentium arbitrio subijcerentur. *cap. 4. libr. 4. Hierosol.*

Egesippus: Præ ceteris in sacerdote fides mentis quæritur, & corporis castimonia, quæ succingere debet carnis intemperantiam. *cap. 9. lib. 5. ex Hier.*

Egesippus: Interea quidam puer eo loci ubi etiam Sacerdotes erant, quos & inopia aquæ, & æstus finitimi incendij commacerabat sibi rogavit unum de custodibus Romanis dexteram sibi dare, potum offerre. Porrexit ilico, ætatem pariter miseratus ac necessitatem, bibit puerulus: & quia sedulo innoxiæ creditum fuerat ætati, rapuit aquæ vas, & cursu sese proripuit, ut etiam Sacerdotibus bibendi copiam ministraret. Voluit sequi miles, sed non potuit comprehendere. Ille periculo suo Sacerdotum sitim levavit. Bona fraus, quæ neminem læderet, subveniret necessitati. Denique miles ipse miratus est magis affectum pueri, quam dolum detestatus, quod in illa ætate atque excidio totius ut bis, & communi periculo, quid deberetur reverentiæ Sacerdotibus, quod potuit ministerium, non inexpressum reliquit. Nec multo post Sacerdotes confecti fame & siti, vitam rogarunt. Quos Titus jussit occidi, degeneris animi esse respondens, ut templo & muneri cuperent supervenire. *libro quinto, cap. 45.*

Salvianus: Ministri & Sacerdotes & clerici exemplo esse omnibus debent, & utique tantò antistare ceteris omnibus devotione, quantò antistant omnibus dignitate. nihil est enim turpius, quam excellentem esse quemlibet culmine, & despicabilem vilitate. Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas indigno, nisi ornamentum in luto. & ideo cunctos qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito quantum gradu. *lib. 2. contra avaritiam.*

Io. Sarusberiensis: Sed ecce ad aliquem istorum promovendum, aut cogitur, aut circumvenitur Ecclesia, ut dicat hosti domestico, Amice ascende superius. Stupidi itaque obstupescunt, nomen dignitatis abhorrent, refugiunt onus, & ut avidius impellantur, more (ut dicitur) arietis, ut fortius feriat recedentis, cum suspiriis, gemitibus, & singultibus interrumpentibus simulatas lachrymas, retrocedunt. Notum siquidem est, quia sedes hæc trahit & impellit invitos, & quos notat ambitio repellit. Nituntur ergo rationibus & autoritatibus docere, quare eos Episcopati non deceat. Non sum, inquit, medicus, & in domo mea non est panis, nec penes me thesauri sunt, unde in necessitatis articulo, nova & vetera indigentibus proferam. Possum itaque uti excusatione prophetica, quoniam loqui nescio, & quia puer ego sum, & si non ætate, revera scientia & levitate morum. Sordidis vestibus ab initio indutus sum, & eas nuquã sanguine agni, aut vestibus studui dealbare. Quomodo ergo sancta tractabo pollutus, aut quod sacerdotem oportet, polluta mundabo? Nam legem indesinenter contemsi, & Sanctum Dei, increpante Ezechiele, polluere non cessavi. Mea ergo promotio, populi deiectio est.

Ruina siquidem populi, sacerdotes mali. Facti sunt enim in laqueum populi, existentes in specula, & sicut rete extensum ad involvendas animas. Terret me Aggeus, parabola mystica sacerdotij periculum exprimens, & manifestè docens, quia populus à sacerdotum moribus facilius vitia contrahit, quam virtutes. Interroga, inquit, sacerdotes legum, & dic eis; Si sacrosancta vel vas sanctum contigerit alicuius vestimentum, si sanctificant eum ex eo quod contingit? Et cum dixissent sacerdotes quia non sanctificat, dicit ad eos rursum: Si immunditia contigerit vestimentum mundi, utrum polluat eum? Et dixerunt, quia polluit. Tolerabilius ergo est me unum propriis consumi vitiis, quam in multos vitiorum diffundi pestem. Ad hæc si persona esset usquequaque laudabilis, si non essem curiæ nexibus illigatus, me Micheas durissime repellit ab aditu, non ferens Syon ædificari in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate principum suorum. Hic aut nulla est, aut compulsa, aut simulata electio. Hanc quoque partem protensa disputatione prosequitur.

Postremo se promoveri non posse sine suspicione simoniacæ pravitatis, cum ob hoc jus, & autoritatem sigilli, aut cimilij, aut scrinij, emisse videatur, licet alia mente ad obsequium potestatis, sicut præsens testatur dies, qua delatum honorem respuit, teste conscientia accesserit, affectans ut per hoc sine onere sortiretur honorem. Apostolicas quoque sanctiones replicat & revolvit, quibus pridem statutum est, ut à sacris ordinibus & omni promotionis spe arceantur, qui cuiuslibet secularis curiæ emunt officia, aut qui viles, aut serviles obsecundationes principibus præstant, aut quorum electio non est à clero in ecclesia, & sine prænominatione cujusque mundanæ potestatis canonica celebrata: quod si aliter electi fuerint, sub periculo anathematis universalis ecclesia prohibet consecrari. Unus principum nostrorum, nominis siquidem immemor sum, in causa simili egregium facinus egisse memoratur. Henricus fuit an Robertus, non multum refert. Cum ambitiosus quidam monachus ad abbatiam, quam præemerat, vocaretur, & ille modestiam simulans, ut avidius peteretur, onus refugeret, recusaret honorem, & se palam tantæ rei fateretur indignum, Plane, inquit princeps, indignus es, quia eam clam data mihi tanta pecunia (summamque expressit) emisti. Sed quandoquidem per me non stat, quo minus pactio impleatur, liberum me haberi justum est, & tu domum redeas, & qui dignus est destitutæ præficiatur ecclesiæ. Sed nunc longe aliter succedit excusatori ambitioso. Hæc enim & alia quam plurima multiplicat, ut credatur nolle quod appetit, & tandem gratis accipere, quod præemit.

Unde tanquam vir modestiæ singularis capitur, trahitur, & ad cathedram conclamantibus turbis, concinentibus choris, multitudine pressus deducitur. Nec prodest ignobilitatem prætendisse carnis, aut sanguinis, eo quod imperatori non quæritur successor, sed piscatori; fabri filio, non Augusto. Scientiam accurata excusatio prodit, & religiosus esse convincitur ex eo, quod invitatus ascendere diutius recusavit; visus est enim noluisse, qui distulit. Qui vera de canonibus sibi opposuit, habita ratione loci, temporis, & personæ, simili via tendentium ad honores socia multitudo dispensat. Si de præsentibus niti nequeunt, aut præteritis, futurum vaticinantur profectum. Sic callidus mango, dum qui durius provehit equum, aut pullum probitatis incognitæ gradarium promittit in futurum, & fractis gressibus mollius incedentem propensiori laude in stabulum incauti mercatoris extrudit. *lib. 7. nugarum Curialium capite decimo octavo.*

Idem: Consistunt è regione quam plurimi, nequaquam dissimulantes propositum, sed ambitionis quasi (ut dici solet) insignia præconantes, prædictorum derident ignaviam, velut militum, qui militiæ suæ titulos non audeant profiteri. Hi licet impuri sint, & nec vitam suam velint erigere, nec sciant instruere alienam, immundis ut dicitur pedibus, certatim irrumpunt in sancta sanctorum, panes dominicæ propositionis, & carnes agni immaculati assas igne passionis in cruce, non modo illotis, sed pollutis (si liceat) manibus tractaturi. Hi sunt qui licet primo aditu, ac janius habeantur indigni, continuo tamen tendunt ad sacerdotium, festinant ad tribunal, & repulsis ceteris, sic sacris altaribus incubant, ut jam non ad formam, & exemplum præbendum plebi, ordo ille videatur institutus, sed esse occasio quædam in abundantia & securitate vivendi. Nec putatur officium districto Dei judicio obnoxium, sed se cura quædam, & nusquam discutienda administratio. Credas illud poëticum vocem præconis omnibus sonuisse:

Occupet extremum scabies.

Inde est quod omnes, quasi in stadij agone, contendunt, anhelantibus singulis, ne Episcopatum accipiat alter. Votis ergo, & si non re, plures numero sunt rectores, quàm illi quos regunt. Nam qui regi velint perpauci sunt, cum quisque ut emancipetur à jugo rectoris proprij, totis viribus quærat. *cap. seq. 19.*

Io. Sarubērienſis: Religioni & doctrinæ Chriſtianæ, grave opprobrium naſcitur, quòd ſacerdotia vel miniſteria ambitione potius & ad gratiam, quàm meritorum judiciorũ deferuntur. Omnes itaque currunt, ſed cùm eo ventum eſt; unus accepit bravium. Ille qui in curſu ambitionis aliis velocior extitit, & qui præcurrit citius Petro, & quovis diſcipulorum Chriſti. Aſcendit enim illico, & omnem celeritatem feſtinatæ vocationis prævenit. Hi ſunt qui crebris muneribus viſitant poteſtates, laterales & familiares eorum ſollicitant, Eccleſiarum primis ſe commendant, applaudunt omnibus, & etiam magnarum domuum nũ modò officiales, ſed ciniflones regant, ut cum locum viderint, meminerint ſui. Hi ſunt amici omnium, & qui non ſe ſed amicos in ſe deſiderant promoveri. Hi ſunt qui vitam ſcrutantur alienam, negligunt ſuam, infulatorum annos dinumerant; canis lætantur; phyſicos & Genethliacos de fatis præſidentium conſulunt, librant humores, & quaſi in ſtatera appendunt elementa viventium; & quos diutius ſupereſſe conſpexerint, ætatem Neſtoris dicunt excedere, & cervi aut cornicis jam implere menſuram. Debiles ætate vel morbo concutiunt, etiam ſinceros criminibus incruſtant ſimulatis & quaſi hæredipetæ vacillantium cathedris inſidiantur, turpique interveniente commercio occupatarum ſedium ſæpe illicitas impetrant ſeſſiones. Hi ſunt qui de ſe coadjuvandis & promovendis, nefarias obligationes interponũt; & tandem cum ad rem ventum eſt, immemores fidei contra fidem datæ, ſeipſos ambitionis & invidiæ ſtimulis impediunt & repellunt.

Sic ergo plerumque dum competitorum rixa crudeſcit, ſapientia Dei per occultam & rectam diſpoſitionis ſuæ vitam fidelem incognitum introducit; de quo nequaquam præceſſerat ſermo vel cogitatio. Illi tamen ex contingentibus nihil omittunt, niſi forte in eo contingentia prætermittant; quod ambiendo modum excedunt, ſi tamen in eo aliquis eſt modi exceſſus, ubi nullus eſt omnino modus. Pulſant itaq; & præcipitant poteſtates, ſi obſequia non ſufficiunt, ſi interceſſiones non proſunt, vires ſuas ambitio exerit, ſuæ & alienæ facultatis divitias oſtendit, jam palam loquitur, & in montem elationis aſcendit & clamat. Hæc omnia tibi dabo, ſi à fundamento fidei cadens, promoveris me. Hoc ſiquidem cadere eſt, cum certum ſit ex autoritate ſanctorum patrum, quod per hæreſim ſimoniacam, à ſinceritate fidei corruit, quisquis in ſpiritualibus, id eſt, rebus ſacris & Eccleſiaſticis, mercimonium avaritię committit. Nec refert quòd pecunia intercedat, in contractu, vel ante, vel poſt, cùm omni tempore negotiantes in talibus damnatio ſimoniacæ pravitatis involvat. Cum enim perpetuò prohibitum ſit, ob hoc accipere vel dare quippiam, nunquam dare vel accipere erit licitum, quod eſt uſquequaque prohibitum. Vt enim ait Tharraſius Patriarcha, dare eſt quemcumque dare, & accipere quemcumque accipere.

Egregium quiddam in talibus accidit in Apulia temporibus meis, regnante Rogero Siculo: contigit vacare Eccleſiam Avellanam Campaniæ, Apuliæ, & Calabriæ. Robertus jam dicti regis Cancellarius præſidebat. Ad eum viri tres acceſſerunt, Abbas quidam, alter Archidiaconus, tertius laicus quidam præpoſitus regis, fratris ſui clerici cauſam agens, ſinguli clam pro jam dicto Epiſcopatu grandem pecuniam offerentes. Quid multa? Adhibitis familiaribus ſeorſum, cum unoquoque eorum convenit de precio. Emptio ergo & venditio undique perfecta eſt, de ſolutione implenda ſufficientiſſime cautum, pignoribus & fidejuſſoribus datis, dieſque præfixus eſt electioni ſolemniter celebrandæ.

Cùm itaque ad diem Archiepiſcopi, Epiſcopi, & multæ venerabiles perſonæ conveniſſent, præfatus Cancellarius competitorum cauſas, & quid cum unoquoque eorum egiſſet, expoſuit dicens, ſe exinde ex Epiſcoporum ſententia proceſſurum. Damnatis ergo competitoribus ſimoniacis, pauper monachus & totius rei ignarus, canonice electus, approbatus & introductus eſt. Illi tamen coacti ſunt ſolvere id, in quo ſe obligaverant, uſque ad noviſſimum quadrantem. Vtinam ita agatur cum procis noſtris, qui omnes ſedes olfaciunt, adtentius quidem & curioſius, quam odora vis aut ſagacitas canum, formellas leporum, aut ferarum latebras deprehendat. Si mihi crederetur, ſic excluderentur & illi, qui diſſimulata ambitione cedunt, ut validius irrumpant in ſedem, à qua ſicut ipſi fatentur, fuerant repellendi. Siquidem juſtum erat, ut de ſe ſibi contra ſe crederetur. Quid enim in eis lateat, nemo fidelius novit.

Plures tamen incontinenter ambiunt, & impudenter. Fruſtra enim, ut quemque eorum excipias, aliquem oppones titulum, quia clamore conductio prævalente delebitur, concurrentibus exemplis & ſanctionibus patrum, Ignobilis eſt; ſed nec Petrus patricius extitit, aut alicubi de claritate ſanguinis gloriatur. Minor eſt Hieremiam & præcurſorem domini habet autores. Puer eſt: & monſtrat ſeniores à Daniele puero condemnatos. Illiteratus eſt; ſchulas frequentaſſe leguntur Apoſtoli. Conjugatus eſt: & Apoſtolus unius uxoris virum præcipit eligendum. In injuriam matrimonij ſui ſuam reliquit uxorem; & Joannes à nuptiis ad Evangelium traditur revocatus.

Opicus aut potius elinguis eſt: ſed Aaron vices Moyſi, qui erat impeditioris linguæ, & ſacerdotium legitur miniſtraſſe. Si moderniora deſiderantur exempla; Valerius Vincentio fidei & morum doctor extitit, & exemplar martyrij. Scorta ſectatus eſt, ſed Oſee mandante Domino amplexibus meretricis adhæſit. Inſipiens eſt; ſed per inſipientiam mundi decrevit Deus ſalutare credentes.

Percuſſor eſt; ſed Petrus gladium exerens, ſervi principis ſacerdotum, auriculam amputavit. Meticuloſus eſt: Sed Jonas ad Ninivitas veritus accedere, Thomas ad Indos. Tenetur functionibus publicis alligatus: ſed Matthæus de teloneo aſſumptus eſt. Vinolentus eſt, & deditus gulæ: ſed Dominus ipſe dictus eſt potator vini, vorator carnium. Non acquieſcit majoribus: ſed & Paulus in faciem reſtitit Petro. Contentioſus eſt: & inter diſcipulos Jeſu facta contentio memoratur. Garrulus eſt & linguoſus: facundus habeatur, quoniam & Apoſtolus ſic dictus eſt ſemini-verbius. Militiam exercuit: ſed Martinus Juliano legitur militaſſe. Vir ſanguinum eſt: ſed Moyſes Ægyptium interfecit, & abſcondit in ſabulo.

Manifeſtum eſt homicidium; & Samuel præſente populo regem pinguiſſimum interfecit. Perfidus eſt & perjurus, ſed Petrus perfidiam perjurio cumulavit. Mutus eſt, ſed hoc Zachariam à ſacerdotio non excluſit. Cæcus eſt, ſed & Paulus videre non poterat, quando eum Ananias domino conſecravit. Exigentibus culpis depoſitus eſt: ſed multi tales reſtituti ſunt, & poſtmodum Eccleſiæ Dei plurimum profuerunt. Surdus eſt: ſed hoc præconari legem Dei non prohibet: Prædicator enim quæritur, non auditor. Leproſus eſt: ſed de paſtore paſtorum Eccleſia recolit. Quia nec ſpeciem, nec decorem habens apparuit, qui excludendus videretur tanquam leproſus, & nec humano dignus aſpectu. Perſona deſpicabilis eſt: ſed in ſimili repulſæ titulo, adverſus Martinum non audivit Eccleſia defenſorem. Errat in fide: hoc feciſſe dicitur Cyprianus. Valetudinarius eſt: ſed Gregorius in ſummo languore Romanam optimè gubernavit Eccleſiam. Superbus & vanus eſt: ſed talis fuit Brictius Taronenſis. Corpore & membris debilitatus eſt: ſed hoc egregio confeſſori Pannucio legitur accidiſſe. Condemnationem ambitus tulit: ſed & filiorum Zebedei petentium primatum, eſt petitio reprobata. Hæreſim quandoque docuit: ſed Auguſtinus ſe Manicheum fuiſſe fatetur. Coluit idola; ſed & Marcellinus martyr inſignis in papatu thurificare compulſus eſt. Forte nondum eſt Chriſtianus: ſed dum catechumenus eſſet, beati Ambroſij fuit (ut traditur) electio celebrata.

Perſecutus eſt Eccleſiam Dei; ſed & Paulus ex perſecutore factus eſt prædicator. Electio deeſt: ſed & Apoſtoli non petentibus populis miſſi ſunt. Non vacat ſedes in quam poſſet intrudi, accedat præſedenti. Nam & Auguſtinus Valerio Hiponenſi non tam ſucceſſiſſe, quam acceſſiſſe deſcribitur. Avarus eſt; diſperſa poterit congregare: & inutiliter non diſtrahet congregata. Ut paucis univerſa complectar, ad omnia ineptus eſt; ſed Samſon mandibula aſini Philiſtiim expugnavit. Potens eſt & nunc Deus de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Adhæc dubium eſſe non debet quòd cathedra Epiſcopalis ſanctos recipit, aut ſanctos facit. Nam & cum Saul inunctus eſſet in regem, inſiliit in eum ſpiritus domini, prophetavitque, & mutatus eſt in virum alium. Caiphas quoque licet ſacrilegus, & qui cum Judæis conſpiraverat in necem ſalvatoris, cùm eſſet pontifex anni illius, prophetavit, ut conſtet ipſum ab officio prophetiæ, gratiam, quam demeruerat, accepiſſe. Cum ergo ſedes ſuavis, & dulce lignum, gratis & ſine labore omnia deſiderabilia conferant, nonne ſuperflua ſollicitudo eſt, dies laborioſos, & noctes inſomnes ducere, ut ad ſacrarium philoſophiæ accedant? *lib. 7. Policratici cap. 19.*

Io. Sariberienſis: Sed eſto, ut his liceat qui carnales ſunt contendere de primatu; viris eccleſiaſticis hoc uſquequaque arbitror eſſe illicitum. carnalium tamen exemplo, ſub imagine religionis obrepit impietas; & jam non modò contenditur pro ſacerdotio, ſed pugnatur. Antiqui quondam trahebantur proni ad martyrium; primas cathedras carcere peius & cruce fugiebant. contra jam palam loquuntur ſacerdotes, Nolumus martyres eſſe, ſed ſedium noſtrarum gloriam non damus alteri. Miſera quidem & miſerabilis vox in ore ſacerdotis, qui Chriſtum ſic agnoſcit, ut ſe nolle eum ſequi palam confiteatur. Dubitari poterit an verus moriatur confeſſor, qui perſecutorem, ſi opus fuerit, non expectat. Fugitivus inutilis eſt. Eſt tamen in quo videntur imitari conſtantiam martyrum, ſi pro cathedra ſcilicet fuerit decertandum.

Fertur à quibusdam, & verum eſt, quod ſuper Romano pontificatu ab ambitioſis quandoque imo ſæpe litigatum, & non ſine ſanguine fraterno Sancta ſanctorum ingreſſus ſit Pontifex. Concitata ſunt iterum bella plusquam civilia inter Cæſarem ac Pompejum; & quidquid Philippis, Leucade, Mutinæ, & in Ægypto Hiſpaniave præſumptum eſt impieque geſtum, pugna ſacerdotalis abſolvit. Numquid Chriſtiani ſanguinis procurant effuſionem, ut eis præ ceteris liceat pro grege, quod Paſtoris eſt, animam ponere? numquid eccleſiam diruunt, profanant ſancta, ut ſit quod ædificari & ſanctificari oporteat? Concutiunt populos, regna ſollicitant, eccleſiarum diripiunt facultates, forte ut ſibi faciant materiem promerendi, ut componant omnia, ut pauperibus miſerendi & providendi aliis concurrentibus, neceſſitatem præripiant.

Si enim ut plura ſibi impunè liceat, ſi ut pecuniam congregent, ſi ut

Si ut carnem & sanguinem foveant, dilatent & corrumpant, si ut familiam nobilitent, si denique ut gloriam suam quærant in clero dominantes, non forma facti gregis ex animo, licet labijs & simulatione officii pastorem induant, tyrannis quàm principibus facilius accedunt.

Dicunt Philosophi, & verum arbitror, nihil in rebus humanis utilius homine & ipsis hominibus principe ecclesiastico. Vel mundano nemo utilior. E diverso nihil homini perniciosus homine; & in eis tyrannus secularis aut ecclesiasticus pernicisior est. sed profectò in utroque genere secularem ecclesiasticus antecedit &c. *capite vigesimo tertio Policratici lib. 8.*

¶ Principum Graecorum.

Iulianus: Velim omnes nostros sacerdotes omnino, qui Galatiam incolunt, vel minus impellas, vel ratione persuadeas, ut sint honesti: vel sacerdotali ministerio abdices, si non unà cum uxoribus, liberis & famulis, diis colendis sedulo animos attendant: & ne patiantur servos, aut filios, aut conjuges Galilæorum impiè in deos se gerere, & impietatem pietati præponere. Deinde sacerdotem quemque hortare, ne accedat ad spectacula, neve in taberna bibat, neu artem aliquam aut opificium turpe infameve exerceat. Et qui tibi in his rebus morem gerunt, eis honorem tribuito: qui autem resistunt, expellito. *Apostata ad Arsacium.*

Basilius Imperator: Sanam habe mentem in iis quæ ad rectæ fidei doctrinam pertinent, & summo honore prosequere matrem tuam Ecclesiam, quæ te in Spiritu sancto lactavit, & tuo capiti, ad Dei per Christum laudem, imperij coronam mecum imposuit. Si enim quos natura tibi dedit parentes debes revereri, multo magis eos qui te in Spiritu Dei genuerunt, omni pietatis officio debes colere illi enim duraturum ad tempus vitam liberis, per generationem, impertiuntur: isti verò æternam, per regenerationem, largiuntur. Honora ergo Ecclesiam Dei, ut tu vicissim à Deo in honore habeare: & Sacerdotes ejus reverere, tanquam spirituales patres, & deprecatores pro nobis apud Deum. Honor enim qui Sacerdotibus habetur, ad Deum refertur. Et sicut propter te ministros tuos in honore habere justum est: ita & propter Deum, Sacerdotes ejus magni facere & in pretio habere, sanctum. Quemadmodum autem honor qui eis habetur ad Deum pertinet, ita eorum contumelia & contemptus longè etiam gravius ejus iram provocat. *cap. 3.*

Æneas Sophista: Vulgus illotis, ut ajunt, pedibus ad sacra accedit, quemadmodum, Platonis faber ærarius ille caluus, qui adhuc fumi plenus & graviter redolens ad dominam accessit. Tu verò à sacro ad sacrum transis, à philosophia ad sacerdotium. Qui verò tibi literas tradit, sacrorum est minister. Igitur hic tuus est. Amat otium & tranquillitatem, ac nescio quomodo cùm didicisset montem esse deo consecratum propter solitudinem otio convenietem, ad illum proficiscitur. Sed obstat egestas, & egestatis machinæ, quas poteris reprimere, si mandaveris sacerdotibus, qui sunt in media regione, ut ad montem usque hominem alant & conservent. *Epistola. 20.*

¶ Oratorum Romanorum.

Quintilianus Senior: Quam sanctum istud sacerdotium fore putatis, quod stupro debetur? *Declamatione 252. f.*

Calpurnius Flaccus: Magis religio polluitur funestato quàm mortuo sacerdote. *Controversia 26.*

¶ Latinorum.

D. Nazianzenus de vita sua:

Ὥσπερ γὰρ ἡ τῶν χρωμάτων μοχθηρία
Τοῦ ζωγράφου νομίζετ', οὐκ ὀρθῷ λόγῳ
Ἢ τῶν μαθητῶν ὁ τρόπος, διδασκάλων.
Οὕτως ὁ μύστης ὢν κακὸς, πόσῳ πλέον
Ὁ μυσταγωγὸς ὕβρις εἰς μυστήριον;

Vitium colorum nam velut pingentibus
Solet imputari (quamlibet rectè minus.)
Mores magistris aut mali discentium:
Sic Christianus improbus, potissimum
Si sit sacerdos, afficit probro fidem.

Plautus Redente. 3. sc. 2. v. 26.

—— *Mulieres*
Duæ innocentes intus hic sunt, tui indigentes auxilij,
Quibus adversus jus legesq; insignitè injuria hic
Facta est, fitq; in Veneris fano; tum sacerdos Veneria.
Indignè inflictatur. D. quis homo est tanta confidentiæ,
Qui Sacerdotem audeat violare?

¶ Emblematis.

Had. Iunius Emblemate XXIX.

Quid fugitas hederam manibus contingere Flamen?
Solidum quid annulum atq; nodosum fugis?
Illa queatricem Venerem vitato sacerdos;
Sis liber animi, nec mali tibi conscius.

Camerarius. XXIV. Centuria 2.

In utrumq; paratus,
Ferre jugum, jugulumq; dare, est bos aptus utrinq;
Sic pia turba facit, grata Deo referens.

¶ Apophthegmatum Christian.

Iesus Christus. Tandem ad ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei, confugimus: quorum dignitatem in veteris Legis Sacerdotibus adumbratam, novi Testamenti mediator Christus exhibuit: mundato enim leproso, præcipiebat: *Vide nemini dixeris sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus,* &c. ita Sacerdotibus debitum honorem proposuit; nempe dum illis se exhibere voluit eos, quos ipse propria virtute sanaverat. *Matth. cap. 8.*

S. Franciscus. Auxit etiam Sacerdotibus debitum honorem suo dicto Franciscus. qui de Sacerdotali honore & Sanctorum gloria verba faciens, dixisse fertur: *Si cui Sanctorum in terram è cælo lapso, & Sacerdoti occurrerem; hujus primùm manus exoscularer, ac dein Sanctorum reverentiam exhiberem.* Plu debere se significans ei, quo ministrante Chrstum acciperet; quàm illi, qui præsens cum Christo regnaret. *Marul. libro 3.*

S. Ioannes Chrysostomus: Considerabat quàm sancta res esset Sacerdotium: ideoque sanctuarij aditu arcebat eos, qui juxta legum Ecclesiasticarum præscriptum vitam instituere negligerent, inquiens: *Non est æquum sacerdotali honore fulgere eos qui vitam eorum, qui verè sunt Sacerdotes, non imitantur.* Theodor. lib. 5. Histor. Eccles. cap. 28.

Guntherus Episc. Pabenbergensis. Iter hic instituerat ad terram sanctam. cumque impeteretur à Barbaro quodam, ut erat severæ gravitatis, invasorem pugno à se rejecit in solum, adiiciens: *Sic Barbaros pœnas dare convenit, si impuras manus in Christi Sacerdotes inferre conentur* Ita olim Plautus,

Quis homo est tanta confidentia
Qui Sacerdotem audeat violare? &c.
At malo cum magno suo herclè fecit.

Herveldens. De gest. Germ.

Constantinus M. Et ille civili in ordine, quos non honores Sacerdotio deferri voluit, & sanxit? utpote qui lege caverit, Sacerdotem præ Rege aut quovis Principe honorari. Dicebat autem: *In illis Christum honoramus, qui ejus vicem in terris gerunt.* Præclarè Ovid. lib. 1. de Ponto:

Vaticinor, moneoq;, locum date sacra ferenti:
Non mihi, sed magno poscitur ille Deo.

Gratianus dist. 10.

Idem. Nec minori elogio dignum quod sequitur. Audiverat in Nicena Synodo accusationes, quibus se invicem Sacerdotes criminabantur: easque ad se delatas, in sinum reposuit, & Vulcano consecravit, dicens: *Sacerdotum judicium Deo reservo: qui velut numina, ad homines regendos, ab ipso hîc in terris sunt constituti.* Egnat. lib. 1. cap. 1. ex Eusebio.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

An sacerdotum alia vita hodie est quàm cauponantium?
Casta è castis, pura è puris sit sacerdos qualibet.
Ceteros anteire vita fas Sacerdotum genus.
Corporis trunci sacerdos, ominis res est mali.
Corpore atque mente puros esse apud Deum decet.
Est minus sacerdotium tenere quàm mererier.
Est probro Dei Sacerdos improbus mysterijs.
Et sacerdotum bonorum cuncta fiunt per manus.
Gens sacra, heu! perosa mundum, est omniũ immũdissima.
Improbus mysta inquinare quei queat sacrarium?
Improbus nullum sacerdos inquinat sacrarium.
Inquinat populum sacerdos universum degener.
Læditur Deus, læduntur illius cùm antistites.
Mavelit mori prudens vir quàm sacerdos eligi.
Mente sit magis sacerdos integer quàm corpore.
Minime honorem interpreteris clericatum, acre est onus.
Non si te offeras Deo, hostia fis; sed si sanctè offeras.
Numinis responsa mystes prædicat libens sui.
Numinis responsa prodit ædituus libens sui.
Numini lita, haud amictu sed mage corde splendidus.
Qui bonâ Deos colit fide, & sacerdotes amat.
Se viris Deo sacratis judicem quisque ingerit.

¶ Jambica.

Aliena sacro ab ordine est crudelitas.
Cur ergo quæ dicit Sacerdos non facit?
Antistites quisquis colit, Deum colit.
Antistites quisquis violat, violat Deum.
Facilè dibapho sacerdotij strumam tegas.
Finis sacerdotij omnis, est vacatio.
Finis sacerdotij una contemplatio est.
Haud respicit Deûm infulas jus bellicum.
Iudex Sacerdoti esse quærit quilibet
Malus est sacerdos si non est vel optimus.

Populi ruina sunt sacerdotes mali.
Probro affisis vatem? afficis vatis Deum.
Qualis sacerdos, talis est ecclesia.
Qui consecratus est Deo, cura & Deo est.
Totum Deo donavit, qui ipsum se obtulit.
Virgo dubiosa, indigna sacerdotio est.

Sacramenti.

SENTENTIÆ PATRUM.

SAnctus Isidorus Pelusiota: Divinorum sacramentorum perceptio idcirco Communio appellata est, quia nobis conjunctionem cum Deo conciliat, nósque regni ipsius consortes ac participes reddit. *lib. 1. Epist. 228.*

S. Salvianus: Incolumitatem non habent, quæ plenitudinem perdiderunt: nec statum suum omnino servant, quæ sacramentorū virtute priva sunt. *lib. 5. de gubernetione Dei.*

Io. Sarisberiensis: Citra religionem sacramenti ex antiqua lege, nemo militiæ cingulo donabatur. Nam sicut apud Julium Frontinum legitur, L. Flacco & C. Varone Coss. milites primo jurejurando facti sunt. Antea enim sacramento tantummodo à tribunis rogabantur. Cæterum ipsi inter se conjurabant, se fugæ atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi, hostisve feriendi causa, aut civis servandi. Et hoc dicebatur militiæ sacramentum, quod & Christianismorum principum autoritate firmatur & usu. Conceptio vero juramenti, teste Vegetio, hujusmodi est. Jurant equidem milites per Deum, & Christum ejus, & Spiritum sanctum, & per majestatem principis, quæ secundum Deum humano generi diligēda est & colenda. Nam cum quis legitimum accepit principatum, tāquam præsenti & corporali Deo, fidelis ei est præstanda devotio, impendendus pervigil famulatus. Deo enim vel privatus vel militans servit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat autore. Jurant, inquam, se strenuo facturos omnia, quæ præceperit princeps, nunquam deserturos militiam, vel mortem recusatores pro republica cujus sunt conscripti militiæ. Cum vero hoc præstiterint jusjurandum, cingulo militari donātur & privilegiis. Adeoque obtinuit ut electio, & sacramentum militem facerent, ut sine electione nemo conscriberetur aut juraret; sine juramento nemo nomen militis aut officium sortiretur. In libro officiorum M. Tullius refert, quod Pompilius Imperator tenebat provinciam, in cujus exercitu filius Catonis tyro militabat. Cum autem Pompilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoq; filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed cùm amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Pompilium scripsit, ut si pateretur in exercitu remanere, eum secundo obliget sacramento; quia priore amisso, jure cum hostibus pugnare non poterat. M. quidem Catonis senis epistola est ad M. filium, in qua scribit se audisse, cum factum missum esse à Consule, cum in Macedonia bello Persico miles esset. Monet igitur ut caveat, ne prælium ineat; negat enim jus esse, cum hoste pugnare, qui miles non sit. Ecce quia vir sapientissimus militem non credebat, nisi eum qui sacramento ad militiam consecratur. *lib. 6. Policratici cap. 7.*

PHILOSOPHORUM.

L. Seneca: Sapiens adsectatorque sapientiæ, adhæret quidem in corpore suo, sed optima sui parte abest, & cogitationes suas ad Sublimia intēdit, & veluti sacramento rogatus, hoc quod vivit stipendium putat: & ita formatus est, ut illi nec amor vitæ nec odium sit; paliturque mortalia, quamvis sciat ampliora superesse. *Epist. 65.*

L. Seneca: Quemadmodum militiæ primum vinculum est religio, & signorum amor, & deserendi nefas: tunc deinde facile cetera exiguntur mandanturque ad jusjurandum adactis: ita in his quos velis ad beatam vitam perducere, prima fundamenta jacienda sunt, & insinuanda Virtus. hujus quadam superstitione teneantur: hanc ament; cum hac vivere velint, sine hac nolint. *Epist. 95. §. 9.*

Seneca: Quidquid ex universi constitutione patiendum est, magno excipiatur animo. ad hoc sacramentum adacti sumus; ferre mortalia; nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est &c. *lib. de vita beata cap. 15.*

MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad sacramētum hoc adactus quisq; sortem æquè ut ferat.
Dicere sacramenta non validius est quam scribere.
Iam sacramento ligatus miles, haud juris sui est.
Perfidum si sacramentum ducis, perfidè interis.
Qui sacramentum profanat & mala morte interit.
Si sacramento rogatus es, capis stipendium.
Si sacramento solutus haud es, audias Ducem.

JAMBICA.

Ætate fessus sacramento solvitor.
Deo dicamur sacramenti vinculis.
Scio incapacem te sacramenti, impiè.
Se sacramentis obligat nobis Deus.

Sacrificij.

SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

DIvus Nazianzenus: Deus unum illud sacrificium in pretio habet, quod puræ manus, & mens excelsa, & ab omni vitiorum labe expiata, purissimo numini offerunt. quid mirum igitur, si idem ne honorem quidem eum, quem iste scelerate & scelerata mente offerebat, suscepit: ille, inquam, qui non humano more conspicit, nec speciem externam spectat, sed hominem occultum, internamque vim vel virtutis officinam intuetur? *Oratione 3. stelitica 1. in Iulianum.*

Chrysostomus: Et quomodo corpus inquies hostia fiet? Nihil mali respiciat oculus & factus est hostia. nihil turpe loquatur lingua, & facta est oblatio. nihil iniqui committat manus, & facta est holocaustum. Imò non sufficiunt ista, sed ut bona etiam faciamus opus est: nimirum ut eleemosynam faciat manus, calumnias inferentibus benedicat os, auditus divinis continuò sermonibus vacet. nihil enim habet immūdi hæc hostia. Et nos igitur tam manuum quam pedum, tam oris quam omnium aliorum primitias Deo reddamus. *Homilia 20. ad Romanos.*

S. Isidorus Pelusiota: Petiisti per literas, ut tibi declararem quam ob causam cùm quidam ea mente venisset, ut de pauperibus bene mereretur, grave discrimen subiit, nec eum animi institutum ex adversis casibus eripuit. Quoniam, inquam, Deus victimis iniqua ratione partis minimè delectatur, nec adulterina dona admittit. Neque enim quisquis vult, benignè facit: verùm is demum, qui ut Deo dignum est, sacrificium & acquisivit, & promisit. *lib. 1. epist. 229.*

Idem: Quandoquidem à me quæsisti, ut responsum meum literarum sacrarum testimonio confirmarem, illud scito, quòd Cain & dona obtulit, & eorum, quæ enata fuerant, primitias. Verùm Deus animi ipsius improbitatem perspiciens, ad eum oculos minimè cōiecit, nec ipsius munera suscepit, quamvis etiam alioqui ex voluntate atque animi instituto oblata. *lib. 1. epist. 230.*

Isidorus Pelusiota: Magnificabo Dominum in laude, & placebit ei super vitulum novum, canebat David, Judæorum ruinam, & Gentium adjunctionem significans. Quoniam enim, inquit, populus ille, cuius fidei sacrificia commissa fuerant, Deum reiecit, nec cruoris profusione Deus oblectatur, propterea ego spiritualem cultum adhibeo: quem ipso multò pluris, quàm illum, facturus est. *libr. 1. epistola 273.*

Isidorus Pelusiota: Apparentium quidem peccatorum remissionem Lex vel per sacrificia & victimas, vel per eleemosynam, per lustrationes præbebat: errorum autem non item. Nam veniâ majora, morte condemnabat. Omninò enim eos qui talia perpetrabant, de medio tolli atque aboleri præcipiebat; non ut eadem faciamus, quasi clanculum lex lapidem contra deprehensum in ejusmodi peccato projecisset: sed ut illi qui à peccatis veniâ indignis atque carentibus mundi & immunes essent, supplicium illis qui peccarunt, irrogarent. Est enim absurdissimum & gravissimum, eos quidem, qui longè majora peccant, sed occulti latent, negligenter trāsmittere; Lapidibus autem obruere eum qui minori quidem in re lapsus est, sed deprehensus in delicto. *lib 4. epist. 170.*

Basilius Seleuc. Vide Deum victimarum tolerantem, non quod cupiditati gratificetur (nullius siquidem Deus egens est) sed ut offerentium mentes instruat, iis se honorari fingit, quibus Deo habere se honorem existimant. *Orat. 3. m.*

Basilius Seleuc. Cainus sacrificationem multæ loco ducens rejectaneis sacrificiis honorem detulit honorato, adulterata mente cauponans pretium. Abelus verò longè aliter; qui cum donum totus spectaret, animo sincero Deum colit meliorem, & gregis datorem lectiori gregis portione honorabat, animi virtutem cum donis copulans, unaque animum ipsum offerens accipienti Deo. *Sermone quarto.*

Basilius Seleuc. de Caino & Abele: Unius donationem suspiciebat animi causa; alterius sacrificationem aversatus est morum causa. *Oratione 34. pr.*

LATINORUM.

Egesippus: Respondet Joannes, nullum præstabilius Deo esse sacrificium, quam pro aris, pro focis, pro templo ponere animam. Viros Deo sacratos; etsi necesse sit libenter procumbere pro libertate. *cap. 31. lib. 5. exc. Hier.*

Chrysologus: Gratius in suo Deus, quàm in hominis opere requiescit; & non tam libenter odoratur Arabicæ arboris guttam, quàm sinceri cordis & pectoris sanctitatem. *Sermone 87. m.*

Chrysologus: Obsecro ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam. Inauditum Christiani pontificatus officium, quando homo sibi ipse est & hostia & sacerdos: quando homo non extrinsecus quod Deo est immolaturus, inquirit: quando homo secum, & in se, & quod pro se est Deo sacrificaturus apportat: quando & eadem manet hostia, idem permanet & sacerdos: quando hostia mactatur & vivit, sacerdos nescit occidere qui litabit. Mirum sacrificium,

cium, ubi corpus sine corpore, sine sanguine sanguis offertur. Obsecro, inquit, vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam. Fratres, hoc sacrificium Christi descendit ex forma, qui corpus suum pro vita sæculi vitaliter immolavit: & verè corpus suum fecit hostiam vivam, quia vivit occisus. In tali ergo victima mors expenditur, hostia permanet, vivit hostia, mors punitur. Hinc martyres morte nascuntur, fine inchoant, occisione vivunt, & in cælis lucent, qui in terris putabantur extincti. *Sermone 108. ante finem.*

Chrysologus: Non homo ex eo quod vivit, placet: sed placet ex eo quod bene vivit. nec ex eo fit homo hostia, si se Deo offerat, sed si sanctè offerat Deo. Quantum enim immaculata victima placat Deum, tantum Deum victima, si maculata fuerit, exacerbat. *Sermone 109.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRAECORUM.

Xenophon: Quumque de facultatibus exiguis tenuia sacra faceret, nihilo se putabat minus præstare Socrates, quam ij, qui de magnis & copiosis opibus multas & amplas hostias cæderent. Etenim neque decere deos hoc aiebat, ut magnis potius, quam exiguis sacrificiis gauderent, quod alioquin eis improborum hominum sacrificia sæpius essent grata, quam bonorum; neque vitam magnopere mortalibus optandam esse, si sacrificia scelestorum diis essent acceptiora, quam proborum. Nimirum existimabat deos inprimis honoribus gaudere, quos homines maxime religiosi offerrent. Laudabat & hoc carmen,

Sacra diis, quantum potes, immortalibus offer.

Et aiebat hanc admonitionem, ut pro viribus agamus, ad amicos, ad hospites, ad reliquam vitæ rationem, præclaram esse. *cap. 17. libr. 1. Memorabilium.*

Apollonius Olympicis Theecoris. Dij sacrificiis non opus habent. Quid igitur est, quo placati propitijque fieri possint? Mea quidem ea est opinio, si quis ad consequendam sapientiam incumbat, & de hominibus dignis quantum potest, bene mereatur. Hæc diis grata sunt: illa verò sunt impiorum. *epist. 26.*

Idem Sacerdotibus Delphicis. Sanguine sacerdotes altaria polluũt. Deinde mirantur aliqui, cur infortunatè civitates agant, cùm in calamitates & discrimina maxima conjiciuntur. O imperitiam. Heraclitus verò sapiens erat: sed ne ille quidem Ephesiis persuasit, ne luto lutum mundarent. *epist. 27.*

Simplicius: Videntur ij qui in res divinas profusi sunt, simul & Deum corruptelæ condemnare; & ignorare quem usum ista in divino cultu habeant, cùm primitiæ sint eorum quę divinitus accepetimus. *ad cap. 38. Epicteti.*

Philostratus: Ego, inquit Apollonius, nunquam sacrificij causa quidquam mactavi, aut macto; neque sanguinem tango, etiamsi in altari sit positus. Hoc enim modo Pythagoras sensit & ante ipsum qui in Ægypto sunt Gymnosophistæ, & Indorum sapientes. Qui autem ita sacrificant, nulla à Deis injuria afficiuntur, sed eos senescere Dei permittunt, & rectis sanisque corporibus uti, semperque fieri sapientiores; nec verò tyranni unquam evadunt, nec rebus ullis indigent. Nec absurdum profectò videtur illos à Deis immortalia bona impetrare, qui purè mundeque sacrificant: qui thuriferam terram in parte mundi purissima constituere, ut vel illinc sacrificiorum materiam capiamus, nec ferrum templis inferamus, aut aras sanguine maculemus. *lib. 8. cap. 3.*

Heliodorus: Nos quidem in templum secedemus, sacrificium quod humanis victimis constat, neque ipsi probantes, neque Deum admittere existimantes. Atque utinam licuisset & illa sacrificia, quæ aliarum victimarum mactatione constabant, prohibere! cùm sola quæ precibus & odoramentis fiant, nostro Gymnosophistarum judicio, sufficiant. *lib. 10. Æthiop.*

Iulianus Imp. Vos primùm cùm Dei cultum honoremque contemnitis, nihil offendere arbitramini. Nemo autem affert res ad sacra necessarias: quod, credo, non sit ei unde alatur. Cum quispiam vestrum dat natalitia, magnificum apparat convivium, & amicos lautissimis mensis accipit: & tamen in feriis deorum solennibus nemo oleum in Dei lampada, nemo libamentum, non thus, non victimam attulit. Ego verò quemadmodum hæc à bonis viris istic accipiantur, nescio, illud credo, diis ea minimè placere. *contra Antiochenses.*

Iulianus Imp. Quod thuris odor ex omni parte regionis circumspirabat, & victimas in omnibus locis apparatas cernebamus: id, inquam, etsi multum mihi voluptatis afferebat, tamen calidius videbatur, & à religione alienum. Etenim procul à tumultu & strepitu sacra fieri debent, neque aliud quippiam quærendum, nisi ut victimæ & sacra diis apportentur. Verùm istud fortasse brevi corrigetur. *epist. 28.*

¶ ROMANORUM.

Plinius: Ac ne illud quidem vereor, ne gratus ingratusve videar, prout satis aut parum dixero. animadverto enim etiam Deos ipsos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate lætari, gratioremque existimari qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulit. *cap. 3. panegyr. Trajano.*

Calpurnius Flaccus: Nemo de polluto grege hostiam sumit. quis hanc hostiam perimet? pater, sacerdos, an carnifex? *Controversia 43.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 51. ad Vitalianum.

Præstat pauca Deo pectus mactare ferentem,
Quam sacra mille offerre, animus si sordeat ater.
Nil etiam dignum cœlesti numine: non si
Quæ mare, quæ cælum, quæ fert humus, omnia jungäs.
(Omnia namq; Dei) quid enim hac inveneris extra?
Vna Deum est purum gratissima victima pectus,
In qua vincit inops opibus persæpe tumentem.

Aristophanes Pluto v. 2017.

Facinus admisisti longe pessimum.
Nam ex quo Plutus videre cœpit, desinunt
Homines thus, laurum, panem, libum, victimam,
Breviter quodcunq; est aliud, Deis sacrare.

Prudent. Præfat. Psychomachiæ.

Abram parenti dictus, Abraham Deo,
Senile pignus qui dicavit victimæ,
Docuit ad aras cùm litare quis velit,
Quod dulce cordi est, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.

Prudentius Præfatione de Coronis.

Immolet Deo patri
Pius, fidelis, innocens, pudicus,
Dona conscientiæ,
Quibus beata mens abundat intus.
Alter & pecuniam
Recidit, unde victitent egeni:
Nos citos Iambicos
Sacramus, & rotatiles Trochæos
Sanctitatis indigi,
Nec ad levamen pauperum potentes.
Approbat tamen Deus
Pedestre carmen, & benignus audit.
Multa divitis domo
Sita est per omnes angulos supellex.
Fulget aureus scyphus,
Nec ære desit expolita pelvis.
Est & olla fictilis,
Gravisq; & ampla argentea est paropsis.
Sunt eburneæ quapiam,
Nonnulla quercu sunt cavata, & ulmo.
Omnes vas est utile,
Quod est ad usum congruens herilem.
Instruunt enim domum,
Vt empta magno, sic parata ligno.
Me paterno in atrio,
Vt obsoletum vasculis caducis
Christus aptat usibus,
Sinitq; parte in anguli manere.
Munus ecce fictile
Inimus intra regiam salutis:
Attamen vel infimam
Deo obsequelam præstitisse prodest.
Quidquid illud accidit,
Iuvabit ore personasse Christum.

Ennodius Carminis 7. fine.

Grata Tonanti Farra piorum.

Martialis lib. 10. Epigram.

Non quacunq; manu victima cæsa litat.

Plautus Rudentis prologo. v. 22.

Atq; hoc scelesti illi in animum inducunt suum,
Iovem se placare posse, donis, hostijs:
Et operam & sumptum perdunt. id eo fit, quia
Nihil ei acceptum est à perjuris supplicij.
Facilius, si quis pius est, à Deis supplicans,
Quam qui scelestus est, inveniet veniam sibi.

Ausonius Parecbasi.

Pateatq; fac sacrarium,
Nullo paratu extrinsecus.
Pia verba, vota innoxia,
Rei divinæ copia est.
Nec thus cremandum postulo,
Nec liba crusti mellei:
Foculumq; vivi cespitis
Vanis relinquo altaribus.
Deus precandus est mihi,
Ac filius summi Dei,
Majestas unius modi
Sociata Sacro Spiritu.

¶ Apophthegm. Sacr.

Samuel. Contumaciam Saulis perstringens, dicebat, Ecce, Auscultare est melius sacrificio; attendere; melius est adipe arietum. *Sam.15.22.*

Salomon. Quæ sint sacrificia Deo grata ostendit, *Prov.3.9.10. & 21.3.27.* postponenda esse auditui verbi divini. *Eccl.4.17.*

Propheta. Quid de sacrificiis fide & pietate destitutis senserint, vide Isaiam, cap.1. & 66. Ierem. cap.7. Ose. cap.6. Amos, cap.5. Mich. cap.6. &c. Michæas autem eodem capite 6. quæ sint sacrificia Deo grata ostendit.

Iesus Christus Dominus noster. Discite, inquit Pharisæis, Miserationem volo & non sacrificium, &c. *Matth.9.13. & 12.*

Placilla. Ad eos qui inhibere conabantur ministerium quod per manus ipsa suas peragebat imperatrix Placilla, dicere solita est, Imperatori quidem convenit, ut aurum largiatur. Ego verò manuum mearum opus pro imperio ipso, ei qui id semel contulit offero. *Niceph. eccl. hist. lib.12. cap.42.*

¶ Monosticha Trochaica.

A sui sumptus opesq; segregat cultu Deus.
Absq; vino victimaq; fit nimis frugi sacrum.
Acceptum nihil Deo est quod venit à perjuriis.
Casta mens pro thure, proq; victima aurata est Deo.
Ceremonias nullius negligat Dei miser.
Conscientiam requirit, non manum lautam Deus.
Corde puro, haud sumptuosis perlitandum victimis.
Cum Deos adis, pietatem adhibere oportet, haud opes.
Et salis micam haud gravatus à bono accipit Deus.
Hostia consumpta semper pellis est tamen super.
Immolat Deo pius vir dona conscientia.
In nocturna sacra quavis competit suspicio.
In sacris cui est voluntas ei facultas non deest.
Mens Deo se casta ubi offert, mille vincit victimas.
Mens pia ad sacrum requirit nil nisi cor compar sibi.
Mica pacat æquè Divos quàm boum aurea hostia.
Nil amentium hostiæ sunt pingue quam ignis pabulum.
Non litat manu profana si qua cæsa victima est.
Nil sacrum, nisi id quod per fas atq; leges suscipis.
Numinum litationi item additur donarium.
Officium omne religionis absq; thure claudicat.
Perlitat Deo ipsi egestas osculata dextera.
Pura mens centum juvencis efficacius litat.
Pura mens sine hostia ulla, sacrum opimum perficit.
Sacra mille offert Deo, ipsam mens pia ut se consecrat.
Sponte quod potest Dei offert quisq; tabernaculo.
Thura raro victimasq; Dijs sacrat vir adprobus.
Tum caro demum gustatur, ut litatum est, victima.
Victima loco est opima vox pij ad Deum pia.
Victimam Deis qui vovit, vix vetulo gallo litat.
Vox pij ad Deum una cunctas vincit ararum hostias.

¶ Jambica.

Centum hostijs potior Deo mens est pia.
Deo sacranda munerum primordia.
Deo una purum opima pectus victima est.
Et lacte Divis gentes multæ supplicant.
Incestat aras qui cruentat sanguine.
Inesse numen omnibus credo sacris.
Ingrata cælo parta nec rectè hostia.
Libato Dijs ex jam putatis vitibus.
Majora quavis expiantur hostiâ.
Minimoq; honore ducitur thuris Deus.
Nidoris expers respuit sacrum Hercules.
Non est sacrificium quod invitus exprimis.
Nullo indiget Deus: quin cuncta possidet.
Pari Inferis numero, impari superis lites.
Plus jure places thure quàm pio Deum.
Qui justitiam colit, pulcrè litat Deo.
Sacrificium farinâ quod caret, improbum est.
Salsa litant qui thura non habent mola.
Salsâ molâ litant quibus thus deficit.
Saltatione sacra quævis indigent.

Sacrilegij.

¶ Sententiæ Patrum.

S*ynesius Episcopus:* Atqui facillimum erat, modò bonorum Imperatorum copia esset, ab insolenti exercitu, quique Deum offensum haberet, impietatis pœnas repetere. Quibusnam illi sacris, quibus religiosis locis pepercerunt? Nónne in multis agri Barcæi locis sepulchra recentia effoderunt? Nónne ab iisdem ipsis per universam Ampelitidem, quæ quidem sub nostra potestate est, Ecclesiæ omnes succensæ sunt, atque in rudera & ruinas redactæ? Non sacras mensas perinde ac profanas ad dividendas carnes opposuerunt? Mystica porrò vasa, quibus ad publicas sacrasque libationes utebantur, nônne ad obeundas dæmonum cæremonias in hostilem regionem translata sunt? Quidnam horum religiosis auribus tolerabile est? Nam qui commemorare velit quot castella demoliti sint, quantum utensilium, ac supellectilis avexerint, boves item ovesque omnes, quæ quidem è Barbarorum præda servatæ reliquiæ in præruptis montium, & cavernis abditæ fuerant: is in tantis malis non sine vitio aliquo minutis persequendis nimium anxius videatur. Quanquam quinque Camelorum millibus prædam avexisse dicuntur. Numero autem triplo majore redeunt, accessione captivorum tanto plures effecti. Periere, extinctæ sunt Pentapolitanę res, ad exitum venerunt, confectæ sunt, occiderunt: neque nobis omnino ampliùs, neque Imperatori supersunt. Neque enim Imperatoris ea possessio dici potest, è qua nihil utilitatis reportet. Ecquis vero fructus ex deserto colligere ullus possit? *Catastasi & Pentapolitana.*

Egesippus: Crassus ad Parthicū profecturus bellum, omne quod erat Hierosolymis aurum in templo abstulit. Præterea duo millia talenta detrahi jussit quæ Pompejus intacta reliquerat. nec longum lætatus; ubi transmisit Euphratem exercitum amisit, & ipse exstinctus est. *lib.1. cap.21. de excid. Hierosol.*

Io. Sarisberiensis: Fit interdum ut ex delicto suo privetur miles militiæ cingulo; in his maximè ubi sacrilegia committuntur. Veteri namque jure statutum est, & novo non est abolitum, ut qui non servato militiæ sacramento, religionem quam profitetur impugnat, cinguli amissione mulctetur. Fertur hoc edicto Julius compescuisse militem suum, quando urbem ingressus non licuit homines spoliare, aut templa Deorum: quod ei postmodum ingravescente seditione improperant. Numinibus namque Romanis civibusque jurati, oppugnare non poterant, quos sacramento militiæ susceperant defendendos. *lib.6. Policratici cap.13.*

¶ Oratorum Graecorum.

Lysias: Hic igitur qui talia perpetravit miserrima obiit morte, nempe fame. multis enim & lautis ipsi epulis in mensa appositis, ex pane & libo fœtidissimum videbatur percipere odorem, nec cibum gustare poterat. *contra Andocidem initio.*

Libanius: Verùm sacerdos ille sceptro profectò & coronis fretus erat. Sed nullius solet apud hostis respectus esse Deorum adversariorum. Utrum non videbat subditas Achilli urbes plures viginti, in quibus luci multi, multæ aræ, multa fana, multa delubra, quibus universis ferrum & ignem, intulerant Græci. an hæc apud quos nullius momenti fuissent, ij gratificarentur ob sceptrum Chrysæ?

Libanius: Infulas non respexit Chrysis Agamemnon Imperator, belli jure. hæc enim revereri solebant prius, nunc non magis. Simul quidem ad bellum ut processum est, omnia quæ hostium sunt, contraria judicantur; terra, sepulcra, sacraque cetera omnia. *de Irato Achille Progymn.*

Libanius: Vos Athenienses, ac Lacedæmonij prorsus omnes, quoties hostium urbes solo adæquabant, non etiam à rebus sacris abstinebant; omne lucrum quod ab infestis proficiscebatur, sanctū rati. *Declamat. 29.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior. Sepulcrum, inquit, violasti. Non utcunque attingitur sepulcrum violatur. alioqui nec inferre mortuum licet, nec collapsa reficere, nec ornare. Non ita est: mens in factis inspicitur: mens absolvitur. Sic Romani gloriosè spoliarunt Jovem: sic Saguntini fecerunt parricidium. Sed quid sustuli? aurum credo aut defossam pecuniam? Arma. Ista virtutis instrumenta, non sceleris sunt pretia, quibus præmia merui. Nisi ista sustulissem, non accusasses: non haberes leges. Sustuli, confiteor: sed publicæ salutis causa. Miraris? ipsorum sepulchrorum ruina si possem, hostem repellerem: tecta in subeuntes, & sacra, quin etiam templorum fastigia, desperantium tela sunt. Certum est omnia licere pro patria. *Declamatione 369.*

¶ Apologi.

Phædrus Fab. 69.

Lucernam fur accendit ex ara Iovis,
Ipsumq; compilavit ad lumen suum,
Onustus qui sacrilegio cùm discederet,
Repente vocem sancta misit religio:
Malorum quamvis ista fuerint munera,
Mihiq; invisa, ut non offendar subripi
Tamen, scelestè, spiritu culpam lues
Olim cùm adscriptus venerit pœna dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Itaq; hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.
Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius quam qui repperit.

Signi-

Significat primò, sæpe quos ipse aluerit,
Tibi inveniri maximè contrarios.
Secundum ostendit scelera non irâ Deûm,
Fatorum dicto sed puniri tempore.
Novissime interdicit ne cum malefico.
Usum bonus consociet ullius rei,

¶ Emblematis.

Batillius XXII.

In pacis incendiarios.

Ut qui olim famam sibi facti à crimine quærens,
Mansuri & pignus nominis inde sui,
Divitijs Asiæ longoque operosa labore
Sacrilegâ incendit templa Ephesina manu:
Tales, queis ficta pietatis gloria certat,
(Sed queis jam nemo credit abesse nefas)
Ausi iterum belli subjectâ exurere tædâ
Delubrum pacis religione sacrum;
Otia convertunt patria discordibus armis,
Civiliq; iterum fœdera nostra tubâ.
Sic jam ut vicinas rapiant incendia gentes,
Diffusa & toto flamma vel orbe sonet.
At vos, qui prisca superatis crimina fama,
Quosque agit in nostras mens furiosa neces,
Nostro hac haud solùm noscant vos sæcula sontes
Sanguine, sed noscat vos quoque posteritas.

¶ Apophthegm. Sacr.

Ludovicus XII. Gall. rex. Cum Iulius pontifex sacrilegii eum insimularet: Atqui (inquit Ludovicus) absurdissimum est, ut qui donaria divûm ipse manibus gerit, alios sacrilegii arguat. *Arnold. Ferron. de reb. gestis Franc. lib. 3.*

¶ Monosticha Trochaica.

Alitum quascunq; penna aquilina devorat.
Cultores Dei haud amare sacrilegij item est genus.
Dilige à Deis dilectos, si modò te diligis.
Et bona à Deis sacrilego navigatio datur.
Haud Deo sancti manent, in ipsum qui sunt impij.
Læditur Deus læduntur illius cum antistites.
Pars sacrilegij est donare pauperum rem ditibus.
Peccat æquè nuncupata quam suspensa qui rapit.
Sacrilegus punitur in se vel suis in posteris.
Sacrilegus non est profanum qui quid è sacro abstulit.
Sacrilegium habet certasse segnius pro patria.
Tam sacrum nil invenire est, sacrilegus quin sit suus.

¶ Jambica.

Sacrilegium est, non sacrum, hominum immolatio.
Sacrilegus est Episcopus vita nepos.
Sacrilegus est qui antistiti dicit male.
Sacrilegus est qui auferre sacra cogitat.
Sacrilegus est qui res clepit clam pauperum.
Sacrilegus est qui sacra tractat haud sacrè.
Sacrilegus est, quisquis bello appetit Deos.
Sacrilegus est quisquis rapit de publico.
Sacrilegus haud est, qui loco rem aufert sacro.
Sacrilegus haud est victor, etsi aufert sacra.
Sacrilegij expers nullum adhuc fuit sacrum.

Sæculi.

¶ Monosticha Trochaica.

Admodum bono imbecilla causa sæclo ærarij est.
Admodum bono imbecilla sæculo est opulentia.
Maxime ijs cum sæclo rixa est à quibus corrumpitur.
Moribus pauci relinquunt sæculum, habitu plurimi.
Nunc corrumpere, & corrumpi, eheu, vocatur sæculum.
Optimum est si quisque vivat more sæculi sui.
Plurimum refert cujusq; virtus secla in qua incidat.
Sæculum quacumq; peccat, carpere haud tutò queas.
Sæculi delicta adulta sufferas, non efferas.
Sæculo error, haud putatur error, ipsa est veritas.
Seculi sui haud postremus, qui nulli est contemptui.
Sæculo jam major ipso est, sæculi nil qui cupit.
Sæculo nihil, rebusq; sæculi fugacius.
Sæculo pravo, pietas magna est, nihil facere impiè.
Sæculo virtus vocatur crimen omne, heu, ac scelus.
Sortis est benignioris, sæculo nasci bono.
Sunt toleranda non tollenda vitia adulta temporum.

¶ Jambica.

Inter diem atq; sæculum quid interest?
Malum esse quam bonum præstat sæclo improbo.
Nihil queunt opes ubi sæculum bonum est.
Nil interest inter diem atq; sæculum.
Nocens aliquis fit sæculo vel innocens.
Plus est vicisse, quàm vitasse sæculum.

Saltationis.

Sententiæ Philosophorum Graecorum.

X*enophon:* Deinde puer saltabat, ac Socrates: Videtis, inquit, quã elegans hic puer sit, verum si gestus adhibeat, etiam elegantior videatur, quam si quiescat. Tum Charmides: Videris, ait, mihi magistrum saltationis huius laudare velle. Sic est profecto, inquit Socrates. Nam præterea quiddam aliud animadverti, quod videlicet in ipsa saltatione nulla pars corporis otiosa esset: sed simul & collum, & crura, & manus exercerentur, quemadmodum saltare convenit eum, qui corpus agilius habere velit. Ac equidem, ait, perlubenter, mi Syracusane, gestus hos abs te discerem. Et ille: Cuinam igitur, ait, usui tibi fuerint? Saltabo scilicet. Tum vero sublatus ab omnib. risus. Et Socrates vultu maxime ad seriam quamdam speciem composito: Meane causa ridetis? inquit. Num id propterea, quod exercẽdo me efficere cupio, ut rectius valeam, vel quod majori cum voluptate cibis vesci ac dormire velim, vel quod hæc exercitia desidero, ut mihi non quemadmodum in stadio currentibus usuvenit, crura compactiora fiant, humeri tenuiores; nec pugilum instar humeri crassescant, crura adtenuentur: sed toto corpore laborando, universum etiam eodem ut robore polleat, efficiam? An potius ea de causa ridetis, quod minime futurum sit necessarium, ut quæram exercitationis socium, neque ut in turba me provectæ vir ætatis exuam: sed suffectura mihi sit domus septem lectulorum capax, quemadmodum huic etiam puero satis hoc conclave fuit, in quo sudaret? Tum quod per hyemem sub tecto me sim exerciturus, vicissim ubi magnus æstus fuerit, in umbra. An id potius ridetis, quod quum ampliorem, quam par sit, ventrem habeam, reddere hunc aliquanto minorem velim? An nescitis Charmidem hunc nuper admodũ me saltantem mane deprehendisse?

Profecto sic est, ait Charmides. Et initio quidem obstupui, ac ne insanires, veritus sum. Verum ubi te audivi consimilia dicere iis, quæ nunc dicis: etiam ipse domum ubi venissem, non saltabam quidem, quãdo id nunquam didici; sed manibus gesticulabar, quod facere noram. Est ita profecto, inquit Philippus. Nam crura videris tam æqualis habere cum humeris ponderis, ut si apud annonæ præfectos inferiorum pondus examinares ad superiora, sicut in panibus fieri solet, non multatus evaderes. Tum Callias: Me vero arcesse, ait, mi Socrates, quum saltandi rationem voles discere, ut tibi me opponam, & una discam. Age vero, inquit Philippus, etiam mihi tibiam inflet, ut & ipse saltem. Quumque surrexisset, hinc inde incedebat ac pueri puellæque saltationem imitabatur. Primum vero, prædicassent puerum, qui ex gestibus etiam pulchrior exstitisset: ipse contra, quamcumque corporis partem movisset, ut magis ille motus, quam esset reabse, ridiculus videretur, effecit. Quod autem puella flexo retro corpore rotas imitaretur, id ipse sic exhibebat; ut in anteriorem partem sese demittens, rotas imitari conaretur. Tãdem quia puerum laudabant, qui inter saltandum corpus universum exerceret: jussa fidicina celeriorem aliquem numerum proferre, crura, manus, caput, omnia simul jactabat. Posteaquam defatigatus esset: Hoc argumento est, inquit in lectulum procumbens, etiam meas saltationes egregie corpus exercere, quod sitiam. Infundat mihi puer magnam illam pateram. Et nobis quoque, subjecit Callias. Quippe nos etiam sitivimus, dum te ridemus. *cap. 7. Convivij.*

Lucianus: Quandoquidem tu Crato, jam olim opinor acerba accusatione adornata, criminatus es saltationes, ipsamque saltandi artem, insuper & nos qui huiusmodi spectaculo gaudemus, ac si in re frivola & muliebri multum operæ ponamus, audi obsecro, quãtum à recto aberraris, & ut per imprudentiam rem omnium in vita humana optimam accusaris. Sed danda tibi venia, si asperæ vitæ ab initio addictus, & solam austeritatem optimam ratus, eas præ imperitia dignas accusatione censuisti. *Cra.* Cùm vir sies, ô optime, idque liberalibus disciplinis innutritus, & in philosophiæ studiis mediocriter versatus, remisso rerum ô Luciane, optimarum exercitio, & priscorum commercio, sedes tibiæ modulis aurem præbens, & hominem effœminatum spectans, mollibus vestibus, & lascivis cantilenis sibi placentem, tum prisci sæculi mulierculas amatorias imitantem nempe libidinosissimas Phædras, & Parthenopas, & Rhodopas. Et hæc omnia cum citharæ pulsationibus, ejusq; procacibus frequentamentis, & pedum strepitu, revera ridicula, nec ingenuum hominem, & qualis tu es, decentia. Quare quum ego certior sum factus te huiusmodi spectaculo vacare, non solùm me tui puduit, sed etiam acerbè tuli quòd tu Platonis, & Chrysippi, & Aristotelis oblitus, sedes eodem modo affectus quo quibus aures penna leniter fricantur. Maximè vero cum alia sint innumera gravia & seria quæ audiri, & spectari possint, siquis hæc requirat, nem-

pe circumforanei tibicines, & qui ad citharam legibus consentanea canunt. Ac in primis gravis tragœdia, plenaque hilaritatis comœdia, quæ spectaculis convenire putarunt. Itaque, ô generose, multa tibi defensione opus erit apud eruditos, si nolis omnino secerni, & è virorum gravium grege expelli. Atqui istud mihi optimum factu videtur, ut his omnibus negatione medearis, nec initio, te tale quid deliquisse, fatearis. In posterum verò vide, ne imprudens ex viro quem olim egisti, nobis Lyde, vel Baccha fias. Quæ non modò tua, sed etiam nostra foret culpa, si non Ulyssis in morem à loto abstractum, ad consueta literarum studia te reduceremus, priusquam imprudens à Sirenibus in theatro excubantibus plenè occuperis. Verùm illæ quidem solis auribus insidiabantur, ideoque ad earum præternavigationem opus fuit cera: tu verò per oculos in servitutem redactus omnino videris. *Luc.* Papæ ô Craton quàm asperum canem tuum in nos solvisti. Cæterùm hoc exemplum, puta sumptam à Lotophagis, & Sirenibus similitudinem, ab iis quæ mihi acciderunt prorsus discrepantem mihi videris adduxisse. Etenim ij qui lotum gustassent, & Sirenas audivissent, in manducationis & auditionis pœnam, exitio mulctabantur. Mihi verò, præterquam quòd longè jucundissimam voluptatem percepi, bonus etiam exitus evenit. Non enim in rerum domesticarum, propriarumque facultatum ignorationem delapsus sum; sed si audacter est dicendum longè prudentior, & in rebus humanis perspicacior ex theatro redivi. Quin potiùs illud Homeri scitè dixeris, quòd cui visum est illud spectaculum,

Multorum gnarus, simul oblectatus abivit.

Cra. Hercle Luciane, quo affectus es modò, cùm te istorum non pudeat, sed his gloriari videaris. Quare illud hac in re est gravissimum quòd nullam curationis spem nobis facis, qui laudibus efferre audeas tam turpia, & execranda. *Luc.* Dic mihi Crato, num sæpe visis quæ in saltatione, & theatro geruntur, ea vituperas, an verò spectaculi ignarus, illud tamen, ut ais, turpe & execrandum esse ducis? Si enim vidisti, par nobis hac in re evasisti. Sin minùs, vide ne iniqua & temeraria videatur increpatio tua, qui ignota tibi crimineris. *Cra.* Ergo hoc mihi adhuc supererat, ut cum tam promissa barba, canisque crinibus, sederem inter mulierculas, & insanientes illos spectatores, applaudens, & laudibus indecentissimis acclamans homini perdito nullum in usum facto? *Luc.* Hæc tibi ignoscenda Crato. Probè tamen scio, si quando mihi crederes, teque expansis oculis, tantillum experiendi gratia spectatorem præberes, nihil tibi futurum esse antiquius, quàm ut locum occupares commodum, unde spectaculum accuratè cernere, omniaque audire posses. *Cra.* Nunquam ego venustatem consequar, si quid hujusmodi sustinuero unquam, donec cruribus sim hirsutis, incomptaque barba, ut me tui nunc misereat, modis omnibus insanientis. *Luc.* Vis ergo, amice, omissis conviciis istis, attendere mihi nonnihil de Saltatione dicenti, deque iis quæ ipsi insunt decora, utque spectantibus non modò est jucunda, sed etiam utilis, tum quarum rerum peritiam, tum quarum doctrinam præstet, & ut aptè spectantium mentes componat, pulcherrimis spectaculis se exercens, & dandis præceptis optimis operam ponens, & communem quandam animæ & corporis pulchritudinem ostendens? Etenim quod hæc omnia facit cum Musica, & modulis, non vitio sed laudi tribuendum. *Cra.* Mihi quidem haudquaquam vacat hominem insanientem, suumque morbum laudantem audire. Verùm si velis me nugis inanibus conspergere, paratus sum in hoc officiosè tibi inservire, & aures præbere, cùm sine cera res malas audire possim. Quare tibi silentium impertiam: dic verò quicquid libuerit, ac si nemo audiat. *Luc.* Rectè profectò, Craton: & hoc expetebam maximè. Nam brevi cognosces an quæ dicentur, nugæ tibi sint censendæ. Ac primùm quidem omnino ignorare mihi videris, non novam esse hanc artem Saltationis, nec heri, vel pridie natam, puta majorum nostrorum, aut proavorum memoria. Sed qui quàm verissimè Saltationis ortum docuerunt, affirmant simul cum prima rerum universitatis generatione Saltationem ortam esse, & cum Amore vetustissimo illo Deo in lucem prodiisse. Etenim ipsa syderum chorea & stellarum errantium cum non errantibus conjunctio earumque concinna communio, & constans harmonia, Saltationis illius primigeniæ sunt indicia. Quæ paulatim incrementa capiens, & in dies additionem in melius obtinens, nunc summam perfectionem videtur attigisse, & in varium quoddam, omnino concinnum, multiplicisq; scientiæ Bonum evasisse.

Primùm autem dicunt Rheam hac arte delectatam, in Phrygia quidem, Corybantas, in Creta verò Curetas saltare jussisse. Neque parum ars eorum illi profuit: quippe circumsaltantes servarūt illi Iovem, ita ut ipsis mercedem salutis debere se Iupiter confiteatur, siquidem per saltationem illorum paternos dentes effugit. Saltabant autem armati, & gladios ad scuta collidebant interim, & furibundum bellicumque quiddam saliebant. Mox Cretensium præstantissimi, summo studio idem exercentes, optimi saltatores evasere, non tantùm homines privati obscuro loco orti, sed & nobiliores, ac primates. Quare Homerus non quòd Merionem sugillare, sed laudis ornamento decorare vellet, Saltatorem compellavit: qui eò claritudinis & notitię apud omnes venit ob saltandi peritiam, ut hæc non Græci solùm, sed & ipsi Trojani, quamquam hostes, de illo comperta haberent. Videbant enim, ut puto, ejus in bellando agilitatem, concinnumque motum quem ex saltatione acquisiverat. Versus Homeri sic loquuntur,

Te mea, Merione, quamvis saltare peritum,
Hasta citò stravisset.

Nec tamen ipsum prostravit. Etenim ut pote in saltandi arte exercitatus, facilè, opinor, contorta in se jacula devitabat. Et quanquam complures heroes recensere possem in hoc studio exercitatos, qui ex eo artem fecerunt; unum puto sufficere Neoptolemum Achillis filium, qui Saltandi arte præcelluit, eique speciem pulcherrimam addidit, Pyrrichiam ab ipso denominatam. Quibus de filio auditis Achilles, magis ut opinor, est gavisus, quàm ob illius pulchritudinem & robur. Quare Ilium quod hactenus fuerat inexpugnabile, hæc illius saltandi industria diruit, & solo æquavit. Lacedæmonii quoque, qui Græcorum censebantur præstantissimi, cùm ex Polluce & Castore didicissent caryatissare (quod saltationis genus Caryis urbe Laconiæ docebatur, omnia cum cantu faciebant, adeò ut ad tibiarum modulos, & rythmum, moderatumque pedis ingressum prælia committere solerent. Ac primùm quidem conserendarum manuum signum Lacedæmoniis tibia dabatur. Proinde duce Musica, & modulorum concinnitate, victoriam de omnibus reportabant. Vidisses autem eorum adolescentes, non minùs saltandi artē, quàm armis pugnandi rationem discere. Cùm enim summis digitis colluctari, ac se mutuò cædere desiissent, in saltationem lucta desinebat. Tum tibicen tibia canens in medio sedebat, pedibusque strepebat. Illi verò alij alios ex ordine sequentes, omnigenas corporis figuras ad numerum ingredientes, nunc bellicas, mox saltatorias Baccho Venerique gratas exprimebant. Proinde etiam carmen, quod inter saltandum canebant, cognomentum à Venere, & Cupidinibus acceperat, ac si unà cum illis choreæ & saltationi indulsissent. Alterum autem ex carminibus, etenim duo canebantur, saltandi præcepta continebat. Procul, ajunt, ô pueri, promovete pedem, & tripudiate meliùs, hoc est elegantiùs saltate. Similia faciebant qui Hormum saltabant. Est autem Hormus, Saltationis genus commune cùm adolescentibus, tum virginibus, alternatim ad choream dispositis, & monile revera repræsentantibus. Solet autem adolescens chorum ducere, more juvenili saltans, quo postea in bello utatur. Hunc modestè sequitur puella, fœmineum saltare docens: ut Hormum ex Temperantia & Fortitudine compositum rectè dicamus. Erant & illis Gymnopodiæ, genus Saltationis.

Cæterùm quæ Homerus memoriæ prodidit in clypeo super Ariadne, & choro quem illi instituerat Dædalus, ea, ut tibi lecta prætermitto: præterea duos illos saltatores quos ibidem poeta Cybesteteras vocat chorum ducentes. Rursum quæ clypeo inesse memorat,

Cernere erat juvenesq; duos agitare choreas:

tanquam rem omnium pulcherrimam saltationem clypeo Vulcanus addidisset. Etenim verisimile erat Phæacas choreis gaudere, ut qui deliciis affluerent, ac in omni felicitatis genere degerent. Proinde Homerus, hoc præcipuè illorum in rebus admirantem facit Vlyssem, & pedum micationes contemplantem. Atque in Thessalia tantum crevit Saltationis exercitatio, ut populi præsides, eorumque antesignanos, præsaltatores nuncuparint. Quod indicant statuarum inscriptiones, quas strenuis viris erigebant. Prætulit enim, præsaltatorem civitas. Et iterum Elationi posuit hanc imaginem populus, propterea quòd pugnam rectè desaltarit. Mitto illud, nullas unquam apud veteres celebratas fuisse festivitates, sine saltatione, quippe quas Orpheus, Musæus, atque optimi id temporis saltatores instituerunt, atque hoc, ut honestissimum quiddam, rhythmos & saltatione initiari sanxerunt. Quòd autem hoc isa se habeat, æquum est ut orgia reticeant, propter non initiatos. Sed illud omnes audiunt, eos à vulgo desaltasse dici, qui mysteria prodiderunt. Porrò nulla in Delo sacra sine saltatione peragebantur, sed cum ea, etiam musica adhibebatur. Puerorum chori cum tibia, citharaque ingressi tripudiabant, quibus canentibus optimi quique saltationem accommodabant, ex eorum numero delecti. Quare cantilenas hisce choris conscriptas, Hyporchemata vocabant, talibusque lyra impleta fuerat.

Quid verò Græcos tibi commemorem, cùm Indi quoque posteaquam mane surrexerunt, Solem precentur, non quemadmodum nos manum deosculati, perfectam precationem esse putamus. Sed illi ad ortum excitati, saltatione Solem salutant, silentio semetipsos componentes, Deique choream imitantes. Et hæc Indorum est precatio, & chori, & sacrificium. Quibus bis, puta oriente & desinente die, Deum placant. Æthiopes verò bellum cum saltatione ineunt. Nec quisquam Æthiopum, sagittam à capite demptam, (nam hoc loco pharetræ utuntur, ipsi radiorum instar tela circumligantes) emittit, quin priùs saltaverit, ac specie minatus sit, & saltatione hostem antè deterruerit. Æquum verò est, ut India & Æthiopia peragratis, in vicinam Ægyptum oratione descendamus. Vetus enim illa fabula Proteum illum Ægyptium, nihil aliud quàm saltatorem fuisse mihi innuere videtur, hominem imitandi peritum, quique in varias species & formas mutare se posset, ut & aquæ humiditatem, & ignis celeritatem in motus vehementia, & leonis immanitatem, & Pardalis impetum, & arboris quassum, denique quicquid vellet, imitaretur. Cæterùm hæc fabula, rem contra omnium opinionem assumens, quasi in ea mutaretur, quæ imitabatur, ingenium ipsius explicavit. Qua facultate & huius temporis saltatores sunt præditi: ac proinde videris ipsos eodem tempore confestim immutari, ipsumque Proteum imitari. Quinetiam conjiciendum est, Empusam quæ in formas innumeras mutabatur,

huius-

huiuſmodi ſaltatricem à fabulis fuiſſe traditam. Præter æquum eſt,ut neque Romanæ ſaltationis obliviſcamur, quam Romanorum nobiliſſimi quique, Marti Deorum bellicoſiſſimo, qui Salij vocantur, quòd eſt ſacerdotii nomen, graviſſimam & religioſiſſimam exercent. Neque hæc Bithyma fabula, multum ab inſtituto Italorum abhorret, quæ perhibet Priapum bellatorem Deum,unum opinor ex Titanibus aut Dactylis Idæis, opus illud factum,ad rerum militarium inſtitutionem, Martem à Iunone acceptum adhuc puerum, ſed durum, ac præter modum virilem, non priùs armis depugnare docuiſſe, quàm perfectum ſaltatorem reddidiſſet. Quamobrem & merces illi à Iunone deſtinata eſt,ut decimam partem ſpoliorum bello portorum à Marte ſemper acciperet. Neque enim arbitror te expectare ut ex me audias Dionyſiaca & Bacchica, illa omnia genus fuiſſe ſaltationis. Cùm itaque tria ſint celeberrima ſaltationum genera,puta Cordax, Sicinnis, & Emmeleia, quibus Satyri Bacchi miniſtri inventis, ſingulis à ſe nomen indiderunt: hac ſaltandi arte utens Bacchus, Tyrrhenos, Indos,& Lydos ſubiugavit,& gentes adeò bellicoſas ipſis cum thiaſis ſaltatione debellavit. Quocirca,ô admirande, vide ne ſit impium in crimen vocare tam divinum inſtitutum, & myſticum,& tantis à Diis ſtudioſè cultum,& in ipſorum honorem exerceri ſolitum, & quod tantā oblectationem ſimul,& utilem luſum exhibet.

Sed illud de te miror,cùm ſciam te Homeri & Heſiodi amantiſſimum eſſe (Iterum enim ad poetas redeo) qua fronte illis contradicere audeas,qui præ omnibus Saltationem laudant. Nam Homerus res omnium ſuaviſſimas & pulcherrimas recenſens, nempe ſomnum,amorem,cantum,& ſaltationem,ſolam hanc inculpatam appellavit,aſcribens per Iovem,cantui dulcedinem, quæ ambo arti ſaltandi adſunt,& cantio dulcis,& inculpata Saltatio,quam tu nunc vituperare cogitas,Rurſus alia in parte ſuæ poeſeos,ait. *Nam Deus, hunc belli reddit virtute, choreis illum, alium grato cantus modulamine clarum*. Suavis enim profectò cantilena quæ cum Saltatione eſt conjuncta,& hoc Deorum munus pulcherrimum. Ac mihi videtur Homerus mortalium res omnes in duo diviſiſſe, Bellum,& Pacem, & rebus bellicis has ſolas ut pulcherrimas oppoſuiſſe. Atque Heſiodus, qui ex alio non audivit, ſed ipſemet vidit ſtatim ab auroræ exortu ſaltantes Muſas, ſui carminis initio de illis hoc maximum profert encomium, Nimirum eas circum fontem ferrugineum mollibus pedibus tripudiare, & choreas agentes circum patris aram. Tu verò generoſe,tantum non cum Diis pugnans, in ſaltandi artem es contumelioſus. Verum Socrates, vir ſapientiſſimus, ſi hoc de ipſo dicenti Pythio eſt credendum,non modò laudavit artem ſaltandi,ſed eam etiam diſcere voluit,cùm concinnitati,elegātiæ, motui decenti, ejuſque quod movetur venuſtati plurimum tribueret. Nec veritus eſt ætate jam grandior Saltationem inter maximè ſerias diſciplinas habere:nec ei perdiſcendæ parum erat operæ impenſurus,quem etiam leviora diſcere non piguit: ſed tibicinarum quoque ſcholas frequentavit, neque à meretrice muliere Aſpaſia ſerium quippiam audire dedignatus eſt. Atqui ille artem non ita pridem natam vidit, nec tanta pulchritudinis acceſſione conformatam. Qui ſi nunc eos quorum opera in ſummum uſque faſtigium evecta eſt, ſpectaret, ſat ſcio illum reliquis omnibus poſthabitis, hiſce duntaxat ſpectaculis animum adhibiturum, neque pueros quicquam priùs Saltatione edocturum. Videris autem mihi cùm laudes Comœdiam & Tragœdiam, oblitus eſſe,in utraque illarum proprium Saltationis genus eſſe, puta in Tragœdia, Emmeliam, in Comœdia, Cordacem, nonnunquam & tertiam, quum Sicinnis aſſumitur. Quandoquidem autem initio Saltationi prætuliſti Tragœdiam,& Comœdiam, & circumforaneos tibicines,& citharæ cantum, ſpectaculis convenientia hæc, ac proinde gravia nuncupans, age nunc eorum unumquodque cum Saltatione comparemus.

Verùm,ſi videtur,tibiam & citharam omittamus: quæ ſunt partes Saltatoris adminiſtræ. Porrò Tragœdiam primùm ab habitu cognoſcamus, cujuſmodi ſit, quàm ſit deforme, ſimulque horrendum ſpectaculum, ſcilicet homo in longitudinem inconcinnā factus,altis cothurnis ingrediens,larva caput obductum habens, & amplo hians ore, tanquam devoraturus ſpectatores, non dico pectoralia,ventralia,aſcititiam,& artificialem craſſitudinem fingens, ne longitudine diſcors compoſitio in tenui corpuſculo magis reprehendatur: deinde intus vociferans, ſeipſum retorquens, & diſtorquens,nonnunquam jambos cantillans, quodque turpiſſimum eſt,calamitates modulans, ac ſoli voci ſemet obnoxium præſtans. Nam cætera priſcis poetis curæ fuerunt. Et quandiu quis Andromachen,aut Hecubam agit,tolerabilis eſt cantio.Sed quum Hercules in ſcenam ingreſſus carmen lugubre canit,ſui oblitus,nec reveritus leoninam pellem,& clavam qua circundatur,iſtud ſanæ mentis homo,ſolœciſmum meritò vocarit. Quinetiam quod in arte ſaltandi vituperabas,viros nimirum eſſe mulierum imitatores,hoc quidem commune & Tragœdiæ, & Comœdiæ eſt vitium: ac plures in iis ſunt mulieres quàm viri. Quinetiam Comœdia, ridiculas perſonas, partem oblectationis ipſi tribuit, quales ſunt Davorum, Tibiorum,& coquorum perſonæ. Sed enim Saltationis habitus. quàm ſit ornatus & decorus nihil attinet me dicere, cùm hæc non cæcutientibus ſint perſpicua. Ipſa verò perſona eſt elegantiſſima, ſubjectæque fabulæ convenit,nec illorum inſtar, hiat,ſed comprimitur. Nam complures habet qui pro ſe vociferantur. Nam olim Saltatores ipſi canebant, & ſaltabant:deinde quia continuo motu gravatus anhelitus cantum turbabat, conſultius viſum eſt ut ipſis alii ſuccinerent. Porrò communia utriſque ſunt argumenta, multaque in re à tragicis differunt ſaltatoria, niſi quòd iſta ſunt varietate ornatiora,eruditiora, innumeraſq; mutationes habent. Quòd ſi Saltatio non ſit ad certamen compoſita, cauſam hanc eſſe dico, quòd certaminum præfecti, majorem hanc & graviorem cenſuernt,quàm ut in inquiſitionem vocaretur. Miſſum facio civitatem in Italia,Chalcidici generis præſtantiſſimam, eam velut ornamentum,certamini quod apud ipſos decertatur,adjeciſſe. Cæterùm hîc jam volo rerum non paucarum, quas in oratione prætermiſi defenſionem ſuſcipere, ne quam ignorantiæ vel imperitiæ opinionē præbeam. Non enim neſcio complures ante nos de Saltatione libros conſcripſiſſe, plurimamque in ſcriptis operam poſuiſſe,ut omnes Saltationis ſpecies recenſerent, omniaque earum nomina enumerarent: tum cujuſmodi unaquæque, quiſque illius inventor, exiſtimantes hoc multiplicis eruditionis ſpecimen ſeſe præbituros. Ego verò contentionem circa iſta, ineptam & ſeræ eruditionis, mihique intempeſtivam eſſe puto:proinde illam prætermitto. Deinde, te illud etiam cogitare, & meminiſſe velim, mihi non eſſe propoſitum ut nunc omnis Saltationis genus recenſeam, neque hunc orationi meæ ſcopum inſtituiſſe, ut Saltationum nomina enumerem, præterquam earum quas ut generaliores delectas initio commemoravi. Verùm in præſentia mihi caput orationis iſtud eſt, ut nunc uſitatam Saltationem laudem, planumque faciam quantum cum voluptatis, tum utilitatis in ſe complectatur, & ut non olim cœpit tantum elegantiæ incrementum capere, ſed potiſſimùm Auguſti temporibus. Quippe priores illæ tanquam radices & fundamenta Saltationis fuêre. Sed florem illius, & abſolutiſſimum fructum, qui nunc maximè ſummam perfectionem attigit, noſtra hæc oratio exponit,omiſſa thermayſtride, & gruis Saltatione,& aliis,ut quæ nunc uſitatæ non conveniant.

Neque enim Phrygiam illam Saltationis ſpeciem, petulantem & convivalem,quæ cum ebrietate exercetur, ruſticis plerunque ad muliebrem tibiæ cantum ſaltantibus ſaltus vehementes & laborioſos,& qui etiamnum ruri redundant,ignarus omiſi: ſed quia cū huius temporis Saltatione nihil commune habet. Quandoquidem Plato in legibus, alias quidem hujus ſpecies probat, alias omnino reprobat,eas dividendo in Iucundam, & Vtilem,& ex illis indecentiores exigendo, alias verò anteponendo, & admirando. Et hæc quidem de Saltatione dicta ſufficiant. Etenim ſingulis perſequendis orationem producere,ineptum eſt. Verùm ea quæ Saltatorem habere oportet,& rationem qua eum exerceri par eſt,& quæ didiciſſe,quibuſque opus munire debet, jam tibi expediam, ut noris hanc artem non eſſe ex facilibus, & parabilibus, ſed ex iis quæ diſciplinæ cujuſvis faſtigium pertingunt, non ſolùm muſices, ſed etiam rhythmices, & geometrices, cùm primis verò tuæ philoſophiæ & phyſices,& ethices:ſed ſuperfluam illam dialectices anxietatem,parum ſibi commodam exiſtimavit. Neque verò abhorret à Rhetorica, ſed & illius eſt particeps, quatenus mores & affectus demonſtrat, quos ipſi etiam rhetores exprimere ſtudent. Neque aliena eſt à pingendi,& fingendi arte, verùm illarum in exprimendis membris concinnitatem maximè imitari videtur:ut nequaquam illa præſtantior vel Phidias, vel Apelles videatur. Ante omnia verò Mnemoſynen, ejuſque filiam Polymniam, ſibi propitiam obtinere proponit,& omnium meminiſſe conatur. Etenim juxta Calchantem Homericum,neceſſe eſt Saltatorem ſcire,

Quæ ſint,quæ fuerint,quæ mox ventura trahantur:

ut eorum nihil ignoret,imò expeditam memoriam habeat. Quod autem eſt argumenti caput,hæc ſcientia eſt imitatrix, demonſtrativa,mentis conceptuum explicatrix,& obſcurorum declaratrix. Et quod de Pericle,ipſius in laudem dixit Thucydides,hæc etiam ſumma fuerit Saltatoris laus,noſſe quid deceat,idque explicare. Nunc verò interpretationem,habituum explicationem dico. Materiam autem omnem operi ſuppeditat vetus hiſtoria,ut ante dixi,ejuſque prompta recordatio,& cum decore demonſtratio. Nam ſtatim à chao, primaque mundi origine,ducto initio, uſque ad Cleopatræ Ægyptiæ tempora,ipſum cuncta ſcire neceſſe eſt. Hoc enim ſæculorum intervallo nobis circunſcribatur multiplex illa ſcientia Saltatori comparanda. Mediaque potiſſimùm ſciat, Cœli ſectionem, Veneris partus, Titanum pugnam, Iovis nativitatem, Rheæ fraudem,lapidis ſuppoſitionem, Saturni vincula, trium fratrum ſorte diviſam hæreditatem. Deinde Gigantum ſeditionem, ignis furtum,hominum formationem, Promethei ſupplicium, Amoris utriuſque robur. Poſt hæc Deli errationem, Latonæ parturientis dolores,Pythonis cædem, Tityi inſidias,& medium terræ aquilarum volatu inventum. Præterea Deucalionem,magnumque illius ætate naufragium,& unicam arcam quæ generis humani reliquias conſervavit,rurſuſque natos ex lapidibus homines. Poſtea Iachi lacerationem,& Iunonis dolum, & Semeles conflagrationem, & Bacchi utramque ſtirpem. Quæ de Minerva,quæ de Vulcano,& Erichthonio referuntur, & illam de Attica diſceptationem, primumque in Areopago judicium. Denique omnem illam Atticam fabularum enarrationem. Præcipuè autem Cereris vagationem, repertam Proſerpinam, Celei hoſpitalitatem, Triptolemi agriculturam, factam ab Icario vitium plantationem, Erigones calamitatem. Præterea quæcunque de Borea, quæcunque de Orithyia, de Theſeo & Ægeo memoriæ prodita ſunt. Adde Medeæ ſuſceptionem, rurſus ejuſdem ad Perſas fugam,regis Erechthei,& Pandionis filias,& quę

in

in Thracia passæ sunt, & fecerunt. Nec ignorandus est illi Acamas, non Phyllis, non primus Helenæ raptus, tum Castoris, & Pollucis adversus urbem expeditio, neque non mors Hippolyti, & reditus Heraclidarum. Nam & hæc Attica meritò censeantur. Et hæc quidem ex rebus Atheniensium, pauca sanè exempli gratia, ex multis à me prætermissis percurri. Hæc sequuntur, Megara, Nisus, Scylla, purpurei crines, Minois transitus, & erga de se benemeritam ingratitudo. Deinceps Cithæron, Thebanorum & Labdacidarum ærumnæ. Cadmi peregrinatio, bovis procubitus, serpentis dentes, satorum ortus. Rursus Cadmi in draconem mutatio, & ad lyram murorum substructio, murorum structoris insania, & Niobes uxoris ipsius jactantia, atque in luctu silentium: tum ea quæ Pentheo, Actoni, & Oedipo contigerunt. Item Hercules cum omnibus ipsius laboribus, & liberorum ejus internecio. Deinde & ipsa Corinthius scatet fabulis, Glaucam & Creontem habens: & ante eos Bellerophontem, Stheneboeam, Solis & Neptuni pugnam. Post hæc Athamantis insaniam, & Nepheles liberorum in ariete fugam aeriam, Inûs & Melicertæ susceptionem. Ad hæc accedunt res Pelopidarũ, Mycenæ, & quæ ibi gesta sunt: & ante illos Inachus, Io, custosque ipsius Argus, Arreus, Thyestes, Aerope, vellus aureum, Pelopiæ nuptiæ, cædes Agamemnonis, Clytemnestræ pœna. Quin & ante illos, septem principum adversus Thebas expeditio, & profugorum Adrasti liberorum susceptio, proditumque de illis oraculum, & cæsorum interdicta sepultura, ob eamque Antigones & Menœcei interitus. Quæ etiam gesta sunt in Nemea, Hypsipile, & Archemorus, ea sunt quibus Saltatoris memoria instructa esse debet. Ante q̃ gesta, sciet Danaes virginitatis custodiam, Persei nativitatem, certamen quod adversus Gorgonas suscepit: cui etiam est propria rerũ Æthiopicarum narratio, Cassiopea, Andromeda, Cepheus, quos etiam astris inseruit, eorum qui postea vixerunt credulitas. Prisca quoque illa Ægypti & Danai facta, & connubiales insidias non ignorabit. Nec pauca id genus præbet Lacedæmon, Hyacinthum, & rivalem Apollinis Zephyrum, puerique cædem à disco illatam, ortumque ex ejus sanguine florem, & gementem Cææ in eo inscriptionem, Tyndari instaurationem, & Iovis ob id in Æsculapium excandescentiam. Præterea Paridem hospitio susceptũ, Helenæ raptum, post latum de pomo judicium. Planè enim existimandum Iliacam historiam copiosam & multiplicem cum Spartana esse conjunctam. Itaque juxta unumquemque in Troja occisorum, fabula scenæ proponitur. Atque horum memorem illum esse oportet semper, in primis quæ statim à raptu, ad procerum Græcorum usque reditus in patriam acciderunt, & Æneæ errorum, & Didûs amoris. A quibus alienæ non erunt quæ aguntur fabulæ de Oreste, illiusque herois apud Scythas ausa. Nec verò absona quæ ante hæc acciderunt, sed rebus Iliacis cognata, Achillis in Scyro cum virginibus conversatio, Vlyssis insania, & Philoctetæ desertio Denique universa Vlyssis vagatio, Circe, Telegonus, Æoli in ventos imperiũ, & reliqua usque ad procorum pœnas. Atque ante hæc, structæ Palamedi insidiæ, Nauplii ira, Ajacis insania, & alterius naufragium ad scopulos factum.

Quinetiam Elis multa Saltatoribus argumenta suppeditat, nẽpe Oenomaum Myrtilum, Saturnum, Iovem, primos Olympiorum athletas. Fabularum etiam seges est in Arcadia, Daphnes fuga, Callistus ferina vita, Centaurorum temulentia, & Panos generationes, Alphei amor, & subter mare peregrinatio. Quòd si etiam oratione in Cretam pervenias, complura inde corrogabit Saltatio, nimirum Europam, Pasiphaen, utrumque taurum, Labyrinthum, Ariadnen, Phædram, Androgeum, Dædalum, Icarum, Glaucum, Polyidi vaticinium, Talo, æneum Cretæ custodem. Si in Ætoliam quoq; transiveris, ibi multa sumit Saltatio, Althæam, Meleagrum, Atalantam, Dalum; fluvii & Herculis luctam, Sirenum procreationem, Echinadum ortum, & Alcmæonis sedata insania habitationem. Deinde Nessum, & Dejaniræ zelotypiam, ideoque structam in monte Oeta pyram. Multa etiam habet Thracia Saltationis studioso necessaria, Orpheum, eiusque lacerationem, eius caput loquens, cumque lyra innatans, Hæmum, Rhodopen, Lycurgi supplicium. Porro plura etiam Thessalia suppeditabit, Peliam, Iasonem, Alcestim, quinquaginta navium classem, Argo, ejusque loquacem carinam, res Lemnias, Æeten, Medeæ somnium, Apsyrti dilaniationem, quæque inter navigandum acciderunt. Postea Protesilaum, & Laodamiam. Rursus si in Asiam denuo digrediaris, multæ etiam ibi sunt fabulæ. Statim occurret Samus, Polycratis calamitas, ejusque filiæ ad Persas usque erratio: quæque sunt antiquiora, scilicet Tantali loquacitas, tum Deorum apud eundem convivium, Pelopis carnium concisio, & elephantini humeri appositio. In Italia verò Eridanus, Phaethon, lugentesque sorores in populos conversæ, & electrum lachrymantes. Hic quoque sciet Hesperidas, & custodem aurei pomi draconem. Atlantis laborem, & Geryonem, boumque ex Erythia abactionem. Neque ignorabit etiam omnes fabulosas transformationes quæcunque in arbores, aut feras, aut aves factæ sunt, & quæcunque in viros ex mulieribus transiverunt, Cæneum dico & Tiresiam, aliosque huiusmodi. In Phœnicia, Myrrham, luctumque illum Assyrium divisum. Hæc etiam cognoscet atque recentiora, quæ post Macedonum imperiũ ausus est Antipater, & Seleucus ob amorem Stratonices. Abstrusiora Ægyptiorum arcana cognoscet quidem, sed magis ex conjectura demonstrabit: Epaphum dico, & Ositin, & Deorum in animalia mutationes. Ante omnia verò, q̃ ad eorum amores pertinent, ipsiusque Iovis, & quas in formas seipsum mutaverit. Sciet etiam omnem Inferorum tragœdiam, cùm supplicia, tum eorum causas, Pirithoi & Thesei ad inferos usque societatem servatam. Vt autem paucis omnia comprehendam, nihil eorum quæ ab Homero, Hesiodo, præstantissimisque poetis, in primis verò tragicis dicta sunt, ignorabit.

Hæc admodum pauca ex multis; imò potiùs ex infinitis sylvam hanc selectam, ac veluti summa capita percensui. Reliqua verò poetis canenda, & saltatoribus ipsis demonstranda, tibiq; juxta dictorum similitudinem invenienda reliqui. Quæ omnia Saltatori præparare, priusque seponere necesse est, ut in promptu habeat, & quavis occasione promat. Qui siquidem est imitator, & gestibus se repræsentaturum pollicetur ea quæ canuntur, ei necessarium est, ut & oratoribus, ut perspicuitatem exerceat, qua quicquid demonstrabit, ita declaret, ut enarratore non egeat.

Sed quod Pythico oraculo proditum est, oportet ut qui Saltationis est spectator, mutum intelligat, & non loquentem audiat. Quod Demetrio Cynico etiam accidisse ferunt. Qui cùm perinde ac tu Saltandi artem accusaret, dicens tibiæ, fistularum, & strepitum; Saltatorem velut auctarium esse, quippe qui nihil ad fabulam conferret, sed insulsum alioqui motum adhiberet, eumque inanẽ, & ab omni ratione sejunctum. Cæterùm homines qui hac in re præstigiis illuderentur, vestitu serico, decenti larva, tibiaque, & lascivis cantilenis, & canentium vocalitate, quibus exornari Saltatorẽ nihil est opus. Tunc Saltator qui celebris erat tempore Neronis, neutiquam imperitus, ut ajunt, sed si quis etiam alius, cùm historiæ memoria, tum gestus elegantia præcellens, rem ut puto, æquissimam à Demetrio postulavit, nimirum ut se saltantem spectaret, deinde accusationem intenderet. Promisit verò se nullis tibiis, nullis cantilenis adhibitis saltaturum: quod etiam præstitit. Nam indicto silentio & strepentibus, & tibia canentibus, ipsique choro ipse per se saltavit Veneris, & Martis adulterium, Solem indicantem, Vulcanum insidiantem, vinculis ambos, Venerem cum Marte illaqueantem, Deos spectaculo assistentes, Venerem pudore suffusam, subverentem, supplicantemque Martem, & quæcunque alia complectitur hæc fabula: ita ut Demetrius summopere Saltatione illa exhilaratus, maximam hanc Saltatori laudem tribuerit, quum exclamavit, magnaque voce pronunciavit, Audio quæ facis, ô homo, nec video tantùm, sed manibus ipsis loqui mihi videris.

Quoniam verò circa Neronis tempora nostra versatur oratio, volo viri barbari super eodem saltatore tibi referre testimonium, quod maximæ Saltationis laudi vertitur. Quidam enim ponticus barbarus, homo regius cum ob negocium ad Neronem venisset, hunc unà cum aliis Saltatorem contemplabatur, adeò perspicuè saltantem, ut quanquam eorũ q̃ canebantur nihil exaudiret, (nam erat semigræcus) omnia tamen intelligeret. Iam verò cùm ad suos regressurus esset barbarus, eumq; Nero liberaliter tractaret, & si qd vellet, petere juberet, ac se daturum polliceretur. Si mihi, inqt, Saltatorem dederis, me hoc munere plurimum exhilarabis. Percontãte vero, quem ipsi usum domi prestiturus esset, Finitimos, inqt, barbaros habeo, lingua dissimiles, nec ad intelligendos illos, interpretes comparare facile est. Si quo igitur egeam, hic nutu mihi singula interpretabitur: tantum ipsum perculerat, imitatio Saltationis, cùm insignis, & perspicua apparuisset. Cæterũ exercitatio cui maximè incumbit, & scopus Saltationis, est repræsentatio, cui eodem modo quo rhetores dat operam, præcipuè quo q vacãt declamationib. quas vocant. At hæc quoq; Saltatorib. præcipuè laudi datur, ut ꝓpositis personis gestu respondeat, nec ea q̃ dicuntur, ab introductis optimatib. aut tyrannicidis, aut pauperibus, aut agricolis discrepent, sed in horum unoquoq; q ꝓprium existit, & eximium, demõstretur. Volo itaq; tibi sententiam referre quam super his tulit barbarus: q cùm quinq; personas Saltatori paratas vidisset, nã tot partibus constabat fabula, unum conspiciens Saltatorem quærebat, quinam essent saltaturi, & reliquas personas acturi. Postea verò quàm intellexit, eundem acturum, & saltationem omnem executurum esse, Nesciebam, inquit, ô optime, te unum quidem hoc corpus, sed plures animas habere. Et hæc quidem barbarus ille.

Nec immeritò Itali saltatorem Pantominum appellant, ab eo fermè quod agitur. Nec inelegans est poetica illa cohortatio, *ô fili, Polypi marini mentem habens, omnibus in urbibus versare*, quæ Saltatori est necessaria, quem rebus adhærentem, oportet semetipsum quibusque factis applicare. In universum autem Saltatio pollicetur se mores & affectus demonstraturam, & simulaturam, nunc quidem amantem, nunc irascentem aliquem introducens: mox alium insanientem, alium mœrentem: atque omnia ista servata mensura. Quare quod maximè est admirandum, eodem die Athamanta furentem, & Inonem metuentem repræsentat. Aliàs Arreus ipse est, paulo pòst Thyestes, deinde AEgisthus, aut Aerope, quæ omnia unus homo refert. Alia quidem quæ spectanda, vel audienda exhibentur, unam quampiam rem ostendunt: aut enim tibia est, aut cithara, aut vocis modulatio, aut tragica fabulæ actio, aut comica scurrilitas. Verùm Saltator hęc omnia complectitur, cuius varium, & miscellaneum apparatum videre est, tibiam, fistulam, pedũ strepitum, cymbali sonum, actoris vocalitatem, canentium concentũ. Præterea alia quidem alterutrius in homine partis sunt opera, alia mentis, alia corporis. Verùm hæc in Saltatione commixta sunt. Nam ea quæ fiunt, mentis demonstrationem, & corporei exercitij vim habent. Maximum verò istud est, nempe rerum q̃ aguntur

sapientia,

sapientia, quum nihil præter rationem committitur. Quocirca Lesbonax Mytilenæus vir honestus, ac bonus, Saltatores Manu sapientes appellabat, ibatque spectatum ipsos, tanquam melior à theatro reversurus. Timocrates autem ejus præceptor viso quondam semel (nec de industria aderat) saltatore res suas agente, Quali inquit, mea me erga philosophiam verecundia, spectaculo privavit. Quòd si vera sunt quæ de anima disserit Plato, tres ejus partes præclarè ostendit Saltator, Vim irascendi, quando irascentem exprimit: desiderandi, quando amantes repræsentat, ratiocinandi, quando singulos affectus ceu fræno regit. Et hoc quidem per omnes Saltationis partes sparsum est, ut Tactus per omnes sensus. Porrò cum pulchritudinis & concinnæ inter saltandum formæ curam suscipiat, quid aliud quàm Aristotelis sententiæ veritatem confirmat, pulchritudinem laudantis, atque tertium ei in bonis locum tribuentis.

Cæterùm quendam audivi de saltatricium personarum silentio juveniliùs dicentem, hoc Pythagoricum præceptum innuere. Præterea cùm vitæ actionum, aliæ oblectationem, aliæ utilitatem polliceantur, sola Saltatio utramque obtinet, eoque utilitas est commodior, quòd cum voluptate accedit. Quanto enim hoc visu jucundius, quàm videre pugnis decertantes juvenes, ac sanguine manantes, aliosque in pulvere luctantes, quos plerumque Saltatio tutiùs simul, & decentiùs, & jucundiùs demonstrat. Quocirca concitatus Saltationis motus, ejusque conversiones, & circumductiones, & saltus, & resupinationes, aliis quidem spectantibus oblectamento fuêre: ipsis verò actoribus saluberrima. Etenim illud ego gymnasiorum pulcherrimum, & aptissimum esse affirmaverim, quod emollit corpus, flexibile, & leve reddit, & ad mutationem promptū esse instituit, roburque non exiguum corporibus acquirit. Quî ergo rerum omnium maximè concinna non sit Saltatio, quæ mentem acuit, corpus exercet, spectantes oblectat, priscaque multa docet tibiis, cymbalis, carminum concinna compositione, & mulcedine oculos & aures afficiente. Itaque si perfectam vocis actionem requiris, ubi alibi, aut quodnam auditionis argumentum invenias, quod pluribus & concinnioribus vocibus constet, seu tibia, & fistula magis sonorum? His abundè satis in Saltatione frueris. Mitto dicere, quod huiusmodi spectacula frequentando, moribus melior evades, quando theatrum malefacta odisse vides, & injuria affectos deflere, denique spectantium mores formare. Quod verò præcipuè in Saltatoribus est laudandum, jam illud dicam, nempe vires simul, & membrorum mollitiem colere, æquè mihi videtur insolens, ac si quis in eodem argumento, & robur Herculis, & mollitiem Veneris ostentaret. Iam etiam tibi subjicere volo hac oratione, qualem anima & corpore optimum Saltatorem esse oporteat. Quanquam plurima antè dixi de animæ dotibus. Quippe memorem, solertem, prudentem, acutum ad comminiscendum, & ad occasionem spectandam in primis, eum oportere esse affirmo: præterea poematum censorem, carminum & modulorum præstantissimorum judicem, & vitiosorum reprehensorem. Cæterùm corporis modum juxta Polycleti canonem definiam. Neque sit nimium procerus, & immodicè longus, neque humilis, & natura nanus, sed exquisitè mediocris: neque carnosus, hoc enim inscitum: neque gracilis impense, hoc enim aridi cadaveris præ se fert imaginem.

Memorabo etiam tibi populi cujusdam ad hujusmodi notanda non inertis exclamationes. Antiochiæ cives ingeniosissimi, & Saltationis observantissimi, ita dicta, factaque singula notant, ut neminem quicquam eorum lateat. Cùm enim pusillus Saltator ingressus esset, & Hectorem saltaret, una voce exclamarunt omnes, hic videtur Astyanax, ubinam est Hector? Aliàs etiam, quum quidam immodicè procerus Capaneum saltare aggrederetur, & Thebanorum muros adoriri, Transcende, dixerunt, murum, tibi scalis nihil est opus. Quum etiam obesus, & crassus quidam Saltator, saltum ingentem moliretur, quæsumus te, inquiunt, parce thymelæ. Contra summopere gracili, tanquam ægrotanti acclamarunt, Bene habe. Hæc ego non jocandi gratia commemoravi, sed ut scias totos populos artem Saltandi magno studio coluisse, adeò ut virtutes, & vitia ejus deprehendere potuerint. Postea sit planè mobilis Saltator, corpore soluto simul & compacto, ita ut postulante tempore flecti queat, & firmiter, si sit opus, consistere. Quòd autem aliena non sit Saltatio à manuum gesticulatione quæ fit in certaminibus, sed particeps Mercurii, Pollucis, & Herculis editarum in certamine virtutum, facilè videris, si singulis imitationibus animum applices. Herodoto sanè quæ oculis excipiuntur, certiora esse videntur, quàm quæ auribus. Saltationi verò & oculorum & aurium judicium præstò est. Usque adeò autem movet Saltatio, ut si quis amans, ad theatrum accedat, ad sanam mentem redeat, quum viderit quàm mali sint amoris exitus: & tristitia affectus, egrediatur ex theatro hilarior, tanquam potus pharmacum quod oblivionem inducat, & ex poeta luctum, & mœrorem tollat. Quòd autem ista populo fuerint familiaria, & ea quæ demonstrabantur, spectantium quisque norit, argumento sunt lachrymæ à spectatoribus non raro profusæ, cùm lugubre quippiam & miserabile viderent. Bacchica Saltatio, in Ionia præcipuè, & Ponto celebrari solita, quanquam satyrica, gentis illius animos ita mancipavit, ut singuli statutis temporibus cæterarum rerum omnium obliti, solidum diem desideant spectantes Titanas, Corybantas, Satyros, & bubulcos. Quod saltationis genus nobilissimi quique, & cujusque civitatis primores saltabant, neque ob id erubescebant, imò potiùs gloriabantur magis quàm ob nobilitatem, munera publica, & dignitates majorum. Postea verò quam Saltatorum virtutes dixi, eorundem etiam accipe vitia. Sed enim corporis vitia jam ostendi: mentis autem vitia ad hunc fere modum opinor, observabis. Multi enim illorum præ inscitia, siquidem fieri nequit ut periti sint omnes, turpibus inter saltandum solœcismis delinquunt. Quum hi quidem ineptè movētur, & ut ajunt, nihil ad chordam: alia quippe pes, alia rhythmus loquitur. Illi verò concinnè quidem, sed res prioris vel posterioris temporis saltationi accommodant, quod videre me memini. Quidam enim Iovis generationes, & Saturnum liberos devorantem saltatione repræsentans, præter argumentum Thyestæ calamitates repræsentabat, rei similitudine decipiens. Rursum alius Semelen fulmine percussam agens, ipsi Glaucen assimilabat, tempore posteriorem. Verùm ob istiusmodi saltatores, Saltationem non puto cōdemnandam, neque exercitium ipsum odio prosequendum, sed illos potiùs, ut sunt, imperitos censendos: contrà laudandos, qui servatis legibus, & rhythmo artis, commodè cuncta obeunt. In summa, oportet Saltatorem omnibus numeris esse absolutissimum, ut omnis actio sit concinna, decora, congrua, sibi similis, calumniæ, & reprehensioni non obnoxia, nequaquam imperfecta, oportet, inquam, Saltatorem temperatas ex rebus præstantissimis habere cogitationes, eruditione esse acutum, animi conceptionibus profundum, maximè humanum. Itaque perfectam à spectatoribus laudem consequitur, quum quisque spectantium sua ipsius acta demonstrari noverit, imò potiùs velut in speculo, seipsum in Saltatore conspexerit, tum quæ sibi accidunt: tum quæ facere solet. Tūc enim homines præ voluptate nequeunt se cōtinere, quin ad effundendas laudes confertim proruant, quum singuli animarum suarū imagines cernunt, ac se ipsos agnoscunt. Planè enim Delphicum illud, Nosce te ipsum, ex hujusmodi spectaculo reportant: atque è theatro discedunt, quæ expetenda, quæ fugienda sint edocti, & eorum quæ ignorabant, notitiam adepti. Cæterùm ut in orationibus, sic in Saltatione, accidit, quæ à multis appellatur Mala affectatio, quoties imitationis modum transgrediuntur, & æquo vehementius eam intendunt: & si quid magnum est demonstrandum, illud justo majus demonstrant: si quid verò molle, illud summopere effœminant: & viriles actiones ad immanitatem usque ferinam evehunt. Quod Saltatorem quendam olim facientem memini me videre: qui priùs celebris erat, cætera sanè prudens, & admiratione dignus: sed qui nescio quo casu in repræsentationem nimiopere indecoram eripuerat. Cùm enim Ajacem, simul atque causa excidisset, furentem Saltatione referret, tantùm à Saltationis decoro excidit, ut non repræsentare insaniam, sed insanire ipse meritò videretur. Unius enim ex illis qui ferreis soleis strepebant, vestem discidit: unius etiam ex illis qui tibia succinebant, correpta tibia, astantis Ulyssis, & ob victoriam sese efferentis caput, ea percutiens, divisit: ac nisi pileus obstitisset, & vehementiam ictus excepisset, infœlix ille Ulysses, dementem Saltatorem nactus, periisset. Quinetiam totum theatrum cum Ajace furebat, saltabant, vociferabantur, vestes projiciebant. Ac plebeij, idque idiotæ, decorum non percipientes, neque quid deterius, quid ve melius sit, cernentes, has actiones summam affectus imitationem esse existimabant: urbaniores verò, tametsi rem probè intelligebant, & ob eam erubescerent, non tamen reprehendebant silentio: sed laudibus amentiam Saltationis contegebant, & non Ajacis, sed Saltatoris amentiæ esse hæc quæ fiebant, planè videbant. Non enim, generosus ille, hisce contentus, quiddam multò magis ridiculum admisit. Progressus enim in medium senatum, inter duos consulares viros medius sedit, qui metuebant, ne aliquem ex suo consensu arietis instar verberandum caperet. Quam audaciam alii mirabantur, alii laudabant. Alii verò suspicabantur fore ut à nimia insaniæ affectatione, ad veram insaniā transiret. Et sanè perhibent illum cùm ad se rediisset, ita facti pœnituisse, ut præ tristitia ægrotaverit, quòd verè objecta sibi fuisset insania. Quod ipse manifestè declaravit. Rogantibus enim factionis sociis ut eundem Ajacem saltaret in sui gratiam, Satis est, inquit, quod histrionem in theatro agens, semel insanivi. Maximè verò discruciavit eius animum adversarius, ejusdem artis æmulus, qui similis Ajacis descripti, ita ornatè & modestè insaniam repræsentavit, ut laudem reportarit, quòd intra Saltationis fines se continuerit, nec in actione furiosum egerit. Hæc tibi, ô amice, pauca ex perquam multis decerpta Saltationis facta, & studia ostendi, ne mihi admodum succenseas, quòd ea libenter contemplor. Quòd si velles mecum spectaculi esse particeps, probè scio te illecebris illius captum iri, & Saltationis insano amore insuper fériturum. Itaque nihil opus erit, ut illud Circes occinam tibi,

Demulsum, obstupui poto te haud esse veneno.

Nam demulceberis, nec per Iovem, asini caput, aut suis cor habebis: verùm tibi mens firmior erit. Ac præ voluptate quam perceperis, ne pauxillum quidem alii de cyceone bidendum imperties. Nā quod dicit Homerus de aurea Mercurii virga, quòd quorum hominum oculos voluerit, ea demulcet, aliosque dormientes excitat: hoc planè facit Saltatio, quæ oculos demulcet, & expergefacit, & ad singula quæ fiunt, discutienda, mentem excitat. *Cra.* Atqui ego jam credo tibi Luciane, jamque mihi patent aures, & oculi. Ac memineris saltem quum ad theatrum ibis, me tecum unà spectatum abducere, ne solus sapientior inde revertaris. *De saltatione.*

Salutis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.
GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus:* Ne viæ longinquitatem reformides, nec maris ſpatia, nec ignem ſi adhibeatur, nec aliud quodcunque impedimentum, quo Gratiam conſequaris. Cùm autem tibi nec labore ullo, nec opera ulla ſuſcepta, rei expetitæ compotem fieri liceat, quæ tandem ſtultitia eſt, donum in aliud tempus rejicere? *Oratione 40.*

D. Nazianzenus: Parvis quidem atque abjectis animis amplũ ac præclarum videtur, pœnam vitare: at qui magno & excelſo animo præditi ſunt, ad mercedem quoque aſpirant. Tres enim eorum, qui ſalutem conſequuntur, claſſes eſſe ſcio, ſervorum videlicet mercenariorum, & filiorum. Si ſervus es, plagas metue. Si mercenarius, mercedem dumtaxat ſpecta. Sin autem ſupra hos aſſurgis, ac filius es, ut patrem verere, ac bonis operibus ſtude, quia bonum eſt patri obtemperare, etiam ſi ex ea re nihil quæſtus ad te rediturum ſit. Hoc ipſum merces eſt, patri obſequi. Quæ utinam ne contemnamus. Abſurdum enim fuerit, cùm pecunias avidè præripias, ſanitatem in longius differre atque extrahere: cùm corpus præpurges, animæ purgationem in aliud tempus reſervare, cùm ex hac terrena ſervitute in libertatem vindicari ſtudeas, ſupernæ libertatis cupiditate minimè tangi: cùm ſtudium & diligentiam omnem adhibeas, ut magnificas ædes incolas, aut ſplendidas veſtes geras, nihil curæ ſuſcipere, ut ipſe ſummo pretio dignus ſis: cùm ad bene de aliis merendum promptus ſis, de teipſo bene mereri nolle. *Oratione 40.*

D. Nazianzenus: Si mihi auſcultandum putabis, ad ſcelus quidem & fraudem tardus eris, celer autem ad ſalutem. Pari enim in vitio ſunt, promptitudo ad vitium, & ſegnities ad virtutem. Si ad comeſſationem vocatus fueris, ne feſtines: ſi ad fidei abjurationem, fac pedem retrò celerrimè referas: ſi tibi flagitioſorum ac perditorum hominum ſodalitium dixerit, Veni nobiſcum, particeps eſto ſanguinis, virum juſtum injuſtè in terram abſcondamus: ne auribus quidem hoc ſermones admitte. Ita duas maximas utilitates conſequeris: nam & illis peccatum ſuum indicabis, & teipſum à prava ſocietate eximes. At ſi tibi magnus David dicat, Venite, exultemus Domino, ſi alius propheta, Venite aſcendamus in montem Domini, ſi ipſe ſalutis noſtræ vindex, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam: aut, Surgite, abeamus hinc, nive ſplendidius effulgentes. & ſuper lac coagulati, & ſuper ſapphirum colluſtrati: ne in contrarium nitamur, ne moram faciamus. Petrum & Ioannem æmulemur: ad Baptiſmum, ut illi ad ſepulchrum & reſurrectionem, omni feſtinatione properemus, ſimul currentes, certatim currentes, omni contentione in id incumbentes, ut hoc bonum priores occupemus Ne dixeris, Abi & redi, & cras baptizabor, cùm hodie beneficio affici queas. Adſit mihi mater, adſit mihi pater, fratres, uxor, liberi amici, atque omnes, quos charos habeo: & tum ſalutem accipiam: nunc autem nondum mihi ſplendidum fieri vacat. Ne ad ejuſmodi voces confugias. Verendum enim eſt, ne luctus ſocios accipias, quos te lætitiæ ſocios habiturum ſperaveras. Quamobrem, ſi quidem adſint, pulchrè tecum agi puta: ſin autem abſint, ne eos expectes. *Oratione quadrageſima.*

Chryſoſtomus: Salus ea quæ cum dedecore paratur, cum triſtitia quadam conjuncta eſt. *Homilia 8. ad Rom. pr.*

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Ieſus Chriſtus. Non de illa quæ corpori ſervit, & unà cum eo interit, nobis hîc ſermo: ſed de ea quæ animam immarceſſibili coronâ & ſempiternâ gloriâ donat. De quâ ut populo ſe ſequenti proviſum eſſet, Salutis auctor IESUS ſe in hunc orbem veniſſe palàm edocuit, dum murmurantibus Phariſæis, quòd ad Zachæum hominem peccatorem divertiſſet, diceret: *Venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat.* Lucæ cap. 19.

Panuſius Abbas: Eadem etiam cura Panuſio Abbati fuit. tentatus enim à Thaide meretricula, cùm ſe aſſentiri ejus petitioni ſimularet, ſi loco ita ſecreto convenirent ut à nemine conſpicarentur; & illa, plura eſſe diceret, in quibus à nemine, præterquam Deo, conſpici poſſent; captata occaſione, rogat, an Deum eſſe & omnia intueri crederet. Annuenti verò illi ſubjunxit: *Cùm hoc non ignores, numquid infeliciſſima es, quæ propter breviſſimi temporis voluptatem, & te, & omnes quibus tui copiam facis, perdas?* Audit, & corde compuncta, pudicitiam deinceps mira pietate coluit. Benè Seneca olim dicebat: Sic vive cum hominibus, quaſi Deus te videat. *Surius tom. 2. in Vita lib. 1. cap. 13.*

Carolus V. Imp. Amantiorem proximi orbis non vidit. Ægriùs ferebant proceres, quòd non uti Julius, aliique Cæſares, partam victoriam proſequeretur. quibus ille: *Ethnicis ſolus finis, honor, & claræ nominis fama: at nobis Chriſtianis alius eſt ſcopus præfigendus; neque in tantum laus hominum cordi eſſe debet, quantum eorumdẽ ſalus.* Iuſt. Goblerus in Chronico.

Chriſtophorus arcis Dienſis Præf. Ille quidem proximi; ſubjiciã nunc eos, qui propriæ ſalutis curam non exiguam geſſere. Erat Chriſtophorus Luſitania oriundus, arcis Dienſis Præfectus: qui dum pro muri corona ſtaret armatus, contorta ab hoſtibus è tranſverſo pila, partem ventris unà cum inteſtinis abripuit. Semianimis domum delatus, ilicò optimam parentem hac voce compellat: *Peto à te, ô mater, mihi priùs ad crimina expianda Sacerdotem præbeas, quàm lachrymas ad obitum meum proſequendum. Vererer ſanè, ne tuæ lachrymæ meam ad ſupremum iter neceſſariam exigui temporis præparationem impedirent.* Maff. hiſt. Indicæ lib. 11.

Ioannes Shertus Anglus. Vide Animæ immortalitas.

Quære etiam Apophth. de Conſtantia religioſa. Admonitione. Perſeverantia. Martyrio, *&c.*

Rex Laginenſium anonymus. Nec defuere homines nefarii, qui ſalutem ſuam pro nihilo habuerunt; pluris facientes temporalia hæc & caduca, quàm cæleſtia & æterna. Venerat ad Laginenſiũ Regem Brigitta virgo, poſtulans quid ab eo. quod cùm impetraſſet, Quidnam nunc mihi relatura es? ille rogat. Hæc, *Vitam æternam,* ait, *ſi vis, & pro poſteris tuis preces ad Deum.* Quid autem his præclarius aut ſanctius dari poterat? at veluti carnalis homo non ſapit ea quæ ſurſum ſunt; ita ille, *Alia,* reſpondebat, *abs te malim: vitam quæ ſub Aſpectum non cadit, non poſſum amare: nec mihi filij poſt me venturi, curæ.* Ita oblatam ſibi ſalutem reſpuens, maluit ſe jungere diligentibus vanitatem; quàm obſequi Sanctis, facientibus veritatem. *Sur. tom. 1. in vita S. Brigittæ.*

Ricoclus Friſonum Dux. Suſcipiendam ille, hic verò ſuſceptam pænè ſalutis viam neglexit: & quam benè ingreſſus ſemel, poſtmodum ab eâ in priſtinam deflexit. Converſus namque Volfranii Senonenſis Epiſcopi monitis ad fidem, dum jam alterum pedem in fronte Baptiſmatis poſuiſſet; petiit, ubinam ſuorum potiorem partem eſſe putarent, in Paradiſo, an in inferno? Reſpondente Volfranio, In inferno: quia nullus eorum Chriſtum agnoviſſet. pede retracto, *Eò,* inquit, *proficiſci volo, ubi major meorum pars. eam enim ſequi tutius eſt, quam minorem.* Non guſtabat hic eam dulcedinem, quam conſequuntur ij, qui in Domino mortui inebriantur ab ubertate domus Dei, & æternæ voluptatis torrente recreantur. *Bapt. Fulgoſ. lib. 9.*

Salus corporis. Quære. Sanitas.

¶ APOPHTHEGM. SACR.

Ieſus Chriſtus & Zachæus publicanus. Quum Zachæus à Chriſto primùm vocatus tantum hoſpitem cum ſumma animi lætitia domi ſuæ recepiſſet, dixit Domino, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid cuipiam per calumniam eripui, reddo quadruplum. Dixit autem ei Ieſus, Hodie ſalus huic domui contigit, eo quòd ipſe quoque es filius Abraham. Venit enim filius hominis ut quærat & ſervet quod perierat. *Luc. 19. 8. 9. 10.*

D. Paulus Apoſtolus. Fidus, inquit, eſt hic ſermo, & modis omnibus dignus quem amplectamur, Chriſtum Ieſum veniſſe in mundum ut peccatores ſervaret. &c *1. Timoth. 1. 13.* Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſcripta nihil aliud ſonant quàm doctrinam illam lætiſſimam de ſalute humani generis per Chriſtum parta.

Protogenes. Cùm Eulogius, vir pius admodum, ægrè ferret quoſdam ad ſe adduci, ut eis manus imponeret, quoniam preces ejus interrumpebantur: Protogenes dixit, Eſt errantium ſalus precibus magis neceſſaria & anteponenda. *Theodoret. lib. 4. c. 16.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Abſcidit fiber ſibi inguen ne ſalute item excidat.
Ad ſalutem inventa, abuti ad noxiam hominum non decet.
Æs quidem carum cuiq;, carior tamen ſalus.
Amens eſt propter decorum qui ſalutem negligit.
Apage huiuſmodi ſalutem, cum cruciatu quæ venit.
Cor modeſtum pauca ducunt ad ſalutis orbitam.
Eſt minus alicui dare ortum, quàm fatum repellere.
Eſt parum delectationi, quod ſaluti plus ſat eſt.
Ferre opem vivo ſi neſcis, mortuum ne deſeras.
Interitu alterius ſalutem quærere cur velis tuam?
Nemo negligit ſalutem, nemo ſe in mortem dedit.
Parte nummorum ſalutem qui redimit ſuam, ſapit.
Proſpectum eſt ubi ſaluti tunc decoro conſulas.
Qui ſuam haud curat ſalutem, alienam plus quã negligit.
Sæpe præſidium ſalutis quæritur dementiâ.
Scire nemini libet quid ſit ſaluti opus ſuæ.
Servet ut caput ſe in orbem tota ſerpens colligit.
Tàm ſalus cara eſt ut ipſis teſtibus redimat fiber.
Vix ullum eſt quin ad ſalutem converti queat malum.
Vt ſis ſalvus opus probo amico eſt, aut inimicis improbis.

¶ JAMBICA.

Aliena nulli ſic ſalus curæ ut ſua.
Beneficio nullo hominis penſatur ſalus.
Cordi bonorum ſemper eſt Deo ſalus.
Curanda cuique in primis eſt ſalus ſua.
Etiam ſaluti piſcium gens conſulit.
Hominis nullo beneficio penſatur ſalus.

Inexpectata animos arctè obligat salus.
Majoris est curæ salus quam dignitas.
Nemo salutem cuipiam debet libens.
Nil non salutis perpetrat necessitas.
Nullo beneficio hominis pensatur salus.
Nummus saluti impensus, impensus benè est.
Posita in salute civium & salus tua.
Præponderat salus necessitudini.
Propria saluti præferenda publica.
Qui servat invitum, id facit quod qui necat.
Saltem saluti consulas, si fors ruit.
Serva nocentem ab eo damnari si cupis.
Tuæ saluti dum licet fac consulas.

Salutationis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

XEnophon: Quum autem aliquando quidam excādesceret, quod salutans quendam, resalutatus non fuisset: Ridiculum est, inquit Socrates, te si cui occurrisses, qui minus commode corpore fuisset adfectus, non succensurum fuisse: quod autem in hominem incideris animo rusticiore præditum, id tibi molestum esse. *lib. 3. Memorab.*

Halicarnassæus: Censet Isocrates virum probum facilitate maximè commendari; cujus esse proprium obvios quosque salutare affirmat, si quis rectæ benevolentiæ studio erga omnes defungi velit: quemadmodum familiaritatem nobis singulorum amicitiamque salutando adjungimus. Rectius itaque magisque necessarium, ut iis qui vel clavum tenent Reip. rerumque potiuntur, hujusmodi à nobis honores deferri: tum verò maxime, si Regibus orti, urbium populorumque optinent principatum: ut hac ratione nobis, atque adeò patriæ universæ favorem benevolentiamque conciliemus. Ita more institutoque omnium receptum, & quasi lex quædam, ab omnibus observanda, sancita videatur, ut tales urbium Præfecti primò statim accessu à docto aliquo ac literato viro communi urbis totius voce salutentur. *cap. 1. præceptorum compellandi præfectos.*

Aristides Sophista: Quamvis sæpius hæc à me dicantur, non tamen ideo sunt omittenda, quemadmodum nec salutationes has quotidianas, quia nobis frequētes sunt, omittimus; sed vel ideo observamus, quod iis assueverimus. *Orat. in Æsculapium.*

¶ ROMANORUM.

Symmachus: Salutatio in querelam versa, minuit officii voluptatem. *lib. 1. Epist. 2. f.*

¶ POETARUM.

Plautus Amphitr. 2. sc. 2. v. 78.

Num tibi aut stultitia accessit, aut superat superbia?
Quia salutare advenientem me solebas antehac;
Appellare itidem ut pudicæ suos viros quæ sunt, solent.
Eo more expertem te factam adveniens offendi domi.
A. Ecastor equidem te certò heri hic advenientem illicò
Et salutavi; & valuisses ne usq;, exquisivi simul,
Mi vir, & manum prehendi, & osculum tetuli tibi.

Plautus Aululariæ 2. sc. 2. v. 7.

Non temerarium est, ubi dives blandè appellat pauperem.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Dignus est salute nulla, qui ad salutantes silet.
Obvios qui non salutat, rus merum est, haud arrogans.
Quem salutas ore, amicus fit tibi, hostis antea.
Quos salutas iis amicus, iis fidelis crederis.
Unica salute inimicus ad benigna vertitur.

¶ JAMBICA.

Audacter ad salutem porrige brachium.
Regeras salutem, si salutaris, libens.
Scriptam salutem dignum est dignis mittere.

Sanctitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM. GRAECORUM.

D. *Chrysostomus:* Sunt sanctorum animæ vehementer mites, & hominum amantes; non solùm erga domesticos, sed & alienos; ita ut hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Propterea & sapiens quispiam dixit: Iustus miseretur animarum jumentorum suorum. si jumentorum, multò magis hominum. *Homilia 29. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Sanctis qui sunt Ephesi. Ecce, sanctos viros qui habent & filios, & uxores & servos. & hoc constat ex fine epistolæ, ut quando dicit: Mulieres viris suis sint subditæ. Et rursus, Filii obedite parentibus vestris: & servi obedite dominis. Cogitemus quantā nos tenet socordia, & quam rara sit virtus, & quantus tunc esset proventus bonorum virorum & virtute præditorum, ut etiam mūdani seu seculares tunc sancti dicerentur & fideles. *Homilia 1. ad Ephesios in principio.*

Idem ibidem post: Sanctus est qui est particeps fidei, qui est immaculatus, qui vitam habet in quam nulla cadit reprehensio.

D. Chrysostomus: Non propterea puri efficimur, si nihil impuri attingamus: sed ad hoc ut sancti simus aliud præterea requiritur: nempe ut studium atq; industriam, ut animi intentionem ac pietatem adhibeamus. *Homil. 13. ad Corinth. 2.*

D. Chrysostomus: Sanctus est, qui puritate præditus est, purus autem tum demum effici quispiam poterit, si non scortatione duntaxat vacet, sed etiam avaritia, livore, arrogantia, inani gloria. *Homil. 13. ad Corinth. 2.*

¶ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Salomon. Sanctitatis sive reformationis vitæ partes præcipuas constituit cor, linguam, oculos & pedes, Proverbior. 4 24. 25. 26. 27. & 8. 13. & 12. 17. reliqua etiam membra, Proverb. 20. 12. & 23. 12. Neminem verò perfectè sanctum & reformatum in terris reperiri, tum in celebri illa sua oratione 1. Reg. 8. tum Proverb. 20. 9. testatur.

Iesus Christus Dominus noster. Ea nocte qua traditus est, surgēs à cœna deposuit pallium, acceptoque linteo præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cœpit lavare pedes discipulorum suorū, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, qui dixit ei, Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei, *Quod ergo facio, tu nescis nunc, cognosces autem postea.* Dicit ei Petrus, Non lavabis meos pedes in æternū. Respondit ei Iesus, *Nisi lavero te, nihil habebis mecum commune.* Dicit ei Simō Petrus, Domine, Non solùm pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus, *Qui lotus est, nō opus habet nisi ut pedes lavet, sed est purus totus: & vos puri estis, sed non omnes. Ioan. 13. 4. &c.*

Sanitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Greg. Nyssenus:* Ut ille si forte equulos non consentientes cōcordesque regit, neq; celerem verberibus incitat, neq; tardum habens reprimit, neque rursus perversum, effrenatum, indomitum suis illum incitationibus in ordinis perturbationem efferri sinit; sed hunc dirigit, illum refrænat, & alium flagello impellit, quoad unam omnibus ad currendum conspirationem effecerit: eodem modo mens nostra, quæ corporis habenas in se habet, non ignis additamenta excogitabit ardori, qui adulta ætate vehementior sanè est, quàm oportet: neque quod aut tempore, aut affectu refrixerit, magis ea accendet, quæ frigida & extincta sunt: atque in reliquis quidē qualitatibus pari ratione id audiet, quod divinis litteris scriptum est: Ne qui multum, abundet: qui parum, minus habeat: sed quod in utroque immoderatum est, amputans, augere id curabit, in quo deest: & corporis incommoditatem æqualiter in utroque cavebit; ne vel præ abundantia deliciarum ita perturbata sit caro, ut regi nō possit, vel præ immoderata afflictatione malè affecta, tenuis, & ad usus vitæ necessarios infirma efficiatur: hac ratione illud perfectissimum est continentiæ propositum, ut non ad corporis afflictationem, sed ad commodas animi functiones spectet. *cap. 23. de Virginitat.*

D. Greg. Nyssenus: Qui medicinæ periti sunt, ajunt eos qui è stomacho laborant & cibos fastidiunt, cùm pravi quidam succi & superflui humores ad superiorem ventriculi partem confluxerint, semper plenos pariter ac saturos esse sibiipsis videri: atque idcirco per adulterinam ac pravam repletionem & satietatem, naturali in eis appetitu extincto, utilem cibum respuere atque aversari. sed si aliqua ex arte medica cura eis adhibita fuerit, per acutorum & incidentium medicamentorū potionem, ablutis & expurgatis pravis ac superfluis humoribus, qui concavitatibus stomachi intercepti atque conclusi fuerint, ita tandem accidere, ut cum id quod alienū est, natura non amplius officiat atque molestum sit, juvantis pariter ac nutrientis cibi eis redeat appetitus. atque hoc restitutæ sanitatis esse signum, quod non amplius coacti & inviti, sed cupidè & cum appetitu cibum sumant. *principio orat. 4. de beatitudinib.*

D. Greg. Nyssenus: Bonum quiddam in vita humana sanitas corporis est: sed beatum est, non modò scire rationem sanitatis, verùm in sanitate vivere. nam si quis laudes sanitatis persecutus, cibos sumat qui malos humores & morbos generet, quid huic dum morbis conficitur, laudes sanitatis prosunt? *Oratione 6. de beatitudinibus.*

Synesius: Necessarium bonum est cibi parsimonia, quam ut alius quispiam irriserit, tibi certè nefas est, qui Hippocratem jactes, qui in brevibus sententiis inediam dixit sanitatis matrem esse. *Epistola 115.*

❡ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: De valetudine bona vires, de viribus temeritas, de temeritate violentia, de violētia stimulus ultionis, quasi odij ac bellorum fax accensa inflammatur, sequiturque justitiæ contemptus, legum prævaricatio, & concussio inquieta publici status. *lib. 8. Policratici cap. 15.*

❡ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. Graecorum.

Xenophon: Quum Socrates aliquando Epigenem quemdam vidisset ex familiaribus, qui & juvenis esset, & corpore male adfecto: Quam vulgariter, inquit, adfectum tibi corpus est, mi Epigenes. Et ille: Vulgaris sum, mi Socrates, ait. Nihilo magis, inquit, quam ij, qui apud Olympiam decertaturi sunt. An tibi certamen exiguum esse de vita videtur adversus hostes, quod Athenienses proponent, quum res feret? Atqui non pauci bellicis in periculis ob malam corporis valetudinem moriuntur, vel turpiter evadunt. Multi eadem de causa capiuntur vivi, & capti vel reliquum vitæ serviunt, si res ita ferat, servitutem longe gravissimam: vel in necessitates maximo cum dolore conjunctas prolapsi, atque etiam persolventes nonnūquam plura, quam in bonis habeāt, quod reliquum est vitæ, in maxima rerum necessariarum inopia & ærumnis transigunt. Multi etiam sibi existimationem turpem comparant, quod ob corporis imbecillitatem formidolose gerere se videantur. An has tu malæ valetudinis pœnas contemnis, teq; putas hæc facile laturum? Atqui arbitror equidem longe faciliora & jucundiora his esse, quæ illum tolerare necesse sit, qui bonę corporis valetudini dat operam. An tu salubriorem, ac ad alia putas utiliorem esse malam corporis constitutionem, quam bonam? An ea, quæ per bonam corporis constitutionem fiunt, contemnis?

Atqui omnia diversa sunt in iis, quibus vel bene, vel male adfecta sunt corpora. Nam quibus adfecta bene sunt corpora, valetudine utuntur commoda, & robusti sunt, & multi hac ratione incolumes è prœliis evadunt honestissime, cunctaque pericula effugiūt: multi amicis succurrunt, de patria bene merentur, & ob hæc gratiam consequuntur, & ingentem gloriam comparant, & honores præclarissimos adipiscuntur. Quo fit, ut reliquam vitam suavius ac præclarius transigant, liberisque suis pulchriora relinquant ad vitam subsidia. Nequaquam certe propterea, quod civitas publicè res bello necessarias non exerceat, etiam privatim illæ negligēdæ sunt, sed nihilominus sunt excolendæ. Quippe scire velim, nec in alio quovis certamine, nec ulla in actione deteriorem idcirco te futurum, quod à corpore rectius comparatus sis. Nam ad omnia quæcunque agunt homines, utile corpus est; atque in omnibus corporis usibus multum interest, esse quam optime adfecto corpore.

Quis enim ignorat, etiam in eo, in quo putas visum corporis minimum esse, videlicet in cogitando, multos vehementer impingere propterea, quod corpus non recte valeat? Etiam oblivio, & mœror, & morositas, & insania sæpenumero in multis ob malam corporis adfectionem sic in mentem penetrant: ut etiam scientias ejiciāt. At quibus adfecta bene sunt corpora, valde securi sunt, neq; quidquam est periculi eis ob malam corporis constitutionem hujusmodi quid eventurum: potiusque consentaneum est, valetudinem integram à diis contraria, quæ ex mala constitutione oriuntur, conducere. Atqui propter ea, quæ nunc indicatis contraria sunt, quid non toleret is, qui mentis sit compos? Etiam turpe est aliquē negligentia sua senescere prius, quam videat, qualis sit, ubi & pulcherrimus, & robustissimus corpore evaserit. At hoc videre nequit, si curam nullam adhibeat. Non enim illa sponte sua fiunt. *cap. 35. lib. 3. Memorabilium.*

Xenophon: Vehementer Socrates familiares suos hortabatur, ut valetudinis curam haberent; ac partim à peritis, quæ possent, discerent; partim singuli per omnem vitam seipsos observarent, quinam cibus, qui potus, qui labor eis conduceret, & quo pacto his utēdo quam optima valetudine frui possent, nam si quis ita sui rationem haberet difficile ajebat esse, ut medicum aliquis inveniret, qui ad valetudinem conducentia, facilius meliusque quam ipse divinaret. *lib. 4. c. 36. Memorabilium.*

Lucianus: Æquum etiam Pyrrhi Epirotæ meminisse, qui post Alexandrum secundas tenuit in re militari, variasque fortunæ vices pertulit, hic cum Deos precando, sacrificando, & donaria consecrando semper veneraretur, nunquam tamen ab illis vel victoriam vel regni majestatem ampliorem, vel gloriam, vel divitiarum abūdantiam postulavit, sed unum hoc, ut bene valeret peccabatur ut pote cui, hoc fruenti cætera facillimè suppeterent. Atque me judice optimè sentiebat, illud secum reputans, nullū cæterorum omniū bonorum fore fructum, si sola Sanitas abesset. *Pro lapsu inter salutandum.*

Idem statim post; Verùm ô optime, ego illi responderem, meritò sanè hęc diceres, si q in universum tempus esset q sanitate opus nō haberet. Nūc verò & mane, & meridie, noctuq; bene valere semper necesse est: in primis verò principibus vobis, qui multa negotia geritis, eoque ad multa sano corpore opus habetis. Præterea autem ille qui dixit *Salve*, auspicato tantùm principio est usus, eaque res est votum. Sed qui *Valere* jubet, is & quiddam utile facit, & eorum admonet quæ ad sanitatem conferunt: nec comprecatur modò, sed etiam imperat. Quid autem? nonne in mandatorum libello, quem semper à rege quoque accipitis, hoc primum vobis præcipitur, ut vestram valetudinem curetis? Ac meritò sanè: neque enim ulla vestri utilitas ad res cæteras obeundas foret nisi integri ac sani essetis. Quinetiam vos ipsi, si Romanam linguam ego nonnihil intelligo, quum salutantes resalutatis, illis plerumque sanitatis nomine respondetis.

Libanius: Si necessarium fuerit, in alterutro damnum fieri, ægrotans locuples esse malim, quam sine morbo indigere. Enimvero aurum leviorem efficere morbum queat. sanus autem in paupertate degens, magis quàm ęgrotantes ingemiscit: at sanitatis gratia pecuniarum indigentia perit. *Declam. 10.*

❡ Poetarum.

Aristophanes Avibus v. 608.

Si bene agant, non sanitas magna hoc est? manifestè scias,
Quod homo male agens apertè, nullus sanus est.
CH. Quomodo autem in senectutem aliquando abibunt? etenim hoc est in Olympo,
Vel puerulum mori oportet. PI. Per Iovem, sed trecentos ipsis
Adhuc apponunt aves annos. CH. A quo? a seipsis?
Non scis quòd quinq; generationes virorum vivit garrula cornix.
EV. Papa, valde multo potentiores hi Iove nobis regnare.
PL. Non enim multo: primùm quidem nova altaria nos ædificare oportet
Lapidea ipsis, neq; claudere
Aureis januis, sed sub arbustis
Et fruticulis habitant.
His autem rursus prudentibus avium,
Arbor olea altare erit.
Et neq; in Delphos, neq; in Ammonis
Neeuntes, illic sacrificabimus, sed in
MorB & oleastris
Stantes, habentes ordea, frumenta,
Supplicabimus, sibiipsis extendentes
Manus bonorum dare aliquam partem,
Et hac nobis statim erunt,
Frumenta pauca proponentibus.

❡ Apophthegm. Christian.

B. Ignatius Loyola. Magnum secum commodum adferre Sanitatem, languor morbusque ostendunt. hinc de Ignatio Loyola narratur, tanti æstimasse suorum corporalem salutem, ut omni eam thesauro prætulerit. dicebat enim; *Ægrotus vix quicquam boni in aliorum utilitatem facere potest: multa verò præstat, qui corpore valens est,* Tetigit hanc rem Horatius in Satyris, quando ait:

Si ventri benè, si lateri est, pedibusq; tuis: nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.

Ribadin. lib. 5. cap. 8.

Albertus Imp. Aurelius. Idem animo volvebat Austrius Albertus. quem interrogatum, quænam esset jucundissima possessio, respondisse ferunt: *Sanitatis. cuius thesaurus,* ajebat, *tam pretiosus est, ut quidvis potiùs perpeti debeat homo, quàm eum sibi eripi sinat.* Cujus exemplum in Castore animali habemus; qui

Et pedibus segnis, tumidâ & propendulus alvo,
Hac tamen insidias effugit arte ferox.
Mordicus ipse sibi medicata virilia vellit,
Atq; abicit, sese gnarus ob illa peti.
Huius ab exemplo disces non parcere rebus;
Et vitam ut redimas, hostibus ara dare.

Andr. Alciatus in Embl.

❡ Monosticha Trochaica.

A Deo, ac labore, sano sana mens in corpore est.
Absq; sanitate honores quid sunt, quæso, quidve opes?
Absq; sanitate res regum, arxq; regum displicet.
Absq; sanitate vita, longa mors viventium est.
Absq; somno sanitatis nemini dos est sua.
Æquè nil homini quam virtus est salubre & veritas.
Aerisq; puritate corpus reddas sanius.
Ante opes potentiamq; sanitas cuinam sua est.
Argumentum sanitatis integra saltatio est.
Corporis periculosa constitutio optima.
Corpore in sano quieta dum mihi mens sit, sat est.
Cuncta amica cuncta grata nobis reddit sanitas.
Discit ager, heu! carendo sanitatis commodum.
Esse sanus, si cupis fac imperes affectibus.
Interim, non esse sanum, sanitatis est genus.
Mater omnis sanitatis nonne tu es frugalitas?
Maxima est res in minima re, sana mens in corpore.
Nemo sanus est, apertè quisquis exercet malum.
Non potes diu valere, si gradu summo vales.
Proximus est ab ægro sola in quo laudatur sanitas.
Quæ ratione non sanantur, sana fiunt tempore.
Quæ valetudo optima est, ea est periculosissima,
Quei bene is queat valere vita frugi cui mala est?

Qui valet, vere ille vivit: vita non est vivere.
Quid boni insit sanitati ostendit ægrotatio.
Quidnam opes potentiaq; sunt, abest si sanitas.
Quilibet grandis nocivus est valetudini timor.
Respicit simul interiora atque exteriora sanitas.
Sanitas cuicunq; curæ, curæ item est frugalitas.
Sanitas opesq; dantur non bonis sed & malis.
Sanitas profecto vita est, vita non est, vivere.
Sanitatis atque honoris lubrica est extremitas.
Sanitatis differenda cura nulli in crastinum.
Sanitatis pars, magistros reliquisse insaniæ.
Sanitatis pars vel prima est aeris salubritas.
Sanitatis sæpe causa est aeris, mutatio.
Sanus haud es, una si vel pars laborat corporis.
Sanus ingeritq; digeritq; & egerit benè.
Se nequit vocare sanum quisquis insanè facit.
Sede in unâ vix morantur otium atque sanitas.
Sunt duo vitæ secundæ; sanitas, prudentia.
Torpido otio putrescit corporum salubritas.
Vis valere vis senere? ne vomas frequentius.
Universa sanitati, pauca vitæ impendito.
Ut ver est salubre sic dein proxima est ab hoc hyems.

¶ Jambica.

Ad sanitatem provehor lento gradu.
Cui sanitas cordi est, corde est frugalitas.
Est sanitati & utilis saltatio.
Et saniores ditibus sunt pauperes.
Et sanitatis mater est jejunium.
Ex luce tota ducitur salubritas.
Ferè ad vitia viaticum ipsa est sanitas.
Ingrata cuncta sunt abest cui sanitas,
Is sanus est qui scit quid sit insania.
Iucunda nulli est cum pauperie sanitas.
Iustitia pulcra, sanitas sed optima est.
Monile quodnam sanitate gratius?
Mutare lectum, clinicis prodest nihil.
Nil sanitate opimius mortalibus.
Non esse sanum, sanitatis est genus.
O Sanitas, nobis bonum tu maximum es.
O Sanitatis dulce contubernium.
Pars sanitatis, velle sanari, fuit.
Qui sanus est, nescit quid æger sentiat.
Qui sanus est nec alipta nec medico indiget.
Quid sanitas boni sit, languor indicat.
Quid sanitate vita habet præstantius?
Quis non recuset pro altero sanus mori?
Rectè valere res est jucundissima.
Simplex valetudo est è causâ simplici.

Sapientiæ.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Cibus & potus verbi divini, est cognitio divinæ essentiæ. Quamobrem Plato quoque dicit in secundo de Repub. Cum sacrificaverimus, non porcum, sed magnum aliquod & comparatu difficile sacrificium, ita demum oportere de Deo quærere. Apostolus autem: Et pascha, inquit, nostrum immolatus est Christus, revera rarum & inexplicabile sacrificium, filius Dei qui pro nobis sanctificatur. Sacrificium autem Deo acceptum, est corporis & ejus affectionum ac vitiorū separatio: is est verus revera Dei cultus. Num autem propterea merito dicta est à Socrate philosophia mortis meditatio? qui enim neque visum adducit in cogitando, neque aliquem trahit ex aliis sensibus, sed ipsa pura mēte se rebus applicat, is veram persequitur philosophiam. Hoc sibi vult etiam Pythagoræ quinque annorum silentium, quod præcipit discipulis, ut scilicet aversi à rebus sensilibus, nuda mente Deum cōtemplarentur. Hæc ergo à Mose accepta sunt philosophati Græcorum præstantissimi. Præcipit enim ut holocausta, cum ea excoriaverint, membratim dividant, quoniam cognoscentem animam cū fuerit à pelle materiali, absque nugis corporis & omnibus vitiis, quæ sibi vendicant inanes & falsæ opiniones, carnalibus exutam cupiditatibus, luci consecrari necesse est.

Plurimi autem homines, id quod est mortale tanquam cochleę induentes, & circa suas ipsarum libidines & intemperantias, non secus ac histrices, instar globi circumacti, de beato Deo, & in quem non cadit interitus, talia qualia de se opinantur. Non animadvertunt autem, etsi sint nobis propinqui, Deum dedisse, nobis innumerabilia quorum ipse non est particeps: generationem quidem, cum ipse sit ingenitus: nutrimētum autē, cū ipse eo non egeat: & augmētum, cum sit in æqualitate: senectutis mortis potestatē, cum ipse sit senij & mortis expers: quocirca & manus, & pedes, & os, & oculos, & ingressus, & egressus, & iras, & minas, nemo aliquo modo existimet dici Dei affectiones apud Hebræos. Sāctus est a. & magis pium, quādam ex his nominib. dici allegorice. Ex omnib. medicamētis est maxime salutaris sapiētia, Callimachus scribit in Epigrammatib. Alius a. ex alio sapiens, & olim & nunc, inquit Bacchylides in Pęanibus: neque enim obscurorum versuum fores facile est invenire.

Pulchre itaq; Isocrates in Panathenaico, cū prius posuisset, Quosnam ergo voco sapiētes? subjungit: Primum quidem eos, qui recte utuntur ijs reb. quæ quotidie accidūt, & quorum facile opportunitates temporum assequitur opinio, & magna ex parte conjectat id quod est utile: deinde eos qui honeste & juste semper versantur cum eis quorū utuntur consuetudine: & quæ ab alijs quidem afferuntur molestias & indignitates tolerantur & facile ferūt, seipsos a. quam fieri pōt minime graves quam moderatissimos exhibēt ijs qui eis utuntur: prętere a. eos, qui voluptatibus quidem imperant, & sunt eis superiores: non vincuntur a. reb. adversis, sed in eis se strenue gerunt, & pro dignitate naturæ cujus sunt participes. Quartum quod quidem est maximum, eos quos non corrumpunt res secundę, nec ab eis ad immoderationem traducuntur & insolentiam, sed permanent in ordine eorum qui sunt modesti & recte sapiunt. Deinde colophonem addit orationi. Eos autem qui non solum ad unum ex his, sed ad hæc omnia habent animæ habitum bene compositum, eos dico esse & perfectos viros, & omnes habere virtutes. Vides quomodo vitam quæ ex cognitione agitur, Græci quoq; (etsi nesciant quomodo scire oporteat) divinis laudib. celebrent: quænam sit a. cognitio, ne in somnis quidem norunt. Si ergo inter nos convenit, cognitionem esse cibum rationalem, revera sunt beati, qui convenienter divinæ scripturæ esuriunt & sitiunt veritatem, quoniam implebuntur alimento æterno.

Valde autem admirabiliter scenicus Philosophus Euripides, ijs quæ dicta sunt consentit in his, patrem & filium simul nescio quomodo tacite significans: Tibi omnium regi libamen & molam offerens, Iupiter, sive mavis Dis vocari: Tu autem mihi sacrificium rarum omnis fructuum oblationis accipe, plenum, profusum. Perfecta enim & omni ex parte absoluta oblatio, & rarum, pro nobis Christus est sacrificium. Et quod Servatorem ipsum nescius dicat, planum faciet, subjungens: Tu enim in cœlestibus sceptrum Iovis tractans, terrestrium autem ô Dis es imperij particeps, Deinde dicit aperte: Mitte quidem lucem, animas virorum scire volentium certamina undenam germinaverint: Quænam radix malorum, & quemnam ex beatis, cum exposuerint, invenire possit quies laborum.

Non abs re ergo in mysterijs quoque quæ fiunt apud Græcos, primum locum tenent expiationes & lustrationes, sicut etiam apud Barbaros lavacrum. Post hæc autem sunt parva mysteria, quæ habent aliquod fundamentum doctrinæ & præparationis futurorum. In magnis autem de universis non restat amplius discere, sed contemplari & mente comprehendere & naturam & res ipsas. Accipiemus autem expiandi quidem & expurgandi modum, confessione, contemplandi autem resolutione, procedentes ad primam intelligentiam per resolutionem, ex ijs quæ sunt ei subjecta ducentes initium, auferentes quidem à corpore qualitates naturales, circumcidentes autem eam quæ est in profundum dimensionem: & deinde eam quæ est in latitudinem, post hæc eam quæ est in longitudinem.

Quod enim restat signum, est unitas, quæ, ut ita dicam, habet posituram. Cujus si tollamus posituram, intelligitur unitas. Si ergo ablatis omnibus quæ adsunt corporibus, & iis quæ dicuntur incorporea, nos ipsos abjecerimus ad Christi magnitudinem: & deinde in vastitatem immensitatemque sanctitate processerimus, ad intelligentiam omnipotentis utcunque perveniemus, non quod est, sed quod non est cognoscentes. Figura autem & motus, vel status, vel sedes, vel locus, vel dextera, vel sinistra, de patre universorū ne sunt quidem cogitanda. *lib 5. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Medicina, ut ait Democritus, medetur morbis corporis, sapientia autem liberat animam à perturbationibus. *lib. 1. Pædagogi c. 2.*

D. Nazianzenus: Hæc nobiscum philosophare, vir divine, quique longo temporis spatio ingentem rerum usum, ex quo sapientia nascitur, collegisti. *Orat, 15.*

D. Nazianzenus: Alios nullo modo sapientia supero, quantum, quidem mihi conscius sum: nisi quis hoc ipsum mihi sapientiæ ducat, quod me sapientem non esse scio, neque ad veram & primariam sapientiam accedere. quod permultum abest, ut hujus temporis sapientes de se existiment: quandoquidem nihil facilius est, quàm ut teipsum quis fallat, ac se aliquid esse putet, cùm nihil sit, inani videlicet opinione inflatus. *Orationis 15. initio.*

D. Nazianzenus: Prima sapientia est, vita proba & honesta, Deoque perpurgata, vel certè se purgans, Deo, inquam, qui purissimus & splendidissimus est, solumq; purgationis sacrificium à nobis requirit. prima sapientia est, sapientiam in sermone ac dictionum strophis, atq; adulterinis & supervacuis disputationibus sitam aspernari. *Oratione 15 in plagam grandinis.*

D. Nazianzenus: Timor Domini principium est sapientiæ, velut primum quoddam incunabulum: & sapientia cùm timorem excesserit, atque ad Dei amorem nos subvexerit, ex servis jam amicos ac filios efficit. *Oratione 21. in laudem magni Athanasii.*

D.Greg.Nyssenus: Quemadmodum in cælestibus miraculis apparentes pulchritudines ex æquo quidem videt, sive eruditus, sive rudis & idiota fuerit, is qui in cælum suspicit: sed aliter de illis cogitat is, qui à Philosophia ad contemplationem earum venit: aliter item is, qui solis sensibus id, ꝙ apparet, permittit. Hic enim vel radiis solis delectatur, vel pulchritudinem siderum miraculo dignam judicat, vel numerum lunaris cursus in mense observat. At is, qui animo perspicax, & per eruditionem ad contemplationem cælestiũ purgatus & excultus est, omissis his, quibus ratione minus utentiũ sensus delectatur, rerum universarum harmoniam, hoc est, consentientem & quasi concinnentem conspirationem, copulationem atque coagmentationem intuetur, & ex circulari atque in orbem redeunte motu eam quæ ex contrarijs fit, aptitudinem & congruentiã contemplatur: quo pacto orbes interiores revolutione motuq; contrario, atque inerrantium cæloque inhærentium & infixarum stellarum ambitus rotundus, retro versentur atque ferantur: quomodo sidera, quæ in iis conspiciuntur, multiformiter figurentur, tum in appropinquationibus, accessibus, congressibusve, tum recessibus, distantiis elongationibusve, tum subjectionibus atque defectibus, & obliquis transcursibus indeficientem, indesinentem, stabilem perpetuamque illam concordantiam & harmoniam semper æqualiter & eodem modo efficientia: à quibus ne minimi quidem sideris situs, quem non contempletur, prætermittitur: sed omnia parem curam præbent iis qui per sapientiam ad supera mentem traduxerunt; eodem modo tu quoque, ô charum mihi caput, cum administrationem Dei in rebus universis consideras, omissis illis, circa quæ vulgi mens occupata est, (de divitiis loquor, & deliciis, & vanæ gloriæ cupiditate, quæ res planè radiorum in modum quasi fulgure præstringentes eos; qui ratione minus utuntur, obstupefacere, atque perculsos, attonitos & consternatos reddere solent) nec ea quidem, quæ minima videntur ex iis, quæ in rebus universis considerantur, inexcussa relinquis, considerans, dispiciens & scrutans inæqualitatem humanæ vitæ; non eam dumtaxat, quæ circa divitias & paupertatem consideratur, vel dignitatum & generum differentias (nosti enim hæc pro nihilo esse. quibus essentia non est secundum propriam subsistentiam, sed in vana opinione eorum, qui rebus non entibus, quasi subsistentibus inhiant: nam si quis adimat ei, qui gloriæ splendore inflatus est, opinionem & existimationem eorum qui has res intueri solent, nihil relinquetur ei, qui magnos sibi ob res vanas spiritus sumit, & ineptè inflatus est, etiamsi vel universa pecuniarum materia penes eum defossa sit.) Sed tibi curæ est scire, cum reliqua divinæ administrationis, quò quidque spectet eorum quæ fiunt, tum qua de causa alii quidem in longam senectutem vita prorogetur, alius vero hactenus vitæ particeps sit, quatenus per respirationem aerem hauriat, & protinus vitam finiat. Nam si nihil eorum, quæ in mundo sunt, non à Deo est, sed omnia à divina voluntate pendent, ac sapientia providentique virtute præditum numen divinum est: prorsus etiam his aliqua ratio subest, quæ sapientiæ Dei simul & ejus curæ, qua prospicitur ac providetur rebus universis, insignia ferat. Quod enim temerè ac sine ratione fit, opus Dei non fuerit. *De infantibus præmaturè mortuis.*

S. Isidorus Pelusiota: Sapientem artem profiteris: animum autem malè feriatum geris: ut qui exigua quidem vulnera cures, ipse autem ingentibus & gravibus ulceribus labores. Quocirca si reipsa medicum te præbere cupis, moribus tuis medere. Frigidum enim & ridiculum, atque illepidum est, aliis medicinam afferre conari, seipsum autem ægrotantem negligere. *lib.1.Epist.391.*

S. Isidorus Pelusiota: Medicina quidem, ut Democriti verbis utar, corporis morbis medetur: Sapientia autem animum è turbulentis affectibus extrahit. Quoniam igitur utriusque particeps es, atque altera ad corporum morbos ab aliis propulsandos uteris, fac alterius opera tibi ipsi medearis, eam videlicet, quæ tibi deest, sanitatem insuper adipiscens: citra quam nec optimus medicus, nec sapiens re ipsa eris. *lib.1.Epist.437.*

S. Isidorus Pelusiota: Non videtur mihi celebris ille & decantatissimus Iobus, quòd sapientiæ scientiæque definitionem tradere vellet, dixisse ista: Ecce Dei cultus est sapientia; & abstinere à malis, est scientia. Reverà enim summa sapientia est recta de Deo existimatio: & divinissima scientia, optima actio, quarum illa rectè de Deo sentit; ista à vitiis abstinet. Altera per dogmata de Deo philosophatur; altera per actiones laudem consequitur. Si igitur ita est, ut Deo carus sit is, qui & Deum amat & scientia est præditus, quique & contemplativam habet virtutem & activam, alteram quidẽ velut animam, alteram verò tanquam corpus: quid est quod nobis persuadeamus, nos eximiè sapiẽtes esse, dum optimam quidem vivendi rationem parùm curamus; bellè verò ornateque dicendi studio solùm dediti sumus. *lib.4.Epist.174.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Sapientia in exitu canitur: quo utique ostenditur, licet salubris sit in omni ætate sapientia, præcipuè tamen omnes in exitu suo debere esse sapientes: quia laudari penitus anteactæ ætatis prudentia non merebitur, nisi bono fine claudatur. Cur eam non dixit cani in pueritia, non in juventute, non in statu rerum incolumium, non in prosperitatibus secundorum? quia in his omnibus quidquid laudatur, incertum est. Quamdiu enim quis subjacet mutationi, non potest cum securitate laudari. Exiens enim quis de incertis periculorum, certum merebitur, evasa omni rerum varietate, suffragium: quia tunc stabilis & firma laus est, quando jã meritum non poterit perire laudati. *libro quarto contra avaritiam.*

Chrysologus: Sicut sapientia dat canos; ita quidquid viri est tollit insipientia. *Sermone 5. p.*

Io. Sarisberiensis: Omnia cedunt in usum sapientis, habetque materiam virtutis exercendæ, quæcunque dicuntur aut fiunt. nam & otia ejus negotia sunt, & dum rationis libramine rerum omnium vires pensat, provida dispensatione quidquid ad beatitudinem proficit, quadã quasi manu virtutis apprehendit. *Initio capitu primi lib.2. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Cùm gentiles nihil sine nutu Numinum crederent faciendum, unum tamen quasi Deum Deorum & omnium principem excolebant, scilicet sapientiam; ideo quod ipsa omnibus præest. Vnde & Philosophi veteres imaginem Sapientiæ pro foribus omnium templorum pingi, & hæc verba scribi debere censuere:

> *Vsus me genuit, peperit Memoria.*
> *Sopiam ne vocant Graij, vos Sapientiam.*

& hæc item: Ego odi homines stultos & ignava opera, & philosophica sententia. Et quidem eleganter illi ista finxere, licet veritatem plenè non noverint, ad eam tamen aliquatenus accedentes, dum sapientiam omnium quæ rectè fierent ducem & principem arbitrarentur: cùm & ipsa veraciter glorietur, quod in omni gente & populo à principio primatum tenuit; superborum & sublimium colla propria virtute calcans. *fine c.6. lib.4. Policrat.*

¶ PHILOSOPHOUM ORRATORUMQ; Graecorum.

Hippocrates Medicus: Legati qui cum urbis vestræ epistola, etiam tuam mihi reddiderunt, quodque tuum hospitium, & reliqua vitæ commoda promitteres, valde lætatus sum. Auspicato autem veniemus, & ut conjicimus, meliore spe accedemus, cùm velut ex literis accepimus, non insaniam, sed eximium quoddam animi robur vir hic demonstret, qui neque liberorum, neque uxoris, neque cognatorum, neque rei familiaris, neq; cujusquam omnino curam habeat, sed dies & noctes solus privatam vitam degat, in antris plẹrũq; & solitudinibus, aut in mollibus herbis, aut juxta crebra aquarum fluenta. Hæc igitur plærunq; melancholicis accidunt. Quandoque enim taciturni sunt, solitarii, desertorum amantes, familiarium conspectum, tanquam alienum, fugiunt. Neq; etiam absurdũ est in his qui ad disciplinas studiosè contendunt, omnes alias curas ab uno sapientiæ effectu excuti. Nõ aliter n. ac minister & ministrẹ in domib. tumultuãtes ac cõcertãtes, si quãdo de repẽte eis hera adfuerit, attoniti cõquiescũt, similiter etiã reliquæ animi cupiditates malorum hominib. sunt administræ, at ubi sapientia in cõspectum se dederit, tanquam mancipia reliqui affectus discedunt. Nõ omnes amentes speluncas & quietem expetunt, verumetiam qui res humanas negligunt, ob tranquillitatis desiderium. Cùm enim mens curis externis fracta corpus recreare voluerit, tunc citò in quietem tradit, deinde erecta stãs circum sese veritatis locum circumspicit, in quo nõ pater, nõ mater, non uxor, non liberi, nõ frater, nõ cognati, nõ ministri, non fortuna, neq; prorsus quicquam tumultum excitat, sed perturbãtia omnia rejecta p timore subsistunt, neq; appropinquare audẽt, ꝓ eorum reverẽtia q illic inhabitãt. Illum a. locum inhabitant artes, virtutum omne genus, dij, dæmones, cõsilia, & sententiæ. In illaq; regione magnus polus stellis plurimùm se moventib. tãquam corona cinctus est, in quam fortassis Democritus ob sapiẽtiam commigravit. Deindè cùm eos q in urbe sunt non videat, ut q ꝓcul à domo agat, ob solitudinis amorem insanire creditur. Cùm verò Abderitæ Democritum non intelligant, de argẽto periculum facere student. Tu verò amicè Philopœmen hospitium nobis præparato. Neq;. n. perturbatæ urbi molestus esse volo, ũ te (ut nosti) veterem & proprium hospitem habeam. *Epistola ad Philopœmenen.*

Xenophõ: Sapientiã ac sanitatem mẽtis non discernebat Socrates sed sapientis ac sani esse judicabat, uti aliquem eis, quæ bona honestaque esse cognosceret; ac vitare, quę sciret esse turpia. Prętere a interrogatus, num eos, q scirent, quid agere oporteat, & his contraria facerent, sapientes ac temperantes esse putaret: potius insipientes ac stupidos esse respondit. Etenim, ait, omnes arbitror, eligentes ex ijs, quæ fieri possunt, quam maxime ipsis utilia, facere illa debere. Quamobrem q nõ recte agunt, eos nec sapiẽtes, nec mẽte sanos esse statuo. Dicebat & justitiam, & omnem aliam virtutem, esse sapientiam. Num omnia, q̃ justa sunt, & ex præscripto virtutis agũtur, honesta & bona esse: neq; eos, q hæc sciãt, aliud quidpiam his p̃ferre, neq; illos, q nesciãt, p̃stare posse: immo vero etiamsi præstare conẽtur, peccare. Vsq; adeo sapientes ea quæ honesta bonaq; sint, facere: q sapiẽtes non sint, id non posse, atq; etiam in conatu peccare. Quũ igitur & justa, & alia honesta ac bona cum virtute efficiantur, manifestum ajebat esse, tum justitiam, tum omnem aliam virtutẽ, esse sapientiam.

Et quamquam insaniam sapientiæ quiddam esse contrarium

putaret, non tamen inscitiam existimabat esse insaniam: sed ignorare seipsum, & quæ quis nesciat, opinari ac scire velle, proximum quiddam esse arbitrabatur insaniæ. Addebat hominum vulgus negare illos insanire qui ab iis aberrent, quæ maxima pars ignoret: at qui ab illis aberrent, quæ vulgo nota sint, furiosos adpellare. Nam ajunt eum, qui se tam magnum esse putet, ut per oppidi portas transiens sese inclinet, tamque robustum, ut ædes sustollere conetur, vel aliquid aliud eorum adgrediatur, de quib. constet omnibus, fieri ea non posse: hunc inquā omnino insanire ajunt. At qui paullum quid delinquant, non videri vulgo insanire: sed quemadmodum vehementem libidinem adpellant amorem, ita dementiam ingentem ab eis insaniam vocari. *cap. 25. lib. 3. Memorabilium.*

Xenophon: Quid vero dicere possimus sapientiam esse? Responde mihi, utrum tibi sapientes in iis, quæ norunt, sapientes esse videantur; an aliqui sint in iis sapientes, quæ nesciunt? Nimirum in illis sapientes sunt, quæ sciunt. Nam qui possit aliquis esse sapiens in illis, quæ nescit? Num igitur illi, qui sapientes sunt, scientia sunt sapientes? Quanam alia re sapiens aliquis fuerit, si non scientia? Nū vero putas quiddam aliud esse sapientiam, quam quo homines sapientes sunt? Non puto. Ergo sapientia est sciētia? Ita mihi videtur, ait. Ergone tibi videtur, hominem res omnes scire posse? Immo nec partem profecto rerum aliquantulam. Homo igitur in omnibus nequit esse sapiens? Nequit. Ergo in eo quis est sapiens, quod scit? Videtur, ait. *cap. 3. lib. 4. Memorabilium.*

Xenophon: Quem enim minus me cupiditatibus corporis servire nostis? quem liberaliorem? qui à nemine neq; munera, neq; mercedem accipio. Quem vero justiorem merito existimeris eo, qui sic ad præsentia semet accommodat, ut alienæ rei nullius egeat? Et sapientem illum virum quis merito non dixerit, qui ex quo tempore intelligere quæ dicebantur, cepi; nunquam intermisi tum inquirere, tum discere, quidquid boni poteram? At minime frustra me laborasse, annon & illa vobis argumento esse videntur, quod multi cives ex iis, qui virtuti dediti sunt, multi etiam exteri mea consuetudine præ omnibus uti maluerint? Quid esse dicemus in causa, ꝙ quum omnes norint, minime mihi facultates esse ad remunerandum, nihilominus multi cupiant aliquid mihi donare? Cur à me nemo beneficium reposcit, quum complures se mihi gratias debere fateantur? Cur in obsidione suam deplorarunt sortem alij, quum ego vitam degerem nihilo magis difficultatibus impeditam, quam quum maxime beata civitas esset? Quid, quod alii delicias è foro ingenti pretio mercantur, ego sine sumtu suaviores illis delicias ex animo meo comparo? Quod si nemo in iis, quæcumque de me ipso dixi, redarguere mendacii me potest, cur nō merito tum à diis, tum ab hominibus laudet? *cap. 4. defens. Socratis.*

Aristides Sophista: Sapientia sola Deorum cum hominibus cognationem demonstrat, quaque aliis tum hominibus tum animalibus præstamus, & quæ Deorum naturam, sacra, mysteria, honoresq; omnes invenit, leges præterea, respublicas, artiumque & opificiorum genera omnia docuit & instituit, veri & falsi discrimen eruit, vitam deniq; totam informavit. *Oratione in Sarapim.*

Aristides Rhetor: Qui secundum Dei præcepta viveret, & humanas res negligeret, Socrates, is meritò sapientissimus Dei judicio poterat censeri. *Oratione priore Platonis de Rhetorica.*

Philostratus: Interroganti, quonam pacto deceret sapientem loqui? non aliter, inquit Apollonius, quam legumlatores. oportet enim legumlatorem quæ sibi ipsi antea persuasit, eadem aliis facienda persuadere. *lib. 1. c. 13.*

Philostratus: Rex Medorum sapienti viro etiam ipsum thronum concesserit; & commeatum in Indiam usque & camelum singulis vestrum daturum Vardanem regem non dubito. *lib. 1. Apollonij cap. 15.*

Philostratus: Opus est sapienti undique munitum esse, & cogitare, quod si à desidia vincatur sive ab ira, sive ab amore, aut ebrietate, sive aliquid minus opportunè fecerit, veniam fortasse merebitur: sin verò pecuniis sese subjecerit, nullam omnino merebitur veniam, omnibusque erit odio, & vitiis cunctis obnoxius existimabitur. neque enim pecuniarum cupidine ipsum superari putabunt homines, nisi ventris & vini cupidine superetur, aut nimio vestitus luxu, quæ plerunque meretricius amor comitatur. *lib. 1. Apollonij c. 22.*

Philostratus: Cur, inquit Apollonius, me ad convivium non invitasti, sed invitari à me maluisti? quia te, inquit rex, præstantiorem esse arbitror. regalius enim est ceteris omnibus sapientia. *lib. 2. c. 11.*

Philostratus: Sapientes Indi multo magis, quam reges proprios timent ac venerantur. Singularum namque provinciarum reges de suis omnibus rebus, aut agendis aut fugiendis eos consulunt, ut qui ad oraculum mittunt. Ipsi verò quid facta sit melius suadent; quid verò agendum non putent dissuadent. *libro 3. Apollonij c. 3.*

Philostratus: An adhuc non agnoscis, quod sapientia cuncta stupefacit, quæ ipsam intelligunt; ipsa verò à nullo stupefit? *lib. 7. c. 11. de Apoll. Vita.*

Heliodorus: Sapiens nunquam laborat inopia, sed facultates voluntate metitur; tantum accipiens à præsentioribus, quantum petere honestum esse judicat. *lib. 5. AEthiopic.*

Themistius: Vt circa colores ij facilius decipiuntur, qui non adeo perspicaci sunt oculorum acie; ita circa ejusmodi Sophistas, quibus ex disciplina mentis oculus repurgatus non fuerit. Alioqui quid tandem per Iovem causæ esse potest, cur si quis in civitatem hanc veniens Rhetorem se profiteatur non multis vobis annis opus sit, quò accuratè perspiciatis verene ejus artis peritus, an vanus nebulo sit, atque impostor? Opinor eo fit, quod multi in vobis in eo genere doctrinæ sint experti, qui & ipsi inveniant facile, & vobis cæteris persuadeant. At Sapientiam neque ipsi possidemus, & qui eam possideat ei diffidimus, atque ipsum quasi quadam æmulatione gloriæ atque invidia putamus eum aspernari, ac contemnere, quem nos ob illam Sapientiæ speciem, atque imaginem tantum non supra capita gestamus. Tantum abest ut illud intelligamus, sapientem neminem in sui similem malevolo animo esse. Sed ei qui ex lege atque ritu initiatus non sit Thyrsigerum Bacchum præire sacrorum mysteria prohibent. *Orat. 1. cui titulus Explorator.*

Themistius: Nihil novi in præsentia mei accusatores suscipiūt, sed quod jam pridem fieri assolet, quodque naturæ hominum plane insitum est, ex quo in terras Divinitus delapsa Philosophia est, hoc iterum modò sic quasi morbum per circuitus ac vices revolvi. Cætera quippe bona possessores suos ijs quibus ea non suppetunt invidiosos, suspectos, graves atque intolerabiles reddunt, etsi nulla injuria affecti sint. Nec enim pauper, divitijs elatum libenter intuetur; nec equitandi peritum imperitus, nec valentem imbecillus. Sapientia verò quo præstabilius atque perfectius bonum est, eo plures adversus illos impellit atque excitat, qui ea vel præditi sint vel esse videantur. Eaque velut necessaria quædam hæreditas jam inde initio à Pythagora transfusa perpetua quadam successione in illius posteris permansit. Siquidem ille Mnesarchi filius hunc de celebri illa sapientia fructum cepit, ut peregrinando ætatem omnē traduceret, propter certos homines, qui invidere illi ac lacessere nō desisterent.

Primum enim è Samo Crotonem ob Polycratem fugit, tum propter Gylonem Crotone Locros concessit; Locrorum deinde nō unus dumtaxat, sed Locri ferme omnes Pythagoræ virtutem ferre non potuerunt, sed Tarentum relegerunt. Tarentini vero rursus tanquam mercimonium aliquod Metapontum deportarunt, ubi & obijsse dicitur in Musarum templo: cum jam, ut ajunt, quadragesimum in diem inediam protraxisset. Nam quæ contigere Socrati quid est quod quisquam commemoret? Omnium enim auribus Melitus, & Anitus, ac Lyco percrebuit. Platoni vero nonne huc usque exprobrare omnes solent; ter illum in Siciliam pecuniæ atque argentariæ causa profectum? Cephisidoros autem, & Eubulidas, ac Timęos, Dicæarchos item, reliquumque omnem eorum exercitum, qui in Aristotelem Stagiritem invecti sunt, qui facile percenseam, quorum scripta ad hęc usque tempora, tanquam implacabilis odii atque acerbitatis monimenta, pervenerunt. Quare quid ego succenseam (And.) si cum omni tempore id pugnaverim, ut viros, quoad facere possem imitarer, eadem sim cum Ducibus meis expertus, & in iisdem consectandis vestigiis ad eosdem scopulos offenderim? Si inquam, velut examen quoddam aculeatorum fucorum in meipsum excitaverim, non quidem sponte nec certo animi consilio: sed quod ea rei hujus natura sit, cui me totum tradidi, quam impense diligo, quam vitæ ipsi atque animæ præfero? Neque vero si mercaturam agerem, pacatum mihi semper ac placidū mare, aut secundos ventos, aut ex mercibus perpetua opum incrementa pollicerer: sed & procellas, & scopulos & ejectionem mercium, ac nonnunquam etiam prædonum incisiones, fluctibus ipsis atrociorem tempestatem perhorrescerem. Quin hoc ipsum argumento mihi esse debet, propius illorum me vestigia premere, nec multum aberrare, quod quibus mè calumniis ac conviciis in præsentia vellicant, non aliæ sint, quam quas in divinos illos atque eximios homines insani illi ac furiosi contulerunt. Nam Sophista, & arrogans, & novitatis studiosus convitia sunt primum in Socratem conjecta, inde in Platonem, ac deinceps in Aristotelem, ac Theophrastum. *Orat. 4.*

¶ POETARUM.

Terentius Hecyræ 4. sc. 3.

Istuc est sapere, qui ubicunque opus sit animum possis flectere,
Quod faciendum fortasse sit postea, hoc nunc si feceris.

Ausonius, verbis Thaletis.

Iubente Delio, piscatores me legerant,
Quod ille munus hoc sapienti miserat.
Ego recusans non recepi: at reddidi
Ferendum ad alios quos priores crederem.
Dein per omnes septem Sapientes viros
Missum ac remissum, rursus ad me referunt.
Ego receptum consecravi Apollini.
Nam si sapientem deligi Phœbus jubet,
Non hominem quemquam, sed Deum credi decet.

¶ APOLOGI.

De Gallo & Iaspide. Anonymi.

Dum rigido fodit ore fimum, dum quæritat escam,
Dum stupet inventa lapide gallus, ait:
Res vili pretiosa loco, natiq; decoris
Hac in sorde jaces, nil mihi messis habes.

Si tibi nunc esset, qui debuit esse, repertor,
Quem limus sepelit, viveret arte nitor.
Nec tibi convenio, nec tu mihi, nec tibi prosum;
Nec mihi tu prodes, plus amo cara minus.
Tu gallo stolidum, tu Iaspide dona sophiæ
Pulchra notes: stolido nil sapit iste cibus.

¶ EMBLEMATUM.

Had. Iunius Emblemate XV.

Pampineis cristatus Epops, vide, ut ager ab uvis,
Munit adianti se virente ramulo.
Se Sophiæ monitis mens, serva affectibus, armat:
Temetiq; vires frangit abstinentia.

Had. Iunius Emblemate XXXVII.

Pomum insigne geris Cybeles, duro cute opertum;
In torulis dulces cui stabulant nuclei.
Ardua vallatur duris sapientia scrupis;
Dulcibus ast eadem fructibus illa scatet.

Batillius LVII.

Sapientia.

Quadratæ stat fixa basi Sapientia, cunctas
Qui premat & partes angulus omnis adest.
Nempe inconcussa & stabili pede sola perennis;
Et quoquo versa est, una eademq; manet.

Batillius LIX.

Contra sapientem omnes potentum impetus deficiunt.

Visum extra, alta petit per nubem impulsa sagitta;
Mox cælum citra deficit illa tamen.
Sic major Sapiens, quam cui ulla injuria, quàm cui
Regum etiam vel vis ulla nocere queat.

Camerarius XLIII. Centur. 1.

Nisi fregeris, haud licet esse. Nux pinea.
Ardua vallatur duris sapientia scrupis:
Dulcibus ast eadem fructibus illa scatet.

Camerarius LXXX. Centur. 1.

Hac venena fugantur.
Moly venena fugat, fraudem sapientia pellit,
Hanc pete, cum sint plurima monstra locis.

¶ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Moses dux Israelitarum. Exhortatus Israelitas ad obedientiam Dei mandatis sedulò præstandam, subjicit, Observate ergo & facite (judicia illa & statuta.) Nam hæc est sapientia vestra & prudentia vestra ante oculos populorum: qui audientes omnia statuta ista dicent, Tantùm gens ista maxima populus sapiens est & prudens. Nam quæ est gens maxima? Cui est Deus propinquus, sicut Iehova Deus noster est quotiescunque invocamus eum. Rursus quæ est gens maxima? cui sunt statuta & judicia justa, sicut est tota hæc lex quam ego propono vobis hodie, &c. *Deuter. 4. 6. &c.*

Abigail. Samuele mortuo David cum suis ad fines Iudææ meridianos secedit, ubi cum pastoribus Nabalis aliquandiu versatus, tandem ad eum, in loco vicino greges tondentem, nuntios mittit, qui donum aliquod sibi ab eo impetrarent: sed duriter excepti, & vacui contumeliosè dimissi ad Davidem revertuntur, qui ultionis studio inflammatus, & cum bona copiarum parte adversus Nabalem proficiscens Abigailæ uxori occurrit, quæ deprecatione, rationibus, & munere Davidis iram placat. Scitè dicta autem prudentissimæ mulieris sunt hæc, In me, in me, inquit, Domine mi (Davidem alloquens) sit hæc iniquitas: sed loquatur quæso ancilla tua ad aures tuas, & audi verba ancillæ tuæ. Ne quæso apponat Dominus meus animum ad virum istum nequissimum, ad Nabalem: nam prout est nomen ejus, ita est: Nabal (id est, stultus appellatur) & penes eum est stultitia: ego verò ancilla tua non videram pueros Domini mei quos miseras. Nunc ergo, Domine mi, per viventem Jehovam, & per vitam tuam, quandoquidem cohibet te Jehova ne ineas cædes, vindicet manus tua te: nunc inquam, sint sicut Nabal inimici tui, id est, qui quærunt malum contra Dominum meum. Iam verò hoc donum illud est, quod adduxit ancilla tua Domino meo, ut detur pueris istis qui itant ad vestigia Domini mei. Condona quæso defectionem ancillæ tuæ: nam planè parabit Iehova Domino meo domum firmam, si bella Iehovæ Dominus meus gerat, & malum non inveniatur in te in diebus tuis. Vtut surgat homo ad persequendum te, & ad quærendum vitam tuam, erit tamen vita Domini mei ligata in fasciculo viventium apud Iehovam Deum tuum: at vitam inimicorum tuorum ejaculabit è medio cavo fundæ. Sed esto, cùm fecerit Iehova Domino meo bonum illud, secundum omnia quæ promisit tibi, & mandato instituerit te antecessorem super Israelem, fac ut recorderis ancillæ tuæ. Tam sapienti oratione David placatus, intacto Nabale (qui paulò post extinctus est) recessit cum suis. *Vide 25. cap. 1. lib. Samuelis.*

Anonyma. Quum Abel Beth-maacha civitas obsideretur à Ioabo Davidis militiæ præfecto, quædam mulier sapiens Ioabum de pace tractanda interpellavit, inter alia dicens, *Ego*, nomine civitatis verba faciens) *sum ex pacem colentibus, è fidelibus Israelis. tu quæris morte afficere incolas civitatis, & quidem metropolis in Israele: quare absorberes possessionem Iehovæ?* Deinde quum illa Ioabo esset pollicita caput Schebæ proditoris projiciendum per murum, promissis stans civitatem suam ab obsidione liberavit. *2. Samuel. 20. cap.*

Regina Schebæ. Cùm videret omnem sapientiam Salomonis in tota administratione, tandem dixit ad eum, *Verum est verbum illud quod audieram in terra mea de rebus tuis & sapientia tua. Tamen non credidi verbis illis usque dum venirem, & viderent oculi mei: sed ecce non indicatum fuerit mihi eius dimidium: superas sapientia & bonitate famam illam quam audiveram. Beati homines tui, beati servi tui isti, qui stant coram te jugiter, qui audiunt sapiẽtiam tuam. Sit Iehova Deus tuus benedictus, qui delectatus est te, ut collocaret te in solio Israelis, eò quòd diligit Iehova Israelem in seculum, ideo imposuit te regem, ut exerceres judicium & justitiam.* 1. Reg. 10. 6. 7. &c.

Chananæa mulier. Mulier Chananæa à finibus Tyri & Sidonis egressa, clamavit ad Christum, dicens, Miserere mei, Domine, fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur. Ille verò non respondit ei quicquam. Tunc accedentes discipuli ejus rogarunt eum dicentes, Dimitte eam: nam clamat post nos. Ipse verò respondens dixit, Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel. Mulier autem venit, & adoravit eum dicens, Domine succurre mihi. Ipse verò respondens dixit. Non est bonum accipere panem liberorum, & objicere catellis. Ipsa autem dixit, Etiam Domine: etenim catelli vescuntur micis quæ cadunt è mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus dixit ei, O mulier magna est fides tua, fiat tibi, ut vis. *Matth. 15. 22.* &c. Cogitet hìc lector eruditus, quanta sapientia in hoc brevi dicto contineatur. Fatetur se catellam & indignam esse beneficiis Dei, nec fugit tamen, quanquam fulmen non leve adversus eam vibratum fuerat. Sed scit micas Evangelii etiam ad Gentes pertinere. Scit recipi se propter hunc Dominum, non propter legem: Deum velle coli, non fuga, non fremitu adversus ipsum, sed confessione nostræ miseriæ, & fiducia misericordiæ. Hanc amplissimam sapientiam figuris venustissimis & imagine incurrente in oculos pingit, cùm catellum, mensam, filios, micas, nominat.

Constantinus Imperator. Hæc est, inquit, cælestis planè & divina sapientia, ut pati potiùs velimus injuriam, quàm facere, & cùm necessitas postulat, damnum accipere potiùs quàm inferre parati sumus. *Constant. orat. ad Sanct. cœtum, cap. 15.*

D. Bernardus. Quanquam esset superbiæ infensissimus hostis, & cum cæteris ejusdem professionis communia sectaretur, in ipsis tamen communibus rebus erat illi singularis puritas; & devotio non communis. Nihil negligens, minima quæque cum studio & intentione tractabat: ex propria siquidem experientia definire solitus sapientem, cui quæque res sapiunt prout sunt. *Auctor vitæ, lib. 3. cap. 1.*

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIAN.

Petrus Aldobrandinus Card. Non immeritò ergo Illustriss. Card. Aldobrandinus, *eos divites* dicebat, *non qui bona possident, sed qui boni sunt.* solam Sapientiam veras divitias reputans. *Henr. Farnes. supra.*

Idem. *Sapientes* vocabat *Prometheos*, id est, hominum architectos: *Ignis*, inquiebat, *Promethei doctrina est: qua remota, ex homine truncus; & addita, è trunco redditur homo.* Sapienter & doctè Lucret. 2.

——Nil dulcius est, benè quàm munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena:
Despicere unde queas alios, passimq; videre
Errare, atq; viam palanteis quærere vitæ.

Ibidem.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A sapiente discere æquum est illud omne quod sapit.
Absq; livore, absq; pompâ qui sapit, tutè sapit.
Absq; quinq; syllogismis esse sapiens non potes.
Antecellit omnia almæ sacra vis sapientiæ.
Cætera omnia sunt aliena; est suum cuiusq; quod sapit.
Cum scientiâ conjuncta virtus, est sapientia.
Desipit, sibi prodesse sapiens ipse qui nequit.
Divitum ad fores sapientem accedere, absurdissimum est.
Ediscenda non scribenda arcana sunt sapientiæ.
Exercenda non sermone, verum re sapientia est.
Flagitium est foris sapere, ac sibi non posse auxiliarier.
Humanæ vitæ Sophia est purgatio ac perfectio.
Idem velle, atque idem nolle semper, id sapientia est.
In Sophiæ arce jam moratur, qui infimi se ait gradus.
In suam sapiens rem aliorum vertit imprudentiam.
Is sapit, bilance qui acri pendet humanas vices.
Is sapit, rebus secundis qui potest se noscere.
Iudicat sapiens sapientiam, ipse ut artes artifex.
Iudicat sapiens sapientiam, ut solet, artes artifex.
Malleum sapientiorem scilicet esse manubrio.
Maxima est sapientia ferre stultitiam insipientium.
Maximè scias sapientem qui esse talem se negat.
Mentium Sophia est magistra, nec manus quid edocet.

Multum opes valent, sed alma plus valet sapientia.
Ne quidem quid ambulanti deperit cui mens sapit.
Nec minori nec majori qui difficilis est, sapit.
Nec pavet diem supremum nec lacessit vir sophos.
Nec senectam, nec juventam dedecet sapientia.
Nil commodius est quàm semper cum sapientiâ loqui.
Nil prodest parúmve absq; eloquentiâ sapientia.
Non coactè homo sed ultrò dat operam sapientiæ.
Non opus felicitate ibi est ubi sapientia est
Non sapit quicumq; justo plus sapit: medium tene.
Non sapit qui multa novit, sed novit qui utilia.
Non quantum sapiens loquatur, sed quidnam considerat.
Nondum adhuc sophos repertus tot quæsitus sæculis.
Nulla eget sophus re, at illi rebus est multis opus.
Nullum adhuc in orbe templum toto habet Sapientia.
Nunquam erit sapiens sapientem qui se existimaverit.
Omnem honorem parvipendo qui non a sapientia est.
Omnium quæ rectè fiunt princeps est sapientia.
Plurimi sapere ut putentur ipsum cœlum vituperant.
Plus adest semper sapienti quod cupit, quàm non cupit.
Plus sat est in transitu si noveris sapientiam.
Quæso omitte intempestivam, si sapis, sapientiam.
Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequidquam sapit.
Qui non diligit sapientem nec seipsum diligit.
Qui sapit supra Deum, ille non sapit, sed desipit.
Qui Solona vidit, omnem vidit ille Græciam.
Qui parvi æstimant sapientiam, & Deos parvi æstimant.
Qui sapit alieno periclo, næ sapit feliciter.
Qui sapit cæca Dea sæpe haud facit periculum.
Quod medicina corpori, animæ sufficit sapientia.
Quondam erant repleta stultis; cuncta nunc sapientia.
Rectè agunt quàm plurimi, qui non tamen sapiunt benè.
Res sibi sophos, vicissim seq; rebus commodat.
Si sapiens sapit saluti mille erit sapientibus.
Roboris Sapientiaq; copula, invictissima.
Sapientem celas viventis tanquam imaginem Dei.
Semper est sapiens solutus, semper est juris sui.
Sit sapiens necesse oportet qui sapientem noverit.
Tempus omne ætatis degit sapiens sine molestia.
Vir sapiens commune toti est bonum provinciæ.
Vir sapiens ubiq; vincit, vir stolidus passim cadit.
Virum sapientiaq; copula, invictissima est.
Vix sapit cliens amoris, vix sapit cliens meri.
Vix septem olim erant sapientes, hodie vix totidem rudes.
Vsq; quaq; sapere oportet: id erit telum acerrimum.
Vt quis a natura & arte doctus est, ita & sapit.
Vt Sol est oculorum, cordis sic lumen Sapientia est.
Vt sapiens Deum, sapientis sic sequitur animam Deus.

❡ JAMBICA.

Aliquando Sapiens parte contentus sui est.
Animi magistra est Sophia: non docet manum.
Brevissimus sapiens est in sermonibus.
Cùm sis homo, eia! humaniter semper sape.
Dici sapiens Deum si ignoras non potes.
Ecquando cui casu obtigit sapientia?
Est locus? est familia? sapiens si algebis tremes.
Est tristium gubernatrix sapientia.
Et discere id, quod nescias, sapientia est.
Etiam arrogat vulgus sibi sapientiam.
Etiam sapere absq; pompa atq; invidiâ licet.
Haud ulla res pretiosior sapientiâ.
Horis sapit nemo omnibus mortalium.
In alto haud altum sapere, res rarissima est.
In corde, non in linguâ sita sapientia est.
Intra modum quisquis sapit, verè sapit.
Lata undiquaq; omnis via est sapientibus.
Longe aliud est sapientia, aliud jactantia.
Minimè dies unus sapientem perficit.
Mortalium nemo omnibus horis sapit.
Mortalium nulli sapere casu obtigit.
Mundana temne: id culmen est sapientiæ.
Nemo sapiens verè est, nisi & verè bonus.
Nemo sapit minus sapit quàm qui nimis.
Nescire quod scis, sæpius sapientia est.
Nil aliud est sapientia quàm felicitas.
Nil melius homini a Dijs datum sapientiâ.
Nil sapere, verè vita jucundissima.
Nomen sapientis, haud est hominis, est Dei.
Non est sapiens qui ulli nocet mortalium.
Non qui sapit repente, etiam tuto sapit.
Non sex paratur, aut decem nummis sophos.
Nulla est, nisi aliquo in actu sit, sapientia.
Nunquam esse solus is potest vir qui sapit.
Peccare idem bis non solet sapientia.
Penes potentes sola nunc sapientia est.
Persæpe alijs qui sapiunt, non sapiunt sibi.
Quantum potest sapientia cum potentia!
Quæ possidet Deus sapiens & possidet.
Qui derogat sapienti derogat Deo.
Qui despicit sapientem ingratus est Deo.
Qui non sapit plus quam decet sapere, is sapit.
Quis est sapiens? qui vivit cum Dijs ex pari.
Quisquis nimis vult sapere, eget sapientia.
Quisquis sapit sorti suæ se accommodat.
Quisquis studet sapientia malum fugit.
Quo quis magis sapit, minus ferè potest.
Quo quis sapit mage hoc minus se venditat.
Quo quis sapit minus, hoc magis se venditat.
Rebus sapiens non tradit se, sed commodat.
Rectè suis qui consulit rebus, sapit.
Regno anteponet sapiens innocentiam.
Sapiens, futuris jam modò adsuescas malis.
Sapiens, homines si desunt, loquitur cum Deo.
Sapiens ineptus esse creditur malis.
Sapiens nequit vocari ignarus qui Dei est.
Sapiens modestum se exhibet sodalibus.
Sapiens per ipsam cuncta virtutem gerit.
Sapiens reponit omnem in seipso spem sui.
Sapiens sat es, modò imperas affectibus.
Sapiens suas ubiq; circumfert opes.
Sapientis anima semper adlatus Dei est.
Sapientia aliud nil est, notitia quàm Dei.
Sapientia hominum, stultitia est apud Deum.
Sapientia omnibus artibus præstantior.
Sapientia res nulla investigabilis.
Sapientia sæpe sordidi hospes pallij est.
Sapientia verbis non stat, stat virtutibus.
Sapientiæ fortuna exigua intervenit.
Sapientiæ signum ingens est silentium.
Sapientia magè re quàm verbo exerceas.
Satis sapit, qui tantum, quantum opus est, sapit.
Seipsum colit virum sapientem qui colit.
Semper sapiens in seipso spem ponit sui.
Speculum Dei sapiens vir limpidissimum est.
Supra modum si quis sapit, bis desipit.
Terra mariq; jura dat sapientia.
Tutissimus sapiens ubiq; est a malis.
Virtute semper prævalet sapientia.
Vnius est semper sophos sententia.
Vrbes, agros, naves regit sapientia.
Vt commodatus vir sapiens vivit sibi.

Satellitij.

❡ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

X*Enophon:* Quumque Cyro in mentem veniret, quid in se negotij suscepisset, qui multis mortalibus imperare niteretur, & habere domicilium in urbe inter illustres amplissima instituerer, quæ sic adfecta in eum esset, ut urbs alicui maxime infesta: quum hæc inquam expenderet, corporis sibi custodia opus esse existimavit. Quod item sciret, homines opprimi facilius non posse, quam inter vescendum, bibendum, lavandum, in cubili & somno: circumspiciebat, quosnam in his sibi maxime fidos habere posset. Arbitrabatur autem, non posse fidum hominem unquam esse, qui magis amaret alium, quam illum, qui ejus custodia indigeret. Quamobrem alios, quibus essent libri, vel conjuges genio congruentes, vel amores alij, naturæ quadam coactione judicabat ad eos maxime diligendos impelli. At eunuchos omnibus his carere cernens, maximi facturos putabat illos, à quibus locupletari plurimum possent, & opem habere, si injuriis adficerentur, atque etiam honoribus ornari. A quo autem beneficiis in hos conferendis ipse superari posset, neminem fore censebat. Præterea quum ignobiles & pretij nullius sint apud homines cæteros eunuchi, hanc ipsam ob causam domino indigent, qui suppetias eis ferat. Quippe nemo non potior esse velit in omnibus eunucho, si non obstet aliquid, cui vires sint majores. Jam qui domino fidelis est, eum nihil impedit, quo minus locum principem teneat, licet eunuchus sit.

Quod autem maxime quis existimet, eunuchos imbelles effici: ne id quidem Cyro videbatur. Et heic ei argumento erant animalia quoque cætera. Nimirum feroces & insolentes equi si castrentur, desinunt illi quidem mordere, ac insolentes esse, sed nihilominus ad res bellicas idonei sunt: & tauri si castrentur, nonnihil de ferocia & contumacia remittunt, sed robore suo tamen, & viribus ad laborandum, haud destituuntur: eodemque modo canes castrati non amplius dominos illi quidem deserunt, sed ad custodiam & venationem nihilo redduntur deteriores. Sic & homines magis sedati fiunt, ubi hæc cupiditas eis est ademta: neque tamen vel negligentiores sunt in exsequendis iis, quæ imperantur vel minus ad equitandum, vel jaculandum idonei, vel minus honoris & gloriæ cupidi. Immo tum in bellis, tum in venando manifeste declarant, in animis ipsorum quoddam alios vincendi studium superesse. Documenta

mēta verò fidelitatis in dominorum interitu maxima dedere. Nulli enim alij magis spectatæ fidei facinora designarunt in dominorum suorum calamitatibus, quam eunuchi. Quod si maxime nonnihil de viribus corporis existimetur in eis decedere, ferrum tamen in bello valentibus imbelles exæquat. Hæc igitur quum animadverteret, facto ab janitoribus initio, illos omnes, quibus corporis sui curam committebat, ex eunuchis delegit.

Quod, etiam existimaret, non sufficere custodiam hanc adversus eorum multitudinem, qui hostiliter adfecti essent: circumspiciebat, quos è ceteris maxime fidos regiæ custodes sumeret. Quod ergo sciret Persas domi relictos, pessime propter inopiam victitare, laboresque tota vita sustinere gravissimos, tum ob agri Persici asperitatem, tum quod opus ipsi faciant: hos potissimum istam vivendi apud se rationem amplexuros arbitratus est. Itaque decies mille satellites hastatos ex his sibi legit, qui & noctu & interdiu in excubiis undique circum regiam essent, quandocunque intus ipse quiesceret: sin aliquo prodiret, hinc & illinc instructi circum ipsum incederent. *cap. 35. & 36 lib. 7. Cyropædia.*

Isocrates Dionysio: Duces quidem, & virgiferi, atque præcones, sublimiorumque sedium adeptio, philosophiæ tenebras & caliginem offendunt, ac maximè proclivem habent à virtute separationem. Non mutasti cum fortuna naturam. Adhuc pelliceum habes marsupium. Mortalem enim ab initio compositionem habes. Quid tandem hæc vana gloriola luteum utrem tantum inflavit? Magna stultitia plenus es infœlix, & ingenij tui cognitionem amisisti. Ita sublimes fortunæ motus, desistere te à veteri speculatione coëgerunt & ut à moderato illo furore discederes effecit. Erat tibi olim excelsum, pro abjecto. Nunc verò & humile & terrenum summus est fortunæ gradus. Itaque falsam beatitudinem relinque, & fugitivam fortunam fuge. si enim præverteris ingratam, statim vicissitudinem non ægrè feres accidentem. *epist. 79.*

❡ Romanorum.

Seneca: Quam multa tibi Imperator, non licent, quæ nobis beneficio tuo licent? possum in qualibet parte urbis solus incedere sine timore, quamvis nullus sequatur, nullus sit domi, nullus ad latus gladius: tibi in tua pace armato vivendum est. aberrare à fortuna tua non potes: obsidet te, & quocunque descendis, magno apparatu sequitur. *cap. 8. lib. 1. de Clementia.*

Idem cap. 12. ejusdem libri: Clementia efficit, ut magnum inter regem tyrannumque discrimen sit; uterque licet non minus armis valletur: sed alter arma habet quibus in munimentum pacis utitur; alter ut magno timore magna odia compescat, &c. *Videatur locus.*

Seneca: Placido tranquilloque regi fida sunt auxilia sua quibus ad communem salutem utitur; gloriosusque miles (publicæ enim securitati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, ut parentis custos. at illum acerbum & sanguinarium necesse est gravetur stipatores sui. non potest habere quisquam bonæ ac fidæ voluntatis ministros, quibus in tormentis & eculeo, & ferramentis ad mortem paratis utitur, quibus non aliter quam bestiis homines objectat, omnibus reis noxior ac sollicitior; ut qui homines Deosque testes ac vindices facinorum timeat; eo perductus ut non liceat illi mutare mores. hoc enim inter cætera vel pessimum habet crudelitas, perseverandum est, neque ad meliora patet regressus. scelera sceleribus tuenda sunt. quid autem eo infelicius, cui iam esse malum necesse est, &c. *Videatur cap. 13. lib. 1. de clementia.*

Seneca: Crudelitatem privatorum serviles quoque manus sub certo crucis periculo ultæ sunt. tyrannorum, gentes populique, & quorum erat malum, & hi quibus imminebat, exscindere aggressi sunt. aliquando sua præsidia in ipsos consurrexerunt, perfidiamque & impietatem, & feritatem, & quidquid ab illis didicerant, in ipsos exercuerunt. quid enim potest ab eo quisquam sperare quem malum esse docuit? non diu paret nequitia, nec quantum jubetur peccat. *lib. 26. lib. 1. de clementia.*

Cl. Mamertinus: Nihil mirum est, Imp. si tantus amor & tam verus in te civium fervet. neque enim ullum puto post natos homines tanto generis humani ardore dilectum. ceterorum Regum atque Imperatorum caritates admodum raræ, neque unquam diuturnæ fuere. in summis enim hominum habitaverunt pectoribus, subita & fortunata benevolentia provocatæ, non virtutum admiratione devinctæ. At vero noster affectus, veri certiq; indicij est, imis mentis sedibus alligatus animus, & vitæ immixtus & unitus, resolutis etiam morte corporibus cum immortali mente victurus. Arma igitur & juvenes cum gladiis atque pilis non custodię corporis sunt, sed quidam Imperatoriæ majestatis solennis ornatus. quid enim istis opus est, cùm firmissimo sis muro civici amoris obseptus? An metuenda tibi Curia est, cùm Senatui non solum veterem reddideris dignitatem, sed plurimum etiam novi honoris adjeceris? An populus est timendus procuratori alimentorum suorum, vitæ vindici, libertatis auctori? nam quid de militibus loquar? Duo, an tria fermè ex vetere memoria amicorum paria proferuntur. nego quempiam ab uno amico plus dilectum quàm tu Imp. non modò à comitibus tribunis tuis, sed à legionibus cunctis, cūctis equitibus ac peditibus, gregariis etiam militibus diligaris. Itaque quod ad te attinet, cuncta jam à custodia tui arma removeres: sed quando hoc potes persuadere militibus? anxia est fidelium diligentia. maximo amori maximus timor junctus est. non nobis sufficit quod obtinuisti ut nemo te velit lædere, nisi nos curamus ut nemo possit: *cap. 24. Orationis in Iulianum Aug.*

❡ Emblema.

Had. Iunius Emblemate LVII.

Et pilis horret, tractuq; obserpit illus
Arquato, ac præfert agmine mille pedes.
Ansati incedunt proceres, glomerantq; superbos
Gressus, assequitur longe caterva comes.

❡ Apophthegm. Christianor.

Alphonsus Aragonum Rex. Eundem dicere solitum accepimus, cùm solus quandoque obambularet: *Non est timendum ei, qui civium suorum benevolentiam perspectam habet.* Ibidem.

Godofredus Builonius. Uno adhuc domestico exemplo adjecto, hunc cursum sistam. Erat Godofredus Builionius, ille qui religionis ergò terræ sanctæ penetralia propugnavit, creatus tandem totius Palæstinæ Rex. ad quem dum palearum sacco insidentem venissent Barbarorum legati, obstupuêre, quòd nullo satellitio, nulloque apparatu tantus Princeps sederet. quibus ille: *Terra satis superq; mortali corpori sedem præstat; cui vitâ functo, tam longum est præbitura domicilium.* Guiliel. Tyrius lib. 9. hist. 5 cap. 19.

Vide Amari à subditis.

❡ Monosticha Trochaica.

Caritate septum oportet esse, haud armis Principem.
Civium auctus caritate, nil eget satellitum.
Civium rex caritate cinctus armatur satis.
Corporis sui custodeis Principes timent mali.
Ne quidem suos securus rex videt satellites.
Optima est, amor suorum, Regibus custodia.
Plus satellites tyranni, quam tyrannus, sæviunt.
Principi fidissima custos eius Innocentia est.
Principi nulla est amore firmior custodia.
Principem pulsare si vis pulsa eius satellitem.
Rex licet multis stipatus, solus ad periculum est.
Regem amor magis tuetur tela quam satellitum.
Sæpe tollitur tyrannus a suis custodibus.
Spirat ad tyrannidem, ultrò qui petit custodiam.
Vitáne ulli in orbe tanti est, usque eam ferro ut tegat?

❡ Jambica.

Etiam suosmet rex timet satellites.
Fidit tyrannus non nisi mercenariis.
Ferrum tuetur Principem: melius fides.
Iacente Rege apparitorum fit fuga.
Multum tyrannus, plus nocent satellites.
Regum optima est, suorum amor, custodia.
Tot sunt tyranni, quot habent satellites.

Satietatis.

❡ Sententiæ Patrum Graecorum.

D*ivus Nazianzenus:* Cùm cibi, & somni, & cantus, rerumque obscœnissimarum, ut ajunt, satietas sit, omniumque non modo molestarum, sed etiam jucundissimarum rerum saturitas ac fastidium tandem oboriatur, cunctaque inter se vicissim immeent & convertantur, nobis tamen nec finis nec modus ullus, partim inferendorum, partim accipiendorum vulnerum. *Oratione 14.*

D. Greg. Nyssenus: Nullum est temporis punctum in omni vitæ spatio, quod bonæ actionis ingeneret satietatem. nam & continentia, & puritas animi, & in omni bono constantia, & vitatio mali, donec aliquis virtutem sibi propositam habet, semper exercentur, & unà cum actione & exercitatione sese producentem & durantem, lætitiam habent. In iis autem, qui absurdis cupiditatibus ardent, etiamsi semper anima eorum, spectet lasciviam & incontinentiam attamen non semper gaudere licet. Nam & aviditatem cibi immoderatam satietas sistit; & bibentis voluptas unà cum siti extinguitur; cæteraque ad eundem modum & tempore aliquo opus habent, & intervallo, ut extinctus à voluptate & satietate appetitus revocetur. At cui semel firmiter insedit virtus, semper purum sincerumq; & recentem ac vigentem secundum se viventibus sensum suorum bonorum præbet. *Orat. 4. de beatitud.*

S. Isidorus Pelusiota: Superflua cibi sumptio, non esus est, sed saturitas, & est, & appellatur. Saturitas porrò contumeliæ ac petulantiæ mater est. Petulantia autem, vitiosorum affectuum: quemadmodum in deserto contigisse, memoriæ proditum est. Saturati enim sunt, inquit ille, & surrexerunt ludere. Quapropter ne intemperantiæ ludo demus operam (per quam Dei quoq; oblivio in discrimen venit) saturitatem & ingluviem, quæ horum causa est, iniecto fræno compescamus, id studentes, ut necessario ac moderato cibo, per quem & robur corpori accedet, & voracitatis ac temulentiæ bellum vim omnem amittet, contenti simus. *lib. 1. epist 383.*

Idem: Gastrimargia, ô amice, superfluitas appellata est. Gastrimargia autem est insanum ventris studium. Μάργος quippe furiosum

sum sonat. Ecquid igitur moderatam, & cum gratiarum actione conjunctam divinorum munerum perceptionem missam facientes, circa cupedias & inania condimentorum artificia insanire studemus, quæ non ad alendum corpus conferunt, verum ad vitiosos affectus incitant? *lib. 1. Epist. 384.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Et dicenti & audienti semper generat lassitudo fastidium. *Sermone 122. pr.*

Chrysologus: Luxuriosos satietas capere non potest: voluptas non potest expleri. *Sermone 2. f.*

¶ Philosophorum Oratorumq; Graecorum.

Isocrates: Ne sæpius eosdem, neque verbosius de iisdem rebus loquaris. est enim rerum omnium satietas. *Paranesi ad Demonicum.*

Lucianus: Australe Libyæ latus, arena est profunda, & retorrida terra multis in locis deserta, planè infœcunda, plana tota, non gramen, non herbam, non plantam, non aquam habens: sed sicubi in concavitatibus constiterint rari imbris reliquiæ, crassæ sunt hæ, & fœtidæ, nec homini sitibundo potabiles. Has igitur ob causas est inhabitabilis. Et quo tandem pacto inhabitari posset locus ita implacidus, siccus, sterilis, multóque squalore afflictus: cum ipse calor, & aër nimium sit ardens & igneus? Præterea præfervida arena, prorsus inviam regionem facit. Soli Garamantes iis locis finitimi, gens levis, & frugalis, homines in tentorijs degentes, venatione ut plurimum viventes, nonnunquam irrumpunt venantes circa solstitium hybernum, maximè ubi Deum pluisse observarunt, quo tempore magna pars ardoris est extincta, & madefacta arena, & quodammodo pervia reddita. Venantur autem onagros, magnos struthiones humi volantes, cumprimis simias, & nonnunquam elephantos. Hæc enim animantia sola sitim perferunt, diúque immodici fervidique solis molestias sustinent. Sed enim Garamantes posteaquam commeatum cum quo venerant, consumpserunt, ilico revertuntur, metuentes ne arena iterum incensa illis intercludat, aut difficiliorem reddat reditum: deinde sibi tanquam in reti comprehensis, unà cum præda sit pereundum. Nam effugere non datur, si sol humore subtracto, & regione celerrimè exsiccata, radiis ardentioribus emissis, tanquam humido, quod est ignis nutrimentum, acuminatis effervescat. Atqui quæcunque dixi, calor, sitis, solitudo, nihil habere quod ex terra capias, minùs gravia vobis esse videbuntur, quàm quod dicturus sum: atque ob id fugienda prorsus illa regio: quam reptilia varia, magnitudine ingentia, multitudine plurima, forma terribilia, & veneno inexpugnabilia depascuntur: alia quidem in imis arenæ latibulis demersa: alia in summo scatentia, scilicet physalli, aspides, viperæ, cerastæ, buprestes, jacula, amphisbenæ, dracones, & duplex scorpionum genus: unum terrestre, pedibus ingrediens, permagnum, vertebris abundans: alterum verò aërium, & volatile, membraneis alis, quales sunt viverris, cicadis, & vespertilionibus. Multæ hujusmodi volantes aves, inaccessam reddunt Libyam illam. Sed serpentum omnium quos arena nutrit, nocentissimus est dipsas, non admodum magnus, viperæ similis, violento morsu, veneno crasso, dolores statim inducens indesinentes. Etenim & incendit, & putrefacit, & ardere facit: & qui icti fuerint, clamant sicuti qui in igni jacent. Sed quod maximè affligit, & torquet, illud est, quòd huic reptili cognominem affectum patiuntur. Etenim inextincta siti cruciantur: & quod maximè est mirum, quo plus biberint, eo magis potum expetunt: & multò plus ipsis bibendi cupiditas intenditur. Nec sitim unquam extinxeris, tametsi totum Nilum, Istrúm ve potandum præbueris, sed morbum irrigando incendes magis: quemadmodum siquis ignem oleo extinguere conetur. Dicunt medici illam esse causam: quòd crassum cùm sit venenum, quando postea potu madescit, celeriter movetur, humidius, ut verisimile est, redditum, & latissimè diffusum. Ego equidem neminem hoc affectu laborantem vidi. Et faxint Dii ne quenquam his cruciatibus conflictantem videam. Et rectè feci, quòd nusquam ingressus sum Libyam. Verum audivi epigramma, quod amicorum aliquis se legisse dicit in cippo viri hoc modo perempti: qui ex Libya, inquiebat, iter in Ægyptum faciens, magnam syrtim præteribat: neque enim alia est via. Hîc se ad littus in sepulchrum incidisse, propter ipsum fluxum, & cippum stare mortis modum declarantem. Sculptum enim in eo esse hominem quendam, qualem pingere solent Tantalum in palude stantem, & aquam haurientem, non aliter ac si biberet: bestiam autem nempe dipsada ipsi adhærentem, pedi esse implicatam: tum mulieres aquam ferentes simul multas aquam in ipsum effundere. Iuxta verò posita esse ova qualia struthionum illorum, quos dixi Garamantas venari. Est autem adscriptum epigramma, quod referre non erit alienum.

Talia passus erat viru quoque Tantalus atro.
Qui nullo potuit fonte levare sitim:
Tale nec è Danaô natas implere puellas,
Assiduis undis vas potuisse reor.

Sunt præterea quatuor alii versus de ovis, & ut ea tollens, morsus est: sed exciderunt mihi. Itaque ova colligunt, eáque magno studio curant vicini, non tantùm edendi gratia: sed illis evacuatis ut vasis utuntur, & ex iis pocula faciunt. Neque enim, quia arenosa est terra, figulinam exercere possunt. Magnis autem inventis, duo pilei fiunt ex singulis ovis. Alterutra enim dimidia pars capiti sufficiens, est pileus. Ibi ergo ad ova dipsades sunt in insidiis: & quum accesserit homo, ex arena prorepentes, infœlicem mordent. Atque illi accidunt quæ paulò antè dixi, semper bibenti, magisque sitienti, neque se unquam implenti. Hæc per Iovem non disserui tanquam æmulus Nicrandi: neque ut intelligatis me non negligere notitiam naturæ Libycorum reptilium. Medicorum enim magis ista laus est, quibus hæc scire necesse est, ut adversus ea ex arte opitulari possint. At mihi videor, ac per Phidiam, ne hanc imaginem ferinam iniquo animo feratis, eodem modo erga vos affici, quo in potum qui à dipsade morsi sunt. Nam quo crebriùs ad vos ito, eo magis itare cupio, & siti intolerabili incendor, mihique videor hujusmodi potu nunquam expleri posse. Idque jure optimo. Vbi enim adeò limpidam puramque aquam consequerer? Quare ignoscite, si & ipse animo ictus hoc morsu jucundissimo & saluberrimo, abundè me ingurgito, capite scaturigini supposito. Contingat tantùm ut non deficiant, quæ à vobis influunt: & non effuso audiendi studio, hiantem, & sitientem relinquatis. Nam quod ad meam erga vos sitim attinet, nihil prohibebit quominus semper bibam siquidem iuxta sapientis Platonis sententiam, Regum pulchrarum nulla est satietas. *titulo Dipsadum.*

Heliodorus: Si adepta fueris id quod cupis, tum maximè convenit vacare amori. Multis primo experimento extinctum est cupiditatis incendium. amoris enim, quo res prosequimur, finis est satietas. *libro Æthiopicorum primo.*

Heliodorus: Ego Homerum reprehendo, qui cùm aliarum rerum, tum amoris satietatem esse dixerit: quæ res (me judice) nullam satietatem admittit, neque cùm finitur quispiam, neque cùm auditu percipit. *libro Æthiopicorum quarto.*

¶ Romanorum.

Cornelius Tacitus: Sacietatem aut pænitentiam Neronis circa pellicem, dum non opperitur mater, sed muliebriter fremit; quanto fœdiora exprobrat, acrius accendit. *libro 13. Annalium cap. 13.*

Symmachus: Hæc est natura bonarum rerum, ut illis frui prolixius velis: nec quicquam durius sumas, quàm orationis placitæ citum transitum. *lib. 5. epist. 50. m.*

Symmachus: Ergo potius remetiri ad nos viam mutata conditione deberes, satietate quam tibi attulit copiarum longus usus. Nam Campania, ut est absentibus desiderabilis, ita facile explet morantes. *lib. 7. epist. 35.*

Idem: Successisti in famam Luculli. quo magis miror ad alia te nonnunquam posse transire. nisi fortè fastidio fugis copias, & mutatione castigas satietatem. *lib. 7. epist. 36.*

Symmachus: Nunc properato in urbem reditu, nescio quam fastiditi loci suspicionem dedisti. habent enim sæpe voluptates satietatem. *lib. 7. epist. 31.*

Symmachus: Adjecta de corde plura, fastidio esse poterant, nisi amor tui removisset satietatem. *lib. 4. epist. 26. f.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus fine Carm. 51. ad Vitalianum.

Καὶ μολπῆς κόρος ἐστὶ καὶ ἀργαλέος πολέμοιο.
Et cantus subeunt, & sævi tædia belli.

¶ Monosticha Trochaica.

Feminæ mas subjaceret, nata nisi satias foret.
Omnium rerum satias & vitæ satietatem facit.
Quavis in re similitudo, satietatis est parens.
Saturitas rebus venustis maxima adversaria est.
Scito illa optima esse quorum nulla te satias capit.
Similitudo satietatis mater est in omnibus.

¶ Iambica.

Amici oriri nulla satietas queat.
Est saturitatis contubernalis Venus.
Idem satietas sæpe quod fames facit.
Innoxius leo omnis est, ubi est satur.
Nulla est voluptas quin satietate langueat.
Omnis saturitas mater est petulantiæ.
Rerum satias præterquam bellicæ omnium est.
Rerum venustarum esse satias haud queat.
Satias bonarum rerum vix cuiquam obtigit.
Satiate solet defervere adolescentia.
Semper satiati proxima est lascivia.
Vbi copia est, ibi statim fastidium.

Satisfactionis.

¶ Monosticha Trochaica.

Ecquis est qui in congerendis opibus sat sibi facit?
Mente qui mala fuisse se fatetur, sat facit.
Nec satis facit pusilla mens sibi, nec alteri.
Qui in caput suum retorquet dicta alijs facit satis.
Qui petit, æquo animo ignoscatur ut sibi, satisfacit.

¶ Iam-

§ JAMBICA.

Animo satisfaciunt nati & parentibus.
Morositati facere nil potest satis.
Nemo alteri, imo nemo sat facit sibi.
Nemo satisfacit re sed volentia.
Quem pœnitet peccasse, is & satisfacit.
Qui deprecatur quod fecit, satisfacit.
Qui purgitat se confitendo, sat facit.
Satis facit peccasse qui se non negat.
Satis sibi ipsi facere difficillimum est.

Saturnaliorum.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

LVcianus: *Sacerdos.* Dic mihi Saturne, quando tu quidem hoc tempore regnare videris, tibi & sacrificatum, & litatum est à nobis, quid potissimùm pro immolatis hostiis, abs te postulatum feram? *Sat.* Istud quidem te ipsum decet perpendere, quid optare debeas: nisi vis ut princeps etiam sit vates, ut norit, quid libentiùs petas. Cæterùm ego, quantum facultas feret, annuam tuis votis. *Sa.* Quin istud jam olim perpendi. Nam communia hæc, & passim obvia, videlicet opes, multam auri vim, utque viris imperem, & mancipia multa possideam, splendidas vestes & delicatas, argentum, & ebur, denique quicquid est pretiosum. Hæc igitur mihi da, optime Saturne, ut & ipse nonnihil emolumẽti ex tuo sentiam imperio, ne-ve solus per omnem vitam earum rerum sim expers. *Sat.* Viden'? Hoc postulas quod meæ facultatis non est. Neque enim mearum est partium ista distribuere: quare ne graviter feras, si quæ petis, non assequeris. Sed ista à Iove postulato, quum ad eum imperii vices venerint, id quod brevi futurum est. Nam ipse certis conditionibus imperium accipio. Est autem imperium meum septem duntaxat dierum, quorum si jus excessero, privatus ilico reddor, & ex plebe unus. Nec in his septem diebus, serium quippiam, aut publicum tractare, mihi concessum est. Verùm potare, inebriari, vociferari, ludere, talos jacere, creare reges, famulos in convivium adhibere, canere nudum, lascivo corporis motu saltitare, nonnunquam & in gelidam aquam præcipitem dare, facie fuligine oblita. Hæc uti faciam permissum est: sed magna illa, puta divitias & aurum, Iupiter ipse, quibus lubet, dilargitur. *Sac.* At non facilè, Saturne, & expeditè id facit: adeò ut me jam vox defecerit, magno clamore hæc ab illo flagitantem. At is nihil prorsus audit: verùm ægidem obvibrans, ac fulmen intentans, torvumque obtuens, pavefacit instantes. Quòd si quando etiam annuerit alicui, divitemque reddiderit, mirum quàm id nullo delectu facit, ut aliquoties præteritis probis, ac sapientibus viris, sceleratis ac stultis hominibus opes offundat, verberonibus atque effœminatis, cujusmodi sunt plerique isti. Quanquam equidem cupio cognoscere, quænam sint ista potestati tuæ permissa. *Sat.* Haudquaquam parva, neque omnino contemnenda, siquis universi imperii vim expendat: nisi fortè tibi parum videtur esse, ut in talorum ludo vincas, cùmq; cæteris alea in unionem volvatur, tibi senionem semper in summo latere ostendat. Nam hinc sibi plerique victum parant ad satietatem, quibus benigna & prospera annuerit alea. Alii contrà, nudi enatant, fracta ipsis ad tam exiguum scopulum, aleam puta, navi. Præterea quàm suavissimè bibere, ac modulatiùs alio videri canere in convivio: & ex ministris alios in aquam dejici (nam ea pœna est parum dextrè ministranti) te verò victorem egregium pronuntiari, & ei quem viceris præmia præripere. Vide quantum sit bonum, quòd etiam rex solus omnibus præficeris, talis victor, ut non solùm ipse non feras ridicula imperata, sed etiam aliis imperare possis ipse: huic ut turpe aliquid de se ipso vociferetur: illi ut saltet nudus, & sublata in humeros tibicina, ter domum obambulet? Annon hęc quoque munificentiæ meæ non exiguæ sunt argumenta? Quòd si causaberis regnum hoc nec verum esse, nec stabile, insciè feceris, quum videas me ipsum, qui ista dilargior, exigui temporis imperium tenere. Ex his igitur, quæ meæ est facultatis præstare, nempe taxillis, regnando, canendo, & reliquis quæ modo recensui, audacter à me petito, nihil veritus, ne te ægride, aut fulmine territem. *Sac.* At ô Titanum optime, istis mihi nihil est opus. At mihi id responde, quod maximè cupiebam scire. Quod si mihi dixeris, sat magnam gratiam pro victima mihi rependeris: & in posterum debita condono tibi. *Sat.* Roga modò, equidem respondebo, si scivero. *Sac.* Primùm quidem illud, vera-ne hæc sint quæ de te audimus, te solitum edere liberos ex Rhea tibi nascentes, eam verò clam subducto Iove, lapidem infantis loco supposuisse, quem tibi dedit devorandum. Deinde adultum puerum, te bello victum, regno expulisse: mox vinculis injectis in Tartara præcipitasse, cum omnibus copiis auxiliaribus, quæ tecum in acie steterant. *Sat.* Heus tu nisi festum celebraremus, & liceret inebriari, atque impune dominos conviciis incessere, cognosceres, irasci saltem mihi concessum esse, qui talia roges, nihil reveritus adeò canum, ac senem Deum. *Sac.* At ego hæc, Saturne, non ex me ipso dico. Quin & Hesiodus, & Homerus, nolo enim dicere, reliqui propè mortales omnes, eadem de te credunt. *Sat.* Num putas pastorem illum superbum, sani aliquid de me scivisse? Rem ad hunc considera modum. Est-ne quispiam homo, non dicam Deus, qui possit suos ipse liberos lubens devorare: nisi siquis esset Thyestes qui ab impio fratre circunventus comederet? At hoc quidem esto: quî nesciret se infantis loco lapidem comedere, nisi dentibus dolere non posset? Imo neque bello confliximus, neque Iupiter imperium per vim occupavit: sed ego illi rerum administrationem ultro tradidi, imperioque cessi. Porrò neque vinctum esse me, neque in Tartaro esse, vel ipse vides opinor, nisi oculis captus es quemadmodum Homerus. *Sac.* Sed quid tibi accidit, Saturne, ut imperium deponeres? *Sat.* Ego tibi dicam. In summa cùm jam senex essem, & ob ætatem podagrosus (quo factum est ut injecta mihi fuisse vincula plerique finxerint) impar eram viribus ad tam multa hujus ætatis facinora punienda: nam erat assiduè mihi sursum ac deorsum cursitandum obarmato fulmine, quo sacrilegos, periuros ac raptores exurerem: eratque negotium plenum laboris, quodque juvenem desideraret. Itaq; mihi consulens, Iovi locum dedi. Præterea rectè facturus mihi videbar, si imperio liberis meis distributo, ipse per otium genio plerunque indulgerem, nec vota facientibus respondendo, nec molestiam à contraria petentibus ferendo, neque tonando, aut fulgurando, neque grandinem aliquoties necessario immittendo. Sed senilem hãc ac jucundissimam dego vitam, meracius nectar bibendo, & cum Iapeto reliquisque æqualibus Diis confabulando. At regnat quidem ille mille districtus negotiis: nisi quòd hos pauculos, quos dixi dies mihi visum est excipere, in quibus recipio principatum, ut mortalibus in memoriam reducam, cujusmodi fuerit me regnante vita, quum citra sementem, citraque arationem cuncta illis provenirent. Haud tum quidem aristæ, sed panis paratus, carnes apparatæ, ac vinum fluminis instar manabat, tum fontes mellis, lactisque, propterea quod mortales omnes erãt probi, & aurei. Hæc causa est, cur exigui temporis imperium geram. Atque ob id undique plausus, cantiones, lusus, par servorum atque liberorum honor: quia me regnante nullus erat servus. *Sac.* At ego, Saturne, conjecturam hanc ad servos, & ludimagistros referebam, quasi ideo tibi fabula tribueret erga hos humanitatem, quòd memor te ipsum aliquando servivisse, ac compedes gestasse, eos magnifaceres, qui simili essent fortuna. *Sat.* Non desines talia nugari? *Sac.* Bene mones, itaque desino. Quin & illud mihi responde, an consuetum erat tui sæculi hominibus, talis ludere? *Sat.* Erat sanè: sed non pro talentis, & decem nummûm millibus, ut vobis, sed ad summum nucibus, ne discrutiaretur qui victus esset, & semper ploraret solus inter alios cibum non sumens. *Sac.* Et rectè quidem illi. Nam pro quo præmio talis lusissent ipsi, cùm toti essent aurei? Itaque te loquente tale quiddam mihi venit in mentem: siquis unum aliquem ex aureis illis viris, in hanc nostram ætatem adductum, vulgo ostenderet, quid illi tandem eveniret? Nempe miserum, sat scio, discerperent, in eum incursantes, ut in Pentheum Mænades, aut in Orpheum fœminæ Thraciæ, aut in Actæonem canes: atq; inter sese quisque certarent de parte majore auferenda: ut pote qui nec in celebrando festo, à lucri studio temperent: cùm plerique etiam festo ipso ad incrementum lucri abutantur. Deinde alii amicos in convivio deprædati discedunt: alii tibi conviciantur cùm nihil ad rem pertineant, & ipsos conterunt talos, quanquam ipsis autores non sunt, eorum quæ ultro faciunt. Sed dic mihi & illud, quid tandem causæ fuerit, ut cùm sis Deus adeò imbecillis, & senex, tempus inamœnissimum delegeris, quo jam nix occupat omnia, sævit boreas, nihil non gelu concretum est, nudæ, decussisque frondibus arent arbores, squalent vacua floribus prata, homines contracti curvantur, tanquam extremo senio confecti, multi focum circunstantes, tunc festum agas. Non enim accommodum seni tempus illud, neque genio indulgentibus idoneum. *Sat.* Heus tu, multa sciscitaris à me, cum jam sit bibendum. Itaque non exiguam temporis portionem de festo mihi detraxisti, dum ista mecum philosopharis, ad rem nõ admodum pertinentia. Quare nunc istis omissis, convivium agitemus, plaudamus, ac liberam agamus vitam. Deinde prisco more depositis nucibus, talis ludamus, reges creemus, ipsisque pareamus. Sic enim verum esse comprobabo, quod vulgo dicitur, Senes repuerascere. *Sac.* Imò cui ista quæ dicis non probantur, Saturne, ne sitienti liceat bibere, precor. Itaque bibamus. Nam etiam quæ respondi prima, sufficiunt. Proinde videor mihi rectè facturus, si nostram hanc confabulatioem, & quæ ipse interrogarim, & quæ tu propitius responderis, literis prodita, tradam amics legenda, siqui sunt digni qui tua dicta accipiant.

Saturnalium Legum Lator.

Hæc ais Cronosolon sacrificus, idemque Saturni vates, & conditor legum quæ ad festum pertinent. Quid pauperes facere oporteat, id alio misso libro illis ipsis præscripsi. Neque dubito quin eas leges servent, alioqui obnoxii futuri pœnis, quæ gravissimæ decretæ sunt in eos, qui minùs paruerint. Vos autem divites videte ne hæc mandata prætergrediamini, neque negligatis. Nam qui secus fecerit, is sciat se non me neglecturum legislatorem, sed potiùs Saturnum, qui me condendis festi sui legibus delegit: haud ille quidem in somnio visus, sed nuper cum vigilante palàm congressus. Erat autem neque compedibus vinctus, neque situ obsitus, qualem eum pictores fingunt, exemplar à deliris poëtis mutuati: verùm falcem quidem tenebat præacutam: cætera verò, hilaris erat, & validus, regioque apparatu. Atque hac quidem specie mihi visus est: quæ autem dixit, planè divina sunt, & in his hæc digna quæ vobis priùs exponam.

Nam

Nam ubi me vidis animo mœstum inambulantem, mox intellexit, quippe Deus, quænam esset molestiæ causa, videlicet graviter me ferre paupertatem, ut qui non pro temporis ratione unicam vestem haberem, cùm jam esset gelu, multusque flaret boreas, glacies ac nix esset, adversus quæ minimè munitus eram. Quinetiam quòd festo proximè instante, reliquos viderem apparantes, quæ ad victimas, quæque ad convivia requirebantur, mihi verò ipsi res non admodum ad festum instructas esse. Iam à tergo accedens, aureque prehensa, & vellicata, qua specie se mihi solet ostendere, quid istud sibi vult, inquit, Cronosolon? vidêre mihi solicitus. Annon æquû, inquam, here, cùm impios ac scelestos homines opibus superfluere, & solos deliciis frui videam: ipse verò, mecúmque plures alij docti, cum inopia, summaque rerum penuria degamus? At tu here, non vis finem his rebus imponere & ad æqualitatē revocare? Tum ille, cætera quidem, inquit, mutare haud facile, quæ vobis à Clothone, reliquisque Parcis accidunt. Porrò paupertatis malum vobis corrigam, quatenus quidem ad festum attinet. Sit autem hæc corrigendi ratio. Abi Cronosolon, ac mihi leges aliquot conscribito, ostendens quid observandum sit in festo, uti ne divitos inter se festum celebrent, sed vobis sua bona impertiant. At inquam, leges conscribere nescio. Quin ego, inquit, docebo te: tū docere me cœpit. Deinde cum cuncta perdidicissem: Et illud, inquit, iis dicito, quod nisi hæc faciant, ego falcem hanc acutam frustra circumfero. Alioqui ridiculus sim, si cùm patrem Cœlum execuerim, non item castraro divites istos, quicunque leges meas violaverint, ut jam evirati? Cybele matri sese, adjungant, cum tibiis, ac cymbalis. Hæc ille minabatur. Quare rectè facietis si leges non transgrediamini. Lex prima. Nequis quid intra festi tempus agito, neque publicum, neque privatum, nisi quæ ad lusum, ad voluptatem, animique oblectationem pertinebunt. Opsoniorum, & bellariorum artifices in opere soli sunto. Æqualitas omnibus esto, servis, liberis, pauperibus, divitibus. Irasci, indignari, minari liceat nemini. Rationem exigere ab iis qui res curant Saturnalitias, ne id quidem fas esto. Nequis argentum, vestem-ve expendito, ne-ve inscribito solennitatis tempore, nequis exerceatur, nequis orationes habeto, aut recitato, nisi si quæ sunt vrbanæ, lepidæque quæ dicacitatem resipiant, & jocum. Lex secunda. Multò ante festum divites singulorum amicorum nomina in tabella scribunto. Porrò pecuniam paratam habento ad decimam partem annuorum fructuum: præterea quicquid illis superest vestium, & quicquid est crassioris cultus, quàm ut ipsis conveniat: & vasorum argenteorum non modicam vim. Hæc quidem in promptu sunto. Cæterùm ante solennitatem porcellus circumagitor, atque ex ædibus eiiciuntor sordes, avaritia, & quæstus, & si quæ id genus alia sunt plerisque divitum domestica. Deinde ubi domum perpurgarint, tum rem divinam faciunto Iovi divitiarum largitori, Mercurio munifico, & Apollini magna donanti. Deinde circa vesperam, tabulam illam, amicorum nomina tenentem legunto. Distributis autem pro cujusque dignitate muneribus, ante solis occasum amicis mittunto: & qui deferant, non plures tribus, quatuor-ve sunto atque hi certissima fide famuli, & jam natu grandes. In literis autem ascribatur quid & quantum mittatur, ne utrisque suspecti sint, qui deferunt. Atque ipsi ministri, unico quisque calice eporo domum recurrunto, neque præterea quicquam ab iis postulanto. Doctis omnia dupla mittuntor: æquum enim est ut geminam accipiant portionem. De muneribus, quàm modestissima simul, & paucissima verba fiunto: neque grave quicquam in literis quispiam ascribito, nec quæ mittuntur, laudato. Diviti dives ne quid mittito: neque locuples Saturnalibus æquali sorte quenquam convivio accipito. Ne quid eorum quæ in hoc deprompta fuerint, ut mittantur, servanto: Ne cui muneris pœnitentia subito. Si quis anno superiore peregrè fuit, eaque causa munus non accepit, & illa accipito. Pro tenuibus amicis divites etiam debita soluunto, atque etiam conductarum ædium pretium si qui debent, neque sunt solvendo. In summa, multò antè illis esto curæ ut cognoscant qua re maximè sit opus. Porrò qui accipiunt, ne demissis donis, ut exiguis queruntor: & quicquid mittetur qualecunque fuerit, id magni ducunto. Vini amphora, aut lepus, aut pinguis avis, inter Saturnalitia munera ne habentor. Neque Saturnalia dona in risum vertunto. Pauper diviti vicissim mittito: si doctus est, veterem aliquem libellum, aut si quid ipse conscripsit quod fausti sit ominis, aut conviviis accommodum, qualecunque potuerit: atque id dives læto admodum, hilarique vultu accipito, acceptū protinus legito. Quòd si recusarit, rejecerit ve, sciat sese iis quæ de falce minatus sum, obnoxium esse, etiamsi [illegible] rit quicquid mittēdum erat. Alij autem coronas, alij thuris frustu[illegible] mittunto. Quòd si pauper vestem, vel aurū, vel argentum supra f[illegible]ultatem diviti miserit, id quid quod missum fuerint, publicum e[illegible], venditum in Saturni thesaurum infertor. Ipse verò pauper po[illegible]ridie plagas à divite, manibus ferulæ suppositis, non pauciores quinquaginta supra ducentas accipito. Leges convivales. Lavandum est ubi linea sex erit pedum. Ante balneum nucibus ac talis lusitandum. Ubicunque casus cuique locum dederit, ibi accumbito. Dignitas, aut genus, aut divitiæ parum momenti habento, ut priùs alicui ministretur. Eodem de vino omnes bibunto. Nec diviti prætextus esto, vel stomachi, vel capitis dolor, ut ideo de meliore bibat. Carnium omnibus æqua portio. Ministri ne cui quid favore danto. At neque contantor, neq; præmittunto, donec ipsis visum fuerit, quæ tollenda erunt. Neque huic magna, illi perexigua apponuntor. Neque huic coxa, illi maxilla suis apponitor, sed in omnibus æqualitas esto. Pocillator acutis oculis unumquemque observato, minùs tamen herum. Acutum etiam exaudito. Calices omnis generis sunto. Ad putandum invitare si quis voluerit, jus esto. Omnes omnibus præbibunto, si libeat, diviti præbibentes. Neque quisquam bibere compellitor, qui non valeat ad compotationem. Ne liceat ipsis neque saltatorem, neque citharœdum inducere tyronem. Liceat ei qui voluerit, uti dicteriis. Et modus esto, ut ne sint molesta. Postremò pro nucibus talis ludūto. Si quis pro pecunia talis luserit, in posterum usque diem jejunato. Et maneto, & abito quisque quum voluerit. Porrò quum dives famulos suos convivio accipiet, tum amici quoque unà cum ipso ministranto. Leges hasce singuli divites, æreæ columnæ inscriptas in aulæ meditullio habento, & legunto. Atque id quidem sciendum est, quoad ea columna manebit, neque fames, neque pestilentia, neque incendium, neque quicquam aliud molestum, in illornm ædes ingredietur. Quòd si quando, quod absit, tollatur abominanda sunt, quæ illis accident.

Epistola Saturnales. Ego Saturno Salutem.

Equidem & antea tibi scripsi, significans quonam in statu essem, & quòd ob inopiam periclitarer, solus expers esse solennitatis quam indixisti: hoc præterea addito, nam memini, iniquissimum esse si nostrûm alij, opibus ac deliciis superfluerent, nihil de suis facultatibus impertientes pauperioribus: alij fame perirent, idque instantibus Saturnalibus. Quoniam autem nihil tum literis meis respondisti, te denuo iisdem de rebus commonefaciendum duxi. Tuum erat Saturne, sublata hac rerum inæqualitate, bonisque in medio depositis, postea celebrandum festum indicere. Sed uti nunc res habent, formica est camelus, ut proverbio dicunt. Quin magis tragicum histrionem animo concipe, qui altero pede alto cothurno insistat, qualia sunt tragica calceamenta, altero verò sit incalceatus. Is si ad hunc modum instructus ingrediatur, vides necessariò futurum, ut nunc excelsus sit, nunc humilis, prout alterutrum pedem promoverit? Tanta est in rebus humanis inæqualitas. Alij subligatis cothurnis, adornante fortuna tragœdias in nos agunt. Contrà magna pars pedibus & humi ingredimur, cùm possimus, scias velim, nihilo deteriùs illis fabulam agere, & ingredi, si quis nos ad eundem illis modum adornarit. Atqui ex poëtis audio, nihil harum rerum inter homines fuisse olim, quum tu solus adhuc imperares. Verùm tellus sementis & aratri expers bona progignebat, cœnam, vel ad satietatem usque unicuique paratam. Fluvij alij vino, alij lacte, erant & qui melle manabant. Quodque est omnium maximum, ajunt illos ipsos homines aureos fuisse: paupertatem autem omnino ab ipsis abfuisse. Nos autem ipsi ne plumbum quidem meritò videamur: sed si quid eo est vilius: ut quorum plerisque victus labore quæritur: passim est paupertas, egestas, ac desperatio, & illud, hei mihi! Item, unde inveniam: & ô fortunam! multaque id genus, nempe apud nos pauperes. Quanquam his de rebus leviùs discruciaremur, nisi divites conspiceremus tanta fruentes fœlicitate: qui quidem cùm tantum auri, tantum argenti conditum habeant, tantum vestium possideant, tot mancipia, tot currus, familias, agros, & harum verū omnium magnam vim teneant, tamen adeò nobis nihil unquam de his rebus impertiunt, ut plebeios homines, ne aspectu quidem dignentur. Hæc nos potissimùm enecant Saturne: & rem intolerabilem putamus, hunc in purpura accumbentem, tantis opum deliciis affluere ructantem, & ab amicis beatum prædicari, semperque diem festum agitare. Me autem meique similes somniare, si cunde quatuor oboli contingant, quò videlicet pane, polentáve expleti dormire queamus, nasturtium, aut porrum, cepásve, alliúmve opsonij vice arrodentes. Aut hæc igitur, Saturne, ad æquabilitatem vitæ mutes, corrigasque necesse est: aut quod est postremum, illis ipsis interdicas divitibus, ne soli bonis fruantur, verùm è modiis auri tam multis, vel heminam in omnes nos dispergant. Porrò ex vestibus, si quas à tineis iam exesas, citra suum incommodum dare possint: malint quidem hæc prorsus, vetustate, situque peritura nobis dare qui induamur, quàm sinere ut in cubilibus ac scriniis multa carie putrescant. Præterea ut cœnent singuli, nunc quaternis, nunc quinis pauperibus ad convivium adhibitis. Non quidem quo pacto nunc agitantur convivia: verùm populariùs, ut omnium æqua sit portio: neque ut hic opsoniis ingurgitet se, famulo interim stante, & operiente, donec herus comedere non queat amplius. Cæterùm ubi ad nos venerit, cùm vix etiam parati simus admovere manum, protinus ad alios transferatur, patina tantùm ostensa, vel si quid de placenta reliquum est. Neque illatum aprum ita partiatur, ut domino totum dimidium apponat, unà cum capite, reliquis ossa tecta ferat. Utque præmoneantur pincernæ, ne contentur donec unusquisque nostrûm poscat septies bibere: nec semel jussi protinus infundant, & ingentem calicem impletum tradant, æquè atque ipsi domino, utque unum & idem vinum convivis sit omnibus. Alioqui ubinam ista lex scripta fuit, aut receptus mos, ut hic vino odorato, & generoso sit temulentus, mihi contrà musto disrumpatur alvus? Hæc si correxeris, novarisque Saturne, tum demum effeceris, ut vita verè vita sit, festum verè festum. Sin minùs, illi quidem epulentur: nos autem interim sedentes precabimur, ut simul atque loti venerint, puer subversam amphoram rumpat, coquus ius adurat, ac per oblivionem muriam piscium in lentem infundat, utque canis in domum irruens, opsoniorum artificibus alibi intentis, exta devoret universa, & placente dimidiū: utq; sus ac cervus, neq; non suculæ, inter assandum idem faciant, quod Homerus de Solis bobus dicit.

dieit. Imò ut non serpant solùm, verùm etiã unà cum ipsis verubus in montem aufugiant: utque ipsæ etiam aves pingues jam ademptis plumis, ad coquendũ paratæ avolent, ne soli illi fruantur. Quodque in primis molestum illis futurum est, ut formicæ quales Indicæ, aurum è thesauris effossum, noctu in publicum efferant: utque vestis indiligentia curatorum, ita ab optimis muribus perforetur instar cribri, & ut à verriculo piscatorio nihil differat. Vtque formosi illorum, comatique pueri, quos Hyacinthos, aut Achilles, aut Narcissos appellant, dum ipsis poculum porrigunt, subitò defluente coma calui fiant: & acutam edant barbam (quales sunt in comœdijs Sphenopogones) & ad tempora hirtam valdè, valdeque pungentem, & quod interiacet læve sit, & nudum. Hæc & his plura imprecabimur, nisi hoc nimio sui amore deposito velint in commune divites esse, nobisque modicum impertire.

Saturnus Mihi charissimo Salutem.

Heus tu quid nugas istas, & de rebus præsentibus ad me scribis, jubesque ut bonorum faciam partitionem? Quod quidem alterius munus fuerit, penes quem nunc est imperium. Etenim demiror te, si solus omnium ignoras, me qui unus sum, abdicato jampridem regno, liberis distribuisse imperium: Iovem autem maximè harum rerum curam gerere: me verò non nisi talorum, saltationis, cantionis, & ebrietatis satagere, idque septem non amplius diebus. Itaq; quod attinet ad res illas majores, quas dicis nimirum ut tollatur inæqualitas, utque ex æquo omnes aut opibus abundent, aut egeant, Iupiter vobis operam dabit. Quòd siquis eorum qui festum celebrant, afficiatur injuria, & portione fraudetur, id erit mearum partium judicare. Iamque scribo divitibus de cœnis, de auri hemina, & vestibus, ut vobis ad festum mittant. Iustum enim, & æquum est ut ista faciant, sicuti dicitis, nisi quid probabile habeant, quod ad hæc respondeant. In summa tamen illud scitote pauperes, vos longè falli, neque rectè judicare de divitibus: siquidem illos omni ex parte beatos arbitramini, solosque vitam suavem vivere, cùm liceat ipsis opiparè cœnare, vino suavi inebriari, formosis pueris & mulieribus frui, & mollibus vestibus uti: verùm fœlicitatem istam, cujusmodi sit ignoratis. Nam hæ res non mediocribus curis ipsos distorquent, sed singulis invigilare coguntur, ne quid rerum domesticarum dispẽsator fraudet, aut clam suffuretur, ne vinum acescat, ne frumentum vermibus corrumpatur, ne latro tollat pocula, ne populus credat calumniatoribus, si illũ dixerint affectare regnum. Atqui hæc omnia, non est millesima pars eorum, quæ istos discruciant. Si enim sciretis metus, & curas quibus distringuntur, divitias vobis omnino fugiendas existimaretis. Alioqui creditis vel meipsum usque adeò insanum, ut si præclara res esset opulentia aut regnum, depositurus hæc, aliisque cessurus fuerim, patererque ut nũc ego privatus, alieno parerem imperio? Quin potiùs cum non essem ignarus hujusmodi malorum, quæ plurima divitibus ac regibus adsint necesse est, imperium deposui, idque sapienter. Nam quod tu nunc apud me deos obtestans deplorabas, illos apris ac placentis expleri: vos contrà nasturtium porrumve aut cepe per festi tempus, opsonij loco arrodere, cujusmodi sit considera. Etenim in præsens quidem utrumque dulce est illis, minimeque molestum: at postea res invertitur: siquidem vobis non accidit, ut postridie surgatis capitis dolore gravari ob temulentiam, ut illi, neque ob immodicam ingurgitationem, graveolentem, & acrem spiritum ructantes. At illi hoc quoque fructus ferunt, ut quoniam magnam noctis partem vario coitu pro libidinis arbitrio transigunt, facilè sibi vel tabem, vel tussim, vel morbum intercutem, ex intemperato voluptatum usu colligant. Quotumquemque potes ostendere qui non planè palleat, ac faciem cadaverosam prę se ferat? quotumquemque qui cùm ad senectutem pervenerit, suis ipsius pedibus ingrediatur, ac non potiùs à quatuor bajulis gestetur? foris quidem totus aureus, intus putris ac pannosus, cujusmodi sunt tragicæ vestes ex pannis admodum vilibus consarcinatæ. Vos autem qui pisces non gustatis, & inediam fertis, non videtis vos podagræ, pulmonisque vitiorum expertes esse? aut siquid aliud aliam ob causam accidit: Quanquam nec illis ipsis æquè dulce est quotidie, supraque satietatem istis vesci. Quin videas eos nonnunquam ita olus, aut cepam appetere, ut tu non æquè leporem appetas, aut aprum. Alia taceo quæ illos discruciant, puta filius luxuriosus, uxor famulum amans, aut amasius, qui necessitatis mage quàm voluptatis gratia concumbat. Denique alia multa sunt, quæ vos ignorantes, tantùm aurum illorum ac purpuram videtis. Tum siquando bigis albis vehi videatis, hiante ore adoratis. Quòd si illos contemneretis, negligeretisque, neque ad argenteum currum oculos intentos haberetis, neque inter colloquendum, smaragdum annulo inclusum respectaretis, neque vestes obiter contrectantes mollitiem admiraremini, sed sineretis eos esse sibi divites, proculdubio ipsi vos adirent, & ad cœnam invitarent, ut lectos, mensas, & pocula vobis ostenderent: quarũ rerũ nulla est utilitas, si sine teste possideãtur. Certè reperiretis pleraq; hæc illos vestra causa parare: non quò utantur ipsi, sed uti vos admiremini. His ego vos consolor ego cui cognita est utraq; vita. Cõvenitq; ita festũ agere, ut cogiteris brevi omnib. è vita migrandũ, cũ illis, depositis opibus, tum vobis, relicta paupertate. Sed scribam ipsis, ut sum pollicitus: certoque scio, eos meas literas non neglecturos.

Saturnus divitibus Salutem.

Pauperes nuper ad me datis literis incusarunt vos, quòd nihil impertimini de vestris facultatibus, atque omnino postularunt, ut bona facerem omnibus communia, ut ad singulos illorum sua pars rediret. Æquum enim esse ut rerum æqualitas constituatur, ita ut neque hic copia fruatur, neque ille omnino rerum suavium inopia laboret. Ego verò respondi, hisce de rebus Jovem meliùs consideraturum. Sed quod ad rem præsentem attinet, & injurias quibus se per dies festos affici putant, vidi mei officij esse sententiam ferre, sumq; pollicitus me vobis scripturum. Sunt autem quæ postulant hæc, ut mihi videtur, æqua. Nam quo pacto, inquiunt tanto frigore rigentes, & fame laborantes, præterea diem festum celebrare possemus? Quare si velim ut & ipsi sint festi participes, postularunt ut vos cogam, ut de vestris vestibus illis impertiamini, siquæ supersint pinguiores quam quæ vobis conveniant: utque auri nonnullas guttulas in ipsos destilletis. Quòd si ista feceritis, inquiunt, non erit amplius disceptatio inter vos de bonis apud Jovem. Sin minùs minitantur sese ad novam rerum partitionem provocaturos, ut primum Jupiter pro tribunali sedere cœperit. Nec grave fuerit vobis impertiri illis de tot bonis, quæ rectè possidetis. Quin de cœnis quoque, ut vobiscum cœnent, & hoc literis addi rogarunt, cum nunc vos soli foribus clausis, deliciis fruamini. Quòd si quando vobis visum fuerit, & illorum quempiam post longum tempus in convivium adhibere, plus esse molestiæ in cœna, quam voluptatis, multaque illic in pauperum contumeliam fieri, velut illud, quum non eodem de vino bibunt. Dij boni, quàm illiberale, & planè dignum quod ipsis vitio vertatur, qui non surgant, abeantque toto convivio vobis solis relicto. Quanquam negant sese etiam ad satietatem ex illo qualicunque vino bibere, quòd vestri pincernæ aures habeant cera obturatas, haud secus ac Ulyssis socij. Porrò reliqua usque adeò sunt turpia, ut pigeat commemorare, quæ de carnium partitione criminantur, deque ministris qui cum vobis assistant, donec satis superque expleti fueritis, ipsos prætercurrunt, aliaque id genus sordida permulta, minimeque viris ingenuis digna. Quare æqualitas res est jucundissima, & convivio congruentissima. Qua de causa vobis æquus ille partitor in conviviis præficitur, ut æquam omnes habeant portionem. Videte igitur ne posthac iterum vos accusare possint: sed colant, & ament quum pauca hæc à vobis acceperint, quorum impensa ne sentiretur quidem à vobis: at illis dati in tempore muneris perpetua foret recordatio. Præterea nec remp. administrare possitis, ni pauperes unà vobiscum in ea versentur, milleque modis fœlicitatem vestram adjuvent. Neque habituri estis qui vestras divitias suspiciant, si soli, & privatim in tenebris eas possideatis. Videat igitur vulgus mireturque vestrum argentum, mensas, utque præbibentes ad potandum invitetis: inter bibendum undique poculum contemplentur, ac pondus expendant manu librantes: tum argenti absolutam cælaturam tum aurum quo ars decoratur. Nam præterquam quod viros bonos, & humanos vos prædicabunt, etiam ab eorum invidia liberi eritis. Quis enim invideat impertienti, dantique quod æquum est? Quis non potiùs optet, ut quàm diutissimè vivens bonis suis fruatur? Sed ut nunc res vobis habent, fœlicitas vestra teste caret, invidiosæ sunt divitiæ, & insuavis vita. Neque enim perinde juvat, opinor, siquis solus expleatur, ut & leones, & solitarios lupos facere dicunt, quàm si cum lepidis hominibus, & per omnia gratificari conantibus, convivaris. Qui primùm non sinent convivium mutum esse, & surdum: verùm consuetudine sua fabulas conviviis aptas, dicteriaque minimè molesta, variasque voluptates adferent: quibus rebus tempus jucundissime transigitur: idque gratum est Baccho, gratum Veneri, gratum quoque Gratiis. Deinde postero die dum comitatem vestram referunt, benevolentiam vobis conciliant. Hæc etiam magno fuerant emenda. Nam illud à vobis sciscitabor, si pauperes abirent taciti, sic enim fingamus, nonne ea res vos ureret, cùm non haberetis, quibus ostentaretis purpureas vestes, comitum multitudinem, annulorum magnitudinem! Neque jam libet referre, necessariò futurum, ut pauperum insidiæ atque odia in vos oriantur, si soli deliciis frui velitis. Nam quæ minantur vobis imprecaturos sese, abominanda sunt: & absit ut ad hujusmodi imprecationes venire cogantur. Quandoquidem si id fiat, neque intestina posthac gustabitis, neque placentam, nisi siquid canis reliquum fecerit. Præterea lenticula saperdæ liquamen vobis habebit. Porrò sus & cervus inter assandum è veru in montes aufugere parabunt: tum aves pingues absque alis fugam molientes, ad pauperes avolabunt. Et quod gravissimum est, pocillatores formosissimi repentè vobis calui fient, idque etiam fracta amphora. Super his rebus consulite, quæ & festo sint digna, & vobis quàm maximè tuta. Atque illis paupertatis onus sublevare, exiguo vectigali, amicos illos neutiquam malos habituri.

Divites Saturno Salutem.

Num putas Saturne de rebus istis pauperes solùm ad te scripsisse? Quin potiùs Jovis ipsius aures obsurduerunt illis, dum clamãt, novamque rerum partitionem flagitant: ac simul & fatum incusant, quòd non æqualiter distribuerit, & nos quòd nihil ipsis impertiri velimus. Verùm novit ille quippe cùm sit Jupiter, penes quos sit culpa, eoque illos plerunque obaudit. Nunc tamen cùm nobis imperes, nostri apud te defensionem suscipiemus. Nos enim omnia ista quæ scribis ob oculos habentes, quam sit honestum de magna rerum copia indigentibus opitulari, quantoque sit jucundius simul cum pauperibus versari, & convivium agitare, ad eum modum assiduè facimus, & ita in vitæ ratione nos æquamus, ut convictor nihil pos-

hil pos-

hil possit incusare. Verum illi primum ajunt sibi paucis opus esse: deinde ubi fores illis semel aperuerimus, nunquam desinunt alia super alia postulare. Quod nisi protinus omnia, simulque cum dicto acceperint, mox paratum odium, in promptu convitia, etiamsi quid de nobis sit mentiendum. Porrò qui audiunt, fidem illis habent, ut qui probè sciant, eo quòd nobiscum consuetudinem habuerint. Ita fit ut in alterutrum incidamus, ut si nihil demus, illos prorsus habeamus hostes, aut profusis omnibus, ipsis protinus egeamus, jamque in pauperem gregem veniamus. At cætera quidem sunt tolerabilia. Verum inter cœnas ipsas non curantes ingurgitari, & implere ventrem, quum plus satis biberint, aut pueri formosi poculum porrigentis manum pungunt, aut pellicem, uxorem ve solicitant. Deinde evomito convivio, postridie nobis obtrectant, narrantes ut sitiverunt, & esurierunt. Quòd si hæc adversus illos mentiri videmur, vester ille parasitus Ixion redeat in memoriam, qui ad mensæ communis honorem admissus, ac vobis dignitate æquiparatus, jam ebrius ille vir egregius, Iunonem adortus est. Hæc atque hujusmodi sunt, propter quæ in posterum statuimus, quò res nostræ sint in tuto, ne posthac illis aditum in domum præbeamus. Quòd si te authore paciscantur, sese moderatè peituros, ut nunc ajunt, neque quicquam flagitiosum in conviviis admissuros, age convivant nobiscum, simulque cœnent bonis avibus. Ac de tunicis, sicuti jubes, mittemus, & de auro, pro facultate insuper insumemus: denique nihil omittemus. Tum illi arte nobiscum vivere desinentes, pro adulatoribus & parasitis amici sunto. Ita nihil erit quod in nobis desideres, si ipsi quoque suo fungi volent officio. *Hactenus Luciani Saturnalia.*

Scandali.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

GRAECORUM.

D*ivus Nazianzenus*: Vbi autem illud ponemus, quod ex his quæ nunc facis, alios, hoc est eos qui natura ad malum procliviores sunt, offendis ac vulneras, atque occasionem eis præbes, de te sinistrè partim suspicandi, partim loquendi. falsò sanè & iniquè id faciant, quid tamen necesse est hanc ipsis occasionem suppeditari? Neque enim sibi ipsi quis tantum vivit, sed & proximo: nec sibi ipsi fidem facere satis est, nisi aliis quoque fides fiat. *Epistola 43.*

D. Chrysostomus: Si non servare fratrem, culpam habet, id quod & Evangelici talenti defossor indicat, quid non faciet datum etiam scandalum? Sed inquies, Quid si suopte vitio scandalizatur infirmus? propter hoc ipsum æquum fuerit ut illum feras. nam si fortis esset, tali cura opus non haberet. nunc verò quia imbecillior est, multa etiam curandi diligentia indiget. Præstemus itaque eum, ubique eum portantes. neque enim propriorum tantummodò malorum rationem dabimus, sed & eorum quibus aliis scandalum præbemus. quod si etiam per seipsas graves sunt nostrorum delictorum pœnæ, ubi & istæ accedent quando salvabimur? *Homilia 25. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Quid eo homine sævius qui ægrotantem verberat? est enim quovis vulnere gravius scandalizare seu offensionem afferre. hoc quidem sæpe etiam mortem attulit. *Homilia 20. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Si scandala essent necessitatis, & non mentis eorum qui ipsa inferunt, supervacaneè dixisset, Væ illi per quem veniunt scandala. *Homil. 27. ad Cor. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Oculum ac manum dextram optimus Christus necessariorum ac fidissimorum amicorum propinquitatem nuncupavit: eos nimirùm, qui ad opem & auxilium syncerè nobis afferendum benevolo erga nos animo sunt, iis membrorum nominibus appellans, quorum opera nos ea, quæ nobis cordi sunt, exequimur. Cùm igitur quispiam ex ipsis scādali author existit, aut in peccato aliquo, quod probrum nobis afferat, atque ignominiam ipsi conflet, volutatur, hujusmodi hominem excindere oportet: ne alioqui pestem imitans, corporis integritatem & incolumitatem depascatur, suo videlicet dolore, iis, qui ab hujusmodi vitiis sani sunt, impacto. *lib. 1. epist. 83.*

¶ LATINORUM.

Chrysologus: Scandalorum genera sunt diversa: & prima sunt illa quæ diaboli fraus parturit. secunda sunt quæ generat calliditas humana. tertia sunt quæ parit ipsa ex nobis suspicax & incauta natura; quod nobis nostris generatur ex sensibus, cùm fallimur oculis, cùm decipimur auditu, capimur odore & sapore vitiamur. &c. *Sermone 27. m.*

¶ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Iesus Christus Dominus noster: Quum Ioannes, cognomine Baptista, audisset in vinculis opera Christi, missis duobus ex discipulis suis, dixit ei, Túne is es qui venturus eras, an alium expectabimus? respondens Iesus ait illis, Ite & renuntiate Ioanni quæ auditis & videtis: Cæci visum recipiunt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui excitantur, & pauperibus evangelizatur. Et beatus est qui non fuerit offensus in me. *Mat. 11. 2. 3. 4. 5. 6.*

Idem: Quisquis, inquit, offendiculo fuerit alicui ex parvis istis qui in me credunt, præstiterit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris. Væ mundo ab offendiculis, necesse est enim ut eveniant offendicula: verumtamen, væ homini illi per quem offendiculum evenit. Si verò manus tua vel pes tuus facit ut tu offendas, excinde ea & abjice abs te. bonum est tibi ad vitam ingredi claudum aut mancum, potiùs quàm duas manus vel duos pedes habentem conjici in ignem æternum. Et si oculus tuus facit ut tu offendas erue eum, & abiice abs te: bonum est tibi luscum ingredi in vitam potius quàm duos oculos habentem conjici in gehennam ignis. *Matth. 18. 6. 7. 8. 9.* docemur, miserabili morte interire præstare, quàm vel minimum inter Christi fideles consultò scandalizare. Et quum inter media scandala nobis in his terris versandum sit, quoad ejus à nobis fieri potest, eorum ansas præcidendas esse, & ne quidem in eorum gratiam qui nobis conjunctissimi sunt peccandum esse.

Sceleris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM

GRAECORUM.

D*ivus Nazianzenus*: Quinam ab ipsis etiam præfectis, qui ejusmodi officia illis præstabant, crudelitatis accusati sunt? Nam & si cupiditatibus eorum obsequebantur, at sævum tamen & crudele animi propositum oderant. Illud enim temporis erat: hoc rationis & consilii. Illud Imperatorii sceleris: hoc animi, quid leges, ex quarum præscripto jus dicendum erat, postularent, agnoscentis. *Orat. 25. contra Arrianos.*

S. Isidorus Pelusiota: Vehementer ipse quoque, ob ea, quæ flagitiosè ac scelerate fiunt, discrutior: at non tamen de mente dejicior. *lib. 3. epist. 200.*

¶ LATINORUM.

Ennodius: Quando non hominum obscenissima crimina innocentis officii texit umbraculum, & quidquid à morum nube descendit, cælestis militiæ serenitas excusavit? *lib. 1. Epist. 7. p.*

Ennodius: Nesciunt peccandi terminos, qui ad transgressionem sceleris excessuum amore provocantur. modum in erroribus ignorant, qui crimina excelsa moliti sunt. *Dict. 20. pr.*

¶ ORATORUM.

Libanius: Ita natura comparatum est, omnes ut malefici à minus nefariis facinoribus esse improbi incipiant. mox in primis experti vires suas pergunt ad proxima. deinde gravissima adoriuntur: tandemque ad ipsum procedunt miseriarum caput. Nam & vitæ honestatem scimus eodem pacto secundum morum initia solere consummari. nemo statim summus, sed ita fit paulatim. *Progymn. contra Homicidam.*

Quintilianus Senior: Scio, judices, quorundam scelerum eam esse magnitudinem, ut augeri verbis non possint. *Declamatione 219. m.*

Quintilianus Senior: Adjicere invidiam sceleribus numerus solet. *Declamat. 305. pr.*

Quintilianus Senior: Benè, quod magna scelera his ipsis quibus occultari videntur, aperiuntur. *Declamat. 307. fine.*

Quintilianus: Omnia, judices, facinora, nisi fallor, caussas vel de cupiditate, vel de simultatibus trahunt; Quod odium de amatore meretrici? quæ præda de paupere? *Declam. 15. §. 7.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Ranis v. 1065.

Et quid noxa pariunt urbi, tu ardelio, mea Stenobea?
Æ. Quia viros ingenuos; uxoresq; ingenuas docuisti
Potare cicutam, dum tuos reverentur Bellerophontes.
E. Quid? egone primus de Phædra scripsi hæc quasi nova? dic dum:
Æ. Imo trita. sed hæc quæ sunt mala, decet occultare poëtam,
Non producere, non condocefacere. nam pueris solet æquè
Dictare magister: adultis instillant præcepta poëtæ:
Omnino igitur decet utiliter nos loqui.

Plautus Truculento 4. sc. 2. v. 61.

Timeo ne malefacta antiqua mea nunc inveniam omnia.

Idem eadem 4. sc. 3. v. 20.

——— *Væ misero mihi,*
Mea nunc facinora aperiuntur, clam quæ speravi fore:
Lapideus sum; commovere me miser non audeo.
Res palam omnis est.

Terentius Phorm. 5. sc. 7.

Nonne hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras?

¶ APOLOGI.

De Cane, qui occidit filium domini. Fab. 162.

Vir quidam dives venandi studio mirifice deditus, complures canes alebat, quorum unus filium domini morsu interfecit. Dominus ira percitus, non solùm homicidam, verum etiam omnes alios jussit occidi. Tunc ait unus ex eis: unus peccavit, & cuncti plectimur.

Fabula indicat, unius malignitatem sæpe multis obesse. Laur. Abstemius.

§ Monosticha Trochaica.

Adstrictus sceleribus animus vix ab eis divellitur.
Altius ruunt scelesti quo efferuntur altius.
Cujus sceleris aliquis causa est, & videtur conscius.
Dum falsum exequimur quãdoq; incidimus in verũ nefas.
Ecquod in vita scelus nostra est nisi ob pecuniam?
Erui jubet scelestos qualibet lex, non tegi.
Esse factum omnes loquuntur & faciunt tamen scelus.
Exterum scelus habeatur civibus cum gaudio.
Exterum scelus omne habendum est omnibus cum gaudio.
Fructus est scelerum scelestis, non putare ullum scelus.
Grandium scelerum minister, tãquam exprobret, cernitur.
Haud dignum scelus nefarium est bonis successibus.
Haud neglectus Deis sunt qui patrant nefaria.
Haud scelestus est qui fecit, sed cui prodest scelus.
Implet & scelus jubentis dicta lictor improbus.
Is facit scelus quoque, intra se scelus qui cogitat.
Magna pars sceleris peracta est ejus sub ictu quod fuit.
Maximum scelerum supplicium in ipsis sceleribus latet.
Multa scelera perpetrantur omnem quæ superant fidem.
Nec fateri audent, nec possunt abnuere improbi scelus.
Nemo ab orbe condito absq; noxia mortalium est.
Nemo non factum exsecratur, nemo non facit scelus.
Non habent consilium scelera: impetu mero valent.
Non modò malefactum, etiam ejus lex voluntatem notat.
Non tenent modum patrarunt grande qui prius scelus.
Omni animæ scelus latentes imprimit penitè notas.
Per gradus virtusq; crescit, per gradus crescit scelus.
Proximus est ab innocente qui timidè gessit scelus.
Quas non Regum in præceps arceis alternum scelus dedit?
Qui scelus molitur, id quoque ut defendat cogitat.
Qui scelus patrant, nec acta, nec futura, cogitant.
Quis provectum retur sese ex magnitudine sceleris?
Sæpe in voce sceleris hæret quod paras atrocitas.
Sæpe sceleris magnitudo multa flagitia obtegit.
Spectat unà oditq; vulgi magna pars levis scelus.
Tandem animam suis nocentem sceleribus reddit malus.
Vix fidem invenit scelus scelesti scelestissimum.
Vnius scelus nefandum tota civitas luit.
Vt scelus peractum est ejus magnitudo noscitur.
Vt scelus peractum est ejus nimietatem intelligas.

§ Jambica.

A matre disce, si tibi ignotum est scelus.
Ægrè facinus nisi perpetratum creditur.
Aliquando vultus quoq; hominum fingit scelus.
Animo parandum est ultimum magno scelus.
Contagiosus est scelestum qui attigit.
Diu latere grande non potest scelus.
Diuturna nulli scelere parta potentia.
Et gloriantur in probris suis mali.
Etiam innocentum affectu, summum fit nefas.
Fit clam scelus; quæ recta sunt, fiunt palam.
Homines scelus metusq; vecordes facit.
In scelere felix nusquam est felicitas.
Latere per famam diu nequit scelus.
Longè facilius quàm vetes jubeas scelus.
Magnis sceleribus, jura naturæ occidunt.
Negata magnis sceleribus semper fides.
Non omne facinus, vitâ in omni nascitur.
Nullum est scelus, quod non quoq; olim contigit.
Nullum latet, certè haud diu latet scelus.
Patiare potius ipse quàm facias scelus.
Per scelera semper sceleribus tutum est iter.
Perdit scelerum ministros ipse herus suus.
Pestisq; fit communis unius scelus.
Pœnam meretur qui scelus vel cogitat.
Qui cogitat scelus facitve, idem Deo est.
Quis non ab uno ad alterum spectat scelus?
Quod metuit, auget, qui scelus scelere obruit.
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.
Scelus exterum omne habeas licet cum gaudio.
Scelus jubenti, crede, nunquàm serviam.
Scelus minantur igne suffusæ genæ.
Scelus omne habendum est exterum cum gaudio.
Scelusq; punit ipse cui prodest scelus.
Sceleri manifesto, subsidium ab audaciâ est.
Sceleri modus debetur, ubi facias scelus.
Scelere nisi vincis scelera non ulcisceris.
Se scelera nudant magna his ipsis queis tegunt.
Semper scelesto Nemesis adsistit comes.
Semper scelestos urget livor ac metus.
Tutum potest scelus esse, securum haud potest.
Velare multi probra nesciunt sua.
Vivunt male omnes; jamq; contextum est scelus.

Videantur plura titulo *Criminis, Erroris, Flagitij, Delicti, Peccati, Malefacti, Malitiæ, Vitij.*

Schismatis.

§ Sententiæ Patrum.

D*Ivus Nazianzenus:* Ingenia magna & ferventia tumultus istos, in quibus versamur, excitarunt, non illa quidem simpliciter magna & ferventia) nec enim ij sumus, qui animorum acrimoniam in vitio ponamus, sine qua nemo magnum aliquod pietatis aut cujusquam alius virtutis munus exequi potest) sed quæ cum generositate imprudẽtiam & inscitiam, & qui malus ipsius fœtus est, temeritatem conjunctam habeant (siquidem inscitiæ fætus, est temeritas.) Infirmi enim & imbecilles animi, tam ad virtutem, quàm ad vitium segnes & tardi sunt, neque in alterutram partem magnopere inclinantur: non secus scilicet atque hominum torpore laborantium incessus. At fortes & generosi, quemadmodum si ratione gubernentur & coërceantur, magnum ad virtutem pondus afferũt, ita, si à scientia & ratione deferantur, non minus momenti ad vitium habituri sunt. Sic nimirum equum acris esse ac generosæ naturæ necesse est, qui quidem, sive imbellis atque acie, sive in ludicro cursu & certamine victor sit discessurus: at idem tamen nullum unquam egregium sui usum præbuerit, nisi fræno eruditus, & accuratiori exercitatione domitus & cicuratus fuerit. Atque hoc ut plurimum est, quod membra laceravit & distraxit, fratres divulsit, urbes perturbavit, populos in furorem præcipites egit, gentes armavit, reges in mutuum exitium concitavit, sacerdotes cum plebe, & secum etiam ipsos, plebem rursus non minus ipsam secum, quàm cum sacerdotibus commisit, parentes cum liberis, liberos cum parentibus, viros cum uxoribus, uxores cum viris. Hoc omnia benevolentiæ nomina permiscuit, atque confudit, servos & dominos, discipulos & præceptores, senes & juvenes: convulsaque & proculcata pudoris lege quo nullum majus adjumentum ad virtutem excogitari potest, contumaciæ arrogantiæque legem induxit: factique sumus, non jam tribus ac tribus separatim, quod olim Israël objectabatur, nec Israël & Juda, duo, inquam, illa unius ejusque perangustæ gentis segmenta, verùm per domos & familias, & necessaria sodalitia, velutque in se quisque divisi sumus, universus orbis terrarum, universum hominum genus, quod Dei verbum fideique doctrina peragravit? multorumque imperium in effrænem quandam atque imperii expertem licentiam recidit, atque ossa nostra secus infernum dissipata sunt. *Orationem 16.*

D. Chrysostomus: Schismatis emphasis, & ipsum nomen accusationis sufficiunt ad eos valde tangendos. Non enim fuerunt multæ partes integræ, sed etiam una periit. Nam si ecclesiæ quidem essent integræ, multi essent cœtus: sin autem schismata, id est sectæ seu scissuræ, unum quoque periisset. Nam integrum quando fuerit in multa divisum; non solùm non multa fiunt, sed etiam unum perit. Talis est natura schismatum. *Homilia 3. ad Corinthios. 1.*

D. Chrysostomus: Nihil Deum æquè irritat atque divisam esse Ecclesiam. Etiamsi bona fecerimus innumerabilia; non minores quàm qui ejus corpus discindunt pœnas dabimus, qui plenum ecclesiasticum conventum conscindimus. Nam illud quidem factum est ad lucrum orbis terrarum, etsi non eo animo. Hoc autem nullam usquam habet utilitatem, sed ex eo damni est plurimum. Hæc dicta sunt non solùm ad eos qui gerunt magistratus, sed etiam ad eos qui ab illis reguntur. Dixit autem vir quidam sanctus quiddam, quod magnam præ se fert audaciam: sed tamen est elocutus. Quid hoc est autem. Dixit, ne sanguinem quidem martyrii posse delere hoc peccatum. Nam dic mihi, quamnam ob causam es martyr? An non propter Christi gloriam? Qui pro Christo animam prodegisti, quid popularis ecclesiam, pro qua Christus suam profudit animam? Audi Paulum dicentem: Non sum dignus vocari Apostolus, qui persecutus sum ecclesiam Dei, & eam sum depopulatus. Non est hoc minus damnum, quàm quod affertur ab inimicis, sed multò majus. Nam illud quidem eam efficit clariorem: hoc autem etiam apud inimicos eam probro ac dedecore afficit, quando sui filii eam bello appetunt. Videtur enim magnum esse fraudis indicium apud eos: quòd qui in ea sunt nati & educati, & ejus arcana exactè didicerunt; ij repentè mutati, tanquam inimici in eam sunt affecti. Hæc à me dicta sint ad eos, qui se dedunt indiscriminatim iis, qui scindunt ecclesiam. Nam si dogmata quidem habent contraria, vel propter hoc ipsum non conveniebat cum illis misceri: sin autem eadem sentiunt, multò magis. Quare? Quoniam est morbus ambitionis, & amoris imperii, & gerendi magistratus. Nescitis quid passi sunt Core, Dathan & Abiron? Num ipsi soli? an non etiam ii qui erant cum ipsis. Quid dicis; eadem est fides, illi quoque sunt orthodoxi? Cur ergo non sunt nobiscum. Vnus dominus, una fides, unum baptisma. Si res illorum rectè habent, nostræ malè: si res nostræ benè, res illorum malæ. *Homilia 11. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Dico & protestor, Ecclesiam scindere non minus esse malum, quàm incidere in hæresim. Dic mihi, si quis alicui Regi subjectus, ad aliud quidem non defecerit, neque se alicui Regi dediderit; sed illius acceptam & detentam purpuram à sibula totam demiserit, & in multa fragmenta disruperit: nunquid minus punietur, quàm qui ad alterum defecerunt? Quid verò, si cum eo ipsum quoq; regem jugulo apprehensum interemisset, membratim discerpens ejus corpus, quasnam pœnas dedisset pro meritis? Si autem qui Regi conservo suo hoc fecerit, majora fecit, quàm

ut quas

ut quas par est pati possit pœnas: qui Christum jugulat & membratim dilaniat, quam non merebitur gehennam? *Homil. 11. ad Eph.*

Io. Sarisberiensis: Facinus schismatis quos inquinat, æquat; nisi quia plerunque qui fortior imo ferocior, idem & iniquior est. Quid perniciosius aut odibilius bello civili? Nihil planè præter rabiem schismaticorum, aut hereticam pestem: quorum utrum perniciosius sit, non facile dixerim; si tamen in his numerus est, ut unum segregetur ab altero. Cessabunt planè bella civilia si præsumptioni desit temeritatis adjutor. nec est qui concives possit urgere ad furorem, nisi eos aliquatenus ipsa delectet insania. Utique necessitas confurendi, aut nulla omnino, aut ut multum imaginaria est. hæc quoque permultis maximisque periculis patet; quorum nemo satis declinat eventum, nisi præcaveat facultatem. Si ecclesia Dei erigatur in spiritus libertatem, si ministerium sceleris subire detrectat, aut omnino schismata sopientur, aut manente compage unitatis, soli inter se schismatici dimicabunt. Interim contineat ecclesia manus, oretque unitatis integritas, ut in se colligat dissidentes lapis incisus, in quem fundatur ecclesia, quem schismatici reprobant. &c. *cap. 23. Policratici, lib. 8.*

§ Apophthegm. Sacr.

Constantinus Imperator. Dicere solebat se schisma & Ecclesiæ divisionem quovis malo graviorem esse arbitrari. *Sozom. eccl. hist. lib. 1. cap. 18.*

Themistius Philosophus. Valentem Imperatorem adversus Orthodoxos sævientem Themistius philosophus admonebat, ne qua ipsum caperet admiratio de Christianorum in religione dissensione: eam enim perexiguam esse, si cum multitudine ac turba opinionum quæ sunt apud gentiles philosophos comparetur: Deumque velle tam diversa ac dispari opinionum ratione suam gloriam illustrare, quo singuli eius majestatem propterea magis revereantur, quòd non sit cuiquam in promptu eum accuratè cognoscere. *Socrates eccl. hist. lib. 4. cap. 27.*

Anonymus. Corripiens juvenes aliquando quidam senex ita eis dicebat, Credite mihi, filioli: nihil aliud schismata & hæreses introduxit in sanctam ecclesiam, nisi quòd Deum & nos invicem non valdè diligimus. *Ioannes Moscus in prato spirituali. cap. 74.*

Scholæ.

§ Sententiae Romanorum.

L. *Annaus Seneca*: Philosophum audio, & quidem jam quintum diem habeo, ex quo in scholam eo, & ab octava disputantem audio. Bona, inquis, ætate! Quid in bona? quid autem stultius, quàm quia diu non didiceris, non discere? Bene mecum agitur, si hoc unum senectutem meam dedecet. Omnis ætatis homines hæc schola admittit. in hac senescamus, hãc, ut juvenes, sequamur. In theatrum senex ibo, & in circum deferar, &, nullum par sine me pugnabit: ad philosophum iræ erubescam? Tam diu discendum est, quamdiu nescias, &, si proverbio credimus, quam diu vivas. &c. *Epistola 76.*

Mox: Pudet me generis humani. Quoties scholam intravi, præter ipsum theatrum transeundum est; illud quidem farctum est. at in illo loco, in quo vir bonus discitur, paucissimi sedent: & hi plerisque videntur nihil boni negotij habere quod agant. inepti & inertes vocantur.

Plinius Iunior: Annum sexagesimum excessit, & adhuc scholasticus tantum est; quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. nos enim qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus. Schola & auditorium, ut ficta causa, ita res inanis est: nec minus felix, senibus præsertim. nam quid in senectute felicius, quàm quod dulcissimum est in juventa. *lib. 2. epist. 2.*

§ Poetarum.

Oppianus lib. 1. ἁλιευτ. v. 680.

Vt autem quando studiorum ab operibus pueri redeunt,
Frequentes, eosq; a tergo inspectatores prosequuntur.
Verecundiaq; pectorisq; mentisq; moderatores
Senes; senectus namq; venerabilem virum reddit:
Ita sanè etiam Delphini suos liberos parentes
Comitantur, ne quid ipsis inimicum occurrat.

Ausonius Idyllio. 4.

Sunt etiam musis sua ludicra. mista camenis
Ocia sunt, mellite nepos. nec semper acerbi
Exercet pueros vox imperiosa magistri,
Sed requies, studijq; vices rata tempora servant.
Et satis est puero memori legisse libenter.
Et cessare licet. Graio schola nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuantur ut ocia musis.
Quo magis alternum certus succedere ludum,
Disce libens. longum delinitura laborem
Intervalla damus. Studium puerile fatiscit,
Læta nisi austeris varientur festa profestis.
Disce libens. tetrici nec præceptoris habenas
Detestere nepos. nunquam horrida forma magistri.
Ille licet tristis senio, nec voce serenus,
Aspera contracta minitetur jurgia frontis,
Nunquam immanis erit, placet assuetudine vultus
Qui semel imbuerit, rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem. pappos, aviasq; trementes
Antefecerunt patribus seri nova cura nepotes.
Sic neq; Peliden Chiron terrebat Achillem
Thessalico permixtus equo: nec pinifer Atlas
Amphitryoniadem puerum: sed blandus uterq;
Mitibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.
Tu quoq; ne metuas: quamvis schola verbere multo
Increpet, & truculenta senex gerat ora magister.
Degeneres animos timor arguit: at tibi consta
Intrepidus. nec te clamor, plagaq; sonantes,
Nec matutina agitet formido sub horis:
Quòd sceptrum vibrat: ferula, quod multa supellex
Virgea: quod fallax scuticam prætexit aluta:
Quod fervent trepido subsellia vestra tumultu.
Pompa loci, & vani fugiatur scena timoris.
Hæc olim genitorq; tuus, genitrixq; secuti
Securam placido mihi permulsere senectam.

Videantur plura titulo *Academia, Discipuli, Discendi, Doctrina, Præceptoris, &c.*

Scientiæ.

§ Sententiæ Patrum Græcorum.

C*Lemens Alexandrinus*: Omnis utilitas quæ ad vitam pertinet, suprema quidem ratione, à Deo omnipotente, qui præest omnibus patre, perficitur per filium, qui etiam propterea est Servator omnium, inquit Apostolus, maximè autem fidelium. Proximè autem ab iis quæ sunt proxima singulis, per jussum & præceptionem ejus qui est propinquus primæ causæ, nempe Domino. Qui est autem apud nos cognitione præditus, semper versatur in iis quæ sunt præcipua. Sed si quando est ei otium, & tempus relaxandi animi ab iis quæ sunt præcipua, loco alterius recreationis, Græcam quoque attingit philosophiam, ut qui sit bellarium ad cœnam illaturus, non ut qui neglexerit ea quæ sunt præstantiora, sed ut qui acceperit quantum decet, idque propter eas quas dixi causas. Qui autem in Philosophia appetunt, ea quæ non sunt necessaria, sed supervacanea, & solùm contentiosis vacant sophismatibus, discedunt ab iis quæ sunt necessaria & præcipua, rationum umbras verè persequentes. Ac bonum quidem est scire omnia: cui autem imbecillus est animus ad multarum disciplinarum suscipiendam peritiam, ea sola eliget quæ sunt præcipua & meliora. Nam quæ est revera scientia, quam dicimus solum habere eum qui est præditus cognitione, est firma ac stabilis comprehensio per constantes ac stabiles rationes deducens ad causæ cognitionem. Qui habet autem scientiam eius quod verum est in re aliqua, quæcunque ea sit, in eadem habet etiam ejus quod falsum est scientiam. *Libro Stromatum sexto.*

D. Chrysostomus: Quid profuerit ea quæ agenda sunt scire ei qui ea ad opus non perducit? certè nihil: imo major inde condemnatio existit. *Homilia 13 ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Est scientia absque verbo, & est scientia cum verbo. sunt enim multi qui scientiam quidem habent, verbum autem non habent; ut idiotæ qui non possunt apertè exprimere quæ habent in mente. *Homilia 2. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Nondum scis quidquam ut scire oportet. Si autem nullius exactam & perfectam adhuc habemus scientiam; quomodo nonnulli eò provecti sunt insaniæ, ut dicant se exactissimè & perfectissimè Deum nosse? cùm etiamsi omnium aliarum rerum perfectam haberemus cognitionem, ne hæc quidem sic posset haberi. Quantum enim sit eius ad omnia medium interstitium, ne dici quidem potest. *Homilia 20. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Quinetiam cognitio ipsa condemnat, si factis virtutisque officiis caruerit. *fine Homiliæ 5. ad Philippenses.*

D. Chrysostomus: Nolle omnia curiosè inquirere, & non cupere omnia scire, magnum præclaræ scientiæ argumentum est. placet exemplo uti: Sit flumen, imò sint flumina, non sunt æqualis omnia profunditatis, sed alia minus, alia majus habet profundum, & quod suffocare ignaros possit: hîc undarum vortices sunt, ibi non sunt. Nolle omnia æquè tentare, prudentiæ fuerit; profundaque omnia scire nolle, scientiæ non parvum argumentum est. sicut qui omnes fluvij partes æquè transire vult, hic maximè fluminum proprietates ignorat: & sæpe dum nimis præsumit secreta penetrare, omissis planioribus locis, perit temeritate sua. Ita & in Deo qui scire omnia vult, & cuncta improba temeritate rimari, hic qui sit Deus ignorat. Quemadmodum igitur in fluminibus major pars tuta est, paucique sunt fluctus atque profunda; ita & Deo pars major occulta est, neque investigari possunt opera ipsius. Quid ergo te ipsum præcipitare melius? *2. ad Timoth. Homil. 8.*

S. Isidorus Pelusiota: Tu quidem fortasse me multorum sermonum ac sensorum apparatum habere arbitraris. At ego illud probè scio, me nihil scire. Quôd si quid laude dignum à me afferatur, Deo id ascribendum est, qui ut auditorum utilitati consulat, rudes

atque eruditos homines persæpe sapientia & eruditione instruit. *lib. 3. epist. 241.*

¶ LATINORUM.

S. Chrysologus: Sed in hac lectione quid spiritualis intelligentiæ lateat si scire volumus, verborum flosculos non quæramus: qui maturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum: violæ, rosæ, lilia, narcissus grati flores, sed gratior panis. Quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus: quod dat panis vitæ, hoc scientia dat saluti. Seponenda est ergo eloquentiæ voluptas, quando scientiæ deposcitur fortitudo. *Sermone 18. m.*

Io. Saruberiensis: Scientia sui notitiam habet: quod evenire non potest, si non metiatur vires suas, sique ignorat alienas. *fine cap. 1. lib. 3. Policratici.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Maximus Tyrius: Quid est quod à bruto hominem distinguit? Quid est quod ab homine distinguit Deum? Ego reliquis animalibus antecellere scientia hominem judico: imbecillitatis causa esse infra Deos. Nam & homine sapientior Deus est, & reliquis plus animalibus scit homo. Quid ergo, dicet aliquis, aliud scientiam vis esse quam sapientiam? Non magis quam vitam aliud quam vitam: quæ cum hominibus mortalibus cum Deo communis sit immortali, qualitate eadem est, temporis vero brevitate distinguitur. Deus enim semper vivit, homo in diem. Vt si, exempli gratia, dari aliquo in oculo facultas posset, quæ perpetuo aciem intenderet, lucem admitteret nec palpebratum involucro nec relaxatione somni egeret, nec noctis quiete. Huic oculo cum his nostris: visus quidem communis esset, perpetuitate vero differret. Ita Deo homineque cum communis sit scientia, differt tamen.

Et de divina quidem alias fortasse: nunc hujus rei insistamus vestigiis. Vt sciamus, quo pacto sumi debeat, cum scire aliquid, aut cognoscere, aut addiscere hominem dicimus: aut tale quid denique, quod aliquem contemplandi animæ attribuat habitum. Num ergo quodcunque longa singularium contemplatione paulatim à sensibus collectum (vulgo experientiam dicunt) quisque ad animum transfert, si ratione postea ipsoque usu confirmetur, scientiam dicimus? Exempli ergo. Primi mortalium cum inventæ nondum essent naves, & commeritorum tamen amore ducerentur, quæ & necessitas exigebat, & prohibebat mare, avem forte fortuna è cœlo delapsam viderunt, quæ aquis innataret: aut aliquid è navi delapsum, quod in summis fluctibus subsideret: aut arborem quæ è fluvio in profundum ferretur. Aliquis etiam forte invitus in aquam concidit, moxque movere cœpit se & evasit: alius etiam volens & ludibundus hoc tentavit. Ita paulatim & per gradus navigandi peritiam experientia collegit, cœpitque materia è levi ratem extemporaneum contexere: quam firma tignorum inter se compago committeret. Dum hoc paulatim modo sensus & magistra procederet ratio: quorum industria vehiculum excogitavit atque invenit cavum, quod remiges impellerent, alæ ventorum ferrent, venti tollerent, clavus dirigeret. Huic vitam suam sola gubernandi freta arte, commisit.

Etiam inventam olim hoc modo ferunt medicinam. Ægrum sui singuli propinqui in viam deferebant publicam. Accedebant continuo alii, & de morbo quærebant. Tum si quis eidem aliquando obnoxius malo, cibo aliquo aut igne aut ferro, aut potus denique id depulisset temperantia, cum ægro sua communicabant singuli. Atque ita similitudo morborum, remediorum simul colligens memoriam, paulatim in artem redegit id totum. Sed nec architectura, nec ferraria, nec tectura aut pictura, aliter quam experientiæ subsidio ad finem pervenere suum. Sit ita. Alicujus in homine operis aut instituti consuetudinem, scientiam dicamus. An & illud homini cum brutis commune est? Est vero: nam nec sensum nec experientiam recte aliquis propriam dixerit homini. Quia & sentire belluæ, & sæpius tentando aliquid possunt addiscere. Atque adeo eo modo sibi vindicabunt sapientiam. Grues æstivo tempore cum calorem illius terræ amplius non ferunt, ex Ægypto abeunt: passisque veli in modum leniter alis, recta Schytiam versus per aërem feruntur. Cum vero non ita concinna sit & æquilibris corporis eorum constitutio (in medio enim gravior, supra est protensior; rursus, quæ caudam pars tangit levior, quæ alas, inanior est, pedes denique dispasti sunt illis & divisi) necesse est ut non secus quam navis quæ à ventis jactatur, fluctuet in aëre. Id cum vel sensu vel ipsa compertum habeat experientia, non prius in altum se attollit grus, quam lapidem assumat ore, qui illi & saburræ instar est commodè ut volet, & saluti est ne pereat.

Cervæ æstivo tempore pascendi causa ex Sicilia circa Rhegium transmittunt: qui cum non exiguus sit trajectus, fit tandem ut deficiant, ægreque supra aquam sustollant verticem. Ergo hoc excogitarunt remedium. Sigillatim omnes natant ordine, ut alteram sequatur altera: non aliter quam bene instructus procedit exercitus. Sequentis enim caput anterioris incumbit lateri, atque ita natant, dum defatigetur prima quæ agmen ducit. Quod cum fit, illa in tergo locatur: aliaque primos semper, alia postremos ducit. Sicut in castris tergo Xenophon, fronti præest Chærisophus. Vt etiam in aciei instruendæ peritia aliquid sibi vindicent hæc animalia.

Vnde sequitur nec sensum nec experientiam sed rationem proprium esse hominis. Nec aliud scientiam esse, quam firmam rationem, quæ per eadem semper procedit, cujus proprium est res cognatas inquirere, res dissimiles distinguere, similes componere, proprias conjungere, conjunctas discernere, alienas distinguere, quæ denique sine ordine sunt, in ordinem redigere, quæ parum congruunt, quadrare. Tales revera sunt & Arithmetice, & Geometrice, & Musice, aut si quæ aliæ non manuum beneficio sed vi rationis inventæ, humano omnia exequuntur ingenio. Quas Homerus tamen & antiquus homo & fide dignissimus neutiquam primo statuit loco: sed potius hos tanquam solos sapientes miratur,

Vatemq; medicumq;, aut fabrum ligna secantem,
Divinumq; poëtam.

O æqualitatem admirabilem! Et vates ergo sapiens est & faber, & medicus. Apollo & Asclepius eodem cum Phemio honore digni erunt. Quare vide ne ex inventione magis quam utilitate artes æstimet Homerus: nobis vero non eo modo sit investiganda veritas, sed sic potius.

Anima hominum res est quæ & facillimè movetur, & omnium est velocissima: constatque ex humana partim, partim ex divina natura. Pars ejus quæ mortalis est belluinam quam proxime attingit (nam & augmentum cum iis habet commune & nutrimentum: tum id quod movetur in ea & sentit) Pars quæ immortalis est ad divinam accedit: (nam & intelligit & ratione utitur & discit & scientiæ fit compos.) Iam qua natura ejus quæ mortalis est maxime ad immortalitatem accedit, id omne prudentiam vocamus: cui medium inter scientiam ac sentiendi facultatem locum tribuimus. Itaque opus animæ qua ratione caret; est sensus: qua divina est, intellectus. Sensus autem experientiam colligit, prudentia rationem, certitudinem ratio. Hæc si apte inter se concinneque concurrant omnia, jam scientiam habes. Quod si à simili confirmandum est quod dicimus, confer sensum cum fabrili opera, cum geometria intellectum, cum architectonice prudentiam. Ars in medio sit Geometriæ & fabrilis operæ: quæ ad hanc collata, scientia erit, ad illam, vincetur certitudine. Iam hæc tria, scientia, prudentia, & experientia, naturalem in homine singulæ pro se promovere solent facultatem. Quarum illa quidem circa ignem & ferrum reliquasque versatur materias, multarumque beneficio artium quælibet humanæ vitæ colligit commoda. Prudentia quæ in animi affectionibus munus exercet suum, quas non aliter quam famillas mater ex rationis dirigit præscripto si cum experientia conferatur, scientiæ vicem erit; sin cum scientia, eo superatur, quod nec certam circa rem nec definitam versetur, ejusque semper se accommodet naturæ. At vero mens, summum animæ bonum, magnaque imperatrix, id in ea est, quod lex in urbe. Non quæ in tabulis scribitur aut columnis inciditur, aut decretis sancitur, aut concionis manu sciscitur, aut à populo approbatur, aut in judicio recepta, aut à Socrate lata est aut Lycurgo. Ejus quippe legislator Deus est, ipsa, lex non scripta, & quæ nullis suffragiis autoritatem debet suam, neque eorum quæ jubet cuiquam rationem reddit. Hæc sola lex est: reliquas vero quæ falso hoc sibi nomen vindicant, inanes merito opiniones vocaveris: quæ falluntur sæpissime & aberrant. Illis legibus Aristides debet quod exulat, quod mulctatur Pericles, Socrates quod moritur. Nam si alteram hanc spectes quæ divina est, justus Aristides, vir bonus Pericles, vir sapiens est Socrates. Illius opus est nimia populi potentia, judicia, conciones, cæci plebis impetus, principumque ejus corruptelæ, varii casus, incommoda diversa. Hujus vero, libertas virtus, tranquilla vita stabilisque felicitas.

Ex illarum præscripto frequenter in judicium curritur, triremes implentur, educuntur classes, terra vastatur, bello ardet mare, Ægina deficit, muro Decelia cingitur, perditur Melus, occupantur Plateæ, Sicyon diripitur, Delos evertitur. Ex harum vero virtus colligitur, præclaris impletur disciplinis animus, res privata honeste, publica præclaris dirigitur legibus: bellum nusquam est, ubique terra marique parta securitas. Nihil usquam sinistrum, nihil inhumanum nihil barbarum. Pacis plena sunt omnia, omnia fœderum: ubique scientia viget, ubique sapientiæ studium, & liberales disciplinæ. O legibus antiquiores leges, ô legislatoribus mansuetiores legislatores! Quibus si quis volens se submiserit, liber pariter divesque aget: nec quotidianis hisce magnopere legibus stultisque egebit judicibus. Quicunque vero ab earum recesserint præscripto, injusteque vixerint, pœnas illi subeunt: non quod Atheniensium damnentur suffragiis aut ab undecim viris abducantur, aut denique è tortoris manu venenum hauriant. Minime: sed propria sed innata sed voluntaria improbitate sua.

Crimine nam periere suo pœnasq; dedere.

Hanc legem transgressus est Alcibiades, hujus ex legis judicio infelix dicendus fuit: non cum è Sicilia ab Atheniensibus ad dicendam causam vocaretur, non cum à sacris præconibus, non cum ab Eumolpidis devoveretur, non cum Atticam relinqueret. Vulgaria hæc sunt, levissimæ hæ pœnæ sunt. Major enim & in exilio iis qui manebant erat Alcibiades. Nam & apud Lacedæmonios exul vixit non inglorius. Post ea, & Deceliam munivit, & amicus Tissaphernis & dux fuit Pelopōnesiis. Sed vera illa de qua loquor Alcibiadis pœna, antiquior, ab antiquiore multo irrogata lege, antiquioribusque judicibus: cum Lyceum relinqueret, cum à Socrate damnaretur, cum à philosophia fuit proscriptus.

Tum

Tum exulare cœpit Alcibiades, tum capi. O proscriptionem gravem, ô diras implacabiles, ô miserrimum errorem! Igitur postea etiam cum precibus receperunt eum Athenienses, philosophia vero & scientia & virtus quem semel proscripserunt, nunquam admittunt, nunquam in gratiam recipiunt. Talis est scientia, talis ignorantia. Ego vero & Minois leges scientiam vocare non dubitem, quam novem annis Iupiter docuit, Minos didicit: cum bono suo Cretenses sequebantur. Ego & virtutem Cyri regiam dico scientiam: quam docèbat quidem Cyrus, non discebat tamen Cambyses, non discebat Xerxes. Cyrus enim Persis haud secus imperabat, quam pecoribus pastor. Ille saluti gregis prospicit & pabulo. Ille in Medos bellum movet, ille Babylonios invadit. Lupis vero barbaris ferisque ne aditum quidem ad gregem permittit. Cambyses contra Xerxesque è bonis pastoribus lupi evasere improbi. Ille gregem totondere, illi ad hanc ne accessere quidem scientiam. Ego & Lycurgi leges scientiam voco. *Dissertatione quadragesima.*

Themistius: Olim cùm Amorem peperisset Venus, cætera quidem formosus & parente sua dignus videbatur, hoc unum deerat, quod in justam ac pulchritudinis congruentem staturam non excresceret, neque augesceret corpus, sed diu qualis editus fuerat permaneret. In hac tanta novitate rei cum & Mater, & nutrices infantis Gratiæ quid agerent nescirent, Themidem adeuntes (nondum enim Apollo Delphos obtinebat) orabant exitum ut aliquem puero tam inauditæ tamque inusitatæ calamitatis ostenderet. At illa: ego, inquit, vos ea anxietate ac molestia liberabo: nondum enim naturam nostis infantis. Tuus ille, Venus, amor germanus ac syncerus utcumque nasci solus potest, crescere solus non potest: sed Anterote tibi opus est, si Erotem cupis crescere. Natura autem hæc amborum fratrum erit; mutuo alter alteri incrementi causa erit, cũ enim sese invicem aspexerint, æqualiter adolescent, sin alter uter deerit, ambo minuentur. Sic Anterotem Venus parturit, statimque gliscere Eros cœpit, & pennas producere, ac fieri grandior. Itaq; tanquam ei forti, ac conditioni obnoxius mirabiles sæpe casus varietatesque sustinet, modo vigens, crescensque, alias marcescens, rursum incrementum capiens sed fratris perpetuo societatem desiderat, quem cum magnum animadverterit, major esse contendit, eundem ubi parvum ac contractum deprehenderit, nonnunquam ipse marcet, minuiturque vel invitus. Forsitan putetis grande aliquid & arcanum à me esse dictum. Ego vero hoc dico, iis, qui scientias ac doctrinas crescere, ipsumque amorem fieri grandiorem velint, necessario easdem illas esse redamandas. *Orat. 8.*

¶ Apophthegm. Sacr.

Salomon. De scientiæ vanitate disserit in Ecclesiaste dicens, eum qui addit scientiam addere & laborem: & in multa scientia multam esse indignationem, *cap. 1. 18.*

D. Hieronymus. Vera hominis scientia, inquit, est imperfectum se nosse. *Dialogo adversus Lucif.*

Gr. Nazianzenus. Scientia scientiarum ea mihi esse videtur, inquit, hominem regere, animal omnium maximè varium & multiplex. *Orat. 1.*

¶ Monosticha Trochaica.

A Deo est scientia omnis, omnis eruditio.
Cuncta nosce, quatenus est fas, cuncta nosce cum modo.
Destinatio animi non est, nisi certa ubi scientia est.
Dignitatem ubiq; adauget nobilis scientia.
Haud scientiam natura dat, sed ejus semina.
In scientia actionum vera libertas sita est.
Ingenio ac labore quamvis compares scientiam.
In scientia vita optima atq; jucundissima est.
In scientiâ elabora profuturâ plurimis.
Multa qui scit, hora nulla est plura scire quin velit.
Nemini datum est futura scire ceu divinitus.
Neminem vidi qui numero sciret, quod scito est opus.
Nil tuum est scire omne, si non alter ipsum sciverit.
Non facilè invenias qui quod scit ipse haud tradat alteri.
Nondum adhuc est natus is, qui scire quivit omnia.
Nullius scientia adæque est difficilis quàm vivere.
Omne quod scis nil juvat; multum omne quod nescis obest.
Omnium illicò arte & usu compares scientiam.
Quæ scire est necesse, turpe est ignorare liberum.
Scire cur velis tibi uni cuncta? trade posteris.
Scire nil juvat, necesse est quisq; item ut patret bonum.
Scire velle plusquam sat sit, genus intemperantiæ est.
Vel nihil confert virtuti, vel parùm scientia.
Vita felix ac perfecta ei est cui scientia est.

¶ Jambica.

Cuncta eripi queunt, at haud scientia.
Et scala quædam sensus est scientiæ.
Honesta scire cuncta, præstantissimum.
Nil dulcius quidquam homini, quam scire omnia.
Mendacio semper caret scientia.
Molestia ac labor comes scientiæ est.
Nemo attigit fines adhuc scientiæ.
Nil Socrates scit quam unicum hoc, quod nil sciat.
Non quod latet semper putandum est optimum.
Permulta scire, res verè vanissima est.
Professioni cede, non scientiæ.
Quæ quisq; novit & citò & lubens facit.
Quæ recta sunt multi sciunt, pauci patrant.
Res maximæ haud sciuntur a quamplurimis.
Scientia absq; æquo; fraus, non sapientia est.
Scientia anteacta rei, illicò docet.
Scientiarum finis omnium est bonum.
Solummodò veri scientia est Deo.

Scommatis.

¶ Sententiæ Patrum.

D*Ivus Chrysostomus:* Necesse est ei, qui urbanis ac facetis dictis utitur, supervacaneas suscipere inimicitias eorum, qui temerè urbanis dictis irridentur, sive adsint, sive absentes audierint. Si res est pulcra & honesta, cur relinquitur mimis? Mimus evadis, & non te pudet. Cur quæ sunt ex vobis liberis hoc facere non permittitis? An non statuitis rem nõ esse morum honestorum & modestorum? Magna mala habitant in anima, quę verba usurpat urbana & faceta, magna effusæ lætitiæ dissolutio & solitudo: hiat compago, marcescit & putrescit ædificium, exterminatur timor, abest pietas ac reverentia. Habes linguam, non ut Comicis dictis incessas, sed ut Deo agas gratias. Non vides moriones, qui γελωτοποιοὶ dicuntur, quòd risum moveant, & vulgo vocantur Σαμάρδακοι? Isti sunt εὐτράπελοι, id est urbani, dicaces, faceti. Expellite rogo à vestrarum animarum finibus ingratam hanc gratiam. Res est parasitorum, minorum, saltatorum. Procul sit ab anima libera, procul ab ingenua & procul à servis. Si quis est infamis, si quis turpis & obscœnus, is est etiam εὐτράπελος, id est urbanus & facetus. Multis autem videtur hæc res etiam esse virtus: & est hoc lugendum. Quomodo enim concupiscentia paulatim devenit ad scordationem: ita etiam urbanitas & dicacitas videtur esse res gratiosa. sed nihil est hoc minus gratiosum. Audi enim scripturam dicentem: Ante tonitru properat fulgor, & pudentem præcedit gratia. Vrbano autem & dicaci nihil est impudentius. Quare eos ejus est plenum, non gratia, sed dolore. Hunc morem expellamus à mensis. Sunt etiam quidam qui pauperes hoc docent. O absurditatem! Vrbanos & dicaces esse faciunt, qui sunt in afflictionibus. Vbi enim jam non est hic morbus? Iam etiam introductus est in ecclesiam: jam etiam attigit scripturas. *Homilia 17. ad Ephesios.*

S. Valerianus: Cavendum est, ne scenico sermone alter alterum lædat, & theatralibus verbis verecundiam fratri læsæ æstimationis incutiat. Solet minima oris facetia excitare motus animorum, & sermo lætitia accinctus reciprocum parare convicium. sic denique scintilla quamvis parva flammas evomit, & ex nihilo exorta magna frequenter movet incendia. *Homilia 6.*

¶ Apologi.

Phædrus Fab. 29. Asinus irridens Aprum.
Plerumq; stulti risum dum captant levem,
Gravi destringunt alios contumelia.
Et sibi nocivum concitant periculum.

Scortationis.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D*Ivus Greg. Nyssenus:* Fugite fornicationem. Si irruat bellum incredulitatis, utile est ei resistere. sed si dolo nobis minetur acies, contra hos adversarios pulcrum est locare insidias. Tenditur arcus calumniæ, utile est adversa fronte congrui cum mendacio. Quãdo autem jacit telum forma meretricia, honestum est tergum vertere, & fugere vultum adversum. in oculos enim telum dirigit fornicatio: quæ habet aliquid magis timendum quam alia scelera. nam alia quidem peccata videntur abstinere à carne eorum qui ipsa admittunt: & quod actum est, in eo solo se sistit, quod suscipit actionem; ut in rapinis, eorum est solum damnum quibus est raptum; in vitio invidiæ, id erumpit in eos solum quibus invidetur; in sycophãtiis ac calumniis, si eis fides habeatur, is solus vocatur in periculum qui eis impetitur; in iis quoque qui cædem fecêre, ejus est in quem facta est infortunium. denique si quis nefariorum factorum persequatur actiones, inveniet eorum quidem qui faciunt injuriam, partem lucrari; eorum autem quibus fit injuria, damnum accipere. fornicatio autem non suscipit eiusmodi divisionem; nec eius qui passus est actionem, separat ab eo qui egit, sed utrumque simul evertit, & colligat communi vinculo pollutionis. Possunt avari cùm alium damno affecêre, ipsi nullo damno affici. fornicatores verò non possunt corpus probro & dedecore afficere, quin simul cum eo qui probro est affectus, ipsi quoque probro afficiantur. Ij qui occidunt, fieri potest ut non simul occidantur cum iis qui sunt interfecti. fornicatoribus autem si carnem inquinaverint, non licet esse mundis ab inquinamento. *Orat. contra fornicat.*

Idem paullo post: Fur ut alat corpus audet aggredi facinus. fornicator autem suæ carni parat insidias, ut eam deprædetur. Avarum ad rapinam excitat lucri appetens cogitatio: fornicatio autem damnum honestatis corporis. Invidia struit facinus cùm amicus esse

censeatur: fornicator autem sibi suam operatur ignominiam. quid enim ea, quæ tanquam lixa fert impedimenta, turpius & ignominiosius? cœnam haurit, sordium congerit cumulum, immundo munere fungitur. Ea autem quæ cadit sub intelligentiam fornicatoris miseria & infelicitate, non est minor ea quæ est aperta ac manifesta. Est enim in ædibus fugiendus, in congressibus abominandus, contumelia appropinquantibus, inimicis opprobrium, cognatis probrum ac dedecus, ijs qui simul habitant execrandus, dolor parentibus, famulis publicum ludibrium, vicinis ridicula narratio. si velit uxorem ducere reiiciendus. in matrimonio suspectus sponsus, pater filiis odiosus, despicabilis consiliarius, largiens ingratus, petens ingratior, mortuus magis laborans infamia.

D. Chrysostomus: Etiam à malis istis conviviis malæ vobis sunt libidines: hinc lasciviæ: hinc uxores quidem contemptæ, scorta verò apud vos in pretio: hinc domorum eversiones, innumeraque mala sunt: hinc sursum ac deorsum volvuntur omnia. Puro siquidem ac liquido relicto fonte ad immundi cœni cloacam curritis. Cœnam namq; scorti corpus esse, neminem alium in testem advoco, quàm teipsum, qui volutatus in cœno illo es: pro qua re, quæso, annon penes teipsum erubescas, an non impurum te post perpetratum peccatum existimes? Obsecro itaque fugite fornicationem, matremq; ipsius ebrietatem. Quid seminas, quod metere non licet? imò si messueris, multum tibi dedecoris ipse fructus adferet? Nam si puerum pepererit: & tibi dedecus attulit, & puero magnam injuriam, qui propter te nothus & ignobilis natus est. Cui etiam si innumeras pecunias reliqueris, hoc tamen adhærebit: ut ignominiosus sit in domo, ignominiosus in urbe, ignominiosus in foro: sive ex scorto sit, sive ex ancilla. Quin & tu quoque ignominiosus eris, non solùm in vita, sed & post mortem. Nam etiamsi hinc abscesseris, manent tamen post te turpitudinis tuæ monumenta. Quid igitur omnia dedecore afficis? Quid seminas, ubi arvum ipsum fructum corrumpere studet, ubi multa sunt sterilitatem causantia, ubi ante generationem cædes? Scortum enim non permittis, ut scortum tantummodò maneat: sed & homicidium patrare facis. Vides quomodo ex ebrietate sit scortatio, ex scortatione adulterium, ex adulterio cædes, imò cæde etiam pejus quid? Neque enim habeo quo flagitium istud enorme exprimam. Nam non solùm quod natum est occidit: sed & ne nascatur prohibet. Quid ergo & donum Dei ignominia adficis? Quid ipsius legibus repugnas, & quod execrandum est velut laudabile persequeris, generationisq; promptuariũ prõptuariæ facis occisionis, & mulierem quæ ad puerorum generationem data est ad necis artificium instruis? Ut enim & amatoribus perpetuò sit accommoda & amabilis & plus interea pecunia corrodat: neque hoc, utut facinorosum, contabitur facere; multum ignis inde in tuum ipsius caput accumulans. Licet enim res ista muliebri agatur audacia: causa tamen tibi imputabitur. Hinc sunt & idololatriæ. Multæ siquidem ad hoc ut amentur, & incantationes, & libamina, & philtra, innumeraque alia machinantur: & tamen post tantam turpitudinem, post cædes, post idololatrias, multis res ista indifferens esse videtur: multis, inquam, uxores quoque habentibus. Ubi etiam plurium malorum cumulus est. Nam heic & venena parantur: idq; non forcinario utero, sed uxori injuriam passæ: & innumeræ insidiæ, & dæmonum invocationes, & mortuorum incantamenta, & bella quotidiana, & irreconciliabiles pugnæ, & assuetæ contentiones. Unde & Paulus cùm dixisset, non cubilibus ac lasciviis; subjunxit, non contentione & æmulatione: non ignarus quæ hinc nascantur bella, quæ domorum subversiones, quæ pueris genuinis injuria, innumeraque mala. *Homilia 24. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: In fornicatione totum corpus sceleratum & exsecrandum. tanquam enim incidens in lebetem immunditiæ, sordibusque & inquinamento tinctum sic polluitur. Nam ab avaritia quidem, fraude, & rapina, non curarit quisquam ire in balneũ, sed citra discrimen redit domum. A concubitu autem cum meretrice, tanquam totus effectus immundus, venit ad lavacrum: ita turpiorem quandam existimationem ex hoc peccato habet conscientia. *Homilia 18. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Quid possit esse eo turpius; qui stat ad fores domus meretriciæ, & pulsatur à meretrice, fletque & ejulat, & probro afficit suam existimationem? Si vis autem etiam videre damnum: veniant tibi in mentem sumptus pecuniæ, de extremis pericula, bellum quod geritur adversus rivales & adversarios amatores, vulnera & plagæ quæ accipiuntur ex huiusmodi acie. *Homil. 37. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Subeat animum tuum hæc cogitatio, quod quoties scortatus es, toties teipsum condemnasti. huiusmodi quippe est peccatum protinus ut perpetratum est, sententiam fert judex. *Hom. 22. ad Corinth. 2.*

D. Chrysostomus: Sicut porcus luto plenus, quocumque ingressus fuerit omnia implet fœtore, & sensus implet stercore: ita etiam scortatio est malum quod difficulter potest elui. *Homilia 5. ad Thessalon. 1.*

D. Chrysostomus: Qui non didicit scortari, ne adulterium quidem sciet admittere. Qui cum illis autem, nempe cum meretricibus, volutatur, ad hoc quoque cito veniet, etiamsi non cum viro conjunctis, sed cum solutis stupri habeat consuetudinem. Quid ergo suadeo? Ut radices excindatis, quicumque filios habetis juvenes, & ad mundanam vitam eos educitis. Cito eos subjungite jugo matrimonij. Nam quando adhuc juveni molestiam exhibent desideria, eo quidem tempore quod præcedit matrimonium, eos continete admonitionibus, minis, terroribus, promissis, & aliis innumerabilibus: in tempore autem matrimonij nemo vobis differat, (ecce loquor verba pronubæ) Filios conjungere & copulare. Quum puer creverit, antequam sectetur militiam, & ullum aliud vitæ genus, de ejus matrimonio curam gere. Et, si ille viderit, quod sponsam cito ad eum adducis, & quod breve tempus intercedat, fortiter poterit ferre flammam. Sin autem in mentem ei venerit quod sis socors & negligens, cuncterisque & expectas dum magnos proventus sit possessurus, & tunc ei parabis nuptias, ob temporis longitudinem animum despondens, cito labetur ad scortationem. Sed hei mihi, radix malorum est hic quoque avaritia. Nam quoniam nulli est curæ quomodo temperans & modestus fiat filius, sed tenentur omnes insano auri amore. hac de causa huic rei nemo studet. Quãobrem rege primum ut eorum animos componatis. Si ad castam sponsam accesserit, si illa solum corpus viderit, & vehemens erit desiderium, & major Dei metus, & vero honorabile matrimonium, munda & impolluta corpora suscipiens: & quæ nascentur erunt plena multa benedictione: & alter alteri cedent sponsus & sponsa. Nam quum morum alienorum utrique sint imperiti, subiicientur alter alteri. Junior autem incipiens lascivire & se dedere libidini, & morum meretricorum accipere experientiam, usque ad primam quidem & secundam vesperam laudabit suam uxorem: postea autem cita dilabetur ad illam lasciviam ac petulantiam, ad risum effusum & immodestum, quærens verba multa illiberalitate plena, molles & fractos gestus, & omnem aliam turpitudinem, quam ut dicamus minimè est tolerandum. Ingenua autem non sustinet hæc exhibere, neque seipsam inquinare. Ad vitæ enim societatem, & liberorum procreationem viro fuit desponsa, non ad turpitudinem & risum: ut domum custodiat, ut illum quoque erudiat esse honestum & gravem, non ut ipsum exhibeat fomenta scortationis. At jucundi tibi videntur gestus meretricij. Scio. Nam hoc quoque dicit scriptura: Mel distillat à labiis meretricis. Propterea enim hæc omnia facio, ne illius mellis capias experientiam. In fel enim statim vertitur. Et hoc quoque dicit scriptura. Quæ ad tempus tuum guttur impinguat: postea autem felle amarius invenies, & ancipiti gladio magis acutum. *Homil. 5 ad Thessalon.*

Isidorus Pelusiota: Quid tu incassum libros gestas, & eorum lectionem, per ea, quæ facis, aversaris? Nam cùm Dominus ipsum quoque curiosum fœminarum conspectum damnet, tu tamen non modò insano pulchritudinum amore flagras, verùm etiam servilem, ut intellexi, vitam amplexus es, ut qui contubernale scortum acceperis, ac sempiternam ignominiam ames. Atqui te illud scripturæ ob oculos habere oportebat, Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: fornicatores autem & adulteros Deus judicabit: atque illud consectari, hoc odisse. Horrendum est in Dei manus incidere. Qui hæc scripturæ verba attendit, haudquaquam his delectatur, verùm resistit. *lib. 1. epist. 234.*

Isidorus Pelusiota: Multæ, ô beate, velut januæ sensuum aperiri possunt ab eo qui voluerit, in illud: Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suũ peccat: & primò quidem hanc aperire quis potest. Non dixit, Per corpus peccat: (quod multi existimantes, molestias exhibent interpretantibus) Sed, in ipsum peccat: in ipsum delinquit: ipsum polluit: reum criminis ipsum efficit: perinde ac si quis dicat: Iste seipsum contumeliâ afficit, dum putat se alium contumeliâ afficere. Jam enim Apostoli oratio spectat non ad supplicium quod post hanc vitam sequetur peccatum; sed ad eam, quæ in ipsa actione, in flagitio inquam ipso, corpori ex commixtione & copulâ carnali existit cõtumeliam, hoc est pollutionem. Nam qui cædem perpetrat, alium occidit: At qui fornicatur, in seipsum est injurius. Et qui alia quæpiam peccata committit, is in alium ea committit: Sed qui libidinatur, seipsum probro afficit: semetipsum inquinat. Unde fit quoque, ut abluant sese, videlicet inquinamentum cogitantes, & flagitium ab se perpetratum abominantes. Alia enim delicta etiam illum in quem delinquitur, respiciunt: Hoc verò ipsum qui delinquit, & injuriam facit. Cætera delicta sunt extra corpus perpetrantis: Hoc autem ipsum polluit perpetrantem: In cæteris, qui ea committit, alios lædit; In fornicatione, seipsum.

Quòd si etiam alteramvis tibi aperiri januam intellectus, cogita: Quandoquidem sæpè homini, etiamsi is non commiserit peccata veniâ majora, dicimus admonitionis causâ: Desiste, mi frater, ab hoc morbo: Hic morbus omnium est deterrimus, non quòd hic omnes alios superet: sed quòd ipso quoque eum liberare cupiamus: an non etiam Apostolus similiter de fornicatione hoc dixerit. Nam dum corrigere atque emendare vellet eum qui apud Corinthios fornicatus erat, in hanc vocem erupit.

Jam si tertiam quoque vis tibi aperiri januam, hoc animadverte. Quemadmodum qui in mare frumentum aut aliud quodpiam (semen) proijcit, in semen peccat, dum id prohibet ad generationem pervenire: Ita etiam is qui in meretricem proijcit suum semen, in proprium corpus peccat, ipsa perimente id quod natum fuerit.

Porrò si quartam (desideras interpretationem,) cogitare oportet, secundum id quod agit, ipsum etiam pati. Nam nisi passus quid esset, non fluxisset. Si autem fluxit, corruptus est: si verò corruptus est, contumeliâ affectus est. Quæ etiam causa est, quod de nullâ aliâ actione, sed de solo viri cum muliere congressu dicitur, corruptos esse virginem & adolescentem rem expertos veneream.

Si & quintam (vis interpretationem.)cogita, ſi ei qui cum ſcorto congreſſus eſt, natus fuerit aliquis filius, is ad fornicationem educatur, & qui poſtea eum conſpexerit, dicet: Revera in ſeipſum ille fuit injurijs. Ecce enim ſemen, vel potius corpus ejus ſcortatur.

Si verò etiam ſextam: ſcire debes, quod ſi cum ſervâ quis rem habuerit, ſervum erit id quod ex eâ naſcetur. Quomodo ergo non in ſeipſum peccat, qui ſervum ſatagit procreare?

Si & ſeptimam: vide: quod etiam id quod ex tali complexu naſcitur, contumeliâ afficitur, quippe quod nothum ac ſpurium vocetur, & ignominia ubique locorum notetur: & ſive in ſenaculum ſive in judicium ingrediatur, inde exturbatur: Quo ipſo etiam genitor ejus probri & ignominiæ particeps fit. Monumentum enim ſuæ libidinis ac laſciviæ poſt ſe reliquit.

Si verò etiam octavam (requiris interpretationem.) examinabimus & hoc quod dicetur: Quia qui fornicatur, unum quiddam cum ea fit, cum qua ſe commiſcet, quod propria' ſua membra faciat ſcorti membra: in ſemetipſum revera peccat. Nam cæde quidem nonnulli benè uſi ſunt: ut Moſes & Phinees: & irâ Petrus & Paulus: Fornicatione autem nemo unquam benè uſus eſt: Qua de cauſa etiam ipſum qui ſtuprum patrat, polluit. Taceo enim, quod eos, qui in bello cædes committunt, etiam columnis & præconiis dignos & honorandos cenſent.

Quòd ſi etiam in viam allegorici ſenſus nos deflectere vis, nona ſit (interpretatio,) quæ jam dicetur: Quia unum corpus eſt Eccleſia, & ſinguli ſunt invicem aliorum membra: qui verò fornicatur, is in omnes peccat. Pertinet enim ipſius peccatum ad Eccleſiæ plenitudinem, à qua etiam ipſum (ejus auctorem delicti) abſcindi præcepit Paulus, quoad uſque reſipuerit.

Denique ſi & decimam vis interpretationem, dicetur ſanè: Quia illi qui lege honorabilis conjugij congrediuntur, unum corpus fiunt: (Erunt enim inquit, duo illi in carnem unam: unde etiam fit, ut mulier proprij corporis poteſtatem non habeat, ſed vir; neque vir ſui corporis poteſtatem habeat, ſed mulier) meritò vir quidem ſcortationem exercens, in uxorem, hoc eſt in proprium corpus peccat: mulier autem ſcortatrix, in proprium corpus, hoc eſt in virum, qui corpus ipſius factus eſt, peccat. Quæ cauſa quoque eſt, quod alia quidem peccata extra corpus ſunt proprium, quod legitimè in unum coactum eſt. Neque enim ſi pejerarit vir, aut cædem perpetrarit, aut furatus fuerit, aut quid aliud commiſerit, quod atrocitatem habeat facinoris, in uxorem redundat peccatum: Sicut etiam vice verſa neque ſi mulier cædem aut perjurium commiſerit, in virum recidit peccatum. Sola autem fornicatio conſuetudinem ac cætum conjugalem attingit ac violat, & alter conjugum lædit alterum, ſi hanc perpetrarit, & parentum ſinceritatem atque (ut ſic loquar) germanitatem reddit ſuſpectam, omniaque à fundamentis proprijs convellit. Quamobrem Chriſtus quoque pronunciavit, oportere virum cætera, quæ in muliere deſiderari poſſunt, omnia æquo animo ferre: (neque enim alia delicta quæ ab ea committuntur, ad ipſum ſpectant:) Ob ſolam verò fornicationem expelli conjugem juſſit, quippe cùm hæc injuria in perſonam matrimonio conjunctam redundet. *lib.4. Epiſt.129.*

❡ Latinorum.

Io. Sariberienſis: Si magna eſt moleſtia nuptiarum quæ proculdubio bonæ ſunt, & à Domino inſtitutæ, quis niſi demens eam approbet voluptatem, quæ illicita eſt, & tota verſatur in ſordibus, quam homines culpant, & Deus condemnabit? nam cùm hæ duæ voluptates, ſcilicet gulæ & veneris, quodammodo brutorum ſint, altera porci immunditiem, altera & hirci videtur habere fœtorem. *lib.8. Policratici, cap.11.*

❡ Poetarum.

Plautus Mercatore 5. ſc.4. v.11.

Te iſtac ætate haud æquum fuerat filio tuo
Adoleſcenti amanti amicam emptam argento eripere ſuo.
Temperare iſtac ætate iſtis decebat artibus.
Vacuum eſſe iſtac te ætate eis decebat noxijs.
Itidem ut tempus, anni, ætatem aliam aliud factum convenit.
Nam iſtuc jus eſt, ſenectæ ætate ſcortari ſenes,
Vbi loci res noſtra ſumma eſt publica? D. hei perij miſer.
E. Adoleſcentes rei agendæ iſti magis ſolent operam dare.

Plautus Mercat. 5. ſc.4. v.57.

Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſcibimus,
Seu maritum, ſive hercle adeo cælibem, ſcortarier.
Cum eo nos hic lege agemus, inſcitum arbitrabimur.
Et per nos quidem hercle egebit qui ſuum prodegerit.
Neu quiſquam poſthac prohibeto adoleſcentem filium,
Quin amet, & ſcortum ducat, quod bono fiat modo:
Si quis prohibuerit, plus perdet clam, quam ſi prohibuerit palam.

❡ Apophthegmatum Sacrorum.

Iuda filius Iacobi Patriarcha: Quum Iudæ nuntiatum eſſet, dicendo, Scortata eſt Tamar nurus tua, etiamque gravida eſt ex ſcortatione, dixit Iuda, Educite eam ut comburatur. Sed cùm educeretur, ſe ab ipſo Iuda gravidam eſſe redditam probavit. Iuda verò pignora data agnoſcens dixit, Iuſtior eſt me, quandoquidem non dedi eam Selæ filio meo: neque ampliùs deinceps cognovit eam. *Geneſ.38,24. &c.*

Salomon. Peſſimum peccatum ſcortatio & adulterium, *Prover. 6.27 32. &c.* fugiendum, *Prov.30.18. &c.*

D. Bernardus. D. Bernardo nocte quadam puella nuda injecta eſt in lectum dormienti ad latus. Et quamvis impudica ipſum irritaret ſuis illecebris tamen ſe continuit. Eodem modo cùm iter faceret, & apud matronam quandam diverteret, illa ter ad lectum ejus venit. Sed ille ter clamitans, latrones, ab ſe eam repulit. Cumque poſtero die ſocii arguerent, quòd toties ea nocte latrones ſomniaſſet, eorumque ſomnum interturbaſſet, reſpondit, Verè latro aderat. Nam hoſpita caſtitatem, theſaurum irreparabilem, mihi ablatura ter venit. *Author vitæ D. Bernardi, lib.1. c.3.*

Scripturæ ac Scriptorum.

❡ Sententiæ Patrum. Graecorum.

D. *Baſilius Calligraphio.* Recta ſerie ſcribe: lineæ ordinem dirige: neque manus, ad ſuperiora nimis vergat: neve ad ima deferatur: calamum ne cogas ut obliquè regrediatur veluti cancer ille apud Æſopum: ſed directò tanquam ad amuſſim procedens, qua Architecti utuntur, quæ ſervat ubique æqualitatem tollitque inæqualitatem obliqua emendans. Nam contorta ſunt, invenuſta, ſed rectum aſpectu jucundum, non contorquens oculos legentium ſurſum ac deorſum velut ligna ex quibus urnæ dependent cùm aqua ex puteis hauritur: cujuſmodi tuæ literæ mihi viſæ quarum verſus tanquam ſcalæ erant diſpoſiti ut ab uno ad alterum eſſet tranſiliendum & oculus cùm ad finem unius verſus pervenerat, ad alterum erat convertendus ut ſeriem obſervaret, & ita recurrendum ut ordo tranſpoſitus quæreretur, tanquam Theſeus cui filium Ariadnes ſequebatur, ſcribe igitur recta ſerie: neque committas ut ex tua perverſa ſcribendi ratione mens legentis aberret.

D. Baſilius Notario. Sermones alatam quandam habent naturam. Quare ſignis opus habens ut volantibus ipſis, ſcriptor celeritatem præhendat. Tu verò ô fili perfectè characteres pinge, locaque ritè interſtingue. Nam in exiguo errore, ſermo plurimùm delinquit. Cura verò, diligentiaque ſcribentis, corrigitur & emendatur.

❡ Latinorum.

S. Salvianus: Omnes admodum homines qui pertinere ad humani officii culturam exiſtimarunt, ut aliquod linguarum opus ſtudio ingeniorum excuderent, id ſpeciali cura elaborarunt, ut ſive utiles res ac probas, ſive inutiles atque improbas ſtylo texerent, ſeriem tantum rerum nitore verborum illuſtrarent cauſiſque ipſis quas loqui vellent, loquendo lucem accenderent. Itaque ad hanc ſe partem ex utroque genere literarum ſcriptores mundialium negotiorum plurimi contulerunt; non ſatis conſiderantes, quàm probabilibus materiis ſe impenderent, dummodo ea quæcunque dicerent, aut compto & blando carmine canerent, aut lucenta oratione narrarent. Omnes enim in ſcriptis ſuis cauſas tantum egerunt ſuas, proprijs magis laudibus quàm aliorum utilitatibus conſulentes, non id facere anniſi ſunt, ut ſalubres & ſalutiferi, ſed ut ſcolaſtici ac diſerti haberentur. itaque ſcripta eorum aut vanitate ſunt tumida, aut falſitate infamia, aut verborum fæditatibus ſordida, aut rerum obſcœnitate vitioſa; ut verè, cùm ingeniorum tãtum laudem aucupantes tam indignis rebus curam impenderent, non tam illuſtraſſe mihi ipſa ingenia, quàm damnaſſe videantur. præfatione. *lib.1. de Providentia.*

Ennodius: Nullus remaneret imperitis locus veniæ, ſi plura loquerentur: ſola brevitas commendat indoctos. Supra errorem eſt prolixa narratio ruſticantis. Quando ab ignaro extortum fuerit, quod diu legatur, ſibi rancorem ſuum debet exactor. Quiſquàmne hominum in longum vult faſtidienda procedere, & nullo ſapore condita breves terminos non habere? *lib. 7. Epiſt 12. p.*

Ennodius: Quouſque me iners diffidentia intra anguſtum patitur penetrale delitеſcere? quoſque nimia cautio, terminos honeſti pudoris exſuperans, diſpendia opinionis quæ evitat, incurret? Vſu enim rerum venit inter homines, ut quantum famæ decerpitur per audaciam, ſuperfluum non minus pereat pertimorem. Non enim debet notari velut avaræ laudis aſſumptor, non ei adſcribi cupido affectatæ devotionis oſtentui, apud quem res obnoxia pudoris ſtimulis adacta completur. quia ſicut in umbram cogit gloriæ appetitus, oratione dum quæritur: ita non reddere quod deberi noveris, proximitatem noctis indicit. Superflua ſcribere, res jactantiæ eſt: neceſſaria reticere, contemptus. Sæpe vituperationis noſtræ mater eſt doctoris occultata laudatio. Dicat forſitan

aliquis animo conſul:udi, quod operis preſſa magnitudine exhauſti macies areſcat ingenii, & deſtituta dicendi valitudine garrulitas defectum mercetur ex copia. ceu ſi in alveum magni fluminis ſtillantis guttam fundas eloquii, nequaquam ad curſum proficis liquoris impendio, & vix humorem parturit, quod ad undas aptatur. Sed æſtimamus animo quæ dicantur ad pretium meritum dictionis: & vena, quæ eſt per naturam torrida, frequenter currit à themate. eloquentiæ exilitas propoſitione pingueſcit. Sæpe pro eorum meritis, quibus ſe mancipaverit oratio, dicenda tribuuntur: maximè ſi mera affectione laudando militet narraturus. tunc verborum abundantiam tranſmittit affectio: tunc amor ſuggerit, quod negat ingenium. *Dictione 1.*

¶ Oratorum Graecorum.

Halicarnaſſæus: Veterum ſcripta multi plus æquo admirantur, ſuam ætatem aſpernati; quo plerique homines vitio etiam aliis rebus laborant. *cap. 2. de judicio ſcriptorum Thucydidis.*

Onoſander: Quando ita natura comparata ſunt ingenia, ut ſcriptorum experientiæ uſum aliquem præ ſe ferentium etiam infirmis adfirmationibus fidem tribuant, aliorum verò, ut inexplorati judicii hominum, veris narrationibus diffidant, neceſſarium eſſe puto ſuſceptæ huic Strategematum expoſitioni, hancce præfationem præmittere: Omnia quæ hîc à me dicentur, eſſe ab rerum uſu petita, Ducum auſpicio & ductu, quorum ſoboles ac nepotes Romani, omnium facilè ad hæc uſque tempora bellica virtute principes. Nihil enim imbelli aut juvenili inſolentia inconſultè ac temerè geſtum conſcribam, ſed quæ Romani præclaris veriſque prœliis uſurpaverunt, quæ pericula effugerunt, quæque juſtis armis devicerunt. Non ſum tamen neſcius eam fore nullorum ſententiam, ut majori ſe gloria commendandos putent; ſi ſuopte ingenio compoſitas Strategematum artes hominibus credulis perſuadeant, quàm ſi alienæ induſtriæ perſequi veſtigia videantur. At iſtis equidem minùs moveor. Nam ut ſi quis militaribus copiis præfectus, huiuſmodi monimentis ad poſteros traducendis operam daret, non ideo minùs fidem faceret, quia non ſolùm propriæ calliditatis inventa in medium proferret, ſed & ab aliis quoque feliciter edita memoriæ proderet: ſic etiam nec minoris mihi laudis debitur gratia, etſi non omnia hæc meo ſolùm ingenio meditata fuiſſe profitear. Immò hinc etiam autumo fore me illuſtriori commendatione graviorique fide auctiorem, atque ab omni prorſus invidia calumniaque ſecuriorem. *Præfatione Strategici.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Primum ego ſcriptoris officium exiſtimo, ut titulum ſuum legat, atque identidem interroget ſe, quid cæperit ſcribere; ſciatque, ſi materiæ immoratur, non eſſe longum; longiſſimum, ſi aliquid acceſſit atque attrahit. Vides quot verſibus Homerus, quot Virgilius arma, hic AEneæ, Achillis ille deſcribat: brevis tamen uterque eſt; quia facit quod inſtituit. Vides ut Aratus minutiſſima etiam ſidera conſectetur & colligat: modum tamen ſervat. non enim excurſus hic eius, ſed opus ipſum eſt. *lib. 5. Epiſt. 6.*

¶ Poetarum.

Auſonius Epiſtola 23.

Sed tu, juratis velut alta ſilentia ſacris
Devotus teneas, perſtas in lege tacendi.
Non licet, an ne pudet, ſi quis tibi jure paterno
Vivat amicus adhuc, maneasq́; obnoxius heres?
Ignavos agitet tales timor. at tibi nullus
Sit metus, & morem miſſæ acceptæq́; ſalutis
Audacter retine: vel ſi tibi proditor inſtat,
Aut quæſitoris gravior cenſura timetur,
Occurre ingenio, quo ſæpe occulta teguntur.
Threicij quondam quam ſæva licentia regis
Fecerat elinguem, per licia texta querelas
Edidit: tacitis mandavit crimina telis,
Et pudibunda ſuos malo commiſit amores
Virgo, nec erubuit tacituro conſcia pomo.
Depreſſis ſcrobibus vitium regale miniſter
Credidit: idque diu texit fidiſſima tellus:
Inſpirata dehinc vento cantavit arundo.
Lacte incide notas: areſcens charta tenebit,
Semper inaſpicuis prodentur ſcripta favillis.
Vel Lacedamoniam Scytalen imitare, libelli
Segmina Pergamei tereti circumdata ligno,
Perpetuo inſcribens verſu: qui deinde ſolutus,
Non reſpondentes ſparſo dabit ordine formas,
Donec conſimilis ligni replicetur in orbem.
Innumeras poſſum celandi oſtendere formas,
Et clandeſtinas veterum reſerare loquelas;
Si prodi Pauline times, noſtraq́; vereris
Crimen amicitiæ.

¶ Emblematis.

Batillius XLV.

Exitus laus & judicium ſcriptorum ſæpè in eventu temporis.

Emiſſis ſortem ſcriptis (ſic omnia verſat)
Hanc etiam cæci temporis urna movet,
Hujus ut eventu plerumq́; interprete laudem
Non laude illa ſuâ non meritis veferant.

¶ Apophthegm. Sacr.

Theotimus: Quum epiſcopi quidam decreto Epiphanii de abolendis Origenis ſcriptis aſſentirentur, Theotimus Scytharum epiſcopus, Epiphanium perſtringens: Ego inquit, ô Epiphani, nefas eſſe puto contumelia eos qui dudum ſunt mortui, afficere: neque ita temere vetuſtiorum ſcripta abjicienda cenſeo. Extra blaſphemiam enim non eſt judicium illorum proculcare: & quæ ritè atque ordine ab eis ſtatuta, & tempore ipſo comprobata ſunt, abrogare, minimè mihi videtur prudentium virorum eſſe, &c. *Niceph. eccl. hiſt. lib. 13. c. 13.*

¶ Monosticha Trochaica.

Nemo laudes nemo culpas ſcribere vetitus eſt ſuas.
Non facilè eſt in illum ſcribere qui poteſt proſcribere.
Quæ velit calare, ſcribere haud ſolet quàm intemperans.
Rarus priſcis obtrectator obfuit ſcriptoribus.
Scribere arduum eſt in illum qui poteſt proſcribere.
Scribere id quod ipſe neſcis, temeritatis ultimo eſt.
Scripta plerumq́; nil ſunt hortuli quàm Adonidis.
Talis eſt cujuſque vita qualia ipſe ſcriptitat.

¶ Jambica.

Animis ſcribas præclara quæque, haud auribus.
Pars melior eſt quæ delet quàm ſcribit ſtyli.
Non facile eſt ſcribere in eum proſcribere qui poteſt.
Scripta facere animum non queunt, quem non habent.

Scripturæ Sacræ.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

Clemens *Alexandrinus:* Verſas autem fuiſſe ſcripturas & legis & Prophetarum ex Hebræo ſermone in linguam Græcam ajunt tempore Ptolemæi Lagi filii: aut ut dicunt nonnulli, tempore ejus qui fuit cognominatus Philadelphus, cum maximam ad eam rem contuliſſet diligentiam Demetrius Phalereus, & ut verterentur vehementer procuraſſet. Nam cum adhuc Aſiam obtinerent Macedones, Rex magno ſtudio contendens eam, quæ Alexādriæ in eius poteſtate erat, bibliothecam omnibus ſcripturis exornare, voluit ut Hieroſolymitani quoque eas quæ apud ſe erant Prophetias in ſermonem Græcum interpretarentur. Illi autem, ut qui adhuc obedirent Macedonibus, ex iis qui apud ſe erant probatiſſimi, & maximæ exiſtimationis, Scripturarum peritos, & Græcæ linguæ ſcientes ſeptuaginta ſeniores delectos ad eum miſerunt cum libris divinis. Cum autem unuſquiſque ſigillatim ea ſuâ propria interpretatus eſſet prophetia, conſpirarunt omnes ſimul collatæ interpretationes & ſententiis & dictionibus. Dei enim erat voluntas, quæ id ad Græcorum aures conſulto comparaverat. Neque vero ab inſpiratione Dei erat alienum qui prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tanquam Græcam efficeret prophetiam. Num etiam in captivitate Regis Nebuchodonoſor, cum interiiſſent Scripturæ tempore Artaxerxis Perſarum regis, inſpiratus Eſdras Levites, qui factus fuerat ſacerdos, prophetavit, omnes veteres rurſus ſcripturas renovans. *libro primo Stromatum.*

D. Nazianzenus: Ne nobis in mentem veniat exiſtimare, ea temere literarum monumentis commodata fuiſſe, atque inanem quandam rerum & verborum turbam eſſe, ad oblectandos audientium animos compoſitam, ac velut quandam aurium illecebram, ultra voluptatem haud ſeſe porrigentem. Hæc ſanè ludant fabulæ, & Gentiles, qui de veritate parum ſolliciti, figmentorum venuſtate, ac verborum lenocinio quaſi præſtigias quaſdam auribus atque animis offundunt. At nos, qui ſpiritus ſynceritatem vel uſque ad levem apicem & lineam trahimus, nunquam (nec enim fas eſt) ne minimas quidem actiones ab iis, à quibus memoriæ proditæ ſunt, temere perſcriptas & elaboratas, memoriaque adhæc uſque tempora uſque tempora conſervatas eſſe concedemus: verum ut nos ſubmonitiones & documenta in promptu habeamus, quibus de iiſdem rebus, ſi ita tempus tulerit, conſultemus, atque alia fugiamus, alia amplectamur, priora videlicet exempla, non ſecus ac canones quoſdam & regulas ſequentes.

D. Greg. Nyſſenus: Quale quiddam in florentibus pratis accidere ſolet iis qui earum rerum ſpectandarum ſtudio tenentur, quorum oculi propter pulchritudinis decus æquale non in uno aliquo flore, qui in conſpectu ſit, defigitur, ſed dum nullo non potiri volunt, in omneis cupiditate fuſi, id quod in eo negotio ſummum

mum est sæpenumero non assequuntur: ta'e quiddam etiam animo meo pratum scripturæ spectantis usuvenit. Sententiarum enim pulchritudinis varietas ad omnia pariter animum attrahens efficit ut cupiditas ejus, dum in pari decore præditis haud facilè quod potius sequatur reperire potest, inconstans sit, & ab aliis ad alia properet atque festinet. Ecce enim quomodo per prophetiam magni Davidis flores enitent? qualis vero flos divinus Apostolus, paradisi culturæ pulchritudinem ostendens, ac multam odoris Christi redolens suavitatem? nam Evangelicorum pulchritudinem optatorum quænam oratio explicet humana? Verùm mihi haud alienum esse videtur, in tempore proverbialis illius mentionem facere laudationis, & apem imitari: quam dicit scriptura viribus quidem infirmam esse, (nunquam enim visa est totum colligere florem, & super dorsum alvearia portare) sed tenuem illum qui in medio floris quasi lanugini adhæret, alis excussum pulverem curvatis suscipiens cruribus, per illa scitum illud efficit opus, senis pedum curvaturis numero pares in directum excitans angulos, ac per medium levitate alarum, quasi quibusdam uncturis, tenueis illos in modum membranæ parietum ordines expoliens. Quod si futurum est ut nostra quoque oratio & regibus & privatis hominibus, ut inquit Solomon, ad sanitatem conducat, precibus & vocis eam gratiam nobis pariter conciliemus & ego & vos. Lucrum enim commune est, immo major pars ejus vestra est. quandoquidem accipere aliquid boni plus adfert lucri, quam aliquid præbere. *Oratione de Deitate filij.*

D.Greg.Nyssenus: Qui semel se altiori vivendi rationi dedicarunt, cum eis præclarè agi censeo, si perpetuò ad evangelii voces educantur; ac tanquam qui regula quicquid propositum est dirigunt, omnia ad immutabilem evangelicam politiam admoventes ad Deum dirigantur. *De ijs qui Hierosol.adeunt.*

D.Chrysostomus: Quemadmodum qui luminis hujus usura sunt privati, nequaquam rectà ingredi possunt: ita qui ad divinarum scripturarum radios, oculos non intendunt, necessariò in multa frequentes errata incidunt, perinde ac si in tenebris periculosissimis ambularent: *Proœmio in Epist.ad Rom.*

D.Chrysostomus: Audite quæso vos omnes, quibus curæ sunt quæ ad hanc vitam pertinent, & parate vobis libros medicamenta animæ. Si nullos alios vultis, novum quidem certe testamentum vobis parate. Apostolorum actus, evangelia, magistros perpetuos. Si dolor acciderit, tanquam in medicamentorum apothecam aspice, illinc mali accipe consolationem. Si damnum, si mors, si tuorum amissio. Imo vero non aspice, sed omnia suscipe, & ea mente tene. Hoc est omnium malorum causa nescire scripturas. Absque armis imus ad bellum. & quomodo oportet esse salvos? Præclare nobiscum agitur si cum his salvi simus, tantum abest ut absque his salvi esse possimus. *Homil.9.ad Coloss.*

D.Chrysostomus: Omnia sunt dilucida & recta quæ sunt in divinis scripturis: manifesta sunt quæcunque necessaria. *Homil.3. ad Thessal.2.*

Basilius Seleuc. Qui puteorum fontes expurgant, eos quanto perscrutantur altius, tanto efficiunt, & aquarum proventu ditiores. Nam agitando dilatatus aquarum gurges, quas parturiebat scaturigines, parit. Divinæ Scripturæ fons ejusmodi est: si quis enim cælestes in eo venas orationis vi fodicare velit, ac pertundere: videbit quasi cellam gratiæ promptuariam latius nudatam. *Orationis 13.pr.*

Basilius Seleuc. Alii aliarum artium magistri hominibus constituti sunt, & varia scientia discentium manus exornant blandientis vitæ usibus. Medicus quidem medicas artes exponit pharmacis docens ægritudines oppugnandas. Alius quispiam cum ære, aut ferro colluctatus, & naturam arte subigens inaurante, artis transfert doctrinam, dum qua via nostræ voluntati facile æs obediat, perdocet. Quod si in agricolam oculos conjeceris, videbis quandoque aratro terræ sinus solicitantem, & proscissionis altitudinem sulcis dimentientem: quandoque vitem suo degravatam onere pampinos putando expurgantem & rivulorum numero vineti fontes accuratè exæquantem, ne confertim absumtis naturæ divitiis sicciores & pauperiores fontes edat. Deinde pullulantes è vite capreolos curiose interplicans, nec sine ornatu, suos edocet liberos vineti thesaurum paulatim scrutentur, neve flagrans opum desiderium & innatam ambitionem secuti plantam vitient, ac depauperent. Verùm enimvero homines alii alios humanas condocent artes, quarum usus per totam circumfertur vitam, fructus autem præsenti circumscribitur tempore. Scriptura verò à Deo inspirata ab humanis vilioribus colloquiis avulsis hominibus divinarum rerum cognitionis pandit officinas, disciplinam docet, cujus lucrum est immortalitas, quali studio paradisus piè excolatur, quomodo cælum capretur, quomodo quis cælestes thesauros nundinetur, quomodo quis Christum pro hæreditate capiat, quomodo cum Christo regnat, quomodo gehennam effugiat, quomodo venturos ignes superet, quomodo judicio devitato judici amicus adstet. Scriptura doctrix istiusmodi artium præsidet, ista clamans discipulos edocet, & præceptionibus parum contenta, rebus ipsis plus immoratur. Virorum namque recordatione, qui res magnas gesserunt, ad imitationem prolectat. Præclaros pietatis athletas producit in medium per narrationes similitudine naturæ ad simile propositum inescans. *Oratione 14.pr.*

Basilius Seleuc. Cùm Gratia paratam promtamque offendat audientiam, tunc linguæ quoque dictionem subministrat, ac dicenti vires. Nam qui omni carni cibum suppeditat, animam quoque alere desiderat. Animæ autem alimentum est epulum verborum Dei. Conviviis namque corporalibus caro nutritur, ac per corruptibilia capit incrementum caro corruptibilis. Animæ verò pabulum veritatis est cognitio, creatoris intelligentia, divinarum rerum narratione repleri. Ac circa ejusmodi alimoniam otium impendere cùm Dominus homines doceret, clamabat: Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. Propterea Israelitis per solitudinem corporalem cibum per aerem manna suffecit: spiritalem verò mensam per Moysis doctrinam apposuit. Namne, quod in natura deterius est, laboret inopia, neve anima pars melior opressa fame obbrutescat, percommodè partitur alimentum conditor, dum utrumque nutrit. Corpori quidem res cognatas, quibus ali consuevit; animæ verò, ejus ingenio commentarios congruentes. Quos enim Moyses opera Dei loquentis conscripsit, eos anima conquirit in pastum. Rursum terra promissionis corpori fructus reddebat; quæ verò Prophetarum linguas irrigabat gratia, cibos animæ comparabat. Eam enim ob rem literarum monumenta Sanctorum vitas complexa notitiam ad posteros transmittunt, quo ad imitationem impellantur, utque nondum naris thesaurus paretur, virtutis promptuarium ad vitæ rationes perutile objiciunt. *Orationis 16.initio.*

Basilius Seleuc. Propterea Scriptura à Dei spiritu accepta, virtutumque præceptrix non justorum facinora dumtaxat enarrat, sed eorum subinde publicat offensiones; ne sola rerum ab iis gestarum amplitudine conspecta mortales ad imitandum obtorpescãt; quin potius per istarum offensionum recordationem hominum ingenium cognoscentes & quò nobilitatis pervenerint considerantes, virtutum æmulatione accendantur. *Oratione 17.pr.*

Idem paulo post: Scriptura cum nobilibus sanctorum factus flagitia commiscet; ut quos ab imitatione arcent miracula, provocent errata.

Basilius Seleuc. Qui in pratum variis floribus refertum oculos injiciunt, ex vago adspectu admiratione collecta multis è locis florum pulcritudine oculis feriuntur: & quid primum, quid secundum elaudent, haud sciunt. Nam ubi primum quid miratur oculus, sic à secundo rapitur, ut obstupescat, & tertium rapiens visionem, pulcritudinem ostendit, ac invicem erumpentes gratiæ visione oculum offuscant rerum conspectarum voluptate errantem. Tale quiddam & mihi videtur accidisse ad tam florens, & salubre pratum evangelicorum miraculorum respicienti. Nondum enim primum pro dignitate satis admiratus à secundo obruor, & iterum in aliud ex alio transmittor miraculo, & ab illo iterum in aliud, neque quo animum sistam habeo, ac veluti quispiam æquor immensum ingressus, intelligentia jucundorum miraculorum æquore fluctuatur. *Oratione 36 pr.*

Basilius Seleuc. Pleni sunt mellis favi scripturarum, & ita suavis mellis ad satietatem scatent alvearia, ut industriis absque labore licet expressum inde virtutis temetum in proprias animas derivare, ac recondere: temetum temperantiæ parentem; temetum castitatis magistrum; temetum, quod mentis oculum pervigilare faciat; quod veritatis lumen in semper plenis gratiæ animis reponat: quod neque dementes, neque inhimos ex satietate, & lapsabundos faciat, sed membra potius firmet, & justitiæ armis contra scelus obarmet: temetum quo Apostolorum chorus repletus est, quando rorem Spiritus cælo defluentem sua quisque lingua excipiens, collectarum nationum auribus oris virtutem impartiebatur, unicam cujusque vocem ad omnium nationum audiendi sensum conformante, Gratia. Adeo ut orationis flumen ore profusum aptum modificatumque ad cujusque aures accideret, Spiritu vocem transformante pro cujusque audientis lingua vernacula. *Oratione 37.pr.*

Isidorus Pelusiota. Deorum, quos Gentiles colunt, effectiones, &, ut vocant theogonias, hoc est Deorum ortus, Orpheus & Homerus, & Hesiodus, aliique omnes iis similes tradiderunt, multis & libris, sententiis collectis atque compactis. Nostram autem religionem duo codices, quos ad te misimus, docebunt: quorum alter novum Testamentum nuncupatur. An autem hi libri, tum nominibus, tum rebus, ad veritatem propensiores, quàm illi, sint: ipse, ut mihi persuadpo, reperies, atque id, quod melius erit, amplecteris. *Epist.21 lib.1.*

S.Isidorus Pelusiota: Nullam, ô amice, dogmatum novitatem Dei filius Legi ac Prophetis induxit: verum iis, quæ olim de ipso prædicta fuerant, finem imposuit. Ac prorsus, si vetus testamentum attento animo evolvas, omnia, quę novo testamento continentur, in eo prædicata esse comperies. Quamobrem iis, qui legi innitebantur, vitamque novam & peregrinam, Evangelicam doctrinam esse arbitrabantur, ex ipsis legis verbis, dogmatum gratiæ veritatem declarat. Sicque internam utriusque testamenti concordiam videbunt. *lib.1.Epist.107.*

S.Isidorus Pelusiota: Qui divina oracula depravant, atque ad arbitrium suum velut obtorto collo trahunt, graviùs peccant, quàm ut ipsis ignosci debeat. Neque enim erroris ac deceptionis prætextu sese tueri poterunt, ut qui non simplicitate sed malitia & animi perversitate lapsi sint: nec tranquillum illum ac placidum

oculum

oculum fallerit, cui, à vitio & improbitate præcipites acti, contraria profiteri minimè dubitarunt. *lib. 1. Epist. 369.*

S. Isidorus Pelusiota: Scriptura omnis, quæ pietatem velut ob oculos propositam habet, pulcherrima est laudibusque atque commendatione digna. Sacrosancta autem volumina, quæ divinarum scripturarum testimonium habent, scalæ quædam sunt, quibus ad Deum ascenditur. Quamobrem ea omnia, quæ in Ecclesia proponuntur, tanquam probum aurum excipe, ut quæ divino veritatis spiritu, velut igne, purgata sint. Quæ autem extra hoc volumen circumferuntur, etiamsi quippiam habeant, quod ad gravitatem vitæque honestaté allicere queatiis, qui à tuis certaminibus remoti sunt, investiganda & conservanda relinque: nimirum iis, qui verborum pompæ potiùs studuerunt, aut etiam fabulas quasdam hæresum effinxerunt. *Lib. 1. Epist. 369.*

S. Isidorus Pelusiota: Sermonum craterem, vir discendi cupidissime, hoc est divinas Scripturas, Dei sapientia miscuit, craterem inquam non melle, aut lacte, aut vino, sed doctrina & philosophia refertum, divinisque gratiis redimitum, qui eos à quibus adhibetur, ad virtutem ac pietatem hortatur, id nimirum efficiens, ut res terrenas negligant, atque in cælestes sese insinuent: craterem inquam, non artificiosa quædam & captiones continentem, nec absurdas & infinitas naturæ contemplationes: verùm celeberrimorum & clarissimorum virorum res gestas. Quorum si tum actiones tum sermones imiteris, virtutum ornamentum es habiturus. At ne improborum quidem vitas & supplicia reticuit: ut iis cognitis, & virtutes si libeat, imitari, & vitia fugere possis. Quamobrem cum externa eruditione apiculæ instar tantū collegeris, quantum ad nostram philosophiam conducit (multa enim, si verè loqui volumus, de virtute illi disseruerunt) id omne quod reliquū est, valere jube:) præsertim cùm eos perpetuum sibi ipsis invicem bellum indixisse videas. Nam & Aristoteles adversus Platonem impetum fecit. & Stoici rursum adversus hunc arma induerunt. Divinis autem oraculis per omnem vitæ cursum te penitus trade. Sic.n. & ab illis. & ab istis, utilitatem capiens, magna quædā res, & tibi ipsi, & cunctis eris. Quoniam a. intelligere aves, quidnam illud sibi velit, Sapientia miscuit vinum suum, quidq; causæ sit, quamobrem non purum illud proposuerit, paucis verbis multa accipe. Divina & natura sublimiora documenta corporeis sermonib. & exēplis tēperavit. Neq; .n. fieri poterat, ut alia ratione ea intelligeremus. Quapropter divinarum cogitationum ac terrenorū verborum conjunctionem ac temperationem haud abs re appellavit. *lib. 2. Epist. 3.*

S. Isidorus Pelusiota: Hæc verba, Habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus, duplicem mihi sensum habere videntur: Nimirum vel ad hunc modum, Habemus thesaurum hunc, hoc est, cælestes divitias, atque excellentia & dignitate nostra majora beneficia, in mortali hoc corpore quod fictile optimo jure appellatum est, quādoquidem è terra extitit. Aut hoc pacto: Divinæ sapientiæ opes in sacrosanctis scripturis habemus, vilibus & abjectis atque indoctis verbis & exemplis inclusas. Nam quòd hoc significet, causam quoque mox subjunxit: ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Nam qui verbi præcones indoctos ac literarum ignaros & infirmos esse conspiciebant (cædebantur enim, atque undique vexatur & exagitabantur) interim tamen victoriam ac palmam adipisci, Dei gloriam prædicabant. Siquidem Dei virtus in Apostolorū infirmitate perspectior erat, magisque explendescebat: propterea quòd cùm infirmi atque imbeciles essent, robustos frangebant: & cùm paupertate laborarent, divites & copiosos vincebant: & cùm rudes & indocti essent, sapientes & eruditos superabant. *lib. 2. Epistol. 4.*

D. Isidorus Pelusiota: Ne ea, quæ vix, atque cum infinitis sudoribus ac certaminibus capiuntur, te cursim capturum existima: verum à laboribus & precibus exorsus, ad aucupandos Scripturæ sacræ sensus, qui animorum nostrorum solertiam ad majorem celeritatem exacuunt, te confer. *lib. 2. Epist. 106.*

S. Isidorus Pelusiota: Divinis oraculis nec oculos obvertere, nec repugnare oportet: verùm priusquàm, quid faciendum sit, audierimus, nos id facturos esse polliceri. Nam quòd Deus sit qui oracula edat, istud & contradictionem omnem procul pellit, & obedientiā omnem ac persuasionem efficit. Nam qui, id quod nobis conducit, apprimè novit, hic & loquens, & leges instituens, idoneus profectò est, cui fides habeatur. *lib. 2. Epist. 249.*

S. Isidorus Pelusiota: Impurum ac sceleratum hominem nego, non modò de fidei doctrina, sed etiam de ulla re alia os aperire debere, quoad per synceram pœnitentiam animi maculas absterserit. Nā cū peccatori dixerit Deus, Quare tu enarras justitias meas? multo magis certè ei, qui animo ita constitutus est, ac fidei dogmata perscrutari non veretur, silētium indixit. Tanto.n. dogmata justificationib. sublimiora sunt, quanto cælum terra, & anima corpore: Quocirca cùm vitæ integritas tibi desit, de fidei dogmatib. certamen instituere desine: ne alioqui, ut dogma quoque superetur, in causa sis. Solent.n. complures ab eorum, qui loquuntur, existimatione, de iis, quæ dicuntur, sententiam ferre. *lib. 3. Epist. 39.*

S. Isidorus Pelusiota: Sæpenumero eos miratus sum, qui divinas Scripturas perperam interpretātur, suumq; potiùs sensum, quàm eum, qui in ipsis situs est, tueri conituntur. Siquidem puram earum synceram, atq; oblectandi animi facultate præditam mentē malæ atque inerti dogmatum suorum aquæ adminiscentes, res divinas cauponum instar quæstui habent. Atque huc pertinet illud, Caupones tui vinum aquæ admiscent. Quanquam.n. quibusdam videatur hoc de iis, qui vinum (ut juxta vocabuli sensum accipitur) dictum esse (nam illud quoque absurdum ac scelerarum est) tamen disceptante veritate, de iis potiùs, qui divina oracula cauponum in morem adulterant, intelligendum esse arbitror. Non enim dictum est, Caupones tui aquam vino admiscent (quod facere cōsueverunt, qui cauponam exercent) sed, vinum aquæ. Siquidem puros ac limpidos scripturæ sacræ sensus evanidis suis dogmatib. adminiscentes, doctrinam adulterant. *Lib. 3. Epist. 125.*

S. Isidorus Pelusiota: Eum qui præclarum aliquod argumentū attingit, ac Scripturarum sacrarum mentem interpretari conatur, hoc facere oportet, ut linguam quidem gravem & apertam ac dilucidam, mentem verò piam & sanctam habeat: easque sequatur, non autem antecedat, nec ad arbitrium suum earum sensum torqueat. Iis enim, qui eas pervertere, ac sinistra interpretatione depravare non dubitant, maximum periculum, ad ipsam animam spectans, impendet. *Lib. 3. Epist. 292.*

S. Isidorus Pelusiota: Divina & cælestia oracula, iis quidem, qui pulchrarum rerum fastidio tenentur, literæ solùm esse videntur: iis autem, qui supra mundum assurrexerunt, ac spectaculis gaudent, virentes & amœni horti sunt, tanquam ex cælesti nectare purissimis floribus scatentes. Etenim, vel pronunciata duntaxat, ad animos admiratione defigendos sufficiunt: iis autem, qui ea considerant & animadvertunt, feriari non permittunt: verùm hoc efficiunt, vt omnes animi sensus ad ea se convertant: adeò vt priusquàm id, quod præsens est, conspexerint, id quod sequitur expetant: & cū illud perspexerint, id quod reliquerint, quærant: & cùm id quod tertium est, viderint, quod potissimùm admirentur non habeant. Intra enim literæ penetralia mentem mittentes, tanta admiratione implentur, ac tanta gratia cumulantur, vt jam terrenarum rerū nihil capere queant, ne si omnia quidem ea, quæ certatim homines appetunt, ad ipsos confluant: quòd videlicet earū rerum, quas prius admiratione prosequebantur, oblivio victrix extiterit. *lib. 3. Epist. 388.*

S. Isidorus Pelusiota: Fugit ratio Græcos, qui non animadvertunt, se per ea quæ (contra Christianos) adferunt, semetipsos evertere. Nam pro nihilo habendam ajunt scripturam divinam, tanquā scilicet barbaris vocibus constantem, & peregrinis nominū fictionibus compositam, & necessariis conjunctionib. ac velut vinculis orationis destitutam, & superfluorum inculcatione sensum eorū quæ dicuntur perturbantem. Sed ab his discant vim veritatis. Quî enim factum est, ut rustica ac simplex ipsa eloquentiæ persuaserit assensum? Dicant sapientes, quomodo ipsa tantis laborans & barbarismis & solœcismis, tamen vincere potuerit errorem & falsitatem tàm Attica instructam eloquentia? Quî factum sit, ut Plato ille gentilium Philosophorum facilè princeps, ne unum quidē vincere & in suas partes traducere potuerit tyrannum; hæc autem, rustica scilicet ac barbara, & tot solœcismos faciens, veritas, terrā & mare sibi adjunxerit? *Lib. 4. Epist. 28.*

S. Isidorus Pelusiota: Sæpènumerò mihi in mentem venit mirari eos, qui dialogos composuerunt, & orationes prolixas conscripserūt, quod suæ quidē gloriæ nimis magnam habuerint curam, dum sublimi & grande sophos spirante sermone fuerunt usi; utilitatem verò auditorū neglexerunt, cujus profectò majorem ducere rationem ipsos decuerat. Quantūlibet enim magnam gloriam consequutis scriptorib. ad cæteros certè parum inde utilitatis redundare queat: Aliis verò utilitatem percipientibus, magna virtutis accessio sit futura. Verùm enim verò quia ad id quod sibi conduceret, solū intenti fuerūt, aliorū vtilitates insuper habuerūt. Quocirca etiā divinam vituperant scripturam, quæ non exquisito & ornato dicendi genere, sed humili atq; pedestri usa sit; At nos vice versa ipsorū quidem amorem sui atq; ambitionem jure accusemus, qui gloriæ propriæ studio ducti, aliorū minimam habuerint rationem. Scripturam autem verè divinam criminationib. ipsorū liberemus, dicentes, eam non suæ propriæ gloriæ, sed potius audientiū salutis studiosam fuisse. Quòd si tanto tenentur amore sublimis dictionis discant, Melius esse, vt ab idiota ac plebejo homine veritaté, quàm à sophista mendaciū discamus. Alter enim simpliciter & breviter quod res est dicit; alter verò sæpè obscuritate sua cùm veritatis occultat pulchritudinem, tū sua suavi loquentia ornans mendaciū, in aureo vasculo venenū miscet. Quòd si veritas cū ornata oratione conjūgatur, eruditos quidem juvare potest; aliis autem omnib. nulli vsui vtilitatíve erit. Quæ causa quoque est, quare scriptura sacra veritatem pedestri sermone exposuerit, nimirū vt tam idiotæ quàm sapientes, quà pueri quà feminæ, eam cognoscerent. Ex altero enim sapientes quidem nullo afficiūtur incommodo: ex altero autem maxima pars orbis terrarū magnū accepisset detrimētū. Si igitur aliquorū dūtaxat fuisset habenda ratio, maximè quidem erat habenda plurium. Quoniam autem & omnium curam suscepit, inde clarissimè demonstratur, divinam esse atque cælestem *lib. 4. Epist. 67.*

S. Isidorus Pelusiota: Equidem hoc ipsum quoque, quod tu absurdū esse dicis, magnæ & singularis cujusdam sapientiæ opus esse censeo. Nam si omnia fuissent clara ac manifesta (in divinis litteris) vbi prudentia vsi fuissemus, remota inquisitione? Sin autem omnia fuissent obscura, sic quoque excidissemus (cognitione,)

ne,) cum nulla sit inventio. Nunc autem per ea quę sunt clara, quodamodo etiam ea comprehenduntur, quæ sunt obscura & abdita. Quòd si nostram illa cognitionem effugiant, sic quoque nobis utilitatem ea res affert (non pœnitendam) dum nimirum fastus noster hac ratione comprimitur. *lib. 4. Epist. 82.*

S. Isidorus Pelusiota: Quod lectio sacrarum litterarum destructa est & corrupta, & quod unusquisque suos affectus divinis oraculis præfert, ea res tantarum tragœdiarum & calamitatum causa extitit. Nam bellum irreconciliabile & non indictum legitimè incidit inter eos, qui pacis conciliatores esse debuerunt: qui avidissimè sese mutuò, siquidem possint, vorent: & antiquissimum hoc ducant, omnibus rebus anteponant, vivos quidem occidere; sepultos autem refodere: & domos evertere, & monumentum omne abolere. Ita in se invicem armantur, & fallacias texunt: cùm quidem didicerit, Christum non signis & miraculis, sed dilectione charitateque suos notasse discipulos. Hæc igitur mihi quidem causa esse videtur, quare etiam subditi officium suum non faciant. Non enim amplius tanquam erga doctores discipuli, sed tanquam adversus condemnatos judices affecti sunt; defensionem suorum lapsuum ignaviam doctorum, infeliciter illi quidem ac miserè, sed tamen se habere existimantes. Quid igitur faciendum est: inquis. Si quidem id fieri potest, malum hoc corrigendum: sin minus, quiescendum est. *lib. 4. Epist. 133.*

S. Isidorus Pelusiota: Varia ac multiplicia sunt hominum studia etiam circa dicendi genera. Nam alii quidem adamarunt atticismum veterem: alii verò perspicuam orationem atticismo potiorē ducunt. Ajunt enim: Quid utilitatis affert atticè loquendi studium, quando ea quæ dicuntur velut tenebris occultantur, aliisque indigent, qui ea in lucem proferant? Alii verò Epopœia, id est heroico carmine delectantur: Alii gravitate Tragœdiæ: alii blanditiis ac lenociniis Comœdiæ: alii copia Rhetoricæ capiuntur. Sed nec hi inter se consentiunt. Sunt enim qui sublimitatem Platonis amplectuntur: Sunt, qui Thucydidis gravitatem: Sunt qui Isocratis tenuitatem: sunt qui Demosthenis vehementiam præferunt. Sic enim existimant, omnes dicendi artes ipsum depastum esse, & gravitate, acerbitate, & vehementia, & contentione certaminis, omnes quotquot unquam extiterunt superasse. Rursum alii quidem Lysiæ genus dicendi apertum & protritum amant: alij contrà Isæi orationem, quæ Isocratis quidem convenientior est judiciis, sublimior autem quam Lysiæ. Alii denique AEschinis perspicuum & candidum dicendi genus probant. Cum igitur tam variæ sint ac dissentientes hominum opiniones, equidem non habeo dicere qui fieri possit ut scriptor aliquis omnibus placeat. Itaque illi, ut qui ad gloriam respiciant, scribant ut ipsis lubet.

At sacra & cælestia oracula quoniam ad universi generis humani utilitatem pronunciata scriptaque sunt, perspicuitate sunt temperata. Ex hac enim & illi qui aliis virtutibus orationum delectantur (sunt autem hi perquam rari) nihil quicquam detrimenti patiuntur, semel intelligentes ea quæ oraculis illis continentur: Et omnes qui agriculturæ dant operam & artificiis & ceteris occupationibus vitæ distinentur, perspicuitate plurimum juvantur, dum & quid deceat, & quid justum, quid utile sit, in momento temporis discunt. In tantum enim compendium divina institutio contracta est, ut id quod quisque voluerit, virtutis esse terminum definierit. Sic enim ait: Omnia quæ volueritis ut faciant vobis homines, & vos facite ipsis similiter. Hæc enim est lex & Prophetæ. Quid quæso sunt vel Platonici dialogi, vel Homericæ tabulæ, vel legislatorum Codices, vel Demosthenis libri, vel Tragœdiæ varii atque inopinati casus, vel Comœdiæ argumentum, si ad hanc virtutem & brevitatem perspicuitatemque conferantur? Rectè judicent, qui simplicitatem verborum in ludibrium trahunt: & calculum incorruptum ferent.

Quot Dialogos conscripsit eruditissimus Plato, dum conatur demonstrare, quid sit justitia? nec tamen quicquam potuit proferre quod esset perspicuum, aut persuadere quibusdam: quin etiam ipsa libertate cum excidisset, vita excessit. Quàm multa scripsit Aristoteles, Platoni se opponens, ejusque dogmata traducens velut in Comœdia? Sed nec ipse quicquam utilitatis contulit, nisi quod pugnam verborum vitæ humanæ generavit. Quàm multa Stoici adversus Aristotelem armati conscripserunt? Sed horum quoque extincta sunt dogmata. Comparent igitur cum iis qui sapientes perhibentur, divinorum oraculorum perspicuitatem, & desinant nugari, divinamque oraculorum dictionem amplectantur, quæ non ad ambitionem, sed ad utilitatem audientium respexit. *lib. 4. Epist. 91.*

Basilius Imperator: O fili, quemadmodum teneræ plantæ fontibus irrigatæ virescunt, floresque & fructus ferunt: ita mens tua sacrarum literarum studiis irrigua, magis ac magis augescet, ac pro fructibus egregias virtutes producet. nam corpus quidem saginatur cibis, qui alius super alium infarciuntur: animus verò, sanctis sermonibus alitur ac vegetatur. Sed hoc interest, quòd cibus ille corporis, palato demum ac linguæ suavis, & corruptionem auget, & à corruptione augetur, & in corruptionem tandem abit: Animi verò alimentum sempiternam menti affert lætitiam, & incorruptionem parit, & immortalitatem deducit. Meditare ergò per omnem vitam ita frugiferos sermones, ut tantis eorum fructibus perfruaris, & regnum tuum sapienter administres. *cap. 17.*

¶ Patrum Latinorum.

S. Salvianus: Penè omnis sermo divinus habet æmulos suos: quot genera præceptorum sunt, tot sunt adversariorum. Si largitatem esse in hominibus jubet Dominus, avarus irascitur: si parsimoniam exigit, prodigus execratur: sermones sacros improbi suos hostes dicunt: horrent raptores quidquid de justitia scribitur: horrent superbi quidquid de humilitate mandatur: adversantur ebriosi, ubi sobrietas indicitur: detestantur impudici, ubi castitas imperatur. aut nihil ergo dicendum est: aut quidquid dictum fuerit, cuicumque supradictorum hominum displicebit. Mavult quilibet improbus execrari legem quam emendare mentem, præcepta odisse quam vitia. *sub finem libri quarti contra avaritiam.*

Zeno Sermone de Iob: Sacræ historiæ ad hoc nobis est tradita legenda narratio, ut majorum, si fieri potest, saltem aliqua ex parte mores imitemur) si non possumus imitari virtutes. tanta enim probitate vixerunt, ut pars felicitatis sit, nosse quid fecerint.

Chrysologus: Quoties salutaribus succis contra lethales morbos antidotum temperat peritia præacuta medicorum, si præter artem, præter medicinam, præter tempus accipere præsumat ægrotus, fit periculi causa quod provisum est ad salutem: sic Dei verbum si præter magisterium, præter doctrinam, præter dogma fidei, scire temerarius præsumat auditor: quod est vitæ materia, fit perditionis occasio. Quærendum est fratres ne per audiendi imperitiam, quod ad profectum nobis divinitus scriptum est, ad animatum veniat detrimentum.

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carmine 33.

In libris sacris, linguaq; & mente frequenter
Versare, aut etenim donat Deus ista laborum
Præmia, ut abscons æ lucis mens sedula quiddam
Conspiciat: vel certè istinc ea commoda carpit,
Vt per sancta Dei capiat præcepta dolorem.
Aut quod postremum est, animos hæc lectio rebus
Abstrahit a fluxis, studia ad meliora vocatos.

¶ Emblematum.

Seba. Viator ventum objecto pallio inhibens.

Quis sapere hunc credat, sese qui posse vetandis
Ventorum credat flatibus esse parem?
Stultior at quanto est sese qui posse loquentis
Obstruere insanus Numinis ora putet?

Had. Iunius Emblemate XXXIII.

Funesto Arachnen flos idem succo replet,
Apiq; mella sufficit liquentia.
Concordiæ litisq; idem dictum est parens:
Scriptura pravis sica, sit scutum bonis.

Camerarius VIII. Centur. 1.

Haud aliter.
Haud velut riguos nunquam pallescit ad amnes,
Sic viret ad Verbi flumina sacra pius.

Camerarius LV. Centur. 1.

Cæli benedictio ditat.
Verna rigant pluviis languentes nubila flores,
Nos Pater, ætherij Flaminis imbre fove.

Camerarius LXXIX. Centuria 1.

Nerion Antidotumq; viris, suibusq; venenum est.
Pagina sacra malis noxa, medela piis.

Catsius Emblemate sacro XXI.

Bona bonis, malis mala,
Piscis idem genus huic alimenta benigna ministrat
Piscis idem genus huic causa doloris erit.
Cur aliquis piscem pronunciet esse malignum?
Cùm nocet; haud piscis, sed Coce, culpa tua est.
Sancta Dei lex est; fert pagina sacra salutem:
Quo pereat tamen hinc lector iniquus habet.
Libet apis violas, & aranea libet easdem:
Hæc aconita trahet floribus, illa favos.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Sermo Christi inhabitet in vobis opulentè, cum omni sapientia: docereque & commonete vos invicem. *Coloss. 3. 3.*

Ab infantia sacras literas nosti, quæ te instruere possunt ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis enim Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. *2. Timoth. 3. 15. 16. 17.*

Theologi Veteres.

Eorum exhortationes frequentes reperiuntur de scriptura sacra domi passim legenda. Legendus est, cui libuerit.

Origenes in Levitic. homil. 4. &9. In Iosuam, homil. 20. In 12. cap. epist. ad Rom. Vide etiam Eusebium eccles. histor. lib. 6. cap. de Origene agentem.

Hieronymus, in 2. ad Corinth. 13. in 3. ad Coloss. in epist. ad Titũ, cap. 2. epist. ad Demetriadem, ad Celantiam, ad Salvinam, ad Furiá, & alibi.

Augustinus, epist. 3. ad Volusian. Retract. lib. 2. cap. 38. In serm. de studio sapientiæ & meditatione legis Dei, & aliis homiliis ex quibus sequentia scitè dicta recitamus.

Adhuc bonum habemus, inquit, solatium, divinarũ lectio Scripturarum: quia sacrarum lectio scripturarum divinæ est pręcognitio non parva beatitudinis. In his enim, quasi in quodam speculo, homo se ipsum considerare potest, qualis sit, vel quò tendat.

Lectio assidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis.

Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm vero legimus, Deus nobiscum loquitur.

Geminum confert donum lectio sacrarum scripturarum, sive quia intellectum mentis eruit, seu quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit.

Labor honestus est lectionis, & multùm ad emendationem animi proficit. sicut enim è carnalibus escis alitur caro: ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur & pascitur: sicut psalmista ait: Quàm dulcia faucibus meis! super mel & favum ori meo. Sed ille beatissimus est, qui divinas scripturas vertit in opera. Hæc Augustinus.

Ambrosius, Serm. 35. De jejunio Domini: item enarrat. in psalm. 118. Serm. 21. & lib. 1. de Officiis, cap. 22.

Chrysostomus, homil. 29. in Genes. homil. 14 & 52. in Ioann. Item homil. 9. in epistol. ad Coloss. ex qua pauca quædam hic adtexere visum est.

Comparate vobis, inquit, Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel novum Testamentum acquirite, Apostolorum acta, Evangelia, continuos ac sedulos doctores. Si acciderit molestia, huc veluti apothecam pharmacorum introspice: hinc tibi sume solamé mali, sive damnum evenerit, sive mors, sive amissio domesticorũ. imò non introspice solùm, sed omnia iterum atque iterum versa, menteque illa contine. Hoc demum malorum omnium causa est, quòd scripturæ ignorantur. Sine armis bellum ingredimur, & quomodo servari possumus, &c.

Gr. Nazianzenus, carmine de veris & germanis scripturæ libris hæc dicit:

In libris sacris linguaq; & mente frequenter
Versare. aut etenim donat Deus ista laborum
Præmia, ut absconsa lucis mens sedula quiddam
Conspiciat: vel certè istinc ea commoda carpit,
Vt per sancta Dei capiat præcepta dolorem:
Aut, quod postremum est, animos hæc lectio rebus
Abstrahit à fluxis, studia ad meliora vocatos.

In carminibus Iambicis de virtute, dicit Scripturam sacram esse dulciss. fontem mentibus castis patentem.

Basilius magnus, epist. ad Nazianzenum dicit meditationem divinarum scripturarum esse potissimam viam ad juventionem recti.

D. Gregorius. Theodorus medicus Constantinopolitanus, miserat ad D. Gregorium Episcopum Rom. magnam pecuniæ vim pro captivorum redemptione. Eius liberalitatem Gregorius commendat: negligentiam interim in evolvendis sacris literis reprehendit: inter cætera his verbis usus, Imperator cœli, Dominus Angelorum & hominũm, pro vita tua tibi epistolas suas transmisit, & tu illas ardenter legere negligis? Quid est enim Scriptura sacra, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? Plura vide apud eundem, *lib. 4. epist. 84. & lib. 6. Epist. 189.*

D. Bernardus. Etsi scripta patrum diligenter evolvit, scripta tamen Prophetarum & Apostolorum fontes veritatis appellabat, quibus per devotam meditationem inhærendo plus proficerent homines, quàm immensos aliorum commentarios legendo. Proinde per jocum ad amicos dicere solebat, se nullis præterquã quercubus & fagis usum magistris. *Author vitæ lib. 1. cap. 4.*

Constantinus Imperator Libri Evangelistarum & Apostolorum, inquit, quinetiam veterum Prophetarum oracula, nos evidenter docent, quid de divino numine sentiendum sit. Omni igitur contentione depulsa, literarum divinitus inspiratarum testimoniis res in quæstionem adductas dissolvamus. *Theodoret. eccl. hist. libr. 1. cap. 7.*

Ioannes Picus Mirandulanus. D. Pauli Apostoli epistola oratorum omnium scriptionibus eloquentia præstare dicebat, Tullii & Demosthenis lucubrationes nominatim citans: non quòd essent, ut illæ, calamistris inustæ, & corrasis undique fucis & cincinnis constipatæ. sed quòd veram solidamque redolerent & saperent eloquentiam, veris sententiis, vera arte suffultam, essentque Aegyptiorum non consulto suffarcinatæ. Omnia porro veteris legis eloquia consumatissimæ sententiæ & sapientiæ plena prædicabat. *Io. Franc. Picus in vita.*

Georgius princeps Anhaltinus. Sacram Scripturam fascias appellabat, in quibus aiebat involutum esse puerum Iesum, & nisi illis explicatis non posse hunc conspici. *Ioach. Camerarius in vita eiusdem principis.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Flore libat ex eodem pus arachna, mel apis.
Otio ac securitate literæ indigent sacræ.
Vis viaticum salutis? sacra scriptura unicum est.

§ JAMBICA.

Inscripta Christo pagina immortalis est.
Quis paginæ addat quid sacræ, quis detrahat?
Scriptura sancta non sibi est contraria.

Scurrilitatis.

SENTENTIÆ PHILOSOPH.

THeophrastus *Ethicis Character*: Desperatio est per quam aliquis & facere quidvis & loqui contra honestatem sustinet. Homo autem desperatus & ad omnem audaciam projectus, is est qui jusjurandum facile suscipiat: qui male audire ac convitiis proscindi susque deque habeat. Moribus est veteratoris callidi improbique, & hominis spurci, ac quidvis audentis. Atque adeo non pudebit eum, saltare cordacem etiam sobrium, & in comico choro personatum: & quum præstigiæ spectantur, ad quemque spectantium adire & stipem æream exigere: ac si quis tesseram afferens, gratis spectare postulet, cum eo rixabitur. Cauponam quoque exercere, leno ac portitor coactorque esse solet: ac qui nullo turpi artificio se abstineat, præco erit: coquus erit: aleator erit: matri suæ alimenta denegabit: furti etiam convictus obtorto collo rapietur, atque in carcere diutius quam in suis ædibus habitat. Est etiam iste ex iis qui turbam circa se sistunt, & obvios ad se vocent quibuscum voce magna & præfracta loquuntur, iisque maledicta ingerunt: atque interea partim accedunt, partim discedunt, priusquam quid sibi ille velit audierint: dum ille aliis principium, aliis vix syllabam, aliis partem aliquam de re tota refert: non alias nisi quando mercatus ludorumve causa celebratur hominum frequentia suum profligatum ac perditum ingenium spectari æquum autumans.

Litibus etiam partim quæ ipsi intenduntur, partim quas ipse aliis intendit, solet esse implicitus atque in aliis absentiam suam jurejurando interposito excusare: ad alios judicio se sistere, in sinu quidem scrinium gestans: præ manibus vero forensium libellorum fasciculum habens. Quin etiam, quæ eius est insignita impudentia, ducem se rabulis forensibus præbet: ac mox illis pecunia fenori data, pro usura drachmæ cuiusque ternos semiobolos quotidie exigit: sæpe etiam popinas & macella ubi pisces ac salsamenta væneunt, pererrat: nec non quos enundinatione sua nummos conficit, solet eos in buccam condere. Sunt sane istiusmodi homines admodum difficiles: quorum quidem os ad convitiandum facile solvitur: atque id voce ita contenta, ut eorum clamoribus & forum, & omnes tabernæ personent.

§ POETARUM.

Plautus Trinummo 1. sc. 2. v. 162.

Nil est profectò stultius neq; stolidius,
Neq; mendaciloquius, neq; argutum magis,
Neq; confidentiloquius, neq; perjurius,
Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant.
Atq; egomet me adeò cum illis una ibidem traho,
Qui non illorum verbis falsis acceptor fui;
Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt.
Quod quisq; in animo habet, aut habiturus est, sciunt.
Id quod in aurem rex reginæ dixerit,
Sciunt. quod Iuno fabulata est cum Iove
Quæ neq; futura, neq; facta sunt, tamen ii sciunt.
Falsòne an vero laudent, culpent quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat, sciant.
Omnes mortales hunc ajebant Calliclem
Indignum civitate hac esse, vivere,
Bonis qui hunc adolescentem evertisset suis.
Ego de eorum verbis famigeratorum inscius,
Prosilui amicum castigatum innoxium.
Quod si exquiratur usq; à stirpe auctoritas,
Vnde quidq; auditum dicant, nisi id appareat,
Famigeratori res sit cum damno ac malo.
Hoc ita si fiat, publico fiat bono.
Pauci sint faxim, qui sciant quod nesciunt;
Occlusioremq; habeant stultiloquentiam.

Secreti.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus*: Vestra quidem vita cùm sit manifesta est lux: nullus enim abscondit vitam in quam non cadit reprehensio quæ autem absconduntur, absconduntur præterea quod sint offusa tenebris. *Homil.18.ad Ephesios.*

¶ LATINORUM.

Salvianus: Sed forte id vel occultum erat, & saltem hoc providebant procuratores, ne publicæ passim disciplinæ oculos, civitatis scelera propalata polluerent. quod si factum utique fuisset, quamvis multi extitissent opere ipso sordidi, non omnes tamen fuerant visu atque animo sordidati & solet res flagitiosa quando agitur occultè, fidem facinoris non mereri. supra autem omnem monstruosi piaculi execrationem est, scelus summū admittere, & pudorem sceleris non habere. *lib.7.de provid. Dei.*

S.Salvianus. Quis dubitet quod secretum pectoris oblatæ pecuniæ pondus irruperit? Nihil clausum constat, quod auro argentoq; non pateat: nihil occultum quod non pecunia indagante sit cognitum. Vnde periculosè illis conscientiæ fides creditur, quibus cupiditas dominatur. Haberet profectò integritas totum secretum, si in aliena domo proditrix pecunia non haberet ingressum.

S.Chrysologus Palam nihil audet simulata mens, conscientia dolosa. *Serm. 158.m.*

Io.Sarisberiensis: At expedit plurimum ad successus esse conseiū secretorum. Quidni Reverentia crescit, invalescit autoritas, arcentur incōmoda, proveniunt utilitates, amicorum augetur numerus, cultoribus accedit devotio, & fortuna totius gratiæ suæ, & felicitatis auram videtur beatulis inspirare. Ceterum istorum omnium novissima, quovis absinthio amariora sunt, & si interim non amarescunt, justam amaritudinis habent suspicionem. Res siquidem periculosa est, divitum aut potētum communicare secretis. Si quid enim eis per incuriam forte elabitur, cui, nisi conscio imponetur? Quod cubicularij, aut ciniflones, mimíve, aut quicunque nebulonum, quibus delicatus divitis sensus, aut furor carere non potest, in lupanari, vel taberna sparserunt, aut ut se vendicarent à familiaritate potentis, devulgaverunt in populo, in illius calumniam retorquetur, qui in consiliis aliquem locum visus est tenuisse. Si motus rerum præscire desideras, meritoria discute, & lixarum castrensium inquire sententias. Nihil enim adeò occultum est, quod eis ex aliqua parte non reveletur. Si mihi non credis, vel Aquinati nostro aures accommoda. At enim,

> *O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum*
> *Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur,*
> *Et canis, & postes, & marmora: claude fenestras,*
> *Vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen*
> *E medio, taceant omnes, prope nemo recumbat:*
> *Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,*
> *Proximus ante diem caupo sciet.*

Procedo. Si terræ secretum suum infodiat, vel arundo succrescens hoc producet in publicum, & levi flatu in auras proferet, quoniam

> —— *Auriculas asini Midas habet.*

Pallas quoque Erichthonium suum occultare non potuit, quin ipsum jam cognitum cornicis garrulitas publicaret: unde quia alieni admissi delatrix fuit & conscia, coloris perdidit venustatem, & garrulitatis incurrit notam.

Præterea secretarii divitum, quasi quidam colutarii vel clitellarii sunt, & qui eorum delictis onerentur, quicquid ab eis delinquitur in istorum infamiam cuditur; nisi forte ea sit de potente opinio, ut nullo possit consilio depravari. Si enim solemnis est malitia ejus, si fraudis & doli vulgata opinio, totius familiæ fame purgatur, ac si capitis languor infirmantium denigret dolorem laterum. Altoquin si benignior, si civilior creditur potentatus, omnia deliramenta ejus familiares, quasi clitellarii quibusdam nominis sui humeris portant. Sed rectè gestorum nil nisi benignitati, aut civilitati potentis adscribitur. Et si quando calculus gravior imminet, quasi pellem pro pelle animam tuam dabit dives pro fama sua, & ut in te retorqueat culpam suam, caput tuum meritis criminum pænis non verebitur objectare. Sed quod magis mirabile, gratulabitur, si astutia sua industriæ tuæ labores & sollicitudines, hac mercede donaverit, ut te reddat infamem, & si fecerit, aut finxerit te criminibus inauditis obnoxium. Non est enim malum in civitate quod non in divitiis consiliarios impingatur, cùm inanis sit excusatio, eo quod omne officium sibi potentatus conformat, nemoque sapiens diu fluctuat consilio imprudentum. Omnia namque discernit & judicat. An eum putas in conscientia tua securum quiescere, cujus turpitudinem producere potes in lucem, & proferre in publicum? Certe omnis, qui malus est odit lucem. Et opus omne, artificis sui videtur habere imaginem. Meretricantium mulierum fucus dum argui veretur à lumine, petit umbras, & timet ne seipsis deformiores sint, si immediata luce videntium obtutibus pateant. Hoc ergo illarum tota vigilantia quærit, ut quod non est in eis, præstricti oculi videant, & qui vident cæci fiant. At in his quæ nativò colore confidunt, longe aliter est, quia

> *Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,*
> *Iudicis argutum quæ non formidat acumen.*

Licet itaque secretorum communio aliquid felicitatis videatur adjicere, securitati tamen plurimum demit. Difficile aut potius impossibile est illos percurrere, qui hac via ad inferis descenderunt, aut pœnis novissimis se ingemerunt affectos.

> *Heu mihi cur vidi, cur noxia lumina feci!*

inquit ille, qui an de conscientia alieni, an proprii operis noxa deportationem meruerit, incertum est. Certum tamen est, quod mala aliena novisse non expedit. Verumtamen sive sciantur, sive non, nihil tutius est, quam propriam conscientiam conservare. Philosophus sic inter hostes vivendum censuit, tanquam inter amicos: & inter amicos, ac si in mediis hostibus viveretur. Et Satyricus

> *Vivendum est rectè tum propter plurima, tum de his*
> *Præcipuè causis, ut linguas mancipiorum*
> *Contemnas, nam lingua mali pars pessima servi.*

Sed non modo propter linguas servorum, verùm propter gladios, & venena potentum, & insidias omnium, præcepto Satyrici parendum est. *lib 3.nugarum Curialium cap.12.*

¶ ORATORUM GRAECORUM.

Libanius: Qui res horrendas maximè peragunt, in latendo securitatem constituunt. *Declam.1.& 24.*

¶ ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Operuerat Ascyltos pallio caput, admonitus scilicet, periculosum esse alienis intervenire secretis. *Satyrico.*

Idem mox: Vterque nostrum religiosissimis juravit verbis, inter duos periurum esse tam grande secretum.

Plinius: Queri libet quod in secreta nostra non inquirant Principes, nisi quos odimus. nam si eadem cura bonis quæ malis esset, quàm ubique admirationem tui, quod gaudium exultationemque deprehenderes, quos omnium cum conjugibus ac liberis, quos etiam cum domesticis aris focisque sermones? Scires mollissimis tuis auribus parci. Et alioqui cùm sint odium ámorque contraria, hoc perquam simile habent, quod ibi intemperantius amamus bonos Principes, ubi liberalius malos odimus. *cap. 68. ad Trajanum.*

Plinius. Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum occultum esse patitur. principum verò, non modò domus sed cubicula ipsa intimosque secessus recludit, omniaque arcana noscenda famæ proponit atque explicat. Sed tibi Cæsar nihil accommodatus fuerit ad gloriam quàm penitus inspici. Sunt quidem præclara quæ in publicum profers, sed non minora ea quę limine tenes, &c. *cap.83.panegyrici ad Trajanum.*

¶ POETARUM.

Petronius Arbiter.

> *Nam citius flammas mortales ore tenebunt,*
> *Quam secreta tegant. quidquid dimittis in aula*
> *Effluit, & subito rumoribus oppida pulsat.*
> *Nec satis est vulgasse fidem: simulat ius exit*
> *Proditionis opus, famamq; onerare laborat.*
> *Sic commissa ferens avidus reserare minister*
> *Fodit humum, Regisq; latentes prodidit aures.*
> *Excepit nam terra sonos, calamiq; loquentes*
> *Invenere Midam, qualem narraverat index.*

Plautus Trinummo 2.sc.4.v.107.

> *Arcano tibi hoc dico, ne ille ex te sciat,*
> *Neve alius quisquam. P. crede audacter quid lubet.*

Plautus Trinummo 1.sc.2.v.103.

> *Subigis maledictis me tuis Megaronides,*
> *Novo modo adeò, ut quod mea concreditum est*
> *Taciturnitati clam fides & fiduciæ,*
> *Ne enunciarem cuiquam, neu facerem palam,*
> *Vt mihi necesse sit jam id tibi concredere.*
> *M. Mihi quod credideris, sumes inde ubi posueris*
> *C. Circumspice dum te, ne quis adsit arbiter*
> *Nobis, & quæso identidem circumspice.*

Ausonius de Tiberio Imp.

Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro,
Quæ prodit vitijs, credit operta locis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Abscidit Leæna linguam ne secreta proderet.
Ad voluntatem loqui mage est scurrile quam probi.
Feminis summa est, latere vel virum omnem gloria.
Haud sat rectè arcana credas non animatis literis.
In secreta irrumpit, aperta præterit effractarius.
In secreta non inquirunt nostra, nisi quos odimus.
Mars minus nocens apertus est quam clancularius.
Nil ita est secretum id aurum quin revelet splendidi.
Nil dicas faciasve quod non publicè eloqui audeas.
Nil patres dicasve quod non publicè eloqui audeas.
Nocte qua domi peccamus mane servi eliminant.
Nulla adhuc secreta jussit lex amicorum eloqui.
Quæ natura vult latere publicare ingens nefas.
Quærere in secreta Regum plena res periculi est.
Quam magis secreta celat rex quis, hoc magis patent.
Qui per iram arcana amici prodit, hostis est duplex.
Quo malus frequentius peccat, hoc peccat manifestius.
Quo minus secreta prodit rex sua hoc magis latent.
Scire Principis secreta non caret periculo.
Vix quemquam invenias qui aperto possit vivere ostio.

§ JAMBICA.

Aliquid potest clausum esse homini nihil Deo.
Arcana habemus quia non fidimus omnibus.
Arcana non sunt cuncti amici si sumus.
Arcana quæ vis, nemini ipse dixeris.
Arcana Regum, ipsi produnt satellites.
Arcana tegere ambage nexa Delphici est.
Arcanus est sermo quem scit modò unicus.
Dolor exprimat gemitum, secreta haud exprimat.
Diu latere flamma surgens non potest.
Est cupiditas hominum cognoscere abdita.
Est tutius secretum, at & suspectius.
Facillimum est secretum caci fallere.
Fraudem arguit dolumq; clandestinitas.
Haud adsequaris Regis sensus abditos.
Haud liberum secretum alta potentia est.
Haud optimum semper putandum est quod latet.
Nil non revelat temporis longi mora.
Nil sic siletur quàm quod uni creditur.
Non quod latet semper putandum est optimum.
Occulta tempus aperit & aperta occulit.
Præstare tacitam Regibus verum est fidem.
Quidvis queas celare homines, nihil Deum.
Quis est qui aperto vivere ausit ostio?
Quod conditum malum est, cave illud moveris.
Scelera haud latent, certè nunquam latent diu.
Secretum an ullum credis esse divitiis?
Secreto alieno intervenire periculum est.
Secreta minimè sunt secreta Principum.
Secreta Regum, fœta curis pessimis.
Secreta Regum rarius bene audiunt.
Secreta vix est ut reticeat femina.
Solus Deus secreta cordis inspicit.
Sunt quædam in alto rerum secreta omnium.
Vel detegenda quædam cum perjurio.

Securitatis.

§ APOPHTHEGM. SACR.

D. *Martinus.* Quum B. Martinus à latrone quodam interrogaretur, quisnam esset? respondit, Christianus sum. Quæsivit deinde, an timeret? tum verò constantissimè professus est, nunquam se fuisse tam securum, quia sciret misericordiam Domini in tentationibus affuturam: se magis illi dolere, qui Christi misericordia, utpote latrocinia exercens, esset indignus, &c. *S. Severus, lib. de vita B. Martini.*

§ EMBLEMATUM.

Camerarius XIV. Centuria 3.

Non captu facilis.

Nubibus, ecce, Iovis volat altior omnibus ales.
Tu quoq; ad alta animum, si sapis, astra leva.

Camerarius XLII. Centuria 3.

Natura dictante feror. Ardea supra nubes unde pluit.

Prospicit atque fugit fortunæ flamina prudens,
Ceu fugit imbriferos Ardea celsa notos.

Camerarius XXXI. Centur. 4.

Stertentes opprimit hostis. Fuscina capti pisces.

Vt capiat pisces, piscator nocte laborat,
Vt seipsum servet surgere nemo paret?

Catsius Emblemate ethico XXXVI.

Periculum venit cum contemnitur.

Imbelli noceat cui mollis araneus ictu?
Et quis non rigido tactus ab angue cadat?
Huic tamen incumbens victrix dominatur arachne,
Et vastum tenus perforat ense caput.
Vnde fit ut coluber parvo cadat ictus ab hoste?
Languebat serpens, & vigil hostis erat.
Quàm facile est struere insidias nil tale timenti!
Est quod ei metuas, cui metus omnis abest.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Corde adhuc trepidat Romanus, re licet gesta bene.
Dulcis ad securitatem qualibet mors est via.
Fele dormiente ducunt & choreas musculi.
Magna nulla est absq; magnis viribus securitas.
Navis anchoris duabus quæ stat fluctuat minus.
Ne fides quidem latendi fit malis latentibus.
Ne quidem tuta in tenebris pravitas ipsa est suis.
Ne loco confide! portu sæpe trabs fracta in suo est.
Nemo idem terribilis esse & unà securus queat.
Non potest securus esse, vis cui ampla adest opum.
Nunquam erit securus augur quem movet vel somnium.
Omne si futurum incertum est, quanam ulli est securitas?
Porro securitatis magna est, facere nil mali.
Portio securitatis maxima, innocentia est.
Qui patrant scelera, in latendo tota eis securitas.
Si secura vita non est, mors fiat securitas.
Sit prior securitatis cura quam potentiæ.
Tunc coronanda est carina, salva ubi portum subit.
Tutius securiusq; nil est innocentia.
Vita ei secura non est qui timetur à suis.

§ JAMBICA.

Bene anchoris navem duabus fulcias.
Creberrimam cladem attrahit Securitas.
Nemo opprimitur celerius, quàm qui nil timet.
Nil facere iniquè maxima est securitas.
Omnis ferè est incautior securitas.
Periculum securitatis filia est.
Qui dives est securus esse desinit.
Quisquis timetur, esse securus nequit.
Sæpe obfuit securitas victoribus.
Secura mens tristitiam leviter sustinet.
Secura nulli prava conscientia est.
Secura vita nónne mortuum est mare?
Securiter solummodo laudes Deum.
Securius nil unica innocentia.
Securus esse vis? iniqua ne patres.
Securus ipse nunquam est alij quem timent.
Securitas certa est ex mansuetudine.
Securitas in paupere, haud in divite est.
Securitas parens est negligentiæ.
Securitas, parens ruinæ proxima.
Securitas summa est in mansuetudine.
Securitas ubi est ibi jucunditas.
Securitatis summa, summum periculum.
Securitati cuivis diffidit malus.
Securitati diffidit nocens sua.
Securitatem auri Servator non habet.
Securitatem consilij parit mora.
Solent suprema facere securos mala.
Terribilis esse nemo securè potest.
Timere leges, maxima est securitas.
Trepidare semper proprium est nocentium.

Videantur plura titulo *Contemptus, Confidentiæ, Fiduciæ, Providentiæ, Circumspectionis.*

Seditionis.

§ SENTENTIAE PATRVM.

D. *Nazianzenus*: Quod si etiam nauclerus, & quidem peritissimus essem, atque hinc effusum mare in nos sæviret, ac circum navem æstuaret, hinc gravi seditione vectores laborarent, aliique de alia re contenderent, atque, & sibiipsis mutuò, & fluctibus obstreperent, quamdiu tandem ipse obluctari possem ad gubernacula sedens, ut simul, & cum mari, & cum vectoribus pugnatem, atque ex duplici tempestate navem sine periculo eriperé? Qui-

Quibus etenim omni ratione connitentibus & adjuvantibus salutem tamen consequi difficile esset, iisdem inter se dissidentibus & confligentibus, qui tandem fieri posset, ut navis pessum non iret? *Oratione 32.*

Egesippus: Vbi constitutum exercitum de muris aspexere, seditionis studia ad tempus deposuere, & externis hostibus advenientibus domestico fœdere sequestrata civilium bellorum certamina. Plerumque enim etiam acerba odia metus comprimit. Denique cohortati sese invicem factionum viri, ut in unum conspirantibus studiis patriam defensarent, ne eorum discordia incruentam Romanis victoriam daret, freti numero, hostem subito adoriendum putarunt. *cap. 4. lib. 5. de excidio Hierosol.*

Egesippus: Arietibus muro admotis, perturbati omnes, qui ante de dominationis inter se studiò certabant, in concordiam coeunt; dataque impunitate superiorum, unum corpus sese fecere, & conspirati cogente periculo, urbem tuentur. *cap. 10. libri 5. excid. Hierosolym.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Aristides: Græciæ civitatibus, non peditum phalanges, nec equitum turmæ, nec aliud quidquam eorum quæ videntur horrēda, mutationem attulerunt, sed seditio & infidelitas mutua, quodque nec publicè idem sentirent, nec singillatim saperent. *Oratione de concordia ad Rhodios.*

Aristides: Verùm ut facile est extremum seditionis vitium demonstrare, ita quomodo possitis ea liberari difficulter forsitan invenietur. sed non primum, omnis ira, tanquam obsidio, suas sibi res habere jussa, removenda est: quia res nullæ per iram commodè componuntur. deinde invidia & violentia utrinque est deponenda; invidiam dico aliorum in potentiores; violentiam horum in alios. denique familiæ figuram & exemplum debetis exprimere. hoc autem quid est? sunt in familia præfecti, liberorum patres, heri servorum. quomodo hi rectè degunt? cum præfecti non omnia sibi licere credunt, & ultro quid potestati suæ detrahunt: alii id, quod potentioribus visum fuerit, pro licito sumunt. nec enim sine hac utrorumque æquitate facile possit ulla domus consistere. Ergo qui potentiores in civitate haberi volunt, existiment se cùm ultrò perdunt, suam corrumpere gloriam. quando quidem hoc ipsis commodum est, ut aliqui sint imbecilliores, siquidem eos, quibus potentiores duci velint, cupiant ostendere: qui autem vel opibus vel alia re sint inferiores, si sint aliis infesti, suam se diruere salutem multò magis credant, quam si data opera subruerent mœnia. Est enim hæc naturæ lex, ab aliquo Deo revera lata, qua jubétur imbecilliores potentiori parere: cujus quidem abrogationem si quis pro libertatis habet signo, seipsum fallit, & perinde facit, ac si omnes communiter homines, Deis invidentes, eos putarent non esse. Quod si quis, quoniam permulta sit & gravia passus, non putat ante sumptum supplicium in gratiam esse cum quoquam redeundum, is primum secum ipse pugnat. etenim si talium est ac tantorum causa malorum seditio, ut is qui non aliquo modo pœnas sumat, acerbam sibi vitam existimat, cur eam non fugiamus? Solent enim prudentes viri ab iis rebus quibus sunt delectati nolle discedere: quæ autem tam dura tamque tumultuosa, & undique molestiæ plena sunt experti quantocyus tollere, nec malum malo sanandum putare; sed vocabula duo contraria, memoriam & oblivionem, duarum esse rerum contrariarum existimare; ac bona memoria consignari, mala oblivione induci debere. Iam ut maximè vos animus urgeat, hostem ejus antiquam, rationem decet vos in auxilium vocantes, ita vobiscum ipsos agere: Nos Rhodii sumus; ac si quis nobiscum vel Græcus vel Barbarus de nobilitate contenderet, eum superare vellemus: hoc igitur animo cùm simus, patria nobis est communiter servanda, ut habeamus de qua gloriemur. at ea seditionibus perit, concordia major fit ac pulcrior. quid ergo nosmetipsos consumimus? Hæc si quisque vellet sibi suggerere, nullum daret irritationi locum. quomodo enim revera non sit absurdum, cùm de patriæ laudibus omnes idem, si sit opus, sentiatis, ad eam conservandam, & laudis copiam comparandam, non audere eodem esse animo, verùm quam verbis decoratis eam factis pedere, & Cleomenis expectare Lacedæmonii victoriam, qui seipsum à perdibus exorsus minutatim dissecuit? Quia autem putatis obsecro, si hostium interitu modestiam quisque vestram definiatis, aliud reliquum fore, nisi ut ex tot viris atque mulieribus, unus tantum atque una relinquatur, quemadmodum post diluvium ajunt accidisse? aut quare, à mulieribus quæ Pentheum dilacerarunt, differentis, si commune civitatis corpus vestris ipsi manibus diripueritis? Atqui debent ij qui quid passi sunt, cùm ea quæ acciderunt tempori fortunæque tribuere, tum hoc nullum habere majus lucrum: qui autem perpetrarunt, eorum pudore duci, non gloria efferri: ac sponte concordiam auspicando, priora luere, mercedemque plenam ducere, si pœnas quas non dant, sumere se existiment. Arbitror porro tot in seditione contineri mala, ut cùm alterius rei, à qua quis aliquem dehortari velit, conveniat incommoda dicere, de hac contra tacere præstet, quam eorum quæ singuli sunt perpessi, memoriam revocare, nisi quis aliter omnino quam studeat facere velit. *de concordia ad Rhodios.*

Aristides Sophista: Vt bellum sæpe magis quam pacem expetendum video; ita seditionem præ concordia nunquam. nam qui bella gesserunt, opum nonnunquam gloriæ, potentiæ, atque aliarum rerum incrementum sibi attulerunt: qui seditionibus & odiis inter se conflictati, nunquam rerum suarum fructum perceperunt, nedum alienas acquirerent. denique in pace tanto pejus est seditione quam bello vexari, quanto deterius est, sibi quam aliis malefacere. in bello autem hoc ipsum tanto pejus est, quanto bellum pace. Neque verò idem & nunc, & non olim est pro summo malo habitum. hoc enim levior est tyrannus quàm seditio, quo primum tolerabilior est unus vir, oppidum, quam omnes affligens. deinde quod cùm ad excitandam seditionem olim data opera quidam induxerunt. Præterea cum tyranno quidem leges etiam ferri putarunt latores aliquot conducere: ut autem per seditionem vel constitueretur omnino, vel constaret Resp. nemo credidit unquam fieri posse. Iam urbes nonnullæ quibus politi sunt tyranni, magnitudinem & compositionem acceperunt majorem: quas autem seditio non confecerit, nullas facile dixerimus. *Oratione ad Rhodios de Concordia.*

Aristides Sophista: Primum ad Laconicam civitatem, gentilem vestram respicite: donec seditione laborabat, nulli præstabat urbi finitimæ, & in bellis plerunque vincebatur: postquam autem per Lycurgi leges atque sermones composita fuit, Græcis tam oppidatim quàm communiter imperavit. Deinde contemplamini Athenienses: in seditione nec sibi nec aliis potuere prodesse. postquam autem à tyrannis liberati concordiam mutuam sunt auspicati; non urbem tantum sed & Græciam difficillimis temporibus liberarunt. imperium autem adepti, donec unanimes erant, omnibus ferè terra marique resistebant: postquam dissidium est ortum, & mœnia subruerunt, & naves tradiderunt: atque hanc tantam cladem cùm populus accepisset, & post reditum adversarios punire posset, pacem facere maluit, & communem urbis salutem privatis injuriis præposuit. rursum itaque rerum administrationem aggressus, cunctis ferè Græcis vicissim imperavit. tantum nocet civitatibus seditio, tantumque prodest eam confestim abolere velle. Quod si & majores vestros Argivos memorare vultis, ij quoque traduntur, cùm inter se dissiderent, postquam Atheniensium legati ad eos venerant, ipsosque quomodo res illi suas composuissent, docuerant, paruisse, & sublata seditione in gratiam rediisse mutuam. *Oratione ad Rhodios de concordia.*

Philostratus: Spectaculorum aut equorum causa dissidentes componere, non magni laboris est. nam qui ob ejusmodi leves causas in seditionem veniunt, si forte virum gravem intueantur, pudore correpti ad sanam mentem facile redeunt. At fame oppressam civitatem, non facile est verbis persuadere, & esurientium iracundiam oratione compescere. At Apollonius id tamen præstitit Aspendi solo silentio. *lib. 1. cap. 11.*

Dio Prusæus: Quum non prosperè bellum Achivis procederet, nilque eveniret ut speraverant, seditio orta est inter duces; quemadmodum fere consuevit fieri inter eos quibus res sunt adversæ, non quibus secundæ. Confitetur autem & hoc Homerus, ubi Agamemnonem in concionem convocasse Græcos, quasi exercitum abducturum; videlicet multitudine ægrè ferente mala, atque recedere volente. *Orat. 11.*

Dio Prusæus: At hercle nunc consensimus, & in commune consultamus. Et quis tutam firmamque putet talem concordiam, quæ propter iram conciliata est, & tres vel quatuor duravit dies? Neque eum tutò dixerit sanum esse, qui paulò ante febri laboravit. Ne igitur vos concordes esse dicite prius, quam vobis quamplurimum prætereat tempus hac in concordia: nec tantum, quo non dissideatis. neque diversum loquamini, sed ut idem appetatis: & tum existimate, civitatis morbum esse exemptum. Nam & in instrumentis ad concordantiam non aptatis, fit interdum ut soni paulisper concordent, deinde verò statim dissonant. Quemadmodum igitur vulnerare aliquid & dissecare cito sit, & admodum facile, conglutinare autem contrahere indiget tempore & provectu: ita se etiam in civitatibus habent. Dissentire & seditionem excitare proclive est, & ex minima frequenter causa contingit: componere verò res ut convenientem accipiant dispositionem & fidem, per Iovem non statim licet habere eos qui vel dicunt vel putant se resipiscere. nam apud vos ita perturbatos forsan, immò & apud omnes alios, magna quadam hoc indiget medicina, imo potius voto.

Non enim aliter fieri potest, quam ut malis his moventibus ac perturbantibus absoluti, homicidiis, avaritia, contentione (quæ oriri solent, ubi quisque patriæ & publica utilitate omissa, suum privatum quærit commodum atque incrementum) fortiter tandē conspiretis, & publica pluris faciatis. Nam apud quos illa obtinēt, aliaq; his similia, eos necesse est semper versari in periculo, & res ob parvas concurrere & tumultuari, sicuti in mari ventis adversum sese prævalentibus. Quandoquidem neque senatum ipsum putatis consentire, neque vos populum. Si quis ergo omnes examinet, videtur mihi ne quidē viros haberi in civitate idē sentiētes, sed quēadmodum quidam insanabiles & difficiles morbi, qui per tota consueverunt transire corpora, nullaq; pars superest in quam non de-

scendant: ita asperitas ipsa, & quòd parum absit quin omnes alii ab aliis sitis aversi, permeavit civitatem.

Vt enim senatum omittam, populumque & juvenes & senes, multitudo non parva, tanquam extra rempublicam, quos aliqui Limurgos solent appellare: & interdum quidem iis gravantur, ajuntque turbam esse superfluam, & tumultus & confusionis autorem: interdum verò partem eos arbitrãtur esse civitatis, rursumque civitate dignantur. Quos quidem si vobis obesse putatis, & seditionem excitare, & perturbationem, omnino oportebat expellere, neq; admittere ad conciones. Si verò aliquo modo cives esse, nõ solum ideo quòd habitent, sed etiã complures hic nati sint, & nullam aliam sciantur habere civitatem, neque ignominia eos unquam affici conveniebat, neq; eos à vobis abrumpere. Nunc autem necessitate compulsi, suis sententiis publicam utilitatem destituũt, opprobrio affecti, atque alieni existimati. Nihil autem hoc magis noxium est civitatibus, neque quod magis seditionem excitet, & perniciem.

Quemadmodum si corporibus accedat rumor, si quidem reliquo corpori est familiaris & agnatus, habilitatem facit, & magnitudinem: sin minus, morbi atque perniciei causa fit. Quid igitur (dicat aliquis) tu nos facere jubes? An omnes pro civibus inscribere? Ita inquam, & eorundem autores: non autem afficere probris, neq; abjicere: sed eos vestri partem, sicuti & sunt, censere. Non enim si quis solvat quingentas drachmas, amare vos potest, dignusq; cõfestim fieri civitate: si quis verò pauper sit, aut aliquo cives in publicas tabulas perscribente, nomen civis non sit pariter consecutus: nec solum ipse apud vos prognatus, sed etiam ejus pater & progenitores. ille non potest diligere civitatem, neque eam suam esse patriam putare. Et grave quidem est, si is qui operatur, pejor est alio. Et hoc illi objiciendum est, & vertendum probro, Tu infector aut sutor, aut faber, dicendo: quando minimè ea convenit exprobrare. *Orat 34.*

Libanius: Quod legem de tumultu & seditione violaverit, muto, & elingui vertitur crimini. Et quidnam dicens, bone vir, tumultum excitavit? retulítne divitum quorundam bona publicanda esse, & seditio orta est? retulítne pauperibus tacendum esse, & seditionem concitavit? an pedites & equites commisit inter se? sagittarios & funditores duces & tribunos vicissim exagitans? quo decreto urbem dissidere fecit? qua sententia populũ divisit? Non te pudet, per Iovem, hominẽ elinguẽ tumultus auctorẽ dicere? Quod facis propemodum simile est, ac si statuas reprehenderes, quod tumultum apud populum excitarent. Ejusmodi accusationes sunt oratorũ, & eorũ qui in rep. versantur, & deferunt, & cum his lex differit, nonnullorum consilia suspecta habens Nam oratio inutilis verisimiliter connexa & composita, audientium animos surripere solet, & quæ noxia sunt, cõmoda censere suadet; quæ verò utilia damnosa: sic etiam civitas in seipsum bellum gerit, ac populus in seditionem rapitur; & tunc eorum quæ à populo fiunt obnoxium esse oportet eum qui ansam præbuit. At. n. neutiquam facta essent, nisi verbis ultrò citroq; habitis, hæc propter sermones peracta, ad eũ qui dixit referuntur. Quomodo igitur, qui particeps sermonis nõ fuit horũ auctor fuerit, quæ dicentium tantum sunt? qui nunc aliena opera certat, hic turbas fecit in populo? qui tacet, qui os non diducit? *Declamat. 42.*

Eadem adhuc declamatione. Seditio est, quando diversitas cupiditatis perturbatos inter se committit; quando scinduntur incerti in studia contraria; ut hi arces occupent, alii portus detineant; quãdo muniunt se muris & propugnaculis; quando in se invicem auxilia vocent; quando civitas non una manet.

Heliodorus: In controversiam non cadit, quin sit necessarium, ut rex seditionem vulgi sedet. *lib. 10. AEthiop.*

¶ Romanorum.

Honorius Imp. ad Symmachũ: Monemus sanè, ut Regionum Primatibus evocatis, disciplinæ publicæ, quietique prospicias: quibus decretorum nostrorum præcepta jubeas aperiri, ne quis scilicet ullum tumultum, neque seditionem audeat commovere: quam si quis insana persuasione conquiret, non in eos tantùm qui in perturbatione fuerint deprehensi, sed in Regionum quoque priores sciat vindicandum. Novimus enim quietem publicam facile custodiri, si incentorum cupiditates & fomenta cessaverint.

Frontinus: A. Manlius Cos. cum comperisset conjurasse milites in hybernis Campaniæ, ut jugulatis hospitibus, ipsi res eorum invaderent, rumorem sparsit eodem loco hybernaturos: atque ita cõjuratorum consilio turbato, Campaniam periculo liberavit, & ex occasione nocentes punivit.

Lucius Sylla, cum legiones civium Romanorum perniciosa seditione furerent, consilio restituit sanitatem efferatis. Propere enim annunciari jussit, hostem adesse, & ad arma vocantium clamorem tolli, signa canere: discussa seditio est universis adversus hostem consentientibus.

Cn. Pompeius, trucidato ab exercitu Mediolani senatu, ne tumultum moveret, si solos evocasset nocentes, mixtos eis, qui extra delictum erant, venire jussit: ita & noxii minore cum metu, quia non segregati, ideoque non ex causa culpæ videbantur accersiti, comparuerunt, & illi quibus integra erat conscientia, custodiendis quoque nocentibus, attenderunt, ne illorum fuga inquinarentur.

C. Cæsar, cùm quædam legiones eius, seditionem movissent, adeò ut in perniciem quoque ducis viderentur consurrecturæ, dissimulato metu, processit ad milites, postulantibusque missionem, ultro minaci vultu dedit: exauctoratos pœnitentia coegit satisfacere Imperatori obsequentioresque in reliquum operas edere. *lib. 1 stratagem. cap. 19.*

¶ Emblematis.

Principiis obsta. Embl. LXVI.

Aspidis haud ullâ morsus curabitur arte
Ense recidatur pars nisi læsa statim;
Haud aliter si Seditio teterrima pestis
Ingruat, & secum crimina multa trahat,
Omnia sunt tentanda quidem, sed tollere præstat
Vnum, ne totus grex male dispereat.

Flor. Schonhovius.

¶ Monosticha Trochaica.

AEquor à ventis turbatur, populum oratores movent.
Arduum non est movere urbem, arduum est componere.
Civium dissessiones pariunt & cognomina.
Corpori ut male est, statim omne ruptum ac convulsum.
Dignitas par, ferè ubiq; causa fit discordiæ.
Expendendi non numerandi in seditione sunt boni.
Imperij severitate seditiosos contines.
In simultate intestina nil potest rectè oculi.
In tumultibus puellus non minus quàm vir valet.
Motuum causas novorum, haud quærites: sunt obvia.
Nulla non ob luxum in urbe nascitur dissensio.
Oppugnatio intermissa, urbi excitat discordias.
Per discordias periculum milite est è quolibet.
Pessimum ad summos honores promovet dissensio.
Plus quam vincit, inter hostes qui serit discordias.
Promptius cõmoris urbem quam eandem tranquillaveris.
Sæpe qui petunt aliorum sanguinem, suum offerunt.
Seditionis sunt majora initia quam medicamina.
Seditionem auferre quæris? ejus causam tollito.
Seditiosorum æstimantur vocibus bona ac mala.
Tolle è castris otium: omnis & seditio tollitur.
Vnde nil timemus, ingens sæpe seditio flagrat.

¶ Jambica.

Bellum exterum seditio excit domestica.
Clamore aperto pejor est secessio.
Duos Lysandros una Græcia haud ferat.
Emeritus, arma etiam in tumultibus induit.
Etiam tumultum verbulo compescere est.
Haud ulla membris in sanis dissensio est.
Motus ferè omnis morte sistitur Ducis:
Opum cupido, partium nutricula est.
Populi furore qui interit, fœdè interit.
Primos modicis motus remediis comprimas.
Quocunq; bello seditio magis nocet.
Re turbidâ vel Androclides imperat.
Seditio facile accenditur convivijs.
Seditio magna imperia facit fatalia.
Seditio plebis, labes urbium omnium est.
Seditio præsens pestilentia urbium est.
Seditio qualiscunq; pestis urbium est.
Semper molestus subdito est præsens status.
Sibimet manus seditio infert domestica.
Statim resurgit ignis haud bene obrutus.
Tabulas sequitur semper novas secessio.
Vel maximam urbem unus malus commoverit.

Senatus.

¶ Sententiæ Græcorum.

Isidorus Pelusiota: Aliud senaculum est, aliud Senatus: illud enim locum in quem coeunt, significat: hic autem viros eos qui consilium ineunt, ad quos & periculum & salus pertinet. *lib. 2. Epistola 246.*

Lysias: Lex vetat magistratui in ipso senatu nulla legitima de causa convitium facere. *cap. 2. pro Milite.*

Dio Prusæus: Audio enim quosdam dictitasse, atque sermo divulgatus est talis, quod ego obstiterim, quo minus senatus convocaretur: quinetiam hoc audivi, quòd omnia simpliciter quæ sunt magistratus, juxta meum existiment fieri consilium Ego verò hoc à filio quidem non auferrem, ut ne quid faciat me invito, quod ex se facturus est: neque aliter quàm meæ ut sententiæ

tiæ sectetur vestigia: juro autem, me nihil unquam illi mandasse, dico autem de iis quæ pertinent ad rempublicam: neque consuluisse quæ essent meliora, aut viderentur mandati habere speciem. Et propter hanc suspicionem aliquandiu non veni in senatum. Nam habere talem filium, qui autoritatem consecutus sit à civitate, quique jam idoneus habeatur ad publice cosulendum, adque rempublicam administrandam. atque eum interea facto privatum facere, eique potestatem quam secundum leges habet, abrogare, neque alioqui humanos, neque fortasse tales viros decet. *Oratione 50.*

❡ Romanorum.

Plinius Iunior: Vrbanos qui illa censuerunt putem? an miseros? dicerem urbanos, si Senatum deceret urbanitas. miseros ergo? sed nemo tam miser est ut ad illa cogatur. ambitio ergo & procedendi libido? sed quis adeo demens, ut aut per suum, aut per publicum dedecus procedere vellet in ea civitate, in qua hic esset usus florétissimæ dionitatis, ut primus in Senatu laudare Pallantem servum posset? &c. *lib. 8. Epist. 6.*

Plinius Iunior: Erat antiquitus institutum, ut à majoribus natu, non auribus modò verùm etiam oculis disceremus, quæ facienda. inde honores petituri assistebant Curiæ foribus, & consilii publici spectatores antequam consortes erant. suus cuique parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisque & vetustissimus pro parente. Quæ potestas referentibus, quod censentibus jus, quæ vis magistratibus, quæ ceteris libertas, ubi cedendum, ubi resistendum, quod silentii tempus, quis dicendi modus, quæ distinctio pugnantium sententiarum, quæ executio prioribus aliquid addentium, omnem denique Senatorium morem, quod fidelissimum præcipiendi genus, exemplis docebantur. *lib. 8. Epist. 14.*

Idem eadem epistola: Iidem prospeximus curiam, sed trepidam & elinguem; cùm dicere quod velles periculosum, quod nolles miserum esset. Quid tunc disci potuit? quid didicisse juvit, cùm Senatus aut ad otium summum, aut ad summum nefas vocaretur? & modò ludibrio, modò dolori retentus, nunquam seria, tristia sæpe censeret? eadem mala jam Senatores, jam participes malorũ multos per annos vidimus tulimusque; quibus ingenia nostra in posterum quoq; hebetata, fracta, contusa sunt.

Idem circa ejusdem epistolæ finem: Scilicet ut in spectaculis quibusdam sors aliquem seponit ac servat qui cum victore contendat: sic in Senatu sunt aliqua prima, sunt secunda certamina, & ex duabus sententiis eam quæ superior exierit, tertia expectat, &c.

Plinius Iunior: Fit aliquanto melius, honestiorum hominum liberos, quàm è plebe, in curiam admitti. *lib. 10. Epist. 83.*

Plinius: An parum sæpe experti sumus hanc esse rerum conditionem, ut Senatus favor apud Principem aut noceat? nonne paulo ante nihil mage exitiale erat quam illa Principis cogitatio, Hũc Senatus probat, hic Senatui carus est? oderat quos nos amaremus: sed & nos quos ille. Nunc inter Principem Senatumque dignissimi cujusque caritate certatur. demonstramus invicem, credimus invicem; quodque maximum amoris mutui signum est, eosdem amamus. Proinde P. C. favete apertè, diligite constanter: non jam dissimulandus est amor ne noceat, non premendum odium ne prosit. eadem Cæsar quæ Senatus probat improbatque. vos ille præsentes, vos etiam absentes in consilio habet. *cap. 62. Panegyrici ad Trajanum.*

Plinius: Iam, quam antiquum, quàm consulare, quod triduum totum Senatus sub exemplo patientiæ tuæ sedit; cùm interea nil præter Consulem agerem. Interrogavit quisque quod placuit, dissentire, discedere, & copiam judicii sui reipublicæ facere, tutum fuit, Consulti omnes, atque etiam dinumerati sumus, vicitque sententia non prima sed melior. At quis antea loqui, quis hiscere audebat præter miseros eos qui primi interrogabantur? ceteri quidem defixi & attoniti ipsam illam mutã ac sedẽtariam assentiendi necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur? Vnus solusque censebat quod sequerentur omnes, & omnes improbarent; in primis ipse qui censuerat: adeo nulla magis omnibus displicent, quàm quæ sic fiunt tanquam omnibus placeant. *cap. 76. Panegyrici ad Trajanum.*

Plinius: Illuxerat primus Consulatus tui dies, quo tu Curiam ingressus singulos nunc universos adhortatus es, resumere libertatem; invigilare publicis utilitatibus & insurgere. Omnes ante te eadem ista dixere: nemini tamen ante te creditum est. Erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat. quod enim tam infidum mare quam blanditiæ principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut facilius esset iratos quam propitios habere. Te verò securi & alacres quò vocas sequimur. jubes esse liberos? erimus. jubes quæ sentimus promere in medium? proferemus: neque enim adhuc ignavia quadam & insito torpore cessavimus. terror & metus, & misera illa ex periculis facta prudentia monebat ut à repub. (erat autem omnino nulla) oculos, aures, animos averteremus. At nunc tua dextra tuisque promissis freti & innixi obsepta diutina servitute ora reseramus, frenatamque tot malis linguam resolvimus. Vis enim tales esse nos quales jubes, nilque exhortationibus tuis fucatum, nil subdolum, denique quod credentem fallere paret non sine periculo fallentis. neque enim unquam deceptus est Princeps nisi qui prius ipse decepit. *cap. 66. Panegyrici ad Trajanum.*

Plinius: Super omnia tamen prædicandum videtur, quod pateris Consules esse quos fecisti. quippe nullum periculum, nullus ex Principe metus Consulares animos debilitat & frangit, nihil invitis audiendum, nihil coactis decernendum erit. manet manebitq; honori veneratio sua, nec securitatem auctoritate perdemus. *cap. 93. Panegyr. ad Trajanum.*

Nazarius: Sensisti Roma tandem, arcem te omnium gentium, & terrarum esse reginam, cùm ex omnibus provinciis optimates viros Curiæ tuæ pigneraveris: ut Senatus dignitas non nomine quàm re esset illustrior, cùm ex totius orbis flore constaret. *Orat. in Constantinum Aug cap. 35.*

Io. Sariberiensis: Cordis locum, autore Plutarcho, Senatus obtinet. Senatus verò, sicut majoribus placuit, officii nomen est, & habet ætatis notam. Siquidem sic dicitur à senectute. Eum vero Athenienses Areopagum dicebant, eo quod in illis totius populi virtus consisteret, & cum ab eis præclara plurima inventa sint, nihil salubrius, nihil gloriosius institutũ est quam Senatus. Quid enim nobilius est cætu senum, qui emeriti à vulgaribus officiis, ad consilii & regiminis officium transeunt, & in marcido corpore exerunt mentis vires, eo sapiẽtiæ magis apti negotiis, quo in exercitiis corporis minus possunt. Eorũ utiq; tantus honor extitit apud Græcos; ut duces Reipubl. nusquam procederent, nihil egregium ageretur, quòd senes instituti non inducerent, aut approbarent, & quod magis est, ab initio urbis conditæ, nomina eorum aureis literis scripta sunt. Ipsiq; patres conscripti appellati, qui alios sapientia, ætate & affectu paterno præcedebant. Penes istos consiliorum erat autoritas, & omnium publice gerendorum. Cæterum licet ab ætate nominis videatur esse origo, hanc ego arbitror tam corporis esse quã mentis. Ætas namque mentis sapiẽtia est, in qua omnium officiorum consistit distributio, & artificium totius vitæ. Ars namq; rectè vivendi (ut Stoicis placet) ars artium est. Nullam vero esse artẽ maximarum rerum, cum in minimis quoq; artem esse nullus ignoret, opinio est hominum parum consideratè loquentium. & in maximis reb. errantium, omnia magis pro libito statuentium, quam pro veritate. *lib. Policratici 5. cap. 9.*

❡ Monosticha Trochaica.

Ad pagum Areium Senatus nocte tantum convenit.
Corpus est plebs, at Senatus animus est plebis suæ.
Cùm super re grandiori quid statuis, regem mane.
De Senatoris delictis & Senatus judicet.
Dissidere de Senatu nil novi inter se duos.
Grande momentum in Senatus est & Vrbis nomine.
Imperat patrono servus, in Senatu quem rogat.
Improbis ne jus proba esto in curia sententia.
Laus major boni est mariti, quam Senatoris boni.
Nil tam inæquale in Senatu, quam ipsamet est æqualitas.
Sæpius Senatus aliter sentit, aliter differit.
Semper à suo Senatu dissidet vulgus procax.
Semper aliquis in Senatu est postulans interpretem.
Spectanda ætas est honosq; principe in sententiâ.
Sub senatu egeno opima semper est res publica.
Turpe curiæ interesse qui portarunt storeas.
Vrbs, Senatus, Populus, haud sunt unquã obscura nomina.

❡ Jambica.

In concione natu loquitur maximus.
Intrare Curiam unius est Papirij.
Melior ferè pars à majore vincitur.
Semper Senatus plebe lis est cum sua.

Senectutis.

❡ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus:* An spiritus fatiscit, ut corpus? minimè. Quis valentior? quis acrior? hac præsertim ætate, qua carnis affectus subsidit, ceditque, velut lumini, id quod objectu suo adversatur, splendorique impedimentum affert. Hæc enim bellum inter se ut plurimum gerunt, castraque ex adverso habent: & corpus quidẽ ægrotante anima bellè habet: anima autem floret, atque erectos in cælum oculos habet cum voluptates decedunt, atq; una cum corpore marcescunt. *Orat. 8.*

Greg. Nazianzenus: Decernebat, ordinabat etiam adhuc absens; canitiei suæ hoc dabat, ut apud alienos, tanquam apud suos, auctoritate uteretur. *Orat. 19. in funere patris.*

D. Nazianzenus: Ad senectutem vergit Philosophus? At non animo quoque senescit: dissolutionem, ut præstitutum necessariæ libertatis tempus, accipiet; libens ad ea, quæ hanc vitam sequuntur migrabit, ubi nemo est innaturus, nemo senex, sed omnes in spirituali ætate perfecti. *Orat. 28.*

D.Greg.Nyſſenus: Sed forſitan angit te, quod ad ſenectutem nō pervenit. Quid verò, dic mihi, pulchri cernis in ſenectute? an pulchrum prurire ac fricari oculos? corrugari genas? ex ore defluere dentes, & lingæ balbutiem ingenerari? manibus ſubtremiſcere? ad terram incurvari? titubare atque ſubclaudicare pedibus? ducibus inniti? deſipere corde ac delirare? voce abſurda atque inepta pronuntiare? qualia huic ætati neceſſariò accidunt incommoda. Et idcirco indignamur & ſtomachamur, quòd ad ejuſmodi malorum experientiam non pervenerit? Atqui gratulari convenit illis, quorum vita rerum acerbarum ac triſtium periculum non fecit, & cùm hic nihil moleſtiæ ſenſerit, tum nihil acerbitatis illis experietur. *Orat. conſolatoria in funere Pulcheriæ.*

D.Chryſoſtomus: Pecuniarum amor, abſurdarum appetitionum ſervitus, denique quodvis peccatum ſenem efficere eum ſolet, qui illud commiſerit: quod autem inveteraſcit jam ac conſeneſcit, interitui proximum eſt. neque enim ne ipſum corpus tempore diſſolvitur, ut anima per peccatorum multitudinem marceſcit, flacceſcit, ac de gradu dejicitur. etenim ad ſummam jam ea educitur nugationem, verba nihil ſignificantia enuncians, ut facere ſolent, qui ſenectute confecti delirant: eadem muco ac pituita referta, ſtupida interim atque oblivioſa, lippitudinem in oculis geſtans, hominibus abominabilis, ac talis, ut eam diabolus non ita magno negotio capere queat. *Homil.10.ad Rom.*

D.Chryſoſtomus: Is quidem qui ſenili ætate eſt, hoc cum animo ſuo conſideret ſe propediem hinc exceſſurum eſſe, ac ſatis diu ætatem in voluptate duxiſſe? quanquam quæ hæc voluptas eſt, in vitiis vitam exigere? verùm ad ipſius opinionem orationem meā interim accommodo. *Homil.22.ad Corinth.2.*

D.Chryſoſtomus: Non videtis ſenes, quam nullum rerum præteritarum ſenſum habeant? non videtis morientes, cum ſenes, tum juvenes? non videtis eos, qui in vita ipſa ſuis rebus ſpoliati ſunt? cur de rebus inſtabilibus pendemus? cur infirmis illigamur? quouſque non perſequemur manentes, ac ſtabiles? quid non daret ſenes, quo liceret deponere ſenectutem? Ita ne? quæ iſthæc dementia eſt, ad priſtinam velle juventutem redire, atque hujus rei conſequendæ cauſa facile omnia dare: quam vero liceat conſequi juventutem, cui non ſuccedat ſenectus, juventutem multis cum divitiis conjunctam, multoque vivaciorem; nec paulum quiddam velle dare, ſed ea retinere, quæ etiam in præſenti nihil proſunt? & morte eximere te non poſſunt; non morbum propulſare, non propulſare ſenectutem, aut quicquam aliud eorum, quæ neceſſario, & ſecundum naturæ legem accidunt; atque adhuc ad illa adhæreſcis? Ecquid lucri? dic mihi. hinc ebrietas, edacitas, obſcænæ ac multiplices voluptates; quæ quidem magis, quàm amari domini nos excruciant. Hæc ſolum ex divitiis lucrari pote eſt; aliud vero nihil; quandoquidem ita volumus. Nam ſi liberet, cælum ſane ipſum divitiis conſequeremur. *Homil.10.ad Philipp.*

D.Io.Chryſoſtomus: Habet ſenectus vitia quædam propria & morbos quibus juventus caret. & ipſa quippe ſenectus morbus eſt. Ineſt illi tamen præterea ſegnities quædam ac tarditas, oblivio profunda, & obtuſio ſenſuum, atque iracundia. *Homil. 4. Epiſt. ad Titum.*

Idem: Sunt & inter ipſos ſenes qui rabie ferantur immodica, atque in ipſam præcipitentur amentiam, partim quidem à vino, partim ex rabie quippe ſenectus puſillanimos facit. *Ibid.*

D. Io.Chryſoſtomus: Quare ſenior factus curſum minuis? Anima enim hic opus eſt, anima excitata & erecta. Anima autem roboratur in ſenectute, tunc maximè viget, tunc exultat. Quomodo enim corpus, quandiu quidem tenetur febribus, crebriſque & ſibi invicem ſuccedentibus morbis, etiamſi ſit forte & robuſtum, eſt tamē afflictum, poſtquam autem fuerit liberum ab illa obſidione, ſuas vices recuperat: Ita etiam anima febricitat in juventute, & eam maximè tenet amor gloriæ, & deliciarum, & rei venereæ, & multarum aliarum viſionum. Quum advenerit autem ſenectus, ea expellit hæc omnia quæ ſunt corporis, partim quidem propter ſatietatem, partim autem propter philoſophiam. Intenſum enim robur corporis deprimens ſenectus, ne his quidem uti volentem ſinit animam: ſed tanquam omne genus hoſtibus compreſſis, eam cōſtituit in loco puro à tumultibus, & magnam efficit tranquillitatē, & majorem affert timorem. Si enim nullus, inquit, alius, at ſenex quidem certè norunt ſe mori, & ſe morti omnino eſſe propinquos. Quando igitur quæ ad hanc vitam pertinent recedunt cupiditates ac libidines, ſubit autem expectatio judicii, pervicaciam molliens & inobedientiam, an non ſit attentior ſi velit? Quid verò, inquit, quòd videmus ſenes juvenibus deteriores? Summam mihi dicis vitii exuperationem. Nam & furioſos videmus nullo impellente ſedare præcipites. Quando ergo vel ſenex laborat morbis juvenū, id ſummum eſt vitium: nec qui eſt hujuſmodi, excuſationem habuerit in juventute. Non poteſt enim dicere, Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Nam qui manet idem in ſenectute, oſtendit quòd etiam in juventute, nō propter ignorationem, neque propter imperitiam, neque propter ætatem fuerit ejuſmodi, ſed propter ſocordiam. Ille enim poteſt dicere, Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris, qui facit quæ ſeni conveniunt, qui mutatur in ſenectute.

Si autem etiam in ſenectute eadem admittit probra & dedecora, quomodo par eſt ut is nominetur ſenex, qui ne ætatem quidem reveretur? Nam qui dicit, Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris, hæc dicit tanquam in ſenectute ſe rectè gerens. Ne ergo propter ea quæ fiunt in ſenectute, teipſum prives etiam venia peccatorum quę admiſiſti in juventute. Quomodo non eſt id quod fit abſurdum, & peius quàm ut mereatur veniam? Senex ſedet in cauponis. Senex properat ad equorum curriculum. Senex aſcendit in theatrum, tanquam pueri currens cum vulgo. Verè eſt pudor & res ridicula, extrinſecus quidem ornari canicie, intrinſecus autem ſenſum habere pueri: & ſi quiſpiam juvenis eum contumelia affecerit, ſtatim objicit canos. Tu eos prior reverere. Si tu autem tuos non verearis, idque quum ſis ſenex quomodo æquum cenſes ut juvenis tuos revereatur? Non revereris canos, ſed eos probro & dedecore afficis. Deus te honoravit candore pilorū: magnam tibi dedit prærogativam cur prodis honorem? Quomodo te reverebitur juvenis, quando es eo longè protervior & laſcivior? Canicies enim tunc eſt reverenda, quando agit quæ ſunt caniciei.

Quando autem agit quæ ſunt juvenum, magis erit ridicula quàm juvenes. Quomodo ergo poteritis hæc ſuadere juvenibus, vos ſenes temulenti ob immodeſtiam? Non ſenes accuſans hæc dico, ſed juvenes. Nam qui hęc agunt, etiamſi ad annum centeſimum pervenerint, mihi ſunt juvenes. Sicut juvenes, etiāſi ſint parvi pueri, ſint autem modeſti & temperātes, ſunt meliores ſenibus. Nec meū eſt quòd dicitur, ſed hanc quoque diſcretionem novit ſcriptura. Senectus, inquit, non eſt quæ multorum annorum. & ætas ſenectutis vita immaculata. Canos enim honoramus, non quia album colorē nigro præferimus, ſed quia eſt ſignum vitæ quæ ex virtute agitur, vel videntes internos canos ex eo conjicimus. Sin autem ea gerunt quæ caniciei ſunt contraria, propterea magis fiunt ridiculi. Nam & Regem honoramus, & purpuram, & diadema, quoniam ſunt ſigna imperii. Sed ſi eum viderimus cum purpura conſpui, à ſatellitibus conculcari, ſuffocari, diſcerpi ac convelli, nunquid reverebimur purpuram aut diadema, non etiam ipſum habitum deplorabimus? Ne velis ergo honorari propter caniciem, quum tu ipſe ei facias iniuriam. Nam ipſa quoque de re debet pœnas ſumere, quòd habitum adeò ſplendidum & pretioſum probro afficias. *Homilia 7. Epiſt. Epiſt. ad Hebr.*

D.Io. Chryſoſtomus: Senex eſt rex ſi velit, & eo qui eſt indutus purpura magis regalis, ſi imperet animi perturbationibus, vitiaq; ſibi ſubjiciat tanquam ſatellites. Sin autem trahatur, & à ſede dejiciatur, & pecuniæ, amoris, gloriæ inanis, & fucatæ elegantiæ, deliciarumque & ebrietatis, & iræ & rei venereæ fiat ſervus, & pilos infucet oleo, & oſtendat ætatem à libero animi arbitrio contumelia affectam, quo non fuerit is dignus ſupplicio? *Homilia 8. Epiſtola ad Hebræos.*

Iſidorus Peluſiota: Si ventri, ut abs te dictum eſt, minimè ſuccumbis, ſenectute videlicet prohibente, quid eſt quòd ventris vitia juvenilem in modum in te bacchantur? Etenim ventri prorſus dominari, perturbationibus animi dominari eſt. *lib.1.Epiſt.70.*

Iſidorus Peluſiota: Humilis & abjecte Zoſime, hora extrema eſt: quid ut in vitæ primordiis ignavia torpes? Meſſis tibi advenit, alba eſt regio ad exciſionem: quid, tanquam adhuc in ſemente ſis, incuria laboras? Capitis tui pili finem tuum te doceant. Quid eſt quod diuturnum tempus te finem tuum perſpicere minimè docuit? Iudex cum terrore accedit: quid tu opera tua ad collectionem nō præparas? Crapulæ indulgere deſine: aliquando ſaltem reſipiſce. Ne divinam lenitatem ludibrio habeas, cum temulentis edens ac bibens. Deus venire non moratur, ut exiſtimas: verùm tum accedet, cùm tu ignorabis. Ac deinceps jam te ex hac temulentia emergere oportet, ſaltem metu coercitum & caſtigatum. *libr. 1. Epiſtol.140.*

S.Iſidorus Peluſiota: Magna quidem, ut ajunt, ætatis tuæ juvenilis flagitia fuerunt, quidni enim? At ſenectutis crimina tanta ſunt, ut ad eorum magnitudinem nihil poſſit accedere. Etenim in ſenectute juvenes eos quorum ob libidinem ac petulantiam celebre nomen eſt, obſcurare, omnem abſurditatem ſuperat. *lib 2. Epiſt.75.*

S.Iſidorus Peluſiota: Si nec ſenectute iam longè provectus, palinodiam canis, quādo tandem ad meliorem mentem redibis? Moneat te ſaltem ſenectutis vocabulum, quod παρὰ τὸ γῆς ἐρᾶν, h.e. à terræ amore, ductum eſt. Quamobrem ut corpore, jam jamque in terram delapſuro, atq; anima in reſurrectione acerbiſſimas cum eo pœnas ſubitura (vis enim illa ultrix eorum à quib. contempta eſt cruciatus expetit) reſipiſce. Quamvis enim ad curanda tot vulnera haud ſatis temporis habens, ac hoc tamen non exiguā malis illis conſolationem tibi afferre queat. *lib 3. Epiſt.54.*

S.Iſidorus Peluſiota: Ajunt nonnulli animo ita conſtitutum eſſe, ut fœdis omnibus, atque ingenuo homine indignis affectibus pateas, ac cōtrà ad honeſtos & ingenuos aditus omnes clauſos teneas: non errore aliquo ac circumventione illos libenter amplectens, hos autem propulſans, verùm judicio atque animi decreto, & quia nihil boni efficere velis. Quo etiam fit, ut difficilis tibi ſit ad bonum propenſio atque impetus, non enim dicam reditus. Neque enim te unquam rectè quicquam aut deliberaſſe, aut egiſſe affirmant. Illud igitur tecum cogitans, brevi quòd ſenectute jam longè progreſſus, proculdubio vitam cum morte commutabis, tādem aliquando tempore ſatiatus à vitiis abſiſte. *lib 3. Epiſt.80.*

S. Iſido-

S. Isidorus Pelusiota: Quamvis & ætate senex sis, & propter sacram ordinationem appelleris: rumor est tamen te moribus juvenem agere, atque quemvis juvenem ac florentem, improbitatis magnitudine obscurare: ea videlicet perpetrantem, quæ ipse quidem dicere præ pudore non sustineo, tu autem, haud scio quo pacto perpetrare non erubescis. Quare si verus est hic rumor, optimam in senili quoque ætate mutationem ostende: quo illi etiam qui hæc de te dictitant cavillis suis finem imponentes, orationem retexant. *lib. 3. epist. 97.*

¶ LATINORUM.

Io. Saruberiensis: Senex sæpe non tam ætatis, quàm suo vitio, sensum profert puerilem. *cap. 4. lib. 1. Policratici.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRAECORUM.

Xenophon: At si nunc ætas mea progrediatur ulterius, scio necessarium esse, ut quæ senectutis sunt, mihi quoque contingant: nimirum ut peius videam, minus audiam, ad discendum minus idoneus sim: eorum vero, quæ didicerim, facilius obliviscar. Iã si animadvertam, deteriorem me fieri, graviterque hoc feram: qui dicere possim, me jucunde victurum? Fortassis etiam, inquit, Deus ipse hoc mihi quadam ex benignitate præstat, ut non solum opportuno ætatis tempore vivendi finem faciam: sed etiam ratione longe facillima. Nam si modo condemnatus fuero, non obscurum est, posse me uti mortis genere, quod levissimum esse judicatum sit ab iis, quibus hoc cognoscere curæ fuit, minimumque negotij sit exhibiturum amicis, quod denique in moriente maximum desiderium excitet. Quippe quum nihil indecori, neque offensionis aliquid in animis eorum, qui adsunt, relinquitur, & ita quispiam extinguitur, ut & sanum habeat corpus, & animum, qui comiter agere cum aliis queat: qui fieri potest, ut hoc non sit optabile? Recte autem dij tunc adversabantur cogitationibus meis, quum nobis viderentur omni modo effugiendi rationes esse quærendæ. Nam si hoc perfecissem, nimirum comparassem mihi, ut pro eo, quod nunc moriendum est vel morbis excruciatus vitam clauderem, vel senectute, in quam omnia molesta, planeque ab omnibus gaudiis secreta confluunt. *cap. 2. defensione Socratis.*

Aristides Rhetor: Etenim ut omnia rectissime dixerit Plato, quod quidem multi sunt negaturi, ex iis tamen ferociores, audaciores, & confidentiores fieri lectores est necesse, talesque, qui principibus & senioribus & quibuscunque cedendum fuerat, facile se opponant. Recte enim & utiliter jubet lex Laconica senioribus omnino cedere, non quo semper meliores ac justiores sint seniores omnes, sed ut assuescant, nec ordinem confundant. Similiter in dicendo provectioribus, quãtum licet, honestum est parcere, ne facile vulgus eos assuescat insectari, quos colere debebat. Nam cum maximi & gravissimi quique temere ab iis, qui sapientissimi habentur, male audiunt, reliqui leges facile contemnunt, itaque non plus emolumenti, quam damni accipiunt.

Halicarnassæus: Honorum omnium laudis uberem materiam longior præbet vitæ usura. Præclare illum similes annos Nestoris instar transegisse: ideoque diu inter vivos egisse, ut se aliis ad imitandum, tanquam virtutum exemplar proponeret; præsertim si forma fuit veneranda famaque celebris. *cap. ult. præceptorum funebrium.*

Arrianus: Quid ergo? nosne soli ignavi sumus & oscitamus? non: sed vos adolescentes magis etiam, & prius quàm nos. nam nos senes cùm ludentes videmus adolescentes, & ipsi quadam colludendi cupiditate incitamur. multo igitur magis, si vos viderem excitatos, & ipse fierem ad res serias alacrior. *fine cap. 10. lib. 1. Epicteti.*

Simplicius: Senem discessum ex hac vita, quàm diuturnam in ea mansionem, magis spectare ac curare decet. *fine cap. 12. in Epict.*

Philostratus: Aliorum quidam Apollonium octogesimum, alij nonagesimum, plerique etiam centesimum ætatis annum excessisse perhibent, & corpus habuisse senio quidem confectum, rectum tamen, & ad omnes vitæ usus idoneum: ita ut aspectu pene jucundior esset, quàm in juventa fuerat. Inest enim & senibus propter reverentiam pulcritudo sua, quæ in illo maximè vigebat. idque ex ejus imaginibus licet intueri, hocque idem & orationes à quibusdam editæ ostendunt; quæ Apollonij senectam laudabiliorem adolescentia Alcibiadis fuisse testantur. *lib. 8. cap. 12.*

Iulianus Imp. in Cæs. Ad hos quoque se contulit senex aspectu pulcer & decorus: lucet enim & aliquando in senectute decor vultus.

Libanius: Lex non novit revereri caniciem destitutam prudentia. *Declam. 24.*

Alciphron: Nihil est, ut apparet, odiosius sene repubescente. *Leontium Lamiæ, epistolæ 2. sectione altera.*

Simocatta: Omnia muliebri generi subjecta sunt. Laidem Diogenes. Sostratam Phrygius. Philosophiæ gloriatio periit, gravitatem abiecerunt, cœlestem animum reliquerunt, sublimem professionem frustrati sunt. Omnia vana sunt eis quæ priùs ad exercitationem meditati sunt. Importunum ludicrum mihi videtur esse, virum senem canis venerandis præditum, singularem jactantem ac præ se ferentem gravitatem, juvenis meretriculæ amore teneri. Ego verò cachinnor, & risum sustinere non possum, cùm in senes incido. Nam plurimis verbis olim in Venerem invehebantur, & ad a-maiores dicebant eos suscepta insania laborare, cupiditatem intemperantis animi amorem definientes, omnia ferre sapientem. Sperare verò multò prudentiùs est. Multum enim tempus & fortuna possunt. *Epistola 70.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior. Est præcipuum jus senectutis: quoniam nõ omnia subit omnis ætas. non perpetuò Senatorem citat Consul: est sua legislationibus quies. cùm hos habueris annos, jam non militabis. *Declam. 306. med.*

Quintilianus Senior: Neque enim senectutem adfert summus dies, sed longus ordo vitæ. nec ebrietatem facit illa potio postquam concidendum est; sed tempestivum convivium, & aviditas nimia. *Declamat. 331. a. f.*

Calpurnius Flaccus: Agricolæ antiquas arbores exstirpant, ut novas inserant. horum virtus spectabitur, nostra delabitur, melior quidem fama seniorum; spectata in minoribus, major est. *Controversia.*

Petronius Arbiter: Sic me loquentem, objurgavit Gyton mitissimus puer, & negavit recte facere, quod seniori convitiarer, simulque oblitus officij mensam quam humanitate posuissem, contumelia tollerem. *Satyrico.*

Quintilianus: Infirmæ prorsus terrenæque mentis est, ut numeretis annos. ego (quæ felicissima vel lassitudo, vel satietas est) virtute consenui. Quid adhuc inter accidentia fragilesque casus ago: Homo receptus in publicas gratulationes, præsentiæ humilitate decresco. Minores fiant necesse diuturnitate, quorum initia confirmavere successus: cùm jam nec operibus, nec felicitati possit accedere. Cum fortuna ruere dementia est, & ætatem trahere pereuntem. Nullos ego senes degere turpius puto, quàm qui fortissimi fuere. Vultis exspectem ut putres artus fœdet pudenda canicies? ut sanguine membra vacuata vix nitantur ad gressus? ut hæ laudatæ manus, nec ad quotidianæ vitæ ministeria sufficiant? Quam miserum, quam deforme est meminisse quod fueris! referre cicatricum tuarum redundationes, & frigidam præteritorum memoriam! cùm jam fidem membra non habeant, supra sua facta rideri! Festinatò exire de sæculo debeo, dum alacre corpus, dum spiritus viget; dum teneor, dum desideror. *Declam. 4 §. 12.*

Quintilianus: In senectute magni doloris, vita brevis est. *Declam. 7 §. 10.*

Plinius Iunior: Ut certus siderum cursus, sic vita hominum disposita delectat, senum præsertim. nam juvenes adhuc confusa quædam & quasi turbata non indecent. senibus placida omnia & ordinata conveniunt; quibus industria sera, turpis ambitio est. Hãc regulam Spurinam constantissimè servat. quinetiam parva hæc (parva si non quotidie fiant) ordine quodam, & velut orbe circumagit, &c. *lib. 3 epist. 1.*

Plinius Iunior: Reverere Græciæ conditores Deos, numina Deorum, reverere gloriam veterem; & hanc ipsam senectutem, quæ in homine venerabilis, in urbibus sacra est. sit apud te honor antiquitatis, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque. *Epistola ultima libri octavi.*

Callistratus. L. Semper. D. de jure immunit. Semper in civitate nostra, senectus venerabilis fuit. namque majores nostri penè eundem honorem senibus quem magistratibus tribuebant.

Symmachus: Scio lentos ad capessendum laborem senes fieri. Sed quia crescunt vitia cum tempore, ingratus mihi attrahendus es priusquam justiorem veniam faciat longior dies. Nullam Nestor tertio ævi sui sæculo militiæ vacationem poposcit, nec Achilli excusavit ætatis suæ frigus Phœnix monitor. *lib. 3. epist. 13.*

Symmachus: Inesse tibi temperantiam, ceteraque tuendæ senectutis præsidia non ambigo. *lib 3 epist. 16.*

Symmachus: Quid faciam senex garrulus, cui mensura sermonis à juvene præscribitur? Trahit nos vitium senile verbositas. *lib. 8. epist. 47.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgg.

Quinetiam canos hominis seniumq; verere,
Et mores imitare graves. cordata senecta
Commoda plura ferat, quam stulta levisq; juventus.

D. Nazianzenus Carm. 3 præceptis ad Virgg.

Οὔατα παρθεμένη καὶ ἐνὶ φρεσὶ σῇσι σαχέαξ,
Μῦθον ἐμόν: πολιῆς δὲ παραίφασις ἐστιν ἀρίστη.
Arrige quæso aures, medioq; in pectore pige:
Optima sunt etenim canæ præcepta senectæ.

D. Nazianzenus Carm. 50. Nicobuli ad filium.

Consiliis nihil utilius meliusq; paternis:
Pluraq; canicies novit quam læta juventus.
Tempus enim historiæ pater est, materq; vicissim
Historia est Sophiæ, levibus quæ pervolat alis.

Aristophanes Acharn. v. 436.

Heu senectus, quanta secum quotq; fert incommoda!

Aristophanes Lysistr. v. 268.

Quam multa possunt senes

Præter spem videre?
Quis hoc potasset unquam
Ut feminæ urbis artem
Occuparent?

Aristophanes Nubibus v.128.

Ergo invocatis Deis, in ludum ipsemet
Me conferam, & hanc artem doceri me sinam.
At cùm sim obliviosus & tardus senex,
Quomodo subtiliores discam literas?

Aristophanes Nubibus v.850.

Didici hæc, & alia plura; at annis obsitus
Statim obliviscebar omnium quæ didiceram.

Aristophanes Vespis v.223.

—— *semper irritabile*
Genus est senecta, qualiter vespæ solent.
Nam strictum acumen pendulum è lumbis gerunt;
Quo lancinant, punguntque, clangunt, saltitant,
Ictumque mittunt, utque stricturæ micant.

Aristophanes Vespis v.1056.

Strenui eramus in choreis antehac
Inque bello valentes
Ac proinde ex unica hac virtute pugnacissimi
Sed fuerunt hæc prius.
Nunc quidem exoleta sunt, magisque cygno
Albicant nobis pili.
Sed tamen quod reliquum est
Ævi juventæ muniamus robore.
Præstantiorem nam meam duco senectam
Quam puberum cicinnulos
Et schema, latum & podicem.

Lucianus de Mulieribus.

Quæ profligavit scutatos Græcia Medos,
Præda fuit formæ Græcia Laidicæ.
Sola senecta illam domuit, gratumque juventæ
Tum suspendit anus Cypri tibi speculum.
Cujus enim canæ veram odit cernere formam,
Obscuratam odit cernere & effigiem.

Plautus Asinariæ 4. sc. 2. v. 3.

Ain tu? apud amicam munus adolescentuli
Fungare? uxori excuses te, & dicas senem.

Plautus Menæchmis 5. sc. 2. pr.

Ut ætas mea est, atque ut huic usus facto est,
Gradum proferam; progredi properabo.
Sed id quam facile sit mihi, haud sum falsus.
Nam pernicitas deserit. consitus sum
Senectute. onustum corpus gero: vires
Reliquere. ut ætas mala, mala merx est tergo.
Nam res plurimas pessimas cùm advenit, affert.

Plautus Mercat. 2. sc. 2. v. 24.

Senex cùm extemplo est, jam nec sentit, nec sapit;
Ajunt solere eum rursus repuerascere.

Eadem sc. v 32.

Hodie ire in ludum occæpi literarium,
Lysimache: ternas scio jam. L. quid ternas? D. amo.
L. Tun' capite cano amas, senex nequissime?
D. Seu canum, seu istuc rutilum seu atrum est, amo.
L. Ludificas nunc me tu hic opinor Demipho.
D. Decide collum, si falsum est uti loquor.
Vel ut scias me amare; cape cultrum; seca
Digitum vel aurem, vel tu nasum, vel labrum;
Si movero me seu secari sensero,
Lysimache, auctor sum uti me amando hic eneces.

Plautus Mercat. 3 sc. 2.

Certum est: antiqua recolam, & servibo mihi.
Decurso in spatio, breve quod vitæ reliquum est,
Voluptate, vino, & amore delectavero.
Nam hanc se bene habere ætatem nimio est æquius.
Adolescens cùm sis, te cùm est sanguis integer,
Rei tuæ quærendæ convenit operam dare:
Demum igitur cùm senex sis, tunc in otium
Te colloces dum potestur. id jam lucro est
Quod vivis hoc ut dico, factis persequar.

Plautus Mercatore 4. sc. 1. v 5.

—— *Quin is ocyus?*
S. Nequeo ecastor, tantum hoc oneris est quod fero.
D. Quid oneris? S. annos octoginta & quatuor,
Et eodem accedit servitus, sudor, sitis;
Simul hæc quæ porto, deprimunt.

Plautus Mercatore 5. sc 4. v 15.

—— *Novus amator, vetus puer.*

Plautus Trinummo 1. sc 2. v. 5.

Hic ille est, senecta ætate qui factus est puer,
Qui admisit in se culpam castigabilem.
Aggrediar hominem.

Plautus Milite 3. sc. 1. v. 12.

—— *At hoc me facinus miserum macerat,*
Meumque cor corpusque cruciat. PE. quid id est quod cruciat; cedo.
PL. Me tibi istuc ætatis homini facinora puerilia
Objicere, neque te decora, neque tuis virtutibus:
Eaque expetere te ex opibus summis mei honoris gratia,
Mihique amanti ire opitulatum, atque ea facere facinora,
Quæ istac ætas fugere facta magis, quam sectari solet:
Eam pudet me tibi in senecta objicere sollicitudinem;
Hanccine ætatem exercere me mei amoris gratia.

Plautus Mostell. 5 sc. 2. v. 27.

Sapere istac ætate oportet, qui sunt capite candido.

Terentius Heautontim. 3. sc. 1.

Ita ut filium meum amico atque æquali suo
Video inservire, & socium esse in negociis;
Nos quoque senes est æquum senibus obsequi.

Terentius Hecyræ 5. sc. 1.

—— *Nihil tibi periculi a me est, mulier. nam*
Iam ætate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci æquum;
Quo magis, omnes res cautius, ne temerè faciam, accuro.

Terentius Phorm. 5. sc. 8.

Sed quid sperem? ætate porrò minus peccaturum putem?
Iam tum erat senex, senectus si verecundos facit,

Terentius Phormionis 5. sc 8.

—— *An quidquam hodie est factum indignius?*
Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fient senes.

C. Laberius.

Ut hedera serpens vires arboreas necat;
Ita me vetustas amplexu annorum enecat.
Sepulcri similis, nil nisi nomen retineo.

Ausonius de Delphidio Rhetore.

Minus malorum munere expertus Dei,
Medio quod ævo raptus es.
Errore quod non deviantis filiæ,
Pænaque læsus conjugis.

Ausonius Epigr 54.

Lais anus, Veneri speculum dico: dignum habeat se
Æterna æternum formæ ministerium.
At mihi nullus in hoc usus: quia cernere talem
Qualis sum nolo; qualis eram nequeo.

Ausonius Epistola 20 v. 6.

Longæva tantum superamus honore senecta.
Quid refert? cornix non ideo ante cygnum.
Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos regie pavo tuos.
Cedimus ingenio quantum præcedimus ævo.
Assurgit Musa nostra Camœna tuæ.

§ Apologorum.

Æsopi Equus. Senex equus ad molendum divenditus est; alligatus igitur ad molam lugens dixit, è quibus cursibus ad quos deveni flexus?

Aphthonius: Æstatis erat feruor, & cicadæ quidem cantibus indulgebant assiduis, formicis autem laborare erat curæ & fructus colligere, unde hyeme possent aliquæ cum iam advenisset, formicæ quidem laboribus suis alebantur, his vera voluptas desiit in inopiam.

Sic juventus, quando laborare non vult, in senectute in re est difficili.

Phædrus Fabula 40.

Anus jacere vidit epotam amphoram
Adhuc Falerna fæce & testa nobili
Odorem quæ jucundum latè spargeret.
Hunc postquam totis avida traxit naribus;
O suavis anima: qualem te dicam bonam
Ante hac fuisse, tales cùm sint reliquiæ.
Hoc quò pertineat dicet, qui me noverit.

Anonymus Formica & Cicada.

Quisquis torpentem passus transire juventam
Nec timuit vitæ providus ante suæ.
Confectus senio postquam gravis adfuit ætas,
Heu frustra alterius sæpe rogavit opem,
Solibus obreptos hyemi formica labores
Distulit, & brevibus condidit ante cavis.
Verum ubi candentes suscepit terra pruinas,
Arvaque sub gelido delituere gelu:
Pigra nimis tantos non æquans corpore nimbos
In propriis laribus humida grana legit.
Discolor hanc precibus supplex alimenta rogabat,
Quæ quondam querulo ruperat arva sono.

Se quoque maturas quum tunderet area messes,
Cantibus æstivos explicuisse dies:
Parvula tunc ridens sic est affata cicadam.
Nam vitam pariter continuare solent:
Mî quoniam summo substantia parta labore est,
Frigoribus mediis otia longa traho.
At tibi saltanti nunc ultima tempora restant,
Cantibus est quoniam vita peracta prior.

De Iuvene Senis curvitatem ridente. Fab. 24.

Juvenis quidam conspicatus senem in arcus tensi similitudinem curvum: interrogavit, an sibi arcum vellet vendere? Cui ille: Et quid est tibi opus pecuniam amittere? Si enim ad meam perveneris ætatem, absque pecunia arcum tibi natura concedet.

Hæc fabula indicat, minime irridenda vitia senilis ætatis quam nemo vivendo effugere potest. Abstemius.

¶ Emblematis.

Camerarius XXVI. Centur. 4.
Non illaudata senectus.
Ausonio vetus hic laudatur piscis: An ergo
Perpetuam hanc laudem cana senecta tenet?

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Gregorius Nazianzenus. Veluti autem ignis ardor aquæ frigore temperandus est; sic in Repub. conservanda, juvenum subitis cupiditatibus senum prudentia moderetur, oportet. Hinc laudabilis illa vox Naziansen, qui hoc Principum agmen perrumpit: *Laudo legem nauticam; qua nemo ad navis gubernacula admittitur, nisi priùs diu sederit ad remos.* Idem fieri debet in Repub. nam

A senibus prisci sanctum dixere Senatum.

Strigel. in Chron.

Ludovicus XI. Gall. Rex. Hic regno pænè exutus, quòd seniorum consilio acquiescere nollet. Quare vocato ad se filio; moriens, *Vide*, inquit, *seniores consiliarios in consilium adhibeas, eorum sententiam sequaris, verbis insistas.* Est enim robur juvenum, senum consilium. *Ioan. Spinæus de Tranquill. animi, pag. 387.*

Carolus V. Imp. Esse autem varia senectutis incommoda, insinuavit Imperator Carolus V. cùm enim Philippo filio summam harum regionum gubernationem committeret, totus in fletum abiit; inquiens: *Ne miremini: illa sunt senectæ propria, facilè lachrymari.* Idem Frederico Cæsari adscribunt alij. *Georg. Richterus in Axiom. Oecon.*

¶ Monosticha Trochaica.

A senum commercio ingens nascitur prudentia.
Ad canos rarò venitur absque calamitatibus.
Ad senectam, ut ad cloacam, cuncta confluunt.
Ah, quam onus durum es senectus ordini mortalium!
Ante partorum bonorum gloria est fructus senum.
Arboris ramos retortos arte nulla corrigas.
Arborem loco vetustam si moves, ferè interit.
Augeas animi labores, corporis minuas senex.
Bos item senescit, extant multa facta sed bovis.
Bruma tecto eget; senecta quærit indolentiam.
Calamitosum egere victu, maximè tamen seni.
Cetera auferat senectus, dum adferat prudentiam.
Cetera ut tollat senectus, certè affert prudentiam.
Circuitus sunt pauci annorum, quod senectus dicitur.
Citò mori potest juventus; vivere diu nequit senex.
Citiùs obrepit senectus cunctis quàm putaverant.
Commodum ô senium cui ipse Plutus est anteambulo!
Corporis senente robore, animi vires haud senent.
Corporis senex labores minuat, animi adaugeat.
Cùm senescimus tum ab arte prodimur mechanicâ.
Cur tuam senectam gnati sollicites amentiâ?
De provectâ ætate haud facile quid sinistri credito.
De rogo, haud domo, exstruenda cogites senex tripes.
Decrepitus senex amator, signum pictum in pariete est.
Dura virtus in senectam non cadit jam marcidam.
Est attentior senectus omnis ad rem, quàm sat est.
Est onus præsens senectus; cumque abest tunc poscitur.
Est senex similis sepulcro, nil nisi nomen obtinet.
Est senectuti solenne rursum repuerascere.
Ex malis molestiisque fimus illico senes.
Et senectæ injuriam urbes longioris sentiunt.
Et senectuti tuendæ temperantia adproba est.
Et sibi senex uxorem ducit & vicinia.
Fas vacare publica a re septuagenarium.
Ferre egestatem ac senectam, ponderum arduissimum est.
Fertur hac illac juventa: vir sibi constat senex.
Hoc habet boni senectus quod futura prospicit.
Iam parum firmæ senectæ ferre se sibi grave est.
Iam senex; cave recedas longius nave a tua.
Improba est quæ oratione se senectus protegit.
In sene absurda est juventa libidinosa ætatula.
Indicant cani senectam, non item prudentiam.
Inserit mentem senectus; junior nunquam sapit.
Inspice in canos, & illis facies indignum nihil.
Ipsa vel tandem senectus quem verecundum facit.
Iudicanda haud est senectus tempore, at prudentia
Iure eo liceat senem uti, quo usus adolescentior.
Luxuria omni ætati turpis, tum seni fœdissima est.
Luxuriosus, juvenis peccat, insanit sed enim senex.
Mature senesce si optas esse longius senex.
Maxime senex vitam optat, maximè vel omnium.
Moribus novis senectam assuescere difficillimum.
Multa discere ac dediscere, haud res est facilis seni.
Ne temerè faciat, senecta cuncta accuret cautius.
Nil odiosius sub Sole quam repubescens senex.
Non amat senem juventus, pejus angue quem fugit.
Non ferunt senes dolorem grandiorem: mox ruunt.
Ne senex peccet, senectus si verecundos facit.
Neminem à rebus gerendis ô Senectus abstrahis?
Non modo senecta corpus, ipsum animum quoque atterit.
Non potest senex vocari cui senectæ haud sunt mala.
Non semper cani capilli conferunt prudentiam.
Non senent patres honore filiorum floridi.
Non senum a canis, senili à mente providentia est.
Non verbis modo, reipsâ sed senectutem colas.
Optima altrix est senectæ pura conscientia.
Paupertas omni senectuti est onus miserum & grave.
Plena voluptate est senecta, recte ea si uti sciat.
Plura quo passa est senectus, hoc mage est & garrula.
Plurimas affert senectus pessimas res cùm venit.
Plurimas res pessimas mala ætas affert cùm advenit.
Plus seni est auctoritatis, at laboris est minus.
Prima vita & media patriæ; extrema impertias tibi.
Prona ad iram omnis senectus est & ad convitia.
Publica æquum a re vacare ultimæ ætatis senes.
Publico seni vacare quam voluptati æquius.
Pulcrius nil est videre quàm senem immori actibus.
Quærimus cuncti senectam: nacti eam cuncti odimus.
Quam loquax tam obliviosa natio omnis est senum.
Quam magis senescit hoc est Cappadox velocior.
Qui sapit, sibi in senectam comparat viaticum.
Qui senemus, ad omnia alia ætate sapimus rectius.
Quis senex est, vivere annum posse quin se unum putet?
Quid senecta præter Mortis falcem exspectet ultimam?
Qui senem objurgat, vetustam mutat arborem loco.
Qui sibi cura est, senectutem ad postremam pervenit.
Quid senectute otiosa reperias jucundius:
Quis senes non porro ætate minus peccaturos putet?
Quis senex sit in juventam lividus? magis favet.
Quo mage quis celat senectam, fit magis ac magis palam.
Quod mari est hiems, senectus est viro; ergo ei prospice.
Res miserrima est, senectus morbida atque paupera.
Rex senex est qui regit se: qui haud regit, puer est senex.
Sæpe & oris in senecta lucet inclitum decus.
Sapere isthac ætate oportet, qui sunt capite candido.
Se senecta confiteri perperam doctam pudet.
Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio est senex.
Si diu vis esse oportet maturè fias senex.
Stultitia est comes juventæ: providentia est senum.
Sub vitæ finem proficimus usu & experientiâ.
Sustentat senex juventâ labefactum publicum.
Temperans senium nil est quam exhausta adolescentia.
Tempestati par juventa est; malaciam senium refert.
Turpius nihil senectâ est quæ usque vivere incipit.
Turpius voluptati quam publico vacet senex.
Vel sterile est vel imbecillum procreat quidquid senex.
Vindicat dives senectus quoque à solitudine.
Viribus jam destitutus, corpori vim ne inferas.
Vita defendat senectam; vita, non oratio.
Vita vinum est, tunc acescit parva ubi reliqua portio est.
Vix ferunt sibi obloqui albi verticis homines senex.
Vix verecunda est juventus cui senes non præsident.

¶ Jambica.

A præliis ætas sua avocat senes.
Ætas senecta corpus, imo animum terit.
Ætate ad omnia rectius sapiunt senes.
Ætate item marcet senibus sapientia.
Ætas mala ipsi merx mala est tergo senum.
Ah quam es senectus morbus insanabilis!
Altrix senij optima est bona conscientia.
Amariores omnes senectus facit.
Animam senilem, mollis exsolvit sopor.
Animo senes puerique differunt nihil.
Animosior est Senectus adolescentia.
Anni senem non faciunt, sed prudentia.
Aquila senectus, Corydi adolescentia est.
Cani monent, ne spem vitæ longam inchoes.
Cita est viris senecta non felicibus.

Citius

Citius senectus quàm putamus nos subit.
Coli senectam mos & æquitas jubent.
Consuetum onus senenti equo quis subtrahit?
Cor atq; linguam maximè curent senes.
Cunctos senectus imperat quiescere.
Dandi facultas consilij est penes senes.
Erravimus juvenes, emendemur senes.
Etiam senectus à virtute deficit.
Etiam senectæ corporis deest siccitas.
Fias senex maturè si esse vis diu.
Fortem facit vicina libertas senem.
Gnarus malorum plurium vir est senex.
Haud usque virtus canitudini est comes.
Iam fessa virtus robore antiquo caret.
Idem senibus animus qui pueris obtigit.
In unicâ pulcrum Spartâ senescere.
Impar senex curis quoque est levißimis.
Infame, pueri gerere se in morem seni.
Ipsam tueri se senecta vix potest.
Iuvenilia etiam sæpe delinquunt senes.
Mala ætas nulla delinimenta invenit.
Mentis senectus haud minor quàm corporum est.
Miseram senectam vivit omnis perfidus.
Morbus senectus ipsa est insanabilis.
Morbi instar est senibus peregrinatio.
Morbi satis, senectus ipsamet, seni est.
Morbi senectus ipsamet satis seni est.
Mores suos ægerrimè mutant senes.
Mores suos mutare vix potest senex.
Mutare linguam, prompta non est res, senis.
Nil aliud est quàm vox & umbra vir senex.
Nil uspiam senectâ hilari jucundius.
Nocte una amator fiat æstiva senex.
Nolis velis senectæ amor frigidior est.
Non proferunt senes diserta, ast fortia.
Non omnia habet quæ fugias ætas grandior.
Non verberare te pudet hominem senem?
Nunquam caret sagittis os edentulum.
Optant senectam omnes; adepti despuunt.
Parcißimè obloquare queis canum est caput.
Perplurimum senectæ inest audaciæ.
Portus malorum eheu senectus omnium est.
Profectò deliramus interdum senes.
Puer est homo omnis, maximè verò senex.
Pulcer senectæ est flosculus prudentiæ.
Qui verberatur est puer, licet senex.
Quid aliud est, quàm vox & umbra, vir senex?
Quid turpius, quàm vivere incipiens senex?
Quidquid senex debebat nolle, non potest.
Quisquis senectam optat, mala optat omnia.
Rara in senibus infantium innocentia est.
Rarò senectus obtigit tyrannidi.
Raro suam mutat senex sententiam.
Senecta tectis haud aperta est fraudibus.
Senectus à rebus gerendis avocat.
Senectus ad rem, quàm sat est, attentior.
Sepulcri similis, nil nisi nomen habet senex.
Senex amore captus, ultimum malum.
Senex honores nec petat, nec abnuat.
Senex cum extemplo est, jam nec sentit nec sapit.
Senex quoq; curis impar est levißimis.
Senex vivendo multa quæ non vult videt.
Senem esse pulcrum est, pulcrum & esse non senem.
Senem parere juniori dedecet.
Senes ad omnia ætate sapimus rectius.
Senes docere res perdifficillima est.
Senum corona, multa es experientia.
Senescere pulcrum, & pulcrum non senescere.
Senilis anima primis hæret in labris.
Senilis ira, aristæ ad instar rumpitur.
Si vis diu esse, maturè fias senex.
Sola expedit fieri urbe Spartana senem.
Soles duos videre se putat senex.
Sponso seni mulier juvencula imperat.
Superesse senectus haud potest laboribus.
Suprema vita haud præterit, sed corruit.
Tandem liceat sibi senectæ vivere.
Time senectam, non enim sola advenit.
Time senectam; sola nemini venit.
Turpe est fieri animo nigrum albente jam comâ.
Turpe est senectæ vinci ab adolescentiâ.
Veneratio sua est & canitudini.
Veteres triremes littus abjectæ occupant.
Vitium senile nos trahit, verbositas.
Vni senectæ minimè intercedi potest.

Sensuum.

SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D*Ivus Nazianzenus:* Grave ac periculosum est per oculos capi, per linguam sauciari, per aures inescari, per ebullientem iram inflammari, per gustum deijci, per tactum emolliri, atque arma salutis in mortis arma convertere: cùm contrà nobis faciendum sit, ut fidei clypeo communiti adversus Diaboli astutias in procinctu stemus &c. *Oratione 18.*

D. Greg. Nyssenus: Sensus per quos animus eminens & ad res externas sese exercens, ea quæ placet arripit & apprehendit, fenestras scriptura appellavit; quos Sermo morti aditum patefacere dicit. Nam revera multis sæpe mortibus introeundi locus oculus existit, dum vel irascentem videt, & ad eandem contra perturbationem incitatur; vel prospera fortuna præter meritum utentem & in invidiam exardescit; vel superbientem, & in odium ruit; vel aliquam materiam boni coloris, dexterioremve oris ac formæ figurã, & totus ad concupiscendum id quod placuerit delabitur. Ita auris morti fenestras aperit, & per ea quæ audit, multos affectus ad animum transmittit, metum, tristitiam, iram, voluptatem, cupiditatem, risum effusum, & ejusmodi. Porrò gustatus voluptas, mater singulorum malorum est. quis enim ignorat, quod gulæ studium radix propemodum sit eorum peccatorum quæ in vita committuntur? ab hac pendent luxus ac deliciæ, ebrietas, ingluvies, in victu prodigalitas ac profusio, abundantia, satietas, commessatio bestialis, & ratione carens impetus ad vitia ignominiosa. Similiter tangendi sensus, omnium peccatorum extremum est. omnia enim quæ corpore exercentur à sectatoribus voluptatis, apprehensionis, quæ tactu fit, morbi sunt, quæ singulatim exponere longum fuerit. *Homilia 5. in Orat. Dominicam.*

LATINORUM.

Egesippus: Certe & insensibilia plerumque in maximis rerum acerbitatibus sensus speciem mentiuntur; ut scopuli tremant & madentes sanguine guttæ fluant. Vos autem immobiles perseveratis. *cap. 16 lib. 5.*

S. Chrysologus: Sicut in spinis rosa, hoc est in frutice horrent mirè odori flosculi germinantur: ita sensus aliquoties pessimorum ad bona, divinitatis impulsu aguntur inviti, ut non sit meriti sed mysterij quod loquuntur. *Serm. 49 m.*

S. Chrysologus: Omnium quidem ciborum sal salubre est condimentum si mensura non desit: alioqui sine modo & ipsum perit, & quod salierit perdit: amarat enim nimietas quod poterat condire mensura. Si qui in nobis est sensus si teneat modum, dat saporem, intellectum parit, prudentiam generat, cor dilatat, auget ingenium, maturat dicenda, audienda componit, fitque sibi dulcis, fit degustantibus tota dulcedinis plenitudo: & plane erit ille melleus sensus qui ore proferat nil amarum. *Serm. 125. pr.*

Io. Sarisberiensis: Licet autem per quinque sensuum portas lenocinia luxus æque introeant, voluptas aurium ad invidiam magis videtur accedere, & quæ ex gustu, vel tactu provenit, sordidior est, & olfaciendi & videndi delectatio medium locum tenet. Nam neque satis interdum habet munditiæ, nec ad fordes perniciosissimas usq; prolabitur. Siquidem mors per oculorum fenestras ingreditur, cum quispiam delectatur circensibus, certamine athletarum, histrionum mobilitate, mulierum formis, splendore gemmarum, vestium, metallorum, aliorumque quibus libertas animæ captivatur. Rursus si auditus vario organorum cantu, vocumque flexionibus mulceatur ad carmina poëtarum, Comœdiarum, & Tragœdiarum actus, mimorum urbanitates, & strophas, & quicquid huiusmodi per aurem incedit, virilitatem mentis effeminat. Odoris autem suavitas, & diversa thymiamata, & amomum, & muscus, peregrini muris pellicula, quod dissolutis moribus faciant, nemo nisi dissolutus negat. Nam peregrinos odores non nisi dissolutis & amatoribus convenire, comicus & Coquus docent. Porrò ciborum aviditas avaritiæ mater est, & omnium quasi quibusdam compedibus degravatum tenet in terra. Ergo propter brevem gulæ voluptatem, terræ lustrantur, & maria, & ut mulsum vinum preciosusque cibus fauces pertranseat, totius vitæ opere desudatur. Ipsi quoque muri Hierusalem, etsi videantur in petra solidati, tandem ruunt & complanantur æquati solo, Nabuzardan coquorum principe imperante. Tactus autem alienorum corporum, & feminarum ardentior appetitus, vicinus insaniæ est. Quicquid sensus quilibet moliatur, ludus ac jocus est, præ his quæ affert, ut verbis Comici utar, huius rabies. Hinc enim cupimus, irascimur, gestimus, æmulamur, solliciti sumus, & expleta voluptate per quandam pœnitudinem rursus accendimur, quærimusque facere, quod cum fecerimus, iterum pœniteamus. *lib. 8. Policrat. cap. 6.*

POETARUM.

Petronius Arbiter.

Fallunt nos oculi, vagiq; sensus.
Oppressa ratione mentiuntur.

Nam turris propè qua quadrata surgit,
Attritu procul angulis rotatur,
Hyblæum refugit satur liquorem:
Et naris casiam frequenter odit.
Hoc illo magis aut minus placere
Non posset, nisi lite destinatâ
Pugnarent dubio tenore sensus.

Prudentius contra Marcionitas.

Omnia luxus habet nostræ vegetamina vitæ,
Sensibus in quinq; statuens quæ condidit auctor.
Auribus atq; oculis, tum artibus atq; palato
Quæritur infectus vitiosis artibus usus.
Ipse etiam toto pollet qui corpore tactus,
Palpamen tenerum blandis ex fotibus ambit.
Proh dolor! ingenuas naturæ occumbere leges,
Captivasq; trahi regnante libidine dotes!
Perversum jus omne viget, dum quidquid habendum
Omnipotens dederat, studia in contraria vertunt
Idcircóne rogo speculatrix pupula molli
Subdita palpebræ est, ut turpia semivirorum
Membra theatrali spectet vertigine ferri,
Incestans miseros fœdo oblectamine visus?
Aut ideo spirant, mediaq; ex arce cerebri
Demittunt geminas sociata foramina nares.
Vt bibat illecebras male conciliata voluptas,
Quas pigmentato meretrix jacit improba crine?
Num propter lyrica modulamina vana puellæ,
Nervorumq; sonos, & convivale calentis
Carmen nequitiæ, patulas Deus addidit aures?
Perq; cavernosas jussit penetrare meatus
Vocis iter? numquid madido sapor inditus ori
Vivit ob hanc causam, medicata ut fercula pigram
Ingluviem vegetamq; gulam ganeonis inescent?
Per varios gustus instructa ut prandia ducat
In noctem? lassetq; gravem sua crapula ventrem?
Quid durum, quid molle foret, quid lene, quid horrens,
Quid calidum gelidumve Deus cognoscere nosmet
Ad tactum voluit, palpandi interprete sensu.
At nos delicias plumarum, & linea texta
Sternimus, atq; cutem fulcro attenuante polimus.
Felix, qui indultis potuit mediocriter uti
Muneribus, parcumq; modum servare fruendi,
Quem locuples mundi species, & amœna venustas,
Et nitidis fallens circumflua copia rebus
Non capit ut puerum, nec inepto addicit amori.
Qui sub adumbrata dulcedine triste venenum
Deprendit latitare boni mendacis operto.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cuncta sensu non ratione prox voluptas judicat.
Finis auditus visusq;, quid nisi oblectatio est?
Gestit oblectare sensus quisq;: mens neglectui est.
Pro bono id pleruq;, sensus quod voluptate occupat.
Sensibus, quamvis præsenti corpore, abesse homo potest.

§ JAMBICA.

Non vera sensus semper ipsi nunciant.
Vix est habendus pro homine captus auribus.
Vt quid bonum sit aut malum, sensus facit.

Sententiæ.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Non turpe est sententiam mutare; sed in malo perseverare, funestum & exitiosum. *fine Orationis 32.*

D. Greg. Nyssenus: Qui ineptam minusque idoneam sententiam duntaxat rejicit, neque adjicit id quod res poscit, malum quidem prohibet, bonum verò non conficit. At qui præterquam quod non consentit deteriori, etiam bonum invenit; per utramque bonum perficit, dum neque malo aditum dat, & bonum producit ad effectum. *Oratione de vita Thaumaturgi.*

Libanius: Legislator cùm sciret se reipubl. leges condere apud quam plures jus dicerent, plures sententias potiores esse præcepit. Etenim planè cognitum penitusque perspectum habebat, omnes qui judicant ingenio omnino differre: atque hunc quidem mente immiti esse: alium alio probiorem: atque hunc ad injustitiam propensum esse illum justitiæ alumnum: atque illi quidem contumeliam videri omnium quæ in vita sunt molestissimam: huic autem alearum ludum & temulentiam: alium sacrilegis irreconciabilem: quendam infestum, iis qui in fato functos manus injiciunt. itemq; ut alius in aliud flagitiorum genus potius stimuletur: & quendam iniqua cædes contristet: alius verò doleat, si quis procreatores suos malè tractet. Nam homines natura & omnium maximè jus dicentes semper omnibus rebus tristibus sunt infensi: sed iis potius quas pravas quis reipsa esse existimat. Quapropter multi sicarios conservarunt, injustis cædibus gavisi: multi etiam in hos inhumanam sententiam ediderunt; & cædem, & nomen cædis odio habentes. Alii avarum absolverunt, tanquam nullam fecisset injuriam, cum ipsi quoque avido plus habenti amore corriperentur. ac si contumeliosum videris à judicio liberum indemnemque abire, tum judices insolentia gaudere puta. & multi profecto tanto insolentiam odio prosequi statuerunt, ut eum qui parumper conviciatus sit, flammis & flagellis tradant. Cùm ergo tot ac tanta sint, ea quæ gaudium & odium gignunt hominibus, pulchrè is qui legem condidit plura suffragia plus pollere constituit. Noverat enim sæpe eos qui jus dicunt in dissimiles senetntias incurrere: atq; alium aliud quiddam amplius contra vocatos in jus decernere: ut hic si res ita tulerit, bona subhastanda censat, ille perpetuo exilio damnandum, aut morti addicendum: quidam dedecus, aut laqueum: aut etiam verborum tenus mulctam præscribat condemnato. Quapropter cùm sciret hoc identidem eventurum, ita lege sanxit, ut cùm Iudices sententiis dinumeraverimus, finem miseriæ calamitosis plura horum suffragia constituamus. *Declamat. trigesima.*

Basilius Imperator: Ævo ab omni veterum sapientum sententias revolve, ut mores tuos omni ex parte excolas: multa enim in illis præcepta valde utilia reperies, præsertim in operibus Salomonis, & scriptis Isocratis: adde etiam, si vis, Iesu Sirach documenta; è quibus multam civilis & regiæ prudentiæ haurire poteris. Cætera etiam divinitùs inspiratæ scripturæ oracula perlecta tibi esse oportet, ut cùm sapientia consummatus fueris, me regem, patrem ac præceptorem tuum, lætitia perfundas, & cæteros etiam per Deum exhortari ac docere possis: & homo cùm sis, finem tibi præscriptum esse agnoscas: intelligasque hominem nullum esse, cui non sit aliquando moriendum, nullum qui non peccet: nullum, qui Dei judicium evitare queat de his omnibus, quæ tota vita gesserit: nullum cui de mortis suæ termino compertum sit. *cap. 66.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Lex jubet eos absolvi qui pares sententias tulerunt. imputabitis istud humanitati: non ego arguo hanc legem, sed dico esse communem &c. *Declamat. 254. a. f.*

Symmachus: Minus est alienam sententiam spernere, quàm à propria discrepare. *lib. 2. epist. ultima.*

Symmachus: Æquum est quicquid omnes colunt, unum putari. *lib. 10. epist. 54. m.*

Symmachus: Non aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris, quàm quod omnia quasi juratus Ordo decernit. *liber 10. Epistola 54.*

§ POETARUM.

Terentius Phormione act. 2. sc. 3.

Ego sedulo hunc dixisse credo: verùm ita est,
Quot homines, tot sententiæ. suus cuiq; mos.

Terentius Heauton. 4. sc. 1.

Non licet hominem esse sæpe ita ut vult, si res non sinit.
Nunc ita tempus est, mihi ut cupiā filiam; olim nil minus.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

A recto persæpe aberrat Principis sententia.
Citra damnum affectus, animi judicium promi potest.
Est secura quæ tabellis creditur sententia.
Exitu non sunt diversi una est quibus sententia.
Ferre juratus bilinguem quis velit sententiam?
Improbis ne jus proba esto in curia Sententia,
In sententijs diversis caritas tamen manet.
Innocentiæ defensio serva post sententiam est.
Itidem mulieres sunt fermè, ut pueri, levi sententiâ.
Mordicus suam tuetur quilibet sententiam.
Nil novi est duos dissentire in republica Patres:
Non idem semper dicendum est, semper spectandum est idē.
Non præstant homines sermone hominibus ast sententijs.
Non sermone sed facto animorum æstimes sententiam.
Parte nondum audita utraq; quei feras sententiam?
Permanendum in unâ semper fortibus sententiâ est.
Principi bono jucunda liberi sententia est.
Æquorum instar vulgus aut tumet aut detumet.
Quis non cæcutit, ferenda ut de ipso se sententia est?
Quis senex sententia illa nunc est qua fuit puer?
Quod bonus vir, vir quod æquus censet, id sententia est.
Quot homines sunt, tot sunt item sententiæ.
Specta ad annos adq; honores principe in sententia.
Vix eris senex fuisti qua juvenis sententia.

§ JAMBICA.

Æquissimum est sentire hominem idem quod Deos:
Caput sine lingua, pedaria est sententia.
Caussas aliena quis reddat sententia?
Cognosce caussam, dein roga sententias.
Contra Sedigitum qui sentit, sentit nihil:

Hominum interitu ſententia haud quoq; occidunt.
Incerta verum ignorantis ſententia eſt.
Injuſta nunquam Numinis ſententia eſt.
Inter duas ſententias, vincit mitior.
Mens æquitatis Principum ſententia eſt.
Multa accidere homini præter ſententiam.
Mutare non eſt turpe cui ſententiam.
Ne prima vincat, ſed melior ſententia.
Non eſt rogandus bis probus ſententiam.
Quæ mitior, quoq; melior eſt ſententia.
Quæſtusq; fictas ſuſcitat ſententias.
Quam ſtulta pravè judicat ſententia!
Quid flere latâ jam juvat ſenntentiâ?
Quot capita ſunt, tot ſunt item ſententiæ.
Quot homines ſumus, totidem ſunt ſententiæ.
Rarò placet ſententia optima omnibus.
Semper docent plus quam dicunt ſententiæ.
Semper piis mentem excolas ſententiis.
Sententia hos lata inter, illis non nocet.

Sepulturæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*ivus Nazianzenus*: Etiam ad eorum qui ex hac vita migrarunt, felicitatem & infelicitatem momenti habet, ſortiri funus illuſtre aut obſcurum & ſcurrile. &c. *Oratione 4. ſtelitеutica altera adverſus Iulianum.*

D. Greg. Nyſſenus: Martyris anima quidem ex quo ſublimis abiit, in ſuo loco acquieſcit, & corpore ſoluta cum ſui ſimilibus una vivit: corpus verò venerandum & immaculatum illius inſtrumentum, quod ſuis vitiis & affectibus illius inhabitantis incorruptibilitatem non læſit, cum multo honore & cultu compoſitum atque ornatum in auguſto ſacroque loco ſitum eſt: quod veluti res chara magnique æſtimata atque recondita in tempus regenerationis reſervatur: multis ſingularibus & eximiis rebus præditum, propter quas ad alia corpora quæ communi ac vulgari morte diſſoluta ſunt, ne comparandum quidem eſt, idque in ſimili materia naturæ. Nam cæteræ quidem reliquiæ etiam abominabiles pleriſque ſunt: ac nemo lubenter ſepulchrum præterit, aut ſi ex inopinato apertum offendit, deformitate nimirum earum rerum quæ inibi jacent, faciem operiens omni in jucunditate repletus, & humanæ naturæ conditioni graviter jugemiſcens prætercurrit. *Oratione de S. Theodoro Martyre.*

D. Chryſoſtomus: Quem enim non timet dives? non latrones, non principes, non invidos, non calumniatores? Et quid dico latrones & calumniatores; cùm ipſos etiam famulos habeat ſuſpectos? Et quid dico vivus? Ne mortuus quidem eſt liber à maleficio latronum, neq; mors eum poteſt collocare in tuto; ſed & mortuum deprædantur malefici: adeò inſtabilis & lubrica res ſunt divitiæ. Non ſolùm enim perfodiuntur domus, ſed & ſepulcra perrumpuntur & loculi. Quid ergo his fieri potuerit miſerius? cùm ne mors quidem ei hanc præbeat ſecuritatem; ſed infelix illud corpus, ne vita quidem privatum, à malis quæ ſunt in vita ſit liberatum: cùm ii qui ea admittant maleficia, etiam cum pulvere & cinere contendant bellum gerere; & multò gravius, quàm cùm viveret. Nam tunc quidem penarium ingredientes, arculas quidem movebant, à corpore autem abſtinebant: neque tam multa accipiebant, ut ipſum etiam corpus nudarent. Nunc autem ne ab iis quidem abſtinent execrandæ manus eorum qui ſepulcra effodiunt; ſed ipſum movent & verſant, & cum ſumma crudelitate ipſum contumelia & probro afficiunt. Nam poſtquàm terræ fuit mandatum, & illius & veſtium amictu nudatum ſic ſinunt projectum jacere. Quis eſt ergo divitiis major hoſtis; quæ vivorum quidem perdunt animam, mortuorum autem etiam corpus probro & contumelia afficiunt, & ne terra quidem tegi permittunt? quod quidem eſt commune etiam eorum qui ſunt condemnati, & rerum turpiſſimarum convicti.

Nam cùm de illis quidem pœnas capitis exegerint legislatores, nihil ulterius inquirunt: ab his autem divitiæ etiam poſt mortem pœnas graviſſimas exigunt; nudos exponentes & inſepultos, ſpectaculum grave & miſerabile. Hi enim graviora patiuntur, quàm qui patiuntur à judicis calculo & ira. Nam illi quidem cùm uno & altero die manſerint inſepulti, terræ mandantur: hi verò cùm terræ mandati fuerint, tunc nudantur, probroque & contumelia afficiuntur. Quòd ſi etiam non accepto loculo recedunt latrones: de eo non divitiis, ſed paupertati ſunt habendæ gratiæ. Ipſa enim eum ſervat. Nam ſi eum commiſiſſemus divitiis; & mittentes eum conſtruere ex lapide, conſtruxiſſemus ex auro: eum quoque perdidiſſemus. Adeò infida res ſunt divitiæ, & non tam ſunt eorum qui habent, quàm eorum qui aggrediuntur rapere. Quamobrem ſupervacanea eſt illa oratio, quæ conatur oſtendere, divitias eſſe expugnatu difficiles: cùm nec in die quidem mortis tuti ſint qui eas habent.

Atqui quis non reconciliatur cùm mortuo; etiamſi ſit fera, etiamſi dæmon, etiamſi quilibet. Sufficit enim ſpectaculum ad flectendum vel ferreum, vel doloris expertem. Propterea cùm quis viderit mortuum, etiamſi quis viderit inimicum & hoſtem, lacrymatur cum amiciſſimis: & ira quidem extinguitur cum vita, ejus autem locum ſubit miſericordia: & in exequiis & funeris elatione non diſcreveris inimicum & eum qui non eſt inimicus. Ita omnes communem reverentur naturam, & quæ de ea latæ ſunt leges. Divitiæ autem ne hoc quidem aſſecutæ, iram immittunt in eos qui ipſas poſſident: ſed & eos qui nulla affecti ſunt injuria reddunt inimicos defuncti, ſi mortuum corpus nudare, eſt acrium inimicorum & hoſtium.

Et natura quidem etiam inimicos ei tunc reconciliat: divitiæ autem etiam in eos bellum gerunt, quos ne poſſunt quidem ullius criminis accuſare; & in magna ſolitudine crudeliter ſæviunt in corpus. Atqui multa ſunt illic quæ poſſunt attrahere ad miſericordiam: hoc ipſum quòd ſit mortuum, quòd immobile, quòd ad terram tendat & interitum, quòd nemo adſit opem laturus. Sed nihil horum frangit illos execrandos, propter tyrannidem quæ ex improba oritur cupiditate. Amor enim pecuniæ, tanquam immanis quidam tyrannus, eis præeſt, in humana juſſa imperans: eosque effectos beſtias, ita ducit ad loculos. Nam tanquam feræ mortuos invadentes, ne à carnibus quidem abſtinuerunt, ſi membra eis eſſent utilia. Hos fructus percipimus ex divitiis; etiam poſt mortem probro & contumelia affecti, & ſepultura privati, quam aſſequuntur etiam qui nefaria perpetrarunt. *Homilia 35. Corinth. 1.*

D. Io. Chryſologus: Quando poterit ex his quiſquam mortem deſpicere, qui ne poteſt quidem alium videre mortuum? Quamquam multa ſunt contra hanc conſuetudum circa defunctos. Nam dic mihi, quid ſibi volunt claræ lampades? an non eos tanquam athletas deducimus? Quid autem hymni? an non Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum qui exceſſit jam coronaverit? quod à laboribus liberaverit? quod ejecto metu eum apud ſe habeat? Non ideo ſunt hymni? non ideo pſalmodiæ? hæc omnia ſunt lætantium. *Homilia 4. Epiſtola ad Hebræos.*

¶ LATINORUM.

Egeſippus: Sepultus eſt in Herodio, quod aberat ducentis ſtadiis ab eo loco, in quo finem vitæ invenit, magno obſequio per tantum ſpatii deductus univerſorum, ſed non omnium pari affectu. metus enim officium, non votum extorſerat. dolor intra ſe ſaltem liberam habebat ſententiam. *fine libri 1. de excid. Hieroſ.*

Egeſippus: Multi etiam extra urbem inſidias & latrocinia pertimeſcebant, & maxime inopes quibus comitatus deerat. pari itaq; foris & domi propoſito ſibi periculo utroque pernicioſo. pleriſque tamen patrii ſpe ſepulcri, mors apud ſuos tolerabilior videbatur. *cap. 12. lib. 4. de exc. Hieroſ.*

S. Chryſologus: In obſequium divitis migrant hic tota civitas eùm funus effertur. pauper vadit ſolus. pauperem duorum portat miſeratio bajulorum: nec quatuor ut mortuo, ſed duo ſub uno vecte, quaſi projiciendo oneri, portitores addicuntur inviti. *Sermone 121.*

Ennodius: Si Mauſolea præcedentium minor poſteri cultus ornaret, eſſet plectenda negligentia, & ſpectaret de illis pœnam judicibus, qui filiorum ſuorum mores in alienis cupiunt emendare commiſſis. Pro feſtivitate certa temporum lege redeunte, pro ſertis, & quibus animæ paſcuntur muneribus, credidiſti nefas, ſi genitorum tuorum ſepulcra dominos non mutarent. Non tibi licuiſſet domos ultimas pro abducta ab hoſtibus pignoris tui redemptione diſtrahere. quæro quæ ſit neceſſitas, quòd alienum video in parentum tuorum cineribus poſſeſſorem: & nihil mihi aliud niſi ludus opponitur. *Dictione 19. m.*

Idem ſub finem: Communis eſt univerſis defunctorum reverentia, & circa religionem ſorte ultima conditorum dignam poſcit humanitas univerſa culturam, excellentius tamen majoribus noſtris debita ſuprema redduntur, quos ita ſibi veneratio proponit ante oculos, ut Diis credamus exhibitum, in quibus defunctorum mandata peraguntur. Servamus univerſa quæ juſſerint; non credentes impunè contingere, quod de eorum fuerit præceptione violatum.

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ; GRAECORUM.

Progenes: Hortaris me, ut ad ſcribam, quid tandem de ſepultura & morte ſentiam: ac ſi perfectus philoſophus minimè futurus ſis, niſi id à nobis didiceris. Ego autem ſatis nobis arbitror, ſi ſecundùm naturam & virtutem vixerimus, quod in noſtra eſt poteſtate. Quæ autem poſt mortem ſunt, ita à naturæ ratione ſeparari, quemadmodum quæ ante generationem, nobis perſuadendum eſt. Quo enim modo homo natus eſt eodem diſſolvitur. Nulla igitur omnino futurorum formidine, moveare cùm nihil ſenſurus ſis. Ego cùm moriar, juxta me baculum ponendum ſtatui, ut quæ me offenſum venerint, animalia abigam. *Epiſtola vigeſima quinta. Hipponi.*

Lyſias: Athenienſes miſſo præcone rogaverunt Thebanos, ut mortui amoverentur; ac judicabant ſtrenuorum quidem virorum eſſe,

esse, viventes inimicos ulcisci; sibi verò diffidentium esse, in mortuorum corporibus suam magnanimitatem velle declarare. *cap 3. Oratione 31. Funebri.*

Aristides Sophista: Alia res in media Bœotia fuit gesta ab Atheniensibus, admodum propria; quæ rumore quidem & usu tenus pro Argivis, re autem vera & beneficij specie, est pro tota natura humana suscepta. cùm enim audivissent, eos qui ad Thebas victi erant, insepultos esse projectos, nec aliorum violentiam, nec ea quæ solent victores in victos consulere, timuerunt: sed victoriæ spe in præstantia reposita, jura verò tanquam privata pro communi jure cõcepta; meritum & illis honorem, & his supplicium rependerunt. *Oratione Panathenaica.*

Libanius: Non exiguum solatium est, tumuli compotem esse domi in patria. *Principio declamationis 13.*

Libanius: Utinam Cicones me confecissent, neque illos bello superassem: quando honestius ab iis victus fuissem, quàm hac victoria probrosa potitus. Ego Læstrigonas libentius pertulissem, ubi mortui tumulos obtinerent. nam morienti homini parvæ non est consolationi columella & sepulcrum. Cippus hominem integrum continet. *Ulysses in antro Cyclopis.*

Libanius: Qui sub Cadmea occubuerunt, nonne peregrini erant? sed à vobis sepeliebantur. Et mortuos quidem peregrinos misericordia prosequimur, viventium autem non miserebimur? *Declamatione 17.*

Simocatta: Si vis dolorem vincere, circuito sepulchra & habebis affectus remedium. Et maximas hominum fœlicitates intuebere ultra pulverem etiam superbiam retinentes. *Dionysio epistola 85.*

Onosander: Imperator sive vicerit, sive victus fuerit, militum occisorum funeribus & exsequiis prospiciat, neque incuriam, aut occasionis, aut temporis, aut loci, aut metus nomine prætexat. Sancta enim hæc & religiosa circa eos qui sic abierunt pietas est, eiusque necessaria inter superstites demonstratio. Etenim unusquisque militum sibi ante oculos ponit, eodem modo se, si fortè in bello ceciderit, ludibrio despectuique fore, & insepultum se remansurum præsagiens, mortis honore carere, non ferendam putat contumeliam. *Cap. 36. Strategici.*

❡ ROMANORUM.

Quintilianus Senior titulo, *Auctoratus ob sepeliendum patrem*: Illum majores prohibuerunt theatro, qui vilitate, qui gula se auctorasset. Mutuatus iste est pecuniam, ut patrem sepeliret: mutuatus unde potuit: & quo turpius putas esse sic mutuari, hoc honestius fecit. Vidit enim quid sibi accidere possit auctorato: sed illud crudelius putavit, si pater insepultus jaceret. Gladiatores sepeliuntur. Isti accusatores & Cimoni illi, qui patris corpus vicario corpore redemit, crimen darent. *Declamat. 302.*

Petronius Arbiter: Si nihil aliud, certè diutius juncta nos mors feret; vel si voluerit misericors ad idem littus expellere, aut præteriens aliquis tralatiria humanitate lapidabit, aut quod ultimum est iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet. *Satyrico.*

Idem paullo post: At enim fluctibus obruto non contigit sepultura. Tanquam intersit, periturum corpus quæ ratio consumat, ignis an fluctus, an mora. Quidquid feceris, omnia hæc eodem ventura sunt. Feræ tamen corpus lacerabunt. Tanquam melius ignis accipiat. imò hanc pœnam gravissimam credimus, ubi servis irascimur. Quæ ergo dementia est omnia facere, ne quid è nobis relinquat sepultura.

Quintilianus: Cruces succiduntur, percussores sepeliri carnifex non vetat. Ipsi piratæ nihil amplius quam projiciunt. Mater parum habet non sepelire, nisi aliorum quoque officia præciderit &c. *Declamat. 6. §. 11.*

Quintilianus: Equidem neminem non mortalium favere hominis sepulturæ convenit, quia hæc una res est, cuius exemplum ad omnes pertineat. Ideoque non nisi ab ultimo parricidio exigitur pœna trans hominem. Etiamsi qua sunt jura quæ obstent, si tamen angustus saltem detur accessus, per quem intrare humanitas possit, vera clementia occasione contenta est. Sive omnis in defunctis sensus perit, & ad operiendam fœditatem subtrahendamque dolori materiam mortui viventium causa sepeliuntur: seu cùm ad infernas sedes anima migravit, unus hic luce viduis honos, & à suprema face (ut vates ferunt) petitam ulterioris ripæ stationem contingunt, quæ vera esse & credo miser, & opto, citò iturus ad filium. Certè rerum natura ut in generandis alendisque hominibus quæ necessaria erant, ex se ipsa prospexit, ita cùm rursus opus suum resolvit, corpora nostra quamprimum deducere ad principia festinat, ut desertis etiam locis circa cadaver tracta imbribus terra concrescit, aggerant pulverem venti, & liquefacta multa die membra paulatim humus bibit, & iam si nullus operit. At ipsa longo tempore in terram ossa desidunt. Nobis verò adversus exanimes genuit non solùm miserationem, quæ cogitationi nostræ subit, sed etiam religionem. Inde ignotis quoque corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura, inde injecta ab alienis humus. *Declamatione 6. §. 12. p.*

Quintilianus: Lex est quæ jubet, Qui parentes in calamitate deseruerit, insepultus abijciatur. &c. ejus explicationem pete ex *Declam. 6. §. 13. & seq.*

Plinius Iunior: Jussit Virginius Rufus incidi sepulcro suo: *Hic situs est rursus, qui pulso Vindice quondam, Imperium asseruit non sibi sed patriæ.* reprehendis quod jusseris; addis etiam melius rectiusq; Frontinum, quod vetuerit omnino monumentum sibi fieri. Omnes ego qui magnum quod memorandumque fecere, non modò venia, sed etiam laude dignissimos judico, si immortalitatem quam meruere sectantur, victurique nominis famam supremis etiam titulis prorogare nituntur. nec facile quemquam, nisi Virginiũ invenio, cujus tanta in prædicando verecundia, quanta gloria ex facto. Agedum huncipsum Frontinum, in hoc ipso in quo tibi parcior videtur & pressior, comparemus. Vetuit exstrui monumentum: sed quibus verbis? Impensa monumenti supervacua est. memoria nostri durabit, si vita meruimus. An restrictius arbitraris, per orbem terrarum legendum dare duraturam memoriam sui, quam uno in loco duobus versiculis signare quod feceris? quanquam non habeo propositum illum reprehendendi, sed illum tuendi. meo quidem judicio neuter culpandus, quorum uterque ad gloriam pari cupiditate, diverso itinere contendit: alter dum expedit debitos titulos, alter dum mavult videri contempsisse. *epist. 20. lib. 9.*

Plinius Iunior: Libuit monumentum Virginij Rufi videre, & vidisse pœnituit. est enim adhuc imperfectum. neque difficultas operis in causa, modici, ac potius exigui; sed inertia eius cui cura mãdata est. Subit indignatio cum miseratione, post decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem sine titulo sine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervagetur. Tam rara in amicitiis fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria extruere, omniaque heredum officia præsumere. nam cui non est verendum, quod videmus accidisse Virginio? cujus injuriam ut indigniorem, sic etiam notiorem ipsius claritas facit. *epist. 10. lib. 6.*

Ausonius: Jupiter Thetidem mittit ad filium cum mandatis ejusmodi, ut in defunctum sævire desistat; fataque hominum in exanimo hoste vereatur, ad sepulturam corpore restituto. *Persocha 24. Iliados.*

❡ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 8. ad seipsum.

Ista quidem levis aura ferat. nam mente pusilla
Atq; parum forti quis me non diceret esse,
Si gravis ista meis hæreret cura medullis,
Marmoreóne aliquis condat mea membra sepulcro,
An contra tumuli privatum corpus honore
Præda feris sævisq; avibus canibusq; futurum est?
Quod si etiam libeat, rapidis absumito flammis,
Et lectos cineres in cœlum sparge, vel altos
Ferreus in scopulos, præruptaq; saxa cadaver
Abijce: vel fluvijs etiam putrescat & imbre.
Non ego divinos oculos ex omnibus unus
Effugiam, nec cum mortalis turba coibit
Iudicis æterni vocem auditura tremendam,
Solus ego è tanto cœtu numeroq; relinquar.

Varro.

Littore diverso Libya clarissima longe
Nomina, vix ullo condita sunt tumulo,
Magnus, & humano major Cato, qui procul à te
Respicit, heu, cineres, Roma jacere suos.
Marmoreo Licinus tumulo jacet. at Cato parvo,
Pompejus nullo. credimus esse Deos?

De iisdem Incertus.

Iunxit magnorum casus fortuna virorum.
Hic parvo, nullo conditus ille loco est.
Ite novas toto terras conquirite mundo;
Nempe manet magnos parvula terra duces.

De Alexandro Magno.

Sufficit huic tumulus, cui non suffecerat orbis:
Res brevis huic ampla est, cui fuit ampla brevis.

De Catone Incertus.

Ne mirere sacri deformia busta Catonis:
Visuntur magni parva sepulcra Iovis.

De Scipione Africano.

De victo Hannibale, & capta Carthagine, & aucto
Imperio, hoc cineres marmore tectus habes.
Cui non Europe, non obstitit Africa quondam,
Respice res hominum, quàm brevis Vrna tegat.

Ausonius de Euphemo.

Euphemum Ciconum ductorem Troïa tellus
Condidit hastati Martis ad effigiem.
Nec satis est titulum saxo incidisse sepulcri;
Insuper & frontem mole onerant statua.
Ocyus ista ruunt, quæ sic cumulata locantur:
Major ubi est cultus, magna ruina subest.

❡ APOPHTHEGM. SACRORUM.

David. Homines Jehudæ quum indicassent Davidi dicendo, homines Iabeschi Gileadis sũt qui sepelierunt Saulem, David missis legatis dixit ad eos, Benedicti estis Iehovæ, qui exercuistis benignitatem hanc erga Dominum vestrum Saulem, quòd sepelivistis

ſtis eum. Propterea nunc exerciturus eſt Iehova erga vos benignitatem & fidem: & ego quoque reponam vobis beneficium hoc, qui feciſtis hanc rem. Nunc itaque confirmentur manus veſtræ, & eſtote ſtrenui, &c. *2. Samuel 2.5.6.*

Ioſias rex. Poſtquam cum toto populo Ioſias fœdus cum Deo renovaſſet, templo & regno ab idololatria repurgatis; idolorum fautoribus caſtigatis, & adimpletis omnibus quæ Iarobeámo primo Iſraelitarum regi prædicta *(1. Reg. 13. 2.)* fuerant, cum vidiſſet ſepulchra nonnulla quæ erant in monte Beth-elis, & mittens accepiſſet oſſa ex ipſis ſepulchris, & comburens in altari quod Iarobeamus extruxerat, polluiſſet ipſum, ſecundum verbum Iehovæ, quod proclamaverat vir ille Dei, qui prædixerat res iſtas: interroganti cujus eſſet monumentum quoddam quod videbat? reſponderunt homines illius civitatis, Hoc ſepulchrum eſt illius viri Dei qui veniens è Iehuda prædixerat res iſtas, quas feciſti contra hoc altare. Tunc Ioſias dixit, *Sinite illud: ne quis commoveto oſſa ejus*: ſic eripuerunt oſſa ejus, cum oſſibus illius prophetæ qui venerat è Samaria. *2. Reg. 23. 17. 18.*

Monica D. Auguſtini mater, etſi vehementer cupierat viro ſuo Patricio, cum quo concorditer vixerat, in morte quoque ſociari, & in eo, quod ſibi juxta illius tumbam conſtruxerat, ſepulchro recondi: tamen poſteaquam in peregrinatione Italica Oſtiæ ægrotare cœpit, filio ubicunque vellet corpus ſuum locare juſſit. Sed & paulò ante quàm ægrotaret; quærentibus ab ea amicis, Vtrum non timeret in peregrino ſolo corpus relinquere? *Nihil*, inquit, *longè eſt Deo: neque timendum eſt, ne ille non agnoſcat in fine ſeculi; unde me reſuſcitet.* Teſtis ipſe *D. Auguſtinus lib. 9. confeſſ. ca. 11.*

Anonymus: Templum extruxerat Gulielmus Angliç rex & Normaniæ dux, aliena in area, nec perſolverat pretium Domino, qui egens, quum Gulielmus fato functus in templum illud deferretur, pampam funebrem cœtumque procerum nihil veritus, in mediam proſequentium regium funus celebritatem, mirantibus cunctis, ſatis ne ſanus eſſet, ſe intulit ita clamitans, Qui regna oppreſſit armis, me quoque metu mortis hactenus oppreſſit. Ego injuriæ ſuperſtes, pacem mortuo non dabo. In quem effertis iſtum hominem locum, meus eſt. In alienum ſolum inferendi mortui jus nemini eſſe defendo. ſin extincto tandem indignitatis authore vivit adhuc vis, Rhollonem conditorem parentemque gentis (Northmannicæ) appello, qui legibus ab ſe datis, quàm cujuſqam injuria, plus unus poteſt, pollerque. Simul incendium, incertum fortè an fraude humana ortum, latè domos propinquas ædeſque ſacras depaſcit. Vndique ad extinguendam ſævientem flammam concurritur, circa regium cadaver fit ſolitudo. Velut manifeſta numinis ira territus Henricus, regis mortui filius, qui ſolus procerum divelli à feretro non potuit; rem præſenti pecunia luit fundi Domino. Ita manes patris fraude noxaque liberati. *P. Aemilius, hiſt. de rebus geſtis Frãcorum, lib. 3. ad finem.*

§ Monosticha Trochaica.

Humine an ſublime quis putreſcat, ecquid intereſt?
Circumi ſepulcra, luctum ſi lenire vis gravem.
Deeſſe terra, in quâ vivamus, in quâ obeamus non poteſt.
Haud in caſſum honores ulli impenderis cadaveri.
Ipſis & gravis ſepultis arduus buſti eſt honor.
Mors manet jam nos ſecunda cùm ſepulchrum intercidit.
Ne quis inſepultus eſſet, conditur tandem a die.
Ne tumulum quidem interfectis hoſtiſſimi invident.
Non perit corpus, ſepulcro quod vorandum traditur.
Non utendo iter ſepulcro debitum haud amittitur.
Patrio poni in ſepulcro liberos æquum ac pium eſt.
Perdere memoriam haud veretur is ſepulcra qui legit.
Quidquid ortum olim eſt è terra, rurſus ad terram redit.
Quos crudelitas ſepulcro non condit, condit dies.
Relligioſa nobis non ſunt conditoria hoſtium.
Saucij curâ ac defuncti vivos maximè obliges.
Terra deeſſe forte vivis; mortuis minime poteſt.
Terra majorum ſepulcra non quavis oſtenderit.
Totus orbis pro ſepulcro fortiori ſtat viro.

§ Jambica.

A morte Rex tantem pedes quinque occupat.
Caret ſepulcro Priamus, tot regnum parens.
Cælo venit tegendus urna qui caret.
Condet dies quem projicit crudelitas.
Condi ſepulcro patrio ſolatium eſt.
Corpus profani invita vel terra occulit.
Ecce! ecce! vix totam implet urnulam Hercules.
Impenſa ne ſit funeris profuſior.
In publicum eſt humanus condens mortuum.
Inutili loco cadaver conditor.
Ne hoſtes quidem tumulum interfectis invident.
Nemo locis poteſt humari pluribus.
Nulla uſpiam eſt aliena terra mortuo.
Quavis ſepulcrum eſt terra inſignibus viris.
Sepulcra ne ſint ulla cultis in locis.
Tandemq; anilis Herculem capit ſinus.
Tandem ipſe fætor ſub ſolum abdet mortuos.
Terram inſepulto impartias cadavere.
Terram ſubire vivum, non Neronium eſt.
Tellus ſepultura una tandem eſt omnium.
Viventium cauſſâ tumulantur mortui.
Vivum ſubire terram, eheu! miſerrimum.

Sermonis.

§ Sententiæ Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Quoniam, inquit Dominus, qui habet aures ad audiendum audiat; dicens non eſſe quorumvis audire & intelligere. Iam vero David dicit: Tenebroſa aqua in nubibus aeris. A fulgore coram ipſo nubes tranſierunt, grando & carbones ignis: abditos eſſe docens ſanctos ſermones, & iis quidem qui ſunt cognitione præditi, claros & perſpicuos, tanquam grandinem innoxiam, ſignificat demitti divinitus: vulgo autem obſcuros, tanquam qui ex igne extincti ſunt carbones, quos niſi quis accenderit & ſuſcitarit, non ardebunt, neque illuminabuntur. Dominus ergo, inquit, dat mihi linguam diſciplinæ: ut ſciam in tempore; quando oporteat loqui ſermonem, non ſolum in ferendo teſtimonio, ſed etiam in interrogando & reſpondendo. Et diſciplina Domini aperit os meum. Eſt ergo ejus qui eſt cognitione præditus, ſcire uti ſermone, & quando, & quomodo, & apud quos oportet. *lib. 6. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Quod corpori cibus eſt, hoc in animo eſt ſermo. *initio orationis decimaſeptima.*

D. Nazianzenus: Quemadmodum oculi à jucundis ſpectaculis non facile recedunt, ac ſi quis per vim eos retrahat, eodem rurſus feruntur; ſic neque ſermo à rerum ſuaviſſimarum commemoratione. *Oratione vigeſima.*

D. Greg. Nyſſenus: Quemadmodum non licet mutum nominare eum qui per figuras & geſtus cum ſurdo, quatenus audire poteſt, colloquitur: ſic neque humanum ſermonem in Deo exiſtimare debemus, quoniam ad homines per diſpenſationem eo uſus eſt. Etenim nos clyogmo, id eſt ſono acutiore palati ſeu gutturis, & poppyſmo, ſono qui labiis compreſſis editur, & ſibilo brutas animantes dirigere conſuevimus. At hoc nobis ſermo non eſt quo brutorum animalium aures penetramus: ſed apud nos ipſos naturali quidem ſermone utimur; verùm apud bruta animantia congruus ſtrepitus, & qualiſcunque per geſtum ſonitus ad neceſſarium uſum ſatis fuit. *Oratione 12. contra Eunomium.*

D. Greg. Nyſſenus: Noſter ſermo per particulas pronuntiationi ſervientes profertur, arteriam, linguam, dentes, os adjuvãte ad pronunciationem aëris tractu & interiore ſpiritu. Arteria enim ab imo nobis ſuccinit cujuſdam tibiæ inſtar gutturi accommodata. Palatum verò per ſuperpoſitam inanitatem ad nares penetrantem velut lyrę hemiſphærium è ſuperiore loco vocem ſono dilatat: quin etiam genæ ſermonem adjuvant per quoſdam articulorum formationes, dum cavantur & dilatantur, ac rurſus per auguſtum propellentes ſonum ſecundum multimodas linguæ converſiones, quas facit alia atque alia ſui parte, vel dentibus, vel palato ſpiritum per eam prætereuntem quodammodo exaſperans & atterens. Confert autem aliquid labiorum miniſterium differente motionis modo variè contrectante ſonum, ac verborum formam componens. *12. contra Eunomium.*

D. Chryſoſtomus: Neceſſe eſt non ad voces ſimpliciter, ſed ad loquentis mentem ubique advertamus, exactamque dictorum diſcretionem pernoſcamus: alia enim ſunt bona, alia mala, alia media. *Homil. 13. ad Romanos.*

D. Chryſoſtomus: Non ſuſtinemus ſilentio ad vos uti, ſed continenter vos alloqui; atque orationem ad vos habere geſtimus: qui quidem amantium mos eſt. nam quod in corpore ſunt manuum complexus, hoc in animo eſt ſermonis commercium. *Homilia 13. ad Corinth. 2.*

D. Chryſoſtomus: Cum quis ſibi nullius rei bonæ conſcius, ſubmiſsè de ſe ipſo loquitur, prudens eſt non modeſtus. at qui poſt tot emeritas coronas talia loquitur, ille novit quid ſit modeſtia. *cap. 1. ad Galatas.*

D. Chryſoſtomus: Qui animi commotione occupatus dixit aliquid, hunc mox dicti pænitere ſolet. ceterum qui denuò reperit eadem, declarat ſeſe judicio locutum, ac prius animi conſilio fuiſſe decretum & comprobatum, atque ita demum voce proditum. *cap. 1. ad Galatas.*

D. Chryſoſtomus: Etenim quod ipſe ſibi ſuffragium fert, neque cum quoquam ſententiam communicat, videtur eſſe faſtus. ceterum ſi cauſam adjecerimus, ob quam hæc dicebat Apoſtolus: & applaudent & admirabuntur omnes ita locutum. Hoc igitur faciamus. Non enim oportet verba nuda expendere, alioqui multæ conſequentur abſurditates. Neque convenit ſermonem per ſe nudum examinare, ſed obſervare mentem ſcribentis. In humanis enim ſermonibus niſi hac ratione fuerimus uſi, expendentes quid ſenſerit is qui loquitur: multas inducemus ſimultates, omnia ſubvertentur. Et quid attinet loqui de verbis, quando & in factis, niſi regulam hanc ſervaverimus, omnia in ſurſum deorſum miſcebuntur?

Nam & medici secant carnem, nonnunquam & ossa frangunt: quæ frequenter eadem faciunt & latrones. Annon igitur fuerit extremæ infelicitatis, si nequeamus latronem à medico discernere? Rursum homicidæ pariter ut martyres torquentur: at non, quia patiuntur eadem tormenta, utrique eodem habentur loco, sed plurimum interest inter hos & illos. Quod ni regulam hanc servaverimus, nulla de re rectè judicare poterimus: sed ipsum etiam Heliam homicidam censebimus, cumque hoc Samuelem, & Phinees. Quin & Abraham filij interfectorem dicemus, si res nudas expendimus, non addentes quamobrem, & quo animo id fecerit. exquiramus igitur & Pauli mentem, qua hæc scripsit: consideremus quò spectarit, quem scopum sibi proposuerit, & quis in totum fuerit erga Apostolos. *cap 1. ad Galatas.*

D. Chrysostomus: Hæc verba sunt inania, quæ ad tempus habent gratiam, & minimè ostenduntur in factis & operibus. res enim ea est deceptio. *Homilia 18. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Quomodo unguentum dat gratiam ijs qui sunt ius participes; ita & sermo bonus. propterea quidam dicebat, unguẽtum effusum nomen tuum; quod eos faciebat spirare ex bono illo odore. *Homilia 14. ad Ephesios.*

Basilius Seleuc. Cujus odi vocem, cjus affecto silentium. *Oratione 18. m.*

S. Isidorus Pelusiota: Vita sine sermone magis prodesse solet, quàm sermo sine vita. Nam illa etiam tacens prodest: hic autem etiam clamans molestiam affert. At si & sermo & vita in unum occurrant, omnis philosophiæ simulachrum efficiunt. *libro 1. epistola 275.*

S. Isidorus Pelusiota: Sermonum principia vera & indubitata esse oportet. Nam cùm falsum est argumentum, fieri non potest quin conclusio quoque vacillet. *lib. 3. epist. 233.*

¶ LATINORUM.

Zeno: Sermonis usum Deus nobis, qui nos creavit, indulsit pro eo, ut cordis occulta consilia invicem nobis verbi ministerio panderemus, & pro communis in alterutrum affectione naturæ unusquisque nostrum proximo suo, velut ex arcanis quibusdam domicilij secreta depromeret. Si enim nuda tantummodo, atque intecta anima viveremus, ex ipsis tantum mentis motibus, atque intentionibus cogitationum ad alterutrum nosceremur. Verum quoniam vigor animæ velamine carnis operitur, ad indicanda, atque in publicam faciem proferenda ea, quæ in profundo cordis cogitationibus, vel sensibus commovemus, verbis, & nominibus, ac vocabulis indigemus. Cum igitur motus hic mentis nactus fuerit vicis significantiam, tunc velut vehiculo quodam sermonis, aëris iter evectus ad audientem à loquente transfertur. Et siquidem invenerit tranquillam, quietamque audientiam, sicut in portu fidissimo, in auribus auditorum sermo reconditur. Si verò, velut fluctus quidam, & saxosa vada, auditorum tumultus, & murmur docentibus refragetur, in medio aëris spatio sermo transfretans naufragabit. *de pracepto, Attende tibi.*

Chrysologus: Populis populariter est loquendum. communio cõpellanda est sermone communi. omnibus necessaria dicenda sunt more omnium. naturalis lingua chara simplicibus, doctis dulcis. docens loquatur omnibus profutura. ergo hodie imperito verbo dent periti. *Serm. 43. pr.*

Chrysologus: Subitus & brevis sermo, in modum fulguris priusquam illustret oculos jam refugit; nec dat lucem videntibus, sed pavorem. *Serm. 64. pr.*

Chrysologus: Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro; ipse tamen ignis ferri ac lapidis collisione flammantur: sic obscurum verbum, verbi ac sensus collatione resplendet. *Sermone 96. pr.*

Ennodius: Proximus est innocentiæ, qui sanctorum meretur colloquia. *lib. 3. epist. 4. m.*

Ennodius: In asserendis quibus suum non denegat honestas plena suffragium, multiplicibus non utor alloquiis: ne prolixus sermo tanquam à negaturo videatur impetrasse beneficium. *libro 4. epistola 18. p.*

Ennodius: Æger animus sicut silentia non patitur, ita processum narrationis abjurat. contestationi mœroris nec taciturnitas, nec colloquia prolixa conveniunt. arctatur pagina cui vix inter gemitus verba tribuuntur. *Libro quarto, epistola vigesima quarta. pr.*

Ennodius: Sed quid frustra gestio singulorum species laborum eius vel formas eloqui, dum quod non explicat possibilitas, præsumit effectus, datque terminum latiora opinantibus sermonis angustia. *Vita Epiphanij cap. 31. f.*

Ennodius: Liberet ire per singula, & funestorum secreta clave linguæ reserare; in meritò æstimemus oris injuriam narrare sordentia, & quod illos actione perculit, nos loquela contaminaret. *§. 1. Dictionis secunda.*

Ennodius: Assertio ingenij est, Deo obsequentibus mancipare quod loquimur. In quorum præconiis fortè angustus sermo vulget imperitiam: manifestat tamen, si abstineatur, infantiam. Quis mendicam narrationem æstimet, quam vota locupletant? Sæpe in facundiæ dotibus pauper invenitur vena prædicantis, & è diverso thesaurus cordis irradiat in egestate verborum. Qui vice Dei judicat, non desiderat picta colloquia, sed quæ infucatus commendat nitor ingenij: quia in his etiam sine amore blanditur eloquentia, in illis splendorem suum veritas nuda commendat. Sine phaleris est omne quod dictat affectio: ad unguem fabricantur illa, quæ volumus non tam speciem recti habere, quàm similitudinem. *Dictione tertia. pr.*

Io. Sarisberiensis: Qui verba rebus, & res temporis opportunitati contemperat, modestissimam totius eloquentiæ regulam tenet. Illa verò copia laudem parit, cui veritas virtuti & omnibus officiis amica, consentit. multa siquidem & fallaciter loqui, nugigeruli est, & famam omnino negligentis, & in se virorum gravium provocantis odium & contemptum. *libro septimo Policratici capite duodecimo.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Anacharsis: Ridetis meam vocem, quoniam non planè neque exquisitè Græcas litteras profert. Anacharsis apud Athenienses balbutit. Athenienses verò apud Scythas. Non vocibus homines hominibus præstant, ad promerendam laudem & gloriam, sed animis ac sententiis, quemadmodum Græci etiam Græcis. Spartiatæ, non exactè loquuntur Atticè, sed rebus gestis clari sunt & celebres. Non vituperant Scythæ sermonem, qui quid faciendum sit planum facit, neque laudant, eum, qui nihil boni disserat. Multa vos etiam administratis nihil curantes vocem, quæ non distinctè verba pronunciet. Adducitis medicos Ægyptios. Gubernatoribus utiminĩ Phœnicibus. Emitis in foro, neque plus æquo datis his, qui Græcè loquuntur, neque pigrè capitis à Barbaro, si justo precio vendant. Reges Persarum & illorum amici cum maximos animos gerant, tamen quando cum Græcorum legatis Græca voce loqui volunt, balbutiunt, quorum vos neque consilia, neque res gestas repræhenditis. Sermo autem non est malus, cùm sunt consilia bona, & rectè facta sequuntur post verba. Scythæ verò judicant pravum sermonem, cùm à pravis cogitationibus manat. Multis rebus destituemini, si Barbaris linguis succensebitis, & idcircò dicta non accipietis. Multos enim reddetis segniores, ad consulendum de vestris commodis. Cur Barbaricas texturas in precio habetis, vocem autem Barbaram non probatis? Tibicinum & cantorum voces concinnas requiritis, & poetis carmina facientibus animum attenditis, etiamsi nõ Græcis literis metra repleant, & loquentium dicta spectatis. Finis enim horum ad utilitatem refertur & cùm Barbaris obediatis, uxoribus & liberis non permittetis. Et vobis obediunt si balbutiatis. Melius est enim balbutientibus morem gerere ut sis incolumis & salvus, quàm exquisitè loquentibus Atticè obsequi, ut magnum accipias damnum & detrimentum. Imperitorum hoc est & inertium, viri Athenienses. Sapiens enim id nunquam in animum induxerit. *Epistola prima ad Athenienses.*

Phalaris Polygnoto. Ego te & donis in posterum afficere & scriptis alloqui Polygnote desinam. Tu verò laudibus etiam nos apud vulgus extollere desine. Quid enim hoc est aliud, quàm reipsa criminari, cùm quæ tibi mitto non accipis, & tamen verbis mihi laudem tribuis: neque hoc intelligis, orationem & verba rei ipsius umbram à sapientioribus existimari. *epist. 35.*

Apollonius Scriptoribus doctis. Lumen est ignis præsentia: fieri enim aliter non potest. Ignis igitur est & affectio ipsa & quo fit. Adurit enim. Lumen verò saltem oculis splendorem suum præbet, non quidem vi sed persuasione. Sermonum igitur alius etiam est ut ignis & affectio, alius ut splendor & lumen, quod cùm sit præstantius, si non optatu nimium sit, mihi contingere optarim. *Epist. 64.*

Hierocles: Voluntas humana quia nec virtuti, nec vitio semper inhæret, sermones etiam voce edit utrique inservientes; tanquam contrariis suis affectibus similes. Ideoque fit, ut veri quidem sint alij; alij autem boni; alij verò mali; alij etiam falsi. Eget autem varietas ista, judicandi peritia; ut eos amplectamur, qui sunt præstantiores; deteriores autem reijciamus: utque nec sermonum odio penitus laboremus, malos improbando; nec bonorum etiam studio quoslibet sine discrimine amplectamur. Sequitur enim sermonis aversionem ipsa etiam eius privatio, qui bonus est; & audiendi studium temerarium nefariæ orationis minùs prævisa injuria. Rectissimo igitur judicio sermonum studium colendum nobis est; ut nos audiendi quidem cupiditas, ad nullum non genus sermonum pertrahat; judicium autem eos reiiciat, qui sint deteriores. Atque ita Pythagoricum præceptum servandum; ut neque malis sermonibus commoveamur; neque ideo sine discrimine admittamus; quia sermones existunt: Neque simili ratione bonis abstineamus. Primùm enim non istos ob id amplectimur, quia sermones sunt; sed quia veri. nec illos etiam alia ratione, quàm quòd falsi, condemnamus. Ausim præterea confidenter asserere, sermonum nomine eos censeri tantùm, qui veri sunt. Soli enim naturæ rationis participis dignitatem retinent, animique fœtura sunt ad id, quod est optimum, comparati, suumque ordinem atque splendorem adepti: contra autem, qui falsi sunt, ne sermones quidem verè existunt. Cùm enim ad vitia ducant opinionisque falsitatem; à sermonis ingenuitate non ipsi tantùm defecerunt, sed sunt animi voces ratione destituti, perturbationibusque involuti, atque immersi. Neque igitur omnes, inquit, amplectere; ne & malos etiam; neque omnes reiice; ne & bonos. Utrumque enim fuerit absurdum, bonos odisse cum malis: & falsos amplecti, propter veros.

At decet quidem laudare bonos, & ubi admissi fuerint, opere præstare, & quærere ubi, & quousque veritati consentiant: adversus eos autem, qui falsi sunt decertandi vim adhibere; qualis ea fuerit, quæ à logica scientia petitur ad veritatis distinctionem. Cùm autem possumus evertere quæ falsa sunt, non violenter, non superbè id facere; sed mansuetè veritatem persequi, lenibusque reprehensionibus improbare; atque etiam, uti versus ipse loquitur, æquo animo cedere: si quid autem falsi dicatur, non ita assentiri se habere, uti dicitur; sed sine iracundia audire. Neque enim quia ei, quod falsum est, æquo animo cedendum præcipit; id nos debere amplecti significat; sed audire patienter; neque commoveri; si nonnulli, quamvis homines sint, veritate excidant inutiliter. Patet enim hominum natura variis opinionum erroribus, cùm notitias communes recta non sequitur. Nil mirum igitur, inquit versus, si qui nihil veri vel didicerit, vel excogitarit, eo arrogantiæ devenerit; sique veritati contrarias opiniones afferat: immo contrà, admiratione dignum sit, si qui neque dedicerit, neque etiam quæsierit, veritati temerè occurrat, tanquam Deo alicui in tragœdia apparenti. Decet ergo eos audire cum venia, qui mentiuntur; & periculo facto discere quantis ipsi malis simus erepti; qui generis communione iisdem perturbationibus obnoxij, scientia vindice contraria conditione potimur. *cap. 21. carm. Pythag.*

Æneas Sophista: Si bellum nos multa invicem conferre & colloqui juberet, pax autem silentium inferret, solum hoc bellum esset præstantius pace. Quid enim jucundius, quàm unà jocos ac nugas agere. Solvamus igitur aut pacem aut silentium. Ne enim amicos, ne oratores taciturnos sol aspiciat. *Epistola 21.*

Maximus Tyrius: Venit in Græcia olim è Schytia Barbarus quidam, quales terra illa habet, qui sapientiam profitetur, verbosam minime aut loquacem. sed cujus non alius finis esset, quam accurata vitæ ratio, mens sana, sermo brevis, sed acutus: planeque similis non peltatis illis qui sine ordine in exercitu discurrunt, sed cataphractæ qui & lente, & provide incedit. Athenas contra cum venisset, nullum id generis invenit, multos alterius. Quorum discursus tumultusque nullo modo probare Anacharsis poterat. Quare relicta urbe, totam statuit lustrare Græciam: ut videret, sicubi stabilem fixamque inveniret sapientiam. Quod an alibi poterit nescio, in ignobili certe parvoque oppidulo (Chenem dicebant,) virum bonum invenit: cui nomen erat Muson. Hic Muson nihil aliud noverat, quam familiam recte administrare, terram perite colere, conjugium pudice tueri, educare liberos ingenue.

Suffecit hoc Schytæ hospiti, neque sapientiam sibi verbosam quærendam putavit, cum invenisset ipsa opera: in quorum contemplatione aliquandiu defixus hæsit. Cumque jam satis perspexisset singula, dixit illi Chenensis iste Myson: Hæc sunt mi Anacharsi, quorum causa, nescio sane quam vere, sapientes nos vocant homines. Quod si his nomen sapientis mereor, non video quid non sapiens dici debeat. Utrumque vehementer miratus est Anacharsis in Græco homine, & operum abundantiam & paucitatem verborum. Sic & Pythagoræ verba plane legibus similia erant, brevia nimirum & concisa: actiones contra prolixæ ac perpetuæ: ut quæ nec noctu nec interdiu animum remitterent, aut ociosum esse finerent. Sicut autem in concentu Musico, si vel minimum prætermittis, tota solvitur cantus ratio: sic in hoc vitæ concentu (nisi plane inconcinnum esse velis, & inutilem) necesse est verbis actiones ipsas respondere. Ne forte & illæ penitus lateant, & hæc non secus quam si ex inani fundantur dolio, longe post se actiones relinquant. Sed ut utraque utrisque conveniant: utraque eiusdem mensuræ, æque plena sint utraque.

Putásne ergo eum, qui hoc delectetur concentu; qui ipsa vult audiri opera, admodum de verborum ornatu futurum anxium? Minime me hercules. Nemo enim cum pavones videt, qui ex omnibus tamen avibus intuentium maxime oblectant oculos, præcipue in iis pulchritudinem miratur, cum nihil ad volandum illis conferat: quæ sola avium vis est & robur. Rursus lusciniæ cantum singulari cum voluptate audimus: & tamen quod nos delectat, nihil illis ad conservationem sui confert. Contra clangore aquilæ ac leonis rugitu, quamvis offendantur aures nostræ; ex hoc ipso tamen de robore eorum judicamus. Quod si non minus certo aut efficaciter, quam aut aliquæ clangor, aut rugitus leonis, hominum prodit oratio: nonne operæpretium videtur, diligenter in consilium adhibere aures, ut sciamus an luscinia sit quæ loquitur, lingua nimirum imbellis, & quæ sola suavitate delectat, an verò aquila aliudve animal, masculum, spiritusque plenum?

Ajunt quendam Zopyrum fuisse, qui intuitu solo, ex interioribus corporis notis, de moribus judicaret: & ex eo quod oculi vident, quæ tamen parum certa esse solent indicia (quid enim cum anima commune habet corpus?) de tota animæ constitutione judicabat. Quod si signa sunt aliqua, neque infirma neque incerta quæ explorare possint animam, relinquendum est oculis, ut de coloribus, de figuris, prout vel delectantur iis vel offenduntur, judicent; solis vero auribus, de indole animæ est judicandum. Non ut vulgus solet: qui in oratione nihil amplius quam linguam promptam, dictionem volubilem, voces Atticas, periodos rotundas, mollem compositionem laudare solent. Quæ omnia nihil aliud sunt secundum comicum, quam

Inutiles racemuli, & loquacitas,
Hirundinum Musæa, dedecus styli.

Quid ergo in oratione laudatur, dicat aliquis? Nondum, mi homo, id ex me quære. Ipse enim videbis, cum videre poteris. Nec enim solis pulchritudinem Cimmeriis, aut maris naturam mediterraneis, aut Epicuro Dei essentiam facile est describere. Quia nunquam nuda narratione harum rerum intellectus infunditur, sed scientiam adferre secum aliquam oportet. Quare quamdiu nondum sat instructus tibi videris, falli quoq; & errare judicium tuum est necesse.

Ita cuncta quæ è terra nascuntur intuetur obiter viator: rectum de iis fert judicium agricola. Alius enim florem plantæ, alius magnitudinem, alius umbram laudat aut colorem: solus agricola ab usu eam commendat. Si ergo aliquis viatoris more, qui leviter transit, degustare obiter sermonem & laudare velit, voluptatem hanc illi libenter concedo. Sin agricola sit, laudem non admittam, nisi usum eorum quæ commendat, protenus adjungat. Responde, quos fructus aut videris in oratione aut perceperis, qui sint qualesque. Satisne eos explorasti? Satisne maturi tibi, satisne fœcundi videntur, ut alios ex iis expectare possis? Num animus tibi bonum quid fructuosumque ab iis peperit? Quam enim absurdum est, quod pyrum, ut Homerus ait, non senescat, nisi novum adveniat, nec malum nisi aliud succedat; uva uvæ succrescat, ficus ficui: sermo verò solus simul nascatur & pereat: fructusque orationis nec semen ullum habeat, nec vim nutriendi, neque interiora animæ penetret,

Sed tantum leviter supranatet, instar olivi,

Hanc mihi agriculturam expone, laudes vero tuas tibi serva. Si enim de utilitate eorum nihil dicas, virium suspicari incipio, laudatoris me miseret, laudem non agnosco. Id generis enim laudes proferre intemperantes animæ partes solent, quæ nec recte judicare possunt, & facillime decipiuntur.

Haud equidem indignum est, Phrygios fortesq; Pelasgos,
Conjuge pro tali diuturnos ferre labores.

Vides hujus laudis improbitatem, quæ mulierculam eiusque voluptatem omnibus Græcorum Trojanorumque opponit molestiis.

Ejusmodi laudatores etiam in vita nostra invenies, si orationem audiamus lascivam, cujus nec perspicere fraudem, nec jucunditatem non amare possumus. cum ab ipsis paulatim voluptatibus abripiamur, neque sentiamus tamen. Sicut illi qui vento secundo in navigatione recta non utuntur, sed sola maris tranquillitate freti, placido serenoque delapsi æquore, in desertum littus aliquod aut scopulum impingunt. Ita hic paulo post in imperitiam impingit, ac deinde à voluptate in loca omni littore desertiora, omni caute difficiliora impingit. Utrunque enim concurrit, ut & errorem suum amet, & jucunditate delectetur. Plane ut ij qui febricitant, cibis & potu, contra præscriptum medicorum sæpe se distendunt: quamvis enim malo malum morbo addunt morbum, ægrotare tamen cum voluptate malunt, quam cum labore convalescere. Et tamen peritus medicus aliquid interdum voluptatis cum remediorum miscet molestiis: solam vero illius aut maximam habere rationem, nec Asclepius nec Asclepiadæ, sed coci solent potius. Neque enim quicquam ab illis ventris lenociniis, differt suavis sed vitiosa oratio. Cui si utilitatem demas, jucunditatem addas, improbam plane atque impotentem concedes potestatem: nec aliam quam inhonestis omnibus, quæ per exteriores sensus ad animam irrepunt.

Quare commessationibus potius ejusmodi coquos relinquamus; pessimos & ventri & auribus ministros. Nos orationem altam erectamque quæramus, quæ masculam edat vocem, animosque secum nostros longe supra terram, omnesque totius terræ voluptates cupidinesque, qualis est ira, luctus, ebrietas, extollat. His omnibus superiorem esse oportet verum philosophici sermonis rhetorem: non ignavum, dissolutum, vel fucatum: neque ut artis quadam tantum se commendet specie. Ut non controversiunculis tantum in judicio & ambiguis causis operam suam addicere possit, sed ubique & quovis loco experimentum sui dare, prudens in concionibus consilium, justum in judiciis patrocinium, in publicis hominum conventibus orationem modestam, in aliis instituendis exactam adhibere queat scientiam. Non ut quædam de Themistocle, qui jam diu abiit, adferre possit, aut apud sæculi illius Athenienses loqui, aut ducem aliquem qui nusquam reperitur, commendare: multo minus in scortatores, scortator ipse, aut de contumelioso contumeliosus ipse declamet. Sed ut prius his vitiis careat, quam verus vitiorum accusator esse possit.

Talem esse oportet qui in illa sapientiæ palæstra certare velit: qui probus haberi cupiat luctator. Ut omni adulatione sermo ejus careat, ut probe prius exercitatus sit: ut violenta quadam suada proximum quemque in sententiam suam possit pertrahere. Quod si in ejusmodi suada voluptatem aliquis requiri putet aliquam: Tyrrhenicam mihi det, qualis est tubæ clangor, qui in mediis militibus adhibetur, eorumque animos concentu suo impellit, & excitat. Talem in oratione requiro voluptatem, quæ magnitudinem ejus conservet, nec opprobrium addat.

Talem requiro voluptatem, quam pedissequam suam esse non dedignetur virtus. Necesse enim est, ut omnia quæ natura pulchra sunt,

sunt, suas gratias, suam venustatem habeant; leporem suum & delectationem, & si quæ præterea sunt jucunda nomina.

Ita cœlum non modo pulchrum; sed omnium spectaculorum est jucundissimum. Sic mare navigationi idoneum, segetes fructiferæ, montes arboribus vestiti, prata florida, liquidi aquarum cursus nobis placent. Iucundissimus visu Achilles erat (quid ni enim esset?) non tamen ob flavam cæsariem, nam & Euphorbum commendabat coma: verum pulchritudinem Achillis, virtutis illustrabat splendor. Iucundissimus visu inter fluvios Nilus est, non ob aquæ copiam tamen: nam & hoc ei cum Istro commune est: verum minus fœcundus Ister est, fœcundissimus Nilus. Nec tamen Nilum esse visu jucundissimum nego: quamquam voluptatem quam virtutem potius tam divino asscribere non ausim fluvio. Ego & in Phidiæ statuis voluptatem video, artem tamen laudo. Et in Homeri carmine voluptatem video: majora tamen sunt quæ in eo admiror. Ego ne ipsum quidem Herculem sine voluptatibus vixisse puto: nec enim omnino assentiri possum Prodico. Nam & masculæ sunt voluptates, quæ virtutis molestias solari solent: non quæ in corpore sentiuntur, nec quæ in sensus influunt externos: sed quæ nobiscum nascuntur, quæ in interioribus animæ partibus exultant: quoties illa honestis sive actionibus, sive studiis, sive sermonibus assuevit. Ita & Hercules gaudebat, cum ignem adiret: ita Socrates gaudebat, cum in carcere esset, cum ex legis præscripto mortem oppeteret. Conferamus illum Socratis calcem, cum Alcibiadis. Vter eorum bibit securius? Alcibiadesne vinum, an venenum Socrates? *Dissertatione 15.* Solos sermones qui operibus respondent, esse optimos.

Basilius Imperator: Retegendis hominum moribus & ingeniis solers & consideratus esto: quosque perspexeris animo & voluntate bona esse, eos tibi adjunge: quos autem mala, aversare. Sed quidquid erit quod foras enunciare voles, apud te priùs diligentes considera, ne lingua cogitationem antevertens, præpostero ordine agere exprobretur. In cœtu enim hominum antequam aliquid dicas, in tua potestate est cogitare, si fortè post primam sententiam alia tibi melior succurrerit: ubi autem semel effutieris, non poteris honestè contradicere iis quæ antea dixeris, nisi sermones tuos omnium reprehensioni patere volueris. Dicere autem oportebit aut ea quæ planè scies, aut ea quæ temporis ratio postulabit: de reliquis omnibus silere satius erit quàm loqui. *cap. 36.*

¶ ROMANORUM.

Plinius: Reverentius fuerit integra illibataque cogitationibus vestris reservari, quam carptim breviterque perstringi: quia fere sequitur, ut illa quidem de quibus taceas tanta quanta sunt esse videantur. *cap. 25. Paneg. ad Trajanum.*

Symmachus: Natura rerum est, ut qui balbutiunt plus loquantur: affectant enim copiam pudore defectus. *lib. 1. epist. 70.*

Symmachus: Peregrinari mihi tecum videor, si quando cursus atque recursus tuos luculentus narrator insinuas. Ita cogitationes nostras religione allicis, & nitore sermonis illuminas; ut quicquid explicat affatus tuus, id noster quodammodo visat affectus. *libr. 2. epist. 86.*

Symmachus: Verbis agenda non sunt, quæ melius interpretatur affectio. *lib. 5. epist. 5. f.*

Apulejus: Superest ea pars epistolæ, quæ similiter pro me scripta, in memetipsum vertit cornua. Multa fando, Maxime, audisti, & plura legendo didicisti, non pauca experiendo comperisti: sed enim versutiam tam insidiosam, tam admirabili scelere conflatam, negabis te unquam cognovisse. Quis Palamedes, quis Sisyphus, quis denique Eurybates aut Phrynondas talem excogitasset? Omnes isti quos nominavi, & si qui præterea fuerunt dolo memorandi, si cum hac una Rufini fallacia contendantur macci prorsus & buccones videbuntur. O mirum commentum! ô subtilitas digna carcere & robore! Quis credat effici potuisse, ut quæ defensio fuerat, eadem, manentibus iisdem literis, in accusationem transverteretur. Est herculè incredibile. sed hoc credibile qui fiat, factum narrabo. Objurgatio erat matris ad filium, quod me talem virum, qualem sibi prædicasset, nunc de Rufini sententia Magum dictitaret. Verba ipsa ad hunc modum se habebant: Ἀπολέιος μάγος, &c. Hæc ipsa verba Rufinus, quæ Græcè interposuit, sola excepta, & ab ordine suo sejugata, quasi confessionem mulieris circumferens, & Pontianum per forum ductans, vulgo ostendebat. Ipsas mulieris literas illatenus, qua dixi, legendas præbebat; cetera supra & infra scripta occultabat: turpiora esse quàm ut ostenderentur, dictitabat: Satis esse confessionem mulieris de magia cognosci.

Quid quæris? verisimile omnibus visum. quæque purgandi mei gratia scripta erant, eadem mihi immanem invidiam apud imperitos concivere. Turbabat impurus hic, in medio foro bacchabundus; epistolam sæpe aperiens proquiritabat: Apulejus magis dicit ipsa quæ sentit & patitur. quid vultis amplius? Nemo erat qui pro me ferret, ac si responderet: Totam sodes epistolam cedo! sine omnia inspiciam, principio ad finem perlegam. Multa sunt, quæ sola prolata, calumniæ possint videri obnoxia. cujavis oratio insimulari potest, si ea quæ ex prioribus nexa sunt, principio sui defraudentur: si quædam ex ordine scriptorum ad libidinem supprimantur: si quæ simulationis causa dicta sunt, asseverantis pronunciatione quàm exprobrantis legantur. hæc & id genus ea, quæ meritò tunc dici potuerint, ipse ordo epistolæ ostendat. At tu Æmiliane recognosce, an & hæc mecum testato descripseris: Βουλομένῳ &c. Oro te Maxime, si literæ, ita ut partim vocales dicuntur, etiam propriam vocem usurparent; si verba, ita ut poëtæ ajunt, pinnis apta vulgò volarent; nónne cum primùm epistolam istam Rufinus mala fide excerperet, pauca legeret; multa & meliora sciens reticeret; nonne tunc ceteræ literæ sceleste se detineri proclamassent? verba suppressa de Rufini manibus foras evolassent? totum forum tumultu replessent? se quoq; à Pudentilla missas, sibi etiam quæ dicerent mandata? improbo ac nefario homini per alienas literas falsum facere tentanti ne auscultarent, sibi potius audirent: Apulejum magiæ non accusatum à Pudentilla, sed accusante Rufino absolutum? Quæ omnia, etsi tunc dicta non sunt, tamen nunc cùm magis prosunt, luce illustrius apparent. Patent artes tuæ Rufine. fraudes hiant, delectum mendacium est. veritas olim interversa, nunc se effert, & velut alto barathro calumniæ emergit. Ad literas Pudentillæ provocasti; literis vinco. *Apologia altera.*

¶ POETARUM.

D. Greg. Nazianzenus in vita sua.

Quod si loquendi cupidus es, zelo & calens,
Miserumq; ducis, ni tibi sermo fluat;
Loquare sane, sed timens, non jugiter,
Non cuncta, cunctos non apud, passim neque:
Sed quando, quantum, quo loco, quibus & decet.
Cunctis, ut audis, tempus est rebus suum. & mox:
Audire quædam, rursus at quædam loqui,
Interdum utrisq; pariter his absistere,
Æque ad bilancis instar adhibentes metum.
Auris pericli nam minus lingua parit:
Atq; aure rursus tutior multo est fuga.

Aristophanes Ranis v. 1075.

—— Omnino necesse est,
Vt ponderibus sententiarum paria sint lumina vocum;
Et alias semideos æquum est verbis grandioribus uti.
Nam & habitu utuntur quam nos, multò venerabiliori.
Quæ cùm pulcrè præmonstrassem, tu fœdasti. EV. Age quidnam
Feci? Æ. Primùm indutos panno lacero producere reges
Non erubuisti, ut hominibus illorum esset aspectus miserabilis.
EV. Quid eo nocui? Æ. nemo dives exinde triremibus impendit
sumptus.
Sed pannis obsitus ejulat, & semetipsum dicit egere.

Plautus Aululariæ 2. sc. 2. v. 53.

Quæso quod te percunctabor, ne id te pigeat proloqui.
E. Dum quidem ne quid percuncteris, quod mihi non lubeat loqui.

Plautus Epidici 3. sc. 4. v. 15.

—— Volo te verbis pauculis,
Si tibi molestum non est. P. non edepol scio
Molestum non est mihi; sed dicu quid velim.

Plautus Mercatore 3. sc. 4. v. 23.

Odiosa est oratio cùm rem agas, longinquum loqui.
Quidquid est, ad capita rerum perveni.

Plautus Milite 3. sc. 1. v. 50.

Commemini & meæ orationis justam partem persequi;
Et meam partem itidem tacere, cùm aliena oratio est.

Plautus Trinummo 2. sc. 2. v. 103.

Sed adde ad istam gratiam unum. P. quid id est autem unum? P. eloquar,
Tute ad eum adeas, tute concilies, tute poscas. P. eccere.
Nimio citius transiges. firmum omne erit quod tu egeris.
Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem quam centū mea.

Plautus Trinummo 3. sc. 2. v. 86.

Nihil ego in occulto agere soleo: meus ut animus est eloquar.
Sed mihi, &c.

Terentius Phorm. 3. sc. 3.

—— Ah dictum sapienti sat est.

Idem 4. sc. 2.

Vix dum dimidium dixeram; intellexerat.

Terentius Phorm. 4. sc. 4.

Nihil est Antipho
Quin male narrando possit depravarier.
Tu id, quod boni est, excerpis: dicis quod mali est.

¶ APOLOGORUM.

Phædrus Fab. 71.

Vtilius homini nil est quam rectè loqui.
Probanda cunctis est quidem sententia.
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.

Satyrus & Viator. *Avienus.*

Horrida congestis quum staret bruma pruinis,
Cunctaq; durato stringeret arva gelu.
Hæsit in adversa nimborum mole viator,
Perdita nam prohibet semita ferre gradum.

Hunc nemorum custos fertur miseratus in antro
Exceptum Satyrus continuisse suo.
Quem simul aspiciens rursus miratur alumnus
Vimq; homini tantam protinus esse pavet.
Nam gelidos artus vita ut revocaret in usum,
Adflatas calido solverat ore manus.
Sed quum depulso cœpisset frigore latus
Hospitis eximia sedulitate frui,
Namque illi agrestem cupiens ostendere vitam,
Sylvarum referens optima quaq; dabat.
Obtulit & calido plenum cratera Lyao,
Laxet ut infusus frigida membra tepor.
Ille ubi ferventem labris contingere testam
Horruit, algenti rursus ab ore tulit.
Obstupuit duplici monstro perterritus hospes,
Et pulsum sylvis longius ire jubet.
Nolo, ait, ut nostris unquam successerit antris
Tam diversa duo qui simul ore ferat.
Qui bene colloquitur coram, sed postea prave,
Hic erit invisus: bina quod ore gerat.

¶ Emblematum.

Batillius CLXXXI.

(Cor catenulâ suspensum ex gutture propendens in pectus.

Viri probi sermo.

Ista sibi hoc tempus poscit spectacula, quæ nos
Nuda uti vocis simplicitate monent,
Nudatas mentes aperire, & condita veri
Pectoris, ac nudo corde, ut & ore, loqui.

Batillius CLXXXIII.

Rem omnem sermo conficit.

Qui manibus truncus, cui brachia nulla, quid ille
Dignum isto prastet nomine Mercurij?
Nil opus his illi, Rem sermo conficit omnem,
Sufficit has vires lingua diserta sibi.

Camerarius LXXI. Centur. 3.
Taciturnior. *Turdus.*

O decus eximium mentis sapientis, & apto
Nosse tacere suo, & tempore nosse loqui.

Catsius Emblemate ethico XX.

Silendo stolidus sapienti par est.

Hac dum clausa fuit sub pyxide, mira latere
Regalesq; tegi quæque putavit opes:
Mox ut aperta fuit, spectacula ludicra vulgo
Prabet, & è capsa parva volavit avis.
Dum siluit tibi lingua, virum te Basse, putavi:
Testatur puerum te sine mente sonus.
Qui loquitur, populo se prabuit ille videndum:
Vel fatuus, pressio dum silet ore, sapit.

¶ Monosticha Trochaica.

Callidus prius dimidium quàm eloquare intelligit.
Clave sermonis reserantur clausi arcana pectoris.
Difficillimum est æquare dicendo excellentia.
Heu, quàm multa Sapiens verbis exprimit paucissimis!
In sermone urbanus esto, moribusq; affabilis.
Longè herclè opulenti loquuntur aliter atq; ignobiles.
Loquere cum homine tanquam Dij, cum Dijs tanquam homines, audiant.
Lumen est videntium, sermo audientium est bonum.
Malim audire quæ oportet, quàm quæ non oportet dicere.
Materia quadrat sermo omni, qui nec ulli convenit.
Multa sermo expugnat, ferrum quæ aggredi non audeat.
Multa sermone impetramus vis quibus esse par nequit.
Nil boni est quin male narrando possit depravarier.
Nil opus sermone eis qui re sapientiam indicant.
Non cohæret sermo amantum. nam os eum non mens regit.
Non loquendum est, quàm ore lauto, de virtute praditis.
Ornamenta sunt sermonis otij, haud negotij.
Prompta cera fictioni est? sermo longè est promptior.
Non refert quidnam loquaris, sed magis quid sentias.
Qui loqui secum potest, sermone alterius haud eget.
Quo peritior sermo est, & ratio hoc est illustrior.
Sermo longus æstimandus rebus est, non literis.
Sermo Mensq; nos ferarum disparat bruto à pecu.
Sermo quam res non honestat ipsa, nonne fabula est?
Sermo res quidem divina: virtus at divinior.
Verba Romanorum è corde, è labro Græcis profluunt.
Vilis idem nobilisq; sermo non idem valet.
Vita factis illustranda potius quàm sermonibus.
Vita qualis est bonorum, talis est oratio.
Utere verbis ceu monetâ nummis cusis publicâ.

¶ Jambica.

Audire semper & loqui stude optima.
Ex mente stultâ sermo stultus profluit.
Ex pectore haud ex ore vocem mittito.
Fit rusticus sermo si adspires perperam.
Intincta mente verba semper proferas.
Melius loqui quàm didicerit paucis datur.
Minimum cum alijs loquare, tecum plurimum.
Multi eloqui non possunt quod intelligunt.
Nec sermo te bonus malusve terreat.
Nemo ut loquatur quod nolit potest cogi.
Nil suavius sermonis est commercio.
Obscuriori attendimus dicto magis.
Ore animi sensa proloqui ecquis haudqueat?
Prius doceri quemq; oportet, dein loqui.
Recte loquenti non manus dare, est nefas.
Sermo bonus secreta minime quæritat.
Sermo character mentis ac typus sua est.
Sermo facunda interpres est sapientia.
Sermonis est origo cogitatio.
Si fuerit hominum inopia, loquere cum Deo.
Vano nihil sermone tadiosius.
Vecordis est movere dum faris manum.
Vox est ovi una, homini voces sunt plurima.

Servitutis & Servi.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Reprehendenda multorum servorum possessio. Cum enim ipsi agere singula & ministrare nolint, ad famulos confugiunt, obsonatorum, & mensæ structorum, eorumque qui carnes in frustra artificiosè dissecant, magnam ementes multitudinem. In multas autem & varias partes eis sunt divisi mercenarij? Ac nonnulli quidem eorum laborant in iis quæ ad explen- & alij quidā gulæ ingluviē pertinēt, structores, & ciborū cōditores, dē bellariorū, alij verò liborū ac placentarū, alij pulmentorū ac sorbitionū sunt cpositores & architectl. Alij verò ponūt operā in vestibus superfluis: alij autem aurum custodiunt, ut Gryphes: alij argentum servant, & abstergunt pocula, & conviviorum apparatus præparant: alij fricant jumenta, & ab eis exercetur turba pocillatorum, formosorumque adolescentum greges tanquam pecorum, quibus emulgent pulchritudinem. Ornatores autem & ornatrices mulieribus ornandis deserviant: & hæ quidem speculis, illæ autem vittis, aliæ verò præsunt pectinibus. Eunuchi multi ijque lenones: propterea quod sit probabile eos libidini non posse operam dare, iis qui volunt vacare voluptati inservientes citra ullam suspicionem. Eunuchus autem verus est, non qui non potest, sed qui non vult dare operam voluptati. Transgressis itaque Judæis per Samuelem Prophetam Verbum protestans, petenti Regem populo non humanum pollicetur Dominum, sed quendam se insolentem daturum eis minatur Tyrannum, libidini & voluptati deditum: Qui vestras, inquit, filias accipiet in unguentarias, coquas, & panificas, ut qui belli lege eas invaserit, non autem sequatur pacificam reipublicæ administrationem.

Et qui mulierum quidem lecticas in altum tollant, & in humeris eas ferant, multi Galli sunt: lanificium autem, telæque texendæ artificium, muliebreque opus ac domus administratio & custodia, nusquam est: sed qui mulieribus falsa narrant, toto die cum eis versantur, amatorias fabulas nugaciter referentes, earumque corpus & animas falsis factis & verbis mendacibus enecantes. Non eris autem, inquit, cum multis propter vitium, nec adijcieris cum multitudine: quoniam sapientia in paucis, confusio autem & immoderatio in multis cernitur. Atque illæ quidem non propter honestatem quòd nolint aspici, qui lecticas earum portent conducunt. Rectè enim ageretur, si huic affectioni hunc afferrent prætextum: sed per summas delitias vehuntur à famulis, per pompam traduci cupientes. Aperto itaque velo eos qui ipsas respiciunt acrius intuentes, mores suos ostendunt: sæpe autem etiam intus prospiciunt, quæ est extrinsecus honestatem hac nimis lubrica & supervacanea cura probro afficientes. Ne circumspicias autem, inquit, in viis civitatis: nec erres in eius solitudinibus: est enim verè solitudo, etiamsi sit turba incontinentium, ubi non est homo pudicus.

Circumferuntur autem per templa sacrificantes, & divinantes cum præstigiatoribus & circulatoribus, & cum sceleratis vetulis, quæ domibus exitium afferunt, quotidie unà pompam sequentes, & aniles susurros ad pocula sustinentes, nonnullaque amatoria & carmina in matrimonij perniciem composita à præstigiatoribus ediscentes: & alios quidem viros habent, ab aliis possidentur: alios autem eis vates pollicentur. Illæ autem falli nesciunt, & seipsas quidem tanquam vas voluptatis, iis tradentes qui volunt explere libidinem: suam autem pudicitiam probro turpissimo permutantes, vituperandum inprimis exitium pro magno lucro ducunt. Multi autem sunt meretriciæ impudicitiæ ministri, unus hinc, alius alium-

aliunde subeuntes. Facilè enim ad libidem feruntur intemperantes sicut porci ad eam alvei partem quæ deprimitur. Vnde Scriptura constantissimè admonet: Ne introducas quemvis hominem in domum tuam: dolosi enim hominis multæ sunt insidiæ. Alibi autem: Viri justi, inquit, sint tui convivæ, & in timore Domini tua permanebit gloriatio. Abeat in malam rem fornicatio. Hoc enim: scitote, inquit Apostolus, quòd omnis fornicator, vel immundus, vel avarus, qui est cultor idolorum, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

Istæ verò effœminatorum virorum delectantur congressibus: intro autem confluunt cinædorum turbæ lingua effrænatæ, scelerati corpore, & scelerati oratione, ad ministeria impudica viriles, adulterio deservientes, impudice ridentes, & susurrantes, & fornicatorium ac cinædicum ad lasciviam sonum per nares edentes, impudicis verbis & figuris delectare conantes, & ad risum, qui est fornicationis præcursor, provocantes. Nonnunquam autem vel qualibet ira incensi, vel qui ipsi scorta sunt, vel qui etiam cinædorum turbam tanquam felix quid ac beatum in suam perniciem sectantur, naribus non secus ac ranæ plausum edunt, ut qui in naso bilem veluti habitantem habeant. Quinetiam quæ sunt ex eis paulo civiliores, aves Indicas pavonesque Medicos nutriunt, & si quod est acuto capite, & cum eo ludunt, lascivis saltationibus & portentis se oblectantes: & rident quidem cùm Thersiten audiunt: ipsæ vero Thersitas maximi precii ementes, non de conjugibus, sed de illis quæ sunt terræ pondus se jactant, & modestam quidem & continentem viduam, Melitæo catello longè præstantiorem, despiciunt, & justum senem negligunt, qui est, nisi fallor, monstro ære empto magis decorus & honestus. Puerum autem orphanum non admittunt, quæ psittacos & charadrios enutriunt: sed filios quidem domi natos exponunt, gallinarũ autẽ pullos excipiũt: & q̃ sunt expertia rationis iis q̃ rationis sunt prædita præferũt: cũ oporteret senes alere, qui temperantiam profitentur, & sunt, ut ego quidem existimo, simiis formosiores, & loqui possunt melius lusciniis, & illud in medium adducere: Fœneratur Deo qui miseretur pauperis. & hoc: Quatenus uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Eæ autem contrà intemperantiam prætulere temperantiæ, ut quæ suas facultates in lapides converterint, margaritas scilicet & smaragdos Indicos. Quinetiam in futilibus & evanidis tincturis, & in emptitiis mancipiis temerè profundunt, & pecunias abjiciunt, non secus ac gallinæ satiatæ, vitæ stercora fodientes. Paupertas autem, inquit, virum humiliat. Per paupertatem volunt dicere parsimoniam, per quam pauperes sunt ij qui sunt divites, ut qui bona non communicent. *lib 3. Pædagogi cap. 4.*

D. Nazianzenus: Satis superque grave est liberis hominibus servitute premi, tantumque inter eos, qui ex eadem terræ massa coagmentati sunt, interesse, ut alii imperent, alii imperio teneantur: alii tributa constituant, alii tributi causa describantur: alii injuriã inferre, maloque afficere impunè possint, alii, ne quid patiantur, laborent, ac precibus contendant: eaque circa unam & eandem imaginem, circa unam & eandem dignitatis præstantiam contingere, circa ejusdem vitæ hæredes, & pro quibus Christus æquè mortuus est. Satis inquam, hæc liberis hominibus molesta sunt: ne quid huic jugo ponderis addatur. *Orat. 9.*

D. Nazianzenus: Malorum servorum est, imperium rejicere, & adversus dominationem insurgere, atque id quod liberum est, in eandem secum servitutis classem redigere. *Orat 44.*

D. Greg. Nyssenus: Mali est servi mos, qui pistrini & vinculorum verberumque solùm studet vitare supplicia; liberalem autem gloriam, & honorum splendorem, ne tantillum quidem sibi vendicat. *Orat. contra differ. baptismum.*

D. Greg. Nyssenus: Quis ignorat, quod natura servus & domini necessitate occupatus, neque perturbationis metus & timoris fuerit expers? timor enim quodammodo cum natura servitutis conjunctus est & jugatus. *Orat. 9. contra Ennomium.*

Basilius Seleuc. Servitii humilitas vel generosos animos deprimat. *Orat. 8. m.*

Basilius Seleuc. Iosephus enavigatis autem invidiæ fluctibus AEgyptum occupat, & servus evadit corpore, cujus animus nulli servitudini poterat esse obnoxius. Non una cum habitu animi nobilitatem exuit, neque violentis malorum procellis libertatem dedecoravit. Neque enim pro rerum eventu alios induebat animos neque per servitii consuetudinem paullatim libertatem exuit: verùm erat vel in servitute nobilitatis Abrahamiticæ progenies. *Oratione 8. m.*

Basilius Seleuc. Gratus servus, qui vel ante operam, operæ fructum offert Domino. *Orat. 15. m.*

Basilius Seleuc. Placet sibi Deus abstrusum in despecto corpore margaritum conspicatus. *Oratione 15. m.*

D. Chrysostomus: Servitutis modi sunt plures: Alius per creationem, atque opificium: unde ait, Serviunt tibi omnia: & item illud, Servus meus Nabuchodonosor: ipsum enim opus auctori suo servum est. Alius à fide, de qua ait, Gratia autem Deo, quòd servi peccati eratis, obedivistis autem ex corde in eam doctrinæ formam in quam traditi estis: liberi autem à peccato, justitiæ servivistis. Alius à vita, ac moribus, juxta quem dictum est, Moses servus meus obiit, quanquam & Iudæi omnes servi erant, sed præcipuè Moses vita ac moribus elucescens. *Homil. 1. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Vide famuli modestum gratumq; animum: nihil suum ipsius esse vult, sed omnia domino accepta refert. *Homil. 1. ad Roman.*

Chrysostomus: Non qui bonis ministrat, sed qui ea præbet & donat, is est qui beneficio afficit. *Homil. 8. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Nolite, fieri servi hominum. Hoc dictum est non solũ servis, sed etiam liberis. Fieri enim potest: ut & cùm sit servus, nõ sit serv⁹; & cũ sit liber, sit servus. Et quomodo cũ sit servus, nõ est servus? Quando propter Deum omnia fecerit: quando non simularit neque fuerit hypocrita, nec aliquid agat ut serviat oculis hominum. hoc est hominibus servientem esse liberum. Aut quomodo rursus quispiam qui sit liber, fiat servus? Quando hominibus aliquod malum obit ministerium; aut propter ingluviem, aut propter pecuniæ cupiditatem, aut propter potentiam. Nam qui est ejusmodi, est omnibus servilior, etsi sit liber. Vtraque autem hæc considera. Servus erat Ioseph, sed non servus hominum. Quamobrem etiam in servitute erat omnibus hominibus liberior. dominæ quidem certe non cessit in iis, quæ volebat quæ ipsum possidebat. Rursus illa erat libera, & omnibus erat vilior; ut quæ servo assentaretur, & eum rogaret & provocaret. Sed non persuasit libero, ut faceret quod voluit.

Non erat ergo res illa servitus, sed summa libertas. Quid enim illi ad virtutem impedimento fuit servitus? Audiant servi & liberi. Quis serviit; isne qui rogabatur, an quæ rogabat, quæ supplicabat, an qui supplicantem despiciebat? Etenim sunt servorum termini à Deo constituti, & quousque eos servare oporteat, est lege constitutum, nec eos licet transgredi. Quando enim dominus nihil imperat eorum quæ Deo non placent, sequi oportet & parere: ultra autem nequaquam. Sic enim servus fit liber. Sin autem ulteriùs procedas, etiam si sis liber, servus efficeris. Hoc quidem certè tacitè significat dicens, Nolite fieri servi hominum. Si autem non ita est; sed jussit dominos relinquere & contendere ut fiant liberi: quomodo monebat dicens, Vnusquisque in eo maneat in quo vocatus est? & alibi; Quicunque sunt sub jugo servi, suos dominos omni honore dignos censeant, & non despiciant qui fideles habent dominos, quoniam fratres sunt qui beneficium consequuntur. Ad Ephesios quoque scribens & Colossenses, eadem præcipit & statuit. Vnde est perspicuum quòd non hanc tollit servitutem; sed eam quæ est à vitio, in qua sunt etiam liberi: quæ quidem est gravissima, etiam si quispiam cùm sit liber ei serviat. Quid enim profuit Ioseph fratribus cùm essent liberi? An non erant omnibus servis serviliores; ut qui & apud patrem mentirentur, & mercatoribus & fratri dicerent quæ non erant? Sed non talis erat liber, sed ubique & verus in omnibus: neque quidquam potuit eum redigere in servitutem; non vincula, non servitus, non amor dominæ, non quòd esset in aliena regione: sed ubique & semper mansit liber. hoc enim est maximè libertas, quando ea resplendet etiam in servitute.

Talis res Christianismus, qui etiam in servitute donat libertatẽ & quomodo corpus quod est natura facilè vulnerabile, tunc ostẽditur invulnerabile, quando accepto telo nihil grave passum fuerit: ita etiam exactè ac perfectè ostenditur liber: quando etiam habens dominos, non fuerit redactus in servitutem. Propterea jubet eum permanere servum. Si autem fieri non potest, ut cùm sit servus, sit Christianus qualem esse oportet; accusant Græci pietatem magnæ imbecillitatis. Si autem didicerint quòd pietatem nihil lædit servitus, admirabuntur prædicationem. Si enim mors non lædit, neque flagella, neque vincula: multò magis servitus, ignis, & ferrum, & tyrannides innumerabiles, & morbi, & egestates, & feræ non læserint fideles, sed fecerint potentiores. Et quomodo poterit lædere servitus? Non ipsa, ô dilecte, servitus lædit, sed quæ est natura servitus peccati. & si non sis ea servitute servus, confide & lætare: nullus te poterit injuria afficere; ut qui mores habeas, qui non possunt redigi in servitutem. Sin autem ea fueris servus, etiam si sis millies liber, nihil tibi proderit libertas. Quid enim quæso tibi prodest; quando homini quidem non servias, te autem inclines & subjicias animi perturbationibus. Nam sciunt quidem homines sæpe parcere: illi autem domini nunquam satiantur tuo interitu. Servis homini? Sed dominus quoque tibi servit; alimentum tibi procurans, curam gerens tuæ sanitatis, & indumentorum, & de aliis omnibus tibi solicitus: & tu non adeò metuis, ne tu dominum offendas; ut ille metuit, ne necessarium aliquid tibi deficiat. At ille accumbit, tu verò stas? Ecquid hoc? Neque enim hoc apud eum solùm, sed etiam apud te est. Sæpe quidem certè te cubante & dormiente suaviter, ille non solùm stat, sed etiam vim & violentiam sustinet innumerabilem in foro, & te vigilat molestiùs. Quid verò tale passus est Ioseph à domina, quale illa à cupiditate & libidine? Nam Ioseph quidem non fecit, quæ illa voluit jubere. Illa autem fecit omnia, quæ jussit eius domina, nempè libido & intemperantia: neque priùs destitit, quàm eam probro affecit ac dedecore. Quisnam hæc jubet dominus? quisnam crudelis tyrannus? Roga, inquit servum: adulare ei, quem tua emisti pecunia: supplica captivo: & si respuerit, rursus insta: & si sæpiùs dixeris, & non sustinuerit, observa solitudinem, & vim affer, & te præbe ridiculam. Quid ignominiosius: quid est autem his verbis turpius? Si autem ne sic quidem quidquam effeceris; etiam calumniare, & decipe conjugem.

Vide quàm illiberalia, & quàm turpia ſint juſſa, quàm immitia, quàm ſæva, quàm inſana? Quia tale jubet dominus, qualia ſunt quæ mulieri reginæ juſſit libido & impudicitia? Neq; tamen auſa eſt non obedire. Ioſeph autem nihil re, cui multa imperavit ſæva domina, & non auſus eſt non obedire? Cogita quàm multa Caino imperarit invidentia. Illa imperavit ut fratrem interficeret, Deo mentiretur, patrem deciperet ut pudorem exueret. Is verò fecit omnia, & in nullo non obediit. Et quid mirum, ſi hæc domina tantam vim habet in uno? Integros populos ſæpè perdidit. Iudæos quidem certè mulieres Madianitarum vinctos propè captivos acceperunt, cum eos omnes ſubegiſſent pulcræ ſuæ formæ deſiderio. Hanc itaque ſervitutem ejiciens Paulus dicebat, Nolite eſſe ſervi hominum: hoc eſt; Nolite obedire hominibus iniqua & abſurda imperantibus, ſed nec vobis quidem ipſis. *Homilia 19. ad Corinthios 1.*

D. Chryſoſtomus: Quomodo in veſtibus & in menſa ſolus uſus eſt attendendus, ita etiam in miniſtris. Quis eſt ergo uſus? Nullus penitùs. uno enim famulo unum dominum ſolùm uti oporteret, vel potiùs duos & tres dominos uno famulo. Si autem hoc eſt grave: cogita eos qui nullum habēt, faciliori autem & expeditiori fruuntur miniſterio. Deus enim fecit eos qui ſufficerent ſuo, imò vero & proximi miniſterio. Si autem non credis, audi Paulum dicentē; Neceſſitatibus meis, & iis qui mecum ſunt, miniſtrarunt hæ manus. Deinde totius quidem orbis doctor, & dignus cælis, non erubeſcebat miniſtrare innumerabilibus. Tu autem turpe eſſe ducis, ſi non circumferas multos greges mancipiorum; neſciens quidem hoc eſſe, quod te maximo afficit dedecore. Propterea enim dedit nobis Deus & manus & pedes, ne opus haberemus famulis. Neque enim propterea quod eſſet opus, introductum fuit genus famulorum; nam alioqui cum Adamo creatus fuiſſet famulus: ſed eſt pœna peccati, & mulcta inobedientiæ. Chriſtus autem cùm adveniſſet hoc quoque ſolvit.

Nam in Chriſto Ieſu non eſt ſervus, neque liber. Quamobrem non eſt neceſſe habere ſervum: ſi autem neceſſe eſt; unum, aut plurimùm duos. Quid ſibi volunt examina miniſtrorum? Nam ſicut qui vendunt oves, & qui corpora cauponantur; ita in balneo, ita in foro procedunt & obeunt divites. Sed ſummo jure non ago: ſit tibi etiam ſecundus miniſter. Si autem multos congregas; non hoc facis benignitatis & humanitatis cauſa, ſed tuis ſerviens deliciis. Nam ſi hoc facis eorum curam gerens, in tuo miniſterio neminem occupes: ſed cum emeris & artes docueris, ut ſibi ſufficiant ad victum parandum, eos manumitte. Cùm autem flagris cædas, cùm in vincula conjicias: non eſt utique opus humanitatis. Quid enim ſibi vult in foro ſuperbè incedere? Num enim inter feras ambulas, quòd obvios expellis? Ne timeas: nullus te mordet eorum qui accedunt, & prope te ingrediuntur. At injuriam exiſtimas ſimul ingredi cum omnibus.

Et quàm eſt hoc inſanum, quàm prodigioſum; equum quidem propè ſequentem non exiſtimare afferre injuriam; hominem autem, niſi multis abigatur ſtadiis, putare dedecore afficere? Quid verò & famulos habes lictores; liberis utens tanquam ſervis, imò verò ipſe quovis ſervo vivens ignominioſius? Eſt enim quovis ſervo vilior & ignominioſior, qui tantum circumfert faſtum. Propterea nec veram videbunt libertatem, qui ſe manciparunt huic gravi animi perturbationi. Si enim vis expellere, ſuperbeque & magnificè incedere: non accedentes, ſed faſtum expelle; non per famulum, ſed per teipſum; hoc flagello, ſed ſpirituali. Nam nunc quidem famulus tuus expellit eos, qui tecum incedunt; te autem ab alto arrogantia turpiùs, quàm famulus proximi. Si autem ab equo deſcendens, eam abegeris per humilitatem: altius ſedebis, & in majori honore teipſum conſtitues; ad hoc non opus habens famulo.

Quando enim effectus modeſtus humi incedes: ſedebis in curru humilitatis; qui te in cælum ſuſtollit, qui equos habet alatos. Sin autem ab illo cecideris, & in arrogantiæ currū tranſieris: nihilò meliùs afficieris, quàm ſerpentes humi repentes; imò verò multò miſeriùs & miſerabiliùs. Nam illos quidem ſic reptare cogit mutilatio corporis, te autem morbus arrogantia. Omnis enim qui ſe extollit, inquit, humiliabitur. Ne ergo humiliemur, ſed extollamur: veniamus ad illam altitudinem. Sic enim inveniemus in noſtris animis quietem. *fine. Hom. 40. ad Corinth. 1.*

Chryſoſtomus: Si famulus quidem coram nobis, qui ſumus conſervi, alterum verberet aut contumelia afficiat, etiamſi hoc juſtè faciat, ſtatim increpamus: tu autem ſtans apud thronum regis, contumelia fratrem afficis? *Homil. 14 ad Epheſios.*

D. Chryſoſtomus. Subjecti, inquit, invicem in timore Dei. Si enim propter magiſtratum ſubjiceris, aut propter pecunias, aut propter pudorem, multò magis propter Dei metum. Sit ſervitutis & ſubjectionis mutua remuneratio. Sic enim non erit ſervitus. Non ſedeat quidem ille in ordine & loco liberi, hic verò in loco ſervi. Sed melius eſt ut & domini & ſervi alter alteri ſerviant. Multò melius eſt ſic eſſe ſervum, quàm aliter liberum. Idque inde eſt evidens. Sit quiſpiam habens centum famulos, & eis nihil miniſtret. Sin aliqui alii centum amici inter ſe invicem ſervientes. Quinam meliùs vivent? quínam cum majori voluptate, & majori lætitia? Non eſt illic ira, neque indignatio, neque excandeſcentia, neque aliquid aliud ejuſmodi: illic autem eſt timor & metus. & illic quidem neceſſitatis, heic autem ſunt omnia inſtituti & liberi arbitrii. & illic quidem cogentes & vim afferentes; heic autem habentes gratiam, alter alteri ſerviunt. Sic vult Deus. Propterea lavit pedes diſcipulorum.

Imò verò ſi velis rem accuratè examinare, etiam in dominis eſt ſervitutis mutua remuneratio. Quid enim ſi faſtus non ſinit ut appareat remuneratio? Quando enim hic quidem exhibet corporale miniſterium: tu autem corpus nutris, & curas alimentis, & indumentis, & calceis: huic quoque exhibetur ſervitus. Nam niſi tu illi tuum exhibeas miniſterium: nec ille ſuum: & erit liber, nec ulla lex eum coget hoc facere niſi alatur. Si ergo hoc etiam fit in ſervis, quid abſurdum ſi hoc etiam fiat in liberis? Subjecti, inquit, in timore Chriſti. Quanta eſt gratia, quòd etiam habeamus mercedem! At non vult tibi ſubjici, ſed tu ſubjicere. Non ſolùm obedias, ſed etiam ſubjiciaris. Ita ſis affectus, tanquam adverſus omnes dominos. Ita enim citò habebis ſervos in ſervitutem redactos maximè tyrannica ſervitutis potentia. Magis enim eos capies & expugnabis, quando nihil ab eis ex iis quæ ſunt eorum aſſequens, ipſe quæ tua ſunt eis præbebis. Hoc eſt illud, Subjecti invicem in timore Chriſti: ut vincamus omnes animi perturbationes & vitia, ut Deo ſerviamus, ut charitatem inter nos conſervemus. *fine Homilia 19. ad Epheſ.*

D. Chryſoſtomus: Non ſolum maritus, neque uxor, neque filii, ſed ſervorum quoque virtus confert ad domum conſtituendam & adminiſtrandam. *Homil. 22. ad Epheſ. initio.*

D. Chryſoſtomus: Quomodo qui beneficio afficiuntur, quando non referunt gratiam benefactoribus, eis Deum faciunt debitorem; ita etiam domini, ſi à te beneficio affecti gratiam non referant tibi, magis referunt, conſtituentes tibi debitorem Deum. *Homil. 22. ad Epheſ.*

D. Chryſoſtomus: Avaritia peperit ſervitutem, ſordidus & illiberalis quæſtus & inſatiabilitas. nam Noe non habuit ſervum, Neque Abel neque Seth, nec ij qui fuerunt poſtea. peccatum eam rem peperit, contumelia in parentes. Audiant filii ſe eſſe dignos qui fiant ſervi quando in parentes fuerint ingrati, qui eſt ejuſmodi, ſibi abſtulit nobilitatem generis. nam qui patrem contumelia afficit, non eſt amplius filius; deſcendit à generis nobilitate, naturam afficit contumelia. deinde & bella & prælia ceperunt captivos. At Abraham habuit ſervos, ſed non uſus eſt ut ſervus. *Homilia 22. ad Epheſios.*

Chryſoſtomus: Ne cum ſervis quidem miſceant pii, ſed ſibi caveant. ſunt enim mala innumerabilia liberis hominibus, quando ſervos corruptos eis præfecerimus. Si enim patris fruentes tanta & benevolentia & philoſophia vix ſunt ſalvi: quando eos tradiderimus minime parcenti ſervorum inhumanitati, eis utuntur tanquā inimicis exiſtimantes mitius & clementius eſſe eorum dominum, ſi eos effecerint ſtultos & improbos, & nihili faciendos. *Homilia 9. ad Coloſſ.*

Chryſoſtomus: Servi obedite dominis in ſimplicitate cordis, timentes Deum. nam illud quidem non eſt ſimplicitas, ſed hypocriſis & ſimulatio: aliud in animo habere, & aliud facere: alium quidem videri præſente domino, alium vero abſente. Non dixit ergo ſolummodo, In ſimplicitate cordis, ſed, Timentes Deum. Hoc enim eſt timere Deum, quando nemine vidente nihil mali facimus. Sin autem facimus, non Deum, ſed homines timemus. Vide quomodo illos componit. Quodcumque facitis, inquit, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus. Non ſolum ab hypocriſi, ſed etiam ab otio & deſidia eos vult liberari. Eos liberos fecit pro ſervis, quum non opus habeant ut adſint, & eos urgeant Domini. Hoc enim eſt illud, Ex amico, cum benevolentia, non cum ſervili neceſſitate, ſed libere & ex animi inſtituto. *Homilia 10. ad Coloſſ.*

Chryſoſtomus: In domo patrisfamilias, diſpenſator illi non modò gratias agit, quod ſibi crediderit ſubſtantiam ſuam; verùm & quod ulli hoc impoſuerit ſignum, aliiſque fideliorem arbitratus ſit. *Homil 3. ad Timoth. 1.*

Chryſoſtomus: Scio multas domos multum lucrifeciſſe ex virtute ſervorum. Si autem ſervus qui eſt in poteſtate, poteſt dominum corrigere, multò magis dominus ſervos. *Homilia 5. ad Theſſal. 2.*

D. Io. Chryſoſtomus: Cernimus in majore domo, ut illi famuli gratiam adipiſcantur, qui non ea quæ ſibi, ſed quæ dominis placēt, tota animi alacritate ſectantur: neque dura imperii neceſſitate, ſed libera ingenuitate, atque affectione præcipua in domo, omnia ritè diſponunt. Cùm ſemper alacres advolant, cùm ſemper adſunt illorum obtutibus, cùm verſantur domi, cùm nihil proprium quærunt, cùm dominorum commoda propria deputant. Qui enim ſua omnia domini ſui eſſe conſtituit, non ſua illius, ſed illius planè omnia ſui juris effecit, & æquè ut dominus illius omnium potitur, atque illius omnibus imperat. ſervorum etiam plurimi hunc maximè timent: quodque ille dixerit ab eo non iſte diſſentit, omneſque jam inimici in metu conſiſtunt. *2. ad Tim. homilia 10.*

Idem: Quò fuerit potentior famulus eo majori admirationi dominus eſt. *ibid.*

Chryſoſtomus. Majora longè à domino ſervis inferuntur, quàm à ſervis domino, illi nempe ſunt qui aurum impendunt & pro rebus ad victum neceſſariis comparandis, & pro indumentis, & ceteris

ceteris

teris omnibus: ut majorem illis servitutem servis praestare dubium non sit. *Homil.16.ad Timoth.1.*

D.Io.Chrysostomus: Vult quispiam ministros habere quam plurimos nec patitur eos vel necessarium habere victum, quasi per id ipsius opes imminuantur. num quaeso lapideos vis esse homines? *2.ad Timoth.hom.7.*

D.Chrysostomus: Si spiritualium rerum nobis cura fuerit, praesentis vitae necessaria tribuentur. certò servum adeo benevolum atque obsequetem modestumque, non modò suscipiet dominus Deus, coronisque donabit & praemiis sempiternis: verùm ipse quoque herus, etiamsi bellua fuerit, etiamsi lapideus, immanis atque atrox, laudabit & admirabitur; ac ceteris omnibus in honore praeferet & praeficiet reliquis, etiamsi ipse gentilis fuerit. *Homil.4.Epist.ad Titum.*

D.Chrysostomus: Si servis imperat obedire Apostolus dominis, intuemini quo nos animo in dominū nostrū esse convenit, qui nos de nihilo ut essemus effecit, qui nutrit, qui vestit. Et si ergo non aliter saltem ut famuli nobis nostri, ita illi serviamus. Nonne vitam illi omnem in hoc exponunt, ut nobis requiem parent: hoc illis opus est, istud studium ut domino curent. Nonne illi, quae domini sunt, tota die curant, sua vero diei vix exigua parte? Contra vero nos, nostra quidem semper: quae vero sunt domini, neque minima curamus temporis parte, istudque quum ille obsequiis non egeat nostris, sicuti domini famulorum sed haec omnia nostris commodis cedant. Illic enim ministerium famuli domino nihil, servo autem plurimum confert. Bonorum enim, inquit, meorum non eges. Dic enim, quaeso, si justus sum, Deus quid inde lucratur? quid perdit, si fuero injustus? Nonne immortalis illa natura est? nonne inviolabilis, & omni superior labe? Servi nihil habent proprium, sed omnia Domini sunt, quantumlibet illi divites fiant: nos plurima habemus propria. Neque absque ratione à rege omnium tantum honoris accepimus. Quis unquam dominus pro servo filium tradidit suum? nullus certe, sed omnes pro filiis servos dare eligent.

Contra, hic filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, pro omnibus inimicis odientibus se. Servi, si gravia illis quaedam imperentur, ne sic quidem indignantur, maxime si grati illi sint: nos autem graviter plurima ferimus. Servis dominus nihil tale promittit quale nobis Deus, sed quid? Libertatem praesentem, omni saepe servitute duriorem. Saepe enim ubi fames invaluit, libertas haec omni servitute acerbior fuit, idque pro summo munere habetur. Apud Deum vero mortale nihil, nihil corruptibile est: sed quid? Non vos, inquit, dicam servos, vos amici mei estis. Erubescamus dilectissimi, atque timeamus, si ut nobis famuli serviunt, ita nos Domino servire studeamus, imo nos minimam quidem partem servitutis ostendimus. Illi philosophantur necessitate coacti, victum solum ac vestitum habent: nos inter ipsas quoque delicias injuriosi sumus. Certe, si nulla alia ex parte, vel ab illis philosophiae normam capiamus. Quippe novit scriptura, non modo ad servos, verum ad mutas animantes homines mittere: puta quum apes nobis, formicasque proponit imitandas: ego vel servos admoneo imitari: quae illi ob nostri metum faciunt, ea nos timore Dei faciamus: non enim vos facere ita comperimus. Illi ob metum nostrum contumeliis afficiuntur innumeris, philosophosque omnes silentio superant. Iuste & injuste anguntur injuriis, & non contradicunt, sed deprecantur, & quidem quum nihil saepe deliquerint.

Nihil plus accipiunt, quam necessarium victum, plerumque etiam minus, contentique sunt thoro servili dormientes, & pane solo vescentes, vitamque reliquam summa cum vilitate ducentes: nō criminantur illi, neque indigne ferunt ob metum nostri: pecunias, si eis credantur, integras reddunt: neque vero tu mihi servos nequā velim adducas in medium, sed eos, qui non valde sunt mali. Si intendemus minas, protinus contrahuntur. Ergo non ista philosophiae plena sunt? Neque tu quod necessitate ista faciunt, dicas, & tibi non incumbit gehennae necessitas, & ne sic quidem resipiscis, neque tantum honorem Deo tribuis, quantum à servis propriis accipis. Habet quilibet servus constitutum habitaculum, nec proximi intrat domicilium, neque majoris substantiae appetitu corrūpitur. Et ista videas à servis dominorum timore servari: raroque videre est servum, quae sunt socii, rapere vel demoliri. Apud homines liberos contraria his penitus fieri cernas, mordemus invicem atq; devoramus, non timemus Dominum, quae conservorum sunt rapimus atque furamur, percutimus vidente ipso: hoc non faceret servus, sed sive caedat, non vidente domino, sive convicietur, non audiente ipso id facit. Nos vero Deo audiente cuncta & cernente ista praesumimus: Domini timor ante illorum semper versatur oculos, Dei ante nostros oculos nunquam. Idcirco permixta sunt omnia, cuncta confusa atque corrupta: & ipsi quidem peccata nostra neque cogitare volumus: quum vero servi nostri delinquunt, diligenter omnia & parva disquirimus. Ista dicimus, non ut supinos servos faciamus, sed ut supinum animae nostrae convertamus, negligentiamque excitemus, ut vel ita Deo serviamus, sicuti famuli nobis: ita creatori nostro sicuti consubstantiales servi nobis, qui nihil hujusmodi à nobis habent, natura & ipsi sunt liberi. Dominentur piscibus, etiam illius dictum est: non est ita naturalis servitus, & tamen ingenti nos honore prosequuntur. Nos vero in eis quidem ministerij nostri gratia semper imminemus, Deo autem neque minima parte ministramus, idque quum ejus operis in nobis redundet utilitas. Quanto enim majore studio Deo servierimus, tanto magis nobis ipsis emolumenta conquirimus, majoraque lucra capiemus. Non ergo nos ipsos tanta utilitate privemus: Deus enim sibi ipsi sufficit, nulliusque egens est remuneratio vero, & lucrum redit ad nos: *Homilia 16.ad Timoth.1.*

Io. Chrysostomus: Vbique terrarum servorum genus impudens fermè esse, formatuque difficile, lascivum, lubricum, parumque idoneum ad virtutis doctrinam capessendam. Non id quidem naturae causa, absit, verùm propter conversationis, vitaeque negligētiam. Solent enim hujusmodi in his quae mores tangunt à dominis negligi. Nihil enim fermè aliud curant hi, in quorum potestate sunt, quam ministerium suum. Quòd si mores illorum aliquando componere studeant, & hoc sui gratia tantum faciunt, ne istis negotia praebeant, molestique sint, si fornicationi, furto, aut ebrietati deserviant: quum itaque sic negligantur, neminemque habeant, cui componendi illos ac formandi studium sit, meritò ad ipsa nequitiae praerupta atque praecipitia devolvuntur. Si enim ubi pater instat, & mater, & paedagogus, ac nutricius, & magister, & aequales, ipsaque libertatis opinio, & alia plurima, perdifficilè quispiam malorum contubernia, consortiaque devitat, quid putas his omnibus destitutos, qui quotidie scelestis commiscentur hominibus, & quibus volunt licenter congrediuntur, quum sit nemo qui ipsorū amicitias societatesque disquirat? Quid, inquam, arbitraris hujusmodi homines fore? Nonne ad supremos scelerum vertices evasuros? Idcirco profectò difficile est servum fieri bonum. Praeterea neque doctrinae adminiculo perfruuntur, neque externa, neque nostra erudiuntur sapientia. Non cum viris liberis educantur, & honestate praestantibus & quibus opinionis suae ac gloriae magna sit cura. *Hom.4.Epist.ad Titum.*

D.Chrysostomus: Si quis servum nactus, qui in multis offenderit, illum non flagris ceciderit, verùm peccatis indultis, futura vitare monuerit, atque cavere in posterum ne in eadem incidat, magnis quoque muneribus praeterea illustraverit ac beneficijs foverit: quaenam obsecro futura est tam perfida mens, tam ingrata anima, quae hujusmodi gratia, non meliora sectanda provocari sufficeret? *Homilia 5.Epist.ad Titum.*

D.Chrysostomus: Si quis amicorum servis commendaverit aliquos; illi amicitiam reveriti domini, ipsos non modò non laedunt, sed maximo honore prosequuntur. *Homilia 6.Epistola ad Titum.*

D.Chrysostomus: Si servus virtute clarus est, ideo in primis oportet illum in servitute durare, dominatumque recognoscere; ut omnibus qui sunt in domo commodo & utilitati esse possit. Quid enim lucernam de candelabro sub modium redigis? *Praefatione in Epist.ad Philemonem*

D.Io.Chrysostomus: Est & hoc ad gloriam Domini, si servos habeat gratos, & illum sic diligāt servi: quod item quae illorum sunt, sui juris efficiat; idque coram omnibus nō erubescat confiteri. *Homil.2.Epist.ad Philem.*

D.Io.Chrysostomus: Nostis dominorum adversus fugitivos servos indignationem, & maximè si rei familiari expilata diffugerint: quamlibet illi mites fuerint, ex accepto detrimento ira succrescit.

Et paullo post: Tunc maximè domini indignari solent, cùm sibi pro absentibus preces porriguntur. *Homilia 2. Epist. ad Philemonem.*

D.Io.Chrysostomus: Quando febris invaserit, etiam servi imperium obtinent in dominos. Nam quando illa quidem urget animam conturbans, adest autem agmen mancipiorum, nullus legem agnoscit dominicam, in domini ipsius damnum. *Homil. 23.Epist. ad Hebraeos.*

D.Io.Chrysostomus: In ijs qui sunt in magnis aedibus, quando aliqui ex ijs qui praesunt familiae, sunt in magna existimatione, & omnia administrant, & apud dominos magnam habent fiduciam, ex ipsis vocatur Dominus; & multos inveneris sic appellari. *Homil.24.Epist.ad Hebraeos.*

S.Isidorus Pelusiota: Servis, tanquam nobis ipsis, utendum est. Homines enim illi nostri instar sunt. Anticipata quippe opinio, aut belli fortuna, aut armorum vis, eos in aliorum possessionem redegit. At revera omnes unum atque idem sumus, sive naturam, sive fidem, sive futurum judicium spectemus. *lib.1.Epist.471.*

S.Isidorus Pelusiota: Cùm mores integritatis testimonium famulo exhibent, servi reprehensio in ejusmodi homine non est. Verùm etsi violenta fortuna eum in servitutem redegit, at generosa voluntas animique sententia in libertatem asseruit. At ne tu hęc pro cavillis & captionibus ducas, arcanorum auditorem Paulum habes, futuram mercedem, pro praestita hic dominis benevolentia, servis pollicentem, neque inter servos & heros, cum animi sententia reprehensionis expers est, discrimen ullum constituentem. *lib.1.Epist.306.*

S.Isidorus Pelusiota: Ingenuae animae notae sunt, à dolo abhorrere, suauem, humanum, fortem, justum, pudicum ac temperantem esse, indulgenter se ad inferiores demittere, lenitati & beneficentiae studere, judicio non gratia & favore superare ac decernere, aliaque his affinia. Servilis contrà, contrariis affectibus subjectum

esse,

esse, probamque omnem cogitationem ex se ipso propellere atq; ablegare. *lib.3. Epist.151.*

Synesius: Servus quidam meus aufugit, non ex paternis meis, aut qui alia ratione unà mecum nutriti sunt: (Ij enim liberalem educationem nacti, ac prope æquali mecum honore habiti, tanquam ex electione imperantem amant potius, quàm velut ex lege dominum reformidant:) sed Philoromus, hoc enim fugitivo nomen est, consobrinæ meæ, Amelij filiæ servus, qui meus quidem propter illam factus est; sed cùm dissolutè, ac citra disciplinam esset educatus, philosopho dignum atque Laconicum regimen non tulit, Et nunc Alexandrinum pro me dominum nactus, cum eo AEgyptum peragrat. Harpocratio quidam est Heracliani satellitum, ex eorum ordine qui Adjutores adjuvant: vox enim Subadjuva id significare creditur, Apud hunc Philoromus est. Ego verò, quòd ad me attinet, valere illum juberem. Qui enim convenit deteriorem nihil opus habere melioribus, meliores verò sibi deterioribus opus esse confiteri? sed infelicis illius hera nondum omnino adduci potest ut philosophetur, ita ut eos aspernetur qui de se nihil sint solliciti: summoque à me opere contendit, ut aliquos mitterem, qui illum à fuga retraherent. Quàm quidem provinciam in se recepit contubernalis meus Aithales, quem ego, & duce Deo fretus dimisi, & humanum ei à te subsidium pollicitus. Tantùm igitur hæ tibi in manus literæ dentur: cætera, postquam argumentum omne percepisti, Deo ac tibi ipsi, & Aithalis curæ permitto. *Epistola 145.*

§ PATRUM LATINORUM.

Egesippus: Sed libertatis cupiditatem præfertis. Sera ista deliberatio: prius certam dum fuit, ne amitteretis libertatem, quam ut amissam reposceretis. Durus servitutis usus; & ideo à principio nō fuit subeunda, aut suscepta æquanimiter ferenda. tunc decuit restitisse cùm ad servitium vocaremini illa justior pugna qui autem semel se dederit in servitutem, etsi postea subtrahere se velit, non ille tanquam amator libertatis asseritur, sed tanquam servus contumax adjudicatur. Vbi erat ista libertatis defensio, cùm Pompejus vestris ingrueret regionibus, urbem dominus intraret, ubi erāt arma pro libertate? cur deposita sunt à patribus nostris? Et certè illi fortiores nobis fuerunt. vigebant animis, abundabant subsidiis, cupiebant repugnare, sed exiguam Rom. exercitus nō sustinuere portionem. victi sunt, reservatique agnovere jugum servitutis, ne tolerarent pœnam captivitatis. quid recusatis heredes, quod debetis jure successionis? astringunt vos negotia patrum. quomodo obedientiam refugitis tanto inferiores obedientibus? aut quid vobis reliqui erit, qui in vos Cæsarem & omnem virtutem Romanam movetis? &c. *lib.2. cap.9. de excidio Hierosol.*

Egesippus: Quando apud Hebræos utilis servitus prælata nō fuit libertati inutili? Iacob ipse patriarcha in AEgyptum deduxit suos ne perirent fame. descenderunt Patriarchæ simul duodecim filii ejus, præclara illa generis nostri exordia ibi Iudas ille qui nomen populo dedit; ibi Ioseph curru sublimis & equis, subjicere se in potestatem maluit, ut aleret suos, quam ad originis propriæ libertatē redire. ibi Benjamin pia fraude germani retentus, consensit dolo; quia non erat servire potentioribus. ibi hereditas eorum, cùm vocaretur à Mose, tamen hærere desiderabat. sic patribus vestris etiam dura servitus non displicebat, ut periculis anteferretur. servistis etiam Assyriis per multa annorum curricula; & dulcis illa servitus erat. servistis Macedonibus, Persis, Seleuciensibus, Palæstinis: solos Romanos vobis graves putatis, quibus & ij serviunt quibus vos serviebatis. Vtrum igitur odium his debetis an gratiam, qui vos dominis vestris pares fecerunt? ultionem vestri hanc non contumeliam voco; quia de his vos vindicarunt quibus subjecti eratis, &c.

Mox: Ingrati, nunquid non vestra nobilitas est cum persis servire? hoc est enim servire nobiscum reges, regnumque maximum habere socium subjectionis, &c.

Paulloq; post: Tradidistis vos Cæsari, cui subjecti omnes, ad mutandum in melius servitium. in communi enim conditione universorum servire, quædam libertas est: quoniam dignitate dominantium honestantur obsequia servorum. *capite 15. lib. 5. de excidio Hierosol.*

Orosius: Non mirum si in magna familia inveniuntur aliqui servi, qui consuetudine lasciviaque seductorum assuefacti, patientia domini sui ad contemptum ipsius abutantur. *lib. 6. adversus Paganos cap.1.*

S. Valerianus: Sicut homo nunquam invitus bene servit; ita nec occupatus bene commendata custodit. *Homil. 3. de via arcta.*

S. Valerianus: Quidquid servus in domini positus potestate laboraverit, necessariò domini est. habet quidem servus gratiam laboris sui, sed domino debet fructum operis impleri. Denique utili servo ad hoc pecunia creditur, ut domino duplicati fænoris lucra numerentur. *Homil.11.*

S. Valerianus: Non est utilis servus, qui feriatos dies ad hoc expectat ut dormiat. *Homil 19.*

Zeno: Paterfamilias honesta fidelitatis suæ lucra offerentem sibi suum servum judicat, sed honorat, ut filium. Alterum verò, quem venena conterentem in adulterio, in homicidio, in falso maleficio deprehenderit, carnifici destinat statim non audiendum, sed competentibus pænis excruciandum. Tertium quoque, quem adverterit fraudolentum, coloratis ratiociniis sua furta examini: ut ponderatis damnis, rebusque servatis, sententia in eum, prout debitor extiterit, jure possit expromi. *sub finem Serm. Psalmi 100.*

Salvianus: Nulli servorum licet ex his quæ dominus imperat eligere arbitrio quid velit facere quid nolit, & insolentissima abusione, quod placuerit absumere, quod displicuerit repudiare: maximè cum & terrestres domini nequaquam æquo animo tolerandū putent, si jussiones suas servi ex parte audiant, & ex parte contemnant, & pro libidine sua quæ putaverint conculcanda conculcent. Si enim pro arbitrio suo servi dominis obtemperant, ne in iis quidem in quibus obtemperarint, obsequuntur. quando enim servus ex domini jussis ea facit tantummodò, quæ vult facere, jam non dominicam voluntatem implet sed suam. *libr. 3. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Quid est in quo non servilibus vitijs etiam nobiles polluantur? nisi forte ideo, quia illa quæ in servis peccata puniunt, ipsi quasi licita committunt. Denique ad eas pervasiones quas nobiles agunt, servus nec aspirare permittitur, quamvis mentior. quidam enim ex servis nobiles facti, aut paria aut majora fecerunt. sed hoc tamen imputari servis nequaquam potest, quod quibusdā servilis conditio tam feliciter cessit. Homicidia quoque in servis rara sunt, terrore ac metu mortis: in divitibus assidua, spe ac fiducia impunitatis: nisi forte iniqui sumus, hoc quod divites faciunt ad peccatum referendo: quia illi cùm occidunt servulos suos, jus putant esse non crimen. *lib.4. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Ac primum servi si fures sunt, ad furandum forsitan egestate coguntur; quia etiamsi eis stipendia usitata præstentur, consuetudini hæc magis quam sufficientiæ satisfaciunt, & ita implent canonem, quod non explent satietatem. ac per hoc culpam ipsam inopia minus culpa bilem facit: quia excusabilis furti reus est, qui ad furtum cogi videtur invitus. Quod de furtis dicimus, hoc etiā de fuga quia ad fugā servos nō miseriæ tātū, sed etiā supplicia compellunt. pavent quippe actores, pavent silentiarios, pavent procuratores: prope ut inter istos omnes nullorum minus servi sint quam dominorum suorum. ab omnibus cæduntur, ab omnibus conteruntur. quid amplius dici potest? multi servorum ad dominos suos fugiunt, dum conservos timent. unde illorum fugam non tam ad eos debemus referre qui fugiunt, quam ad eos qui fugere compellunt. Vim patiuntur infelicissimi: famulari optant, & fugere coguntur. discedere à servitio dominorum suorum omnino nolunt, & conservorum suorum crudelitate non permittuntur ut serviant. Mendaces quoque esse dicuntur? ad mendacium atrocitate præsentis supplicij coarctantur. siquidem dum tormentis se volunt eximere, mentiuntur. quid autem mirum est si positus in metu servus mentiri mavult quam flagellari? Accusantur etiam gulæ ac ventris avidi. nec hoc novum est: magis desiderat saturitatem qui famem sæpe toleravit. sed esto. non perferat famem panis, perfert certè deliciarum; & ideo ignoscendum est, si avidius expetit quod ei jugiter deest. *Lib. 4. de gubernatione Dei.*

S. Salvianus: Ab adulterio scelerorum maximo prope omnis servorum numerus immunis est. numquid aliquis ex servis turbas cōcubinarum habet? nunquid multarum uxorum polluitur? ut canū vel suum more tantas putet conjuges suas esse, quantas potuerit libidine subjugare? Sed responderi ad hæc potest, quod facere servis ista non liceat. nam profectò facerent, si liceret. Credo: sed quæ fieri non video, quasi facta habere non possum. quamlibet in eis improbæ mentes, quamlibet malæ cupiditates sint, nullus pro eo quod non admittit scelere punitur. Malos esse servos ac detestabiles satis certum est: sed hoc utique ingenui ac nobiles magis execrandi, si in statu honestiore pejores sint. quo fit ut ad illum perveniri exitum rei hujus necesse sit, non ut servi sint à reatu nequitiæ immunes, sed ut plurimi divites magis sint servorum comparatione damnandi. *lib.4. de gubern. Dei.*

S. Salvianus: Ecquid ingressis barbaris terram illam, forsitan vel metu vitia cessarunt; aut sicut corrigi ad præsens etiam nequissimi quique servorum solent, modestiam saltem ac disciplinam terror extorsit? *lib.6. de gubern. Dei.*

Salvianus: Interrogo omnes potentes ac divites mundi hujus, cujus piaculi reus sit servus ille, qui bono ac pio domino malum cogitet, qui benemeriti convitium faciat, & pro libertate quam accipit contumeliam reddat. absque dubio maximi criminis reus creditur, qui malum pro bono reddit, cui etiam malum pro malo reddere non liceret *lib 6 de gubern. Dei.*

Salvianus: Solent etiam nequissimos servos, quos supplicia non correxerunt, blandimenta corrigere, & quos dominis sacris verbera non submiserint, beneficia submittunt. *lib.6. de gubernatione Dei.*

S. Salvianus: Meliore conditione quidam relinquunt libertos suos, quam tu parēs relinquis liberos tuos clericos. In usu siquidem quotidiano est ut servi, etsi non optimæ certè non improbæ servitutis, Romana à dominis libertate donentur; in qua scilicet & proprietatem peculii capiunt, & jus testamentarium consequuntur; ita ut & vivente cui volunt res suas tradant, & morientes donatione

ne transscribant. nec solum hoc, sed & in illa quæ in servitute positi conquisierant, ex dominorum domo tollere non vetantur: tantum eis interdum gratiæ patroni liberalitas impartit, ut etiam juri suo detrahat, quod libertorum dominio largiatur, &c.

Mox: More ergo illorum uteris, qui servos suos non bene de se meritos, quia civitate Romana indignos judicant, jugo Latinæ libertatis addicunt; quos jubent quidem sub libertorum titulo agere viventes, sed nolunt quidquam habere morientes. negato enim ijs ultimæ voluntatis arbitrio, etiam quæ superstites habent, morientes donare non possunt, &c. *lib 3. contra avaritiam.*

S. Chrysologus: Qui libertate vix dignus est, capere nō valet infulas principatus. *Serm. 23.*

S. Chrysologus: Servis victum, & vestitum debitum reddas, remittas culpas, minas temperes, imperes disciplinam: & habeas eos fratres progenie cælesti, quos subditos mundana possides servitute. Vos quoque servi debetis domino fidem in ipsa quam geritis servitute: quia qui pio & puro corde carnali dominio debitum non reddet obsequium, Deo antè qui corda videt, quam homini tenetur obnoxius: qui te parem fecit per gratiam, quem conditio ferat disparem vilitate servili. *Serm. 26. ante finem.*

Chrysologus: Servus post vigilias antelucanas, post totius diei varios & duros labores, post trepidantes, & anxios concursus, & parat domino suo cænam, & cinctus quod paraverat subministrat: nō est elatus, quia fecit, sed cum devotione singula faciens contremiscit: & apponit domino suo cibos multiplices, arte tota totius saporis conditos: ipse autem semicoctam, nec salitam forsitan cœnulam gustaturus: porrigens crebra pocula, varios calices, vina mutat, ad longissimi convivii fabulas longiores stat fixus, stat moveri nescius, stat cui lassescere non licet servituti. Et cum dominus jam partem noctis insomnem deducit, peragit inquietem, servus colligit, curat, accurat, ponit, componit, reponit: & sic in rebus necessariis immoratur, ut nihil sibi, aut parum noctis ad escam reservet, & soporem. Post hæc omnia nisi pervigilet in crastinum, & dominum prævenerit dormientem, fessus, indefessus manicabit ad verbera: ad præsentem pœnam nihil hesterno ei subvenit de labore quia quicquid dominus indebite, iracunde, libens, nolens, oblitus cogitans, sciens, nesciens, circa servum fecerit, judicium, justitia, lex est: imperantis ira subdito jus est: & ad libitum domini vocem non habet conditio servitutis. *Serm. 161. m.*

S. Chrysologus: Veræ devotionis est, fidelissimæ servitutis est, quid fieri velit, non quare velit dominator, inquirere. *Sermone 166. a. f.*

Ennodius: Epiphanius ita famulabatur Antistiti libēs, ut si quid operis gereretur ab altero, graviter ferret surreptū sibi fuisse servitiū. *in vita ejus cap. 3. m.*

Ennodius Crispinus Epiphanii ministerio, quidquid optasset fieri, ante jussionem suam videbat impletum. Præsentiunt enim bonæ mentes eorum desideria, quibus cum integritate famulantur. *vitæ Epiph. cap. 11.*

Io. Sarisberiensis: Nihil decorum est, quod non à virtute profluxerit, & se invicem turpitudo & vitium infausto ambitu circumscribunt. In hoc autem solo vitiorum impulsu quisque prolabitur, ut eorum se dejiciat & devoveat servituti, quibus natus est imperare. Qui ad spectacula confluunt, aut evocant ad se spectacula inhonesta, aut se ipsos affectatis nugis volunt esse spectaculo insipiētium, quoniam hæc lenocinia vanitatis rectè sapienti placere nō possunt, oculorum capiuntur illecebris, & licet mitius elidantur, corruunt tamen à dignitate conditionis suæ, & ad eam, quam diffitentur, servilem relabuntur. Quid ergo aliud faciunt mimi, histriones, parasiti, & hujusmodi monstra hominum, nisi quod ineptam convincunt felicium servitutem? Sed & illi qui oculis capiuntur, licet aurium sensus purissimus & defæcatissimus sit, serviunt quidem, jugo tamen premuntur mitiori, si alias non prævaleant vitia. Nam ab olfactu vix aliquis omnino capitur, nisi forte Lotophagum vivat. *lib. 8. Policrat. cap. 12.*

§ PHILOSOPHORVM ORATORVMQ; GRAECORVM.

Xenophon: Dic mihi, mi ave, si servorum quis aufugiat, tuque hunc nanciscare, quid de eo facturus sis? Quid aliud, ait, quam ut vinctum opus facere cogam? At si spōte redierit, quid facies? Quid? extra quam ut verberibus cæso pristinas rursus ad operas utar? Quin tu igitur paras, inquit Cyrus, quo me verberes qui fugæ consilium inierim, adsuratis ad venandum æqualibus meis. *cap. 23. lib. 1. Cyropediæ.*

Xenophon: Socrates quum quidam pedisequum suum vehementer cecidisset, quamobrem servo succenseret, interrogabat? Quod, inquit, voracissimus sit obsoniorum, & simul inertissimus: avarissimus idem, & otiosissimus. Tunc vero, subjecit Socrates, umquam considerasti, uter plures plagas mereatur; tu, an servus tuus? *cap. 36. lib 3. Memorabil.*

Xenophon: An nosti quosdam, inquit Socrates, qui serviles homines adpellantur? Novi equidem. Num ita vocantur ob scientiam an propter inscitiam? Haud dubie propter inscitiam. Ergone propter ignorationem opificii ærariorum nomen hoc consequuntur? Minime. An quod operas fabriles non teneant? Ne hac quidem de causa. An quod sutoriam nesciant? Ob nihil horum. immo vero ratione contraria se res habet. Nam maxima ex parte qui tenent huiusmodi opificia, serviles sunt. Ergo nomen hoc iis competit, qui quæ honesta, & bona, & justa sunt, ignorant? Ita mihi videtur, inquit, Contentis itaque viribus omni modo fugere oportet, ne mancipia simus. Ego vero mi Socrates, ait, omnino me illi philosophiæ vacare putabam, ita me Dij ament, per quam maxime futurum existimabam, ut in iis institueret, quæ homini honesti virtutisque studioso cōvenirent. *cap. 9. lib. 4. Memorabilium.*

Lysias: Et quis non videt me omnium qui unquam vixerunt, futurum fuisse miserrimum, si ministros meos non amplius servos, sed dominos reliqua omni vita eram habiturus, cùm talis facinoris mihi fuissent conscii; qui etsi gravissimè in me peccassent, nullam tamen de istis pœnam mihi sumere licuisset. certo enim scivissem, in ipsorum esse potestate, & de me supplicium sumere, & se indicio facto, in libertatem vindicare. *cap 3. de trunco sacræ oliva.*

Lysias. Qui enim maluit vi abduci, & necessarios suos legibus de vi obnoxios relinquere, quàm legitimè in libertatem asseri & eos, à quibus in servitutem abducebantur, ulcisci; non dubium est, quin se servum confessus sit, qui non ausus fuerit fidejussoribus exhibitis pro status conditione lege contendere. *cap. 4. Orat. 22. contra Pancleonem.*

Aristides Rhetor: Neq; verò famulos, nunc existimo numeri nostri contemptu ad hostes transfugere, sed quod partim initio latere se posse separarint, partem nihil incommodi, si in hostium potestatem semel venerint, passuros arbitrentur; ad denique naturam servorum sequantur, quæ sicut nomen sic etiam consilia herilibus habet contraria. siquidem pro beneficiis oderunt, ac de quibus rebus erant agendæ gratiæ, pro iis exposcunt supplicium. ea verò hoc fert, ut non admodum heros ament. *Oratione priore Sicula.*

Aristides Rhetor: Nemo non invitè opinor servit. *Oratione Sicula posteriore.*

Aristides Rhetor: Etenim si hæc omnia pro ministerio erunt habēda, leges ferre, Remp. constituere, exercitui imperare, magistratum annuu in urbe gerere, consulere aliorum saluti, præsidere, egationes obire, de jure respondere, publicos conventus, si fit opus, decorare: deniq; si omnis actio atque præfectura ministerium vocabitur ac servitium, atque adeo regnum ipsum & omnis principatus: atque etiam paterfamilias ipse non imperabit potius quam serviet, & rectè dixerit Comicus, unum esse familiæ servum, dominum: hæc si ita se habent, primum quidem non video, quomodo possint omnia magis sursum ac deorsum ferri. Nam si cōtraria cōtrariis definiemus, quo pacto sua singulis cōstabit natura? Si. n. imperium in servitute ponatur, vix aliud quicquam servitutem effugerit: & si imperium esse servitutem ponimus, quid prohibet, quo minus eadem ratione servitutem esse imperium ponamus, atque ita res circumagatur, nec unquam eodem maneat loco: verum imperium quidem prius ad servitutem redactum, per eam rursum fiat imperium: servitus a. prius ad imperium redacta, per illud ipsum rursus existat servitus: itaque vagētur ac transmutentur hæc nomina, quæ sunt rerum contrariarum, aut potius rebus ipsis contraria. Iam si hæc sublata fuerint, non facile, quid reliquum sit nobis futurum, reperias. Etenim si nec paucis nec multis præficiemur, neq; familiæ, neque nobismetipsis, ut ita dicam, nec movebit nostrum quenquam vel patriæ necessitas, vel domus paterna, vel famuli ad nos respicientes, vel aliud in rebus humanis quicquam: sed omnem rerum administrationem fugiemus, & quasi in medio sedebimus aere, terram non attingentes, nec rem ullam curantes, nec si quis eadem nobis, quæ Meleagro, nunciet: [Occiduntque viros, atque urbem destruit ignis, Ast abigunt alii prolem, uxoresque stolatas:] sed hæc omnia illiberalium & abjectorum esse hominum curare censebimus, cum ad omnia nobis hæc sufficiat ratio, qua ista pro ministerio ac servitio reputanda, & injuriæ acceptionem factioni præferendam esse comprobatur: num aliud quicquam nobis restabit, quam ut more brutorum vivamus, & quemadmodum ægroti, cum illis à medico quies est imperata? Iam si hæc in ministerio ponuntur omnia, nec honesti habent quicquam: quid tibi accidit, charum caput, ut ipse ministros imitareris, Remp. constitueres, leges ferres, & cum tyrannidem quoque ad legum lationem conferre diceres, tum Philosophiam potentia indigere, nec prius à malis fore liberas civitates, quam quod tu semper habes in ore, vel reges philosopharentur, vel philosophi eas regerent: quasi nullum esset in Rebusp. futurum commodum, priusquam hæc duo Philosophia & potestas civilis, in unum convenisset. Quod a. est omnium maximum, in ipsa Reip. constitutione & legum latione, custodes urbi præficis, qui eandem, quam Cimon, artem exerceant, eosque reliquis omnib. civibus præficis, & honores tam vivis quam mortuis, si quis optimus extiterit, decernis, ac denique in his componēdis plurimum versaris, quasi ab horum felicitate tota penderet civitatis salus.

Nec vero hos aut mercenarios vocas, quamvis ipsis ab aliis mercedem dandam constituis: aut publicos ministros, quamvis pro omnibus excubaturi sint, & quodvis discrimen pro tota civitate subituri, aut cum stipendiariis & peregrinis comparari, aut more Carum vis educari, quamvis multa omnia parvo obeant precio ve-

rum hoc illis ad gloriam arbitraris sufficere, si regionem servare possint incolumem, omnisque ad ipsos civitas respiciat. Etenim si hæc omnia tibi recte se habent, nec inutili, illiberali, aut pudendo studio talem custodiam civitati præficis, ac viros tales, qui & amicos juvare, & hostes possint repellere: Cimonē non aliunde quā hinc spectato, nec deerunt hi omnes, qui enim non ministrum fuisse, nec ad voluptatem suos mores instituisse prædicent, sed optima atque liberalissima Reip. administratione, nec multum tuæ isti, quæ periculo caret, dissimili usum fuisse. *Orat. 2. Platonica.*

Epictetus: Quod perpeti recusas, id ne cui feceris. recusas autem servitutem: cave ergo ne tibi serviatur. nam si serviri tibi passus fueris, te ante servū esse probabile est. neq; enim virtus cum vitio, neq; cum servitute libertas quidquam cōmune habet. Vt. n. is qui valet, neq; se curari ab ægrotantibus, neq; contubernales suos ægrotare vult: sic homo liber neque à servis sibi ministrari, neque convictores servire sibi vult. *apud Stobæum.*

Arrianus: Sciscitante quodam, quo pacto edi posset ut Deo placeret? Si quis juste, inquit, edat, & grato animo, æqualiter, continéter, & modeste: nonne ita edit, ut Deo placet? cum vero te calidam poscente, puer non audierit: aut, si audierit, tepidiusculam attulerit, aut plane in ædib. non fuerit: id non ferre graviter, nec disrumpi iracundia: nonne Deo placet? At quo pacto ferri queunt tales? Mancipium, non feres fratrem tuum, qui genus à Iove summo ducit? ut filius, ex iisdem seminibus procreatus est, eademque nititur fundamento. An si tali quopiam loco es constitutus, qui excellat: statim ipse tyrannidem occupabis? non recordaberis qui sis, & quib. imperes? nonne cognatis? nōne fratrib. germanis? nonne à Iove Opt. Max. oriundis? Atqui ego illos mercatus sum, illi me non sunt mercati. Videsne quid spectes? nnnne terram? nónne barathrum? nonne ærumnosas istas leges mortuorum? Deorum autem immortalium leges non intueris? *cap. 13. lib. 1. Epict.*

Arrianus: Nihilne unquam amica tibi imperavit, quod nolles? Nunquam servulo tuo adulatus es? Nunquam ejus pedes deosculatus es? At vero si quis Cæsarianus te cogeret, injuriam esse duceres, & ingentem tyrannidem. Quid vero aliud est servitus? Nunquamne noctu ivisti quo nolles? Non insumsisti plus quam velles? Non quædam plorans & gemens locutus es? tolerasti convitia, exclusionem? Verum si tua probra confiteri religio est: vide quid dicat & faciat Thrasonides? Qui cum toties fortasse militarit, quoties tu, primum noctu exiit, cum Geta exire non fuisset ausus, isque fortasse multum vociferatus, & acerbam servitutem deplorans exiisset. Quid autem ait? Vilis, inquit, ancillula me in servitutem redegit, quem nemo hostiū unquam vicit. Itane miser, etiam ancillulæ servus es, & quidem vilis ancillulæ? Quid ergo te adhuc liberum esse dicis? Quid expeditiones tuas jactas? Deinde gladium postulat, & ei qui ex benevolentia nō dat, succenset: munera mittit ei cui invisus est, supplicat, plorat: vicissim paulo successu effertur. Sed tū quoque quo pacto? An ut neque appetat, neque formidet? Considera in animantibus, quam de illis habeamus notionem libertatis. Leones alunt cicures cavea clausos, & pascunt, eosque nonnulli secum circumferunt. Quis a. dicat eum leonem esse liberum? Nonne quo mollius degit, eo servilius? Quis vero sensus & rationis compos factus aliquis istorum leonum esse velit? Age porro aviculæ istæ captæ cū in corte aluntur, quomodo affectæ sunt? Vt effugere cupiūt? nonnullæ fame perire malunt, quam vitam istam tolerare. Quæ a. conservantur, quod ægre quidem ac difficulter, & cum tabe fit: si ullum foramen deprehenderint, exsiliunt. Adeo naturalem libertatem desiderant, ut sui juris sint, & à nemine prohibeātur. Et quid hic tibi mali est? Quid dicis? Natura mea fert, ut volem quo velim: ut sub dio agam, ut cantillem cum volo. Quæ cum tu mihi eripias omnia, quid mali mihi sit rogas? Quamobrem illa tantum libera dicemus, quæ captivitatem nō ferunt? sed simul ac capta sunt, morte servitutem effugerunt. Sic & Diogenes alicubi dixit, unam esse rationem retinendæ libertatis, haud gravate mori & Persarum regi scribit, eum civitatem Atheniensium non magis posse in servitutem redigere, quam pisces? Quomodo? non capiam eos? Si ceperis eos, inquit, statim de relicto abibunt, quemadmodum pisces. Nā & horum quæcumque cæperis, moritur: & isti capti si moriantur, quæ erit expeditionis tuæ utilitas? Hæc ingenui viri vox est, qui rē serio inquisivit, & uti par est invenit. Sin eam alibi, quam ubi est quæsiveris, non mirum si nunquam invenis. Servus, statim optat se manumitti. Quamobrem? Eone putatis, quòd pecuniam dare cupiat publicanis? Non: sed quia putat, se quod hactenus libertate caruerit, impediri, & infeliciter vivere. Si manumissus fuero, inquit, statim omnia prospera: curo neminem, omnib. par & æqualis verba facio: proficiscor quo volo, venio unde volo & quo volo. Cum vero libertus factus est, statim non habet ubi edat: quærit cui aduletur, apud quem cænet. Deinde vel corpore opus facit, & gravissimas ærumnas perfert: vel, si quod præsepe invenit, in servitutem incidit priore lōge graviorem: aut, si homo ineptus opes nactus fuerit, puellam aliquam deperit, & suas calamitates deplorat, ac pristinam servitutem desiderat. Quid. n. mali mihi erat? Alius mihi vestes præbebat, alius calceos, alius me alebat, alius in morbo curabat, paucis in reb. illi serviebam. Nunc a. miser, quid fero, cum plurib. pro uno serviam? Tamen si annullos, inquit, accepero, tum prosperrime vivam, & felicissime, Primum, ut eos accipiat, ea fert quæ meretur. Deinde acceptis iis rursus eadem. Post, Si militavero, inquit, liberabor malis omnib. Militat, fert ea quæ verbero: ac nihilomin9 secundam postulat militiam, & tertiam. Deinde cum ipsum colophonem imposerit, & factus fuerit Senator: tum fit servus, cum in concilium ingreditur, tum pulcerrimam & beatissimam servitutē servit. *cap. 26. lib. 3. Epict.*

Simplicius: Qui postulat ut famulus seipso interdum sit melior (id quod nobis sæpe accidit, qui peccata servulorum ægrè ferimus) stultus est; cùm ea desideret quæ fieri nequeunt. *ad cap. 20. Epict.*

Simplicius: Servi fideles & verecundi, artificiosis & operosis præstant plurisque fiunt à dominis. *ad cap. 31. Epicteti.*

Philostratus: Quæsivit Apollonius, utrum rex servos suos fugiat, an ipsum servi? Hæc ait servilis est interrogatio, quis enim ignorat fugam ad servos & præsertim pravos magis pertinere, ad dominū verò minimè; cùm possit & vincire servos, & verberibus cruciatibusque torquere. *lib 3. cap. 9.*

Philostratus: Apollonius iisdem verbis in dæmonem utebatur, quibus domini contra servos uti solent: versipellem, callidum, scelestum, impudentemque ipsum appellans. *lib. 4. cap. 6.*

Philostratus: Si domini servos despexerint, culpa carebunt: fortè enim tanquam pravos eosdem despiciunt. servos autem qui suos dominos non venerantur, ab eisdem perdentur, tanquam impii & scelesti, & mancipia Deis inimica. *libr. 4. Apollonij capitis decimi tertij fine.*

Philostratus: Thraces, Mysios & Getas in servitutem ducere perfacile est: liberare autem stultum: cùm libertate non gaudeant, & servitutem nequaquam esse arbitrentur turpem. *lib. 7. Apollonij cap. 2. initio.*

Philostratus. Quis servis eis te præfecit, inquit Apollonius? leges respondit ille. nam per leges eorum dominus sum. An verò dominis parere servos oportet, an iis adversari quæ eis placent qui eorū corpori dominantur: Ille sentiens quorsum facienda responsio téderet, Tyrannorum, infit, vim insuperabilem imminentemque esse audivi: propterea. libris imperare volunt. mei autem corporis ego dominus sum, illud inviolatum servabo. *lib. 7. cap. 17.*

Philostratus: Ponticos aut Lydios servos, aut Phrygios gregatim. huc adventos, invenire & emere hic licet. hæ namque gentes, & ceteri barbari semper aliis obedire sueti, nequaquam existimant servitutem. Phrygibus a. familiare est proprios etiam filios vendere: & si captivi in servitutem ducantur, ne ad eos quidem respiciédos se convertunt. Græci autem libertatis amatores adhuc sunt, nec Græcus quisquam extra fines in servitutem venderetur. quapropter nec servorum prædonibus, nec eorundem mercatoribus apud ipsos locus permittitur. Hoc autem in Arcadia magis contigit. ipsi enim non solum in libertate degunt omnes, sed multitudine servorum egent. *lib. 8. Apollonij cap 3.*

Dio Prusæus: Discedens quondam Diogenes Corintho Athenas, incidit inter eundum in notum quendā: & interrogavit: Quónam abiret? non quemadmodum multi interrogant, ostendentes, quòd non plane incuriosi sint eorum quæ agant amici, deinde illis auditis recedunt: sed quemadmodum medici examinant ægrotantes, quid sint facturi, quo illis cōsilio subvenire possint: & hæc quidem jubent, illa autem interdicunt: ita examinavit Diogenes hominem, quid ageret? Qui dixit. O Diogenes, vado Delphos, à Deo oraculum petitum. Quum autem instituissem per Bœotos ire, servus meus, qui mecum erat, aufugit. nunc versus Corinthum vado: forsan enim ita & servum invenire potero. Et Diogenes dixit, ut solebat, serio: Itane ô ridicule, Deo uti conaris, qui non possis uti mancipio? An non tibi videtur hoc illo facilius, minusque habere periculi, iis qui rectè uti non possunt? Quid vero etiā tibi vis, quærendo servum? An nō erat pravus? Omnium sanè (inquit) maxime. nulla enim à me læsus injuria, præsertim quum talis sit, me tamen malum existimavit. Si te enim (inquit Diogenes) bonum existimasset, nunquam reliquisset. Fortasse (inquit) ô Diogenes, quum ipse malus sit. Itane ille quidem (inquit) te pravum existimans, aufugit, ne quid abs te nocumenti ferat: tu vero illum quæris, quē dicis esse pravum? Non enim dubium, quin & tu ab illo nocumentum laturus sis, & hoc sponte. An non mali homines noxii sunt habentibus utentibusque, sive Phryges sint, sive Athenienses, sive liberi, sive servi? Atqui nemo canem, quem malum esse censet, quum aufugerit, quærit. Sunt autem, qui etiam si redeat, ejiciant. A malo autem homine liberati, non quiescunt, sed multa habent negotia, scribentes hospitibus, ipsique peregrinantes, & pecunias consumentes, ut eū recipiant. Et utrum putas plures damna à malis canibus accepisse, quàm à malis hominibus? Sanè à canibus perniciosis, unum Actæonem ajunt perditum, & his quidem actis in rabiem: à perniciosis vero hominibus dici non potest, quot perierint, & plebeij & reges, totæque civitates, hi quidem à servis, illi a. à militibus & satellitibus, alii ab amicis quibusdam, nomine tenus amicis: alij quidem à filiis & fratribus, uxoribusque. Nunquid igitur non magnum est lucrum, cui contingit liberari à malo homine? An hunc requirendum putas, dignumq; persecutione: ut si quis morbum, à quo esset liberatus, quæreret, atque in corpus recipere vellet?

Et ille dixit: Hæc tu quidem rectè dixisti, ô Diogenes: sed tamen difficile est, ut quis injuriam passus, non se vindicet. Ille enim nihil à me mali passus, ausus est (ut vides) me deserere: qui quidem nullū opus apud me fecit, qualia servi faciunt, sed ociosè enutritus est, nihilque aliud quàm me affectabatur. Ergo ne (inquit) nihil illi malise-

li fecisti, quum ociosum & inertem nutrieris, fecerisq; pessimum? Segnicies enim atque ocium præ omnib. maximè perdunt fatuos homines. Quare rectè intellexit, se abs te corrumpi: & jure aufugit, ut operaretur videlicet, & non ocium agens, dormiensque & edés, in dies semper fieret pejor. Tu vero fortasse putas parvam esse injuriam, quæ hominem facit praviorem? Et nonne qui eam faciat, præ omnib. fugiendus est, ut inimicissimus maximusq; insidiator?

Et ille: Quid ergo (inquit) faciam? non enim est mihi alius servus. Quid vero facis, si nō alios calceos habeas: & quos habes molesti sint, & atterant pedes? Nunquid non exuis ocyssimè, & discalceatus incedis? sed si sponte decidant, rursus annectis, & stringis pedem? Et sane quemadmodum discalceati, interdum facilius incēdunt, quàm qui male sunt calceati: ita multi sine servis facilius vivunt, & jucundius, quàm qui multos habent servos. Non vides divites quanta habeant negocia, hi quidem curantes servos ægrotos, & indigentes medicis, & aliis qui curam adhibeant, (etenim plerunque mancipia sui curam non gerunt, neque sibi in morbis cavent, partim quidem ob incontinentiam: partim quòd putent, si quid sibi accidat, heros damno affici, non sese) illi vero flagris cædentes quotidie, alii autem vincientes, alii persequentes fugitivos. Quin neque peregrinari facile possunt, neque quando sibi videatur: neque etiam si domi maneant, ocio fruuntur. Et quod ridiculosissimum est, interdum carent ministris magis quàm pauperes, & qui nullum prorsus habent servum. Et est negocium simile vermibus qui dicuntur Iuli, quos te nosse arbitror. etenim & illi quā plurimos pedes habentes tardissimi sunt inter reptilia.

Non nosti, quòd natura unicuique corpus fecerit, sufficiens ad suum ipsius ministerium? & pedes quidem ut incedere possit, manus vero ut operari, & aliorum membrorū curam gerere, oculosque ut videre, aures ut audire? Et ad hæc certa mensura fecit ventrem: & non indiget homo plus cibi, quàm illi præstare possit: sed hæc mensura unicuique sufficiens est, optimaque & sanissima. Sicut igitur manus debilior est, quę plures habet digitos quàm natura nascuntur, & talis homo mutilus vacatur aliquo modo, cui extrinsecus agnoscatur digitus superfluus, & neque aliis uti poterit juxta morem: ita etiam, si quando multi pedes, multæq; manus, & multi ventres alicui hominum contingēt, nō ille hercle fortior fit, neque magis necessaria expedit, curatque, sed multo minus & difficilius. Tu a. (inquit) nunc quidem uni homini quæris cibū, tū vero duob. & nūc unum curas ægrotantem, si qua tibi acciderit infirmitas tū a. necesse erat curare & illum ægrotantem. Et nunc quidē si ipse, domi sis, nō sollicitus es ne quid ille subtrahat, neq; quādo dormis aut vigilas, ne quid servus tibi faciat mali. Omnia sanè hęc te oportet cōsiderare. Vxorem ergo si habebas, tum illa quidem te nō studuit ministeriis colere, videns servum domi nutriri: & partim quidem cū illo pugnavit, partim a. deliciis & ipsa studens tibi fuit molesta: at nunc minus ipsa dolebit, tuiq; majorem geret curam. Sane ubi servus est, statim corrūpuntur nati liberi, & segniores fiunt, atq; superbiores, quum præsto sit qui ministret, habeantq; quem despiciant. Vbi a. ipsi sunt soli, multo fiunt animosiores, fortioresq;, patremque statim ab initio adjuvare discunt.

At ô Diogenes (inquit ille) pauper sum. Et si non prodest possidere servū alii dabo venditum. Ergo ne hujus (inquit) te nō pudet? primum quod alium decipis vendens illi malum servum? aut. n. nō dices veritatē, aut non poteris illum cuiquā vendere. Ad hæc, si quis vestem vendat fucatam, aut instrumentum, aut jumentum morbosum atq; inutile, necessariū erit id recipere. Itaq; nihilo plus habebis. Quod si vero etiam possis quempiam circumvenire, & ille non sentiat hominis pravitatem, nō reformidas argentum? Fortasse. n. emes perniciosiorem, si in vēditorem incidas, qui multo quàm tu sit acutior. Forsan & pro alia re expones, qua maximum accipias detrimentum. Neq;. n. semper argentum adfert emolumentū possessoribus: sed multo majora damna & plura mala passi sunt homines ab argento, quàm à paupertate, quum alioqui fatui essent. Non tu ergo illud prius studebis possidere, quo possis qualibet ex re emolumētum capere, omnibusq; tuis reb. rectè uti, nempe ut sapias: sed ante quam sapias, quæras argentum, aut terram, aut mancipia, aut juga, aut navim, aut domum, quib. cū unà servies, propterq; ea contristaberis, multaq; facies incassum, perque totam meticulosus eris vitam illorū curam gerēs, nihil a. unquam ex eis utilitatis capies? Non vides hasce bestias, volucresq; quanto vivant quàm homines jucundius, atq; etiam suavius, magisq; sanæ sint, validioresque vivatq; unaquæq; earū quàm longissimum potest tempus, tametsi neq; servos habeāt, neq; humanum intellectum: pro omnib. tamē aliis malis hoc maximū habēt bonum, quod nihil possideāt.

At videor mihi (inquit) jam facere posse, ô Diogenes, ut valere sinam servum, si nō fortè fortuna in me inciderit. Ita hercle (inquit Diogenes) quasi diceres, mordentem aut calcitrosum equum non quærerem sanè: si a. fortè fortuna eum nanciscerer, accederem ut morderer, & calcib. percuterer. Hæc quidem (inquit) omitte. Deo vero cur me uti nō sinis? Num ego interdixi tibi (inquit Diogenes) ne Deo utaris, si possis? Nō hoc dixi: sed quòd magis sit difficile quā impossibile, uti vel Deo vel homine, aut seipso, eum qui nesciat. Id a. conari antequam quis norit, damnosissimum est. An qui equorū usum nō est expertus, videtur ille tibi equis uti posse? Nō equidem. Si a. cogat, nō ne potius mali quid sibi asciscat, quàm boni? Verum Quid autē qui canum ignorat usum, poterit ne illis uti? An non etiam aliqua re uti, est utilitatem ex ea capere? Ita mihi videtur. Nemo igitur qui damno afficitur ab aliquo, eo utitur, à quo damnum sentit. Non. Proinde qui conatus canibus uti, antè quàm discat, damnum ex illis percipiet. Verisimile sanè. Non igitur uteretur illis: quoniam usus nullus esse potest, ubi damnum adest. Et non solum de canibus & equis ita res habet, sed etiam de bubus, & avibus. Et quod magis mireris, neque asino aut ovicula uti possunt inexperti. An ignoras, quosdam utilitatem, quósdam vero damnum percepisse ex ovium vel asinorum pastione? Novi equidem. Vtrū igitur propter aliud, quàm quòd videlicet necesse est inexpertos dāno, expertos a. emolumento affici & ab asinis & à suibus, & ab anseribus & ab alio quolibet animali? Videtur. Quid autem? Non ne in instrumētis eadem est ratio? An cithara uti poterit, musices imperitus? An non, si ea uti conetur, fuerit ridiculus: quod & nihil agat, & insuper citharam corrumpat, & abrumpat sonos? Quid autem? Si quis tibiis vellet uti, inexpertus tibiarum procederetque in theatrum ad canendum, non ne pænas daturus esset, jactus lapidibus, atque insuper etiam tibias contereret? Si quis etiam conetur utī clavo, nesciens navem gubernare, posset ne fieri ut non citissimè subversa nave, semetipsum perderet, simulque navigantes? Quid autem? An hastæ aut scuti usus utilis est timidis, & indoctis? Non ne tali utendi inexperientia abjicerent nō solū arma, sed etiam seipsos. Concedo (inquit) ô Diogenes: & usque ad solis occasum de omnibus posses ita interrogare. Et utrum (inquit) melius, an usque ad solis occubitum audire ea quæ oportet, an frustra Delphos petere? At tamen in omnibus fere rebus, quarum utendi absit experientia, difficile est aliquid efficere. Et majus damnum accipi verisimile est, à majoribus. An tibi videtur, parem esse usum asini & equi? Nequaquam. Quid autem? An hominis & Dei? At hoc neque dicere fas est (inquit) ô Diogenes. Potest ne aliquis ulla re uti, quam non norit? Et quomodo? inquit. Ignorans ergo hominem, eo homine uti non potest. Qui igitur seipsum non novit, nihil seipso utī potest. Iam audivisti illud Delphis inscriptum: NOSCE TEIPSVM? Equidem. Id igitur haud dubiè Deus omnibus præcipit, quasi se non norint? Verisimile est. Vnus ergo & tu ex omnibus esses? Quo pacto enim non sim? Non igitur neque tu temetipsum nosti? Non mihi videtur. Teipsum autem ignorans hominem ignoras: hominem autem ignorans, homine uti non potes. Quum autem homine uti non possis, Deo uti conaris, quod omni modo majus & difficilius altero esse confessi sumus? Quid autem? existimas Apollinem Attica aut Dorica lingua loqui? aut eandem linguæ esse proprietatem hominum & deorum? At tantum differt, ut fluvium in Troja Scamandrum, illi Xanthum: & avem Cymindū, Chalcida: & locum quendam ante civitatem, quem Trojani vocabant Battejan, dij sepulchrum Myrrines appellent. Vnde jam & obscura sunt oracula, & multos jam deceperunt. Homero fortassis absque periculo fuit ad Apollinem ire Delphos, utpote qui noverit ex linguis, voces, si modo omnes novit, & non paucas quasdam, ut illi qui duo aut tria Persica scientes verba, aut Medica, aut Assyria, ignorantes decipiunt.

An tu non times, ne Deo alia dicente, alia tu intelligas? Quemadmodum fecisse ajunt Lajum, illum, qui fuit Chysippi amator. Ille veniens Delphos, interrogavit Deū quomodo liberos gigneret? Qui respondit oraculo, ut ne prorsus gigneret, sed & genitos exponeret. Ita a. stultus erat Lajus, ut in utroque Deo non obediret. Nāque & genuit, & sustulit. Deinde & ipse periit, & tota ejus domus: eo quod quum non posset, conatus est Deo uti. Si. n. hæc audivisset, nō utiq; Oedipodem exposuisset. qui domi nutritus si foret, nō occidisset Lajum, sciens se ejus filium esse. An non ea quoq; audivistī q̄ acciderunt Crœso illi Lydo? Is se putās omniū maxime Deo obtēperare, transgressus fluvium Halym, principatum perdidit, & ipse compedib. vinctus est, & paulum aberat quin exureretur vivus. An tu te putas prudentiorem esse Crœso, hominem tā divite, & tot hominum rege, qui & cum Solone consuetudinem habuit, cumq; aliis quamplurimis sophistis? Quin & Orestem ipsum utiq; vides in Tragœdiis expostulantē cū Deo & reprehendentē si quādo fureret, quod cōsuluisset occidere matrē. Verū, putas ne Apollinē sævū q̄d aut turpe imperare iis q̄ ipsum interrogāt? At hoc est q̄d dixi. q̄ Deo uti nō possunt, & tamē uti conātur, nō semet, sed illū reprehēdunt. Tu igitur, si me audias, abstinebis, dabisq; operam ut teipsum prius cognoscas. Deinde postq̄ didiceris sapere, tum demū oraculum petas. Ego. n. scio quod nihil indigebis oraculis, si habueris mentem.

Etenim hoc vide, si te Deus jubeat rectè scribere atq; legere, quū non didiceris grammaticam, nunq̄ poteris. Si verò literas noveris, Deo etiā non jubente, pro more scribes legesque. Similiter quoq; si tibi aliud quodcunq; cōsulat ut facias, & non didiceris, nō poteris facere. Et rectè vivere nō poteris, si non didiceris, etiāsi quotidie Apollini obstrepas, atq; ille uni tibi vacet. Mentem a. habens, scies ex temetipso quid tibi sit faciundum, & quomodo. Quod a. oblitus sum de Oedipo dicere, ille Delphos non est profectus pro oraculo. Tiresiæ autem congressus, in maxima incidit mala ex illius divinatione, propter suam ipsius ignorantiam. Inde enim didicit, quod cum matre rem habuisset, atq; ex ea suscepisset liberos: & post hæc quum forsan oportuisset, rem cælare, neque patefacere Thebanis, ille primùm quidem omnib. fecit manifestam: deinde indignatus est, magnumq; sustulit clamorem, quod eorundem & pater esset & frater, & ejusdem mulieris maritus & filius.

At galli gallinacei non indignantur super his, neque canes, neq; ullus asinus: neque Persæ, licet videantur inter Asinos optimi. Ad hæc autem excæcavit seipsum. postea lumine privatus huc illuc errabat, quasi non & videns potuisset errare.

Et ille his auditis dixit: Tu quidem, ô Diogenes, insulsissimum omnium hominum demonstras fuisse Oedipodem: Græci autem putant, infortunatum quidem eum hominem fuisse, sed intellectu tamen præditum præ cæteris omnibus. Solum enim illum solvisse ænigma Sphingis. Et Diogenes ridens: Nequaquam ille (inquit) soluit ænigma. Non audivisti quod Sphinx jusserit eum hominem cognoscere? Ille vero quid esset homo, neque dixit, neque scivit. Nomen autem hominis dicens, putabat se respondisse recte ad quæsitum. ut si quis interrogatus, quid est Socrates? nihil aliud diceret, quàm nomen Socrates. At ego audivi quendam qui diceret, Sphingem esse inscitiam. Illa quidem & antea perdidit Bœotos: & modò eos nihil sinit nosse, ut pote hominum indoctissimos. Alii quidem homines, magis suam ipsorum sentiunt dementiam. Oedipus vero quo sapientior habitus est, eo quòd Sphingem effugisset, persuasissetque Thebanis; hoc pejus disperiit. Nam qui sunt indocti, persuadent tamen se doctos esse, hi multo sunt miseriores aliis omnibus hominibus. & tale est sophistarum genus. *Oratione 10.*

Libanius: Non amplius vester sum. neque servo quisquam utitur quem vendidit. nunc sum Philippi, soliusque Philippi. *Declam. decima Sexta.*

Libanius: Servis Demosthenes? non primus, neq; solus in hanc miseriam incidisti. homo es. variæ sunt hominum mutationes. servivit Nicias dux exercitus in Sicilia, & Syracusanis servivit, & ægrotans serviit. serviit etiam gentilis tuus Demosthenes, malè tractatus, contumeliosè exagitatus, pro Sphacteria dominis excandescentibus: & cùm sæpe emori vellet, hujus benignitatis repulsam passus est: verùm ægrè, corpore jam labefactato, hoc munere potitus est. servies, ô Demosthenes, post imperatores, post eos, qui præclarè navali prælio certarunt. memento etiam, si vis, Deorum: Hercules, qui universum orbem terrarum liberaverat, ac terram ferarum sterilem atque ab improbis viris puram reddiderat, qui tellurem omnem & omne æquor audaciæ pervium fieri coëgit; qui ad soli habitabilis terminos columnas suorū facinorum stabilivit, ipse quoque serviit. & cuinam? Eurystheus ipsius herus fuit, qui non Hercule tantum ignobilior, sed & innumeris aliis erat: tulit tamen Hercules domini jussa; & uni corpori servire, calamitatem ferendam existimavit. non es inexpertus, Demosthenes, patrij gentilisque Dei; neque concionum super illo habitarum. serviit Apollo Iovis filius, omnibus hominibus futura prædicens: verumtamen vates & Deus cùm esset, mortalibus serviebat. una cū his Demosthenes numerabitur. *Declamat. 17.*

Libanius: Ac privatim quidem nos cùm benevolos famulos vendimus, cunctamur alibi hos venundare. Et de servitute Demosthenis negotium aliis concedemus? *Declamatione decima septima.*

Eadem: Fit servus etiam aliquis illustris. *Mox:* Est etiam quædam ejuratio famulis quoque jure concessa. *Deinde:* Considerare quo animo & consilio emere velit Demosthenem Philippus: non enim quod famulis indigeat hunc emere contendit. Nam si aliud nihil ipsi bellum donat, servos utique multos dat: ac multi Philippo serviunt, meliores Philippo. alia est hæc ars & commentum, & modus belli novus & facrica. &c. *Post:* Præclarum est à probo servo castigari.

Libanius: Omnes qui præter meritum serviunt, tametsi diffidant, res innovantibus, & servitutem tolerent: quòd sanè rem consentaneam faciant dum se ad ordinem, quem olim tenuerant, reducunt; belli prætextus testificatur. Nam cur Lacedæmonii belligerant, aut nos cum illis? Nonne ut à servitute, cui addicti sunt, ad libertatem proclament? Omnes arbitror id mihi assensuros. Igiturne existimetis eos, qui extra calamitatem sunt, & bellare & aliud quidlibet sustinere; ut qui serviunt, jura nanciscantur: eos verò qui serviunt, ita stolidos esse, ut nunquam velint à dominatu liberari? Ne ista quidem ære empta mancipia pleraque è Caria & Phrygia id facerent, quos pretio deposito adducimus, Cariones & Xanthiones: qui adeò magnanimi esse videntur, ut semper de libertate somnient & vota concipiant. Nec etiam è media Græcia orti Corinthiorum filij, Bacchiadarum genus, Heraclidarum posteri, ita abjectè se gererent, ut servire paterentur. & quanam hæc ratione niterentur? non ergo oportuit adeò ingratos & acerbos dominos esse, ut ad omne facinus ruerent, si quis bona expeteret, quæ à principio habuerat. nam crimen fuit non everso Græciæ, neque insidiæ tenuioribus factæ, neque omnino contumelia & violentia, nec ea quæ nunc Athenienses faciunt; sed libertatis amor, & æqualitatis juris studium; pro quibus etiam cum Barbaris bellum gessimus. *Declamat. 19.*

Libanius: Neq; in privatis ædibus famulos quos furari scimus, & in supellectile malignè se gerere, sinentes ipsos semper aliquid surripere, expectamus ab illis pœnas sumere in senectute: sed confestim castigamus, & compedes, & flagra, & pistrinum in promptu, & cum primum deprehensi sunt torquentur. *Declamat. 29.*

Libanius: Famulorum quidē, in quos prætorio & delatione nihil opus est, sed herorum auctoritate, pistrino, compedibus, flagris, ut cædantur, tundantur, torqueantur; horum, inquam, si scelesti fuerint, mores verberibus non mutaremus. Et Socrates liberorum, fastuque ob nobilitatem tumentium dominus accuratior esset, quàm nos mancipiorum ære emptorum? *Declamat. 29.*

Libanius: Si cui vestrum, Judices, famulus decem drachmas quotidie adferre queat, sed præ segnitie dimidium tantum ferat, nonne hunc flagris cæsum ad pistrinum adigeretis? & tamen tantum abest, ut is bona abstulerit, ut attulerit. in hoc ergo injuriam infert, quia plura non affert. Quin etiam de vitibus conquerimur, quod racemis uvisque non onerentur. & hæ tamen, si vox eis esset concessa, dicere liceret, quod vinum in doliis conditum non disperdant. at nihilominus ideo quod ipsæ deficiunt, officere videntur. *Declamatione trigesima septima.*

Heliodorus: Ceterùm hostibus sese sponte tradere, neutiquam consultum esse censuit. neque enim exploratum esse, an sint illos comprehensos statim interfecturi; neque se cum tam facili ac benevolo numine luctari, ut celerem calamitatum exitum concessurum sit; sed fieri posse, ut ipsos etiam reservare velit servituti. quod qua tandem morte non esset acerbius? barbaris ac sceleratis perditis expositum esse ad injuriam indignam & ominosam; quam omnibus modis, & quoad fieri potest declinemus. *libro quinto Æthiopicorum.*

Heliodorus: Ais bello redactum in servitutem. sed ô Arsace, non jam bellum est sed pax. & illud quidem in servitutem redigere; hæc autem in libertatem vindicare solet. & illud est voluntas tyrannica; hoc vero decretum regium. Denique pacem & bellum, non nominum pondus, sed ratio & constitutio eorum qui utuntur verius judicare solet. *lib. 7. Æthiopic.*

Heliodorus: Addebat prorsus esse expectandum, etiam insidias facturum esse Arsaci Achemenem virum conditione servum (oppositum autem est propemodum in universum id quod subjectum est, ei qui imperium in illud obtinet) injuria præterea affectum, & jurejurando fraudatum. *lib. 7. Æthiopic.*

Heliodorus: Quando captus es bello, servus noster esto. & tu quidem facies quæ supplices solent, nutibus nostris vel invitus obtemperans. *lib. 7. Æthiop.*

Idem statim post pauca: O domina, Deis sit gratia, quod cùm alioqui simus bono genere nati, in ceteris calamitatibus hæc nobis bene cadunt, quod non aliis sed tibi servimus; quæ erga eos qui videntur esse alieni ac peregrini, tantam humanitatem & benevolentiam declarasti.

Exprobandi: cùm eius, qui beneficio à nobis affectus est, factum, cum accusatione insectamur. Oportebat te Nosse teipsum, primùm discere, atque deinde reliquis morosum, difficilemque te præb re. Nunc verò cùm sis à nobis educatus, & nostra opera spiritum hunc ducas, altiora spectas, quàm æquum sit. Verùm hæc nostra culpa est. Tibi enim libertas concedenda non erat. Et iam tametsi manumissus es, tamen ingenium conditionemque servilem obtines. Malè solùm loquere. Nam bene loqui non didicisti. *Ex typo Epist.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Servos cur manumiserit, manifestum est. delectatus est officiis, referre voluit gratiam obsequio. alius ægrum curaverat: alius peregrinantem secutus erat: alius inter tot occupationes domesticas custodierat: alius hoc ipsum fœnus exercuerat. voluit liberos esse quos amaverat, à quibus amatum esse se crediderat. *Declamat. 311. a. f.*

Quintilianus Senior: Etiam si quid peccavi, ignosce: nondum novi mores tuos. novitiis etiam servulis ignoscitur. *Declam. 376.*

Calpurnius Flaccus: Addictus nunquam sperat libertatem: negligenter enim & contumaciter servit, qui servire non novit. *Controversia 14.*

Calpurnius Flaccus: Unum non est in servitute nasci, & libertate mulctari. *Controv. 17.*

Petronius Arbiter: Conclamabo deinde, nocte servos pœnam graviorem timentes præcipitasse se in mare.

Idem post: Flectite ergo mentes satisfactione lenitas, & patimini liberos homines ire sine injuria quo destinant. Sævi quoque implacabilesque domini; crudelitatem suam impediunt, si quando pœnitentia fugitivos reduxit: & dediticiis hostibus parcimus. *Satyr.*

Petronius Arbiter: Video Gythana cum linteis & strigilibus parieti applicitum, tristem confusumque: scires non libenter servire. *Satyrico.*

Petronius Arbiter: Vnus ex novitiis servulis subitò accurrit, & mihi dominum iratissimum esse affirmavit, quod biduo jam officio defuissem: rectè ergo me facturum, si excusationem aliquam idoneam præparassem. vix enim posse fieri, ut rabies irascentis sine verbere consideret.

Quintilianus: Tarda & trepida sunt officia servorum. *Declamat. 2. §. 20. f.*

Plinius: Non mehercule tam mea sunt, quæ mea sunt, quam quæ tua. hoc tamen differunt, quod sollicitius & intentius tui me, quam mei excipiunt. Idem fortasse eveniet tibi, si quando in nostra diverteris; quod velim facias: primum ut perinde nostris rebus, ac nos tuis perfruaris: deinde ut mei expergiscantur aliquando. nam mitium dominorum apud servos ipsa consuetudine metus exolescit: novitatibus excitantur, probarique dominis per alios magis, quam per seipsos laborant. *lib. 1. epist. 4.*

Plinius Iunior: Credo decentes esse servos qui sunt empti mihi consilio tuo, superest ut frugi sint: quod de venalibus, melius auribus quàm oculis judicatur. *lib. 1. epist. 21.*

Plinius Iunior: Largius Macedo rem atrocem à suis passus est servis, superbus alioqui dominus & sævus, lavabatur in villa Formiana. repente eum servi circumsistunt: alius fauces invadit, alius os verberat, alius pectus & ventrem, atque etiam, fædum dictu, verenda contundit; & cùm exanimum putarent, abjiciunt in fervidum pavimentum; ut experirentur an viveret. ille sive quia non sentiebat, sive quia se non sentire simulabat, immobilis & extentus fidem peractæ mortis implevit. tum demum quasi æstu solutus effertur. Excipiunt servi fideliores: concubinæ cum clamore & ululatu concurrunt. ita & vocibus excitatus, & recreatus loci frigore, sublatis oculis agitatoque corpore, vivere se (& jam tutum erat) confitetur. Diffugiunt servi, quorum magna pars comprehensa est: ceteri requiruntur. Ipse paucis diebus ægrè refocillatus, non sine ultionis solatio discessit; ita vivus vindicatus ut occisi solent. Vides quot periculis, quot contumeliis, quot ludibriis simus obnoxii. nec est quod quisquam possit esse securus, quia sit remissus & mitis. nō enim judicio domini, sed scelere perimuntur. *lib. 3. Ep. 14.*

Plinius Iunior: Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, & quidem juvenum. Solatia duo, nequaquam paria tanto dolori, solatia tamen: unum felicitas manumittendi: videor enim non omninò immaturè perdidisse, quos jam liberos perdidi. alterum cùm permitto servis quoque quasi testamenta facere: eaque ut legitima custodio. mandant rogantque quod visum. pareo ocyus. suis dividunt, donant, relinquunt, duntaxat intra domum. nam servis respubl. quædam & quasi civitas domus est. Sed quamquam his solaciis acquiescam, debiliter & frangor eadem illa humanitate, quæ me ut hoc ipsum permitterem induxit. Non ideo tamen velim durior fieri. Nec ignoro alios, hujusmodi casus nihil amplius vocare quam damnum: eoque sibi magnos homines & sapientes videri: qui an magni sapientesque sint, nescio: homines non sunt. hominis enim est affici dolore, sentire: resistere tamē & solatia admittere, non solatiis non egere. *lib. 8. epist. 16.*

Plinius Reddita est amicis fides, liberis pietas, obsequium servis. verentur & parent, & dominos habent. non enim jam servi Principis nostri amici, sed nos sumus, nec Pater patriæ alienis se mancipiis cariorem quàm civibus suis credit. Omnes accusatore domestico liberasti, unoque salutis publicæ signo, illud, ut sic dixerim, servile bellum sustulisti: in quo non minus servis quam dominis præstitisti: hos enim securos, illos bonos fecisti. Non vis interea laudari, nec fortasse laudanda sint, grata tamen recordantibus, Principem illum in capita dominorum servos subornantem, monstrantemque crimina, quæ tanquam delata puniret: magnum & evitabile, ac toties cuique experiendum malum, quoties quisque similes Principi servos haberet. *cap. 42. pan. ad Trajan.*

Symmachus: Est servis familiaris improbitas. *lib. 6. Epist. 8. m.*

Symmachus: Actores absentum, quibus res longinqua remittitur, tanquam soluti legibus vivunt: quoniam procul positis nullas dominorum terror incurrit. Opus est igitur judiciali vigore. *lib. 9. Epist. 6.*

Symmachus: Assiduæ scriptionis nullum potest esse fastidium. Fungor igitur apud te salute dicenda, simulque hortor & deprecor, ut hominum meorum curam gerere non graveris: quib. non solum tribuenda est fiducia, si quid usus desideret, suggerendi, verum etiam necessitas admovenda. Hæc enim est natura servorum, ut adire renuant profuturos, dum culpam suam metuunt deprehendi. *lib. 9. Epist. 50.*

§ POETARUM.

S. Nazianzenus Carm. 1. de reb. suis.

Nam primum imperio famulos constringere, qualis
Exitij laqueus? dominos qui semper acerbos
Oderunt, contraq; pios calcare proterve
Audent, nec pravis placidi, nec jussa bonorum
Explentes, verum male sano in utrosq; furore
Ardentes, odiumq; animis immane gerentes.

Aristophanes Equitibus v. 40.

——Est herus nobis ira ferox,
Esor fabarum, biliosus, vir tribu,
Pycnensis: morosum difficileq; senium,
Surdastrum: qui superiori novilunio
Emit Paphlagona conservum coriarium:
Hominem vaferrimum, delatorem improbum;
Is cùm senis mores haberet cognitos,
Coriarius Paphlago cœpit hero subditus
Esse, illi adulari, morem gerere, undiq;
Assentari: tum insuper in fraudem ducere,
Summis coriorum præsegminibus, & hæc loqui:
O popule Atheniensis, nunc primum lava:
Postquam unum judicasti diem: cibum cape.
Sorbe vinum, comede, habe tibi triobulum.
Vin' cœnam apponam tibi? post nobis omnia
Abripuit, quæ nostrum aliquis hero paraverat:
Et gratiam ab illo inivit. Nam cùm ego in Pylo
Massam aliquam pinsuissem mihi Laconicam:
Homo astutissimè circumivit, clanculum
Surripuit, & a me pistam apposuit pro sua.
Nos autem dimovet: nec alium sinit herum
Observare, manuq; tenens scuticam loream
Stat, & a populo cœnante abarcet Rhetoras.
Canit item oracula: planeq; Sibyllaturit.
Vbi ille illum insanientem conspicit.
Dolum invenit: nam quotquot eramus in domo,
Falsò calumniatur. Ibi tum nos flagris
Afficimur: Paphlago circumcursitans petit
Servos, exterret, munera captat, clamitat:
Videtin' Hylam flagris a me malè domitum?
Nisi me placaveritis, moriemini hodie.
Nos vero illi damus: sin minus, ab improbo
Sene hoc pessundati, cacamus octuplum.

Aristophaues Nubibus pr.

Proh Iupiter rex, quam infinitum hoc noctis est?
Nunquámne lucescet hodie? atqui dudum ego
Galli audivi cantum, & adhuc stertunt servuli.
Sed non licebat antehac ita stertere.
Male pereas, ô Bellum, tum propter alia
Multa mala, tum quod mihi pulsare servulos
Per te non licet.

Aristophanes Pluti versu 1.

Proh Iupiter & Dij, quàm dura est provincia,
Si quis hero desipienti servus serviat.
Nam si optima quaque servus suaserit:
Secus autem hero sint visa: ibi necesse famulum
Fieri malorum participem cum hero suo.
Nam ita iniquè comparatum est, ut sors invida
Ius corporis, non illi qui ipsum possidet.

Aristophanes Pluto v. 24.

——Quia fidelis sum tibi,
Ideo tam sollicitè quæ sunt in rem tuam
Inquiro.

Aristophanes Ranis. 745.

Hoc servi facinus fecisti, quod, ego cum ago
Lætor. X. lætarisne obsecro? ÆE. prætor aliquis
Mihi videor, cùm diris clam devoveo herum.
X. Etiam ne cùm dissimulas te audire cum heri loquuntur?
Æ. admodum. X etiamne cùm audita eliminas?
ÆE. Imò id cùm ago, ita gestio, ut qui somniant se amplecti amicam.

Aristophanes Ranis. v. 987.

——Ego servulis prudentiam
Nunc indidi atq; industriam
Peritiamq;: ut omnia
Dispicere, & nosse possient,
Et tum alia, tum domestica
Nunc administrare melius,
Et cogitare: quomodo
Hoc habet? ubi hoc? quis abstulit?
BA. Ita per Deos: & jam proin'
Vt quilibet intrat in domum:
Proclamat ad servos suos,
Rogatq;, ubi est fidelia?
Quis devoravit hic caput.
Mana? catinus proximo
Anne emptus interiit? ubi
Est allium hesternum? cedò.
Oleam quis hanc deglutijt?
Sic stultiores reddidi
Nunc desident, & ore hiant
Mammacythi & Melitidæ.

Nonnus lib. 47. Dionysiac.

Accipe me tuorum thalamorum cubiculariam, si voles,
Et sternam tuos lectos post Cretensem Ariadnam,
Tanquam præda capta, & fidelissima tua Nympha?
Tolerabo tanquam famula multisonam telam texere.
Et invidis humeris insuetam situlam tollere,
Et dulci Theseo adferre supercanalem aquam:
Tantummodo videam Thesea.

Plautus Amphitr. 1. sc. 1.

Opulento homini hoc magis servitus dura est:
Noctes diesq; assiduo satis superq; est
Quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis.
Ipse dominus, dives, operis & laboris expers,
Quodcumq; homini accidit, libere posse retur,
Æquum esse putat. non reputat laboris quid sit.
Nec, æquum anne iniquum imperet cogitabit.
Ergo in servitute expetunt multa iniqua.
Habendum & ferendum hoc onus cum labore.

Plaut. Amphitr. 3. sc. 3.

—— *Iam pax est inter vos quaeso duos?*
Nam quia vos tranquillos video; gaudeo & volupe est mihi,
Atq; ita servum par videtur frugi sese instituere;
Proinde heri ut sint, ipse item sit: vultum ex vultu comparet:
Tristis sit, heri si tristes; hilarus sit, si gaudeant.

Plautus Asinariae 1. sc. 1. v. 105.

Non esse servus pejor hoc quisquam potest,
Nec mage versutus, nec quo ab caveas agrius.
Eidem homini, si quid recte curatum velis,
Mandes: moriri sese misere mavolet.
Quàm non perfectum reddat, quod promiserit.

Plautus Asinariae 2. sc. 1.

Quin tu abs te socordiam omnem rejice, & segnitiē amove;
Atq; ad ingenium vetus versutum te recipis tuum:
Serva herum: cave tu idem faxis alij quod servi solent,
Qui ad heri fraudationem callidum ingenium gerunt.

Plautus Asinariae 2. sc. 2. v. 40.

Va tibi! L. hocce testamento servitus legat tibi.

Plautus Asinariae 2. sc. 4. v. 13.

Vtinam nunc stimulus in manu mihi sit. M. quiesce quaeso!
L. Quei latera conteram tua, qua occalluere plagis.
Abscede, & sine me hunc perdere, qui semper me incēdit ira;
Cui nunquam unam rem me licet semel pracipere furi,
Quin centies eadem imperem atq; oggamiam. itaq; jam hercle
Clamore ac stomacho non queo labori suppeditari.
Iussin' sceleste ab janua hoc stercus hinc auferri?
Iussin columnis dejici operas aranearum?
Iussine in splendorem dari bullas has foribus nostris?
Nil est: tanquam si claudus sim, cum fusti est ambulādum.
Quia triduum hoc unum modò foro operam assiduam dedi
Dormitis interea domi, atq; herus in hara, haud in aedibus habitat.

Plautus Asinariae 2. sc. 4. v. 64.

Nimis iracunde! non decet superbum esse hominem servum.

Mox v. 70.

—— *Quae res? tun' libero homini*
Male servus loquere?

Plautus Asinariae 3. sc. 2. v. 11.

—— *Qui me vir fortior est ad sufferendas plagas?*
Li. Edepol virtutes qui tuas nunc possit collaudare,
Sicut ego possim, qua domi duelliq; male fecisti,
Na illa edepol pro merito nunc tuo memorari multa possint.
Vbi fidentem fraudaveris, ubi hero infidelis fueris.
Vbi verbis conceptis sciens libenter perjuraveris.
Vbi parietes perfoderis, in furto ubi sis prehensus.
Vbi sape causam dixeris, pendens adversus octo
Astutos, audaces viros, valentes virgatores
Li. fateor profectò, ut pradicas, Leonida, esse vera.
Verùm edepol na etiam tua quoq; malefacta iterari multa
Et vero possunt, ubi sciens fideli infidus fueris.
Vbi prehensus in furto sis, & manifesto verberatus,
Vbi perjuraris, ubi sacro manus sis admolitus,
Vbi heris damno molestiae & dedecori sape fueris,
Vbi creditum tibi quod sit, tibi datum esse pernegaris,
Vbi amica quàm amico tuo fueris magis fidelis,
Vbi sape ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictores ulmeis affectus lentis virgis.
Num malè relata est gratia? ut collegam collaudavit!
LE. Vt meq; teq; maximè, atq; ingenio nostro decuit.

Plautus Asinariae 3. sc. 3. v. 60.

Primùm omnium servos tuos nos esse non negamus.
Sed si tibi mina viginti argenti proferentur,
Quo nos vocabis nomine? A. libertos. L. non patronos?
A. Id potius. L. viginti mina hic insunt in hac crumina.
Has ego si vis tibi dabo. A. dij te servassint semper,
Custos herilis, decus populi, thesaurus copiarum,
Salus interioris corporis, amorisq; imperator;
Heic pone, heic istam colloca cruminam in collo planè.
L. Nolo ego te, quin herus sis mihi, onus istud sustinere.
Ego bajulabo: tu ut decet dominum, ante me ito inanis.

Ibidem versu 100.

—— *Mihi trade istuc. magis decorum est,*
Libertum potius quam patronum onus in via portare.

Plautus Aululariae 4. sc. 1. pr.

Hoc est servi facinus frugi, facere quod ego persequor.
Ne mora molestiaeq; imperium herile habeat sibi.
Nam qui hero ex sententia servire servus postulat,
In herum matura, in se sera condecet capessere.
Sin dormitet, ita dormitet, servum sese ut cogitet.
Nam qui amanti hero servitutem servit, quasi ego servio;
Si herum videt superare amorem, hoc servi esse officiū reor,
Retinere ad salutem; non eum quo incumbat eò impellere.
Quasi pueri qui nare discunt, scirpea inducitur ratis,
Quei laborent minus, facilius ut nent, & moveant manus.
Eodem modo servum ratem esse amanti hero aequum cēseo,
Vt toleret, ne pessum abeat, tanquam ....
Herile imperium discat, ut quod frons velit, oculi sciant;
Quod jubeat citis quadrigis citius properet persequi.
Qui ea curabit, abstinebit censione bubula;
Nec sua opera rediget unquam in splendorem compedes.

Plautus Aulular. 4. sc. 7. v. 16.

Strobilum miror ubi sit; quem ego jusseram
Illic opperiri. nunc ego mecum cogito;
Si mihi dat operam, me illi irasci injurium est.

Plautus Bacchid. 4. sc. 4 pr.

Hunc hominē decet auro expendi: huic decet statuam statui ex auro.
Nā duplex hodie facinus feci: duplicib. spoliis sum affectus.
Herum majorē meum ut ego hodie lusi lepide! ut ludificatus est!
Callidum senem callidis dolis compuli & perpuli, mihi omnia ut crederet.
Nunc amanti hero, filio senis, quicū ego bibo. quicum edo, & amo,
Regias copias aureasq; obtuli, ut domo sumeret, neu foris quaereret.
Non mihi isti placent Parmenones, Syri; qui duas aut tres minas
Auferunt heris. nequius nihil est, quam egens consilij servus; nisi habet
Multipatēs pectus, ubicunq; usus siet, pectore expromat suo.
Nullus frugi esse potest homo, nisi qui & bene & malefacere tenet;
Improbis cū improbus sit, harpaget; furib. furetur ꝙ queat.
Versipellem frugi convenit esse hominem, pectus cui sapit.
Bonus sit bonis, malus sit malis, utcunq; res est, ita animum habeat.

Plautus Bacchid 4. sc. 6. v. 19.

—— *Vbi gnatus ipse est? C. nescio*
Nihil jam me oportet scire: oblitus sum omnia.
Scio me esse servum: nescio etiam id quod scio.

Plautus Bacchid. 4. sc. 8. v. 82.

Lippi illic oculi servus est simillimus,
Si non est; nolis esse, neq; desideres:
Si est; abstinere quin attingas non queas.

Plautus Bacchid. 4. sc. 9. v. 70.

—— *Animum adverte igitur.*
C. Nolo inquam. N. at volo inquam. C. quid opus est? N. etenim id quod jubeo facias.
C. Gustum est, tuus tibi servus tuo arbitratu serviat.

Plautus Captivis 2. sc. 1. pr.

Si Dei immortales id voluerunt vos hanc arumnā exequi,
Decet id pati aequo animo. si id facietis levior labos erit.
Domi fuistis credo liberi.
Nunc servitus si evenit, ei vos morigerari mos bonus est,
Eamq; herili imperio ingenijs vestris levem reddere.
Indigna digna habenda sunt herus quae facit.
Ejulatione haud opus est, oculis multam miseriam additū.
In re mala, animo si bono utare adjuvat.

Plautus Captivis 2. sc. 3. v. 11.

Tute tibi ea tuopte ingenio prodes plurimum;
Cùm servitutem ita fers, uti ferre decet.

Eodem versu 25.

Philocrates, ut adhoc locorum feci, faciam sedulò,
Vt potissimum quod in rem rectè conducat tuam,
Id petam, idq; persequar corde, & animo, atq; viribus.
T. Facis ita ut te facere oportet.

Adhuc versu 41.

—— *Me hic valere, & tute audacter dicito*
Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili,
Neq; te commeruisse culpam, neq; me adversatum tibi;
Beneq; hero gessisse morem in tantis arumnis tamen.
Neq; me me unquam deseruisse te, neq; factis neq; fide,
Rebus in dubijs, egenis. hac pater quando sciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga suum gnatum atq; se,
Nunquam erit tam avarus, quin te gratis emittat manu.

Mox versu 55.

Meritò tibi ea evenere a me. nam nunc Philocrates,
Si ego item memorem quae erga me multa fecisti bene,
Nox diem adimat. nam si servus meus esses, nihilo secius
Obsequiosus mihi semper fuisti. H. Dij vestram fidem.
Hominum ingenium liberale! ut lacrimas excutiunt mihi.

Videas corde amare inter se. quantis laudibus suum herum
Servus collaudavit? P. pol istic haud me centesimam
Partem laudat, quam ipse meritus est; ut laudetur laudibus
H. Ergo cum optimè fecisti, nunc adest occasio
Benefacta cumulare, ut erga hunc te geras fideliter.
P. Magis non factum possum velle, quã opera expertar persequi
Id ut scias, Iovem supremum testem laudo Hegio,
Me infidelem non futurum Philotrati. H. probus es homo.
P. Nec me secus unquam ei facturum quam memet mihi.
T. Istac dicta te experiri & operis & factis volo.

Plautus Captivis 3. sc. 4. v. 59.

Pergin servum me exprobrare esse, id quod vi hostili obtigit?

Ibidem versu 87.

Sed hoc primum me expurgare tibi volo, me insaniam
Neq; tenere, neq; mihi esse morbum, nisi quod servio.

Plautus Captivis 3. sc. 5. v. 17.

Confecisti omnes res ac rationes meas;
Ita mihi exemisti Philocratem fallaciis.
Illum esse servum credidi, te liberum.
Ita vosmet ajebatis, itaq; nomina
Inter vos permutastis. T. fateor omnia.
Facta esse, ita ut tu dicis, & fallaciis
Abiisse eum abs te, mea opera atq; astutia.
An obsecro hercle te, id nunc succenses mihi?
H. At cum cruciatu maximo id factum est tuo.
T. Dum ne ob malefacta peream, parvi id æstimo.
Si ego hic peribo, & ille, ut dixit, non redit,
At erit mihi hoc factum mortuo memorabile,
Meum herum captivum ex servitute atq; hostibus
Reducem fecisse liberum in patriam ad patrem,
Meumq; me potius caput periculo
Præoptavisse, quam is periret, ponere.
Facito ergo ut Acherunti clueas gloria.
T. Qui per virtutem perbitat, non interit.

Eadem scena v. 45.

Vetuin' te quicquam hodie mihi falsum proloqui?
T. Vetuisti. H. cur es ausus mentiri mihi?
T. Quia vera obessent illi cui operam dabam.
Nunc falsa prosunt. H. at tibi oberunt. T. optimè est.
At herum servavi, quem servatum gaudeo?
Cui me custodem addiderat herus major meus.
Sed malène id arbitrare factum? H. pessimè.
T. At ego ajo rectè, qui abs te seorsum sentio.
Nam cogitato, si quis hoc gnato tuo
Tuus servus faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteres ne nec ne, eum servum manu?
Esset-ne apud te is servus acceptissimus?
Responde. H. opinor. T. cur ego iratus mihi es?
H. Quia illi fuisti quàm mihi fidelior.
T. Quid? tu una nocte postulavisti & die
Recens captum hominem nuperum,
Te perdocere, ut melius consulerem tibi,
Quàm illi quicum una puer ætatem exegeram?

Plautus Captivis 5. sc. 1. v. 18.

Postulo abs te, ut mihi illum reddas servũ, quem hic reliquerã
Pignus pro me, qui mihi melior quam sibi semper fuit;
Pro benefactis ejus uti ei precium possim reddere.

Plautus Casinæ 2. sc. 4. v. 4.

Primum ego te porrectiore fronte volo mecum loqui.
CH. Stultitia est ei te esse tristem, cujus potestas plus valet.

Plautus Casinæ 5. sc. 3. v. 9.

Sed ecquis est, qui homo munus velit fungier pro me?
Quid nunc agam nescio, nisi ut improbos famulos imiter, ac domo fugiam.
Nam salus nulla est scapulis. si domum rediero.
Nugas istic dicere licet. vapulo ego herclè invitus tamen,
Etsi malum merui. hac dabo protinam me in fugam.

Plautus Curcul. 2. sc. 3. v. 20.

Rectè hic monstrat, se imperare posse. nam ita nunc mos viget
Ita nunc servitium est; profectò modus haberi non potest.

Plautus Curcul. 5. sc. 2. v. 9.

Libera ego sum nata. C. & alii multi qui nunc serviunt.

Plautus Epidici. 1. sc. 1. v. 57.

—*Sed taceam optimum est. plus scire satius est quam loqui*
Servum hominem, ea sapientia est.

Plautus Epidici. 3. sc. 1. v. 6.

—*Si hercle ego illum semel prehendero*
Numquam irridere nos illum inultum sinam, servũ hominem.

Ibidem 3. sc. 2. v. 12.

Dum tibi ego placeam atq; obsequar meum tergũ flocci facio.

Plauti Menæchmis 2. sc. 1. v. 24.

Dictum facessas doctum. & discaveas malo.
Molestus ne sis: non tuo fiet modo. M. hem!
Illoc enim verbo esse me servum scio.
Non potuit paucis plura planè proloqui.

Plautus Menæchmis 5. sc. 6. pr.

Spectamen bono servo id est, qui rem herilem
Procurat, videt collocat, cogitatq;
Vt absente hero rem heri diligenter
Tutetur, quàm si ipse adsit, aut rectius.
Tergum quàm si gulam, crura quam ventrem oportet
Potiora esse. cui cor modestè situm est,
Recordet id, qui nihili sunt, quid iis precii
Detur ab suis heris, ignavis, improbis
Viris verbera, compedes, mola, magna
Lassitudo, fames, frigusq; durum:
Hæc precia sunt ignaviæ.
Id ego malè malum metuo. propterea bonum
Esse certum est potius quàm malum. nam magis multò
Patior facilius verba: verbera ego odi;
Nimioq; edo libentius molitum, quàm
Molitum præhibeo. propterea heri imperium
Exequor bene, & sedatè servio.
Atq; id mihi prodest, alii ita, suam in rem
Esse ducunt, sint ego ita ero, ut me esse oportet;
Metum ut adhibeam mihi, culpa ut abstineam;
Heroq; ut omnibus in locis sim præsto.
Servi qui culpa carent & metuunt, ii
Solent esse heris utibiles. nam illi qui nihil
Metuunt postquam malum promeritum est, metuunt:
Metuam ego haud multum quidem prope est, quando
Herus, quod strenuè faciam, precium exsolvet.
Ego hoc exemplo servio, terpo ut in rem esse arbitror.

Plautus Menæchmis 5. sc. 7. v. 19.

—*Nunc obsecro te, operam ut des mihi;*
Neu sinas in me insignitè fieri tantam injuriam.
M. Imo & operam dabo, & defendam, & subvenibo sedulò.
Nunquam te patiar perire: me perire est æquius.

Plautus Menæchmis 5. sc. 8. v. 6.

Ob eam rem, quia te servavi, me amisisti liberum.

Plautus Mercatore 2. sc. 3. v. 62.

—*Non hæc nostra formam habet dignam domo.*
Nil opus nobis ancilla, nisi quæ texat, quæ molat,
Lignum cædat, pensum faciat, ædes verrat, vapulet;
Quæq; habeat cotidianum familiæ coctum cibum.
Horum illa nihilum quidquam facere poterit comes:
Neq; sinam. C. quei verò. D. quia illa forma materfamilias
Flagitium sit, si sequatur, quando incedat per viam,
Contemplent, conspiciant omnes, nutent, nictent, sibilent;
Vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium:
Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus:
Atq; ut nunc sunt maledicentes homines, uxori meæ
Mihiq; objicient lenocinium facere. nam quid est opus?
C. Hercle quin tu rectè dicis, & tibi assentior ego.
Sed quid illa nunc fiet? D. recte. ego emere matri tuæ
Ancillam viraginem aliquam non malam, forma mala;
Vt matrem addecet familias, aut Syram, aut, AEgyptiam:
Ea molet, conficiet pensum, pinsetur flagro, neq;
Propter eam quicquam eveniet nostris foribus flagitii.

Plautus Mercat. 2. sc. 5. p.

—*Mea es tu. sequere sanè*
Ne plora nimis, stulte facis: oculos corrumpis tales.
Quid est tibi? quod redeas magis est quàm ut lamentere.
P. Amabo ecastor, mi senex, eloquere. L. exquire quidvis.
P. Cur emeris me? L. tene ego? ut quod imperetur facias:
Item quod tu mihi imperes ego faciam. P. facere certum est;
Pro copia & sapientia, quæ te velle arbitrabor.
L. Laboriosè nihil tibi quidquam operis imperabo.
P. Namq; edepol equidem, mi senex, non didici bajulare,
Nec pecua ruri pascere, neq; pueros nutricare.
L. Bona si esse vis, bene erit tibi. P. tum pol ego perii misera.
L. Quei? P. quia illic unde avecta huc sum, malis bene esse solitum est.
Nec mos meus est, ut prædicem, quod ego omnes scire credam.
L. Oratio edepol pluris est hujus, quàm quanti hæc empta est:
Quasi dicas nullam mulierem bonam esse.

Plautus Militis 1. sc. 1. v. 40.

Facetè advertis animum tuum ad animum meum.
A. Novisse mores me tuos meditatè decet,
Curamq; adhibere, ut prævolet mihi, quod tu velis.

Plautus Milite 2. sc. 5. v. 65.

—*Quid propius fuit,*
Quàm ut perierem, si locutus fuissem hero? P. ergo si sapis,
Mussitabis. plus oportet scire servum quàm loqui.

Ibidem 2. sc. 6. v. 1.

Satin' abiit ille, neq; herile negotium
Plus curat, quam si haud servitutem serviat?

Plautus Milite 2. sc. 6. v. 80.

—*At non malitiosè tamen*
Feci. P. imò indignè namq; hominem servum suos
Domitos habere oportet oculos & manus,
Orationemq;.

Plautus Mostellar. 3. sc. 3. v. 20.

Egone te joculo modò ausim dicto aut facto fallere?
T. Egóne abs te ausim non cavere ne quid committam tibi?
TR. Qui tibi nunquam quidquam, postquam tuus sum, verborum dedi.
T. Ego enim rectè cavi. TR. eam mihi debes gratiam atq; animo meo.
T. Sat sapio, si abs te modò uno caveo.

Plautus Mostellariæ 4. sc. 1. pr.

Servi qui culpa carent, tamen malum
Metuunt, hi solent esse heris utibiles.
Nam illi qui nihil metuunt, postquam sunt malum
Meriti, stulta sibi expetunt consilia
Exercent sese ad cursuram: fugiunt. sed
Hi, si reprensi sunt, faciunt a malo
Peculio quod nequeunt facere de suo.
Augent ex paxillo, thesaurum inde parant.
Mihi in pectore consilij quod est,
Lubet cavere malam rem prius,
Quam ut meum tergum exsinceratum fiat.
Vt adhuc fuit, mihi corium esse oportet
Sincerum, atq; uti vetem verberari.
Si huic imperabo, probè tectum habebo:
Malum ut cùm impluit ceteris, non impluat mihi.
Nam ut servi volunt esse herum, ita solet esse.
Bonis boni sunt: improbi, qui malus fuat.
Nam nunc domi nostra tot pessimi vivunt,
Peculij sui prodigi, plagigeruli, &c.

Plautus Mostellar. 4. sc. 2. v. 75.

Mihi nisi herum me tuam & curem, nihil est qui tergum tegã,

Plautus Persa 1. sc. 1. v. 7.

Qui hero suo servire vult bene servus servitutem,
Næ edepol illum multa in pectore suo collocare oportet,
Quæ hero placere censeat præsenti atq; absenti suo.
Ego neq; libenter servio, neq; satis sum hero ex sententia:
Sed quasi lippo oculo me herus meus manum abstinere haud quit tamen;
Quin mihi imperet, quin me suis negocijs præfulciat.

Plautus Persa 2. sc. 3. v. 12.

Nunc & amico meo prosperabo: & Genio meo multa bona faciã.
Diu quod bene erit, die uno absolvam. tax, tax tergo meo erit? non curo.
Nã id demũ lepidũ est, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos
Bene admordere, qui salivum servo obsignant cum sale.
Virtus est, ubi occasio admonet, dispicere. quid faciet mihi?
Verberibus cædi jusserit, compedes imponi, vapulem;
Ne sibi me credat supplicem fore. væ illi! mihi jam nihil novi
Offerri potest, quin sim peritus.

Idem 2. sc. 4. v. 2.

——*Ausculta. P. emere oportet quem tibi obedire vis.*

Plautus Persa 3. sc. 1. v. 33.

——*Cogita hoc verbum, pater,*
Herus si minatus est malum servo suo,
Tametsi id futurum non est, ubi captum est flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta afficitur miseria?
Ego nunc quod non futurum est, formido tamen.

Plautus Persa 3. sc. 3. v. 13.

Sine respirare me, tibi ut respondeam.
Vir summe populi, stabulum servitricium,
Scortorum liberator, subiculum flagri,
Compedium triptor, pistrinorum civitas,
Perenniserve, lucro, edax, fugax,
Cedo sis mihi argentum.

Plautus Persa 4. sc. 4. v. 63.

——*Quamquam ego serva sum,*
Scio ego officiũ meum, ut quæ rogiter, vera, ut accepi, eloquar.
T. Virgo, hic homo probus est. V. credo. T. nõ diu apud hũc servies.
V. Ita pol spero, si parentes facient officium suum.

Mox versu 69.

Servitus mea mihi interdixit, nequid mirer malum meum.

Plautus Pœnulo 1. sc. 1. pr.

Sæpe ego res multas tibi mandavi, Milphio,
Dubias, egenas, inopiosas consilij,
Quas tu sapienter, doctè & cordatè & catè
Mihi reddidisti opiparas opera tua.
Quibus pro benefactis fateor deberi tibi
Et libertatem, & multas grates gratias.

Plautus Pœnulo 5. sc. 2. v. 5.

——*Si frugi esse vis,*
Eas liberali jam asseres causa manu.
Nam tuum flagitium est, tuas populares te pati
Servire ante oculos, domi quæ fuerint liberæ.

Plautus Pœnulo 5. sc. 4. v. 29.

Non eo sumus genere prognatæ tametsi sumus servæ, soror,
Vt deceat facere nos quidquam, quod homo quisquam irrideat.

Plautus Pseudoli 1. sc. 2. pr.

Exite, agite, ite ignavi, male habiti, & male conciliati,
Quorum nunquam quidquam cuiquam venit in mentem, ut rectè faciant.
Quibus nisi ad hoc exemplum experior, non potest usurpari usura.
Neque ego homines magis asinos unquam vidi, ita plagis costæ callent.
Quos dum ferias, tibi plus noceas. eo enim ingenio hi sunt flagritribæ.
Qui hæc habent consilia, ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga,
Bibe, es, fuge; hoc est eorum opus:
Vt mavelis lupos apud oves linquere, quam hos domi custodes.
At faciem cùm aspicias eorum, haud mali videntur; opera fallunt.

Eodem, versu 16.

Verùm ita vos estis perditi, negligentes, ingenio improbo,
Officium vestrum ut vos malo cogatis commonerier.

Idem versu 20.

——*Plagigera genera hominum*
Nunquam edepol vestrum durius tergum erit, quàm terginum hoc meum.
Quin nunc dolêtne? hem! sic datur, si quis herum servus spernit.

Plautus Pseudolo 1. sc. 5. v. 56.

Age loquere quidvis; tametsi tibi succenseo.
S. Mihin' domino servus tu succenses? P. jam tibi
Mirum id videtur? S. hercle cui, ut tu prædicas,
Cavendum est mihi ex te irato. atq; alio tu modo
Me verberare, atq; ego te soleo, cogitas.

Plautus Pseudolo 1. sc. 5. v. 75.

——*Cur hæc, tu ubi rescivisti illicò,*
Celata me sunt? cur non rescivi? P. eloquar:
Quia nolebam ex me morem prægigni malum,
Gnatum ut servus suum criminarer apud patrem.

Mox versu 82.

——*Animum adverte nunc jam,*
Quapropter te expertem amoris gnati habuerim.
Pristinum in mundo scibam, si id faxem, mihi.
S. Non à me sciebas pristinum in mundo tibi?
Cùm ea mussitabas? P. sciebam. S. cur non dictum est mihi?
P. Quia aliud malum aderat; istuc aberat longius.
Illud erat præsens, hoc erat diecula.

Plautus Pseudolo 4. sc. 6. pr.

Malus & nequam est homo, qui nihili imperium heri
Sui servus facit: nihili est autem suum
Qui officium facere immemor est, nisi admonitus.
Nam qui liberos esse illicò se arbitrantur,
Ex conspectu heri si sui se abdiderunt,
Luxuriantur, lustrantur, comedunt quod
Habent, ij nomen diu servitutis ferunt.
Nec boni ingenij quidquam in his inest, nisi ut improbis
Se artibus teneant. cum his mihi nec locus nec sermo
Convenit; neq; his unquam nobilis fui.
Ego ut imperatum est, etsi abest, hic adesse herum
Arbitror: nunc ego illum metuo, cùm hic non adest;
Ne cùm adsiet, metuam.

Plautus Rudente 1. sc. 2. v. 24.

Peculiosum eum esse decet servum & probum,
Quem hero præsente prætereat oratio.
Aut qui inclementer dicat homini libero.

Plautus Rudente 1. sc. 2. v. 30.

——*Isti infortunium,*
Qui præfestinet, ubi herus adsit, præloqui.

Plautus Rudente 1. sc. 3. v. 34.

Hæc parentes haud mei scitis miseri,
Me nunc miseram ita esse uti sum. libera ego
Prognata fui maximè. nequicquam fui,
Numqui minus servio, quàm si forem serva nata?
Neq; quidquam unquam ijs profui, qui me sibi eduxerunt.

Plautus Rudente 5. sc. 3. v. 29.

Promisisti huic argentum? L. fateor. D. quod servo meo

Promisisti, meum esse oportet, ne tu leno postules
Te hic fide lenonia uti, non potes.

Plautus Sticho 1.sc.2.pr.

Qui manet ut moneatur semper servus homo officium suum
Nec voluntate id facere meminit servus, is habitu haud probus est.
Vos meministis quot Kalendis petere demensum cibum,
Quei minus meministis, quod opus sit facto, facere in ædibus?
Iam quidem in suo quidq; loco nisi erit mihi situm supellectilis,
Cùm ego revertar, vos monumentis cōmonefaciam bibulis.
Non homines habitare mecum mihi videntur, sed sues.
Facite sultis, nitidæ ut ædes meæ sint, cùm redeam domum.
Iam ego domi adero.

Plautus Sticho 3.sc.1 v.37.

Atq; id vos ne miremini, homines servulos
Potare, amare, atq; ad cœnam conducere:
Licet hoc Athenis nobis.

Plautus Sticho.5.sc.4.v.10.

Sat est servo homini modestè melius facere sumptum quàm ampliter.
Suum quemq; decet. quibus divitiæ domi sunt, scaphio, & cantharis,
Batiolis bibunt. nos nostro Samiolo poterio
Tamen vivimus: nos tamen efficimus pro opibus nostris mœnia.

Plautus Trinummo 4.sc.3.v.54.

Emere melius est, cui imperes. C. pol ego emi, atq; argentum dedi.
Sed si non dicto audiens es, quid ago? S. da damnum malum.
C. Bene mones: ita facere certũ est. S. nisi quidē es obnoxius.
S. Si bonus es, obnoxius sum: sin secus es, faciam ut jubes.

Terentius Adelph.5.sc.6.

—— Geta, hominem maximi
Pretij esse hodie te judicavi animo meo.
Nam is mihi est profectò servus spectatus satis,
Cui dominus curæ est, ita ut tibi sensi, Geta.

Terentius Actu 1.sc.1.Andriæ.

Nihil istac opus est arte ad hanc rem quam paro,
Sed ijs, quas semper in te intellexi sitas,
Fide & taciturnitate. So. expecto quid velis.
SI. Postquam te emi à parvulo, ut semper tibi
Apud me justa, & clemens fuerit servitus,
Scis. feci è servo ut esses libertus mihi;
Propterea quod serviebas liberaliter.
Quod habui summum pretium, persolvi tibi.

Terentius Andria 1.sc.1.

Davum ego credo manibus pedibusq; obnixè omnia
Facturum; magis id adeò mihi ut incommodet,
Quam ut obsequatur gnato. SO. quapropter? SI. rogas?
Mala mens, malus animus.

Terentius Andriæ 3.sc.4.

Ego dudum nōnihil veritus sum Dave abs te, ne faceres idē.
Quod vulgus servorum solet, dolis ut me deluderes.

Terentius Andriæ 4.sc.2.

Ego Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesq; & dies
Capitis periculum adire dum prosim tibi.
Tuum est, si quid præter spem evenit, mihi ignoscere.
Parum successit quod ago. at facio sedulò.

Terentius Heautontim. 3.sc.2.

Eho quæso! laudas qui heros fallunt? CH. in loco
Ego verò laudo. S. rectè sanè. CH. quippe quia
Magnarum sæpe id remedium ægritudinum est.
S. Iocóne an serio illæc dicat, nescio;
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.

Terentius Phorm 1.sc.5.

Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Servum hominem causam orare leges non sinunt:
Neq; testimonij dictio est.

Martialis lib.2.Epigr.18.

Esse sat est servum: jam nolo vicarius esse.
Qui rex est regem, Maxime, non habeat.

Idem lib. 2. Epig.32.

Non bene, crede mihi, servo servitur amico.
Sit liber, dominus qui volet esse meus.

Idem lib.2 Epigr.68.

Reges ut dominos habere debet,
Qui se non habet; atq; concupiscit
Quod reges dominiq; concupiscunt.
Servum si potes, Ole, non habere,
Et regem potes, Ole, non habere.

Ausonius Epig. 134.

Deformis uxor, cui sit ancilla elegans;
Vxorem habere, subigere ancillam velit.

Ausonius de Luciolo Rhetore.

Comis convivis: nunquam inclamare clientes:
Ad famulos nunquam tristia verba loqui.

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 90. Canis & Venatoris.

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis, cùm domino semper fecisset satis,
Languere cœpit annis ingravantibus.
Aliquando objectus hispidi pugnæ suis,
Arripuit aurem. sed cariosis dentibus
Prædam dimisit. hic tunc Venator dolens,
Canem objurgabat. cui senex contra latrans:
Non te destituit animus, sed vires meæ.
Quod fuimus laudas, jam damnas quod sumus.
Hoc cur, Philete, scripserim pulcrè vides.

Babrias. Περὶ θηρῶν καὶ ὀρνέων μάχης καὶ Στρουθοῦ.

Πᾶσι πεφύκει θηρσὶ καὶ πτηνοῖς μάχη,
Ηλω Λίβυσσα Στρουθὸς, ἣ τοὺς δ' ἐπλάνα,
Εἶναι μὲν ὄρνις ἐκ μέρους δὲ θηρίον,
Πτηνοῖς κάραν δεικνῦσα, τοῖς θηρσὶ πόδας.

Επιμύθιον.

Πρὸς τοὺς δυσὶ κυρίοις δουλεύοντας, καὶ πλανῶντας ἀμφοτέρους.

De pugna ferarum ac volucrium, & Struthione.

Omnes inter se feræ & volucres concertabant,
Capta est Struthio Libyca, quæ hasce decipiebat.
Esse quidem avis, ex parte verò fera,
Volucribus caput, feris pedes ostendens.

Affabulatio.

Adversus eos, qui duobus serviendo dominis utrosq; decipiunt.

De Asino & Vitulo. Fab. 8.

Asinus & vitulus in eodem pascentes prato, sonitu campanæ hostilem exercitum adventare præsenserant. Tum vitulus, fugiamus hinc ô sodalis, inquit, ne hostes nos captivos abducant. Cui asinus, fuge tu, inquit, quem hostes occidere & esse consueverunt. Asini nihil interest, cui ubique eadem ferendi oneris est proposita conditio.

Hæc fabula servos admonet, ne dominos magnopere mutare formident, modo prioribus deteriores futuri non sint. Laur. Abstemius.

De sacerdote, qui turdos puero suo assandos dederat. Fab. 130.

Sacerdos gulæ deditus, decem turdos pingues veru infixos, puero suo assandos dederat, dicens, oportere ab illo omnes ad unum edi, si in cinerem dejiceret. Quum paulò pòst rediisset (fuerat enim ad quædam negocia expedienda profectus) reperit puerum eiulantem. Qui interrogatus cur fleret, respondit, quia non potuisset nisi novem comesse, quum in cinerem decidissent, rogareque ne alium tunc esse cogeretur, quoniam satis superque venter sibi turgidus esset. Sacerdos irritatus quum pueri amentia, tum quia se cœna privatum conspiciebat, educto extra limen domus puero, ostendit ei tres vias, dicens: elige quam vis, hic pernoctaturus non es.

Fabula indicat, amentes servos domi non habendos. Laur. Abstemius.

¶ Emblematum.

Had. Junius Emblemate LVI.

Luscinia veris nuntia,
Mutescit inclusa cavea.
Est servitus scrinium animi,
Linguamq; vinclo præpedit.

Camerarius XLV. Centur.3.

Humanas depromit voce loquelas. *Psittacus.*
Humana mihi quid prodest lingua æmula vocis,
Cum cantem domini carmina sola mei?

Jac. Catsius Emblemate sacro XIII.

Bonorum servitus, libertas. *Psittacus.*
Ad strepitum folij trepidum me silva videbat?
Ne caperer, timido pectore semper eram.
Carcere nunc claudor; sed an hoc est carcere claudi?
Ianua sæpe patet, nec juvat ire foras.
Vincla placent; mihi dulce jugum est, mihi carcer amœnus.
Ah! dum vita foret libera, servus eram.

Libertas servire Deo est huic subdere discat,
Qui sibi servari libera colla velit.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

S. Tiburtius: Bonum, etiam si servit, liberum dicebat Augustinus. neque enim ea servitus æstimanda, quę bonis ac timoratis cum ratione impenditur. Quare ab Almachio Præfecto castigatus Tiburtius, quòd Principum sententiis damnatos, honore sepulturę afficeret; rogatusque cur contra legem datam illud præsumeret; respondit: *Quia quos ipsi Principes pro Christo damnandos judicant, eorum nos servi esse volumus.* Metaphrast. in Vita.

Ludovicus XII. Gall. Rex. Debere autem servos omni honore prosequi dominos suos, auctor est Ludovicus XII. cùm namque Talerandus, è domesticis quidam, multa præter opinionem effutiret: eius in dicendo libertatem ocyùs compescuit, dicens illud veterum: *Plus oportet servum scire, quam loqui.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ægrius servit qui è regno ad servitutem venijt.
Anteponam servituti quaslibet mortis cruces.
Brutus non servire posse doctus est à femina.
Castigandus servus est sed absq; contumeliâ.
Conservo servimus, ferre qui dominum non quivimus.
Contra herum suum mutire clare servi pessimi est.
Contra heros licitumq; servis murmurare in angulis.
Cui dominus curæ est profectò est servus spectatus satis.
Cuncta quidē licent in servum; in hominē cuncta non licēt.
Cuncta sunt heri: ipse servus possidere nil potest.
Dignitate heri fortuna servi turpis est minus.
Dum tuas portes clitellas nil refert cui servias.
Esse ubi vis servitutem, non speranda ibi fides.
Est ubi quem haud servitutis, sed magis domini pudet.
Etsi abest herum arbitratur adesse servus qui bonus.
Fortitudini haud vacabit servitutis assecla.
Haud ibi fides speranda est servitus ubi viget.
Homines imperare sueti servitutem non ferunt.
Imperetne servo æquum aut non æquum herus non cogitat.
In peculio servili non sunt ad pompam data.
Instrumenta servitutis Roma item Reges habet.
Ire noli in servitutem; in ipsam sat cito cades.
Iuris est sui mens, corpus adscriptum solum est hero.
Lenior quacumq; morte liberis est servitus.
Lex vetat distrahere civem pro servo Cornelia.
Legi obedit liber uni; servus hinc legi, inde hero.
Libera est minus quæ caris exhibetur servitus.
Libertas servis alienis directo dari nequit.
Ludibrioquoq; est conservis servus quisq; recentior.
Macerat se clausa turdus liberam si avem aspicit.
Maximè inservitur illi à quo speratur plurimum.
Maxima mentis minutus parte servus est suæ:
Molle servitium ex amicis hostes nonnunquam facit.
Multi servorum ad dominos fugiunt, conservos dum timēt.
Mente liber servus an non margarita in ostreo est?
Ne quidem servum indemnatum fas occidere est hero.
Nemo ei cupit servire cui quandoq; par fuit.
Nemo liber, nemo servus nascitur; sors hæc facit.
Nemo non suos delutit servulus dolis heras.
Nemo servus esse quibit cui voluntas libera est.
Nemini patroni audenda nex exemplo vel bono est.
Non considerant de quanto servi, sed quantum datur.
Non diu servit quicunq; servit liberaliter.
Non eunt jugum sub unum Ingenuitas ac Servitus.
Non meretur ultionem Domini, qui se vindicat.
Non necesse animo servire, sat servire corpori.
Non potest servus vocari cor cui ingenuum imperat.
Non potest quis esse servus, cui voluntas libera est.
Non quantum licet exerceto in servos, sed quantum decet.
Non tam gaudio libertas est, quàm offendit servitus.
Nos Dei formam gerentes serviemus sæculo?
Nulla servitus tam turpis est quàm quæ spontanea.
Numini carus potest quis esse quamvis serviat.
Obsequiis tuæ patronæ te refragari nefas.
Observator januarum, servulorum est servulus.
Omnia ante jussionem perficit servus bonus.
Pejus nil, quam heros habere, eosdemq; adversarios.
Perfugas servos invitis suscipi nefas heris.
Pergin' servum me exprobrare esse, id quod vi hostili obtigit?
Pessime ingenium servile jus exercet regium.
Plus herus sibi infert ipsi quam servo iratus mali.
Præferenda mors spurcissima servitio mundissimo.
Promptè opus, serve exsequare; nec domini exspecta manum.
Puritate morum maculum servitutis abluas.
Quæ cupit, non dicere audet servitus obnoxia.
Quemlibet, servus licet sit, Solis adspectus juvat.
Qui servire nescit, an non servit contumaciter?
Qui sibi servire non vult, serviat cur alteri?
Quis suas servo fortunas futili commiserit?
Qui sunt empti, qui sunt pravi, quid tandem sapiant boni?
Rara servis justa heros est in suos licentia.
Rarus servit; servitutem plures ipsam detinent.
Sæpe heri ipsi opem implorarunt servitia adversus sua.
Sæpe herus seruum trucidat ejus ne prodat scelus.
Sæpe seruus libertatem malitiâ invenit suâ.
Saluus est dedecorosè, ad servitutem qui fugit.
Seruo alieno injuriosus, ejus dat pœnas hero.
Seruias ægre ijs, dominari vel quibus fastidias.
Servientis est necessitas ubi præceptum datur.
Servientes magnâ mentis parte mulctat Iupiter.
Servitiorum pessimi ultro divites prodant heros.
Servitus est castiganda, ast absq; contumeliâ.
Servitus quæ non oportet victa per vim sustinet.
Servitus ubi est, ibi omnis vita morte tristior.
Servitutis ipsum nomen mortem amare ultrò facit.
Servitutis si dominum tibi eligas solatium est.
Servituti corpus est servile: mens liberrima est.
Servituti inseparatus additus comes Timor.
Servituti libertatem sæpe parit Patientia.
Servitutem non modò hastis sed fuges securibus.
Servitute pressi humanam ad consuetudinem haud valent.
Servitutum ea est natura; possideri non queunt.
Servus, ac liber, sunt sortis, non naturæ nomina.
Servus ad fraudationes callidum ingenium gerunt.
Servus es, nudus plateas si per omnes cursites.
Servus est inscitus hero qui se moderari postulet.
Servus est minister herilis imperij non arbiter.
Servus est qui intrauit aulam regiæ potentiæ.
Servus esto qui nesciuit libertatem perpeti.
Servus sis licet id implere quod tuum est tamen potes.
Servi heros malicia vincunt, non etiam sapientiâ.
Servi qui culpa carent, metuuntq;, utibiles sunt heris.
Servi somnus est securus, non securus est heri.
Servo heri somniculosè imperia persequi nefas.
Servo herus medico libenter ægrotans obtemperat.
Servon' fortunas meas me commisisse futili?
Servum herumq; æquali honore affectum, amicos ne putes.
Servum inter dominumq; amicitia esse vera non potest.
Servili quidquid non tulerint, ablatum putant sibi.
Si quò abire servo est animus, haud tamen licentia est.
Si tibi sunt ruri virgæ, est & mihi tergum domi.
Sunt servilia omnia in quæ casui dominium suum est.
Tam malum est habere servos non habere quā malum est.
Tanto amarius servitur forti quanto serius.
Turpe servire, illud at non nosse, longè turpius.
Verberare servum mali cui corona in vertice est.
Vita servilis securà est, vita herilis neutiquam.
Vsui aptus si minister est tuo, pulcer sat est.

¶ JAMBICA.

Adscriptum hero corpusculum, at mens libera est.
Ægrè nimis servi ferunt injurias.
Aluntur ultrò mancipia heris à suis.
Amare servus vix herum potest: timet.
Ancilla justa dicat, oderit mala.
Civile jus servitia pro nullis habet.
Deo qui servit, imperat vel Regibus.
Domini imperare est, servorum imperio obsequi.
Domino nihil non in servum licet suum.
Dominum simul portat camelus atq; alit.
E vultu heri sibi servus vultum comparet.
Est libera amicis quæ præstatur servitus.
Est major omni Rege qui servit Deo.
Est omnium servus qui servit gloriæ.
Et Hercules Eurystheo ipsus serviit.
Etiam subit jugum generosus spiritus.
Ferri nequit rebus secundis verbero.
Gravissima est sibi servire servitus.
Haud crimen est servire potentioribus.
Haud liberum servo suo peculium est.
Haud ullus ævo Cronij servus fuit.
Hominem qui servus est superbum esse haud decet.
Hostes tot habemus, quod servos alimus domi.
Impunè lædi præstat quàm dedi alteri.
In servitute vita morte tristior.
Indigna digna habenda sunt, quæ herus facit.
Irato hero ire servus obviam exeat.
Ius civitatis minimè ad servos pertinet.
Laudo suos heros qui fallunt in loco.
Mirè fides servum ornat & taciturnitas.
Mage imperat quam servit, qui servit bene.
Mortalitati servitutem compares.
Ne serviat, Brutum docet Lucretia.
Nescis quâ ætate servire Hecuba cœperit?
Nil pejus est servo, ipse sit licet probus.
Nil servitute fœdius spontanea.

Nimium est potens servire qui non cogitur.
Non dicere audet omne quod vult servitus.
Non serviunt leones nutrientibus.
Non servitutis, sed magis domini pudet.
Nullis nocet, multos juvat sed servitus.
Numerandus inter servitia est & spiritus.
Nunquam in popinis frugi servus delitet.
Omnes timori serviunt, omnes spei.
Plus scire oportet hominem servum quam loqui.
Plus scire satius est servum hominem quàm loqui.
Præferre mortem servituti fortium est.
Pulcrum est hero, admoneri servis à probis.
Punire servos noli ubi ira duceris.
Quam dulce servo, nactus est herum ut bonum.
Qui possidetur possidere non potest.
Qui serviunt sero, indecore serviunt.
Qui servit, idquandoq; quod scit nesciat.
Qui servus est, serviliore & spiritu est.
Quidquid laboras serve, non tuum est, heri est.
Quis liberari à servitute se haud velit?
Quodcumq; vile servitutis præmium est.
Res gloriosa ubiq;, servitus Dei.
Seni fidelis dum servi, scapulas perdidi.
Sæpe optimus servus, dominus fit pessimus.
Servile duco festinantem currere.
Servire corpus, non etiam anima cogitur.
Servire fortunæ, homini maxima servitus.
Servire jam dedidicit qui didicit mori.
Servire qui nescit, nunquam servit bene.
Servire sueti, etiam abrumpunt patientiam.
Servus bonus supra fratrem imo filium est.
Servus laborat, sed caret curis heri.
Servus loquatur pauca, multa perpetret.
Servus metu rectè facit, liber fide.
Servus profectò non est, cui mors temnitur.
Servusq; abesse pro republicâ nequit.
Servi esse solent heris utibiles qui timent.
Servi est favere linguæ cibum dum capit.
Servi peculium omne ad dominum pertinet.
Servo carere præstat, uti quam improbo.
Servum hominem causam orare leges non sinunt.
Servis fugitivis induuntur compedes.
Servis hero nihil bono jucundius.
Servis nefas inferre contumeliam.
Servos facit nequam frugi metus mali.
Servos habere linguæ eiusdem incommodum est.
Servos recentes nemo tractat durius.
Solenne servis, ut dolis ludant heros.
Sueti imperare ægerrime inde serviunt.
Tangit quoq; ipsum cura de servis Iovem.
Tractare servum turpe quid reipublicæ.
Tibi erunt parata verba; huic domini verbera.
Vis imperare regie? servi Deo.
Vix servitus ulla est suâ absq; infamiâ.
Vt corrigantur servi gestant compedes.

Severitatis.

¶ Apophthegm. Sacr.

Salomon. Audiens Semein promissis jurejurando confirmatis non stetisse, ad eum accersitum dixit, *Nonne juramento obstrinxi te per Iehovam, & contestatus sum te dicendo, quo die exiens abieris huc aut illuc, certò scito omnino moriturum: dixerasq;, Bona est hæc res quam audio. Quare ergo non observasti juramentum Iehova, & præceptum quod præceperam tibi?* Deinde dixit, *Tu nosti totum illud malum, cujus conscius est animus tuus, quo affecisti Davidem patrem meum: retorquet autem Iehova malum in caput tuũ. Rex verò Salomon benedictus, & solium Davidis erit stabile coram Iehova usq; in seculum.* Tum præcipiente rege, Semei interfectus est. *1. Reg. 2. 43.* &c.

¶ Monosticha Trochaica.

Comitas severitate mixta quidvis perficit?
Destituta auctoritate perpes est severitas.
Frigidâ candens exstinctum ferrum aqua nimis riget.
Optimè jucunditate conditur severitas.
Optimè urbes administrat lenior severitas.
Quod nequeas severitate perficit benignitas.
Vt merum, sic esse homo idem austerus ac dulcis potest.

¶ Jambica.

Auctoritate assidua caret severitas.
Benè comitati jungitur severitas.
Cui non odio obstinata sit severitas?
Custodia urbis unica est severitas.
Fermè nocet plus quàm juvat severitas.
Ficta nihil severitate ineptius.
Multum nocet, parum prodest severitas.
Plerumq; amorem deminuit severitas.
Plus proficit severitate benignitas.
Semper nocet plus quàm juvat severitas.
Severitas immodica, nunquam est innocens.
Sit gratuita Principis severitas.

Signorum.

¶ Sententiæ.

Vegetius: Multa quidem sunt ediscenda atque observanda pugnantibus: siquidem nulla sit negligentiæ venia, ubi de salute certatur. Sed inter reliqua nihil magis ad victoriã proficit, quàm monitis obtemperare signorum. Nam cum voce sola inter prœliorum tumultus regi multitudo non possit, & cum pro necessitate rerum plura ex tempore jubenda atque facienda sint, antiquus omnium gentium usus invenit, quomodo quod solus dux utile judicasset, per signa totus agnosceret & sequeretur exercitus. Tria itaque genera constat esse signorum, vocalia, semivocalia, muta. Quorum vocalia & semivocalia percipiuntur auribus: muta verò referuntur ad oculos. Vocalia dicuntur, quæ voce humana pronunciantur, sicut in vigiliis, vel in prœlio pro signo dicitur: utputa, *Victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris*, & alia quæcunque voluerit dare is, qui in exercitu habet maximam potestatem. Sciendum tamen est, ista vocabula quotidie debere variari, ne ex usu hostes signum agnoscant, & exploratores inter nostros versentur impunè. Semivocalia sunt, quæ per tubam, aut cornu, aut buccinam dantur. Tuba, quæ directa est, appellatur. Buccina, quæ in semetipsam æreo circulo flectitur. Cornu, quod ex uris agrestibus, argento nexum, temperato arte spiritu, quem canentis flatus emittit, auditur. Nam indubitatis per hæc sonis agnoscit exercitus, utrùm stare, vel progredi, aut certè regredi oporteat: utrùm longè persequi fugientes, an receptui canere. Muta signa sunt aquilæ, dracones, vexilla, flammulæ rufæ, pinnæ. Quocunque enim hæc ferri jusserit ductor, eò necesse est signum suum comitantes milites pergant. Sunt & alia muta signa, quæ dux belli in equis, aut indumentis, & etiam in ipsis armis, ut dignoscatur hostis, præcipit custodiri. Præterea manu aliquid, vel flagello, more barbarico, vel certè mota qua utitur veste, significat. Quæ omnia in sedibus, itineribus & in omni exercitatione castrensi, universi milites & sequi, & intelligere consuescant. Continuus enim usus necessarius videtur in pace eius rei, quæ in prœlij confusione servanda sit. Item mutum & commune signum est, quotiens proficiscente turba excitatus pulvis ad similitudinem nubium surgit, hostiumque prodit adventum: similiter si divisæ sint copiæ, per noctem flammæ, per diem fumus significat sociis, quod aliter nunciari non potest. Aliquenti in castellorum aut urbium turribus appendunt trabes: quibus aliquando erectis, aliquando depositis indicant quæ geruntur. *libri 3. de re milit. cap. 5.*

¶ Apophthegm. Sacr.

Iesus Christus Dominus noster. Generatio, inquit, prava & adultera signum quærit, &c. *Matth. 12. 39. & 16. 4.* dicit pseudoprophetas edituros esse signa & prodigia. *Matth. 24. 24.*

D. Paulus Apostolus: Iudæi signa petunt, &c. *1. Corinth. 1. 22.*

Antichristi adventum dicit fore in signis & prodigiis. *2. Thessal. 2. 9.*

Vide de ejusdem signis & miraculis mendacibus seu mendacium confirmantibus quæ dicit D. Ioannes in Apocalypsi, cap. 13. 13. 14. & 16. 14. & 19. 20.

D. Bernardus. Signa seu miracula non fidelibus, sed infidelibus fieri oportere asserebat: quamvis miraculorum dono præditus esset. *Auctor vitæ, lib. 3. cap. 2.*

Idem. Quum signa ab eo edita magis ac magis increbrescerent, & multiplicarentur in dies, ipse disputans secum in cogitationibus suis, & ex ipsa demum locutus abundantia cordis sui, domesticus sibi regiliosis quibusdam fratribus dixit, Plurimùm miror quidnam sibi hæc signa seu miracula velint, aut quid Deo visum sit talia actitare per talem. Nihil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines & perfectos, facta sunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. scio enim non mihi suppetere sanctorum merita (dona) quæ miraculis illustrentur: confido autem nec ad eorum sortem me pertinere qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorantur. Hæc & hujusmodi crebriùs secretiusque cum viris spiritualibus conferebat. Novissimè verò opportunum sibimet visus exitum reperisse: Scio, inquit, hujusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem, & Deum in homine per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quàm opinionem, ut in eo commendet hominibus quæ illi creditur inesse virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc per quos fiunt, sed pro eis magis qui vident

dent illa vel ſciunt. Nec eo fine per eos iſta Dominus operatur, ut ipſos probet cæteris ſanctiores: ſed ut cæteros magis amatores & æmulatores faciat ſanctitatis. Nihil ergo mihi & ſignis iſtis, quandoquidem meæ illa famæ magis quàm vitæ noverim exhiberi: nec ad meam fieri commendationem, ſed ad commonitionem potiùs aliorum. *Auctor Vitæ, lib. 3 cap. 6.*

Silentij.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Nazianzenus:* Iſtam animi libertatem laudo, quod ea ſcribas quæ ſcribis. præſtat enim id quod animum male habet, efferre atque expromere, quàm quieſcere, perinde atque id ignoremus. *epiſt. 61.*

D. Greg. Nyſſenus: In iis quæ de Deo dicuntur, quando quæritur quidem de eſſentia, eſt tempus tacendi. quando autem de bona aliqua operatione, cujus cognitio ad nos uſque deſcendit, tunc tempus eſt loquendi potentias, annunciandi miracula, narrandi opera, haſtenus utendi ſermone. In iis autem quæ illa ſuperant, non eſt permittendum creaturæ, ut ſuos terminos ſuperet; ſed ei debet ſufficere ſi ſeipſam nôrit. nam ſi nondum ſeipſam, ut noſtra quidem fert opinio, novit creatura, neque comprehendit qualis ſit animæ eſſentia, qualis natura corporis, unde ſunt ea quæ ſunt, undénam mutuæ ex ſe invicem fiant generationes, quo pacto quod non eſt, ſubſtantiam accipiat; quemadmodum id quod eſt, in id quod non eſt reſolvatur; quænam ſit ex contrariis in hoc mundo continua compoſitio: ſi ſeipſam non novit creatura, quæ ſupra ipſam ſunt quomodo enarrabit? tempus eſt ergo hæc tacendi; in his enim melius eſt ſilentium: tempus autem eſt ea loquendi, per quæ vita noſtra in virtute accipit incrementum. *fine Homilia 7. in Eccl.*

¶ LATINORUM.

S. Valerianus: Inter confuſos linguæ ſonos neminem pœnituit tacuiſſe. nam videmus frequenter etiam verborum facta in crimen venire, & nimia facilitate linguæ amicitiis odia ſuccedere. Quando autem poteſt fieri, ut homo aut magniloquus aut maliloquus, non habeatur ingratus? quod tamen vitium ſi requiras, ſuperabundat in aliquantis feminis; quæ ſicut non dubitant quæ ſunt turpia dicere, ita nec ea quæ ſunt pudenda confunduntur audire. *Serm. 5.*

Idem paullo poſt: Magnum eſt tacere, magnum eſt loqui: ſed ſapientis eſt utrunque moderari. nam aliquoties nimia taciturnitas ſtultitiæ adſcribitur, ſicut & verborum nimietas ad furorem refertur. de qua re ſi noſtri ſententiam requiras arbitrij, jam malo aliquis tacendo ſtultus, quam nimium loquendo judicetur inſanus. Loquamur ergo, ſed cum timore & tremore, cogitantes de omnibus verbis rationem eſſe reddendam.

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Epictetus: Præſcribe tibi formam quandam & legem quam cuſtodias; quamque & ipſe tecum, & in congreſſibus hominum obſerves. Ac majori quidem ex parte ſilentium præſtetur; aut neceſſaria dicantur, eaque paucis. raro autem cùm ſe obtulerit occaſio, ad dicendum veniemus, ſed non quidvis dicemus: non de gladiatoribus, non de ludis Circenſibus, non de pugilibus, non de cibis aut potionibus; quæ res paſſim inculcantur. In primis autem de hominibus cùm verba fiunt, ne eos vel laudemus, vel comparemus, caveatur. Quod ſi potes, familiarium tuorum ſermones, tuis ſermonibus eò quo decet traducito. ſin à peregrinis circumventus fueris, taceto. *cap. 40. 41. 42. Enchiridij ſui.*

Simplicius: Omnis inſtitutionis ratio eo refertur, ut & à rebus externis, & à brutis ſuis affectionibus, & à corpore ad ſeipſum revocetur animus, ut ſuo more eodemque perpetuo tenore vivat. Quam ad rem ſilentium plurimum confert. Quæ cauſa Pythagoreis fuit efficaciſſimum diſciplinæ ſuæ jaciendi fundamentũ, quinquennij ſilentium. Ut enim ſenſus animum ipſis operam navantem ad externa trahunt (quod ij declarant, qui cum ſeſe colligere volunt, & in ſeſe deſcendere, & animi attentionem excitare, claudunt oculos:) ſic animum etiam oratio, tum non operam navantem ſenſibus, ſed per ſeſe agentem, magis ad externa effundit, cuius effuſionis remedium eſt ſilentium, Quod tamen non perpetuum indicit, neque ad Pythagoricum illud genus, flagrans & divinum adhortatur: ſed ad civile, & hominibus accommodatius. Aut igitur tacendum eſt, inquit aut neceſſaria dicenda, & paucis interroganti reſpondendum. *ad cap. 41. Epict.*

Dio Pruſæus: Nam ſi omnino ſilentium agam, & nulli diſſeram, multo magis ſuſpicaturi ſunt homines, me propter ea quæ ſcio gravitatem induiſſe, & tanquam ſtudioſum celare: multi enim jam propter ipſum in admiratione fuerunt ſilentium. Sin verò in medio conſtitero, nulloque melior cauponum aut mulionum dicendo apparuero, non fore mihi moleſtos, quum ipſi perſpicuè viderint qualis ſim. Hoc autem ferè & circa alios fieri videas. Veluti quum quidam ſuſpicantur quoſdam id habere ipſum quod quærunt, accedunt & perſcrutantur. Si ergo cooperiant, nolintque oſtendere, adhuc magis ſuſpicantur. Sin verò ſtatim revelent, fiatque manifeſtum, eos nihil habere: abeunt, ſe aberrare exiſtimantes. Multo igitur melius ijs qui gloria non indigent, detegi apud vulgus, & ſeſe ſermone facere manifeſtos ijs qui hominem intelligere poſſunt, qualis ſit. Arbitror enim eos contempturos evidenter, quod mihi nunc accidit: neque intellecturos nos mutuò, neque à me auditores, neque me ab auditoribus dicentem. Hujus autem cauſam ego ſanè me potius poſuerim, quàm vos. *Oratione 35.*

Philoſtratus: Silentium pro re divina ab Pythagoræ diſcipulis colebatur. multa namque divina, arcanaque ab eo dicebantur, quæ comprehendi non poterant, niſi ab iis qui prædidiciſſent: quod ipſum ſilere, oratio eſt. *lib 1. Apollonij cap. 1.*

Libanius: Ita mulieres decet ſilentium, ut è cicadis quoque mas quidem canat (hoc porro grave etiam eſt quod id faciat præter modum) feminam autem ne tenuem quidem ſonum edentem audiveris. *Declamat. 6.*

Libanius: Arbitror ei qui ob nimis accuratum in dicendo ſtudium ſummorum periculorum aleam ſubierat, nihil tutius eſſe ſilentio. *initio Declamat. 16.*

Heliodorus: Conveniebat potius huic meo Theageni oratio. decere enim puto mulierem ſilentium. viro autem convenire reſponſionem inter viros. *lib. 1. Æthiopic.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Silentium quidem uxoris meæ ego verò neque ſuſpectum habeo, neque timeo. decet hoc matronalem pudorem. etſi educta ad magiſtratus fuerit, hoc illam maximè facturam arbitror, ut taceat. Quare, ſocer, tu' opta. *Declamationis 180. fine.*

Quintilianus Senior: Atqui dolor erumpit, & nunquam ira fere ſilentio continetur. *Declam. 247. m.*

Quintilianus: Auferunt nobis vocem, quæ fieri poſſe non credimus, & ſilentium eſt, admiratio ſubita miſerorum. Tacere facilius eſt deceptis quàm deprehenſis. *Declam. 2. §. 12.*

Quintilianus: Ex omnibus, judices, quibus humana pectora ſeriis gravibusque complectuntur affectibus, nullam difficiliorem quàm ſilentij credo virtutem: adeoque promptiſſimo ſermone facilè delinquimus, ut conſtantiam tacendi neque in aliis ferre poſſimus. Crimen hoc in me mulier vocat, quod in priſcis illis morum mentiumque rectoribus fuit prima ſapientia, quod quoſdam totius vitæ pertuliſſe patientiam magis illa miſera miratur antiquitas, quàm quod temporum vices, ſiderum curſus, & profunda naturæ velut conſcia ratione ſanxerunt. *Declam. 19 §. 8. m.*

Quintilianus: Quiſquis de tacente queritur, multo minus ferre poterit loquentem: nec adeo coniugali ſocietate cuncta miſcentur, ut nihil ſibi adverſus hãc concordiam proprium relinquat animus. Eſt aliquis etiam à ſanguine ſuo ſecretus affectus genusque reverentiæ, ut tacenda minimè velis ſcire chariſſimos: quædam non poſſis verberibus, eculeis eruere; & pleroſque videas fortiter ſuper ſua ſecreta morientes. Agedum, ſi videtur utrumq; ſexum, omnem conditionem, omnem ſcrutemur ætatem; nullum ſine conſcientia pectus, nulla vita ſine cauſis tacendi. Si te interrogaret omnia maritus, haberes aliquid & tu, quod non fatereris. Et quanto ſilentium gravius eſt in ſene, verecundius in marito, ſanctius in patre. *Declamatione 19. § 9.*

Plinius Iunior: Acilius Rufus Conſul deſignatus, inquiſitionem Bythynis dandam cenſuit. poſtulationem Varennij ſilentio præteriit. hæc forma negandi fuit. *Epiſt. 20. lib. 5.*

Plinius Iunior: Reſpondit Nepos, rurſusque Celſus. neuter contumeliis temperavit. noto referre quæ dici ab ipſis moleſtè tuli. *epiſtola 5. lib. 6.*

Plinius Iunior: Ipſe raro & breviter interlocutus, multum me intra ſilentium tenui. accepi enim non minus interdum oratorium eſſe tacere quam dicere: atque adeo repeto, quibusdam me capitis reis, vel magis ſilentio, quàm oratione accuratiſſima profuiſſe, &c. *epiſt. 6. lib. 7.*

Symmachus: Malo aures tuas iterando obtundere quàm fraudare reticendo. *lib. 1. epiſt. 10. m.*

Symmachus: Vaſtum ſilentium cunctis ſtupor ſubitus imperavit. *lib. 2. epiſt. 57.*

Symmachus: Triſtes res longiore ſilentio contineri, nec religio familiaris, nec communis cauſa permiſit. nam plerumque utile eſt, in publicam proferre notitiam quod velis correctum: ut denunciatione futuri periculi, ad conſulendum cunctorum cura moveatur. *lib. 6. epiſt. ultima.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 50. Nicobuli ad filium.

Οὐδεὶς γὰρ πόνος ἐστὶ μένειν ὑπὸ χείλεσι μῦθον.
Nil nocet incluſum labijs compeſcere verbum.

D. Nazianzenus Carm. 51. ad Vitalianum.

Φθέγξομαι οὐκ ἐθέλων μὲν, ἀγὰρ λόγον ἔκλαθε ῥήξω,
Ὄφρά με μὴ ῥήξειεν συνεργόμενος πραπίδεσσιν.
Haud loquar iſta libens; ſed vox erumpet ab ore,
Hac tamen, ut non me rumpat, ſi mente prematur.

D. Nazianzenus Carm. 54. de Silentio Jejunij tempore.

Por-

Portam ori apposui si causam quaris, ut omni
Parte silens discam voce tenere modum.
Nam quisquis multos ferro prostraverit hostes,
Haud ægre exiguam fuderit ille manum.
Atq; scopum quisquis ferit eminus, hujus inanis
Haud unquam, propius missa, sagitta volat.
Deniq; quam duxit spatiosa per æquora, nauta
Ducere non metuet per freta parva ratem.
Parva etenim si quis superet, majora ne possit
Vincere non certum est, id licet ipse velit.
At non est dubium, quin is qui maxima vicit,
Vincere perfacili parva labore queat.
Ergo etiam arcta meis injeci vincula verbis:
Ne posthac nimia garrulitate cadam.

Aristophanes Ranis v.932.

At ego voluptatem ex illo silentio hauriebam:
Neque id me oblectabat minus, quam si qui hodie loquuntur.

Oppianus lib.3. ἁλιευτ. v.427.

—— Silentio piscatori opus perficitur,
Virisq; tacitis, & strepitu carentibus remis.
Silentium enim omnibus conducibile est piscationibus,
Maximè verò in salpis, quoniam admodum his
Ingenium est meticulosum.

Plautus Mercatore 5.sc.2.v.52.

Obsecro te, loquere nunc, ubi sit, ubi eam videris.
Quid taces? dic: enecas me miserum tua reticentia.

Phædrus fine lib. 4.

Excedit animus quem proposuit terminum;
Sed difficulter continetur Spiritus,
Integritatis qui sinceræ conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.

Martialis lib.2. Epigr.82.

Abscissa servum quid figis Pontice lingua?
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

§ APOLOGI.

Babrias Αἰπόλις καὶ Αἴξ. Fab.52.

Ῥάβδῳ κατῆξεν Αἰγὸς Αἰπόλις κέρας.
Ἡ πρὸς πασῶν ἐδεῖτο δακρύων μέγα.
Μὴ δὴ σαφήσοις ταῦτα πρὸς τὸν δεσπότην,
Ἡ δ' ἂν γέφησι, πλέον ἠχήσει κέρας.

Ἐπιμύθιον.

Φανερὸν ἁμάρτημα μὴ σοφίζεσθαι.

Pastor & Capra.

Virga fregit Capreæ Pastor cornu
Qui per omnes rogabat lacrimas multum
Ne narres illa ad dominum
Illa vero dixit, Magis clamabit cornu.

§ ADFABULATIO.

Manifestum peccatum non obtegere.

§ EMBLEMATUM.

Had. Junius Emblem. LXIII.

Quid signant, pandens vanni instar laxius aures,
Harpocrates tacitus, insidiasq; canens?
Multa audire quidem, sed parcè audita referre,
Vtq; tibi caveas prospiciendo, monent.

Batillius CLXXXVII.

Tutissimum semper silentium.

Quam tuto Taurum presso clangore fugaci
Transvolitant, Aquilas effugiuntq; grues;
Tam multis præstat præstare silentia rebus,
Tam multis, linguam non tenuisse, nocet.

Camerarius XII. Centur. 3.

Tuta silentio merces. Grues Taurum transvolantes.
Ne pereant clangore grues lapide ora saburrant,
Obstrue sic linguam garrule, ne pereas.

§ APOPHTHEGM. SACR.

Eulogius. Modestus, Edessæ præfectus; quum orthodoxis civibus minaretur, quod Imperatori Valenti Ariana labe infecti, legibus non pareret; tandem Eulogium, eorum presbyterum primarium alloquens, Cur tandem, inquit, non respondens ad ea quæ dixi modò? Sanè, (respondit) non putabam me; minimè rogatum, quicquam debere respondere. Atqui præfectus, multa (ait) verba feci, quæ vos ad ea quæ sint vobis emolumento futura cohortarer. Tum Eulogius: est, inquit, tua ad omnes habita oratio, & propterea certè absurdum putavi, ut aliis ipse à respondendo exclusis solus responderem. Verùm si à me libet quicquam sciscitari, non te celabo quid sentiam. Cui rursus præfectus, Proinde, inquit, communica cum Imperatore: ad quem Eulogius, dissimulanter quidem, sed facetè respondit, Nunquid cum imperio est etiam sacerdotii dignitatem consequutus? *Theodoret. Eccle. hist. lib. 4. cap. 16.*

Marcianus. Episcopi nonnulli, pietate & eruditione insignes, quum ad Marcianum, sanctæ vitæ, & orthodoxæ doctrinæ professorem, in solitudine accessissent, cum primariis aliquot viris politicis, & omnes cum silentio sacram ejus vocem expectarent, ipse quoque diu tacens sedebat; lingua quidem ociosus, auribus autem promptus. Tunc aliquis ex iis qui sedebant, ei familiaris, Omnes, inquit, ô pater, sitientes expectant suavissima tuæ doctrinæ fluenta. Ille autem, cùm valdè ingemuisset, Deus, inquit, universorum quotidie loquitur per creaturas, & per divinas scripturas disserit & monet ea quæ oportet, & inducit ea quæ sunt utilia: terretque minis & adhortatur promissis: & ex his nullam capimus utilitatem. Quomodo ergo loquens profuerit Marcianus, qui tantam utilitatem amittit cum aliis, & commodum non vult ex iis capere? *Theodoret. hist. Sanct. patrum.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Aspectu atq; auctoritate feceris silentium.
Aut sile aut meliora quovis afferas silentio.
Caritati nil reservat, juge cui silentium est.
Culpa facti major utiq;, culpa quàm silentii.
Est loqui necesse: Amyclas perdidit silentium.
Est malus qui reticet fieri si quid perversè videt.
Est ubi potes tacere, est ubi potes loqui.
Et periculi omnis expers munus est silentii.
Et silentium arroganti est pro gravi convitio.
Haud vagos inter tumultus, mentis attonitæ est loqui.
In silentio perenni plurimum est superbiæ.
Innocentiæ tributa vox, vitio silentium.
Linguæ iter patet superbis, clauditurq; egentibus.
Loquere demum ubi non dicturus digna eris silentio.
Mæror omnis ingravescit si silere cogimur.
Morte nil ab ipsa vitæ differunt silentia.
Ne sic singulis loquaris tanquam nulli dixeris.
Non modò exsors est sitis sed & crucis silentium.
Non modò sermone, verùm & peteres silentio.
Non siti modò est dolore item vacat silentium.
Nota pluribus, teguntur haud diu silentio.
Obfuit multis loquela, nemini silentium.
Omnium ingens feminarum est decus silentium.
Quem nequis sermone, muto prædices silentio.
Quod committere non timemus, id timemus dicere.
Rebus in gerendis muto nil prius silentio est.
Sæpe dispensatio, haud consensus est silentium est.
Sæpe plus lingua imperanti muta libertas obest.
Sæpius verace voce melius est silentium.
Servit innocentiæ vox, maleficio silentium.
Tam malum est ubi haud necesse, quàm ubi necesse, non loqui.
Tunc homo demum videtur cùm exsuit silentium.
Tutum utiq; est silere læsis ipsa ab eloquentia.

§ JAMBICA.

Addit decus silentium ingens feminis.
Affectionem omnem augeas silentio.
Ahena turris omnibus silentium est.
Aliquando verbis potius est silentium.
Alium silere quod velis, primus sile.
Amicitias plures rupit silentium.
Aut dic aliquid melius silentio, aut sile.
Damnanda præstat sepeliri silentio.
Duplo perit, qui per silentium perit.
Est & fideli tuta merx silentio.
Et conscientia item suum est silentium.
Etiam reportes gloriam è silentio.
Etiam subest silentio superbia.
Expers pericli præmium silentii est.
Grande ornamentum feminæ silentium.
Lædi ac silere, summa fortitudinis.
Manere nescit Ira cum silentio.
Merces fideli tuta est & silentio.
Minime potest sileri multi quod sciunt.
Modestiæ index sæpius silentium est.
Multum docet vir approbus silentio.
Negare vocem pectori quis-nam valet?
Odiorum ad instar est silens concordia.
Perenne captis convenit silentium.
Præstat tacere quam loqui indecentia.
Quandoq; nil sapientius silentio.
Secundiora respuunt silentium.
Sermonis est nutrix idem silentium.
Sermonis haud doctor malus silentium est.
Si quidpiam servum decet, silentium est.
Sile, meliora vel refer silentio.
Silere præstat quam nec-apta proloqui.
Silentium rebus gerendis omnia est.
Silentium voce efficacius probis.

Multis

Stultus potest sapiens haberi dum silet.
Stultis nihil mage arduum est silentio.
Tempus loquendi novit, qui novit loqui.
Ter maximum in bello numen silentij est.
Ubi dolor est, ibi difficile est silentium.
Vacat periclo præmium silentij.
Venale item silentium Oratoribus.
Vis magna vocem emittit: at major tenet.
Utilior haud est ulla res silentio.

Silvæ.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; lignis, absq; silva proxima, urbs vix valet.
Absit as via cave umbras: sæpe eis miles latet.
Auferas quò se receptant, tollere si cupis lupos.
Non potes lupum fugare si nemus non tollitur.
Pastor in silvis latronem sustinet: saltus cave.
Silva ubi est ibi latronum crebra delitet manus.
Urbibus vicina silva, gaza præstantissima.

¶ Jambica.

Exscinde saltum unáq; exsciderís lupos.
Succrescit ideo Silva, ut fiat cadua.

Similitudinis.

¶ Sententiæ Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Plerique homines alios affectibus suis metiuntur. *Oratione stelíteutica 1.*

D. Nazianzenus: Quibús nam rebus equi maximè gaudent? non dubium quin equis. quibus aquilæ? aquilis profectò. Gracculum porrò gracculo adsidere, ipsa quoque parœmia docet. Eodem proinde modo Atticum quoque Atticis oblectari putas; & probitatis studiosum, ejus amatore & antistite. *Epist. 46.*

D. Greg. Nyssenus: Insaniam dementes sanitatem mentis vocabant; alienationem verò mentis & vecordiam pietatem: quemadmodum fit cum ebrij suam affectionem sobriis objiciunt. *Oratione de S. Theodoro martyre.*

Libanius: In quibus teipsum nosti circa naturam insulsum & inficetum, eodem etiam modo alios affectos esse non jure censes. *Declamat. 35.*

¶ Poetarum.

Plautus Menæchmis 3. sc. 1. v. 48.
Omnes cinados esse censes, tu quia es.

Plautus Menæchm. 5. sc. 2. v. 90.
Hei mihi, insanire me ajunt, ultrò cùm ipsi insaniant.

Plautus Menæchm. 5. sc. 5. v. 57.
Salvus salvos alios video: novi homines, alloquor.
An qui perperam insanire me ajunt, ipsi insaniunt?

Plautus Persa 2. sc. 2. v. 30.
— *Tuo ex ingenio mores alienos probas.*

Idem 4. sc. 5. v. 9.
— *Quod te dignum est, me dignum esse vis.*

Plautus Rudente 4. sc. 4. v. 54.
— *Scelerum caput!*
Ut tute es, ita omnes esse censes, perjurij caput.

P. Syrus Mimus.
Insanus omnis furere credit ceteros.

¶ Apologi.

Æsopi Vipera & Vulpes. Vipera supra carduorum fascem in fluvium ferebatur. Vulpes eam animadvertens, dignus, inquit nave nauclerus.

¶ Monosticha Trochaica.

A luporum gente nullum ulli est lupo periculum.
Advenas summos ab imis arduè interstinxeris.
Aurum judicato ad aurum, purpuramq; ad purpuram.
Ceteros pleriq; censent ex suis affectibus.
Conveniunt ut pulcra pulcris, turpibus sic turpia.
Haud ibi est tutum morari, ubi non habes similes tui.
Id decet quem maximè unum, quod cujusq; maximè est.
In duobus vultus idem repperiri non potest.
Inter hos noli ambulare servus esse queis potes.
Maximè sua lætatur quæq; forma bellua.
Nulli animali similitudo cum altero sua convenit.
Omne ad se rapit Natura quod sui simillimum est.
Pulcra suis sui videtur & canis canicula.
Qualis quæq; sit lætatur talium consortio.
Quam facillimè congregantur utiq; cum paribus pares.
Quisq; dicta de se credit, dicta de simillimo.
Sicut vultus, sic & corda differunt mortalium.
Similitudinem ex vero ullam ipso arduum est effingere.
Sponte singuli feruntur ad sibi simillimum.
Vix coaleverint in unum dissoni ore ac moribus.
Ut sui sit similis, esse vult malus bonum malum.
Vult malus bonum malum esse, similis ille ut sit sui.
Vulturem eminus tueris? esse aquilam ipsum dixeris.

¶ Jambica.

Congratulatur corvus operibus lupi.
E viperâ rursus generatur vipera.
Facillimè patella operculum invenit.
Inter malos, ut & similes sint evenit.
Malus nocet malo, bonus prodest bono.
Nunquam locusta lucam protulit bovem.
Pares Deus cum paribus facilè congregat.
Plures sui similes ut sint, optat malus.
Promptissimè pares cum paribus congreges.
Similes habere labra lactucas solent.
Sua est imago sancta cuivis belluæ.
Tuta est etiam sua similitudo inter feras.
Verba optimè balbus balborum intelligit.
Vulgo adsimilare, si placere ei cupis.
Vulpes lepusq; haud imperat cani aut lupo.

Simoniæ.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

S. *Isidorus Pelusiota*: Quoniam ex literis tuis intellexi, Eusebium Episcopum, non à criminibus omni venia gravioribus abstinendo rectiùs sibi consulere, verùm, quòd defensionem aliquam habere se putet, impudenter his verbis uti, cujusnam rei penuria laboro, ut sacras ordinationes vendam? quæ enim quisque optare queat, ne dicam quæ vota superarent, his fruor: hoc ést, gloria, & honore: audi quid amicus quidam, ob improborum odium clarus ac celebris, qui tum aderat, locutus sit: Quòd quidem Episcopatus munus, quod indignè consecutus est, eorum omnium quę inter homines exoptantur, velut extrema meta sit, scio atque assentior. At iis, qui ad vitium propensi quæstuique addicti sunt, nihil satis est Neque ex præfectis & antistitibus improbi ac facinorosi ulli essent, si iis, quæ præstò habent, contenti essent, ac rebus suis secundis moderari scirent. Verùm plures ex istis, quàm ex inferiori hominum gradu, improbos persæpe fieri puto. Nam quo aliis sublimiores & excelsiores sunt, fastuque inturgescunt, ac supra vulgus sentire volunt, monerique contumeliam ducunt, eò etiam magis arrogantia, & plurimum rerum cupiditas, & fiducia, qua, ne si in scelere quidem deprehensi fuerint, pœnam daturos se esse confidunt, in eorum animos ingreditur. Resipiscat igitur, nec insulso cuidam aliquid, quod ad se purgandum faciat, afferre videatur. Neque enim crimina diluit: verùm ridiculum insuper se præbet. *lib. 1. epist. 71.*

S. Isidorus Pelusiota: Multus sermo fluit, ac multorum fide dignorum hominum authoritate confirmatur, Antistitem vestrum ex multis argumentis id compertissimum habentem, commodi sui causa, non autem utilitati nostræ consulentem, nec quid publicè profuturum esset, spectantem, vos avaritiæ suæ socios & adjutores in sacrum ordinem ascivisse. Quòd si ita est, in cælum jaculari, ac, dum ex alienis calamitatibus commoda vestra comparatis, paupertatis legislatori bellum indicere desinite. *lib. 2. epist. 60.*

S. Isidorus Pelusiota: Meritò quidem stomacharis; ô improborum odii delubrum, quòd is qui per impietatis antiphrasim, ut ais, seipsum Eusebium appellavit (neque enim ab initio id ei nomen erat) vilem aliquam rem & protritam Sacerdotium esse arbitratus, illud quoque iis, qui eadem quæ ipse flagitia pepetrant, tribuere non veretur, iisque, qui omni honoris genere digni sunt, expulsis, eos, qui ne in laicorum quidem classe ac numero censeri merentur, ad venerandum altare subvehit, ac duplici nomine ipsum, quantum in se est, contumelia & dedecore afficiens, nempe, quòd & dignos arceat, & indignos in sacrum ordinem ascribat. Verùm illud scito, non semper id laturum oculum illum rerum omnium inspectorem, qui nunc quidem pro sua bonitate, lenitate, ac patientia utitur, postea autem gravissimas hujus criminis pœnas ab eo expetet. *lib. 2. epist. 199.*

S. Isidorus Pelusiota: Ne hoc nomine indigneris (ô conspicue improborum odii alumne) quod Eusebius, impietatis, ut scripsisti, plenus, immane atque implacabile cum his qui rectè & ex virtute vivunt, bellum gerens, cum his qui vitium amplectuntur, amicitiæ fœdus init: nec quòd aut habentibus, si pecunias non accipiat, bellum infert, aut, ne bello eos lacessat, tanta accipit, quanta, si bellum intulisset, diripere potuisset. Verùm divinam sententiam expectâ *lib. 2. epist. 221.*

S. Isidorus Pelusiota: Quòd Eusebius, voluntariæ paupertatis suasor, ac cœlestium dogmatum interpres, in terrenis rebus infixus,

fixus, congerendis pecuniis studeat, quamvis grave sit, haud tamen scio, quonam pacto minimè grave esse videatur. Quod autem nunc abs te indicatum est, ac multorum fide dignorum virorum testimonio confirmatur, atque incredibile fortasse posteris videbitur, ejusmodi est, ut nihil atrocius fingi possit. Quis enim adduci facilè queat, ut credat, eum illos quidem, qui paupertatem colunt, atque omni alio philosophiæ genere fulgent, ut qui ad quæstum faciendum haudquaquam ipsi utiles sint, velut nullius usus homines aspernari, sacerdotioque indignos judicare: divites contrà, quòd eorum opes demetat, quamvis etiam omni scelere coopertos ad sacerdotium proferre: perinde atque non virtuti, sed divitiis sacerdotium deberi existimet? Ac quidem oportebat, ut scribis, eos qui ab his vitiis remoti sunt, eam quam convenit medicinam excogitare. Quoniam autem perpauci sunt ejusmodi homines, atque aliorum multitudine obteguntur, multorumque inimicitiam sibi conflare metuentes, lacrymas quidem profundunt, verùm nullum fortis ac strenui animi facinus edunt, ob eam causam iisdem, quibus illi, vitiis laborare existimantur. Neque enim arbitreris velim, ô improborum odij delubrum, omnes in iisdem vitiis versari: cùm nonnullos esse qui Apostolicæ vitæ typum retineant (quorum numerum ipse quoque auges) in quorum gratiam adversus eos, qui peccant, nondum prolata est sententia. *lib. 3. epist. 17.*

¶ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Si veræ compassionis moveretur affectu, sua fidelius & utilius pauperibus erogaret, quàm ad dispensationem alieni mercator impurus accederet. Jam palam emuntur omnia, nisi modestia venditoris impediat. Adeo enim sacris altaribus avaritiæ profanus imminet ardor, ut hæc omnia quasi quædam parodica præmantur; & quia per se non veniunt in commercium, licitè & justè creduntur acquiri si præempta fuerint aut coëmpta. Quid enim? Numquid in forum approbante prætore non veniunt, quæ jure antiquo sic possidentur à Laicis, ut transeant ad heredes, & titulo donationis, aut permutationis alienentur ab eis? Jus ergo advocationis aut patronatus Ecclesiæ quid prohibet distrahi. &c. *cap. 17. Policratici lib. 7.*

¶ Apophthegmatum Christian.

S. Petrus. Quid cesso Simoniæ perniciem commemorare, quæ jam à Simone Mago, qui huic malo nomen dedit, in Ecclesiam irrepsit, ac radices egit? Ille etenim cùm vidisset per impositionem manus Apostolorum dari Spiritum sanctum, obtulit eis pecuniam, ut, cuicumque manus imponeret, simili eventu acciperet Spiritum sanctum. At benè eum perstringens Petrus, *Pecunia,* ait, *tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* quo Apostoli dicto notantur, qui rem sacram pretio emunt, aut divendunt: quos ab hoc Simone, Simoniacos dicimus. *Actio cap. 8.*

S. *Tranquillinus Martyr.* Meliùs itaque & securiùs Tranquillinus: quem cùm dudum de fide Christiana disserentem audivisset Agrestius, tandem auri certum pondus offert, quò se à podagræ cruciatibus oratione liberet. Cui ille: *Scito gravem Dei furorem illis impendere, qui ejus gratiam pretio vendi aut emi posse existimant.* Sur. tom. 1. in Vita S. Sebastiani.

Guntranus Rex. Ille etiam Remigio Biturigum Præsuli vita functo Sulpitium succedere jussit, non obstante quòd plures eum locum statumque ambirent, ac pretium offerrent. dicebat enim his: *Non est nostra consuetudo mansuetudinis, Ecclesias Christi pretio vendere: ne nos damnationis obnoxij, & vos Simoni Mago assimilemini.* Aimon. lib. 3. cap. 55. de Gest. Franc.

Require Apophth. de. Mercedis neglectu.

Videantur plura titulo *Antistitis, Episcopi, Sacerdotii.*

Simplicitatis.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Greg. Nyssenus:* Præceptum est Domini, ut non solum columbę simus, sed aliquid etiam habeat serpentis in moribus. hoc sanè est, ut neque quod in simplicitate hominibus laudandum videatur, impensius consectemur; quod is habitus ad extremam dementiam propius accedat: neque rursus calliditatem nimiam ac vafriciem, quam plerique omnes prædicant, meram atque impermixtam contrario virtutem credamus; sed ex adversariis rebus unum aliquod temperatum morum genus conficiamus, hinc dementia, illinc malitiosa sapientia recisa; quasi ex utroque contrario unum perfectum sit honestum, quod ex animi simplicitate ac solertia conflatum est. *cap. 16. de Virginitate.*

D. Chrysostomus: Nolite pueri effici, hoc est insipientes, ubi oportet esse sapientes; sed illic pueri & simplices ubi est injustitia, ubi inanis gloria, ubi tumor. Eum enim qui vitio est infans, etiam prudentem esse oportet. Quomodo enim prudentia cum scelere ac maleficio, non fuerit prudentia: ita etiam simplicitas cum amentia, non fuerit simplicitas. Nam & in simplicitate fugienda est amentia, & in prudentia vitium & nequitia. Quomodo enim neque amara neque dulcia medicamenta prosunt, si sint plusquam par sit; ita nec simplicitas per se, nec prudentia. Quamobrem Christus utraque jubens contemperare, docebat: Estote prudentes, sicut serpentes; & simplices, sicut columbæ. *initio Homilia 36. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: An non videmus nunc quoque simplices & non fictos communem honorem assequi ab omnibus? Nemo ei qui est hujusmodi invidet, si rectè suas res gerat: nemo ei insultat, si sint ei res adversæ. Sed etsi sint es res secundæ, gratulantur: & si lapsus sit, miserentur. Sin autem homini acerbo successerint quandoque res secundæ, tanquam aliquod malum ei contigerit, omnes ingemiscunt: sin autem ei rursus fuerint res adversa, omnes lætantur. Eorum ergo misereamur. habent enim inimicos communes undique circumeuntes. *Homilia 15. ad Ephesios.*

¶ Latinorum.

D. Chrysologus: Habet quidem simplicitas innocentiæ suæ gratiam: habet fidei suæ fructum, scientiæ præmium habere non potest, palmam habere non potest virtutum. Aliud est otio & securitati suæ vivere: aliud est pro omnibus ferre vigilias & labores. Simplicitas civem bonum facit, non facit militem fortem: hinc est, quòd ille censum solvit, hic stipendia percipit, & honores. Civis aut cedit aut succumbit adversis, adversa miles sustinet & propellit: ille pugnare non didicit, hic non timere: ille cavet semper, hic vincit. *Sermone 166. pr.*

¶ Oratorum Graecorum.

Isocrates: Ego me prudentia quàm longissimè fieri possit, te esse inferiorem fateor: sed tamen ut hoc scio, sic illud quoque non ignoro, urbe vestra maximis de rebus deliberante, sapientissimos interdum à communi utilitate aberrare; & fieri nonnunquam, ut forte fortuna quispiam è vitium contemplorumque numero, & rectè sensisse & optime dixisse videatur. *Panathenaico.*

Seneca: Simplicissimi, inquit, omnium habentur iracundi. fraudulentis enim & versutis comparantur: & simplices videntur, quia expositi sunt: quos quidem non simplices dixerim sed incautos. Stultis, luxuriosis, nepotibusque hoc nomen imponimus, & omnibus vitiis parum callidis. *lib. 2. de Ira cap. 16.*

Seneca: Alia animi mala ad pessimos quosque pertinēt: iracundia etiam eruditis hominibus, & in alia sanis irrepit: adeo ut quidam simplicitatis indiciū iracundiam dicant; & vulgo credatur facillimus quisque huic obnoxius. *lib. 3. de Ira cap. 4. f.*

¶ Poetarum.

Prudentius adversus Marcionitas.

Porrò nihil summum, nisi plenis viribus unum.
Distantes quoniam, proprium dum quisq; revulsò
Vindicat imperio, nec summa, nec omnia possunt
Ius varium, non est plenum: quia non habet alter
Quidquid dispar habet. cumulum discretio carpit:
Nec plenum sine parte Deum testamur & unum.

Et mox.

Quis dixisse duos rem majestate sub una
Regnantem propriamq; sibi retroq; perennem
Ausit? & unius natura scindere vires?

¶ Apologi.

De columba & Pica. *Fab. 6.*

Columba interrogata à Pica, quid eam induceret, ut in eodem semper loco nidificaret, cum ejus pulli inde sibi semper surriperentur: simplicitas, respondit.

Hac indicat fabula, facile esse, viros probos sæpe decipi. Laur. Abstemius.

¶ Monosticha Trochaica.

Esto simplex ut columba, esto anguis instar callidus.
Fraudulentus atq; simplex non eunt diu simul.
Non potest simplex vocari mota mens cui est sua.
Simplicem illicò versutus implicat plagis suis.
Simplicitas, modus nisi adsit, non bono est homini at malo.

¶ Jambica.

Haud esse simplex pariter atq; asper potes.
Incauta semper simplicitas patet dolo.
Nil simplici totò viro orbe ditius.
Si rectus es simplexq; quid vis amplius?
Simplex nimis fere assecla est dementiæ.
Simplex vocandus vitiis callidus parum.
Simplex vocari non potest vecors male.

Simulationis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D*ivus Chryſoſtomus* : Nihil ferè nos ita degenerare à ſpirituali nobilitate facit, ut fraus atque dolus; nihilque in eccleſia nocet magis quam verſuta ſimulatio. *Hom. 11. ad Tom. 1.*

D. Io.Chryſoſtomus: Si quidem revera glorioſus fueris, nihilque tibi mali conſcius ſis,gaudere convenit, non quod hujuſmodi videaris, ſed quod hujuſmodi ſis. Porrò ſi multitudinis gloriam aucuparis,bonuſque ac religioſus videri appetis cùm non ſis, conſidera hujuſmodi homines laudatores tuos die illo judicii non fore judices tuos, ſed eum qui occulta diligentiſſimè novit. Quod ſi tibi conſcius peccatorum,bonus religioſuſque putaris, non ſolùm inde gaudere non decet, verùm & dolere plurimum acriterque ingemiſcere diem illam perpetua meditatione verſando, in qua revelantur omnia, in qua occulta quælibet illuſtrantur à lumine. Honore perfrueris? abjice illum atque ex animo prorſus elimina,non ignorans ex hujuſmodi te fieri debitorem. Nemo tibi honorem impendit? At in eo quidem gaudendum eſt. neque enim tibi inter cetera hujuſmodi quoque honorem Deus objiciet. Vel iſtud ergo lucraberis, quod majori ſupplicio non eris obnoxius: nam is qui in præſenti ſæculo honore caret, magiſque deſpicitur atque vilis ab hominibus exiſtimatur, injuriis affligitur, illud certè conſequitur quod reus non erit honoris ab omnibus præſtiti. *Homilia 2. epiſt. ad Titum.*

¶ LATINORUM.

Zeno: Simulatio de invidiæ ſtirpe procedit. nam bilinguem eſſe hominem & duplici mente, non aliunde quam de invidia naſcitur. in profundo namque cordis odium tegit; in labiorum verò ſuperficie coloratam dulcedinem profert, ſecundum obtectos marinis fluctibus ſcopulos, qui exiguæ aquæ reſperſione cooperti, ignorantibus & incautis improviſa naufragia moliuntur. *ſub finem Sermonis de Livore.*

Ennodius: Nihil invenio quod ſit fabricata humilitate ſuperbius. Præfero contumelias fucatæ frontis obſequiis. tranſit amaritudinem dulcedo ſimulata. *lib. 6. epiſt. 1. a. m.*

Ennodius: Non fuit advena benignitas, quæ naturæ innixa radicibus, de cano flore germen oſtendit. Temporale eſt omne quod fingitur: perpetuum,quod cum ætate matureſcit. *Dictione 3. m.*

Io. Sarisberienſis: Simulata innocentia, non eſt innocentia,ſed duplex malitia; quia & malitia eſt,& ſimulatio. æquitas quoque ſimulata, non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas, quia iniquitas eſt & ſimulatio. *cap. 5. Policratici, lib. 5.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Phalaris Menecli: Ne te probitatis tuæ pœnitudo ceperit, ſi à patris iniquitate & ſcelere vis alienus videri. Alioquin prioris etiam temporis opinionem & famam apud Camarinenſes perdes. Credent enim te ſimulatione ad tempus, non veritate reque ipſa virtuti operam navaſſe *Epiſtola 48.*

Lyſias: Iam quoque perpendite, quod ad breve tempus fingere ſibi quiſpiam mores queat; ſed intra ſeptuaginta annos nemo eſt qui non prodat malitiam ſuam. *cap. 17. pr. Orationis de Ariſtoph. bonis.*

¶ ROMANORUM.

Plinius: Arduum erat has precationes tuas laudibus adæquare: adæquavimus tamen. qui amoris ardor, qui ſtimuli, quæ faces illas nobis acclamationes ſubjecerunt? non noſtri, Cæſar, ingenij, ſed tuæ virtutis tuorumque meritorum voces fuerunt, quas nulla unquam adulatio invenit, nullus cujuſquam terror expreſſit. quem ſic timuimus,ut hæc fingeremus? quem ſic amavimus ut hæc fateremur? Noſti neceſſitatem ſervitutis. quando ſimile aliquid audiviſti, quando dixiſti? multa quidē excogitat metus, ſed quæ appareant quæſita ab invitis. aliud ſollicitudinis, aliud ſecuritatis ingenium eſt. alia triſtium inventio, alia gaudentium: neutrum ſimulationes expreſſerint. habent ſua verba miſeri, ſua verba felices. utque jam maximè eadem ab utriſque dicantur, aliter dicuntur. Teſtis ipſe es &c. *Vide Gaudij.*

Plinius Iunior: Curianus orabat ut ſibi donarem portionem meam,ſeque præjudicio juvarem: eandem tacita conventione ſalvam mihi pollicebatur. Reſpondebam, non convenire moribus meis, aliud palam,aliud agere ſecretò. *lib. 5. epiſt. 1.*

¶ POETARUM.

Terentius Adelph. 4. ſc. 7.

Quid facias rogitas? ſi non re ipſa tibi dolet,
Simulare certe eſt hominibus, ob facinus malum.

Terentius Andriæ 4. ſc. 5. fine.

Paullulum intereſſe cenſes, ex animo omnia,
Vt fert natura facias, an de induſtria?

Terentius Heauton. 4. ſc. 4.

Non ego perpetuò dicebam illam ulli ut dares,
Verum ut ſimulares. CH. non mea eſt ſimulatio.
Ita tu iſtac tua miſceto, ne me admiſceas.
Egon' cui daturus non ſim, ut ei deſpondeam?
S. Credebam. CH. minimè.

¶ APOLOGI.

De Leone & Equo. *Anonymus.*

Tondet equus pratum petit hunc leo, cauſa leonem
Hæc movet, ut fiat eſca Leonis Equus.
Inquit Equo, mi frater ave fruor arte medendi,
Et comes & medicus ſum tibi: paret equus.
Sentit Equus fraudes, & fraudi fraude reſiſtit:
Mente prius texens retia fraudis, ait:
Quaſitus placiduſq; venis, te temporis offert
Gratia; te rogitat pes mihi ſente gravis.
Hic favet, inſtar equo, ſubjecto vertice calcem
Imprimit, & ſopit membra leonis equus.
Vix fugit ille ſopor, vix audet vita reverti,
Vix leo colla movens reſpicit; hoſtis abeſt,
Sic leo ſe damnat, patior pro crimine pœnam,
Nam geſſi ſpeciem pacis, & hoſtis eram.
Quod non es, non eſſe velis, quod es eſſe fatere,
Eſt male quod non eſt, qui negat eſſe quod eſt.

¶ EMBLEMATIS.

Had. Iunius Emblemate 1.

Nocte ſatus, genitore orbus, ſum nomine Momus,
Dente Theonino ſingula rodo lubens:
Fingi hominem cauſſor clathrato pectore; apertis
Senſibus occultum ut nil ſpecus ille tegat.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Petrus Aldobrandinus Card. Vulgari adagio innotuit, Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare. hinc Principum conſilia ſimulatione tegenda, docuit Petrus Cardinalis. Sciſcitandi enim cuidam, quis maximè eſſet ad benè imperandum idoneus; ait: *Qui naturam habet Polypi, novitq; in populo morum colores induere.* Nihil ſanè prudentius dici potuit. *Henr. Farneſ. apophtheg. De Principe.*

Fredericus Imperator Vide Conſilium, & Conſiliarius.

Vide Gubernare. Regnum.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ah! homo quantum bilinguis ſæpe concinnat mali!
Alterâ manu fers lapidem, panem oſtendas alterâ.
Copula una non ligantur Veritas ſimulatioq;
Cuncta Regum ſunt ſpecioſa verbis, re ſed ſubdola.
Diſſimulatus intellectus ſi non prodeſt, nil nocet.
Exteriora tantum homines, Deus interiora item inſpicit.
Fraudulentia ſæpe frons, ſæpiſſimè aſt oratio eſt.
Grata ſummis plura à labris quàm ipſo corde profluunt.
Homo bilinguis de livore naſcitur ac paſcitur.
Illa vulpi immitis uva eſt quam nequit contingere
Ingenuum mage, apertè odiſſe; fronte quàm mētem abdere.
Invidiæ de ſtirpe falſa provenit ſimulatio.
Nemo diſſimulat ſimulatve ſine dolo, & quidem malo.
Nil ego in occulto agere ſoleo: meus ut animus eſt, eloquor.
Nulla pulcrior quam cordis atq; oris concordia.
Odia diſſimulata nunquam Principes obliterant.
Sæpe diſſident ab animis vultus gratulantium.
Simia vultum leonis ſumere neſcit torvitas.
Simulare certè eſt hominis, ſi non re ipſa tibi dolet.
Subdolum nihil loquaris, obſcurum volvas nihil.
Tam malus nemo eſt, videri cupiat idem etiam ut malus.
Turpe ſermo ſi divertit mentis à ſententia.
Vita qualis eſt honeſtis talis eſt oratio.
Vulpis eſt: Nondum matura eſt; nolo acerbam ſumere.

¶ IAMBICA.

Aliter ſolent ſentire homines, aliter loqui.
Aliud in ore, aliud ferimus in pectore.
Aliud loqui, ſentire aliud turpiſſimum eſt.
Aliud palam agere, aliud clam dedecet probos
Amicum in fronte atq; inimicum promptè geras.
Cum mente nunquam lingua viri pugnat boni.
Et ſimia eſto verſans inter ſimias.
Etiam ſibi ſua luxuriæ eſt ſimulatio.
Haud fert diu animo diſparem vultum probus.
Hoc ore ſimus omnes quod & pectore.
Homines aliud ſentire, aliud loqui ſolent.
Idem loqui ac ſentire, verè regium eſt.
In fronte promptos pectoris geſtes ſinus.
Indigna res viro probo ſimulatio.
Molem bilinguis ſæpe concinnat mali.
Natura ubiq; victrix eſt ſimulatio.

Nunquam ore aliud loquare, animo aliud sentias.
Odi improbum qui verba frugi funditat.
Pauci sua eloquuntur recto pectore.
Pejor odio est, amoris adsimulatio.
Plerunq; aliud fit, & aliud prætenditur.
Qui sentit aliud, aliud loquitur, est malus.
Quod corde sentit, ore profatur probus.
Sentire aliud, aliud loqui anne regium est?
Sentire aliud, aliud loqui turpissimum est.
Simulatio quædam virtutum est vanitas.
Simulationi anteambulo Assentatio est.
Sub melle lingua sæpe fel mentis latet.

Simultatis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Chrysostomus*: Seditio & contentio corruptionem & consumptionem adfert tum iis qui recipiunt ea, tum iis qui invehunt, ac magis intus corrumpit omnia quàm tinea. *cap. 5. ad Galatas.*

Synesius: Honoratur à nobis mortui memoria, quoniam omnis cum vita simultas exuitur. *Epistola 64.*

§ ORATORUM GRAECORUM.

Libanius: Non omnes qui in urbe degunt bene in nos animati sunt, verùm quidam etiam nos odere: neque enim fieri potest, ut qui homines sint, non simultatis aliquid habeant. *sub initium Declamationis 38.*

Libanius: Hui, hui, truculentiam! ne mors quidem instare visa refrenavit iram: sed ipsam ad inferos deferendam autumavit. *Declamatione 40.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus: At ego inimicum habebam illius patrem. Decuerat quidem simultates, quas maximè omnium mortales esse voluere sapientes, in his desinere in quibus nascerentur: nam sic quoque immodicas serit discordiarum fortuna causas, etiamsi non hereditaria subeamus odia, ac diutius inimicitiæ maneant, quam inimici: tamen si quid adversus te commisit adolescens, sit hostis & meus. si innoxius & omni vacans culpa, caritatem mereri cupit, si nullius me amici filius validius amat, quei tandem vis pater respuam, & iratas obiiciam manus? Tu quoque non odisses pauperem, si te amaret. &c. *Declam. 9 §. 16.*

Quintilianus: Minus fortasse urant invicem simultates, & mutuis detestationibus invisa respirent. Odium is tantum filius perferre poterit, qui & ipse oderit patrem. *Declamat. 17. §. 16.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ah! simultatum simultas proximorum acerrima est.
Injustissima est simultas, quæ hominem esse hominē nō sinit.
Livor in vivis moratur: mors simultates necat.
Morte solvitur simultas: livor in vivos furit.
Nulla peior est simultas quàm silentio abdita.
Omnis in functos simultas cessat, aut summum est nefas.
Pessima est simultas amnis quam livoris procreat.
Pessima omnium est simultas quæ palam haud irascitur.
Pessima omnium est simultas quæ vacat silentio.
Quid simultates mortalis immortales suscipis?

§ JAMBICA.

Cedat prior, quisquis prior deliquerit.
Cadit simultas parte deserta altera.
Hominis meminisse, inter simultates, pium.
Nemo est simultas cui non sit cum altero.

Sinceritatis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

C*Ivitas nulla est quæ civem non aliquem habeat improbum.*
Dulce ubi est, ibiq; amarum est. mel apū est! & punctio est.
Dulce ubicumq; est, ibi & amarum est: atq; ideo pungunt apes.
Dulcius quid ficu, cortice ejus quidq; amarius?
Natus est sapiens Anacharsis secordes apud Scythas.
Nemo tam est malus pusilla mica cui non sit boni.
Nil bona est cui non acerba quippiam admixtum est rei.
Nil boni uspiam quod uti possis absq; omni malo.
Nil jubar Phœbi isto in orbe labis immune adspicit.
Non modò mel sed cicutam terra profert Attica.
Nulla tam regio beata est, cui nil admixtum mali.
Qui merum bonum, illud quærit quæ Dei sunt unius.
Spineo horret tegmine ipsa, sit licet fragrans rosa.

§ JAMBICA.

Adnata summis summa sunt bonis mala.
Æquè malo sunt cornua cervis quam bono.
Boni maliq; quædam ubiq; mixtio est.
Est ipsa propter pulcrior spinam rosa.
Et mel, & stimulum, in alveario invenis.
Etiam invenire equū inter Thessalos pigrum est.
Germana Amoris interiit Sinceritas.
Inest bonum Polydis capiti, inest malum.
Nil esse ab omni parte sincerum potest.
Nil est boni, cui nil sit admixtum mali.
Nil est, cui haud admixta sit virtus, mali.
Nil est mali, cui nil sit admixtum boni.
Nil tam bonum, cui non quid adsitum mali.
Quod non bonum est, nō est tamen statim malum.
Sæpe ad perniciem agi solet sinceritas.
Tonante demum fit Cato felix Iove.
Vbi leges soletq; lappa crescere.

Sitis.

SENTENTIÆ PATRUM.

S*Ynesius*: Sagittatione nobis opus est ad puteorum, ad fluminis copiam habēdam, aquæ enim intra muros nihil habemus. alioqui quid eam obsidionem tolerare tibiis ac commessationibus indulgentes prohibeat? Iam verò aut pugnando vincere necesse est, aut manu conserta cum hostibus oppetere potius quam siti conficiamur; quo quid miserius posset accidere? ita vel necessitate coactos viros nos præbere convenit. *Epistola centesima trigesima prima.*

D. Chrysologus: Si quis poculum aquæ frigidæ sitienti porrigit viatori, aliquantum quidem animum recreat æstuantis, & humanitati planè succurit, non tamen penitus sitim extinguit. *Sermone 112. pr.*

Egesippus: Reliqui sese in munitionem recipientes, aquæ inopia fatigabantur, ut legatione missa pacem precio deposcerent. Sed cum se protrahi viderent, & sitis amplius aquis deficientibus accenderetur; egredientes plerisque sese offerebant hostibus voluntariò, ferro quam siti præoptantes perire. *caput 32. libri 1. de excid. Hierosolim.*

§ POETARUM.

Guntherus lib. 2. v. 559.

—— nulla est audacia major,
Quàm cui materiem natura præbet egestas,
Vt sitis atq; fames. sitiens mala nulla timere
Esuriensve potest: misera violentia pestis
Cogit abesse metum; dum plus præsentia torquent,
Quàm ventura movent.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Fonte spectato recedas, quisquis exerces sitim.
Qui sitit famet ve, nulla respicit pericula.

§ JAMBICA.

Cepas edendo incendere est ipsam sitim.
Ecquis bibat cùm jam obsidet fauces aqua?
Ferro perire quàm siti clementius.
Intendere ipsam vis sitim? cepas ede.
Magis ac magis sitim bibendo accenderis.
Miserrima ô mors, cui causam præbet sitis!
Potu fames; cibo sitis non solvitur.
Quibus sua est sitis bibunt silentio.
Quo plus bibere Parthi, hoc sitiunt amplius.
Sanam sitim facillimum est exstinguere.
Siccis acerba semper incubant mala.
Sitire sese ostendit, calicem qui ebibit.
Sitis bibendo augetur, non exstinguitur.

Sobrietatis.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECOR.

D*Ivus Chrysostomus*: Qui in delicias solvitur, homo profectò non est. quo enim pacto, cùm nihil ex eis curæ sit, quæ hominem faciunt! neque enim possunt deliciæ atque sobrietas in eodem habitare domicilio. hæc enim se invicem perimunt, sicut etiam externæ sapientiæ auctores dicunt. nam venter pinguis non gignit sensum tenuem. Quemadmodum de his qui virtute clari sunt, licet habeant corpus, dicere tamen solemus, totus anima est: ita & de carnalibus, licet illis per vitam non desit anima, dicimus, totus caro est. *Homil. 12. ad Corinth.*

D. Chrysostomus: In die si quis vigilet, non sit autem sobrius, in mala incidet innumerabilia. quamobrem vigiliæ intensio est sobrietas. *Homilia 9. ad Thessal. 1.*

§ ORATORUM GRAECORUM.

Philoſtratus: Adoleſcens quidam Aſſyrius in ſummis deliciis vivere conſuetus, cum in adverſam incidiſſet, ad Æſculapium venit. erat autem in potationibus & conviviis plurimum vivere, imo ut verius dicamus, mori conſuetus. Laborabat autem aqua intercute; & ebrietate gaudens de exſiccatione non cogitabat. propterea & à Deo negligebatur, ita ut ne ſomnia quidem ulla ei mitteret; quibus de cauſis anxius adoleſcens incuſabat Æſculapium: qui tandem in ſomnis illi ſuperſtans, ſi Apollonium, inquit, conveneris, melius tibi erit. Eum igitur accedens adoleſcens; quidnam ait ex tua ſapientia poſſum acquirere? jubet enim me Deus tecum loqui. cui Apollonius: Id quod ſcio juvare te plurimum in præſentia poteſt. quæris enim ut opinor, ſanitatem. certe infit ille: hanc promittit Deus, ſed tamen non dat. Bona verba, inquit Apoll. volentibus enim duntaxat illa tribuere ſolet: tu autem omnia facis quæ morbo penitus adverſantur. delitiis diffluens abdomini indulges, & penè corruptis inteſtinis, aquaque nimia redundantibus, cibos quaſi tum ſuperinfundis. & hoc quidem, manifeſtius dixit, quàm Heraclitus, tali morbo laboranti dicens opus ex pluvia ſiccitatem induere. & ſic adoleſcens ad ſanitatem rediit. *lib. 1. de vita Apollonij fine cap. 6.*

Philoſtratus: Audiviſti quam levibus quamque terreſtribus cibariis veſcerer, quæ mihi longe ſunt jucundiora, quam latæ & apparatiſſimæ aliorum dapes. Hoc igitur admirabilem quandam & arcanã perſpicacitatem ſenſibus tribuit, nec turbidum quidquam aut obſcurum circa ipſos manere patitur; facitque ut tanquam in ſpeculi claritate cuncta perſpiciam tam facta, quam etiam futura. Neque enim expectabit ſapiens evaporantem terram, aut aërem corruptũ, aut ut grave aliquid deſuper adveniat; ſed hæc omnia intelliget, quamvis adhuc in foribus, ut dicitur exiſtentia. *Mox:* Hæc ergo victus frugalitas, non modò ſenſuum perſpicacitatem gignit, ſed vim quandam ad res maximas & admirabiles percipiendas. *lib. 8. Apollonij cap. 3.*

Iulianus Imp. in Caeſ. de M. Philoſopho: Erat barba prolixa, & amictu ex omni parte frugali ac modeſto. denique propter paucitatem alimentorum corpus illi erat ſplendidius & nitidius; ipſius lucidiſſimi & puriſſimi ignis inſtar.

§ POETARUM.

Aur. Prudent. hymno ante cibum.

Da locuples Deus hoc famulis
Rite precantibus, ut tenui
Membra cibo recreata levent,
Neu piger immodicis dapibus
Viſcera tenſa gravet ſtomachus.
Hauſtus amarus abeſto procul.
Nec libeat tetigiſſe manu
Exitiale quid aut vetitum.
Guſtus & ipſe modum teneat,
Soſpitet ut jecur incolume.

§ EMBLEMATIS.

Camerarius LXXXVI. Centur. 4.

Sobrietatis opus.

Emoritur ſerpens hominis contacta ſaliva:
Hei mihi quam magnum ſobrietatis opus!

Videantur plura titulo *Abſtinentiæ, Frugalitatis, Ieiunij, Temperantiæ.*

Societatis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*ivus Nazianzenus:* Quonam pacto illud quoque non reprehendis, quòd cum publicanis, & apud publicanos comedit, & publicanos diſcipulos efficit, ut ipſe quoque aliquid lucretur? quid tandem? peccatorum ſalutem. Niſi quis fortè eo nomine medicum accuſet, quòd ad corporis morbos ſe demittat, fœtoremque perferat, ut ſanitatem ægrotis largiatur, atque eum etiam, qui humanitate ac miſericordia permotus, in foveam ſeipſum inclinat, ut prolapſum jumentum, quemadmodum lege ſancitũ eſt, ſervet. *Orat. 42.*

D. Nazianzenus: Uterque alteri norma & amuſſis eramus, qua rectum à pravo diſcernitur. Non enim cum ſodalium noſtrorum petulantiſſimis & impudiciſſimis, ſed cum caſtiſſimis conſuetudinem habebamus, nec cum pugnaciſſimis, ſed cum pacatiſſimis, iiſque, quorum conſuetudo maximos fructus afferebat: illud nimirũ exploratum habentes, facilius eſſe vitium contrahere, quàm virtutem impertire: quemadmodum etiam facilius eſſe morbo alieno infici, quàm ſanitatem largiri.

D. Nazianzenus: Quis langueat, imo quis non magno & fidenti animo futurus ſit, te duce ac ſocio de veritate diſputans atq; contendens? *fine epiſtola 27.*

D. Greg Nyſſenus: Talis diviſio virtutis eſt, ut & in omnes qui eam amplectuntur & affectant dividatur, & cuique adſit univerſa, inter participantes non diminuta. nam in terrenarum quidem divitiarum diſtributione, qui plus juſto ad ſe traxerit, injuriam facit iis qui ex æquis partibus ſocii ſunt: ſocii enim partem minuit prorſus is qui ſuam plus juſto auxerit. Spirituales autem divitiæ idem faciunt quod Sol, qui & omnibus videntibus ſe impertit, & totus unicuique accedit. *Homil. 1. de beatitudinibus.*

D. Chryſoſtomus: Paulus noluit habere ſocietatem cum aliorum calamitatibus: ſed ipſe elegit eſſe in extremis, ut alii eſſent in bonis. Non ſunt enim paria: cum ſis in deliciis, abjicere delicias & affligi; & cùm ipſe ſolus affligaris, efficere ut alii ſecurè vivant & ſint in honore. Nam heic quidem, etſi ſit magnum mala bonis commutare propter proximum; affert tamen aliquam conſolationem habere ſocios rerum adverſarum. Se autem velle ſocium eſſe in rebus moleſtis & aſperis, ut alii fruantur rebus jucundis & ſecundis: id eſt animi magis juvenilis, & ingentis Pauli ſpiritus. *Hom. 25. ad Cor. 1.*

D. Chryſoſtomus: Ne quæramus quæ aliis præcepta ſint, quando de iis quæ ad nos pertinent accuſamur. neque enim ſi criminum ſocium inveneris, à culpa liberaberis; ſed hoc unum ſpecta, ut te à criminibus exuas. Nam Adam quoque culpam conferebat in mulierem, & ipſa rurſus in ſerpentem; ſed nihil ex eis ipſos eripuit. *Homilia 26. ad Corinth 1.*

D. Chryſoſtomus: Tum perpeſſionum ſocietas habet conſolationem, quando mala quæ patimur fuerint ſymmetria & proportione congrua: quando autem exuperarint, & ut mente excedamus effecerint, non ampliùs ſinunt ullam habere conſolationem. Dic enim ei qui per contumeliam flagris cæditur, & in ignem eſt injectus, Hic aut ille hoc patitur: ne ſentiet quidem conſolationem. *Homil. 4. ad Epheſios.*

D. Chryſoſtomus: Nemo eſt qui mala innumerabilia corrigat, nemo qui increpet. ſed viam quandam & conſequentiam accepit auctoritas. Peccavit quiſpiam & fuit accuſatus? non in hoc ſuum ponit ſtudium, ut ſe oſtendat non eſſe crimini affinem, ſed ut invenire poſſit ſocios criminum. *Homil. 6. ad Epheſios.*

D. Chriſoſtomus: Commilito plus eſt quam cooperator. non nemo enim fortaſſe fuerit, qui in levibus quidem negotijs ſocium ſe agendi præbeat: in bello autem ac periculis non item. *Homilia 9. ad Philipp.*

D. Chryſoſtomus: Maximè confirmantur multi ex eo quod multos habeant ſocios dogmatum. *Homil. 1. ad Coloſſ.*

D. Chryſoſtomus: Solet ſotietas eorum qui mœroris noſtri participes ſunt, doloris maximam partem auferre. Quemadmodum enim quum quis ferendo oneri accedit ſocius, eum qui ſolus ferebat, leviaſſe dicitur: ita & in aliis omnibus hujuſmodi ſocietas ex miſeratione profecta, vim maximam alleviationis habet. At vero nunc perverſo ordine, ſi quis ex propinquis noſtris defunctas fuerit, plurimi aſſident, ut conſolentur lugentes, lapſumque aſinum ſæpe erigimus fratrum vero noſtrorum lapſas animas plus quam aſinum ſpernimus; atque negligimus. Neque ſi quem fœde cauponam ingredi cernimus, rugamus frontem: neque ſi viderimus ebrietati ſtudentem, prohibemus: neque ſi quid aliud turpiter agentem, coercemus: ſed cooperamur in omnibus. *Homilia 1 ad Timoth. 2.*

S. Iſidorus Peluſiota: Nil mirum, quòd urbs ſanguinum, atque homicidarum filii, facinorum ſuorum ſocium & homicidam Barrabam mortis periculo liberarunt, ac velut inſontem miſſum fecerunt. Nam cùm parum de cædibus laborarent, ut qui cædibus aſſueviſſent, nunc cædium authoribus veniam impertiebant: nunc contrà vitæ atque immortalitatis promptuario crucem ac ſepulturam inducebant. Quorum amborum ſcelerum pœnam uno atque eodem tempore pependerunt. *lib. 1. epiſt. 292.*

S. Iſidorus Peluſiota: Sufficit diei malitia ſua, inquit Dominus Chriſtus. quandoquidem etiam unius horæ malitia, voluptatis magnæ oblivionem affert. Probus ille Epiſcopus Euſebius ad univerſam Eccleſiam perturbatione implendam, vel ſolus ſufficiebat. Poſteaquam autem te quoque improba voluntate hominem nactus eſt, eas jam vires habet, quæ toti terrarum orbi perturbando pares ſint. Ac proinde tum omnes ſacri ordinis viri, tum communis plebs, tum denique Dei famuli qui in ſolitudine decertant, vota faciunt, ut vel importunitas tua ab illius improbitate diſiungatur, aut utraque in benignitatem, ac vitæ rationem ab hominum ſocietate atque commercio minimè abhorrentem commutetur: aut Deus lenitatem ſuam in acerbitatem convertat, vobiſque pro iis, quæ & perpetraſtis, & animo agitatis, & impiè in unum coitis, meritas pœnas rependat. *lib. 1. Epiſt. 332.*

S. Iſidorus Peluſiota: Cum morum uniuſcujuſque ac vitæ perſpicuum argumentum ſit, eorum, qui cum ipſo degunt, vitæ ratio, ne mireris, ſi Euſebius Martinianum, Zomſimũ, Maronem, alioſque ejuſdem farinæ honore afficit. Quemadmodum enim ſi virtutis amore teneretur, probis viris haud quaquam abire anteferret: ſic quia collactanea & chara ipſi eſt improbitas, iiſdem quoque hominibus utitur. *lib. 3. epiſt. 29.*

S. Iſidorus Peluſiota: Si quis, qui vitæ conſuetudinem cum Euſebio habent, duorum alterum neceſſe eſt, nimirum ut vel in ipſius offenſionem atque odium incurrant, aut intemperantiæ ipſius ſocii ac participes ſint (ſiquidem graves & temperantes extrudit, eos autem qui petulanter atque inhoneſtè ſe gerere norunt, charos habet) author tibi fuerim ut ipſius conſuetudinem & contubernium fugias, ne peſtilentem morbum contrahas. *lib. 3 epiſt. 47.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quemadmodum coitus animalium diverſi generis, de quo eſt in fabulis, monſtroſa genuit corpora, Minotaurum neſcio quem, & Centauros, quorum ille quidem Atticos devorabat pueros; iſti autem alienas rapiebant mulieres:

ita etiam improbissimorum hominum consuetudo, absurdos atque monstrosos mores parit, qui parum abest quin Centaurorum facinora audacissima æmulentur. Quæ causa quoque est, cur psalmorum scriptor eos quàm longissimè ab se abegerit, cum ait: Recedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Non exiguam enim noxam gignit eorum consuetudo, sed talem, quæ ad ipsam spectet, animam, quâ nihil est pretiosius atque præstantius. *libro quarto epistola 35.*

Synesius: Si humana negotia, eorum communione conjunctos, affectu inter se colligant ac devinciunt: nos utique mente consociatos, quæ pars est nostri præcipua, nostris invicem rebus studere lex divina efflagitet. *Epistola 126.*

§ LATINORUM.

Chrysologus: Citò cadit fragilitas humana, quæ de se superbè confisa, socios despicit, non vult habere collegam. *Sermone 170. m.*

Ennodius: Apud quos ignoti sumus moribus nostris, de sodalibus æstimamur. *lib. 5. epist. 21. m.*

Ennodius: Honestorum te obsequiis indesinenter impende. Eos qui consortio se suo polluunt, debens monitis reverentiam, velut veneni poculum fuge. *lib. 6. epist. 23. f.*

Ennodius. Fas est cum eo votam conjungere, cui par esse nequeas actione: quia assertio conscientiæ est, meliorem in quacunque parte sectari. *Dictione 2.*

Ennodius: Hæc est rerum conditio, ut novi hominis mores divulget inventa sodalitas: & qui ignoratur per originem, similium clarescat affectu. Deprehenditur mens secreta per socios; & cui non licet ad liquidum supervenientis æstimare conscientiam, conceditur ut de suis deprehendat externos. *Vita B. Antonij capite quarto.*

Ennodius: Diu humanæ conversationis mixtus illecebris, societatem contagionis haurit. *in Vita B. Antonij cap. 5. f.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Xenophon: Rex autem Assyriorum quum Syros universos, non exiguam sane nationem subegisset, Arabum regem imperio suo subjecisset, Hyrcanios subditos haberet, Bactrios oppugnaret, futurum existimabat, ut si Medorum vires debilitasset, facile finitimis omnibus imperaret. Hæc enim natio inter vicinas alias potentissima videbatur. Itaq; nuntios ad subditos suos universos, & ad Crœsum Lydorum regem & ad regem Cappadocum, ad Phrygas utrosque, ad Cares, ad Paphlagones, ad Indos etiam Cilicesque mittit: & Medos ac Persas apud hos per calumniam criminatur, quum magnas esse diceret hasce gentes, & viribus firmas & conjunctas, & adfinitatibus mutuis devinctas: easdemque sic inter se conspirasse, ut periculum esset, nisi quis eas antevertendo debilitaret, ne nationes alias adorti singulas, sibi subiicerent. At illi quum partim verbis hisce fidem haberent, partim muneribus ac pecuniis, quibus abundabat, persuaderentur: societatem cum eo coeunt. *cap. 32. lib. 1. Cyropædia.*

Xenophon: Antehac, amici, Armenius Cyaxari & societate junctus fuit, & imperio subjectus. Nunc postquam hostes inaudiit adventare, spreto Cyaxare, neque copias nobis mittit, neque tributum persoluit. Itaque jam nobis hic venandus est, si quidem poterimus. *cap. 35. lib. 11. Cyropædiæ.*

Lysias: Maximum meæ moderationis argumentum esse arbitror, quod juniores quicunque aut aleæ, aut potationibus, aut hujusmodi intemperantia dediti sunt, omnes mihi videtis adversos, ut plurima de me fingant ac comminiscantur. Constat autem, si earundem rerum cum ipsis essem studiosus, quod aliter de me sentirent. *cap. 3. orationis 15 pro Mantitheo.*

Aristides Rhetor: Est prudens & gloriosum, generosiorem atque meliorem deligere partem: recedere, & negotia prorsus fugere, socordiæ præbet ignaviæque, non sapientiæ nec gravitatis ullum indicium. *Oratione Leuctrica 1.*

Aristides Rhetor: In proborum societate fallentes, improborum etiam falsos manet. qui autem spe lucri se iniquum præbet, duplex recipit, si res male evenit probrum. *Oratione Leuctrica.*

Aristides Rhetor: Non post initam societatem demum, an sit auxilium ferendum quæri oportebat, verùm dum de societate consulitatur, tum quibus ea sit legibus incunda, communiter dispicere. *Oratione Leuctrica 4.*

Epictetus: Si tranquillè placideque vivere cupis; operam dato ut contubernales tui omnes sint boni. erunt autem boni, si eos institueris, alios volentes, alios invitos, ac postea subactos dimiseris. nã cum iis qui fugerint, unà & improbitas fugiet & vitium. cum iis autem qui apud te manserint, unà remanebit & honestas & libertas. præstat verò cum libero degentem, securum esse & liberum, quàm cum multis servire. *apud Stobæum.*

Libanius: Ne misceas quæ misceri non possunt: fuge domum meam, ut etiam mores: non possumus unà vivere, dividimur sententiis. asinum cum equo nemo conjungeret: nam quod dissimile est, non sinit amicè conspirare in opere; sed neque boves quisquam eidem jugo submitteret, qui non pariter laborare assueti essent. ergo nos etiam morum dissidium seperat. multum, fili, datas à me. *Declamatione 37. quasi extremo.*

Libanius: Quidquid Patroclus enunciat à suspicione liberum est apud Achillem: quia sodalitas nihil fucatum esse ac subdolum sinit videri. *Præfatione oratione Patrocli ad Achillem.*

Basilius Imperator: Versare assiduè cum medicis animorum, ut ipse animo valeas: ab eis enim discere poteris quas res expetere, & à quibus abstinere debeas: quibus cum hominibus consuescere, & à quorum consuetudine abhorrere, & quo modo vitam totam dispensari oporteat, ut ne in frequentes morbos incidas. Si hanc institueris viam, ad solidæ germanæque virtutis veros limites brevi prevenire poteris. *cap. 7.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Socrorum communia damna & lucra sint. Sacra res est & quędam fraternitas propositorum animorum. Consortes enim potest facere casus: cæterùm quidem cùm duo homines omnes fortunas suas contulerunt, omnes casus miscuerunt, unum quoddam factum est: quid est justius, quàm compositum patrimonium habere conditione unius sacietatis? hoc enim est unitas. Vides ergo & damna & lucra communia esse debere, & nihil non æquum est, quòd utrique parti scriptum est. Eventus nos deduxit. Sed de sociis loquor idem agentibus. illud suo loco imputabo, quòd hic domi semper & custos tantùm pecuniæ fuit. Ego sum ille, qui longas terras & ignotas regiones peragravi: ego ille, qui tam longè abieram, ut in patriam redire non possem. Ex hac igitur lege postulo ut communia sint quæ in vobis sunt: ut dividantur. Quid ais? periisse patrimonii partem, & mihi periisse: adiicis mea culpa periisse. Omnia hæc interim confiteri libet: commune tamen damnum est. Negat hoc esse damnum, & pænæ nomen imponit. Ego porrò, Damnum existimo esse amissionem eorum quæ habueris: neque enim veniet in dubitationem, quin amiserimus aliquid ex his quæ habeamus. Hic pænam appellat. possum non negare, cum & ipsa pœna damni genus sit. Nam mihi ex hoc, quod plerisque criminibus pecuniæ pœna imponebatur, appellatio etiam ipsa Damnatio videtur. Ablatum est aliquid mihi, sanè etiam confitear: quid interest quomodo ablatum est? Ego perdidi. nam & si latro abstulisset, mihi abstulerat. & si in piratas ego incidissem mercator, ego amiseram. peribat hoc utrique nostrum. Quid si etiam pænæ id genus est, quod casus attulit? sanè enim feramus hanc tuam finitionem, ut Damnum credamus esse fortuitam amissionem, putemus esse fortuitam rerum amissionem, damnum. quid tam fortuitum potest esse, quàm quod accidit? Non enim lege vetere, & ante profectionem meam scripta, & quam ego nosse possem, & in quam mea culpa inciderem. Quid fortuito accidit. bellum. quid fortuitò accidit? ignorantia mea. non est tale, quale si in furto deprehensus, quadruplo damnatus essem. Tu enim diceres: noveras damnum, noveras legem: vitio tuo incidisti in hanc. Hæc non eo pertinent, quo genere damni afflictus sim. Nam si naufragium fecissem: diceres, vitio tuo. navigabas enim. & si spoliatus essem à latronibus, diceres, vitio tuo. parum diligenter custodiebas. Quotum quodque damni genus est, cui non applicari reprehensio possit? Si mancipiorum mortes sunt, parum curasti, medicinam non adhuisti. Hoc habent gravissimum damna, quòd vix ulla sine pœnitentia sunt. Ergo tunc quoque si vitio meo factum esset; si lege vetere, damna tamen communia erant. *Declamat. 320.*

Cl. Mamertinus: Certissimæ fraternitatis similitudo, etiam intervallum vestræ unit ætatis, & seniorem junioremque caritate mutua reddit æquales: ut jam illud falsò dictum sit, non delectare societatem rerum, nisi inter pares annos. intelligimus enim sacratissimi Impp. geminum vobis, quamvis dispares sitis ætatibus, inesse consensum; neque tu illi videris promptior, neque tibi ille cunctantior, sed invicem vosmet imitamini, invicem vestros affectatis annos. sic vos estis ambo juniores, ambo seniores. neuter plus suis moribus favet; uterque se vult hoc esse quod frater est. *cap. 8. geneth. Maximiani.*

§ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 1. de rebus suis.

Grandia nec cernens aliorum crimina lætor,
Excelsa tanquam ipse sedens virtutis in arce.
Quid juvat ægrotum ferro dum membra secantur,
Cernere quos gravius cruciet vis aspera ferri?
Quid juvat obstrictum vitiis scelerațior alter?
Nam bonus ex meliore queat decerpere fructum
Non secus atq; malus (siquidem qui cernit apertè
Vtilis esse potest oculorum lumine capto)
At gaudere malis, scelus est immane ferumq;.
Quod si cum fœdis vitiis tamen optimus esse
Nonnullis videor doleo tacitusq; gemisco.
Malim, cùm recto studeam, vitiosus haberi,
Quam vitio addictus, justi clarescere fama,
Mendaxq; ignaris mortalibus esse sepulcrum,
Quod licet internè fœtentia corpora claudat,
Calce tamen nitet externa, gratoq; colore.

D. Greg. Nazianzenus in vita sua.

Οἱ γὰρ κακοὶ τάχιστα μίγνυνται κακοῖς.
Nocens nocenti sese copulat statim.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 50. Nicobulus ad filium.

Ne tibi qui vitijs scateat conjunge sodalem;
Namque etiam firmos pestis gravis occupat artus:
Non tu virtutem tribues, sed dedecus ipse
Accipies, vitijs atque inficiere profanis.

Plautus Amphitr. 5. sc. 1. v. 72.

— *Pol me haud pœnitet,*
Scilicet boni dimidium mihi dividere cum Iove.

Plautus Asinariæ 2. sc. 2. v. 1.

Vbi ego nunc Libanum requiram, aut familiarem filium?
Vt ego illos lubentiores faciam quam Lubentia est?
Maximam prædam & triumphum eis adfero adventu meo.
Quando mecum pariter potant, pariter scortari solent,
Hancque item quam nactus prædam, pariter cum illis partiā.

Plautus Asinariæ 2. sc. 2. v. 20.

Perij ego oppido, nisi Libaniū invenio, jam ubiubi est gentiū
LI. Illic homo socium ad malam rem quærit, quem adjungat sibi.

Plautus Epidici 1. sc. 1. v. 70.

— *Quid istuc ad me attinet, quo tu intereas modo?*
E. Quia perire solus nolo, te cupio perire mecum,
Benevolens cum benevolente.

Plautus Mercatore. 2. sc. 3. v. 114.

Post autem communis est, illa mihi cum alio. quî scio
Quid sit ei animi, venire ne eam velit, an non velit.
D. Quid id mea refert? C. quia illi suam rem esse æquum est in manu.
D. Quid ais? C. cōmunis mihi est cū alio; is nūc hic nō adest.
Nescio, inquam, velit ille suam nec ne abalienarier.

Plautus Rudente 2. sc. 6. v. 67.

Vel consociare mihi quidem tecum licet:
Æquas habemus partes.

Guntherus lib. 1. v. 582.

Mox ubi propositas, quo debuit ordine, caussas
Egit, & in placida Rex omnia pace locavit,
Magna sibi cupiens quærenda semina laudis
Et propagandi momenta potentia regni;
Protinus Hungaricos armato milite fines,
Si placuisset eidem socijs, intrare parabat.
Et facturus erat; nec inutile Principis esset
Propositum, poteratque suo rem claudere voto.
Sed quidam, seu mente bona, monituque fideli,
Sive dolo, tacitoque (magis quod credimus) astu
Dissuasere duces: ac ne contrarius illis
Ire videretur; nec in hac re commoda regni
Sed privata sequi, quamvis invitus ab alto
Cessit proposito.

¶ Apologorum.

Æsopi Asini emptor: Asinum quidam empturus, in experimentum & probam accepit; ad præsepe igitur cum aliis suis deduxit asinis. Ille verò cæteris relictis propè segniorem & voracissimum stetit, & qui nihil agebat. vinciens ergo eum, proprio reddidit domino. sciscitantique illi an tam cito ejus fecisset experimentum, respondens ait, ego verò probatione opus non habeo: scio enim eum talem esse, qualis is est. quem socium delegit sibi.

Æsopi Leo & Delphinus: Leo juxta Littus quoddam errans Delphina ex aquis prospicientem intuitus; ad societatem ineundam hortatus est, inquiens. ut maxime amici auxiliatoresque invicem fierent: Ille siquidem marinis animalibus, hic terrestribus imperat. Delphinem verò propte annuentem, haud multo post tempore pugnam contra sylvestrem taurum initurus, in auxilium vocavit. Vt autem ille, quamvis maximè cupiens è mari exsilire nequiret, ut proditorem eum objurgavit. Subjiciens vero ille ait, Ne me objurges sed naturam, quæ me marinum cùm crearit, exsilire non sinit.

Æsopi Vipera & Serpens. Vipera ad fontem accedens potabat. Id hydrus loci illius incola vetabat; increpans quod privato pastu non contenta, ad suam accederet mansionem, augescente verò contentione, præliari decernunt ea lege, ut victori & telluris & aquæ jus cederet. Statuto igitur prælii tempore, Ranæ hydri odio ad Viperam veniunt, animumque ei, pollicitæ se socias fore prœlij, addunt. ingruente jam prælio Vipera cum hydro congreditur; Ranæ, nihil ultra præstare cùm possent, ingens vociferatæ sunt: victrix Vipera ranas, quod se socias pollicitæ, pugnæ non interfuissent, objurgat. illæ, sed heus tu, ajunt, scito societatem & auxilium nostrum non manibus, sed voce constitisse.

Æsopi Fabula Vulpeculæ: Vulpecula apparitoris instar operam suam locabat leoni: ita ut hæc prædam indicaret, ille aggressus caperet. Quare & utrique pro dignitate qua erat, pars obtingebat. Sed vulpes cum quasi leoni partem invideret maximam, venari potius ipsa voluit, quam indicare. & aliquid è grege ovium conata rapere, primum ipsa facta præda est venantibus.

Phædrus Fabula 5. Vacca, Capella, Ovis, Leo.

Nunquam est fidelis cum potente societas,
Testatur hæc fabella propositum meum:
Vacca & Capella & patiens Ovis injuriæ
Socij fuere cum Leone in saltibus.
Hi cum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus partibus factis Leo;
Ego primam tollo, nominor quia Leo:
Secundam, quia sum fortis tribuetis mihi:
Tum quia plus valeo, me sequetur tertia.
Malo adficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

Aphthonius: Tres tauri vivebant simul: leo verò semper eos insequebatur ut caperet. & concordes quidem nunquam potuit, discordes verò constituit subigere: ac ita cum ad mutuam omnes pugnam instigasset, diffidentes, & separatum singulos facilimè occidit quos cum concordes essent, in suam potestatem redigere non poterat.

Sic concordia, qui eam exercent salutaris est.

Olla Ænea & Lutea. *Avienus.*

Eripiens geminas ripis cedentibus ollas,
Insanis pariter flumen agebat aquis:
Sed diversa duas ars & natura creavit,
Ære prior fusa est, altera ficta luto.
Dispar erat fragili & solida concordia motus,
Incertumque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen elisam confringeret ærea testam,
Iurabat solitam longius ire viam.
Ille timens ne quid levibus graviora nocerent,
Et quia nulla brevi cum meliore fides,
Quamvis securam verbis me feceris, inquit,
Non timor ex animo decutiendus erit.
Nam me sive tibi, seu te mihi conferat unda,
Semper ero ambobus subdita sola malis.
Pauperior caveat sese sociare potenti
Namque fides illi cum parili melior.

Viatores & Vrsa. *Avienus.*

Montibus ignotis curvisque in vallibus arctum
Cum socio quidam suscipiebat iter.
Securus quodcumque malum fortuna tulisset,
Robore collato posset uterque pati:
Dumque per inceptum vario sermone feruntur,
In mediam præceps convenit ursa viam.
Horum alter facili comprendens robora cursu,
In viridi trepidum fronde pependit onus.
Ille trahens nullo jacuit vestigia gressu,
Exanimem fingens sponte relisus humi.
Continuò prædam cupiens fera sæva cucurrit,
Et miserum curvis unguibus ante levat:
Verum ubi concreto riguerunt membra timore,
Nam solitus mentis liquerat ossa calor,
Tunc olidum credens, quamvis jejuna, cadaver,
Deserit, & lustris conditur ursa suis.
Sed quum securi paulatim in verba redissent.
Liberior justo qui fuit ante fugax:
Dic sodes quidnam trepido tibi rettulit ursa,
Nam secreta diu multaque verba dedit.
Magna quidem monuit: tamen hæc quoque maxima jussit.
Quæ misero semper sunt facienda mihi:
Ne facilè alterius repetas consortia, dixit.
Rursus ab insana ne capiare fera.

De Leone, Vacca, Capra & Ove. *Anonymus.*

Vt ratione pari fortuna munera sumant,
Sumunt fœdus, ovis, capra, juvenca, leo.
Cervus adest, cervum rapiunt, leo sic ait, hæres
Primæ partis ero, nam mihi primus honor.
Et mihi defendit partem vis prima secundam,
Et mihi dat major tertia jura labor.
Et pars quarta meum, nisi sit mea, rumpet amorem.
Publica solus habet fortior, ima premens.
Ne societ fortem fragilis, vult pagina præsens
Nam fragili fidus nesciet esse potens.

De Quadrupedibus societatem adversus aves cum Piscibus ineuntibus. Fab. 21.

Quadrupedes cum bellum sibi ab avibus esset indictum, cum piscibus fœdus inierunt, ut eorum auxilio se ab avium furore tuerentur. Cum autem optata expectarent auxilia, Pisces negant se per terram ad eos accedere posse.

Hæc nos admonet fabula, ne eos nobis socios faciamus, qui cum opus sit, nobis adesse non possunt. Abstemius.

De Erinaceo Viperam hospitem ejiciente. Fab. 72.

Erinaceus hyemem adventare præsentiens, blandè viperam rogavit, ut in propria illius caverna adversus vim frigoris locum sibi cōcederet. Quod cum illa fecisset, erinacius huc illuc se provolvens spinarum acumine viperam pungebat, & vehementi dolore torquebat. Illa malè secum actum videns, quando erinacium suscepit hospitio, blandis eum verbis ut exiret, orabat, quandoquidem locus ambobus esset angustus. Cui erinacius: Exeat, inquit, qui hic manere non potest. Quare vipera sentiens sibi locum ibi non esse, illi cessit hospitio.

Fabula indicat, eos in consortia non admittendos, qui nos possint ejicere. Laur. Abstemius.

De Leone Porcum sibi socium eligente. Fab. 93.

Leo cum socios asciscere sibi vellet, multaque animalia sese illi adjungere optarent, idque precibus & votis exposcerent, cæteris spretis, cum porco solum societatem voluit inire, rogatus autem causam, respondit: Quia hoc animal adeò fidum est, ut amicos & socios in nullo quantumvis magno discrimine unquam relinquat.

Hac fabula docet, eorum amicitiam appetendam, qui adversitatis tempore à præstando auxilia non referunt pedem. Abstemius.

¶ EMBLEMATUM.

Camerarius LXXXII. Centuria 1.

Disparem vites.

Triste filix calamis, filici quoque tristis arundo.
Qui socium cupies quærere, quære parem.

Camerarius IV. Centur. 4.

Tutos conjunctio præstat. Aphiæ complicati in se.

Nos tamen hæc glomerata simul conjunctio servat,
Quos facile sparsos perderet una dies.

Communia tecta. Pinna & Cancer.

Quam benè conveniunt, & in una sede morantur?
Quos natura, usus, junxit & unus amor.

A potentibus abstine. Embl. LVIII.

Conqueritur Sonipes longa de pondere cauda,
Utque levet quemvis voce precante rogat,
Dum rudis hanc tollit, ferratis calcibus ictus
Concidit, & pretium triste laboris habet.
In magnis non tuta fides, præ lustria vites,
Vive tibi, & paribus jungere te studeas;
Nam miserum est tali socio se jungere, de quo,
Si noceat, nunquam sit tibi posse queri.

Florent. Schonhovius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ah, bonus rei usum ullius cur consociat cum malo.
Ad malos malum se confert, ad bonos confert bonum.
Alteri qui facile jungitur, is facilè & disjungitur.
Copulam haud ferunt eandem luxus ac frugalitas.
Dexteram læva amputare ultima est amentia.
Dimidium boni dividere cum Jove si licet, sat est.
Divitis statim atque egeni solvitur sodalitas.
Eloquentia ac tyrannis sede nunquam una manent.
Et bonos mores malorum adulterant commercia.
Ex arena parvitate funis effici nequit.
Facile cor humanum adhæret quæ frequentat omnibus
Haud facile in bonum coitur, in malum facillime.
Immersus luto necesse est sit luto undique oblitus.
Improborum consuetudo monstra morum procreat.
Interior injustè socius superiori servit.
Mundi amor Deique in uno haud hospitantur pectore.
Ne cum malefico usum ullius consociet rei bonus.
Nec vitium virtuti, nec vitio virtus unquam est comes.
Nemo adhuc vidit jugatum Sobriæ luxum Deæ.
Non bonos rus aut malos urbs addit, est sodalitas.
Non jacent uno in cubili Terror ac Clementia.
Non potest diu convenire otio ac negotio.
Non potest venire in unum servitus locum ac fides.
Non venit persæpe in unum Robur ac Prudentia.
Nullâ vi coire possunt quæ naturâ dissident.
Nullius boni fine socio jucunda est possessio.
Nunquam Amor moratur una sede cum Calumnia.
Numquam easdem ædes subintrant Benevolentia ac Dolus.
Pauper atque dives haud sunt juge contubernium.
Plurium contagiosa ubique conversatio est.
Plurimo sodale nixa, pertinax Opinio est.
Prædà fit nisi columba quæ columbas deserit.
Qui cœno se immiserit, cœno est necesse sit oblitus.
Qui malo fuit sodalis, jam nequit dici bonus.
Rara copula est Prudentia atque Fortitudinis.
Res suas nemo florentes misceat cum perditis.
Roboris Prudentiæque rara valde copula est.
Scire aves sit quisque qualis ad sodales respice.
Sede in una vix morantur & coma & prudentia.
Sede non morantur una Iustitia ac Pecunia.
Sede non morantur una Nox, Dies, bonus malus.
Sed vix morantur una Plutus & Modestia.
Si malos inter versatur cum malis perit bonus.
Sol licet lutum penetret, haud fætorem contrahit.
Stare non possunt diu una Luxus ac Superbia.
Sub jugo sic curre comitem ne relinquas in luto.
Talis esse quis putatur, qualis ei est sodalitas.
Vix delectat societas, nisi annos inter compares.
Vix diurnant discrepantum morum contubernia
Vis fieri sapiens? sapientis contubernio utere.
Vix una domo moratur cum nepote sobrius.
Unguentariæ tabernæ odorem invitus accipis.

¶ JAMBICA.

Acerbitate imperii socios perdimus.
Affectioni ac Falsitati haud convenit.
Aliud societas, aliud est dominatio.
Bovem cum asello aptare aratris improbum est.
Commune nil cum flore amaricino sui est.
Consortis omnis impatiens potentia est.
Felicitas socii, felicitas mea est.
Felix sibi infelicem non quærit parem.
Haud imperandum sociis est atrociter.
Levat malum, quisquis malum communicat.
Lupi vita est, sine socio visceratio.
Mores probos congressus inquinant mali.
Mores requirit compares sodalitas.
Morientibus gratissima res est, commori.
Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.
Non est meus socius, socii socius mei.
Nulla est aselli una atque equi jugatio.
Nunquam coeunt vitia ipsis cum virtutibus.
Nunquam est fidelis cum potente societas.
Periculosè cum serpente lusites.
Quamplurimos habere vult pares malus.

Socordiæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A securitate non est longius secordia.
Purpuram nunquam almi honoris induit socordia.
Non modo cladem sibi adfert, sed suis secordia.

¶ JAMBICA.

Natura nil produxit ad socordiam.
Nunquam triumphum cogitat socordia.
Quid turpius forti viro socordia?
Rebus secundis plurima est socordia.
Socordia anima, corpus otio interit.
Ubique cunctis noxia est socordia.

Sodomiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Chrysostomus:* Quid de insania hac dixerimus, quæ ipsa tanto est scortatione deterior, quantum ne verbis quidem exprimere licet? Neque enim hoc solùm dico, quòd fœmina effectus sis, sed quòd perdideris ipsum hoc, nimirum virum esse, & quòd neque in hanc transieris naturam, neque quam haberes asservaveris, sed communis utriusque affectus sis proditor, dignus quem tum fœminæ lapidibus à se exigant, tanquam qui utrunque genus injuria affeceris: Atque ut intelligas, quantum hoc demum sit, si quis ad te adiens promitteret fore, ut te ex viro canem efficeret: nonne ab eo tanquam exitioso declinares? Tu verò despicito, te ipse non ex viro canem effecisti, sed animal hocce animante infamius: id enim ad usum commodum: at catamitus nullibi usui esse possit.

Quid autem? quæso. Si quis profiteatur præstaturum se, ut viri pariant, & à partu in lecto decumbant: nonne fieret, ut ira atque excandescentia compleremur? At verò vide nunc, certè qui sic rabiunt, perfecerunt ipsi, ut deteriore conditione essent. Neque enim par idemque fuerit, in muliebrem naturam migrare, & vir interim dum manes, fœminam fieri, quin potius neque hoc, neque illud fuerit. Quòd si & aliunde mali enormitatem pernoscere vis: interrogato, quamobrem, qui se ipsi eunuchos faciunt, eos legislatores pœna afficiant: & intelliges, id non ob aliud esse, nisi quòd naturam mutilent: quanquam non eousque illi injurii sunt: sunt enim vel post mutilationem, multis quidem locis usui, qui execti fuerint. At quisquis scortum se facit, hoc nihil esse queat inutilius: neque enim anima solùm, verùm & corpus ejus, qui hæc patrat, infame est, ac certè dignum quod undequaque exterminetur. quot tandem, obsecro, gehennæ his plectendis suffecerint? *Serm. 4. ad Roman.*

Chrysostomus: Animi morbi quidem omnes ignominiosi, sed maximè in masculos insania. Etenim ab ipsis delictis anima magis patitur dedecoraturque, quàm ab ægritudinibus corpus. *Homil. 4. ad Roman.*

Chrysostomus: Quid viro corpus suum meretricio more prostituente abominabilius? quid autem scelestius? ô insaniam, ô stupiditatem? unde, malùm, hæc debacchata est concupiscentia, humanam naturam hostium incommodis, atque adeò tanto gravioribus efficiens, quanto anima corpore præstantior est? ô vos & brutis insipidiores, & canibus impudentiores! nusquàm enim hujusmodi cōgressus apud illos, sed agnoscit proprios terminos natura. Vos autem genus nostrum infamius brutorum genere effecistis, & in his quæ dico injurii, & per vos invicem injurii. Vnde igitur mala hæc enata sunt? à deliciis, à Dei ignoratione. Cùm enim excusserit quis Dei timorem, protinus bona omnia pessum eunt. *Homilia 4. ad Rom.*

¶ LATINORUM.

S. Salvianus: Apud Romanos jampridem existimatum est ut virtus potius putaretur mollium incestus, quam vitium; & illi se magis virilis fortitudinis esse crederent, qui maximè viros feminei usus probrositate fregissent. Vnde etiam illud fuit, quod lixis puerorum quondam exercitus prosequentibus hæc quasi benemeritis expeditionibus stipendia laboris decernebantur; ut quia viri fortes essent, viros in mulieres demutarent. &c. *lib. 7. de gubernatione Dei.*

S. Salvianus: Quis credere aut audire etiam possit, convertisse in muliebrem tolerantiam viros non usum suum tantum atque naturam; sed etiam vultum, incessum, habitum, & totum quidquid penitus aut in sexu est, aut in usu viri? adeo versa in diversum, omnia erant, ut cùm viris nihil magis pudori esse oporteat, quàm si muliebre aliquid habere videantur, illic nihil viris quibusdam turpius videretur, quam si in aliquo viri viderentur. *lib. 7. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Cùm muliebrem habitum viri sumerent, & magis muliebrem gradum frangerent; cùm indicia quædam sibi monstruosæ impuritatis innecterent, & femineis tegminum illigamentis capita velarent; atque hoc publicè in urbe celeberrima, quid aliud quàm Romani imperii dedecus erat, ut in medio reipubl. sinu execrandissimum nefas palam liceret admittis. *lib. 7. de gubern. Dei.*

Quintilianus: Non sit mihi forsitan quærendum adversis auribus sæculi, in tantum vitia regnare, ut obscænis cupiditatibus natura cesserit, ut pollutis in fæmineam usque patientiam maribus, incurrat jam libido in sexum suum. Finem tamen aliquem sibi vitia ipsa exceperunt, ultimumque ad hoc hujus flagitii crimen fuit, corrupisse futurum virum. *Declamatione 3. §. 10. f.*

¶ APOPHTHEGM. SACR.

Iustinianus Imperator. Fuit libidini masculæ infestissimus, plurimosque ea de causa punivit, virilibus exectis. Id cur faceret rogatus, An non (inquit) si sacrilegium commisissent, manus illis fuissent amputandæ? *Zonaras, tomo 3.*

Solatij.

¶ SENTENTIAE PATRUM.

D. *Chrysostomus:* Si ab animo bene sibi conscio lætitia oriatur, vosque omnes virtutis numeros expleveritis, nihil ad animi tranquillitatem & solatium vobis deest. Neque enim ad consolandos animos quicquam tantum momenti habet, quantum pura conscientia: etiamsi alioqui sexcentæ tentationes vos circumsedeant. *Homil. 30 ad Corinth. 2.*

Orosius: Pax ista unius anni, vel magis umbra pacis, levimētum miseriarum an incentivum malorum fuit? stillicidium illud olei in mediū magnæ flāmæ cadēs extinxit fornicē tanti ignis, an aluit? Parum aquæ frigidæ ardentissimis haustum in febribus, sanavit ægrotum an potius incendit?

Mox: Si quisquam per totum annum doloribus ac cruciatibus agatur, medio autem anni ipsius spatio unum tantum diem tranquillum, & sine conflictationibus transigat, numquid ex eo levamentum malorum accipiet, ac non totum annum miseriis deputabit? *cap. 12. lib. 4. adversus Paganos.*

¶ ORATORUM.

Heliodorus: Qua fortuna usus es? Desine, inquit. quid hæc moves & eruere conaris? tragædiis ista relinquamus. neque enim per tempus hoc auctario meorum malorum vestra cumularem. præterea nec reliquum noctis sufficeret ad narrationem: præsertim cùm somno vobis & requie post multos labores opus sit. Cū illi nihil remitterent, & ut omnino narraret instarent orando, maximam esse consolationem ducentes, si similia suorum casuum audirent, orditur, &c. *lib. 1. AEthiop.*

Symmachus: Instaurant dolorem sera solatia; & ideo mutuum silentium calamitatibus nostris præstare debemus, ne fortunæ vulnera quæ cicatricem processu temporis ducunt, intempestivè contrectata crudescant. *lib. 1. Epist. 94. pr.*

Symmachus: Vbi primum ex incerto morbi parens communis emerserit, redde te mihi, ut nobis æquiorem vitæ cursum faciant participata solatia. *lib. 2. Epist 36. f.*

Symmachus: Nec interim mutua desideria scriptione foveamus. Solatiis enim leniendus est animus quoties protelantur optata. *lib. 6. Epist. 7.*

Symmachus: Et illa quidem adversa quæ cum plurimis pertulisti, more humani ingenii habent aliquod de societate solatium, hunc verò piraticæ deprædationis ictum, quem speciatim casus tibi durus adjecit, impressum altiùs puto: quia neque habet participem, & geminavit dolorem. Contra hæc fortuita, virtute atque ratione animus armandus est, spes quoque assumenda meliorum.

Sæpè titubantia in solidum reverterunt. Nihil hominibus æternum est. Volvunt mortalia vices crebræ, & omnium rerum fuga vivitur. Paucis ista perstrinyerim, quum tibi pro eruditione plura succurrant. *lib. 8. Epist. 27.*

Symmachus: Mallem quidem reditum tuum quàm literas impetrare. Sed etiam habent solatia locum, quoties fraudamur optatis. *lib. 9. Epist. 64.*

Symmachus: Tacenda sunt damna fortunæ, ne sera consolatio scindat præteriti doloris cicatricem. *lib. 9. Epist. 51.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carmine 1. de rebus suis.

Iniecto quemquam, ut dicunt, si dente momordit
Cæruleus serpens, vulnusque infixit acerbum.
Non aliis cupit ille suos memorare dolores,
Quam quibus est etiam fusum à serpente venenum.
Hos etenim tanti solos vim nosse doloris.
Haud secus his nostrum nunc commemorare laborem
Fert animus, quibus idem amor est eademque cupido,
Consimilisque dolor. namque hi duntaxat amico
Excipient mea verba animo, cordisque gementis
Optima cognoscent mysteria, qui cupientes
Dulce suis humeris pondus, plerumque salute
Ferre crucis, partemque in magni regis habentes
Cælitibus septis, simul ipsi tramite recto
Pergunt, atque pio miserantur corde gementes.

Petronius Arbiter.

Naufragus eiecta nudus, rate, quærit eodem
Percussum telo cui sua fata legat.
Grandine qui segetes, & totum perdidit annum,
In simili deflet tristia fata sinu.
Funera conciliant miseros, orbique parentes
Conjungunt gemitus, & facit hora pares.
Nos quoque confusis feriemus sidera votis:
Et fama est junctas fortius ire preces.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Alterum quenam soletur qui ipse eget solatio?
An solatium est malorum, similis multus si tibi est?
Comparem luctus habere quem sui solatio est.
Dedecus nobis illatum si latet, solatium est.
Est superfluum omne, quod iam tardius solatium est.
Grandior dolor solamen de altero in pœnâ haud capit.
In malis vacare culpâ unum genus solatij est.
In malis vacare culpa non levi est solatio.
Malivoli genus est solatij, copia infelicium.
Maximi solatij instar pura conscientia est.
Non tibi hoc soli; usitata est consolatio in malis.
Perleve, in pœnis habere comparem solatium est.
Optatis quoties fraudamur, est locus solatio.
Quem proprij gemitus morantur consolator est malus.
Quod periturum est, perdere æqua mente, ingens solatiū est.
Sæpius mali est solamen nosse vel sortem suam.
Vltimum rerum adversarum spes una est solatium.

¶ JAMBICA.

AErumna dupla est cui deest consolatio.
An vivam, an moriar; nullus est in me motus.
Culpâ vacare maximum est solatum.
Cum condolente promptius feras mala.
Magnum dolorem consolere silentio.
Malis malorum copia est solatio.
Narratio malorum, consolatio est.
Placere nescit consolator lacrimans.
Penè supervacuum est tardum solatium.
Pœnæ minoris societas solatio est.
Pueros minuto consoleris crustulo.
Seris dolores integres solatiis.
Solatium ingens pura conscientia.
Solatium rei adversæ spes ultimum est.
Solatium tardum, ferè & superfluum est.
Solatio est narratio infortunij.
Solatii loco est dolorem dividere inter plurimos.

Sortem

Sortem suam nosse, & mali solatium est.
Vacare culpa maximum est solatium.

Plura videantur titulo *Absentiæ, Doloris, Consolationis, Calamitatis, Societatis, Tranquillitatis, Amicitiæ.*

Solitudinis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Basilius Magnus Gregorio Nazianz.* Agnovi tuam epistolã, sicut faciunt illi, qui amicorum filios ex similitudine parentum agnoscunt. Hic verò est animi tui sensus, omnia in hac nihili facientis, præ beatitudine quæ nobis est reposita in promissionib. At neges loci apparatum multùm conferre ad ingenerandum studium, quo institutum vitæ nostræ amplectaris, antequam cognoveris hujus vitæ nostræ rationem. Ipse verò quæ faciam dies noctesque in hoc semoto loco, scribere erubesco. Congressus quidẽ & exercitationes urbis, tanquam multorum malorum occasiones reliqui: me ipsum tamen nondum relinquere potui. Sed similis sum iis qui in mari, non assuefacti navigationibus miserè nanseant. atque magnitudine navigij offensi, quasi majorem jactationem prębeat. Inde in lembum aut in naviculam transeat, & utrobique nausea conflictari, nesciunt quò se commodè convertant: unà molestiam & tædium secum gerentes. Aliquid ejusmodi nos etiam patimur.

Domesticas enim perturbationes circumferentes, ubique conflictamur animi perturbationibus: adeò ut non magnoperè nobis profuerit hęc solitudo. Nobis tamen insistendum fuit vestigiis Servatoris nostri (si quis enim, inquit ille, vult post me venire, abneget seipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me) Ita igitur nos cõparare oportet mentem pacatam & quietam habere conandum. Vt enim oculus assiduè circumactus, modò huc modò illuc, ad obliqua deflexus sursũ ac deorsum cõversus, perspicuè cernere neq̃t: sed oportet visum ad rem objectam affixum esse, certo aspectu rem conspecturus: Ita fieri nequit, ut mens hominis infinitis mundi curis distracta, evidenter veritati attendat. Etenim is qui nondum est nuptiarum vinculis astrictus, rapidis tenetur cupiditatibus, effrenes etiam impetus eum irretiunt, amoresque perditi eum perturbant. Rursus quem jam conjugium implicuit, curarum acervus excipit. In orbitate liberorum, desiderium prolis: quum suscepit liberos, de ipsis educandis sollicitus est. Accedit uxoris custodia, domus cara, servorum ac familiæ constitutio, in commerciis detrimenta, cum vicinis contentiones, in foro lites, negociationum pericula, agriculturæ labores. Vnaquæque dies venit suam animo afferens caliginem. Noctes curas excipientes diurnas, in cogitationibus iisdem mentem fallunt.

Hæc omnia vitandi unica ratio: se ab universo mundo seducere. A mundo verò secessus non est, extra se ipsum esse corpore: sed animam à consensu corporis avellere: extorrem esse, sine domo, sine amicorum sodalitate, sine opibus, sine proventu, sine negotiis, sine commerciis: disciplinas humanas non cognoscere, sed paratum esse ad suscipiendam doctrinam in divinis monumentis informatã. Præparatio vero cordis est dediscere ex prava consuetudine doctrinas, acceptas. Neque enim in tabulis cereis potest aliquis scribere, nisi priùs literæ fuerint deletæ, ibi jam exaratæ ibi jam exaratas: hic neque doctrina divina potest animo infigi, nisi priùs anticipati ex consuetudine concepti, rejecti fuerint.

Ad hoc efficiendum, maximam utilitatem nobis solitudo præbet, affectus nostro sopiens, otium rationi tribuens, quod possit illos ex animo evellere. Quemadmodum enim feræ permulsæ facilè superantur: ita libido, ira, timor, & mœror, animæ mala venefica, consuetudine sopita, neque assiduo initamento exasperata, faciliùs vi rationis superatur. Sit igitur locus ejusmodi, cujusmodi noster est: ab hominum congressu liber, ne ab aliquo extraneo exercitationis & medicationis assiduitas interrumpatur. Meditatio verò & exercitatio pietatis animam divinis cogitationib. alit. Quid igitur beatius, quàm in terris angelorum chorum imitari? Prima luce statim à precibus incipere: hymnis & canticis creatorem venerari? Deinde Sole plenè illucescente, ad opus suum se referre: ubiq; precibus adjunctis & canticis, tanquam sale actiones suas condire; Hymnorum enim consolationes & hortationes animam reddunt hilarem ac bene compositam. Quis igitur initium præbet ad animam purgandam? quando lingua de humanis studiis non loquitur, neq; oculi colores nitidos corporum circumspiciunt, neq; mẽbrorum probationem: auditus quoque cantionibus ad voluptatẽ sciendam factis, firmitudinem animæ non dissolvit, animus quoq; scurrilibus hominum facetorum dictis non fit languida. Id enim ad ejus vim infringendam maximè comparatum. Mens namque ad externa non discurrens, & per sensus in res mundanas non diffusa, ad seipsam revertitur: & per seipsam ad Dei notionem ascendit. Ex illo igitur decore anima circumlustrata & illustrata oblivionem capit, eorum quæ natura requirit: ut nec ad cibi curam, nec ad vestimentorum sollicitudinem abstrahatur: sed à terrenis curis vacua, omne suum studium ad æternorum bonorum adeptionem convertit: at videat quomodo temperantia, quomodo fortitudo sit instituenda, quomodo justitia, quomodo prudentia & reliquæ virtutes, quæ generalibus hisce subjiciuntur, sint exercendæ, quæ virum bonum monet, qua ratione sint ista rectè & decenter in hac vita præstanda.

Præcipuæ verò via: ad officii inventionem, est meditatio scripturarum divinitus inspiratarum. In his enim actionum præcepta reperiuntur, atque vitæ beatorũ virorum præscriptæ, tanquam imagines & simulachra quædam animata proponuntur ad imitationẽ bonorum operum, quę secundum normam divinam instituuntur. Itaque in qua re unusquisque senserit se indigere eo quod oportet in illis scripturis divinitus inspiratis suum studium ponens, tanquã ab aliqua medicinæ communi officina aptum invenit morbi sui remedium. Is igitur qui studiosus est, Temperantiæ, historiam de Iosepho assiduè revolvit & ab illos actiones temperantiæ discit: reperiens ipsum non tantùm continentem in illa libidine, sed etiam habitu virtutis præditum. Fortitudinem verò docet Iobus, cujus vita quum in contrarium mutata fuisset, factusque ex divite, pauper: ex pulchra prole, liberis orbus, idque temporis momento, idẽ permansit tamen, excelsam ubique animæ cogitationem retinẽs. Amicis quoque ad consolandum venientibus, ac postea ipsi insultantibus dolorem otium augentibus nequaquam acerbè succensuit. Rursus si quis rationem ineat, qua mitem ac simul magnanimum se præstet, ita ut adversus peccatum animosè insurgat: sed erga homines lenitate utatur: inveniet Davidem generosum in bellicis facinoribus, sed clementem & placidum in ulciscendis injuriis ab inimicis acceptis. Talis etiam erat Moses magna quidem ira in illos insurgens, qui in Deum deliquerant: sed miti animo criminationes & calumnias contra seipsum tolerans.

Quemadmodum autem pictores, ubique quando imaginem ex imagine pingunt; identidem ad exemplar respicientes characterẽ ad suum opificium inde transferre conantur: ita oportet eum qui studet seipsum omnibus virtutis partibus perfectum reddere, sanctorum vitas, veluti simulachra quædam viva & efficacia respicere, illorumque bona opera per imitationem sua facere. Preces rursus lectionibus succedentes animam vegetiorem ac recentiorem desiderio Dei flagrantem, suscipiunt. Precatio verò bona est ea quę manifestam Dei notionem animo ingenerat. Hoc verò est Dei inhabitatio in memoria habere Deum infixum. Efficimur ergo templum Dei, quando terrenis curis assiduitas memoriæ non interrũpitur, neque improvisis perturbationibus mens tumultuatur: sed cultor Dei hæc omnia effugiens, ad Deum se recipit, affectus expellens provocantes ad intemperantiam, tunc in studiis ad virtutem ducentibus occupatur.

Ante omnia igitur convenit dare operam ne simus rudes & imperiti eorum quæ pertinent ad sermonis usum, sed interrogemus citra contentionem: respondeamus non superbè, neque interpellemus eum qui nobiscum disserit, utilia loquentem nimia ostentatione quadam, sed modum definitum habeamus & loquẽdi & audiendi. Neque nos pudeat discere. docendum autem est sine invidia, quòd si quid ab alio didiceris, ne illud occultes: sicuti faciunt improbæ mulieres, spurios partus subjicientes: sed auctorem doctrinæ grato animo celebres: vocis verò contentio temperata & mediocris melior; ut neque exilitate sua auditum effugiat, neque impensa nimis sit onerosa. Apud teipsum priùs reputes quid sis dicturus, ita ut demum sermonem proferas. In congressibus sis affabilis atque in colloquiis suavis, & consuetudine gratus: non tamen suavitatem illam per scurriles facetias, captans: sed per eam benevolam ac lenem adhortationem comparans asperitatem, etiamsi objurgatione opus foret, removens. Priùs ita te compares velatum, sed devulsum animu geras: sic acceptus eris ei q indiget curatione. Plerumque adhibenda est nobis prophetæ moderatio & ratio in reprehensionibus, qui Davidi peccanti non à seipso definivit condemnationem, sed usus est personæ subjectione, qua illum sui ipsius peccati judicem constituit: adeò ut ipse contra seipsum sententiam tulerit, neque habuerit quid increpantem accusaret. Abjectũ autem & humilem animum sequitur oculus tristis humi vergens, forma neglecta, capillus incultus, vestis sordida: adeò ut ea quæ lugentes studio faciunt, ea sponte in nobis fieri videantur. tunica cingulo corpori sit astricta, verumtamen neque supra ilia: illud enim muliebre est: neque diffluat laxo cinctu, illud enim est elanguidũ. Incessus etiam neque sit segnis, dissolutum animum indicans. nec rursus incitatus nimis & insolens: temerarios enim impetus significat: scopus vestitus est unus, ut sit integumentum carnis adversus frigus & calores idoneum. In vestitu colores floridi, non quærãtur, neq; in apparatu ipsius id quod est molle & delicatum. Nam in vestitu colorum pulchritudinem sectari; perinde est ac si muliebris ornatus indueretur quem illæ tantopetè affectant, alieno colore genas & crines suos inficientes. quinetiam tunica habeat illam dẽsitatem, ut non indigeat alio integumento ad calefaciendum indutum.

Calcei sint pretio vili decorum servantes ac sine defectu usum adimplentes suum. In summa quemadmodum in vestitu convenit ut utilitas præcedat: ita quoque in cibo, panis usum explebit suum, aqua verò sitim sedabit hominis integræ valetudinis. Ex legum

guminibus verò obſonia, ad neceſſarios uſus robur corporis poſſunt conſervare. Ita quoque convenit edere, ut rabida edacitas non oſtendatur: ſed ubique moderatio & ſtabilitas atque circa voluptates continentia conſervetur.

Neque tunc oportet mentem & cogitationem ita ſe habere, ut nihil de Deo cogitet. Imò potiùs alimentorum natura & corporis ea recipientis ſtructura occaſionem præbeat Deum glorificandi: cogitando, quàm varia ciborum genera corporibus, quàm aptiſſimè convenientia: excogitaverit ille ſummus rerũ arbiter & moderator. Precationes porrò ante cibum dignæ fiant, pro iis quæ à Deo ſuppeditantur, quorum alia quidem tunc temporis dantur, alia verò in futurum repoſita, preces etiam poſt cibum fiant, quæ gratiarum actionem contineant, eorum quæ Deus jam dedit, atq; etiam petitionem eorum quæ ipſe pollicitus eſt. Hora ſit unica ad cibum ſumendum conſtituta, per ambitum revertens: ut ex viginti quatuor horis diei ac noctis, vix una hora inſumatur ad corpus alendum: reliquæ verò inſumantur à cultore pietatis in meditationib. & actionibus ejuſmodi quæ ad pietatem conferunt. Somnus etiam ſit non profundus, ſed qui facilè diſſolvatur, rationi victus naturæ appoſitam ſectans ac rerum magnarum curis ſtudioſè interruptus. Sopor enim gravis & veternus, membra diſſolvens efficit, ut qui eo corripiuntur in quotidiana morte verſari videantur: & in odioſis imaginationibus occupentur. Verùm id quod aliis eſt diluculũ hoc Dei cultoribus ſit nocturnũ conticinium, otium animæ præbens quando oculi nihil ſpectant quod ſit noxium: aures etiam voces noxias non audiunt ad ipſas cordis penetralia ſe inſinuantes. Sed mens ſola per ſe cum Deo verſatur, quæ ſeipſam corrigit recordatione peccatorum ſuorum: ſibi quoque præſcribit quomodo declinet à malo, & ad ea aſſequenda ad quæ toto ſtudio fertur, opem & auxilium à Deo implorat.

D. Nazianzenus: Solitudinem ex omnibus maximè complexus eram, ac veluti ſociam & adminiſtram, divinæque aſcenſionis matrem, ac Deum ex homine efficientem, mirificè ſuſpexeram, totiuſque vitæ ducem & moderatricem mihi ſtatueram. *Oratione 2.*

D. Nazianzenus: Heliæ Carmelum animo agitabam, & Ioannis deſertum, ac mundo ſublimiorem eorum, qui hoc philoſophiæ genus profitentur, vivendi rationem: præſentiaque tempeſtatis inſtar exiſtimabam, ac rupem aliquam, aut præruptum quendam locum, aut exiguum murum conquirebam, quibus obtegi poſſem. Aliorũ, inquiebam, ſint labores & honores, aliorum bella & palmæ: mihi autem hoc ſufficiat, ut bella fugiens, atque oculos in meipſum cõjiciens, ſic vitam, ut potero, inſtituam, velut in tenuitate parvum quoddam pelagus trajiciens, ac per inopem & exiguam vitæ functionem parvam in altero ævo manſionem mihi comparans. Abjectorum quidem fortaſſe hoc conſilium, verum tutius ſibi proſpicientium nimirum æquo intervallo, & à ſummo faſtigio, & à caſu diſtare. *Orat. 4*

D. Nazianzenus: Ad quandam Ponticorum montium ſilvam cum paucis admodum, tã fugæ comitibus, quàm cibi adminiſtris confugiunt; ubi in annum penè ſeptimum & aliquanto amplius vivendi rationem corporibus generoſis anguſtam atque inſolentè protraxere; ſub dio agentes, algoribus, caloribus, pluviis divexati: denique amicis atque hominum commercio & ſocietate deſtituti. quæ res quàm gravis & ærumnoſa iis fuiſſe putanda eſt, qui à multis ſtipari atq; honore affici ſolebant. *Oratione 20.*

D. Greg. Nyſſenus: Amica quodammodo animi ægritudine affectis fuga conſuetudinis, & captatio ſolitudinis eſt. *in baptiſmum Chriſti.*

Iſidorus Peluſ. Cùm Chriſtus, qui Deus erat, atque noſtra cauſa humanitatem induerat, in deſertum, ut tentaretur, ductus fuerit, quid miraris, te in ſolitudine degentem, tentationibus, ut inquis, conflictari? Ad ſolam igitur Chriſti victoriam legitimè partam animum adjice. Inanis enim gloria calcata eſt, extincta ſuperbia, oppreſſa avaritia, pudoreque ſuffuſus adverſarius, ut qui nulla ſagittarum ſuarum ipſius pectus trajicere potuiſſet. Ad eundem igitur modum ſi tu quoque eam, quâ par eſt, animi magnitudinem præſtiteris, gladiíque, quibus anima convulneratur, ſuperatis, te in animi trànquillitatem aſſerueris: angeli tibi poſt victoriam miniſtrabunt: non quidem ſervilem in modum miniſtrantes (quandoquidem hoc ſoli Deo debebatur) verùm victoris in morem caput ruum corona cingentes. Hanc enim mercedem habet, qui in præſenti certamine ſtrenuè ſe gerit. *lib. 1. Epiſt. 75.*

S. *Iſidorus Peluſiota:* Solitaria ſeceſſio mediocrem mihi ſcientiã adjunxit. Nam qui in mediis tumultibus verſatur, ac cæleſtium rerum ſcientiam adipiſci ſtudet, illud ignorat, id quod inter ſpinas ſeritur ab illis præfocari: atque eum, qui otium non agit, Dei cognitionem conſequi minimè poſſe. *lib. 1. Epiſt. 402.*

Syneſius Epiſcopus: Et quia rerum mearum ſtatũ intelligere tua intereſt: Philoſophamur, ô bone vir, optimam ad id adjutricem ſolitudinem nacti, hominum neminem; nec ullum unquam in Libya audivi, qui vocem emitteret Philoſophiam redolentem, niſi Echo fortaſſe, voces noſtras remittentem. ſed illuſtra, ajunt, quam ſortitus es Spartam: mihique videor hoc meo fato fore contentus, meãque patriam ornaturus: certamen hoc vitæ propoſitum, atque experimentum ratus, ſi ne infelicem quidem Philoſophiam deſeram. Nam mihi ut omni alio teſte caream: ipſe tamen Deus teſtis erit, cujus ſemen quoddam hominibus inſita mens eſt. Ac me ſtellæ etiam ipſæ benignè identidem deſpectare videntur, quem in vaſtiſſima regione ſolùm cùm ſcientia ſui inſpectorem intuentur. Igitur nobis iſtud precare, ut eodem in ſtatu perſeveremus; tibi verò ut infelix forum relinquas, ô qui male indole tua uteris. Maximè quidem velim te, adhuc externa felicitate affluentem ad interiora cõverti.

Nam felicitatem velle cum ſecundis rebus commutare, aurea eſt pro æreis rependere. Atque ego ob hoc irrideri me gaudeo, quòd cognatis magiſtratus ambientibus, ſolus inter multos privatus exiſtam. Animum enim virtutum velut ſtipatu cingi, quàm corpus militibus malo, cùm præſens rerum ſtatus Reip. adminiſtratorem Philoſophum non amplius capiat. Sin nihilo in forenſibus negotiis feliciùs verſaris, quemadmodum neque opinor, nec malè de re unquam ſperavi, fore ut à te ipſo diſſentires, & ſcribarum iſtorum ſimilis eſſes, qui in ore hominum verſantur; neque enim oratorum dixerim: ſi inquam nulla alia in veſtro foro ditandi ſui ratio eſt, quàm ſi divina omnia, & humana jura miſceantur, & pro libero, atque ingenuo veterator aliquis efficiatur; ſi igitur ne ditaris quidem, multo magis Philoſophiam reſpice: Quòd ſi hominem nactus fueris, qui ſtrenuè ac viriliter philoſophetur, ad eum inveſtigandum, & Græciam, & Barbarorum oras peragrare minimè reprehendendum fuerit: nobiſque fac oblatum iſtud lucrum impertias. Sin velut in annonæ ſterilitate, nos tibi ſatisfacere poſſe, videamur veni & noſtri & noſtrorum omnium particeps futuri dum æquo atque eodem jure iſtud facias ut in Lacedæmoniorum ſcripto continetur. *Epiſt. 100.*

§ LATINORUM.

Zeno de Patientia: Erubeſcit terra pio ſanguine impiata. Solus Cain exultat infelix, quod teſte caret, putat ſe caruiſſe facinore: quem Deus videt, quem conſcientia redarguit, quem fratris ſanguis accuſat.

Ennodius: Nemo Dei oculos, quàm hominis, judicat plus timeri. errorem creditur fovere ſolitudo, & profundam nequitiam incomitatus admittere: quaſi cælo facinora penetralibus incluſa nõ pateant, & vindicari malum non queat, quod homo non reſpicit. credentes quòd rem ſtudii poſſint deputare neceſſitati: & dum homo homini cuſtos eſt, alio maledicendi ordine, pudicitiam valeat accommodare formidini. *præcepto de Cellulanis § 1. m.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Dio Pruſæus: Quid tandem eſt quæſo ſeceſſus? aut quos nam exiſtimari oportet ſecedentes? Num eos, qui à convenientibus ſibi operibus & actionibus deſiſtunt, dicere oportet ſeceſſum quærere? Scilicet ſi quis Athenienſis, cui ſit militandum pro patria, Lacedæmoniis in Atticam irruentibus aut Philippo adventante, aut aliis hoſtibus ſecedat Megaram, aut in Aeginam, eo quod militare nolit, aut periclitari, hiccine ſeceſſiſſe dicendus eſt? An ſi quis multas poſſidens facultates, ut fugiat publica munera, abeat ex urbe? An ſi quis ſciat ſanare morbo decumbentes, jamque amici & neceſſarii illius morbis vexentur, ne vero illorum cauſa affligatur, moleſtiaſque ſuſtineat ex eorum curatione, relinquat & peregrinetur in aliũ locum? An ſi quis alius in civitate, quum delectus eſt habendus, aut ipſi magiſtratus gerendus, aut magiſtratibus inſerviendum, aut cuſtodiæ quædam ſunt cuſtodiendæ pervigilanti, non velit. ſed ut ab his liberetur omnib. nemoq; ipſum redarguat, neq; prohibeat bibere & dormire & ocium agere, aliò ſecedat quoquam, num hoc ſecedere dicendum eſt? At qui palam eſt quod hi fugiant, deſerantque ſua officia: & nullus poteſt his eſſe prætextus, aut venia talis ocii atque fugæ.

An ergo ij qui ab inutilibus negociis actionibuſque ſibi non cõvenientibus diſcedunt, & ocium quoddam ſibi comparant à moleſtis incaſſum rebus, dicendi ſunt ſecedere? At ſic quidem non qui tranſit ex quadam civitate in aliam, neque ex loco in alium locũ, ſecedere dici poſſet: quocunque enim pervenerit, multa fient quæ offendant, neque ſuum facere ſinant officium. Etenim ad compotationes convenire, atque ætatem exigere bibendo aut ludendo, aut aliud quid damnoſum atque inutile faciendo, moleſtum eſt, & impedit. Et ubiq; talia ſunt. Item nugari atque ſermones audire nulli rei utiles, aut circa regis negocia verſari. Stultus enim non eſt ſui animi dominus: circumvolvitur enim, trahiturq; facile à levi quacunque occaſione & colloquio. Itaque, ſicut prodigi pecuniarum haud queunt reddere rationem, ad quid quaſque expenderint, & nihilominus multas apparet expenſas eſſe pecunias: ita multi neq; temporis neque vitæ poſſent reddere rationem ad quid quamque diem inſumpſerint, aut menſem, aut annum: apparet tamen vitam præteriiſſe, & tempus eſſe inſumptum; non parvi æſtimandum hominibus, neque minoris (mea ſententia) quàm argentum. Attamen una drachma perdita, neceſſe eſt animum aliquo modo ſentire & morderi: ſi vero plures profuderit quis, non multi ſunt qui nõ commoventur. hoc autem dico, non quod contriſtentur & mordeantur ob negligentiam, & eo quod non attenderint propter quæ dignum erat morderi, ſed ob drachmarum perditionem. Die verò tranſacta & perdita, aut duabus aut tribus, nemo eſt qui curet. Cæ-

terum

terum illic computare rem possunt: quod si non attendant, curamque adhibeant, latenter omnes facultates effluxerint, perierintque: hic vero non possunt idipsum computare, quòd si non provideant unamquamque diem, vigilentque ne temere transigatur, ne latenter omnis vita effluat, dispereatque.

Porrò quòd nullus sit locus, neq; peregrinatio quæ hoc pręster, ut non vilia quædam facias, certum est. Neque Corinthum neque Thebas secedere, efficit ut quis sibi attēdat. Nam & Thebis & Megaræ, & ubique ferè quo quis abeat, vel in Italiam, fieri potest ut segnis & ociosus degat, neque deerit occasio ubicunque fuerit. Sive igitur torpeat quis, sive sit districtus negociis (si ita cadat) permultum insumet temporis. Non igitur optimum & utilissimum inter omnia est secessus, ut suis quisque rebus possit animum advertere, sive in Babylone sit, sive Athenis, sive in exercitu, sive in parva insula, & solus. Hujusmodi enim secessus & peregrinationes, parvi sunt momenti ad hoc, ut vaces agasque quæ oportet: quemadmodum neque ægrotis prodest, in alium atque alium lectum reclinari. Fert id quidem aliquam interdum requiem, sed non sufficientē, neque ut à morbo liberentur. Videre autem licet, in magno valde tumultu, magnaque turba, neminem prohiberi suum facere opus: sed hoc facit & tibicen, aut qui tibia canere docet, sæpe circa ipsam viam ædes ad docendum habens, nihilque illum distrahit multitudo, neque transeuntium tumultus. similiter & saltans, & saltandi doctor, in eo manet quod cæpit, nihil curans de pugnantibus & exuentibus, aliaque facientibus. Idem & citharista & pictor facit: & quod omnium terribilissimum est literarū doctores cum pueris in viis sedent, & nihil illis est impedimento in tanta multitudine, quominus doceant discantque. Vidi autem ego ipse nuper per Hippodromum vadens, multos eodem loci homines, alium aliud quid facientes: hunc tibia canentem, illum saltantēm, alium miraculum ostentantem, alium poema legentem, alium canentem, alium historiam quandam aut fabulam recitantem: & ne unus quidem horum quenquā prohibuit, ne sibi attēderet, faceretque quod cæperat, Atqui nihil horum ex his operibus est, quæ animum contrahunt & componunt, atque alia omnia faciunt contemnere.

Eruditio verò (ut videtur) & Philosophia, quæ maxime hoc efficiunt, magna solitudine & secessu indigent: & quemadmodum ægrotantes, nisi undiq; magnum sit silentium & quies, non possunt somnum capere. Itane ergo & studiosis contingit, ut nisi omnes illis obticuerint, neque ullum aliud sit spectaculum, neque auscultatio ullius obstrepat non possit illorum animus iisdem attendere, neque circa eadem versari? At, video equidem eos qui propter mare habitant, nihil pati, sed posse cogitare quæ volunt, & dicere & audire, & dormire quandocunq; illis fuerit opportunum eo quod nihil ad se pertinere putent illum timorem, neque curent. Si verò vellent attendere, quando major aut minor fieret sonitus, aut numerare fluctus irruentes, aut laros aut alias aves spectare, quomodo volent super fluctus, facileque illi innatent, non esset utique illis ocium aliud quid facere. Quare quivis poterit cogitare de hominū multitudine, tumultuque illorum & negociis, quòd hæc nihil differant ab iis quæ fiunt in mari: nihil sentiet ab omnibus molestiæ.

Verùm hoc (ut par est) docere atque discere, res magni est precii: nempe ut quis animum consuefaciat rationem sequi, neq; se ad alia vertere quàm quæ sunt præ manibus, recteque habere videntur. Et nobis animus ita assuefactus, ratione omnia poterit efficere, quæ ipsi conveniunt. Circumvolutus autem & errans, & alias ad aliud se vertens: quandocunque quid conspicatur aliquam in se habere voluptatem, aut quietem, quemadmodum aqua in loco in utramque partem mobili, quocunque casus tulerit vertitur, nullam capiet utilitatem, ne ex omni quidem solitudine & quiete. Scio enim ego, quòd canes rectè industrieque institutæ, si dimittuntur, statim requirunt vestigia: neque si omnes revocent, illa unquam relinquunt: neque simulatæ undiq; voces insonent, multique odores ex fructibus & floribus contexantur, magnaque hominum atque aliorum animalium multitudo appareat, vestigiaque equorū & boum oviumque: neque tamen vident quicquam horum neque sentiunt quicquam, sed illis omissis undique colligunt vestigia, & illa sequuntur, donec inveniant suscitentque leporem, & post hæc instant persequendo per quascunque tandem fugiat regiones, & neque campus, neque via, neque valde aspera, neque hiatus neque rivus illas prohibet, etiamsi lepus varios quosdam cursus faciat, & conetur decipere. Cæterùm canes indoctæ & ineruditæ, quæ tardè sentiunt vestigia, cito autem deficitur, si quando aliunde acciderit rumor sive canum latratus, sive hominum viatorum aut pastorum vox, statim ex vestigiis sursum respiciunt, illucque feruntur. Horū autem omnium causa est consuetudo.

Similiter verò & animum assuefacere oporteret, ne quando exorbitaret, neque recederet ab opere ad officium pertinente. Quod si non fit, difficile est omnia superare, & rectè quicquam conficere, ne in quiete quidem & solitudinibus. Nonne in his maxime invenerunt fatui homines, ut nihil cogitarent quæ oportet? sed alias multas & absurdas habent cogitationes, de rebus quibus delectantur, finguntq; sibi tyrannides & divitias, & alia quædam admiranda? Hi quidem imaginantur sibi thesauros auri & argenti, subito copiam horum immensum quantam possidentes. Illi autem sese reges & monarchas civitatum gentiumq; creant: deinde jam deinceps & ea quæ ad tyrannidem spectant, faciunt: & hos quidem occidunt, illos autem agunt in exilium: cumque virginibus & adolescentulis & mulieribus, quib. cum volunt, rem habent, participes facti cœnarum & conviviorum sumptuosissimorum. Porrò alii argentum dant ad usuram, aut alium quæstum exercent, qualia vigilantes videntesq; varia & omnigena somnia sibiipsis fingunt. Et sanè interdum ex his somniis contingunt illis verè perversissima, absurdissimaque.

At tyrānides haud ferè ex talib. nasci consueverūt. Nō enim vult tyrannis à segni & quodam pacto semper dormiente cogitatione acquiri, sed è diverso ab acuta & pervigili cura. Sumptus verò & amores, & hujusmodi quædam studia, multis jam frequenter occurrerunt, veluti (opinor) & Alexandro. Quum enim ageret in Ida circa armenta, talis illi cogitatio & concupiscentia incidit, summā felicitatem beatitudinemq; esse, si quis omnium pulcherrimam haberet mulierem: neque rei huic conferri posse regnum, neq; divitias, neq; pugnando omnes homines in suam redigere ditionem. Deinde posthæc jam cogitavit, quæ nam, & apud quos talis esset mulier, & unde sibi tales obtingere possent nuptiæ. Et tandem nymphas & virgines in Ilio, utpote tyrannus, neglexit, indignasq; judicavit quas duceret. Similiter autem & Lydorum & Phrygum, quæque erant in Lesbo & Mysia, mulieres despexit. Quum verò audivisset in Sparta quandam esse Iovis filiam, Menelao nuptam, homini regi, & regis fratri totius Græciæ, quam expetivissent studuissentque ducere magnis dotibus muneribusque datis primi & summi Græcorum: quin etiam fratres dicebatur habere strenuos Pollucem & Castorem, Iovis filios: concupivit ergo hanc uxorem ducere. Porrò aliter hoc fieri posse haud putavit, nisi Deus promitteret daretque aliquis: tum fortasse fieri posse. Quem verò alium Deum par esse talia dona donare, quàm Venerem, quæ sua ditione teneret & imperio regeret nuptias & amores? Quare ea non dante, impossibiles existimavit esse nuptias. Quomodo autem illi persuaderet, ad donandum talia? Aut quo nam modo fieret deæ acceptus? Quod munus illi donumque afferret? At norat eam non indigere pecuniis, utpote quæ esset aurea, & omnes simpliciter opes possideret: neq; sacrificiis, quum omnes vbique homines illi sacrificarent: neque alio quopiam colloquio facile & obsecratione flecti posse: sed si qui id quod maxime concupisceret, quodque omnium preciosissimum existimasset, illi apponeret, testareturque esse pulcherrimam, forsan id eam grato animo accepturam. Qué a. in hoc vincere eam diceret, aut cui anteferret tandem merito, quàm deabus primis & maximis, Minervæ & Iunoni? atque hoc magis, si viderentur illæ magna & admiranda præbituræ dona ob victoriā. Sic igitur pergens, absolvensque suam opinionem, excogitationéque scilicet animo nocturnam imaginationem atque opinionem consequente, & longum quoddam ordinatumque texente somnium, judex à Iove constituitur dearum: & has quidem & ipsas & ipsarum dona despexit, illam autem prætulit, pro mercede donoq;, ut nuptias adipisceretur illius mulieris, de qua cogitaverat, quamque optaverat.

Si quidem hoc ipsum bubulcus & plebejus cogitasset, nullum evenisset negocium, ex tali somnio. Iam verò quia tyrannus & dynasta erat, & divitiis pollebat, imperiumque habebat urbis tunc maximæ multumque poterat parentum erga se benevolentia, cætera jā facto executus est: ut propter hæc quasi verè facta, navesque ædificaverit, sociosque collegerit, navigaritq; in Græciam ac Spartam, atque in ędes venerit Menelai & Helenæ: & hospitalibus acceptis muneribus, persuaserit ei relinquere maritum & Græciam, duxeritque ad Trojam magnarum & difficillium rerum & calamitatum principium.

Sic quidem plebeji & impotentis animi dementiæque & cupiditates subventaneæ sunt & debiles, & nihil ex illis oritur atrox. sed quemadmodum vera exurgentium somnia statim intereunt, & eorum nullum (ut ajunt) solem neque diem perfert, ita & propemodum & talia se habent desideria & vota. Monarcharum verò aut divitum, aut aliam quandam habentium potentiam, ad finé perveniunt frequenter terribilem & atrocem. At illa similia sunt (ut mihi videtur) subventaneis fœtibus. Ajunt enim ova gigni sic absque coitu & commixtione masculi, quæ vocant subventanea, quasi à vento afflante nata. Vnde & Homerus hoc mea sententia non impossibile existimans, neque incredibile hominibus, visum esse ait equorum subventaneum genus. Boream enim ait amavisse Troicas quasdam equas, easque impl evisse semine, genusque equorum ex illis procreatum. Vt nonnunquam argumento falso & impossibili evenire potest res vera. Et dicta sunt hæc omnia à me ab illo principio & digressione, quod oporteat animum assuefacere ad faciendum & cogitandum ea quæ oportet ubique, & in quovis tumultu, & in quovis silentio. Quod si nō sit, solitudo & silentium ipsum, nihil conferunt majus & securius fatuis hominibus, ut non multa & absurda cogitentque peccentque. *Orat. 20.*

Arrianus. Solitudo est status ejus qui adjumentis caret. Non enim qui solus est, idem etiam desertus est, quemadmodum nec is qui inter multos versatur, non desertus. Nos certe cum vel fratré, vel filium, vel amicum, quo delectati sumus, amisimus: nos desertos esse querimur, sæpe Romæ agentes tanta turba nobis occurréte, in tantaque hominum frequentia habitantes, interdum etiam multis nos ministris comitantibus. Is enim desertus esse intelligitur, qui adjumētis caret, atque insidiatoribus est opportunus. Quapropter

propter cum inter facimus, tum nos maxime desertos dicimus cũ in latrones inciderimus.

Neque enim conspectus hominis solitudine liberat: sed fidelis verecundi & utilis hominis conspectus. Nam si solitudo satis ad id est, ut sis desertus: etiam Iupiter in conflagratione mundi desertus dici potest, seque ipsum miserari: Me miserum, neque Iunonem habeo, neque Minervam, neque Apollinem: denique neque fratrem, neque filium neque nepotem, neque cognatum. Hæc quidem enim in conflagratione mundi, cum solus sit, dicturum ajũt. Neque enim intelligunt, quæ sit ratio deserti: etsi naturali quadam ratione inducti appetitione societatis mutuique amoris, & delectatione consuetudinis hominum. Sed tamen adhibẽda est ad hoc quoque præparatio quædam, ut quisque se ipso contentus esse & secum vivere possit. Sicut enim Iupiter secum vivit, & in seipso acquiescit, & gubernationem suam qualis sit intelligit, eaque cogitat quæ se deceant: eodem modo & nos decet nobiscum posse colloqui, non requirere alios, non animis æstuare: divinam gubernationem nos & quæ habitudo sit eorum erga res cæteras expendere: considerare, quomodo antea casus humanos tulerimus: quomodo nunc feramus: quæ sint quæ nos adhuc angant: quomodo curari possint & ipsa, quomodo tolli? Si qua expolienda sint, ut recta ratione adhibita expoliantur. Videtis enim, videri Cæsarem multam pacem præstare nobis, cum neque bella jam supersint, neque pugnæ, neque latrocinia magna, neque piraticæ grassationes: sed quovis anni tempore, quavis hora iter facere liceat, ab Oriente in occidentem navigare.

Nunquid ergo etiam à febre pacem præstare nobis potest? nũ à naufragio? num ab incendio, terræ motu, fulmine? Age, num ab amore? Non potest. A luctu? Non potest. Ab invidia? Non potest. Denique à nulla tali re. At doctrina philosophorum pollicetur ab his quoque rebus se pacem præstituram esse. Quid autem ait? Si me inquit, homines audiveritis, ubicunque fueritis, quicquid feceritis: non dolebitis, non irascemini, non cogemini, non impediemini: sed tranquilli & liberi omnem ætatem degetis. Hanc pacem si quis habeat, non à Cæsare promulgatam (quo pacto enim eam is promulgare queat (sed à Deo per rationem pronuntiatam, ea contentus non erit, cum solus fuerit? qui videat, & ita secum cogitet: Nũc mali nihil accidere mihi potest. mihi latro nõ est: omnia plena pacis plena trãquillitatis omnis via, omnis urbs, omnis cõgressus, vicinus, socius, innoxius. Alius præbet victũ, cujus id munus est: alius vestem, alius sensus dedit, alius anticipationes. Cum vero ea quibus opus est, non suppeditat, receptui canit, januam aperuit, teque venire jubet. Quò? Non in malam rem: sed eo unde ortus es, ad amica & cognata, ad elementa. Quantum ignis in te fuit, ad ignem redit: quantum terræ, ad terram: quantum venti, ad ventum: quantum aquæ, ad aquam.

Nullus orcus est, nullus Acheron, nullus Cocytus, nullus Pyriphlegeton: sed omnia plena sunt deorum & geniorum. Hæc animo qui complecti, qui lunam & astra intueri, & terra marique frui potest: nihilo magis est desertus, quam adjumenti expers. Quid ergo, si quis me solum aggressus jugularit? Stulte, non te, sed corpusculum. Quæ ergo solitudo restat? Quæ inopia? Quid nos ipsi pueris deteriores facimus, qui cum soli relinquuntur, quid agunt? Tollunt testas, ac cinerem. Nunc aliquid exstruunt, nunt diruunt, & rursus instaurant: quo fit, ut nunquam eis desit, quo tempus fallãt. Ego autem, si vos navigaveritis, scilicet plorans sedebo, quod solus ac desertus sim relictus? Itane testulas & cinerem non habebo? Cęterum, illi præ stultitia ista faciunt: nos vero præ sapientia calamitosi sumus? Omnis magna facultas periculosa est incipienti. Ferenda igitur istiusmodi sunt pro virili, & naturæ convenienter. Eam vitæ rationem aliquando meditare, quæ valetudinario sit accommodata, ut tandem etiam rectè valeas. Abstine cibis, aquam bibe: aliquando omnem appetitum cohibe, ut tandem etiam recta ratione appetas.

Quod si fiet, tum fiet, cum aliquid in teipso boni collocatum habueris. Non ita est, sed potius statim ut sapientes vivere volumus, & utilitatem afferre hominibus, Quam utilitatem? Quid facis? Num ipse tibi profuisti? At hortari eos vis? Tu vero adhortaberis? Vis eis prodesse? Ostende in te ipso, quales philosophia faciat, neque nugas age. Comedens, utilis esto una comedentibus: bibens, una bibentibus: cedendo omnibus, concedendo, tolerando: sic eos juvato. Sed pituitam tuam in eos noli evomere. *cap. 13. lib. 3. Epicteti.*

§ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 6. de vitæ vanitate.

O utinam vel hirundo forem, similisve columba,
Labilis ut fugerem miseranda pericula vitæ:
Aut ego deserto versarer solus in antro,
Cumque feris agerem quidquid mihi suppetit ævi:
Namque fides major, quàm sit mortalibus, his est
Inque diem traherem vitam, quæ nescia luctus,
Nescia curarum & pœnæ miserabilis esset.

D. Nazianzenus in vita sua, sub finem.

Ζητῶ τιν' οἰκεῖν ἐκ κακῶν ἐρημίαν,
Οὗ μοι τὸ θεῖον νῷ μόνῳ ζητούμενον,
Ελπίς τε κούφη τῶν ἄνω γηροτρόφος.
Loca sola quæro, per via haud quæ sint malis,
Vbi mente sola sedulus quæram Deum,
Dulcisque cæli spes meos canos alet.

Ausonius Epistola 25. v. 62.

Quis tamen ista tibi tam longa silentia suasit,
Impius, ut nullos hic vocem vertat in usus?
Gaudia non illum vegetent, non dulcia vatum
Carmina, non blandæ modulatio flexa querelæ.
Non fera, non illum pecudes; non mulceat ales,
Non quæ pastorum memoralibus abdita lucis
Solatur nostras Echo resecuta loquelas.
Tristis, egens, deserta colat, tacitusque perennet
Alpinis connexa jugis; ceu dicitur olim
Mentis inops cœtus hominum & vestigia vitans
Avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes.

§ APOLOGORUM.

Babrias. Περὶ Χελιδόνος καὶ Ἀηδόνος. Fab. 43.

Ἀγροῦ Χελιδὼν μακρὰν ἐξεποτήθη,
Εὗρε δ' ἐρήμοις ἐγκαθημένην ὕλαις
Ἀηδόν' ὀξύφωνον ἣ δ' ἀπεθρήνει
Τὸν Ἴτυν ἄωρον ἐκπεσόντα τῆς ὥρης.
Χ' ἡ μὲν Χελιδών φησι, φιλτάτη ζώοις,
Πρῶτον βλέπω σε, σήμερον μετὰ Θράκην.
Ἀλλ' ἐλθ' ἐς ἀγρὸν, καὶ πρὸς οἶκον ἀνθρώπων,
Σύσκηνος ἡμῖν, καὶ φίλη κατοικήσεις,
Ὅπου γεωργοῖς κοὐχὶ θηρίοις ᾄσεις.
Τὴν δ' αὖτ' Ἀηδὼν ὀξύφωνος ἠμείφθη,
Ἔα με πέτραις ἐμμένειν ἀοικήτοις.
Οἶκος δέ μοι πᾶς, ἥ τε μίξις ἀνθρώπων
Μνήμην παλαιῶν συμφορῶν ἀναφλέξει.

Ἐπιμύθιον.

Ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι κρεῖττον ἐν ἐρήμοις ζῆν ἀλύπως, ἢ συνοικεῖν ἐν πόλεσι τοῖς κακοῖς.

De Hirundine & Luscinia.

Procul ab agro Hirundo evolavit.
Reperit autem in desertis sedentem sylvis
Acutè canentem Lusciniam: ea vero lugebat
Itym immaturum excessisse è vita.
Et Hirundo inquit, Charissima salva sis,
Primum hodie te post Thraciam video.
Sed veni rus & in domum hominum,
Contubernalis nobis, & chara habitabis,
Vbi agricolis, & non feris cantabis.
Cui Luscinia canora respondit,
Sine me in petris manere desertis,
Nam domus omnis & consuetudo hominum
Memoriam antiquarum calamitatum reaccendet.

AFFABULATIO.

Fabula significat, præstare sine dolore vivere in desertis, quàm cum malis habitare in civitatibus.

De Agricola & Poeta. Fab. 75.

Agricola quidam ad poetam accedens, cujus agros colebat, cũ eum inter libros solum offendisset, interrogavit eum, quo pacto ita solus vivere posset. Cui ille: Solus, inquit, tantum esse cœpi, postquam te huc contulisti.

Hæc indicat fabula, eruditos viros, qui doctissimorum virorum turba continue stipantur, tunc solos esse, cum inter illiteratos homines fuerint. Laur. Abstemius.

§ EMBLEMATIS.

Camerarius LXXXIII. Cent. 3.

Sylva placet musis. Passer solitarius.

Secessus præclari aliquid meditantibus apti.
Namque boni in strepitu quid cecinisse queas?

§ APOPHTHEGM. CHRISTIAN.

Sysois Abbas. Minùs voluptatibus stimulatur, qui non est, ubi frequentia voluptatum objecta potentias ad agendum commovent. Hinc tanti Solitudinis cultores prisci illi Anachoretæ, Inter quos non infimus Sysois Abbas. Hic enim dum jam senio confectus, à discipulo suo Abrahamo moneretur, ad mundum se transferret; *Placet,* ait, *verùm ad eam partem, è qua proscriptæ mulieres.* cui Abraham: Vbinam gentium id futurum, præterquam in solitudine? Abbas quasi ad hæc verba anhelans; *Ergo me rursus in solitudinem tollite.* Sapienter & verè in Hyppol. Seneca.

Non alia magis est libera & vitio carens,
Ritusque melius vita quæ priscos colat,
Quam quæ relictis mœnibus sylvas amat.

Ex Vitis SS. Anachoret. Ægypt. lib. 1.

Moyses Abbas: Percontanti fratri, quomodo ad rerum omnium scientiam pertingere valeret; *Vade,* inquiebat, *ad cellulam, & ipsa te docebit universa.* ibid.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

A metuentibus vocatur Solitudo occasio.
Aut malum quem solitudo reddit, aut malum accipit.
Cogitatione sese pascunt soli qui ambulant.
Doctrina schola est calestis vita solitaria.
Heu quàm sæpe occasio ultrò solitudinis nocet?
Qui Philosophus esse quæris, quære solitudinem.
Saviores sunt gregatim quæ haud agunt vitam feræ.
Si peccata vis punire cuncta, solus vitam ages.
Solitudo alit pavorem: turba cordatos facit.
Solitudo aufert voluptatum omnes fructus omnium.
Solitudo si malum ullum non habet, tu infers malum.
Solitudinem aucupantur atra bilis quos tenet.
Solitudinem cole: orbe abijt Fides & Veritas.
Turbam hominum rerumq; quærunt, qui se nesciunt pati.
Vilior sed tuta certè vita solitaria est.
Vita felix esse non quit, si non solitaria est.

§ JAMBICA.

Beata sola vita solitudinis.
Delicta sæpe solitudo provocat.
Dolor insidiatur usque solitudini.
Et solitudo aptissima omnis otio est.
Et solitudo ingenia mitia efferat.
Facile imperat vita ira solitaria.
Fastus requirit pompam, haud solitudinem.
In solitudine ex homine quis fiat Deus.
Magistra solitudo est innocentiæ.
Morositas parens est solitudinis.
Nihil amat natura solitarium.
Nunquam malus bene usus solitudine est.
O solitudo, quàm bonis merè aurea es!
Opes perosus silvas & rus colat.

Solicitudinis.

§ SENTENTIAE PATRVM.

D. *Chrysostomus*: Mærores & solicitudines cùm præter modum animam distrahunt, suo robore illam privant. *Homilia 10. initio ad Philipp.*

Ennodius. Anxius animus sæpe necessaria præponit affectui. *li. 6. Epist 33. a. m.*

Ennodius. Talis semper est usus, & penè natura soliciti, ut vix credat transisse quod metuit: & quæ fecit redemptor noster cælesti benignitate præterita, quasi sint in occultis locata suspirat. *lib. 8. Epist. 42.*

§ PHILOSOPHORVM ROMANORVM.

Symmachus: Ægrescet animus meus quamdiu fides certa sit quòd portum sanitatis intraveris. Huic expectationi satisfacias volo. Non enim mihi honorem fieri obsequio litterario, sed magnæ sollicitudinis levamen tribui exopto. *lib. 7. Epist. 30.*

Symmachus: Sollicitatus jamdudum literis tuis tamdiu angar, quàm diu de te secunda cognoscam. Quid igitur vel medicorum curatio, vel abstinentia tua ad salutem promoverit, opto cognoscere. *lib. 8. Epist. 3.*

Symmachus: Vellem sedatam filii mei ægritudinem nunciare: sed nihil prosunt figmenta sollicitis. *lib. 8. Epist. 46. p.*

Symmachus: Pendeo animi usq; ad valetudinis tuæ nuncium: nā infirmis adhuc viribus tuis laborem longi itineris addidisti, nec possum super hoc commeantium sermonibus esse contentus. Siquidem major affectio falsis accepit dubia rumorum. Expecto igitur literas, quarum fides adportet mihi de te certam securitatem. *lib. 9. Epist. 34.*

§ POETARUM.

Ennodius Carmine 6.

Post canas hyemes, gelidi post damna profundi,
Tranquillum quotiens navita carpit iter:
Mæret, & infidi desperat prospera ponti,
Quamq; videt faciem non putat esse salis.
Sibilat aura levis, validas timet ille procellas,
Fluctibus & blandas æstimat esse minas.
Lintea si crispant Zephyri pendentia malo;
Et dulci ludit spiritus obsequio;
Confusam ventis naturam perdere leges
Iurat, & antiquum credit adesse chaos.
Gaudia sic tollunt placidis discrimina rebus:
Nulla fides læti integra, nec dubiis.

Periander apud Ausonium.

Plus est sollicitus magis beatus.

§ EMBLEMATIS.

Camerarius XI. Cent. 2.

Semper in metu. Virgo Leoni cibum præbens.

Ardua sunt cujus commissa negocia curæ,
Fac animum usq; habeat sollicitudo tuum.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Excubat semper sollicitus, sollicitus semper timet.
Gesta sit licet bene, corde non minus Quiris tremit.
Sollicitis prona in deterius semper est persuasio.
Quo qui sunt beatiores, hoc sunt solliciti magis.
Sollicitudo tunc quieta ne quidem est, ubi est quies.

§ JAMBICA.

Amantium sollicitudo est incredula.
Nunquam soluta est sollicitudo; in specula habet.
Semper sollicitus satagit, etiam ubi haud opus.
Sollicitudo putat omnia necessaria.
Transisse vix credit sollicitus quod timet.
Vbi est amor ibi sollicitudo proxima est.

Videantur plura titulo. *Curæ.*

Somniorum.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

I*sidorus Pelus*. Nocturnæ rerum species, ut scripsisti, vir discendi studiosissime, non modò diurnorum congressuum & colloquiorum reliquiæ, ac velut extremi soni sunt: verùm etiam socordis & ignavæ consuetudinis fœtus. Nam cùm temulentiæ veterno mens correpta est, perturbationum propugnaculum existit. Cùm autem sobria est, atque excubias agit, ac Dominum præcincta opperitur, nec à ventre superatur nec à perturbationibus quæ hinc manant. Neque enim aliud quicquam est præcingi, quàm lumborum vim tanquam vinculis quibusdam constrictam tenere. *libri primi Epist. 9.*

Ennodius: Grata somnia quoties fugantur vigiliis, ingemiscimus: & illud mortis simulacrum de placidis deceptionibus plus amatur. *lib. 9. Epist. 31. pr.*

Io. Saruberiensis: Quisquis credulitatem suam significationibus alligat somniorum, planum est, quia tam à sinceritate fidei, quàm à tramite rationis exorbitat. Planè si sermo proferatur ambiguus, & cujus multæ sunt significationes, nonne meritò parum doctus videbitur, quisquis ex eo citra discussionem sensuum sibi aliquid pertinacius suadebit? At quanto rerum omnium & multiplex magis & varia est significatio? Multiplicium verò distinctio diligens habenda est conjectori, ne forte dum unam diligentius sequitur, in aliam deterius prolabatur. *lib. 2. cap. 17. Policratici.*

§ PHILOSOPHORUM ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Ego contra, quasi quodam visu in horrorem perductus, interrogare animum meum cœpi, an vera voluptate fraudatus essem;

Nocte soporifera veluti cùm somnia ludunt
Errantes oculos, effossaq; protulit aurum
In lucem tellus. versat manus improba furtum
Thesaurosq; rapit. sudor quoque perluit ora,
Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum
Excutiat gremium secreti conscius auri.
Mox ubi fugerunt elusam gaudia mentem,
Veraq; forma redit, animus quod perdidit optat,
Atque in præterita se totus imagine versat.

Plinius Iunior: Scribis te perterritum somnio, vereri ne quid adversi in actione patiaris: rogas ut dilationem petam, & pauculos dies, certè proximum, excusem. difficile est; sed experiar: καὶ ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. Refert tamen eventura soleas an contraria somniare. Mihi reputāti somnium meum, istud quod times tu, egregiam actionem portendere videtur. Susceperam causam Iulii pastoris, cùm mihi quiescenti visa est socrus mea advoluta genib. ne agere obsecrare: & erā acturus adolescētulus adhuc, erā in quadruplici judicio: erā contra potētissimos civitatis; atq; etiā Cæsaris amicos: q̄ singula excutere mentē mihi post tā triste somniū poterant; egi tamen λογισάμενος illud: Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. nam mihi patria, & si quid carius patria, fides videbatur. prosperè cessit: atque adeo illa actio mihi aures hominum, illa januam famæ patefecit. proinde dispice, an tu quoque sub hoc exemplo somnium istud in bonum vertas: aut si tutius putas, illud cautissimi cujusque præceptum, Quod dubitas, ne feceris, ipsum rescribe. *lib. 1. Epist. 18.*

§ POETARUM.

D.Nazianzenus Carm. 1. de rebus suis.

Ac pro magnificis opibus, miseroq; tumultu,
Qui me nocte etiam per inania somnia vexat,
(Visa etenim curas referunt nocturna diurnas)
Divinus nostris splendor radiabat ocellis.

Aristophanes Nubibus v.23.

Philon, iniquè agis: mane in tua orbita.
S. Hoc illud est malum, quod me male perdidit.
Nam dormiens etiam rem equestrem animo agitat.

Nonnus lib.42. Dionysiacorum.

Bacchus dulcem dormivit somnum. somnium ei fuit puella
Vestimento nuptiali cooperta. oppositum enim
Opus quod facit quis in die, nocte cernet.
Pastor dormiens cornutos boves in pascuum trahit:
Retia venatori apparent, imago somni.
Rustici verò dormientes arant terras:
Sulcum verò seminant spiciferum. Arida verò
Virum meridiantem occupatum ardenti siti
In fluctum, in aquam ductum fallax somnus propellit.
Sic etiam Bacchus habens simulacra laborum
Æmulo volubilem mentem triumphum misit somnio.
Et umbrosis nuptijs conversabatur.

Prudent. hymno ante somnum.

Sed dum pererrat omnes
Quies amica venas,
Pectusq; feriatum
Placat rigante somno;
Liber vagat per auras
Rapido vigore sensus,
Variasq; per figuras
Quæ sunt operta cernit.
Quia mens soluta curis,
Cui est origo cælum,
Purusq; fons ab æthra,
Iners jacere nescit.
Imitata multiformes
Facies sibi ipsa fingit,
Per quas repente currens
Tenui fruatur actu.
Sed sensa somniantum
Dispar fatigat horror.
Nunc splendor intererrat
Qui dat futura nosse.
Plerumq; dissipatis
Mendax imago veris,
Animos pavore mæstos
Ambage fallit atra.
Quem culpa rara morum
Non polluit frequenter,
Hunc lux serena vibrans
Res edocet latentes.
At qui coinquinatum
Vitijs cor impiavit,
Lusus pavore multo
Species videt tremendas.
Hoc Patriarcha noster
Sub carceris catena
Geminis simul ministris
Interpres approbavit.
Quorum reversus unus
Dat poculum tyranno,
Ast alterum rapaces
Fixum vorant volucres.
Ipsum deinde regem
Monuit famem futuram
Clausit cavere acervis.

Plautus Mercat. 2. sc. 1. pr.

Miris modis Dij ludos faciunt hominibus,
Mirisq; exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego, nocte hac quæ præterijt, proxima
Insomnis egi satis, & fui homo exercitus.

Petronius Arbiter.

Somnia quæ mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deum, nec ab æthere Numina mittunt;
Sed sibi quisq; facit, nam cùm prostrata sopore
Vrget membra quies, & mens sine pondere ludit,
Quidquid luce fuit, tenebris agit, oppida bello
Qui quatit, & flammis miserandas sævit in urbes;
Tela videt versasq; acies & funera Regum,
Atq; exundantes perfuso sanguine campos.
Qui causas orare solent, legesq; forumq;,
Qui causas orare solent, legesq; forumq;,
Et pavidum cernunt incluso corde tribunal.
Condit avarus opes, defossumq; invenit aurum.
Venator saltus canibus quatit. eripit undis
Aut premit eversam periturus navita puppim.
Scribit amatori meretrix: dat adultera munus.
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.
In noctis spatio miserorum vulnera durant.

Ausonius in Ephemeride.

Nunc fora, nunc lites, lati modo pompa theatri
Visitur: & turmas equitum, cædesq; latronum
Perpetior: lacerat nostros fera bellua vultus.
Aut in sanguinea gladio grassamur harena.
Per mare navifragum gradior pedes: & freta cursu
Transilio & subitis volito super aera pennis.
Infandas etiam veneres, incestaq; noctis
Dedecora, & tragicos patimur per somnia cætus.
Perfugium tamen est, quotiens portenta soporum
Solvit rupta pudore quies: & imagine fœda
Libera mens vigilat: totum bene conscia lectum
Pertractat secura manus. probrosa recedit
Culpa tori, & profugi minuiscunt crimina somni.
Cerno, triumphantes inter me plaudere: rursum
Inter captivos trahor exarmatus Alanos.
Templa Deum, sanctasq; fores, palatiaq; aurea
Specto, & Sarrano videor discumbere in ostro.
Et mox fumosis conviva accumbo popinis.
Divinum perhibent vatem, sub frondibus ulmi,
Vana ignavorum simulachra locasse soporum,
Et geminas numero portas quæ fornice eburno
Semper fallaces glomerat super aera formas.
Altera quæ veros emittit cornea visus.
Quod si de dubiis conceditur optio nobis:
De esse fidem lætis melius: quam vana timeri.
Ecce ego jam mallim falli. nam dum modo semper
Tristia vanescant, potius caruisse fruendis
Quàm trepidare malis. satis est bene, si metus absit.
Sunt & qui fletus, & gaudia controversa
Conjectent: varioq; trahant eventa relatu.
Ite per obliquos cæli mala somnia mundos,
Inrequieta vagi qua difflant nubila nimbi
Lunares habitare polos. quid nostra subitis
Limina, & angusti tenebrosa cubilia tecti?
Me sinite ignavas placidum traducere noctes:
Dum redeat roseo mihi Lucifer aureus ortu.

§ APOPHTHEGM. SACR.

Ioseph Patriarcha. In carcere detentus cum pincerna & pistore regis Aegyptii, eos mane quodam solito mœstiores conspicatus, rogavit mutationis causam: illis autem respondentibus, Quisque somniavimus somnium, & nemo est qui interpretetur illud, dixit Ioseph, *An non Deo sunt interpretationes?* Genes. 40. 8.

Ioseph Patriarcha. Pharao rex Ægypti miris somniis turbatus, audiens à pincernarum præfecto puerum Hebræum, nempe Iosephum, captivum detineri, qui alia somnia pridem verè esset interpretatus, misit homines accersitum Iosephum, cui dixit, Somniũ somniavi, & nemo est qui interpretetur illud: ego autem audivi de te dicentem, te esse intelligentem somnii, ut interpreteris illud. Respondit verò Ioseph regi: Illud non est penes me: Deus respondendo enunciabit prosperitatem Pharaonis. Deinde somnium explicavit, ut narrat Moses. *Gen. 46. 1.*

Daniel Propheta. Quærenti Nebucadnezari an Daniel præditus esset facultate aperiendi & interpretandi somnium quod rex viderat? respondit Daniel, Arcanum quod rex petit non sapientes, astrologi, magi, haruspices possunt indicare regi: sed est Deus in in cœlo revelans arcana, &c. *Daniel. 2. 27. 28.* Vide ejusdem *cap. 4. 19.*

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Alphonsus Arag. Rex. Quasi qui apprehendit umbrã, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia, inquit Eccles. Itaque dum quidam & jocandi vel tentandi gratia, per somnium se vidisse diceret, regem Alphonsum donasse sibi sacculum auro refertum; respondebat Alphonsus: *An ignoras nullam apud Christianos fidem dari somniis?* Illa enim, ut est apud Tibullum,

—— Fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.

Anonymus Conjector. Quandoque tamen, somnia esse futuri eventus prænuntia, subjecto exemplo confirmatur. Quo die Heraclii Imp. filius Constans, classe cum Abulanaro Duce congrederetur, per somnium se Thessalonicæ esse existimabat. cumque illud insomnium Conjectori proposuisset; *Vtinam*, dixit ille, *ò Imperator hac nocte neque dormivisses, neque tibi insomnium fuisset oblatum. Quod enim tibi Thessalonicæ versari visus; indicat, Alteri ce-*

ricede Victoriam. Verum conjectasse, probavit eventus. Somnium ergo, ita in Hercule furente Seneca,

> *Veris miscet falsa, futuri*
> *Certus, & idem pessimus actor,*

Cedrenus in Constant.

¶ Monosticha Trochaica.

Cogitari tam monstrose nil potest quin somnies.
Dij modis mirisq; exemplis somnia in somnis danunt.
Haud erit securus unquam, quisquis credit somnijs.
Ne quidem suos in somniis sine metu cernit malus.
Nunquam erit securus augur quem movet vel somnium.
Remq; equestrem etiam juventus tractat inter somnia.
Sis malus bonusve, noctu etiam ipsa prodant somnia.
Somnians peculiarem quisq; habet mundum sibi.
Sunt mendici oculis apertis, somno erant qui divites.
Turpe est uti somniorum vate annos post ter novem.
Visio nocturna eventus dicit & contrarios.
Vt bonis sunt somnia læta, sic terrifica sunt malis.

¶ Jambica.

Dignum fide omne quei ducas insomnium?
Et crimine omnuetiam vacent omnia.
Et pura puris esse debent somnia.
Et somnio satiaveris libidinem.
Fermè efficax homini est post somnium.
Humana vita somnio simillima est.
Insomnia à cura & parens insania est.
Per somnium dives, vigil factus famet.
Quæ quis vigilans voluit, etiam illa somniat.
Quæ vult anus quacunq; nocte somniat.
Quid mundi opes sunt vana præter somnia?
Quidquid volunt, statim Sabini somniant.
Quis sponsionem somnij à quoquam exigat?
Vigilia vita: somnij mors est soror.
Visoq; læto recreamur somnio.

Videatur & titulus *Divinationis, Fascinationis.*

Somnii.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Clemens Alexandrinus:* Quomodo autem deinceps nos ad somnum conferemus modestiæ præceptorum memores, jam dicendum est. Postquam enim finito convivio Deo benedixerimus, eumque laudaverimus, quod quæ erant nostro usui necessaria suppeditaverit, & ut eum diem feliciter transmitteremus cõcesserit, nobis convertenda est ad somnum oratio: stratorum magnificentiam, pulvinos auro intertextos, auroque variegatas glabras vestes, stragulas, puniceasque xystidas, & preciosissima gaunacas, & Poetica purpurea pallia, vestesque superne molles ac delicatas, & cubilia vel ipso somno molliora valere jubentibus. Nam præterquam quod vituperanda est hæc mollis & sensum titillans voluptas, in languinosis plumis dormire est noxium, tanquam in vastum quendam hiatum incidentibus corporibus, propter stratorum mollitiem. Neque enim eos qui in eis versantur & dormiunt, continent, propterea quod ex utraque parte corporis, cubile aggeris instar assurgat: neque ut cibi concoquantur permittunt, sed potius incendunt: quod quidem nutrimentum corrumpit. In planis autem & æquatis cubilibus decubitus, qui sunt somni veluti naturale gymnasium, ad nutrimentum dirigendum conferunt, efficiuntque ut facilius incommoda ferantur. Qui autem possunt in aliis volutari cubilibus, somni veluti naturale hoc habentes gymnasium, alimenta facilius digerunt, & se ad omnes casus aptiores efficiunt. Iam vero lecticæ quæ pedes habent argenteos, magnam arrogantiam arguunt: & ebur quod est in lectulis, cum elephanti corpus reliquit animam, non est usque adeo licitum sanctis hominibus, ut quod iners & ignavum sit quietis artificium. Non est ergo studium in ea conferendum: non est enim possessoribus eorum usus prohibitus, sed quod in eis ponitur studium est prohibitum: non est enim sita in eis felicitas. Rursus autem habet aliquid vanæ gloriæ, qualis in Cynicis fuit, ad dormiendum quemadmodum Diomedes se exercere, *Agrestisq; bovis constrarat tergora subtus*, nisi forte cogat casus aliquis. Vlysses autem quod in lecto nuptiali claudicabat, supposito lapide corrigebat: tanta frugalitas & nativa, nec extrinsecus petita operis simplicitas non solum apud privatos, sed etiam apud veterum Græcorum præfectos exercebatur. Quanquam quid de iis mihi dicere opus est? Iacob humi dormiebat, & lapis erat ei pulvinus: atque eo quidem tempore dignus est habitus, qui visionem quæ supra homines esset, videret.

Nobis autem ut rationi convenit, simplici cubili & frugali utendum est, quod habeat id quod nos juvet moderatum & conveniens: si æstus sit, quod protegat: si sit frigus, quod foveat. Sit autem lectus non affabre & curiose factus, pedesque habeat planos ac læves: nimis enim curiosæ & exquisitæ tornaturæ, sæpe reptilium semitæ sunt animantium, dum in incisuris artis circumvolvuntur, & minime dilabuntur. In primis autem cubilis mollitiem moderate & convenienter virilem esse oportet & masculum: non oportet enim somnum esse plenam corporis solutionem, sed tantum remissionem. Et ideo eum dico esse assumendum non ad ociũ & socordiam, sed ad negotiorum & actionum quietem. Ita ergo dormitandum est, ut facile excitemur. Sint enim, inquit, vestri lubi præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus dominiũ suum expectantibus, quando redibit à nuptiis, ut cum venerit & pulsaverit, statim illi aperiant. Beati servi illi quos veniens Dominus invenerit vigilantes: dormientis enim hominis nullus usus, quemadmodum nec mortui. Quocirca sæpe etiam noctu è lecto surgendum est, Deusque est laudandus: beati enim qui in ipsum vigilarunt, seipsos assimilantes Angelis, quos nos ἐγρηγόρους, hoc est, vigilantes vocamus. Dormiens autem homo nullus ullius est precii, non magis quàm qui non vivit. Qui autem lucem habet, vigilat, & tenebræ eum non comprehendunt: nec itaque somnus, quoniam non tenebræ. Ad Deum ergo vigilavit qui fuit illuminatus. Qui autem talis est, vivit. Quod enim factum est in ipso, vita erat. Beatus homo, inquit Sapientia, qui me audiet, & homo qui vias meas custodit, vigilans in foribus meis, interdiu observans stationem mei ingressus. Ne ergo dormiamus ut cæteri, sed vigilemus, & sobrii simus. Qui enim dormiunt, noctu dormiunt: & qui ebrii sunt, noctu ebrii sunt: hoc est, in tenebris ignorantiæ. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus: omnes enim vos estis filii lucis, & filii diei. Non sumus noctis nec tenebrarum, sed qui ut vere vivamus recteque ac syncere sentiamus, nostri maximè curam gerit, plurimo tempore vigilavit, id solum sibi reservans quod erat ad suam sanitatem utile. Id autem non usqueadeo est usitatum, sed exercitationis meditatio perpetuas vigilias gignit ex laboribus.

Ne cibi ergo nos gravent, ut quam maxime fieri poterit somno minime lædamur, ut gravantur natantes quibus appenduntur onera. Rursus autem veluti ex abysso, inferne nos allevabit sobrietas ad paratam vigiliæ stationem: est enim somnus qui nos deprimit morti similis, eo deducens per ignorationem ut sensu careamus, & clausis à ciliis oculis lucem amputat. Hanc ergo lucem, qui sumus veræ lucis filii, ne foras excludamus: intus autem ad nos conversi, occulti hominis visum illuminantes, & ipsam veritatem contemplantes, & ejus fluxionum effecti participes, vera somnia evidenter prudenterque revelemus. Eorum autem qui crápula gravantur, ructus, & eorum qui nimio cibo onusti sunt oscitationes, stragulisque involutum stertere, ventrumque in arctum compressorum murmura, oculum animæ perspicacem obruunt, cum variis impleatur phantasiis cogitatio. Causa autem est alimentum supervacaneum quod ratiocinativam animæ facultatem eo trahit, ut sensu privetur penitus. Immodicus enim somnus, nec corporibus nec animis nostris ullam affert utilitatem, nec iis quæ circa veritatem versantur omnino convenit actionibus, etsi sit secundum naturam.

Loth autem justus (regenerationis enim œconomiæ in præsentia mitto expositionem) non ad illum nefarium inductus esset coitum, nisi inebriatus fuisset à filiabus, somnoque oppressus & gravatus. Si ergo causas quæ ad multum ac profundum somnum nos impellunt præciderimus, magis sobriè dormiemus: non enim oportet eos, qui inhabitantem & vigilantem intus habent rationẽ, tota nocte dormire. Noctu autem maxime expergiscendum est quando dies desinunt, & huic quidem danda est opera literis, illi vero ars sua est inchoanda: fœminas autem oportet lanificium aggredi. Nobis autem, ut semel dicam, omnibus adversus somnum decertandum est, ita nos paulatim & quasi sensim accessione facta assuefacientibus, ut majori parte temporis per vigiliam simus vitæ participes. Somnus enim, non secus ac publicanus, dimidium vitæ tempus nobiscum dividit. Longe autem abest ut permittatur interdiu dormire iis, qui maximã noctis partem ad vigilias resecant. Tædia ... & dormitationes, pandiculationes, & oscitationes, sunt instabilia animæ fastidia. Postremo autem hoc sciendum est, non esse animam quæ somno indiget: ipsa enim est semper mobilis: sed corpus, quod quieti traditur, resolvitur, dum anima non amplius corporaliter operatur, sed per seipsa operatur & cogitat: quo fit ut quæ sunt vera somnia, recte reputãti sint sobriæ animæ cogitationes, ut quæ ad corporis affectiones per consensum non trahatur, & ipsa sibiipsi quæ sunt optima consulat. animæ autem est interitus, si ipsa apud se omnino quiescat: & ideo Deum mente semper versans, per continuam cõsuetudinẽ corpori vigiliã inserens, angelicæ exæquat hominem gratiæ; vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ suscipiens. *lib. 2. Pædagogi cap. 9.*

D. Greg. Nyssenus: Quin etiam somnus noster & vigilia quomodo sapienti & acuto homini documentũ propositæ quæstionis esse non possunt? Ille enim mortis imago, hæc resurrectionis imitamẽtum est. Quocirca etiam nonnulli externi sapiẽtes germanũ Mortis Somnum vocarunt, propter similitudinem eorum, qui in utroque accidunt, affectus & perturbationes, Oblivio namque pariter & ignorantia præteritorum & futurorum in utroque con-

contingit, corpus sine sensu jacet, amicum non novit, inimicum ignorat, circumstantes & spectantes non videt, tabidum, fractum, languidum, solutum, remissum, modò non mortuum, omnis expers efficaciæ, nihil differens ab iis, quæ in loculis & sepulchris reposita sunt. Perinde nimirum dormientem, si velis, compilas, ac si mortuus esset, evacuas & exhauris ædes, vincula injicis, ac nullus eorum quæ fiunt sensus intervenit. Paulo post ubi intermissio aliqua aut laxamentum affectus advenerit, quasi modò vitæ redditus homo surgit, paulatim ad suiipsius rerumque rediens sensum, pedetentim efficacias recipit, tanquam animatus vigiliæ recreatione. *Oratione 3. in Christi resurrectionem.*

D. Chrysostomus: Quemadmodum corpus valdè æstuans, & sub ferventioribus radiis fatiscens, diversorio quasi cuidam multis irriguo fontibus, & ex levi aura solatium afferenti commendare solemus: ita nox somno commendat animam nostram; vel potiùs neque nox neque somnus hoc præstat, sed omnia hæc à Deo profecta sunt, qui miseram humani generis conditionem novit. Verùm nos nulla nostri misericordia tangimur: sed perinde, ac nobis ipsis inimici simus, tyrannidem naturali necessitate, & solatio superiorem nobis comparavimus; vigilias, inquam, quæ ex divitiis existunt. Divitiarũ. n. inquit, cura aufert somnum. Ac vide quanta sit Dei providentia. Solatium & requietem hanc non proposito consilioque commisit, non somni usum electionis nostræ esse voluit: sed naturalis necessitatis vinculis adstrinxit: ut vel inviti beneficium accipiamus. Dormire enim naturæ est. Nos autem quasi nos ipsos valdè oderimus, quasi non nos sed alienos bello persequamur ac vexemus; hæc ipsa naturali necessitate majorem nobis tyrannidem imposuimus, illam nimirum quæ ex pecuniis est. *Homilia 2. ad Philipp.*

D. Chrysostomus. Dormientibus neque mundana unquam negotia conficiuntur. dormientes ne ab amicis quidem quidquam accipiunt, nedum à Deo. dormientibus ne patres quidem honorem habent, nedum Deus. Paululum laboremus, ut in omne ævum requiescamus. *fine Homil. 13. ad Philipp.*

D. Chrysostomus: Nullus dormiat, nullus sit piger ad virtutem. Hoc enim est somnus. Nescitis quando dormimus, quam nostra non sunt in tuto, quam facile eis parentur insidiæ? Quando autem vigilamus, non opus est nobis tanta custodia. Quando dormimus, etiam cum multa custodia sæpe perimus. Sunt & ostia, & vectes, & custodes & vigiles: & tamen fur ingreditur. Cur hæc dico? Quoniam si vigilemus, non egebimus aliorum auxilio. Sin autem dormiamus, non multum nobis prodest aliorum auxilium. sed etiam cum illo perimus. Bonum est frui sanctorum precibus: sed quum ipsi quoque fuerimus intenti operi. *Homilia 1. ad Thessalon.*

D. Io. Chrysostomus: Qui suavi tenentur somno, non solum noctu, sed etiam cùm ipsum mane advenerit, & clarus fuerit dies, jacent in lecto: nec eos pudet indulgere voluptati, & tempus operandi & studendi, facere tempus somnii, & inertiæ, & hebetudinis. *Homil. 24. Epist. ad Hebræos.*

Synesius: Illius sanè beneficio, & cùm diis identidem conversamur, sive commovefacientibus, sive responsa reddentibus, sive alio modò providè nobis consulentibus; Adeoque si cui thesaurus somni munus obtigit, nihil admirandum censeo, neque si quis cum imperitus obdormisset, posteaquam in somnis, cùm Musis versatus sit, & nonnulla cum iis locutus fuerit, nonnulla item audierit, repentè poeta elegantissimus evadat, cujusmodi ætas nostra tulit; neque hoc adeò incredibile videtur, Mitto ego & insidias detectas; & eos quibus medicus aliquis somnus omne à morbo periculum depulerit. *libr. de Insomniis.*

§ LATINORUM.

Chrysologus: Quasi non & prima, & secunda & tertia hora noctis, cùm se sopor blandus dormientibus primum fundit in corpora, & visceribus diurno labore fessis dulcis ac totus illabitur, molesta & aspera inquietantis improbitas. *Serm. 39. m.*

Chrysologus: Fortis conflictum petit, provocat palam, spectantibus omnibus, & coram populis vult habere victoriam. Maximæ infirmitatis indicium est, dormientibus irruisse. *serm. 97. pr.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Lucianus: Porrò ubi dormiam nocte? an cum coætaneo Cupidine: *Iup.* Minimè: sed ob hoc te rapui, ut simul dormiamus. *Gan.* Solus enim non possis, sed tibi suavius erit dormire mecum? *Iup.* Maximè sanè cum tali, qualis es Ganymedes, tam formosus. *Gan.* Quidnam te pulchritudo ad somnum juvabit? *Iup.* Habet quoddã incitamentum suave, eumque molliorem inducit. *Gan* Atqui pater meus mihi condormienti indignabatur, & mane narrabat ut turbabam ipsius somnum me volutando, calcitrando, & quiddam inter dormiendum loquendo. Quapropter me dormiturum ad matrem plerumque mittebat. Tempus igitur est, si ad hoc, ut ais, rapuisti me ut me denuo in terram deponas, vel molestia afficieris vigilando. Turbabo enim te assiduò, dum me huc atque illuc revolvam, *Dialogo Iovis & Ganymedis.*

Philostratus: Rex cùm salutasset Apollonium, quid meditaretur interrogavit: neque enim domire te nimium arbitror, cùm aquã bibas, & vinum contemnas. Tunc Ap. an non dormire censes eos qui aquam bibunt? Dormire inquam, opinor, rex inquit, sed per levem somnum, & qualem dicimus summis oculis insidere, non autem menti. Imo verò, inquit Ap. utroque dormiunt; forte etiam mente magis. Nisi enim quieta mens fuerit, nequaquam oculi somnium suscipient. Propterea furiosi homines dormire nequeunt, propter assiduam mentis agitationem; quæ cùm in alia ex aliis jugiter cogitando transiliat, torvè impudenterq; aspiciunt, sicut insomnes dracones. *lib. 2. cap. 14.*

Statim post: Videntur sibi omnes, qui concepta ebrietate dormitare nituntur, nunc usque ad domorum culmen attolli, nunc rursus sub terram detrudi, & tali agitari vertigine, quali circumvolvi Ixionem fabulæ perhibent. Non itaque de tali ebrio sum locutus, sed de eo qui vinum bibent sobrius tamen permanet, quique contemplari, & alia opera mentis exercere potest. hunc ego magis meliusque dormiturum dico, quàm qui tantummodò aquam bibit.

Deinde: Quantum nos, inquit Apollonius, qui aquam bibimus, dulcibus somnis magis abundemus, quam qui vinum bibunt, jam ostendam, tuam rationem secutus. Quod enim multis agitetur perturbationibus, & quasi furiis quibusdam vexetur ebriorum mens, rectè abs te dictum esse fateor. Videmus enim ebrietate correptos geminam lunam, geminum solem sese videre arbitrari: alios non minus lapsos, & pene sobrios nihil tale cogitare, sed lætitia gestire & voluptate quadam perfundi: idque non ob aliquam præclaram actionem ab eis gestam plerumque contingit. Alii verò forenses orationes meditantur, cùm in foro nunquam sint locuti: & se divites putant, cùm nec drachmam possideant. hi autem sunt, ô rex insaniæ morbi. ipsa enim lætitia mentes agitat. Plures sanè vidi, qui bona quadam fortuna se potitos arbitrantes, somnum capere non poterant; sed excitati in medium prosiliebant: quod satis argumenti est, ipsa etiam bona curas sollicitudinesque præbere. Sunt autem & quædam medicamẽta ad faciendum somnu excogitata, quæ si qui biberint, aut sese iisdem perunxerint, ita excensi dormiunt, ut mortui videantur. inde tam obliviosi surgunt, ut ubi vis potius quam ubi sunt, sese arbitrentur. Quod igitur potiones corpori aut animæ neque proprium neque legitimum somnum inducunt, sed aut ita profundum ut semimortui videantur, aut leve admodum, & à quibusvis accidentibus rumpi facilè, & si bonæ sint, citò consenties. Aquæ autem potores, singula perinde ut sint vident; neque sibi ipsis ea quæ non vident, nec sunt, describunt, aut figurant: neque leves sunt, neque unquam aut torpore, aut stultitia referti, nec supra quam deceat hilares; sed semper sibi ipsis attendunt, ratiocinatoribus similes, non meridie minus quam mane. nunquam enim tales homines dormitabunt, etiamsi in multam noctem fuerint operati; nec somnus eos tanquam dominus urget, cervicem vino servam invadens; sed liberos semper, & toto corpore erectos præbent. Cùm autem dormitum accesserint, anima pura & quieta, somnium capiunt, neque prosperis successibus elati, nec adversitatibus ullis depressi. Mens enim sobria, moderate sese ad utraque habet, nec ab alterutra perturbatione superatur. Præterea curis vacua dulcissimo & jucundissimo somno perfruens, nullis casibus excitatur. Per somnia insuper vaticinationem, quæ apud homines divinissima existimatur, multo facilius conspicit anima vino non suffocata: sed pura mundaque omnia, quæ viderit, facilè colligit & discernit.

Quapropter somniorum interpretes, de nunquam antea visione consultorib. respondebant, quam visionis horam sciscitati essent. nam si matutino tempore somnium apparuisset, tunc de illo aliquid conjectari se posse arbitrabantur; quia tunc rectè vaticinari posset anima, cùm esset vino ciboque liberata. sin verò primo somno, aut etiam media nocte, anima adhuc demersa vino, somniũ apparuisse, sapienter quidquam respondere abnuebant. Quin etiã Deos ipsos itidem judicare & sobriis animis potius oracula tribuere indicio est Amphiarans. Eos enim qui responsa accipere volunt, sacerdotes ejus integrum diem à cibo, à vino triduum jubent abstinere. Multa insuper & alia oracula sunt Græcorum barbarorumque, in quibus sacerdos non vino sed aqua potatus, ex tripode responsa petentibus dedit. *lib. 2. cap. 14.*

Libanius: Bonæ spei plenus, primo somno sopitus sum: postea in somnis obversabatur mihi donum: excitatus sum, neque amplius stare loco & continere me poteram: verùm in utrumque latus per totum noctem me convertebam. gallum gallinaceum non cantantem videbar audire: nocti conviciabar ob longitudinem. sæpe servum emisi ad speculandam auroram: exorto tandem aliquando mihi felici, ut arbitrabar, radio, adfuere familiares, ut gaudii participes essent. *Declam. 37.*

Libanius: Si sopor altus, maximum vitæ bonum est: quare majore in precio non haberetur is qui majori stupore correptus est? qui mortuus? *Declam. 6.*

Heliodorus: Thyamum labore itineris gravatum, & cura præsentium negotiorum implicitum, somnus oppressit. *libro 1. AEthiopicorum.*

Heliodorus: Et Calasiridem quidem, ut alioquin senem, & itineris labore fessum, arctior somnus complectebatur: Chariclica verò

præ

præ curis quæ eam angebant, pervigilem ducebat noctem. *lib. 6. Æthiop.*

Simocatta: Perpetuò vigilare, immortalitatis est proprium. Dormire verò mediocriter, nostrum est, ut opinor, & humanum. At ultra dormire, quàm satis est, mortuis potiùs quàm viventibus convenit. Plurimis tuæ vitæ partibus ô Chrysosthenes privaris: semper enim dormis, & his esse desiisti locis, velut Vlysses quispiam extra nostrum orbem oberrans, Oceano quodam somno usus, & neque orientem, neque occidentem solem aspiciens. *Epist 55.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: Parvulis noctium turbamur offensis, excitant nos exigui plerumque motus, vox incerta, longinqua, & aliquando ipsum silentium. *Declamat. 2. §. 17.*

Quintilianus: Non est, Iudices, quod incredibile putetis, ut quis perferat dormientis simulationem. nihil est quod facilius humana calliditas possit imitari. Sic quidam cadaverum expressere pallorem, & contra verbera & experimenta telorum, mortuum pertulere patientiam. Quanto facilius est simulare rem, cujus imitationi sufficit, clusisse lumina, laxasse membra, dedisse suspiriis modum, & anhelitus negligenter egisse? Inter dormientem simulantemque non est nisi conscientia. Nam quod ad tot vestigia, tot manus, tot proclamationes, in eodem tenore duravit; nolite mirari, facilius excites dormientem. Et hæc est omnium natura rerum, ne quid diutius perferas, quàm quod imitaris. Simulare somnum, habet & hanc facilitatem, quod videtur similis excitatio qui deprehensus est. *Declam. 2. §. 18.*

Quintilianus: Gravior est quies quibus ex lassitudine calamitatum venit. *Declam. 2. § 21.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Nubibus v. 11.

Age si placet, in lecto pergamus stertere
At non queo miser ego somnum capere oculis;
Ita me impensæ & præsepe, & debita lancitant
Hunc propter filium.

Aristophanes Nubibus v. 35.

—— *Quid tu adeo morosus es*
Pater, & toto nocte teipsum torques miser
S. Mordet me prætor quidam, & è lecto fugat.

Prudent. hymno ante somnum.

Fluxit labor diei,
Redit & quietis hora
Blandus sopor vicissim
Fessos relaxat artus.
Mens æstuans procellis,
Curisq; sauciata,
Totis bibit medullis
Oblivale poclum.
Serpit per omne corpus
Lethæa vis, nec ullum
Miseris doloris ægri
Patitur manere sensum.
Lex hæc data est caducis,
Deo jubente, membris,
Vt temperet laborem
Medicabilis voluptas.

Plautus Menæchmis 5. sc. 5. v, 29.

Perdormi scin' usq; ad lucem? M. facilin' tu dormis curans.
Perdormisco si resolvi argentum cui debeo.

Ausonius Ephemeride.

Mane jam clarum reserat fenestras.
Iam strepit nidis vigilax hirundo.
Tu velut primam, mediamq; noctem
Parmeno dormis.
Dormiunt glires hyemem per omnem,
Sed cibo parcunt. tibi causa somni,
Multa quod potas, nimiaq; tendis
Mole saginam.
Inde nec flexas sonus intrat aures,
Et locum mentis sopor altus urget,
Nec coruscantes oculos lacessunt
Fulgura lucis.
Annuam quondam juveni quietem
Noctis & lucis vicibus manentem,
Fabula fingunt, cui Luna somnos
Continuarit.
Surge nugator, lacerande virgis.
Surge ne longus tibi somnus unde
Non times detur: rape membra molli
Parmeno lecto.

Ausonius periocha secundi Iliados.

Cælestes hominumq; genus superabile curis,
Tranquilla obscuri carpebant munera somni.
At non pervigilem nox irrequieta Tonantem
Leniit, immodico volventem corde paratus,
Cædibus ut Grajum, læsum ulciscatur Achillem.

Ausonius periocha decimi Iliados.

Cetera per naves somno sopita manebat
Turba Ducum, solum cura anxia vexat Atriden.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Antonius eremita. A Constantino, ad se ut veniret, accersitus Antonius monachus, detrectavit id primùm dicens, *Siquidem ad Imperatorem venero,* Antonius ero: sin minùs, Abbas Antonius. *Nicephor. Eccl. hist. lib. 8 cap. 41.*

Monachi Christiani. Antonium abbatem Alexandrinum dicere solitum ferunt, *Non expedire Christi servis, eorum, qui sæculo serviunt, domos frequentare, aut consuetudine uti. Sicuti enim pisces de aqua eductos continuò languescere & emori solent: ita monachum extra cœnobij septa vagantem, si quicquam confabulationi vacaverit alienorum, ad cordis tepiditatem redigi, & circa spiritalia exercenda effici tardiorem.* Hinc sanè est, quod plerique cum feris bestiis in solitudine vivere sibi satius duxerunt, ne in cœtu hominum mentem, quam in sola Dei contemplatione fixam & locatam habere vellent, diversis cogitationibus diffundere atque distrahere cogerentur.

Ob hoc sanè Arsenius, cur tantopere accessum hominum devitaret, cùm interrogaretur: *Non posse se cum Deo simul & hominibus habitare,* ajebat. Capiton itidem rogatus, respondit, *Vereri se ne ex hoc imbecillior ad sustinendos inimici impetus redderetur, quocum adhuc superesse sibi certamen sciret.* Alterum ergo contemplandi amor, alterum peccandi timor ab humano submoverat consortio, nunc uterque consortio fruitur angelorum. Paulus, primus inter Christianos eremi cultor, annos septem & nonaginta, Onuphrius septuaginta, hominibus incogniti fuere. At postremò ne incogniti essent, tunc visi sunt, cùm de solitudine terrena ad celebritatem cœlestem transferrentur. *Marullus, lib 3. caput. 7.*

Suacotopius, rex Bohemiæ & Moraviæ. Is quum in quodam prælio victus ab Imperatore Arnulpho esset, clam sese pugnæ subtraxit, atque ut erat incognitus salutem fuga solus quæsivit. Quumque ad montem venisset, cui Sicambri nomen est, abjectis armis, equo dimisso, pedibus iter fecit, & tanquam viator inops, vastissimam ingressus eremum, tandiu pomis atque herbarum radicibus vitam sustentavit, donec tres eremi cultores obvios habuit, quibus sese adjungens, usque ad extremum vitæ perseveravit incognitus, patienter ac sedato animo incommoda quæque ferens. Vbi verò obitus adfuit, accersitis eremitis, Nondum, inquit, quis fuerim, novistis. Rex ego Moravorum prælio victus ad vos confugi, & regiam vitam & privatam expertus morior. Nulla regni fortuna est tranquillitati eremi præferenda. Hic securus somnus dulces herbarum radices atque undas efficit: ibi curæ atque pericula nullum cibum, nullum potum non amarum reddunt. Quod vitæ mihi fata dederunt, apud vos felix peregi: in regno quicquid ejus transactum est, mors veriùs quàm vita fuit. Sepelite me hîc, postquam anima corpus reliquerit. Non absimile aliqui refertur de Carolo V. Imperatore, eum videlicet dicere solitum fuisse, se resignato imperio, plus voluptatis & delectationis in sua monastica solitudine uno die percepisse, quàm ex omnibus suis victoriis & triumphis, quibus præ cæteris fœlix habitus fuit. *ex Ænea Sylvio, cap. 13. hist. Bohemica.*

¶ Apophthegm. Christian.

S. Arsenius Abbas. Somnum mortis fratrem & imaginem dicebant veteres; eumque aspernati primi illi Anachoretæ, eò quòd bonam vitæ partem abriperet, & ad bona opera inhabiles redderet. Quare rogatus Arsenius, cur tam parcus esset somni; respondisse fertur: *Satis monacho videri debet, si ei una ad quietem hora contingat.* Existimabat pius religiosus, se tempus perdidisse, quod somno transigebat. Prudenter Aristoteles, ut ex Græco vertit quidam:

Hic propè dimidium vitæ dormitur, & ipsum
Per somnum similes dives inopsq; jacent.
Cræse igitur Regum ditissime, num tibi fermè
Dimidio vitæ par fuit Irus egens?

Sabell. lib. 2.

S. Dominicus. At veniant qui carnis somnique delectantur illecebris, & Dominicum contemplentur. Hic enim ut pervigilandi sumeret consuetudinem, vix umquam somno se dabat. *Nam,* inquiebat *somnus, somnum adescat, & vigiliæ pariunt vigilias.* Guil. Baldosan. lib. 2. cap. 26. Stim. virt. adolescentiæ.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; somno nec vitalis sit homini sensus diu.
Altius dormire posse, maximum vitæ est bonum.
Ante somnum, ter diei quavis acta supputa.
Cor vetat mundum dormire intenta supplicatio.
Culcitiam tibi imperato quæ resistat corpori.
Dormiens non est majoris pretij quàm vel mortuus.
Dormientium à labore somnus est profundior.
Dormiunt omnes, Agamemnon solus in lecto est vigil.
Dissoluta cui mens luxu, vita somno languida est.
In somnum facilis labaris intermissis vocibus.
Ipse nil agit nec cuipiam imperat vir dormiens.
Ipsimet Dei loquuntur & cum dormientibus.
Longus est tutusq; somnus quem parit victoria.
Miltiadis trophæa somnos auferunt Themistocli.
Ne credas quid confecturos dormienti arduum Deos.
Ne quidem facultas artrix dormit dormientibus.
Ne quidem somni nocturni gens pastorum fit satur.
Non mage usus dormientis est viri quàm mortui.
Non queunt dormire quos fax corripit fontis Iovis,
Nullus usus dormientis: ergo dormi parcius.
Parca eis quies, sunt curis corda queis fragrantia.
Per diem noctemq; somnum continuare mors erit.
Perdormisco, si resolvi ei argumentum cui debeo.
Porrectis dormire plantis non datum quibuslibet.
Plus dormire quàm decet non est vivi, sed mortui.
Qui curas agit supremas noctem in somnis vix agat.
Quos potes curare somno, ne cures scammonio.
Sanitati conservandæ somnio perpauco est opus.
Sollicitudinum ac laborum somnus perfugium omniū est.
Somniculosi Etesiæ sunt: surgere manè nesciunt.
Somnus aliter à gallo, aliter interrumpitur à tuba.
Somnus æstate ante lucem quemq; init profundior.
Somnus est portus laborum: hunc assequi est statim mero.
Somnus multus æque animo ipsi noxius quàm corpori est.
Somnos unquam quis securos viperam juxta capit?
Tam malum est dormire cunctos quàm dormire neminem.
Tempus omne vitæ abscedit quod sopor tibi eripit.
Vita nemini est vitalis, nisi dimidiam edormias.
Vita nemini vitalis esset absq; insomniis.

¶ Jambica.

A mortuo differt parum quid dormiens.
A rege servus dormiens differt nihil.
An somnus ulli est, mentis attonitæ stupor?
Animi gravatum, somnus altior gravat.
Bene dormijt qui nescit quàm male dormijt.
Brevisq; fessis somnus obrepit genis.
Cùm surgis è lecto conturba stragulam.
Curæ soporem haud excitant, sed suffocant.
Domatur à somno ultimum malum fames.
Dormire ventre inani difficillimum.
Dormit quietè qui quod perdat nil habet.
Est forma mortis Somnus ad tempus datus.
Et gelidus horror ac tremor somnum excutit.
Et suavior somnus quem gaudio afficit.
Etiam vetat dormire magnum gaudium.
Heu quàm creat somnos graves cibus gravis.
In lecto eburno plurimum est insomnia.
Inesse somno corporis solet salus.
Incuriosa est altior ferme quies.
Inter pericla parcior somnus venit.
Labore somnus redditur suavissimus.
Laxata somno mens ubi est motu caret.
Lenis virorum somnus est agrestium.
Longus dolorem sæpiùs lenit sopor.
Longus dolorem sæpius vincit sopor.
Merum bibentem longior somnus decet.
Minime extrahendus ipse somnus in diem.
Mors ecquid est præterquam somnus ferreus?
Mortalium nulli utilis vir dormiens.
Nil dormienti grande conficiunt Dei.
Nil somnus est quàm imago mortis frigida.
Nil quidquam est insomniâ loquacius.
Noctis meridiè somnus quemvis occupat.
Noctis quietem ferre victor vix queat.
Non est homini somnus bonus de prandio.
Nunquam interemptus dormiens est fulmine.
Nunquam sopor Iovem suavis occupat.
Perit quies ei cui deest securitas.
Post scelera summa haud invenit somnus locum.
Primus secundo somnus est profundior.
Quem voce non potes, tactu illico excites.
Quid gloria est, quid sunt opes, quàm somnia?
Sanctis & ipse somnus est oratio.
Somnus beatos, divites somnus facit.
Somnus malorum averruncator omnium est.
Somnus malorum unus medela est omnium.
Somnus profectò mors est: vita vigilia est.
Somno dare ægris fas curis oblivia.
Somnum atq; Mortem Sol videre non potest.
Somnum esse mortis parva dic mysteria.
Somnum repletus venter usq; flagitat.
Somniculosè magna res agi haud potest.
Suavissimus ævo somnus est? altissimus.
Suavissimus somnus qui idem est altissimus.
Vitam ferè nobiscum ex æquo somnus dividit.

Sophistæ.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Hebræi signa quærunt, ut ait Apostolus, Græci autem sapientiam quærunt. Magna est autem turba ejusmodi: ac eorum quidem aliqui voluptatibus mancipati, cum velint non credere, omni veneratione dignam irrident veritatem, barbariem habentes ludibrio. Aliqui autem alii seipsos erigentes, calumnias verbis invenire contendunt, contentiosas comparantes quæstiones, dictiuncularum venatores, pusillarum quarundam artium æmulatores, litigatores, & iurgiorum consarcinatores, ut ait ille Abderitanus:

Lingua volubilis est hominum, nec pauca profatur.
Dictorum omnimodum hinc atq; hinc divisio multa est:
Quod verbum edideris, te tale audire necesse est.

Ob hanc ergo artem se efferentes Sophistæ infelices, canoris quibusdam suis nugis garrientes, cum in nominum delectu & certa dictionum compositione & connexione tota vita laborant, & cadis apparent loquaciores, eos quibus pruriunt aures, non satis, ut mihi videtur, viriliter demulcentes & titillantes.

Verborum non stilla cadens, sed flumen, inertum.

Et certe quemadmodum veteribus in calceis, imbecilla iis sunt alia & diffluunt, sola autem eis restat lingua. Pulchre ergo eos insectans, scribit Solon Athenensis:

Ad linguam aspicis, & dulcia verba loquentes.
At quod fit nemo spectat agentis opus.
Ac quivis vestrum vulpis vestigia figit,
Et mentem vacuam putidulamq; gerit.

Hoc utique significat vox illa salutaris: Vulpes foveas habent, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Super enim solo eo, ut arbitror, qui credit, perfecte separato ab iis bestiis quæ sunt à Scriptura, rerum omnium caput conquiescit ac princeps, nempe benignum & mansuetum verbum, qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum: Dominus enim solus cognoscit disceptationes sapientum, quod vanæ sunt, sapientes utique Scriptura vocante Sophistas, qui in dictionibus versantur & artibus superfluis. Vnde ipsi quoque Græci eos qui in re aliqua curiose versantur, sapientes simul & Sophistas denominative appellarunt. Cratinus itaque cum in Archilochiis Poetas recensuisset, ait: *Quales sophistas perpetim scrutamini.* Et similiter Iophon Comicus in Aulœdis Satyris, dicit de Rapsodis & aliquibus aliis:

Nanque introijt
Vna Sophistarum caterva plurima.

De iis & similibus qui se inani dicendi genere exercuerunt, pulcherrime dicit divina scriptura: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum abolebo. Homerus autem & fabrum vocat sapientem, & de Margite, si is utique est, sic scribit:

Hunc nec aratorem Dij fossoremve crearunt,
Vllo aliove modo sapientem, arsque abfuit omnis.

Hesiodus autem cum Linum Citharœdum dixisset esse cujusvis sapientiæ peritum, naturam etiam non veretur dicere sapientem, scribens:

Nautica in arte aliquid qui nec sapit.

Daniel autem Propheta, Mysterium, inquit, quod rex rogat, non est sapientum, magorum, incantatorum, Gazarenorum potestas ut regi annuncient, sed est Deus in cœlo revelans. Quin etiam appellat sapientes Babylonis. Quod autem scriptura sapientiam appellet æquivoce omnem mundanam sive sapientiam sive artem, aliæ autem sunt quæ per additionem & compositionem humana sint ratione excogitatæ, & quod à Deo sit quæ arte fit, & sapiens excogitatio, manifestum erit, si hanc dictionem adjecerimus. Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Ecce vocavi Beseleel filium Vri, filii Or de tribu Iuda, & implevi eum divino spiritu sapientiæ, ut in omni opere excogitet & architectetur, operetur aurum & argentum, & æs, & hyacinthum, & purpuram & coccinum. & ut operetur opera lapidea, & frabilem artem lignorum, usque ad illud, & omnia opera. *lib. 1. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Ars contentiosa & sophistica est penitus repudianda, quandoquidem ipsæ Sophistarum dictiones non solum multorum oculos præstringunt & eos seducunt, sed nonnunquam etiam vim afferentes, Cadmeam referũt victoriam. Est enim longe verissimus ille Psalmus: Justus vivet in finem, quoniam non videbit interitum, quando viderit sapientes morientes. Quosnam autem dicit sapientes, audi ex Jesu sapientia: Non est sapientia improbitatis scientia. Eam autem dicit quam excogitarunt artes quæ in dicendo & disserendo versantur. Quæres ergo apud malos sapientiam, & non invenies. Et si rursus roges quænam ea est: Os justi, inquiet, tibi distillabit sapientiam. Dicitur autem ars Sophistica æquivoce cum veritate sapientia. Meum autem est probabile, ut existimo, institutum, verbo quidem ac ratione convenienter vivere, ea autem quæ significantur intelligere: eloquentiam autem nunquam magnifacientem, contentum esse si significetur id quod intelligitur. Quo autem nomine significetur id quod volo exponere, nihil mihi curæ est. Opem enim ferre ut serventur ij qui servari cupiunt, puto esse optimum, non autem dictiunculas tanquam quædã ornamenta componere. Et si caveris, inquit Pythagoreus in Platonis Politico, ne sis de nominibus nimium solicitus, prudentia locupletior apparebis in senectute. Et rursus invenies in Theæteto: Nominum autem & verborum facilitas, & non nimis accurata examinatio, ut plurimum non est sordida & illiberalis, sed eius potius contrarium: est autem nonnunquam etiam necessaria.

Hæc quam fieri potest brevissime scriptura enunciavit, dicens: Ne multum verseris in verbis. Dictio enim est tanquam vestis in corpore: res autem sunt carnes & nervi. Non oportet ergo majorem vestis quam salutis corporis curam gerere. Non solum enim frugalis vitæ ratio, sed etiam à supervacaneo cultu ornatuque aliena oratio, exercenda est ei qui veram vitam elegit: siquidem delicias ut dolosas & luxuriosas repudiamus, sicut unguentum & purpuram veteres Lacedæmonij, dolosas quidem vestes, & dolosas unctiones recte reputantes & nominantes, quoniam nec honestus est ille cibi apparatus qui plura habet condimenta quam ea quæ nutriunt: nec est bellus urbanusve orationis usus, qui auditores magis potest delectare quam juvare. Musas existimare Sirenibus jucundiores admonet Pythagoras, docens non cum voluptatte exercere sapientias, arguens autem deceptricem aliam animi oblectationem. Qui navigando prætervectus est Sirenas, unus sufficit: & qui Sphingi respondit, unus alius, atque adeo si vultis, nullus. Non oportet ergo unquam dilatare phylacteria vanam ambiendo & magni faciendo gloriam. Sufficit autem ei qui cognoscendi est potestate præditus, si ei vel unus inventus sit auditor. Licet ergo & Pindarum Bœotium audire, qui scribit: Non apud omnes licet veterem aperire orationem, præterquam fidelissimis silentij viis. Stimulus autem pugnæ est dominans oratio.

Admodum ergo recte nos vehementer admonet beatus Apostolus, ne verbis contendamus sine ulla utilitate, ad eversionem auditorum: prophanas autem vocum novitates vitemus. Ad magnam enim proficiunt impietatem, & sermo eorum serpit ut cancer. Hæc ergo sapientia mundi, stultitia est apud Deum. Et horum sapientum cognoscit Deus cogitationes, quod vanæ sunt. Nemo ergo glorietur humana præcellens cogitatione. Recte enim scriptum est in Hieremia: Ne glorietur sapiens in sapientia sua, & ne glorietur fortis in fortitudine sua, & ne glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, quod intelligat & cognoscat, quod ego sum Deus faciens misericordiam & judicium & justitiam super terram: quoniam in his est voluntas mea, dicit Dominus. Ne confidamus in nobis ipsis, sed in Deo qui suscitat mortuos, inquit Apostolus: qui ex tanta morte nos eripuit, vel fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Spiritalis enim dijudicat omnia, ipse autem à nullo dijudicatur. Illa quoque eius audio: Hæc autem dico ne quis vos decipiat in probabilitate sermonis, neque subingrediatur qui deprædatur. Et rursus: Videte ne quis sit qui vos seducat per Philosophiam & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Philosophiam quidem non omnem, sed Epicuream, cuius etiam meminit Paulus in Actibus Apostolorum, reprehendens, quæ tollit providentiam, & in Deorum numerum refert voluptatem, & si qua alia honore affecit elementa, quæ dum eorum non constituit causam efficientem, ne visione quidem apprehendit opificem. Quinetiam Stoici, quorum ipse quoque meminit, non recte dicunt, Deum, cum sit corpus, vilissimam peruasisse materiam. Traditionem autem humanam, canoras dicit nugas quæ versantur in oratione. *lib. 1. Stromatum.*

S. Isidorus Pelusiota: Multi sophistæ per eam gloriam, quam prius adepti sunt, detrimenta ea, in quæ postea incidunt, obtegere conantur: ut qui priùs quidem res superarint, nunc autem earum magnitudine victi sint. *lib. 2. epist. 255.*

Synesius: Sophistas veteres, non mòdò ex rhetoribus eos appellarunt, qui eximij in dicendo & illustres essent, sed & ex philosophis eos qui eloquendi copia atque ubertate præditi. itaque talis quamvis non essent sophistæ, esse tamen videbantur. *Orat. de Dione.*

Synesius Episcop. Miserrima eorum conditio est, qui suas in theatro orationes ostentant. Nam cui tam dissimilibus inter se hominum judiciis satisfaciendum est, is quomodo non ea expetit, quæ humanæ vires assequi plane nequeunt? Verè ergo ille est popularis orator, publicum mancipium, omnibus obnoxius, quem in cuiusvi potestate est pessime afficere. Etenim si ridiculus quis accedat, actũ est de sophista, tetricum vero, ac vultuosum quoque auditorem suspectum habet. Sophista enim est, quodcumque præ se ferat orationis genus; opinionem pro veritate corrogans. quin & ipsi molestus est is, qui animum penitus intendit, quasi aliquam reprehendendi ansam captet. Nec minus etiam qui caput circumquaque torquet, velut ea quæ exhibentur fastidiens. Atqui haud merito asperos dominos experitur, qui quamplurimas noctes insomnes egit, & per multos dies attritus, ac fatigatus est, modoque non ipsam animam fame ac sollicitudine distillavit, ut egregium aliquid seligeret: unde suavem, & lepidam auditionem superbis nimium amoribus, delitiisque suis proponit, quorum gratia etsi male se habeat, prosperam tamen valetudinem simulat. Cæterum is ante præscriptum diem lotus, veste, & cultu corporis, gestuque arrogantissimo ad eam adfuit, ut & elegans spectaculum sit, & in theatro considentibus arrideat, gaudetque scilicet; animus autem cruciatur, quando & Tragacanthæ nonnihil edit, ut alta, & sonora voce pronuntiet. Atqui ne gravissimus quidem inter eos id dissimulaverit, non sibi magnopere curæ esse, summoque studio elaborari quæ ad vocem attinent, cum præsertim inter ostentandum conversus ampullam postulet, quam famulus quidem porrigit (diu enim antea paratam habebat) ille vero sorbet, & gargarizatu os fauceque colluit, quo validiori voce carmen emoduletur: verùm nihilo tamen ex eo magis infelix homo benignos sibi auditores facit: sed ij decantandi finem ab eo factum plurimùm vellent, tunc enim riderent: aut cum optarent statuæ in modum diducto ore, sublataque manu statua esse mutiorem: ita enim, quod jampridem cupiunt, discederent.

Ego verò mihi ipsi concino, *atque hisce cupressis accino*, aqua autem ista minimè dimenso cursu, aut ad Clepsydram dispensato emicans decurrit, quàm publicus aliquis lictor appendat. Sed si nondum desino, mox tamen desiero, sin minus, multo saltem postea: nec enim ad noctem usque cantabo: hæc autem etiam cessante defluit, defluetque noctu atque interdiu, & in insequentem annum, & perpetuo. Quid ergo necesse est præfinito tempori servire, cum libertate satiari liceat, atque orationes eo circumducere, quo detorquendæ esse videntur, nec mihi cum auditorum despicientia contendendum, sed mei ipsius ego mensura sim: hanc enim à Deo conditionem sum adeptus, ut liber ac mei juris essem, qui neque tres, neque duos mihi discipulos adsciscere velim, quorum causa ad præstitutum locum ventitare, ac de pacta mercede loqui necesse sit. Ita enim plurimum mihi libertatis decessum iri non ignorarem, si inprimis liber aliquis ad unguem exigendus est, quo memoria quidem excolatur, mentis autem appulsus, cognitioque quam liberorum esse judicem par est, inexercitata, sterilisque maneat, quoniam ea potissimum parte philosophi sumus. Illud autem Grammaticis relinquendum: fieri vero etiam potest ut in philosophicis libris Grammatici quidam evadant, qui syllabas optime componere, ac distinguere queant: nihil tamen proprium obstetricaturi sunt: & si quid forte pariant, cœcum id pro temeritate & quasi subventaneũ est. Non enim sermonem interius fovet cui quotidie evomendus est, studiumque tumultuario, & inconsiderate in ludicris adhibere languidum ipsum, atque evanidum reddit. Nam ut ex fœturis corporum, ita ex sermonibus animorum quidam partus oriuntur, qui vero intempestivè illis consueverit, cætera planè eadem cum his quæ in corporibus accidunt experietur: ubi verò semel habitus ad abortiendum præceps propenderit, nihil jam integrum aut vitale parturiet. Hinc qui in populum expeditè dicendi facultate valet, ad rem aliquam sedula animadversione considerandam imbecillis est: neque si qua illi speculatio proponatur, statuæ eam instar expolitam accuratissimè elaborare potest.

Præterea vero nec istud beatum esse censeam, tam apud ipsos auditores, quàm de ipsis auditoribus rationem reddere: de ipsis quidem, apud parentes aut genere proximos; apud ipsos autem de quotidianis sermonibus: si quidem suis ex discipulis gloriam sibi, famamque conciliare præceptor cuperet, ut de iis quæ tradiderit, pueri tumultuentur, acerrimeque contendant. Ergo alius oppidò infeliciùs quam istud theatrum est. Nunc autem quibuscumque volo, & quoties, & de quibus & quando, & ubi, toties & eo modo colloquor: Atque hic nobiscum familiariter conversatus profuit, idem vicissim utilitatem ex eo aliquam reportavit. Malim vero boni aliquid dicentibus aliis, auscultare, quam ipse dicere: quia in meliores incidere, quam in deteriores omni est parte beatius. Præceptoris contra vita hæc est (eximamus autem ex eo sermone si quis unus, aut alter naturæ strenuitate ea quæ in hoc genere difficillima occurrunt, exuperaverit: Illud enim itidem evenire potest, ut in unoquoque genere studiorum nonnulli multo præstantiores appareant, quàm ut adnascentibus, & succrescentibus in iis perturbationibus debellari queant) Quandoquidem præceptor simulatque sibi auditores devinxit, nihil jam ab alio dictum probabit: Alioqui periculum est ne & contemnatur, & avolantes à Schola adolescentes retinere non possit. Si enim non multum repugnet, positionem nostram evertit. Fingimus autem præceptorem adhuc illum manere. Homini igitur præceptori fatale est invidia laborare, quæ maxima omnium perturbationum & materiæ addictissima est. Ac nullum quidem in civitate sapientem esse deprecabitur. Sin aliquis fuerit, eius famæ obtrectabit, ut solus suspiciatur.

Sedebitque tanquam vas ad usque labra sapientiæ plenum, quod nihil amplius capere possit. Nec sanè boni cujusquam capax est, cùm furiosus, atque invidiosus sit. Qui ergo infelicior ulli exitus esse potest, quàm ei cui meliori esse non licet?

At Socrates Prodico sese præbuerat, ut si qua posset in re juvaretur, & Hippiæ aliquid dicere permittebat, & ad Protagoram accedebat, atque eiusmodi Sophistarum generi ditissimos adolescentes conciliabat. Neque enim sapientem se esse Socrates arbitrabatur, Sapiens enim erat, ipsique adolescentes, si animum advertissent, facile cognovissent qualisnam & docens Protagoras, & discens Socrates esset; sed vel Glauco, sed vel Critias, par cum pari colloquebantur, neque Simon ipse credo quidquam Socrati concedebat, sed cujuslibet sermonis rationem exigebat. Clitophon vero in Lysiæ Sophistæ auditorio ei convitiatus est, ac Thrasymachi consortium anteposuit: Socrates autem nulla ad hæc indignatione percitus est, idque perperam Clitophon existimabat: ei enim vel unus Phædrus occurrens instar omnium erat: Phædrumque extra urbem præeuntem Socrates sequebatur, & importuna oratione patienter audita, aliam orationem in Phædri gratiam ex adverso opposuit. Usque adeo facilis erat, nec se apud homines gloriosè venditabat.

Nam quòd ad Xanthippam attinet, proh contemptum! ut Socrate utebatur! Nihil tamen eorum impediebat quominus ille in eo contemptu lætissime degeret: Neque me igitur, neque alium quemquam hominum, qui sese variæ huic belluæ, hoc est gloriæ, non submiserit: sed sibi ipsi, Deoque placet, cum hominibus vero humaniter conversari & vult & novit. *Oratione de Dione.*

¶ Oratorum Graecorum.

Dio Prusæus: Videmini mihi frequenter divinos audivisse homines, qui se omnia nosse putant, deque omnibus dicere posse quatenus quis præfinit quæ sunt postulata, & aliquam habent in rerum natura essentiam, deque hominibus & Geniis, deque dijs & terra & cœlo, & mari, & de sole, & luna & aliis astris, & de universo mundo, & de corruptione & generatione, & sexcentis aliis. Deinde accedentes ad vos percunctantur, quid nam ipsos dicere velitis, & qua de re, juxta Pindarum, an Ismenum, aut aurata colo Meliam, aut Cadmum. Quicquid verò vos volueritis, inde auspicantes, densum & multum effundunt sermonem, tanquam quoddam exundans intra viscera conclusum. Quibus vos auditis, neque singula examinare, atque credere nolle homini sapienti, viciosum putatis, & irritum. Quinetiam alioqui robore & velocitate sermonum elevamini, & planè gaudetis iis qui magnam accumulant, idque absque respiratione verborum, copiam: similiter affecti estis illis, qui equos è carceribus vident currere, nullam nempe percipientes utilitatem: admiramini tamen, atque beatam pronunciatis illam esse facultatem: tametsi videre liceat, quod equis frequenter non domini ipsi utantur, sed vile mancipium.

Talis igitur auditio quum speculatio quædam sit & pompa, simile quiddam habet cum ostentationibus quorundam medicorum, qui se in medio collocantes, artuum commissuras, & ossium compositiones, & huiusmodi alia recitant, porosque & spiritus & colationes. Vulgus autem hianti auscultat ore, magisque quam pueri movetur. Verus autem medicus non est talis: neque ita disserit unquam revera ope indigentibus sed præcipit quid sit faciendum, edere & bibere volentem prohibet, & accipiens resecat quod corpori inutile factum est. Quemadmodum igitur, si ægroti conveniant, cumque medico velint lascivire, & libertus compotare, non illis res ex animi sententia eveniret, sed fortassis indignarentur quod eum suscepissent: ita mihi plurimi videntur esse affecti, convenientes ad talem virum, & dicere jubentes, quum videlicet nunquam veritatis sermonem gustaverunt, deinde jucundum quid & blandum audire expectant. *Oratione 33.*

Alcinous: Hactenus cujusmodi sit philosophus dictum fuit: à quo differt sophista. Primo quidem moribus, quod mercede doceat juvenes, & videri magis quam esse bonus honestusque velit. Materia autem, quod circa illa quæ semper eadem sunt, & eodem modo se habent, versetur philosophus: sophista in eo quod non est: atque ita tenebras, ne appareat qualis sit, sectetur. Illi nanque quod est, id quod non est, haudquaquam opponitur? Siquidem hoc nec existit, nec substantiæ ullius est particeps, nec etiam intelligi potest. Quod quidem si quis vel voce exprimere, vel cogitatione complecti conabitur, aberrabit: quia contraria & pugnantia complectitur. Est autem id quod non est, quatenus auditur, non nuda ejus quod est negatio, sed quod aliquid ad alterum relatum subindicat: quod enti quodam modo adjungitur. Ut nisi simul aliquid ab ente quodam modo assumserit, ab aliis distingui non possit. Nunc autem quot sunt, quæ sunt, totidem modis quod non est, profertur. Quoniam quod non est quoddam ens, id est non ens. *fine libri de doctrina Platonica.*

Libanius: Lacedæmonios quidem optimè publica administrare censes, Anyte, quod ibi sophista natus non sit. *Declamat. 29.*

Themistius: Neque verò sordidus ac munerum appetens tibi homo relinquendus est, nec lucri cupidus, & avarus: alioqui omnes animi cupiditates à doctrinis eo confluent, veluti fluvius in planum ac depressi locum: sed quæcumque justè à parentibus acceperint, horum curam, administrationemque suscipere eos oportet, quæ ad Philosophiæ ministerium possident. Verum ipsos per se quærere opes minimè convenit, neque in promptu positas illas, atque è foro scaturientes in ædes admittere. Natura enim earum, quæ profluunt inde fontes puros, ac justos esse non patitur, utpote quæ ligonibus, & bidentibus effosæ non sint, sed ex tenebrosis quibusdam, & pestiferis meatibus, per caliginem; ac cuniculos collectæ fuerint. Hanc nos legē si diligenter servemus, non illis permittemus, qui sese philosophari simulant, velitium redemptores sint, aut ut Musæa claudentes circum tribunal volutentur, verberibus ac conviciis cum Oratoribus simul, ac militibus altercantes: neq; ut ea sustineant, quot & quanta sustinent ij, qui ad ejusmodi negotia procuranda noctu excitantur, diesque in forensibus caus. consumunt, ac nonnunquam de mercede stipulantur in posterum danda, cum illi ipsi, quibus operam suam locant, pacificè inter se composuerint. Tantum abest ut ex ipsismet Musæis judiciaria iisdem fora facere permittamus, & in Musarum adytis juri dicundo Prætorium instituere, ac litigantes cum discipulis miscere. Adeo ut ne Persicæ quidem legis illos pigeat; quæ à forensi tumultu, ac strepitu liberales exercitationes sejunxit. Sed neque per nos licebit ædes excitare, ad quas neque ferrarios fabros, neque lignarios, nec Architectos conduxerint.

Cuncta sed absq; satu & duro nascuntur aratro,
Aes, aurumq; simul, ferriq; operosa metalla.

Neque fame opifices enecare, aut pictores in vincula compingere, pro eo quod gratis illinere pigmenta nolunt. Nihiloque magis sinemus eos, postquam dono agrum ab quopiam acceperint, de militib. cum eo, unde datus sit, contendere, neque ex Cyatho amphoram facere, aliquid semper de proximo corradētes, Quemadmodum olim ferunt Carthaginenses, cum tantumdem spatij, quantum bubulo corio occupari posset, ab Afris impetrassent, præfecto in exiguum lorum corio muciplicatam donationem usurpasse. Et hodieq; Carthaginenses Byrsam, id est Corium locum illum appellant, exiguitate nominis ad loci magnitudinem alludentes. Si enim (Amici) his similia Philosophus serio amet: si pro gleba una vicinos divexet, quando nam universam terram respiciet? quando nam totum orbem contemplabitur? quando nam una cum mari exiguum esse arbitrabitur? is inquam, qui pro tribus, quatuorve jugeribus ingentibus molestiis alios afficit. Nam omnis illa ignavia angusti, & illiberalis animi est, nimisque corporis ostreum illud magni facientis. His adijce ea de quibus tanquam scitis, ac vafris, & callidis gloriari solent, velut pluris liceri cæteris, ac majori pretio emere, moxque integra summa fraudare: auctionantes inexplicabilibus laqueis implicare, ut ne reliquum dependat. Quod si adeo sordido, & avaro homini discipulorum copia contigerit, quos paucis crinibus, velut pisces, inescaverit, erunt illi quidem piscibus elinguiores mercedem nihilominus taciturnitatis hujus Præceptor exiget, iracunde fremens, & identidem Ægidum quatiens, stateras in hanc, & illam partem sæpius vertens, idque diligenter explorans, sintne adulterini: atque injusti ponderis. Nonnunquam & infelices pueros pax illis alligans, qui præ inopia, & ornitate mercedem solvere nequeant. Inde ab loro discedens ita disputabit, Aurum omne, quod intra terram, supraque terram est non esse cum una virtute comparandum. Nam quid tandem divitiæ sunt? Terrena scilicet res, & caduca. Atque hæc jactabit in eorum forte adolescentum præsentia, quos in tormentis crudeliter distorserit, propterea quod nummo sordidum aliquid inerat. Nec illud intelliget: orationem quæ moribus consentanea non sit alienam esse, nec dicentis propriam. *Oratione prima, cui titulus Basanistes, id est, Explorator.*

Themistius: Plato sophistam primùm Adolescentulorum divitum mercenarium illum captatorem facit. Secundo disciplinarum animi atque artium mercaturam exercentem. Tertio earundem ipsarum rerum institorem. Quarto sordidum opificem, ac per sese rerum suarum venditorem, Quinto concertatorem in dicendo, ac contendendi arte præditum. Denique, quem postremum velut Colophonem orationi imposuit, atque illigavit, circa id quod non est opinatorem, ac per Phantasmata atque imagines imitatorem, simulacrorum veritatis artificem, & in dicendo præstigiatorem. Omnem enim istam verborum nominumque seriem egregio illi Sophistæ tribuit, si qua forte ratione multiplicem ac variam eius figuram, quoad liceret, exprimere ac declarare posset. Esto sane. Nunc igitur unoquoque illorum ab eo quod primum est prolato, videamus ecquid mihi accommodari queat, quodque velut manifestum progressionis, atque itineris nostri vestigium deprehendatis.

Omnium primo nullum à me locupletem Adolescentem captatum, neque docendi, aut consuetudinis meæ mercedem flagitatam, probè omnes meministis, Nostis enim Discipulos meos, quam non adeo pueri sint, facile ut imponi sibi patiantur, neque ita stupidi, ut pro eo quod illusi fuerunt pretium alteri persolvant. Neque tamen eo nomine magnopere mihi placeo, nec amplum quiddam aut magnificum puto, nunquam me mercenarium exstitisse. Etenim si pecuniis aut ad sumptus necessarios adjumento cujuspiam opus haberem, nihil quidem de mercede stipulari aut cavere syngrapha voluissem; verum Critonem mihi aliquem conciliare non dubitassem, atque eiusmodi penu procurare quale Sophronisci filio à Critone parabatur, qui cavo fictili, demensum quotidianum imponebat.

Sed neque ea re indigeo, cui abunde ab re domestica præsidij ad vitam est, & illa merces sufficit, quam mihi discipuli mei conferunt: Modestiam intelligo, verecundiam, atque temperantiam

Adde hoc insuper quod moderatione animi præditi, nec inepti, nec quibuscum versantur fastidio sunt, nec stolidi, nec in grati, nec susdeque effutiant, nec uno se libro insolenter jactitent quem in tenebris vellicantes plus temporis, quam in Troiæ eversione Græci, collocarint: nec ullus me tanquam assecla comitatur, nec Pallio adhærens simul vagatur: qualem ex arte sua fructum Sophistæ sæpius reportant, tantumque abest ut ex grege meo compendij aliquid faciam, ut istud ne ij quidem qui me Sophistam appellant exprobrare unquam ausi sint: sed contrario magnis impendiis, largitione frumenti, ac numerata pecunia ita à me pellici, ac contineri gregem dictitent? Ex quo ut videtur, alia quadam ratione mercenarius captator illorum sententia sim, non quod mercedem vilem capiam, sed quod insuper aliquid dependam.

At ego quod ad illam calumniam, sive potius laudem ac prædicationem attinet, (Auditores) sic habeo. Omnino in egentes discipulos erogare aliquid ac sumptus de suo facere, multo mihi liberalius, ac magnificentius videri, quam torquere, distendere, ac præfocare ut quam nequeant mercedem, præstare cogantur: sed neque illud per sese, neque hoc esse laudabile: Quin potius hoc quidem nunquam virtutis indicium esse posse, sed sordidæ atque avaræ mentis, planeque Sophisticæ, ac mercenariæ, sive pro Demosthenis causis, sive pro Aristophanis fabulis, sive pro omni verborum, nominumque genere, ultra quam necesse sit manum porrigere, ac se publicis exactoribus præbere difficiliorem.

Quando & Prodicus & Protagoras Abderita, alter quidem rectam locutionis ac verborum rationem mercede adolescentibus explicans, alter Simonidis aliorumque scripta Poetarum enarrans, Sophistæ nihilominus & erant, & esse dicebantur. Quippe cuiusque disciplinę nomine ab adolescentibus & locupletibus pecuniam auferre, idem atque esse Sophistam videri, ratio illa aperte testatur, quæ primo loco à Platone inter eas notas posita est, quas ad huius rei cognitionem distinxit.

Ab ea appellatione neque Iccum Tarentinum Palæstritem, nec Herodicum Sylembrianum Pædorribam excipiendos putat, sed utramque per speciem ostendere artes suas dicit, re quidem verá oppido Sophistas esse, quod ab adolescentulis pecunias, acciperent. Et forsitan neque illum, qui se Aristotelis simularent interpretem, omitteret, nec dubitaret, si pro eo munere mercedem caperet, manus iniicere, ac cum eo quasi eidem obnoxio crimini contendere. Etsi enim ampla sit eius professionis dignitas, veramque sapientiam habeat, non tamen abiicere illam convenit, aut argento æstimabilem facere. Sed, uti ego dico, quamcumque ob disciplinam, sive præstantiorem, sive viliorem ab adolescentibus mercedem postulare; si Platonis rationem sequi velimus, sophistæ proprium esse statuemus. Quisquis porro manum ad largiendum porrigit, & indigentium necessitati consulit, is si dum meliorem animum facere studet, una & corpori opituletur, perfectè demum cumulateque servatoris, ac beneficii partes explesse putandus est: sin carunculæ duntaxat rationem habeat, menti insidias paret, Sophista quidem, & arrogans erit, sed eo nihilominus tolerabilior, qui utramque in partem invadit.

Nunc ergo quod in me est quale sit inspiciendum. Ac primum illud sane demus ipsis, à me discipulos multis esse pecuniis conductos ac comparatos quorum alij Mina alij duabus, alij etiam Talento constent. Quid igitur? Necesse mihi est hoc loco nonnihil præter naturam meam de me ipso audacius prædicare. Quemquamne recordamini; qui mea consuetudine usus (neque vero eum dico qui aliquanto tempore in scholam meam semiinsanus irruperit, atque in subselliis oscitabundus consederit, quem velut rabidum canem ne sublato quidem fuste posses extrudere; non enim ille in disciplinam se meam tradidit, nec tam mecum, quam cum subselliis meis ac exhedra versatus est, sed eos dico, quos pro meis agnosco, magnique facio.) Ecquem igitur recordamini qui mea consuetudine usus perversior sit factus, atque meliore deterior? Qui benignus antea, ac tractabilis cum esset, nunc arrogantia ac væcordia plenus sit: Quicum olim omnibus probatus atque acceptus fuerit, nunc odio omnibus, atque fastidio sit. Quem vero ex meo grege magnificè de sublimioribus rebus disserere audistis, aut se pro eo quod Sinonyma, atque Homonyma, & Paronyma intelligeret, insolentius efferre? An illi quidem natura moderati sunt, sed ego ingentibus eos spiritibus, ac vanitate compleo, id ipsum contestans, & mortales omnes sponsione provocans, melius illos Aristotelem intelligere? ex quo id eveniat, ut me majori benevolentia, atque observatione prosequantur; domumque meam abunde auro argentoque cumulent, cum interim plerisque nihil hoc requirentibus importuni sint, ac molesti.

Atqui possum ego multa de iis quamlibet egregia prædicare, verum minimè domesticum laudis, ac præconij testem esse oportere censeo. Neque enim Athletam eum coronari omnium existimatione video, quem Magister ludi solus, aut compotores laudaverint, sed quem multi in gymnasiis sæpius cervium facile luxantem, & halteras portantem viderint. Quare qui pecunias non modo non exigit, verum de suis etiam ultro largitur virtutem insuper riis qui secum versentur communicat, longe is erit à Sophistarum numero segregandus.

Alciphron: Postquam verò te nostram consuetudinem nunc arbitror refugere, recipiam illum. Et si vis, hunc magistrum osorem mulierum ostendam tibi noctu, ut negare non possit consuetas voluptates. Hæc nugæ sunt & fastus, & mercedis ab adolescentibus emunctio, ô demens! num putas aliquid à scorto differre sophistam? Hoc fortasse, quòd non iisdem utrique persuadent. Nam finis unus est utrisque propositus, accipere. Quantò verò meliores nos & pientiores? Non dicimus non esse Deos: sed credimus jurantibus amasiis, quòd amore nos prosequantur, neque volumus ut cum sororibus & matribus viri rem habeant, sed ne cum alienis quidem fœminis: nisi fortè quoniam nubes unde existant, & atoma qualia sint, ignoramus, ob eam causam sophistis deteriores esse videmur. Et ipsa cum his versata sum, & cum multis disserui: ille verò aliis se Tyrannidibus admiscens, somniat, & motus in Republica concitat: sed manè sorbens, & inebriatus ad horam tertiam aut quartam quiescit. Nos verò non peius adolescentes instituimus. Etenim contende si vis inter se scortum Aspasiam & Socratem sapientiæ doctorem, & uter suos meliùs erudierit considera. Illius enim videbis discipulum Periclem. Hujus Critiam. *Thais Euthydemo: Epist.34.*

§ POETARUM.

Aristophanes Nubibus v. 1309.

Non est ut hodie non malam rem sibi
Apparet senex, qui hunc sophistam
Protulit. nam ex quo vafra orsa
Cœpit usurpare, malum sibi
Accerset; & mox reperiet puto
Quod ante quærebat:
Vt gnatum haberet callidum,
Qui legibus contraria dicere posset,
Et vincere universos
Cum quibus conversetur.
Quamlibet prava dicat.
Erit jam, erit cùm filium
Optabit esse mutum.

§ EMBLEMATUM.

Batillius LXV.

In Sophistas Theologos.

Adverso ut pressus Lernæus ab Hercule Cancer,
Nec quicquam movit callidus artis opem;
Sic trepidum nuper, frustra retroque ferentem
Aversos passus (quá celer arte valet)
Sic a te frustra conantem multa Sophistam
Vidimus oppressum, maxime Seba, rapi.

Camerarius LXXIII. Cent.4.

Pellit mendacia verum.

Lumine perculsæ cessant maledicere ranæ,
Et victus veri luce Sophista tacet.

In Sophistas. Embl. LXIV.

Ingenti studio componit Aranea telam,
Et tamen à cunctis spernitur illud opus.
Sic magnas magno promis molimine nugas
Dum vigilas studijs vane Sophista tuis.

Flor. Schonhovius.

§ APOPHTHEGM. SACR.

Alphonsus rex: Sermonem habuit coram Alphonso rege in Cœna Domini Antonius quidam Siculus, Dominicanus. Eo facto gloriabundus sese regi obtulit, & quasi parum de pulpito gannivisset, novas de Sacramento altaris quæstiunculas introduxit. Cui Rex, Obsecro, inquit, Rabbi, vas aureum aperuit quispiam, in quo ante mensem Eucharistiam condiderat: nihil ibi præter vermiculum reperit. Ex auro quod purissimum mundissimumque fuit, & undique clausum, non potuit vermis nasci, neque ex accidentibus quæ illic absque subjecto aderant. Ergo ex Christi corpore productus vermis. At ex substantia Dei quid aliud quàm Deus prodeat? Vermis igitur Deus? Quid tu ad hæc? Obticuit monachus. Nos qui eramus in corona, Theologicas ab rege scholas haud frustra visitatas fuisse cognovimus, inquit *Aeneas Sylvius lib.1. Commentar. in Panormitan.*

Ludovicus XII. Galliarum Rex. Vnus è sodalitio Franciscano, magni nominis, coram eo concionans, argutissimis disputationibus concionem clauserat, dum in dubium revocat, si Dei Opt. Max. specie dæmon viro integræ vitæ appareat, isque se coli jubeat, si is pro Deo dæmonem habens coluerit, an is in sacrosanctæ persuasionis violatæ crimen inciderit? Eo audito Rex, qui magis deliraret vidisse se neminem aiebat. Proinde futurum uti posthac sacris concionibus abstineat, nisi concionatores lites eas inter se bona fide ponant. *Arnold. Ferron. de reb. gestis Francorum, lib.3.*

§ Mo-

¶ Monosticha Trochaica.

Arrogans omnis sophista, & arrogans qui eum audijt.
Cui juveni placuit sophista; displicuit sane viro,
Discipulo sophista multo clausum utrinq; habet latus.
Institrix rerum sacrarum sordida est sophista.
Is satisfacit Sophistis luculenter, qui tacet.
Magna de parvis Sophista, parva de magnis facit.
Nullus est hodie sophista; quilibet se fert Sophum.
Venator feras, Sophista dites juvenes implicat.
Vt scortum, Sophista plenas semper aspicit manus.

¶ Jambica.

Esto sophista, scire si vis omnia.
Haud quippiam sophisticâ ambitiosius.
Nil scit Sophista, artes tamen omnes perdocet
Odi Sophistam qui sibi ipse non sapit.
Sapientia omnis hostis est Sophistices.

Sortis.

¶ Sententiæ Patrum.

D*ivus Chrysostomus:* Sors est casus, non liberi arbitrij & electionis, nec virtutis: adhæret enim ignorationis & fortuito casui; & sæpe ijs demissis qui sunt virtute præditi eos in medium producit qui indigni sunt quorum ulla habeatur ratio. *Homilia 2. cap. 1. ad Ephesios.*

Egesippus: Ne per gratiam donaretur summi nominis prærogativa, sortitò creari principē Sacerdotum expetunt, in quo nihil gratiæ, sed divino judicio committi sortis eventus æstimaretur. *&c. mox:* Tunc Phanis quidam incanus vir, cui nō modò per principes Sacerdotum ducta successio nulla suppeditaret, sed ne ulla quidem scientia muneris sacerdotalis, eò quod ruri vacaret; & ideo quod esset princeps sacerdotum incognitum habebat. deinque attracto ex agris & reluctanti, quasi in scenat aliena persona imponitur: induitur quoque sacrarum veteri more amictu vestium. docetur in tempore quid eum facere oporteret. Ita sortis eventu exposita est nequitia seditiosorum, ut ad imperitum & agrestem tanti sacerdotii functio deduceretur. *cap. 6. lib. 4. de excid. Hieros.*

Philostratus: Nos Indi, qui Ægyptiorum in sacerdotibus eligendis consuetudinem audivimus, & Græcorum etiam judices, quos decem ludis Olympicis præficitis nequaquam laudamus, nec legem quæ in illis viris eligendis servatur. Sorti namque electionem committunt, quæ prudentiæ nihil habet; ita ut possit etiam pessimus quisque sorte eligi. Quod si ex optimatibus, aut per suffragia talium virorum fiat electio, nequaquam similis error incidere potest. &c. *lib. 3. Apollonij cap. 9.*

¶ Apologorum.

Babrias Χελώνη καὶ Αετὸς. Fab. 93.

Νωθρὴ Χελώνη σὺν πτεροῖς ᾔτει δρόμον
Ὑψοῦ δὲ ταύτην Αἰετὸς συναρπάσας
Ἔρριψε πέτραις καὶ θλάσας μόλις δ' ἔφη
Κρεῖσσον βάρος μοι μᾶλλον, ἢ πτερῶν τάχος.

Επιμύθιον.

Τοῦ ἀδυνατοῦ μὴ ἐρᾶν, τῷ δυνατῷ ὀρέγεσθαι.

Testudo & Aquila.

Tarda Testudo cum avibus cupiebat cursum.
Altè vero ipsam Aquila corripiens
Dejecit in saxa, & quassans. Vix vero dixit,
Melior gravitas mihi, quam avium velocitas.

¶ Adfabulatio.

Impossibile non amare possibile cupere.

Camelus & Iupiter.

Contentum proprijs sapientem vivere rebus,
Nec cupere alterius, nostra fabella monet.
Indignata cito ne stet fortuna recursu,
Atq; eadem minuat, quæ dedit ante, rota.
Corporis immensi fertur pecus isse per auras,
Et magnis precibus sollicitasse Iovem:
Turpe nimis cunctis irridendumq; videri,
Insignes geminis cornibus ire boves.
Et solum nulla munitum parte camelum.
Objectum cunctis, expositumq; feris.
Iupiter adridens, postquam sperata negavit,
Insuper & magnæ sustulit auris onus.
Vive minor merito, cui sors non sufficit, inquit,
Et tua perpetuam livide damna geme.

De Asino, Simia, & Talpa. Fab. 18.

Conquerenti asino, quòd cornibus careret. Simiæ vero, quòd cauda deesset. Tacete, inquit talpa, quum me oculis captam esse videatis.

Hæc fabula ad eos pertinet, qui non sunt sua sorte contenti, qui si aliorum infortunia considerarent, æquiori animo tolerarent sua. Laur. Abstemius.

De Testudine & Ranis. Fab. 34.

Testudo conspicata ranas, quæ in eodem stagno pascebantur, adeò leves, agilesque, ut facilè quolibet prosilirent, & longissimè saltarent, naturam accusabat, quòd se tardum animal, & maximo impeditum onere, procreasset, ut neque facile se movere posset, & magna assidue mole premeretur. At ubi vidit ranas anguillarum escam fieri, & cujuscunque vel levissimo ictui obnoxias, aliquantulum recreata dicebat: Quanto melius est onus, quo ad omnes ictus munita sum, ferre, quàm tot mortis subire discrimina.

Hæc fabula indicat, ne ægrè feramus dona naturæ, quæ majori nobis commodo sæpe sunt, quam nos intelligere valeamus. Laur. Abstemius.

De Cera duritiam appetente. Fab. 54.

Cera ingemiscebat se mollem, & cuicunque levissimo ictui penetrabilem procreatam. Vides autem lateres ex luto multo se molliori factos in tantam duritiam ignis calore pervenisse, ut multa perdurarent secula, se jecit in ignem, ut eandem duritiam consequeretur. Sed statim igne liquefacta, consumpta est.

Hac admonemur fabula, ne appetamus, quod est nobis natura denegatum. Laur. Abstemius.

De Agricola militiam & mercaturam affectante. Fab. 55.

Agricola quidam ægrè ferebat se assiduè terram voluere, nec perpetuis laboribus ad magnas divitias pervenire, cùm nonnullos videret milites, qui actis præliis, ita rem auxerant, ut bene induti incederent, & laudis epulis nutriri, beatam agerent vitam. Venditis igitur ovibus, capris, ac bobus, equos emit & arma, & in militiam profectus est. Vbi quum ab imperatore suo malè pugnatum esset, non solum quæ habebat perdidit, sed etiam pluribus vulneribus affectus est. Quare damnata militia, mercaturam exercere statuit, ut ubi majus lucrum, & minorem laborem æstimabat. Prædiis igitur venditis, cùm navem mercibus implevisset, navigare cœperat, sed quum in alto esset, tempestate subitò coorta navis submersa est, & ipse cum cæteris qui in ea erant, àd unum omnes periêre.

Hæc fabula monet, quemlibet debere sua sorte esse contendum, cum ubiq; sit parata miseria. Abstemius.

De Lupo pisce fluvij, maris regnum affectante. Fab. 82.

Lupus piscis erat in amne quodam, qui pulchritudine, magnitudine, ac robore, cæteros ejusdem fluminis pisces excedebat. Vnde cuncti eum admirabantur, & tanquam regem præcipuo prosequebantur honore. Quare in superbiam elatus, majorem principatum cœpit appetere. Relicto igitur amne, in quo multos annos regnaverat, ingressus est mare, ut ejus regnum sibi vendicaret. Sed offendens delphinum miræ magnitudinis, qui in illo regnabat, ita ab illo insectatus est, ut aufugiens vix amnis ostium ingrederetur, unde amplius non est ausus exire.

Hæc fabula nos admonet, ut rebus nostris contenti, ea non appetamus, quæ nostris viribus sunt longè majora. Abstemius.

De Lepore calliditatem, & Vulpe celeritatem à Iove petentibus. Fab. 87.

Lepus & vulpes à Iove petebant: hæc ut calliditati suæ pedum celeritatem: ille ut velocitati suæ calliditatem adjungeret, quibus Iupiter ita respondit: Ab origine mundi è sinu nostro liberalissimo singulis animantibus sua munera sumus elargiti. Vni autem omnia dedisse, aliorum fuisset injuria.

Hac innuit fabula, Deum singulis sua munera ita esse æquali lance largitum, ut quisq; esse debeat sua sorte contentus. Abstemius.

De Testudine ab Aquila in altum sublata. Fab. 108.

Testudo ægre ferens se in locis humidis, & convallibus assiduè commorari, Aquilam rogavit, quam audiverat ita alte volare, ut maximos terrarum tractus posset longe & late despicere, ut se in altum tolleret, unde ipsa quoque montes & valles, campos & æquora eodem temporis momento, posset intueri. Quod quum aquila promptè fecisset, eam ex alto demisit, unde cadens humi illisa & confracta est.

Fabula monet, ne quis se altius extollere velit, quàm ejus conditio aut natura patiatur. Abstemius.

¶ Emblematis.

Camerarius XXXIX. Centur. 1.

Sesustinet ipsa Ὀρθάμπελος.
Vitis recta suo per se fulcimine nixa
Pingit eum, sua sors cui satis est, animum.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Alterius cui placet sors, nimirum est odio sua.
An quis est, contentus esse sorte qui velit sua?
Divûm atq; hominum sors spectatrix atq; hera eadem est hominibus.
Nemo vel capit, vel æqua mente fert sortem suam.
Nemo vivit qui acquiescat sortis indoli suæ.
Neminem sortis suæmet sæpius non pœnitet.
Nondum adhuc profectò cuiquam sors homini fecit satis.
Nullus est in orbe sorte qui contentus sit suâ.
Sæpe multa magnaq; unum sors concludit in diem.
Sorte quis sua contentus alteri non invidet?

§ JAMBICA.

Aratrum equus præoptat, bos ephippium.
Extrema sortis execror: media aucupor.
Ita plerîq; ingeniosumus: nostri nosmet pœnitet.
Nulla est ibi ratio, est ubi sortitio.
Quam quisq; Spartam nactus, hanc ornet probè.
Quod sors boni dedit, boni quoq; consulas.
Sors destinata ne quidem effugitur Deo.
Sorti acquiesce cuique quam donat Deus.

Videantur plura titulo, *Electio vitæ*, *Mediocritas*, *Modestia*, *Morositas*, *Ambitio*, *Cognitio sui*.

Spectaculorum.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D*ivus Chrysostomus*: Si cùm athleta vicit, non præco ipsum quidam ex inferiore loco, sed rex ipse è superiore assurgens victoris laudes prædicaret; an non hoc ille coronis ipsis illustrius honorificentiusque sibi esse duceret, omniumque spectatorum oculos ad se converteret? *Homilia 3. ad Corinthios 2.*

D. Chrysostomus: Nunc pro aurigis etiam vestros filios dederitis, & pro saltatoribus etiam vestras profuderitis animas: pro Christo autem esuriente ne minimam quidem vestrarum facultatum partem dederitis: sed si parum dederitis pecuniæ, perinde ac si totam exsolvissetis, ita affecti estis: nescientes quod non dedisse, sed largè dedisse hoc est maximè eleemosyna. *Homilia 21. ad Corinthios. 1.*

Basilius Seleuc: Et his omnibus præmium de frondibus, dedecoris argumentum, donum ridicularium & fallacia est appellationis. corona cætera infructuosa pro fructu pœnas profert; ac totus ille conflictus propter umbram foliorum suscitatur. *Orat. 27. m.*

Basilius Seleuc: Civitas, quæ prius concordia erat insignita, in sententias secum pugnantes scinditur. Hospites his odio sunt, & illis hærent in amore, & rursus ultro citroque invicem reciprocantur ordines, nec usquam pax ulla reliqua. Ab omnibus sine intermissione bellum in omnes consurgit. Nam libidine armati hospites qui prius amici fuerant, ut inimicos intuentur, quosque fratres antè appellitabant, ut hostes exsecrantur. Animi quoque seditiosi inter se bello & pugna vitæ tempus absumunt, veluti nocturna in pugna armis in se mutuo sæviunt. Quies, inquit, in mundo: pacis erat appellatio, & hostiliter agebatur. Non juvenis senem reveretur, neque senex, quos gestat, canos erubescens, cum juvenibus confligit. Nullius dignitate spectantes commoventur. Pauper ob egestatem animo non contrahitur. *Oratione 27. medio.*

§ LATINORUM.

Orosius: Anno ab urbe Roma condita DC. Censores theatrum lapideum in urbe construi censuerunt: quod ne tunc fieri Scipio Nasica gravissima oratione obstitit; dicens inimicissimum hoc fore bellatori populo ad nutriendam desidiam, lasciviæque commentum: adeoque movit Senatum, ut non solum vendi omnia theatro comparato jusserit, sed etiam subsellia ludis poni vetuerit. *cap. 21. lib. 4. adversus Paganos.*

S. *Salvianus*: Nihil ferme est criminum vel flagitiorum, quod in spectaculis non fit: ubi summum deliciarum genus est, mori homines, aut quod est morte gravius acerbiusque lacerari, expleri ferarum alvos humanis carnibus, comedi homines cum circumstantium lætitia, conspicientium voluptate. hoc est non minus penè hominum aspectibus quàm bestiarum dentibus devorari. Atq; ut hoc fiat, orbis impendium est. magna enim cura id agitur & elaboratur: adeuntur etiam loca abdita, lustrantur invii saltus, peragrantur silvæ inexplicabiles, conscenduntur nubiferæ alpes, penetrantur niviferæ valles: & ut devorari possint à feris viscera hominum, non licet naturam rerum aliquid habere secretum. Sed hæc inquis, non semper fiunt. certum est: at præclara erroris est excusatio, quia non semper fiunt: quasi verò unquam fieri debeant quæ Deum lædant: aut ideo quæ mala sunt benefiant, quia non jugiter fiant.

Nam & homicidæ homines non semper occidunt, & homicidæ tamen sunt etiam quando non occidunt, quia interdum polluntur homicidio: & latrones omnes non semper latrocinantur, sed latrones tamen non esse desinunt; quia etiam cum rebus ipsis latrocinia non agunt, animis tamen à latrocinio non recedunt. sic utique omnes hi qui spectaculis istiusmodi delectantur, etiam quando non spectant, innoxi tamen à spectaculorũ maculis mente non sunt, quia semper vellent spectare si possent. *libro sexto de gubernatione Dei.*

S. Salvianus: Tales sunt circorum & theatrorum impuritates, eas non solum dicere, sed etiam recordari aliquis sine pollutione non possit alia quippe crimina singulas sibi fermè in nobis vendicant portiones; ut cogitationes sordidæ animum, ut impudici aspectus oculos, ut auditus improbi aures: ita ut cùm ex his unum aliquid erraverit, reliqua possint carere peccatis. in theathris verò nihil horum reatu vacat: quia & concupiscentiis animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur. quę quidem omnia tam flagitiosa sunt, ut explicare ea quispiam atque eloqui salvo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat, illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obscenitates, illas motuum turpitudines, illas gestuum fæditates? quæ quanti sint criminis, vel hinc intelligi potest, quod relationem sui interdicunt. Nonnulla quippe etiam maxima scelera incolumi honestate referentis & nominari & argui possunt, ut homicidium, latrocinium, adulterium, sacrilegium, cæteraque in hunc modum. solæ theatrorũ impuritates sunt, quæ honestè non possunt vel accusari. ita nova in coarguenda harum turpitudinum probrositate res evenit arguenti; ut cùm absque dubio honestus sit qui accusare ea velit, honestate tamen integra ea loqui & accusare non possit. Alia quoque omnia mala, agentes polluunt, non videntes, vel audientes. siquidem etsi blasphemum quempiam audias, sacrilegio non pollueris, quia mente dissentis. etsi intervenias latrocinio, non inquinaris actu, quia abhorres animo. solæ spectaculorum impuritates sunt, quę unum admodum faciunt & agentium & aspicientium crimen. nam dum spectantes hæc comprobant ac libenter vident, omnes ea visu atque assensu agunt. itaque in illis imaginibus fornicationum, omnis omnino plebs animo fornicatur. & qui fortè ad spectaculum pueri venerant, de theatro adulteri revertuntur. non enim tunc tantummodò quando redeunt, sed etiam quando veniunt fornicantur. nam hoc ipso quod aliquis rem obscenam cupit; dum ad immunda properat, immunda properat &c. *lib. 6. de gubernat. Dei.*

Io. Sarisberiensis: Nero Imp. cùm esset omnium avarissimus, attamen histrionibus & mimis pecunias infinitas erogare non gravabatur; singulos prout quisque placuerat, amplissimæ dignitatis nomine subornabat, alios senatores dicens. hos illustrium spectabiliumve nominibus illustrabat. Eum verò adhuc aliqui pro parte imitantur (etsi fæditate illius nemo dignetur involvi) cùm gratiam suam histrionibus & mimis multi prostituant, & in exhibenda malacia eorum, cęca quadam & contemptibili magnificentia, non tam mirabiles quam miserabiles faciunt sumptus. Illa tamen ætas (ut sic interim dicam) honestiores habuit histriones, si tamen aliquo modo honestum est, quod omni homine libero comprobatur indignum. nec tamen histrionem assero turpiter in arte sua versari, etsi indubitanter turpe sit esse histrionem. Et quidem histriones erant, qui gestu corporis arteque verborum, & modulatione vocis, factas aut fictas historias sub aspectu publico referebant, quos apud Plautum invenis & Menandrum, & quibus ars nostri Terentii innotescit. Porrò Comicis & Tragicis abeuntibus, cùm omnia levitas occupaverit, clientes eorum, comœdi videlicet & tragœdi, exterminati sunt: sed eos in servili conditione plerunque reperies. Quis verò eorum usus extiterit, poëtica docens aperit,

Aut prodesse volunt, aut delectare poëtæ,
Aut jucunda simul & idonea dicere vitæ.

At nostra ætas prolapsa ad fabulas, & quævis inania, non modò aures & cor prostituit vanitati, sed oculorum & aurium voluptate, suam mulcet desidiam, luxuriam accendit, conquirens undique fomenta vitiorum. Nonne piger desidiam instruit, & somnos provocat instrumentorum suavitate, aut vocum modulis, hilaritate canentium aut fabulantium gratias sive quod turpius est ebrietate vel crapula. Admissa sunt ergo spectacula & infinita tyrocinia vanitatis, quibus qui omnino otiari non possunt, perniciosius occupentur. Satius enim fuerat otiari, quam turpiter occupari. Hinc mimi, salii, vel saliares, balatrones, æmiliani, gladiatores, palæstritæ, gignadii, præstigiatores, malefici quoq; multi, & tota joculatorum scæna procedit. Quorum adeò error invaluit, ut à præclaris domibus non arceantur, etiam illi qui obscænis partibus corporis, oculis omnium eam ingerunt turpitudinem, quam erubescat videre vel Cynicus. Quodque magis mirere, nec tunc ejiciuntur, quando tumultuantes inferius crebro sonitu aërem fœdant, & turpiter inclusum, turpius produnt. Nunquid tibi videtur sapiens, qui oculos, vel aures istis expandit? Quis tamen libenter non videat & rideat, cum præstigiatoris lotio perfusi ars deletur, & oculis, quos malitia sua præstrinxerat, videndi facultas reparatur? jucundum quidem est, & ab honesto non recedit, virum probum quandoque modesta hilaritate mulceri, sed ignominiosum est gravitatem hujuscemodi lascivia frequenter resolvi.

Ab istis

Ab istis quoque spectaculis, & maximè ab obscænis, honesti viri arcendus est oculus, ne incontinentia ejus, mentis quoque impudicitiam fateatur. Egregiè siquidem Sophoclem Prætorem collega Pericles arguens, ait: Decet Prætorem Sophoclem, non modò manus, sed & oculos habere continentes. Averte, inquit, homo, cui de regni majestate multa licebant, oculos meos, ne videant vanitatem: sciens utique verum esse quod alius ingemiscit; quia oculus meus deprædatus est animam meam. Veruntamen quid in singulis possit vel deceat, animus sapientis advertit, nec apologos refugit, aut narrationes, aut quæcunque spectacula, dum virtutis, aut honestæ utilitatis habeant instrumentum. Sacræ quidem communionis gratiam histrionibus, & mimis, dum in malitia perseverant, ex autoritate patrum non ambigis esse præclusam. Vnde quid fautoribus eorum immineat colligis, si facientes, & consentientes pari pœna recolis esse plectendos. Qui donant, inquit, histrionibus, quare donant? Hoc utique in illis fovent, in quo nequissimi sunt. Nempe qui nequitiam fovet, est ne bonus? *libro primo Policratici capite octavo.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Aristides Rhetor: Nec verò in pompam habitu pessimo prodimus; verùm si non habemus domi, ab aliis petimus, ut cum pulcerrimis appareamus vestibus, utensilibus, equis, & quidquid aliud pompa desiderat. *contra proditores mysteriorum.*

Aristides Rhetor: Quin & hoc consideremus, quod ne populus quidem ista spectacula, quibus eum maximè quis capi diceret, toto animo amat atque amplectitur. Quis enim non cuilibet saltatori se præferat? aut quis mimum extra scenam loquentem ferat? Ad tempus quidem titillantur, abeuntes verò mox eos derident; aut potius etiam interspectandum, ita gaudent, quasi id loco faciant. *Oratione contra proditores mysteriorum.*

Epictetus: Theatra frequentare non est necesse: sed si quando tempus tulerit, te nulli nisi tibi ipsi studere appareat: hoc est, ea dūtaxat fieri velis quæ fiunt, & eum solum vincere, qui vincit. sic enim non impedieris. Clamore autem aut arrisione, aut longiore commotione, penitus abstineto. ac post discessum, ne multum de iis quæ acciderunt disputa, cùm nihil ad tui correctionem faciant: alioqui ex eo apparebit, te spectaculum esse admiratum. *cap. 49. Enchiridij.*

Arrianus: Cùm prætor Epiri indecentius comœdo cuidam favisset, eaque de re publice convicio jactatus fuisset: idque Epicteto renuntiasset, & conviciatoribus succenseret: Et quidnam, inquit ille, mali fecerunt? Faverunt isti, ut & tu. Cum autem ille dicet, Ita ne quisquam favet? Cum te, inquit magistratum suum viderent, Cæsaris amicum & procuratorem, ita favere: an non favere & ipsi debuerunt? Nam si non ita favendum est, ne tu quidem faveto. Sin est favendum. quid illis succenses, te imitatis? Quos enim vulgus imitari præterquam vos proceres potest? Theatrum ingressi, quos intueantur præter vos? Vide, quemadmodum Cæsaris procurator spectet? Vociferatur: vociferabor & ipse. Exsilit: exiliam & ipse. Servi eius hinc atque inde sedentes vociferantur: Ego cui servi nulli sunt, pro omnibus quantum potero clamabo. Sciendum ergo tibi est cum theatrum ingrederis, te tanquam regulam ingredi, & exemplum cæterorum, quo pacto spectare debeant. Cur autem conviciati tibi sunt? Quia omnis homo id quo impeditur odit. Alium illi coronati voluerunt, alium tu. Illi te impediebant, tu illos. Tu robustior exstitisti: illi fecerunt quod potuerunt, conviciati sunt ei à quo impediebantur. Quid ergo vis? Ut tu quidem quod velis, id agas: illi autem quod volunt, ne dicere quidem audeant? Et quid miri est? Nonnæ agricolæ Jovi maledicunt, cum ab illo impediuntur? Nautæ non convitiantur? nunquid maledicere Cæsari desinunt? quid ergo? Ignorat hoc Jupiter? non renunciatur Cæsari, quid dicatur? quid ergo facit? Scit, si omnes conviciatores supplicio afficeret, se quibus imperaret non habiturum. Quid ergo? Ingredienti theatrum illud dicendum erat: Age Sophron coronetur? Non. Sed illud, age meum institutum tuear, ut in hac materia naturæ congruat: mihi meipso nemo carior est. Ridiculum igitur fuerit, ut alius comœdus vincat, me lædi. Quem igitur velim vincere? Eum qui vincit. Sic semper is vincet, quem voluero. Sed volo Sophronem coronari. Domi tuæ quot voles certamina instituito: proclamato, eum Nemea, Pythia, Isthmia, Olympia, vicisse. Publice autem, ne plus æquo tibi vendicato, neque communia surripito. Sin minus, convicia tolerato. Nam cum eadem cum vulgo facis, illi te exæquas. *cap. 4. lib. 2. Epict.*

Simplicius: Crebrò in theatris venire, non est opus; sed illud potius ne crebrò in ea venias. theatrica enim eorum vita est qui theatris vacant. Si quando autem tempus tulerit, aut ob ritum festivitatis, cui & ludorum habetur honor, aut popularis obsequij causa (invisi enim populo esse solent, qui consuetam vitæ rationem negligere videntur) aut experimenti periculique faciendi causa, quomodo superiori anno erga talia affecti fuerimus, quomodo in præsentia, aut ob aliam probabilem rationem, tempestivum fuerit prodire in theatrum; intento animo esse oportebat, & excitare animadversionem, ut apud nos simus, nec iis quæ ibi fiunt nos addicamus; sed eum vincere velimus qui vincit, & ea quæ fiunt, ita fieri ut fiunt: hoc est, ut nec appetitionem nec declinationem ad illa afferamus, ut quæ res externæ sint. Itaque vultus ea constantia esse debet, quæ nec odiosa sit, & gravitatem habeat suavitate temperatam: ut neque acclames neque assurgas victoribus, neque effusè rideas ob ridicula dicta, sed alios cum judicio laudes, alios leniter arridendo probes. Cùm autem à spectaculo discessum fuerit, ne multa de iis quæ acciderunt verba facito, cùm ad emendationem tui nihil faciant, neque enim ita erudiunt ea quæ ibi fiunt, ut aliquo numero esse debeant. Multa sanè verba de spectaculi eventis, argumentum evidens fuerint, te spectaculum illud magnificum & admirabile quiddam judicare: id quod sine plebeio affectu fieri non potest. *ad cap. Epict. 49.*

Dio Prusæus: Quum Isthmia celebrarentur, descendit Diogenes in Isthmum, ut par erat, quum versaretur Corinthi. aderat autem in illis conventibus, non eius rei quoque causa, cuius multi volentes spectare athletas, & ut impleantur: sed ut animadverteret (opinor) homines, eorumque dementiam. Norat enim, quòd se clarè ostenderent in diebus festis, ludorumque celebritatibus: in bello autem & castris magis laterent, propter discrimina, formidinemque. Et sanè existimabat hos sanabiliores esse: & morbos corporis, quum manifeste apparent, facilius à medicis curari, quàm si dissimulentur, hominesq; neglectos in talibus studiis ocyssime perire.

Propterea accedebat ad ludos. Dicebat autem mordens, quando objurgaretur ut canis, (propter sævitiam enim & mordacitatem, canem eum appellabant) canes sequi quidem ad ludos, neminem autem injuria afficere eorum qui illic sint, verùm latrare tantum, & pugnare cum sceleratis & pessimis: & cum homines inebriati obdormissent, eos à canibus vigilantibus custodiri. Ut autem conspectus est in ludorum frequentia, Corinthiorum quidem nemo illi attendit animum: quia sæpe eum viderant in civitate, & circa Cranium. Homines enim, quos frequenter vident, quosque facile & quandocunque velint, conveniri posse existimant, eos non magni faciunt. Quos autem raro sint visuri, aut nunquam viderunt, ad eos se vertunt. Unde Corinthij nullam ex Diogene utilitatem cæperunt: quemadmodum nec morbis impliciti à medico peregrinante, si eum non accesserint.

Porrò ab Ionia & Sicilia & Italia quicunque aderant, & ex Affrica quidam, & Thessalia, & à Borysthene, hi omnes volebant eum videre, magis ut aliis de eo annunciare possent, quàm ut fierent ipsi meliores, audirentque eum paulisper dicentem. Videbatur enim aptus esse ad mordendum, adque respondendum appositè interrogantibus. Quemadmodum igitur mel Ponticum inexperti gustare tentant, gustantes autem statim exspuunt, moleste ferentes eius amaritudinem atque injucunditatem: ita & Diogenis volebant experimentum capere, propter curiositatem: redarguti autem, retrocedebant, fugiebantque. Et quum alij conviciis onerarentur, lætabantur: ipsi autem timebant, atque recedebant. Et si quando mordebat ludebatque, quemadmodum solebat, supra modum gaudebant: severius autem increpantis, & seria tractantis, libertatem non sustinebant. Sicut lusitabundi infantes lætantur generosis catulis: quum autem sæviunt, latrantque severius, consternantur, & fere ob timorem moriuntur. Ita & tum faciebat turba spectatorum, non etiam ipse Diogenes, minimè advertens neque curans, sive quis ipsum laudaret ex præsentibus sive vituperaret.

Neque an quispiam ex divitibus & spectabilibus aut dux aut dynasta accedens cum ipso colloqueretur, aut aliquis ex vilissimis, pauperrimisque. sed tales quidem sustinuit, nugantes interdum: qui autem volebant esse graves, valdeque sibi placebant propter divitias, aut genus, aut aliam quandam potentiam, eos maxime usit & corripuit quovis modo. Quidam igitur illum admirabantur, ut omnium sapientissimum: nonnullis vero videbatur insanire: plurimi autem contemnebantur ut pauperem, nulliusque precii hominem. quidam etiam convitiis incessebant. Alii autem lacessere conabantur, ossa illi projicientes ad pedes, tanquam canibus: multi quoque accedentes pallio prehendebant: multi autem non sinebant, sed indignabantur. Is vero haud aliter se gerebat, quam Vlysses, quem Homerus ait procis allusisse, eosque, ac eorum simul petulantiam, atque injurias, paucos tollerasse dies.

Hic autem omni in re sui similis erat, referebatque vere regem, herumque mendici vestem habentem, atque deinde inter mancipia servosque suos deliciantes, ignorantesque quis sit, volutatum, facileque ferentem ebrios furiososque homines ob ignorantiam atque ruditatem. Attamen Isthmiorum præfecti, aliique spectabiles atque potentes, vehementer hæsitabant, contrahebanturque, si quando circa eum versarentur: omnesque hi cum silentio præteribant, eum inspicientes. Postquam autem & pinu coronatus esset, missis ad eum ministris quibusdam Corinthii, jubebant coronam deponere, nihilque facere illegitimum. Is vero percontatus est eos, quamobrem illegitimum esset se pinu coronari, alios autem ea coronari non esset illegitimum? Respondit igitur quidam ex illis: Quia non vicisti, ô Diogenes, Tum ille: Ego vero (inquit) multos & magnos antagonistas, non qualia hæc sunt mancipia quæ jam hic luctantur, & discum jaciunt, curruntque: sed longe & omni ex parte sæviores, nempe paupertatem, exilium, & contemptum: præterea & iram, & animi ægritudinem, & cupiditatem, & timorem: & inexpugnabilissimam omnium & ignavissimam bestiam,

stiam, dolosamque & mollem, voluptatem, qua cum nullus Græcorum neque barbarorum dignus est pugnare, eamque superare, animi sui imperium adeptus: verum omnes subjacent, animumq; desponderunt ad hoc certamen, Persæ & Medi, Syri & Macedones, Athenienses & Lacedæmonii, præter unum me. Vtrum ergo vobis dignus videor pinea corona, an acceptam dabitis ei qui plurimarum carnium plenus sit? Hæc igitur renunciate iis qui vos miserũt, quodque ipsi illegitime faciant. Quum enim nunquam ullius certaminis evaserint victores, circumeunt coronati. Et, quòd gloriosiora fecisset Isthmia ipse, adepta corona. Et, quòd non cum hominibus, sed capris nempe committendus esset.

Post hæc autem, quum vidisset quendam è stadio euntem cum magna multitudine, & neque terram attingentem, sed sublimem portatum à turba, quosdam vero subsequentes atque clamantes, alios autem saltantes præ gaudio, manusque tollentes in cœlum, alios quoque inijcientes illi coronas, vitrasque: cum licuit, eum accessit, quæsivitque quis nam esset tumultus circa ipsum, & quid nam accidisset? Ille autem dixit: Vicimus, ô Diogenes, virorum stadium. Hoc vero (inquit) quid nam est? Neque enim prudentior, ne paulum quidem, factus es, quòd prævertisti in stadio currentes: neque modestior nunc quàm antea, neque minus meticulosus es, neque minus doles, neque pauciorum indigebis posthac, neque alacrius vives. Non per Iovem, inquit, sed aliorum Græcorum omniũ sum velocissimus. At non leporum, inquit Diogenes, neque etiam cervorum: & quanquam hæ feræ, omnium sunt velocissimæ, tamen & timidissimæ sunt, & homines & aquilas & canes metuunt, vitamque vivunt miseram. Nescis (inquit) quod velocitas timiditatis est signum? Iisdem enim animantibus obtigit & velocissimis esse pariter, & ignavissimis. Hercules igitur quum tardior esset multis, neque posset cursu pedum tyrannos capere, ideo ferebat arcum, eoque utebatur adversus fugientes. Et ille: Atqui Achillem (inquit) quum velox esset dicit poeta animosissimum fuisse. Et quomodo scis (inquit) quod velox erat Achilles? Certe Hectorem toto die persequens, comprehendere non potuit. Non te pudet (inquit) de re gloriari, qua vilissimis bestiis inferiores? Arbitror enim te non posse vulpem cursu superare. Quantum autem prævertisti? Paululum quiddam (inquit) ô Diogenes. Hoc ipsum enim circa victoriam admirabile est. Omnes enim optimi erant cursores. Propter unum ergo gradum (inquit) felix effectus es? Cassitæ autem quanto ocyus, putas, quam vos, stadium percurrere possunt? Alatæ nempe sunt (inquit.) Proinde, (inquit Diogenes) si velocissimum quodq; optimum est, longè melius foret propè cassitam esse, quàm hominem: ut luscinias nihil opus sit miserari, neque upupas, quòd ex hominibus volucres factæ sunt, ut in fabulis dicitur. At ego (inquit) quum sim homo, hominum velocissimus sum. Quid tum? Nonne & inter formicas (inquit) verisimile est, aliam alia esse velociorem? Non eam tamen admirantur. An non videtur tibi ridiculum esse, si quis admiretur formicam propter velocitatem? Quid deinde si claudi fuissent omnes qui cururrerunt, oportuerat ne te tibi placere, quòd claudos non claudus prævenisses? Hæc autem cum homine disputans, effecit, ut multi inter præsentes rem despicerent, & ille ipse contristatus abiret, multoque submissior.

Hoc autem non modicum præbebat hominibus commodum, si quando quem videret frustra elatum, atque ob rem nullius precij, quæque nihil faceret ad prudentiam, correpto brevibus, auferebat modicum quid dementiæ: quemadmodum qui inflata & tumentia pungunt, aperiuntque. Inter hæc autem conspicatus equos in eodem loco ligatos, postea pugnantes inter se, & calcitrantes, multamque turbam circumstantem & spectantem, donec alter jam impatiens, defatigatusque, abruptis loris aufugit; accessit ille, & coronavit eum qui manserat, præconioque declaravit, ut Isthmiorum victorem, quòd recalcitrans vicisset. Super hoc risus omnium & tumultus exoriebatur: multumque mirabantur Diogenem, & deridebant Athletas. & quosdam inde recessisse ajunt, iis nunquam visis: quicunque nimirum male habitabant, atque ne hoc quidem consequi poterant. *Oratione nona.*

Iulianus in Misopog: Præceptor sæpenumero mihi admodum puero (testor Iovem & musas) dicebat, Ne sinas te à tuorum æqualium multitudine in theatra induci, neque ulla ejus spectaculi cupiditate tenearis. Circenses desideras? apud Homerum eos elegantissimè descriptos reperies, cape librum, & lege. Histriones audis saltatores? sine eos valere: fortiùs saltant juvenes apud Phæacas. Habes illic citharædum Phemium, & cãtorem Demodocum. Sunt etiam apud eundem multæ stirpes, quæ majore cum voluptate audiuntur, quam nostræ spectantur:

Sic quondam Deli sacras ad Apollinis aras,
Proceram viridi conspexi in gramine palmam.

Quid Calypsonis insula opaca arboribus? quid Circes antra? quid hortus Alcinoi? crede mihi, nihil videbis jucundius.

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Placuit agona tolli, qui mores Viennensium infecerat, ut noster hic omnium. nam Viennensium vitia intra ipsos residunt: nostra latè vagantur; utque in corporibus, sic in imperio, gravissimus est morbus qui à capite diffunditur. *fine epist. 22. libri quarti.*

Plinius: Visum est spectaculum inde non enervum nec fluxum, nec quod animos virorum molliret & frangeret; sed quod ad pulcra vulnera contemptumque mortis accenderet: cùm in servorum etiam noxiorũ corporibus amor laudis & cupido victoriæ cerneretur. *cap. 33. paneg. ad Trajanum.*

Plinius Iunior: Omne hoc tempus inter pugillares ac libellos jucundissima quiete transmisi. Circenses enim erant, quo genere spectaculi ne levissimè quidem teneor. nil novum, nil varium, nil quod non semel spectasse sufficiat. quo magis miror tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla. nunc favent panno, pannum amant: & si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc, ille huc transferatur, studium favorque transibit, & repente agitatores illos, equos illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina, relinquent. tanta gratia, tanta auctoritas in una vilissima tunica: mitto apud vulgus, quod vilius tunica est; sed apud quosdam graves homines, quos ego cùm recordor in re inani frigida, assidua, tam insatiabiliter desidere, capio aliquã voluptatem quod hac voluptate non capiar. ac per hos dies libentissimè otium meum in literis colloco, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. *lib. 9. Epistola octava.*

¶ Fabula.

De Asino & scurra. Fab. 56.

Asinus indignè ferens scurram quendam honorari, & pulchris vestibus amiciri, quia magnos ventris edebat sonos, ad magistratus accessit, petens ne se minus quàm scurram honorare vellent. Et quũ magistratus admirantes eum interrogarent, cur se ita honore dignum duceret, inquit, quia majores quam scurra crepitus ventris emitto, eosque absque fœtore.

Hæc fabula eos arguit, qui in rebus levissimis suas pecunias profundunt. Laur. Abstemius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absq; spectatore cessant lacrimæ lugentium
Absq; spectatore quisnam fleverit lugentium?
Acriter certantis auget spectantum impetum favor.
Cæcæ opes sunt advocantque spectatorum copiam.
Cæcæ opes sunt destitutæ crebris spectatoribus.
Cæcæ opes sunt obscuraq; quæ non sunt spectaculo.
Contumelia est virtuti, spectatores quærere.
Est satis spectator unus, imo sat nullus sopho est.
Luxuriam impotentiamque sanabis si absconderis.
Luxus ambitusque gaudet scenâ, ut impotentia
Naufragium spectare è terrâ non malum spectaculum est.
Ne quidem vir factæ fortis pro patriâ sua publicat.
Nemo lautus est sibi, ipsis lautus est spectantibus
Nemo lautus est suis sed oculis adspectantium.
Nemo panem nummulumque clam cui dat sed palam.
Nullius rei bonum omne est, teste si caret suo.
Qui cum contendisti, scriptor, hunc spectator sublevã.
Sat pauci, sat unus, imo sat nullus, sapientiæ.
Talis sis necesse est quales spectatores eligis.
Tolle qui spectet, benignus nemo erit, nemo pius.

¶ Jambica.

Ægrè auferas læto oculos à spectaculo.
Auferto testem, & nulla opum est felicitas.
Nemo litat mœrori spectans Pythia.
Pars magna vulgi spectat id, odit quod scelus.
Quis purpuram quam nulli ostenderet induit?
Scenam requirit regia impotentia.
Secreta in auro quisnam alibi posuit dapem?
Tollas videri, pompas tollis publicas.
Tolle arbitros, & tollis munificentiam.

Spectrorum.

¶ Sententiæ.

Plinius *Iunior:* Perquam velim scire, esse phantasmata, & habere propriam figuram numenque aliquod putes; an inania & vana, ex metu nostro imaginem accipere. Ego ut esse credam, inprimis eò ducor quod audio accidisse Curtio Rufo. tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africam comes hæserat. inclinato die spatiabatur in porticu: offertur ei mulieris figura humana grandior pulcriorque. perterrito, Africam se futurorum prænuntiam dixit. iturum enim Romam honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem provinciam reversurum, ibique moriturum. facta sunt omnia. præterea accedenti Carthaginem egredientique navem, eadem figura in littore occurrisse narratur. ipse certè implicitus morbo, futura præteritis, adversa secundis auguratus, spem salutis nullo suorum desperante projecit.

Iam illud, nonne & magis terribile & non minus mirum eſt? Erat Athenis ſpatioſa & capax domus, ſed infamis & peſtilens. per ſilentium noctis, ſonus ferri, & ſi attenderes acrius, ſtrepitus vinculorum longius primò, deinde proximo reddabatur. mox apparebat idolon, ſenex macie & ſquallore confectus promiſſa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatq;. inde inhabitantibus triſtes diræq; noctes per metum vigilabātur: vigiliā morbus, & creſcēte formidine mors ſequebatur. nā interdiu quoq; quanquā abſceſſerat imago, memoria maginis oculis inerrabat: longiórque cauſis timor timor erat. deſerta inde & damna ſolitudine domus, totaque illi monſtro relicta. proſcribebatur tamen, ſeu quis emere ſeu quis conducere, ignarus tanti mali vellet. Venit Athenas philoſophus Athenodorus, legit titulum, auditoque pretiō; quia ſuſpecta vilitas, percunctatus omnia docetur; ac nihilominus, imo tanto magis conducit. ubi cœpit adveſperaſcere, jubet ſterni ſibi in prima domus parte: poſcit pugillares, ſtylum, lumen; ſuos omnes in interiora dimittit: ipſe ad ſcribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens ſimulacra & inanes ſibi metus fingeret. initioque ubique ſilentium, deinde concuti ferrum, vincula moveri: ille non tollere oculos, non remittere ſtylum, ſed obfirmare animum, auribuſque prætendere: tum crebreſcere fragor; adventare etiam, ac jam ut in limine, jam ut intra limen audit: reſpicit, videt, agnoſcitque narratam ſibi effigiem: ſtabat innuebatque digito ſimilis vocanti. hic contra, ut paullulum expectaret manu ſignificat; rurſuſque ceris & ſtylo incumbit. illa ſcribentis capiti catenis inſonabat. reſpicit rurſus idem quod prius innuentem: nec moratus, tollit lumen & ſequitur. ibat illa lento gradu, quaſi gravis vinculis. poſtquam deflexit in aream domus, repente dilapſa, deſerit comitem. deſertus, herbas & folia concerpta ſignum locō ponit. poſtero die adit magiſtratus, monet ut illum locum effodi jubeant. inveniunt oſſa inſerta catenis & implicita, quæ corpus ævo terraque putrefactum nuda & exeſa reliquerat vinculis collecta publicè ſepeliuntur. domus poſtea ritè conditis manibus caruit. hæc affirmantibus credo. illud affirmare aliis poſſum. Eſt libertus mihi Marcus; cum hoc miror frater eodem lecto quieſcebat. is viſus eſt ſibi cernere quendam in toro reſidentem, admoventemque capiti ſuo cultros, atque etiam ex ipſo vertice amputantem capillos. ubi illuxit, ipſe circa verticem tonſus, capilli recentes repeꝛiuntur. Exiguum temporis medium, & rurſus ſimile aliud priori fidem fecit. puer in pædagogio miſtus pluribus dormiebat. venerunt per feneſtras in tunicis albis duo, cubantemque detonderunt; & quà venerant receſſerunt. hunc quoque tonſum ſparſoſque circa capillos dies oſtendit. nihil notabile ſecutum, niſi fortè quod non fui reus, futurus ſi Domitianus diutius vixiſſet. &c. *Epiſtola 27. libri ſeptimi.*

Speculi.

¶ Sententiae Romanorum.

L. *Annæus Seneca:* Inventa ſunt ſpecula, ut homo ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta, primò ſui notitia, deinde & ad quædā conſilium. formoſus, ut vitaret infamiam: deformis, ut ſciret redimendum eſſe virtutib. quidquid corpori deeſſet: juvenis ut flore ætatis admoneretur illud tempus eſſe diſcendi & fortia audiendi: ſenex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. &c. *capite ultimo lib. 1. naturalium quæſtionum.*

L. Apulejus: An turpe arbitraris, formam ſuam ſpectaculo aſſiduo explorare: An non Socrates philoſophus, ultrò etiam ſuaſiſſe fertur diſciſcipulis ſuis, crebrò ut ſemet inſpeculo contemplarentur? ubi qui eorum foret pulchritudine ſibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis amoribus dedecoraret; qui vero minus ſeſe commendabilem forma putaret, ſedulò operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret. Adeo vir omnium ſapientiſſimus, ſpeculo etiam ad diſciplinam morum utebatur. *Apologia prima.*

¶ Poetarum.

Phædrus Fab. 47. Sororis ad fratrem.

Præcepto monitus; ſæpe te conſidera.
Habebat quidam filiam turpiſſimam
Idemq; inſigni & pulchra facie filium.
His ſpeculum in cathedra matris ſuppoſitum fuit
Pueriliter ludentes, fortè inſpexerant.
Hic ſe formoſum jactat; illa iraſcitur
Nec gloriantis ſuſtinet fratris jocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam:
Ergo ad patrem decurrit læſura invicem,
Magnaq; invidia criminatur filium,
Vir natus, quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille utrumque, & carpens oſcula,
Dulcemq; in ambos caritatem partiens:
Cotidie, inquit, ſpeculo vos uti volo,
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis:
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

Nonnus libro 5. Dionyſiac.

Interdum ferrum habens reſplendens delectabatur puella
Pulcritudinis reverberatæ judicio. Spontanea verò
Tacito præcone imagini credebat ſuæ pulcritudinis,
Adulterinum umbratili corpus dijudicans ſpeculum.
Imitatricem verò renidebat ob formam. Proſerpina autem
Per ſe ſignatum ſimulacrum intuens frontis
Mendacis adulterinam faciem intuebatur Proſerpina.

¶ Monosticha Trochaica.

Corporis ſimulacra refert orbis homini argenteus.
Intuere ſpecula; teipſum quid deceat ſpeculum docet.
Qui ſpeculum ſanè intuetur, officij meminit ſui.
Quilibet lympharum in ſpeculo ſimulacrum videt ſuum.
Sordidum ſpeculum exhibere veram imaginem haud poteſt.
Vitrea quivis figuram cernit in lympha ſuam.

¶ Jambica.

Deformitatem ſpeculum nemini addidit.
Formoſitatem a ſpeculo pulcher non habet.
Inventa ſunt ſpecula ipſe homo ut ſe noſceret.
Oris figuram argenteus orbis exhibet.
Speculum repertum munditiarum gratia.

Spei.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D*ivus Nazianzenus:* Quod nullo modo percipi poteſt, id nec ſperat quiſquam, nec ad id adnititur. *initio Orationis 42.*

D. Chryſoſtomus: Nihil mentem hominis adeo virilem facit, & ad omnia audentem ut ſpes bona. *Homilia 21. ad Romanos.*

D. Ioan. Chryſoſtomus: Sicut anchora navi appenſa, non ſinit eam circumferri, etiamſi eam venti quatiant innumerabiles; ſed appenſa firmam reddit & ſtabilem; ita etiam ſpes. *Homilia 11. ad Hebræos.*

Idem paulo poſt: Non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in iis quæ ad hanc vitam pertinent, magnam ſpei vim inveneris, ut verbi cauſa, in mercatura, in agricultura, in militia, niſi quiſpiam eam ſtatim propoſuerit, ne opus quidem attigerit.

S. Iſidorus Peluſiota: Quiſquis & ſtirpes ſerit, & agrum colit, ſpe meliore ſuos labores ſuſtentat? fructum videlicet expectatione laborum moleſtiam ſuffurante. Ad eundem modum in Chriſtianæ fidei præceptis tibi tradendis à nobis elaboratum eſt. Fac igitur ipſe pullulantem agriculturam oſtendas. *lib. 1. epiſt. 483.*

S Iſidorus Peluſiota: Spes in Deum, firma turris eſt, non modò rerum gravium & acerbarum depulſionem pollicens, verùm ne præſentibus quidem illis animum perturbari ſinens. Nam qui à rebus humanis ſeſe exemit, ac ſpe cæleſti ſuſpenſum animum habet, non modò id conſequitur, ut rebus moleſtis & gravibus quamprimum liberetur: verùm ne præſentibus quidem illis in tumultu ac perturbatione verſatur, ut qui ſacræ illius anchoræ expectatione recreetur & erigatur. Hanc igitur adhibe: atque omnes moleſtias ſuperabis. *lib. 2. epiſt. 17.*

¶ Latinorum.

Zeno: Tolle ſpem, torpet humanitas tota. Tolle, ſpem, artes, virtuteſque univerſæ ceſſabunt. Tolle ſpem, & interempta ſunt omnia. Quid facit ad literatorem puer, ſi literarum non ſperat fructum? Quid ratem profundo gurgiti nauta committit, ſi ei nunquam lucrum, nunquam portus deſideratus occurrit? Quid miles, non dicam horridæ hyemis, aut torridæ æſtatis injurias, ſed ſeipſum contemnit, ſi gloriæ ſpem futuræ non gerit? Quid agricola ſemina ſpargit, ſi ſudoris ſui præmium non colligit meſſem? Quid Chriſtianus credit in Chriſtum, ſi promiſſum ſibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit eſſe venturum? *Sermone de Spe, Fide & Caritate.*

S. *Salvianus:* Omnia in rebus humanis ſpes futurorum agunt: vita quoque ipſa hæc temporaria non niſi ſpe alitur ac ſuſtinetur. ideo enim terris frumenta credimus, ut cum uſuris credita recipiamus: ideo in vineis labor maximus ponitur, quia homines ſpes vindemiæ conſolatur: ideo negotiatores theſauros ſuos emptionibus vacuant; dum venditionibus ſperant eſſe cumulandos: ideo navigantes vitam ventis & tempeſtatibus credunt, ut ſpebus votiſque potiantur. quid plura? pax quoque inter feras ac barbaras gentes ſpe innititur, & fide adſtipulante firmatur; latrones quoque ipſi & ſanguinarij fidem ſibi invicem non negant, & quæ promiſerint mutuò, ſervaturos eſſe confidunt: totum denique inter homines ſpebus agitur: ſolus Deus eſt de quo deſperatur; cùmque elementa ipſa & naturam mundi Dominus noſter fidelem fecerit, illi tantum propè ab omnibus non crederetur. *libro ſecundo contra avaritiam.*

Chrysologus: Laborans messor quod in semine non videt, videbit in messe; & quod in sulco defler, gaudebit in fructu. *Sermone 40. fine.*

S. *Chrysologus:* Spes ad futura tendit, fides ad promissa transmittit: cum res venerint, advenerint & promissa, spes desinit, fides cessat. Dulcis est epistola, sed usque dum veniat ipse qui misit: necessarium chirographum, sed usque ad debiti redditionem: grati flores, sed usque dum veniatur ad poma, sed præsentia epistolam delet, rumpit solutio cautionem, flores consumuntur à pomis: & ideo te superni patris filium, hæredem Dei, cohæredem Christi, participem regni cœlestis, confessorem divini judicis, cæli incolam, paradisi possessorem, modo designatum te fide noveris: modo spe, non renoveris te promotum. Et ideo suscipite fidem, tenete spem, dicite symbolum: ut ad rem & ad illa valeatis bona quæ prædiximus pervenire. *Sermone 62. m.*

Chrysologus: Quare tu fatigaris spe Dei, cum genus omne hominum subsistat spe, fide vivat, Agricola nunquam sereret anhelus, si fructum laboris sui de tempore non speraret: viator laborem prolixi itineris non subiret, nisi se ad destinata crederet pervenire: nauta mare non intraret incertus, si se lucris sequentibus compensaturum viarum discrimina non speraret: miles tota juventutis tempora non ageret in periculis, si senectutis honores copiosissimos non speraret: filius paternæ dominationis tempora non duraret, si se substantiæ paternæ non speraret hæredem. *Sermone 71. ante finem.*

Ennodius: Quoties vomeribus terram scribimus, animus de spe futuræ frugis elevatur. semper de herbis aristarum divitias amicus rationis intelligit. diligens rusticandi adhuc in cano flore pomorum populos jam metitur. *lib. 6. epist. 23. a. m.*

Ennodius: Nescit spes titubare, cui bonæ fructus promittitur actionis. ab exercitio descendit retributionum fiducia; nec ullo nutat incerto qui laudanda meditatur. *Dictione 4. f.*

Ennodius: Divini favoris adjumento adolescentiæ tuæ rudimenta solidentur. Ipse det successum frugibus, qui contulit ornamenta principiis. ut quod in cano flore præmisisti, in pomorum maturitate non subtrahas. Est propositi nostri prima curatio ut de incipientis laude solliciti, ad Deum vota mittamus; quatenus quod in bonæ indolis eruditione præsumptum est, de superna ope maturescat. Ille ingenij segetem perducat ad horrea, qui altricem hominum herbam exegit è cespite: ipse de terreno lacte expressam in triticum formet effigiem, cuius imbre soli facies maritata fœcundatur. *lib. 7. epist. 19 pr.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Mithridates consobrinus Regis Ponti: Cùm itaque seipsum in omnibus ille non potuerit imitari, quomodo fieri possit, ut nos alteri similes efficiamur & illorum propositum sequendo teneamus. Verùm jucundus quidam & suavis affectus est ipsa spes, non assecutione solummodò capiens, verùm etiam frustratione blandiens: qua incitor ut super omnes me tibi maximè gratificaturum existimem. *Epistolis Græcis.*

Epictetus: Quid est longissimum? Spes. Quid est spes? Vigilanti somnus, expectanti dubius eventus. *altercatione cum Hadriano.*

Epictetus: Nec navem una anchora, nec vitam una spe niti decet. Et pedibus & votis ea perambulanda sunt, quæ fieri possunt. *apud Stobæum.*

Libanius: Equidem vel ipsis insomniis, quorum vana sunt pollicita, libentissimè actionem dati damni intenderem. nam omnis spes melior, cùm effectum nacta non est, damnum censetur. Intus habere me pecunias arbitrabar; tantum non videbam; propemodum etiam numerabam; ex arca veste educta, auro locum præparabam. Deinde rogas me, qua in re læsus sim, cùm ea non habeam quæ me tenere oporteret? *Declamatione 37.*

Libanius: Multos bona spes ad senectutem cum penuria traduxit; ut neque ab egestate liberati sint, neque ab expectatione destiterint. Verùm ego non ex eorum spe, qui ita suspenso animo sum, habere volo: expectare nescio. *Declamatione 8.*

Heliodorus: Si lapidibus obrutus fuisset amasius meus, omnino etiam in me extincta fuissent cupiditatis istæc incendia. cuius enim spes abjecta semel est, tollitur ex animo; & quod non amplius expectatur, efficit ut ad omnem doloris sensum ægri animi occallescant. nunc videre me eum videor, per errorem præsentem audire arbitror. *Libro Æthiopicorum primo.*

¶ ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Quod hodie non est, cras erit; sic vita truditur. *Satyrico.*

Quintilianus: Ei labori incumbere oportet, ubi effectus promittitur. stulta cura est, quæ spem non habet. Ego redimi poteram: tu sanari non poteras. *Declam. 6. §. 21.*

Quintilianus: O mobiles miserorum spes; ad unaquæque solatia, ab unoquoque quomodo nutant. Hæc certè navis est: ecce vela panduntur, propius appellitur, & accedendo crescit; nostra est. suos in utramque partem ventos habuit; nostris votis gubernati flati sunt. hæc dicimus: at illa interim transvolat. *Declamat. 12. §. 24.*

Symmachus: Spes semper rerum adversarum patientiam suadet. *lib. 2. epist. 37.*

Symmachus: Spes in adversis alere animos solet. *libro secundo epistola 52.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus de vita sua.

Τὸ γὰρ θέλειν πρόχειρον εἰς τὴν ἐλπίδα,
Καὶ πάντα ῥᾶστα τῇ ζέσει τοῦ πνεύματος.
Proclivis ad spem semper est cupiditas,
Mentiq; nil non fervida pronissimum est.

Plautus Casinæ 2. sc. 5. v. 38.

Benedice. Deis sum fretus, Deos sperabimus;
OL. Non ego istud verbum emissim titivilitio.
Nam omnes mortales Deis sunt freti; sed tamen
Vidi ego Deis fretos sæpe multos decipi.

Plautus Rudente 1. sc. 2. v. 3.

Sed mea desidia spem deserere nolui,
Eò vos, amici, detinui diutius.

Plautus Rudente 2. sc. 3. v. 67.

——*Iam istoc magis usus facto est,*
Vt eam intrò, consolerq; eam, ne se sic excruciet animi.
Nam multa præter spem scio multis bona evenisse.
A. At ego etiam, qui speraverint, spem decepisse multos.
T. Ergo animus æquus optimum est ærumnæ condimentum.

Ausonius in Monosyllabis.

Et nunquam in dubijs hominum, bona destituens spes.

Ausonius in Monosyllabis.

Fors dubia, æternumq; labans, quam blanda fovet spes.
Spes nullo finita ævo, cui terminus est mors.

Incerti Auctoris.

Spes fallax, spes dulce malum, spes summa malorum,
Solamen miseris, quæ sua fata trahunt.
Credula res: quam nulla potest fortuna fugare.
Spes stat in extremis officiosa malis.
Spes vetat æternis Mortis requiescere portis,
Et curas ferro rumpere sollicitas.
Spes nescit vinci. Spes pendet tota futuri.
Mentitur: credi vult tamen illa sibi.
Improba, mentis inops, rebus gratissima læsis,
Quas fovet & verti fata subinde docet.
Sola tenet miseros. invitos sola moratur.
Sola perit nunquam: nec perit, atque redit.
Sæpe bono, rursusq; malo blandissima semper.
Et quos decepit, decipit illa tamen.
Instabilis, dubio devexa ad tempora motu,
Audax, & clausum quæ putet esse nihil.
Omnia promittit mota levitate Deorum.
Nil fixum, & casus admovet esse leves.
Naufragus hac cogente natat per fœta procellis
Æquora, cum mersas viderit ante rates.
Captivus duras illa solante catenas
Perfert: & victos vincere posse putat.
Noxius infami districtus stipite membra
Sperat & à fixa posse redire cruce.
Spem jussus præbere caput, paloq; ligatus,
Cum micat ante oculos stricta securis, habet.
Sperat & in sæva victus gladiator arena,
Sit licet infesto pollice turba minax.
Et qui decenti jugulo tinctoria moto
Spem, quamvis lecto jam referatur, habet.
Spem recipit carcer foribus præclusus ahenis,
Spes & in horrendo robore parva manet.
Spes Marium movit turpi se credere limo,
Et tantum furto vivere velle virum.
Hæc illum Libyæ penetrare in littora victæ
Iussit: & ò Superi, quis fuit ille dies,
Quo Marium vidit supra Carthago jacentem!
Tertia par illis nulla ruina fuit.
Spes Magnum profugum toto discurrere in orbe
Iusserat, & pueri Regis adire pedes.
Spes uni nunquam potuit dare verba Catoni,
Mendaciq; Deæ non tulit ille dolos.
Quid non spes audet? Priamo post Hectora mansit.
Spes fuit uxori Protesilae tuæ.
Orpheus infernas speravit tollere leges,
Tartareum & cantu flectere posse canem.
Spe duce per medias enavit Dædalus undas:
Et nova mirantes terruit ales aves.
Pasiphaë (quid non homini sperare licebit?)
Speravit torvo posse placere bovi.
Sperat, qui curvo sulcos perrumpit aratro.
Sperat, qui ventis vela ferenda dedit.

Spes hamis pisces, laqueo captare volucres:
Erudit. hæc orbem bella cruenta docet.
Spes sequitur gravibus rastris mala rura domantem.
In nova se nulla cum ratione parat.
Semper adulatur, semper malefida vagatur:
Et populos, urbes, totaq; regna capit.
Desertos medicis spes nunquam deserit agros
Defessi nunquam spem posuere rei.
Spes est, quæ classes diverso ex hoste coactas
Ducit. Spes cupidos ducit in arma viros;
Et dicit; Duro. nec te præsentia jungant.
Fors varias mutat mobilitate vices.
Incerto ludit casu Fortuna per orbem.
Et semper, contra quæ fugit, atq; redit.

¶ Apologi.

De leporibus fugientibus. *Anonymus.*

Sylva sonat, fugiunt lepores, palus obviat, hærent,
Fit mora, respiciunt ante retroque, timent.
Dum librant in mente metus, se mergere pacti,
Se metui, & ranas stagna subire vident.
Unus ait sperare licet; non sola timoris
Turba sumus; vano rana timore latet.
Spem decet amplecti, spes est via prima salutis.
Sæpe facit metui non metuenda metus.
Corporis est levitas, & mentis inertia nobis;
Ista fuga causam suggerit, illa necem.
Sic metuat quicumq; timet, ne mole timoris
Spe careat: gravis est spe fugiente timor.
Speret qui metuit, morituros vivere vidi
Spe duce: victuros spe moriente mori.

De Bobus sperantibus pascere, qui ad arandum ducti sunt. Fab. 197.

Bubulcus stabulum ingressus, boves lætitia exultantes aspexit: interrogavit igitur eos, quænam esset causa lætitiæ? Cui illi, speramus, inquiunt, hunc diem absque labore in lætissimis pascuis nos esse ducturos. Quid vos, inquit bubulcus, ut ita credatis induxit? Illa, inquiunt, fore somniavimus. Nolite, ait bubulcus, huiusmodi somnio fidem adhibere, quod falsum esse deprehendetis: Ego enim somniavi, vos hodie araturos: hominum enim somnia, quàm brutorum veriora esse consueverunt.

Fabula indicat, nihil mortalium spe esse fallacius. Abstemius.

¶ Emblematum.

Batillius XCIX.
Tempestatem bellorum augescere.

Quæsitis frustra terris, ubi sistere posset,
Ore iterum vacuo missa columba redit.
Nec mare subsidit, quod erat subsidere visum,
Ut prius & montes altior unda tegit,
Immensumq; magis cœlo ruit agmen aquarum,
Ingeminansq; Notus nubila plura trahit.
Omnia quin mage sunt pontus, propiusq; periclo
It timor, & major mortis imago subit,
Vincit hiems, vincunt imbres, vincuntq; procellæ,
Undiq; jactatam concutiuntq; ratem,
Et prope jam exhaustæ puppis pars summa revulsa est,
Et prope jam exhaustis omnibus, illa perit.
At promissa Deus tua nos exposcimus, undæ
Relliquiæ, gentis relliquiæq; tuæ,
Atq; licet sperare vetes, sperabimus in te,
Spesq; erit in nostris anchora sola malis.

Batillius C.
Nulla solo, spes sola polo.

Anchora de prorâ jacitur, quæ morsibus uncis
Iactatam fundet firma tenaxq; ratem:
Certior in cælum fuerit si credita, duris
Spes tenet in rebus, votaq; nostra fovet.
Cætera quum fugerent invisas numina terras,
Hæc jam tum in terris sola relicta Dea est,
Inde animum sed quæ valeat non irrita cælo
Iungere, ubi nullo vita timore labet.

Batillius CI.
Spes inanis.

In ventos operam, qui ventis retia, ponit,
Nec præda includi cassibus illa potest.
Spem sine profectu sic ferme amplectimur omnes,
Voti & vana haurit flamina quisq; sui.

Camerarius LII. Centur. 1.
Insperata floruit.

Floruit Aroni vi numinis arida virga.
Me quoq; florentem spes animosa facit.

Camerarius LXIX. Centur. 2.
Vulnus, salus & umbra.

Eijcit è capra dictamnus vulnere telum;
Sic fugat ex animo spesq; salusq; metum.

Camerarius LXXX. Centur. 3.

Expecto mitiores. *Corvus in ficu.*

Dum maturescant consueto tempore fructus,
Exiguum sapiens fert patienter onus.

Camerarius XCVI. Cent. 3.

Expecto donec veniat. *Cicada hieme expectans ver.*

Frigora fert patiens, spe veris, parva cicada:
Sperat & infestis mens bona semper opem.

¶ Apophthegm. Sacr.

Salomon. Piorum *spes* bona est, inquit Sapiens, Proverb. 11. 23. *Spes impiorum perit*, Proverb. 11. 7. *Spes dilata* torquet nos, Proverb. 13. 12.

Vide Apophtheg. *de Fide & Fiducia.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ægrius datis privamur, quàm sperato calvimur.
Corde spes nimis superbas si coquis, non concoquis.
Cui boni spes est futuri, præsens non sentit malum.
Cuilibet rei speratæ longior dilatio est.
Cuiq; animus suus spem præbet, ipsâ ex conscientiâ.
Difficilis homini est utcumq; concepta spei mora.
Dives est qui spes avaras lege naturæ regit.
Est probi, si præter spem quid evenit, mi ignoscere.
Est quidem spes diva fallax, apta sed nimis malo.
Fata Dijq; tunc spectantur spes humana ut deficit.
Flore adhuc in cano poma jam metitur rusticus.
Ignavissimus statim spem deserit formidine.
Improbos boni potissimum antecedunt spe bonâ.
Ingenij vitium est humani usq; indulgere spei suæ.
Insperata consecuti spes fovent plus quàm improbas.
Multos spes tradit Senectæ egestate interim bona.
Ne suam quidem relinquit fortior spem mortuus.
Nec navem anchora una, nec spe vitam una niti decet.
Nec rati anchora una, nec spes una vitæ sufficit.
Nil fides sine caritate, nec spes absq; fide valet.
Nil spei est adæque amarum, quàm diu si pendeat.
Parva spes quam sæpe magnis mactat infortunijs!
Prima sordent cùm majora quæq; spes homini obijcit.
Prima sordent altioris cùm rei spes ingruit.
Qui videt florem oleæ, baccam se visurum item putat.
Quisq; fortunam Metelli sperat, rarus obtinet.
Quo propius spes admovetur, hoc animo ardor auctior.
Quod feret fors, fer animo æquo: spes sit in te omnis tibi.
Sæpe magna spes pusillæ accersunt infortunia.
Sæpe spes hominem futuri dubia certum decipit.
Sæpius mage insperata quàm quæ speres accidunt.
Si cupis sperare quod vis, & feras quod accidet.
Si tibi male est, spera; melius fortasse cras erit.
Si vires, spera secunda maximè rebus malis.
Spes avara, visq; cassa consilij, statim ruunt.
Spes malo & securitatis contra conscientiam est.
Spes ô una imò unica altrix omnium mortalium es.
Spes novas etiam inchoamus ipso vitæ in exitu.
Spes supremâ destitutis spe, ipsa desperatio est.
Spe bona viri periti ab imperitis differunt.
Strenuus licet metus sit, spes tamen velocior.
Summa vitæ curta longas inchoare spes vetat.
Vita spes plerumq; infringit animos excelsissimos.
Vitæ summa curta spem longam inchoare nos vetat.
Ut timore omnes terremur, sic item & spe extollimur.

¶ Jambica.

Æquè timore quis fit atq; spe celer.
Boni meliora semper exspectant viri.
Commodius esse opinor spe uti duplici.
Contenta nullis improba est spes terminis.
Edulcat omnem opima spes molestiam.
Expers laboris nil parit spes utile.
Fallit ferè spes impudentem audaciam.
Heu vita, quantas spes alis planè improbas!
Incommodi species item spes irrita est.
Insistit & spei contra sortem strenuus.
Lætata nunquam spes fuit diu improba.
Majora cùm sperantur, prima displicent.
Nil æquè amarum spei, pendere quàm diu.
Nil ego spei credo, res omnes spissas facit.
Nil spes nisi hominum insomnium vigilantium est
Nunquam diu lætata spes est improba.
Nunquam faciet rem, qui pretio spem non emit.
Nunquam sat est spei datur quod improba.
Nunquam suâ spes est sine impudentiâ.

Odiosa cuivis est spei dilatio.
Propinqua spes, repulsam solari solet.
Qui desiit sperare, timere desinit.
Quod anchora est navi id spes est mortalibus.
Renunciamus vita ubi & spes concidit.
Robusta spes extrema quævis perferat.
Semper probi vincunt bona spe non probos.
Sola inter homines Numen est Spes non malum.
Speranda sunt homini dum spirat omnia.
Sperantibus ferè est mos plura dicere.
Sperare semper, magnæ signum est indolis.
Sperat quidem animus; quo eveniat, Dijs in manu est.
Sperate miseri: fata se vertunt retrò.
Speres meliora: quidquid accidet feras.
Spero quidem, sed exitus Dei in manu est.
Spes animos ad facinora illustria excitat.
Spes destituta, tortrix infensissima est.
Spes, devorata mente, Spes est pertinax.
Spes & timor, duæ res adversissimæ.
Spes incitat votumq; defectum gradum.
Spes maximum est solatium infortunio.
Spes, nil aliud sunt, quàm vigilantum somnia.
Spes omnis obliviscitur periculi.
Spes omnium postrema adflictos deserit.
Spes sunt nihil vigilantium quam somnia.
Spes sæpe fallit impudentem audaciam.
Spes ultimum malæ rei solatium est.
Spe fructuum agri arat seritq; rusticus.
Vana spei omnis est inanis exitus.
Vitæ unica adsita est spes consolatio.

Spiritus Sancti.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*ivus Nazianzenus:* Opus est Spiritu sancto ut piè & dexterè loquamur de Trinitate, per quem solum Deus & intelligitur & exponitur, & auditur. pueri enim duntaxat est id attingere quod purum est, suique semper simile. *Oratione prima de fuga sua in Pontum.*

D. Nazianzenus: Si creatura est Spiritus Sanctus, quomodo in eum credimus? aut in eo perficimur? neque enim idem est credere in aliquid, & credere de aliquo. illud divinitati convenit, hoc cuilibet rei. Si autem Deus, certè nec creatura nec factura, nec conservus, nec denique ullum aliud humile atque abjectum nomen. *Oratione trigesima septima.*

Idem eadem, post pauca: Spiritus Sanctus à patre procedit. qui quatenus ab illo procedit, creatura non est: quatenus rursum genitus non est, Filius non est: quatenus autem inter ingenitum & genitum medius est, Deus est.

D. Nazianzenus: Spiritus Sanctus semper quidem erat, & est, & erit, nec ullo ortu generatus, nec finem habiturus, sed semper cum Patre & Filio conjunctus, atque connumeratus: nec enim conveniebat, ut vel Pater Filio, vel Filius Spiritu Sancto unquam careret. Nam alioqui maximum divinitati dedecus conflaretur, ut quæ ad perfectionem tanquam ex pœnitentia venisset. Erat igitur semper, perceptibilis, non participes, perficiens, non ab alio perfectus, explens, non expletus, sanctificans, non sanctificatus, deificans, non deificatus: ipse semper, & secum, & cum iis, quibus adjunctus est, idem & æqualis: invisibilis, temporis expers, nullo loco inclusus, immutabilis, qualitate, quantitate, forma & tactu carens, seipsum movens, ac sempiternum motum habens, arbitrij liber, per se potens, omnipotens (tametsi ad primam causam, ut omnia ea quæ Unigeniti sunt, ita etiam quæ Spiritus Sancti sunt, referantur) vita, & vivificus, lux, & lucis largitor, bonitas ipsa, & fons bonitatis, Spiritus rectus, principalis, dominus, mittens, segregans, templum sibi extruens, viam præmonstrans, arbitratu suo operans, gratiasque dividens, Spiritus adoptionis, veritatis, sapientiæ, pietatis, consilij, fortitudinis, timoris, quemadmodum superius commemoravimus. per quem Pater cognoscitur, & Filius glorificatur, & à quibus solis ipse cognoscitur, una classis, una adoratio, potentia, perfectio, sanctitas. Quid pluribus verbis opus est? Omnia, quæcunque Pater habet, sunt Filij, præter quàm quòd ingenitus non est. Omnia quæcumque Filius, Spiritus Sancti sunt, si generationem exceperis. Hæc porrò substantiam non secernunt, ut quidem ipse sentio, verum circa substantiam secernuntur. *Oratione 44.*

D. Chrysostomus: Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Quænam est hæc consequentia? Maxima quidem & evidens. Etenim qui spiritum, ut oportet, habet: per hunc extinguit omnem pravam concupiscentiam. Porrò qui liberatus est ab his, non eget legis auxilio, sed multò factus est præceptis illis sublimior. Nam qui non irascitur, quid opus habet ut audiat, non occides? Qui non intuetur intemperantibus oculis; quid opus habet eo qui doceat non esse mœchandum? Quis enim illa verba facit de fructu malitiæ, qui radicem malitiæ jam evulsit? Radix enim homicidij, ira: & adulterij radix, curiosus oculorum obtutus. Ea propter dicit: Si spiritu ducemini, non estis sub lege. Heic autem mihi videtur magnas etiam & admirandas legis laudes retulisse. Quas illas? Quamquam, inquit, lex erat loco spiritus, juxta suas vires, priusquam spiritus adveniret, non tamen ob id oportet manere in pædagogo. Tùm quidem meritò sub lege eramus, ut metu castigaremus concupiscentias, nondum prodito spiritu. Nunc verò posteaquam venit gratia, quæ non solùm jubet ab illis abstinere, verùm & ad altiora provehit, & ad perfectiorem vitæ rationem adducit, quid opus est lege? Etenim qui ex sese suo fungitur officio, huic quid opus pædagogo? Neque enim qui philosophus est, opus habet Grammatico. Cur igitur vos ipsos redditis viliores? Cùm priùs vos exhibueritis spiritui, nunc assidetis legi. *cap. 5. ad Galatas.*

D. Chrysostomus: Quomodo in vas & vestimentum immundum nunquam se demiserit genus apum: propterea enim & suffitibus, & unguentis bonisque odoribus locum aspergunt, qui harum rerum sunt periti, vinisque suave olentibus, & aliis omnibus illinunt calathiscos, in quibus sunt insessuræ exeuntes ex alveis, ne gravis odor & insuavis eas rursus abigat: ita etiam in sancto spiritu. Vas quoddam & quidam calathiscus est nostra anima referta ad recipienda examina gratiarum spiritualium. sed si sit intus bilis, & amaritudo, & ira; evolant examina. *initio Homiliæ decimoquinto ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Spiritum nolite extinguere, hoc est gratiam. ita enim mos est ei vocare, & gratiam spiritus. Eam autem extinguit vita immunda. Quomodo enim si quispiam in hanc lucernæ lucem & aquam & terram infuderit, lucernam extinguit, & si nihil horum fecerit, sed oleum tantum exemerit. Ita etiam in charismate se dona gratiæ. Nam si terrena, & diffluentium rerum curas insperseris, spiritum extinguis. Et si nihil tale feceris, alicunde autem adveniens irruerit tentatio vehemens tanquam spiritus aliquis, & flamma non sit vehemens, aut multum habens olei, aut foramen non obstruxeris, aut ostium non clauseris, pereunt omnia. Est autem quoddam foramen, sicut in lucerna, ita etiam in nobis, oculus & auris. Ne sinas ut in eos irruat vehemens spiritus nequitiæ, quoniam lucernam extinguit, sed obtura timore Dei. Os est ostium: claude & obsera, ut & lucem præbeat, & externam repellat irruptionem.

Ut exempli causa, te contumelia affecit, maledicto appetivit. Os claude. Nam si aperueris, ventum excitas & ventilas. Non vides in ædibus, quando ex adverso & directe steterint duæ januæ, sitque ventus vehemens, si alteram clauseris, & adversus non fuerit flatus, nihil potest ventus, sed magna pars eius virium præciditur: Ita nunc quoque duæ sunt januæ, os tuum & ejus qui te contumeliis afficit & conviciis. Si tuam clauseris, & flatum adversum non dederis, extinguis totum spiritum. Sin autem aperueris, non potest cohiberi. Ne eum ergo extinguamus. Sæpe autem contingit, ut etsi nihil irrumpat, extinguatur flamma, quum defecerit oleum. Quando eleemosynam non facimus, extinguitur spiritus. Etenim ad te venit à Dei eleemosyna & misericordia. Deinde videt apud te non esse hunc fructum, & non manet apud te immisericordem.

Extincto autem spiritu, reliqua scitis qui ambulastis in nocte in qua non lucet luna. Si autem viam quæ fert à terra in terram noctu ire est difficile, quomodo est tutum ingredi via quæ à terra ducit in cœlum. Nescitis quam multi sint dæmones in hoc spatio: quam multæ feræ, quam multa spiritualia nequitiæ? Atque si illam quidem habeamus lucem, nihil nos poterit lædere. Sin autem illam extinxerimus, nos cito consumunt, cito omnia nostra auferunt. Nam latrones quoque extincta lucerna latrocinantur. Nam illi quidem vident in hac luce, quoniam agunt quæ sunt tenebrarum: nos autem non sumus assueti illi luci. Ne ergo eam extinguamus.

Omnis mala actio extinguit hanc lucem, & maledictum, & contumelia, & quidquid dixeris. Quomodo enim in igne, quidquid est ab eo alienum, eum perimit. id autem eum accendit quod est illi cognatum: si quid est siccum, si quid calidum, si quid ignitum, id accendit flammam spiritus. Nihil ergo frigidum inferamus, nec humidum. Hæc enim ea perimunt. *Homilia 11. ad Thessalonicens.*

S. Isidorus Pelusiota: Quæstionem mihi magnam vim habentem ac valde pervulgatam proposuisti: atque à multis quidem investigatam, cæterùm ab iis solis, qui divinitus afflati sunt, perceptam & comprehensam, nimirùm quid sibi velit id quod ait Christus, Quicumque dixerit verbum adversus filium hominis, remittetur ei: quicunque autem dixerit adversus Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc seculo, nec in futuro: & quid causæ sit, quamobrem, cùm una sit divina trinitas, blasphemia adversus Filium minimè plectatur, verùm ea sola, quæ Spiritum sanctum incessit. Audi igitur.

Quicunque contumeliosum verbum adversus Filium hominis dixerit, non judicatur, inquit Dominus: quoniam ij, quorum mentis oculi lippiunt, Deum arcano atque omni sermone præstantiori modo cum visibilis carnis vilitate unitum ægrè percipere & contemplari possunt; quòd videlicet abscondita divinitas ignoretur. Hominibus autem animi puritate præditis, quibus in-

carnata divinitas apparuit, nec infidelitas animo inest, nec judicii ultio denuntiatur. At verò contumelia adversus Spiritum sanctum conjecta idcircò venia caret, quoniam ipsa opera in oculis & aspectu posita, eos, qui contumeliam inferunt, malignitatis & ingratitudinis convincunt. Nã cũ divinæ naturæ potentia morbi excinderentur, ac dæmones pellerentur, hæc divina signa in Beelzebub edi Iudæi per calumniam affirmabant. Quocirca Dominus hanc contumeliam, quæ divinam essentiam perspicuè impetebat, omnis veniæ expertem esse pronunciavit. *lib. 1. epist. 59.*

Idem: Quòd quædam in Spiritum sanctum blasphemia sit, inquis, ex ipsa Domini voce constat, his verbis utentis, Si quis blasphemum verbum adversus Spiritum sanctum dixerit, non remittetur ei. Atque illud item perspicuum est, blasphemiam Spiritui sancto illatam vindicari. Quòd autem Spiritus sanctus divinæ naturæ sit, ut tibi dilucidis & apertis scripturæ testimoniis declaretur, postulasti. Atqui tibi, si ingenii solertiam adhibeas, atque ex eo loco, quem manibus tenes, aliquantò longiùs progressus fueris, ex Domini vocibus quæstionis hujusce solutionem nancisci licet. Si enim ego, inquit, in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Si autem in spiritu Dei ea ejicio, profectò pervenit in vos regnum Dei. Porrò apud alterum Evangelistam apertiùs ita habetur: Si ego in digito Dei ejicio dæmonia. Quo loco per Dei digitum Spiritus sanctus intelligitur. Atqui digitus, ut à nobis exemplum sumam, ex corporis essentia est. Quamobrem à divina essentia inseparabilem & cognatam Spiritus sancti personam esse, per digiti vocabulum declaravit. *lib. 1. epist. 60.*

S. Isidorus Pelusiota: Cùm Deus & Salvator noster homo factus Spiritum sanctum divinam Trinitatem complere tradiderit, atque in sancti baptismi invocatione unà cum Patre ac Filio, tanquam à peccatis liberans, numeretur, & in mystica mensa communem panem, proprium incarnationis ipsius corpus reddat, quid tu, ô vesane atque attonite, eum quiddam factitium aut creatum, aut servilis naturæ, ac non herilis & effectricis, ac regiæ essentiæ cognatum, & consubstantialem Spiritum sanctum esse doces? Nam si servus est, cum Domino minimè numeretur. Si creatus est, cum creatore minimè conjungatur. Cum eo porrò copulatus ac numeratus est. quandoquidem exacto hujusmodi rerum doctori Christo fidem adhibere convenit, de natura certò docenti: & si tibi secus videatur, sapientiori scilicet viro, ac majori cælestium rerum cognitione præditum te esse jactanti, vel, ut rectiùs loquar, adversus Deum impudenter argutanti. *lib. 1. epist. 109.*

§ POETARUM.

Prudent. hymno post cibum.

Omnes quod sumus ac vigemus inde est:
Regnat spiritus ille sempiternus
A Christo simul & parente missus,
Intrat pectora candidus pudica,
Quæ templi vice consecrata rident,
Postquam combiberint Deum medullis.
Sed si quid vitij dolive nasci
Inter viscera jam dicata sensit,
Ceu spurcum refugit celer sacellum.
Tetrum flagrat enim vapore crasso
Horror conscius æstuante culpa,
Offensumq; bonum niger repellit.
Nec solus pudor innocensq; votum
Templum constituunt perenne Christo
In cordis medij sinu ac recessu:
Sed ne crapula ferveat cavendum est,
Quæ sedem fidei cibis refertam
Vsq; ad congeriem coarctet intus.
Parcis victibus expedita corda,
Infusum melius Deum receptant.
Hic pastus animæ est, saporq; verus.

§ EMBLEMATUM.

Camerarius LIX. Centur. 3.
Divinæ nuncia pacis.

Ore columba olea fert ramum, insignia pacis,
Quàm seris in verbo Spiritus alme tuo.

Camerarius LXI. Centur. 3.
Vnde auri per ramos aura refulsit. *Virgil. lib. 6.*

Auricomum gemina ramum monstrate columbæ,
Vt nobis sancti fulgeat aura Dei.

Catsius Emblemate Sacro XLII.
Intacta movetur.

Chorda manu non tacta salit, non mota susurrat;
Vt chelijs æqualem sentit adesse sonum.
Quanta pijs tacitam pertentant gaudia mentem,
Cùm Deus occulto numine pectus agit!
Non videt assessor, non hos notat assecla motus;
At pia mens intus sentit adesse Deum.
Mortales oculi mortalia gaudia cernunt:
Quæ Deus instillat gaudia nemo videt.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Carni quod sal, hoc est sanctus animæ nostræ Spiritus.
Gaudio sunt in perenni quos tenet flatus sacer.
Spiritus res læta sanctus gaudio implet & suos.
Spiritus sanctus possessio est auferri quæ nequit.
Spiritu enthea tà sancto sobria usq; & abdita est.

Sponsionis.

§ SENTENTIAE ROMANORUM.

Q*Vintilianus Senior:* Petitur à nobis pecunia, quam non accepimus, non consumpsimus, non in ullum rerum nostrarum usum convertimus. etiam cùm istud periculum est sponsoris miserabile est. bonitate labitur, humanitate conturbat. Hoc eo pertinet, judices, ut intelligatis non esse exigendum à sponsore creditum, nisi jure summo. Debitorem appellasti? cum ipso cui dederas pecuniam egisti? non enim aliter salvo pudore ad sponsorem venit creditor, quàm si recipere à debitore non possit. *Decla. 273.*

§ POETARUM.

Ausonius, verbis Thaletis.

Mihi prodeundi caussa hæc in scenam fuit,
Assertor ut sententiæ fierem meæ.
Ea displicebat non tamen prudentibus,
Quos docuit usus & peritos reddidit.
Nos ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη, dicimus.
Latinum est: Sponde, noxia est præsto tibi.
Per mille possum currere exempla, ut probem
Prædes vadesq; pœnitudinis reos:
Sed nolo quenquam nominatim dicere.
Sibi quisq; vestrum dicat, & secum putet,
Spondere quantis damno fuerit & malo.
Gratum hoc officium maneat ambobus tamen.
Pars plaudite ergo: pars offensi explaudite.

§ APOLOGI.

Phædrus Fab. 16. Ovis, Cervus, Lupus.

Fraudator nomen cùm locat sponsore improbo;
Non rem expedire sed malam dare expetit.
Ovem rogabat Cervus modium tritici
Lupo sponsore. at illa præmetuens dolum.
Rapere atq; abire semper adsuevit Lupus:
Tu de conspectu fugere veloci impetu.
Vbi vos requiram cùm dies advenerit?

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Admodum periculosè vades mortis sistitur.
Debitor malo sponsore haud expedit rem; dat malam.
Spes egeno rebus arctis sponsor audit haud idoneus.
Sponsio omnis gnata noxæ; gnata multæ sponsio est.

§ JAMBICA.

Mulctam rei jure exigas à vadibus.
Prædes vadesq;, pœnitudinis rei.
Spondere, cuivis damno constat & malo.

Spurij.

§ SENTENTIÆ.

Aristophanes Avibus v. 1745.

Criminatur te patruus, ô ignare tu,
Horum enim paternorum neq; paululum participatur tibi
Secundum leges: spurius enim es & non legitimus.
HER. Ego spurius? quid dicis? PI. tu quidem per Iovem
Existens advenæ mulieris, an aliquo modo unquam
Heredem esse Minervam putas,
Existentem filiam existentibus fratribus legitimis?
HER. Quid autem si pater mihi dat res
Spurio moriens? PI. lex ipsum non sinit.
Hic Neptunus primus qui extollit te, nunc
Vsurpabit tui paternas res,
Dicens frater ipse esse legitimus.
Dico autem jam & Solonis tibi legem,
Spurio autem non esse affi-
Nitatem filiis existentibus legi-
Timis, si autem filij
Non sunt legitimi, his
Propissime genere
Participationem esse rerum.
HER. Mihi autem igitur nihil paternarum rerum
Est in participatione? PI. non quidem per Iovem.

Statua-

Statuarum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

D. *Nazianzenus:* Nulla imago veritatem assequi potest. *Oratione 13.*

S. Isidorus Pelusiota: AErea quidem statua imperator te remuneratus est, præmium hoc fulgoris causa auro liniens. Neque enim pro egregiis tuis laboribus ullum hoc munere splendidius præmium in te conferre potuit. Quæ autem hujusce vitæ labem atque interitum superant, Christus in altero ævo tibi servat. nimirum immortalem vitam, infinitas delicias, ac gloriam sempiternā: quas quidem in res mutatio nulla cadit. *lib. 1. Epist 396.*

S. Isidorus Pelusiota: Non ærea statua auro refulgens actione tua digna est, sed vita finem non habens. Illam enim tempus delet: hanc autem secula, quæ finem nesciunt, coronant. *lib. 3. Epistol 361.*

Ennodius: (Vbi tyrannus præmii nomine statuam ponit parricidæ.) Quamvis, judices, virorum fortium effigies mansuro perenniter ære serventur, & per hæc simulacra nesciant obitum vel sepulti: quamvis in ęternitatem migret per has artes imago mortalium, & angustam humanæ naturæ legem vincat industria: tamen virtutis pretium nec parricida aliquando meruit, nec tyrannus exsolvit. Quando munus innocentum aut sceleratus elicuit, aut oppressor libertatis ingessit? Statua, venerandi præsules, sudoris fructus est, judicio reddenda purissimi: ut in utroque congruus nitor nec suscipientem devenustet, si indigno auctori provenerit, nec, si conferatur immerito, maculet largientem. *Dict. 18.*

Ennodius: Ambitur parricidæ statua, fortium vallata lateribus, & simulacrum, quod aut literatis cura peperit, aut Martius campus refudit, hujus imago posthabetur. Duriter, si creditis, ferunt tot evecti titulis, nulla ab effusore se paterni sanguinis retributione distare: & si qui animabus reliquus vigor est, deflent præmia sua, quæ annisu roboris exegerunt. Vbi honestus, ubi studiis liberalis efficacia, ubi munus pro patria dimicantis, si æreas formas arcis possessor exhibet, & qui genitoris funus procurat, obtineat? *ibidem ante finem.*

¶ ORATORUM GRAECORUM.

Xenophon: Socrates ingressus aliquando ad Clitonem statuarium, instituto que cum hoc colloquio: Varios te mi Clito, ait, cursores, luctatores, pugiles, pancratiastas fingere video & scio: quod autem maxime recreat homines adspectu, si vivax quiddam eis inesse videatur, quo pacto id in statuis efficis? Heic quum subdubitans Clito, non celeriter responderet: An, inquit, opus tuum ad formas eorum, quæ vivunt, comparando, statuas vivaciores videri facis? Omnino, inquit. Nonne igitur, dum quæ per gestus deorsum sursumque trahuntur in corporibus, & quæ comprimuntur, & quę diducuntur, & quæ intenduntur, & quæ remittuntur, exprimis; facis, ut similiora, magisque consentanea veris adpareant? Maxime scilicet, inquit. At vero etiam adfectiones corporum aliquid agentium imitari, an non delectationem aliquam spectantibus adfert? Id vero consentaneum est ait. Quamobrem pugnantium oculi repræsentandi sunt ut minaces, victorum vero vultus sic effingendus, ut lætorum esse solet. Prorsus, inquit. Ergo statuarium, subjecit Socrates, animi actiones per formam repræsentare oportet. *cap. 30. lib. 3. Memorabilium.*

Maximus Tyrius: Opitulari Deos mortalibus, omnes quidem omnibus, alios tamen aliis pro diversitate nominum, omnibus cōfitentur. Hac ratione honores illis divisere homines, signaque publica alii, alii privata dicarunt: prout opem eorum experti erant singuli. Ita naturæ in eminenti scopulo, quem infra undæ alludebant, Diis maris temonem posuerunt. Ita Pana suum pastorum colit aliquis, qui aut excelsam ei abietem aut antrum dedicat profundum. Agricolæ in horto suo stipitem figunt ingenuum, vere agrestem statuam: atque eo modo Bacchum se colere postulant. Iam fontes laticum, saltusque cavi, & vestita floribus prata, Dianæ sacra sunt. Ne Iovem quidem immunem honoris hujus primi habuere mortalium. Culmina montium illius sunt: Olympi & Idæ, aut si quis præterea montium cœlo proximus est. Est & suus fluviis honos, sed diversus. Aut enim utilitatis ergo colunt eos homines, ut Nilum AEgyptii: aut pulchritudinis causa, ut Peneum Thessali: aut magnitudinis, ut Istrum Schytæ: aut ex tradita per manum fabula, ut Acheloum AEtoli: aut ex lege, ut Spartiatæ Eurotam: aut ex sacro instituto, ut Ilissum Athenienses. Itane ergo & fluviis honores utilitatis causa quam ex iis consequuntur designarunt homines, inventæque sunt artes ab agrestibus diversæ, quarum singulæ statuam in monte alio aliam Diis erexere: si quod vero genus sit mortalium, non nauticum aut rusticum, sed urbanum, quodque civili rationis pariter legumque inter se cohæret vinculo, solum ne hoc cultum Deo ullum exhibebit nec honorem? An potius sola verbo tenus commemoratione id præstabit, imaginibus autem & statuis non magnopere Diis opus putabit: cum iis non magis egere videantur quam statua viri boni? Sicut autem sermo noster ore cum profertur, nihil opus habet ut constet Phœniciis ullis aut Ionicis aut Atticis aut Assyriis aut AEgyptiis denique literis: quas humanę propterea mentis excogitavit imbecillitas, ut sic ingenii sui occurrentes tenuitati, earum opera notarum rursus in memoriam redirent. Ita Deorum naturæ nec statuis per se nec imaginibus est opus, sed cum infirma sit oppido mortalium conditio, tantumque à divina quantum à cœlo terra recedat, signa ejusmodi excogitavit sibi, quibus & nomina & nuncupationes tribueret Deorum. Si quibus igitur tam firma sit memoria, ut erecto statim animo cœlum usque ipsum possint pertingere, Deumque recta adire, nihil iis fortasse opus sit statuis.

Verum rarissimi inter homines sunt hujusmodi: nec facile in tota aliquem invenias gente qui divinæ semper meminerit naturæ, nec ejusmodi egeat subsidio. Ita pueris qui elementa addiscunt prima tenues quasdam magistelli notas solent præscribere, ad quas manu deducant eos, donec paulatim memoriæ beneficio arti insuescant. Videntur certe & legislatores mihi non aliter quam puerorum gregi has generi mortalium invenisse imagines: honoris divini quasi signa quædam vel notas, queis ad memoriam ejus tanquam manuductione quadam & via homines deducerent. Harum porro imaginum nec lex una, nec ratio, nec ars una est, nec materies. Græci quippe iis quæ pulcherrima in terra habentur, materia pura, forma humana, arte exquisitissima colere consuevere Deos. Sed nec improbandum eorum videtur consilium, qui humanam Deorum imaginbus affinxere formam. Siquidem Deo vicina, Deo simillima est anima hominum. Nec æquum videtur rem sui simillimam deformi includere corpori voluisse Deum: sed quod animam facillime circumferret immortalem, leve, motui aptum, quodque solum omnium quę in terra sunt corporum caput in cœlum attolleret, venustum, alacre, apte compositum. Non tam magnum ut terrere quenquam, nec tam hirsutum ut formidabile cuiquam esse posset, nec tam grave ut non moveri, nec tam læve ut stare nequeat: non tam durum ut tactum repellat, nec tam frigidum ut humi serpere, nec tam calidum ut in altum se efferre, nec tam laxum ut natare cogatur. Non tam postremo immane ut crudas carnes; nec tam infirmum ut solas è terra herbas voret. Sed ea corporis totius compositione quæ vere est concinna, singulisque ejus operibus quam maxime respondet: quæ & metum timidis & amorem conciliet probis: natura quidem incedat, ratione tamen volet, arte natet, terram collat, fruges edat, fructus mandat; colore nitido, membris firmissimis, vultu pulchro, barba quæ deceat.

Tali corporis forma repræsentare Deos eosque colere consuerunt Græci. Inter Barbaros vero qui Deos non agnoscat nemo est: alia tamen illi atque alia signa inscripsere. Ignem Persæ, quotidianum hoc elementum, rem voracem atque insatiabilem. Igni sacrum faciunt Persæ, igni alimentum suppeditant, acclamantque, Comede ô domine. Quibus quidem merito dicat aliquis, Ecquid te pudet, gens dementissima, tot tantasque negligere statuas, terram mitissimam, solem clarissimam, mare navigationibus destinatum, fluvios fœcunditatis dominos, animum aerem, ipsumque postremo cœlum; uni vero elemento immanissimo omnium violentissimoque soli adhærere? quam quidem vestram statuam vestrumque Deum non lignis tantum pascitis aut victimis, aut suffitu sacro, sed majoribus longe. Quippe & Eretriam totam, ipsasque Athenas & Ionum sacra Græcorumque statuas huic devorandas objecistis.

Ne AEgyptiorum quidem ferre possum consuetudinem. Bovem illi colunt, avem & hircum, ut omittam Nili monstra: quorum omnium mortale corpus, vita abjecta, vultus in terram conversus; cultus degener, honor pudendus est. Moritur ergo in AEgypto Deus & lugetur: ejusdemque & templum monstratur & sepulchrum. Et Græci quidem bonis etiam viris sacra faciunt, quorum virtutum memoriam celebrant, calamitates vero omittunt. Apud AEgyptios vero ex æquo lachrymas Deo & honores offerunt. Mulierem olim AEgyptiam crocodili catulum aluisse fama tenet. Felicissimam eam AEgyptii judicabant, utpote nutricem Dei. Erant & qui nutrici simul alumnoque blandirentur. Mulieri huic erat filius, qui necdum ex ephebis excesserat, æqualis Dei: qui cum adolescere unaque lusitare consuerat. Quæ res illi non male successit, dum præ corporis imbecillitate cicur videretur. postquam vero adolevit, ad ingenium redit, puerum vocat. Ibi miserrima mulier filii sui morte gaudere, tanquam beatissimi, quod domestici Dei factus esset victima. Atque ita quidem AEgyptiorum fert ratio.

Magnus autem Alexander devictis jam Persis, Babylone expugnata, capto Dario, terram Indorum petiit, quæ nunquam, ut dicebant ipsi, exercitum externum præterquam Bacchi & ipsius Alexandri admiserat. Gravi eo tempore inter se contentione dissidebant duo reges, Porus & Taxiles. Et Porus quidem vi pugnans capitur, in fidem societatemque à rege recipitur Taxiles. Qui quidem quicquid vel admiratione dignum in India, vel homini Græco novum videri poterat in aliena terra, regi ostendit. Fluvios maximos, aves varias, plantas odoratas. In his omnibus animal erat maximum Baccho sacrum, cui victimas quotidie Indi mactabant.

bant. Hoc animal draco erat, qui jugera terræ quinque corpore æquaretis devexo in loco, amfractuoſo, profundo, altiſſimis deſuper muris circumſepto alebatur. Indorum armenta ac pecudes vorabat, quippe illis novum illi cibum quotidie præbentibus, boves puta & oves; tanquam tyranno potius quam Deo. Heſperii Libyes terram incolunt anguſtam, in longum diffuſam, mari cinctam undique. Hujus faucis ſummum circa verticem exterius dividitur mare, multaque aquarum vi & vorticibus marinis, terram amplectitur.

His hominibus ſacer eſt Atlas. Hunc vicem ſtatuæ habent. Eſt autem Atlas, mons cavus ſatis altus, qui mari patet, ſicut theatra aeri. Quod in medio montis patet ſpatium, vallis exigua eſt, terra amœna, arboribus conſita. Itaque & fructus ex arboribus pendentes videas, nec aliter è ſummo culmine contemplanti apparet, quã ſi in puteum deſpicias profundum. Deſcendere autem nec poſſis, locus enim præceps eſt, nec per religionem fas ſit. Nihil tamen magis mirandum videtur, quam pontus ipſe, qui undarum vi maxima littori incumbit, inque patentes ubique campos diffunditur: circa Atlantem ergo aſſurgunt fluctus, ſuoque pondere muri ad inſtar ſtat aqua, ut nec in prærupta terræ deſcendat, nec ab ipſa humo fulciatur. Medium inter montem ac mare locum aer occupat nemuſque in convalle. Libycum hoc templum, hic Deus eſt: hunc jurijurando teſtem invocant, hanc habent ſtatuam. Iovem Celtæ colunt, Iovis autem apud eos ſimulachrum alta quercus eſt. Pæones ſolem colunt, ſoliſque apud hos ſimulachrum brevis diſcus eſt, perticæ ſupra longiſſimæ affixus. Colunt & Arabes Deum, quem vero haud facile dixerim: quod autem vidi apud eos ſimulachrũ, lapis erat quadrangularis. Venerem Paphii colunt, cujus ſtatuam albæ pyramidi non diſſimilem dixeris.

Apud Lycios mons Olympus ignem eructat, non AEtnei inſtar, ſed placidum compoſitumque. Eſtque hic ignis ipſe & templum & ſtatua. Qui Celænas accolunt Phryges, fluvios duos Marſyam colunt Mæandrumque: quorum ipſe ſpectator fui. Duo hi fluvii e fonte oriuntur uno, qui cum ad montem proceſſit uſque, ad poſteriorem urbis partem ſe ſubducit, rurſuſque ex urbe oritur, ſimulque aquam diſtinguit fluviis & nomen. Atque ex iis quidem Lydiam Mæander petit, alter ibidem in campis finitur ac conſumitur. His fluviis rem divinam Phryges faciunt: alii utrique ſimul, ſeorſim vero alii, Mæandro Marſyæve. Femora victimæ quæ mactatur, in fontes addito alterius cui mactatur fluvii nomine, porriciuntur. Quæ à fluvio ad montem deferuntur uſque, ubi ſub aquam demerguntur: nec unquam fit ut quæ Mæandro mactata ſunt, Marſyam petant, aut quæ Marſyæ Mæandrum. Nam ſi utriuſque ſint, dividunt victimam. Mons Cappadocibus & Deus & jusjurandum eſt & ſtatua: palus Mæotica Maſſagetis Tanaiſque. O multas variaſque ſtatuas, quarum alias ars excogitavit, alias commendavit uſus, alias utilitas, alias admiratio colere præcepit, alias Deorum in numerum formæ amplitudo retulit, alias pulchritudo ſua evexit. Cum interim nullum ſit genus hominum, vel Barbarum vel Græcum, ſive ad mare ſive in continente vivat, ſive ſine ſede vagetur, ſive urbem incolat, quod non aliqua divinitatis ſigna conſecraverit. Quis ergo litem hanc de ſimulachris Deo dicandis decidere audeat? Si enim lex nobis præſcribenda eſſet aliis quibuſdam hominibus, qui longe extra fines quos incolimus, noſtrumque aerem recens è terra emergerent, aut à Prometheo aliquo effingerentur, vitæ, rationis, legumque ignari, moveri fortaſſe poſſet hæc quæſtio, iiſne hominibus ea relinquenda eſſent ſimulachra, ea adoranda, quæ natura præſcripſit; non ebur, non aurum, non quercus aut cedrus, non fluvius, non avis; ſed ſolis orientis imago lunæque ſplendor, ſed picta cœli domus, ipſaque terra & aer ipſe, ignis omnis, omniſque aqua: an contra & hi redigendi eſſent in ordinem, ut lapides aut ligna imagineſque ex iis colerent quaſcunque. Quod ſi hæc communis omnium lex eſt, nihil antiquemus, nihil de opinione Deorum detrahamus: eorumque inſignia una cum nominibus ſervemus. Deus enim omnium quæ exſtant pater conditorque ſole antiquior, antiquior cœlo, omni têpore major, omni ævo, & quicquid in natura mutatur; legislator ſine nomine, quem vox nulla exprimit, nulla oculorum intuetur acies: cujus cum ſenſus noſtros excedat eſſentia, auxilium à verbis, à nominibus animalibuſque, ab auri eboris argentique figuris, à plantis fluviiſque, à montium jugis aquarumque ſcatebris aliquod petamus. Vt ad ejus hac ratione intellectum pervenire liceat. Cum enim tenuitatis noſtræ ita poſcat ratio, quicquid apud nos eſt pulcherrimum illius inſcribimus naturæ: plane ut amantes ſolent, qui eorum quos amant, libenter ſimulachra intuetur. Sic cum voluptate aſpiciunt aut lyram quam reliquere, aut jaculum, aut ſellã in qua ſedere, aut circum in quo currere ſolent, aut quicquid memoriam iis reducit priſtinam. Quid ergo ultra de his inquirendum eſt? quæ de ſimulachris lex ferenda? Animus modo Deum proponat ſibi. Cæterum ſive memoriam ejus maxime repræſentet Græcis ars Phidiæ, aut AEgyptiis animalium cultus, aut aliis fluvius, aut ignis aliis; varietatem non damno. Intelligant modo quem colunt, ament modo, illius modo memoriam conſervent. *Diſſertatione 38. An Dijs ſint dicandæ imagines.*

Dio Chryſoſtomus Pruſæus: Non eſt autem ſimile, ſuper imaginis erectionẽ deliberare, & deſtructionem. Quamobrem? quia unuſquiſque eorum qui apud vos conſecrati ſunt, & ſi pejor eſt, jam tamen illi ſua ſunt aſſignata; & civitati convenit eum defendere, ut donum conſecratum. Multas quis cauſas adferre queat, cur non oportet Gorgiam ſophiſtam apud Delphos ſtare, præſertim ſublimem & aureum Gorgiam dico; ubi ſanè & Phrynes illius Theſpiadis imaginem cernere licet, eo ſtatu quo Gorgiam. Sed enim rectum eſt, & legitimum fortaſſe, & è republica. Poſt conſecrationem verò venire quoſdam, & convellere conari decreta, contra rempublicam eſt, & grave, nemoque Amphictionum ſuſtinuiſſet. Etenim ſi erecti ſunt quos non oportuit, id quod erecti ſunt præſumentes, jurè erexiſſe anteceſſores exiſtimant. Quemadmodum enim inter eos qui in annuum magiſtratum eliguntur, ſi quis ſit indignus magiſtratu, eum tamen annum in quem electus eſt, profungitur magiſtratu: ſic autem & in ſtatuis tempus valere oportet, in quod poſitæ ſunt: eſt autem illud, omne reliquum ſequens tempus.

Alioqui quid differetis ab iis, qui luteas ſtatuas fingunt? Quid verò honeſti dicere habebitis iis, qui à nobis flagitant rationem, cur honores apud vos quidem ſint mortales, ignominiæ autem immortales? Si igitur neque turpe hoc eſt, tametſi ſit acerbum: certè ſupra modum inflatæ reipublicæ eſt, ſtatuas eſſe annuas, tanquã fructus. Quas enim non ut confeſtim deficiant, ſed quàm plurimũ tempus perdurent, æneas ponitis, eas demonſtratis cereis molliores. An ideo per Iovem, quod poſtea malos eſſe eos, quorum ſunt, compertum eſt? Si quidem poſtea mali facti ſunt, non abſolvunt civitatem ab intentata lite. neque enim futurorum, ſed præteritorum factorum gratia vos dediſtis honores. Si verò quis prius talis fuit, & poſtea quoque talis permanere obſervatus eſt, utrum putatis magis apud Græcos vobis laudi verſum iri, an quum prius bene decreveritis facere, ut vocemini in jus ob judicium reſciſſum, an ob conſtantem in ſemel decretis perſeverantiam? Ego equidem hoc poſterius puto. Illud enim eorum qui proſpera uſi ſunt fortuna, hoc verò conſtantium hominum eſt.

Nondum dico id quod maximum eſt, quod neq; ex calumnia, ſed condemnatione: neque ex qualibet, ſed ex maxima cauſa, talem diſtributum honorem ſubvertere oporteat. Ob calumniam enim & Socrates eſſet adoleſcentium corruptor, omniumq; quæ apud homines ſunt legitimorũ ſubverſor, initio à diis facto. Quos enim non calumniis agitarunt illi, qui omnia calumniantur? Nonne Socratem? Nonne Pythagoram? Nonne Platonem? Nonne ipſum Iovem & Neptunum & Apollinem, alioſque deos? Attingunt autem & fæminas, quas magis erat quàm mares venerari. Nunc auditis enim quæ dicant de Cerere, de Venere, & de Aurora. Neque à Minerva abſtinent, neque à Diana: ſed hanc quidem denudant coram Actæone, & conjungunt Vulcano, & ex virgine propemodum matrem faciunt. Hæc quum ſciatis, admiramini, ſi quod juxta hoc vituperiũ proditũ eſt, quòd effugere nemini prorſus licuit eorum qui cum gloria vixerunt? Anſam autem accepit ex ſermonum, ſive venuſtatem eam, ſive quid aliud vocare convenit. Hoccine & vos cum mulierib. & pueris approbabitis, neque conſiderabitis? Non recordabimini apud voſmetipſos, nunquid tale ab illo apud vos factum ſit? Quanquam civitatem habitatis inter omnes quæ ſunt, quæque fuerunt, maximè veneream, ſed tamen nihil audiſtis: confidenter autem dixerim, quòd neque alius quiſpiam Græcorum.

Itane ergo eum qui in Græcia cum majori facultate indulgentiaque vixit honeſtè, Romæ apud ipſum principem legeſque putatis immutatum? Cæterum hoc ejuſmodi foret, ut ſi quis athletam diceret apud ſe rectè ſe gerere, in ſtadio autem & circa ludorũ præfectum peccare. Libertate autem loquendi duplici utor: una, propter unum conſcium: altera, propter ludorum præfectum, cui creditum eſt omne ſumere ſupplicium à delinquente, & ſi quid audiret, inquirere quicquid ille feciſſet. Vos autem fidem ſequimini hominum, de quibus ego nihil dicam, ut vindicans: niſi quod juſtius fuerat, ut illi vos ſequerentur, quàm vt vos illos. Vos enim jam eſtis, ut habet proverbium, prora & puppis Græciæ, beati & divites: & ſimilia habetis nomina ab antiquis temporibus, à poetis & diis attributa. Fuerunt quidem & alii divites & potentes: nunc autem ex quo divitiæ defecerunt Orchomenon & Delphos, miſericordia quidem vobis poſſunt eſſe ſuperiores, felicitate autem nemo. Et hæc quidem pro civitate dicta ſint, quam non oportet apud Græcos turpitudinis condemnari: quando eum qui à vobis dejectus eſt, omnes libenter ſuſcipiant: ſed & vocent, & legatos mittant, & honoribus eum cum aliis honorent, tum etiam imaginum conſecratione.

Pro me autem, proque imagine nunc eum dicam ſermonem, quem dixit Anaxagoras, quum filium amiſiſſet: Sciebam me mortalem genuiſſe. An nonnoveram, quòd quæq; harum ſtatutarum conſecretur quidem ut futura æterna: corrumpatur autem alia alio fato, communiſſimo quidem & juſtiſſimo & rebus omnibus propoſito, nempe longinquitate temporis? Poeta auté fruſtra gloriatus eſt, qui illud epigramma fecit, quod Midæ ſepulchro ajunt inſcriptum eſſe:

Aerea ſum virgo, monumenta Midæ ſuper aſto,
Ardua florebunt dum ligna, & flumina current

Per

Perdurans super hoc perquàm lugubre sepulchrum,
Hospitibus narrabo Midan hic esse sepultum.

Sed ô virgo nuncia, poetam quidem audimus: te autem quærentes, non invenimus, neque Midæ sepulchrum. Flumina autem illa & ligna adhuc quidem florent, curruntque: tempore verò hæc cum aliis defectura videntur ut Midas, utque virgo.

Est epigramma, quod quatuor statuas testatur esse positas, viro cuidam, & equo, & cani, & famulo. viro nomen Hippæmoni, equo autẽ Podargo, cani Lethargo, famulo Babeti. Quis nunc Græcorum novit, nedum equum, sed ipsum Hippæmona? Imò ne Macetũ quidem quenquam nosse putamus, unde oriundus erat Hippæmon. Hic igitur ex hominibus sublatus est, unà cum Babete & Podargo. Alii autem stant & cognoscuntur, inscriptionem autem habent aliorum. Et factum est ejusmodi, cujusmodi in musicis carminibus est antispasticum. Epigramma quidem ad Romanam linguam compositum est: & quodámodo vicissim docent poetæ mores quidem Græcorum, fortunas autem Romanorum. Spectavi & Alcibiadem illum pulchrum Cliniæ gnatum, haud scio ubi propè spectaverim, in loco honesto Græciæ, inscriptionem habentem Acnobarbi. Alterum autem abscissis manibus, qui dicebatur Polycleitarris esse. Spectaculum acerbum, ô terra & sol, Alcibiades mutilatus. Scio ego & Harmodion & Aristogitonem serviviсse inter Persas, & Demetrii Phalerei mille & quingentas statuas ab Atheniensibus una eademque die omnes destructas. Ausi sunt & Philippi regis matulas comparare. Athenienses igitur imaginem ejus urina perfuderunt: ille autem civitatem sanguine & cinere & pulvere. Quippe odiosum erat, eundem virum modò inter Deos ponere, modò ne inter homines quidem pati. Ita ne ergo ego qui hæc novi, quod homines ne diis quidem parcant, statuam vobis videor curare? Et alios quidem nunc silentio volo præterire, sed Isthimiũ illum vestrum ludorum præfectum Mummius ex fundamentis detraxit, consecravitq; Iovi (heu ruditatem) fratrem tanquam dicatum. Homo ineruditus, nihilque honesti expertus, qui Philippum Amyntæ, illum ex Thespiis acceptum, inscripsit: & juvenes ex Pheneo, unum Nestorem, alterum Priamum. Populus autem Rom. se illius gnatos videre putabat, videns Arcadas ex Pheneo. Hæc igitur & ridere licet.

Res autem seria mihi incidit, quod Agesilaum Lacedæmoniorũ regem, beatum dicere ob sententiam convenit, qui nunquam corporis sui imaginem neque expressam fieri voluit: non quia claudus erat, ut ajunt, & parvæ staturæ (quid enim prohibuit, quò minus statua grandis esset? quid quo minus integris pedibus quemadmodum Euphranoris Vulcanus?) sed hoc ille accuratè vidit, quod nõ oporteat humanas fortunas extendere, neque periculum subire circa corpus in lapide & ære. Vtinam enim etiam à corpore liberari possemus. Valeat autem Dædalus, & Dædali expressæ similitudines. Sufficiunt illæ Promethei, sufficit & lutum. Atqui & corpus, generosorum quidam dicit alienum esse, quandoquidem inter corpus & animam admodum multa intersunt. Hoc enim non adest, neque curat, si corpus affligitur.

Insaniebat Cambyses, Amasis Aegyptiorum regis cadaver lancinans, & virgis cædens. Aegyptii etiam dicunt, Amasin ex multo tempore Cambysis sævitiam habuisse suspectam: ideoque suũ corpus jussisset abscondi, aliudque pro illo subjicere: atque illud esse, in quod inciderit Cambyses. At ô Aegyptii & Cambyses, sive alterius cujusdã corpus fuit quod talia passum, sive ipsius Amasis, forma fuit sine sanguine, sine carne, sine anima. Illam, si placet, trahe, & lacera, & lancina; Amasin autem non comprehendisti. Alius autem quidam vivens, spirans, sentiensque: Tunde tunde, inquit, Anaxarchi arculam: Anaxarchum enim non tundis. Hic enim in mortarium conjectus, verberatusque pistillis, sese ipse dixit non tundi, sed id quo erat amictus: quemadmodum ajunt Persarum nobiles, plagas accipere non in corpore, sed vestimento. Persæ igitur usque adeò plagas ægrè ferunt, Græcus a. vir corpus ad verberandũ præbuit tanquam vestimentum. Et nos non præberemus statuam ad tripudiandum, si sentiat? Nunc verò ea melior est, quam ut sentiat.

Ego vero Euripidis & Laodamiam haud possem prodere, quãquam inanimum amicum. Volo eum igitur tanquam sentientem consolari: O meorum sermonum tacitum idolum, non appares? At neque ille qui ante te fuit, Aristeas. Sic enim & illius res habuit, qui mihi assimilatus est, ut erectus quidem sit à Proconnensibus, demolitus autem ab inimicis: sparsusque sit sermo ab illis ipsis, quod neque vivus neque mortuus appareret Aristeas. Sed & tunc & nunc, & in omne tempus vivebat Aristeas. Quin etiam aliud nostri recordari ajo. Prorsus enim bene dixit Sappho, multoque melius Hesiodus:

Nulla parit fama omnino, quam multus ubiq;
Divulgat populus: si quidem quadam dea & ipsa est.

Ego te erigam apud deam hanc, unde te nemo deturbabit: non terræmotus, non ventus, non nix descendens, non pluvia, non invidia, non inimicus: imo & in præsentia testantem deprehendendo: Oblivio enim jam multos quidem alios decepit & fefellit, animus autem bonorum virorum neminem. *Oratione 37.*

¶ ROMANORUM.

Trajanus Imp. Plinio Iuniori: Statuam poni mihi à te eo quò desideras loco, quamquam ejusmodi honorum parcissimus, tamen patior; ne impedisse cursum ergà me pietatis tuæ videar. *libro decimo Epistola 25.*

Plinius Iunior: Est adhuc curæ hominibus fides & officium: sunt qui defunctorum quoque amicos agunt. Titinius Capito ab Imperatore nostro impetravit, ut sibi liceret statuam L. Sullani in foro ponere, pulcrum & magna laude dignum, amicitia Principis in hoc uti; quantumque gratia valeas aliorum honoribus experiri. Est omnino Capitoni in usu claros viros colere. mirum est quà religione; quo studio imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum domi, ubi potest, habere. idem clarissimi cujusque vitam egregiis carminibus exornat. Scias illum plurimis virtutibus abundare, qui alienas sic amat. Redditus est L. Sullano debitus honor, cujus immortalitati Capito prospexit pariter & suæ. neque enim magis decorũ & insigne statuã in foro populi Ro. habere quã ponere. *Ep. 17.*

Plinius Iunior: Heri à Senatu Vestricio Spurinnæ, Principe auctore, triũphalis statua decreta est; non ita ut multis, qui nunquã in acie steterũt, nunquã castra viderũt, nunq̃ deniq; turbarũ sonũ nisi in spectaculis audierunt, verùm vt illis q decus istud sudore & sanguine factis assequebantur. nã Spurinna Bructerũ regevi & armis induxit in regnũ; ostentatoq; bello ferocissimã gentem (ꝙ est pulcerrimũ victoriæ genus) terrore perdomuit. & hoc quidẽ virtutis præmiũ: illud solatiu doloris accepit, ꝙ filio ejus Cottio, quẽ amisit absens, habitus ẽst honor statuæ. rarum id in juvene: sed pater hoc quoq; merebatur, cujus gravissimo vulneri, magno aliquo fomẽto medendũ fuit. præterea Cottius ipse tã clarũ specimẽ indolis dederat; vt vita ejus brevis & angusta debuerit hac velut immortalitate proferri. nam tanta ei sanctitas, gravitas, auctoritas etiam, ut posset senes illos provocare virtute, quib. nunc honore adæquatus est. quo quidem honore (quantũ ego interpretor) non modò defuncti memoriæ & dolori patris, verùm etiam exemplo prospectum est. acuent ad bonas artes juventutem, adolescentib. quoq; digni sint modò, tanta præmia constituta: acuent principes viros ad liberos suscipiendos, & gaudia ex superstitibus, & ex amissis tam gloriosa solatia, His ex causis statuam Cottii publicè lætor, nec privatim minus. amavi consummatissimum juvenem tam ardenter, quàm nunc impatienter requiro. erit ergo pergratum mihi, hanc effigiẽ ejus subinde intueri, subinde respicere, sub hac consistere, præter hanc meare. Etenim si defunctorum imagines domi positæ dolorẽ nostrum levant; quanto magis eæ quibus in celeberrimo loco, non modò species & vultus illorum, sed honor etiam & gloria refertur. *lib. 2. Epist. 7.*

Plinius: In delubra nonnisi adoraturus intras. tibi maximus honor excubare pro templis postibusque prætexi: sic fit ut Dei summũ inter homines fastigium servent, cùm Deorum ipse non adpetas. Itaque tuam statuam in vestibulo Iovis opt. max. unam alteramve, & hanc æream cernimus. aut paulò ante aditus omnes, omnes gradus, totaque area hinc auro hinc argento relucebat, seu potius polluebatur; cùm incesti Principis statuis permixta Deorũ simulacra sorderent. Ergo istæ quidem æreæ & paucæ manent, manebuntq; quandiu templum ipsum: illæ autem aureæ & innumerabiles strage & ruina publico gaudio litavere. Iuvabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sævire securibus, ac si singulos ictus sanguis dolorq; sequeretur. nemo tam temperans gaudii seræq; lætitiæ quin instar vltionis videretur cernere laceros artus, truncata membra; postremò truces horrendasq; imagines abjectas excoctasque flammis, vt ex illo terrore ac minis in vsum hominum ac voluptates ignibus mutarentur. *cap. 52. paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Ac mihi intuente sapientiam tuam, minus mirum videtur quod mortales istos caducosq; titulos, aut depreceris, aut temperes. scis enim ubi vera Principis, ubi sempiterna sit gloria, ubi sint honores in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. arcus enim & statuas, aras etiam templaq; demolitur & obscurat oblivio, negligit carpitque posteritas. contrà contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor ac frenator animus, ipsa vetustate florescit, nec ab ullis magis laudatur quã quib. minimè necesse est. Præterea ut quisque factus est Princeps extemplò fama ejus incertum bona an mala, ceterùm æterna est. non ergo perpetua Principi fama quæ invitum manet, sed bona concupiscenda est. eà porrò non imaginibus aut statuis, sed virtute ac meritis propagatur. Quin etiam leviora hæc, formam principis figuramque, non aurum melius vel argentum, quam favor hominum exprimat teneatq;, quod quidem prolixè tibi cumulateque contingit; cujus lætissima facies & amabilis vultus in omnium civium ore, oculis, animo sedet. *cap. 55. panegyrici ad Trajanum.*

Nazarius Orat. in Aug. Constantinum Ecce enim, proh dolor, venerandarum imaginum dejectio acerba, & divini vultus litura deformis. O manus impiæ! O truces oculi! ita non caligastis? in quo lumen mundi obscurabatis, meritas ipsi tenebras non imbibistis? Commovere tandem conscia virtus, nec permittas hoc furori, cui de te aliud non licebat. Sed quid tandem assequeris cæca dementia? aboleri hic vultus nõ potest: universorum pectorib. infixus est, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis renitet, sed desiderio efflorescit animorum. una demum Constantini oblivio est, humani generis occasus. Nunc verò commendabiliorem injuria tua faciet patientiam tuam: avidius expetent quem pictura non reddit. flagrantiora sunt animorum desideria cùm oculorum solatia viderunt. *cap. 12. sub finem.*

Symmachus: Statuas etiam recepistis, iisdem penè populi acclamationibus, quibus amiseratis. Rides? & libet rideas affatim. *lib. 1. Epist. 40. f.*

Symmachus: Mones æquo animo feram vel æmulorum facta improba, vel Gnatorum fœda decreta. Convenit studio atque ingenio nostro consilii tui qualitas. Nullius quippe tam vehemens nequitia est ut motu meo digna sit. An ego istud feram moleste, qui noverim Marcellorum monumenta sublata Verre Prætore, & Marianis trophæis nequaquam manus invidas pepercisse? In sola conscientia est fructus & ratio virtutis. Nihil moror statuas & publica falsa titulorum.

Quæ fucum faciunt Provincialium oculis, quæ animis, occiderint. Quod si mihi ullus honor testimonii publici affectandus foret; judicio tuo & similium contentus esse deberem, vel fidicinis exemplo, qui indignatus considentium turbam, sibi & Musis cantum ciebat: vel secundum Heraclitum Physicum, qui summam laudis arbitrabatur placere uni, si esset optimus qui probaret. Quare esto securus patientiæ nostræ, & congratulare mihi quod solus torqueo corda liventium: cùm alii quibus statuæ quoquomodo tributæ sint, nihil habeant invidendum. *lib. 9. Epist. 105.*

Symmachus: Et quia omne præmium, dum beneficiis vestris confertur, angustum est: invenit Ordo amplissimus amabilem vicem, qua se gratum probaret. Nam fæminæ vestræ & stirpis auctorem, Africanum quondam & Britannicum ducem, statuis equestribus inter prisca nomina consecravit, qui felicissimum sidus, & imperio salutare progenuit. Sic coluntur quorum liberi ad bonum publicum nati sunt. At vero populus Imperialis munificentiæ pignoribus expletus, in amorem vestrum prompta inclinatione concessit. *lib. 10. Epist. 22. m.*

Symmachus. Licet Vettius Prætextatus naturæ lege resolutus sit, vivit tamen in memoria & amore cunctorum: atque hoc uno punit invidiam, quòd tantum ei mors ad gloriam contulit, ut huic quoque fortunæ livor debeat invidere, DD. Imperatores. Nam præter illum populi Romani inusitatum dolorem, etiam Senatus impatiens dispendii sui, solatium petit de honore virtutis: vestrũque numen precatur, ut virum nostra ætate mirabilem, statuarum diuturnitas tradat oculis posterorum: non quòd ille præmia terrena desideret, qui gaudia corporis, etiam cùm hominem ageret, ut caduca calcavit; sed quia ornamentis bonorum incitatur imitatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Hinc factum est, ut rusticis adhuc sæculis optimi quique civium manu & arte formati in longam memoriam mitterentur. Atque utinam nihil huic decori facilitas adulantium postea derogasset: quamvis paria non sint quæ dispari arte quæruntur. Dignum est igitur, ut qui in pectoribus omnium manet, sit in ore plurimorum. *libr. 10. Epistol. 25.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 61. ad Nemesium.

Sufficis unus enim multis sermonibus unus,
Distinctum si quisq; velit tua gesta referre;
Non secus ac magni fluvij divisa fluenta.
Te rursum in tabulis mutum, licet ore diserto,
Altera pars sublime ferat, vel cudat in ære,
Vrbibus in medijsq; locet, decoretq; locando
Oppida. quippe ducum facies vel sola bonorum
Venturis conspecta viris decus urbibus amplum est.

Phædrus fine lib. 2. Fabular.

Æsopo ingentem statuam posuere Attici
Servulumq; collocarunt æterna in basi,
Patere honoris scirent ut cuncti viam,
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.

Incertus de Romæ Deorum imaginibus.

Hic superum formas Superi mirantur, & ipsi
Se cupiunt fictis vultibus esse pares.

Sterilitatis.

¶ Sententiæ Patrum.

D. *Nazianzenus:* Vnde sterilitates, & à ventis invectæ labes, & grandines, præsens nostra plaga & admonitio? Vnde aeris corruptiones, & morbi, & æstuantis terræ tremores, & maris sese in altum attollentis impetus: & cælitus orti terrores? & quonam pacto creatura, ad hominum usum & commoditatem effecta, communes inquam & æquales deliciæ, ad impiorum pænam immutetur, ut, quibus ornati gratias non egimus, his etiam erudiamur, atque ex his, quæ patimur, potentiam agnoscamus, quandoquidem ex acceptis beneficiis eam haudquaquam agnovimus? Quonam modo aliis de manu Domini duplicia peccata tribuuntur, ac vitii mensura per duplicitatem impletur, secundum quam etiam Israel castigatur: aliis rursus per septuplum in sinum redditum peccata exhauriuntur? Quænam Amorrhæorum mensura nondum cumulata? Quonam pacto peccator, aut dimittitur, aut rursum supplicio afficitur: illud, quia fortasse ad alteram vitam reservatur, hoc, ut ea ratione ad sanitatem revocetur? Quonam item pacto vir justus, vel ærumnis premitur, ut fortasse tentetur: vel læta omnia habet, ut conservetur: siquidem animo pauper sit, ac non supra ea, quæ in oculorum sensum cadunt, admodum evectus: & ut conscientia, hoc est domesticum & verum tribunal, horum utrumque docet? Quænam hæc plaga, & unde: Vtrum ut virtus nostra exploretur, an ut improbitas vindicetur? quanquam præstat velut ob pænam (etiam si aliter res se habeat) animos demittere, ac sub potenti manu Dei humiliari, quàm velut ob probationem in altum efferri. Hæc doce, atque admone ne ob præsentem plagam gravius discruciemur, aut, quod plerique faciunt, in profundum malorum prolapsi, contemnamus: verùm prudenter in hac castigatione nos geramus, ne ad hanc obstupescentes, majorem accersamus. *Oratione 16.*

Orosius: Neminem esse arbitror, quem latere possit, quod hominem in hoc mundo Deus fecerit: unde etiam peccante homine mundus arguitur, ac propter nostram intemperantiam comprimendam, terra hæc in qua vivimus, defectu certorum animalium, & sterilitate suorum fructuum castigatur. *adversus Paganos cap. 1. lib. 2.*

Ennodius. Est in Christianis hominibus fæcunda sterilitas; & maximum solatium sæculi, adjutoria non habere. *libr. 8. Epistol. 5. m.*

¶ Oratorum Romanorum.

Quintilianus Senior: Non semper fæcunditas properat. aliquando dilata veluti pleniores fructus reddit. *Declamatione 251. m.*

Symmachus: Honoraverat lex parentum Vestales virgines ac ministros Deorum victu modico justisque privilegiis. Stetit muneris huius integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum sacræ castitatis alimenta verterunt. Secuta est fames publica, & spem provinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum. Nihil imputamus austris. Nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit. Sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Certè si est huius mali aliquod exemplum, imputemus tantam famem vicibus annorum. Gravis hanc sterilitatem aura constrinxit. Silvestribus arbustis vita producitur, & rursus ad Dodonæas arbores plebis rusticæ inopia convolavit. Quid tale proavi pertulerunt quum religionum ministros honor publicus pasceret? Quando in usus hominum concussa quercus? quando vulsæ sunt herbarum radices? quando alternos regionum defectus deseruit fæcunditas mutua, quum populo & virginibus sacris communis esset annona? Commendabat enim terrarum proventus victus antistitum, & remedium magis quàm largitas erat. *lib. 10. Epist. 54. m.*

¶ Poetarum.

Prudentius lib. 2. adv. Symmachum.

Palladijs quod farra focus, vel quod stipis ipsis.
Virginibus, castisq; thoris alimenta negentur,
Vestales solitis fraudentur sumptibus ignes;
Hinc ait & steriles frugescere parcius agros,
Et tristem sævire famem, totumq; per orbem
Mortales pallere inopes, ac panis egenos.

Prudentius lib. 2. adv. Symmachum.

Sit fortasse aliquis paullo infecundior annus,
Nil mirum, nec in orbe novum didicere priores,
Perpessi plerunq; famem, si tabidus aer
Siccavit tenues ardenti sidere nubes,
Nec vernas infudit aquas creberrimus imber
Fruge nova, & viridis si messis adulta, priusquam
Conceptas tenero solidaret lacte medullas,
Afflatum calido succum contraxit ab Euro,
Iejunosq; tulit calamos, atq; irrita vota
Agricolæ sterilis stipularum silva fefellit.

Idem adhuc.

Antiquis elementa labant erroribus, ac de
Legitimo discussa modo plerunq; feruntur
In casus alios, quàm lex jubet, aut iter anni.
Nunc consumit edax segetem rubigo maligni
Aeris ex vitio; nunc culpam vere tepenti
Post Zephyros gelidi glacies Aquilonis inurit,
Ambustumq; caput culmi fuligine tinguit.
Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
Continuis nimijsq; perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem telluri affigere fibram.

Mox

Mox erecta solo glacie sidente superfit,
Nudaq; subducto radix avellitur arvo
Ancipites tribuli subeunt, & carduus horrens:
Hos fert sicca situ, hunc ebrius educat humor,
Temperies effusa minus vel plus agit istos
Terrarum morbos, & mundum vulnerat ægrum.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Annus inferax supremi est pœna justa Numinis.
Et diu dilata surgit latius fæcunditas.
Ex agro Campano audire nuntium nequis malum.
Luxus quò vis invenitur fertili fere in solo.
Non à sole, sed à rege, sterilitatis est malum.
Poma non fert arbor omni semper anno; habet vices.
Post malam messem secundo tardior fit rusticus.
Tale cælum ubiq; qualis gens item mortalium est.

§ JAMBICA.

Anni mali auctor rex malus; certè haud Deus.
Anno malo, annus ipse Princeps sit bonus.
Annona semper rege sub malo arctior.
Indicitur malis sterilitas publicis.
Regi malo annus esse quei queat bonus?

Stipendii.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

XEnophon: Quum egressi essent, Cyrus ad Cyaxarem hoc uti sermone cœpit. Equidem ad te, Cyaxares, ita veni, ut multas mecum pecunias meas domo non adferrem: quas autem habebã, de iis perpusillum aliquid mihi reliquum est, quod eas in militem expenderim. Ac tu fortasse miraris, quo pacto expenderim, quum tu militem alas. Verum scire te volo, non aliter expensas, quam tribuendis præmiis, & largiendo, quoties aliquem militum lupi cerem. Nam hæc mea sententia est, quoscunque sibi quis animo adjungere quocumque in negotio conficiundo velit, eos suavius esse, bene tum dicendo tum faciundo potius excitari: quam offendendo, & cogendo. Ad res quidem bellicas si quispiam conciliare sibi socios alacres studeat, eos omnino & dictis bonis & factis captandos arbitror. Amicos enim, non hostes oportet esse, qui nobiscum sine recusatione sint pugnaturi, nec in secundis imperatoris rebus invidi, nec in adversis futuri sint formidolosi. Hæc igitur ego quum animadvertam pecuniis mihi pluribus opus esse puto. Vt autem in omnibus unum ad te respiciam, quem sumtus graves facere satis intelligio, mihi quidem absurdum videtur. Itaque cõmuni consilio providendum utrique arbitror, ne pecunia te deficiat.

Nam si ejus tibi sit copia, scio mihi quoque facultatem accipiendi non defuturam, quum opus erit: præsertim si eam in ejusmodi quemdam usum accepero, in quem expensa tibi quoque majus commodum adferat. Nuper igitur audire de te memini, Armenium te modo contemnere, qui hostes adversum nos adventare audiat: ac neque copias mittere, neque tributum debitum adferre. Nimirum, inquit, facit hæc ille, mi Cyre: ut equidem dubius sim animi, an expediat hominem bello adgredi, & ad cogendum vim adhibere: an magis profuerit, in hoc quidem tempore missum eum facere, ne hunc etiam ceteris hostibus nostris adjungamus. Tum Cyrus iterum interrogabat: Num vero domicilia munitis in locis habent, an iis, quæ adiri facile possint? Habent domicilia respondit Cyaxares, non admodum munitis in locis. Nam illam ego rem non neglexi. Sunt tamen montes, in quos si se recipiat, sic esse tutus possit, ut nec se ipsum statim hosti dedere, nec quæcunque in illos suvexerit, necesse habeat: nisi quis eum diutius ibidem hærendo obsideat, quemadmodum pater meus olim fecit. Tum Cyrus: Si mittere me voles, inquit, tanta equitum manu mihi adjuncta, quanta tibi suffectura videbitur: arbitror me Diis bene juvantibus effecturum, ut & copias mittat, & tributum tibi pendat. Immo præter hæc spero confore, vt multo nobis, quam nunc est, sit amicior. *cap. 29. libri 2. Cyropædiæ.*

Xenophon: In Medorum regionem Cyrus quum pervenisset, suis cohortium præfectis pecunias dedit, quantum cuique satis esse arbitrabatur: ut illis etiam non deesset, vnde honoris ergo suos ornarent, si quos magni facerent. Existimabat enim, si quisque partem exercitus sibi mandatam efficeret talem, ut laudari meretur: erat futurum, vt totus exercitus egregie comparatus esset. Quin & ipse, si quid videret, quod exercitui posset esse ornamento, id ubi adquisivisset, dignissimis quibusque donabat. Nam arbitrabatur, quidquid in exercitu pulchrum esset ac præclarum, id omne sibi ornamento cedere. Quando autem accepta distribuebat, huiusmodi verbis inter cohortium præfectos, & manipularios, & omnes illos, qui erant apud ipsum in honore, utebatur: Frui quadam, amici, lætitia in hoc tempore videmur, tum quod opum copia quædã nobis accesserit, tum quod nobis sit, unde honorem habere liceat iis, quibus visum fuerit: & existimare, quibus quisque præmiis sit dignus.

Omnino autem revocandum nobis est ad animum, cujusmodi studia nobis hęc commoda pepererint. Nam si rem considerabitis, reperietis hæc vos consequutos; & vigilando, quum opus erat, & laborando, & accelerando, & nihil hosti cedendo. Quapropter deinceps quoq; viri fortes sitis necesse est, atque etiam statuatis, voluptates magnas, & ingentia bona non nisi ab obœdientia, & tolerantia, & ferendis, ubi possit occasio, laboribus periculisque proficisci. *cap. 18. lib. 3. Cyropædiæ.*

§ ROMANORUM.

Io. Sariberiensis: Miles nec exerceri, nec ad pugnam utiliter vocari solet, cui stipendia non succedunt. Si enim subtrahas alimentioi miles obsequium negabit aut fidem. Fames enim ut dici solet, pugnat interius, & sola hæc quæ tutissima videntur expugnat. Nescit plebs jejuna timere. si verò alimenta processerint, nunc timore pœnæ, nunc præmiorum spe ad officium incitetur. *lib. 6. Policratici cap. 19.*

STRATAGEMATIS.

Xenophon: Quin bellum esset denunciatum, ex eo fraude uti jus ac fas esse censebat Agesilaus. *cap. 7. vita ejus.*

§ APOPHTHEGM. SACR.

Gedeon. Pugnaturus adversus numerosissimas Midianitarum copias, narratione & explicatione cujusdam somni confirmatus, trecentis tantùm viris in aciem eductis, & in tria agmina distributis, tradidit buccinas in manum cujuique eorum, & hydrias vacuas, erantque faces in medio illarum hydriarum. Et edixit eis, Me versus respicitote, & sic facitote: cùm ecce ego veniam ad extremitatem istorum castrorum, esto vt quemadmodum faciam sic faciatis. Clangam enim buccina ego & quicunque erunt mecum: quare clangitote vos buccinis quoque circum tota ista castra, & dicite, Iehovæ & Gedeonis gladius. Mirus & magnificus fuit hujus strategematis eventus, ad internecionem deletis CXX. M. Midianitarum. *Vide 7. & 8. cap. hist. Iudicum.*

Strenæ.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

S*Asterius:* Quem habeat finem & originem horum dierum celebritas, obscurum & incertum. Nam fabulæ quæ multæ narrantur, sese invicem facile subvertunt, ac veri plane nihil. Deinde cum paucos admodum gaudii compotes, tum plures longe tristes animique ægros video, quamquam læta serenaque fronte dolorem tegunt & obumbrant: omnia denique strepitu plena ac tumultu, turbãq; mutuo sese impellentem. At est anni ineuntis læta quædam recordatio. Quam læta quæso, bone vir? Ante omnia quidem congressus imaginem intuebor qualis sit, ut plena suspicionis ac minime amica. Salutatio tenui inclinataque voce profertur, succeditque osculum muneris initium, & suavium quidem pangitur, numisma autem expetitur, obtentuque caritatis avaritiæ litatur. Nam pura ac sincera amicitia humanitatis officia non vendit; gratis præstat & citra mercedem. Circumfertur itaque passim ac donatur auri magna copia, sine justo aliquo vel specioso donationis titulo ac prætextu. Nuptiæ non sunt, nec superfiientis ambitionem sponsi vocare potes.

Nec est item quod eleemosynam sumptum eum appellemus, unde nullum pauperibus commodum aut levamentum: non etiã contractum, vbi mutuum non fit aut ulla permutatio: donationẽ multo minus, cui necessitas adhæret. Quemadmodum igitur & festum hoc & sumptus hos indigetabimus? equidem non reperio. Vos agedum indicate qui colitis & celebratis: reddire rationem, sicut nos divinarum feriarum, quæ vere feriæ & dici debent. Natalem enim celebramus, quod eo tempore sese Deus in carne mortalibus ostendere cœpit. Luminum festum agitamus, quia per peccatorum remissionem tamquam ex obscuro prioris vitæ carcere lucidam ad vitam atque liberam eximus. Iam vero die Resurrectionis ornatiorem cultum assumimus, magnamque lætitiam præferimus, quod ea dies immortalitatem nobis & meliorẽ felicioreq; statum manifestũ reddit. Atq; ita deinceps de ceteris. Ad summam, nulla res est humana, cujus non aliqua ratio reddi possit: & si quid forte ejusmodi, quod rationem aut scopum non habet, meræ nugæ sunt. O rem ineptam & absurdam! Omnes alienam sperantes inhiantesque discurrunt & vagantur: qui munus dederunt, dolent; qui acceperunt, sibi non retinent aut servant.

Transmittitur enim ad alios, & quod quis à cliente donum accepit, eo suum ipse patronum aliquem muneratur. Fluxum & inconstans huius lucis aurum est, & quasi sphæra lusoria ab alio

statim

ſtatim ad alium tranſit. Novis hic munerandi modus, novum cultus obſequiique genus cum indeprecabili penſitationis ſive tributi neceſſitate conjunctum. Nam major & dignitate præſtans ipſa vultus ſui reverentia movet; minor petit, atque omnes tamquam gradibus in ſinus potentiorum exhauriuntur.

Quod in aquarum denique confluentibus accidit, hoc tempore videre eſt. Illic enim tenuis minutuſque rivulus in alium majorem influit, & hic alio rurſus grandiore & magis exundante abſconditur: atque adeo minores multi rivi conjuncti, vicini fluminis acceſſio fiunt. quod & ipſum diem alterius mage majoris, atque ita deinceps, dum extremum lato profundoque mari miſceatur. Feſtum hoc non feſtum, & mendaci prorſus nomine plenum acerbitatis ac moleſtiæ: grave prodeuntibus in publicum, grave domi remanentibus.

Viles enim de plebe homines, agyrtæ & ſcenici præſtigiatores in turmas diſcreti, nulli non domi clamoribus ac plauſibus, velut fauſta precantes moleſtiam exhibent. Et circa januas quidem eorum qui tributa cogunt & exigunt pertinacius hærent, donec tandem qui intus obſidetur tædio moleſtiaque expugnatus, pecuniam projiciat quam habet & quam non habet. Quin alterius ad fores accedunt, nec ante veſperam ulla mali remiſſio. Cœtus cœtum excipit, clamor clamorem, jactura jacturam. Egregium hoc feſtum, æris alieni cauſa ac fænoris, paupertatis occaſio, miſeriarum initium.

Si quis ob fortunarum tenuitatem fidem non habeat, quique mutuum det inveniat neminem, trahitur ac vexatur, ut ille qui foro cedens fiſcum ac vectigalia regia deſeruit: plorat perinde quaſi bonorum proſcriptione multetur: lamentatur, ut qui latronum in manus inciderit, cuſtoditur. verberatur. Si pauxillum aliquid domi conditum in alimenta conjugis iiſque miſerorum liberum, promitur id & projicitur, ac ſedet ille cum ſuis per feſtum hoc præclarum eſuriens & omnium indigus. Nova pravæ conſuetudinis lex, moleſtias & affanies celebrare, pauperiem & indigentiam feſtum appellare. Hæc præterea dies ſimplicibus teneriſque pueris argenti cupiditatem & amorem inſtillat: hæc ab una ad aliam tranſire domum docet cum munuſculis ac fructibus autumnalibus argento compactis.

Pro quibus duplum ipſum redditur; teneræque mentes ad nundinationes & quæſtum illiberalem informari hinc incipiunt. Quid porro ſacroſanctis optimiſque agricolis hac fieri die ſolet? Abſtinere publico, vicoſque & plateas urbis fugere coguntur magis quam retia lepores. Nam ſi qui deprehenduntur, verberantur, injuria à temulentis adficiuntur, amittunt quæ in manibus, in pace pro hoſtibus habentur, ſubſannantur ac ludificantur, tam verbis quam factis, implenturque contumeliæ optimi noſtri prophetæ, malitiæ omnis expertes, ſimplices & candidæ Dei imagines, fidique in libertate vitæ noſtræ ſervi ac miniſtri. Sic igitur homines dignitate præſtantes, ſic inopes, ſic pueri, ſic agreſtes: alii vexantur, alii murmurant & fremunt, alii diſcunt quæ neſcire pulchrum bonumque foret. Videamus jam quid armatis militibus hoc feſtum proſit. Bonorum jacturam faciunt, luxationiſque & vulnerum mercedem annonam ac cibaria promunt, & prodigunt cum gravi morum diſciplinæque damno.

Condiſcunt enim illiberales & inhoneſtas ſcenicorum artes ac ſtudia, unde mollities ac diſſolutio morum; ludoſque ejuſmodi & jocos, qui legib. & principatui, quorum cuſtodes conſtituti ſunt, minus adverſantur. Summam poteſtatem riſum jocumque faciunt, currum, ut in ſcena, conſcendunt, ſatellitia ficta creant, publiceque & palam agitant quæ propria ſunt mimorum & hiſtrionum. Sed illa tamen pompa auguſtiora: cetera quis enarret? Nonne velato ore in feminam degenerat ille fortis, ille animo præſtãs, ille in armis ſuis admirabilis, hoſtibus formidabilis? Tunicam ad talos demittit, zonam pectori circumvoluit, calceamenta muliebria ſumit, &, more feminarum, capiti crobylum imponit: quin etiam cum lana colum circumfert, dextraque filum ducit, qua tropæum ante tulit, ſpiritumque & vocem in acutiorem & muliebrem ſonum extenuat. Hæ celebritatis huius utilitates: hæc hodierni feſti publici commoda ac fructus. *Homilia in feſtum Kalendarum.*

¶ Romanorum.

Symmachus: Ab exortu pæne urbis Martiæ ſtrenarum uſus adolevit, auctoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ anni novi auſpices primus accepit, DD. Imperatores. Nomen indicio eſt viris ſtrenuis hæc convenire ob virtutem: atque ideò vobis hujuſmodi inſigne deberi; quorum divinus animus magis teſtimonium vigilantiæ quàm omem expectat. Sumite igitur defenſores publicæ ſalutis ſolenniter auro dicta munuſcula: non quia divitis metalli honore gaudetis, ſed ut noſtra devotio felicis ſæculi teſtetur opulentiam. Bonis Principibus bene parta libamus. Suſcipite à Iudicibus aperta obſequia, qui precia occulta damnatis. Merito vobis ſolẽnes pateras cum quinis ſolidis, ut numinibus integritatis offerimus: quibus nec veſter pudor nec noſter cenſus oneratur. Maneat ævum talis circa vos uſus officii: & honorem clementiæ veſtræ interminus annorum recurſus inſtauret. Liberter ſtrenis ſolemnibus Præfectura fungetur, ſtrenuis deferenda. *lib. 10. Epiſt. 28.*

Studii.

¶ Sententiæ Patrum.

D. *Chryſoſtomus:* Impoſſibile, vehementer inquam impoſſibile eſt, eum qui advigilaverit aliquando contemptum iri. *Homilia 27. ad Rom.*

S. Valerianus: Quamvis ſint aſpera & difficilia quæcunque ſunt in excelſis poſita; non dubiè fit ut in apertum campum veniant, ſi itinerantibus nihil deſperationis occurrat. Omne igitur opus, in quo ſtudium humanæ converſationis invigilat, voluntarium requirit officium. nam inæſtimabile eſt, quantum difficultatis accreſcat, ſi hominem voluntas in maxima rerum neceſſitate decipiat.

Nunquam ille bene iter ardui montis aggreditur, cui deſperatio dominatur. Quando autem poteſt fieri, ut corpus adſueſcat labori, niſi voluntas obtemperet laboranti. Reſpice & vide, quam citò ad terram reſilit, qui equum trepidus aſcendit: vel quantis laboret anguſtiis qui invitus altum mare navigaturus ingreditur. *Homilia 3. de via arcta.*

Chryſologus: Si perfecta omnia, ſi robuſta, ſi nullius indiga gigneret & proferret natura, profecto aboleretur pietas, ingenium deficeret, ars periret, aurum obſcuraretur in terra, gemma occultaretur in lapide: utraque tamen invenit, purgat, diſtinguit, elimat opifex diſciplina: & ars eadem uſque ad murenulæ precioſæ ſpeciem, gratiamque perducit: & quod terra naturæ largo de fonte producit, aut aſperatur ſenſibus, aut agreſti luxuria dominante ſylveſcit, niſi ad cultum ſuum ſolers agricolæ revocet induſtria. *Serm. 132. pr.*

¶ Philoſophorum.

Quæcunque inter æquales eſſe plerunque certamina ſolent, in his Cyrus non ad ea familiares ſuos provocabat, quibus ſe ſuperiorem eſſe norat: ſed quibus certo ſciret ſe ſuperari, eorum autor erat, & ſe melius illis ea facturum ajebat. Iamque adeo primus in equos inſiliebat, ut vel ex equis jacula vibraret, vel ſagittas emitteret, nondum ad inſidendum ſatis adſuefactus: quumque vinceretur, ipſe præſertim ſeſe deridebat. Et quoniam propterea, quod ſuperaretur, haudquaquam defugeret illa denuo facere, quibus inferior fuerat, ſed verſaretur iterum atque iterum in experiundo, rurſus ut idem rectius faceret: cito eo pervenit, ut equitando par æqualibus eſſet; cito conſequutus eſt, ut propter rei ſtudium eoſdem à tergo relinqueret: *cap. 19. lib. 1. Cyropædiæ.*

Symmachus: Pro ſtudio præveniri, nullus eſt rubor. *libr. 5. Epiſt. 28.*

¶ Emblematum.

Camerarius V. Cent. 1.

Ardua virtutem. Laurus & Palma in monte ſummo.

Qui laurum & palmam victricem carpere gaudes,
Montis, ſi neſcis, ardua ſcande prius.

Camerarius LXXXVII. Centuriæ 2.

Latet abdita. Sciurus caſtaneam, cortice tandem exuens.

Nucleus arridet? Spinoſa putamina rumpes;
Non vult felices abſq; labore Deus.

Camerarius XCIX. Centuria 4.

Non levis aſcenſus. Cochlea repens in collem.

Diſce puer virtutem ex me verumq; laborem,
Si vera ornari laudis honore cupis.

Camerarius LXVI. Centur. 2.

Inſuetum per iter. Ibex inter rupes.

Rupis inacceſſa Virtus habet ardua culmen;
Huc tendis? Sudor multus ad alta levat.

Plura titulo, *Curæ, Diligentiæ, Laboris, Induſtriæ, Ingenii.*

Studiorum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*Nazianzenus:* Disciplinis porrò, non tam jucundissimis, quã optimis oblectabamur: nam hinc quoque, vel ad virtutem, vel ad vitium, juvenes informantur. Duæ nobis viæ notæ erant, altera prima & præstantior, altera secunda, & inferioris pretii: illa nempe, quæ ad sacras nostras domos, eosque, qui illic erant doctores ferebat: hæc autem, quæ ad externos præceptores. Cæteras omnes, quæ ad festa, spectacula, celebres conventus, epulas, ducebãt, æquo ac libenti animo aliis reliqueramus. Nihil enim, mea quidẽ sententia, magni faciendum est, quod ad rectè honesteque vivendũ nihil affert, nec sui studiosos meliores reddit. *Orat. 20.*

D. Greg. Nyssenus: In more atque hominum consuetudine positũ est, ut omnes iis potissimum studiis sese dent, quorum laude viros illustres extitisse viderint. *Mox:* Et quoniam, neque rebus narrandis exempla ad virtutis perfectionem tantum momenti habent, quantum certè habet tum viva vox, tum maximè exempla, quę res salutares gignunt; jure ac meritò meminimus Patris nostri, &c. *Epist. præmissa oration. de Virginitate.*

D. Greg. Nyssenus: Optimos atque esui aptos pisces à malis ac venenatis ars piscandi decernit, ut ne, cùm pestiferi ex illis aliqui in vasculum irrepserint, optimorum piscium usus inutilis fiat. hoc item veræ temperantiæ munus est, ex omnibus studiis, quod purũ utileve est; id in omni re deligere; quod vero obscurum est an expediat hoc tanquam inutile rejicere. *cap. 18. de Virginitate.*

Chrysostomus: Si quis videtur esse sapiens in hoc seculo, stultus fiat. sicut jubet fieri tanquam mortuum huic mundo. ea autem mors nihil lædit, cùm sit causa vitæ: ita etiam jubet esse stultum huic mundo, hinc nobis veram concilians sapientiam. Stultus autem est mundo, qui externam despicatur sapientiam, ut persuasum habet eam nihil conferre ad fidem comprehendendam. Quomodo ergo quæ est secundùm Deum paupertas est causa divitiarum, & humilitas altitudinis, & gloriam despicere est causa gloriæ: ita etiam stultum esse efficit omnibus sapientiorem. Cur autem non dixit, deponat sapientiam; sed fiat stultus? Vt summè despiciat externam eruditionem. Non sunt enim paria dicere, depone tuam sapientiam, & fias stultus. alioqui autem docet etiam ne erubescamus propter eam quæ est in nobis ruditatem & imperitiam. externa enim admodum irridet. Quamobrem nec veretur nomina: quoniam confidit rerum virtuti. Quomodo ergo crux, quæ videtur esse maximè probrosa, fuit causa bonorum innumerabilium, & fundamentum & radix gloriæ ineffabilis: ita etiam quæ videbatur esse stultitia, fuit nobis causa sapientiæ. *Homilia 10. ad Corinthios 1.*

D. Io. Chrysostomus: Nullum est, nullum est impedimentum, quominus omnes superemus si velimus. Nam si artes quæ vulgi captum superant, adeò recte discimus & exercemus, multo magis id quod non eget tanto labore. Quid enim, dic mihi, est gravius & difficilius quàm per funem extensum ingredi, tanquam in plano solo, & in alto ambulantem se induere & exuere tanquam in lecto sedentem, & res videtur nobis esse adeò horrenda, ut ne velimus quidem spectare, sed timeamus, & ad ipsum aspectum contremiscamus. Quid autem est, dic mihi, gravius & difficilius quam in facie contum suscipere: deinde puero ei imposito facere innumerabilia, & oblectare spectatores? Quid gravius & difficilius quàm in ensibus sphæra ludere? Quid autem est, dic mihi, gravius quàm scrutari profundum maris? Et alias artes innumerabiles potueris dicere. Sed his omnib. est virtus facilior si velimus, & in cælũ ascẽdere. Hic enim solùm oportet velle, & sequuntur omnia. Non licet enim dicere, Non possum, nec accusare opificem. Nam si nos fecit imbecillos & impotentes, sui est accusatio. Quomodo ergo, inquit, multi non possunt? Quomodo ergo multi nolunt? Nam si volunt, possunt omnes. Propterea Paulus quoque dicit, Volo omnes homines esse sicut meipsum, quoniam sciebat omnes posse esse sicut erat ipse. Neque enim hoc dixisset, si fieri non posset. Vis fieri? Solum apprehende initium. Nam dic mihi, in omnibus artibus, si velimus eas assequi, sufficit ne nobis velle, an etiam res aggredimur? Vt exempli causa: vult aliquis esse gubernator. non dicit, Volo, & hoc ei sufficit, sed etiam rem aggreditur. Vult peregre proficisci, & non dicit, Volo, sed etiam rem aggreditur. Deinde in omnibus non sufficit solum velle, sed factum quoque est addendũ. Volens autem in cęlum ascendere, dicis solum Volo? Quomodo ergo, inquit, dicebas quòd sufficit velle? Velle cum factis, quod ei qui laborat ad rem gerendam fert opem. Habemus enim Deum adjuvantem & opem ferentem: solùm eligamus, solum ad rem tanquã ad opus accedamus, tantùm simus solliciti, tantùm mentem adhibeamus, & sequuntur. Sin autem dormiamus, & stertentes expectemus cælum ingredi, quando poterimus hæreditatem cælorum apprehendere? Velimus ergo, rogo, velimus. Cur ad hãc vitam omnia mercamur, quam cras deseremus? Eligamus ergo virtutem, quæ nobis in omne seculum sufficiet. *Homil. 16 Epist. ad Hebr.*

¶ LATINORUM.

Io. Sariberiensis: Si studium, ut Ciceroni placet, est vehemens applicatio animi, ad aliquid agendum magna cum voluptate, profectò mens quæ turbata ad plura distrahitur, nequaquam in uno virtutis opere fideliter occupatur: sed studii tunc exercitio plurimum proficit, cùm virtus in singulis quæ legit aut audit homo, tacito apud se veri scrutinio convalescit. ibi namque ratio cuncta examinat, & fructum omnium appendit in statera. Ceterùm vita quieta esse non potest, si naturæ necessaria subtrahantur: & è contra, si luxuriat animus in deliciis, rerum affluentia lumen rationis exstinguit. Vnde fæcunda virorum paupertas & veræ humilitatis custos, & socia virtutis præmissis adhibetur, ut luxuriam moderatrix ista compescat, & stimulis suis hominem sui memorem officio virtutis jugiter instare compellat. *lib. 7. Policrat. cap. 13.*

¶ ORATORUM GRAECORUM.

Libanius: Quod si causam etiam dicere par est, unde juvenes potius quàm senes sermonum Socraticorum participes essent, nihil varium dicam: sed quòd apud eos qui musicam & litteras, atque alia id genus docent, plures allicit adolescentes hoc etiam apud Socratem. Quidnam igitur hoc est? quod nimirum qui in ætate sunt dicendum apta, soli disciplinæ mentem adhibent aliis curis soluti. vos, Athenienses, existimo innumeris undequaque curis obrui, uxoribus, liberis, familia, concionibus; ut summatim dicam providentia & sollicitudine pro rebus communibus; quæ etiam valde cupientibus in iisdem studiis quibus juvenes operam dare impedimento forent. Ne verò quis hoc dicat, quòd juvenes Socrãtem cõvenerant: sed si quis provectiorum ætate expulsus fuerit, cum vellet eum convenire. Nam hoc propter eum qui invideret iis quæ habebant: illud autem siquidem otio fruerentur ad illa, hæc profectò causa est negotiorum, quæ prohibuerunt.

Libanius: Vnicuique grave illud est ob quod mœrore afficitur; atque in his discrepamus opinione plus quam formarum effigie: neque eadem tanquam præclara & honesta appetimus: neq; iisdem quasi diris & asperis cruciamur. exempli causa, hic quidem cupidus est artis dicendi; eique cætera sordent præ illa: alius vincere in præliis magnifacit, & cæterorum nullam rationem habet. alter fruges terræ expetit, atque exhorret mare: huic navigare suavius est, quàm in terris ærumnas exequi: alius pecuniis inferior est, & reliqua pro risu habet: alii studium unicum est coronam ex Olympiis sumere, & omne ipsi aurũ, si cũ oleastro cõferatur, vile habet. Ita profectò etiã ad res molestissimas affecti sunt homines: alii terribilissimum esse videtur exilium: aliis infamia: aliis subhastatio, & publicatio bonorum: aliis liberorum interitus: aliis mutilatio corporis: atque ob hæc quidam sibi persuadent vitam vitalem non esse: alii verò non perturbari his oportere, tanquam levibus & parvi momenti. Tibi gravis & horrenda est jactura liberorum? mihi vicini prosperitas. alii, manum amputatam esse: mihi juxta beatum habitare. Ne mihi constituas ob quæ angi æquum sit: sed cùm causam quamlibet cur doleat quis compereris, auxilium præbe. *Declam. 8.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Quin tu (tempus enim est) humiles & sordidas curas aliis mandas? & ipse te in alto isto pinguique secessu studiis asseris. Hoc sit negotium tuum, hoc otium; hic labor, hæc quies. Effinge aliquid & excude quod sit perpetuò tuum. nam reliqua rerum tuarum post te alium atque alium dominum sortientur. hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cæperit. *libro 1. Epist. 3. circa finem.*

Plinius Iunior: Iuvat me quod vigent studia, proferant se ingenia hominum & ostentant: tametsi ad audiendum pigrè coitur. plerique in stationibus sedent, tempusque audiendi fabulis conterunt; ac subinde sibi nunciari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit præfationem, an ex magna parte evolverit librum: tum demum, ac tum quoque lentè cunctanterque veniunt; nec tamen permanent, sed ante finem recedunt; alii dissimulanter & furtim; alij simpliciter & liberè. At herculè memoria parentum Claudiũ Cæsarem ferunt, cùm in palatio spatiaretur, audissetq; clamorem, causam requisisse: cumque dictum esset, recitare Nonianum, subitò recitanti inopinatumque venisse. Nunc otiosissimus quisque, multò ante rogatus, & identidem admonitus, aut non venit, aut si venit, queritur se diem, quia non perdiderit, perdidisse. Sed tanto magis laudandi probandique sunt, quos à scribendi recitandique studio hæc auditorum vel desidia, vel superbia non retardat. Equidem, propè nemini defuerant sane plerique amici. neque enim est ferè quisquam qui studia, ut non simul & nos amet. *lib. 1. Epist. 10.*

Plinius Iunior: Avunculus meus dubij sermonis octo scripsit libros sub Nerone novissimis annis, cùm omne studiorum genus paullò liberius & erectius periculosum servitus fecisset. *lib. 3. Epist. 5. princip.*

Plinius Iunior: Avunculus meus in itinere, quasi solutus ceteris curis, audiebat aliquid aut dictabat. ad latus notarius cum libro & pugillaribus; cujus manus hyemæ manicis muniebantur, vt ne cæli quidem asperitas ullũ studii tẽpus eriperet: qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo cur

ambularem? poteras, inquit, has horas non perdere:nam perire omne tempus arbitrabatur, quod ſtudiis non impartiretur. *lib.3. Epiſt.5.med.*

Plinius Iunior : Gaude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine:adhuc honor ſtudiis durat. Proximè, &c. *mox:* Studeamus ergo, nec deſidiæ noſtræ prætendamus alienam. Sunt qui audiant, ſunt qui legant:nos modò dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus. *lib.4.Epiſt.16.*

Plinius Iunior : Commendabat hanc ſuam recitationem Piſo voce ſuaviſſima; vocem verecundia. multum ſanguinis, multum ſollicitudinis in ore, magna ornamenta recitantis. Etenim neſcio quo pacto magis in ſtudiis homines timor quā fiducia decet. *Epiſtola 17.lib.5.*

Plinius Iunior: Atilius Creſcens nullis quæſtibus ſuſtinetur; nullus illi, niſi ex frugalitate reddicus. nam ſtudia quibus plurimum præſtat, ad voluptatem tantum & gloriam exercet. gravis eſt ei vel minima jactura; quia reparare quod amiſeris gravius eſt. *Epiſt.8. lib.6.*

Plinius Iunior : Amicis deſervio:ſtudeo interdum; quod non interdum, ſed ſolùm ſemperque facere, non audeo dicere rectius, certè beatius erat. Te alia omnia, quàm quæ velis agere, moleſtè ferrem, niſi eá quæ agis eſſent honeſtiſſima. nam & reipubl. ſuæ negotia curare, & diſceptare inter amicos, laude digniſſimum eſt. *lib.7.Epiſt.15.*

Plinius Iunior: Cornelius Minucianus, natus ſplendidè, abundat facultatibus, amat ſtudia ut ſolent pauperes, &c. *lib.7.Epiſt.22.*

Plinius Iunior : Quàm triſte hoc ipſi, ſi is cui omnis ex ſtudiis gratia, inhabilis ſtudiis fuerit? *Epiſt.1.lib.8.*

Plinius Iunior : Quæris quemadmodum in ſeceſſu quo jam diu frueris, putem te ſtudere oportere. Vtile inprimis, ut multi præcipiunt, vel ex Græco in Latinum, vel ex Latino vertere in Græcum:quo genere exercitationis, proprietas ſplendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, præterea imitatione optimorum ſimilia inveniendi facultas paratur: ſimul quæ legentem fefelliſſent, transferentem fugere non poſſunt. intelligentia ex hoc & judicium acquiritur. Nihil obfuerit quæ legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quaſi æmulum ſcribere, lectiſq; conferre, ac ſedulò penſitare, quid tu, quid ille commodius. magna gratulatio, ſi nonnulla tu, magnus pudor, ſi cuncta ille melius. Licebit & interdum & notiſſima eligere, & certare cum electis: audax hæc, non tamen improba, quia ſecreta contentio. quamquam multos videmus ejuſmodi certamina ſibi cum multa laude ſumpſiſſe, quouſque ſubſequi ſatis habebant, dum non deſperant anteceſſiſſe. Poteris & quæ dixeris, poſt oblivionem retractare, multa retinere, plura tranſire; alia interſcribere, alia reſcribere. Laborioſum iſtud & tædio plenum, ſed & difficultate ipſa fructuoſum, recaleſcere ex integro, & reſumere impetum fractum omiſſumque: poſtremò nova veluti membra peracto corpori intexere, nec tamen priora turbare. *Epiſt.9.lib.7.*

Plinius Iunior : Quæris quemadmodum in Tuſcis diem æſtate diſponam? evigilo cùm libuit, plerumque circa horam primam, ſæpe ante, tardius raro. clauſæ feneſtræ manent. mire enim ſilentio & tenebris animus alitur, ab iis quæ avocant abductus, & liber: & mihi relictus, non oculos animo, ſed animum oculis ſequor; qui eadem quæ mens vident, quoties non vident alia. Cogito ſi quid in manibus, cogito ad verbum, ſcribenti emendantique ſimilis, nunc pauciora, nunc plura, ut vel difficile vel facile componi tenerive potuerunt. Notarium voco, & die admiſſo, quæ formaveram dicto. abit, rurſuſque revocatur, rurſuſque remittitur. Vbi hora quarta vel quinta, neque enim certum dimenſumque tempus, ut dies ſuaſit, in xyſtum me vel cryptoporticum confero; reliqua meditor & dicto. vehiculum aſcendo: ibi quoque idem quod ambulans aut jacens. durat intentio, mutatione ipſa refecta. paullulum redormio, dein ambulo. mox orationem Græcam Latinamve clarè & intentè, non tam vocis cauſa, quam ſtomachi rego, pariter tamen & illa firmatur. Verum ambulo, ungor, exerceor, lavor. Cænanti mihi, ſi cum uxore vel paucis, liber legitur. poſt cænam comædia aut lyriſtes. mox cum meis ambulo, quorum numero, ſunt eruditi. Ita variis ſermonibus veſpera extenditur, & quanquam longiſſimus dies, citò conditur. Nonnunquam ex hoc ordine aliqua muto. nam ſi diu tacui vel ambulavi, poſt ſomnum denique lectionemque, non vehiculo, ſed quod brevius quia velocius, equo geſtor. Interveniunt amici ex proximis oppidis, partemque diei ad ſe trahunt, interdumque laſſato mihi opportuna interpellatione ſubveniunt. Venor aliquando, ſed non ſine pugillaribus, ut quamvis nihil ceperim, nonnihil referam. Datur & colonis (ut videtur ipſis) non ſatis temporis, quorum mihi agreſtes querelæ litteras noſtras & iſthæc urbana opera commendant. *lib.9. Epiſt.36.*

¶ EMBLEMAT.

Had. Iunius Embl. XVI.

Cunctacomplecti velle, ſtultum.
Et tutto abbraccio, & nulla ſtringo.
Ventoſas pueri bullas per inane vagantes
Prendere dum ſatagunt, opera exit inanis.

Qui varia attractat ſtudia, aut venatur honores
Ambiguos, pueris mihi ſtultior ille eſt.

Had. Iunius Emblemate XXI.

Cor pedibus junctis, roſtris concordibus aurum
Naupliada prendunt, munera ſancta, grues.
Gloria debetur ſtudijs, atq; aſſecla merces;
Concordeſq; animos candor ubiq; decet.

Batillius XLVI.

Ex eadem materia ſuis quiſque ſtudiis apta colligit.

Et leporem canis, & ſerpentem quærit eodem
Antigone in prato, pabula & uda boves;
Ex iiſdem ſcriptis trahit ut ſua quemq; voluptas;
Sic quiſq; & ſtudiis colligit apta ſuis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad ſapientiæ ſtudia ingens læva ſors viaticum eſt.
In ſtudijs timor decet mage homines quam fiducia.
Lucubraturus bibebat nil niſi aquam Demoſthenes.
Non ſternunt viam ad virtutem ſtudia liberalia.
Proficere velle, pars profectus maxima eſt.
Quod ſtudijs minimè impartitur Tempus, omne perditur.
Talia ſtudia ſunt privata, qualia ſtudia publica.
Verget ad ſummum omne ſummo quiſq; quod ſtudio petit.

¶ JAMBICA.

Animis etiam fiunt, ſtudiis qui ſunt pares.
Diſparia ſtudia ſequuntur mores diſpares.
Flos pulcer eſt pallor virorum illuſtrium.
Hora una Aurora tres valet, certè duas.
Timor in ſtudijs decet mage quam fiducia.

Stultitiæ.

¶ SENTENTIAE POETARVM.

Plautus Trinummo 2.ſc.4. v.60.

Nam & ſtultè facere, & ſtultè fabularier,
Vtrumq; Zesbonice in ætate haud bonum eſt.

Phædrus Fab.64.fine.

—— *Qui ſtultitia nauſeant,*
Verè ut putentur ſapere, cælum vituperant.

Horatius.

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

¶ POETARUM.

P. Syrus Mimus.

Stultitia eſt inſectari quem omnes diligunt.
Stultitia partem interdum habet felicitas.
Stulti timent fortunam, ſapientes ferunt
Stultum eſt alium velle ulciſci pœna ſua.
Stultum eſt queri de adverſis, ubi culpa eſt tua.
Stultum eſt timere quod vitari non poteſt.
Stultum eſt vicinum velle ulciſci incendio.
Stultum facit fortuna quem vult perdere.
Stultum, imperare reliquis, qui neſcit ſibi.

¶ APOLOGORUM.

De Divite quodam & Servo. Fab. 30.

Vir erat dives, ſervum habens tardi ingenii, quem regem ſtultorum ſolebat nuncupare. Ille his verbis ſæpius irritatus, ſtatuit hero par referre. Semel enim in herum converſus: Vtinam, inquit, rex ſtultorum eſſem, in toto enim terrarum orbe, nullum meo latius eſſet imperium, & tu quoque meo ſubeſſes imperio.

Fabula indicat, omnia plena eſſe ſtultorum. Abſtemius.

De Fœmina maritum, ob pullos male ſervatos, verberante. Fab. 199.

Fœmina quædam virilis animi, maritum meticuloſum & inſulſum multis affecerat plagis, quia unum ex pullis gallinaceis, quos abiens ei ſervandos reliquerat, miluus abſtulerat. Quare uxore iterum abſente, ne quem pullorum, quibus datus hærebat cuſtos, avis inimica poſſet eripere, univerſos eodē filo ligatos diligentius cuſtodiebat. Sed quum ex improviſo miluus adveniens, unum unguibus rapiens vellet auferre, omnes pariter per inane portavit. Infelix maritus memor ob unum pullum amiſſum ſe ab uxore malè mulctatum, multò graviora cœpit formidare. Satius ergo mori eſſe duxit, quàm iterum uxoris iram experiri. Ficus quoſdam melle & aromatibus optimè conditas vaſculo fictili mulier prudens condiderat, marito inſulſo, cujus gulam timebat, monito, ne quid inde eſſet, quum præſentaneum venenum lateret in vaſculo. Maritus mori cupiens, ficus comedit univerſas, ratus eam optimam

moriendi

morienli viam esse. Rediens mulier, cum pullos omnes à miluo ereptos esse cognosceret, sumpto ingenti baculo maritum malum pullorum custodem verberare decreverat. Cui insipiens maritus, noli, inquit, me jamjam moriturum verberare. Omne enim vasculi venenum comedi, & errati pœnas luam. Tunc mulier, ira in risum versa, marito ignovit, qui pro pullis malè servatis, alio pácto ei satisfecit.

Fabula indicat, adversus insipientes nullum idoneum esse remedium. Abstemius.

¶ EMBLEMATIS.

Camerarius XVIII. Centur. 2.

Diversum confusa genus. Camelopardalis.

Cernis ut inconcinnam habet hæc fera longa figuram:
Quicquid agunt stulti, nil habet harmonia.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Bubalis caput tecta undiq; esse tectam se putat.
Grossulos è melle edebat Brutus cum stultesceret.
Hoc malum quoq; stultitiæ est, quod semper vivere incipit.
Homini homo quid præstat? stulto intelligens quid interest?
Indulgeto stultis, altum si vis spiritum induant.
Ne sit stulti hominis conditio quam periti pensior.
Nec vitant stulti ventientia, nec ferunt præsentia.
Non potest mutari stultus, stultus frangi non potest.
Non scit uti stultus ulla re; interim omnibus eget.
Non tam fatuo prodest prudens, quàm stulti sapientibus.
Particeps nullius esse stultus vult molestiæ.
Promptius quacunq; fingat quis quàm stultitiam meram.
Proximum cuicunq; stulto præmium erroris sui est.
Quam magis stultus sapientem se æstimat, minus sapit.
Semper interit stultitia, nec tamen ipsa unquam interit.
Stultior nemo est, nisi qui se sapientissimum autumat.
Stultitia in loco simulata, summa vel sapientia est.
Stultitia est majoris rebus stultis contradicere.
Stultitiam opperiri alienam, etiam loco sapientia est.
Stulta qui dicit facitq;, ubiq; semper est miser.
Stultus est, qui dum alterius parcit vita, perdit suam.
Stultus est sibi fortunam qui ipsemet facit malam.
Stultus etsi sceptra gestet, esse felix non potest.
Tota fertur in futurum vita desipientium.
Vita stulti ingrata vita est & trepida: usq; atq; usq; hiat.
Vita stulti, vita vera non est, mors magis mera est.

¶ JAMBICA.

Aliena cernit vitia stultus non sua.
Caruisse stultitia, prima est sapientia.
Fatus solet loqui sibi contraria.
Mutare stultum quei queas? nec frangitur.
Ne me in stultitia, si deliqui, deseras.
Nihil mage est vulgarium insipientia.
Nil sapere, prorsus est malum carens malo.
Nil sapere, ubiq; vita jucundissima est.
Persæpe quæstus stultitia impudentia est.
Quid possit aliud stulta stultus quàm loqui?
Quis invideat stulto, nisi qui est stultissimus?
Quocunq; stultus verbulo percellitur.
Ridenda stultus cuncta censet quæ haud capit.
Simulare stultitiam in loco, sapientia est.
Stultus futura haud spectat, sed præsentia.
Stultus tacere nescit inter pocula.
Stulti bonis haud capiuntur præsentibus.
Stulti est eundem ad lapidem bis offendere.
Stulti ut putentur sapere cælum vituperant.
Suavissima illi vita cui cor nil sapit.
Vbi stultitia est, ibi & fere impudentia est.
Vir stultus, animi nunquam dominus est sui.

Videantur plura titulo *Morionis*.

Stupiditatis.

¶ SENTENTIAE.

T*Heophrastus Ethicis Character*: Stupiditatem quoque definire possis ut sit animi tarditas, seu dicendum, seu faciendum sit aliquid. Stupidus vero is est qui sedens ad calculos postquam rationes putavit, & summam subduxit, roget eum qui sibi assidet, Summa quæ est? Ac quum ei litem aliquis intenderit, ubi ad diem illũ ventum est, quo disceptari causa debet, ejus oblitus in agrum proficiscitur. Sæpe etiam sedens in theatro ad spectandum, discedentibus aliis somno obrutus ibi relinquitur: quippe qui se ad multam noctem cibis ingurgitarit: ac tandem sede sua exsurgens, in canem vicini incidit, à quo mordetur.

Idem quod acceperit ipse ac recondiderit, id ipsum quærere solet, reperire autem non potest. Quumque nunciatur illi obiisse aliquem ex familiaribus ipsius, ut veniat exequias, tum ille vultu ad mœstitiam composito, lacrymas etiam fundens, Bene, inquit, eveniat. Debitas autem pecunias recipiens, testes sibi asciscit: & vigente hyeme, cum famulo quod cucumeres non emerit, jurgatur. Puerulos quinetiam suos, ut lucta se exerceant, cursu contendant, usque ad lassitudinem immodicam, cogere solet. In agro lentem ipse coquens, sale bis in ollam injecto, ut mandi nequeat efficit. cumque à Iove pluit .... Rogatus ab aliquo, Ecquot putet Sacra porta elatos mortuos: Quot utinam, respondens ait, ego & tu haberemus.

Plura quærenda titulo *Ingenii, Industriæ, Ignorantiæ, Inscitiæ*.

Stupri.

SENTENTIÆ GRAECORUM.

S. *Isidorus Pelusiota*: Tu quidem, vulgi fortasse sententiam sequens, graviùs enim peccasse dixisti, qui virgini vim attulit, quã qui eam ad stuprum induxit. Ego verò ipsam rei naturam attendens, sic existimo (etsi enim novum & insolens esse videbitur quod dicturus sum, tamen, quia verum est, id dicam) eum qui sermonis blanditiis eam illexit, flagitiosiorem ac sceleratiorem esse. Hîc enim persuasio vi atrocior est: quòd illa plectatur, hæc veniam consequatur. Nam ille violato corpore, mentem puram atq; integram servavit. Hic autem corrupta prius anima, ita demum ad inferendã corpori contumeliam se contulit. Atque ille quidem à crimine immunem, hic autem pœnæ obnoxiam eam reddidit. Etenim illius contumelia non ultra corpus progressa est: huius autem, ad animam usque ascendit. Atque ea quidem, quæ vim perpessa est, excusationem, ea autem quæ stuprum sibi persuaderi passa est, pœnam nulla deprecatione avertendam habet. Illa enim pœna etiam ab eo, à quo compressa est, expetere potest: hæc autem in reprehensione est. Atque illa quidem odio, hæc autem miserationi optimo jure est. Nam illius contumelia corpus quidem attingit, mentem autem minimè attingit: huius autem & corpus & anima contaminata sunt. Quòd si rationes humanas hæc esse existimas, hanc legem è cælis recitabimus. Quidnam igitur ait? Sic quis virginem in solitudine compresserit, hunc extremo supplicio afficire, ipsam autem servare: Clamavit enim adolescentula: & non erat, qui succurreret. Ei autem quæ in urbe hoc perpessa fuerit, nec clamorem ediderit, certissima pœna constituta est. Idque optimo jure. Nam in deserto loco, non erat qui opem ferret: ac propterea, quæ contumelia affecta est, venia digna esse judicata est. Quæ autem in civitate hoc pertulit, ac sceleri tacita assensit, nec existimavit, atque eorum, qui vim cohibere poterant opem imploravit, morte haud injuria mulctata est. Quæ cùm ita sint, omnibus viribus est ipsis enitendum, ut puram mentem, atque ab omni macula & spurcitia liberam, ac nullo huiusmodi impetu aut afflatu fœdatam & conspurcatam servent: ut si (quod Deus avertat) huiusmodi quicquam acciderit, incolumem apud incorruptum judicem, qui intimos quoque cordis secessus penetrat, nec testibus indiget, excusationẽ habeant. *lib. 2. Epist. 215.*

S. Isidorus Pelusiota: Si studium atque institutum species, stuprũ quidem ab adulterio differre videtur. Ac maior est furor, cùm quis rabido quodam impetu in coniugatam fertur. Cùm autem stuprum per se ac privatim excutitur, sæpe adulterium esse reperitur: quippe cùm ea, quæ pudicitiam suam in tecto cujusvis libidinĩ prostitutam habet, interdum matrimonii vinculis constricta sit. Quinetiam graviora quoque nonnullis insano meretricum amore flagrantibus acciderunt. Persæpe enim cum spuriis fratribus sese contaminarunt. Atque item alii cum filiabus suis, quas ex meretricio concubitu extulerant. Ac libidinosa temulentia, Persici exitii vorago ipsis facta est. *lib. 1. Epist. 464.*

Libanius: Exitiosum quidem adulterium est, multò tamen perniciosius, innuptam prohibitam esse ne conjugium sortiretur, quã injuriam nuptæ illatam fuisse: quemadmodum acerbius est nullas unquam opes comparavisse, quàm si quis à divitiis quas habuerat excideret. *Declam. 23.*

¶ POETARUM.

Plautus Amphitruo. 5. sc. 2.

Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi: haud promeruit, quamobrem vitio verteres:
Mea vi subacta est facere.

Plautus Aulularia 4. sc. 10. v. 24.

Tu illam scibas non tuam esse: non attactam oportuit.
L. Ergo quia sum tangere ausus, haud caussificor quin eam
Ego habeam potissimum. E. tun' habeas me invito meam?
L. Haud te invito postulo: sed meam esse oportere arbitror.

Quin tu eam invenies inquam, meam illam esse oportere
Euclio.

Terentius Adelph.3. sc.1.

Frenata melius fieri haud potuit, quàm factum est hera:
Oblatum quando vitium est, quod ad illum attinet potissimum,
Talem, tali genere, tali animo, natum ex tanta familia.
SO. Ita pol est ut dicis.

Terentius Eunuchi 5. sc.2.

—— Vnum hoc scito, contumelia
Non me fecisse causa, sed amoris. TH scio,
Non adeo inhumano ingenio sum Cherea,
Neq; tam imperita, ut quid amor valeat nesciam.

Terentius Heautont. 5. sc.1.

Quemquam ne animo tam comi esse aut leni putas,
Qui se vidente amicam patiatur suam?

§ Apophthegm. Sacr.

Otho Imperator: Cum expeditionem militarem crebriùs duceret per Italiam, prodit ad pedes ejus mulier querula, quòd vim passa esset stuprum, rogans justam legum vindictam. Ille festinabundus, pollicetur in reditu se jus redditurum. ejulans mulier, Quis tum, inquit, faciet te Dominum meum atrocis injuriæ memorem? Tum ille suspiciens in proximum templum: Id, inquit, erit testis inter te & me, & in signum justæ ultionis. Postea reversus, quamprimùm oculos conjecit in templum recordatur delatæ quæstionis, & jussit advocari mulierem, quæ ubi adfuit, præveniés dixit, Rex serenissime, vir de quo sum olim questa, nunc meus est maritus, peperique ex eo, & injuriam abolevi. Non sic, inquit rex, per Othonis barbam sentiet dolabram. Nam inter vos facta collusio sacris legibus non imperat. jussitq; virum securi percuti. *Crantzius metropol. lib 3. cap. 12.*

Videantur plura titulo, ***Matrimonii, Nuptiarum, Adulterii, Virginitatis.***

Subditorum.

§ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus steliteutica prima in Iulianum:* Cui vel ex iis quibus non perinde cognitus erat, dubium est quin Constātius Imp. pietatem amoremque erga nos, ac propensissimam bene de nobis merendi voluntatem, non modò illum aut totius generis honorem, imperiique incrementum neglexisset, verùm imperio quoque ipsi omnibusque fortunis, atque ipsi denique vitæ, qua nemini quidquam est carius, incolumitatem nostram ac salutem haud illibenti animo prætulisset. *Orat. 3.*

Greg. Nyssenus. In his quidem qui bello redacti sunt in potestatē eorum qui vicerunt, subjectionis significatum indicat invitum & coactum se submittere ei à quo victus est. Si enim captivis aliqua accesserit potentia, spem ostendens superandi victorem, adversus eum rursus insurgent, ut qui dedecus existiment ac probrū quod sint subjecti inimicis. Bruta autem alio modo sunt subjecta animalibus ratione præditis: nempe quod eorum naturæ desit maximum bonū, videlicet ratio. quo fit ut necesse sit, id quod inferius est, esse subjectum ei cui obtigerunt ampliores & meliores naturæ dotes. Qui autem ex legitima aliqua consequentia jugo tenentur servitutis, etiamsi æqualis sit eorum natura, cùm tamen legi non possint rejicere, referuntur in ordinem subjectorum; ut qui necessitate inexcusabili deducantur ad subjectionem. Nostræ autem Deo subiectionis scopus est nostra salus, sicut didicimus à prophetia, quæ dicit, Deo subiecta esto anima mea: apud ipsum enim est salutare meum. *Sermone, Quod filius quoq; Dei subijcitur.*

D. Chrysostomus: Contingit quidem principes esse malos sceleratosq;, eos autem qui eorum parent imperio, bonos & moderatos: & laicos quidem in pietate vitam agere, sacerdotes autem in improbitate ac nequitia. *Homilia 8. ad Cor. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Sicut cùm intumerunt viscera, doloresque ingesserint & capiti & reliquo corpori, ulcisci minimè audemus, neque ea gladio assumpto discindimus: ita & subjectorum si quis nobis molestias intulerit, maledictisq; fuerit infestus, minimè audemus ulcisci. quippe id à paterna indulgentia longissimè remotū est: sed ferre oportet, & sorbere hujusmodi stultitiam hominum, donec planè resipiscant. *ad Titum Homil. 1.*

§ Oratorum Graecorum.

Libanius: Quod si mentem non adhibuisset monitis, invitus justa fecisset, Græcis verè ob ea quæ fiebant stomachantibus. Quid enim fecisset adversantes intuens, an impetu facto in medios, tugasset? prorsus; modò fratrem adstipulatorem adhibuisset at armavisset super aliis omnibus Mycenæos, verùm ubi nunc Mycenæi: stultitia & risus sunt hæc. At, opinor, quia susque deque tulerunt, neque indicarunt ipsum petulanti injuria, sese non gaudentibus, usurum, occasionem illi præbuerunt pro imperio audendi. Ac ne quis dicat, at enim rex est hic & dominus universorum. In primis omnis rex inter subditos pollet, & ad illorum mentem res eius tēdunt, & dominatur, & deprimitur, metuit & confidit, & hoc ipsū est, quod subjectis videtur. Nam non in uno corpore & uno animo, tanta multitudo ab eo continetur. sed populorum voluntate habitum sumit & majestatem. Atque eorundem est sceptrum dare, rursusque tollere, & exhibere, & non amplius potiri concedere. Ex opinione igitur ab illius nutu subditorum res pendent: ex rei a. veritate in populi judicio res illius sitæ sunt: ut si subditis morem gerere non placeat, qui præcipiat & imperet futurus non sit. Etenim si Mycenæi sese ipsos alteri adjungerent, nonne confestim privatus Agamemnon foret? Et si quidem Atreum post Eurysthei obitum ex privato tyrannum constituerunt: nunquid ejusdem authoritatis fuerit in illius filium contra statuere? *Oratione Achillis ad Vlyssem.*

Basilius Imperator: Fac eandem habeas de tuis subiectis, quam habes de te ipso sententiam: & da operam, quo ad ejus fieri poterit, ut tuam illi ament dominationem. Illi enim soli jucundè regnant, qui subiectos suos diligentissimè curant: ita ut eos qui digni sunt honoribus & beneficiis augeant, eos verò qui non sunt, minimè lædant. Boni ergo Principis existimationem ita potissimum consequeris, si suum cuique locum & gradum servaveris: & eis quidē, qui cæteris præesse atq; imperare digni erūt, præfecturas commiseris: eos autem, quibus parere melius erit, ita temperabis, ut neque præfectos suos offendere, neque ipsi vicissim à suis præfectis lædi possint. Da igitur operam, ut unumquemque exploratum & perspectum habeas; & ut cuique commodum magis erit, de iis qui præesse, & qui obedire debebunt, sapienter statuas, ne cervi imperent leonibus, sed magis leones cervis. *cap. 46.*

§ Apophthegm. Sacrorum.

Israelita. Quum rex David pugnando contra Pelischtæos ita defessus esset, ut gigas quidam ei necem intentare videretur, è qua liberatus est Abisai fortitudine; tunc jurarunt homines Davidis ei dicendo, *Non es proditurus ultra nobiscum in prælium, ut non extinguas lucernam Israelis.* Fideles subditi vitam Principis habent carissimam: contra Solem è mundo auferunt qui in regum suorum capita audent coniurare. *Vide 2. Samuel 21. 17.*

Valentinianus Imperator. (Ait suis) Vestrum fuit, ô milites, ut privatum me ad imperialem extolleretis dignitatem: res autem administrare, non jam vestri, sed Principis ipsius arbitrii esse, vos ipsi quoque dixeritis. Itaque vos deinceps imperata facere, & quietos esse. me autem, quid facto opus sit, curare decet. *Nicephorus eccl. hist. lib. 11. cap. 1.*

§ Apophthegm. Christianor.

Sigismundus Imperator. Subditos habere parum admodum est, ab iisdem timeri minus, amari autem plurimum. illud enim crudelitatis, hoc candoris benevolentiæque symbolum. Hinc æterna memoria celebrandus Sigismundus, qui dum in controversiam adduci intellexisset, Præstarétne amari Regem Principémve à subditis, an timeri? respondit: *Superi amari volunt & timeri, ita & Reges; neque enim ames, nisi timeas.* eo videlicet timore, quem filialem sive reverentialem vocamus. Regibus itaque competit à suis amari & timeri, si ita moderentur vitam, ut nec inferioribus terrori, nec superioribus despectui. *Æn. Syl. lib. 4. Comm. in Res gestas Alphonsi.*

Fredericus Imp. Percontanti quos præ cæteris amaret ardentiùs, respondit: *Qui me minus metuunt, quàm Deum.* Præclara atq; imperatoria vox: timeri vult; at moderatè. Qui enim non timet, contemnit. *AEn. Syl. lib. 4. Comment. in Res gestas Alph.*

Alphonsus Arag. Rex. Neque fuit ab hac mente alienus Alphonsus: qui rogatus, quos è popularibus percaros haberet; *Illos,* inquiebat, *qui non magis me, quam pro me metuunt.* Sentiebat autem illos verè amicos, qui Principem magis amant, quàm metuunt. *Panor. lib. 4.*

Thomas Pontanus. Ille identidem Amoris penetralia ingressus, frequenter in ore habebat, & corde: *Amorem inermem incedere, dormire tamen loricatum.* Acutè notabat, amorem subditorum erga Principem tanti fieri; ut Princeps, cui suorum benevolentia satis superque perspecta est, non sibi timeat, licet solus interdiu obambulet: noctu tamen suo corpori custodes adhibet. *Iac. Spieg. in lib. 2. AEn. Syl. De dictis factisq; Alph.*

D. Ludovicus Gall. R. Claudat hoc agmen Ludovicus, qui letali morbo correptus, accersito Philippo filio regni herede; *Rogo te,* aiebat, *fili; cura ut à subditis ameris. malim enim Scotum, aut aliquem ex ultima Barbarie, ad Francos sapienter & piè regendos accersiri quam te cum infamia tam illustre sceptrum tenere.* Ionuil. in vita ejusd. cap. 98.

§ MONO-

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Affectus supercilij est justo esse subjectum amplius.
Arma non tantum in subjectos quam voluptates valent.
Expiant Regum furores capitibus populi suis.
Civium corda occupasse plus triplo est quam mœnia.
Civium salus salute continetur & tua.
Civium securus audi rex latratus; nil nocent.
Civibus, Rex, talis esto, tibi quales velis Deos.
Cuncta ad se refert tyrannus, cuncta rex ad subditos.
Ferte scommata ac querelas subditorum Principes.
Imperant mali atque regnant subditorum ignavia.
Impudica regina omnes impudicat feminas.
Ingrata est virtus ferociaq; omnis imperantibus.
Iuris sunto ejusdem, eodem qui sub rege vitam agunt.
Mores Regis observantur civibus pro regula.
Nemo non rectè facit, cùm recte Princeps imperat.
Nemo tam sit vilis regi, eum ut perire haud sentiat.
Non metu verùm pudore Principi paret bonus.
Non potest quisquam parere rectè, ubi Rex malè imperat.
Nulla ingenua sub tyranno dicitur sententia.
Nulli à Rege plus coluntur, quàm qui Regem non colunt.
Obsequium magis probatur quàm libertas Principi.
Omnes id sibi faciendum quod faciunt Reges putant.
Optimè reges tuetur civium suos amor.
Pendet à regente, equus bonusne sit, an non bonus.
Plebs bona aut mala est, prout ejus est bonus Rex aut malus.
Plura semper contra nos à nobis discunt Principes.
Pricipes fiunt suorum consulant ut commodis.
Principum bona ac mala ad rem pertinent, pol, publicam.
Principum in felicitate, civium est felicitas.
Promptior servitio, opibusq; honoribusq; attollitor.
Pulcrum item est vel reluctanteis cogere ad officij decus.
Quàm minus cupis subjectos tam mage subjectos habes.
Rarum est multos emetiri sorte reges prospera.
Rex bonus, cum cive vivit ut parens cum filio.
Regi firmat dignitatem, qui conservat subditos.
Sensibus se vulgus omne accommodat regentium.
Si non fecero, peribo; si faxo, vapulavero.
Simplicius suam Reges in hoste, quàm cive, æstimant.
Subditi quidquid delirant, principatus plectitur.
Subditum plus esse justo, res supercilij est gravis.
Subditos habere dites interest vel publicè.
Submittas te eis honeste sors supra omnes quos tulit.
Vis munire adamante regnum? fac ameris à tuis.
Vires imperij in consensu sunt obedientium.
Vis tibi Deum favere subditis fave tuis.

§ JAMBICA.

Amor suorum, multa dominantem vetat.
Equum generosum, etiam umbra virga rexerit.
Est summa virtus Regis, nosse subditos.
Exempla manant in vulgus regentium.
Iusti imperij finis, salus parentium.
Non sunt sui, sunt subditorum Principes.
Nuper subacti imperium non ferunt novum.
Parere sueti, mansuetissimè imperant.
Parum aut nihil refert asino, cui serviat.
Peccata vulgus Principis luit sui.
Populo est voluptas legis instar Principis.
Quocunq; gaudet rex, id omnes mox colunt.
Recti magister infidelis est metus.
Regere imperantis est, parentis est sequi.
Rex gloria ingens, subditis ferocior.
Regum salus à fide stat parentum.
Sibi alia animus rectus, se nulli subijcit.
Semper molestus subdito est præsens status.
Vinci à suis virtute turpe Principi.
Virtus suorum ingrata est imperantibus.

Videantur plura titulo, *Magistratus, Imperii, Regis, Politicæ rei, Reipublicæ.*

Successionis regni.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus.* Sic igitur totius populi suffragiis, non autem secundum pravum exemplum, quod postea inolevit, neq; per vim ac cædem, sed apostolico & spirituali modo ad Marci thronũ evehitur, non minus pietatis, quàm principatus successor. Vt enim, si hunc spectes, remotissimus ab eo futurus est: ita, si illius rationem habeas, statim illi proximus invenietur. Quæ quidem propriè successio existimanda est. Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejusdem quoque throni socius est: qui autem contrariam sententiam tuetur, adversarius quoque in throno censeri debet. atque hæc quidem nomen, illa verò rem ipsam & veritatem habet successionis. Neque enim qui per vim irrupit, successor habendus est, sed qui vim perpessus est: nec qui leges violavit, sed qui modo legibus consentaneo electus est: nec qui contraria dogmata tenet, sed qui eadem fide præditus est. Nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati & tenebras luci, & tempestatem tranquillitati, & mentis alienationem prudentiæ succedere dicimus. *de D. Athanasio.*

S. Isidorus Pelusiota: Cùm multis aliis nominibus virum Deo charum Mosen admiror ac suspicio, tum hoc præsertim nomine, quòd cùm omni vitiosa affectione superior esset, naturalem quoq; charitatem vicit. Nam cùm duos filios haberet, qui quamvis ab eo procreati essent, tamen paternæ virtutis æmulos minimè se præberent, neutrum horum militaris sui imperii successorem instituit, verùm eum, qui virtute potiùs, quàm genere ipsi conjunctus erat: virtutem nimirum naturæ, ad honesti dijudicationem persæpe cæcutienti, anteponẽs. Nam qui æquum esse censent, ut à patribus ad filios imperia delabantur, ad veritatem hallucinãtur. Honor quippe, non generi, sed virtuti debetur. Neque enim regis filium, si hujusmodi munere indignus sit, in hujusmodi dignitatem ascribere oportet: verùm eum, qui regio animo præditus est, administrandique imperii scientiam animo complecti potest. Illud sanè nitissimũ illum virum luculenter ostendit, quòd ne fratris quidem gratia & favore ductus, ad sacerdotii dignitatem obtulerit (nam qui eos, qui ex ipsius lumbis exorti fuerant, hujusmodi honore afficiendos nõ duxerat, verùm naturæ vim, ac velut tyrannidẽ superaverat, haudquaquam profectò favore adductus fuisset, ut fratrem sacerdotii corona redimeret) sed divinis oraculis obsequens. Ob eamque causam, qui adversus eum rabido animo impetum fecerant, ac non divino suffragio, sed privato animi judicio fratrem ab eo sacerdotẽ designatum fuisse arbitrabantur, novas & inusitatas pœnas pependerunt. Hi enim partim dehiscente terra absorpti sunt, partim cælestis ignis ardore conflagrarunt. *lib. 3. Epist. 289.*

§ LATINORUM.

Egesippus: Alexander duobus liberis superstitibus, decessit, quos impares regni existimans gubernaculo, summam rem uxoris propriæ delegavit solicitudini, quoniam eam acceptiorem populo cognovit, atque hoc apud universos invenisse gratiam, quòd etiam ipsa ab immanitate viri semper alienam sese faciendam existimaverit, ut non solum refugeret flagitiorum consortia, sed etiam resistendo ejus iniquitatibus, totius in se plebis benevolentiam circumverteret. Nec improvida viri sententia fuit, nam regnandi jus mulier inoffense exercuit, sine ullo feminei sexus impedimento, & acquisivit moderandi gratiam sacræ legis observatione. *libro 1. cap. 12. Excid. Hieros.*

Ennodius: Vix est ut ab eorum personis, de quibus successionis seritur quantulacunque suspicio, invidia temperatur. *Epiphanii cap. 9.*

Io. Sarisberiensis: Numquid quæso pauperes opprimuntur injuriis, attenuantur exactionibus, rapinis multiplicibus spoliantur; jubentur in se concurrere populi, & orbem concutere, ut potentibus isti succedant heredes? Isti namque succedunt omnibus jure suo; nec desideratur solennitas testamenti; ab intestato emergunt omnia: velis nolis hos habebis heredes. *lib 5. cap. 7. Policratici.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Xenophon: Vos, ubi vitam cum morte commutavero, de me, tamquam beato, & dicere oportet. Nam & quum puer essem, eorum, quæ illa in ætate præclara existimantur, fructum mihi consequutus esse videor: & adulescens eorum, quæ habet adulescentia: & virilem prorsus ad ætatem ubi perveni, eorum, quæ virilis ætas habet. Quin & progressu temporis vires meas auctas, animadvertere videbar. Itaque senectutem meam adulescentia numquam imbecilliorem factam sensi, neque vel expetiisse me animo meo, vel adgressum quidquam memini, cujus non factus sim compos. Amicos quidem certe fortunatos per me factos vidi, hostes in servitutem à me redactos, patriam antehac nullo in Asia claram imperio, nunc dignitate principe ornatam relinquo: quæ denique sum consequutus, eorum nihil non conservasse me scio. Et quamquam præterito tempore nihil non ex voto mihi succederet, tamẽ quia comes mihi metus erat, ne quid in futurum vel viderẽ, vel audirem, vel paterer rei gravis, non is mihi concessit, ut prorsus elato animo essem, vel effuse lætarer. Nunc si moriar, vos quidem, filii, quos mihi Dii nasci voluere, superstites relinquo: & patriam, & amicos itidem relinquo fortunatos. Qui possit igitur fieri, ut ego non merito beatus prædicer, & æterna hominum memoria celebrer?

Est autem mihi declarandum hoc quoque, cui regnum relinquam: ne id relictum in ambiguo, negotia vobis facessat. Complector equidem, filii, pari utrumque vestrum benevolentia: verum & consilio providere, & ducis officio fungi, quacumque

in re tempus & usus postulet, eum jubeo: qui natu major est, & usum terum majorem de consentanea quadam ratione habet. Equidem ut ab hac mea vestraque patria sum institutus, natu majoribus non modo fratribus, sed civibus etiam, de via, sedibus, dicendi loco cedendum esse: sic & ipse, filij, ab initio vos, institui, ut natu majoribus honorem principem deferatis, & vicissim minoribus honore præeatis. Quamobrem ita, quæ à me dicuntur, accipite: ut qui tum prisca, tum moribus recepta, atque etiam legibus consentanea proferam. Ac tuum quidem, Cambyses, regnum esto, Diis illud, ac me, tibi largientibus, quantum quidem in me est: tibi vero, Tanaoxares, hoc tribuo, ut Medorum, & Armeniorum, & tertio loco Cadusiorum satrapa sis. Quæ tibi quum largior, majus quidem imperium, & regni nomen natu majori me relinquere arbitror: tibi vero felicitatem magis omnis expertem molestiæ. Nam qua delectatione humana cariturus sis, equidem non video. Nimirum universa quæ hominibus adferre voluptatem videntur, tibi sunt adfutura. Amorem vero illorum, quæ confectu difficilia sunt, & multarum rerum sollicitam occupationem, & vitæ alienam à quiete rationem, pungente animum æmulatione rerum à me gestarum, & insidiarum molitionem, earundemque structarum ab aliis metum: hęc inquam necesse est illum, qui regno potietur, magis, quam te, comitentur. Atq; hæc, sat scito, multa objiciunt impedimenta, quo minus animo læto quis esse possit.

Te quoque, mi Cambyses, scire volo, non autem hoc sceptrum esse, quod regnum tibi conservet: sed amici fideles regibus & verissimum, & tutissimum sceptrum sunt. At vero non nasci homines fidos existimabis, quod ita iidem omnibus fidos se declararent, sicut & naturalia cetera conspiciuntur esse omnibus eadem: sed fidi qui sint, eos abs quovis homine tales effici necesse est. Parantur autem, non vi, sed potius beneficentia. Quamobrem si voles & alios tibi adjungere, qui in conservandi regni quasi societatem veniant, nequaquam aliunde initium facito, quam ab eo, qui loco tecum eodem ortus est. Nam & cives exteris magis sunt nobis conjuncti, & contubernales iis, qui nobiscum eodem in contubernio non vivunt. At vero qui eodem semine prognati, ab eadem nutriti matre, in eadem domo creverunt, & ab iisdem parentibus diligūtur, eumdemque patrem & eandem matrem adpellant, qui fieri possit, ut non omnium sint conjunctissimi? Ne igitur ea bona, per quæ Dii fratres mutuam ad conjunctionem deducunt, frustra vobis esse concessa patiamini: sed super hæc ipsa statim studia quædam alia benevolentiæ & amoris exstruite: quo fiet, ut amicitia vestra semper invicta sit.

Nimirum sui ipsius curam gerit, qui fratri prospicit. Nam cui frater magnus adeo est ornamento, ut fratri? Quis hominem præpotentem honore tanto prosequetur, quanto frater? quemnam aliquis magis metuat, si fratrem habeat virum magnum, atq; ipsum fratrem? Quamobrem nemo te celerius huic obœdiat, nemo alacrius ad ipsum veniat. Quippe nec secundæ nec adversæ tristesque res hujus, ad quemquam magis proprie pertinent, quam ad te. Hoc etiam consideres velim, cuinam gratificando majora te consequuturum sperare debeas, quam si gratificeris fratri? Cui opem ferendo, belli socium firmiorem tibi adjunges? Quem turpius est non amare, quam fratrem? Quemnam omnium laudabilius est observare honorando, quam fratrem? Solus est frater, mi Cambyses, qui si apud fratrem locum principem obtineat, nequit ad eum pertingere aliorum invidia. Quare vos obtestor per Deos patrios, mei filii, prosequimini vosmet honore: si quidem ullum vobis cordi est gratificandi mihi studium.

Non enim liquido scire vos arbitrari debetis, me, posteaquam vivendi finem fecero, nihil futurum. Nam ne modo quidem animum meum cernebatis, sed esse eum deprehendebatis ex iis, quæ agebat. An necdum animadvertistis, quo terrores illorum animi, qui vim injuriam passi sunt, homicidis incutiant? quos scelerum vindices nefariis immittant? Anne permansuros fuisse putatis extinctorum honores, si nihil eorum animis juris ac potestatis reliquum esset? Equidem, filii, nequaquam persuaderi mihi umquam passus sum, animum, quamdiu mortali corpore contineatur, vivere: posteaquam ab eo diremtus sit, mori. Nam animum video his morti obnoxiis corporibus, quam diu in eis degat, vitam impertiri. Ne id quidem persuaderi possum, non sapere animum, posteaquam ab hoc insipiente corpore separatur: sed quum à corpore secreta est pura mens & integra, tum eam sapientissimam esse, vero maxime consentaneum fuerit. Quum dissolvitur homo, non est obscurum, ad res sui generis singula commigrare, extra unum animum: qui solus neque dum adest, neque dum discedit, cernitur. Animadvertistis, nihil esse morti hominis similius somno. At per somnum maxime hominis animus divinitatem suam declarat, atque etiam futura prospicit: quippe qui tunc, ut quidem adparet, maxime sit liber. Quare si hæc ita sunt quemadmodum equidem existimo, & si animus hoc corpus relinquit: reveriti animum meum, quæ vos rogo præstate.

Sin hæc ita non sunt, sed animus & manet in corpore, & cum eo interit: vos tamen Deos, qui immortales sunt, & intuentur, & possunt omnia, ordinemque universitatis huius expertem detrimenti & senectæ, & extra omnem errorem positum, præ pulchritudine atque etiam magnitudine inexplicabilem, conservant: Deos inquam pertimescite, ut nihil impii, nihil nefarii vel committatis, vel deliberetis. Post Deos universam hominum nationem, quæ perpetua successione continuatur, reveremini. Nam Dii vos caligine quadam non tegunt, sed actiones vestras semper in omnium mortalium luce versa necesse est: quæ si puræ secretæque ab injustitia paruerint, potentes vos inter homines universos reddent. Sin aliquid alter in alterum injuriæ cogitaveritis, apud omnes homines fidem amittetis.

Nam nemo poterit amplius vobis credere, tametsi magnopere cupiat, si videat adfici illum injuria, qui sit amicitiæ jure conjunctissimus. Itaque si satis ego vos doceo, quales vosmet erga vos gerere debeatis, recte est: sin autem, ab iis saltim discite, qui ante nos exstitere; quæ doctrinæ ratio optima est. Nam multi parentes erga liberos, multi erga fratres in amore constantes fuere: nonnulli etiā his contraria inter se mutuo designarunt. Vtris igitur animadvertitis ea, quæ perpetrarunt, profuisse: illorum si facta prætuleritis alteris, recte vobis consulueritis. Ac de his quidem jam fortasse satis.

Ceterum corpus meum, filii, quum diem in terris supremum clausero, nec in auro condite, nec in argento, nec ulla in re alia, sed terræ quamprimum reddite. Quid enim beatius, quam in terram abdi, quæ omnia præclara, bona omnia profert ac nutrit? Equidem ceteroqui studiosus hominum fui, jamque adeo perlubenter mihi videor ejus rei particeps futurus, quæ in homines est benefica. Enimvero deficere me videtur animus ea parte, qua, ceu consentaneum est, omnes deficere incipit. Quamobrem accedat, si quis vestrum vel dextram meam vult contingere, vel in oculos viventis adhuc intueri. Vbi vero tectus & obvelatus fuero, ne quis hominum, mei filii, corpus meum videat, ac ne vos quidem ipsi, etiam atque etiam oro. Persas quidem omnes, ac socios, meum ad monumentum evocate: quo mihi gratulentur, cui jam in tuto agenti nihil accidere mali possit, sive adeo cum numine divino fuero, sive in nihilum redigar. Quotquot autem venerint, hos illis beneficiis adfectos, quæcumque in hominis fortunati funere solemne est exhiberi, dimittite. Denique hoc ex me postremum memineritis. Si benefici in amicos fueritis, etiam hostes puniendi facultatem vos habituros. Valete filii cari, atque idem matri verbis meis renunciate. Itidem omnes amici, qui adestis, & abestis, salvete. Hæc quum loquutus esset, atq; omnibus dextram porrexisset, obvelavit se, vitamq; cum morte commutavit.

Fuisse quidem regnum Cyri inter ea, quæ Asia vidit, longe præclarissimum ac maximum, vel ipsum de se testatur. Terminis inclusum fuit ad solem orientem mari rubro: ad septentriones, Ponto Euxino: ad occasum, Cypro & Ægypto: ad meridiem, Æthiopia. Tantum vero quum esset, uno tamen Cyri arbitrio gubernabatur: qui subjectos sibi liberum instar & honore prosequebatur, & obsequiis sibi devinciebat, quum subjecti Cyrum vicissim tamquam patrem venerarentur. Is ubi diem suum obiit, mox inter ipsos filios est coortum dissidium, mox urbes & nationes defecerunt, rebus universis in pejus vergentibus. Quod quidem vere me dicere, primum docere de rebus divinis incipiam. Equidem scio, prius regem, ac regi subjectos, etiam iis, qui vel extrema facinora designassent, sive jusiurandum dedissent, idipsum servasse: sive junxissent dexteras, firmiter promissis stetisse. Quod si tales non fuissent, & ejusmodi de se opinionem excitassent, ne unus quidem fidem ipsis adhibuisset, sicut hodieque ne quidem unus fidem eis adhibet, quod ipsorum impietas jam perspecta sit, ita nec illorum militum prætores, qui expeditionem cum Cyro juniore susceperunt, fidem eis habuissent. Iam vero quum priscæ de illis opinioni credidissent, seipsos eis tradiderunt, & ad regem deductis capita fuerunt amputata.

Multi etiam barbari, qui hanc expeditionem una susceperant, alii alia fidei policitatione decepti, perierunt. Sunt etiam, quod hęc attinet, multo nunc deteriores. Nam olim si quis pro rege salutem in discrimen conjiceret, vel urbem aut nationem ejus imperio adjecisset, vel aliquid aliud præclare fortiterque pro rege perfecisset: hi scilicet erant, qui honoribus cumularentur. Nunc si quis perinde ac Mithradates, patre Ariobarzane prodito, & quemadmodum Leomithres uxore, liberis, & amicorum quoque liberis apud AEgyptium obsidibus relictis, & sanctissimo jurejurando violato, regi quod expediat, facere videatur: hi vero sunt, qui maximis honoribus ornantur. Quæ quum omnes Asiatici videant, etiam ipsi ad impietatem & injustitiam deflexerunt. Nam quales sunt ii, qui præsunt: tales & illi plerumque solent esse, qui eorum imperio subjecti sunt. Hinc factum, ut magis jam sint nefarii, quam olim fuerint.

Pecunias vero quod attinet, hoc modo nunc magis injusti sunt. Non enim dumtaxat eos, qui admodum multa scelerate designarunt: sed jam illos quoque, qui nihil injusti admisere comprehendunt: ac præter jus & æquum pecunias solvere cogunt. Quo fit, ut nihilominus ii, quorum res lauta videtur esse, sibi metuant: atque alii, qui aliquid injuste patrarunt. Iidem cum potioribus congredi recusant, neque ad expeditionis regiæ copias adjungere se audent.

Quapropter omnibus licet, qui bellum ipsis faciunt, in eorum regione citra pugnam omnem pro lubitu vagari, tum propter ipsorum erga Deos impietatem, tum propter injurias, quas ho-

minibus inferunt. Atque hoc modo ſunt ipſorum animi prorſus jam deteriores, quam olim.

Ne corporum quidem eos illa ratione, qua prius, curam habere jam narrabo. Nam erat in eorum inſtitutis, ut nec exſpuerent nec emungerentur. Perſpicuum eſt autem, id ipſos non ea de cauſſà ſanxiſſe, quod corporis humori parcendum exiſtimarent: ſed quod laboribus ac ſudore ſolida effici corpora vellent. Iam vero manet id quidem adhuc, ne vel exſpuant, vel emungant ſe: ſed laborum exercitia nulli uſquam curæ ſunt. Enim vero erat etiam apud illos olim hoc inſtitutum, ut ſemel tantum paſcerentur: quo tam ad expediunda negotia, quam ad laborum exercitationes die toto fruerentur: jam reſtat id quidem, ut ſemel dumtaxat cibum capiant, ſed quum eo tempore veſci incipiant, quo ſolent, qui maxime matutino prandent, tam diu comedere ac bibere perſeverant, quam diu ſolent, qui ſero admodum cubitum eunt. Erat item in eorum inſtitutis, ne ad convivia importarentur obbæ: quod exiſtimarent minus tum corpora, tum animos debilitari, ſi quis non nimium hauriat. Nunc has non importari, reſtat id quidem: tantum vero bibunt, ut non importent, ſed ipſi exportentur, quando nimirum recto corpore non amplius exire poſſunt: erat & illud unum ex inſtitutis patriis, quod itinera facientes neque comedebant, neque bibebant, neque quidquam eorum palam faciebant, quæ de his neceſſario conſequuntur. Hoc tempore manet id quidem, ut ab his rebus abſtineant: verum itinera tam brevia conficiunt, ut nihil mirum ſit, à rebus illis neceſſariis eos abſtinere. Toties olim venatum ibant, ut ſolæ venationes ad exercendum tam ipſos, quam equos ſufficerent. Poſteaquam vero rex Artaxerxes, & ipſius familiares, vino cœpiſſent obrui: non jam amplius ipſi perinde, ac prius, venatum prodibant, & alios ad venationes educebant. Quin & illis palam invidebant, quaſique ſe potiores oderant, quicumque laborum amantes, cum equitibus ſuis venarentur.

Eſt hodieque in uſu, pueros ad portas inſtitui: verum ut artem equeſtrem diſcant & exerceant, id ſcilicet extinctum eſt: quod iſtic non ſint, ubi ſpecimen edendo, gloriam conſequi poſſint. Eſt & illud penitus perverſum, quod pueri audientes prius illic judicia juſta judicari, juſticiam diſcere videbantur. Nam manifeſto vident eos ſuperiores diſcedere, qui plurimum largiuntur. Etiam illorum, quæ terra naſcuntur, vires pueri antehac diſcebant, quo utilius uterentur, à noxiis abſtinerent: nunc ea ſic edoceri videntur, uti quamplurimum noceant. Quo fit, ut nuſquam plures, quam illic, vel extinguantur venenis, vel pernitioſe lædantur. Etiam multo nunc ſunt addictiores deliciis & vitæ voluptariæ, quam Cyri ſæculo. Nam ea tempeſtate Perſica quidem inſtitutione & continentia adhuc utebantur, veſtitu vero & elegantia Medorum: nunc à Perſis profectam laborum tolerantiam extingui patiuntur, & Medorum molliciem retinent. Libet autem ipſorum etiam delicias & voluptatem explanare.

Nam primum eis non ſatis eſt, cubilia molliter ſterni: ſed jam ſpondarum quoque pedes tapetibus imponunt, ne pavimentum obnitatur, ſed tapetes nonnihil cedant. Præterea quæ ad menſam coquuntur, eorum quidquid prius inventum fuit, nihil eſt detractum: & alia quædam artificia nova ſemper excogitant. Idem in obſoniis fit. Nam in utroque habent, qui ſemper aliquid novi conficiant. Quinetiam hiberno tempore non caput ſolum, non corpus, non pedes ipſis ſatis eſt tegi: ſed etiam ad extremas manus habent tegumenta quædam hirſuta, & digitabula. Æſtate nec arborum, nec ſpecuum ipſis umbræ ſufficiunt: ſed in his adſtant eis homines, qui & alia excogitant umbracula. Iam ſi etiam pocula maximo numero habeant, eo ipſo tamquam ornamento ſemet oſtentant. Sed ea comparata improbis eſſe artibus, nulla in turpitudinis parte ponunt. Nam & injuſtitia, & lucri turpis cupiditas, mirifice apud eos creverunt. Etiam illud prius erat eis in more patrio poſitum, ut pedites in itineribus obeundis non conſpicerentur: idque alia nulla de cauſa, quam ut equeſtris rei peritiſſimi evaderent. Iam vero multo plus ſtragulorum in equis, quam in cubilibus habent. Non enim tam equeſtris res ipſis eſt curæ, quam ut molliter ſedeant.

Bellica quidem ſtudia quod attinet, qui non in illis conſentaneum fuerit, nunc prorſus eos deteriores eſſe, quam olim fuerint? quibus ſuperiori tempore patrium fuit, ut quotquot agros poſſiderent, equites inde ſuppeditarent, qui militatum irent: qui vero in præſidos degerent, ſiquidem aliquandii ſuſcipienda eſſet pro defenſione regionis expeditio, ſtipendiis militarent. At nunc & oſtiarii, & panis, & obſoniorum opifices, & pocillatores, & balneatores, & qui cibos in menſas adponunt, & qui eos tollunt, & qui cubitum deducunt, & qui è ſomno excitant, & qui eos pigmentis illinendis & infricandis exornant, & eleganter cætera quoque componunt: hi omnes à viris præcipua potentia præditis equites facti ſunt, ut ſtipendia ſibi mereant. Et hominum quidem illi multitudinem quamdam oculis exhibent, non tamen ullus eorum in bello eſt uſus: quod quidem ex illis ipſis, quæ uſu veniunt, manifeſtum eſt. Nam illorum in agro facilius hoſtes, quam amici, verſantur. Enimvero quum ex ferentariorum ordine Cyrus eos eximeret, ac tum ipſos, tum equos armaret, & cuiq; daret in manum tragulam unam, comminus eis in heſtem uſus eſt. Nunc neque amplius levi certamine cum hoſte congrediuntur, neque comminus pugnam conſerunt.

Itidem pedites habent illi quidem crates, & copidas, & ſecures, quibus perinde, ac ipſius Cyri tempore, prœlium ineant: verum ne illi quidem manum conſerere volunt. Nec falcatos item currus ad eos uſus, quibus à Cyro deſtinati fuerunt, adhibent. Nam is aurigas honoribus auctos & ad fortitudinem conſuefactos habuit, qui gravem in armaturam impetum facerent. Hodierni Perſæ quum eos, qui ſunt in curribus, ne quidem norint; inexercitatos arbitrantur pares futuros exercitatis. Faciunt vero illi quidem impetum, ſed prius, quam intra hoſtes penetrent, partim ſponte ſua delabuntur, partim deſiliunt. Quo fit, ut ab aurigis deſtituta vehicula jugalium ſæpenumero plus amicis detrimenti adferánt, quam hoſtibus. Enimvero quum ipſi intelligant, quales ſint ipſorum adparatus bellici: cedunt aliis, neque quiſquam amplius abſque Græcis ad bellum ſe comparat: ſive adeo ipſi bellum inter ſe gerant, ſeu contra eos Græci copias educant. quod animadvertant, etiã adverſus Græcos non niſi cum Græcorum auxiliis ſibi bella eſſe ſuſcipienda. Et arbitror ſane me jam perfeciſſe, quod inſtitueram. Quippe demonſtratum ajo, Perſas, & alios Perſis conjunctos, minus erga Deos eſſe religioſos, & erga cognatos magis impios, & injuſtiores erga ceteros, & bellicis in rebus effœminatos jam magis, quam prius. Quod ſi quis contraria ſententiæ meæ ſtatuit, ſaltim eorum facta conſideret, ac meis ea rationibus, teſtimonium perhibere comperiet. *cap. 51. & ſeqq. libri 8. Cyropædia.*

Philoſtratus: Pater tuus Veſpaſianus valde eſt per me confirmatus in ſententia quam habebat de imperio; cùm alii prius ab eadem illum dimovere conati fuiſſent; & quidem non rectè, ſicut tibi quoque videri non dubito. nam parenti tuo imperium ſuſcipere diſſuadentes, tibi quoque qui poſt illum eras imperaturus, imperium auferebant. *lib. 8. Apollonij cap. 3.*

Philoſtratus: De fato loquebar, ac Acriſium Lajum, Aſtyagemque Medum, & alios multos reſpiciens; qui regno ſuo bene caviſſe opinabantur, cum alii filios, alii nepotes interfeciſſe putarentur; à quibus poſtea regno ſpoliati fuerunt; cùm ex abdita fatorum opera in lucem repente editi eſſent. *lib. 8. Apollonij cap.* 3.

Iulianus Imp. in Cæſaribus, de M. Antonino: Deliquerat circa filium; quia ruentis imperii nullam rationem habuiſſet, cùm generum reip. ſtudioſum & frugi haberet, quem ſummæ rei præponi longè fuiſſet utilius; quique filio ejus melius, quàm ipſe ſibi conſuluiſſet.

Libanius: Vbique locorum obtinet jubentque inſtituta, ut regis liberi ſuperſtite quidem ipſis patre, privatam degant vitam: eodem verò vita functo, in demortui locum natu maximus veniat; præſertim ſi in rebus exercitatus ſit & callidus. *Vlyſſis oratione ad Trojanos.*

Themiſtius: Ego verò non iſtiusmodi tabella magnopere glorior, ſed de majori ac perfectiori altera, quæ jam illas tabellas in ſua poteſtate continet, quam non eboris, aut auri artifices procuderunt, ſed ipſiusmet Imperatoris opus eſt, vel ſacer fœtus potius ſacro item ex partu repente conſummatus, ac perfectus, unicus, omnium votis experitus, jam tum ab ipſis cunabulis ac faſciis Auguſtus appellatus, cuius augetur quidem corpus, verum honor ipſe nihil habet, quo ulterius progrediatur, quem mihi tum in manus commiſit cum ad Occidentem expeditionem pararet, idque univerſo populo, ac Senatu ſpectante, cum illud mandaret mihi, illius ut curam ſuſciperem ac diligenter faverem, qui neque agitare clypeum nec vibrare haſtam poſſem, ſed nec arcu, fundáve uti ſcirem, Palliumque duntaxat gererem, ac præ ſenio atque imbecillitate curatus eſſem. Sed ut apparet non eandem ille diſciplinam arbitratus eſt Principi, atque privato homini convenire? nec iiſdem quibus Ordinum Ductor inſtitutis eum imbui oportere, qui terra marique imperaturus eſſet. Adeſtum itaque, Chariſſime fili, genibusq; meis inſide, uti ipſe te diſciplinis informem atq; inſtituam, non quemadmodum Achillem Phœnix cibum atque obſonium ingerens, ſed ea alimenta ſubminiſtrans, quæ pueris Principibus infraque eam ætatem, quæ ſui arbitrij ſit, Philoſophia ſola præparat, fructuoſas inquam illas diſciplinas, ac ſublimes, & utilitatis plenas, veterum Imperatorum decora atque ornamenta: quibus magnus olim Cyrus educatus eſt, & Romanus Numa, & præclarus ille Marcus, atque egreſſus Titus, cujus magna illa, atque inſignis vox extat. Hodie nõ imperavi, nihil enim boni cuiquam feci. Accedet ad hoc magiſterium informationemque tui illuſtris Plato, ac divinus Ariſtoteles, à quibus Magnus eſt Alexander inſtitutus: quem etiam ex obſcuro regno orbis univerſi dominum reddiderunt. Ab eiusmodi Præceptoribus ſi tu informatus atque educatus fueris, tu qui ſcientiarum Præſidis Dei nomen tibi vendicas, cito votum illud parentum tuorum implebitur.

Multo hic patrem diſcrimine vincit.
Aut moderatius illud & facilius.

Sequitur veſtigia Patris. Tam de te gaudebit Mater non modo ex acie cum ſpoliis redeunte, ſed & concionante, ac jus dicente, & juſtitiæ comitatu aſſeſſuque ſepto, quæ quidem prima illa Palatium implet. *Orat. 6. de Imperatoris audiendi cupiditate.*

Themiſtius: Atque in altero quidem jam nunc progenitoribus tuis anteponendus es, in altero verò non vinci ab iis majus tibi quiddam ac præſtabilius eſt. Quod enim tu ab Imperatoribus, illi à privatis oriundi ſunt, hac illos parte ſuperas. quod verò illi imperium tanquam virtutis præmium adepti ſunt, tibi id generis colla-

tura successio est, hac tibi parte difficilius certamen propositum esse statuo. Te enim oportet neque fortuna ipsa, neque parentibus tuis deteriorem videri, quod nemo ab ipsis requisierit. Siquidem his parum est admodum ac leve cum suis genitoribus contendere: tibi paternam æquare virtutem, ingens omnino est atque arduum. nam illis cum privato duntaxat viro bono, aut ad summum exercitus duce omnis est subeunda comparatio: tibi verò cum Romanorum Imperatoribus, atque ejusmodi, ut in superioribus similes aliqui recenseri nequeant. *Oratione 11.*

¶ Romanorum.

Corn. Tacitus: Ne Tiberium quidem Imp. Augustus caritate, aut reip. cura successorem adscitum, dicebant nonnulli prudentum: sed quoniam arrogantiam sævitiamque etiam ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse. *libro primo Annal. cap. 10.*

Corn. Tacitus: loquitur Galba Imper. Si te privatus adoptarem, & mihi egregium erat tunc Pompeij & M. Crassi sobolem in penales meos adsciscere, & tibi insigne Sulpitiæ ac Lutatiæ decora, nobilitati tuæ adjecisse. Nunc me Deorum hominumque consensus ad imperium vocatum, præclara indoles tua, & amor patriæ intulit, ut principatum offeram, exemplo Augusti, qui sororis filius Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem privignum, in proximo sibi fastigio sibi collocavit. Sed Augustus in domo successorem quæsiit: ego in republica: non quia propinquos aut socios belli non habeam: sed neque ipse imperium ambitione accepi; & judicij mei documentum sint, non meæ tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed & tuæ. Est tibi frater pari nobilitate, natu major dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. &c. *libro primo Histor. cap. decimoquinto in adoptione Pisonis.*

Plinius Iunior: Quanto nunc, Dive Nerva, gaudio frueris, cùm vides & esse optimum, & dici, quem tanquam optimum elegisti! quam lætum tibi quod comparatus filio tuo vinceris! neque enim alio magis approbatur animi tui magnitudo, quàm quod optimus ipse, non timuisti eligere meliorem. *cap. 89. Panegyr. ad Trajanum.*

M. Antonius Imp: Epistolam tuam legi, sollicitam potius quam imperatoriam & non nostri temporis. Nam si Avidio Cassio divinitus debetur imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proavi tui dictum, successorem suum nullus occidit. sin minus, ipse sponte sine nostra crudelitate fatales laqueos inciderit. Adde quod non possumus reum facere quem nullus accusat, &, ut ipse dicis, milites amant. Deinde in caussis majestatis, hæc natura est, ut videantur vim pati etiam quibus probatur. Scis enim ipse quid avus tuus Hadrianus dixerit; Misera conditio Imperatorum, quibus de affectata tyrannide, nisi occisis non potest credi. *Vulcatius in vita Avidij cap. 2.*

Philostratus: Erat Domitiani statua penes Meletem posita; ad eam omnes qui aderant convertens Apollonius; O demens, inquit, quàm multum abes à fatorum necessitatisque cognitione! is enim cui post regnare fato datum est, etiamsi abs te interficeretur, reviviscet. *lib. 7. capitis 4. principio.*

¶ Poetarum.

Prudentius lib. 2. adversus Symmachum.

Perspice, nonne vacat meriti locus ille paterni?
Quem tibi supplendum Deus, & genitoris amica
Servavit pietas, solus ne præmia tanta
Virtutis caperet, partem tibi nate reservo,
Dixit, & integrum decus intactumq; reliquit.
Accipe dilatam tua, Dux, in tempora famam,
Quodq; patri superest, successor laudis habeto.

M. Val. Martialis.

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres!
Penè fuit tanti, non habuisse duos.

Ausonius de Antonino Imp.

Successore suo moriens, sed principe pravo;
Hoc solo patriæ, quod genuit, nocuit.

Guntherus lib. 1. Ligurini v. 107.

Nam pater in valido robustus & integer ævo
Exstimulat, teneram ducitq; per ardua prolem.
Illa velut patriæ sectatrix æmula laudis,
Accelerat; tardumq; putat, damnoq; futurum,
Expectare dies, meritisq; supervenit annos.

Guntherus lib. 1. Lig. versu 333.

Non alienus erit: nulla heic translatio regni,
Nulla sub ignoti redigemur jura tyranni.
Adde quod antiqua Regum nutritus in aula,
Regia prudenter tractare negotia novit.
Adde quod & geminas poterit regumq; ducumq;,
Hanc patris, hanc claro contingens sanguine matris.
Conciliare domos, quas seditione frequenti
Excitat impatiens socia discordia laudis,

Successus.

¶ Sententiæ Poetarum.

Plautus Persa 4. sc. 1. pr.

Si quam rem accures sobriè aut frugaliter,
Solet illa rectè sub manus succedere.
Atq; edepol firmè, ut quisq; rem accurat suam,
Sic ei procedunt post principia. deniq;
Si malus aut nequam est, male res vertunt quas agit.
Sin autem frugi est, eveniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorsus sum facetè ac callidè;
Igitur proventuram bene confido mihi.

Plautus Milite 4. sc. 1. p.

Voluptas est quod agas, si id procedit lepidè ex sententia.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; cælitum favore, ah! auspicato nil geres.
Absq; successu voluntas digna honore alacris suo est.
Ad majora non procedit, parva cui sunt in metu.
An via ulla laureatis invia est heroibus?
Callipes quidem movere, promovere se haud solet.
Cui Deus numen parensq; est quidnam ei accidat mali?
Cui favet Deus, creata cuncta eidem obediunt.
Cui reluctatur natura ille irritus certe est labor.
Cùm Deus vult, lacrimosa è sorte gaudium fluit.
Cuncta agit citò atq; rectè cui voluntas plurima est.
Cuncta opes, omnisq; egestas, à Deo est: ars nil potest.
Cura frustra omnis laborq;, si Dei deest favor.
Dexterè excercet quod nunquam didicit Fors cui favet.
Dexterum nihil renuente Fortuna homini provenit.
Est necesse ipse allabores, esse fœlix si cupis.
Est voluptas quod agas, si id procedit ex sententia.
Expedit Sors quæq; juncta cum faventi Numine.
Exitus eis secundi sunt quibus comes Deus.
Fit citò è faciliq; quidvis quando fert opem Deus.
Fortibus cùm fors resistit, vis nihil nec ars valet.
Grande subsidium optimè agendi præbet amor negotij.
Incipit finitq; dextrè cuncta cui favet Deus.
Maximum viaticum ad bene rem gerendam, amor rei est.
Nemo fortis nemo sapiens fit Dei absq; numine.
Ordine incedit cupitum quidquid exitum invenit.
Pervenit labore virtus quo velit ac constantia
Plurimas felicitatis exhibent Dei vias.
Quæ Deo fiunt favente prosperi sunt exitus.
Qui memor Dei in bona re est, in mala quod vult feret.
Rectè sub manus succedit res curata sobriè.
Si cupis statim patrare qualibet, Deum cole.
Rectè sub manus succedit quod curas frugaliter
Successum sequitur fortuna, laus sed experientiam.

¶ Jambica.

Anus quidem pedes movet, at nil promovet.
Cedit retrò quod non potest procedere.
Cuncta eveniunt Deos sequentibus benè.
Cuncta eveniunt Deos spernentibus malè.
Deo absq; læva est omnis auspicatio.
Deo favente vimen est navis loco.
Deo juvante cuncta justus perficit.
Deo præsente, pervia, invia omnia.
Deo viam monstrante sunt plana omnia.
Facilius inter ancipitia provenis.
Felicitatis plurimæ Dijs sunt viæ.
Feliciter quidvis alacritas expedit:
Fortuna magis invidet successibus.
Hominis verecundi processus lentior est.
Honesta quædam scelera successus facit.
Magnis viris res quæq; semper prospera est.
Manum movere cum Minervâ, promovet.
Nihil diurnat quod fit averso Iove.
Nil absque Dijs mortalium gens perficit.
Non omnia obtinebis à Dijs per bovem.
Non tam adsequi turpe est, quàm turpe est non sequi.
Perinde res sunt omnes, ipse ut eas agis.
Proficere velle, pars profectus maxima est.
Quam miserũ officiũ est, quod successum nõ habet!
Quodcunque cordi est Cælitibus facilè evenit.
Rectè facit, quæcumque vir frugi facit.
Rerum ferè corrumpimur successibus.
Semper jacent, qui metuunt ne aliquando cadant.
Sequentibus Deum omnia eveniunt prospera.
Statim peractum est omne Dij quidquid volunt.
Successus ad perniciem multos devocat.
Successus improborum plures allicit.

Successus omnis farctus arrogantiâ est.
Viventi honestè cuncta cedunt prospere.

Videantur plura titulo *Prosperitatis, Fortunæ, Diligentiæ, Studiorum, Ingenij, Laboris.*

Sufficientiæ.

¶ Monosticha Trochaica.

Absit ut sit parvus ulli agri modus quo ali potest.
Amplius quid optet, eia! cui quod est sat obtigit.
Amplius nihil vovet, cui contigit quod est satis.
Cui quod est satis contingit, optat amplius nihil.
Detrahas tibi, nil addas, esse dives si cupis.
Dives est cui pauca sunt sat, non qui multa possidet.
Dives est abundè cælo qui frui ac terra potest.
Dives est, cui quid supersit largiendum Numini.
Dives est, cum paupertate bellè cui convenit.
Dives est is qui pusillo divitem se ipsum facit.
Dives est non pauper, cui cum paupertate bene convenit.
Dives est qui eget pusillo, non qui multa possidet.
Dives est qui supplet æqua mente quod desit rei.
Ego virtute Deûm, & majorum nostrorum dives sum satis.
Insipiens à fortuna, à sese ipse opes sapiens petit.
Lætus in præsens, aliena ne quidem desiderat.
Maximè ditatur ille, qui ditari non cupit.
Maximum bonum profectò est haud egere pluribus.
Maxime est ditatus ille, dives esse qui haud cupit.
Maximè fruitur divitiis, qui minimè ipsis indiget.
Ne quidem pro pane orare jussit crastino Deus.
Nil eo locupletius, cui quod fors det non invenit.
Non procul felicitas quærenda est: promitur domo.
Omne vir frugi petit à se quod desiderat in domo.
Omnia habeo, neque quidquā habeo: cū nil est, nil desit tamē.
Per contemptum divitiarum, ad divitias compendium est.
Persicam aulam spernit rebus qui indiget paucissimus.
Plurium hoc est quiuq; servus indiget quo pluribus,
Proxime Deis accedit, cui opus paucissimis.
Quot sat est naturæ, homullis singulis vix sufficit?
Satius est satis quod satis est: habitu quā, quod plus sat est.
Serviet vitam universam qui pusillo uti nequit.
Sit mihi, quod postulanti pauca vitæ erit satis.
Vita felix nec privatim multa aget, nec publicè.

¶ Jambica.

Benè concupiscit, concupiscit qui nihil.
Cui non satis sunt pauca, nil ei est satis.
Contentus minimò, fortunatus maximè est.
Diis proximus quicumq; eget paucissimis.
Deo est similior, cui quam minimis est opus.
Dignus Deo esse vis? opes contemnito.
Dives sat ille est pane qui non indiget.
Divitiæ in animo sunt, non in patrimonio.
In animo opes sunt, non in patrimonio.
Is dives est cui res satis placent suæ.
Natura rebus indiget paucissimis.
Nil amplius desiderare, opum sat est.
Non arca sed mens quemq; divitem facit.
Nunquam fecit quem divitem pecunia.
Nunquam parum esse cui potest, quod est satis.
Parum petit natura, multum opinio.
Potius opes à te quàm à fortunâ petas.
Quantum voles habebis qui minimum voles.
Qui nescit uti parvo æternum serviet.
Qui pluribus non indigent, sunt divites.
Quidvis sat est ei, esse qui felix cupit.
Quidvis sat est naturæ, nil cupidini.

Suffragij.

¶ Sententiæ Græcorum.

Aristides Rhetor: Existimo eum qui vel rectè dicturus, vel æquum sit suffragium laturus, non id spectare debere nec invidere, si quem priorum ac celebrium virorum aliter eadem de re dixisse contingat, sed cujus ubique maximam oportet haberi rationem, heic quoque, ab utraque parte consistat veritas, inquirere, atque eò victoriam deferre. Etenim foret absurdum, si in concionibus & judiciis, non ei qui primum dixisset, fides haberetur, verùm probè scirent omnes fore, si hac ratione disceptarentur ista, reorum nullus evaderet; quandoquidem omnes post actorem dicunt. in ipsis autem literis, & quod de iis exercetur judicio, non ij qui sententiam suam comprobarent, sed essent tempore priores vincerent: cumque tragœdi, citharœdi, & alij musici, non eodem precio, quo ordine, censeantur (alioqui enim sortitio sufficeret) sed is qui optimè certaverit coronetur, ac primus pronuncietur, etiamsi postremus sit ingressus: eos tamen qui elegantiora volunt certamina suscipere, vel de his judicare, antiquitatem tanti facere, ut non omnino tantum inferiores putent posteriores habendos, sed ne melius quidem iis quæ dicta sint, quidquam reperire posse. Quin etiam in gymnicis videmus certaminibus, non eos quicumque primi nomen dederint, victoriam reportare, verùm qui id ad quod nomen dederint, optimè factis comprobarint. idque ita ubique obtinet, ut ipsis quoque præmiis, adeoque cursus ipsius, non iis qui initio retulerint, sed qui prætererint signum detur. Est autem admodum iniquum, eos qui corpus exercent & colunt, adeo magnam & priorem habere honestatis ac justitiæ speciem: qui in literis excellunt, & absque earum studio ne vitam quidem expetendam putent, eos tam ignavos, aut potius iniquos esse, ut uno ad omnia utantur argumento, si quis extiterit prior, ac pro veritate nomina admirentur, quasi non oportere quidquam reperiri melius existiment: ac leges quidem ipsas, si sit utile mutare: qui autem de iis quorum est natura perpetua tractant sermones, eos post primos non recipere verùm priores quasi terminos aut columnas venerari; nec ea, quēadmodum legibus priores per contrarias abrogantur, solvere, verùm eodem loco etiam alios habere: & juramentis quidem publicis hoc adscribere, licere demere & addere, quidquid posterius consultantibus visum fuerit: quas autem eadem semper ubique libertate decebat examinari literas, eas superioribus duntaxat temporibus tribui: velut si quis primos tantum homines sanos esse dicat oportere: nec hanc ratiocinationem ipsis primum quos honorant, inutilem esse animadvertere. nam si tempori sunt omnia tribuenda, eoque metienda dignitas, non amplius is qui nunc illis habetur ab omnibus honor locum habebit. Hac enim ratione, &c. Iam Homeri & Hesiodi, atque eorum qui hactenus excelluerunt, Platonis ac Demosthenis, & qui paulo ante vixerunt, ne ad longissimum quidem tempus similis est speranda gloria, cùm semper æquale præcedat ipsos spacium. Sed si id omnibus est manifestum, hos cùm natura & industria præstitissent, majores suos superasse: neque posteriores erunt omnes omnibus modis arcendi neque reiiciendi, si quis hoc etiam tempore de re proposita sententiam queat ferre; verùm ex ipsis quos colimus, aliud esse præcedere, aliud præstare, cognoscendum est. Et antiquos quidem omnes venerari oportet, non horrere; nisi forte literis insignes majore quam ipsas literas, honore censeamus afficiendos &c. *Oratione Platonica prima pro Rhetorica.*

¶ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Clerici cum sibi conciliaverint gratiam potestatum, de jure patere sibi asserunt universa; eo quod princeps, ut dicunt, legibus non subijcitur, & quod principi placet legis habet vigorem. Cùm ergo populus ei & in eum omnem autoritatem suam contulerit, ei obviare crimen majestatis est, & manifesta subversio principatus. Siquidem sacrilegij instar est, dubitare an is dignus sit, quem princeps elegerit. Nec temeritatis effugit notam, & bene cum eo agitur, si vel pœnam quisquis ex quacunque causa voluntatem principis evacuare parat. Nullas leges credunt civilibus præferendas. Has Anacharsis Scytha telis araneæ comparavit, quæ muscas & culices detinent, sed volatilia transmittunt grandiora. Sic & jura civilia, humiliorum reprimunt voluntates; sed profectò potentioribus cedunt. Nam ex transgressione vel contemtu legitimam eis non irrogant pœnam, sed nec interpellatas quidem cauta dissimulatione prætereunt.

Ad hæc conquæsita tyrannorum exempla proponunt, quibus persuadeant potestatibus, universa licere. Maxime tamen sicubi locorum fuerint, ubi inveterata consuetudo obtineat, etiam si rationi adversetur & legi. Narrant quis tyrannus domesticum suum aut familiarem in quam Ecclesiam sine electione intruserit, quis clerum, ut ignotum & indignum eligeret, terroribus & damnis impulerit, quis Ecclesiam Dei vendiderit palam, quis metropolitanum compulerit reprobabilem consecrare; quis Episcopos religiosos in exilium egerit, aut actos ab aliis coegerit exulare, quis Ecclesiam & res sacras honoraverit muneribus sordidis, quis indignis suppliciis torserit religiosos, quis vilipenderit & pessundederit clerum, quis in provincias induxerit ferale judicium, quis leges & canones exterminaverit à finibus suis, quis indixerit silentium Episcopis, ut quævis flagitia impune & sine ulla reprehensione committeret, quis adversus Ecclesiā Romanam diutius & perniciosius intumuerit, quis omnia non tam sua, quàm perversa lege tractaverit, quis tandem consueverit libito licitum coæquare. Si quis autem in his commemorandis copiosior est, & in explenda malitia nequior, sincerioris est fidei, & efficacioris industriæ. Qui verò pro veritate fidei, aut sinceritate morum de jure divino aliquid loquitur, ut superstitiosus est, aut invidus, aut (quod capitale est) principis inimicus.

Si dicas quia ignis per septuaginta annos Babylonicæ captivitatis sub aqua vixerat, demum extinctus est, Antiocho vendente Jasoni sacerdotium, aut quod beatus Gregorius testatur, quia pestilentiæ & fames, concussiones gentium, collisiones regnorum, & quàm plurima adversa terris proveniunt, ex eo quòd honores Ecclesia-

clesiastici ad precium, vel humanam gratiam conferuntur personis non meritis. Si dicas Ozam percussum à domino, eo quod arcam nutantem præsumebat erigere. Si regnante Ozia rege leproso, siluisse dixeris Esaiam, & eo mortuo vidisse dominum sedentem super solium excelsum. Si dixeris onera tabernaculi humeris & plaustris Levitarum duntaxat imminere, & si qua sunt in lege Dei similia, bene agetur tecum, si non mutilatus retrudaris in carcerem, aut in exilium propellaris. Undique conclamaberis, & tam ambitiosi, quàm fautores eorum extremæ damnationis in te non verebuntur ferre sententiam.

Unum tamen remedium tibi dominus procurabit, quod cuiusque sapientis & timentis Deum conscientia consonat verbis tuis. Inde est quod sententia eorum de te, domino autore, non semper obtinet. Si enim ipsis creditum fuerit, tu quasi læsæ majestatis reus, hostis publicus judicaberis. Diceris utique publica evacuare judicia, & dum professionis propriæ zelator, Ecclesiasticam erigis libertatem, sapientiam subvertis Principum, & eos quasi stultos & contemtibiles reddere machinaris. Satius erit ut diadema detrahere tur Principis capiti, quàm principalis & egregiæ partis reipublicæ dispositio, quæ in religione versatur, illius subtrahatur arbitrio.

Non privata cupit, Romana quisquis in urbe
Pompeium transire parat. ——

& forte arrogantius privatorum vota transgreditur, qui sub imagine libertatis Principibus appetit dominari. Nam si quis Principum superstitioni huiusmodi acquiescat, insipiens est, & ab illustrium regum virtute degenerat. *libri septimi nugarum Curialium capite vigesimo.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Non magis sibi aura constat, quàm populi suffragium.
Pauca virtus, plura nummus obtinet suffragia.
Plus potest persæpe casus quam æquitas suffragij.
Sæpe plus potest pro æquo casus in suffragiis.
Semper æqua de re iniquum plebis est suffragium.
Sorte & urnâ non discernas mores, sed suffragio.

¶ JAMBICA.

Laudato eum, tibi suffragari quem cupis.
Nil non potest jam muneris suffragium.
Suffragiorum prævalet pluralitas.

Sumptus.

¶ SENTENTIÆ POETARUM.

Plautus Aululariæ 3. sc. 6.

—— *Tamen*
E meo quidem animo, aliquanto facias rectius
Si nitidior sis in filiæ nuptiis.
E. Pro re nitorem, & gloriam pro copia
Qui habent, meminerint sese, unde oriundi sient.
Neque pol Megadore mihi, neque cuiquam pauperi,
Opinione melius stricta res domi est.

Plautus Milite 3. sc. 1. v. 78.

At tibi tanto sumptui esse mihi molestum est. PE. morus es.
In mala uxore atque inimico si quid sumas, sumptus est.
In bono hospite atque amico, quæstus est quod sumitur;
Et quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro est.
Deûm virtute transeuntem hospitio accipi, apud me est comitas.
Es, bibe, animo obsequere mecum, atque onera te hilaritudine:
Liberæ sunt ædes, liber sum: ego me uti volo liberè.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cui lucerna opus, necesse est lumen unguine adjuvet.
Cui lucerna opus, necesse pinguetudinem ingerat.
Dum volumus servare impensa, adjecta porrò perdimus.
In malâ uxore, atque inimico, si quid sumas, sumptus est.
Non potest consistere quæstus, si ipsum sumptus anteit.
Non sumptum augent philosophorum sed minuunt convivia.
Quei queas lychno uti, olivi stilla nulla cui datur.
Quisque Regum in sumptus quærit, nemo quærit redditus.
Servo homini melius modestè facere sumptum quàm ampliter.
Sumptuum gravitate justos redditus stultus anteit.
Sumptuum ubertate justos redditus qui anteit, ruit.

¶ JAMBICA.

Affunde olivam uti lucerna si libet.
Affundat oleum oportet cui lucerna opus.
Asini caput carè nimis nitro laves.
Haud certus est bello ulli sumptuum modus.
Necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum.
Quæ redditus præstant macros, præstant flatos.
Sumptus operis prudens futuri supputat.

Videantur plura titulo *Damni, Aestimationis, Emptionis, Mercaturæ, Negotiationis.*

Supellectilis.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECOR.

CLemens *Alexandrinus*: Argenteorum itaq; & aureorum gemmeorumque poculorum irritus & inutilis est usus, ut quibus visus decipiatur tantum. Nam sive eis calidum mixtum liquorem infuderis, excalefactorum vasorum molesta est tractatio: sive rursus frigidum infuderis; qualitatem materia transfundit, liquorem corrumpens, & est damnosus dives potus. Valeant ergo Theridei calices, Antigonides, canthari Labronij, & lepastæ, & poculorum genera innumerabilia, trullæ præterea & psycteres, & œnochoæ. Aurum enim & argentum, & privatim & publicè est invidiosa, ut semel dicam, possessio, si usum excesserit: rara ad acquirendum, difficilis ad custodiendum, & non apta ad utendum. Quinetiam curiosa ac superflua tornatorum in vitro vana gloria, ad frangendũ propter artem paratior, quæ simul docet & timere & bibere; est à nobis nostris institutis & legibus exterminanda. Sellæ autem argenteæ, pulues & acetabula, scutellæ & catini, & præterea vasa aurea & argentea, nonnulla quidem ad ciborum ministerium, alia verò ad alios usus quos me pudet dicere, ex sectili cedro, thyo, ebenoque & ebore instructi tripodes, lectique argentei pedes & ex ebore compacti, auroque interspersæ & testudine variatæ cubilis valuæ, & stragulæ vestes purpureæ, & aliorum colorum paratu difficilium, insolentium delitiarum argumenta, invidiæ mollisque ignaviæ insidiosa commoda, sunt omnia amandanda, ut quę nihil habeant propter quod sit jure in eis multum studij ponendum: Tempus enim contractum est, ut dicit Apostolus. Hoc ergo restat ne habitum ac figuram quampiam præ nobis ridiculè feramus: quemadmodum in pompis videntur nonnulli extrinsecus ita uncti & obliti ad gravitatem, ut stuporem & admirationem afferant, intus autem sunt planè miseri. Hoc itaque explicans accuratius subjunxit: Reliquum est, ut & qui habent uxores, sint tanquam non habentes, & qui emunt, tanquam non possidentes. Quòd si hæc dixit in conjugio, in quo dixit Deus, Crescite & multiplicemini, quomodo putatis arrogantiam ac superbiam non esse ex authoritate Domini exterminandam? Quocirca dicit etiam Dominus: Vende quæ habes, & da pauperibus, & huc me sequere. Sequere Deum nudus ab arrogantia, nudus à pompa momentanea, quum tuum est, quod bonum est, quod auferri non potest, in Deum fidem, in passum confessionem, beneficentiam in homines possidens: quæ quidem est possessio pretiosissima.

Ego autem laudo etiam Platonem, qui lege lata apertè decernit, quòd neque ut opes aureas & argenteas habeas laborare oportet, neque vas inutile, quod non cum usu necessario moderatum quoque sit, ut sit idem ad multa accommodatum: multiplex autem & varia possessio tollatur. Pulcherrimè itaque alicubi dicit divina Scriptura, ad eos qui sunt sui amantes & arrogantes verba dirigens: Ubi sunt qui gentibus imperabant, & qui dominabantur feris quæ sunt super terram? qui in cœli avibus illudebant, qui argenti & auri thesauros congregabant, in quibus homines habebant fiduciam, & non est finis acquisitionis eorum? qui aurum & argentum fabricabantur & erant soliciti? Non est inventio verborum eorum: evanuerunt, & ad inferos descenderunt. Hæc est merces arrogantis superbiæ. Si nobis enim agrum colentibus, ligone & aratro opus est, ligonem autem argenteum falcemque auream nemo fabricari soleat, & materia quæ apta sit ad opus faciundum, non quæ sit dives in agricultura, utimur: quid vetat quo minus in vasis quoque domesticis idem sentiant, qui quod est simile considerant? quorum modus sit usus, non sumptus ac magnificentia. Quid enim, dic quæso, qui in mensa ponitur gladiolus, si clavos non habuerit argenteos, vel non fuerit factus ex ebore capulus, non scindit? An ad carnem dividendam Indicum ferrum nobis fabricandum est, auxilium veluti quoddam evocantibus? Quid verò si fuerit peluis fictilis, an ablutarum manuum sordes non excipiet? & vas fictile quo pedes lavamus, pedum sordes? Ergo ne etiam indigne feret mensa, quæ est pedibus eburneis instructa, si panem unius oboli portaverit? neque verò lumen lucerna ministrabit, quod sit figuli opus, non aurificis? Ego autem dico, vel humile grabatum nihilo deteriorem præbere accubitum, quam lectum eburneum. Cùm autem ad substernendum sit satis ovinarum caprinarumve pellium, adeò ut purpureis aut puniceis non sit opus, propter primarum, quæ exitium attulerunt, delitiarum stultitiam, nihilo secius condemnare frugalitatem, quis tantus error & vana honesti pulchrique persuasio?

Videte, Christus in vili catino cibum sumpsit, & fecit discipulos super herbam accumbere, & pedes eorum lavit linteo accinctus, Deus à fastu alienus, & Dominus omnium, sane non argenteum lavacrum è cœlo deferens? Et à Samaritana potum petiit, quæ aquam vase fictili hauriebat è puteo, aurum regale non requirens, sitim autem docens facilè restinguere. Scopum enim constituebat usum,

non

non nimiam & inutilem magnificentiam. In conviviis autem comedebat & bibebat, non terræ metalla effodiens, neque auri & argenti, hoc est, rubiginem redolentibus vasculis utens: quodammodo enim spirat incensæ rubigo materiæ. In summa enim & alimenta, & vestes, vasa & supellectilem, & quæcunque in domo sunt, atq; ipsam, ut semel dicam, vitam, oportet esse consentaneam rectæ Christiani hominis institutioni, prout conducibile fuerit, accommodatam personæ, ætati, studio, ac tempori. Cùm enim simus unius Dei ministri, oportet & possessiones, & quæ est in eis suppellectilem, unius honestæ vitæ signa ostendere, & unumquemque hominem indistincta & non differenti fide, huic uniformi institutioni ea quæ consequuntur consentanea & convenientia per hanc unicam affectionem videri facere. Quæ autem nec difficiliter acquirimus, & eis facilè utimur, laudamus, & facilè custodimus, & facilè communicamus: meliora autem sunt quæ utilia. Quæ viliora autem sunt ac frugaliora, sunt meliora divitibus. In summa, divitiæ quæ non rectè administrantur, sunt arx vitij ac sceleris, in quibus multi cæcutientes, cœlorum regnum nunquam ingredi poterunt, in rebus quidem mundanis ægrotantes, superbè autem & arroganter propter delitias viventes.

Oportet autem eos, qui contendunt ad salutem, hoc animo antea præcepisse, quòd usus quidem causa, nobis sit universa possessio: sufficientiæ autem gratia, possessio, quam etiam ex paucis quispiam paraverit. Vani enim sunt, qui propter insatiabilitatem pretiosis delectantur possessionibus, quas tantum servent ac deponant. Qui autem cogit, inquit, mercedes, coegit in nodum perforatum. Is autem est qui cogit, & sementem excludit, & detrimento afficitur, qui nulli impertitur. Res est autem plane ridicula, & digna maximè quæ ludibrio habeatur, argentea urinæ receptacula, & vitreas matulas viros inferre, quemadmodum suos introducunt consiliarios: & has, quæ sine ratione sunt, divites mulieres, ex auro excrementorum facere receptacula, ut ne egerere quidem eis liceat absque superbia. Vellem quidem eos per totam vitam aurum stercora existimare. Nunc autem arx vitij inventa est pecuniæ cupiditas, quam Apostolus dicit esse radicem omnium malorum: quam quidam appetentes, à fide aberrarunt, & seipsos confixerunt multis doloribus. Veræ autem divitiæ sunt, paupertas cupiditatum: & vera animi magnitudo est, non propter divitias sibi placere, & magnos spiritus sumere, sed eas despicere. De suppellectile autem & vasis se jactare est perquam turpe: non enim in eis studium suum ponere ęquum est, quæ volenti licet vel è foro emere. Sapientia autem emi non potest terreno numismate, nec in foro, sed in cœlo venditur: & justo nummo venditur, nempe Verbo immortali, regali aureo. *lib. 2. Pædagogi cap. 3.*

D. Io. Chrysostomus: Si quispiam amiserit pecunias, vivit vitam quavis morte graviorem? Quid doles, ô homo, quid lacrymaris? Quòd te Deus à supervacanea liberârit custodia? Quòd non sedeas tremens & timens? Deinde si quis te alligarit thesauro jubens illic sedere perpetuò, & vigilare pro alienis, doles, & ægrè fers. Tu autem quum teipsum alligaris gravissimis vinculis, quoniam à servitute liberatus es, doles? Revera anticipatæ opinionis sunt dolores & gaudia. Eas enim sic custodimus, tanquam habentes aliena. Nunc verba à me habentur ad mulieres. Sæpe habet mulier aliqua vestem ex auro contextam, & eam concutit, lino involvit, diligenter custodit, de ea timet, & ea fruitur. Aut enim moritur, aut fit vidua, aut etiamsi nihil horum accidat, ne frequenti usu eam consumat verita, seipsam privabit. Alioqui seipsam privat parsimonia. At eam alteri concedit. Sed neque est hoc evidens. Si autem concesserit, ea quoque illa rursus similiter utetur. Etsi quisquam scrutetur ea quæ sunt in ædibus, inveniet vestes maximè pretiosas, & alia excellentia, majori honori coli tanquam dominos animatos. Neque enim eis assiduè utitur, sed timet & tremit, tineas & alia quæ solent exedere abigens, & plura ponens in unguentis & aromatibus; neque permittens omnibus ut ea illorum oculis pateant, sed ipsa sæpe cum marito ea diligenter componens & concinnans. *Homilia 20. epist. ad Hebræos.*

Simplicius: At dicat aliquis, nonne rerum & instrumentorum virtus ad possessores, & eos qui his utuntur, referri solet? Solet illa quidem. Verum asciæ virtus fabrum bonum non facit, nisi ante fuerit. Quoniam asciæ, ratione aciei & figuræ alia virtus est, alia fabri, ratione artis. Ipsius asciæ bonum est acies, & elegantia formæ: eaque ad ministerium facit, atque ad opus quod per eam perficitur. hæc enim instrumenti virtus est. Ad fabri autem perfectionem nihil confert. nam illius peculiare bonum in artis rationibus situm est, etiamsi opus externum peius confectum fuerit, sive ob materiam, sive ob instrumenta, sive ob aliquod aliud impedimentum. *ad cap. 11. Epict.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cùm supellex munda & apta est, maxime tunc usui est.
In domo ferè supellex qualibet superflua est.
In magna domo sunt vasa fictilia atq; lignea.
Non venusta sed pompatica est supellex divitum.
Quin supellex multa qua non utitur, emitur tamen.
Spectat ad pompam supellex tota qua non usui est.

¶ Jambica.

Pecunia absq; peculio fragilissima est.
Vilissima instrumenta, familiarissima.

Videantur plura titulo *Aedificii, Domus, Convivii, Luxus, Divitiarum, Voluptatis.*

Superbiæ.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

Divus Nazianzenus: Tametsi divina gratia in indignos minimè influat, nec in malum ac nulla ex parte concors organum: tamen ob humanæ habitudinis & naturæ mutabilitatem & inconstantiam, non minoris, ut quidem ipse existimo, negotii est, dignitatem suam concordiamque tueri & conservare, quàm à principio ad concordiam rectè perduci, ac dignitatem consequi. quippe cùm sæpe gratia ipsa (ut quod omnium malorum nostrorum miserrimum est, maximeq; mirandum dicam) fastum nobis & elationem pariat, sicque à Deo, ad quem non, ut decuit accessimus, exturbet ac dejiciat, atque ita dum extollimur, corruamus. *Orat. 6.*

D. Greg. Nyssenus: Et non erubescis terrea statua, mox pulvis futura, qui in modum bullæ brevi duraturum in te tumorem contines, te superbia repleri, fastu tumere, vano spiritu atque cogitatione mentem inflatam habere? An non respicis ad utrumque vitæ humanæ terminum, unde & initium sumat, & in quid desinat? Verùm superbis ac jactas te nomine juventutis, & ad florem ætatis respicis, & gloriaris, & tibi places propter decorem & pulcritudinem; quod tibi manus supra modum vigeant ad motum, quod celeres & veloces ad saltum sint tibi pedes, quod capillus ventis diffundatur, quod lanugo maxillas distinguat, quod tibi vestis purpuræ tinctu supra modum florida sit, quod panni tibi serici prælijs venationibusve aut historiis quibusdam variegati, distincti atque exornati sint, aut forsan ad talaria adhibita cura in nigro nitentia, & superfluo opere fibularum lineis oblectantia spectas? ad ista respicis, te ipsum verò non intueris? Ostendam tibi tanquam in speculo, qui sis ac qualis. non vidisti in loco publico sepeliendis hominibus destinato, naturæ nostræ mysteria? non vidisti ossium, aliis super alia temerè abjectis congeriem? calvarias carnibus carentes, terribilem quendam & deformem aspectum exhaustis oculis præbentes? vidisti ora ringentia reliquaque membra, prout fors tulit, divulsa ac dispersa? si illa vidisti, te ipsum in illis spectasti. ubi signa præsentis floris? ubi flos labiorum? ubi torva oculorum pulcritudo, sub vallo protegumentoque superciliorum elucens? ubi rectus nasus in medio genarum pulcritudinis collocatus? ubi ad cervices usque demissæ comæ? ubi circa tempora cincinni? ubi sagittariæ jaculatricesque manus? equitatores pedes? ubi purpura, ubi byssus? ubi paludamentum? ubi baltheus? calcaria? equus? cursus? fremitus? omnia denique per quæ nunc tibi fastus augetur? dic ubi hæc, quorum nomine nunc animos tollis & superbis, magnosque tibi spiritus sumis in illis? quod somnium adeo vanum & non subsistens? quænam ex somno talia visa? quæ umbra adeo tenuis tactum subterfugiens, ut juventutis somnium simul & apparens & protinus prætervolans? Hæc ad eos qui in juventute propter ætatis robur imperfectum minus sapiunt, à me dicta sint.

Quid autem dicat aliquis de iis, qui ætate jam pleni, constituti cõfirmatique sunt? in quibus ætas quidem stabilis, mors autem & ingenium instabile est; morbus item superbiæ augetur, nomen autem ejusmodi ingenii morbo, spiritus & fastus imponitur. Magistratus autem, quodque ei adjunctum est, imperium atque potestas, plerunque superbiæ materiam occasionemque præbet. Aut enim in ipso magistratu ad vitium admittunt, aut hoc vitio impulsi ad eum aspirant, aut sermones de magistratu illati, sæpenumero sopitum jam morbum exsuscitant. Et quænam ejusmodi oratio sit, quæ aures eorum à præconum voce præclusas penetrare possit? quis ita affectis persuadebit, quod nihil quidquam omnino differant ab iis, qui in scena cum pompa prodeunt? etenim illis quoque persona quædam ex arte polita atque ornata, vestisque purpurea auro intertexta injecta est, & in curru magnificè invehuntur; & tamen nullus superbiæ morbus eos ex rebus hujusmodi invadit, sed quo sensu atque spiritu erant antequam in scenam prodirent, eundem in animo habitum etiam in pompa conservant, & postea non ægrè ferunt neque anguntur, quod & curru descenderint, & habitus ipsis detrahatur & adimatur. At illi qui per tempus magistratus, pompam in scena vitæ ducunt, neque id quod paullò ante præteriit, neque quod paullò post sequetur reputantes, quemadmodum bullæ inflatione intenduntur, & intumescunt: eodem modo hi quoque ad claritudinem vocis præconis intumescunt, & alicujus alienæ personæ formam sibi sumunt, naturalem habitum vultus mutantes, & in severitatem atque terrorem componentes, sonusque ab eis asperior ad audientium concussionẽ & horrorem in feritatem transmutatus excogitatur, non amplius intra terminos humanos se continent, sed in divinam & potentiam & potestatem se ingerunt & intrudunt. nam vitæ necisque potestatem se habere credunt; quod ex eis qui caussas apud eos dicunt, alium quidem sententia sua servant, alium verò capitis condemnant. ac ne hoc quidem vident; quis verè humanæ vitæ potestatem habeat; videlicet qui & initium & finem naturæ statuit: quanquam hoc solum satis esset ad reprimen-

dum

dum vanum tumorem atque inflationem, quod multos magistratum gerentes & in imperio constitutos in ipsa magistratus scena, è mediis soliis ac tribunalibus raptos, & ad sepulcra portatos viderunt, in quibus lamentatio voces præconis excipit. Quomodo igitur alienæ vitæ potestatem habet is, qui à sui ipsius vita alienus est? &c. *fine Homiliæ. 1. de beatitudinibus.*

Chrysostomus: Quosque spirabimus spiritus istos ridiculos! nam quemadmodum pueros si videamus sese efferre & superbire, ridemus; quòd si etiam lapides capere & projicere, rursus ridemus: ita humana arrogantia puerilis mentis infirmi animi proles est. Quid superbis terra & cinis? Magnos spiritus sumis, homo? quapropter? quæ utilitas, dic mihi? unde verò magnos spiritus sumis in eos etiam, qui ejusdem sunt ordinis? non ejusdem particeps es naturæ? non ejusdem animæ? non eundem à Deo honorem accepisti? At sapiens es? Ergo gratias agere, non intumescere debebas. Prima ingratitudo superbia est: aufert enim beneficentiæ donum. qui enim sese effert; is, quasi ipse id, quod rectè factum est, confecerit, se effert. Qui autem omnia à se profecta putat; ingratus est adversus eum, qui honorem dedit, quippiam boni habes? gratias age ei, qui dedit. *Homilia 5. ad Philippenses.*

D. Chrysostomus: Initium peccati est superbia, primus impetus & motus ad malum, & fortasse quidem & radix & basis. Initium enim aut primum significat impetum ad malum, aut mali constitutionem & consistentiam. ut si dicas, Initium continentiæ & castitatis est abstinere à malo spectaculo, hoc est primus impetus. Sin autem dicamus, Initium castitatis est jejunium, hoc est fundamentum & constitutio. Ita etiam peccati initium arrogantia: ab ea enim incipit omne peccatum, & ex ea conflatur. Nam quod quæcumque bona agerimus, non sinat id vitium ea manere, & non excidere, sed sit veluti quædam radix, quæ non finit ut non labefiant, illinc est perspicuum. Vide quam multa fecerit Pharisæus, sed nihil ei profuit. radicem enim non excidit, sed ipsa omnia perdidit & corrupit. Radice manente, ex arrogantia existit despicientia pauperum, pecuniæ cupiditas, amor principatus, multæ gloriæ desiderium. Qui est hujusmodi, est propensus ad ulciscendam contumeliam. Nam qui est arrogans & elatæ mentis, ne à majoribus quidem sustinet contumelia affici, nedum à minoribus, neque quidquam mali pati sustinet. Superbus semper vivit in doloribus & molestiis, semper irascitur, semper est tristis. Nihil est quod hanc animi perturbationem possit satiare. Etiamsi viderit Regem se submittentem, incurvantem & adorantem, non est satiatus, sed magis est accensus.

Quomodo enim avari, quo plura accipiunt, eo pluribus indigẽt: Ita etiam qui sunt elatæ mentis, quantacumq; fruuntur gloria, tanto majorem expetunt: augetur enim eis affectio: est enim affectio: affectio autem non novit modum: sed tunc demum sistitur, quando occiderit eum qui ipsam habet. Non vides quod ebrii semper sitiant? affectio enim est, non naturæ desiderium, sed perversus morbus. Non vides quod quos vocant βυλιμιῶντας, id est summè famelicos semper esuriant: est enim affectio, ut dicunt medici. Naturæ fines exuperant. Curiosi & otiosi indagatores, quæcumq; passi fuerunt, non consistunt. est enim affectio, nec habet terminum. Rursus qui delectantur stupris & scortationibus, nec ipsi sistunt. Scortatori, inquit, omnis panis est dulcis, non cessabit donec fuerit, devoratus, est enim affectio. Sed sunt quidem affectiones, non tamen immedicabiles, sed quæ admittunt curationem, & multo magis quam corporales. Nam si velimus, eas possumus extinguere. Quomodo ergo potest extingui arrogantia? Si Deum agnoveris. si ea oritur ex eo quod Deus non cognoscatur: si eum cognoverimus, expellitur omnis arrogantia. Veniat tibi in mentem gehenna, veniant in mentem qui te sunt meliores, veniant in mẽtem quam multorum tibi sunt luendæ pœnæ. Si hæc cogitaveris, cito animum contraxeris, cito eum flexeris. At non potes hæc facere? es imbecillior? Cogitares præsentes, cogita naturam humanam, & quod nihil sit homo, quum videris in foro ferri mortuum, filios orbos sequentes, viduam uxorem quæ plangit, famulos lamentantes, amicos tristes, & mœrentes, reputa quam nihil sint res præsentes, & quod ab umbra & somnis nihil differant. At hoc non vis. Veniant in mentem divites, & ii qui in bellis temere perierunt. considera virorum magnorum & illustrium ædes, quæ nunc sunt dirutæ & solo æquatæ, cogita quantum potuerunt, & nunc eorum ne restat quidem memoria. Singulis enim diebus, si vis, invenies horum exempla, successiones principum, divitum bonorum publicationes. Multi tyranni humi sedent. is autem quem nemo suspicabatur, gestat diadema.

Non fiunt hæc quotidie? Non sunt nostra rotæ similia? Lege si vis & nostra & extera. Nam illa quoque plena sunt his exemplis. Si nostra despicis, idque ex arrogantia: si admiraris quæ sunt philosophorum, ad eos quoque accede. Illi te docebunt, veteres narrantes calamitates, & poëtæ, & oratores, & sophistæ, & omnes scriptores. Vndique si voles invenies exempla. Si autem horum nihil vis, considera nostram naturam & unde constet, & quomodo desinat. Considera quanti sis, quando dormis. Nonne vel parva bestia te poterit interimere? Multis enim sæpe è tecto delapsum parvum animalculum, vel oculum ademit, aut alicujus alterius periculi causa fuit. Quid vero, an non es inferior omnibus bestiis? Sed quid dicis te eis præstare ratione? Sed ecce non es ratione præditus. egestatis enim rationis argumentum & superbia.

Sed de quonam quæso omnino efferris & tibi places? Propter bonam corporis habitudinem? Sed bruta ejus palmam ferunt victoriam consequuta. Hoc est apud latrones, & sicarios ac parricidas, & sepulchrorum effossores. At ob prudentiam. Sed non est prudentiæ insolescere & sibi placere. Hoc quidem certe primo te privas, ut non sis prudens. Cohibeamus ergo insolentes nostros spiritus & superbiam. Simus modesti, & humiles, mitesque & placidi. eos enim præ omnibus beatos pronunciavit Christus, dicens, Beati pauperes spiritu. Et rursus clamabat dicens, Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde. Propterea pedes lavit discipulorum, nobis præbens exemplum humilitatis. *Homilia 2. ad Thessalonicenses 1.*

D. Chrysostomus: Quod in corporibus tumor, hoc in animabus superbia est. Denique sicut illic, quod immodicè turget, sanum non esse; ita & tumidos carere sanitate dicimus. *initio Homil. 17. ad Timoth. 1.*

Basilius Seleuc: Superbia arx ægritudinum, quæ Deum bello petit, quæ ad naturam pertinentia ignorat, quæ diaboli morbo jactatur; quæ virtutis cursus inutilis efficitur: & si universas in medium virtutes repræsentes, extingunt earum faces ingruens fastus. Jejunii cum superbia copulati emolumentum nullum; supervacanea virginitas superbiæ sorde inquinata: justitiam Deus aversatur fastui servientem: beneficentiam odit animi tumore æstuantem. O majus opinione malum, quo bonorum possessio fœdatur! alienam à cælesti benignitate ægritudinem! Nam qui alia peccant, cum pœnitudine ducuntur, eorum miseretur universi molitor; aut sceleribus pertinaciter adhærescentes punit: solis autem superbis resistit, inimicos non servos ducens. *Oratione 35. m.*

S. Isidorus Pelusiota: Etsi vitium occultas, tamen apparet te animo inflari, atque ultrà quàm & genus, & robur, & dignitas tua ferat, superbire. Quamobrem aut congruentem tibi animum collige, aut scito te ab omnibus irrideri. *lib. 1 epist. 12.*

S. Isidorus Pelusiota: Superbis Deus resistit: quandoquidem etiam ipsorum principi ab initio sese opposuit. Considera igitur quãtum est, & Deum hostem atque adversarium habere, & veterem hostem socium. *lib. 1. epist. 164.*

S. Isidorus Pelusiota: Quid superbit terra & cinis? Quid insolenter se gerit labes & corruptela? Quid magnificè de se sentit ac se effert umbra? Quid te imperii ac præfecturę insomnium inflat? Quin tu eos cernis qui turpiter ac fœdè diem vitæ extremum claudunt? Quin tu eorum æmulum te præbes, qui probè atque insigniter vixerunt? verùm brevem principatum tanquam sempiternam potentiam arbitraris: ob quam temporis orbis conversus te curabit, præfecturam tuam ad finem impellens, atque æstui tuo terminum imponens. *lib. 1. epist. 493.*

S. Isidorus Pelusiota: Ne animos attollas, nec quædam humanæ naturæ modulo sublimiora tibi animo fingas: ne alioqui cùm mediocribus etiam lapsus fueris, sublimius exaggeretur tua calamitas. *lib. 2. epist. 191.*

S. Isidorus Pelusiota: Quamvis res tuæ ad voluntatem tuam fluant, ne tamen propterea, tanquam nihil unquam mali perpessurus in arrogantiam & superbiam prorumpas, verùm illud tecum reputans, res in contrarium migrare atque commutari solere, fac modesto animo sis, nec ultra humanæ naturæ fines progrediaris. Vindex enim numinis vis, ea quæ geruntur inspicit: quæ quidem eos, qui se sublimiores esse, quàm ut in ipsos unquam animadverteretur, existimarent, per ea ipsa, quorum adminiculo pœnam se vitaturos esse putabant, ad supplicium induxit. *lib. 3. Epist. 52.*

S. Isidorus Pelusiota: Vir quidam philosophiæ nomine clarus mecum congressus, te quidem graviter accusabat, mirum illud sibi videri dicens, quòd tu, qui ne ingenuo quidem sanguine ortus es, supercilium efferas, cervicemque attollas, atque extremis unguibus incedas, ac per aerem ambulare tibi videaris: deniq; per omnia corporis membra imperitiam tuam & ineptiam conspicuam reddas: contra autem priscam quandam fœminam Archedicen nomine mirificis laudibus in cœlum vehebar, cujus etiam epitaphium hujusmodi referebat.

Non mihi mens unquam tumuit, licet ipsa parentem
Regem habui, & fratres, pignoraq;, atq; virum:

Ego autem hos versus tibi indicandos existimavi. Hinc enim fortasse fiet, ut nunc saltem teipsum noscas. *lib. 3. epist. 224.*

S. Isidorus Pelusiota: Ne mireris, vir optime, nec, ultrà quàm par sit, doloris jaculo configatur animus tuus, propterea quòd, cum Zosimo, ut scripsisti, loquendi libertas causa sit, non cancellis quibusdam & januis, quas etiam quidam fortasse aperire queant, verùm tot ac tantis criminibus, adhuc tamen linguæ petulantia laboret. Vt enim iis, qui aliquid ex virtute gerunt, postquam virtutis muneribus perfuncti sunt, modestiam adhibere mos est: sic etiam iis, qui peccant, post delicta superbire atque animis efferri. Quòd si hujus rei argumentum capere cupis, perspice quidnam tres illi pueri, qui ob vitæ probitatem ac justitiam igne superiores extiterunt. Peccavimus, iniquè egimus, injustitiam fecimus. At contrà Iudæi, qui nec ab ullo scelere, nec ab obscœno ullo sermone abstinuerant, his verbis utebantur. Custodivimus præcepta tua, & justificationes tuas: ac nunc alienos beatos prædicamus. Quamobrem nec tu quoque perturberis, nec absurdum quicquam & absonum

proloquaris illud pro certo habens, extremæ ipsius stupiditatis hoc inprimis argumentum esse. *lib.3.epist.360.*

¶ Latinorum.

S. Valerianus: Bene humilitas semper illæsa est: nescit enim vinci, cui non est causa pugnandi. Superbia verò non solum odiis, sed etiam periculis subjacet. Difficile enim potest fieri, ut non sustineat pugnam, qui injuriam inducit. *Homilia decimaquarta.*

Idem statim: Si diligenter requiritis universa, quibus ab initio mundi Domino cœpimus displicere; invenietis omnem vitiorum principem fuisse superbiam. Propter vitium præsumptuosæ mentis, diabolus angelica dignitate depulsus, tyrannicæ sententiam damnationis excepit.

S. Valerianus: Nunquam profectò ille aut sine suo, aut sine alterius peccato diem transigit, qui supercilio elatus incedit: quia inter superiores inferioresque personas semper aut despicitur aut timetur. Superbia vilitatis est vitium, & indicium ignobilitatis. nescit autem extolli nobilitas mentis. Semper accrescit apud indignos mores cum potestate supercilium. verùm est vitæ splendor, humilitas otiosa blanditur. Nemo profectò mores naturæ tantum vitiis æstimet imputandos. cum facultate nutritur supercilium; cum potestate crescit imperium. Quando igitur infirmis corporibus sufficeret medicina, si cum homine nascerentur & vulnera? Nutritur superbia, dum hic se verbis sapientiorem, natalibus judicat ille meliorem: hic dum non vult loca moveri, ille dum putat se posse contemni. Ita videmus vitio superbiæ odia crescere in comparatione personæ: dum hic adulantium oculis auri argentique pondus ingerit, ille ambitum honoris opponit: hic dum in se præfert abundantiam opum, ille sermonum: hic dum se vult propter consilium experti, ille propter convivium desiderat salutari. Ecce, hic ut semper novus esse videatur, excusationem salutatoribus mandat: ille ut quotidie salutetur, ægrotat. hic ut inveniat imputandi locum, fingit se de omnibus esse solicitum; non ut absentem desideret, sed ut reum inofficiositatis accuset. quærit enim quam ex matutinis horis januam salutator obsederit, ut imputet quare amicorum pompa defuerit. ita cùm ad salutationem non admittatur ille qui præsto est, reus statuitur ille qui deest: ac sic cùm huic qui occurrit clauditur janua, illi qui deest paratur offensa. Nolo illos dicere fastus animorum, cùm egreditur diu meditato supercilio, ac suis locis suisque meritis ordinationes instituit; ita ut cùm hic oscula porrigat, ille pectus opponat. Nullus illi sermo gratus, nullus confabulationis servatur affectus: alios oculis præterit, alios sermone despicit.

Quæ rogo ibi est spes vivendi, ubi unus sub specie amicitiarum præsumit dominationem, alter dum nimium obsequitur, sustinet servitutem? Videamus autem qualis sit hic superbus, cùm inter æquales in judicio sententiam daturus forte consederit. Videor mihi videre pugnas verborum eructatione compositas, cùm unus misericordiæ studeat, alter justitiæ favere se fingat; non ut recto judicio fidem servet, sed ut studia personæ superioris expectet. aliud enim sensisse se simulat, ut alterius disceptatione dissentiat. non putat in consiliis rectum nisi quod sibi ipsi persuaserit. vult solus audiri, ac solus omnium ore laudari. nec deest, quod peius est, ex hac parte qui faveat. citò enim superbia adulationi dat locum, dum aut hic quærit gratiam, aut ille veretur offensam. Nec parva est in ipsis conviviis superbia, cùm altior toro locus paratur; atque in tantum sublimior lectus sternitur, ut magis pendere quàm jacere videatur, ita superbia acquiescit injuriæ, ne pati videatur injuriam.

Quæritur quis assurgenti manum porrigat, quis humerum regat, quis latus fulciat. nemo mihi excusare potest, hoc vitium non esse tyrannicæ dominationis. Officium enim quod homo homini exhibet, si non ad hoc solum deferatur, ut tueatur infirmum, constat esse servientium. In quo loco laudo paupertatis patientiam, quæ cùm propriis virtutibus deseritur, alienis moribus famulatur. Sed quid solis divitibus tantum superbiæ pondus imponimus, cùm videamus frequenter homines in summa penuria constitutos simili animorum infelicitate sordere? Excedit sine dubio ille superbiæ modum, cui nulla est conscientia facultatum. In maximis & sublimioribus humilitas præferenda est: humilem verò pauperem nemo miratur: invitus enim se humiliat, quem necessitas paupertatis inclinat. Humilitas in paupere grata est, in divite gloriosa. humilitas inter inimicos blanda; superbia verò inter amicos ingrata. *Homilia 14.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ.

Xenophon: Equidem exponam, quo pacto etiam moribus Persico fastui sit adversatus. Primum rex Persicus auctoritatem sibi quærebat ex eo, quod raro conspiceretur: Agesilaus eo ipso delectabatur, quod semper hominum in conspectu versaretur. Existimabat enim, decere vitam facinorosam ac turpem, ut in obscuro lateret: honestæ vero, lucem ipsam majus ornamentum conciliare. Deinde gravitatem ille captabat ex eo, quod difficilis ad ipsum accessus esset: hic gaudium inde percipiebat, quod aditus universis ad se pateret. Putabat ille splendidum esse, quod negotia tardius conficeret: hic maxime tum lætabatur, quum homines id, quod cupiebant, celerrime consequutos dimitteret. *cap.45. Vita eius.*

Latinus Pacatus: Humanitas tam clara in Imperatore quàm rara est. nam cùm indiscreta felicium pedissequa sit superbia, vix cuiquam contigit & abundare fortuna, & indigere arrogantia. cuius quidem ita majores nostros semper pertæsum est, ut graviorem putaverint servitute contemptum; ejusque impatientia sint coacti post bellatores Tullos, Numasque sacrificos, & Romulos conditores, regnum usque ad nomen odisse. denique ipsum illum Tarquinium execratione postrema hoc damnaverunt maledicto; & hominem libidine præcipitem, avaritia cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocaverunt Superbum, & putaverunt sufficere convitium. *Cap.20. Panegyrici Theodosio Aug. dicti.*

Symmachus: Fastus & otium fortunæ grandioris vitia sunt. *lib.4. epist.56.f.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus de vita sua.

Μηδὲν μέγ' εἴπης συντόμως ἄνθρωπος ὤν·
Ἀεὶ κολούει τὰς ἐπάρσεις ὁ φθόνος.
Magni loquare nil levis, cùm sis homo:
Semper superbos improbus livor premit.

D. Nazianzenus Carm. 1. de rebus suis.

Namque humiles oculos genitor sanctissimus æquis
Aspicit, elatos spernit fastuque tumentes.

D. Nazianzenus Carm. 58. de virtute humana.

Quod si forte tuam damnosa superbia mentem
Sollicitet, tum tu quinam tibi cesserit ortus
Esto memor, quidnam fueris prius ipse, parentis
Quidnam cum gravida tegereris rursus in alvo;
Denique quidnam sis post ultima fata futurus,
Nempe cinis, tineæque cibus, nil lumine cassos
Amplius inter habens, quam quivis paupere censu.

Prudent. Psychomach. 4.

Desine grande loqui: frangit Deus omne superbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere: disce cavere
Ante pedes foveam quisquis sublime minaris.
Pervulgata viget nostri sententia Christi,
Scandere celsa humiles, & ad ima redire feroces.
Vidimus horrendum membris animisque Goliam.
Invalida cecidisse manu. puerilis in illum
Dextera funali torsit stridore lapillum,
Transjectamque cavo penetravit vulnere frontem.
Ille minax, rigidus, jactans, truculentus, amarus,
Dum tumet indomitum, dum formidabile fervet,
Dum sese ostendat clypeo, dum territat auras,
Expertus pueri quid possint ludicra parvi,
Succurrit teneris bellator turbidus armis.

Prudent. Psychomachia 4.

—— natalibus horis (inquit superbia)
Totum hominem, & calidos à matre amplectimur artus,
Vimque potestatum per membra recentis alumni
Spargimus, & rudibus dominamur in ossibus omnes.

Terentius Hecyræ 3. sc. 5.

Quia paullulum vobis accessit pecunia,
Sublati animi sunt.

Ausonius de Capua.

Heu nunquam stabilem sortita superbia sedem!
Illa potens, opibusque valens, Roma altera quondam:
Comere quæ paribus potuit fastigia comis,
Octavum rejecta locum vix pone tuetur.

¶ Apologi.

De Equo & Asino. *Anonymus.*

Gaudet Equus phaleris, fræno sellaque superbit,
Ista quidem vestit aureus arma decor.
Obstat Asellus Equo; vicus premit artus Asellum,
Vexat onus, tardat natus eundo labor.
Quod sibi claudat iter sonipes inclamat asellum:
Occurris domino vilis aselle tuo.
Vix tibi do veniam de tanti crimine fastus,
Cui via danda foret libera dignus eram.
Subticet ille timens, mutusque pudore silendo,
Tutior & surda præterit aure minas.
Summus Equi declinat honor dum vincere tentat
Vincitur, & cursum viscera rupta negant.
Privatur phaleris, fræno sellaque nitente.
Hunc premit assiduo rheda cruenta jugo.
Huic tergum macies acuit, labor ulcerat armos,
Hunc videt, inque jocos audet asellus iners:
Dic sodes ubi sella nitens, ubi nobile frænum
Cur est hæc macies, cur fugit ille nitor?
Cur manet hic gemitus, cur illa superbia fugit?
Vindicat elatos justa ruina gradus.

Stare diu nec vis, nec honor, nec forma, nec ætas
Sufficit in mundo; plus tamen ista placent.
Vide diu, sed vive miser, sociosq; minores
Disce pati; risum dat tua vita mihi.
Pennatis non crede bonis; te nulla potestas
In miseros armet; nam miser esse potes.

¶ EMBLEMATUM.

Batillius CXLII.

In superbos Dei contemptores.

Æthereos imitari ausus Salmoneus ignes
Post caput ultorem sensit adesse Iovem,
Ac pariter currúq; animáq; excussus, in imas
Æthereo tactus fulmine fertur aquas,
Sic quanto alta sui mage sunt fastidia, tanto
Et magis iratus vindicat illa Deus.

Catsius Emblemate Ethico LI.

Stultitiam patiuntur opes.

Quæ nigris æruca diu fuit obsita pannis,
Ecce! nova formam papilionis habet.
Qui prandebat olus vili modò vermis in horto,
Atria nunc regum per laqueata volat;
Infestatq; dapes, funaliáq; ipsa lacessit,
Inq; togis procerum sordida blatta cubat,
Ex humili fortuna jocans quem tollit in altum,
Omnibus elata fronte molestus abit.

¶ APOPHTHEGM. SACR.

Salomon. Irrideri à Deo superbiam dicit Sapiens, *Proverb. 3. 34. 35.* cum ignominia esse conjunctam, *Proverb. 11. 2. & 25. 27. Eccles. 8. 9.* esse vanam, *Eccles. 6. 10. & 7. 10.* Serere lites, *Proverb. 13. 10. & 28. 25.* trahere post se citum exitium, *Proverb. 16. 18. & 18. 12. & 29. 23.* Superborum nomen, *Proverb. 21. 24.* eorum ruina subita, *Proverb. 15. 25. & 16. 5.*

Ioas rex Israel. Quum Amazia rex Iehudæ à Deo defecisset, inito consilio Joaschum regem Israelis ad bellum provocavit. Misit verò Ioas rex Israelis ad Amaziam qui dicerent, Quædam spina quæ in deserto erat misit ad cedrum quæ erat in Libano ad dicendum, Da filiam tuam filio meo in uxorem: interea præteriens bestia agrestis quæ in Libano erat conculcavit spinam illam. Percussisti Edomæos, ideò extulit te animus tuus ad venandum gloriam: nunc conside domi tuæ: quare misceres bellum malo tuo, ut cadas tu & Iehuda tecum? Sed non auscultavit Amazia, quia à Deo id erat, ut traderet eos in manum horum: eò quòd quæsivissent deos Edomæorum. Ideo plaga affectus est Iehuda coram Israele, &c. *2. Chronic. 25.*

Iesus Christus Dominus noster. In superbos & superbiam invehens dicebat, Quisquis se extollit, deprimetur: & qui se demiserit extolletur. *Luc. 14. 11. & 18. 14.* Quod apud homines sublime est, abominationi est in conspectu Dei. *Luc. 16. 15.*

Idem. Quibusdam Pharisæis quærentibus ab eo, Num cæci essent, respondit, Si cæci essetis non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, Videmus: itaque peccatum vestrum manet. *Ioan. 9. 41.*

Anonyma. D. Bernardus divitias & comitatum, tanquam retia Diaboli, in sorore germana ita detestatus est, ut cùm ad Claravallem eius videndi causa illa venisset aliquando, colloquio & aspectu eam non sit dignatus. Tum illa ad fratrem Andream, à quo duriùs increpabatur: Etsi peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est. Quia etiam peccatrix sum, idcirco consilium & colloquium bonorum requiro. *Autor vitæ D. Bernardi, lib. 1. cap. 6.*

D. Bernardus. Superbiæ fuit infensissimus hostis. quum enim facta eius & verba confirmarentur miraculis, nunquam excessit, nunquam supra se in mirabilibus ambulavit: sed de se semper humiliter sentiens venerabilium operum non se auctorem credidit, sed ministrum: & cùm esset omnium judicio summus, suo sibi judicio constitit infimus: soli Deo quicquid fecit adscripsit: immò se nihil boni aut velle aut posse nisi inspirante & operante Deo, & sensit & dixit. *Auctor vitæ, lib. 2. cap. 4.*

Idem. Adversus vitium istud vitiorum maximum perpetuò dimicans, fratribus suis (quos ad orandum pro pace Ecclesiæ hortabatur) dicebat, Agite quæ agitis, & state in gradu quo statis: & licet nihil vobis conscij sitis, judicio tamen vestro non æstimetis vos justos, quia solus Deus quos justificat judicat, & perfectissimus quisq; judicij divini districtum examen ignorat. Iudicari autem ab humano die non multis curetis, neque vestra propria, neque aliena judicia approbantes, sub timore Dei sic stare, ut nec vos quempiam judicantes aliquando extollamini, nec aliorum curantes judicia ex idatis in nugas, singula verò prosequentes vos servos inutiles reputetis. *cap. 7. ejusdem libri.*

Idem. Est & illud eximium adversus superbiam in D. Bernardo testimonium, quòd summo studio fugeret admirationem, & tanquam unus cæterorum sese ageret. At prosequebatur gloria fugitantem, sicut è regione captantes sese alios fugere consuevit. Proverbium illud in ore ei frequenter, semper in corde: Qui hoc facit quod nemo, mirantur omnes. Quo nimirum intuitu vitam regulamque communem ampliùs æmulabatur, nihil in suis actibus preferens observantiæ singularis. Ob hoc denique & cilicium, quod pluribus annis occultè gestaverat ponere maluit, quàm ut ferre sciretur, minùs illum latere velle contestans, qui cum cæteris ejusdem professionis sibi communia non sectatur. *Auctor vitæ, libri tertij cap. 1.*

Basilius Magnus. Demosthenes quidam, culinæ imperatoriæ præfectus, quum more planè barbaro magnum Basilium reprehenderet, Vir Dei subridens, Demosthenem, inquit illiteratum vidimus. Ubi verò ille majore exardescens iracundia, minari cœpit: Tuum est, inquit Basilius, jusculorum curare condimenta. Nam cùm aures habeas oppletas sordibus, sacrosancta dogmata audire non potes. *Theodor. lib. 4. eccl. hist. cap. 17.*

Flavianus. De Antiocheno Episcopatu, quum quidam lites movissent, Flavianus Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus Imperatori liberè respondit: Si qui me, ô Imperator, ut fidem minimè sinceram ac sanam profitentem insimulent, dicantve vitam me traducere indignam sacerdotio, cùm illis ipsis judicibus utar, tum pronuntiatam ab eis lubens sabibo sententiam: sin autem de sede & præsulatu digladientur, neque agam cum illis judicium, neque his, quos eam dignitatem adipiscendi studium tenet adversabor: sed cedam equidem volens, meque ipse præsulatu abdicabo. Quare tu, cui libitum est, sedem Antiochenam tribuito. *Theodoret. eccles. hist. lib. 5. cap. 23.*

D. Bernardus. Adversus hypocritarum fastum & profanam audaciam, illud scitè dixit, Noli te homo comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, ô homo, si unus ille, quem fortè omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cujus vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam horres, & propterea illum putas spernendum non modò præ te, qui fortè jam sobriè, & justè, & piè vivere te confidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis tanquam omnium sceleratissimum: quid scis, inquam, si melior & te & illis, mutatione dexteræ excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo verò jam sit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit: sed recumbe, inquit apud Evangelistam, in novissimo loco, ut solus videlicet omnium novissimus sedeas, teque nemini, non dico, præponas, sed nec comparare præsumas. *Serm. 37 super cantica.*

Anonymus. Vgolinus Girardescus Pisanus, Guelpharum partium princeps, initio Gibellinis partim pulsis, partim perculsis, eò potentiæ domi pervenerat, ut nutu omnia administraret, patriæque Dominus & esset & haberetur, divitiis, nobilitate, ingenij fama, autoritate vigens: uxore, filiis, nepotibus, & omnibus in vita bonis appetendis circumfluens, beatus & cæteris & sibi visus, eorumque cogitatione perfruens, lætus, fidens etiam illorum commemoratione gaudebat. In festo frequentique natalis sui celebrandi convivio, ad quod omnes suos invitarat adhibueratque, dum fortunam suam ipse fando effert, admiratur, cæloque æquat, ausus est quendam ex intimis amicis, quid tandem abesse videretur, interrogare. Ille vel reputatione rerum humanarum, quàm fluxæ fallaciq; specie, quàm volucri orbe circumagantur, vel mente divinitus admonita, *Sola,* (inquit,) *ira Numinis procul diúq; abesse à tam secundis rebus non potest.* Et necesse erat congesta in unum hominem, nondum alteram fortunam expertum, bona excipi calamitate ingenti. Guelphorum viribus consenescentibus, Gibellini, armis correptis, ædes eius circumsistunt, oppugnant, unum ex filiis unumque nepotum vim arcere conatos occidunt: ipsum & duos præterea filios, tres nepotes, comprehensos in turrim inclusere, obseratis foribus, clavibusque in Arnum propinquum flumen deiectis. Ibi fame in oculis, in gremio suo, carissima pignora, parens moriens morientia vidit. Vociferanti exposcentique, ut humanis suppliciis exigendis inimici contenti essent, sacræ confessionis sacrosanctique viatici potestas facta non est. *Paul. Æmilius, lib. 8. de reb. gestis Francorum.*

Vladislaus rex. Cruciferi Prussi cum Sigismundo rege Hungariæ, collecto CXL. M. hominum exercitu, Vladislao Iagelloni Polonorum regi bellum inferebant. Missi ad regem duo cruciferorum caduceatores, eum hortabantur Magistri nomine, ne tam meticulosè pugnam iniret: & duos gladios strictos & cruentos ei obtulerunt, ut vel iis adversus Cruciferos uteretur. Rex placidè & modestè caduceatoribus respondit, Quamvis armorum satis habeam in exercitu, accipio tamen in Dei nomine gladios, contumeliæ causa ab hoste missos: atque ita accipio, ut omen victoriæ, quam mihi armorum traditio portendit. Collatis signis Cruciferi victi sunt ad Cronevaldam, cæsa quinquaginta millia, in quibus Magister & Commendatores, paucis exceptis, capta ad XL. millia, signa verò militaria relata unum & quinquaginta. *Cromerus, histor. Polonica, libro decimosexto.*

Georgius Princeps Anhaltinus. Cùm audiret aliquando narrari dæmoniacam quandam interrogatam, quodnam esset peccatum maximum, exclamasse, Superbia: Id quidem de mendace spiritu non discemus, inquit: sed verum esse oportet, cùm scriptura doceat Deum resistere superbis. *Ioachimus Camerarius in vita ejusdem Principis.*

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIAN.

S. *Arsenius.* Vt Superbia;
——— *vitium rebus solenne secundis,*
Virtutumq; ingrata comes, ———

etiam

etiam in conspicuo ponatur; præclara Arsenij sententia in medium adducenda. Nihil enim ei frequentiùs in labris, quandocunque de superbis mentio fieret; quàm, *Superbi omnem sibi ad cælum viam precludunt, haud secùs quàm qui transversum lignum, equis insidentes, templo inferre conantur.* Non minùs eleganter Hugo libr. 1. de Anima: Superbia in cœlo nata est, sed velut immemor quâ viâ inde cecidit, illuc posteà redire non potuit. ita

Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Th. Stapl. Dom. 4. Adven. in Promp. Moral.

Constantius Imperator. Verùm ne spiritualibus tantùm bonis adversari Superbiam existimemus; videamus Constantium Cæsarem. Rogabatur, *quo tempore maximè decresceret fortuna.* & respondit, *Crescente superbia.* Ita non spiritualibus tantùm, sed & temporalibus bonis insidiatur. *Ex lib. Rer. memor.*

Isdigerdas Persarum Rex. Prælio contra Romanos ceciderat. quo intellecto, accurrit ociùs, tanquàm quid sibi accidisset ignarus, ac pacis conditiones proponit. At ut erat animo elato, & cedere nescio, ita Rom Legatum compellabat: *Non bello cedens, pacem complector, sed eam tibi lubens præsto, quòd te omnium sapientissimum cognoscam, quos Rom. Imperium alit.* Ita superbus Rex, ne quidem tantâ clade attritus, ad humilitatem redigi potuit. *Trip. Histor. Socrat. lib. 10. cap. 15.*

Ludovicus XI. Gal. Rex. Benè itaque & præclarè sensisse Ludovicum fatemur, cuius illud proverbium: *Dedecus & detrimentum, comites sunt ac pedissequæ superbiæ.* Phil. Comminæus in Comm. Gest. Ludovici.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad superbiam secundâ quisq; re prolabitur.
Altius spirare nulli est, Numinum absq; injuria.
Artibus dolisq; fastus interit superbiæ.
Cogita de morte & omnem strangulas superbiam.
Corruit tandem suismet vir superbus artibus.
Displicet mundo superbus, nec placet cælestibus.
Est senectæ & mortis expers insolens superbia.
Fastus ingruens virtutum omnium exstinguit faces.
Fœdius ruit superbus quanto effertur altius.
Gens, honor, nummusq;, quemvis ducit ad superbiam.
In superbiam exaltatus; ut ruit, bis interit.
Ipse vult loqui superbus; alteri aures non habet.
Luminis tactum sui magno æstimat superbia.
Magna ne loquare: livor imminet superbiæ.
Magna ne spires; invisa cuncta Dijs superbia est.
Nil bonus spirat superbi, ne quidem per somnium.
Nil magis Deo est invisum, quàm impotens superbia.
Non potest regnare longum spiritus superbiæ.
Non statim est superbus assentationis inscius.
Nulla non mores modestos inquinat superbia.
Nunquam adhuc felicitati defuit superbia.
O homo quidnam superbis? nil nisi umbræ somnium es.
Obsequio modestiâq; haud mitiges superbiam.
Omnes expellit virtutes aut minuit superbia.
Omnium fons est malorum pectoris superbia.
Omnium opprimit virtutum fastus ingruens faceis.
Perdomat Deus superbos quæque per vilissima.
Podice es Pavo nudato, caudæ ubi orbe prætumes.
Prædicari in se cupit quod non facit superbia.
Quamlibet submissione strangules superbiam.
Quantum habet pecuniæ, omnis tantum fiat superbia.
Quis potest tumere cùm se cinerem aquamq; cogitat?
Quo mage est Deo propinqua mens pia, hoc minus tumet.
Quot supercilia arroganti sunt, tot effert cornua.
Reddimur nummis superbi, reddimurq; honoribus.
Sæpe respondet superbè multa quis fretus loco.
Sæpius sub veste vili delitet superbia.
Sæpius superbus ipso perdit in portu ratem.
Sera quamvis digna tandem pœna obit superbiam.
Sævitas quidem est odio, mage sed tamen superbia.
Si superbiam contemnas negligásve, frangitur.
Solitudinis perennis est comes superbia.
Tandem se suosq; perdit impotens superbia.
Vix superbus fertur dives, quomodo pauperem feras?
Ultio divina, magnas comprimit superbias.

¶ Jambica.

Amicus esse fastuosus non potest.
Aut despicit semper superbia aut timet.
Erecta cervix, provocat odium Dei.
Etiam sua est penuriæ superbia.
Etsi occulas, patet tamen superbia.
Haud gratuita est comitas superbiæ.
Heu quas habet molestias superbia!
Invisa cœlo maximè superbia est.
Invisa Numini omnis est superbia.
Ludibrium est dementiæ superbia.
Multis loco libertatis superbia est.
Nemo superbit qui memor mortis suæ est.
Nunquam exitus bonos habet superbia.
Nunquam in Deos dictum superbum jeceris.
Odiosa genti cuilibet superbia est.
Omnis genus est superbiæ exaltatio.
Omni vitio deterior est superbia.
Pravo perit tumore trux superbia.
Quis non tumore inflatus est superbiæ?
Radix malorum est omnium superbia.
Regina vitiorum omnium superbia est.
Semper dolet superbus, semper ringitur.
Stulto adsidere quàm superbo mavelim.
Sublati animi sunt, quia paullulum accessit pecuniæ.
Superba non est ulla quæ neglectui est.
Superbia haud secus est odio, quam immanitas.
Superbia semper it comes felicibus.
Superbia usq; gaudet contumeliis.
Tandem superbus cum suis male interit.
Ubi est honor, ibi quoq; est superbia.
Vicina semper opibus est superbia.

Superfluitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Chrysostomus:* Quod neque si fiat prodest, neque si non fiat obest, fuerit supervacaneum. *Homilia 20. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Superfluum quidem est, quod necessarium usum excedit. hoc & in vestibus, & in mensa, & in domo, & in omnibus aliis rebus consideremus, ac necessarium usum ubique quæramus. nam quod superfluum est, idem quoque inutile est. *Homil. 19. ad Corinth. 2.*

D. Chrysostomus: Atqui Deus propterea naturæ modum posuit & terminum, ne ullam habeamus necessitatem requirendi divitias. utpote veste una aut altera jussit corpus indui: nec eo, quod est supervacaneum, opus est ad tegumentum. Quorsum vestes innumerabiles, & quæ exeduntur à tineis. Ventri certè modus est constitutus: & quod ultra eum fuerit datum, necessariò perdit & corrumpit omne animal. Quorsum greges & oves, & carnium dissectiones? Uno tecto opus habemus. quanam de causa sunt ambitus & ambulacra, sumptuosaque & magnifica ædificia? Ut vultures & graculi habitent, pauperes exuis? Quantam merentur hæc gehennam. Et sæpe in locis quæ ne viderunt quidem efficiunt columnas, & lapides valde pretiosos, & fulgurantia ædificia. Quid enim non sunt machinati? Et nec ipsi quidem viderunt, nec ulli alij. Solitudo enim non sinit eos abire. & ne sic quidem desistunt. Vides quòd nec hæc quidem, ut rem faciant & augeant. Sed horum omnium causa est amentia, & rationis defectus, & gloria inanis. *Homil. 2. ad Ephesios.*

D. Io. Chrysostomus: Sine quibus vivere possumus, ea sunt supervacanea, &, ut semel dicam, extra sunt posita. Quid sit ergo id sine quo non possimus vivere, videamus si videatur. Etsi solos duos habeamus famulos, possumus vivere. Nam ubi sunt aliqui qui vivunt absque famulis, quam habemus nos excusationem si non simus contenti duobus? Possumus etiam ex lateribus habere domum constructam trium habitaculorum. Et hoc sufficeret nobis. Non sunt aliqui qui cum liberis & uxore unam habent domum? Sint autem si velis etiam duo famuli. Et quomodo, inquit, non est pudor ingenuam incedere cum duobus famulis? Non est pudor ingenuæ incedere cum duobus famulis: sed pudor est procedere cum multis. Fortasse ridetis hæc audientes. Credite, hoc est pudor. Sicut qui oves vendunt, aut sicut cauponatores mancipiorum, magnum quidpiam existimatis procedere cum multis famulis. Hoc est fastus & inanis gloria, illud est philosophia & honestas. Nam ingenuam apparere non oportet ex multitudine eorum qui sequuntur. Nam quæ est virtus multa habere mancipia? Hoc non est animæ. Quod autem non est animæ, non ostendit libertatem. Quando est paucis contenta, tunc verè est ingenua. Quando autem eget multis, est ancilla & deterior mancipiis. Dic mihi, Angeli non soli orbem terræ obeunt, & non egent aliquo qui sit eos sequuturus? Num propterea sunt nobis qui egemus deteriores ij qui non egent? Si ergo ne omnino quidem egere assecla vel pedissequo est Angelicum, quænam magis accedit ad vitam Angelicam, eáne quæ multis indiget, an quæ pauci? Non est hoc pudor. Pudor est aliquid turpe facere & absurdum. Dic mihi, quænam ad se convertit eos qui sunt in foro, eáne quæ multos secum ducit, an ea quæ paucos? Hac autem quæ paucos ducit, an non ea magis quæ sola apparet non prævisa? Vides quòd illud sit pudor. Quænam in se convertit eos qui sunt in foro, eáne quæ pulchras gestat vestes, an quæ simpliciter est vestita & nullo comparato cultu & ornamento? Quænam rursus magis ad se convertit eos qui sunt in foro, eáne quæ multis vehitur & inauratis stragulis, an ea quę simpliciter & quomodocumque, sed decore & honestè incedit? An hanc ne viderimus quidem & aspexerimus: illam autem non solum ut videant urgent aliqui, sed etiam rogant quænam sit & unde? Mitto autem dicere quanta hinc oriatur invidia. Quid ergo, dic mihi, est turpe, videri an non videri?

Quando est major pudor, quando omnes ad eam aspexerint, an quando nullus? Quando omnes de ea quænam sit discunt, an quando ne curant quidem? Videsquòd non propter pudorem, sed propter inanem gloriam omnia agimus? *Homil.28 ad Hebræos.*

❡ Philosophorum.

Simplicius: Duo supervacaneorum genera constituit Epictetus; delicias, & popularem opinionem. hæc enim duo sunt in omnibus ob quæ necessarium usum transilimus, in victu, in amictu, in ædificiis, in servis; nec aliud quicquam. Tanto autem divini illi viri studio superflua omnia repudiarunt, ut Diogenem dicant ligneum scyphum semper circumferentem in pera, è quo haustam aquam potaret; cùm per flumen transiens, quendam manibus haurientem bibentemque vidisset, scyphum in flumen projecisse, quòd eo sibi nihil esset opus, vola eundem usum præbente. *fine cap.46. ad Epict.*

Quintilianus: Quis unquam pensabit necessaria supervacuis? Duplum attulisti; sed illis qui perierunt, nihil. *Declamatione 12. §. 34. f.*

❡ Poetarum.

Ausonius Epigr.52.

Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici; sed putat hanc nimiam.
Namq; cavis manibus cernens potare bubulcum,
Cur, scyphe, te dixit, gesto supervacuum?

❡ Emblematis.

Supervacanea temne. Embl.XLI.

Diogenes quosdam cernens haurire liquorem
Manu puellos limpidum,
Abjecit cyathum, palmas in pocula vertens,
Queis usus est imposterum.
Præcidit remoras Sapiens, quò promptius altam
Virtutis Ædem transeat.

Floren. Schonhovius.

❡ Monosticha Trochaica.

Ad supervacua, heu, sudatur: ad manum est, quod est satis.
Alijs, quia desit quod amant, ægrè est: tibi, quia superest, dolet.
Conditum nil à Deo est quod sit supervacaneum.
Despuit superflua, rerum qui spectat finem omnium.
Divites rebus beati sunt supervacaneis.
Est superfluum omne quo uti non solemus in dies.
Liber à superfluis jam est qui spernit pecuniam.
Literarum usus loquente re supervacaneus.
Nemo ab umbra statuam laudat, aut leonem ab unguibus.
Nil opus funale, luna dux ubi est lumen via.
Quidnam ei prodesse quæris, qui juvari non cupit?
Quod necesse haud est ad usus obvios, superfluum est.
Quod supervacaneum est, id prorsus est inutile.
Quo necesse non est uti, dicitur superfluum.
Ridicula est fax, lumen ipsum luna ubi dux est via.

❡ Jambica.

Factum à Deo nil est supervacaneum.
Natura victu adfligitur superfluo.
Nemo puteum fodit propinquus flumini.
Nil bibere opus, cùm fauces unda strangulat.
Obnoxia est rubisq; lana longior.
Plena hydria omne quod datur statim effluit.
Quidquid supervacuum est, intemperantia est.
Quod non necesse est, omne, idem superfluum est.
Qui ferit malos minister est Dei, non carnifex.
Satius supervacuas res scire quam nihil.
Sumptus superborum omnis est superfluus.
Superfluum quod est, idemq; inutile est.
Superfluum quod est, vocari ars non potest.
Superflua sunt sine quibus vivere possumus.
Vitiare scriptum si qua abundant non solent.

Superstitionis.

❡ Sententiæ.

T*heophrastus Ethicis Character:* Superstitionem sane definire possumus, meticulosum erga numen affectum. Superstitiosus vero is est qui elotis manibus, & aqua lustrali aspersus è templo, folium lauri ore prehensum tenens, integrum diem ita ambulet. Si viam eo ambulante mustela transcurrerit, non ante progredietur quam alius prior transierit, aut ipse tres lapides trans viam miserit. Serpentes si viderit in ædibus, sacellum eo loco exstruet. Lapides unctos qui sunt in triviis solet oleo ex ampulla perfundere: nec prius discedere quam posito genu eos fuerit veneratus. Quod si mus forte farinæ follem arroserit, adit ad interpretem, & quid facto sit opus eum percontatur: qui si respondeat, cerdoni nimirum tradendum esse illum follem, ut sarciatur: superstitiosus iste neglecto arioli responso, religioni rem habens, exinanitum saccum à se amolietur. Solet etiam domum crebro purificare: sepulchrum nullum insistere: ad defunctorum justa nullus accedere: neque item ad ullam unquam puerperam. Insomnium porrò si viderit, pergere ille ad divinos, ad augures, sciscitaturus, cui deo, cui deæ vota sint facienda. Et ut sacris initietur, ad Orpheotelestas quot mensibus cum uxore: aut si uxori non vacet, cum nutrice & liberis suis, itat. Præterea in compitis antequam inde discedat, aqua in caput aspersa se lustrat. Piatricibus quin etiam ascitis, jubet se squillæ aut catuli circumlatione purgari. Quod si quem mente captum aut comitialem viderit, solet inhorrescens in sinum sibi despuere.

❡ Emblemat.

Batillius LXVII.

In superstitiosos.

Quo Panthera hominum nares infestat odore,
Allectas illo decipit illa feras.
Vana superstitio stolidum nisi pectus inescat,
Et miserè allectos postmodo dira vorat.

❡ Apophthegm. Sacr.

Valentinianus. Quum Julianus Apostata in fanum fortunæ choreas ducens ingrederetur, & ædirui utrinque ad januas consisterent, uti introeuntes aqua lustrali, ut ipsi opinabantur, expiarent: tribunus Valentinianus Imperatorem præcedens, ubi videt guttam aquæ suæ vesti aspersam, pugnis cædit æditum: seque inde non expiatum, sed turpi labe pollutum ait. Quod factum execrabilis tyrannus conspicatus, eum ad castellum in solitudine situm relegavit, ibique vitam degere jussit. At Valentinianus anno & paucis mensibus interiectis, imperium, tanquam mercedis suæ confessionem, obtinuit. *Theodor. eccl. hist. lib 3. cap.15.*

Anonymus. Filium habebat quidam, quem tenerè fovebat. hic in morbum incidit plus æquo sævientem. dolet pater, & de filij salute anxius hæret, quid medelæ tandem adhibendum sit. Accedit contubernalium quispiam, &, Cur non, ait, ubi humana desunt præsidia, ad divina precibus recurris? Ad quod ille, Nequeo me tantum subtrahere conspectui filij, ut ad templum, Deum deprecaturus, accedam. Cui alter; *Næ tu,* inquit, *homo vanus es. Adeóne surdastrum reputasti Deum, ut nō nisi in templo auditurus sit tuas preces? Funde apud te, funde in abscondito, & qui in abscondito etiam est Deus, te exaudiet.* Meritò taxabat eam quorundam opinionem, existimantium in solo templo Deum efficaciter exorari: cùm Dei filius apud Matthæum dixerit: Dum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem, &c. quamvis eiusdem testimonio, templum propriè sit domus orationis, & ad eum finem erectum.

❡ Monosticha Trochaica.

A superstitione sola multa sunt miracula.
Absq; animi superstitione corporis nullum malum est.
Cælites violat superstitio, religio percolit.
Deditus superstitioni religioni non favet.
Ebrio superstitione ne quidem in somno est quies.
Et superstitio Romanam continet rempublicam.
Frenum equis, superstitio orbis multitudini imperat.
Nil superstitio est, pietatis larva quàm merè impia.
Omne sanctum est quod pavendum edentula suadent.
Plurimum in superstitione quoque pervicacia est.
Quod fatuo haud placet profanum, quod placet sacerrimum est.
Quos miseros fortuna fecit, superstitiosos facit.
Religio verum, superstitio omne quod falsum est colit.
Religio vigere nescit dum superstitio viget.
Religionis acer hostis est superstitiosior.
Sublata superstitione religio non tollitur.
Tam malum est Deū haud timere, quàm timere nimis malū est.
Tam malum est superstitio omnis, quàm omnis impietas malū est.

❡ Jambica.

Animi superstitio est in morbo corporum.
Omnis superstitionis est morbus parens.
Perculsa mens, superstitio est ipsissima.
Superstitio cuivis astutiæ patet.
Superstitio vulgum efficaciter regit.
Superstitiosus odit & metuit Deos.

Supplicationis & Libelli Supplicis.

❡ Sententiae Graecorum.

D*ivus Nazianzenus:* Porrò eo majorem à nobis gratiam inieris, quo in eo quod petimus beneficio celeritatem majorem adhi-

adhibueris. nam ille quoque in Evangelio iniquus judex humanum ſe viduæ præbuit, ſed poſt diuturnam & importunam ſupplicationem. A vobis autem celeritatem requirimus, ne diuturnis curis gravibuſque in externa regione afflictionibus & ærumnis conficiatur. *fine epiſt. 52.*

Libanius: Præterea eis remediis, quibus non paucis illorum qui palã injurii fuerant, ſalutem invenerunt, veſtra nimirum miſericordia, & lacrimis ſuis, & liberorum ſupplicationibus; tantum abfuit ut ſe his eximeret; ut jam veſtrûm aliquos ſenſerim aſperius in ipſum animatos, quod horum ullum adhibere ad uſum voluerit. *Declamat. 29.*

Libanius: Etenim locus juſtis paratus multò jucundior eſt, ut ajunt, quam qui hic apud nos ſunt. non turpem igitur ſalutem quæret Socrates, neque fortitudinem in qua valde ſe exercuit, in judicio diſſolvet: utriſque inhoneſtam eſſe ſupplicationem arbitratus, & ſibi, & urbi. *Declamat. Vigeſima nona.*

Libanius: Sunt mihi liberi, judices, ex legibus veſtris inſtituti, & ſemper me monentem auſcultantes, vivendum eſſe, ut illæ præcipiunt. his interdixi ne quid pro me dicerent è ſuggeſto. abſit enim ut ſervetur dux apud vos, miſeratione, ob liberos aut uxorem flentem, aut matrem plorantem, aut patris lacrymantis caniciem, aut amicos adſtantes. ex actis quiſque ſuis abſolvatur & puniatur. ac licet quis orbus ſit liberis juſtus, immunis & inſons is abeat: & quamvis improbus multorum parens liberorum ſit, moriatur. Igitur quibuſnam vos loco liberorum attendere vellem? Militis modeſtiæ; irruptionibus, prælIis, prudentibus conſiliis & commentis & operibus. mittite clam ad hoſtes: inquirite an odio ſim apud illos: & ejuſdem animi eſſe exiſtimate, neque hoſtibus, qui foris ſunt, neque iis qui intra urbem ſunt ſuper republ. verba facere.

¶ Latinorum.

Chryſologus: Auditum Dei aperit ſibi, qui ſuum ſupplicanti non claudit auditum. *Sermone 43. pr.*

Ennodius: Myſticæ oblationis holocauſta ſunt, ſupplicantum lacrimas non ſperni. *Vita Epiphanij cap. 38.*

Tacitus: Blæſus multa dicendi arte, non per ſeditiones & turbas deſideria militum ad Cæſarem ferenda ait: neque veteres ab Imperatoribus priſcis, neque ipſos à Divo Auguſto tam nova petiiſſe: & parum in tempore ancipites Principis curas onerari &c. *cap. 19. lib. 1. Annalium.*

CL. Mamertinus: Sed ne te quidem ipſum Auguſte, quem orare præclarum, cui preces adhibere pleniſſimum dignitatis eſt, verbo ſaltem adii. *cap. 17. Orationis ad Iulianum Imp.*

Symmachus: Intelligo ex mora & cunctatione reſcripti divini, aliquid in his quæ prætoria filii mei ſupplicatio comprehendit, incongruum vel dubium indicari. atque ideo tibi petitionum mearum debeo præſtare rationem. *lib. 4. epiſt. 8.*

Symmachus: Vt res monebat amiſſum beneficium, remedio ſupplicationis integravit. *lib. 10. epiſt. 52.*

¶ Poetarum.

Plautus Bacchid, 4. ſc. 9. v. 101.

Vt qui deliquit, ſupplex eſt ultrò omnibus.

Terentius Adriæ 3. ſc. 3.

— *ah ne me obſecra:*
Quaſi hoc te orando à me impetrare oporteat.

Plautus Captivis 4. ſc. 1. v. 5.

Nec cuiquam homini ſupplicare nunc certum eſt mihi.
Nam vel prodeſſe amico poſſum, vel inimicum perdere.

Terentius Phor. 3. ſc. 2.

Adeóne ingenio eſſe duro te & inexorabili,
Vt neq; miſericordia neq; precibus molliri queas?

Supplicis.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

S. *Iſidorus Peluſiota:* Cum hoſtibus quoque ſupplicantibus, O amice, paciſci atque in gratiam redire oportet. Nam qui non paciſcitur, verùm ſupplices homines, ac voces eas, quas neceſſitas exprimit, emittentes, nec jam ex æquo pugnantes ulciſcitur, ac neque iracundiam miſericordia comprimit, neque naturæ cognatione ac propinquitate movetur, tum victoriæ laudem labefactabit, tum ab omnibus, ut immanis & effera bellua, vituperabitur, ac propterea divinam ultionem haud effugiet. *lib. 2. epiſt. 55.*

S. Iſidorus Peluſiota: Et ſi adverſarius veſter impetum in vos fecit, tanquam per incurſionem vos ſuperaturus atque in poteſtatem redacturus eſſet; ipſe autem captus ac profligatus, à victoria quidem excidit, ſupplicis autem ſpeciem atque habitum ſuſcepit: at vos tamen lex de ſupplicibus lata commoveat. Sic enim & firmior vobis victoria, & luculentior gloria futura eſt. *Libri tertij Epiſtola 56.*

S. Iſidorus Peluſiota: Lex eſt antiquitus præclarè confirmata, ſanctioque minimè ſcripta, ad humanitatem tendens, ut qui armis vincunt, ſupplicibus eorum, quos vicerint, precibus vincantur, & qui bello ſuperant, miſericordiæ cedant. Tu verò, ut ajunt, nec à natura inſitis legibus, nec ſanctionibus ſcripto minimè præditis, permotus, eos, qui pro famulis tuis patronorum munus ſuſceperunt, contempſiſti. Hoc igitur tibi eſt exploratum, minimè incredibile eſſe, qui ad eundem habitum redigaris, quem tu in aliis conſpicatus, nihil humani ſenſiſti, verùm eam animi acerbitatem præ te tuliſti, ut & naturæ ipſi, & miſericordiæ contumeliam inferres. *libri tertij epiſtola 164.*

S. Iſidorus Peluſiota: Vetus ſermo, ac lex omnium hominum judicio recta & laudanda, hoc præſcribit, ut ne quis in lapſis inſultet, nec jacentes trucidet, verùm tanquam ſupplices miſereatur, captiſque manum porrigat. Audio autem feras etiam, quibus plus animi ineſt, id quidem, quod obluctatur, ulciſci: quod autem fractum & debilitatum eſt, miſericordia proſequi ſolere. Cùm igitur, & apud homines, & apud feras inimicitiæ ac belli certi limites ſint, quos tranſilire minimè oporteat, ne tu quoque committas, ut iis, qui victi ſunt, iraſcaris, nec eos qui humi proſtrati ſunt, tanquam hoſtes premas. *lib. 3. epiſt. 347.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Coactus præſtat affectum, qui miſeriis ſupplicis invitatur. non poteſt afferre obvias manus, cui imperat propoſitum afflictos audire. *lib. 4 epiſt. 15. p.*

Ennodius: Domeſticum tibi eſt, Gundobade, indulgere ſupplicibus, ſicut ſuperbos opprimere. Sic in utroque fortiſſimos, ibi per gladium, hic per temperantiam triumphos acquires. *Vita Epiph. cap. 47.*

¶ Oratorum Graecorum.

Lyſias: Poſtquam Hercules humanis rebus exemtus eſt, liberi Euriſthea fugientes ab omnibus Græcis expulſi ſunt; quod, quamvis præclara patris merita venerarentur, Euriſthei tamen potentiam magis formidarent. Qui hanc ingreſſi civitatem ad altaria ſupplices confugiebant; depoſcentique eos Euriſtheo Athenienſes tradere recuſarunt: ſed Herculis virtutem magis reverebantur, quàm ſuum periculum timebant: Malebantque pro infirmioribus cum Iuſtitia pugnare; quàm potentioribus gratificando, injuria ab ipſis affectos ad ſupplicium tradere. Movente verò ipſis bellum Euriſtheo, cum iis, qui eo tempore Peloponneſum habitabant, non jam inſtantibus periculis pœnitentia ducebantur, ſed eadem quæ principio, erat ipſis animi ſententia: quamvis nulla privata eſſent in ipſos patris merita, ignorarentque qualesnam hi eſſent viri futuri: ſed æquum exiſtimarent, (nulla aliarum inimicitiarum cauſa intercedente, nullo propoſito lucro præterquam honoris & gloriæ) tantum periculi pro ipſis ſuſcipere: ut his quidem, qui injuriam accipiebant, ſuam miſericordiam, & auxilium impartirentur; illos vero, qui injuriam faciebant, odio ſe perſequi, ac injuria velle prohibere declararent. Cenſebant autem libertatis argumentum eſſe, nihil invitos facere; Iuſtitiæ vero, ſuccurrere injuria affectis; ac denique magnanimitatis, pro his ambobus [libertate ſcilicet & juſtitia] ſi ita res poſtulet, pugnando occumbere. Tam elatis vero erant utrinque animis, ut, & qui ab Euriſtheo ſtabant, nihil à volentibus per gratiam impetrare cuperent; & Athenienſes Euriſtheo, pro ſupplicibus ſuis, quos depoſcebat, ſupplicare non dignarentur. Productiſque in aciem domeſticis copiis, expeditionem ex univerſa Peloponneſo collectam prælio fuderunt; &, ut liberorum corpora ab omni ſervitute reddiderunt ſecura, ita animos à moto omni metu libertati reſtituerunt, propter patris virtutem, ipſoſque ſuis periculis coronarunt, [ac de hoſtibus ſuis triumphare fecerunt.] Tanto feliciores patre fuerunt liberi. Nam pater, licet multorum bonorum auctor omnibus eſſet hominibus, plenam labore, contentione, & ambitione ducens vitam: aliosque iniquos ſupplicio afficeret: de Euriſtheo tamen ſuo inimico, & gravibus ſe injuriis onerante, pœnam ſumere non potuit. At liberi eius, civitatis huius virtute viderunt eadem die & ſuam ſalutem, & hoſtium ſupplicium. *cap. 4. Orat. 31 funebris.*

Ariſtides Sophiſta: Ad quasvis Græciæ clades portas aperuere Athenæ, eosque qui alicunde propter bellum, ſeditionem, aut alium caſum exularent procul, bono animo eſſe juſſerunt: quaſi nullus Græcorum donec Athenarum ſtaret urbs urbe cariturus eſſet, niſi quod patriam mutarent, ſi quibus hoc contingeret. *Oratione Panathenaica.*

Libanius: Me Demoſthene neglecto, & abrepto ab ara Miſericordiæ, alium miſerabimini? magni hoc fuerit ſtuporis. At bellum gerere neceſſe fuiſſet, inquis, ni id feciſſemus. At enim patrium vobis eſt pro his rebus bellum ſuſcipere: neque aliam ob cauſam toties laudamini in tragœdiis: modò pro Heraclidis cum tota Peloponneſo, ad quam vaſtandam venerat Euryſtheus: modo pro mortuis adverſus Thebanos inſolentes factos ob victoriam. Ac licet venerabilis fuerit Hercules, eius tamen liberi nullum pro vobis nec parvum nec magnum laborem ſuſceperunt. Adraſtus autem neq; ipſe nec pater eius Talaus ullum in urbem beneficium contulerant. ſed hæc puræ miſericordiæ atque humanitatis erant, & ab affectu in ſupplicantes profecta. Quid Inarus Afer? Nicias Cretenſis? Oreſtes Theſſalus? nonne hinc naves & exercitus obtinuere, ut imperarent viri extranei?

Quid diri mali fuit, circa Atheniensem oratorem sine fraude remp. gerentem, & propter vos periclitantem, abire à moribus pristinis? At bellum exortũ fuisset. Imò neutiquam eò vesanæ & temeritatis fuisset Philippus, ut populi pietatem in Deum belli prætextum faceret. Quid enim fecialibus missis criminaretur? an hæc; Injuriam facitis, Athenienses, non me potius veriti quam Deos: neque meam prius gratiam ambientes, quàm aras colentes. Nunquam tam furiosam vocem misisset; cùm duo inde damna videret; unum, quod risum apud homines propinaret, alterum quod diros adversarios attraheret, Deos scilicet contumelia affectos, quos nobiscum contra ipsum venturos norat in eiusmodi bello. &c. *Declamatione decimaquarta.*

Libanius: Posset quis enumerare, exercitus vestros pro iis à quibus injuria affecti fuerant, alios navales, alios pedestres, partim ad Haliartum, partim ad Corinthum subiisse pugnas: quique ob maxima delicta vobis obnoxij erant, vestris Athenienses servati sunt periculis. His multo quoque illustrius est, quod Lacedæmonij eadem nacti sint, ob quos triginta Tyrannorum servitutem subiistis, navibus spoliati estis, muros dejecistis. Quid tandem fuit, quod talibus succurrere vobis persuasit? nihil, præterquam quod sciretis misereri. nam nullo morum supplicantis examine facto, ipsam nudam supplicis conformationem reverabamini. *Declamatione decimaquarta.*

Heliodorus: Congregata omni ætate, & ramis ad speciem supplicum declarandam sumptis, ac cereis ac facibus accensis, sacra genera Deorum, & simulacra, tanquam caduceos, præ se ferentes, ad Æthiopes per pontem cùm venissent supplices, à longinquo genibus flexis sedebant; & quasi ad unum signum ac vocem, lugubrem & miserabilem ejulatum edentes, supplicum gestu culpam deprecabantur. Denique ad majorem misericordiam captandam, pueros infantes in terram ante se depositos, ferri pro arbitrio permiserunt, per ætatem ab omni suspicione & culpa alienam, iram Æthiopum præmollientes. Infantes autem præ consternatione & inscitia eorum quæ fiebant, parentes quidem & nutritios, fortasse immenso clamore aversi refugiebant: ad viam autem quæ ducebat ad Æthiopas quidam reptabant; quidam verò balbutientes & ejulantes, apto & illiciente ad misericordiam movendam modo, ferebantur, tanquam repræsentante in illis supplicem habitum fortuna. *lib. 9. Æthiopicorum.*

Heliodorus: O Persæ, Hydaspes Æthiopum, in præsentia verò & vester rex, cùm hostes domare novit, tum ad misericordiam erga supplices à natura proclivis est: illud quidem fortitudinis, hoc autem humanitatis: atque alterum virtutis militum, alterum ipsius proprium decus esse judicans. Cùmque vitam vestram habeat in potestate, ita ut eam vobis largiri, aut eripere possit; tamen quandoquidem estis supplices, liberat omnibus ob oculos versante & minimè dubio belli periculo; conditiones, quibus velitis hisce calamitatibus liberari, non ipse proponens, sed vobis vestro arbitrio eligendas permittens. neque enim pro sua libidine tyrannicum quidquam statuit, sed mansuetè & sine invidia gubernat hominum fortunam. *libro nono Æthiopicorum.*

Basilius Imperator: Reprehendi gravius meretur, qui sciens injuriam fieri sinit, cùm prohibere possit, quàm qui ipse injuriam facit. Cùm ergo ad te accedet qui injuriam passus erit, vide ne querimoniam & afflictionem eius contemnas; ne occasionem des eis qui aliis injuriam facere parati erunt. Qui enim læsus injuria est, à tua solius spe dependet, & te qui vindicare debes illatam injuriam violatori suo opponens, persequitur eum à quo injuria violatus est. Oportet ergo supplicem, qui apud te conqueritur, jus suum obtinere: jus enim est, ut omnis injuria compescatur. Si verò injuriæ connivebis, & eum qui læsus erit despicies, eum autem qui fecerit inultum abire sines, tu qui solus vindicare & debes & potes, quid reliquum spei erit misero illi quò confugere valeat? & à quo amplius vindictam expectabit, nisi à Deo, qui à te rationem injuriæ neglectæ reposcet. Jus igitur reddito ei qui injuriam passus est, & injuriæ authorem pro merito vindicato, ne conniventia tua videaris cum injuriam facientibus ipse quoque injuriam facere, & alienæ injuriæ teipsum reum instituere. *Cap. 44.*

§ Emblematis.

Barillius LXXXIII.

Supplex non prodendus.

Accipitrem fugiens pennâ trepidante, receptus
Xenocratis passer dicitur esse sinu,
Quem mox, inde alias ubi prædo abscessit in oras,
Tutum dimittens, liberè abire sinit.
Conveniens homini est hominem servare voluptas,
Supplici & in duris rebus adesse suis.

§ Monosticha Trochaica.

Abstrahit quicumque ab arâ supplicem, lædit Deos.
Fortibus geniculans hostis imperat clementiam.
Gratiam quisquis citam ambit semper ad pedes ruit.
Gloriosum est atq; honorum, subvenire supplici.
Hospiti nocere turpe, turpius sed supplici.
Imperatoremq; mundi vota flectunt supplicum.
In solum genu prostrati haud hostes sunt, sed supplices.
Ne quidem fas est ab aris hominem avellere improbum.
Non homo est sed bellua hosti qui non parcet supplici.
Passerem accipitri Speusippus supplicem non prodidit.
Quam fragili loco superbi stent, documento sunt Phryges.
Sanctitas ara est tueri supplicem ab injuriâ.
Se mali malunt videri noxios, quàm supplices.
Si Deum tibi patere vis; pate ipse supplici.
Supplicare res acerba, maximeque extraneo.
Supplicat Deo qui lingua, utitur tanquam manu.
Supplicat pulchrè Deo omnis cultor innocentiæ.
Supplicatio submissa justa petenti nocet.
Supplex omnis tantum ab æquis usq; pendet ac bonis.
Supplicis custos jacentis diligens usq; est Deus.
Supplici aures sint apertæ; at clausæ delatoribus.
Supplici præbe aurem, ut aureis apertas tibi Dei.
Supplici patet, patere qui cupit sibi Deum.
Supplicem qui prodit hosti, prodit ipsum se omnibus.
Supplicum attendit periclo lenis: asper moribus.
Supplicum illicò fit fautrix flentium clementia.

§ Jambica.

Apud Deum nil supplicante tutius.
Cogit potestas illa item qua supplicat.
Dij supplicum justas preces tantùm audiunt.
Etiam leoni in supplices clementia est.
Hostem exsuit, quicumq; supplicem induit.
Magis rogat rogare quisquis non potest.
In supplices utare misericordia.
Nemo absq; pœnâ unquam violavit supplicem.
Nemo admovet, quem vult perire altaribus.
Odiosius nil supplici arrogantiâ est.
Opem benignam ferto supplicantibus.
Qui violat hostes supplices, violat Deum.
Qui sponte peccat aram injuriè occupet.
Qui supplices Deo violat, violat Deum.
Qui supplices, simulq; Divos despicit.
Qui supplici patet, patet quoq; ei Deus.
Supplex docet negare, qui timidè rogat.

Supplicij.

§ Sententiæ Patrum Græcorum.

D*ivus Nazianzenus*: Utri adhæres? aut cui opem afferre paras? an non ei qui viribus pallet? an non ei qui sapientia & doctrina abundat? Hoc enim permultis ætatis nostræ judicibus usuvenire conspicio: qui magnis & excelsis viris gravissima quæque facilius condonarint, quam humilibus & abjectis quicquam vel levissimi momenti. *Orat. 6.*

D. Nazianzenus: Quin suavis quoque hic illius animi motus erat. Furor enim ipsi non secundum similitudinem serpentis erat, animum internè incendens, & ad ultionem paratus, atque ex primo motu ad iram & vindictam progrediens, verùm apis aculeo similis, qui ita pungit, ut mortem non afferat: at rursum benignitas tanta, quanta nec ab homine postulanda videtur. Rotas & flagra sæpe minabatur, ac præstò erant, qui hæc proferrent: periculum autem, vel in aurium compressionem, vel in genarum contumeliam, vel denique pugni in malum impactionem desinebat. Sic minæ solvebantur. Vestis & calceamenta detrahebantur, atque humi stratus jacebat, qui facinus aliquod perpetrarat: postea iracundia non in eum, à quo læsus fuerat, sed in eum, qui promptè atque impigrè observierat, ut malorum ministrum, se convertebat. Quonam autem modo suavior quisquam & benignior videri potuisset, digniorque, qui dona Christo offerret? Sæpe enim vix commoveri cœperat, cùm eum, à quo commotus fuerat, statim excusabat, ob illius peccata, non secus atque ob sua, erubescens. Ros Solem potius matutinos radios diffundentem sustinuisset, quam ut ullæ iracundiæ reliquiæ in ipsius animo residerent. Simul enim atque loquebatur, protinus indignatio cum verbis abscedebat, solum probitatis amorem infixum relinquens, nec tardiùs unquam Sole occumbens, aut iram, quæ prudentibus etiam viris exitium affert, producens, aut aliquam vitij sui notam corpori imprimens, utpote cui in ipsa quoque animi incitatione sua constaret serenitas. Ac proinde (quod maximè mirandum est) hoc ipsi contingebat, non quidem ut solus objurgaret, sed ut solus iis etiam, quibus succensebat, & amori & admirationi esset, benignitate videlicet fervorem superante: ac profectò ut à viro justo corripi satius esset, quàm ab improbo inungi. Illius enim asperitas etiam ipsa propter utilitatem suavis est: huius contrà ob morum perversitatem benignitas quoque suspecta.

Quanquam autem animo ita comparatus esset, morumque divina quadam simplicitate præditus, commeliosis tamen & petulantibus hominibus ob pietatem terrori erat, immò, ut rectius loquar, nulla eos res alia malè mulctabat, quàm contempta simplicitas. Non enim fieri poterat, ut cuiquam bene vel malè precaretur, quin ei statim, vel diuturnum aliquod bonum, vel brevem molestiam afferret.

Alterum enim ab intimo pectore proficiscebatur: alterum in extremis tantùm labiis situm erat, ac paternæ cujusdā objurgationis nem habebat. Multis quidem certè ex iis, à quibus offensus fuerat, rationé sera q̄dé ac pedisequa, ut poetico verbo utar, vis illa scelerū ultrix occurrit: sed in ipso iræ articulo percussi sunt, resipuerunt, ad eum accesserunt, ad genua prociderunt, veniam impetrarunt, pulchre victi discesserunt, atque, tum ob castigationem, tum ob veniā, meliores facti sunt. Quandoquidem etiam persæpe magni ad salutem momenti est noxarum condonatio, ut quæ eum, qui injuriam intulit, pudore coerceat, atque à metu ad amorem, hoc est tutiorem benevolentiam, traducat. Castigati porrò sunt, alii à bobus sursum jactati, jugo vexatis & afflictis, ac repentè incursantibus, cùm nunquam prius hoc ipsis accidisset; alii ab equis, etiam mansuetissimis & obsequentissimis, excussi & protriti; alii aliis modis eruditi: atque ex his, quæ perpessi fuerant, obedientiam edocti. *Oratione 19. in funere patris.*

D. Nazianzenus: Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur: quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promereatur. *Oratione 40.*

D. Nazianzenus: Quæ hæc ratio est, ut pro alienis peccatis ab aliis pænæ expetantur, ac nunc publicarum rerum cura subeunda sit, cùm privatæ discruciant? *Epist. 47. fine.*

D. Chrysostomus: Non igitur delinquenti malum est cùm plectitur, sed cùm in peccati statu permanens non plectitur: quemadmodum & ægrotanti malum est cùm non curatur. homini enim nihil perniciosius quam absurda appetitio. *Homil 9. ad Roman.*

D. Chrysostomus: Alterum alterius peccato puniri, non admodum æquum atque conveniens esse videtur: at alterum propter alterum servari, & decentius multo & rationi magis consentaneum. *Homil. 10. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Ne mihi dicas, ubi justitiæ servabitur ratio, si finem non habet supplicium? Quando enim Deus aliquid facit, pare ejus sententiæ, neque quæ dicuntur humanis subjice rationibus. Quanquam quomodo non fuerit justum, eum puniri qui ab initio affectus est bonis innumerabilibus, & deinde fecit ea quæ merentur supplicia, & neque minis neque beneficio evasit melior? Nam si quæris quod justum est, oportuit nos statim ab initio perire congruenter justitiæ rationi. Imò verò neque tunc congruenter soli justitiæ rationi: etenim fuisset hoc quoque quod fieret humanitatis, si hoc passi essemus. Nam quando quispiam contumelia afficit eum qui nullam fecit injuriam, is luit pœnas convenienter rationi justitiæ.

Quando autem benemeritum, qui nullo quidem antea fuit affectus beneficio, innumerabilia autem contulit beneficia; ei solus causa est ut sit, & est Deus, & inspiravit animam, & gratis donavit innumerabilia, & voluit in cælum sustollere: si eum post tot & tanta beneficia non solùm contumelia afficit, sed etiam quotidie afficit per ea quæ facit; quanam fuerit dignus venia? Non vides quemadmodum punivit Adamum propter unum peccatum? Maximè, inquit, dedit ei paradisum, & effecit ut frueretur magno beneficio. Atqui non sunt paria, & eum qui liberè ac securè vitam agit peccare, & eum qui versatur in multa afflictione. Est enim hoc grave quòd peccas: cùm non modò non sis in paradiso, sed in præsentis vitæ malis innumerabilibus, & nec calamitate quidem & miseria fias modestior; ut si quispiam vinctus uteretur flagitio & nequitia.

Tibi paradiso quoque majora est pollicitus: & neque jam dedit, ne in tempore certaminum te nimia diffunderet lætitia; neq; siluit, ne te nimiis dejiceret laboribus. Et ille quidem cùm unum admisisset peccatum, totam ad se mortem attraxit: nos autem quotidie innumerabilia peccata admittimus. Si autem ille, cùm unū admisisset peccatum, tantùm attraxit malum, & mortem invexit: qui perpetuò in peccatis vivimus, quid non patiemur, cælum pro paradiso expectantes? Grave est & molestum quod dicitur, & tristitia afficit auditorem; idque scio ex iis quæ ipse patior. Nam cor meum turbatur & palpitat. Et quò magis videro probari, quod de gehenna dicitur; eò magis tremo, & metu respuo ac rejicio: sed necesse est dicere, ne in gehennam incidamus. Non accepisti tu paradisum, neque ligna, neque plantas & arbores; sed cælum, & bona quæ sunt in cælis.

Si autem qui pauciora accepit fuit condemnatus, neque ulla eum exemit ratio: multò magis nos qui ampliùs peccamus, & ad majora vocati sumus, gravissima patiemur. Cogita quantum tempus in morte manet propter unum peccatum nostrum genus. Quinque millia annorum, & plura præterierunt: & mors nondū est solutum propter unum peccatum. Neque possumus dicere, quòd Adam audiit prophetas, neque vidit alios puniri propter peccata: & consentaneum erat eum hinc esse territum, & ipso exemplo modestum & temperantem esse effectum. Erat enim tunc primus & solus, sed tamen puniebatur. Tu autem nihil ejusmodi poteris producere: qui post tot & tam multa exempla evasisti deterior; qui tanto dignatus spiritu, non unum, nec duo, nec tria sed innumerabilia attrahis peccata. Non enim quòd brevi temporis momento admittitur peccatum, hoc considera: nec ideò momentaneum esse supplicium existima.

Non vides homines, qui sæpe pro uno furto, & uno adulterio, momento temporis admisso, in vinculis & metallis totum suum vitæ tempus consumpserunt, cum fame & multiplici morte assiduè luctantes? Neque quisquam eos eremit, neque dixit: quòd quoniā brevi moēmto tēporis est admissum peccatū, oporteat etiā habere suppliciū & tēpus peccato respōdens. At sunt inqs, homines q̄ hæc admittūt: Deus autem est clemens & in homines benignus. Primùm quidem ne homines hoc faciunt crudelitate, sed benignitate. Deus quoque sicut est benignus, ita etiam punit & ulciscitur. Nam secundùm misericordiam ejus, multa est ejus redargutio. Quando ergo dixeris Deum esse benignum, tunc dicis mihi majorem supplicii occasionem, quòd in eum qui talis sit peccamus. Et ideò dicebat quoque Paulus: Horrendum est incidere in manus Dei viventis. *Homil 9. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Temporaria castigatio, surripit ab immortali & perpetuo supplicio. *Homil. 16 ad Corinth 1.*

D. Chrysostomus: Meritò dubitaverit quispiam: curnam illic quidem concedebat puniri eum qui peccaverat, & lapidibus appeti; heic autem nequaquam, sed eum ducit ad pænitentiam. Cur ergo aliter quidem illa hæc verò aliter constituebantur? Propter duas planè causas: unam quidem, quòd hi ducebantur ad majus certamen, & opus habebant majori patientia: alteram autem, eamque veriorem; quòd hi quidem ex impunitate faciliùs corrigebātur venientes ad pœnitentiam, illi autem ad majorem improbitaté & vitium erant reptaturi. Nā si primos vidētes punitos, in iisdem perseverabant: si ne punirentur quidem aliqui, multò magis hoc eis accidisset.

Propterea illic quidem adultero & homicidæ mors statim infligitur: heic autem si absolvantur per pœnitentiam, effugiunt supplicium. Cæterùm & heic vehementiora, & in veteri mitiora videris supplicia: ut per omnia ostendatur esse cognatione conjuncta testamenta, & unius & ejusdem legislatoris, & in promptu & heic & illic esse supplicia, & sæpe post multum tempus. Nam & in veteri David, qui & adulterium admiserat, & cædem fecerat, servatus fuit per pœnitentiam: & in novo qui de agri precio pauca subtraxerat Ananias, cum uxore periit. Si hæc autem plura sunt in veteri, contraria autem in novo: differentia personarum efficit, ut eorum varia sit administratio. *Homil 16. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Paullus in denunciandis quidem suppliciis, multus ac vehemens, in inferendis segnis ac tardus est. neque enim de eis qui peccabant, pænas statim sumpsit, sed semel atque iterum admonuit. ac ne sic quidem in contumaces animadvertit, sed rursus admonet ac denunciat. *Homiliæ 29. ad Corinth. 2. ipso principio.*

Chrysostomus: Vidistis aliquando eos qui abducuntur ad mortē. Quo animo eos esse putatis ingredientes viam usque ad portam, quot mortibus non pejorē? Quid non eligant & agere & pati ut ab illa liberentur caligine & nube? Ego multos audivi qui imperatoris clementia postquam abducti fuerant erant revocati, quod nec homines viderint tanquam homines, adeo erat turbatus & stupefactus & emotus animus. Et quid dico de iis qui ad mortem abducuntur, tunc eos circumsistit turba, plures ipsos ignorantes, si quis tamen illorum animos circumspexerit nemo est adeo sævus, nemo adeo audax, nemo tam forti & magno animo, qui non ipsam habeat animam consternatam ac dejectam, & metu & ægritudine dissolutam. *Homil. 8. ad Thessal.*

D. Chrysostomus: In regibus cernimus qui hostes quidem etiam suis manibus jugulant, subditos verò carnificibus tradunt. *Homil. 5. ad Timoth.*

D. Io. Chrysostomus: Cùm rex aliquis principes suos qui magna quædam peccata admiserunt, primùm privat militia, ablatoque cingulo, & auctoritate, & præcone, tunc punit. *Homilia 7. Epistola ad Hebræos.*

D. Io. Chrysostomus: Marcionita quidam contendebat hoc bonitatis Dei indicium videri posse, si peccatorum rationem minimè exigeret. At ego ostendam illum, nisi rationem exigeret, non esse bonum: atque ideo in primis esse bonum, quia hanc exigit. Dic enim quæso, nisi ille à nobis rationem exigeret, essetne vita humana? Nonne feris quoque ipsis immaniores evaderent homines? Si enim metu quoque pœnarum ac judiciorum imminente, pisces transgressi sumus invicem devorantes, leones ac lupos quoque transcendimus, dum singuli quæ sunt aliena diripimus, nisi rationem à nobis exigendam pro indubitato teneremus, quanta confusio res humanas involveret? Quis jam labyrinthus mundanas perplexitates posset æquare? Quàm plena omnia iniquitatis ac temeritatis vidisses? Quis esset reveritus patrem? Quis pepercisset matri? Quis ullum voluptatis, ullum vitii genus omisisset? Quod autem hæc ita se habeant, ex vestra sola domo conabor ostendere.

Si servis alicujus vestrum, qui ista proponitis, persuadeatur, quælibet in vos patraverint, sive illi jugum dominationis excutiant, sive in corpora ipsorum dominorum effrænata ferantur audacia, sive asportent omnia, sive singula moveant loco, & universa confundant, & deteriora etiam hostibus faciant, illi non intentabūt minas, nec cruciatus admovebunt, nec digna plectent pæna, nec verba quidam molesta audient: num ista bonitatis esse videntur?

At ego summæ immanitatis esse monstrabo, non modò per hanc planè insulsam benignitatem uxores ac filios prodere, verum illos præ cæteris perire permittere. Namque & ebriosi & impudici, ac petulantes, & injuriosi, bestiisque omnibus stolidiores evadent. Hæccine, oro, benignitas est, ingenuam pessum dare animam, & nos ipsos atque alterutrum perdere? Videsne ut pœnas repetere, id tandem clementiæ plenum sit opus? Et quid servos dicam per hujusmodi impunitatem ad scelera promptius currere? Et filios si quis impunè permittat cuncta præsumere, neque castiget errantes, ad quæ non prærupta vitiorum evasuri sunt? Quòd si coram hominibus ea castigatio meretur laudem, ac bonitatis insigne est, esset autem non castigare crudelitatis, quanto magis id in Deo erit? Igitur quoniam supremè bonus est, idcirco gehennæ præparavit incendia. Vultis & alia ex parte divinam agnoscere benignitatem? Non modò ea metu coercet improbos, verùm & qui boni sunt, non eos sinit fieri malos. Nam si nulla esset meritorum discretio, neque secundum opera cuique præmia recompensarentur: omnes profectò mali fierent. At nunc quoque istud mediocriter consolatur bonos. Audi denique quid propheta testatur: Lætabitur justus quum viderit vindictam impii, manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Non gratulando insultans, absit, sed metuēs, ne patiatur eadem, emendare intima sua, vitamque omnem corrigere studet. Quantæ verò istud solertiæ, quantæque prudentiæ est? Ita sanè, inquies, sed si tantummodo comminatus esset, non etiam supplicia inferret, satis esse poterat. Si modò, quando supplicia infert, minas tamen esse arbitraris, atque ideo negligentior sis: si revera tantummodo minatus esset, tunc omnino desiduæ manus dedisses. *Homilia 3. Epist. ad Philemonem.*

S. Isidorus Pelusiota: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, inquiens Psaltes, justitiæ sinceritatem & integritatem ac prudentiam declarat: nempe quòd nec iracundia, nec temulentia eum ad cædem impellabat. Nam illa, etsi hesterno die ipsius animum concitabat, at per noctis longitudinem mitigabatur: hæc rursus, etsi vespere ingens accesserat, per somnum tamen satis minuebatur ac discutiebatur. Pura itaque, inquit, atque integra, tum manu, tum mente adversus eos qui Deum sceleribus suis lacessebant, arma induebam. *lib. 1. Epist. 121.*

S. Isidorus Pelusiota: Purum quidem, ut opinor, Dei judicium est: temperatur autem juxta scelerum qualitatem & quantitatem. Huc enim maximè spectat quod à Psalmista dictum est, Calix in manu Domini vini meri plenus mixto: bibent ex eo omnes peccatores terræ. Quod autem hoc loco calix de pœna intelligendus sit, nemini dubium est. quemadmodum etiam apud Ieremiam dictum est, Accipe calicem iræ, & pota omnes Gentes, ac primam Ierusalem: Nam quod quidam de mystico poculo Psalmistam vaticinatum esse asserunt, eorum opinionem & Iudæi & Gentiles, cæterique omnes, qui huius expertes sunt, refutant. Atque etiam eos maximè Psalmista ipsemet refellit: ut qui ante hæc verba dixerit, Deus judex est, hunc humiliat, & hunc exaltat. *lib. 2. Epist. 172.*

S. Isidorus Pelusiota: Si ad ea perpetranda, quæ perpetratis, ea vos causa impellit, quòd judicium haudquaquam expectetis, illud sciatis oportet, improbitatem, etiamsi nullum aliud supplicium accedat, supplicium per se esse: virtutem contrà etiam citra coronas coronam esse. Ac quidem maximè, ex his quoque qui scelerū pœnas in hac vita pependerunt, futuri judicii dogma fidem nanciscitur, verumque est, atque apud omnes certum & indubitatum. Quòd si vos improbitas in tantam amentiam præcipites egit, ut hoc ex animis vestris deleveritis: at certè (ut illud omittam, multos hic quoque pœnas dedisse) ne leve supplicium esse existimetis, hic ab omnibus suggillari, atque odio haberi: nec rursum exiguā coronam, graviter & honestè atque cum laude curriculum vitæ confecisse. *lib. 3. Epist. 36.*

S. Isidorus Pelusiota: Scire debes, ô bone, non esse scripturæ hoc pronunciatum, sed judicii impiorum Iudæorum calculū, id quod dictum est: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Nam quòd existimarent, à se pœnas exigi pro peccatis majorum suorum, quibus tamen ipsi multò graviora peccata committebant, idcircò hoc dicebant. At divinus & incorruptus judex, opponens illis, quod non pro aliis, sed pro seipsis & suis admissis plecterentur, dixit: Vivo ego, dicit Dominus, si amplius dicetur hæc parabola, quam videlicet, sibimetipsis & illis qui audiebant imponentes, confinxerant. Vnusquisque enim ob suum ipsius peccatum morietur. Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur. *lib. 4. Epist. 44.*

¶ Patrum Latinorum.

Egesippus: Vincti sunt primò regali genere viri qui resistebant, quò ceteri metu cederent, deinde necati: & ut flagitium velaretur, quos sine judicio peremerant missis in carcerem sicariis, eos adficto crimine proditionis interemptos ementiebantur. *cap. 6. libri 4. de excid. Hierosl.*

Idem: Graviora hæc certe nobis quam Romanorum prælia: ab illis enim pro libertate, ab istis quasi pro scelere jugulamur. simulātur innoxii criminū proditionis, & post mortem calumnia componitur; cùm cognitio pœnam prævenire soleat, non pœna cognitionem. quid enim prodest defuncto absolvi, cùm judicio jam nihil debeat. *cap 7. sequenti.*

Egesippus: Post ubi desurere visi, processu temporis causas sibi simulari cæperunt perimendorum, quò ad judicia reos ducerent; non ut requireretur justitia, sed ut crudelitas excusaretur. *cap. 9. lib. 4. exc. Hier.*

Egesippus: Circumfusi milites omnes rogabant, ut paucorum culpa, universis concederetur. Etsi non fuit properus ad delicti gratiam Titus Cæsar, fuit tamen exorabilis ad indulgentiam. concessit, cum summo pondere dicens, donare se omnibus, satisque in universos vindicatum invectionis auctorictate; eò quod animadversio in singulos usque ad factum procedere debeat; in multitudinem verbotenus; illam usque ad pœnam, istam usque ad correptionem: sæpe enim bonis exercitibus præliares lapsus virtutis causas dedisse. *fine cap. 7. lib. 5. de excid. Hierosol.*

Egesippus: Percussus est etiam scriba Aristæus, claræ & ipse originis, & cum ipsis alii de plebe quindecim præeminentes ceteris; licet injustam necem non nobilitas faciat sed innocentia. *sub finem cap. 22. lib. 5. de exc. Hier.*

S. Valerianus: Multi ibi nomen crudelitatis imponunt, ubi pro amore disciplinæ crimen admissi sceleris supplicio vindicatur latronis: cum sententia judicantis justis legibus serviat; & non solum præsentibus, sed & futuris manum porrigat. Quis igitur non licitò crederet se debere peccare, si impudicis & impiis actibus judex non præscriberet disciplinam? *Sermone 1.*

Chrysologus: Nullum est supplicium damnati, ubi non est pœna peccati. *Serm. 135. m.*

Ennodius: Vos perpendite conscientiam rei: quali pœna digna sit, quæ inusitata commisit. quia propagantur impunitate vitia: & nisi judicantium censura succurreret, peccandi vis per generale corpus exiret.

Ennodius: Ex vestro nunc, cognitores, pendet arbitrio, si qui peccatis vicit universos, non debet omnes reos superare suppliciis. Nascituras in posterum culpas incidite. eveniet ex unius cruciatu generalitatis emendatio. Genus pietatis est, circa hostem patriæ esse districtum: ne dum personæ parcitis, ad incrementum vitia provocetis. *fine Dictionis 14.*

Ennodius: Vtinam exquisitis effugetur de luce cruciatibus, & lentis secta vulneribus existat superstes corpori suo! non uno tempore de propriis sedibus nocens anima vellatur. In affectum reducitur puritas, quoties generalitatis oculos expiaveris cruce noxiorum. *fine Dictionis 15.*

Io. Sarisberiensis: Sicut lex culpas persequitur sine odio personarum, ita & Princeps delinquentes rectissimè punit, non aliquo iracundiæ motu, sed mansuetæ legis arbitrio. nam etsi suos Princeps videatur habere lictores, ipse aut solus, aut præcipuus credendus est lictor, cui ferire licitum est per suppositam manum. Stoicis sanè lictor dicitur, quasi legis ictor: eo quod ad ipsius spectat officium, ferire quem lex judicat feriendum. *lib. 4. Policrat. cap. 3.*

Io. Sarisberiensis: Medicorum utique consuetudo est, at morbos, quos fomentis & levioribus medicinis curare nequeunt, gravioribus adhibitis, igne puta vel ferro, curent. Nec unquam utuntur gravibus, nisi cum levium beneficio desiderata sanitas desperatur: sic & potestas cum inferiorum vitia mansueta manu curare non sufficit, pœnarum acrimoniam dolens rectè vulneribus infundit, & pia crudelitate sævit in malos, dum bonorum incolumitas procuratur. Sed quis sine dolore proprii corporis membra valuit amputare? Dolet ergo cum exigentibus culpis, vindicta exposcitur, ea tamen peragit invita dextra. Sinistram namque non habet princeps, & in cruciatu membrorum corporis, cujus ipse caput est, legi tristis & gemens famulatur. *lib. 4. Policrat. cap. 8.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. Graecorum.

Phalaris Teleclidæ: Proprio quodam usus animi judicio cum multis jam meis familiaribus & necessariis disseruisti (hoc fortè agens, quod & factum est, ut ad me sermones illi deferrentur,) non oportuisse, post fabricatorem Tauri Perilaum, alios hoc supplicii genere occidi. propiam enim laudem sic ad nihilum à meipso redigi. Ego verò neque laudem illam quam in puniendo Perilao fortè sum assecutus, magni pendo: non enim laudem in ejus supplicio quæsivi, neque calumniæ, quibus ob alios punitos traducor, mihi dolorem adferunt: A fama enim turpi & honesta talio sejuncta est. Neque verò te illud clam habeat, me idcirco, quod alios etiam in Tauro perire volebant, hunc plexisse. nam quod ad apparatum æris & artificium pertinet, munere non exitio dignus erat. Iustum est igitur huius supplicii culpam tum in ipsum, tum in omnes similem fortunam subeuntes transferre: sin etiam in nos à nonnullis inique judicantibus derivabitur, susque deque ferimus, dummodo possimus occisos eo supplicio dignos fuisse ostendere. Initium itaque capientes à primo, quem supra omnes homines: immò supra ipsam humanitatis naturam flammis peremi, simile judicium in omnibus reliquis adhibete. Si enim punitionem Perilai, tamque justam approbatis: de reliquis, à quibus nefandorum scelerum pœnas exegi, jure conqueri non potestis, neque quos fœderum corruptores, propter intentatam mihi mortem, morte affeci. planè enim medius fidius essem inops consilii, si cum aliorum qui bene

dé

de me meriti sint, vexatores direptoresque puniam, his qui mihi insidias ponunt, impunè esse sinerem: &, si injustam terroris adversus insidiantes infamiam spectans, mea ipsius pericula negligerem. *Epist. 66.*

Phalaris Lemādro: Quod Camarinæ cōtra me, nō cōsentientib. Camarinensibus, maximum exigua de causa bellum paras, forsitan te alacriorem confidentioremque exercitus adversum me conscriptio facit: Cùm verò conceptæ spei rerum opportunitas nequaquam consentiet, tum demum ut par est, non ex tuis factis sed damnis capies mœrorem. Atqui quid tandem est, quod te consolari possit. Si enim adeò timeremus quàm tu minaris, forsitan aliqua ratione propter meum timorem niti posses. Iam verò reliquis rebus nihil omnino noces, sed tibi potius qui nondum teipsum ad vitam in nostris tormentis exhauriendam accommodes. Nulla enim morte es afficiendus, cum tantis ærumnis excrucieris, sed ultra terminum quoque à natura præfinitum, si fieri posset, vita tibi foret proroganda. *Epist. 82.*

Xenophon: Privatorum hominum errata miti ferebat animo Agesilaus, principum vero magni esse momenti censebat: quod ab illis exigua proficisci, ab his magna mala, judicaret. Regno non desidiam, sed strenuitatem convenire putabat. *cap. 52.*

Xenophon: Socrates loquitur: Enimvero si interficiat injuste, turpitudo ea in auctores mortis meæ redundabit. Nam si turpis est injuria, quomodo non turpe sit aliquid injuste facere, quidquid tamdem id fuerit? Qui vero mihi esse turpe possit, quod alii de me juste cognoscere nequeant, neque se juste erga me gerere? Video vero superiorum temporum homines, qui vel injuste se gesserunt, vel injurias passi sunt, non eamdem posteris opinionem de se reliquisse. Studia quoque hominum, tametsi jam neci tradar, erga me futura scio plane alia, quam erga interfectores meos. Semper enim testimonio mihi futuros scio, quod nullum umquam hominum læserim, neque deteriorem reddiderim; sed potius operam perpetuo dederim, ut familiares meos meliores efficerem. *cap. 38. lib. 4. Memorabilium.*

Xenophon: Quibus quidem facinoribus mortis pœna proposita est, ut sunt sacrilegia, parietum furti causa perfossiones, plagium, patriæ proditio: eorum nihil me designasse, ipsi adversarii fatentur. Quo fit, ut mirandum mihi videatur, quamobrem me dignum esse morte statueritis. Ne illa quidem de causa, quod injuste occidar, animo esse dejectiore debeo. Non enim hoc mihi, sed iis, qui me condemnarunt, dedecori est. Præterea me Palamedes consolatur, qui consimili mortis genere periit. Nam is etiam nunc longe pulchriorem hymnorum materiem suppeditat, quam Vlysses, qui eum injuste occidit. Et scio non modo sequuturū, sed etiam præteritum tempus testimonium mihi perhibiturum, neminem me umquam læsisse, neque reddidisse pejorem: sed eos adfecisse beneficio, qui mecum disserebant, quum gratis, quidquid boni poterā, docerem. Hæc quum dixisset, ita discedebat; ut nihil esset, quod dictis ab ipso non responderet: ac tum oculis, tum gestu, tum incessu hilaritatem præ se ferebat. Quumque animadverteret eos, qui comitabantur, lacrumari: quid hoc est? inquit. modóne fletis? non jamdudum scitis, ex quo genitus fui, à natura me ad mortem condemnatum esse? Enimvero si secundis rebus adfluentibus è vita præripior, patet tum mihi, tum aliis, qui benevolentia me prosequuntur, dolendum esse. Si vero diris rebus imminentibus vivendi finem facio, omnino vobis omnibus, tamquam in rerum mearum successu prospero, lætandum arbitror. Aderat Apollodorus quidam, mirifice studiosus Socratis, ceteroqui vir simplex. Is ad eum: Ego vero, mi Socrates, inquit, molestissime fero, quod injuste necari te video. Tum Socrates caput ejus demulcens, dixisse perhibetur: Tune, carissime Apollodore, videre me malles jure, quam injuste occidi? Simul subrisisse fertur. *cap. 8. defensionis Socratis.*

Lysias: Quin imò, Iudices in ea sum sententia, ut existimem vos judicia exercere, non eorum tantum gratia qui delinquunt, sed etiam ut alios qui flagitiose vivunt, moderatos efficiatis. Atqui, si obscuros & vix ulli cognitos puniatis, cæterorum nullus emendabitur; quod nullus sciturus sit, quæ à vobis fuerint decreta: sin autem clarissimos quosque eorum qui leges transgrediuntur puniatis, omnibus id innotescet. Quocirca & cives hoc exemplo admoniti meliores evadent. Si igitur hunc condemnetis, non ij solum, qui in urbe sunt id intelligent, verum etiam socii animadvertent, & hostes audient, meliusque de Republ. existimabunt; si, ob hujusmodi flagitia vos conspiciant maximè commoveri, nec ullum veniæ locum, his qui in bello turpiter se gesserunt relinqui. *cap. 3. Orationis 13. in Alcibiadem.*

Lysias: Atque inter omnes profectò constare arbitror, hujusmodi controversias inter cives esse frequentissimas, ideoque sciscitabuntur, quæ sit vestra de his sententia; judicabuntque, si capite hos damnetis reliquos fore moderatiores: si verò impunes dimiseritis magnam vos quidvis faciendi libertatē, pro sua cuiq; libidinè, vestro decreto concessuros. Oportet autem, Iudices, ipsos dare pœnas, non eorum tantum causa, quæ ipsi perpetrarunt; verùm etiam ut exemplo sint iis, qui insequenti tempore victuri sunt; cùm vel hac ratione vix assecuturi sitis, ut eorum nequitia sit tolerabilis. *cap. 6. orationis 21. contra frumentarios.*

Lysias: Si eis indignamini, qui accusando minus sunt fideles quanto magis eos punire oportet, qui injuriam faciendo, aliis sunt graves? *cap. 4. orationis 26. adversus Epicratem.*

Lysias: Id autem omnibus constat, quod statutis exemplis alios ab injuria vobis inferenda deterrebitis, non quādo dicendi imperitos sed peritos tos multabitis. Tunc. n. omnes, ut vos injuria afficiant, moliri desistent: Nunc autem intrepidi & tuti vestra furantur. Nā si res celetur, sine ulla formidine vestris frui licet; sin deprehendantur; aut parte eorum, quæ iniquè compararunt, periculo se liberant; aut, si in jus vocantur, potentia sua se servant. Nunc igitur, Iudices, sumta ab his pœna exemplum statuite aliis, ut justi sint. Veniunt autem huc omnes, qui Reipublicæ negotia tractant, non ut nos audiant, sed ut animadvertant, quæ nam futura sit vestra de reis sententia. Itaque, si hos absolveritis, nihil existimabunt negotii; vobis deceptis, ex iis, quæ vestra sunt, sua augere commoda: sin condemnatos morte mulctaveritis, & alios modestiores quàm nunc sunt, efficietis, & hos justo supplicio afficietis. *cap. 2. orationis 26. adversus Epicratem.*

Lysias: Arbitror autem, Athenienses, etiamsi judices in sententiam non mittatis, aut excusationem audire recusetis, sed condemnatos extremo supplicio mulctetis; non censendum tamen esse, ipsos indicta causa perisse, sed debitas pænas luisse. Non enim hi putandi sunt indicta causa perire, de quorum flagitiis jam vobis cognitis decernitis, sed qui iniquis inimicorum criminationibus, de quibus vobis non constat, circumventi, in judicio non audiuntur Hos autem res ipsa clamando accusat. nos autem testimonium dicimus. *cap. 3. Orationis 26. adversus Epicratem.*

Lysias: Publica furantibus magnam peccandi licentiam dabitis, nisi de hoc supplicium sumseritis. Sin autem condemnatum ipsum extremo supplicio affeceritis, una eademque sententia, & alios emendabitis, & de hoc supplicium sumetis. Illud autem scitote, Iudices, egregium fore exemplum quod in hoc ipso aliis statuetur, ne quis posthac in vos delinquere audeat, si non dicendi imperitos, sed eloquentes & disertos plectatis. *cap. 8. orationis 29. in Nicomachum.*

Lysias: Absurdum mihi videtur, ipsum pro peccatis perpetratis nullas luere pænas, & pro beneficio sperato jam honoris præmia accipere. An, ut cives habeatis meliores, ubi viderint omnes ex æquo honorari, ideo probandum censebitis? Sed periculum erit, ne & boni benefacere cessent, ubi senserint, se non alia, quàm improbos ratione honorari, existimentque eorundem esse, & malos honorare, & bonos negligere. *cap. 7. Orat. 30. contra Philonem.*

Lysias: Neque igitur has ejus excusationes admittite; neque si dicat, quod longo tempore post puniatis. neque enim talium scelerum illam puto esse præscriptionem, aut pænæ diem constitutum. Sed arbitror sive statim, sive temporis intervallo pœnas persequatur, oportere hunc demonstrare, quod ea non perpetraverit, de quibus est controversia. declaret ergo ipse, vel quod non occiderit, vel quod jure, male scilicet de populo Atheniensi meritos. Si quem olim pœnas dedisse oportebat, jam tandem punimus; omne illud, quo vixit, tempus ipsi in lucro deputandum est; quod tamen præter meritum ipsi contigit. boni autem viri nihilominus ab ipso occisi sunt. *cap. 21. Orationis in Agoratum.*

Lysias: Nunc autem existimare oportet, eos qui de Andocide sententia sua pœnas sumpserint, ipsumque è medio sustulerint; civitatem purgare, piaculum avertere & depellere, & publicum scelus auferre, & à Deorum violatore nos liberare, quorum hic est unus. *cap. 17. Antrocidem.*

Epictetus: Lycurgi Lacedæmonii facinus quis nostrum non miratur? qui à cive quodam, altero mulctatus oculo: cùm à populo sibi traditum, ut suo arbitratu mulctaret; nulla quidem pœna affecit, sed instituit. Cumque jam virum bonum effecisset, in theatrum produxit. Admirantibus autem Lacedæmoniis: Hunc, inquit, cum à vobis superbum & injustum accepissem, vobis æquum popularemque restituo. *apud Stobæum.*

Hierocles: Non simpliciter hominem, quatenus homo est, lex ipsa ulciscitur: sed qua ratione malus est. ut autem talis evaderet, causam primam habuit in propria voluntate positam. ex quo vero malus effectus est (quod in nobis situm fuit, non autem in Deo) tunc pænis afficitur: quod in voluntate divina, non autem in nobis est positum. *cap. 17. carm. Pythag.*

Aristides Sophista: Quod si pænas aliqui dare cogantur, non id tam grave ducunt, quam quod majora non patiantur præclarè secum agi putant. nec enim ille odio eorum, qui peccarunt supplicia sumit, sed ut corrigat ipsos primum, si fieri possit: sin minus, ipsorum exemplo alios. *Laudatione M. Aurelij Antoni Philosophi.*

Iulianus Imp. Scis quam sim lentus ad condemnandum & quāto lentior postquam condemnavi ad ignoscendum. *Epistola sexta.*

Libanius: Licet quis Græcos erravisse dixerit, non pariter tamen omnes deliquere. Non enim omnibus itidem integrum est in principem audacter invehi: & iis qui primos honores adepti sunt in exercitu, & infimam sortem nactis, & nautis & calonibus lixisque,

xiſque. Quapropter cum quiſque pro dignitatis ſuæ ratione peccarit, qui honeſtum eſſet eos quorum inæqualia ſunt peccata, eadem capitali pæna afficere? Nam ſi belli quæſtor & moderator eſſes, ut ei permitteres hunc quidem capite plectere: hunc ſauciare, & mutilum reddere: nonnullis parcere, levius certè malum videretur. Quoniam verò bellum inſontes à ſontibus diſtinguere neſcit, ſed temerè occurrentes quoſque profligat; vereor ne lateat nos multos interimens, quibus minus ſuccenſemus. *Declamatione 4.*

Libanius: Equidem novi omnes qui injuriam fecerant, hic pænas ſuſtinere; neque ullus quiſquam eorum qui magna commiſere, nec eorum qui mediocria perpetrarunt, apud alios pænas dediſſe. verùm aliquis hic judicium ſubit, atque obnoxius fit mulctis quæ irrogantur. Quiſnam eorum qui cædis rei ſunt, apud alios dant pænas? quis eorum qui ob proditionem condemnati ſunt, ad alios ſupplicium daturus proficiſcitur? quis militiæ deſertæ aut ordinis relicti convictorum? nullus. *Declamatione 17. Hyperidis pro Demoſthene.*

Idem paullò poſt: Reus eſt aliquis peculatus? non apud alios mulctam pendit. munera conceduntur iis qui bene meriti ſunt de noſtra urbe? non ab aliis dantur ſic apud nos etiam pœnas exigi oportet quos læſerunt.

Libanius: Hic vir venit hoſtis conſilio, & in periculum ſe conjecit, ut civitatis negotiis cognitis, abiret: deprehenſus autem fingit quod ſolent multi. quid verò id rei eſt? qui certò novit ſe moriturum, fingit commenta ad id quod adeſt diſcutiendum; & eos à quibus captus eſt falſis criminibus inter ſe perturbat, quocirca raptos è media turba, qui infenſo quibuſdam animo ſunt, ligant, torquent, cruciant, omne tormentorum genus admovent, unde ſeditiones naſci vellent, & quæ è ſeditionibus oriuntur: nam in publicis tumultibus aut ſalutem acceſſuram, aut tardiorem necem autumnant. utique ſanè ſimul attrahere eos qui extra culpam ſunt, habet aliquam jucunditatem apud eos qui jure occiduntur. *Declam. 28.*

Libanius: At enim ſi ſententiis morti addicatur Socrates, & quædam ſit prætorii conformatio, majus crimen eſt; quod ne iræ quidem imputare malum liceat. *Declamatione 29. ſub finem.*

Libanius: Vt verò huic etiam rationi occurrendo tibi ſatisfaciam, quòd nec mali plures propter me fient, ſic tecum reputa, & vide. homicidas punimus; ac multos cædis convictos civitas ſuſtulit. numquid igitur amplius cædes non committentur: neque ulla adverſus ſicarios erit delatio; propterea quod multos ſontes capite damnavimus? Adulteros etiam acerbiſſimis plectimus ſuppliciis. attamen ne hæc quoque ad continentiam colendam, poſteris ſufficient. ſunt & in ſacrilegos pænarum pericula definita, qui ergo quidam quotidie deprehenduntur ſacrilegi? Sunt ingrati quoque animi delationes: lenocinii criminationes: ſcortationis: laſciviæ, vitæ ſceleratæ: contra omnes exſtant animadverſiones & periculoſæ ſanctiones. Numquid igitur nec ulli ſcortatur, neque alii adulterantur, nec ingratæ mentis labe maculantur, quia in deprehenſos gravia ſtatuta ſunt ſupplicia? magni profecto mortem meam æſtimaverim, quæ tantum civitati beneficium conferret: ſi mortuus tantum efficere valerem, ut nullos impoſterum laberetur. Igitur leges etiam de his latas abroga. cui enim emolumento amplius erût urbi; cùm nullus qui delinquat & erret ſupererit? atqui non hæc ita uſuvenire ſolent: imò natura & fortuna diſtincta ſunt. nam non pænarum gravitate, neque legum comminatione, plerique à maleficio temperant: ſed quòd velint & conſtituant temperantiam colere. Quocirca felicem ac beatum prædicamus, non eum quem ſolum viderimus nihil malignè ac perperam agere: ſed & eum quem ita fortuna comparavit, ut nulla in re injuria ſit affectus. Eodem modo, non ob eos qui convincuntur & periclitantur, ſapiunt & continent ſe nonnulli; ſed propter optimum vitę propoſitum, temperantes ſunt & ſervantur. Vbi ergo jam tempeſtivum eſt commentum, quo fingis exilium meum improbos multos in urbe facturum? *Declamat. 30.*

Themiſtius: Diſces quando tibi incitandi, quando mitigandi animi: quid inter caſum, errorem, ac facinus interſit; ac prioris quidem miſereri Principem, corrigere alterum, poſtremum ulciſci oportere: deinde aliud eſſe liberis, aliud ſervis imperare; illud excellentiam eſſe virtutis, hoc fortunæ prærogativam. *Oratione 11. ad Valentem juniorem.*

❡ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Illud prius interrogavero vos, judices, an eadem ira, eademque pæna dignos putetis eos, quos fortuna, quos vis, quos dolor coegerit enunciare conſilia publica, ac confiteri aliquid: & eos quos odium Reipublicæ, ſpes prædæ, amor hoſtis in hanc egerit proditionem? Quod ſi nullo modo apud quemquam bonorum virorum poteſt videri ſimile, &c. *Declamatione 272.*

Quintilianus Senior: Quoties noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu poſſint. Omnis enim pæna non tam ad delictum pertinet, quàm ad exemplum. *Declamat. 274. f.*

Quintilianus Senior: Omne injuſtum ſupplicium eſt, quod non eſt exactum ſecundum legem. *Declam. 305. m*

Quintilianus Senior: Magiſtratus de confeſſo ſumat ſupplicium. Durum miniſterium, & injucunda honoris hujus neceſſitas. Sed quis potius leges exſequitur, & hominum commiſſa, niſi qui rempublicam adminiſtrarit? nemo iſtud faceret libenter, niſi neceſſitate. Ergo non ſolum licuit mihi occidere confeſſum, ſed etiã ſi nollem, neceſſe fuit. *Declam. 314. pr.*

Quintilianus Senior: Pro Deis, pro templis, pro liberis ac conjugibus animadvertere ſine forma judicii in paucos proditores, indignum eſt? Et exercitus partem decimamus, & in aciem ductis militibus, certè innocentibus, multum contigiſſe imper. videretur, etiam ſi non incruentam victoriam referat. Pro hac ſecuritate ſi perierunt aliqui (ut parciſſimè dicam) non ignoſcerem? Equidem intelligo hanc eſſe conditionem omnium, qui adminiſtrationem Reipub. aggrediuntur, ut ea quæ maximè pertinent ad ſalutem communem, cum quadam ſua invidia efficere cogantur. Quanta vi adverſus me inimici conſurrexiſſent, ſi iſtud ſine cauſa feciſſem? Quid ſi proditores fuiſſe manifeſtum eſt? Putemus eſſe judicium? &, quatenus mavultis illos indemnatos dicere quàm innocentes excutite cauſam. Sanè non conſummaverit primum ſuſpicio, at certè transfugæ hoc mentiendi cauſa quæ fuit? homo relicto exercitu ſuo, relicto imperatore ſuo, in civitatem noſtram tranſgreſſus, cùm rem periculoſiſſimam feciſſet, mentiretur? cùm ad probationem rei caput ſuum obligaret, eadem nobis nocte denunciat. *Declam. 348. m.*

Quintilianus Senior: His illud quoque adjici poteſt, plurimum differre, utrum quis ſupplicium exigat ab indemnatis; an ſi aliquos ſecuritatis publicæ cauſa occiderit. ſi vero hoc pro ſalute communi fuit, non odio eorum factum eſt. *Declamatione 348. f.*

Quintilianus Senior: Nemo poteſt plura ſupplicia unus nocens ferre. *Declam. 365.*

Quintilianus: Pater illius proditionis damnatus eſt. lex autem exulare & proditoris liberos jubet. Vt omnes lex puniat, huic tamen ignoranti, damnatio patris nocere non debuit. Puta in privatum compendium peregrinatum: non ante exul erit denique, quam ſcierit ſe eſſe exulem. Aliquis pœnam ſuſtinet, quam ignorat, & ejus eſt conditionis, cujus ſe eſſe neſcit? Quem talem ſacrilegum audiſtis, quem homicidam, quem veneficum? Novi generis nocentem producis, tam ſecurum, ut ſe ne nocentem quidem ſciat.

Sed, quod paulò ante remiſeram, nego. Non omnes lex punit, ſed cõſcios, ſed participes ſceleris: illis iraſcitur qui patre cũ peccát. Neque enim innocentes ulla lex punit. Et hic non ſolùm innocens, ſed etiam honoratus fuit. Legatus fuit. ut proditoris filium licuerit occidere, legatum non licuit. Quid enim lex ait? Legatus ſacroſanctus ſit. An hoc dubium eſt fuiſſe legatum? creatus eſt, miſſus eſt. Atqui ſi fuit legatus, non potuit, antequam renunciat legationem, deſinere, tanquam magiſtratus intra ſuum annum, tanquam ſacerdos. Patris, inquit, damnatione deſiit eſſe legatus. Ad alium forſitan filium pertineat paterna damnatio: ad legatum non pertinet. Antè enim legatus hic factus eſt. Ita in eo jure fuit, in quo illum Reſpubl. antè juſſerat: id eſt, ante legatus fuit, quàm damnati filius. Sed puta licuiſſe: non oportuit. *Declam. 366.*

Calpurnius Flaccus: Nec pænam poſſum recuſare poſt culpam; nec veniam ſuſtinere poſt gloriam. Me miſerum, cujus nec infamia poteſt latere, nec gloria. *mox:* Ignoſcere vos nolo. cur enim dubitem per infamiam ſenex emori, qui etiam juvenis optavi per gloriam? *Declam. 15. f.*

Petronius Arbiter: Ita vide, ut proſit illis ignoſci, quos ad pænam ipſe Deus deduxit. Quod ad me attinet, non ſum crudelis, ſed vereor ne quod remiſero, patiar. *Satyrico.*

Petronius Arbiter: Quid debent læſi facere, ubi rei ad pænã confugiunt? At enim amici fuerunt! eo majore ne ruerunt ſupplicia. nam qui ignotos lædit, latro appellatur: qui amicos, paulo minus quam parricida. *Satyrico.*

Calpurnius Flaccus: Si poteſt fieri, ad hoſtiam quam Diis penatibus vovit, ſatis ſibi fiat meo ſanguine, imo & ipſo ſuo; dum non per manum vilem jus pietatis infuſcet: quia nec juris ratio permittit, ut adhibeatur adverſus eum carnifex, in quem non fuit judex. Faciat vitæ finem, qui originem fecit. *Controverſia 24.*

Quintilianus: Lucrifacit mortis atrocitatem quiſquis laudatus occiditur. *Declam. 11. §. 10. p.*

Quintilianus: Nihil eſt crudelius morte hominum quos populus occidit; & ſolus hic exitus eſt, à quo non eſt nec cadaveribus ſalva reverentia. *Declam. 11. §. 11. f.*

Symmachus: Vnum eſt quod mea petitio & ceterorum vota deſiderant, ut pro juſtitia tua inultum eſſe non ſinas quod exemplo graviſſimum erit, niſi auſus aliorum vehemens pæna compreſſerit. *lib. 2. Epiſt. 33. m.*

Symmachus: Vehementer injurium eſt, ex alieno peccato nævum violatæ religionis attrahere. *lib. 2. Epiſt 54. f.*

Symmachus: Reſtat ut in eos qui ceremonias publicas abominando

nando scelere polluerunt, legum se veritas exeratur. quæ tibi actio de proximi temporis exemplo servata est. Et ideo dignaberis Reip. utilitatem legesque considerans facinus cunctis ad hunc usque diem sæculis sæverissimè vindicatum, competenter ulcisci. *lib 9. Epist. 118 f.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Thesmoph. v. 663.

Si enim non latuerit nos agens iniqua & impia,
Dabitq; pœnas, & ad hoc
Aliis omnibus erit
Exemplum injuriæ, injustorumq; operum.
Impiorumq; morum.
Dicet autem esseq; deos manifesto,
Ostendetq; jam
Omnibus hominibus colere deos,
Iusteq; administrantes,
Sancta & legitima consulentes,
Facere quod bene se habet.

Prudentius passione Romani.

Incensus his Asclepiades jusserat
Eviscerandum corpus eculeo eminus
Pendere, & uncis vinculisq; crescere.
Apparitores sed furenti suggerunt,
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisq; multis esse primum civium.
Iubet amoveri noxialem stipitem;
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.
Tundatur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumboq; cervix verberata extuberet.
Persona quæq; competenter plectitur:
Magniq; refert vilis an sit nobilis:
Gradu reorum forma tormentis datur.

Prudent. passione Romani.

Absit ministros vilis ut muliercula
Nostros fatiget. tantulos at si dolor
Vexabit artus, mortis auxilio brevis
Oculi parentis punientur acrius,
Quàm si ei cruenta membra carpant ungulæ.

Terentius Andriæ 3. sc. 5. fine.

—— Hei mihi,
Cur non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, uti volo!
Namq; hocce tempus præcavere mihi me; haud te ulcisci, sinit.

Petronius Arbiter.

Quisquis peccat inops minor est reus.

Guntherus lib. 5. v. 134.

Desine paucorum contagia morbida, quæso,
In totum transferre gregem, culpaq; carentes
Exæquare reis. insontes culpa nocentum
Non trahat. ex propriis justo sub judice factis
Præmia, seu pœnas meritorum, quisq; reportet.
Nos sumus innocui. justam quam debuit iram
Excepit scelerata manus. jam parco fideli
Devotoq; tibi populo.

Guntherus lib. 10. v. 51.

—— Mandata ferebant
Scilicet, ut posita tandem clementior ira,
Parceret ipse suæ rex augustissimus urbi:
Neve quod à stolida scelus, & sine nomine vulgo
Prodierat, cives diffunderet ultor in omnes.

¶ Apologi.

Æsopi Pulex & Homo.

Impensè molestus erat homini cuidam Pulex. Is igitur eum cùm cæpisset, quis tu, exclamavit, es, qui membra mihi omnia depasceris, frustra me consumens? Cui ille clamitans ait, Serva me, ô iste, non necans: malum quippe grandius patrare nequeo. At subridens ille, Mox hisce, ait, meis manibus moriere. malum siquidem grandius seu levius, nequaquam esse decet.

¶ Emblematum.

Seba. Supplicium natando evadens tandem crematur.

Vidi ego carnificis metuentem verbera sævi,
Qui medias sese Ligeris projecit in undas,
Et quamvis sudore madens, expersq; natandi
Fluminis evasit pede calcans ima profundi,
Quem mox non una pœnas pro cæde luentem
Vidimus impositum torreri viscera flammis.
Hæc age dispicito rectæ qui tramite vitæ
Deserto, magis atq; magis periturus oberras:
Nam quò tardior est, gravior fit Numinis ira.

Batillius CXCV.

Ira magistratus non debet esse in proclivi.

Bisseni fasces cui bissenæq; secures
Hic præeunt, prisci est Consulis effigies,
Qui ferro pœnas non festinare soleret,
Non nisi quæsita suppliciumq; mora,
Dum fasces solvit lictor, promitq; secures,
Sic moderandi animi dum spatiumq; datur,
Sic odium judex, sic justam temperet iram,
Affectus mentis consilioq; regat.

¶ Apophthegm. Sacr.

Israelitæ. Tribus Israeliticæ auditis justis & tristissimis querelis Levitæ adversus Gibeanos miserunt viros ad omnes tribus Biniaminis, qui dicerent, Quod est malum istud quod factum est in vobis? Nunc igitur date istos viros nequissimos, qui sunt isthic Gibeæ, ut morti tradamus eos, & tollamus malum ab Israele. Noluerunt autem auscultare Biniamitæ voci fratrum suorum, unde secutum est civile bellum & Biniaminitarum ac Gibeanorum luctuosissima clades. *Iudic. 20.*

Vide historias Saulis, Davidis, Salomonis, & aliorum regum, ubi multa de reis supplicio mulctandis edicta.

¶ Monosticha Trochaica.

Abjecti est animi punire; magni animi est ignoscere.
Ad omnes metus perveniat, supplicium ad paucissimos.
Ar bore ecquis non ab ipso ramos tollat mortuos.
Arbores præcisæ ramis plurimis repullulant.
Cæde cuiusquam gaudere Principis non est boni.
Cæde neminis lætatur rex bonus, magis dolet.
Carnificis manu perire virginem, eheu quàm impium est!
Clam quidem licet delinquere, at dabis pœnas palam.
Consilio quævis nocentem dignum pœna judico.
Corrigit animadversionum mores urbis parcitas.
Cùm cocus deliquit, ipsum cædimus tibicinem.
Damnantor viri ad leones, ad lenones feminæ.
Dat veniam censura corvis, Veneris vexat alites.
Disciplina est bene vivendi suppliciorum acerbitas.
Ex truci animadversione nulla regi gloria est.
Expiari vix potest unquam elui piaculum.
Inter apes fucum fer, tolli si absq; apum nequit malo.
Lex hominem perire cum vult, illud apertè enunciat.
Membra quæ sine peste hærere corporis haud pote, amputes.
Ne gravet peccatum amicos; auctores teneat suos.
Ne quidem stirpis catellus relinquendus pessimæ.
Nobilis inique pœnas non dat, sed dat innocens.
Nil nefas in illũ est omne qui ante fas pessum dedit.
Nil Deus sinit absq; pœna esse impiis nocentibus.
Non mirum est pati malum illos qui malum patraverint.
Non necare sed necandos liberare opus Dei est.
Non potest cunctis nocere, haud perpetratum à pluribus.
Nos amorem sanguinis nullum esse Divis ducimus.
Noxius, supplicium alienum dum spectat, discit suum.
Nullum tempus est, perire quo nocens non debeat.
Paucorum cadunt periclo fulmina, omnium metu.
Plus timendum spes vicina dum desideria ustulat.
Pœnis mille mille dignos vix una notat Deus.
Qui bonos damnarunt, causam cunctis dicent seculis.
Sæpe publica expiatur unicum ærumna scelus.
Sanguinem deterrimum è cute extrahit cucurbita.
Stultus est patre interemto qui relinquit filios.
Tempus an ullum est perire quo nocens non debeat?
Vita hominum est confusa prorsus, nisi delicta punias.
Vnda quod lustralis urbi, ferrum item illi est publicum.

¶ Jambica.

Amare capitis damnatos licet palam.
Clavusq; clavo pellitur; & malus malo.
Etiam cupiditas tanquam factum plectitur.
Evellere herbam stirpius malam, adprobum est.
Ex commodo absumuntur sontes publico.
Iustissima fulmina sunt, quæ & percussi colunt.
Malum quoque ipso exscinditur cum corpore.
Morbos veteres coerceas per aspera.
Mortem quidem ultra iratæ nil leges habent.
Ne corpus totum intereat, vel membrum amputes.
Non esse præstat quàm nefastè vivere.

Ob causam honestam supplicium quodvis lucro est.
Occidere civem, indicta causa, injurium est.
Paucos ferit fulmen, cunctos illuminet.
Persona quaque competenter plectitor.
Quæ corporis pars peccat, & pœnas luat.
Quem pœnitet delicti, huic fiat gratia.
Qui cogitat crimen, tenetur criminis.
Quis non sibi membra abscidit tardè sua?
Quo grandior cadit, plus dat formidinis.
Rarò malefacta colloquiis curaveris.
Scelesta corda puniunt mores sui.
Si signa quem casu opprimant, fiant rea.
Sopitur imbre leni ventus arduus.
Specie boni punitur à Deo malus.
Supplicia raro uno diu manent statu.
Tempus, preces, satias, supplicia mitigant.
Terrentur alij pœna magnitudine.
Vi pauca agenda, sit quies ut cæteris.
Vox innocentis cum capite haud præciditur.

Suspicionis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: Parum cauta est simplicitas, ac benignitati adjuncta est imbecillitas; minimeque is improbitatem suspicatur, cuius animus ab improbitate liber ac purus est. propterea quod futurum erat ignoratum est, nec fucus ac dissimulatio deprehensa. *Orat. 3 stelitentica 1. in Iulianum.*

D. Nazianzenus: Animi tui simplicitate fit, ut nec ipse quidquam turpe admittes, nec de aliis temerè suspiceris: neque enim is facilè de alio malum suspicatur, qui non facilè ad malum impellitur. *Orat. 8.*

D. Chrysostomus: Neque enim tum solum in nobis crimen hæret, cùm quid mali perpetravimus; sed quamvis etiam nihil perpetremus, tamen si suspicione apud homines laboremus, nec eam amoliri ac propulsare cùm liceat, curemus, pœnas utique subituri sumus. *Homil. 11. ad Corinth. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: De rebus parum honestis in suspicionem venire, his quidem, qui ad virtutis arcem pervenerunt, maximæ calamitatis loco est: judicari autem honestioribus & gravioribus: deprehendi verò, iis quoque qui stupore atque indolentia laborant *lib. 3. Epist. 193.*

¶ LATINORUM.

S. Valerianus: Laborandum illi ante omnia est, ut qui bonitatem sequitur, bonus esse judicetur. nam quamvis homo purum corpus immaculatumque custodiat, laceratam vitam ad Deum portat, cujus actus vultum infamat, licet sciamus conscientiam solam posse sufficere. Sed quanto melius est ut semper de te bene sentiat, qui circa januam tuam vanis suspicionibus frequenter ægrotat. Insitum est enim naturaliter vulgo, ut de bonis semper male judicet. Sed tu qui curam bonæ famæ colis, studio tuo gratiam integræ opinionis acquire. Vita ergo nostra ita sit lucida, ut sit omnibus nota. integritas religioni, pudor serviat humilitati. Quem amor tenet servandæ integritatis, ante omnia falsi ad se famam non admittat erroris.

Magnũ est quidẽ & gloriosum, & usq; ad cælum omnium ore proferendum numquam malis actibus locum dedisse: sed multo fortius est numquam falsis suspicionibus laborasse. Quid enim tibi prodest sobrietas, si inter effluentes vino calices saltantium gyros imiteris? quis te castum putabit, si te viderit meretricum fabulis mixtum scenico sermone compositis, aut loquentem turpia, aut inhonesta resonantem? Laudo quidem conscientiam castitatis in te, sed odi colloquium meretricis. in quo loco fortasse dicat aliquis, sufficit mihi pura conscientia. Quantum ad innocentiam pertinet, tibi soli sufficit: sed providendum est, ne facilitate tua alter peccet, & alienum peccatũ in te redundet, juxta illud quod dicit Scriptura: Væ illi per quem scandalum venit. Quamvis autem pretioso serico corpus vestias, & niveo vellere membra componas, non sine macula diem transigis, si camini ardentis ora contigeris. In omni igitur actu tuo vitam tuam disciplina comitetur. Si vis placere Christo, elabora ut professionem tuam fides adjuvet, fama commendet. *fine Sermonis 1. de bono disciplinæ.*

Ennodius: Multi dederunt non errori locum, & dederunt suspicioni. *Moxq;* Nullus secum extraneas habeat mulieres, præter personas Canonibus designatas; ne agendo taliter, etiamsi vita sit innocens, damnum opinionis incurrat. *præcepto de Cellulanis §. 2.*

¶ POETARUM.

Plautus Trinummo 1. sc. 2. v. 41.

Omnes bonos bonasq; accurare addecet
Suspicionem & culpam ut abs se segregent.
C. Non potest utrumq; fieri. M. quapropter? C. rogas?
Ne admittam culpam ego meo sum promus pectori.
Suspicio est in pectore alieno sita.
Nam nunc, ego si te surripuisse suspicer
Iovi coronam de capite, è Capitolio
Quod in culmine astat summo: si id non feceris;
Atq; id tamen nihil lubeat suspicarier,
Qui tu id prohibere me potes, ne suspicer.

P. Syrus in Mimis.

Ad tristem partem strenua est suspicio.

Plautus Bacchid. 4. sc. 9. v. 80.

Non dabis si sapies. verùm si das maximè,
Næ ille alium gerulum quærat, si sapiet, sibi.
Nam ego laturus non sum, si jubeas maximè;
Sat sic suspectus sum, cùm careo noxia.

Ausonius Oratione v. 63.

Nil metuam cupiamve nihil: satis hoc rear esse
Quod satis est. nil turpe velim, nec causa pudoris
Sim, mihi, nec faciam cuiquam, quæ tempore eodem
Nolim facta mihi. nec vero crimine lædar
Nec maculer dubio. paullùm distare videtur
Suspectus verùsq; reus.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Addecet bonos etiam ab se suspicionem ut segregent.
Difficulter suspicatur improbos alios probus.
De malo vix suspicatur quid mali innocentia.
Et maligna etiam innocentes deprimit suspicio.
Non solet quid suspicari de altero quam qui est malus.
Patricidij ut damnere haud sufficit suspicio.
Qui malus haud est suspicari non solet de alio malum.
Qui mali nil suspicatur, nec mali quid fecerit.
Qui scelesti haud sunt scelus vix suspicentur de altero.
Res quibus minus secundæ, suspiciosi sunt magis.
Sæpe quis quoque est suspectus noxia quamvis caret.
Sæpius maligna insontem deprimit suspicio.
Sævum est suspicionem ferre falsam hominum futilium.
Tardùs est ad suspicandum quid mali de alio bonus.

¶ JAMBICA.

A suspicione quivis quemlibet falsa cave.
Etiam cavenda criminis suspicio est.
Haud suspicatur de altero malum probus.
Hoc suspicax quisque est minus quo integrior.
Lanci sinistra usq; insidet suspicio.
Laus cumque ubi est, ibi est item suspicio.
Malum grave est mortalibus suspicio.
Minimè solet probus vir esse suspicax.
Nil suspicax minus est rerum Innocentia.
Omnem moratur impetum suspicio
Omnes mala, eheu, suspicamur, non bona.
Præceps quia est, injusta item est suspicio.
Qui nil sinistri suspicatur, fallitur.
Quod non decet, vel suspicari res mala est.
Suspectum id omne, quod veri ultra sit modum.
Suspecta habet rex cuncta, cuncta rex timet.
Suspecta quæq; extremum habent periculum.
Suspectus haud est nobis, quem non læsimus.
Suspicio falsa vera fit formidine.
Vt optimus quisq; est minus est & suspicax.

Sycophantæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

X*Enophon*: Scio Socratem aliquando ex Critone audivisse, difficulter Athenis vivere posse qui sua velit agere. nunc enim me nõnulli in jus rapiunt, non quod à me fiat ulla eis injuria; sed quod existiment, lubentius me pecuniam exsoluturum, quam cum aliis habiturum negotia. Tum Socrates: Dic mihi, mi Crito, ait, annon canes alis, ut lupos ab ovibus arceant? Maxime, inquit, quum plus expediat mihi, eos alere, quam non alere. An non igitur etiam hominem velis alere, qui & velit, & possit illos arcere, quotquot injuria te conantur adficere. Perlubenter sane, inquit, nisi vererer, ne adversus meipsum se converteret. Quid autem? ait, non multo jucundius esse vides, aliquem viro tali, qualis tu es, gratificantem potius, quam infestum, vicissim ab eo juvari? Certo velim scias, esse tales heic homines, qui magno sibi honori ducerent, si te amico uterentur.

Ex eorum numero Archedemum inveniunt, dicendi quidem illum, & agendi peritissimum, sed pauperem. Non enim is erat, qui abs quovis lucrum caperet: sed quum æquitatis studiosus esset, dicere solebat, esse facillimum, sycophantis aliquid eripere. Huic igitur Crito quoties aut frumentum, aut oleum, aut vinum, aut lanas, aut aliquid aliud rerum in prædio suo nascentium, & ad vitam utilium, colligeret; partem detractam donabat. Eumdem, quoties rem sacram faceret, invitabat; ac in omnibus hujusmodi eum non negligebat. Itaque quum existimaret Archedemus, domum Critonis sibi refugii loco esse, cœpit eum plurimum observare: statimque calumniatorum Critonis injusta pleraque facinora perquirendo reperit, & infestos iisdem non paucos: adeoque publicum in judicium eos arcessivit, in quo cognosci oportebat, quo supplicio, quave multa puniri deberent. At reus, multorum sibi malorumque facinorum conscius, nihil non moliebatur, ut ab Archedemo liberaretur. Archedemus vero finem nullum faciebat, donec ille Critonem dimisisset, & pecuniam sibi numerasset.

Id ubi jam Archedemus, aliaque similia perfecisset: tum vero non aliter, atque ubi pastor aliquis canem egregium habet, ceterique pastores haud procul ab illo greges suos sistere cupiunt, ut eius canis opera fruantur: ita & complures Critonis amici rogabant, ut etiam sibi Archedemum custodem concederet. Archedemus autem Critoni perlubenter gratificabatur, neque jam solus Crito quiete fruebatur, sed etiam ipsius amici; ac si quis eorum quibus erat in odio, exprobrare ei, quod perceptis quibusdam à Critone commodis, eidem adularetur: Vtrum, inquit, turpe est eum, qui à probis hominibus beneficiis adfectus sit, vicissim beneficium præstando, ejusmodi homines amicos facere, & ab improbis diffidere: an honestos & egregios homines lædere conantem, eosdem hostes efficere, perversos autem juvando, amicitiam eorum conciliare; hisque potius, quam illis uti? Ex eo tempore Critonis amicorum in numero Archedemus erat, & à ceteris ejus amicis colebatur. *cap 36. lib. 11. Memorabilium.*

Basilius Imperator. Inimicitiarum & litium omnium occasiones si præcideris, atque à Rep. expuleris, omniaque pacare studueris, & subjectos quieti studere, & charitatem inter se mutuam habere docueris; beatum te absque magno labore reddideris: id autem fiet, si inquietos homines, & inimicitias inter cives serentes extorres abire jusseris: pacis autem amantes & quietos tibi adjunxeris. Filius enim meus, id est Regis terreni, cùm sis, si monitionibus istis obsecutus fueris, cælestis Regis filius per gratiam vocaberis: divinæ tibi consanguinitatis dignitatem adipiscens, & te pro vero Christi discipulo gerens: qui cùm ipse mansuetus & mitis sit, Beati, inquit pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *cap 47.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Avibus v. 288.

Callias igitur hic avis est? valde pennas deijcit.
EP. Tanquam enim generosus, à sycophantis vellitur.
Hæque feminæ evellunt ipsius pennas.

Aristophanes Avibus v. 1789.

Est autem in Phanis ad
Clesydram pravum
Gulosorum genus,
Qui metunt & seminant.
Linguis, ficcantque ficos.
Barbari autem sunt genus.

Aristophanes Pluto v. 864.

—*Qui huc accedit, is*
Fortuna premitur iniqua. ceterum,
Vt mihi videtur, est homo pessima nota.
C. Merito ergo per Iovem perierit furcifer.

Deinde versu 880.

Na per Iovem magni oculos nactus hic Deus
A Græcis fieri Plutus debet omnibus,
Quod etiam sycophantas male perdit malos.

Idem versu 886.

—*Et hunc gesto annulum*
Magico-physicum Eudami summi opificis.
C. Sed contra sycophantam morsus non inest
Remedium ei ullum.

Plautus Trinummo 3. sc. 3. v. 46.

—*Satis scitè & probè:*
Quamquam hoc me ætatis sycophantari pudet.

¶ Apophthegm. Sacr.

Georgius princeps Anhaltinus: Sycophantas & contumeliosos homines ac sævos in proximum docere ajebat, quid conversis rebus in se esset statuendum. *Ioach. Camerar. in vita ejusd. principis.*

Vide Apopht. *de Calumnia.*

¶ Monosticha Trochaica.

Aut parasitis aut sycophantis aula plena regia est.
Integer vita sycophantam non agit, sed destruit.
Multus est sycophanta in aulis multus & Thraso, & Gnatho.
Quilibet sycophanta fur est, quilibet quin & latro est.

¶ Jambica.

Ætate senecta sycophantarier pudet.
Sine sycophanta nulla alibi res publica est.
Sycophanta reges perdit & res publicas.
Sycophantam amat quicunque diris non agit.

POLYANTHEÆ TOMI SECUNDI LIBER DECIMUS OCTAVUS.

Taciturnitatis.

¶ SENTENTIÆ.

Ennodius: Sicut rara doctos, ita continua prodit taciturnitas imperitos. Ergo erubesce, & tandem aliquando rumpe vincula, & impedimenta sermonum. *lib. 9. Epist. 6. m.*

Terentius Eunuchi 1. sc. 2.

Verùm heus tu! lege hac meam tibi adstringo fidem:
Quæ vera audivi, taceo & contineo optime.
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est; continuò palam est:
Plenus rimarum sum; hac atq; illac diffluo.
Proin tu taceri si vis vera dicito.

P. Syrus Mimus.

Tacere nescit idem qui nescit loqui.
Taciturnitas stulto homini pro sapientia est.

¶ Emblematis.

Batillius. CLXXXV.

Ἐχεμυθία Pythagoræ.

Rimosas adeo & patulas quæ subrigit aures
Mygdonium quantas regem habuisse ferunt,
Insertus labiis cui præpedit annulus ora,
Discipulum Samii signat imago senis:
Toto qui captans taciturna silentia lustro,
Multa audire diu, discere multa solet.

¶ Apophthegm. Christian.

Pastor Abbas. Numquam tacuisse nocet, at locutum esse. hinc Hieronymus: Diu considera quid loquendum, & adhuc tacens, provide ne quid pœnitet dixisse. Venerat ad Pastorem Abbatem de rebus spiritualibus consulturus: & primo adventu se veritum dicebat, ne ob solenne jejunium, sibi negaretur aditus. Ille verò, *Nos,* inquit, *non didicimus januam ligneam claudere, sed magis linguæ januam clausam habere.* In vitis PP. cap. de Hospitalit.

Pambo Abbas. Sed quis Pastorem mirabitur, qui in Pambonem oculos conjiciet? Ille namque jam morti proximus, quasi exultans dixisse fertur: *Lætus vita hac exeo, quòd nullum in ea verbum mihi excidisse sciam, cujus me vel pœniteat.* O felix & beatus, quisquis eo tempore tam præclarum de se testimonium ferre potest. *Granat. Conc. 3. de Annunt. Dominica.*

Agathon Abbas. Illum etiam lapillo assiduè ori indito, tacere didicisse ferunt. idque tanto rigore ab eo observatum, ut, cùm fari vellet, non posset. Rogatus autem cur tantum sileret; *Quia,* inquit, *qui custodit os suum, custodit animam suam.* & ita verè existimabat primam virtutem esse, compescere linguam: quodque loqui ignorabit, qui tacere nesciet. *Ravis. de Temper. Volater. libr. 21. Antrop.*

Religiosus Anonymus. Æquè fidelis sui oris custos iste. à quo cùm Adolescens quispiam sæcularis cilicium peteret, tale responsum accepit: *Vere fili mi, optimum cilicium est bonam habere curã, quid per hoc ostium egrediatur.* Hinc non ineptè *And. Alciatus in Emblem.*

Cùm tacet, haud quidquam differt sapientibus amens,
Stultitiæ est index linguaq; voxq; sua.
Ergo premat labia, digitoq; silentia signet,
Et sese Phariam vertat in Harpocratem.

Guil. Baldesan, in stim. Virtutum.

Pambo. Pãbo, Monachus Ægyptius, vir literarũ omninò rudis & ignarus, ad quendam accedebat ut Psalmum disceret: & cùm primum versum Psalmi 39. audivisset, qui ita se habet, Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: secundum audire noluit, sed discedens dixit, Unus hic versus sat est, si modò eum reipsa & opere discere potuero. Atque illi, qui versum docuisset, ei vitio vertenti, quòd sex menses continuos illum non vidisset, respondit; Se versum Psalmi nondum reipsa didicisse. Postea longo ætatis spacio decurso, cuidam ex notis quærenti, Utrum versum didicisset? Respondit, Se decem & novem annis integris vix didicisse eum opere explere. *Socr. histor. eccles. libr. 4. capit. 18.*

Anonymus. Thomam Aquinatem, dum inter scholasticos versaretur, naturaque taciturnus esset, & corporis habitu reliquis paulò obesiore, Bovem mutum appellabant. Magister verò ubi ingenium illius disputatiunculis experiri cœpisset, deprehendens quorsum ejus tenderent silentia: Bos iste mutus, inquit, talem mox edet mugitum, ut sonum ejus totus admiraturus sit mundus. *Marullus, lib. 4. cap. 6.*

¶ Monosticha Trochaica.

Aut tace, aut quod est necesse confer in compendium.
Doctores loquendi habemus homines, tacendi Deos.
Expedit tacere pro se quàm contra ipsum se loqui.
Facilius culpam loquendo quam tacendo adaugeas.
Id solum potest tacere, quod non novit, femina.
In mœrore grandiora quæ tacentur æstimes.
Non reges sunt sed tyranni sub quibus loqui haud licet.
Plus dapis minusq; haberet corvus invidiæ tacens.
Proximus Deo vir audit qui tacendi scit modum.
Qui tacet, convitiandis regerit convitium.
Quidquid herclè, est mussitabo potius, quàm intereã malè.
Rebus adversis loquendi præripitur fiducia.
Sæpe plura quis tacendo quam loquendo ostenderit.
Si queat tacere, fletum sæpe vitet femina.
Si quod audiit aliquis tacuit, haud beneficium est, est fides.
Tam malum est tacere multum, quam malum est multum loqui.
Tam malum est nimis tacere, quã malum est nimis loqui.
Tantum enim est tacere verum, quantum falsum dicere.
Tempore ac loco tacere non datum est quibuslibet.

¶ Iambica.

Committit utique falsum, verum qui tacet.
Discat prius tacere qui discit loqui.
Honorat & sapiens Deum vir cùm tacet.
Humilis magis tacere vult quàm vincere.
Imperia solvit, qui tacet, jussus loqui.
Nihil mage ornat feminam silentio.
Nil fecerit magni, tacere cui grave est.
Nil sustinet magni, tacere cui grave est.
Non curat imò alit vitium taciturnitas.
Non est in annis tacita adhuc rudibus fides.
Parcit suo ori vitam quisquis diligit.
Potius taceto quam loquare adgratiam.
Primum tacere discas, post modò loqui.
Rarissima est dos feminæ silentium.
Reperta nullo mulier muta in sæculo est.
Tacere multis discitur vitæ malis.
Tacere nequeat stultus inter pocula.
Tacere nosse, quàm loqui mage arduum est.
Tacere posse haud fatui est, est sapientia.
Tacere quimus, sed memoria permanet.
Vacuisse vera sæpe multis profuit.
Tunc est loquendum, cum tacere haud expedit.
Tutò tacet cui fari honestè non licet.
Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet?
Virum videre non potes donec tacet.
Vocem auferunt, quæ fieri posse haud credimus.

Tædij.

¶ SENTENTIA.

Theophrastus Ethicis Character: Tædium, si definire velis, est molestus absque damno congressus. Homo tædiosus est qui vix incipientem dormire, excitet, ingressus ut cum eo colloquatur: & qui ad eum accedens qui inibi est ut navim solvat, moram ei

ei afferat, & expectare jubeat, donec aliquot secum spatia confecerit. Infantem etiam puerum nutrici sunt adimens, ipse mansum ei cibum in os inferet, & blandicule compellans, poppysmis permulcebit. Inter edendum narrat se helleboro accepto, quæ in visceribus hærerent, ejecisse dejecisseque: tum addit, in effusis bilem fuisse jure apposito magis atram. A matre præsentibus amicis & familiaribus quærere amat, Ecqua me die, mater, peperisti? Aquam ait sibi esse in cisterna frigidam: olera in horto multa & tenera: domum suam hospitibus ita patere, quasi esset publicum diversorium: & quum peregrinos hospitio excipit, parasitum suum producit, ut videant illi qualis sit: atque in convivio ad ipsum conversus, Heus tu, parasite, inquit, ut iis qui hic adsunt, sis oblectamento.

Talionis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Nazianzenus:* Quidquid ad referendam inimicis nostris vicem spectat, detestemur. Satis enim magna pæna censeri debet, hominibus utique probis ac moderatis, cùm ij qui molestiam intulerunt metu concutiuntur, meritasque pænas expectant, propriæ conscientiæ cruciatu afficiuntur. Nam quæ quisque, ut jam jam perpessurus timet; hæc passus est, etiamsi non patiatur; graviusque à seipso fortasse quàm ab iis, qui supplicium illaturi sunt, torquetur. Proinde ne iram metiri in animum inducamus: nec leviores, quam pro criminum atrocitate pœnas inferre videamur. verùm quoniam pœnas omnes exigere non possumus, omnes condonemus. hac ratione iis, à quibus injurias accepimus, sublimiores nos præstamus. *Oratione steliteutica altera in Iulianum.*

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam optima tibi priora visa esse dixisti, aliam quoque illa minimè indignam sententiam accipe. Nefariæ masculorum Hebræorum cædi Deus eandem ultionem ac pœnam rependit, omnibus maribus in rubro mari oppressis ac suffocatis *lib. 1. Epist. 198.*

S. Isidorus Pelusiota: Illud, Oculum pro oculo, & dentem pro dẽte, Iudæis à mansuetissima illa natura idcirco præscriptum ac lege sancitum esse opinor, non ut iis, à quibus injuriam accepissent, veniam negarent crudelesque se præberent, quemadmodùm censent Manichæi, qui vetus Testamentum insectantur: sed ut eadem, quæ agunt perpeti metuentes, ab injuria abstineant. Quod quanquam justum & rationi consentaneum est, tamen divina tranquillitas ad lenitatem & bonitatem spectans, hominesque ad eam acuens, per id quòd eum, qui injuriam intulit, ulcisci sanxit, supplicii metu peccata repressit & coercuit. Nisi enim sit, qui lacessat, ne quidem erit qui ulciscatur. Quamobrem sapientiæ Legislatoris altitudinem animadvertant, ac non promptè temereque ipsum ut sævum & crudelem accusent. Nam quod in Evangeliis dictum est; Siquis te percusserit in dextram maxillam, obverte illi & alteram, non cum lege illa pugnat, sed majus ac præstantius est, summæque philosophiæ meta. Illa etenim, ut ne quidem omnino quispiam faceret, lege præscripta sunt: (nam ut æquo ac libenti animo pateretur, haudquaquam audire sustinuissent homines cruoris siti flagrantes:) hæc autem, ut etiam prompto animo patiatur, tradita & promulgata sunt. Porrò comparationis nota, ea, quæ comparantur, in contrariam classem haudquaquam contrudit: verùm in iis, quæ ejusdem classis & ordinis sunt, quid & præstantius, quid inferius sit, ostendit. Etenim bonum quidem est malum minimè perpetrare: at melius, prompto quoque ac libenti animo perpeti. Bonum est Matrimonium: at melior Virginitas. Pulchra est Luna: at Sol præclarior. Quemadmodum igitur & pulchræ Lunæ & præstantioris Solis unus idemque effector est: eodem modo & veteris & novi Testamenti unus atque idem est Legislator, qui sapienter & ad tempora accommodatè ac consentaneè leges tulit. *lib. 2. Epist. 133.*

S. Isidorus Pelusiota: Prope est ut ignores, etiam illa legis capita, quæ crudelitatis plena esse videntur, humanitatem atque mansuetudinem spirare. Nam quod lege cautum est, ut Oculus pro oculo excludatur, non est crudele neque immane; sed siquidem is sensus, qui prima fronte apparet, accipiatur, justitia plenum est: Si verò interior sensus expendatur, etiam humanitate, ut ajebam refertum est. Nam ut eum qui alteri quid iniquè facere meditatur, compescat metu similis perpessionis, & ita improbitatem reprimat, ideò hoc jure meritoque ita sancivit. *lib. 4 Epist. 86.*

§ LATINORUM.

Salvianus: Miserti exulum non sumus? ecce ipsi exules sumus. peregrinos fraude cepimus? ecce ipsi peregrinamur. præjudiciis temporum ingenui status homines circumvenimus? ecce ipsi nuper quidem in alieno solo vivere cæpimus, sed præjudicia jam timemus. *lib 5. de gubernatione Dei.*

Chrysologus: Iudæos lex ad vindictæ vicissitudinem refrenabat; ut qui veniam culpæ sapere non valebant, vel modum saperent ultionis, & tantum vindictæ exigerent, quantum læsionis intuleras vis furentis. At divina bonitas vult Christianos vitia non repensare vitiis, sed superare virtutibus, & in ipsis scintillis adhuc extinguere iram, quæ si pervenerit ad totum furoris incendium sine sanguine non sedatur. Ita vincitur lenitate, mansuetudine extinguitur furor, malitia bonitate palpatur, crudelitas pietate prosternitur, impatientia patientia punitur, contentio superatur injuriis, superbiam humilitas sternit. *Serm. 38.*

Chrysologus: Quisque quantum ipse præstiterit alteri, tantum ibi exigat & ipse præstari. *Serm. 68. ante finem.*

§ PHILOSOPHORVM ORATORVMQ. GRAECORUM.

Phalaris Catanensib. Credo equidẽ videri vobis satis superq; pænarũ dedisse pro vestris in me meosq; sceleribus, quippe qui pro Triginta viris, quos per nefas & indignè flammis intermistis quingentorum civium pernicie dependeritis & pro septem talentis, quæ sunt à vobis distracta, plurimis reditibus privati sitis. Ego verò exordium vobis futuri supplicij, quæ hactenus pertulistis denuncio: ut per me socium vestris hostibus adjunctum detrimento vitæ & pecuniarum affectu, fateri quoque erubescatis. Neque verò meum in vos odium remittam, donec gubernatrix providentia, hunc eundem mundi statum ordinemque servarit. Vobis autem bellum inferam non tam pro me, quàm pro Diis immortalibus, quorum in manu, est omnia tum servare, tum ad nihilum redigere. Si quidem divinæ fortunæ, quemadmodum reliqua naturæ elementa & ignem ex AEtna flagrantem, in quem innocentes supplicesque conjecistis: sic non Phalarim hostem, sed solem omnium inspectorem testemque habetis. *Epist. 104.*

Lysias: Nihil absurdi feceritis, si quo ipse in vos fuit, vos in ipsum eodem animo esse demonstretis. *cap. 4. orat. 25. de probat. Evandri.*

Lysias: Quare cùm hic ab aliis impietatis pœnam sumere voluerit; certè alios ab hoc eandem pœnam poscere æquum est & pium. *cap. 4. contra Andocidem.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Talio injuriæ ultio est. In hoc scripta est lex, nequis impunè petulans sit. *Declam 372. a. f.*

Quintilianus: Quid satis imprecer homini qui fecit ut quisquam deberet sic vindicari? Calumniator, inquit, idem patiatur. Permittunt mihi, judices meæ queri de hac lege, tanquam parvum nobis in ultione prospexerit, contra nos inventus est vindictæ modus, quo non debeamus esse contenti. Quisquamne mortalium idem vocat facinus & pœnam? Tantumne doloris venire de suppliciis, quantum de calamitatibus, putat? Nescit profectò, nescit quantam scientiam pater mœrori, quantum animo membrisque rigoris inducat, quod patiaris agnoscere.

Innocentia opus est, ut miserum faciat dolor. Constet licet utrinque mortium numerus, totidem nobis ultio cadavera assignet, plus tamen est de innocentibus. Et quicquid patiuntur deprehensi, licet solatio idem sit, æquitate minus est. Vt idem sit supplicium nocentis & facinus, una ratione efficias ut illud ferre non possit. Frustra æstimaris quàm crudele, quàm sævum sit quod petimus, in quantum excesserit usitata pænarum. Explicata est judices, explicata legis invidia, cum quis quod patitur, & fecit.

Quid quòd hoc solùm est pœnæ genus in quo non debeat nocens nisi de se queri, & tanto minus debeat esse miserabilis, quanto major est quod patitur invidia? Quid æquius excogitari, quid justius potest? Grassatus aliquis est ferro; prebeat & ipse cervices. Miscuit noxium virus; refundatur in suum facinus autorem. Oculos rapuit, effodit: reddat de sua cæcitate solatium. In nullo mortalium perferre possum sceleris sui impatientiam. Brevissima est justitia vindicta, cùm facinus mensura pænæ est. Et si naturam ultionis inspicias, optimè vindicatur quisque quo modo miser est. *Declam. 11. §. 4.*

§ POETARUM.

Plautus Captivis 2. sc. 2. v. 56.

Qui imperare insueveram, nunc alterius imperio obsequor.
Et quidem si proinde ut ipse fui imperator familiæ
Habeam dominum, non verear ne injustè aut gravatè mihi
imperet.

Mox versu 60.

—— Tam ego fui ante liber quàm gnatus tuus.
Tam mihi quam illi libertatem hostilis eripuit manus.
Tam ille apud nos servit, quam ego nunc hic apud te servio.
Est profectò Deus qui quæ nos gerimus, auditq; & videt.
Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illuc curaverit:
Bene merenti bene profuerit; male merenti par erit.
Quam tu filium tuum, tam pater meus desiderat.

P. Syrus Mimus.

Ab alio exspectes alteri quod feceris.

§ Apologi.

Phædrus Fab. 26. Vulpis & Ciconia.

Nulli nocendum: si quis vero læserit,
Multandum simili jure, fabella ammonet;
Vulpis ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitasse, & ea liquidam in patena
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia:
Quæ vulpem cum revocasset, intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, & torquet convivam fame:
Quæ cum lagonæ frustra collum lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

§ Emblematum.

Camerarius XVI. Centuria 4.

Omnibus infestus. Mensæ illatus Silurus.

Appetit omne animal grassator dente Silurus,
Hunc avidè contra luxuriosa cohors.

Camerarius XCI. Centur. 4.

Suo premitur exemplo.

Ecce ut rupta alvo protrudat Vipera gnatos?
Sustulit illa patrem, sustulit hanc soboles.

Iusta Vltio. Emblem. LI.

Vipera quæ coiens occiderat antè maritum,
A sobole hoc idem supplicium patitur:
Tarda licet Nemesis pœnam differre videtur,
Attamen a tergo dura flagella quatit.

Flor. Schonhovius.

§ Apophthegmatum Sacrorum.

Gedeon. Captus Zebâ & Salmuna Midianitarum regibus, Gedeon dixit, Quales erant viri quos interfecistis Tabore? respondentibus autem; Quales tu tales illi erant, eadem præditi forma, qua filii regis, subjecit, Fratres non filii matris meæ erant: ita ut vivit Iehova, si vivos servassetis eos, non occiderem vos. Talionis pœnam dederunt illi reges, quamprimùm enim à Gedeone ipso interfecti sunt. *Iudic* 8. 18. &c.

Samuel. Agag rex Hamalekitarum captus à Saule sibi vitam servatam putans, a Samuele accersitus, ivit in deliciis (i. delicatè cultus & regio habitu) dicebat enim, Recessit amaritudo mortis. (i. periculum mortis evasi, quandoquidem ab armato rege ad senem prophetam abducor.) Sed dixit Samuel, *Quemadmodum orbavit mulieres gladius tuus, sic orbabitur inter mulieres mater tua.* Dilaniavitque Samuel Agagum coram Iehova Gilgale. 1. *Samuel.* 15. 32. 33.

§ Apophthegm. Christian.

Pambo Abbas & Pior Monachus. Sed artem etiam arte delusisse, in re præsertim minùs seria & sine felle, quibusdam laudi datur; & quidem inter illos Piori monacho. Cùm enim hic ad Pambonem visendi gratia venisset, proprium secum panem detulit. Rogat ille cur id faceret; *Ne*, inquit, *adventus meus tibi gravis sit.* At memor illius Pembo, dum pòst multum temporis Piorem inviseret, panem obsonio aut jure intinctum, qui famem simul & sitim sedaret, adfert: indignantique Piori; *Hoc egi*, ait, *ne adventu meo te quidquam gravem.* Pallad. in vit. PP.

Angli Anonymi, & Salomon Iudæus. Lectu audituque jucundum quod subjungo. Erat in Anglia Salomon quidam, gente Iudæus. hic dum fortè Sabbato in cloacam cœno oppletam cecidisset, & advenirent qui suppetias ferrent; noluit eo die religionis ergo extrahi. dicebat enim;

Sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo.

Audit Magistratus loci, & superstitiosum hominem etiam postero die (qui Dominicus erat) extrahi vetat. ac suppetias inclamanti, responderi mandat:

Sabbata nostra quidem Salomon celebrabis ibidem.

Annal. Angl. Th. Staplet. in Prompt. Morali.

Ludovicus XI. Franc. R. Prioribus jungi meretur quod de Ludovico XI. tradunt scriptores. Viderat è Proceribus quidam Ludovicum pro rapo sibi à rustico oblato mille aureos donasse: & beneficium fœneraturus, quum dono dedit. Suscipit eum Rex, & rapum pretiosa sindone involutum, rependit, adjiciens; *En mille aureis coemptum rapum: quod equum tuum, vix centum adæquantem, longè præcellit.* Corozet.

Ianus Lascaris, & Galli anonymi. Cùm Romanam supellectilé augeret Iulius Pont. Gallos in universum Micturivingos, quasi immodicos vini potores, per jocum appellabat. Quò factum, ut Gallici Poetæ ita in eum luderent:

Patria cui Genua est, genetricem Græcia, partum
Pontus & unda dedit: qui bonus esse potest?
Sunt vani Ligures, mendax est Græcia, Ponto
Nulla fides: malus est, hæc tria quisquis habet.

At Ianus Lascaris Poeta sui ævi celebris, ut Iulio gratificaretur, ilicò hos retorsit:

Est Venus orta mari, Graium sapientia, solers
Ingenium est Ligurum: qui malus esse potest?
Cui genius ut Veneri, à Graiis sapientia, solers
Ingenium à Genua est? Mome protervе tace.

Pt. Æmil. in vita Ludovici XII. Gall. R.

Require Apophth. de Perfidia & Artium concertatione.

Carolus IV. Cæsar. Talionis pœnam in veteri lege usitatam, severus scelerum vindex Carolus, sua etiam ætate imperioque usurpavit. Pro tribunali namque sedenti cùm offerretur nobilis (cui Zachorà nomen) qui presbyterum utroque oculo privaverat, & admissum scelus excusaret, & pecuniarum largitione illud palliare præsumeret; Talionis pœnam exegit; *Non potest*, inquiens, *hoc modo dari satisfactio: cæco enim oculi restitui nequeunt: quare te etiam oculis privari oportet, ut jus sit æquabile.* Ioan. Dubrau Episc. Olmucen. hist. Bohemic. lib. 22.

Require Iudicium.

§ Monosticha Trochaica.

Delectare vis Deum? bonum usque redde pro malo.
Gratiam beneficio redde; talionem injuriæ.
Nil acerbi est, si in te fiat alteri quod feceris.
Nulla acerbitas, si fiat in te, quæ alii feceris.
Occurrent tibi mala illa in alterum quæ cogitas.
Perpeti ipse quod recusas, alteri ne feceris.
Pro scelere improbo, exigatur improbè ulla talio.
Promptius vicem reddas injuriæ quam gratiæ.
Proximo sis talis esse posceres hualem tibi.
Quæ sine arte diriguntur tela in auctorem incidunt.
Qui malum bono repensent, suntne? si, paucissimi.
Qui membrum rupit, cum eo ni pacit, esto talio.
Quod fieri tibi ipse nolis, alteri ne feceris.
Quod patri facis, tui in te idem experientur liberi.
Talis in te erit, subinde qualem expertus alter est.
Talis ipse sis Deo, esse vis tibi qualis tuos.
Visne delectare numen? redde pro malo bonum.

§ Jambica.

Æquè feramus, si patimur quæ fecimus.
Circa impias res, talio iniquissima est.
In mortuos quod feceris fiet tibi.
Injuriæ vindicta justa, talio est.
Mulctato simili jure te qui læserit.
Nemo malum malo rependit quàm malus.
Quod evenire vis tibi fac alteri.
Reddenda non sunt ulli pro malis mala.
Talis erit in te, qualem te alter senserit.
Vis sæpe vi depellitur, metu metus.

Tarditatis.

§ Sententiae Graecorum.

BRutus *Myrensibus.* Auxiliares vestræ copiæ, parta jam victoria, supervenerunt. Et quidem satiùs est tardè seroque quàm omnino non venisse: verùm quod ad auxilium belli pertinet, eodem modo estis inutiles. Nam cunctatio in bellis, perinde inanis reputatur estque; ac si prorsus nihil fieret. *Epist.* 45.

Myrensium ad hæc responsio. Gratulamur equidem tibi, quòd citiùs quàm noster exercitus licèt summa cum festinatione missus advenerit, bellum victoriamque confeceris. Verùm ad benevolentiam non prorsus inutiles ne nos quidem veniamus. Non enim perinde est ac si planè non movearis, quamvis in una re non successerit, at in reliquis promptitudinem ostendere ac conspicienda præbere. *Epist.* 46.

§ Poetarum.

Plautus Mostellar. 2. sc. 1. v. 33.

— *Miserum est opus*
Igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet.
Sicut ego, adventu patris nunc quæro, quid faciam miser.

Plautus Pœnulo 3. sc. 1. pr.

Ita me Dii ament, tardo amico nihil est quidquam iniquius;
Præsertim homini amanti, qui quidquid agit, properat omnia.
Sicut ego hos duco advocatos, homines spissi gradissimos,
Tardiores quàm corbitæ sunt in tranquillo mari?
Atque equidem hercle dedita opera amicos fugitavi senes,
Sciebam ætate tardiores, metuo meo amori moram,

Nequi-

Nequiquam hos procos mihi elegi loripedes, tardissimos,
Quin si ituri estis hodie, ite; aut ite hinc in malam crucem.
Siccine oportet ire amicos homini amanti operam datum?
Nam iste quidem gradus succretust cribro pollinario;
Nisi cum pedicis condidicistis sic hoc grassari gradu.

Postea versu 17.

Liberos nos esse oportet; nos te nihili pendimus.
Ne tuo nos amori servos tuos esse addictos censeas.
Liberos homines per urbem modico magis par est gradu
Ire: servile esse duco festinantem currere;
Præsertim in re populi placida, atq; interfectis hostibus.
Non decet tumultuari. sed si properabas magis,
Pridie nos te advocatos huc duxisse oportuit.
Ne tu opinere, haud quisquã hodie nostrum curret per vias.
Neq; nos populus pro cerritis insectabit lapidibus.
A. At si ad prandium me in ædem vos dixissem ducere,
Vinceretis cervum cursu, vel grallatorem gradu.
Nunc vos quia mihi advocatos dixi & testes ducere,
Podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine.

P. Syrus Mimus.

Rei nulli prodest mora, nisi iracundiæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Nemo ad id venit serò unde nulla dein reversio est.
Nunquam tardum existimatur, quod rerum omnium ultimum est.
Quàm serum est, cùm desinendum est, tunc incipere vivere.
Quanto serior, tanto etiam servitus est amarior.
Tarditatis vel æqua omnis impatiens affectio est.
Vbi sitis fauces tenet. puteum fodere miserum est opus.
Vera dum sit esse sera pænitentia haud potest.

¶ JAMBICA.

Decus ad manum positum, cur circuitu petas?
Haud sera mores ad bonos unquam via est.
Leporem capit cancer, Martemque loripes.
Miserrimum est tunc sapere, cum sapiunt Phryges.
Multa amittuntur tarditie & socordia.
Non coronantur si qui veniunt serius.
Nunquam venit serò quod omnium ultimum est.
Plerumq; sunt pro nullis facta serius.
Præstat venire tardè, quàm nimis citò.
Rectæ voluntati, esse serum nil potest.
Reddunt Phrygem meliorem ingesta verbera.
Tardissimum est differre homini omne quod placet.

Videantur plura titulo *Auxilii, Celeritatis, Festinationis, Moræ, Tempestivitatis.*

Temeritatis.

SENTENTIÆ GRAECORVM.

Isocrates: Sic ad capiendi consilii prudentiam maximè incitaberis; si, quæ damna temeritatem sequantur, cogitaris. Nam & valetudinem diligentissimè curamus, cùm ægrotationum molestias recordamur. *Parænesi ad Demonicum.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus: Numquam ex magno venit affectu incredibilia vel profutura tentasse: & in re quæ plus de incerto habet, temeritas experimenti solam probat desperationis audaciam. *Declam. 8. §. 12. p.*

¶ APOPHTHEGM. SACRI.

Moses dux Israelitarum. Quum suo motu impulsi Israelitæ in terram Cenahani, sine Mose & arca fœderis irrumpere vellent, dixit Moses, Quare transgredimini vos præstitutum Iehovæ? atqui hoc non succedet. Ne ascenditote, nam non erit Iehova in medio vestri, ut non afficiamini plaga coram hostibus vestris. Hamalekita enim & Cenahanæus ibi est ante vos, cujus gladio caderetis: quandoquidem aversi estis à sequendo Iehova, neque futurus est Iehova vobiscum. Nihilominus contenderunt in altum ut ascẽderent verticem montis, à cujus incolis fusi fugati sunt. *Numer. 14. v. 41. &c.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Actio omnis improbanda, temeritas cui est comes.
Fortis haud est, sed videtur fortis esse temeritas.
Fortitudo, quæ deinde in nervum erumpit, ferrea est,
Heu quàm stultè pellis ursi nondum capti venditur.
Inconstantia & temeritas certè digna haud sunt Deo.
Non potest geri bene illud temeritas cui temperat.
Sæpe quod temeritas est, fiduciam esse credimus.
Temeritati plurimum esse suevit confidentia.

¶ JAMBICA.

Cæca est temeritas, quæ petit casum ducem.
Ex temeritate multa nascuntur mala.
Felix temeritas, haud facilè invenit modum.
Felix temeritas, virtutis supplet vices.
Florentis ætatis temeritas propria est.
Inscitiæ temeritas nata maxima est.
Periculosa temeritas. bonum est quies.
Non stulta modò temeritas, etiam tabida est.
Nunquam modum tenet temeritas prospera.
Paucis temeritas est bono; multis malo.
Pro gloria, temeritas est felicibus.
Torpet temeritas à primo statim impetu.

Videantur plura titulo. *Audaciæ, Consilii, Fortitudinis, Impetus, Actionis, Fortunæ.*

Temperantiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Greg. Nyssenus*: Si perfecta absolutaque temperantiæ definitio consideranda est, forte quidem propriè dicetur omnium animi motuum bene constituta quædam, & cum sapientia prudentiaque conjuncta moderatio. *cap. 28. de virginitate.*

D. Greg. Nyssenus: Videmus quemadmodum & agricolæ paleas frumento commistas artificiose secernant, ita ut ex hic utrumque ad usum suum, hoc quidem ad hominum vitam, illas verò & ad combustionem & bestiarum pastum assumant. Igitur & qui temperantiam colit, à voluptate necessitatem, quasi à paleis frumentum sejungit, ut voluptatem quidem bardis objiciat, quorum consummatio, ut est, ait Apostolus, in combustionem: necessitatem vero rerum suavium, quatenus oportet, ipse sumet. sed quoniam plerique in alterum immoderationis genus delapsi inciderunt, studiumque in eo, quod sibi propositum habent, ipse adhibentes, ex nimia quadam diligentia in res contrarias venerunt, atque alio quidem modo à rebus cælestibus ac divinis animum removentes, in occupationes & curas humiles ceciderunt, cum ita ad harum rerum quæ corporeæ sunt, observationes mentem adjecerint, ut neque cælestia illis, neque divina liberum sit animo c ntemplari: sed ad hoc inclinati sint ut carnem exagitent atque affligant: præclarè certè ageretur huius etiam rei curam adhibere, atque hanc utramque immoderationem æqualiter resurgere, ut neque corporis obesitate mentem quasi aggeribus circum sepiant, neq; rursus inductis imbecillitatibus tenuem illam & humilem efficiant, & ad corporis labores prorsus inutilem: meminerin que illud preceptum sapientis viri, qui prohibet, ut ne quis ad dextram, neque ad sinistram declinet. *cap. 22. de virginitate.*

S. Isidorus Pelusiota: Quisquis visendam & excellentem temperantiæ pulchritudinem conspicatus, ipsius amore minimè captus ac subactus est, hic me judice à pulchrarum rerum amore alienus esse censeatur. *lib. 2. Epist. 7.*

Synesius: Quarta fermè pars vectorum fœminæ sunt, pleræque juvenes & formosæ: verùm non est quod invideas. Nam cortina appensa nos secernebat, eademque munitissima, non ita pridem conscissi veli frustum: temperantibus hominibus par Semiramidis muro. Ac nescio an non vel Priapus ipse temperaturus fuerit, si cũ Amaranto navigaret, cùm nullo unquam nos vacare tempore siverit ab extremi discriminis metu. *Epist. 4.*

¶ ORATORUM GRAECORUM.

Isocrates: Ego quidem inter omnes constare arbitror, aliarum virtutum justitiam & temperantiam esse præstantissimas nec enim per se tantum nobis prosunt, sed si & naturam & vires, & usum negociorum spectare velimus, quidquid nulla cum hoc genere communitate jungitur, maximorum malorum causam extulisse; quæ verò temperantia justitiaque adhibita geruntur, ea maximè prodesse vitæ mortalium reperiemus. *Nicocles.*

Aristides Sophista: Etenim quis est adeo vel in cibo, vel in rebus venereis, vel in aliis temperans? nec enim dimidiam habet virtutem, ut alii reges quidam, qui cùm fortitudine essent & humanitate mediocri, circa voluptates ac libidines maximè fuerunt intemperantes: qualis ab Homero prædicatur Græcorum rex Agamemnon, qui ut ait, utrumque, & miles vi pollens, & bonus est rex. hic enim apud illum Chryseide capitur, & Achillis Briseidem amat, istiusque cupiditatis causa plurima Græcis & maxima conciliat mala. Achilles verò Thetidis filius & Pelei, adeo fuit circa voluptatem intemperans & pusillo animo, ut cùm ablata esset ab ipso Briseis, mox quidem flere cæperit, & matrem invocare, & jubere Iovem orari, ut ipse Trojanis & Hectore interfici, atque inter eos ex amicis quosdam, nil tamen id curaverit, nec eos miseratus sit. *Laudatione M. Aurelij Antonini Philosophi Imp.*

Philostratus: Temperantiæ munus est, cupientem quidem & appetentem, à venereis rebus non superari, sed ab illis abstinere, nec ab illa rabie vinci, quam cupitæ rei desiderium inducit. *lib. 1. Apollonij cap. 21.*

Iulianus Imp. in Misopog. Primùm temperantia quid sit, nescimus: nomen solum ejus tenemus, quid ipsa valeat ignoramus. Quod si ea talis est, qualem tu nunc instituis, certe hoc sciemus, Temperantiam esse diis & legibus servire, æquo jure cum æqualibus vivere: si qua in re excellas, moderatè id ferre: curare ac providere, ne à divitibus pauperes opprimantur; ob eamque causam molestias omnes exorbere, quales tibi persæpe accidisse verisimile est, ut inimicitias, iras, contumelias: deinde hæc omnia leniter ferre, neque animo indulgere tuo, sed eum regere & castigare diligenter: denique, si quis hoc quoque in parte aliqua temperantiæ numeret, abstinere palàm ab omni voluptate, quæ neque admodum honesta, neque turpis videatur, quòd existimes, non posse quemquam domi temperantem esse, si foris dissolutus sit theatrisque delectetur.

Libanius: Temperantiam ornamento esse novi iis qui illam colunt; & mentis compotes huic virtuti incumbere cerno. urbes quippe emendat, & multam gloriam & pecuniarum vim comparat. *Declam. 25.*

¶ ROMANORUM.

Nazarius: Princeps noster ingenerare ita omnibus temperantiam cupit, ut eam non ad virtutum suarum decus adscribendam, sed ad naturæ ipsius honestatem referendam arbitremur. *Orat. in Constantinum Aug. cap. 24.*

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Anonymus: Aridior, inquit, tenuiorque victus ratio, eaque semper æquabiliter observata, modò cum charitate jungatur, Christianos brevi ad portum ἀπαθείας, id est, vacuitatis ab omnibus animi perturbationibus, perducet. *Socrat. eccles. hist. lib. 4. cap. 18.*

D. Fulgentius. Supra humanum modum laboribus abstinentiæ se cruciabat, sine vino & oleo manducans & bibens, sic parcè & tenuiter, ut inediæ magnitudo siccatam corporis cutem fatiscere diversis ulceribus cogeret: ac superducta quam dicunt impetigine delicati corporis pulchritudo fœdaretur. Putabant plurimi tunc beatum Fulgentium sub occasione ipsius infirmitatis aut recessurum simul à proposito sanctitatis, aut reddendum deinceps tepidum, ne vel regulæ communis parsimoniam custodiret. Ille verò contra spem omnium, misericordiæ Dei prævenientis auxilio gubernatus, ex infirmitate corporis ampliores animi vires capiebat, & tanto abstinentior, quanto debilior, de salute perpetua jugiter cogitabat. Salutem verò corporis arbitrio Domini committebat, hoc plerisque dicens: Scimus omnes ex epulis vitam solere servari, non sanitatem posse conferri. Nam ut sanetur infirmitas, si explenda videtur gulæ cupiditas, quare infirmantur etiam illi qui conviviis lautioribus quotidie saginantur? *Auctor vitæ, cap. 6.*

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIAN.

Petrus Aldobrandinus Card. Temperantia, quæ in rebus aut expetendis, aut fugiendis, ut rationem sequamur, monet; cùm in omnibus præclara sit virtus, maximè tamen in Principibus eam efferebat Petrus Aldobrandinus. Rogatus namque, quid maximi faceret in Principe; *Eam* ait, *virtutem, qua Cicero Deiotarum regem extollit.* Erat autem in illo insolita quædam & non contemnenda frugalitas. *Hen. Farnes. lib. de Apopht. Princip.*

Idem: Solitus est dicere; *Gloriosius est Imperatori hostem temperantia, quàm armis superare: nec minùs honestum est temperare adversus voluptatem, quàm fortiter contra pericula decertare.* Quàm apposite Lucan. lib. 4.

Discite quàm parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. non erigit agros
Nobilis ignoto diffusus Consule Bacchus;
Non auro myrrhaq; bibunt; sed gurgite puro
Vita redit: satis est populis fluviusq; Cereſq;.

Ibidem.

Vide Abstinentia. Libido. Castitas, &c.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

AEgrius felicitati non diuturnæ temperes.
Heu ubi corona nunc est posta temperantiæ?
In voluptate usitata temperantia & sua est.
Legibus Cœlestibusq; servit temperantia.
Non nisi optimis adhæret alma temperantia.
O quam pharmacum salubre es, dia Temperantia!
Promptuarium virtutis sola temperantia est.
Temperans justusq; nullis non litat virtutibus.
Temperanti vel umbella veli murus crassius est.
Temperantia urbs ea expers est opes in qua vigent.
Temperantiam expugnabit quamlibet largitio.
Templa multa sunt Fortunæ, nullum Temperantiæ.
Vis exercitationis magna ac temperantia.
Vtilis sibi alteriq; cuiq; temperantia est.

¶ JAMBICA.

Contentus est uno conviva temperans.
Et temperans scit imperare affectibus.
Haud sæpe tentat morbus temperantiam.
Honesta dicunt temperantes atque agunt.
Nil temperanti innascitur mali viro.
Nunquam bonos destituit temperantia.
Si qua pudica est femina, est & temperans.
Sine fortitudine nulla temperantia est.
Virtutis est conclave Temperantia.
Vix nomine ipso nota Temperantia est.

Tempestatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

B. *Clemens Alexandrinus:* Porrò autem dicunt aliqui pestilẽtias, & grandines, & procellas, & quæ sunt his similia non ex sola perturbatione materiali, sed etiam ex aliqua dæmonum, aut angelorum non bonorum ira, fieri solere. Iam verò ajunt magos qui sunt Cleonis, observantes sublimia nubium quæ erant grandines ejaculaturæ, canticis & sacrificiis iram depellere. Quòd si fortè eis quandoque defuerit animal, suo cruentato digito sacrificant. Mantinica quoque Diotima, Atheniensibus qui sacrificaverant ante pestilentiam, effecit ut morbus differretur decem annis. Sicut etiam Epimenidis Cretensis sacrificia, ipsis Atheniensibus in tantùm tempus Persicum bellum distulerunt. Existimant autem nihil referre an has animas Deos an Angelos dicamus. Iam verò qui sunt eorum doctrinæ periti, in multis templis tanquam Deorum statuas, omnes ferè mortuorum loculos posuere, dæmones quidem vocantes eorum animas, eas autem coli ab hominibus docentes, ut quæ divina providentia propter vitæ puritatem potestatem acceperint, ut ad hominum ministerium locum qui est circa terram obirent. Sciebant enim aliquas animas ex natura corpore teneri. *Libro Stromatum 6.*

S. Isidorus Pelusiota: Si ex Deo pendemus, veniamque ab eo exposcimus, iis, qui nobis obnoxii sunt, debita remittamus: ut hac ratione hoc consequamur ne quicquam debeamus. Nauclerus Bonus ait se Reipublicæ de frumento reliquari, quod venti ac turbines & procellæ in mari disperserint. Quare aut maris jactationi ac tempestati succensere, res æqua ratione gubernantes: aut, quo adusque peccemus, adversis rerum eventibus ignoscite. *lib. 1. Epist. 299.*

Idem: Bonus hic, qui literas nostras tibi reddit, marinorum laborum, atque ingentium ventorum, grauiumque fluctuum periculum fecit, publicique frumenti detrimento mulctatus est. Quoniam igitur animi instituto ac sententia nauclerus non est, religione autem orthodoxus est, lingua verò minimè nautica præditus; ac denique omnibus in rebus tibi gratus & acceptus, angore animi ac mœstitia eum libera: ut Christus in magno illo die immortalitatis corona te coronet ac perficiat. *lib. 1. Epist 300.*

S. Isidorus Pelusiota: Ventis haud semper cedere oportet, vir eximie: verùm nonnunquam etiam objecta in contrarium prora fluctibus & procellis obluctari, ac ventorum impetum propulsare: ne alioqui turbines ingravescentes, tum nos à gubernaculis dejiciant, tum navim in multas partes frangant. Quamobrem grassanti nũc tempestati obsiste (etiamsi veteratoria & malis artibus simulata lenitate ad perversam suam sententiam tanquam ad portum quendam, te allicit:) ne, si nave atque onere tuo potiatur, in importuosum littus, ex quo, iis qui capti fuerint naufragium subeundum sit, te ejiciat. *lib. 1. Epist. 451.*

¶ PHILOSOPHORUM ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Dum hæc talia jactamus, inhorruit mare, nubesque undique adductæ obruere tenebris diem. Discurrunt nautæ ad officia trepidantes, velaque tempestati subducunt. Sed nec certos fluctus ventus impulerat, nec quo destinaret cursum gubernator sciebat. Siciliam modò ventus dabat, sæpissimè Italici littoris Aquilo possessor convertebat huc illuc obnoxiam partem: & quod omnibus procellis periculosius erat, tam spissæ repente tenebræ lucem suppresserant, ut ne proram quidem totam gubernator videret. *Satyrico.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Ranis. v. 296.

Idem nobis, quod Hegelocho, dicere licet:
E fluctibus serenitatem conspicor.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cede tempestati, eidem vel modestè ito obviam.
Nocte brumali gemellam proijce è navi anchoram.
Nunquam est absq; tempestate Luna triplex area.
Obviam quandoq; fas est ire tempestatibus.
Quàm plus virium procellis, temporis tanto est minus.

Qui-

Quisnam ad anchoram stet unam fluctibus pleno.
Tempestate usq; usq; adversa mortem expectabam miser.

¶ JAMBICA.

Brumaatq; ver sunt plena tempestatibus.
Contra procellas nemo munitur satis.
Tempestuosa semper interlunia.
Time procellas tum quoq; ubi aequor est mare.

Templi.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

C*Lemens Alexandrinus*: Quinetiam verbum prohibens & fanorum constructiones, & omnia sacrificia, omnipotentem nō esse in aliquo tacite significat, per ea quæ dicit: Quam domum ædificabitis mihi, inquit Dominus? Cœlum mihi est sedes, & quæ deinceps consequuntur. Et de sacrificiis similiter: Sanguinem taurorum, & adipem agnorum nolo, & quæ post hęc per Prophetam prohibet spiritus Domini. Pulcherrime igitur his quoque Euripides adstipulatur, scribens:

Quanam domus sit, fabri facta qua manu,
Qua contineri possit immensus Deus?

Et De sacrificiis similiter,

Non hu egebit, si modo est verus Deus.
nugæ quæ poëtica mera.

Deus enim non fecit mundum, quod ei opus esset, & honores scilicet ab hominibus, & ab aliis diis & dæmonibus, inquit Plato, perciperet, veluti quoddam vectigal accipiens à generatione: à nobis quidem fumos, à diis autem & dæmonibus propria eorum munera ac ministeria. Appositissime ergo & efficacissime ad docendum Paulus in Actis Apostolorum, Deus, inquit, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, is cum sit Dominus cœli & terræ, non in manu factis templis habitat, neq; ab humanis manibus colitur aliquo indigens, cum ipse det omnibus spiritum & vitam & omnia.

Dicit autem Zeno quoque autor sectæ Stoicæ, in libro de Republica, neq; oportere templa facere, nec imagines: nihil enim quod sit compositum esse diis dignum. Nec veritus est hæc his verbis scribere. Neque opus erit fana ædificare, fanum enim non magni precii neque res sancta est existimanda. Nullum autem magni precii & sanctum, est ædificatorum opus & illiberalium opificum. Merito ergo Plato quoque, sciens mundum esse Dei templum, civibus ostendit unum locum civitatis, ubi eis essent reponenda simulachra. Privatim autem prohibuit ut nemo haberet Deorum imagines. Nemo ergo alius, inquit, diis sacra consecret. Nam aurum quidem & argentum, & in aliis civitatibus privatim, & in sacris, res est invidiosa: ebur autem corporis quod amisit animam, est nefarium donarium: ferrum autem & æs, sunt instrumenta bellorum. Ex ligno autem quod ex uno est ligno compactum, quodcunque quis voluerit offerat: similiter etiam ex lapide quoque ad sacra communia. *libro Stromatum quinto.*

S. Isidorus Pelusiota: Condis quidem, ut ajunt, Ecclesiam in Pelusio, machinis quidem ac molitionibus luculentam, sed improbis studiis & sacrarum electionum pretiis, & injuriis atque contumeliis, & tenuiorum oppressionibus, & pauperum sumptibus. Id quod nihil aliud est, quàm ædificare Sion in sanguinibus, & Hierusalem in injustitiis. Deus porrò sacrificio ex alienis bonis conflato nihil opus habet: verùm illud, perinde atque eum, qui canem mactat, execratur. Quæ cùm ita sint, & ædificare, & injuriam aliis inferre desine: ne alioqui domus illa te apud Deum prodat & convincat: ut quæ sublimis quidem & excelsa stet: verùm ob ea mala, ex quibus extructa est, sempiterno clamore te insectetur, ereptasque mercedes à te expetat, ultionemque eorum, qui incommodis ac detrimentis abs te affecti fuerint, poscat. *lib.1. epistola 37.*

S. Isidorus Pelusiota: Mirari te dixisti, qui fiat, ut Deus, cùm metum terræ immittit, templis suis minimè parcat. At certam huius rei declarationem in divinis libris habes. Nec verò mœrore atque animi anxitate consterneris ob ea quæ nunc fieri vidisti. Nam ut sanctæ arcæ minimè pepercit, verùm eam unà cum ipsis sacerdotibus qui deliquerant, barbaris dedidit, & urbem sanctificationis, & Cherubim gloriæ, & stolam, & prophetiam, & unctionem, & Thummim in conculcationem & contaminationem Gentibus addixit: ita ne nunc quidem ab omni labe puris mysteriis parcit: ut dum suis aulis minimè parcit, terrorem iis, qui peccant, iniiciat atrociorem, videlicet pœnam ob ea quæ agunt, expectantibus. Vlulet enim abies, quia cecidit cedrus. Fortibus cadentibus, imbecilliora erudiantur. *lib.1. epist.73.*

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam eos, qui mysticos sensus indicant, literamque in Spiritum commutant, etiamsi utilia quædam auditoribus dicant, nescio qua de causa reprehendens, res ipsas tibi explicari obnixis precibus à me contendisti, illudque proposuisti, quidnam causæ sit, quamobrem leprosus, seminisque profluvio laborans, alijque item qui morbis minimè voluntariis tenebantur, sacrosancto templi ambitu prohibebantur, silentio quidem lubenter uterer. Nam nec facile est, nec si facile esset, conveniret naturæ arcana divulgare. Quoniam autem iterum jam per literas vim mihi attulisti, quam brevissimè potero istud expediam.

Quandoquidem enim, tum ob virorum honestatem & gravitatem, tum ob mulierum honorem, tum ob rem ipsam (sanctitatem enim res hæc redolet) lege cautum erat ne vir ad uxorem suam, quo tempore ab impuritate sua se repurgabat, ingrederetur: multi autem cum uxoribus, dum in menstruo sunt, aut sese perpurgant, aut etiam prægnantes sunt, libidinis œstro vel potius furore perciti congrediuntur, atque illæ nescio quonam pacto id ferunt (quamvis animantes rationis expertes post conceptum ad venereum congressum minimè occurrant. Qua etiam ratione nonnullis placet, fœminam θηλυτέραν dictam esse habita comparatione cum fœminis animantibus, propterea quòd hæ ob generis duntaxat propagationem coitum admittant: mulieres autem fortasse ob alacritatem & impudicitiam, tametsi alioqui muliebris libido atque appetentia extinguatur. Natura enim vel in effingendo atque efformando fœtu recens nato, vel in corporis purgatione occupatur) porrò sæpenumero contingebat, ut viri semen cum impuro mulieris semine permixtum, corpus haud purum ac probè temperatum, verùm variis ac multiplicibus morbis obnoxium effingeret. his malis ut occurreret Legislator, eos qui ex huiusmodi concubitu nati essent, à templi aditu hoc loco proscripsit, atque à sacris conventibus submovit: ut ne in posterum huiusmodi flagitia perpetrare auderent.

Quòd autem hæc causa sit, ex iis quæ apud Ezechielem scripta sunt, liquidò apparet. Illic enim Deus probum virum laudibus efferens, peccatorem autem insectans, illum cum muliere menstruata consuetudinem minimè habuisse ait, hunc autem habuisse. Quòd si illud dixeris, iis, qui hæc flagitia admisissent, pœnam constitui oportuisse, hoc ego responderim: Et quod tandem gravius supplicium excogitari potest? Nam cùm eos, quos in lucem ediderint, quosque multo etiam quàm se, clariores ac celebriores videre optabant, nec precationum, nec solemnitatum, nec urbium, nec sacrorum conventuum participes esse perspiciunt, cogites velim quo doloris cruciatu afficiantur. Ac propterea illud quoque, ni opinione fallor, lege sancitum est, Et erit, omnis anima, quæ non circuncisa fuerit die octavo, exterminabitur è populo suo. Quod quidem nonnulli ex iis, qui hoc dictum ad animæ circumcisionem transtulerunt, tanquam à ratione alienum rejecerunt. Dicendum enim erat, inquiebant, eum qui non circunciderer, exterminatum iri, non autem immaturæ ætatis infantem.

Ego verò etsi ad animam propriè spectat hic sermo, tamen ne literalem quidem sensum improbo ac reiicio. Nam hîc quoque eadem sententia servabitur. Siquidem parentibus acerbius est supplicium, cum pueri exitio dantur. Nam pueri fortasse, si antequam ad eam ætatem pervenerint, quæ bona & mala internoscendi facultatem habet, è vita discesserint, ne id quidem scient, an pœnam aliquam pertulerint: quòd si etiam ad eam ætatem accesserint, ne graviter quidem & acerbè hanc rem fortasse tulerint, consuetudine nimirum pœnam leviorem reddente: ac præsertim cùm ne voluntaria quidem culpa est. At parentes intolerandum cruciatum sustinebunt. Quocirca si illud abs te intellectum est, quod de minimè voluntariis vitiis dictum est (nam de voluntariis te quæsiturū haud reor. Nec enim te fugit, Osiam, propterea quòd contra jus fasque in sacerdotij munus insiliisset, quamvis etiam rex esset, lepram tamen contraxisse) Deo gratiam habe. Sin secùs, hoc certè nomine à prudentibus viris mea ratio comprobari debeat, quòd hoc loco decori atque honesti majorem rationem habui, quàm perspicuitatis, naturæ videlicet arcanis haudquaquam evulgatis. *lib.2. epist.81.*

¶ LATINORUM.

Egesippus: Temerantur interdicta patrum belli necessitate; majore tamen Romanorum quam suorum reverentia. Gentiles enim cum formidine templum spectabant: Iudæi cum furore ac temeritate adibant, & madidas manus humano gerentes sanguine, ipsa tractabant altaria. *cap.34. lib.5.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Xenophon: Posteaquam victoria potitus erat Agesilaus, & ipse ad phalangem adlatus esset, accepto vulnere: quidam equites adactis equis ei dicunt, ex hostibus LXXX. viros armatos esse sub fano, quidq; de his faciundum esset, interrogabant. Ille vero, quamquam accepisset multa toto passim corpore vulnera; & ab omnis generis telis inflicta; non tamen numinis obliviscebatur, sed mandabat, uti potestatem eis facerent abeundi, quo vellent, neque lædi eos patiebatur. Quin equitibus etiam, quos penes se habebat, imperabat; ut eos deducerent, donec ad loca tuta pervenissent. *cap. 21. vita eius.*

Xenophon: Templis ac aris locum illum ajebat esse convenientissimum, Socrates qui & apertissimus pariter, ac minime tritus esset. Nam jucundum esse, ut ij, qui orare volunt, videant: neque minus jucundum, ut puri accedant. *lib 3. cap.23. Memorabil.*

Apollonius eisdem. Patet rem divinam facientibus templum, precantibus, laudes canentibus, supplicibus, Græcis, Barbaris, liberis, servis Pulcherrima divinaque hæc lex est. Agnosco symbola Iovis & Latonæ, cùm ad hæc solum respicio. *epist 74.*

Iulianus Imp. in Misopog. Ventitas in templa: tuaque causa populus, imò etiam magistratus complures in templa confluunt: & accipieris cum plausu & clamore manifice in templis, ut in theatris: quin igitur contentus es? quin laudas & probas ea, quæ fiunt? quid sapientior esse vis ipso Pythio, & concionaris ad populum, acriterque reprehendis eos, qui clamant, iisque quod faciunt, commemoras: Vos, inquit, raro in templa, Deorum causa convenitis: & cùm venistis, omnia miscetis & turbatis: Decebat sanè bonos & modestos viros, & fausta precari scientes, cum silentio bona à Diis petere, & hanc certe Homeri legem audire,

Inter vos tacitè. ——

Neque enim Ulysses Eurycleam cohibuisset, magnitudine facinoris stupefactam,

Gaude animo vetula, & cohibe nec funde querelas.

Troianas quidem certè neque Priamo, neque cuiquam ex eius liberis, ac ne ipsi quidem Hectori (quamquam huic veluti Deo ait Troianos supplicare) sed tamen illis supplices neque feminas, neque viros fecit in poemate. Sed ad Minervam (ait) omnes cum ululatu manus tendebant. Quanquam hoc etiam barbarorum est, & muliercülis consentaneum, tametsi non impium erga deos, sicuti id quod vos facitis, qui nos homines tanquam deos collaudatis, nobisque adulamini: cùm longè melius esset, ne diis quidem ipsis adulari, sed sobriè ac modestè eos colere.

Iulianus Apostata ad Arsacium Galatiæ Pontificem: Præsides domi raro invisas, sed scribas ad eos literas sæpissimè. Ingredientibus illis in urbem, nemo sacerdos obviam prodeat; nisi quando ad templa Deorum accedunt, solùm ad vestibula. Eos intrantes nullus miles præcedat: sequatur autem qui vult. nam simul ut ingreditur limen delubri, personam privati induit. siquidem ipse, ut nosti, his qui intus sunt, præes; propterea quod divina lex istud postulat: & qui tibi parent sunt re vera pij: qui autem præ arrogantia resistunt, ostentatores & inanis gloriæ appetentes.

Libanius: Si unus vir quilibet quæ ad pietatem spectant flocci fecerit, aut victima aliqua non pura mactata, aut ara inquinata, aut contacuinatus ipse, in interiora adyta septis lustralibus cincta vi penetraverit, ne vocem quidem fereris: nec quisquam adeo negligens, nec senex, nec junior, qui non citò persequatur & ulciscatur Deos: quid non fieri oportet integra urbe humanis carnibus saginata &c? *Declamatione 19.*

Libanius: Equidem eo usque jam progressus sum, ut ne à Diis quidem abstinere possim. etenim si divitiæ ipsis sunt optabiles, ac propter eas beati esse censentur; quanto nos magis decet pungi, & eos qui vel in exigua re nocent, odisse? quot delubra per urbem esse putatis, aut quot Deorum templa? multa. quò omnes morbo correpti concurrunt? & ubi potius præsentes esse Deos autumant? ubi plura nimirum donaria cernunt. Nam in ædibus aliis ubi nullum opulentiæ signum videre est, neminem Deorum versari credimus: ubi autem multa sunt opum indicia, & vestis superflua, & pateræ, & acerræ, & nitens auro culmen: illic, etiamsi Dij absint, tanquam ad præsentes preces fundimus, & apparentes, & loqui visos. *Declamatione 39.*

§ Romanorum.

Quintilianus: Quid magis in ulla Republica curari observarique oportet, quàm religionem? Sane petulantia aliis locis mediocrem habeat reprehensionem. In templo verò, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo tacitam etiam mentem nostram custodimus: pulsare velut in solitudine, velut in secreto quodam, non est ferendum. Dic nunc, Ignominiosus erat. Sed in templo captis urbibus, vis hostium ac metus religione templorum defenditur. Qui jam arma ferre non possunt, qui salutem suam tueri fuga nequeunt, circa aras jacent. In templo pulsasti hominem: rem petulantem fecisti inter sacra, fecisti religiosissimo loco: & utcunque, temeraria licet, aliqua ratio tamen appareret facti tui, si impetu lapsus esses, si ductus ira. nullam petulantiam magis odi, quàm quæ se propter hoc exerit, quia putat licere. *Declam. 265. ante finem.*

Ausonius: Æterne omnium genitor, ipse non genite, opifex, & causa mundi, principio antiquior, fine diuturnior, qui templa tibi & aras initiatorum mentibus condidisti. *Panegyrici fine ad Gratianum.*

Symmachus: Omnia quidem plena Deo sunt, nec ullus perfidis tutus est locus. Sed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam præsentia religionis urgeri. *lib. 10. epist. 54.*

§ Poetarum.

Aristophanes Ranis v. 347.

Linguis favisse decet, nostrisq; choris decedere, quisquis
Horum inscius est sermonum, aut mentem habet impuram,
aut generosa
Musarum orgia neq; didicit unquam, neq; saltu celebravit
Neq; item Bacchanali festo taurivori voce Cratini
Initiatus fuit: aut verbis gaudet scurrilibus, & quæ
Non fiunt apto in tempore: quiq; hostilem seditionem
Non sedat, neq; facilem se erga cives præbet: sed ut auram
Agitat excitos: proprij illum stimulante Cupidine lucri.
Aut qui perturbata urbi imperitas sordida munera captat:
Aut præsidium, aut naves prodit: & ex Ægina vetitas res
Dimittit, sicut Thorycio: vigesimarum miser ille
Collector: clam missis in Epidaurum loris, pice, linis
Aut, qui argentum dare navibus hostium aliquem impellit
amicum:
Aut, qui concacat Hecatæa, choris succinens orbiculatis:
Aut, Rhetor cùm sit, mercedem devorat ipse Poetæ:
Et post traducitur in scena festis patris Dionysi.
Atq; his ego denuncio, & iterum ac rursum edico, jubeoq;
Ex hoc abscedere choro.

Prudentius lib. 2. contra Symmachum.

Quare age, mortalis, soli mihi construe templum,
Meq; unum venerare Deum. cæmenta remitto,
Et quæ saxa Paros secat, & quæ Punica rupes,
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculosaq; Synna.
Nativum nemo scopuli, mihi dedicet ostrum:
Templum mentis amo, non marmoris, aureo in illo
Fundamento manent. fidei structura nivali
Consurgit pietate nitens. tegit ardua culmen
Iustitia. interius spargit sola picta rubenti
Flore, pudicitia pudor almus, & atria servat.
Hæc domus apta mihi est; hæc me pulcerrima pedes
Accipit, æterno cælestiq; hospite digna.
Nec novus hic locus est. fluxit mea gloria in artus,
Et lux vera Dei Deus illustravit alumnam
Materiem, corpusq; parens habitabile fecit
Ipse sibi, placito ut posset requiescere templo.

§ Apophthegm. Sacr.

D. Bernardus. Theobaldum Comitem, magnos faciens sumptus ad varias abbatias construendas, novaque templa ædificanda, monuit ut domesticis fidei inserviret, ut templis immortalibus ædificandis plurimum operæ impenderet: eleemosynas ita faceret, ut semper aliquid suppeteret. Xenodochia ipsum visitare, causas pupillorum & viduarum tueri, bonis laudi & malis terrori esse jubebat. *Auct. vita D. Bern. lib. 2. cap. 8.*

§ Apophthegmatum Christian.

Iesus Christus. Dei Sanctuarium summa semper veneratione coluisse Majores nostros, etiam illos qui vera fide caruêre, meminerunt tam sacri quàm prophani scriptores. Et quidem Coæternus Dei Filius, Ierosolymorum templum ingressus, dum id à Iudæis pollui, & irreverenter in forum columbarium & nummulariorum mensas converti animadvertisset, egregiè eos perstringens, mensasque evertens; *Scriptum est*, inquit, *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* factoque funiculis flagello, universos ejecit. *Matth. cap. 21. Marc. 11. Luc. 19.*

D. Io. Chrysostomus. Et hoc de illo habetur certissimum. Postulabat ab eo Imperator, Ganiæ duci Ariano unum è Catholicorum templis concederet. At beatus vir, *Ne* inquit, *Imperator hoc ei pollicearе, neq; sanctum dari canibus mandes. Nunquam enim patiar, eos, qui Deum nocturnis diurnisq; hymnis laudant, templo expelli; illudque eis tribui, qui contra eum loquuntur blasphemias.* In Vita eiusd.

Idem. Passo repulsam Ganiæ duci, ducentique sibi templum dari oportere; respondit: *Templum sacrum apertum est, & cuivis patens: nulli aditum prohibeo, quò minus in eo, si libet, Deo preces fundat.* Theod. lib. 5. hist. eccl. cap. 32.

Hilborgis nobilis femina. Sed devotus in Templorum erectione ornatuque fæmineus sexus, suo encomio carere, sine injuriæ & ingratitudinis notâ, non potest. Erat in Mildensi Episcopatu nobilis Matrona, quæ, dum maritum è Palæstina, ad quam voto obstrictus secesserat, rediturum desperaret; totam substantiam uni cœnobio & novem Ecclesiis ædificandis insumpsit. Revertitur non ita diu pòst maritus, eumque placatura, obviam procedit, ac salute prævia; *Novem*, ait, *filias, tibi absenti, peperi, at nondum in Christo renatæ sunt.* Intellexit vir pius novem Ecclesias instructas, necdum tamen consecratas. factumque uxoris gratum & ratum habuit. *Cranz. lib. 3. Metrop. cap. 8.*

Plura vide Tit. de Ecclesia, *&* ab Ecclesia arcere indignos.

§ Monosticha Trochaica.

Christus haud advenit templa ut auro argentoq; impleat.
Contra vim, tutela templorum aut nulla aut precaria est.
Corda sanctorum perenne credito templum Dei.
Cui pietas virtusq; cordi, vel Dei sacrarium est.
Cultiora pauperum auro templa sunt quam divitum.
Divitat relligio templa, sed magis jactantia.
Fit privata omnis potestas limen ut templi subit.
Heu quam multi templa ob pulcras intravere feminas.
Neminem fastu insolenti limen excludit Dei.
Non tam Olympo delectatur, corde quàm pij Deus.
Quilibet sacris tutandis sufficit suis Deus.
Quis libidinosa patret in fanis, quis cogitet?
Quis neget templo sacerdos interire cum suo?
Sæpiusq; Dijs videntur consecrata in fornice.

San-

Sanguine incestas sacratu quei locu infers opes?
Si Deus non esset, aris haud honos foret suis.
Templa destituta Divis pro sepulcris spernito.
Templa diruta aquè adorat, atq; si starent, pius.
Templa numinum frequentant pauperes, non divites.
Templa transit cuncta dives, templa pauper cuncta obit.
Tam patet templum Dianæ Græcis atq; barbaris.
Vrbibus victis impunè cuncta tollas Numina.

§ JAMBICA.

Ad sacra loto vulgus haud venit pede.
Aliquando templum ergastulum est libidinum.
Ara loco bonus dicat seipsum Deo.
Aris Deorum haud impiè impium abstrahas.
Et diruta ade permanet sacer locus.
Etiam colenda templa Divûm in hostico.
Etiam suis Dei exeunt sacrariis.
Ferrum sacratis omne templis exulat.
Impura sacris quei ferantur in locis?
In templa si quis sævit, in Deos furit.
Preclusa cuncta templa sunt scelestibus.
Pretiosum habetur omne templis quod datur.
Sacella habere in adibus privis nefas.
Sacris locis uti decet silentio.
Sprevisse templa, respuisse est Principem.
Templum Dei sumus, sed cum facimus bene.
Templis sacra arma etiam abstrahit necessitas.

Temporis & Tempestivitatis.

§ SENTENTIAE PATRUM GRAECOR.

CLemens Alexandrinus: Parce tempori: aut quoniam vita est brevis, & non est hoc tempus temere consumendum, aut contra parcendum privatis sumptibus, ut, etsi, inquit, multos annos vixeris, non desint tibi necessaria. *libro Stromatûm quinto.*

D. Nazianzenus: Sere cùm serendi tempus fuerit, & fruges comporta, & horrea solve, cùm tempus hoc postulârit: & tempestivè planta, & uvam maturam detonde, & Veris temperie fretus navem è portu solve, rursusque oriente hyeme, marique sæviente fac eam in portum subducas. Quin tibi quoque, & belli, & pacis tempus sit, & matrimonij opere abstinendi, & amicitiæ & dissidij, si quidem ita necesse sit, atque omnis denique rei, si Salomoni auscultandum est, auscultandum est autem. utile enim consilium proponit. At verò salutis tuæ negotium semper age, atque omne tempus ad Baptismi susceptionem tibi certum & definitum esse existima. Quodque hodiernum diem semper præteriens, crastinum observes, paulatim differendo, non animadvertis te à pravo illo deludi, ut illius consuetudo fert (Da mihi præsens, inquit, futurum Deo: mihi juveniles annos, Deo seniles: mihi voluptates, Deo corpus effætum, nullisque usibus aptum) quanto in periculo versaris? quot quamque inopinati rerum casus. *Oratione 40.*

D. Greg. Nyssenus: Quod improprium est & alienum, præterquā quod nihil prodest, res est inordinata, incomposita atque absurda, non solum in iis orationibus, quæ de religione ac pietate habentur, verum etiam in externis, & iis quæ ad mundanam pertinent sapientiam. Quis enim est orator ita stultus adeoque ridiculus, qui ad nuptias hilaritate & jucunditate plenas vocatus, relicto apto & jucundo genere orationis, quod accommodatum sit, ac quasi congratuletur hilaritati ac festivitati conventus, tristia quædam carmina atq; lugubria pronuntiet, & ex tragœdia petitas calamitates in convivio nuptiali & in thalamo occinat? Aut ex contrario mortuo alicui justa exequi & orationem funebrem habere jussus, oblitus præsentis casus, jucundum se præbeat & hilarem apud mœstitia plenum conventum? Quod si in rebus mundanis res decora est ordo atq; scientia, multo profectò magis eam observari convenit in rebus magnis atque cælestibus. *De Pascha ac resurrectione oratione 3.*

D. Greg. Nyssenus: Suum & proprium cuique celebritati gratum & acceptum est tempus. Ita nuptias quidem epithalamiis cantilenis celebramus; luctu verò funebribusque lamentationibus justa mortuis & inferias damus. In negotio serio loquimur, in conviviis contractionem & contentionem animi solvimus. Vnumquodque tempus ab alienarum rerum confusione ac perturbatione integrum servamus. *in Christi baptismum.*

D. Chrysostomus: Maximum quid est congruo & convenienti tempore omnia agere. *Homilia 12. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Quod suo tempore fit, perutile est: sin verò intempestivè fiat, nō modò inutile, verùm & noxium est. nam exempli gratia, si quispiam post vigesimum ætatis annū uberibus inhiet infantum more, quàm ridiculus erit? *Hom. 12. ad Timoth. 1.*

Basilius Seleuc: Stella ante solem exorta fulget: post solem si curxat, luminibus offuscatur. *Sermone 34. m.*

S. Isidorus Pelusiota: Tempus partim jam avolavit: partim, cùm adesse videatur, latet: partim, cùm adhuc expectatur, præterit. Quēadmodum enim vehemens aquæ impetus certum sui sensum internosci minimè sinit (sua quippe celeritate animadversionem eripit) ad eundem modum, ac fortasse etiam magis, temporis impetus ad finem properans, facilè quidem fluit, hominibus autem nihil perspicuum ac fixum ostendens, tanquam insomniorum umbras relinquit. *lib. 3. epist. 173.*

Synesius: Igitur & in consessu presbyteri, & vulgo plebs ferebant, & eadem ipsa sigillatim libellus complectebatur, ex Patria, & Apostolica ordinatione Erythro contributas has esse Ecclesias, sed à beato Orione defecisse, longiùs tum dissito fine, & cui summa facilitas vitio tribuebatur: jam enim contumeliæ hoc esse loco cœpit, apud eos qui sacerdotium humanis etiam in rebus præsidio, ac patrocinio esse, & in actu rerū versari putant oportere. Qui cùm diutiùs vitam produceret, non fecisse illos, ut justi hominis exitū præsto larentur, sed beatæ memoriæ Siderium elegisse. Invenis enim esse videbatur, & in agendo strenuus, qui ab Valentis Imperatoris exercitu veniebat, ut agros postulatos administraret, eiusmodi vir, qui & inimicis nocere, & amicis prodesse posset: tunc hæreticæ factiones dominabantur, multitudine enim superiores erant: & opportuna admodum erat agendarum rerum calliditas, quæ est administra prudentiæ. Quamobrem unum illum & solum Palæbiscæ Episcopum creatum, sed neque legitimè ipsum, contra jura verò omnia, quantum de senioribus accepi. cùm neque sit Alexandriæ constitutus, neque à tribus hic, ut maximè eligendi, illinc signum datum fuerit. Etenim solum beatæ memoriæ Philonem ausum esse collegam suum Episcopum pronuntiare, Cyrenensis hîc fuit, antiquior, junioris patruus & ejusdem cum eo nominis: cæteris quidem in rebus, ex præscripto Christianæ disciplinæ vivens, quòd autem ad regendum, & parendum attinet audacior, magis quàm legum observantior. Verumenimvero sermonis veniam à sacrâ senis anima postulo. Hunc solùm venientem ferunt beatum Syderum creasse, & in throno collocasse, sed formidolosis temporibus, summum jus prætermitti necesse est. Ideò magnum illum Athanasium tempori id dedisse, ac non multò pòst cùm exiguam adhuc orthodoxæ fidei scintillam, quæ in Ptolemaide erat fovere, & magis, magisque accendere oporteret, hominem illum majoribus regendis idoneum eò commigrare jussisse, ut metropolitanam Ecclesiam gubernaret: Sed illum senectus ad paganas Ecclesias reduxit; ubi è vita discedens successorem non habuit, qui ne ipse quidem alterius in locum successerat. *Epistola 57.*

§ LATINORUM.

Io. Sarisberiensis: Partes temporum ille dispensat, per quem ipsa tempora facta sunt. ipsa quoque tempora motu & variatione rerum, quasi quibusdam coloribus pingit, & volubilem temporis rotam, jugali quodam nexu rerum quo teneatur, illaqueat; & ut rem incomprehensibilem ingerat intellectui, eandem mirabiliter rerum proprietatibus, quasi suis informat. *cap. 24. lib. 2. Policrat.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Theophrastus Ethicis Characteribus: Intempestivitas est congressio molesta iis quibuscum congrediaris. Homo autem intempestivus is est, qui ad amicum occupatum accedens, velit re communicatâ cum illo deliberare: quique ad animam suam febri laborantem veniat comessatum. Solet etiam eum qui jam ante fuerit ex sponsu condemnatus adire, rogans ut pro se quoque intercedere velit. & ad dicendum testimonium tunc venit quum res est judicata: ad nuptias vocatus, in mulierum genus invehitur. Eos qui è longinquo itinere modo advenerint, ad deambulandum secum invitat: re jam vendita emtorem adducit qui pluris sit emturus. Sæpe etiam è medio hominum sibi assidentium surgit, ut rem illis ortus à capite exponat, quam omnes jam audiverint ac pernorint: & quæ nollet quidem aliquis, sed denegare tamen erubescit, ad illa curanda, promtus est. Ad eos qui sacra faciunt & epulas concelebrant, accedit, ut aliquam inde partem auferat. Quod si præsente eo famulus cædatur: sibi quoque puerum aliquando fuisse narrabit, qui similiter virgis cæsus se suspenderit. Idem captus arbiter, duo litigantes quorum uterque rem transigi optat, committet, & lites novas inter ipsos constituet. Denique saltaturus socium manu prehendit, qui nondum sit vino madidus.

Brutus Cois. Qui missi sunt à vobis in auxilium, nunciaverunt mihi naves vestras modò parari. Quòd si ad belli tempora paratis & instruitis, quid opus sit apparatu non sanè video. Quid enim prodest, robur intempestivum, in quo præter imbecillitatem nihil inest, quoniam ad usum adhiberi non potest? *Epist. 29.*

Coorum ad hæc responsio. In nostris quidem, temporibus & occasione, non ignoramus ante usum longo tempore paranda fuisse. In sociorum verò rebus, non facilè est perspicere, nisi multò antè denuncietur. Apparatum verò non inanem esse putabo, tametsi non in præsentia, at aliquando certè. Proinde quicquid id est, ad futura salvum & integrum servatur. *Epist. 30.*

Dio Prusæus: Vulgo aiunt, tempus negotiorum optimum esse judicem. *Oratione 11.*

Arria-

Arrianus: Nihil magnum fit subitò, cùm ne uva quidem aut ficus. Si mihi nunc dicas, te velle ficum; respondebo: tempore esse opus sine prius ut floreat, post fructum producet, denique maturescet. Ficus ergo fructus cùm subitò unoquoque tempore non perficiatur; animi humani fructum adeo facile & brevi exigis. equidem confirmo tibi, id ne expectandum quidem esse. *cap. 15. lib. 1. Epict.*

Iulianus Imp. Iustum virum longa arguit solum dies. sic sanè veteres: at ego addam etiam, pium & religiosum virum tempore argui. At enim Penelopes etiam amor & fides erga virum tempore cognita est. Et quis tandem in muliere amorem conjugis sui religioni ac pietati anteponet, quin continuò mandragoræ multum bibisse judicetur? *Epist. 21.*

Heliodorus: Est prudentis consilij tempori rationem accommodare, & in bonum commodissimè vertere. *libro quinto Aethiopicorum.*

Dionysius Sophista: Vehementer tuas literas exosculatus sum, & philosophantes & adhortantes. Sic autem statue nihil esse, neque temporibus, neque utilitate fortius. *Epist. 37.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Memini quendam ex Avunculi mei amicis, cùm lector quædam perperàm pronunciasset, revocasse & repeti coegisse, huic dixisse; Intellexeras nempe? cùm ille annuisset; cur ergo revocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. tanta erat parsimonia temporis, &c. *lib 3. epist. 5.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus de vita sua.

Καιρῷ γὰρ οὐδέν ἐστιν εὐστροφώτερον,
Mutationi tempus omni subjacet.

D. Nazianz. Carm. 49. ad Nicobulum patrem.

Eia age, chare parens, properemus carpere tempus.
Tempus enim veniens facile est comprendere cuivis:
At semel ut fluxit, labor est jam quærere vanus.
Certum plantandi, certum quoque tempus arandi.
Tempus solvendi navis retinacula nautis.
Tempus apros, tempus cervos in monte necandi.
Certum etiam tempus belli. Ver denique florum
Est tempus. studijs sua sic q[illegible] tempora certa:
Scilicet acris amor medio dum [illegible] e fervet,
Nec varijs intus mens est impressa figuris,
Sed pulchris tantum viret, insculptaque recenter,
Ac bona vel mala jam juvenes fundamina vitæ
Totius faciunt. Quo major cura gerenda est,
Et bene consultis succedant omnia rebus.

Terent. Heauton. 2. sc. 2.

At hoc demiror, quei tam facilè potueris
Persuadere illi, quæ solet quos spernere.
S. *In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum.*

¶ Apologi.

De Sene puellam in uxorem accipiente. Fab. 25.

Vir quidem imprudens, exacto septuagesimo vitæ anno, puellam duxerat in uxorem, qui ad id tempus in cœlibatu permansisset. Cui cum debitum solvere non posset, dicere solebat: Quam male vitam meam disposui, juveni enim mihi uxor deerat, nunc autem senex desum uxori.

Hac fabula innuit, omnia suo tempore peragenda. Laur. Abstemius.

¶ Emblematum.

Seba. Cervus alatus, auribus, cauda, & cornibus carens.

Adde alas: aures, & caudam, & cornua cervo
Tollito: depictum sic tibi tempus erit.
Tempore namque nihil currit velocius uno,
Nec semel elapsum quo revocetur habet.

Camerarius XV. Centur. 1.

Cunctando proficit. *Morus arbor.*

Festinare nocet, nocet & cunctatio sæpe:
Tempore quæque suo qui facit, ille sapit.

Camerarius XLVIII. Cent. 1.

Benevolus atque Benignus. *Rosæ.*

Qui semiclauso connivent germine flores:
Dilatati, aries quando favebit, arunt.

Camerarius LXV. Centur. 1.

Naturæ maturavit opus. *Ionæ pergula.*

Quod natura brevi maturum tempore perdet,
Cur adeò, huic fatum vim properare, doles?

¶ Apophthegm. Christ.

Clemens VIII. Pont. Max. Nihil Tempore pretiosius, nihil eo carius habuere viri sapientes, & inter eos nostro hoc ævo Clemens VIII. apud quem cùm plures de variarum rerum jactura conquererentur; *Eius verò* aiebat, *rei jacturam deplorandam sentio, quæ semel amissa, non revocari potest, nec reparari.* sciebat namque prudentissimus Pontifex, quòd

——velut unda impellitur undâ,
Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem:
Tempora sic fugiant pariter, pariterque sequantur,
Et nova sint semper.

Coll. ex Apophth. de Principe Henr. Farnes.

Petrus Aldobrandinus Card. Nihil autem prudenter fieri, nisi quod in tempore fit; adeoque temporis habendam rationem, asseruit Petrus Aldobrandinus, S.R.E. Card. Dicebat enim: *Prudentis est odorari quid res quidve tempus in rebus agendis postulet, omniaque temporis momenta observare.* quia, ut in Andria Terent.

Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.

Henr. Farnes. suprà.

¶ Monosticha Trochaica.

Ante tempus è cubili si feram excitas, fugas.
Destruit creata cuncta tempus seipsum dum creat.
Ex suo nil delibare tempore est summi viri.
In malum bonum mutatur, tempore haud datum suo.
Indicat dies alius de alio, ultimus sed de omnibus.
Longius plerosque tempus non viros, viros facit.
Mitigatur ira quamvis sæviens à tempore.
Nemo jacturam ullo in ævo temporis resarcijt.
Nemo jacturam vocantis temporis resarciat.
Nil magis sapit quam tempus: tandem enim omnia invenit.
Non feret tempus Catones omne; Clodios feret.
Nulla luctus magnitudo est tempus ipsam quin domet.
Omne id autumes cæleste quod resistit tempori.
Omne præsens tempus ante desinit esse quàm venit.
Omne tempus perditur quo de Deo non cogitas.
Ordo temporum, in Dei sapientia, absque tempore est.
Parce minis, animosque minue: tempori aptari decet.
Quale quidque sit si quæris scire, trade tempori.
Quamvis maximè feroces tempori aptari decet.
Quo Deus non cogitatur omne tempus perditur.
Semper est habitum sapientis cedere ultro tempori.
Serviunt res tempori omnes, non & rebus tempora.
Tantò brevius tempus omne est, quantò est fortunatius.
Tempus actione de omni judicat verissimè.
Tempus est certum qui fontem veritatis detegat.
Tempus est inventor, tempus est moderator artium.
Tempus est oblivionis, tempus memoriæ est parens.
Tempus haud ullum est perire quo nocens non debet.
Tempus omnium actionum lene judex optimus.
Temporis mora ac senectus cuncta longior docens.
Tempori si quæque fiant, præstet unus quod decem.
Temporum mutatione transeunt bona in mala.
Temporum obtutu vocatur sapiens, segnitiæ cliens.
Temporibus solent servire res, non rebus tempora.
Verum id est quod de actione quaque tempus judicat.
Viribus lenocineris, arte, itemque tempore.

¶ Jambica.

Bonum malum fit tempore haud datum suo.
Componit ærumnas tempus vel maximas.
Cui tempus adversum est, ei adversa omnia.
Cuilibet tandem rei tempus suum est.
Damnosius nil est jacturâ temporis.
Decidit ipsas tempus controversias.
De tempore ætas omnis conquesta est suo.
Dum tempus exspectamus, ecce præterit.
Est artifex judexque tempus omnium.
Est semper idem tempore omni vir probus.
Fit perperam quod non suo fit tempore.
Haud ulla plane nostra pars est temporis.
Honesta avaritia est solius temporis.
Iactura nulla carior quam temporis.
In orbe nil veracius pol tempore.
Infirmiora cuncta fiunt tempore.
Multum valent in publica re tempora.
Negotiorum judex, tempus, optimus.
Nil carius magna affectanti tempore.
Non additum est tempus? præsens intelligas.
Occulta profert tempus, manifesta occulit.
Omne id breve est cui finis additus suus.
Præceptor est tempus senescens omnium.
Rerum omnium primum esse tempus autumo.
Rerum omnium primum est venire in tempore.
Resarcienda haud est jactura temporis.
Rota modo omne tempus in se volvitur.
Sapientia multa, at tempus sapientissimum est.
Semper molesta homini est intempestivitas.
Senecta tandem cuncta clarat temporis.
Tandemque Atridis Troja cessit tempore.
Tempus bonorum reliquias non proterit.
Tempus breve non est nobis; nos facimus breve.
Tempus datum cùm sit, nolito amittere.

Tempus dolorum medicus est ferè omnium,
Tempus ferè magister est mortalibus.
Tempus fugit; nisi occupas, & te fugit.
Tempus fugit; vigilia, propera; aut relinqueris
Tempus medetur omnibus tandem malis.
Tempus quoq; ipsa annosa frangit robora.
Tristissima omnis temporis neglectio est.
Vbiq; profectò molesta intempestivitas.
Vnius avaritia est honesta temporis.

Tenacitatis.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

T*Heophrastus Ethicis Character :* Sordida parcimonia est studium parcendi sumptibus ultra modum. Sordidè parcus is est, qui à sodalibus apud se convivia agitare solitis, tanquam pro menstrua domus suæ pensione semiobolum exigat: & in convivio quot quisque calices educat, numeret: qui etiam ex omnibus convivis Dianæ minima libamenta offerat. Iam quæcumque ei quispiam fert impensa, etsi parvo empta, nimio tamen constare dicet. Si famulus ollam aut patinam fregerit, de ejus demenso tantum detrahet, quanti erat quod fractum est. Quod si uxor trichalcum amiserit, ille vero omnem supellectilem, lectos etiam, atque capsas loco movebit., & omnia stragula scrutabitur. Quicquid vendit tanti vendit, ut bono emptori ea res cedere non queat. Ficum de suo horto neminem gustare siverit: neminem per fundum suum transire: aut ullam cadivam olivam, palmulamve auferre. quotidie terminos inspectat suos, ecquid immoti eodem loco iidem maneant. Porro autem debitum si quis die præstituta non solverit, pœnam pro mora, atque adeo usuræ usuram solet exigere. Populares convivio accipiens, minutas apponet carnes: quumque ad obsonandum exierit, sæpe vacuus domum revertetur. Vxori solet edicere ne cuiquam salem aut ellichnium aut cyminum, aut origanum, vel etiam farris quicquam, vel corallam ullam, vel libum ullum commodet: Magnam enim, inquit, parva hæc tandem in anno summam efficiunt. In summa, sordidorum istorum hominum loculos videas situ obsitos, claves ferrugine illitas. Ipsos quinetiam videre licet vestes gestare quæ vix femora tegant: guttulos ex quibus unguantur parvos habere: capite esse ad cutem usque attonso: calceos medio die exuere: & cum fullonibus obnoxie agere, ut ad poliendā suam vestem, cretæ multum adhibeant, ne sordes facile contrahat.

Libanius: Injunxi uxori lucernam alteram accendere: bibi meracius. dicam ne etiam aliquid arcanorum? gallinam etiam sacrificavi, ex iis quæ pariebant. ego promptus in omnibus. *Declamat. trigesima septima.*

Libanius: O fili vestigiis paternis insiste, & legibus latis in civitate, noli inferiorem legem existimare mores meos, hi verò sunt, iis quæ parta sunt parcere: partis autem addere: equos voraciores fuge; asinos sarcinos convehentes ama, atque illos præsertim qui paleis vivere contenti sunt; è servis otiosos libertate dona: melius enim est, quam alere: à quibus verò proventus aliquis est, æquè ac parentes æstima: eorum qui pecuniam usura acceperunt lacrimis nihil concedas, quin usuras puta partem esse sortis seu summæ, quocirca præclarum quidem est eorum quæ adsunt conservatio: multo verò majus & suavius, aliarum facultatum acquisitio. finito igitur alios alia censere turpia, ipse etiam me reverere, & matrē, & Terram, & Solem, & teipsum, nisi majorem in dies rem feceris, accipiendo, petendo, exigendo, congerendo; omnia in lucrantem peram impellere postulando. vales corpore? potes laborare? est nobis prædium: vides viam meam: ne sis piger ad æmulandum. vim potius vulnerum patere, quàm absistas à drachma: quippe vulnera quidem medelam accipiunt parvo medicamento, nummi verò pereunt. hæc nobis fuere super cæna ad hunc dictata, vice aliarum quarumvis cantilenarum. *Declamat. trigesima septima.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ambitus tenacitasq; cuncta procreant mala.
Non modò tenax avarus omnis est, sed pertinax.
Occupat claves tenacis, occupat fiscos situs.
Servat sua omnia heredibus tenacitas.
Sordidus caput suum usq; tondet ad vivam cutim
Vna laude digna tantùm temporis tenacitas.

§ JAMBICA.

Et sanitatis mater est jejunium.
Nec commodus tenax sibi, nec alteri est.
Nil quam rei custos tua est tenacitas.
Sola est honesta temporis tenacitas.
Tenacitatis nil habet frugalitas.

Tenebrarum.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Gregor. Nyssenus :* Si duo sint qui vivant in tenebris, unus quidem in caligine natus, alter autem usui externæ lucis assuefactus, vi quadam eò conclusus, nōn eodem uterque modo præsenti incommodo commovebitur. hic quidem qui novit quo commodo privatus sit, gravem existimat esse jacturam lucis: ille verò qui nec penitus quidem cognovit talem voluptatem, sine molestia vitam transiget; propter caliginis usum consuetum nullo se bono excidisse putans. atque ex hac re accidet, ut alterum quidem lucis usus desiderium nihil non moliri & excogitare cogat, quo rursus videre contingat, id quod per vim privatus est. alter verò propterea quod id quod melius est, ignorat, id quod sibi adsit bonum esse judicans, in caligine vitam tuam transigens senescet. *Orat. 3. de Beatitudinibus.*

D. Chrysostomus : Tenebræ videntur esse luce aptiores iis qui laborant oculis, & ideo magis confugiunt ad adumbratam domunculam. *initio Homiliæ 7. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus : Quamdiu aliquid fit in tenebris, fit securius. quando autem habet multos testes eorum quæ fiunt illuminatur. nam si multa sint luminaria, & virtutis via erit facilis, & qui sunt in tenebris magis deprehendentur luce exoriente & illas auferente. *fine Homiliæ 18. ad Ephesios.*

§ ORATORUM.

Libanius : Ius violantibus & iniquè agentibus, in tenebris, ubi clam fore spes est, talia peraguntur. ab iis autem qui sine fraude & justè vivere constituunt, in medio & cunctis videntibus omnia fiunt. *Declamatione 29.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absit ut cælestis ignis se tenebris misceat.
Convenire cum tenebris haud satis luci potest.
Cuncta turbat in tenebris sors: nihil virtus valet.
Frustra est, si latere semper posse se putat malus.
In tenebris non sunt circumfusi & igne & lumine.
Largius peccant latendi plenior fiducia.
Lucis ipsius vitatur conscientia improbis.
Mirè animus alitur tenebris noster ac silentio.
Qui patrant scelera, in latendo tota eis securitas.
Sæpe iners quis in tenebris obruat fortissimum.

§ JAMBICA.

Andabata gladium etiam in tenebris ventilat.
Et in tenebris plurimum est licentiæ.
Etiam in tenebris acta fama publicat.
Gaudet videri, respuit tenebras bonum.
Inter tenebras promptior affirmatio.
Latere quærit concipit quisquis nefas.
Latere vult malus, videri vult bonus.
Mali timent videri, ut sint magis mali.
Nihil tenebris quàm nefas absconditur.
Omnem pudorem perditis nox eripit.
Omnes tenebræ solis instar sunt Deo.
Quærunt latebras fanda infanda qui patrant.
Quærunt tenebras res mala, diem bona.
Rerum in tenebris omnium est confusio.

Petantur plura è titulo *Noctis, Obscuritatis, Luminis.*

Tentationis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

C*Hrysostomus :* Aliis quidem in rebus certamina laboriosa esse solent, pariuntque tum dolorem, tum afflictionem: corollæ autem ac præmia voluptatem adferunt. At hic non ad eandem rationem se res habet, quin potius luctæ, atque certamina jucunditatis haud paulò plus habent, quàm vel ipsa præmia. Quandoquidem enim multæ quidem tentationes id temporis essent, cælorum autem regnum in spe situm, & adversa in manibus, suavia in expectatione, ea autem res infirmiores frangeret: idcircò vel ante corollas illis præmia largitur, inquiens oportere etiam in afflictionibus gloriari. *Homilia 9 ad Romanos.*

D. Chrysostomus : Magnum quidem est etiam rebus secundis & prosperè fluentibus & misereri, & virtutem amplecti: multo autem majus, dura & gravia patientem, non desistere ab hac bona operatione. Is enim est, qui propter Deum hæc maximè facit. Quamobrem etiamsi in periculum veniamus, ô dilecti & quidvis patramur, cum majori animi alacritate pro virtute labores suscipiamus. Non est enim heic tempus mercedis ac remunerationis. Nec heic ergo coronas exigamus, ne in tempore coronarum minor sit merces ac remuneratio.

Quomodo enim in artificibus, qui ſeipſos quidem alunt, majorem accipiunt mercedem; qui autem aluntur ab iis qui conduxerunt, non parvam partem de mercede detrahunt: Ita etiam in ſanctis. Qui bona quidem facit innumerabilia, & innumerabilia patitur mala; integram habet mercedem, & longè majorem remunerationem; non pro bonis ſolùm quæ fecit, ſed etiam pro malis quæ paſſus eſt: qui autem heic fruitur quiete & deliciis, non tam præclaras illic habet coronas. Ne heic ergo quæramus remunerationem: ſed tunc maximè lætamur, quando bona opera agentes malè patimur. Non ſolùm enim ex rectè factis, ſed etiam ex tentationibus Deus nobis illic recondit mercedem. Ut autem quod dico fiat manifeſtius; ſint duo divites miſericordes, & dent pauperibus: deinde eorum alter quidem maneat in divitiis, & omnia proſperè ei ſuccedant; alter autem incidat in paupertates, & morbos, & calamitates, & Deo agat gratias. Cùm ergo ij hinc illuc exceſſerint; quis majorem accipiet mercedem? An non eſt perſpicuum, quòd qui ægrotat & affligitur? Quoniam & benè faciens & malè patiens nihil paſſus eſt humanum. eſt cuivis evidens. Hic enim eſt ſtatua adamantina, hic eſt ſervus gratus & benevolus. Si autem non propter ſpem regni oportet aliquid boni facere, ſed propter id quòd Deo videtur ac placet, quod quidem eſt majus quovis regno: quid meretur, qui propterea quòd non heic accipit remunerationem, in exercenda virtute eſt pigrior? Ne ergo conturbemur, quando viderimus; quòd hic aut ille vocans viduas, & pauperes frequentibus excipiens conviviis, incendio exuſtam domum amiſit, aut aliquam aliam paſſus eſt calamitatem. Propterea enim accipiet mercedem. Neque enim Iob in tanta admiratione habebatur propter eleemoſynas, in quanta ut propter ea quæ paſſus eſt poſtea; Propterea & vilipenduntur eius amici; & nullius cenſentur eſſe pretij: quòd præſentes quærebant remunerationes, & ideò in juſtum iniquam ferebant ſententiam. Ne ergo heic quæramus remunerationem, efficiamur pauperes & mendici. Hoc enim eſt extremæ vilitatis & abjectionis: cùm cælum ſit propoſitum, & quæ ſunt ſupra cælum; quæ heic ſunt ſpectare. *Homilia 43. ad Corinth. 1.*

D. Chryſoſtomus: Ad caſtigandos atque ad meliorem mentem revocandos, etiam vulgares homines, una atque altera tentatio ſufficit. *Homil. 2. ad Corinth. 2.*

D. Chryſoſtomus: Vidéſne quantus quæſtus ex tentationibus redeat? Nam & Dei vim oſtendebant, & gratiam amplius detegebant (ſufficit enim tibi gratia mea, inquit) & ad colendam modeſtiam hortabantur, & aliorum faſtum atque arrogantiam compeſcebant, ac denique firmiores eos ac tolerantiores efficiebant. Potentia enim, inquit, probationem operatur, probatio ſpem. Nam qui in quamplurima pericula inciderant, atque ex iis ſpe divina freti emerſerant: documentum hinc capiebant, eam ſibi in omnibus rebus arctiùs eſſe complectendam. *Homilia 9. ad Corinth. 2.*

D. Chryſoſtomus: Deum oremus ne intremus in tentationem: ſin autem intraverimus, eas forti animo feramus. nam illud quidem eſt virorum ſapientium & moderatorum ſe in pericula non temerè coniicere: hoc autem fortium ac philoſophorum. Neq; ergo nos temerè proiiciamus, eſt enim audaciæ & temeritatis. neque ſi ducamur, rebus vocantibus cedamus; eſt enim timiditatis. Si vocet quidem prædicatio, ne recuſemus. ſed ſi non ſit cauſa, neque uſus poſtulet, ne temerè procurramus. ea eſt enim res oſtentatio, & inanis & ſupervacanea honoris appetitio. Sin autem quippiam factum fuerit quod lædat pietatem, etiamſi oporteat mille mortes ſubire; nihil recuſemus. *Homil. 5. epiſt. ad Hebræos.*

Baſilius Seleuc: Ecquis fructus eſt permiſſionis malorum? mundus fuit Davidi theatrum, cælum victoriæ coronam plexuit. *Oratione 15. m.*

S. *Iſidorus Peluſiota:* Quò tempore Deo charus Abraham ob divinum quidem oraculum in Palæſtinam, ob famem autem in Ægyptum perrexit, proceres uxorem ipſius pulchritudine ac muliebri virtute fulgentem conſpicantes, non ſecus ac theſaurum quendam ſummi pretij ad regem ferentes, eam ipſi indicant. Atque ipſe eam, pudicitia potiùs quàm formæ præſtantia collucentem aufert. Poſteaquam autem maritus mortis metu perterritus fratrem ipſius ſe eſſe ſimulans, uxorem quidem prodidit, non tamen adverſus providentiam exclamavit: tum verò divinum auxilium arma ſua movens pio viro intactam atque integram uxorem ſuam reddidit. Noctu enim illo acerbiſſimis cruciatibus affecto; voluptatibusque per dolores domitis, vel, ut rectiùs loquar, extinctis ac de medio ſublatis, ita demum juſto viro coronam tulit. Quamobrem nos quoque, ſi in tentationes incidamus, ne divinam patientiam clamoribus inſectemur, verùm eam potiùs complectamur, quæ & exitus in his rebus, quæ nullum exitum habere videntur, & conſilia, per quæ ex deſperatis rebus emergamus, invenit. *lib. 3. epiſt. 160.*

¶ Latinorum.

Oroſius: Correptionem judicis Dei, quoquo pacto accidat, juſtè ſuſtinent qui ſciunt, juſtè ſuſtinent qui neſciunt. *lib. 7. adverſus paganos cap. 41. fine.*

Zeno: Duplex eſt tentationum ſpecies: aut enim tribulatio cor vexat humanum & ſicut aurum in camino per patientiam probatur unuſquiſque, & agnoſcitur: aut interdum etiam ipſa vitæ proſperitas ad tentationem cedit hominibus: ſimilis namque, ejuſdemque ignaviæ eſt in adverſis humilem, ac miſerabilem fieri, in proſperis inſolenter efferri. Exemplum ſanè, quod non debemus animo dejici in adverſis, habemus magnificum Iob inclinare in triſtibus penitus neſcientem: qui omnem diaboli violentiam, velut torrentis cujuſdam adverſum ſe turbinem venientem immobili corde, & inconcuſſa mentis vivacitate ſuſcipiens, tantò clarior ex tentationibus factus eſt, quantò difficiliora, & periculoſiora ei ſunt ab inimico intentata certamina. Exempla verò eorum, qui per ſecundos vitæ ſucceſſus proſperitateſque tentantur, multa quidem habemus, & alia: non minus tamen & ejus, qui nunc de Evangelio recitatus eſt, divitis: qui alias quidem reconditas premebat divitias, alias vana ſpe inaniter præſumebat, dũ benignitas Dei aviditatis ejus intemperantiam non ſtatim ab initio, nec continuò, ut pullulare cœperat, punit quinimmo & reconditas divitias novis nihilominus, & adventitiis cumulat, ſi forte eum aliquando nimietate ipſa ſatiatum ad ſenſum, & intelligentiam humanitatis adduceret, animamque eius per abundantiæ nimietatem ſuaderet aliquid de indigentibus cogitare. *Sermone de duplici tentatione.*

Zeno: Non otioſa virtus religioſi viri eſt: neque quietam exigit vitam. Impugnatur jam ab ipſis juventutis ſuæ initiis, & impugnatur ſæpe. Non novella itaque, neque rara impugnantium odia ſunt: ſed ea ſæpe etiam ab ipſis initiis ætatis infeſta ſunt. Et idcirco hæc ſunt: quæ fidem probant? quæ patientiam teſtantur: quæ invictæ virtutis coronam merentur. *in Pſalmum 128.*

S. *Chryſologus:* Tentatio eſt, ſpecies fallens, quæ proſpera in adverſus, adverſa occultat in proſperis. *Serm. 71. m.*

Io. Sariberienſis: Magni montis incolæ omnia neceſſitatis imperia excluſere, abjecta ſollicitudine craſtini, pendentes omninò ab eo cui de fidelibus cura eſt; adeoque providentiæ devitant anguſtias, ut vita eorum tota nonnullis tentatio videatur. Sancti ſiquidem patres genus tentationis definiunt, cùm quis agendorum habenas divino duntaxat committit miraculo, humano nondum auxilio deſtitutus. *Libro ſeptimo Policratici capite vigeſimo tertio.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carmine 62.

Χρυσὸς μὲν χοάνοισι δαμάζεται ἄλγεσι, δ᾽ ἐσθλός.
Ἄλγος ἀπημοσύνης πολλάκις κουφότερον.
Vir probus adverſis tentatur ut ignibus aurum.
Sæpe levis magis eſt proſperitate dolor.

Iacobus eremita: Quum à dæmone Iacobus eremita minaretur, dicente, Tantam tibi inuram infamiam, ut nemo te aſpicere velet: reſpondit Iacobus, Agam tibi gratias: nam invitus inimicum tuum beneficio afficies, ut qui efficies ut magis verſer in Dei recordatione. Nam quo mihi plus eſt ocii, eo magis occupor in perpetua contemplatione divinæ pulchritudinis. *Theodoret. hiſt. Sanct. Patrum, vita 21.*

D. Martinus: Quum B. Martinus à latrone quodam interrogaretur, quiſnam eſſet? reſpondit, Chriſtianus ſum. Quæſivit deinde, an timeret? tum verò conſtantiſſimè profeſſus eſt, nunquam ſe fuiſſe tam ſecurum; quia ſciret miſericordiam Domini in tentationibus affuturam: ſe magis illi dolere; qui Chriſti miſericordiâ, ut pote latrocinia exercens, eſſet indignus, &c. *S. Severus, lib. de vita B. Martini.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Baſilius. Qui non eſt tentatus, inquit Eccleſiaſtes, quid ſcit? Vnde à Domino tentari ac probari petiit David, quòd ſciret amari à Deo illos, quos probat & exercet. Quare ſapienter admodum dicebat S. Baſilius: *Nauclerum tẽpeſtas, ſtudium athleta, calamitas magnanimum; at Chriſtianum* tentatio *probat, exercet, & examinat.* Coll. ex Hom. in divit. avaros.

Idem. Rogatus carnalis tentationis remedium, reſpondit: *Deſiderium rerum meliorum.* Th. Staplut. in Prompt. Æſt. Dom. 2. poſt Pent.

Ioannes Abbas. *Similis*, ajebat hic, *eſſe debet religioſus, homini habenti ad ſiniſtram ignem, ad dextram autem aquam: ut quoties ſuccenſus fuerit ignis, eum aqua reſtinguat.* In vitis PP. pag. 2.

Terræ.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D*ivus Nazianzenus:* Quod ſi avium, piſcium, inſectorum omnium rationes aſſequeris, ac prudentiam eam, qua gubernantur, cognitam & exploratam habes, confer jam animum ad varia ſtirpium genera, artificiumque etiam illud expende, quod foliis ipſis ineſt, ſimulque & maximam oculis voluptatem, & fructibus utilitatem affert. Conſidera, quæſo, & fructuum varietatem, & uberrimam copiam, ac præſertim eorum, quæ ad vitam degendam maximè neceſſaria ſunt, ſummam pulchritudinem. Cogita etiam ſtirpium & ſuccorum, & florum, atque odorum, non modò ſuaviſſimorum,

morum, verùm etiam ad corporis sanitatem aptissimorum vires & facultates, colorum etiam elegantiam, & qualitates, atque insuper gemmarum eximia pretia & splendores. quandoquidem omnia, tam quæ ad necessarios vitæ usus, quàm quæ ad delitias spectant, velut in communi convivio natura proposuit, ut si nihil aliud, ex ipsis saltem beneficiis Deum cognoscas atque ob penuriam, qua laboras, teipso prudentior efficiaris. Hinc mihi facito, ut terræ, communis omnium parentis, latitudinem longitudinemque percurras, & maris sinus, tum mutuo nexu, tum etiam cum terra velut vinculis quibusdam constrictos, & nemorum pulchritudines, & fluvios, & fontes uberes ac perennes non modò gelidarum & potabilium aquarum, quæque in terra sunt, sed earum etiam, quæ infra terram fluentes, & specus quosdam subeuntes, ac deinde violento aliquo flatu impulsæ atque repercussæ, postea per conflictus hujusce atque obluctationis vehementiam inflammatæ, quaqua fors tulerit, paulatim erumpunt, hincque calidorum balneorum usum nobis plerisque terræ locis, & cum contraria facultate, suppeditant, gratuitam scilicet medicinam ac sponte promanantem. Dic obsecro quomodo & unde hæc? quænam magna hæc atque artis expers textura? nec enim ob mutuam eam affectionem, quam inter se habent, minus laudis merentur, quam si seorsim unumquodque consideretur. Quo pacto terra firma & immota consistit? Quidnam pro vehiculo habet? cujus rei adminiculo fulcitur? quidque rursus fulturam illam sustinet? neque enim rationi quicquam, cui innitatur, occurrit, si divinam voluntatem exceperis. Quo pacto ea, partim in montium vertices assurgens, partim in campos subsidens, idque variè & multipliciter, ac denique paulatim alternando commutata, tum ad hominum usus uberior, tum varietate ipsa jucundior? Quî fit, ut partim in domicilia divisa sit, partim inculta & inhabitabilis relinquatur, quantum nimirum excelsissimi quique montes ab ea abscindunt, atque alia ad alium quendam orbis finem dissecta porrectaque divini opificij magnificentiam luculentissimo argumento declarat? *Oratione 34.*

D. Chrysostomus: Auris quidem cùm ex iis quæ heic dicuntur nihil audit, sed ex iis quæ sunt in cælis, non est super. quando oculus nihil videt ex iis quæ sunt heic sed quæ supra, non est supra terram. quando os nihil loquitur ex iis quæ heic sunt, non est super terram. quando manus nihil fecerit ex iis quæ sunt mala, non est ex iis quæ sunt supra terram, sed & iis quæ sunt in cælis. *Homilia 8. ad Coloss.*

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam id quod de terrâ dictum est: Non movebitur in seculum seculi, conferens cum illo: Qui respicit super terram, & facit eam tremere: putâsti (hæc duo loca) contrarium quiddam significare: scire debes, Terram concussum quidem iri, attamen non movendam. Concutietur quidem, ut ostendat timorem, (quo creatorem metuit) non autem movebitur, ut ostendat terminum (qui est fixus ac stabilis.) Tremore quidem servitutem profitetur (quâ Deo subjecta est;) Stabilitate autem firmitateque suâ, quâ ex propriâ statione non dimovetur, divinum terminum indicat. *lib. 4. epist. 107.*

Synesius: De die sæpe terra quatiebatur, passimque homines magna ex parte, proni ad preces confugiebant: solum enim succussabatur. *Epistola 61.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ. GRAECORUM.

Apollonius Milesius. Terræmotus solum vestrum concussit. Etenim aliorum quoque permultorum sæpenumerò: verùm hi subierunt suum infortunium quadam necessitate, misericordiaque se mutuò prosequi, non odiis, dissidere videbantur. Vos autem soli diis arma facesque intulistis, & diis eiusmodi, quorum utrinque est opus auxilio tam post, quàm ante pericula. Sed & hominem philosophum. . . . . sæpius etiam prænunciantem ipsum, terræmotus, qui Deo concutiente, evenerunt, quotidie facere dicebatis. O publicam imperitiam. Et tamen parens vester dicitur Thalles. *Epist. 75.*

Epictetus: Quid est terra? Horreum Cereris, apotheca Bacchi: cellarium vitæ. *altercat. cum Hadriano Augusto.*

Philostratus: Hominibus terra cuncta necessaria producit, ita ut volentibus pacificè cum ceteris animalibus vivere, nihil omnino desit. Ex ipsa namque communi omnium nutrice, quædam metendo colliguntur, quædam arando extrahuntur, prout quæque suis temporibus aptè congruunt. Sed quidam velut illius munerum ignari, cibi vestitusque parandi gratia, gladium contra animalia nudarunt. Indi autem Brachmanes nec ipsi talia laudavere, & Ægyptios gymnosophistas ne talia laudarent edocuerunt. ob his autem hæc instituta accipiens Pythagoras, Ægyptiorum disciplinam Græcorum moribus primus admiscuit, & animalia quidem in terra degere permittens: quæ autem ex terra nascuntur, munda puraque esse putans, talibus ut vescerentur instituit, quod animæ corporique aptè nutriendo congruerent. Vestitum insuper, quem plerique ex morticina materia confectum gestant, impurum esse autumans, lineis amiciri instituit, & calciamenta itidem ex arborum corticibus fieri mandavit. Ex hac autem puritate mundiciaque fructus complures assecutus est; maximè verò quod suam animam cognoscere meruit. *lib. 8. Apollonij cap. 3.*

¶ APOPHTHEGM. SACR.

Monachus quidam, nomine Symeones, gloriæ mundanæ eximius contemptor, & propter Christum fatuus in omnium oculis, quadam die locum manè circum agens, & quam plurimas in foro civitatis statuas diverberans, ad alias, State, inquit: vos enim brevi saltare debetis. Paulò post ingenti terræ motu statuæ illæ corruerunt. *Niceph. eccl. hist. lib. 17. cap. 22.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Advenas invitat ad se terra fœcundissima.
Arbor deterioris terra succo sæpe deperit.
In dies suos colonos terra mutat fertilis.
Incolas nunc hos nunc illos patitur terra uberrima.
Inter ardores nivibus fida altitudo montium est.
Non habet viros robustos terra frugis uberis.
Non nisi agris in neglectis dira innascitur filix.
Quis desideravit astu vel gelu terram gravem?
Sponte ager suâ Cyclopum fruges omne fert genus.
Terra deesse forte vivis; mortuis minimè potest.
Terra ea omnis est Laconum tangere hasta quam queunt.
Terra ea optima est, beatum parva ubi te res facit.
Terra inutile absq; cultu est, & mare atq; navibus.
Terra si metallorum igne afflatur, aurum redditur.
Terra tota, Bacche cella est, cellaq; est ceres tua.
Terra tota, ubiq; vita juge promptuarium est.
Vt parens est terra, terra sic sepulchrum est omnium.

¶ JAMBICA.

Etiam natantes invenire est insulas.
Haud una fert terra omnia: alia alterâ indiget.
Hac terra fert aurum, illa vel ferrum negat.
Gignentium nudum solum est, ubi deest aqua.
Permagna terra cum cælo est germanitas.
Quacunq; terra vacua, sunt & publica.
Queis terra, eisdem animus quoq; est ardentior.
Terra ingenio non vincas naturâ insita.
Invitat ad se terra pinguis advenas.
Quodcunq; terra procreat dein devorat.

Terroris.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

AVt puellorum, aut fatuorum propria perturbatio est.
Et salutares timori res nimis paventibus.
Imbecilla caritatis vincla terror ac metus.
In fugam natos Deorum Panicus vertat pavor.
Magna cùm horreas; quæ fieri non queunt, metuas tamen.
Multa terrori habita nocte, vertit ad risum dies.
Nil beati ei est cui usq; terror aliquis imminet.
Nocte terrorem excitatum difficulter reprimas.
Obijcit permulta oculis quæ non sunt consternatio.
Occupata mens pavore gloria jam transfuga est.
Ostentare per terrores quidnam possis, regium est.
Sæpe terror in victores a devictis vertitur.
Terror est ubi, est ubi error, nulla ibi est securitas.
Tum pavor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat.

¶ JAMBICA.

Ad vana consternatur omne quod ferum est.
Ferox tyrannus hosce quos terret, tremit.
Fortuna sensum territis omnem excutit.
Fundæq; inanis territes avem sono.
Homines inopino etiam percellas gaudio.
Mentemq; consiliumq; homini eripit tremor.
Non est beatus cui quis terror imminet.
Persæpe & ipse vincitur malis pavor.
Provisa non terrent, terrent incognita.
Qui justus est invictus est terroribus.
Qui deijcit terrore, & armis deijcit.
Qui territum statim opprimit, tutò opprimit.
Ratio excutit terrorem omnem prudentibus.
Summusq; mutat strenuam mentem pavor.
Sunt plura quæ nos territant, quàm quæ premunt.
Supersede, Rex, castigare territos.
Terrere fortem majus est quàm occidere.
Terret potentum latius vis quàm nocet.
Terror, genus victoriæ pulcerrimum.
Vbi terror est, & sensuum est turbatio.
Terrore recenti uti are: quidvis conficit.

Testamenti.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D*Ivus Chrysostomus:* Sunt quidam adeo miseri ac deplorandi, qui cùm neq; filios habeant cui sua post mortem relinquant,

parasitis potius adulatoribusque aut similibus ea distribuenda curent, quàm Christo qui tot illos beneficiis affecit. *Homilia 18. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Cùm ad bellum proficisceris, non dicis, minimè necesse est testamentum condere; fortasse revertar. &c. *Hom. 22. ad Corinth. 2.*

D. Chrysostomus: Quemadmodum si qui athletas deligit, sive naso adunco, sive simo, sive nigros, sive candidos eligat, nihil refert ad probationem, sed illud unum spectandum est, ut validi doctiq; sint: ita qui adscribendus est in novum testamentum, huic nihil nocent hæc omnia corporalia si absint, quemadmodum neque juvant si adsint. *cap. 5. ad Galatas.*

S. Isidorus Pelusiota: Pactum, hoc est pollicitationem, Scriptura sacra Testamentum appellat, propter inviolabilem firmitatem atque constantiam. Pacta quippe frequenter evertuntur: legitima autem testamenta non item. *lib. 2. epist. 196.*

§ LATINORUM.

Egesippus: De testamenti autem prælatione quis dubitaret; cùm & posterius præferri soleat superioribus; & hoc multo validius ceteris videri debeat, in quo Cæsari confirmandi regalis judicij servata sit prærogativa: quo cumulata potius, quàm imminuta Romani nominis reverentia, si & à vobis, Cæsar, non præripiatur regibus, quod privatis licet; ut eorum valeant testamenta, & quem potissimum sibi cupiant succedere, ultimo scribant stilo &c. *lib. 2. cap. 1. excdi. Hier.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQ.

Arrianus: Testamentum nemo scribit; nisi aut ipse sciat, quomodo scribendum sit; aut ejus rei peritum adhibeat. *cap. 13. lib. 2. Epicteti.*

Quintilianus Senior: Interest, supremæ hominis voluntati legem favere, ut quod de bonis suis constituit in supremis dominus, fecerit jure. *Declamat. 264. pr.*

Quintilianus Senior: Et in more civitatis, in legibus positum est, ut quotiens fieri potuerit, defunctorum testamento stetur. idque non mediocri ratione. Neque enim aliud videtur solatium mortis, quàm voluntas ultra mortem: alioqui potest grave videri, etiam ipsum patrimonium, si non integram legem habet: & cùm omne jus nobis in id permittatur viventibus, auferatur morientibus. Proximum locum à testamentis habent propinqui: & ita, si intestatus quis ac sine liberis decesserit. Non quoniam utique justum sit, ad hos pervenire bona defunctorum: sed quoniam relicta, & velut in medio posita, nulli propius videntur contingere. Nihil est ergo quòd nos onerare tentent nomine isto propinquitatis, jactatione sanguinis & naturæ, homines binis jam tabulis exheredati. *Declamatione 308. pr.*

Quintilianus Senior: Si jus utrique testamento constaret, fuisset illud ultimum quod postea factum est. illo verò sublato, incipit ultimum est quod relictum est. ut in intentione cursus, qui proximus ab ultimo fuerit, si desistat ultimus, in nomen illius locumque succedit. Ergo ut non fuerit ultimum meum aliquando testamentum; nunc ultimum est: & vos id testamentum fecistis, damnando quod postea factum est. *Declamationis 308. m.*

Quintilianus Senior: Testamenta ul[illegible]na rata sint. Habet sine dubio (si verba tantum ipsa intueri velimus) hoc jus, occasionem brevem calumniæ. Quid si enim unum aliquis scripserit testamentum? potest videri novitium quod magis jure primum diximus. Sed quemadmodum inter plurima testamenta, ultimum valere oportet: ita hæc manifesta legis voluntas est, ut id testamentum valeat, post quod nullum testamentum est. Neque est incredibile, sine dubio, etiam ante hoc testamentum, quo ego heres factus sum, scripsisse illum alia testamenta, hominem frequenter hoc facientem. Ita & ultimum videri potest, si post alia scriptum est: & si primum scriptum est, quia nullum tamen est quod vincat, & potentius sit postea, pro ultimo habendum est. Sublatum dicunt prius testamentum posteriore testamento. Neque ego inficior si jure factum sit testamentum, hoc est, si testamentum est, potentissimam esse defuncti proximam quamque voluntatem: sed nego ullum postea factum testamentum. Quid est enim testamentum? ut opinor, Voluntas defuncti consignata jure legibusque civitatis. Non dixerim ego testamentum cui numerus signatorum deest: non dixerim testamentum cui libripens & emptor familiæ, & cætera juri necessaria. Tabulæ erunt. fortasse & scriptum erit. *Declamatione 308.*

Quintilianus Senior: Libet tamen scrutari etiam defuncti voluntatem, qua nihil potentius apud nos, nihil nostro animo sacratius esse debet. *Declam. 311. m.*

Quintilianus Senior: Quis ignorat testamentorum fortunam? & esset fortasse in totum iniquum requiri à nobis mentis alienæ rationem. Sunt quidam irrationabiles impetus animorum, quædam gratuita, ut vulgo vocantur, odia. Quoties audivimus filium dicentem, quo meo meritò pater me exheredavit? nullam rem frequentior admiratio sequitur. *Declam. 325. m.*

Idem ante finem: Nullum meritum uxoris tuæ adversus divitem fuit. Quasi verò meritis tantum hereditates contingant. Interest an ametur, qui amat? potuit hanc amasse feminam dives, salva hujus conscientia. Erat speciosa. erat. potuit in hunc affectum incidisse. Multi sunt qui testamenta sic scribant, tanquam illud ad vitam eorum pertineat. sic quidam heredes scribunt eos quos captant, tanquam intellecturos, tanquam secretò scriptos. Potuit ergo amor in causa esse, potuit ipsa pudicitiæ admiratio in causa fuisse. Serit virtutum intellectum rerum natura. Nulla tanta vitia sunt, quæ non meliora mirentur.

Plinius Iunior: Tu quidem pro cetera tua diligentia admones me; codicillos Atiliani, qui me ex parte instituit heredem, pro non scriptis habendos; quia non sint confirmati testamento. quod jus ne mihi quidem ignotum est; cùm sit etiam iis notum qui nihil aliud sciunt. sed ego propriam quandam legem mihi dixi, ut defunctorum voluntates, etiamsi jure deficerentur, quasi perfectas tuerer. Constat autem codicillos istos Atiliani manu scriptos. licet ergo non sint confirmati testamento, à me tamen ut confirmati observabuntur; præsertim cùm delatori locus non sit. *libro secundo epistola 16.*

Plinius Iunior: Scribis Sabinam quæ nos reliquit heredes, Modestum servum suum nusquam liberum esse jussisse: eidem tamen sic adscripsisse legatum; Modesto quem liberum esse jussi. Quæris quid sentiam? contuli cum prudentibus. convenit inter omnes, nec libertatem deberi, quia non sit data; nec legatum, quia servo suo dederit. Sed mihi manifestus error videtur: ideoque puto nobis, quasi scripserit Sabina, faciendum, quod ipsa se scripsisse credidit. Confido accessurum te sententiæ meæ, cùm religiosissimè soleas custodire defunctorum voluntatem; quam bonis heredibus intellexisse, pro jure est. neque enim minus apud nos honestas, quàm apud alios necessitas volet. Moretur ergo in libertate sinentibus nobis; fruatur legato, quasi omnia diligentissimè caverit. cavit enim quæ heredes benè elegit. *lib. 4. epist. 10.*

Plinius Iunior: Nec heredem institui, nec percipere posse rempubl. constat. Saturninus autem qui nos reliquit heredes, quadrantem reipub. nostræ, deinde pro quadrante præceptionem quadringentorum millium dedit. Hoc, si jus respicias irritum; si defuncti voluntatem, ratum & firmum est. mihi autem defuncti voluntas (vereor quam in partem Iurisconsulti quod sum dicturus accipiãt) antiquior jure est; utique in eo quod ad communem patriam voluit pertinere. *Epist. 7. lib. 5.*

Plinius Iunior: Falsum est nimirum quod creditur vulgo, testamenta hominum, speculum esse morum; cùm Domitius Tullus longè melior apparuerit morte quam vita. nam cùm se captandum præbuisset, reliquit filiam heredem quam fratre genitam adoptaverat, prosecutus est nepotes plurimis jucundissimisque legatis. in summa, omnia pietatis plenissima: ac tanto magis quia inexpectata sunt. *epist. 18. lib. 8.*

Plinius Iunior: Laudabilius testamentum est, quod pietas, fides, pudor scripsit; in quo denique omnibus affinitatibus, pro cujusque officio, gratia relata est, relata & uxori &c. *libri 8. epistola decimaquarta.*

Plinius: Testamenta nostra secura sunt, nec unus omnium, nunc quia scriptus, nunc quia non scriptus, hæres es. non tu falsis, non tu iniquis tabulis advocaris. nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit; nec quia offendit alius nuncuparis, sed quia ipse meruisti. scriberis ab amicis, ab ignotis prætereris, nihilque inter privatum & Principem interest, nisi quod nunc à pluribus amaris. nam & plures amas. Tene Cæsar hunc cursum, & probabitur experimento sitne feracius & uberius, non ad laudem modò sed & pecuniam Principi, si herede illo mori homines velint; quàm si cogantur. *cap. quadragesima tertia Panegyrici ad Trajanum.*

Symmachus: Oro vos, Iustitiæ sacerdotes, ut urbis vestræ sacris reddatur privata successio. Dictent testamenta securi; & sciant sub Principibus non avaris, stabile esse quod scripserint. &c. *lib. 10. epistola 54. m.*

Symmachus: Dehinc cùm testamenti jure confecti fidem recitatio publicaret; calumnia inanis objecta est, quòd signatores nescio quid legati ex eadem voluntate cœpissent. Adduntur etiam scripta divalia, quibus adstipulatio cujusdam remota est qui suam juvisse causam testimonio diceretur: quasi verò simile esset exemplum, ut tenuis honor quo subscriptores ob amicitiam defunctus asperserat, legitimum posset abolere judicium. Nam si his legibus viveremus, inimicis signatoribus tutius uteremur, quorum offensa nihil de testatore humanitatis exigeret. Piget dicere, in quinque numero solidos potissimum subscriptoris fuisse legatum. Cæteris enim magis commemoratio honesta quàm pecuniæ questus accessit. Ergo aut extremæ paupertatis successio fuit, si putatur exiguus honor fidem legitimi judicij sauciasse: aut si census hæreditarius existimatur uberior, aliena est à suspicionibus brevis summa legati. Quis non familiarissimum quemque signandis adhibet cùm extrema conduntur? Jam quid mirum est, si in oculis positus mereatur aliquod monumentum religionis, qui meruit advocari? Non fero signatorem cui pars bonorum magna defertur. Nam & si integra conscientia, non tamen syncero pudore ditatur. At verò hæc lævia pignora, aut amoris gratia, aut testatoris verecundia relinquuntur. *lib. 10. epist. 55.*

§ Pos-

§ POETARUM.

Scholasticus quis, sub Augusti nomine.

Ergóne supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaq́ue doctiloqui morietur Musa Maronis?
Ah scelus! hoc dignum? solvetur litera dives?
Et poterunt spectare oculi? nec parcet honori
Flamma suo, dignumq́ue operi servabit decorem?
Noster Apollo veta: Musæ prohibete Latinæ!
Sed legum est servanda fides, suprema voluntas
Quod mandat fieriq́ue jubet, parere necesse est.
Frangatur potius legum reverenda potestas,
Quàm tot congestos noctuq́ue diuq́ue labores
Hauserit una dies; supremaq́ue jussa parentis
Amittant vigilasse suum. si forte furenti
Erravit in morte dolor; si lingua locuta est
Nescio quid titubante animo; non sponte, sed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui,
Si mens cæca fuit, iterum sentire ruinas
Troia suas, iterum cogetur reddere voces?
Ardebit misera post vulnera vulnus Elisa?
Hoc opus æternum ruet? & tot bella, tot enses,
In cineres dabit hora nocens, & perfidus error?
Huc huc, Pierides, nemorum per lustra loquaces
Tendite, & ardentes ignes fluvialibus undis
Mergite, ne pereat tam clari Musa poëtæ.
Flammaq́ue vanescat. vivat Maro clarus in orbe,
Ingratusq́ue sibi. sed quod male jusserat ipse
Sit vetuisse meum. sacer est post tempora vita.
Sicq́ue erit æternum tota resonante Camœna
Carmen, & imperij divi sub nomine vivat,
Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

De bonis dispone dum mens voxq́ue adhuc est integra.
Ditiorum testamenta sæpius sunt irrita.
Mortui bonis voluntas jure etiam est antiquior.
Ne quidem verum profamur judicijs in ultimis.
Ne tabulis quidem supremis pandimus animi abdita
Nulla testamenta condunt res quibus nulla est domi.
Publicè expedit suprema habere judicia exitum.
Publicè lex, Testamentum privatim firmissimum est.
Quæq́ue militis voluntas testamenti vim obtinet.
Sanitas spectanda mentis in testando, haud corporis.
Sub tyranno testamentum scribitur pro pignore.
Testamentum non valet, nisi testatore mortuo.
Uberius interpreteris mentem animi testantium.

§ JAMBICA.

Adgnatione testamentum rumpitur.
Dispone de bonis dum adhuc mentis tuæ es.
Et testamenta continent mendacia.
Et testamentum scribitur pro pignore.
Etiam annulos habemus, mortis gratiâ.
In testamentis animi speculum cernitur.
In testamentis vera demum dicimus.
Tabulæ supremæ adfectus veros indicant.

Testimonij.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D*ivus Nazianzenus*: Non mirum videri debet quod largius te laudem atque adeo sincere & ex animo sim tuus. nam ubi amplior vitæ consuetudo est, ibi quoque amplius est experimentum. ubi autem uberius est experimentum, illic etiam perfectius est testimonium. *Epist. 26. ad D. Basilium.*

D. Chrysostomus: Vix obtineri potest, ut & qui boni sunt, apud inimicos bonum habeant testimonium. *Hom. 10. ad Timoth. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Et Græcis & barbaris & omnibus omninò hominibus videtur, & jure quidem, hostium testimonium fide dignum. *lib. 4. epist. 225.*

§ LATINORUM.

Salvianus: Alia omnia, id est humana dicta, argumentis ac testibus egent. Dei autem sermo ipse sibi testis est: quia necesse est, quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis. *lib. 3. de gubernatione Dei.*

S. *Salvianus*: An forte falsum est, & odiosè potius quàm verè ista dicuntur? non oratoria probatione, qua uti alij in causis solent, utar, ut producam quoscumque ad probandum aut paucos, aut extraneos, aut minus idoneos testes: ipsos interrogemus à quibus acta sunt. falsum sit quod diximus, si negarint. fatentur enim, & quidem quod est gravius sic fatentur, ut in ipsa confessione non doleant. *lib. 7. de gubernatione Dei.*

Io. Sarisberiensis: At in ipsa disquisitione consilij, tam in civilibus, quam criminalibus causis, ad examinandas probationes instrumentorum ratio habenda est. Et quidem instrumenta dicuntur omnia, quibus causa instrui potest, sive sint testimonia, sive testes; hæc tamen illis potiora sunt, eo quod testes testimoniis præferuntur. Nam cum testes examinari possint, testimonia semper, & apud omnes eadem sunt. In ipsa vero testium examinatione, non potest ex regula aliqua diffiniri, quid magis judicem sequi oporteat. Si enim omnes testes ejusdem honestatis & æstimationis sint, & negotij qualitas, ac judicis motus cum his concurrerit, sequenda sunt omnia testimonia. Sin vero quidam eorum aliud dixerint, licet in pari numero, credendum est quod naturæ negotij convenit, quod inimicitiæ aut gratiæ suspicione caret; confirmabitque judex motum animi sui ex argumentis & testimoniis, quæ rei apriora, & vero proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testium fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis assistit. Ipsis quoque præsumptionibus frequentissime stabit, donec probetur contrarium. Nam & Salomon cum in litigio meretricum, infantem dividi præcepisset, & altera eum mallet alteri vivum cedere, ipsa tamen reclamante, nec mihi nec tibi sit, sed dividatur; illi vivum infantem restituendum censuit, quæ non acquievit, ut vivus moreretur. Argumento siquidem probabili trahebatur ut matrem crederet quæ diligebat; cum opinionem eius, aut fidem, adversa probatio evacuaret.

Unde & D. Adrianus rescripsit, judicantis dilatans in examinatione testium facultatem. Et verba quidem Epistolæ sunt hæc: Tu magis scire potes quanta fides habenda sit testibus, qui cuius dignitatis, & cujus æstimationis sint, & qui simpliciter visi sint dicere, utrum unum eandemque sermonem meditatum attulerint, an ad ea quæ interrogaveris, ex tempore verisimile responderint. Quæ argumenta, & quemadmodum, cuique rei probandæ sufficiant, nullo certo modo satis diffiniri potest. Alias numerus testium, alias dignitas & autoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Hoc igitur solum tibi respondere possim summatim, non utique ad unam speciem probationis, cognitionem statim allegari deberi, sed ex sententia animi tui, te æstimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi optineris. Iudici vero plurimum licet, dum in omnibus serviat veritati, quam si (ut solet) apud improbos periclitari cognoverit, ad professionem eius qui necessarij fuerint, evacabit, & ad testimonium compellet invitos: his tamen exceptis, quod adversus certas personas testificari jura non cogunt. *lib. 5. Policrat. cap. 14.*

§ ORATORUM GRAECORUM.

Æschines: Si scelus ipsum, ut solet, clam committetur atque in solitudine, & in ædibus privatis; qui autem optimè novit, atque civium aliquem probro afficit, si verum testimonium dixerit, in maximis periculis versabitur; reus autem suæ vitæ ac veritatis oppressus testimonio, postulabit ut de se judicium fiat, non ex sui notitia, sed ex testimoniis; tolletur & lex & veritas: & evidens monstrata erit via, qua homines maximis constricti facinoribus elabantur. Quis enim aut grassator, aut fur, aut adulter, aut homicida, aut gravissimorum scelerũ designator, modò occultè faciat dabit pœnas? Inter hos enim ij qui in ipso facinore deprehenduntur & fatentur, statim occiduntur: qui autem clam fecerunt & infitiando sunt, in judicium adducuntur. veritas enim conjecturis quibusdam verisimilibus indagatur: in quo uti potestis exemplo senatus Areopagitici. Multos enim ego vidi nuper in ea curia, cùm optimè dixissent, & testes produxissent, succubuisse: atque etiam aliquos, causa male perorata, & nullas testibus confirmata vicisse. Neque enim ex oratione duntaxat, neque ex testibus; sed ex sua conscientia & indagatione suffragium ferunt. Ad eundem igitur modum & vos, Athenienses, in hac facite controversia; ac primum nihil vobis sit credibilius eo quod ipsi scitis ac persuasum habetis de Timarcho: deinde rem æstimate, non ex præsenti, sed ex præterito tempore. nam qui tunc de eo fiebant ejusque studiis, eò quod veri essent, fiebant. qui nunc dicentur, fient vestri decipiendi causa. *Oratione in Timarchum.*

Halicarnassæus: Sæpe Lysias è vitæ ratione naturæque, sæpe etiam è prioribus actionibus ac studiis probando efficit, ut mores fide digni credantur *cap. 24. de antiq. Oratoribus.*

Aristides Sophista: Sicut orationum earum quæ in judiciis habentur, verissimæ censentur eæ, quæ pluribus ac celeberrimis nituntur testibus: ita creditis arbitror, de rebus in deliberationem cadentibus, eas potissimum sequendas esse, quibus plurimi adhibentur & probissimi testes. *Orat. ad Rhodios de concordia.*

Libanius: E criminibus, alia eo solo qui maleficium patravit, egent: alia in multitudinis societate vim suam habent. verbi gratia, attentavit quis interficere inimicum redeuntem à cœna. hoc vel solus præstaret, nec opus esset ad cædem socios advocare, neque præfari quid facturus esset iis quorum opera non egeret. Rursus, medicus veneno quendam interemit: aut quod ipse odisset, aut quod cædis pretium accepisset: nonne hic ex verisimilibus accusatus, meritò succenseret, atque assereret, adesse oportere eum qui contra se testificaretur. Quam ob causam? Quoniam sufficiebant, ipsi manus & ars ad scelus peragendum; non secus atque illi à quo inimicus jugulatus est, ensis cum manibus satis erant.

Et tamen illos vociferantes audimus; Ergone absque testibus perimus? ac plerisque justam eorum indignationem videri novimus. verùm tyrannis non tale quiddam est: atenim eam cupidè etiam affectantem, necesse est multis mentem & consilium aperire; & eum qui conscius est, Judices, multos etiam conscios habere necessarium est: ducem certè tyranno conscium esse, alios autem latere quòd sit conscius, ex eo planè genere est, quod fieri non potest. *Declamat. 28.*

Idem. Agedum si cùm hic argentum quibusdam daret, suaderet inde exclamare, quòd conscius & particeps consilij fuerim; num vobis satis superque esset, & me condemnandum esse arbitraremini? an non potius quinam essent qui hæc dicerent spectaretis, an mihi infensi essent, & ad falsa testificanda assueti? Deinde vos qui testibus præsentibus diffideretis; an his absentibus accusatoris verbis fidem haberetis? magnam me herculè copiam eorum qui calumniari vellent faceretis: qui nunc certè, quoniam aggrediendum est cum testibus, aut nugandi suspectum esse oportet, interdum etiam cunctabuntur: Iam verò si cognitum habuerint nihil opus esse indiciis & probationibus, sed solis criminationibus supplicium imminere, semper aliquis civium interierit. Omnium quippe facillimum est omnes deferendo, gnaviter impudentem esse. *Declamatione 28.*

Libanius: Aisne me tyrannidis conscium & consortem extitisse? probe prodeat ergo qui id se nosse jactat. testimonium de se judicibus perhibeat: juratis suadeat fore, ut cùm interfecerint me, non pererent. sic enim rectè instituitur accusatio. hic furatus est. quid fidem facit? hic & ille testificatur. qui accusatur, adulterij reus est. quò persuadebimur? à testibus. hoc idem in me servetur. conscius dux erat ei qui Tyrannidem affectabat. Id relatum est. igitur super relatione testes accerse: sive ingenui sive servi illi sint; quisquis nunc adest, eum voca, sive sagittarius, seu gravis armaturæ miles, sive eques, seu funditor, seu civis, seu externus. Nam in hoc respub. à tyrannide differt, quòd hic quidem satis sit dominum jubere, & confestim moriendum est: illic autem priusquam probatum sit, qui in reatu est, digna morte ausum fuisse, nefas est capitali pœna afficere. *Declam. 28.*

Libanius: In sermone cum adolescentibus habitis, quid opus fuit Pindaro & Simonide, & poëtis, post vocem Delphicam? quemadmodum si quis testes haberet. judices, his relictis cauponi cuidam attendere rogaret, omnia pecunia facturo. *Declamat. 29.*

¶ Poetarum.

Plautus Pænulo 3. sc. 2. v. 19.

Ergo nos inspicere aurum oportet istud Agorastocles,
Vt sciamus, quid dicamus mox pro testimonio.

Plautus Trucul. 4. sc. 3. v. 63.

Callicles, vide quæso homini ne facias injuriam.
Reus solutus causam dicit; testes vinctos attines.

¶ Apologi.

De Cane & Ove. *Anonymus.*

In causam canis urget ovem: sedet arbiter, audit.
Reddat ovis panem vult canis; illa negat.
Pro cane stat miluus, stat vultur, stat lupus: instant
Panem quem pepigit reddere, reddat ovis.
Reddere non debet, nec habet quod reddere possit:
Et tamen ut reddat, arbiter instat ovi.
Ergo suum, licet instet hyems, pervendit amictum,
Et Boream patitur, vellere nuda suo.
Sæpe fidem falsò mendicat inertia teste
Sæpe dolet pietas, criminis arte capi.

¶ Apophthegm. Sacri.

Salomon. Falsum testimonium non esse dicendum inde liquet, quòd à Dei spiritu falsi testes damnantur passim in Scripturis, & apud Salomonem, Proverb. 14. 20. & 24. 28 29. peribunt, inquit Proverb. 19. 5. 9. 28. & 21. 28. contrà, testis verus prodest, Proverb. 12. 17. & 13. 25. & 14. 5. 25.

¶ Monosticha Trochaica.

Adversus clientem nemo dicit testimonium.
Codicem suum citare pro teste, arrogantia est.
Comicum magni momenti quei sit testimonium?
Eximiæ est auctoritatis testimonium hostium.
Falso item circumvenitur testimonio innocens.
Ferre contra divitem ecquis testimonium audeat?
Multitudo non spectanda sed fides est testium.
Multitudinis grave esse testimonium nequit.
Nil opus verbis ubi adsunt rerum testimonia.
Nulla gratia odiumve prodat testimonium probi.
Pessimi est exempli, unius credere testimonio.
Plurimis se testis falsus implicat molestijs.
Plus valet opulentus unus testis pauperibus decem.
Pluris est auritus testis unus quàm oculati decem.
Qui se audisse dicet, testis is secundæ fit notæ.
Qui se quid vidisse dicit, testis est primæ notæ.
Quod cupis latere ne face, aut face absque testibus.
Sæpius testes veri falso opprimuntur crimine.
Testimonium verum est ab ore inimico quod venit.
Testimoniorum numerus haud valet ast auctoritas.
Testis à reo qui surgit, testium est gravissimus.
Testis est certa auris, oculus testis illa certior.
Testis est fidelis caussas mentiendi qui haud habet.
Testis unius credendum non est testimonio.
Teste fit mundo universo, teste quidquid fit Deo.
Teste non caret qui seipso judice absolvi nequit.
Teste non egent boni ullo: vita eis pro testibus.
Teste non eget, cui vita mille testium locorum.
Testium spectanda non est copia ast fidelitas.
Testibus boni haud egent: mores loco sunt testium.
Tollitur pars peccatorum magna, testis si tibi est.
Vitæ vox est audienda perpetua, non testium.

¶ Jambica.

Contra potentes nemo testari cupit.
Cuinam potest dicenti de ipso se credi?
De scelere etiam minore, haud uni creditur.
Duo quod sciunt, videtur probatum satis.
Gravior solet esse testis surgit qui à reo.
Gravissimumque hostile testimonium est.
Haud dictio homini servo testimonij est.
Idoneus re nemo testis in sua est.
In judicium quis adversaria protulit?
In teste nulla auctoritas domestico est.
Mortalium in re creditur nulli suâ.
Nil est puero quinquenni teste certius.
Nullius est servile testimonium.
Nullum locum esse testis expertem puta.
Pro mille sæpè est testis unus testibus.
Pro testibus fama ipsa multis publica est.
Quæ facta non sunt testem habere quei queant?
Rerum omnium ipse testis est præsens Deus.
Servo homini nulla testimonij dictio est.
Si testis adsit, rarius peccabitur.
Testis profectò est omnium rerum Deus.
Testes amor nullos verus desiderat.
Testes in omni adesse non possunt loco.
Vel mille præstat testes Conscientia.
Vel testis unus sæpius facit fidem.
Vnique testi nec Catoni creditum est.
Vnius infirmum hominis testimonium est.

Theatricæ rei.

¶ Sententiae Graecorum.

D*Ivus Nazianzenus:* Quæ porrò hæc ignominia erat? Mimi & histriones funus Iuliani ducebant, probrisque à scena petitis, ac ludibriis incessebant, nihil ex eis non facientes ac dicentes, quæ hujusmodi homines, qui petulantiam pro arte habent, perpetrare consueverunt. *Orat. 4. steliteutica altera.*

S. Isidorus Pelusiota: Scenicis, vir optime, summum hoc studium est, non ut per ipsorum cavillo multi meliores reddantur (qu:madmodum ipse dixisti, teipsum, & eos, qui te audiunt, decipiens) verùm ut multi peccent. Etenim in spectatorum improbitate felicitatem suam constitutam habent. Ita fit, ut si illi meliores efficiantur, sua his ars peritura sit. Quamobrem nec unquam eos, qui delinquunt, corrigere in animum induxerint, nec si velint, id possint. Mimica enim eorum ars naturâ tantummodò ad nocendum comparata est. *lib 3. epist. 336.*

Arrianus: Etenim bonus histrio cùm desinit quando oportet, magis conservatur, quàm cùm fabulam intempestivè repræsentat. *cap. 1. lib. 4. Epict.*

¶ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Histrioniam, saltatoriam, & hujusmodi lenocinia exercere, levitatis aut turpitudinis est. sed delectari in eis nunc ad otia, nunc ad flagitia accedit. si enim modestè fiat ad recreationem, sub ociandi licentia excusatur: si ad lascivientis animi voluptatem, cadit in crimen. hæc autem facillimè distinguit loci, temporis, modi, personæ, & causæ discretio. *lib. 8. cap. 12. Policr.*

Idem eodem cap. Perspicui ergo erroris est, ad fundamenta famæ ac gloriæ consumere vitam in talibus, quæ aut otiosæ occupationes sunt, aut flagitiosa negotia. Profectò sic delinquentium particeps est, qui eorum lasciviam exhibet: & auctor videtur esse luxuriæ alienæ, qui eam malit prosequi sumptibus aut favore, quàm persequi increpatione adhibita, & sumptibus denegatis. Siquidem Ambrosius auctor est, quia qui talibus donat, peccatum grande committit. hoc enim fovet in eis, in quo nequissimi sunt.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Alter alteri satis magnum est theatrum vir probus.

Cui placent theatra, vita est iis item theatrica.
Depudescimus spectacli publici, heu! infamia.
Depudicat & pudicas impudens spectaculum.
Impudentes impudenti reddimur spectaculo.
Impudica dum tuemur depudescere discimus.
In circum ac theatra vulgi plurima est licentia.
In spectantium improbitate, scænici est beatitas.
Moribus damnosa mundi sunt bonis spectacula.
Nil nisi oblectare gestit spectantes comœdia.
Nil queunt extra theatrum mimus ac funambulus.
Non potest manere purus quisquis impuris favet.
Omne desipit theatrum: carcer quilibet sapit.
Plurimum est illecebrarum in omnibus spectaculis.
Per theatra hostem spectare quem timueras, est volup.
Publice qui obscœna cernit, aut est aut fit impudens.
Queis sunt liberi, queis uxor, quidnam opus theatricis?
Qui libenter fœda spectat, & libenter perpetrat.
Quis queat redire impuro purus à spectaculo?
Vir bonus bono theatrum sat magnum alter alteri est.
Unde boni fiant meliores vix reperis comœdias.

¶ Jambica.

Circo ac theatris militem corruperis.
Græcis theatrum curia præbet vicem.
Ecquis loquentem extra scenam mimum ferat?
Impura specta impurus esse si cupis.
Ingrata pompa maximè est Circensibus.
Quæ fœda factu & fœda visu noveris.
Theatrum inire, ut exeat, Catonium est.

Videantur plura titulo, *Spectaculorum, Personæ, Scortationis, Voluptatis.*

Theologiæ.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Greg. Nyssenus:* Nunc quoque sunt, qui sicuti Athenienses illi, nulli alij rei vacant, nisi ut dicant & audiant aliquid novi, qui vel heri vel paulò antè absellulariis, plebeiis & servilibus opificiis prodierunt, subitarij atque tumultuarij quidam theologicarum sententiarum authores, forsitan famuli quidam & verberones à servilibus ministeriis profugi, magnificè nobis de rebus incomprehensibilibus philosophantur. Prorsus haud ignoratis ad quos oratio spectet. Omnia namque loca urbis talibus repleta sunt, angiporta, bivia, fora, plateæ: vestimentorum institores, mensis argentariis præfecti, qui esculenta nobis vendunt. Si quem eorum de obolis interroges, ille tibi de geniti & non geniti naturâ philosophantur: quòd si de pretio & æstimatione panis sciscitetis, pater major est, inquit, & filius subjectus: quod si lavacrum commodum esse dixeris, ille ex non entibus filium esse censet. Nescio quo nomine hoc malum oporteat appellare, phrenesin an furorem, aut aliquod eiu modi malum quod in populo grassetur, quod efficiat mentis perversionem. *Oratione de Deitate filij ac Spiritus sancti.*

S. Isidorus Pelusiota: Equidem sic existimo, eos omnem excedere audaciam, qui vitæ quidem optimæ rationem & curam habent nullam, interea verò de dogmatibus perpetuas agitant contentiones. Cùm enim ipsorum loquendi licentia occlusa sit non ostiis & sigillis, quæ quis fortè concutere & amoliri possit, sed divinis oraculis, quæ clamant: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Ipsi eò processerunt audaciæ, ut non solùm de justitiis, quas ejurârunt, disceptent: (minus enim fortasse mali hoc foret) verùm etiam de ineffabili & purissimâ naturâ divinâ contentiones ac certamina suscipiant. Talibus itaque ego suaserim, ne scelerato atque impuro ore, quantum in se est, lacerent res divinas, quæ iis quoque vix, ac ne vix quidem, sunt pervestigabiles, qui vitæ sunt probatæ atque innocentis: sed ut in se ipsos convertant atque exerceant illud examen & scrutinium. Ita fortassis fiet, ut maculas, quas sibimetipsis contra officium asperserunt, eas abstergant. *libro quarto epistola 126.*

Thesauri.

¶ Sententiæ Græcorum.

D. *Greg. Nyssenus:* Erat quidam in hac civitate, cujus nomen reticebo, ne videar mortuum nominatim traducere velle. huic fenerari lucrique aliquid ex detestandis usuris capere unica ars erat. corruptus autem hoc avaritiæ morbo, tenax & sordidus in seipsum suosque evasit, ut solent avari: quippe qui in mensa neque satis cibi apponeret, neque vestes unquam nisi summa necessitate coactus mutaret, neque liberis suis necessaria ad victum suppeditaret, nec balneis uteretur metu mercedis triobolaris, perpetuò in id unum intentus, quomodo semper magis atque magis pecuniæ numerum augeret. Neque quenquam satis fidum crumenæ suæ custodem arbitrabatur, non filium, non servum, non trapezitam, non clavem, non sigillum: in parietum angulis & recessibus, luto superillito, invisas divitias & ignotum asservabat thesaurum: deque loco ad locum, & de pariete ad parietem sine intermissione transferebat, ut hac ratione omnes lateret. Porrò derepente ex hac vita decedens familiarium nemini indicavit, ubinam aurum defossum esset: Defossus igitur est & ipse, hoc unum scilicet lucratus, ut & ipse defossus occultaretur. At liberi ipsius cùm sperarent, se omnium civium fore ditissimos, omnia perscrutabantur, ex aliis sciscitabantur, famulos examinabant, pavimenta ædium fodiendo aperiebant; parietes evacuabant, vicinorum & familiarium domos frequenter obibant, omnem movebant, ut dicitur, lapidem; neque tamen vel obulum inveniebant. Vivunt autem in præsenti vitam extorrem, domusque & foci expertem, quotidie patriæ stultitiam detestantes. *sub finem orationis contra usurarios.*

Philostratus: Quidam alteri agrum vendidit, in quo thesaurus erat nemini cognitus: nec ita multo post, terra dehiscens capsam qua continebatur aurum patefecit. hanc sibi terræ venditor deberi ajebat: neque enim terram fuisse vendituram si scivisset in ipsa id contineri, quo suæ vitæ satisfacere potuisset. At emptor è contrario dicebat, sua esse omnia, quæ empta à se terra continerentur. & justi aliquid utriusque sermo videbatur habere. Nec sanè prudentis viri arbitror, si partiri inter se aurum ambos jussefim. id enim & anicula quævis dicere potuisset. Ad ea Apollonius: Viros istos inquit philosophos non esse jam satis ex hoc cõijcere possum, quod pecuniæ caussa inter se certant. Tu autem optimè iudicaturus videris, si tecum ita fueris meditatus, Deos quidem inprimis eorum hominum curam habere, qui cum virtute philosophantur: secundo autem loco eorum qui peccatis quam minimis sunt obnoxij, quiq; nulli unquam injuriam attulerint. Tribuunt igitur philosophantibus quidem, ut divina humanaq; rectè noverint: his verò sufficientem victum præbent, ne quando necessariorum inopia compulsi, injusti quippiam perpetrare cogantur. Censeo igitur, ô rex, litigantium vitam quasi in libra suspensam diligenter inquiri oportere, & qui mores fuerint in utroque accuratè examinare. Neque enim arbitror Deos alteri quidem terram ablaturos fuisse, nisi esset vitiis inquinatus; alteri verò quæ sub terra erant dedisse, nisi venditore melior esset. Postridie igitur litigatores ambo ad tribunal venere, & venditor quidem, ut multorum testimonia probabant, vir erat superbus contumeliosus, & sacrorum contemptor, quæ terrestribus Deis sacrificare necesse est. alter, ut fama ferebat, mitis erat & justus & sanctissimus Deorum cultor. Victor igitur Apollonij sententia ex judicio decessit qui bonus erat; tanquam à Deis ejusmodi bonis donatus. *lib. 2 cap. 15.*

Libanius: Thesauros plerique nanciscuntur, non ij quos æquum est locupletari, sed quibus genius vel fors largitur. *Declamatione 28.*

Basilius Imperator: Thesaurum pecuniæ ama, non voluptatis, sed necessitatis causa: nempe ut aut egentium inopiam subleves, aut iis qui pro te mori parati erunt, sumptus suppedites. aliorum enim urgens pecuniæ cupiditas non solùm emolumenti nihil affert, sed magis etiam detrimentum parit. Opes enim, quæ virtutis ergo non coacervantur, vitiorum ferè ministræ sunt: quæ autem ad virtutis officia comparantur, possessorum animis & corporibus juvandis magnas afferunt utilitates, cùm aut egenis copiosè erogantur aut fortibus & fidelibus amicis impenduntur: utrumque enim beneficentiæ officium est, etiam si alio atque alio nomine inscribantur. *Cap. 34.*

¶ Poetarum.

Plautus Aululariæ 1. sc. 1. v. 28.

Scelestiorem me hac anu certe scio
Vidisse nunquam: nimisq; ego hanc metuo male
Ne mihi ex insidiis verba imprudenti duit,
Neu persentiscat aurum ubi est absconditum.
Quæ in occipitio quoq; habet oculos pessima.
Nunc ibo ut visam, sitne ita aurum ut condidi;
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.
S. Nec nunc mecastor quid hero ego dicam meo
Malæ rei evenisse, quamve insaniam,
Queo comminisci: ita miseram me ad hunc modum
Decies die uno sæpe extrudit ædibus.
Nescio pol quæ illum hominem intemperiæ tenent.
Pervigilat noctes totas; tum autem interdius
Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.
E. Nunc defæcato demum animo egredior domo,
Postquam perspexi salva esse intus omnia.
Redi huc jam intrò, atq; intus servo. S. quippeni,
Ego intus servem, an ne quis ædes auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus,
Ita inaniis sunt oppletæ atq; araneis.
E. Mirum quin tua me causa faciat Iupiter
Regem Philippum, aut Darium, trivenefica.
Araneas mihi ego illas servari volo.
Pauper sum fateor. patior: quod Dij dant, fero.
Abi intro. occlude januam jam ego hic ero.
Cave quemquam alienum in ædes intromiseris.

Quod quispiam ignem quærat, exstingui volo,
Ne caussa quid sit, quod te quisquam quæritet.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
Profecto in ædes meas me absente neminem
Volo intromitti atque etiam hoc prædico tibi,
Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris.

Plautus Aulul. 1. sc. 2. v 35.

Nam nunc cùm celo sedulò omnes, ne sciant;
Omnes videntur scire, & me benignius
Omnes salutant quam salutabant prius.
Adeunt, consistunt, copulantur dexteras.
Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram.

Plautus Aululariæ 4. sc 2. v. 3.

Edepol na illic pulcram prædam agat, si quis illam invenerit
Aulam onustam auri!

Plautus Aulular. 4. sc. 9. v. 13.

Heu me miserum! miserè perij, male perditus, pessimè ornatus eô.
Tantum gemitus & mala mæstitia hæc dies mihi obtulit,
Famem & pauperiẽ, perditissimus ego sum omniũ in terra.
Nam quid mihi opus est vita, qui tantum auri perdidi?
Quod custodivi sedulo? egomet me defraudavi,
Animumque meum, geniũque meũ. nunc eo alij lætificantur.
Meo malo & damno pati nequeo.

§ APOPHTHEGM. SACR.

Paulinus episcopus. Nolâ à Barbaris expugnata, quum Paulinus hujus urbis episcopus ab eis teneretur sic in corde suo, ut ab eo postea cognitum est, precabatur, Domine non excrucier propter aurum & argentum: ubi enim sunt omnia mea tu scis. Ibi enim habebat omnia sua ubi eos condere & thesaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixerat. *Augustinus, lib. 1. de civit. Dei, cap. 10.*

Constantinus Imperator. Vbi multus & creber sermo esset de Constantio Imperatore, Constantini magni patre, passim fama pervagatus esset, quòd mansuetus ac spectatus, quod homo ardenter vitæ sanctimoniam sectaretur, quòd propter incredibilem in eos qui ipsius parebant imperio, clementiam & benignitatem, nullum thesaurum sibi omnino reposuisset: Diocletianus, qui id temporis summum Imperii gradum obtinebat, legatis ad illum missis, dissolutam ejus in Republica administranda negligentiam graviter increpare cœpit, paupertatem tanquam probrum objicere: hocque ad rei confirmationem argumenti loco usurpare, quod nihil prorsus pecuniæ haberet in thesauris reconditum. Hic tum legatos qui ab imperatore venerant aliquandiu moram facere precatus, ex omnibus gentibus suæ ditioni subjectis, eos qui maximis divitiarum copiis circumfluebant, in unum convocavit: Pecunia dixit sibi opus esse: & illud tempus opportunè oblatum, quo quemque propensum studium & benevolentiam erga Dominum ac regem suum, declarare par esset. Quo audito, hanc occasionem quæ diu ipsis in optatis fuisset, benevolæ suæ in illum voluntatis perspicuè testificandæ statuentes, abjecta omni cunctatione, maturè auro & argento, & aliis opum facultatumque generibus æraria ejus complere laborant, studio quodam & ardore ipsos inter se, quo alius alium in largiendo superaret, vehementer contendunt, hocque præstiterunt valde læto & hilari vultu. Qua re confecta, Constantius legatos à Diocletiano missos, thesauri sui spectatores fieri voluit. Quos testes fore jussit eorum quæ oculis vidissent: illisque retulit, quemadmodum thesaurus ille qui in præsentia in ipsius æraria collectus erat & conditus, jampridem fuisset apud pecuniæ suæ & divitiarum Dominos, tanquam custodes tutissimos conservatus. Istos igitur rei gestæ permagna cœpit admiratio. Imperator autem benignissimus, post eorum discessum, pecuniæ illius dominos denuò accersit: illosque cum obsequii ac singularis benevolentiæ causa humanissimè tractavisset, suis receptis omnibus facultatibus domũ everti jubet. *Eusebius de vita Constantini, lib. 1. cap. 10.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Beneficium probè locatum, gazæ habe loco inclita.
Cui domi est thesaurus, inter mille vitam agit cruces.
Comparat vivum quisquis amicum thesaurum comparat.
In metallum de metallo effossum quodque revertitur.
Mens ubi est cujusque, ibidem ejus & thesaurus est.
Nec fodit thesaurum humanus, nec repertum aufert sophos.
Pars mendicitatis est clam si fodis pecuniam.
Qui regis curat thesauros perpeti cura madet.
Quo loco abditur thesaurus, carcer est ibidem opum.
Quo loco obruit thesaurum nemo oblitus adhuc senum est.
Regibus, thesauri amici sunto, non pecunia.
Regibus vicem thesauri, templorum præstant opes.
Tam malus potest thesaurum repperire quam bonus
Vir sibi nec obvenire thesaurum velit bonus.
Vis thesaurum habere perennem? fac beneficus sis probis.

§ JAMBICA.

Edepol na tu, Aula, multos inimicos habes.
Dites amici, pro thesauro Regibus.

Sors objicit thesaurum, non industria.
Thesaurus est mali omnis, uxor improba.
Thesaurus est, beneficium datum probo.
Thesaurus usque plenus beneficentia est.
Vbi quis reperit thesaurum, ibi consecrat locum.

Timoris.

§ SENTENTIÆ PATRUM

D*ivus Chrysostomus:* Quid dicis? Paulus quoque timebat pericula? Timebat, & valde formidabat. Nam etsi erat Paulus, erat tamen etiam homo. Hoc autem non erat crimen Pauli, sed naturæ quidem infirmitas, instituti autem & electionis encomium; quod cùm mortem timuisset & plagas, propter eum metum nihil fecit indignum. Qui autem dicunt eum non timuisse plagas; non solùm eum non extollunt, sed etiam multum detrahunt de ejus laudibus. Nam si non timebat, quænam erat animi fortitudo? aut quænam philosophia ferre pericula? Ego enim propterea eum admiror: quòd timens & non solum timens, sed etiam pericula exhorrescens, perpetuò cucurrit coronatus, & in nullo cessit periculo; orbem terræ expurgans, & ubique terrarum & in toto mari seminans prædicationem. *Homilia 6. ad Corinthios 1.*

Basilius Seleuc: Eorum timor est qui quid offenderunt. *Oratione 39. m.*

S. Chrysologus: Malus timor culpæ, bonus reverentiæ timor. *Sermonis 80. medio.*

Io. Saruberiensis: Timor sicut modestiæ cognatus est, ita familiaris est sapienti; non ille tamen qui mentem turbat, & quasi turbine quodam rationis & intelligentiæ præstringit oculum, sed qui componit animum, & quasi humilitatis fomes hominem reddit ad omnia virtutis officia aptiorem. *capite secundo libri septimi. Policratici.*

§ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Arrianus. Si quis nosset, vel sua, vel aliena, nunquam angeretur, nonne ita se res habet? Timet igitur quisquam ea quæ mala non sunt? Non. Quid ergo? ea quæ mala cum sint, tamen caveri possunt ne eveniant: Nullo modo. Si igitur ea quæ deliberationem non habent, neque bona neque mala sunt: quæ autem in deliberationem cadunt, in potestate nostra sunt omnia, neque à quoquam nobis vel adimi vel tribui possunt, nisi velimus, quem jam locum habet anxietas? Verum de corpusculo soliciti sumus, de recula, de voluntate Cæsaris: de interna vero re nulla. Nunquid de opinione non falsa? Non. Nam penes me est. Nunquid de appetitu naturæ contrario? Ne de hoc quidem. Cum igitur quempiam pallere vides, quemadmodum medicus ex colore dicit, hujus splenem, illius hepar laborare: sic & tu dicito, istius appetitionem & aversationem laborare, non recta progredi vita, æstuare, febricitare. Neque enim quicquam aliud colorem mutat, nihil aliud tremorem aut dentium dolorem facit: Genua labant huic, atque pedes subsidit in ambos. Quapropter Zeno conventurus Antigonum, non angebatur. Nam quæ ipse magni faciebant, eorum ille nihil in sua potestate habebat: quæ autem ille habebat, ipse non curabat. Antigonus autem Zenonem conventurus angebatur: neque id injuria. volebat enim ei placere, id quod extra ipsum positum erat. Hic autem illi placere non volebat, sicut nec alius artifex artis imperio. *cap. 13. lib. 2. Epict.*

Arrianus: Quas res admiramur? externas. Et dubitamus qui fiat, ut timeamus? ut æstuemus. Quid ergo? Fieri ne potest, cùm ea quæ inferuntur, mala judicamus, ut non metuamus, non æstuemus! Dicimus: Proh Deum fidem, quid agam ne æstuem? Stulte, manus non habes? Non tibi fecit eas Deus? Nunc ergo sedens precare, ne pituita tibi defluat. Emunge potius, nec accusa Deum. Quid ergo? hic nihil tibi dedit? Non dedit tibi tolerantiam? Non dedit tibi magnitudinem animi? Non dedit fortitudinem? Tot manus cum habeas, adhuc requiris eum qui te emunget? Verum nos hæc neque meditamur; neque curamus. Alioqui dato mihi aliquem qui curet, quo pacto aliquid acturus sit? Qui solicitus sit, non de aliqua re consequenda, sed de actione sua recte gubernanda? Quis cum deliberat, ipsam respicit deliberationem: ac non potius de eo consequendo laborat, cujus gratia deliberat? Qui si voti compos fit elatus ait: Quam prudenter deliberavimus? Non dicebam tibi frater, si nos rem quampiam consideraremus, non posse fieri quin ita eveniret? Sin secus ceciderit, abjectus est miser, nec quid dicat de iis quæ acciderunt reperit. Quis nostrum hujus rei causa vatem adhibuit? Quis nostrum actioni suæ non indormiit? Quisnam? unum mihi date, ut eum videam, quem jam longo tempore quærito, qui revera sit nobilis & ingeniosus: sive adolescentem, sive natu grandiorem date. Quid ergo miramur adhuc nos in rebus caducis exercitatos esse: in actionibus autem humiles, fœdo, nullius pretii, timidos, delicatos, calamitates quanti quanti sumus? Neque enim hæ nobis curæ fuerunt, neque in iis nos exercemus. At si non mortem aut exilium timeremus, sed timorem ipsum: operam daturi essemus ne incideremus in ea quæ mala nobis viderentur.

Nunc

Nunc in schola expediti & verbosi, cùm tali quapiam de re quæstiuncula inciderit, instructi sumus ad reliqua etiam prosequenda. Sed si verba ad rem conferenda fuerint: invenies miseros naufragos Incidat cogitatio terroris: tum cognosces quid meditati fuerimus, & ad quid nos exercuerimus. Iam in hac meditationis neglectione subinde quædam accumulamus, & majora quam re ipsa sunt affingimus. Statim ego cum navigio, de rectis in profundum aut pelagus oculis, cum circumspicio, ac terram nusquam prospicio, extra me sum, & cogitans esse mihi totum pelagus ebibendum, si fecero naufragium, illud non reputo, tres sextarios esse mihi satis. Quid ergo me perturbat? Pelagus? Non, sed opinio mea. Rursus ingruente terræmotu, totam urbe in me casuram mihi fingo: quasi vero non parvus lapillus sit satis, ad elidendum & dissipandum cerebrum meum? *lib. 2. cap. 16. Epict.*

Philostratus: Demetrio jam strepitus equitum aures suas percutere videbatur, quos ad Apollonium persequendū à tyranno missos opinabatur. *lib. 8. cap 6.*

Themistius: Civitas ipsa porrò vehementiorem in modum perculsa, nam & illius cor metu palpitabat, & lingua præ stupore balbutiebat cùm dissimulare timorem suum vellet, facile tamen deprehendebatur, eò quod ex animi commotione identidem colorem mutaret, & doloris esset impatiens, nec quod ageret satis expediret. *Oratione 24.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Ranis. v. 474.

—— Animus deficit.
Age ad cor applica tu spongiam mihi.
X. Eccam tibi. B. applica, ubi est? X. ô aurei Dei,
Hicne cor habes tuum? B quia mihi præ metu
In anum descendit.

Plautus Amphitr. 1. sc. 1. v. 180.

—— Timeo, ac torpeo,
Nec edepol nunc ubi terrarum sim scio, si quis roget:
Neq; miser me commovere possum præ formidine.
Ilicet mandata heri perierunt una & Sosia.
Verùm certum est confidenter hominem contra colloqui,
Igitur qui possim videri huic fortis; à me ut abstineat manum.

Plautus Mostellar. 2. sc. 1. v. 62.

Pluma haud interest, patronus an cliens propior siet
Homini, cui nulla in pectore est audacia.
Nam cuivis homini, vel optimo, vel pessimo,
Quamvis de subitò facile est facere nequiter.

Plautus Mostellar. 5. sc. 1. v. pr.

Qui homo timidus erit in rebus dubijs, nauci non erit.

Deinde v. 11.

Facio idem, quod plurimi alij, quibus res timida, aut turbida est:
Pergunt turbare usq;, ut ne quid possit conquiescere.

Plautus Pseudolo 2. sc. 1. v. 2.

Neq; quod dubitem, neq; quod timeam meo in pectore conditum est consilium.
Nam ea stultitia est, facinus magnum timido cordi credere. nam omnes
Res perinde sunt ut agas, ut eas magnifacias.

Terentius Adelph. 4. sc. 4.

Discrucior animi. hoccine de improviso mali objici
Tantum, ut neq; quid de me faciam, neq; quid agam, certum siet?
Mēbra metu debilia sunt: animus timore obstupuit. pectore
Consistere nihil consilij quidquam potest.

Terentius. Phorm. 1. sc. 4.

Non sum apud me. G. atqui opus est nunc cùm maximè, ut sis Antipho:
Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur
Commeruisse culpam. PH. hoc verum est. AN. non possum immutarier.

Terentius Phormione. 2. sc. 2.

—— Metuit hic nos, tametsi sedulò
Dissimulat.

¶ EMBLEMAT.

Catsius Emblemate Ethico XXVI.

Pessimus interpres rerum metus.

Horrendo pavidas hinc territat ore puellas,
Inde cavo risum cortice Larva movet.
Deterior vero rerum succurrit imago,
Et falsa miseros anxietate premit.
Auget homo proprios animo plerumq; dolores,
Inq; suam mens est ingeniosa necem?
Eja age terribilem rebus miser abripe larvam:
Ludicrus error erit, quod modò terror erat.

Catsius Emblemate Sacro XLVII.

Qui vanos pavet metus, veros fatetur.

Pressa sua sub mole domus testudo laborat,
Pulvereamq; gravi corpore verrit humum.
Vt videt hanc fugit, osq; tremens post terga reflectit
Simia, nec tutam se putat esse fuga.
Ad sonitum culicis, motaq; ad arundinis umbram
Impius, & nullo terga premente, fugit.
Conscia mens sceleris formidine tota liquescit,
Tunc quoq; cùm pavidi causa timoris abest.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIAN.

Mauricius Imperator. Chamæleontem, quòd timeat ad quemvis aspectum, quosvis etiam colores induere, auctor est Plinius. ita hominem timidum ad insidiosas artes confugere, docuit Mauricius Imp: cùm enim sibi per somnium revelatum esset, se à Phoca interimendum; primo manè Philippicum nobilem accersit, & qualis sit Phocas, inquirit. ille, Homo timidus, ait. Subjecit Imperator: *Si timidus, homicida est, & crudelis.* atque ita postmodum miserè in se expertus est. *Georg. Richterus in Axiom, Politicis. c. 182*

Eques Anonymus. Hujus autem rei causam, cur timidus omnis crudelis sit, percontatus quidam equitem generosum, illam ab eo accepit: *Homo timidus, in illud solùm incumbit, ne sit superstes vindex injuriæ.* Hinc ergo est, quòd hostem suum è medio semper tollere conetur. *Ibidem.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Attulit causas timendi multis, posse timerier.
Culpa ubi nulla est, timere mens tamen solet bona.
Dura sors sedendo vires duplicat paventibus.
Est timentis, perpeti id accidere quod nolit sibi.
Expers est timoris omnis qui nil commisit mali.
Falsus est formido vates; auguratur pessima.
Fortium mentes virorum sæpe item domat timor.
Haud necesse habet timere quempiam, se qui timet.
Id solùm timet timere quod primum capit pavor.
Mavelim nimis videri timidus, quam prudens parum.
Maximè timor sibi fingit, quæ exsecratur maximè.
Mortuus lupus timori est mortuis vervecibus.
Naturale est quem times odisse, & perdere quem oderis.
Ne pingues time ac comosos, sed macros & pallidos.
Nemini non flagitioso est tuta inter suos timor.
Neminem timet nullius conscius sibi mali.
Nil paventius columba, nilque ea facundius.
Non timor res solùm intuta est; cuncta intuta etiam facit.
Nulla nascitur timeris causa, cuncta si times.
Optimum in vita est timere præter seipsum, neminem.
Omne credit eventurum quod timet mens anxia.
Pessimam vitam anteponit optima mortis timor.
Plurimum de eo timemus, spes est de quo plurima.
Promptus in pavorem agrescit longa sollicitudine.
Quam mage occulunt pavorem tam sese prodit malis.
Quam magis calatur ipse se magis protulit timor.
Quàm magis tegis timores, tam magis facis palam.
Quamvis est intactus odit quisq; quem timet sibi.
Qui verentur cùm haud opus est, minimè verentur cùm est opus.
Quo minus timoris, hoc est & magis periculi.
Rebus in cunctis, magister non ineptus est.
Si quantum potest timetur miseriarum haud est modus.
Si venerabilis non est, tamen est verendus conscius.
Stultitia est ea facinus magnum timido cordi credere.
Sunt quoq; se qui commovere nequeunt præ formidine.
Te time ipsum, si timeri postulas à nemine.

¶ JAMBICA.

Apud timentes, falsa pro veris valent.
Calcat timorem sors rerum extremissima.
Credit timor pejora quæ sunt omnia.
Domi timeri tam molestum, quam foris.
Etiam suamet consilia formidat pavor.
Facile est timenti persuadere pessima.
Formidolosus, umbram etiam timet suam.
Formidolosi flere non solet parens.
Gravissimum suppliciorum omnium timor.
Heroa virtus nescit ignavos metus.
Ipsum verere te, & verebere neminem.
In ore sanguis non manet timentibus.
Iniquus arctis suasor est rebus timor.
Is scit vereri, scit vereri qui in loco.
Larvas timere propriè est infantium.
Malum suum antecedit, usque qui timet.
Mens esse id omne quod timet semper putat.
Minimè timetur illud redimi quod potest.
Miserrimum est timere, cùm speres nihil.
Multi timorem magnidicis velant logis.

Multis timendus, multos invicem timet.
Minus dolet malum quod fers quam quod times.
Nihil potest timere, leges qui timet.
Nil est quod in majus timor non augeat.
Non accipit sacra Hercules timentium.
Nullus Deorum plus quàm Pluto pratimet.
Numquam satis si quis vereri ipsum queat.
Pavor sapientiam omnem ex animo expectorat.
Persæpe quem timemus ipse nos timet.
Persæpe ratio quod nequit, præstat timor.
Qui desiit sperare, timere desinit.
Qui cuncta timet nil ei quod timeat nascitur.
Qui non veretur homines, nec Deos colit.
Qui se potest timere, neminem timet.
Quid pertimescam, cui beneficium est mori?
Quod quis timet ne patiatur, patitur metu.
Rarissimè animal capitur omne quod timet.
Reges quidem timemus, at Leges magis.
Regum timore nulla res funestior.
Semper redundat ipse in auctores timor.
Semper timet, quidquid meretur, improbus.
Solùm timet qui effugit ante fulmina.
Tantum timet quantum nocet vir impotens.
Timere multos non vis: unicum time.
Timor mali plus obtinet, quam spes boni.
Totum evenire quisq; credit quod timet.
Vani timoris haud justa excusatio est.
Vani timoris nulla est æstimatio.
Vbi est timor, modestia omnis exulat.
Vbi est timor, nihil timendum nascitur.
Vulgi pavor quid semper audito adstruit.

Timoris Dei.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

CLemens Alexandrinus: Etiam timor est principium dilectionis, qui fit per incrementum fides, deinde dilectio. Sed non sicut feram & timeo & odi, ita etiam patrem vereor quem timeo & amo. Rursus timens ne castiger, meipsum diligo, timorem eligens. Qui timet offendere patrem, seipsum diligit. Beatus ergo qui invenitur fidelis, dilectione & timore contemperatus. Fides autem est virtus ad salutem, & potentia ad vitam æternam. *libr. 2. Stromatum.*

D. Chrysostomus: Non timidũ esse est crimen, nam hoc est naturæ, sed propter timorem aliquid facere ex iis quæ nõ decet fieri. n. potest ut qui est natura timidus, fortis magnique & excelsi animi fiat à pietate. *Homil 33. ad Corinth 1.*

D. Chrysostomus: Nefas est eum qui sine timore vivit præclarum quippiam, & admirandum edere. Cedo enim, quis literas sine timore didicit? quis artem tenuit sine timore? quod si ubi non imminet diabolus, sed sola negligentia impedimento est; tanto opus est labore, ut solam illam naturalem negligentiam vincamus; ubi tantum impendet bellum tanta impedimenta; qui fieri unquam poterit; ut sine timore Salutem consequamur? sed qua ratione hic in nobis excitabitur timor? si illud in animo habuerimus: ubique adesse Deum, omnia audire, omnia videre: non ea solum, quæ fiunt, aut dicuntur, sed etiam quæcumque in cordibus, & recessu mentis latent. Discretor enim est cogitationum & intentionum cordis. Si ita nos ipsos præparaverimus; nihil cum improbitate conjunctum faciemus, nihil dicemus, nihil cogitabimus. Dic enim mihi; si tibi perpetuo in conspectu Principis standũ esset; nonne cum timore stares? Et qui fit; ut quum Deo adstes; rideas, & osciteris; nec timeas, neque contremiscas? Toleratione illius per contemptum ne abutitor: Ideo enim cunctatur; ut te ad pœnitentiam adducat: neque quum quidvis tibi faciendum est, sine hac cogitatione facere adducaris, omnibus factis interesse Deũ. Interest enim omnino. Ergo sive comedas, sive dormitum eas, sive irasceris, sive rapias, sive in deliciis agas, sive quidvis aliud facias; crede interesse Deum; ac nunquam in risum incides, nunquam ira accenderis. Si hanc perpetuo retinueris cogitationem, perpetuo in timore ac tremore eris; quippe qui in conspectu regis adstes. AEdificator, etiam si bene peritus sit, ac bonus artifex, cum timore tamen, ac tremore stat metuens ne ab ædificio decidat. Ergo & tu, qui credidisti, multa virtutis officia functus es, ad excelsum quemdam gradum pervenisti; te ipsum in tuto contine, & cum timore sta, atque oculos aperi ne inde decidas. *Homil. 8 ad Philippens.*

¶ LATINORUM.

Zeno: Timoris quidem vocabulum est unum: sed accedente ratione timor discernitur à timore: sunt enim duo: unus Dei, alter, qui naturæ sit naturæ in homine nascitur: Dei autem & discitur, & docetur: quia non in trepidatione, sed in doctrinæ ratione consistit: sicut scriptum est, Venite filii, audite me: timorem Dei docebo vos. Naturalis ergo non discitur, sed impulsu nobis nostræ infirmitatis occurrit: quia non artis est timere, quod metuas: metuis autem, quod tibi nolis accidere. Existit quippe diversis ex modis, cum aut exæstuat aliquo reatu conscientia: aut cum hostilis imminens manus gladio salutem præmit: aut cum viantis itineri erectus in morsum ardentibus squammis, incensus, tumidus sese anguis opponit: aut dorsa fugientis affectant cædem vicino fremitu ferina rabies onerare tentaverit: vel cum amissis gubernaculis inter compugnantes fluctus, ac flatus gemens parturit carina naufragium. Inter hæc omnia deterior est conscientiæ timor: quia quæ diximus, & alia his similia cum passibilitate sui transeunt: timor conscientiæ non deletur. *Serm. de timore, ipso principio.*

Zeno: Si omnes, qui timent Dominum, beati sunt, non beatus est nullus: quia nulla gens est, nulla sunt pecora animantium, denique nulla natura, quæ non timeat Deum. Cum gravamur rumpentibus sonis, concussis undique carminibus, cum præter morem terrifico fragore intonans concrepat cælum, cum inter cæcas, pinguibus conductus nubibus tenebras crebræ micantes curvis ignibus flammæ intercepti diei lumen incunctanter assimilant, cum ardent plura fulminibus, cum terra vel tremit, vel hiatu se recipit in se, nullus hic beatitudinis locus est, ubi non devotionis, sed necessitatis est, quod timetur. Itaque audiamus scripturam, quid dicat, cuius ista sunt monita. Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus postulat à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum: & ambules in omnibus viis eius: & diligas eum: & custodias præcepta eius ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: & benè sit tibi? Videtisne hunc timorem nobis necessarium: qui in Dei amore consistit: qui voluntate sua se parit: divinæ legis agnitione construit decorem: ad omnia genera virtutum intrepidus corrigit: præceptis omnibus fideliter obtemperat: inchoatus innocenter vivit: justitiam percolit: sine fine studet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat. *Serm. de timore.*

Chrysologus: Amare non potest, qui satis timet hinc est, quòd mũdus perire maluit, quam timere: pavore mors ipsa levior. Deniq; Cain ubi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petit, requiem credit si periret. Et quid dicam Cain? Elias ille ubi sensit toto se timore aspergi, repetebat quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quàm timori. Petrus quoque dominicæ virtutis timore turbatus Christum ut à se discederet supplicabat. Discede, inquit, à me, quia homo peccator sum. Hoc dicebat, quia quicquid erat amoris & fidei, pondus pavoris extinxerat: sic timor nisi amore fuerit temperatus, quamvis devotam servitutem efficit contumacem. *Serm. 148. pr.*

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Israelitæ & Moses: Quum perciperent sonos terribiles in monte Sinai, dum legem suam Deus traderet Mosi, editos, fulgetra item & sonum tubæ, montemque ipsum fumantem, commoti sunt loco & steterunt procul, dixeruntque ad Mosem, Loquere tu nobiscũ & audiemus: sed ne loquatur nobiscum Deus, ut non moriamur. Edixit verò Moses populo ipsi, Ne timeatis, nam ut tentaret vos venit Deus ipse: & ut sit timor ejus ante faciem vestram, ne peccetis: *Exod. 20. vers. 28. 18. 20.*

Iesus Christus Dominus noster. Discipulos suos ad officium strenuè exequendum hortatus, addidit, Dico vobis amicis meis, Ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, & postea non habent quod amplius faciant. Præmonstrabo autem vobis quem timeatis, timete eum, qui postquam trucidarit, præditus est auctoritate injiciendi in gehennam: etiam dico vobis hunc timete. Nonne quinque passerculi væneunt assariis duobus, & unus ex iis non est in oblivione apud Deum? quinetiam capitis vestri omnes numerati sunt. ne igitur timere: multis passerculis præstatis. *Luc. 12. 4. 5. &c.*

Fridericus III. Imp. Interrogatus, quinam sibi carissimi essent? Qui me, inquit, non magis quàm Deum timent. *Ioann. Petros. in convivalib. quæst.*

Tituli.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

S. *Chrysologus:* Reges triumphorum suorum titulis nuncupãtur, & subjectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomina. *Serm. 57. m.*

¶ ORATORUM.

Plinius Iunior: Est via Tiburtina intra primum lapidem monumentum Pallantis, ita inscriptum: Huic Senatus ob fidem pietatéque erga patronos ornamenta prætoria decrevit, & sestertium centies quinquagies: cujus honore contentus fuit: Equidem nunquam sum miratus, quæ sæpius à fortuna, quam à judicio proficiscerentur. maximè tamen hic titulus me admonuit quàm essent mimica & inepta quæ interdum in hoc cænum, in has sordes abjicerentur: quæ denique ille furcifer & recipere ausus est & recusare, atque etiam ut moderationis exemplum posteris prodere. Sed quid indignor? ridere satius est, ne se magnum aliquod adeptos putent, qui huc felicitate perveniunt, ut rideantur. *Epist. 29. lib 7.*

Symmachus: Iuvet alios titulo ſublimitatis attolli. Ego magnificentiæ appellationem recuſo : niſi fortè me improbum putas, quòd honori tuo eadem delenimenta non defero. Amor fictus in illa verba ſummittitur. Amicitiæ cultus ingenuus eſt. Alba velamina, non ſegmentati amictus fidem veſtiant. Quò mihi altus reverentiæ gradus? Amari à fratre malo quàm ſuſpici. *libr. 4. Epiſtol 42.*

Tolerantiæ.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chryſoſtomus*: Quemadmodum egregius athleta ob probam corporis habitudinem, etiam cùm duntaxat cernitur, atque artem in ſeipſo continet, homines in admirationem trahit; at cùm operatur, & plagas perfert, atque adverſarium ferit, tùm deniq; potiſſimùm elucet, quoniam tùm denique bona ipſius habitudo vim ſuam exeritur artiſque præſtantia declaratur: eodem modo ſalus noſtra tùm luculentiùs agitur, hoc eſt, oſtenditur, augetur, amplificatur; cùm tolerat & patitur, ac cuncta forti & ſtrenuo animo ſubit. Ex quo colligitur; ſalutis negotium non in hoc conſiſtere, ut quiſpiam alium malo afficiat; ſed ut ipſe afficiatur. *Homilia 2. ad Corinth. 2.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quonam pacto virtus in infirmitate perficeretur, paucis exponam. Quandoquidem enim Apoſtoli cùm flagris cæderentur, eos, à quibus cædebantur, ſuperabant, & cùm vexarentur & exagitarentur, vexatores ſuos vincebant, & cùm mortem opperterent, vita præditos in fugam vertebant, ob eam cauſam Dominus his verbis uſus eſt. Nova enim erat hæc vincendi ratio, ut per contraria victoriam adipiſcerentur, nec unquam ſuccumberent, verùm, perinde ac ſi certaminis exitus in ipſorum arbitrio ac poteſtate ſitus eſſet, ita ad certamina progrederentur. Atque, ut hoc clariùs perſpicias, animadverte quemadmodum nefarii illi ac peſtiferi Iudæi eos tanquã irretitos tenerent, & tamẽ sũma cõſilii inopia premerẽtur, ac dicerent, Quid faciemus his hominibus? Nã hoc demum erat, quod admirationem efferebat, atq; ab hominum ſenſibus alienum erat, omnemque ſtuporem excedebat, quòd cùm eos tenerent, ac vinculis coercerent, verberibuſque afficerent, tamen in ſumma animi anxietate verſabantur, eaſque quæ victis conveniebant, voces emittebant, per eas videlicet res victi ac ſubacti, quarum ope victoriam ſibi opinionis errore fingebant. Nam quæ ad eorum dedecus & infamiam moliebantur, hæc ad eorum gloriam redundare conſpiciebant. Verè itaque Dei virtus in Apoſtolorum infirmitate uberiùs elucebat. Non enim negotia ſubeuntes, atque aciem contrà inſtruentes, nec arma fabricantes ac militares copias contrahentes, verùm animum duntaxat ad perferendos dolores præparantes, hac ratione trophæa ubique ſtatuebant. *lib. 3. Epiſt. 182.*

S. Iſidorus Peluſiota: Spe bonorum illorum, quæ dabuntur iis, qui trophæa ſplendida contra vitia ſtatuerint, teipſum armans, & undique probè te muniens, & precibus hunc murum firmum efficiens, repelle triſtitiæ aſſultum. Nam vel generoſum animum ſubigere valet, niſi aſſiduè ille in cognitione coronarum occupatus, toleraverit adverſa ac triſtia. *lib. 4. Epiſt. 138.*

Baſilius Seleuc. Infirmiorum eſt non à principio contra adverſa altos ſpiritus capere. deinde ſi tempeſtas inevitabilis ingruat, & crebrò petamur inſidiis; tunc pati ut Deo collibitum erit, quàm non pati, anteferendum eſt. *Oratione 32. circa finem.*

❡ LATINORUM.

Zeno: Impatientiæ natura talis eſt, ut nunquam moretur in propriis, ſed in publicum tota diffuſa ſit; diffamationibus vigeat; huc atque illuc æſtuans variè cæca prorumpat. victa ſit autem, ſi diſſimulatio celebritatem ejus obſcuret. *Serm. de patientia.*

❡ PHILOSOPHORUM.

Simplicius: At Lacedæmoniorum adoleſcentes, terribilem illam flagellationem ultro gloriolæ tantum cauſa iuſtinebant, tolerantia pene ad necem uſque declarata, idque eos æquis animis & alacres feciſſe conſtat. Alioqui enim ultro in tale certamen non deſcendiſſent. Sic autem erga illos cruciatus affecti erant non quin cruciarentur, etſi fortaſſe minus quam inexercitati & delicati: ſed quod perſuaſum haberent, cruciatus eſſe ornamenta potius & cõmoda viriliter eos tolerantibus & ſine perturbatione, quam malum. *ad cap. 9. Epict.*

❡ EMBLEMATSS.

Batillius. XIII.

In ventos non reflandum.

Quæ te cunq; premat fortuna injuria, perfer,
Quoque vocat ſuperans, flectere diſce viam.
Stultus, in adverſos verſus qui obnititur Euros,
Inflato & contra turgidus ore reflat.

❡ MONOSTICHA TROCHAICA.

Eſt veri æqua ferre mente fors quod ipſamet feret.
Fortis ille non eſt qui infert, ſed qui fert injuriam.
Lædenti incutis pudorem læſus ſi non obſtrepis.
Non optabile eſt tormenta ferre at ferre fortiter.
Nupſit Herculi aurea Hebe ſed peractis jam malis.
Perfer obduraq; quondam proderit tibi hic labor.
Peſſima promptius cũ amicis, quam optima ſolus perferas.
Qui bonum ſuum olim ferre noluit, perfert malum.
Quidquid accidit boni aut mali omne ferto fortiter.
Quo magis fortuna ſævit, hoc reſiſtito magis.
Quoniam id fieri quod vis non poteſt, velis id quod poteſt.
Sæpe qui tulerant majora ferre non queunt minus.
Si vir es malis ne cede, ſed contra ito audentior.
Sic ut quimus, agimus; quando ut agere volumus, non licet.
Tetrius nil intolerantià atque incontinentia.
Vt lubet, quod tibi lubet, fac; quando pugnis plus vales.

❡ JAMBICA.

Accipere præſtat quam referre injuriam.
Feras licet malum moleſtè, haud corrigis.
Ferenda ſunt Fortuna quæ dat fortiter.
Magnum eſt malum, non ferre poſſe quid mali.
Nil malleorum curat incus verbera.

Torturæ.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Greg. Nyſſenus*: Erant non in verborum duntaxat minis terrores: ſed unà cum his varius carnificinarum & tormentorum apparatus omnem afferebat concuſſionem, etiam ante periculum hominibus formidinem injiciens. Enſes, ignis, beſtiæ, ſcrobes & foveæ: item inſtrumenta, quibus membra conſtringerentur: tum ferreæ ſellæ ignitæ: tum ligna erecta: in quibus ſtantium corpora dum intenderentur, terribilium unguium violentis admotionibus lacerarentur. Atque alia item innumera ad varia corporum tormenta exquiſita ab iis excogitabantur: ac ſtudium iis, qui eas poteſtates ſuſceperant, unum erat, ne quiſquam alteri ſecundus exuperantia ſævitiæ mitior videretur. *Orat. de vita Greg. Thaumatur.*

S. Iſidorus Peluſiota: Cùm ſapiens veritatis inventum habeas multiplicem tormentorum machinam, timore ad judicium utere. quandoquidem te terrorem improbis divina lex conſtituit. *lib. 1. Epiſt 116.*

❡ LATINORUM.

Ennodius: Veritatem quam ſponte prolata in ſervis vox habere non poterat, hanc diverſis cruciatibus è latebris ſuis religioſus tortor exegerat, ut dum pœnis corpora ſolverentur, quæ geſta fuiſſe noverat anima non celaret. *Apolog pro Synodo.*

❡ PHILOSOPHORVM ROMANORVM.

Petronius Arbiter: Rogo, Domina, ſi quid triſtius paras, celerius confice. neque enim tam magnum facinus admiſimus, ut debeamus torti perire.

❡ POETARUM.

Ariſtophanes Ranis v. 620.

At quomodo rem quæram ex ipſo? X. omni modo.
Scalæ alliga, ſuſpende, loris perdoma,
Cæde, rape, torque, naribus acetum ingere,
Lateres admove, & omnia tenta: ſolummodò
Ne porro, neu recenti getbyo feri.
AE. Rectè mones: ſed ſi mutila vero tibi
Servum verberibus, an precium reddendum erit?
X. Minimè, ſed abduc, & ſic illud examina.

Cetera requirantur è titulo *Quæſtionis*.

Totius.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Greg. Nyſſenus*: Totum in ſeipſo habet partem, neque pars ejus eſt. qui autem totum habet, etiam poteſtatem ejus omnino habet. *Contra Eunomium oratione 1.*

D. Chryſoſtomus: Pars eſt illud quod unuſquiſque accipit. poteſt enim eſſe, ut quiſpiam ſit in eadem civitate, non autem fruatur iiſdem. ut autem eandem habeat partem, & non fruatur iiſdem minimè eſſe poteſt. Fieri poteſt ut ſit in eadem ſorte, & non eandem habeat partem: ut in ſorte ſumus omnes, ſed non eandem habemus partem. *Homilia 2. ad Coloſſenſes.*

LATI-

§ LATINORUM.

Salvianus: Nihil sequens stat si principale non steterit. Dic igitur quomodo tenere te sequentia symboli putas, cujus principia perdidisti? membra sine capite nihil prosunt, & ad exordium sui cuncta respiciunt; quæ utique si perierint, omnia pessum trahunt. siquidem stirpe sublata; aut non sunt reliqua, aut si sunt, sine emolumento sunt, quia sine capite nihil constat. *libro 6. de gubernatione Dei.*

§ ORATORUM ROMANORUM.

Quintilianus: Quantum, judices, ad piratas tulerim, sciri potest ex hac fame. Fuerit pretium licet exiguum parvumque, dum totum. Fingite quamlibet divitem, quamlibet pauperem patrem: nemo unquam plus pro liberis dedit, quam qui sibi nihil reliquit. *Declamat. 5. § 3.*

Nazarius Orat. in Constantinum Aug. Prætereo hæc & alia cōplura, quorum est & sigillatim onerosa moles, & omnium simul acervus onerosior. nam quæ diducta ferre nequeas, his congregatis subire, spei importunioris est, quàm fiduciæ promptioris. *capite 27.*

§ POETARUM.

Ausonius de ratione libræ.

Miraris quicunq; manere ingentia mundi
Corpora, sublimi cæli circumdata gyro,
Et tanta nullam moli intercedere labem:
Accipe quod mirere magis. Tenuissima tantis
Principia, & nostros non admittentia visus,
Parvarum serie constat connexa atomorum.
Sed solidum in parvis, nullique secabile segmen,
Unde vigor, viresq; manent, æternaq; rerum
Mobilitas, nulloq; unquam superabilis ævo.
Divinis humana licet componere. sic est
As solidus, quoniam bis sex de partibus æquis,
Constat: & in minimis paribus tamen una manet vis.
Nam si quid numero minuatur: summa vacillat:
Convulsaq; ruunt labefacto corpore partes.
Ut medium si quis vellat de fornice saxum,
Incumbunt cui cuncta, simul devexa sequentur
Cetera: communemq; trahent à vertice lapsum.
Non aliter libra est. si defuit uncia, totus
Non erit as: nomenq; deunx jam cassus habebit.
Nec dextans retinet nomen, sextante remoto:
Et dodrans, quadrante satus, auctore carebit.
Divulsusq; triens prohibet persistere bessem.
Iam Quincunx tibi nullus erit, si prima revelles:
Et semis, cui semis erit, pereuntibus assis
Partibus, & cujus libræ pars septima septunx?
Libra igitur, totum si nulla in parte vacillet,
Ponderis, & numeri, morumq; operumq;, & aquarum
Libra: nec est modulus, quem non hoc nomine signes.
Telluris, medio quæ pendet in aere, libra est.
Et Solis, Lunæq; vias sua libra coercet.
Libra dij, somniq; pares determinat horas.
Libra Caledonios sine littore continet æstus.
Tu quoque certa mane morum mihi libra meorum.

Guntherus lib. 5. v. 481.

—— *Laboranti mecum sucurrite regno,*
Tutius est ferro jam putrida membra recidi,
Quam partis vitio totum tabescere corpus.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cognitum cuicumq; totum, & cognitas partes habet.
Corpori toto dolori est vel pedis vulnusculum.
De mero toto ex gutta una atque altera pronunties.
Ecquis est fons continere qui maris queat mare?
Fluminibus terrere noli eum qui maria transiit.
Haud parte æqua erit contentus qui omnia sperat consequi.
In pejus ruente toto, partes una item labant.
Lædit omne corpus ossiculi exigui luxatio.
Minima spina calci inhærens toti crux est corpori.
Multa sæpe dispensata massam faciunt integram.
Qui partem agnoscit, videtur etiam totum agnoscere.
Quicquid est compositum è multis, parte aliqua haud sanum est sui.
Si dubitas serves ne an perdas totum, dividuum face.
Si caput dolet, statim omne corporis membrum dolet.
Si periclum est totum serves anne amittas, divide.
Totum ex ungue uno Leonem ipse æstimarit Phidias.
Turpius parvo defungi est quam abnuere omne pauperi.

§ JAMBICA.

Cantharidis alæ solùm prosunt ac pedes.
Cui plus licet, certe licet quod est minus.
E dissonis composita consonantia est.
Etiam potest quis scire totum è partibus.
Iactura partis sæpe totum sancijt.
In capite totus: absq; capite nil homo est.
In exiguo ingens totum claudit artifex.
Rem sæpe totam partis jactura integres.
Toti parum adde, si totum haud vis perdere.
Totum leonem judices ex ungula.
Totum pusillo corpus livet vulnere.
Turbatur ipsa summa, ubi partes labant.
Ubiq; cedit principali accessio.

Tragœdiæ.

§ SENTENTIÆ.

ARrianus: Me miserum hominem senem: ad hæc canos meos servavi? Quis ista dicit? censetis me obscurum aliquem vobis & humilem narrare? nonne Priamus ea dicit? Imò reges omnes dicunt. Quid enim aliud est tragœdia, quam perturbationes hominum, externas res admirantium, tali versuum genere demonstratæ. *cap. 1. lib. 1. in Epict.*

§ POETARUM.

Aristophanes Acharn. v. 501.

—— *Iustum quod sit*
Et fas homini, novit etiam tragœdia.
Ego quidem gravia heic dicam, sed justa tamen.

Aristophanes Ranis v. 1036.

EV. At tu quo pacto cives ipsos tam fortes potuisti
Efficere? BA. Æschyle dic & gravitate tua ne difficilis sis.
ÆS. Cùm plenum Martis opus fecissem. EV. quodnam. ÆS. septem ad Thebas.
Nam quiquis spectator fuerat, optabat belligerari.
EV. Sane hoc abs te malè factum est, nam Thebanos hac ratione
Fecisti alacriores ad pugnā: ideoq; hic vapula, homo audax.
ÆS. Atqui hæc tractare eadem licuit vobis: sed vos aliorsum
Vertistis animum. Sed & exhibitis Persis magna cupido
Hostem superandi animis injecta est: me pulcrum opus operante.
BA. Ego certè lætatus sum, ubi Parium audivi occubuisse,
Et Chorus etiam manibus complosis exclamavit, Iopa.
ÆS. Quippe Poetas isthæc tractare decet: atque age, vide sis, quàm
Magno emolumento fuerint generosi omni tempore vates.
Equidem Orpheus ritus me docuit, & cædibus abstinuisse,
Musæus remedia morborum atque oracula prodidit: agri
Cultum Hesiodus sationum, & messis tempora. Divus Homerus,
Unde est gloriam adeptus, honoremq;, nisi quod pulcra doceret:
Acies, virtutes, arma virum? BA. sed stolidum Pantaclem Homerus
Tamen artem haud docuit: qui cùm galeam capiti induceret amens,
Prius illam circumvinxit, quàm conum circumdaret altū.
ÆS. Alios alij multos fortes: quorū è grege Lamachus heros:
Unde subacta hæc mens mea, virtutes effinxit Patroclorum,
Teucrorum, Thymaleontum, ut cives hoc pacto extimularē,
Ut & ipsi horum similes fierent, sonitu stridente tubarum,
Non autem Phædrus produxi meretrices, non Sthenobæas:
Nec scio, an ullam unquam feminam amantem duxerim in ora tuentum.

Ovid. lib. 2. Tristium v. 381.

Omne genus scripti gravitate tragœdia vincit:
Hæc quoque materiam semper amoris habet.
Nam quid in Hippolyto est, nisi cæca flammis novercæ?
Nobilis est Canace fratris amore sui.
Quid? non Tantalides agitante Cupidine currus
Pisæam Phrygijs vexit eburnus equis.
Tingeret ut ferrum natorum sanguine mater,
Concitus à læso fecit amore dolor.
Fecit amor subitas volucres cum pellice regem:
Quæq; suum luget nunc quoque mater Itym.
Si non Aeropen frater sceleratus amasset;
Aversos solis non legeremus equos.
Impia nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos;
Ni patrium crinem desecuisset amor.
Qui legis Electram, & egentem mentis Orestem:
Ægisthi crimen, Tyndaridosq; legis.

Nam

Nam quid de tetrico referam dom tore Chimaræ?
Quem letho fallax hospita pæne dedit?
Quid loquar Hermionem? quid te Schœneia virgo?
Teque Mycenæo Phœbas amata duci?
Quid Danaen, Danaiq; nurus, matremq; Lyæi?
Hæmonaq;, & noctes quæ coiere duas?
Quid generum Peliæ? quid Thesea? quidve Pelasgum,
Iliacam tetigit qui rate primus humum?
Huc Iole, Pyrrhiq; parens, huc Herculis uxor,
Huc accedat Hylas, Iliadesq; puer.
Tempore deficiar, tragicos si persequar ignes.
Vixque meus capiet nomina nuda liber.
Est in obscenos deflexa tragœdia risus:
Multaq; præteriti verba pudoris habet.
Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem:
Infregisse suis fortia facta modis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Divitum sub purpura, eheu, quot latent tragœdiæ.
Drama merè tragicum repente feceris è comico.
In tragœdiam repente transeat comœdia.
Pompa regum divitumq; finit in tragœdia.
Quis superstitem introduci vidit in tragœdijs?
Tolle reges impotentes, tollis & tragœdias.
Tota vita vel tragœdia est, vel est comœdia.

§ IAMBICA.

Perfacilè tragicum drama fit è comico.
Tragœdia orta fermè ab ignorantia est.
Tragœdiæ non sunt implendæ pauperes.

Tranquillitatis animi.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus:* Animi tranquillitatem, & lætitiam non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quicquam rerum humanarum adferre consuevit, præterquam rectè factum solum spirituale, ac conscientia bona: quam certè qui puram habet, ut pannosus sit, ut cum fame luctetur, tamen tranquillior beatiorque est iis, qui inter delicias magnopere degunt. Quemadmodum & qui sibi malè conscius est, ut omnium bona possideat, omnium est miserrimus. *fine Homiliæ 1. ad Roman.*

D. Chrysostomus: Neque fugiamus paupertatem, neque admiremur divitias: sed animum ita comparemus, ut sit aptus & idoneus ad omnia. Nam qui domum ædificat, non eò spectat; neque ut in eam non cadat pluvia, neque ut ad eam non veniat radius: hoc enim fieri nequit: sed ut ad omnia ferenda apta sit & idonea. Et qui navem fabricatur, non aliquid agit nec machinatur, neque ut in eam irrumpant fluctus, neque ut non excitetur maris tempestas: (hoc enim non posset assequi) sed ut maris tabulata apta sint ad omnia. Rursus qui curam gerit corporis, non eò spectat ut non sit aeris inæqualitas & intemperies, sed ut corpus omnia hæc facilè ferat. Sic etiam faciamus in anima: & studium ponamus, non ut paupertatem fugiamus, neque ut simus divites; sed ut unumquodque ex iis ita tractemus, ut simus in tuto. Propterea his dimissis, & divitiis & paupertati aptã efficiamus animã. Nã etsi nihil humani accidat, quod quidem maxima ex parte fieri nõ potest: sic quoq; erit melior qui nõ quærit divitias, sed omnia facilè potest ferre, quã is qui semper est dives. Primùm quidem qui est hujusmodi, ex se & apud se habet quod in tuto: ille autem extrinsecus. Et quomodo miles est melior, qui confidit corpori & arti bellicæ, quàm qui solùm vires habet in armis: ita qui à virtute septus est & munitus, melior est eo qui confidit pecuniis. Secundò, quòd etiamsi in paupertatem non inciderit, fieri potest ut ipse non sit obnoxius perturbationi. Multos enim fluctus & perturbationes habent divitiæ, sed non virtus; imò verò solam voluptatem & securitatem. Facit enim ut expugnari non possit ab insidiantibus. Contrà autem divitiæ & facilè invadi possunt & capi. & quomodo inter animalia cervi & lepores maximè ex omnibus facilè capi possunt, propter timiditatem à natura insitam; aper autem, & taurus, & leones non facilè inciderint in insidiatores: Ita etiam licet videre & in divitibus, & in iis qui sua sponte degunt in paupertate. Nam hic quidem similis est leoni & tauro, ille autem cervo & lepori. Quem enim non timet dives? *Homil 35. ad Corinth. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Morum cum prudentia conjuncta placiditas & tranquillitas, gravis atque constantis animi maximum, meo quidem judicio, argumentum est. *lib. 3. Epist. 190.*

§ PHILOSOPHORVM GRAECORVM.

Epictetus: Agrippinus talis vir erat, ut semper adversæ rei quæ ipsi accidisset, laudationem conscriberet: si febricitabat, febris; si malè audiebat, infamiæ; si exulabat, exilii. Cùm verò aliquando pransuro intervenisset, qui nunciaret, jubere Neronem ut exulatum iret: Ergo inquit Ariciæ cænabimus. *apud Stobæum.*

Arrianus: Novi hominem me natu majorem, nunc etiam, Romæ annonæ præfectum. Qui cum hac iter habuisset, ab exilio rediens, quæ nam is mihi dixit? ut priorem suam vitam exagitavit? quæ de reliquo vitæ cursu fuit pollicitus? Se ubi illuc pervenisset, nihil aliud operam daturum, nisi ut reliquum ætatis tranquille citraque perturbationem exigeret. Nam quantulum, inquit, adhuc vitæ mihi est reliquum? Ego vero ei dixi, non ita esse facturum: sed cum primum vel olfecisset Romam, fore ut exciderent ei hæc omnia. Quod si quis ei in aulam patuerit aditus: eum lætantẽ & gratias Deo agẽtẽ accursurũ. At ille: Si me (inqt) Epictete, altero pede aulam ingressum videris: quidvis de me existimato. Nunc ergo quid fecit? priusquam Romam intrasset, tabellæ Cæsarianæ obviam ei sunt missæ: quibus acceptis, verborum illorum omnium est oblitus, & jam negotium aliud ex alio sibi accumulavit. *de Epict. lib. 1. cap. 10.*

Arrianus: Ego ad bona mea tuenda natus sum: ad mala non sum natus. Quæ ergo ad hæc exercitatio requiritur primum, summa & princeps omnium, ut statim velut in foribus cum aliqua re afficeris, ea sic afficiaris, ut eripi illam posse statuas, & ex eo esse genere, cujusmodi est fictilis olla, aut vitreum poculum: ut eo confracto memineris, perturbatione vacandum esse. Ita & hic res sese habet: si filiolum tuum deosculadon, si fratrem, si amicum: nequaquam omnem cogitationem in eo defigito, neque affectum illum eo progredi sinito, quo ipse volet: sed retrahito, prohibeto, velut ii qui triumphantibus à tergo assistunt, eosque mortalitatis ipsorum commonefaciunt. Tale aliquid & ipse tibi subjicito: te diligere mortalem, nihil eorum diligere quæ tua sint: data tibi esse in præsentia, eripi posse, non perpetuo concessa esse: sed ut ficum, ut uvam stato anni tempore, quas si sub brumam desideres, stultus fueris. Eodem modo, si filium aut amicum eo tempore desideraris, quo tibi datus non est, scito te in bruma desiderare ficum. Qualis enim est hyemis & ficus ratio, talis etiam est rerum universitatis status, erga ea quæ in illo tolluntur. Alterum est ut si qua re gaudes, contraria visa tibi proponas. Quid mali in eo est, si inter deosculandum puerum balba voce dicas: Cras morieris? amico itidem, Cras peregre abibis vel tu vel ego, neque alter alterum poststac visurus est. At mali ominis ista sunt. Etiam incantamenta quædam ejusmodi sunt: sed quia juvant, non curo, modo juvent. Tu vero ominosa nunquid alia vocas, nisi ea quæ aliquid mali significant? Ominosa est ignavia, ominosus est degener animus, luctus, dolor, impudentia. Hæc nomina ominosa sunt. Tamen ne ab his quidem nominandis est abhorrendum, modo res ipsæ caveantur. Tu vero ominosam mihi vocem dicis, quæ rem aliquam naturalem declarat? Dic ominosum esse, etiam demeti spicas: interitum enim spicarum significat, non mundi. Ominosum dic foliorum quoque defluxum: & caricam è ficu, & aridas uvas è borro fieri, nam hæc omnia ex iis quæ antea fuerant, in alia mutantur. Non internecio ista est, sed certa quædam ratio atque administratio. Hujusmodi res est peregrinatio: absentia, & parva quædam mutatio.

Hujusmodi mors: mutatio major, non ex eo quod nunc est in id q non est, sed in id quod nunc non est. Ergo esse desinã? Non desines; sed aliud quiddam eris, quo nunc mundus indiget. Nam tu & natus es, non cum ipse voluisti, sed cum mundo te opus fuit. Quocirca vir bonus & sapiens, memor quis sit, & unde venerit, & à quo factus sit: in eo solo elaborat, quo pacto suam stationem rite tueatur, Deoque suam probet obedientiam. Vis me diutius esse? Ero ut liber, ut generosus, ut tu voluisti. Tu enim ita me condidisti, ut prohiberi non possem in rebus meis. At me non amplius eges? Bene tibi sit: etiam ad hoc tempus propter te mansi: propter alium neminem, & nunc ut tibi paream discedo. Quomodo discedis? Quẽadmodum tu voluisti; us liber minister tuus, ut mandatorum tuorum intelligens, & interdictorum. Dum vero in tuis negotiis versor, quem me esse vis? Principem, an privatum? Senatorem, an plebeium, militem, ducem, ludimagistrum, an patremfamilias? Quẽ mihi locum & stationem mandatis, ut ait Socrates, millies potius mortem oppetam quam eam ut relinquam. Vbi autem esse me vis? Romæ an Athenis? Thebis, an in Gyaris? Tantum illic mei memento, si eo me miseris, ubi homines secundum naturam vivere nequeunt: non contra imperium tuum discedam, sed tanquam te receptui mihi canente: non te deseram (absit hoc) sed animadverto tibi opera mea non esse opus. Sin naturæ congruens vitæ ratio cõtigerit alium locum, præter eum in quo sum, non quæram non alios homines, nisi eos cum quibus sum. Hæc noctu, hæc interdiu in promptu esse debent: hæc scribenda, hæc legenda: de his verba facienda sunt cuique & secum, & apud alios. *cap. 24. libri 3. in Epictetum.*

Arrianus: Si perturbatione vacuum, si imperterritum, si modestum te præbes: si potius spectas quid fiat quàm spectaris: si non invides eis qui tibi præferuntur; si te in stuporem non rapiunt res pretiosæ, quid tibi deest? *cap. 4. lib 4 Epictets.*

Arrianus: Ac cetera quidem animalia gubernationem ejus asseq nõ possunt, animal vero rationis particeps facultatẽ habet isthæc considerandi: se & partem esse, & certam quandam partem, & de-

cere

cere ut partes cedant universis præter hæc, se natura generosum, magnanimum & liberum exstitisse cernit: item res quasdam habere se liberas & sui juris, quasdam obnoxias & juris alieni. Liberas, quæ ad voluntatem pertinent: obnoxias, quæ sunt externæ. Propterèaque si in his solis bonum suum & commodum collocarit, quæ prohiberi non possunt, & in sua potestate sunt: se fore liberum, prosperum, felix, indemne, magnanimum, pium gratias agens Deo pro omnibus, nusquam quicquam ab illo factum reprehendens, de nullo coquerens. Si verò in externis, & iisque alieni juris sunt, necesse esse ut prohibeatur, impediatur, serviat iis qui ea in potestate habent, quæ miratur & timet: necesse esse ut sit impiū quippe quod sibi à Deo noceri putet: & iniquum, ut quod subinde sibi plus acquirat. Præterea necesse esse, ut sit humile & sordidum. Hæc si quis animo conceperit: quid eum vetat vivere molliter & placide, quicquid accidere possit æquo animo expectantem, ea verò quæ in acciderunt tolerantem? Vis paupertatem? Affer, cognosces quid sit paupertas nacta bonum histrionem. Vis imperia? Etiā labores affer. At relegationem? Quocumque venero, ibi mihi bene erit. Nam hic non propter locum bene mihi fuit, sed propter decreta, quæ mecum ablaturus sum. Neque enim ea quisquam eripere potest: hæc sola mea sunt & propria, mihique dum adsunt sufficiunt, ubicumque fuero, & quicquid fecero. At jam tempus est moriendi? Noli rem exaggerare, sed dic quemadmodum se habet: jam tempus est materiæ in illa unde conflata fuit, resolvēdæ. Quid hoc mali habet? Quid periturum est in mundo? Quid fiet novum aut admirabile? Eone tyrannus formidabilis est, propter hoc satellites magnos videntur habere gladios & acutos? Ista dicantur aliis. nam mihi quidem meditata sunt omnia: in me nemo ullam potestatem habet. Libertate sum donatus à Deo: novi ejus mandata: nemo posthac in servitutem redigere me potest: assertorem habeo quem decet, judices habeo quales decet. Nonne corporis tui sum dominus? Quid ergo ad me? Nonne fugæ & vinculorum? Et his omnibus & toto corpore tibi cedo ultro. *cap. 7. lib. 4. Epictets.*

Maximus Tyrius: Statui tibi Lydi illius sapientis exemplo concinnare fabulam. Cujus interlocutores erunt, non leo aut aquila, nec à qua minus vocē expectes, quercus aliqua: verum hoc modo procedet. Iupiter olim solus erat, & cum Iove cœlum & terra. Et cœli quidem cives Dii erant: alumni vero terræ nondum lucem viderant homines. Vocat igitur Promethea Iupiter, jubetque novam in terras coloniam deducat. Animal simplex, cui ingenium Diis proximum, corpus tenue, erectum aptaque proportione exstructum, vultum mitem, manus promptas, gressum firmum tribueret. Morem gerit Iovi Prometheus, homines fabricat, eosque in terra locat. Qui ubi nati essent, facillime vivebant, cum cibum illis abunde terra suppeditaret. Aderant prata pulchre vestita, montes comantes, fructuum copia, & quæcunq; quamvis nondum infestaretur ab agricolis, ferre solet tellus. Iam purissimos Nymphæ frontes, & illimes fluvios, aliarumque scaturigines plenas suppeditabant & uberes. Accedebat tepor solis, qui modice circumvolitans restaurabat corpora: tum è fluviis æstivo tempore respirantes membra illis refrigerabant auræ. Ad hæc omnia accessus erat liberrimus, in uberrima spontaneæ felicitatis viventibus copia.

Videntur mihi ad hanc fabulam nostram quam proxime accessisse & poetæ. Qui sub Saturno Deorum rege, vitam fuisse talem, occulte innuunt sine bello, sine ferro, sine ulla custodia, paci deditam, sine ulla simultate, salubrem, nullius rei immunem. Nec aliud videtur esse quod aurum ab Hesiodo vocatur sæculum, qui ad nostrum hoc alludit.

Porro ut fabula facessat, & in serium sermonem transeat oratio; cum vita conferamus vitam, posteriorem cum priori, sive ea ferrea, sive quocunque alio sit dicenda nomine. Cum dividere inter se terram cœpere homines; ibi alius aliam secare partem, quam limitibus ac muris distinguerent: corpora mollibus involuere fasciis, pedes pellibus munire; aurum alii collo, alii capiti, alii digitis aptare; honestas speciosasque compedes. AEdes struere, claves excogitare, fores & vestibula quædam attollere. Vt omittam quod terræ negocium facessant, dum eam auri argentique studio rimātur, ligonibus invertunt ac fodiunt. Quod nec à mari abstineant, sed in ejus quasi pœnam naves modo bellicas, modo vectorias fabricent & mercenarias. Quod nec ab aere, sed & hunc spolient: dū visco linoque greges avium (& qua non arte?) præveniunt. Quod nec à cicuribus animalibus, virium defectu, nec à feris metu abstineant. sed cæde, sed sanguine, sed cruore quolibet ventrem farciāt. Novam semper voluptatem excogitent, veterem contemnant: & dum jucunditatem sectantur, in miseriam incidant. Divitias semper appetant: ita tamē ut minora judicent quæ habent, quam queis carent: & quod possident eo quod expectant. Egestatem semper timeant, expleri nunquam possint. Mortem metuant, vitam negligant. Morbos vitent, nec à morbidis abstineant. Quosdam suspectos habeant, plerisque ipsi insidias struant. Feroces cum inermibus, cum armatis timidi. Tyrannidem odio habeant, & affectent. Turpia vituperent, nec tamen iis se abstineant. Felicitatem mirentur, nec mirentur virtutes: Misereantur infortunia, nec tamen fugiant improbi. In secundis audaculi, in adversis cohiberi nequeāt. Beatos prædicent mortuos, vitam tamen experant. Bella aversentur, pacem agant insolenter. In servitute abjecti, in libertate confidentes. In populari Rep. dissoluti, in tyrannide timidi. Liberos pertant, natos vero negligant. Deos invocent, tanquam dare possint, quibus egeant, eosdem negligant, quasi punire nesciant. Deos timeant, ut qui perjuria vindicent: pejerent autem quasi non sint.

Tantus igitur cum tumultus & discordia secundam hanc vitā invaserit, utri palmam dabimus? utram simplicem successusque & libertatis compotem dicemus esse? utram contra minime talem, sed coactam, miserandam, infortuniorum plenam? Agedum ex utraque hominem sumamus, quæ ad disputationem nostram, tanquam ad arbitrum veniat: & illa quidem utrunque examinet. Ac prius quidem priorem illum, qui nudus, sine lare, sine arte, quasi terræ totius civis & colonus obambulat. Opponat autem secundi illius vitam ac agendi modum, ex eoque quærat, utrum malit, in priorine persistere victu & libertate, an vero voluptates alterius una cum incommodis sequi. Accedat deinde & alter, cui judex prioris vitæ illius rationem opponat & libertatem: quæratque, utrū malit, sua ne servare, an mutare locum sedemque, & in tranquillā illam liberamque, metus simul dolorisque immunem transferri? Vter transfuga fieri, uter coloniam mutare, uter lubenti animo vitam commutare volet?

Quis ita demens, malique cupidus, quis tam iratis natus Diis, qui minimarum caducarumque voluptatum, dubiorum bonorū, speique incertæ & ambiguæ felicitatis causa castra mutare & trāsferre se in certissimam felicitatem nolit? Cum præsertim nō ignoret, quam multis carere malis possit, quæ cum secundæ huic vitæ adhæreant, omnibus modis, incertam, miseramque vivendi, & calamitosam efficiunt conditionem. Ita ut ego vitam utramque conferre soleam: & primo, hanc, si Diis placet, præclaram variamque, cum miserorum hominum molestissimo carcere, qui cum in obscūro aliquo detineantur angulo, ubi multo ferro crura, collum numellis, gravissimo manus vinculo premantur, atque ita in sordibus, in cruciatu, luctuque vitam exigant, processu tamen temporis paulatim & consuetudinis, securitatem sibi quandam in ipso carcere tranquillitatemque machinantur animi: nam & inebriantur interdum in carcere, & simul omnes canunt, sed & ventrem cibo distendunt, aut Veneri indulgent: neque tamen secure his omnibus explere se possunt, quin metuant, quin felicitati suæ diffidant, quin de præsentibus malis cogitent. Ita ut in singulis carceribus ululatum cum cantu, gemitum cum pæane audias.

Alteram contra vitam confero cum homine, qui in luce versatur purissima, qui manus pedesque vinculi immunes habet, collū libere quo vult inflectit, oculos directe in solem intendit, sidera intuetur, noctem à die distinguit, singulas anni tempestates expectat, ventos sentit, liberumque ac purum trahit aerem: ita tamen ut simul voluptatibus illius carceris & vinculis careat: non inebrietur, non helluetur, non gemat, sed nec moduletur, non canat, sed nec lamentetur, neque cibis se ingurgitet, sed quantum naturæ lex patitur, ventre sit sobrio & castigato. Quæro utram vitam beatam, utram miseratione dignam judices? Vtram eligendam censeas? Illamne quæ in carcere agit, mixtam ambiguamque, miserrimis deceptus voluptatibus?

Hic ubi mille homines simul exultantq; gemuntq;,

qui voluptate pariter afficiuntur & gemunt.

Absit vero à te miserrima anima: quin potius similitudines has cum fabulis relinque, rectaque virum adi, qui non Saturni regis tēpore, sed in medio ferrei huius sæculi vixit, quē Dii duo, Iupiter & Apollo liberali causa asseruerunt manu. Quamvis nec Atticus esset, nec Doricus, neque Solonis alumnus, nec è Lycurgi disciplina (non enim virtutem suffragio suo aut locus ullus creat aut lex) sed Sinopensis Ponticus. Qui adhibito in consilium Apolline, omnī se vivendi exuit necessitate, omnibus se expedivit vinculis, totamque terram liber & suus, non secus quam avis ratione prædita, circumiit. Ita ut nec tyrannum ullum metueret, nec ab ulla cogeretur lege, neque ulli Reip. ocium transscriberet suum: non liberorum educatione oppressus, non nuptialibus astrictus vinculis: non agriculturæ intentus, non militaribus turbatus curis, nec rei augēdæ studio discurrens. Sed hos omnes cum curis suis non aliter ridebat quam nos puerulos, quos talis suis serio intentos, ferire ac feriri, spoliare & spoliari ab aliis videmus. Ipse vero regis securi liberique vitam ducebat: non ut hyeme Babylone viveret, æstate Medos fatigaret, sed ex Attica Isthmum, rursus relicta Isthmo Atticam una cum anni tempestate petebat. Regiæ illius, templa erant, gymnasia, & luci sacri. Divitiæ maximæ certissimæque, nec ullis obnoxiæ insidiis, universa cum fructibus suis terra: tum fontes terræ filii, omni Lesbio Chioque largiores nectare.

Amicus præterea & familiaris erat aeri, sicut leonum corpora. Neque Iovis se subducere tempestatibus solebat, nec cum eo luctabatur: neque calorem hyeme, frigus æstate moliebatur. Sed ita toti naturæ assueverat, ut hoc vivendi genere & sanitatem sibi pararet & robur, vitamque quam longissime extenderet: nec interim aut medicorum egeret remediis, aut ferro aut igne, aut Chirone, aut Asclepio, aut Asclepiadis haberet opus: non oraculis vatum, non lustratione sacerdotum, non præstigiatorum carmine.

Iam cum gravissimo bello arderet Græcia, sibique omnes insultarent mutuo,

Consueti inter se miserando cernere Marte.

solus inducias agebat: inter armatos inermis, inter bellantes, fœderatus omnium. Manum ab eo abstinebant improbi omnes & tyranni & sycophantæ. Et tamen scelestos arguebat, non verborum captiunculis, quod reprehendendi genus esse solet molestissimum ut plurimum. sed re ipsa ipsaque vita vitam eorum arguebat: quod reprehendendi genus & efficacissimum minimeque solet esse asperum. Propterea nec ullus Melitus, nec ullus Aristophanes aut Anytus, nullus Diogenem invasit Lyco. Quid ergo obstaret, quo minus reliquis omnibus præferenda hæc vita esset Diogeni: quam sponte sua elegerat, quam Apollo dederat, commendarat Iupiter, quam omnes sapientes mirantur? An aliud fortunæ incommodum, præter usum actionis eventumque; non satis ex arbitrio autoris putamus esse?

Quære ex eo qui uxorem duxit, cur id fecerit: respondebit, liberorum causa. Ex eo qui liberos educat, cur eos genuerit: successionis causa dicet. Ex eo qui militat: amplioris dicet fortunæ. Ex rustico: fructuum causa. Ex negotiatore: facultatum. Ex eo qui Rempubl. tractat: honoris. Omnes hi fines evanescunt ut plurimum, & in contrarium abeunt. nec artis aut sapientiæ sed voti est felicitas. Quare singuli qui hæc proponunt sibi, difficultatem quandam experiuntur vitæ, miseriamque sustinent non voluntariam, neque ex ignoratione eorum quæ per se petenda sunt bonorum.

Quem jam ex hoc numero judicabis liberum? Publicolamne, Reipub. præfectum? Servum dicis non unius domini. Patronumne? servum dicis asperorum judicum. Tyrannumne? servum dicis effrænatissimarum voluptatum. Imperatoremne? servum dicis incertæ fortunæ. Nautamne? servum indefinitæ artis. Philosophūne? de quo loqueris? Socratem quidem laudo, sed dicentem audio: Legi morem gero: volens carcerem peto: volens cicutam bibo. Videsne quid dicas, ô noster Socrates? Volensne, an vero ingratæ occurris fortunæ fortiter, ut legi pareas? At cui legi? Si Iovis, legislatorem laudo: sin Solonis, qua in re Socrati præferendus est Solon?

Respondebat mihi & pro philosophia Plato, an nemo eum turbaverit: non exilium Dionis, non minæ Dionysij, nec Sicula aut Ionica maria, quæ toties coactus sursumque deorsumque cursitās, transmisit. Quod si & ad Xenophontem abeam, vitam erroris plenissimam, ambiguæ fortunæ, expeditionis coactæ, & exilij speciosi video.

Horum omnium casuum immunem istam dico vitam. Quare & supra Lycurgum, & Solonem, & Artaxerxen, & Alexandrum constitutus fuit Diogenes. Libertate vero Socratem antecessit: nec delatus in judicio, nec in carcere detentus, neque laudem consecutus è miseria. *Dissertatione vigesima:* Cynici vitam potiorem esse reliquorum.

Libanius: Et quid mihi deinceps erit jucundum? Numquid putas in ciborum copia, & molli veste stragula, & nitida supellectili sitam esse animi tranquillitatem? hoc verò non planè ita se habet. unde? illa nimirum in quibusdam præeunte; etiam horum gratia est, mæstitiam porrò vehementem mensa sumptuosa non levat. quin ex adverso, vilioribus sibi placent qui lugent: quod si ad delicias adduxeris, superafflixeris. *Declam. 41.*

¶ Poetarum.

Synesius Hymno primo.

Quid vires; quid verò forma,
Quid verò aurum, quid verò fama,
Regijque honores,
Si conferantur cum curis de Deo?
Alius equos scitè agitet,
Alius arcum bene tendat,
Alius acervos custodiat
Opum, aureas divitias:
Alij verò sit decus coma,
Demissa cervicibus:
Celebris admodum alius sit
Apud juvenes, apud puellas,
Nitenti decore vultus.
At mihi tranquillam liceat
Vitam ignotam ducere,
Cæteris quidem ignotam,
Deo autem notam.
Sapientia verò mihi adsit
Commoda ad juventutem,
Commoda ad senectutem ducendam;
Commoda domina divitiarum:
Pauperiem autem sine negotio feret
Sapientia ridens, amaris
Inaccessam vitæ curis.
Solummodo mihi tantùm adsit;
Quantum sit satis, ut à tugurijs
Vicinorum me arceat:
Ne necessitas me adigat
Ad curas tetras;

Incerti auctoris veteris.

Est mihi rus parvum, fœnus sine crimine parvum:
Sed facit hæc nobis utraque magna, quies.
Pacem animus nulla trepidus formidine servans
Non timet ignavæ crimina desidiæ.
Castra alios operosa vocent sellæque curules.
Et quicquid vana gaudia mente movet.
Pars ego sim plebis, nullo conspectus honore,
Dum vivam dominus temporis ipse mei.

Item.

Ante rate è Siculo discurrent æquore pisces,
Et deerit Libycis putris arena vadis:
Ante nives calidis demittent fontibus amnes,
Et Rhodanus nullas in mare ducet aquas:
Ante mari gemino semper pulsata Corinthos
Confundet fluctus pervia facta duos:
Ante feri cervis submittent corda leones,
Sævaque dediscet prælia torvus aper:
Medus pila geret, pharetras Romana juventus:
Fulgebit nitidis India nigra crocis:
Quam mihi displiceat vita fortuna quieta,
Aut credat dubiis se mea puppis aquis.

Item.

Vive, & amicitias Regum fuge. pauca monebas.
Maximus hic scopulus, non tamen unus erat.
Vive, & amicitias nimio splendore nitentes,
Et quicquid colitur perspicuum, fugito.
Ingentes dominos, & fama nomina clara,
Illustrique graves nobilitate domos.
Devita, & longe vivus cole, contrahe vela:
Et te littoribus cymba propinqua vehat.
In plano tua sit semper fortuna, paresque
Noveris: ex alto magna ruina venit.
Non bene cum parvis junguntur grandia rebus.
Stantia namque premunt: præcipitata ruunt.

Pentadius.

Non est, falleris, hæc beata, non est:
Quod vos creditis esse, vita non est:
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut testudineo jacere lecto,
Aut pluma latus abdidisse molli,
Aut auro bibere, & cubare cocco,
Regales dapibus gravare mensas,
Et quicquid Libyco secatur arvo,
Non una positum tenere cella:
Sed nullos trepidum timere casus,
Nec vano populi favore tangi,
Et stricto nihil æstuare ferro.
Hoc quisquis poterit, licebit illi
Fortunam moveat loco superbus.

Auctoris incerti.

Vive & amicitias omnes fuge: verius hoc est,
Quam, & Regum solas effuge amicitias.
Est mea mors testis major me afflixit amicus,
Deseruitque minor: turba cavenda simul.
Nam quicumque pares fuerant, fugere fragorem:
Nec dum collapsam deseruere domum.
Nunc & non Reges tantum fuge. vivere doctus
Uni vive tibi. nam moriere tibi.

P. Syrus Mimus.

Medicina calamitatis est æquanimitas.

¶ Emblemat.

Had. Iunius Emblemate LXI.

Quid monet, inde fugam celerans: hinc indice labris
Harpocrates signans: hinc carpens otia deses?
Urbe procul, voti exiguus, fuge latus honores,
Otium ama placidum, nec tuta silentia rumpe.

Batillius XCVI.

Animus pacatus nihil insuave fert à rebus turbulentis.

Ut qui præcelsæ rupis stat vertice, tutas
Irati ridet vimque minasque maris;
Sic se animi qui pace tenet, rerum undique circum
Latrantes fluctus despicit impavidus.

Batillius XCVIII.

Tranquilla inter ærumnas otia.

Quæ nostra illa animo censes deducta sereno
Provenisse mihi, carmina missa tibi,

Et ſtatus & quæ nunc animi eſt fortuna miſelli,
Vita & quæ triſti non mihi nube vacat,
AEternumq́; imo ardeſcens ſub pectore vulnus,
Et cauſa irarum, ſollicitusq́; dolor;
Vera illa eſſe negant, utinam & non vera negarint,
Neu tam certa fides eſſet habenda mihi.
At ſi quid tibi tale ſonant, vel ſi auſpice Phœbo
Condita, materiam vel ſuperavit opus;
Tum forte ille Deus nobis hæc otia fecit.
Tum forte & pacem mentis habere dedit:
Alcyone ceu dum pendentibus æquore nidis.
Incubat, infecti fit via tuta maris,
Egreſſuq́; arcet ventos, pacatáq́; nata
Et nata natis æquora præbet avus.
Sed quidni illa etiam videar (ſolet ut ſua flere
Quæ ſibi præſagit fata canorus olor.)
Defecto propedum modulatus carmina corde,
Cantator, cygnus funeris ipſe mei?

Camerarius XX. Centur. 4.

Ipſa ſuis potens opibus. Pholis piſcis mucore ſuo vivens.

Nobis noſtra ſatis: aliena haud indiga cura:
Et Superum nectar negligo & ambroſiam.

Camerarius XCVIII. Centuria 4.

Nec te quæſiveris extra. Cochlea exerens ſe teſtæ.

Non tibi tela nocent latitantis, erumpere at auſum
Configunt: temerè qui ruit, ille perit.

Catſius Emblemate Sacro XLVI.

AEquus animus commendat omnia.
Oſsibus ex aſini fit tibi Silva remugit;
Exultat ſaturas dux gregis inter oves.
Ecquid opus lituis? ſibi mens eſt æqua levamen.
Gaudia de placido pectore ſponte fluunt.
Sit caſa parva domus, ſit fictilis olla ſupellex,
Heic etiam ſapiens quo ſibi plaudat habet.
Aula gemit, cithara licet aureus inſtet Iopas:
Cauta fremit plauſu dum Milibæ canis.

§ Monosticha Trochaica.

Continentis ac patientis vita tranquilliſsima eſt.
Deſidia ſeceſſus, & tranquillitatis, differunt.
Laudo vitam quæ domi nil, nil foris vi perficit.
Mens cui tranquilla eidem proximum eſt ſummum bonũ.
Mentis ad tranquillitatis plurimum confert locus.
Mentis in tranquillitate plurimum modeſtia eſt.
Mentis in tranquillitate ponitur ſummum bonum.
Nil beatius tranquillitate conſcientiæ.
Nulla rebus in externis eſt animi tranquillitas.
Pauca aget cuicunq́; cura mentis eſt tranquillitas.
Qui latet bona fortuna; qui latet mala, ſapit.
Tam malum eſt latere cunctos, quàm latere neminem.
Tempeſtatibus jactatus nauta portum proſpicit.
Vis dolere, vis gaudere parcius? vivas tibi.
Vita felix, nec privatim multa aget, nec publicè.
Vltimam ad maris radicem nulla tempeſtas venit.

§ Jambica.

Beata vita, perpes eſt tranquillitas.
Fugit invidiam, qui ſe non oculis ingerit.
Gymnaſium eſt Sapientiæ tranquillitas.
Homini bonum ſummum eſt animi tranquillitas.
Mortalium format animos tranquillitas.
Nec deprimit ſe nec levat tranquillitas.
Sic vive, te vixiſſe quis ut neſciat.
Sic vive te ut vixiſſe nemo ſentiat.
Tranquillitas animi fructus ſuaviſsimus.
Tranquillitas animi una à conſcientia eſt.
Tranquillitas vicina temperantiæ eſt.
Tranquillitati animus plus confert, quàm locus.
Tranquillitatem compares laboribus:
Tranquillitate haud fructus ullus dulcior.

Transfugij.

§ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus:* Vir quidam inter Perſas non ignobilis, Zopyri illius erga Cyrum in Babylonis obſidione, facinus imitatus, quaſi ob graviſſimas quaſdam cauſas in graviſſimam offenſionem Perſarum regi veniſſet, ob idq; in eum peſſimè animatus, contraq; erga Romanos peſſimè affectus eſſet, ac per hujuſmodi fucum & ſimulationem fidem ſibi conciliaſſet: Quid, inquit, Imperator? nimirum callidè ei perſuadet ut naves ſuas cum frumento incenderet, ſibique ipſi famem poſtremam accerſeret. *Oratione ſteliteutica in Iulianum altera.*

D. Io. Chryſoſtomus: Cùm quis ex aliqua gente abſceſſit, ſi is ex infima plebe ſit, nulliuſque pretii; non valde id mordet eos à quib. ſeceſſit. ſin vir ſit admiratione dignus, & magno zelo præditus, rerumq; gentis illius conſultus, id maximo & incredibili mærore ac dolore illos afficit; quod ipſorum dogma is maximè poſſit evulgatum deſtruere. *Præfatione in Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos.*

§ Dvcvm Philosophorum Graecorum.

Xenophon: Enimvero tu Cyre, in his etiam ſic te geris, ut in aliis: qui & clemens ſis, & delictis humanis ignoſcas. Me vero ceteri homines mœrore obruunt. Nam ex quo rumor de calamitate mea diditus eſt, inimici de me voluptatem capiunt, amici me convenientes, ut è medio me ſubducam, conſulunt: ne quid à te mihi accidat, qui gravi ſis à me adfectus injuria. Et Cyrus: Certo ſcias, inquit, Araſpa, poſſe te per hanc hominum de te opinionem vehemẽter gratam mihi rem facere, & ſociis utilitates maximas adferre. Vtinam vero fiat, inquit Araſpas, ut aliquid ego tibi rurſus opportune commodem. Quod ſi ergo volueris, ait, ſimulare quaſi me fugias, atque ad hoſtes tranſire: arbitror fore, ut ab hoſtibus tibi fides habeatur. Profecto, inquit Araſpas, ſcio futurum equidem, ut etiam per amicos rumor excitetur, quaſi te fugerim. Itaque nobis redires, ait, rebus omnibus hoſtium cognitis. Quinetiam arbitror ita tibi fidem habituros, ut & rationum & conſiliorum ſuorum te participem facturi ſint: nihil ut adeò latere te poſſit eorum omnium, quæ ſcire nos cupimus. Proficiſcar igitur nunc, inquit Araſpas. Nam ſcire debes, etiam unum hoc fidei argumentum fore: quod effugiſſe videbor, ne quid abs te mihi accideret. An & formoſam illam Pantheam relinquere poteris? Duæ mihi, Cyre, inquit, liquido ſunt animæ. Hanc Philoſophiam didici modo apud improbum illum magiſtrum, amorem. Nam una ſi eſſet anima, non & bona ſimul eſſet, & mala: neque res pariter honeſtas & turpes amaret, neque ſimul eadem & vellet & nollet facere: ſed eſt manifeſtum, duas eſſe animas, & ubi ſane penes animam bonam imperium eſt, honeſtæ res ſuſcipiuntur: ubi vero penes malam, res illa turpes adgreditur. Nunc quia te ſocium & adjutorem nancta eſt anima bona, potior hæc viribus, & longe quidem ſuperior eſt. Quod ſi ergo, inquit Cyrus, tibi quoque hoc iter inſtituendum videtur: ſic erit agendum, ut apud illos etiam majorem fidem invenias. Nimirum enuntiato ipſis, quæ à nobis gerantur, & quidem ſic enuntiato: ut quæ abs te dicentur, maximo ſint ipſis impedimento ad ea, quæ facere voluerint. Fuerit autem impedimento, ſi nos adparatum facere dixeris, ut alicubi agrum ipſorum invadamus. Nam ſi hæc audient, minus vires univerſas in unum locum colligent, metuente quolibet etiam domeſticis rebus. Præterea maneto, inquit, apud ipſos diutiſſime. Nam maxime nobis opportunum fuerit, ea reſcire, quæ facient, ubi proxime à nobis aberunt. Da item conſilium, ut quocumque modo fuerit optimum, aciem inſtruant. Etenim poſteaquam tu diſceſſeris, qui noſſe ipſorum aciei ſtructuram videbere, neceſſe erit, ut eamdem ordinum rationem retineant. Nam verebuntur aciem mutare, ac ſi quo alio modo eam ſint immutaturi ſubito, perturbabuntur. Hoc modo digreſſus Araſpas, ſumtis ſecum fidiſſimis famulis, & ad quoſdam prolatis iis, qualia maxime profutura negotio putabat, diſceſſit. *cap. 7. lib. 6. Cyropædiæ.*

Xenophon: Araſpas cum famulis eis ipſas ſpeculas occurrit, is qui dudum explorator miſſus fuerat, Suſiæ mulieris cuſtos. Eum Cyrus ut vidit, exſiliens de ſella, progreſſus eſt ei obviam, & dextra hominem excepit. Ceteris, qui nihil horum ſcirent, ſtupori res erat, uti par eſt credi, donec Cyrus ait: Vir optimus nobis advenit, amici. Nam ſcire jam univerſi homines, quid fecerit, debent. Hic neque ulla turpitudine victus, neq; formidine mei permotus, diſceſſit: ſed à me fuit ablegatus, ut hoſtium rebus liquidò cognitis, vera nobis referret. Tibi quidem mi Araſpa, quæ policitus ſum, memini: & ea tibi, cum his omnibus, præſtabo: vos autem æquum eſt, milites, hunc, ut virum fortem, honore proſequi. Nam commodi noſtri cauſa tũ periculo ſe expoſuit, tũ criminis, quo gravabatur, culpã ſuſtinuit. Heic vero Araſpã univerſi ſalutãtes amplectebantur, & dextris excipiebãt. Quũ a. dixiſſet Cyrus ſatis jam iſtorum eſſe: quæ ſcire nos refert, inquit, narra nobis Araſpa, neque res hoſtium præter veritatem extenua. Nam melius fuerit, nos arbitratos majora, deinde minora videre: quam auditis minoribus, majora reperire.

Enimvero, inquit, Araſpas, operam dedi, ut rem quam certiſſime cognoſcerem. Nam præſens ipſe cum aliis delectum eorum habui. Tu igitur, inquit Cyrus, non eorum modo numerum, ſed etiam aciei rationem tenes? Teneo profecto, inquit Araſpas, atque etiam, quo pacto prœlium inire cogitent. Tu tamen, ait Cyrus, primum nobis eorum multitudinem ſummatim exponito. Sunt, inquit, omnes & pedites, & equites, ſic inſtructi: ut aciei denſitas tricenos contineat, exceptis AEgyptiis. Occupant autem ferre ſpatiũ quadraginta ſtadiorum. Etenim admodum mihi curæ fuit, ut quantum

tum loci occuparent, scirem. AEgyptii vero subjecit Cyrus, quo pacto instructi sint, dicito. Ajebas enim, exceptis AEgyptiis. Nimirū hos denum millium præfecti sic instruebant, ut quælibet denum millium acies in centenos esset disposita. Nam domi quoque sibi hanc ordinum legem esse dicebant. Crœsus sane perquam invitus eis concessit, ut hoc modo instruerentur. Quippe phalangem suam sic extendere volebat, ut tuū ultra exercitum longissime porrigeretur. At quamobrem, ait Cyrus, id cupiebat? Ea profecto de causa, ut exsuperante copias tuas multitudine circumdaret. Et Cyrus: At isti viderint, ait, ne dum circumdare volunt, ipsimet circumdētur. Sed enim quæ de te audiri ex re erat, audivimus. *cap. 21. lib. 6. Cyropædiæ.*

Brutus Lyciis. Qui ex vobis perfugas & fugitivos Xanthios receperunt, non leviori supplicio, quàm ipsi Xanthi afficientur. Patarensibus verò, Myrensibus, Coryciis & Phaselitis: si quod etiam aliud officium receptis exhibere velint, permitto, ut rectè se consuluisse, qui nostram amicitiam potiùs quàm inimicitias ceperint, re ipsa sentiant, cùm eos ob oculos viderint. *Epist. 27.*

Lyciorum ad hæc responsio. Neque nos recipere Xanthios unquā statuissemus, si potiùs in malorum societatem venire, quàm infortunium illorum levare nos putassemus. Nam & illi relictis nobis qui nihil adjumenti ferremus ad Patarenses, Myrenses, Phaselitas & Corycios, tanquam auxiliatores multò præsentiores confugerunt. Manifestum enim Brute fecisti, te non iracundia commotum exules è Lycia expulisse, sed docuisti, pro tua benignitate, quibus eos libentius traderes. *Epist. 28.*

Onosander: Si qui transfugæ advenerint, hostium aggrediendorum opportunitatem indicaturi, aut copiis tuis viam ab hostibus tutam præituri, ducito eos tecum vinctos, certosque facito, se, dummodò vera narrent, totiusque exercitus saluti ac victoriæ utilia consulant, in libertatem cum præmiis ac muneribus adserēdos; si verò vana confingentes decipiant, aut si proditionem moliantur, ipso statim momento ac puncto, quo inclinare & periclitari incipiet exercitus, in vinculis jugulandos. Tunc enim transfugæ aliquid indicanti fides haberi poterit, quum vitæ suæ arbitrium non penes se, sed penes ipsos Duces esse novit. *cap. 9. paragrapho. 8. Strategici.*

¶ Latinorum.

Quintilianus: Proximos existimo esse eos transfugis, à quibus transfugæ recipiantur. Hoc natura simile est, facere scelus, & probare. An si quis nostrum transfugisset, non ipsum modò pessimum civem & omnibus suppliciis dignum judicaretis? sed infamia etiam qui receperunt, & velut auctores scelerum, velut magistros turpitudinis colligeretis? idem non reflectemus in nos tandem utilitate ducti, in auxiliis habituri sumus, quos recipiemus? Fingamus eam civitatis esse fortunam, ut auxiliis opus sit: hos in auxiliis scilicet qui cùm ex altera parte intuerentur patriam, & memoriam pueritiæ, & necessitudines omnes, ad fortunam tamen inclinaverunt, proniore pro nobis sacramento, fortiore animo stabunt? Transfugas non esse recipiendos. Adeò facilius est in istis scelus deprehendere, quàm pænitentiam. Inutile ergo militum genus nobis minimè necessarium.

Quippe etiam hi qui recipiendos esse transfugas, hoc dicūt, in superiore esse loco nostram civitatem. Neque enim amore nostri, sed metu imminentis fortunæ transfugiunt. At facilius deposituros propositum bellandi hostes putamus, si plures transfugerint? minimè. nam hi qui bellum gerere contra nos non audent, si locum in civitate nostra non habuerint, sæpe deponendi belli auctores erunt: nunc in privatum sibi singuli consulunt. Est magnum in singulis momentum: ac si præclusa hæc fuerit spes, quod singuli faciunt, universi suadebunt. Hæc dicerem, etiam si nihil ex istis metus esset.

Nunc verò non possum non confiteri sollicitudinem meam, quotiens oculos circumtuli, & singulas castrorum metior partes: non aliter quàm si vallum hostis invaserit, alienos habitus, aliena arma video: versantur inter domos nostras, inter templa, inter muros, in medijs Reipubl. visceribus. An aliquid mali velint facere, postea videro: interim possunt. Ego illud credidi scelus cum à singulis spes est: cum à plurimis, jam consensi. Novum hercule genus artis: supervacuum est cuniculos fodere, & per occultos specus ingenti labore exhaustis terris, in mediam subitò emergere civitatem: supervacuum est redimere proditorem, & scelus pecunia paeisci.

Videntes palàm, imò gaudentes etiam accepimus intra viscera hostem: vos æstimabitis an suspectum debeatis habere, quòd ad tantum numerum per singulos pervenerunt. Nemo illos recepisset, si universi venissent. Omnesne hi desperaverunt? omnesne cōsulere ac prospicere voluerūt? adeone facilius est trāsfugere, quàm cadere? Omnes hi reliquerunt in civitate conjuges, in ludibrium atque contumeliam eorum, qui se à scelere maximo ulcisci velint? manifestiore quadam conjectura capere possumus: num minus animi sine his, num minus pertinaciæ desertis? Age sanè hoc non cogitatis, quòd nec custodiunt, nec reprehendunt, nec portas præcludere, nec publica retinere jura tanti putant. Miratur aliquis timere me hostes, quòd isti transfugiunt? illi me non timent. Caveamus, obsecro, dum plures sumus. *Declam. 255.*

¶ Monosticha Trochaica.

Centurio sævus desertores facit.
Et prosequi fas jure belli transfugam.
Et transfugarum dexteras præscindimus.
Nil non mali simulatus patrat transfuga.
Vel jure belli persequaris transfugam.

¶ Jambica.

Heu quantum mali patrare transfugæ ficti queunt.
Ne statim servum putato omnem esse verum transfugam.
Pacis omnem mentionem detestantur perfugæ.
Publico non continetur fœdere ullus transfuga.
Vrbibus utrisq; cladem fictus infert transfuga.

Tribulationis.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D. *Io. Chrysostomus:* Iusti hic premuntur angustiis. si qui verò nō patiantur, ideo fit ne odiosa videatur virtus. Mali verò hic lætantur ut illis puniantur. sin qui autem & hic cruciantur, ideo fit ne vitium bonum esse videatur, neu impunita quis existimet scelera. quod si non omnes patiuntur neque exultant omnes, fit ideo ne resurrectioni derogetur fides. nā sunt pleriq; boni, qui mali aliquid operum habeant, quorum hic recipiant vices, ut illis æternè puniantur. *2. ad Timoth. homil. 8.*

D. Io. Chrysostomus: Cùm in pressuras incideris, ne festines in tēpora eductionis: præpara animam tuam ad omnem tolerantiam, & citò ea pressura liberaberis. idcirco enim hanc inducit Deus, ut erudiat. Quum igitur ab ipsis initiis ferre absque mærore didicerimus, remittet jam, requiemque præstabit, quasi omnibus consummatis. Exempli gratia: Cùm persecutio aliquando ferveret, bellumque immane atque vehemens adversus ecclesiam concitatum esset, duo comprehensi sunt viri, ex his alter quidem paratus ac promptus erat omnia perpeti: alter quidem & ipse sibi abscindi quidem caput alacriter passurus erat: cæterùm tormenta alia metuere, ac tremere videbatur. Intuere, obsecro, divinæ bonitatis ineffabilem dispositionem. Quum judex pro tribunali sedisset, eum quidem, qui paratus erat subire tormenta omnia, capite truncari jussit: illum verò, qui trepidaturus ad tormenta videbatur, attolli in sublime, & ungulis laniari præcepit. Neque id semel, aut secundò, sed per omnes ferè civitates, quum eum vinctum secum jugiter duceret. Cur id, quæso, permissum est? Vt scilicet animi ipsius negligentiam, atque socordiam per tormenta fugaret: ut formidinem, omnemque excluderet metum, ut jam non trepidaret, aut tremeret, fortiorque per quotidianas persequutiones evaderet. *Homilia postrema Epistola ad Titum.*

D. Io. Chrysostomus: Nemo videns malos bene rem suam gerere conturbetur. Neque vitij, neque virtutis est hic remuneratio. Si quando autem fiat & vitii & virtutis remuneratio, non tamen fit pro meritis, sed solummodo tanquam gustus judicii: ut qui resurrectioni minus credunt, hic quoque castigentur. Quando ergo viderimus sceleratum ditatum, ne animo concidamus. Quando viderimus bonum malè patientem, ne conturbemur. Nam illic sunt coronæ, illic supplicia.

Alioqui autem fieri non potest, ut & malus sit omni ex parte malus, sed potest ipse quoque habere bona aliqua, & bonus sit omni ex parte bonus, sed potest etiam ipse habere aliqua peccata. Quando ergo rem suam bene gerit sceleratus, hoc evenit in malum ejus capitis. Vt enim paucorum illorum hic accepta remuneratione, illic deinde perfectè puniatur, ea de causa hic accepit. Et ille est maximè beatus qui hic punitur, ut omnibus depositis peccatis probatus hinc abeat, & parvus & nulli culpæ affinis. *Homil. 5. Epist. ad Hebr.*

S. Isidorus Pelusiota: Nulla, ô amice, ratio inveniri potest, per quā quispiam à calamitatibus liber atque immunis sit. Verùm citiùs quispiam in maxima tempestate citra gubernatoris & clavi opem salutē consequeretur, quàm hujus vitæ procellas, nullius tentationis periculo facto, effugeret. Nam cùm tentatio sit vita hominis super terram, qui fieri potest, ut qui in tentationis loco sit, minimè tentetur? Nā quod à Salvatore dictū est, Vigilate & orate, ut nō intretis in tentationem, perinde est ac si dixisset, ne ab ea opprimamini. Nā si his verbis (quemadmodum aliis placet) hoc intellexit Salvator, ne ullo modo in tentationem prolabamur, rationi parū consentaneū hoc esset, cùm & Prophetæ, & Apostoli, & ij viri, qui virtute maximè excelluerūt, in multas & maximas tētationes inciderint: verū, in tētationē quidē non incidere, fortasse impossibile est:

ei autem minimè succumbere, possibile. Ac vulgus quidem mortalium imperitia obrutum, ita in calamitatibus afficitur, ut eorū animi consolationem omnem respuant. Qui autem prudenti judicio gubernantur, eas propulsant non modò fortiter ferendo, sed etiam coronas animo & cogitatione versando. *lib. 2. Epist. 76.*

S. Isidorus Pelusiota: Haud grave est, optime vir, eos qui gravia perpetrarunt, gravibus quoque pœnis affici. At eos, qui nihil grave commiserunt, gravia perpeti, prorsus gravissimum est. Quonam igitur modo iis, qui hoc nomine conqueruntur, satisfaciamus? Non alia nimirum, ut opinor, ratione, quàm si de prioribus dicamus, quòd justè: de posterioribus autem, quòd explorandæ ipsorum virtutis causa perpetiantur. Divina enim justitia illos ulciscitur, his autem coronarum materiam & segetem subministrat. Nam qui Fatum constituunt, de utrisque quid respondeant, non habebunt. Neque enim æquum est, aut eum qui aliquid perpetrare coactus est, aut eum qui nihil grave perpetravit, gravia perpeti. At nos qui Providentiam esse affirmamus, & proba dicimus, & pietatem colimus, & causas rationi consentaneas habemus. *libr. 3. Epist. 26.*

S. Isidorus Pelusiota: Si levibus ac ferendis & sanabilibus peccatis admissis acerbi aliquid in hac vita perpetiamur, hac ratione peccatorum maculas abstergimus. Teterrimis autem ac venia majoribus flagitiis perpetratis, si pœnam hic pendamus, illic quoque profectò adhuc pendemus, sed mitiorem. Si autem huius vitæ supplicia effugerimus, acerbissimum atque consolationis omnis expertem cruciatum illic pendemus. Quòd si hæc meam sententiam esse existimas, ea divinæ Scripturæ confirmabunt. Etenim de iis, qui ea peccata admittunt, quibus afferri medicina potest, ab Apostolo dictum est, Cùm judicamur autem à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. De iis autem, qui insanabilibus peccatis sese devinxerunt, atque hic quidem pœnas pependerunt, illicque rursum pendēt, Iudex ipsemet dixit, Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæ, ut qui hic quoque pœnas dederint, & illic quoque daturi sint, cæterum leviores. De iis denique, qui acerbissimum atque ab omni solatio remotum cruciatum sufferūt, hæc verba habuit, Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum, quàm civitati illi, quæ videlicet divinos præcones submoverat. Nam cùm eos, qui pœnam in hac vita luerunt, cum iis, qui minimè luerunt, comparavit, ac mitiorem eos daturos esse dixit, hinc nimirum eorum, in quos hic minimè animadversum fuerit, acerbissimum ac veniæ omnis expertem cruciatum fore pronunciavit. *lib. 3. Epist. 203.*

§ LATINORUM.

Salvianus: Nil mirum est si deteriora quotidie patimur, qui quotidie deteriores sumus. & nova quotidie mala faciunt, & vetera non relinquunt. Surgunt recentia crimina, nec repudiantur antiqua. Quis ergo est causationis locus? quamlibet aspera & adversa patiamur, minora patimur quam meremur. Quid querimur quod durè agat nobiscum Deus? multo nos cum Deo durius agimus. Vim ut ita dicam facimus pietati, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ ejus. ac sicut illi solent qui minutissimas urbes obsident aut firmissimas arces capere ac subruere conantur, omnibus absque dubio eas & telorum & machinarum generibus oppugnant: ita nos ad expugnandam misericordiam Dei omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere pugnamus; & injuriosum nobis Deum existimamus, cùm ipsi injuriosissimi Deo simus. *lib. 4. de gubern. Dei.*

S. Salvianus: O superbiam non ferendam! plurimi pænas peccatorum suorum perferunt, & intelligere causas peccatorum nemo dignatur. sed est causa evidens quæ hanc superbiam facit; quia etsi aliqua jam patiamur, nondum tamen patimur qualia meremur. tanta est enim misericordia Dei, ut etsi nos vult pati aliqua de piaculis nostris, nolit tamen cuncta tolerare: quia castigat malos, non reddit mala: agnoscere nos peccata nostra mavult quam sustinere; scilicet ut & piis & salubribus flagellis ostendat nobis quæ ferre mereamur; sed tamen non inferat quæ meremur. Scilicet Deus nos invitat ad veniam, & nos quotidie cumulamus offensam.

Vim Deo facimus iniquitatibus nostris: ipsis in nos iram divinitatis armamus. cogimus ad ulciscendas criminum nostrorum immanites nolentem Deum. prope est ut eum non permittamus ut parcat. nam cùm in eum nullum unquam injustitiæ signum cadere possit, sic agimus ut si enormitates nostrorum scelerum non ulciscitur, injustus esse videatur. *lib. 5. de gubernat. Dei.*

Orosius: Si divina providentia, quæ sicut bona, ita pia & justa est, agitur mundus & homo: hominem autem qui convertibilitate naturæ & libertate licentiæ, & infirmus & contumax est; sicut piè gubernari egenum opis oportet, ita justè corripi immoderatum libertatis necesse est: jure ab initio hominis per bona malaq; alternantia exerceri hunc mundum sentit, quisquis per se atque in se humanum genus videt. *lib. 1. cap. 1.*

Orosius: Cùm post fabricam ornatumque mundi huius, homo quem rectum atque immaculatum fecerat Deus, ac perinde humanum genus, libidinibus depravatum peccatis obsorbuisset, continuò injustam licentiam justa punitio consecuta est. *lib. 1. adv. paganos cap. 3. initio.*

Orosius: Per annos quinquaginta incerta semper victoria terra marique pugnatum est inter Athenienses & Lacedæmonios; donec Spartanis & opibus imminutis & fide profligata, sociis quoque probro fuere. Sed hæc per tot ætatum volumina incubuisse Græcia parvipenditur. nunc autem interpellari interdum voluptates, & impediri parumper libidines non sustinetur. Quanquam inter illius temporis homines atque istius hoc interest, quod illi æquo animo hæc intoleranda tolerabant, quia in his nati vel enutriti erant; & meliora non noverant: isti autem perpetuo in vita sua tranquillitatum & deliciarum sereno assuefacti, ad omne vel modicum obductæ sollicitudinis nubilum commoventur. *adv. Paganos libr. 1. cap. ultimo sub finem.*

Chrysologus: Tribulatio velut prima, justi viri concutit & conturbat infantiam, sed cùm invenerit ista patientem, ad majora adolescentem jam bona indolis tunc erudit. Tribulatio patientiam operatur. *Serm. 110.*

§ EMBLEMATUM.

Ad. Seba. Satanæ cacabus, desuper repletus.

En Satan accensis hinc inde ut torribus urgens,
Sic tandem absumi spumantem hunc, stultus, ahenum
Posse putat, lapsus complet quem cælitus humor.
Sic liceat nobis sanctorum effingere sortem,
Quos Satanas, varijs hinc inde laboribus instans,
Exercet, frustra seseq; suosq; fatigans.
Ecquis enim tutus, nisi quos fidusq; potensq;
Tutatur cæli Christus qui considet arce?
Perge, Satan. Nam quo torres ardentius omnes
Accendes, tantò mage despumaris ahenum,
Purior ut tandem fundo esca appareat imo.

Camerarius LXXV. Centuria I.

Pulchrior attrita resurgo.

Pulchrior ut crescat, teritur Crocus: ô furor ingens,
Lætior ut possis surgere, nolle premi!

Catsius Emblemate sacro XVII.

Ni patiaris, non potieris.

Esca quidem placeat, sed vincula proxima muri,
Si caveam subeat, triste minantur iter.
Ergo stat, & præda tuto parat ore potiri;
At miser impranso musculus ore gemit.
Optat homo, velletq; thoris accumbere Divum,
Difficili sursum sed piget ire via.
Quid salebras, quid vincta times? moriatur oportet
Dum vivit, moriens vivere si quis amat.

Tributi.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

S. *Isidorus Pelusiota*: Descriptus est Dominus cùm utero gestaretur, & censum Cæsari pependit: hinc videlicet velut lata lege nobis indicens, ut ei, qui imperium tenet, obediamus, modò nihil ad pietatem detrimenti afferat. Quæ igitur ipse Deus noster, subita per dispensationem & consilium paupertate, docuit, candido animo imitemur, nec pauperum obtentu tributum pendere detrectemus. *lib. 1. Epist. 48.*

S. Isidorus Pelusiota: Stater ille, quem in pisce abstrusum Petrus capere jussus est, formam nostram vitiosis affectionibus coopertam designabat, quam Dominus in seipso ad primigenium exemplar revocat. Pro se autem hunc dari præcepit, ut homo effectus, atque omnibus nostris conditionibus subjectus: nec Imperatori, cùm ea imperat, quæ minimè noxia & perniciosa sunt, obluctari permittens, & divinæ potentiæ vim ac facultatem ostendens. *lib. 1. Epist. 206.*

S. Isidorus Pelusiota: Impius Gigantius, qui adversus miseros agricolas calumniam struxit, tanquam videlicet vectigalia quædā ac tributa surripuissent, quiq; Augusti cēsum ac descriptionē auxit, etsi alioqui ipsis gravissimā & acerbissimā, posteaquā jā pridā imperatorē adduxit, ut sibi tanquā vera loquēti, animū adjiceret, iisque qui in vicis & pagis habitant, calamitatum causam præbuit, in Thraciam se confert, ea mente ac studio, ut imperium rursus consequatur. Non es autem nescius quantam hominum multitudinē descriptione sua in fugam conjecerit, qui nimirum patriam libertatem ligone atque aratro commutarunt. Quapropter tibi velim curæ sit, ne ille imperium rursus arripiat, atque omnes Cappadoces efficiat: quibus victus ratio non aliunde quàm ex servitute atque agricultura constat. *lib. 1. Epist. 48.*

§ LATINORUM.

S. Salvianus: Illud latrocinium ac scelus quis digne eloqui possit

possit, quod cùm Romana respubl. vel jam mortua, vel certè extremum spiritum agens, in ea parte qua adhuc vivere videretur, tributorum vinculis, quasi prædonum manibus strangulata moriatur! inveniuntur tamen plurimi divitum quorum tributa pauperes ferunt. hoc est, inveniuntur plurimi divitum quorum tributa pauperes necant, & quod inveniri dicimus plurimos, timeo ne verius diceremus omnes. tam pauci enim mali huius expertes sunt (si tamen ulli sunt) ut in ea parte qua multos diximus, omnes penè divites reperire possimus.

Ecce enim remedia pridem nonnullis urbibus data, quid aliud egere quam ut divites cunctos immunes redderent, miserorum tributa cumularent: ut illis demerentur vetera; istis ut adderentur nova: illos ut decessio etiam minimarum functionum locupletaret; istos ut accessio maximarum affligeret: illi ut eorum quæ leviter ferebant imminutione ditescerent; isti ut eorum quæ etiam ferre non poterant, multiplicatione morerentur: ac sic remedium illud alios injustissimè erigeret, alios injustissimè necaret: aliis esset sceleratissimum præmium, aliis sceleratissimum venenum. Vnde advertimus, quod nihil esse & divitibus sceleratius potest, qui remediis suis pauperes perimunt; & nil pauperibus infelicius, quos etiam illa quæ pro remedio cunctis dantur, occidunt. *libro quarto de gubernatione Dei.*

Salvianus: Nam illud quale? quam non ferendum? & quod non dicam pati humanæ mentes, sed audire vix possunt; quod plerique pauperculorum atque miserorum spoliati reculis suis, & exterminati ab agellis, cùm rem amiserint, amissarum tamen rerum tributa petuntur: cum possessio ab his recesserit, capitatio non recedit. proprietatibus, carent, & vectigalibus obruuntur.

Quis æstimare hoc malum possit? rebus eorum incumbunt invasores, & tributa miseri pro pervasoribus solvunt. post mortem patris nati, obsequiis juris postumi, juris sui agellos non habent, & agrorum munus enecantur. ac per hoc quid aliud sceleribus tantis agitur, nisi ut qui privata pervasione nudati sunt, publica afflictione moriantur; & quibus rem deprædatio tulit, vitam tollat exactio? &c. *Libro quinto de gubernatione Dei.*

Salvianus: Sed quid possunt aliud velle miseri, qui assiduum, imò continuum exactionis publicæ patiuntur excidium, quibus imminet semper gravis & indefessa proscriptio, qui domos suas deserunt, ne in ipsis torqueantur. exilia petunt, ne supplicia sustineant. leviores his hostes quam exactores sunt. & res ipsa hoc indicat: ad hostes fugiunt, ut vim exactionis evadant. Et quidem hoc ipsum minus tamen grave atque acerbum erat, si omnes æqualiter atque in commune tolerarent. illud indignius ac pænalius, quod omnium onus non omnes sustinent, imò quod pauperculos homines tributa divitum premunt, & infirmiores ferunt sarcinas fortiorum. nec alia causa est quod sustinere non possunt, nisi quia major est miserorum sarcina quam facultas. res diversissimas dissimillimasque patiuntur, invidiam & egestatem. invidia est enim in solutione, egestas in facultate.

Si respicias quod defendunt, abundare arbitreris: si quod habent egere reperies. solutionem sustinent divitum & indigentiam mendicorum. plus multo est; adjectiones tributarias ipsi interdum divites faciunt, pro quibus pauperes solvunt. Dices, cùm ipsorum maximus census sit, & ipsorum maximæ pensiones, quomodo fieri potest, ut ipsi sibi augere debitum velint? Neque ego id dico quod sibi augeant: nam ideo augent, quia non sibi augent. dicam quomodo. Veniunt plerique novi nuncii, novi epistularii à summis sublimitatibus missi, qui commendantur illustribus paucis ad exitia plurimorum. decernuntur his nova nova, novæ indictiones: decernunt potentes quod solvant pauperes; decernit gratia divitum quod perdat turba miserorum. ipsi enim in nullo sentiunt quod decernunt: sed non possunt inquit, non honorari & liberalius accipi qui fuerint à majoribus missi. Estote ergo vos divites primi conferendo, qui estis primi in decernendo. estote primi in largitate rerum, qui primi estis in liberalitate verborum. qui das de meo, da de tuo: tametsi rectissimè quisquis ille es, qui solus vis capere gratiam, solus patereris expensam. sed acquiescimus pauperes vestræ, divites, voluntati; quod pauci jubetis solvamus omnes. quid tam justum, quid tam humanum? Gravant nos novis tributis decreta vestra, facite saltem debitum, ipsum vobis nobiscum esse commune. Quid iniquius aut indignius, quàm ut soli sitis immunes à debito, qui cunctos facitis debitores? & quidem miserrimi pauperes sic totum hoc quod diximus solvunt, quod quare vel qua ratione solvant penitus ignorant. cui enim licet discutere cur solvatur, aut cui permittitur explorare quid debeat? Sed tunc id evidentissimè proditur, cùm invicem sibi divites irascuntur, cùm indignantur aliqui eorum, quod sine consilio aut tractatu suo aliqua decreta sint. tunc à quibusdam eorum audis dici: O facinus indignum! duo aut tres statuunt, quod multos necet: à paucis decernitur, quod à multis miseris dependatur. honori enim suo unusquisque divitum præstat, ut nolit aliquid se absente decerni; non justitiæ, ut iniqua nolit se præsente constitui. denique quod in aliis deprehenderunt, ipsi postea aut pro contemptus præteriti ultione, aut pro potestatis præsumptione constituunt. ac per hoc infelicissimi pauperes sic sunt, quasi inter concertantes procellas in medio mari positi, nunc istorum scilicet, nunc illorum fluctibus obruuntur. Sed videlicet qui in hac parte iniqui sunt, in alia moderati inveniuntur & justi, ac pravitatem unius rei alterius probitate compensant. nam sicut in onere novarum indictionum pauperes gravant; ita in novorum remediorum opitulatione sustentant. sicut tributis novis minores maximè deprimuntur; sic remediis novis maximè sublevantur.

Imò par est iniquitas in utroque. sicut sunt in aggravatione primi pauperes, ita in relevatione postremi. Si quando enim, defectis urbibus minuendas in aliquo tributarias functiones potestates summæ existimarunt, illicò remedium cunctis datum, soli inter se divites partiuntur. quis tunc pauperum meminit? quis ad communioné beneficii humiles & egestuosos vocat? quis eum qui primus est semper in sarcina, vel ultimo esse loco patitur in remedio? & quid plura? tributarii omnino pauperes non putantur, nisi cum his tributi cumulus imponitur. extra numerum autem tributariorum sunt, cùm remedia dividuntur. Et putamus quod pœna divinæ severitatis indigni sumus, cùm sic nos semper pauperes puniamus? aut credimus, cùm iniqui jugiter simus, quod Deus justus in nos omnino esse non debet. *lib. 5. De gubernatione Dei.*

Salvianus: Fortissimi quondam Romani erant; nunc sine viribus. terrebant Romani veteres, nos timemus. vectigalia illis solvebant populi barbarorum; nos vectigales barbaris sumus. vendunt nobis hostes lucis usuram: tota salus nostra commercium est. Insuper etiam ridiculos ipsi nos facimus. aurum quod pendimus, munera vocamus. Dicimus donum esse quod pretium conditionis durissimæ ac miserrimæ.

Omnes quippe captivi cùm semel redempti fuerint, libertate potiuntur: nos semper redimimur, & nunquam liberi sumus. illorum more dominorum nobiscum barbari agunt, qui mancipia obsequiis suis non necessaria mercedibus promerendis locant: similiter enim nonnunquam ab hac sumus liberi functione quam pendimus. ad hoc mercedes jugiter solvimus, ut sine cessatione solvamus. *lib. 6. de gub. Dei sine.*

§ Oratorum Graecorum.

Dio Prusæus: Cùm multas innominatas civitates, tum verò multos locupletes habetis subjectos. Iudicium autem vestræ potentiæ maximum est tributorum multitudo: quemadmodum opinor, ea jumenta fortissima videntur, quæ plurimum trahunt; ita & civitates verisimile est optimas esse, quæ plurimum argenti cōficiunt. *Orat. 35.*

Aristides Sophista: Iustitiam ejus in pecunia consideremus. etenim cùm pensiones multæ in rempubl. conferrentur, ac tributa multa nondum sufficerent, sed & æraria omnia essent exhausta, & graviora quoque in posterum metuerentur; ipse majorem pecuniæ summam ut conquireret, coactus non fuit, nec ea de causa acerbius se gessit, verùm tributa sublevavit, maxima non modò justitia sed & humanitate præter ceteros reges hac in re usus. *Laudatione M. Antonini Philosophi.*

Aristides Rhetor: Primum Spartanus quidam dux ita Græcos tractavit, ut ab eo deficientes, alios sibi dominos ultrò quærerent. Cùm autem Atheniensibus se dedissent, paullo post eos pænitere cæpit, cùm nec tributorum magnitudinem ferrent, nec eos qui illorum prætextu ipsos insuper spoliabant: & abrepti quotannis Athenis rerum suarum rationem referre congerentur. *Encomio Romæ.*

Iulianus Imper. Regi ad lucrum spectandi difficilis vestra postulatio videretur, neque unquam paucorum gratia publicis vectigalibus detrimentum afferri pateretur. Verùm quia consilium est nostrum; non quam plurima è subditis colligere, sed quamplurimum eis prodesse: iecircò vobis debita condonamus. Neque tamen omnia, sed pars una vobis, altera militibus cedet: quæ quidem & ipsa maxima ex parte vestra erit, cùm præsertim pacis & securitatis vestræ causa impendatur.

Quare usque ad tertium tributum vobis remittimus quicquid è præterito tempore desideratur: deinceps autem solvetis, sicut consuetudo postulat. Nam & quæ vobis dedimus, satis multa sunt: neque nobis Reipubl. rationes sunt negligendæ. Hac de re ad præfectos scripsi, ut beneficium vobis verbo datum, re persolvatur. *Epist. 48.*

Libanius: Qui rationi consentaneum est, tributa quidem indici cuique pro facultatibus; à thesauris verò hoc jus excludi? *Declamat. 10.*

Libanius: Vbi agitur de collectis, alii ultrò seduloque contribuunt; alii libentissime non penderent: verumtamen nemo patitur. *Declam. 20.*

Themistius. Quando & illud ipsum quòd tributorum onus levasti, in eo mihi rursus magis tempus ipsum quam eius quod detraxisti magnitudo admiratione dignum videtur. Nam cum id metueremus, ne augeri atque intendi tributa oporteret, atque hoc ex eo conjiceremus, quod in dies majore impendio opus esset. commodum ecce sublevato onere, majus hoc, quod nec opinato, ac præter spem acciderat, quam ipsummet beneficium fecisti. Quippe hactenus non sine comminatione, ac vi, frumentum ad nos convehebatur; nunc vero penna omni, & cogitatione velocius sponte ac nullo jubente comportatur. Quin mare ipsum voluntati Imperatoris obsequitur, atque hiberna navigatio, onerariis navibus, æstiva commodior, atque pacatior est. Non igitur horrea situ, atque araneis obsita sed plena ac redundantia sunt, pristinaque illa q̄ nos olim destituerat fiducia revertit. Ita jam de veris fertilitate bene sperantes, hyemen traducimus. Quamobrem neque dedignatur Princeps per sese hujusmodi thesauros inspicere, sed cū eos in quibus aurum asservatur, aliis custodibus permittat, frumenti dumtaxat horrea perlustrare non dubitat, nec infra majestatem suam arbitratur. At Crœsus Lydorum Princeps, Regali magnificentia dignius putabat refertas auro cellas, quam frumento monstrare, Itaque apud Solonem Atheniensem, non frumenti acervos, sed auritamenta venditabant: quæ nō terræ munera, sed arroganter fluvii erant infructuosæ opes ac steriles: Quorum qui copia circumfluunt, fame enecantur. Cujusmodi ille voti sui fructum retulit. qui in magna auri abundantia, inedia consumptus est. Quapropter Solon minime mortalium omnium beatissimum Crœsum pronuntiavit: sed Atheniensem illum, & Argivos adolescentes, ac nihil nō potius quam Crœsum nominavit: verum beatissimum haud dubie ac felicissimum Imperatorem ille pronunciasset, cuius opibus tantus alitur exercitus, quantus in Romano Imperio nullus hactenus fuit, separatim quidem ad Tigrim fluvium. Alitur amplissima hæc civitas atque universa populi multitudo: nec alit eos solum, sed etiam quod superiorum temporum fraude, atque iniquitate defuerat, rependit: nec rependit solum, sed etiam annonæ ac congiario adjicit: cum tamen præclaræ nobiscum agi videatur, si non aliquid detrahatur. Quare nihil nobis perpetua peregrinorum ejectione opus est, velut Matrici olim civitati, id quod egestate omni atrocius remedium est. Quin multi simul cum bonorum abundātia nullo prohibente confluunt, qui liberè, ac pro potestate iis utantur Ejusmodi in præclaris Imperatoris factis finis ac temporis opportunitas spectatur. *Orat. 6. ad Theodosium.*

Themistius: Vidisses tum incredibile, ac longo intervallo revocatum spectaculum, pacem dantes, non redimentes Romanos. nemo heic aurum Barbaris numeratum vidit; non argenti tot talenta, non veste oneratas naves; non ea quæ prius à nobis tolerabantur, cùm excursione omni graviorem atque acerbiorem pacem ac quietem haberemus, cùm annuum tributum pensitaremus: cujus quidem nomen ipsum, cùm rei interim nihil nos puderet, ejurare solebamus.

At Imperator, quamvis alioqui munificentissimus, eo tamen tēpore videri parcissimus non erubuit; qui insuper consuetam eis annonam detraxit; & pro tantis copiis quæ ad eos importabantur, vix uni exiguum aliquid concessit, quo usus interprete fuerat: quasi nihilo magis pensitatio ipsa ad Romanos quàm ad Scythas pertineret. Ita porro per omnia palam istud facere pugnavit, non tam id à se cupiditate pacis quàm ut barbaris parceret, esse susceptum, &c. *Orat. 10.*

❡ Romanorum.

Plinius: Onera imperii, pleraque vectigalia institui, ut pro utilitate communi, ita singulorum injuriis coegerunt. his vigesima reperta est, tributum tolerabile, & facile heredibus duntaxat extraneis, domesticis grave. itaque illis irrogatum est, his remissum, &c. *cap. 37. panegyr. in Trajanum.*

Plinius Nullum tanti est vectigal quod liberos & parentes faciat extraneos. Bona filii pater sine deminutione possideat, nec socium hereditatis accipiat, qui non habet luctus. *cap. 38. Panegyr. ad Trajan.*

Plinius: Vetuisti exigi quod deberi non tuo sæculo cæperat. Alius ut contumacibus irasceretur tarditatemque solvendi dupli, vel etiam quadrupli irrogatione mulctaret, tu nihil referre iniquitatis existimas, exigas quod deberi non oportuerit, an constituas ut debeatur. *cap. quadragesima fine Panegyrici ad Trajanum.*

Eumenius: Iacebat civitas non tam innixa Romanis quam virium defectione prostrata, ex quo eam novi census examinaverat acerbitas, nec tamen justè queri poterat, cùm & agros qui descripti fuerant haberemus, & Gallicani census communi formula teneremur, qui fortunis nemini possumus æquari. quo magis Imperator, clementiæ tuæ gratias agimus, qui remediis sponte cōcessis fecisti, ut quod non poteramus jure petere, justè obtinuisse videamur. *cap. 5. grat. act. Constantino.*

Eumenius: Septem millia capitum remisisti, quartam amplius partem nostrorum censuum, & tamen, utrum sufficeret hoc nobis, sæpius requisisti. O nos utrumne verecundos dicam nimium, an satis gratos? qui reticuimus, hæsimus, indulgentiæ tuæ ample fluenti modum fecimus. plus adhuc præstare cupiebas, si ausi fuissemus exposcere. Quantum sit hoc Imper. beneficium, quàm necessarium nobis, quam utile etiam devotionis officiis, non queo satis dicere. Remissione ista septem millium capitum, vigintiquinque millibus dedisti vires, dedisti opem, dedisti salutem, plusque in eo consecutus es quod roborasti, quàm recidisti in eo quod remisisti. quater tantum tibi firmum certumque redditum est, id quod irritò petebatur. si quidem desperatio perferendi debiti, etiam id quod dari poterat inhibebat; nec erat ratio conandi, cùm non esset spes ulla complendi.

O divinam, Imper. tuam in sananda civitate medicinam! sicut ægra corpora & onerata stupentium torpore membrorum resecata aliqua sui parte sanantur, ut imminuta vigeant quæ exaggerata torpebant; ita nos nimia mole depressi, levato onere consurgimus. Nescit taxare indulgentiam tuam, qui te putat septem millia capitum sola donasse. donasti omnia quæ stare fecisti. quanquam enim adhuc sub pristina sarcina vacillemus, tamen levior videtur, quia vicino nemo præfertur. exonerandi præsumptio dat patientiam sustinendi. Certè & nunc liberi parentes suos chariores habent, & mariti conjuges nō gravatè tuentur, & parentes adultorum non pænitet filiorum, quorum onera sibi remissa lætantur. Ita omnium pietas olim fessa respirat, & suos quemque juvat numerare securum, cum plures adjuvant obsequia paucorum. quo magis spe futuri temporis elevamur. recreatur animus securitate præteriti, remissisque reliquis nihil est quod respectandum timendumque aliquod virium venturis pensitationibus neget. ita duorum temporū, q̄ sunt maxima, molestia liberati sumus, unum atque id minimum, brevi labore transigimus. nam cùm præteritum tempus pro modo suo longum, futurum autem infinitum sit, præsens breve, & semper in partem utramque mutabile, cùm à præterito relinquatur, & transeat in futurum, unus hic annus propè sensum non habet difficultatis, duorum temporum indulgentiis coarctatus, & quasi terminus quidam positus felicitati utriusque confinii, qui nos & præterito liberos facit, & in futuro securos *capit. 12. gratiarum actionis Constantino Augusto.*

Eumenius: Quidquid terra cælumque parcius dederunt, nobis tamen ex beneficio tuo natum est, qui quinque annorum reliqua remisisti. Quænam toto terrarum orbe auri argentique Metalla tam larga sunt, quis Tagus quisve Pactolus tanto fluxit auro, quātum liberalitate tua conlecuti sumus? nos enim majoris est muneris abs te accepisse. quinimò quanto est durius extorqueri quod proprium est, quam non acquirere quod fuerit alienum, tanto dulcior est remissa solvendi necessitas, quàm lucrandi optata commoditas. Quàm multi, Imp. Auguste: quos inopia latitare per saltus, aut etiam in exilium ire compulerat, ista remissione reliquorum in lucem exeunt, in patriam revertuntur, desinunt odisse agrorum suorum sterilitatem, resumunt animos operi, præparant culturam, melioribus annituntur auspiciis, revisunt domos, referunt vota templis, &c. *capit. 14. act. gratiar. Constantino Aug.*

Cl. Mamertinus: Iam quale illud fuit, quod Istrum adhuc navigans, beneficia tua usque ad Adriam, Tyrrhenum, Mæotidem porrigebas? ipso enim tempore levati equorum pretiis enormibus Dalmatæ, Epirotæ ad incitas intolerandi tributi mole depressi, providentia, Imp. tua non modò miserias exuerunt, sed amplam etiam atque opulentam revexere fortunam, &c. *Videatur locus cap. 9. Orationis in Iulianum Aug.*

Symmachus: Quæstores Ordinis nostri nunquam ferarum suarum portitorium contulerunt. Grave enim majoribus visum est, ut tolerantibus onera Senatoriæ dignitatis sumptus immodicus adderetur. Hæc mihi proximè, cum gladiatorium Munus instruerē, magis populi Romani quàm meo nomine prærogativa delata est. Nunc à fratre meo Cynegio VC. Quæstorio Candidato quinquagesimæ vectigal exigitur; quod solos ursorum negociatores, ut pote quæstui servientes oportet agnoscere. Huius injuriæ affectatio tuum moderamen expectat. Resiste, quæso te, publicanorum cupiditati, & damna Collegarum recide. *lib. 5. Epistol. 62.*

Symmachus: Habēt hoc publicæ necessitates, ut impossibilia plerumq; persuadeant, D. Imp. Sed cauto opus est; ne asperitas negotii effectu irrito solas arcessat offensas: quæ nulli magis evitandæ sunt quam juveni & Principi, cuius gratia cum ætate debet adolescere. Ergo numinis vestri famam, simulque arduum recogitans, Corporatos negociatores, membra æternæ urbis, ad equorum collationē, quam literis imperastis, vocare dubitavi: ne librationem clementię vestræ querela publica præveniret. Integra res est: adhuc salubritatem consilii diligentioris expectat. Iustitiæ præstate, quod remittitis invidiæ. De exemplo veniunt quæ cavemus. Siquidem cæli particeps parens clementiæ vestræ, cùm munus exiguum huic hominum generi mandare tentasset, motus libertate plebis abstinuit. Et certè paucorum curam res illa poscebat: magisque officiū desiderabatur tractandæ pecuniæ publicæ quàm dispendium conferendæ.

Consulut tamen gloriæ suæ ne quid juberet invitis: & diligentissimus ac serius Imperator, speratum emolumentum tanquam popularis ignovit. Nec putet æternitas vestra ab incœpto temerè destitisse Deo proximum virum *lib.10.epist.27 pr.*

Symmachus: Quod si adiiciantur insolita, forsitan consueta cessabunt. *lib 10 epist.27.f.*

Ausonius: Neque verò unum aliquod bonum uno die præstas; sed indulgentias seculares per singula horarum momenta multiplicas. Vel illud unum cujusmodi est, de condonatis residuis tributorum? quod tu quàm cumulata bonitate fecisti? Quis unquam Imperatorum hoc provinciis suis aut uberiore te indulgentia dedit, aut certiore securitate prospexit, aut prudentia consultiore munivit? Fecerat & Trajanus olim, sed partibus retentis non habebat tantam oblectationem concessi debiti portio, quanta suberat amaritudo servati. Et Antoninus indulserat, sed imperij, non beneficij successor invidit; qui ex documentis tabulisque populi condonata repetivit. Tu argumenta omnia flagitandi, publicitus ardere jussisti. Videre in suis quæque foris omnes civitates conflagrationem salubris incendij. ardebant stirpes fraudum veterum, ardebant seminaria futurarum. Jam se cum pulvere favilla miscuerat, jam nubibus fumus involverat; & adhuc obnoxij in paginis concrematis ductus apicum & sestertiorum notas cum lubentia de ratione cernebant, quod meminerant legi, legi posse verentes. Quid indulgentius te, quid potest esse consultius? quæ bona præstas, efficis ne caduca sint: quæ mala adimis, prospicis ne possint esse recidiva. *Panegyrico ad Gratianum Imp.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 1. de rebus suis.

——— perferre necesse est
Cæsareum pondus, vocemq; tributa legentis
Audire horrisonam: collatio namq; tributi
Libera per magno conturbat corda dolore,
Divitias comitans, ac lingua vincula nectit.

Plautus Epidici 2. sc. 2. v. 43.

Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.
At tributus cùm imperatus est, potesse pendi negant:
Illis quibus tributus major penditur, pendi potest.

Terentius Phormionis 1. sc. 1.

Quod ille unciatim vix demenso de suo,
Suum defraudans genium, comparsit miser,
Id hera universum abripiet, haud existimans
Quanto labore partum.

¶ Apophthegm. Christ.

Iesus Christus: Non minore apud Deum loco existimandum est esse eum, qui debito tributo, quod in potestatis recognitionem subditus pendit, quàm qui requisito obsequio, superiorem suum defraudat. Hinc Pharisæis cum Herodianis ad Christum tentandum accedentibus, dum quærunt, Licétne censum dare Cæsari, an non? Christus non quod liceat tantùm, sed quid fieri debeat, imperans; visa numismatis quod exhibebant inscriptione & imagine, *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei, Deo.* quod alio in loco, his verbis Apostolus: Cui honorem, honorem: cui tributum, tributum. *Matth.cap.22.*

Idem. Dum venientem Capharnaum pro didragmate (erat is nummus fortassis valoris trium solidorum) interpellant, Petrum in domo prævertens, *Quid tibi videtur,* inquit, *Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filijs, an ab alienis?* & illo dicente, *Ab alienis;* subinfert Christus: *Ergo filij sunt liberi.* declarans naturales filios non solere parentibus pendere tributum aut censum. *Ibid.cap.17.*

Constantinus Imp. Mitis admodum & temperatus, ut in aliis omnibus, circa hanc Censuum exactionem fuit Constantinus: ab cujus ore sæpè sæpiùs audita est memoranda illa vox: *Communes regni opes securiùs à communitate asseruantur, quam si eas nos ipsi recondamus.* Verè prudens Imperator, qui suam potentiam in civium potentia collocabat. *Euseb.hist.eccl.lib 1.cap.10.*

Petrus Sabaudiæ Comes. Forti animo, licet parum æquo hic. Monitus namque apud Othonem IV. per Cancellarium ejusdem, feudales literas nonnullarum urbium quas pridem acquisiverat, exhiberet; evaginatum ensem protendit, &, *Hæ,* inquit, *literæ, quibus eas acquisivi.* Camerar. Meditat. hist. cap. 6.

¶ Monosticha Trochaica.

Civium constat tributis civium securitas.
Civibus tributa danda pro facultatum modo.
Ecqua contributio absq; verbere aut injuria?
In tributis esse nervos publicæ rei liquet.
Mollias æqualitate munerum gravia omnia.
Nulla contributio absq; injuria est aut verbere.
Propter exactum tributum plurima est rebellio.
Quæstus exigentium, ipso plus tributo degravat.
Qui tributa iniqua quærit, pestem quærit quâ occidat.
Rex bonus pendit tributi plus suis quàm ab iis cupit.

¶ Jambica.

Cives cruciare tributis, minimè Regium est.
Donum vocamus, hostibus quod debitum est.
Fessa onere, Rex decorè tributis levat.
In ditiorem inclines onera à paupere.
Nullum gravat tributum omnes quod conferunt.
Princeps tributo haud indiget multo bonus.
Quod vis tributum, præmium est victoria.
Reges boni minuunt tributa; augent mali.
Stipendia haberi sine tributis non queunt.
Tributa tantùm Principes augent mali.

Trinitatis.

¶ Sententiæ Patrum Graecorum.

D*Ivus Nazianzenus:* Vnam quidem patris gloriam esse agnoscimus Vnigeniti æqualitatem; unam autem filij, Spiritus Sancti adæquationem. ac si quid horum trium infra collocemus, ita existimamus totam Trinitatem à nobis everti ac deleri: tria quidem quoad proprietates, unum autem quoad divinitatem, venerantes & agnoscentes. *Oratione 20. in morte Basilij Magni.*

D. Nazianzenus. Cum Paullo de rebus divinis differe, cum illo, inquam, ad tertium cælum evecto, qui nonnunquam tres personas connumerat, idque variè, nec nominum ordine servato, sed eandem personam nunc prænumerans, nunc connumerans, nunc subnumerans (quorsum hoc? nempe ut naturæ æqualitatem ostendat:) nonnunquam etiam trium, interdum duorum, aut unius mentionem facit: tanquam videlicet reliquæ personæ simul sequantur: atque etiam aliquoties Dei operationem Spiritui tribuit, ut nulla in re diverso; aliquoties autem rursum pro Spiritu Christum infert: & quidem, cùm personas distinguit his verbis utitur: Vnus Deus, ex quo omnia, & nos in ipsum, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia: & nos per ipsum: cùm autem unam Deitatem colligit, ita loquitur, Quia ex ipso, & per ipsum, & in ipsum omnia, nimirum per Spiritum sanctum, ut multis Scripturæ locis demonstratur. *Oratione 24.*

D. Nazianzenus: Ipsi Patrem & Filium, & Spiritum sanctum adorabunt, deitatem unam, Deum Patrem, Deum Filium, Deum (nisi hoc tibi stomachum movet) Spiritum sanctum, unam naturam in tribus proprietatibus, intelligentibus, perfectis, per se ac separatim subsistentibus, numero quidem distinctis, divinitate non item. *Oratione 25. contra Arrianos.*

D. Nazianzenus. Finge Trinitatem margaritam quandam esse, undique sibi similem, atque æquè fulgentem. Quæcumque margaritæ pars oblæsa fuerit, tota lapidis gratia extincta fuerit. Eodem modo cùm Filium contemnis, ut Patrem honore afficias, tuum honorem nihil moratur. ad contemptum Filij, Pater haudquaquam glorificatur. Si filius sapiens lætificat patrem, quantò magis Filij honor Patris quoque honor fuerit? Quòd si hoc etiam probas, Fili ne glorieris de ignominia patris: eodem modo nec Pater ob ignominiam Filij glorificatur. Si Spiritum Sanctum aspernaris, honorem tuum Filius repudiat. Tametsi enim non eodem, quo Filius, modo ex Patre est: tamen ex eodem Patre est. Aut totum honore affice: aut totum contemne: ut saltem tibi ipsi constes. Dimidiatam istam pietatem improbo. Totum quidem te pium esse volo: sed quemadmodum volo. *Oratione 31.*

D. Nazianzenus: Excinde Arrianam impietatem, excinde pravam Sabellij sententiam. nec plusquam æquum est conjungas, nec scelerate dividas: neque in unam personam tria contrahas, nec tres naturarum diversitates efficias. & unum laudabile est cùm rectè intelligitur, & tria cùm rectè distinguuntur: nempe cùm personarum distinctio facta fuerit, non divinitatis. *fine Orationis trigesimæ primæ.*

D. Nazianzenus: Nos verò media & regia via incedentes, in qua virtutes quoque, ut harum peritis placet, sitæ sunt, credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, ejusdem substantiæ & gloriæ. In quibus & Baptismo sua perfectio constat, tam in nominibus, quàm in rebus (scis hæc, quisquis eo initiatus es) quippe qui impietatis abjuratio, & divinitatis confessio sit: atque ita perficimur, unum quidem, quod ad essentiam ac divisionis omnis expertem adorationem, credentes tria autem, quantum ad hypostases, sive personas, ut nonnulli malunt.

Desinunt enim, qui de his inter se contendunt, ineptire: perinde ac si fidei nostræ pietas in nominibus, non in rebus, consistat. Quid enim dicitis, qui tres hypostases assertis? An hoc eò dicitis, quòd tres essentias existimetis? Non est apud me dubium, quin adversus eos, qui ita existimant, ingentem clamorem excitaturi sitis.

Vnam enim & eandem notum trium essentiam profitemini. Quid vos, qui personas dicitis, num unum velut quiddam compositum animo fingitis, ac tres facies, aut humanam omnino formam habens? Absit, ipsi quoque inclamabatis: ne faciem quidem Dei, quæcunque tandem illa est, unquam ille videat, qui ita sentit. Quid igitur, ut interrogare pergam, vobis hypostases volunt, aut vobis Personæ? Nimirum tria esse, quæ dividantur, non naturis, sed proprietatibus. Optimè, An fieri potest, ut quidam magis inter se concordent, atque idem dicant, quam cùm ita sentiunt, tametsi alioqui syllabis discrepent? *Oratione 32.*

D. Nazianzenus: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, Pater. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, Filius. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, alius Paracletus. Erat, & erat, & erat: sed unum erat. Lux, & lux, & lux: sed lux una, Deus unus. Atque hoc illud est, quod David quoque ipse ante velut per imaginem quandam utcumque conspicatus est, cùm diceret, In lumine tuo videbimus lumen. Nunc autem nos, & perspeximus, & prædicamus, ex luce nimirum, id est Patre, lucem, hoc est, Filium, in luce, hoc est, in Spiritu sancto, percipientes: quibus verbis compendiariè & sine ulla verborum redundantia Trinitatis Deitas asseritur.

Qui reiicit, reiiciat: qui inique agit, inique agat: nos, quod intelleximus, prædicamus. In montem excelsum ascendemus, & clamabimus, si quidem ex inferiori loco minus audiamur. Spiritum efferemus: non metuemus. Quòd si etiam metuemus, id ita erit, ut quiescere metuamus, id ita erit, ut quiescere metuamus, non prædicare. Si fuit tempus, quum non esset Pater, fuit quoque, quum non esset Filius. Si fuit tempus, quum non esset Filius: fuit quoque quum ne spiritus quidem esset. Si unum illud à principio erat, utique ut tria. Si unum deiicis, audax hoc dicam, ne duo quidem superiore loco colloces.

Quæ enim imperfectæ deitatis utilitas? immò quæ deitas si imperfecta? Perfecta autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desideretur? Desideratur enim, si sanctitate careat. Hanc porro quomodo habere queat, nisi Spiritum habeat? Si enim alia quædam præter illum sanctitas est, quæ tandem illa intelligenda sit, dicat quispiam: aut, si quidem eadem hæc est, quid afferri potest, quamobrem non jam inde à principio fuerit? Quasi verò præstiterit Deo, aliquando imperfectum extitisse, ac Spiritus expertem. Si à principio non erat, meæ classis atque ordinis est, etiamsi me nonnihil antecedat. Temporis enim interstitio à Deo dirimimur. Porro si eiusdem mecum classis est, quo pacto me Deum efficit? aut quo pacto cum Deitate conjungit. *Oratione trigesima quarta.*

S. Isidorus Pelusiota: Minimè quidem oportet divinitatis naturam Iudæorum more in unum Deum ac Patrem contrahere, verùm in sanctam atque eiusdem essentiæ Trinitatem quasi dilatare. Siquidem personarum qualitate atque hipostaseon proprietate distinguentes, per essentiæ identitatem, eam rursum in unum Deum contrahimus. *lib. 2. epist. 142*

S. Isidorus Pelusiota: Veritatem admiror, quæ prudentum ac sagacium hominum animos eò redegit, ut etiam iis dogmatibus, quibus priùs imbuti fuerint, bellum indixerint. Sic enim luculentam ac dilucidam, iis qui prospicere volunt sanctæ Trinitatis notionem habuit. Nam qui unum Deum esse ait, non ad unitatis numerum, verùm ad Trinitatis mysterium cucurrit: cujus in veteri quoque Testamento doctrina inspersa est: adeò ut etiam Philo, licet alioqui Iudæus, & quidem ingenti zelo præditus, per ea ingenij monumenta quæ reliquit, cum sua religione pugnam inierit. Illud enim quod à Deo dictum est, perpendens, Ad imaginem Dei fecit hominem, à veritate ipsa compulsus atque adactus est, ut Dei quoque verbi divinitatem assereret. Quid enim? Etiam si eum, qui eandem cum patre æternitatem habet, ac tempore omni sublimior est, secundum vocat, (quod exactam veritatis doctrinam minimè assequeretur) tamen alterius quoque personæ notionem habuit.

Neque id hoc duntaxat loco ipsi contigit: verùm etiam cùm illa verba, Deus & Dominus, exponere conatur, regiam Trinitatem hoc habere dixit, ut & ea, quæ omnino divisioni subijciuntur, unitate ac singularitate superet, & ea, quæ verè singularia sunt, copia vincat. Atque usque adeò ipsius animum veritas subegit, ut id apertè, & dicere, & literarum monumentis consignatum relinquere coactus sit. Duas enim veras potentias esse dixit, ex quibus ea quæ efficiens est, atque ad beneficia danda propensa, Deus vocatur: ea autem, quæ regia est, ac scelerum vindex, Dominus. Quibus verbis non longè ab eo recedit, qui dixit, Christus Dei virtus & Dei sapientia: virtus inquam non hypostasis expers, verùm reipsa & verè consistens, atque omnipotens, & hypostasum architecta, eique cujus virtus est, viribus par. Ac rursum idem author spectaculum illud quod Moses vidit, explanans, his verbis utitur: Spectaculum maximè stupendum cernit. Ac paucis interiectis: In medio autem flammæ forma quædam erat insigni pulchritudine, nulli earum rerum quæ in oculorum aspectum cadunt, similis divinissimum simulachrum, quovis igne splendidiùs rutilans, quod quispiam eius, qui est, imaginem esse haud abs re sibi finxisset.

Quòd si de imagine accuratè ac certò audire cuipiam cordi est, audiat Paulum de Christo ad hunc modum loquentem: Qui est imago Dei invisibilis. Itaque ille quoque orthodoxam divinitatis doctrinam attingit. Neque enim exactam ac numeris omnibus absolutam doctrinam ab eo requiras, qui omnino ob puram ac sinceceram ingenij sagacitatem, & veritatem obtuerit, & religionem suam oppugnare potuit. Verum illud cogita, quod divinitatis doctrinam haudquaquam in unam personam conclusit, quemadmodum imperiti Iudæorum magistri, anticipata quadam opinione detenti, profitentur.

Nec verò ex his duntaxat, tametsi ad percellendum animum vim maximam habentibus, in hanc, ut opinor, sententiam inductus est, verùm etiam ex hoc loco, Faciamus hominem ad imaginem nostram & similitudinem: & ex hoc, Pluit Dominus à Domino: & ex hoc, Vocavit Dominus in nomine Domini: & ex hoc, Dixit Dominus Domino meo: & ex hoc, In te Deus, & tu es Deus. Nam eos qui Deum millies sanctum esse dicunt, & eos qui hæc verba, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth, perversè interpretari audent, istud luculenter refutat, Exquisivi faciem tuam, faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam à me. Nisi enim is, qui his verbis usus est, sanctam Trinitatem prædicaret, superfluitatis haud immeritò accusari posset. Neque in hoc duntaxat loco (opus enim esse existimo ad aliud apertius dictum me conferre) sed etiam in isto, Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis: & eruam te, & honorificabis me. Nisi enim hic Trinitas apertè prædicaretur, dicendum erat, Immola Deo sacrificium laudis, & redde ipsi vota tua. Et invoca eum in die tribulationis: & eruet te, & honorificabis eum.

Verùm ad hunc modum minimè dictum est, sed ut superiùs commemoravi. Perspicuè enim tum per hæc, tum per alia multa, quæ ne nimis longam orationem habeam, iis, qui audire possunt, relinquo, vetus Testamentum prædicat, non personæ principatum, sed trium personarum & unius essentiæ: quò nimirum hac ratione & Iudæorum haud rectam ac sanam de una persona sententiam proscindat (quorum etiam vestigiis hæsit Sabellius ob ingentem Filij cum Patre æqualitatem, ad unam personam profitendam fortasse confirmatus:) & Gentilium, quorum Arius & Eunomius discipuli esse deprehensi sunt, (ut qui personarum discrimen ad essentiam stultè atque absurdè traxerint) errorem, quo plures Deos colunt, submoveat.

Quòd si quis quærat quidnam causæ sit, quamobrem non apertè ac dilucidis verbis hæc principio prædicata fuerint, hoc illi responderim: primùm quidem ac maximè, iis qui prudenter & acutè audiunt, claram ac lucidam esse hanc demonstrationem atque doctrinam, quemadmodum etiam erudito viro Philoni visa est. Atque ut etiam demus eam obscurè & adumbratè traditam fuisse, illud considerare operæpretium fuerit, quòd quoniam Iudæis, qui ad plurium Deorum cultum propendebant, leges præscribebat, personarum discrimen esse minimè duxit: ut ne ipsi diversam quoque in personis naturam esse profitentes in Idolorum cultum laberentur: verùm de unius principatus atque imperij dogmate priùs eruditi, personarum doctrinam paulatim addiscerent: sic nempe, ut quæ unicè ac singulariter dicerentur, eandem naturam esse declararent, quæ autem singularem numerum excederent, personarum proprietatem, quæ in unam essentiam colligeretur, indicarent. Etenim varias ac dissidentes naturas docere, Gentilitium est: unam autem personam seu hypostasim, Iudaicum. At personas in sanctam Trinitatem dilatare, atque in unam essentiam colligere, rectissimum ac verissimum dogma est. *lib. 2. epist. 143.*

§ POETARUM.

Synesius Hymno quarto.

Te beate cano,
Rex mundi:
Tellus verò sileat.
Ad tuos hymnos,
Ad tuas preces
Faveant linguis
Quæcunq; mundus continet:
Tua namq; sunt opera ô Pater
Cesset
Ventorum sibilus,
Susurrus arborum,
Cantusq; avium.
Tacitus æther;
Tacitus aër
Audiat cantus;
Aquarumq; fluxus
Strepitu jam carens,
Cursum in terris sistat.
Qui verò interpellant
Sanctos hymnos,
Latebris gaudentes,
Monumentaq; obsidentes
Dæmones jam
Fugiant meas

Sanctas preces:
Boni autem quotquot
Beati cælestis
Famuli Genitoris
Tenent intimas
Extremasq; plagas mundi,
Hymnos benigna mente
Audiant Patris,
Benignaq; mente preces
Referant meas ad eum.
Unitas ô unitatum,
Pater ô Patrum,
Principiorum principium,
Fontium fons,
Radicum radix,
Bonorum bonum,
Siderum sidus,
Mundorum munde,
Idearum idea,
Immensa pulchritudo,
Abstrusum semen,
Pater seculorum,
Pater ineffabilium
Intellectualium mundorum:
Unde ambrosius
Destillans spiritus,
Corporis moli
Adnatans,
Secundum jam
Mundum excitat.
Cano te ô beate
Et voce:
Cano te ô beate
Etiam silentio.
Quantùm enim vocem,
Tantùm & silentium
Percipis intellectus.
Cano etiam prolem
Primigenam,
Et primilucam.
Fili clarissime
Patris ineffabilis,
Te beate magno
Cum Patre laudo,
Et quem tulit tui causa
Partum Pater,
Fœcundum consilium,
Medians principium,
Sanctum Spiritum,
Centrum Genitoris,
Centrum etiam Filij.
Ipsa mater,
Ipsa soror,
Ipsa filia,
Quæ obstetricata est
Abditam radicem.
Nam ut diffunderetur
In Filium Pater,
Ipsa diffusio
Invenit germen.
Stetitq; media,
Deus ex Deo
* * *
Et per inclytam
Patris immortalis
Profusionem Filius
Invenit germinationem.
Unitas es, Trinitas quum sis:
Unitas quæ permanet,
Et Trinitas quæ permanet.
Intellectualis autem sectio
Indivisum adhuc
Quod est divisum, habet:
Prosiliens autem manet
Filius in Patre,
Et rursus extra,
Quæ sunt Patris, regit,
Mundis deducens
Felicitatem vitæ,
Unde ipse habet.
Verbum, quod magno
Cum Patre cano,
Mens ineffabilis
Parit te Patris:
Et tu conceptum
Verbum es Patris.
Primus ex prima
Prognatus radice,
Radix autem omnium,
Quæ condita sunt post in lytum
Tuum ortum.
Unitas ineffabilis,
Semen omnium rerum
Semen te omnium
Sevit.
Tu namque in omnibus.
Per te natura
Suprema, media,
Et infima Dei
Perfruitur Patris
Bonis muneribus
Fœcunda vita.
Tibi senij expers
Indefesso cursu
Sphæra volvitur:
Sub tuum ordinem
Cavitatis ingentis
Rapidis conversionibus
Septeni orbes siderum
Contrario motu feruntur
Multa verò unum
Orbem decorant
Stella mundi
Tuo consilio,
Fili maximè inclyte.
Tu enim discurrens
Per cælorum orbes,
Cursum seculorum,
Indissolubilem contines.
Subq; tuis, ô beate,
Sanctis legibus
In immensa altitudinis
Æthereo sinu
Candentium siderum
Greges pascuntur,
Tu cælitibus,
Tu aërijs,
Tu terrestribus,
Tu infernis
Opera dispensas,
Vitamq; largiris.
Tu mentis rector
Dispensatorq; cælitibus,
Mortalibusq; quotquot
Intellectualis sortis
Hauserunt imbres.
Tu dator animæ
Quibus ex anima
Pendet vita,
Et natura indefessa.
Cæca anima
Propago ex tua
Pendet catena.
Et quæcunq; *
Carent spiritu,
De tuo sinu
Decerpunt vim qua sustentantur,
Transmissam
Tua virtute,
Ex ineffabili
Paterno sinu
Abdita unitatis,
Unde vita
Rivus profluens
Fertur ad terram usq;
Tua virtute,
Per incomprehensibiles
Intellectuales mundos,
Unde recipit
Descendentem
Bonorum fontem
Intellectualis (mundi) forma
Mundus aspectabilis.
Solem iste
Secundum habuit
Ejus, quæ posterius emicuit,
Lucis parentem,
Oculos illustrantem,
Ejus quæ gignitur
Et interit,
Dispensatorem hylæ.
Filium, qui est illius (solis) intellectualis
Forma sensilis,
Bonorum largitorem

Quæ in mundo naſcuntur:
Tuo conſilio,
Fili maximè inclyte,
Pater, qui cognoſci non potes,
Pater ineffabilis
Qui cognoſci non potes mente,
Exprimi non potes ratione:
Mens es mentis,
Animarum anima,
Natura es naturarum.
Genu tibi flectens
Ecce hoc, ſervus
Procumbo in terram
Supplex oculis captus.
Tu autem lucis largitor,
Lucis intellectualis,
Miſerere, ô beate,
Supplicis animæ.
Pelle morbos,
Pelle curas,
Quæ vorant animas.
Pelle impudentem
Canem infernum,
Dæmonem terræ,
Animæ â mea,
Precibus â meis,
Vitæ â mea,
Factis â meis.
Corpore procul,
Spiritu procul,
Omnibus procul
A noſtris rebus
Dæmon maneat.
Linquat me, fugiat
Dæmon, qui eſt hyle
Affectuum robur,
Ad cæleſtia iter
Qui intercludit:
Deum veſtigantes
Qui impedit conatus.
Comitem verò da
Conſortem, ô rex,
Sanctiſ ſanctum
Angelum roboris,
Angelum preces
Divino inſtinctu ſuſceptas
Amicè & benignè ſubminiſtrantem:
Cuſtodem animæ,
Cuſtodem vitæ,
Precum cuſtodem,
Factorum cuſtodem:
Qui corpus ſervet
Liberum à morbis:
Qui ſpiritum ſervet
Liberum à labe,
Animoq; afferat
Cupiditatum oblivionem:
Vt etiam in vita,
Quam in terris degit,
Tuis laudibus
Pingueſcat
Alæ anima:
Vt etiam vitam
Poſt fata,
Poſt vincula
Terrenum pondus habentia
Puram ab hyla,
Quantum fieri poteſt, degam,
Ad tuam regiam,
Ad tuos ſinus,
Vnde animæ
Profluit fons.

Prudent. contra Marcionitas.

Vna per immenſam cæli caveam reſolutos
Præbet flamma dies: texit Sol unicus annum:
Triplex ille tamen nullo diſcrimine trina
Subnixus ratione viget, ſplendet, volat, ardet;
Motu agitur, fervore cremat, tum lumine fulget.
Sunt tria nempe ſimul, lux, & calor, & vegetamen;
Vna eademq; tamen rota ſideris indiſcretis
Fungitur his; uno ſervat tot munera ductu,
Et tribus una ſubeſt mixtim ſubſtantia rebus.
Non conferre Deo, velut æquiparabile quidquam
Auſis, nec domino famulum componere: ſignum
Ex minimis ſed grande ſuum voluit Pater ipſe
Conjectare homines, quibus ardua viſere non eſt.
Parvorum ſpeculo non intellecta notamus;
Et datur occultum per proxima quærere verum.

§ Apophthegm. Sacri.

Puer Anonymus. D. Auguſtinus Triadis ſacroſanctæ myſterium intenta animi cogitatione perſequens, cum in litore maris puerulum effoſſæ ſcrobi, marinam aquam infundentem videret, & quid ſibi vellet rogans, reſpondentem audiret, Mare ſe exhaurire velle: ipſe verò, hoc minimè fieri poſſe, aſſereret: tum puer, Multò verò facilius ſcrobes iſtas mare capiat, quàm mens tua divinitatis Oceanum comprehendat. Dictoque citius evanuit. *Th. Zwinggerus, lib. 1. Theatri vitæ humanæ, volum. 1.*

Evagrius. Quum longa orationis ſerie audiviſſet de Deo atque Trinitate diſputantes, Divinitatem nunquam definiendam eſſe reſpondit. Omnes enim alias propoſitiones habere genus quod prædicetur, aut ſpeciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex his compoſitam orationem: ſed nihil in ſancta Trinitate, horum quæ dicta ſunt, poſſe comprehendi. Ideoque quod ineffabile eſt, ſilentij tantum veneratione eſſe adorandum. *Socrates lib. 6. Tripart. hiſt. cap. 21.*

Gr. Nazianzenus. Non poſſum, inquit, unum cogitare quin trium fulgore mox circumfundar: nec tria poſſum diſcernere, quin ſubitò ad unum referar. *Serm. de ſacro baptiſ.*

§ Apophthegm. Christianor.

Ieſus Chriſtus: De profundiſſimo Trinitatis myſterio acturis ſubit præclarum illud & luculentum de eo Incarnati Verbi teſtimonium. Diſcipulos namque in univerſum orbem miſſurus, præcepit Evangelium omni creaturæ (quâ voce omnem hominem intelligunt ſancti Patres) prædicarent; *Baptizantes* inquiens, *eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Conveniebat enim in Baptiſmo, qui eſt janua ceterorum Sacramentorum, expreſſis verbis Trinitatem invocari: quòd ea ſit fundamentum totius fidei, omniumque myſteriorum novæ Legis cauſa. *Matth. cap. ult.*

Idem. Roganti eum Philippo, Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis: *Philippe,* inquit, *qui videt me, videt & Patrem.* (cùm propter ſimilitudinem ſummam, tum ob omnimodam naturæ identitatem, quam habent inter ſe.) *Quomodo tu dicis, Oſtende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Quibus verbis & ſignificatur perſonarum Patris & Filij diverſitas, ne poſſit cum Sabellio ob perſonæ identitatem intelligi dictum, Qui videt me, videt & Patrem: & rurſus ſignificatur naturæ omnimoda identitas, ne putetur id tantùm propter ſimilitudinem inter Patrem & Filium fuiſſe dictum; ſicut voluit ineptè Arrius. *Vide Ianſ. Concord. cap. 134 & 43. Ioan. cap. 14.*

Melitius Presbyter Ille verò dum coram Conſtantio Imper. concionem haberet, & totus in enucleando illo Scripturæ loco, Deus creavit me in initio viarum ſuarum, &c. moraretur; rogatus brevem ejus rei imaginem daret, ternos digitos protendens, ac duos colligens, hanc de Trinitate vocem protulit: *Tria ſunt quæ intelliguntur, ſed velut de uno diſputamus.* Namque ut benè *Iac. Bellius in Antholog. Sacr.*

Natura omnipotens una eſt, quæ cuncta creavit,
Et propriè, quod ſunt, omnibus eſſe dedit.
Nam quidquid minus eſt, non eſt Deus: à Patre natum
Verbum, & qui amborum Spiritus eſt, Deus eſt.
Vna eademq; trium quoniam eſt eſſentia, quæ ſe
Nunquam vel major vel minor eſſe poteſt.

In vita Conſtant. Imp. hiſt. ſacra Euſ.

Triſtitiæ.

§ Apophthegm. Sacr.

Salomon. In animi cura & vexatione triſtitiam verſari ſemper, dicit ſapiens, Proverb. 15. 15. *Oſſa deſiccat,* Proverb. 17. 22. *Deprimit nos,* Proverb 12. 15. & 15. 13. *Obeſt ne diſcamus,* Proverb. 18. 1. *Obeſt ne placidè afflictiones feramus,* Proverb. 18. 14. *eſt ſæpe diſſimulanda,* Proverb. 14. 12. 13. & 16 25. *aliena non eſt curioſè ſcrutanda,* Proverb. 14. 10. hujus *remedium,* Proverb. 25. 25. & 28. 12.

§ Monosticha Trochaica.

Aut animo facilè, aut amico cuncta exſuperes triſtia.
Nemo triſtis eſt ſibi; triſtis quiſq; eſt ſpectatoribus.
Sæculum integrum videtur una nox triſtantibus.
Sæpe fronte latâ pectus invenitur anxium.
Stultitia eſt, ei te eſſe triſtem, cujus poteſtas plus poteſt.

§ Iambica.

Arctiſſimum mæſtitia cordis vinculum eſt.
Cor triſte amat quietem, odit negotia.

Mœrorq;

Mærorq; mentem de gradu movet gravis.
Nil triste cuiquam est, cùm effugit mortis metum.
Persæpe magnus officit mæror fugæ.
Quis fine quæso tristis est mali sui?
Semper fugato triste quidquid est procul.
Sub fronte læta sæpe mens tristis sedet.
Tristitia semper adsita iracundia est.
Tristitiæ immodicus, immodicus est & gaudij.

Triumphi.

§ Monosticha Trochaica.

De sua tandem fortuna vir triumphat innocens.
Est genus novum triumphi morte mortem vincere.
Et Deus celebres triumphos vertit atro funere.
Gloriosior est triumphus, quem coronavit labor.
Improbi licet triumphent, sunt tamen miserrimi.
Militum decus triumphus est magis quàm principis.
Omnes profluunt triumphi disciplinæ uno è sinu.
Pauciores servos habuit quàm triumphos Curius.
Plurimi unicum ob triumphum bella tristia inchoant.
Qui triumphat de fortuna, victus haud dici potest.
Sæpe pulcrius triumpho omni est triumphum spernere.
Tela gestes in triumpho adeptus queis victoriam es.

§ Jambica.

Geminat triumphum grandius periculum.
Nec fit triumpho dux major nec fit minor.
Non semper est pars quæ triumphat justior.
Quà transeunt cunq; est triumphus fortium
Quàm magnus est, qui pote triumphos spernere!
Tantum triumphus fortium de nomine est.

Trophæi.

§ Sententiæ Graecorum.

Xenophon: Agesilai vero tropæa non ea solum esse, quæ ipse statuit, putari æquum est: sed quæcunque in expeditionibus ab eo gesta sunt. Nam propterea nihilo vincebat minus, quod prœlio decernere hostes adversus eum nollent; sed victoria potiebatur magis experte periculi, & quum reipublicæ, tum fœderatis utiliore: sicut in certaminibus nihilominus ij, qui sine labore ac pulvere, quam qui pugnando vincunt, coronantur. *cap. 35. vita ejus.*

Libanius: Vbi violentum erigitur trophæum, ibi mœstitiæ ac lætitiæ miscella in una eademque urbe fit; adeo ut hic chorea, saltatio, comessatio; illic luctus & lacrimæ; alibi curæ tædiosæ, quod alij domesticos non quomodo vellent receperint; quidam prostratos lugeant; alij cum vulneratis condoleant. Nam victoria manu parta, etiam iis qui vicere dolorum vim comparare solet. At meo trophæo linguæ quod peperit eloquentia, tota civitas ad lætitiam erecta est, atque unum per universos gaudium penetrat, & à dolore vacua, ac mera voluptas ubique se diffundit. *Declamatione trigesima prima.*

§ Poëtarum.

Accius Armorum Iudicio, apud Macrob. lib. 4. Satur. cap. 1.

Nam trophæum ferre me à forti viro pulcrum est:
Si autem vincar; vinci à tali nullum est probrum.

Virgilius lib. Æneid.

Aut spolijs egô jam raptis laudabar opimis;
Aut letho insigni.

§ Monosticha Trochaica.

Cui Duci umbra post trophæum longior facta est pede.
Cui necis contemptu armatur mens, trophæa usq; excitat.
Cur trophæis inscribuntur sola Regum nomina?
Fortium trophæa stant in hostium imis cordibus.
Hostium summo pudore stant trophæa publicè.
Lucis affectum trophæi gustus præsens abdicat.
Nullum adhuc trophæum erexit de virtute pravitas.
Vir pusilli animi trophæum nulli adhuc statuit Deo.

§ Jambica.

Bina erigit trophæa nullum qui erigit.
Contemne mortem si trophæa quæritas.
Trophæa fronte fortis hostium erigit.
Trophæa mentis signa sunt pigerrimæ.

Turpitudinis.

§ Sententiæ Græcorum.

Aristides Sophista: Atqui non est turpitudo, quam privatus æquè atque civitas fugere debeat. etenim quo hujus major est dignitas & plures conscij, hoc magis ab omni debet esse nequitia remota. *ad Rhodios de Concordia.*

Aristides Rhetor: Quod prorsus est turpe, id nullo modo potest honestum fieri. *Oratione 2. Platonica pro Quatuorviris.*

Hierocles: Infit Philosophus: Nihil unquam committe turpe, neque alio præsente, neque privatim: sed omnium maximè tui te pudeat. Aut enim cùm turpe aliquid soli facimus, indifferens illud arbitramur; quod cum alio nunquam fecissemus, communicationis pudore deterriti: Aut contra, nonnulla ipsi præsentibus aliis facimus; à quibus omninò abstineremus; si sociorum communione non invitaremur: quo fit, ut utramque viam ad id, quod turpe, & malum est, statim amputarit. Si enim quod turpe est, re vera fugiendum est; nunquam certè circumstantiis assequetur, ut eligatur.

Quo fit, ut conjunctim dixerit, neque cum alio; neque privatim: ut nec te ad id, quòd minimè honestum est, invitaret solitudo; nec peccati defensionem præberet societas. Causam deinde subjungens, quæ sola à patrando scelere avocet, addit; cum omnium vero maxime tui te pudeat, ait. Si enim tui pudore affici consueveris; habebis ubique tui custodem, cuius te pudeat, valdè commodum, & quem effugere non possis. Multi siquidem soli, semotis amicis, aut familiaribus, ea admiserunt; quæ illis præsentibus antea facere erubuerant. Nullumne igitur testem habuerunt? Deum omitto. (Abest enim longius iste à vitiorum conscientia) annon seipsos habuerunt, & conscientiæ testimonium? Habuerunt sanè quidem; sed habere se ignorarunt, cum cupiditatibus distinerentur. Qui autem ejusmodi sunt, quod in se habent rationis, probro afficiunt, & mancipio vilius reddunt. Te ergo tui curatorem familiarissimum adhibe: atque ad illum conversus vitiorum aversionem exordire. Sui namque pudor fugam cuique rerum turpium, & à ratione alienarum, parit necessario. *cap. 11. carm. Pythag.*

Libanius: Sciat Philippus cum talibus viris sibi susceptum esse bellum, quibus quidquid turpe, est morte terribilius. *fine Declamationis 13.*

Heliodorus: Ergo ne quidem in rebus adversis, mulieribus innatum morbum zelotypiæ effugisti? Me verò scito neque fingere talia posse. facere enim turpia ac dicere, æquè indecorum est. *libro 7. Æthiopicarum rerum.*

§ Poetarum.

Thales apud Ausonium.

Turpe quid ausurus, te sine teste time.

§ Monosticha Trochaica.

Cujus vita est indecoris fugere mortem haud convenit.
Fœditas patet delicti, ubi inde affectum subtrahis.
Haud timet fortis laborem: turpitudinem timet.
Impudica qui loquuntur, impudica diligunt.
In legem famamq; nemo peccat quam turpissimus.
Intelligere turpe quod sit, & pudori maximo est.
Multitudinem facillimè in infortunium inferas.
Nulla major turpitudo est quàm quæ infertur corpori.
Nil naturâ honestum aut turpe est, lege sed, sed moribus.
Non potest latere factum turpe: conscius tibi es.
Nulla turpis turpitudo est patriæ in periculis.
Pro pecuniâ quid turpe facere, res turpissima est.
Quæ viris sunt turpia, esse honesta non queunt Deo.
Qualibet subire præstat, turpiter quàm vivere.
Quàm miserũ est, id haud negare posse, quod turpissimũ est!
Quisquis indecorè vixit, mortem turpem haud effugit.
Quod fuit alij fructuosum, turpe sibi nemo æstimat.
Res gravissima est conjunctus turpitudini dolor.
Sæpius res turpis aut non turpis ipso tempore est.
Servitudo ac turpitudo an ulla, ubi licet mori?
Turpe clam cave palamq;: testis ipse nam tibi es.
Turpe nil est pro salute quod patramus patriæ.
Turpe non est cujus causa non nos, sed sortem premit.
Turpe non est quod inimico fert homini luctum aut malum.
Turpe quid, æquè indecorè dixeris quam feceris.
Turpe quid facturus absq; teste; te testem time.
Turpe quid patrare, non est turpe quam jam turpibus.
Turpe quid sit non ignorat improbus, sed negligit.
Turpe quod sit nil patrato, turpe discito nihil.
Turpia aut honesta cunctis eadem non sunt omnia.
Turpis illi vita vitam sors cui invidet bonam.
Turpis omninò est de turpi re deliberatio.
Turpi odium, potenti invidia, humili comes contemptio est.
Turpiter perire noli, vivere honestè si nequis.
Turpiter solet moriri quisquis vixit turpiter.
Turpitudo intrare ubi jam virtus est prius nequit.
Turpitudo unum unicumque est sapientiæ malum.

Turpitudinem delicti nullo exemplo deleas.
Turpitudinem quoq; oris arguas silentio.
Vita turpis ei, cui nulla est a malis interquies.
Vita turpis est probrosa, sit licet suavissima.
Vtile atq; turpe in una eademq; re esse non potest.
Vtilitas & turpitudo esse in re eadem non potest.

¶ JAMBICA.

Ad quaq; dux turpissima, impudentia est.
Ad turpe quid, frustrà virum cogas probum.
Est turpitudo malum unicum sapientiæ.
Est turpe nil, inimico luctum quod creat.
Est turpitudo vel malorum maximum.
Et mortem honestam vitæ turpi præferas.
Fugienda rebus turpitudo in omnibus.
Honesta solo à turpibus distant modo.
Infame nil est præter turpitudinem.
Is liber est, qui haud servit turpitudini.
Ius fasq; Spartæ facere Chiis turpiter.
Mage turpitudo formidanda quàm labor.
Ne turpe quid vel teste solo te patres.
Necessitate quod fit, non fit turpiter.
Nemo diu latet patratus turpia.
Nemo repentè factus est turpissimus.
Nil publicè turpe est, cujus pretium placet.
Quod fructuosum est, turpe dictu non puto.
Quod turpe, turpe est, seu putes, seu non putes.
Res ex honestâ re esse turpis non potest.
Res sunt ferè turpissima mortalium.
Si turpe quid patrant Dei, non sunt Dei.
Stultè exsecratur, qui sectatur turpia.
Tolerabile quidvis, præter turpitudinem est.
Turpe incipit simulatq; honestum deficit.
Vbi turpis est medicina, sanari piget.
Vbi turpitudo, ibi utile esse non potest.
Vel pessimum servire turpitudini.
Virtus ubi est turpe introire nil potest.
Vllúmne majus turpitudine est malum?

Tutæ rei.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Aptius nil ad tuendas est opes quam diligi.
Cùm quies nociva apertè est, periculum tutissimum est.
Eheu quàm nihil summa uspiam est tutum potentia!
In potestate est aliena, quidquid haud est in sua.
Minimè tutus Rex ibi est, à Rege ubi tutum nihil.
Parieti innixus caduco, corruit cum pariete.
Quam sui peccare mores non sinunt tutissima est.
Quem Deus tutatur, omni tutus à periculo est.
Qui suum nequit tueri, stultè alienis excubet.
Quisquis parietem in caducum incumbit, cum illo corruit.
Quisq; pessimè quam fecit, tam idem tutus maximè est.
Semper *optimum est habendum quod patet tutissimum.*
Tutius quidem est iter per plana, est at depressius.
Tutus esse in civitate, in qua timeris non potes.
Tutus est sapiens, nec ullâ injuriâ affici potest.

¶ JAMBICA.

Est gloriosum semper, quod tutissimum.
Haud tutiore loco quidquam est, quam quod fuit.
Humillima quaq; existimes tutissima.
Humillimum quodq;, est idem tutissimum.
Id optimum est semper, quod est tutissimum.

Tutelæ.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D*ivus Chrysostomus:* Si moriens propinquorum neminem ad liberorum tuorum curam suscipiendam vocaveris, pudore ac verecundia suffunditur persæpe, vel qui admodum tutelæ suscipiendæ cupidus est, quo minus ultro ad eum accurrat: qui si in illum curam hanc reieceris, is ut cui honos hic à te habitus fuerit, voluntati tuæ magnopere satisfacere curabit. *Hom. ad Rom 7. ante finem.*

S. *Isidorus Pelusiota:* Tu autem ad eos, qui pupillis injuriam inferre minimè verentur, hoc dicito, quod rex ille regum, & dominus dominantium (Servus enim meus Nabuchodonosor, inquit: &, Dic servo meo David, nam illum dominationis duntaxat ratione ita vocat: hunc autem etiam ob vitæ probitatem) hic pater orphanorum & judex viduarum appellari gaudet, Siquidem in sublimibus dominationis nomen collocat: in humilibus autem, curæ ac solicitudinis. Illorum enim dominum se esse asserit: horum parentem. Quocirca nemo pupillos injuria afficiat, patrem cogitans: nec viduam opprimat, judicem ob animum sibi proponens: nec alium quenquam fraudet, incorruptum illum judicem animo & cogitatione versans. Quòd siquis prudentia destitutus, ac præsentia solùm cernens, contraque ad futura cæcutiens, rapinas lucra esse censet, hoc audiat, fraudes ac rapacitates hîc quoque persæpe pericula parturire, ac non modò facultatibus orbari, sed etiam animam ipsam eripere. Non enim si qua sumptio, eadem quoque protinus optima est, verùm ea demum, quæ cum honestate conjuncta est: quæ si desit, ad calamitates rectà tendit. Quemadmodum enim in venatione, & cepisse pulchrum est, & à præda aberrasse pulchrius, siquidem illud periculo careat: hoc autem calamitatem aliquam afferat: eodem modo in lucris quoque se res habet. Præterquam quòd enim probrum & ignominiam conflant, pericula etiam velut hæreditario jure percipiunt: siquidem cùm justis rationibus opes suas augere possint, alios per fraudem circumvenire aggrediantur. Quòd si quis dixerit, Quis non sumendo facultates suas, atque copias auctiores reddere velit? ego contrà hoc dixerim, Quis lucrando perire in animum inducat? Etenim ab iis rebus, quæ periculum afferunt, lucrari velle, non lucra, sed ignominias & calamitates aucupantium hominum est. Quandoquidem lucrorum alia turpem causam ac materiam habent, periculosam fraudationem. Quæ cùm ita sint, sive ob præsentia, sive ob futura, gravissimum damnum malum quæstum esse existimantes, omnib. viribus injuriam fugiant. *lib. 3. epist. 294.*

Synesius: Igitur quasi cras, deo favente, superaturus, aut si ita tamen necesse est, rursus superaturus (nihil enim male ominari velim) liberorum meorum curam tuæ fidei commendo: te enim qui patruus sis, meæ apud te gratiæ memoriam in eos transferre convenit. *Epistola 108.*

¶ ORATORUM GRAECORUM.

Lysias: Vnà cum Alexide triremium præfectura functus, dicebat se duodequinquaginta minas in id munus contulisse, quarum dimidium hisce orphanis imputavit; quos ipsa respub. immunes esse non solum quamdiu pueri essent, sed annum etiam unum post sumptam virilem togam, nullis publicis oneribus gravari voluit. *cap 7. orationis 33. contra Diogitonem.*

Aristides Rhetor: Cimonem non ex festivis hominibus unum, nec qui adulari posset fuisse, tutores testantur, qui ne patrimonium quidem ei suum voluerunt committere, priusquam provectæ esset ætatis: usque eo simplicem ac rudem eum existimabant. *Oratione 2. Platonica pro Quatuorviris.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Virginius tutor mihi relictus, affectum parentis exhibuit: sic candidatum me suffragio ornavit, sic ad omnes honores meos ex secessibus accurrit, cùm jampridem hujusmodi officiis renunciasset: sic illo die quo sacerdotes solent nominare quos dignissimos sacerdotio judicant, me semper nominabat. *lib. 1. epist. 2. ante finem.*

Plinius Iunior: Quin etiam Corellus moriens filiæ suæ (ut ipsa solet prædicare) Multos quidem amicos, inquit, tibi in longiore vita paravi; præcipuos tamen Secundum, & Cornutum. Quod dum recordor, intelligo mihi laborandum, ne qua parte videam hanc de me fiduciam providentissimi viri destituisse. Quare ego verò Corelliæ adero promptissimè, nec subire offensas recusabo, &c. *lib. 4. epist. 17. circa finem.*

Symmachus: Huic per impressionem nequaquam patior fratris sui liberorum tutelæ munus imponi. duobus enim privilegiis amolitur injuriam; maturitate ævi, & numero filiorum. *lib. 1. epist. 71.*

Symmachus: Vt est multiformis plerumque perfidia tutorum, in varias se frequenter artes vertit. *lib. 7. epist. 65.*

¶ APOLOGI.

De Lupis & Ovibus. *Anonymus.*

Pugna Lupis opponit oves, oviumq; satelles
Est canis, est vervex: hac ope fidit ovis.
Palma diu dormit, desperat turba Luporum:
Et simulans fœdus, fœdere tentat ovem.
Fœdus utrumq; fides jurato numine fulcit:
Id lupus, id simplex obside firmat ovis,
Datq; lupis, male sana canem, recipitq; Luporum
Pignera, nec metuit, nec sua damna videt.
Dum natura jubet natos ululare Lupinos;
Turba lupina furit, fœdera rupta querens.
Ergo pecus tutoris egens in viscera mergit;
Præside nuda suo, sic tumulatur ovis.
Tutorem retinere suum tutissima res est,
Nam si tutor abest, hostis obesse potest.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Civium tutela Regi traditur, non servitus.
Debet esse supra me cui me paro committere.
Et pupillorum tutores sæpe dissipant bona.
Improbi qui se tutelæ tradit, exitium invenit.
In suam nequit recipere, qui alienâ ipsius in manu est.
Iudicis sunt in tutela qui carent parentibus.
Iure eo redit tutela hereditas quo pervenit.
Peius orbos non tueri, quàm dare iis damnum ac malum.
Qui sua auget à pupillo, & his & illis excidit.
Quo pupillus plus licet, hoc eis animus est corruptior.
Sub malo tutore squalet sentibus pupilli ager.
Tutor ex sua tutelâ lucrum facere non potest.

§ JAM-

¶ JAMBICA.

Certissima est tutela quæ est è proximo.
Curam bonorum suscipit certè Deus.
Est tutor asper verbis, re verò pater:
Nunquam orphanus erit, qui Deum credit patrem.
Pejoris ecquis ultrò sufferat jugum.
Patruus pupillis est parentis in vocem.
Prætor dare ipse se tutorem non potest.
Pupilli opes in rebus colloces soli.
Qui se minori creditum it, it perditum.
Quo plus licet pupillo, hoc est corruptior.
Tutum est Deo cui tutor patrimonium.

Tyrannidis.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECOR.

D*ivus Nazianzenus*: Julianus adversus Constantium expeditionem suscipit atque ab Occidente pedem movet: in speciem quidem, quasi se de arrepto diademate purgare vellet (adhuc enim audaciam suam occultare videbatur:) re vera autem, ut totum imperium ad se traduceret, ac per improbitatem & ingratitudinem suā in hominum admirationem veniret. In eoque spe sua minimè falsus est. Nec tamen hoc mirentur, qui Dei rationum, quibus omnia reguntur, altitudinem omni conjectura sublimiorem non assequūtur, nec Opifici gubernatione cedere sustinent, nobis quidem certè sapientiori, suaque, & quò, & qua vult, ratione ducenti, non dubium autem quin ad id quod melius est, atque ad morborum sanationem: quantumvis ij, quibus medicina fit, indignentur. A quibus rationibus non ille quidem ad malum excitatus est (Deus enim nullo modo mali causa est, quippe natura bonus: vitiumque eius est, qui elegit) haud tamen ab impetu suo repressus est. *Orat. 3.*

D. Nazianzenus: Qui tyrannicis sunt moribus, atque ad alienas facultates eripiendas propensi, inferiores homines ab imperio & dominatione procul submovent. *Oratione 13.*

D. Nazianzenus: Legationem quandam Athenienses apud Lacedæmonios obijsse ferunt cùm tyrannide premerentur. Legationis hæc summa erat, ut boni & æqui aliquid ab eis impetrarent. Redeuntibus à legatione, rogavit quispiam: Quo animo erga nos sunt Lacedæmonij? At illi, ut erga servos admodū benigno atq; humano; ut aurē erga liberos per quā insolenti & contumelioso. *ep. 56.*

D. Gr. Nyssenus: Ait Apostolus Paullus, Deum cuique id quo dignus sit, tribuentem alicubi nequitiæ quoque intentione atq; consilio quodam meliore locum dare: idcirco enim passum esse nasci Ægyptium illum tyrannum, ut illius plaga Israel multus ille populus, omnemq; ex numeris collectam comprehensionem excedens, erudiretur & institueretur. Nam cùm æqualiter divina potentia per omnia cognoscatur, & ad benefaciendum iis, qui digni sunt, sufficiens sit, & ad punitionem nequitiæ facultas ei non desit: quoniam omnino oportebat populū illum deduci ex Ægypto, ne qua eis Ægyptiorum malorum, quod ad vitæ errorem attinet, communio contagioque accideret: idcirco adversarius ille Dei, propter omnem nequitiam nominatus & nobilitatus Pharao, in vita eorum quibus bene fiebat, & exortus est, & floruit, ut duplici efficientia Dei in utrisque distributa justam utrisque cognitionem Israël acciperet, dū id quidem, quod melius erat in seipso disceret, tristius autem, in iis, qui ob nequitiam & malitiam flagellabantur, videret, cum excellētia sapientiæ suæ Deus nimirum etiam malum ad adjurandum bonum tractare & accommodare sciat. Opus enim erat artifici per artem excudenti ferrum ad utile quoddam vitæ instrumentum non solùm eo, quod ex naturali quadam teneritate ac mollitudine facilè arti cederet, verum etiam si admodum durum, rigidum atque resistens ferrum sit; etiamsi, non facilè per ignem mollescat, & ad aliquod vitæ necessarium instrumentum ob renitentiam ac similitudinem suam excudi ac formari non possit, etiam huius ars adjumentum requirit. Nam pro incude tali utetur, ut ictibus in ea ferrum tenerum & ad opus apertum ad aliquod utile instrumentum excudatur & efformetur. *Orat. de infantibus præmaturè mortuis.*

D. Greg. Nyssenus: Quod si quis proponit eos subditos fuisse Romanis, & Herodem, qui genere alienigena esset, regem Judææ constitutum fuisse, is cogitet idcirco nihil legali statui nocitum & incommodatum fuisse, quod populus Israeliticus à diversæ gentis rege gubernabatur, ut eius rei justus ille senex consolationem expectaret. Etenim diversis modis contigit, ut tanquam filius seditiosus & contumax à patre aspero atque severo alicui pædago traditur in disciplinam coercendus & castigandus, ita Israeliticus populus sæpè externo regno subjugaretur. quam rem indicat illius populi in Ægypto quam diutissima commoratio. *Orat. de occursu domini, &c.*

S. Isidorus Pelusiota: Imperij regula, ô scientiæ imperandi explorator accuratissime, hæc demum est, quæ ad subditorum utilitatem omnia molitur. Nam qui imperij disciplinam compositumq; ordinem, in tyrannidem & perturbationem immutavit, atque labores quidem subditis comparat, voluptates autem sibi aucupatur, hic nō imperij, sed tyrannidis regulam ac legem describit. *lib 3 epist. 74.*

S. Isidorus Pelusiota: Etsi vigente Eusebij, ut scripsisti, anarchia (ipsis enim imperium anarchiam haud abs re appellasti) crimina supplicium antecedit, atq; cruciatus probationes antevertunt: ne tamen hoc tibi mirandum accidat. Nam cùm ipse temeritatis & amētiæ alumnus sit, ac justitiæ omnis rudis & imperitus, idcirco ius perturbare minimè veretur. At non ita faciendum est: verùm curandum ut judicium criminibus advertatur, ac post probationes fides sequatur: ac postremò sententia feratur, quæ pro culpæ natura pœnæmodum constituat. *lib 3. epist 319.*

B. Synesius Episcopus Cyrenensis. Oratione de Providentia: in qua exemplum Regis ac tyranni exactissimum. Ægyptiorum hæc fabula est, quorum eximia, & singularis est sapientia: forsitan ergo & hæc fabula cum sit, quoniam ab Ægyptiis profecta est, fabulâ nihilominus amplius quid, majusque significabit, Si vero non illa quidem fabula, sed sacer potius sermo sit; eo dignior fuerit, qui scriptis hominum & sermone commendetur. Osiris & Typho fratres quidem olim fuerunt, & ex eodem semine prognati: at non eadem est animorum, corporumque cognatio; Nec enim ab ijsdem in terra parentibus ortum habere, sed ex eodem fonte derivari animorum naturæ consentaneum est, quem universi natura duplicem constituit. Est enim lucidus alter, clarissimusque, alter obscurus & tenebris obsitus; Hic ex humo manans erumpit, utpote infernè quibusdam quasi radicibus depressus, terrenisque è latebris emergit, si quâ divinæ legi vim inferre possit. Ille cœli ex humeris dependet, illinc enim ad terrenam hanc sortem administrandam mittitur, proficiscentique sedulò cavendum esse præcipitur, ne dum inconditam rerum congeriem concinno ordine digerit, ordinatque, ipse propius sese admovens dedecore, & indiscreta confusione cumuletur: manetque hæc Themidis animis omnibus imposita lex, ut quicumque in rerum extremitate versatus naturam inviolatam, illibatamque servaverit, is eadem via refundatur: & rursum in eum, unde ortus est fontem regeratur, non secus ac qui altera ex sorte quodammodo prodierint in cognatos secessus, penetraliaque recipi naturæ postulat necessitas

Iraq; & cædes illic, passimq; malorum
Turba frequens Ates tenebrosa per arva vagatur:

Animorum ista cum nobilitas est, tum ignobilitas, indeq; fieri potest, ut & Libycus homo cum Partho cognatus sit, & in his quos fratres appellamus animorum nulla sit societas, quod in quod in Ægyptiis fratribus statim ab ortu aliquot indiciis significatum, & in adultis postmodum evidentissime comprobatum est.

Ex his enim qui junior erat divina quadam sorte editus, atq; educatus, jam tum à puero audiendi avidus, fabularumq; studiosus erat, fabula enim puerorum studium atq; disciplina est: Ac iam grādior factus eius semper eruditionis desiderio flagrabat, quæ tempora, ætatemque superaret, patriq; non modo aures præbuerat, sed & quod quisq; solers aut exquisitum haberet, id vero avide deglutiebat, Et canino quidem primùm more, raptim omnia, ac simul nosse cupiebat: quod in his sanè ingeniis usuvenit, quæ eximium de se aliquid, magnumq; repromittunt; Gestiunt enim, atque ante tempus impatienter exsiliunt, quasi optatum iam tum animo sibi finem polliceantur. Deinceps vero longe ante pubertatem probo & bene morato sene sedatiorem se præstitit, ut omnia non solum modestè audiret, sed & si quid dicere, aut de iis quæ audierat, aut quæ quoquo modo occurrerent, sciscitari vellet, cunctātem ac robore perfusum cognosceret. Quin & de via, ac sede Ægyptiis senibus facile cedebat, cum tamen eo esset parente natus, qui summum apud suos imperium administraret. Ad hæc accedebat æqualium reverentia, naturaque insita in eo erga homines cura, adeo ut vel in ea ætate vix inter Ægyptios ullus reperiri posset, cui non ab adolescente aliquid boni à patre esset impetratum.

Alter vero qui ætate major Typhos appellabatur, ineptus, ut uno verbo dicam, ad omnia, planeque rudis: Nam à Rege quidem Osiridi filio adsciti erant non Ægyptiæ modo, sed peregrinæ cujusvis sapientiæ magistri: sed idipsum Typhos mente penitus aversabatur, ludibrioque habebat, quod ea re inertes, ac serviles animos fieri existimaret: fratrem verò cum animadverteret honestè moderateque præceptori operam dantem, ingenuaq; animi verecundia præditū, metus hoc esse, ac formidinis arbitrabatur; propterea quod nemo illum unquam aut pugnos impingentem, aut jactatis calcibus cuiquam insilientem, aut indecoro cursu agitatum viderat, præsertim cum agili ac repurgato esset corporis habitu, quod erat eius animæ, tanquam leve quoddam onus circumfusum: Sed neque Osiris unquam avidis faucibus, tractimque haurire, nec in cachinnos erumpere, nec immodico risu toto corpore quati, aut succussari solebat, quæ & in dies à Typhone agebantur, & ea sola facinora liberorum hominum arbitrabatur, quod quisque vellet, aut quod cuique pro re nata occurreret perpetrare. Proinde nec generis similis & indoles, nec ullius omnino hominum, &, ut semel dicam, neque ipsa sui, sed varium erat, ac multiplex malum. Nunc quidem segnis, atq; hebes, & telluris inutile pondus esse videbatur, tantundem à somno evigilans, quantū alvo explendæ, infarciendoq; iterum somni cōmeatui satis esset: Nūc verò vel mediocria ex iis, quæ naturæ necessaria erāt, negligebat, ut & incōcinne saltaret, & æqualibus juxtà, ac ætate provectiorib. negotiū facesseret. Corporis quippe robur, tanquam bonorum omnium perfectissimum, in admiratione habebat, eoq; perperam utebatur, aut ad effringendas fores, aut ad glebis impetendos obvios quosque, ac si cui vulnus inflictum, aut damni aliquid ab eo esset illatum, de eo, quasi de testimonio quodam virtutis exultabat:

Quinetiam intempestiva libidine, ac præter ætatem turgebat, miraque erat, in invadendis concubitibus violentia.

Itaque & invidiâ in fratrem, & in Ægyptios odio exardescebat, quod populus quidem Osiridem suspiceret, eumque in omni cantu, ac sermone celebraret, nec domi tantum sed in publicis etiam

sacris bona ei omnia supplex à dijs postularet, ipse verò & eiusmodi esset, & ab omnibus esse videretur: quæ cum videret Typho, contubernalium quoddam sodalitium instituere cœpit hominum furiosorum, nec alio quidem consilio (nec enim is erat qui quenquam ex animo diligeret) sed ut suæ factionis satellites, & ab Osiride alienos sibi compararet: Eratque cuivis facile Typhonem sibi demereri, & ab eo nihil non eorum impetrare, quæ pueris ex usu sunt, si quid tantum in Osiride contumeliosè insusurrasset. Ea igitur in pueris naturæ diversitas vitæ quoque dissidium pollicebatur. Sed ut primum viarum divortium, sensim diductum, protracto ulterius discrimine in longissimum tandem intervallum desinit, ita in pueris accidit: & vel minima studiorum disparitas, progredientes illos plurimum à se invicem dissociat: At illi non pedetentim, sed subito contraria in studia deflexerunt, cum utrique perfectam essent virtutem, ac vitium quadam sorte consecuti. Vnâ ergò cum ætatis incremento animorum contrarietas invalescebat, quam evidentioribus indiciis opere ipso factisque comprobarunt.

Cæterùm Osiris vix pubertatem egressus, cum his qui duces creati erant, imperij militaris collegam agebat nondum quidem lege arma tantillis permittente, sed is consilio judicioque imperabat, cum mentis instar esset, & exercitus præfectis, quasi manibus, uteretur; Tum deinde natura eius plantæ in modum augescente, maturiores in dies fructus edebat. Prætorianis verò militibus præpositus, regique ab aure factus, & Præfecturam Vrbis ac Senatus Principatum adeptus augustiorem longe quam acceperat, magistratum reddebat: Alter ærario præfectus (visum enim parenti erat utriusq; in minori occasione periculum facere) sibi ipsi pariter, atque illi à quo electus fuerat dedecus, labemque aspergebat, publicæ pecuniæ interversæ, sordiumque, atque in ærario administrando stoliditatis convictus: deinde in alium magistratum translatus, si fortè ei capessendo idoneus esse posset, multo sese turpius gerebat: & ea fœlicissimi regni pars, cui gubernandæ Typho præfuerat, totum hunc annum pro nefasto, atque inauspicato habebat: simul verò ad alios sese contulerat, unâ in eos calamitas omnis, ac pernicies traducebatur.

Is fuit in regendis hominibus Typhonis animus. Privatim quidem inconcinnè ac lascivè saltabat, unaque cum eo ex Ægyptiis, aut peregrinis petulantissimus quisque: qui eos secum cogebat, qui quidvis dicere, aut audire, patique, aut perpetrare pensi nihil haberent: ita ut eorum cœnaculum omnis impudicitiæ officina esset. Vigilans porrò & stertebat ipse, & stertentes alios libentissime audiebat, admirabilem quandam eam esse Musicam existimans: Laudes quoque, præmiaque ei delata, qui petulantem hunc sonum longius produceret, ac rotundius contortiusque efferret. Ex his autem unus aut alter, idemque omnium strenuissimus, frontem ad omnia perfricuerat, nullumque genus turpitudinis detrectans multa fortitudinis præmia auferebat, suppetebantque insuper in propudiosæ licentiæ mercedem Magistratus, atque imperia. Ejusmodi ergò domi fuit Typho.

Posteaquam verò sumptis publicæ rei gerendæ insignibus, habituque consederat, tunc apertè idipsum declarabat, variam, ac multiplicem esse nequitiam, hæc enim à virtute juxta, ac seipsa dissidet eiusque partes, sibi invicem adversantur. Quippe insolens ille suique opinione inflatus subinde in furorem agebatur, ferociusque Epirotico cane allatrans aliam privato homini, aliam familiæ, aliam universæ civitati noxam infligebat, ac eò magis exultabat, quo gravius aliquod damnum, ac calamitatem incusserat, quasi demum dedecus ex domestica socordia conflatum hominum lacrymis elueret. Sed hoc tamen unum ex his malis commodum supperebat: sæpe enim cum mox alicui periculum creaturus esset, aut temerè raptus in absurdas, atque inauditas suspiciones transversus agebatur, ut lymphatis, ac fanaticis similis esse videretur; de Delphica umbra pervicacissime contendens. Reus vero interim effugiebat, de quo nullum postmodum verbum: aut veterno elanguerat, capitisque per aliquod tempus gravedine torpescebat, adeoque quæ agebantur animo penitus excidebant. Deincepsque ubi sese receperat nihilo tamen secius omnis effluxerat rerum mox præteritarum recordatio: Ille autem cum dispensatoribus obnixè hisce de rebus altercatur, quotnam Medimnus tritici grana, aut Congius cyathos contineret, supervacuam quandam, & importunam animi solertiam præ se ferens.

Nonnunquam & somnus opportune Typhonem invadens hominem eripuit imminenti exitio, quo quidem correptus ille ex sella in caput deturbatus esset, ni abjecta cum lampade aliquis ex lictoribus sustentasset: Ita factum ut tragica pernoctatio sæpius in Comediam desierit. Nec enim interdiu ius dicebat utpote natura Solis & lucis inimica, tenebrisque accommodatior. Ac cum id intelligeret neminem esse vel mediocri prudentia præditum, qui non summam in eo inscitiam esse judicaret, non ille quidem suam stoliditatem accusabat, sed commune in sapientes omnes odium profitebatur quasi accepta ab illis injuria, quod judicio, sagacitate valerent, homo ut consilij planè inops, sic insidiarum callidissimus artifex. Erat in eo vecordia cum furore conjuncta; quæ duo animi exitia mutuis opibus invalescunt, nec ullum aliud est in rerum natura, nec esse potest gravius malum, aut ad profligandum genus hominum efficacius.

Hæc singula & videbat pater, & intelligebat, Ægyptiorumque utilitati providebat; Rex enim una, & sacerdos, & sapiens erat, eundemque & Deum extitisse Ægyptiorum monumentis traditum est: Nec enim Ægyptiis incredibile est, infinita apud se numina sigillatim imperasse, priusquam ad mortales terrarum imperium pervenisset, regnumque genus à majoribus ut Piromidis à Piromide recenseretur. Igitur postquam ille Deorum legibus in maiorum gentium deos translatus est, ac præfinita iam dies aderat, ad eam quidem ex omnibus Ægyptiorum civitatibus, quod per præconem pridem edictum fuerat, cum sacerdotum familiæ omnes, tum militaris indigenarum ordo convenerat, quos omnes legis necessitas convocabat; Reliquæ vero plebi, ut abesse liberum fuit, ita omnibus adeundi potestas concessa est, non ut in creando rege suffragatores, sed ut spectatores essent. subuleis tamen spectaculo interdictum, militibusque qui aut peregrini ipsi, aut ex peregrinis nati apud Ægyptios stipendia merebant: quam quidem ob causam, filiorum natu grandiori longe inferior conditio fuit: ex subuleis enim & peregrinis hominibu Typhonis factio constabat, effera scilicet & numerosa plebe, quæque inveteratæ consuetudini morem gerens, nec contrà quicquam ausa, non grave illud, aut indignum dedecus, sed sibi ipsis quasi debitum arbitrabatur, utpote jure, ac legibus irrogatum, & eorum generi quodammodo naturale.

Porro is est apud Aegyptios regum creandorum ritus. Haud procul ab amplissima Thebarum civitate mons sacer est, & ex illius adverso mons alius, medius inter utrumque Nili fluvius intercipitur: ex his montibus qui è regione alterius est Libycus appellatur, in eoque cautum est toto apparatus tempore regni candidatos versari, ne quid de hac creatione intelligant: alter vero, qui & sacer est, Aegyptius dicitur Eius in vertice tabernaculum regis est, cui ex sacerdotibus proximè adsident ij, qui præ cæteris insigni sapientiæ genere commendantur, atque ita ad eximios quosque ac præstantissimos ordo progreditur, sedibus cuique pro sacrorum dignitate distributis: Ac illi quidem regem quoddam veluti cor ambientes primum orbem faciunt, cui proximus est alter militum circulus; quidem omnes collem eum circumsistunt, qui in porrecto monte alium montem facit papillæ instar assurgens, regemque vel longinquo spatio dissitis eminus conspicuum prebet: Imum jugum obsident, quibus spectaculo interesse conceditur, ea duntaxat quæ vident faustis acclamationibus prosequentes: At ij penes quos jus est omne creandi principis, simul divinis rebus opera ab rege data est, & ab iis quorum id muneris est, motum est sacerdotum concilium, tum quasi præsente numine, communemque cum illis suffragiorum curam gerente, prolato alicuius ex candidatis nomine, milites quidem manus attollunt: Epulones vero, ac templorum Aediles, & prophetæ calculos ferunt; pauci alioqui, sed quorum præcipua est ea in re authoritas: Prophetarum enim calculus centum manus æquat, Epulonum viginti, Ædilium decem: Alius ex creandis regibus nominatus est, statim de eo manibus, calculisque suffragium fertur: quod si forte anceps, ac utrinque æqua multitudo fuerit, rex utrivis factioni subscripserit, longe eam potiorem facit, sin minori suffragator accedat, alteri eam parem reddit: Tum demum diremptis comitiis numina consuluntur, quibus & diutius insistitur, & religiosius divina tractantur, donec manifestè, ac sine ullo velamine, aut signis, quibus sæpius uti solent, coram apparentes regem ipsum creaverint, populusque factam à diis renuntiationem intelligat.

Atque hæc utcumque res tulerit nunc hoc, nunc illo modo contigerant. Verum in Typhonis, ac Osiridis suffragiis dij omnes securis, minimeque sollicitis sacerdotibus repente sese palam conspiciédos præbuerunt, divisimque singula moderari suos quisque sacerdotes instruxerunt, nec ulli ignotum erat, quibus de causis interessent, quanquam, etiam absentibus iis manus omnis, omnisque calculus regis natorum junioris nomen expectabat. Sed enim magna quæque apud nos augustioribus primordiis significantur, & quæ longe quam credibile sit, secus eventura sunt, seu meliora, seu deteriora quibusdam à Deo portentis indicantur Osiris itaque, uti fas erat, quò primum deductus est, eo sese continebat: ille autem moræ impatiens angebatur, quæque in comitiis fierent scire gestiebat: demum temperare sibi non potuit, quin eius rei experimentum faceret, & suffragia corrumperet: Seipsum ergò iuxta, & regias leges aspernatus, præcepsque in flumen insiliens, raptus, natans, nihil nó agens, patiénsve, spectantium risu exceptus, fluvium trajecit, & latére quidem cæteros posse arbitrabatur, prætetquàm quos conveniret, aut quibus pecunias polliceretur, verum id unusquisque norat, ipsumq. adeo & eius consilia oderat. haud tamen visum est cuiquam furiosum hominem redarguere: quod & ipsi miserrimum accidit; præsens ipse, ipse audiens, omnium suffragiis reiectus, omnium manibus improbatus est: Diis quoque eum execrantibus; venitque accersitus Osiris cum nihil ea de re anxius, atque sollicitus esset, diis, sacerdotibus, omnibus denique cum sacris stemmatibus, sacrisque tibiis, ad fluminis ripam in occursum festinantibus, ad quam navigium illud, cui novus rex imponebatur, ex Libyca ora appulsurum erat. Magna iam tum è cœlo signa, indidemque voces fœlicitatis nuntiæ, & omne prodigiorum genus, quibus quæ futura sunt, sive exigua sive majora captantur, fortunatum Ægyptiis imperium portendebant. Quapropter haudquaquam quieto animo futuri deterioris conditionis dæmones, haud placide hanc hominū fœlicitatem laturi, sed impetum facturi, atque ob id iam iamq. turgescere videbantur; & insidiæ aliquot significabantur.

Postquam itaque regiis sacris à parente initiatus est, aperte illi, certo-

certoque, ut qui certo scirent, cum alia multa prænuntiant, exuberantem scilicet bonorum copiam: tum fratrem admonēt Ægyptiis, paternæq. domi exitio genitum, nisi cuncta perturbare velit, ocius exterminandum esse, ut quæ regnante Osiride Ægyptiis futura erat fœlicitas, bonorumq. proventus, eam nec videre, nec audire posset. Nullum enim bonum naturæ Typhonis esse tolerabile, duplicemque ipsi naturam animorum tradunt, & necessarium illud dissidiū, quod cum superioribus animis, inferiores insitum habent. Rogabant idcirco everteret naturam infestissimam, eamque à meliori, & divina cognatione resecaret; nec eum puderet eius, quam homines appellant, affinitatis. Remittenti vero, ac cessim argenti, quæ & ipsi, & Ægyptiis, & finitimis, & Ægyptiorum imperio subditis toleranda erant, singula prædixerunt: neq. enim, mediocrem, aut aspernabilem eam fore perniciem, neq. quavis solicitudine manifestos, atq. occultos illius conatus circumscribi, aut infirmari posse: tueri siquidem illum ac defensare potentissimum quoddam genus invidorum dæmonum, quibus cum ei esset naturæ necessitas, ab iisq. in lucem editum, ut eo tāquam instrumento suorum in homines maleficiorum uterentur, ad quæ rectâ progressi in grandem sibi utilitatem futurum Typhonem & genuerūt, & educarunt, & obstetricati sunt, & propriis moribus imbuerunt: Vnum tamen id illi deesse putant, quominus omnia ex sententia succedant, ut vires ei ex imperio, & potestatem concilient: ita enim futurum ut ex earum rerum concursu, perfectè quæ opus sunt omnia consequatur, cum scilicet mala plurima & facere volet, & poterit: te vero (ajebat ex iis aliquis) & hominum utilitati, & ipsorum detrimento natum odio prosequūtur. Gentium quippe calamitates pravorum dæmonum epulæ sunt, & convivia. Hęc iterum, ac sæpius hortabantur fraterno exitio procurari oportere, eumq. procul terrarum sua cum pernicie, relegandum esse, mite enim, & mansuetum Osiridis ingenium perspexerāt; quod eos demum impulit, ut eum per aliquod quidem tempus duraturum, mox tamen & se, & omnes mortales inscientem, ac imprudentem proditurum esse dicerent, blandumque fraternæ charitatis nomen reipsa cum gravissimis calamitatibus permutaturum.

At vobis (inquit ille) propitiis, & bene faventibus, neq. sospitem fratrem extimescam, & me à dæmonum indignatione immunem illæsumque servabo: facile enim volentibus vobis est, vel idipsum quoque, quod incuria labefactatum est, resarcire. Tum pater sermonem excipiens. Perperam (inquit) hoc existimas fili: divina enim natura in hoc universo aliis rebus occupatur, atq. ut plurimum eam facultatem exercet, quæ in ea præcipua est, & intelligibilis pulchritudinis contemplatione satiatur. Nam illic genus aliud deorum est mundo sublimius, quod omnia quidem ad extrema usq. fovet, atq; continet, ipsum autem ad materiam & ad hæc inferiora demitti, flectíve non potest. Porrò iis quidem qui natura dij sunt fœlix est ista rerum inferiorum contemplatio, altera autem deorum, scilicet, superiorum, & ipsius unde ista promanant fontis consideratio longe fœlicissima est: ex quo fit ut genus quidem illud deorum sublimius, cum in seipso maneat, bonorum copia exuberet, quia seipso semper plenum est: aliud verò inferiorum genus suum ex eo bonum sortiatur, quod se ad sublimiorem divinitatem convertat. Neq. tamen bonorum una est, aut simplex efficacia, sed singularum totius universi partium curam gerunt, in idq. quod sibi commissum est quantum par est, eam quę ex contemplatione oritūr, actionem derivant: atq. qui ex iis puriore sunt, & sinceriore natura, statim primæ illi, ac principi naturæ subditi sunt, ab iisq. vicissim qui proximi sunt instituuntur: ita fit ut seriatim ordinum illa successio ad eorum quæ sunt extrema usq. producatur, cunctaque per ea quæ interiecta sunt superiorum providentiam, ac dispositionem, ad sese transmissam habeant, neque id tamen ex æquo: alioqui nulla esset continuata series, sed res ipsæ, quo per descensum à primis longius secesserunt, imbecilliores evadunt, donec perverso, atque adulterato ordine penitus aberraverint, in quo & res ipsæ esse desinunt: Cui simile quidpiam in inferioribus his rebus usuvenit: Ea siquidem natura, quæ generationis particeps nullam certitudinem, aut constantiam habet, in corporea conditione infimam sedem obtinet, corruptioniq. maximè obnoxia est: cœlum autem ipsum principem locum sortitur, incorrumptumq. est, quadam animæ proportione respondens.

Quod hi ergò illic, (deos inquit ostendens) hoc & dæmones sunt in hisce elementis perpetua agitatione constantibus, quorum temeraria est, & præceps natura, quæque cum plurimùm illinc discesserit, à concinna quoq. divinarum mentium dispositione abest longissimè. Quamobrem cum fæx ista quodammodo rerum propriæ saluti tuendæ par non sit (fluxa namque est, neque ipsum esse sustinens, quod continua productione quadātenus æmulatur) dæmones vero, utpote qui inferiori huic naturæ sint affines, deletrice, atq. exitiosa naturæ conditione prædìti sint, necesse sanè est Deum sese interdum ad hæc inferiora convertere, ac quædam auspicari initia, quibus præclarè ad tempus ista se habeant, quoad nimirum vis illa impellens in his perseverat: Ac ut præstigiatorum sigilla, quæ fidiculis cientur etiam cessante eo à quo motus ille, agitatioq. impressa est, incitantur, non multo id tamen tempore, propterea quod insitum non habent movendi principium, sed quandiu vis impressa manet, nondumque progressa, ab ortu suo remotior dissolvitur. Eadem planè ratione Osiri charissime sic habeto: Quod rectè apud vos dispositum est cum divina administratione unà esse, & desinere, aliundeq. esse profectum, ideoque animæ ipsæ raro bonæ sunt, quanquam eiusmodi esse nonnunquam possint, & ipsa deorum administratio gubernatioque, cum id munus obit, cōsentaneum quidem sibi quidpiam molitur, haud tamen priori illi vitæ, alia enim, eaque potiore fœlicitate gaudent, quoniam ei quod inferius est à superiori gubernari, quàm hæc inferiora disponere longè est nobilius, hoc enim aversione, illud conversione illis accidit. Tu verò eiusmodi quoddam mysterium olim inspexisti, in quo bina oculorum paria præferuntur, quorum qui in inferiori locò sunt, superioribus diductis connivent, illique vicissim, clausis his patefiunt.

Ergo ita tibi persuadeas, hoc esse contemplationis, & actionis Ænigma: dij enim omnes interiecti vicissim utroque funguntur officio, ita tamen ut in potiori obeundo perfectius incumbant, ad id autem, quod est deterius exercendum sola necessitate adducantur. Hæc proinde & ipsa deorum munia sunt, quæ illi universo quidem omnino necessaria præstare solent, non tamen præcipua: Non secus ac homines modo arctius, laxiúsve corporeis septis sese continent, modo sapientiæ navant operam, in eoque propius ad divinitatem accedunt: Ex iis igitur quæ dicam animo concipe. Nec tibi perpetuò deos adesse postulato, quorum primarium munus in contemplatione, & præcipuis mundi partibus situm est, quique & in cœlo agunt, & sunt à vobis longè dissiti, neq. facilem, ac nullo negotio paratum aut sempiternum illorum delapsum existimato: Certa temporum vicissitudine demittuntur, optimæ in gubernādo incitationis, (quod Machinariorum opificum exemplo constat) quoddam quasi invitamentum, & auspicatum daturi, quod tunc accidit, cum ad temperādum imperij statum cognatæ huc animæ transmittuntur: Divina enim hæc, & singularis providentia est, unius interventu prope infinitorum hominum curam suscipere. Ac ipsos quidem deinceps rerum suarum satagere, atque in iis versari necesse est. Te verò alienis rebus interceptum & unde sis meminisse oportet, & quoddam à te mundo huic officium adimpleri, enitendumque ut tete erigas potius, quam deos ipsos deprimas: sed & diligentissimè tibi prospiciēdum est quasi in peregrino solo in castris degenti, divinæque inter dæmonas animæ, quos æquum est terra editos imminere, atq. indignari, si quis intra suos fines peregrinis legibus utatur. Bene itaque tecum agi putandum est, si noctes diesq. insomnes agas, hac una solicitudine defixus, ne te unum quamplurimi peregrinum indigenæ violenter expugnent.

Enimvero his in locis Heroum sacrum quoddam genus est de hominibus sollicitum, bonumq. in terris antiquius, à quo in minimis nonnihil adjumenti comparari possit. Heroum illa velut colonia est, ne expertes melioris naturæ sedes istæ relinquantur, & manum quidem, quoad possunt, ultro porrigunt: verum ubi materies bello animæ indicto suas in eam propagines, ac germina eduxit, leve est, & imbelle prorsus diis absentibus quòd illinc opponatur, quia in propriis quæque locis validiora sunt: iam cùm illi suam imprimis in potestatem redigere volunt, tum hoc pacto adoriuntur: fieri non potest quin aliqua in terris animis hominum portio insita sit rationis expers: hanc qui è vulgo est palam præ se fert, sapiens quasi strictim adhærentem gerit: nemo autem est qui ea sit omnino destitutus: per hanc uti congenerem proditione facta dæmones animal invadunt; Oppido enim simile est obsidioni quod tunc geritur: ac quemadmodum carbones facibus admotis citiùs incandescunt, quoniam ad concipiendum ignem, iampridem sunt accommodati, sic dæmonum natura perturbationibus plena, vel ipsa potius vivens, & mobilis perturbatio, ad animam accedens eius affectiones excitat, & ex naturali eiusdem habilitate actionem elicit sola id admotione perficiens: nam agenti id quod patitur simile semper efficitur: ita cupiditas, ita iracundia, & quæ his adfinia sunt mala à dæmonibus instigantur, per congruas sibi partes in animam irrumpentibus, quæ ipsorum adventum naturali sensu percipiunt, moventurque, & ab illis, quo in animam insurgant, robur accipiunt donec animam aut penitus subegerint, aut capere se posse desperēt: certamen istud longe gravissimum est: nullum enim tempus, nullum modum, nullum oppugnandi locum intentatum relinquunt, & unde nemo suspicetur, inde etiam aggrediuntur, undique laquei, undiq. machinæ, undiq. domestica bella concitantur, donec aut evicerint, aut spem omnem deposuerint. Horum vero egregiorum certaminum, quorum tu coronam reportabis, spectatores è sublimi dij sunt: atq. utinam & posteriorum auferas: vereor enim ne illis fœliciter confectis, in aliis victus abscedas.

Divina namque animi portio cum neque deteriori morem gesserit, eamq. sæpius represserit, & ad seipsam converterit, natura tandem illam roborari, ac solidiorem fieri patitur, ut & impetus omnes sustineat, & velut splendore perfusa, nullos amplius dæmonum illapsus recipiat, ita divinum tunc, & unum, integrum animal fit, eiusmodique est cœlestis in terris arbos, quæ peregrinam insitionem non admiserit, ita ut fructus ex ea aliqui prodeant, sed illud omnes in sui ipsius naturam converterit, quare dæmones omni spe victoriæ abjecta, totis viribus posterius certamen experiuntur, ut stirpem illam radicitus recidant, ac tanquam à se alienam disperdant. Vinci enim illos pudet, dum externus aliquis in certamine superior eorū in sedibus oberrat, qui victoriæ trophæum & sit, & esse videatur; is enim non in se uno ipsis detrimento est, sed alios præterea ex eorū ditione ad defectionem sollicitat; Etenim studiis hominum ad virtutem inflammatis pessundari peiora quæcunque necesse est: quib. de causis sive privatum hominem, sive principatu, ac dignitate fungentem, sive quemlibet alterum materiæ jura contumacius detrectantem, ocyus amoliri conantur: in quo tamen cum rex sis, facilius

tibi fuerit, quam privato homini providere. Extrinsecus enim appetunt, si male intestini conatus successerint, bello, seditione, reliquisq. corporis incommodis, quæ facile nihilominus rex effugerit, si sibi ipsi prospexerit diligenter, ut demum firmissimum id propugnaculum sit, in quo cum prudentia, vis, & potestas conjungitur: quæ si mutuo dissocientur, & inconsideratæ vires, & imbecillis prudentia nullo negotio superantur. Omnino, ô fili, mirari tibi aliquando subijt patrium in sacris imaginibus commentum, Mercurium intelligo, quem duplici specie fingunt Ægyptij, juvenem juxta senem collocantes, & idipsum præcipientes, si quis nostrum ritè sacra sit inspecturus, eum & sagacem, & fortem esse oportere; quando alterum sine altero parum adjumenti conferre potest: eadem ratione in sacrarum ædium vestibulis Sphingis effigies ponitur, sacrum utriusque boni conjungendi symbolum, quod qua parte bestia est, robur, ac vires corporis, qua vero parte homo est, prudentiam, & sagacitatem significat: vis enim corporis prudenti moderamine destituta præceps ruit, cuncta permiscens, atque confundens, minimeq. idonea ad agendum ea mens est, quæ manuum officio caret: virtus autem & fortuna vix quidem unquam, sed in maximis tamen hominibus interdum coalescũt, quemadmodum in te coierunt. Desine itaque deos obtundere, qui, si velis, propriis tete opibus servare possis; haud enim consentaneum est illos propriis sedibus relictis adeo libenter in aliena, & deteriora commigrare; nisi vero impium, aut irreligiosum est insitis in nobis subsidiis rectè uti posse, ut quæ in terra sunt, ad præscriptum moderamen congruo ordine, ac continuata successione foveantur: illud enim si commiseris, necesse erit ante præstituta tempora rursum eos ad hæc ima descendere, eorumque curam capessere: Atqui nonnunquam dissoluto, aut marcescente eo concentu, qui ab ipsis antea fuerat temperatus, veniunt iterum ut eundem intendant, & quasi expirantem suscitent, gaudentq. hoc ipso opere, ut qui naturæ universi quoddam istud munus exhibeant; aliâs perturbato illo, & planè disrupto eorum vitio, quibus commissus est, accessuri sunt, si nulla alia ratio hæc infima tueri possit. Quamobrem non minimis quibusque, nec si in hac vel illa re delictum fuerit, Deus impellitur, aut eximius ille & singularis sit oportet, cuius gratia ex fœlici eo genere quisquam hûc adesse dignetur, sed ubi universus ordo, & maxima quæq. corrupta fuerint, tunc ventitare ipsos par est, ut alterius præbeant ordinationis initium. Non est ergo quod querantur homines, quibus sponte suscepta mala contingunt, neque quod deos appellent, quasi de seipsis minimè sint solliciti, providẽtia enim id unâ exigit quod in eorum potestate situm est, alioqui in malorum sedibus mala versari mirum non est, sed id mirum si quidpiam hîc sit, quod nõ eiusmodi esse videatur: nam hoc inquilinũ & alienum, & providẽtiæ acceptum referri debet, cujus beneficio si quis cessim non agat, utaturque paratis sibi ex ea subsidiis, potest omni parte esse fœlicissimus: non enim perinde est providentia, ac nuper editi infantis mater, quæ in omnibus iis, quæ aut aduolant, aut quoquo modo molesta sunt, repellendis cum negotio occupatur, quoniam ille adhuc imperfectus est, & propriis auxiliis destitutus; sed ei similis est, quæ aucto, & armis instructo puero, uti iam illum jubet, atq. imminentia mala propulsare. Hæc tecum assidue meditare, hæc hominibus scitu dignissima esse persuasum habeto; hoc enim pacto, & providentiam esse aliquam existimabunt, & sibi ipsis prospicient, religiosiq. simul & providi erunt, neq; Dei curam putabunt à virtutis usu dissidere. Vale, fratremque, si sapis, reprime, ac tuum, & Ægyptiorũ fatum prohibeto, id enim licet: sin remissiorem te, & indulgentiorem præbeas, sero tibi deos adfuturos existimato.

Quæ cum dixisset eadem cum diis via decessit, hic autem in terris relictus est, terra neutiquam digna res, à qua subinde mala propulsare summo cum studio contendebat, non vi, aut imperio usus, sed Musis nempe, & Suadelæ sacra faciebat, sponte quemq. sua legibus accommodans. Ac cum à diis quæcumque aut aëris, aut aquæ, terręve munera sunt, affatim omnia regi, cumulateq. suppeditarentur, earum ille rerum usum populo indulgebat, ipse omnia vitæ solatia respuebat, nullumq. non laborem antiquiorem habebat, ut somni parcissimus, sic curarum solicitudinumq. quamplurimarum particeps, & ut semel dicam, pro quiete, otioq. omnium, ipse otij & quietis expers. Proinde & unumquemq. sigillatim, & familias, & cognationes, & civitates, & provincias universas, omnes deniq. homines cum internorum animi, tum externorum bonorum omni genere cumulabat. Nam & virtutis æmulationem excitavit, ad id unum præcipiens omne studium, omnemq. disciplinam comparari, & iis præmia constituit, qui hominum regendorum peritia præ cæteris valerent, similesq. sibi subditos præstare possent. id autem quod in honore est, inclarescere, atq. augeri necesse est. Ita omnis eruditionis amor tam eius, quæ ad animi, judicijq. informationem pertinet, quam quę in linguarum varietate posita est, nova indies incrementa capiebat: nam qui in ea re præstarent cæteris, non jam gregarij plebeique erant, sed amplissimis ab rege honoribus afficiebantur, quod eam artem profiterentur, quæ artis, sapientięque ministra est, sententiæ enim dum prodeunt ipsa quodammodo oratione vestiũtur, eæ vero si concinnè secúsve ornatæ fuerint, quod in homine accidere solet, aut speciosæ esse aut decore carere videntur. Osiris ergò illa liberalium disciplinarum rudimenta magni à suis fieri cupiebat, eruditionemque fontem esse virtutis arbitrabatur. Pietas porrò ac religio his maximè temporibus Ægyptiis usitata, ac familiaris fuit. Hæc erant animi bona, quæ tum regnante Osiride mira apud Ægyptios ubertate floruerunt, ut ea ipsa regio virtutis scholæ quam simillima videretur, pueris unum rectorem, ac moderatorem intuentibus, unumq. id facientibus quod viderent, & quod audirent eloquentibus. Cæterum divitias ipse quidem neglectui habebat, aliis vero ut quam amplissimæ essent omni cura, ac diligentia providebat, vir ut in accipiendis muneribus restrictissimus, ita in dandis munificentissimus, ac liberalissimus. Tributa siquidem civitatibus remisit, & in egenos largitione usus est, cunctaq. quæ diruta, ac prostrata erant refecit, aut jam labentia, atq. inclinantia resarcivit: civitates quâ ampliores, quâ venustiores reddidit, novas aut extruxit penitus, aut desertas civibus frequentavit: Ac tametsi unumquemq. necesse sit publicorum bonorum esse participem; hic tamen grave sibi, ac molestum minimè ducebat, vel ad huius, aut illius curam gerendam sese demittere, adeoq. illo regnante, nullo in homine mœror aut lacrymæ cerni potuerunt: neque Osiridem latebat quo cui opus esset, & quid quemq. à fœlicitate retardaret. Hic meritos sibi honores poscebat: concessit ultrò. Alter, quod libris totum se tradidisset, quærendis vitæ necessariis vacare non poterat; victum ei de publico procuravit. Alium humanarum dignitatum tæderet, cui sua abunde ad victum suppetebant, publica tamen munera ægrè sustineret; nec ille clam Osiridem fuit, sed ab omni eum publico onere immunem fecit, haud importunè ab eo sollicitatus, sed ipse sponte sollicitans cum nondum rogatus benigne condonaret, sapientiæ scilicet reverentia liberum eum, & immunem, quasi Deo consecratum ratus esse oportere: Et, ut uno verbo dicam, nulla cuiquam res pro merito defuit, nisi si cui malum aliquod deberetur. cum eo vero pro meriti ratione non agebat; id enim magno studio efficere nitebatur, ut morum humanitate, & beneficiis etiam impudentissimos homines evinceret, ac sibi demereretur: eoque consilio fratrem eiusque factiones facile sese victurum sperabat, si virtutis magnitudine eorum animos immutaret, in hoc uno opinione falsus.

Livor enim non tam virtute reprimi, quam exardescere, atq. inflammari solet, qui cum natura secundis rebus immineat, quo cumulatius obveniunt, eo & æmulatio, mœrorque in dies magis ac magis augetur. Quo tum infelix ille, & graviter, ingemiscens frater, Osiride imperante correptus est: sanè ut primum traditum ei regnum vidit, parum abfuit, quin moreretur, solo pessimum caput illidens, & columnis violenter impingens, multosque per dies cibo abstinuit, quamvis voracissimus esset, & quanquam vinosissimus, potu tamen sibi interdixit: somnum vero cum maxime appeteret, pervigil agebat, insomniaque eum, quantumvis obnixè detrectantem invadebat, oculis de industria conniventibus, ut somni irritatione animus stimulante solicitudine levaretur. Sed enim memoria ei qui illam deponere velit, pervicacissimè resistit: itaque oculos comprimenti malorum imagines obversabantur, somnumque si quando fortè raptim videret, somniando sese infœlicius habebat: quippe ob oculos recursabant collis ille, calculi, manus secundum fratrem sublatæ omnes. cumque libens expergisceretur, molestis imaginibus offensus, diutius ei aures gratulantium vocibus personabant; neque quietem sustinebat excandescente animo, pedem vero domo efferentem, nulla non calamitas excipiebat: omnium in sermone, factis, carminibus Osiris celebrabatur, quanta in novo rege, oris liberalitas, & sapientia esset; utque in eo animi magnitudo sine arrogantia esset, & sine abjectione humanitas.

Ad hæc subinde gradum referebat, rursumque domi se abdebat, incertus quo se converteret, aut quam vitæ rationem iniret, cum ipse, tum uxor eius: arduum quoddam, atq. ingens malum, suiipsius ornatrix, ac theatri, forique insatiabilis, omnium in se animos converti credens, summeq. desiderans: proinde majus sibi detrimẽtum ex eo accidisse ducebat, quod vir regno caruisset: illa enim ratione sperabat se majori occasione rempublicam ita esse comparaturam, & per luxum, ac voluptatem imperio, atq. potestate abusuram esse: Typho autem tum ætate provectior, incredibili eius amore exardescebat, adolescentuli instar tum primum Venerem experientis, nec minima ei calamitatis pars mulieris pudor erat, coram qua summũ se imperium adepturum, eamque in regni partem vocaturum ambitiose iactaverat: illa vero etiam privatim degens non obscurè ex duabus longe diversissimis rebus gloriam affectare videbatur, cum non modo mulieres omnes luxu, ac novis in dies delitiis comminiscendis, fucandaq. omni lenociniorum genere facie, & immoderata naturæ licentiâ superaret, verumetiam marium consilia audacissime susciperet, temereq. tentaret, novarum rerum studio, atque in rebus tractandis solertia singulari: adhæc, aliaq. id genus multa meretrices, clientesque, ac mercenarios eodem voluntatis, ac studiorũ consensu paratos habuerat, quibus domi forísve, ad quæ natura cõparata erat exequenda commodè uteretur. Osiridi vero Gynæceum esse, aliquando ab hominibus visus filius, indicio fuit; quanquã raro admodum puer Horus in conspectum hominum prodiret: unam enim hanc mulieris virtutem Osiris esse dictitabat, si neque corpus eius atriensi porta, neq. nomen efferretur: quare nec modesta illa, & pudica mulier etsi summum fortunæ culmen attigisset, à receptis iam, & comparatis moribus descivit, nisi forte quod præ potestatis magnitudine domi delitesceret, quando & ipse nihilo magis, quasi ex ea re fœlicior esset, exultabat.

Nimirum hoc intelligebat sibi, etiamsi imperij compos non fuisset, nihil ex eo tamen fœlicitatis decessurum, cuius quidem rei sibi ipsi quisq; dispensator est, si vitæ probitatem sectari velit: propterea homines virtute, ac morum integritate præditos, sive privatos, sive

in ali-

in aliquo magistratu, & dignitate constitutos in eadem versari hilaritate, ac tranquillitate videas. universa enim hominum vita virtutis materia est: quemadmodum in Scena fabularum actores cernimus, quorum qui voci diligentissimè servierit, is Creontem, aut Telephum nullo discrimine agere potest: neq. ad præclaram, vehementemq. vocis intensionem, aut ad theatrum suavissima carminis emodulatione detinendum plurimum intererit purpureásne, an pannosas vestes gerat, sed sive ancillam, sive heram, eadem gratia & concinnitate referet, vel si quam aliam personam induerit rectè eã uti gerat, ab eo Choragus postulat; ita nobis in maximo illo mundi totius actu vitas nobis, quasi personas, Deus, & fortuna circumposuit, neq. aliud altero vitæ genus potius est, nec deterius, sed unusquisq. perinde ut potest eo utitur. Ac qui bonus est ubicumq. honestè degere potest, seu mendicum, seu monarcham assimulet, nec de persona plurimum contendet; quandoquidem & tragœdiarum Actor is ridiculus fuerit, qui hanc renuat, aliam vero potius eligat: præsertim cum qui anum præclare, ac cum laude egerit, coronâ, & præconis voce celebretur, qui vero regis personam indecorè sustinuerit, omnium sibilo, & procaci oris sonitu excipiatur, interdum lapidibus impetatur. Nullius nostrûm vita propria est, alienas vero extrinsecus circumfusas habemus. Nos autem eam facultatem, quæ intus his utitur, quò prestantiorem, aut deteriorem facimus, palámque habemus, eo meliores, aut peiores sumus, viventium quodammodo fabularum actores, hinc illæ, quasi vestes quædam, indui, aut exui possunt. Cæterùm Osiris (is enim quid alienum esset, quid peregrinum didicerat) fœlicitatem norat animo esse metiendam: sese igitur, domesticosq. omnes ita comparaverat, ut eodem omnes modo affecti, eodemq. animo præditi essent, neq. vel privati, vel dignitatem aliquam gerentes, externas res ullo modo pertimescerent: alij contra (sensibus enim planè dediti erant, judicijque, ac mentis expertes, desides fortunę amatores, & quod alienum est, id sui esse proprium existimantes) turgebant inani quodam, & insolenti fastu, regnum sollicitè observantes; quod ubi ad ipsos non pervasit, omni de seipsis abjecta spe, vitam sibi vitalem nequaquam esse ducebant. Sanè meritò id iterum ac sæpius inculcandum est mortalibus inscitiæ regulam esse, vitæ nostræ conditionem non expectare ut in convivij fercula, quæ circumlata ad nos, ut ea capiamus deventura sunt, sed ipsum vi occupare, ac præripere. Ejusmodi namque si illorum compos fuerit, ridiculum sese præbebit, ineptus, ac inurbanus conviva, & convivatoris offensionem incurret, sordida illiberalitate ordinem, quantum in se est, perturbans: sin minimè assequatur, præter hęc omnia pueri insuper in modum ploraturus est, è circumacta parte, eaque quæ ad proximum pervęnit anxiè suspensus: quibus simillima Typhoni omnia contigerunt: nam & diis infensus erat, & acerbissimè lugebat, & ea res risu populi excipiebatur: neque enim quod is per multos menses mœrore elanguerat, quod quotidie iamiam moriturus videbatur, populi miserationem excitavit: sed fortiores quosque ad iracundiam, molliores, & remissiores ad risum provocabat, ita ut iam istud in proverbium evaderet, sciscitarenturque ab eo quem pallidum animadverterent, num aliquod fratri bonum obtigisset.

Ac sibiipsi quidem meritò mortem conscivisset, mali ipsius vehementia in transversum raptus, ni execranda illa uxor, muliebriq. supra modum in periclis animo sese juxta, atque illum reduxisset, quæ cum eo alioqui facili uteretur, tum maximè sui copiam faciẽs, à mœrore hominem, luctuq. revocavit, concitatum animi affectũ alio affectu repellens, ac dolorem voluptate destruens: ita demum ad se rediit vicissim diversissimis malis succumbens, cum aliâs gemeret, aliâs libidine & voluptate turgeret. Tum verò maxima impudicorum puerorum multitudo cũ pernicie domum irrupit, comessationesque, & compotationes frequentissimæ, ut earum rerum consuetudine tempus falleret, atque ægritudinem sublevaret: cæteraque eo studio excogitata, ut in assiduo occupationum concursu quam minima esset bonorum Osiridis recordatio: proinde piscinas extruxerunt, & in piscinis insulas, rursusque in insulis Thermas arte, manuq. factas, ut inter mulieres promiscue nudarentur, palamq. ac nullo discrimine inirent: quæ cùm agerent, ecce tyrannidis affectatio pravorum dæmonum subornatione in animum iis incidit, qui rei agendæ modum omnem, & rationem suggerebant, cæteraq. jam tum apertè præsentes, atq. oberrantes instruebant: haud enim tolerabile iis visum est sua temere, & nullo honore pessum agi, cũ & prudentia vigeret, & pietas invalesceret, & omni injuria depulsa, recepta in animos hominum concordia foret, bonorumq. omnium status integer, & florentissimus esset. Lacrymarum Ægyptiis nihil præter nomen relictum erat, fausta, ac læta omnia, omnia congruo ordine temperata, republica, quasi animali quodam, legem animæ instar complectente, & sese per seipsam movente, partibusque toti concentu quodam respondentibus: his dæmones extimulari, ea certatim adoriri, hominibus tanquam cognatis instrumentis ad id labefactandum uti. Itaque duobus in mulierum conclavibus adornatum, & conflatum hoc scelus est. Nam in regia civitate auxiliorum Præfecto ædes erant, qui cum exercitu ab Ægyptiis in expeditionẽ mittebatur: tum autem bellum ab his haud fœlici successu cum aliquot cohortibus gerebatur, quæ ab ipsis defecerant; populataque, & direpta fuerant nonnulla Ægyptiorum oppida; dæmonibus hoc ipsum ad fabulæ actum molientibus. Ad illius ergo uxorem dies noctesq. sæpius ventitans Typhonis uxor, Barbaræ & stolidæ anui, veteratoria, & Cercopum artibus instructissima fœmina haud difficile persuasit, sibi & eam curæ esse, & gravissimum, quod iampridem prævideritt, malum impendere, si Osiridi ex animi sententia res successerint, eum enim proditionem suspicari, bellumque arbitrari ex compacto inter eos exerceri, Barbaris eodem animorum consensu castra dirimentibus. Certum est igitur (inquit) omni ipsum vi, aut artificio revocare, simulq. arma deposuerit, abrogato imperio, male eum teque, & liberos perdere; hos inquam ingenuos, hos præclaros alumnos, hos ipsos ante pubertatem interimere statuit, unaque collacrymans blandè puerulorum mentum attrectabat, benevolentiam miseratione simulans. At Scythica anus statim lugere cœpit, jamjam mala ipsa coram intuituram se, & perpessuram existimans, illa vero nova quotidie indicia, signaq. his addebat, quasi occulta in eos consilia renunciaret. Omnino n. regno profligandos Scythas, idque in dies Osiridem moliri, militares ordines supplentem, reliquaque providentem, ut cæsis, pulsisve barbaris soli per sese habitarent: hoc autem facillimum fore, postquam illorum principem per codicillos præfectura amotum legibus subdiderit. quo interempto cæteros levi negotio exterminaturum se arbitratur. Vt nunc (inquit) Typho domi mœrens sedet, vobis enim impensius favet, suaq. in Republ. tractanda consilia in juvandis barbaris semper collocavit, propter quos & ipsi regno excidimus, quoniam creationis tempore defuerunt: quod si factum esset, nunc Ægyptiis insultare, eorumq. bona invadere, ac iis tanquam mancipiis dominis uti liceret? sed neq. vos quicquam in ea re tum profuistis, nec nos ad ferendum auxilium satis virium habemus: sed imminentia tamen amicorum mala infortunio nobis esse ducimus.

Hunc in modum fraude circumventam anum metu, ac terrore percellens, quasi nulla mali fuga superesset, ut abundè factum esse duxit, aliud tentare cœpit, ut Barbaræ mulieri metum omnem adimeret, quæ iam animi sententiam in diversa trahenti parere, & morem præbere didicerat, hanc ergo paulatim nutantem confirmans spe, ac fiducia implebat. Magnum verò (inquit) & arduum consiliũ est, novaq. ad id audacia opus, ut non amplius vitæ nostræ jus in potestate sit Osiridis arbitrioque situm: obscurè primum seditionem, & rebellionem significavit, mox apertius paulò, tandem manifestè detexit, paulatim ei rei audiendæ, audacterque suscipiendæ muliérculam assuefaciens, donec præ terrore consternatæ audaciam, animumque addidit, actum planè, si ipsis libuerit de Osiridis potestate esse prædicans: Lex enim (inquiebat) ac vetustate, patriisque moribus recepta dignitatis hujus consuetudo: segnes quidem, & ignavos in voluntariam servitutem compellit: atqui contumacius jugum excusserit imbecillosq. & invalidos eos experietur: isque adeò liber est, cui vires ad id idoneæ suppetunt, nisi temporis illum consuetudo deterreat, quod à nobis quæso absit, dum vos etiamnum in armis estis: cùm Osiris interim nihil aliud quam aut diis supplicet, aut legatis jus dicat, aut causas judicet, alióve quopiam pacis opere, præpediatur. Nec enim nobis generis nobilitatem, vobis manus viresq. in eiusdem facti communionem conferentibus, Osiridem cuiquã Scytharum detrimento fore putandum est: neque vos magnum quidpiam innovare, aut Ægyptiorum jura rescindere, aut reipubl. statum immutare, sed eam potius constituere, & ad meliorem conditionem redigere videbimini, si Typhoni per vos imperium procuretur, qui & eodem quo Osiris genere natus est: & ad eum ætatis merito justius Ægyptiorum imperij summa pertinet. Ita futurum est, ut non magna de veteri Reip. statu mutatione facta, neque ipso statim initio Ægyptij adversus vos congregari velint: Ac regni quidem habitus, insigniaq. penes nos erunt, vestrum verò quicquid inde utilitatis fuerit, universaq. vobis Ægyptus, quasi in convivio epulanda præbebitur? tantùm viro id persuasuram te recipias, tu verò (inquit) unà & idipsum persuadebis.

Visum hoc utriq. est, simulq. ac de reditu illius renunciatum est, hinc ambigui de insidiis sermones sparsi, per subornatos præcursores, qui taciturnitatis simulatione, multo apertius, quã qui alta voce prædicant, hoc ipsum publicabant, quod clam habere velle videbãtur: illinc occulti libelli terrorem incutiebant, quibus saluti consulendum esse præcipiebatur: mox etiam aliquis palam ex acie servare se oportere dixit, idem & alter manifestiùs, tum alius; atq. alius, omnes Typhonicæ factionis, & muliebris conjurationis socij: postremæ omnium in occursum euntes fabulæ totius artifices, ac machinatrices mulieres colophonem imposuerunt: Et Typho ipse, quasi alterius negotij gerendi causa, civitate digressus clam illum conveniens de imperio paciscitur, hortatur ut rem è vestigio aggrediatur seque, vel si una cum Osiride regia civitas profliganda sit, ultrò condonare, reliquam sibi Ægyptum satis esse: unaque (ait) ut satellites tuos populata, & vastata fœlicissima civitate, communique eorum, quæ in Ægypto præclara sunt domicilio, ditare possis. Et illam quidem optimus Typho, præ civium odio, barbaro homini propinabat, quod Osiridem omnes singulari benevolentia prosequerẽtur: verum Scytha facturum se id negat: sibi enim & augustissimum Senatum, & modestissimam plebem, & civiles magistratus religioni esse, neque sponte se in Osiridem, sed necessitate compelli, illo ipso scilicet cogente: quod si urbe servata, incolumi, ac salva regione in suam potestatem venerit, id in lucro deputaturum se esse dixit: si nulla præterea gravioris mali necessitas adferatur.

Cæterum fabula ipsa in enarrandis Osiridis incommodis haud libenter immoraturam se profitetur, nec enim humanum esse tristi ac molestæ narrationi quenquam diutius insistere. Ex illo tamen tẽpore sacrarum lacrymarum atri, & nefasti dies celebrantur, iisque,

quibus fas est spectaculo interesse, motas atq; agitatas eorum imagines inspiciunt. At illud memoratu dignum, profanisque auribus permissum ait: Osiridem sese pro patria, pro sacris, pro legibus iis commisisse, qui se, in quamprimum dederetur, cuncta profligaturos comminabantur, navigioq; fluvium trajecisse, & præsidiis statim alicubi, seu terrarum, seu maris custoditum esse, deq; eius capite habitam à barbaris concionem; in qua quidem Typho quàm citissimè eum interfici postulabat; barbari verò, quamvis illatam sibi ab eo injuriam crederent, virtutis tamen reverentia id reprehensione minimè cariturum esse judicarunt, exilioq; mulctarunt, quanquam & hoc ipsis pudori fuit, nec tam exilium, quã secessum esse voluerunt: bona autem, fortunasque, quantumvis à Typhone offerrentur, exuli concesserunt, & ab iis perinde ut à sacris rebus abstinuerunt: ita ille diis, ac bonis Heroibus comitantibus, profectus est, certis postmodum temporibus ab exilio revocandus. Nam deteriora quæque apud Ægyptios prævalere, omniaque tam citò perturbari & cõsternari fas nõ erat, quandiu sacer & divinus animus in his sedibus versaretur: ut enim fieri ita liceret subinde ab ipso exordio pravi illum dæmones adorti sunt, quorum propria hæc sunt officia, quibus ministrum sese præbens is, quem & pridem in lucem ediderant, & nuperrimè ad tyrannidem evexerant, variis illos miseriis, atq; incommodis exercebat.

Tributa jampridem multiplicia civitatibus imperata; nomina aut conficta, quæ nunquam fuerant, aut inducta jam, & obliterata rescribebantur; qui in aquis vitam exerceret, eadem cum continentis habitatoribus pendere cogebatur; mediterraneis cõtrà navigia imperabantur, ne quis in tanta pernicie calamitatis expers inveniri posset. Hæc ex malis præcipuè publica, quibus & aliud communius; Legatos, & provinciarum prȩfectos publicè venundatis civitatibus, acceptoque pretio dimittebat, qui quidem conductâ provinciæ alicujus præfectura, vel si quis adolescens esset, pacta in annum locatione, hoc ipso etiam profusissimæ senectutis subsidia sibi comparanda esse ducebat: unum enim & illud ex iis fuit, quæ regnante Typhone perpetrabantur: per tabulas concepta stipulatione imperij tempus excipiebatur, si quis pecuniam repræsentasset: cum tamen prius ei, quod nequitiæ insimularetur, imperium abrogaretur: hic in virtutis præmium augustius aliquod dignitatis fastigium, & imperium in plures, & admensum gerendi magistratus tempus sortiretur. Quamobrẽ in luctu deinceps ubique omnes, & dolore versabantur, cùm sua quisq; infortunia recẽsere posset: populatim ac per curias omni malorum genere divexabantur: ita ut eadem ex omni Ægypto in cœlum voce sublata publici planctus clamor exaudiretur: & iam deos ipsos gentis hujus miserebat, seseque ad vindictam accingebant: Sed id non prius aggredi visum est, quam evidentior esset mutua vitij cum virtute collatio, ut hi etiam, qui tenuissima animi, sensusq; cognitione præditi sunt, quid melius, quid peius dijudicare, illud amplecti, hoc declinare possent. Quocirca Typho Osiridis imperium ex hominum memoria funditus evellere, atq; abolere conatus est, idq; cum plurimis aliis, tum hac potissimum via contendebat: quæ de causis antea lata erant judicia, nulla, atq; irrita faciebat, damnatumq; judicio vincere oportebat, legatis contra quã data essent responsa decernebat: ex quibus hostes ij erant, qui à divina illa lingua nonnihil utilitatis essent consequuti, quos cum civitate sua, ac genere ipso quamplurimis calamitatibus affici oportebat: duplici tamẽ desperatis jam rebus arte succurrebatur, si quis aut uxori pecunias obtulisset: hæc autem velut in prostibulo, palam sedebat, ad corporis voluptates, obeundaque negotia meretricum, & lenarum opera utens, forumque illud, quod ab Ægyptiis hactenus judiciarium appellabatur judiciorum mercatum efficiens, qui cum ea collocutus esset, mitiorem Typhonis animum experiebatur; Cũ enim cicurem se alioqui mulieribus, ac tractabilem præberet, tum quod regnum ab iis partum esset, magno se beneficio devinctum arbitrabatur: Vna hæc expediendæ difficultatis ratio iis, qui iniquo eo, & perdifficili uterentur. Altera vero effugiendi ratio, si quis quẽpiam, ex diro illo sceleratorum hominum coetu, Typhonis contubernalem adiisset (hi porrò magni, & fœlices dicebantur miseri atque adulterini homunciones) ad eos ergo cum quis accessisset, probrosum in Osiridem convitium jactandum erat, scita quadam urbanitate conditum: quod ab iis fiebat, qui nullam virtutis curam habebant, nec turpe putabant lucrum ex quavis occasione captare; Statim itaque fortunæ conditio, ut & animus immutabatur: Etenim in Tyrannicas ædes istud dicterium irrumpebat, & in mensa ultrò citroque traducebatur.

Ergo ad gratiam obsequiosè loquentibus mutua officia rependebat. fecit hoc unus, & alter, qui ex eo quidem nonnihil emolumenti reportabant, sed diis tamen, probisque hominibus infensos se esse, non dubitabant: maxima verò pars invicta animi patientia sustinebat. Atque unus ex his rigidus cæteroquin, & gravissimus, sed præ philosophiæ tamen studio subrusticis, & incultis moribus, & à civili hominum consuetudine alienissimis, cum plurimis ab Osiride beneficiis ut & cæteri mortales, affectus esset, immunitatemque sibi, patriȩ tributorum remissionem impetrasset, infinitis propemodum hominibus hinc carmine hinc oratione scripta, Osiridis præconia celebrantibus, ac coram ipso, gratiæ habendæ causa, recitantibus, ille non minus quidem, quam alij grato, atque benigno animo erat, & eo magis quo majorem eius faciendi facultatem habebat, multa scribere, ac commentari solebat, Doriosq; modos, quibus solis morum, ac verborum gravitatem inesse crederet, ad Lyram cõcinebat, non tamen in vulgus edebat: sed si quæ aures marium, & virilium sermonum peritissimæ titillari nollent, & ad intima usq; cordis penetralia tritæ essent, iis quæ commentatus fuerat, concredebat: Osiridem autem norat eiusmodi Acroamatum quæ divina essent, aut ætatem ferrent, accuratissimum judicem: verum coram ipso, & de ipso quicquam dicere recusabat, partim quod non æquam beneficiorum remunerationem oratione fieri persuasum habebat, partim quia ob insitam sibi rusticitatem adulationis suspicionem verebatur. At postquam Typho vi, & armis Ægyptiorum tyrannidem invasit, tum ille quidem longè agrestior, atq; ineptior visus est: tunc enim sua in publicum prodere, tunc scripta à se carmina recitare cœpit, cunctis ad auditum horrore percussis: sed enim impiè facturum se existimabat, si eos apertè non insectaretur, qui benefactorẽ suum indignè crudeliterque tractassent. Typhonem igitur execratissimis diris, & ultimi exempli imprecationibus scripto, ac sermone devovebat, domique, & in foro loquacissimus erat, cui silentium antea crimini vertebatur: omni in sermone, omni in conventu, cœtuq. hominum cui interesset, Osiridis laudes prædicabat, reluctantes etiam, atq. invitos crebris eiusmodi narrationibus obtundebat, neque senum, aut amicorum monita flectere, neque metus ipsum à proposito deterrere potuerunt, sed libero homine digno furore insanire videbatur: nec prius abstitit, quam ad Typhonem lectis ex omni civitate optimis quibusq. stipatum propius accedens, coram de fratris laudibus copiosè perorasset, monuissetque ut eius virtutem æmularetur, quo cum arctissima necessitate conjungebatur.

Ille autem protinus excandescens, manifesteque sæviens, eorum qui considerant verecundia motus manus ægrè continuit, sibique ex necessitate temperavit: ita tamen ut ex ipso vultu, variis hinc inde perturbationibus æstuantis animi indicia colligerentur, adeò in tã brevi spatio mira in eo fuit colorum alternatio. Ab eo itaque tempore Typhoni factus est inimicior, peioreque in dies successu, non modo ea quæ ab Osiride collata erant, omnia dilabi cœperunt, verum & alia prȩterea à Typhone scelera adijciebantur. Nam quarum ille civitatum patrocinium susceperat, easdem pessimè infestabat, privatimq. ipsi malum consciscebat, ne unquam sese domum reciperet, sed ibi, ubi erat perpetuò manens de aliorum, quos oderat, fœlicitate ingemisceret. Inter hæc incommoda versantem peregrinum deorum aliquis conspicuè apparens sua præsentia confirmavit, bonoq. animo esse jussit, nec enim annos, sed menses fatorum necessitate prȩfinitos esse dixit, quibus exactis Ægyptiorum sceptra ferarum quidem ungues sursum attollent, sacrarum vero avium rostra demittent: arcanum quoddam, secretumque symbolum, quam quidem picturam Obeliscis, sacrisq. templorum septis insculptam cum peregrinus non ignoraret; tum ei sacra hæc figuris exculpta monimenta Deus enarravit, temporisq. signum addidit: Cum (inquit) sacrorum nostrorum ritum innovare cœperint ij, penes quos summa est regni potestas, tum demum haud multo post tempore Gigantas istos (barbaros, & peregrinos intelligebat) propriis furiis agitatos procul hinc abscessuros sperato: quod si quicquam ex ea seditione supersit, neq. tota simul extinguatur, & in regia etiamnum Typho perseveret, non est tamen quod de deorum auxilio diffidas: aliud tibi symbolum habeto. Postquam terræ circumfusum aërem impiorum halitu, ac respiratione coinquinatum, aqua, flammisque repurgaverimus: tunc cæteros sua quemq. pœna sequetur, statimq. eiecto Typhone, meliorem rerum dispositionem, & ordinationem expectato, eiusmodi enim portenta flammis, ac fulminibus expiamus. Quæ cùm audijsset peregrinus, deinceps fœlix id ei beatumque esse visum est, quod hactenus molestum erat, illamque ipsam manendi necessitatem impatienter ferre destitit, per quã adventantium deorum spectaculo interesse debebat: fidem enim istud omnẽ humanæ conjecturæ superabat, stipatam armatorum manum, & pacis etiam tempore arma ferre consuetam, nullo invadente profligari. Hæc ille quidem, quî evenire possent, secũ reputabat, sed nulla id cogitatio assequi posse videbatur: verùm non multo postmodum elapso tempore, cum pessimum quoddã superstitionis genus, adulteratosq. numismatis instar sacrorum ritus (quibus veteri instituto civitatibus interdictum est, ut impietas omnis proculcaretur) non ipse quidem per sese Typho introduxisset, plebem Ægyptiorũ veritus, sed per barbaros violenter id agere conaretur, templumque iisdem eversis patriis legibus, in civitate decerneret, tum denique peregrinus Dei hanc esse prædictionem in animum induxit: & forsan (inquiebat) cætera intueri dabitur, ac eos eventus præstolabatur, quos partim subinde circa Osiridis tempora, partim in aliud tempus futuros didicerat, tunc scilicet cum Horus filius Lupum potius quam Leonem belli sibi socium adsciverit: Lupi vero nomen quid sibi velit, arcani, sacrique sermonis est, quem ne in fabulis quidem specie fas est in vulgus efferre.

SECTIO SECVNDA.

Exin secuta deorum prodigia; quandoquidem malis ubicumque omnibus plena erant omnia, ipsaq. jam erat de providentia penitus ex animis hominũ sublata sententia, cùm sceleratissimam opinionem quotidiana eorum quæ videbantur, experimenta comprobarent. Nullum quippe ex humanis rebus subsidium usquam apparebat, barbaris perinde ut in castris stativa intra civitatem habentib. Porrò illorum dux noctu terroribus exagitabatur, Corybantibus, ut opinor, ipsum incessentibus, interdiuque passim per exercitum tumultuabantur: idque cum sæpius accidisset, mente alienatos, ac instabiles eos reddidit;

Oberrabant itaque sigillatim, cõfertim que omnes, lymphatorum haud dissimiles, nunc stricto ense in bellum ingenti animi ardore cõcitati, nunc lugubri, ac flebili voce exitium deprecãtes, rursúmq; prosilientes, modò fugere, modò insequi videbantur, quasi occulta aliqua in civitate factione resisteretur: verùm ibidem neq; arma ulla erant, neq; qui iis uteretur inveniri poterat, omnesq́; tanquam paratissima præda barbaris erant à Typhone dediti.

Atque istud sanè manifestissimum est vel munitissimis, atq; instructissimis hominibus, nisi frustra sibi parata ista esse velint, deorum auxilio opus esse, neque aliunde victoriam comparari posse: ex eo tamen, ꝙ æquum sit ab eo, qui paratiora habuerit omnia eos superari, qui insubide & inconsideratè de summa rerum decernũt, non desunt qui principi illi causæ suũ in ea re meritũ detrahãt: quoties n. quod in nobis fuit consummatè præstitimus, supervacuum Dei auxilium arbitramur, ut de jure sit ei victoriæ contendendum: cùm a. nullius intercessione peracta res est, ipsaq; facti ratio soli illi secretiori causæ accepta ferenda; tum demum nihil aliud q̃ eorum, qui deos mortalia curare negant convincendorum argumentum habemus non sermone sed reipsa evidentissimum: cujusmodi & illud fuit.

Audacissimi homines, victores, loricati, quorum studiũ omne, ludusq́; nihil aliud fuit, quam belli assidua exercitatio, equites instructo agmine in forũ ventitantes, & ad buccinam manipulatim prodeũtes (nam si quis propola aut sutore opus haberet, aut ensem detergere, vellet, ad uniuscujusq; negotium exequendum cæteri satellitum more fungebantur, ut ne vel per vicos, etiam acies distraheretur) hi inquam nudos, inermes, quorum ne in voto quidẽ erat victoria, concitatè fugientes signo dato, civitate sese subducebant; liberos, uxores, aut quod quisq; charissimum haberet, furtim rapientes, quasi AEgyptiorum uxores palam abducere, atq; in servitutem agere non possent: quos cùm sarcinas colligere, & convasare plebs vidisset, neq; rem uti se habebat, intelligeret, multò utiq; magis desperare cœpit. Alii ergo occlusis foribus in domum se abdere, ibidemq; incendiũ expectare: alii ferro potius, quàm igni delecto, leviora mortis instrumenta cõparare, non ut tentarent quicquam, sed ut sese dum opus foret jugulãdos præberent: alii navigationem aggredi, insulas, oppida, urbesq́; dissitas animo repetere, tũc n. nulla non regio amplissima Thebarum civitate, in qua AEgyptiorum regia erat, tutior videbatur: ut a. vix tandem à diis paulatimq́; ad fidem his quæ gerebantur adhibendam inducti sunt, tum demum confirmatis animis, dum saluti consulunt, ejusmodi quippiam incredibile ab his auditum est.

Muliercula quædã paupertate, annisque confectissima ad transversam civitatis portam infœlici, sed planè necessaria, porrectis, si quis obolum injiceret, manibus, quæstum faciebat: ac primo quidẽ diluculo ad circulatoriam cathedram sese conferebat: (vitæ siquidem egestas, atq; inopia ad defraudandam somno naturam efficacissima est) inibique sedens quod cõsentaneum est agebat: ad opus festinantes fausta boni ominis precatione prosequebatur, fœlicemq́ue hujus diei eventum prædicebat, & conceptis votis propitium numinis favorem pollicebatur: eminus itaque idipsum, quod à Scythis fiebat intuita (lucescebat enim jam tum, nec ullum isti latronum instar excurrendo irrumpendoq; convasandi modum faciebant) subinde ei in animum incidit summam hanc esse Thebarum diem. Hoc. n. ab ijs eò fieri, quo nullum in civitate pignus relinquatur: atq; ita quam citò secesserint, dãni illius securos, quod ex suorum, eorumq; quos populari vellent, contubernio sibi consciscere solebat possent, facinus aggressuros: quare poculũ istud, quo ęrusca re evertens, gravissimeque cum gemitu conquerens ac deorum hominumque fidẽ implorans: At vos (inquit) patrijs finib. extorres vagosque AEgyptus tanquam supplices excipiens non modo supplicum duntaxat more non tractavit, sed & civitate, ac magistratibus donavit, & postremo rerum dominos fecit, ut nonnulli ex AEgyptijs Scytharũ more degere instituerint, uberrimum nacti ex ea simulatione compendium; ita major vestris, quam domesticis institutis honor habetur. Sed quorsum ista? Cur has sedes deseritis? cur sarcinas componitis ac convehitis: Non de his ex ingratitudine itidem à dijs adversus benefactores judicium fertur: nam & sunt, &, vel, post Thebarum excidum venient aliquando.

Hæc cum dixisset pronã se in humũ dejecit: Ad hæc Scytha quidã educto gladio mulieris caput amputaturus irruit, quam cõvitiis incessere, & nocturnum opus prodere suspicabatur: Clã. n. ista etiãnum fieri existimabat, quod nemo ex ijs qui senserant, indicare ausus esset: Et illa quidem ferro ocyus absumenda erat: Sed sive Deus aliquis, sive Deo quam simillimus intervenit in hominis certè speciem apparebat, qui id indigne ferre visus, Scythamque in sese cõvertẽs, irruẽtem sustinuit atque ictu occupato cęsum humi prostravit: hinc alter in eũ Scytha & confestim idem perpessus est, clamor deinde, & hominum concursus, hinc barbarorum, qui veterina, & sarcinaria jumẽta, q̃ in ipso exitu tẽpus anteverterat relinquebãt, ipsi a. mox egressuri, aut aliquantũ jam progressi. nã, ut suis quam citissime suppetias irent, gradum referebant, illinc vero populi turba frequens, quorum hic cæsus occumbit, ille Scytham obtruncat, & hunc rursum Scytha alius, ac utrimque semper aut ab alio sternebatur aliquis, aut aliũ interimebat: populus enim, quicquid in manus venisset, eo, tanquã tumultuarijs armis, utebatur: Sed & vel cęsorum corpora spoliãti, vel vivis eripienti, gladiorum copia, fiebat, multitudine verò longè erat barbaris superior, quoniam alij quam longissimè à civitate castra posuerãt, quo minus sibi timoris ab eo agmine esset, quod specie tenus Deus in eos commoverat, ut, quam in sua potestate civitaté haberent, missam facerent. reliqui verò numero civib. inferiores tota urbe impedimenta curabant, ne quid in ea relinqueretur: Plures igitur cum paucioríb. pro re nata congrediebantur, tam ijs scilicet, qui ad portas pervenerant, quàm qui ex urbe perpetuò ad egressum confluebant: clamorque jamincrebrescebat, & deorum potestas tum clarissime innotuit.

Nam postquam in universam civitatem, quantaquãta erat, & in barbarorum exercitum tumultuationis fama propagata est, utriq; jampridem aliorum impressionem metuentes, civium quidẽ unusquisque statam, solemnemque AEgypto hanc esse diem arbitrati, in qua barbari pudorem omnem ex compacto deponerent, priusquã oppeterẽt, strenui aliquid patrare, virtutémque sepulturæ loco habere apud se statuebant, quando salutis tuendæ ne Deus ipse quidẽ satis idoneus sponsor esse videbatur Ergò ubi major tumultus erat, eò se violẽter protrudebant, idque in lucro ponebant, si relictis adhuc testibus belli discrimen subirent: Barbari a. raptim seipsos subduxerant, & deprehensos se esse rati, spretis ijs quos in urbe interceptos reliquerant, (quanquam quinta hæc ferme pars exercitus erat) ipsi sibiipsis metuentes, ne ab hostib. invaderentur, in fugam se conjiciunt, longeque à civitate castra cõstituunt, gratum id in primis ducẽtes, quod cum de toto exercitu periclitaturi essent, maxima parte incolumes evasissent. Eorum vero qui in urbe relicti erãt, nonnulli in civium adhuc ædib. versantes, quod jamdudum divinitus perculsi Scythas ab AEgyptiis grave quidpiã perpessuros suspicarentur, in eos qui eruperant, tanquam in fugitivos, incursionẽ factam, statimq; diripienda esse castra persuasum habebant: sibi itaque suo loco manẽtes probè consulturos putabãt, si positis armis supplices cõsiderent, hoc n. pacto fidem facturos sese solos ideo remansisse, quod nullum AEgyptiis malum intulissent, illos vero dignam suorum scelerum mercedem veritos urbe decessisse. Quamobrem soli ij qui ad portas occurrebant, circa quos summa discriminis erat, rei veritatem perspectã habebant, nullas AEgyptiis cõfertas vires, neque instructas esse copias, non armatos, nõ arma, nõ jaculatores, nõ jacula: iidéque pro tẽporis occasione consilium capiunt, ut vi si possent, occupatis civitatis portis palantes, ac temerè in terrorem actos revocarent: Ita enim universam, nidi instar civitatem nullo negotio direptum, ac subversum iri.

Gravissimo ergo circa eas cõmisso prælio Aegyptij victoriã reportarũt: cujus nomine Pæana celebrãtib. novus tam ijs qui intra, q̃ qui extra civitaté erãt, Barbaris terror addebatur, confectam. n. Aegyptijs rem omnẽ illi adversus hos, hi adversus illos esse credebant, mutuoque sese invicẽ luctu prosequebantur: Interim vix singulis portis januas singulas obdere victor occuparat (est a. non leve istud Thebis negotium, quarum centum portę Græcorum carminib. celebrantur) cum unus ex iis qui certamini ei, quod ad portas commissum erat, interfuerat, seque mediis ex armis, ut hoc ipsum renũciaret, eripuerat, certiores ea de re Scythas facit, urbemque in suam ditionem redacturos pollicetur: atque ij eodem tempore laudata, damnataque fortuna nequicquã aderant: hactenus enim quasi extra retia constituti mirum sibi in modum gratulabantur: postea verò ut urbem ipsam denuò invaderẽt vel muri partem aliquã disijci etiam atque etiam optassent. usq; adeò immensa & admiranda Dei sapientia est: nec arma ullà fortia, nec animus quisquam solers aut industrius est, quæ Dei auxilio fuerint destituta, cum in nonnullorum perniciem suum ipsum consiliũ, atque imperatoria calliditas sæpe cesserit. ut mihi præclarè id dictũ videatur; homines Dei ludibrium esse, eundemq; reb. humanis, perinde ac alea lusitare, idque cũ primus ex Græcis Homerus animadvertisset in Patrocli exequiis ludos institutos, variaque cuiuscunque certaminis præmia proposita finxisse, in quibus de quorum victoria major omniũ erat expectatio, eorum semper inferior est conditio. Teucer ab ignobili sagittatore superatur, Et

Optimus extremo bijugos agit ordine currus.

Iuvenis verò à sene pedum pernicitate vincitur, Ajaxq́ue in gravi armorũ certamine reprehẽsione nõ caret; atqui eundẽ ipse eorũ omniũ qui ad Trojanam expeditionẽ profecti sunt uno excepto Achille, longè fortissimum fuisse prædicat verùm arte (inquit) exercitatione, ætate, ingenioque præstare si cum divino numine conferas, aut nullius aut exigui momenti est.

Sed ut ad Aegyptios redeamus, simul atque ij portas manifestè tenuerunt, murosq́ue inter se atque hostes medios habuerũt, in eos q̃ relicti erant, partito agmine, omnem impetũ cõvertere, una quamplurimos cædere, jaculari, cæsim, punctimque ferire, ad munitiora loca cõfugiẽtes cũ ipsis templis, ipsis sacerdotib. tanquã vespas incẽdere, nequicquã quiritãte, ac vociferãte Typhone, quãdo is Scytharũ religioni addictus erat, ad eosq; legatos de pace mittẽdos esse censebat, ac postremò suos omnes conatus eò referebat, ut Barbarorũ copiæ rursus in civitatẽ irrũmperẽt, quasi nõ atrocissimũ ei quoddã antea malũ inflictũ esset. At verò plebs spõte sua nulloq́ue duce passim ferebatur, præterquã ꝙ dijs ipsis juvantib. sibi quisque ducis, ac militis, manipuli ductoris, ac manipularis instar erat. Quid a. volẽte Deo, & animos hominũ ad tuendã, & omni ope cõservãdã salutẽ subito impetu, & acerrimis stimulis cõcitãte fieri nequeat?

Neque jã ergo urbis portas Typhonis arbitrio permittebant, &

ipsa demum tyrānis quasi exanimis marcescebat, cùm id unde primū illa conflata erat urbe esset ejectum: prima utiq; cōcione apud summū sacerdoté coacta, sacer ignis accensus supplicationesq; partim ob ea, quæ gesta essent, gratulatoriæ, partim eorū quæ mox agenda erant imperatoriæ, diis habitæ sunt. Deinde Osiridem, quo nulla antea certior rerum salus, quāprimū dari sibi postulabāt, qué quidem diis faventibus, Sacerdos pollicitus est, unaque cum eo si quem suus in Osiridé favor in exiliū relegasset. Typhoné porrò visum est per aliquod tempus tolerari, ac decipi oportere, is a. quod nō subinde ꝑ suis virtutib. ornatus esset (æquū a. erat ut qui AEgyptios potissimum in Scytharum servituté redegerat, is tanquā belli expiandi victima mactaretur) quod inquā ejus ulciscendi tēpus justitia prorogasset, prudentissima quidé illa, ac dispésandæ occasionis peritissima, diis sese impunè prorsus illusuru sperabat, cumq; tyrānidis adhuc habitum sustineret, pecunias multo turpiùs, atq; exactiùs cogebat, adeoq; ut iterū vel à servis corrogaret, nunc quidé ingens quoddam malum quoad posset inflicturum se esse minitans, nunc humilis rursum & lugubri oratione ad misericordiam commovens; Ne (inquit) tyrannide excidam.

Tanta profecto amētia, & stoliditate fuit, adeoq; eum animi superbia excæcarat, ut adulatione, & pecuniis fucū se sacerdoti facturum speraret, verum nefas illi erat patriis legib. opes ac divitias anteferre, quinetiā Barbaros motis castris effusè domum proficiscétes proculq; à Thebis remotos, nuntiis, supplicationib. & munerib. reduxit, nec quicquā aliud facta ejus consiliaq; omnia, quàm Barbaris rursum propinandas esse Aegyptiorum res apertissimè prædicabāt: eratq; perspicuum illud amicissimorum Scytharū præsidio fretum, securum, & ab omni timore vacuum esse; aut si minus istud, & libenter ijsdé uti, ne eo vivente Osiris ab exilio revocatus rerū denuò potiretur: quocirca Barbaris manifestè non ad immutandam, quod prius susceperant, sed ad evertendam funditus rempublicam, Scythicoq; more administrandam: exercitum admoventibus, cum (ut uno verbo dicam) instructa civium multitudo ea quæ utroque malo, bello inquam ac seditione, difficillima sunt experiretur: ex seditione quidem domesticam deditioné ac proditionem, quæ in bello minus reperiri solent. Ex bello a. quod commune id omnib. esset periculum: quoniam seditiones ipsæ publicæ alioqui saluti cōsulentes principatū duntaxat ab his qui eum possident, in alios trāsferre conantur: tunc a. quæ utrinque deteriora sunt in unum coaluerant. Aegyptiorum sanè nemo fuit, cui non tyrannus indigna moliri, & patrare videretur: idque vel nequissimi homines judicabant, quos communis metus in officio continebat, quod ipsum dii expectandum statuerant, ut ne ullum contrariæ factionis fomentum clam in Republ. aleretur, quod etsi justa, at verisimili saltem mali excusatione non careret.

Tandem itaque deorum, senumq; concilium in Typhonem coactū est, detectaq; ea, quorum jampridem sigillatim rumor in vulgus spargebatur: fœminæ scilicet utriusq; linguæ peritissimæ, quæ sua invicem consilia ignorantib. aperiebant, hinc Aegyptia Barbaræ, illinc altera alterius sensum, atq; intellectum enarrantes, mollesq; insuper & utrumque sexum ementiti, ac delatores, omnes ex eorum numero, quos adversus Osiridem Typho cum uxore subornarat, quorum nuper ad tentanda gravissimma sceleris argumenta opera interposita fuerat, opportunorumq; locorum occupationem dedente illo, & ipsam tantùm non obsidionem admovente, ut difficillimis undique malis sacra civitas circumveniretur: summoque prætereaid studio tétatum, ut in aliam fluminis ripam Scythæ trajicerentur, ne dimidia tantùm parte AEgyptiæ res pessimè se haberent, sed ut omnibus undique expugnatis, nullum quærendi Osiridis otium superesset, hæc cùm manifestis indiciis deprehensa essent, uno ille hominū consensu carcere damnatus est, statutumq; ut quid eum pœnarum lueret aut pendere oporteat, alio judicio decideretur. Dij verò iis qui aderant adsessorib. laudatis, quòd digna in eum animadvertissent, ipsi Typhonem simulatq; vita excesserit cruciatib. tradendum, atq; in Cocytum deturbandum, demumque diris pœnarum vindicibus, ac Tartareorum dæmonum post Titanas, & Gigantas adscribendum communi suffragio sciscunt, ut Elysios campos ne per somnium quidem videre possit: sed ægrè tandem aliquando emergens sacrum lumen inspiciat piarum mentiū, & fœlicissimorum deorum spectaculum.

Atque hæc de Typhone hactenus, profana quippe omnia, ejusmodi quæ tutò efferri possint: Quid enim in hac terrestri natura sacrum aut arcanū inveniri queat? At Osiridis historia sacris sermonibus, mysteriisque celebris est, ita ut periculosum sit ullis eam monimentis, & narrationib. commendari. Nam quod ad ortum illius, educationem, prima rudimenta, disciplinas, & sanctiores magistratus attinet. quoque modo in deorum, ac divinorum hominum comitiis ad summum imperii fastigium evectus sit, & idipsum sit assecutus, utque conflata in eū conjuratio est, quandiu illa perseveraverit, nec omnino evicerit, hæc inquam & memoratu haud indigna sunt, & à nobis antea tradita. Quibus & hoc addamus: viro planè fœlici non inutile fuisse exilium: toto namque illo tempore augustissimis cœlestium numinum sacris initiatus est, & eadem inspexit, & abdicata Reipublicæ cura, animum ad contemplationé appulit. Dicamus & sacrum illius reditum, coronamque plebem, ut unà cùm diis exulem reduceret, solemnique pompa precederet, universam continentem in occursum peragrantem, pernoctationemque, & facularum gestationē, & magistratuum distributionē, & anni ab eo denominationem, & inimicissimo fratri condonatū crimen, quem ab infensissima plebe deprecatus est, deosq; ut illum servarent rogavit, benigniorem sese multo, quàm justioré præbens.

Hactenus Osiridis mentionem fecisse audeamus. deinceps verò linguis favendum nescio quis ait, qui de sacris rebus cautè ac circumspectè loquitur. Quæ postmodum sequuntur, & mentis, & linguæ fuerit audacioris enarrare, quæ per me arcana, ac monimentis intacta sileantur: ne

> —— *Ad quæ fas non est lumina flectat,*

Tam enim is qui prodiderit, quàm qui viderit numinis indignationem incurrit. Ac Bœotios fama est, eum qui insubidè insiliens Bacchi Orgia inspexerit, protinus discerpere: ignoratio siquidem sactis addit authoritatem: propterea que nocti mysteria cōmittuntur, & inaccessæ speluncæ fodiuntur, tempora locaque explorātur abditis, & secretorib. sacris occultandis accommodatiora: forsitan tamen illud tantum fas dixisse fuerit: & ita dicimus, ut quæ profana non sunt, quoad fieri poterit obducātur: Chridem nimirum senem, quàm juvené plus gloriæ ac splendoris obtinuisse, idque à diis præmium consecutum, ut reipubl. majorib. auspiciis, & signis præesset, præstantiorque & divinior videretur, quàm ut eum homines ullis incommodis afficere possent: atque ita quam fœlicitatem Aegyptijs ab se collatam Typhonis imperio exoletam atque evanidā offendit non modo restauratam, sed luculentioribus incrementis cum priori incomparabilem reddidit, adeò ut illa futuræ duntaxat initium videretur, solaque ejus repromissio, quòd à Græcis vatibus sæpius decantatum fuit, fuisse olim tempus, cùm virgo ea, quæ nūc sidus est, quàm ut opinor, Iustitiam appellant,

> —— *Terrestribus esset in oris*
> *Conspectusq; hominum fugiens, non illa virile,*
> *Non muliebre genus veterum fugiebat avorum,*
> *Sed passim sedes, quanquam immortalis, habebat:*

hominumque contubernio utebatur

> *Tempore non illo quisquam anxia jurgia norat,*
> *Infestasve fori lites, nec tristia bella:*
> *Vivebant pariter: longè tunc abfuit æquor*
> *Nec procul infidæ victum advexere carinæ:*
> *Sed juga, conjunctiq; boves simul alma virorum*
> *Iustitia, atque plenè dedit omnia virtus.*
> *Hoc erat, in terris, donec fuit aurea proles.*

Quandiu (inquit) nullum cum mari commercium habuerunt, aurei fuere homines, deorumq; consortio potiti sunt: simul verò navigia invecta sunt, operosiusque in eorum usum vita hominum incubuit, adeò se justitia ex hominū societate subduxit, ut vix, ac ne vix quidem serena nocte pervideri possit: Et si quādo perspiciatur, spicam non temonem prætendat, vel nunc fortè lapsura præsensq; cum hominib. congressura, si desita navigatione agricolationi strenuam operam navemus. Sanè quæ de ea à Poetis canuntur, non alio tempore, quàm sub gloriosissimo illo Osiridis imperio contigerunt: Etsi verò dij haud ita subitò ab exilio revocantes cuncta in illius potestatem redegerunt, nihil tamen propterea faciamus. Neque n. ut in pejus, ita in melius subitam mutationem capere Rerūpublicarum natura potest; nam quod ad nequitiam attinet per se illa, ac nullo docente facilè addiscitur, virtus non nisi cùm labore comparatur: idcirco præire oportuit, qui in rempubl. repurgarent, deumque pedetentim atque ordine quodam progredi: Osiridem verò priusquam quiete otioque frueretur, & multa videre, & audire quamplurima, quoniam pleraque regijs auribus celantur.

Verum cavendū jā est, ne quid minimè pervulgandum enuntiemus: & nobis quidem eorum quę antea dicta sunt, causa sacra propitia sint: quæ a. in fratre, & accidisse olim & accidere impræsentiarum didicimus, admiratione prorsus, & consideratione digna esse videntur: quid demum causæ sit cur cum singulari quispiam natura alicubi editus est, quæque non mediocri, sed longissimo intervallo melior sit aut deterior cujusmodi est, aut sincera sine vitio virtus, aut vitiū nulla virtutis admixtione temperatū, in ejus semper cōfinio merum id, & ab omni permixtione secretum adnascatur, quod contrarium est, ita ut ex eadem domo duæ tantopere à se invicem dissitæ res prodeāt, unaque ambo hæc germina radice nitantur. Sciscitemur utique à philosophia quæ sit hujus tā admirabilis eventus occasio illa verò nonnihil fortè à poetis mutuata, responsura est: Nimirum, ô homines:

> *Dolia sunt etenim Iovis alto in limine bina:*
> *Hoc cohibet quodcumq; malum est, bona continet illud:*

atque ut plurimū ex æquo, aut minimo saltem æqualitatis discrimine utrumque mixtim deplere ac effundere solet, quo fit ut naturæ apta sit utrorumque proportione temperatio; ubi vero ex utrovis abundantius nonnunquam effuderit, atque ex priori filio summa patri aut felicitas contigerit aut infelicitas, quod reliquum est in alterum uberrimè transfunditur. à Deo n. eorum dispésatore alterius defectus rependitur, quoniam æquale utriusque impédium sit oportet, cùm ab ipso primordio æqualia ex utroque semina hominum generi insita sint, amboque communis naturæ ratione in unum coalescant, quorum si quis alterum antea utcumque separatum absumpserit, purū, atque immixtū quòd superest remanebit.

Hæc nobis si dixerit, nullo negotio persuadebit: quandoquidem ficus suavissimum quidem fructū, foliorum vero, corticis, radicis, caudi-

caudicisq; succū amarissimū experimur. Nā quicquid in arbore deterius est, totum id in his, quæ vesca nō sunt insumēte natura, quod est optimum, idipsum in fructib. putum relictum vid tur: proinde & agricolæ (feramus enim vel vilissimarum rerum similitudinem, dummodo ad veritatis perceptionem operæpretiū faciamus) illi inquam fortè id à natura edocti, fragrantib. fœtida, amaris dulcia solent adserere, ut quodcumque depravati humoris telluri admixtum est, hoc naturæ cognatione ad sese pertrahentia sincerum & probè defecatum humorem halitumque meliorem bonis radicibus relinquant: Estque is areæ repurgandæ modus. Iā verò ex eo sermone (uti apud Geometras una cum alio theoremate corollariū quoddam emergit) consectarium istud colligitur: liberorum majores natu in hominum genere esse nequissimos: Ejusmodi seminū in eadem cognatione solet esse purgatio, quoties divinum numen sinceræ, illiberæque virtutis ortum præparat: unde eo tandem res evadit ut quod propinquissimum alteri videatur, reipsa sit alienissimum: Quod quidem etsi in his qui solitum naturæ ordinē servant rarò eveniat, semimalis inquam illis & ex dimidio tantum bonis in alijs nihilominus, qui naturæ modum excessere, ejusque partes à se invicem discretas sortiti sunt quas illa perplexas, atque inter se permixtas & habere & conferre solet, mirum fuerit, si non eo modo se res habeat.

Verum de his satis multa hac oratione dicta sunt: superest nunc altera ex illius occasione quasi intrusa in hunc sermonem speculatio, ad quam nova consideratione opus est: nam in diversis hominū moribus, atque temporib. eadem sæpe contingere eaque homines in senectute videre, quæ jam olim à pueris aut ex libris didicerant, aut ab avis acceperant, id verò omnium maximè admirabile esse judico; & ne ejusmodi semper sit operæpretiū est, ejus rei causam investigare. Dicamus itaque nonnihil, & ab ipso prius capite rem omnem arcessamus: vereor enim ne non levis ac cuivis pervia sit ista disputatio. Vniversi natura totum quoddam esse creditur suis partib. absolutum, proindeque & concursu earumdem, ac concordia stabilitum; quo enim pacto unum eæ futuræ sunt, nisi naturali nexu quodammodo constringantur? agent igitur patienturque, & in sese mutuo & à se invicem, & earum aliæ agent duntaxat, aliæ patientur, Hisce quasi fundamentis positis, si nos ad propositam disputationem convertamus, meritò eorum quæ hic accidunt rationem causamque beato illi corpori quod in orbem agitur acceptā feremus. Ambo enim quædam sunt huius universi partes mutuoque commercio gaudent. Iam cum ea quæ apud nos est generatio alterius causa sit quę in superiorib. illis locis accidit, inde etiam eorum quæ contingunt, semina ad hæc inferiora delabuntur: Quib. si quis fidem faciente Astronomia istud addiderit, siderum, globorūque quosdam in eandem partem redeuntes esse circuitus, quorum alij simplices, alij compositi, hic partim ex Aegyptiorū, partim ex Græcorum placitis idipsum asseveraverit, consummatāque ex amborum concursu sapientiam assequetur: Ejusmodi autem neutiquā id improbabit iisdem cōversionib. revolutis, eosdem etiam una cū causis effectus reduci posse, vitasque hominum in terris, ortus, educationes, animos, fortunasque cum his qui olim extiterunt eosdem esse posse.

Nemini ergo mirum esse debet, si pervetustam aliquam historiā apud nos reviviscere videamus interdum, viderimusque jam olim quod tunc demum usuvenit, cùm & ea quæ jam antea effloruerūt, & quæ aliis deinceps mensib. efflorescunt, cum his quæ historiarū monimentis produntur omnimodè congruunt, formęque insuper materiæ concretæ cum his ipsis consentaneæ sunt, quæ arcani sermonis sacramento consignantur. Hæc a. qualiacumque tandē sint mihi quidē nefas est enarrare, alius verò aliud conjiciet, hominesq; quib. circum aures sermo ille noster obstrepet futura discendi aviditate certatim Aegyptiorū libris incumbent, indidemq; eam quā nos innuimus similitudinem huc traducent: verùm neque ea ad veritatem sibi invicem consonant, & præterea id intelligant velim, si hoc aggrediantur, impiè, & irreligiosè se esse facturos, dum ea effodiunt, quæ tunc maximè defossa esse atque in occulto haberi par est:

Vitam etenim superi miseris mortalibus abdunt.

Pythagoras Samius sapientē nihil aliud quàm eorū quæ sunt fiūtq; spectatorem esse ait: perinde enim in Mundum ac in sacrum quoddam certamen introductum esse, ut iis quæ ibidē fiunt spectato interesset: hinc igitur quod consentaneū est ratiocinatione ducamus qualisnam compositus ac moderatus spectator esse debeat, an potius quod apertum est, atque omnib. expositum palam dicere oportet: ejusmodi eum esse qui suo in loco expectat, quæ congruo ordine extra Aulæa prodeuntia sigillatim exhibentur: Sin quisquam in Scenam irruperit & (quod in ea re usurpatur) furtivos oculos adjecerit, omnem simul apparatum confertim per Proscenium videre cupiens, adversus hunc à certaminum præsidib. lictores armantur: Et quamvis clam subire possit, nihil tamen perspicui, aut explorati habebit, sed ægrè omnia, cōfuseque, ac indistinctè perlustrabit. Sūt tamen nonnulla quæ in Theatris lex est antea pronūciari, atque aliquem necesse coram prodeuntem ea populo enarrare, quæ paulò post spectaturus est neque is in ea re peccat, quin potius munerario designatori suam operam navat, à quo cuncta prius silentio didicisse oportet, quàm ad publicanda festinet: in quo ne ipsis quidem actorib. certaminis tempus nosse lege conceditur. Sed expectandū est donec prodeundi signum præbeatur: Eodem modo si cui eorū, quæ ad vitam reposita sun: à natura cognitio impertiatur, is enim honorem cultu ac veneratione prosecutus, nihilominus imò etiam multò magis quàm qui nunquam audierit conticescat: qui enim ignorat, conjectura rei veritatem assequi nititur. Quod autem verisimile est, & conjicitur, ulterius progressum incertissimum evadit, de eoque varii sermones instituuntur: veritatis certa cognitio, certus itidem sermo: Et is tamen à sapiente in occulto habebitur, utpote quem à Deo tanquam depositum quoddam accepit, præsertim cum homines eos oderint, qui de divinis rebus disserunt, quē vero Deus ipse Mystam, ac sacris initiatum esse voluerit, ne is ante tempus insiliat, neque sermones subauscultando captet: eos enim oderunt homines qui curiosè nimis perscrutādis sese rebus immiscēt: adde quod neque ejus rei causa æquum est indignari eum, qui paulò post idem consecuturus est: modicum sanè tempus, quod cuique pro merito tribuit, tandemque res ipsæ communia omnibus spectacula, & Acroamata proponuntur. *Postremiq; dies testes* (quod ille ait) *sapientissimi.*

Synesius: Atque ex illo tempore eo tanquam mancipio utitur: quando ne securè quidem in angulis murmurare contra dominū audet, quòd tamen etiam servis licet. At Andronico ne hoc quidē concedit. Nam vecordia fortis quidem nusquam est, pro temporū tamen ratione formidolosa, & temeraria est, hoc est ubique pessima. Egregius Hero pro dignitate quæ ad eum pertinent explicabit. Ita enim ex ipsa cùm hominis nequitia consuetudine, & quotidiana evulsione est affectus, nec non ex iis quas audiit atrocitatibus, & quas perpessus est, ut vix pestifera consuetudine liberatus ægrè admodum speret vitam se esse recuperaturum. *Epist. 79.*

Synesius: Quæ in mundo sunt maleficæ virtutes, etiamsi ex usu divinæ providentiæ sint, cùm in eos animadvertant, qui sint animadversione digni: sunt illæ tamen & invisæ Deo, & execrabiles: Suscitabo enim (inquit) gentem adversum vos, à qua hæc & illa patiemini: ac tandem illos ipsos, contra quos expeditionem agit, vindicaturum sese ait: quoniam accipientes vos non sunt miserti, neque humaniter tractarunt. Et enim sacra ipsa verba memoria non teneo: certò autem asseveraverim alicubi in sacris voluminib. Deū hæc loquentem induci. Neque verò ita quidem dixit, non ita tamē perfecit: Sed Babylonius Rex Hierusalem civitatem demolitus est, Gentem in servitutem redegit. At is ipse nō multò post furore correptus est, divinaque animadversione factū, ut civitas desolaretur, adeò ut fuisse unquam eo in loco civitatem incredibile videretur.

Audendumne igitur ut à Deo percontemur? Quid tu homines adversus delinquentes tui ultores excitas? Cumque divinæ voluntati operam suam collocarint, iisque carnifices extiterint ad quos mittuntur: cùm iis operæ suæ mercedem, ac gratiam rependere oporteret, tūc vel maximè puniuntur. Sed utrumne nobis ad ea quæ interrogamus, responsionem suggerit? Nam cum hic violata divina lege humanum in genus mala derivassent (malefica autem in primis mala: naturæ enim quadam abundantia efficiendi vim habent) sed postquàm mala semel extiterunt, divinæ sapientiæ, & virtutis, & facultatis est, non modo bonum facere (natura enim, ut ita loquar, hæc Dei est: uti ignis calefacere, & luminis collucere) sed illud præcipue, per mala à quibusdam excogitata bonum aliquem, & commodum finem perficere, utiliterque his uti, quæ mala videantur. Est enim solertis hoc sapientiæ, etiam malis ipsis opportune uti.

Quoties itaque pœnarum exactoribus indiget. interdum Locustarum agmini præfectis dæmonibus uteretur, nonnunquam iis quorum munus est pestilentia: & aliàs quidem barbara aliqua natione, aliàs nefario Principe: & ut uno verbo dicā publ. velut administris naturis, quæ ad malefaciendum idoneæ sunt: nihilominus tamen odio eas prosequitur quòd ad id idoneæ reperiantur. Non enim calamitatum instrumenta molitur Deus, sed suapte sponte ad hoc officium accommodatas in promptu habet. Et quoniam tu ad id idoneus redditus es, hoc est, quòd te à Deo penitus abscindit. Ita vas aliud inhonoratum, aliud pretiosum & est & esse creditur. Vnumquodque enim ex eo usu, quem præstat, dijudicatur. Et quidē mensa, sacrum est aliquid per quam Deus honoratur, amicorum, sive hospitum præses. Et Abrahamum in hospites humanitas Dei convivatorem fecit flagellum autem detestandum; iræ enim minister est, & nonnunquam qui eo usus est pœnitentia ducitur. Sed eorum qui puniuntur cura à Deo suscipitur. Non enim non illud exiguum est, divina providentia dignari, atque imposita pœna à sceleribus perpurgari. Pœnarū verò administræ naturæ à Deo sunt prorsus aversæ. Etenim quòd distruendi vim habet conditori haud dubiè repugnat, neque enim ita animo affectus est vindex, sive dæmon, sive homo, quasi munus hoc Deo præstet, sed naturæ malignitati serviens communes calamitates persequitur, itaque non quoniam ærumnis conflictari civitatem oportebat, tua est verò id opera perfectum, ideo meritas pœnas effugies.

Alioqui eadem defensione & Iudas uti poterat: oportebat enim pro peccatis omnium in crucem tolli Christum dominum. Sed oportebat quidem (inquit) væ autem ei, per quem istud fit: & bonū esset huic homini, si non esset natus. Quamobrem, quod quidem videri poterat, proditionem illius suspendium est consecutū. Quod autem videri non potest, nemo cogitatione comprehendere possit. Neque enim id animus hominum capere potest, proditori Christi

quanta

quanta sint supplicia constituta. Nam illud fato ac necessitati prout accidere oportebat, ministrare non admodum scitæ excusationis est. Quare & Ausurianos, & Andronicum, pro eo quod in nos cōmiserunt, par est dignas pœnas exsolvere. Siquidem & locustā quæ fruges nostras vastaverat, quæque ad culmen usque segetes, stirpes ad corticem adederat, depressor ventus attollens, medium in mare præcipitavit.

Atque ei quidem plagæ Austrum Deus opposuit, & adversus Ausurianos aliquis jam ab eo Dux delectus est, qui utinam nobis omnium qui unquam ab eo submissi sunt Ducum religiosissimus sit atque æquissimus. Liceat eum mihi ob reportatum de illis triumphum beatum prędicare. Beatus enim (ait) qui retributionem ipsis. Beatus qui allidet infantes eorum ad petram. Ecquæ ergo tandem pernicies Andronicum provinciæ pestem, atque exitium expectat? Quænam digna malefico animo pœna esse poterit? Andronicus longè cæteris omnibus est molestior. Nam præter cōmunes acerbitates, is præcipuum mihi, ac peculiare malum. Per eum tentator id molitur, ut altaris munus defugiam.

Sed mihi altiùs paulò repetenda oratio est, ut iis quæ comperta vobis sunt ea adjiciens quæ non omnibus comperta sunt, ea vobis ordine exponam quæ mihi contigerunt. Etenim ad ea quæ postea dicturus sum intelligenda optimum erit vos ea à me prius accepisse. Mihi jam inde à puero divinum illud bonum concessum est, otium, vivendique facilitas. id quod divinis ingeniis convenire quidam dixit, idque esse, mentem alere, ac Deo conciliare possidenti illam, eaque perfruenti. Quæcumque ergo pueris inesse aut usuvenire solent, minimùm ego eorum particeps fui, ut & quæ in adolescentulis, & quæ in juvenibus cernuntur. Cumque jam virilem ætatem attigissem, nihil à puerulo quantum ad quietem, & vitæ trāquillitatem disceptavit, sed perinde ut in festiva aliqua celebritate vitam traducens pacatum, ac nullis fluctibus perturbatum animi statum conservavi. Neque tamen ideo me Deus hominibus inutilem fecit, sed plerumque & Privati & Civitates opera mea ad summas opportunitates usi sunt: erat quippe hoc mihi divinitus tributum ut cum ego authoritate plurimum possem, tum honestissima quæque vellem.

Nihil me istarum occupationum à Philosophia sejunxit, neque fœlici otio exemit. Tum demum enim, cum violenter, atque ægre, nec sine labore aliquid facias tempus consumitur, atque infinitis negotiorum molestiis animus immergitur: Cuicunque verò verbotenus aliquid incumbit, ac subinde dicētem persuasio sequitur, estque maxima apud audientes sermonis efficacia, quid est quod voci suæ parcat, ut à miseria quispiam liberetur? Magni est homo pretij animal: magni, inquam, pretii cum pro eo sit Christus in cruce suspensus, sed mihi ut hominibus persuaderem, ad hunc usque annum forsitan divina quadam sorte oblatum est. Forsitan verò quod ægrè me negotiis implicarem, ad exitum perducebam. Nunc cum aliis multis istud quoque indicio convictum videtur, quæ à Deo erant manifeste concessa. At ego inter quę illud ei tribuebam, vivebamque optima cum spe, in mundo velut in religioso quodam septo solutum animal libere degens, oratione, & libris, & venatione vitam distinguens. Etenim ut & animo, & corpori sua sanitas constet partim id laborandum, partim à Deo postulandum est.

In hac vivendi facilitate annos meos usque ad sacerdotii onus transegi, ad quod supra cæteros ante me omnes formidolissimus exciti. Testor præsidem omnium Deum cujus arcana mysteria vestri causa suscepi, citra humanas prensationes atque studia. Ego ad ipsummet Deum multis temporibus ac locis me contuli ac pronus, ac flexis genibus supplex mortem præsacerdotio optabam. Tenebat enim me adversus Philosophiæ tranquillitatem reverentia quædam, atque amor pro qua mihi omnia & agenda & dicenda existimabam: sed postquam hominibus expugnatis à Deo sum superatus, ut communis eorum ferebat fama, qui ad divinam familiaritatem erant evecti, ferebam equidem, sed invitus, ac repugnans illam vivendi insolentiam, jamque fugam agitantem, bonorum spes ac deteriorum metus à proposito revocant. Quin istud de sacris senibus audivi, me à Deo gubernari, & alius quadam in oratione dixit, hilarem esse spiritum sanctum, & sui participes exhilarare, addiditque de me cum Deo contendisse dæmonas, quos in meliorem partem transiens mœrore afficiam. Ac tametsi difficile quidpiam inferant, non tamen (inquit) Philosophus Deo consecratus negligitur. Atque ego quidem, non enim facile insolescere, ac de me magnifice aliquid cogitare soleo. infœlicitatem accusavi: non tamen ob invidiam dæmonis. Neque enim eam mihi virtuté sumo, quę aliorum invidiam movere possit, sed hoc uno magis terrebar, ne cum pœnis ipse obnoxius essem, divina mysteria indigne tractarem; eamque animo calamitatem præsagiebam, in quam pedetentim prolapsus sum.

Verùm huc ego tandem deveni, omniaque genera malorum evenerunt, quoniam omnium suppeditator Andronicus, Martius dæmon calamitatum insatiabilis, patriæ reliquias insectans. Heu heu! toto foro exaudiebatur. Virorum gemitus, mulierum ululatus, puerorum planctus: speciem illi captæ urbis affinxit: cuius pulcherrimam partem eximens, supplicii locum appellári fecit, Regiā porticum, ubi olim jus dicebatur, carnificinam reddens. Hanc ille vindicibus dæmonibus, quorum se numero aggregavit, aram, ac mensam apposuit. O quàm multos ille cives tanquam convivio, lachrymis excepit. Quinā Tauroschythæ! quinam Lacedæmonii tāto per verbera sanguine suam unquam Dianam coluerunt. Omnium illico ad me concursus, undique statim impetebar auditu malorum ac spectaculo, cùm eum admonerem nihil persuasi, cùm increparem, irritavi. Præsens tempus imbecillitatem nostram cōprobavit, quam huc usque Deus homines celaverat. Nam cùm eorum quæ mea opera obtinebantur, honor ad me perveniret, authoritatis, ac potentiæ de me opinionem patriæ præbui. Quod quidē mihi omnium quæ acciderunt longè est molestissimum. De me enim ex eorum qui me ignorant spe judicium fertur. Neque quātumvis nihil posse me dicam, illis persuadeo; quin justa omnia facere posse existimor. Superest itaque ut pudore, ac mœrore suffundar. Subinde in animo commotio, & curarum ac sollicitudinum varietas, & negotiorum imagines, ac species, & longe Deus abscedit. Quare si dæmonum incursus sunt quæ Andronicus molitur, omne quod libitum est fecerunt. Nihil jam de solita in orando suavitate percepi: sed species ipsa quidem orationis est, ego verò per omnes negotiorum partes cogitatione circumferor, ira, dolore, omnique affectuum genere distractus. Quanquam mente ipsa cum Deo versamur. Lingua hominibus quæ ex usu hominum sunt, ministrat. Si igitur id mihi calamitatis accidit, ut inter orandum attētus esse nequeam, in promptu est huius rei experientia.

Verum enimvero ex ea vitæ mutatione non id tantum mali cepi, ut ex mentis evagatione negotiis implicarer, sed cum luctus expers hactenus ad paucos ante hoc tempus dies fuissem, mortuum vidi quem morte prævenire cupiebam. Adeò asperis nos, & molestis honorum initiis civitas affecit. Quandoquidem unà cum ipsis hominibus humanæ res sus deque vertantur, multaque confertim fluxu quodam inferuntur modo prospera, modo adversa. Sed posteaquam contigit ut liberorum mihi carissimum amitterem, parū abfuit quin mihi malum aliquod consciscerem: usque eo dolore correptus fueram. Quamquam cæteris in rebus virili animo esse soleo, apud scientes loquor, multisque in rebus rationi obtempero: sed ita consuetudini cedens, ut hac parte ratio inconsiderantia, ac perturbatione vincatur. Quamobrem neque Philosophiæ præceptis præsentem mœrorem expugnavi: sed contrariam me in partem Andronicus compulit, utique communibus in ærumnis mentem occuparem coegit. Ita mihi calamitates facta sunt calamitatum remedia, dum me ad sese ex adverso protrahunt, ac dolore dolorem repellunt. Igitur unà cum molesto præsentium malorum sensu, præteritorum subit bonorum recordatio, ex quibus in quæ simus prolapsi, & insuavem vitam duco, omnibus eodem tempore spoliatus. Iam quod malorum omnium summum est, quodque desperatam mihi penitus vitam facit, cum hactenus precibus ad Deum fusis repulsam minime pati solorem, nunc primū frustra orasse me sentio. Deinde infelicem domum video, patriam miseriis oppressam habitare compellor.

Omnibus porrò expositus, ut in sinum meum suas ærumnas expuant, & apud me singuli privata incommoda deplorem inutili eos commiseratione prosequor. Quinetiam pudore afficior propterea quod civem quendam accepta calamitate publicis sibi pecuniis furto ereptis, postquam supra X. M. staterum ab eo jam repetiit, absque dilatione ob mille reliquos interficere constituit, vel propter me potius. Nam propter me illum in castellum inexpugnabile conclusit, cujusmodi illud fuit in quo vinctos Titanas Poetæ fabulantur. Ac ne mea (inquit) opera extrahatur, quantū hunc diem homini cibo interdici oportet, prohibitus custodibus, ne panem inferri sinant. Sed & nuper vociferantem illum audierunt utilius sibi mille stateribus Remp. gerenti exitium futurum. Proterea iis qui se pro prædiorum licitatione adeunt, metum injicit, perterret, omnique ratione revocat; neque enim opinor, auro opus est, sed hominis nece opus est. Ego verò neque adeo fortis sum ut firmissimos in muros impetum faciam, neque ad irrependum, hominemque ex ea calamitate eripiendum solers & industrius. Nullus autem (ut ajunt) à quoquam introducitur. Nam satellites natura quidem sunt, qualescumque tandem sunt: nunc verò ad Andronicum tanquam exemplum vitam suam accommodant, qui ad id præesse videtur, ut ecclesiæ ignominiam imponat. Verùm quæ ille adversus me molitur facilè contemno. Immò & gratiam ei insuper habeam si propter Deum illatam mihi infamiam, tanquam martyrium, accipiam.

Meministis enim cuiusmodi erga me extiterit qui, ut nihil aliud, certe ab illis majoribus ortum duxeram. (Ab Eurysthene qui Dorienses in Spartam deduxit ad meum usque patré generis successiones publicis tabulis inscriptæ sunt.) is qui ne avi quidem nomen edere possit, imo neque parentis, ut ajunt, nisi quantū conjectura assequi potest, porrò à piscatu ad Præfecti currū sit evectus. Quare pudeat eū qui splendorē illū in civitate suspiciat obscuritatis illius, atque defectus. Ego verò usque ad sacerdotium & honore satiatus sum, neque infamiæ quicquā degustavi. Nunc autē neque honore affectus gaudeo, neque contēptus molestè fero. Neutrū enim jā eorū ab eo qui intulerit, in me cōmitti videtur: sed utrūque ad Deum pertinet.

Idcirco homo iste projectæ ad omne facinus audaciæ, cū neque faciendo me commoveret, altiùs se à nobis efferens cum ipso Deo congreditur, ac voces nonnullas edidit, coram coactis, & circum stan-

cum stan-

cumstantibus populis, quas lectis iis literis audietis, quæ ad universam orbis terrarum Ecclesiam sunt scriptæ. Tale quiddam est rude ac disciplinæ expers ingenium: ubi potestatem adeptum est, cœlum ipsum, quod dicitur, capite tundere conatur. Esto, sit in potestate, utatur natura sua, tempore, occidat, & vinciat quemcumque civium libuerit. Nobis quidem sufficit in eo ordine perseverantibus, in quo sumus à Deo collocati, segregari à nefariorum hominum consortio.

Et vacuas aures probris servare nefandis.

Nec non de oppressorum patrocinio desperare, justam ex irrito conatu apud populum excusationem nactos, quod incredibilis cujusdam, ac constantis animi fuit, vel ante experimentum facere. Iam verò ex ipsis rebus sententiæ meæ suffragatores habere vos destinabam; Reip. administrandæ vim cum sacerdotio conjungere, perinde esse atque ea nere quæ nendo connecti nequeant.

Prisca tempora eosdem sacerdotes, ac judices tulerunt. Nam Ægyptii & Hebræi longo tempore sacerdotum imperio usi sunt: deinde posteaquam, ut mihi videtur, divinum opus humano more fieri cœptum est, Deus ambo vitæ genera separavit: unumque horum sacrum, alterum ad regimen, atque imperium constitutum est. Alios enim ad infimarum rerum fæcem convertit, alios sibi sociavit: illi in negotiis, non in oratione collocati. ab utrisque verò quod honestum, & consentaneum est requirit Deus. Quid tu igitur iterum revocas? quid ea conjungere vis, quæ sunt à Deo separata: qui nos non administrare, sed administrando depravare postulas, quo quid infelicius esse potest? Patrono opus habes; vade ad eum qui Reipub. legibus præest. Deo quapiam in re indiges: vade ad urbis Antistitem, non quòd isthic penitus voti compotem fieri necesse sit, sed quòd omnem ad id operam sim adhibiturus. Sin quiescere uti possim mihi aliquis concesserit: forsitan aliquando istud potero: simul enim à rerum terrenarum fæce avertitur animus, & ad Deum convertitur.

Contemplatio sacerdoti finis est, si non falso id sibi nomen usurpet. Contemplatio verò, & actio nequaquam in unum conveniunt, voluntatis enim impetus motus est in actionem: nullus autem sine affectu aliquo esse potest. At omnium expertem affectuum animam illam esse oportet quæ Dei receptaculum futura sit. Nam ei qui impurus sit quod purum est attingere nefas fuerit: vacate enim & cognoscite quoniam ego sum Deus. Vacatione opus ei est, qui cum philosophiæ studio sacris operatur. Nec episcopos damno, qui negotiis distinentur. Sed cum noverim vix me horum alterutrum assequi posse, qui utrumque præstare possint eos admirari soleo. Non est id mearum virium, duobus ut dominis serviam. Sin aliqui reperiantur quibus ne mentis quidem ad inferiora descensus detrimentum afferat, merito illi possunt sacerdotes fieri, & præesse civitatibus. Solaris radius quamvis cœnum contingat, purus nec inquinatus manet. Ego si idem fecero fontibus, ac mari opus habebo. Ac si angelus posset supra triginta annos cum hominibus ita consuescere, nulla ut ex infima fæce rerum contage affectus inficeretur; quid necesse est descendere filium Dei? Sed est virium abundantia quædam, ac copia; inter deteriora versari, ut in naturæ statu consistat, nec ullo modo inficiatur. Hæc Dei laus ac prædicatio est. Homini verò deprecandum illud est, naturæ suæ imbecillitatem metuenti: his ego vobiscum finibus versabor.

Non tamen temporum, atque opportunitatum judicium mihi adimam: Ut cum licebit, me ad inferiora demittam. Hoc est levi cura & animadversione, ingens aliquod bonum efficiam: ita ut Deus ipse sese gerere solet: affici autem & adhærescere penitus, hoc demum malum est, quod neque natura Dei sustinet, neq; quisquis sese ad Dei exemplar componit. Si antea pecuniarum, ac possessionum curam, & sollicitudinem admisi, si diurnorum, & annuorum expensorum rationes accipere me cognoritis, postea in iis quæ ad vos pertinent tempori parco; vanus & arrogans sum, nec ignosci mihi postulo. Sin rei domesticæ prius ipse cura deposita, in mentis actione vitam meam collocatam habeo, quid mirum est si & idem à vobis requiro? Quoniam autem ob hæc minimè placemus vobis, quasi alii sint qui eodem modo rectè in utrisque versari possint, consulere vobis licet quod & civitati & ecclesiis mihi magis expediat. Non ego sacerdotium ejurabo: absit, ut tantum potestatis habeat Andronicus. sed quemadmodum neque philosophus popularis fui, nec me Comicis spectaculis dedidi, nec ludum aperui: nihilominus tamen eram tum, & sim utinam philosophus: ita neque popularis antistes esse volo. non omnia omnes possunt.

Ego mecum & mente cum Deo versatus, & contemplatione descendens, non absurda colloquia miscere possum cum uno, vel altero, iisque non vulgaribus, sed si qui sint vel indolem nacti, vel feliciter instituti, adeò ut corpori mentem anteponam. Ad hæc longo intervallo negotia tractans, quod commodo meo faciam, utilis in tempore esse possum. sin iis opprimor non modò mei obliviosus reddor sed & negotiis ipsis detrimentum facio. Fieri enim non potest, ut quod quis oderit, rectè & ex ordine conficiat: sed qui non ex totius animi sui sententia aliquid facit, languidus ac tristis ad opus accedit, cui præesse illum convenit. Contrà qui ab otio alienus est, nec ulla ratione vacuus esse atque à negotiis feriari potest. Sed quantus quantus est, populo utilissimus est, & plurimarum rerum capax animus, omnium curæ sustinendæ sufficiens, qui quoniam ita à natura comparatus est, ejusmodi præstare sese studet. Qui ita affectus est, etiam occupationibus ac negotiis gratiam habeat, quæ ipsum ad se pertrahant. Materiam enim naturæ suæ suppeditant, estque hoc maximum ad rem conficiendam adjumentum, amare idipsum quod geratur.

Quare selingendus vobis aliquis est, qui sit omnium utilissimus, nostroque in loco eligendus, qui ægrè admodum servari soli possumus. Quid exclamastis? num quia nondum factum illud est, fieri idcirco ne nunc convenit? Multa quæ necessaria erant invenit tempus, & emendavit. Non ad exemplum fieri omnia solent: & unumquodque eorum quæ facta sunt, initium habuit, & antequam fieret nondum erat factum. Consuetudini utilitatem anteponere præstabilius est. Demus & nos meliori consuetudini initium. Pro nobis igitur eligendus, vel nobiscum eligendus, omnino eligendus homo est: quisquis ille fuerit, prorsus in civilibus rebus longe meipso peritior videbitur. ac misellos istos homunciones vestri causa conciliare, ac tractare poterit. Itaque si nondum id vobis probatur, hoc in posterum differamus. Licebit enim ea de re privatim atque in commune consulere. Iam verò quibusnam pœnis de consilii sententia in Andronici furorem sit animadversum attendite. *Epistola 57.*

Synesius: Andronicum Beronicensem, infelici Pentapolis fato editum & educatum & adultum, quique patriæ Imperium pecunia redemit, nemo aut existimet, aut appellet Christianum; sed tanquam à Deo execratus, omni Ecclesia cum universa familia extendatur: non quia Pentapolis extrema plaga fuit post terræmotum, post locustam, post pestilentiam, post incendium, post bellum illorum omnium reliquias diligenter persequens; horrenda ad carnificinam instrumentorum genera, ac formas primus in provinciam inferens utinam dicere liceat, & his solus utens, Digitale Pedum distortorium, Prælum, & nasi pressorium, & auribus ac labris distrahendis forcipes, quorum qui experimentum, ac spectaculum morte prævenerunt, quique ante bello sublati sunt, ab iis qui male liberati fuerant felices sunt prædicati. Sed quoniam primus apud nos & solus factis, verbisque Christo maledixit, factis quidem: ex quo edicta sua ecclesiæ foribus affixit, nefariis suis sceleribus inviolabilis mensæ supplicationem intercludens, Dei verò sacerdotibus ea intentans quæ vel Phalaris Agrigentinus, vel Cephren Ægyptius, vel Sennacherib Babylonius timuisset, is qui in Hierusalem Deo, atque Ezechiæ conviciaturos misit.

Illam ego diem dico alteram Deo crucem attulisse. Nam ad Christi contumeliam infamis hic libellus è sacris foribus pendebat. Et hæc sol vidit, & homines legerunt; non Tiberio Claudio Rempub. administrante, à quo Pilatus ad Iudæorum præfecturam missus: sed pia Theodosii sobole, Romanorum sceptra moderante, à qua furtim Andronicus sibi Imperium ambiit, eadem qua Pilatus mente præditus. Risui erant prætereuntibus infidelib. tabulæ, quemadmodum Iudæis quæ in cruce Christi adscripta fuerant. Quanquam ipsa crucis inscriptio, ut non religioso ab animo profecta, at verbis ipsis perhonorifica extitit, quibus rex Christus prædicabatur: hic autem lingua cum animo congruebat.

Quæ verò deinceps accidebant, longè iis quæ affixa sunt fuere acerbiora. Cùm enim nonnullam adversus inimicum occasionem nactus esset, (inimicitiæ autem inde inter eos ortæ fuerant, quòd nuptias hic affectabat, ille prohibebat) iis illum furialibus suppliciis torquere instituit, quæ minime posteritatis memoriæ prodantur, sed cum ipso, uti cœpere, desinant, sintque hæc ad posteros Andronici magistratus signa auditione tenus propagata. Sed cùm nobilis vir nihil injustè molitus sed calamitosus ob hæc excarnificaretur, & hæc sub meridianum ipsum diei ardorem agerentur, ut apud solos carnifices testes periret; postquàm condolere illi Ecclesiam sensit, nullo quidem ex alio indicio, sed quòd statim atque audivimus, è vestigio accurrimus, ut ei adsideremus, & miseriæ participes essemus, ad hæc ille audita furore præceps agitur; quòd Episcopus ullus hominis sibi infensi misereri audeat, ac plurima & impia insolenter jactitans audacissimo incitante è satellitib. Thoante, quo ad publicas calamitates administro utitur, tandem scelestissimam vocem furori suo finem apposuit; frustra illum dicens spem aliquam in Ecclesia collocasse, nec quemquam ex Andronici manibus ereptum iri; non si pedem ipsum Christi manibus amplectatur.

In hanc ille vocem imperita mente ter prorupit: secundum quam nihil est quòd amplius hominem moveamus, sed velut membrum insanabile à nobis est segregandus, ne contage illius quòd syncerum est corrumpatur. Labes enim facilè communicatur, & qui impurum tetigerit, piaculum noxamque contrahit. Esse autem coram Deo & mente & corpore puros convenit. Ob hæc Ptolemaidis Ecclesia hæc ad omnes ubique terrarum sorores suas Ecclesias præcipit. Andronico ejusque sociis, Thoanti, & ejus sociis nullum Dei fanum aperiatur. Omnis illis religiosa ædes, ac septa claudantur. Nulla diabolo in paradiso pars est, qui si clàm irrepserit, expelletur.

At cùm privatis omnibus, & Magistratibus præcipio eodem cum illo neque tecto, neque mensa uti, tùm sacerdotibus imprimis, qui nec viventes illos salutabunt, nec mortuos funebri pompa deducent. Sin quisquam velut angustæ urbis Ecclesiam contempserit, & ab ea damnatos receperit, quasi pauperi parere nihil

necesse

neceſſe ſit; noverit is, ſectam à ſe Eccleſiam, quam unam eſſe vult Chriſtus. Atque hic ſive levita, ſive ſacerdos ſit, ſive epiſcopus, apud nos in Andronici loco reputabitur, neque cùm eo dextram jungemus, nec eadem ex menſa veſcemur unquam: Tantùm abeſt, ut cùm iis arcana myſteria communicemus, qui cum Andronico & Thoante partem aliquam habere voluerint. *Epiſtola quinquageſima octava.*

§ Theologorum Latinorum.

Egeſippus: Redit Alexandro ſævitia cum ſecuritate, regnumque in ſuos, & uſus belli reformatur. Quærenti ab his, quidnam faciens, animos ſibi plebis conciliaret, reſponſum eſt, ſi moreretur. Vix enim fore cum mortuo, tam gravia perpeſſi, in gratiam reverterentur, ut odia adverſus defunctum deponerent. Quibus excitatus, rebellandique aſſuetudine multis necatis, reliquos coegit in urbem, cui nomen Beſemelel. Cujus expugnatio acerbiorem ſolito peſtem invexit, tam ſævo crudelitatis proceſſu, ut ex eo numero octingentos in media civitate crucifigeret. Quorum in conſpectu conjuges eorum filioſque jugulari præcepit. *lib. 1. cap. 10. & 11. de excid. Hieroſ.*

Egeſippus: Denique Herodes ita exagitatus eſt, ut nullum ſævitiæ genus prætermittendum putaret, nulli crederet, omnes ſuſpectos haberet. Velociores erant pænæ quam interrogationes flagitiorum, & judicium præveniebat reorum exitus. Rapiebantur paſſim ad ſupplicium, quos aliqua inceſſebat ſuſpicio. Fervebant calumniæ: multi volentes Regi placere, deferebant reos: ſed ilico etiam ipſi, qui alios detulerant, deferebantur, & cum reis ſuis ducebantur à locum pœnæ. Ita efferaverat Herodes in univerſos, ubi ſi aliquis eorum ſupereſſet, ſuſpectus foret. Aliter Rex non putans ſe eſſe ſecurum, niſi deficeret genus humanum. Inſimulatis irreconciliabilis, amicis incredulus, familiaribus ſuperbus, immitis reis, pavidus ad omnia, ut crebro ſedes mutaret, noctes ſine ſomno duceret.

Qui omnibus exaſperatus repente Alexandrum alligatum vinculis ſepſit cuſtodiis, & amicos ejus in quæſtiones vocavit: qui negabant, inter ſupplicia moriebantur. Rurſus tacentes, quia nihil, quod eſſet ſuſpicionibus conſentaneum, confitebantur, uſque ad mortem ſupremam exulcerati, tamen aliqui vi tormentorum, & pænarum victi acerbitate, propoſitum adoleſcentibus aſſerebant, ut venationi intentum occiderent patrem, & ad urbem Romam ſine mora pergerent, ut effugii pæna eluderetur. Quod etſi nullo argumento fulciebatur, tamen ad ſolatium ſtudii ferocis derivabat pater, volens vinculorum filii cauſas juſtas habere. *cap. 40. lib. 1. excid. Hier.*

Egeſippus: Tiberii tempora fæda ludibriis, Caprearum ſeceſſus, ignavia intolerabilis: nullum tamen efficacis virum operis in necem ejus excitarunt; recentis ut arbitror Romani imperii reverentia; ſive terrore ſæviſſimæ crudelitate: quia plerunque aſperitas quo gravior eo tutior eſt. *fine cap. 3. lib. 2.*

Egeſippus: Herodes qui Ioannem neci tradidit, perfidiæ & crudelitatis ſuæ pretium luit, dejectus regno, atque exilio datus. *cap. 5. lib. 2 excidij Hieroſ.*

Egeſippus: Vbi ſtrage maxima populorum metus in omnes ſparſus, ſubditos factioni fecit univerſos, non contentus communem cum principibus factionis exercere Ioannes potentiam, tyrannidem affectari occæpit, & parem indignabatur. deſtruere itaque aliorum ſtatum: nihil niſi quod libitum foret ratum habere; paullatimque ſibi aſciſcere ſtipatores: artifex dolo quos vellet & fraude circumvenire, obligare pecunia, terrere potentia: quibus artibus plurimos ſibi aſſociaverat. rurſus non deerant qui vel periculoſo ſtudio ſervitium detrectarent, cùm præſertim dominatione aſſueti tolerare ſervitutem nequirent. *cap. 13. lib. 4. belli Iudaici.*

Egeſippus: Tenebantur in urbe inviti, & ſi quis deprehenſus foret egredi velle ad Romanos, graves pænas dabat. ſuſpicio tenuis, graviſſimæ cauſa mortis. non argumentis veritas ſed ſuppliciis quærebatur. ſi pecunioſi erant, adſicto crimine ſeditionis rapiebantur ad necem: ſi qui inopes, quia non habebant quo ſe redimerent, morti patebant. *fine cap. 17. lib 1. de excidio Hieroſolym.*

Oroſius: Tyrannidem nemo niſi celeriter maturatam, ſecreto invadit, & publicè amat: cujus ſumma eſt, aſſumpto diademate ac purpura, videri antequam ſciri. *adverſus gentes lib 7. c. 40.*

Io. Sarisberienſis: Sæpe mihi occurrit imago temporis, quo C. Iulius Cæſar, exuens neſcio, an perficiens dictatorem, omnia factus, omnia occupavit, cùm ad potentioris nutum, ſubjectorum omnia diſponantur, & licet animo reluctante, in ſeipſos parati ſunt exilii, aut mortis dictare ſententiam. Hinc quippe poteſtas terribilis; hinc angentis & urentis conſcientiæ ſtimuli, meticuloſa corda concutiunt, & præcipuam in omnibus ſibi vendicant autoritatem. Adeo quidem, ut ſacerdotes legis divinæ præcepta diſſimulent, ſapientiam neſciant ſeniores, juris ſit judex ignarus, prætatus autoritatis neſcius, diſciplinæ ſubjectus, libertatem contemnat ingenuus, totus denique populus quietem & pacem. Dum enim omnes unius præſidentis voluntate feruntur, univerſi & ſinguli ſuo privantur arbitrio. Nonne hæc erat facies temporis, quando

> *Sedere patres cenſere parati,*
> *Si regnum, ſi templa petat, jugulumq́ue ſenatus,*
> *Paſſuraſq́ue infanda nurus.*

Eoque ſolo bene cum civibus actum eſt, quòd Cæſar plura jubere erubuit, quàm Roma pati? Nonne tyranni opinio, ad tyrannidis tranſiit ſucceſſores, dum ſuſpicantur, quod leges à ſe maluit tolli, quam ab humilibus obſervari? In eoque libertatis ſervatur umbra, ſi ſe quiſque quod præcipitur ſimulat voluiſſe, facitque, imo videtur facere, de neceſſitate virtutem, dum neceſſitati jungit conſenſum, & quod incumbit gratanter amplectitur. Hic porro nullæ ſunt partes veræ, aut ingenuæ libertatis, ubi totum ſibi adulatio vendicat, vanitas totum, nihilque veritati relinquitur, aut virtuti. Adulationem verò ſine dolo eſſe non dubitas, cum in adulatorum perſona de ſe confitentur Gnatho, quia cùm maximè decipio tunc triumpho. Sicut enim finis oratoris eſt perſuaſiſſe dictione, medici curaſſe medicina; ſic adulatoris finis eſt ſuaviloquio decepiſſe. Nam &

> *Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps:*

Et venena propinantur melle circumlita, quo citius noceant. Verum

> *Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger,*

& finem ſuum qui in altero eſt, orator non ſemper aſſequitur. Sic adulator quidem non ſemper decipit, aut de amico triumphat. Fine tamen ſuo non deſtituitur, ſi ex contingentibus nihil omiſerit. Nec enim Vlyſſes Sirenum voces evaſit, quòd ei aliquid ſuavitatis deeſſet ad gratiam, ſed quia ſtimulis voluptatis, & meretricantibus illecebris vanitatis, ſolidæ virtutis oppoſuerat robur. *lib. 3. Policratici cap. 10.*

Io. Saruberienſis: In ſecularibus literis cautum eſt, quia aliter cum amico, aliter vivendum eſt cum tyranno. Amico utique adulari non licet, ſed aures tyranni mulcere licitum eſt. Ei namque licet adulari, quem licet occidere. Porro tyrannum occidere non modo licitum eſt, ſed æquum & juſtum.

Qui enim gladium accipit, gladio dignus eſt interire. Sed accipere intelligitur, qui eum propria temeritate uſurpat, non qui utendi eo à domino accipit poteſtatem. Vtique qui à Deo poteſtatem accipit, legibus ſervit, & juſtitiæ & juris famulus eſt. Qui verò eam uſurpat, jura deprimit, & voluntati ſuæ leges ſubmittit. In eum ergo merito armantur jura, qui leges exarmat, & publica poteſtas ſævit in eum, qui evacuare nititur publicam manum. Et cum multa ſint crimina majeſtatis, nullum gravius eſt eo, quod adverſus ipſum corpus juſtitiæ exercetur. Tyrannis ergo non modò publicum crimen, ſed ſi fieri poſſet, pluſquam publicum eſt. Si enim crimen majeſtatis omnes perſecutores admittit, quanto magis illud, quod leges premit, quæ ipſis debent imperatoribus imperare? Certe hoſtem publicum nemo ulciſcitur, & quiſquis eum non proſequitur, in ſeipſum, & in totum reipublicæ mundanæ corpus delinquit. *lib. 3. Nugarum curialium cap. 15.*

Io. Saruberienſis: Miniſtros Dei tamen tyrannos eſſe non abnego, qui utroque primatu, ſcilicet animarum & corporum, juſto ſuo judicio eſſe voluit, per quos punirentur mali & corrigerentur boni. Nam & peccata populi faciunt regnare hypocritam, & ſicut Regum teſtatur hiſtoria, defectus ſacerdotum, in populo Dei, tyrannos induxit. Siquidem primi patres & patriarchæ, vivendi ducem optimam naturam ſecuti ſunt: Succeſſerunt duces à Moyſe ſequentes legem, & judices qui legis autoritate regebant populum, & eoſdem fuiſſe legimus ſacerdotes. Tandem in furore Domini dati ſunt reges, alii quidem boni, alii vero mali. Senuerat enim Samuel, & cum filii ejus non ambularent in viis ſuis, ſed avaritiam & immunditias ſectarentur, populus qui fortaſſe & ipſe meruerat ut ei tales præeſſent ſacerdotes, à Deo quem contempſerat, ſibi regem extorſit. Electus eſt ergo Saul, regis tamen jure prædicto, id eſt qui filios eorum tolleret, ut faceret aurigas, & filias ut panificæ fierent, & focariæ, agros & prædia, ut ea pro libito diſtribueret ſervis ſuis, populumque totum ſervitutis premeret jugo. Idem tamen Chriſtus domini dictus eſt, & tyrannidem exercens, regium non amiſit honorem. Incuſſit enim Deus timorem omnibus, ut eum quaſi miniſtrum domini, cujus quodammodo geſtabat imaginem, venerarentur. Amplius quidem adjiciam, etiam tyranni gentium reprobati ab æterno ad mortem, miniſtri Dei ſunt, & Chriſti domini appellantur. Vnde prophetæ; Ingrediantur portas Babylonis duces, videlicet Cyrus & Darius. Ego enim mandavi ſanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea, & exultantes in gloria mea. Ecce quia ſanctificatos vocat Medos & Perſas, non quod ſancti eſſent, ſed domini adverſus Babilonem implebant, voluntatem. Alias quoque: Ecce ego adducam, inquit Nabuchodonoſor, ſervum meum, & quia bene mihi ſervivit apud Tyrum, dabo ei Aegyptum. Omnis autem poteſtas bona, quoniam ab eo eſt, à quo ſolo omnia & ſola ſunt bona. Vtenti tamen interdum bona non eſt, aut patienti, ſed mala, licet quo ad univerſitatem ſit bona, illo faciente qui bene utitur malis noſtris.

Sicut enim in pictura fulvus aut niger color aut aliquis alius per ſe conſideratus, indecens eſt, & tamen in tota pictura decet, ſic

per

per ſe quædam inſpecta indecora & mala, relata ad univerſitatem, bona apparent & pulchra, eo omnia ſibi adaptante cuius omnia opera valde ſunt bona. Ergo & tyranni poteſtas bona quidem eſt, tyrannide tamen nihil eſt peius.

Eſt enim tyrannus à Deo conceſſæ homini poteſtatis abuſus. In hoc tamen malo multus & magnus eſt bonorum uſus. Patet ergo non in ſolis principibus eſſe tyrannidem, ſed omnes eſſe tyrannos, qui conceſſa deſuper poteſtate in ſubditis abutantur. Porro ſi poteſtas accedat ſapienti, qui rerum omnium novit & habet uſum, omnibus bonis grata eſt, & omnibus utilis. Si vero cadat in inſipientem, etſi bonis, quibus omnia cooperantur in bonum, mala eſſe non poſſit, moleſta tamen ad modicum temporis eſt. Nam eam utriſque contingere manifeſtum eſt; licet exigente malitia temporis noſtri, qui in nos flagellum domini jugiter provocamus, malis, id eſt, inſipientibus ſæpius concedatur. *lib. 8. nugarum Curialium cap. 18.*

Io. Sariſberienſis: Reſpectus honeſti & juſti, minimus aut nullus eſt in facie tyrannorum; & ſive eccleſiaſtici, ſive mundani ſint, omnino poſſe volunt, contemnentes quidquid potentiam antecedat aut ſequatur. *capite decimoſeptimo Policratici, libro octavo.*

Io. Sariſberienſis: Et in ſacerdotio inveniuntur plures, id tota agentes ambitione, & omnibus artibus ejus, ut ſub prætextu officii, ſuam poſſint exercere tyrannidem. habet enim & reſpublica impiorum caput & membra ſua, & quaſi civilibus inſtitutis legitimæ reipubl. nititur eſſe conformis. *libr. 8. Policrat. capite 7.*

Io. Sariſberienſis: Tyrannus eſt qui violenta dominatione populum premit; ſicut qui legibus regit Princeps eſt. porro lex donũ Dei eſt, æquitatis forma, norma juſtitiæ, divinæ voluntatis imago, ſalutis cuſtodia, unio & conſolidatio populorum, regula officiorum, excluſio & exterminatio vitiorum, violentiæ & totius injuriæ pæna. hæc autem aut violentia, aut dolo impugnatur; & quaſi aut leonis immanitate vaſtatur, aut draconis ſupplantatur inſidiis. quocunque autem modo id fiat, planum eſt gratiam oppugnari, & Deum quodammodo provocari ad prælium. Princeps pugnat pro legibus & populi libertate: tyrannus nihil actum putat, niſi leges evacuet, & populum devocet in ſervitutem. Imago quædam divinitatis eſt princeps: tyrannus verò adverſaria fortitudinis, & Luciferianæ pravitatis imago: ſiquidem illum imitatur qui affectat ſedem ponere ad Aquilonem, & ſimilis eſſe altiſſimo, bonitate tamen deducta: ſi enim bonitati ſtuderet eſſe conformis, nequaquam potentiæ aut ſapientiæ gloriam præripere moliretur. remunerandi tamen auctoritate aſpiravit fortaſſe coæquari. Imago Deitatis princeps, amandus, venerandus, colendus eſt: tyrannus pravitatis imago, plerumque etiam occidendus. Origo tyranni, iniquitas eſt, & de radice toxicata mala & peſtifera germinat & pullulat arbor ſecuri qualibet ſuccidenda. niſi enim iniquitas & injuſtitia charitatis exterminatrix tyrannidem procuraſſet, pax ſecura & quies perpetua inævum populos poſſediſſet, nemoque cogitaret de finibus producendis. eſſent etiam, ſicut ait D. Auguſtinus, ita regna quieta & amica pace gaudentia, ſicut in compoſita civitate diverſæ familiæ, aut in eadem familia diverſæ perſonæ. Et quidem non ſoli reges tyrannidem exercent: privatorum plurimi tyranni ſunt, dum id virium quod habent in vetitum efferunt. *lib. 8. Policratici cap. 17.*

§ PHILOSOPHORVM ORATORVMQ. GRAECORUM.

Phalaris Pythagoræ. Regnum Phalaridis & Pythagoræ philoſophia remotiſſimis locorum intervallis à ſe invicem diſtant: Attamen nihil eſt impedimento quamvis hæc ita ſe habeant, quò minus conveniamus, & veram notitiam uterque alterius capiamus. Nam etiam longiſſimè diſiuncta in idem congregat & conducit ratio. Ego itaque, quantum ex auditu poſſum augurari virum optimum probiſſimumque te judico. Tu verò cave ſic de me judiciũ facias: Nam opinio falſa, mihi dolori eſt. At verò, mihi ad te accedere, non eſt tutum, propter eam, cuius inſimulor, Tyrannidem. Si enim ſine armis & ſatellitum comitatu me itineri commiſero, facilè interficiar. Sin cum armis & præſidiis, ſuſpicionem excitabo. Tibi verò extra periculum poſito liberum eſt, & omnino tutum, ad me venire, & tranquillam unà vitam agere. Cùm verò tibi cognitus fuero, tum ſi me quaſi Tyrannum conſideraveris, magis Idiotam quàm Tyrannum eſſe comperies: ſin ut Idiotam, invenies etiam in me Tyrannicum quoddam ineſſe, quoad neceſſitas poſtulat. Tantum enim imperium ſine crudelitate ſævitiaq; retineri non poteſt. Sin in regno levitas periculo vacat, cùm ob alia tum etiam ob hoc maximè uti ſua conſuetudine cupio. Tu enim mihi perſuadebis, ut mitiorem viam ingrediar, ſi fidem credenti ſalutarem, præter Pythagoræ ſermones, ipſa quoque veritas comprobabit. *Epiſt. 23.*

Phalaris Xenopiti. Non me ſollicitum habent calumniæ & opiniones, quibus aliqui falſo accuſantes adverſum nos utuntur. Et hoc animo ſum nullam ſanè aliam ob cauſam, quàm quod intelligo cæteris naturâ malis, mihi verò ob eam quæ Diis plus poteſt, neceſſitatem ejuſmodi, accidere. Hoc autem intereſt, quod ego Tyrannus cùm ſim, poteſtatem ex imperio me poſſidere confiteor; Vos verò, cùm ſitis Idiotæ, legum metu deterriti, verum ingenuè fateri non audetis. *Epiſt. 29.*

Phalaris Polydeuci. Mirari videris in tuis literis ſubitò meæ vitæ commutationem factam eſſe, qui cùm antè ſolerem audentius etiam quam Tyranno conduceret, in publicum prodire, nunc ne à familiariſſimis quidem conſpiciar. Ego verò contra jam omnium hominum congreſſum fugio vitoque. Fidem enim nec in cæteris, nec in amicis firmam ac ſolidam inveni. Quare cùm omni miſeriarum plena eſſe videam, quamvis deſertam Lybiæ ſolitudinem, & feris patentes Numidum habitationes, conſuetudini viræque inter homines, anteponendas cenſeo. Minore enim periculo inter leones, omneque ſerpentum genus, quàm cum hujus ſeculi mortalibus habitare, ſomnumque carpere poſſem Tantam ex crebris variiſque & continuis fortunæ telis, experientiam malitiamque accepi. *Epiſt. 34.*

Phalaris Demoteli. Tuis adhortationibus libenter ſanè veniam tribuo. Cùm enim Tyrannus nunquam fueris Tyranno conſulis, ut Tyrannidem deponat, neque verò Deorum quenquam obſidem aut ſponſorem adhibes, cui forſitan fidem adhiberem: ſed teipſum, ſatis gravem in tanta re fidejuſſorem fore exiſtimas: fortè quod ignoras periculoſius eſſe deponere tantum imperium, quàm parare. Quemadmodum enim utilius eſt Idiotæ non regnũ gerere quã gerere, ſic Tyranno non deponere, quàm deponere regnum ſatius eſt. Prorſus autem conſimili modo de Tyrannide, quemadmodum de generatione, vitaque hominis ſentiendum eſt. Neque homo audiens de ſui procreatione, ſi qua ratione id fieri poſſet, quibus incommodis maliſque per vitam uſurus eſſet, unquam procreari gignive cuperet, neque Idiota, regnandi libidine ductus, ſi priorum audiat de miſeriis in Tyrannide inſitis: Tyrãnus & nõ potius Idiota vitam agere exoptaret. Sic Demoteles Homini non naſci quàm naſci commodius eſſe video, & uſque ad finem vitæ Idiotam manere, quàm cũ Tyrannide vivere. Quod igitur ſi antè Tyrannidem hoc mihi conſilium expoſitis malis dediſſes, planè à regnandi cupiditate me revocaſſes. Nunc verò cùm Tyrannus ſim, & propter imperii neceſſitatem, plurima multò antè pertulerim, ne Deorum quidem regi ſuadenti relinquendum illud eſſe, morem gererem, ne dum homini. Novi enim, ſi me imperio abdicarem, multis gravibuſque moleſtiis ab his, in quos Tyrannidem excercui afflicto mihi vitam exigendam fore. *Epiſt. 38.*

Phalaris Teucro. Ariſtomeni tuo villa data eſt, & Hippolytion eſt judicio abſolutus. Te verò expectamus. Ego ſanè valeo, ſi eſt id valere, cùm multis vim attuleris, & eos ſuperaveris propter peiora, etiam meliorum pœnitere. *Epiſt. 43.*

Phalaris AEgeſteis. Deſiſtite pulſos à me in exilium recipere: Phalarim enim neque beneficiis, neque injuriis facilè quis vincit: id quod ex Melitenſium & Leontinorum rebus perſpicere poteſtis. Illis enim libertatis, his ſervitutis autor extiti, quod Leontini meam triremem demerſerant, Melitenſes verò ſervare tuerique voluerant. Valete. *Epiſt. 46.*

Phalaris Epiſtrato. Tanquam ad fortunatum aliquem, ita ad me literas dediſti. Ego verò mearum rerum ſtatum paucis verbis planum faciam. Si hoc eſt fœliciter agere, ſimul ac in lucem prodieris, orbitatem expertum eſſe, deinde juvenem caſu quodam patria privatum, & maxima facultatum parte mulctatum, atque inter Barbarorum mores verſatum, ab omni terra per vim & injuriam exulem expelli: nec ſolùm ab inimicis; verùm etiam ab iis, in quos tua magna conſtant merita, inſidiis circumveniri; & cùm Tyrannidem ſis adeptus, illam quoque vitam abominari: ſi illud inquam eſt fœliciter agere: prorſus fortunati ſumus. *Epiſt. 49.*

Idem poſt Onetori: Tu & omnes amici in hoc maximè gratũ mihi feceritis, ſi de me nec inquiratis, nec ſollicitudine aliqua maceremini, niſi cùm mihi placitum ſit. Sic enim nobis utitur fortuna, ut uberiorem lætandi materiam audientibus inimicis, quàm amicis non ſubodorantibus dolendi præbeat. *Epiſt. 50.*

Phalaris Abaridi. Audio te ſtudiorum, illuſtriumque virorum cauſa, ab Hyperboreis, ad noſtras oras acceſſiſſe, & idcirco cum Pythagora philoſopho, Steſichoro poeta, aliiſque Græcis & eruditis viris commercium habuiſſe, multumque ab ipſis eruditionis & ſcientiæ hauſiſſe, quærere autem plurium, adhuc ad cognoſcenda ea quæ neſcis, conventum atque conſortium. Quod ſi calumniæ quibus proſcindor ad tuas aures pervenerunt & ejuſmodi quiddam de me perſuaſum habes, cuiuſmodi calumniatores objiciunt, non ſanè facilè eſt ab hac te ſententia abducere. Sin veritatem remque ipſam ſcrutandam & inquirendam cenſes, tum ab omnibus hominibus, tum præſertim à viris ſapientia claris, ad me veni, ut noſtro colloquio ſermoneque fruaris, quod alii multi maximè memorabiles & laude digni viri factitarunt. Nam experiundo cognoſces tũ alia honeſtius & moderatius, &, ſi dicere non erubeſcendum eſt, humanius habere; quàm per famam traducta ſunt, & eum qui hæc dicit, & pollicetur Phalaridem, nihil iis quorum in his virtutibus ſumma laus eſt & admiratio, inferiorem eſſe. *Epiſt. 56.*

Abaris Phalaridi Tyranno. Declaraſti plenam injuriis & crudelitate naturam. Neque tu viro & fœmina, ſed Leæna & ſive agreſti

procreato mihi videris. Omnia.n. per vim & vires agis, prava quadam imperitia & feritate. Ne tu pium hominem Abarim, accerſas in urbem Agrigentum. Planè enim ab invidia ſævitia & tetra inſcitia mihi animus abhorret. Sin omnino ita vis, ut in ædes tuas veniam, Græcorum legibus utere, ad tuam aram me provoca, manus mentemque purgatam gere, tum erga omnes tuos cives tū erga peregrinum. Sin minus, valere te Abaris jubet.

Phalaris Epicharmo. Ea, de quibus tu & Demoteles nobis conſilium dediſtis, de tyrannide relinquenda, non quod malè cuperetis mihi, ſed ignorantia potius atque imperitia ductis ita conſuluiſſe vos arbitror. Etenim capeſſere Tyrannidem, in volentis poteſtate ſitum eſt. Deponere verò non item: eo quod multa contra jus & æquitatem patrarit. quemadmodum nec jaculatori licitum eſt, cum ſemel ejaculatus eſt telum, dimiſſum revocare. Quod ſi vos principium Tyrannidis poteſtis abolere, facite quæſo. Sin id effici non poteſt, multò minus veſtram adhortationem pondus apud me habere ſcitote. *Epiſt. 61.*

Phalaris Leontidæ. Immodicis orationibus apud Camarinéſes tumultuatus es, eoſque ad bellum contra me ſuſcipiendum, excitaſti. Verùm hoc à nobis ſcito, non aptum te perſuaſorem fuiſſe, quia non inanibus verbis nos te laceſſen em ulciſcemus, ſed factis, quæ qui experti ſunt, non facilè ſunt iterum vim & inſidias mihi moliti. Id quoniam cognitum eſt & exploratum Camarnienſibus nolunt iratum Phalaridem experiri. Nam amicus eis & benefactor, multò jucundior appareo. *Epiſt. 75.*

Phalaris Cleaneta & Theans. Benevolentiam veſtram lubenti quidem animo complector, quod tanto ſtudio Phalaris nomen velitis uſurpare. Fortuna verò ut maximè nos aſſentiamur, non concedit. Invenietis enim irreprehenſum & inculpatum ei nomen à genere contigiſſe. Ego verò, multa magnaque fati acerbiſſima neceſſitate coactus & invitus patravi, quæ mihi infamiam hanc attulerunt. Nec alia de cauſa meum nomen tam inviſum eſt, quàm quod ad leges reſpectum non habeo. Ego verò ſubditis pro lege ſum. Quam autem mihi gratiam præſtatis, Phalarem nominando, id beneficium non hoc nomen ponendo, conferatis velim. *Epiſtola 80.*

Phalaris Hieroni. Cum plurima contra te habeam dicere & de nugatoria tua apud Leontinos ſeditione, nihil amplius dico, quam Culicem Elephanti Indico negotium curamque non faceſſere. *Epiſt. 86.*

Phalaris Steſichoro. Nunciatum eſt mihi te & Aluntium veniſſe & Alæſam, atque pecunias colligere: militeſque conſcribere, & in ſingulas civitates mittere eoſque contra nos collocare. Quin tandem ô Steſichore relinquis illam væcordiam & ab hoc negotio tā affecta ætate abſtines, & Dearum numen revereris; quarum te propugnatorem & fautorem eſſe profiteris; ipſa verò te atque opere deſtituis ac perdis: qui contra fortiores viros motum excitas quemque filiorum; qui non multum à virili ætate jam abſunt, nihil miſeret: ſed protervus es uſque adeò ut ſenex jam comparata militum manu, pecuniiſque collectis hoſtem ita durum aggredi & circumvenire non dubites, qui ſit eos in modum arundinis contriturus. Audio quoque te reditum Achivorum conſcribere, & nonnullis ipſorum Heroibus in crimine temeritatem objicere. Quemadmodum verò tu ſalvus ex Alæſa Himeram revertaris, nihil te ſollicitum habet. Verum Capheridas petras & errantes, itemque charybdim atque Nauphas claſſes te manere animo perpende. Neque enim è manibus noſtris effugies, ne ſi Deus quidem aliquis te ſecundum vos poetas evaneſcere fecerit. *Epiſt. 92.*

Phalaris Himerenſibus. Sic vobis mandaveram, ut Steſichorum ad me celeriter mitteretis, item Cononem & Hermocratem. Vos autem pro Hermocrate, Conone, & Steſichoro Sameam & Nicarchum miſiſtis. Ego verò, ſi qualem vos me fingitis, talis eſſem, non ignorabam me ſi illos non reddidiſſem vobis neceſſitatem alicujus, quod minimè velletis impoſiturum fuiſſe, & venturos ſubitò Steſichorum, Cononem & Hermocratem ad me. Non enim eſt veriſimile Cononem hominem in ſtupris & ſcortationib. volutatum, alicujus apud vos eſſe ponderis, Sameæ verò & Nicarchi clariſſimorum hominum, qui honeſtiſſimam vitam egerunt, nullam haberi curam neque reſpectum. At viros æquiſſimos, qui neque mihi, neque patriæ damnum dediſſent injuria afficere nolui, aut communem omnium Græcorum legem violare, quanquam vos multis infinitaſque Græcorum leges, non ſemel: ſed perſæpe perfregeritis, in his quæ contra me geſſiſtis. Verbis autem explicare neceſſe eſſe non arbitror, cùm & ipſe norim & ad ſcientes ſcribā. Verùm non imitatus ſum vos nec imitabor ego homicida ille, & multis facinoribus criminibuſque pollutus. Sed remiſi vobis legatos, cùm alterutrum ſine negotio tenere poſſem, aut ut vos cogeré, illos pro hiſce mittere, aut in eos quæ ſub manibus eſſent, omnem etiam illorum iram evomere. Atqui in eum locum & penè neceſſitatem injuſtè vivendi ſumus adducti, nihil ut hoc deteriores videamur, ſi veſtros legatos morte affecerimus, neque meliores, ſi incolumes ſervaverimus. Nam ante jam mea ſunt omnia mixta & inquinata atq; probè ſcio leve vobis momentum ad hominum aut benevolentiam aut odium adferre, juſta vel nō juſta agere. Et in eū ſtatum non minimè vos Himerenſes me protruſiſtis & veſtri illi cives. Et aliorum malorum, quibus per eos ſum afflictus, nocentib. venia concedi, & oblivioni facta mandari poſſunt, verum, quod juſtitiam colere, juſteque agere non datur quæ poteſt ſatis atrox in autores pœna conſtitui. Quos enim eſt æquius noſtram injuriam experiri quàm per quos eſt effectum, ut juſtitiam repudiare cogamur. Attamen ô Himerenſes his rebus omnibus conſideratis, iratus & Tyrannus cùm eſſem atque haberem licet quos non omnino vellem, at certè ex quorum morte par mœror & moleſtia eſſet ad nos perventura, tamen manus ab eis abſtinui & liberaliter tractatos remiſi. Quòd ſi vobis quod rectum eſt viciſſim facere animis erit, reputate, ſi iram non omnem in duos aut tres viros averteritis, omnia vos impendentia civitati pericula propulſuros. ſin Cononi, qui hactenus ab unoquoque veſtrum ſæpe pulſatus eſt, ſervatur, civitatis extremam eximis ſedibus everſionem tolerare cogemini. Dabo enim operam, ne vobis æquior placatiorve videar, quàm vos me eſſe putatis. *Epiſt. 121.*

Phalaris Arimacho. Nihil me commovet neque calumniæ neq; opiniones, quas de nobis jam homines circunferunt & imbiberūt. Cùm enim æquali loco videam injurias haberi, immò multò juſtius ipſa juſtitia, quod eſt iniquum cenſeri, tantùm abeſt ut cœlem, ut etiam ingenuè libereque fatear, cæteros quidem homines ad injuriam à natura factos eſſe, me verò neceſſitate ut ejuſmodi ſim compelli. Dico enim & me factis affectibuſque illegitimis ac nefariis uſum, & reliquis omnibus hoc idem inſitum atque ingeneratum eſſe. Solùm hoc intereſt quod nos Tyranni cùm putemur, ut in poteſtate conſtituti, fatemur. Illi verò cùm ſint Idiotæ qui pœnæ ſupplicique metu ducuntur, inficiantur. *Epiſt. 139.*

Phalaris Agemorto. Nunc demum ſentio Agemorte, reque ipſa quomodo mihi ab initio conſuluerunt, experior. Nam cùm alia multa nobis incommoda præclara illa illuſtriſque Tyrannis apportat, pro qua ego nullius conſilii homo, tot labores cum periculis maximis conjunctos, ſponte & libenter adivi: tum verò hoc nō minimum ex ea malum ad me redundavit, quòd ne bonus quidem vir quiſquam noſtra munificentia & beneficiis uti velit: ſed omnino ſi largiendum alicui petenti ſit in perditiſſimos homines conferam oportet. Vos enim æqui moderatique viri neſcio quomodo abalienati animis, frui mea liberalitate pertimeſcitis. Quid enim aliud? Nam qui fieri dicam, ut cùm tot mihi familiares, æquales, & amici fuerint, nemo veſtrum unquam ad me non venerit. Sed ne venturum quidem pollicitus ſit, præter Calliſthenem ſolum. Sat autem ſcio neque illum venturum eſſe. Atque poſſunt alii fortaſſis excuſationem aliquam adferre ne videantur apertè mea dona abominari deteſtarique, quibus quo minus à principio veniret, aut adverſa valetudo, aut parentes; aut Reſpublica impedimento fuerunt. Te verò ego ne vocare quidem unquam volui, cùm exploratum cognitumque ſatis haberem, nihil me impetraturum eſſe. Nec adhuc te facilè vocarim maximè hoc tempore, cùm audiam tuam infirmitatem, & filiorum copiam, quos poſt noſtrum è patria digreſſum tibi ex Praula natos eſſe dicunt. Et gratulor ſimul ac mehercule, gaudeo in immenſum tuam proſapiam creſcere tam affinitate quàm liberorum copia. Quæ ergo tibi excuſatio reliqua eſt, quò minùs metuere videaris qui proh Deos, cùm nuper haud invidioſum per Iovem onus miſiſſem, non quòd comitatum fiſtulis & choreis toti civitati videndum proponeretur: ſed auri per auxilium idque noctu, mira importunitate, quaſi ſcelus aliquod aut piaculum eſſet cùm vidiſſes tenue ita, inde receſſiſti ut par erat. Etenim pravi malitioſique viri dona erant & polluti variis hominum cædibus. Atqui prorſus es iniquus & ingratus ô Agemorte. Et erga nos etiam immiſericors, qui non miſerearis mei tam infœlicis hominis, & in ea fortuna jam conſtituti, quæ eſt omnium miſerrimas. qui, qua de cauſa maximè regnum affectabā, ut videlicet liberalis in inimicos eſſe poſſem, poſtquam id pro voto à Diis immortalibus: ſtatim ſum adeptus, in quos liberalitatem exerceam, non habeo. Verùm, quæ una mihi malorum omnium conſolatio futura erat, eam vos quoque amici mihi ademiſtis qui non conceditis, ut quenquam ſuperſtitum beneficiis ornare poſſim. Sed ô Dii in eum locum redacti ſumus, ut vobis non accipientibus quibus largiri munera volo, in adulatores atque aſſentatores regni quos minimè volo conferre cogat. *Epiſtola centeſima quadrageſima prima.*

Diogenes: Veni Megaris Corinthum, ubi in forum profectus, ad puerorum ludum conſtiti. Qui cum non rectè verſus canerent, ſciſcitanti mihi: Quiſnam ipſorum eſſet præceptor? reſponderunt, Dionyſium Siciliæ tyrannum. Quos cuum me irridere, neque verum dicere arbitrarer, ludum ingreſſus, ſedato animo ſedi, illum expectans: hi in forum enim profectum dicebant. Non multò poſt rediit. tum ego aſſurgens, his eum verbis compello: Quàm non bene Dionyſi doces. Ipſe verò me miſericordia motum exiſtimans, ob amiſſam tyrannidem, & fortunæ mutationem: Hoc inquit, pacto, Diogenes, humanæ ſe res habent. Verùm tu perhumanè facis, cùm noſtræ miſereris calamitatis. Cui ego verum aperui: Non quòd tyrannidem, inquam, amiſeris, iccirco doleo, Dionyſi: ſed quòd liberè in Græcia verſaris, quodque à Syculis calamitatibus liberatus es, quibus te abſumi oportuit, cùm terra, marique mala commiſeris. *Epiſt. 7. ad Eugneſium.*

Iſocrates: Fortaſſis autem ex his, qui temerariam vivendi viam inſtituerunt, ejuſmodi rationes aliquis carpendo labefactare conabitur & me de prædictis ita ut monui conſilium dare jubebit. Quare danda eſt opera, ut liberè meam de hiſce ſententiam pronunciē. Mihi enim Idiotarum vita ſecurior & melior quàm Tyrannorum eſſe videtur. Etiam de honoribus dicere aggrediar. Non autem me clàm eſt, multos fore mihi adverſarios & maximè eos, qui veſtra conſuetudine utuntur. Hi enim, ut arbitror, non leviter ad capeſſendam Tyrannidem nos inflammant. In cauſa eſt, quod rei naturam non penitus introſpiciendo ſibi ipſis imponunt. Nam in poteſtates, lucrum & voluptates oculos intendunt, & ex his fruitionem expectant. Cæterum ſeditiones, timores & calamitates, quibus principes & amici ipſorum implicantur non cernunt. Sed idē planè faciunt, quod ij qui ad turpiſſima ac nefanda ſcelera accedūt. Nam illi malum, quod in rebus ineſt non ignorant: at ſperant ſe tantummodo quod bonum eſt, excerpturos: pericula verò, malaque quæ permixta ſunt declinaturos: & ſic ſua gubernaturos, ut procul à periculis abſint: & utilitatibus maximè appropinquent. Eos igitur, qui ſic animis affecti ſunt, propter incuriam quidē & ſecuritatem fœlices judico. At meipſum hercle puderet, ſi conſulēs aliis, ipſorum cauſa relicta, meam rem & commodum agerem: ſed potius poſthabito privato emolumento. reliquiſque omnibus, optima ſuaderem. Proinde mea nunc in eam partem accipite, ut ab ejuſmodi animo ſententiaque profecta cogitetis. *Iaſonis filiis.*

Plato: Ego dum apud vos diu multumque verſarer, & ita imperium veſtrum fideliter adminiſtrarem, ut inde præ cæteris utilitatem perciperetis, graves calumnias ſuſtinui. Novi enim quòd me vobis adſtipulāte crudele nihil omnino factum videbitur. Omnes autem qui eadem gubernatione verſati ſunt, teſtes mihi eſſe poſſunt. Quorum ego permultos ſummo conatu à damnis non mediocribus liberavi. Imperio quinetiam apud vos fungens, civitatem veſtram ſæpius cuſtodivi. Tandem verò ignominioſius à vobis expulſus ſum, quàm mendicum aliquem expelli conveniat, juſſus à vobis abire, qui tam diuturnam operam veſtris ſum commodis imperitus. Igitur poſthac cogito degere vitam ſolitariam. Tu autem talis tyrannus gubernabis ſolus. Pecuniam verò illam egregiam abs te in viaticam miſſam, per Bacchium hunc unà cum his literis ad te remitto. Neq; enim ad viaticum ſufficit: neque ad cæteram vitam ſatis eſt utilis: tibique danti dedecus allatura maximum, & mihi non multò minùs accipienti. Itaque illam accipere nolui. Tua verò nihil intereſt, & dare & accipere tantundem: ſed illa recepta tuorum quempiam alterum honorabis, quemadmodū me honoraſti. Ego abs te ſatis jam ſum honoratus. Et mihi opportunum eſt nunc Euripidis illud dicere: te rebus quandoque poſcentibus talem tibi virum aſſiſtere optaturum. Meminiſſe autem te volo, & alios tragicos plurimos, cùm tyrannum aliquem pereuntem inducunt, huiuſmodi illi voces attribuere, heu miſer, pereo nullis fultus amicis. Auri verò defectu pereuntem aliquem nullus adhuc finxit poetarum. Illud quoque poeticum, mentem habentibus valde probatur. Non auri fulgor in miſera mortalium vita rariſſimi, non adamas, non argenteæ menſæ quæ apud homines habentur in pretio, ita oculis coruſcant: neque lati fundi, aut pinguia culta tantum valent ad vitam, quantum mens bonorum virorum inter ſe conſentientium. Vale: atque conſidera tantum erga nos erratum, quo erga cæteros rectius te geras. *Epiſtola 1. ad Dionyſium Siciliæ regem.*

Xenophon: Quid enim mi Gobrya, an non tu adoleſcētem hūc, qui modo regno potitur, ita accuſas, ut qui moribus & indole ſupra modum ſuperba ſit? Nimirum talem, ait, eum expertus ſum. Vtrum vero, ſubjecit Cyrus, in te ſolum ſe talem geſſit, an etiam erga quoſdam alios? Profecto, inquit Gobryas, erga multos etiam alios. Et quibus ſane contumeliis imbecilliores adficiat, quid attinet dicere? Etiam viri cujuſdam longe me potentioris filium, ſodalem à juventute ſuum, ſicut & meus erat, compotantem apud ſe comprehendit & caſtravit: idque propterea, quemadmodum nonnulli narrant, quod concubina regis eum laudaverat à formæ præſtantia, felicemque futuram dixerat, quam ille conjugem habiturus eſſet: ut autem iſte nunc ait, quod ejus concubinæ pudicitiam tentaſſet. Itaque jam ille caſtratus eſt, & patre mortuo, imperium obtinet. Ergo, ſubjecit Cyrus, exiſtimas hunc quoque nos lubenter conſpecturum, ſi nos arbitraretur opem ſibi laturos? Id vero ſat equidem ſcio, ait Gobryas. *cap. 15. libri 5. Cyropædia.*

Plato: Conſulebam ſimiliter Dionyſio unà cum Dione: ea videlicet ratione quotidie vivere, qua ſuiipſius compos maximè redderetur: amicoſque & familiares fidos haberet, ne idem ſibi quod & patri accideret. Qui cùm multas in Sicilia magnaſque urbes ſuſcepiſſet, quondam à Barbaris devaſtatas, eaſque reſtituiſſet: non potuit in ſingulis illarum gubernatores Rerumpublicarum conſtituere fidos, neque ex domeſticis ſuis neque ex aliis undecunque comparatis, neque ex fratribus ſuis quos ipſe à pueris educaverat: ſed tum ex privatis hominibus magiſtratus, tum ex pauperibus admodum divites fecit. Horum tamen nullum fidum ſibi gubernationis ſocium potuit adhibere, vel ſuadendo, vel docendo, ſive largiendo, ſive in neceſſitudinem recipiendo: ſepties deterior Dario: qui neq; fratrib. confidens, neq; his qui ſub eo educati fuerant, ſed ſociis duntaxat Midæ, eunuchique, imperii partes diviſit ſeptem ſingulas majores tota Sicilia aſſignavitque ſingulis. Atq; eos fidos nactus eſt regni ſocios, neq; vel ſibi vel invicem inſidiantes. Præterea exemplum dedit, qualem oportet ſeipſum legumlatorem regemque bonam præſtare, quippe cùm leges tulerit, quibus adhuc Perſarum ſervatur imperium.

Accedit ad hæc, quòd Athenienſes cùm multas Græcorum urbes non à ſe quidem, ſed ab aliis conſtitutas, deinde occupatas à Barbaris in poteſtatem ſuam recepiſſent, annos ſeptuaginta in ea tenuerunt imperium, utpote qui amicos ſibi in ſingulis civitatibus comparaverant. Dionyſius autem, cùm in urbem unam univerſam Siciliam congregaſſet, ob ſapientiā nulli confidens, ægrè ſervatus eſt. Carebat enim amicis fidiſque hominibus: quo nullum majus eſt argumentum, vel improbitatis ſi deſint, vel probitatis ſi adſint. Hæc igitur Dionyſio ego ac Dio conſulebamus poſtquam paternæ res ſic ſe habuiſſent, quod neque eruditorum virorum familiaritates, neque decentes haberet conſuetudines. Admonebamuſq; ut animum ad hæc intendens, in primis amicos ſibi alios ex domeſticis & æqualibus compararet, ad virtutemque concordes. Maximè verò ut ſeipſum ſibi conſentientem conſtantemque præſtaret, hujus enim rei defectum apud eum eſſe quàm maximum, oſtendebamus, non apertis quidem nunc verbis, neque enim tutum fuiſſet: ſed ratione quadam latentiore idem tamen ſignificante, docentes ita demum unumquemque hominum tam ſe quàm illos quibus imperat poſſe ſervare, ſi hæc obſervaverit: ſin autem contrà ſe geſſerit, contrà prorſus accidere. Quòd ſi ita ut dicebamus ſe compararet, ſeque ipſum prudentem temperatumque præſtaret: ſi rurſus devaſtatas urbes Siciliæ reſtitueret, ac legibus inſtitutiſque ad Rempublicam pertinentibus eas muniret, ut & ſibi benevolæ, & inter ſe invicem contra vim Barbarorum auxilio forēt, non duplicaret modò regnum paternum, verumetiam multiplicaret. Fore quidem ſi ita ſe gereret, ut Carthaginenſes multò magis faciliuſque ſuæ poteſtati ſubjicerentur, quàm Geloni ſubditi fuiſſent: contrà, quàm patri accidit ſuo. Ille enim pendere tributum Barbaris coactus fuerat. Hæc erāt quę dicebamus præcipiebamuſque Dionyſio. *Epiſt. 7. ad Dionyſ. propinquos.*

Plato: Ego perſonam mihi arbitri aſſumens, quemadmodum jamdiu conſuevi, tam exercenti quàm præferenti tyrannidem cōmuniter conſulam! Atque in primis omni tyranno: ut appellationem hanc, remque ipſam fugiat, atque in regnum, ſi poteſt fieri, transferat. Fieri verò poſſe, Lycurgus vir bonus & ſapiens te demōſtravit. Is enim cùm videret genus proprium Argis, & apud Meſſenios ex regno in tyrannidem jam translatum, ideoque hos populos utroſque tam ſeipſos perdentes quàm civitates utrinque utraſque timens patriæ ſimul & generi, remedium adhibuit ſenatum procreans, Ephororumque magiſtratum in regni ſalutem. Quapropter tot jam ſecula ſervatur cum gloria: poſtquam videlicet lex autoritatis plena hominum regina facta eſt, non autem homines legum tyranni. Ad hoc ipſum in præſentia ratio mea omnes homines cohortatur, ſuadens his qui tyrannidem affectant, declinare ac fugere indefeſſo quodam ſtudio ejuſmodi famelicorum ſtultorumque hominum felicitatem: atq; ad regiam gubernationis formam pro viribus ſe transferre legibuſque regis obtemperare, maximos honores ab hominibus, legibuſque volentibus quandoque reportaturis. Qui verò omnibus vivendi præferunt libertatem, jugum verò ſervile fugiunt tanquam malum, ij caveant moneo, ne inſatiabili importunæ libertatis aviditate in majorum ſuorum incidant morbum. Quem quidem illi propterea paſſi ſunt, quòd nulli parere volentes libertatis amore intemperanter abuſi ſunt.

Qui enim ante Dionyſium & Hipparinum in Sicilia gubernabant, beatè ſibi vivere videbantur, libidinibus diſſoluti, principibus imperantes. Præterea decem ante Dionyſium præfectos depoſitos profligarunt, neminem ſecundum legem iudicantes, quo nulli ſubeſſent homini juſtè judicanti, aut dominanti legi, ſed omnino in ſingulis liberi forent. Qua quidem cauſa illis tyrannides exortæ ſunt. Servitus enim ac libertas, ſi modum excedat, utraque mala eſt: ſi modum obſervet, utraque bona, moderata quidem ſervitus eſt, quæ Deo exhibetur: immoderata verò quæ hominib. Deus quidem hominib. temperatis lex eſt: intemperatis verò voluptas. Cùm igitur hæc ita natura ſe habeant quæ conſulo, mando Dionis amicis, ea Syracuſanis omnibus promulganda ex communi Dionis meaq; ſententia. Equidem vobis exponam quæ ille adhuc ſpirans locutus eſt. Quam igitur rationem, quæret quiſpiam, circa præſentia nobis Dionis conſilium affert? hanc verò omnium primam nunc accipite.

Principiò leges tales ſint, quæ non ad opes pecuniaſque comparandas neq; ad libidines mentes convertant. ſed cum tria ſint, anima, corpus, pecunia: virtutem animi maximè anteponant: Secundo verò loco virtutem corporis virtuti animi ſervientem: Tertio ultimoq; gradu pecuniarum pretium collocent, animo, corporiq; miniſtrans. Quæcunque lex efficit recta eſt, revera beatitudinē utentibus afferens. Locupletes verò beatos appellare, ſermo amens eſt, & infelix mulieribus pueriſque conveniens: atque eos qui id credunt tales efficiens. Quòd autem ego nunc ad vera vos bona cohortor, ſi quæ modò dixi de legibus, deguſtetis, opere ipſo intelligetis quæ quidem examinatio in cunctis veriſſima eſſe videtur.

Receptis verò huiusmodi legibus, cùm Sicilia in discrimine posita sit, neque sufficienter vos superetis, neque rursus admodum superemini, justum fortè atque utile vobis omnibus erit medium incidere, tum vobis dominationis acerbitatem fugientibus, tum aliis dominationem adipisci desiderantibus. Quorum majores olim, quod maximi faciendum est, Græcos à Barbaris servaverunt: adeò ut in præsentia liceat de Republ consultare. Alioquin si tunc perditæ res fuissent, neque nunc de his loqui liceret, neque spes ulla superesset. Nunc igitur aliis quidem libertas sit, cum regia potestate: aliis autem potestas regno subjecta legibus dominantib. non aliis tantum civibus, sed ipsis etiam regibus siquid egerint cōtra leges. In his autem omnibus mente à dolis aliena atque sana, diis juvantibus reges create.

Primum quidem filium meum duplici gratia, mei scilicet gratia atque avi sui. Ille enim tempestate patriam à Barbaris liberavit: ego verò jam bis à tyrannis. Quorum quidem testes mihi vos ipsi estis. Secundum verò regem create eum qui idem quod & pater meus nomen habet, Dionysii inquam filium. Atque id facite præsentis ejus in patriam officiis memores, piorumque ejus morum, qui patre tyranno natus, patriam sponte liberare aggreditur pro brevissima injustaque tyrannide gloriam sibi generique comparans sempiternum. Tertium denique ad regnum Syracusanum invitare oportet volentem civitate volente Dionysium Dionysii filium, nunc exercitus hostium ducem.

Si velit inquam regiæ dignitatis forma contentus vivere, timens videlicet fortunæ vices & patriam miseratus, sacraque & sepulchra majorum: ne contentione prorsus omnia perdat, Barbaris ex patriæ infelicitate gratificans. Hos verò tres reges, sive illis autoritatem eandem quam Lacedæmonii reges habent, dederitis, sive quid ademeritis, communi consensu constituetis tali quodam pacto, ut priùs dictum est: atque iterum nunc audite.

Si Dionysii & Hipparini genus voluerint pro Siciliæ salute his calamitatibus quæ nunc urgent, finem imponere, honores sibi totique familiæ comparantes non ad præsens solùm, sed in posterum, hac inquam conditione, quemadmodum & priùs dictum est, ad regnum vocate: & legatos quos ipsi velint concordiæ gratia cum publica autoritate deligite: sive ex vestris civibus, sive ex alienis, sive ex utrisque: totque præterea quot illi concesserint. Qui communi sententia leges condant, atque Rempublicam ita constituant, ut in ea reges esse deceat sacrorum dominos, aliarumque rerum quascunque decet his concedi, quorum beneficia in patriā extant.

Proinde belli pacisque arbitrium habeant custodes ipsi legum, creati numero quinque & triginta, unà cum populo atque senatu. Iudicia verò distincta sint alia aliorum. Mortis quidem atque exilii autoritas sit penes triginta & quinque viros: & præter eos, penes alios quosdam judices ex illis electos qui magistratibus proximè perfuncti sunt: ita ut unus ex quolibet magistratu eligatur qui optimus justissimusque appareat. Hi sequenti anno de morte & carcere & exilio sententiam ferant. Regi verò his judiciis interesse non liceat: ut pote sacerdoti: quem in ferenda necis, carceris, exilii sententia contaminari nefas sit.

Hæc equidem & dum viverem, cogitabam: & nunc etiam cogito facienda: atque tunc, cùm inimicos superavissem unà vobiscum, nisi externi, furiæque obstitissent, ut decreveram, constituissem. Proinde si ad votum res processissent, colonis reliquam Siciliam replevissem. Barbaris quidem ex his locis quæ nunc occupant expulsis: præterquam si qui eorum pro communi libertate contra tyrannidem pugnaverunt. Priores autem Græcorum locorum colonos in antiquas, patriasque sedes restituissem. Hæc igitur eadem in præsentia omnibus consulo communi consilio deliberare & agere: atque ad hæc agenda omnes cohortari: quòd si qui dissenserint, eos communi sententia hostes existimare. Neque verò hæc talia sunt, ut fieri nequeant. Quæ enim in duorum animis consistunt atque his qui consultando perquirunt optima, mox facileque occurrunt, ea qui impossibilia judicat, non rectè sentit. Dico autem duos, Hipparini scilicet Dionysii filii atque insuper mei filii animos. Arbitror enim si hi consenserint, alios quoque Syracusanos & omnes quibus patria curæ est, consensuros. Sed diis omnibus honores cum precibus offerentes, & aliis præterea quibuscunque unà cum diis vovere decet: præterea cohortantes invitantesque amicos & inimicos omnino atque benignè, nolite priùs desistere quàm ea quæ à nobis dicta sunt, quasi divina somnia vigilantibus supervenientia, perspicua quidem atque felicia perfectissimè impleatis. *Epist. 9. ad Dionis propinquos octava.*

Matridi: Chion Philosophus: Revera sic habet, ut scribis. Non ita Silenum, Clearchus metuit ob captam munitionem quàm nos, qui philosophiæ studiis initiati sumus. Nam adversus illum adhuc nullos misit oppugnatores, ut audio: ad me verò venit quidam Trax, satelles ipsius quod postea rescivi, & paulò pòst, quàm literas ad te de morbo dederamus, scelus aggressus est. Iam enim satis convalueram: Is dum circiter horam sextam in Gymnasio solus inambulans quæstionem quandam diligenti meditatione examino, repentinus impetum in me facit. Ego confestim observo, quid agat, cumque gladium hostiliter stringere, viderem, sublato clamore terrorem incutio, accurensque dextram, qua jam ferrum tenebat præhendo. Exinde calcibus in eum invectus, fracto brachio, ferrum excutio, quod in pedem mihi delapsum vulnus inflixit, tametsi non admodum grave, Post furentem atque exanimem religatis in tergum manibus proprio cingulo vincio, eumque ad militiæ principes adduco.

Sic ille pœnas mihi dependit. Ego verò nihilo sum ad navigandum timidior sed cùm desierint Etesiæ, quàm poterit fieri celerrimè navigabo. Nam indecorum est, nos in Democratia viventes, patriam Tyrannide premi conficique pati. De me quicquid futurum est, boni erit consulendum. Neque enim viventi neque mortuo probitas, & virtus eripietur. Vt autem pro patria rem gerere possimus, tuum erit persuadere Clearcho, nos philosophiæ deditos, otium sequi & à gerenda Republ. prorsus animum abhorrere. Hæc per Nymphidem ei persuadeto, qui nobis amicitia, illi sanguine conjunctus est. Sic enim ab omni suspicione longissimè abducetur. Tibi non obscurè scribimus, quòd & literas viris fidelibus commisimus, & Clearchus, ut refers rectè quidem parum est de hisce sollicitus.

Idem eidem. Cum Byzantium ex periculosa, celerique navigatione, salvus evaserim, quoad commodum videbitur moram ibi nectere decrevi, Misi autem Crobylum servum ad vos, ut noster descensus in rem patriæ sit. Nostra enim securitas, non est penes Clearchum. Sed quoniam semel adductus sum, universum animi mei sententiam tibi aperiam. Nam mea opinione, multò maximum periculum extra præsens infortunium, impendet patriç. Iam enim, ut audio, cædibus hominum & exiliis tentatur, præstantissimis & optimis civibus orbatur, improbissimis verò in servitutem traditur. Posthac autem non leve periculum est, ne ex hac fortuna, quidam Tyrannidis affectioni, reliqui verò servituti assuescant, atque posthac in sempiternam monarchiam res devoluantur. Nam occasiones etiam munitissimæ solent aliquando diuturnorum & propemodum perpetuorum initia malorum introducere, omninoque sunt corporum morbis simillimæ. Quemadmodum enim hi, si ab initio statim obsistatur, facilimè ab hominibus depelluntur: sin invaluerint aut difficulter aut planè non sanari possunt, sic etiam Rerumpublicarum morbi. Donec enim libertatis memoria viget, & præliorum recordatio subit servientibus, consentiente multitudine sine periculo restitui res in integrum potest: postquam verò semel incrementa malum accepit, neq; sermones ampliùs conferuntur, qui ratione reprimatur tollaturque, sed potiùs quemadmodum tolerabilem in eo vitam transigant: tunc exitium commune jam est præ foribus. Patria itaque in tantis tempestatibus periculisque jactatur. Ego verò si mearum rerum statum per se voles considerare, prorsus in toto navigo. Nam servitutem ego eam accipio, quæ cum corporibus, etiam animos sub imperio continet.

Quæ verò nequaquam animum attingens, solum corpus obnoxium tenet, ea mihi ne servitus quidem appellanda videtur. Atque his argumentum certissimum id esse debet. Quicquid enim est in servitute mali, illud ad animum omne transfertur. Nam alioqui ne mali quidem appellationem subire posset. Metus enim existit alicuius incommodi, atque ex incommodo dolor. Quę gravissima videntur hominibus minimè libero ingenio natis. Quomodo igitur? Siquis neque futurum incommodum extimescit, neque ob præsens doleat, is servire tenebitur, præsertim cùm omnium malorum quæ secum apportat servitus, expers sit & immunis. Sic igitur tibi persuadeas velim, me talem evasisse philosophię præceptis, ut me Clearchus, etiamsi in vincula conjiciat, atque suppliciis acerbissimis afficiat, tamen in servitutem nunquam sit redacturus. Neque enim animum meum unquam subiget, in quo posita vel servitus, vel libertas est: quoniam corpus fortunæ semper est obnoxium, tametsi dominatori subjectum non sit. Quòd si mihi mortem obtulerit, jam constantem perfectamque libertatem largietur. Quam enim ambiens corpus in suam pertrahere servitutem non potuit, huic ab corpore separatæ, suam quandam quasi gubernationem relinquere videris. Non autem ego solùm, quamcunque procellam subivero, liber: verumetiam Clearchus quocunque fuerit in me animo, servus efficietur. Nam metum geret: cùm animus liber, ab omni timore sit alienissimus. Proinde quòd ad meā conditionem per se examinandam pertinet, vides me patiendo vim, tutiorem fore, quàm Clearchum inferendo, neque quicquam solicitudine, sed contemptu meis in rebus est opus Nam à principio de his animo enunciari, hominis est non planè liberi. Mihi verò patriæ status plenam hanc absolutamque libertatem non concedit. Sed Rerumpublicam gerere, cogit, periculisque implicat, non, ne quòd ipse detrimentum accipiam: sed ne patriæ afflictæ perturbatæque deesse videar. Ob hanc causam mihi quamvis non metuenti, præmeditari tamen de morte necessum est: ne priùs ipse occumbam, quàm pro salute patriæ mortem oppetere possim. Tu coram Tyranno hoc age, quod superioribus literis tibi scripsi, ut persuadeas ei, nos otio delectari. Et scribe nobis, si quid ad eam rem perficiendam aliud pertinere existimabis. Nam mihi necesse est communis libertatis causa de mea quiddam detrahere, ut curā consiliumque de his suscipiam.

Adhuc

Adhuc eidem. Quòd ea Tyranno persuaseris quæ de nobis pollicitus es, id verò gratulor patriæ. Ego in eandem sententiam ad eum literas dabo, conaborq; eum à veritate quàm longissimè abducere. Quòd si facerem aliter, fallerem spem civium & amicorum meorum, qui sanè circumveniri nullo modo debent. Quòd verò Tyrannus supra modum est intolerabilis, id ego magis è re patriæ judico esse, quàm si populo blandiretur, atque opinionem integritatis prætenderet. In causa est, quoniam difficiles ac truculenti citiùs evertuntur aut si etiam non tollantur, tamen odium Tyrannidis in animis populi insitum relinquunt & prorsus suis moribus invidiosam reddunt monarchiam. Ex quo fit ut in posterum omnes vigilantiori cura providentiaque Democratiam tueantur. Cùm verò quis redactos in servitutem blanditiis demulcet, posteaquam redegerit is etiamsi subitò deleatur: tamen plurima Tyrannidis incommoda singulis relinquit, quorum alii beneficiorum cupiditate, nõnulli assentationis illecebris ducti in perspiciendis publicis commodis omninò cæci feruntur, atque interfectum luctu prosequũtur, tanquam bonum & moderatum neque Tyrannidem, quasi malum aliquod infandum execrantur: nescientes, si etiam fuerit æquus & moderatus, ob eam maximè causam fuisse tollendum, quòd difficilis & intolerandus esse potuisset. Sed Clearchus, quoniam sævus est, tum nullo negotio confici propter odium poterit, tum reliquis incomparabilem, regni affectationem efficiet. Quòd si lenitatem simulare noluisset, profectò & ipse fructum opinionis fictæ tulisset, & posthac affectantibus viam ad arcem munivisset. Sed hæc tu probè scilicet tenes. Modus scribendi respondendique valdè mihi probatur, quem tu putasti tutiorem esse, atque eventus declaravit non ineptè fuisse excogitatum. Misi tibi exemplar ejus epistolæ, quam ad Clearchum scripsi. Eam data opera feci pomposiorem, strictioremque, ut nos nihili faceret quippe, quos in sermonis ornatu prorsus insanire videret.

Idem Clearcho. Cum Athenis philosophiæ sapientiæque causa versarer, quidam ex communibus amicis atque etiam pater per literas significarunt, me tibi in suspicionem venisse, eamque argumentis amovere jusserunt. Hoc enim æquum esse mihique utile. Ego verò rectè suadere satis sciebam: at illud ignorabam, quas ob causas essem traductus: sed hoc mihi ad defendendum facultatem maximam suppeditare videbatur, quòd neque te regnum occupãte, præstò fuissem, neque possem absens resistere. Neque enim quicquam ego vel feci, vel locutus sum, quod ad illam rem pertineret, aut respiceret. Quæ igitur transpontanæ adversus monarcham controversiæ, hominis cum paucis quibusdam famulis peregrinãtis esse potuissent, non inveniebam: sic qua potissimùm uterer defensione dubitabam, quòd nihil scirem cuius accusatus essem. Non dubitabam rursus, quòd nihil tale machinarer, cuiusmodi fortassis nonnulli de me suspicarentur, & ostendere possem, nullis ejusmodi consiliis facilè meum animum patere. Arbitror autem, si etiam non operam philosophiæ dedissem: tamen hoc satis firmum indicium fore, non me tibi infensum esse, quòd nullam à te passus sum injuriam; nam ne ij quidem, qui sunt à sapientiæ studio disiuncti, si non prorsus mente capti sint, inimicitias ex quadam voluptate suscipiunt. Neque quemadmodum in amorem speciosorum adolescentum, sic etiam in odium quadam libidine rapiuntur. Multùm abest.

Noverunt enim probè molestius hominibus odio contingere posse: cùm verò scelere quodam aut injuria distrahantur illorum animi, tunc infensi sunt atque ne id quidem lubentes. Nobis verò usque in hunc diem neque magna, neque parva res ulla, mutuæ offensionis causa exstitit: sed tu præter suspiciones & sermones nihil affers, ego verò ab his quoque mentem expurgo. Quid igitur me impelleret ad tam repentinam adversus te factionem? idque cùm nondum etiam hodie viderim patriam sub tuum imperium missam? At Hercules me copia triremium equitumque sic effert, ut si nihil aliud, at saltem posse me hostem esse suspiceris. Atqui peregrinationem suscepimus cum famulis octo, & duobus familiaribus Heraclide & Agathone: duos verò ex famulis amisi, quibus careo. Hæc nescio quomodo persuadentibus satis adversus te magnum apparatum esse. Illud verò non cogitas, me, si mihi justæ suspicionis essem conscius, nunquam facturum fuisse, ut in manus ejus, qui suspicatur libenter me committerem: aut sum tam cupidus invidentiæ atque odii, ut neque meiipsius amoris ratione ducam, sed sponte corpus meum ad justum supplicium luendum offeram? Hæc verò imperitis etiam philosophiæ sufficerent ad criminis purgationem, immò superare putarent: ego verò cùm aliis rebus omnibus non ineptus essem ad philosophiæ, naturam quantum fieri potuit, exercui, & adolescens non imperia, non dignitates ambivi: sed statim dicendi atque orationis amore flagrare cœpi. Qui me amor Athenas adduxit, & Platonis familiaritatem mihi conciliavit, cuius ne nunc quidem me saturitas tenet. Cùm itaque natura me sic ad otium & tranquillitatem finxerit, ut etiam rudibus adhuc annis, omnia negligerem, quæ turbulentioré efficere vitam possent. Posteaquam verò Athenas accessi, neque venationibus me dedi, neque Nauta cum Atheniensibus contrà Lacedæmonios in Hellespontum navigavi, neque in his eruditus sum, quæ me à Tyrannis & regibus abalienare possent: sed viro quietis amanti conversatus sum, ab eoque in divinis propè sermonibus institutus. Atque primum hoc mihi præceptum dedit, ut otium amplexarer.

Id enim philosophiæ dissertationem quasi fulgens quoddam lumen esse. Rerumpublicarum verò gubernationes & negotia, quasi tenebras offundere, atque impervestigatam reddere doctrinã quærentibus. Cùm autem neque infœlici ad eam ingenio naturaque præditus essem, neque facilè quidvis obvium de ipsa crederem: tum denique Deum omnium inspectorem, & mundi instructum discebam, atque naturæ principia conspiciebam, & quemadmodũ esset colenda justitia, docebar, ac quæcunque his similia traduntur à philosophia, quibus nihil est, neque scitu neque quæsitu dignius. Quid enim splendidius quàm hominem ex mortali natura divinaque portione commixtum, ei duntaxat suiipsis parti quæ mortalitatis expers est, vacare, eamque ad cognata deducere? Cognata verò divina divinis appello. Ad hæc perdiscenda votis omnibus diligentiaque contendi, Respublica verò, patieris enim liberè me loqui, ne in mentem quidem venit. Et cùm alia multa discendo comprehendi, tum etiam, quibus nunc ad te sum usurus. Eum qui nullam faceret injuriam observantes habere. Injuriosum verò beneficiis potissimum compescere: sin minùs quiete: Amicum in summo precio putare. Neminem sibi inimicum parare, atque cum eo qui sit, in gratiam redire. Nullum malum tanti ducere, ut animum confundat, & à domesticis negotiis ad alia transferat. Ecquid insidias me tibi studere putas, qui teneam hæc? Nullo pacto. Sed tibi bellorum rerumque publicarum negotia serves. Nobis verò tantùm de tua Tyrannide concedatur, quantum licitum sit homini otioso quietem sectari. Persuasum autem habeo, si mihi potestatem feceris inter amicos disserendi: fore, ut quod tu potissimum cupis, ipsos quoque faciam quietis avidos, & à Republ. abhorrentes, percensens prædicansque clarissimas philosophiæ laudes, in quibus nos perpetuo versamur: siquidem omnino forem ingratus, nisi sic in animum inducerem. Nam age si mihi quiddam ejusmodi molienti, quale tu suspicaris, mansueta dea QUIES assisteret ac his me verbis compellaret. Ingratus verò ô Chion & pravus es, ac neque pulcherrimarum disciplinarum, neque planè tuiipsius meministi. Mea opera justitiam coluisti, & modestiam consecutus es, Deumque cognovisti ac tuam cùm eo cognationem renovasti.

Item hæc vilia contempsisti quæ sunt apud alios in admiratione, honores, divitias & quæ sunt his similia. Nunc verò cum te gratiam referre par sit, quippe, qui majori lege, confirmatioreque animo, mihi conversaris & colloqueris: me, deseres, immemor nõ solùm cætera te ex philosophia didicisse, verùm etiam fœliciter invenire, quæ nunquam noveris. Quomodo verò sine me quicquam aut quærere aut invenire potuisses? Hæc si diceret, quod ego justũ ei responsum daré. Ego sanè non video. Atqui sic tibi persuade, me semper hæc meum loqui. (Quicquid enim animo quisque versat, & sentit, id secum loquitur.) Neque unquam ea repudiabo. Quare nullus tibi potest à nobis esse metus rationabilis. Neque enim attinget res tuas meum otium. *hactenus Chion.*

Dio Prusæus: Quum autem audio quendam dicere ut de tyranno, inopinabile mihi est, & ridiculum. Ego enim novi tyrannorum facta esse talia: adulterio alienas polluere uxores, & corrumpere pueros, hominesque liberos verberare, flagrisque omnibus videntibus cædere: atque hos quidem tormentis subjicere, atque in ahenum ferventem dejicere, alios autem pice comburere; quorum ego nullum facio. Novi autem & mulierem tyrannidem exercentem, nempe Semiramim; quæ jam provectæ ætatis quum esset, & scortum, quosdam coegit secum coire. Tyrannorum verò audivi neminem talia fecisse, licet confidentem senem. *Oratione quadragesima septima.*

Lucianus: Cæterùm ubi est philosophus Cyniscus, quem Hecates cœna, lustralibus ovis, quinetiam sepia cruda devoratis mori decretum erat? *Cyn.* Iamdudum tibi asto optima Clotho: sed qua in re injurium me tandiu apud superos reliquisti? Nam mihi fusum ferè totum agglomerasti, quanquam filum rumpere sæpe conatus sum ut venirem: sed nescio quo pacto infragile erat. *Cl.* Equidem te humanorum peccatorum inspectorem medicum relinquebam. Iam autem, quod fœlix faustumque sit, inscende. *Cyn.* Non per Iovem, quin priùs vinctum hunc inscendere adegerimus: vereor enim ne te precibus à tua sententia dimoveat. *Cl.* Age videam quis sit. *Merc.* Lacydæ filius Megapenthes tyrannus. *Cl.* Inscende tu. *Megap.* Minimè domina Clotho: sed me paulisper reverti sinito: deinde ultro à nemine vocatus veniam. *Cl.* Sed quid est, quorsum ad vitam redire vis? *Megap.* Permitte mihi ut domum priùs perficiam, quam semifactam reliqui. *Cl.* Deliras. inscende. *Megap.* Non multũ flagito temporis ô Parca. Sine me unicum hũc diem manere apud superos, donec uxori de pecuniis mandata dedero, atq; ubi defossum habebam thesaurum indicavero. *Cl.* Placuit. Non id consequeris. *Megap.* Num igitur tantum auri peribit? *Cl.* Non peribit: bono, quod ad hoc attinet, sis animo: consobrinus enim tuus Megacles id accipiet. *Megap.* O contumeliam! inimicus ille, quem præ ignavia ego antea non occidi? *Cl.* Ille ipse, tibique annos quadraginta superstes erit, imo paulò amplius, pellices tuas, vestes, & quicquid est auri nactus. *Mega.* Præter jus facis Clotho, quum res meas mihi in-

ſenſiſſimis hoſtibus attribuis. *Cl.* Nonne tu Cydimachi bona ipſa, ô generoſiſſime, accepiſti, occiſo ipſo: liberiſque ejus cùm adhuc ſpiraret, jugularis? *Megap.* Sed mea nunc erant. *Cl.* Itaque exactum eſt tui dominii tempus. *Megap.* Audi Clotho, quæ tibi privatim, nullo audiente volo dicere. vos pauliſper ſecedite. Si me aufugere ſinas, mille ſignati auri talenta me tibi hodie daturum polliceor. *Cl.* Adhuc ne ridiculum caput, talentorum meminiſti? *Megap.* Sed enim duos, ſi velis crateras addam, quos occiſo Cleocrito accepi, utrumque pondo centum puri auri talentorum. *Cl.* Illum trahite. Nobis enim videtur non ingreſſurus ultro. *Megap.* Teſtor vos: murus manet imperfectus, & navium ſtatio inchoata: quæ omnia exegiſſem, ſi ſolos quinque dies ſupervixiſſem. *Cl.* Ne cures: alius extruet. *Megap.* Atqui hoc ſaltem omnino æquum poſtulo. *Cl.* Quid hoc? *Megap.* Vt tantiſper vivam dum Piſidas ſubjugavero, & tributum Lydis impoſuero, mihique ipſi magnificentiſſimo monumento erecto, inſcripſero quicquid magni, & Imperatore digni, à me in vita geſtum fuerit. *Cl.* Heus tu, non unum diem poſtulas, ſed fermè viginti annorum moram. *Megap.* Atqui feſtinationis, meique reditus ſponſores vobis dare ſum paratus. Imò ſi velitis etiam mei ſuccedaneum tradam vobis Agapetum. *Cl.* O ſceleſte, quem ſæpe optaſti in terra relinquere? *Megap.* Hoc olim optabam: ſed vide nunc quid ſit ſatius. *Cl.* Veniet & ille tibi haud ita multò poſt, ab eo qui recens regem agit, è medio ſublatus. *Megap.* Sed illud ô Parca tu mihi non negaveris. *Cl.* Quidnam? *Megap.* Scire velim ut res me defuncto ſe ſint habituræ. *Cl.* Audi: nam edoctus magis angeris. Tuam uxorem Midas ſervus habebit, quam jam olim adulterio corruperat. *Megap.* Ille ſceleroſus quem ejus ſuaſu manumiſi. *Cl.* Tua verò filia pellicibus ejus qui nunc tyrannidem obtinet, annumerabitur. Porro ſtatuæ, quas olim tibi urbs erexit, omnes everſæ, ſpectantibus riſum præbebunt. *Megap.* Dic mihi, nullúſne ex amicis ob ea quæ fiunt indignatur? *Cl.* Quiſnam tibi fuit amicus? aut quis juſta de cauſa conciliatus? Neſcis omnes qui te adorabant, & eorum quæ dicebas ac faciebas ſingula laudabant, id vel metu, vel ſpe feciſſe? imperii nimirum amici erant, & temporis rationem habebant. *Megap.* Atqui cùm in conviviis libarent magna voce multa bona mihi precabantur, parati ſinguli ante me mori, ſi fieri poſſet, In ſumma per me jurabant. *Cl.* Quare heri cum quodam ex ipſis cœnatus, obijſti: nam poculum tibi poſtremò allatum huc te demiſit. *Megap.* Hoc illud eſt quod amari quiddam ſenſi. Quid verò hoc facinore voluit? *Cl.* Multa percunctaris, cùm jam inſcendiſſe oportuiſſet. *Megap.* Vnum me maximè agit Clotho, cuius gratia pauliſper ad lucem emergere cuperem. *Cl.* Quid iſtud eſt? id permagni quid videtur eſſe. *Megap.* Carion famulus meus quum primum vidit me extinctum, circa veſpertinum crepuſculum, conclave in quo jacebam ingreſſus, cùm vacaret (neque enim me cuſtodiebat quiſquam) Glycerium pellicem meam, cum qua jam ante rem habere ſolebat, attractis foribus tanquam nemo intus eſſes, ſubegit. Deinde poſtquam libidini ſatisfeciſſet, converſis in me oculis. Tu quidem, inquit, homuncio ſceleſte, mihi plagas nihil commerito ſæpe inflixiſti. Cumque hæc diceret, ſimul vellicabat me, & alapas impingebat. Tandem cùm lato ſcreatu me conſpuiſſet & in regionem impiorum abire me juſſiſſet, diſceſſit. At ego quanquam ira ſuccendebar, tamen quia jam frigidus & exanguis eram, hominem ulciſci non potui. Porrò ſceleſta famula cùm advenientium quorundam ſtrepitum ſenſiſſet, oculis ſaliva inunctis, ac ſi me defleviſſet, ejulando, nomenque meum inclamando, diſcedebat: quos ſi prehendero: *Cl.* Deſine minari: & inſcende: jam enim tempus eſt ut in judicium concedas. *Megap.* Ecquis contra tyrannum pronunciare volet? *Cl.* Contra tyrannum nemo: ſed contra mortuum Rhadamanthus, quem in ferendis pro cuiuſque merito ſententiis, mox æquiſſimum videbis: quare in præſentia ne cuncteris. *Megap.* Privatum me & ex pauperibus unum, quinetiam pro rege ſervum facias licet, dummodo reviviſcere me ſinas. *Cl.* Vbi ille eſt qui fuſtem gerit? & tu Mercuri, iſtum correpto pede intrò trahite. Non enim inſcendat ultro. *Merc.* Sequere nunc fugitive, accipe hunc tu portitor, atque illum: utque malo diligenter alligetur, cura. *Megap.* Atqui me primas occupare par eſt. *Cl.* Quid ita? *Megap.* Quia rex fui innumeroſque ſatellites habui. *Cl.* Annon te meritò vellicabat Carion, cum ſævus adeò fuiſſes? acerbam certè deguſtato huius baculo tyrannidem obtinebis. *Megap.* Audebit ne Cyniſcus mihi baculum illidere? Nonne ego te nuper, quòd liberiùs, & aſperiùs objurgares, cruci propemodum affixi? *Cl.* Quamobrem & tu malo affixus manebis. *Micyllus.* Dic mihi Clotho: nullam mei rationem habetis. An quia ſum pauper me poſtremum inſcendere par eſt? *Cl.* Tu verò quis es? *Mycillus.* Sutor ſum Micyllus. *Cl.* An moleſta tibi eſt mora? Non vides quàm multa ſe daturum polliceatur hic tyrannus, ſi vel paulum in vitam remittatur? Quare me tenet admiratio, cur non & tibi mora ſit jucunda. *Micyllus.* Audi Parcarum optima. Non admodum me delectat munus illud Cyclopis, quum pollicetur ſe poſtremum Vtim voraturum: nam ſive primum, ſive poſtremum, iidem me dentes manent. Præterea res meæ, non ut divitum ſe habent. Nam vitæ noſtræ ex diametro (ut ajunt) inter ſe diſtant. Hic enim tyrannus qui beatus in vita videbatur, horrendus omnibus ac ſuſpiciendus, relicto tam multo auro, & argento, veſtibus, equis, epulis, pueris floridis, & mulieribus formoſis, non injuria cruciatur: ab iiſque ſe abſtractum gravatur. Etenim anima neſcio quo pacto hiſce veluti viſco affixa hæret, nec facilè demigrare vult, ut quæ his jamdudum addicta ſit. Quin potiùs ac ſi infragile ſit vinculum iſtud quo ipſos illigari contingit, quum à quopiam vi abducuntur, altum ejulant. Ac cum in cæteris ſint feroces, in hac via quæ ad inferos ducit, meticuloſi deprehenduntur. Itaque veluti perditè amantes à tergo ſubinde reſpiciunt, & ea quæ apud ſuperos geruntur è longinquo cernere cupiunt: ſicut ſtultus hic faciebat, cùm & in via fugeret, & hic tibi ſupplicaret. At ego, qui nullum in vita pignus haberem, non agrum, non domuum multitudinem, non aurum, non ſupellectilem, non gloriam, non imagines, meritò ad mortem expeditus fui, ac poſtquam mihi ſolùm innuit Atropos, ſcalpro, ſoleáque libenter abjectis, crepidam præ manibus habens, ilico exilii diſcalceatus, nec abſterſo atramento, ſum ſecutus: imò potiùs prævivi, ad anteriora reſpiciens: cùm nihil à tergo relictum me converteret, & revocaret. Et per Iovem jam pulchra apud vos omnia video. Nam pares omnibus eſſe honorum gradus: nullúmque vicino præſtare, res mihi longè ſuaviſſima videtur. Conjicio etiam hic neque æs alienum à debitoribus repoſci, neque tributum pendi: quodque maximum eſt, neminem hyeme rigere, nec ægrotare, nec à potentioribus colaphos infligi. ſed omnia pace conſiſtere, reſque hominum in contrarium verſas eſſe. Nos enim pauperes ridemus, ac divites triſtantur & plorant. *Cl.* Te jamdiu ridentem vidi Micylle: ſed quid potiſſimum tibi riſum movebat? *Micyllus.* Audi, Dearum mihi maximè veneranda. Cùm apud ſuperos propter tyrannum habitarem, valdè diligenter inſpiciebam, quæ ab ipſo fiebant: ac ille tunc mihi Deo par videbatur. Nam cùm purpuræ florem ſpectarem, & comitantium turbam, & aurum, & pocula gemmis diſtincta, lectoſque pedibus argenteis ſuffultos, eum fœlicem prædicabam: præterea eorum quæ in cœnam parabantur, nidor me afficiebat. Itaque vir homine major, & ter beatus videbatur, imò fermè pulchrior, & altior, toto cubito regio fortunæ ſucceſſu ſe erigens, & graviter incedens, ac ſeipſum reſupinans, obvioſque obſtupefaciens. Sed poſtquam vita functus eſt, ipſe deliciis exutis, viſus eſt mihi prorſus ridiculus: ac me ipſum magis irridebam qui ſceleratum illum obſtupuiſſem, fœlicitatem ejus ex nidore tantùm æſtimando, & ob ſanguinem, qui Laconici maris cochleis innaſcitur, beatum prædicando. Neque hic ſolum mihi ludo fuit: ſed cùm fœneratorem illum Gniphonem gementem viderem, & conſilii pœnitentem, quòd pecuniis non eſſet fruitus, ſed non guſtatis illis obiiſſet, & nepoti Rhodochari facultates reliquiſſet (hic enim ipſi erat genere proximus, & primus ex lege in hæreditatem vocabatur) riſum compeſcere non poteram: præcipuè cùm meminiſſem quàm pallidus & ſqualidus eſſet, vultumque curis triſtem gereret, ſoliſque digitis dives eſſet, quibus talenta, & myriadas ſupputabat, minuatim colligendo ea quæ paulò poſt à beato Rhodochari erant diſſipanda. Sed quid jam hinc non ſolvimus? Etenim reliqua inter navigandum ridebimus, quum plorantes ipſos videbimus. *Cl.* Inſcende, ut Portitor anchoram extrahat. *Ch.* Heus tu, quò pergis? plena jam ſcapha: ibi expecta: cras luce prima te trajiciemus. *Micyllus.* Iniquus es, ô Charon qui mortuum jam exoletum relinquis. Te profectò apud Radamanthum injuriæ accuſabo. Hei miſero mihi! jam navigant: & ego ſolus hic relinquar. Atqui, cur ad eos natatu non contendo? Non enim timeo ne defatigatus ſuffocer, cum jam mortuus ſim: præſertim, cùm ne obolum quidem habeam quo naulum ſolvam. *Cl.* Quid hoc rei eſt? expecta Micylle: non enim fas eſt ita transfretare. *Mycillus.* Atqui fortè prior vobis tranavero. *Cl.* Nequaquam: ſed admota potiùs nave, ipſum recipiamus: tu quoque Mercuri nobiſcum arripe. *Cl.* Vbi nunc ſedebit? nam plena, ut vides, ſunt omnia. *Merc.* Tyranni humeris, ſi videbitur, inſidebit. *Cl.* Hoc ſcitè Mercurius excogitavit. Aſcende igitur, & ſceleſti huius cervicem conculca: nos autem fauſtè navigemus. *Cyniſcus.* Æquum eſt ô Charon, ut verum hinc tibi dicam, ne obolum quidem pro trajectu tibi dare potero: præter peram enim quam vides, & baculum hunc, planè nihil habeo. Cæterùm ſi velis, ſentinam exhaurire, & remigem agere ſum paratus. Nec conquereris, ſi modò agilem, firmumque remum mihi dederis. *Ch.* Remiga: nam hoc à te ſatis ſit accipere. *Cyn.* Num remiges etiam cantu accendere opus erit. *Ch.* Per Iovem, ſiquidem nauticam aliquam exhortationẽ tenes. *Cyn.* Multas equidem teneo Charon: verùm hi plorando, ut vides, obſtrepunt: unde futurum eſt ut cantus nobis interturbetur. *Dives.* O meas poſſeſſiones! *Alius.* O meos agros! me miſerum qualem reliqui domũ! *Alius.* Quàm multa talenta hæres à me accepta dilapitabit! *Alius.* Væ væ meis infantulis! *Alius.* Quis vites meas, quas anno ſuperiore plantavi, vindemiabit? *Merc.* Mycille, tu verò nihil ploras? atqui non fas eſt quenquã citra lachrymas navigare. *Micyl.* Apage: nam cùm fauſta navigatione deferar, nihil eſt quod plorẽ. *Merc.* Attamẽ pro more paulũ ingemiſcito. *Mic.* Plorabo igitur: quãdoqdẽ ita vis, Mercuri. O meas ſoles! ô vetereas crepidas! eheu

eheu putres calceos! Non amplius infœlix ego, ab aurora ad vesperam usque jejunus manebo: nec hyeme discalceatus, & seminudus obambulabo, dentes præ frigoris acerbitate complodendo: quis cultrum meum, quis subulam habebit? satis lamentatus sum, ferè jam ad portum appulimus. *Ch.* Age verò priùs naulum reddite: tu quoque redde: iam ab omnibus habeo: da tu quoque obolum Micylle. *Micyl.* Jocaris ô Charon, aut quemadmodum ajunt, in aqua scribis, qui à Micyllo obolum expectes: principio autem, ne novi quidem quadratúsne, an rotundus sit obolus. *Ch.* Egregiam verò & quæstuosam navigationem hodiernam. Descendite tamen. Ego equos, & boves, & canes, reliquaque animalia adibo: nam oportet ut & illa traiiciant. *Ch.* Illos exceptos abducito Mercuri. Equidem in adversam ripam renavigabo Indopatem & Heramithrem Syræ filios advectura. Jam enim de finibus agrorùm pugnando mutuis se vulneribus confecerunt. *Merc.* Heus vos, progrediamur: imò verò ordine sequimini me omnes. *Micyl.* Hercle quænam est hæc caligo? ubi nunc pulcher ille Megillus? aut quo pacto dignoscat hîc aliquis an Simmiche sit Phryna formosior? Quidvis enim hîc par est, & concolor: pulchrum nihil, nihil pulchrius. Quin palliastrum meum, quod fœdum antehac videbatur, æquè nunc est in precio, atque ipsa regis purpura. Nam obscura sunt ambo, iisdemque tenebris immersa. Tu verò ubi tandem es Cynisce. *Cyn.* En tibi Micylle hîc adsum: sed si videtur, simul eamus. *Micyl.* Probè dicis, dextram mihi iniice. Dic mihi: tu enim Eleusiniis sacris es initiatus: num tibi quæ hîc fiunt illis similia videntur? *Cyn.* Rectè dicis. Ecce quædam accedit facem gestans, terrificum quiddam & minitabundum obtuens. Annon est Erinnys? *Micyl.* Videtur certè ex habitu. *Merc.* Excipe Tisiphone hos quatuor supra mille. *Tisiph.* Atqui jamdudū Rhadamanthus hic vos expectat. *Rhad.* Adduc ipsos, Erinny. Tu verò Mercuri, illos utpote præco accerse. *Cyn.* O Rhadamanthe, per patrem obsecro, primum me inspice. *Rhada.* Quorsum? *Cyn.* Omnino quendam accusare velim, de iis quæ in vita me conscio commisit. Non enim dicta mea fuerint fide digna, nisi qualis ipse sim & quomodo vixerim, priùs manifestum fiat. *Rhad.* Tu verò quis es? *Cyn.* Cyniscus, ô optime, professione philosophus. *Rhad.* Adesdū, primusque in judicio consiste: tu verò accusatores accerse. *Merc.* Siquis est hujus Cynisci accusator, huc prodeat. Nemo accedit: sed hoc, Cynisce, non sufficit, quare vestes exue, ut tua stigmata considerem. *Cyn.* Vbinam inusta sunt mihi stigmata? *Rhad.* Quot scelera quisque vestrûm in vita perpetravit, tot notas, sed quæ non appareant, in anima circumfert. *Cyn.* Nudum ecce tibi me sisto: itaque istas perquire quas dicis notas. *Rhad.* Hic per omnia est purus, præter tres quatuorve planè obscuras, evanidasq; notas: sed quid hoc? vestigia, signaque inustionum: sed nescio quo pacto deleta, imò potiùs excisa sint. Quid hæc ô Cynisce? aut qui denuo purus es factus? *Cyn.* Ego tibi dicam. Olim cùm propter imperitiam pravus essem, multâsque ideo notas contraxissem, simul atque philosophari cœpi, paulatim maculas omnes ex anima elui. *Rhad.* Bono profectò, & præsentissimo usus es remedio. Sed in beatorum insulas ito cum oprimis conversaturus. Quum priùs tyrannum quem dicis, accusaris, alios accerse. *Micyl.* Quod ad meam causam attinet parva, brevique inquisitione indiget. Jamdudum tibi nudus adsum: itaque me inspice. *Rhad.* At quisnam es? *Micyl.* Sutor Micyllus. *Rhad.* Euge Micylle, exquisitè purus es, nullisque stigmatibus notatus: abi tu quoque ad hunc Cyniscum. Tyrannum iam accerse. *Merc.* Megapenthes Lacydæ filius prodeat. Quò te vertis? accede: te tyranne voco: ipsum Tisiphone in caput impulsum protrude in medium. Tu verò Cynisce accusa nunc & convince: vir enim iste prope adest. *Cyn.* Quanquam in universum verbis non est opus, siquidem eum, qualis sit, ilico ex notis cognoscere posses, ipse tamen virum tibi retegam, & oratione clariùs ostendam. Ac flagitia quæ ter scelestus ille commisit dum privatam vitam agebat, omittenda mihi censeo. Sed postquam ascitis in societatem audacissimis viris, collectisque satellitibus insurrexit, & tyrannus urbi præfectus est, plures quâm sexcentos indicta causa trucidavit. Deinde cùm singulis facultates eripuisset, summasque divitias attigisset, nullam libidinis speciem prætermisit, sed omni crudelitate, & contumelia contra miseros cives est usus, virgines vitiando, adolescentes stuprando, & quovis modo subditis insultando. Pro superbia verò, fastuque, eiusque in obvios fremitu, supplicium meritum sumere non possis. Faciliùs certè solem quispiam quàm illum intentis oculis conspexisset. Porrò nova etiam supplicia ad crudelitatem eius explendam inventa, qui nec à necessariis abstinuerit, quis recensere possit? Quòd si ab eo interemptos huc advocaveris, statim cognosces hæc inanem non esse calumniam, ipsi instructam. Imò verò non vocati adsunt ut vides, & circumstantes ipsum angunt. Hi omnes, Rhadamanthe, ab hoc scelerato sunt interempti, alij propter formosas conjuges insidiis periti, alij ad libidinem abductos fuisse filios stomachati: alij quòd divites essent: alij quod boni, & prudentes, & nequaquam factis eius delectarentur. *Rhad.* Quid ad hæc respondes scelesté? *Megap.* Quas dicit cædes, equidem perpetravi: reliqua verò omnia, nempe adulteria, in puberes libidinem, virginum stupra, hæc omnia Cyniscus falsò criminatur. *Cyn.* Quin & horum testes tibi proferam Rhadamanthe. *Rhad.* Quosnam dicis? *Cyn.* Illius lucernam Mercuri accerse mihi, & lectum. Nam in medium progressi testabuntur, quænam ille sese consciis perpetrarit. *Merc.* Et lectus & lucerna Megapenthis adsint: bene est quod obtemperarint. *Rhad.* Dicite igitur ea quæ vobis consciis Megapenthes iste commisit. Tu verò lecte prior fare. *Lect.* Vera omnia Cyniscus objecit quæ quidem domine Rhadamanthe, pudet me dicere, eiusmodi fuerunt quæ supra me patravit. *Rhad.* Manifestissimo testimonio eum damnas, quanquam ea efferre non sustines. Tu verò Lucerna iam testare. *Luc.* Equidem quæ facta sint interdiu nescio: non enim adfui: sed quæ noctu faceret vel pateretur, piget me dicere. Cæterùm nefanda multa, & quovis injuriæ genere superiora spectavi: quanquam sæpe extingui volens, oleum ultro non bibebam. At ille me suis facinoribus adhibuit, meamque lucem modis omnibus cōtaminavit. *Rhad.* Jam satis est testium. Verùm purpuram quoque exue ut stigmatum etiam numerum videamus. Papæ! hic totus est lividus & notatus, imò potius notarum vi cæruleus. Quonam igitur supplicij genere est puniendus? An est in Phlegethontem inijciendus, Cerberóve tradendus? *Cyn.* Nequaquam. Sed si velis novum quoddam supplicium, eiq; conveniens tibi proponam. *Rhad.* Dicas: nam ego tibi eo nomine gratiam habebo maximam. *Cyn.* Mos est, ni fallor, ut qui moriuntur, omnes aquam oblivionis bibant. *Rhad.* Maximè. *Cyn.* Omnium ergo solus hic à potu arceatur. *Rhad.* At quamobrem? *Cyn.* Graves ita dabit pœnas quum meminerit qualis esset quantaq; potentia apud superos polleret, quumque delicias animo recolet. *Rhad.* Rectè dicis. Hunc in modum condemnetur, & ad Tantalum adductus ligetur, eorumque quæ in vita egit, recordetur. *titulo Cataplus, sive Tyranni.*

De ijs qui mercede conducti in divitum familijs vivunt.

Lucianus: Misit nos, ô Delphi, princeps noster Phalaris, Deo taurum hunc adducturos, & vobis vera cùm de se ipso, tum de donario dicturos. Itaque hæc sunt quorum gratia huc venimus. Cæterùm hæc vobis exponenda mandavit. Ego, inquit, ô Delphi, talem mei existimationem esse apud Græcos omnes, qualis sum, at non qualem me odio prosequentium, aut invidorum fama mēdax apud ignotos traduxit, omni lucro permutarim. In primis verò apud vos, quatenus sacri estis & Pythij assessores, ac tantùm non Dei familiares, & contubernales. Etenim existimo si me vobis purgavero falsoque in crudelitatis suspicionem venisse persuasero, fore ut & apud alios omnes hæc mea defensio per vos valeat. Porrò eorum quæ dicam, Deum ipsum testem appello, quem nemo fallere, nemo falso sermone decipere possit. Etenim forsitan hominibus facilè imponas sed Deum, maximè verò istum, latere nequeas. Ego equidem non ex obscuris Agrigentinis, verùm si quisquam alius, ex illustri loco natus, libereque educatus, & ingenuis artibus imbutus, semper urbi me popularem præbui, & in administranda republ. collegis æquum & moderatum præstiti. Violentiæ autem, aut sævitiæ, aut cōtumeliæ, aut severitatis, nemo me prioribus illis vitæ annis incusavit.

Verùm cùm perspicerem eos qui à me dissidebant in administranda repub. insidias mihi moliri, omnibusque modis mei interficiendi occasionem captare: cumque tunc inter se cives dissiderent, unicum illud effugium, securitatemque reperi, mihi, civitatique salutem, si occupato principatu, illos coercerem & insidiatores compescerem, civitatemque ad moderationem adigerem. Erantque non pauci viri & modesti, & reip. amantes qui hæc comprobarent, cum mentem meam atq; instituti necessitatem nossent. Horum opera usus, facilè cœpti compos factum sum. Exinde illi non amplius turbas excitabant, sed obtemperabant, ego autem imperium obtinebā: ipsaque urbs loquendi libertate privata erat. Cæterùm cædes, expulsiones, proscriptiones, ne in insidiatores quidem exercui: quanquam hæc ad principatus in primis tuitionem audere est necesse. Etenim humanitate, clementia, mansuetudine, & honoris æqualitate mirum in modum sperabam me illos ad præstandam obedientiam pertracturum. Statim igitur data fide cum inimicis in gratiam redij, & eorum plerisque consultoribus, & convictoribus usus sum. Et cùm urbem ipsam incuria magistratuum labefactatam, multi expilarent, imò deriperent publicum ærarium, aquæ ductibus recreavi, & ædificiorum extructionibus exornavi, mœnibusque munivi, & proventus quotquot magistratuum cura communes erant, facilè auxi: juventutis curam gessi, senum commodis prospexi. Populum verò spectaculis largitionibus, solennitatibus, epulisque publicis continui. Virginum autem stupra, adolescentum corruptelæ, conjugum abductiones, satellitum immissiones, minæ heriles, meis etiam auribus abominanda erant.

Jam verò de imperio dimittendo, & principatu deponendo apud me consilium inibam, cogitans qua in ratione vitæ tutò conquiescerem. Siquidem principem agere, omniaque administrare, provinciam gravem, invidiosam, ac laboriosam esse existimabam. Hoc verò etiam quærebam quo pacto huiusmodi administratione civitas non amplius opus haberet: & ineptus ego de his ambigebam. Atque hi jam in me conspirabant, deque insidiarum & defectionis modo deliberabant, & conjurationes adornabant, arma colligebāt, pecunias parabant, & vicinorum opem implorabant, & legatos in Græciam ad Lacedæmonios & Athenienses mittebant. Nam quæ illi de me, si caperer decreverant, & ut ad mortem mea manu mihi consciscendam adacturi essent, minabantur, & quæ supplicia comminiscerentur, publicè torquentes, efferebant. Sed Diis acceptum refero, quòd detectis insidiis, nihil huiusmodi passus sim: in primis vero Apollini Pythio, qui insomnia mihi præmonstravit, & rerum singularum monitores misit. Proinde tunc ô Delphi, cùm in eodem metu, cogitatione versati sitis, puto vos mihi de rebus tum agendis consilium dedisse, quum incautè propemodum captus, ur-

gentibus in malis salutem quærebam. Itaque mente Agrigentum ad me suscepta brevi peregrinatione, visisque apparatibus, & auditis illorum minis, quid facto opus esset dixistis. Scilicet an humanitate amplius erga illos uti, ignoscere, & mox extrema passurus, perferre: ac potiùs nudam cædem sustinere, resque charissimas ob oculos pereuntes cernere, quàm stolidi cuiuspiam hæc esse reputando, & quæ generosum ac virilem animum decent cogitando, & prudẽtis ac offensi viri iram suspiciendo, illos ulcisci, mihique ex iis quæ suppetunt, securitatem in posterum parare deberem. Hoc sat scio, consilium mihi dedistis. Quid igitur postea feci? Accersitis reis, dataque illis dicendi copia, productis argumentis, & singulis accuratè exploratis, posteaquam non ampliùs inficiari poterant, de ipsis supplicium sumpsi, indignatus non tam quòd mihi posuissent insidias, quàm quòd non sivissent eo in proposito permanere, quod ab initio prosequendum mihi constitueram.

Ab eoque tempore semper custodia satellitum me munio, & eos qui mihi moliuntur insidias, punio. Tum homines crudelitatis me accusant, non reputantes amplius ab utro nostrûm huius mali ortũ sit principium. Sublatis autem iis quæ sunt in propatulo, & causis ob quas puniuntur, ipsa supplicia criminantur, & eas quæ videntur inesse crudelitates. Perinde ac siquis viso apud vos sacrilego, qui ex saxo præcipitaretur, facinus eius non expenderet, ut in templum noctu est ingressus, & donaria abstulit, & in statuam manus iniecit: sed vos magnæ crudelitatis accusaret, quod cùm Græci & sancti esse perhibeamini, Græcum hominem prope templum (nam non procul ab urbe saxum esse ferunt) huiusmodi supplicio subijcere sustinueritis. At vos, opinor, ridebitis, siquis hæc in vos dicat: ac cæteri omnes, vestram in impios crudelitatem probabunt.

In summa, populi qui non perpendunt, qualis ille sit qui rerum administrationi est præfectus, justúsne an injustus, simpliciter ipsũ tyrannidis nomen oderunt: ipsum tyrannum, quamvis sit Æacus, vel Minos, vel Rhadamanthus, modis pariter omnibus è medio tollere approperant, quum malos illorum sibi ob oculos ponunt, bonos verò communem ob appellationem eodem odio complectuntur.

Cæterùm audio apud vos quoque in Græcia multos fuisse tyrannos sapientes, qui sub hoc vitioso, ut videtur, nomine, benignos & mansuetos se præbuerunt, quorum nonnullorum orationes breves vestro in tẽplo repositæ sunt, ut ornamenta ac donaria sint Pythio. Respicite autem etiam legumlatores qui multum speciei pœnarũ tribuunt, quasi cæterarum rerum nulla sit utilitas, nisi metus adsit & pœnæ expectatio. Quod nobis tyrannis longè magis est necessarium, quo magis per vim præsumus, & cum osoribus ac insidiatoribus versamur, quandoquidem terricula nullius sunt emolumenti, sed res nostra fabulæ de hydra similis est. Quanto enim plures præciderimus, tanto plures puniendi occasiones nobis suppullulant. At ferre necesse est, semperque renatum caput præcidere, & Jolai exẽplo per Jovem inurere, si victoriam consequi cupimus. Eum enim qui semel in hæc incidere coactus fuerit, similem esse materiæ oportet, aut propinquis parcentem, perire.

In summa quem hominem adeò sęvum & inclementem esse putatis, ut flagris cedere, eiulatus audire, & cædes videre delectetur, nisi magnam infligendæ pœnæ causam haberet? Quoties igitur flevi dũ flagris alij cædebantur? Quoties verò meam ipsius fortunam lugere ac deplorare cogor, ego qui gravius supplicium ac diuturnius sustineo? Etenim viro natura bono, verum ex necessitate sævo, multò durius est de aliis sumere, quàm de se sumi suppliciũ. Quòd si mea sententia liberè est dicenda, ego equidem si mihi daretur optio, utrum aliquos injustè punire mallẽ, an potiùs ipse mori: probè sciatis, me propriam mortem nihil cunctando electurum esse potiùs, quàm ut insontes supplicio afficiam. Dixerit etiam aliquis, mavis Phalari, ipse injustè mori, quàm insidiatores justè punire: mallem certè. Rursus enim vos, ô Delphi, in consilium voco: utrum satius sit, injustè mori, an verò injustè servare eum qui sit insidiatus. Nemo, me judice, adeò vecors est, qui non malit vivere, quàm inimicos servando, perire. Quanquam quot ego ex iis qui me aggressi sunt, & convicti palam, servavi? Quorum de numero est Achanthus iste, & Timocrates, & Leogoras eius frater: veteris quæ mihi cum illis intercessit consuetudinis recordatus. Cęterùm quum me nosse volueritis, ex hospitibus qui Agrigentum frequentãt quærite qualis sim erga ipsos, & num eò appellentibus humanum me præbeam. Qui exploratores in littoribus habeo qui sciscitentur, quinam sint & unde navigarint, ut illos merito honore exceptos dimittam. Nonnulli quoq; ad me consultò veniunt, Græcorum sapientissimi, neq; meã conversationem fugiunt. Quemadmodum nuper sapiens ille Pythagoras ad nos venit, cùm lõgè alia de me inaudivisset: qui posteaquam mei periculum fecisset, discessit me justitiæ nomine collaudans, & miserescens quòd crudelitatem coactus exercerem. Postremò putatísne eum qui erga peregrinos animo est tam humano, tantam in proprios cives injustitiam exercere, nisi præter modum injuria afficiantur?

Hæc sunt meæ apud vos defensionis argumenta, vera, & justa, laude potiùs, ut mihi persuadeo, quàm odio digna. Quod ad hoc donarium attinet, iam tempus est ut audiatis, unde & qua ratione tantum hunc comparavi, non elocata statuarij opera. Neque enim tam sum demens, ut huiusmodi possessiones optem. Sed Perilaus nostras, artifex quidem egregius, homo verò improbus, cùm à mea sententia longè aberrasset, existimavit se rem mihi gratam facturum, si novum aliquod supplicij genus excogitasset, quasi modis omnibus supplicium de reis sumere cuperem. Is bovem fabricatum mihi attulit, visu pulcherrimum, & ad veri bovis imaginem accuratissimè expressum. Tantùm illi motus, & mugitus deerant, quo minùs vivus esse putaretur. Illo viso statim exclamavi, dignum Pythio munus: mittendus ad Deum hic taurus. Tum Perilaus astans, quid si, inquit, nosses qua sit arte compositus, & quem in usum formatus? Ac simul aperto tauro ad dorsum, Si quem, inquit, punire velis, coniecto illo, & in hac machina concluso tibias hasce naribus bovis admoveri, & ignem succendi jube. Tum eiulabit, & vociferabitur, perpetuis detentus doloribus. Eius verò clamor, maximè stridulum per tibias cantum efficiet, & lugubre quiddam modulabitur, mugitum quoque mœstissimum edet: ita ut dum punietur ille, tu modulatione interim oblecteris. Quibus auditis artificis sævitiam abominatus sum, & machinæ inventionem odi, propriamque ipsi pœnam imposui. Et age, inquam, ô Perilae, ne vana videatur esse tua promissio, ipse ingressus, nobis veritatem artis comproba, ac vociferantes imitare, ut cognoscamus, num ea sit tibiarum modulatio quam dicis. Dicto audiens fuit Perilaus: quo intus concluso, ignẽ succendi jussi, dicens, debitum arti tuæ tam admirandæ præmium accipe, ut musicæ magister primus ipse tibia canas.

Atque hic quidem pro meritis est exceptus, suæ ipsius excellentis industriæ fructum percipiens. Sed viventem & adhuc spirantem educi jussi, ne opus, ei immoriens, contaminaret: utque insepultus per scopulos præceps daretur, imperavi. Bovem autem expiatum vobis misi dedicandum Deo: omnemque de illo historiam inscribere jussi, mei dedicantis nomen, Perilaum artificem, consilium ipsius, justitiam meam, conveniens supplicium, periti illius fabri modulationes, primam Musices experientiam. Vos autem Delphi, justè facietis, si pro me unà cum legatis sacra feceritis, taurumq; in eleganti delubro dedicaveritis, ut norint omnes qualis sim in homines nefarios, & quo pacto insignes illorum perpetrandi sceleris cupiditates ulciscar. Itaque solo hoc facto meos mores abundè indicavi, quum supplicio affectus est Perilaus, & dedicatus taurus, nec amplius ad aliorum torquendorum modulationes reservatus, postquã solos artificis sui mugitus cecinit: in quo solo artis periculum feci, & barbaræ illi atque inhumanæ cantioni finem imposui. Atq; hæc quidem in præsens Deo offerre libuit. Quinetiam alia sæpe dedicabo, quum hoc beneficij in me contulerit, ut nemini pœnas inferre opus amplius habeam.

Hæc equidem, ô Delphi, quemadmodum à Phalaride facta sunt, singula quàm verissimè percensuimus. Ac digni sumus quibus fides à vobis habeatur, cùm illi re cognita testimonium perhibeamus, nullamque mentiendi causam habeamus. Quòd si etiam est supplicandum pro viro quem falsò suspicantur improbum, quippe qui invitus & coactus in malos animadvertit, vobis supplicamus nos Agrigentini, qui & Græci sumus, & ex antiquo Dores, ut virum complectamini qui vestram benevolentiam captat, quique publicè ac privatim vestrum unumquemque beneficiis multis demereri studuit. Vos igitur ipsimet taurum accipite, & dedicatum appendite: ac pro Agrigento proque ipso Phalaride vota concipite: ac nolite nos infecta legatione dimittere, ne & illum contumelia afficiatis, & Deum pulcherrimo simul & justissimo munere privetis. *Phalaride primo.*

Aristides: Etenim neque ubi valebit Rhetorica, tyrannus orietur, donec ea valebit: neque ubi regnabit tyrannis, valebit Rhetorica: sed & orator nihil non agit, ne quis oriatur tyrannus, tam sibi quam Reip. providendo, ne quis ipsi verborum persuasione intercepta, res ipse administret: & tyranni nihil curant nec metuunt magis, quam ne quis dicendi persuadendique peritus oriatur, qui collecta multitudine, eoque, quod fieri debeat, persuasi ac patefacto, imperio simul ipsos & potestate privet. Itaque necessaria inter utrosq; constat inimicitia, cum alterorum salus ac potestas in eo consistat, ut alteri omnino non sint. *Oratione 1. Platonica.*

Arrianus: Quid terribilem facit tyrannum? Satellites, inquit, eorumque gladij & cubicularij, & ij qui ingredientes excludunt. Quid ergo puer adductus ad eum, satellites secum habentem, non formidat? An, quia puer ista non intelligit? Si quis ergo satellites intelligit, eosque gladios habere novit, & hac ipsa de causa ob aliquod infortunium accedit, ut moriatur, & ab alio citra difficultatem occidi vult: nunquid formidat satellites? Non. Vult enim id ipsum, propter quod illi sunt formidabiles. Si quis ergo nec emori nec vivere prorsus volens, sed, ut res tulerit, illum accesserit: quid vetat convenire illum absque metu? Nihil. Si quis ergo etiam erga opes sic affectus fuerit, ut hic erga corpus: si erga liberos & uxorem, si deniq; furore quodam & desperatione sic affectus fuerit, ut in nullo discrimine ponat, sive habeat ista, sive non habeat: sed ut pueri dum testis ludunt, ludum quidem curant, testas vero negligunt: ita hic etiam res ipsas quidem negligat, ludum vero & tractationem illarum amplectatur: quis adhuc tyrannus isti erit formidabilis, aut qui satellites, quive eorum gladij? *cap. 7. lib. 4. Epict.*

Arrianus: Qui quacunq; veluti prærogativa est præditus: aut, ut præditus non sit, sibi esse præditus videtur, eum omni non necesse est, nisi bene institutus fuerit, ea inflari. Tyrannus ait: Ego sum omnium potentissimus. Quid vero præstare mihi potes? id ne potes efficere, ut desiderium meum non impediatur? Unde id tibi contigit? Tune habes aversationem nullis obnoxiam casibus? Tune appetitionem habes erroris expertem? Id autem unde tibi contigit?

Age vero, in navi num teipso fretus es, an gubernatore? in curru, quo? nonne auriga? quid in aliis artibus? eodem modo. Quid ergo potes? Omnes me colunt. Et ego tabellam colo, eamque lavo & abstergo, & ob ampullam oleariam clavum figo. Quid ergo? nunquid hæc me præstantiora sunt? Non, sed aliquem mihi usum præbent. Ea de causa igitur illa colo. Quid vero? nonne asinum colo? non pedes eius lavo? non purgo? an nescis, quemvis hominem semetipsum colere? te autem non aliter quam asinum? Ostende, quis te ita ut hominem colat? Quis tui similis esse velit? Quis sectator tuus esse velit, ut Socratis? At collum tibi præcidere possum. Recte dicis. oblitus eram te colendum esse: & ita quidem colendum, ut febrem, ut choleram: & aram tibi exstruendam, ut Romæ febris ara est.

Quid ergo est quod vulgus hominum turbet ac percellat? Tyrannus & satellites? Quo pacto? Absit. Fieri non potest, ut quod natura est liberum, ab alio quopiam perturbetur, aut impediatur quam à semetipso: decreta perturbant hominem. nam tyrannus cuipiam dicit: Inijciam tibi compedes. Is qui pedem magnifacit, ait: Ne feceris: miserere. Qui autem voluntatem suam, ait: Si tibi conducibilius videtur: vinci.o. Non curas? Non curo. Ego tibi ostendam me esse dominum. Unde tu? Me Jupiter manumisit. An censes eum commissurum, ut filius suus in servitutem pertrahatur? Cadaveris quidem mei dominus es: illud capito. Itane, cum ad me accesseris, me non coles? Non, sed meipsum. Sin me dicere vis, te quoque: ita id me facere profiteor, ut ollam colo. Hic non est cæcus amor sui: natura enim ita fert. Animal sua causa facit omnia. Nam & Sol sua causa facit omnia, & (quod molestum sit) ipse Jupiter. &c. *cap. 19. lib. 1. Epict.*

Arrianus: Hanc legem Deus tulit, & ait: Si quid boni expetis, à te ipso pete. Tu ais, imo ab alio. Imo à te ipso. Reliquum est, si tyrannus minitetur, meque accersat, ut dicam cui minitetur? Si dixerit, Vinciam te: aio, eum minitari manibus & pedibus meis. Si dixerit: Præcidam tibi cervices, aio eum minitari cervicibus. Si dixerit, in custodiam te conijciam, eum toti corpusculo minitari dicam. Si exilium minitetur, illud ipsum. Tibi ergo nihil minitatur? Si persuasum habeo, ista nihil ad me attinere, nihil. Sin quid istorum metuo, mihi minitatur. Quem jam metuo? Quarum rerum dominum? Earúmne, quæ in mea potestate sunt? At nullus est. An earum, quæ penes me non sunt? At eæ mihi curæ non sunt. Vos ergo philosophi, docetis contemtum regum? Absit. Quis nostrum docet ea esse vendicanda, quorum illi habent potestatem? Corpusculum cape, rem cape, famam cape, familiares meos cape. Si quibus suasero, ut ea sibi vendicent, vere me accusabit. Esto. At etiam opinionibus volo impetrare. Ecquis istam tibi potestatē dedit? Qui tu, potes opinionem vincere alienam? Injecto metu eam vincam. Ignoras, ipsam sui esse victricem, non ab alio esse victam? Nam voluntatem nihil vincere potest, nisi ipsa sese. Quapropter lex Dei potentissima est, & justissima, qua jubet, ut præstantior perpetuo vincat deteriorem. Præstantiores sunt deni singulis. In quo? Vt vinciant, vel occidant, ut quo volent abducant, ut eripiāt facultates. Vincunt igitur deni singulos in eo, in quo sunt præstantiores. In quo igitur sunt deteriores? Si alter habeat rectas opiniones, ipsi non habeant.

Quid ergo? In hoc possunt vincere? Quo pacto? Nam si in trutina ponderaremur, nonne oporteret graviorem vergere deorsum? Siccine tractatum esse Socratem ab Atheniensibus? Mancipium, quid ais, Socratem? Vti res se habet, ita dicito. Itane Socratis corpusculum abductum esse & tractum à robustioribus in carcerem? Itane aconitum corpusculo Socratis esse propinatum, atque illud exstinctum esse? Hæc tibi videntur admiranda? Hæc injusta? ob hæc incusas Deum? Nihil igitur Socrates horum loco habuit? Vbi ergo bonum eius fuit collocatum. Vtrum audiamus, te ne an illum? Et quid ille ait? Me quidem Anytus & Melitus occidere possunt, lædere vero non possunt. Item illud: Si ita Deo placet, ita fiat. Sed ostende, ab eo qui sit deterioribus imbutus opinionibus, vinci præstantiorem in opinionibus. Non ostendes, ac multum abest ut ostendas. Ea enim naturæ & Dei lex est, ut præstantiora semper sint superiora deterioribus. In quo? in quo præstantiora sunt. Corpus corpore est robustius, plures uno, fur eo qui fur non est. Propterea & ego lucernam amisi, quod fur me fuit vigilantior. Sed ille tanti emit lucernam, quod lucernæ causa factus est fur, propter lucernā infidus, propter lucernam immanis. Hoc ei visum est expedire. Esto. At quidam veste me prehendit, & in forum trahit, alij acclamant: Philosophe, quid te tuæ juvant opiniones? Ecce in carcerem abriperis: ecce cervices tibi præcidentur. Quam vero parare doctrinam potui, ut si me veste prehenderit fortior, non trahat? Vt si me decem constrictum in carcerem conjecerint, non conjiciat? Aliud ergo nihi didici? Didici, ut quicquid fiat, si in mea potestate non esse videam, nihil à me attinere sciam. Nonne igitur hinc capis utilitatem? Quid ergo in alio quæris utilitatem, quam in quo eam esse didicisti? Postea sedens in custodia dicam: Is qui ita vociferatur, neque intelligit quid significetur, neque assequitur id quod dicitur, neque omnino ei curæ est scire quid philosophi aut dicant aut agant. Dimitte eum: rursus exi è custodiá. Si me in custodia diutius esse, vestra non refert, egredior. Si denuo vestra intererit, ingrediar. Quousque? Quo ad recta ratio corporis uti consuetudine jusserit. Cum vero non jusserit, auferre illud, & valere. Modo ne considerare, modo ne molliter, ne qualibet de caussa.

Vicissim enim id quoque Deus non vult. Indiget enim & mundo tali, & iis qui in mundo versentur talibus. Si vero receptui cecinerint, quemadmodum Socrati, parendum erit ei tanquam Imperatori. Quid ergo? Dicenda sunt hæc in vulgus? Cur vero? Annon satis est tibi ipsi hoc persuasum esse? Num pueris, cum nos accedunt, & gestientes dicunt, hodie bona esse Saturnalia, ea negamus esse bona? Nequaquam, sed & ipsi unagestimus. Et tu igitur cum aliquem à sententia deducere non potueris, scito esse puerum, eique applaudito. Quod si nolueris, taceto. Hæc tuenda sunt: & cum in hujusmodi aliquod discrimen devocatus fueris, sciendum, venisse tempus quo demonstremus utrum eruditi simus. *cap. 29. lib. 1. Epict.*

Philostratus: Quamvis civilis bestia esse dicatur, & in medijs urbibus habitet, eo tamen perhibetur immanior iis quæ in montibus aut paludibus degunt: quod leones quidem aut pantheræ quandoque si mulceantur, mansuescunt, & innatam feritatem exuunt: hæc autem ob attrectationem ferocior facta omnia laceret. Quin etiam belluas, proprias matres devorasse nemo unquam aut dixit, aut audivit. ea tamen immanitate saturatum Neronem accepimus. *lib. 4. Apollonij cap. 12.*

Philostratus: Nec juventutem ignoras, ubi compos tyrannidis facta fuerit, sibi consentanea operari. Tyrannidem namque exercere tam est juventæ consentaneum, quam amare & ebrietati indulgere. Et juvenis tyrannidem habiturus non omnino vitiosus habetur, si præter tyrannidem homicida, si crudelis, si lascivus non fuerit. Sin verò senex ad tyrannidem accesserit, primùm quod talia cupiens id fecerit, accusabitur. Quod si humanus benignus apparuerit; non personæ sed ætati tribuetur, quæ in eo jam perfecta, & tanquam bonis condimentis imbuta sit. Insuper si quis juvenis in hoc peccare concupierit, ejus peccata partim timiditati tribuentur, partim infortuniis. Visi sunt enim plerique qui tyrannidem occuparunt; quique eam deposuêre, quod ipsos fortunæ suæ pœniteret, aut aliis occupare volentibus cederent, quod illos utique tanquam viros formidarent. *lib. 5. Apollonij cap. 11.*

Idem eodem capite: Constitutam jam tyrannidem solvere majus puto, quam eandem nascentem opprimere.

Adhuc eodem capite: Vereor ne tyrannidi jam assuetis Romanis difficilis sit permutatio; ita ut neque in libertate degere, neque ad popularem gubernationem respicere possint, ceu qui ex tenebris in summa lucem repente deducti, splendorem luminis perferre non possunt.

Philostratus: Domitiano aliorum dolores & gemitus jucunditatem lætitiamque præbebant. perfidiam verò populorum erga tyrannos, tyrannorum verò erga reliquos omnes custodiam quandam esse dicebat. Ajebat quoque regem noctu ab omnibus operibus cessare oportere; tunc autem cædes & trucidationes exercere. Quapropter Senatus membra sunt amputata, optimus quibusque viris ab eo interfectis. Philosophia autem adeo perterrita est, ut habitu mutato philosophi, partim in Hispaniam, partim in Libyæ Scythæsque deserta confugerent: quidam etiam vivendi ratione mutata scelerum consiliarios se ei adjungerent. *libro septimo Apollonij cap. 2.*

Philostratus: Tyrannides præclaris viris molestiæ minus afferunt, ubi eos non in aperto vivei e senserint laudantes. *lib. 7. Apollonij cap. 5.*

Philostratus: Tyrannorum mores duorum generum sunt, aut enim in dicta causa homines accidunt, aut judicio ante suppositos, ac damnatos. Sunt autem similes illi quidem calidis promptisque belluis, hi verò mollioribus atque ignavioribus. Quod autem utrique molesti sint, omnibus patet. Licet autem exempla sumere eius quidem, qui furore quodam indictaque causa occidebat, Neronem, alterius autem mollioris Tiberium. Interfecit ille quidem eos qui nihil tale metuebant; hic autem eos qui jamdudum id timuerant. Ego verò deteriores illos existimo, qui judicium fingentes secundū leges decernere aliquid simulant, cùm secundum leges nihil faciāt. decernunt enim perinde atque ij, qui judicij observatione non utūtur, nomine legis abutentes in iis, qui per iracundiam agentes de alicuius morte sententiam ferunt. Nam sic interficiendo, miseris illis hoc pacto damnatis, auferunt multitudinis misericordiam, quā velut exequias præbere decet iis qui injustè fuerint interempti. Hujus igitur tyrannidis judiciariam quandam formam videre mihi videor, quæ tamen in injudicatum terminetur. Nam de quibus antequam judicium fiat, constituit quid sit agendum; eos tanquam, non judicatos judicio subijcit: & qui tali judicio damnatus fuerit, manifestè patet, ab homine non secundum leges judicante damnatum esse: qui autem judicium refugerit, quónam pacto evitabit infamiā, quin sese ipse damnaverit? Cùm itaque viri tales contra me nunc positi sint, si contentionem mihi adversus eos instantem aufugiam quæ terra me crimine purum judicabit? *lib. 7. Apollonij cap. 7.*

Philostratus: Est ita dispositus Domitianus, ut contra te ferre sententiam cupiat; vereatur autem ne falsis de causis id fecisse videatur. Vult enim quæ facienda minimè sunt, ea secundum justitiæ numeros fecisse videri. *lib. 7. Apollonij cap. 9.*

Philostratus: Sit igitur eiusmodi sermo tibi cum Vespasiano, quo eum non videaris despicere. *libro septimo Apollonij capite decimo.*

Idem cap. 12. Quid si quis consulat, ne superbè, neu quasi Imperatorem ipsum despiciens loquaris? Oportet autem ad tyranni vocem,

cem, & oris ejus deformitatem te præpares. Loquitur enim graviter, etiamſi placidè manſueteque loqui voluerit: ſupercilia verò oculis ſuperjacent: genæ autem hili refertæ ſunt, idque in eo conſpicuum maxime eſt. Verùm hæc, Tyanenſis, non te perterreant: ſunt enim naturæ vitia, ſemperque eodem modo ſeſe habentia.

Philoſtratus: Leones quos manſueſcere volunt homines, jubebat Phraotes verberibus non cædi. nam injuriæ acceptæ memores verberibus illos fieri ajebat: neque rurſus blandiciis nimium leniendos putabat; quia ſic nimium ſuperbi evaderent. Opinabatur itaq; blandicias minis permixtas facilius ad mores optatos illos poſſe deducere. Id autem non pro leonibus dicebat, pro quorum cicuratione ſolliciti non eramus; ſed ut tyrannis quaſi frenum quoddam injiceret; quo ſi uterentur, à mediocritate nunquam aberraturos cenſebat. *lib. 7. Apollonij cap. 13.*

Philoſtratus: Si tyranni eſt univerſa terra, melius cum iis agi putandum eſt, qui in aperto moriuntur, quàm cùm iis qui in occultis latebris vivunt. *lib. 8. Apollonij cap. 6.*

Philoſtratus: De carcere ubi Apollonius Romæ incluſus fuerat, & de iis qui cum eo una partim vincti, partim necati fuerunt, ita ſentiebat, ut calumniatorum, & eorum, qui dicendi facundia poſſent, id opus magis, quàm tyranni eſſe, opinaretur. *libro 8. cap. 8. fine.*

Iulianus Cæſar: Nam cùm ad Gallos ſe egregius ille Princeps, ac legitimus recepiſſet, ita ſeipſo moleſtior ac difficilior extitit, ut ſi qua eum pœnæ ſpecies atrox ac crudelis effugiſſet, hanc excogitans jucundiſſimum ſibi ſpectaculum ex civium calamitatibus præberet. Siquidem vivos homines curribus alligans, ac ferri permittens, aurigis ut traherent præcipiebat, cùm adeſſet ipſe, ac quæ gererentur aſpiceret, atque id genus aliis perpetuò ſe ſpectaculis oblectaret: donec tanquam Olympionices quidam tertio illum congreſſu dejiciens ac proſternens meritas ſibi ipſi pœnas eum infligere coegiſti, ut ſe ſuo gladio transverberaret, quem multorum antea civium cruore tinxerat. Hac ego pœna digniorem nullam unquam ac juſtiorem fuiſſe cenſeo, nec quæ majorem communi hominum generi voluptatem attulerit, quod tanta crudelitate ac ſævitia verè tum liberatum ac ſolutum fuerat; deinceps verò ea legum æquitate recreatum ſit, qua nos hactenus fruimur, & utinam diu in poſterum fruamur! te eximiam atque omni ex parte præclaram providentiam appello. *Paneg. in Conſtantium Aug. 1.*

Iulianus Cæſar: Quin etiam pleroſque è comitatu vinculis, aut morte afficiebat, plebi interim turpiter ſerviens & adulans ordinem ac diſpoſitionem omnem pervertebat. Quemadmodum verò præclaras illas leges nobis ediderit, ut dimidiam quisque bonorum partem penderet, propoſito mortis ſupplicio ei qui facere detractaret: ſervis porrò adverſus dominos indicium permiſerit, atque ut regias poſſeſſiones emere invitos etiam, ac nihil opus habentes coegerit, ac cætera illius ſcelera ſi percenſere velim, dies me tempusque deficiet; aut ſi tyrannidis eius, quæ tum graſſata eſt, magnitudinem perſequi cupiam. Sed bellici illius apparatus, quem cum adverſus Barbaros comparaſſet, in nos effudit, vim ac potentiam, quis pro rei dignitate poſſit explicare? *Paneg. 1. in Conſt. Aug.*

Libanius: Nunc demum populari imperio gubernati, rem præclarè gerimus. Quandiu vero Domino ſubditi fuimus, ſolutus eſt populus, concluſus eſt Senatus; ſublata Curia. Lex nulla valuit: legum loco tyrannus erat. qui locis editis occupatis, ac ſatellitibus ſagittariis ac plurimis cuſtodibus ſtipatus, quas clades non edebat? Matrimonia dirimebat, virgines nuptiis fraudabat, pecunias diripiebat. Eos qui hæc ferre nequibant, partim proſcribebat, partim amandabat, partim trucidabat. ſolos ducebat amicos qui improbitatem ſuam collaudarent. Quæ cùm agerentur, omnia luctu plena erant, mœrore, gemitibus, noctu pariter atque interdiu. Ingemiſcebant hi ob injurias quas acceperant: alij ob ea mala quæ perpetiebantur: quidam quod metuerent ne talia paterentur. Eorum qui naſcebantur miſerabamur, ob ea pericula quorum aleam ſubibant: Interim alij quidem omnes iſtum Deorum hoſtem ulciſcebantur imprecatione tenus, & clam diris devovebant. *Progymnaſmate pro Tyrannicida.*

Libanius: Iſte cogitans majora, quam quæ ſtabilita erant, educatus quidem inter leges fuit, ſed leges deſpexit, & rem nimis abjectam ratus legibus obtemperare, auſus eſt pro juribus nobis præſcriptis ſeipſum conſtituere, ac Reip. robur in ſemetipſum transferre. O tellus, & ſol! in ſublime oculos ſuſtulit. ſatellites conduxit, inſolentiæ cupidus fuit. vim quæſivit: & quod potuit Curiam quidem diſſolvit, clauſit autem judicia: principatum diſſipavit; ſacrificia diſturbavit; confudit æqualitatem: invexit dominos. Hæc videlicet, ô ſceleſtum caput, tecum cogitans diſſerebas: Dives ſum, at quid lucri mihi obvenit in penuriam non debacchanti? mulierem amo. tum oportet aliquid me perpeti, cùm rapto potiri debuerim: & deprehenſus punior. Oportet liberum tandem fieri; ut nunc certè verbis ſervio. *Progymn. contra Tyrannum.*

Libanius: Deinde regem nuncupabit quisquam ſapiens eum, qui non deſeruit eos quibus imperat? Num fugit vos, Magiſtratus nomen præſtantioris eſſe? Is verò demum rex eſt, niſi ſi appellationem inficiatur actis ipſis, felicitatis rector, juſtitiæ norma, optimorum exemplum. Sed qui ſe pejorem quàm ſubditi exhibet, jure regno dimiſſo in ſubditorum ordine conſiſteret. Equidem gubernatorem non voco eum qui cymbam ſubvertit, cuius clavum accepit: neque illum qui nautis inter quos occupatus eſt, oſtendit negligendam eſſe navigij curam: neque illum etiam qui in iis, in quibus vectorum nullus peccat, ſponte perverſus eſt. Quocirca Alexander qui aliis Troianis dominari vult, quæ ſubditorum nemo auſus eſt, hæc ſibi convenire duxit. *Oratione Vlyſſis ad Trojanos.*

Libanius: Tyrannis priusquam comparata ſit, maximum videtur bonum appetentibus: poſtquam autem parta eſt, acerba ſtatim patet ei qui paravit. nam quia ipſe alios afflixit, ne multo graviora patiatur formidat: me tum verò confitetur ipſe ſatellitum cuſtodia. Satellites autem non tam ab aliis ortum timorem compeſcunt, quam à ſemetipſis præbent. qui enim conductus erat ne quis ingruens occidat, ipſe ſicariorum munere ei qui conduxerat ſæpe functus eſt. quæ igitur jucunditas eſt, contremiſcentem vivere? *fine Declamationis 12.*

Libanius: Magna pars criminis eorum, quæ à vulgo perpetrata ſunt, in illum recidebat; quandoquidem res ab ipſo tenebantur, atque omnis probus propulſabatur: facinoroſorum verò ac ſceleratorum & peſſimorum erat poteſtas: ac plerique æquiorum modeſtiorumque partim abierant, partim obierant. *Declamatione vigeſima ſexta.*

Libanius: Non ſi quis urbi inſidiatur, etiam apparatum, quo ſe rerum potiturum putat in ea civitate facit: hoc quippe eius foret qui mortem appeteret; non eius qui tyrannidem affectaret. nam quis non ſuſpectum haberet, dum multitudinem corporum collectorum videret, copiam armorum comparatorum, epulas, cætus, colloquia, tranſcurrentes aſſentantes, cuncta omnino quibus opus eſt eis qui populo ſuperiores ſint futuri. propterea ſanè aliis inſidiantur quidem, aliunde autem ea quæ ad opus neceſſaria ſunt parant; atque illos quidem latuerunt quorum domini fieri cupiebant; ab iis autem perſpecti ſunt à quibus exorti fuerant. *Declamatione vigeſima octava.*

Libanius: Et tu audes Socratem tyrannidis cupidum appellare? unde quæſo fidem faciendi ſpe concepta? ex deſperatione? ex audacia? ex amore pecuniarum? è cœnis ſumptuoſis? è veſtitu & cultu? è comitatu. *Declamat. 29.*

Libanius: At enim ſi omnino Socrates contra civilem ſtatum ſermones habet, ac ſuadet conducibiliorem eſſe adminiſtrationem unius inſipientis voluntate contra leges ſuſceptam, in qua ſatellitum laſcivia, & petulantia circa conjugia, & pecuniarum rapinæ, & virgines libidinoſe dedecoratæ, & pueri injuriam perpeſſi, & exilia, & cædes, & ejulatus & continuæ lachrymæ. ſi hæc, inquam, amat, eadẽq; edocet: miror, Athenienſes, cum tamdiu vixiſſe, qui dudum ab Athenienſibus capite plectendus erat.

Libanius: Quid eorum quæ gravia & dira putantur, non vicit facinoribus ſuis? opus ne eſt ut adulter moriatur? atque multo magis Tyrannum mori oportet. multos enim interficit: atque hoc ipſi multo jucundius eſt quod pleroſque peſſundet. Odit quis eos qui Deorum templa ſpoliant? Sed Tyranno nihil opus eſt furari, ſiquidem palam rapit. Infeſtius judicatur effodere tumulos? atque tyrannus privat omnino ſepultura: tantoque acerbior eſt iis qui illa peragunt, ut multis mortis generibus dignus judicetur. nam quæ illi in plures diviſi audent; hæc ſolus iſte ſuſcepit. Hoc porrò mihi non videtur exordium fuiſſe iſtius malorum: ſed ex multis & magnis huc deveniſſe, ut urbem in ſervitutem conjicere vellet. quippe cum leges in facinoribus illis contempſiſſet, attigit caput ipſum. Sic enim certe res habet: Ad virtutis & vitii faſtigium exercitiorum ſtudia homines perducunt: quocirca hoc etiam exiſtimare oportet, iſtum multa in obvios quoſque petulantia uſum fuiſſe: multas diremiſſe nuptias: multos fortunis ſpoliaſſe: ob quæ cùm pœnas non dediſſet, idem hic quoque ſperaviſſe. Laudis amore tumes, ô ſceleſtum caput & percupis ut videaris? Et non vides alias eſſe vias quibus fas eſt auctoritatem comparare, nec jus violare: quibus ingreſſi plerique, civium celebritatem cum benevolentia nacti ſunt. Ecquænam illæ ſunt? Opibus abundas? Largire: ſponte ſuppedita: fac benignè filiabus pauperum. utere divitiis in quos par eſt. fac ut ob liberalitatem ſis admirationi. At hæc iſti ſordebant, & magnis ſpiritibus non reſpondebant. Vnum fuit aptum & idoneum nempe ut veriſimile eſt, Tyrannis, & omnia retro ſublapſa ferri, & leges omnes abrogari, earumque loco Dominum eſſe & facultas implendi libidines ex animi ſententia.

Libanius: Iam verò tametſi hoc vel maximè morbo mens mea corrupta fuiſſet, & involuntarium principatum ſpontaneæ antehabuiſſem benevolentiæ, multis ad hoc armis magnoq; indiguiſſem apparatu. Quales verò per urbem abſconditos clypeos meos invenere? ubi nam mihi arcuum armamentaria? ubi telorum copiam concluſeram? totam, mi homo, domum meam ingreſſus circumluſtra; & ſi quid præter hanc loricam inveneris, tyrannidem probaſti, certiſſimo & indubitabili arcanorum meorum indicio comperto. *Declamat. 32.*

Idem paulo poſt: Verum qui tyrannidem, inquit, appetunt, de exulibus, infamibus, & in vincula conjectis promerentur, dum conjurare ipſos ſceleri ſuo volunt.

Libanius: At dum iniquis improbiſſimos ſuppliciis eximis, tyrannidis ſuſpicionem firmas. At quisnam tua verba ferat, cùm pueros propter me liberos, & mulierculas temperantes, & confidentem videant juventutem? *Declam. 32.*

Libanius: Cæterùm demiror, cum tyrannos oderimus; quia populum imbecillum faciunt, cur huic gratiam habeamus, qui potentiorem se facit eis quæ à populo decreta sunt. *Declamat. 43.*

Themistius: Adulterinus prodiit Imp. arridens omnibus, blandeque invitans, subdolum ac fallacem vultu risum præferens, risum, inquam, lamentis ac gemitibus plenum, quique lacrimarum multarum dedit initium. planeque illa quæ initio tyrannos ait ostendere solitos Plato subsecuta sunt, tabulæ novæ, agrorum ex integro divisiones, acerba iis esca qui eadem illecti captique fuerint. *Ora. 9.*

Themistius: Euripides, vel quisquis alius. Poeta dixit,

Docti tyranni cœtibus doctorum erunt:

non fuit opinor solida mente præditus: Nam alioqui benevolam tyrannidi philosophiam non censuisset; neque res alienissimas, virtutis fastigium, & nequitiam, cōsentaneas & concordes. Sed quemadmodum atra bile perciti excludunt eos à quibus curantur: ita sapientiam non adit tyrannus. Quare Platonem vendidit Dionysius: & Nero Musonium amandavit: ac Tyaneum arcuit expulitque is qui in fratres & in philosophos impium se præbuit: ut contra planè necessarium est, studium sapientiæ familiare, atque honoratum esse amicitiæ fraternæ. Etiam hoc igitur malè Tragœdia: & multo adhuc peius, cum Deam dicit Tyrannidem. Hoc enim pacto in idem erratum graviusque incidit. Nam Deus summus apex est Sapientiæ: imo verò ipsa sapientia est. Quin etiam Euripidi integrum fuit in cœlum suspicienti addiscere penitusque perspectum habere, quod ea quæ illic sunt nihil cum Tyrannide commune habent; sed beati regni opera feliciora: quod non ad licentiam immoderatam ac temerariam potestate eximia abutitur: verùm juxta leges suas omne ævum transigit: quas cum ad salutem eorum, quæ ubique sunt, statuerit, immotas conservat. *Orat. 16.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Ne præcipua quidem causa est affectandæ tyrannidis, magnitudo facultatum. Quin ex diverso facilius aliquando occupaverint tyrannidem hi quorum fracta ratio, quorum clauda fortuna, & qui stare Republica salva non possunt. Deinde adeò non inhibetis ista re tyrannidem, ut si qui in civitate nostra dementes sunt, etiam causam habituri sint affectandæ tyrannidis. Nam si quis tyrannidem occupat, ut aliena bona possideat, quantò facilius ad tyrannidem perveniet, ut sua vindicet, sua recipiat? *Declamat. 201. f.*

Quintilianus Senior: Nihil de moribus hujus adhuc dico. ætates comparate. senex ille & ætatis exactæ, quam rationem affectandæ tyrannidis habuit? nisi fortè propter filium hoc fecit. Hic adolescens est, omnes cupiditates, omnes impetus in hac ætate facilius convalescunt. Est quædam præterea ratio sceleris: id tentavit quo diu frui posset. *Declam. 322.*

Plinius: Et priores Principes, excepto patre tuo, prætereaque uno & altero (& nimis dixi) vitiis potius civium quàm virtutibus lætabantur; primùm quod in alio sua quemque natura delectat: deinde quod patientiores servitutis arbitrabantur, quos non deceret esse nisi servos. horum in sinum omnia congerebant; bonos autem otio aut situ abstrusos & quasi sepultos, non nisi delationibus & periculis in lucem ac diem proferebant. Tu amicos ex optimis legis. & hercule æquum est, esse eos carissimos bono Principi qui invisi malo fuerint. Scis, ut sunt diversa natura Dominatio & Principatus, ita non aliis esse Principem gratiorem, quàm qui maximè dominum graventur. hos ergo provehis & ostentas, quasi specimen & exemplar quæ tibi secta vitæ, quod hominum genus placeat. & ideo non censuram adhuc, non Præfecturam morum recepisti; quia tibi beneficiis potius quàm remediis ingenia nostra experiri placet. Et alioqui nescio an plus moribus conferat Princeps, qui bonos esse patitur, quam qui cogit. flexibiles quamcumque in partem ducimur à Principe, atque ut ita dicam sequaces sumus. huic enim cari, huic probati esse cupimus (quod frustra speraverunt dissimiles) eoque obsequij continuatione pervenimus, ut penè omnes homines unius moribus vivamus. Porrò, non tam sinistrè constitutum est, ut qui malum Principem possumus, bonum non possimus imitari. *cap. 45. Panegyrici ad Trajanum.*

Plinius: Ille tamen (Domitianus) quibus sibi parietibus, & muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum & insidias, & ultorem scelerum Deum inclusit. dimovit perfregitque custodias Pœna, angustosque per aditus & obstructos, non secus ac per apertas fores & invitantia limina irrupit; longeque tunc illi divinitas sua, longe arcana illa cubilia, sævique recessus, in quos timore & superbia, & odio hominum agebatur. Quanto nunc tutior, quanto securior eadem domus, postquam ejus non crudelitatis sed amoris excubijs, non solitudine & claustris, sed civium celebritate defenditur. Ecquid ergo discimus experimēto; fidissimam esse custodiam Principis ipsius innocentiam? hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum munimento non egere. frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit: armis enim arma irritantur. *cap. 49. Paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Quare ego te Cæsar muneribus tuis omnibus comparo, multis antepono, quod liceat nobis & in præteritum de malis Imp. quotidie vindicari, & ficturos sub exemplo præmonere, nullum locum, nullum esse tempus quo funestorum Principum manes à posterorum execrationibus conquiescant. Quo constantius, Patres conscripti, & dolores nostros & gaudia præferamus. lætemur his quibus fruimur, ingemiscamus illis quæ patiebamur. hoc secreta nostra, hoc sermones, hoc ipsæ gratiarum actiones agant: meminerintq; sic maximè laudari incolumē Imp. si priores sequius meriti reprehendantur. nam cùm de malo Principe posteri tacent, manifestum est eadem facere præsentem. *cap. 53. Paneg. ad Trajan.*

Plinius: Securus tibi & lætus dies exit, qui Principes alios cura & metu distinebat: cùm suspensi & attoniti, parumq; confisi patientia nostra, hinc atque inde publicæ servitutis nuncios expectarent. ac si forte aliquos flumina, nives, venti præpedissent, statim hoc illud esse credebant quod merebantur. nec erat discrimen ullum pavoris: propterea quod cum à malo Principe tanquam successor timeatur quisquis est dignior; cùm sit nemo non dignior, omnes timentur. tuam securitatem, non mora nunciorum non literarum tarditas differt. scis tibi ubique jurari, cùm ipse juraveris omnibus. nemo hoc non sibi præstat. Amamus quidem te in quantum mereris: istud tamen non tui facimus amore sed nostri: nec unquā illucescat dies, quo pro te nuncupet vota non utilitas nostra sed fides, Cæsar. turpis tutela Principis cui potest imputari. *cap. 68. Paneg. ad Trajan.*

Nazarius: Jamdudum prævideras hominem non imperando habilem, non tantæ majestatis capacem; quod magnitudo male crediti muneris extra animi angustias effluebat: quam qui tueri nequeunt, ubi sub tanto onere fortunæ infirmitas lapsa est, faciunt licentiam de potestate. Quid ego referam infelicium indignissimas cædes? quid inexpletos libidinum pastus? quid miseras patrimoniorum direptiones? sileantur hæc sanè &c. *Orat. in Const. Aug. cap. 8.*

Latinus Pacatus: Nos primi imperū belluæ furentis excepimus, nos sævitiam ejus innocentium sanguine, nos cupiditatem publica paupertate satiavimus. apud nos semet exercuit crudelitas jam secura, & adhuc inops avaritia. alibi malum publicum aut cœpit aut destitit, in Gallia sedit. Quis se nobis calamitate contulerit? tyrannum & cum aliis tulimus & soli. quid ego referam vacuatas municipibus suis civitates, impletas fugitivis nobilibus solitudines? quid perfunctorum honoribus summis virorum bona publicata, capita deminuta, vitam ere taxatam? Vidimus redactas in numerum dignitates, & exutos trabeis consulares, & senes fortunarum superstites, & infantium sub ipso sectore ludentium flendam securitatem; cùm interim miseri vetabamur agere miseros, imo etiam cogebamur mētiri beatos, & cùm domi atq; secretò solis conjugibus ac liberis credidissemus furtivum dolorem, procedebamus in publicum non nostræ fortunæ vultu. &c. *Mox:* Ita flere non licebat amissa metu reliquorum. Serenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus, & ad illorum vicem qui degustato Sardorum graminum succo, feruntur in morte ridere, imitabamur læta mœrentes. Est aliquod calamitatum delenimentum, dedisse lacrimas malis, & pectus laxasse suspiriis: nulla major est pœna quàm esse miserum, nec videri. Spes inter hæc nulla prædonis implendi: nec enim (ut natura fert) copiam satietas sequebatur. crescebat indies habendi fames, & parandi rabiē parta irritabant. Ut ægrorum sitim potus accendit, ut ignis arentibus non obruitur, sed augetur: ita coactæ publica egestate divitiæ aviditatem jejunæ mentis acuebant. Stabat ipse purpuratus ad lances, & momenta ponderum nutusque trutinarum pallens atque inhians exigebat. comportabantur interim spolia provinciarum, exuviæ exulum, bona peremptorum. hic aurum matronarum manibus extractum, illic raptæ pupillorum cervicibus bullæ; istic dominorū cruore perfusum appendebatur argentum numerari ubique pecuniæ, fisci repleri, æra cumulari, vasa concidi; cuivis ut intuenti, non illud Imperatoris domicilium, sed latronis receptaculum videretur. sed tamen latro raptis abutitur, & ablata aliis sibi reddit, nec ideo vias saltusque obsidet, ut thesaurum struat ac defodiat & cum scelere miser sit, sed ut gulæ ventrique suppeditet, nec desit sumptus impendiis: nam & effundit & negligit, eadem perdendi ac quærendi facilitate. Noster ille pirata quidquid undecunque converrerat, id nobis sibique periturum, in illam specus sui charybdim congerebat: Charybdim loquor? quæ cùm plena navigia sorbuerit, dicitur tamē rejectare naufragia, & contortas fundo rates Ta[illegible] imitanis littoribus exponere. Bona nostra ad ærarium unà & p[illegible] tua via ibant, nullas eorum reliquias, nulla fragmenta vel sero victa fastidio illa communis vorago evomebat. &c. *cap. 26. Paneg. Theod Imp. dicti.*

Latini Pacati: Sed illi quidem stulta omnis ratio captandæ laudis videbatur, qui præter insitum pessimo cuique odium boni exēpli, summam felicitatem habendi ac nocendi fine determinans, nō solùm ut quàm plurimum quæreret, sed ut nihil cuiquam reliqui faceret laborabat, nec enim (qui regibus mos est) exercendis invigilabat metallis, ut latentia Naturæ bona in usum arcesseret, & pararet innoxias nullo pauperiore divitias. Parum ille pretiosum putabat aurum quod de montium venis, aut fluminum glariis quæsitor Bossus, aut scrutator Callaicus eruisset; illud purius splendidiusque credebat, quod dedissent dolentes, quod hominum lacrimæ, non omnium aquæ abluisset: nec è terrenis specubus egestum, sed è cervicibus jugulisq; cæsorum esset effossum. Sic cùm immitis tyranni, & stylus timeretur & gladius, transierat in vota paupertas, & ut possemus effugere carnificem, optabamus subire sectorem. Quod si cui ille pro ceteris sceleribus suis minus crudelis fuisse videtur, vestrum is Vallio triumphalis, & trabeate Merobandes recordetur meritum. quorum alter post amplissimos magistratus, & purpuras Consulares, & contractum intra unam domum quendam honorū Senatum, vita sese abdicare cōpulsus est; alteri manibus satellitum Britannorum gula domi fracta, & inusta fœmineæ mortis infamia,

ut sci-

ut scilicet maluisse vir ferri amantissimus, videretur laqueo perire quam gladio. sed in illos forte speciales putatur habuisse odiorum causas; steterat enim uterque in acie Gratiani, & Gratianus utrumque dilexerat: quid de his dicimus, qui honorum ac Principum nescij, & tantum inter suos clari, nobiles animas sub carnifice fuderũt? De virorum mortibus loquor, cùm descensum recorder ad sanguinem feminarum, & in sexum cui bella parcunt non parcè sævitum. sed nimirum graves suberant invidiosæque causæ, ut unco ad pœnã clari Vatis matrona raperetur. obiiciebatur enim atque etiam exprobrabatur mulieri viduæ nimia religio, & diligentius culta divinitas. quid hoc majus poterat intendere accusator sacerdos? fuit enim, fuit & hoc delatorum genus, qui nominibus Antistites, revera autem satellites, atque adeo carnifices, non contenti miseros avitis evolvisse patrimoniis, calumniabantur in sanguinem, & vitas premebant reorum jam pauperum. quin etiam cùm judiciis capitalibus astitissent, cùm gemitus ac tormenta miserorum auribus ac luminibus hausissent, cùm lictorum arma, cùm damnatorum frena tractassent, pollutas pœnali manus contactu ad sacra referebant: & ceremonias quas incestarant mentibus, etiam corporibus impiabãt. hos ille Phalaris in amicis habebat, hi in oculis eius, atque etiam in osculis erant: nec injuria, à quibus tot simul votiva veniebant, avaro divitum bona, cruento innocentium pœna, impio religionis injuria. *cap. 29. Orat. in Theodosium.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Acharnens. v. 481.

Nullus abeo dum stat aliqua pars mei.
Quando ades, nobis tyrannidem occupans.
B. Nempe vobis est tyrannis atque conjuratio,
Sive parvam, sive magnam rem quis accusaverit.
Quinque, sed denis ab annis nomen hoc non audij.

Periander apud Ausonium.

Multis terribilis, caveto multos.

Prudentius priore libro contra Symmachum.

Hoc signo invictus transmissis Alpibus ultor
Servitium solvit miserabile Constantinus,
Cùm te pestifera premeret Maxentius aula.
Lugebas longo damnatos carcere centum,
Vt scis ipsa, Patres, aut sponsus fœdera pactæ.
Intercepta gemens, diroque satellite rapta,
Immersus tenebris dura inter vincla luebat.
Aut si nupta torum Regis conscendere jussa,
Cœperat impurum domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabit indignatio pœnas.
Plena puellarum patrumque ergastula sævi
Principis. abducta genitor si virgine mussans
Tristius ingemuit, non ille impune dolorem
Prodidit, aut confessa nimis suspiria traxit.
Vim libertatis nimia, patriumque dolorem.

¶ Apologorum.

Chrysologus: Vulpes viribus infirma, calliditate potens, inventrix doli, fraudis artifex, simulationis magistra, simplicitatis vacua, plena strophis, avium domesticarum prædo, tectis familiaribus inimica: meritò hanc Christus in typum format Herodis principis Judæorum, qui pristinæ libertatis oblitus, sub Romana potestate consistens, dominabatur arte, calliditate regnabat, imperabat fraude, præsidebat dolis, simulatione pollebat: & quia ab exteris gentibus non valebat referre prædam, familiarem plebem, vernaculos populos, velut aves domesticas devorabat. *Serm. 19.*

De Accipitre & Columbis. *Anonymus.*

Accipitrem, milvi pulsurum bella, columbæ
Accipiunt regem; Rex magis hoste nocet.
Incipiunt de rege queri, quod sanius esset
Milvi bella pati, quam sine Marte mori.
Si quid agas, prudenter agas & respice finem.
Ferre minora volo, ne graviora feram.

¶ Emblemat.

Camerarius LXXVI. Cent. 1.

Æquari pavet alta minor.

Quid sibi Tarquinius? Cur summa papavera frangit?
Sors quia sic plebem terret iniqua patrum.

Camerarius LI. Cent. 2.

Hoc oriente fugor.

Quis feret ardentis fumantia sceptra tyranni?
Sic fugat auratos Syrius ipse lupos.

Camerarius XCV. Cent. 2.

Sævit in omnes.

Plures lutra necat pisces, quam condat in alvum.
Sic rabie tumidus sæva tyrannus agit.

Camerarius XCIX. Cent. 2.

Nusquam tuta tyrannis.

Quem minime credas properabit fata tyranno;
Exitio Ichneumon sic crocodile tibi est.

Catsius Emblemate Ethico VII.

Quod dolet, intus habet.

Fulgeat ut latis vagina coloribus extra,
Intus jo, ruptus fulgure mucro latet,
Grande satellitium miraris & arma tyranni;
Et rutilum fulvo quod micat ære caput.
Exteriora vides, quid stas? & ad intima transi!
Terreat ut facies, mens malesana tremit.
Calceus egregium quem judicat esse viator,
Afficit occulto sæpe dolore pedem.

Ensis Dionysij. Emblem. XXVI.

Miser Tyrannus, cujus ensis imminet
Dependulus cervicibus;
Medijs in undis aret, & pluma leves
Non elaborant somnulum.
Mentis tumultus submovere turbidos;
Non gaza, nec lictor valet.

Floren. Schonhovius.

¶ Apophthegm. Sacr.

Iotham filius Gedeonis. Postquam Abimelec filius Gedeonis ex concubina fratres suos numero septuaginta interfecisset, & à Sichemitis rex esset constitutus, Iotham filius minimus Gedeonis, ex aliorum cæde elapsus, audita conspiratione Sichemitarum cum parricida Abimeleco, utrisque exitium denuntiavit, gravissimis dictis. Quum enim constitisset in vertice montis Gerizzimorum, sublata voce clamavit dicens illis, Audite me Sichemitæ, ita audiat vos Deus. Aliquando iverunt arbores ut crearent sibi regem: dixeruntque olivæ, Regna super nos. Sed dixit eis oliva, Cogerérne desistere cum pinguedine mea ego, per quam honorant Deum & homines: & irem vagatum propter alias arbores? Deinde dixerunt arbores ficui: Veni tu, regna super nos. Sed dixit eis ficus, Cogerérne desistere cum dulcedine mea, & cum reditu meo optimo, & irem vagatum propter alias arbores? Tum dixerunt arbores viti, Veni tu, regna super nos. Sed dixit eis vitis, Cogerérne desistere cum musto meo, quod lætificat Deum & homines: & irem vagatum propter alias arbores? Denique dixerunt omnes arbores ad Cynosbatum: Veni tu, regna super nos. Tum dixit Cynosbatus ad arbores, Si seriò creatis me in regem super vos, venite, obtegite vos umbra mea: sin minus, exeat ignis ex Cynosbato, & absumat cedros ipsas Libani. Similiter nunc, si seriò & integrè fecistis quod regem constituistis Abimelecum, & si bonum exercuistis erga Ierubbahalem (qui est Gedeon) & erga familiam ejus, & si secundum beneficium manuũ eius affecistis eum: (Pugnavit enim pater meus pro vobis, & abiiciens animam suam procul, eripuit vos è manu Midianitarum: Vos autem insurrexistis contra familiam patris mei hoc tempore, & interfecistis filios eius, qui erant 70. viri super lapidem unum, regemque constituistis Abimelecum filium ancillæ eius super Sichemitas, eo quòd cognatus vester est.) Si, inquam seriò & integrè fecistis erga Ierubbahalem & erga familiam eius hoc tempore, lætamini de Abimeleco, & lætetur ipse etiam de vobis. Sin verò minus, exeat ignis ex Abimeleco, & absumat Sichemitas & incolas munitionis: & exeat ignis ex Sichemitis & incolis munitionis qui absumat Abimelecum. Tum aufugit Iotham, & fugiens abiit Beerum: mansitque ibi metu Abimeleci fratris sui, qui tenuit principatum super Israelem tribus annis, & excisis Sichemitis à servulo desperabundus è medio sublatus est. Ita evenit illis Iothami maledictio elegantibus parabolis & multiplici apophthegmate involuta. *Vide cap. 9. lib. Iudicum.*

Athanasius. Alexandri contra Athanasium crimen falsum commenti sunt, significantes Juliano Imperatori, eum cùm Ægyptum, tum universam civitatem Alexandriam prorsus labefactasse: oportereque illum à civitate amandare. Contra quem etiam Alexandriæ præfectus Imperatoris jussu concitatus est. Athanasius hæc verba apud necessarios locutus, *Secedamus ad tempus, amici: est enim nubecula quæ citò evanescet*, illico fugam fecit, atque conscensa nave trajecit in Ægyptum. *Socrates, hist. eccl. lib 3. cap. 12.* Impiorum & potentissimorum mundi persecutiones ac machinæ in Dei servos sunt nubeculæ tamdiu veluti per aera discurrentes quandiu Domino summo rerum moderatori libet. Et quid possunt esse aliud hominum consilia, quum homines ipsi nihil sint aliud quàm umbræ somnium. Porrò, paulò post Julianus impius (qui Christianis, per sarcasmum dicebat, Vestrum est, cùm estis afflicti, æquo animo tolerare: quipe istiud à Deo vestro præceptum accepistis) in bello Persico fœdè perijt.

Nicetas Choniates. De Manuelis Comneni Imperatoris versutia & crudelitate agens, in genere tyrannorum ingenium scitè admodum depingit, dicens, Plerique principes formidolosi sunt & suspicaces: nec inferno & morte clementiores, in viris nobilibus & generosis è medio tollendis: & ut altæ piceæ levissimo vento impulsæ, ramorum aculeis inter se collisis, stridunt: sic ipsi & divitem suspectum habent, & fortitudine insignem formidant: nec forma, nec facundia, nec morum comitas insignis, quietos eos esse patiuntur: sed omni penè vitæ suavitate privant, adeo ut naturam ipsam accusent, quòd alios etiam idoneos imperio formarit, nec ipsos pri-

mos & postremos omnium mortalium pulcherrimos finxerit. Divinæ providentiæ repugnant, & optimum quemque tollunt è medio, ac instar hostiarum sacrificant: ut ipsi soli metus & periculi expertes, publica vectigalia tanquam privatum patrimonium, pro sua libidine effundere, & ingenuos homines pro mācipiis tractare possint, qui aliquando ipsis sunt imperio digniores. Ita potentiæ fastigium prudentiam eis adimit, & pristinæ conditionis stultam oblivionem affert. Hæc Nicetas, *Annal. libr. 4. de reb. gestis Manu. Comneni.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absque opibus, etiam tyranni sunt invisa nomina.
Ad Proserpinam tyrannus absq; cæde non venit.
Ad tyrannum qui intrat, exit servus, liber si fuit.
Æquus sit licet bonusq;, tamen tyrannus tollitor.
Antequam reum tyrannus audit, ad necem abripit.
Audias tyrannum, an oculis aspicias, parum interest.
Belligerandum cum tyrannis, non eorum cum bonis.
Carnifex malos, tyrannus ense percutit probos.
Carnifex melior tyranno: hic fert bonos, ille improbos.
Causa non facit tyrannos, infortunium facit.
Civium haud minus frequens est hostium tyrannide.
Civibus parcit tyrannus ut habeat queis imperet.
Civibus præter tyranni nil petendum est sanguinem.
Consciis nemo absq; multis cogitat tyrannidem.
Coram atrocior, proculve, sit tyrannus, ambigas.
Cùm benigna fit tyrannus, tum tibi liber cave.
Cùm dominos decimat tyrānus, decima vix dominis manet.
Cum venena non procedunt, vis tyranna ferro agit.
Cuncta ficta sunt tyrannis quæ profatur, quæ facit.
Delinquentium peccata vires sunt tyrannidis.
E medio plures tolluntur clam, quam voce judicis.
Esse sub tyranno malim, quam exercere tyrannidem.
Est quidem adspectu tyrannis læta, at intus tristior.
Est suis tyrannus instar pestilentis sideris.
Est tyrannus, non bonus rex, cui voluntas improba est.
Et cadaveri tyrannorum addita est injuria.
Et metui volunt, timentque Principes metui mali.
Et tyranni cara nutrix eloquens calumnia est.
Et tyranni illam osculamur quam exsecramur dexteram.
Etiam post mortem tyranni permanet crudelitas.
Ex adulatore natus est tyrannus quilibet.
Execrabilis brevisq; tyrannidis potentia est.
Exstincto tyranno & eius acies omnis solvitur.
Haud boni tantum est tyrannis aut sua mala intelligant.
Hostis intimis tyrannus est suis, non hostibus.
Ianitoribus tyranni, pro magno, notescere est.
Improbis favent tyranni, neminem volunt probum.
In suæ fabrum tyrannis sortis injustissima est.
Inter homines est tyrannus, inter pecudes quod popa est.
Inter se natura inimica sunt, Rex, urbsq; libera.
Læta sit licet tyrannis fronte, corde est anxia.
Liber aulam intrans tyranni, servus inde exit domum.
Mage sibi invisus tyrannus est, quàm servientibus.
Maximum bonum est tyrannis illis ipsam qui appetunt.
Maximum malum est tyrannis illis ipsam qui obtinent.
Maximas opes parare nisi tyrannus non potes.
Milite extero tyrannis esse secura, heu, nequit.
Morbus is tyranno, amicis rarò habet fidem suis.
Mors tyranni læta cunctis, militi gravissima est.
Mortuo tyranno & ejus corruunt imagines.
Mortuum luget tyrannus, quem vivum necaverat.
Mos pro legibus tyranno est, lex Regi est pro moribus.
Multi non probant tyranni facta, sed metu tacent.
Ne catulus quidem servandus est ex genere pessimo.
Ne quidem licet rege sub tyrannico.
Ne suis quidem relinquunt spiritus consortium.
Nex tyranni justa habetur qualibet quovis loco.
Nil ab eo potes sperare boni esse quem doces malum.
Non alijs modò tyrannus est molestus, sed sibi.
Non metus non lex refrenat impetus tyrannidis.
Non solùm scelus tyrannis non punit, mage imperat.
Non tam cives pro tyranno pugnant quàm satellites.
Non ut occidit tyrannus, & tyrannis occidit.
Nulla aquila est, sagitta quē detrahere in terrā nonq ueat.
Nulla honestior sepultura ipsamet tyrannide est.
Nulla nobis cum tyrannis est malis consortio.
Nulla non lacerant tyrannos jacta per occultum proba.
Nulla tertiam tyrannis attigit propaginem.
Nuspiam gentem aut sepulcrum cernimus tyrannicum.
Nuspiam genus tyranni durat, aut fas funeris.
Ob metum invidiamq; insontes perdere, heu, tyrānicum est.
Oderunt omnes tyrannum, sed tamen timent magis.
Omne quod servat tyrannum jus piumq; existimat.
Omne Vis Roburq; regnum possidet in tyrannide.
Pars præcipua sub tyranno miseriarum est aspici.
Pauci sunt palam tyranni: plures clancularij.
Per fidem plerumq; fortis obtinet tyrannides.
Perferat malum, qui ferre noluit Regem bonum.
Plebis ex adulatore vel tyrannis nascitur.
Pluribus petitur periclis qui periclum plurium est.
Porcus, ac tyrannus, unam nutriuntur ad necem.
Postremissimum tyrannis in mortalium est malis.
Principes malos oderunt etiam qui faciunt malos.
Principes sævi haud longinquis ingruunt sed proximis.
Promptius vulgo creare quam tyrannum tollere.
Quando judicat tyrannus, regem agit, non judicem.
Quem metuit quis odit, quem odit hunc perijsse item cupit.
Quem timent omnes, timetur clam palamve ab omnibus.
Qui fidem servat tyranno maxime est vir perfidus.
Quisq; adulatur tyranno, nemo honore percolit.
Quidquid perpetrat tyrannus, specie legum perpetrat.
Quo tyrannus major, illi hoc plures mercenarij.
Quod mancipia sunt hero, illud sunt cives tyrannidi.
Quos cogit laudare, eosdem reddit inimicos metus.
Relliqua una est sub tyrannis virtus fortiter mori.
Res miserrima est, tyrannus incubans tyrannidi.
Sæpius lupum qui abegit, ipsemet pecus vocat.
Sanguinem semel gustatum semper dein sitiunt feræ.
Sanguinem ut semel gustavit factus est immanior.
Sat tyranno ad puniendum, quisquam amicus si reo est.
Stulte odit tyrannum is ipse qui appetit tyrannidem.
Sub tyranno, animum firmare eia exemplis constantibus.
Sub tyranno erga eminentes læva interpretatio est.
Sub tyranno & arridendum funeribus patri est suis.
Sub tyranno militaris grata non est gloria.
Sub tyranno non libertas regnum habet, sed servitus.
Sub tyranno nox maritis, lux timenda ditibus.
Sub tyranno vita pœna, mors beneficij loco est.
Sub tyrannis haud scelesti sunt rei, sed divites.
Tota vita sub tyrannide innocentium est timor.
Tristis omnis sub tyranno lætos vultus induat.
Tutius tyrannidem quisque occupet quam deserat.
Tutus esse sub tyranno quæris? sis contemptui.
Vis quidem tyranna inimicos, verùm amicos plus timet.
Vis sua ut tyranno, lingua solviturq; civibus.
Vix tyrannus morte unâ odio civium faciat satis.
Vrbem illa qua timeris esse tutus haud potes.
Vt cupit metui tyrannus, sic rursus metui timet.
Vt pavent omnes tyrannum, omnes tyrannus sic pavet.
Vtitur servis tyrannus, rex viris primarijs.
Vt ruit tyrannus, nullum amicum lapsus invenit.
Vt Solem periculosè, ita & tyrannidem adspicis.

¶ Jambica.

Animus tyranni cupidus usq; est ac vorax.
Animus tyranni prorsus expleri nequit.
Aures tyranni obnoxia est calumnia.
Certè tyrannus esse fortis non potest.
Clemens tyrannus haud vacat periculo.
Comes tyranno, ut umbra corpori, it timor.
Confusio Legum omnium in tyrannide est.
Cygno nigro pius tyrannus rarior.
Damnat prius reum tyrannus quam audijt.
Damnatus à tyranno es ante quam reus.
Diu nequit durare vis tyrannica.
Durare longum vis tyranna non potest.
Etiam qui adorant devovent tyrannidem.
Etiam tyrannus esse vir potest bonus.
Etiam tyrannus quæ timenda haud sunt timet.
Etiam tyrannus se tutè imperio abdicet.
Etiam tyranno amicus quispiam est suus.
Existit & tyrannus è victoria.
Felix tyrannus, cui mors absq; sanguine est.
Forsan tyrannus gaudet, ubi jam occiditur.
Frustra à tyranno jus vel æquum postules.
Gravi tyrannis plena res periculo.
Haud ulla diu durat domus tyrannica.
Intra larcis tyrannus, ut mulier, latet.
Invisa tyranna, etiam sine opibus, nomina.
Iuvat metus tyrannum, haud benevolentia.
Mereas tyranni iram meris virtutibus.
Metus tyrannici, indices satellites.
Miserum vet aperire: felicem jube.
Mutare tyranno mores non licet suos.
Nemo esse vult tyranno amicus mortuo.
Nihil tyranni ingenium ab igne discrepat.
Nullum sepulchrum pulcrius tyrannide est.
Nunquam tyrannos flagitij capit pudor.
Omnis tyrannus antea adulator fuit.
Parere naturæ arduum est tyrannidi.
Periculum tyranno omne à junctissimis.
Plerunq; oritur tyrannus è victoriâ.
Plus exteris fidit tyrannus quàm suis.
Princeps malus, quid est Dei quam carnifex?
Promptissimos statim tyrannis dat neci.

Proprium tyranni est, nulli amico fidere.
Qui cæde gaudet vix suo fato cadit.
Qui sub tyranno dives est, est & nocens.
Quid is boni habet, sub quo nemo est nisi vir malus?
Quis non lubens tyrannum dentibus terat?
Qui vis tyrannus causa mortis fit sua.
Quod liberum est inimicum id & tyrannidi est.
Quod optimum cuiq; est tyrannus eripit.
Quo sævior tyrannus hoc & tutior.
Redit tyrannis cum otio crudelitas.
Rudis est tyrannis, morte qui pœnam exigit.
Sævit tyrannus qui contemni se putat.
Sciunt tyranni multa, at non ignoscere.
Semper tyrannus à viris nudis perit.
Semper tyrannos proximè sedent mali.
Squalor gemitusq; comites sunt tyrannidis.
Subdunt reos tyranni flagitijs suis.
Subesse præstat quàm præesse tyrannidi.
Terribilis esse, invisus ut non sis, nequis.
Timet suos tyrannus: Rex timet suis.
Tyrannis ipsa vel res maximè impia est.
Tyrannis omnis amicitia egentissima.
Tyrannidi mage egeni inhiant, quàm divites.
Tyrannus apertus melior clanculario est.
Tyrannus est habitum tyranni qui gerit.
Tyrannus est, invitis quisquis imperat.
Virtute aliud est uti, aliud tyrannide.
Vixit triginta inter tyrannos Socrates.
Vultus tyranni grandior pœna est nece.

Tyrannicidij.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

P*hilostratus:* Viro consulari qui tyrannum detrudere meditetur, primò quidem magno consilio opus est, ut ex improviso negocium aggrediatur. deinde occasione quadam convenienti, ne peierasse videatur. si enim adversus eum qui se ducem exercitus constituit, & cui rectè consulere, & pro quo acturum omnia juravit, arma sit illaturus; primum apud Deos excusare se oportet, ut eorum consensu peieret. Multis præterea amicis indiget. neque enim sine præsidio ac stipatoribus aggredi rem ejusmodi potest. Pecuniis insuper multis ad vires comparandas egebit; is præsertim qui hominem sit invasurus ubique terrarum dominantem. Ocium quoque ad hæc molienda tempusque longissimum requiritur. *lib. 5. Apollonij cap. 13.*

Libanius: Qui tyrannum occidit, quanto majorem cum vitæ periculo benevolentiam ostendit; tanto quoque majoribus donis decoretur. idque multo magis, quàm qui idem in bello præstitêre. quamobrem? quia hoc agentibus suppetiæ feruntur à commilitonibus; & quamvis parum admodum quis præster aliis, communium tamen laborum gloriam referet. Aliquis etiam eorum qui adsunt telum iam in ipsum directum avertit. Accedit, quod huic quidem est galea & clypeus & hasta, & ocrea & ensis. At is qui tyrannũ adoritur subitò, soli gladio latenti confudit. siquidem cetera nudum esse oportet, si quid exequi cogitet, ita ut non promulgetur consiliũ. Quod si in medio tot armatorum versari majus est, quàm cum caterva irruere, tyranni cædes cuivis rei strenuè gestæ præponderat. *Progymnasm. pro tyrannicida.*

Libanius: Et vivos odere tyranni, & in vita functos bella gerunt, dum sepultura privant, & cadaver proijci jubent in contumeliam. Itaque si quis occidat tyrannum, æreus citò stat, & cum Dijs suspicitur. *Progymn. contra Tyrannum.*

Lucianus: Quidam in arcem conscendit, ut tyrannum occideret: quem cùm non invenisset, filium occidit, & gladium in corpore reliquit. Vbi venit tyrannus, filiumque vidit mortuum, eodem gladio se confecit. Qui in arcem conscenderat, & tyranni filium interfecerat, præmium ut tyrannicida poscit.

Cùm duos eadem die tyrannos occiderim judices; alterum quidem ætate iam affecta, alterum annis florentem, & ad scelerum successionem capessendam paratum: unicum tamen pro ambobus pręmium petitum venio, qui quidem unus omnium quotquot tyrannicidæ fuerũt, unico vulnere duos maleficos fuerim amolitus, necique dederim, filium videlicet ense, patrem verò summo filij desiderio. Itaque tyrannus pro his quæ commisit, abundè magnas pœnas nobis dependit; quippe qui & vivus aspexerit filium priùs immatura morte sublatum; & quod omnium est inusitatissimum, compulsus sit denique sui tyrannicida fieri. At filius quidem illius à me est peremptus: cæterùm occisus, ad cædem alteram, suam operam mihi commodavit: dum qui vivo patri scelerum socius fuerat, eiusdem post mortem, quatenus licuit, parricida extitit. Ego itaque sum is qui tyannidem sustuli, meusque gladius, qui omnia confecit. Sed cædis ordinem commutavi, & modum conficiendi sceleratos innovavi: quum robustiorem, & qui se tueri poterat, ipse peremi: senem vero soli gladio concessi. Quibus de causis quiddam etiã amplius à vobis me consequuturũ putabã, & præmia laturum quæ numero interemptos æquarent: utpote qui non modo præsentibus malis, sed futurorum etiam formidine vos liberârim, quique nullo scelerum hærede relicto stabilem in libertatem vos asseruerim. Interim tamen, re tam strenuè gesta, in discrimẽ adducor, ne præmio fraudatus à vobis discedam, solusque mercedem non feram, quam leges à me servatæ præstituunt. Quare qui contradicit, is mihi videtur non reipub. studio, quemadmodũ dicit, hoc facere, sed quod illos perijsse doleat, & illorum mortis authorem ulcisci cupiat. Vos autẽ judices, mihi paulisper attendite, dum tyrannidis mala, tametsi optimè nostis ipsi, cõmemoro: siquidem hoc pacto futurũ est, ut & mei beneficij magnitudinem intelligatis, & ipsi plus capiatis voluptatis, reputando quibus malis liberati sitis. Neq; enim, sicut aliis quibusdam sæpe accidit, simplicem etiam nos tyrannidem, & unicam servitutem sustinuimus, nec unius domini libidinem pertulimus: verùm soli omnium quos similis habuit calamitas, duos pro uno tyrannos habebamus, & in geminas injurias distrahebamur infœlices. Porro senex multo moderatior erat, quippe in ira mitior, in suppliciis lenior, ad voluptates tardior: utpote cui jã ætas vehementiam appetitus cohiberet, voluptatũq; cupiditates refrænaret. Quin ad suscipienda scelera nolens, à filio impelli ferebatur, cùm ipse nõ admodum tyrannicus esset, sed illi morem gereret. Nam nimiopere filium amabat, ut re declaravit. Omniaque illi erat filius, illi parebat, quas volebat injurias, inferebat, afficiebat supplicio quoscunq; præcipiebat, ac in omnibus obsecundabat. Deniq; filius tyrannum agebat in patrem, pater filij cupiditatum erat satelles. Tametsi huic ætatis causa honorem cedebat adolescens, soloq; imperij à nomine temperabat: ipse tamen tyrannidem exercebat, eiusq; caput erat. Et quanquam tutamentum præsidiumq; principatus ab illo mutuabatur, scelerum tamen emolumentis solus fruebatur. Ille erat qui satellites continebat, qui custodiam muniebat, qui tyrannidem affectantes è medio tollebat, qui insidiatores deterrebat, qui ephebos subducebat, qui conjugia violabat. Illi virgines adducebãtur: tum si quæ cædes, siqua exilia, & pecuniarum expilationes, & cruciatus, & contumeliæ, ea omnia juvenis temeritate gerebantur. Porro senex ille obsequebatur, socium scelerum sese præbebat, & filij flagitia dũtaxat comprobabat. Imò res intolerabilis nobis creabatur. Nam quũ animi cupiditates ex imperio licentiam assumunt, nullum flagitijs modum imponunt. In primis verò illud me discruciabat, quòd prospicerem diuturnam, imò potiùs æternam fore eam servitutem, & per successionem aliàs alij domino, tradẽdam rempub. populumq; homini scelesto hæreditatis instar obventurum. Id enim aliis spem non exiguam facit, quod reputant, quod inter se dicũt: at mox coercebitur, at mox demorietur, postmodum liberi erimus. Sed de illis, tale nihil sperabatur: quin iam paratum tyrannidis hæredem intuebamur. Itaq; nullus ex generosis, iisq; qui in meam eunt sententiam, rem aggredi audebat: sed desperabatur omnino libertas, atque inexpugnabilis videbatur tyrannis: quippe cùm esset cum tam multis confligendum. At me nihil ista deterruerunt, neq; perpensa negocij difficultate refugi, neq; periculum reformidavi. Verùm solus, solus inquam, adversus adeo validam, magnamq; tyrannidem, vel potiùs non solus, sed gladio comite conscendi, qui mecum pugnavit, & ex parte tyrannum interemit, quum mors mihi ob oculos interim versabatur, perpendebam tamen me mea cæde publicam libertatem redempturũ. Ergo cùm in primam custodiam irruissem, nec facilè satellites summovissem, quemvis obvium interimens, quodvis obstaculum amoliens, ad ipsum negocij caput tendebam, ad unicum tyrannidis robur, ad calamitatum nostrarum argumentum. Et facto in arcis propugnaculum impetu, cùm viderem illum fortiter sese tuentem, & resistentem, multis tamen vulneribus occidi. Et iam tum erat sublata tyrannis, iam tum mihi confectum facinus: ex eo tempore liberi omnes: nisi quod supererat senex solus, inermis, eiectis custodibus, amisso magno illo suo satellite, desertus, neq; forti ampliùs dextra dignus. Ibi nimirum mecum ipse judices, hæc animo reputabam. Cuncti mihi præclarè habent, cuncta confecta, cuncta gesta sunt ex animi sententia. Quomodo verò puniatur qui superstes est? Me quidem, meaq; dextra nequaquam est dignus, præsertim si post splendidum, & juvenile, & generosum facinus interimatur, priorem illam cædem dedecoraturus. Dignus illo carnifex est quærendus: sed post calamitatem, ne vel hanc ipsam lucrifaciat: videat, crucietur, appositũ habeat ensem, huic cætera mãdo. Hæc ubi mecum statuissem, ipse illinc discedo. At ille fecit quod prædivinaveram, tyrannum occidit, meæq; fabulæ finem imposuit. Adsum igitur popularem administrationem vobis adportans, cunctisq. ut bono sint animo pronuncians, lætumq. libertatis nuncium evulgãs. Jam meis fruimini factis: vacua, sicut videtis, sceleratis hominibus est arx. Imperat nemo, honores deferre licet, & causas agere, & ex legibus contradicere. Atq. hæc omnia vobis mea contigerunt opera, meaq. fortitudine, & ex unius illius cæde, post quem pater non potuit amplius vivere. Igitur dignum censeo, ut his pro meritis debitum mihi à vobis præmium tribuatur, non quòd lucri sim amans, & sordidus, & de patria bene mereri mercedis gratia statuerim: verùm quod cupiam officia mea præmio confirmari, nec ijs detrahi, neque inglorios fieri meos conatus, si judicentur irriti & honorario indigni. At hic contradicit, negatque ęquum facere me, qui munere decorari, & præmium ferre velim. Neque enim tyrannicidam esse me, neq; quicquam à me pro legis sententia confectũ esse: verùm facinori meo deesse quoddã, ad hoc ut præmium postulem. Ex illo igitur quęro, quid præterea requiris à me? nonne volui? nonne ascendi? nonne occidi? nonne libertatem peperi? numquis imperat?

rat? numquis jubet? numquis minatur dominus? numquis scelleratorum meas effugit manus? haudquaquam dixeris. Sed omnia plena pacis, omnes restitutæ leges, manifesta libertas, stabilis democratia, inviolata conjugia, tuti pueri, sine periculo virgines, publicamque fœlicitatem solennibus feriis celebrat civitas. Quis igitur horum omnium est author? quis illa repressit? hæc peperit? Nam si priorum quisquam honore hoc sit dignus, præmium cedo, à petendo munere desisto. Quòd si solus omnia peregi, audens, periclitans, crucians, perimens, alterum in altero puniens, quid mea calumniaris officia? cur minimè gratum erga me reddis populum? atenim tu non occidisti tyrannum. Porrò lex tyrannicidæ præmium decernit. Verùm dic mihi, quid interest utrum ipse interimas, an mortis causam præbeas? Mea sententia, nihil. Verùm hoc solum spectavit legis conditor, libertatem, democratiam, malorum sublationem. Huic honorem decrevit, hoc præmio dignum judicavit: quod opera mea contigisse non negaveris. Nam si eum occidi sine quo vivere non poterat, ipse cedem peregi: occidi ego, sed illius manu. Itaque ne discepta de cædis modo, neque illud perpende quemadmodum interierit, verùm an iam perierit, & an quod periit, id à me sit profectum. Siquidem & illud excussurus mihi videris, & his adversus de repub. bene meritos calumniis usurus: siquis non gladio, verum lapide lignóve, vel alio quovis modo peremit. Quid si fame tyrannum obsedissem, ad mortis necessitatem compellens, nunquid etiam tunc cædē mea manu peractam à me exigeres? aut aliquid desiderari diceres quo legi satisfieret? idque cum scelestus ille genere mortis atrociori cecidérit? Vnum hoc perquire, hoc reposce, hoc excute, quis nocentium supersit, aut quæ metus expectatio, aut quæ calamitatū recordatio. Quòd si purgata omnia, si pacata, calumniatoris est, modum rei gestæ reprehendendo, præmio frustrare velle, quod iis debetur, quæ virtute confecta sunt. Equidem & illud memini in legibus differi, nisi fortè ob diutinam servitutem, eorum quæ in illis dicuntur, oblitus sum: causam mortis esse duplicem, puta siquis ipse occidit, aut si non ipse quidem occidit, neq; manu facinus peregit, verùm compulit, præbuitq; mortis occasionem. Ex æquo & hunc quoq; supplicio, affici oportere lex censet, idque jure optimo. Audaciam enim facto minùs valere noluit. Et postea supervacaneum est cædis rationem quærere. Deinde hunc qui sic occiderit, nequaquam absolvendum, sed tanquam homicidam puniendum esse censebis. Eum verò qui cōsimili modo remp. beneficio affecit, debito benemeritis præmio non dignaberis. Neq; enim illud dicere possis, me quidem imprudentem fecisse, sed exitum quendam commodum, præter animi sententiam, fortuitò sequutum fuisse. Nam quid amplius formidassem, eo qui validior erat, interempto? Cur verò gladium in vulnere reliquissem, nisi planè quod erat eventurum, idipsum prædivinassem? Nisi fortè illud dices, eum qui extinctus est, tyrannum nō fuisse, neq; appellationem hanc habuisse, neq; vos multum præmij hoc nomine, si ille fuisset occisus, decreturos fuisse. Atqui dicere non queas. An interfecto tyranno, ei qui cædis causam præbuit, præmiū denegabis? O curiositatē! laboras quo pacto perierit, cùm interim libertate fruaris: aut ab eo qui democratiam restituit, supervacaneū aliquid requiris? Atqui lex, uti fateris, caput rei gestæ quærit: media verò missa facit omnia, neq; ultra curiosiùs excutit. Quid enim? annon siquis tyrannum expulisset, tyrannicidæ præmium jam cepisset? cepisset jure optimo: siquidem ille pro servitute libertatem cōtulisset. Id verò quod à me patratum est, non exilium habet, non instaurandæ tyrannidis metū: verùm absolutam sublationem, totiusque generis internecionem, omneq; malum radicitus excisum. Ac mihi per Deos, jam ab initio ad finem usque si videtur, rem totam perpendite, numquid eorum quæ pertinent ad leges sit prætermissum, numquid in me desideretur ex his, quæ tyrannicidæ adesse debent. Primùm animus illi generosus suppetat oportet, qui sit civitatis amans, qui se quàm rempub. periclitari malit, qui propria morte populi redimat salutem. Num mihi quicquam hac parte defuit? nū mollem me præstiti? num præcognitis periculis, per quæ mihi perrumpendum esset, per ignaviam reformidavi? Profectò non potes dicere. Hac igitur tantum in parte commorare, existima me tātùm voluisse, ac statuisse ista, etsi nihil commodi evenerit, & me pro sola voluntatis deliberatione præmium reposcere, ut qui tanquam benemeritis illud accipiam. Num si voluntati meæ facultas defuisset, alius verò post me tyrannum occidisset, dic quæso absurdúmne, & præter æquum foret, præmium dare? Ac inprimis si dicerem, Cives volui, statui, aggressus sum, voluntatis experimentum dedi, solus honorario sum dignus. Quid tum respondeas? At nunc non hoc dico: sed ascendi, periculum adij, ante cædem adolescentis innumera præstiti. Neque enim usque adeò facile & expeditum putetis, præsidia superare, satellites opprimere, unumque hominem tam multos amoliri. Quin istud penè maximum est omnium, quæ sunt in tyrannicidio, totiusque negotij caput. Nam ipse iam tyrannus nō magna res est, neq; expugnatu, neq; confectu difficilis: verùm ea quæ tuentur, continentque tyrannidem: quæ quidem siquis superaverit, voti compos evasit, & pusillum est id quod superest. Sed ad tyrannos pervenire nunquam mihi contigisset, ni priùs qui illos cingebant custodes oppressissem, omnesq; satellites ante debellassem. Nihil amplius addo, sed his rursum insisto. Custodiam oppressi, satellites devici: tyrannum incustoditum, inermem, nudum reddidi. Utrum rebus hisce confectis, honore dignus tibi videor, an adhuc à me interemptionem exigis? Quin si illam quęris, neutiquam desideratur. Non sum incruentus verùm cædem peregi magnam & strenuam: nempe florentis juvenis, omnibusque formidabilis: propter quem & ille ab insidiis tutus erat, quo solo fretus stabat, qui complurium satellitum vices implebat. Annon igitur, quæso te, præmio dignus videor: an verò tantis rebus gestis honore defraudor? Quid enim si satellitem unum, quid si ex tyranni ministris quempiam interemissem? quid si charum famulum? annon hoc quoque magnum visum fuisset, conscendisse, media in arce, mediis in armis aliquē è tyranni familiaribus jugulasse? Nunc eum qui occisus fuit, considera. Filius tyranni erat. Imò potius crudelior tyrannus, inexorabilis dominus, ad supplicia ditior, ad contumelias violentior, quodq; est maximū, hæres & successor omnium, quique nostras calamitates in longum posset prorogare. Vin' hoc solum mihi confectum esse? profugum verò tyrannum adhuc vivere? Jam horum nomine præmium reposco. Quid dicitis? non dabitis? annon & illum verebamini? annō dominus? annon gravis? annon intolerandus erat? Porro nunc ipsum negocij caput animadvertite. Etenim quod hic à me requirit, hoc quoad potui, optimè confeci, & tyrannum aliena cæde occidi, non simpliciter, nec uno vulnere, quod ipsi maximè optandum fuisset, tantorum videlicet scelerum conscio: sed cùm multo mœrore priùs torsissem, id quo nihil habebat, charius, miserabiliter prostratum ob oculos ponens, filium in ætate militari, tametsi scelestum, crescentem tamen, & patri similem, sanguine, taboque oppletum. Hæc sunt parentum vulnera, hi justorum tyrannicidarum gladij: hæc mors digna crudelibus tyrannis, hęc ultio tantis sceleribus congrua. Cæterùm protinus interire, protinus sibi excidere, nihil habet tyrannico supplicio dignum. Non enim ignorabam vir egregie, non ignorabam, nec alius quisquam quanta benevolentia filium prosequeretur, quamque vel tantillum illi superstes esse nollet. Omnes enim patres fortasse hoc erga liberos sunt animo: sed hic aliis quiddam amplius habebat, idque meritò: quippe qui videret illum unicum esse qui curaret, servaretque tyrannidem: quique pro patre pericula solus adiret, & tutamen imperio adderet. Itaque si non ob benevolentiam, saltem ob desperationem rerum sciebam brevi moriturum ipsum, quum reputaret nihil commodi in vita futurum ampliùs, tutamine filij sublato. Nimirum effeci ut hæc omnia catervatim ipsum circunstarent, natura, dolor, desperatio, formido, quique metus in posterum imminebant. His adversus illum auxiliis sum usus, ipsumque ad id extremum consilium adegi. Interiit vobis orbus, excruciatus, plorans, lachrymans. Luxit luctum, non eum quidem diuturnū, verùm qui patri satis magnus esset. Postremò quod est omnium acerbissimum, ipse sibi necem conscivit, quod quidem mortis genus miserrimum est, & longè atrocius, quàm si ab alio inferatur. Vbi mihi gladius? numquis alius hanc agnoscit? num cuiuspiam alius hęc fuit armatura? quis eum in arcem intulit? ante tyrannum quis eo est usus? quis eum illi misit? O particeps, ô meorum egregiè factorum successor ensis, post tanta pericula, post tantas cædes contemnimur, & indigni præmio judicamur. Nam si hujus tantùm nomine prēmium à vobis deposcerem, si dicerem, judices, Tyranno cùm mori vellet, idque temporis inermem esse se deprehendisset, gladius hic meus inservivit, & ad consequendam libertatem omnibus auxilio fuit, hunc honore & præmio dignum judicassetis: porrò domino tam popularis boni gratiam non retulissetis? Nonne inter eos qui de repub. sunt bene meriti, scripsissetis? nonne gladiū inter sacra monumenta reposuissetis? nonne cum Dijs illum veneraremini. Nunc cogitate, quid tyrannum fecisse, quid ante mortem dixisse verisimile sit. Quum enim juvenis qui à me trucidabatur, & multis vulneribus confodiebatur in corporis partibus mage conspicuis, ut quàm maximè parentem discruciarem, & primo conspectu perturbarem, miserabiliter inclamavit, parentem implorans, nō opitulatorem, non adjutorem, (sciebat enim illum esse senem & imbecillum) sed domesticorum malorum spectatorem. Nam ego interim discesseram, author qui fueram totius tragœdiæ, relinquēs actori cadaver, scenam, gladium, & reliqua quæ ad actum fabulæ pertinebant. Tum ubi supervenit ille, viditque filium quem habebat unicum, paulum spirantem, sanguinolentum, cæde plenum, & vulnera continua, multaque, & lethalia. Sic exclamavit, O nate, extincti, interempti sumus tanquam tyranni. Vbi jugulator? cui me servat? cui me relinquit? qui quidem per te fili iam ante sum è medio sublatus: nunquid me tanquam senem contemnit? & quasi lento supplicio sim plectendus, mortem mihi prorogat, & longiorem cædem mihi reddit. Atque hæc locutus, ensem quærebat. Ipse enim inermis erat, eo quòd per omnia filio confideret. Verùm ne is quidem defuit, ut qui jamdudum fuisset à me paratus, atque ad facinus futurum relictus. Avulso igitur ense è jugulo, & è vulnere exēpto, paulò ante, inquit, me occidisti. Nunc finem malis impone ô ensis: ades lugenti patri solatium, senilemque manum & infœlicem adjuva, jugula, occide tyrannum, luctu libera: utinam prior in te incidissem, utinam priorem cædis locum occupassem. Occidissem quidem, sed tanquam tyrannus duntaxat, sed qui crederem mihi superesse ultorem. Nunc autem tanquam liberis orbus, nunc tanquam occisore carens occumbo. Atque interea dum hæc diceret, gladium adegit tremens, neque sat potens. Cupiebat quidem, sed non suppetebant vires ad facinus exigendum. Quot hîc supplicia? quot vulnera? quot mortes? quot tyrannicidia? quot præmia? Et ut finem faciam, vidistis omnes, juvenem quidem illum priùs prostratum, non exiguum, nec facile opus. Senem postea ipsi circumfusum, amborumque sanguinem commixtum, libertatis illam & victorialem victimam, meique gladij facinora.

At gladius ipse in medio amborum, declarans quàm non domino indignum se præstitit, testansque quàm fidelem operam mihi navârit. Hæc res à me gesta minoris esset momenti, nisi novitate illustrior fieret. Atque is sum ego, qui tyrannidem sustuli. Cæterùm actio in multos est distributa; ut in fabulis fieri solet. Ac primas quidem partes egi ipse: secundas autem filius: porrò tertias Tyrannus ipse: gladius autem omnibus inservivit.

Declamatio D. Erasmi Roterodami, Luciani Tyrannicida respondens.

Si mihi causa hæc Iudices, apud concionem popularem quæ studiis potiùs, quàm exacto rerum judicio duci consuevit, esset agenda, ac non magis apud Iudices ex honestissimis ordinibus delectos, nimirum gravissimos sapientissimosque, nonnihil profectò vererer, ne omnium animis nova hac & insperata lætitia gestientibus, atque (ut ita dixerim) exultantibus, nec satis attentos, nec dociles essem auditores habiturus. Porrò faventes, benevolosque multò minus: quippe qui frontem modo, quasique personam huius negotij intuentibus, non faciem ipsam propiùs contemplantibus videri fortasse possim, in communi totius civitatis gaudio, tum autem in causa tam populari, velut importuniùs obstrepere atque obturbare. Enimvero quum omnis aff. ctus inutilis est ad rectè judicandum, tũ ingens, intemperans, atq; exundans lætitia, non solùm judicium omne funditus tollere solet, verumetiam nostri sensus non rarò nobis eripere: præsertim (si quemadmodum hæc nostra) post graves diuturnasq; calamitates, ac veluti tempestatem sævissimam, repentè præterque spem (quasi portus quidam) fuerit objecta. Quid autem tam acerbum liberę multitudini, quàm servitus? Quid tam dulce, quid tam exoptatum, quàm libertas? Itaque non rebus modo ipsis, sed vel inanibus harum rerum vocabulis, plebis animus queat ad quidlibet impelli: maximè primis his aliquot diebus, dum gaudiorum adhuc velut æstus quidam impotens, omnia sursum ac deorsum miscet, dum lætitiæ temulentia, dum gratulandi dulcis quædam ebrietas pectus occupans, animum ad cogitandum instituere non sinit. Verùm vestra Iudices singularis sapientia perspicacitasq; non hoc tantùm scrupulo me levat, verùm & hanc mihi fiduciam suppeditat, uti sperem futurum, ut hoc contradicendi munus, quod equidem nec invidentia, nec favore in Tyrannidem (sicut iste calumniabatur) sed solita mea, & (ut opinor) nota Reip. charitate suscepi, vobis non modò non invidiosum, sed favorabile, plausibileq; videatur.

Etenim postquam viderem manifesta quadam Deorum benevolentia, post diuturnam & miserrimam illam servitutem, toties Reip. votis expetitam libertatem aliquando contigisse, nihil priùs curandum nobis esse judicavi, quàm ut gratos nos exhiberemus in eos, à quibus nobis tam egregia felicitas esset profecta, quò videlicet munus suum huic urbi proprium, perpetuumque facere vellent & constabilire, tuerique quod largiri non essent gravati, meminissemusque iisdem in manu esse, ut eriperent ingratis, quod optantibus dedissent. Sunt autem vel primæ grâtitudinis partes, intelligere videlicet, cui beneficium acceptum ferre debeas. Et hac una ratione mortales divinæ beneficentiæ gratiam referre possumus: si beneficium acceptum agnoscamus: si celebremus, si ad illos authores referamus. Neque mihi committendum putavi, ut dum nimium candidi in civem esse volumus, in deos ingrati impiique reperiamur. Neque enim isthoc nomine nunc perinde laboratur, ne hoc præmij pereat ęrario, & huius lucris accrescat (quanquam id quoq; longa iam tyrannide exhaustius est, quàm ut inde temerè dari præmia conveniat immerentibus) Illud agitur, ne dij immortales, qui hujus malè consulta, nobis verterunt bene, hoc tantum munus à nobis tanquam ingratis reposcant, si quod ipsis solis debetur honoris, laudis, gratiæ, id illis fraudatis, in hominem contulerimus. At quẽ hominem obsecro? Nempe qui quum privatus contra leges juvenem occiderit, atque hac temeritate sua restitutæ libertatis periculosam occasionem modo præbuerit, idque adeò imprudens (uti mox docebimus) non veretur pulcherrimum tyrannicidæ titulum diis eripere, sibi arrogare: Reipub. diem dicere, ac leges ipsas in jus vocare: civitatem ingratitudinis ream agere, nisi sibi totam hanc felicitatem ferat acceptam.

Nullum quidem judices facinus speciosius tyrannicidio, nullum diis dignius: verùm hoc impudentior, qui sibi laudem tam eximiam usurpat immeritus. Nullum præmium honestius illustriúsve, quàm quod tyrannicidæ debetur. Sed hoc impensius accuratiusq; spectãdum, ne temerè decernatur indigno. Permulta siquidem, permulta ad id requirũtur, ut hoc tam egregio titulo, ut hoc tam divino præmio dignus quis esse videatur: quorum nihil in hunc competere, paulò pòst evincemus. Proinde cùm non tolerandæ improbitatis mihi videatur, qui legibus tum homicidij, tum temeritatis pœnas debeat, eum à legibus præmium omnium maximum petere: dixi, imò flagitare: & ita flagitare, ut etiamsi unum ex huius arbitrio dependerint, tamen multa insuper isti creditori sint debituræ. Quæ cuncta quum postulare jure potuisset: maluit tamen homo verecundus, unico persoluto, reliqua sibi deberi ut haberet nimirum, quod obnoxiæ Reip. quoties libido sit possit improperare. Tum illud utrum risu potiùs, an odio dignum existimem, quòd in tribunalibus, quod apud ornatissimum severissimorum judicum consessum, Thrasonem quendam nobis è comœdia retulit? Sensistis judices, ut è corona plerique risum tenere nequierint, dum personatus iste Hercules, tragœdiam illam suam nobis recitabat: de seseterque quaterque tyrannicida, de sapiente illo gladio commilitone suo, qui per se prudens senem interemit: digno videlicet, qui inter sydera collocetur, domino in deorum numerum relato. Dij boni, quibus phaleris, quibus fucis, quibus ampullis facinus illud nobis suum ornavit, jactavit, exaggeravit? quàm militari jactantia, quàm Stentorea voce, quàm fastuoso vultu, quàm arrogantibus superciliis; quàm stupidis oculis, suum ipse vobis encomium detonabat? Quæso Iudices, ut etiam nunc hominis vultum diligenter attendatis: nonne vobis minitari videtur? nonne dicere? ni mihi præmium decreveritis, haud feretis impune, incolumi divino illo meo, ac fortissimo gladio, qui vel sine me, meas vices, ubi lubebit, acturus est. Quis tandem istam ferat jactantiam, vel in eo, qui verè tyrannum occidisset?

Hæc quoque me causa Iudices (neq; enim inficiandum est) commovit, ut huius obsisterem petitioni, vel magis, ut immoderatam arrogantiam, ut odiosam huius imputationem retunderem. Videbam iam inde ab initio, quum certatim universa civitas diis libertatis authoribus gratularetur, ut hic sese ira tumens in medium ingesserit, quàm indignè tulerit victimas diis servatorib. immolatas. Sibi hunc honorem eripi, sese unicum esse restitutæ libertatis authorem proclamabat, leges, aras, focos, omnia publica, privataque, suæ dextræ, suo magnifico gladio deberi. Agite quid futurum denique Iudices auguramini, si id ad huius intolerabilem jactantiam, vestra authoritas, vestra comprobatio, si præmium quasi pignus accesserit? Quid, nisi ut tyranno submoto, alter quidam huic civitati paretur, qui ventosæ linguæ, gloriæque quasi tyrannidem quandam exerceat? Qui quotidie nobis odiosam istam suam tragœdiam ingerat, quotidie dextram istam Herculanam & gladium prodigiosum minitetur? Utrum est hoc Iudices tyrannide liberari, an mutare Tyrannum? Videtis ipsi quàm minaci fronte me jam obtueatur. Quid mihi succenses? Quid minitaris oculis? Quid terres supercilio? An mihi non licebit libertate in contradicendo (tuo scilicet munere) uti, quum tu sic abutare? qui liberum tibi putaris (id quod etiam in proscenio leges fieri vetant) crimen tam atrox, tam capitale in civem impingere, tantùm quia libuit, idque apud Iudices iratos, in tam frequenti civium corona, quod nequeas vel levissimo confirmare argumento.

Siquidem quàm reliqua gloriosè, tam illud impudenter dicebas, mihi nullam fuisse causam, quare tibi contradicendi partes susciperem, nisi quo tyranni necem, quæ me discruciaret scilicet, ulciscerer. Quo quidem tuo exemplo si vicissim in te liberet uti, mox intelligeres quàm atrocia, quanto probabiliùs in te possint retorqueri. Nam tuum istud tam invidiosum (quemadmodum tu quidem existimabas) convicium, me longè minùs, etiam territabat, quàm (quod vulgo dicunt) ex pelvi redditum fulgur. Etenim præterquam quòd neque affinitas, neque cognatio, neque necessitudo, neque emolumentum, neque prorsus alia res ulla mihi cum tyranno intercessit, cur mea referret illum vivere, sine quibus rebus nullam in quenquam criminis hærere suspicionem, tu quoque scires, nisi nunquam tribunalia vidisses, ac nisi hodie devium te lucelli spes fecisset jureconsultum. Equidem arbitror, meam fidem, integritatem, pietatem, totamque meam vitam sic huic Reip. spectatam esse, ut isto crimine tibi potiùs improbitatis odium, quàm mihi suspicionem ullam conciliaris. Vides quàm multis adductus sim causis, ut tibi obsisterem? Denique (si scire vis) bona civium pars id à me enixissimè flagitavit, ut sui patrocinium adversum te capesserem, negantes sibi videri tyrannide liberos sese, nisi te à tyrannicidæ præmio deiicerem. Non quòd pudeat homini debere hanc felicitatem: tametsi id quoque durum, ei debere qui sic imputet: sed debere arroganti, sanè quàm molestum est: at debere, cui non debeas, istuc verò non gravissimum modò, verùm etiam stultissimũ. Equidem ne leoni quidem, vel verbo refrager, si modò is promereatur: sed obnoxium esse tam importuno imputatori, tum qui nihil juverit, id verò bis miserum est, bis stultum est. Nullus enim insolentiùs exprobrat beneficium, quàm qui quod non dedit, id vult dedisse videri. Sed finge mihi nullam esse causam cur tibi me opponerem, nisi quia sic animo lubitũ sit meo, profectò nihil habes quod mihi jure succenseas.

Etenim quum apud Iudices tam sanctos agatur: si verè præmium meruisti, non tibi honorem eripio, verùm etiam vehementer illustro, quando non paulò magnificentius est tyrannicidæ præmium evicisse, quàm tulisse. Sin minus, ęquus veniã dabis, si boni civis fungor officio, si nullo meo emolumento Remp. debiti præmij ream defendo, si stultitiæ crimen, si imprudentiæ infamiam à civitate depello, si non sino, ut nostro omnium periculo hæc urbs in deos existat ingrata. Postremò si deorum immortalium causam ago, quibus honorem debitum tu conaris intervertere, ut vel hinc sat liqueat, quanta religione reliquam causam egeris, qui statim ingrediens tã impudenter sis calumniatus: Contradicit igitur, contra Remp. faves tyranno. Quanquam ego illud quoque liberæ civitatis esse judico, hoc loco vel tyrannorum causas citra fraudem agere licere. Neque tamen à vobis postulo Iudices, ut vel mihi prosit in causa hoc meũ erga Remp. studium, vel huic obsit tam insolens arrogantia: imò non deprecor invidentiæ suspicionem, non refugio vel atrocissimam illam, quam iste mihi conabatur impingere, invidiam, ut tyranno favisse videar, nisi certioribus, quàm ut à quoquam refelli possint, argumentis evinco, nisi demum & adversario persuadeo,

modò

modò ne tergiversetur, ut quàm maximè civiliter quis agat, nullum ei deberi præmium. Sin exactiùs, severiusque, pœnam etiam ab ipso deberi. Quæ quidem dum quàm potest brevissimè facio, quæso Iudices, ut me attentis animis atque auribus audiatis.

Meministis Iudices, ut iste inter dicendum subinde nobis conatus sit ob oculos ponere, id unum spectare jusserit, quantis malis tyrannide simus levati. Hoc passim inculcabat, hac re bonam orationis partem occupabat, nihil nos aliud perpendere voluit, nisi quòd gravem servitutem tolerassemus, nunc optata libertate frueremur. Nimirum id tantùm vos spectare voluit, quod ad hoc judicium nihil attinebat. Neque enim hoc in quæstionem venit, quàm misera sit tyrannis, quàm optanda libertas. Sed de illo cognoscitis Iudices, quum libertas huic urbi sit restituta, quanta hinc laudis portio hujus virtuti debeatur, & an id quod eventu cum hujus facto conjunctum est, idem cum eius merito conjunctum videri oporteat. Relegam autē eadem vestigia, quibus ipse in causam ingressus est, quod equidem refellendi genus simplicissimum esse puto sequarque partes illas, quibus iste rem secuit, id nimirum agens, ut quemadmodū ingeniosi convivatores iisdem carnibus alio atque alio modo coquendis, condiendisque efficiunt, ut multa opsoniorum genera videantur, itidem iste nobis ex unico homicidio multa faciat tyrannicidia. Repetam igitur ordine gradus illos, quibus iste facinus suū sibi visus est mirificè attollere, & in quibus identidem restitabat. Quòd si me deturbante, vel in uno quolibet consistere poterit: tum ipse sese victorem pronunciet licebit.

Quot tyrannicidia, inquit, quot præmia? Primum quòd volui, deinde quòd conatus sum. Tum autem quòd filium occidi plus quā tyrannum. Postremò, quòd pater ob mortem huius sibi necem conscivit. Principio quòd voluit Iudices, quis non levius esse videat, quā ut sit refellendum? nisi quòd iste tanta voce intonabat, toties inculcabat, quòd tyrannum voluisset occidere, atque id (ut nihil iam accideret) tamen præmio dignum asseverabat. Quid autem tam ridiculum, quàm nudæ voluntatis præmium à lege flagitare? quæ adeò nihil ad se pertinere putat, quid velint aut in animo statuant homines, ut neque pœnam irrogent si quid velis modo perperam, neque præmium ostendant, si quid officiosè velis: verùm id unumquemq; voluisse interpretantur, quod nulla vi coactus effecerit. Ergóne, inquies, non magna facti pars est voluisse, quod quidem arduis in rebus vel solùm sufficere solet? Rectè sanè. Sed apud deos modo: quippe quibus solis perspicuum est, quid nolis aut velis, ab his præmium expectandum, si quid præclarum animo conceperis. Lex hominum vices agit, & quid in obscuris illis sinuosi cordis specubus mortales agitent, adeò sua referre nihil putat: ut non dicam abdita aut suspiciosa, sed ne ea quidem admittat quæ populari sunt opinione famaque jactata. Postremò ut non nisi comperta recipiat, non audiat nisi quæ sunt certissimis argumentis deprehensa, probata, evicta. Cedo, quod est facinus tam nefarium, cuius simplex voluntas in crimen unquam est vocata? Ista judicia Æaci, Rhadamanthique tribunalibus servantur. Hic mihi non quid volueris, sed quid feceris adferto. Quòd si nulla lex ulli flagitio supplicium minatur, quod in animo statueris, quę tandem est impudentia, pro merito quod præstare volueris duntaxat, perinde quasi pręstiteris, à lege quasi præmium postulare? Quæ quidem quum ad id unum sit comparata, ut maleficia vel deterreat, vel coërceat, multoque magis ad eius partes pertineat, nocentibus erogare pœnam, quàm bene merentibus largiri præmia (id quod mox copiosius demonstrabimus) posteaquam in criminibus non accipit insimulationem meræ voluntatis quæso te, in petendis præmiis ostentationem voluntatis admittet?

Quis autem est civium vel quantumlibet ignavus, qui non velit tyrannum occidere, si tutò liceat? Quis non vel leno, saltem emolumenti causa velit? Denique quis non facilè simulare possit voluisse se: videlicet quò præmium gratis auferat? Vis itaque dicam, quantum hoc totum habeat momenti, voluisse occidere? Nempe perinde est, quasi te somniaris occidisse. Par pari pensari convenit. Qui præstitit beneficium, ei lex beneficium rependit: at qui bene voluit tantùm, ei quid debetur, nisi ut vicissim bene velit reip. I nunc, & hoc in gradu nos jube consistere. Rem tam eximiam, inquis, animo versavi, statui, decrevi: an præmium negabitis? Non fraudaberis præmio, si isthoc nomine postules: verùm illud interim præmij feres, velut homo nimium perfrictæ frontis, irrisus, explosus, exsibilatus discedes, quem non puduerit id à lege postulare, quod ne leno quidem ausit à quoquam petere, ut rem pro voluntate auferat, nemo tam vecors qui concedat, ut voluntatem nescio quam, hoc est, minus quàm verba pretio redimat. At non volui tantùm, inquis: verùm & periclitatus sum, ascendi, submovi satellites. Primùm isthuc tu quidem consultè facis, quod de gradu illo desiliisti, in quo nimis profectò incommodè stabas, quanquam ne in hoc quidem multò commodiùs constiteris. Nam etiam si paulò minus absurdum videatur, haud ita multò minus impudens tamen est, quum lex palàm præmium decernat ei, qui factum præstiterit, te quod conatus modo sis, præmium poscere.

Ergone hoc quidem juris erit apud te legibus, quod per illas est civi privato cum cive privato? Age quid siquis civium tecum iniisset contractum, ita ut ille pecuniam stipulatus, tu conditionem pactus esses, mirum ni suo uterque periculo, atque is nondum præstita conditione, nummos his verbis abs te petat: Cedo mercedem, conatus sum, tentavi, adnisus sum: an non protinus impudenti homini respondebis: Cedo conditionem? Nam de tuo conatu quid mea refert? quandoquidem effectum abs te pactus sum, non conatum. Puta totidem verbis tibi nunc respondere legem: Agnosco contractum, non muto pacta: debeo præmium, sed si tu conditionem præstitisti, si tyrannum occidisti. Verbis aut obligantur, aut absolvuntur homines. Si conato pollicita sum præmium non gravabor dare: sin ei qui facinus peregisset, quod tandem ius est referre quod est stipulatus, me non ferre quod sum pacta? In privatis ac minutis contractibus nemo tam improbus invenitur, ut lucrum cōditione promissum postulet, non præstita conditione, nemo tam stultus ut det, si quis postulet: & tu à Rep. maximum omnium præmium postulas, quòd conatus modò sis? Nihil mihi nisi nugas adfers, donec illud unum audiam, quod te præstare oportebat.

Volui, inquis, ascendi, perrupi custodias, submovi satellites, quantulum iam est illud quod superest? Quid adhuc desideras? Nempe nihil in te desidero præter illud, cui soli debebatur præmium. An non intellexisti in istiusmodi contractibus duplex esse periculum: quorum alterum ad hunc tantùm, alterum ad illum propriè pertineat: videlicet persoluendæ mercedis, & præstandę conditionis? Ego meo periculo præmij dependendi onus recipio, neq; tua referre putes, neque refert quam angusta mihi res, unde corradendum quod debeam precium. Tu itidem conditionem tuo suscipis periculo, neque mea quicquam interest, quo sudore, quo periculo sit ea tibi pręstanda. Totam istam curam, totum hoc negotium tibi relinquo. Quòd si ego iam præstita abs te conditione commemorem tibi in agris meis malè provenisse segetes, merces naufragio periisse, nihil avelli à malis debitoribus, non sine gravi dispendio conflari posse pecuniam, quam tibi debeam, dic obsecro, nonne nugas agere me dices, negans horū quicquam ad te pertinere? Hoc uno modo posse satis fieri tibi, si pecunia numeretur. Neq; quisquam est judex tam iniquus, qui non te tuo uti jure fateatur. Et mihi pulchrè satisfactum existimas, si tu mihi tragœdiam adferas, quantum adieris periculi, quantum sudorum, quantum vigiliarum exhauseris, dum studes præstare conditionem? Res est (mihi crede) calumniosior, scrupulosiorque quam ut legibus tam occupatis conveniat, alienam expendere voluntatem, alienos pensiculari conatus: quorū suos quisq; nimio solet ęstimare, non suos difficile est ad amussim perpendere. At facti, facilis est æstimatio. Proinde ea in legis cognitionem cadit: hinc reliqua omnia consuevit metiri. Tametsi non piget interdum æqui bonique rationem habere: verùm in his litibus, quæ dè vetere illa formula pendent, inter bonos bene agier oportet. At in contractibus, quæ neque vi, neque dolo coierunt, quid est quod à præscripto recedatur, nisi quis velit omnino à pactis discedere?

Quid vis? Circunspice, & si potes usquam invenire exemplum, non nego præmium. Sæpenumero in pugilum Olympicis, sæpe in certamine spectator (opinor) sedisti. Cedo, num quando vidisti quenquam tam impudentem, qui palmam sibi hoc nomine vendicaret, quòd strenuè certasset? Non arbitror, atque id in re penè ludicra, certè ad voluptatem comparata. Et tu in tam serio omniumque splendidissimo negotio id tibi postulas, quod in scenicis illis pudeat vel impudentissimum tentare? Age quoties & illud vidisti evenire, ut qui sese fortissimè, doctissimeque gessisset in cursu, is à præmio longissimè abesset, & ignavissimo faveret eventus? Habeat ille sanè, quod causetur, excidisse habenas, consternatum equum, fractam rotam, iactet se vel arte, vel viribus tanto præcellentiorem, quanto Thersitæ præstitit Achilles, nisi metam prior attigerit, profectò postulandi præmij jus nullum habebit, fortunam suam incusare licebit. Cæterùm Agonothetæ non indignabitur: propterea quòd hoc animo in certamen descenderit, ut eius uteretur conditione, id est, ita demum præmium ferret, si virtuti fortuna favente vicisset. Alioqui si conatui, non tantum effectui præmium deberetur, tot palmis esset opus, quot in Olympicum certamen venissent, quia quam in hujusmodi ludis, qui solennitatis voluptatisque gratia proponuntur, fit interdum, ut victis quoque præmia statuantur, non honoris, sed solatij gratia. Verum seriis in rebus, atque adeò periculosis, quænā obsecro lex unquam mercedem statuit, nisi si quis facinus peregisset: & ita peregisset, omnes numeros implerit? A quo tu quantum absis, mox audies: nam nunc de conatu tantùm agimus.

Lex igitur civicam promittit coronam ei, qui civem in bello servarit. Quis unquam ad hunc honorem vel aspiravit, quòd se telis objecerit, quòd non sine multis vulneribus discesserit? Profectò nisi cive servato, nemo civicam petit, Quis unquam his verbis muralem petijt: Acriter contendi Iudices, ut mœnia superarem. Omnia feci, sed depulsus sum. Quantumlibet enisus sit, nisi conscenso muro, nemo tam inverecundus ut muralem coronam sibi deberi dicat. Obsidionalem nemo flagitat, nisi depulsa obsidione. Postremò nullus honos petitur, nisi ab eo qui id effecerit, ad quod honor invitat. Qui navim in tempestate desertam ad littus perduxerit, huic ex lege vendicatio est earum rerum, quæ navi vehebantur. Quorsum attinet hîc tuam jactare peritiam, sudores, pericula, conatus? Nihil non feceris, quo navem in tutum reduceres, sed victus tempestate deseruisti, audebis quicquam ex his quæ sunt in navi, tibi vendicare? Aut si ausis, futurum speras, ut quisquam te vel pilum sinat attingere?

Non opinor. Si quis unquam ovationem, supplicationem, triumphum obtinuit, quòd ad victoriam omnibus nervis esset enisus,

quòd gnaviter ſe geſſerit in bello, niſi ſuperior diſceſſerit, niſi præſcriptum à lege numerum hoſtium fuderit, aude & tu tibi præmium promittere, quòd tyrannicidium ſis aggreſſus. Quòd ſi nemini hominum memoria contigit, deſine tibi nova ſpe blandiri, deſine inaudito exemplo poſtulare, quod ſperare ſit improbiſſimum, dare poſtulanti ſtultiſſimum.

Noli nobis commemorare, quanto capitis periculo murum arcis conſcenderis, qua virtute ſatellitium tyrannicum perruperis, alios depuleris; alios occideris: quorum maximam partem tibi liberum eſt fingere. Ad obtinendum tyrannicidæ præmium, duobus duntaxat verbis eſt opus; tyrannum occidi. Quantumvis conatum exaggeres, alleves, attollas; non niſi tyrannicidæ debetur præmium. Alioqui quid dices ſi eodem illo die, quo tu arcem conſcendiſti, permulti pariter aggreſſi, ſua quiſque virtute freti: quorum nemo tamen tyrannum intereműſſet: utrum omnes tyrannicidæ præmio potientur ex æquo, nempe quia conati? Age quid ſi multis ſtrenuè rem aggreſſis, uni cuipiam, qui ſit omnium ignaviſſimus (ut non ſemper virtuti reſpondet fortuna), eum contingat interficere, an non præteritis reliquis hic unus honorem auferet? Quamobrem tandem? Non quia plus adierit periculi, ſed quoniam id confecit, cui lex honorem decrevit.

Hic tu fortaſſe rurſus incipies deplorare, fruſtra ſumptam operam, negabis æquum eſſe virtutis egregios conatus merito fraudari præmio, niſi fortunæ ſuffragio adjuventur. Sed quæ tandem poteſt eſſe iniqua conditio, quam nemo compellitur accipere, niſi cui cordi ſit? Quantumlibet iniqua conditio proponitur, eam nimirum facit æquiſſimam, quiſquis ſuapte ſponte recipit. In aleæ ludo (ſi fas eſt hoc exemplum conferre) quid iniquius, quàm vel ſummum artificem ab imperitiſſimo ſuperari, ſi modo jactus commodè cadat? Atque id adeò nemo tanquam iniquum cauſatur propterea quod cui luſus hujus lex non probatur, ei liberum erat non ſuſcipere. Itaque lex quod præſtari velit, id palàm atque in medio proponit. Qui abs te præſtari poſſit id tibi relinquit expendendum. Illa nihil mavult, quàm ut res quàm optimè cadat: quod ſi poſteaquàm nihil jam intentatum reliqueris, quo minus effeceris, per fortunam ſtetit, intelligis (opinor) nihil habere te, quod legi ſuccenſeas. Fortunam, ſi ita lubet, in jus voca, cum lege nihil tibi rei: quæ ut nihil promittit, ita nihil debet, niſi præſtanti.

Neque verò exiſtimemus Iudices, iſtud à majoribus qui hanc legem tulerunt, ſine ſumma ratione fuiſſe factum, ut conato præmium non eſſe ſtatuendum putarint: videlicet illud caverunt, non tantum ne ancipites iſtas & inexplicabiles hujuſmodi de conatu lites invitarent, verum etiam quòd intelligerent tyrannicidij conatum non poſſe, niſi ſummo civitatis periculo ſuſcipi. Vnde futurum proſpiciebant, ut ſi conatui præmium ſtatuiſſent, temeritate conantium reſp. ſubverteretur potiùs quàm reſtitueretur. Etenim tyrannis quid aliud eſt quàm grave capitaleque civitatis hulcus? huic ſi quis medeatur, ei merces digna propoſita eſt; quam ita demum ferat, ſi remedium præſentaneum attulerit. Verùm huic malo neminem oportet admoliri manum, niſi certum artificem, qui ſua diligentia peritiaque fretus, non ſinat hoc licere fortunæ, ut dum ipſe ſalutem dare conatur, illa vitam penitus eripat. Quid? utrum tu igitur in ejuſmodi diſcrimine conatum præmio judicas invitandum eſſe: an potiùs pœna deterrendum, niſi quod conatus eſt quiſpiam, idem præſtiterit?

Nec illud te ſublevat, quod mihi videbare ratiocinando colligere, quum lex in maleficiis pœnam irroget ſimplici ſceleris molitioni, pa eſſe ut multò magis in benefactis conatus habeat rationem: nam apportere legem multo propenſiorem videri ad compenſandam virtutem quàm ad retaliandam culpam. Atque vide quàm hîc tota erras via. Principio non animadvertis hoc tyrannicidii facinus toto genere à reliquis diſcedere, propterea quod aliorum molitio cum privato molientis periculo modò conjuncta eſt: hujus cum publico reipub. diſcrimine copulata, ut temerè moliri tyrannicidium nihil aliud ſit, quàm temeritate privata rem omnium prodere. Deinde lex nec in quovis crimine, nec qualemcunque conatum in quæſtionem venire ſinit; verùm in paucis duntaxat, quæ vel propter inſignem atrocitatem hoc odii merentur, vel ejuſmodi ſunt, ut priùs exitium adferant, quàm conatus dent ſignificationem: quod genus parricidium, veneficium, proditio. Poſtremò non vides nihil eſſe ſimile, totaque natura rationeque diſcrepare, pœnæ legitimam irrogationem, & honoris largitionem. Nam alterum quidem propriè legum munus, alterum quaſi quædam de jure conceſſio, legiſque candor (ut ita dixerim) quidam eſt. Hoc ita habere ſic demum intelliges, ſi reputes quàm multa ſint quæ lex jubeat, addita pœna, ni pareas: quàm multa item vetet, niſi obtemperaris, ſupplicium minitas: contrà, vix unum atque alterum eſſe, aquæ præmio ſollicitet. Quædam enim ejuſmodi ſunt, ut durum ac ſervile videatur ad ea metu mali adigi: quo de genere ſunt, uxorem ducere, operam dare liberis. Hîc lex nimirum urbaniùs ac verecundiùs tecum agit, patris, non magiſtratus ſumit habitum, precio ad id invitat, quod alioqui gratuito te præſtare decebat. Rurſus alia tametſi id genus ſunt, ut à quovis non improbo cive præſtari velle oporteat, tamen & fortiora videntur, quàm ut à multis præſtari qeant: & periculoſiora, quàm ut multi velint ſuſcipere. nam inhumanum videtur cuiquam vitæ ſuæ contemptum imperare: ad hæc igitur præmio animat, quaſique calcar addit virtuti. Proinde on oportet hanc legum indulgentiam longius trahere, quàm ad quæ ſemel ipſa aſtringit. Nec mirandum eſt ſi attentior, ſi vigilantior, ſi exactior eſt in proprio naturalique munere ſuo, quàm in eo in quo pro temporis ratione in alienas partes deſcendit.

Huic adſtipulatur illud, quòd novis etiam criminibus exemplum, aut novum nova lege ſolet inſtitui, aut à ſimili lege mutuo ſumi. Neque tamen idem fieri conſuevit, ſi quis quid novi facinoris cum laude patravit, ut præmium à ſimili conſtitutione decernatur: niſi lex extet, quæ nominatim honorem ſtatuat ejus facto, quod roget, vix habebit: quod poſtulet, haudquaquam. Cur enim legi neceſſe ſit paſſim civium ſuorum officium mercede redimere? quandoquidem ne ſit impunita improbitas, id publicitus omnium refert: at probus eſſe nemo gratis poteſt. Quid autem eſt quod non vel gratus patriæ debeat civis? cui ſi vel animum impenderis, quid mirandum, ſi quod acceperas, id reſtituis? Vt ſupplicio dignus ſis, niſi parenti pietatis officium perſoluas, non præmium illico tibi debeatur, ſi perſoluas. Itidem, ſi quid in leges committas, non potes effugere ſupplicium: at non ſtatim illæ tibi præmium debituræ ſint, ſi quid cum officio feceris. Nam ſi cives omnes ſeſe in officio continerent, ne opus quidem eſſet ullis legibus: quippe quæ non ad bonos mores comparatæ, ſed malis è moribus natæ ſunt, id quod verè vulgo dictitant, ac pharmaci vice fungantur.

Finge itaque nullas eſſe leges quemadmodum de aureo Saturni ſeculo fabulantur poëtæ, ſuo quemque ſponte fungi officio: an tu hîc clamabis perire benefacta, quòd nulla lex præmium decernat? Vti lex non minatur niſi improbis, ita non pollicetur optimis civibus. Quorſum enim opus promiſſo, quum virtus abſoluta abundè ſeipſa contenta ſit? Proinde petere quod illa non ſit pollicita, profectò plus quàm impudentiſſimum eſt: improbè flagitare quod ea candidè civiliterque promiſerit, civis eſt probi [illegible] non ſatis ſpectatæ. Tu quid merueris, paulò pòſt excutietur: interim finge ſanè præcipuam quandam utilitatem attuliſſe, cui tamen ex lege præmium non debeatur. Vtrum protinus clamitabis infrugiferum fuiſſe officium, civitatem in jus vocabis, plebem ingratam vociferabere, minitabere judicibus, niſi tibi mercedem ex animi tui ſententia decernant? An potiùs ipſam virtutem abundè magnum ſui præximium judicabis? Oblectabis te conſcientia recti. Hunc eſſe maximum fructum officii duces, quòd de aliis citra tuum emolumentum benemerendo ad deorum benignitatem videaris accedere? Nimirum hæc tibi futura ſint ſatis, ſi modò civis ſis optimus.

Quòd ſi non contentus iſtis, aliud adhuc neſcio quod præmium deſideres, certè maximo proximum eſt gloria: hoc tu jam propemodum tuliſti. Quanto metiris precio, volitare per ora mortalium, celebrari, laudari, digitis notari mille, oculos omnium in te conjectos circunferre? Iſta, inquam, vel maxima præmii pars: nam pecunia ſanè quàm exiguum momentum adfert. Tu conatus duntaxat es, permagna portio, vel caput potiùs ipſum tuo deeſt facinori. At cum interim his rebus frueris, dum non occiſo, tamen velut tyrannicida celebraris, quæſo te, quantula pars abeſt è tuo præmio quod laturus eras; etiamſi tyrannum occidiſſes? Poſtremò iſthuc ipſum præmium, penè dixerim, invidendum mihi videtur, quod jam tibi licuit toties Reip. tyrannicidium imputare, quod in celebri judicio tibi contigit honeſtiſſimum præmium flagitare, & in tam frequenti theatro ſpectante rep. magnificam iſtam tuam tragœdiam peragere. Mihi videtur Iudices, beneficii tuliſſe gratiam; quiſquis exprobrare beneficium potuit. Tu fortunæ, tu deorum munus imputas civitati; & ſunt fortaſſis qui tibi libertatem acceptam ferant. An hæc tanta præmia contemnis? quæ vel vero tyrannicidæ ſufficere debuerant, niſi lex maluiſſet præmio conatum ab effectu diſtinguere. Quamque nullum me hercle præmium magis congruit ei, qui tyrannum conatus ſit occidere, nec occiderit, quàm ut illi contingat tyrannicidæ præmium ſperare, nec ferre tamen. Hiccine erat ille gradus, in quo nos tecum commorari jubebas? Quanquam hoc nomine tuus conatus minus promeretur præmium, quo aliorum propoſito fortuna modo defuit, tibi voluntas, ut ais. Effeciſti quod voluiſti id quod erat neceſſe, nec feciſti, nec voluiſti.

Sed jamdudum aliũ gradum (ut video) circumſpectas, in quem te recipias: nam in hoc quàm citra omnem præmii ſpem conſiſtas, intelligis. Age ſequemur te per omnia, & aliunde altò fugitantem perſequemur, nec uſquam ſinemus conſiſtere. Atqui non tantùm aggreſſus ſum, inquis, verumetiam occidi, nempe filium: atque id facinus in duo ſecas tyrannicidia; & quòd filiũ ſuſtuleris pluſquam tyrannum tum tyrannidis ſucceſſorem: & quòd parenti, necato filio, mortis cauſam miniſtraris. De illo mox nunc hoc cujuſmodi ſit inſpiciamus. Parentem ais abs te, jugulato filio, eadem occiſum opera: negas enim referre, qua via peremeris, modo ſuſtuleris: imò ſplendidius iſthuc videri vis, quòd tuo quidem enſe, verùm ipſius dextera ſit interemptus. Hæc tam honeſta, Iudices, oratio poſſit parum attentum fallere, præſertim hoc rem fucis illis ſuis & phaleris venditante, dum nobis ob oculos ponit validum illum florentemque juvenem, ſic patri adamatum, crebris vulneribus confoſſum: parentem ſenem miſerum, illi circunfuſum, eodem exanimatum enſe, ſanguinem utriuſque inter ſe confuſum. Iſta quidem dictu ſplendida, ſed quid ad tuam cauſſam attinent? Nemo tam cæcus qui non videat, nemo tam effrons qui neget, ſpectaculum illud multò omnium jucundiſſimum extitiſſe civitati, quum ſenem tyrannum juveni videret incũbentem, exanimẽ exanimi, & in altero gauderet ſeſe levatũ malis præteritis, in altero futurorum metu

Hæc

Hæc quum per se maxima, quum Reip. sint gratissima, quid attinet verbis exaggerare? Illud unum in hoc judicio vertitur, utrū tibi acceptum ferri oporteat, quòd pater sine controversia tyrannus occisus est, an fortunæ superumq; dexteritati. Quòd n. tuo gladio peremptus est, id verò quàm est futile nihiliq;. Quid si tuo gladio ab eo qui eum utendum abs te rogasset, tyrannus esset necatus, num tu protinus tyrannicidæ præmium petitum venires?

Lex occisori pollicetur honorem, tu eum jugulasti, de quo certè controversum esse poterat, tyranni nomine censendus esset, nec ne: eum de quo nihil erat dubitationis reliquisti. Si prudens, prudēs excidisti à præmio: sin metu, multò minus etiam causę est postulandi muneris. Verùm illud tute vehemēter urgebas, uti prudens voléśq; reliquisse viderere. Sed quod tandē erat istud tuum consilium, quū tibi sic in manu esset, non toto metu liberare Remp. sed ultoré tui facinoris, & verum certumq; tyrānum relinquere? intelligebas (ut ais) omne negocium confectum extincto juvene, propterea quòd modis omnib. futurum præscires, ut senex illico sibimet eodé gladio necem conscisceret. Videte Iudices, in manifestissimo mēdacio qua rima conatur elabi: nisi divinandi scientiam commentus fuisset, non poterat hinc explicare sese. Siquidem hæc vel augur, vel haruspex, vel vates diceres, fortasse nonnullos invenires, qui ista prædicanti fidem essent habituri. Nūc quid impudentius? quid vanius? quid veri dissimilius, quàm asseverare, id certum præscisse te, quod tale sit, ut quivis alius exitus potiùs fuerit expectandus? An conjecturis es assequutus id eventurum quod evenit? At quid aliud effici conjecturis poterat, nisi ut vel sperares, vel suspicarere? Porrò in te tam ancipiti, quæ dementia erat spem incertam sequi, discrimé certum negligere? Sed audiamus obsecro certas illas conjecturas quib. hic noster vates præsensit inopinatum omnib. exitium. Iam ætate fessus erat, inquis, jam viribus defectus, nec obtineri jam autumabat posse tyrannidem adempto filio. Tum indulgentius amabat, quàm ut filio vellet esse superstes. Nonne sentis hæc adeò non esse naturæ rerum consentanea, ut jam omnibus videantur esse cōfutata, vel priusquam refellantur? Vtrum seni mentem ullam fuisse putas, an non putas: Si non putas, fieri potuit ut illi tutum videretur, quod neutiquā erat tutum, atq; ita protinus toto falleris augurio: sin putas sapuisse, cur erat quod usqueadeo diffideret? Quasi vero tyrannis viribus duntaxat unius hominis, ac nō multò magis ingenio, versutia, calliditate, largitione, crudelitateq; contineatur: quæ omnia si magis in senem quàm in adolescentem competunt, cur tu in diversum torques augurium? An non illa ætas usu rerum callentior est? an non altius dissimulat? an non cavet diligentius? an non prospicit oculatius? irascitur implacabilius? tenacius injuriæ meminit? meliusq; in longinquum consulit? His solis rebus imperium tyrannicum administratur. In militiæ duce quantulum est illud momentum quod corporis vires adferunt? at in tyrannide profectò multò minus. Cur magis illum terreret ademptus filius, quā extinctus satelles quispiam audacior? quum arx superesset approbè munita, superessent opes, arma, satellitum ingens agmen, tot in civitate factiosi potentesque, qui non solùm tyranni partes adjuvabant, verùm etiam tyrannos agebant: quos equidē spero nunc nobis non esse metuendos (nolim enim infausta ominari) at ita tamē, ne nimium securè negligantur.

Vsque adeóne senem cruda viridique (quod omnes norūt) senecta callidum, animosum, ambitiosum, non stultum, una filii mores consternavit, ut rebus desperatis protinus è vita sibi migrandū duxerit? præsertim quum ille patris dominatum nihilo reddiderit tutiorem, sed multò invidiosiorem, idque ob libidinem, atque ætatis insolentiam temeritatemque, adeò ut expedierit propemodum illi ad stabiliendam tyrannidem filium è medio tolli. Etenim quo propius ad justi regni speciem accesserit tyrānis, hoc minus est invidiæ obnoxia, magisq; tuta. Iuvenis ille solum hoc augebat, quod maximè tyrannos solet evertere. Vera illa tyrannidis munimenta in callidi senis pectore erant collocata. Sed tenerius adamabat filium, quàm ut defuncto posset superesse. De matercula quapiam privata loqueris, an de viro sene, callido, crudeli, deniq; tyranno? Quid ego Iudices, in eo sermone argumentis coarguendo summam operā, quem ipsa natura, quem mos, quem communis omnium sensus repudiat? Quis unquam isthuc audivit? tyrannum usqueadeo pio in liberos fuisse animo, ut non dicam commori voluerit, sed connivere commodè quiverit? Credite mihi, privatorum isti sunt affectus, Tyrannus neq; quid pietas, neq; omnino quid sit officium novit. Exuit hęc omnia, simulatque tyrannum induit. Omnia commodis, omnia metu, omnia necessitate metitur. Solos hos amat (si quos tamen ille amat, qui vel deos ipsos odit) quos aut metuit, & tollere nondum expedit, aut quorum opera ministerioq; ad fulciendū imperium indiget. Quòd si ullos ille posset amare, similes certè sui diligeret, impios, violentos, rapaces, scelestos, quando nihil ad conciliandam charitatem efficacius morum similitudine. Atqui ne improbi quidem illi chari sunt, nisi quatenus adjuvant, adeò ut præposterum, vel perversum potiùs quendam Stoicum tyrannus exprimat. Neq; enim quisquam tam Stoicus fuit, ut æquè vacarit omnibus effectib. atq; tyrannus: hoc modo illos discernit, quod philosophus honesto metitur sua consilia, hic cōmodo. An ille ullum pietatis igniculum in quenquam mortalium sentire potuit, qui in patriam vitæ parenté altricemq;, qui in cœlites omnium bonorum autores, tam sit impius, ut illam crudelissima opprimat servitute, horum phana despoliet, jura contemnat? Verùm ut largiamur tibi nonnihil, finamusq; te privatos affectus in tyrannicum pectus, hoc est, ignem in flumen transferre, an tandem persuadebis illud, usq; adeo indulgenter illum adamasse filium, usq; adeo in eum omnes vitæ suæ spes, voluptates, opesque semel contulisse, ut illo sublato, ne minimam quidem vitæ causam sibi reliquam esse putaret? Repete, non dicam ex hac civitate, verùm ex universo mortalium genere: non ex hoc seculo, sed ab orbe condito, & ab ipso (si vis) Promethei simulacro. Quotus quisq; fuit pater, quota quæq; matercula, quæ ob liberorum necem sibi fatum accersiverit? Naturalis hic dolor, & quem nemo ferè non modestè ferat. Privatis parentibus vel indulgentissimis, muliercularum intemperantissimis affectib. mediocris luctus sufficit, tyranni in filium charitati non nisi solam mortem satisfacturam esse tu Lynceus prævidebas? Age, hoc quoque tibi donamus, vicerit homo tyrannus privatorum in liberos pietatem, vicerit indulgentia materculas omneis: qui tibi compertum esse potuit, utrò se dolor paternus inclinaret? In rabiem, an in desperationem? Quo diligebat impotentius, hoc erat probabilius, ut senex natura ferus, civibus infensus, vel maximè vellet esse superstes, vel ob id denique, quò veterem illam iram, nunc filii nece acerrimè exasperatam irritatamq; Reip. suppliciis saturaret. Quòd si aliàs vitæ pertæsum fuisset, hæc nimirum una causa poterat illū in vita retinere. Quid autem senili animo vindictæ cupidius? An nescis quàm impotentes ætas illa concipiat impetus, quo rapiatur æstu, quo flagrare soleat incendio, si quando atroci insigniq; contumelia lacessatur? Quæ verò potuit esse atrocior, quàm filii cædes sic amati, ut tu quidem ais? Hæc nimirum quicquid in illo fuerit unquam crudelitatis, quicquid sævitiæ, quicquid immanitatis: si qua suppliciorum fames, denique si quid tyrannicum, id omne semel de integro poterat excitare, quasique renovare. Mitiora etiam animalia datæ orbitatis injuria, in rabiem solet agere: & tu in tyranno (quo nullum animal immitius) nihil tale metuendum esse certissimus augur existimasti, quod in Tigribus videmus evenire? Quòd si tibi uni compertum erat, tyranno sic in deliciis esse filiū, quid igitur aliud tua fiebat opera, nisi ut sævissima illa Tigris, rapto catulo, in rabiem versa, in miseram hanc civitatem dilaniandam discerpendamquę insiliret? Id si non evenit, magna diis gratia, tibi magnum debetur malum: qui quantum ad te pertinet, tam diram beluam in nostra capita fortunasque immiseris. Elige nūc utrum malis, an verum fateri, nihil fuisse tyranno cum nostris affectibus commune, an confingere sic adamasse, ut matercularum quoque vicerit delicias. Certè neutro modo tua constabit divinatio: quę nisi constiterit, non est quod ad ejus rei laudem aspires, quę fortunæ commoditate te imprudente evenerit.

Postremò donemus & hoc tibi, ut præsciveris, & certum præsciveris, Deo videlicet quopiam te certiorem faciente (nam alioqui fieri nequaquam potuit) perinde est ac si non præscieris, quū præscientiæ tuæ fidem legi facere non possis. Profer quibus prædixeris id eventurum quod evenit: doce quis deorum, quando isthuc tibi prænunciarit, nihil habes quod dicas. Verùm posteaquam rem feliciter evenisse videres, tum demum post factum vates esse cœpisti, quemadmodum vulgò tum fieri, tum dici consuevit, post eventum stultos etiam sapere: & quo fortunæ beneficium verbis in te transmoveres, tragœdiam istam nobis comminisci cœpisti, causas repetisti, quibus præscisse videare. Sed dii boni, quàm non bonum poetam te præstitisti, qui tam inconsistentia, tam cum natura pugnantia finxeris, sævissimum tyrannum ob pietatem erga filium ultrò vitam fugisse: ob unius capitis necem tutum sibi non putasse in vita commorari, quum omnia superessent quibus tyrannis & paratur & obtinetur, sublato eo in quo omne tyrannidis præsidium collocarat, repentè rebus suis diffisum ad inferos abiisse.

Age, mitto nunc argumenta, hæc omnia vera, non ficta credemus esse, tametsi ne fucum quidem ullum habent veri, si mihi ex omni hominum memoria vel unum tyrannum potes nominare, qui liberos suos sic adamarit, ut non spadones ac pallacas longè prætulerit: qui sic illis indulserit, ut non suspectos haberet observaretq;: qui sic illis sit fisus, ut non in barbaris quibusdam latronibus, ac servis stigmaticis plus quàm in illis fiduciæ posuerit. Ego tibi permultos referre possim, qui filios sic oderint, ut vivos esse pati nō possent: adeò metuerint, ut ne cibum quidem unà capere vellent: adeò diffiderent, ut tum demum se tutos esse putarent, si quis illos è medio submovisset. Nullus inutilior tyranni satelles quàm filius: Ex extrema barbarie conductitios mavult ille sicarios, fugitivos, homicidas, sacrilegos: his vitam suam mavult committere, qui sua patria frui non possint, & alienam evertere gaudeant; qui barbaricis ferinisq; viribus antecellant, & gigantes illos impios referant: qui propter animi cupiditatem non difficilè ad quidvis periculi suscipiendum perducuntur, & propter ingenii feritatem à nullo facinore abhorrent. Hi sunt idonei tyrannorum ministri, hi fiducia, munimentum, præsidiumque tyrannidis multò tutissimum: hos si quis ademerit, causam videatur dedisse, cur rebus tyrannus diffidat. Nam filius qua tandem ratione dominatum sustinebat: Aetate? at utilior ætas grandior: Robore? unus erat: Prudentia? magis sapit senecta: Custodiis quas obtinebat? at si adversus patrem obtinebat, mors illius seni etiam optanda. Si patris nomine, quid nisi unus satelles ademptus erat? Nam custodiæ quò deficerent, nisi ad eum cui alebantur: Tutior igitur erat futurus tyrānus amoto filio:

Res enim tyranno suspecta, filius violentus & insolens, propterea quòd reliqui illi Barbari solo lucro contenti sunt. Filius illud præmium spectat, tyrannidis successionem.

Necullus pietati locus, ubi mentem possidet dira regnandi libido. Ibi contemptis naturæ legibus, & filium horret pater, & patris interitum optat filius. Sed dicturis jamdudum nescio quid: mane, præsensi, nihil inexpugnatum omittam. urges, Nisi præter modum adamavit filium, nisi diffisus est, cur sibi mortē cōscivit? Isthuc verò meritò demirandum, quippe quòd præter omnium, ac tuam etiam spem evenit. Verùm ego nihil ad me pertinere puto, ut tibi rationem reddam, quid illi dij in mentem immiserint, ut sibi vim adferret: hoc tantum evincere sat est, te nullis coniecturis hunc exitum certò pręscire potuisse, quantumlibet amarit filiū: tametsi causa non admodum obscura. Jam deorum si qui fuerunt huic infensi Reip. iras diuturna nostra calamitas satiaverat. Jam propitios nostra vota, nostra sacra cōmoverant: aderat illud fatale tempus, quū impius ille senex dijs atque hominibus dignas admissorum pœnas daturus erat. Jam aderant ultrices Erynnes, aderant Furiæ, facibus & hydris omnibus armatæ: hæ illi mentem ademerunt, hę vanam formidinem incusserunt, hæ attonitum ad spontaneam sui cædem impulerunt. Nihil minus arbitrabatur quàm fugisse, qui filium peremerat: quàm una cæde contentum fore, qua quidem una in re jure potes gloriari, quòd tyrannum vehementer fefelleris. Virum esse putabat, qui hoc facinus peregisset. Credebat esse talem, quales audierat esse solere tyrannus, qui magno suæ vitæ contemptu, tyranni caput impeterent: qui non adorirentur facinus, nisi ratione probè perspecta, qua possent perficere. Hanc suspicionē Pan ille, aut si quis alius est deus, novis terriculis exagitabat. Arbitrabatur instare sibi carnificem, sensit adesse necessitatem illam fatalem, quam nemini nocentium vitare licuit. Itaq; quod huius urbis pietati, quod deorū bonitati debetur, cur tu id phaleratis dictis in te transferre conaris? Ubi discrimen erat subeundum, ibi fugitabas: nunc ubi res præter spem pulchrè cecidit, tutumque putas, fortunæ laudem in te derivas.

Sed finge diversum exitum fuisse consequutum, pone tyrannum ira percitum, passim cives ad exquisita supplicia rapere, proscribere jugulare, in exilium agere, possessionibus exuere. Quid hic dices: Nō sines, opinor eorum malorum causam in te tanquam in authorem referri, & fortunæ argumento culpam deprecaberis. Negabis tibi imputandum esse, si quid fortuitò præter propositum evenerit. At nunc nonne injurium est, quod boni, fortunæ commoditate præter spem evenit, id totum in te velut authorem velle traducere? Etenim te nihil expectasse minùs, quàm id quod evenit, vel ipsa res clamitat. Si hoc animo conscendisses arcem, ut filium, non patrem occidisses, credi poterat te talem quandam spem animo concepisse: nūc casu nescio an metu potiùs in juvenem incidisti, & tum denique divina ista mens & futurorum præsaga, sed quæ non nisi post eventum sua prodat oracula, te corripuit. Quum esset fugiendum, ibi demum Iudices, in re tam tumultuosa, secum velut ociosus consultare cœpit, utrum senem sua dextra dignum existimaret, ibi demum prævidere cœpit, fore ut pater ipse sibi manus adferret. Et quò commentum tam impudens Iudices, efficiat paulò probabilius, quæ nec vidit, nec videre potuit, ea perinde descripsit, nimirum (ut jactat) poëta, quasi spectator astiterit, quid in mentem venerit tyranno, quid dixerit, quid fecerit, quomodo ferrum strinxerit. Ejusdem profectò impudentiæ fingere præscisse se, quod esset eventu consequuturum, & quod non videris, id ita narrare quasi videris.

Quanto meliùs tuo commento, id est, fabulæ sua fides constitisset, si ita finxisses: te quum perempto juvene, stricto gladio ad senem ire destinasses, repentè à tergo adfuisse Palladem illam Homericam, & jam euntem capillis revocasse te: vetuisse ne tam luculentum facinus senili cæde obscurares, sese citra tuam operam curaturam, ut ille suapte manu, sed tuo gladio peremptus, gloriæ tuæ nihil tenebrarum offunderet, sed multum etiam adderet lucis: dehinc abditum te per rimam contemplatum, vel (quod est te dignius) repentè deam sepsisse te nebula, ut tyrannicæ necis tutus & otiosus spectator assisteres, nec priùs illinc discessisse, quàm negotium omne confectum vidisses. Hæc si confinxisses, paulo minùs malum poëtam te pręstitisses? Sed ocium, opinor, non suppetebat ad omnes fabulæ parteis commodè tractandas, videlicet lucri cupiditate te protinus ad præmium postulandum rapiente. Nunc vel ipsa te prodit inconstantia, figmentique coarguit. In arcem ascendisti, quò tyrannum occideres, neque tum prævidebas, quod sole ipso clarius videri vis. In medio negotio subito, nescio quis deus, oculos tibi restituit, ut videres futurum id quod accidit. Porrò si veris fidem facere voluisses, narrare debueras quemadmodum nocturnus explorator furtim arcem conscenderis, in ædes clanculum irrepseris, fortè fortuna obvio nemine, non dicam ut tolleres aliquid, sed ut experireris, si quod tutò facinus posses designare: hæc molienti commodùm favisse fortunam: itaque quum adolescentem solum atque incustoditum offendisses (ut est ea nimirum ætas securior, periculique minus cogitans: prætere a diuturna tyrannis jam magnam metus partem exuerat) tum haud scio (ut mores illius erant) multo vino sepultum, atque immodica libidine defessum, fortiter jugulasse scilicet, & somnum illi cum morte, id est, germanum (ut ait Homerus) cum germano conjunxisse: deinde ubi iam cardines procul stridere cœpissent, exaudito videlicet morientis gemitu, ibi te metu exanimatum ita fugisse, ut non vacarit gladium è vulnere tollere, quem nec parricidæ, nec sicarij solent relinquere, ne deprehendantur.

Interea domi latitasse te, jamdudum de fuga cogitantem, & longinquas aliquas, semotasque mundi latebras animo circunspectantem, in quibus abditus posses irritati patris sævitiam fallere. Jamque te ad spontaneum exilium accincto, repentè in vulgus exijsse famam, liberam esse civitatem tyrannum unà cum filio jugulatum, reliquos metu fugisse, authorem ignorari facinoris. Ibi repentè ad novam tuæ fabulę castatrophen immutasse te animum, & qui prius de salute fueras sollicitus, protinus ad præmij spem arrectum fuisse, lucrique aviditate, priusquam tibi satis esset excogitata ratio, qua totam hujus inopinati eventus laudem in te traduceres, prosilisse in medium: id quod vidimus, clamitasse tuum illum esse ensem, tuum facinus, non unum præmium tuæ virtuti fore satis. Hæc nemo non credidisset, sunt enim rerum naturæ consentanea, usu comprobata, omnium opinione recepta.

At tu dum sedulo quidem, sed tamen parum ex arte, tuam nobis præscientiam niteris persuadere, quàm multa comminisceris, non dicam tota facie à vero distantia, verumetiam cum sensu communi, cum more, cum natura penitus pugnantia? primum tyrannum tam maternè filium adamasse, ut sine eo vivere noluerit: sic ob unius mortem metu fuisse consternatum, ut in vita manere non sit ausus: sic illi toto pectore fisum, ut ipse nullas circum se custodias haberet: adeò fracti animi fuisse, ut tam chari pignoris truculentà cæde non potuerit ad ultionem inflammari tam invalidum, ut tua dextra fuerit indignus: tam inermem, ut ni tu illi gladium reliquisses tuum, defuturum fuisset, quo se jugularet. Non vides quod non competat tam insignis in tyrannum pietas, tam secura in eam ætatem fiducia, tantus metus in hominem, excepto filio, reliquis omnibus præsidiis munitum, tanta consternatio in hominem tot periculis exercitatissimum, tanta imbecillitas in iratum? Quid igitur erat, cur tu senem illum tantopere contempseris, ut indignum habueris, qui tua ista magnifica dextera jugularetur? Túne indignum judicabis quem occideres, quum eum Resp. non putarit indignum quem formidaret, quem maximo suo cum dolore ferret. Non talem illum Iudices, non talem sensimus, ut cuiquam contemnendus videri debuerit. Neque tu eum unquam contempsisti, nisi fortè contemnere est, miserè formidare. Sciebas arcem armis refertam, sciebas superesse satellites, quorum vel unus (si seni vires deerant) sufficiebat jugulando tibi. Non ignorabas (id quod nemo nostrûm nescit) quantum virium illi partim exercitatio, partim ingenij feritas etiam in illa senecta reliquerat. Tum non te fugiebat, frigidum illud senium sic interdum acri dolore inflammari, ut juvenibus etiam validissimis sæpenumero fuerit intolerandum, si quando solitum illud robur quod ætatis gelu velut obtorpuerat, magno aliquo animi motu recanduit. Quis autem tam invalidus est, ut non illi pudor, ira, dolor ingens vires suppeditet?

Hoc erat videlicet cur tu filium quàm patrem malueris occidere, quòd illum inopinantem, inermem, dormientem fortuna objecit. Cum hoc pugnandum erat, armato, vallato, irato denique. Hoc erat cur gladium relinqueres, ratus ne tantisper quidem morari tutum, dum reciperes, metuens videlicet ne tantillum sarcinæ te redderet in fuga tardiorem. Reliquisti invitus, non tyranno prodi posses: sed prodi maluisti quàm deprehendi. Neque ego nunc formidinem tuam accuso, imo miror magis quod pedibus consistere, quod fugere potueris, quum audires moveri tyrannicam familiam, stridere arma: intelligeres tibi non cum puero, sed cum vigilantibus viris, accinctis, armatis, sobrijs, irritatis, denique cum rabioso patre dimicandum esse: non quod illum usque adeo filij mors commoveret, sed quod arbitraretur, & haud scio an verè se petitum fuisse, dexteram tuam errasse tantum in filio. I nunc & spera, non dicam hos Iudices viros omnium perspicientissimos, sed vel è media plebe quenquam esse tam mucosis naribus, cui non suboleat, imo qui non planè odoretur, præsentiatque totam hanc fabulam abs te confictam. Et quod poetæ solent, quum hærent in explicando tragœdię argumento, hanc veluti deam divinationem arte quadam induxisti, quo præsensionem tuam judicibus probares, sine qua videbas præmium obtineri non posse.

Sed occasionem, inquit, ministravi paternæ mortis, qui gladium quo se feriret reliquerim: atque id solum non modo satis esse putat ad petendum præmium, verùm etiam meritum esse, ut ipse ensis inter arma deorum consecretur, dominus pro deo præsenti colatur. O hominem suavem, si has spes verè concepit: impudentem, si quū nō speret, postulat. Ita ne tyranno gladius erat defuturus, nisi tuum illum reliquisses? Tu in arcem arma, hoc est, in sylvam ligna portanda putasti? Nisi fortè tuum illud ferrum magicis precaminibus erat imbutum, ut ultro ad mortis adegerit necessitatem: an vero nihil referre putas, quàm præbeas occasionem, quomodo quo animo? Primum, gladium reliquisti, quo nihil minùs deest Tyranno: nunquam ferrum abest, non in cubili, non in triclinio, non in sacris: reliquisti metū trepidus. Tua quidem in re illud interim demiror, qua fronte eum gladium tuum ausis appellare, quem habueris pro derelicto. Metu: inquam, exanimatus reliquisti, quem postea receptum optabas: reliquisti rem ancipitem. Quid si tyrannus illum eundem ensem in civium jugulos distrinxisset? quid si eodem lectos aliquot ex huius urbis juventute adolescentes filio suo inferias mactasset?

Si tyrannum occidisti, quia tuo occisus est gladio, & horũ omniũ indigna cædes ad te pertinebit: quippe cujus ense peracta est. Id si non evenit, nihil ad te pertinet, nam anceps occasio quam in partẽ cadat, id diis in manu est: si bene verterit, nihil gratiæ debetur ei qui dedit imprudens: sin malè, temeritas imputatur. Neque enim culpa vacat, qui periculosam ministrat occasionem: quę si feliciter, mirentur omnes: sin infeliciter, meritò accidisse dicant. At quanto probabilius erat, futurum ut tyrãnus ense alios in usus abuteretur. Scio me judices hæc pluribus refellere verbis, quàm necesse videatur, quippe tam frivola: verùm id propositum est, nullum illius argumentum non excussum, non exagitatum, non revictum prætermittere. Quare quæso ne pigeat ita ut antehac fecistis, patienter atque attẽtè cognoscere, dum hunc ab gradu firmissimo dejicio. Hic sibi vehementer fidebat, hunc acriter urgebat lòcum. Negabat vitari posse, quin præmium deberetur, quod patri necis causam ministrasset, si non relicto gladio (nam hoc opinor argumentum jam habet pro derelicto) certè necato filio. Nam ita in legibus dissertũ ajebat, nihil interesse utrum manu sua quis occidat, an mortis causam præbeat. Addebat, æquũ esse, ut cùm in maleficiis causam datā imputarent leges ad supplicium, multò magis idem observarent in benefactis ad præmium. Hæc ajebat meminisse se in legib. esse disputata, illud addens Thrasonicum, nisi sibi diuturna servitus legũ memoriam obliterasset. Non tu legum oblitus propter diutinam desuetudinem, sed nunquam quid sibi velint leges inquisisse videris. Bis enim hic erras, qui neque causæ datæ rationem, neq; dantis animum discernas, id quod legibus traditum est, nec animadvertis longè diversam esse rationẽ maleficii & beneficii imputandi. Quid ais nove juris interpres? Itáne satis esse judicas vel ad pœnam, vel ad præmium, qualemcunque quomodocunq; causam dedisse? Nihil igitur refert, Hector an Ajacem occiderit manu, an gladium illum dederit, quo se postea confodit? Atqui hanc laudem nunquam ille sibi vendicasset: tametsi probabile videri poterat in eum usum hosti ab hoste datum fuisse ferrum. Quin ergo fabros ærarios omnes vel ad pœnam vocamus, vel ad præmium, quoties armis in eorum officina perfectis, aut jugulantur cives, aut servantur? Postremò cur hoc quod tu petis præmium, nõ ensis istius tui opifex petit potiùs? Tyrannus gladium erat habiturus, te non porrigente: tu porrigere non poteras, nisi huius industria tibi ministrasset. Age si telo inter venandum temerè misso, fortè tyrannum vicinum interfecisses, clamares tibi tyrannicidæ deberi præmium, an potiùs nihil tibi deberetur laudis, quòd imprudens & inscius jaculum torsisses? Imò in jus potiùs vocandus esses, qui missi teli temeritate civem (quod in te fuit (occideris: nam quod in tyrannum incidit, id nihil ad te. Quid si caupo vinum lene ac suave, quale Polyphemo dedit Vlysses, tyranno vendidisses, atq; ille eius dulcedine captus, avidiùs sese ingurgitasset, eaque re concepta febri decessisset, auderes-ne caupo, vini titulo tyrannicidę præmium flagitare? At quis non te cum tua flagitatione, ut temulentum, vinoq; madidum exploderet? Cæterùm quanto frigidiore titulo nunc idem postulas? Vtcunque conjecturis præcipi poterat: ut ætas vinosa tam illicibili vino avidiùs, intemperantiusq; frueretur, crapulam consequeretur morbus, præsertim in sene: morbum mors, vulgò hæc eveniunt. Tu eam tyranno mortis causam dedisti, cujus nullum extat in hominum memoria exemplum. Quis enim antehac ob filii necem sibi manus intulit? Accedam propius. Finge te tyranni coquum esse, probè callere palatum domini, medicos interdicere cibum, quo tamen ille oppidò quàm lubens vescatur: interminari morbum capitalem, ni temperet: id te non fugere. eum cibum tu arte tua, cupediisque & condimentis magis ac magis illecebrosum reddis. consequitur edentem morbus, quem prædixerant medici: emoritur tyrannus, liberatur civitas. Hiccine coquus è culina in forum prosiliens, & adhue jure madens, fuligine niger tyrannicidæ præmium postulabis? Mortarium, tonsillum, & ollas ostentabis, arma scilicet quibus tyrannidem expugnaris? Non eris (opinor) tam impudens in ea causa, qua tamen ista tua multò est absurdior. Nam illi voluntas occidendi non defuit, probabilem præbuit causam. Tu nec in hoc jugulasti filium, quò pater ultrò vitam relinqueret, & causam dedisti, ad quidvis potius quàm ad istud idoneam. Accipe exemplum tuo similius, quàm ovum sit ovo (quod ajunt) simile. Quid si tyranni amicam, quam ille miserè ac perditè deperisset, occidisses: eaque cognita re tyrannus sibi vitam abrumperet, auderes ad præmium aspirare? auderes dicere, te certum præscisse, fore ut tyrannum spõte fugeret è vita? Certè quanquam plures amicas extinctas sequuti sunt, quàm filios, nemo tamen tibi crederet, nemo tibi præmiũ decerneret, tuum factum periculosum & anceps dicerent: omnes fortunæ gratias haberent, cujus commoditate res ea feliciter cessisset. Tibi abundè magnum præmium existimarent, si commissi venia donatus discederes. Primum igitur diversam imputandi maleficij, & ascribendi beneficii rationem conveniet distinguere, deinde causæ æqualitatem, postremò animum: atque ita demum liquebit, quid tibi lex debeat. Nam quòd ajebas legem prolixiorem esse oportere ad reddendum præmium, quàm ad infligendam pœnam, id in privilegiis, quæ in exemplum non vocantur, fortasse locum habet. In jure communi longè secus est, Siquidem (uti superius demonstravimus) nulli nocenti lex non minatur pœnam: paucis benefactis præmium ostendit. Tum in maleficiis etiam conatum simplicem supplicio prosequitur: in benefactis semper exitum requirit. Nec mirum, nec iniquum, si lex est diligentior in eo negotio, ad quod unum est nata atq; instituta, quàm in eo, in quo tẽporis ratione tanquam alienas sibi sumit partes. Ergo in utroque communiter spectat, ut causa sit idonea: deinde ut animus adsit, nõ tantùm casus. Hoc rursum interest, quòd in benefactis nec causa idonea, nec animus idoneus satis facit legi, nisi his accesserit eventus item idoneus. In malefactis, si quid nocendi animo tentes, non expenditur nec eventus, nec causa: sed ex animo factum tuum lex metitur. Sic enim judicat, tibi nihil ad scelus defuisse præter fortunam: qua te sublevari, quod tandem jus sit? In eventu simul & causam datam, & animum expendit. Si animum vitiosum comperit, nihil moratur causam, quàm sit idonea, putat animum & eventũ ad pœnam commerẽdã sufficere. Sin animo simplici data est causa mali idonea, & non consequitur eventus: lex quasi connivet ad id, & non putat ad suam cognitionem magnopere pertinere. Sin evẽtus est consequutus, etiam si de animi vitio doceri non potest, tamẽ temeritatis & negligentiæ nomine pœnam irrogat: partim propter suspectam dantis voluntatem, partim ut hæc latebra peccantibus eripiatur, imprudens feci, discamq; homines vel suo periculo cavere, quod alieno faciant periculo. Ergo qui prudens & sciens, certam atq; evidentem noxæ causam dederit: eum perinde lex cẽset, quasi facinus manu peregerit. Veluti si quis hostem opibus copiisq; juverit, perinde est ac si ipsius arma contrà ferat. Siquidem id suppeditavit, sine quo bellum geri non poterat. Aut si quis inimicum suum per dolum navigio solutili imponendum curet, ut naufragio intereat: aut in conclave pensili testudine inducat, ut ruina opprimatur: aut juxta lectulum ægroti, loco pharmaci venenum ponat, futurum sperans ut eo hausto pereat, tametsi nõ bibit ægrotus, tamen veneficii postulari potest qui posuit, propter viciosam animi voluntatem. Nam vehementer erat probabile id eventurũ, quod ille moliebatur. Huic si detrahas nocendi voluntatem, nihil illi cum lege rei futurum est. Si detracta nocendi volũtate, apponas eventum: non effugiet temeritatis crimen, nisi illum inculpata ignorantia absolverit. Porrò si in loco non ad id destinato, puta in via publica, aut in fundo alieno, arcu temet exerceas: lex tecum nõ agit, nisi si quem occideris, aut vulneraris, aut si cui damnum dederis. Cęterùm quod facis, tuo facis periculo. Quòd si quid horum cõsequutum est, cum lege tibi res est. Neque tibi tua patrocinabitur imprudentia: quippe quæ culpa temeritatis non vacet. Siquidem in te fuerat præcavere, quod probabiliter poterat prætimeri.

Vides quanto discrimine dissita sint, inter quæ tu nihil interesse dicebas. Primùm non statim imputatur ad præmium, quod ad pœnam, idque non à malignitate legum latoris, sed partim ex ipsa rei natura proficiscitur, partim à legum officio. Deinde discernitur animus, causa data dijudicatur: spectatur eventus. Age nunc si libet, tuam causam, qua tuum facinus æstimari vis, expendamus. Finge te certam, inevitabilem mortis causam tyranno dedisse, sed imprudentem, nulla tibi sit præmii petitio. Quis enim insciens bene mereri dicitur? Fortibus viris præmia dantur, non fortunatis tantùm. Nam evicimus jamdudum, opinor, ne posthac affirmes te in hoc jugulasse filium, ut pater sibi necem consisceret: quod eventurum ne vates quidem quisquam præscire poterat, tu nec suspicari. Imò posteaquam rem plenam discriminis, fortunæ arbitrio commisisti, quia bene successit, hoc nomine lex te non postulat: ad idem si malè evenisset, temeritatis pœnas eras debiturus. Neque enim tibi succurreret inculpata ignorantia. Quid enim æquè formidandum erat, quàm ne tyrannus, simulatque occiso filio se peti insidiis persensisset, omnia tyrannidis mala in nos conduplicaret? Iam ut de animo res tibi constet, causam dedisti non solùm non idoneam, verum etiam periculosissimam Reip.

Vin' hoc tibi argumento evidentissimo demonstrari? Finge te quempiam è civibus vitio occidisse: tum extincti patrem id facere, quod modò fecit tyrannus. Vtrum tu duplici cædis crimine teneberis, an simplici opinor. At uxor & mariti mortem imputabit, qui necato filio, seni causam mortis dederis: atq; his fermè tuis argumentis utetur. Indulgentissimè filium adamabat, in illum omnẽ familiæ curam reclinaverat, illo se oblectabat atq; hæc de privato sene cum fide dicet, quæ tu de tyranno nimis durè (ne dicam ridiculè) dicebas. Addet ea te scisse, pręvidisse futurum, ut ille vitam fugeret orbatus filio, in quo uno omnia vitæ oblectamenta collocarat. Non tibi defuisse jugulandi senis voluntatem, sed hoc tantum egisse, ut miserabilius sua dextra perimeretur, ut odium tuum pleniùs miseri patris malis exaturares. Ideo juvenem necasse, in hunc usum gladium in vulnere reliquisse. Vides quanto sunt hæc probabiliora in hoc, quàm in tuo negotio: & tamen negabis paternam necęm ad te pertinere, atq; animi suspicionem, causę qualitate purgabis. Negabis causam idoneam fuisse, cur ille sibimet manus adferret. Te nec præscire, nec timere potuisse id, quod sit consequutum: quòd rarum extet exemplum patris, ob filii necem sponte fugientis è vita. Alioqui futurum fuisse, ut & mater sibi fatum accerseret: quippe quam impotentius amare sit consentaneum, ac minus adversum dolorem animi viribus valere. Hæc non dubitares profutura, ad alterum crimen depellendum, & prodessent dubio procul. Atqui quod in maleficiis valet, ne quid imputetur, id multò magis in hac causa valet, ne quid acceptum feratur. Ibi te liberaret à voluntatis suspicione, quòd causas parum idoneas dederis, hic ex causis multò minùs idoneis propter personam tyranni, videri vis

non

non modò quod evenit, fuisse suspicatus, verumetiam certum præscisse. Ibi temeritatis postulari non poteras, propterea quòd tametsi vitio abs te data est causa, tamen idonea non sit ad id quod evenit. Imò ipsi tota res imputabitur, & legib. pœnas dabit, sepultura prohibitus, quòd civitati citra causam idoneam, civem unum ademerit. Tibi non nisi unius filii mors imputabitur, etiam si mater quoque & filiæ & sorores, & tota tribus hujus necem fuerit imitata. Hic poterat, nisi feliciter evenisset quippe ubi summum Reipublicæ periculum & verteretur, & prætimeri probabiliter posset.

Venio nunc ad quartum illud præsidium, Iudices, quod iste tutissimum, ac penè inexpugnabile judicabat: unde ego illum ita deturbabo, ut non solùm sit non habiturus, quò tyrannicidii & huius laudis arcem obtineat: verùm viæ etiam latebram inventurus, ubi temeritatis ac maleficii pœnam effugiat, quò nimirum intelligat, quàm non inimicè, non curiosè (ut ajebat) secum agam: ut quum possim in crimen ac pœnam vocare, sat habeam ab honore non promerito secludere. Ait si tibi deberi præmium, vel hoc uno nomine, quòd juvenem occiderit, jam plusquam tyrannum, tum tyrannidis paratum hæredem, etiam si hunc eventum dii non dedissent, ut senex ipse vitam abrumperet. O deploratam impudentiam! Tu tibi præmium peteres, si tyrannum suæ furiæ non essent ultæ? Dii quidvis potiùs dederint, quàm isthuc quod tu fingis. Sed tamen fingamus interim oratione, quandoquidem id tutò licet tametsi ad solam mentionem inhorrescit animus. Túne, inquam, occiso filio, relicto sene vivo, tyrannicidæ præmium peteres? An potiùs nec ipse superesses, qui possis petere: nec esset Resp. quæ dare posset? Nã tu aut exquisitis suppliciis exanimatis, aut in extremis Orcadis exul delitesceres: nos pro tyranno jam immanissimum carnificem pateremur: & tuum caput ubicunque terrarum latitares, diris imprecationibus devoveremus, qui nos tua incogitantia, vel præcipiti magis lucri cupiditate in tantam malorum tempestatem conjecisses.

Sed re filius erat tyrannus (inquis) patri præter inane nomen nihil erat reliquum. Quid ego audio? duos igitur hæc civitas tyrannos alebat? Nam de patre nemo unquam dubitavit, quin tyrãni vocabulum mereretur. Quando autem antehac unquam fando auditum est, duos una in civitate sedisse tyrannos? id quod magis etiam natura repudiat, quàm eodem in corpore gemina capita. In iisdem alvearibus duos se reges pariter non ferunt. In armentis taurus tauro cedere cogitur. In iisdem lustris non convenit duobus inter se leonibus: & tyrannus (quo nullum animal efferacius) parem in eadem urbe patitur? Non vides necessariò fieri, ut è duobus, aut alter alterum oppugnet aut alter alteri cedat? Vtrum tu fuisse mavis in patre, an in filio? Si juvenis adversus senem obtinebat tyrannidem, quid à Repub. præmium postulas? Tyranni partes adjuvisti, non Reipub. Sin patri cessit: quid tandem illum vocare potes, nisi tyrãni vel præfectum, aut satellitem? Quandoquidem seniori tyrannicam appellationem ne tu quidem audes detrahere. Verùm ut quoquo modo tyrannidem omnem in adolescentem oratione derivares, quàm multa tu quidem non ex re, sed pro causæ tuę commoditate comminiscebaris? Cæterum quàm in his confingendis decori, quod in personis situm est, nullam habuisti rationem? Sic enim (ut memini) inducebas in fabulam senem jam ætate mitem, & qui omnem tyrannidis acerbitatem ob senectam exuisset: non secus atque mala, quæ natura acerba, tempore mitescunt, & in alium abeũt succum. Porrò juvenem ferocem, illo incolumi gerentem tyrannidem, jamque patri vivo succedentem. Privatus paterfamilias nõ fert filium se vivo successorem: & tu vis isthuc credi in tyranno? Ille non sinit ullum è liberis rem domesticam ex animi sui libidine moderari: & tyrannus sese veluti abdicans imperio, negocium omne in adolescentem rejecerat?

Non dubito, quin & ipse videris, quàm dura sint ista, & quàm à communi sensu abhorrentia. Verùm quid faceres, nisi tales personas induxisses, exitum invenire tragœdia tua non poterat? Quęso te, an unquam auditum est Tyrannum ætate mitescere? Quando tu desines ea quæ sunt privatorum, quæ bonorum principum, tyrannis tribuere? Vt eodem igni cera mollescit, limus durescit: ita ætate plerique redduntur mitiores ac temperantiores, tyrannus magis exasperatur. Vt tempus nonnullis pomis amaritudinem adimit, ut vinis nonnullis acorem conciliat: itidem tyrannis non adimit sævitiam ætas, sed exaggerat. Vis ipsissimam tyrannici ingenii tibi demonstrem imaginem? Spinam cogita, quæ quo magis senescit, eo pungit acrius. Echinos cogita, qui quo plus habẽt ętatis, hoc setis sunt asperiore. Vulgaribus ingeniis fortasse nonnulla vitia senectus vel detrahit, vel certè mitigat, etiamsi plura irritat, nonnulla parit. At tyrannorum mentibus ad scelus, ad crudelitatem natis, scelere & immanitate imbutis atque educatis, præter vitiorum omnium incrementum adferre senecta quid potest? Nisi fortè libidinem adimit? Quanquàm ista Tyrannidis quantula tandẽ est portio? Sed esto fuerit sanè propter ætatem ad voluptates segnior, verum erat fastidiosior: unde fit, ut imbecillior sit ad coitum, ad raptũ avidior. Fortasse pauciores huic execabantur ephebi, sed insigniores. Pauciores producebantur virgines, sed exquisitiores. Cur non autem & plures? videlicet quo senile fastidium optione & varietate vinceret. Hoc ita esse, quot ego tibi testes citare possem, qui quò nobiliores sunt, quò fortuna præstantiores habent liberos, hoc magis eis à flagitiosissimi senis cupiditate metuebant. An tu putas unà cum viribus senescere libidinem? Multò secus habet. Imò quãtum ætas improborum hominum facultati detrahit, tantum adjicit cupiditati. Quanquam tyrannicum animum his in rebus non tam voluptatis usus capit, quàm nostra delectat contumelia. Vt frigeat in sene tyranno Venus, certè fervet vigetque malitia, sævitia, nocẽdi libido. Postremò totum illud vitiorum agmen, quæ propria tyrannorum sunt, cupiditas, rapacitas, improbitas, impudentia, impietas, iracundia, violentia, impotentia, suspicio, fraus, perfidia, crudelitas, implacabilitas, immanitas, perjurium (Quid autem oportet omnia commemorare nobis omnibus heu nimium nota?) horum inquam nullum non ętate fit acerbius, propterea quòd juventa nõnunquam naturæ bonitate vincitur: præterea quædam mala nondum didicit: at senecta, si quid pudoris, si quid humanitatis, si quid melioris ingenii à natura insitum est, id omne multo ac diuturno flagitiorum usu penitus exuit, & prorsum in immanissimam quãdam feram abiit. Id ita evenisse, Iudices, in execratissimo illo sene, quid ego coner argumentis docere, quum sua cuique memoria abundè satis exemplum suppeditet?

Quòd si juvenis sese gerebat insolentiùs, videlicet patris abutens imperio: num tu hunc continuo tyranni nomine donabis. Ergo ex eadem tyrannide sexcentos tyrannos facilè reddideris. Nam quis est omnino in tyranni familia, vel extremum mancipium, qui non ipse penè tyranno sit ferocior, violentior, sceleratior? Filius, inquis, emolumentis imperij potiebatur: patri præter nomen nihil cessit. Quasi verò non sit isthuc omni tyrannidi commune. Longe minima fructuum pars, qui solent ex tyrannide capi, ad ipsum redire tyrannum. Quemadmodum in latrocinio fieri consuevit: prædæ communiter in omnes distribuuntur, vel in eos potiùs quorum opera capiuntur. Alioqui non cohærebit cohors illa scelerata: nisi dux ille, quisquis fuerit, plus etiam permittat suis, quàm sibiipsi. Solum nomen sibi propriè vendicat. Et in nullos est tyrannus indulgẽtior, quàm in scelerum ministros: quippe quorum opera sentiat suum imperium contineri. Proinde sub unius umbra satelles omnis, omnis minister, familiaris leno, tyrannidem quandam in cives exercet. Ridiculè fecero si hoc quoque coner argumentatione probare, Iudices. Vidimus, sensimus, experti sumus, nisi fortè tam diutinæ calamitatis memoriam, tam paucuh dies obliteraverunt. Neque enim esset res usqueadeo misera tyrannis, si unius modò foret toleranda violentia. Quot ferendi latrones, quot sacrilegi, quot ex extrema barbarie advenæ, feris quàm hominibus similiores? Neque desunt, qui se simulent apud tyrannum sceleribus suis gratiam promeritos esse, quò nimirum hoc nomine metuantur à civibus. Horum igitur unum quemlibet tyrannum appellabis, & pro quolibet occiso tyrannicidæ præmium petes? Non in tantum omnem exues pudorem opinor.

Sed pater ætate fessus, omnem dominatum in filium transtulerat, quicquid tyrannicum in urbe gerebatur, id juvenis violentia committebatur. Sed isthuc quantum absit ab imagine veri, quis tam cæcus, ut non videat? quis tam obliviosus, ut nõ possit experimento refellere? Ego tibi cõplures nominare satellites possum filio insolentiores. Ad hæc, verisimillimum est nullius insolẽtiam minus approbasse senem quàm filij, vel quòd odit omnem tyrannidis affectatorem omnis tyrannus, vel quod intelligit ex illius facinoribus longè plus invidiæ odijque sibi constari (Callidissimi autẽ tyranni est, eatenus legitimum imitari regnum, quatenus obtineri tyrannis possit) vel quòd pater etiam pessimus, tamen liberorum non nihil offenditur vitijs, & ad crudelitatis, ministeria alienis quã suis uti mavult. Quòd si clam patre rapinas, raptus, atque id genus facinora designabat filius, profectò non tyrannum agebat, sed insolentem satellitem. Sin approbante patre, quasiq; per illum exercente tyrannidem, utri tandem par erat imputari commissa, huic per quem gerebantur, an ei cujus authoritate arbitrioque fiebant? Non arbitror obscurum, quin huic cui in manu erat nutu ne fierẽt vetare. Quid autem non agunt per alios tyranni?

Nam ipsi quidem neq; pueros emasculant, neq; virgines abripiunt, neque proscribunt, neque bona diripiunt, neque phana dispoliant, neque hæreditatibus manum injiciunt, neq; compilant ærarium neq; tormentis excruciant, neque quenquam jugulant, neque armis vicos expugnant: neque incendunt villas. Totum hunc tyrannicum ludum per ministros exercent. In unum tamen tyrannici nominis invidia competit, in unum occidendum lex præmiũ instituit, in unum stringendi ferri jus facit, illos suæ cognitioni referunt. Quorum ut quisque sua opera tyranno profuit, ita aliud atque aliud vocabulum imponi potest, certè tyranni vocabulum nemini congruit, nisi uni illi, sub cujus veluti clypeo, tota illa perniciosissimorum hominum colluvies latitat.

Arbitror vobis, Iudices, sæpenumero auditum esse, id quod eleganter à doctissimis viris est scriptum, tyrannis non longas modò, verumetiam plurimas esse manus, plurimos oculos, eosque acerrimos, plurimas aures, easque longissimas. Omnino prodigiosum quoddam est animal tyrannus, multoque Titanibus illis Briareo & Encelado portentosius, centenis capitibus, centenis linguis, centenis manibus, pedibusque. Quot enim habet scelerum ministros, totidem habere membra videtur. Atq; ut ex membris corpus, ita tyrannis ex hujusmodi constat ministris. Verùm ut illud quod corpus appellatur nihil est aliud, quàm quiddam omnibus ex mẽbris aggregatum, ita in tyrannide unum quippiam est, quod neque pe

non

sit,

ſit, neque manus, neque ullum aliud membrũ, contineat ac univerſa: at ita contineat, ut ab iis poſſit ſeparari, idque tyrannus vocatur. Proinde exaggera quantumlibet juvenis inſolentiam, violentiamque, præfectum arcis voces licebit, oculum nomines licebit, aut ſi mavis dextram: aut ſi ne id quidem ſatis, præcipuum tyranni caput dicas licebit: tyrãnum certè vocare nequaquam potes. Vnum enim illud portentum tyranni nomine cenſet cujus authoritate tituloque cuncta hæc membra velut animãtur: idq; unum forti civi permittit occidere. Non vult te in oculum aliquem involare, non ſinit ut caput aliquod amputes, ne tale quiddam eveniat, quod de Lernæa hydra fabulantur poetæ, ut pro uno capite reſecto, duo peſtilentiora ſubnaſcantur: pro uno excuſſo oculo, plures acriores ſuccedant: pro una reſciſſa dextera, multæ robuſtiores ſubpullulent: unius vitæ te dominum, arbitrumque conſtituit, qui ſibi ſit auſus tyranni vindicare nomen: quo ſublato futurum ſit ut membra reliqua quaſi deſtituta ſpiritu, emoriantur, aut certè ſanentur. At quid ego tecũ jam accuratis argumentationibus ago? Poſſum illico tuis te verbis revincere, ac veluti tuo te laqueo capere. Iuvenẽ paulo antè magnũ patris ſatellitem nominabas. Non inficiabere. Rurſum alio loco dicebas omnem tyrannidem occupaſſe filium: ſolius appellationis honorem ceſſiſſe. Quî convenit eundem & ſatellitem & tyrannu appellari? Tum ſi ceſſit, non igitur uſurpavit tyranni nomen. Contractus autem verbis aut rati ſunt, aut reſcinduntur. Lex hac tecũ formula contraxit, ſi quis tyrannum occiderit, præmiũ ferat. Quid tu mihi juvenis flagitia commemoras? Id te lex voluit occidere, quodcunque illud eſſet animal, quod tyrannus diceretur. Magnum (ut ipſe fateris) ſatellitem occidiſti, non tyrannum: quid tibi cum lege rei eſt? At rem, inquis, legis ſequutus ſum, non ſyllabas: eum interfeci, qui caput erat tyrãnidis, paratus hæres paterni dominatus: libertatem peperi, ſervitutem ſuſtuli: hoc lex ſenſit, hujus rei authori præmium præſtituit. Satellitem, inquam, occidiſti, nihil moror quantum, quàm gravem, quàm ferocem, quàm ſceleſtum: ſatellitem tamen occidiſti tyrannidis, non caput: aut ſi caput, unum è pluribus. Sed hæc omnia tibi ex animi ſententia largiamur: fuerit ſanè res tota tyrannidis filius: pater nihil niſi vocabulum quoddam inane tyranni: quemadmodum in fabulis habetur, Echo nympham, nihil aliud quàm meram quandam fuiſſe vocem ſine corpore. Qui tibi licuit in re tanta, à verbis legis diſcedere præſertim ita dilucidis, ut perſpicuum magis nihil eſſe poſſit, & commentitiam interpretationem domi tuæ natam in judicium adferre? Ego Iudices, nullum in Remp. exemplum pernicioſius induci poſſe judico, quàm ſi conſueſcant homines calumnioſi à præſcripto legum recedere & interpretamento, quod ad prætexendum facinus quiſque ſuum maximè idoneum comminiſci queat, id Iudicibus objicere. Quis autem unquam meminit de legis ſententia quæri ſolere, niſi quum in ſcripto quiddam apparet ambiguè, obſcureve dictum: aut quum ex verbis & eventu abſurditas quæpiam extitit, eaque manifeſta? In priore non cujuſvis commentum, ſed juriſprudentium reſponſa, ſed Iudicum ſententia recipi ſolet. In hoc poſteriore, neceſſitas ipſa compellit aliquantiſper à legis vocibus deflectere: & æquitatem juris potiùs, quàm verba ſpectare. Duplex itaque periculum videtis Iudices: alterum ne ſuperſtitioſa cavillatione literarũ legis ab eo quod lex ſpectavit abducamur: alterũ ne paſſim à præſcripto diſcedendo, leges omneis judiciorum religionem ſubvertamus. Quorum illud quidem multò levius eſt: propterea quod vix unquam accidat, ut legislator obſcurè quid voluerit, explicaverit: aut abſurdum quiddam exoriatur. Hoc multò periculoſiſſimum, pernicioſiſſimumque. Etenim quæ tandem lex futura eſt, quã verſutus calumniator, quò pœnam effugiat, non facilè poſſit aliquo commento ſubvertere? Neq; quiſquam non elabetur è judicio veſtro nocens, niſi qui ſit uſque adeo nullius ingenii, ut ne frivolam quidem aliquam commentatiunculam queat invenire. Atque ut cuique commodum erit, aut animi libido feret: ita pro ſene juvenẽ, pro tyranno ſatellitem, pro homicidio tyrannicidium: & paſſim aliud pro alio interpretabitur, Veſtra interim Iudices religio, veſtrũ juſiurandum, qua tandem ratione ſervabitur: quibus nihil futurũ eſt certi, quod in cognoſcendo ſequamini: verum ambiguas diverſaſque litigatorum conjecturas ſpectare neceſſum erit? Ergo quũ in omni cauſa maximopere cavendum eſt, ne ſine graviſſima ratione à legis præſcripto diſcedatur: tum in hac non periculoſum modò, verùm etiam abſurdiſſimum: quum legis verbis nihil poſſit eſſe dilucidius: ſententia nihil æquius: interpretamento quod præter legis mentem inducitur, nihil peſtilẽtius. An crepimus legis hujus autorem uſq; adeo infantem, & verborum inopem fuiſſe, ut dicere non potuerit: qui quovis modo Tyrannidem ſuſtulerit, huic præmium eſt, ſi modò iſtuc ſenſiſſet. Neq; verò fugit illum, totam tyrannidem per ſatellites & præfectos exerceri ſolere, pemultoſq; in his eſſe vel Tyrannis ipſis ſceleratiores: atque ut ita dixerim, Tyrannicos magis, & omnino ſupplicio digniores: niſi & omnium omnia miniſtrorum ſcelera Tyranno imputarentur. In unum tamẽ illum, qui hoc nomine cenſetur, tibi ferro graſſandi facultas data eſt. In reliquos non tibi permittitur idem: nõ quòd illos vita dignos judicet lex, ſed quòd unius cæde totam tyrannidem tolli velit, non multorum cæde reddi duriorem. Tuum erat legi ſimpliciter parere: neque ejus verba quaſi plumbeam quandam regulam ad tuum facinus accommodare, verum ad illius præſcriptum factorũ tuorũ rationem inſtituere. Præſertim in hoc exemplo, quo non aliud poteſt admitti peſtilentius, ut ex legis arbitraria interpretatione, quẽ velis, interficiendi tibi pro tua libidine licentiam ſumas.

Non illud hic ſpectandum, judices, quam inviſus Reip. ſit, qui occiſus eſt, quam majore etiam ſupplicio dignus: verùm id etiam atq; etiam perpendere oportet, exemplum præter leges jugulandi homines, ſemel in civitatem receptum, ſemel veſtris ſententiis approbatum, denique præmio compenſatum, quo tandem licentiæ ſit proceſſurum. Quod iſte ſibi in tyranni filium licere voluit, hoc alius ſibi volet in ditiſſimum quenque civium licere: Quiſquis pauper à locuplete contumelia afficietur, protinus tyrannum eum appellabit, & veneno aut ferro adorietur. Poſtremò ſi cui magiſtratus non placebit, ſi cui judex erit inviſus, non dubitabit è medio tollere. Porrò ad facinoris defenſionem, Sophiſtam quempiam aut ſycophantam conſulet (ſi ipſe ingenio ſtupidiore fuerit) & novam legis interpretationem vobis adducet: dicet nil aliud ſenſiſſe legiſlatorem, quàm ut hujuſmodi civium genus non nomine, ſed re tyrannidem agentium, ferro, igni, veneno tollatur è medio. Atque ita brevi futurum eſt, ut quod in uno factum ſemel & probavimus, & gavisi ſimus: id in multis ſæpius & doleamus, & improbemus. Credite mihi, non mediocre diſcrimen neque convenienter accipiendum, ut titulo reperto, privatus hominem indemnatum interficiat. Id ita eſſe facilè liquebit, ſiquidem animadvertimus, nihil omnium eſſe, quod lex parciùs, circumſpectiuſq; permiſerit.

Etenim (ſi memini) tribus duntaxat temporibus lex indulſit, ut quis citra judicium hominem occidat. Primùm adulterum, ſed in uxore deprehenſum: id quod intemperanti & inſuperabili mariti dolori donatum eſt. At ita ſi corpus utrumque pariter interimat, ſi argumentis idoneis deprehenſum fuiſſe doceat. Deinde in vi depellenda. At ita ſi demonſtres te mortem effugere nequiiſſe, niſi mortem intuliſſes: id lex ita interpretatur, quaſi ſeſe tueri potiùs ſit iſtuc, quàm alium occidere. Vterque tamen facti ſui rationem reddere compellitur, ſtatim ſeſe prodere, nec expectare donec in jus trahatur: atque (ut ita dicam) ultrò ſemet reũ facere cogitur. Quòd ſi omnia cõſtabunt argumenta: ita demum à lege dimittitur, ut venia, non laude dignus eſſe videatur. Poſtremò in tyrannicidio, ubi propter periculi ſuſcepti magnitudinem lex præmium quoq; proponit: at ita, ſi eum quem tibi lex iſto velut inſigni tyrannici nominis denotavit, fortiter occideris: non ſi ſceleſtum alio ſcelere ſuſtuleris, neque patietur te jus occidendi permiſſum, latiùs quàm ad unicum tyranni caput trahere, niſi ſi quis obſiſtat, ut per illius necẽ tibi neceſſe ſit ad illum penetrare. Iamque hoc factum tuum ſecũda illa ratione defenditur. Huic tertio generi fortaſſe proxima videatur hoſtem in bello feriendi facultas: quam tuæ tamen libidini lex non permiſit. Niſi palàm hoſtis ſit declaratus, niſi in Imperatoris verba iuraris, niſi ille aciem eduxerit, niſi ſigna canere juſſerit, tibi fraudi futurum eſt, hoſtem interfeciſſe. Tu dicturus es: Hoſtem occidi, nam plus quàm hoſtilia faciebat, nomen hoſtis tantùm aberat, re hoſtem agebat. Lex reſpondebit, ſuarum partium fuiſſe, hoſtem declarare, ac tuo fortaſſe ſcelere fruetur: verùm ne ſerpat exemplum, pœnas de te ſumet. Quid autem aliud abs te factum eſt? Vnum tibi lex nominatim deſignaverat: tu illius vocabulum tuapte authoritate in alium transfers, quod niſi in unum non poteſt competere: neq; traduci debet ab eo cui lex attribuerit, ne tibi fas ſit aliquando quem voles magiſtratum, quem voles Iudicem, quẽ voles civem, tyrannum appellare.

Neque verò ſine graviſſimis cauſis lex tot vinculis aſtrinxit hãc in vitam alterius licentiam. Perpendit nihil majus eripi cuipiam poſſe, quàm vitam: vidit in extinctum facilè varias cauſas confingi etiam impunè poſſe, quandoquidem ille non ſit refutaturus, qui jacet. Vidit quàm multis titulis ſuum quiſque dolorem poſſet prætexere, ſi poſt occiſum hominem ulla cauſa recipiatur, præter eas quæ legibus ſint expreſſæ. Quid quòd gravatim ſibi quoque lex permiſiſſe videtur, ut homini vitam eripiat: quàm comperta, quàm multa requirit argumenta, quàm multa concedit reo, quàm malignè agit cum actore, quem nõ niſi ſuo periculo vult accuſare: quãtum ſpatii largitur ei qui defertur: quàm liberã Iudicũ rejectionẽ. Quantum igitur à mente legis abeſſe putes, ut cuilibet permittat, vel pro ſuo privato dolore, vel domeſtica juris interpretatione, hoc eſt, ſubverſione in cujuſquam vitam graſſari?

Neq; ad rem pertinet, quantum criminum acervum exaggeres, quantumvis etiam verorum, addo notorum: dicas parricidam, ſacrilegum, inceſtum, proditorem, peculatorem, veneficum interfeci. Tyrannum lex jubet occidi. Atqui hic unus multis tyrãnis erat ſceleratior, peſtilentiorq́; civitati. Ad iſta tam multa crimina, lex tibi verbo reſpondebit: nihil moror quam fuerit ſcelcroſus, qui periit: in unum tyrannum tibi jus feceram occidendi in reliquo, ſin jus trahendi. Si detuliſſes: auditus, revictus, damnatus à me palàm pœnas dediſſet, omniq; Reip. ſalubri exemplo fuiſſes. Nunc tu privata libidine interficiens, pro ſaluberrimo exemplo, pernicioſiſſimum in civitatem induxiſti, & legum inſtaurationem, à legis violatione auſpicaris: hoc eſt, malis malo mederi ſtudes. An me clàm eſſe putas, quàm multi ſint in hac turba vita indigni, morte digniſſimi? At eos meæ cognitioni, non tuis manibus ſervo: ſunt fora tribunalia, ſunt Iudices, ſunt carceres, ſ[illegible]es, carnifices. Cur tu mihi præire conaris? Cur nullo mandante magiſtratum occupas? & dum Tyrannicida videri vis, tyrannum imitaris? Nam quo alio nomine tãtopere mihi eſt inviſus ille, niſi quod mihi parere recuſat, & præire

conatur?

conatur? Ei demum ferrum tractare licebit, cuius manibus ego permisero. Si juvenem occidisses, quòd non alia patuisset ad tyrannum via, darem veniam necessitati: nunc occidisti, non obsistentem, non auxilium ferentem patri, sed patris opem implorantē. Huius unius cæde contentus discessisti, tyrannum nec impetisti, in quem unum tibi jus feceram. Meum erat expendere, utrum ex usu Reipub. fuerit, an juvenis occideretur: malueram illam exquisitioribus excruciatum suppliciis, exemplum omnibus edere.

Neque hęc dico Iudices, quasi parum gaudeam pariter cum patre sublatum filium: utinam eadem opera simul omnes sint oppressi, quibuscunque tyrannus placet. Sed quis prohibet, simul & gudere, quòd deorum bonitas nobis hanc rem benè verterit, & tamen non committere, ut huius temeritas, si judicio comprobetur, in legem atque in exemplum trahatur? Nec de juvenis injuria vindicanda nunc agitur, sed de legis violatæ majestate. Non enim par est, ut cuiquam personæ præter jus extincti odium in scelere suffragetur. Neque tam spectandum in quem commissum sit facinus, quàm quo exemplo commissum. Alioqui cur non eadem opera fas sit in tyranni nepotes, pallacas, pueros, uxores, liberos, lenones grassari? Bonam tyrannidis partem uxor sæpenumero suggerit. Ad summam immanitatem nonnunquam libertus aliquis, aut vernula instigat: cur non & hos jugulas, si tibi jus est æstimatione privata meritorum civem jugulare? Quid quòd est aliquid tyranno nocentius, id quod tamen haudquaquam tibi jus sit occidendi? Finge esse qui totam hanc urbem, templa, domos, curiam conatus sit incedere, imò qui jam compluribus locis ignem subjecerit, sed incendium subito exorto imbri restinctum: authorem non obscurum, verùm abditum latitare. Eum forte fortuna repertum, manu tua trucidas. Num lex tuum factum approbabit? Non opinor. Atqui tyranno ille quanto erat nocentior? Tanto nimirum, quanto est atrocius civitatem semel funditus evertere, quàm expilare: cives universos uno igni finire, quàm in pauco quædam sævire capita. Et tamen in unum tyrannum stringendi ferri potestas privatim permittitur. Illum deferendi modò jus habes. Hic in re tam aperta legis mentem calumniari, & novo interpretamento tuum facinus palliare: quid tandem aliud est, quàm legum authoritatem evertere, atque id per cuniculos quosdam agere quod tyrannus palàm ac vi facere consuevit? In recipienda lege fas est populo causam, æquitatemque legis excutere. Cæterùm receptę, & longo jam usu comprobatæ, simpliciter oportet obtemperare.

Neque enim existimandum est majores illos nostrors, viros sine controversia sapientissimos, ita sine gravissimis rationibus instituisse, ut privatim interficiendi Tyranni facultas unico capite finiretur. Primùm ad jugulandi licentiam, fenestram aperiendam civibus non putaverunt: deinde perspiciebant tyrannidem fatale quoddam esse Reip. malum, quod minore noxa toleraretur, quàm malè exagitaretur: neque posse semel tolli, nisi ipsius cæde. Quo submoto, videlicet qui legibus imperabat, non parebat, jam nihil opus esse privata audacia, nimirum illis in reip. administrationem vindicatis. Quod si tyrannus in jus vocari potuisset, ne hunc quidem tuæ dextræ arbitrio permisisset. Videbant & illud: tyrannidem non nullam habere monarchiæ legitimæ speciem: hoc tantum interesse, quòd in monarchia populus regi paret, rex legibus: in tyrannide omnia unius libidini subjecta sunt. Rex publicam spectat utilitatem, tyrannus privatim suam: unde publicitus expedit, ut tyranno veluti principi legitimo civitas pareat, donec idoneus aliquis vindex extiterit, qui legum authoritatem in pristinum statum restituat, atque id unius (si fieri potest) capitis jactura. Nam hac moderatione in fatalibus illis pestibus, quæ totum Reip. quasi corpus corripiunt, legum prudentia consuevit uti: ut exemplo magis, quàm admissi talione, morbo medeatur: ne dum civitatem sanare studet, magnam civitatis partem interimat. Hinc est quod in seditionibus publicis non nisi in ipsos authores consuevit animadverti, reliquis quos tempestas illa commoverat, dari venia: aut vix etiam dari venia, qui in publico Reip. tumultu quietem egissent. Quæ potest autem pestis esse fatalior, quam tyrannis? Quæ sese latius in civitatis membra diffundit? Quota quæque urbis pars ab hoc vitio syncera potest esse? Omitto jam quicquid est ambitiosorum, ære alieno obstrictorum, scelere contaminatorum, barbarorum (nam hæc tota sentina hominum tyrannide gaudet. ut in qua nullis majora, quàm sceleratis sint præmia) bonos etiam cives hoc malum involuit, dum vel timent fortunis suis, vel rectum judicant servire tempori.

In hoc itaque rerum statu leges non extinctæ, sed oppressæ modò, cautim & circumspicienter agunt: intelligunt hoc ulcus citra summam civitatis perniciem exasperari non posse, unius capitis dispendio commodè sanari posse. Quare docto cupiam medico pręmium ostendunt, digito demonstrant, quod membrum secari velint, quibus abstineri. Caput indicarunt illæ, tu dextram secuisti. Illæ tyrannum, tu tyranni satellitem occidisti. Quo præmio dignus? Nempe eo quo qui morbo inscitè exagitato, totum hominem in extremum vitæ discrimen adducat, quo qui hominem legibus vetantibus occidat. Neque ego nunc te cædis reum ago, aget alius fortassis, cuicunque lubitum erit: verùm illud modò consilium fuit, ostendere tibi quam insignitæ sit imprudentiæ in ea causa, tam eximiam tibi vendicare laudem, tam egregia poscere præmia, in qua nequeas obtinere, si modo tecum exactius ac severius agatur, ut graveis pœnas effugias. I nunc & curiosum me voca: qui tam candidè, tamque civiliter tecum agam: ut quum te possim in grave discrimen vocare, sat habeam legis & Reipub. causam defendere, ne circumventa præmiū dare cogatur ei, qui nihil boni sit promeritus. Id quod non Iudicibus modò) quibus istuc jam dudum liquere puto) verùm tibi etiam ipsi cupio persuadere: & facturum me confido, si modo tantisper animum possis attendere.

Vin' igitur, ut quemadmodum tu faciebas, itidē & nos summatim totam caussam ob oculos revocemus? dispiciamusque quàm multa tuo in facto desiderentur ad id, ut legi satis feceris: & quantū tu sis hallucinatus, quum multa diceres etiam superesse? Tria quædam requirit lex, & ita requirit, ut si quodlibet horum desit, aut pœnam te, aut certè nihil gratiæ debere se credat. Quorum ego non unum aliquod, sed unumquodque deesse docebo. Quod si facio, utrum æquo animo cedes præmio, an impudenter petere persistes? Ergo rem accipe. Nisi tria hæc tibi constiterint, non est quòd tyrannicidæ præmium petas: Animus, via, & effectus. Animus duo quædam complectitur, vel quid speraris, vel quid proposueris. Nam si tyrannum per imprudentiam occidisses, si præter propositum, non magis profectò præmium tibi debeatur, quàm si quis tyranno amicissimus idem fecisset, nam idem potuit accidere. Tu porrò quid propositi in arcem attuleris, ipse videris: ita demum legi persuasum erit, te voluisse occidere tyrannum, si occideris. Non occidisti, atque id etiam quum tibi in manu fuerit (ut ais) si libuisset interficere. Lex negant sua referre, utrum tyrannicidij propositum in arcem non attuleris, an allatum repentè mutaris. Iam quid speraris, excutiamus. Quanquam isthuc leges non ita valde curiosè pensiculantur: sed tamen in tam absoluto facinore partes omneis constare oportet. Quid enim si tyrannum interfecisses, quò tyrannidem ipse occupares, utrum præmium sperares? an supplicium metueres? Quid si quo privatum animi tui dolorem ulciscereris, tyrannum occidisses, atque id esset palàm, num præmium auderes poscere? Quid, si latrones tyrannum forte fortuna obvium obtruncassent, num ad hunc honorem aspirarent? Quid si quis tyranno privatim infensus, magna te pecunia conduxissent, quò ei tyranno venenum dares, dedissesque, num quæso, tyrannicidæ præmium postulares? Ego hîc tecum non ago conjecturis: nihil dico in vitam tuam, quæ quidem obscurior est, quàm ut tu, alioqui tam gloriosus, quicquam de ea ausus fueris dicere: illud unum affirmare non dubitem, qui tyrannum quum tutò licuerit, non occidit, planè noluit occidere. Qui eum occiderit, cuius mors extremum exitium Reipub. videretur allatura, potius quàm ullam commoditatem: is aut privatum dolorem ulcisci voluit, non libertatem publicam vindicare, aut emolumentum suum sequutus est Reip. periculo, non suo periculo Reip. studuit prodesse. Postremò non potes nisi gloriæ jejunio adductus videri, qui tam insolenter se jactat. Non potest non videri lucrum sequutus, qui tam improbè præmium flagitat. An non vides igitur quantopere hac parte à tota legis mente dissentias? quem illa tuæ vitæ periculo sua causa voluit occidere, cum tu non periculosè in Remp. irritasti: quem sua causa noluit occidi, eum tu maximo nostro periculo tui compendij, aut animi fortasse gratia jugulasti. Sed finge te animum tyrannicida dignum ad facinus attulisse, lucri perinde ut vitę contemptorem: magni tamen refert, qua ratione tyrānidem tollere aggrediaris. Jam enim omnia tibi ex animi tui libidine largior, quæ tamen nemo alius tibi concessurus est. Te in filio jugulasse patrem, in non tyranno tyrannum. Largior istuc Delium aliquem tibi prædixisse, ut certum præscire potueris, quod ipse etiam vix divinare Delius potuerit. Licuisse tibi patrem occidere, si libuisset, verùm hoc pœnæ genus tibi magis placuisse. Sustuleris sanè tyrannidem, idque nova quadam & inusitata ratione. Vides quàm multa tibi dono. Tamen obsistam tibi, nec sinam ferre præmium, propterea quòd ea via sustuleris, quæ legi non probatur, quæ non expediat moribus civitatis, quæ non sit forti viro digna.

Age quid si tyranni filium infantem in cunis jugulasses, & rursum adfuisset Delius ille, per quem certum præscire posses, fore ut necato puero pater sibi mortem accerseret, atque id evenisset, utrū te tanquam tyrannicidam suspiceret Respub. an potiùs tanquam tyrannicidam suspiceret Respub. an potius tanquam immanem & ferum hominem execraretur, qui in eam sævieris ætatem, cui etiam ab hoste armato parcitur, quæ leonibus etiam miseranda videatur? Quin ergo? Vtetur tuo maleficio Respub. cæterum exemplum haudquaquam probabit. Quid si tyranni uxorem: quam ille miserè deamaret, per vim constuprasses, atque ille eius impatiens contumeliæ, fugerit è vita: utrum tyrannicidij laudem flagitabis an raptus & adulterij supplicium potiùs formidabis? Res obscura non est, Conferam tuo facto propiora. Quid si tyranni medicus quum esses, veneno ægrotanti dato, illum sustulisses, utrum ut veneficum oderit te Resp. an ut virum fortem admirabitur? Tyrannum sublatum gaudebit, facti rationem, modumque detestabitur. Quid si quū te tyrannus familiariter uteretur, tu in convivio prætextu necessitudinis venenum porrigeres? Denique si per magicas imagines ac maleficas quasdam devotiones tyranno vitam ademisses: utrum à lege præmium, an pœnam expectares? Atqui tyrannidem utcunque sustulisti. Eventu gaudet lex. Verùm exemplum tam perniciosum in Rempub. non recipit: ut consuescant cives scelus ulcisci scelere, patrem in filio jugulare. Vides quantum momenti sit in modo, viaque, ut factum tuum approbetur? Quod lex permittit ut fiat, non statim permittit, ut id via quaslibet efficias.

Adulte-

Adulterum ferro occidere licet, veneno aut incantamentis non licet. Cur ita? Quia pestilens exemplum omnino tractare venena. Nec id ulla causa quantumvis honesta, sinit in civitatem irrepere. Quid quòd ne hostem quidem veneno, aut malis artibus interficere fas est? Nam nusquam non improbat maleficia lex: & veneno tincta tela etiam in bellis interdicta sunt. Quod si modus facti spectatur in his, in quibus nullum petitur præmium, quanto magis id fiet in his, in quibus summum petitur? Lex triumphum statuit ei, qui certum hostium numerum fuderit. Fuderit aliquis non acie, sed aquis & pabulo veneno tinctis. Utrum cives hunc æquis oculis spectare poterunt triumphantem, an potiùs sicuti veneficum oderint, aversabuntur, execrabuntur? Quid quòd privatis etiam in rebus via, modusq; perpenditur: quò magis idem oportebit, tum in splendidissimo facinore, ut à quo conveniat omnem sceleris suspicionem abesse? Age illud tecum reputa, si medico mercedem pactus esses, quò te morbo levaret, atq; ille non pharmacis sed maleficiis, & incantamentis morbum exemisset, utrum præmium dabis, an magis hominem in jus trahes? injuriæ malis artibus datæ reum ages? Clamabit ille, morbo te levavi, qua via quid istuc tua refert? Hoc tantum spectabas, ut morbo liber esses, ei rei merces est promissa. Ingratum te vocabit, qui nisi sua opera, ne esses quidem, qui præmium negare posses. Tu protinus respondebis, opinor, medico te præmium esse pollicitum, non mago, neque debere quicquam nisi rem malam ei qui beneficium malè dederit quanquam ne dedisse quidem videtur qui malum malo tollit. Id enim mutare est incommodum, non amovere. Dices enim animo nocitum, dum corpori subvenitur. Atque istam litem vinces, etiam iniquo judice. Atqui eadem, aut melior etiam, & vincibilior est tecum causa legi, quàm quæ tibi fortuna fuerat cum medico. Nam ibi de privata mercedula disceptaretur, hic de publico honore Ibi falsus est unus, hic legi fraus facta, per quam cautum oportuit, ne quisquam civium circumveniatur. Ibi salus data, certa quidem & efficaci, sed suspecta & improbata via: hic nefario scelere (cur enim non sic appellatur homicidium, quod in civem contra legem admissum sit?) non libertas restituta, sed in extremum discrimen adducta Respublica quandoquidem tuum factum perinde habet, ac si medicus quispiam ad curam mercede conductus, venenum pro remedio ministret: quod tamen ægrotanti (ita ut non rarò consuevit accidere) per occasionem morbum adimat. Qui revaluit, suis fatis acceptum feret quod vivat. tibi mortem, tametsi vitarit, imputabit. Neq; sua referre putabit, utrum imperitiâ, an perperam, ac studiosè pro pharmaco venenū porrexeris: propterea quod tui fuerat officii, aut non suscipere negotium, aut fidem simul, & artem, & industriam, ac diligentiam, & quicquid à probato artifice solet requiri, ad curiam adferre.

Sed age, sinimus adhuc possidere te, quod dudum sumus largiti: ut planè ista via tyrannum occideris, citra ullum Reipub. discrimen Lex non approbabit facinus tuum: nisi non tantùm à crimine, verum etiam ab omni criminis specie procul abfuerit: ne videlicet ea quæ in hoc potissimum adhibita est in civitatem, ut maleficium omne secludat, incolumitatem suam quam conveniebat, aut Deo cuipiam, aut certè Diis simillimo homini acceptam referri, sceleri debere dicatur. Non approbabit, inquam, nisi Tyrannum ipsum quem nominatim indicavit ipsa quaque permittit via sustuleris: ne per rimam istam periculosum exemplum in Rempub. irrepat. Postremò non nisi ferro, non clancularíis ac maleficis artibus: nisi virtute, nisi manu, nisi vitæ tuæ manifesto contemptu tyrannum trucidaris. Neq; enim hoc tantum spectat lex, ut Tyrannus in præsens submoveatur: verùm illud multò magis respicit: ut omnes mortales intelligant in ea civitate viros esse fortes, qui non vereantur vitæ suæ dispendio patriæ commodis consulere: ac præclari exemplo facinoris, omnes etiam in posterum ab affectione tyrannidis deterreantur: cum videant in ea civitate nullum esse tyrannis satis tutum præsidium: quandoquidem illud nemo nescit, qui vitæ suæ sit contemptor, eum esse alienæ vitæ dominum. Nam quod omnino satellitium, quæ excubiæ, qui parietes, quæ arx, quæ arma adversus hujusmodi animum Tyranni caput defendant: qui patriæ libertatem sua vita bene credat emi?

Postremò autem: ut maximè tibi constet animus, ut constet via, id quod est totius negotii caput, non effecisti. Tantum enim abest ut tyrannum occideris: ut quantum in te fuit, tyrannidem majorem in modum auxeris, interfecto tyranni filio. Quid autem refert, malitia, an stultitia Remp. in discrimen adduxeris? Nam illo quod vulgò dicunt nihil verius: Intempestivam benevolentiam nihil à simultate differre. Tantum abest ut occideris tyrannum: ut ne suspicari quidem potueris id eventurum, ut ipse semet occideret. Sed juvenem occidisti patre insolentiorem: quid tum postea, si patri & hujus scelera lex imputat? Magnum proinde tyranni satellitem, non Tyrannum occidisti. Sed paratum tyrannidis hæredem occidisti: in tyrannidem succedit, qui prior, qui potior est in occupando. Verùm esto sanè, certum hæredem sustuleris: igitur qui tyrannus erat futurus, interemisti. Atqui quod futurum est, id nondum est Porrò lex eum qui jam tyrannus sit, tolli jubet: non quem aliquando futurum divines. An qui statuam ex pacto debeat, & rudem truncum præstiterit, fidem persolvisse videatur? Non arbitrabor. Ubi nunc igitur sunt illa tam multa, quæ tibi ad præmium postulandum supererant? Vides quàm ne unum quidem omnium tibi constet, quorum nihil oportebat deesse.

Volui, inquis: id demum voluisse te lex credit, quod effeceris. Postea è re nata propositum est commutatum. Hoc igitur præmii tibi debetur, quod ei, qui in Olympiis medio è cursu, relicta meta, ad carceres reflectit habenas. At periclitatus es. Proinde id laudis auferes, quod is qui sudavit in Olympiis, nec vicit Sed occidisti denique: verum eum, quem neq; lex permittebat arbitrio tuo, neq; ex usu publico fuerat occidi. At bene vertit civitati, quod fecisti. Numini igitur gratia debetur, tali, qualem Palladem Atticis fuisse ferunt: de qua proverbium extat: quòd Atheniensium malè consulta, in bonum exitum vertere consuevit. Non tu leges servasti, sed sustulisti: non libertatem restituisti, sed numen aliquod huic urbi propitium, quod eventum tuæ temeritati debitum, sua commoditate à nobis avertit, quod tuam stultitiam nobis vertit in occasionem restituendæ libertatis. Non ego ingratum ergo te populum constituo, imò tu populum ingratum in Deos reddere laboras: quem cum semel in periculum vocaris, ne pro simplici Tyrannide duplicatam pateretur, nunc rursum in discrimen trahere conaris, ne ab iratis superis in pristinam servitutem, aut gravius aliquod infortunium retrudatur. Quid tu te fucis & phaleratis dictis in alienum meritum insinuas? Quid tibi in eo negotio laudem universam vendicas, ex quo præter pœnam temeritatis, nihil ad te redire meritò possit? Si Reipublicæ, si Judicibus probare potes, animum tuum Tyrannicida dignum, qui nullum periculum vitæ Reipublicæ caussa recusarit: si facinus non scelere, non pernicioso exemplo, sed legitima via peregisti, si fortuna tuis egregiis conatibus bene expeditum dedit eventum: aude Tyrannicidam te vocare: aude pulcherrimum, ac penè divinum munus à Republica poscere, aude nobis servatas leges, restitutam civitatē: aude templa, aras, focos, fortunas omneis, tutos pueros, inviolatas virgines, impolluta matrimonia, deniq; hoc ipsum quod hic lege & apud Judices agimus, exprobrare: aude mihi minari, quòd obstiterim: aude civitatem ingratitudinis insimulare, nisi laudem promeritam persolverit: aude Judices, vel iniquos, vel corruptos clamitare, nisi suis sententiis præmium tibi decreverint. Contrà: si suspectum quid volueris, si periculosum, si contra leges, si cum scelere conjunctū quod feceris: sit pudor, ac desine tandem improbè præmium flagitare, quod nulla ratione promerueris: pœnam, si sapis, incipe deprecari. Isthuc fortassis ab æquitate Judicium, à civitate Deorum munere læta, queas impetrare.

Neq; enim putes unum me te à præmio deterrere. Imaginare isthac in caussa pariter & leges, & Rempub. & Deos tibi adversari. Puta leges his tecum verbis agere: Si nos verè restituas videri vis, sine nostram authoritatem primum in hac tua causa valere. Longè plus laudis ex hoc judicio referes: si nobis cesseris: si parueris: si tuam cupiditatem nostro submiseris arbitrio: si primum exemplum in te civibus edideris, revixisse nos: si monstraris civitati jam non ex sceleratorum libidine, sed ex nostro præscripto cuiq; vivendum esse. Atq; altera ex parte Rempub. hac tecum oratione uti puta. Si civem bonum mihi præstare studes, noli hanc stultitiæ notam mihi inurere: ut in posterum re cognita, dicat ebrietate quadam gaudiorum ei præmiū decrevisse, cui pœna magis deberetur: noli mihi Deos, quos vix deniq; tam diutinis votis, tot sacris, tot precibus, tot meis malis placavi, commovi, propitios reddidi, denuo per ingratitudinem iratos atq; infensos reddere. Sine ut mihi per te liceat, saltem illorum beneficio frui. Quod si te neq; leges, neq; Respub. commovet: certè Deorum orationem vereri debes, quos ita tecum agere putato. Quid tu in nostræ laudis possessionem ingeris? Quid honori nostro invides? Cur non sinis nos in hanc civitatem perpetuò benignos esse? Cur tu ipse tam ingratus existis? Civitas hæc semel mihi restitutam libertatem debet, tu bis debes, commoditati nostræ: & quod Remp. servavimus, cujus tu pars es, & quod commoditate nostra tuam periculosam stultitiam, vel scelus potiùs in maximam felicitatem verterimus. Etenim nisi nos dextri, propitiiq; adfuissemus, quid aliud tu quàm perieras, & per te Respub? Quòd si planè contendis, ut præmium alquod feras, abundè magnum præmium à nobis persolutum est, quòd per nos res à te male instituta, bene verterit. A legibus meritò major relata gratia, si nostræ prosperitatis respectu, temeritatis simul & sceleris veniam condonarint. A civitate satis amplam laudem feres, si ea patiatur, ut in restitutæ libertatis historia tuum quoq; nomen admisceatur. Hac laudis parte contentus desine nobis debitum velle præripere, civitati munus nostrum eripere, legibus authoritatem adimere. Sed finem facio, nimirum exstillata jam aqua. Quod superest, nunc vestræ partes sunt Judices, statuere, utrum secundum leges, secundum Deos, secundum Rempubl. sententiam dicere, an secundum hunc gloriosum ostentatorem pronunciare velitis. Utrum hanc urbis felicitatem hujus sceleri acceptam ferre malitis, sæpius exprobrandam, & brevi fortassis à superis iratis (id quod abominor) auferendam: an in Deos quibus sine controversia tota debetur, referre, eorundem pietate servandam, augendam, beneque fortunandā. Utrum magis ex usu sit, ut primo hoc judicio statim leges circumventæ dicantur, an ut appareat legum restitutarum severitatem, & Judicum sapientiam adversus unius iniquam postulationem valuisse.

§ ROMANORUM.

Io. Sarisberiensis: Si tyrannus sæcularis jure divino & humano perimitur, quis tyrannum in sacerdotio diligendū censeat aut colendum? certe scire debent Prælati, quod cum ipsi delinquunt, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt. *fine cap. 17. lib. 8. Policratici.*

Idem: Ex Trogo, Josepho, Egesippo, Suetonio, Curtio, Tacito, Livio, Sereno, Tranquillo liquebit, quod semper tyranno licuit adulari, licuit eum decipere, & honestum fuit occidere, si tamen aliter coerceri non poterat. non enim de privatis tyrannis agitur, sed de his qui rempubl. premunt: nam privati legibus publicis, quæ constringunt hominum vitas, facile coercentur. In sacerdotem tamen etsi tyrannum induat, propter reverentiam sacramenti, gladium materialem exerceri non licet, nisi forte cum exauctoratus fuerit, in ecclesiam Dei cruentam manum extendat, eo quidem perpetuo obtinente, ut ob eandem causam non consurgat in eum duplex tribulatio. *lib. 8. cap. 18.*

Io. Sarisberiensis: Tyrannos quos peccata impetrant, inducunt, & erigunt, pœnitentia delet, excludit & perimit. *cap. 20. Policratici lib. 8.*

Idem post multa: Laudemne aut vituperium consecuta est Jahel cæde Sisaræ? Benedicta, inquit Scriptura, inter mulieres Jahel &c. Utque & ab alia constet historia, justum esse publicos occidi tyrannos, & populum ad Dei obsequium liberari, ipsi quoq; Sacerdotes Domini necem eorum reputant pietatem, & si quid doli videatur habere imaginem, religione ministerii dicunt Domino consecratū. Sic Holofernes, non virtute hostili, sed suis vitiis gladio mulieris occubuit, & viris formidabilis, luxuria & ebrietate victus à femina interemptus est nec feminæ ad tyrannum patuisset accessus, nisi hostilem animum pia simulatione texisset: non est enim dolus qui servit fidei, & militat charitati.

Aliquanto post: Hoc tamen cavendum docent historiæ, ne quis illius moliatur interitum, cui fidei aut sacramenti religione tenetur astrictus. Nam & Sedechias ob neglectam fidei religionem legitur captivatus, & quod in alio rege Judæ non memini, eruti sunt oculi ejus, quia Deum cui juratur, etiam cum ex justa caussa cavetur tyranno, lapsus in perfidiam, non proposuit ante conspectum suum. Sed nec veneni, licet videam ab infidelibus aliquando usurpatam, ullo unquam jure indultam lego licentiam. non quod tyrannos de medio tollendos non esse credam, sed sine religionis honestatisque dispendio. Nam & David licet tyrannum gravissimum sustineret, & cum perdendi sæpe nactus fuerit occasionem, & tamen maluit parcere, confisus de misericordia Dei, qui eum sine peccato poterat liberare. Decrevit ergo expectare patienter, ut ille visitaretur à Domino reddita charitate, aut in prœlio caderet, aut aliàs justo Dei judicio moreretur. Siquidem vel ex eo potest insigniri patientia ejus, quod cum oram chlamydis Saulo præscidisset in spelunca. & alibi de nocte castra ingressus custodum negligentiam increpasset, ipsum regem coegit profiteri, quia David caussam agebat justiorem. Et hic quidem modus delendi tyrannos utilissimus est & tutissimus, si qui premuntur ad patrocinium clementiæ Dei humiliati confugiant, & puras manus levantes ad Dominum devotis precibus flagellum quo affliguntur avertant. peccata enim delinquentium vires sunt tyrannorum: quod Achior Dux filiorum Ammon Holoferni insusurrat. Finis certè tyrannorum confusio est, ad interitum quidem si in malitia perseverent; si revocentur, ad veniam. nam & ipsi flagello paratur incendium, cùm in correctione filiorum eo fuerit usus pater. Quid itaq; sibi velint, qui rempubl. id est populum Dei indebito servitutis nituntur opprimere non video, nisi forte ea de caussa potentiam appetant, ut tormenta miseriæ potenter ferant. Si enim regere tantum appeterent non dominari, onus officii metientes, nequaquam tanta currerent aviditate. voluntas enim regẽtis de lege Dei pendet, & non præjudicat libertati. at tyranni voluntas concupiscentiæ servit, & legi reluctans, quæ libertatem fovet, conservis jugum servitutis conatur imponere. *cap. 23. libr. 8. Policratici.*

Quintilianus Senior: At herculè ut insepultus abjiciatur tyrannus, ad vindictam, ad securitatem pertinet. Non satis putaverunt majores, eas pœnas adversus tyrannum constituere, quas posset excipere in vita. Multos magis tangit sepultura: ad cogitationem post se futurorum plerique gravius moventur. *Mox*: Hominem occidere non licet: Tyrannum licet: expugnare domum fas non est: arcem expugnabit optimus quisque. Insidiatus civi, etiamsi non effecerit scelus, pœnas tamen legibus solvet: at qui hoc idem adversus tyrannum fecerit, etiam deprehensus laudabitur. *Declamatione 274. a. m.*

Quintilianus Senior: Non est satis ei qui servitutem Reipub. detraxerit: qui monstra hæc, quibus libertas laborat: qui homines adversus Deorum hominumque injuriam natos, & in exemplum scelerum constitutos, quo magis ea odissemus, occiderit, dum vivit tantum honorari? non sufficiunt magistratus, nec satis sunt tituli? habeatur aliquis etiam morti honor, & ad exẽplum posteritatis ostendatur in foro sepulchrum, ne quis audeat tyrannus esse: ut omnes homines monumentis hujus sciant, quibus præmiis adversus tyrannos tyrannicidæ armentur. *Declam. 328. a m.*

Idem mox: Occidi tyrannum, non hunc vulgarem, & usque ad nomen tantum nocentem; occidi tyrannum crudelissimum, sævissimum, expugnatorem non pudicitiæ modò, & patrimoniorum nostrorum, sed templorum omnium & ceremoniarum: nec hominibus magis quam Diis immortalibus invisum.

Quintilianus Senior: Quid si ostendero eum, qui civitati libertatem abstulerit, qui leges sustulerit, qui templa violaverit, qui injuriis nostris iram Deorum immortalium commoverit, tyrannicidam non fuisse? *Declam. 329. pt.*

Quintilianus Senior: Videamus quo modo se tyrannicidam efficiat adversarius noster. De libertate patriæ cogitavit. nondum tyrannicidium est. Hortatus est aliquem, pecuniam dedit, omnia fecit ut hic tyrannicidium faceret. Simile esse hoc tyrannicidio ut confitear, hoc ipso tamen apparet aliud esse, quod simile est. Quis autem vobis permittit inclinare leges, & jura transferre? Constituta sunt semel, finita sunt suis finibus, suis verbis continentur. Et fortasse cunque tolerabile esset quæri, an pro tyrannicidio habere deberetis voluntatem, si tyrannicida non esset. Nunc ut sit istud tyrannicidio simile, ipsi tamen præferri non potest, cui simile est. Ergo lex nobis dat præmium, tibi non dat. *Declam. 345.*

Idem paullo post: Prima confessione esse istum bonæ voluntatis fatemur: cupidum libertatis concedimus: dum & ille fateatur, esse se parum fortem, fortasse vitio infirmitatis, vel naturali, vel quod ipsæ per se solent afferre divitiæ. simus voluntati contenti: non exigamus ab eo quantum nō potest, ut sciatis hanc esse inter duos differentiam, ut quidquid ille voluit, hic fecerit. Volo enim tecum loqui. Quid ad hanc legem tu conscriptam audacter venis? tyrannicidium tuum non dico: approba, ostende quid fecisti. Pecuniam, inquit, dedi. Itaq; jud. ista lex emi potest? ad summum in Republica nostra honorem, non animus, non virtus, non manus mittit, sed arca & dispensator Bene herculè negotiaris. sed excogitasti non mediocre, non dico famæ atq; opinionis, sed patrimonii etiam tui, cum alioqui abundaret, compendium. Dic dic quanti emeris quid velis. Tu mihi dicis, Pecuniam dedi: & ex otiosa jacente patrimonii parte, aliquid numeravi: cum ego dicam, Arcem conscendi, satellites stravi, nefariam corpus repetitis ictibus trucidavi. Pecuniam dedi, de tyrannicidio loquutus sum. Rem feceras periculosissimam, nisi in tyrannicidam incidisses.

Satis sit vobis, ô divites, vestras præstare fortunas, quòd per dispensatores fœneratis: quòd familiam per procuratores continetis, quod pleraque possidetis absentes, quòd ignorantibus vobis & quiescentibus, si quis est tantæ felicitatis labor, per alienas manus transit. contingat istud delitiis vestris, contingat abundantissimæ plerumque luxuriæ: non dabitis tyrannicidiis cognitorem, nec ad vos alienis periculis veniet fama virtutis. Velim narres judicibus audiente populo, quem sermonem cum adhuc adolescente habueris, qua exhortatione sis usus. Premitur tyrannide civitas nostra, quotidie gravia atque indigna patimur: opus est aliquo viro forte, opus est aliquo bono cive, opus est liberatore tantorum malorum. Si te hæc cum maximè dicentem interrogem, cur non ipse facias: respondebis profectò, Non possum, non is animus mihi, non id virium est: & adjicies; Tu potes.

Verum non contentus sibi acquisisse gloriam, etiam nobis detrahere conatur. Negas enim hunc juvenem ad tyrannicidium fuisse venturum, nisi pecunia conductus esset. O quantum erras, dives, ac falleris, qui putas virtutem posse conduci, & animum pecunia fieri. In omnia enim sanè lucro trahamur: ducat nos spes ad laborem, ducat ad patientiam. Nemo futuri temporis cogitatione periculum subit. Iturus aliquis in id discrimen, ex quo evasurum se non speret, pecuniam spectavit? scilicet ut locupletior periret: ut si destitutum in illis cogitationibus manerent tormenta, si tyranni ira, haberet intra conscientiam suam, accepisse se pecuniam & paulò antè gravem argento manum fuisse. Ante igitur hæ versabantur in animo hujus cogitationes: ante istud, quod tu effecisse pecuniam putas, fecerat Respublica, fecerat indignatio, fecerat ingenita virtus. Nec tu nisi hoc intellexisses, ausus esses loqui, aut committere tam periculosum alieno secretum. Videras vultum, audieras, cum raperetur aliqua virgo, ingemiscentem. Verum tamen cur non reponamus hanc contumeliam? non pro Republica dedisti. Scimus tyrannidem præcipuè ad divites pertinere: illa, quam dederas, pecunia redimebas fortunas, pecunias tuas, imô salutem.

Quandoquidem plerumque perire vobis in lucrum crudelitatis alienæ, necesse est. Habes igitur satis magna istius liberalitatis tuæ pretia. Securus es. nunc dominus, nunc dives: desiisti fortunam tuam timere. desiisti odisse quicquid jactas. Ego tamen, inquit, dedi quod esset pro præmio. Ideo ergo exigis, ut Resp. non reddat? & si quid tu privatus liberaliter fecisti, universam civitatem vis facere sordide? Quanquam ne remittis quidem istud Reipubl. sed in se transfers: ut ne voluntati quidem tuæ obligati simus, si pecuniam ideo dedisti, ut præmium acciperes. Hic porrò si quid avarè, si quid cupidè fecisset: tua potius pecunia, quàm ipsa lege ad tyrannicidium conduceretur. Tu illi dicis, Accipe pecuniam: Respubl. dicit. Opta quod voles. Ut avarus sit & cupidus, utrum plus est? verum hic se affirmat, ne præmia quidem ista spectasse cum faceret. Oblitus sum, inquit, ante omnia salutis meæ: commodum civitatis, universorumque spectavi, tum (si quid ad me propriè pertinebat) famam, ituramque in posterum gloriam hujus, quæ subinde objicitur paupertatis. si quidem facilius virtutem aluit.

Quintilianus Senior: Cujus opera tyrannus occisus fuerit, præmium petat. Cujus opera, inquit. operam puto laboris esse prœlii armorum. Tu, quam dicis operam? consilii. Atqui nemo, ut proposuit sibi tyrannicidium, continuo tyrannicida est. Tuum ipsum consilium quid profuisset citra manum meam? Ergo operam lex desiderat: ideo tantū concedit præmiū. Atqui si hęc opera est, ego pugnavi.

Sed

Sed ego, inquit, conduxi. Puta nempe, conduxisti ut tyrannicida essem, tanquam si conduxisses ut gladiator aut histrio essem: si conduxisses ut hominem occiderem, & nempe & ego tenerer. Non tua sponte tyrannicidium fecisti. Age, si hortatus esses in tyrãnicidium, præmium peteres? sed tu me propter mercedem tuam putas tyrannicidium fecisse? tantum meritum mercenariæ operæ imputas? Non est humilis pectoris libertatem publicam capere. Etenim si tua merces movere me potuit, multò magis præmium movit: & ideo ad me venisti, quia intellexisti à vultu cogitationem tyrannicidæ. Cur ergo, inquit, mercedem accepisti? non cupiditatis causa, sed pignoris: quia tentari me putavi, & te à tyranno summissum. Quid ergo, duo præmia feres? ideo tyrannicida sum, ut tu jam habeas præmium, patrimonium, liberos: tyranni mortem desideratam. *Declamatione* 382.

Tyronis.

§ SENTENTIÆ ROMANORUM.

V*Egetius*: Constat, in omnibus locis & ignavos & strenuos nasci. Sed tamen, & gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli ad robur non tantum corporum, sed etiam animorum plurimum valet, quo loco ea quæ à doctissimis hominibus cõprobata sunt, non omittam. Omnes nationes, quæ vicinæ sunt soli, nimio calore siccatas, amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinis dicunt: ac propterea constantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi, quia metuunt vulnera, qui se exiguum sanguinem habere noverint. Contrà, Septentrionales populi, remoti à solis ardoribus, inconsultiores quidem, sed tamen largo sanguine redundantes, sunt ad bella promptissimi. Tyrones igitur de temperatoribus legendi sunt plagis, quibus & copia sanguinis suppetat ad vulnerum mortisq; contemtum, & non possit deesse prudentia, quæ & modestiam servat in castris, & non parum prodest in dimicatione & consiliis. *cap.* 2. *lib.* 1. *de re militari.*

Sequitur, utrum de agris, an de urbibus utiliores sint tyrones, requiramus. De qua parte nunquam credo potuisse dubitari, aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub divo & in labore nutritur; solis patiens; umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est. Interdum tamen necessitas exigit, etiam urbanos ad arma compelli: qui ubi nomen dedêre militiæ, primùm laborare, decurrere, portare pondus, & solem pulveremq; ferre condiscant, parco victu utantur & rustico, interdum sub divo, interdum sub papilionibus, commorentur. Tunc demum ad usum erudiantur armorum: & si longior expeditio emergit, in angariis plurimum detinendi sunt, procul habendi à civitatis illecebris: ut eo modo, & corporibus eorum robur accedat, & animis. Nec inficiandum est, post urbem conditam, Romanos ex civitate profectos semper ad bellum: sed tunc nullis voluptatibus, nullis delitiis frangebantur. Sudorem cursu & campestri exercitio collectum nando juventus abluebat in Tyberi. Idem bellator, idem agricola, genera tantum mutabat armorum. Quod usq; adeò verum est, ut aranti Quintio Cincinnato viro optimo dictaturam constet oblatam. Ex agris ergo supplendum robur præcipuè videtur exercitus. Nescio enim quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum novit in vita. *cap.* 3.

Nunc, qua ætate milites legi conveniat, exploremus. Et quidem, si antiqua consuetudo servanda est, incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat. Non enim tantum celerius sed etiam perfectius imbibuntur, quæ discuntur à pueris. Deinde militaris alacritatis saltus & cursus antè tentandus est, quam corpus ætate pigrescat. Velocitas enim est, quæ percepto exercitio strenuũ efficit bellatorem. Adolescentes legendi sunt, sicut ait Salustius: Nam primùm juventus simul ac belli patiens erat, in castris per laboris usum militiam discebat. Melius enim est, ut exercitatus juvenis causetur ætatem nondum advenisse pugnandi, quàm doleat præteriisse. Habeat etiam spacium universa discendi. Neque enim parva, aut levis ars videtur armorum, sive equitem, sive peditem sagittarium velis imbuere, sive scutatum armaturæ numeros omnes omnesq; gestus docere; ne locum deserat, ne ordines turbet; ut missile & destinato ictu & magnis viribus jaciat; ut fossam ducere, sudes scienter figere norit, tractare scutum, & obliquis ictibus venientia tela deflectere, plagam prudenter vitare, audacter inferre. Huic taliter instituto tyroni, pugnare adversum quoslibet hostes in acie formido non erit, sed voluptas. *cap.* 4.

Proceritatem tyronum, à consule Mario scio semper exactam, ita ut senos pedes, vel certè, quinos & denas uncias habentes inter alares equites, vel in primis legionum cohortibus probarentur. Sed tunc erat amplior multitudo: & plures militiam sequebantur armatam. Necdum enim civilis pars florentiorem adduxerat juventutem. Si ergo necessitas exegerit, non tam staturæ rationem convenit habere, quam virium. Et ipso Homero teste non fallimur, qui Tydeum minorem quidem corpore, sed fortiorem animis fuisse significat. *cap.* 5.

Sed qui delectum acturus est, vehementer intendat, ut ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligat, qui implere valeant officium bellatoris. Namque non tantum in hominibus, sed etiam in equis & canibus virtus multis declaratur indiciis sicut doctissimorum hominum disciplina comprehenditur: quod etiam in apibus Mantuanus autor dicit esse servandum:

> *Nam duo sunt genera: hic melior, insignis & ore*
> *Et rutilis clarus squamis: ille horridus alter*
> *Desidia, latamq; trahens inglorius alvum.*

Sit ergo adolescens Martio operi deputandus, vigilantibus oculis, erecta cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, suris & pedibus non superflua carne distentis, sed nervorum duritia collectis. Cum hæc in tyrone signa deprehenderis, proceritatem non magnopere desideres. Utilius est enim fortes milites esse, quam grandes. *cap.* 6.

Sequitur, ut cujus artis tyrones, vel eligendi, vel penitus respuendi sint, indagemus. Piscatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnesq; qui aliquid tractasse videbuntur ad gynæcea pertinens, longè arbitror pellendos à castris. Fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, & cervorum aprorumq; venatores, convenit sociare militiæ. Et hoc est in quo totius reipublicæ salus vertitur, ut tyrones non tantum corporibus, sed etiam animis præstantissimi deligantur. Vires regni & Romani nominis fundamentum in prima delectorum examinatione consistunt. Nec leve hoc officium putetur, aut passim quibuscunque mandandum, quod apud veteres inter tam varia genera virtutum, in Sertorio præcipuè constat esse laudatum. Juventus enim, cui defensio provinciarum, cui bellorum committenda fortuna est, & genere, si copia suppetat, & moribus debet excellere. Honestas enim idoneum militem reddit. Verecundia dum prohibet fugere, facit esse victorem. Quid enim prodest, si exerceatur ignavus? si pluribus stipendiis moretur in castris? Numquam exercitus profecit tempore belli, cujus in probandis tyronibus claudicarit electio. Et quantum usu experimentisq; cognovimus, hinc tot ubique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem negligentius incuriosiusq; legit: dum honestiores quiq; civilia sectantur officia, dum possessoribus indicti tyrones, per gratiam aut dissimulationem probantur, talesq; sociantur armis, quales domini habere fastidiunt. A magnis ergo viris magna diligentia idoneos eligi convenit juniores. *cap.* 7.

Sed non statim punctis signorum inscribendus est tyro delectus: verum antè exercitio pretentandus, ut utrum verè tanto operi aptus sit, possit cognosci. Et velocitas in illo requirenda videtur & robur: & utrum armorum disciplinam ediscere valeat, utrum habeat confidentiam militarem. Pleriq; enim quamvis in speciem non improbabiles videantur, tamen experimentis comprobantur indigni. Repudiandi ergo minus utiles, & in locum eorum strenuissimi subrogandi sunt. In omni enim conflictu non tam prodest multitudo quàm virtus. Signatis itaque tyronibus per quotidiana exercitia, armorm est demonstranda doctrina. Sed hujus rei usum dissimulatio longæ securitatis abolevit. Quem invenias qui docere possit, quod ipse non didicit? De historiis ergo vel libris nobis antiqua consuetudo repetenda est. Sed illi res gestas & eventus tantum scripsere bellorum, ista, quæ nunc quærimus, tanquam nota linquentes. Lacedæmonii quidem, & Athenienses, aliiq; Græcorum in libros retulere complura, quæ τακτικὰ vocantur. Sed nos disciplinam militarem populi Romani debemus inquirere, qui ex paruissimis finibus imperium suum pene solis regionibus, & mundi ipsius fine distendit. Hæc necessitas compulit evolutis autoribus, ea me in hoc opusculo fidelissimè dicere, quæ Cato ille Censorius de disciplina militari scripsit: quæ Cornelius Celsus, quæ Frontinus perstringenda duxerunt; quæ Paternus diligentissimus juris militaris assertor in libros redegit; quæ Augusti & Trajani Adrianiq; constitutionibus cauta sunt. Nihil enim mihi autoritatis assumo, sed horum, quos supra retuli, ea quæ dispersa sunt, velut in ordinem epitomata conscribo. *cap.* 8.

Primis ergo meditationum auspiciis, tyrones militarem edocendi sunt gradum. Nihil enim magis in itinere vel in acie custodiendum est, quam ut omnes milites incedendi ordinem servent. Quod aliter non potest fieri, nisi ut assiduo exercitio ambulare celeriter & æqualiter discant. Periculum enim semper ab hostibus gravissimum sustinet divisus & inordinatus exercitus. Militari ergo gradu, viginti millia passuum, horis quinq; dumtaxat æstivis conficienda sunt. Pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis viginti quatuor millia peragenda sunt. Quicquid addideris, jam cursus est, cujus spatium non potest diffiniri. Sed ad cursum præcipuè assuefaciendi sunt juniores, ut majore impetu in hostem procurrant: ut loca opportuna celeriter, cum usus advenerit, occupent, vel adversariis idem facere volentibus, præoccupent: ut ad explorandum alacriter pergant, alacrius redeant: ut fugientium terga facilius comprehendant. Ad saltum etiam quo vel fossæ transiliuntur, vel impediens aliqua altitudo superatur, exercendus est miles: ut cum ejusmodi difficultates evenerint, possit sine labore transire. Præterea in ipso conflictu ac dimicatione telorum bellator cum cursu saltuque veniens, adversarii perstringit oculos, mentemque deterret, priusque plagam infligit, quam illi ad cavendum vel ad resistendum certè se præparet. De exercitio Pompei Magni Salustius hoc memorat: Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. Neque enim ille aliter potuisset par esse Ser-

torio, nisi se & milites frequentibus exercitiis præparasset ad prœlia. *cap.* 9.

Natandi vsum æstivis mensibus omnis æqualiter debet tyro cōdiscere, non enim pontib. semper flumina transeuntur, sed & cedens & insequens natare cogitur frequenter exercitus. Sæpe repentinis imbribus vel nivib. solent exundare torrentes. Et ignorantia non solum ab hoste, sed etiam ab ipsis aquis discrimen incurrit: ideoq; Romani veteres, quos tot bella & continuata pericula, ad omnem rei militaris erudierant artem, campum Martium vicinum Tyberi delegerunt: in quo juventus post exercitium armorum, sudorem pulveremq; dilueret, ac lassitudinē rursus, natandi labore deponeret. Non solum autem pedites, sed & equites ipsosq; equos vel lixas (quos galerios vocant) ad natandum exercere percommodum est, ne quid imperitis, cum necessitas imminebit, eveniat. *cap.* 10.

Antiqui (sicut invenitur in libris) hoc genere exercuere tyrones. Scuta de vimine in modum cratium corrotundata texebant: ita ut duplum pondus cratis haberet, quam scutum publicum habere cōsuevit. Iidem clavas ligneas, duplicis æque ponderis, pro gladiis tyronibus dabant. Eoq; modo non tantum manè, sed etiam post meridiē exercebantur ad palos. Palorum enim usus non solum militibus, sed etiam gladiatoribus plurimum prodest. Nec unquā aut arena, aut campus invictum armis virū probavit, nisi qui diligenter exercitatus docebatur ad palum. A singulis autem tyronib. singuli pali defigebantur in terrā, ita ut nutare non possent, & sex pedibus eminerent. Contra illum palum, tanquam contra adversarium, tyro cū crate illa & clava, velut cū gladio se exercebat & scuto: ut nunc quasi caput aut faciem peteret, nunc à lateribus minaretur, interdum contēderet & crura succidere, recederet, assultaret, insiliret, & quasi præsentem adversarium, sic palum omni impetu, omni bellandi arte tētaret. In qua meditatione servabatur illa cautela, ut ita tyro ad inferendum vulnus insurgeret, ne qua ex parte ipse pateret ad plagam. *cap.* 11.

Præterea non cæsim, sed punctim ferire discebāt. Nam cæsim pugnantes non solùm facilè vicere, sed etiam derisere Romani. Cæsa enim quovis impetu veniat, non frequenter interficit: cum & armis vitalia defendantur, & ossibus. At contrà puncta, duas uncias adacta, mortalis est. Necesse est enim, ut vitalia penetret, quicquid immergitur. Deinde dum cæsa infertur, brachium dextrum latusq; nudatur. Puncta autem tecto corpore infertur, & adversarium sauciat antè quam videatur. Ideoq; ad dimicandum hoc præcipuè genere usos esse constat Romanos: duplicis autem ponderis illa cratis & clava ideo dabantur, ut cum vera & leviora tyro arma sumsisset, velut graviore pondere liberatus, securior alacriorque pugnaret. *cap.* 12.

Præterea illo exercitii genere, quod armaturam vocant, & à campi doctoribus traditur imbuendus est tyro. Qui usus vel ex parte servatur. Constat enim etiam nunc in omnibus prœliis armaturam melius pugnare, quam cæteros. Ex quo intelligi debet, quantum exercitatus miles inexercitato sit melior: cum armatura utcunque eruditi, reliquos contubernales suos bellandi arte præcedant. Ita autem severè apud majores exercitii disciplina servata est, ut & doctores armorum duplicibus remunerarentur annonis: & milites, qui parum in illa prolusione profecerant, pro frumento hordeum cogerentur accipere: nec antè eis in tritico redderetur annona quam sub præsentia præfecti legionis, tribunorum vel principum, experimentis datis, ostendissent se omnia, quæ erant in militari arte, complesse. Nihil enim neq; firmius, neque felicius, neq; laudabilius est republ. in qua abundant milites eruditi. Non enim vestium nitor, vel auri, argenti, gemmarumq; copiæ, hostes, aut ad reverentiam nostram, aut ad gratiam inclinant, sed solo terrore subiguntur armorum. Deinde in aliis rebus (sicut ait Cato) si quid erratum est, potest postmodum corrigi: Prœliorum delicta emendationem non recipiunt, cum pœna statim sequatur errorem. Aut enim confestim pereunt; qui ignavè imperiteq; pugnaverunt: aut in fugam versi, victoribus ultra pares esse non audent. *cap.* 13.

Sed ad incœptum revertor. Tyro, qui cum clava exercetur ad palum, hastilia quoq; ponderis gravioris, quam vera futura sunt jacula, adversus illum palum, tanquam adversus hominem jactare compellitur. In qua re armorum doctor attendit, ut magnis viribus hastile contorqueat, ut destinato ictu vel in palum, vel juxta dirigat missile. Eo enim exercitio & lacertis robur accrescit, & jaculandi peritia atq; usus acquiritur. *cap.* 14.

Sed propè tertia, vel quarta pars juniorum, quæ aptior potuerit reperiri, arcubus ligneis, sagittisque lusoriis, ad illos ipsos semper exercenda est palos. Et doctores ad hanc rem artifices eligendi: & major adhibenda solertia, ut arcum scienter teneant, & fortiter impleant; ut sinistra fixa sit, & dextera cum ratione ducatur, ut ad illud, quod feriendum est, oculus pariter animusq; consentiant; ut sive in equo, sive in terra, rectum sagittare doceant. Quam artem & disci opus est diligenter; & quotidiano usu exercitioq; servari. Quantum autem utilitatis boni sagittarii in prœliis habeant, & Cato in libris de disciplina militari evidenter ostendit, & Claudius pluribus jaculatoribus antè institutis atque perdoctis, hostem, cui prius impar fuerat, superavit. Aphricanus quidem Scipio, cum adversum Numantinos, qui exercitum populi Romani sub jugum miserant, esset acie certaturus, aliter superiorem futurum esse non credidit, nisi in omnibus centuriis lectos sagittarios miscuisset. *capite decimoquinto.*

Ad lapides verò, vel manibus, vel fundis jaciendos, exerceri diligenter convenit juniores. Fundarum autem usum primi Balearium insularum habitatores & invenisse, & ita peritè exercuisse dicuntur, ut matres parvos filios nullum cibum contingere sinerent, nisi quē ex funda destinato lapide percussissent. Sæpe enim adversum bellatores cassidibus, cataphractis, loricisq; munitos, teretes lapides de funda vel fustibalo destinati, sagittis sunt omnibus graviores: cum membris integris, letale tamen vulnus importent: & sine invidia sanguinis, hostis lapidis ictu intereat. In omnibus autem veterum prœliis funditores militasse nullus ignorat. Quæ res ideo ab universis tyronibus frequenti exercitio discenda est, quia fundam portare, nullus est labor. Et interdum evenit, ut in lapidosis locis conflictus habeatur, ut aut mons si aliquis defendendus aut collis, aut ab oppugnatione castellorum sive civitatum, lapidibus barbari fundisq; pellendi sint. *cap.* 16.

Plumbatarum quoq; exercitatio (quos Martiobarbulos vocant) tradenda est junioribus. Nam in Illyrico dudum duæ legiones fuerunt, quæ sena millia militum habuerunt: quæ quod his telis scienter utebatur & fortiter, Martiobarbuli vocabantur. Per hos longo tempore strenuissimè constat omnia bella confecta: usque eò, ut Diocletianus & Maximianus, cum ad imperium pervenissent, pro merito virtutis hos Martiobarbulos, Jovianos, atque Herculianos censuerint appellandos, eosq; cunctis legionibus prætulisse doceatur. Quinos autem Martiobarbulos insertos scutis portare consueverunt: quos si opportunè milites jaciunt, propè sagittariorum scutati mutuari videntur officium. Nam hostes equosq; consauciant, priusquam non modò ad manum, sed ad ictum missilium potuerit perveniri. *cap.* 17.

Non tantum autem à tyronibus, sed etiam à stipendiariis militibus salitio equorum districtè est semper exacta. Quem usum usque ad hanc ætatem, licet jam cum dissimulatione, pervenisse manifestum est. Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo: super hos juniores primò inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere. Tantàque cura erat, ut non solum à dextris, sed etiam à sinistris partibus & insilire & desilire condiscerent, evaginatos etiam gladios vel contos tenentes. Hoc enim continua meditatione faciebant, scilicet ut in tumultu prœlii sine mora ascenderent, qui jam studiose exercebantur in pace. *cap.* 18.

Pondus quoque bajulare usque ad 60. libras, & iter facere gradu militari, frequentissimè cogendi sunt juniores, quibus in arduis expeditionibus necessitas imminet, annonam pariter ac arma portandi. Nec hoc credatur esse difficilè, si usus accesserit: nihil enim est, quod non assidua meditatio facillimum reddat. Quam rem antiquos milites factitavisse, Vergilio ipso teste, cognoscitur, qui ait:

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam cum carpit, & hosti
Ante expectatum positis stat in agmine castris.

cap. 19.

Locus exigit, ut quo armorum genere, vel instruendi, vel muniendi sint tyrones, referre tentemus. Sed in hac parte antiqua penitus consuetudo deleta est: nam licet exemplo Gotthorum & Alanorum Hunnorumque equitum arma profecerint, pedites tamen constat esse nudatos. Ab urbe enim condita usque ad tempus D. Gratiani, & cataphractis & galeis muniebatur pedestris exercitus. sed cum campestris exercitatio interveniente negligentia desidiaque cessaret, gravia videri arma cœperunt, quæ raro utique milites induebant Itaque ab Imperatore postulant, primò cataphractas, deinde cassides deponere: sic detectis pectoribus & capitibus, congressi contra Gothos milites nostri, multitudine sagittariorum sæpe deleti sunt: nec post tot clades, quæ usque ad tantarum urbium excidia pervenerunt, cuiquam curæ fuit, vel cataphractas vel galeas pedestribus reddere. Ita fit, ut non de pugna, sed de fuga cogitent, qui nudi in acie exponuntur ad vulnera. Quid enim pedes sagittarius sine cataphracta, sine galea faciet, qui cum arcu scutum tenere non potest? Quid ipsi draconarii atque signiferi, qui sinistra manu hastas gubernant, in prœlio facient, quorum & capita nuda esse constat & pectora? Sed gravis pediti lorica videtur, & galea fortasse, rarò meditanti arma, rarò tractanti. Cæterum quotidianus usus non laborat, etiamsi onerosa gestaverit. Sed illi qui laborem in portandis veteribus munimentis armorum ferre non possunt, detectis corporibus & vulnera sustinere coguntur & mortes: & (quod est gravius & turpius) aut capi, aut certè fuga rempublicam prodere. Sic dum exercitium laboremq; declinant, cum maximo dedecore trucidantur, ut pecudes. Unde enim apud antiquos Murus dicebatur pedestris exercitus: nisi quod pilatæ legiones præter scuta etiam cataphractis galeisque fulgebant? usque eò, ut sagittarii sinistra brachia manicis munirentur. Pedites autem scutati, præter cataphractas & galeas, etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogerentur accipere. Sic erant muniti illi, qui in prima acie pugnantes principes, in secunda hastati, in tertia Triarii vocabantur. Sed Triarii genibus positis solebant intra scuta subsidere, ne stantes vulnerarentur, venientibus telis: & cum necessitas postulasset, tanquam requieti vehementius invaderent hostes à quibus constat sæpe factam esse victoriam, cum hastati illi, & qui priores steterant, interiissent. Erant autem apud veteres inter pedites, qui dicebantur levis armaturæ funditores, & ferentarii: qui præcipuè in cornibus locabantur, & à quibus

pugnan-

pugnandi ſumebatur exordium: ſed hi & velociſſimi & exercitatiſſimi legebantur. Nec erant admodum multi, qui cedentes (ſi prœlii neceſſitas compuliſſet) inter principia legionum recipi ſolebant, ita ut acies immota conſiſteret. Uſque ad præſentem prope ætatem conſuetudo permanſit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus uterentur, quod propterea ſervabatur, ne gravis galea videretur in prœlio homini, qui geſtabat aliquid ſemper in capite. Miſſilia autem, quibus utebatur pedeſtris exercitus, pila vocabantur, ferro ſubtili trigono præfixa, unciarum novem ſive pedali, quæ in ſcuto fixa non poſſent abſcindi. & loricam ſcienter ac fortiter directa, facilè perrumpunt, cujus generis apud nos jam rara ſunt tela. Barbari autem ſcutati pedites, his præcipuè utuntur, quas bebras vocant, & binas etiam ac ternas in prœliis. Sciendum præterea, cum miſſilibus agitur, ſiniſtros pedes in ante milites habere: ita enim vibrandis ſpiculis vehementior ictus eſt. Sed cum ad pila (ut appellant) venitur, & manu ad manum gladiis pugnatur, tunc dextros pedes in ante milites habere debent: ut latera eorum ſubducantur ab hoſtibus, ne poſſint vulnus accipere, & proximior dextra ſit, quæ plagam poſſit inferre. Inſtruendos igitur ac protegendos omni arti pugnandi, & quocunq; genere armorum conſtat eſſe tyrones. Neceſſe eſt enim, ut dimicandi acriorem ſumat audaciam, qui munito capite vel pectore non timet vulnus. *cap. 20. lib. 1. rei militaris.*

Vegetius: Sed quoniam in legionibus plures ſcholæ ſunt, quæ literatos milites quærunt, ab his qui tyrones probant in omnibus quidem ſtaturæ magnitudinem, corporis robur, alacritatem animi, convenit explorari: ſed in quibuſdam notarum peritia, calculandi computandiq; uſus exigitur. Totius enim legionis ratio, ſive obſequiorum, ſive militarium numerorum, ſive pecuniæ quotidie aſſcribitur actis majore prope diligentia, quam res annonaria, vel civilis, pollicitis libris annotatur. Quotidianas etiam in pace vigilias: item excubitum ſive angarias, de omnibus centuriis & contuberniis quæ viciſſim milites faciunt; ut ne quis contra juſtitiam prægravetur, aut alicui præſtetur immunitas: nomina eorum qui vices ſuas fecerunt, brevibus inſeruntur. Quando quis commeatum acceperit, vel quot dierum, annotatur in brevibus. Tunc enim difficilè commeatus dabatur, niſi cauſis juſtiſſimis approbatis. Nec aliquibus milites inſtituti deputabantur obſequiis, nec privata iiſdem negotia mandabantur. Siquidem incongruum videbatur, Imperatoris militem, qui veſte & annona publica paſcebatur, utilitatibus vacare privatis. Ad obſequia tamen judicum vel tribunorum, nec non etiam principalium deputabantur milites, qui vocantur accenſi, hoc eſt, poſtea additi quam fuiſſet legio completa, quos nunc Supernumerarios vocant. Faſcicularia tamen, id eſt, lignum, fœnum, aquam, ſtramen, etiam legitimi milites in caſtra portabant. Munifices enim ab eo appellantur, quod hæc munia faciant. *cap. 19. lib. 2. de re militari.*

Illud vero ab antiquis divinitus inſtitutum eſt, ut ex donativo quod milites cõſequuntur: dimidia pars ſequeſtraretur apud ſigna, & ibidem ipſis militibus ſervaretur, ne per luxum aut inanium rerum comparationem, à contubernalibus poſſit abſumi. Pleriq; enim homines & præcipuè pauperes, tantum erogant quantum habere potuerint. Sepoſitio autem iſta pecuniæ, primum ipſis contubernalibus docetur accommoda. (Nam cum publica ſuſtententur annona, ex omnib. donativis augetur eorum pro medietate caſtrenſe peculium) Miles deinde qui ſumtus ſuos ſcit apud ſigna depoſitos, de deſerendo nihil cogitat, magis diligit ſigna. Pro illis in acie fortius dimicat, more humani ingenii, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus ſuam videt poſitam eſſe ſubſtantiam. Denique decem folles, hoc eſt, decem ſacci, per cohortes ſingulis exponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam ſaccus undecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, ſepulturæ ſcilicet cauſa, ut ſi quis ex contubernalibus defeciſſet, de illo undecimo ſacco ad ſepulturam ipſius promeretur expenſa. Hæc ratio apud ſigniferos (ut nunc dicunt) in cophino ſervabatur. Et ideo ſigniferi non ſolum fideles, ſed etiam literati homines eligebantur, qui & ſervare depoſita, & ſcirent ſingulis reddere rationem. *cap 20.*

Non tantum humano conſilio, ſed etiam divinitatis inſtinctu, legiones arbitror à Romanis conſtitutas. In quibus decem cohortes ita ſunt ordinatæ, ut omnium unum corpus, una videatur eſſe conjunctio. Nam quaſi in orbem quendam per diverſas cohortes & diverſas ſcholas milites promoventur, ita ut ex prima cohorte ad gradum quempiam promotus vadat ad decimam cohortem: & rurſus ab ea, creſcentibus ſtipendiis, cum majore gradu per alias recurrat ad primam. Ideo primipili centurio, poſtquam in orbem omnes cohortes per diverſas adminiſtraverit ſcholas, in prima cohorte ad hãc pervenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda conſequitur. Sicut primicerius in officio præfectorum prætorio ad honeſtum quæſtuoſumq; militiæ pervenit gradũ: ita legionarii equites cohortes ſuas contubernii affectione venerantur, cum naturaliter equites à peditibus ſoleant diſcrepare. Per hanc ergo contextionem, in legionibus, & omnium cohortium equitum peditumq; ſervabatur una concordia. *cap. 21.*

Habet præterea legio tubicines, cornicines, & buccinatores. Tubicines ad prœlium vocant milites, & rurſum receptui canentes revocant. Cornicines & buccinatores erant ornamentum totius legionis in ingreſſu conflictus & ejus reditu Hi quotiens canunt, non milites, ſed ſigna ad eorum obtemperant nutum. Ergo quotiens ad aliquod opus exituri ſunt ſoli milites, tubicines canunt, & ſoli milites ad ſigna eorum obtemperãt. Quotiens movenda ſunt ſigna, cornicines canunt. Quotiens autem pugnatur, & tubicines & cornicines pariter canunt. Claſſicum item appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt. Hoc inſigne videtur imperii, quia claſſicum canit Imperatore præſente, vel cum in militem capitaliter animadvertitur hoc enim ex imperialibus legibus fieri neceſſe eſt. Sive ergo ad vigilias vel angarias faciendas, ſive ad opus aliquod, vel ad decurſionem campi exeunt milites, tubicine vocante operantur, & rurſus tubicine admonente ceſſant. Cum autem moventur ſigna, aut jam mota figenda ſunt, cornicines canunt. Quod ideo in omnibus exercitiis & proceſſionibus cuſtoditur, ut in ipſa pugna facilius obtemperẽt milites, ſive eos pugnare, ſive ſtare, ſive ſequi, vel redire præceperint duces. Siquidem ratio manifeſta ſit, ſemper in ocio debere fieri, quod neceſſariò faciendum videtur in prœlio. *cap. 22.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad ſuſpicionem tyro palleat vulnuſculi.
Aptior bello eſt alumnus ruris, urbis incola.
Cervorum ac tyrunculorum copia nil differunt.
Sub duplo laniſta armorum pondere tyronem inſtruit.
Tardius bellum peritus annuit, tyro ſtatim.
Vir bonus tyro eſt ubi, ſemper tyro eſt vir bonus.

§ JAMBICA.

Accenditur tyro æmulationibus.
Cui ſanguinis parum eſt, formidat vulnera.
Eſt tyro ſemper, miles haud exercitus.
Exercitus tyronum, hoſtem ut videt fugit.
Neceſſitate, bene armes vel ergaſtula.
Sit fortior potius miles, quam grandior.
Vix hoſte viſo, conſulit tyro pedes.

FINIS LIBRI DECIMIOCTAVI.

POLYANTHEÆ TOMI SECVNDI LIBER XIX.

Vacationis.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

LIBANIUS: Adoleſcens ad remp. acceſſi, & vitam in ſuggeſtu conſumpſi ad hanc uſque ætatem, in qua videtis me eſſe. Jam vero non eadem eſt mens aut mores robuſtorum & ſenio confectorum, ſed obtuſiora ſunt ſenibus & ſenſa animi, mollioreſq; ſermones. Præclara igitur ſe habet mihi depubeſcenti ac flaccido, quiete potiri, & junioribus valentioribuſque adminiſtrationis civilis arma tradere. *Declamatione decimaſexta.*

Libanius: Æquum eſt requieſcere etiam viciſſim rem gerentes publicam; ut qui munia obeunt publica, & conferunt, & militant, quos non ſemper laboribus exercetis: ſed cum quis erogaverit, poſtquam munere defunctus eſt, quieti ſe dedit. nec à vobis unquam ratio expoſcitur. cum quis militarem ætatem in caſtris exegit, miſſione honeſta fruitur in poſterum. ſic quoque par eſt & conſiliarios & orarores, ubi cōſuluerint & oraverint cauſſas, remittere animum. Dictum eſt, ſcriptum & relatum: legationes obitæ, leges latæ, conciones habitæ, res adminiſtratæ, collationes factæ, quouſq; tandem hæc me facere convenit? *Declamat.* 16.

§ ROMANORUM.

Seneca: Potentiſſimis, & in altum ſublatis hominibus, excidere voces videbis quib. ocium optent, laudent, omnibus bonis ſuis preferant. Cupiunt interim ex illo faſtigio ſuo, ſi tutò liceat, deſcēdere. nā ut nihil extra laceſſat aut quatiat, in ſe ipſa fortuna ruit. D. Auguſtus, cui Dei plura quam ulli præſtiterunt, non deſiit quietē ſibi precari, vacationem à Republ. petere. Omnis ejus ſermo ad hoc ſemper revolutus eſt, ut ſibi ſperaret ocium. hoc labores ſuos, etiāſi falſo, dulci tamen oblectabat ſolatio, aliquando ſe victurum ſibi. In quadam ad Senatum miſſa epiſtola, cum requiem ſuam non vacuam fore dignitatis, neque à priore gloria diſcrepantem pollicitus eſſet, hæc verba inveni: Sed iſta fieri ſpecioſius quam promitti poſſunt. me tamē cupido temporis optatiſſimi mihi, provexit, ut quoniam rerum lætitia moratur adhuc, præciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine. Tanta viſa eſt res otium, ut illam quia uſu non poterat, cogitatione præſumeret. Qui omnia videbat ex ſe uno pendentia, qui hominibus gentibuſq; fortunam dabat, illum dies lætiſſimus cogitabat, quo magnitudinem ſuam exuerat. *cap. 4. & 5. de brev. vita.*

C. Suetonius: Tandem Tiberius quaſi coactus, & querenti miſeram, & oneroſam injungi ſibi ſervitutem, recepit imperium: nec tamen aliter, quam ut depoſiturum ſe quandoque ſpem faceret. Ipſius verba ſunt hæc: Dum veniam ad id tempus, quo vobis æquum poſſit videri, dare vos aliquam ſenectuti, meæ requiem. *cap. 24. vita ejuſdem.*

Videantur plura titulo *Magiſtratus, Otii, Quietis, Senectutis, Stipendii, Militiæ.*

Vanitatis Rerum humanarum.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Quouſque vanitatem quæritis & mendacium? hanc ſcilicet vitam, & delicias, & exiguam gloriolam, & humilem potentiam, falſam proſperitatem, magnum aliquid & amplum eſſe exiſtimantes: quæ quidem hanc rationem habent, ut non magis eorum ſint, à quib. obtinentur, quam eorum qui habituros ſe ſperaverunt, neq; horum rurſus magis, quam illorum apud quos ne in expectatione quidem unquam fuerunt, verum ut pulvis à turbine, ſic ea ab aliis ad alios ſubinde ventilentur ac jactentur, & ſicut fumus dilabantur, & tanquam in ſomnium homines deludant, umbræq; inſtar manibus teneri nequeant, ac denique ita comparatæ ſint, ut nec cum abſint de iis conſequendis deſperent, qui non habent, cum adſunt, fida ſint & certa. *Orat. 9.*

Chryſoſtomus: Si omnia ſunt vanitas, quanam de cauſſa facta ſunt? Non Dei opera ſunt vana, abſit: non eſt cœlum vanum, neq; terra vana, abſit. non ſol, nec luna, nec aſtra, nec noſtrum corpus. hæc enim omnia ſunt valdè bona. Vana ſunt & vanitas vanitatum præclara ædificia, multum aurum & affluens, greges mancipiorum ſuperbè in foro incedentes, faſtus & gloria inanis, & elatio mentis, & inſolentia. Hæc enim omnia ſunt vana. Non enim à Deo facta ſunt, ſed à nobis ſunt fabricata. Cur autem vana? Quoniam nullum habent bonum finem. Pecuniæ ſunt vanæ, quando conſumuntur in delicias. Non ſunt autem vanæ, quando diſperguntur pauperibus. Quando autem eas conſumpſeris in delicias, videamus quiſnam ſit earum finis. Pinguedo corporis, ructus, flatus, multitudo ſtercoris, crapula, carnis mollities, calorq; & diſſolutio. Ut ſi quis infundat in dolium perforatum, vanè laborat: ita etiam qui degit in deliciis, infundit in dolium perforatum. Vanum enim dicitur, quod expectatum eſt quidem fore, ut in honore eſſet & pretio, non fuit autem quod etiam dicunt inane, & ſpes inanes, & id quod fit temerè: & ſimpliciter vanum dicitur, quod ad nihil eſt utile. Videamus ergo an non res humanæ ſunt eiuſmodi. Edamus & bibamus: cras enim morimur. Quis eſt ergo, dic quæſo, finis. Induamur & veſtiamur. & quis finis? Nihil. Hæc Græci ſunt philoſophati, ſed vanè & fruſtrà. Vitam oſtentarunt duram & aſperam, ſed temerè & inconſideratè; non ad aliquem finem aſpicientes utilem, ſed ad inanem gloriam, & honorem qui habetur à multis. Quid eſt autem honor qui habetur à multis? Nihil. Nam ſi ii etiam pereunt, à quibus habetur honor: multò magis honor. Qui alii habet honorem, ſibi prius debet habere. Si autem ſibi non habet, quomodo habebit alteri? Nunc autem honorem quærimus ab infamibus, ab hominibus vilibus, abjectis & ignominioſis. Cujuſmodi ergo eſt hic honor? Vides quod ſint omnia vanitas vanitatum. *Homilia 12. ad Epheſios.*

§ PHILOSOPHORUM.

Lucianus: Ter mille igitur erant ſtadia à terra uſque ad lunam, ubi prima nobis fuit manſio. Hinc ſurſum ad ſolēm paraſangæ fermæ quingentæ: à quo rurſum ad cœlum ipſum arcemque Jovis arduam, tantum ferè ſpatii fuerit, quantum aquila poſſit uno die expeditè conficere. *Amicus*. Dic mihi per Gratias Menippe, quænam iſta ſunt quæ de aſtris apud te loqueris, ac tacitus tecum metiris, Etenim jamdudum te aſſectans, audio ſoles & lunas, quinetiam faſtuoſas & peregrinas iſtas voces, ſtadia, & paraſangas commemorantem. *Men.* Ne mireris amice, ſi ſublimia aëriaque tibi videor loqui: nam apud me ſummam reputo nuper actæ peregrinationis. *Amic.* Num ô bone, Phœnicum in morem, viam ſtellis notabas? *Men.* Non per Jovem: ſed in ipſis aſtris peregrinabar. *Amic.* Papæ! longum profectô refers ſomnium: ſiquidem totas paraſangas neſcius dormuiſti. *Men.* An ſomnium tibi videor referre, ego qui à Jove modò reverſus adſum? *Amic.* Quid dixiſti? Ita-ne Menippus nobis à Jove adeſt è cœlo delapſus? *Men.* Ita ſanè: ego tibi à ſummo illo Jove hodie venio, apud quem mira audivi, & vidi Quod ſi non credis: equidem hoc ipſo nomine ſupra modum gaudeo, ſupra fidem ſum fœlix.

Amic. Et quo pacto, ego divine & Olympie Menippe, mortalis cum ſim ac terreſtris, queam non credere viro qui nubes ſuperarit, quique, ut Homericis dicam verbis, jam ſit cœlitum unus? At illud, ſi videtur, mihi dicito, quo modo ſurſum ſubvectus fueris, atq; unde ſcalas tanta magnitudine tibi paraveris. Nam quantum ad faciem attinet, non es admodum ſimilis illi Phrygio, ut conjiciamus te quoq; ab aquila raptum fuiſſe, quò pocillatoris alicubi munere fungereris. *Men.* Jamdudum apertè cavillaris. Nec mirum ſi narrationis novitas, fabulæ videtur adſimilis. Cæterum ad conſcenſum nihil mihi fuit opus ſcalis, neq; ut pullus aquilæ fierem, cum proprias alas haberem. *Amic.* Hoc quod dicis vel ipſum Dædali factum ſuperat: ſiquidem præter alia, nobis neſciis milvius, aut graculus ex homine factus es. *Men.* Recte amice: neque procul à ſcopo conjeciſti. Nam & illud Dædali alarum artificium ipſe etiam ſum molitus. *Amic.* At omnium audaciſſime, non veritus es ne tu quoque alicube in mare delapſus, Menippeum aliquod pelagus tibi cognomine redderes, quemadmodum ille Icarium? *Men.* Nequaquam: ſiquidem Icarus cum alas haberet cera adglutinatas, eaq; ad ſolem ocyſſime eſſet liquefacta, dilapſis alis, non mirum ſi decidit. At nobis celeres erant ſine cera pennæ. *Amic.* Iſtud qui fieri potuit?

tuit? Jam enim haud ſcio quo pacto paulatim me adducis, ut vera videantur quæ narras. *Men.* Ad hunc fermè modum. Aquilam egregiè magnam, præterea validum vulturem arripui. His cum alas unà cum ipſis brachiis præſecuiſſem. Quin potius, ſi vacat, totius commenti rationem ordine tibi percenſebo. *Amic.* Mihi quidem vel maximè vacat: adeò ſublimis à ſermone tuo pendeo: jamq; ad narrationis finem inhio. Ne verò per Jovem amicitiæ præſidem me negligas, auribus in aere ſuſpenſum, ob tuam narrationem.

Men. Auſculta igitur, Neque enim urbanum fuerit, ſi ſpectem amicum ore hiante relictum, præſertim, ab auribus ut ais, ſuſpenſum. Ego igitur, cum expendens ea quæ ſunt in vita mortalium, protinus omnes res humanas comperiſſem ridiculas, humiles, & inſtabiles: nempe opes, imperia, magiſtratus: contemptis his, atque horum ſtudio: adjectoq; animo ad ea quæ ſunt verè bona, hinc emicare, & ad univerſi naturam ſuſpicere ſum conatus. Atq; hic multam mihi hæſitationem attulit, primùm hic ipſe qui à ſapientibus appellatur mundus. Neque enim invenire poteram, neq; quo pacto, neq; quo opifice factus fuiſſet, neque quod eſſet illius vel initium, vel finis. Deinde cum particulatim contemplarer, multò etiã magis ambigere ſum coactus: quippe qui viderem ſtellas temerè per cœlum diſiectas. Tum Solem ipſum, quid tandem eſſet, ſcire geſtiebam. Maximè verò, ea quæ lunæ accidunt, mihi videbantur abſurda, ac planè mira: putabamq; inexplicabilem eſſe cauſam, cur illa ſubinde formam mutaret. Quinetiam fulgur emicans, tonitru erumpens, tum pluvia, nix, grando è ſublimi demiſſa: videbantur hæc quoq; conjectu difficilia omnia quæque nullis notis deprehendi poſſent.

Itaque cum ad eum modum eſſem affectus, optimum factu ratus ſum, ut horum unumquodq; à philoſophis iſtis perdiſcerem: quos veritatem omnem dicere poſſe exiſtimabam. Quare cum ex illis præſtantiſſimos delegiſſem, quantum mihi cõjectare licebat, è vultus auſteritate, è coloris pallore, ac barbæ profunditate (nam hi protinus viſi mihi ſunt ſublimiloqui, rerumque cœleſtium periti) his ubi memet docẽdum tradidiſſem magna pecunia, quam partim è veſtigio præſentem numeravi, partim tum me perſoluturum promiſi, quum ad philoſophiæ ſummam eſſet perventum, volui ea quæ de cœleſtibus rebus nugantur doceri, & Univerſi diſpoſitionem diſcere. At illi tantum aberat ut me priſtina liberarent inſcitia: ut in majores etiam dubitationes conjecerint: principia neſcio quæ, ac fines, inſecabilia, inania, materias, ideas, & id genus alia mihi quotidiè offundentes.

Verum illud mihi omnium utique videbatur eſſe graviſſimum, quod cum nihil inter illos conveniret: verum pugnantia, diverſaq; inter ſe omnia loquerentur: tamen poſtulabant ut ſibi fidem haberem: ac ad ſuam quiſq; rationem me conabatur adducere. *Amic.* Rem abſurdam narras: ſi viri cum eſſent ſapientes, inter ſe de rebus factioſe diſſiderent, nec de iiſdem eadem ſentirent. *Men.* Atqui riſeris, Amice, ſi audieris illorum arrogantiam, & in diſſerendo prodigioſam confidentiam: qui quidem quanquam in terra gradiuntur, nihiloq; præſtantiores ſunt nobis, qui humi ambulamus: nec cernunt acutius quam quivis alius aſtans, imò nonnulli præ ſenio & inertia cæcutiunt: tamẽ & cœli terminos perſpicere ſeſe profitentur, ſolem metiuntur, & ea quæ ſupra lunam ſunt, aggrediuntur. Ac perinde quaſi delapſi à ſtellis, ipſarum & magnitudinem, & figuram exponunt. Ac ſæpenumero cum forte neq; illud certò ſciant: quot ſtadiis à Megara diſtent Athenæ: tamen ſpatium quod intereſt inter lunam & ſolem, quot ſit cubitorum audent pronuntiare: aeris altitudinem, maris profunditatem, terræ ambitum dimetientes: ad hæc circulos depingentes, ac triangulorum figuras ſuper quadrangulos inducentes, & varias quaſdam ſphæras, cœlum ſcilicet ipſum metientes.

Jam verò annon illud inſulſum, & inſignis arrogantiæ: quòd cum de rebus uſq; adeò incertis loquantur, nihil tamen ita proponunt, quaſi conjecturis ducantur: verum ſupra modum contendunt, neq; ullum vincendi locum aliis derelinquunt: tantum non jurejurando confirmantes, Solem eſſe maſſam candentem, incoli lunam, ſtellas aquam potare: idq; ſole veluti ſitula quadam per funem demiſſa, vaporem è mari attrahente, atque illis omnibus ordine potum diſtribuente. Nam quanta ſit in dictis pugnantia, cognitu facile eſt. Ac per Jovem quæſo conſidera, num illorum decreta ſint contermina, nec longo à ſe invicem intervallo diſtent. Primum enim varia eſt de mundo ſententia: ſiquidem aliis non genitus, nec interiturus eſſe videtur: alii & ejus opificem, & fabricandi modum auſi ſunt dicere. Quos equidem cum primis admirabar: quòd cum Deum quendam rerum omnium opificem conſtituiſſent: non etiam illud adderent, vel unde is eſſet profectus, neq; ubi conſiſteret, cum ſingula fabricaretur. Nam ante Univerſi ortum, non poſſis vel tempus, vel locum imaginari. *Amic.* Valde audaces, Menippe, prodigiorum authores homines mihi narras.

Men. Quid ſi jam audias ô præclare, quæ diſſerunt, & de ideis, & de incorporeis, tum quæ de finito & infinito loquuntur? Nam & his de rebus acriter inter ſe digladiãtur: dum alii fine circunſcribunt Univerſum: alii contra infinitum rentur. Quinetiam ex his complures eſſe mundos demonſtrabant, eos damnantes, qui de hoc veluti uno quopiam diſputarent. Rurſum quidam alius, pacis nequaquã amans, bellum rerum omnium parens eſſe cenſebat. Nam de Diis, quid jam attinet loqui? Cum his Deus eſſet numerus: illi rurſus per canes, anſeres, platanoſq; dejerarẽt. Alii reliquis omnib. Diis expulſis, uni ſoli rerum omniũ imperiũ tribuebant: ita ut grave mihi eſſet auditu, tantã eſſe Deorum inopiam. E diverſo alii liberaliores, multos Deos faciebant: quos diviſis, hunc quidem primũ Deum nuncupabant: illis ſecundas aut tertias divinitatis partes tribuebãt. Ad hæc alii incorporeum quiddam atq; informe putabant eſſe numen. Alii corpus eſſe imaginabantur. Deinde non omnes exiſtimabant, res mortalium curæ Diis eſſe: verum erant nonnulli, qui ipſos omni cura liberantes (ut nos ſenio confectos à miniſteriis dimittere conſuevimus) nihilo aliuſmodi eos inducerent, quam cujuſmodi ſatellitia in comœdiis induci ſolent. Alii verò hæc omnia prætergreſſi, ne eſſe quidem ullos omninò Deos credebant: ſed mundum nullo domino, nulloq; duce temerè ferri ſinebant. Quæ cum audirem, non audebam fidem non habere altifremis iſtis, & probè barbatis viris: neq; tamen inveniebam ad cujus verba me verterem, ut aliquam illorum ſententiam nanciſcerer irreprehenſam, ac nequaquam ab alio ſubverſam. Quare Homericum illud mihi revera uſu veniebat. Nam ſæpenumero animus incitabat, ut alicui illorum crederem: ſed me mens diverſa vetabat. Ob hæc omnia conſilii inops, in terra quidem de his veri quippiam audire deſperabam: ſed unica via, me univerſa dubitatione liberari poſſe arbitrabar, ſi ipſe alis aliqua ratione additis, in cœlum aſcenderem. Hujus rei conficiendæ ſpem mihi præbuit, primum ipſa cupiditas, deinde ſcriptor fabularum Æſopus: qui aquilis interdum & ſcarabeis, cameliſq; acceſſum cœlum demonſtrat. Verum ut mihi unquam provenirent alæ, id nulla ratione fieri poſſe videbatur: ſi autem vulturis aut aquilæ alis me cinxiſſem (quæ ſolæ ad corporis humani modum ſufficerent) futurum forſitan ut mihi ſuccederet experientia. Itaq; correptis avibus, alteri dextram alam, vulturi ſiniſtram ſcite amputavi. Quas quum obligaſſem, humeriſq; valida lora accommodaſſem, ſummiſque pennis anſas inſerendas manibus addidiſſem, mei ipſius periculum faciebam, primum ſubſilendo, & manibus ſerviendo, anſerumq; in morem adhuc humili ad terram volatu me ſuſtollendo, ſummiſq; pedibus inter volandum ingrediendo.

Poſtea cum res ex animi ſententia mihi ſuccederet, jam audacius etiam experimentũ aggrediebar: conſcenſaq; arce demiſi me ipſum per præceps in theatrum ipſum. Quò cum abſq; periculo devolaſſem, ſublimia jam & ardua cogitare cœpi, meq; tollens à Parnethe, vel Hymetto, Geraniam uſq; volabam: inde vero ſurſum ad Acrocorinthum: deinde ſupra Pholoen, & Erymathum, ad Taygetum uſq; Cum ergo jam audax facinus exercuiſſem: perfectuſq; & altivolus evaſiſſem: non amplius de pullis imitandis cogitabam: verum conſcenſo Olympo, cibo quam leviſſimo paſtus, inde recta in cœlum tendere cœpi: initio quidem oborta oculorum caligine ob profunditatem: ſed hoc poſtea facile ferebam. Verum ubi jam ipſi lunæ vicinus eſſem plurimum nubium emenſus, ſentiebam me defatigatum, ala maxime ſiniſtra, nempe vulturina. Huc igitur diverti, eiq; inſidens requievi, è ſublimi terram inſpectans: non ſecus ac Homericus ille Jupiter, nunc equitum Thracum, nunc Myſorum regionem deſpectans: mox etiam, ſi liberet, Græciam, Perſidem, Indiamque: ex quibus omnibus varia quadam voluptate perfundebar.

Amic. Ergo iſta quoque narres velim Menippe, ne ulla prorſus peregrinationis parte fraudemur: quinetiam ſiquid in itinere cognoviſti, fac ut hoc quoq; ſciamus. Nam non pauca ſane à me auditum iri expecto, cum de terra, tum de omnibus quæ in ea ſunt, cujuſmodi tibi viſa ſunt ex alto contemplanti.

Men. At tu quidem rectè conjectas, Amice. Quamobrem quatenus licet, conſcenſa luna inter narrandum peregrinanti comes eſto, ſimulq; mecum contemplare totam terræ ſpeciem, habitumq;: ac primum quidem puſillam terram cernere puta, lunâ, inquam, multo minorem: ita ut repente cum deſpicerem, diu dubitarem ubinam eſſent tanti illi montes, ac tantum mare. Quod ni Rhodiorum coloſſum, tum Phariam turrim vidiſſem, ſine dubio ubinam eſſet terra, prorſus neſciviſſem. Verum iſta quod ſint ſublimia, præq; cæteris eminentia, & Oceanus paulum ad ſolem reſplendeſcat, indicabant terram eſſe id quod videbam. Mox ubi fixius intenderem oculos jam mihi omnis mortalium vita patuit: non ſolum ſingulas nationes atq; urbes videbam: ſed & plane navigantes, litigantes, mulieres, feras: & ut ſummatim dicam, quicquid tellus educat alma. *Amic.* Hæc quæ dicis incredibilia ſunt, & inter ſe pugnantia. Etenim cum paulo ante Menippe, terram quærentes, propter ingens in medio intervallum, in arctum contractum: adeò ut niſi coloſſus tibi feciſſet indicium, forſitan aliud quiddam videre te crediſſes: qui repentè factus Lynceus, cuncta quæ ſunt in terra dignoſcis: homines, feras, ac propemodum etiam culicum nidos. *Men.* Recte me admones: nam quod maxime dictum oportuit, id neſcio quomodo præterii. Poſtquam enim conſpectam à me terram agnovi, nec poteram alia propter altitudinem perſpicere, quia non pertingebat oculorum acies, graviter ea res me cruciabat: ac vehementer perplexum habebat. Mœſto mihi, ac propemodum lachrymanti, ſupervenit ſapiens ille Empedocles, carbonario ſimilis, cinere oppletus, atque exuſtus. Quo viſo, dicendum enim eſt, fui paulum turbatus, ratus lunarem aliquem dæmonem à me videri, At ille bono, inquit, es animo Menippe.

Nullum ego ſum numen, quid me immortalibus aquas?

Sum Empedocles ille phyſicus. Etenim ubi me præcipitem in crateras injeciſſem, fumus ab Ætna raptum huc ſubvexit. Itaque nunc lunam incolo, aerivagus plerumque, ac rore victito. Adſum

autem hac dubitatione te liberaturus. Id enim te cruciat, & torquet, ni fallor, quod non liceat tibi terram perſpicuè cernere. Bene abs te factum, optime Empedocles: atq; ubi primum rurſus in Græciã devolato, tui memor tibi in fumario libabo, terq; noviluniis ad lunam inhians vota faciam. At per Endymionem, inquit ille, non acceſſi præmii gratia, ſed animum meum affecit, quod te vidi mœſtum. Verum ſcis quid facies, quò perſpicax fias? Non per Jovem, inquam, niſi tu mihi forſitan caliginem amoveas ab oculis: nam in præſentia non mediocriter lippire videor. Atqui me, inquit ille, nihil erit opus. Nam viſus acumen ipſe jam è terra allatum habes. Quid igitur hoc rei eſt? Non novi inquam. Neſcis, inquit ille, te dextra aquilæ ala eſſe inſtructum? Maximè, inquam ego. Sed quid alæ cum oculo commune? Aquila inquit ille, inter animantia cætera viſus eſt acutiſſimi: unde ſola ſolem adverſum obtuetur: itaq; demum eſt rex, & ingenua aquila, ſi non conniventibus oculis radios aſpiciat. Ita quidem ajunt inquam. Quare jam me pœnitet, qui non erutis oculis meis aquilinos inſeruerim cum huc aſcenderem. Nam nunc ſanè dimidiatus advenio, nec per omnia regaliter inſtructus: at nothis iſtis & abdicatis videor ſimilis.

Attamen in te eſt, inquit, ut alterum oculum protinus regalem habeas. Si enim paulum aſſurgens, velis cohibita vulturis ala, ſolam alteram movere, juxta proportionem alæ, dextro oculo acutè cernes nulla enim arte poteſt alter nõ hebetiùs cernere, quod ad partem pertineat deteriorem. Mihi, inquam, ſatis eſt, ſi ſolus dexter aquilina cernat acie. Nihilo enim fuerit deterius: ſiquidem etiam fabros vidiſſe mihi videor, oculo altero ligna meliùs ad regulam exæquantes. Hæc loquutus, ſimul ea faciebam quæ præceperat Empedocles: qui interim ſeſe paulatim ſubducens, ſenſim in fumum evanuit. Et ſimul atq; moviſſem alas, ingens lumen mihi circumfulſit, adeò ut conſpicua fierent cuncta, quæ hactenus latuerant. Defixis igitur in terram oculis, clarè videbam urbes, homines, & quæ fiebant: nec ſolum ea quæ ſub dio, ſed etiam quæ domi, latere ſe rati, faciebant. Ptolæmeum vidi cum ſorore rem habentem: Lyſimacho ſtruentem inſidias filium: Antiochum Seleuci filium, novercæ Stratonicæ clanculum innuẽtem: Theſſalum Alexandrum ab uxore è medio tolli: Antigonum filii uxorem adulterio vitiantem. Attalo venenum porrigentem filium. Rurſum ex altera parte Arſacen interficientem mulierculam: & Arbacen eunuchum gladium educentem in Arſacen. Porrò Spartinus Medus è convivio foras à ſatellitibus pede trahebatur, aureo calice in frontem impacto.

Atq; his ferè ſimilia cum in Lybia, tum apud Scythas, & Thraces in regiis committi cernere erat, adulteria perpetrantes, occidentes, inſidiantes, rapientes, à familiariſſimis proditos. Et hujuſmodi ſpectaculum nobis præbuerunt regum res. At res privatorum erant longe magis ridiculæ. Nam inter illos quidem videbam Hermodorum Epicureum, ob mille drachmas pejerantem: Agathoclem Stoicum de mercede diſcipulum in jus vocantem: Cliniam oratorem ex Æſculapii templo phialam ſuffurantem. Herophilum Cynicum in fornice dormientem. Quid enim alios commemorem, qui parietes perfodiebant, litigabant, fœnerabant, repoſcebant? Nam varium quoddam, & undiq; mixtum erat ſpectaculum. *Amic.* Atqui recte facies Menippe, ſi iſta quoq; retuleris. Conſentaneum enim eſt te ex his non vulgarem percepiſſe voluptatem.

Men. Fieri non poteſt, Amice, ut ordine ſingula recenſeam, quæ vel ſpectare fuit difficillimum. Verum ejuſmodi fere videbantur rerum capita, qualia refert Homerus in clypeo, ubi erant convivia & nuptiæ altera ex parte judicia, & conciones: rurſum alia ex parte ſacrificabat quiſpiam. In vicinia verò lugens aliquis conſpiciebatur.

Porrò cum in Geticam reſpicerem, belligerantes videbam Getas. Dein cum ad Scythas tranſirem, cernebam in plauſtris errãtes. Paulum autem inclinato in alteram partem oculo, ſpectabam agricolãtes Ægyptios: Phœnix mercaturam exercebat, Cilix latrocinabatur, Lacon loris cedebatur, Athenienſis cauſas agebat.

Quæ omnia cum eodem tempore gererentur, cogita nunc cujuſmodi rerum confuſio cernetur. Non aliter, quam ſiquis producat multos ſaltatores, vel potius multas choreas: deinde præcipiat ut omiſſo quiſque concentu propriam canat cantionem: ac tum unuſquiſq; certatim canat, & peculiarem cantum abſolvat, vociſq; magnitudine vicinum ſuperare contendat: cogita tecum per Jovem, cujuſmodi futurus ſit ejuſmodi cantus.

Amic. Modis omnibus, Menippe, ridiculus, & turbatus. *Men.* Atqui, Amice, hoc genus ſunt omnes qui in terris choreas agunt: omniſq; mortalium vita ex hujuſmodi conſtat diſcrepantia: quippe qui non modò ſonent abſona, verum & ornatu ſint diſſimili, diverſaq; moveant, neq; quicquam idem cogitent, donec choragus omnes e ſcena exigat, negans amplius ipſis eſſe opus. Hinc autem ſimiles ſunt omnes, quum jam tacent, nec amplius confuſam illam & incompoſitam cantionem canunt. Verum in vario ipſo & multiformi theatro ridicula erant quæ gerebantur omnia.

Præcipue verò mihi riſum movebant ii, qui de agrorum finibus contendebant, quiq; ſibi placebant hoc nomine, quod Sycionium agrum colerent: aut quod eam Marathonis partem haberent, quæ eſt juxta Oenoen: aut in Acarnania mille jugera poſſiderent. cum univerſa Græcia, ut mihi tum e ſublimi deſpectanti videbatur, quatuor digitorum haberet ſpatium, Attica, ni fallor, proportione minima pars erat. Itaque cogitabam quid eſſet reliquum, quod divitibus iſtis animos tolleret. Etenim is qui inter hos agri plurima jugera poſſidebat, vix unam ex Epicureis atomis colere mihi videbatur.

Cæterùm ubi ad Peloponneſum flexiſſem oculos, deinde terram Cynoſuræ ſubjectam conſpexiſſem, veniebat in mentem, pro quãtula regione, quæ nihilo eſſet latior lente Ægyptia, Argivi & Lacedæmonii uno die cecidiſſent. Quinetiam ſiquem viderem auro ſuperbientem, quod & octo haberet annulos, & quatuor phialas, hunc magnopere irridebam. Totum enim Pangæum, unà cum ipſis metallis, vix erat milii magnitudine.

Amic. O! te fœlicem, Menippe, qui tam novum ſpectaris ſpectaculum. At per Jovem, civitates ipſiq; homines, quanti videbantur ex alto? *Men.* Equidem arbitror te ſæpenumero formicarum concionem vidiſſe: aliquas coactas, nonnullas exeuntes, rurſum has in civitatem redeuntes. Atq; hæc quidem fimum exportat, hæc alicunde raptam fabæ tunicam, aut dimidiatum frumenti granum apportat. Conſentaneum autem eſt pro ratione vitæ formicarum, eſſe apud illos, & ædium ſtructores, & concionatores, & magiſtratus, & muſicos, & philoſophos. Sed ipſis cum viris urbes formicarum nidis perſimiles videbantur. Quod ſi tibi videtur humilius exemplum viros cum formicarum republica conferre, veteres Theſſalorum fabulas ſpecta. Reperies enim Myrmidonas, gentem bellicoſiſſimam, viros e formicis eſſe natos.

Poſteaquam igitur omnia ſatis ſpectaſſem & riſiſſem, excuſſi meipſum, & ſubvolavi. Ad reliquos divos, Jovis altitonantis in ædes, Nondum ſtadium aſcenderam, quum luna fœminea voce ſonans, Menippe, inquit, ita tibi contingant quæ optas. Inſervi mihi in re quapiam apud Jovem: dicas inquam, neq; enim erit moleſtum, niſi ſiquid oneris ſit portandum. Nuntium, inquit, haud gravem, ac petitionem meo nomine Jovi perferes. Enecor, Menippe, multa, eaq; non ferenda ab iſtis philoſophis audiens: quibus nihil eſt negotii, niſi ut curioſe res meas exquirant, quæ quantaq; ſim, & cur dimidiata fiam, & utrinque gibboſa. Tum hi me dicunt inhabitari: ille ſpeculi inſtar, ſupra mare ſuſpenſam eſſe: alii rurſus id mihi attribuunt, quod quiſq; ſecum excogitarit. Poſtremò ipſum quoq; lumen ajunt mihi, & furtivum eſſe, & nothum, quod à ſole ſuperne proficiſcatur. Neq; finem faciunt, etiam cum hoc qui meus eſt frater, me committere, & factionem inter nos ſerere conantes. Neq; enim ſat erat ipſis dixiſſe ſolem ipſum eſſe lapidem, & maſſam candentem. Et tamen quàm multarum rerum illis ſum conſcia, quas noctu patrant turpiſſimas, & execrandas, cum interdiu ſint tetrico & virili aſpectu, habituq; gravi, & ab imperitis conſpiciantur. Quæ etſi videam, ſileo tamen. Neq; enim decorum arbitror, retegere atque in lucem efferre nocturnas illas diatribas, & quam quiſq; in operto vivat vitam. Quinetiam ſi quem videro ipſorum adulterium committentem, aut furantem, aut aliud quid quam maxime nocturnum audentem, cõtinuò contracta nube tegebam, ne vulgo oſtenderem viros ſenes, ea gerentes, quæ neq; barbæ prolixæ, neq; virtutis profeſſioni eſſent decora. At iſti nihilo minus oratione me diſcerpunt, modiſq; omnibus contumelia afficiunt. Itaq; noctem teſtor, mihi ſæpe in mentem veniſſe ut quam longiſſime hinc demigrarem, quò linguam illorũ curioſam effugere poſſem. Hæc igitur Jovi renuntiare memineris, idq; addere, fieri non poſſe ut hoc in loco durem, niſi phyſicos illos comminuat: dialecticis os occludat: Stoam demoliatur: Academiã exurat: quæ in Peripato habentur, diatribus finem imponat: ſiquidem ita mihi parabitur quies, & me quotidie metiri deſinent. Fient, inquam, quæ mandas: ſimulq; recta ad ipſum cœlum tendebam, Nulli ubi comparent hominum-ve, boum-ve labores. Etenim paulò pòſt ipſa etiam Luna mihi puſilla videbatur: jamque terram obtegebat.

Porrò relicto ad dextram ſole per ipſas volans ſtellas, tertio die ad cœlum perveni. Ac primum mihi ut habebam, ilico videbar ingreſſurus: nam rebar fore ut fallerem, quòd eſſem dimidia parte aquila. Porrò ſciebam aquilam jam olim eſſe Jovi familiarem. Poſtea apud me perpendebam illos quamprimum deprehenſuros eſſe me altera vulturis ala cinctum. Quapropter optimum ratus, non temere venire in periculum, fores pulſavi. At Mercurius poſtquam reſponſaſſet, & nomen ſciſcitatus eſſet, feſtinato abiit, Jovi renuntiaturus. Nec multo poſt intrò ſum accerſitus, magnopere pavitans ac tremens. Offendoq; Deos pariter conſidentes, non ſine ſolicitudine. Nonnihil enim ipſos turbabat, novus & inopinatus adventus meus: & quod nunquam futurum expectabant, ut omnes homines, ad eundem modum alati advenirent. Tum Jupiter admodum terribili vultu, torvo & Titanico me obtuens, inquit, Quiſnam es, & unde venis? ubinam urbs tibi, quive parentes? Quod cum audiviſſem metu propemodum ſum exanimatus. Conſtiti tamen obſtupefactus, præque vocis magnitudine attonitus. Aliquanto pòſt ad me reverſus, omnia dilucide expoſui, ab ipſo exorſus capite: quemadmodũ cupiſſem ſublimia illa cognoſcere: & philoſophos adiiſſem, pugnantia loquentes audiſſem: dictis illorum diſtractus deſperaſſem. Deinde meum inventum, alas, reliquaq; omnia, ad ipſum uſq; cœlum. Quibus addidi quæ Luna mandarat.

Itaq; ridens Jupiter exporrectis aliquantum ſuperciliis: Quid dicas, inquit, de Oto, & Ephialto, cum auſus ſit & Menippus in cœlum aſcendere. At te nunc quidem ad hoſpitium invitamus. Cras, inquit, ſuper his quorum gratia huc adveniſti, dato reſponſo dimittemus. Simulq; ſurgens, ibat ad eam cœli partem, unde omnia facillime exaudiebantur. Jam enim tempus erat ut votis audiendis conſideret. Atq; interdum me percontabatur ſuper his quæ in terris

agun-

aguntur. Ac primum quidem illa, quanti ematur triticum in Græcia: & num ſuperior hyems graviter vos tetigiſſet: num etiam copioſiore imbre olera egeant. Poſtea rogabat ſupereſſet-ne aliquis ex Phidiæ genere: & quam ob cauſam Athenienſes Jovialia tot annos intermiſiſſent: & an in animo habeant Olympium ſuum perficere. & an eſſent comprehenſi qui Dodonæum templum ſacrilegio ſpoliarunt. Ad ea cum reſpondiſſem, Dic mihi, inquit, Menippe, quid de me ſentiunt homines? Quid, inquam, Domine, niſi maximè pium? nimirum omnium Deorum, regem eſſe te. Ludis tu, inquit. Cæterum illorum contentionem probè novi, etſi nihil dicas. Fuit enim tempus quum & vates videbar ipſis, & medicus: denique unus eram omnia. Tum Jovis plenæ erant & viæ omnes, omneſq; hominum conciones. Dodona etiam & Piſa ſplendidæ erant & celebres. Nec præ fumo ſacrorum oculos mihi licebat attollere. Verum poſteaquam Apollo Delphis oraculum conſtituit, Æſculapius medicinæ officinam Pergami, & Bendidium in Thracia eſt exortum, Anubis templum in Ægypto, Dianæ apud Epheſios, ad iſta concurrunt omnes, ſolennes conventus celebrant, hecatombas offerunt. Mihi vero tanquam ætate confecto, abundè magnum honorem habuiſſe ſe putant, ſi ſolido quinquennio ſacrificarint in Olympia. Proinde aras meas frigidiores videas, quam ſint vel Platonis leges, vel Chryſippi ſyllogiſmi.

Talia confabulando, pervenimus eum in locum, ubi ad audienda vota erat conſeſſurus. Erant autem ordine feneſtræ, cujuſmodi ſunt ora puteorum, habentes opercula. Juxta unamquamq; poſita erat ſella aurea: quarum in prima ſedens Jupiter, detracto operculo, præbebat ſeſe precantibus. Precabantur autem ex omni undiq; terra, diverſa variaq;: quæ ipſe etiam audiebam auribus pariter admotis. Eaq; hujuſmodi erant. O Jupiter contingat mihi regnum. O Jupiter, mihi producantur allia & cepæ. O Jupiter, utinam pater mihi brevi moriatur. Alius quoque dicit: Utinam ſim hæres uxoris. Utinam nemo ſciat me ſtruxiſſe fratri inſidias. Contingat mihi litem vincere, Olympia coronari. Porrò navigantium hic optabat ut flaret boreas, ille ut notus. Agricola pluviam, fullo ſolem petebat.

At Jupiter audiens, & ſingula vota diligenter expendens, non pollicebatur omnia. Verum hoc conceſſit Saturnius, abnuit illud. Nam juſta vota per os feneſtræ ſurſum admittebat, admiſſa ad dextram collocabat. Verum iniqua flatu deorſum irrita diſiiciebat, ne ad cœlum accedere poſſent. At ſuper uno voto ambigentem vidi. Etenim duobus diverſa petentibus, pareſq; victimas pollicentibus, neſciebat utri eorum potiùs annueret. Tum itaq; Academicum illud ei accidebat, ut nihil ſtatuere poſſet. Verum Pyrrhonis in morem ſuſpenſus hærebat, & conſiderabat ampliùs.

Porrò ubi precantibus ſatis reſpondiſſet, ad proximam digreſſus ſellam, & ad ſecundam feneſtram, juramentis & jurantibus audiendis vacabat. Quibus cum reſpondiſſet, & Epicureum Hermodorum contriviſſet, ad proximam ſellam ſeſe tranſtulit, divinationibus rumoribus, & auguriis attentionem adhibiturus.

Hinc ad ſacrificiorum feneſtram tranſiit, per quam fumus aſcendens, denuntiabat Jovi nomen uniuſcujuſque qui rem divinam faceret.

His relictis, ventis & horis mandabat quæ facere deberent. Hodie apud Scythas pluito, apud Libyes fulgurato, apud Græcos ningito. Tu boreas in Lydia ſpirato, tu note quieſce, zephyrus in Adria tempeſtatem concitet: mille grandinis modii ſuper Cappadocia diſpergantur.

Tandem omnibus fermè ordinatis, eum in locum ivimus ubi compotant Dii, quia cœnandi jam erat tempus. Me arreptum Mercurius juſſit accumbere juxta Panem Corybantas, Attin, & Sabazium, inquilinos iſtos & ancipites Deos. Interea panem exhibebat Ceres, Bacchus vinum, Hercules carnes, myrtum Venus, Neptunus mænidas: ſimul etiam ambroſiam & nectar furtim deguſtabam. Nam optimus ille Ganymedes, quæ ejus erat humanitas, ſiquando Jovem oculos aliquò convertentem conſpexiſſet, nectaris cyathum unum, aliquando duos mihi infundebat. Dii autem, ut alicubi Homerus dicit, quinetiam ego, ut qui illud ibi ſim conſpicatus, neque frumentum edunt, neq; nigrantia vina potant, & nectare inebriantur. Præcipuè verò gaudent veſci ſacrificiorum fumo cum ipſo nidore ſubvecto: & ſanguine victimarum, quem ſacrificantes aris infundunt. Cæterum inter cœnandum Apollo cithara canebat, Silenus cordacem ſaltabat, ſtantes Muſæ & Heſiodi Theogonias, & primam hymnorum Pindari odam nobis canebant.

Deinde ſaturi requievimus, ita ut ſe quiſq; habebat, potu ſatis uvidi. At reliqui noctem, divique homineſque per omnem Dormivere unum me non ſopor altus habebat. Nam animo verſabam cum alia permulta, tum illa præcipuè: qui fiat ut tãto tempore barba non naſcatur Apollini, aut qui ſit nox in cœlo, cum ſol ſemper adſit, & unà convivium agitet. Ac tum quidem obdormivi paululum. Mane verò excitatus Jupiter, juſſit indici concionem. Et cum omnes conveniſſent, ſic fari cœpit. Uti vos convocarem, in cauſa fuit hoſpes hic, qui heri advenit. Verum cum alioqui jam olim mihi fuerit animus vobiſcum communicandi de philoſophis. Maximè verò à luna, hiſq; de quibus illa conqueritur commotus, ſtatui haud diutius conſultationem prorogare.

Eſt enim hominũ genus, quod non ita pridem in vita extare cœpit, iners, contentioſum, gloriæ avidum, iracundum, guloſum, ſtultum, faſtuoſum, contumelioſum: & ut Homeri verbis dicam, Telluris inutile pondus. Iſti igitur in ſectas diviſi, ac variis rationum labyrinthis excogitatis alii ſeſe Stoicos appellant, alii Academicos, alii Peripateticos, aliis item vocabulis, his multò magis ridiculis, Deinde cum illud virtutis nomen venerandum induerint, tum adductis in altum ſuperciliis, promiſſáq; barba, fucato habitu obambulant, deteſtandos mores ſecum circunferentes, ſimillimi iſtis tragœdiarum actoribus: quibus ſi perſonas, ſtolamq; illam auro ſparſam detraxeris, reliquum eſt ridiculum, nempe homunculus ſeptem denariis ad agonem conductus.

Atqui hujuſmodi cum ſint, omnes quidem homines aſpernantur de Diis verò abſurda prædicant, coactiſq; adoleſcentulis deceptu facilibus, nobilem illam virtutem oſtentant, & verborum ambiguitates docent: atq; apud diſcipulos temperantiam ſemper ac modeſtiam laudant, opes & voluptatem reſpuunt. Cæterum quum ſoli apud ſe ſunt, quid attinet dicere, quantum comedant, quantum Veneri indulgeant, ut ſordes obolorum oblingant? Et hoc omnium eſt graviſſimum, quod cum ipſi nihil agant neq; publicum, neq; privatum, ſed inutiles & ſupervacanei deſideãt, nuſquam in conſiliis nuſquam numerentur in armis, alios tamen accuſant: congeſtiſq; dictis amarulentis, & excogitatis convitiis, objurgant, & proximis convitiantur. Et hic inter eos primas partes ferre videtur, qui ſit clamoſiſſimus, impudentiſſimus, & ad maledicendum audaciſſimus. Quod ſi hunc vehementer clamantem, alioſq; incuſantem roges: Tu verò quid facis? aut quid per Deos dicemus te ad vitã conferre? Reſpondebit, ſi modò recta, veráq; fateri volet: Navigare, aut agros colere, aut militare, aut artem aliquam aggredi, ſupervacaneum mihi videtur. Verum clamo, ſqualeo, frigida lavo, & ſine ſoleis hyeme obambulo: ac veluti Momus ille, quæ ab aliis geruntur, calumnior. Aut ſiquis divitum ſumptuoſiùs obſonarit, aut amicam habeat, id exquiro, & indignor.

Quòd ſi amicorum, aut ſodalium quiſpiam morbo decumbat, curaq; & obſequio egeat, id ignoro. Hujuſmodi alumnos habemus ô Dii. Jam verò qui ex his vocantur Epicurei, ſunt & valdè contumelioſi, & nos non mediocriter lædunt, affirmantes neq; curæ Diis eſſe res mortalium, neq; omnino quæ agantur, conſiderari. Quapropter tempus eſt ut de his conſultemus. Nam ſi ſemel hoc perſuaſerint iis qui ſunt in vivis, non mediocriter eſurietis. Quis enim poſthac vobis rem divinã faciat, cum nihil inde expectet emolumenti? Nam de quibus hos accuſet Luna, omnes audiſtis heri narrantem hoſpitem. Super his conſultate, quæ ſint hominibus utiliſſima, vobiſque tutiſſima.

Cum hæc dixiſſet Jupiter, frequens adfremebat concio: mox clamarunt omnes, effulmina, exure, comminue: in barathrum, ut gigantes. At Jupiter rurſum indicto ſilentio, fient iſta, inquit, ut vultis. Omnes ipſa cum dialectica comminuentur, Quanquam in præſentia fas non eſt punire quenquam. Eſt enim Hieromenia, ſicuti noſtis, quatuor hos menſes: jamq; inducias promulgavi. Quare proximo anno, incunte vere mali malè perdentur formidando fulmine. Sic ait, atq; ſuperciliis pater annuit atris. Cæterum de Menippo, hæc mihi videntur, inquit: ut ademptis illi alis, nequando denuo redeat, à Mercurio deferatur hodie in terram. Hæc locutus dimiſit cœtum. Me verò Cyllenius dextra aure ſuſpenſum, heri ſub veſperam in Ceramico depoſuit. Audiviſti omnia, omnia inquam amice, quæ è cœlo mecum adfero. Quocirca jam abeo eadem hæc renuntiaturus philoſophis in Pœcila inambulantibus. *titulo, Icaromenippo, ſive Hypernephelo.*

❡ Poetarum.

Prudentius contra Marcionitas.

Nam vanum quidquid Sol aſpicit, ex elementis
Cuncta ſolubilibus fluxoq; creamine conſtat.

Terentius Phorm. 3. ſc. 2.

——— *Non pudet*
Vanitatis? LENO. minimè dum ob rem.

❡ Apophthegm. Sacror.

Salomon: Omnia quæ extra Dei cognitionem & metum conſiderantur ſunt mera vanitas, vexatio animi & umbræ ſomnium, inquit ſapiens. *Eccl.* 1. 2. 3. & 3. 4. & 12. 13. 14.

Sive res ipſæ ſpectentur per ſe, *Eccl.* 1. 4. 8. 10. 13. 14. & *12. 8.*

Sive ſtatus hominum diverſus.

Ac quidem lætus, *Eccl.* 2. 1. 2. *uſque ad* 21.

Atque etiam triſtis, *Eccl.* 4. 1. 2. 3. 4.

Sive diverſa rerum cognitio, *Eccl.* 2. 12. *uſq; ad* 20. & 6. 9.

Sive prudens rerum noſtrarum adminiſtratio, *Eccleſ.* 2. 20. 21. 22. 23. & 5. 8.

Sive diverſa hominum ſtudia & occupationes, *Eccleſ.* 3. 9. 10. & 7. 1. 2. & 8. 16. 17.

Sive diverſa rerum ipſarum genera, *Eccleſ.* 3. 19. 20. 21.

Sive ætates diverſæ, *Eccl.* 11. 10.

Denique omnia, inquit ille, ſunt vanitas extra Dei cognitionem & reverentiam, *Eccl.* 11. 8. & 12. 8.

❡ Monosticha Trochaica.

A tumore, à vanitate longè abeſt vir integer.
Æque in verbis invenitur atque in rebus vanitas.
Bellicis plerunque rebus, vana pro veris valent.

Cuncta humana, læta, mœsta, somnii sunt vanitas.
Cuncta mundi vanitatis plena sunt choragio.
Nemo nomen vanitatis dummodò ob rem sit, fugit
Non ferunt ætatem inanes Vanitatis naniæ.
Non potest durare contra veritatem vanitas.
Quam mage occultatur hoc se vanitas profert mage.
Vanitas rebus novandis, quam gerendis, aptior.
Vanitate haud veritate stat fere res bellica.

§ JAMBICA.

Ah! ejerari humana vanitas nequit.
A vanitate abest fucoq; vir gravis.
Docere gestit id quod nescit vanitas.
Nil vanitate quidquam ingenuo turpius.
Pravum haud facit, sed pravum ostendit vanitas.

Varietatis.

§ SENTENTIÆ ROMANORUM.

P*Linius Iunior*: Ipsa varietate tentamus efficere, ut alia alii, quædam fortasse omnibus placeant. loquitur de Hendecasyllabis suis. *lib. 4. Epist. 14.*

Plinius iunior: Scio nunc tibi esse præcipuum studium orandi: sed non ideo pugnacem hunc & quasi bellatorium stylum suaserim: Ut enim terræ variis mutatisq; seminibus, ita ingenia nostra, nunc hac nunc illa meditatione recoluntur. Volo interdum aliquem ex historia locum apprehendas: volo epistolam diligentius scribas, volo carmina. nam sæpe in orationes quoq;, non historica modò, sed propè poëtica descriptionum necessitas incidit, & pressus sermo purusq; ex epistolis petitur. *lib. 7. Epist. 9.*

Symmachus: Fastidium uniformis spectaculi patitur civitas, cujus satietas mihi varietate vincenda est. *lib. 4. Epist. 64.*

Io. Sarisberiensis: Porro varietas ambiguitatem inducit, in ambiguis autem omnis definitio periculosa est. *lib. 2, cap. 24. Policratici.*

§ POETARUM.

Petronius Arbiter.

Nolo ego semper idem capiti suffundere costum,
Nec noto stomachum conciliari mero.
Taurus amat gramen mutata carpere valle,
Et fera mutatis sustinet ora cibis.
Ipsa dies ideo nos grato perluit haustu,
Quod permutatis hora recurrit equis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Dulcior lux est recurrens, jugiter quam quæ manet.
Forma mundi usque usq; variat, atq; ideo omnibus placet.
Haud oculos diu delectet res cui forma est unica.
Luce noctem nocte lucem spectat is cui cor vagum est.
Mundus ob mutationes plurimas cuivis placet
Nemini orbis pulcher esset, uniformis si foret.
Proteos tot est videre quot fere homines cernimus.
Pulcher hoc ipso orbis est quod sit figura multiplex.
Rebus in cunctis varietas delectabilissima est.
Tædet & citò pulcrorum, si sunt uniformia.

§ JAMBICA.

Impar sibi atq; multiformis mens mala est
Nil vultu eodem toto in orbe permanet.
Non sentit eadem cum stat aut sedet levis.
Omnis varietas consulit fastidio.
Quidquid libet Proteus solet esset Ægyptius.

Vectigalium.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Chrysostomus*: Quod bene tibi magistratus faciat, tu ipse testaris, mercedem illi persolvens. cur enim vectigalia ei damus? numquid tanquam prospicienti? Num quid tãquam præsidenti curæ tuitionisq; mercedem solventes? Atqui nihil illi solvissemus, nisi ab initio utilem nobis talem fuisse præfecturam cognovissemus. Verum propterea ab antiquis temporibus communi omnium sententia principes à nobis sustentari debere visum est, ob id quod sua ipsorum negligentes, communes res curant: universumq; suum otium ad ea impendunt, quibus non solum ipsi, sed & quæ nostra sunt salvantur. *Homil. 23. ad Roman.*

Basilius Seleuc. Publicanus ipso vitæ morumq; instituto accusabatur, qui curam ceperat vectigalium, plura concupiscendi licentiam, implacabilem rapacitatem, latrocinium legibus pro armis utens, vim insidiantem terra marique solventibus. Vectigalium namq; redemptio ad utraq; elementa inexplebilium Publicanorum manus dividit: vectigalium redemtio cujus fructus aliorum lachrymæ, cujus thesaurus aliorum miseriæ. *Orat. 35. m.*

§ PHILOSOPHORUM.

Lysias: Videtis, Judices, civitatis vectigal quam sit exiguum; quamq; ab eis, qui præsunt Reipub. diripiatur; ut opes eorum, qui munera Reipub. obeunt, certissimum Reipub. vectigal censeri merito possit. Si bene Reipubl. consultum cupiatis, non minorem mearum pecuniarum rationem habebitis, quam vestrarum propriarum; cum sciatis vos meis omnibus, ut antea, esse usuros. Arbitror autem omnib. vobis constare, quod ego meorum longe melior ero dispensator, quam qui quæstoris officio in Republica funguntur. Quod si me ad paupertatem redigatis, in vos ipsos iniqui eritis, & alii hæc nostra devorabunt, quemadmodum & cætera. *cap. 5. Orat. apologet. 20.*

Iulianus imp. Fieri non potest, mihi credite, ut & iis qui vectigalia pendunt omnia condonentur, & qui accipere consueverunt dentur omnia. *in Misopog.*

Iulianus Imp. Superiora tempora non tam vobis ob servitutem molesta fuere, quàm quòd tabulis injussu principis emissis obnoxii essetis, immensumq; aurum in ærarium inferretis: quam rem ego magna ex parte meis vidi oculis, tum multò magis ex ipsis tabellis, quæ contra vos asservabantur, perspexi: quin & paratum jam iterum contra vos vectigal, prohibui, & impietatem hanc detestabilem compressi, tabulasq; incendi, quæ in meis scriniis ad vos opprimendos custodiebantur: ut nemini liceat deinceps tantæ impietatis rumorem in vos spargere. Neq; sanè harum injuriarum causa Constantio fratri viro memorabili potius tribuenda videatur, quam nonnullis animo barbaris, & mente impiis, qui ejus mensa utebantur: quos ego manibus meis arreptos, atque in foveam conjectos perdidi, ut ne memoria quidem ulla de eorum interitu apud nos superesit. *Epist. 25. ad Iudæos.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Necessaria civitati sunt vectigalia. exercitus stipendium accipiunt: bella quotidie geruntur adversus barbaras & bellicosissimas gentes: defendimus ripas & flumina, & littora. huc adjice & illud, templa exstruuntur: multum impendiorum sacra ducunt: aliquid ad spectacula opus est vectigalibus. Inter vectigalia porrò quid æquius inveniri potest, & sine majore hominum querela, furtum quod quis professus non est? quanto illud injustius videri potest, quo partem hereditatis sibi vindicat? &c. *Declamatione 341. m.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Nemo invitus ad vectigal conducendum impellitur.
Pendeat vectigal aer haustus, cogi si queat.
Vectigalibus sublatis imperium dissolvitur.

§ JAMBICA.

Censendus & rex vectigalibus à suis.
Etiam suum vectigal pro umbra penditur.
Omissa ne Rex revocet vectigalia.
Vrbs stare nescit absque vectigalibus.

Petenda his affinia è titulo *Ærarii, Fisci, Publicani, Tributi.*

Venationis.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

X*Enophon*: Astyages quum intellexisset vehementer extra hortorum septa Cyrum venari cupere: cum avunculo eum dimittit, & custodes adjungit equites ætate provectiores, qui caverent à locis impeditis, & si qua bestia ferocior occurrisset. Itaq; sedulò Cyrus comites interrogabat, quas ad feras propius accedendum non esset, quasve liceret audacter insequi. Respondebant illi plerosque propius congressos cum ursis fuisse interemptos; itemq; à leonibus, & apris & pardis: cervos autem, & capreas, & oves sylvestres, & asinos sylvestres non esse noxios. Addebant, impedita loca nihilo, quam bestias, minus esse cavenda: quod pleriq; cum ipsis eques per præcipitia delapsi periissent. Hæc Cyrus omnia sedulò sciscitabatur. Quum vero cervum prosilientem videret, oblitus omnium, quæ audierat, insequebatur: nec aliud spectabat, quam ille quò fugeret. Equus autem ipsius in saltu fortè concidit in genua, parumq; abfuit, quin Cyrus excussus fuerit. Sed tamen & equo ille, licet ægrè, inhæsit: & equus exsurrexit. Hinc delatus in planitiem cervum jaculo vibrato sternit, pulchrum illum quidem ac magnum quo facto quum mirificè gauderet, custodes equis advecti non sine conviciis indicabant, quod periculum adiisset, avoque se delaturos ajebant. Itaque Cyrus qui ex equo descendisset, adstabat, & hæc audiës molestè ferebat. Verum ubi clamorem inaudisset, denuò veluti mente captus in equum insiliit. Quumq; aprum ex adverso irruentem cerneret, obvius in eum fertur: jaculoq; contento frontem fe-

licitas

liciter ferit, ut aprum capit. Ibi tum avunculus quoq; conviciis in eum propter audaciam quam cernebat, invehitur.

At Cyrus inter hæc avunculi convicia tamen orabat, ut quæcunque cepisset ad avum adferre, ac ei dare se permitteret. Ad ea quum respondisset avunculus, uti fertur, avum si has feras illum insecutū sentiat, non illi solum, sed sibi quoq; convicia facturum, qui permisisset. Etiam flagris cædat, inquit ille, siquidem ita volet postquam hæc ei obtulero. Quin tu quoque, mi avuncule, supplicium de me si libet, & quodcunque libet, sumito, modo in hoc mihi gratificeris. Itaq; Cyaxares ad extremum: Ut voles, ait, facito. Quippe tu jam quidem rex noster esse videris. Sic igitur Cyrus illatis feris cum avo eas offerebat, tum se has ipsi venatum esse dicebat. Jacula vero non ille quidem ostendebat, cruenta tamen eo posuerat loco, quo avum ea visurum existimabat.

Astyages autem: lubens equidem ait abs te fili, accipio quæcunq; mihi offers: sed horum tamen nullius sic egeo, tibi periculum ut adeundum sit Et Cyrus si ergo his, ait, tibi non est opus: obsecro te, mi ave, da mihi, ut inter æquales ea distribuam. Sume vero fili, respondit Astyages, quum hæc tum alia, quæcunq; volueris: & inter quos visum fuerit, distribue. Itaq; Cyrus ea sumta simul & pueris dabat, &: O pueri, dicebat, ut nugas agebamus, quum feras illas in septis hortorum venaremur. Nam ea venatio mihi similis illi videtur, qua feras ligatas aliquis insequitur Primum exiguo spatio cō cludebantur. Deinde tenues erant, & scabiosæ, partimq; claudæ, partim mutilæ. Montanæ vero, campestresq; feræ quam pulchræ, quam magnæ, quam nitidæ visæ? Cervi quidem, quasi si volucres essent, ad cœlum usq; exiliebant: apri vero, quemadmodum de viris fortibus dicitur, comminus irruebant: & tanta quidem erant latitudine, ut ictus aberrare non posset. Mihi sane pulchriores hæ bestiæ videntur etiam mortuæ, quam illæ vivæ quæ septis includuntur *cap. 22. lib. 1. Cyropæd.*

Xenophon: Trado autem me tibi servum, & belli socium: ac te rogo, ut injurias meas ulciscaris; teq; pro eo ac possum, filiū mihi adopto. Nam orbus sum liberis sexus virilis. Quem enim, domine, solum habebam, forma & virtute præstantem, & amantem mei, & eum honorem mihi deferentem, quo filius patrem persequendo maxime beare possit: hunc rex ille nunc meus, arcessitum ab illius temporis rege, hujus patre, ut qui vellet filio meo filiam suam uxorem dare: (atq; equidem eum sic à me dimittebam, ut elato essem animo, qui filium meum regis filiæ maritum visurus essem) hunc inquam rex iste nunc imperans, ad venationem invitavit, & potestatem ei fecit venandi totis viribus, quod longe se illo meliorem equitem duceret.

Itaq; venatus est cum eo, tamquam amico: quumq; prodiisset in conspectū ursa, & uterq; hanc persequeretur: noster iste modo princeps emisso jaculo aberrat, quod utinam ne umquam accidisset, at meus ille filius telo conjecto, quod minime factum oportuit, ursam sternit. Et tunc quidem ille dolore adfectus, invidiam occultè repressit. Quum autem intervenisset leo, atq; hic rursus aberrasset, quod ei accidisse mirum opinione mea videri non debuit, filius vero meus ictu denuo non aberrante leonem conficiens, feram utramq; se ictu gemino diceret, uno alterum sequuto, stravisse: tum vero sceleratus ille non amplius invidiam cohibuit, sed ereptam uni comitum cuspidem in pectus adegit, atq; ita meo illi unico caroque filio animam abstulit.

Ego vero miser mortuum pro sponso retuli, ac tam grandis barbescentem tunc prima lanugine filium optimum & dilectissimum sepelii. At interfector ille, quasi hostem aliquem peremisset, neq; pœnitere visus est umquam, neq; pro atroci hoc facinore terra conditum honore ullo dignatus est. Pater quidem ejus misertus mei fuit ac palam declaravit, sibi quoq; calamitatem meam molestam accidisse. Itaque si ille viveret, numquam ego ad te cum ipsius damno venissem. Nam & multa exstiterunt ejus in me officia plena amoris, & ipse vicissim ei mea præstiti. Quia vero ad interfectorem filii mei rerum summa pervenit, non equidem animo in illum umquam esse benevolo possim: nec ipse me umquam, sat scio, amicum duxerit. Non enim ignorat, quæ mens in eum mea sit. *cap. 30. libr. 4. Cyropædia.*

Xenophon: Venationes & canes, inventum sunt Deorum, Apollinis ac Dianæ: qui Chironem, eo donatum, ob justitiam ornarunt. Is hoc munere accepto lætatus, utebatur: ac discipulos tum in venationibus, tum aliis præclaris rebus habebat, Cephalum, Æsculapium, Melanionem, Nestorem, Amphiaraum, Peleum, Telamonem, Meleagrum, Theseum, Hippolytum, Palamedem, Ulyssem, Menestheum, Diomedem, Castorem, Pollucem, Machaonem, Podalirium, Antilochum, Æneam, Achillem: quorum quisq; suo tempore à Diis ornatus fuit. Neq; vero miretur quispiam, eorum plerosq;, tametsi Diis accepti esset, nihilominus vivendi finem fecisse. Hoc enim naturæ tribuendum. Magnæ quidem certe laudes ipsorum exstiterunt. Nec item mirandum, quod eædem omnium ætates non fuerint. Nam vita Chironis horum omnium vitæ par fuit. Jupiter enim & Chiro fratres fuere, nati quidem illi eodem patre: verum is matre Rhea, hic Nympha Naide. Quo factum, ut hos omnes Chiro ætate præcederet; ac posteaquam Achillem instituisset, ultimus horum mortuus sit. Fuerunt autem hi propter virtutem magna hominum in admiratione, quum diligentia, quam in canibus, venationibus, aliisque disciplinis adhibebant, longe cæteris præstarent. *cap. 1.*

Cephalus certe raptus à diva fuit. Æsculapius majora consequutus est, ut mortuos suscitaret, ac morbis laborantes sanaret. Atq; has ob res & Deus est, & apud homines gloriam hominis æternam obtinet. Melanio tantum industria præstitit, ut ei soli amplissimum id temporis Atalantæ conjugium obtigerit, in cujus petitione præstantissimos tunc rivales habuit. Nestoris virtus jam ante Græcorum aures pervagata est. Itaque scientibus eam commemoraturus essem. Amphiaraus, expeditione adversus Thebas suscepta, maximam laudem adeptus, æternitatem & vitæ & honoris à diis est consequutus. Peleus in ipsis etiam Diis id sui studium excitavit; ut Thetidem ei conjugem darent, ac nuptias ipsius apud Chironē celebrarent. Tantus vir fuit Telamo, ut Peribœam Alcathoi filiam, quam expetebat, ex urbe maxima uxorem duceret: quumq; Græcorum princeps Hercules, Jovis filius, Troja capta virtutis quædam præmia largiretur, Hesionen ei dedit. Quos Meleager honores adeptus sit, novum est: quod vero in calamitatem inciderit id non ipsius culpa factum, sed patris; qui divæ in senecta fuerat oblitus. Theseus Græciæ totius hostes solus delevit, patriaq; sua non parum amplificata, etiam nunc in hominum est admiratione Hippolytus in honore apud Dianam erat, & cum ea familiariter colloquebatur: tandem ob pudicitiam pietatemq; felix habitus, vivendi finem fecit. *cap. 2.*

Palamedes dum vixit, longè sapientia sæculi sui mortales excelluit: quumq; injustè fuisset interemtus, sic ejus mortem ulti sunt Dii, ut alterius inter homines neminis. Occisus est autem non ab illis, quos nonnulli arbitrantur: quod cæteroqui non exstitisset horum alter propè præstantissimus, alter vero par egregiis: sed homines improbi facinus hoc perpetrarunt. Menestheus ex venationum studio tantum industria laborumq; tolerantia præstitit, ut Græcorū primi faterentur, eo se inferiores esse bellicis in rebus, extra unum Nestorem: qui quidem non excelluisse Menestheum dicitur, sed cū eo certasse. Ulysses, ac Diomedes, singulis in actionibus illustres exstiterunt; & ad summam, ut Troja caperetur, effecerunt. Castor & Pollux propter existimationem ex iis comparatam, quæ à Chirone percepta, passim in Græcia exhibuerunt, immortales facti sunt. Machaon & Podalirius iisdem in rebus omnibus instituti, homines & in artibus, & in dicendo, & in bellis egregii exstiterunt. Antilochus pro patre morti sese objiciens, tantum gloriæ consequutus est: ut solus apud Græcos amans patris adpellatus fuerit. Æneas paternis maternisq; Diis una cum patre conservatis, pietatis gloriam tulit: eoq; factum, ut etiam hostes illi soli inter omnes, quibus Troja capta potiti fuerant, hoc concesserint, ut suis rebus non spoliaretur. Achilles in hac educatus institutione, tam præclara magnaq; monumenta sui excitavit; ut nec dicendo, nec audiendo de ipso quisquam satietur. Atq; hi ex eo studio, quo à Chirone fuerunt exerciti, tales in viros evaserunt: qui quidem etiam nunc ab optimo quoque diliguntur, ignavis interim per invidiam eis obtrectantibus. In Græcia quidem certè si cui vel civitati, vel regi calamitas accidisset, ab ea per hos liberabantur: sin universæ Græciæ vel contentio, vel bellum adversus barbaros universos esset, per hos ipsos Græci victoria potiebantur: quo factum, ut per eos Græcia reddita sit invicta. Quapropter juvenes equidem moneo, ut neq; venationes, neq; disciplinas alias contemnant. Nam ex iis egregie ad bellum aliasque res apti fiunt, de quibus hoc consequi hominem necesse est, ut præclarè tum animo consideret omnia, tum dicat, tum gerat. *cap. 3.*

Ac primum quidem ad studium hoc venationum accedere debet is, qui jam è pueris excedit, deinde ad cæteras quoq; disciplinas honoratas se conferat: sic tamen, ut facultatum ratio habeatur, num quis ad usum suum satis magnas habeat. Sin autem, saltim alacritatem animi adferat, ac nihil omittat eorum, quæ præstare potest. Quot autem, quibusq; rebus instructus, ad hæc debeat accedere, dicam; ac præterea cujusq; disciplinam, ut his præcognitis, ita deinde opus ipsum adgrediatur. Neq; vero vulgaria quis hæc, exiguique momenti ducat: quum absq; iis res ipsa peragi nequeat. Necesse est eum, qui retium studio teneatur, lingua esse Græcū, ætate annorum plus minus viginti, forma corporis agilem & robustum, animo satis parato: ut per hæc superatis laboribus, ipso ex opere delectationem capiat. Retia de Phasiano, vel Carthaginensi lino tenui, facta esse debent; itemq; casses ad vias collocatæ, ac plagæ majores. Constent autem retia de filis novem, & magnitudinem habeant spithamarum quinq;, laquei palmos duos æquent. Margines sive circuitores plagarum enodes relinquantur, ut moveri facile possint. Casses ad itinera collocatæ filorum sint duodecim, quæ quidem ad ulnarum duarum, vel quatuor, vel quinque spatium extendantur: majores vero plagæ ad ulnas decem, viginti, triginta. Quod si majora fuerint, tractari non facile poterunt. Utraq; nodos habeant triginta, laqueorumq; par sit intervallum, ut in retibus. In summis limbis eæ casses, quæ in viis collocantur, mammillas, quas vocant, habeant: majores plagæ, annulos: circumactores de funiculis tortis conficiantur. Furculæ retium longitudine palmos decem æquent, nonnullæ minores sint. Harum quæ inæquales sunt, in locis ex altera parte declivibus æquales ad altitudines retia tollāt: æquales autem, in locis planis adhibeantur, Atq; hæ quidem in summo læves sint, & circumflecti facile debent. Furculæ cassium ad vias collocatarum duplo sint majores. Plagarum denique furculæ, quibus feræ grandiores capiuntur, magnitudine quinq; spithamas æquent, & partes illas bifidas parvas habeant, neq; profundè incisas. Omnes tamen firmæ sint, atque ita factæ, ut spissitudo longitudini respondeat. Furculis ad retia vel multis, vel paucis, quum vehementer,

dum

dum conſiſtunt, extenduntur: pluribus; quum remiſſius. Adſint etiam, quo includantur tam retia quam plagæ, culleus è corio vitulino, itemq; falces: ut cæſa materia, quædam abſtrui, prout uſus poſtulat, poſſint. *cap.* 4.

Canum genera duo ſunt. Aliæ caſtoriæ, aliæ vulpinæ. Caſtoriis inditum hoc cognomentum, quod Caſtor ex venandi labore voluptatem capiens, eas potiſſimum apud ſe retinuerit: vulpinis, quod ex canibus & vulpeculis natæ ſint, earum natura temporis diuturnitate tamdem plane commiſta. Hæ & deteriores, & plures ſunt, exiguæ, naribus aduncis, oculis fulvis, luciosæ, deformes, rigidæ, debiles, pilis rarioribus, proceræ, proportione corporis non concinna, non animoſæ, naribus idoneis deſtitutæ, vitioſæ pedibus. Ac exiguæ quidem, ob parvitatem, ſæpenumero in venationibus operam perdunt: quibus naſus aduncus eſt, ore idoneo deſtituuntur, ac propterea leporem retinere nequeunt: luſcioſæ, fulviſq; præditæ oculis, deteriores habent oculos: deformes, adſpectu turpes ſunt: rigidę, difficulter è venationibus digrediuntur: debiles, ac pilos habentes rariores, tolerare labores nequeunt: quib. altiora, nec proportione ſatis ſunt concinna corpora, gravate diſcurſitant: non animoſæ, labores relinquunt, ex ſole ſub umbras ſe recipiunt, humi procumbunt: quæ nares bonas non habent, vix ac raro leporem ſentiunt: quibus pedes vitioſi ſunt, etiamſi ſint animoſæ, labores tamen perferre nequeunt, adeoq; propter pedum dolorem deficiunt. Veſtigationis per eoſdem canes modi complures ſunt. Etenim nonnullæ quum veſtigia deprehenderunt, nullo de ſe indicio dato pergunt; ut non animadvertatur, inveſtigationi eſſe intentas. Aliæ movent ſolas aures, cauda non mota. Aliis aures immotæ manēt, extrema tantum cauda nonnihil quaſſata Aliæ contrahunt aures, ac vultu triſti per veſtigiū defixo, caudaq; demiſſa, & inter crura condita, diſcurrunt. *cap.* 5.

Multæ nihil horū faciunt, ſed inſano more veſtigia circumlatrãtes obeunt, quum in ea inciderint, ac indicia temere cōculcant. Sunt quæ multis ambagibus & errorib. utentes, dum ſuſpicantur antrorſum tendere veſtigia, leporem relinqunt: & quoties ad veſtigia accurrunt, conjecturam faciunt: ſed ubi leporem vident, trepidant; ne prius invadunt, quam illum ſe loco movere conſpexerint. Quæ vero indagando & tranſcurrendo aliorum canum inventa præcipiunt, hæ frequenter reſpicientes, ſibi ipſæ non credunt. Feroces vero ſunt, quæ peritas venationis ſocias progredi non ſinunt, ſed cum ſtrepitu eas repellunt. Aliæ veſtigiis falſis inhærent, & quidquid tandem ſit, in quod inciderint, nimia cū oſtentatione procurrunt, ſuæ ſibi fraudis conſciæ. Quædam hoc idem faciunt inſciæ. Nullius pretii ſunt, tritis è tramitibus declinant, ut veſtigia recta ignorantes. At quæcunq; canes veſtigia cubilium ignorant, curſu vero impreſſa celeriter percurrunt, non ſunt indolis bonæ. Rurſum pars ab initio vehementes in perſequendo, præ mollitie deinde remittunt, pars incurſu ſequuntur alias, ac deinde aberrant. Quædam in vias ſtultè incidunt aberrantq;, & revocantes haudquaquam facile exaudiunt. Multæ ferarum odio, pleræq; hominum deſiderio, perſequutione omiſſa, recurrunt. Nonnullæ ex veſtigiis latratu abducere tentant, pro veris falſa ſimulantes. Sunt quæ hoc non faciunt, ſed inter currendum, ſicunde clamorem audierint, adhunc relicto labore ſuo temere feruntur. Et aliæ quidem ex nulla certa conjectura curſum mutant, pleræq; multum ſibi promittentes, aliæ quadam ex opinione, nonnullæ per ſimulationem, aliæ per invidiam ſic à veſtigio recedunt, ut ſemper alias ſectentur. Hæc vero vitia pleraq; canibus inſunt à natura, quædam etiam quod educentur inſcitè, parum utiles evadunt. Et hujuſmodi quidem canes, ſtudioſos etiam venationis homines avertere poſſint. *cap.* 6.

Quales autem ejuſdem generis eſſe debeant, quod formas attinet, & alia ejuſmodi, dicam. Primum igitur magnas eſſe oportet, deinde levia habere capita, ſima, nervoſa, inferiori frontis parte fibroſa; oculos ſublimes, nigros, claros, magnas frontes, ac latas, diſcrimina profunda; parvas aures ac tenues, poſteriore parte glabras, cervices longas, molles, ac flexiles; pectora lata, non macilenta; ſcapulas, ab humeris parum diſtantes, anteriora crura, parva, recta, teretia, firma, flexus crurum, rectos, latera non admodum profunda, ſed in obliquum tendētia; lumbus carnoſos, magnitudine media inter ea, quæ longa & brevia ſunt; ilia nec valde mollia, nec rigida inter magna & parva; coxas teretes, poſterius carnoſas, ſuperius non connexas, interius cōtractas, inferiora ventris, cum ipſo ventre, laxa; caudas longas, rectas, flexiles; femora non dura; partes femoribus ſubjectas longas, teretes, ſatis ſpiſſas; poſteriora crura prioribus multo grandiora, & ſuperiore parte incurva; pedes, rotundos. Quod ſi canes hujuſmodi fuerint, robuſtæ erunt, ſpecies agiles, aptæ proportionis, celeres & elegantes adſpectu, oreq; idoneo. Sed ita veſtigent, ut tritis hominum tramitibus celeriter excedant, capita terræ obliqua admoventes ad veſtigia ſubrideant, aureſq; dimittant, oculos hinc inde crebrò moveant, & caudis blandientes, multis in utrumq; latus ambagibus per veſtigia ſimul omnes progrediantur. Sed ubi ad leporem ipſum acceſſerint, tum vero id venatori ſignificent curſitando celerius, atque idem indicantes ipſo motu animi, capite, oculis, mutatione ſignorum ac indiciorum, acie modo ſurſum, modo in leporis directa retrorſum in tranſverſa; diverſo impetu in anteriora, & reabſe iam arrigendo animum, ac geſtiendo, quod a lepore non procul abſint. Totis autem viribus perſequantur, nec remittant, haud abſque ingenti clamore ac latratu ipſo cum lepore qualibet evadentes; ac veloci ſplendidoque curſu eum premant, identidem proruendo, juſtaque de cauſſa latratu altiori utendo; nec tamen ad venatorem, omiſſis veſtigiis, redeant. *cap.* 7.

Præterea hanc ſpeciem, & hanc venandi rationem, requiritur; ut animoſæ ſint, & pedibus, & naribus, & pilis bonis inſtructæ. Animoſæ erunt, ſi venationem æſtu incumbente non deſerant: narium bonarum, ſi leporem nudis in locis, aridis, apricis, & ſub acceſſum ſideris odoratu deprehendant: bonis præditi pedibus, ſi eodē anni tempore, dum montes percurrunt, pedes eorum non findantur: pili boni, ſiquidem is & ſubtilis ſit, & ſpiſſus, & mollis. At colore canes eſſe oportet minime rufo, neq; nigro, neq; candido prorſus. Quippe non index hic indolis generoſæ, ſed vulgaris ac ferinæ. Si rufi nigrive coloris fuerint, villos candidos; ſi candidi, rufos habeant, circum frontem nitentes. In ſummis femorum partibus pilos habeant rectos & longos, itemq; in lumbis & cauda infima; ſuperius autē, mediocres. Satius autem fuerit per montes ſæpe, per rura ducere canes rarius. Nam montes perveſtigari poſſunt, & abſq; impedimentis hinc inde liquido percurri: quum tramitum cauſa neutrum cultis in locis fieri poſſit. Quinetiam ſi maxime lepus aliquis haut inveniatur, tamen per aſpera loca ducere canes prodeſt: quum pedes hinc bonos conſequantur, & corpora in hujuſmodi locis exercentes, meliores evadant. Ducantur autem æſtate, uſq; ad meridiem: hyeme, per totum diem: autumno extra meridiem: vere intra veſperam. Ineſt enim his mediocritas. *cap.* 8.

Cæterum leporis veſtigia procul hyeme ſe porrigunt, quia longæ ſunt noctes: parum autem æſtate, ob rationem noctis contrariam. Nec vero hyeme olent diluculo, quum pruina fuerit, aut gelu. Pruina enim vi ſua calorem in ſe contrahens, intra ſe retinet: gelu autem denſat. Quæ quum acciderint, ob teneritatem narium carnes prius ſentire non poſſunt, quam ſol dieſve procedens, ea ſolvat. Tunc & canes olfaciunt, & ipſa veſtigia dum evaporant, redolent. Delet etiā ea delapſus ros multus. Imbres item, qui longioribus intervallis cadunt, eductis terræ odorib. faciunt, ut difficulter oleant veſtigia, donec tellus exſiccetur. Etiam tempeſtas auſtralis deteriora facit, dum humectans diffundit: ſeptentrionalis vero, ſi nimis ſæva non ſit, durabilia reddit, & ſervat. Tam pluviæ, quam guttæ diluunt, & inundant. Lunæ quoq; calor facit, ut evaneſcant veſtigia, præſertim quū plena eſt. Et veſtigia tunc quidem rariſſima ſunt, quod gaudentes ejus luce lepores inter ſe colludant, & procul ſe jactando magnis intervallis veſtigia diſtinguant. Eadem turbantur, quum vulpes antea pertranſierint. Ver propter anni temperiem, ſatis clara præbet veſtigia: niſi quod terra, ſicubi floret; canibus officit, dum in unum contundit florum ac veſtigiorum odores: Æſtate vero exilia ſunt, & obſcuriora. nam terra fervens abolet, quidquid halitus & coloris habent. Eſt enim is tenuis, & canes tunc minus olfaciunt, quod eorum corpora reſoluta langueant. Autumni tempore veſtigia pura ſunt. Nam quæcunq; terra producit, ſive domeſtica, jam congeſta ſunt; ſeu agreſtia, ſenio contabuerunt. Itaq; fructuum odores ad veſtigia non ita feruntur, ut quidquam obſint. Itidem hyeme, & æſtate, & autumno recta ſunt ut plurimum veſtigia, vere autem inter ſe perplexa. Nam coit hæc fera quum aliis ſemper, tum hoc tempore inprimis: ut à ſimul oberrantib. hanc ipſam ob cauſam id neceſſario fieri oporteat. Olent autem veſtigia cubilibus impreſſa diutius, quam in curſu. Nam illa cubilium inſiſtendo; curſus veſtigia currendo lepus imprimit. Itaque terra per illa denſatur, his non impletur. In ſilvoſis vero locis redolent, magis quam nudis. Siquidem modo percurrens Lepus, modo ſeſſitans multa contingit. *cap.* 9.

Procumbit autem ad ea, quæ terra gignit, vel ſuperficie ſua continet, & quidem ſub re quavis, ſuper re quavis, in rem quamvis, itemque propius, longius; diu, parum, mediocriter, & in mare nonnunquam ad id quod poteſt, exſiliens; & in aquam, ſi quid exſtans, innatumve ſit aquæ. Lepus igitur cubans eſt, qui cubile ſibi ſtruit, idq; ut plurimum, quum frigora ſunt, tepidis in locis; quum æſtus, in opacis; quum ver & autumus, in apricis: alia curſitantium eſt ratio propterea, quod eis terror à canibus incutiatur. Sic autem procumbit, ut partes inferiores ſubter ilia colloce, cruribus anterioribus ut plurimum compoſitis & exporrectis, mento extremis pedibus impoſito, auribus ſupra ſcapulas expenſis. Deinde partes etiam molliores tegit. Habet & pilos ad tegendū aptos, quippe qui denſi ſint ac molles. Quum vigilat, nonnihil connivet palpebris: quum dormit, palpebras nullo cum motu apertas habet, oculis manentibus immotis. Nares per ſomnum frequenter movet, extra ſomnium rarius, Quum terra pullulat, culta magis, quam montes retinent. Ubiq; ſubſiſtit, dum inveſtigatur: niſi ſi noctu ingens eum metus invaſerit. Id ei quum accidit, loco ſe movet. Tam fœcundum eſt animal, ut partim recens pepererit, partim pariat, partim uterum gerat. Parvorum lepuſculorum veſtigia magis olent, quam adultorum. Nam quum membra eorum adhuc mollia ſint, tota quaſi tractim terram ſtringunt. Quicunque recens editi ſunt admodum, eos venationum ſtudioſi Dianæ dimittunt. Anniculi curſum primum celerrime conficiunt, reliquos non item. Sunt enim agiles quidem illi, ſed imbeciles. *cap.* 10.

Veſtigia leporis captanda ſunt ita, ut ex arvorum parte ſuperiori canes ducas, præſertim ſi lepores fuerint, qui ad loca culta non veniunt, in prata, in ſaltus fluenta, ſaxa, loca ſiluoſa. Quod ſi loco ſe moverit, clamandum non erit; ne canes adtonitæ, veſtigia difficulter adgnoſcunt. Quum inveniuntur à canibus, iiſdem inſequentibus nonnunquam flumina tranant, & curſum flectunt, & in convalles ſe abducunt ac involvunt. Non enim canes tantum metuunt, ſed etiam aquilas; à quibus inter ſuperãdum loca devexa ſilviſq; nuda,

dum

dum adhuc anniculi ſunt, rapiuntur: majores à canibus impetu facto auferuntur. Velociſſimi ſunt montani, campeſtres minus, paluſtres a. longe tardiſſimi. At qui locis omnib. oberrant, moleſti ſunt in curſu. Norunt enim itinera cōpendiaria, & maxime currunt per acclivia, vel plana: ſi quæ ſunt luca inæqualia, & hæc inæqualiter percurrunt; per declivia minime feruntur. In perſequēdo maxime conſpiciuntur, quū per agrum ſubactum currunt, ſi quidem rubor quidam eis adſit: itemq; per ſtipulas propter ſplendoris reflexionē. ſunt etiam in tramitib. ac viis conſpicui, ſi quidē hæ planæ fuerint. Nam & quod in eis nitidum eſt, reſplendet. Conſpici nequeunt, quū ad ſaxa, montes, loca ſuberoſa, ſilviſq; denſa ſecedunt, idq; ob coloris ſimilitudinem. Si canes antevertant, ſubſiſtunt; ſeq; humi collocatos erigunt, & num alicubi latratus ſtrepituſve canum in propinquo ſit, auribus captant: & undecumq; hunc percipiunt, inde ſe avertunt. Interdum tametſi nihil audierint, opinione tamen, ac perſuaſione ſua, propter eadem, & per eadem loca variatis ſaltibus, & in veſtigia veſtigiis aliis impreſſis ita deinde diſcedunt. Curſu longiſſima ſpatia cōficiunt, qui nudis in locis reperiuntur, quod ea ſatis lucis habeant; breviſſima, qui in ſilvoſis: quod tenebræ ſint eis impedimento. *cap.* 11.

Duo ſunt a. eorum genera. Nam alii magni ſunt, notis nigris varie diſtincti, qui & albedinem in fronte inſignē habent: alii minores, ſubflavi, exigua cum albedine. Cauda illis undiq; varia eſt, his albedine inſignis longiore ſpatio. Oculi illis ſubfulvi, his ſubcæſii. Quā circa ſummas aures nigredinem habent, ea magna eſt in illis, in his exigua. Minores maxime in inſulis, tū deſertis habitatis & excultis reperiuntur: atq; adeo plures ſunt in iis q̃ in terra cōtinente. Quippe nec in pleriſq; vulpes ſunt, quæ tum lepores, tū fœtus eorum interficiunt; nec aquilæ, quæ magis in montib. vaſtis degunt, quā exiguis. Et ſunt in inſulis plerumq; montes minores. Venatores etiā raro in deſertas inſulas veniūt, & in iis, quæ incolūtur, pauci ſunt homines, neq; venationis ſtudioſi. Quæ vero ſacræ ſunt inſulæ, in eas haud fas eſt canes tranſvehi. Quo fit, ut quū pauci de iis, qui jam illic exiſtunt, venando capiantur, & plures ſemper gignantur; neceſſario magna ſit eorū copia. Multæ ſunt autē cauſſæ, quāobrem lepores acutum non cernant. Nam & oculos habent exſtantes, & palpebras curtas, quæq; ſatis oculos obtegere nequeunt: quibus ſane rebus videndi vis hebes redditur, quippe quæ diſſipetur. Præterea quū etiam ſomno plerumque fruitur hoc animal, parum inde tamen ad viſum adjumenti habet. Ipſa pedū velocitas ad obtuſionem facultatis cernentis non parum cōfert. Nam celeriter ab objecto quovis oculos prius avertit, quam quid ſit, animadvertat. Etiam canum perſequentiū comites, ipſæ formidines, inter alia providentiā omnē eis adimunt. Quæ cauſſæ ſunt, ut imprudens irruens in multa, etiam in retia incidat. Quod ſi recta via fugeret, non frequenter hæc illi acciderent. Nunc quia complectitur atque amat ea loca, quibus in locis & ortus & educatus eſt, capitur: quum cæteroquin ob celeritatem, in canum poteſtatē, inſiſtentiū ipſius veſtigiis, raro perveniat. Quod ſi qui capiantur, id caſu potius quodam fit, quam natura corporis leporini. Quippe nullum animal eſt, quod lepori magnitudine par, eum curſu æquet. *cap.* 12.

Ejuſmodi ſcilicet ex partib. corpus ejus compoſitum eſt. Caput leve habet, idemq; parvum, deorſum ſpectans, anteriori parte ſtrictius: collum exile rotundū, non rigidum, juſta longitudine: ſcapulas rectas, à ſummo non connexas: crura ſub ipſis levia, partib. recte junctis: pectus haudquaquam anguſtum: latera levia, proportionis aptæ: lumbos teretes, cavos, carnoſos: ilia mollia, ſatiſq; laxa: coxas rotundas, undiq; plenas, parte ſuperiori à ſe invicem debito ex intervallo diſtātes: femora oblonga, ſatis ſpiſſa, extrinſecus tenſa, interius non turgida: partes his ſubjectas, parvas, firmas: pedes anteriores ſummopere molles, anguſtos, rectos; poſteriores firmos latos; omnes nihil, quod aſperū ſit, curantes: crura poſteriora prioribus longe majora, nonnihil extrorſum incurvata: pilos breves, ac leves. Quapropter fieri non poteſt, quin quod ex hujuſmodi partibus compoſitum eſt, firmum ſit, molle, vehementer leve: cujus quidem levitatis agilis indicium eſt, quod quum etiam remiſſius aliquo pergit, ſaltare ſolet (gradientem nec vidit quiſquam, nec videbit) adeo quidē, ut ultra extraq; priores pedes collocet poſteriores, itaq; currat. Manifeſto paret hoc in neceſſitate. Caudam habet ad curſum minus commodam. Non enim propter brevitatem ad dirigēdum corpus idonea eſt, ſed hoc utraq; facit aure. Quumq; in eo eſt, ut capiatur à canibus, alteram aurem demittit, & detorquet obliquam; & utra tandē parte læditur, in hanc innitens, hoc modo celeriter ſeſe flectit, exiguo temporis ſpatio longe canib. irruentib. poſt ſe relictis. Adeo lepidum vero animal eſt, ut nemo ſit; qui, ſi eum videat, dum veſtigatur, dum invenitur, dum curſu petitur, dū capitur, cujuſvis rei caræ non obliviſcatur. At inter venandum in locis cultis, à fructibus venator quorumvis anni temporum abſtineat, latites & flumina relinquat intacta. Nam ut ea tangere fœdum ac improbum eſt; ita legem venatoriam violant, qui hoc faciunt. Quod ſi nulla ſe fera obtulerit, ad venationem pertinentia refigenda ſunt omnia. *cap.* 13.

Canum ornatus ſunt collaria; lora, cinctus. Collaria quidē mollia ſint, & lata, ne pilos canum adterant. Lora pro manib. anſas habeant, præterea nihil. Nec enim recte canes retinent ac ſervant, qui collaria de loris conficiunt. Cinctus habeant lora latiora, ne canum ilia terant. Muniti ſint etiam inſutis aculeis, ut genus ſuum conſervent. Venatum canes non educuntur, ſi cibos, qui offeruntur, non lubenter accipiant, quod in eis minus cōmodæ valetudinis indiciū eſt; nec ſi flatus venti magnus ſit. Is enim diſſipat veſtigia, nec canes tunc odorari, nec ſagenæ retiave ſtare poſſunt. Quod ſi horum neutrum impediat, ad tertium quemq; diem educūtor. Nec vulpes perſequi adſueſcant canes, id enim eos maxime corrumpit, ut quū oportet, numquam præſto ſint. In educendo mutanda loca venationum, ut & canes venādi, & venator ipſe regionis peritus evadat. Exeundum eſt a. diluculo, ne veſtigatio fruſtra fiat. Quippe qui venatum ſerius educunt, canes inventione leporis, ſeipſos fructus perceptione fraudant. Etenim veſtigii natura, quū ſubtilis ſit, quovis anni tempore diu nō durat. Veſte cuſtos retiarius minime ponderoſa indutus, venatū exeat. Retia collocet ad vias nemorū aſperas, declives, laxas, caliginoſas; ad rivos, convalles, aquas perennes. Ad hæc enim loca præcipue lepus ſe fuga confert. *cap.* 14.

Innitum aliquid; alia dicere, quæcunq; huc pertinent. Aditus, tranſitus, manifeſti, ſubtiles, verſus diluculum, non ante lucem faciundi: ne ſi retia prope feras inquirēdas tendantur, audiens ſtrepitum fera terreatur. Sin magnum interſit ſpatiū, minus ante lucem aliquis ire prohibetur, ut loca retibus tendendis expurget. Ne quid autē eis obſtet, furculæ infigēdæ ſunt ſupinæ; ut plagæ magis tentæ ſint, quum adducuntur. Summis furculis totidē laqueos indat, pariq; modo fulciat, attollens in medio concavitatē plagæ. Ad marginem plagæ lapidem oblongum magnumq; adnectat, ne rete, quū leporem tenuerit, in contrariam partem tendat. Longa vero & alta indagine cingat, ne forte lepus tranſiliat. In ipſis inveſtigationibus nulla interponenda mora. Quippe venatoris eſt, & induſtrii quidē, celeriter omnino feram capere. Retia majora in planitie tendat: caſſes autem in vias conjiciat, & opportunis extra ipſos tramites locis caſſium margines ad humum religans limbos ſummos cōtrahens, inter oras rete ſuſtollentes furculas figens, funiculos ſummis furculis tenſiles imponat, & intervalla retium, quib. evadere fera poſſet, obſtruat. Deniq; circumiens undiq; obſervet. Si vel indago, vel rete inclinaverit, erigat. Leporem vero, dum ad ſagenas agitur, antrorſum recta currere ſinat, ipſe cum clamore poſt eum currat: atq; ubi jam in caſſes inciderit, canum iram, non eos attingendo, ſed verbis mitigando compeſcat: & venatori clamore ſignificet, vel captum eſſe, vel hac illacve tranſcurriſſe, vel non ab ſe viſum, vel jam conſpici. *cap.* 15.

Venator autem neglecto leviq; veſtitu amictus, itidemq; calceatus, venatum exeat, manu clavam geſtans; eumq; retium cuſtos ſequatur. Ad venandum vero taciti accedant, ne lepus, ſi forte alicubi ſit in proximo, vocem audiens loco ſe moveat. Canibus ad ſilvam, ſeorſum ſingulis, ita religatis, ut facile ſolvi poſſint; caſſes & retia majora, ceu dictum, erigunto. Inde retiū cuſtos excubiam agat, venator ipſe canibus ſecum ſumptis ad prædā in caſſes adducendam abeat. Votis hinc Apollini & Dianæ; quæ ruri colitur, de impertiendis primitiis prædæ nuncupatis canē unum ſolvat, quæ veſtigandi peritiſſima ſit, idq; ſi tempus ſit hibernum ipſo cum ſolis ortu, ſi æſtas, ante diem; aliis anni temporibus, quodā inter hæc tēpore medio. Poſtquam canis iſta rectum feræ veſtigium ex aliis variatis & implicitis eruerit, alterā quoq; ſolvat. Dū vero veſtigii finis ab his quæritur, interjecto tempore nō magno, ſingulatim & alias dimittat, ipſeq; ſequatur, nō urgens tamē, ac unāquamq; nominatim adpellet, nec id quidē ſæpius, ne ante tempus iritentur. Hæ vero præ gaudio & animi ardore procedunt, veſtigia cujuſmodi ſunt, dupla, tripla, evolventes, hac illac, proruentes, ad eadem, per eadē variata, in orbem acta, recta, curva, denſa, rara, nota, ignota, prætercurrentes ſe invicem, caudas celerius quatientes, aures inclinantes, oculis coruſcantes. Ubi vero prope leporem erunt, hoc ipſum venatori ſignificabunt, una cum caudit corpora tota cōcutientes, bellico more irruentes, certatim procurrentes, ſtudioſe concurrentes, cito ſe conjungentes, viciſſim à ſe diſcedentes, ac rurſus irruentes. Tamdem ad leporis cubile pervenient, & in ipſum incurrent. Ille repente ſubſiliens, canum in ſe latratum & clamorem fugiendo convertet. Ipſi vero inter perſequendum clament, Jo canes, Jo ſegnes, certo canes, Recte ô canes. *cap.* 16.

Venator obvoluto manui, quocumq; circūdatur, clavaq; ſumta, ſimul incitato curſu more canum feratur, & leporis quidē à tergo, non ut ei occurrat. Nam venatoris hoc imperiti. Lepus a. ſe ſubducens, & celeriter ex oculis ſe proripiens, rurſus ea plerumq, loca circuit, quib. in locis inveniebatur. Exclamet autem venator, In eum puer, In eum puer, Puer inquam, Puer heus. Ille vero ſignificet, captus ſit, necne. Quod ſi primo curſu captus fuerit, revocatis canibus alium quærat: ſin minus quam celerrime poteſt canum more currat, nec deſiſtat, ſed ſtudioſe omnia pervadat. Quod ſi rurſum perſequentes leporē canes occurrerint, exclamet: Recte, recte, ô canes, ſequimini canes. Si canes eū longe anteverterint, ac jam citato canum more curſu ad eas pervenire nequeat, ſed ab ipſo curſu aberraverit, aut eas in propinquo vagantes, aut adlatrātes, aut veſtigiis inherentes videre non poſſit: in trāſcurſu, ad quemcumq; propius venerit, exclamans interroget: Heus tu, vidiſtine canes? Ubi jam cognoverit, tum vero, ſi in veſtigio fuerint, accedens hortetur, toties cujuſq; canis nomen viciſſim afferens, quoties poterit; & vocis intentionē formet in ſonum acutum, gravē, parvum, magnum. Præter alias vero incitationes, ſi curſu lepores in monte petantur, ſic etiam hortetur: Belle canes, bellè o canes. *cap.* 17.

Sin autem veſtigiis non inhæreant, ſed exceſſerint, tunc eas revocet in hunc modum: Retrorſum, retrorſum, ô canes Sed poſtquam

veſtigiis adſtiterint, circumducat eas, orbes multos crebroſq; faciẽs: & ubicumq; obſcura ipſis veſtigia fuerint, ſignũ ſibi ſtatuat, ipſam indaginem: hinc eas & exhortando & blandiendo colligat, donec manifeſto veſtigia cognoverint. Illæ vero, ſimul ac clara erunt veſtigia, ſemet in ea conjicientes, adſilientes, conſociantes, ſuſpicantes, notantes, fines ſibi notos ſtatuentes, cito leporẽ curſu inſequentur. Sed cum ille ſic per ipſum veſtigium frequenter huc illucque proſiliunt, venator ſe reprimens, cum canibus minime currat; ne contentione quadam veſtigia prætereant. At quum juxta leporem erunt, idq; venatori clare oſtendent: obſervet, ne metu canum loco ſe movens, anterius proruat. Illæ vero cum caudis hinc inde ſe jactantes, in ſe ipſas ruentes, ſaltu ſe attollentes ſæpius, adlatrantes, capita ſupra modum erigentes, venatorem inſpectantes, hæc vera jam eſſe veſtigia per ſeipſas adgnoſcentes, ita demum leporẽ excitabunt, & cum latratu invadent. Quod ſi lepus in caſſes inciderit, aut exterius, aut interius evaſerit, ad unum quodq; horum cuſtos retium clamorem tollat: &, ſi captus fuerit, alius inquiratur; ſin minus, iiſdem ut ante concitationibus utendo, perſequendus erit. Sed ubi jam ſerum diei fuerit, canib. propemodum inſequendo defatigatis; tum vero leporem venator & ipſum curſu defeſſum inquirat, nihil eorum relinquens inexcuſſum, quæ terra producit, aut ſupra ſe continet, ſed crebro ſe huc, illuc convertat, ne prætereatur. Procumbit enim paullo momento lepus, nec ſurgit præ laſſitudine ac metu. Secum autẽ ducat in eum canes, & incitans has, & verbis animos addens, ſiqua hominis eſt ſtudioſa, pluribus: ſi cõtumax, paucis: ſi has intermedia, mediocriter: donec leporẽ vel veſtigio perſequens interfecerit, vel in retia compulerit. Poſt hæc a. ſagenis retibuſq; ſublatis, canes avocet, & à venatione diſcedat, alicubi ſubſiſtens, ſi meridies æſtivus ſit, nec canũ in itinere pedes urantur. *c.18.*

Hyeme ſublevatas laboribus, ad fœturã admittat: ut quietẽ nanctæ, verno tempore ſubolẽ generoſam producant. Nam hoc anni tẽpus ad canum incrementa maxime convenit. Sunt a. dies quatuordecim, quibus hac neceſſitate urgentur. Ad egregios vero canes, dũ otio & quiete fruuntur, eas admittat; ut celerius cõcipiant. Ubi jam uterum geſtãt, adſidue venatũ eas non educat, ſed aliquo interpoſito ſpatio; ne ſtudio laboris ſibi perniciem adferant. Uterum geſtant dieb. ſexaginta. Catulos, quum nati fuerint, ſub ea relinquat, quæ partũ edidit; nec alteri cani ſubjiciat. Nam alienæ curationes ad incrementa parum conferunt. Matrum vero & lac, & halitus bonus eſt, & complexus grati. Quum jam aberrant catuli lac eis ad annum uſq; præbeatur, cum eſcis, quibus omnem ætatem victitaturi ſunt, ac præterea nihil. Graves enim repletiones catulorum crura diſtorquent, morbos corporibus in generãt, interiora minus proba reddunt. Brevia vero nomina eis indantur, ut evocari facile poſſint. Et eſſe hujuſmodi debent: Pſyche, Thymus, Porpax, Styrax, Lonche, Lochos, Phrura, Phylax, Taxis, Xiphõ, Phonex, Phlegon, Alce, Teuchon, Hyleus, Medas, Porthon, Sperchon, Orge, Bremon, Hybris, Thallon, Rhome, Antheus, Hebe, Getheus, Chara, Leuſon, Augo, Polys, Bia, Stichon, Spude, Bryas, OEnas, Sterros, Crauge, Cænon, Tyrbas, Sthenon, Æther, Actis, Æchme, Noes, Gnome, Stibon, Horme. *cap. 19.*

Ad venationem vero catulos educat, fœminas menſium octo; mares, decem. Ad veſtigia cubilium eos nõ ſolvat, ſed laxatos longis retinens loris, canes veſtigantes ſubſequantur & catulos per veſtigia currere ſinat. Ubi jam lepus reperitur, ſiquidem catulorum ſpecies ad curſum egregie comparata ſit, non ſtatim eos dimittat: ſed ubi curſu lepus aliquod ſpatium anticipaverit, ut jam non amplius eum intueatur, ibi tum catuli laxãdi erunt. Nam ſi ſpecie præditos egregia, & ad curſum animoſos, cõminus ſolvat; intuentes hi leporẽ, præ contentione rumpuntur, quũ necdum habeant corpora ſolide cõpacta. Quapropter hoc venatori cavendũ. Sin ſpecies turpis ad curſum parũ idoneas arguat, nihil impedit, quo minus abeant. Non enim malũ hoc illis accidet, quum ab initio parũ ſpei ſit; futurũ, ut leporem capiant. Veſtigia vero quæ curſu lepus impreſſit, catulos inſequi ſinat, donec eum invenerint. Ubi lepus ab eis capitur, diſcerpendum iiſdem tradat. Quum ad retia manere nolunt, ſed palantes hinc inde diſperguntur; revocet eos, donec ad currentes invenire leporẽ adſueſcant: ne ſemper eum abſq; ordine quærẽtes; tamdem canum à ſocietate ſe removeant, quod in eis documẽtum non probatur. Itaq; dum juvenes ſunt, ad caſſes eis eſcas objiciat, ubi quid invenerint, ad eſcas redeuntes non amittantur. Hoc vero non amplius faciundũ, quum infeſtis erunt in ferã animis, & hanc magis adpetent, quã eſcas. Plerumq; vero canib. ipſe venator cibos objiciet. Nam quum eis non indigent, paſcentẽ non adgnoſcunt: at quum avide cibum ad petentes, accipiunt, diligunt eum, qui offert. *cap. 20.*

Lepores inveſtigandi ſunt, quum nix ita ceciderit, ut terrã operiat. Quippe ſi nivi loca quædã hyeme nigricantia ſint interjecta, difficilis erit inveſtigatu lepus. Quum ningit flante borea, veſtigia diu manifeſta exſtant. Non enim cito liqueſcunt. Sin & auſter ſpiret ac ſolis ſplẽdor accedat, pauxillum durant, cito diffluentia. Quũ vero nix continuo cadit, veſtigatione nulla utendum. Nix enim veſtigia tegit. Nec item ſuſcipienda, quum magni ventorũ flatus ſunt. Quippe nivẽ congerens ventus, veſtigia delet, ut cõſpici nequeant. Quapropter ad hujuſmodi venationem cum canibus exeundum non eſt, quandoquidem nix & canum nares adurit, & pedes, & leporis odorem gelu nimio cogit evaneſcere: ſed ſumtis retibus venator, alio ſibi adjuncto, cultis à locis ad montes tranſeat, & quum veſtigia deprehenderit, ſecundum ea progrediatur. Si variata ſint, ex iiſdem in eadem redẽs, multis ambagibus circumeat, & exitum eorum quærat. Non parum vero lepus oberrat, dubius ubi procumbat. Simul in ipſo inceſſu, quodam uti adſuevit artificio, quod hinc peti perſequendo ſoleat. Ubi veſtigium adparuerit, antrorſum progrediatur. Deducetur autẽ vel ad locum vel opacum, vel abruptum quod venti nivem trans ejuſmodi loca ferant. Itaq; leporinis cubilibus illic idonea loca multa reliquuntur, quæ quidem lepus ipſe quæritat. Quum vero veſtigia venatorem ad hujuſmodi loca ducent, non accedat propius, ne lepus ſe loco moveat; ſed per ambages circumeat. Nam ſpes eſt, illic eſſe leporem: ſtatimq; parebit hoc quum inde veſtigia nullũ in alium ſe locũ ulterius porrigent. Ubi conſtiterit, leporẽ illic eſſe; relinquat eum ibidẽ, veluti manſurũ: & alium quærat ante, quam evaneſcant veſtigia; temporis apud animum rationẽ habens, ut ſi alios quoq; reperiat, reliquũ diei leporibus indagine cingendis ſufficiat. Quũ ſatis temporis erit, retia ſingulis obtendat eodem modo, quo in locis nigricantibus: ita quidẽ, ut ubicumq; fuerit, includatur. Retib. autem jam erectis, accedens leporẽ excitet. Quod ſi fuerit elapſus è retibus, p veſtigia ſequatur: quoniã ad alia lepus ejuſmodi loca perveniet, niſi forte in ipſam nivem ſe depreſſerit. Itaq; venator, ubi conſideraverit, quo loco ſit, retibus eum cinget. Si non ſubſiſtat, curſu inſequetur. Nam ſine retibus etiã capietur. Quippe celeriter animum deſpondet, tum ob nivis altitudinem, tum etiam propterea, quod quum inferius ei pedes hirſuti ſint, magna nivis moles eis adhæreat. *cap. 21.*

Hinnulis cerviſq; venandis Indiæ canes adhibendæ ſunt. Nam eæ robuſtæ, magnæ, veloces ſunt, nec puſillanimes: & quũ tales ſint, ad labores quoq; ſufficiunt. Ac teneræ quidem ætatis hinnulos verno tempore venetur. tunc enim naſcuntur. Sed primum lucos ingreſſus, in quibus cervi plurimi ſunt, omnia contempletur, & ad locum, in quo fuerint, canum magiſter cum canibus & jaculis ante lucẽ veniens, canes à ſilva procul religet; ne, ſi cervam viderint, latratus emittant; ipſe de ſpecula proſpiciat. Videbit a. ſimulac illuxerit, cervas illuc ducentes hinnulos, ubi ſuum quælibet in cubili eſt collocatura. Poſtquã eos heic reclinarunt humi, & lactarũt & hinc inde conſiderarunt, ne cõſpiciantur à quoquã: ita deinde in locum adverſum diſcedentes, ſuum ſingulæ cuſtodiunt. Hæc ubi viderit, canes ſolvat: ipſe ſumtis jaculis, ad primum hinnulum progreditor, ad animũ revocans, ubi locorum in cubili reclinatum conſpexerit, ne forte aberret. Nam pleraq; loca videntur adſpectui propius accedentis alia, quã cujuſmodi de longinquo paruerant. Quum autẽ hunc viderit, accedat propius. Ille immotus manebit, humum verſus ſe deprimens, & ſe tolli ſinet, niſi ſit imbre madidus, & valde clamet. Id enim ſi fiat, non manebit. Nam humor ille, quẽ intra ſe cõtinet, præ frigore concreſcens, ut celeriter inde ſe proripiat, efficit. Capietur a. à canibus cum labore inſequentib. Captum cuſtodi retium tradat. Tollet ille clamorem, & cerva partim conſpectis his, partim auditis, curſu tenẽtem invadet, & eripiendam viam quæret. Interea vero canes incitet venator, & jaculis utatur. Hunc ubi redegerit in poteſtatem, ad alios tendat; in quos eodem genere venationis utetur. *cap. 22.*

Et juvenes quidem hinnuli, hoc modo capientur: at vero jam grandiuſculi, difficilius. Quippe cum matribus, aliiſq; cervis paſcũtur, & in eos medios ſe recipiunt, quoties ab inſequentib. curſu petuntur: interdum ante illos procurrunt, à tergo rarius eſſe ſolent. Cervæ autẽ, hos propugnandi ſtudio, canes proterunt & proculcãt. Itaq; captu difficiles ſunt, niſi quis ſtatim irruerit, & feras à ſe invicẽ ita diſſipaverit; ut ſolus hinnulorũ aliquis per vim deſertus maneat. Eo vero currẽte, canes à tergo curſu primo relinquuntur Nã & valde formidoloſum reddit abſentia cervarũ, & hinnulorũ id ætatis celeritas alia nulla cum celeritate comparari poteſt. Secundo autem, tertiove curſu, cito capiuntur Quippe corpora illorum, quum adhuc recẽtia ſint ac tenera, laborẽ ſuſtinere nequeunt. *cap 23.*

Solent etiam collocari tendiculæ cervis, in montibus, circa prata, rivos, ac flumina, ſaltus ac valles, ad viarum aditus atq; tranſitus in agris, quocunq; adierint. Tendiculas a. oportet è taxo contextas eſſe, delibratas, ne putreſcant, & habere coronas plane orbiculares, clavis alternatim ferreis atq; ligneis reſte defixis ac innexis: inter quos majores ſint ferrei, ut pedi cedãt lignei, & eundem ferrei premant. Laqueus autẽ funiculi coronæ imponendi, cum ipſo funiculo, nexus è ſparto ſit, Quippe putredini hoc minime obnoxium eſt. Ipſe laqueus & funiculus firmi ſint. Lignũ, quod funiculo adligabitur, quernum, aut ilignum eſto; longitudine triũ ſpithamarum, craſſitudine unius palmi, corticemq; ſuum adhuc habeat Tendiculas vero collocet aperta ſcrobe ad quinq; palmos in orbem, ſuperne coronis tendicularum æqualem, inferius ſubinde anguſtiorẽ ſimiliter funiculo & ligno ſcrobem aperiat, quanta demittẽdo utriq; conveniat. Hæc ubi fuerit, in fundũ ſcrobis inferius tendiculã æquabili ſitu imponat; laqueum vero funiculi circumponat coronæ. Et quum funiculũ atq; lignũ ſuo utrũq; loco demiſerit, aculeatas atractylidis ſpinas imponat coronæ, non nimiũ tendẽtes extrinſecus, & ſuper eas folia minuta ſpargat, quæ tunc anni tẽpus habebit. Poſtea vero terra eis ſuperinjiciatur primum è ſuperficie ſcrobiũ egeſta, & ſuper eam ſolida terra procul inde ſumta, ut cervæ quam maxime occultus ſit locus: quodq; terræ ſupererit è ſcrobibus, procul à tendicula deportetur. Etenim ſi motæ recenter humi odorẽ cerva perceperit, quod facere ſtatim ſolet, hæſitabunda reſtitat. *cap. 24.*

Obſervet autem venator cum canibus cervas, quæ in montibus

degunt, matutino præsertim, nec minus etiam reliquo diei tempore; quæ cultis in locis, ante lucem. Quippe non tantum noctu capiuntur in montibus, sed etiam interdiu, propter solitudinem: in locis autem cultis, noctu; idq; propterea, quod homines admodū interdiu cervæ metuant. Quum autem tendiculam eversam reperit, solutis & incitatis canib. insequatur, qua lignum tractum erit, & quoniam id tendat, observet. Plerumq; vero non obscurum erit. Nam & lapides erunt loco moti, & ligni tracti, vestigia manifesta in arvis exstabunt. Si per aspera loca feratur, delibrati ligni cortex saxis adhærebit, & hoc ipso signo facilior erit insecutio. Quod si fera pede capta fuerit anteriori, cito in potestatem veniet. Nam lignum inter currendum corpus totum & os percutit. Sin posteriore, lignum, quod ægrè trahitur, universum corpus impediet. Nonnumquam & in bifida quædam per silvam incidit dum ita trahitur; & nisi funiculum abruperit, illic deprehenditur. Quod si fera vel hoc modo, vel lassitudine victa, in potestatem venerit, & mas sit; propius adiri non debet. Nam & cornibus ferit, & pedibus. Itaq; jaculis eminus utendum. Capiuntur etiam sine tendiculis, quū quis cervas æstate persequitur. Quippe cursu tam vehementer exanimantur, ut etiam stantes jaculis se conficiendas exhibeant. Itidem ubi tenentur, tam in mare, quam alias aquas se conjiciunt: nonnumquam deficiente spiritu, concidunt. *cap. 25.*

At in aprū silvestrem canes comparet Indicas, Cretenses, Locrēses, Lacænas: casses, jacula, venabula, tendiculas. Ac primū quidem canes ex hoc genere oportet esse minime vulgares, ut ad pugnandū cum fera paratæ sint, ac promtæ Sagenas ex iisdem filis, quibus ad leporum venationem utendū diximus, necti oportet; filis quinq; & quadraginta, funibus tribus; & unusquisq; funis quindecim filis constet. Longitudo nodos habeat à summo fune decē, latitudo laqueorum sit cubiti minoris. Funiculi circuitores retiū crassitiē habeant sesquialteram, & in fastigiis annulos laqueis suppositos, extremaq; horum per annulos exeant. Sufficient vero quindecim. Jacula varia sint, quæ spicula habeāt satis lata & acuta nova culæ instar, hastiliaq; firma Venabula primū habeāt spicula quinum palmorum, & ubi spiculū hastili adnectitur, illic in medio dentalia vel aures sint æratæ, firmæ; ipsaq; hastilia cornea sint, crassitudine hastæ. Tēdiculæ, quales cervorum, sunto Sed venationis comites adsint. Quippe fera ista vix à multis etiā capitur. Quomodo a. singulis instrumentis hisce sit utendum ad venationem, ostendam. Primum igitur, quū ad locum venerint, ubi aprū esse cōjiciunt, adducere prædam venatu capiendā debent, una de canib. Lacænis soluta: reliquas loris adstrictas tenentes, cum soluta circumeant. Ubi vero canis hæc apri vestigia deprehenderit, ducentem per ea comitando sequi debent. Sed & ipsis venatoribus argumenta multa prodent aprum, velut in mollibus locis, vestigia: in silvosis, ramorum fragmenta: ubi arbores fuerint, dentium ictus. *cap. 26.*

Canis a. ut plurimum ad locum aliquē silvosum indagando ꝑveniet, quod in ejusmodi locis fera plerumq; recumbat. Nam hyeme calidiuscula sunt, æstate frigidiuscula. Cum ad apri cubile pervenerit, latrat: ille vero plerumq; surgere non solet. Sumant igitur canē, & eam cum aliis omnino procul à cubili religent, ac sagenas in aditus ad apri cubile tendentes injiciant & laqueos in erectos silvæ stipites bifidos imponant Ipsius a. sagenæ sinum longum producentes, intrinsecus sustētacula faciant, suppositis utrimq; ramis: quo per laqueos splendor lucis in illum sinū maxime tendat, ut accurrenti apro pars interior quam lucidissima sit. Funiculum circuitorem ab arbore firma religent, non ad spinam. Quippe nudis in locis spinæ nōnihil adjuvant. Supra singulas plagas etiam aditu difficilia loca ramis arborum obstruant, ut in ipsa retia cursu feratur, nec usquā deflectat. Quum retia tetenderint, ad canes redeant, omnesq; solvant, & jaculis venabulisq; sumtis procedant. Canes unus aliquis incitet, qui ejus rei peritissimus sit. Rel qui ordine sequantur, magnis intervallis alius ab alio distantes, ut transitus feræ satis latè pateat. Nam si retrocedens in confertos inciderit, periculum est, ut saucientur. Etenim iram suā in eum effunderet, quē adoriretur. Canes autem, quum jam à cubili propius aberunt, impetum facient: ille perturbatus exsurget, & quæcumq; canis ad os ejus cum impetu feretur, eam in altum jactabit: simul currens, in plagas incidet. Sin minus, omnino cursu persequendus erit. *cap. 27.*

Quod si declivis fuerit locus, in quo reti captus detinetur, statim exsurget: si planus, mox intentus in seipsum stabit. Tum vero incumbent canes, & ipsi venatores ab eo sibi cauteles tela conjicient, & lapides in eum torquebunt, à tergo circumstantes, & longo quidē ex intervallo; donec seipsum ꝓpellens, circumcurrentē plagæ funiculum incenderit. Tunc aliquis eorū, qui adsunt, peritissimus & inprimis apro capiendo idoneus, in eum progressus, à fronte venabulo feriat. Quod si petitus ictusq; telis ac lapidibus, funiculum illum circuitorē intendere noluerit, sed in accedentē conversus tendat, seipsum circūagens: tum scilicet, ita re cōparata, necesse est venatorem sumto venabulo accedere, tenentem id anterius manu sinistra, posterius altera. Nam telum sinistra dirigit, dextra impellit & urget. Anterius a. pes sinister manui cognomini jungatur, dexter dextræ. Accedens vero, venabulum objiciat, crurib. non multo plus divaricatis, quā in lucta fieri solet, ac toto latere lævo ad manum lævam converso. Deinde feræ frontē & oculos inspiciat, capitis in ea motum observans. Venabulum infligens caveat, ne ictu declinatione capitis evitato, venabulum ei de manibus excutiat. Quippe sequi solet aper excussionis impetum. Id autē si cui contigerit, pronus in os cadat oportet, & subjectæ sibi materiei adhæreat. Nam si fera in aliquē ita comparatum irruerit, subjicere corpori dentes simos, ejus prehendendi caussa, nequit: sin erectus sit, necesse est eum sauciari. Sublevare quidē altius eum nititur, verum id si nequeat, hinc inde inscensum proculcat. In hoc vero discrimine institutus unā dumtaxat hāc viam liberationis habet, ut venationis sociorum quispiam cum venabulo accedens, velut hoc immissurus, aprum irritet. Non emittendū id tamen, ne lapsum feriat. Hoc aper ubi conspexerit, omisso illo, quem sub se premit, in ꝓvocantem præ ira & furore cōvertetur. Tunc ille celeriter exsiliat, memor interim ut cum venabulo surgat. Nam alia ratione saluti honeste non consulet, nisi fera superata. Rursus ergo venabulum eodem modo, quo prius, infligat; ac ferrū intra scapulas, ubi vulneratus est, admoveat; & obnoxius acriter venabulo incumbat. Ille præ animi ardore progreditur, & nisi aures spiculi prohiberēt, per hastile se ꝓpellens ad eum penetraret, qui venabulum tenet. Adeo a. magna vis ejus est, ut ipsi etiam insint ea, quæ nemo putaret. quippe recēter occisi dentes adeo fervent, ut eis impositi pili, in se contrahantur. Viventi vero, si quando ꝓvocatus irritetur, ignoscunt. Nā alioquin aberrans in ictu canū corpore, summos eorū pilos hinc inde non adureret. *cap. 28.*

Ac mas quidem tot negotiis, atq; etiam plurib. exhibitis, capitur At fœminam, si ea inciderit in retia, venator accurrens feriat; non sine cautione tamen, ne impulsus cadat. quod si contigerit, proteratur necesse est, ac mordeatur-Non est igitur sponte cadendum. At si quis huc pervenerit invitus, ei nō aliter surgendū est, quam qui sub masculo ceciderit. Exsurgens vero, venabulo percutiat oportet, donec eam occiderit. Solent a. hoc etiam modo capi. Tenduntur eis plagæ ad exitus convallium in loca membrosa, & edita montium aspera, ubi patent aditus ad lucos, & paludes, & aquas alias. Is, cui datum est hoc negotii, retia venabulo instructus servat: alii canes adducunt, & aptissima quæq; loca perquirūt. Ubi fera inventa fuerit, insequendo petitur Quod si in casses inciderit, retium custos accedat, sumto venabulo; & cū fera sic agat, quemadmodū diximus, sin minus, cursu intercipiendus est. Capitur etiam, dum æstu medio premitur à canibus. Nam licet hæc fera viribus supra modum præstet, præ nimio tamen anhelitu exanimatur. Pereunt vero multæ in ejusmodi venatione canes, atq; etiam venatores ipsi periclitantur. Quum autē persequendo exanimatæ admovere venabula coguntur, sive in aqua, seu in rupis secessu præruptæ fuerit, seu de loco silvis denso prodire noluerit, quandoquidē nec à reti, nec alia re quavis impediri se patitur, quo minus in adpropinquantem irruat: ubi redacta huc fuerit, eundem in eam, & animi magnitudo, cujus caussa cupiditati suæ cum labore satisfaciundum statuerunt, declaranda. Utendum est autem venabulo, & gestu objectuq; corporis, ut dictum est. Nam hoc modo si quid etiam adversi contingat, non id propterea, quod recte agat venator, contigerit. Ponuntur vero ipsis tendiculæ in iisdem locis, sicut & cervis: & speculationes eædem sunt, & insequutiones, & aditus, & usus venabuli. Quum fœtus eorum recens editi capiuntur, hoc ipsum graviter ferunt. Quippe non solent eos relinquere solos, dum adhuc recentes ac teneri sunt: & quum canes eos invenerint, vel aliquid ipsi præsenserint, statim se abdunt in silvas, & ambo sequuntur eos ut plurimū, quorum sunt, id temporis sæviores, & pro illis acrius, quam pro seipsis pugnantes. *cap. 29.*

At leones, pardi, lynces, pantheræ, ursi, & aliæ, quæcumq; sunt ejusmodi feræ, partim peregrinis in locis capiuntur, circa Pangæum montem, & Cittum, qui supra Macedoniam est: partim in Olympo Mysio, & Pindo: aliæ in Nysa supra Syriam, & juxta montes alios, quotquot idonei sunt alendis hujus generis belluis. Capiūtur vero partim in montibus aconitico veneno, propter asperitatem regionum. Hoc autē venatores rebus iis miscentibus quæq; delectatur fera, secus aquas illis objiciunt, & si quid aliud adire consueverint. Partim etiam illæ, quæ noctu in plana descendunt, equis & armis interclusæ & circumventæ, nec sine venatorum discrimine; capiuntur. Sunt quibus & foveas amplas orbiculari forma conficiunt, profundam in medio relinquētes terræ columnam, cui sub noctem captam religatam imponunt, & undiq; foveam materiæ silvestri circūsepiunt & obstruunt, ne circūspiciendi facultas sit, aditu ad ingrediendū nullo relicto. Illæ vocē noctu audientes, septē circumcursitant. & quum nusquā inveniunt aditum, transiliunt, & capiuntur. Hactenus de iis quæ in venatione faciunda sunt, dictum. *cap. 30.*

Hic autem labori ac studio dediti, magnam inde utilitatem capient. Nam & corporibus valetudinē bonam cōciliabunt, & visu audituq; meliori fruentur, & serius senescent. Ad disciplinam vero militarem potissimū eos venatio instituit. Primū, ubi gestantib. arma per difficiles vias eundū erit animos haud despondebūt. Quippe labores sustinere propterea poterunt, quod iis ad feras capiendas adsuefacti fuerint. Deinde poterunt etiam cubare duriter, & egregios se declarare custodes in eo, quod fuerit imperatum. In hostibus adeundis simul & progredi adversus eos, & facere poterunt, quæ imperantur; idq; propterea, quod eadem ratione feras etiam capere cōsueverint. In frōte collocati, quū labores tolerare norint, acies haud deserent. In hostiū fuga propter consuetudinē & usum quibusvis in locis adversarios recte pariter ac tutò persequentur. Si quid infeliciter exercitui suo cesserit, in silvosis, præruptis, aliisq; difficilib. locis tam seipsos, quam alios absq; macula turpitudinis conservare poterunt. Nam præbebit hoc eis ipse rei usus, ut plus aliis norint. Nonnulli quidem tales aliquando, magna sociorū turba in fugā conje-

cta, jam victores hoſtes, ob difficultates locorum in errorem abreptos, ſuo ipſi robore atq; audacia prœlium inſtaurando terga dare coegerũt. Semper.n. illi, qui tum à corporibus, tum animis egregiè comparati ſunt, haud procul abſunt ab eo, ut rem proſperè gerant Quum autem majores quoq; noſtri cognoviſſent, hinc proſperos adverſus hoſtes ſucceſſus ſuos manare: juventutis curam ſibi ſuſcipiendam cenſuerunt. Nam licet ab initio frugum inopia laborarẽt, non tamen venatoribus interdicendum venatione judicarunt; quũ ii nihil eorum, quæ ſupra terram naſcuntur, venari ſoleant. Præterea vetuerunt intra multa ſtadia (propter urbem) pernoctari, ne hujus artis periti homines ſuis ipſos prædis ac venatione fraudarent. Videbant enim hanc unam voluptatem junioribus utilitates adferre plurimas; quum & prudentes eos reddat, & juſtos, quod in veritate inſtituantur. Itidem res bellicas per hæc ſibi credere feliciter intelligebant. Eadem voluptas à cæteris quoque præclaris & honeſtis rebus, quibus ſe dare velint, minime juvenes arcet; quod aliæ voluptates improbæ faciunt, quæ diſcendæ nõ ſunt. Ex his igitur & boni milites, & imperatores boni evadunt. Quorum eenim labores ex animis & corporibus turpitudinem ac inſolentiam expellunt, & ſtudium virtutis excitant, ii præſtantiſſimi ſunt: quippe qui nec injurias patriæ, nec regionis & agri vaſtationem ſint neglecturi. *cap.* 31.

Dicunt vero nonnulli, non eſſe ſtudio venationis indulgendum, ne res familiaris negligatur: quum non norint, eos omnino patresfamilias attentiores eſſe, qui de republica & amicis bene merentur. Quod ſi ſtudioſi venationis ita ſe comparant, ut patriæ maximis in rebus utiles ſint: nec privata certè negligent. Nam uniuſcujuſque fortunæ ſic cum republica conjunctæ ſunt, ut cum ea pariter & incolumes ſint, & evertantur. Itaq; viri tales ſimul & ſuam, & aliorũ rem privatam conſervant. Multi tamen ex illis, qui hæc dictitant, per invidiam imprudentes, ſua ipſorum ignavia perire malunt, quã aliorum virtute ſervari. Nam multæ voluptates ac pravæ ſunt, quibus ſervientes, ut pejora dicant aut faciant, inducuntur. Hinc vana & inconſiderata oratione ſibi odia pariunt, improbis vero factis morbos, damna, neces, non ſibi ſolum, ſed etiam liberis & amicis arceſſunt; omni vitiorum ſenſu deſtituti, ſed eodem ad voluptates cæteris acriore præditi; quorum opera quis uti ad reipublicæ ſalutem velit? At his à vitiis nemo non abſtinebit, qui excitatus illorum ſtudio fuerit, quæ ipſe præcipio. Nam honeſta inſtitutio docet parere legibus, deq; iis & loqui, & audire, quæ juſta ſunt. Quapropter ii, qui ſic ſe gerunt, ut ſemper aliquem obirè laborem, & doceri velint, ſtudia quidem illi & exercitationes ſibi laborioſas ſectãtur, ſed civitatib. ſuis ſalutares: qui vero laboris vitandi cauſſa doceri nolunt, ſed vitam potius in voluptatibus immodicis exigendam ſtatuunt, ingeniis præditi ſunt improbiſſimis. Quippe nec legibus, nec admonitionibus rectis obtemperant. Dum enim laborem fugiunt, qualis eſſe vir fortis & egregius debeat, non inveniũt. Itaq; nec religioſi eſſe poſſunt, nec ſapientes: quumq; ſe gerant, ut rectæ inſtitutionis expertes, bene inſtitutos plerumq; reprehẽdunt. Nequit ergo quidquam in ſtatu per hos eſſe proſpero, quum his meliorum opera mortalibus omnia commoda concilientur. Ideoque ſequitur, eos eſſe meliores, qui labores ſuſcipere non recuſant. *cap.* 32.

Exemplo id demonſtratum inſigni Nam veteres illi apud Chironem, quorum mentionem feci, facto à venationibus ætate prima initio, multas & egregias artes didicerunt: ex quibus magnum virtutis fructum conſequuti ſunt, propter quam nunc quoq; ſunt in admiratione. Atq; hanc quidem ab omnibus amari, manifeſtum eſt: ſed quia labore comparatur, multi quaſi reſiliunt. Etenim adipiſcendi eam ſpes dubia eſt, in adipiſcendo labores manifeſti ſunt. Quod ſi virtutis quaſi corpus quoddam conſpici poſſet, minus eam mortales fortaſſe negligerent: quando perinde ſcirent ab ea ſe cerni, atq; ipſa eorum oculis eſſet expoſita. Quilibet enim, quum ab amaro conſpicitur, ſeipſo melior exiſtit: & à dictis ac factis turpib. & improbis abſtinet, ne ab illo talia conſpiciantur. Quum autem à virtute ſe non putent adſpici, multa palam & improba & fœda perpetrant, idq; propterea, quod ne ipſi quidem eam cernant. Illa vero, quum immortalis ſit, ubiq; adeſt: & recte ſe in eam gerentes, honore adficit; improbos infamia notat. Itaq; ſi concupiſci ab ea ſcirent, ad labores & diſciplinas accederent, quibus capitur, licet ægre; ſuãq; in poteſtatem illam redigerent. *cap.* 33.

Mirum hoc vero mihi de illis hominibus videtur, qui ſapientiæ profeſſores adpellantur, quod eorum pleriq; ſe juvenibus ad virtutem duces eſſe dicant, quum potius eis ad contraria ſe duces præbeant. Quippe neminem adhuc vidimus, quem illi modo ſapientiæ profeſſores egregium virum effecerint; neq; ſcripta proferunt, quibus homines effici meliores poſſint: ſed multa de rebus vanis ab eis perſcripta ſunt, ex quibus voluptates quidem inanes juventus, at fructum virtutis nullum percipit. Eadem & remorantur ac detinent illos, qui fruſtra doctrinam ex eis aliquam ſibi pollicentur; & ab aliis utilibus avocant, illorumq; loco vitioſa tradunt. Quamobrem eos ob illa, quæ graviora ſunt, gravius reprehendo: in ſcriptis vero, quod verba quidem exquiſita ſint, rectæ vero ſententiæ, quibus juniores ad virtutem inſtituerẽtur, nuſquam adpareant. Equidem licet rerum imperitus, ſcio tamen optimum eſſe, ab ipſa natura id, quod bonum eſt, doceri: proximum, ab iis potius, qui vere boni alicujus ſcientiam nacti ſunt, quam ab aliis, qui fallendi artificium tenent. Itaq; verbis forſitan non eleganter utor, quod hæc non adfecto; ſed ea, quibus ad virtutem præclare inſtitutis opus eſt à me recte cognita proferre cupio. Nam verba quidem ut parum ad inſtitutionem conferunt, ita ſententiæ ſunt utiles, ſi doctrinam egregiam contineant. Vituperant autem & alii pleriq; profeſſores iſtos ſapientiæ ſæculi noſtri, nõ ſapientię ſtudioſos, quod in verbis, non animorum ſenſibus, ſapientiæ ſuæ acumen oſtentent. *cap.* 34.

Nec me latet, quod præſtaret, hæc à me ſcripta non eſſe. Nam facile ipſis erit, aliquid citò, licet non recte reprehendere. Scripta tamen ita ſunt, ut recte ſe habeant; nec oſtentatores ſapientiæ, ſed reabſe ſapientes ac bonos efficiant. Neq; enim hęc videri malo, quam eſſe utilia; ut numquam refutari poſſint. At illi ſapientiæ profeſſores ad fallendum & proferunt, & ſcribunt ſua, lucri ſua cauſſa, nec quidquam ulli hominum proſunt. Quippe nullus eorum nec fuit, nec eſt ſapiens; ſed unicuique ſufficit habere nomen profeſſoris ſapientiæ, quod apud recte ſentientes ignominioſum eſt. Quapropter horum ſapientiæ profeſſorum præcepta cavenda moneo, ſapientiæ vero ſtudioſorum inventa cogitataq; nequaquam rejicienda. Nam ut illi ſapientiæ profeſſores aucupantur eos, qui divites ſunt, & juvenes: ita communes ſunt & amici omnibus, hi ſapientiæ ſtudioſi. Fortunas hominum iidem ut in pretio non habent, ita nec ignominioſas ducunt. Non illos item moneo tibi æmulandos, qui ad captandas conditiones meliores temere feruntur, ſive privatis in rebus, ſeu publicis: & hac quidem in conſideratione, quod optimi viri noti ſint ex ſtudiis rerum bonarum, tamquam laborioſi; quum improbi turpiter in ærumnas incidant, & flagitioſis à reb. clari ſint Quippe quum & privatis auferant bona ſua, & rempublicam expilent, minus ad ſalutem communem utilitatis adferant, quam homines imperiti; & habent corpora bello ineptiſſima, fœdeq; conſtituta, quum laboribus ferendis impares ſint. At venatores & corpora & bona ſua civibus bene comparata in medium exhibent. Et hi quidem feras invadunt, illi amicos. Qui amicos adgrediuntur, apud omnes infames ſunt: venatores, dum feras adoriuntur, laudem inveniunt. Nam ſi feras ceperint venatores, belluas hoſtiles vincunt; ſin minus, laudantur tamen: primum, quia civitatis totius inimicos adgrediuntur: deinde, quod nec ullius hominis damno, nec lucri cupiditate id faciant. Ex hoc ipſo deniq; conatu ad pleraq; meliores & peritiores evadunt ea ratione, quã oſtendemus. *cap.* 35.

Quippe niſi laboribus, & cogitationum inventis, & magna diligentia longe præſtarent, prædas nullas caperent: quum hoſtes eorum pro vita dimicantes, & in ſuo ipſorum domicilio, magnum robur habeant. Itaq; venator fruſtra laboret, niſi feras induſtria majori, ac prudentia copioſa ſuperaret. Ergo quotquot in civitate meliori eſſe ſupra cæteros conditione volunt, amicos vincere contendunt: venatores autem, communes inimicos. Et quidem hæc exercitatio præſtantiores facit adverſus alios hoſtes, illos multo deteriores: & ſua utriſq; venatio, his cum prudentia, illis cum turpi audacia conjuncta. Malitiam & quæſtum hi contemnere poſſunt. illi non poſſunt: vocem hi bona proferentẽ emittunt, illi turpem. Adverſus ipſum numen nihil illos ab impietate deterret, at hi religioſiſſimi ſunt. Perhibetur enim antiquo mortalium ſermone, Deos etiam hoc opere tum faciundo, tum ſpectando voluptatem percipere. Quo fit, ut juvenes hæc ad animos revocantes, quæ ipſe moneo, ſi ea faciant, religioſi ſint & pii, quum hæc ab aliquo numine ſpectari arbitrentur: iidemq; in parentes, in patriam univerſam, in unumquemq; civium, in amicos egregiè ſe gerent. Neq; viri dumtaxat, quotquot venationum fuere ſtudioſi, laudem præclaram adepti ſunt; ſed etiam fœminæ, quibus hæc Diana largita eſt, ut Atalanta, Procris, & ſi qua præter has alia fuit. *cap.* 36.

Ariſtides Sophiſta: Venationes Apollinis quidem ſunt & Dianæ ludicrum, ad Minervam tamen referuntur, partim quod artis bellicæ cui præeſt Minerva, pars quædam ſint, ſeu potius ſimulacrum, partim quod illis, qui inde cognomen duxerunt, eſſentiæ atq; ortus auctor ipſa fuerit. *Orat. in Minervam.*

Simocatta: Gorgiæ filius in nos injurioſus eſt. Vagatur enim equitans omnium ſceleratiſſimus & venationis prætextu, nequitiam tegit peſſimus. Neq; enim lepus apud nos currit, neq; dama verſatur, neq; bubali, neq; cervi, neque alia fera quæ ſit ad venationem apta. Etenim retia & laquei lepores expellunt, quibus & capiuntur. Damas verò aut bubalos vicini leones, & quid tibi infinita ferarum genera recenſeam, cum quibus etiam nos unà famemus? Nos enim quod non ſumus, beſtiæ veræ quòd feræ non ſunt puniuntur. *Epiſt.* 65.

❡ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Ad retia ſedebam, erat in proximo, cũ venabulo & lancea, & ſtylus & pugillares. meditabar aliquid enotabãq;, ut ſi manus vacuas, plenas tamẽ ceras reportarẽ. Non eſt omnino quod contemnas hoc ſtudendi genus. mirũ eſt ut animus agitatione motuq; corporis excitetur. Jam, undiq; ſilvæ & ſolitudo, ipſumq; illud ſilentium quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. proinde cum venabere, licebit auctore me, ut panarium & lagunculam, ſic pugillares etiam feras: experieris non Dianam magis montibus quam Minervam inerrare. *Epiſt.* 6. *lib.* 1.

Plinius: Quod ſi quando cum influentibus negotiis paria feciſti, inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris. quæ enim remiſſio tibi, niſi luſtrare ſaltus, excutere cubilib. feras, ſuperare, immenſa montium juga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre nullius manu, nullius veſtigio adjutum; atq; inter hæc pia mente adire lucos & occurſare Numinibus? Olim hæc experientia juventutis,

hæc voluptas erat; his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu. nec mediocre pacis decus habebatur ſubmota campis irruptio ferarum, & obſidione quadam liberatus agreſtium labor. Uſurpabant gloriam iſtam illi quoq; Principes qui obire non poterant. uſurpabant autem ut domitas fractaſq; clauſtris feras, ac deinde in ipſorum quidem ludibrium emiſſas mentita ſagacitate colligerent huic par capiendi quærendiq, ſudor ſummuſq; & idem gratiſſimus labor invenire *cap.81 paneg. ad Trajanum.*

Symmachus: Ne primævus quidem cum ferret ætas, Amyclæos aut Moloſſos alere curavi. Tantum abeſt, ut hæc annis in ſenectam vergentibus velim, Candidior poſtquam tondenti barba cadebat. Sed fac velle me obire nonnumquam ruſticas voluptates. Cui tandem primorum Senatus tanta vacationis felicitas ſuppetit, ut inter patriæ curas reſpiret opere ſylveſtri? *libro quarto Epiſtola 18.*

Symmachus: Suppetere vobis plenam roboris valetudinem ferarum indago teſtatur. hæc igitur prima mihi de vobis gaudii cauſa eſt, quòd ruſticis voluptatibus ſanitatem juvatis. Secundus lætitiæ gradus eſt venatu capta meruiſſe. Nam ut honori numinum datur, cornua ſacrare cervorum, & aprinos dentes liminibus affigere: ita amicorum cultui dedicantur libamenta ſylvarum. Interea recuſo ſententiam quæ rem venaticam ſervile ducit officium. Statuerit hoc ſcriptor ſtilo tantùm probandus: nam morum ejus damna non ſinunt, ut ab illo agendæ vitæ petatur auctoritas. Vos malo cum Atilio ruſticari, & ludum virium ſequi, quam bonis verbis deduci ad inſtituta deſidiæ. Certè ætatibus veſtris hic labor convenit. Diſtinguenda eſt lectio juvenum, non alveolo, aut pila, nec trocho Attico, vel Græcis palæſtris; ſed alacri fatigatione, & innocentis audaciæ gaudiis. Ad hæc etiam meum Symmachum ſi ſubcreverit, quamquam unicum, cohortabor. Erit olim tempus, quo renunciare annis huic operi debeatis. Tunc ſervile munus iure habeatur cura venandi. Famulatus eſt enim quidam, ſi cedentibus viribus recuſemus uti laborum vocatione, quã nobis præſtat ſenectus. *lib.5.Epiſt.68 pr.*

Symmachus Mihi quidem à te multiplex atque varium munus exhibitum eſt: ſed adverti verecundia factum, quòd tibi in ſolidum aſſumere noluiſti omnẽ capturæ ſylveſtris evẽtum. Nam tua indage captum aptum gloriatus leporem ſerviles manus aſſeris inciſſe. An brevitas feræ indigna tibi viſa eſt quàm laudi propriæ vendicares? *lib 8. Epiſt. 2.*

Symmachus Agitare te venatibus feras, & hybernis menſibus Apennini gelida luſtrare, valetudinis tuæ æſtimatione nuncquam putavi. amicitior enim litteris quàm laboribus videbaris. Horum alterum diu de te ignoratum, munus ſylveſtre patefecit: alterum benè creditum, paginarum tuarum cultus aſſeruit. Quare inter ſodales Apollinis ac Dianæ, ſectator utriuſque numerabere; etſi te magis, ut ſcripta reſtantur, venaticæ artis gloria iuvat. Nam cum te nivoſis ſaltibus inerraſſe deſcriberes, ſupra epiſtolæ temperamentum verbis tripudiaſti: nimirum lætus ex arduo, & adhuc calens montani operis eventu. *lib 9. Epiſt. 26*

Io. Saris berienſis: Quid eo Beſtialius, qui omiſſo officio, de media nocte ſurgit, ut ſagacitate canum, venatorum induſtria, ſtudio commilitonum, ſervulorum fretus obſequio temporis & famæ iactura, rerum laboriſque diſpendio, de nocte ad noctem pugnet ad beſtias. *lib.1. cap.1. Policratici.*

Io. Sariſberienſis: Omnino iniquum eſt nobiliora ingenia ſtudiis dehoneſtari minoribus, & eos quos ardua & graviora manent officia, voluptatis aut vanitatis occupationibus agitari. Unde ſi licenter exerceatur venatio, artificium vel officium; ſi contra, levitatem eam eſſe, aut maleficium cenſuerunt, edicto punientes eos, qui eam contra officium uſurparent. Et primi quidem Thebani, ſi fidem ſequamur hiſtoriæ, eam communicandam omnibus ſtatuerunt. Et ex quo ſuſpecta ſit omnibus gens fœda parricidiis, inceſtibus deteſtanda, inſignis fraude, nata perjuriis, hujus artificii, vel potius maleficii, in primis præcepta congeſſit, quæ poſtmodum ad gentem mollem imbellemque, levem & impudicam (Phrygios loquor) tranſmitteret. Riſerunt eos Athenienſes & Lacedæmonii populi graviores, hiſtoriarum geſta, naturæ morumque myſteria variis figmentorum involucris obtexentes; ſic tamen ut ex cautela malorum utilitatem inducerent, aut ex lepore poëmatis voluptatem. In auras itaque raptum tradunt ab aquila Dardanium venatorem ad pocula, à quibus ad illicitos & innaturales tranſiret amplexus. Eleganter utique, cum & levitas ferri poſſit ab alite, & voluptas ſobrietatis ignara cujuſcunq; libidini proſtituta non erubeſcit. Dux Thebanus viſa nuditate illius quã in ſilvis ſemper coluerat, cum ab errore pedem ſui revocaret affectus, ſub humano ſenſu ſe in beſtiam ſtupuit transformatum, cerviſque conformis, cum domeſticos canes, voce & vultu niteretur abigere, vitio pravæ conſuetudinis, totius ſubſtantiæ ſuæ diſpendio, eorundem morſibus patuit. Et forte Deam venatoribus præferunt, quia mollitie hac vel malitia Deos ſuos voluerunt infamare. Apri dentibus extinctum Adonidem deflet Venus, habens ſemper cum venatione vel robuſta commercium. Dum Maro Carthaginis altæ jocaretur hoſpitium, amantium vota conciliare neſcivit; niſi eis ab oportunitate venandi dilapſu comitum, ſilvarum latebras reſeraret. Sic forte quia ſtudium hoc à conſcientia turpitudinis odit lucem, ſicut è contra legitimi amoris gaudia, ſolemnes lucis ſuæ præferunt tædas. Quem mihi dabis virorum illuſtrium, qui huic voluptati vehementer inhæſerit?

> *Fixerit aripedem cervam licet, aut Erymanthi*
> *Placarit nemora*

victor Alcidas, non voluptati ſuæ, ſed publicæ proſpexit utilitati. Aprum Calidoniæ vaſtaverit Meleager, non mulſit animum voluptate, ſed hoſte patriam liberavit. Fuderit autor Romani generis cervorum corpora, non vanæ voluptatis ſolatium, ſed ſibi & ſociis quæſivit ſuffragium vitæ. Opera ſingulorum ex eventu, & propoſito colorantur, res quippe decora eſt, ſi honeſta cauſa præceſſerit. Quis tamen hominum canum conſtruxit exercitum, ut non tam ſua, quam aliena virtute, cum beſtiis dimicarent? Quidni? infelicem beſtiolam lepuſculum timidum tanto fortaſſe prædicabitur apparatu. Si vero clariore præda, cervo forte vel apro, venantium labor effulſerit, fit plauſus intolerabilis, exultant venatores, caput prædæ & ſolemnia quædam ſpolia triumphantibus præferuntur: regem Cappadocum captum credas. Sic cornicines & tibicines videas victoriæ gloriam declarare. Illis mœſtum indicit femina capta ſilentium; vel ſi forte præda nobilior, circumvenientium potius fraude, quàm viribus proſternatur. Si capreolus, vel lepus ceciderit, triumphi gloria reputatur indignus. Præterea ab octavo gradu capricorni, uſque ad geminos, tibicinum & cornicinum exultatio conquieſcit; niſi lupus aut hoſtis immanior, leo forte, vel tigris, aut pardus in prædam venerit, quæ quidem noſtratum, Deo propitiante, rara gloria eſt, cum tamen totius anni prolixitas variis venantium ſtudiis occupetur. Albani quidem in Aſia canes habent leonibus fortiores: eos virtute canum, & ſuæ gentis artificio, quaſi imbelles beſtiolas populantur. Canibus quidem illis nulla ferarum fortior, nulla animoſior eſt. Hos Hercules tergemino Gerione victo ab Italia trajecit in Aſiã, eis virtutem qua leones ſternerent, quaſi hereditariam derelinquens. Ad hæc carnificium eorum artem exigit, & artem facit, ſuum habet opificem,

> *Chironomanta volanti Cultello,*

nunc pugione ſtricto, nunc habetata machæra mirabilis, ſi te caſu ſolemniis eorum contigerit intereſſe. Cave tamen ne Martem loquendi verbo quovis offendas; quia aut vapulabis, aut condemnaberis inſcitiæ bonorum omnium, ſi eorum figmenta non noveris. Hæc ſunt temporibus noſtris liberalia nobilium ſtudia, hæc ſunt prima elementa virtutis, hæc via felices ad beatitudinis cumulum, compendioſo perducit tramite, quo majores noſtri non niſi laborioſæ virtutis gradibus docuerant aſcendendum. Æmilianos & Ligures Galli derident, dicentes eos teſtamenta conficere, viciniam convocare, armorum implorare præſidia, ſi finibus eorum teſtudo immineat, quam oporteat oppugnari. Quod ex eo componitur, quod eos nunquam cujuſcumque certaminis caſus invenit imparatos. Noſtri vero quomodo ludibrii notas effugiunt, cum majori tumultu & ægriori ſolicitudine, & ampliori ſumptu, ſolenne bellum credant beſtiis indicendum? Eas tamen mitius proſequuntur, cum quibus humanum genus juſtas, earum exigente malitia, exercet inimicitias. Lupus, vulpes, urſus, & quæcumque fera notior eſt, in aliarum quieſcit occaſum, & ſolitam exercere malitiam, in venatorum facie non veretur. Fertur Hannibal occidiſſe Romanum, qui mandato ejus, ſingulari certamine percuſſerat elephantem, dicens eum indignum vita, qui cogi potuerat cum beſtiis dimicare. Licet verius ſit eum ex invidia noluiſſe captivum inauditi triumphi gloria illuſtrari, & infamari beſtias, quarum virtute gentibus terrorem incuſſerat. Quomodo ergo dignus eſt vita, qui nihil aliud novit in vita, niſi vanitatis ſtudio ſævire in beſtias?

Quos vero ſpecies illa venationis oblectat, ut aves avibus inſequantur, ſi tamen hoc genus aucupii venationi cenſeas annectendum, mitiori quidem vexantur inſania, ſed non impari levitate. Venatica tam terreſtris quam aerea quanto ſolidior, tanto fructuoſior eſt. Autorem occupationis ſuæ ab antiquis hiſtoriis Ulixem proferunt, qui primus exciſa Troja armatas aves attulit Græciæ, quas ſuavi quadam & grata admiratione videntium, in cognati generis exitium animavit. Iſti quidem magno ſe tuentur judice, &

> *Qui mores hominum multorum vidit & urbes*

cujus providentia nullis potuit inſidiis ſupplantari, cujus tendiculas nemo hoſtium indemnis evaſit, cujus denique inermis militia ulterius promovit Græcorum gloriam, quam mille ratium armata multitudo. Sed & ipſe hujus exercitii Circem Laudat autorem, quæ carminibus & poculis humanas mentes dicitur immutaſſe, eo quod arte verborum, & rerum gratia alliceret mentes hominum, & ſuæ voluntati conformes in uſus quoslibet transformaret. Græcis itaque propinata ſunt ſuſpectæ venena voluptatis; ſed ea cum prudens guſtaſſet Ithacus, noluit bibere, ne ſub domina meretrice turpis & excors vivere cogeretur. Verum quia ſapientia rerum omnium novit uſum, providit vir circumſpectus, finitis laboribus & erroribus, cum eum pudica Penelope, affectus Telemachi non agnoſceret revertentem, quomodo damna ſociorũ, quos tanti exilii diſpendium tulerat, Græciæ compenſaret

Admiranda fuerat fides canis cui soli in tanta familia, nec viginti annorum curricula, memoriam domini, quin redeunti applauderet, abstulerint, nisi de ejus laude, canibus venatorum gratia ulterius resultaret. Novi tamen studii Telemachum suum vivere præcepit expertem, illis solis dicens allata esse novæ voluptatis solatia qui amissis parentibus Trojani belli damna sentirent. Unde & artem infructuosam esse conjicio, quam ab unico filio tantus vir studuit sequestrare: Quod vel ex eo mecum conjicies, quod deterior sexus in avium venatione potior est. In quo poteras naturam arguere, nisi nolles quia deteriora semper proniora sunt ad rapinam Inanis etenim est & admodum laboriosa, & quæ damna sumptuum nunquam successuum utilitate compenset. Licet plurimi venationem exerceant, ut sub eo prætextu sumptus faciant parciores, domi rarius, sæpius in mensa aliena, multitudinem vitant, dum silvas, saltus, lacusq; circumeunt, pannis induti vilioribus, frugalioribus contenti cibis, consortes & famulos, quos macerat jejuniorum inedia, & tormenta nuditatis affligunt, quosq; labor immoderatus exhaurit, voluptatis aut potius vanitatis imagine consolentur. Eo deniq; tempore primum captivantur Athenæ, quo interdictæ venationis edictum censuerunt esse solvendum, & artem utriusq; venationis cum exercitio publicè admittendam. Fertur vates Mantuanus interrogasse Marcellum, cùm depopulationi avium vehementius operam daret, an avem mallet instrui incapturam avium, an muscam conformari in exterminationem muscarum. Cum vero quæstionem ad avunculum retulisset Augustum consilio ejus praelegit ut fieret musca, quæ ab Neapoli Muscas abigeret, & civitatem à peste insanabili liberaret. Optio quidem impleta est; unde liquet privatæ voluptati cujusvis præferendam esse multorum utilitatem.

In semiviri Chironis antro (si Græcis per omnia creditur) est institutus Achilles lyræ modis & citharæ, & inde traductus ad silvas in strage ferarum, cædibus & fœdo victui assuescens, reverentiam naturæ timoremq; mortis abjecit. Quid quod Bacchus eundem habuit nutritorem? Nempe qui his studiis aut desidiis insistunt, semiferi sunt, & abjecta potiore humanitatis parte, ratione morum prodigiis conformantur. A levitate siquidem ad lasciviam, à lascivia ad voluptatem, & cum induruerint, ad flagitia & quævis illicita pertrahuntur. Quæruntur otia post labores, fomes hilaritatis gratior est, si dura præcesserint, reficiuntur avidius quæ exinanita fuerint plurimum. Venatores omnes adhuc institutionem reddent Centaurorum. Raro invenitur quisquam eorum modestus aut gravis, raro continens, & ut credo, sobrius nunquam. Domi quippe Chironis habuerunt, unde hæc discerent. Caveri namq; jubentur convivia Centaurorum, à quibus sine cicatrice nemo revertitur. Quòd si historiis, quas suis poetæ decoloravere figmentis, fides subtrahitur: illi utque credi necesse est, quæ ex eo quod scripta est Dei digito, irrefragabilem apud omnes gentes sortita est auctoritatem.

Primus ergo ponitur Nemroth robustus venator contra Dominum. Eum reprobum fuisse non ambigis, quem omnium doctorum turba condemnat. Traditur hic in tantam elationis erupisse vecordiam, ut non vereretur jura temerare naturæ, cum consortes conditionis, & generis, quos ingenuos illa creaverat, hic addiceret servituti. Tyrannidis ergo fastigium in contumeliam creatoris à venatore incipiens, alium non invenit autorem, quàm eum qui in cæde ferarum, & volutabro sanguinis, Domini contemptum didicisset. Cœpit enim potens esse in terra. Sic namq; scriptum est: Eo quod nō expectaverit, ut acciperet à domino potestatem. Principium regni ejus Babylon, dilatatusque est in terram Sennaar, ubi cum tota terra esset unius labii, eorundemq; sermonum, in cœlum erecta est turris Babel, habens lateres pro lapidibus, bitumen pro cæmento, non habens in fundamento petram; cujus singulari soliditate structa, omnis ædificatio in Domino convalescit. At improba temeritas ab unitate præcisa, linguarum succidit unitatem, & prima confusionem meruit, quæ in se quàm in Deo maluit gloriari. Exivit ab hoc proverbium, Quasi Nemroth robustus venator coram Domino, forte quia tantæ elationis in se extitit, ut nec recentis pœnâ diluvii posset instrui, quin in oculis Domini superbiret, & obsequium quod ab homine domino debebatur, sibi contumaciter usurparet, cum constet quod confusionem linguarum diluvium antecessit. Babylon quidem calice aureo universam carnem inebriat, & adversus Hierusalem, quæ sursum est, castra construit proculdubio peritura, quibus quisquis militiā præstat, perpetua sanctorum maledictione damnatur. Esau quoq; venationem exercuit, & benedictione paterna meruit defraudari. In silvis collegit esuriem, ut immoderato æstu lenticulam concupiscens, prærogativam primogenitorum exiguo precio & vili distraheret: & jugum servitutis hæreditariæ transmisit in posteros, ut ditioni minoris, qui domi degebat colla supponerent. Fruticantibus pilis horrebant manus, nec enim lenis esse poterat tactu, silvestris moribus, cultumq; vestis preciosæ domi reliquerat, qui assiduo venatu virtutis abjecerat indumentum. Fraternum sanguinem sitiebat, & se ab eo, quem sibi divina gratia de paterna benedictione prælatum noverat, placatus ante muneribus non est veritus adorari.

Venationis aëreæ autorem jactitant fuisse Machabeum, qui majoribus occupatus, hujus voluptatis, ut creditur, vitam duxit exortem. Egregiè siquidem bella gessit, fratribus restituit libertatem, leges erexit, ceremonias innovavit, mundavit sancta, templi faciem, unde sibi credebat provenisse victoriam, coronis aureis decoravit, nullosque illius in actus surrepsit,

Partemq; tulit sibi nata Voluptas.

Postremo pro salute fratrum fusus in acie, germanus legitimi belli reliquit heredes. Ab ætate prima cui rationis lege natura præscripserat, inspice Patriarchas, data lege transi ad duces, procede ad judices, ad reges progredere, percurre seriem prophetarum, fidelis populi officia & studia perscrutare, quos in serie veteris instrumenti legis exercuisse venaticam? Nempe Idumæos, & Ismaelitas, & gentes quæ Dominum nesciebant. Ubi sunt (inquit Propheta, aut si mavis, dum tamen in spiritu, notarius prophetæ) qui in avibus cæli ludunt? Ac si tacita subjectione pronunciet eos, quorum vita jocus est, suis evanuisse cum avibus, eosq; subjecta pronunciatione ad inferos descendisse commemorat. Interroga patres tuos, & annunciabunt tibi, majores tuos, & dicent se nunquam sanctum legisse venatorem. Quod si nomini venatorum de prophetica promissione blandiaris, qua se venatores missurum Dominus pollicetur, qui de umbrosis & excelsis venentur erroneos, bestialium vitā noveris increpari, non commendari venantium vanitatem. Nec te Placidus vel Eustachius martyr quidem insignis, quem de pia non tamen canonica scriptura venantem asseris à Domino visitatum, nimis demulceat, nisi forte persecutorum Ecclesiæ rabiem laudas, eo quod inde ad apostatam vocatus est Paulus, & inter alios factos egregius evangelii prædicator. Sed fuerint viri illustres, Alexandri forte, vel Cæsares venatui dediti; nunquid philosophi, aut aliqui sapientes in populo? Nunquid Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca, Soranus, aut qui totius non urbis, sed orbis evacuavit miracula, omnium in se admirationem sapientia & virtute convertens, Archita Tarentinus? Ut redeamus ad nostros, qui & veritate doctrinæ, virtutis exemplo, in fidei autoritate præcellunt, quos Augustinos, Hieronymos, Laurentios, Vincentios, quos deniq; de toto cœtu patrum vexationis hujus agitavit insania? Nostrorum quoq; temporum luctuosis instruimur exemplis, ab hujusmodi inquietudine temperare, cum proceres nostros inter venandum veris variisque miraculis, indignatio divina percusserit, bestialemq; sæpe invenerint exitium vitæ, qui dum licuit bestialiter vixerant. Regib. quoque ipsis manus domini non pepercit, & in malitiam eorum condignam & gloriosam exercuit ultionem. Non equidem eorum nomina, vel exempla ex inopia reticentur, nisi ex ea forte quam parit copia, sed ne mentes lugentium adhuc immoderato dolore sauciatas, recentium refricatione vulnerum, gravius ulceremus. Domestica namq; sunt exempla quam plurimis.

In tantam vero quidam hujus vanitatis instinctu erupere vesaniam, ut hostes naturæ fierent, conditionis suæ immemores, divini judicii contemptores, dum in vindictam ferarum, imaginem Dei exquisitis suppliciis subjugarent. Nec veriti sunt hominem pro bestiola perdere, quem unigenitus Dei redemit sanguine suo. Quæ feræ naturę sunt & de jure occupantium fiunt sibi audent humana temeritas inspiciente Domino vendicare, & idem juris in omnibus ubicunq; sint statuit, ac si claustri sui indagine universa cinxisset. Quodq; magis mirere, pedicas parare avibus, laqueos texere, allicere modis, vel fistula, aut quibuscumq; insidiis supplātare, ex edicto sæpe sit criminis, & vel proscriptione bonorum mulctatur, vel membrorum punitur salutisq; dispendio. Volucres cœli & pisces maris communes esse audieras, sed hæc fisci sunt, quas venatica exigit ubicumq; volant. Manum contine, istarum abstine, ne & tu in pœnam læsæ majestatis, venantibus cadas in prædam. A novalibus suis arcentur agricolæ, dum feræ habeant vaganti libertatem. Illis ut pascua augeantur, prædia subtrahuntur agricolis sationalia, insitiva colonis cum pascua armentarii & gregariis, alvearia à floralib. excluduntur; ipsis quoq; apibus vix naturali libertate uti permissum est. Deus bone, quod œstrum, & cæteras pestes, quæ non feras, sed delitias potentū exagitant, toto potentatu suo non possunt abigere, cum & culex in ultionem hominis armatus, acrimoniæ suæ aculeos in feras rectè exerceat. Sic si hic fueris, in annos cogeris sata redimere vel amittere. Elige utrum mavis de æquissimo jure Quiritum, rerum vel salutis utrobiq; dispendium imminet. Si venatorum quisqiam pertranseat fines tuos, ei quæ domi habes incunctanter & reverenter expone, quodq; domi non est, & habet vicinus, in usus illius eme, ne ex edicti licentia tua auferat vel invito, & de irreverentia & contemptu cogaris in centuria aut foro præsidis vel proconsulis, aut fortasse in concilio, læsæ majestatis reddere rationem. Protenditur etenim patrimonium fisci, dum de alieno quacumq; ratione familia sumtum facit.

Verum ne venaticam & alias curialium nugas, non tam judicio quam odio stilus persequi videatur, eam indifferentibus connumerandam facile libensq; consentio; nisi quia immoderato voluptatis incursu, virilem animum concutit, & fundamentum subvertit rationis. Non tamen ob hoc erit usquequaq; culpabilis, cum & vinum, quod inebriat, subversionis culpam retorqueat in bibentem, & senex sæpe non tam ætatis, quā suo vitio, sensum proferat puerilem. Potest igitur venatica esse utilis & honesta; sed ex loco, tempore, modo, persona, & causa. Persona namq; venustat studium, dum suo insistit officio & non præripit alienū. Nec est quod quemquam magis deceat, quam quod officio suo cujusq; magis accommodum est. Præclare siquidem ait Ethicus, singularum personarum decora describens, Id unumquemq; decet maximè, quod est cujusq; maxime. Quid ergo mihi & tibi cum venatoris professione?

ne? Sua namque neglecta turpissimum est, quemque studiosius in aliena versari. Quid ei cum privato & rusticano fortasse studio, qui publicæ autoritatis insignibus fulget? Ducem sequatur populus, doctor seminet disciplinam; judex coerceat delinquentes, studiosos remuneret indulgentia potestatis, privati minoribus occupentur, honestioribus ingenui, vilioribus servilis conditio mancipetur; Nam quod turpe bonis Sejo Titioque, decebit Crispinum, Sic utiq; cum multa sint ejusdem corporis membra, non omnia eidē actui serviunt, sed sua sunt officia singulorum. Qui ergo tuum venatori non credis, cur illius usurpas officium? Nonne reputabis indignum, si ad regnum vel ad pontificium venator aspiret? Equidem indignius est, si ab alterutro fastigio ad venatoris carnificium vel sordes prolabaris. Innatus etenim amor boni semper quærit ascensum; è contra fomes vitii sponte sua vergit ad casum.

Causa quoq; actum poterit decorare, si aut necessitate subsistat, aut vigeat utilitate, aut honestate splendescat, cum ex affectu mentis, tota valeat substantia operis colorari. Affectus etenim tuus (ut ait sapiens) operi tuo nomen imponit. Inculpabiliter ex sancti patris mandato venatum profectus est Esau, ut & patris satiaret esuriem, & promissam benedictionem impensi merito obsequii obtineret. Si enim sine culpa exerceri non posset, nequaquam tantus patriarcha ad opus illius misisset filium, quem benedictionis gratia in caput gentium constituere disponebat. Sed forte mora traxit ad se periculum, quia diutius licito, in opere tamen licito, ex prava consuetudine & immoderato amore morabatur. Nulla tamen versatur in culpa, qui urgente stimulo necessitatis, non reprobati studii exercitio vitam cogitur exhibere. Qui otii inertiam vitant, qui gerēdis negotiis disponunt membra dum laboribus assuescunt, qui vitiosam corporis fugiunt molem, servata in omnibus dignitate personæ, justæ reprehensionis non patiuntur aculeos. Opus enim non ex se, sed ex caussa fit crimen. Nec aliqua virtutis ostentatione clarescit, cui voluptas originem præbet: noverca siquidem virtutis est. Non illam dico quam parit pax, patientia, benignitas, longanimitas, gaudium in spiritu sancto; sed quæ amica epulis, potationibus, conviviis, modulationibus, & ludis, cultibus operiosius exquisitis, stupris & variis immunditiis, animos etiam graviores effœminant, & quodam naturæ ludibrio molliores & corruptiores facit esse viros quàm feminas.

Tempus quoq; venandi culpam extenuat, actumve commendat. Sit autem hic tempus ut in locis quam pluribus invenitur, ex eo oportunitas gerendorum. Fit ergo intempestiva venatio, vel ex religionis cultu, vel ex natura rerum, vel ex debito officii, quod vel prætermitti, vel aliis occupationibus postponi non debet. Sed de his hactenus. quia non venaticam tradere, sed de curialium nugis nugari propositum est. Loci quoq; ratio habenda est, scilicet ut in suo vel communi vel publico licita exerceatur venatio, dum tamen consortibus non irrogetur injuria, & locus celebritate sui aut reverentia ab his inquietationibus non eximatur. Qui enim in aliena temeraria usurpatione irruit, laqueis juris tenetur ad pœnam. Is vero modus laudabilis est, cum moderatione adhibita prudenter, & si fieri potest, utiliter exercetur, ut mandato Comici acquiescas, Ne quid nimis. Nam &

Insani sapiens nomen feret, aquus iniqui,
Vltra quam satis est virtutem si petet ipsam.

Nihil autem turpius est, quam in risum contentium ora laxare, dum non discendi proposito, vehementius insistis arti, quam nescias, ut si linguam quam non noveris, facetus attentes.

Sunt vero personæ, quæ non modo ab hoc, sed ab aliis quibusdā, utpote levioribus & voluptuosis studiis, in perpetuum summoventur; ut in sacris ordinibus constituti & qui gerunt amplissimos magistratus. Quod enim in aliis futurum erat levioris culpæ, hoc in istis sæpe fit criminis. Et quidem semper majora sunt quæ celebratos contractus rescindunt, quam quæ impediunt cōtrahendos. Porro de virtute, & veritate canonum, venatica clientulis suis non modo claudit ascensum; sed summi sacerdotii gradum adimit, jam adeptum. Præclare illud ut multa fertur dixisse Themistocles: Magistratus à ludis & quibuscumq; leviorib. esse arcendos, ne respublica ludere videatur, defectum sui, relicta gravitate, pronunciet. Si tamen majoribus, quod quidem rarum est, eos exoccupari contigerit, in annis adolescentiæ, ex dispensatione ætatis permittuntur aliquid subtrahere gravitati, & in se clementiores esse, quod maturitatis processu, reipublicæ utilitati compensent. Hæc ille: & utinā audiretur à nostris, ut saltem in provectiori ætate nugis suis reipublicæ seria anteferrent. Tunc etenim totum reipublicæ corpus roboris sui integritate vigebit, tunc optimæ compositionis specie venustabitur, & elegantis pulchritudinis decorem induet, si singula locum teneāt sortita decenter, si fuerit officiorum non cōfusio, sed distributio. Hoc ita si optimam vivendi ducem naturam sequimur. Sed nunc quod medicorū est, promittunt fabri, medici fabrilia tractant; & officium præsidendi à venatoribus & humilioribus officiis aut etiam maleficiis mutatur; & privatorum temeritas aut disciplinæ ignorantia, se audet publicis officiis immiscere. *Nugarum Curialium lib.1. cap. 4.*

¶ Poetarum.

Oppianus lib. 1. ἁλιευτ. v. 19.

Neq; sanè his vel hyems tantum metum, vel auctumnus
Æstum affert. Multa enim venatorum sunt receptacula,
Latebraque umbrosa, & juga, antraq; saxi
Vivi: multi verò diffusi per montes
Argentei fluvii, sitis remedium, atq; lavacrorum
Æterni prabitores: virentque propter fluenta,
Herbaque humiles, mollis cubatio ad somnum capiendum
Apricum à defatigatione, & tempestivas cœnas celebrandum
Materia agrestis, qualia in montibus multa nascuntur.
Oblectatio autem sequitur venationem magis quam sudor.

Oppianus lib. 2. κυνηγετ. v.32.

Non quisquam stimulis subactus venationis amabilis
Iterum lubens (eam) deseruerit, sed tenent ipsum firma vincula,
Quam scilicet dulcis (est) somnus in floribus veris tempore
Quam item rursum astate dulcis in antro (est) cubatio humi.
Qualis porrò in scopulis venatoribus cibum capere
Voluptas (est:) Quanta etiam delectatio illis comitatur,
Qui decerpunt ipsi melliti florem auctumni:
Frigida denique ex antro profusa pellucida aqua
Qualis est fatigatis potus, dulceque lavacrum:
Quam item in silvis grata dona ferunt
In dulcibus calathis ad greges caprarum pastores.

Ausonius Epist 4. v. 28.

An cum fratre vages dumeta per avia cervos
Circundas maculis, & multa indagine pinna?
Aut spumantis apri cursum clamoribus urges,
Subsidisque fero? Moneo tamen, usque recuses
Stringere Fluminco venabula cominus hosti,
Exemplum de fratre time. qui veste reducta
Ostentat fœdas prope turpia membra lacunas:
Perfossasque nates vicino podice nudat.
Inde ostentator volitat. mirentur ut ipsum
Gedippa, Vrsinusque suus, prolesque Iovini,
Taurinusque, ipsum priscis heroibus aquans.
Qualis in Olenio, victor Calydonius apro,
Aut Erymantheo pubes fuit Attica monstro,
Sed tu parce feris venatibus. & fuga nota
Crimina silvarum: ne sis Cinareia proles:
Accedasque iterum Veneri plorandus Adonis.

¶ Monosticha Trochaica.

Aucupi utilißima est res poßidere noctuam.
Candida canes nigrave non ferunt astum aut gelu.
Corporique animoque confert regio venatio.
Dente vel cornu feroces bestias sequi nocet.
Est labor quidem venari, sed labor suavißimus.
Est mage oblectatio omnis quam labor venatio.
Et canum est absumere ossa jam comestis carnibus.
Interire ex cervi odore quilibet serpens solet.
Mas equus venationi melior est quam femina.
Nunquam adhuc Deus scelesto institit quin ceperit.
Quis canes Dei fefellit? quis plagas unquam exiit:
Quis canis quaso est, cui sit robur ac velocitas?
Quos Deus venatur, ejus incidunt statim in plagas.
Retia haud tenduntur vulpi, morsibus perit canum.
Sic venare Rex ne regni negligantur munia.
Stultitia est pater, venatum ducere in vitas canes.
Sub venatione multi divitum doli latent.

¶ Jambica.

Ardentibus proterreas facibus feras.
Ardentior multos necat venatio.
Haud ullus unquam rete transilit Dei.
Invisa sunt virûm feris vestigia.
Laboris expers nullibi venatio est
Quidquid Deus venatur, actutum capit.
Rei bellica meditatio venatio est.
Serpentem odore vel mero cervi neces.
Venatio artis bellica praludium est.
Venatio contingit etiam inertibus.

Veneni & Veneficii.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Gregorius Nyssenus*: Qui lethalia vendunt venena, in exiguo facta experientia, totius medicamenti vim ac facultatem, ad interitum & necem inferendam facile spondet; nec ullus est qui dubitet, cum ex aliqua parte perniciem illatam experientia didicit, quin totum quod venditur lethale sit ac mortiferum pharmacum. *Orat. 12. contra Eunomium.*

D. Greg. Nyssenus: Qui veneficia exercent lethale pharmacum

melle reddunt dulce; non eo animo ut comedentis gustatum oblectent, sed ne lethale esse sentiatur. *Orat. de fato.*

¶ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Tiberius à Julio Imp. tertius, veneno obiit; cujus morte ita lætatus est populus, ut Terram matrem & Deos manes orarent, ne mortuo sedem ullam darent, nisi inter impios. Et licet veneficium detestabile semper fuerit, venenum quo ille extinctus est, orbis censuit esse vitale. *capite 19. libri octavi Policratici.*

¶ Oratorum Romanorum.

Quintilianus: Sæpe in scelere virtutis est nosse veneni modum: eo magis quod videmus copia constare, quod temperaméto quodam sistitur citra mortem. *Declam.* 246.

Quintilianus Senior: Ipsorum venenorum plura genera, plura nomina sunt: diversi etiam effectus. Aliud ex radicibus herbarum contrahitur, aliud ex animalibus mortiferis reservatur. sunt quæ frigore sanguinem gelent, sunt quæ calore nimio vitalia exurant. omnia tamen hæc sub unam legem veneficii veniunt. Quin illud etiam in rerum natura manifestum atq; deprehensum est, alia esse aliis venena. quædam mortifera nobis, etiam in remedium quorundam animalium cedunt: quædam quæ in voluptates etiam & luxuriam adhibentur, multis animalibus adferunt mortem. Similis ratio & remediorum est.

Quintilianus Senior: Nemo dubitat, quin faciendo scelera consilium, non unam viam intueatur. ut ad summam cogitati inchoatiq; perveniat sed illam alteram, vel magis necessariam, & quæ penitus in cogitationibus sedeat, ut scelus quod commisit, neget. Venenum do: & unde scio, an exhausta potione statim concidat? venit ad mensam meam: inter convivas meos expirat frater meus: in quem scelus translaturus? quem Deorum hominumq; invocaturus? Non fuit ergo locus idoneus, non fuit tempus. adjice quod ego daturus venenum potui timere ne deprehenderer, ne præsentiret, ne intelligeret, ne colore venenum deprehenderet, ne qua vis odoris se ostenderet. Nulli venenum facilius dari potest, quam qui accipit utiq; tanquam medicamentum. Ergo nullum consilium sceleris mei est. At tui quanta occasio. *Declam.* 321. *post med.*

Quintilianus: Venenum leges habere, emere, nosse deniq; vetant, inevitabilem pestem occulta fraude grassantem. Malè hæret ibi innocentia, ubi in potestate est secretum scelus, velut venenum & quidem præsentaneum, inventum, compositum, datum est. Quantulum interest quis biberit? Homo dedit, & homini dari potest. Non adeò desunt odiorum caussæ, ut jam rara simultas sit: & ut videatur aliquis nihil magis quàm malos odisse, libebit aliquãdo longius manum porrigere, & indulgere animis. Credite mihi judices, difficilius est venenum invenire, quam inimicum. *Declamationi* 13. §. 8.

Quintilianus: Sicut ex ipsis mortiferis venenis, mitiora sunt, quæ statim tota velocitate grassantur, & dolorem inter exitum vitamq; non detinent; ita crudelius sic ordinatur, ut corporis parcat invidiæ, & sit tamen animi venenum. *Declam.* 14 §. 6. *f.*

Quintilianus: Quid ais? non est noxium virus, nisi quod occidit? Quid ergo vocaremus illud quo lumina sola raperentur? quo pars aliqua membrorum debilitate languesceret? Tu te veneficam negas, quæ potes potione facere quantum offensæ, quantum ira, quantum dolor? Amabit cui permiseris, execrabitur ille quem jusseris: accipient à te desideria nostra ortum, finem modum. Sanè & amor & odium naturales videantur affectus, veneficium sunt cum jubentur. Quid quod non potest non habere vim veneni, quod contra voluntatem homini datur? Video cur sibi medicina permittat corporum vitia membrorumq; morbos infusis medicaminibus expellere: & sine animæ spiritusq; contagione, quæcumque extrinsecus accidunt, potione vincuntur. Non potest ullus affectus sedibus suis per virus expelli, nisi totorum concussione vitalium: & cum anima constet ex sensibus, quemcunq; auferre tentaveris, illa statim prima nostri parte corporis retenta, confectoq; quod petebatur, reliqua quoq; viribus vicinæ tabis expirant. Quædam fortè medicamina possunt aliud vocari quàm venenum. dare quod non licet, non est aliud quàm veneficium. *Declamatione* 14. § 7.

Quintilianus: Ecquando unquam audistis de veneficio vivum querentem? facinus hoc semper ex mortibus accepit invidiam. Si latrocinium probet, cruore, vulneribus; si sacrilegium, spoliis numinum, prædaq; templorum: ita veneficium si arguas, oportet ostendas putre livoribus cadaver, inter efferentium manus fluens tabe corpus. Ut jam istud objicere possit, & vita debet aliquid esse passa, quod invidiam mortis imitetur. Veneficium voca, quod cæcitate grassatur, quod in aliqua deprehenditur debilitate membrorum. Profer agedum corporis notas, in quas se noxiæ potionis vagus fervor effuderit, ubi depasta senectus visceribus sævitura consederit. Aspicio par laboribus corpus retinere sua ministeria, sufficientem animum seriis actibus, accusatoria firmitate robustum, &c. *Deslam.* 15. § 4. & 5.

Quintilianus: Nescis mihi crede nescis, sceleris quod detulisti, qualem mihi debeas probationem. rem expecto mehercule, ut sit ante omnia minax vultus, feralis habitus: horreant squalore crines rigeat super nefandas cogitationes efferata tristitia. Facinus quod dicitur inquietare superos, sidera diris agitare carminibus, tumulos, busta, scrutari, & amputatis cadaveribus, ipsas in scelus armare manus fieri non potest ut auctorem suum non statim primo prodat aspectui. Vides veneficæ non horridos vultus placidamq; faciem. Si cogitationes, si consilia pertractes; sola cura de forma est; omnis in hoc collata meditatio, ut sollicitet aspectu, sermone detineat. *Declam.* 15. § 6.

Quintilianus: Venenum mehercule putabis quidquid dederint hæ manus. Et virus præsentaneum paro, quod statim, quòd subitò corripiat: at quemadmodum mihi supersit ulla defensio? An lentum & quod tarda peste consumat? scilicet ut non statim exclames, ut te meum virus bibisse non credas, &c. *Declamatione* 17. §. 12.

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 4. sc. 3.

Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum,
Qui perverse perturbavit familiæ mentem meæ.

P. Syrus Mimus.

Habet suum venenum placida oratio.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Ludovicus Bavarus: Nunc quoniam vitæ humanæ tum bona tum mala persequimur, etiam hic locum sortiatur prompta nimiũ venefici criminis voluntas, imò voluptas. quã Italiæ populis plus æquo familiarem carpebat Ludovicus Bavarus: electus namque in regem Roman. circa annum 1314. Italia excessit, dicens: *Plures Germaniæ Cæsares Italia pepulit venenum, quam gladius.* & ita verè se res habet. Ac ut bene Juvenalis,

—— nulla aconita bibuntur
Fictilibus. tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Matth. Castrit. de Her. Virt Princ. German. ex Joan. Cuspiniano.

¶ Monosticha Trochaica.

Et venenum prægustator ipse regi sufficit.
Non nocet suo venena destituta toxico.
Cautius necant venena qui ante melle sublinunt.
Magna vis inest venenis, major, verba si addita.
Multum fert veneni Ægyptus optimi atq; pessimi.
Sunt venena quæ sibimet ipsi homines excogitant.
Tollitur lento veneno plurimus, rarus truci.

¶ Jambica.

Cave à venenis quæ mero afflatu necant.
Et enecant venena melle sublita.
Etiam è venenis usus est homini suus.
Nisi toxicata venena, nocere non queunt.
Pestifera sunt venena statim à radicibus.
Sic à incipit venenum ubi omne deficit.
Timent venena divites non pauperes
Venefica certo etiam est, quæcumq; adultera est.
Venenum in auro bibitur, haud in fictili.
Venena bina, Fata cum volunt, juvant,
Venena non timet qui antidotum præbibit.

Veniæ.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Eos à quibus tyrannide oppressi sumus, mansuetudine vincamus. Ac maximè quidem nos benignitas ad ignoscendum adducat, visq; mandati divini, eandem benignitatem nobis in iis rebus, in quibus ea opus habemus, remetiens. qua enim mensura metimur, eadem quoque nobis remensum iri perspectum habemus. Quod si animo admodum acerbo atq; importuno est, Deo ac futuro tribunali eos qui nos læserũt relinquamus; nihil de futura pœna per nostram manum detrahamus. *Orat. 4. stelitent. in Iulianum altera.*

D. Nazianzenus: Cum Christo imperium geris, cum Christo munus hoc administras. Ab illo gladium accepisti, non tam ut eo utaris, quàm ut mineris ac terreas. Quare tibi videndum est, ut illum, tanquam donarium quoddam purum & integrum, ei, qui dedit, serves. Imago Dei es: verum imaginem quoq; Dei regis; quæ quidem hic certa dispensatione gubernatur, ad aliam autem vitam migrat ad quam omnes quoq; concedemus, posteaquam in hoc vitæ carcere, vel stadio, vel præsignatione, vel adumbratione, aliquantisper luserimus. Flectat te naturæ cognatio: moveat te exempla tutum: ad Deum te adjunge, non ad mundi principem: ad benignum domum, non ad acerbum tyrannum. Ille homicida erat ab initio. Ille, & primo homini per mandati transgressionem vulnus inflixit, & ærumnosam vitam invexit, &, tum inferendæ, tum subeundæ pœnæ legem per peccatum induxit. Tibi verò, homo Dei, in mentem veniat, quis te finxerit, quo voceris, quot quantaque habeas,

habeas, quot nominib. obſtrictus ſis, à quo rationem, legem, prophetas acceperit, à quo hoc ipſum quòd Deum cognoſcis, quòd bona in expectatione poſita non deſperas. Quocirca Dei humanitatem & miſericordiam æmulare.

Nihil tam divinum homo habet, quam benignitatem ac beneficentiam. Licet tibi nullo labore Deum fieri: noli divinitatis conſequendæ occaſionem abjicere. Hoc unum offer, nempe benignitatem (qua Deus magis, quam cunctis aliis rebus in unum collatis delectatur) donum proprium, donum omni labe vacuum, donum Dei liberalitatem & munificentiam invitans. Lenitatem terrori admiſce: minas ſpe tempera. Multa quoq; humanitate ac benignitate perfici ſcio, ut quæ ad debitam gratiam referendam pudore ipſo compellat: cum videlicet oblata ulciſcendi atq; animadvertendi poteſtate noxam condonantes, ei, cui miſericordiam impertimus, benevolentiâ noſtra pudorem incutimus. Nihil tibi tanti ſit, ut propterea inducas in animum aliquid admittere, quod te imperio indignum reddat. Nihil miſericordiam & manſuetudinem excludat, non tempus, non princeps, non metus, non majorum dignitatum ſpes, non audacia & importunitas potiora omnia habens. Ad neceſſaria tempora ſupernæ benevolentiæ tibi præſidium para: miſericordiam Deo commoda. Neminem unquam Deo aliquid prius obtuliſſe pœnituit. In beneficio referendo copioſus eſt, maxime ille quidem cœleſtia bona, iis, à quibus ipſi antè quidpiam collatum mutuòq; datum fuerit, rependens, nonnunquam autem hujus quoq; vitæ commoda refundens, ut de futuris fidem faciat. Adhuc paululum, & mundus tranſibit, ac ſcena diſſolvetur. Temporis commoditate ad quæſtum utamur: fluxis & fragilibus æterna coëmamus. Unuſquiſq; noſtrorum in correptione eſt: ac lutea hæc maſſa plurimum æris alieni ſecum circumfert. Veniam ergo alienis peccatis demus, ut noſtris impetremus: remittamus, ut viciſſim nobis remitti poſtulemus. *Orat.* 17.

Ejuſdem: Dominum ipſe quoq; in cœlo habes. hunc tibi talem erga te judicem experiri contingat, qualem te his, qui imperio tuo ſubſunt, præſtiteris. *fine Orat.* 17.

D. Baſilius Andronico: Etenim illud perpendito, multos ex iis qui antè vixerint, etiam compotes dominoſque factos eorum eſſe qui damnum per injuriam dederant. Sed nulla de his fama demanavit ad poſteritatem. Contrà qui remiſerunt iram, philoſophia multis præſtantes, eorum in omne tempus immortalis & ſempiterna memoria relicta eſt. Accedat ſanè hoc etiam tuis præconiis. Da nobis, qui tua facta ſcriptis illuſtrare conſtituimus, ut omnium ſuperioris ſeculi celebratam clementiam obſcurare poſſimus. Sic etiam Cræſus ei qui filium trucidarat, cum ſeipſum ultrò ſupplicio offerret, delictum condonaſſe dicitur: Et eidem huic Crœſo, Cyrus magnus poſt victoriam propitius extitiſſe fertur. In horum te numero ponemus, & hæc pro noſtra facultate prædicabimus, ſiquidem non viles omnino tanti viri præcones fortè cenſebimur.

Hoc autem inter alia dicere neceſſe eſt, quod nullos qualecunq; tandem maleficium admiſerint, ob præterita ſupplicio afficimus. Nam fieri non poteſt ut facta infecta reddantur: ſed aut ut in poſterum ipſi fiant emendatiores & meliores; aut ut aliis honeſtatem juſtitiamq; ſequendi ſint exemplum. At horum neutro nunc in præſenti eſt opus. Siquidem etiam poſt mortem, hæc ex illius animo nunquam excident. Cæteros verò emori metu defixis in hunc oculis animiſq; arbitror: ita ut, ſi pœnam auxerimus periculum ſit, ne libidinem iramq; noſtram expleviſſe videamur, quod ut in te verè conferri poſſit, plurimùm abeſſe confirmo. Neq; verò nunc ullum verbum de rebus his feciſſem, niſi viderem beneficium dantibus quam accipientibus majus & glorioſius eſſe. Nec enim paucorum oculis & ſermonib. tua celſitudo feretur. Nam omnes Cappadoces, quid futurum ſit, ſummè expectant, quibus optarim ut ad reliquas tuas virtutes, hanc etiam adnumerare liceret.

D. Baſilius: Hoc tamen adjiciam, quod cum multorum habeāt literas deprecatorias, omnibus his meam longè antepoſuit, neſcio qua ratione perſuaſus, noſtram orationem pondus apud ſuam integritatem aliquod habituram. Quare ne illum opinio quod de nobis concepit fallat, & ut oratio noſtra dignitatem aliquam apud noſtros mereatur, oro atq; obſecro te, excellentiſſime domine, ut huic petitioni aſſentiaris, ſiquidem non minus omnibus qui unquam in philoſophia ſunt verſati, res humanas didiciſti & conſideraſti, noviſtiq; quam ſit incomparabilis omnibus qui ad neceſſitatem rediguntur, bene factorum repoſitus antea Theſaurus. *Andronico præfecto.*

D. Greg. Nyſſenus: Quis eſt tam frugi, quis tam modeſtè ſe gerit, qui ſi modo ſapiat, cum rationem totius vitæ ſuæ redditurus ſit, idq; in Dei judicio conſtitutus, ſupervacaneum putet alteri ignoſcere, & miſericordiam impertiri? Et ut quis ad ſummum juſtitiæ probitatiſq; faſtigium pervenerit Dei benignitate, imbecillioribus tamen jure dexteram porrigat, eoſq; è peccati luto eripiat. hoc enim pacto duplicem laudem adſecutus, tum propriæ fortitudinis, tum fraternæ humanitatis, miſericordiæ præmia perciperet. *Orat. ne alios acerbè judicemus*

D. Chryſoſtomus: Licet & cum dedecore ſervari: quod in multis nonnunquam uſu venire videmus, qui benignitate regia, debitam pœnam evadentes, ſervantur. *ſub finem Homil.* 2. *ad Roman.*

Chryſoſtomus: Solus Deus poteſt peccata remittere. Principes autem & reges, & ſi dimittant & abſolvant adulteros & parricidas; à præſenti quidem liberant ſupplicio, eorum autem peccatum non emundant & expiant: & ſi dimiſſos quidē provexerint ad magiſtratus, & vel ipſa induerint purpura, & impoſuerint eis diadema, reges quidem ſic fecerunt, à peccatis autem non liberarunt. *Homil.* 40. *ad Corinth.* 1.

D. Io. Chryſoſtomus: Si quis homicidam, furem, adulterum, ad ſupplicium capitis adducendum donari ſibi poſtulaverit, & eum eſſe juſſerit in veſtibulis regiæ; ille de cętero nunquam poterit eum ex adverſo intueri, etiamſi ſit liberatus à ſupplicio. *Homil.* 13. *Epiſt. ad Hebræos.*

D. Chryſoſtomus: Si igitur Deo tam multa debemus, dignum eſt ut tota animi alacritate his, qui nos læſerint, peccata donemus, ut majorem inde gratiam referamus. Pellatur ex animo rancor omnis, malorumq; memoria perpetua oblivione deleatur. Namq; ad impetrandam noſtris ſceleribus veniam non pecunias impendere, nec aliud aliquid hujuſmodi facere neceſſe: ſola ſufficit bonæ voluntatis integritas. Non opus eſt in longinqua peregrinando tranſire, nec ad remotiſſimas ire nationes, non pericula, nec labores tolerare, ſed velle tantummodo. Quam ergo excuſationem habituri ſumus in his, quæ videntur eſſe difficilia, quando rem tanti lucri, tantæq; utilitatis, nulliuſq; laboris perpetrare negligimus? Non potes pecunias contemnere? non potes egenis res tuas diſtribuere? non potes boni aliquid velle? non vales remittere in te peccanti? Nam ſi tantorum non eſſes ſcelerum reus, ſolumq; juberet Deus in te peccanti dimittere, nonne protinus obtemperare debueras? Nunc autem quum tanta debeas Deo, proximo dimittere negligis jubente Deo; Si fortè nos venerimus ad debitorem noſtrum, omni ille nos officio ſuſcipit, honorat, & largiſſimè officia humanitatis impendit: idq; quum à fœnore non abſolvatur, ut nos ſcilicet morans ad prorogandum ſibi hujuſmodi officiis provocet.

Tu, qui tam multa Deo debes, dimittere juberis, ut plura recipias, & detrectas? Cur id quæſo? Me miſerum, quanta eſt in nos benignitas Dei? quanta nos ingratitudinis ſigna præferimus, quàm tepidi, quàm ſegnes ſumus? Facillima profectò virtus eſt: non hic viribus corporis, non opibus, non pecuniis, non potentia, non amicitia, non alia quavis re opus eſt, ſolum velle ſufficit, reſq; tam utilis, tamq; neceſſaria protinus mandatur effectui. Contriſtavit te quiſpiam, & probris ac jurgiis affecit, cogita quam multa ſimilia tu in alios, atq; in ipſum Dominum admiſeris? ſicq; eris ad veniam pronior. Conſidera quid orans loqueris. Dimitte, inquis, nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Animadverte quo te pacto conſtringas. Niſi dimittas, dicere hoc tutè non prævales. Porrô ſi dimiſeris, hoc quaſi debitum repetis, non ex natura rei, ſed ex bonitate donantis. Et ubinam illuxit æqualis benignitatis indicium, ut qui conſervis dimittit, eorum quæ ipſe peccavit in Dominum, veniam referat? Hac tamen tam ſingulari benignitate nos fruimur, quia creditor noſter dives eſt in miſerationibus. Cæterum ut oſtendam tibi, & abſq; his, etiam ſi non remiſſione potiaris, multum te ſolum remittendo lucrari: cogita qui hujuſmodi eſt, quàm multos habeat amicos, utq; per ora omnium ejuſce verſentur laudes. Quàm bonus vir, quàm ad reconciliationem & miſericordiam facilis; injurias obliviſci glorioſum exiſtimat: ſimul atq; vulnus excipit, curatus eſt hujuſmodi vir: ſi quis fortè caſus & triſtis eventus excipiat, quis non miſereatur? quis non peccanti protinus indulgeat? quis pro aliis petenti, gratiam deneget? quis tam boni animi amicus, atque obſequens eſſe non cupiat: Ita obſecro, cuncta huius cauſa faciamus, neque modò in amicos & proximos, verùm & in famulos quoque miſericordes ſimus *Homil.* 1. *Epiſt. ad Philemon.*

Iſidorus Peluſiota: Siquidem peccatum omne, etiam ab iis, qui id admiſerint repetitum, alii aliis mutuò remittere à Chriſto juſſi ſumus. Id enim ille, & docuit, & fecit. Docuit, inquam, his verbis, Niſi remiſeritis peccata hominibus, nec Pater veſter qui in cœlis eſt, remittet vobis peccata veſtra. Fecit autem, cum meretricem, & Publicanum Matthæum & Samaritanam, & Paralyticum, atque adeo ipſum Petrum Apoſtolici ſodalitii coryphæum, non ſolum corporeis, ſed etiam ſpiritualib. peccatis ac morbis liberavit. Quocirca ſi Chriſtum imitari cupis, magna iis, qui delinquunt, peccata condona. Nam exigua & ut communia pleriq; diſſimulant, & precibus permoventur. At verò majora, ii duntaxat remittunt, qui magnam ad Deum conſcientiam habent, ac magna ab eo pro præclaris actionibus præmia expectant. *lib.* 1. *Epiſt.* 142.

S. Iſidorus Peluſiota: Monachus quidam ad ſolitudinem noſtrā venit, honorandæ tuæ manus ſpeciem atq; habitum gerens, & quo diſcipulos tuos conſignare noſti. Cum autem, ecquam ob cauſam veniret, quæſiviſſemus, ille ſupplex à nobis petiit, ut abs tua charitate precibus contenderemus, ut ſibi exiguum erratum condonares, in quod ex ignoratione incidit. Quapropter, ſi non in peccandi conſuetudinem venit, ſæpius videlicet illata pœnitentiæ atq; reſipiſcentiæ contumelia, obq; ventris aut mentis ac voluntatis levitatem fugam capeſſere didicit, noſtra cauſa velim ipſi veniam tribuas. Sin autem is eſt, qui venia & indulgentia minimè melior fiat, nolim ille fructum ex literis noſtris ullum capiat, verum è fratrum tranquillitate foras ablegetur: ne tumidos fluctus, ac vertigines, placidis & quietis ipſorum moribus excitet. Nam hoc quoque lex nobis ſub parabolæ cortice præſcribit, cum eos, qui leprâ laborant extra caſtra emittit. *lib* 1 *Epiſt.* 318.

S. Iſidorus Peluſiota: Antiſtites quoſdam novi, ac fortaſſe vos quoque,

quoque, qui cum intemperantes ipſi quoq; in ſumptibus profuſi ſint, tamen propterea quod graves iis, qui peccant, pœnas conſtituunt, ſubditos coercent atq; in officio continent. Alios contra, qui cum in victus ratione temperâtes ac moderati ſint, iis tamen, quas ipſi in imperio ac poteſtate tenent, vitioſis affectibus, eos, quibus præſunt, totos inficiunt; quòd videlicet in peccantes haudquaquã animadvertant, verum immodicam lenitatem præ ſe ferant. Peccant autem utriq; illi nimirum, ut qui legibus ſuis deteriores ſint: hi autem, quòd ſubditos ſuos pejores reddant. Nam eos hæc facere docent, quæ ipſi facere nolunt, & luxui ac deliciis indulgere, cũ ipſi à luxu abhorreant: & meſſem ex alienis calamitatibus facere, quas ipſi levant & corrigunt. Quamobrem & illi monendi ſunt, ut ſermonibus ſuis inſiſtant, nec, quæ cum iis pugnent faciant: & iſti ut non omnibus quæ velint concedendo, flagitia reprimant. Oportet enim iis quidẽ veniam tribuere, qui benignitate meliores fiunt: eos autem, quibus facilitas & clementia detrimentum affert, objurgare atque caſtigare. *lib.2. Epiſt.68.*

S. *Iſidorus Peluſiota*: His quidem ignoſci meritò queat qui per lenitatem ad majora peccata haudquaquam erudiuntur. Eos autem pœna ſubſequi debet, qui ex lenitate nihil emolumenti percipiunt. *lib.2. Epiſt.95.*

Iſidorus Peluſiota: Illud minimè præclarum ac votis expetendum judica, ut veniam conſequatur, qui ob virtutem gloriam ac ſplendorem promeretur. Illud enim improbiſſimis, hoc optimis quadrat. Illud ob miſericordiam fit: hoc ob mercedem procreatur Nam ille ob animi imbecillitatem miſerationi eſt: hic ob animi magnitudinem coronâ donatur. *lib.2. Epiſt.202.*

Idem: Veniam nec habes nec habiturus es, ſi in iiſdem inſtitutis perſtes. Si autem animum mutes, ac furorem & rabiem comprimas, eam fortaſſe conſequi poſſis. Severitatem enim bonitas divina ſuperabit. Quòd ſi judicium fore haudquaquam exiſtimas, audi quid Plato dicat: Nam ſi mors (inquit) omnibus rebus nos liberaret, commodum profectò improbis hominibus eſſet è vita diſcedere, quò ſimul & corporibus & eorum vitio unà cum animis liberarentur. Nunc autem, quandoquidem anima immortalis eſſe apparet, nulla ei alia ratio, qua malum effugiat, nec ſalus patet, quam ut optima & prudentiſſima fiat. *lib.2. Epiſt.203.*

S. Iſidorus Peluſiota: Vir quidam, non modò à turpibus & ſordidis lucris alienus, ſed etiam facultates ſuas egentibus diſtribuẽs, cùm ad eum allatum fuiſſet, te paucis piſcibus à quodam, qui falſum juraverat, acceptis, eum, quantum quidem in te erat, crimine ſolvere minimè dubitaſſe, magnopere ingemiſcens, illud Demoſthenis pronunciavit, hoc ipſo nomine morte eum mulctandum eſſe, ut apud inferos hanc legem impiis conſtituat. Verùm hæc quidem ille dolore incenſus dixit, mihi verò itemq; omnibus qui aderant, nihil à ratione alienum dixiſſe videtur. Neq; enim hoc illum crimine liberat, quòd muneribus placatus ſis: verum ſi ſua recuperet, qui ob perjurium læſus eſt Quamobrem ſordidi quæſtus cauſa divina oracula ne depraves, aut ſiniſtra interpretatione pervertas. Neq; enim ea injuriam quidem inferre, ſacerdotibus autem munera offerre præcipiunt. Etenim illud, quæcunque ligaveritis, de iis, qui peccant, dictum eſt: atq; illud item, quæcunq; ſi ſolveritis de iis, qui pœnitentia ducuntur. Crimine autem ſolvitur, non qui ſacerdotem delinit: ſed qui eum, cui injuria illata eſt, placat. Nam ſi ſacerdotibus hujuſmodi poteſtatem conceſſam eſſe arbitraris, iis, qui peccant, delicta ſua propellere atq; abſtergere minimè ſtudentibus, tum tyrannicum hoc oraculum eſſe videbitur, atq; ſacerdotum dumtaxat commodum ſpectans: eorum autem, quibus injuria facta eſt, nullam rationem habens: crudeliſſimi item & inhumaniſſimi, qui ſacerdotii munere funguntur, quòd non omnes criminibus ſolvant

At non ita eſt, non eſt inquam ita: ne teipſum circumſcribas, vel, ut rectius loquar, ne ſimul & teipſum, & eos, qui te audiunt, in voraginem impellas, nec Scribarum & Phariſæorum (qui ſolatia quædam ei pejerantibus ob turpem quæſtum excogitarunt, & filios adverſus parentes armarunt, & divina mandata ſiniſtra interpretatione detorſerunt, ac everterunt) vitia renoves: verum ea, quæ divinis oraculis ſancita ſunt, piè ac ſincerè ſequere, quibus conſentaneè ſacroſanctus etiam Apoſtolus dicebat, Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate.

An verò ſi is, qui perjurio ſeſe obſtrinxit, dives & copioſus ſit, ac ſacerdoti munus aliquod obtulerit, liberatur. ſi autem inops & tenuis, nec quippiam offerat, ſupplicio afficitur? At hæc, non dico facere, ſed ne cogitare quidem fas eſt. Dicet enim judex: Exiſtimaſti quòd ero tui ſimilis? Qui autem id fieri queat? Nam qui ſubditos munera ſuper innocentes accipere prohibuit, Sacerdotibus, ut turpibus his lucris ſeſe commacularent, haud profectò imperaret. Verùm his verbis idcirco uſus eſt, ut poſt ereptarum rerum reſtitutionem cum his, qui deliquerant, ſimul orantes ac jejunantes, veniam ipſis ac ſolutionem divinitùs compararent: Illud ne in animum quidem & cogitationem immittentes. Age, hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Miniſtri enim ſunt, non participes, deprecatores, non judices: mediatores, non reges. Nam qui pro ſuis quoque peccatis, ut ab Apoſtolo dictum eſt, ſacrificia offerunt, haud ſanè velut pro ſuo jure, iis, quos ſcelerum minimè pœniteat, etiamſi locupletibus & opulentis, peccata condonare queant. Nam quòd Sacerdotibus cauponum inſtar quæſtui res habere minimè permiſerit, nec privata commoda ſpectare præceperit, verùm ad ſubditorum utilitatem omnia præſcripſerit is, qui ſanctitatis omnis, & puritatis templum eos eſſe vult, tum per ſacrarum rerum interpretem Moſen, tum per ſeipſum indicavit. Per Moſen, inquam, ad hunc modum loquens: Si quis depoſitum adulterarit, primum res ereptas reddat: deinde in templum veniat, non Sacerdotem, ſed Deum placaturus. Per ſeipſum autem, cum ait, Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Cùm igitur ob divinum Spiritum hujuſmodi gratiã acceperint, non eſt id quidem dubium, quin ii, qui per peccata ſua hunc abigunt, hanc poteſtatem non habeant: verùm ii demum, quibus per Spiritum ſanctum exploratum eſt, quinam venia, quinam condemnatione digni ſint. Quoniam enim hoc humanam mentem excedebat, idcirco Paracletus qui divinæ eſſentiæ atq; gloriæ ſocius eſt, earum rerum, mens humana conſequi non poteras, doctorem ſe iis præbuit, qui ſui ſuſceptione digni erant. *libro tertio Epiſtol.260.*

S. Iſidorus Peluſiota: Sat ſcio, te, ſi quidem pecunias haberes, daturum eas indigentibus. Quod autem rogatus veniam, te difficilem præbeas, id ſanè miror. Atqui non minorem nobis utilitatem afferre conſuevit auxilium illud nullo conſtans impendio, quam illud alterum genus ſumptuoſum. Nam inter noſtram manſuetudinem æquitatemq; animi, & inter aſperitatem nolentem remittere offenſam illis qui in nos deliquerunt, ſalutis noſtræ negotium periclitatur. Remittite enim, & remittetur vobis, divinum clamat oraculum. *lib.4. Epiſt.185.*

Syneſius: Vade ad matrem Eccleſiam Cyrille frater, à qua minimè abſciſſus, ſed ad tempus ſeparatus es, quod pro criminum merito definiri ſolet. videor enim manifeſtò ſcire iſtud ipſum pridem, & communem noſtrum ac ſanctæ memoriæ patrem fuiſſe facturũ, ſi non ante fatalis neceſſitas occupaſſet; Si quidem pœnæ modum conſtituere animi judicium erat ſtatim veniam pollicentes. Itaque ſanctum illum ſacerdotem tibi reditum conceſſiſſe exiſtima, & ad Deum accede vacuo pravis affectibus animo, & malorum priorum oblito. *Epiſt.12.*

§ LATINORUM.

Egeſippus: Ubi muros populo vidit refertos Titus, mirari ſe ait, quod eorum exemplum ſequerentur ad rebellendum, quorum excidio reſipiſcere debuiſſent. Eſto tamen ut primò tentamenta habuerint aliquid præſumptionis, quid univerſorum exitia ſpei ferrent? Veniabilis certè fuerit in principio ſpes libertatis, in exorabilis tamen eſt in ultimis & deſperatis rebus perſeverantia. nam qui non exemplo humanitatis, non ſedulo verborum monitu flectuntur, adverſus eos non verba ſed arma neceſſaria ſunt. *cap.4. lib.4. excidii Hieroſol.*

Chryſologus: Judex cum vult ignoſcere, hominem reſpicit, non culpam. pater cum miſereri vult filio, affectum cogitat, non delictum. Sic in homine Deus ſui memor eſt operis, ut operis obliviſcatur humani. *Serm.54.m.*

Chryſologus: Fidens, peccatis ſuis petit veniam, qui peccanti libenter ignoſcit *Serm.68. circa finem.*

Chryſologus: Homo ſi ſine peccato eſſe non potes, & vis ſemper dimitti tibi totum, dimitte ſemper: quantum vis dimitti tibi, dimitte totum: quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte: imò quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte: homo intellige, quia remittendo aliis, tu tibi veniam dediſti. *ſerm.67. ſub finem.*

Chryſologus: Ad pedes tendet ſemper citam veniam qui requirit. *ſerm.93.m.*

Chryſologus: Si peccaverit in te frater tuus, inquit, increpa illum. Increpa ut judex: ut frater remitte: quia juncta libertati charitas, charitati mixta libertas, & terrorem comprimit, & ſuſcitat fratrem: frater eſt in febre cum lædit: eſt in fide proximo cum delinquit: eſt ſui neſcius, eſt humanitatis extraneus: huic qui per compaſſionem non ſubvenit, hunc qui per patientiam non curat, non per veniam ſanat, ſanus non eſt, ægrotat, infirmatur, viſcera non habet, & ab humano ſenſu monſtratur alienus. Furit frater, aſcribe ægritudini, tu illum juva ut frater: aſcribe tu quod ſic geritur febri, & fratri non poteris imputare commiſſum: dabiſq; imprudenter infirmitati culpam, fratri veniam: ut illius ſanitas ad tuam gloriam recurrat, illius venia tuum redundet ad præmium. Si peccaverit, inquit, in te frater tuus, increpa illum: ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Nemo iſta audiens cenſuram ſibi remittentis aſſumat, & imponat fratri delinquenti vana præſumptione perſonam: ac ſi durum putet remittere delicta. Se peccatorem, peccaturum ſe homo cogitet: & tunc incipit amare veniam, non amare vindictam. Audis tu quia remittere debeas: & quia tibi remitti debeat, non audis. Peccabis & tu illi cras, qui tibi hodie peccavit: & erit tibi judex, qui tibi erat reus antè: & reddet tibi veniam, ſi dediſti: ſi non dediſti, aut negabit veniã, aut ſi dederit, imputabit amplius quàm donabit. Remitte peccanti, remitte pœnitenti, ut cum tu peccaveris, repenſetur in venia, non donetur. Bona ſemper venia, ſed tunc dulciſſima, cum debetur. Vicit pœnam, judicem prævenit, evaſit judicium, qui remittendo antè ſibi veniam, quàm delinqueret jam providit. *Sermone 139. med.*

Ennodius: Debes noſſe, dignum eſſe venia, quidquid neceſſitate delinquitur. *lib.9. Epiſt.12.a.f.*

Ennodius: Liguria veſtra ſupplicat, ut legum veſtrarum beneficia ſic tribuatis innocentibus, ut noxios abſolvatis Exigua eſt apud Deum noſtrum miſericordia, ſi illos tantum læſio non ſequatur qui reatu carent. Culpas dimittere cæleſte eſt; vindicare terrenum *Vita Epiphanii cap. 38. f.*

Idem: Regnandi neceſſitas qua concludimur, miſericordiæ quã ſuades, non ubiq; pandit acceſſum. & inter res duas naſcentis imperii, pietatis dulcedinem cenſuræ pellit utilitas, & *Mox*: Vim divini judicii aut attenuat aut contemnit, qui hoſti ſuo cum potitur indulget. Juſtitiâ coercendi ſunt quos conſtat gratiam non ſecutos. Vitia tranſmittit ad poſteros qui præſentibus culpis ignoſcit.

Deinde: Nunquam à medico ad pleniſſimam curationem æger adductus eſt, niſi ab illo primum putria membra ferro reſecuit, & latentem penitus è ſinu viſcerum produxit illuviem. Qui criminoſos patitur impunitè tranſire, ad crimina hortatur inſontes. *Vita Epiphanii cap. 39. m.*

¶ Philoſophorum Oratorumque Græcorum.

Phalaris Zeuxippo: Filio tuo propter adoleſcentiam ignoſco, tibi verò propter ſenectutem, tametſi non merebantur veniam quæ deſignaſtis. verum niſi contumaciam iſtam correctam à nobis ſenſero neq; illum adoleſcentia, neq; te ſenectus crimine liberabit. Sed ob hæc ipſa majus ſupplicium ſubibitis, quorum cauſſa veniam antea fuiſtis conſecuti. *Epiſt. 6.*

Phalaris Steſichori filiabus: Tauromenitæ quidem, pro quib. ad me ſcribitis, & ex patris juſſu cùm vita ceſſerit, id facere confirmatis, non ſanè digni erant, quibus humanitas exhiberetur ulla. Cum enim nihil in eos deliquiſſem unquam, neq; graviter neque leviter, bellum per injuriam mihi intulerunt. Steſichorus verò non ſolùm ut hoc à me beneficium ferat, dignus eſt, quod per vos flagitat, cum precium, quod eis pro redimendis captivis imperavi, reddi jubet, verùm etiam ſi quid ſupra vires propemodum poſtulare. Quamvis enim morte abreptus videtur, quod nemo rationis compos facilè dixerit, tamen ejuſmodi vir mea opinione, mortem non ſubivit. Non enim tantum vim habebit odium Tauromenitarum, ut Steſichorus quòd modo petit non ſit impetraturus, dummodo in Phalaridis id poteſtate ſitum ſit. Nam ab illo omnes homines vinci par eſt, omnium verò maximè me, qui inter tot hominum myriadas, quos cognovi, integriorem viri ac præſtantiorem animum non viderim. Quamobrem juſſi, ut eis pecuniæ redderentur, & hoc beneficium non dare me veſtro parenti, ſed ab illo capere exiſtimo. *Epiſt. 31.*

Phalaris Cteſippo: Neque primùm, cum injuſto bello Tauromenitæ me provocaſſent liberatos captivós, eis donavi, ſed communem Græcorum legem non violare nolui, neq; poſtea cum redderem, quæ tum ceperam, beneficium in eos, ad quos fructus perveniebat; quemadmodum tu exprobras, contuli. Sed Steſichoro per filias hæc roganti, morem geſſi. Tauromenitæ igitur etiam defuncto Steſichoro gratiam pro his, quæ ſunt adepti, habeant. Steſichorus verò ſuis ipſius moribus & ingenio. Ego verò quo de ſæpenumero ſplendidè beneq; meritus fuerat, hanc ei petitionem denegare non debui. Video autem ejuſmodi fuiſſe deprecationem, quam ſi impetraſſet; Tauromenitis quidem quod ad pecunias attinet, auxilio eſſet; Mihi vero ad præbendum ſpecimen ejus moderationis, à qua me alieniſſimum homines opinantur eſſe, materiam daret. *Epiſt. 33.*

Phalaris Demarato: Ne mireris Alcini & Dorimenis mortem, quaſi cum acerbitate, Tyrãnicaq; ſævitia factam. Multò namq; eſt admirabilius, quod cum bis terq; fuerint impunitatem à Tyranno adepti, tum demum pœnas perſolverint. *Epiſt. 76.*

Phalaris Nicaneto: Credo frequentibus meis ad patrem tuum miſſis literis ut ab illa ſtoliditate te retraheret, animum tibi additũ eſſe, quaſi vero nos, niſi metueremus, nunquam componere inimicitias voluiſſemus. Ego verò id non hoc modo habere, ne ſcribere quidem dignabor. Dum enim audirem ſenem eſſe juſtum ac moderatum, neq; liberos ei alios eſſe, miſertus illius, tibi verò præter ætatem & vires confidenti parcens, uſq; in præſentem diem me continui. At tu neq; ſenem parentem miſeraris, de unico filio periclitantem, neq; tui ipſius rationem ducis: Sed in pertinacia ſuſcepta perſeveras, primùm fortaſſe quoniam nihil adhuc in te duriuſculè fecimus. Deinde quia putas tibi, cum libitum erit deſiſtere licere: id verò, ne multò te potentioribus quidem contingere potuit. Dum igitur adhuc penes te eſt, alterutrum utiliuſq; diligere, ne Timandrum imitere: ſed hoſte magis utili quàm admodum noxio conſiliario utaris. *Epiſt. 105.*

Phalarides: Omnino plus injuriarum in me ſtruitur, quam ego pœnarum irrogem ô Polydeuces, non ut tu dixiſti, tum ſuſtinere me pericula, tum inferre. Ego enim bis aut ter eoſdem inſidiatores impunitate donavi. At nemo eſt injurioſorum, qui ſecundò quoq; quadruplator nebuloq; videri erubeſcat, vale. *Epiſt. 106.*

Phalaris Epiſtrato: Ne quæſo me ſupplicium tibi inferre, cogas, qui ter jam veniam dederim, neq; apud animum tuum, quaſi abhorrentem alienamq; à Phalaride benignitatẽ reputet: etiamſi hac omnino ſepoſita, Tyranni iram adhibebimus. *Epiſt. 127.*

Lyſias: Neq; enim exigua ſunt delicta, ut veniam mereantur, neque ejuſmodi, ut in poſterum meliora ſperare liceat. *cap. 1. Orationis in Alcibiadem.*

Lyſias: Manifeſtò ipſum impiè ſceleratũ tenetis; audiviſtis, noviſtis ejus crimina. obſecrabit, ſupplicabit? nolite miſereri: non enim mortem meriti digni ſunt miſericordiâ, ſed innocentes, ſed immeriti. *fine Orat. in Andocidem.*

Lyſias: Neq; proniores eſſe debetis ad gratiam ob beneficia quæ ſe præſtituros eſſe promittunt, quam ob vindictam ob ſcelera quæ perpetrarunt *cap. 19. Orat. contra Eratoſthenem.*

Lyſias: Fuere nonnulli pridem in judicium vocati, Judices, qui commemorata majorum ſuorum virtute, ſuiſq; beneficiis, veniam à vobis obtinuerunt. *cap. 1. Orat. 29. in Nicomachum.*

Lyſias: Perpendite autem quod neq; Nicomachus, neq; quiſquã eorum qui pro ipſo intercedit, tam bene unquam meritus eſt de republica, quàm idem hic malè. Itaq; longè magis decet vos ulciſci, quàm hos patrocinari. Nec illud ignorare vos volo, hos ipſos, cum multis precibus & obſecrationibus nos flectere accuſatores nõ valerent, ad veſtrum tribunal acceſſiſſe, veſtram ſententiam tentaturos, ſpe plenos, quod, impoſtura vobis facta, licentiam obtinebunt, & impunitatem in poſterum quicquid libuerit faciendi. Nos quidem nequaquam æquum putavimus, ut ab his exoraremur: quod ipſum & vos ut faciatis hortamur; ne videamini ſolum ante judicium malos deteſtari, ſed etiã in judicio hos ulciſci; qui veſtris conciliis & ſtatutis non paruerunt. Ita enim legitimè & æquabiliter omnia fient in Republica. *Orat. 29.*

Lyſias: Cur igitur hunc quis abſolvat? An quod vir fortis ſit adverſus hoſtes, multiſq; pugnis terra mariq; victor exſtiterit? At vobis magno cum periculo in mari dimicantibus, hic domi deſedit, Solonisque leges corrupit. An quod facultates Reip. impenderit, tributaq; gravia in ærarium tulerit? At veſtrorum multa ſubtraxit, ne dum de ſuo aliquid largitus eſt. An majorum gratia? ſunt enim quibus hac de cauſa ignoviſtis. At hic, ſi ejus merita ſpectetis, moris ſi parentum conditionem, vendi debebat. An, ut vobis referat gratiam, quod nunc ei peperceritis? Atqui ne acceptorum quidem prius beneficiorum meminit: qui ex ſervo civis eſt factus, ex paupere dives, ex amanuenſi legislator. *cap. 9. Oratione 29. in Nicomachum.*

Lyſias: An quia pater iniquè apud vos delatus eſt, ideo æquum eſt nos perire; nec noſtra in Repub. ſtudia quicquam nobis prodeſſe? Abſit ut hoc æquum cenſeatur. Sed ſi propter calumniam huic illatam nos malo affici oportet: æquum quoq; erat & hunc, & nos propter noſtram in vos benevolentiam ſervari incolumes. Neq; enim opum cauſſa, ut eas conſequeremur, de vobis benemeriti ſumus: ſed ut, ſi quando periculum nobis immineret, pœnam deprecantes meritam à vobis gratiam obtineremus. Quanquam & aliorum gratia tales vos eſſe oporteat; & animadvertere, quod non ſolum nobis commodabitis; (quorum erga vos ſtudia antequam deprecamur perſpexiſtis) ſed alios etiam vobis benevolos benevolentiores efficietis; ſi pro meritis eis gratificemini, qui erga vos benefici fuerunt; neq; eorum ſententiam confirmaveritis, qui ſua oratione peſſimè omnium vobis conſulunt. *cap. 10. Orationis pro Polyſtrato.*

Lyſias: Porro videmus, Judices, ſi quis liberis adductis ploret, & quiritetur, vos puerorum, & ejus, qui ignominiâ notandus erat, miſereri, & ignoſcere patrum delictis propter liberos; de quibus vobis incertum eſt, probi ne ſint futuri, ubi adoleverint, an improbi: Noſtram autem pronam erga vos voluntatem noſtis, & patrẽ nihil in vos commiſiſſe: ut multò æquius ſit nobis gratificari, quorum periculum feciſtis, quàm illis, de quibus vobis non conſtat, boni ne futuri ſint an mali. Nobis autem contra accidit, quàm aliis evenire ſolet: Siquidem alii liberis adductis vos exorant; nos autẽ patrem hunc, & nos ipſos ſiſtimus, rogamuſq; vos, ne nos, qui integræ famæ ſemper fuimus, infames; & qui cives, exſules efficiatis ſed miſereat vos potius & patris ætate jam gravis, & noſtri. Quod ſi hunc iniquè condemnatis, quæ nobis poterit eſſe jucunda vobiſcum conſuetudo, aut nobis inter nos, ſi hæc indigna & vobis & Republica patiamur. *cap. 12. pro Polyſtrato.*

Lucianus: At ſiquid etiam peccavi Jupiter. ignoſce mihi: puerulus enim ſum, & adhuc imprudens. *Iup.* Tú ne puer Cupido, qui es Japeto longè antiquior? An quia nec barbam nec canos produxiſti, ideo etiam infans putari cupis, ſenex & verſutus adeò cùm ſis? *Dialogo Cupidinis & Iovis.*

Ariſtides Rhetor: Neq; vel Perſicam vel Laconicam juris rationem ſecutus es, ut parva multis, ac minora majoribus condonares. *fine Orationis de Parathegmate.*

Ariſtides Rhetor: Cur Perſas imitandos non putaſti? Apud hos enim legibus cautum ferunt, ne quis, cui ſit aliquod crimen impoſitum, prius condemnetur, etiam convictus, quam inter ſe comparatis ejus recte & malefactis, mala præponderare deprehendantur: ſin bene facta ſint plura quamvis manifeſtum ſit crimen, ut abſolvatur. Ergo Barbari ſic agunt: Plato vero Græcorum præſtantiſſimus, & rerum humanarum, atque etiam divinarum peritus, omnia volet hominem ſimul recte gerere, & omnium potiri, nec modo quæ conſilio gubernantur, ſed etiam quæ ſub Fortunæ ſunt arbitrio: aut, qui vel parum offenderit, nullius fieri? Non igitur illos tantum, ſed & univerſam accuſabimus humanam naturam.

Ariſtides Rhetor: Themiſtocles deniq; rebus compoſitis, cùm Lacedæmonii civitates eas, quæ cum hoſtibus ſe conjunxerant, de fœdere vellent tollere, contradixit, ac prohibuit, quod exiſtimaret id perinde futurum, quaſi à ſcipſa Græcia de fœdere tollerentur ſiquidem

quidem plura quam triginta oppida fuerãt eam calamitatem subitura. Quocirca putabat indecorum fore, si Græcia, quæ tam splendida fuisset usa fortuna, hostesq; devicisset, tanta sui parte minor fieret. Quomodo melior, obsecro, vel in Rep. administranda prudentior esse potuit? *Orat. 2. Platonica.*

Libanius: Cùm liceret mihi aurum, mihi coronas, mihi statuas impetrare, hæc atq; ejusmodi despui, quodq; deerat communi civitatis felicitati conquirens, vinculis eos qui ærumnas carceris paterentur liberavi: non quod eorum actiones approbarem, neque quod satellites ipsos in pulcra tyrannide habere sperarem; sed quod cogitarem, ut verosimile est, malam naturam insperata venia impetrata, ob gratiam pudore affici verecundo, & mutare mores, nec ut eos qui honorem sunt impertiti pœniteat permittere. *Declamat. 32.*

Themistius: Initium porrò carminis non inde ducendum, unde Homerus incipere vos hortatur. Non enim iram caneris

Lethiferam, innumerum Graiisq; causa malorum.

Sed facilitatem ac clementiam per quam manifeste illud omnibus iudicavit Princeps nigrum calculum plane invisum sibi esse, atq; à natura sua & voluntate aliena. Atque hoc ipsum argumento est, ab Rege illum accipi, quod niger esse desinat. Neque enim fieri potest, ut cum illius in manus venerit, colorem non mutet. Nam Clipeum quidem utramq; in partem agitare didicit, dextram videlicet ac sinistram: calculum in dextram dumtaxat, in sinistram nequaquam didicit: neq; lanceas habet uti apud Homerum Juppiter ex auro duas, vitæ atq; necis, nec unquam ab mortifero pondere ac momento vitale deprimitur sed vergente illo deorsum ac fidente quod ad inferos tenebrasq; detrahit, sursum aliud cœlum verius attollitur. Sed neq; imperatoris pavimento duo Jovis in solio collocata esse Homeris asserit, eademq; fatorum plena, alterum bonorum, contrariorum alterum. At Imperatori nostro nullum mortis dolium est, sed vitæ duntaxat plenũ semper atq; exuberans, quam ex eo merã, ac synceram haurit, atque in homines effundit. Præclarè siquidem huic Assyriorum sententiæ, fidem adhibet, quæ Cor Regis merito dicit in Dei manu custodiri, quod quidem in cõdemnationis literas minime propendere potest: Necesse est enim ut qui hasce literas facilè scribit, ex ea manu excidat, quæ vitam omnibus perpetuò largitur. Olim quidem vobis (Imperator) Divinitatis appellationem Reipublicæ consensus attribuit, non quod immensa auri copia vestra in potestate sit, non quod abundæ coronæ vobis, ac purpureæ vestes suppetant, non quod divitem ex pau pere subitò faciendi magna vobis facultas sit (hæc enim longè cælo, cæliq; imagine sunt inferiora (sed quod unius in Dei principisq; potestate sit, vitam alteri concedere: siquidem nemo cum Deum invocat, Victorem, aut Triumphatorem, aut Germanicum, atque Scythicum: sed amantem hominum, Pium atque Servatorum appellat.

Proinde ea tibi amplectenda virtus est: ita nunquam tete à se illa manus excutiet, quemadmodum Neronem olim & Domitianũ & Severi filium excussit: non item Trajanum, aut Marcum, atque Antonium populares, majoresq; tuos, à quibus jam tum Imperiũ tuum Divina Providentia moliebatur. Hoc ego Trophæum multo Scythico illo celebrius arbitror, quãquam istud ipsum solus nulloq; armorum præsidio constituisti: in hoc tãtum abest, ut ferrum quicquam contribuerit, ut ejus quoq; habetata sit acies: cujusmodi nunquam Philippi ille filius erexit, qui ad Indiæ usq; fines è Macedonia penetravit, sed narium quidem ac potum facile vincebat, ab una vero Cliti vinolentia, petulantiaq; victus est. Neq; vino vinum sed ferro vindicavit: neque Philothæ contumaciam moderatè tulit cum nonnihil insolentius apud scortum jactasset, sed cum Philota etiam Parmenionem interfecit Non ita tu Divinissime Imperator, qui propter innocentes etiam iis qui deliquerat errati gratiam fecisti, atq; eum qui inania quædam affectarat pariter cum eo qui infelici quodam fato obdormierat liberasti: Adeo tibi vel leve aliquod momentum magni instar ad clementiam est. Causa autem hæc est, quod naturâ divinus sis: unusquisque porro ad id in quod naturâ propensus est, parvo admodum fomite, atque incitamento opus habet.

Olim in ejusmodi criminibus, nihil inter culpam ac fortunam discernebatur, parq; ac idem erat noxæ genus nefarium aliquid, ac scelestum moliri, & idipsum præter voluntatẽ audisse. Atqui hoc erat naturã hominis arguere, quod apertas ac patulas aures dedisset nec quemadmodum palpebras atq; os, sic etiam aures claudere aut diducere in potestate nostra esse voluisset: cum ferè unus hic sensus potestatem nostram atque libertatem effugiat, ac quicquid in eum incurrerit, velut janua carentibus, & apertis ædib. ita necessario sint illi omnia suscipienda. Tu vero auditum prorsus ab crimine separasti. Animadvertere autem insontes, non aliter quam verbis tenus voluisti. Quo tam illustri facinore, cum nihil præstantius esse posset, adjecisti opere ipso admirabiliorem vocem. Nam cum omnes patientiam facilitatemq; tuam miraremur, solus tarditatem illius incusabas quod nihil aliud erat, nisi ideo dolebas, quod convictum scelus venia non pervenisses, nec ea quæ reum detinebat sententia, eam quæ absolveret celeriorem fecisses. Quanquam tarditate ille quid esse potest velocius? Non enim paulatim iram remisisti, nec pedetentim reis formidinem minuisti, nec post iudicium sententiæ atque animi dubius hæsisti, quodnam consilii capesseres: sed tristem illam condemnationis sententiã, divinitus data altera prævertit; tam repente atque omni cunctatione remota, prius ut à multis, quam invisa illa, ac difficilis audiretur. *de Theodosio Imp. orat. 5.*

Themistius: Nunc autem homines vidimus & inferorum vestibulo ad vitam excitatos, quos lex ipsa quidem illuc amandavit; legum illinc Princeps ac dominus te duxit: qui hoc ipsum præclarè vidit, aliam Judicis laudem ac virtutem esse: huic sequendas leges, illi interdum etiam corrigendas, earumq; severitatem ac duritatem esse declarandam, utpote qui viva, spiransq; lex sit, non in fixis atq; immobilibus literis posita. Hæc enim causa videtur esse, ob quam regia potestas à Deo in terris è cœlo transmissa sit, ut ab immota constantique lege, ad spirantem atque vivam hominibus esset perfugium constitutum.

Heliodorus: Omnem move lapidem, omne inveni machinam, viden in extremum periculum res nostras devenisse; & simul cogitans, quod cum de me ipsa desperarim, haud quaquam aliis sim parsura. *lib. 8. Æthiopic.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Abolitionem viro forti concedendæ, ratio quædam fuit. etiamsi peccavit, etiamsi gravem uni fecit injuriam, redemit tamen hoc virtute, redemit sanguine, redemit vulneribus. *Declamat. 249.*

Quintilianus Senior: Qualecunq; crimen, donari meritis, donari virtuti potest. *Declamat. 310.*

Plinius Secundus: Nostine hos qui omnium libidinum servi, sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant, & gravissimè puniunt quos maxime imitantur? cum eos etiam qui non indigent clemẽtiâ ullius, nihil magis quam lenitas deceat. Atqui ego optimum & emendatissimum existimo, qui cæteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet, ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat. proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitæ genere teneamus, ut nobis implacabiles simus, exorabiles istis etiam qui dare veniã nisi sibi nesciunt: mandemusq; memoriæ quod vir mitissimus, & ob hoc quoq; maximus, Thrasea crebrò dicere solebat, Qui vitia odit, homines odit. *Epist. 22. lib 8.*

Plinius Iunior: Libertus tuus cui succensere dixeras, venit ad me, advolutusq; pedibus meis tanquam tuis hæsit, flevit multum multumq; rogavit, multum jacuit. in summa, fecit mihi fidem pœnitentiæ. Vere credo emendatum, qui deliquisse se sentit. Irasceris scio, & irasceris meritò. id quoq; scio, sed tunc præcipua mansuetudinis laus est, cum iræ caussa justissima est. Amasti hominem, & spero amabis: interim sufficit ut exorari te sinas. licebit rursus irasci si meruerit: quod exoratus excusatius facies. Remitte aliquid adolescentiæ ipsius, remitte lacrimis, remitte indulgentiæ tuæ nec torseris illum; ne torseris etiam te: torqueris enim cùm tam lenis irasceris. Vereor, ne videar non rogare sed cogere, si precibus ejus meas junxero. jungam tamen, tanto plenius & effusius, quanto ipsum acrius severiusq; corripus, districtè minatus nunquam me postea rogaturum. Hoc illi quem terreri oportebat; tibi non item. nam forte iterum rogabo, iterum impetrábo: sit modò tale, ut rogare me, ut præstare te deceat. *lib. 9. epist. 21.*

Calpurnius Flaccus: Recordatio veniæ, magnus est stimulus industriæ. *Controversia 26. m.*

Eumenius: Sibi imputet, quisquis uti noluit beneficio tuo, nec se dignum vitâ judicavit, cum per te liceret ut viveret. tu (quod sufficit conscientiæ tuæ) etiam nõ merentibus pepercisti. sed ignosce dicto; non omnia potes. Dei te vindicant & invitum. quod quidem nobis semper optandum est, ut prosperos habeas, etiam ultra vota successus, qui omnem spem in gremio majestatis tui ponimus. *cap. 20. paneg. Constantino Aug. dicti.*

Symmachus: Quod plerisq; sua invidia laborantibus Imperialis remisit humanitas, id patris nomine postulatum multò æquior venia relaxabit *lib. 4. epist. 51.*

Symmachus: Non solet ab amicis anxiè venia postulari. *lib. 10. Epist. 6. p.*

Latinus Pacatus: Quin jam ceperas de illius morte dubitare, & dejeceras oculos, & vultum rubore suffuderas, & cum misericordia loquebaris. sed bene est, quod non omnia potes, Imperator: tui te vindicant & invitum. *cap. 44. Paneg. Theodosio Aug. dicti.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 51 ad Vitalianum.

Sæpe gravis noxæ confessio sola salutem
Attulit & lacrimæ scelus abstersere cadentes,
Candoremq; prius vitiis mens atra recepit.

Plautus Aulular. 4. sc. 10. v. 15.

Quia vini vitio atq; amoris feci. E. homo audacissime
Cum istacine te oratione huc ad me audire ausum, impudens?
Nam si istuc jus est, ut sic tu istuc excusare posses,
Luce clara deripiamus aurum matronis palam.
Post id, si prehensi simus, excusemus ebrios
Nos fecisse. amoris caussa, nimis vile est vinum & amor,
Si ebrio atq; amanti impunè facere quod lubeat licet.
L. Quin tibi ultrò supplicatum advenio ob stultitiã meam

Plautus Aulularia 4. sc. 10 v. 60.

Qui homo culpã admisit in se, nullus est tam parvi pretii
Quin pudeat, quin purget sese. nunc te obtestor Euclio,

Si quid

Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam,
Ut mihi ignoscas, eamq; uxorem mihi des, ut leges jubet.
Ego me injuriam fecisse filiæ fateor tuæ.

Plautus Casinæ 5. sc. 4. v. 22.

Si unquã posthac aut amasso Casinã, aut accepso modò.
Ne dum ut eam amasso; si ego unquam adeo post hac tale ad misero,
Nulla caussa est quin pedentem, uxor, virgis verberes.
M. Censeo ecastor veniam huic hanc dandam. C. faciam uti jubes.

Plautus Epidici 5. sc. 2. v. 64.

—— Oro te Epidice,
Mihi ignoscas, si quid imprudens culpa peccavi mea.

Plautus Menæchmis 5. sc. 9. v. 14.

Quæso ignoscas, si quid stultè dixi atque imprudens tibi.

Plutus Milite 2. sc. 6. v. 60.

—— Periplectomene, te obsecro
Per deos atque homines, perque stultitiam meam,
Perque tua genua. P. quid obsecras me? S. inscitiæ
Meæ & stultitiæ ignoscas. nunc demum scio
Me fuisse excordem, cæcum, incogitabilem.
Nunc demum à me insipienter factum esse arbitror,
Cum rem cognosco. at non malitiosè tamen
Feci.

Plautus milite 4. sc. 6. v. 37.

Si amavit unquam, aut si parem sapientiam hic habet ac forma,
Per amorem si quod fecero; clementi animo mihi ignoscet

Terentius Eunuchi 5. sc. 2.

—— unam hanc noxiam
Mitte si aliam unquam admisero ullam, occidito.

Terentius Heauton. 4. sc. 1.

Mi Chreme, peccavi fateor nunc hoc te obsecro
Quanto tuus est animus natu grandior, ignoscentior
Ut mea stultitia justitia tua sit aliquid præsidii.
CH. Scilicet equidem istuc ignoscam. verum Sostrata,
Male docet te mea facilitas multa.

Terentius. Phorm. 5. sc. 8.

Ego Nausistrata esse in hac re culpam meritam non nego,
Sed eam quæ sit ignoscenda.
Nam neque negligentia tua, neque odio fecit tuo.
Vinolentus eam compressus, neque post unquam attigit.

Terentius Phormione 5. sc. 8.

Verum quando jam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce. orat, confitetur, purgat. quid vis amplius?

Ausonius, verbis Cleobuli

Ignoscas aliis multa, nihil tibi.
Parcit quisquis malis, perdere vult bonos,

Jo. Sarisberiensis prologo Policratici.

Sperne malos, venerare bonos; ignosce volentê
Lædere: nulla bonis ultio grata magis.
Nulla virum fortem vindicta magis decet ista.
Principibus semper debet adesse viris:
In quorum manibus lex si viget ignea; punit
Dum miseret: fidos dum cupit esse, facit.
Provocat ad facinus, dum sævit inique potestas,
Et sibi subjectos non sinit esse pios.

Guntherus lib. 5. v. 465.

Præcipue nostris tumefacta repugnat habenis,
Et quasi degenerem, timidumque & mente carentem
Contemnit, nec posse putat punire nocentes,
Quem nimis expositum veniæ, segnemque malorum.
Adspicit in pœnas; patientia nostra timori,
Illa teste, datur. Nescis hæ perdita, nescis,
Quem stimules peritura virum.

Guntherus lib. 6. v. 109.

Nec minus à tergo quacunque illæsa manebant,
Vastabat Princeps. his qui sibi mente feroci
Parcere noluerant, indignum parcere ducens.

§ Monosticha Trochaica.

Cognoscendi & ignoscendi peccati dandus locus
Est verecundiæ ibi peccandi ubi obvia indulgentia est.
Fortiorem aliquando reddit militem ignoscentia.
Gratiam primo ac secundo fac delicto, haud tertio.
Haud queunt perire, pro quo ne pereant natus rogat.
Hoc veniæ minor spes est quo sceleris majus vinculum.
Hominem respicit, non culpam, cui cordi est ignoscere.
Ignosce: orat, confitetur, purgat: quid vis amplius?
Impetrat veniam sibi ipsi qui veniam dat alteri.
Multas res remittat æquum est, scire qui vult omnia.
Multarum veniam det rerum, nullius Princeps petat.
Nemini citò abrumpenda civium spes gratiæ.
Nemini sapiens ignoscit, certe haut ignoscit sibi.
Noxiam unã hanc mitte; si aliã admisero unquã, occidito.
Omnia ignoscit sibi; at nil ceteris amentia
Par mage est Deo qui quẽ aufert quam qui eundẽ dat neci
Peccatis veniam pusillis, magis pœnas commodes.
Plus apud bonos benefacta possunt, facta quam male.
Propter honorem mortuorum, parcas & viventibus.
Qui sceleстis paucis parcit, perditum omnes it bonos.
Respicit hominem non culpam si quis vult ignoscere.
Ruitur in culpas venalis est ubi ignoscentia.
Sæpe magna mansuetudo maxima est crudelitas.
Spe veniæ sublata immensè accendas pertinaciam.
Stimulus est industriæ ingens veniæ recordatio.
Tardus ad pœnam, ad salutem cunctis est celer Deus.
Tutius chordas remittere est lyræ quam intendere
Venia ubi venalis, ingens est ibi scelerum chaos,
Ut juventæ sic senectæ venia plurimum datur.

§ Jambica.

Aliis veniam dum indulges, ignoscis tibi.
Aliquando vivis servant vitam mortui.
Delicta recte recondes virtutibus.
Det ille veniam facile. cui venia est opus.
Est Regis alti spiritum Regi dare.
Et lacrimis poscas veniam & silentio.
Etiam cicatrix sanum ubi vulnus est manet.
Etiam parens fit venia fortitudinis.
Ignosce lapsis, haud ignosce noxiis.
Ignoscit omnia aliis probus, nihil sibi.
Ignoscitur illi qui puniri debuit.
Iuveni potius judex ignoscat quam seni.
Largire aliquid amicis deprecantibus.
Multum potest vis, mansuetudo at omnia.
Non est idem, pœnæ eximi, quod crimini.
Peccantibus ignosce cunctis, haud tibi.
Qui peccat monitus, haud receperit veniæ locum.
Quo parcat animo quisque plurimum interest.
Rerum veniam da plurimum, nullius pete.
Veniam dabit sibi ipsi, qui nulli cedit?
Veniam imperat sibi ipse ignoscit qui alteri.
Veniam meretur peccatum ignorantiæ
Veniam meretur qui delinquit non volens.
Veniam meretur, qui pœnæ ultrò se objicit.
Veniam miseris si denegas, tibi denegas.

Veneris.

§ Sententiæ Patrum Græcorum.

B *Clemens Alexandrinus*: Tempus autem oportunum conjunctionis solis relinquitur considerandum, qui juncti sunt matrimonio: qui autem matrimonio juncti sunt, iis scopus est & institutum, liberorum susceptio: finis autem, ut boni sint liberi: quemadmodum agricolæ seminis quidem deiectionis caussa est, quod nutrimenti habendi curam gerat: ei autem agriculturæ finis est, fructuum perceptio. Multo autem melior est agricola, qui terram colit animatam: ille enim ad tempus alimentum expetens, hic vero ut universum permaneat curam gerens, agricolæ officio fungitur: & ille quidem propter se, hic vero propter Deũ plantat ac seminat. Dixit enim: Crescite & multiplicemini. & subaudiendũ est: Et ea ratione fit homo Dei imago, quatenus homo cooperatur ad generationem hominis. Non est quælibet terra apta ad suscipienda semina: quod si etiã sit quælibet, non tamen eidem agricolæ. Neque vero seminandum est supra petrã, neque semen est injuria afficiendum, quod quidem dux est & princeps generationis, estq; substantia quæ simul habet insitas naturæ rationes. Quæ sunt autẽ secundum naturam rationes, absque ratione præter naturalibus mandando meatibus, ignominia & probro afficere, valde est nefarium & impium.

Videte itaque quomodo sapientissimus Moses infrugiferam aliquando sationem symbolicè repulit: Non comedes, inquiens, leporem, nec hyænam. Non vult homines esse qualitatis eorum participes, neque eis æqualem gustare libidinem: hæc enim animalia ad explendum coitum venereum, feruntur insano quodam stupore. Ac leporem quidem dicunt quotannis multiplicare Venerem, pro numero annorum quos vixit habentem foramina: & ea ratione dum leporis esum prohibet, significat se dehortari puerorũ amorem. Hyænã a. vicissim singulis annis masculinum sexũ mutare in fœmineum: significare a. non esse ad adulteria prorumpendum, eum qui ab hyæna abstinet. Sed non oportere quidem his assimulari animalibus, per eam quam proponit interdictionem sapientissimum Mosen citra ullam dubitationẽ significare, ego quoque assentior: non tamen eorum quæ symbolicè dicta sunt expositioni consentio: numquam enim naturæ vis potest afferri ut mutetur: quod autem semel in ipsa effictum est, nefas est affectione in contrarium refingi: affectio enim non est natura. Ejus enim quod formatum est adulterare characterem non autem ipsam formam potest transformare affectio.

Etsi enim multæ aves dicuntur temporum vicibus mutare & vocem & colorem, quemadmodum merula ex nigra quidem fla-

va, ex ea autem quæ suaviter canebat, obstrepera & turbulentum sonum edens fieri dicitur: itidem etiam luscinia & colorem & vocem, cum Solis fiunt conversione-, mutare asseritur: cæterum non mutant ipsam naturam, & figura mutatata fiat mas ex fœmina, sed recens quidem pennarum productio, novæ vestis instar, quandam pennarum tincturam, tanquam flores emittit: sed ea paulo minis hybernis exhalatur, sicut flos, dum color flaccescit. Ipsa quoque vox similiter frigore male vexata, marcescit Cum enim exterior cutis ab aere ambiente densatur, quæ in collo sunt arteriæ compressæ & constipatæ, spiritum quoque compri unt: is autem in arctum valde coactus, suffocatum & oppressum edit sonum. Rursus itaque ambienti aeri assimilatur, & vere relaxatus ex angustii liberatur spiritus, qui fertur per dilatatas quæ tunc clausæ erāt, arterias. Non profert itaque amplius cantum flaccidum & languidum, sed jam emmittit canorum: etiam vox eorum latius diffunditur: & jam vocis avium quasi ver fit cantus. Nequaquam ergo credendum est hyænam mutare naturam: idem enim animal non habet simul ambo pudenda masculini & fœminini, sicut nonnulli existimarū q prodigiose hermaphroditos finxerunt, & inter masculum & fœminam, hanc ex viro & fœmina constantem naturā innovarunt Valde autem falluntur, ut qui non animadverterint quàm sit filiorum amans omnium mater & genetrix Natura. Quoniam enim hoc animal, hyæna inquam, est salacissimum, sub cauda ante excrementi meatum, adnatum est ei quoddam carneum tuberculum, fœmineo pudendo figura persimile. Nullum autem meatum habet hæc figura carnis qui in utilem aliquā desinat partem, vel in matricem inquam, vel in rectum intestinum: tantum habet magnam concavitatem, quæ inanem excipiat libidinem, quando aversi fuerint meatus, qui in concipiendo fœtu occupati sunt. Hoc ipsum autem & masculo & fœminæ hyænæ adnatum est, quod sit insigniter pathica: masculus enim vicissim & agit & patitur, unde etiā rarissimè inveniri potest hyæna fœmina. Non enim frequenter concipit hoc animal, cū in eis largiter redundet, & quasi sine lege, ea quæ præter naturam est satio.

Hac etiam ratione mihi videtur Plato in Phædro, amorem puerorum repellens, eum appellare bestiam, quod frænum mordentes, qui se voluptatibus dedunt, libidinosi, quadrupedum coeunt more & filios seminare conantur, Impios autem tradidit Deus, ut ait Apostolus, in perturbationes ignominiæ: nam & fœminæ eorum mutaverunt naturalem usum, in eum qui est præter naturam: similiter autem & masculi eorum, relicto usu naturali, exarserunt in desiderio sui inter se invicem: masculi in masculos turpitudinē operantes, & mercedem quam oportuit erroris sui in se recipientes At vero ne libidinosissimis quidem animantibus concessit natura excrementi meatum immittendo semini idoneum: urina enim in vesicam excernitur, humefactum alimentum in ventrem, lachryma vero in oculum, sanguis in venas, sordes in aures, mucus in nares defertur: fini autem recti intestini, sedes cohæret, per quam excrementa expuuntur. Sola ergo varia in hyænis natura, superfluo coitui superfluam hanc partem excogitavit, & ideo est etiam aliquantisper concavum, ut prurientibus partibus inserviat, exinde autem excæcatur concavitas: non fuit enim fabricata ad generationem. Hinc nobis manifestum atque adeo in confesso est, vitandos esse cum masculis concubitus, & infrugiferas sationes, & Venerem præposteram, & quæ natura cohærere non possunt, androgynorum, id est, qui viri sunt simul & mulieres, conjunctiones, ipsam naturam sequentibus, quæ id per partium prohibet cōstitutionem, ut quæ masculum non ad semen suspiciendum, sed ad id effundendum, virum fecerit.. Hierimias autem quando dicit hoc est, per ipsum loquens Spiritus: Spelunca hyænæ facta est domus mea, id quod ex mortuis constabat corporibus detestans alimentum, sapienti alligoria reprehendit cultum simulachrorū verè enim oportet ab idolis esse puram domum Dei viventis.

Rursus Moses lepore quoque vesci prohibet. Omni enim tempore coit lepus, & salit, assidente fœmina eam à tergo aggrediens: est enim ex iis quæ retrò insiliunt. Concipit autem singulis mensibus, & superfœtat: init autem & parit. Postquam autem peperit, statim à quovis initur lepore: neque enim uno contenta est matrimonio: & rursus concipit adhuc lactens. Habet enim matricem cui sunt duo sinus. Et non unus solus matricis vacuus sinus, est enim ei sufficiens sedes ad receptaculum coitus: quicquid enim est vacuum, desiderat repleri. Accidit autem ut cum uterum gerunt, altera pars matricis desiderio teneatur & libidine furiat, quocirca fiunt eis superfœtationes. A vehementibus ergo appetitionibus, mutuisque congressionibus, & cum prægnantibus fœminis conjunctionibus, alternisque initibus, puerorumque stupris, adulteriis, & libidine abstinere, hujus nos ænigmatis adhortata est prohibitio. Idcirco aperte & non per ænigmata Moses adhuc nudo capite prohibuit, Non fornicaberis, non mœchaberis, pueris stuprum non afferes, inquiens. Rationis itaque præscriptum omni ratione observandum, neque quicquam contra leges ullo modo faciendum est, neque mandata sunt infirmanda. Malæ enim cupiditati nomen est petulās injuria. & equum cupiditatis petulantem ac insolentem vocavit Plato, cum legisset, Facti estis mihi equi furentes in fœminas. Libidinis autem supplicium notum nobis facient, illi qui Sodomam accesserunt Angeli; Ij eos qui probro illos afficere voluerunt, una cum ipsà civitate combusserunt, evidenti hoc indicio ignem, qui est fructus libidinis, describentes: quæ enim veteribus acciderunt, sicut ante diximus, ad nos admonendos scripta sunt, ne eisdem teneamur vitiis, & caveamus ne in pœnas similes incidamus.

Oportet autem filios existimare, pueros: uxores autem alienas intueri tanquam proprias filias: voluptates quippe continere, ventrisq; & iis quæ sunt infra ventrem dominari, est maximi imperii. Si enim ne digitum quidem temerè movere permittit sapienti ratio, ut confitentur Stoici, quomodo non multò magis qui sapientiam persequuntur, in eam qua coitur particulam dominatus est obtinendus? Atque hac mihi quidem de causa videtur esse nominatū pudendum, quod hac corporis parte magis quam qualibet alia cum pudore utendum sit: natura enim, sicut alimentis, ita etiam legitimis nuptiis quantum con enit, confert & decet nobis uti permisit: permisit autem appetere liberorum procreationem. Quicunque autem quod modum excedit persequuntur, labuntur in eo quod est secundum naturam, per congressus qui sunt præter leges, seipsos lædentes. Omnino enim recte habet supra omnia, nunquam cum adolescentibus, perinde ac cum fœminis, Veneris uti consuetudine. Et ideo non esse in petris & lapidibus seminandum, dicit qui à Mose factus est Philosophus, quoniam nunquam actis radicibus genitalem sit semen naturam susceptutum. Verbum itaque per Mosen apertissimè præcepit: Et cum masculo non dormies fœminino concubitu, est enim abominatio.

Accedit his, quod ab omni quoque arvo f minino esse abstinendum præterquam à proprio, ex divinis scripturis colligens, præclarus Plato consulit lege illinc accepta: Et uxori proximi tui non dabis concubitum seminis, ut polluaris apud ipsam. Irrita autem sunt & adulterina concubinarum semina. Ne semina, ubi non vis tibi nasci quod seminatum est. Neque ullām omnino tange mulierem, præterquam tuam ipsius uxorem, ex qua sola tibi licet carnis voluptates percipere ad suscipiendam legitimam successionem. Hæc enim rationi sola sunt legitima. Eis quidem certe qui divini muneris, nempe opificii sunt participes, semen non est abjiciendum, neque injuria afficiendum, neque tanquam si cornibus semen mandes seminandum est. Hic ipse ergo Moses cum ipsis quoque prohibet uxoribus congredi, si forte eas detineant purgationes menstruæ. Nō enim purgamento corporis, id quod est maxime genitale seminis & quod mox homo futurum est, polluere est æquum: nec sordido materiæ profluvio, & quæ expurgantur inquinamentis inundare ac obruere. Semen autem generationis degenerat ineptumque redditur, si matricis sulcis privetur, Neq; vero ullum unquam induxit veterem Hebræorum coëuntem cum sua uxore prægnante. Sola enim voluptas si quis ea etiam utatur in conjugio, est præter leges, & injusta, & à ratione aliena. Rursus a. Moses abducit viros à prægnantibus, quousque pepererint. Revera enim matrix sub vesica quidem collocata, super intestinum autē quod rectum appellatur posita, extendit collum inter humeros in vesica: & os colli, in quod venit semen, impletum occluditur, rursusque inane redditur partu purgato: fructu autem deposito, deinde semen suscipit.

Neque nobis turpe est ad auditorum utilitatem nominare partes in quibus fit fœtus conceptio, quæ quidem Deum fabricari nō puduit. Matrix itaque sitiens filiorum procreationem, semen suscepit, probrosumque & vituperandum negat coitum, post sationem ore clauso omnino jam libidinem excludens, Ejus a. appetitiones, quæ prius in amicis versabantur complexibus, intro conversæ, in procreatione sobolis occupatæ, operantur una cum opifice. Nefas est ergo operantem jam naturā adhuc molestia afficere, superflue ad petulantem prorumpendo libidinem. Petulans autem libido, & multa habet nomina, & est multiplex, Postquam a. ad hanc veneream conversa fuerit intemperantiam, Græce λαγνεία, id est, lascivia, dicitur. quo nomine significatur libidinosa, publica, & incesta in coitum propensio: quæ cum aucta fuerit, magna simul morborum con enit multitudo, obsoniorum desiderium, vinolētia, & amor in mulieres; luxus quoque, & simul universum voluptatum studium: in quæ omnia tyrannidem obtinet cupiditas. His autē cognatæ innumerabiles augētur affectiones, ex quibus mores intemperantes ad summum provehuntur. Dicit autem scriptura: Parantur intemperantibus flagella, & supplicia humeris insipientum: vim intemperantiæ, constantemque tolerantiam, vocans humeros insipientum Quocirca, amove à servis tuis spes inanes, & indecoras, inquit, cupiditates averte à me. Ventris appetitio & coitus ne me apprehendant.

Longè ergo sunt arcenda plurima insidiatorum maleficia: non ad solam enim Crateris peram, sed etiam ad nostram civitatem non navigat stultus parasitus, nec scortator libidinosus qui posteriori delectatur parte, non dolosa meretrix, nec ulla ejusmodi alia voluptatis bellua. Multa ergo nobis per totam vitam seminetur, quæ bona sit & honesta, occupatio. In summa ergo vel jungi matrimonio, vel omnino à matrimonio purum & mundum esse oportet, Quod si hoc ipsum, An ducenda sit uxor, veniat in considerationem: quomodo libere permittetur, quemadmodū nutrimento, ita etiā coitu semper uti, tanquam necessario? Ex eo ergo videri possunt nervi tanquam stamina distrahi, & in vehementi cōgressus intensione disrumpi. Jam vero offundit etiam caliginem

sensibus

ſenſibus, robur quoque interrumpit. Patet hoc & in animantibus rationis expertibus, & in iis quæ in exercitatione verſantur corporibus: quorum hi quidem qui abſtinent, in certaminibus ſuperant adverſarios: illa vero à coitu abducuntur, atque adeo vix circumaguntur & trahuntur, omnibus viribus & omni animi impetu tandem quaſi enervata. Parvam epilepſiam dicebat coitum Sophiſta Abderites, morbum immedicabilem exiſtimans. An non enim conſequntur reſolutiones, quæ exinanitionis ejuſque quod abſcedit magnitudini aſſcribuntur? homo enim ex homine enaſcitur & evellitur. Vide damni magnitudinem: totus homo per exinanitionem coitus abſtrahitur. Dicit enim: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea. Homo ergo tantum exinanitur ſémine, quãtus videtur corpore. Eſt enim generationis initium id quod recedit: quinetiam conturbat ebullitio materiæ, & compagem corporis labefactat & commovet. Lepidè ergo ille, qui interroganti quoquomodo adhuc rebus uteretur venereis, reſpondens. Bona verba, quæſo: ego vero lubentiſſime iſthinc, tanquam ab agreſti & inſano domino profugi.

Cæterum introducatur quidem & admittatur matrimonium: vult enim Dominus humanum genus repleri: ſed non dicit, Eſtote libidinoſi: nec vos tanquam ad coitum natos voluit dedere voluptati. Pudore autem nos afficiat pædagogus clamans per Ezechielem: circumcidamini fornicationem veſtram. Aliquod tempus ad ſeminandum opportunum habent quoque rationis expertia animantia. Non coire autem ad liberorum procreationem, eſt facere iniuriam naturæ, qua quidem oportet magiſtra, quas prudenter introducit temporis commoditates, diligenter obſervare, ſenectutem inquam, & puerilem ætatem. His enim nondum conceſſit: illos autem non vult amplius uxores ducere. Sed non vult homines ſemper dare operam matrimonio. Matrimonium autem eſt filiorum procreationis appetitio, non nullo ac incerto ordine ſeminis excretio, quæ eſt & præter leges, & à ratione aliena. ſecundum naturam autem nobis vita univerſa proceſſerit, ſi & ab initio cupiditates contineamus, & hominum genus, quod ex divina providentia naſcitur, improbis & malitioſis non tollamus artibus: eæ enim ſub prætextu fornicationis, utentes medicamentis quæ omnino ad exitum attrahunt, ſimul cum fœtu omnem humanitatem conſumunt.

Cæterum quibus uxores ducere conceſſum eſt, iis pædagogo opus fuerit, ut non interdiu myſtica naturæ celebrentur orgia, nec ex Eccleſia, verbi gratia, aut ex foro mane rediens, galli more coeat, quando orationis, & lectionis, & efficacium quæ interdiu fiunt operum tempus eſt: veſpere autem oportet poſt convivium quieſcere, & poſt gratiarum actionem quæ fit Deo pro bonis quæ percepimus. Non ſemper autem concedit tempus natura, ut peragatur congreſſus matrimonii: eſt enim eo deſiderabilior conjunctio quo diuturnior. neque vero noctu, tanquam in tenebris, immodeſtè ſeſe ac intemperanter gerere oportet, ſed verecundia, tanquã lux rationis, in animo eſt includenda. Nihil enim à Penelope telam texente differemus, ſi interdiu quidem texamus dogmata temperantiæ, noctu autem ea reſolvamus, cum in cubile venerimus. Si enim honeſtatem exercere oportet, multo magis tuæ uxori honeſtas eſt oſtendenda, inhoneſtas vitando, conjunctiones: & quod caſtè cum proximis verſeris, fide dignum è domo adſit teſtimonium. Non enim poteſt aliquid honeſtum ab ea exiſtimari, apud quam honeſtas in acribus illis non probatur certo quaſi teſtimonio voluptatibus. Benevolentia autem, quæ fatetur ſe præcipitem ferri congeſſionem, exiguo tempore conſeneſcit: nonnunquam autem etiam præſeneſcit, flacceſcente jam & marceſcente libidine, quando matrimonialem moderationem ac temperantiam meretriciæ vitiaverint libidines. Amantium enim corda ſunt volucria: amoriſque irritamenta extinguntur ſæpe pœnitentia: amorque ſæpe vertitur in odium, quando reprehenſionem ferit ſatietas.

Impudicorum verò verborum, & turpium figurarum meretriciorumque oſculorum, & hujuſmodi laſciviarum nomina, ne ſunt quidem memoria tenenda, beatum ſequentibus Apoſtolum, qui aperte dicit: Fornicatio autem, & omnis immunditia, vel plura habendi cupiditas, ne nominetur quidem in vobis, ſicut decet ſanctos. Recte ergo videtur dixiſſe quiſpiam: Nulli quidem profuit coitus, recte autem cum eo agitur quem non læſerit. Nam & qui legitimus, eſt periculoſus, niſi quatenus in liberorum procreatione verſatur. De eo autem qui eſt præter leges, dicit Scriptura: Mumulier meretrix apro ſimilis reputabitur. Quæ autem viro ſubjecta eſt, turris eſt mortis iis qui ea utuntur. Capro vel apro meretriciam comparavit affectionem. Mortem autem dixit quæſitam, adulterium quòd committitur in meretrice quæ cuſtoditur. Domum autem & urbem, in qua ſuam exercent intemperantiam. Quine etiam quæ eſt apud vos Poëtica quodammodo ea exprobrans, ſcribit:

Tecum & adulterium eſt: tecum coituſque nefandus
Fœdus, fœminemq; urbs peſſima, plane impura.

Rurſus autem pudicos & continentes admiratur:

Quos deſiderium tenuit nec turpe cubilis
Alterius, nec terra inviſaque ſtupra tulerunt
Vlla unquam maribus.

Quandoquidem multi hæc ſua peccata, voluptates eſſe tantum quæ ſunt præter naturam exiſtimant: qui autẽ ſunt his paulo meliores, eſſe hæc quidem peccata agnoſcunt; vincuntur autem à voluptatibus, & ſunt eis tenebræ vitiorum integumentum: ſuum enim adulterio violat matrimonium, qui id habet pro meretrice, & non audit pædagogum clamantem: Homo qui aſcendit ſuper lectum ſuum: qui dicit in animo, quis me videt? Circa me ſunt tenebræ, & parietes ſunt tegumenta mea, & nemo aſpicit peccata mea. Quid vereor ne meminerit Altiſſimus? Is quidem eſt miſerrimus, qui ſolos veretur hominum oculos, exiſtimat autem fore ut Deum lateat: neſcit enim, Scriptura dicit, Oculi Domini altiſſimi, quanto ſint ſole ſplendidiores, Qui reſpiciunt omnes vias hominum, & partes occultas intelligunt. Itidem rurſus pædagogus eis minatur per Eſaiam, dicens: Væ iis qui in occulto conſilium capiunt, & dicunt. Quis nos videt? Senſilem enim lucem latebit fortaſſe quiſpiam, ſed intelligibilem minimè latere poteſt, An ut ait Heraclitus, id quod nunquam occidit, poſſit latere quiſpiam? Tenebras ergo minimè obtegamus, lux enim in nobis habitat: Et tenebræ, inquit, ipſum non comprehendunt. Ipſa autem noctem illuſtrat honeſta ac pudica cogitatio. Bonorum autem virorum cogitationes, lucernas quæ dormire non poſſunt, appellavit Scriptura.

Quamquam ipſum te date operam ut ea lateant quæ facis, peccare eſt citra ullam controverſiam. Quicunque autem peccat, ſtatim quoque facit injuriam, non tam proximo, ſi mœchetur, quàm ſibiipſi, quòd mœchatus fuerit: quin & ſeipſum omnino reddit deteriorem ſuæque famæ detrahit. Qui enim peccat, quatenus peccat, ipſe eſt ſeipſo deterior, & ignominioſior: omnino autem jam ei utique adeſt intemperantia, ut qui vincatur à voluptate. Quammobrem qui fornicatur, Deo eſt omnino mortuus a ratione tanquam à ſpiritu ut cadaver relictus eſt. Quod enim ſanctum eſt, ut eſt conſentaneum, pollui averſatur. Puro autem purum ſemper fas eſt tangere. Ne ſimul ac exuitur tunica, pudorem quoque exuamus: nam juſto temperantiam nunquam fas eſt exuere. Ecce enim hoc corruptibile induit incorruptionem, quando cupiditas inſatiabilis, quæ fluxu quodam fertur in libidinem, caſtigata à continentia, & à corruptionis amore aliena, æternæ temperantiæ hominem tradiderit. In hoc enim ſæculo vxores ducunt, & nubunt: abolitis autem carnis operibus, ipſe pura carne induti incorruptionem, id quod Angelis proportione reſpondet perſequimur.

Hac ratione Plato quoque in Philebo, qui fuerat barbaræ diſcipulus philoſophiæ, impios & à Deo alienos eos myſticè vocavit, qui Deum in ipſis habitantem, nempe rationem, corrumpunt, & quãtum in ſe eſt, vitiorum ſuorum conjunctione polluunt. Non eſt ergo iis unquam mortaliter vivendum qui Deo ſanctificantur. neque, ut dicit Paulus, membra Chriſti facienda ſunt membra meretricis: nec Dei templum, faciendum eſt templum turpium affectionum. Recordemini quatuor & vginti millia fuiſſe propter fornicationem extruſa. Ea autem quæ evenerunt iis qui fornicati ſunt figuræ quæ noſtras libidines corrigunt. Porro autem pædagogus monet apertiſſimè: Poſt tua deſideria ne ambules, & arcearis à tuis appetitionibus. Vinum enim & mulieres faciunt ſapientes deficere: & qui adhæret meretricibus, evadet audacior. Putredo & vermis erunt ejus hæredes, & efferetur in majori Ludibrio. Et rurſus, non ceſſat enim juvare: Qui autem voluptatem adverſis oculis intuetur, coronat vitam ſuam. Non eſt ergo juſtum vinci à rebus venereis, nec libidinibus ſtolidè inhiare, nec à ratione alienis appetitionibus moveri, nec deſiderare pollui. Ei autem ſoli qui uxorem duxit, ut qui tunc ſit agricola, ſerere permiſſum eſt, quando tempus ſementem admittit.

Adverſus aliam autem intemperantiam, optimum quidem eſt medicamentum, ratio. Fert etiam auxilium penuria ſatietatis, per quam accenſæ libidines, proſiliunt ad voluptates. Ergo nec ſumptuoſa veſtis eſt aſſumenda, ſicut nec cibus varius. Ipſe certe Dominus in animum, & corpus, & tertio loco in ea quæ externa ſunt præcepta dividens, propter corpus quidem externa comparare conſulit: corpus autem adminiſtrat per animam, animam autem erudit: Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, inquiens, quid comedatis, neque corpori veſtro quid induamini. Anima enim plus eſt quam cibus, & corpus quam veſtimentum. Et ſubjungit apertum doctrinæ judicium: Conſiderate corvos qui neque ſeminant, neque metunt, quibus non eſt penus, nec horreum, & Deus nutrit ipſos. Non vos præſtatis volucribus? Et hæc quidem de nutrimento. Similiter autem de veſte quoque præcipit, quæ rerum externarum tertium locum obtinet: Conſiderare, inquiẽs, lilia quomodo neq; nent, neque texunt. Dico autem vobis, quod neque Solomon induebatur ut unum ex his. De divitiis autem valde ſe jactabat rex Solomon. Quid eſt itaque floribus pulchrius & floridius? Quid eſt autem liliis vel roſis delectabilius? Si autem fœnum quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto vos magis, modicæ fidei? Et vos quærite, quid comedatis, aut quid bibatis. Hic, particula, quid, cibi varietatem expulit. Id enim ſignificatur ex Scriptura, Ne ſoliciti ſitis, quænã comedatis, aut quænam bibatis, De his enim eſſe ſolicitum, nimiam plura habendi cupiditatẽ, & delitias arguit. Sed ſi comodere per ſe ſolũ cogitetur, eſt argumentũ neceſſitatis, & defectus repletio, ut diximus. Quod eſt a. amplius, eſt ex ſuꝑfluo. Quod eſt a. ex ſuꝑfluo, eſſe à Diabolo declaravit Scriptura. Senſum a. planũ facit quæ ſeqtur dictio. Cum e. dixiſſet. Ne quærite quid comedatis &

quid bibatis, ſubjunxit: Et ne ſublimes efferamini. A veritate autem ſublimes efferunt arrogantia & delitiæ: & quæ in rebus ſupervacaneis verſatur delectio, abducit à veritate. Quocirca pulcherrimè quoq; dicit: Hæc autem omnia gentes mundi quærũt. Qui immoderati ſunt & inſipientes, gentes ſunt. Quænam autem hæc dicit? delitias, delectationem, cupedias, obſoniorum voracitatem, ingluviem. Hæc ſunt illud. Et quid. De ſolo autem nutrimento, ſicco ſcilicet & humido, ut quæ ſint neceſſaria: Scit, inquit, pater veſter quid vobis opus ſit. Quod ſi nobis omnino innatum eſt ut quæramus, regnum quæramus cælorum. *lib 2. Pædagogi cap.10.*

§ Philosophorum Græcorum.

Epictetus: A re venerea quantum fieri poteſt, ante nuptias purus eſto. ſin attigeris, ea legitimè utendum. Ne tamen iniquus ſis iis qui illa utuntur, neq; eos arguas, neq; paſſim jactes, te ea non uti. *cap. 47. Enchir.*

Epictetus: Nuda Venus picta eſt: nudi pinguntur Amores: Queis hæc nuda placet, nudos dimittat oportet. Quare Venus Vulcano nupta eſt? Oſtendit amorem ardore incendi. Quare ſtraba eſt? quia pravus eſt amor. *alterc. Had.*

Simplicius: Cum omnis corporeæ voluptatis continentia, rationis capacem animum corroborat, facit ut expetimento fretus, coerceri poſſe brutam partem confidat: tum belluinas appetitiones contrahit, duobus modis mareſcentes, tum ipſo otio, tum aſſuetudine ſuccumbendi. Continentia vero libidinum, quanto ea voluptas major eſt cæteris, tanto eſt utilior animo, ac pretioſior. Non autem rationem ſolum bona doctrina & legibus optimis erudiri, ſed brutarum etiam expeditionum vehementiam, non tam vi refrenari quam ſponte etiam remitti ſolere: ex eo conſtat, quod & cibi appetitus & coitus, quanquam naturalis & violentus, ſi recte aſſueſiat, ſine vi acquieſcit. Nam & jejuniis aſſuefacti, non vexantur ab appetitu: ſed moleſtiis afficiuntur, cum præter jejunii conſuetudinem comedunt, & appetentia coitus in pugilibus, quamvis & carnibus impleatur, & ob ætatem luxurient, tamen quieſcit: quod continere aſſueverunt, ob oleagini germinis in Olympia corollam.

Jam cum lex & conſuetudo ſororis & fratris conſuetudine interdicat: appetitiones non ſecus ac ab ipſius naturæ imperio, ſuppreſſæ, ita prorſus ſunt immobiles: niſi forte aliquos furoris intemperiæ, & diræ ſcelerum ultrices agitarint. Ante nuptias autem caſte vivere, præter alias utilitates, etiam juſtum eſt, ut caſtitatis fides quam maritus ab uxore ſtipulatur, etiam uxori viciſſim à marito ſervetur. Sin ante nuptias neceſſe fuerit: parendum eſt in eo legibus. Quod enim legi repugnat, idem eſt & impium. neq; enim lex fruſtra illud deſcripſiſſet. Eſt idem & magnæ incontinentiæ ſignum. Deinde aſſuefacit & ipſum, & imitatores ejus, ad alias quoq; leges contemnendas. Cæterum ſi talibus abſtinens, ne ſis iis qui utuntur moleſtus, neve eos arguas, nec te abſtinere paſſim jactato. Audientibus enim acerbæ ſunt iſtæ criminationes atq; opprobria. Neque enim vel præceptorum objurgationes æquis animis ferimus. Moleſtiæ cauſa eſt ſcilicet, quod errata & peccata noſtra latere putamus, donec arguamur: eoque ne peccaſſe quidem nos putamus. Jam hujus ipſius rei cauſa eſt, quod opinionem aliorum ad nos ipſos dijudicandos adhibemus, & noſmetipſos, & Deum: hoc eſt, veritatem.

Quod ſi is qui arguit, non peccatum modo retegit, ſed & ſe peccati expertem facit, & velut in certamine ſuam de nobis victoriam proclamat: tum & per collationem vinci nos magis etiam ægrè ferimus, eo qui ſeipſe laudat, ægritudinem augente. Eſt enim ideo gravius, quod adverſarius ſe judicem facit. Atq; is etiam qui alium arguit, & ſuum exemplum profert, ſibi ipſe nocet, animo ad res externas extẽdendo, ut qui nec abſtineat talibus, nec arguat alios ſtudio virtutis, ſed & ut aliis arguendis gloriam ipſe conſequatur. Qui autem ſic tractat eum quem arguit, præterquam quo objurgationem graviorem facit, defenſionem etiam comparatione faciliorem reddit. In promptu enim eſt ut dicat, Atqui ego non ſum philoſophus. ſtatimq; ſibi ignoſcat. *ad cap. Epict. 47.*

§ Poetarum.

Ariſtophanes Concion. v. 885.

ANVS: Si quis bonum vult
Pati quid, apud me oportet dormire.
Non enim in juvenibus ſapientibus in-
Eſt, ſed in expertis.
Neque amare velis
Magis quam ego amicum,
Cui conjungar, ſed in alterum volet.
IVV. Ne invide juvenculis,
Delicatum enim natum eſt
Teneris cruribus,
Et in ovibus floret. tu autem o
Anus collige, & frica
Mortis curam.
AN. Excidat tui ornatus,
Et ornatum abjicias,
Volens ſubagitaris,
Et in lecto ſerpentem invenias,
Et attraharis volens oſculari.

Ariſtophanes Lyſiſtrata v. 889.

Mihi ut videtur, hæc puella ſcit magis,
Magiſque ſcita eſt. intuenſq; pulcrius.
Sed quod ſuperbit, & mihi eſt moruſula,
Hoc plus amore pectus exercet meum.

§ Apologi.

De Adoleſcente ex coitu infirmo, & Lupo. Fab. 90.

Adoleſcens quidam uxorem duxerat, & ipſam quoq; adoleſcentulam, formoſam admodum, & libidinoſam, cujus effrenæ libidini dum ſatisfacere cupit, ita lumbos exhauſit, ut pauci diebus macilentus fieret, & mortuo magis quam vivo ſimilis videretur. Non ingredi, non ſtare, non aliquod opus facere poterat. unde ex quidam apricatione gaudebat. Dum ergo in aprico ſtans loco, calore ſolis ſeſe calefaceret, accidit, ut venatores, qui lupum fuerãnt inſectati, illac iter haberent, quos cum adoleſcens interrogaret, cur lupum non cœpiſſent, ob incredibilem, inquiunt, illius velocitatem, illum aſſequi non potuimus. Tunc ait adoleſcens: Uxorem profecto hic lupus habere non debet, ſi enim uxori junctus eſſet, nunquam tanta pedum pernicitate polleret.

Hæc indicat fabula, neminem eſſe adeò robuſtum & fortem, quem nimius veneris uſum non infirmum & debilem reddat. L. ſtennius.

§ Emblematum.

Had. Junius Emblem. 36.

Quid Cyrberea polum fers vertice? vis mea ſcandit
Cælum, & ovi dat jura. quid papavera?
Sopio corda hominum quamvis fera. roſcida quorſum
Mala? illices eſſe has voluptates puta.

Jac. Catſius Emblemate amator 32.

Turpe ſenilis amor.

Frondibus irriguis violiſq; recentibus hæret,
Perq; novos flores læta vagatur Apis.
Si qua roſa eſt, quæ laſſa comas collumq; remiſit,
Præterit hanc, dulces nec petit inde favos.
Nullus amans canis dat florea ſerta capillis,
Dat vetulæ fronti baſia nullus amans.
Parcite formoſæ nimium diu parcere formæ:
Turpe puella ſenex, in ſene turpis amor.

§ Monosticha Trochaica.

Bacchus eſt ubi Cereſque non abeſt longe Venus.
Dant egeni operam voluptati, haud operam dant liberis.
Difficilè mulier ſemel fit, quæ mulier fieri timet.
Furta non vult eſſe aperta Cypris, antra quæritat.
Improbo labore dulcis non ſolet coli Venus.
Lis inexhauſta eſt pubertas, ſerior quibus Venus.
Menſe quovis ter maritus minimum viſat conjugem.
Naturalis eſt quidem Venus, at non neceſſaria.
Nec Bacchus ſine Venere, nec ſine Baccho dulcis eſt Venus
Nocte non una creari quibat ingens Hercules.
Nos coimus ſubſtituendis prolibus per libidinem.
Nulla Diva plus bellum horret, nulla plus vim quam Venus.
Qui coeunt voluptatum ergo, liberos non cogitant
Quid ego tibi deliqui ſi cui nupta ſum tecum fui?
Tam malum eſt venerem adverſari, quam veneri immori malum eſt.
Vtilis nec eſt in æſtu, ſed nec Autumno, Venus.

§ Jambica.

Heu, quam malorum cauſſa magnorum es Venus!
Hortator Veneris liber eſt & armiger.
In venere turpi juvenis haud duret diu.
Infirmior ſeipſo fit, Veneri qui vacat.
Mas eſt Venus, Venus ſiulque femina eſt.
Nunquam labore paſſa ſe eſt coli Venus.
Odit ſenectam, amat juventutem Venus.
Quivis locus tori loco eſt amantibus.
Regni tui pro quanta, Venus potentia eſt!
Sine Cerere atque Libero friget Venus.
Sine hoſte victus marcet, Veneri vacat.
Sine Libero & Cerere, ipſa item friget qui Venus.
Sine venere non eſt vita, non jucunditas.
Venus peroſa dura amantum pectora eſt.

Veris.

§ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Vide qualia ſint, quæ oculis offeruntur: princeps anni pars principi dierum pompam peragit, ac quicq

ac quidquid pulcherrimum & suavissimum habet, dono dat. Nunc cœlum splendidius, nunc Sol sublimior, magisq; aureus, nunc Lunæ orbis clarior, & syderum chorus purior. Nunc, & fluctus cum littoribus, & nubes cum Sole, & venti cum aere, & terra cum stirpibus & stirpes cum oculis in gratiam redeunt. Nunc fontes limpidius, fluunt, nunc flumina uberius, nimirum hybernis vinculis soluta. Nunc, & pratum suaviter olet, & planta viret, & herba detondetur, & in virentibus arvis agni saltitant. Nunc navis cum celeusmatis, iisq; ut plurimum religiosis & pietatis plenis, è portu solvit, veloq; tanquam pennis cingitur, ac per gyrum assultat delphinus, jucundissimum quiddam insufflans, seseq; in altum evehens, & vectores lætos atq; hilares prosequitur. Nunc aratrum agricola compingit, oculos in altum tollens, frugumque datorem invocans, ac bovi aratori jugum innectit dulcemque sulcum proscindit, ac spes lætas fovet. Nunc pastor & bubulcus fistulas aptant, ac pastorale carmen inspirant, atque in arboribus & petris Veris amœnitate fruuntur. Nunc plantarum cultor plantam curat, & auceps calamos construit, ac ramos suspectat, & pennem avium studiose explorat. Nunc piscator profundum aquæ perspicit, ac rete suum repurgat, & petris insidet. Nunc sedulæ apes, solutis pennis, & relictis alvearibus, sapientiæ suæ documentum præbent, atq; ad prata convolant, floresq; diripiunt: ac partim cellulas elaborant, sexangulas & inter se oppositas fistulas attexentes, rectasque angularibus alternantes, non minùs ad operis elegantiam, quam ad securitatem: partim mel in horrea recondunt, atque hospiti suo dulcem fructum & inaratum proferunt, quemadmodum utinam nos quoque, qui Christi apiarium sumus, ac tale partim sapientiæ, partim industriæ & laboris exemplum accepimus. Jam avis nidum construit, atq; alia quidem redit, alia immigrat, alia circumvolat, ac nemus cantu suo implet, hominemq; garritu demulcet. Omnia Deum laudant, & vocibus mutis concelebrant. Propter omnia enim gratiæ Deo per me habentur: atq; ita illorum laudatio mea efficitur, nimirum à quibus ego laudis argumentum capio. Nunc quidem omne animantium genus ridet, atque omnibus sensibus pascimur. Nunc etiam superbus equus, & jubam arrigens, stabulum fastidit, ac perfractis vinculis per campos lascivius fertur, atque in fluminibus gestit, sesque ostentat. *sub finem quadragesimi tertii Sermonis.*

§ Latinorum.

Ennodius: Nunc cùm terræ succus per venas argentium virgultorum currit in germina, & alvus sicci fomitis humore maritata turgescit: cum in blandam lucem novelli præsegminis comæ explicantur arboreæ, & omnis ramorum plectura diffunditur, vel quæ intra tunicam natura artaverat frondium decora: cum avium cantilena comitur sapore modulato: cùm vita segetum glebis sepulta hyemalibus, quasi algoris repagulo emissa & tepore fota concipitur. Nunc in cano flore spem fructuum metitur agricola, cum mutuis palmitum brachiis vinearum texitur aprica formositas, & ante maturitatis tempus vultum frugiferum cultura componit, dans venustatem falce domitrice & luxuriam infœcundam ferro fructificante compescens. Cum profundi gurgitis rabies blandum transit in sibilum, & enervata tepore ventorum ferocitas migrat in delitias navigantis. dum tutum est cymbam salo laxare, & ancorarum morsus absolvere: dum fractura procellarum, quæ nautas hactenus terrebat, invitat, & per uda æquoris spatia somnum gubernantis admittit. cum colore distincta geminato vermi opibus prata ditescunt, & in ordinatione summi Pontificis naturæ gaudium elementa testantur. *Dict. 1. §. 2.*

§ Oratorum Græcorum.

Libanius: Ver amo certè, plus quàm alias anni tempestates: & quale sit enarrare lubet. Solvit enim homines tanquam è carcere brumæ: diemq; multo præstantiorem esse nocte docet. nam radios à nebulis liberat. Tum vero Sol nitidus & lenis ac jucundus est corporibus: Fervidior quidem incumbens, quam hyberno tempore; sed nondum æstu urgens immoderato, prout æstivis mensibus facere solet: ut libenter quis non exiguam partem diei in Sole conterat. Tunc profectò Auroram à roseis digitis indigitare fas est. Idem Ver noctem gratam & suavem efficit; ut sidera semper appareant. ac vix unquam occultentur. Proinde vigilanti spectaculum est omnium suavissimum cælùm signorum varietate distinctum. Terra verò sua munera profert. Tunc quoque lætæ & virides sunt segetes, quæ agricolas bona spe oblectant: quinetiam arbores suas comas & frondes recuperant: & omnia fructus spondent. Porrò si quis in sublimi loco consisteret intueretur q; terram & mare, non minorem ex mari quàm continenti lætitiam perciperet. Tunc enim patet mare nautis: neq; enim fluctibus intumescit, qui altitudine montes referant, sed planum & quasi supinum est: & venti faventes mercatoribus, tam ii qui pelagi sinus trajiciunt, quàm qui ultrò citròq; commeantes, commercia inter se habent. At enim viæ non sunt asperæ & confragosæ, neque imbres molesti, quin ipsa profectio aliorumq; mutuus ad alios accessus, non minus voluptatis quàm lucri conciliat. Amnes perpetui purè labuntur: torrentes vero moderatius feruntur. fontes denique multò meliores ac lympidiores sunt quam hyeme. Interim otio & ignavia languere nemo vult; sed ad opus & studium suum quisque instigatur; eques sagittarius, venator, dumtaxat similes sunt homines à morte ad vitam revocatis & multa quidem mercantur atq; emunt: ad villas & agros se conferunt. ibi rusticantes in avium cantibus & florum odoribus delicias aucupantur. Canit quidem vere loquax hirundo, nec desit lusciniolæ sua cantio: utraque Pandionis soboles cluet, in quas Thraciæ rex injurius fuit. Alia pleraq; alitium genera apparent, quæ omnia pervolitant late loca, & auspicibus auguribusq; crebra & certa dant auguria. Tunc eædem volucres, ut omnes animantes, ad cœtus venereos incitantur. Rura tunc amœnissima, ob ovium balatum, & florum, rosarum, violarum, liliorum, aliorumq; id genus copiam, quæ & suave est videre, & pergratum manibus contingere, & naribus admovere. Ver ad hæc homines educit, & decumbere facit, iisque lautas apparat epulas: cum vino quidem convivæ exhilarentur, & corollis etiam oblectentur: quandoquidem pati non possunt, ut epulentur sine rosis. Atque hæ ubique locorum conspersæ sunt, in mensis in poculis, in manibus, in capitibus. Jacent etiam humi projectæ. Hæ urbes etiã amœniores faciunt, cum ab agricolis convehuntur, & venduntur. Cum his quoq; dormiunt virgines: & quovis in loco rosas oculis affulgentes videris. Enimvero flos hic in honore est & in amorib. potissimum, qui vernæ tempestatis gratiam & decus arguit. Gaudent porrò, ut opinor, etiam Dii coronis è rosis contextis, non minus quàm thure. *Ecphrasi Veris.*

§ Poetarum.

Oppianus lib. 1. ἁλιευτ. v. 473.

Vere dulcis stimulus necessaria Veneris,
Et nuptiæ pubescunt, & mutui amores
Omnibus, quiq; terram almam, quique sinus
Aeris, quique mare sonorum frequentant.

Pentadius.

Sentio fugit hiems, Zephirisq; moventibus orbem
Iam tepet Eurus aquis, sentio fugit hiems.
Parturit omnis ager, pratentis terra calorem,
Germinibus novis parturit omnis ager.
Læta vireta tument, foliis sese induit arbor,
Vallibus apricis læta vireta tument.
Iam philomela gemit modulis It in impia mater,
Oblatum mensis jam Philomela gemit.
Monte tumultus aqua properat per levia saxa,
Et late resonat monte tumultus aqua.
Floribus innumeris pingit sol purus Eoum,
Temporaque exhalant floribus innumeris.
Per cava saxa sonat pecudum mugitibus Echo,
Vouque repulsa jugis per cava saxa sonat.
Vitea musta tument vicinas juncta per ulmos,
Fronde maritata vitea musta tument.
Iam motacilla canit, jam garrula luce chelidon,
Dum recolit nidos, jam motatilla canit.
Sub platano viridi jucunda somnus in umbra,
Sertaque texuntur sub platano viridi.
Tunc quoque dulce mori, tunc fila recurrite fusis,
Inter & amplexus tunc quoque dulce mori.

Ausonius in Monosyllabis.

Annus ab exortu cum flori parum reserat Ver,
Cuncta vigent: nemus omne viret, nitet auricomũ rus,
Et fusura umbras radicitus exigitur stirps,
Non denso ad terram lapsu glomerata fluit nix.
Florum spirat odor, Libani ceu montis honor thus.
Iam pelago volitat mercator vestifluus Ser.

Ausonius Edyllio 14.

Ver erat, & blando mordentia frigora sensu
Spirabat croceo mane revecta dies.
Strictior Eoos præcesserat aura jugales,
Æstiferum suadens anticipare diem.
Errabam riguis per quadrua compita in hortis.
Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa pruinas
Pendere, aut olerum stare cacuminibus:
Caudibus & patulis teretes colludere guttas,
Et cælestis aqua pondere tunc gravidas
Vidi Pæstano gaudere rosaria cultu,
Exoriente novo roscida lucifero.
Rara pruinosis canebat gemma frutetis,
Ad primi radios interitura die.
Ambigeres, raperet ne rosis aurora ruborem,
An daret: & flores tingeret orta dies.
Ros unus, color unus, & unum mane duorum.
Sideris, & floris, nam domina una Venus.
Forsan & unus odor: sed celsior ille per auras
Difflatur: spirat proximus iste magis.
Communis Paphie dea sideris, & dea floris,
Præcipit unius muricis esse habitum.
Momentum intererat: quo se nascentia florum
Germina comparibus dividerent spatiis.
Hæc viret angusto foliorum tecta galero:
Hanc tenui folio purpura rubra notat.

Hac aperit primi fastigia celsa obelisci,
Mucronem absolvens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
Iam meditans foliis se numerare suis:
Nec mora, ridentis calathi patefecit honorem
Prodens inclusi semina densa croci.
Hac modo qua toto rutilaverat igne comarum,
Pallida collapsis deseritur foliis.
Mirabar celerem fugitiva atate rapinam,
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.
Ecce & defluxit rutili coma punica floris,
Dum loquor: & tellus tecta rubore micat.
Tot species, tantosque ortos, variosq; novatos
Vna dies aperit: conficit una dies.
Conquerimur, Natura, brevis quod gratia florum est,
Ostentata oculis illico dona rapis.
Quam longa una dies, atas tam longa rosarum.
Quas pubescenteis juncta senecta premit.
Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.
Sed bene, quod paucis licet interitura diebus,
Succedens avum prorogat ipsa suum
Collige virgo rosas, dum flos novus, & nova pubes:
Et memor esto avum sic properare tuum.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Floribus miser non gaudet, at beatus non eget.
Non facit ver una hirundo, capillus unus nec senem.
Plenum ibi ver est ubi arbor inducit se floribus.
Ver ubi est, nil orbe toto est cui Venus non sit sua.
Vere solvuntur mortales ex brumali carcere.

¶ JAMBICA.

Genitale mundi tempus esse ver scias.
Hirundo ver relicta, aut una, non facit.
Initia veris temperant Favonij.
Ver finiente tandem anno revertitur.

Verberum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM

D. *Chrysostomus*: Qui adversus viros latis legibus statuerunt innumerabilia, ustiones, quæstiones & tormenta, rarò mulierem sublimem tollunt, sed ad impingendam usq; alapam aut colaphum iram sistunt. tanta autem usi sunt adversus naturam verecundia, ut ne cum necessitas quidem postulat, sæpe eam suspendant, quando est prægnans. est enim viro dedecus verberare mulierem. si autem viro, multò magis ei quæ est ejusdem sexus. hinc sunt viris exosæ mulieres. *Homil. 15. ad Ephesios.*

S. Salvianus: Qui percusserit te in dextram maxillam, præbe ei & alteram. Quantos putamus esse qui dicto huic vel aures modeste præbeant, vel certè etiamsi id facere videntur, animis acquiescant? aut quotus quisq; est, qui si ictum unum acceperit, non multos pro uno reddat? Tantum ab illo abest, ut cedenti maxillam præbeat, ut tum se vincere putet, non quando adversarium vapulando, sed quando cædendo superaverit. *libro tertio de gubernatione Dei.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Vespis v. 1289.

Puer! quid hoc est? namq; quantumvis senem,
Puerum vocare obnoxium plagis licet.

Ennodius Parænesi didascal.

Abstinens manu, pudorem & aure & ore verbero.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Accipiat potius pugil plagam, quam ut vitet turpiter.
Ægrius sanare lingua quam flagelli verbera.
Aure & ore verberator quispiam aquè quam manu.
Dextera fatuus, sed oris sapiens metuit verbera.
Noli, amabo verberare lapidem, ne perdas manum.
Sape plusculum oris urunt, dextera quum verbera.
Sine mihi gerere morem, utar haud lingua, verum lingula.
Verba lingua amara plus quem vulnerant quam verbera.
Non ferant pleriq; verba qui tulere verbera.
Verba multi pertulere, qui haud tulere verbera.

¶ JAMBICA.

Et vivos homines mortui incursant Boves.
Etiam osculamur ultro amica verbera.
Infantulorum dulcia patribus verbera.
Iucunda sunt amica dextra verbera.

Verborum.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

H*Alicarnassaus*: Imagines quædam morum verba esse videntur. *cap. 12 de antiquis Oratoribus.*

Halicarnassaus: Est omnis oratio, quâ sensa animi significamus, quædam ligata quædam soluta: quarum utraq; si pulchram juncturam nacta fuerit, poterit pulchrum facere & carmen & orationem: si verò inscienter & temere projiciatur: etiam ea quæ præclare sunt cogitata corrumpit. Multi siquidem Poetæ, multi rerum scriptores, Philosophi item & Rhetores, cum verba summo studio pulchra & decentia ad propositam rem accurate deligerent, temerariamq; & insulsam juncturam adjungerent, nullam frugem ex tanto labore perceperunt: alii verò cum verba contempta & humilia assumerent, eaque collocatione jucunda & eleganti exornarent, multam venustatem & gratiam orationi addiderunt. Et quidem rationem eandem habere videtur Collocatio cum Delectu quam habent verba ipsa cum rebus. Quemadmodum enim nullautilitas cogitationis præclaræ est, si ei quis pulchræ locutionis non addiderit ornamentũ, ita etiam nulla est laus invenire purum & venustum verbum, si juncturæ aptum ornatum non addideris. *cap. 5. de collocatione verborum.*

Idem: Quemadmodum Minerva aliàs alium videri faciebat, nunc rugosum, parvum, turpem, Mendico tristi similem, formaq; senilem alibi verò ubi virga eum tetigerat, majoremq; dedit membris facieq, videri Augusta, atq; comas nitidas, crinemq; decorum Demissum capiti, flores similes hyacinthi: similiter etiam collocatio iisdem verbis assumptis, aliquando sententias informes, humiles, jejunas facit; aliquando verò sublimes, copiosas, validas & elegantes. & quidem poeta à poëta, orator ab oratore, collocatione verborum bonâ differre videtur. *cap. 15.*

Lucianus: At priscorum vocabulorum, alia sunt usurpanda, alia non item, quæ nimirum vulgo non usurpantur, ne auditum turbemus, & intelligentium aures vulneremus. Ego verò, vir optime, apud te fortassis hæc de te dicens peccavi. Decebat enim, decebat, aut Paphlagonum, aut Cappadocum, aut Bactrianorum patriis verbis tecum loqui, quoad intelligeres quæ dicerentur, & audiendo voluptatem capere. Sed cum cæteris Græcis Græcè loqui oportet. Deinde etiam Atticis per successionem temporum multa variantibus in lingua sua, hoc nomen inter præcipua mansit. *in Pseudo-logista.*

Lucianus: *Lyc.* Satis ô Lexiphanes, & potus, & lectionis istius. Quare jam sum ebrius, & nauseo: ac nisi quamprimum, quæcunq; recitasti, evomuero, probè scias, videor mihi mox fore insanus, obstrepentibus mihi undique verbis istis, quæ mihi modò offudisti, quanquam illa risu excipere principio in mentem mihi veniebat. Verùm posteaquam multa, omniaq; similia erant, miserebat me infœlicitatis tuæ, cùm te in labyrinthum irremeabilem incidisse, morboq; maximo laborare, imò potius atra bile percitum viderem.

Itaque apud me ipsum cogito, unde tam multa mala collegeris, & quam longo tempore, & ubi deniq; cõclusum habueris tantum examen absurdarum & distortarum vocum, quarum alias quidem ipse finxisti, alias autem defossas alicunde eruens, juxta jambicum illud, *Pereas miserias qui eligis mortalium*! tantum cœnum undequaq; coactum in me exhausisti, qui nullam tibi injuriam intuli. Porrò videris, mihi neminem amicum, aut familiarem, aut benevolum habere, neq; in virum ingenuum, & liberè loquentem incidisse, qui vera monendo, te liberaret ab hac intercute aqua qua teneris: ob quem affectum periculum est, ne disrumparis: quanquam tibi ipsi bene habito corpore videris esse, & calamitatẽ hanc pro bona valetudine ducis, & à stolidis, qui tuum ignorant morbum, laudaris: at meritò à doctis miseratione dignus putaris.

Verùm siquidem hunc Sopolim medicum video commodum accedentem, age huic te tradamus, & exposito morbo, tibi remedium aliquod inveniamus. Vir enim prudens est, & multorum, qui ut tu semi insani & fatui erant, suscepta curatione, eos à morbo infuso pharmaco liberavit. Salve Sopoli, atq; hunc Lexiphanem nostrum, ut scis, socium, suscipe curandum, qui nunc nugis, & peregrino circa sermonẽ morbo est correptus, & periclitatur ne prorsus pereat, eumq; quocunq; tandem modo serva. *Lex.* Nequaquam me, Sopoli, sed Lycinum istum, qui manifestè desipit, & homines mentis compotes, mente labare putat: & juxta Samium illum Mnesarchi filium, silentium, & linguæ ignaviam nobis intendit. Sed per Minervam non erubescentem, perq; magnum Herculem ferarum debellatorem, ne tanti ipsum, quantum Gry, vel Phni faciamus. Moneo autem omnino ne obviam quidem ipsi esse veniendum. Videor verò mihi etiam ringi, quum talia increpantem audio.

Ac jam utique abeo ad sodalem Cliniam: quoniam audio uxorem ejus jampridem non laborasse mensibus, & ideo ægrotare, quod non fluant. Quare non amplius inscenditur, sed inaccessa, & inculta manet. *Sop.* Quid verò Lycine, an ægrotat Lexiphanes? *Lyc.* Annon audis Sopoli, hæc ipsa quæ loquitur? Et nobis qui nunc cum ipso versabamur, relictis, quasi ante mille annos nobiscum

scum sermocinatur, linguam distorquens, & absurda ista componens, magnoq; studio id faciens, ac si magnum quid foret. si peregrinis verbis utatur, receptamque sermonis monetam adulteret. *Sop.* Per Jovem non parvum refers morbum ô Lycine. Itaq; homini quavis arte est subveniendum. Atque adeo divino quodam instinctu cuipiam insano pharmacum hoc mixturus domo abivi, ut epoto hoc vomat.

Age tu Lexiphanes primus ipse bibe, ut sanus & purus nobis fias, tali verborum absurditate evacuatus. Verum pare mihi, bibe & convalesces. *Lex.* Nescio quid mihi facietis Sopoli, tu & Lycinus, pharmacum hoc ebibendum præbentes. Metuo itaque ne hæc sermonum potio mihi ruinam creet. *Lyc.* Bibe neq; cuncteris, ut humana deinceps sapias, & loquaris. *Lex.* Ecce pareo, & bibo. Eheu quid hoc rei est? Quantus tumultus ventris? Equidem divinatorem aliquem dæmonem mihi videor bibisse. *Sop.* Incipe igitur vomere. Papæ. Primum hoc μῶν. Deinde post illud exivit κᾷτα istud: postea ἦ δ᾽ ὅς, & ἀμηγέπη, & λῷστε, & δήπουθεν, & continuum illud ἄττα. At coge tamen, & digitos in fauces immitte: nondum enim ἴκταρ illud evomuisti, neq; illud σκορδινᾶσθαι. neq; τευτάζεσθαι, neque σκύλλεσθαι. Multa latent adhuc abdita, quibus tibi venter est plenus. Satius autem fuerit si per inferiora quoq; secernantur nonnulla. Quare σιλλικυπρδία magnum edet strepitum cum flatu erumpens. At jam mundus quidem hic est, nisi siquid reliquum est in inferioribus intestinis. Tu verò posthac Lycine eum acceptum dedoce, & quæ dicenda sunt institue. *Lyc.* Ita faciemus Sopoli, siquidem via nobis à te est strata. Et quod reliquum est te moneo Lexiphanes, si cupis veram in dicendo laudem consequi, ac in multitudine hominum celebrari, omnia hujuscemodi fuge, & aversare. Ubi autem exorsus fueris ab optimis poetis, eosque sub præceptoribus legeris, transi ad oratores. Tum educatus cum illorũ sermone, ad Thucydidis & Platonis scripta in tempore accede, multum & in pulchra Comœdia, & in gravi tragœdia te exercendo.

Ex his enim ubi pulcherrima decerpseris, in dicendi facultate existimationem obtinebis. Ut nunc quidem non animadvertebas, iis similem esse, quæ ad forum à lutifigulis finguntur, esse quidem illitum minio ac cæruleo, intus verò luteum & fragilem. Hæc si feceris, teq; aliquantisper argui inscitiæ sustinueris, nec dediscere erubueris, confidenter in multitudine versaberis, neq; sicuti nunc, derideberis, neque etiam in ore pejori conditione melioribus eris, Græcum & Atticum te vocantibus, qui neq; barbarus, inter maximè perspicuos recenseri dignus sis.

Ante omnia verò memineris non imitari sophistarum qui ante nostram ætatem fuêre, vilissima quæque, neque ea depascere, ut nunc, sed talia conculcare, prisca verò exempla imitari. Neq; vero te demulceant anemonæ verborum, sed juxta legem athletarum, solidus cibus tibi sit familiaris. In primis verò Gratiis, & Perspicuitati sacrifica, à quibus nimiopere nunc eras alienus. Fastus autem, & jactantia, & morositas, elata & curiosa loquutio absit. præterea acerbitas illa ridendi aliorum scripta, & hæc opinio, fore ut primus sis, si omnium orationes reprehendas. Jam verò illud non parvum, sed potius maximum vitium committis, quod non antea paratis sententiis quàm verbis, posteà verbis eas exornas: sed sicubi peregrinum verbum reperias, aut quod finxeris egregium esse ducas, huic sententiam accommodare quæris, ac damnum quoddam existimas, si illud alicubi non intruseris, etiamsi ad id quod dicitur, eo minimè sit opus, quemadmodum paulo antè ἀμαλώπα illum, cũ nihil argumento conveniret, nescius quis significaret, projecisti. Cujus vocabuli peregrinitate, omnes idiotæ atq; indocti perculsis auribus obstupuerunt: docti verò amborum causa, tui nimirum, & eorum qui te laudabant, riserunt.

Illud verò omnium maximè ridiculum est, quod cum plus quã Atticus videri cupias, & sermonem ad vetustissimum usum diligẽter componere, talia quædam, imò plurima intermisces verba, quę ne puer quidem, qui nuper discere cœpit, ignorare queat. Qualia sunt illa οἷον ἐκεῖνα, πῶς οἴει, κατὰ γῆς πῶς ἴβ, κατὰ γῆς δυῶαι ἠνχόμην, ἀνδρῶν συνεπιδεικνυμένου, quum χιτώνιον etiam virilem vestem dici putabas: δουλάρια autem masculos pedisequos appellabas. Quæ quis non novit, χιτώνιον quidem muliebrem vestitũ dici, δουλάρια verò fœminas? Atque alia multa longè his manifestiora quale est ἵπτατο, & ἀπαντώμενος, & καθεσθείς, quæ ne inquilina quidem sunt Attici sermonis. Nos autem neq; eos laudamus poetas, qui verbis minùs usitatis poemata scribunt. Tua verò, ut pedestrem orationem cum carmine conferamus, perinde ut Dosiadæ Ara, & Lycophronis Alexandra sese habent, & siquid istis sermone etiam miseriore scriptum est. Hæc si imitatus fueris, & priore relicto didiceris, optimè tibi consulueris. Sin autem imprudens iterum in istam ganeam prolapsus fueris, à me quidem plenam admonitionem acceperis: sed si utique te deteriorem factum intellexeris, te ipsum accusabis. *titulo Lexiphanis.*

Heliodorus: Dii meliora, inquit virgo, neq; mihi sis calamitatibus meis gravior: neve cùm multis argumentis, rebusq; ipsis cõprobatis, quo sim erga te animo, antea sis expertus, ex sermone tempori accommodato, & in aliquem usum prolato, de me quippiam suspiceris &c. *lib.* 1. *Æthiop.*

¶ POETARUM.

Plautus Amphitr 1. sc. 3.

Satin' habes si feminarum nulla est, quam aquè diligam?

AL. Experiri istuc mavellem me, quam mihi memorarier.

Plautus Asinariæ 1. sc. 2.

Magis istud percipimus lingua dici, quam factis fore.

Plautus Aululariæ 2. sc. 7. v. 7.

Sic verba hic facio, quasi negotii nil siet
Rapacidarum ubi tantum siet in ædibus.

Plautus Aululariæ 3. sc. 3. v. 7.

Intro abi. opera huc est conducta vestra, non oratio.

Plautus Aululariæ 3. sc. 2.

Homo nullus est te scelestior qui vivat hodie,
Neque cui ego de industria amplius male plus lubens faxim.
C. Pol etsi taceas, palam id quidem est. res ipsa testis est,
Ita fustibus sum mollior miser quam ullus cinædus.

Plautus Epidici 1. sc. 2. v. 9.

Nihil agit qui diffidentem verbis solatur suis.
Is est amicus, qui in re dubia re juvat, ubi re est opus.
C. Quid tibi me vis facere? S. argenti dare quadringenta minas.
C. Si hercle haberem, non negarem. S. nam quid te igitur retulit,
Beneficium esse oratione, si ad rem auxilium emortuum est.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Copia est ei verborum, cuique rerum copia est.
Hei quam facilè est voce ab una ferre perpetuum malum.
Mens ubi rem ipsam occupavit, verba jam sponte ambiunt.
Mentis est vox umbra, morum suntq; verba imagines.
Nemo non verbis libenter delicatis pascitur.
Nullibi capital meretur verborum superbia.
Plurimi verbis laborant, rebus at paucissimi.
Verba divitum triumphant, verba pauperum jacent.
Verba qua radice cordis indigent diu • aud virent.
Verba sunt alata, in omnem abire partem quod queant.

¶ JAMBICA.

Cui copia est rerum, & verborum copia est.
Honesta verba honesta sunt origines.
Iaculis ubi est opus, nil verba conferunt.
Instar scopuli verbum fugiatur insolens.
Ne pende voces in statera auraria.
Nil liberum est ibi, vox ubi nec libera est.
Plus viva vox cui proficit quam oratio.
Quid quæso vox est, aeris quam intensio?
Suave est amici amico vox re improsperâ.
Sunt verba naturalia, haud arbitraria.
Timere verba, nonnisi est stultissimi.
Verbum irritum omne est, res nisi unà accesserit.
Verba otiosa nullum animi fructum ferunt.
Verbis agas agente cum verbis viro.
Verbis loquatur quisque sæculi sui.
Vt corpus ensis, verba mentem lancinant.

Cætera petes ex titulo *Actionis, Orationis; Sermonis, Vocis.*

Verbi Dei.

¶ APOPHTHEGM. SACRUM.

Salomon: Quale sit Verbum Dei docet, Proverb. 30. 5. cui non addendum est. Proverb. 30. 6. cujus contemptor miser est. Proverb. 28 9 10.

Iustinus martyr: Præclarè dixit Justinus in libro quem scripsit contra Martionem, ne ipsi quidem Domino se fidem adhibiturum, si alium Deum præter ipsum mundi fabricatorem ei denunciaret. *Euseb. lib. 4. hist. Eccles. cap.* 17.

Arsenius: Apud Sanctum Arsenium quidam ex fratribus conquerebatur, sibi sacrarum literarum, quas & nosset & didicisset, intellectum esse perdifficilem, & reipsa experiri se, quòd exilem admodum consolationem ex iis colligeret, eaque de causa animam suam vehementer turbari. Ad quæ Arsenius, *Fili mi*, inquit, *necesse est ut magno cum mentis ardore meditationi divina doctrina insistas. Audivi enim ex Abbate Poemene, alisq; Patribus, quod serpentium incantatores ipsimet verba quibus serpentes effascinant, non intelligunt, serpentes autem verba prolata intelligant, eorum vim percipiant, eisque obediant. Idem & nobis faciendum est. Etiamsi virtutem & efficaciam sacrarum literarum plenè non intelligimus, attamen earum virtutem ad suum exitum percipiunt diaboli, & fugantur.* D. Georgius major, in vitis Patrum.

Pimenio Abbas: Conquerebatur quidam apud abbatem Pimenionem de cordis sui duritie, eò quòd Verbum Dei, licet magno

teneretur ejus desiderio, complecti tamen non posset. Ad quem venerandus ille senex, *Mollis admodum*, inquit, *natura est aqua, lapidum autem durities est ingens: attamen dum guttatim in durum decidit silicem, tandem eum perforat. Ita & Verbum Dei molle & dulce est: corda autem nostra dura sunt, minusq; ejus capacia. Ejus autem cor, qui frequenter & sedulò Verbum Dei audit, tandem emollit, sic ut ejus suavitatem & fructum plenè percipiat.* In vitis Patrum.

Cosmas: Cosmas Patriarcha Constantinopolitanus, cùm Alexium Comnenum Imperatorem exactionum nullum ponere modum, omnemq; emendationis spem sublatã videret; ministro suo dixit. Tolle (Davidis) Psalterium, & sequere me. Simulq; æde sacra egressus est: in quam nunquam rediit. *Zonaras, tom.* 3.

Anonymus: Quidam ex Christianis philosophis Abbatem de rebus ad animæ salutem pertinentibus consulens, Mi frater, inquit, sæpe ex patribus, ut ex fratribus in Christo dilectis, quæro, quænam certa meæ animæ salutis sit ratio? Quicquid autem isti docēt, quicquid catechizando inculcant, id protinus memoriâ dilabitur. Abbas duo conspicatus vasa inania fortè in abaco reposita, Vade, inquit, ad fratrem qui ei ministrabat, alterum ex vasis afferto, illudq; elue, pareq; mundatum in locum suum repone. Quod quũ factum esset, rursus ad eundem ait, Vade & vas utrumq; simul affer. Quod cum frater esset executus, Utrum, inquit Abbas, ex duobus istis vasis mundius est? Istud, respondit ille, quod modò mundavi. Tunc Abbas ad philosophum conversus, *Ita quoque, fili mi, cum anima comparatum est. Qui sedulò & frequenter Verbum Dei audit, etiam si non omnia ita plenè observet, ut ad singula interrogata respondere possit, attamen istius anima mundior erit, quàm ejus qui Verbum Dei nec audit, nec ullo ejus desiderio tenetur.* D. Andreas Hondorffius, ex vitis Patrum, in Theatro historico.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Iesus Christus: Sequitur nunc spirituali cibo animam nostram reficiamus; DEI VERBO videlicet: quod velut lucerna in hac nocte sæculi, operibus nostris est præferendum. & quidem DOMINUS noster, cùm tentatoris calumniam dilueret, qui objecerat, Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant; respondit: *Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* apertè significans, non solùm terreno, sed & spirituali verbi sui cibo hominem sustentari. *Matth. cap.* 2.

Idem: Verbum Dei verò audire non modò, sed & custodire, hominem beatum reddere; idem DOMINUS insinuavit, cùm è turba mulier vocem extollens, diceret: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti. respondit enim: *Quinimò. Beati qui audiunt Verbum Dei & custodiunt illud.* Debent quippe (inquit Macarius Homil. 30.) qui Verbum Dei audiunt, in suis ipsorum animis opus Verbi demonstrare. *Luc. cap.* 11.

S. Wolstanus Episcopus Wigornien. Quid autem ille clari generis, & raræ virtutis vir? Nondum adepto Episcopatu, assiduus erat in annuntiando Verbum Dei. cumq; quidam diceret, Monacho silentium & claustrum competere, Pontifici verò prædicationem; respondit: *Verbum Dei non est alligatum: nihilq; Deo gratius, quam Christum annuntiare.* Sciebat enim, quàm essent speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. *Sur. tom.* 1. *in Vita.*

§ MONOSTICHA JAMBICA.

Quod corpori vinum, hoc animæ Verbum Dei.
Sermo Dei, omnis sermo verus de Deo est.
Verbum Dei ipsa veritatis regula est.
Verbum est Dei, Verbum omne verum de Deo
Verbo Dei animam, pane corpus pascitor.

Verecundiæ.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

D. *Io. Chrysostomus*: Longè magis hominem, quam Deum, & metuere & honorare convincimur. quod ita considera: Qui adulterii scelus admittit, Deum se videre non ambigit, sed eum sanè contemnit. Sin autē homo aliquis videat, libidinis impetum cohibet: nonne præfert homines Deo? non impiè in Deum est cõtumeliosus? At quod multò funestius est, contemnit istum, illos reveretur: Nam siquidē ab illis videri se putat, concupiscentiæ continet flammã imo non flamma illa, sed contumelia dicenda est. Si enim nō liceret muliere uti, merito ea res flãma diceretur: at nunc insania, & contumelia verius dicitur. Videt igitur homines, & insania desistit: Dei autem patientiã spernit, longanimitatemq; nō curat. Alius autem furari pergit, sceleris sibi conscius est, & homines quidem fallere nititur, purgare se criminibus pergit ac defensioni suæ probabilem faciem adjicit. Deum verò, quem fallere nequit, non curat, neq; honorat, neque reveretur. At si quidem jusserit rex alienis abstinere pecuniis, imò nostras exponere omnes promptè ac libenter obtemperamus: jubet autem Deus aliena non rapere, nec paremus. Vides ut homines Deo in honore præferimus? *Homilia* 1. *Epist. ad Philemon.*

Ennodius: Ad disciplinarum arcem properantes, matrem bonorum operum amate verecundiam: quæ ita ex se variarum species virtutum fecunda & virgo parturit, ut impudentia procax & corrupta vitiorum.

Ennodius: Mater honestatis verecundia. *Dict.* 2. *fine.*

§ PHILOSOPHORUM ROMANORUM.

L. Annæus Seneca: Ubi se collegit, verecundiam, bonum in adolescente signum, vix potuit excutere: adeo illi ex alto suffusus est robur. Hic illum, quantum suspicor, etiam cum se confirmaverit, & omnibus vitiis exuerit, sapientem quoque sequetur: nulla enim sapientia, naturalia corporis aut animi vitia ponuntur. quidquid infixum & ingenitum est lenitur arte, non vincitur. Quibusdam etiam constantissimis in conspectu populi sudor erupit, non aliter quàm fatigatis & æstuantibus solet: quibusdam tremunt genua dicturis: quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. hæc nec disciplina, nec usus unquã excutit: sed natura vim suam exercet, & illos vitii sui etiam robustissimos admonet. Inter hæc & ruborem esse scio; qui gravissimis quoq; viris subitus offunditur. Magis quidem in juvenibus apparet, quibus & plus caloris est, & tenera frons: nihilominus veteranos & senes tangit. Quidam nunquam magis quam cum erubuerint timēdi sunt: quasi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentissimus, cùm faciem ejus sanguinis invaserat. Nihil erat mollius ore Pompeii, nunquam non coram pluribus erubuit. Fabianum, cum in Senatum testis esset inductus, erubuisse memini: & hic mirè illum pudor decuit. Non accidit hoc ab infirmitate mentis, sed à novitate rei, quæ inexercitatos etsi non concutit, movet, naturali in hoc facilitate corporis pronos. Nam ut quidam boni sanguinis sunt, ita quidam incitati ac mobilis, & citò in os prodeuntes. Hæc, ut dixi, nulla sapientia abigit: alioquin haberet rerum naturam sub imperio, si omnia eraderet vitia, &c. *Epist.* 11.

Plinius Iunior: Claudius Pollio vir penè ultra modum (si quis tamen ultra modum) verecundus. *initio Epist.* 13 *lib.* 7.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cui nil in verecundiâ est quod inquinet, nulla est fides.
Quæ verecunda esse non vult se lupanari parat.
Quæ verecunda est, pudica est: quæ pudica est, omnia est.
Quem verecundum videbis, fortem eumdem item æstimes.

§ JAMBICA.

Dolor verecundi, dolorum acerrimus.
Nil rectum honestumve est sine verecundia.
Nullum solita est offendere verecundia.
Qui perdidit vereri, cuncta perdidit.
Ubi verecundia ibi quoque continentia est.
Verecundari neminem apud mensam decet.
Verecundari non potest homo impudens.
Verecundari vitium est amabilissimum.
Verecundia, statim occupat corda omnium.
Vix esse ultra modum verecundus queas.
Ut est bona sic quædam mala verecundia est.

Videantur alia titulo *Pudoris, Ruboris, Modestiæ.*

Veritatis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

C*Lemens Alexandrinus*: Qui in rebus pulcherrimis laborem impendere sunt parati, non desistent prius quærere veritatē, quã ex ipsis scripturis acceperint demonstrationem. Ac sunt quidem cõmunia quædam criteria, sicut sensus: alia autem, eorum qui consultarunt, & exercuerunt ea quæ vera sunt: nempe quæ vera & falsa, per mentem & ratiocinationem artificiosè distinguunt. Maximum est autem deponere opinionem, consistendo in medio accuratæ perfectæque scientiæ & temerariæ sapientiæ opinionis, & nosse, quòd qui æternam sperat quietem, cognoscit etiam ejus introitum esse laboriosum & arctum; Et qui semel admisit Evangelium, & salutare, quando cognoverit, ne ad ea quæ sunt retrò convertatur sicut uxor Loth, neq; ad priorem vitam quæ dat operam rebus sensilibus. Sed neque recurrat ad hæreses. In consuetudinem enim nescio quomodo suam pertrahunt, cum eum qui revera est non noverint Deum. Qui enim diligit patrem vel matrem plus quam me, qui sum verè pater & magister veritatis, qui regenero & recreo, foveoq; & alo electam animam, non est me dignus, ut sit, inquit, Dei filius, & Dei discipulus, & simul etiam amicus & cognatus: nemo enim ad ea quæ sunt retrò respiciens, & manũ suam mittens ad aratrum; est aptus regno Dei. *libro Stromatum septimo.*

Idem post pauca: Cum omnes homines idem habeant judicium alii quidem Verbum quod dictat sequentes, faciunt argumenta: alii autem cum seipsos dediderunt voluptatibus, scripturam torquent ad suas cupiditates. Opus est autem, ut opinor, amatori veritatis robore animi. Necesse enim labi in maximis, eos qui res maximas

maximas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint. Qui auem eò devenerunt, ut à recta via exciderint, meritò etiam falluntur in plurimis singularibus, propterea quod non habeant verorum& falsorum judiciumplanè exercitatū, in iis quæ oportet eligere. Si enim haberentparere nt scripturis divinis. Quemadmodū ergo si quis fiat bestia ex homine, similiterque ii qui fuerant infecti venenis Circes: ita homo, Dei esse, & Domino fidelis esse, perdidit, qui adversus Ecclesiasticam recalcitravit traditionem, & in humanarum hæreseon desiluit opiniones. Qui autem ex errore reversus obediit scripturis, & vitam suam permisit veritati, Deus quodam modo ex homine efficitur. *lib. 7. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Neq; mœror, quo alioqui affecti sumus, veritati tenebras offundit. *fine Epist.* 20.

D. Nazianzenus: Non tam in verborum sono, quam in mente & sententia veritas sita est. *Epist.* 26.

D. Nazianzenus: Neq; enim in verborum sono potius, quàm in mente & sententia veritas sita est. *Epist.* 26.

D. Chrysostomus: Etiā qui veritati adversantur, per ea quæ quotidie & faciunt ipsi& dicunt, declarant veritatis dogmata commendare ac probare. *Homil. 3. ad Rom. pr.*

D. Chrysostomus: Nemini des ansam seu belli, seu dissidii, sive Judæo, sive Græco. si verò alicubi pietatem labefactari videris, ne præponas concordiam veritati, sed generosè persistas ad mortem usq; & tamen neque sic animo eris erga adversarium hostili, neque mente illi aversaberis, sed in rebus tantummodò pugnabis. quod si ille pacem nō servaverit, tu vide ne animum tuum inimicitia quasi tempestate oppleas, sed voluntate sis amicus; ita tamen ut veritatem non prodas. *Homil. 22. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Quid igitur accidit? unde inimicitia, unde suspicio? an quia vera locutus sum vobis? Atqui hac de caussa par erat ut me magis in honore haberetis, majoreq; studio persequeremini. nunc verò inimicus factus sum vera loquens vobis. *cap. 4. ad Galatas.*

D. Chrysostomus: Intelligis nihil eum posse, qui adversus veritatem bellum gerit, sed potius seipsum vulnerare, quemadmodum qui contra stimulum calcitrat. *Homil. 2. ad Philipp.*

Basilius Seleuc: Anima malè affecta, in veritate indaganda veritate labitur. *Orat. 9. circa finem.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Non qui vi copiaq; dicendi, verum propulsat, ô sapiens, laudem meretur: sed qui purè planeq; illud eloquitur. *lib. 2. Epist.* 103.

S. Isidorus Pelusiota: Qui in principio à veritate excidit, prorsus ab eo quod sibi proposuit, exturbabitur, atque in fœdum finem desinet. *lib. 2. Epist.* 229.

S. Isidorus Pelusiota: Veritas omnibus artibus & disciplinis ornamentum affert: quæ si absit, omni ornatu, & elegantia carent. Ethnicorum enim philosophia, cùm se veritatem quærere profiteatur, ab ea excidit. Rhetorica autem eloquentiam duntaxat ac verborum delicias curat. Grammatica deniq; sermonum peritiam se tradituram jactat. Quocirca si hæ veritate coornentur, prudentibus viris charæ esse debent: Si autem adversus eam arma capiant, optimo jure contemnendæ sunt. *lib. 3. Epist.* 65.

S. Isidorus Pelusiota: Qui sermonum artificio veritatem obnubunt, multò mihi miseriores iis esse videntur, qui eam minimè perceperunt. Nam qui ob ingenii tarditatem eam haudquaquam assecuti sunt, iis fortasse venia tribui possit. Qui autem ob mentis acumen eam indagarunt, malitioso autem ac veteratorio animo ex hominum oculis subduxerunt, graviùs peccant quàm ut ipsis ignosci debeat. *lib. 3. Epist.* 215.

Synesius: Solet veritatem in primis occultare benevolentia. *Epistola* 46.

§ LATINORUM.

S. Salvianus: Quia veritas magis quam offensio cogitanda est; dicam, & sæpe dicam, &c. *lib. 7. de gubernat. Dei.*

S. Salvianus: Modis omnibus tenenda veritas, ut quod in re est, hoc & in verbis sit; quæ in se dulcedinem habent, dulcia, quæ amaritudinem amara dicantur. *libri 8. de provid. divina principio.*

Orosius: O quanta ex lux veritatis, si non adversus eam ultrò sese offerentem, imbecilli infeliciter oculi clauderentur! *lib. 6. adversus Paganos cap.* 1.

Ennodius: Sic à vobis veri discessit affectio, ut mendaciorum nebulis urbis testimonium puteris involvi, & fallaciæ peniculo depicta verba plus virium credatis habere quam veritatem. *Apolog. pro Synodo.*

Io. Sarisberiensis: Inter omnia quæ viris solent obesse principibus, nihil perniciosius esse arbitror, quàm quod eis fortunæ blandientis illecebra aspectum subtrahit, veritatis, dum divitias suas & delitias congerit mundus, quibus delicati sensus prurigine vicissim refovet, & accendit, ut animus multiplici lenociniorum fraude captus, quadam alienatione sui, ab interiore bono deficiens, per exteriora mendacia variis concupiscentiis evagetur. Noverca siquidem virtutis prosperitas, beatulis suis sic applaudit, ut noceat: & infelici successu sic in via fortunatis obsequitur, ut in fine perniciē operetur; convivis suis ab initio propinans dulcia, & cum inebriati fuerint, letale virus miscet, & si quid deterius est: quo specie sui clarescit amplius, eo stupentibus oculis densiorem infundit caliginem. Invalescentibus ergo errorum tenebris, veritas evanescit, & virtutum radice succisa, seges germinat vitiorum, lumen rationis extinguitur, & totus homo casu miserabili fertur in præceps. Sic rationalis creatura brutescit, sic imago creatoris quadam morum dissimilitudine deformatur in bestiam, sic à conditionis suæ dignitate degenerat homo, vanitati similis factus, eo quod ex honore intumuit, & à tumore perdidit intellectum. *libr. 1. cap. 1. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Veritas sibi ubiq; consona est, nec à se licet à mēdacii habitaculo proferatur, quandoq; discordat: sicut nec munditia, diù dum sui integritate viget, quarumcumq; sordium in civitate polluitur. *lib. 2. cap. 27. Policrat.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Hippocratis: Deinde mihi manum Deus porrexit, qua lubenter arrepta, rogabam mecum uti veniret, neq; me in curatione desereret. Ille verò, nihil inquit mea opera in præsentia indiges, verum hæc communis tum immortalium, tum mortalium Dea, te nunc hospitem deducet. At ego conversus mulierem tum pulchram, tum magnam aspicio, simplici capillorum ornatu, splendido cultu, cujus oculorum orbes clarò lumine pellucebant, uti stellarum fulgores viderentur. Et Deus quidem discessit, mulier vero illa appressa manu me levi quodam passu per urbem perhumaniter complexa deduxit. Ubi vero ad domum venimus, ubi mihi hospitium paratum putabam, velut spectrum discessit, dicere visa, cras te apud Democritum offendam. Qua jam discedente, quæso optima (inquam) quænam es, & quod tibi nomen est. Veritas inquit. Quam verò accedentem vides, Opinio est (inquit) confestimque altera quædam mihi visa est, neque mala hæc quidem ferociore tamen & fastuoso aspectu, & apud Abderitanos habitat. *Epist. 10. ad Ppilopamenon.*

Halicarnassaus: In veritatis investigatione plurimum semper operæ ponendum censui. *cap. 2. Epistol. ad Ammaum de atate & scriptis Demost. &c.*

Epictetus: Præstat veritati cedendo, vincere opinionem, quàm opinioni cedendo vinci à veritate. quam dum inquiris non id dabis operam, ut quovis modo vincas. nam ea inventa, id consequeris, ut ne vincaris. Veritas ipsa penes sese vincit: opinio apud alios. *è Stobao.*

Arrianus: Ergo Triptolemo fana & aras mortales omnes erexerunt, quod mitiores fruges nobis tradiderit: ei autem qui veritatem invenit atq; illustravit, & omnibus hominibus communicarit (quæ res non ad vitam sustentandam, sed ad beatam vitam agendam pertinent) quis nostrum hac de causa aram erexit, aut ædem statuamve dedicavit, aut Deum hoc nomine adoravit? Ei quidem qui vitem dedit aut frumentum, immolamus: quod autem illi talem ex humano animo fructum protulerunt, quo veram de felicitate sententiam ostenderent, hac de causa Deo gratias non agemus? *fine cap. 4. lib. 1. in Epict.*

Hierocles: Ut lippitudine laboranti oculo, nec purgato, quæ valde lucida sunt videri non possunt, ita nec animo virtute carenti cernitur veritatis pulcritudo. *præfatione in carmina Pythag.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Gratias ago providentiæ Deorum immortalium, qui nunquam ita opprimi veritatem voluerunt, ut non magnis suis vestigiis emineret. *Declam.* 322.

Symmachus: Non ibo longius, quia brevis est assertio veritatis. *lib. 7. Epist.* 16.

Symmachus: Quid interest, qua quisque prudentia verum inquirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. *lib. 10. Epist. 54. m.*

§ POETARUM.

Prudentius passione Romani.

Plectrum palati & faucium sævus tibi
Tortor revulsis, nec tamen silentium
Indixit ori, quo fatebaris Deum.
Vox veritatis testis exstingui nequit,
Nec si recisis palpitet meatibus.

Plautus Amphitr. 2. sc. 1. v. 53.

Amphitruo, miserrima istac miseria est servo bono,
Apud herum qui vera loquitur, si id vi verum vincitur.

Plautus Rudente 2. sc. 3. v. 7.

—— Melius ominare.
A. Verum omnes sapientes decet conferret & fabulari.

§ EMBLEMATUM.

Had. Junius Emblemate 53.

Quid penniger Saturne in auras virginem nudam rapis?
Quid feminarum cœtus aggesta obruit terra scrobem?
Specu emicantem Veritatem, Temporis natam, triplex
Obruere pestis apparat, Lis, Invidia, Calumnia.

Batil-

Batillius 68.

Veritas altercando.

Abstrusos silicum venis excudat ut ignes,
Crebro hic cum saxis altera saxa ferit,
Sic altercando dilucida semina Veri
Erumpunt, latebris prosiliuntque suis.

Batillius 69.

Veritas mortem parit.

Virgineam Veri nudam hic circumspice matrem,
Circumfert humeris quam miserandus amans,
Vt cui illa occulto jugulum mucrone resolvit,
Cultori in tantum perniciosa suo.

Batillius 71.

Veritas quibus furorem parit.

Collecta ut rabie laniant sua corpora Tigres
Tympana queis raucis obstrepuere sonis:
Sic odiosa quibus Veri vox personat aures,
Ira furorq; animum præcipitare solent.

Camerarius 18. Centur. 4.

Fulget in undis.

Sic lux Veri inter mendacia fusca refulget,
Piscis ut in media nocte Lucerna micat.

Camerarius 53. Centur. 4.

Secreta revelat.

Elicit obscuris cancros lux clara cavernis,
Falsa etiam vero sic veniente vides.

§ Apophthegm. Sacrorum.

Michæas propheta, filius Iemla: Congregatis regibus Judæ & Israelis, ut de bello adversus Ramothas Gileadis movendo consiliũ à Deo per prophetas caperent, aulicus quidam ab Achabo rege Israelis missus ut Micheam adduceret, dixit ei, Ecce nunc verba regiorum prophetarum uno ore bonum prophetant regi: sit quæso verbum tuum ut verbum unius illorum, & eloquitor bonum. Cui dixit Micheas, *Vt vivit Iehova, quod edixerit mihi Iehova, id eloquar.* Quum autem ingrata regi Israelis proferret, & ideò irrideretur tanquam malorum prænuncius, subjecit, *Propterea audi verbum Iehovæ: vidi Iehovam insidentem solio suo, & totum exercitum cæli adstantem ei, à dextra ejus & à sinistra eius. Vbi dicente Iehova, Quis pelliciet Achabum, ut ascendat & corruat apud Ramothas Gileadis? hoc dicente eo modo, & illo dicente illo modo, tandem prodiit quidam Spiritus, qui consistens coram Iehova dixit, Ego pelliciam eum: dicente vero Iehova ad eum, quo pacto? respondit, Egressus ero spiritus mendacii in ore omnium prophetarum eius. Tum dixit, Pellicies, etiamq; prævalebis, exi, & fac ita. Quare nunc, ecce* (inquit Micheas) *indidit Iehova spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum: interea locutus est Iehova contra te malum.* Percussus deinde in maxillam à Sedecia pseudophropheta, fugam ei prædixit, & Achabo regi de incolumi reditu ex hoc bello sibi multa pollicenti, & prophetam captivum detineri jubenti, dixit Micheas, *Si planè reversus fueris cum pace, non locutus fuerit Iehova per me: dixitque, Audite populi, quotquot sunt.* 1. Regum 22. cap.

Iesus Christus Dominus noster: Quum Pilatus quæreret ab eo, An rex esset, respondit Iesus, tu dicis me regem esse. ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum ut dem testimonium veritati. Quisquis est ex veritate audit vocem meam. *Ioan. 18. 37.*

Constantinus Imperator: Ego (inquit Constantinus per literas ad Episcopos paulò antea Tyri congregatos) quæ sint res à Synodo vestra per tumultum, & quasi procellam quandam judicatæ ignoro. Videtur tamen quodammodo tumultuanter per inordinatam consultationem veritas esse depravata, quod scilicet vos propter nugandi adversus proximos studium, quod quidem invictum esse vultis, ea quæ Deo placita sint pervidere non possitis. *Niceph. Eccl. hist. lib. 8. cap. 50.*

Sophronius: Si nova, inquit, in dies singulos nostræ ipsorum voluntatis & sententiæ prolatio, sit formula fidei: fieri nõ potest, quin accuratam veritatis perceptionem simus brevi prorsus amissuri. *Socrat. Eccl. hist. lib. 2. cap. 32.*

Anonymus: Philosophus Ethnicus qui ad concilium Nicenum accesserat ut insolenti dicendi arrogantia se inaniter jactaret, & sacerdotes petulanter irrideret, à sene quodam idiota, ex illustrium Confessorum numero, impetrata loquendi potestate, his verbis repressus est. In nomine Iesu Christi, inquit, Philosophe, audito. Unus est Deus, cœli, terræ, & omnium rerum tam oculis subjectarum, quam eorum aciem fugientium opifex: qui hæc omnia & virtute verbi fabricatus est, & sacrato Spiritus Sancti afflatu stabilivit. Hic sermo, quem nos Filium Dei nuncupamus, misertus humani erroris, & belluinæ vivendi rationis, ex virgine nasci, cum hominibus una versari, proq; eisdem mortem oppetere voluit. Est quoque iterum venturus, de his rebus quas quisq; gesserit in vita dicturus sententiam. Ista ita se habere, sine ulla alia curiosa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his, quæ fide duntaxat intelliguntur, curiosè refutandis laborem frustra consumere, quærereve quomodo ista fieri aut non fieri possint. Quod si credis mihi quædam sciscitanti responde. Quibus obstupefactus philosophus, Credo, inquit. Deinde gratias agens seni, alios philosophos ad veritatem amplectendam hortatus est, affirmans se vi quadam numinis ad fidem Christianam hac methodo fuisse adductum. *Sozom. histor. Eccles. lib. 1. cap 17.*

Pothenus: Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus, quum à præside rogaretur, quis esset Christianorum Deus? respondit, Si tu ea re dignus sis cognosces. *Euseb lib. 5. hist. Eccl cap. 1.*

Rufinus Aquileiensis: Non me latet, inquit, sententia illa sapientium, quæ probè admodum dicit, quod de Deo dicere etiam vera periculosum est. *Initio expositionis in Sybolum Apost.*

Nicephorus: Sæpenumero inquit, mendacium vincit, quando is qui calumniam struit, bonæ fidei opinionem consequitur. *Niceph. Eccl. hist. lib. 8. cap 50.*

§ Apophthegmatum Christianor.

SS. Carpus & Papilus: Veritatem pani comparabat Augustinus super Joan. scilicet quæ mentem reficiat, nec deficiat; mutet vescentem, nec tamen ipsa in eum mutetur. Hinc ejus præstantiam palam confessi Carpus & Papilus, qui, insultantibus sibi Ethnicis, & Christi dogmata detrectantibus, *Non frustra*, dicebant, *mentem nobis largitus est Deus, sed vult, ut ratione, qua nihil divinius, verum discernamus à falso, & ex Veritate, qua ratione nititur, res omnes pensiculemus.* Metaph. in Vita.

Petrus Aldobrandinus Card. Hac autem duce, virtutum omniũ crescere cohortem, suo dicto testatus est Illustiss. hic Præsul, cujus voce sæpe tota Urbs exultavit. dicebat enim: *Paucorum est Veritatem aspicere, multorum despicere.* altero ignaros, altero mordebat improbos. Ita Heraclitus olim Aram veritatis in antro, Democritus in puteo collocavit. *Hen Farnes. supra.*

Idem: Veritas autem filia temporis olim habita, promptam sui requirit obedientiam. Rogatus autem hic, *cujus rei jucundissimus nuntius Principi adferri possit*, respondit: *Veritatis.* At nihil infelicius in Principum aulis, quam quòd eis veritas occultetur. *Ibidem.*

Ludovicus XII. Gall. Rex. Hinc summo dolore tactus Ludovicus XII. Rex Christianissimus, dum se in aula omni re abundare gloriaretur; *Vna tamen* aiebat, *mihi deest.* de qua dum inquireret familiarium quispiam, respondit: *Veritas.* Quàm miserum, esse Imperatorem, apud quem vera reticentur: qui cum ipse publicè ambulare non possit, necesse est ut audiat, & audita ab aliis confirmet. *Franc. Patritius de Hist. Dial. 5.*

Alphonsus Rex Arag. Huic etiam Principi illud crebrius in ore: *Veritas licet omnibus conveniat, Principum tamen præcipuum esse debet ornamentum.* Ant. Panorm. lib. 1. de Gest. ejusd.

Dux Noricus Anonymus: Laudantur itaq; non immeritò Principes, quibus, cùm veritas occultetur, eam quovis astu per seipsos assequuntur. Jure ergo hunc Ducem suo Epigrammate extulit Georg. Sabinus, poeta clarissimus; quod hic inserere non abs re fore visum. Ita enim se habet:

Sæpè rudes inter mutata veste colonos,
Noricus *agricola* Dux *faciebat opus.*
Nunc pascebat oves, nunc gramina falce secabat,
Vomere proscindens nunc subigebat humum.
Et simul illato de se sermone, rogabat
Plurima: nempe quibus moribus ipse foret,
Iustus an exigeret pœnas à sontibus ultor:
Debita conferret præmia num ve bonis.
Quærenti vero causam, cur Regibus ortus
Princeps, agricolam se simularet, ait:
Me juvat è rudibus cognoscere vera colonis;
Servit adulatrix auribus aula meis.

Philipp. Camer. Medit. Hist. cap. 90.

§ Monosticha Trochaica.

Absque doctrina tuetur ipsa se sat Veritas.
Ad beatitatem adspirat Veritati qui studet.
Ad manum quæ sæpe venit Veritas magis patet
Admodum dubio est colore vixque apparet Veritas.
Adversarius si desit nulla apparet Veritas.
Ah! parum quod universo est grata mundo Veritas.
Cum bilinguitate nunquam Veritati convenit.
Cum quis pro virtute pugnat ius fas est verum loqui.
Cuncta prodit tempus, tempus Veritatis filia est.
Dicere assuevere verum qui libenter audiunt.
Disciplinas ornat artesque una cunctas Veritas.
Dux simul comesque vita Veritas sit unica.
Eiusdem hominis est audire vera velle & dicere.
Est probis plus cogitanda Veritas quam offensio.
Etiam imago Veritatis admodum est mirabilis.
Falsa servus multa, liber vera semper exprimit.
Fama mendax Veritatis ad instar statim interit.
Heu quam multi Veritatem ab auribus spernunt suis!
Heu quam Veritatis omnes ardua est inventio.
Hoc magis Veritas elucet quo ad manum sæpius venit.
In disiunctione verum esse plus uno haud potest.
Interest nil quisque verum qua eruat prudentia
Lingua sæpe Veritatem supprimendo protulit.
Neminem gravat, amici prodita ore, Veritas.
Non potest favere in ullo Veritas mendacio.
Odii plenam exercet artem Veritati qui studet.

Ornat

Ornat artes, ornat omnem disciplinam veritas.
Pessimi, turba argumentum est, veritas paucis placet.
Plus honoris veritati quam sibi exhibet probus
Parata ista quilibet prata ad veritatis ducitur.
Principium omnium bonorum homini est Deoq; veritas.
Quæ mergi haud queunt ab imis altius surgunt vadis.
Quàm mage impeditur tam mage expeditur veritas.
Quando affectio recedit, invenitur veritas.
Qui caret virtute, veri pulcritudinem haud vidit.
Quo mage oppugnatur hoc fit veritas robustior.
Sæpe non quæsita sese dia prodit veritas.
Sæpe veritas laborat, sed tamen nunquam interit.
Sæpe veritas nociva est, & juvat mendacium.
Sæpe verum ne eloquamur, grandior vetat metus.
Sæpe verum ne eloquamur, impedimur gratia.
Sal quod est carni, hoc verborum veritas potentia est,
Scandalum ne vita, dummodo instruatur veritas.
Semper de se permodestè casta sentit veritas.
Seu neges, seu confiteare, necesse est vincat veritas.
Socrates charus, sed illo charior mihi veritas.
Subruit clam veritatem, qui palam minus potest.
Sunt Deæ multæ, Dearum Veritas sed maxima est.
Supprimas licet, patescit ipsa demum veritas.
Tam nihil vernaculum est sapientiæ quàm veritas.
Tandem vincis, ac de falso, dia triumphas Veritas.
Tempore ac labore tandem perpatescit veritas.
Tempore in melius procedunt, veritas quibus subest.
Vera dic, fac recta: vinces insolentiam omnium
Vera qui dicat deest ferè omnia possidentibus.
Veritas amara stultis, suave sed mendacium.
Veritas assertione longiore haud indiget.
Veritas crimen putatur, vox fidelis plectitur.
Veritas curæ sapienti, stulto opinio valet.
Veritas Deus dux est, dux est humanis veritas.
Veritas, eia, actionum sit caput sitq; exitus.
Veritas enunciata ab hoste fit prælustrior.
Veritas est quam uniformis; Protheus assentatio est.
Veritas factis honestis unica ipsa sufficit
Veritas latere nescit: hora eam in lucem extrahunt
Veritas non est bilinguis, sed sibi usq; consona
Veritas perfecta virtus, veritas summum est bonum.
Veritas permagna Diva haud vincitur mendacio.
Veritas premi ipsa sed non opprimi simul potest.
Veritas premi quidem, sed non & opprimi potest.
Veritas premi subinde, at opprimi nunquam potest
Veritas quidem laborat sæpe, sed non vincitur.
Veritas semper triumphat, utique de mendacio.
Veritas sine hoste nunquam, at nunquam ab hoste vincitur.
Veritas tandem patescit: opprimi certe nequit.
Veritas verbis juvari non cupit: præco sui est
Veritatis argumentum, est omnium eadem sententia.
Veritatis cognitio cibus est animo suavissimus.
Veritatis fugit examen prava conscientia.
Veritatis nullum amator castigatorem timet.
Veritatis orta luce, nox perit Mendacii.
Veritatis phantasiaque copula esse non potest.
Veritati etiam fallaces præbent testimonium.
Veritati haud difficulter assentitur mens bona.
Veritati opinionem ne vulgari præferas.
Veritati posthabenda quævis eloquentia.
Veritatem audire indignus est dolo qui interrogat.
Veritatem item intervertit benevolens affectio
Veritatem nunquam amabit quæstui habere qui cupit.
Veritatem quomodo norit vita adhuc cui est mala?
Veritatem tempus auget omni, rumorem terit.
Veritate ac beneficentia accedes propius ad Deos.
Vindici virtutis est jus fasq; verum proloqui.

§ JAMBICA.

A veritate qui excidit, jam corruit.
Ad veritatem plurimæ patent viæ.
Æterna res atque immortalis Veritas.
Ah impium, qui veritati irascitur.
Aliquando dulcis, amara aliquando est veritas.
Audire vera minus volup est quam dicere.
Audire verum qui timet, ne dixeris.
Audire verum res est jucundissima.
Audire vera, vera qui dicit, solet.
Audire verum si haud cupis, non audies.
Charus Deo est qui veritatem diligit.
Cœpit simul cum odio sui ipsa veritas.
Constat sibi omne id veritas cui subest.
Dicenda non est tempore omni veritas.
Dicendo semper vera nunquam erraveris.
Eadem sui partem est in omnem veritas.
Errare nescit cui præit dux Veritas.
Est veritas spectanda, haud hominis fictio.
Est veritatis sermo simplicissimus.
Et gratiam quandoque veritas parit,
Et invenitur disputando veritas.
Et ora inimicis ipsa claudit veritas.
Et veritatis simplex est oratio
Et veritati vim ipsi Opinio facit.
Et veritatem celat benevolentia.
Et veritatem tempus in lucem extrahit
Etiam verentur veritatem qui fugant.
Fas vera fari est vindici virtutium.
Haud cogitanda offensio sed veritas.
Haud posthabenda ulli est amico veritas.
Haud tutum ubique veritatem proloqui.
Heu quam latet fundo profundo veritas!
Imagine nulla est adsequenda veritas.
Immergitur aqua uter, sed non submergitur.
In arduo est veri omnis exploratio.
In vino, in ira, in puero, semper veritas.
Inflatus undis uter immersabilis.
Iubet profari vera cunctos veritas.
Melior parens virtutis audit veritas.
Mendacio usque præferenda veritas.
Mensa utitur sola Deorum Veritas.
Mergi potest uter, sed haud submergitur.
Nil est amore veritatis celsius.
Nil orbe toto veritate dulcius.
Nil, quo inveniri veritas potest, leve est.
Nil veritatis clarius sententiis.
Nil veritatis melius pulcritudine est.
Nil veritate majus ab Deo accipis.
Non conveniunt unquam species ac veritas.
Non est tegenda, quamquam amara, veritas.
Non indiget sermone multo veritas
Nondum occupata est: cunctis veritas patet.
O veritatis simplex eloquia!
Per quæstiones invenitur veritas.
Persæpe ne quidem Diis verum dicimus.
Plerunque gignit veritas molestiam.
Ponendam semper ante amicum Veritas.
Præcipuus animæ fructus ipsa est veritas.
Premitur quidem, sed non opprimitur veritas.
Prolixa non est ipsa veri adsertio.
Premi sinit se veritas, non opprimi.
Quæ vera sunt, dixisse quisque creditur.
Quæ vera sunt nunquam refutari queunt.
Quandoque non quæsita prodit veritas.
Quascumq; sancta veritas odit moras,
Qui veritatem prodit, sacrilegus Deo est
Quid verba quæris? veritas odit moras.
Quis veritati unquam potuit præscribere.
Quis veritati sponte, quis æquo studet?
Quod omnium primum est, est & verissimum.
Rerum omnium justissima est res veritas.
Rerum omnium nil veritate dulcius.
Rerum omnium una veritas fortissima est.
Sæpe eruentis veritas patuit malo.
Sequimur qua ratio, non qua veritas trahit.
Silere vera crimen est grandissimum.
Similes Deo sunt veritatem qui colunt.
Sis veritatis testis integerrimus.
Spatio valescunt vera, falsa corruunt.
Spectata semper veritatis est fides
Tandem ipsa nuda Orbi patescit Veritas.
Ubique danda veritati gloria.
Veracis haud unquam nocet præceptio.
Verbis juvari clara non vult veritas.
Verum loqui jus fas virtutis vindici.
Verum nec ipsis dicimus quidem Deis.
Verum omne verbum est, vulgo quod dici solet.
Vesica vento plena nunquam mergitur,
Virtutis auspex Veritas primaria est.
Virtutis haud pusillum initium veritas.
Visu moraque convalescit veritas.
Vox veritatis testis extingui nequit.
Vult erui studio ac labore veritas.

Versutiæ.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus.* Julianus igitur splendidè præsidebat, splendidè adversus pietatem festum diem agens, atque ob astuta sua consilia magnopere animo elatus Melampum quendã aut Proteum suspicari posses; ita in omnia vertebatur, facileq; seipsum in diversas formas immutabat. *Orat.* 3.

Po-

§ POETARUM.

Aristophanes Ranis. 527.

Hoc viri est sagacioris
Et cati, atq; versipellis,
Multum aquæ cui transitum,
Vt sese subinde flectat
Ad parietem fortunatum
Sapius, quam imaginis
In modum stet picta, amictus
Vnica figura. at isto
Pacto semet vertere
Ad meliorem sortem, dextri est,
Et planè Theramenis.

Aristophanes Equitibus 755.

Animum præsentem huc affer, & argumenta tecum
Invicta, quibus hostem superes. quoniam vir versipellis
Est, qui è viis incertis certas novit comminisci.

Aristophanes Ranis v. 984.

Theramenes? vir prudens sane, & ad omnia versipellis:
Qui sicubi in malos inciderit, propeq; astiterit, usquam,
Non Chius à malis, sed Cius potius evolavit.

Plautus Epidic. 3. 2. v. 35.

Versutior es, quam rota figularis.

Plautus Pseudolo. 4. 3. v. 1.

Pejorem ergo homines, magisq; versute malum,
Nunquam edepol quenquam vidi, quam hic est Simia:
Nimisq; ego illum hominem metuo & formido male.
Ne malus item erga me sit, ut erga illum fuit:
Ne in re secunda nunc mihi obvertat cornua,
Si occasionem capsit qui fiet malus.

Videantur plura titulo, *Potentiæ, Doli, Fraudis, Insidiarum.*

Vestitus.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Hoc tibi à me ornamentum, tibi quidem, satscio, omni ornamento carius, nō sericæ ac molles & circumfluentes telæ, quibus, nec dum adhuc superstes esses, multorum more delectabaris, utpote virtute sola ornatus; nec lini pellucidi texturas, nec pretiosorum unguentorum infusiones, quas prius etiam ad gynæcea remittebas, & quorum fragrantiam dies unus solvit, nec denique aliud quidquam parvorum, & quæ apud parvos in precio sunt; quæ quidem omnia hodierno die, amarus hic lapis unà cum pulcro corpore contexisset. *Oratione decima in fun. fratris.*

D. Chrysostomus: Mulieres ornatas ad libidinem non censes coire cum Diabolo? Si contradicas, exuat animam mulierum, quæ se adeò indecorè gerunt: & videbit planè sceleratum illum dæmonem vehementer cum eis conjungi ac commisceri, difficile est enim, difficile, ô dilecti, fortasse autem etiam fieri non potest; ut sic ornato corpore simul quoq; ornetur anima: sed necesse est; ut si alterum curetur, alterum negligatur. Non est enim ejusmodi eorum natura, ut simul fiant. *Homil. 18. ad Corinth. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Vestis mollis etiam fortem dissolvit & frangit animum ac diffundit: & licet corpus acceperit asperum & durū, id molle reddit & imbecillum. Nam unde nisi ex hoc putatis mulieres esse adeò molles, dic quæ? Non ex solo sexu? Nunquam: sed ex vivendi ratione & educatione. Nam in umbra educatio, otium, lavacra, unguenta, multitudo aromatum, cubilis mollities eas tales efficit. Et ut id scias, animadverte ad id quod dico. Accipe mihi plantam ex hortis qui sunt in deserto & pulsantur à ventis, & pone eam in loco humido & umbroso, & invenies illam indignam eo loco ex quo sumpta ab initio. Quod autem hoc sit verum, vide. Mulieres quæ aluntur in agris, sunt fortiores viris qui in urbibus habitant: ut multos ejusmodi illæ in lucta prostraverint. Nam quū corpus factum fuerit mollius, necesse est ut anima quoque damni sit particeps. Nam magna ex parte ejus operationes simul afficiuntur cum illius affectione. Etenim in morbis sumus alii, propterea quòd emolliamur: & quum sani sumus, rursus alii. Sicut enim in chordis quum fuerint soni molles & non rectè extensi, artis quoq; virtus præciditur, coacta servire vitio chordarum: ita etiam in corpore multa damna ab eo accipit anima, multas necessitates. Nam quum multâ egeat curatione, illa acerbam sustinet servitutem. Quamobrem rogo, id reddamus forte & robustum, nec faciamus valetudinarium. *Homil. 29. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Paulum cogita, cujus vestes vim edebant; Petrum, cujus ipsæ quoq; umbræ viribus pollebant. Neq; enim, nisi regis imaginem gestassent, & incomparabilis quidam fulgor ex ipsis effulsisset, tot eorum vestes atque umbræ miracula edidissent. Regis quippe vestes latronibus etiam terrori sunt. *Homilia 7. ad Corinthios 2.*

D. Chrysostomus: Hominem non adeò dedecet esse nudum corpore atq; nudum virtute. Heic conservi eum aspiciunt indecorè se gerentem, illic autem Dominus & angeli. Si ergo videris quempiā nudum per forum progredientem, dic, rogo, non ægrè fers? Quando autem tu curris hac veste nudatus, quid dicemus? Non vides hos mendicos quos solemus vocare Lotagas, quomodo circumeant, quomodo etiam eorum misereamur? Sed tamen eis non datur ulla venia. Neq; enim eis ignoscimus, quando aleis ludentes suas perdunt vestes. Quomodo ergo nobis ignoscet Deus, qui hoc vestimentum perdiderimus? Quando enim Diabolus quempiam viderit nudum virtute, statim faciem fuligine illinit, maculatq; & obscurat, sauciatq; & ad magna cogit. Simus nudi pecuniis, ne nudemur à justitia. Pecuniarum amictus hanc perdit vestē: est amictus spinarum. Tales sunt spinæ: & quò plures induerimus, eò magis nudamur. Impudicitia nudat hac veste, est enim ignis. Ignis autem consumit hanc vestem. Divitiæ sunt tinea. Sicut tinea corrodit omnia, ita hæ quoque. Hæc ergo omnia deponamus: ut simus justi, ut novum hominem induamus. Nihil vetus, nihil quod apparet, nihil quod corrumpitur & interit possideamus. *Homil. 13. ad Ephes.*

D. Chrysostomus: Quæcumq; mulieres aurea induistis monilia, Pauli desiderate vincula. Non sic vobis circa collum fulget collare, ut in ejus anima fulgebat ornamentum ferreorum vinculorum. Si quispiam illa desiderat, hæc odio habeat. Quid enim est commune ignaviæ & socordiæ cum magni & excelsi animi virtute? corporis ornamento cum philosophia? Illa vincula reverentur Angeli, hæc vero etiam ludificantur. Illa vincula solent à terra ad cælum tollere. Hæc vincula a cælo deducunt ad terram. Re vera enim hæc sunt vincula, non illa. Illa, sunt ornatus: hæc vincula. Hæc cum corpore animam quoque opprimunt. Illa cum corpore ornant etiam animam. *Homil. 10. ad Coloss.*

Idem paulò post: Si Christo induaris, ipsi te formidabunt dæmones. Sin autem auro, etiam homines irridebunt. Si Christo induaris etiā te reverebuntur homines. Vis videri pulchra & decora? Tibi sufficiat formatio creatoris. Quid aurea inducis ornamenta, tanquam id quod Deus effinxit correctura? Vis videri decora? Induere eleemosynâ, induere benignitate, induere modestia & temperantiâ, & à te absit fastus. Hęc omnia sunt auro pretiosiora. Hęc etiā speciosam reddunt magis decoram. Hæc etiā non formosam efficiunt formosam. Quando enim quispiam cum virtute conjunctam viderit formam, & charitate fert sententiā: pravitatē a. ne si sit quidē pulchra, potest quispiam dicere pulchram. Sauciatus enim animus non rectam fert sententiā. Ornata quondam fuit Ægyptia. Sed ornatus quoq; fuit Joseph. Uter erat formosior? non dico quando illa erat in regia, hic a. in carcere. Hic erat nudus, sed erat indutus vestimentis temperantiæ & continentiæ. Illa erat induta, sed nuda turpior: non habebat enim temperantiam. Quando te impense ornaris, ô mulier, tunc nuda facta es turpior. exuisti enim modestiam. Erat etiam Eva nuda, sed quando fuit induta, tunc erat turpior. Nam quando erat nuda, gloria Dei fuerat ornata. Quando autem induit vestem peccati, tunc erat turpis. Et tu quum indueris desiderio superflui & immoderati ornatus, tunc appares turpior. Nā quod nimius sumptus & luxus non sufficiat ad ostendendam pulchritudinē, sed fieri possit ut induta minus sit honesta q̃ nuda, ego dicam. Si quando induisti vestimēta tibicinis aut chorauli, an id non erat inhonestū & indecorū? Atqui indumenta sunt aurea, sed propterea est dedecus ac turpitudo quod sint aurea. Scenæ enim sumptus ac luxus cōvenit tragœdis, histrionibus, mimis, saltatoribus, & iis qui pugnant cum bestiis. Fideli autē mulieri aliæ dantur à Deo vestes, nempe ipse unigenitus Dei filius. Quotquot enim, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis.

Dic quæso, si quis regiam dedisset vestem, tu autem mercenarii vilem vestem accepisses, & eā supra ipsam posuisses, an nō cum eo quod te turpior geris & indecore, etiam puniteris? Cæli & Angelorū dominum indutus es, & circa terram versaris? Hæc à me dicta sunt ut ostendam quod per se magnum sit malum nimius ornamentorum appetitus & desiderium etiamsi nullum aliud inde enasceretur sed citra periculum id liceret habere. Nam ad inanem gloriam faustumq; parat & instruit. Nunc a. multa etiam alia mala nascuntur ex nimia ornandi sui cura, manifestæ suspiciones, sumptus intempestivi, blasphemiæ, avaritiæ & plura habendi cupiditatis occasiones. Quid enim, dic quæso, ornaris? Ut placeas marito? Hoc ergo fac domi. Hic autem fit contrarium. Nam si tuo vis placere marito noli placere aliis. Si autē placeas aliis, marito tuo placere non poteris. Quamobrem omnem mundum oporteret deponere, quum vadis ad forum, quum is ad ecclesiam. Alioqui autē ne ex iis placeas marito ex quib. & meretrices, sed ex eo potius ex quo mulieres liberæ. In quo enim, dic quæso, differt uxor à meretrice? Quod hæc quidem unum solum spectat, ut corporis pulchritudine alliciat eum quem amat. Illa vero & præest domui, liberorumq; & aliorum omnium habet societatem. Habes filiolam? Vide ne damnum accipiat. Solent enim mores componi & educatione, & matrum mores imitari.

Sis filiæ exemplum modestiæ & temperantiæ.
Illo ornatu ornare: & vide ut hunc despicias.
Re vera enim illa sunt ornamentum.
Hæc vero magis dedecus afferunt quam ornant.

Homilia 10. ad Colossenses.

D. Chrysostomus: In amictu vestium ne glorieris. Ista pridē prædicabantur infantibus: nempe enim & saltator, & scortum, & venator gratiora te, & pretiosiora indumēta circumfert. Tineæ præterea

ubi

ubi pretiosa illa invaserint, indumenta, hujus te gloriæ voluptate privabunt. Vides quā incerta, quamq; instabilis sit vitæ præsentis gloria? Gloriantur in re, quā vermes & gignunt & perdunt. Ferūtur enim quidā ex India vermiculi hujusmodi conficere vestes. Si vestē possidere cupis superne intextā, amictū omnino mirabilē atq; clarissimum indumētum penitus aureū acquirere stude. Nempe illud aurum, non metallū est, cujusmodi damnatorū effoderunt manus, verum ex virtute generatur. Induamus nos stola illa, q̃ non homines inopes, aut servi conficiunt, sed ipse dominus se diligentib. præparat. Quid, oro, vestimento huic insertū est, quod te facit illustrē? Aurum scilicet. Et hoc quid ad rem? Opificē enim mirantur omnes non eum qui fuerit amictus: ille enim revera admiratione dignus est: quēadmodum & in simplicibus vestibus, non lignū in qua apud fullonē vestis tenditur, admiramur, sed opificē potius, licet ipsam lignum ferat. Sed quænā hujusce vestis utilitas? quis usus est? Ut scilicet excutiatur, ne corrodatur á tineis. Quantæ igitur amentiæ est, quā irrationabilis fatuitatis, pro nihilo tantū præferre studiū, & cuncta moliri: salutē vero sempiternam perdere gehennamq; contemnere atque in Deum esse contumeliosum, & despicere esurientem Christum. *Homil. 3. ad Timoth.* I.

D. Io. Chrysostomus: Talia gestemus vestimenta quæ usum impleant. Quid enim sibi vult multū aurum? Scenicis hæc conveniūt. Hæc ab illis sunt gestanda. Hæc sunt meretricum, quæ omnia faciunt ad hoc ut spectentur. Ornetur illa quæ est in scena, illa quæ in orchestra. Vult enim omnes ad se attrahere. Quæ a. profitetur Dei pietatem, non sic oretur, sed aliter habet ornatum illo majorē. Habes & tu theatrum: ad illud theatrū te orna: illo tu mundo induere. Quodnam est tuum theatrum? Cœlum populus Angelorum. Non dico solum virginum, sed eam mundanarum seu secularium. Quæcumq; Christo credunt, habent illud theatrū. Talia loquamur ut illos oblectemus spectatores. Talib. induere, ut illos lætitia afficias. Nam dic mihi, si meretrix dimissis ornamētis aureis, sumptuosisq; vestibus, & risu, & verbis urbanis & obscœnis, vili veste induatur, & illaborato cultu cōposita ingrediatur, & verba loquatur pia & religiosa, & differat de temperantia & pudicitia, & nihil turpe dicat, an non omnes surgent? non hoc dimittetur theatrum? Non eam ejicient ut quæ nesciat congruere populo, & quæ dicat aliena ab illo theatro Satanico? ita tu quoque si illius vestimentis amicta ingrediaris theatrum cœlorum, te ejicient spectatores. Illic enim non opus est his vestimentis aureis, sed aliis. *Homil. 28. ad Hebraos.*

D. Io. Chrysostomus: Rogo & suadeo ut aurea ornamēta pompis dimittamus, scenis & additamentis quæ sunt in officinis: Dei autem imago non his ornetur. Ornetur ingenua liberalitate. A liberalitate autem abest fastus & ornatus indecorus. Quod si etiam velis ab hominibus gloriā cōsequi, eam sic assequêris Divitis enim hominis uxorē non ita admirabimur auro contextas gestantem vestes & sericas (hoc est enim cōmune omniū) ut quando fuerit induta veste communi & simplici, & quæ solum contexta sit ex lana. Hanc omnes admirabuntur, & in ea plaudēt omnes. Nam in illo quidem mundo ex auro cōtextarum & sumptuosarum vestium multas habet socias, & si hanc superat, superatur ab alia: & si omnes superaverit, ab ipsa quidē certè regina vincitur. Hæc autē vincit omnes, etiā ipsam uxorem Regis & Imperatoris. Sola enim in divitiis elegit quæ sunt pauperum. Quamobrem etiamsi amemus gloriam, hic est major gloria. *Homil. 28. ad Hebraos.*

Isidorus Pelusiota: Quòd vestitus mollities, & subtilitas, colorq; elegans, religiosæ ac Deo gratæ exercitationis regulā minimè servent, Theologum Joannem interroga, Domini tunicam describentem: ac tibi dicet, Erat a. tunica ejus inconsutilis desuper contexta per totum. Quis autē vestis illius vilitatem ignorat? ut qua Galilæorum pauperes utantur: apud quos etiam maximè hujusmodi vestis genus fieri solet, arte quadam, ut pectoralia, retractim consutum. Audi etiam Matthæum, cùm de Joanne Baptista verba facit: ac tibi dicet, Ipse autem Joannes habebat vestimentum ex pilis camelorum. Vide item illum animi magnitudine præditum ac divino spiritu afflatum Lucam, Herodis fastum narrantem: atq; eam, qua indutus erat, vestem traducentē: eosq;, qui mollia indumenta gerūt, in regum domibus versari dicentem. At huiusmodi vestimenta spitituali illo thalamo, fulguris in modum rutilante, minimè digna sunt. Quamobrem si huius desiderio teneris, vilem Dei nostri Iesu vestitum imitare. Nam mollities præsentis lasciviæ est, non cœlestis splendoris. *lib. 1. Epist. 74.*

S. Isidorus Polusiota: Existimo itaq; Mosem, ut eos, quibus præerat, ad philosophiam induceret, & quia ipsos necessariò duntaxat curare cupiebat, mollitiem omnē eliminasse: per nimirum, quod linum & lanā contexi vetabat, variegandarū rerum studiū depellentem: per id a. quòd lineis vestibus purpurā attexi ꝓhibebat ac profusionē, nimiumq; ornandi corporis studiū: per id deniq; quod vestimentorum & lapidum leprā inhibebat, illud interdicentē, ne quis plura, quā opus esset, quęreret ac reconderet. Etenim vetustis indumentis & vestib. istud evenire consuevit. Rebus necessariis, inquit, contētus esto, nihil supervacanei, nec acquirens, nec recondens, nec item præpostero corporis ornatui studens, verum operam omnem & studium ad animæ curam converte.

Quòd si ab externis quoq; scriptoribus utilitatem capere velis (ajunt enim sativas ficus, cum fructib. defluunt, per caprificos cōstringi) hoc dixerim, quod Isocrates etiam, in eo libro, in quo Dæmonicum præceptis instruit, eum his verbis admonet: Cura ut in vestibus ratione cultus atq; honestus sis, non autem immodici ornatus studiosus. Honesti enim est magnificētia: lascivè atem se ornantis, superfluitas & redundantia. Quodq; hoc verum sit, ex eo, quod à Diogene dictum est, perspicuè ostenditur. Nam cum adolescentem quendam lasciviùs, quam virum deceret, ornatum conspexisset, Si ad viros, inquit, te confers, miser es: si ad feminas, iniquus. Cùm igitur externi autores honesti ac decori curam gesserint, an non sacrosanctus ille ac Deo charus vir, populares suos ad philosophiam inducens, omnem variegandi artem & mollitiem, nimiumq; ornatus studium è subditorum animis eliminare, atq; honestatem & gravitatem, quarum opera & adjumento præstantissima vita numeris omnibus absolvitur, sancire ac præscribere debebat. *lib. 3. Epist. 84.*

S. Asterius: Primus vestimentorum usus inspiciendus est, quàm latè pateat, & quos ei fines terminosq; temperantia præscripserit. Quid igitur justitiæ lex ait? pecudem Deus creavit pelle bene comata ac densis velleribus: his detonsis tunicam & pallium pertexi tibi cura, quo cum hiberni frigoris molestiam, tum ferventis radii noxam effugias. quod si leviore per æstatem anni veste eges, uberiorem ad commoditatem, usum lini Deus dedit; unde tibi proclive indumentum, quod simul & tegat & levitate refrigeret. Et his cū perfrueris, creatori gratiam habe, quod non modo nos creavit verum etiam tutelæ & præsidiis vitæ prospexit. quod si pecoribus & lana relictis, necessarios creatoris apparatu instrumētoq; contempto, vanis cogitationibus vesanisq; cupiditatibus in luxum effusus, & byssum requiris, & Persicorū vermium stamina colligis, unde evanida, ut ita dicam, araneæ tela contexatur; si præterea tinctorem ingenti mercede conducis, ut purpuram venatus maritimam, ejus animalculi sanguine vestem inficiat, id verò hominis est, immodice lascivientis, quique rebus creatis abutatur, nec habeat ubi pecuniam superfluentem effundat. eoque non immeritò talis ab Evangelio vapulat, ac reprehenditur, tanquam mollis & effeminatus, cultumque & ornamenta miserarum puellarum mutuatus.

Alii item inveniuntur similis amantes vanitatis magisq; etiam & plenius vitia exercentes, qui ne hic quidem stultæ solertiæ fines constituerunt, sed inani quodam & supervacuo commento, quod artem pictoriam per stamen atq; subtegmen imitatur, omniumq; formas animalium in vestibus exprimit, florida & sexcentis variegata figuris vestimenta, tum sibi, tum uxoribus ac liberis comparāt. qui ipsi ludunt etiam alibi, nihil usquam sedulò vel serio facientes, sed per immodicas opes abutentes vita, non utentes, ipsiq; Paullo & divinis vocibus, non dictis sed factis adversantes. nam quæ ille verbis proscripsit, hæc isti mordicus retinent, & ipsa re faciunt rata quandocunq; igitur in publicum prodeunt, quasi depicti parietes ab obviis aspiciuntur quin etiam pueri circum stant, ridentes inter se, digitisq; picturam in vestibus commonstrantes; & ad multū spatii prosequuntur, nec nisi ægrè recedere & avelli possunt. videre est illic leones, pantheras, ursos, tauros, canes, silvas, saxa & venatores, & omnia deniq; circa quæ pictorum industria natura æmula versatur. necesse videlicet erat, ut videtur, parietes non solum atq; domos exornari ac depingi, verùm etiam tunicas & pallia eis superinjecta. Qui autem quæve de divitibus illis religiosiores, argumenta textoribus ex historia Evangelica collecta subministrant: ipsum inquam Christum nostrum cum discipulis omnibus, ac miracula quæque, quemadmodum ibi narrantur. Videbis nuptias Galilææ & hydrias; paralyticum lectum bajulantem, cæcum qui luto curatur, mulierem quæ sanguinis proluvio laborabat fimbriam prehendentem, peccatricem ad pedes Iesu accidentem, & Lazarum è sepulcro redivivum. & hæc dum faciunt, pie se facere, & vestimenta Deo grata induere arbitrantur.

At me quidem si audiant, istis divenditis vivas Dei imagines colant, Christum ne pinge (satis enim illi quod semel ad corpoream naturam assumendam caussa se nostra sponte demisit) sed mente atque intellectu Verbum incorporeum circumfer: in vestibus paralyticum non habe, sed hominem infirmum ac projectum require, ne assiduè mulierem sanguinis profluvio laborantem spectandum propone, sed viduæ afflictæ miserere, ne peccatricem ad genua Domini prolapsam tam diligenter contuere, sed tuorum aspectu peccatorum contritus, lacrimas uberes emitte. pro effigie Lazari resurgentis, idoneam in tuæ tempus resurrectionis apologiam para. cæcum in vestibus depictum circumferre noli, sed cæcum viventem beneficiis solare, posthabitisque reliquarum cophinis, & hydriis illis Canæ Galilææ, esurientibus cibum, sitientibus potum præbe. & in his quidem nobis illa splendida ac superba divitis vestis profuerit. *Homilia de Divite & Lazaro.*

§ Oratorum Græcorum.

Dio Prusæus: Cur tandem homines, quum viderint aliquē tantum tunicam habentem, non attendunt, neq; derident, cogitantes forsan, nauta est homo quodq; ob hoc non sit deridendus, similiter, si quem agricolæ viderint habere vestem, aut pastoris exomidem, aut renonem indutum, aut cossymbio succinctum, non indi-

gnantur: sed dissimulant principio, existimantes hanc cōvenire vestem ei qui tale quid agat. Caupones sane, quos semper vident ante cauponas succinctos, non derident, sed è diverso deriderent, si nō ita culti essent, quòd ille habitus peculiaris sit illi quæstui quem exercent, post quam autem aliq. ē viderint absq; tunica in pallio, comamq; nutrientem in capite atq; mento, nō possunt erga hos quieti esse, neq; silentio præterire, sed urgent, irritantq; & vel derident, vel conviciis proscindunt: vel apprehensos interdum trahunt, si quem viderint nō admodum validum, neq; alium præsentem qui succurrat, præsertim quum sciant eam vestem esse consuetam iis qui philosophi appellantur, & quodam modo comprobatā. Quod autem adhuc admirabilius est: Hic interdum vidēt homines quosdam pilea in capitibus habentes, ut nunc Thracum quidam, ut dicuntur, antea autem Lacedæmonii, & Macedones: quosdam autem tiaram atque feminalia, quemadmodum opinor Persæ & Bactrii, Parthiq;, alii barbarorum multi. Alii autem adhuc absurdius quam hi soliti sunt peregrinari, alas in capitibus habentes rectas, sicut Nasamones. At verò ne his quidem audent negotia exhibere, neque molesti esse accedentes. Quanquam Cretas quidem, aut Persas, aut Nasamonas partim haud multos videns, patim raò peregrinantur.

Talium antem hominum propè nunc plena sunt omnia, pluresque ferè sunt facti quàm sutores & fullones & scurræ, & aliam quāvis tractantes artem: ut & de nobis fortasse merito dici queat quod omnes similiter navigent naviculæ, & quævis bos aret. Non ergo ex hoc solum familiaris illis est is aspectus: verum & statuas vident in templis, ut Jovis & Neptuni, aliorumq; multorū deorum in eadem dispositione habitus. Nā apud Ægyptios atq; Phœnices, aliosque quosdā barbarorum, non eadem statuarū forma est, quæ (opinor) apud Græcos, sed multum differens. Hic verò eadem est. Et virorum vident imagines, civium hujus civitatis, & in foro & in fanis ducum atq; regum, barbis ita demissis positas.

Verum quid opus est hæc dicere? Ferè enim plurimi Græcorum similiter ad hunc modum habent: nihil tamen eos cōsuetudo prohibet, quo minus subsannent, atq; cōtumelia afficiant, simul ac aliquem viderint hujusmodi. Dico autem de vulgaribus nullaq; autoritate præditis, quos non metuunt quod se possint ulcisci. Nam tales qui se possunt ulcisci, ferè reverentur, admiranturque. Forsan ergo hoc in causa est cur fiat.

Quippe à nautis & agricolis atq; pastoribus, præterea à Persis & Nasamonib. non se putant contemni, neq; eos habere sermonem quem ad ipsos faciant: unde eos non curant. At à philosophis se contemni suspicantur, atq; damnari suam magnā ruditatem, infelicitatemq;: & quod palam illi quidem non derideant. privatim vero ita apud se sint animati. quod ineruditos omnes miseros esse censeant, initio sumpto à divitibus ipsis, atque beatis à vulgo habitis: quos ipsi admirantur, paululumq; saltem à diis differre putant ob felicitatem, quòd eos nullo dignentur honore derideantq; ut sumptuose edentes atq; bibentes molliterq; dormire volētes, & cum mulieribus semper speciosis atq; pueris cubare, multasque habere pecunias, atq; multis celebrari turbis atq; spectabiles esse: quorum nihil arbitrantur magnum aut honestum.

Propter hanc igitur suspicionem ægrè ferunt eos, qui nō eadem secum admirantur atq; honorant, neq; eandem de maximis habēt sententiam. Quare præoccupant ipsi conviciis mordentes, atq irridentes, tanquam miseros, fatuosq;: scientes, quod si illos demonstrent insipientes & insanos, simul etiam sese sint declaraturi temperanter agere, menteq; præditos, sin vero concedant eos nosse quę oportet, multique esse precii, simul quoq; sese confessuri sint infelices atq; stupidos esse, nihilque prorsus scire, quæ liberos homines scire oporteat.

Præterea quoq;, si quem vident ut nautam cultum, sciunt eum navigaturum: si alium ut agricolam, agrum culturum: & si quem in pastoris veste, sciunt & hunc ad oves abiturum, apudq; eas moraturum: quum ergo nulla ab illis afficiantur ægritudine, sinunt illos. Si quem vero habitū philosophi habere uident, cogitant eum neq; ad navigandum, neq, ad agriculturam, neq; ovium causa ita cultum esse, sed pręparatum ut admoniturū homines redarguturūque, & nihil cuiquam adulaturum, neq; parsurum, sed è diverso castigaturum quā possit maxime oratione, ostensurumq; quales sint. Nequaquā ergo libenter eos videre possunt, sed adversantur & impugnant. Quemadmodum neq; pueri libenter videre possunt, quos sciunt pædagogi cultum habere, præparatosq; ita tanquam objurgaturos se, neq; permissuros ut peccent, aut segnes sint. Et si quidem & pueris liceret hosce irridere, & contumelia afficere, nihil hoc prius facerent.

A tamen non omnes hoc animo accedunt, suntq; modesti: sed hominum genus est curiosorū tali curiositate, & quodammodo nō malum Hi accedunt ad eos quos philosophos esse ex habitu arbitrantur, ut aliquod ex eis audituri sapiens dictū, & quod ex alio audire non possent: audientes & de Socrate, quod & sapiens fuerit, sermonesq; disseruerit accedentibus prudentes, & de Diogene, quod & ipsi ad omnes sermonum responsionumq; suppeditaverit copia. Et hujus quidem dicta commemorant multi, quæ partim ipse fortasse dixit, partim vero & aliter composita sunt. Sententias vero septē sapientum audiunt, & Delphis consecratas esse antea veluti primitias illorū sapientiæ quasdam, neq; simul hominū utilitatis gratia, ut verè divinas, oraculisq; penè diviniores, quæ Pythia in tripode sedens respondet repleta spiritu. Quod enim illic responsum est, eo quisq; audito abit, neq; id consecrat: itaq; jam & omnibus hominibus nota sunt illorum dogmata, publicata advenientibus à diis, quòd similiter omnibus utile sit ea nosse, atq; iis obedire.

Sunt a. qui & Æsopum talē quendam fuisse putant, sapientem quidem & prudentem, natura a. blandū, & ad sermones componēdos idoneū, quales ipsi libentissimè audiēt. Atq; forsan usq; quaq; falsum putant, quod revera Æsopus hoc modo homines admonere conatus sit, atq illis ostendere in quibus delinquerent: quum ita maxime eum sustinerent, delectati ridicularis fabulisq;, quemadmodum pueri nutricibus fabellas narrantib attendunt, capiuntq; oblectationem. A tali opinione, tanquā & à nobis tale quid, quale dicebat Æsopus, audituri, aut quale Socrates, aut qualia Diogenes, accedunt, atq; molestias exhibent: neq; possunt abstinere si quem in tali viderint habitu, non magis quā aves si noctuam viderint, de qua Æsopus quoq; talem composuit fabulā: quod aves convenerint ad noctuā, rogaverintq;, ex ædium foraminib. emigraret, adq; arbores, sicut & ipsæ, harumq; ramos nidum conglutinaret, unde clarius canere liceret, quin etiam quercui tum primū nascenti, quū adolevisset, cōmode insidere posse, atq; viridi frui coma. At vero à noctua tum aves admonitas, ne facerent, neve lætarētur super illius plantæ derminatione, quæ viscum procreare soleret, unde pernicies avibus oriretur. Illas verò noctuæ consiliū non approbasse, sed eregione gavisas quercu crescente, superq; adultam iam sedisse, atq; cecinisse. Nato a. visco, quū jam facile ab hominib. caperentur, iam pœnitentiā egisse, noctuamq; admiratas de consilio. Atq; etiamnum ita sunt affectæ, quasi callida ea sit & sapiens: & propterea illā accedunt, existimantes se cōmodi aliquid ex familiaritate reportaturas. At accedunt frustra, accepto malo. Antiqua sanè noctua verè prudens erat, consiliumq; dare poterat: quæ a. nunc sunt noctuæ, alas tantum illius habent, & oculos, rostrumq;, cætera vero imprudentiores sunt aliis avibus. Quare neq; semetipsis possunt prodesse. Neq; enim apud aucupes alerentur, vinctæ atq; servæ. Ita etiam nostrum quisq; vestem quidem habet Socratis atq; Diogenis: verum ut prudentia pares simus illis viris, multum nobis deest: vel ut similiter vivamus, sermonesq; disseramus æquales. Proinde nihil aliud quàm conspecti tanquàm noctuæ, turbam magnam congregamus verè avium: quum ipsi simus stolidi, atque aliis hujusmodi nobis exhibeatur negotium. *Orat. 72.*

Philostratus: Vidisti aliquando in picturis rationem eandem & Prodici Herculem, quem impuberem adhuc & ad electionē insufficientem Virtus ac Vitiositas apprehensum ad se trahere nitebantur. Erat autē hæc quidem auro monilibusq; ornata, veste insuper purpurea, & faciei pulcritudine nitens, comas præterea discriminatas variis nodis alligata, & pictis superciliis fulgens; aureos quoq; calceos gestans, tumido incessu huic insultabat. Altera a. labore fessæ similis, aspectu horrida, macie quoq; ac squalore cōfecta, nudis pedibus, & simplici veste amicta, ut nuda etiam esset proditura, nisi quod in feminis decorum est, agnovisset. *lib. 6. Apollonii cap. 5.*

Iulianus Imp. Claudius Imperator summam in ea amplitudine facilitatem, atq; in vestitu modestiam retinuit, quæ in illius imaginibus in hodiernum diem cernitur. *Paneg. 1. in Const. Aug.*

❡ Romanorum.

Petronius Arbiter: Vestes quoq; diutius vinctas ruga subit, & charitate alligatæ mutant figuram. *Satyrico.*

Symmachus: Usui magis quàm cultui apta indumenta voluisti. *lib. 3. Epist. 25. f.*

❡ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 3 præcept. ad Virgg.

Detritas etiam vestes venerare, caputque,
Delitiis vacuum & luxu non serica fila.
Ornentur gemmis alia, decorentur & auro,
Quod fulgore suo collustrat corporis artus.
Hac inquam hi placeant, quarum depicta colore
Multiplici est facies, mortaliq; arte manuque
Condita, cælestique ab imagine turpis imago
Dissita, calcatum prodens sine voce pudorem:
Vivente tabula, mysteria noctis opaca,
Externeq; nitens labes, pulchrumque sepulchrum
Interno fætore madens & sordibus atris.
A quibus, ô virgo Christum sortita maritum,
Quam decor occultus decorat, quam recta venustas,
Esto procul, turpemque ornatum a corpore pelle.

Plautus Epidici 4. sc. 2. v. 8.

—— Hanc qua fiet
Neque scio, neq; novi, neq; ego hanc oculis vidi ante hunc diem.
P. Scio quid erres, quia vestitum atque ornatum immutabilem
Habet hac. M. aliter catuli olent, aliter sues.

Terentius Eunuchi 4. sc. 4.

Au! ne comparandus hic quidem ad illum est. ille erat
Honesta facie, & liberali. P. ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit.
Nunc tibi videtur fædus, quia illam non habet.

Ausæ

Ausonius Epigr. 102.

Delia vos miramur, & est mirabile, quod tam
Dissimiles sitis, tuque sororq; tua.
Hæc habitu casto cùm non sit casta videtur:
Tuq; præter cultum nil meretricis habes.
Cum caussa mores tibi sint, huic cultus honestus,
Te tamen & cultus damnat, & actus eam.

§ APOLOGI.

De Upupa indigne honorata. Fab. 45.

Invitatæ ferè omnes aves ad aquilæ nuptias, indignè ferebant upupam cæteris præferri, quia coronata, insignis esset, & versicoloribus pennis ornata, cum semper inter stercora & sordes solita esset volutari.

Hæc fabula stultitiam eorum arguit, qui in hominibus honorandis, potius vestitum, nitorem, præstantiamq; formæ, quam virtutes, moresq; soleant attendere. Abstemius.

§ EMBLEMATIS.

Catsius Emblemate amatorio 27.

Nuda movet lacrimas.

Sæpe licet tractata manu, non lædit ocellos,
Dum latus inclusum cortice Capa gerit.
Hanc tenui spoliare toga si forte juvabit,
Protinus uda tibi lumina, nuda dabit.
Huc animos adverte, puer. mihi capa puella est:
Quisquis amare voles, fac reverenter ames.
Ne teneram spectare juvet sine veste Dianam.
Hæc Dea, nuda magis quam pharetrata nocet.

§ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Pambo: Quum esset Alexandriæ, vidissetq; mulierem maximo vestium apparatu superbientem flevit. Interrogatus cur in lacrymas erumperet, respondit, Duæ res sunt quæ me movent. Una quidem, mulieris hujus perditio. Altera, quod ego, qui nomen Christianum profiteor, non tantum studeo placere Deo vitæ innocentiâ, quantum hæc mulier turpibus placere cupit hominibus. *Petrus de Natalibus, Eccl. hist. lib. 8. cap. 1.*

D. Hieronymus: Paulus primus eremita, cum nihil haberet nisi quod inculta solitudo suppeditare poterat, contexta tunica de palmæ foliis nuditatem texit. Et qua ille veste in necessitate usus est, hanc ipsam Antonius cùm defunctum sepelisset, habuit in deliciis, non nisi festis solennibus eam induens: quam etiam divus Hieronymus plurimi faciens: Si mihi, inquit, Dominus optionem daret, multò magis eligerem tunicam Pauli cum meritis (id est, bonis operibus ejus) quàm regum purpuram cum regnis suis. *Marullus.*

§ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANOR.

S. Elizabetha Regina Hung. Præmisso Dei Verbo, quod, ne soliciti simus quo induamur, monet; superest videamus, quo corporis cultu nobis utendum, quantumve (si modum excedat) despiciēdus. A fæminis itaq; hujus rei exempla petimus. quæ eò magis eruntadmirāda, quò magis huic cultui deditus dicatusq; ille sexus. ELIZABETHAM Hungariæ Reginam intueamur. Magnatibus ad Principem maritum venire parantibus, dolebat ille, quòd conjux dignis suo genere indumentis careret. At hæc regii splendoris contemptrix, *Nolo*, inquit, *vestibus placere humano conspectui, ne moribus displiceam Deo.* Ingressis itaq; ad eum Legatis, vocatur ELIZABETH. quam omnis pulchritudinis auctor tanto decore venustaverat, ut planè hyacinthina appareret. Principi ergo in stuporem verso, subridens illa, *Hujusmodi*, ait, *scit Dominus meus cum voluerit, ornamenta præparare.* Sur. tom. 6. in Vita.

Leonora Ducissa Gandiæ: Non absimilis huic LEONORA. quæ interrogata à nobilissima quadam matrona, cur simpliciori veste uteretur; *Mene*, inquit, *byssinis, sericis, aut purpureis indui vis, cū dominum meum* (ita Franciscum Borgiam maritum suum, exemplo veteris Saræ, appellabat) *cilicium gestare sciam?* Ribadin. de vita Borgiæ lib. 1. cap. 12.

Edeldrida Angl. Regis Filia: Hæc in ultima ætate virginū Abbatissa facta, cum ingenti dolore colli, quo & mortua postmodum, premeretur; solita erat dicere: *Scio quod merito in collo languoris pondus porto, in quo, juvenculam me, memini supervacua monilium pondera gestasse.* Vener. Beda Hist. Anglic. lib. 4. cap. 19.

Pictor Germanus: Mutatio frequens HABITUS, mutationis morum & animorum argumentum est apud plerosq; & ita sanè, multarum gentium mores unà cum habitu mutari & depravari videmus. multum quippe ad æstimationem augendam honestus habitus facit, eoq; boni oblectantur. Jusserat aliquando Turcarum Imperator, omnium gentium habitum vivis coloribus per GERMANUM ejus artis peritum exprimi. cumq; is plurimarum gentium indumenta pinxisset, tandem nudum hominem, & juxta eum diversas vestium exuvias, inter alios cōstituit: jussusq; à Principe interpretari picturam, dixit: *Nudus ille, Germanum populum denotat, cui, quòd indies novam excogitet, certa vestium forma appingi non potuit.* Dolendum certè, eam nationem quæ gravitatis laudem sibi vendicat, hac in parte Gallicæ levitatis insimulari. Petrus Lotichius Secundus. & ipse Germanus, Poeta hujus ævi celeberrimus, ita in suæ Gentis milites ludebat:

Pudor deorum opprobriumque sæculi,
Pestis luesque militaris ordinis:
Qui percitis furore mentis ebria,
Licentiaque perditorum temporum,
Abominandis involuti vestibus,
Fas omne rumpunt, eruunt Rempublicam.

Lib. 2. Carm. Greg. Richterus in Axiom. Polit.

Eberhardus Barbatus Princ. Sueviæ: Ille etiam æternam apud posteros sui memoriam reliquit. Venerat ad eum juvenis, postulans sibi conferri sacerdotium, quod per mortem possessoris vacabat. Fortè huic ventus talarem vestem aperuit, ita ut PRINCEPS videret caligas militari more scissas. Qui ilicò, ut erat morum & disciplinæ acerrimus custos, irâ commotus, eum è conspectu suo abire jussit, dicens: *Non te pudet coram Principe comparere scurrili habitu, eoq; sacerdotium ambire?* O censuram dignam laude! *Ibid.*

Dux Anonymus: Haud alia mēte hic. Nobilem domi alebat, cui unum in votis, habitu indecoro, & (ut est in Prov.) pellenæa tunica indui. cumque id molestius ferret, veste magis decenti ac congrua uteretur, monuit. ille, Numquid, inquit, id ex arbitratu meo pendet, quomodo induar? *Omnino*, respondet Dux, *sed hoc etiam ex meo arbitratu pendet, ut te sic indutū aula mea ejiciam.* quod & fecit postmodum. *Phil. Camer. in Declamat.*

Consiliarius Anonymus: Viderat iste suum Principem admodū peregrinâ & obsoletâ vestimentorum formâ oblectari accedit propiùs, causam inquirit. ille, Parùm, inquit, hoc refert quænam sit mearum vestium forma. cui prudenter subjecit alius: *Imò multum id refert. Vestis enim indicat Principem esse talem virum, qui cōsiliariis suis obtemperare nolit.* Gregorius Richterus sup.

Scurra Anonymus: Anne etiam ab hac hominum fæce aliquid memoratu dignum? Erat in Franciæ finibus homo ignobilis & sordidus, qui, ut honorem passim aucuparetur splendidâ veste, non secus quàm simia in purpura, prodiit. Salutatur ab ignotis, & reputatur nobilis: rogantibus autem amicis, cur habitu, suæ conditionis oblitus, tam splendido uteretur; *Non videtis*, inquit, *hoc ævo, quod vestis faciat virum?* & statim vulgatum hoc distichon subjecit:

Vir bene vestitus, in vestibus ipse peritus
Creditur à mille, quamvis idiota sit ille.

Ibidem.

Hermannus Buschius: Cōfirmat illud ipsum suo exemplo HERMANNUS BUSCHIUS. vir celeberrimus. qui dum domestico vestitus habitu ad forum Marpurgense descendisset, neminem sibi assurgentem habuit. indignatus, quod sibi debitus & consuetus negaretur honos; domum reversus, togam prælustrem sumpsit, forumq; è vestigiò repetit: & ecce venienti assurgunt omnes, honoris signa exhibent & locum. Ille verò nihil talia moratus, se domum recipit, & togam pedibus conculcat, dicens: *Es tu* BUSCHIUS, *vel ego? Tibine honor iste defertur, an mihi?* Indignabatur, & meritò, quòd præpostero judicio, homines non viro, sed vesti honorem deferrent: stultorum instar, qui equum empturi, non ipsum, sed frena & phaleras intuentur. *Philip. Camer.*

Anonymus: Serius ille: jocosus hic & facetus, cujus adhuc recens memoria Antuerpiæ. Vocandus erat ad nuptias cognatæ: at obstabat incultus incomptusq; habitus, quo indies magno familiæ generisq; incommodo & dedecore utebatur. Audit: & extempiò nova sibi indumenta coaptari mandat, iisq; ornatus, in amicorū conspectum prodit. Hi tali veste ornatum, nuptiali gaudio intersit, rogant. venit. At ubi naturæ genioq; jam satis indulserat, thoracem & caligas, inspectantibus ac ridentibus convivis, multâ pinguedine perungit, dicens: *Numquid etiam hæc indumenta saginare me oportet quorum gratia huc vocatus ego sum, alias non vocandus? Indulgete ergo vos genio cum domino vestro: ne alias vestri defectu ille eo non indulgeat.* Ex relatis & auditis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Æstate aureum grave est amiculum, at hyeme frigidum est.
Corporis nullam nudare feminas partem decet.
Emicat quoque exoleta è veste forma gratia.
Femina nuda probaque virtus est pro vestibus.
Feminæ vesti quotannis nomina inveniunt nova.
Flagitium est nudare inter cives corpora.
Impedit viantem amictus longior non curtior.
In foro vestire honestè, quod sat, aut libet, domi.
Indumenta molliora & animi mollitiem indicant.
Nemo lautus vestimentis esse imis potest diu.
Non exstinguis ignem quem abdis veste sed vestem cremas.
Non in veste ornatus est matronæ verum in moribus.
Pulcer intus, quid requiris vestium pompas foris?
Pulverem pluviamque vitat vestis est cui splendida.
Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia.
Sæpe sub severo amictu delitet lascivia.
Sæpe veste sub profana summa sita est sapientia.
Sæpius sub vestimentis vitia corporis latent.
Sanè genus hoc muliebrosum est tunicis demissitiis.
Splendida vestes matronam non decent, decent lupas.
Vestimento quisnam pannos assuit veteri novos?
Vestimenta detrahente nil molestius Noto est.
Vestis omnis est dolosa, cui non est albus color.
Vestium per sæpe humilitas animos tumidos arguit.

Vilius domi vestimur, sumptuosius foris.
Usui apta vestimenta cuique sint, non cultui.

§ JAMBICA.

Deponitur pudor cum veste feminis.
Detrahere nudo vestimenta quis queat?
Difficile valde est vestem exuere patriam.
Distincta vestis? distincta anima: ne nega.
Enervat & viros amictus mollior.
Et margaritas testa vilis integit.
Etiam arborum vestire corpus cortice est.
Finita hieme species villosa mittitur.
Haud sufficit bruma sat vestis unica.
In veste rupta ubique somnolentia est.
Male vestimenta oppignerantur pauperis.
Oblonga vestis parvum corpus impedit.
Operire nudos, grande virtutis genus.
Quis vestimenta unquam æstimavit arculâ.
Simul cum amictu vestis ponitur pudor.
Splendore Solis gaudiosa purpura est.
Sub veste vili sæpe fastus delitet.
Verum æstimare hominem si vis, nudum inspice.
Vestis calorem vestis frigus discutit.
Vestem cibumq; homini vel palma præbeat.
Vestes leves, solo facias pretio graves.

Vetustatis.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Aut vetustas fabulosa est, aut scatet miraculis.
Cuncta deturpat vetustas: quidquid est recens, nitet.
In pretio vetusta sunt, recentiumq; in curia est.
Plus favet livor vetustis quàm bonis præsentibus.
Quæ vetustas est, conficere vim divinam quæ queat?

§ JAMBICA.

Nil fit manu quod non vetustas destruat.
Secum vetustas cuncta abducit longior.

Viæ.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Chrysostomus*: Ne ad ea quæ sunt externa insaniamus, & perseveremus in sobrietate. Nos omni ex parte componamus, & sicut eos qui super funem intensum ingrediuntur, ne parum quidem licet esse socordes. Nam quod parum est, magnum affert damnum, eversus enim statim est, præcipitatus & perijt. Ita nec fieri potest ut nos simus socordes & desides. Angustā ingredimur viam præcipitiis undiq; quæ simul duos non capit pedes. Vides quanta sit nobis opus diligentia. Vides, quod ii qui ejusmodi vias ingrediuntur, non solum pedes muniunt, sed etiā oculos. Nam etsi alibi videatur attendere, & pedes firmo hæreat vestigio, à profundo caligans oculus universum dejicit. Sed sibi oportet & suo ingressui attendere, propterea dicit, Neque ad dextram, neq; ad sinistram. Magnum est vitii profundum, magna præcipitia, magnę inferius tenebræ, angustias observemus, cum timore & tremore ambulemus. Nullus via ejusmodi ingrediens est in risum effusus, neq; gravatur ebrietate, sed in sobrietate & jejunio ea via ingreditur. Nullus hac via incedens, aliquid affert superfluum.

Præclarè enim cum eo agitur si succinctus & expeditus possit evadere. Nullus suos impedit pedes, sed liberos dimittit & solutos. Nos autem quum nos ipsos curis alligemus innumerabilibus, & onera innumerabilia quæ ad hanc vitam pertinent gestemus hiantes & effusi, quomodo expectamus angustam hanc viam ingredi? Non autem absolutè dixit, Est angusta, sed cum admiratione, quā angusta est illa via, Hoc est, valde angusta. Hoc nos quoq; facimus in iis quæ habentur in magna admiratione. Quam arcta est, inquit via quæ ducit ad vitam, & rectè dixit. Quando enim & verborum, & cogitationum, & actionum & omnium debemus rationem reddere, re vera est angusta. Angustiorem autem eam facimus, dum nos ipsos extendimus & dilatamus, & pedes effundimus. Nam quæ est angusta quidem, est cuilibet difficilis: maxime autem ei qui est obesus. Nam qui seipsum quidem liquefacit & macerat, ne sentit quidem angustias. Quamobrem qui meditatus fuerit comprimi & affligi, ne ægre quidem feret si comprimatur. Ne ergo expectet quispiam fore ut in otio & quiete cælos videat. Fieri enim non potest.

Nemo speret cum delitiis viam angustam ingredi, non potest enim hoc esse. Nemo lata via incedens, vitam speret. Quum videris balnea, mensam sumptuosam & magnificam, aut quempiam ejusmodi magno stipatum satellitio esse in deliciis, ne te miserum pronuncies quod ea tibi non suppetant, sed illum defle quod perdita via ingrediatur. Quid enim prodest hæc via, quum desinat in afflictionem. Quid autem lædunt illæ angustiæ, quum veniant ād quietem & animi relaxationem? Dic quæso, si quispiam vocatus ad regiam per angustos ingrediatur angiportus & præcipitia, alius autē quispiam abductus ad mortem trahatur per medium forum, quē beatum censebimus? quem deflebimus? An non eum qui per viam latam ingreditur? Ita nunc quoq; non eos beatos pronunciemus qui vivunt in deliciis, sed eos qui non vivunt. Hi properant ad cœlum, illi ad gehennam. *Homil. 9. ad Thessal.*

§ ORATORUM GRÆCORUM.

Aristides Rhetor: Animadverso rerum progressu, donec tempus & res est integra, eum prohibete: neq; duarum viarum, altera quæ vos ducit conspecta, alteram quæ pro vobis facit negligite. *Oratione Sicula posteriore.*

§ POETARUM.

Ennius apud Ciceronem 1. de Offic.

Ut homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de lumine accendat facit,
Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Plautus Curculione 1. sc. 1. v. 35.

Nemo ire quemquam prohibet publica via,
Dum ne per fundum septum facias semitam

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ecquis comiter monstrare renuat erranti viam?
Liberis para eripi quod non queat viaticum.
Nihilne populi verere, qui vociferare in via?
Qui viam terit, quò levior est, eò est felicior.
Quò minus restat via, plus quæritur viatici.
Subditi rectè sequentur, rectè si Rex præeat.

§ JAMBICA.

Ad pravitatem curritur prona via.
Incontinens sunt viantium manus.
Nemo ire quemquam publica prohibet via.
Nil diligenter in transcursu cernitur.
Nihil magis grave est levi viatico.
Quæ ducit ad vitam via angustissima est.
Qui publica via ambulat, malè ambulat.
Qui publica via ambulat benè ambulat.
Quo tritior via est, eo est & tutior.
Semper viatori involvenda stragula.
Viaticum magnum onerat vitam, haud instruit.
Vita ingredi multas vias incommodum est.

Videantur plura titulo *Itineris*.

Vicinitatis.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

D. *Nazianzenus*: Alius nostrum pauperem oppressit, ac terræ partem ipsi abstraxit, maleque vel per fraudem, vel per vim, terminum transgressus est, & domum ad domum conjunxit, & agrum agro copulavit, ut proximo aliquid eriperet: ac vicinum nullum habere sustinuit, perinde ac solus habitaturus in terra. *Orat. 15. de plaga grandinis.*

Salvianus: Exturbas possessiunculis suis vicinos tuos. numquid, ut scriptum est, super terram solus habitabis? hoc unum quippe unum est quod obtinere non poteris: quamlibet enim cuncta pervadas, vicinum semper invenies. *libro 5. de gubernatione Dei.*

Ennodius: Illud quod ex omnibus orbis cardinibus devotos attrahit, positum in vicinitate transitur. *Apol. pro Synodo.*

§ ORATORUM GRÆCORUM.

Dio Prusæus: Et considerate quoque alia, qualis ego sim civis: meq; cum quovis horum uno comparate, quos non concrematis. Sunt enim mihi prædia, & omnia hæc in vestro territorio: meorum autem vicinorum nullus unquam neq; dives neq; pauper (multi enim & horum mihi vicini sunt) quicquam de me quæstus est, quod aliquid illi abstulerim, aut ejecerim, vel jure vel injuria. Sum ego quidem non supra modum eloquens, neq; etiam forasse omnium postremus in dicendo. est ergo aliquis quem oratione contristavi, negotium facessens alicui quieto, aut apparans calumniam? an de facultatibus aliquem adduxit in periculum, tanquam ad Cæsarem pertinentibus? An in advocatione prodidi quenquam. *Orat. 46.*

Alciphron: Invidus ac malevolus vicinorum oculus, inquit proverbium. Quid enim tibi mea curæ sunt. Quamobrem verò quod ego negligenter habeo, tu in tuis possessionibus numeras. Abstine manus immò inexpletas cupiditates. Neque te rerum alienarum cupiditas, ad petendum donum impellat. *Malictypus Enymoni Epistol. 15.*

Julianus Imp. Ac cùm hi sint illis vicini, eoq; nomine cariores esse deberent, modo locum obtineret illud, Ne bos quidem perierit, nisi ob scelus vicini: tamen Argivi videntur non de bove uno solliciti Corinthios accusare; sed de multis & magnis sumptibus, quibus præter jus & æquum obstringuntur. *Epist* 36.

§ ROMANORUM.

Simocatta: Malas vicinas ô amice Grues nacti sumus. Perpetuum bellum circa agros gerunt. Neq; enim fœdus cum patribus nostris sanciverunt, neq; nobiscum qui post eos venimus bellum composuerunt. At verò sæpè messium primitiis eas donavimus, sed & particulam quandam agelli, tanquam orgadem ingratis dedimus. At non sunt aliquo precio apud eos munera ut apparet. Quamobrem omnes hinc abeamus, suadeo. Nam saxa nobis colere præstat, quàm campos & colles habitare, cùm infestos habeamus vicinos. *Ægeirus Platano Epist.* 5.

Simocatta: Homo invidus maximum malum, quòd si sors etiā hunc vicinum tulerit inexorabile infortunium, & vix morte poterit sedari. *Daphnon Myroni Epist.* 8.

Quintilianus: Nec ab initio, judices, vicinus divitis fui: pares circa me habitavere domini, & frequentibus villis concors vicinia parvos limites coluit. Quod cives pascebat, nūc divitis unicus hortus est. Postquam proximos quosq; revellendo terminos ager locupletis latius inundavit, æquatæ solo villæ, & excisa patria sacra, & cum conjugibus parvisque liberis, respectantes patrium larem, migraverunt veteres coloni; & latæ solitudinis indiscreta unitas facta est, postquam ad apes meas divitis fundus accessit. *Declamatione* 13. §. 2.

L. Apuleius: Fruere exitio totius nostræ familiæ, & sanguine trium fratrum insatiabilis, tuam crudelitatē pasce, & de prostratis tuis civibus gloriosè triumpha: dum scias, licet privato suis possessionibus paupere, fines usq; & usq; proterminaveris, habiturum te tamen vicinum aliquem. *lib.* 9. *Metamorphos.*

§ POETARUM.

Plautus Rudente 4. sc. 3. v 95.

Ecquem in his locis novisti? G. oportet vicinos meos.

Terentius Heautont. 1. sc. 1.

Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto,
Facit ut te audacter moneam & familiariter.

§ APOLOGORUM.

Phædrus Fab. 6. Ranæ ad Solem.

Vicini furis celebres vidit nuptias
Æsopus, & continuò narrare incipit:
Uxorem quondam Sol cum vellet ducere,
Clamorem Ranæ sustulere ad sydera.
Convicio permotus quærit Jupiter.
Causam querelæ: quædam tum stagni incola:
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miseras arida sede emori.
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

De Cochlea petente ab Jove, ut suam domum secum ferre posset. Fab. 71.

Cum Jupiter ab exordio mundi singulis animalibus munera, quæ petiissent, elargiretur, cochlea ab eo petiit, ut domum suam posset circumferre. Interrogata à Jove, quare tale ab eo munus exposceret, quod illi grave & molestum futurum erat. Malò, inquit, tam grave onus perpetuò ferre, quàm, cum mihi libuerit, malum vicinum non posse vitare.

Fabula indicat, malorum vicinitatem omni incommodo fugiendam. Laur. Abstemius.

De Vulpe Gallinas metu canis invadere non audente. Fab. 139.

Vulpes cohortem gallinarum nocte invadere nō audebat, metu canis, quem apud eas pernoctare cognoverat. Sed quum eas aliò migrasse, ut cum nonnullis aliis gallinis degerent, intellexisset, ubi canis non erat, voti compotem se fore rata, illuc se conferens, ad unam omnes occidit.

Fabula indicat, melius esse bonum & strenuum vicinum, quàm ignavos consanguineos habere propinquos. Abstem.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cui malus vicinus est, ei maximum propè est malum.
Damna parva inter vicinos pugnas pariunt maximas.
Immortale odium vicinarum inter sese gentium est.
In propinqua parte amoris ipsa item est vicinitas.
Invidus cui est vicinus, heu, quam agit miserrimè.
Pauper ecquis esse tutus divitem juxta queat?
Pauperi dives vicinus vel calamitas extima est.
Quam bonus bonum vicinus magnum est, tam malus malum.
Qui vicinum habere non vult, vitam avet monarchicam.
Quo potentior quis est? hoc proximo est molestior.
Sæpe fratris supra amorem vel vicini gratia est.
Sub malo vicino, oportet aut patres malum, aut feras.
Tam malum est malus vicinus, quam bonū est idem bonus.
Vicini iracundi, in agro, in urbe, maximum est malum.

§ JAMBICA.

Agitur tua res, paries ubi ardet proximi.
Aliquid mali fers, propter vicinum malum.
Aliquid mali homini est propter vicinum malum.
Avarus habere proximum illicitum putat.
Bonum ac malum homini omne à vicinis provenit.
Felicitatem quisque vicini dolet.
Molestior res nulla vicino malo.
Oculo nihil vicini est invidentius.
Potentiorum noxia & vicinia est.
Ovis nam potentem habere vicinum velit.
Se quando non odere mutuò accola?
Semper simultas inter est conterminos.
Tua res agitur cum paries ardet proximus.
Vicina nemo cernit aut audit bona.
Vicinitatem avari habent pro injuria.
Vicinitatem in parte amicitia putes.
Vicinitatem injuriam dives putat.
Urtica amœna sæpe proxima est rosa.
Usque imminet Rex impotens vicinia.

Vicissitudinis Rerum.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus:* Vides quales res nostræ sint, & quomodo res humanæ velut in orbē volvantur, ac nunc floreant nunc marcescant, eamque rationem habeant, ut nec felicitas nec infelicitas, ut dici solet fixa stabilisq; nobis permaneat, verum celerrime utraq; commutetur, ac dilabatur: adeo ut ventis potius fidere quispiam possit, aut literis in aqua scriptis, quàm hominum prosperitati. Quod quidem mea, sententia, idcirco fit, ut harum rerum inconstantiam & varietatem spicientes, concitatiore cursu ad Deum & futura properemus, ac nobis quoque ipsis prospiciamus, parvam umbrarum & somniorum curam gerentes. *Epistola decima octava.*

D. Chrysostomus: Nulli unquam dies extrema in mentem venit, nullus transire præsentia cogitat, non considerat esse peritura: & quidem quum res quotidie clament, & tuba clariorem emittant vocem. Intempestivæ mortes, mutationes rerum, quæ viventibus nobis contingunt, nequaquā erudiunt nos: infirmitates & reliquos non attendimus morbos: non modo autem in corporibus nostris, verum in ipsis quoq; elementis mutationes videre est. Deniq; per singulas ætates quotidie desævire cōspicimus mortem, & in omnibus ubiq; rebus ipsis inconstantia instabilitasq; signatur, nunquam hyems perstat, nunquā æstas figitur, fugit verna temperies, autumnusq; dilabitur currunt, labuntur, ac defluunt. Quid dicam flores? quid dignitates? quid reges, qui modo sunt, & cras esse desistunt? quid divites, quid splendida ædificia? quid noctem ac diem? quid solem? quid lunam? nonne & ista patitur detrimēta? Ipse num sol sæpe deficit? num obscuratur? num tegitur nube? Ullane res visibilis permanet semper? Nulla prorsus. Sola ex his quæ in nobis sunt, anima perpetua est, & eam negligimus: eorum vero quæ immutantur quasi mansura sint, curam ingentem habemus: quum sempiterne manentis animæ, ac si prætereuntis, nulla nobis ratio sit. Ille potens est, sed in crastinum usq;, postea verò peribit. Constat id ex his, qui fuêre majore potentia præditi, & modo nusquam apparet. Scena quædam est vita presens, ac somnium. Sic enim in scena sublato velamine, varia illa solvuntur, ut somnia ubi solis illuxit radius, abvolant omnia: ita & modo consummatione propinqua & omnium & singulorum cuncta solvuntur atq; evanescunt. Ac arbor quidem abs te plantata permanet, & domus abs te condita durat: opifex vero, & agricola proficiscuntur, ac pereunt. Hisq; ita contingentibus, ne sic quidem reveremur, neq; erubescimus: sed velut immortales hæc omnia præparamus, in luxum deliciasque resoluti. *Homil.* 15. *ad Timoth.* 1.

§ LATINORUM.

Egesippus: In terris nihil tam mutabile quam vel secūdæ res vel adversæ nec prosperitas diuturna, nec ærumna est pertinax. itaq; nec miserum esse, nec contra perpetuum est: sed alternæ frequenter, & in iisdem variæ vices rerum. Deniq; ex nobis exemplum capessere licet, cōflictu superiore potiores fuimus; in processu prælii sors mutata, ut vinceremur ab his quos viceramus. Ergo & nobis sperare suppetit, quod vincantur à nobis qui nos vicerant. *cap.* 32. *lib* 1. *de excidio Hierosl.*

§ ORATORUM GRÆCORUM.

Philostratus: Oportet fata sequi, & rerum permutationes patiēter perferre: in quo Sophocli credendum est sapienter dicenti: Diis senescere Solis negatur, & mori extremum Deum. Ast cuncta miscet alia tempus præpotens. Volubiles enim sunt prosperitates humanæ & diurna penè divitiarum duratio, & ille meas, & iste alterius atq; alter alius opes habens, non habet. *lib.* 8. *Apoll. cap.* 3.

¶ ROMANORUM.

Symmachus: Poſt longum ſilentium tuum, non minus deſiderabam quàm ſperabam literas largiores. nam his vicibus humana variant, ut defectui ſuccedat ubertas. *lib.1. Epiſt.17. pr.*

Symmachus: Dii boni, quam nihil homini tutum atq; exploratum eſt! Certè levandi animi cauſſa Bajas conceſſeratis. Quis oculus faſcinavit deſtinatam quietem? Paulina ergo cura communis extremum ſalutis acceſſit. *Mox:* Sic nati ſumus, ut ſæpius adverſa fungamur. Fugiunt voluptates, & bonæ cujuſq; rei tam brevis uſus quàm levis ſenſus eſt. *lib.1. Epiſt.42.*

¶ POETARUM.

C. Laberius Mimus.

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore.
Summum ad gradum quum claritatis veneris,
Conſiſtes ægrè, & citius quam aſcendas, decidas,
Cecidi ego cadet, qui ſequitur. laus eſt publica.

Plautus Pſeudolo. 5. ſc. 2. v. 20.

Hoc ego nunquam ratus ſum fore me, ut tibi fierem ſupplex.
Heu, heu, heu! P. deſine. B. doleo. P. ni doleres tu, ego dolerem.

Pentadius de Fortuna.

Res eadem aſſiduò momento volvitur uno,
Atq; redit diſpar res eadem aſſiduò.
Vindice facta manu Progne pia dicta ſorori,
Impia ſed nato vindice facta manu.
Carmine niſa ſuo Colchis fuit ulta maritum:
Sed ſcelerata fuit carmine niſa ſuo.
Conjugis Eurydice precibus remeabat ad auras,
Rurſus abiit vitio conjugis Eurydice.
Sanguine poma rubent triſti ne re tincta repente,
Candida quæ fuerant ſanguine poma rubent.
Dædalus arte ſua fugit Minoia regna:
Amiſit natum Dædalus arte ſua.
Munere Palladio læti quæ nocte fuere.
Hac perire Phryges munere Palladio.
Nate quod alter ades cælo, das gaudia Leda:
Sed mœret mater, nate quod alter abes.
Hoſtia ſæpe fuit diri Buſiridis hoſpes,
Buſirisq; aris hoſtia & ipſe fuit.
Theſeus Hippolyto vitam per vota rogavit,
Optavit mortem Theſeus Hippolyto.
Stipite fatifero juſtè quæ fratribus uſa,
Mater ſæva fuit ſtipite fatifero.
Sola relicta thoris flevisti in littore Gnoſis:
Lætaris cælo ſola relicta thoris.
Aurea lana fuit Phryxum quæ per mare vexit.
Helles quâ lapſa eſt aurea lana fuit.
Tantalis eſt numero natorum facta ſuperba.
Natorum adflicta Tantalis eſt numero.
Pelias haſta fuit, vulnus grave quæ dedit hoſti.
Et quæ ſanavit Pelias haſta fuit.
Per mare jacta ratis verſa eſt ferialibus undis.
In portu verſa eſt per mare jacta ratis.
Lux citò ſumma datur, natuſq; extinguitur infans,
Atq; animæ æternum lux cito ſumma datur.
Sunt mala lætitiæ diverſa lege creata,
Et juncta aſſiduè ſunt mala lætitiæ.

¶ APOLOGORUM.

Aphthonius: Equus ſenectute depreſſus, molam pro bello elegit, ubi cum molere belligerandi loco cogeretur, præſentem lugens fortunam, prioris non immemor, Mei quidem, inquit, molitor, antè in bello erat uſus, ornatuſque circum circa, opera mea hominibus locata eos ſequebar. At nunc neſcio quid paſſus, piſtrinum capeſſo præ pugna: cui molitor. Obdura, inquit, memorando priſtina.
Fortuna enim utrinque hominum res mutare novit.

Phædrus Fab 75.

Vexata ſæpius navis tempeſtatibus
Inter vectorum lacrymas & mortis metum,
Faciem ad ſerenam ſubito mutatur dies,
Ferri ſecundis tuta cœpit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate extollere;
Factus periculo tum gubernator ſophus;
Parce gaudere oportet & ſenſim queri.
Totam quia vitam miſcet dolor & gaudium.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Certior nemo eſt ſui vel in propinquum craſtinum.
Cogites fieri omnia poſſ, ut ne quid animo ſit novum.
Cuiq; tantum ſors minatur quantum item per miſerat.
Eheu, quam rerum breves ſunt ac mutabiles vices.
Eodem ubi die luſere peſſum eunt liburnicæ.
Fertur Euripi æſtuantis more Fortuna impotens.
Immemor reciprocantis Sortis haud floret diu.
Inter offam & herbam ibi vero eſt intervallum longius.
Ipſus Oreſtes, modo fuit Rex, modò Mendicus factus eſt.
Luna quem vidit felicem, abitura dies miſerum videt.
Manlius præceps datus inde eſt unde Gallos depulit.
Memini cum dicto haud audebas, facto nunc lædas licet.
Momento exiguo novantur rerum humanarum ſtatus.
Ne quidem certi horam in unam quidpiam eſt mortalibus
Nec diuturna proſperitas, nec eſt ærumna pertinax.
Nemo vivus dicere auſit, non id obtinget mihi.
Nemini fas dicere eſt dum vivit, Hoc non accidet.
Non ſemper manant in agros nubibus imbres hiſpidos.
Nulla ſors longa eſt: voluptas cedunt invicem ac dolor
Nunc Noto ferente macta eſt vita, nunc contrario.
Nuſpiam unico tenore res fluunt mortalium
Omnium rerum quidam orbis uſq; atq; uſque volvitur.
Omnia rerum orbis eſt: quod nunc jacet cras ſe eriget.
Per bona exercetur Orbis & mala alternantia.
Proſperæ res punctulo uno ſubruunt ur temporis.
Proſpero tanquam Autumni fructibus, citò interit.
Qui modo non eſt, beatus cras erit ſi ſors volet.
Quidquid hodie quis patitur nos & pati cras poſſumus.
Quis ſatis mutationes mirari Sortis queat?
Vita humana tota circum more volvitur rotæ.
Quos neges unquam jacere poſſe, ſæpius cadunt.
Sæpe infra, ſupraq; ſæpe vertitur rotæ orbita.
Summa in imum vertit atq; verſa Fortuna erigit.
Vita noſtra ſicut amnis, clara nunc turbida eſt.
Una lux vel ſumma mergit, una effert vel infima.

¶ JAMBICA.

Crebra volutant res vices mortalium
Cuncta laborant res viciſſitudine.
Et ſumma verti brevibus momentis queunt.
Etiam diadema in uſum laquei vertitur.
Etiam quod aliquis effugit, potuit pati.
Hodie poteſt fieri omne unquam quidquid poteſt.
Hodiernus ignis cras erit niger cinis.
Hora ſpatium, ornamenta frangit ſæculi.
Humana ſors æqualem hero ſervum efficit.
Incertum homini cuicunque eſt veſper quid ferat.
Iſto die bene eſt homini, atque alio male.
Non ſemper idem atq; idem homines ventus regit.
Non ſemper uno luna vultu aut ſol nitet.
Pulsâ ire nube clarior ſolet dies.
Quæ mane florent, ſæpe marcent veſperi.
Quam plurimum inter os & offam intervenit.
Qui Crœſus eſt modo, Irus eſſe mox poteſt.
Qui mane ridet, ſæpe plorat veſperi.
Quidquid poteſt venire, venturum puta.
Quidvis miſer ſpera: quidvis felix time.
Rerum omnium orbis eſt ſuus mortalium.
Rerum vices, ut fluxus maris, ſunt breves.
Sequitur hiemem ver, & pluviam ſerenitas.
Sortem omnium jugi Deus verſat rota.
Sperate miſeri: fata ſe vertunt retrò.
Viciſſitudo rerum in orbe eſt omnium.
Vitam hominis omnem miſcet Dolor & Gaudium.

Videantur plura titulo *Fortunæ, Mutationis, Inconſtantiæ.*

Victoriæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus.* Cedendi quoq; tempus eſt, ut & alius cujuſvis rei; præſtatq; honeſtè vinci, quam periculosè ac nefariè vincere. *Orat. I.*

D. Nazianzenus: Facile in contemptum venit, quidquid facile ſuperatur: atq; ut coli obſervariq; ſolet, qui altos ſpiritus gerit, ita contra facile contemnitur, qui Deo ſe humilem ac ſubmiſſum præbet. *Orat. 2.*

D. Nazianzenus: Erat animatus Julianus callidè & artificiosè bellum gerere cum Chriſtianis ac vim perſuaſione verborumque blanditiis illinere, ac tyrannidi clementiam tanquam hamo eſcam circumponere: ita demum non ſolum prudentem, ſed validam ſibi concertationem fore. *Orat. 3. ſtelıteut. I.*

D. Nazianzenus. Si juſti quid afferre viſus fueris, dolebimus quidem, at minimè te reprehendemus. quemadmodum enim cum ratione vincere, ſic etiam honeſtè ac laudabiliter vinci didicimus. *Orat. 3. ſtelıteut. I.*

D. Nazianzenus: Jovinianus cùm nec manus cũ Perſis conſerere, nec progredi ullo modo poſſet (licet alioqui animi magnitudine atq; alacritate nullo modo deficeretur) quod milites manib. & ſpe fracti debilitatiq; eſſent, caſtra movere, copiaſq; reducere ſatagebat: idq;, ut tuto ſibi tacere liceret, laborabat, pinde atq;, non imperii, ſed cladis

cladis heres effectus. Quod nisi Persæ in victoria moderatè se gerentes (hoc enim apud eos in more positum est, ut animi moderationem in prosperitate adhibeant) aut aliud quiddam eorum, quæ fama ferebantur, metuentes, ad ineunda fœdera, & quidem adeò inopinata & humana sese convertissent, ne signifer quidem, ut dici solet, exercitui superfuisset. Usque adeo eos ad manum Persæ habebant, tum in terra sua dimicantes, tum etiam ob ea, quæ contigerant, animis altius elati: Felix enim quispiam successus eam vim habet, ut spem quoque lætam futuri afferat. *Oratione quarta, stelіteutica in Iulianum altera.*

D. Nazianzenus: Ignosces si quid præter gratiæ libertatem simplicius fecimus: potiusque habebis honeste vinci, quàm malè vincere, nimirum Spiritui obsistendo. *Epist. 38. fine.*

D Basilius Libanio: Quid dicendo consequatur homo Sophista, & ejusmodi Sophista cujus artis hæc est propria professio, ut ex magnis exigua facere, cum velit, & exiguis rebus magnitudinem oratione adjungere possit, id quod tunc reipsa in iis quæ ad nos scribis, demonstrasti. Nam Epistolam illam sordentem, ut vos, qui sermonis ornamenta spectatis fortè appellaveritis, nihil hac quam nunc in manibus habes, tolerabiliorem, sic extulisti verbis quasi in ea victus sit, & primas scribendo partes nobis deferas. Sed tu mihi simile quiddam patrum lusibus facere videris, cum suæ victoriæ laudem pueris ad gloriandum concedunt, quæ res nec ipsis fraudem adfert, & liberorum ambitionem alit. Sed dici mehercule non potest, quantam voluptatem sermo tuus hac lusione nobis attulerit, non secus ac si Polydamas aliquis aut Milo Pancrætii seu Palæstræ certamen mecum inire detrectaret. Nam rebus omnibus circumspectis, nullum roboris vestigium potui reperire sic, ut qui superlationes in dicendo pervestigant, hic, tuam vim, qui ita per lusum contra nos descendere potuerat, plus admirentur, quàm si Barbarum ultrà Atho navigantem pertulisses.

D. Chrysostomus: Quisquis imperantem dominantemque urbem vicerit, is & subditos parvo negotio adoriatur. At quisquis regaliore urbe missa, subditis subigendis incumbit, idem caput se negligere ostendit *Homilia 2. ad Rom. ante medium.*

Chrysostomus: Quomodo in bello non eorum qui multa dicunt est rem strenuè gerere, sed eorum qui multa operantur: ita hic quoque non eorum qui loquuntur, sed eorum qui faciunt est victoria. *Homilia 14. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Hoc est victoria, ea quæ sunt ablata, & quæ detinentur accepisse. nam tunc vincit quispiam inimicum, quando acceperit spolia, non quando ipsa siverit apud eum manere. *Homilia 39. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: In certaminibus illos maximè excitamus qui sunt propinqui victoriæ. *initio Homilia 2. ad Coloss.*

Isidorus Pelusiota: Si hostes vincere cupis, Dei metu exercitium ducito. Justitia enim hoc affert, quis strenuè ac feliciter pugnet. Contrà, injustitia nostra, hostium est auxilium. *lib. 1. Epist. 294.*

S. Isidorus Pelusiota: Ne illud te ad arrogantiam erudiat, quòd hostem superaris. Complurihus enim præ jactantia furentibus, ut qui per omne vitæ tempus trophæa statuissent, eóq; nomine gloriantibus, nec unquam inferiores se fore atque expugnatum iri expectantibus, felicitas ea quæ videbatur, perspicuè in pejus cessit. *lib. 2. Epist. 104*

Idem: Multis secundi successus, quibus primum usi fuerant, infinitorum malorum causam attulerunt. Nam cum unum aut alterum nullo suo merito trophæum erexissent, propterea quod eorum temeritas eum, quem sperabant, eventum habuisset, inopinata felicitate elati, atque in majores actiones sese projicientes, de superioribus quoque rebus præclarè gestis in extremum periculum venerunt. Quapropter nobis faciendum est, ut humanius consultemus, atque, cum quid præclarè atque ex sententia gerimus, misericordiam nobis ob oculos proponamus, subitasque mutationes consideremus, nec præter modum sentiamus ac loquamur: cum autem ab officio aberramus, humanam imbecillitatem corrigamus, nec illud postulemus ut res nostræ Dei instar immortales fixæ sint. *lib. 2. Epist. 105.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui non ob adversariorum imbecillitatem victoriam assequitur, sed ob virium suarum magnitudinem fortes viros superat, clarus atque illustris est, dignusque qui publico præconio celebretur. Quare ob unum aut alterum superatum ne glorieris. Nam tum denique victor verè prædicaberis, si summa virtute præditos superes. *lib. 3, Epist. 30.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum in iis rebus, in quibus cedere oportet, vincere turpe est: ita in iis rebus in quibus vincere oportet, vinci turpius ac fœdius est. Neque enim in omnibus rebus bona est victoria: verùm ea demum optima existimari debet, quæ bonam & egregiam materiam habet: quæ autem turpem ac fœdam habet, turpissima. Verbi gratia (ut ab iis quæ apud Gentiles pervulgata sunt, id demonstrem) bellum adversus externos legitimum ac necessarium esse censetur: adversus autem cives & populares, sceleratum: ac ne laudibus quidem afficitur, qui adversarios fudit & profligavit. Tanto enim majori pudore perfunditur, quanto plus aliquid, quam alii gesserit. Siquidem bello civili nihil atrocius ac funestius fingi potest. Si igitur hic, ubi de corporis morte duntaxat agitur, tantum discrimen est, idque cùm una duntaxat natura sit, qui dæmonibus quidem sese subjiciunt, adversus autem fratres arma induunt, facinusne tolerandum admittere videantur? Non certè meo quidem judicio. Et quidem hîc non corporis mors sequitur, (minus enim id malum esset) verum animæ exitium, non eos, qui offendiculum perpetiuntur, extinguens ac de medio tollens, verum quavis morte acerbiorem vitam iis comparans. Ac propterea cognationis ac propinquitatis jura, & majora sunt, & diviniora. Unde etiam cælo dignum vitæ genus colere jussi sumus. Quod si iis, qui in terrá militant, atque pro patria quidem arma sumunt, adversus Barbaros autem proficiscuntur, contraria facere convincamur, quæ tandem nobis salutis spes erit? aut quis sibi persuadebit, eos salutem consecuturos esse, qui ea faciunt, quæ perspicuè ad exitium ducunt? *lib. 3. Epist. 104.*

S Isidorus Pelusiota: Mundo sublimiorum ac terrenorum rex è cælo idcirco venit, ut cælestis vitæ symbola nobis afferret: quæ etiam in certamen proposuit, olympico certamini prorsus adversum. Illic enim qui cædit, ac superat, coronam obtinet: hîc autem qui cæditur, ac perfert, præconis voce celebratur. Illic qui vicissim ferit, hic qui alteram quoque maximam præbet, in Angelorum theatro prædicatur. Non enim ultione, sed patientiâ victoria ponderatur. Nova enim hæc coronarum lex est: quoniam nova quoque certaminum ratio. *lib. 3. Epist. 126.*

S. Isidorus Pelusiota: Non qui externos barbaros vincit, hic victor merito vocandus fuerit, sed qui intestinum voluptatum bellum conficit. Multi enim illis devictis ab istis fœdum ac miserandum in modum capti sunt. *lib. 3. Epist 377.*

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam Sennacherib majora quam pro natura & viribus humanis minatus est Ezechiæ, ideo propriæ imbecillitatis nullitatem cognovit. Nam qui sperabat, se Hierosolymã primo quasi pedatu & cum primum sustulisset clamorem, capturum, is universo ferè exercitu absque conflictu prælii amisso, præclarè secum agi putabat, si vel solus salvus evaderet. Cum autem domum profugisset, á suis domesticis interemptus est, ut simul & suam agnosceret infirmitatem, & justitiæ divinæ animadversionẽ non effugeret. *lib. 4. Epistola 230.*

¶ LATINORUM.

Egesippus: Antiochus Illustris ubi Ægyptum quoque suo imperio adjunxit, in superbiam elatus, quod ei incerta bellorum prosperavissent, &c *cap. 1. lib. 1 de excid Hierosolym.*

Egesippus: Præclarum hoc addidit Cn. Pompejus, ut in victoria modum teneret: benignitate sibi magis quam terrore quos vicerat allociavit. auctores tantummodo belli securi percussit. *lib. 1. cap. 17. de excidio Hierosol.*

Egesippus: Vespasiano ubi factum est judicium eò Josephum commeasse, incentivum celerandi itineris incessit; quod conficiendi belli compendium putaret, si dux et populus bello promptior interciperetur. *cap. 9. lib. 3. excid. Hieros.*

Egesippus: Vespasianus referre cœpit, non semper præliis juvari rempublicam, sed plerunque etiam armis depositis laudem parari, & debitum patriæ solvi. quid interest quomodo vincatur hostis, nostro ne an suo ferro? nisi quod suo, sine Romana invidia prosternitur. non enim possunt de nobis queri, cum se ipsi consauciaverint: simul quum justa nobis bella moverint, significant, quando nec ipsi sibi parcunt. vindictam hanc de cælo videri, ut furore insaniant, qui Romanos lacessiverint. *cap. 11. lib. 4.*

Egesippus: Quod si validior esset fortitudo hostium quam fraus, superari minus flagitiosum: à paribus enim aut fortioribus vinci, opprobrio vacat *cap. 7. lib. 5. exc. Hieros.*

Egesippus: Exequenda nobis tantummodo supplementa victoriæ pater reliquit. quo fusis incassum tantis laboribus, dedecores in utroque referemus gradum, victoriam derelinquentes? quasi non levius crimen sit de militia decedere quam victoriam deserere. illud enim formidinis, hoc proditionis est. *cap 27. libri 5. de excidio Hierosolym.*

Egesippus: Neque verò necessarium fuit, ut hostes nostri, sicut Assyrii vestri, dormientes exstinguerentur, sed præliantes. non enim in somnis victoria sed in prælio. non virentis adorea est, ubi fortuita gratia. &c. *cap. 46. lib. 5. de exc. Hieros.*

Ennodius: Cave ne incipias minorem loquacitate provocando humilis æstimari. Quid enim laboris est, jacentem in ea parte superare, & triumphum de eo ducere, qui se ante conflictum imparem contetur. *libr. 1. Ep. 2. f.*

Ennodius: Parens attonitus cum carum pignus ad bellum trãsmittit, nec de explorata esse patitur virtute securus. Ad incrementa sollicitudinum triumphos filii sui numerat, non quietis. plus expertæ metuit felicitati, cui formidinem ministrat affectio. quia ignara cautionis est mens instituta victoriis, & in acie amor laudis, salutis oblivio. trophæi gustus abdicari imperat lucis affectum. Sapor vitæ illos tantum possidet, qui de conflictibus venientia bona nulla didicerunt, Semper ad gloriam jungitur, quod de incolumitatis propriæ cura decesserit. *lib. 1. Epist. 19. pr.*

Ennodius: Castrensis gloria turmarum participatione dispergitur: nec ad unum referri potest quod venerit collatione multorum. *Paneg. Theod. cap. 4. f.*

Ennodius: Virtus multitudinem non requirit. ad paucos vadunt bella; bellorum fructus ad plurimos. *Pan. Theod. cap. 9. f.*

Idem: Deprehensum est varias esse mentes coacervatæ multitudinis, nec spem victoriæ venire de numero. *cap. 10. f.*

Ennodius: Quid interest pecuniis an ferro adversariorum animos inclinemus? Obtulisse quod mentes capiat hosti, vicisse est; occuluisse, superari. *Vita Epiphanii cap. 41. m.*

Io. Sarisberiensis: Si forte Alexander Magnus Brachmannos bello fuisset aggressus, minimè prævaluisset adversus innocentes; eò quod innocentia non facile superatur; & veritas suis viribus constans de militia quantumvis armata triumphat. *libr. 4. capite 11. Policratici.*

Io Sarisberiensis: Sicut Græcia capta ferum victorem cepit, & artes intulit agresti Latio, sic omnium gentium mores boni & mali Romanum victorem persecuti sunt. Siquidem numina, imò dæmonia gentium, superstitiosius quam religiosius advocabant, magnamque sibi visi sunt assequi religionem, quia nullam respuerant falsitatem. Deos tutelares non tam pio, quam impio cultu, omnibus subtrahebant, ut omnes in una urbe collecti, in illius custodia jugiter vigilarent. Sic & quæ ubique locorum placuisse audiverant, in urbem trajecerunt, ut esset unde possent gratiam omnium in se & gloriam provocare. Simile aliquid fecisse visus est rex Anglorum Vilhelmus primus, cujus virtuti Normania Cenomannis, & tandem major Britannia cessit. Assumpto namq; regni diademate, & pace composita, legatos misit ad externas nationes, ut à præclaris omnium dominibus quicquid eis magnificum videretur, afferrent Defluxit ergo in insulam opulentam, & quæ fere sola bonis suis est in orbe contenta, quicquid magnificentiæ, imò luxuriæ potuit inveniri. Laudabile quidem fuit magni viri propositum, qui virtutes omnium orbi suo volebat infundere. Sed in eo arbitratu laudabilius extitisset, si in gentem, quam armis vicerat, & quam luxuriæ prævicerat magnitudo legem temperantiæ promulgasset. sane virtuosius esset, eam roborare verbo & opere, quam lasciviendi ab authoritate multorum magnorumque propagare audaciam. *lib. 8. Policrat. cap. 7.*

§ Philosophor. Oratorumque Græcorum.

Phalaris Critopheno: Officium boni amici, & tu facis & omnes quicunque mihi plus æquo de fortitudine testificantes, meis consiliis quam actionibus magis succubuisse Leontinos arbitrantur. Ego vero certum habeo necessariam defensionem à me susceptam esse: exoptatam verò victoriam à fortuna gubernatam. Nihil enim ô bone vir est in humanis rebus neque tam grande neque tam exiguum, quod non ejus viribus & inclinationibus corroboratur. *Epist. 32.*

Xenophon: Quid caussæ fuerit, quamobrem vos socios non æquè par sit expetere victoriam, qua bona præclaraque omnia parantur ac conservantur? *lib. 2. Cyropedia. cap. 6.*

Xenophon: Inde quantum itineris confecissent, interrogabat: & an incolas regio haberet. Respondebant illi, se per majorem ejus partem provectos, totamque regionem habere incolas, & esse refertam ovibus, capris, bobus, equis, frumento, & commodis omnibus. Duo nobis inquit, curanda sunt, tum ut superiores simus iis, qui hæc possident: tum ut illi maneant. Nam, quæ incolas habet, regio, magni præcii possessio est: eademque si ab hominibus deserta sit, etiam commodis ipsis caret. Scio trucidatos à vobis eos, qui se defendebant: ac recte quidem à vobis factum. Nam hoc victoriam inprimis conservat. Qui autem arma tradiderunt, eos captivos fecistis: quos si quidem dimittimus, facturi hoc, ut equidem ajo, nostro cum commodo sumus. Primum neque cavere ab his, neq; custodire nos eos necesse fuerit, neque cibos eis parare. Non enim certe fame eos necabimus. Deinde his dimissis, pluribus etiam captivis utemur. Nam si regione potiti fuerimus, omnes ejus incolas captivos habebimus. Magisque adeo ceteri, quum hos vivos dimissosque videbunt, mansuri sunt: & parere potius volent, quam prœlio decernere. Hæc mea sententia est. Si quid alius quisquam melius videt, proferat. Illi hæc audita faciunda consentiebant. Itaque Cyrus advocatos captivos his verbis alloquitur: Animas vestras conservastis, viri, eo ipso, quod paruistis: ac si deinceps vos ita gesseritis, nihil mali vobis accidet, extraquam quod idem, qui ante hàc, vobis non imperabit. incoletis autem domos easdem, & idem solum excoletis, & earundem mulierem consuetudine domestica utemini, & itidem uti modo, in liberos vestros vobis erit imperium. Neque tamen adversus nos, vel quemquam alium pugnabitis. Ac si quis alius injuriam vobis intulerit, nos ipsi pro vobis pugnabimus. Ne quis vero militiam vobis imperet, ad nos arma deferte. Ea qui tulerint, tum pacem, tum cetera, quæ dicimus, sine fraude habebunt: quotquot autem arma bellica non deposuerint, adversus eos etiam expeditionem suscepturi sumus. Quod si quis vestrum animo benevolo ad nos accesserit, & agere quid ipsum nostra caussa, nosq; docere paruerit: eum nos ut bene de nobis promerentem, atque amicum, non ut servum tractabimus. Hæc vos & scire volo, & ceteris denuntiare. Quod si quidam, voluntati nostræ refragando, parere noluerint: adversus eos nos ducite, quo nobis in illos, non illis in nos sit imperium. Hæc quum dixisset, illi eo adorato, se præstaturos hæc dixerunt. *cap. 18. & 19. lib. 4. Cyropadia.*

Xenophon: Dii nobis, amici ac socii mactatarum in hostiarum extis ea demonstrant, quæ pridem, quum victoriam nobis illam priorem largiti sunt. Ego vero commonefacere vos eorum volo, quæ si memoria teneatis, longe mea quidem sententia sitis ad prœlium alacrius accessuri. Nam bellicis in rebus multò, quam hostes, magis estis exerciti: & tum educati simul vivendo, tum instructi estis longè diutius, quam hostes: & victoriâ potiti simul estis. At ex hostibus multi cum suis victi sunt. Qui autem ex utraq; parte prœlio nondum interfuerunt, eorum quotquot in hostium exercitu sunt, se norunt adstites habere desertores: vos vero, quia nobis estis, cum iis aleam prælii vos subituros nostis, qui sociis opem ferre cupiant. Est autem consentaneum, concordibus animis in pugna substituros eos, qui mutuò sibi fidunt: qui vero diffidunt, hos consultare necesse est, quo pacto singuli quamprimum subducere se possint. Eamus igitur in hostem, commilitones, cum armatis curribus, adversus hostium currus inermes: itidemque cum equitibus & equis armatis, adversus inermes comminus pugnaturi. Pedites quidem adversarios habituri estis eos, quos ante hac: & Ægyptii, quo armati sunt modo, eodem & in acie dispositi sunt. Nam majores eis clupei sunt, quam ut aliquid vel efficere, vel prospicere possint: & in centenos ordinati, se ipsos haud dubiè in prælio sunt impedituri, paucis admodum exceptis. Quod si nos impellendo protrusuros se crediderint, primum equi sustinendi eis erunt: & ferrum, cui robur ab equis accedit. Jam si quis illorum etiam non cedendo sustinet, quo pacto simul & adversus equitatum, & phalangem, & turres pugnare poterit? Nam in turribus collocati nostri, nobis auxilio futuri sunt: & hostes feriendo, potius ut de suis rebus desperent, quam prælientur, efficient. *cap. 28. libr. 6. Cyropadia.*

Xenophon: Hujusmodi cum ex Gobrya Cyrus audisset, ita respondit Rectè, mi Gobrya dicere videris, qui profectionem nos instituere tutissimam jubes. Mihi verò negotium hoc considerandi nullum tutius iter ad animū accidit, quam si Babylonem ipsam tentamus: siquidem ibi robur hostium maximum est. Nam multos istic esse, fateris ipse: qui si fidentibus animis sint, etiam terrori nobis erunt, ut equidem arbitror. Jam vero si nusquam nos conspiciant, sed delitescere nos in obscuro existiment, quasi eos metuamus: certò futurum scias, inquit, ut metu liberentur, quem conceperunt: proque hoc tantò major in eis fiducia existat, quantò nos diutius non conspexerint. Sin jam in eos pergemus, multos inveniemus plorantes adhuc illos, qui à nobis interfecti sunt: multos, quibus erunt obligata vulnera, quæ à nostris acceperunt: omnes denique recenti habebunt in memoria nostri hujus exercitus audaciam, & fugam calamitatemque suam.

Scire autem plane debes, mi Gobrya, sic comparatum esse: ut plerique mortales, quum fiduciæ pleni sunt, ea sint animorum elatione, quæ sustineri nequeat. Verum ubi sibi metuunt, tanto majori stupidiorique formidine tenentur, quanto plures numero fuerint. Nam de multis & adversis rumoribus is terror eis adauctus adest, deque multis & tristibus rebus, ac multis etiam consternatis exanimatisque vultibus collectus. Adeòque ob magnitudinem terroris hujus facilè fieri nequit, ut vel ille verbis extinguatur, vel in hostem ducendo robur animis addatur, vel ab eisdem adducendo militum spiritus excitētur: sed quo magis hortere, præsentibus ut animis sint, tanto se gravioribus in periculis esse putant.

Quin & illud quo pacto se habeat, accuratè consideremus. Nam si deinceps in rebus bellicis apud eos futuræ sunt victoriæ, qui majorem hominum turbam adnumerabunt: rectè tu nobis metuis, & nos reabse in periculo versamur. Sin ut antea sic etiam adhuc ex virtute dimicantium de prœliis decernitur: recte feceris, si bono sis animo. Nam Diis juvantibus multo plures apud nos invenies, qui pugnare velint, quam apud illos. Atqui uti plus etiam fiduciæ sumas, hoc quoque tecum cogita. Sunt hostes jam multo minores, quam prius, postquam à nobis victi sunt: & multo nunc item minores, quam quum aufugerunt. nos autem & majores nunc sumus, quam prius, quum vicerimus: & firmiores quum fortuna usi prospera fuimus: & plures, quum vestrum accessione simus aucti. Noli enim deinceps ne de tuorum quidem honore detrahere, quādo jam nobiscum sunt. Nam cum victoribus certo scire debes, mi Gobrya, etiam eos, qui sequuntur exercitum, fidentibus animis pergere. Ne id quidem te lateat, inquit, posse hostes hoc etiam tempore nos videre: sed magis illis strenui nequaquam parebimus, quam si adversus ipsos progrediamur. Quum igitur hæc mea sententia sit Babylonem nos recta ducito. *cap. 16. & 17. lib. 5. Cyropadia.*

Xenophon: Nam ubi homines religiose Deos venerantur, & bellicis in rebus exercentur, & se ad parendum consuefaciunt; qui nō istic consentaneum sit, optima spe cuncta plena esse? *capite decimo Agesil.*

Plato: Verùm si hæc tardiora jam sunt, urgentque vos quotidianæ multiplicesque seditiones atque discordiæ: intelligere unumquenque oportet, cui modo vel paulum rectæ opinionis sors quædam divina largita sit, nullum fore finem seditionum, malorumque ex seditione nascentium, prius quam illi qui vicerint prælio, à cædibus pulsionibusque civium, atque etiam injuriarum commemoratione vindictæque cupiditate temperantes, inimicis concilientur, suique ipsius compotes fiant: præterea leges ferant communes nihilo magis ad voluptatem suam quàm eorum quos vicerint: cogantque illos his legibus uti. cogant inquam, gemina necessitatis via: metu scilicet & pudore: metu quidem, propterea quod potentiores sint, suam vim demonstrantes: pudore verò ex

eo, quod rursus potentiores promptioresque appareant, tum in voluptatibus superandis, tum in legibus observandis. Aliter autem nulla prorsus est via finiendorum malorum civitatis in se ipsa seditionibus laborantis: sed seditiones, inimicitiæ, odia, proditiones in Republica, ut in civitatibus ita se habentibus intra se atque vicissim fieri consuevit, semper exorientur. Quamobrem qui tanquam potentiores Rempubl. tenent, si salutem exoptant, ipsi inter se eligere atque in honore præferre eos debent, quos esse audiverint optimos: primum quidem senes qui filios & uxores habeāt, atque domicilium: ac majores eorum quàm plurimos, & probatos, & insignes, sufficientesque omnes patrimonium possidentes. Civitati verò decem millium virorum, quinquaginta ejusmodi sufficient. Hos ergo precibus honoribusque quàm maximis domo evocare debent: evocatos autem precari, atque jurejurando adstringere, ut leges condant, quæ neque victoribus, neque victis plus tribuant: sed jus universæ civitati æquum atque commune. Latis denique legibus in hoc jam omnia consistunt. si enim victores subesse legibus voluerint, magis etiam quam illi qui victi sunt: omnia jam erunt salutis, felicitatisque plena: malaque omnia procul aberunt. Sin minus, nec me, nec alium in commune consilium ad eum vocare oportet, qui præceptis ejusmodi non acquieverit. *Epist. 7.*

Apollonius Tito Regi: Sapientiæ tibi coronam tribuo, qui non hasta, nec hostium sanguine volueris innotescere. nam animum geris coronatione & laurea dignum. *Epist. 88.*

Lucianus: Ubi autem devictos amicos cognoverunt, nuncium Phaëthonti miserunt, ut rediret. Tum ipsi instructa acie irruerunt in Selenitas turbatos, & ab hostium fuga inconditos, & ad auferenda spolia dispersos, quos omnes in fugam vertunt, adeoque regem ipsum ad urbem usque persequuntur, ejusque quam plurimas aves conficiunt Avulserunt etiam trophæa, totumque campum ab araneis contextum decurrerunt: me quoque duosque ex sociis vivos ceperunt. Jamque & Phaëthon aderat: & sub illis alia trophæa statuerunt. *lib. 1. Vera historia.*

Halicarnassæus: Hinc ostendere tentabimus, quomodo turpiter quidam & ignominiose corrupti victoriam vendant, utrisque turpitudinem applicando, cum iis qui pecunia nundinantur, tum qui accipiunt. Hi enim pecuniam cum victoria permutant; in quo sunt, pecunia, & gloria: illa quidem temporaria est: gloria vero immortalis. Illam aufert fortuna, tempus, ac belli calamitas; hæc verò amitti non potest. Pecunia delectat quidem viventem; gloria etiam post mortem claros reddit. Illa malo sæpe paratur; gloria virtute & honestate acquiritur. Deinde etiam dantes, ut apparet, victori revera victoriam comparant: neque gloriam sed ignominiam pepererunt. Etenim non revera vicisse, dedecus potius quam honorem adfert. Et quamvis aliis sit victor apparet, quem sui victum fuisse judicabat. Ac ne in tali quidem victoria voluptas est: quin pudorem incutiens reprehensio in turpi victoria quæsto semper est! Deteriores etiam hujusmodi sunt proditoribus. Hi enim aliis potissimum nocent; illi etiam damnum sibi adferunt. Scortis adhoc similes sunt, quæ corpore alios excipiunt; at hi turpis lucri causa, sese aliis tradunt. Quin etiam minime ignorantur. Conspicui enim statim sunt, vel corporum mole, vel exercitationibus, aut denique è prioribus certaminibus noti. Hos etiam manent flagra, convitia, & corporum vulnera, quæ propria servorum, non autem liberorum sunt hominum. Convitiis adhæc à spectantibus excipi consueverunt, pro laudatione, plausu, atque corona: interdum etiam damno affici solent, dum studio ac certamine depelluntur. Præcipue vero cum tanquam liberi sibi placentes in servorum se rideant supplicia pœnasque incidisse. Et sane certantium pleraque videant esse servilia, ut accusari, & veluti indignos se certamine haberi. Ipsos vero suffragia athletarum, quasi liberi sint adeptos; servorum verò contra se domi calculos habere. *cap. 7. præceptorum athleticorum.*

Lysias: Hæc cum cogitarent, ac fortunam belli omnibus communem existimarent, hostes licet multos pugnando vicerunt; quod justitiam à se stantem haberent. neque fortuna sublati, graviore Cadinæos supplicio afficere voluerunt; sed ipsis pro ipsorum impietate, suam virtutem exhibuerunt. *cap. 3. Orationis 31. funebris.*

Aristides Rhetor: Oportet eos qui recto sunt judicio, hostes quidem omnino superare velle; à suis autem, quando vinci debeant, cognoscere. nec enim omnis est honesta victoria, vel à Deis provenit. nam tragœdia quoq; talibus abundat admonitionibus. quidam enim alicubi ait: *Minus ac lubens superans amicos imperas*: alius vero: *cedens amicis imperas.* Demostenes verò cū ad Athenienses de concordia scribit, talem, inquit, cladem pro honesta decentique victoria inter sapientes haberi, qua filii superantur à parentibus, quaque cives sibi mutuo concedunt, *Oratione de concordia ad civitates Asiaticas.*

Aristides Sophista: Et equos & tela, & naves, tum phaleras, torques, canes, opesque omnes fortuna ac victoria proponit donatque fortioribus. *Orat. Panathenaica.*

Aristides Rhetor: Quin & hoc ostenderunt non esse futilibus ratibus sternenda ad trajectum freta, nec cum altissimis montibus colluctandum; sed prudentia ubique & fortitudine vincendum, quæ sint omnium pulcerrima subsidia, & vere cujusque propria; quandoquidem perpetuò nobiscum manent, cum alia communiter omnibus sint proposita fortunæ dona, vel potius virtutis: siquidem ut à deterioribus etiam initio possidentur, ita firmiter à melioribus conservantur. *Oratione Panathen.*

Aristides Rhetor: Et Athenienses quidem cum Lacedemonios cepissent, impunitos cum pace dimiserunt, quasi virtutis ipsis suffecisset victoria. Lacedemonii autem in Hellesponto quoscunque Atheniensium prælio navali interceperant, confestim jugularunt, ne quid dicam gravius, cum tamen domesticum ipsis suppeteret exemplum è quo Urbis erga devictos humanitatem discerent. verum ne sic quidem ipsam sunt imitati, ne dum priores tale quid possent edere. Illi præterea cū nihil sufficere putarent, ad mœniorum usque demolitionem sunt progressi. Urbs autem cum Peloponnesios omnes prius superasset; postquam Eubœam recuperavit, non modo nihil pretii amplius, sed etiam quæ bello præoccuparat, ultrò reddidit. Jam quæ cum captivis egit, ac reliqua similia duplicis virtutis, non humanitatis tantum indicia præ se ferunt. Quibus enim præter spem aut vires talia succedunt, ii fortunæ solent in [illegible] quemadmodum qui venari nesciūt, si quid insperantes ceperint, non dimmittunt, nec nisi carissimè vendunt, imbecillitate sua rei precium metientes. Hæc autem cum se toto genere præstare cognosceret, nunquam sordidius se gessit: quoniam de absentibus non levius quam de præsentibus sperabat; ideoque citius omnia hostibus quam illi sua peterent reddidit. *Oratio. Panathenaica.*

Aristides Rhetor: Et vestri ingenii hominum, Athenienses, ut resistentes armis cohibere, ita subjectos leniter tractare; & usum victoriæ honestum, non minorem adferre quam victoriam laudē credere. *Oratione de pace posteriore.*

Aristides Rhetor: Ego sermonem hunc justiorem fore ac meliorem arbitror, atque ita rectius aliquem dicturum, Deos servatores tum Græciam conservasse, Miltiadem autem ac Themistoclem ministrasse; quod quidem maximum est ac pulcerrimum hominis munus, Deis ministrasse. *Orat. secunda Platonica pro Quatuor viris.*

Dio Prusæus: Præterea & ob hoc illius factum quis obstupescat, neque percussus neque percutiens vicerit. Tanto superior erat robore, & laboris tolerantia. Frequenter enim per totum diem decertavit in vehementissimo anni tempore; cumque posset citius victoriam assequi percutiendo, noluit: existimans plagis & optimum quemque à vilissimo vinci posse, si ita cadat. verissimam verò eam esse victoriam, quum adversarius integer & absque vulnere cogitur cedere. Tum enim non à vulnere, sed à semitipso vinci. Et toto quem corpore cedere, & non per caussa solum parte, splendidum. Festinantem autem victoriam adipisci quam potest ocyssime, & percutiendo, manusque conserendo illum jam victum esse ab æstu & tempore. Si quis vero hoc non credit, animadvertat, qui sues & cervi, donec ipsis robur suppetit, neque hominibus neque canibus congrediuntur: quum vero victi fuerint, & defecerint, tunc aggrediuntur cominùs, magis volunt vulnerari, morique, quàm ampliùs sustinere persecutionem. Similiter etiam viri in bello, tametsi sciāt quod magis cædantur fugiēntes quam resistentes, eò tamen qui nolint diutius laborem perferre terga dant percutienda persequentibus. Ita vulnera contemnere, non est fortitudinis, sed ignaviæ. *Oratione 30 de Melancoma.*

Epictetus: Invictus esse poteris, si in nullum certamen descenderis, quod vincere tui arbitrii non sit *cap. 25. Enchiridis.*

Philostratus: Interea Titus captis Hierosolymis omnia circum loca cadaveribus compleverat. finitimæ autem gentes, ob victoriam coronare ipsum voluerant. Ille vero tali honore indignum se esse ostendit: non enim se esse talium operum auctorem, sed Deo iracundiam contra Judæos demonstranti, suas præbuisse manus. Ea cum audisset Appollonius, vehementer virum laudavit, quoq videretur ingenio abundare ac modestia, tum vero divinarum humanarumque rerum naturam nosse, cum sanguinis caussa coronari noluisset. Unde talem ad eum scripsit Epistolam: Quod nolueris pugnarum caussa, & humani sanguinis effusione coronari; ego tibi modestiæ coronam tribuo: cum te optime nosse animadvertam, quorum gratia coronari quempiam oporteat. *lib. 6. cap. 14.*

Iulianus Cæsar: Xerxes is qui navale ac pedestre iter contra naturam instituere conatus est; cum, uti sibi persuaserat, terræ ac maris naturam superasset, Græci hominis sapientia & militum virtute depellatus est, qui non luxu ac servitute consueverāt, sed liberali imperio contineri, ac labores sustinere didicerant. *in Constantinum Aug. Paneg. 1.*

Iulianus: Illam vero temperantiam quam in virili ætate modo præbes, universi percipimus, cum te sic erga populum ac Magistratus omnes gerere soleas, quasi civium quispiam esses legibus subditus, non Imperatoris, qui in leges ipsas potestatem habeas. Ecquis vero secundis unquam rebus insolentiorem te animadvertit? aut elatum rerum gestarum gloriâ, quæ tam multæ, tam amplæ, tam brevi tempore sunt perfectæ? Acqui de Alexandro Philippi filio narrant, postea quam is Persarum vires, ac potentiam evertit, non modo reliquam vitæ rationem majorem ad fastum, atque omnibus intollerabilem arrogantiam composuisse, verum etiam genitorem suum, ac communem hominum naturam sprevisse. Se enim Hammonis filium, non Philippi existimari volebat, & ex sociis quotquot adulari, ac servire non possent, acriores pœnas subire, quam captivi ipsi, cogebantur. At honorem illum, quo

parca-

parentem proſecutus es, quid attinet dicere? quem tu non privatim ſolum venerari ſoles, ſed & publicè tanquam bonum aliquem Heroem præconio tuo celebrare. Ex amicis autem tuis (hos enim non appellatione ſola hoc honore afficis, ſed multò magis re ipſa, atque factis eam in illis appellationem comprobas) eſt ne igitur horum aliquis, qui vel de ignominia ulla vel mulcta, vel damno aliquo abs te illato, aut ulla omnino minore, vel majore ſuſpicione conqueratur? ſed nemo eſt plane qui ejuſmodi aliquid poſſit adferre. Horum enim alii extrema jam ætate confecti, cum ad fatalem usque vitæ exitum in Imperio perſtitiſſent, una & Reipublicæ curâ, & corporibus ſuis perfuncti ſunt, bonorum ſuorum ad filios, aut amicos, aut cognatos hæreditate tranſmiſſa: alii laboribus, ac militiæ diuturnitate defeſſi, honeſta miſſione impetrata felices degunt ac beati: alii porro jam exceſſerunt è vita, quos populus omnis beatos, ac fortunatos putabat. Omnino verò nemo eſt, qui poſt aquam eum honorem conſecutus eſt, tametſi improbus poſtea deprehenſus eſt, ulla vel parva, vel graviore pœna ſit coërcitus: Cum id ſufficeret convictum eſſe maleficii, neque amplius negotium ullum faceſſere. *Panegyr. 1. ad Conſtantinum.*

Iulianus Cæſar: Quod ſi quemadmodum ſe poſtea geſſerit audire cupitis, hoc vos minimè, ut opinor, ignoratis, cum neque in illius filium acerbius quidquam ſtatuere, neque amicos ejus, ac neceſſarios ſuſpectos habere, aut aſperius tractare voluiſſe. Quibus omnibus, quoad potuit, benignum ſe ac clementem præbuit, etſi quamplurimi calumniari cuperent, & adverſus innocentes homines aculeos diſtringerent. Itaque cum multi forſitan verè iis, de quibus erant ſuſpecti contra ſe perpetratis, eſſent obnoxii, æquè miſericors in omnes fuit, qui quidem convicti non eſſent, nec ſceleratorum ac perditorum conſiliorum ſocietate polluti eſſe viderentur. Hoc vero quod ejus filio pepercit, qui nefariè ſeſe geſſerat, ac datam fidem & jusjurandum violaverat, non tandem regium eſſe ac divinum arbitramur? an potius Agamemnoni aſſentiemur indignanti, & adverſus Trojanos accerrimè concitato, non in eos ſolum qui cum Paride venerant, & Menelai domum contumelia ſua læſerant, ſed iis inſuper qui adhuc in utero gerebantur, quorũ ne Matres quidem tum fortaſſis adhuc in lucem editæ fuerant, cũ ille de rapienda Helena conſilium iniret.

Quod ſi tam crudele iſtud & acerbum atque inhumanum minime decere Principem videtur, ſed ei potius clementia ac bonitas, humanitaſque convenire; minime ut ulciſcendis injuriis gaudeat, ſed de ſubditorum ſibi calamitatibus doleat, ut cunque eæ contigerint: ſive ex eorum improbitate atque imperitia conflatæ, ſive extrinſecus ſint à fortuna ipſa comparatæ: hoc ſi quis inquam exiſtimet ſuperiorem eſſe Imperatorem noſtrum manifeſte confitetur. Animadvertite enim obſecro ut erga obſidem Tyranni filium parente ipſo melior fuerit ac juſtior: atque erga ejuſdem amicos eo ipſo fidelior, qui cum iis fœdus atque amicitiam conjunxerat. Ille enim deſeruit omnes, hic ſervavit. Ac ſi ille hæc de Imperatore ſuſpicatus, utpote cujus mores atque ingenium jamdudum perſpexerat, ita perſuaſum haberet, cum filium ſuum, tum vero amicos tutos atque extra omne periculum collocatos eſſe, recte hoc quidem ſenſerat, ſed hoc ipſo fraudulentiſſimus ac peſſimus, & infideliſſimus erat, qui ejuſmodi hominis hoſtis eſſe vellet, quique eum quem optimum & longe humaniſſimum norat odiſſet atque inſidias ſtrueret, & ea quæ minime oporteret conaretur eripere.

Sin de ſalute filii deſperaret, amicos verò ac propinquos ægre ſervari poſſe quidem putaret, & nihilominus perfidiam hanc animo conciperet, fuit hic ſanè ob eas res improbus ac demens & feris ipſis immanior; ille autem mitis ac clemens atque egregia animi magnitudine præditus, qui infãtis ætatis ac morum miſertus ſit, & in eos qui maleficii convicti non eſſent, fuerit benignus; ac denique & illum aſpernatus ſit, & ſceleratos homines ac perditos contemſerit. Nam qui ea indulget, quæ ne hoſtium quidem aliquis præ facinorum, quorum ſibi conſcius eſt, atrocitate ſperat, meritò hic virtute omnibus antecellit: cum & juris rationem ad id quod melius & humanius eſt transferat; & eos moderatione animi ſuperet, qui in irrogandis ſuppliciis modum ac rationem adhibuerat. Qui idem fortitudine in eo præſtitit, quod nullum hoſtem partem virtuti ſuæ & idoneum eſſe duxerit. Prudẽtiam verò eo maxime comprobavit, quòd ſimultates ſuſtulerit, neque eas ad liberos poſteroſque propagarit, ſpecie juris accuratè proſequendi. *Panegyr. 2. in Conſtantium Impe.*

Iulianus Imp. Tu igitur Alexander Magne, ætate ipſo ſæpenumero victus es, cum ira, aut ægritudine, aut alia hujuſmodi perturbatione mentem animumque tuum inferiorem aut imbecilliorem præſtitiſti. *in Caſſ.*

Libanius: Quis neſcit hæc duo maxime victoriam certantibus conciliare? Primum quidem copiarum majorem numerum: alterum, ſocietatem virtute præſtantiorum. Utrum igitur, Trojani, arbitramini eſſe Deos & Juſtitiam, & vindicem Nemeſin; & numen res humanas circumluſtrare; ac bonos quidem laudare, improbis autem ſuccenſere: atque illis quidem gratiam referre: ab iis verò pœnas exigere? Sunt iſta, Trojani, an ſecus? Sunt: ſive quis velit, ſive nolit. Quid? ut ſuperi voluerint, hæccine fieri neceſſe eſt? neceſſe. Nonne ergo ex hoc patit, quantum vis Menelaus parva admodum manu paucisque copiis congregatis expeditionem ſuccepiſſet, victoriæ ſortem illius eſſe oportuiſſe, à cujus partibus ſtaret jus? Jam vero cum tantum adſit à præſtantioribus auxilium ſubſidiumque, tanta hominum multitudo confluxit, ut certam & accuratam ejus rationem nullus indagarit. Nam cum longum exactum ſit tempus, ex quo terram homines colunt, ac multis jam bellis conflatis, aliis quidem cum finitimis; aliis extra fines, nemo neque vidit neque audiit ita magnum motum armorum à Græcis excitatum. Neque enim navis, neque equus, neque vir armis ferendis aptus; nec princeps, nec privatus; nec ſagittarius, nec levis armaturæ, claſſem deſtituit; verum omnes undequaque naves cõſcenderunt. tam ardens amor juſtis de cauſis præliandi, Græcos corripuit! Et quis ſingulos enumeraret, præſertim cum ſingulorum regulos non facile eſſe recenſere verum in ſumma pronuncio: Omnis quidem convenit Bæotia, omnis Peloponeſus, Argos Pelaſgicum, eique continua regio: ſuper his Eubea, Creta, Cephalenia, Salamis, Athenæ, multi quidem terræ continentis incolæ, plerique inſulares. E ducibus vero alii virtute vincunt; alii ſagacitate pollent. Quidam utramque virtutem ſibi compararunt, atque eoſdem comperiat quis & conſulendi peritos & in bello gerendo præſtantiſſimos: exiſtimate etiam quendam ſapientem eſſe apud ipſos. quin etiam ſi quis velit & callidum & idoneam ad quædam apertè & palam conficienda; itemque ad clanculum ſurripienda nonnulla. *Oratione Vlyſſis ad Trojanos pro Helena.*

Libanius: Multas profecto cepit urbes Philippus Macedo: honeſto tamen prætextu nullam. in prælio certe cum viris dimicando ſuperior non fuit; ſed ineſcando, aduando, amicitiam ſimulando, & paterna largiendo, ſervos habebat eos qui accipiebant. Admirationem autem excitabat non acies Philippi caſtrorum, ſed auri vis quæ ad Reipubl. moderatores perveniebat. hæc quippe illius erant fabricæ, dona dare, fucum facere, eludere, fallere. ſiquidem bona ejus erant promiſſa, ſceleratiſſima vero acta. *Vituperio Philippi.*

Libanius: Cur igitur non probabilem nobis proditionem objicis, ac metuis ne tu quidem reapſe Trojam capias: hic vero qui principatum tenet, famæ laudem obtineat? Non hac mente & conſilio fuit Peleus: non in ea fuit ſententia Telamon, quando Jaſon vellus aureum perſequebatur: neuter enim profecto ad Colchos adnavigaſſet, quo ipſi quidem præmium decerperent, Jaſon autem (claſſis enim hic ductor fuit) gloriam referret: illis nequicquã Symplegadas trajicientibus: verum illi cenſebant eos qui magna auderent aggredi certamina, hoc plane perſuaſum habere ſibi oportere, unumquemque virtutem propriam celebritatis ſuæ regulam conſtituere, atque actorum ſuorum ratione illuſtrem fieri. *Declam. 4.*

Libanius: Videtis Lacedæmonios neque bello laceſſere neque feſtinare: ſed ut plurimum deliberare & conſiderare, quo pacto nunc ſunt cunctati. cum enim vicissent parvi ac fugientes modo receſſerunt: in fugando quidem victoriam ſitam reputantes: in inſequendo autem, inhumanitatem hunc videlicet Græcis bellorum eſſe limitem. hanc oportet regulam eſſe in mutuis diſſidiis moderatè & populariter componendis: immittere qui conſerant manus, ſuperiores fieri, deſignare victoriam trophæo. hæc ſunt hominum Græcorum genus ſuum agnoſcentium, qui multa habent quæ bello opponant; conventus celebres, præmia Amphictyonica, Jovem, Neptunum, victimas, myſteria; quorum majorem habere rationẽ pietatem colentes decet, quam contentionis recens ortæ. enimvero ex quo tempore Græciam habitamus, hæc & ſunt, & erunt, & pulchrè fiunt: bellum autem, etiamſi admodum proceſſerit, dirimitur. ergo non eſt par unius temporis impetum longæ cognitioni amicitiæque anteferre: ſed ita bellum ſuſcipiendum, ut ſi fors aliquando ferat, amici etiam futuri ſimus. *Declam. 19.*

Libanius: Etenim ſi non oratore dicendo hoſtes avertiſſem, ſed inter vos concionem ſuaſiſſem audere eruptionem facere, & arreptis armis irruentibus occurrere: fugatis hoſtibus, vos certè remunerationem aſſequi oporteret, & conſiliarium quoque præmium obtinere, vos quidem quod animoſe & fortiter dimicaſſetis: me verò quod generoſos vobis ſpiritus inſeruiſſem. Neque enim Neſtor ignobilis inter Achivos fuit, qui corpore quidem non admodum conferebat (quid enim feciſſet vir adeo provectus ætate, & qui in tertio ſeculo degebat?) ſed prudentiâ plus emolumenti dabat quam cæteri Græci; plusquam Achillis haſta fraxinea, & Ajacis clypeus, & Diomedis haſtile, & Teucri ſagittæ. Adeo ut claſſis imperium nactus Jovem obſecret, Minervæ ſupplicet, & Apollinem obteſtetur decem Græcis viros concedere, Phthio duci perſimiles, non Salamanium æmulantes; non Ætolum imitantes, neque altum Telamonis filium: ſed lingua ſeni pares: ſiquidem is confidebat, cum voti compos foret, ſe Priami urbem facile expugnaturum. *Delamat. 31.*

Libanius: Adverſarius fingit ſe de futuro tempore ſollicitum eſſe, ac vereri ne hoſtes aliquando expeditionem huc inſtaurarent, quaſi nihil adverſi ſenſerint, quod ſatis ſit ad eos cogendos ut inquietè degant. enimvero victoriam armis comparatam æternum victis metum incutere: perſuaſionem vero quæ fit verbis, non eſſe, perſuaſis formidabilem. atqui ego magnas inimicitias exiſtimo, quæ vi cedunt, valde periculoſas eſſe, & parvo temporis momento creſcere, atque odium latens fovere: et parva contentione intercidente, renaſci: eos autem qui ſponte ac lubenter odio depoſito quieverunt; puto fore ut iterum conſpici erubeſcant. quandoquidem etiam perditè amantes videmus, ſi quis eos vi ſe jungere

conetur, majori ſtudio ac deſiderio invicem affici, & ardentiori cupidine accendi: donec, à ſemetipſis culpati, morbo medeantur ſuo. quamobrem ſi vi à nobis adacti abiiſſent, & aliquantulum occaſioni ceſſiſſent; ac progreſſu temporis, metu ac calamitate incuſſo libertati, iterum fortunam tentaſſent, an à nobis deficiens, ad ipſos reverti vellet. talis enim diva eſt: cum nemine conſtanter habitare ſuſtinet: adeò ut ipſius in æquali inconſtantiæ freti: & majoribus quam antea copiis comparatis, ſecundam forte obſidionem inducerent. hæc ſane fieri poſſent, ſi neceſſitate impulſi receſſiſſent. nunc verò edocti belli ſolutionem ipſis expedire, nihil invocabunt in eo quod emolumento eſt: ac ſibi inſcitiæ ſuſpicionem volent adjungere, dum viderentur fraude mea obſidionem ſolviſſe. Cur vero priore ab ipſis apparatu culpato, ab integro reverterentur? Nam ſi fabricarum inopia urbem non expugnarunt: curandum ac metuendum eſſet, ne pluribus domo comparatis iterum muros oppugnare aggrederentur. Quod ſi conſilio multa cum ſecuritate capto, & mea ſuaſione acriter expenſa (quis enim hoſtē admonentem negligenter audit?) cum perſuaſum habuiſſent ea quæ dicta eſſent conducere, reipſa exhortationem meam pulchrè ſe habere ſtatuerunt: proprium ſuffragium dedecorare non patientur. *Declamatione* 31.

Libanius: Spontanea civitatis benevolentia, obtabilior honore neceſſario fuit: & rationi conſentaneus pudor acri timore illuſtrior cenſetur; nam qui ſola fortuna vincit, & crudelitatem præclarum principatus pignus reputat, tum tremore & formidine res adminiſtrat, & ſemper exſpectat ut aliquid ſimile patiatur: qui autem multos beneficiis aſtringit, & magnos quidem pro civitate ſpiritus gerit: atque erga ipſam æqualem & incommutabilem benevolentiam ſervat memoria ſemper gratiam renovante. multa igitur mihi apud omnes verecunda fuit obſervantia; atque honorabilem obtinui appellationem, quod fecerim, ut alii ex civibus eſſent ſalvi: alii honore exiſterent. *Declamatione* 32.

Libanius: Cum prælii memor fuiſſem, & affirmarem non mihi à vobis habendam eſſe gratiam, ſed à me ipſo Deis, qui in acie mihi aſtiterant, gratias agendas eſſe. &c. *Declamat.* 41.

Libanius Baſilio: Scio te ſæpe ſcripturum hoc eſſe: En tibi alius venit Cappadox. Multos enim, ut opinor mittes, ſemper & ubique nos laudibus vehens, atque ſic parentes ſimul & liberos impellens. Sed, quod de pulcherrima tua epiſtola accidit, ſilentio præterire minime pulchrum eſſe cenſeo. Aſſidebant mihi principes ex Repub. viri tum alii non pauci, tum etiam per quam optimus Alypius Hieroclis conſobrinus, poſtquam igitur tradiderunt epiſtolam, qui attulerant, cum ſilentio totam percucurriſſem. Victi ſumus inquam cum modeſto quodam riſu, & gaudio. Et quam tu victoriam narras, qua victus ſis inquiunt, aut quomodo, victus cum ſis, dolore non afficeris. Elegantia, dicebam epiſtolarum victus ſum. Baſilius autem palmam victoriamque obtinuit, & quoniam eſt homo mihi amicus, eam ob cauſam, lætitia exulto. Hæc cum ego dixiſſem, voluerunt ex ipſis literis de victoria cognoſcere, atque eam legit Alypius, reliqui, qui ſimul aderant, audientibus: & pedibus in eam ſententiam itum eſt, nihil me falſum affirmaſſe. Is vero qui legerat ſimul cum literas diſceſſit, oſtenſurus, niſi fallor, etiam aliis, atque vix tandem reſtituit. Perge itaque his ſimilia ſcribere ac vince. Hoc enim eſt me vincere.

Themiſtius: Duo ſunt tempora in quæ actiones noſtræ dividuntur, belli ſcilicet ac pacis. hæc quidem magna ex parte in nobis eſt poſita: bellum vero etiam fortunam ſibi vendicare cernimus. Jam enim quibuſdam, cum nihil ad obtinendam victoriam fiduciæ ac ſpei certiſſimæ prætermiſſent; quin & virtute imperatorum, & opum ac copiarum magnitudine, & æquiore belli cauſſa freti eſſent, minime conſentaneus exitus reſpondit. Ita fit, ut cum melioribus apparationibus conſequens ac congruus acciderit eventus, dubium ſit utrum id fortunæ munere conceſſum ſit, an ab ejus qui vicit ingenio ſit ac prudentia facinus profectum. *Oratione nona.*

Themiſtius: Ut externam cauſſam omittam, eamque quæ propius authorem ipſum ſpectat Deum, à quo plerumque belli viciſſitudines, & quaſi momenta librantur: non modo Centuriones, aut Duces, atque ordinum Præfecti, ſed & armatorum militum quilibet atque Equitum, fundibularius etiam ac ſagittarius aliquid ſibi de victoriæ gloria atque honore decerpunt. Nec Achillem ſolum apud Homerum; ſed & ridiculum illum Therſiten captivos ſibi vendicantem audimus. Quamquam ita dici de te poterat, ut licet totum ſoli facinus tribueretur, non omnino ſubeſſet adulationis ſuſpicio. Namque ſæpius incerto adhuc & alternante verum exitu velut in quadam converſione ventorum, nec vulgari ſolum hoc milite ſed & ſplendidis inſuper ac illuſtribus viris ad futurorum ſpem concuſſus in eadem animi conſtantia atque eodem vultu perſtiteris, ac neque ſuſtuleris vocem nec demiſeris, unus tu maxime (Imperator) fuiſti

Eadem hac oratione: Nulla victoriæ utilitas eſt iis, qui non ea benè uſi fuerint, imò plerumque in eorum detrimentum ceſſit, qui feliciter alioqui eam obtinuiſſent. Nam quid aliud eſt Cadmea quæ dicitur victoria niſi cum aliqui victoria tanquam ebrietate demerſi fruendi ea modum neſciunt, it ut poſtremo lucrum ipſum in majus iis damnum ac perniciem redundet? ita enim tum Cadmei illius temporis fecerunt, ac deinceps inſequens ætas iſtiuſmodi eſt exemplo cumulata. Merito itaque Thebanus ille Epaminondas poſt Leuctricum prælium ſolus ex Thebanis mœſtus, ac triſtis incedebat: cauſamque iſtius rei ſciſcitanti, nunc me (inquit) ſobrium atque experrectum eſſe convenit, cum reliquos ebrios eſſe neceſſe eſt. Neque pecuniarum quiſquam captivis exegit: quin etiam cum exegiſſe aliquid armigerum ſuum animadvertiſſet, e numero militum expunxit. Alexandro vero Philippi filio majorem animi poſt victoriam moderatio, quam victoria ipſa gloriam ac famam conciliavit. Qui cum aliquando Porum Indiæ Regem nequaquam fractum in prælio ac remiſſum, ſed ad extremum uſque reſiſtentem, ac præ vulnerum multitudine confectum vivum cepiſſet, ſtatim coram omnibus interrogavit; Quomodo te (inquit) ô Pore tractabo? Cumque is regaliter, reſpondiſſet, iterum percontatus eſt; at qua tandem alia ratione, illo vero reſpondente in ea voce contineri omnia, non minus de hac reſponſione, quam de vulneribus ipſis hominem eſt demiratus: cum illud agnoviſſet, revera in eo quod regaliter tractaretur, quæ vellet, omnia comprehendi. Cupiebat autem illum humaniter, verecunde, benigne, ſuaviter, ac citra invidiam in præſenti felicitate perſiſtere, idque ante omnia animo ac memoria reputantem, quā incerta eſſet atque inconſtans fortunæ viciſſitudo. Hæc enim omnia uno hoc verbo complectens & Porus petiit & præſtitit Alexander, neque negare iſtud voluit, non enim poterat. Propterea quod qui ſe mortalium omnium regem eſſe vellet, negare aliquid Regiè eſſe facturum, turpe erat, & ab ipſa Regis appellatione [illegible]. Nam quid eo tandem Medico magis ridiculum eſſet, qui medice aliquid ægro facere detrectaret? aut Muſico, qui agere Muſice quidpiam nollet? Quippe cujuslibet, opinor, artificis actio ex præſcripto artis edita non alienum illum ab ea quam ſibi impoſuit appellatione declarat. Apparet igitur ſecundum Porum & Alexandrum idem eſſe Regaliter, ac magnificè, munificeque, & ita, ut accipienti gratum ac jucundum accidat. Quoniam igitur ex duobus eum beatiorem cenſent homines qui bene poſtulat, quam qui annuit, manifeſtum eſt divinam hanc eſſe laudem, illam hominum propriam. *Oratione* 9.

Themiſtius: Scythas à Romanorum finibus non interjectum flumen; non paludes, non munitiones excludunt: (hæc enim omnia facile & convelli, & tranſmitti navigiis, & ſuperari poſſunt) ſed terror; ac metus duntaxat, quem nemo unquam tranſcendit, qui ſe inferiorem viribus putaret. Atque hujus victoriæ trophæum non lapide ibidem erectum, non ex argento, aurove uno in loco defixum manet: ſed in barbaris omnibus, omnibus Romanis conſtitutum, atque collocatum eſt. Nec hoc cædium, aut vulnerum multitudine, non infinitis cadaverum acervis, ſed ſola conſtantia ac fortitudine à principe eſt excitatum. Fuiſſe olim majorum noſtrorum ætate pugilem quendam Melancomam nomine ferunt ab Imperatore Tito unice dilectum, qui & pulcherrimus idem, & maximus eſſet, & in arte ſua celeberrimus. Hic nemine unquam convulnerato neque verberato, ſtatu ipſo tantum, ac manuum intentione adverſarios fatigabat. Abibant itaque hac hominis indulgentiâ gaudentes, ſed facultate, ac præparatione illius inferiores. eodem modo nunc & hoſtes erga imperatorem ſunt affecti: qui & nullo aciem inſtruente debellati ſunt, & cum non ante in prælio ſtet ſlent tamen ceciderunt. Neque enim corporibus aut armis ſuperati ſunt, in quibus fortiores plærumque à deterioribus vincuntur, ſed conſilio atque prudentia: tum quod multò ſe inferiores agnoverunt. Quamobrem neq; occultas Ducis artes prætexere poſſunt, nec inſidias, aut loci difficultatem, aut improviſos, atq; inopinatos impetus: quæ omnia ſpem victis faciunt, poſſe ex equo omnia ab ſeſe aliquando recuperari: ſed cum ad apparatus bellicos etiam temporis ſpacium accepiſſent, cumque legitimum iis, & apertum bellum eſſet indictum, Imperatoris tamen in muniendis, protegendisque finibus ſolertiam ferre nequiverunt, quam cum tres totos annos iis objiciſſet miſeros ad deſperationem redegit. Quo quidem tempore cum nec per hyemē excurſiones facere, nec æſtate reſiſtere auderent, bis ſingulis annis expugnabantur. Et nūc id nobis ſupereſt, non ut mortuos quos bello vicimus, ſed ut vivos numeremus, neque ut quos vicerimus minime in noſtra poteſtate habeamus. Hoc modo homines hominibus ſuperiores ſunt, illo vero Urſis, Apris, atque Pardis. Quamquam horum etiam ſemina in venatione relinquimus: quæ ſi quis penitus tollit, hic venationis pernities exiſtimatur. Itane vero? ferociſſimis, quibusque belluis, quas non Danubius, non Rhenus à nobis, ſed natura ipſa ſecernit, parcendum putabimus, uti genus ipſum harum ſervetur, ac permaneat: neque æquo feremus animo, ſi aut Elephanti ex Africa, aut ex Theſſalia Leones, aut ex paludibus quæ Nilo adjacent Hippotami funditus omnes tollantur: Hominum interim nationē integram, hominum, inquam, quamlibet quiſquam barbarorum dixerit, appetet dejectam, ſubmiſſam, & in noſtra eſſe poteſtate confidentem, qui non ſuſtulerit à medio, ſed ſervaverit, ac pepercerit; non eum optimo jure mirabimur? Venit enim mihi in mentē veterum Imperatorum: quorum unus, pro eo quod Græciā evertiſſet, Achaicus eſt nominatus: alter Macedonicus, quod Macedoniæ vaſtitatem, ac ſolitudinem intuliſſet. Scipio vero ille magnus ſummi Scipionis nepos à S. P. Q. R. Africani cognomē obtinuit, quod defeſſam, ac penitus afflictā Carthaginem ſolo æquaſſet, ac perdidiſſet. Quod ſi ex iis Populis, quos illi profligaverant meritò hæc cognomina ſunt conſecuti: quando juſtiùs es ab iis quos ſervaris appellandus? Ita enim & Deos ipſos opinor, vocamus,

mus, velut Pelaſgicum Jovem, Apollinem Amyclæum, Cyllenium Mercurium, ab iis ſcilicet locis, quæ amant præcipue, & quæ potiſſimum conſervant. Quemnam igitur Gothicum appellari convenit? per quem Gothi ſalvi adhuc atq; incolumes ſunt, an per quem ne eſſent quidem, ſi ita libitum fuiſſet? Pyrrhus quondam Epirotarum Rex fuit, qui ſæpe Macedonas, ſæpe Græcos vexavit, ac tandē poſtremo etiam Romanis ipſis plurimum negotii, ac moleſtiæ attulit. Hic cum varia variis temporibus debellaſſet, nunquā iis quæ habebat contentus tum eſſe potuit, cum ea ſemper, quorum nondum compos eſſet, reſpiceret. Quare id illi contigit, ut alia ex allis bella ſuſcipiens, ipſa tandem victoria conſumeretur. Nec quicquā Cineas profuit, cum diu ante immodicam illius cupiditatē argueret, atq; ita moneret; frequentium illorum, atq; inutilium periculorum terminum jam tum haberi domi poſſe, ſi proſpere omnia ſuccederent, eoq; licere apud ſe manentem, ac relictum à majoribus imperium conſervantem cum ſecuritate perfrui.

Verū qui majora ſemper appetunt nullo contineri termino, nullis limitibus coerceri poſſunt, neq; ſi mare Atlanticū definias. Qui enim nullum in animo ſuo conſtitutum finem habent, ne in terra quidem habere ullum queunt: Bella vero ideo ſuſcipiunt, ſuam ut cupiditatem exſatient, non ut publicæ utilitati cōſulant. Non ea fuit Imperatoris noſtri ratio: ſed eo uſq; difficilem ſe, atq; inexoralem præbuit quoad Reip. ſtatus incertus, & adhuc ſuſpectus fuit. Qui ubi primum ab eo conſtitutus eſt, in reliquis ſupervacua videtur, & inutilis ambitio. Etenim quæ ad Barbaros pertinebant, præclare ſeſe habent, & habebunt in poſterum. *Orat.* 10. *de pace ad Valentem Imp.*

Themiſtius: Quamquam quid tyrannū eum captivum appello? non enim bello captus, ſed oratione in poteſtatem redactus eſt, exutuſq; non ſenectute veluti ſerpentes, ſed purpura præter ætatem à ſe ſuſcepta: ſenectutem verò Imperator eidem conſervavit, peritiſſima ſanè artifex, atq; ob illam inprimis victoriam, quod pulcerrimo eam dolo reportavit. *Orat.* 13.

Themiſtius: Nec ibi ſolum Imperator eſt, ubi cernitur, verum adhuc in ſtativis Galliæ reſidens Perſas ad poſtulandam pacem compellit. Et nuper ego Antiochię, Suſis, atq; Ecbatanis miſſos caduceatores vidi, unaq; byſſo candida involutas literas per antiquas, quib. literis à Præfecto petebatur, uti fœdus ab Imperatore, ac dexteram Achæmenidis impetraret Equidem hanc victoriam multo validiorem exiſtimo quàm ſi proximè eſſent prælio ſuperati, & illorū vaſtata regio, ac præſidia, captiviq; in ditionem ſubjecti. Tum enim & fortunam accuſarent, & bellum ſe reparaturos minarentur. Nunc vero poſteaquam ſe ſponte ſubdiderunt, perſpicue illud indicant ſe animo, ac voluntate eſſe victos. Et quidem Alexandrum Darius ægrè tandem aliquando ſupplex rogavit; cum primo ad Gravicum, poſtea ad Iſtum Ciliciæ eſſet ab eo profligatus. Imperator vero, cū à Tigridis fluvio ad Heſperium Oceanum arma vertiſſet, Babylonii longinquas adeo minas illius ferre non potuerunt. *Orat.* 13.

Heliodorus: Cæterum quid fuit in cauſſa quod tam perfidus extitiſti? Erga te, inquit, ſed fidus erga meum dominum, Et Hydaſpes Cùm igitur ſuccubueris, quam in te ipſum pœnam ſtatuis? Quam verò, inquit, rex meus ab aliquo tuorum Ducum qui tibi fidem ſervant, capto expeteres. Sanè, inquit Hydaſpes, collaudaret, & cum donis remitteret; ſiquidem verus eſt rex, & non tyrannus, ſtudetq; ut ſui alienis laudibus incitati, ſimilia exempla æmulari diſcant. *lib.* 9. *Æthiopicorum.*

Heliodorus: Hydaſpes allato in lectica Oroondate: Ego, inquit, cùm ea quæ fuerunt belli cauſſæ obtinuerim, haud ita ſum affectus animo ut pleriq; non abutor fortuna ad cupiditatem plus præ cæteris habendi: neq; in immenſum prolato imperiū propter victoriā: ſed cōtentus ſum finibus quos initio natura poſuit, Ægyptum ab Aethiopia cataractis diſcernens. Quamobrem cum ea obtinuerim quorum cauſſa deſcendi, revertor colens æquitatem. Tu verò ſi ſuperſtes manſeris, eſto ſatrapa eorum quorū & antea fuiſti, & ſignifica Perſarum regi, quod frater ſuus Hydaſpes manu quidem vicit, animi autem moderatione omnia ejus ipſi dimiſit, amicitiam quæ ei eſt cum illo retinere cupiens, qua utre inter homines pulcerrima, inprimis delectatur. Et tamen pugnam, ſi rurſus quippiam inceperit, non detrectans. Syenæis verò his tributa, quæ alioqui pendere ſolent, & ipſe in decennium dimitto; & ut ipſe idem faciat imperio. *lib.* 9. *Aethiopicorum.*

Heliodorus: Pulcrum eſt vincere hoſtes, ſtantes quidem adhæc præliis, collapſos autem beneficentia. *lib.* 9. *Aethiopic.*

Heliodorus: Hydaſpes poſtquam elephantino curru intra muros invectus eſt, ſtatim in res ſacras & cultum divinum, gratiarum actionis erga, animum intendit. *lib.* 9. *Æthiopic.*

Idem poſt pauca: Poſtridie ſedens pro tribunali excelſo Hydaſpes jumenta & equos, & reliquam prædam partim in ùrbe partim in prælio collectam, exercitui diſtribuit, unicuiq; pro ratione eorum quæ ab eo geſta fuerant tribuens.

Heliodorus. Hydaſpes tales literas miſit Gymnoſophiſtis, aſſeſſoribus conſiliariiſq; regiis: Victoriam partā de Perſis vobis nuncio, non venditans rei geſtæ ſucceſſum; ſiquidem Fortunæ vices & inſtabilitatem veneror: ſed antiſtitii dignitatem, cum ſemper tum in præſentia, veracem, per literas ſalutans & appellans. Ut igitur veritatis in conſuetum locum, & oro, & meo jure impero; ſacrificia gratiarum actionis ergo, pro victoria parta graviora præſentia veſtra & conſpectu, Æthiopum communi conventui reddituri, Scripſit etiam ad uxorem: Sumptuoſas, inquit, pompas & ſacrificia, ut grates Deis agamus, præparato &c. *lib.* 10. *Æthiopicorum.*

Baſilius Imp. Gaudio geſtienti propter relatam de hoſtibus victoriam ne efferaris, nec adverſariorum calamitatibus inſultes, neque ad ruinam inimicorum læteris, nec alterius miſeriam rideas, neque ob exitum ullius hominis manibus plaudas. natura enim communis eſt omnibus: & futurorum provideri nequit. Reminiſcere quæ ante fuerunt, & intelliges quæ poſtea erunt: magnæ enim & multæ ſunt vitæ hujus viciſſitudines: & præteritorum recordatio præſentibus documento eſſe debet: Ne te efferas, ne tanto profundius poſteà dejiciaris: ne victoriam tibi aſcribas, & nunquam cladem deflebis ſed illachryma aliorum calamitatibus: cōdoleſce hominum miſeriis, homo ipſe cum ſis: triumphos & feſtorum celebritates ob victorias partas ſoli Deo gratus acceptas refer, ut & in ſecundis rebus te ſubmittens, & in adverſis erigens, nunquam te hominem eſſe obliviſcaris. *cap.* 65.

Onoſander: Reſtat igitur vt finem ſuſcepti hujus operis audacter eloquar. *Erit ſtrenuis militib. exercitatio ſua ludus, & Veteribus potiſſimisq; Ducibus*, AUGUSRAE *ſimul* PACI, Dicamque ad extremum cur Duces nonnulli victi aliquando deceptique ſuccubuerint; alii præclare fortiterque faciendo gloriæ & famæ ſtimulis excitati ſint. Sed iterandæ ſæpe Romanorum virtus animis occurret: quos neque rex, neque civitas, neque gens ulla Imperii amplitudine ſuperavit immo nec tantam attingere unquam potuit, nec tot ſæculorum ætates manſuram firmare potentiam. Nec enim illi cauſa fortuito, ſed virtute bellicâ, fortiſſimisque Ducibus Italiæ fines evadunt, & ad Orbis terminos latis jurisdictionibus ditionem ſuam propalant. Caſus ſcilicet ſive fortuna ſubſidiarii auxiliarique & comilitonis vicem præſtat, non tamen Imperatoris, nec ſunt penes ejus arbitrium omnia. Stulti, qui rebus in bello male geſtis ſolam fortunam, non etiam militum ignaviam imbelliamque accuſant. & victoriæ laudem, Ducum virtuti conſilioque ereptam, Eventui tribuunt. Nam veritati æquitative conſentaneum non eſt, profligato exercitu criminari fortunam, Imperatorē prorſus inculpatum dimittere: & contra valde ingrati animi eſt, Ducem adeptâ victoriâ illaudatum prætermittere, ac omnino omnem uni fortunæ referre gratiam. *præfatione ſtrategici.*

Onoſander: Revocato è pugnâ exercitu, primum quidem DIIS faciat, ludos ac pompas celebret prout temporis feret occaſio, vota nuncupet, quæ victoria penitus reportatâ ſe perſoluturū eſſe ſpondeat. Deinde milites ſuos, qui præcellenti virtute in ſuſtinendis periculis ſeſe fortiter geſſerunt, honorariis ac legitimis donis adficiat: in eos vero quorum notata malitia fuerit, anim advertat. Tribuantur honores qui majorum moribus, patriiſque inſtitutis ac legibus probati ſunt. Ac Imperatores quidem, largiri militibus ſolent, armaturas, galbeos, prædas & ſpolia: præficere quoſdam quinquaginta militibus, quoſdam creare centuriones, quoſdam manipulorum, ac ceterorum ordinum legitimos ductores. *Capite trigeſimo tertio.*

Idem ſtatim: Gregariis quidem militibus qui fortiter fecerunt aliquantula in exercitu cōcedatur auctoritas. Ducibus vero virtute præſtantibus, majores principatus decernantur. Erunt enim & generoſis animis magnificentiſſima præmia, cæteriſque qui eadem poſtea diſcupient, neceſſaria ad virtutem incitamenta. Atque ubi fortibus & bonis honos exhibetur, ignavis vero & nequam hominibus pœna irrogatur, bonam illic ſpem fovere exercitum neceſſe eſt. Nam iſti quidem peccare metuent; illi vero fortiter faciendo gloriam ambitioſè adfectabunt. Præterea victoriam adeptus Imperator non debet ſingulos tantùm quoſdam remunerari, ſed & toti exercitui periculorum fructum aliquem ex præda impartiri. Patiatur itaque direptionem fieri, ſi aut vallum, aut impedimenta, imò & ſi urbem expugnando ſubegerit: niſi major quæpiam utilitas, aut alia ratio aliud ſuadeat. quod maxime bello non adhuc confecto in futuris pleriſque negotiis proderit. Nam ſpe prædæ paratiores erunt promptioreſque ad pericula militum animi. Niſi fortè exiſtimemus, canes quidem venaticos ferino ſanguine, beſtiæque captæ viſceribus eſſe ineſcandos; militibus vero hoſtium debellatorum prædas ac partes concedi non oportere.

Onoſander: Poſteaquam autem omnia feliciter & ex animi ſententia ceſſerint, fine bellicis negotiis impoſito, caveat Imperator, ne ob res ſecundas elatior aut gravior videatur, ſed placidus ſit ac benignus, neve faſtum minaci ac truculento vultu præ ſe ferat ſed civilem atque amabilem benevolentiam comiter omnibus exhibeat. Illa enim invidiam ac livorem gignunt, iſta æmulum amorem conciliant Et invidentia quidem mœror eſt ob res alicujus bene geſtas: Æmulatio vero, virtutum, quæ alteri inſunt, imitatio. Tantum autem in utraque diſcriminis eſt, ut invidere, ſit optare, laudem quam aliquis ſibi virtute comparavit, perire: Æmulari verò, parem alicujus laudi gloriam diſcupere. Itaque vir ſtrenuus, non ſolum erit patriæ & militarium copiarum Dux præſtantiſſimus, ſed & gloriæ, quam egregiis indeptus eſt facinoribus, ſartæ tectæque conſervandæ, conſultiſſimus Imperator. *cap.* 42. *fine.*

Leo Imperator: Reſtat jam ut quæ poſt exitum belli futura ſunt, dicamus. Si enim exercitum bene iuſtruxeris, Deo propitio ſperamus victoriam conſecuturam.

1. Ac primum gratiæ Domino noſtro JESU CHRISTO agendæ

gendæ, vel ante victoriam belli aliquid pium promittendum, quod promiſſum poſt belli exitum faciendum ſit.

3. Deinde perſcrutaberis, qui ſe in bello ſtrenuè geſſerunt, illiſque idoneos honores habebis, ignavos autem quo par eſt ſupplicio conſtringes.

4. Strenuos viros iis muneribus honorabis: integras armaturas, ſi quæ claræ illuſtreſq; fuerint, ac de bellicis ſpoliis quæ commoda ſunt, illis dabis, honorabiſque pro dignitate ex æquo ac bono unumquenque, ut cohortes milliarias, cohortes, centurias, reliquaſque conſuetas ſub dominatum tuum ſubjectas multitudines. Plebeios milites qui ſtrenui fuerint, minoribus donis, præfectos autem majoribus honorabis: ita enim fiet, ut maiori fortioriq; animo ſint qui dimicabunt, ſi ea quæ cupiunt in primis aſſequantur.

5. Ubi enim honores & præmia habentur bonis, ſupplicia & pœnæ afferuntur malis, ibi bonam ſpem habebit exercitus: mali enim in formidine peccandi erunt, boni verò ut ſtrenui ſint laborabunt.

6. Neque verò ſolùm unicuique ſingulatim viro honores habebis, ſed etiam integras cohortes, cohortes milliarias, turmas, præmiis decorabis. Res hoſtium militibus diripiendas dabis, ſive apparatus aliquis, ſive impedimenta, ſive tuldum, ſive civitas, ſive caſtellum fuerit: niſi ſi captivis rebuſq; direptis aliquid melius ac præclarius facies.

7. Quid enim cauſæ eſſe poteſt, cur non è bellicis ſpoliis ſtrenui milites præmia haberent? Venatores enim cernimus canes ſuos venationis ſuæ ſanguine ineſcare, interdum etiam inteſtinis donare, ut ad perſequendas feras alacriores fiant. Ita ante belli exitum ſi munerabuntur milites, alacrior exercitus ad bellum gerendum fiet.

8. Bellum á pugna differt: bellum enim ab initio uſq; ad finem, & omnium militum ceſſationem, multas dicitur in ſe pugnas continere: pugna autem pars quædam quaſi belli dicitur quæ in universo bello ſæpe eſt, ſæpe abeſt, quæ tamen finem belli non affert: etenim ſæpe bis, ſæpe ter, aut etiam frequentius, pro rerum gerendarum neceſſitate, in bello confligunt.

9. Inſectationes hoſtium non ſemper poſt pugnam, ſed interdũ fiunt, interdum non, quemadmodum neceſſitas belli exigit.

10. Quæ bello capiuntur vendat exercitus: ſin pecuniis aut commeatu opus ſit, omnia ad te adduci jubebis, tuamque ac reliquorum præfectorum cupiditatem iis pecuniis collectis abſtrue, & neceſſariarum rerum inopiam commemora Atq; ita potes inopiam ſuppeditare, eoſq; qui in prælio dimicant ſublevare: ſi potes, pecuniâ: ſin minus, hoc ſatis fuerit, honoribus & dignitate.

11. Captivos ante bellum confectum ne interficias, nobileſq; in primis ac illuſtres viros: reputare enim debes ancipitem belli exitum, incertoſque caſus, converſionemq; rerum & victoriæ quam habes. Aut ſi contingat aliquos de tuis, aut caſtellum aliquod capi, illis commutes, & reſarcias objecta damna, & pro hoſtibus captivis amicos ſocioſq; recuperabis. Sin minus hoc hoſtes voluerint, ex æquo tum à bono illos ulciſceris, ad vexandos hoſtes illos pro arbitratu tuo trucidabis.

12. Poſt res aliquot bene geſtas in prælio, ac dimicationes quaſdam feliciter cadentes, ad epulas & convivia & lautiora prandia tum præfectos tum milites partim per te, partim per præfectos, partim per contubernia, ex iis quæ bello capta ſunt præparabis, atque adeo prandeant hilarenturque milites: efficies enim ut qui ſtrenui ſunt, ſentientes quibus rebus ac lætitiis poſt victoriam fruentur, alacriores ad omnia ante victoriam ſuſtinenda pericula ſint, & ad labores magis prompti.

13. De ſepeliendis mortuis admodum laborabis, neque tempus, neque occaſionem, neque locum, neque timorem cauſans. Pulchrum enim piumque eſſe videtur, mortuis ſepulturam parare. Neceſſaria autem cumprimis res eſt iis qui bello cadunt: pietas enim in ea re monſtratur, & vivẽtes magnopere hoc facto conſolationem capiunt. Quemadmodum in iſtis fieri videt unuſquiſque, ita ſecum futurum arbitrabitur ſi in bello occumbat. Si enim inſepultos diſiectoſque eſſe videat, ſuum ſecum ſtatum reputabit, hanc contumeliam moleſtè feret, & mortem quantum poteſt in prælio refugiet, ne inſepultus abjiciatur. Sin honores mortuis laudeſq; illis qui occubuerunt proponantur, excitabitur magis ad quævis pericula diſcriminaq; in bello ſubeunda.

14. Sin contingat exercitum tuum ſuperari, eos qui diſcrimina hæc evaſerunt, oratione excitabis, & alacres quantum potes illos reddes, & offenſionem belli acceptam occultis incurſionibus atq; inſidiis reſarcies.

15. Solent enim homines rebus feliciter geſtis ad ſeipſos conſervandos negligentiores eſſe: quando enim victos contemnunt, ſeipſos negligunt. Atq; ita felicitas rei geſtæ ſæpe fortunatos magis quàm victos & ſuperatos lædit.

16. Tu enim qui offenſionem belli accepiſti, per te ex iis quæ perpeſſus es didiciſti teipſum de cætero tutum conſervare: ille autem qui rerum proſperitate affluit, adverſam fortunam non ſentiens, nulla proviſione & cautione utitur ad ea declinanda, quorum nullum adhuc ſenſum habuit. Scitum eſt enim hoc ſapientis cujuſdam verbum: Timor opportunus, ſedula incolumitas eſt: contemptio importuna, inſidiabilis audacia eſt.

17. Si intermiſſionem belli feceris vel verbis vel pactis & conventionibus, pacta tua diligenter ſervabis, neque hoſtes invades, atque imparatus adverſus hoſtes eris, ſed quieſce quaſi in pace eſſes propter inducias cum hoſtibus factas: apparatas autem copias quaſi ad bellum, ſemper habeto, propter hoſtium fœdifragas & nec opinatas incurſiones.

18. Par eſt autem ut neq; improvidus hoc tempore ſis, nec rurſus aliquid impium præter inducias Deo teſte factas, committas, ſed circumſpectus ſis ad hoſtium dolos atque inſidias devitandas. obſcuræ enim ſunt hoſtium inducias tecum facientium voluntates. Sed tu ſic te geras, ut nullam illis injuriam pietatis cauſa facias: hoſtium tamen perfidiam cavebis, ut ne ab illis, propter impios illorum conatus, lædaris.

19 Omnia enim ad Dei vindictam referre, ſynceri animi non eſt. Non confeſtim enim divina vindicta infertur, ſed quando omnium procurator & adminiſtrator Deus hoc futurum decernit. Quis enim novit quãdo injuriam inferre moliuntur hoſtes, utrum illi trucidandi ſint, tu verò conſervandus?

20. Licebit igitur nobis eodem modo res noſtras firmo in loco ſtabilire, & impiæ molitionis hoſtium ſecurè periculum facere: ita fiet ut proviſione tua, mali nihil accipias, hoſteſq; qui malum inferre ſtudent, impietatis teneantur, quaſi te expugnare conarentur, ſed Deus propter fidem induciarum ſervatam, minimè id fieri permitteret.

21. Si quis, ſive ſervus ſive liber, nocte aut die, in itinere aut caſtris, in requiete aut ſomnio, in balneo aut menſa, aut ullo alio tempore tecum voluerit communicare, ne averſeris illum, ſed acceſſe ad te: qui enim homines rejiciunt, & difficiles acceſſu ſunt, & adminiſtris ſuis præcipiunt ut eos qui accedunt repellant, à magnis ſæpe arduiſq; rebus gerendis abſunt. Hæc tibi poſt bellum, & ſi quid aliud utile excogitabis, obſervanda præcipimus. *cap. 16. rei tactica.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Si damna bellorum deflere hic vacat, plura perdidimus; & aciem illam quæ circa filium miſeræ hujus jacet: tot fortiſſimi cives noſtri ceciderunt. Si verò lex iſta belli eſt, ſi nulla inquam tam incruenta victoria contigit, quæ non haberet aliquam triſtitiæ recordationem, penſavimus omnia iſta victoriæ recurſu. *Declamat. 272. a f.*

Quintilianus: Neſcio quomodo omnis prolaborante favor eſt, nec ulla perpetuam gratiam ſervat, niſi modeſta victoria. *Declamatione 9. §. 24. m.*

Cl. Mamertinus: Quis Deus tam inſperatam ſalutem nobis attuliſſet, niſi tu adfuiſſes? tu enim divinæ providentiæ Imperator, conſilio prius quam vi bellum gerẽdum ratus, cæteros quidem perduelles, quibus ipſa peſtifera multitudo, ire paſſus es in profundã famem, & ex fame in peſtilentiam, mox ubi triumphi ornamenta capienda, militum manibus uſurus. *cap. 5. in Mem.*

Cl. Mamertinus: Iſtud curſim prætereo; video enim te te, Imperator, qua es pietate oblivionem illius victoriæ malle quam gloriam. *Paneg. Maxim. cap. 4.*

Eumenius: Quid de miſericordia dicam qua victis temperavit? quid de juſtitia qua ſpoliatis amiſſa reſtituit? quid de providentia, qua ſociis ſibi junctis ſe ejuſmodi judicio dedit, ut ſervitutem paſſos juvaret recepta libertas, culpæ conſcium ad pœnitentiam revocaret impunitas. *capite ſexto Panegyrici ad Conſtantinum Imper.*

Incertus: Conſtantinum tu tantum ſanguinis fundere coegiſti: cui quia ſalutem veram à vobis impetrare non licuit, pœne diſplicuit ipſa victoria. *Panegyriſtes Conſtant. Aug. cap. 7.*

Incertus: O tandem felix civili Roma victori! irrupit olim te Cinna furioſus, & Marius iratus, qui non ſolo ſe Octavii conſulis capite ſatiarunt, ſed luminibus civitatis extinctis, exempla quæ nunc toto ſexennio paſſa es reliquerunt. Vicit tibi iterum ante portam Collinam Sulla, felix ſi ſe parcius vindicaſſet: ſed enimvero multis capitibus roſtra complevit. Conſtantinus victoriæ licentiam fine prælii terminavit. gladios ne in eorum quidem ſanguinem diſtringi paſſus eſt, quos ad ſupplicia poſcebas. Deditam ſibi idem Sulla exarmatamq; legionem in villa publica trucidavit, perculſumque morientium gemitu, Senatum monuit, ne timeret quod ipſe juſſiſſet. At iſte victor, non modò hoſtium, ſed etiam victoriæ ſuæ, quidquid militum bello ſuperfuit tibi ſervavit: tibi enim jam militant, quos exutos armis impiis adverſus hoſtes barbaros rurſus armavit. Jam obliti deliciarum circi maximi, & Pompejani, theatri, & nobilium lavacrorum, Rheno Danubioq; prætenduntur, excubias agunt, latrocinia compeſcunt, certant denique cum victoribus, ut civili bello victi hoſtibus comparentur. *capite vigeſimo primo.*

Incertus: Ite nunc omnes, ſi libet, barbaræ nationes, & exitiales vobis movete conatus. habetis exemplum quamvis enim Imperator noſter amicorum regum admittat obſequia, idq; ipſum valeat ad laudem victoriæ quod à nobiliſſimis regibus timetur & colitur, augeri tamen gloriam virtutis ſuæ gaudet quoties provocatur. *cap. 23. Panegyr. Conſtant. Aug.*

Nazarius: Conſtituta & in perpetuũ Roma fundata eſt, omnib. qui ſtatum ejus labefactare poterant cum ſtirpe deletis. non enim

(qui bellorum eventus esse solent) per varios & volubiles casus Mars dubius erravit, nec fortunæ vicissitudo, quæ plerunque prosperis rebus triste aliquid adglutinat, victorum lætitiam vulneravit, sed tanta hostium & tam ampla cædes, tam felix & incruenta victoria fuit, ut credas non bello ancipiti dimicatum, sed solas impiorum pœnas expetitas. Tantum enim inter arma bona conscientia sibi vindicat, ut jam cœperit non virtutis magis quam integritatis esse victoria. spectat enim nos ex alto rerum arbiter Deus, & quamvis humanæ mentes profundas gerant cogitationum recessus, insinuat tamen se totam servatura divinitas, nec fieri potest ut cum spiritum quem ducimus, cum tot commoda quibus alimur divinum nobis numen impertiat, terrarum se curis abdicaverit, nec inter eorum vitas dijudicet quorum utilitates gubernat. Illa igitur vis, illa majestas fandi & nefandi discriminatrix, quæ omnia meritorum momenta perpendit, librat, examinat, illa pietatem tuam texit, illa nefariam tyranni fregit amentiam, illa invictum exercitũ tuum, tot victoriarum conscientia plenis pectorib. ardentem, tantis insuper virib. juvit, quantas præstare aut Deus potuit, aut amor tuus debuit, ut horrendas acies, & incognita ferri & corporum robora flumineus miles everteret, ut quidquid instruxerat diuturni sceleris longa molitio, felici congressione consumeres. *cap.* 7.

Nazarius: Tibi tamen incrementum laudis ex multiplicatione terroris est: magnificentius congregata obteris, quæ scrupulosius dispersa sequereris. Innumeræ simul gentes ad bellum coactæ, sed uno impetu tuo fusæ, dum collativam vim comparant, compendiosam victoriam præstiterunt. *Paneg. Constantino Aug. cap.* 18. *extremo.*

Symmachus: Quis pudor est vinci post confessionem? *libr.* 3. *Epist.* 15.

Symmachus: Bellorum quidem vestrorum gloriosus exitus fama non occulit: sed major est victoriæ fides quæ oculis approbatur, D. Imperator. Dudum fando acceperat P.R. cæsorum funera Sarmatarum. At nunc confirmata est nunciorum lætitia, spectaculo triumphali. Jam minores non sumus vetustatis exemplis. Vidimus quæ acta miramur, catenatum agmen victæ gentis induci, illosq; jam pridem truces vultus, misero pallore mutatos. Stetit arenæ medio subjecta voluptati, quæ fuit antè formidini: assuetæ armis gentilibus manus, gladiatoria instrumenta tenuerunt. *lib.* 10. *Epist.* 61.

Latinus Pacatus: At quanto melius manus illa consuluit, quæ submissis precabunda vexillis, petiit veniam necessitatis, & terram in osculis premens, calcanda vestigiis tuis corpora & arma projecit? quam tu non superbè, ut victam, non iratè ut ream, non negligenter ut parum necessariam præteristi, sed blandè liberaliterque tractatam, jussisti esse Romanam. junguntur socia agmina, & sub uno capite diversa reip. membra coalescunt, ambo pari gaudio feruntur exercitus: hic opera sua gaudet, hic venia: uterque victoria. *cap.* 36. *Paneg. Theodosio Aug. dicti.*

Latinus Pacatus: Rectè profectò germana illa pictorum poetarumq; commenta, victoriam pinxere pennatam, quod hominum cum Fortuna euntium non cursus est, sed volatus, ille ab ultimo Orientis senu festinatis itineribus raptus exercitus, tot nationibus relinquendis, tot fluminibus enatandis, tot scandendis montibus fatigatus, in alio orbe, & in alio (penè dixerim) sole positus, spatio lucis unius Illyrico continuavit Aquilejam: nihil tamen sibimet hoc nomine vindicant: & si quando mirantiũ circulos contrahunt, aut convivia nostra sermone producunt, operam omnem suam fine Alpium terminantes, deberi sibi abnuunt illam celeritatẽ, quod expertes laborum pervenisse se viderint, quo ire non senserant, negant imò se suis vectos esse torporibus, sed tanquam per aliquas imagines somniorum ferrentur absentes præbuisse gestantibus, vẽtis otiosorum ministeria membrorum. Nec fides anceps. nam si olim severi credidere majores Castoras geminos albentibus equis, & stellatis apicibus insignes, pulverem cruoremq; Thessalicum aquis Tiberis abluentes, & nunciasse victoriã, & imputasse militiam, cur non tuæ publicæq; vindictæ cõfessam aliquam immortalis Dei curam putemus annisem? nisi forte majorem divini favoris operã res Romana poscebat Macedonico regno augenda, quam tyrannico eximenda servitio. Ego verò (si cæleste studium pro dignitate caussarum æstimandum sit) jure contenderim equites tuos Pegasis, talaribus pedites vectos ac suspensos fuisse, neq; enim quia se divina dedignantur fateri, idcirco quæ visa non fuerint dubitabimus facta, cum facta videamus, quæ dubitaverimus esse facienda. angustè fortunam tuam expendit, Imp. quisquis id de te tantum, quod fieri potest, credit. An ego cum ab Alpibus Juliis otioso feriatoq; ferro, non prælium fuisse videam, sed triumphum, dubitaverim illam specialem quandam felicitatis tuæ dixisse militiam? Scimus quidem, Imp. ita te cuncta administrasse, ut non possint se tibi imputare successus; sed fatearis necesse est, quantum te in bello, tantum fortunam tuam egisse post bellum, &c. *cap.* 39. & 40. *Paneg. Theodosio Aug. dicti.*

Latinus Pacatus: Clementia tua, Imp. quo cælo, quo pigmento, quo ære aurove ducetur? quo tu ipsius victoriæ victor, ita omnẽ cum armis iram deposuisti, ut ceciderit nemo post bellum, certè nemo post Maximum paucis Maurorum hostium, quos secum velut agmen Infernum moriturus incluserat, & duobus aut tribus furiosi gladiatoris lanistis, in belli piaculum cæsis, reliquos omnes venia complexa, velut quodam materno sinu clausit nullius bona publicata, nullius mulctata libertas, nullius præterita dignitas, nullius imminuta. nemo affectus nota, nemo convicio, aut deniq; castigatione perstrictus, culpam capitis aurium salem molestia luit. cuncti domibus suis, cuncti deniq; (quod est dulcius) innocentiæ restituti sunt. Vide, Imperator, quid hac clementia consecutus sis: fecisti ut nemo sibi victus te victore videretur. *cap.* 45. *Paneg. Theodosiano dicti.*

¶ POETARUM.

D. Nazianenus de vita sua.

Οὔτοι τὸ νικᾶν δόξαν ἐν πᾶσι φέρει:
Καλῶς στέρεσθαι κρεῖσσον, ἢ κακῶς ἔχειν.
Superare non fert rebus in cunctis decus:
Rapiq; satius duco, quam raptis frui.

Prudentius posteriore libro contra Symmachum.

Non aris non farre mola victoria felix
Exorata venit. labor impiger, aspera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia, cura,
Hanc tribuunt durum tractandis robur in armis.
Quæ si defuerint bellantibus, aurea quamvis
Marmoreo in templo rutilas victoria pennas
Explicet, & multis surgat formata talentis,
Non aderit, versisq; offensa videbitur hastis.
Quid miles, propriis diffisus viribus, optas
Irrita fœminea tibimet solatia forma?
Nunquam penniGeram legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret quæ tela virorum.
Vincendi quæris dominam? sua dextera cuiq; est,
Et Deus omnipotens, non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioq; recincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

Prudent, Psychomachia 6.

Nil refert armis contingat palma dolisve.

Plautus Amphitr. 1. sc. 1. v. 240.

Vapula!
S. Ut lubet, quod tibi lubet fac, quoniã pugnis plus valet.

Plautus Persa 5. sc. 1. pr.

Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis,
Bello extincto, re bene gesta, integro exercitu & præsidiis
Cum bene nos Iuppiter justive, Dique alii omnes cælipotentes,
Ea vobis grates habeo atq; ago, quia probe sum ultus meum inimicum.
Nunc ob eam rem inter participes dividam prædam & participabo.

Terentius Phormionis Prologo.

Is sibi responsum hoc habeat, in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant Musicam.

Martial. Spectac. libro Epigr. 31.

Cedere majori virtutis palma secunda est.
Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

Guntherus lib. 4. v. 131.

Vix tandem miseros sero jam vespere cives,
Afflictosq; diu bello, fuga, noxque removit,
Claraque justitiæ patuerunt signa superna
Ex rerum merito varios prodentia casus.
Namque uno tantum nostra de parte perempto,
Mille, vel immersos Tyberi periisse, vel armis.
Hostilis de plebe quidem, captiva ducentos
Supposuisse ferunt, invectis colla catenis.

¶ APOLOGI.

Æsopi Fabula Gallinaceorum: Gallinacei duo inter se, ut fieri solet, insurgentes, pugnarunt & victus quidem, sub lecto absconditus latuit: qui vero vicerat, in tectum elatus, maxima voce clamans, victoriam canendo quasi palam fecit. Sed eum advolans forte aquila comprehensum rapuit.

¶ EMBLEMATUM.

Miles & Lituus. Avienus.

Voverat attritus quondam per prælia miles,
Omnia suppositis ignibus arma dare.
Vel quæ victori moriens sibi turba dedisset,
Vel quicquid profugo posset ab hoste capi.
Interea votis sors affuit, & memor arma
Cœperat accenso singula ferre rogo.
Tunc lituus rauco deflectens murmure culpam,
Immeritum flammis se docet esse prius.
Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos
Viribus adfirmes quæ tamen acta meis:
Sed tantum votis & cantibus arma coegi,
Hac quoque summisso testor & astra sono.
Ille resultantem flammis crepitantibus addens,
Nec te maior, ait, pœna dolorque rapit:
Nam licet ipse nihil possis tentare, nec ausis:
Sævior hoc, alios quod facis ipse malos.

Batillius 31.

A prudentiâ victoria.

Sæpe animis etiam in bello Prudentia, sæpe
Acri etiam dextrâ est viribus & potior.

Et quæ cùm dubiis victoria quæritur armis,
Consiliis posita est omnis in arbitrio.

Batillius 137.

Non ſuperbiendum honoribus, ſed reliquæ vitæ curſum providendum.

Fallor: ni hac capto redeuntis ab hoste Iugurthâ
Victoris Marii pompa triumphus erit.
Antè it Rex duris oneratus colla catenis,
In terga it Numidûm vincta caterva manus:
Ponè sequens, bello parta inter fercula præda,
Miles Io Paan latus ovansque canit.
Hos super in curru vectus stans consul eburno
Palmatâ insignis conspicuusque toga,
Per mediam fertur celsa ad Capitolia Romam,
Ad patriam referens vota trophæa Iovem.
Vndique odorati fumant altaribus ignes,
Inque ducis plausus Appia tota sonat,
Annulus at digitos cui tantum ferreus ornat,
Nec cingit meritas laurea digna comas.
Sed ducis à tergo quam servus sustinet adstans,
Retro oculos dominum flectere ceu moneat.
Nempe inde ut discant nullos assumere fastus,
Queis venti implebunt sic sua vela sui,
Quo magis elatis mage sed diffidere rebus,
Fortuna varias atque timere vices.

Camerarius 77. Centur. 4.

Victor uterq; cadit. *Aquila Draconi implicitus*

Victor uterque cadit. proh quam victoria acerba est,
Cum trahit in præceps una ruina duos!

De forti victoria Emblem. 17.

Iacentem Leporem Canis lacesset
Rarò, sternere posse cursitantem
Gaudet: Sic generosus ardor ille
Heroum, modò strenuos fatigat:
Vires pectoris incitat fovetque
Æmulatio, quoque perstat hostis
Magis, hoc magis incitatur ardor.

Flor. Schonhovius.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

Moses dux Israelitarum: Venientibus Hamalekitis, ut pugnarent contra Iſraelitas, dixit Moſes ad Joſuam, Delige nobis homines, & procede ad pugnam contra Hamalekitas, cras me conſiſtente in vertice iſtius collis cum baculo Dei in manu meâ. Attollente autem Moſe manum ſuam (cum baculo, ut ſolent vexilliferi) prævalebant Iſraelitæ: quum autem fatiſceret & manum demitteret, Hamalekitæ ſuperabãt. Tandem Joſua fregit Hamalekũ, & Moſes extruxit altare, quod vocavit Jehova vexillũ meum. Dixit enim, Sic vocandum eſt, Quia manus ſuper ſolium Iah bellum eſt Jehovæ contra Hamalekitas, de ætate in ætatem: id eſt, Deus in ipſo ſolio majeſtatis ſedens, manum exertam habet erectumq; vexillum, ad pugnandum contra Hamalekitas (omnes hoſtes Eccleſiæ ſuæ) in perpetuum. *Exod. 17. 9. &c.*

Iachaziel Propheta: Quum à Spiritu Dei impulſus Jachaziel inſignem victoriam à Deo Iſraelitis adverſus Moabitas & alios eſſet pollicitus, ſubjecit, Non erit veſtrum pugnare in hoc prælio: ſiſtite vos, conſiſtite, & videte ſalutẽ Jehovæ erga vos, ô Judæi & Hieroſolymitani: ne timetote, neq; conſternamini: cras exite ante eos: nam Jehova aderit vobis. Tunc Joſaphat & populus prociderunt coram Jehova, &c. 2. *Chron.* 20. 17.

Iudas Macabæus: Judæi quum viderent Syrorum exercitum venientem obviam ſibi, dixerunt Judæ Machabæo, Quid poterimus, qui pauci ſumus, efficere præliando, contra tantam multitudinem ac fortem, cum nos ſolutis virib. ſimus ex inedia hodierna? Sed dixit Judas, Facilè eſt concludi multos in paucorum manibus, neque eſt differentia coram Deo cœli ut ſervet multis ne an paucis. Non enim multitudine copiarum eſt victoria belli, ſed è cœlo fortitudo eſt. Iſti veniunt contra nos cum plurima injuria & iniquitate ad tollendum nos & uxores noſtras, liberoſq; noſtros, ad ſpoliandum nos. At nos pugnamus pro amicis noſtris & legibus noſtris. Quam obrem ille conteret iſtos in conſpectu noſtro: vos itaq, ne metuatis ab illis. *Macabaor. lib* 1. *cap.* 3. 17 *&c.*

B. Ignatius Loyola: *Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit Mœnia*: proverbiali ſcemate fertur. cujus memor Ignatius, hoc modo adoleſcentem acri ingenio paternè cohortabatur: *Hoc age, ut te vincas. Quod si feceris, splendidiorem aliis qui ingenio mitiori, habebis in cælo coronam.* Ribad. lib. 5. Vitæ cap. 10.

Theodosius Imperator: Poſtquam ei victoria, de Joanne tyranno reportata, ludis Circenſibus renunciata eſt, ad populum vociferans Agite, inquit, ſi ita videtur, ludicro hoc emiſſo, in ædem hanc precatoriam eamus, & carmina gratiarum agendarum auctori victoriæ Deo concinamus. Hæc ubi dixit, ſpectaculum neglectum eſt, &c. *Niceph. eccl. hist lib. 14. cap. 7.*

Clotharius rex: Chramnus Clotharii Francorum regis filius tum erga Dei miniſtros crudelis, tum erga patrem impius, inſtar Abſolonis adverſus patrem civile bellum movit. Mox patrem fugiens, Britanniam petiit: ibiq; cum Conoobro Britannorum comite, ipſe & uxor ejus & filiæ latuerunt. Clotharius eum cum exercitu inſequitur. Sed nec ille contra patrem egredi timuit. Prælium initurus Rex Clotharius ad Dominum clamans, *Respice* (inquit) *Domine de cælo, & judica causam meam. Quia injustè à filio injurias patior, respice, & judica justè, illudq; impone judicium, quod quondam inter Absolonem & patrem eius Davidem posuisti.* Confligentibus igitur pariter Britannorum Comes terga vertit, ibiq; & cecidit. Deniq; Chramnus fugam iniit, naves in mari paratas habens Sed dum uxores & filias liberare voluit, ab exercitu patris oppreſſus, captus atq; ligatus eſt. Quod cum Clothario regi nunciatum fuiſſet, juſſit eum incluſum in tugurio cujuſdam pauperculæ, cum uxore & filiabus igni conſumi. *Gregor. Turonens. libro quarto cap.* 16. *&* 20.

Alphonsus Rex: Anno 1453. Alphonſus Ferdinandum filium ſibi ſucceſſorem delegit, eiq; ad bellum Florentinum ſecundum pro Venetis confœderatis, contra quos Franciſco Sfortiæ duci Mediolanenſi opem Florentini ferebant, proficiſcenti, Veteranos milites quorum fidem in multis maximiſq; rebus perſpexerat, quorumq; virtute multas victorias obtinuerat, adjungit: ante omnia mones, ne unquam in animum ſuum induceret, victoriam propria virtute aut induſtria parari poſſe, ſed tum demum victoriam felicem fore, ſi à Deo auxilium petierit. Præterea eum decoris & exiſtimationis, qua nihil in vita præclarius eſſe poſſet, rationem habere juſſit: eo quòd ſæpe numero pluris fama quàm victoria æſtimaretur. Poſtremò eum monuit, ut ſi qui ex hoſtibus ſuæ fidei ſeſe permitterent, eos benignè ſuſciperet. Si qui etiam obſtinatis animis, uſq; ad extremam expugnationem perſtitiſſent, eos cum cepiſſet ſuæ potius ſuetudinis, quàm illorum pertinaciæ meminiſſe debere præcepit. *D. Chytraus in Chronologia Alfonsi regis.*

Idem: Quum Ferdinandum filium ſuum Alfonſus Aragonum & Siciliæ rex ad ulciſcendas Florentinorum inſidias magno cum exercitu mitteret, poſt longam filii inſtitutionem hæc adjecit: Nunc maximè te admoneo, fili, ne tantum aut tuæ aut commilitonum audaciæ tribuas, ut putes abſq; Dei auxilio victoriam ullam haberi poſſe. Victoria, mihi crede, non hominum diſciplinis, aut induſtria paratur, ſed Dei Optimi maximi benignitate & arbitrio. Scientia igitur rei militaris ita demum profutura eſt, ſi Deum nobis pietate atq; innocentia pacatum propitiumq; habuerimus. Deum igitur imprimis cole, in eum confide: à quo tum victorias omnes & optima quæq; provenire non dubium eſt. Quem ſi quando tibi iratum ſuſpicaberis, cave contendas: imò quicquid ab eo tibi accidiſſe videbitur, boni conſule, & patientia atque pœnitentia eum placa. *Ant. Panorm. lib. 3. de reb. gestis Alf. Marin. lib. 11. rerum Hisp.*

¶ Monosticha Trochaica.

A pudore audaciaque pendet & victoria.
Absq; prælio quæ fit vel maxima est victoria.
Absque pulvere ac sudore fert coronam strenuus.
Alia vincere est res, alia rectè uti victoria.
Alteram victoriam aufert, prima confidentia.
Arduum alterum, se ipsum vincere, arduissimum est.
Arduum est se vincere ipsum: cæteros non arduum est.
Arduum oppugnare animatos vel mori, vel vincere.
Arduum pugnare non est militi à victoria.
Aut domi mortem reportat fortis aut victoriam.
Balneum reficit defessos, victores encomium,
Bella qui finire nescit, interit victoria.
Carmine exsultante gaudet insolens victoria.
Casus hic minus experiundus, quo vicisti sæpius.
Certior sæpe insperata victoria est.
Consilio pecuniaque vincimus, non vincimur.
Copiarum magnitudo apparet post victoriam.
Cor cui in bello leonum est obtinet victoriam.
Cum Deus premit, recoctum vicerit tyro ducem.
Cum Deus vult vel gigantem vincit imbellis puer
Cum Deus vult, sponte in hostes alta rupes decidet.
Curru eodem Achilles unà traxit Trojam atq; Hectorem.
Damna crebra quamvis medica, vim lacerant victoria.
Degener gallus fere ante concinit victoriam.
Discipulus docetur, adversarius sed vincitur.
Ecquis est qui colla subdat legibus post laureas?
Es prior numero, esq; item armis? jam tua est victoria.
Est opus Corneliorum bello Pœnos vincere.
Et duella pro præjudicio accipias victoria.
Ex victoria triumphat qui nil victo detrahit.
Facile corpore vincitur animus cuius ante concidit.
Fert Britannia æs & aurum, præmium victoria.
Finis est victoria, ne idem agamus victi quod agunt.
Fors regit bellorum initia, à ratione at victoria est.
Fortis in bello, benignus pace, quidvis obtinet.
Fortibus minor salutis cura quam victoria est.
Fortius se vincere ipsum, mille quam provincias.
Fortunatus ante vincit hostem, quam hostem conspicit.
Fraude tecta, non aperto Marte vince, si potes.
Gloriosa est quæ labore constitit victoria.
Grande crimen absque jussu regis, ipsum vincere est.
Gratia eum penes patrati belli est Vrbem qui occupat.

Gratiam servat perennem mitior victoria.
Haud Alexandri est furtivam consequi victoriam.
Hercules orbem omnem vicit, vicit at nihil sibi.
Hercules vicit supremo fine viventem Deum.
Hostis est victor, repenti qui repens supervenit.
Hostem sæpe vincit absque prælio pecunia.
Hostium novisse mores pars bona est victoria.
Hostium vafer quoque errore usque ad victoriam est.
Hostium si consuetudo nota, pars victoria est.
Hostibus victis, sociosque persequi est fas hostium.
Ignavique strenuique idem audent in victoria.
Imperium quod non accrescit, Rex victor minui æstimat.
Impius a Deis, ab hoste vincitur miles pius.
In viros potius leones sæviunt quam feminas.
Infractis animis facile est etiam expugnare corpora.
Insolens valde ac superba est indole victoria.
Invenire major est labor pavidos, quàm vincere.
Ipsemet suam eia victor publicet victoriam.
Ita iis armis, disciplinis Græcus vinci non potest.
Longus est tutusque somnus quem parit victoria.
Luculentius lucrum ecquod obsecro victoria?
Lumina omnium convertit in se victor hostium.
Major est fides, oculis quæ se adprobat, victoria.
Majus est, victoria uti posse, ipsa victoria.
Maximè incitamus ipsi proximos victoria.
Militis de robore, haud de copia, victoria est.
Militares glorientur quid nisi vulneribus viri?
Militis Ducisve non est, est Dei victoria.
Militis pensare damno quis velit victoriam?
Militis pii ac parentis certa utique est victoria.
Militum victoria cita est parens frugalitas.
Nemo non miles superbus à levi victoria est.
Mitiori bello accedat mitior victoria.
Moribus Romana plus gens subjugat quàm viribus.
Multo operosius multoque, seipsum quam hostem vincere.
Nil timere, sola jura scripta sunt victoribus.
Non fremit leo in puellos quam fame extremissima
Non honesta ex caussa honesta nata item victoria est.
Non in omnibus probanda rebus est victoria.
Non pecunia at virtute quæritur victoria.
Non queunt vinci, antecedit quos ducis loco Æquitas.
Non ripis arcetur victor, non arcetur flumine.
Noxius sibi est qui sævit ultra jus victoria.
Nosce, quidnam facere victor debeat, victus pati.
Nulla maior est quam vincere ipsum se victoria.
Omnibus si qua est salutis, maxima hæc victoria est.
Optima est quæ expers cruoris omnis est victoria.
Pars victoriæ, inter hostes serere clam discordias.
Parta quæ est citò, æstimari vix solet victoria.
Parte vicit maxima hostem qui probè cognoverit.
Perduellibus devictis Diis agamus gratias.
Perpetua est quæ lingua fit non quæ manu victoria.
Perpusilla vires auget hostibus victoria.
Plures invenias qui homines quam qui fortunam vicerint.
Plurimum addit ad naturâ trucem animum victoria.
Plurimum confert victoriæ ordinum concinnitas.
Plus quam regnum est, victo è rege sumere tantum gloriam.
Pœnâ præmiove mulctes militem à victoria.
Ponte rupto hosti viam aufers & simul victoriam.
Prælio in quovis vel prima de oculis est victoria.
Prælio quoque festinato præcipias victoriam.
Prima & optima hercle seipsum vincere est victoria.
Provocanti haud respondere, plena pol victoria est.
Proximus victoriæ est quem suscitamus plausibus.
Pugna oportet antecedat buccinam victoriæ.
Pulcrius nil est quàm cunctis parcere à victoria.
Quæ dirempta sunt naturâ committas victoria.
Quæ fide salva paratur, vera ea est victoria.
Quæ ratio expugnare non quit, vincit importunitas.
Quæ luctu obtinetur absque ullo optima est victoria.
Quam petis maiora, victor tam decoris plus feres.
Quamvis impari cursu pari animo ad palmam tenditur.
Qui negat victo pacem, ultro ei aggerit victoriam.
Qui referire non audebant vicit, hui, per fortiter.
Qui victoriam fatigat nimis, ea uti non cupit.
Quo Minerua cunque vult inclinat se victoria.
Res sæpe est occasionis, haud pugnæ, victoria.
Rebus in multis profectò noxia est victoria.
Rectæ consultationi usque adsidet victoria.
Rectè uti victoria, res pulcrior quam vincere.
Regium indulgere victo resistentem sternere.
Rege sub clementiore victo victor invidet.
Sæpe plus victoria perdit, bellum quam quæsiverat.
Sæpe vincit imperator doctus, nunquam vincitur.
Sæpe victo, non victori, præmium victoria est.
Si deest jus, juris umbra non deest victoribus.
Spes periculosè in sociis ponitur victoriæ
Spem caue ponas victoriæ in homine mercenario.
Summa feminæ, haud videri in prælio, victoria est.
Terminanda præliorum est exitu victoria.
Transferunt victi in victores commoda atque incommoda.
Troia capta, erepta ut illi Palladis pignus fuit.
Turpe victorem virorum feminæ succumbere.
Vbi provisum est ne vincare, sat cito victoria incipit.
Vel ducis sui absque jussu vincere est infamia.
Victor est is quem antecedit pro imperatore æquitas
Victor impera æqua, Sortis mobilis certè rota est.
Victor victis jure belli imperat stipendium.
Victorem asperes necesse est armis pertinacibus.
Vincere aliquid est, sed est plus posse uti victoria.
Vincere atque vinci amantium, unum idemque credi.
Vincere hostes absque civis clade, bis est vincere.
Vinceris non vincis, uti si nequis victoria.
Vinces, hac si adgredere, quidquam nemo timere quæ potest.
Vincit bello, haud pugna, qui bene utitur victoria.
Vincit hostem fortunatus ante quam hostem conspicit.
Vincit is profectò qui omne quod contendit obtinet.
Vincit is vere qui victis vincit hostes commodo.
Vincit qui prior virtute est, non qui multitudine.
Vincitur absque gloria, qui vincitur absque periculo.
Vis equitum citò parat, cito cedit victoriam.
Vita Olympicis quieta est admodum à victoria.
Vltima instans & priores destruit victorias.

§ JAMBICA.

Abscondere, est mage dolus quam victoria.
Adversa victis prona sunt victoribus.
Aliquando, non pugnare, fit victoria.
Aliud est vincere, aliud uti victoria.
Aude, eia: Audere principium victoriæ est.
Audere, pars potissima est victoriæ.
Aufers coronam si aufers adversarios.
Belli exitus præclarus, hosti ignoscere.
Benè vincitur, bellum ubi pensat clementia.
Cadmea multis contigit victoria.
Cave interimas ferro quos hasta viceris.
Cave triumphos ante lauream canas.
Cavere nescit sueta mens victoriis.
Clementior victoria sit quam sævior.
Crudeliter perit quis post victoriam.
Cui caussa pugnæ non sua est, vinci nequit.
Cum vult Deus puer gigantem vicerit.
Cuncta ex Deo: certè à Deo victoria est.
Desit corona, nulla erit victoria.
Ecquem puderet vinci post Carthaginem?
Eluitur omne dedecus victoria.
Esse incruenta non potest victoria.
Etiam cadaver obtinet victoriam.
Etiam feræ jacentem innoxiè transeunt.
Expers cruoris optima est victoria.
Falsus pavor, sæpe obtinet victoriam,
Fastus perennis adsidet victoriæ.
Ferro bene parcit, cui fas vincere est mora.
Fraus incruentas de hoste fert victorias.
Frenis nequit regi ignipes victoria.
Freta Deo virtuti quidvis vincitur.
Frugalitate militum vincas cito.
Furtiva magnis displicet victoria.
Haud factus ullus eloquens victoria est.
Haud parta cuiquam puero fuso gloria est.
Haud redditur cuiquam ratio victoriæ.
Haud ulla contra feminas victoria est.
Hominem supinum ne quidem mordent canes.
Humanitate temperes victoriam
Ius fasque ubi est, ibi est ferè & victoria.
Latrina sæpe podice ipso vincitur.
Laudata ubique mitior victoria.
Melior pro caussa excubat Victoria.
Mores corrupti haud temperant victoriæ.
Noctis quietem ferre victor vix queat.
Non obtinet quicunque avet victoriam.
Nulla est asellum præterire gloria.
Nulli absque damno constitit victoria.
Nunc sortis est, nunc virtutis, victoria.
Nunquam æquitatem deserit victoria.
Nusquam magis cavendum est quam in victoria.
Odium incipit simul ac formido desinit.
Oppedit & cælo ferox victoriis.
Palma cita auctrix militum est frugalitas.
Parata palma quærit imbellem virum.
Permagna vincentum hostium licentia est.
Persæpe pestem invenias in victoria,

Persæpe

Perſape vulnere alieno victor ſternitur.
Petenda habenti haſtam ac parmam victoria.
Piſcem minorem major piſcis devorat.
Plerunq; vincunt vitam qui minimi æſtimant.
Præſagium præſens timor victoriæ eſt.
Præſtantioris haud ſemper victoria eſt.
Præſtat bono vinci, quam injuſte vincere.
Præſumptio rarò felix victoria eſt.
Pulcrum eſt dolabra vincere adverſarios.
Quæ parta facile eſt contemnitur victoria.
Quando ſuo abſque ſanguine eſt victoria?
Qui fortior eſt vincit, non qui innocentior.
Qui non ferit vincitque, vincit plus ſemel.
Quod vincitur facile, facile contemnitur.
Quod vivus abit vecors, vocat victoriam.
Quodcumque libuit, facere victori licet.
Quovis modo fas vincere adverſarium eſt.
Rara abſque ſanguine obvenit victoria.
Rariſſima abſq; lacrimis victoria eſt.
Sæpe in Ducis victoria poſita corpore eſt.
Se melior eſt duplo hoſtem qui vicit ſemel.
Se vincere ipſum, maxima eſt victoria.
Sectare prædam, deſtrues victoriam.
Senſus laboris tolletur Victoriâ.
Solatur & laborem ſpes victoriæ.
Stultus fruitur, ſapiens victoria utitur.
Tandemque Atridis Troia ceſſit tempore.
Terror, genus victoriæ pulcerrimum.
Utique vincit mentis eſt cui ſanitas.
Vera eſt, fatentur quam ipſi hoſtes, victoria.
Viciſſe vivos plus triplo eſt quam mortuos.
Viciſſitatim volvitur victoria.
Victor timere quid poteſt? quod non timet.
Victoris omnes aucupamur gratiam.
Victorum opes inſerviunt victoriæ.
Victoria eſt ſi vel poſt damna haud litiges.
Victoriæ expers nuſpiam ſuperbia eſt.
Victoria haud ſemper favente ſit Deo.
Victoria in bellis, res incertiſſima eſt.
Victoria ingens, minimi ferme impendii eſt.
Victoria offert cuncta fortioribus.
Victoria omnis à bono pendet Duce.
Victoria omnis non niſi eſt prudentia.
Victoriæ ſit cauſſa deſperatio.
Victoriæ eſt pars, hoſtium omnia noſcere.
Victoriæ ſpes, excutit victoriam.
Victoriæ vicina miſericordia eſt.
Victoriam, error prælio haud uni dedit.
Victoriâ uti honeſte, alia eſt victoria.
Victoriam prudens domito hoſti haud exprobrat.
Victoriarum maxima eſt ſe vincere.
Victoriarum ſumma, ſeſe vincere.
Victoris iram, ſi remoraris, aſperas.
Victoribus plerunque adeſt auctoritas.
Victum bello vincas & benevolentia.
Vincas metu flagrorum, quos ferro nequis.
Vinci nequit cui ludus eſt Mors ac jocus.
Vincit Deo adjuvante iners Ignavia.
Vincit ſæpe animus, vincit ſæpe etiam locus.

Victus.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Gregor. Nyſſenus*: Dicentes ad Deum, *Panem da*, non luxum, non delicias, neq; divitias, non floridas veſtes purpureas, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores, non vaſa argentea, non agri copiam ac latitudinem, non imperium, exercitum, non bellorum & gentium præfecturas, non equorum greges, non boum armenta, reliquorumque pecorum magnam multitudinem, non mancipiorum copiam, non claritudinem ac ſplendorem in foro, non columnas, non ſtatuas, non pannos ſericos, non muſica acroamata, neque quidquam tale, per quæ anima à divina ac potiori cura abſtrahitur; ſed panem. Vides latitudinem & ubertatem philoſophiæ? quot ſententiæ brevi hac voce comprehenduntur? tantum non apertè per hanc orationem clamat intelligentibus: Deſinite, ô homines, circa res vanas cupiditatibus diffundi ac diſtineri, deſinite laborum adverſus voſmetipſos cauſſa & materias acumulare; exiguum eſt quod naturæ debes: cibum debes carunculæ tuæ, rem & modicam & paratu facilem ſi uſum & neceſſitatem intueris. cur adverſus temetipſum multiplicas tributa? cujus rei gratia tot debitis teipſum obligatum atque ſubjectum is? argentum ſcrutans, aurum fodiens, & fulgentem materiam requirens? ut tibi per hujuſmodi res perpetuus hic tributorum exactor, venter luxu ac deliciis diffluat? cui panis, qui id quod deeſt corpori ſuppleat, debetur. Tu verò ad Indos negotiandi cauſſa proficiſceris, & in barbarico mari periclitaris, & anniverſariis navigationibus teipſum committis, ut rebus illic importatis & advectis, cibum condias, non conſiderans, quod non ultra palatum ſenſus condimentorum progreditur. Similiter item quod viſu & aſpectu gratum eſt, quod odore, & ore, & facie placet, momentaneam quandam & citò perituram gratiam ac voluptatẽ ſenſui præbet: à palato verò promiſcua & indiſtincta earum rerum quæ immittuntur differentia eſt, æqualiter omnia in malevolentiam & fœtorem naturâ tranſmutantur. Vides finem obſoniorum. vides effectum impoſturæ culinariæ, ciborumq; conditionis? panem pete propter vitæ neceſſarium uſum: hujus te corpori debitorem natura fecit, cætera quæ præter hæc, ſolertia delitiis ac luxui deditorum excogitata ſunt, &c. *Homilia quarta in Orationem Dominicam.*

D. Chryſoſtomus: Dignus eſt operarius mercede ſua. Itaq; ſi quis delicatus, aut remiſſus fuerit; dignus profecto non eſt. Niſi quis fuerit bos triturans, & contra gelu & ſpinas jugum ſuſtinens traxerit, neq; ante diſceſſerit, dignus non eſt. Oportet ergo doctoribus neceſſarium victum affatim miniſtrari, ne deficiant, neq; ſolvantur, neq; minimis occupati, magnis ſeipſos atque alios privent, ut ſpiritualia operentur, nullam ſecularium habentes rationem. Hujuſmodi Levitæ erant, qui nullam ſecularium rerum habebant curam quemadmodum laici ipſis quoq; Levitarum erat cura permiſſa, & lege illis conſtituti fuerant reditus, decimæ, aurum, primitiæ, vota, & alia plurima, verum illis lege, iſta merito permittebantur, præſentia tantum & terrena quærentibus. Ego eccleſiæ præſules audenter dixerim nil præter victum & veſtitum habere oportere, ne ad iſta trahantur deſiderio. *Homilia decimaquinta ad Timoth.* 1.

S. Iſidorus Pelusiota: Corpus, vir optimè, alimento non deliciis, paucitate non ſaturitate, ſufficientia non magnificentia ſumptuũque profuſione opus habet. Illæ enim & animo & corpori utilitatem afferunt, ut quæ & ſanitatem & robur, & optimam habitudinem concilient: hæ autem utriq; parti obſunt. Neq; enim duntaxat ſanitatem labefactant, verùm etiam graves morbos parturiunt. Argumẽto perſpicuo illud eſt, quod ii, qui ita vivunt, ut paucis rebus egeant, eos qui molle ac luxu diffluens vitæ genus ſequuntur, & ingenii acumine, & prudentia, & corporis valitudine ſuperant. *lib. 2. Epiſt. 57.*

❡ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Xenophon: Hæc lòquutus, prehendit Gobryæ dextram, & ſurgens abiit, ſuis omnibus ſecum eductis. Quumq; multum à Gobrya rogaretur, ut intus cœnaret, noluit: ſed in caſtris cœnavit, & Gobryam in cœna convivam adhibuit. Accumbens autem ſtramineo in toro, ſic eum interrogavit. Dic mihi mi Gobrya, inquit, utrum exiſtimas plura tibi eſſe toralia, quam cuique noſtrum? Profecto, inquit, vobis plura ſunt, ſat ſcio, tum ſtragula, tum lecti: & domus veſtra longe amplior eſt, quam mea, quibus terra & cœlum domus uſum præbent. Etiam tot vobis lecti ſunt, quot ſupra terrã cubilia. Præter lanas ovium non habetis pro ſtragulis, ſed quæcumque ſarmenta tum montes, tum campi ſuppeditant. Ac Gobryas quidem tunc primum apud eos cœnans, quum ciborum, qui adponerentur, utilitatem cerneret: multo illos liberalius ſuis degere judicavit, eorum in veſcendo moderatione conſiderata.

Etenim ad nullum neque cibum neque potum Perſam diſciplina inſtitutum gentilicia ſic commoveri vel oculis adpareret, vel rapacitate, vel animo: minus ut providus ſit, quam ſi cibus non adeſſet: ſed ut homines equeſtres propterea, quod in equis non perturbantur, inter equitandum & cernere, & audire, & dicere, quæ ſit neceſſe, poſſunt: ita & illi prudentiam ac moderationem in veſcendo exhibendam cenſent, ac prorſus caninum belluinumque ducunt, à cibis & potu commoveri.

Animadverterit etiam eos de rebus ejuſmodi ſeſe interrogare, de quibus jucundius eſſet interrogari, quam non interrogari: & ſalſe quædam dicere, quibus perſtringi jucundius eſſet, quam non perſtringi: & ita jocari, ut omnis contumelia longè abeſſet, longè turpis actio, longè animorum ex indignatione contra ſe invicem commotio. Maximum verò ei viſum eſt, quod quum eſſent in expeditione, nemini eorum, qui periculum idem adibant plura putarent adponenda: ſed epulum id lautiſſimum ducerent, ſi eos, quos belli ſocios habituri eſſent, quam fortiſſimos & optimos efficerent.

Quum autem Gobryas domum iturus ſurgeret, dixiſſe perhibetur: Equidem, mi Cyre, non ampliùs miror nos copiam majorem poculorum, veſtium, auri poſſidere, quam vos:

sed vobis tamen multò esse minoris æstimandos. Quippe nobis est curæ, ut copia illorum adfluamus: vos id eniti studiose mihi videmini, ut longè præstantissimi sitis. *cap.* 11 *lib.* 5. *Cyropadia.*

Xenophon: Socrates usq; adeo frugalis erat, ut haud sciam, num quis lucrum tam exiguum labore suo facere possit, quod non alendo Socrati sufficeret. Quippe cibi tantum sumebat, quantum jucũde comederet. Ad eum sic paratus accedebat, ut adpetitus ei cibi esset obsonium. Etiam quivis potus ei gratus erat propterea, quod non biberet, nisi sitiret. Si vero nonnumquam invitatus ad cœnam vellet accedere, tum id, quod difficillimum est plurimis, cavere scilicet, ne quis se repleat ulterius, quam commodum sit: ipse perquam facile cavebat. Illis autem, qui hoc facere non possent, auctor erat, ab iis ut sibi caverent, quæ suadent, ut tametsi quis non esuriat, nihilominus tamen edat; ac non sitiens, bibat. Hæc enim illa esse dicebat, quæ & ventribus, & capitibus, & animis exitio sint. Quinetiam ridens narrabat, Circem ex hominibus hoc modo fecisse sues, quod multis talibus eos in cœnis exciperet. Verum Ulyssem partim Mercurii monitu, partim quod ipse temperans esset, seque cohibere posset, quominus intempestivè hujusmodi attingeret; idcirco in suem mutatũ non fuisse. Atq; hujusmodi de his serio simul, ac joco proferebat. *cap.* 18. *lib.* 1. *Memorab.*

Philostratus: Euxenus interrogato Apollonio, undénam Pythagoricæ vitæ sumpturus esset exordium: unde, inquit medici solent. hi namq, ventres primo purgantes, alios quidem à morbis intactos servant; alios vero jam ægrotantes ad sanitatem reducunt. his dictis ab omni animalium esu abstinuit, quod carnium comestio impura mentis aciem hebetaret: terrestribus vero fructib. atq; olerib. vescebatur; pura esse dicens quæcunq; à terra darentur hominibus. Vinum autem puram quidem asserebat esse potionem, cũm ex arbore minimè silvestri ad homines perveniret; verumtamen ipsum bono statui mentis adversari ajebat, quod ejus sublimem divinamque partem aliquando perverteret. *fine cap.* 5. *lib.* 1. *Apollonii.*

Libanius: Panem & aquam sufficiens alimentum ducite: sumentes lætamini. *Declamat.* 10. *extremo.*

Libanius: Quæ ad alendum orta sunt, & legibus probata ab initio, non omnia data nec concessa sunt verum horum inquisitio & censura fit quæ tellus & mare hominibus tribuunt. Quæ vero neq; natura, neq; lex communis ostendit, cùm hæc Potidæatis ad epulandum apposueritis, hominibus initiatis & castè ab illis etiam cibis abstinentibus, tanquam religiosi nobiscum disseretis. *Declamatione* 19.

§ POETARUM.

Prudentius Psycomachia 6.

Ingluvie pereunte, licet requiescere sanctis.
Summa quies, nil velle super quam postulat usus
Debitus, ut simplex alimonia, vestis & una
Infirmos tegat ac recreet mediocriter artus,
Expletumq; modum Natura non trahat extra.
Ingressurus iter, peram ne tollito, neve
De tunica alterius gestamine providus ito.
Ne te sollicites res crastina, nec cibus alvo
Defuerit: redeunt esca cum sole diurno.
Nonne vides ut nulla avium cras cogitet? ac se
Pascendam, præstante Deo, non anxia credat?
Confidunt volucres victum non desore vites,
Passeribus subest modico venalibus asse
Indubitata fides, Dominum curare potentem
Ne pereant. tu cura Dei facies quoque Christi.
Addubitas ne te tuus unquam deserat auctor?
Ne trepidate homines! vita dator, & dator esca est.
Quærite luciferum cœlesti dogmate pastum,
Qui spem multiplicans alat inviolabilis ævi
Corporis immemores, memor est qui condidit illud,
Suppetitare cibos, atque indiga membra fovere.

Plautus Rudente 2. sc. 1. pr.

Omnibus modis qui pauperes sunt homines, miseri vivunt
Præsertim quibus nec quæstus est, nec didicere artem ullam:
Necessitate quidquid est domi, id sat est habendum.

§ EMBLEMATIS.

Catsius Emblemate sacro 24.

Non labore, sed munificentiâ Domini.

Saxa solent volucres circumvolitare marina,
Prædaq; dum petitur, non datur ulla quies,
Concha loco non mota, sui non anxia victus,
Nunc bibit, æquoreum nunc spuit ore salem.
Hanc, dum testa patet, rigido petit improba rostro,
Dumq; petit, rostro capta remansit avis.
Quos manus alma Dei beat, hos beat absque labore.
Sponte replet placidos præda petita sinus.

§ APOPHTHEGM. SACROR.

D. Augustinus: Mensa usus est frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando propter hospites vel quosque infirmiores continebat. Semper autem vinum habebat, quia noverat & docebat, ut Apostolus dicit, quod omnis creatura Dei bona sit, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et idem Augustinus in suis confessionum libris dixit, Non ego immunditiem obsonii timeo, sed immunditiem cupiditatis: &c. *Possidonius in vita D. Augusti cap* 22.

D. Martinus: Lycontius vir illustris, Martini precibus maxima plaga liberatus, beneficium acceptum agnoscens, centum argenti libras obtulit, quas Martinus nec respuit, nec recepit. Sed priusquam pondus illud monasterii limen attingeret, redimendis id captivis continuò deputavit. & cum ei suggereretur à fratribus ut aliquid ex eo in sumptum monasterii reservaret, omnibus enim angustum esse victum, multis deesse vestitum: Nos, inquit, Ecclesia & pascat & vestiat, dummodo nihil nostris usibus quæsisse videamur. *Sev. Sulpit. dialogo.* 3. *cap.* 18.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Caussa ventris major vivit portio mortalium.
Ob cibum potumque quisque se suosque macerat.
Omni vitam quære ab arte, dummodo haud sit improba.
Pluribus summa est curarum, quidnam edant, quidnam bibant.
Plurimi ipsa morte quærunt unde possint vivere.
Potionibus mactamur percoquatur ut cibus.
Simplici corpus cibatu pasce, animam verbo Dei.
Vita vera est quam Dione, Bacchus & Ceres regit.
Visu victus mitioris exarmaris vel feras.

§ JAMBICA.

Ars quæque ventris exercetur gratia.
Natum est Meum, Tuumque, propter vivere.
Qui cogitat de victu, altum nunquam sapit.
Ventri replendo ars artifexq; serviunt.
Ventrem aufer, artes universas auferes.

Videantur alia titulo *Abstinentiæ, Cibi, Convivii, Frugalitatis, Gulæ, Jejunii, Luxus, Mediocritatis, Sobrietatis.*

Victi Bello.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

A Viro belli perito vincitur semper rudis.
Assiduitate aliquando belli vincimur.
Auriga optimus nec omni vincit in certamine.
Cave sis te superare servum siris faciendo bene.
Cum templa Deum interire, non mors sed victoria est.
Dum decus tuum ipse extollis, addis victo gloriam.
Est ubi suos victores victa natio premit.
Est ubi victum esse præstat quam potenter vincere.
Est ubi victus bene audit, est ubi victor male,
Fortiter victus, lucratur extimum in malis decus.
Gloriam amplectere mortis si bona victus fide es.
Haud vocanda est, vivus exis si fuga, victoria.
Imò enimvero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli.
Invicem se amare victor atque victus vix potest.
Ira trux vires secundas sæpe victis addidit.
Majus est mutare mentem, quam hosti corpus tollere.
Nemo ab altero tam sæpe, ab ipso se quam vincitur.
Nemo vere occasione, sed virtute vincitur.
Non is vincitur quem in armis stantem multus obruit.
Plus quidem est quam victi præbere ora contumeliis.
Prælio victos virtute ni regas, te deserunt.
Pro patre est quicumque belli te ruinis eripit.
Pro victoria est, si jure vinci quis se intelligat.
Quanquã atrociter loquantur, animi apud victos minus est.
Qui bene est mortem suam ultus, bella ceu victor gerit.
Qui viros superavit, illum turpe vinci à feminis.
Sæpe pugnâ victus, omnes gloriâ vincit tamen.
Sæpe vincitur qui, hostes antequam videt suos.
Sapiens fusum pavere militem, indignissimum est
Se putat victum nisi vincit illico suetus vincere.
Solum id de victis feretur, victor quod narraverit.
Turpe non est vinci ab illo, quem nefas est vincere.
Turpe non est vinci ab illo, vincere essit quem nefas.
Victorum ferunt imperia victi, vitia non ferunt
Victus est qui animo, non etiam qui succubuit corpore.
Victi leges accipiunt, dicuntur a victoribus.
Vinci ab æquo quis bonoque contumeliam autumet.
Vinci ab inferiore, nec dolere, hominis adamantini est.
Vinci ab ipso se, turpissima atque clades pessima est
Vincitur semper, quicumque victus est animo semel.

§ JAMBICA.

A femina vinci virum ingens dedecus.
A fortiore vinci, laus est, non probrum.
A fortiore vinci opprobrio vacat.
Ab hoste victus, & suis contemptui est.
Aliquando vinci aque est honestum ac vincere.
Aliquando victis ira item ac virtus redit.
Aliquando vinci tam pulcrum est quam vincere.
Cave esse amicos credas, quos deviceris.
Dat jura victor victis, haut etiam accipit.
Felix jacet, quicunque quos odit, premit.
Fer victus aqua mente quod victor tulit.
Haud semper animus vincitur cum corpore.
Haut turpe vinci ab eo quem vincere est nefas.
Iam non pudori est vinci, post Carthaginem.
Legem ferunt victores victi perferunt.
Licentia victis auferenda injuria.
Narrare victus pralia quis velit sua?
Narrare victus qui clades velit suas.
Nemo sibi vult anteiri à proximis.
Nemo petisse veniam ante victus quam fuit.
Nostro ferè in plerisque vincimur bono.
Persape victis, non vinci victoria est.
Putare amicos noli eos quos viceris.
Quemadmodum vult victo victor imperat.
Qui vincitur animo hostis, vere vincitur.
Quidquid perit victis, perit victoribus.
Spoliare victos jure fas est bellico
Sunt pleraque in queis vincimur nostro bono.
Turpe hostibus, sed amanti cedere turpius.
Vel vince bello, vel meliori obtempera.
Vinces parens à filio qui vincitur.
Victus semel, nulli hostium est formidini.
Victus semel, tentare sortem iterum potest.
Victi est triumphus, si una victor interit.
Victi levamen unicum in concordia.
Victos bono potius retineas, quam malo.
Vincuntur universi, ubi pugnant singuli.
Virtute vinci in acie turpe Principi est.

Viduitatis

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Chrysostomus*: Nunc autem quia adeo deorsum tendimus & delabimur, & mariti uxores plusquam Deum diligimus, & uxores maritos Deo præferimus, ideo nos vel invitos ad sui trahit desiderium. Ne diligas maritum plus quam Deum, & nunquā senties viduitatē. Imo vero etiāsi acciderit, ejus nullū sensum capies. Quare? Quoniā defensorē habes immortaleq; magis diligit. Si Deū magis diligis, ne lugeas. Nā qui magis diligitur est immortalis: nec sinit ut accipiatur sensus ejus qui minus diligitur. In exemplo faciam hoc te tibi facere. Si habeas maritum omnia facientem ex animi tui sententia, qui est in bona existimatione, estque clarus ubique & illustris, & qui minime est contemnendus, & commendatur apud omnes, estque sapiens & intelligens, & te diligit, & propter eum beata reputaris, & cum eo parias quoque filium: deinde priusquam ad maturam veniat ætatem, hic excedat, senties ne luctum? Nequaquam. Nam is qui magis diligitur, illum obscurat & abscondit. Et nunc si Deum quidem plus ames quam maritum, maxime quidem cum cito non accipiet. Quod si etiam acceperit, ejus luctus sensum non habebis. Propterea beatus quoque Job nihil est grave passus, quum repentinam & simul illatam audisset mortem filiorum: quoniam Deum plus amabat quā ipsos. Eo ergo vivente qui diligitur, illa eum nullo erant dolore affectura. Quid dicis, ô mulier, maritus & filius te defendebant, & tui curam gerebant: Deus autem tibi non parcit? Eum ipsum quis tibi dedit? Te autem quis fecit? non ipse, qui ex nihilo ad hoc ut esset adduxit, animum inspiravit, & mentem indidit, & cognitionem tibi largiri dignatus est, & filio suo unigenito propter te non pepercit? Tibi non parcit, conservus autem parcit? Quam non iram excitant hæc verba? Quid tale habuisti à marito? Nihil potes dicere. Nam etiamsi te aliquo affecit beneficio, sed id fecit, quum tu prior incepisses: De Deo autem nihil tale dixerit quisquam. Nō enim Deus nobis benefacit, ipse prius beneficio affectus. Sed quū nullius egeat, ex sola bonitate benefacit hominum generi. Regnū tibi est pollicitus, dedit vitam immortalem, gloriam, fraternitatem, filiorum adoptionem, fecit cohæredem unigeniti. Tu autem post tot & tanta bona adhuc meministi mariti? Quid ille donavit ejusmodi? Solem suum fecit oriri, pluviam dedit, annuis pascit alimentis. Væ mihi quam est ingratus tuus animus. Propterea tuum maritum accepit, ut eum non quæras. Tu autem eum qui excessit adhuc sectaris. Deum vero dimittis, quum oporteret gratias agere, quum oporteret universum in ipsum conjicere. Quid enim est quod accepisti à marito? Partus dolores, labores, & contumeliæ, & sæpe maledicta, & increpationes, & indignationes. Non hæc omnia à maritis? Sed sunt adhuc, inquit, bona alia. Quænam hæc? Me splendidis & pretiosis ornavit vestimentis, faciei aurum imposuit: me fecit omnibus reverendam. Sed si velis, longe meliori te ornabit ornamento quam is qui excessit. Facit enim longe admirabiliorem quam aurum eam quæ habet, honestas, gravitas & tēperantia. Habet hic rex vestes, non tales, sed longe meliores ac præstantiores. Illis si velis, induere. Quænam autem sunt eæ? Est vestitus aureas habens fimbrias: eo si velis indue animam. At efficit ut non contemptui habereris ab hominibus. Et quid hoc magnū? viduitas quidem certe non sinit ut contemptui habearis à dæmonibus. Tunc dominatum obtinebas in tuos famulos, si modo omnino obtinebas. Nunc autem pro famulis dominatum obtines in incorporeas, principatus, potestates, rectores hujus mundi. Molestias autem non dicis, in quibus simul cum eo versaberis, si quando vexabat metus magistratuum, si quando vicinorum melior existimatio. Ab his omnibus nunc es liberata, à terrore & metu. Sed sollicita es quis relictos tibi nutriet filios. Pater orphanorū. Quis enim ipsos dedit, dic quæso; Non audis Christum dicentem in Evangelio, Nonne anima est plus quam esca & corpus quam indumentum? Vides lamentationem non esse ex consuetudine, sed ex incredulitate. At filii non sunt æque clari & illustres, quum pater decesserit. Quare? Deum habent patrem, & non sunt æque clari & illustres? Quam multos tibi ostendam à viduis educatos, qui fuerunt viri probi & bonæ existimationis? Quam multos autem à patribus, qui perierunt. Si enim eos educas ut oportet à prima ineunte ætate, majori fruentur beneficio quam curæ paternæ. Quod enim hoc sit viduarum munus, nempe filios alere, audi Paulum dicentem, Si filios educavit. Et rursus, Salvabitur autem per filiorum generationem. Non dixit, per maritum. Si permanserit in fide & charitate & sanctificatione cum temperantia. Indite eis Dei timorem ab ineunte ætate, & is eos magis custodiet quam quivis pater. Hic erit murus infractus. Quando enim intus fuerit residens custos; nihil nobis externis opus est munitionibus. Si autem non sit, temere fiunt quæcunque externa. Hoc erit eis & divitiæ, & gloria, & ornamentum. Hoc eos faciet claros & illustres, non in terra, sed etiam in cælis. Ne mihi enim ad illos adspexeris qui cincti sunt zonis aureis, nec ad eos qui vehuntur equis, nec ad eos qui splendent in regia propter patres, nec ad eos qui asseclas habent & pædagogos. Hæc enim fortasse faciunt viduas plangere propter orphanos, sic cogitantes, hic meus filius, si pater ei fuisset superstes, tantam adeptus esset beatitudinem: nunc autem est in mœrore & contemptione, & in nulla existimatione. Ne hæc cogites, ô mulier, sed cogitatione aperi cæli portas, disce eam quæ illic est regiam, vide eum qui illic sedet regem: reputa an ii qui sunt in terra possint esse clariores filio tuo qui illic est, & tunc suspira & ingemisce. *Homilia 6. ad Thessalonicenses.*

D. Chrysostomus: Maxime viduam facit, si non modo viri solatio, sed & filiorum quoque privata sit. habet autem illorum vice omnium Deum. *Hom. 13. ad Tim. 1.*

D. Chrysostomus: Plurimæ idcirco viduitatem eligunt, non ut laxioris vitæ occasiones amputent, sed ut eas magis incendant; ut scilicet cum majori auctoritate omnia gerant, liberiusque se ipsas voluptatibus tradant. *Hom. 13. ad Tim. 1.*

D. Chrysostomus: Si miles lavacris ac spectaculis vacans, intētusque negotiis, veluti desertor militiæ, jure damnatur: multo magis viduæ, quæ deserto munere suo delitiis student. ergo quæramus heic requiem, ut futuro sæculo illam inveniamus. *Homilia 13. fine ad Tim. 1.*

Isidorus Pelusiota: Si in viduitate perstas, ne iuvenilem in modum te geras. Quod si & ornate atque eleganter induta es, & luctus nomen obtines, hæ duæ res parum inter se consonant. Aut igitur alterum relinque: aut pudorem ac verecundiam contumelia ne affice. *lib. 1, Epist. 179.*

Isidorus Pelusiota: Matrimonii vinculo astrictus fuisti. Hoc autem Dominus conducibiliter, atque ad animæ utilitatem accommodate solvit. Neque enim quicquam eorum, quæ ab eo fiunt, commodi ac lucri expers est. Quoniam igitur mundanam, ac non divinam, solitudinem habet vitæ societas, solutus es ab uxore, noli quærere uxorem: ne te malueris venenum corrumpat, ad alterum voluptatis congressum te tanquam præstigiis quibusdam illiciens, carnalesque blanditias, atque inutiles curas & suspiciones docens. Verum ad montem nostrū, ut animæ tuæ saluti consulas, te confer. *lib. 1. Epist. 213.*

§ LATINORUM.

Zeno: Age viduæ, qua sicut innocens virgo, nubere sæpe festinas, interroganti responde, bonum ne amiseris maritum, an malum? Si malum: & desideras nubere, digna es, quam pejor affligat. Si bonum, fidei serva signaculum pati non meretur injuriam ipse, cui perhibes testimonium. Ubi est ille, qui invicem desiderantibus vobis tardior cæteris videbatur primus matrimonii dies? Ubi pretiosæ virginitatis festa utrisque dulcis occisio? Ubi amor, qui in æquo, unitoque conjugio è duobus altero superante non moritur? Tu ne non illa es, quæ mariti corpus expositum lavasti lachrymis: osculis detersisti: criminum damno velasti: scissis genis: livore fœdatis uberibus, sordido plus pulvere tecta, quam veste? Tu in-

quam, non es, quæ nunc cælum ipſum ululatibus rumpens poſt talem maritum puncto temporis viverete non poſſe clamabas? Nunc eluſis dolore gemittibus, ſæpe mortua ſpiritu, labentibus membris ad terram incertas reddebat exequias: cui magis lachrymas commodarēt mortuo ne, an morienti? Poſt hæc, ſi libet nubere, omnia illa mentita es? Ecce rurſus ad lenocinia redis: colorem de pixide mutuaris paulo ante damnatum. Ecce indulgenter excolis crinem: odorato pulvere luctus pulverem mutas: in ſtibio fletus includis: ornamento ligas, quod ſuſpendio voveras, collum: ab ſpeculo oracula inquiris, quam commode poſſis circumſcribere petitore. Quicquid feceris, virgo jam non eris: unum tamen ſcio, quia nihil diſtat à prodigio, quiſquis alterius cauſa & formam mutat, & mores. Sed dicis, ardor me tenere compellit ætatis. Credo. Ecce nupſiſti. ut de fragilitate humanitatis: caſibus ut de cæteris taceam: ecce maritum tuum poſtridie aliqua neceſſitas rapit, quæ à te longe diſtractum decennio, vel eo amplius, ut aſſolet fieri, detineat relegatum. quid facies? obſervabis ne redeuntem, an ardori quæres aliunde remedium? ſi obſervantiam pollicere: ſine dubio fallis, cujus impatientiæ profeſſio jam tenetur. Si es autem ſumptura remedium, dubium non eſt, hoc eſſe ſolum, ut flammas tuas maritalis gladii contemplatione compeſcas. Mihi crede, non habet concupiſcentia locum, ubi patientia dominatur: ubi vivitur ſobriè: ubi mors timetur. Itaque hác obſervantiam: hunc timorem, quod eſt verius, atque juſtius, transfert ad Deum: & quale velit illud ſit, repente extinguetur incendium. *Sermone de continentia.*

Io. Sarisberienſis: Cum Trajanus Imp. jam equum aſcendiſſet, ad bellum profecturus, vidua apprehenſo pede illius, miſerabiliter lugens, ſibi juſtitiam fieri petiit, de his qui filium ejus optimum, & innocentiſſimum juvenem injuſte occiderant. Tu, inquit, Auguſte imperas, & ego tam atrocem injuriam patior? Ego, inquit Imperator, ſatisfaciam tibi cum rediero. Quid inquit illa, ſi non redieris? Succeſſor meus, ait Trojanus, ſatisfaciet tibi. Et illa, Quid tibi proderit, ſi alius benefecerit? Tu mihi debitor es ſecundum opera mercedem recepturus. Fraus utique eſt, nolle reddere quod debetur. Succeſſor tuus injuriam patientibus, pro ſe tenebitur. Te non liberabit juſtitia aliena. Bene agetur cum ſucceſſore tuo, ſi liberaverit ſe ipſum. His verbis motus Imperator, deſcendit de equo, & cauſam præſentiabiliter examinavit, & condigna ſatisfactione viduam conſolatus eſt. *lib. 5. cap. 8.*

❡ Oratorum Romanorum.

Quintilianus Senior: Et per ſe imbecilla res femina, & affert infirmitati naturali non leve pondus quod vidua eſt. *Declamatione 338. p.*

❡ Poetarum.

Plautus Milite 4. ſc. 1. v. 18.

Nupta ea eſt an vidua? P. & nupta & vidua. PS. quo pacto poteſt
Vidua & nupta eſſe eadem? P. quia adoleſcens nupta eſt. cum ſene.

Terentius Heantontim. 5. ſc. 1. fine.

Non (ita me Dii ament) auderet facere hac vidua mulieri
Qua in me fecit.

❡ Fabula.

De vidua, qua operarium ſuum ſibi conjugio copulavit. Fab. 102

Vidua quædam conquerebatur cum operario, quem ad fodiendum agrum conduxerat, quod omni auxilio deſtituta, non poſſet & viri & mulieris pariter officium ſuſtinere. Tunc operarius eam exhortari cœpit, ut virum acciperet, qui bonam magnamque partem oneris ei demeret, pollicituſque eſt, ſe eam ſibi marimonio copulaturum ſi eum tali officio idoneum judicaret. Tum mulier non ulterius cunctandum rara, cum hunc ad opus maritale admodum aptum arbitraretur, fac inquit, quicquid vis, deinde (erat enim hora prandii) comedemus. Operarius & hujusmodi confabulatione, & viduæ forma ad venerem incitatus, Sylvano auſpice matrimonium conſumavit, proque agro viduam fodere cœpit.

Fabula indicat, quam facile humana mentes venerea voluptate capiantur. Abſtemius.

❡ Monosticha Trochaica.

Matris eſt loco privignis vidua ducta liberis.
Non placet multis qua multis copulatur femina.
Vidua & nupta eſt eadem, quia adoleſcens nupta eſt cum ſene.

❡ Iambica.

Aſcendit in calum usque vidua lacrima.
Minime docilis vidua eſt ad illa qua velis.
Nequeunt manere vidua adoleſcentia.
Sponſum decent lubentia atque gaudia.
Turtur pare extincto, alteri non jungitur.
Vidua ſuam rem diminuunt, augent viri.

Vigilantiæ.

❡ Sententiæ Patrum.

D. *Chryſoſtomus*: Omnia ita agamus ut nunquam dormitemus. Non videtis quod cum cuſtodes ſæpe ſomno ſe parum dederint, eis magna cuſtodia nihil profuit? nam per illud paucum, univerſum perdiderunt magna data licentia ac ſecuritate ei qui voluerit ſuffurari nam ſicut nos non ita videmus fures, ſicut illi nos, ita etiam Diabolus omnium maximè inſtat & inſidiatur &c. *Homil. 9. ad Theſſalon.* 1.

Chryſologus: Vigila homo, vigila, habes exemplum, ut quod tibi gallus impendit hoſpiti, tu tuo exhibeas creatori: præſertim cum tibi ille inſonat profuturus, cum te ad opus ſuſcitat, eum diem nunciat jam vicinum; quanto magis hymnis cæleſtibus te Deum de ſuperna ſede tuam ſuſcitare convenit in ſalutem. *Serm.* 21.

Chryſologus: Semper & ad omnia vigilias eſſe ſalutares nullus ignorat: quia re vera plus vigilare, plus vivere eſt. Nam quid tam mortis ſimile, quam dormientis aſpectus? quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? Indulgendum ſomno eſt, ut corpus reparet, non reſolvat: & vires revocet, non enervet. Semper ergo ad omnia vigilias eſſe ſalutares nullus ignorat. Quæ ars, quod opus, quod tempus, quæ poteſtas, quod officium. non vitæ lucra lucubratione perquirit? Hinc eſt quod rex in procinctu pervigil callidi hoſtis præcavet, & evitat inſidias: tunc in caſtris miles ſupervenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. Si nauta vigilando diffuſi itineris incertas vias intrat, & calles tranſit invios, & veſtigio furtivo ad lucroſi portus votivam pervenit manſionē. Hinc paſtor adjungit noctes diebus, & totum ſibi tempus denegat dormiendi: ne qua lupis ſuffragante ſomno, graſſandi in gregem præbeatur occaſio Sic viator ſolers per auras noctis æſtus ſolis prævenit: actumque diem providentius deputat manſioni. Hoc propheta ſciens non die ſolo, ſed de nocte tota clamabat ad dominū: Domine Deus ſalutis meæ in die clamavi, & nocte coram te. *Sermone 24. pr.*

Chryſologus: In procinctu belli ſemper vigiliæ ſunt militum diſtributæ; ut inſidiis nihil liceat, nihil pateat dolis. Perniciosiſſimus nimis eſt repentinus hoſtis. nam aut inſcios prævenit, aut incautos præoccupat, aut opprimit dormientes. *Sermone* 27.

❡ Oratorum Græcorum.

Onoſander: Complures undique cuſtodes diſponat, ut vicario munere tempore noctis diſtributo, alii quidem ſomno indulgeant, alii rebus ſedulo invigilent. Nec enim aliqui ſolidam noctem pervigilare cogendi ſunt; nec iis, etſi ſponte ſe id facturos ſpondeant, fides adhibenda. nam ſæpe fit, ut nobis etiam invitis, cedentia membra ſomnus ultrò ſubeat. adeòque ſtent recti qui in excubiis erunt. nam ſedentibus aut jacentibus nimia quies languidum facile ſomnum inducit; at crurum erectio animum quoque ad vigilias erigit. Cuſtodiarum ignes ardeant à caſtris longius. Si enim qui excubabunt, ſuos procul ab ignibus conſpicere poterunt; ab hoſtibus autem qui ultra ignes erunt, non videbuntur, donec ipſi in excubantium manus inciderint. *cap. 9. Strategetici.*

❡ Emblematum.

Camerarius 27. Centur. 3.
Ne improviſo. *Grus cum lapide.*
Excubias vigilanter agas, tibi ne irrat hoſtis,
Ceu vigil exemplo te monet ordo gruum.
Camerarius 50. Centur. 2.
Cura vigil.
Vt cum laude geras res, expergiſcere, magnas.
Et tibi ſit galli cura magiſtra vigil.

❡ Apophthegm. Sacror.

Ieſus Chriſtus Dominus noſter: De noviſſimis diebus differens dicebat diſcipulis ſuis, cavete, vigilate, & orate: Neſcitis, enim quando tempus illud ſit futurum. Nam filius hominis ita eſt ut quiſpiam qui peregre abiens relicta domo ſua, dataque ſervis ſuis poteſtate, ac ſuo cuique opere, janitori mandavit ut vigilaret. Vigilate igitur (neſcitis enim quando Dominus domus veniet, veſpere, an media nocte, an in gallicinio, an mane) ne quum repente venerit, inveniat vos dormientes. Quæ autem dico, omnibus dico, Vigilate. *Marc 13.33. &c.*

Georgius Princeps Anhaldinus: Solebat dicere, valde optandum eſſe, ut quiſque tam diligenter ad ſe reſpiceret, quam acriter inquireret in alios. *Ioach. Camerarius in vita ejusdem Principis.*

❡ Monosticha Trochaica.

Excubat caleſte numen pro ſalute civium.
Iura ſcripta ſunt vigilanti, eis qui dormiunt.
Lumen oculi omne muris nocte quisquis eſt vigil.
Qualibet pro civitate quodque excubat.
Rex Creo vigiles nocturnos ſingulos ſemper locat.

¶ JAMBICA.

Regis propria est Vigilantia atq; industria.
Vigil sopitus castra sæpe perdidit.
Vigilat superni utrobique Numinis æquitas.
Vigilandum est semper: multa insidiæ sunt bonis.
Vigilare plus alio, est alio plus vivere.
Vnâ esse nequit Saturitas ac Vigilantia.

Vindictæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Ita moribus comparatum videmus, ut qui referendæ injuriæ potestatem nactus sit, præsertim si ob ea quæ perpessus est, justam irascendi caussam habeat, sermonis iram reprimentis freno minimè pareat. *Oratione* 4.

D. Nazianzenus: Alexandrini Gregorium Capadocem tum novo mortis genere, tum novo dedecore mortem ejus notandam atque infamandam duxerunt, meo quidem judicio haud recte. nec enim quid eum pati, sed quid nos facere decebat, spectandum fuit. *Oratione* 21. *in laudem D. Athanasii.*

D. Nazianzenus: Simul atque Athanasius ad Ecclesiam pervenit, non eodem modo affectus est, quo ii solent, qui per iræ impotentiam cæcutiunt, &, ut quidque primum occurrit, ita illud, quamlibet etiam dignum, à quo manus abstineantur, protrudunt aut feriunt, ira nimirum animi principatum tenente. Verum hoc potissimum tempus ad nominis celebritatem & gloriam idoneum sibi esse arbitratus, (quandoquidem, ferè fit, ut qui in calamitate versatur, moderatiorem se præbeat, qui autem referendæ injuriæ potestatem nactus est, insolentius se gerat) tanta lenitate atque humanitate res eorum, à quibus læsus fuerat, administravit, ut ne iis quidem ipsis, si hoc dici potest, ipsius reditus molestus fuerit. *Oratio.* 21.

D. Chrysostomus: Qui injuriam passus est, si quando debilitatus fuerit, non ita propriis suis bonis afficietur, ut supplicio ejus per quem contristatus fuerat. nihil enim adeo jucundum est atque de inimico sumptum videre supplicium. *Homilia* 22. *ad Rom.*

D. Chrysostomus: Quomodo ergo animum molliemus? quomodo flammam extinguemus? Si nostra ipsorum peccata mente versemus quantum Deo debeamus, & ad ei reddendam rationem simus obnoxii. Si cogitemus, quod non ulciscimur inimicum, sed nos ipsos: si cogitemus, quod diabolum lætitiâ afficimus; quod nostrum inimicum, qui verè est inimicus, propter quem membro nostro injuriam facimus. Vis acceptæ injuriæ esse memor, & inimicus? Sis inimicus; sed diaboli, non membri tui. Propterea nos animo & ira armavit Deus; non ut ensem in nostra corpora adigamus, sed ut totum gladium in diaboli pectore immergamus. Illic include ensem usque ad manubrium, si vis, & ipsum manubrium: nec unquam evulseris, sed etiam adde alium. Hoc autem fit, quando nobis ipsis parcimus, quando pacatè inter nos affecti sumus. Pereant pecuniæ, pereat gloria & bona existimatio meum membrum est mihi omnibus pretiosius. Hæc apud nos dicamus. Ne nostræ naturæ injuriam faciamus; ut pecunias acquiramus, ut gloriam consequamur. *Homilia* 14. *ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Non videtis quod apis in stimulo moriatur? Per hoc animal nos erudit Deus ne propinquos molestia afficiamus. Ipsi enim prius mortē accipimus. Illos quidē fortasse parū molestia affecimus: ipsi autem non amplius vivemus, sicut nec illud animal. Atqui scriptura id laudat dicens, quam operatrix est apis, cujus opus Reges & privati ad sanitatem adhibent. Sed nihil eam protegit ut non moriatur, sed omnino pereat oportet. Si eam autem male facientem non liberant reliqua quibus præcellit, multo magis nos. Nos enim re vera facit esse ex feris sævissimis, quod quum nullus te injuria afficiat, tu prior injuriam facis, imo vero ne ex feris quidem. Nam si illas siveris pasci in solitudine, & non in angustum adductas adegeris ad necessitatem nunquam te lædent, neque accedent, neque mordebunt, sed viam suam abibunt. Tu autem quum sis homo ratione præditus, tantoque imperio, honore, & gloria ornatus, feras imitaris in eos qui sunt ejusdem generis, & fratrem injuria afficis, & exedis. Et quomodo te poteris defendere? Non audis Paulum dicentem, Cur non potius injuriam accipis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis & fraudatis: & hoc fratribus. Vide quod in male faciendo sit male pati, & in male patiendo beneficio affici. Nam, dic quæso, si quis maledicto appeteret magistratus, si quis contumelia afficeret eos qui dominatum obtinent, cuinam facit injuriam? sibi ne an illis? Est perspicuum quod sibi faciat. Deinde qui magistratum quidem afficit contumelia, non illum, sed se ipsum contumelia afficit. Qui autem Christum contumelia afficit, illum per illum afficit contumelia? Nequaquam. Qui autem imagines appetit lapidibus, quosnam appetit lapidibus? an non seipsum. Deinde si ita quidem qui Regis terrestris imaginem lapidibus appetit, se ipsum appetit: qui Cristi autem imaginem contumelia afficit, est enim homo Dei iamgo: Qui inquam, hominē contumelia afficit, non se ipsum afficit injuria? *Homilia* 10. *ad Thessalonicenses.*

D. Chrysostomus: Etiamsi quispiam valde appedat vindictam, prius tamen desiderat præmia. *Hom.* 2. *ad Thessal.* 2.

* *S. Isidorus Pelusiota*: Nunc cum ad imperium evectus es, majorem tibi nominis celebritatem atque admirationem comparabis, si eos, à quibus injuria affectus es, minime ulciscaris? ac nunc maxime omnes molestias oblivioni mandes, cum maxime ipsos ulciscendi potestatem imperii licentia tibi præbuit. *libro secundo Epist.* 219.

S. Isidorus Pelusiota: Etsi Mosis legi innitens acceptam injuriam ulcisci constituisti, illud tamen scito, fieri etiam posse, ut qui modum in ulciscendo excedit, injuriam inferat. Nam cum quispiam majores delictis cruciatibus infert, rursum injuriæ auspex est. proinde melius quidem atque consultius fuerit illatam injuriam minime referre, verum animi patientiam adhibere: non tamen ineptum atque absurdum, ut qui patientem animum præstare nesciat, mediocriter sese ulciscatur. Nam si id immodicè fiat, eum, qui acceptam injuriam vindicat, ad illius, qui lacessivit, gradum transmittit. Ac de his hactenus. Illud autem ne ignores, vir sapiens, legislatore Mosem, effrænatum Iudæorum impetum reprimentem (quo videlicet perpeciendi metu ab inferendis injuriis deterrentur) hoc potius permisisse, quam sanxisse. *lib.* 3. *Epist.* 327.

¶ PATRUM LATINORUM.

Salvianus: Quæ spes in illo populo esse poterat, ubi cum unus interdum adulter plebem ecclesiasticam polluat, ibi inter tot milia, si diligentissime quæreres, castum vel in ecclesia reperire vix posses? *lib.* 7. *de gubernat. Dei.*

Salvianus: Sed num quid officit bonitati unius crimen alterius, aut (quod fortius multo est) num quid læditur sceleri personali caussa cunctorum? Possum quidem evidentibus testimoniis approbare, quia læditur. Achan enim quondam de anathemate quippiam furto abstulit, & crimen unius hominis, plaga omnium fuit. David numerare plebem Israeliticam jussit, & errorem illius Dominus clade totius populi vindicavit. Rabsaces locutus quædam est in contumeliam Dei, & centum octoginta quinque milia hominum stragem pertulerunt, quod unius profani hominis procax lingua maledixit. Et ideo non immerito B. Paulus ejici de Ecclesia pestilentem jubet, quia modicum fermentum, totam massam, corrumpit. Unde evidenter cognoscimus, etiam unum sæpissime malum hominem perditorem esse multorum. *libro sexto de gubernatione Dei.*

Ennodius: Etsi gravius dolorem meum raptor inflammavit incendiis: & si pertulimus faces injuriæ: debito tamen rogo immensi, auctor sceleris cum conjūcta sibi universitate consenuit. Pene felix contumelia est, quæ talem meretur, & si cum maximo sudore, vindictam. Quis respuat suscipere necessitatem, triumphi termino concludendam? sapor sequentium amaritudinem rei præcedentis excludit. dulce sit quod doluimus, quia doloris nostri pœnitet provocantes. Abductæ mulieris turpiter occasio, nostri extitit mater augmenti. peperit à nobis sequestrâta uxor imperiū: & de adulteri complexibus nobis edidit patriam, quam tenemus. qui riserunt cælitem, videant superba hostium colla calcantem *Dictione* 26. (loquitur Menelaus Troja ardente.

Io. Sarisberiensis: Regem habemus non pro justitia, sed pro nobilitate conservanda. quem enim locum haberet vindicta, ubi nulla fit injustitia. 4. *cap.* 11. *Policratici.*

¶ PHILOSOPHOR. ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Xenophon: Etenim quam diu inter nos & Assyrium amicitia constabat, paterna ditio pulcherrima videbatur esse. Quippe quum ab urbe maxima Babylone prope absit, quicumque fructus ex urbe ampla capi potest, eum nos capiemus: quidquid autem molestum esse poterat, ab eo nos domum profecti longe aberamus. Nunc quum hostes simus, planum est, ubi tu discesseris, futurum, ut & nobis, & toti domui nostræ insidiæ struantur: adeoque, mea sententia, tristis erit & misera vita nostra, qui & omnino vicinos habituri simus hostes, & eosdem nobis etiam potentiores conspecturi. Fortasse dixeris, cur ista non cogitarim prius, quam deficerem? Quia, mi Cyre, animus meus propter acceptam injuriam, & propter iram, non quod esset tutissimum considerabat, sed hujusmodi quiddam perpetuo parturiebat: Ecquando licebit ulcisci hūc & Diis & hominibus invisum, qui non desinit odisse, non si quis eum lædat: sed si quem se præstantiorem suspicetur? Itaque quum ignavus ipse sit, omnes etiam mea sententia se deteriores socios habebit. Quot si quis inter hos eo præstantior esse visus fuerit, certus esto, mi Cyre, nequaquam tibi adversus ejusmodi virum egregium dimicandum esse: sed ipsius Assyrii machinationes sufficient, ut illum præstantiorem se perimat. Verum ut mihi molestus sit, in eo, quamvis ignavis & improbis hisce sociis utatur, facile superior est, ut opinor, futurus. *capite trigesimo sexto libri quinti Cyropadia.*

Aristides Rhetor: Possunt enim, possunt etiam ii qui se ulciscuntur, modum egredi: ac si quis in vindicta peragenda, usque ad injuriam procedat, secundus fit auctor. *Orat. Leuctrica* 1.

Epictetus: Pittacus quemdam à quo læsus fuerat, cum mulcta-

re posset, dimisit, & veniam ultioni præstare dixit: quod illa mansuetæ, hæc ferinæ esset naturæ. *apud Stobæum.*

Libanius: Leges senserunt futurum, ut cives à se mutuo prius quam ab hostibus conficerentur, nisi cædes inter ipsos graviter punirentur. Quare si cui erga alterum sit accusatio, hunc jubent spectare judicia, & probare injuriam; pœnam juxta legem exigere, non pro arbitrio ipsum ulcisci. Si enim quacunque de caussa indignatione forte commotus, non dubitarit interimere auctorem molestiæ, huncque rursum interempti propinquitas, & mox alii istos, qui tandem finis harum progressionum futurus sit? *Progym. contra Homicidam.*

Libanius: Est & vindicta quædam, quæ auctorem qui ea usus est infamat: cum quis sibi valde inferiorem ulciscitur *Oratione Patrocli ad Achillem.*

Libanius: Lex est communis apud Græcos & Barbaros, ulcisci eum qui lacessivit. *Achillis oratione ad Vlyssem Agamemnonis ablegatum.*

Libanius: Insignis animi magitudinis argumentum est, cum ii qui gravius læsi sunt, vindictæ tempore similes iis sunt, qui nihil ejusmodi causantur *Declam. 26.*

Libanius: Nonne stultum fuisset, videri quidem injuriam acceptam ulcisci; multo autem gravius nocere mihi ipsi in acerbioribus? & per quæ vindictam quivis susciperet, per hæc ipsa sibi noxam non ferendam inducere? *Declamat. 44.*

§ Romanorum.

Quintilianus Senior: Nihil dulcius ultione læsæ. *Declamatione 381. fine.*

Quintilianus: Unde tantum misero boni, ut inimicus sit? Aspice solum, egentem, senem, omnibus præsidijs destitutum: omne contumeliam fortunæ tuæ facis, si hunc odisti, & adhuc tua putas interesse ne vivat? Nulla tibi contingere major ultio potest, quam si talis est, ut illius etiam nos misereamur. Magna mehercle jam de vetere æmulo pœna superest, panem eripere mendico, & gravissimæ per se fortunæ manu pondus imponere. Age si perisset, cadaver calcasses? Feræ mehercle generosiores, jacentes transeunt: & reservati hostes, restitutæque urbes majora caussæ exempla sint: quod scio, victis etiam gladiatores parcunt. *Declam. 9. § 23.*

Quintilianus: At enim adversus inferentem damnum justa ultio fuit. Dicam nunc quam iniqua sit invicem injuriæ compensatio, quamque non solum legi adversa, sed etiam paci. Babarorum mos est populorum, quos procul omnis juris humani societate summotos proxima belluis natura efferavit. Nos ideo magistratus legesque à majoribus nostris accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit: & assiduæ scelerum caussæ se refellant, si ultio crimē imitabitur. Damnum accepisti. Erat lex, forum, judex: nisi si vos jure vindicari pudet. *Delamatione 13. §. 14.*

Eumenius: Nihil periculi in vindictæ executione metuimus. *cap. 19. Panegyrico Constantino dicto.*

§ Poetarum.

Synesius.

Clam vestigia gradiens premis,
Elataque colla reprimis,
Sub norma hominum vita tenes,

Epistola 94.

Plautus Trinummo 5. sc. 2. v. 49

Miserum est male promerita, ut merita, si mihi ulcisci non licet.

§ Apologorum.

Æsopi Homo & Vulpes: Infensam Vulpem sibi cum haberet quidam, ut non centem sibi nactus est: cupiensque severe admodū eam punire, stupas oleo madidas caudæ alligavit. Sed eam dæmon in emittentis agros deduxit: messis tum erat tempus. Lugens sequebatur nihil messurus.

Æsopi Vespa & Serpens: Vespa serpentis capiti insidens & continuo pungens aculeo divexabat. Ille dolore adfectus, neque quo hostem ulcisceretur habens, in via progreditur, intuitusq; advenientem currum, caput rotæ supposuit, ajens, cum hoste meo moriar.

Babrias Περὶ Ἵππου καὶ Κάπρου Fab. 23.

Ἤελζεν Ἵππος ἀγελωνίτῃ Κάπρῳ,
Θολῶν ὁ θηρὸς Ἵππος οὐ θένων ὅλως,
Ἑαυτὸν ἐνδέδωκεν, εὑρὼν σύμμαχον
Εὔπειρον πρὸς σφαγὴν τοῦ θηρός,
Ἐπιμύθιον
Ὅτι δι' ἔχθραν τινὲς καὶ εἰς δουλείαν ἑαυτοὺς ἐμβάλλουσιν.

De Equo & Apro.

Pugnabat equus cum ferocissimo Apro.
Impetum vero fera Equus quum penitus non sustineret,
Sese dedidit invento socio
Viro jugilanda fera perito.

Affabulatio.

Quod nonnulli ob inimicitias in servitutem sese dedant.

Mus & Bos. Anonymus.

Ingentem fertur mus quondam parvus oberrans,
Ausus ab exiguo lædere dente bovem,
Verum ubi mordaci confecit vulnera rostro,
Tutus in anfractus conditur inde suos.
Ille licet vasta torvum cervice minetur,
Non tamen iratus, quem petat, ille videt.
Tunc indignantem justo sermone fatigans,
Distulit hostiles calliditate minas.
Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
Viribus effectum constituere tuis.
Disce tamen brevibus quæ sit fiducia monstris,
Et faciat quidquid parvula turba cupit.

De Vulpe & Aquila Anonymus.

Dum vulpes aquilam pro rapta prole, perungit
Melle precum; prædam reddere nescit avis.
Præda gemit, nidique timet cibus esse gulosi:
Sed redimit natos utilis arte parens.
Arborem zonat stipulis & vimine truncum.
In stipulam docto porrigit ore facem
In pullos aquilæ consurgit copia fumi.
Hunc timet, & vulpem provida placat avis.
Non sit qui studeat, quia major, obesse minori,
Cum bene majori possit obesse minor.

De Viro & Vxore bigamis Fab. 51.

Vir quidam defuncta uxore, quam valde dilexerat, duxit alteram, & ipsam viduam, quæ assidue & prioris mariti virtutes fortiaque facinora objiciebat Cui ut par referret, ipse quoque defunctæ uxoris mores probatissimos, pudicitiamque insignem referebat. Quadam autem die viro irata, pauperi eleemosynam petenti, partem caponis, quem in cœnam utrisque coxerat, dedit, dicens: Do tibi hoc pro anima prioris viri Quod audiens maritus, accersito paupere, reliquum caponis dedit, dicens: Et ego quoque do tibi hoc pro anima uxoris meæ defunctæ. Sic illi, dum alter alteri nocere cupiunt, quid cœnarent tandem non habuerunt.

Hæc fabula monet, non esse contra eos pugnandum, qui se optime possunt vindicare. Laur. Astemius.

De Aquila filios Cuniculi rapiente. Fab. 81.

Aquila in altissimo arbore nidulata, catulos cuniculi, qui longe inde pascebantur, in escam pullorum suorum rapuerat. Quam cuniculus blandis orabat verbis, ut suos sibi filios restituere dignaretur. At illa eum ut pusillum & terrestre animal, & ad sibi nocendum impotens arbitrata, eos in conspectu matris unguibus dilacerare, & pullis suis epulandos apponere non dubitavit. Tunc cuniculus filiorum morte commotus, hanc injuriam minime impunitam abire permisit: arborem enim, quæ nidum sustinebat, radicitus effodit. Quæ levi impulsu ventorum procidens, pullos aquilæ adhuc implumes, & involucres in humum dejecit, qui à feris depasti, magnum doloris solatium cuniculo præbuerunt.

Hac fabula indicat, neminem potentia sua fretum, debere imbecilliores despicere, cum aliquando infirmiores potentiorum injurias ulciscantur. Abstemius.

§ Emblematum.

Batillius. 143.

Sera Dei vindicta.

Rheinoceros stimulis ut vix pungentibus iras
Colligit, accensas sed satire nequit;
Sic tandem in sontes Nemesis divina redundans
Majori in pœnam fenore tarda venit.

Camerarius 35. Centur. 2.

Minuit vindicta dolorem.

Persequitur sobolis raptorem concita Tigris:
Et sæpe est magnis ultio grata viris.

§ Apophthegmatum Sacror.

Gedeon: Succothanis & Penuelitis Israelitico exercitui Midianitas victos persequentis victum non sine sarcasmo recusantibus, Gedeon dixit, cum tradiderit Deus hostilium copiarum duces Zebam nempe & Salmunam in manus meas, utrique triturando cædam carnem vestram, spinis & sentibus deserti: & Penuelitis, Cum revertar incolumis, destruam turrim istam. Victor deinde rediens, irrisores istos designato prius supplicio affecit *Iudic. 8. 7. 9. 16. 17.*

David: Davide agente in deserto Hengedi, Saul cum copiis ad eum intercipiendum proficiscitur: sed cum in itinere aluum purgaturus solus speluncam ingreditur, imprudens in Davidem incidit, qui suorum hortamento propemodum adductus ut manus Sauli inferret, inhibuit se & suos, dicens, Absit mihi à Jehova, an facerem rem hanc Domino meo, uncto Jehovæ, extendendo manum meam contra eum? non faciam: quia unctus Jehovæ est. Et verbis dispescuit David homines suos, nec sinit eos insurgere in Saulem, qui surgens ex ea spelunca abiit itinere suo. 1. *Sam. 24. 7. &c.* vide etiam *cap 26. ejusd. libri.*

Zacharias filius Iehoiada: Quum constitisset ex editiori loco populo. dixissetque eis, Sic ait Deus, Quare transgredimini præcepta Jehovæ? at non prosperamini: quia dereliquistis Jehovam, vicissim derelinquet vos: conjurantes contra eum obruerunt eum lapidibus ex præcepto regis in atrio domus Jehovæ. Qui cum moreretur dixit, Videbit Jehova, & requiret. 2. *Chron. 24. 20. 21.*

Iesus

Iesus Christus Dominus noster: Audistis (inquit) dictum fuisse, Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego vero dico vobis, ne resistatis malo: sed quisquis te cædet dexteram tuam maxillam obverte ei & alteram. Et ei qui tecum velit contendere, ac pallium tuum capere, dimitte ei etiam tunicam. Et quisquis te angariabit ad miliare unum, abi cum eo duo. *Matth. 5. 38. &c.*

Idem: Quum Judæi manus in Jesum injecissent, & prehendissent eum ea nocte qua proditus est, Petrus extensa manu exeruit gladium suum, & percusso servo Pontificis maximi, abstulit auriculam ejus. Tunc ait Jesus, Converte gladium tuum in locum suum, quicunque enim acceperint gladium gladio peribunt, &c. *Matth. 26. 52. Iohan.* 18, 10. 11.

Ioannes Eleemosynarius: Conquerenti nepoti de villico conviciatore Johannes Eleemosynarius episcopus respondit, se ita in eum vindicaturum, ut nemo non miraturus sit. accersitoque annuum tributum remisit. Cum à quodam mendico pro data eleemosynæ contumeliam recepisser, clericos in eum insurgentes cohibuit: se in causa esse asserens, quod petenti minus quam oportebat impendisset. Illoque accito, omnem quam habebat pecuniam coram effudit, ut quantam vellet auferet. *Marull. lib. 3. cap. 3.*

§ Apophthegmatum Christianor.

Petrus de Vineis: Ulciscendi nocendique cupido in humanis pectoribus magnos fluctus excitat, consternationis plenus affectus, ac numquam sine tormento sui violentus. Petrum de Vineis, Fridericus Barbarossa oculis privari levissima de causa jusserat: cumque Pontificem Paulum III. bello lacessere in animum induxisset, præfatum Petrum in Consiliariorum numerum adscivit. Ille ultionem sceleris in se admmissi meditatus, cum de mediis ad bellum istud sustinendum rogaretur; *Mihi*, inquit, *consultissimum videtur Ecclesiam proprio are oppugnare.* Placuit sententia. & ecce itum passim ad Ecclesias, quæ suis vasis & proventibus spoliatæ. Quo facto, adit Imperatorem nefandus cõsiliarius: &. *Nunc*, ait, *Imperator tui in me commissi sceleris pœnam das. Iam enim te coram Deo reum effeci meo consilio, cujus templa tam impiè es deprædatus.* Parum de salute æterna solicitus non meminerat illius Script Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. nam

Semper & infirmi est animi exiguiq; voluptas,
Vltio. ut habet Juven. Sat. 13.

Pogg, Florent. Phil. Camer.

Philippus Franc. & Gulielmus Angliæ Reges: Hunc etiam ultionis stimuli, prudentiæ moderationisque immemorem reddiderunt. Venerat quippe ex Anglia cum ingenti auri pondere in Normandiam: ubi, cum in morbum incidens, diutius decubuisset; Philippus per jocum cavillatus, *Cubat*, inquit, *Rex Angliæ Rhothomagi, adveniente puerperio.* Quod scomma mox fama ad aures Guilielmi vulgavit. qui eo extra jocum accepto, *Cum*, ait, *ego partus levatus, ad templum me purificatum vero, tunc mille in Francia lucebunt faces.* Vis pauci dies intercesserant, cum Guilielmus Franciæ fines ferro & igne est depopulatus. *Pol. lib. 9.*

Narzes Eunuchus: Erat is quem Justinus Imp. Byzant. adversus Gothos præfecerat. Hic offensus dicto Sophiæ, quæ eum, utpote Eunuchum, ad lanam & pensa reverti oportere criminata erat, respondebat: *At ego talem ordiar telam, non facile a mulie extricabilem.* quod & præstitit. *Conr. Lycost.*

Vindictæ Neglectæ.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

S. *Laurentius Patriar Venetus*: Magna igitur, & non contemnenda virtus, vindictæ ultionisque frenos contrahere, ac illi laxandos eos permittere, qui servorum suorum sanguinem pro merito ulciscētur. Ita Venetorũ Patriarcha Laurentius, cum multa præclare dixisset, pluribus locis ab improbis hominibus excitatus est risus, dumque amici cohortarentur, se de injuria illa vindicaret; vultu placido, *Noli*, inquit, *te affligere fili. Dominus Iesus, cui negotium geremus, ipse aderit honori suo.* Sur, tom. 1. in Vita.

Anonymus Sacerdos: Quam vero grata sit Deo delicti in nos commissi voluntaria remissio, Surius auctor gravissimus subjecto exemplo documentum præbet. S. Hanno Archiepisc. Colonien. contemplationis studio intentus, videbat mentis oculis, quosdam alios Archiepiscopos in candida & gloriosa veste sedes gloriosas in cælo occupare, seque inter eos insigni etiam amictu fulgere, cujus tamen partem quæ pectus tegebat, sordida fœdabat macula: quam cum manu objecta tegere non posset, ab aliis, ne sedem sibi locatam occuparet, repelli. Quod portentum cum familiari cuipiam exposuisset, ille rem conjiciens; *Macula*, inquit, *vesti tuæ candida inhærens, memoria est injuria tuorum civium, qui anno superiore te Colonia expulere, quibus cum nec dum ingratiam redisti.* Archiepiscopus testimonio conscientiæ suæ convictus, statim eos omnes revocari, & bona eorum, quæ prius fisco addicta, restitui jussit. Adeo Deo displicet amarus zelus, cujus filius hîc quærebat ovem perditam, donec eam inveniret, *In vita Hannonis lib. 2. cap. 25. apud Sur. tom. 6.*

S. Malachias Episc. Hiberniæ: Emicuit etiam hoc splendore Malachias. In quem dum petulanter multa jactasset maledita quædam, ita ut calvitiei ejus etiam improperaret; nihil aliud respondit, quam, *Dominus respondeat pro me.* & ecce respondit Dominus, sed lentis verbis Versa enim in rabiem illa, misere interiit; & ita adversus Malachiam assumens improperium Elisæi, vere illum sibi quasi alterum experta est Elisæum. *Sur. tom. 6. in Vita.*

Rudolphus Austriacus: Talis etiam Rudolphi mansuetudo, quamvis in causa dispare. Sagittariis de sagittandi peritia cõcertantibus, factum ut Rudolphus animi gratia ad eos properaret: dumque aliquali spatio à certaminis loco abest, sagittâ ab imperito incertum emissa, sauciatur. cumque è vulnere decumbenti suaderet quidam, illi sagittario dextram amputandam; *Bene*, inquit, *istud & provide, priusquam me læsisset: sed quid nunc emolumenti exinde consequar?* ac sagittarium è custodia liberum dimisit. *Pogg. Florent.*

Fredericus Imperator: Aliquid etiam ab hac stirpe traxit Fredericus. qui conviciis impeditus à suis, *Parum*, inquit, *id est; in libera enim civitate liberas linguas esse oportet. I. Lips. in Mon. Polit.*

Alphonsus Aragonum Rex: Eodem ut genere, ita & virtute nobilis Alphonsus. Intellexerat se turpiter à turbido quodam apud exteros elevatum, qui tamen postmodum ab eo beneficia petiturus accedebat: neque se ob id indecorē gessit, sed per benigne eum accipiens, *Parum fert*, inquiebat, *quid dixerit. benefactorũ quippe illius, non vanè dictorum, adhuc memor sum.* Panor. lib. 1. de Gest. ejusd.

Vini.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

B. *Clemens Alexandrinus*: Vino modico utere, aquam bibenti Timotheo, propter stomachum tuum, dicit Apostolus; pulchrè admodum ægrotanti & languenti corpori conveniens, quod ipsum confirmet ac corroboret auxilium adhibens: modicũ autem id decernens, ne eum lateret, hoc auxilium propter multitudinem alia egere curatione. Naturalis itaque & sobrius potus sitientibus necessarius, est aqua. Eam ex prærupta petra manantem, veteribus Hæbreis unicum ac simplicem temperantiæ potum suppeditavit Dominus. Oportebat autem eos ut pote errantes esse maxime sobrios: postea sancta vitis botrum germinavit propheticum, hoc signum est iis qui ad quietem ex errore instituti sunt, magnus botrus, nempe Verbum pro nobis expressum, cum sanguis, uvæ, Verbum scilicet, aqua temperari voluerit. Sic etiam sanguis ejus salute temperatur. Duplex est autem sanguis Domini: alter enim est carnalis, quo redempti sumus ab interitu: alter vero spiritualis, quo scilicet uncti sumus. Et hoc est bibere Jesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini. Verbi autem virtus est spiritus, quemadmodum sanguis carnis. Apta itaque proportione & convenientia, vinum quidem aquæ, homini verò spiritus admiscetur. Ac temperatum quidem vinum ad fidem, convivio excipit: spiritus autem deducit ad incorruptionem. Arborum autem temperatura, potus scilicet & verbi, dicitur, Eucharistia, quæ & laudatur, & bona est gratia: cujus qui per fidem sunt particeps, sanctificantur & corpore & anima, divinum temperamentum, hominem scilicet, divina voluntas Spiritu & Verbo mysticè contemperaverit. Etenim vere quidem spiritus animæ quæ ab ipso fertur, conjungitur & familiaris efficitur: caro autem Verbo, propter quam Verbum caro factum est.

Eos itaque laudo & admiror qui vitam austeram delegerunt, & moderatæ vitæ medicamentum aquam appetunt: vinum autem tanquam ignis minas, quam longissimè fugiunt. Placet ergo ut pueri & puellæ ab hoc medicamento plurimum abstineant. Non enim ferventi ætati, quod est omnium humidorum calidissimum, vinum infundere convenit, perindè ac si quis ignem in ignem derivet, ex quo egrestes immanesque appetitiones ardentesque cupiditates, & mores ignei incenduntur: excalefacti autem intus adolescentes evadunt propensi ad libidines, adeo ut prævisum eorum damnum per corpus comprobetur, celerius quam oportuit, maturatis membris cupiditatis. Vino itaque effervescente, luxuriant ac intumescunt ubera & pudenda, fornicationis imaginem jam prænunciantia: & corpus cogit vulnus animæ inflammari, pullus impudens anxiam ac supervacaneam persequuntur diligentiam, temperantiam ac moderationem ad iniquitatem provocantes: hinc autem fit, ut mustum iuventutis, fines pudoris transiliat. Oportet autem quam maxime fieri potest juvenum appetitiones conari extinguere; minarum quidem Bacchicum fomitem auferētes, fervori autem contrarium medicamentum infundentes, quod etiam ardentem animam cohibebit. & membra intumescentia retinebit, & quæ iam agitatur cupiditatis incitamentum sopiet.

Qui

Qui autem sunt in ipso flore ac vigore ætatis, cum interdiu quidem prandium sumpserint quibus convenit prandium, pane solo gustato à potu omnino abstineant, ut ebibatur eorum superflua humiditas, aridorum esu veluti quadam spongia exhausta. Assiduè enim spuere & emungi, & ad excernendū properare, sunt signum intemperantiæ ex immoderata exhibitione humidorum, quæ plus quam par sit in corpus infunduntur. Quod si etiam sitis accesserit, curetur aqua non multa hæc affectio. Neque enim aquâ nimium profuse impleri convenit, ne obruatur nutrimentum: cōminuatur autem ad faciendam coctionem, dum cibi quidem assurgunt in molem: pauca sunt autem quæ ad excretionem procedant. Quanquam etiam alioqui convenit divinis contemplationibus vino minime gravari. Parum enim cogit numerum, ait comicus, sapere; tantum abest, ut temperantem eum possit efficere. Vespere autē tempore cœnæ vino utendum est: quoniam enim paulo magis sobriis ac seriis lectionibus non amplius operam damus. Tunc & frigidior fit aër ambiens, ut introducto calore fovendus sit tepor innatus qui deficit. Sed hic quoque vino est exiguo utendū: neque enim usque ad contumeliæ crateras accedendum est. Iis autem qui jam sunt provectioris ætatis hilarius potu uti permittendum est, ætatis refrigerationem, quæ tempore quodamodo emarcessit, vitis medicamento citra noxam suscitantes. Neque enim seniorum appetitiones circa ebrietatis naufragia amplius magna ex parte fluctuant. Ratione enim ac tempore, veluti quibusdam anchoris, in portu fundati, cupiditatum tempestatem, quæ ex ebrietate excitatur, ferunt facilius. quibus etiam in conviviis licet aliquid urbanè dicere ac lepidè. Cæterum iis quoque sit potationis eo usque terminus, dum & illabefactatam rationem, & suo officio fungentem memoriam, corpusque vino immotum & inconcussum conservent ἀκροθώρακα, hoc est, qui suum pectus vino insigniter armavit, vocant qui sunt eorum periti. melius est ergo ne labaris, antea desinere.

Artorius autem quidam in libro De longa vita (sic enim commemini) existimat oportere eousque potum solummodo præbere, donec cibi humectentur, ut nobis vitam paremus longiorem. Convenit ergo ut vinum alii quidem loco medicinæ propter solam sanitatem adhibeant, alii vero ut se relaxent & exhilarent. Vinum enim primum quidem facit eum, qui plus quam ante bibit, ipsum esse sibiipsi æquum & clementem, & convivis suavem, & famulis mitiorem, & amicis jucundiorem: contumelia autem affectus par pari refert. Cum enim sit calidum, & habet suaves succos moderate temperatum, turpia quidem excrementa liquefacit caliditate, acres autem & malos succos bono odore contemperat. Illud ergo benè dictum est: Exultatio animæ & cordis, vinum creatum est ab initio, si quantum satis est bibatur. Optimum est autem aqua plurima vinum miscere, & non ipsum tanquam aquam requirere ad temulentiam: neque tanquam aquam infundere propter vinositatem. sunt enim ambo Dei opera, & ea ratione conducit ad sanitatem utriusq; mixtura, aquæ scilicet & vini: quoniam ex eo quod est necessarium, & eo quod est utile, vita consistit. Ei itaque quod est necessarium, nempe aquæ plurimæ, ex utili etiam aliquid immiscendum est.

Vino autem immodico linguâ quidem præpeditur, labra vero solvuntur, oculi autem detorquentur, ac divertuntur, cum præ humiditatis multitudine visus tanquam in piscina natitet, & mentiri coacti existimant omnia in orbem ferri, numerare autem non possunt, quæ procul sunt tanquam sint unica. Atqui duos soles videre mi videor, ebrius dicebat Thebanus senex. Motus enim à caliditate vini visus, sæpius ejus quod unum est, multiplicem apprehendit substantiam, nihil autem differt an visum moveat, an id quod videtur: idem visui ex utroque accidit, qui propter fluctuationem non potest subjectum perfecte comprehendere. Jam vero gressus tanquam fluctu impellente subsidunt, nec possunt tenere locum: singultusque & vomitus, & desipientiæ pro ludo & delectamento subeunt. Quisquis enim est temulentus, ut dicit tragœdia.

> *Eum ira vincit, & caret sapientia,*
> *Demensq́; lingua multa cum profuderit,*
> *Invitus audit, quæ volens dixit malè.*

Atque ante tragœdiam clamavit Sapientia: Vinum quod bibitur multum, in irritatione & omni lapsu replet. Quocirca plurimi quidem dicunt oportere in convivio se relaxare, & quæ sunt seria in auroram differre. Ego autem tunc maximè censeo rationem esse in convivium unà introducendam, quæ instar pædagogi corrigat temulentiam, ne nobis imprudentibus convivium dilabatur ad ebrietatem. Quemadmodum enim nemo qui sapit, æquum censuerit claudere oculos, priusquam eat dormitum: ita nec rationem abesse à convivio quis recte voluerit, neque ante res gerendas eam præsopire rectè instituerit. Sed neque poterit unquam ratio à suo munere desistere, nec si dormiamus quidem: ea enim ad somnum est invitanda. Perfecta enim sapientia, quæ est divinarum & humanarum rerum scientia, quæ universa complectitur ac continet, quatenus gregis hominum curam gerit, ars vitæ efficitur, & ea ratione quamdiu vivimus simul adest perpetuo, proprium semper munus, nempe bonam vitam, obiens.

Miseri autem qui è convivio temperantiam exigunt, quæ in cōparationibus versatur intemperantiam, vitam esse beatam existimant. Quorum vita quidem nihil est aliud quam comessatio, crapula, balnea, temetum, matulæ, otium, potus. Videre ergo licet aliquos eorum semimortuos, cespitantes, in collis coronas habētes, non secus ac amphoras, inter se invicem sub benevolentiæ nomine fundentes merum: alios autem plenos crapula, sordidatos, in vultu pallentes & lividos, & hesternæ temulentiæ adhuc aliam infundentes temulentiam. Bonum, bonum est, ô amici, ut cum hanc imaginem simul ridiculam & miserabilem eminus & quam longissimè ab ea didicerimus, nos ipsos ad id quod est melius componamus & effingamus, timentes ne fortè nos quoque aliis simile spectaculum fiamus, & ridiculi evadamus. Lepidè profecto dictum est, Fornacem quidem inter tingendum probare ferri aciem, vinum autem cor superborum. Et est quidem ebrietas, usus vini vehementior: debacchatio vero, quæ Græce est παροινία, quæ ex nimio vini usu immodestia. Crapula autem, quæ propter ebrietatem accipitur molestia & fastidium, quæ κραιπάλη græcè dicta est, eò quòd caput vibret & exagitet. Hanc vitam (si quidem vita est appellanda, quæ est ignava & otiosa, libidini & voluptati dedita, ex nimio vino hallicinans) divina despiciens Sapientia, præcipit suis filiis: Ne sis vini potor, nec stipem extendas ad emptiones carnium. Omnis enim ebriosus & fornicator mendicabit, & induetur laceris & pānosis omnis somnolētus. Somnolēt⁹, i. e. est, quisquis ad sapientiā non vigilat, sed ab ebrietate in somnū demergitur. Et laceris, inquit, induetur debachator, & per ebrietatem pudore afficietur, propter eos qui aspiciunt. Peccatoris enim foramina sunt ea, quæ ex veste carnali sunt lacerata, perforata libidinibus, per quæ dedecus intra animam cernitur, nempe peccatum, propter quod non facile servabitur vestis quæ undecunque divulsa est & dilaniata, multis marcescens cupiditatibus, à salute separata ac discissa. & ea ratione illud quod efficacissime nos admonet, subjungit: Cui væ, cui tumultus, cui judicia, cui injucundæ loquelæ, cui contritiones supervacuæ? Videte vinosum totum dilaceratum, qui ipsam quidem rationem despicit, seipsum autem tradidit & permisit ebrietati: &, quot & quanta ei Scriptura minata est. Minis autem his rursus subjungit: Cujus sunt lividi oculi? an non eorum qui vinis tempus consumunt? an nō eorum qui investigant ubi fiant potationes? Hic quidem eum qui potu nimio delectatur, etiā rationi mortuum esse ostendit; per liventes oculos, quod est signum mortuorum, eam quæ est in Domino mortem ei annuncians. Oblivio enim eorum quæ ad veram vitam pertinent, vergit ad interitum.

Jure ergo pædagogus vehementissime prohibet, nostræ salutis curam gerens: Ne bibite, inquit, vinum propter ebrietatem. Quamobrem, rogabis? Quoniam, inquit, os tuum tunc loquetur perversa. Jaces autem tanquam in corde maris, & tanquam gubernator in multis fluctibus. Ex hoc loco etiam adjuta dicit Poëtica:

> *Vinum hominum veniens, velut ignis corda furore*
> *Pellit, ceu Libyci fluctuat unda maris,*
> *Quam notus aut Boreas agitant.*

Et rursus:

> *abscondit mentis*
> *Vinum errans verbis aperit, dirum usque bibentī,*
> *Vinum quod mentes fallit.*

Et quæ sequuntur.

Videtis naufragii periculum. Cor quidem multo potu obruitur, vini autem temulentiam multam, maris minis comparavit, in qua corpus tanquam navis demersum, turpitudinis profundum subiit ac dedecoris, decumanis vini fluctibus obrutum. Gubernator autem, mens scilicet humana, superimentis ebrietatis fluctu circumagitur, & in mari versans caligat, & propter procellæ tenebras, à portu veritatis aberat, donec in saxa sub mari latentia irruent, seipsum in voluptates impactum perdiderit. Merito ergo Apostolus quoque præcipit: Ne inebriemini vino, in quo est multa luxuria. Luxuria autem Græcè ἀσωτία: non posse servari ebrietatem, per ἀσωτίαν significans. Nam etsi aquam vinum in nuptiis fecerit, non tamen permisit inebriari: quod erat autem aqueum sensus legis vivificavit, operatorem scilicet ex Adam, cum universum mundum replevit sanguine, & potum vitis veritatis, temperamentum veteris legis & Verbi novi, ad præstituti temporis complementum, pietati ac Dei cultui præbuit. Mysticum ergo signum sancti sanguinis, vinum scriptura nominavit. Temulentiæ autem incommoda reprehendens: Intemperans, inquit, res est vinum, & injuriosa res ebrietas.

Placet ergo rectæ rationi, hyeme quidem propter rigorem eousque bibere dum non rigeas, iis qui sunt ad rigorem proclives: alio autem tempore, propter medelam intestinorum. Quemadmodū enim cibo, ut non esurias, ita etiam potu ne sitias, utendum est, diligenter cavendo ne labamur (res est enim admodum lubrica & periculosa vini ingressio) ita autem fuerit anima nostra pura, sicca & luminosa. Ipsa autem sicca anima, est sapientissima & optima: ea autem ratione etiam contemplativa, nec ex iis quæ ex vino ascēdunt exhalationibus madefacta, instar nobis in molem corpoream coacta est. Non est ergo vinum Chium magna cura requirendum, si absit: nec Ariusium, si non adsit. Sitis enim est alicujus indigentiæ affectio, & ad eam explendam quærit conveniens auxilium, non autē vinum ardens ac fumosum. Languescentis autem & imbecillæ propter intemperantiam appetitionis sunt transmarinæ vini importationes, desipiente in desideriis aimo, vel ante ebrietatem. Nam Thasium odoriferum, & bene spirans Lesbiū, & quoddam suave Creticum, & dulce Syracusium, & Mendesiū quoddam

Ægyptia

Ægyptiacum, & Insulare Naxiũ, & aliquod aliud fragrans ex Italia; multa quidẽ hæc nomina: moderato a. cõvivæ vinum unum, quod ex unius Dei agricultura provenit. Quid enim, an non vinum in sua patria natum, cuiq; sufficit, ad suam explendam cupiditatem? Nisi fortè etiam aquam sunt importaturi, quemadmodum stulti reges. Choaspes, fluvius est Indiæ sic dictus, cujus est ad potum optima aqua Choaspia. Quemadmodum autem vinum vinosos, ita quæ assumitur aqua, sui efficit amantes. Divites autem miseros & hic pronunciat spiritus sanctus per Amos elocutus: Qui bibunt vinum percolatum, & super lectum, inquit, sedent eburneum: & quæcunque ea consequuntur, & probri loco subjunxit.

Decoris autem cura est maximè gerenda, cujus etiam Minervam, quæcunque ea fuerit, curam gerentem dicit fabula, tibiarum abjecisse delectationem, propterea quòd id esset aspectu indecorum, ut nimirum vultu stabili, nec se huc & illuc flectente bibamus, non nimis avidè attrahentes, nec ante quam biberimus, oculos indecorè se gerere cogentes, præ intemperantia inconvenienter haurientes, ut mentum non conspergamus, nec vestem madefaciamus, dum potus simul totus infunditur, faciem nostram phialis proluentes, atque adeo propemodum obruentes. Etenim susurrus, dum potus magno impetu fertur, & plurimo spiritu attrahitur, perinde ac si in fas fictile infundatur, editur; guttur autem resonat propter rapidam ingurgitationem, turpe est & indecorum intemperantiæ spectaculum. Accedit his, quod ei quoq; est damnosum, qui illo utitur, potus studium. Ne ad id quod tibi damnum affert, ô amice, festinaveris. Non eripitur tibi potus, tibi datus est, & te expectat: ne disrumpi festinaveris, ingenti hiatu attrahens. Impletur tua sitis, etsi tardius biberis, honestè ac decorè te gerens, dum potus ut decet, per partes dividitur. Non enim tempore aufertur, quod præripitur ab intemperantia. In vino, inquit, ne te virum fortem præbeas. Multos enim vinum reddidit inutiles. Ebrietate autem maximè utuntur Scythæ, Celtæ, Iberi, & Thraces, quæ universæ sunt bellicosæ gentes: pulchrumq; ac beatum vitæ studium se exercere putant. Nos autem qui sumus genus pacificum, ad usum non ad petulantiam & contumeliam convivantes, sobriis haustibus amicitiæ ergò bibimus, ut vero & convenienti nomine appellentur pocula amicitiæ.

Quomodo Dominum bibisse existimatis, quando propter nos hòmo factus est? adeone impudenter ut nos? an non honestè ac temperatè? an non consideratè? Certo enim scitote, ipse quoq; vino usus est. nam ipse quoq; homo, & vinum benedixit, cùm dixit: Accipite, bibite, hoc est sanguis meus, sanguis vitis: Verbum enim, quod pro multis effunditur in remissionem peccatorum, sanctum lætitiæ fluentum allegoricè significat. Et quod sobrium quidem ac moderatum esse oportet eum qui bibit, per ea quæ in conviviis docuit apertè ostendit: neque enim ebrius docuit. Quòd autem vinum esset quod benedictum est, ostendit rursus, dicens discipulis: Non bibam ex fructu vitis hujus, donec bibero ipsum vobiscum in regno patris mei. Cæterum quòd vinum quidem esset quod bibebatur à Domino, rursus ipse de seipso dicit, Judæorum cordis duritiem exprobrans: Venit enim, inquit, filius hominis, & dicunt: Ecce homo vorax, & potor vini, publicanorum amicus. Hæc quidem nobis firma & fixa sint adversus eos qui dicuntur Encratitæ.

Porro autem mulieres, honesti ac decori memores ne labra latis calicibus diffundentes, dilatato ore disrumpantur, admodum angustis in ore alabastris indecorè bibentes, capita reflectunt, colla autem non, ut mihi quidem videtur, honestè denudant, & jugulum extendentes potum ingurgitant, conviviis ea quæ possunt velut denudantes: virilesq; eructationes vel potius serviles attrahentes in luxu & in delitiis tempus consumunt. Nihil enim quod probrũ affert & vituperationem, viro, qui ratione est præditus, convenit, multò autem minus mulieri, cui vel ipsum cogitare quænam sit, ei affert pudorem. Ira autem, inquit, magna, est mulier ebria: tanquam ira Dei, mulier temulenta. Quamobrem? quoniam suam non celat turpitudinem. Facile enim mulier ad inhonestè se gerendum attrahitur, si liberam suam animi electionem voluptatibus solummodo permiserit. Neq; verò alabastris bibere prohibuerimus, sed adstringere inter bibendum se iis, ut superbum & arrogans resecamus: hoc enim volumus, ut nulla ratione habita, iis quæ se obtulerint utantur, eos autem, qui eminus incidunt ut amputent appetitus. Jam verò aeris impulsus, qui redeunte quadam fluctuatione incitat ad eructandum, est sensim transmittendus. Nullo autem modo permittendum est mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur: hi quidem, ut qui ad videndum incitentur: illæ verò, ut quæ in se virorum intuitum attrahant. Semper autem, tanquam præsente Domino, honestè versandum est, ne nobis quoque sicut Corinthiis succensens dicat Apostolus: Convenientibus vobis non licet Dominicam cœnam comedere.

Mihi videtur is qui à Mathematicis dicitur Acephalus, qui ante stellam errantem enumeratur, capite in pectus compresso, significare helluones homines, & voluptuarios, & ad ebrietatem propensos. Nam in his quoq; ratiocinandi facultas, non in capite, sed in intestinis collocatur, iræ & cupiditati serviens. Quamobrem quemadmodum Elpenor fregit calcaneum, cùm cecidisset propter ebrietate caligine offusum, ad cor & jecur, hoc est, ad voluptatem & iram majori casu decidit, quàm dicunt Poetæ Vulcanum cœlitus à Jove in terram fuisse dejectum. Labor autem, vigiliæ, inquit, & bilis & tormentum est cùm homine insatiabili. Quocirca Noe quoq; indecora vinolãtia descripta est, ut ebrietatem quàm maximè vitemus, manifestam scriptisq; mandatam lapsus imaginem habentes: propter quam qui ebrietatis texerunt turpitudinẽ, benedicuntur à Domino. Brevissime itaq; comprehendens Scriptura, uno verbo omnia dixit, quod homini erudito satis est vinum, & in ejus cubili requiescet. *lib. 2. Pædagogi cap. 2.*

D. Chrysostomus: Vinum lætificat cor hominis. Quomodo ergo est ex vino ebrietas? fieri enim non potest, ut operetur quæ sunt sibi contraria. Non est ergo ex vino ebrietas, sed ex immoderatione. Vinum non propter aliud datum est, quam propter sanitatem corporis. sed hoc quoq; impedit immoderatio. Audi autẽ hunc quoq; beatum scribentem & dicentẽ Timotheo, Modico vino utere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates. Propterea enim Deus fecit nostra corpora justa symmetria prædita, & paucis satiari; inde nos jam erudiens, quod nos aptos fecerit ad alteram vitam. Et volebat quidem illam dare ab initio: sed quoniam nos illa reddidimus indignos, distulit; & eo tempore quo distulit, ne nos quidem sivit frui immodicè. Vini enim hemina & unus panis sufficiũt ad implendum ventrem hominis. & cum qui in omnia bruta obtinet dominatum, fecit paucioribus indigere quam ipsa habita proportione, & corpus breve, nihil aliud significans, quàm quod ad aliam vitam properamus. Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria. Non enim conservat, sed perdit, non solum corpus, sed etiam animam. *Homil. 19. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Vini usus immodicus in dementiam dejicit, ac nisi ebrietatem inducat, animæ tamen robur exsolvit, omnemque illius virtutem ac substantiam debilitat, & prorsus enervat. *Hom. 11. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Inspice vinum ipsum, nonne ex stercore cõstantiam habet? Quemadmodum enim ex humo attraxit vitis humorem, ita ex adjacente stercore. *Homil. 3. Epist. ad Titum.*

S. Isidorus Pelusiota: Cum & Noe agriculturæ suæ periculum fecerit, ignorans quidnam ex vino ipsi accidisset, & Lot item à vino in amentiam inflexus sit, Paterq; in senili ætate haud sponte ac voluntariè factus sit, & Herodes temulentiæ ludus effectus, magni Joannis cruore mensam suam ac pectus tinxerit, & deniq; omnia hominum væsana crimina à vino promanent, quid tu voluntarium furorem accersis, ac non pudicam & temperantem moderationem amplecteris? *lib. 1. Epist. 203.*

S. Isidorus Pelusiota: Imbecillitate laboranti stomacho vini nõnihil impertiendum esse sapiens Paulus docuit, ne ob nimiam continentiam alia rursum aquæ potione immoderatio egeat. At sano atq; ætate ferventi, idq; Monacho, vinum, quo in omnibus rebus liquidis nihil est calidius, infundere, ac velut ignem igni addere, haud mihi bonum esse videtur. Hinc enim & agrestes impetus, & tumidæ cupiditates inflammantur: ac temeritas & petulantia exæstuans, lenitatis pugiles ad frænum contumaces reddit. *libr. 1. Epistol. 385.*

S. Isidorus Pelusiota: Vinum ad corporis necessarium usum modicè haustum, hominis pectus exhilarat: quod autẽ ultra mediocritatem adhibetur, petulans & contumeliosum atq; intemperans vocatur. Intemperans enim, inquit, res est vinum: & contumeliosa res, ebrietas. Ac rursum: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, inquit sacra Scriptura. Atq; ipsa quoq; natura per immoderationem turbata & agitata, lasciviæ magistra efficitur. *libro primo Epistol. 495.*

S. Isidorus Pelusiota: Quæris cur vinum omnes, à quibus adhibetur, non eodem modo afficiat, verum alios placidos ac faciles, alios iracundos reddat, alios ad amicitiam, alios ad pugnam proclives, alios deniq; blandos, alios belluinos. Existimo igitur, quoniam nos de rebus quoq; naturalibus disputare cogis, hæc vel à corporis affectione contingere, nempe quod hujusmodi eventuum causæ à vino augeantur, vel imminuantur, vel ob animi impulsionib. quæ plerosq; latent. Quoniam enim vinum humidorum duntaxat mores informat, utentium moribus quodam modo miscetur. Etenim pro iis moribus, quibus adhibetur, eosdem quoq; affectus ostẽdit: non quidem eos, cum non essent, efficiens. verũ abstrusos & occultos denudans. Siquidem fictis moribus detectis, ea, quæ in obscuro erant, patefacit. Unde etiã illud in proverbiũ abiit, dicentibus multis, In vino veritatem sitam esse. Quippe eos, qui gravitatis existimatione gloriari videbantur, arcanorum enunciatores sæpenumero demonstravit, effecitq;, ut quod tacitum tenere præstiterat, effutirent. Ac rursum eos qui improbitatis odio persæpe ad iracundiam concitati fuerant, blandos ac mansuetos esse ostendit. Atq; ita & famã illã gloriamq; gravitatis, qua illi florebant, & iracundiæ culpã, qua isti laborabant, extinxit ac delevit. Neq; enim quæ nõ sunt, efficit: verũ quæ occulta & abstrusa sunt, evulgat. *li. 2 Epist. 109.*

§ LATINORUM.

Chrysologus: Cum mensura emitur, & sine mensura bibitur vinum. *Serm. 174. a. m.*

§ PHILOSOPHOR. ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Xenophon: Posteaquam defatigatus esset: Hoc argumento est, inquit in lectulum procumbens, etiã meas saltationes egregie corpus exercere, quod sitiam. Infundat mihi puer magnam illam pateram. Et nobis quoq;, subjecit Callias. Quippe nos etiam sitivimus, dũ te ridemus. At Socrates: Enimvero, ait, ô viri, etiam mihi vel maxime vide-

videtur esse bibendum. Nam revera vinum, dum animos rigat, mœrores quidem perinde, ac mandragoras homines, sopit: & hilaritates, perinde, ac oleum flammam, excitat. Videtur autem mihi hominum quoq; corporibus idem accidere, quod terra nascentibus. Nam quum hæc à Deo rigantur imbre nimio, non possunt erigi, nec ab auris perflari. At ubi tantũ hauriunt, quãtum eis gratum est: admodum erecta incrementum sumunt, ac florentia consequuntur, ut fructus ferant. Ita nos quoque, si potum immodicum infundamus, mox & corpora nobis, & animi vacillabunt; ac ne quidem respirare, nedum proferre quidquam poterimus. At si pueri minutis poculis crebro nos quasi rore quodam asperserint, ut & ipse verbis Gorgianis utar, tum scilicet non coacti à vino temulenti fiemus, sed persuasi ad ludicra descendemus. Atq; hæc tunc omnibus ita placuerunt. Philippus autem adjecit, debere pocillatores imitari strenuos aurigas in eo, ut pocula celeriuscule circumagerent: quod quidem à pocillatoribus est factum. Secundum hæc lyra puer ad tibiam accommodata, & cithara utebatur, & canebat. Quod quum laudassent universi, Charmides ait: Mihi vero videtur, ô viri quemadmodum de vino dixit Socrates, ita puerilis hæc venustas commista sonis illis mœrores sopiri, ac venerem excitare. *cap. 8. Convivii.*

Lucianus: Si verò lusibus & deliciis inter hæc indulget, non est quod invideas, & maximè si cogites, qualis hic sobrius futurus erat, quando etiam ebrius hæc facit. *Iun.* Tu mihi etiam laudaturus videris ipsius inventum, vitem scilicet & vinum: idq; cum videas, qualia inebriati isti factitent titubantes, & ad contumeliam animũ convertentes, deniq; præ potu insaniẽtes. Itaq; Icarium, cui primo dedit palmitem, ipsi compotores ligonibus cæsum interfecere. *Iup.* Nihil hoc dicis. Non enim vinum hæc, neq; ipse Dionysius efficit, sed immoderatus potus, & ultra quã decet, impleri mero. Qui autem moderate biberit, hilarior, & suavior fuerit. Nulli autẽ compotorum tale quid fecerit, quale passus est Icarius. Sed tu adhuc zelotypia videris affici, ac Semeles reminisci Juno, siquidem Dionysii res pulcherrimas calumniaris. *Dialogo Iovis & Iunonis, de Baccho.*

Libanius: Quamplurima vinum flagitia facit, amores, adulteria, ictus, contumelias, injurias, convitia, contemptum legum. quin temulentus aliquis patrem suum percussit: Alius aram evertit: alius autem simulacrũ Dei deturbavit. Jam vero si turba fuerit ebria, seditionem appeteret. Nam vinum rationis usum pellit, & animo tyrannice dominans, hominem ad sævissima quæq; concitat, ut ventus quidã violentus. At milites vino pleni, siquidem cum hostibus confligunt, superatu multo faciliores sunt, quã pueri sobrii. Quãobrem vinum à se removet Hector, cum id ipsi mater admoveret, aiens se viribus excisurum, si potũ perciperet. Judex etiã vino gaudens, cliẽtes suos perdet. Optimus quisq; Athleta vino deditus, repẽte evadit pessimus. Studiis vero litterarum & sapientiæ, quid majori obstaculo est quã vinum? Sed enim necesse est vinolentum somno correptum jacere. At is qui somnium fugerit, bonus fuerit mercator disciplinæ. Quinetiã vinum est sanitati infestum, cũ non sinat mentem valere nec corpus: hoc enim molle reddit, illam vero furiosam proinde multi bibentes à vinolentia ad insaniã redacti sunt. Ceterũ nisi Demosthenes vinum abhorruisset, haudquaquam ad tantum artis fastigium pervenisset Nisi Lais potui nimiũ indulsisset, Oedipum satu suo non procreasset. Præterea Centaurorum & Lapitharum bellum vini facinus est vinum etiã Cyclopem Polyphemum tam vastum & immanem ab exiguis superatum ostendit. Ajunt porro Trojam ita captam fuisse, egregie bibentibus & tripudiantibus Trojanis. *Vituperatione vitis.*

Heliodorus: Bacchus quam gaudeat confabulationibus & carminibus convivialibus non ignoras, pater. quare nunc quoq; cum me sibi vindicarit, ut aveam aliquid audire incitat. *lib. Æthiopicorum 2.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Pluto v. 1087.

—— Verba jam non commutaverim.
Cum anu, quæ ab annis decies mille propemodum
Et ter mille subagitata sit. C. Veruntamen
Quia vinum bibere tibi ejus non ingratum fuit,
Etiam facem simul ebibendum tibi scias.
I. Sed ista fax inveteravit supra modum.
C. Qualis igitur huic malo poterit mederier.

Nonnus lib. 12. Dionysiac.

Ficus simul & pomum habet gratiam ad dentis usq;
Non potest planta aliatuis uvis contendere,
Non rosa, non narcissus formosus, non anemone,
Non lilium, non hyacinthus æquatur ramo Bacchi.
Quod multum contritis novis guttis Autumni
Tuum potum flores omnes excipient, unum poculum erit.
Mixtum omnibus, & in unum veniet odoratum
Floribus multifariis mixtum.

Idem post pauca.

Ceres privata post Pallada. non enim oliva
Voluptatem pariunt, nec spica virum demulcet.
Pyrus agrestes fructum habet mellitum myrtus auget.
Flores odoratos. at non mentem demulcente fructu.
Humanas curas tradit ventis.
Vobis factus sum longe melior. non enim vino]
Non præsente jucunda convivia mensa.
Vino non præsente sine voluptate sunt choreæ.
Si potes, Pallas, tua bibe fructum olivæ, quam
Plantam licet eximiam noster vincit fructus.
Tuo pingui corpus inungunt oleo
Viri athletæ triste. Gravia passus verò,
Conjugem aut filiam mittens communi morti,
Aut liberis mortuis, aut matre, aut patre,
Vir luctum habens, ubi gustaverit dulce vinum,
Tristem cumulum excurit aucti dolotis.

Plautus Curcul. 1. sc. 2. pr.

Flos veteris vini meis naribus objectus est.
Ejus amor cupidam me huc prolicit per tenebras.
Vbi ubi est? prope est. enax. habeo! salve anime mi,
Liberi lepos. ut veteris vetusti cupida sum.
Nam omnium unguentum odor præ tuo nautea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Tu crocum, tu casia es, tu edillium. nam ubi
Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.

Plautus Sticho 5. sc. 1. v. 7.

—— Fecisti, here, facetias,
Cum hoc donavisti dono tuum servum Stichum,
Proh Dii immortales! quot ego voluptates fero?
Quot risiones? quot jocos? quot suavia?
Saltationes, blanditias, prothymias?
S. Stiche! S hem. S quid fiat? S euge Sagarine lepidissime:
Fero convivam Dionysum mihi & tibi.

Plautus Trucul. 4. sc. pr.

Blitea & lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.
Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium.

Terentius Eunuchi 4. sc. 5.

At at! data hercle verba mihi sunt. vicit vinum quod bibi
At dum accubabã, quàm videbar mihi esse pulcrè sobrius!
Postquam surrexi, neq; pes, neq; mens satis suum officium facit.
P. Chreme! CH. quis est? ehem Pythia, vah quanto nunc formosior
Videre quam dudum: P. certe quidẽ tu pol multo alacrior:
CH. Verbum hercle verum hoc est: sine Cerere & Libero friget Venus.

C. Cæcilius Plinius Secundus.

Huc mihi vos largo Spumantia pocula vino!
Vt calefactus Amor pervigilare velit.
Ardentis Bacho succenditur ignis Amoris:
Vnanimi nam sunt Bacchus Amorq; Dei.

Incerti poetæ.

Infantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
Prodiit, inventum sub cinere, abluerant.
Ex illo, Nymphis cum Baccho gratia multa est:
Sejunctus quod sit ignis, & urat adhuc.

¶ Emblematum.

Had. Junius Emblem. 34.

Vviferum Bromium, volucrem sed præpete penna,
Quid tacita posuistis Amyclæ?
Tollit humo ingenium Bacchus, mentem erigit altam,
Pegaseaque velut vehit ala.

Batillius. 73.

Vino homines incitantur & sublevantur.

Aliger hic Bacchus (qualem venerantur Amyclæ)
Quos capiat motus mens agitata Deo,
Denotat, utque alis sese effert ales in auras,
Sic se animi tollunt instimulante mero.

Vinum acuit ingenium. Emblem. 19.

Pegasus, & Bacchus tabula junguntur in una,
Huic latus. huic sacrum circuit ala caput:
Mens humana calens modice perfusa Lyæo
Surgit, & ignavam deserit ales humum.

Floren. Schonhovius.

¶ Apophthegm. Sacri.

Paula Romana: Terram sanctam peragrans, cum Zoaram venisset recordabatur speluncæ Loth, & versa in lacrymas virgines socias admonebat, cavendum esse vinum in quo est luxuria, cujus opus Moabitæ sunt & Ammonitæ. *Hieron. in epitaphio Paulæ.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absque vino cuncta frigent, tolliturq; comitas.
Ante bis novem humor annos Bacchicus pueris nocet.
Antequam os, oculos naresque suaviter subit meum.
Arida siti caduca corpora perigas mero.
Dulcis est liquor Lyæi, sed parit dementiam.
Ecquis est stultus tacere pocula inter qui queat?
Est agitanda hilarè atq; amœna qualibet vindemia.
Est Bonosi unius ut sit in mero prudentior.
Haud meus est subire muros prægravibus vino ac cibo.

Heu,

Heu, qua non vesana manant à mero uno crimina!
Impingendus est calix mulsi ut plorare desinat.
In mero petulantia effrons, in mero impudentia est
In mero sita est, operta publicatq; veritas.
Ingenisque virtutisq; est ignitabulum merum.
Largius fruare Baccho, si citò vis fieri senex.
Laudibus vini vinosus illico deprenditur.
Luctator vinum dolosus est, primum captat pedes.
Luctui vinum medetur, pauperemque divitat.
Mercurii Bacchiq; valde dulce contubernium est.
Non minus vino ligamur, ferreis quam vinculis.
Non vinum hominibus moderari, sed homines vino solent.
Nox, amor, vinumque res sunt illecebrosissima.
Omne dulce est temperatum, à Baccho & Venere quod venit.
Optima est mixtura partes tres aqua, vini dua.
Optimum est vinum, modum intra, pessimum est supra modum.
Permanent libenter una sede Bacchus ac Ceres.
Pluma quod volucri, id ipsis est merum mortalibus.
Pocula horret, à puello quisquis est abstemius.
Psittacum loquaciorem si cupis, vinum bibat.
Quam es potens vinum! ad choreas vel senes ipsos trahis
Quid memores combibones odit atque arcet sacris.
Quodlibet vinum vinosus caussa laudat qualibet.
Raro prodest vinum agrotis, at nocet sapissime.
Tam malum est, amare vinum, vinum odisse quam malum est.
Tibia non requiruntur ulla ubi absunt vinea.
Torcular non fingit ipsa vina, sed solum exprimit.

§ JAMBICA.

Ad prala vappam, quis, nisi vappa, nominet?
Auget sitim non explet haustus parcior
Aurum ignis, animum mortalis vinum indicat.
Bacchus parens Insania idem ac Gaudii est.
Coagulum vini tenet convivia.
Cordis fenestras non sinit clausas merum.
Cui vinum adest, lac Veneris non desideret.
Est feminarum haurire vinum amystide.
Est libera in meri salsa veritas.
Forma speculum index, mentis index est merum.
Gaudes Lyaus innocentibus jocis.
Inflatur illis venter mustum qui bibunt.
Latere femina vinum qua bibit nequit.
Mens est anima vinum, vinum anima corpori est.
Non est scelus potare re gesta bene.
Potare vina etiam docentur arbores.
Potent adulti, namque pueris toxicum est.
Potus loquaces efficit, tacitos cibus.
Quemquam ferat, qui ferre vinum non potest.
Qui vino utuntur vetere, sapientes puto.
Quod ignis hoc vinum quoque est mortalibus.
Secreta quavis Liberi vis detegit.
Solutior oritur post vinum licentia.
Tam Musa Bacchum bellè ac Nympha diluit.
Vindemiam vis tollere? stercus tollito.
Vinum amulatur mores sese utentium.
Vinum bibentis commodat se moribus.
Vinum bibentis replet os facundia
Vinum febrientem non focillat, sed quatit.
Vinum hilaritatis dulce seminarium est.
Vinum memoria noxa prasentanea est.
Vinum omne melius veterescendo redditur.
Vinum patrat miranda, sed vinum merum.
Vinum quibusvis hominum proficit malis.
Vinum venenum est pestilens mortalibus.
Vinum unum idemque fit convivis omnibus.
Vino gravis primò sibi malum invenit.
Vino imputanda & oris est licentia.
Vino patescunt tecta ingenia & subdola.

Viri

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Est verè viri ferre aquo id omne animo quod fors feret.
Hoc viri est non ampliora concupire viribus.
Mansuetudo feminarum est, vix magis decet viros.
Non viris mors ipsa, verum mors molesta inglorìa est.
Prasta hominem te dives; at si pauper es, prasta virum.
Si vir es, conare ferre fortis ignorantiam.
Vltimus vir Romanorum Cajus hic est Cassius.
Vt viros una Spartana pariunt, unis imperant.

§ JAMBICA.

Etiam vir extra Eurotam fortis nascitur.
Etiam viros debellat invictos dolor.
Instat labori vir; voluptatem fugit.
Magni viri est fortunam mittere sub jugum.
Rem feminarum vir natus malè attigat.
Roma ultimus fuit virorum Cassius.
Semper malo lubentes muliebri viri.
Sola viros pariunt Lacena unà & regunt.
Tenere sub freno voluptates, viri est.
Verè viri animus augetur in malis.
Vir feminis obnoxius, vix femina est.
Vir nemo non spadone quovis pulcrior.
Viri imperare est, obedire femina.
Virum doloris arguit moderatio.

Virginitatis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Magna res est cœlibatus & virginitas, atq; in Angelorum naturæque singularis ordine censeri, vereor enim dicere Christi, qui cùm propter nos genitos gignendus esset, ex virgine gignitur; virginitatem veluti lata lege sanciens ut hinc abducentem ac mundum contrahentem, vel potius mundum ad mundum transmittentem, præsentem nimirum ad futurum. *Orat. 20.*

Idem paullo post: Solitaria vita, & ea quæ societate gaudet, ut plurimum inter se dissident, neutraq; omnino vel commoda, vel incommoda sua pura & immixta habet: verum illa magis quidem tranquilla & composita est, ac Deo animos copulat; cæterum ob eā caussam fastu non caret, quod virtus non exploretur, neq; in comparationem veniat: hæc autem magis quidem actuosa & utilis est; verum à tumultibus minus libera.

D. Nyssenus: Quoniam igitur tanta vis virginitatis est, ut & in cælis apud spiritualium patrem maneat: & cum cælestibus illis mentibus exultet, & salutem humanam attingat: cumq; Deum ipsum sua vi ad humanæ vitæ communionē ducat, hominemq; rursus ad cælestium rerum cupiditatē excitet, atq; adeò hominum cum Deo familiaritatis vinculum quoddam hæc cum sit; & ea, quæ vicissim naturâ valde distant, ista concilians in consensum, concordiamque redigat: quæ dicēdi vis inveniri posset, quæ mirabilis hujus rei magnitudinem assequatur. *cap. 2. de Virginitate.*

D Greg. Nyssenus: Qui hujus vitæ fraudes puro mentis sensu animadvertit, & altius à rebus, quæ hic expetuntur, se tollit, omniaque, ut est apud Apostolum, quasi putida stercora despicit, atq; ab omni vitæ consuetudine, repudiatis nuptiis, quodā modo se removit, nullum omnino is habet cum humanis vitiis, avaritia inquam, invidia, ira, odio, gloriæq; cupiditate commercium, neq; cum cæteris, quæ id generis sunt. Qui enim ab omnibus his vacuus, atq; omnino liber est, & quiete vivit, nihil sane est, in quo plus habere cōtendat, aut contra se alicujus rei gratia vicinorum invidiam commoveat, cum nihil earum sit rerum assecutus, ex quibus in hac vita concitetur invidia: nam qui ab omnibus humanis rebus animū suum superando abducit, & virtutem solam, quæ magno à se æstimetur, possessionem sibi statuit, hic ab omni certè dolore vacuam, quietam, atq; otiosam vitam deget: virtutis enim possessio, etsi homo pro virili quisq; aliquam ejus partem tenet, appetentium tamē cupiditates semper explet, non ut aliqua soli possessio, quam qui in partes dividunt, quantum uni parti addunt, tantum de altera detrahunt, atq; ita quod uni redundat, id planè deest alteri, qui socius est, unde de majori cumulatioriq; parte contentiones existunt: ex eo enim, quod imminutio facta est, conflatū est odium, virtutis verò si quis majorem partem occupavit, ab invidia vacuus est, neq; verò qui plus ab ea rapuit, ullum ei detrimentum importavit, qui æquas partes ferre dignum se esse ducit: sed, ut quisq; capax est, ita & recta cupiditate expletur, & rebus iis, quas supra meminimus, non exhauriuntur virtutum divitiæ.

Itaq; hanc vitā qui intuetur, atq; in virtute, quę nulla hominum definitione describitur, omnes sibi thesauros constituit, an unquam ad res ullas humiles, & caducas animum suum proclivem ferri patietur? an terrenas divitias, an hominum opes, & potentiā, an aliud quidpiam eorum, quæ præ stultitia expetuntur, is admirabitur? Etenim siquis ita humili est, & abjecto animo, ut ad hæc ipsa afficiatur, is utiq; est ab hoc cœtu alienus, nihilq; ad nostrum sermonē, sin a. cœlestia cogitat, divinaq; simul cū Deo contemplatur, ad sublimiores hic omnino res, relictis humilibus contuetur, cū minimè nuptiis victus sit, unde communis existit occasio, cur in ejusmodi rerum errore quis versetur: nam cum quis vult se aliis præponere, gravissimus est hic superbiæ affectus: quē si quis semen, vel potius radicem dixerit omnis spinæ, quæ è peccato est, non à recto is aberrabit. Hic sanè affectus à nuptiarum causa initium maximè habet: non enim potest plerumque avarus hujus vitii liberos accusare, neque item is, qui præ gloriæ aviditate insanit, neque qui honoris studio tenentur, ne hujus mali causam ad progeniem ipsam referat, ut ne iis, qui ante se nati sunt, ipse inferior videatur, & ut à posteris, aliquā de se commemorationē liberis suis relinquen-

do, magnus omnino existimetur. Eodemque modo reliquæ, quæ sunt animi ægritudines, invidia, & odium, injuriarum recordatio, si quæ aliæ sunt, ab hac sanè causa proficiscuntur: hæc enim omnia in his unà insunt, qui hanc vitam attigerunt: á quibus quidem rebus qui remotissimus est, tanquam ex alta aliqua specula hominum perturbationes longè prospiciens, eorum dolet cæcitatem, qui rebus his fallacibus, sese manciparunt, rerumq; humanarum prosperitatem magnum aliquid esse putarunt.

Cùm enim hic quempiam hominē rebus, quæ in vita eveniunt, secundis florentem, honoribusque, aut opibus, aut potentia ornatum videt, eorum quidem qui harum rerum studio efferuntur, ridet insaniam, humanæque vitæ tempus, ut à psalmorum auctore terminus ejus certus dictus est, quam brevissimum numerat: deinde immensis illis sæculis cum exiguo hoc vitæ spatio collatis, mollitiem ejus luget, qui ad res hujusmodi sordidas, humiles, quæq; ad tempus manent, animum extollit: quid enim causæ est, cur in iis ipsis rebus honos, quem plerique expetunt, sit beatitudine dignus? quoniam quid iis, qui honore affecti sunt, addit honor? At qui ea conditione natus est, ut moriatur, mortalis hic manet, sive honos ei tribuatur, sive non.

Aut multa jugera terræ possedisse? ad quem optimum finem hoc perducit eos, qui ista possederunt, nisi quis demens arbitretur sua esse ea, quæ multo pacto ad se pertinent, præ multa enim inexhausta aviditate, ut verisimile, hoc ignorat, quòd Domini est terra, & plenitudo ejus. Ergo qui hæc mente intuetur, hacque de causa pro nihilo ea putat, quæ hominum vulgus in pretio, atque in honore habet, quique cœlestis vitæ solum amore ducitur, fœnumque esse omnem carnem, quasique fœni florem omnem hominis gloriam videt, studione dignum fœnum unquam putabit, quod hodie est, cras non futurum? qui enim divina recte contemplatur, hic animadvertit non solum res humanas nihil firmi solidique habere, sed, quasi neque universus hic mundus in perpetuum sit futurus, propterea vitam hanc quasi alienam, eamque caducam negligit: quoniam, ut voce Domini significatum est, cœli & terra transibunt, cunctaq; formæ commutationem necessario expectant. *cap 4. Orat. de Virginitate.*

D. Gregor. Nyssenus: Iis qui minus firmi sunt, conducere arbitramur, ut ad virginitatem tanquam ad tutissimum quoddam præsidium confugiant, neque ad hujus vitæ consuetudinem descendentes, contra se tentationes provocent, neque ut propter hos carnis affectus, illis se maximè rebus implicent, quæ summopere mentis nostræ repugnant rationi, periclitenturque non de prædii finibus, non de pecuniarum jactura, non de ullis denique cæteris rebus, quæ in hac vita expetuntur, sed de ea spe, quæ prælucet: non enim qui ad res humanas mente, animoque se convertit, atque omnem illuc curam rejicit, animumque suum in eo occupat, ut hominibus placeat, is potest primum illud, & maximum Dei præceptum explere, quo monemur, ut toto corde, totis viribus Deum diligamus. Quo enim pacto fiet, ut toto quis animo Deum diligat, cum suum hic animum modo in Deum, modo in res humanas impellat? debitamque illi soli pietatem, ac benevolentiam quodam modo eripiens, in humanis affectibus exhauriat? cœlebs enim ea, quæ Dei sunt, curat: qui vero matrimonio vinctus est, in his, quæ & mundi & hominum sunt, curam studiumque adhibet: sin autem laboriosa contra voluptates ac difficilis videtur pugna: fidenti animo quisque sit & forti, non enim parum in eo consuetudo valet, ut vel iis quæ difficillima esse videantur, voluptatem quandam, eamque honestissimam & maximè puram ex aliqua perseverantia pariat, cujus quidem voluptatis amore is, qui mente præditus est, potius est detinendus, quā à rebus verè magnis, quæve omnem mentem excedunt, alienandus ex demissione quadam animi, quæ in rebus humilibus cernitur. *cap. 9. de Virginitate.*

D. Greg. Nyssenus: Pudica virgo, quæ rationem vitæ ducem sequitur, ab omnibus animi affectionibus se omnino abducere oportet; ac cœlesti sponsæ, qui eam adornabit, integram se atque adeo puram conservare; ut aut sordes, aut rugas, aut aliquid ejusmodi minus contrahat. *cap. 15. de Virginitate.*

D. Gregor. Nyssenus: Adolescentes & mente infirma plerique se ad virginitatis studium conferunt: quibus inprimis studiose curandum est ut optimum hujus vitæ ducem ac magistrum quærant ne quando propter rerum ignorationem, quæ in iis est, transversas quasdam sibi vias atq; à recta aberrantes muniant. cognovimus enim quosdam, qui famem usque ad obitum patienter tulerunt, quasi his sacrificiis placetur Deus; rursusq; alios, qui quasi è regione oppositi, ad contrariam rem se adjunxerunt; utpote qui non ventris solùm voluptati indulgeant, sed etiam cum feminis apertè contubernii societatem habeant; hancque cum iis familiarem vivendi consuetudinem, fraternæ cognationis nomine appellant; nempe honestiori nomine suam occultantes mentem, quæ ad pejora declivis est. *cap. 23. de Virginit.*

D. Chrysostomus: O rem miram! in mundo virgines ante matrimonium manent; post matrimonium non item. In Christo, non sic: verum etiamsi virgines ante hoc matrimonium non sinit, post initum matrimonium virgines efficiuntur. *Homilia 23. ad Corinthios 2.*

D Chrysostomus: Et quænam, inquies, virgo monilia aurea, tortumque crinem circumfert? Atqui tanta est reliqui) habitus cura, tamque exquisita diligentia, ut omnem illum aureum cultum facile transcendere videatur. Licet enim etiam vilibus pannis, ejusce compositionis opinione notari, nec minus quam si aureas amiciretur vestes. Ubi enim pulla tunica fuerit, & pectori cingulo diligenter adstricta, ad earum instar, quæ in scena saltant, ut neque nimium turgens in latum excedat, neque tenue, adstrictumque immodicè contrahatur, verum, servato medio inter utrumque modo, rugas circa pectus intendant pariles, quam sericæ vestis illecebram hac arte non superet? Quid autem quum calceus ipse pullæ vesti subjectus, majorem sui decorem cernentibus præfert, atque ad imitationem antiquæ picturæ in acumen venustius desinat? Quid item quum faciem fucis quidem ornare non pergis, sed eam nimio studio diligentiaq; circumluis, atq; superne à fronte velum facie candidius suspendis, ac demum pallium imponis, ut sub nigro colore facies decentior videatur, & gratior? Quid item oculorum illos innumeros jactus? Quid item de collo, quod nunc quidem operitur, nunc autem de industria denudatur? Quid item de strophio, quod mamillis constringendis apponitur? & hoc enim sæpenumero nudant, ut cingendi magis appareat diligentia, dum pallium omne circa caput agitur.

Manus autem quemadmodum tragœdi, ita accuratè manicis induunt, ut naturaliter ita afflictæ videantur. Quid memorem tractam humi tunicam, incessumque infractum, & hujusmodi cætera studia, quibus longè magis quam auri monilibus intuentes capi solent? Timeamus dilectissimi, ne nos quoq; ea audiamus, quæ propheta Hebræis mulieribus hujusmodi ornatu exteriori gloriantib. comminatur, dicens: Pro zona funiculo cingêris, & pro ornamento capitis tui calvicium habitura es. Adeo autem plus ista, quam aurum, ad lasciviæ illecebram valent, ut etiam scorta plurima ad hoc omni studio intendant, ut per aspectum sui capiant intuentes. Non minimum istud peccatum est, sed magnum prorsus, ut quidem ipsum Deum irritare ad iracundiam possit, omnemq; virginitatis laborem absumere, gloriamq; corrumpere Christum habes sponsum quid amatores post te homines trahis? Merito tunc te ille adulterii damnat, quod ornatum sibi gratum atque charum tibi conquirere negligis, verecundiam scilicet, pudorem, honestatem, habitumque ornatum: hic nempe habitus adulter est, atque adeo fœdus, ut meretrices ac virgines ferè discernere nequeamus. *Homil. 8. ad Timoth 1.*

D. Chrysostomus: Nec velim dicas, me miseram, attritum pallium fero, abjectasque calceolos, nullius pretii tunicam: cujusmodi hic ornatus est? Noli teipsam fallere: licet, ut dixi, etiam per hujusmodi vilia magis ornari, quam per aurea illa monilia, & exquisitissimas vestes. Quippe per attritum pallium corpori decenter adstrictum, impudentiam præfers magis, ac pulchritudinis gloriam aucuparis. Ista mihi nunc loqueris. Cæterum Deo quid dictura es, qui mentis rimatur arcana, novitq; qua ista intentione facias? Sed esto, non ista causa libidinis facias, neque ut post te gregem adolescentum trahas. Cur quæso id facis? Ut admirationi habearis? Non erubescis infelix, neq; pudore suffunderis in rebus hujusmodi admirationem humanam & gloriam quærens? Sed dictura es, Simplici animo ista circumfero. Novit profecto Deus, quæ loqueris nobis neq; enim mihi rationem reddituraes, sed illi qui & modo tuis omnibus actibus & animi motibus adest, & tunc ista diligenti examinatione discutiet. Illi, inquam, cui nuda & aperta sunt omnia. *Homil. 8 ad Timoth. 1.*

D Chrysostomus: Nos inquies nubere non prohibemus? Absit ut volentes prohibeamus; etsi nubere nolentes ad virginitatis celsitudinem consectandam hortemur. Aliud quippe est prohibere, aliud suæ voluntatis dominium relinquere. nam alius quidem prohibet, atq; id totis viribus nititur: alius verò ad virginitatem, velut digniorem, hortari pergit; neque id nubere prohibens facit, sed celsioris virtutis merita sectanda proponit. *Homilia 12. ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Virginem hoc non facit, viri ignorare concubitum, sed & aliis virtutibus plurimis illi opus est ad promerendam veræ integritatis laudem; ut scilicet sine querela sit, & divinis intenta rebus, domino semper adsideat. *Homil. 13. ad Tim. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Decem virginum parabola, morum ac vitarum discrimen ostendit. Omnes enim virginitatem colebant: at non item omnes æquè reliquis virtutibus studebant, verum ad regni ingressum hanc solam satis sibi esse existimabant. At vero integrum atq; incorruptum judicium illud planum fecit, si commiseratio & humanitas absit, virginitatem nihil emolumenti afferre. Omnis enim, inquit ille, gloria filiæ Regis ab intus, circundata varietate. Aureis, inquit, virtutum omnium fimbriis variegatum esse oportet. Nam si quis virginitatem præstat, atq; hoc nomine gloriatur, nimirum ille à majore virtute, hoc est ab humilitate, aberrat. Neq; enim scriptum est, qui virginitatem colit, sed, qui seipsum humiliat, exaltabitur. *lib. 1. Epist. 286.*

S. Isidorus Pelusiota: Non corporis duntaxat castitate, vir sapiēs & erudite, verum etiam quietis atque otii amore divus Paulus virginitatem definit *lib. 2. Ep. 8.*

S. Isidorus Pelusiota: Virginitatis certamen magnum quidem & præclarum ac divinum est (nam adversus corporis voluptatem ipsi bellum est) at in aliis certaminibus labores minuit. Etenim pecuniarum amorem facilè vincet, cum corporis ornatū, ac virum & liberos, ob quæ pecuniarum quæsitio hominibus parum philosophis

phis necessaria esse videtur, minimè curet. Mœrori etiam haudquaquam obnoxia erit. non enim ramos protulit, cum quib. & curæ, & mœrores efflorescunt. Viventibus quippe filiis solicito animo esse coguntur: morte autem functis in luctu versari. A doloribus item & animi angoribus immunis est, ut quæ nec viri arrogantiæ tanquam inservitutem addicatur, nec partus doloribus mortis vicinis interrumpatur Cum superatur, invidiam non concipit: non cùm amatur supino animo est: non aversanti se assentatur: non obedienti blanditur: non eum, à quo contumeliis afficitur, aversatur: verùm ab omnibus his pestiferis vitiis libera est pugna adversus cupiditatem à natura insitam: quam cum superat, omnia illa sibi subjecta habet. Qua etiam de causa is, qui humanarum rerum naturâ accuratè perpenderat, de iis, qui molestias omnes sustinent, ut duntaxat libidinis rabiem minimè subigant, scribebat, Tribulationem carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.

At quoniam permulti Apostolicum consilium, quod per res ipsas minimè demonstratur, contemnentes, imò re vera voluptatis patrocinium suscipientes, eos, qui matrimonium amplexi sunt, tribulationem habere negant, verum oblectationem potiùs ac delicias, ac plerique etiam vim dicenti adhibentes, parum convenienter asserunt ignaviæ animæ istud argumentum esse: nam dum cælibatus sanctitati sese dicarunt, generationi aditum præcluserunt, matrimonii expertes manentes: atque dum per difficultatum nuditatem adversus rerum mutationes strenuè se gesserunt, similiter quodammodo faciunt, ut si quis corpore vacans, glorietur se nullo ulcere affici posse, eodem enim modo ipsi quoq; inopinatas fortuitarum rerum incursiones pertimescentes, gignendorum liberorum legem contempserunt, ut qui videlicet adversus mutationes sterilitate sese muniverint, ac per eam hoc sibi compararint, ut vinci & capi non possint. nos autem qui inopinatis mutationis momentis nos ipsos tradidimus, nec calonum more adversus eam collocati extra aciem stetimus, verùm vita nostra ipsius telis exposita, concessaque ei amplissima facultate, nos in quibus ipsi libuerit rebus feriendi, adversus eam armati sumus, adeo etiam cum vulneramur, non feriamur, & cum telo petiti sumus, sive aculeo configamur, atq; in rerum molestarum experimento dogma illud confirmantes, nimirum virtutem mutationis dominio minimè subjectam esse, certissimum documentum edimus. Quoniam igitur illi hujusmodi quædam colligentes in adversam partem declamitant, quòd scilicet à virginitatis quidem certaminibus vinci se atque à tergo relinqui erubescant, speciosam autem defensionem proferre arbitrentur, per ipsas quidem res atque in ipsis certaminibus intelligent, quanto & uxori maritus, & marito uxor, & uxoris ac filiorum cura ad salutem impedimento sit: convincuntur autem nunc quoque per ea in imam malorum voraginem impelli, per quæ ipsi se, partim delicias & voluptates percepturos, partim majores coronas consecuturos esse confidebant.

Quibus enim perturbationibus non obnoxii sunt? Quod cauponæ genus non tractant? Quot molestias perferunt, nec eas sentiunt? Quid enim boni eos non præterit? Quid autem apud eos habitat, quod laudem mereatur? Nec tamen hæc eo commemoro, quòd illos, qui honorabile connubium amplectuntur, abdicem ac proscribam (absit) verùm ut eos, qui lubrica & petulanti lingua matrimonium virginitati anteferre audent, perstingam. Quanto enim cælum terrâ præstantius est, & anima corpore: tantum etiam virginitas conjugio antecellit. Ita enim primas partes in acie tenet, ac phalangis frontem exornat, illustriaque trophæa statuit: hoc autem cum mediocre sit, atque imbecillioribus adminiculi loco concessum, potest quidem eos, qui ipsum illæsum custodiunt, servare: at non item ad virginitatis fastigium subvehere. Unde etiam spiritualis lex, eos, qui uxorem duxerant, ac vires plantaverant, ad bellum illud, quod cum spiritualibus nequitiæ suscipitur, egredi vetuit.

Quæ cum ita sint, non in ea opinione versentur ii, qui hujusmodi vinculis constricti tenentur, ut cum his, qui soluti ac liberi sunt, certare se posse existiment (nec enim id fieri potest) nec qui augendis opibus, corporique adornando universam vitam suam addixerunt, eadem præmia se accepturos esse arbitrentur, quæ ii, qui Deo totos se consecrarunt, ac, quæ Domini sunt, curant: verum in congruenti gradu seipsos tenentes, adversus eos, qui ad cæleste cacumen ascenderunt, linguam ne acuant. Neque enim conjugium malum est (absit) verum legitimum etiam ac mediocre bonum. At mala ea & incommoda, quæ matrimonium secum trahit, ad retundendam & hebetandam matrimonii voluptatem satis magnam vim habent. Atque etiam si nihil horum secum traheret, ne sic quidem tamen dignum esset, quod cum virginitate conferretur.

Quod autem me etiam properantem, præterire non sinit, hoc dicendum est, nempe quòd virginitas alia etiam vitia expugnat: matrimonium autem aliis quoque vitiis corripitur. Quotus enim quisque est, qui ut alimenta filiis subministret, non omnia, quæ parum conveniant, faciat, atq; in pericula & in pelagus, ac belluis in prædam conjiciat? At interim tamen isti, ut fortes & laurigeri gloriari volunt. Et quis hoc ferat? Quod enim ad hæc vulnera persananda temporis spatium sufficiet? Quisnam autem eorum, qui tot telis sauciati sunt, vicem non doleat? Tot enim eos mala circundant, ut ea ob multitudinem nec mente comprehendi, nec verbis satis exprimi queant.

Quamobrem hujusmodi sermonibus finem imponant, ac non adversus virginitatem linguam instruāt: verum ut reginam ipsam honore prosequantur, eique se subjiciant, ut eam & propugnatricem & interventricem habeant. Soli enim, ut cælestibus quoque exemplis utar, eos, qui virginitatem amplexi sunt, Lunæ autem eos, qui continentiam, ac denique stellis eos, qui honorabile connubium amplexi sunt atque conservarunt, comparare licet, maximè cùm Divinus Paulus calculum suum addat, ac dicat, Alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum. *libro tertio Epist. 358.*

S. Isidorus Pelusiota: Quod de virginitate dictum est: Non omnes capiunt sermonem hunc; sed quibus datum est: id non est eo sensu dictum, quasi quibusdam sorte quadam arcanâ tributum sit (nam si ita esset, non proposuisset ipsis præmium regnum cœlorum:) sed ut ostendat, primum quidem divino auxilio indigere eos qui istud naturâ excellentius certamen susceperunt: deinde, quod cœlitus hoc consilium descendat, non lege sanciens, sed suasione & exhortatione utens: Tertio, quod detur (hæc facultas virginitatem colendi) iis, qui intemperantiâ superiores extiterint, qui desuper veniens auxilium implorârint, qui pretiosum illum thesaurum jejuniis atque vigiliis conservârint, nec semet ipsos feræ belluæ per ignaviam & delicias prodiderint. Nam si secundum sortitionem quandam daretur, supervacaneum esset præmium (quod virginitatis cultoribus est propositum.) Non itaque ex merâ gratiâ datum est; sed illis datur; qui accipere volunt. Illis enim qui nolunt, nemo erit qui sit daturus. *lib. 4. Epist. 165.*

¶ Latinorum.

S. Zeno: Conferamus quæ sit inter virginem nuptámque discretio. nupta cogitat, quemadmodum placeat marito: virgo, quemadmodum Deo. Hæc extrariis ornamentis ornatur: longè illa ornatior, aliunde quia nescit ornari. Hæc variis unguentis, & odoribus fragrat: illa unici floris sui quovis prato jocundior in cælum ipsum honore læto respirat. Hæc liberis gaudet: at illa liberorum non timet orbitatem. Hæc eorundem blanditiis vernantibus pascitur, & incrementis adolescentibus quotidie delectatur: at illa ægra fastidio novem mensium non bajulat pondus: sub incerto partu parientis, nascentisque de salute non gemit: nulliusque momentis omnibus variæ solicitudinis cura torquetur. *Sermone de continentia.*

S. Valerianus: Theclæ inter flammas & rabidas bestias custodita pudicitia: quæ in tantum mundi hujus ornamenta despexit, ut amore servandæ pudicitiæ conjugales thalamos desponsata contemneret, & integritatem professæ virginitatis pugnando nutriret, vincendo servaret. *Homil. 17. fere fine.*

Orosius: Orithya, filia Marpesiæ Amazonum reginæ, singularem virtutis gloriam perpetua virginitate cumulavit. *lib. 1. adverſ. Paganos cap. 15.*

Io. Sarisberiensis: Planè virginum primus gradus & singularis gloriæ titulus est: in continentibus tamen & conjugatis forte sunt aliqui multis virginibus præferendi. *libro septimo Policratici cap. 33.*

¶ Oratorum Græcorum.

Philostratus: Cum plerique Pythagoræ sententiam laudarent, qua voluit non licere congredi alienæ mulieri: hoc, inquit, Apollonius ad alios prolatum arbitror; mihi vero neque nubere. etenim ab omni re venerea prorsus abstinere est animus: in quo sanè Sophoclem superare visus est; qui senio confectus jactare solebat beneficio senectutis se à venereis cupiditatibus, tanquam à domino agresti & furioso liberatum. Apollonius autem proprie virtutis & temperantiæ auxilio, ne in adolescentia quidem potuit à cupiditatibus superari: sed juvenis ac robustus furiosum eum agrestemq; dominum superavit. Verum ne sic quidem calumniatorum obtrectationes potuit evitare, qui ipsum amoribus captum criminantur, ejusque rei gratia apud Scythas integrum annum hæsisse: cum eam nunquam attigerit, neque amori unquam deditus fuerit. Idque Euphratis testimonio patere satis potest, qui multa crimina falsò de eo scribens, amoris tamen nunquam insimulavit. *lib. 1. Apollonii cap. 10.*

Libanius: An estis nescii, virginitatem omnium instar esse virgini nuptiarum, inquam loco, viri, liberorum, spei, vitæ, facultatis cum mulieribus conversandi? *Declam. 23.*

Heliodorus: Nuncium remisit Chariclia conjugio, & in virginitatis statu agere totam vitam constituit, & Dianæ ministram se præbens, venationibus ut plurimum vacat, & jaculandi artem exercet. Et ad demonstrandum quod optimum genus vitæ relegerit, divinis laudibus virginitatem ornat, & prope Deos immortales collocat, immaculatam & illibatam & incorruptibilem appellans. Amores verò ac Venerem & omnem nuptialem pompam ac ceremoniam extremè vituperat. *lib. Æthiopicorum secundo.*

Heliodorus: O pater injustitiæ initium hoc vel magis proditionis, si me sola relicta discedes, Theageni nostris rationibus commendatis: neque cogitabis quam infidus sit ad custodiam amator, si in illius potestate fuerit id, ut amore perfrui possit, & iis

qui illi pudorem incutere possint careat. Magis enim incenditur, ut existimo, cum id quod expetit expositum sibi videt, omni destitutum præsidio. *lib.4 Æthiopicor.*

Heliodorus: O Calasiri, da nobis hanc gratiam primùm, & sine me tacentem infelicem esse, cùm ipse, ut vis, morbum meum cognoveris, & ignominiam evitatam in lucro ponere, occultantem ea quæ cùm pati turpe, tum enunciare multo turpius est. Me autem etsi dolore afficit morbus (quod sc. amem) invalescens, tamen illud magis, quod initio morbum non superaverim, sed victa sim ab affectu, qui mihi semper ante hoc tempus odiosus fuit, & vel auditu ipso venerandum virginitatis nomen contaminat. *lib. 4. Æthiopicorum.*

¶ Romanorum.

Calpurnius Flaccus: Tu puella quid passa es? virginitate caruisti: solenne in his damnum, ut non dixerim votum. *Controversia.* 42.

Apuleius: Virgo formosa, etsi sit oppido pauper, tamen abundè dotata est. Adfert quippe ad maritum novum animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum. Ipsa virginitatis commendatio, jure meritoq; omnibus maritis acceptissima est. Nam quodcunq; aliud in dotem acceperis, potes cum libuit, ne sis beneficio obstrictus omne ut acceperas retribuere: pecuniā renumerare, mancipia restituere, domo demigrare, prædiis cedere. Sola virginitas, cum semel accepta est, reddi nequit: sola apud maritum ex rebus dotalibus remanet. *Apologia* 2.

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 2. de Virginitate:

Iuvenies vitam thalami consorte carentem
Totam cælesti, vice muneris esse parenti
Appensam sacramque, electrum, aurumq; nitore
Vincentem, pennis celerem, mireq; serenam,
Prudentemque levemque, excelsam vertice, claram
Vndique, non terra fixam, immersamq; profundo,
Æthereæ sed in urbe proculq; à carne manentem,
Dextra amplexantem cælum, vitamque senectæ
Ignaram, lævaque manu decus, atq; perennes
Divitias non testaceo sub pondere lentis
Passibus in morem domi portæ membra trahentem.
Non carnis Christiq; simul mandata sequentem,
Non, velut amphibiis mos est, in mollibus undis
Degentem atq; etiam in terra, noctuque diuq;,
Ardua sed penitus mittentem ad sidera mentem:
Et spe, cui prolis generatio carnea cedit,
Cælitus invecta lætam, semperque virentem
Ac puris animi conceptibus, æthere ab alto
Largiter immissis, puroque à numine fusis.
Contra connubium à Christo ver prorsus aberrat,
Aestibus abstractum carnis, variisque caduci
Immersum curis mundi: vel numen olympi
Exigue attingit, levibusque amplexibus urget.

D. Greg. Nazianzenus Carmine 2.

Salve Virginitas divino tradita dono,
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars, & spiritibus sociata supernis,
Ignaris thalami. nam magnus conjugis expers
Est Deus, atq; Dei rutilans chorus omnipotentis

D. Nazianzenus Carm. 2. de Virginitate sub finem.

Bruma nives profert, flores sunt Veris amæni:
Dat senium rugas, vires generosa juventus.
Sed tamen & brumæ spectantur tempore flores,
Atque nives gelidæ vernis quandoque diebus:
Protulit & canos juvenis, viridemque senectam
Vidi, & vincentem juvenilia robore membra.
Haud aliter, quamvis sit terra uxoria vita,
Castaque virginitas decoretur conjuge Christo:
Interdum tamen in terram depressa recumbit
Virginitas, contra thalamus ferit æthera pennis.
Vtraque sic simulans, specie mentitur inani,
Illa quidem tædas, hæc contra Virginitatem.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgg.

Virgo sis oculis, sis ore, atq; auribus ipsis
Virgo. nam tribus his facile est decedere recto.
Egregiis tantum pateant sermonibus aures,
Turpibus & stultis claudatur janua verbis.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgines.

Nec tamen æterni venit hoc sine numine Patris,
Vt quisquam Veneris fœdæq; libidinis expers
Vivat, & hoc fragili maneat tranquillus in ævo.

D. Nazianzenus Carm. 3. de præc. ad Virgg.

Vinum Virginibus prohibitum est obscænius ira:
Turpius ira malum graviusque in virgine crimen,
Quam furor in reliquis iter hoc ad tartara ducit
Nec rursum quia membra tegit tibi sordida vestis
Inde supercilium tollas, nam gloria vana
Interdum tacitè in viles irrepit amictus.
Nec gena pestiferum fœdis subsultibus hostem
Excitet. his etiam petulantes linque cachinnos
Lætitiamq; vagam, faciunt quæ corpore quæstum
At tibi solvatur lenis gena candida risu,
Purpureusq; rubor confestim gaudia fallat.
Nam qui virginea cernunt in fronte ruborem,
His cadit exorto petulantia victa rubore.

D. Nazianzenus Carm. 16. de beatitudinibus.

Virginitas thalamo melior: sed dedita mundo
Si fuerit fluxis junctaque: pejor erit.

D. Nazianzenus fine, Carm. 64. de fuco mulierum.

Καὶ σὺ Θεοῦ μεγάλοιο παρασταίη, οὐδὲ σύ λήθεις,
Ἤν ποτε τῷ χθαμαλῷ θῆλυ τι συγκεράσῃς.
Ἔστι τὶ ἐν ῥυπόωσι ποθὴ εἵμασι θρύψις ἄσημος,
Καὶ σεμνότης μαλακοῖς, ἴστορες οὐκ ὀλίγοι.
Ῥυτὶς ὅ πλέον ἐστὶν, ἐπίστασο, ἢ τὰ μέγιστα
Τραύματα κοσμοβίων. ἄζεο μὰ χοτυεμω.
Οὐδὲ γὰρ ἐν ῥυπόωσι ῥανὶς ῥοῦν, ὅσσα ἀπὸν αὐξ.
Φαίνεται ἐν καθαροῖς εἵμασιν ἰσοχρόοις.

At tu, quæ Deo magno astas, non est, quod obscurum & occultum id fore existimes, si humili atq; abjecto vitæ generi femineū quiddam admisceas. Sunt enim, sunt quoq, interdum in sordidis vestib. delitiæ: contra in mollibus gravitas nonnunquam invenitur, quēadmodum multi norunt. Atq; illud quoq; velim ne ignores, rugam unam tibi turpiorem esse, quàm maxima & gravissima vulnera iis, qui in mundo vivunt. Quo majore studio tibi prospiciendum est, ne quid professione tua indignum admittas. Neq; enim tam notabilem ac conspicuam in sordidis, quam in puris uniusq; & ejusdem coloris vestibus, labes aliqua fœditatem habet.

Prudentius lib. 2. adversus Symmachum.

Sunt & virginibus pulcerrima præmia nostris,
Et pudor. & sancto tectus velamine vultus,
Et privatus honor, nec nota, & publica forma,
Et raræ tenuesq; epulæ, & mens sobria semper,
Lexque pudicitiæ vitæ cum fine peracta.

Statim post.

Quæ nunc Vestalis sit virginitatis honestas
Discutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primum parvæ teneris capiuntur ab annis,
Ante voluntatis propriæ quàm libera secta
Laude pudicitiæ fervens, & amore Deorum,
Iusta maritandi condemnet vincula sexus.
Captivus pudor ingratis addicitur aris,
Nec contempta perit miseris, sed adempta, voluptas
Corporis intacti, non mens intacta tenetur.
Nec requies datur ulla toris, quibus innuba cæcum
Vulnus, & amissas suspirat femina tædas, &c.

Plautus Epidici 3. sc. 3. v. 19.

—— cave siveris cum filia
Mea copulari hanc, neque conspicier. jam tenes?
In ædiculam istanc seorsum concludi volo.
Divortunt mores virgini longè ac lupæ.
A. Doctè ac sapienter dicis. non nimis potest
Pudicitiam quisquam suæ servare filiæ.

Plautus Curcul. 5. sc. 3. v. 20.

Bene & pudicè me domi habuit. M. haud voluntate id sua.
Aesculapio huic habeto, quod pudica es, gratiam.

Terentius Adelph. 3. sc. 2.

Pejore res loco esse nō potest quam in hoc quo nunc sita est.
Primū indotata est: tum præterea quæ secunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non potest.

Afranius.

Formosa virgo est? dotis dimidium vocant.
Isti qui dotes negligunt uxorias.

Terentius Eunuchi 2. sc. 3.

Haud similis est virgo virginum nostrarum, quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient,
Si qua est habitior paullò, pugilem esse ajunt, deducunt cibum:
Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas,
Itaque amentur. PA. quid tua istæc? CH. nova figura oris.
PA. Papè.
CH. Color verus, corpus solidum & succi plenum. PA. anni? CH. sedecim.
PA. Flos ipse.

Terentius Hecyræ 1. sc. 2.

Ad pauca ut redeam: uxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non attigit:
Quæ consecuta est nox, eam nihilo magis.
P. Quid ais? cum virgine unà adolescens cubuerit,
Plus potus, illa se abstinere ut potuerit?
Non verosimile dicis: neque verum arbitror.
PA. Credo ita videtur tibi. nam nemo ad te venit,
Nisi cupiens tui: ille invitus illam duxerat.

§ EMBLEMATUM.

Jacob. Catsius Emblemate Amat. 20.
Inveniendo amittitur.

Virgineum Cajeta decus dum laudat alumna,
Virginitas ubi sit Lydia nosse cupit.
Dum, mage suspectum ne consulat illa, veretur;
Exiguam nutrix pyxide claudit avem.
Hoc cape, Virginitas latet heic ait. arca repente,
Vt stetit in thalamo sola puella, patet.
Vix bene tegmen hiat, volat irrevocabilis ales.
Hei mihi! virginitas dum reperitur abit.

Jacob. Catsius Emblemate amatorio 22.
Tangor, non frangor ab undis.

Phylli, Dionæis circumdaris undiq; turmis,
Et Venus in venas non venit ulla tuas.
Mille proci calidis implent tibi questibus aures;
Tu tamen in mediis ignibus, igne cares.
Sic manet Alpheo, licet æquora vasta pererret,
Qui fuit ante color, qui fuit ante sapor.
Vis fluvii miranda, mea vis mira Puella!
In circumfuso tutus uterq; mari est.

Casius Emblemate Ethico. 40
Ex signis futura.

Ova fovet volucrum, tenerisq; inserta papillis
Lydia bombycum semina parvagerit.
Hinc veniunt fœtus, huic se vocat illa parentem.
Hei mihi! ludendo nomina vera petit.
Re cupit esse parens, quæ matris imagine gaudet.
Si sapis, ô patens, hæc signa reconde sinu.
Quin age, quemque voles habeat tua nata maritum;
Quem noles, generum vel dabit illa tibi.

Catsius Emblemate Sacro 40.
Præstat nubere, quam uri.

Et fovet, & calidis pullos educit ab ovis
Phyllis, &, en! matris jam mihi nomen, ait.
Phylli quid hoc sibi vult, animum tibi prurit imago!
Ah! cui ficta placent nomina, vera juvant.
Ova foves gremio veros imitantia partus;
Æstuat in tacito dum tibi flamma sinu.
Improba nube viro. faciat pejora necesse est.
Si qua sub invisa virginitate gemit.

Catsius Emblemate Nuptiali. 5.
Indice, non sonitu.

Adspicis Automaten celeres quod denotat horas.
Et gracili longum dividit axe diem.
Murmura nulla ciet, sed quid velit, indice monstrat.
Quam decet ingenium virginis illud opus!
Virgo licet taceat; pro virgine nubilis ætas
Exigit, & patrem vel sine voce monet.
Ora petunt, roseaq; genæ, tumidaq; papillæ;
Solvitur in tacitas tota puella preces.

Catsius Emblemate nuptiali. 61.
Colonia aliò ducenda.

Palmes humi simul ac propria radice tenetur.
Hæc alio nobis vitis alenda loco est,
Vinitor exclamat: jam jam dabit ipsa racemos,
Vt dabitur laxo luxuriare solo.
Sunt mihi quæ possunt geminos nutrire papillæ,
Quique valent partum sustinuisse sinus.
Et mea virginitas roseo testata colore,
Me jam, non matris, sed jubet esse viri.

Catsius Emblemate Nuptiali 11.
Virginitatis honor virginitate perit.

Dum rosa flore novo foliisq; recentibus halat,
Invidia spinoso cordice tecta latet.
Quin pueri cohibete manus; rubus asper in illa est:
Qui legit hanc tenero pollice, vulnus habet.
Mox tamen illa dabit patulo se flore videndam,
Et fluet, & duro sub pede pressa gemet.
Dulce puella procis prima sub flore juventæ;
Hoc demum lepidus tempore gaudet amor.
Si qua diu virgo est, vix virgo videtur amanti;
Quæque dies partem virginitatis habet.
Dum novus ergo vigor præstat dare nomen Amori:
Sæpe puella negat, quod dare vellet anus.

Catsius Emblemate nuptiali 33.
Raro vaga virgo pudica est.

Non ego laudarim Nasonis ubique libellos:
Ille vagos cupiat virginis esse pedes.
Ille nurus Latias, curvis errare theatris
Jussit, & in medio crura movere foro.
Judice me, castas mos dedecet iste puellas;
Judice me non est virginis istud opus.
Per fora turpis Amor furit & Venus. este puellæ,
Este domi: vobis est sacer iste locus.
Non facile à spinis innoxia vellera servat,
Per vepreta vago dum pede fertur ovis:
Nec facile ingenui retinet monumenta pudoris,
Sæpe Dionæo juncta puella gregi.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad stuprum nulla educuntur quisquis spectat nuptias.
Contumelia est tametsi rapta virgo reddita est.
Cuilibet periculosa virginis custodia est.
Elui nullo piaclo virginis cædes potest.
Gaudium rapti durare non potest in posterum
In volentem etiam committi raptus atque vis potest.
Insolens, cœtus viriles intueri, virgini
Integritas quoque delibatur oculis ipsis virginum.
Non malos tantummodo ade virginum arce, sed bonos.
Non nimis servare quisquam filias potest suas.
Non oculis & ore tantum, virgo sis & auribus.
Nulla virgo tam pudica est quam pudicam se autumet.
Nulla virgo tam impudica est, quin pudicam se ferat
Palladem time qui captas depudicas virgines.
Publico se inferre non est res honesta virgini.
Quam sui peccare mores non ferunt, tutissima est.
Qui quam vi stuprat, necatur impunitè proximis.
Si virgo es quid diligentem respuis custodiam?
Sola virginitas dotali è re maritum apud manet.
Virginitas nihil mage vera sic timet quam se & suos.
Virgo cui stupenda forma est invenit plures procos.
Virgo inops sese maritum dignum vix tandem invenit.
Virgo non est cui corrupta mente corpus integrum.
Virgo non est quicum cubuit adolescentior ebrius.
Virgo non tantum esse debet, sed credi atque intelligi.
Virgo quæ nimis vagatur, virgo tantum nomine est.
Virgo sum; non didici verba nuptæ dicere.
Virgo tunc formosa vere est, cum pudore item nitet.
Virgo vera nil adæque quam ipsamet sese timet.
Virginis ne adeāt domum mali: imo inde arce item bonos.
Virgini dum dos sit, nullum vitium vitio vertitur.
Virgini tam crescit uterus, quam gravidæ mulieri?
Virginem magis confundis si laudas quam corripis.
Virginem major voluptas intueri, quam frui.
Virginem nudare vulgo summa contumelia est.
Virginem quam scis tuam non esse, haud tactam oportuit.
Virginem vitiare civem crimen haud est parvulum.
Virginem voluptas æquè est intueri, ac frangere.
Vt caveant timenda, tuta pertimescunt virgines.

§ JAMBICA.

Corrupta nuptum non datur pro virgine.
Divina tandem pœna stuprum vindicat.
Dotis secunda virginitas locum obtinet.
In filia, quodvis periculum grave est.
In virgine animi pulchritudo est castitas.
Non elegit pudor maritum virginis.
Nox nuptialis nomen aufert virginis.
Nupta ad maritum; ad patrem virgo pertinet.
Nuptum dari pro virgine rapta non potest.
Quo more cœtus publicos virgo petis?
Quod nescit omne virgo dulcius putat.
Raptum pudorem morte multa vindicant.
Turpissimum est diu ferre nomen virginis.
Ventus penetrat & tenellas virgines.
Venusta virgo rectè olet cum nil olet.
Vel omnium instar virgini ipsa est castitas.
Virgo à viro non vir genitur à virgine.

Virtutis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

B. *Clemens Alexandrinus*: Merito ergo scribit Simonides: *Fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus, nunc autē ea celerem castum locum tenere, & quæ nec aspici possit omnium mortalium oculis, sed ab eo demum quem sudor mordens animum intus penetravit, & processerit ad summam animi magnitudinem.* Et Pindarus: *Juvenum autem cura quæ versantur cū laboribus, gloriam inveniunt. Tempore autem resplendent facta in æthere illustrata.* Hunc sensum secutus Æschylus, dicit:

Qui subit laboribus,
Laboris huic propago crescit gloria.

Majori enim fato majores partes obtingunt, ex sententia Heracliti.

Quis servus est, qui non timet mortem præcor?

libro Stromatum quarto.

B. Clemens Alexandrinus: Postremo illud quoque illos scire oportebat, quod natura quidem apti nati sumus ad virtutem, sed non quod eam habeamus ab ortu, sed simus apti ad eam acqui-

rendam. Qua ratione ſolvitur ea dubitatio, quæ ab Hæreticis adverſus nos movetur: Utrum perfectus formatus ſit Adam; an imperfectus? ſed ſi imperfectus quidem, quomodo perferfecti Dei imperfectum eſt opus, & maximè homo? ſin autem perfectus, quomodo tranſgreditur præcepta? Audient enim etiam à nobis, quod perfectus quidem non fuit factus in conſtitutione, ſed aptus ad ſuſcipiendam virtutem: multum enim refert, factum eſſe aptum ad eam acquirendam. Vult autem nos ex nobis ipſis ſalvos fieri. Hæc eſt ergo natura animæ, à ſe ipſâ impelli, & incitari: deinde cum ſimus ratione præditi, ratione autem conſtet philoſophia, habemus quandam cum ipſa cognitionem. Aptitudo autem, eſt quidem motus ad virtutem, non autim virtus. Atque omnes quidem, ut dixi, apti ſunt naturâ ad acquirendam virtutem: ſed alius quidem magis, alius vero minus accedit ad diſciplinam & exercitationem. Quocirca alii quidem uſque ad perfectam pervenêre virtutem, alii vero uſque ad aliquam: neglecti autem rurſus aliqui, etiamſi alioqui bonum haberent ingenium, averſi ſunt in contrarium. *lib. 6. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Eſt generoſi & ſapientis animi, ne hoſtium quidem virtutem contemnere; verum hoſtium fortitudini plus tribuere, quàm ſuorum, etiam familiorum, ignaviæ ac languori. *Oratione ſteliteuticaprima.*

D. Nazianzenus: Ut demus Ethnicos fucatis ſuis præeptis vitium reprimere quo tandem modo ad virtutis & doctrinæ noſtræ gradum pervenerint, qui, non in virtute perficere, nec ex veteribus ſubindè novos effici, ſed eodem ſtatu hærere, in vitio ponimus? Ita enim nobis idem, quod trochis, accideret, quos in orbem volui, non autem progredi, videmus, atque immotè, ut ſic loquar, ſcuticæ vi impulſos rotari. Quocirca nos ita conſtitutam habere vitæ rationem oportet, ut virtutes, partim jam exequamur, partim in eas incumbamus, partim cupidè appetamus, quouſque ad finem ac deificationem illam pervenerimus, ob quam creati ſumus, & ad quam perperamus, ſi modo animo excelſo & in altum penetrante ſumus, atque aliquid Dei magnificentia dignum ſperamus. *Oratione 4. quæ eſt ſteliteutica in Iulianum altera.*

D. Nazianzenus: Quanquam Cypriani nomen apud omnes, non modo Chriſtianos, verum etiam eos qui adverſæ claſſis erant (virtus enim omnibus ſimiliter venerationi eſt) clariſſimum ac celeberrimum eſſet; corpus tamen obſcurum erat *Oratione decima octava.*

D. Nazianzenus: Alii alio quodam virtutis officio funguntur: nonnulli etiam ex pluribus virtutis generibus quædam aſſequuntur. nemo autem eſt qui per omnia ad ſummum uſque graſſatus ſit; eorum quidem certè qui nobis noti ſunt: verum is apud nos præſtantiſſimus eſt, qui quamplurima præſtiterit, vel unum quam maxime & præſtantiſſimè. At hic noſter Baſilius Magnus ita omnia peragravit, ut in eo gloriæ materiam quæſiviſſe natura videatur. *Oratione 20.*

D. Nazianzenus :Fratres Machabæos ipſe quoque poſt mortem admiratus eſt Antiochus, converſis nimirum in admirationẽ minis. nam virorum fortium virtutem hoſtes quoque ipſi admirari norunt, cum ſedata iracundia res ipſa in ſe expenditur. *Oratione 22.*

D. Nazianzenus: Ac navatæ operæ merces, ſola confeſſio eſt non enim aliud quicquam quærimus, aut quæſiimus. Virtutem quippe mercedis expertem eſſe oportet, ut virtus maneat, nihil ſibi præter bonum ipſum proponens. *Oratione 32.*

D. Nazianzenus: Ipſi in animum inducite veteri proverbio obſequi, quod virtutis cultum amplecti jubet, cum ſatis ad victũ amplæ facultates ſunt. *Epiſt. 61.*

D. Greg. Nyſſenus: Quid eorum quæ ex virtute perficiuntur à labore vacuum oſtendes? Quid ergo? ſummi boni ſpem idcirco cõtemnemus, quod ad illud ignavis & inertibus aſpirare non licet? *Orat. 2. de amandis paneg.*

D. Greg. Nyſſenus: Ponderoſa quædam res eſt aurum; oneroſa res omnis quæ divitiarum cauſſa expetitur: levis vero res quædam & ſublimia petens virtus eſt. verum hæc ſibi invicem oppoſita ſunt, ponderoſum ac leve ergo nulla ratione effici poteſt, ut levis ſit is, qui ſeſe pondere materiæ affigit. ſi igitur ad ſuperna nos accedere oportet, ab iis quæ deorſum trahunt inopes & egeni ſimus, ut in ſupernis verſemur. *fine Homil. 1. de beatitud.*

D. Greg. Nyſſenus: Talis eſt virtutis natura, ut non in præſentia modo fruentem demulceat atque delectet, ſed in omnibus temporis partibus lætiam repræſentet nam & vitæ tranſactæ memoria, eum qui id aſſecutus eſt; & præſens vita, dum per virtutem tranſigitur, & expectatio retributionis, & remunerationis, delectat: quã remunerationem non aliam quandam eſſe puto, quam ipſam rurſum virtutem, quæ & corpus rectè facientium eſt & præmium rectè factorum exiſtit. *Oratione 4. de beatitud.*

D. Greg. Nyſſenus: Fieri non poteſt, ut una aliqua virtutis ſpecies à reliquis diſiuncta, ipſa per ſe virtus perfecta ſit. nam cum quo non ſimul aliquid conſideratur eorum, quæ per bonum intelligũtur, omnino neceſſe eſt, ut contrarium in eo locum habeat. opponitur autem continentiæ quidem & frugalitati luxuria atque incõtinentia: prudentiæ vero ſtultitia, & cujuſque eorum quæ in meliorem partem accipiuntur, prorſus eſt aliquid, quod ex contrario intelligatur. Si igitur non omnia cum juſtitia conſiderarentur, fieri non poſſet, ut quod relinqueretur bonum eſſet. non enim aliquis dixerit ſtultam juſtitiam, aut audacem, aut innocentem, aut aliud quidquam eorum, quæ per vitioſitatem conſiderantur & intelliguntur. Quod ſi ratio juſtitiæ, ab omnibus quæcuncque in pejorem partem accipiuntur, vacua, pura atque integra eſt, univerſum in ſe bonum plane complexa eſt. bonum autem eſt quidquid per virtutem conſideratur & intelligitur. *oratione quarta de beatitudinibus.*

D. Chryſoſtomus: Perſæpe evenire videmus, ut bona hominum pars non per inde bonorum promiſſione, atque minarum terrore ad virtutem pertrahatur. *Hom. 3. princip. ad Rom.*

D. Chryſoſtomus: Multi ſunt, qui cum virtutem primum reſpectu magiſtratus ac pœnæ exercuerint, poſtea etiam illam propter Dei amorem amplectuntur. craſſiores enim. non adeo futura tanguntatque præſentia. *Homil. 23. ad Romanos.*

D. Chryſoſtomus: At rogant cur via eſt auguſta, & ad terreſtres quidem regias non æquum cenſes ut ingrediatur ullus ſcortator & impudicus: in ipſum autem cælum æquum cenſes ut introducantur homines cum licentia, & deliciis, & ebrietate, & avaritia, & cum omni vitio? Et ubinam hæc merentur veniam? At non hoc inquit, dico, ſed cur nõ ſit lata via virtutis. Atqui ſi velimus, ea erit vel valdè facilis. Quid enim, quæſo, eſt facilius? murumne fodere, & aliorum bonis acceptis in carcere conjici in vincula; an ſuis cõtentum ab omni metu eſſe liberum? Atqui non dixi totum. Quid enim, dic mihi, eſt facilius? an cum res omnium ſurripueris, & ex paucis brevi tempore in deliciis egeris, immortaliter torqueri & flagris cædi: an cum in juſta paupertate breve tempus vixeris, perpetuis poſtea expleri deliciis? Nondum enim examinemus quid ſit conducibilius, ſed interim quid ſit facilius. Quid enim eſt, jucundius; bonumne videre ſomnium & re vera puniri, an cum moleſtũ videris ſomnium re vera expleri deliciis? An non eſt perſpicuum, hoc eſſe jucundius? Quomodo ergo, dic quæſo, aſperam dicis virtutem? eſt enim aſpera, ſi ex noſtra dijudicetur negligentia. Quod ſit facilis & non gravis, audi quid dicat Chriſtus: jugum meum facile eſt, & onus meum leve. Si autem non ſentis levitatem, eſt perſpicuum te non habere validam animi alacritatem. Quomodo enim ſi ea adſit, etiam quæ ſunt gravia fiunt levia: id ſi non adſit, etiam ea quæ ſunt levia fiunt gravia Quid enim, dic quæſo, eſt mannæ menſa ſuavius, quid paratu facilius? Ægrè tamen ferebãt Judei, his fruentes deliciis. Quid fame acerbius, & aliis laborioſis quæ perpeſſus eſt Paulus? Sed exultabat, & lætabatur, & dicebat. Nunc lætor in perpeſſionibus meis. Quæ eſt ergo cauſæ? Mentis differentia. Si ergo eam qualem eſſe oportet effeceris, videbis facilitatem virtutis. Quid ergo, fit ne ex ea, inquit, ejuſmodi ex mente eorum qui ipſum perſequntur. Non ex mente ſolum, ſed eſt etiam talis natura Etenim ſi illa eſſet omnino laborioſa, & hoc omnio contrarium: merito quiſpiam ex iis qui excidiſſent, diceret hanc illo faciliorem. Si autem habent initium, illa quidem moleſtum ac difficile, hoc vero jucundum ac ſuave; fines autem contrarii ſunt principiis, nempe æterni; & ille quidem jucundus, hic vera moleſtus: utrum, dic quæſo, facilius eſt eligere? Cur ergo nõ eligunt multi id quod eſt facile? Quoniam alii quidem non credũt: alio autem etiam credentes mentem habent corruptam, & temperariam voluptatem elegerint pro æterna. Eſt ergo hoc facile? Non facile ſed hoc eſt imbecilli animi. Et quomodo qui febre laborant, non quoniam eſt jucundius brevi tempore eſſe in deliciis quam omnio uri, propterea amant potum frigidæ; ſed quoniam pravam cupidjtatem non poſſunt compeſcere: ita etiam iſti. Nam ſi quis ad ſupplicium eos ſimul ferret cum voluptate nunquam ipſum eligerent. Vidiſti quemadmodum non ſit facile vicium. Si vis autem, hoc ipſum rurſus excutiamus etiam in ipſis rebus. Quid eſt enim, dic mihi, jucundius & facilius? Sed ne res judicemus ex multorum cupiditate. Non enim ab ægrotis, ſed à ſanis ferri oportet ſententiam. Neque enim ſi mihi mille oſtenderis febricitãtes, & quærentes ea quæ ſunt contraria ſanitati, & eligentes poſtea puniri: hanc admiſerim optionem. Quid ergo, dic quæſo eſt facilius? multas concupiſcere pecunias, an hac cupiditate eſſe ſuperiorem? Nam mihi quidem hoc videtur. Si autem ipſe non credis, ad res ipſas deducamus orationem: & ſit ille quidem multa cupiens, hic vero nihil. Quid eſt ergo, dic mihi, melius ac præſtantius, & quid honeſtius? *Homilia 14. ad Corinthios 1.*

Chryſoſtomus: Ubi ſunt ergo ii qui fati neceſſitatem adverſus noſtri arbitrii libertatem objiciunt? Hæc audiant, & ora ſua obſtruãt. eum enim qui vult eſſe bonus nihil eſt quod impediat, etiamſi prius eſſet improbiſſimus. ad hoc enim ſumus aptiores: quatenus eſt etiam virtus ſecundum naturam, & præter naturam vitium; ſicut etiam ægrotare & eſſe ſanum. Nam & oculos nobis dedit Deus, non ut impudice aſpiciamus; ſed ut res ab eo creatas admirantes, adoremus Creatorem. Quod autem hic ſit uſus oculorum, eſt perſpicuum ex iis quæ videntur. Nam ſolis quidem et cæli pulchritudinem ex infinito aſpicimus inter vallo: mulieris autem pulchram formam, ex tanto non didicerit quiſpiam. Vides quod nobis ad hoc magis factus eſt oculus. Rurſus aures fecit; non ut verba excipiamus maledica & blaſphema, ſed ut dogmata ſalutaria. Propterea quidem certe quando diſſonum aliquid acceperint, & torpeſcit animus & totum corpus. Sermo enim, inquit, perjuri ſtare facit pilos: & ſi crudele aliquid & immite audierimus, rurſus horremus: ſin autem numeroſum aliquid & humanũ ac benignum, & geſtimus & lætamur. Os quoque noſtrum loquens turpia, efficit

ut

ut erubescamus & præ pudore nos abscondamus: sin autem honesta, cum securitate & omni libertate ea emittit. Iis autem quæ sunt secundum naturam nemo erubuerit, sed iis quæ sunt præter naturam. Et manus quidem quando rapiunt, occultantur & quærunt defensionem: si autem dederint eleemosynam, etiam gloriantur. Quamobrem si velimus, undique habemus magnam ad virtutem propensionem. *Homilia 22. ad Corinthios. 1.*

D. Chrysostomus: Si quietam etiam ac tranquillam vitam agenti virtutem assequi, nullumque reprehensioni locum dare, difficile atque arduum est; illud tecum reputa, quam egregii animi sit, tot tentationibus obturbatum ac vexatum semper effulsisse. *Homilia 12. ad Corinthios 2.*

Chrysostomus: Quomodo nobis sunt quinque sensus, & omnibus ad id quod oportet utendum est, ita etiam omnibus virtutibus. Si quis autem sit modestus & temperans, sit autem immisericors, aut misericors quidem, sed avarus, aut ab alienis quidem abstineat, sed de suis non impertiat, frustra fiunt omnia. non enim sufficit una virtus, ut cum fiducia sistamur ad tribunal Christi, sed multa varia & omnis generis, atque adeo omni virtute est opus. *Homilia 4. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Perpetua nobis virtute opus est, & extensa usq; ad nostrum decessum. neque enim si esset ingrediendum via quæ fert ad regiam urbem, deinde cum majorem ejus partem confecissemus circa ipsum finem ignavi & molles redditi sedissemus, nobis profuisset ipsa spes vocationis. *Homilia quarta ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Quemadmodum faciendo illud cõsequimur, ut faciamus; ita non faciendo hoc comparatur, ut non faciamus: dedisti eleemosynam? te ipsum magis incitasti ad dandũ. non dedisti? magis te ad cessationem comparasti. Temperasti tibi unum diem? habes incitamentum, ut & alterum temperes. temperare neglexisti? auxisti negligentiam. Impius enim, inquit, quum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Quemadmodum igitur, qui in malorum profundum descendit, contemnit, ac negligit; ita qui in profundum bonorum venit, studiose agit. Nam ut ille desperatione negligentior fit; ita hic bonorum copiam secum cogitans, diligentior fit, ne totum perdat. *Hom. 8. ad Philipp.*

Chrysostomus: Quemadmodum artifex, sive ferream sive auream securim habeat, æque ligna cædit ac dolat; atque adeo facilius etiam in ferro: ita & facilius per paupertatem paratur virtus. nam de divitiis quidem inquit Dominus: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cælorum. *Homilia 10. ad Philipp.*

D. Chrysostomus: Nihil æquè inania reddit benefacta disperditque, atq; eorum quæ nos rectè fecimus memoria, duo enim parit mala; negligentiores facit & in arrogantiam tollit. Ergo qui se perfectum putat, nihilque sibi abesse ad virtutis absolutionem; is à cursu cessabit, quasi qui totum jam teneat. At qui se adhuc à meta abesse cogitat; is nunquam à cursu cessat. Hoc igitur & nos existimare semper debemus; etiam si sexcẽta obiverimus virtutis officia. Etenim, si Paulus post sexcentas mortes, post tanta pericula hoc secum putabat; multo magis nos; nondum, inquit, animo concidi; quamvis post tantum cursum nondum pervenerim; non ideo tamen desperavi: sed adhuc curro: adhuc certo: hoc unum specto, ut assiduè proficiam. Id nobis etiam faciendum est: oblivioni mandanda, quæ retrò sunt. Nam & cursor, non quot spatia confecerit, cogitat, sed quot adhuc restent. Ita nos, non quantum in virtute progressi simus, cogitemus; sed quantum adhuc progrediendum restet.

Quid enim nobis proderit, quod progressi sumus; nisi etiam quod restat, confecerimus? Neque dixit, non cogito, aut non memini, sed obliviscens, ita nos attentiores reddens. Tunc enim valde vehementes sumus, quum omnem animi impetum in id, quod restat, conjicimus: quum præterita oblivioni mandavimus, extendens, inquit, me ipsum: nos autem antequam accedamus; capere volumus. Is enim extendere se dicitur; qui pedes licet currentes reliquo corpore antevertere studet; seque inclinat in anteriora, manusque protendit, ut aliquanto etiam plus spatii faciat. Id vero ex multo animi impetu, & magno ardore fit. Qui currit, hoc modo currat oportet, tanto studio, tanto cum impetu; non autem remissè. *Hom. 12. ad Philipp.*

Chrysostomus: Ubique virtus lucet; neque expugnari, neque impediri ulla ratione potest. Quid dico paupertatem, & servitutem? nec fames quidem, nec morbus, quantumvis gravis, nocere potest. Morbus enim servitute est gravior? Talis erat Lazarus, talis Job. Talis erat & Timoth. crebro pressus infirmitate. Vides nihil esse, à quo superari virtus queat? non divitias, non paupertatem, non imperium, non servitutem, non rerum administrationem, nõ morbum, non ignominiam, non exilium? sed hæc omnia deorsum, atque humi relinquens virtus ad cælum pervenit. Tantum generosa sit anima; tunc prohibere nihil poterit, quin virtutis sit compos. Ubi enim valet is à quo actio promenda est; nullum externæ res impedimentum afferunt. Nam & in artibus, ubi artifex benè peritus fuerit, & tolerans, universamque artem tenuerit, etiam si morbus adveniat, ipsam retinet: etiam si in paupertatem incidat, ipsam retinet: sive instrumentum in manu habeat, sive non habeat, sive suo fungatur; nihil illi ex arte detrahitur. In ipso enim inest scientia. Ita & qui virtute præditus est, atque ex Deo pendet, sive illum in divitias conjicias, ostendit virtutem suam; sive in paupertatem, nihilominus; sive in morbum, sive in sanitatem, sive in gloriam, sive infamiam: an non per ista omnia transierunt Apostoli? Per gloriam, inquit, & ignobilitatem: per infamiam, & bonam famam. Hoc est athletam esse, nempe ad omnia esse accommodatum. Talis enim est virtutis etiam natura.

Quod si dicas; præesse aliis non possum; solitaria mihi vita agẽda est; injuriam fecisti virtuti. Ea enim omnibus rebus uti potest, & ubique splendet, dummodo insit in anima. Fames adest? adest annonæ copia? virtus suum præ se fert robur: quemadmodum Paulus inquit, Scio & abundare, & penuriam pati: operandum erat? non erubescebat: sed duos annos operam arti suæ dedit. Erat ferẽda fames? non concidebat, nec vacillabat. Moriendum erat? non dejiciebat animum: undique generosum illum animum, atque artem ostendebat. Hunc igitur æmulemur; nec quicquam causæ erit, cur mœreamus.

Quid enim, dic mihi, tali viro mœrorem afferre poterit? nihil plane: quam diu hanc nobis nemo eripuerit; omnibus hominibus erimus beatiores: & hîc, & ibi. Sit enim quis virtutis compos: tunc & uxorem habeat, & filios, & pecunias, & circumfluat gloriâ; in his omnibus similiter virtutem retinebit. Aufer hæc: nihilominus similiter virtutem retinebit, non à calamitatibus obrutus, non ex prosperitate tumescens; sed perinde ac petra quædam maritima, sive turgeat mare, sive malacia existat, æque manet immobilis; neque à fluctibus fracta, neque à malacia quicquam damni passa: ita etiam solidus animus æque stabilis præstat in fluctibus, & in malacia. Et quemadmodum pueruli navigio vecti turbantur: gubernator autem sedet ridens, & immotus, & ex illorum trepidatione voluptatem capit: ita animus philosophicus dum cæteri omnes turbantur, aut vicissim rident intempestivè in rerum mutationibus, ipsum quasi ad clavum quendam pietatis sedens perstat immotus. Quid enim, dic mihi, animam piam perturbare potest? num mors? at hoc melioris vitæ initium: an paupertas? at hoc ipsam provehit in virtutis via; an morbus? sed pro nihilo habet hanc vitam: & quid dico morbum? pro nihilo æque habet delectationes, atque ærumnas: Anticipavit enim, ac se ipsa jam afflixit: an ignobilitas? sed mundus ipsi crucifixus est: an amissio liberorum? sed non metuit: futuram enim sibi persuasit resurrectionem. Quid ergo evertere illã poterit? prorsus nihil quicquam: at divitiæ extollunt, minime: novit enim pecunias nihil esse. at gloria? sed jam in hac disciplina eruditus est, omnem hominis gloriam esse veluti florem fœni. at deliciæ? sed audivit Paulum dicentem, Quæ in delitiis est, vivens mortua est. Ergo quum neque tumescat, neque deprimatur; quid huic sanitati par inveniri poterit? Verum non tales sunt cæteræ animæ; sed crebrius, quam mare & chamæleon, mutantur. Quamobrem valde ridicula est illarum conditio. Qui enim non rideas, quum videas eundem nunc ridentem, nunc flentem, nunc solicitum, nunc præter modum remissum, ac torpentem?

Propterea Paulus inquit, Nolite conformari huic seculo. In cælo enim degimus, & quasi cives versamur, ubi nulla mutatio. Promissa sunt nobis præmia immutabilia: talem & nos vitæ rationem exhibeamus. inde jam capiamus bona. Ecquid nos ipsi in Euripũ projicimus? & in medios fluctus, & in procellas, & turbines? ambo amplectamur malaciam, & tranquillitatem. Ea nos ex divitiis pẽdet, non ex paupertate, non ex gloria, non ex ignobilitate, non ex morbo, non ex sanitate, non ex infirmitate; sed ex nostro cujusq; animo. Si hic solidus fuerit, ac rectè in virtutis disciplina eruditus; omnia illi facilia erunt; atque hinc jam requietem cernet, portũque tranquillum; & illuc profectus innumerabilia bona consequeretur. *Hom. 12. ad Philipp.*

D. Chrysostomus: Nihil est virtute jucundius, nihil moderatione suavius, nihil honestate desiderabilius. *Hom. 12. ad Coloss.*

Chrysostomus: Complures sunt virtutis viæ. Quemadmodum denique unionum magna differentia est, licet omnes appellentur uniones, sed unus quidem candens est, atque omni ex parte rotundus, alius vero hujusmodi specie caret, cæterum alio decore nitescit. Nam quam ad imitationem coralii veluti quadam arte affictã, oblongam præfert lineam, angulosque tornatos, habetque quiddam albo colore venustius. prasinum scilicet omni virore jucundius: alius coloris amœnitate præfert saguinis speciem, alius mare colore cæruleo superat, alius purpurei fulgoris est æmulus, Solis quoque colores invenies: hujusmodi & sancti sunt. *Homilia 14. ad Timoth. 1.*

D. Io Chrysostomus: Circa virtutem esto violentus, esto rapax: non minuitur quod rapitur; neque enim scinditur virtus: non minuitur, neque pietas neque cælorum regnum. tunc virtus augetur dum rapis. tunc minuuntur temporalia dum diripis; quod inde constabit. Sint in civitate decem millia viri: hi siquidem virtutem omnes justitiam rapiant, uberiorem illam fecere; quippe in decem millibus fit, & decem millia viri fiunt justi. enimverò nisi rapiant minuunt. nusquam enim apparet. Vides ut bona dum rapiuntur abundant magis: terrena vero dum fuerint direpta minuũtur. Nõ ita consenescamus inopia, sed divitias ambiamus. Divitiæ Dei sunt, si plures sint qui cælesti regno fruantur. *2. ad Timotheum, homilia 10.*

Io. Chrysostomus: Nemo tanquam mercenarius, nemo tanquam ingratus ad virtutem accedat: nemo eam aggrediatur tanquam rem gravem & molestam. Ad eam ergo accedamus alacri animo & læti. Nam etiam si merces non esset proposita, oportet esse

bonum. Sed tamen etiam cum mercede simus boni. Et quomodo non est hoc probrum & maximum dedecus? Si mihi, inquit, non dederis, non sum modestus & temperans. Audeo itaque aliquid dicere, Nunquam fueris temperans & modestus, etiam quando es ejusmodi, si hoc facis mercede. Virtutem nihil existimas, si eam non amas. Sed Deus propter nostram imbecillitatem eam etiam mercede voluit fieri. *Homilia* 13. *Epist. ad Hebraos.*

S. Isidorus Pelusiota: Seminis genus, & sanguinis fastus atq; jactantia, Poetarum præstantissime, virtus non est, verum haud voluntaria quædam successio è corporibus descendens, ac fluxa & caduca. At vero virtus in prudentia, justitia, fortitudine, ac temperantia sita est. Quisquis igitur hæc complexus fuerit, & pulcherrimus, & conspicuus est atque ejusmodi ut nihil ipsi desit, quod ad bene beateque vivendum pertineat. *lib. 1, Epist.* 86.

S. Isidorus Pelusiota: Quidam enim futuræ mercedis caussa virtutum muneribus perfunguntur. Quidam autem ostentatione ducti eas perficiunt, ac per hujus vitæ laudes mercedem recipiunt. *lib.* 1. *Epist.* 285.

S. Isidorus Pelusiota: Virtus & secundas & adversas res ornare consuevit: doctrina autem illarum ornamentum, harum autem portus esse videtur. Quocirca si ambas quispiam obtinere possit, præclare se res habebit. Si autem alterutra desideretur, virtutem eligere præstat. Optimum enim esse, quam videri, me quidem judice præstantius est. *lib.* 1. *Epist.* 374.

S. Isidorus Pelusiota: Qui virtutem contubernalem habent, iis, qui ipsius expertes sunt, tantum præstant, quantum homines belluis, & Angeli hominibus antecellunt. Siquidem per forum tanquam luminaria quædam gradiuntur, simulatque in tenebris conspecti fuerint, aliorum oculos in se convertentes. Quorum in numero cum ipse sis, cura ut possessionem tuam retineas. *libro* 2. *Epist.* 13.

Idem: Veri ac synceri virtutis amatores, & dum in corpore vivunt, urbes dirigunt: & eo deposito, amoris ac desiderii aculeum relinquunt. Quocirca & clara atque insignia eorum monumenta sunt, & in honore posteri, & perpetua memoria, idque merito: virtutem enim adepti sunt, quæ ita naturâ comparata est, ut mors eam minimè attingat. Quod si de divino numine eadem nobiscum sentires, futura gloria commemorata te ad virtutis amorem vehementius acuissem & erexissem. *lib.* 2. *Epist.* 14,

S. Isidorus Pelusiota: Virtutem nihil est quod adæquet: non modo quia incomparabili quadam exuperantia res omnes alias antecellit, sed etiam quia res quoque minimè planas, & æquabiles complanat, & eas quæ minime æquæ sunt, exæquat. Nam nec in paupertate deprimitur, nec in servitute illiberalia ministeria & officia sustinet, nec in dedecore contrahitur. Eodemque modo nec in opibus & copiis insolescit, nec in imperio & magistratu animis attollitur, verum his omnibus scientiam suam adhibens, ea componit ac moderatur, non iis obsecundans, sed ea, ut artis suæ ductum sequantur adducens. Nam si versum illum Homericum, quem tu (quia fortasse corporeas pulchritudines ad stuporem usque miraris perpetuo in ore habere diceris, accuratè perpendere oportet) Et pulchra, & magna, eximiorum operumq; perita: de virtute potius, quam de ea, de qua dictum est, dictum esse videbitur. Quid enim ea pulchrius? Quis splendidiora opera novit, quam ea quæ rerum inæquabiles status per suam philosophiam complanat, eundemque in disparibus rebus animum servat, luculentamque ac celebrē sibi ipsi gloriam conciliat: atque eos quidem, qui in calamitates cadunt, consolatur, eos autem qui ob florentem statum in contumeliam atque insolentiam prolabuntur, castigat & coercet? Quamobrem ad hanc animi tui oculum tende, ipsiusque pulchritudine contemplare: quo ardenti illius amore correptus, ab omnibus lauderis ac prædiceris. *lib.* 3. *Epist.* 89.

S. Isidorus Pelusiota: Plerique homines virtutem quidem expetunt: verum iter illud quod ad eam ducit, tenere gravātur. Alii autem virtutem ne quidem esse existimant. Operæ pretium igitur est iis quidem, ut segnitiem excutiant, persuadere: hos autem docere, virtutem verè virtutem esse. *lib.* 2. *Epist.* 98.

S. Isidorus Pelusiota: Virtutes honori habe, non autem lætos rerum successus cole atque observa. Nam illæ immortales quædam res sunt: hi autem facile extinguuntur. *lib.* 2. *Epist.* 116.

S. Isidorus Pelusiota: Quod optimæ rationes insita in nobis ad virtutem subsidia excitare soleant, minimè te fugit. Cum igitur hoc ita se habeat, demus operam, ne in honesti atque absurdi quicquā, aut dicamus aut faciamus. *lib.* 2. *Epist.* 167.

S. Isidorus Pelusiota: Habet quidem virtus non modo præmium, ut ait, sed etiam coronam ac celebrem & luculentam gloriam. Tu vero minime facere debes, ut in unaquaque ipsius specie, an mercedem habeat, curiosius inquiras, Major enim ei merces constituta erit, qui non mercedis causa boni aliquid efficit. Nam si vere studio virtutis atque amore teneris, scires profectò, etiam submota mercede virtutem ipsam mercedem & coronam ac decus & ornamentum esse, ac mercedem in se ipsa habere. Quoniam autem ut mercenarius de mercede nimium anxie ac jejune urges, suspicionem audientibus præbes, te, nisi merces esset, minimè facturum fuisse, ut virtutem coleres. Cæterum, quomodo de hac rè censueris, virtutem cole, quæ sui amantes ac studiosos & hîc claros, & illic clariores reddit. *lib.* 2. *Epist.* 184.

S. Isidorus Pelusiota: Ego iis, quibus earum rerum, quæ ad virtutem adipiscendam fieri debent, nihil deest (multi c u'ppe, tametsi virtutem maximum bonum, ut revera est, esse statuant, ipsius tamen haud magnam curam gerunt) hoc dico, ipsos, si modo virium suarum fiducia minime nitantur, verum ea quæ recte & cum laude gerunt, ad divinam opem referant, & turbulentos animorū motus profligaturos esse, & ad virtutis metam perventuros. Nam etsi id quod humano robore præstantius est, hoc præbet ut adversarios quispiam superet: tamen cui divinum numen auxilio est, victoriam scilicet ipsi acceptam ferenti, huic contra, si sibi laudem adscribat, minime mirandum est: si quominus victoriam adipiscatur, impedimentum afferat. *lib.* 2. *Epist.* 225.

S. Isidorus Pelusiota: Virtus, ut quidem existimo (non enim certo affirmo ac pronuncio, sed lectoribus judicium permitto) difficilis quædam res esse visa est, atque etiānum videtur, non ob naturam suam, sed propter incomparabilem quandam eorum, qui ipsam consectari nolunt, negligentiam atque socordiam. Nam alioqui, si qui. rem exacte atque accurate consideret, vitio longe facilior est. Quod si quis mihi diffidit, ne tumultuetur, verum probationem expectet, seipsum ab omni anticipata opinione atque contendendi pervicacia purum & immunem servans.

Ac quidem, quod ipsa divina sit, homineque dignissima, & naturæ maxime consentanea, & eorum, à quibus colitur, decus & ornamentum, ut apud omnes certum & indubitatum prætéribo: ad id autem quod in controversia & dubitatione versatur, accedam. Cedo igitur, utrum ex his duobus difficilius est, sexcentosne thesauros perscrutari, an præsentibus facultatibus contentum esse? diu noctuque turpes quæstus ac serviles numerare, an frugalitatem complecti atque amare? Omnes lædere, an læsis opitulari? Cum legitima uxore congredi (nondum enim summam philosophiā pono, sed quam plerique consequi possunt) quam alienas nuptias perfodere ac violare? incurabili avaritiæ morbo laborare, an ab hujusmodi furore liberum esse? Dolos nectere, an citra fraudem commertia cum aliis habere? Tribunalibus molestiam exhibere, an quietem agere? bona ad se nihil attinentia rapere, an etiam sua largiri: In negotiorum & criminum cœno volutari, an à negotiis & timoribus immunem esse? De multis rebus, quæque perfici nequeant, in cura & solicitudine versari, an unam hanc curam habere, quonam pacto à virtute minimè excidat? In negotiis ac rebus gerendis libenter versari, an in otio vivere Nunquam satiari, an ne ea quidem amare quæ, etiam post satietatem contumeliam accersunt? Navigare ac naufragia perpeti, an in portu sedere, atque aliorum naufragia prospectare?

Equidem ipse virtutis duntaxat facilitatem ac vitii difficultatem demonstrare in animo habebam: at oratio altius progressa majus aliquid præstitit: illud enim præterea ostendit & virtutis comitem esse voluptatem, & vitii molestiam, animique mœrorem. Itaque his quidem finem loquendi facere oportebat.

Verum quoniam luxus & voluptas lepore suo plerosque decipere videntur, perinde videlicet ac suaves & faciles sint, adversus hos quoque ad certamen me accingam necesse est. Igitur, ut interim pœnam deliciis & lasciviæ impendentem missam faciam, quā per divitem illum, & eum, qui sordidis vestibus amictus erat, miserandis ac tragicis admodum verbis sacro sanctum Evangelium exaggeravit, hoc ajo: Si luxus non sexcentos molestos, atque ad curandum difficiles, immo plane incurabiles morbos parit, quo minus luxus exerceatur, non recuso. Si autem & pedum & capitis dolores, & vomitus & apoplexias, & paralyses, aliosque hujusmodi morbos accersit, à quibus ipse quoque obtunditur, & obscuratur, vel, ut rectius loquar, prorsus deletur, piget certe luxum eum appellare, qui tot ac tantorum malorum parens atque altor est. Nam quod nec simul quidem cum cibis in alvum delabi possit, verum in ipso statim guttore extinguitur, quodque is, qui luxui studet, ne voluptatis quidem sensum percipiat, præ ciborum videlicet continuatione delusus, prætermittam: non quod ea parum virium habeant, sed quod crassiores atque obtusiori animo præditos homines haud admodum perstringere queant. Ac de luxu hæc mihi dicta sunt.

De voluptate autem, & hæc, & his plura dicentur. Nam si, ut de sumptibus & probro atque infamia nihil dicam, funesta bella, & plagas, ex quibus plerunque pericula & mortes oriuntur, minimè parit, voluptas sane appelletur. Si autem & dedecoris, & inexpiabilium bellorum & periculorum, & mortium, & reprehensionum, ac sexcentorum aliorum malorum radix est, haud scio an hanc voluptatem nominare oporteat, quæ tot dolorum & acerbitatum causa est, atque à ramis suis opprimitur ac deletur. Nam quod nec ante venereum congressum, nec in ipso congressu, nec post eum appareat, missum faciam, non ut infirmum aliquid & imbecille, sed quod libidinosorum & intemperantium hominum socordiam atque ignaviam minime vellicet. Nam si quis rem accurate perpēdere velit, nec ante congressum, nec in eo, nec post eum apparet: verum ante eum perspicua est rabies: in eo autem haud dubius furor, atque ejusmodi agitatio, quæ nullo fræno coerceri queat: post eum autem, furoris potius levatio, quam voluptatis fructus. Nam qui libidinem explevit, idem voluptatem etiam extinxit. Qui autem in ea est, in oblectamento non est, verum in agitatione, & œstro ac perturbatione. Quocirca si hæc ita se habent (habent autem, ut quidem mihi persuadeo) atque tum facilior, tum jucundior, naturæque congruentior, citra ullam dubitationem esse virtus

tus

tus demonstrata est, compressis manibus, lætoquè atque alacri animo eam complectamur, quæ sui amantes & in hac & in altera vita insignes atque conspicuos reddit. *lib.* 2. *Epist.* 240.

Idem: Cum probo consilio præeunte omnis hominis vis, omni excusatione ac mora dè medio sublata, ad virtutem inservit, tum vero Deus, qui ad eam amplectendam etiam nolentes ac recusantes incitat, ad finem usque perducit. Neque enim consentaneum est, qui ipsam fugientes ad eam compellat, eundem iis qui suapte sponte ipsam sibi amplexandam proposuerunt, auxiliarem manū minimè porrigere. *lib.* 2. *Epist.* 265.

Idem: Non ænea statua auro rutilans, ac coloribus nitens, non olympica corona, non opes, non pulchritudo, non robur, non imperium, non regnum, non aliud quicquam eorum quæ magna esse videntur, magnum est expetendum. Tempori enim cedit, & extinguiturque in oblivionem abit. Sola autem virtus præclarā & nunquam intermorituram gloriam obtinet, ut quæ nec vetustati cedat, nec oblivione conteratur, nec marcescat, verum recentem semper ac vegetam & florentem dignitatem habeat. Ac proinde prudentibus viris omnibus viribus enitendum est, ut eam adipiscantur. *lib.* 2. *Epist.* 286.

S. Isidorus Pelusiota: Ethnicorum multi solius gloriæ cupiditate ducti (fortasse quod post discessum ex hac vita nihil expectarent: vel potius, quod vitium condemnarent, ac res etiam hujusce vitæ nihil æstimarent) virtutem coluerunt, hincque clari & celebres extiterunt, atque omnium ore circumferuntur. Vos autem, quam ob causam nec ob gloriam, nec ob judicium, nec ob famam & existimationem, nec ob præmium, nec denique ob aliud quicquam ex his, quæ perditos etiam ac profligatos homines ad boni aliquid faciendum adigunt, ut à vitio abstineatis adduci potestis, magnopere miror *lib.* 3. *Epist* 61.

S. Isidorus Pelusiota: Timotheus, qui sedem illam bonis omnibus perfusam, quam cælorum regnum appellat, nunc incolit, tā tam à sua virtute, iis à quibus cernebatur, utilitatem afferebat. ut etiam sola recordatione eos, qui ipsius meminerunt, in officio cōtineret. Poterat enim, vel solum in animis versas, pudorem simul ipsis immittere, atque eos, quibus ipse in mentem venisset, à turpibus & absurdis affectionibus puros & immunes efficere. *lib.* 3. *Epist.* 91.

Isidorus Pelusiota: Quamvis & nobilissimæ patriæ quispiam sit, & clarissimi generis, & omni divitiarum genere abundet, & summam eloqentiæ facultatem obtineat, omniaque veterum scripta in ore ferat, & robore ac pulchritudine, gloriaque & imperio glorietur, regiaque etiam dignitate affectus sit, & diadema ac purpuram gestet, tamen si virtute careat, hunc ego mancipiorum numero habuerim. Contra si quis justitia, temperantia, fortitudine, & prudentia præditus sit, hunc ego inter amplissimos maximeque regios numerarim Quod si vir probus eo qui omnia illa in universum habet, melior præstantiorque habendus est, eo proculdubio, qui non omnia simul habet, (neque enim fieri potest, ut omnia in unum coeant) multo beatior & clarior futurus est; quod illa quidem ocyus extinguantur, virtus vero immortalis sit. *libri* 3. *Epist.* 169.

S. Isidorus Pelusiota: Non opes, non pulchritudo, non robur, non facundia, non splendida aut splendorem omnem excedens dignitas, non Præfectorum thronus, non diadema, eos, qui hæc habent, perinde honestare solet, ut virtus ac philosophia. Quid igitur causæ est, quamobrem mortalium plerique acerrima quidem illarum cupiditate incitantur, has autem minus curant? Nimirum quia partim ea, quæ specie tenus sunt, magis quam ea, quæ sunt, aucupantur: partim id, quod statim utile est, eo, quod aliquanto postea utilitatem allaturum est, prius atque antiquius habent: partim judiciū de rebus corruptum habent: partim deniq; ne quicquam quidem post hanc vitam esse arbitrantur. Nam probi ac virtute præditi tum ipsam per se virtutem colunt; tum futuras coronas animo & cogitatione complectentes, eam consectantur. *lib.* 3. *Epist.* 251.

S. Isidorus Pelusiota: Nihil virtute fortius est, nec violentius. Ipsa enim rerum mutationes vincens, ab ipsis vinci minime sustinet: verum omnes honesti ac decori habenas immittens, aurigæ munere fungitur, ducitque quo lubet. *lib.* 3. *Epist.* 318.

S. Isidorus Pelusiota: Ne divitias expetas, vir optime, quæ superbiam & arrogantiam pariunt, voluptates subministrant, vitii omnis architectæ sunt, atque homini amicitiam ad Deum eripiunt: verùm virtutem, quæ ab omnibus malis nos vindicat. Quod si labores ac sudores habet, ne propterea ipsam fugias: quin potius hoc ipso nomine præsertim eam complectere, illud cum animo tuo reputans, quod in cæteris etiam rebus id quod cum laboribus ac sudoribus partum est, quamvis alioqui exiguum sit, jucundius & suavius existit: quod autem casu ac sponte contigit, etiamsi magnum sit, in contemptum tamen facile venit. *lib.* 3. *Epist.* 322.

S. Isidorus Pelusiota: Qui virtutem amant, ac sapientiæ studio tenentur, inexplebili quadam cupiditate flagrantes divinam hanc facem in animis suis excitare minime intermittunt, hoc quidem pro serio opere, alia autem omnia pro rebus leviori operæ ducentes. Ac propterea parva ipsis esse videntur, quæ alii magna & ampla existimant: atque ea de quibus alii inter se digladiantur, risui habent, &, quæ alii suspiciunt, pedibus proculcant, cælestiaq; sola expetunt, Cum igitur ad hujusmodi chorum nomen tuum adscribere in animum induxeris, æquum profectò fuerit, te in somnem animæ oculum conservare. *lib.* 3 *Epist.* 324.

S. Isidorus Pelusiota: Quòd tu quidem non despicabilem lenitatem habeas, nec agrestem & immanem fortitudinem (humanitas enim ac mansuetudo crudelitatem coercet) omnes exploratum habemus. Quod autem aliis quoque virtutibus redimitum te esse oporteat, ut in omni laudis genere clarus sis, hoc ex me discas, velim. *lib.* 3. *Epist.* 384.

S Isidorus Pelusiota: Ineffabilis Dei sapientia ne concertemus inter nos opinionibus, dum virtutis definitionem quærimus, perfectissimum opus suam cujusque voluntatem constituens, dixit: Omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, & vos facite ipsis. Quare si in te ipso habes normam virtutum (sic ut profecto habes) noli apud alios eam quærere, sed proprio thesauro utere. *lib.* 4. *Epist.* 54.

S. Isidorus Pelusiota: Quamquam omnes virtutes amabiles sunt illis, qui à rerum honestarum & pulchrarū amore non sunt alieni: tamen quidam erga quasdam ipsarum magis sunt propensi. Alii namque temperantiam, alij justitiam, alii prudentiam, alii fortitudinem, alii, denique alias virtutes præcipuo quodam cultu ac honore prosequuti sunt, non quod ab aliis essent deserti; sed qui ab his essent insigniores effecti. Verbi gratia, (ut unum aut alterum ac tertium in medium producamus) temperantissimus castissimusque fuisse dicitur Josephus, tametsi alias etiam multas virtutes coluerit: Hospitalis & fidelis Abrahamus, quamvis aliis quoque multis bonis floreret: Fortis Jobus, quamvis omni virtute esset præditus. Nam ab eo qui præcipuam vim obtinet, unicuique nomen prævaluit. Hæc autem ita ut dixi se habere, adhibitâ normâ veritatis, sacras dico scripturas, age contemplemur. Quid ergo ait scriptura? Sicut non sunt similes facies faciebus, ita neque corda hominum.

O rem admirandam! unus idemque inest omnibus character: & in tanta hominum multitudine omnino inest differentia vultuum, ut iis qui vident agnitio confusionis expers constare possit. Quamquam enim interdum in aliquibus similitudo inesse videtur: tamē omnino quippiam invenietur in iisdem quod eos discriminet Nā etsi pulcris oculis præditi sint multi, tamen inter hos quoque est differentia. alii enim cæsiis oculis, alii uvarum colorem ac speciē referentibus, alii nigrantibus reperiuntur: alii etiam albicantibus. Sed & in capillis quiddam inest peculiare. Quod si etiam simi sunt alioqui; at non omnes eodem modo: sed hic istud, ille illud membrum habet formosius. Et alius quidem candidus est, alius autem niger: omninoque est aliquid, quod discrimen inter eos faciat. Neque enim omnia verbis exprimi possunt. Sic & corda hominum sunt comparata. Nam non eadem omnibus placent: sed aliis quidem hæc, aliis vero illa.

Quid quod illi ipsi, qui earundem rerum amore tenentur, non eodem modo erga res amatas affecti sunt; sed alii vehementius, alii moderatius eas concupiscunt? Quam multi sunt sobrii ac temperantes? At dissimiliter, Alii namque virginitatem, alii continentiam, alii denique honorabile conjugium sunt amplexi. Quam multi sunt misericordes? Sed inter se differunt. Quam multi sunt justi? Sed variant. Non solum autem in virtutibus, sed in vitiis quoque idem videre est discrimen. Quam multi pessimi vitiosissimique sunt? Verumtamen differentiâ quadam internoscuntur. Quam multi sunt libidinibus dediti? At non omnes iisdem capti sunt.

Quod etiamsi iisdem quoque capiantur; at non omnes similiter affecti sunt; verum alii voluptatibus secundum naturam, alii voluptatibus à naturâ abhorrentibus delectantur. Alii quidem in legitimam naturam peccant & libidinantur; alii vero etiam posticam corporis partem contumelia afficiunt. Alij meticulosi ac timidi sunt; alij audaces & præficientes. Alij tacentes ac parci; alij profusi ac nepotes. Alij ne verbum quidem audire possunt acrius; alij contra sunt qui ne supplicia quidem horrent. Alij adultores sunt; alij vero se adulari volunt. Alij ebrietate gaudent, alij spectaculis; alij cantibus, alij lamentationibus. Alij in desertis, alii in urbibus latrocinia exercent. Alij cædes spirant & appetunt; alij ne brutum quidem animal mactatum aspicere æquo animo possunt. Alij ignavi, alij feroces sunt. Sed si omnia hominum peccata enumerare coner, ne si velim quidem exitum invenire ac desinere possim. *lib.* 4. *Epist.* 114.

S Isidorus Pelusiota: Jam quod non solum ij qui ad supremum virtutis fastigium pervenêrunt, habeant aliquod humanum erratum. (cui sint aut aliquando fuerint obnoxij:) Solus enim Deus omnis est peccati expers: sed etiam ii qui in profundum vitiorum inciderunt, aliquod tamen habeant recte factum, sacra scriptura quodque testatur, dum de priori quidem hominum genere ait: Quis jactabit, castum habere cor? aut quis libere dicet, se purum esse à peccatis? De posteriori autem dicit, Judicem illum iniquitatis, qui neque Deum metuebat, neque hominem reverebatur, boni tamen quippiam fecisse dum viduam illam, quæ continenter ipsum adibat, misericordiâ prosequutus est, & persequutus ultione eos qui ipsam injuriâ afficiebant. *lib.* 4 *Epist.* 116.

S. Isidorus Pelusiota: Divina quædā res est virtus, ô beatè, & Deo grata, & felix, & immortalis, & ab oblivione insuperabilis. Nam & apud homines celebrantur, & apud Deum sempiternâ memoriâ conservatur, qui alias quidem ait: Ego sum Deus Abraham, & Isaac,

Isaac & Jacob: aliàs verò: Protegam urbem hanc ut eam servem, propter Davidem servum meum. Tantæ curæ sunt Deo & in tanto habentur apud ipsum honore etiam vitâ functi, quibus virtutis studium cordi est! Quod si tanto præconio ipsos in hac vita ornat, quibus non muneribus eosdem in futurâ vitâ prosequetur? *lib. 4. Epist. 122.*

§ THEOLOGORUM LATINORUM.

Chrysologus: Quando moriuntur virtutes, vivunt vitia; voluptas effluit; honestas perit; misericordia deficit, abundat avaritia; regnat confusio, succumbit ordo; prosternitur disciplina. *Sermone 12. m.*

Chrysologus: Sæpe legitur & in hoste utilis virtus, sæpe in adversario comprobatur. *Serm. 29. m.*

Chrysologus: Penes Deum neque pietas sine justitia est, neque sine pietate justitia. cælesti sensu sine bonitate æquitas, sine æqitate bonitas non habetur. Virtutes si separatæ fuerint dilabuntur. æquitas sine bonitate sævitia est, & justitia sine pietate crudelitas. *Sermone 145. pr.*

Ennodius: Solet virtus quæ innata non fuerit, cura & nutrimentis institui, & transire in adfectum, quod feceris studio fallendi. usu honestatis robur adipiscitur, qui bonum sub diuturnitate mentitur. *Dictione 14.*

Io. Saruberiensis: Omnis virtus angelica vel humana, quoddam divinitatis vestigium est, rationali creaturæ quodammodò impressum. Spiritus Sanctus inhabitans inprimit animæ sanctitatem, ejusdemque rivulos multifariam spargit, diversarum exercens charismata gratiarum. Et hæc mihi videtur vera, & unica incolumitas vitæ, cum mens, vivificante spiritu, ad rerum notitiam illustratur, & acceditur ad amorem honestatis, & cultum virtutis. Procedit ergo scientia virtutis cultum, quia nemo potest fideliter appetere, quod ignorat, & malum nisi cognitum sit, utiliter non cavetur. Porro scientiæ thesaurus nobis duobus modis exponitur: Cum aut rationis exercitio, quod sciri potest invenit: aut quod absconditum est revelans gratia oculis ingerens patefecit. Sic utique aut per naturam, aut per gratiam ad veritatis agnitionem, & scientiam eorum, quæ necessaria sunt, unusquisque potest accedere. Quodque magis mirere, quilibet quasi quendam librum sciendorum officio rationis aptum gerit in corde. In quo non modo visibilium species, rerumque omnium natura depingitur, sed ipsius opificis omnium invisibilia Dei digito conscribuntur. Adeo quidem ut nequaquam veleant per ignorantiam excusari, quibus beneficio naturæ, vel gratiæ gerendorum series innotescit. *libro 3. Policratici cap. 1.*

Io. Saruberiensis: Mundus suos habet Elysios, solemque suum & sua sidera novit. Virtus siquidem solaris quidam radius est, à fonte claritatis omnibus datus in usum, & qui omnia quæ attingit, claritate sui facit eximia. Inde est, quod etiam illi, quos hujus radii venustas, quasi repercussa specie sui videtur afflasse, statim in subjectorum conspectu clarescunt, fiuntque quodammodo virtutis titulo gloriosi. Absit enim, ut quisquam vere sit gloriosus, nisi qui in Domino gloriatur. Non enim qui se ipsum, aut quem homo commendat, ille probatus est sed quem Deus commendat. Quod utique vera & sola virtus meretur, non quantumcumque virtutis imago. Hoc autem esse arbitrio, quicquid minoribus egregium de naturæ beneficio, & exercitatio mentis citra gratiam, philosophi sibi repromittunt, eoque ipso evanuerunt in cogitationibus suis, de libro confissi arbitrio; & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, stultique apparuerunt. Unde Ethicus,

Satis orare Iovem qui donat & aufert,
Det vitam, det opes, animum mihi ego ipse parabo.

Alius quoque,

Nullum numen habes si sit prudentia; sed nos
Te facimus fortuna deam caloque locamus.

Catoque, licet verum non agnovisset Deum, gentiumque superstitionibus aberraret, in Lybia tamen Jovis, quem colebat, contempsit oracula, se ad ea quæ sibi gerenda erant, sufficere arbitratus. Et quidem etiam ipsa imago virtutis, suam quandam habet venustatis decorisque claritatem, ut quicquid ea cernitur, ejus merito venustum credatur & decorum. Non tamen usquequaque decorũ est quod in tenebris ignorantiæ obscuratur, nec potest quisquam clarescere, nisi in fide illius, qui lux vera est, & illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Ex quo patet, quod nisi in veri Dei notitia & cultu, vera virtus esse non possit. Quod & visio Ezechielis non tacuit, qui eorum, quæ præcedebãt & sequebantur Christũ, eandem confessionem esse asseruit: Sanctorum quippe veteris & novi testamenti in eo distinguitur fides, quod isti jam sibi gaudent impleta, quæ illi expectabant implenda. Sit ergo venerabilis imago virtutis, dum sine fide & delectione substantia virtutis esse non possit. Et utinam inveniatur in nobis, qui vel virtutis imaginem teneat.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam?

Quis etiam umbras virtutum inducit, quibus videmus floruisse gentiles, licet eis subtracto Christo, veræ beatitudinis non apprehenderint fructum? Quis Themistoclis diligentiam, Frontonis gravitatem, continentiam Socratis, & Fabricii fidem, innocentiã Numæ, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Ulyssis, Catonis parcitatem, Titi pietatem, imitatur? Quis non cum admiratione veneratur?

Probitas siquidem laudatur & alget.

Porro prædicti, & consimiles magni quidem & laudabiles viri, quasi quædam seculorum suorum sydera splenduerunt, illustrantes tempora sua, præambuli coætaneorum suorum in id justitiæ & veritatis, quod dispositione divina illuxerat eis. Sic quoque in successionibus populi fidelis, nunquam humano generi sed noctis suæ tenebras, cæcitatisque molestias depellendas, sua sydera defuerũt; viri quidem virtutis titulo nobiles, magnorumque operum fulgentes insignibus, quorum exemplis ad cultum justitiæ sem per alii pervehantur. Nonne Abel innocentiam docuit, Enoch munditiam actionis? Quid de longanimitate spei & operis non habuit Noë? quid de obedientia fideliter implenda defuit Abrahæ? Isaac conjugii castimonium instruit, & Jacob laboris tolerantiam ostendit Joseph parricidas fratres, boni retributione remunerat, eoque docet à bonis bona pro malis tribuenda. In multis millibus increduli, & indurati, & Deum semper exacerbantis populi, Moysi mansuetudo ostenditur, & imminentibus adversis, confidentis Josuæ magnanimitas declaratur. Job patientiæ indicit exemplum. Et præambulans gratiæ Baptista salvatoris dum pœnitentiam prædicat, & vitiis indicit fugam, confessionem eruit veritas, & ad increpationem injuriæ, & condemnationem iniquitatis, omnium fidelium linguas exacuit. *libri tertij Nugarum Curialium capite nono.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Isocrates: Quis sanæ mentis est, qui se non optet ejus potius civem esse reipub. in qua virtus non ignoretur; quam nulla re vulgo potiorem delitescere. *in Nicocle cap. 1.*

Isocrates: Neque vere de omnibus virtutibus una quadam ratione ferendum est judicium: sed de justitia in egestate, de modestia in potestate, de continentia in juvenili ætate. *in Nicocle cap. 2. ferè extremo.*

Isocrates: Ne putetis improbitatem plus quam virtutem prodesse, aut nomen tantum otiosius habere: sed cujusmodi appellationes singulis rebus inditæ sunt, talem etiam vim illarum ducite. *in Nicocle §. 16. cap. 3.*

Isocrates. Alij Græci, maleficiis & furtis deditos, servis iniquiores judicant: Spartani, istorum facinorum principes, inter pueros excellere, & maxime honorandos esse putant. Quis vero sana mẽtis homo emori malit, quam de se famam dissipari, quod per hujusmodi studia, virtutis exercitationem meditetur? *in Panath.*

Apollonius Euphrati: Virtus consistit in natura, doctrina, possessione & usu: propter quam singula prædicta laudem merentur, Considerandum itaque numquid horum teneas, aut abstinendum in postremum à Sophistia aut utendum ea frustra in congressu & conventu hominum. Si quidem jam etiam tibi Megabyzi. *Ep. 2.*

Dio Prusæus: Diogenes Sinopensis, ejectus ex patria, nihil à valde vilibus hominibus differens, Athenas pervenit, reperitque illic & Megarensem Euclidem. Hic autem actus erat in exilium, qui cum Cyro profectus esset in militiam. Aliis autem cito contemtis, Antisthene utebatur, non tam ipsum laudans, quam sermones quos habebat, putans eos solos esse veros, & hominum quem libet maximam ex ei capere posse utilitatem, ipsum a. Antisthenẽ comparans cum sermonibus, interdũ redarguebat ut multo molliorem, dicebatq; eum esse tubam, mordens. Non e audiebat eũ, etiam si maxime clamaret. Et Antisthenes perferebat illũ hæc audiens: valde e. admirabatur hominis naturam. Dicebat igitur, ulciscens eum pro tuba, eum vespis esse similem. Vespis e. non magnum esse alarum strepitum, aculeum a. acutissimum. Gaudebat ergo Diogenis præsentia, quemadmodũ equestris rei periti, quum equum nacti fuerint iracundum, alioqui tamen animosum & laboris patientem, nihilominus probant equi ferociam, imbelles a. & tardos oderunt, reprobantq;. interdũ quidem eum intente habebat, interdũ a. remissius. quemadmodũ ij qui chordas faciunt, ita nervos tendunt, attendentas, ne rumpantur. Postquam a. decessisset Antisthenes, nullumq; alium putaret dignũ, quo cum versaretur, transiit Corinthum, & illic degebat, neq; domum conducens, neq; apud hospitem quemdam divertens, sed in Cranio pro forib. excubans. Videbat enim, qui quamplurimi homines illic convenirent, propter portus atque meretrices: & quod civitas tanquam in trivio Græciæ sita esset. Oportere igitur virum (ajebat) prudentẽ, quemadmodum bonum medicum, ubi multi ægrotent, illuc ire ad succurendũ: ita ubi quam plurimi sint insipientes, illuc maxime peregrinari, ad redargendam puniendamque illorum dementiam. Postquam a. venit Isthmiorum tempus, & omnes erant in Isthmo, descendit & ipse. Solebat enim inspicere in publicis conventibus hominum studia & cupiditates, ad quænam peregrinarentur, quasque ob res sibi maxime placerent. præbeat a. & se cuicunq; convenire volenti: seq; mirari dicebat, qui si polliicentur dentes sanare posse, omnes haud dubie advenirẽt, qui dentem sibi vellent extrahi: atque etiam per Jovem, si se diceret oculorum medicũ, omnes ipsi homines oculos utiq; ostenderent: & similiter si vel ad lienem, aut podagram, aut pituitam nosse pharmacum. quia autem diceret se liberaturum sibi obtemperantes ab ignorantia & pravitate atq; intemperantia, nemo illum attenderet, neque juberet se sanare, neque etiam si multum insuper argentum esset accepturus quasi hic minus ab his, quam ille ab illis molestiæ sentiat: aut pejus sit homi-

homini sufferre lienem tumentem, aut dentem corruptum, quam animum insipientem & indoctum, quàm timidum & audacem, quam voluptuosum & illiberalem, atque iracundum & acerbum, ac versipellem, & omni denique ex parte corruptum.

Et tunc quoq; circa Neptuni templum multa turba aderat, infelicium sophistarum, clamantiū, mutuoq; vituperantium: pariterq; discipulorum, alius adversus alium pugnātium, multorū quoq; historiographorum, insulsa legentium cōmentaria: aderant & multi poetæ, poemata canentes, atq; alii alios laudantes: multi quoque præstigiatores, miracula ostentantes: multiq; prodigiorū interpretes, prodigia moventes, plurimi quoq; rhetores, causas versantes: non pauci quoq; caupones, divendentes quod quisq; habebat. Mox igitur & illum quidam adierunt, at nullus ex Corinthiis: neq; enim se arbitrabantur ullam capturos utilitatem, quia quotidie illum viderant Corinthi. Peregrini a. erant qui illum adierunt, & horum unusquisq; brevibus quibusdam dictis aut auditis abibat, metuēs redargutionem. Propterea se Diogenes similem dicebat canibus Laconicis: namq; & hos, quum steterint in publicis mercatib. à multis contrectari, iisq; multos alludere: neminem a. facile emere q eis uti nescirent. Interrogante autem quodam, An etiā ipse venisset certamen spectaturus? Non (inquit) sed certaturus. Et ille risit, interrogavitq; illum, Quos nā haberet antagonistas? At ille, ut solebat eum intuēs: Sævissimos (inquit) & difficillime expugnabiles, quos nemo Græcorum contra aspicere audeat: non eos quidē discurrentes, aut luctantes, aut saltantes, neq; pugnis decertātes, neq; jaculantes, neque disco ludētes, sed modestos. Quos nam? (quæsivit ille.) Labores (inquit) valde fortes, & invictos ab hominibus attonitis & inflatis, & totos dies quidem comedētibus, noctes a. stertentibus. victos autem ab hominibus macris, & paucissimarum carnium, ventresq; habentibus plusquā vesparum insectos. An tu putas, eos ad aliquid esse utiles, qui magnos habent ventres? quos oportebat circumductos, & circumpurgatos ejicere, imo potius mactatos & concisos cōviviis apponi: quemadmodum puto cetorum carnes, ii qui sapiunt, coquunt in sale & mari, pinguedinem a. liquefaciunt, ut apud nos in Ponto delphinorum adipē, ut ea perungant, quibus est opus. Arbitror enim eos suibus marinis minorem habere animum. Vir autē generosus, labores putat esse maximos suos antagonistas, semperque amat cū his pugnare tam noctu q̄ interdiu: non pro apio, quēadmodum mulieres, neq; pro oleastro aut pinu, sed pro felicitate & virtute, per totam vitam: nō vero tum, quum Elæi prædixerint, aut Corinthii, aut Thessalorum communitas, ne quem reformidet, neque optabit alteri sortitò congredi: sed ultro provocabit omnes ex ordine, cumq́, fame cōtendentur, & frigore, sitimq; sustinebit, & virgis (si ita oportuerit) cæsus, & sectus & ustus, perferret, & nihilo magis dabit manus. Paupertatem autem, & exilium, atque contemptum, & similia, nunquam existimabit sibi gravia, sed valde levia. Et virum perfectum interdum illis ludere, quemadmodum pueri solent talis & variegatis globis.

Et sane videntur quidē hi antagonistæ graves & intolerabiles ignavis omnibus: si quis a. eos contēpserit, audacterq; accesserit, videbit eos timidos, & invalidos ad vincendū viros fortes: sicuti res habet etiam cum canib. Illi enim fugientes insequūtur & mordent, dilacerantq; quos apprehendunt: invadentes a. & pugnantes timent, & recedunt ab eis: deniq; si qua cōtracta fuerit noticia, eis adulātur. Porrò multi homines attoniti, judicāt eos esse graves, semperq; fugiunt, nunq̄ ex adverso audentes eos intueri. Etenim quemadmodum qui pugilū noverunt artē, si quidem præoccupēt adversarium, nō cessant pugnis urgere, sæpe etiā ita ipsi invadētes dejiciunt: si vero recedant timentes, tunc fortissimas plagas accipiūt. ita si quis labores excipiat cōtemnēs, illisq; alacriter appropinquet, nihil adversus eum valent: sin vero desistat & secedat, longe graviores vehemētioresq; videntur. Hoc a. videas & circa ignem fieri. Nam si vehementer invadas, extinxeris ignē: sin vero suspectans & reformidans, vehementer ureris: quemadmodū pueri interdum ludentes, lingua extinguunt ignem. Hi ergo adversarii, similes sunt iis qui omne genus certaminū obeunt, cædentes, suffocantes, dilaniantes, & interficientes interdum. Altera a. gravior pugna, & certamen non parvū, sed isto longe majus, periculosiusq; adversus voluptatē restat, quæ nō palam vim facit, sed decipit, & excantat potentibus pharmacis: ut cum ea non talis sit pugna, qualem describit Homerus:

Rursus apud naves oritur durissima pugna.
Namq; securibus atque bipennibus, & gladiis tum,
Pugnabant magnis. ——

Non hoc (inquam) modo tractatur hæc pugna. non enim palā vim facit voluptas, sed decipit & incantat potentib. pharmacis, ut Homerus ait Circen pharmacis incātasse socios Ulyssis: & deinde alios quidē sues, alios a. lupos factos, alios vero alias quasdā bestias. Talis res est voluptas: non simpliciter insidiatur, sed omni pacto, per visum & auditū, aut olfactum, gustū aut tactum, præterea etiā cibis & potibus, rebusq; venereis conatur disperdere tam vigilantes quā dormiētes. Neq; enim licet cōstitutis vigilibus ut adversus hostes, dormire: sed tum maxime aggreditur, partim quidē ipso somno tabefaciens, & subjiciēs servituti, partim autē immittens somnia astuta & insidiosa, quæ sui faciāt meminisse. Labor quidem per tactum fit plerunque, atq; hac ratione accedit: voluptas a. per omnem sensum, quoscunq; homo sensus habet. & oportet sane laborib. obviare & congredi, voluptatem autem fugere quā longissimè, nullumq; omnino præterquā in necessariis cum ea habere cōmercium. Atq; hic vir fortissimus demonstratur. Fortissimus enim propemodum hic est, qui poterit quāplurimum effugere voluptates. Non enim fieri potest, ut quis conversetur cum voluptate, continenterq; eam experiatur, & non ab ea comprehendatur prorsus. Quum autē illa vicerit, suisq; pharmacis animam superaverit, reliquū est ut faciat quod fecit Circe: nempe, virga facillime cædens in haram quandam pellit, concluditq;, & ex illo deinde homo vivit ut sus, aut lupus. Fiunt autem & serpentes à voluptate varii & perniciosi, & alia quædā reptilia, coluntq; eam semper pro foribus: observantes, concupiscentes quidem voluptatem, & servientes illi, sexcentos autem alios labores habentes. Nam quum vicerit eos voluptas, & apprehenderit, laboribus mancipat odiosissimis & difficillimis.

Igitur quū mihi validum certamen, minimeq; vulgare adversus voluptatē & labores, nemo me attendit spectatq; reproborū hominum: sed potius spectant mancipia, & saltātes & currentes, & tripudiantes. Neq; enim & Herculē spectabant, certantem atq; laborantē, neq; illis curæ fuit: sed & tunc fortasse athletas quosdam mirabantur, ut Zethum & Calain, & Peleum, aliosq; tales quosdam cursores & luctatores: & hos quidem ob formā, illos autē ob divitias admirabantur, sicut Jasonem & Cinyram. De Pelope a. dicebant, quod etiam humerum haberet eburneū: quasi aliqua ejus sit utilitas, qui aureā manū aut eburneā habeat, aut oculos ex adamante vel smaragdo. Illius autem animum non cognoscebant, qualem habebat. Porrò Herculem etiā laborantem quidem & certantem miserabātur, dicebantq; eum omnium hominū esse ærumnosissimum: quapropter illius labores & facta appellarunt ἄθλα, hoc est ærumnas; quasi laboriosa vita, ærumnosa sit: mortuū vero pro omnib. colūt, deumq; esse existimant, & ajunt Hebes cōjugio potiri: atq; illi omnes supplicant, ne patiatur ipsos ærumnosos fieri, quum illi plurimas exhauserit ærumnas. Eurystheum autem putant illi imperasse, & mandata dedisse: quem tamen nullius precii fuisse existimant, neq; unquam quisquam supplicavit neque sacrificavit Eurystheo.

Veruntamen Hercules peragrabat Europam atq; Asiam omnē, in nullo similis nostris athletis. quò e. n. potuisset pervenire tot carnib. onustus, aut tot carnib. ad victū indigēs, aut profundum ita somnum dormiens? immò pervigil & tenuis erat, ut Leones: acutè videbat, acutè audiebat, neq; hyemē neq; æstū curabat, nihil indigens lectis aut tegetib. aut tapetis: sed pelle indutus erat sordida, famem spirabat, suppetias ferebat bonis, malos puniebat. Et Diomedem Thracem, quod variā haberet vestem, & sederet in throno totis diebus bibens atq; deliciis affluens, & hospites injuria afficeret, suosq; subditos cogeret domare pullos, & equos pascere, clava percussum dirupit ceu vetus doliū. Et Geryonē plurimos habentem boves, & ditissimū in Occidente omniū, pariterq; superbissimum, interfecit cū fratribus, bovesq; abegit. Busirim vero offendens valde diligenter certaminibus studentē, perque totum diem edentē, valdeq; sibi placentem, ob luctandi artem, in terrā dejectum dirupit, ut sacculi nimis pleni dirumpi solent. Et Amazonis solvit zonam, quæ illum contemptui habuerat, putaveratq; de forma capturā. Congressus igitur cum illa, ostendit se nunquam vel forma superari, vel mulieris gratia à suis bonis remorari posse. Prometheum autē sophistam quendam (ut mihi videtur) assumens, à gloria pereuntem, & nunc quidem tumente illi & crescente epate, si quando videlicet laudaretur, rursum autē deficiente, si vituperaret eum, miseratū hominem & perterrefactum liberavit à fastu & cōtentione: atq; ita eo sano facto, discessit. Hæc ille faciebat, non gratificans Eurystheo. Mala aūt quæ existimabat aurea, accepta ab Hesperidibus, illi dedit. ipse enim iis nihil indigebat: sed illum habere jussit, & plorare. Nullam enim esse homini utilitatē ex aureis malis: neq; enim Hesperidib. fuisse. Tandem autem, quia seipso tardior & imbecillior factus erat, metuens ne nō similiter in posterum posset vivere, postea quoq; (opinor) morbo quodam eum apprehendente, optime præ omnib. hominibus semet curavit; collecto ex aridissimis lignis rogo in Oeta: existimans, se nihil febre dignum studuisse. Prius autē, ne videretur arduis tātum rebus & gloriosis operam impendisse, abiit, fimumq; jacentem in Augeæ stabulis, immensum quoddam à multis annis collectum sterquilinium, extulit, expurgavitq;. Arbitrabatur enim non minus sibi depugnandum esse & belligerandum adversus gloriam, quam bestias atq; homines sceleratos. Hæc dicente Diogene, circunstabant multi, & admodum libenter auscultabant sermones. Qui revocans in mētem (opinor) Herculis factum, sermone omisso, humi considens, rerum contemptarum quid faciebat. Confestim igitur multi eum despiciebant, dicebantque insanire: ac rursus tumultuabantur sophistæ, quemadmodum ranæ in cœnoso stagno, hydrum non videntes. *Orat. 8.*

Dio Prusæus: Inexplicabile mihi videtur esse quod homines alia quidem laudent, alia autem appetant, aliisq; studeant. Laudant enim (ut summā dicam) omnes, divinaq; atq; honesta esse dicunt, fortitudinem, justitiamq;, atq; prudentiam, & comprehensim omnem virtutem. Et quoscunq; existimant hujusmodi esse, vel jam factos, vel propediem fore, eos admirantur, laudibusq; celebrant: atque horum quosdam quidem Deos, quosdam autem heroas esse pronunciant: ut Herculem, & Dioscuros, & Theseum atque Achillem, atque adeo omnes qui semidei sunt dicti. Quibus si quem credunt esse similem, illi parati sunt omnes obedire, inservireque in omnib. quæcunq; præcipiat, suumq; regem & principem designare contendunt. Tum sua permittunt ei, quem temperantē & justū atq; prudentem verè deprehenderint, & breviter bonum virum. Quare

hac in parte nemo eos reprehendere poſſet: quaſi non ſentiant quã ſit honeſta atq; honorabilis & quovis precio digna res virtus. Virtutem honorant, attamen concupiſcunt omnia potius quam boni fieri: faciuntq; omnia prius, quã ut temperanter ſe gerant, prudentesq; fiant & juſti, hominesq; virtutis ſtudioſi, atque ſibi ipſi præeſſe poſſint, beneq; gubernare domum, beneque imperare civitati, & bene ferre divitias, beneq; paupertatem, & bene agere cum amicis, beneq; cum conſanguineis, juſtamq; habere curam parentum, atque ut Deos colere diſcant.

Alii quidam circa agriculturam ſunt occupati, alii circa mercaturam: hi ad militiã feruntur, illi ad medicinam: hi architecturam, illi artẽ naves fabricandi diſcunt: hi cithara, illi tibia canere: hi ſuere calceos, illi luctari: hi autẽ, ut eloquentes videantur ad dicendum coram populo atq; in judiciis, omne ſtudium impendunt: illi autem, ut corpora habeant robuſtã. Et negotiatores quidem & agricolas, & milites & medicos, atq; architectos & cithariſtas, tibicinesq; & puerorum exercitatores, eosq; præterea qui dicuntur rhetores, quique admodum validis ſunt corporibus, miſeros & infelices multos videas, & ferme omnes. Si vero animus prudẽs fiat, & mens bona atq; idonei reddantur & ad ſua ipſorum, atq; aliorum agenda negotia, hos neceſſe eſt & legitimos effectos viros feliciter vivere, bonumq; nactos eſſe genium: diisq; eſſe amicos. Neq; enim par eſt, ut alii ſint prudentes, alii autem periti rerum humanarum: neq; ut alii humana, alii autem divina ſciant: neq; ut alii circa divina ſint docti, alii a. pii: neq; ut alii ſint juſti, alii autẽ pii: neq; ut alii ſint pii, alii vero diis chari: neq; alii erũt diis chari, alii autem felices: neq; alii ſunt homines imprudentes, alii vero rerum ignari ſuarum: neq; qui ſuas ipſorum res ignorant, divina noverunt: neque qui vicioſam de diis habent opinionem, impii non ſunt: neq; impii diis poſſunt eſſe amici: neque qui diis non ſunt amici, fortunati eſſe.

Qui fit igitur, ut qui felices eſſe cupiunt, non animũ inducant tales exhibere ſemetipſos? Rurſum vero his, quæ faciẽtes nihil obſtat quo minus male & miſere vivant, maximã adhibeant diligentiam? Atqui ſine tibicinibus & cithariſtis, & ſutoribus, puerorumq; exercitorib & rhetoribus atq; medicis, non impoſſibile eſt hominib. admodum honeſtè atq; legitimè vivere: arbitror a. ego & abſq; agricolis & architectis. Scythę enim nihil impediũtur, neq; Numidæ qui neq; domos habent, neq; terrã ſeminant aut plantant, quin juſte & ſecundum leges rempub. gubernent, abſq; lege autem & juſtitia, ut homines nõ malè vivãt, multoq; beſtiis crudelius, fieri non poteſt.

Præterea ubi mali quidem ſunt ſutores & agricolæ atq; architecti, nihil illic cõtingit grave: ſed calcei fiunt pejores, & triticum hordeumq; naſcitur minus. ubi vero mali ſunt magiſtratus atq; judices, legesq;, res illorum hominũ pejus habent, vitaq; eſt infelicior, nec non ſeditiones & injuriæ atq; contumeliæ, multumq; impietatis provenit apud illos. Præterea ei qui ipſe ſutor non ſit, prodeſt ut calceamenta ab aliis emat, & qui ipſe domũ fabricare non didicerit, ut aliũ ad hoc cõducat, quiq; non ſit agricola, ut frumentũ emat, & legumina: ei vero qui ſit iniquus, nõ ꝓdeſt jus ſuum ab alio cõſequi neq; inſipienti, neq; facundia ignorãti, atq; vitanda, etiãſi ſuper ſingulis agat pœnitentiã, ad alium ire. Ad alia .n. accedit, quod qui argento quidẽ indiget, aut veſtimẽtis, aut domo, aut alio quocunq;, & ſe indigere ipſe ſciat, quodq; quærit ab habentibus poſſit accipere.

Qui vero mente caret, neq; id ipſum ſcit quòd mentem non habeat, in aliis a. ſeſe dicit idoneum eſſe, & vociferatur, ex inſipientia omnia faciens, dicensq; inſipienter, neq; ſe dicit iniquum eſſe, neq; ſtultũ, neq; immodeſtum, ſed quantũ fieri poſſit, in his ſufficienter inſtructũ, quib. nullam tamen unq̃ adhibuit diligentiã, neq; quicq̃ didicit horum gratia. Neq; enim ſcientiam eſſe cenſent, qua diſcãt quid ſibi ſit faciundũ, & quid non, & quomodo rectè vivere poſſint, ſed leges ſibi ſcriptas ad hoc ſufficere. quomodo a. legib. obediant, ſponteq; faciant ea quæ legibus præcipiuntur, ne curant. quidem. Verũ non minus fur eſt, qui metu à furando abſtinet, non rẽ peroſus aut damnans, quam qui ſubtrahunt, niſi & eum qui interdiu nõ furatur, ſed nocte facta, non dicemus furem in die, ſed juſtũ eſſe. Deinde opus habet multis minis & pœnis, quaſi ipſi non poſſint ex ſe ab injuriis abſtinere, verum etiã quum ſunt domi, ſuntq; tales, eligunt legum latores, legesq; punientes, quemadmodum ſi muſices imperiti eligerẽt muſicos, nihilq; intelligentes de Geometria, geometras, quod non obſcurum eſt humanæ pravitatis indicium. Si enim abrogarent leges, & poteſtas fieret verberandi ſe viciſſim, & occidendi rapiendiq; res proximi, & adulterium cõmittendi, atq; veſtibus ſpoliandi, quos fore putandũ eſt, qui ab his abſtineant, & nõ prorſus facile prompteq; omnia deſignare velint? Itaq; quod quidẽ ad præſens attinet, minime obſcurum eſt, quod cum furibus & plagiariis atq; adulteris vivamus, verſemurq; in republica, atq; juxta hoc nihil ſimus beſtiis meliores. nam & illæ, ſi timeant homines cuſtodientes, aut canes, ab rapiendo abſtinent. *Orat. 69.*

Ariſtides rhetor: Nullum adhuc vitium de virtute trophæum erexit. *Orat. contra proditores myſteriorum.*

Hierocles: Decet illum qui Deum amat, ea etiam quæ eidem utcunq; ſimilia ſunt (ſive id ab æterna ſimilitudine habeant, ſive etiã ab aliquo tempore quæſitũ & cõparatum) honorare: quo genere homines illi ſunt, qui virtute alios excellunt. *fin. cap. 3. Carm. Pythag.*

Hierocles: Ut humani animi vires omnes ad virtutum præcepta nobis contendantur, ab eo, quod valet meditari, meditationem flagitat. Laborẽ vero ab eo, quod ſervat, quæ ſunt meditata. Amorem deniq; ab eo, quod honeſti ſtudio ducitur; ut ex omnib. bonorum nobis accedat poſſeſſio cum firma retentione; cum cognato nobis etiam erga illa amore: quæ divina ſpes ſequitur veritatis ſplendorem induens. *cap. 47. Carm. Pythag.*

Maximus Tyrius: Quis vero Philoſophũ audiat, qui aliud virtutem eſſe dicat, quam artem? Equidem non video, quomodo aliud ars dici poſſit, ſi non poſſit virtus. Niſi forte aratrũ, artis opus eſſe exiſtimes; id a. quod his utitur omnibus, his omnib. præeſt, omniũ horum uſum eos qui poſſideant, ex artis præſcripto docet, utilitatẽ quam ex iis percipere debeant, communẽ eundemq; ad finem referre oſtẽdit, nihil minus quã artem dicemus eſſe. Mirum Dii boni, & plus quã mirum, ſi figulus, cerdo, ac faber, certam ad artem opus ſuum referre diſcant: philoſophus vero diſcat quidẽ, nec alium ſibi finem quã virtutem proponat, id ipſum tamen non ars, ſed diverſa quædã ab arte ſit dicenda inſtitutio. Pulchre me hercules: ſufficit. Non enim abſurdũ mihi exordium videtur per Jovem, aut imperitum. Quanvis enim illam, de qua agis, reprehendere artẽ non poſſum, permitte tamẽ ut videam, quid in ea præcipue ſtatuas. Figulus, inquis, opus ſuũ efficere arte diſcit, & cerdo ſuũ, & ſuum faber. Ego vero minime hoc tibi negaverim, ſingulos opifices diſcere ea, quæ efficere diſcunt: ſed potius ſingularum artiũ eum non eſſe finem, ut ab alio diſcat eas alius. Scientiæ namq; ſucceſſionem diſciplina efficit: ipſe vero artis uſus non eſt ut ab arte ars fiat, ſed ut amphora à figulo, tibiæ cantus à tibicine, ab imperatore efficiatur victoria. His enim omnibus præter artem finis propoſitus eſt alius ab arte. Non enim continuo quod ars non eſt, artis eſt privatio.

Quod ſi ars auferatur ubi arte opus eſt, id erit artis privatio. Non ars autẽ eſt quod ab arte fit quidem, aliud tamen eſt ab arte. Utrum ſatis manifeſte tibi loqui videor, an planius hoc modo dicendum erit? Eſtne ars aliqua quã medicam dicis, eſtne alia quam ſtatuariã? Harum utriusq; finis eſt, non medica ars medicæ, nec ſtatuaria ſtatuariæ: verũ hujus quidẽ ſtatua, illius vero ſanitas. Quid ergo? Aliudne virtutem eſſe putas, quam ſanitatem, rectamq; animi habitudinem? Ita hoc quod dico collige: Tribus his, animæ, corpori, & lapidi, tres diverſas tribue artes: eas autẽ nudam fac materiem eſſe quæ adhuc forma careat. Itaq; ars peculiarem addat ſingulis formam. Ac primo lapidi concinnitatem figuramque, ut eſſe facies incipiat. Corpori aptam diſpoſitionem, humorumq; mixtionem, ut ſanitatem recipiat Animæ poſtremo congruentiam aptã habilitatemq;, ut virtutem admittat. Quod ſi aliquid ex his tribus artem voces, ipſiq; operi nomen quod autoris eſt præ ſimplicitate nimia tribuas: non aliud mihi facere videris, quam ſi ſplendorem ſolis, ſolem voces, qui alius ab ipſo ſole eſt, non ſol ipſe. Sed potius utrinq; id de quo agimus, videamus. Inquiramus quid ſit ars, quid ſit virtus. Aliudne artẽ eſſe arbitraris, quam rationem quæ ad finẽ ſuum tendit? Ut interdum beneficio manuũ corpus efficiat, quod opus dicitur: ſicut domum architectus, navem naupegus, imaginem pictor. Interdum vero actionem, quæ ſine corpore non efficitur: ſicut imperator victoriam, ſanitatem medicus, juſtitiam politicus. Tertia ſpecies artium eſt, quæ ipſam per ſe rationem, ſine corporibus in opere ſuo occupatam, ſibi vindicant: quales Geometricæ Arithmeticæq; ſunt, & ſi quæ alia eſt cujus finis eſt intelligentia: quæ neq; ad actionem ſpectat neque ad opus. Eſto.

Cum ergo tria ſunt artium genera, quo virtutem referemus, ſiquidem ea ars eſt? An ad ea quæ efficiunt? Ne ipſe quidẽ dices. Supereſt ergo ut inter ſe concertet actio & contemplatio. Ego neutrũ quidem demo virtuti, ſed ita utrunq; utriq; miſceo, ut & aliquid aliunde addam: quod cum feci, aliud id quod ex omnibus conſtat, à ſingulis è quibus conſtat, eſſe dico. Ut ſi quis, exempli cauſa, humanum corpus ignem eſſe dicat, aut terram, aut aërem, aut, ſi Diis placet, aquam. Ego ignem negarem eſſe, negarem terram, negarẽ aerem, negarem aquam. Quod enim ex omnibus eſt mixtũ, aliud eſt à ſingulis è quibus mixtum eſt. Cur ergo virtutem dico, quãvis & actionis & contemplationis ſit particeps, non eſſe artem? Sequere quæ ſum dicturus. Non enim meum eſt quod affero, ſed jam olim ex Academia deducta opinio: nata in familia Platonis, ejusq; Muſico lepore non indigna, quam & ipſe admiſit Ariſtoteles: quãvis ego latius etiam originem extendam illius ut qui credam ex Italia Athenas veniſſe, nec alios quam Pythagoricos fuiſſe, qui primi præclaram hanc mercem in antiquam advexerint Græciam. Ea autem eſt talis. Bifariam anima hominis primo omnium dividitur. Hujus altera pars ratio, altera affectus dicitur. Quarũ utraq; ſi aut male habeat, aut inordinate moveatur, uno ſimul nomine fœdiſſimo improbitas dicitur. Fontes autem primaq; mali hujus cauſa, ex illuvie quaſi & exundatione exiſtit: quotiescunq; ille affectuum fervor animum accendit: quoties pullulantem quaſi & efflorescẽtem rationis vim confundit. Non aliter quam hyberni torrẽtes ſolent, qui ſi legitimum ſuum ſemel exceſſerint alveum, ſataq; ac plantas agricolarum invadunt, penitus inundant eos, ac deſtruunt. Eodem modo immodicis turbata affectibus anima, rationis præſcriptum excedit, falſæq; in ea improbæq; opiniones, & quæ cum natura ejus pugnant, efferre ſe incipiũt. Plane hoc ipſum, quod ebriis evenire ſolet: nimia enim illa crapula morbos, qui intus latent, educit, non ſecus quam è latibulis ſuis proſerpentes educuntur beſtiæ: atque ita mentem confundit, eamque voces non ſuas ſed ejuſmodi belluarum cogit proferre. Quod ſi manifeſtiore etiam res illuſtranda eſt exemplo; lubet cum populari imperio improbitatem conferre animi. Quotiescunq; nimirum eo urbis res rediit, ut optimi quique in ſervitutem redacti parere cogãtur; demens vero multorumq; capi-

tum populus, cui nimios addidit spiritus licentia, habenas sibi vendicat Necesse est eã varias in voces, plurimas in partes, in affectus diversissimos, in cupiditates innumerabiles, divisam esse. Intemperantem in voluptatibus, in iracundia præcipitem, in gerẽdis ambiendisq; honoribus immodicam : in secunda fortuna sine modo, in adversa sine spe esse. Cum Pericles abeat, Aristides exulet, moriatur Socrates, in expeditionem cogatur ire Nicias. Sphacteriam ambire Cleo incipit, Joniam Thrasyllus, Siciliam Alcibiades, aliamq; alius terram aut mare : eorumq; cupiditatib. plebs ociosa, incomposita, mercenaria, & quæ facile quovis impellitur, subscribat. Hic eas cupiditates necesse est servitutem, calamitates inducere & tyrannidem. & si quæ magis absurda sunt istis. Eodem modo & in animo multi seditiosi sunt tribuni, populusq; intemperans: multi Alcibiadæ, multi Cleones, qui nec quiescere, nec rationi suæ aut legi parere miserrimam sinunt animam.

At vero virtus, cujus causa tam multa verba cedimus, contra se habet: plane ut Lacedæmoniorum Resp. in qua tali sub imperio vivit populus, minima pars, eaq; optima imperat. Altera conservat, conservatur altera, altera jubet, paret altera: quodq; utranq; sequitur, libertas est. Eget altera pars altera: tã quæ imperat ea quæ paret, quã quæ paret conservatione ejus & tutela quæ imperat. In anma bene constituta eodem agitur modo. Ratio est quæ cõservat & tuetur: qui cõservantur & præsidio egẽt sunt affectus. Moderatur ratio, moderatione egent affectus: ex utroq; libertas procedit. Jam quodlibet artiũ genus quod in cõtemplatione versatur, ad rationem refer: quod ab ea tanquam materia adornatur, ad affectus. Et alterum quidem sapientiam voca, quæ est scientia: alterum vero virtutem, quæ à scientia producitur.

Quod si nomina transponas, ipsamq; scientiam virtutem voces, quæram ex te unde ipsa procedat. Illud enim sciẽtia dici debet, non quod ex ipsa procedit. Artẽ artium scientiam vocas? Audio. Scientiam scientiarum? intelligo, nec adversabor, modo unum idq; exiguum concedas mihi. Artem artium, dic artem, scientiam scientiarum dic scientiam. A parte altera decede, nec futura est inter nos contentio: si enim scientiam servas, affectiones vero tollis, & quod iis convenit scientiæ tribuis, perinde facis, ac si quis Phidiæ servet artem, tollat materiam: nomenque quod materiæ debetur tribuat arti. Visne scientiam vitæ bene degendæ præesse? Imperet ratio. Visne ut imperet? Sit hæc unica regina,

—— Saturni dedit hoc cui filius uni.

Sed quibus imperabit? quos illi tradis satellites? quorum utetur opera? Corporisne? Vide quid sequatur statim queso. Præteris eos q parere debent: à duce transis ad colones Nescis quo pacto instruantur acies? Præcedit dux exercitus: sequũtur manipuli ductores, post hos enomotarchæ, post hos cataphracti, deinde peltati, mox sagittarii. Ministeriũ enim paulatim ab universo incipit, ab optimis ad deterrimos. Sed video quid sis dicturus. Deus hoc totum pulchre summaq; cum arte gubernat & scientia. Quid ni faceret? Quid ergo aliud est scientia quam virtus? Quippe si scientiam Dei dixeris virtutem, nihil de nomine contendam. Neq; enim in Deo altera pars est quæ paret, altera quę imperat, quod fit in homine. Est enim simplicissimum quid divinitas, id est, mens, scientia, ac ratio.

Quod si in societate ejus quod præstãtius est cum deteriore, ejus quod paret ad id quod præstãtius est transferas nomen, verbo quidem tenus admittam, in re ipse nihil mutabo. Virtutem concedam, ut scientiam voces, si ita videatur, at scientiam cave virtutem dicas. Falluntur enim vehementer & errant homines, si persuadeant sibi aut eam quæ in numeris versatur artem, aut similes ejusdem generis virtutem secum ad animam afferre scientias. Næ quantivis precii, si hoc esset, sophistæ nostri essent, multiscii hi dico & multiloqui, qui disciplinis abundãt, disciplinas cauponantur, mercede eas vendunt cuilibet. Nundinationem illi virtutis instituunt, prostat apud eos virtus. Quod si ubiq; sese offert, ubiq; ad manũ est scientia disciplinarumq; ac præceptorum plena sunt omnia : interimq; in animo asperi feriniq; resultant affectus, consuetudines pravæ, exercitationes improbę, cupiditates monstrosæ, educationes scelestæ, quæ resistunt, viamq; disciplinis non permittunt liberã: vides quid sequatur. Naturam videlicet requiri primo commodam, non aliter quam in surgente muro requiritur fundamentum: post naturam educatio assuefactioq; veniat, quæ conservet eam, ac confirmet. Unde in animo quædã excitatur benevolentia, quæ una cum tempore ad propria bona sua penitus se discit convertere, utraq; cum ætate gradum ad ea promovet. Postremo his & artem accedere oportet: quæ certum affectibus statuat figatq; modum. Hoc modo felicitatem animus, sanitatẽ consequitur vita: hinc opiniones proficiscuntur rectæ: quæ ex harmonia quadam aptaq; inter se cõsistunt mixtione. Hæc sunt quæ lege Deus sancit, hæc virum perficiunt bonum: ut obsequantur affectus rationi, ut nõ invitæ pareant scientiæ. Improbitas vero invitis nobis fit: ut quæ à voluptate protrahatur. *Dissertatione 17. An virtus sit ars.*

Alcinous: Cum verò res quædam divina sit virtus, ipsa quidem affectio est animæ perfecta & optima, quæ exornat hominem, eundemq; firmum ac constantem, tum vero consonum qua in agendo, qua in dicendo, sive solus id agat, sive etiam cum aliis. Ex virtutibus autem quædam in parte rationali, quædam in rationis experte ponuntur. Nam cum alia sit natura rationalis partis, alia irascẽdi potentiæ, alia etiam concupiscendi; diversa quoque harum erit perfectio. Ac rationalis quidem perfectio, prudentia, alterius fortitudo, postremæ erit temperantia. Et prudentia quidem bonorum malorumq; & quæ media inter utrunq; sunt, est scientia.

Temperantia est apta cupiditatum atq; appetitionũ moderatio, tum quæ obedire docet illi parti, quam principalem vocamus hæc autem est illa, quæ ratione est prædita. Cum autem moderationem quandam & obedientiam tribuimus temperantiæ, nihil aliud intelligi volumus, quam facultatem eam esse quãdam quæ efficit ut decenti ordine summaq; obedientia appetitiones ei se subjiciant, quod natura imperare debet: hoc autem pars rationalis est. Fortitudo est legitima decreti difficilis ac non difficilis observatio: hoc est legitimi decreti conservatrix facultas.

Justitia est consensio quædam horum inter se omnium: sive facultas, quæ efficit ut tres animæ inter se conveniant partes, utq; singulæ in eo quod proprium sibi est, & ad se pertinet cum dignitate versentur: atq; ita communis quædam & integra harum trium virtutum, prudentiæ, fortitudinis, ac temperantiæ sit perfectio: ita ut ratio imperet, reliquæ vero partes pro sua proprietate singulæ, cohibeantur à ratione, moremq; illi gerant. Quamobrem & virtutes consequi se invicem putandum est.

Fortitudo enim cum legitimi decreti sit conservatio, etiam rectæ rationis erit conservatrix. Recta autem ratio à prudentia proficiscitur. Quinetiam prudentia cum fortitudine cohæret: illa enim bonorum est scientia. Nemo enim bonum potest cernere, quamdiu timiditate perturbationibusq; involvitur similibus. Eodem modo neq; omnino cum intemperantia, & universe, si à perturbationib. vincatur, prudens esse potest aliquis. Deniq; quodcunq; præter rectam rationem fit ab homine, id per imperitiam atq; imprudẽtiam fieri ab eo vult Plato. Ut nemo possit prudens esse, qui sit aut intemperans aut timidus. Unde sequitur, perfectas inter se cohærere neque separari posse virtutes.

Dicuntur & alio quodam modo virtutes, naturæ dotes & progressus in illis: quæ ob similitudinẽ cum perfectis virtutibus, idem sibi nomen assumunt. Sic omnes milites fortes quãdoq; dicimus, necnon imprudentes ac temerarios quosdã, fortes aliquando prædicamus, cum tamen non de perfectis loquamur virtutibus: quia perfectæ nec crescunt nec decrescunt unquam. Intenduntur vero & remittuntur vitia: unus siquidem altero imprudentior est & injustior. Quin etiam nec ipsa inter se sequuntur vitia: sunt enim contraria quædam, quæ eidẽ non competunt. Sic se habet ad timiditatem ferocitas, & ad avaritiam prodigalitas. Neq; inveniri quisquã potest omnium, qui cunctis simul obsitus sit vitiis: quemadmodũ nec corpus cunctis simul morbis afflictum. Accipienda est insuper media quædam affectio, quæ nec ad vitium, neq; ad virtutem plane inclinet. Neq; enim universos vel probos vel improbos necesse est esse homines. Nam hujusmodi sunt, qui jam ad summum horum pervenerunt: quippe cum non sit facile evestigio à vitio ad virtutẽ progredi. Longo enim intervallo extrema inter se distant, & sunt contraria. Virtutum præterea quasdam esse principes, quasdam vero comites harum, putandum est. Principes, quæ in parte animæ rationali, à quibus & cæteræ virtutes proficiuntur. Comites verò, quæ in altera parte affectibus obnoxia. Hæ siquidẽ honesta faciunt, secundum rationem, non quæ in ipsis est (neque enim habent) sed quam à prudentia accipiunt, quæ consuetudine in illis confirmata & exercitatione est.

Cum autem nec scientia nec ars in alia parte animæ quam in rationali consistat, eæ quæ in altera parte affectib. obnoxia sunt virtutes, nequeunt doceri, quia nec artes sunt, nec scientiæ. Neq; enim propriam doctrinam habent. Prudentia ergo cum sit scientia, quæ cuiq; propria sunt præscribit, quemadmodum gubernator nautis suggerit nonnulla quæ ab illis ignorantur. Eadem quoq; ratio in milite & exercitus duce.

Cum vero mala & intendantur & remittantur, delicta paria nequaquã erunt, sed quædam majora, minora alia. Quam ob causam conditores legum quædam lenius, quædam asperius puniunt.

Et quãvis ipsæ virtutes summitates quædam sint, quod perfectæ ac illi quod rectũ est sint similes; alio tamen modo, mediocritates dicuntur, quod circa singulas vel saltem plurimas, duo utrinq; vitia conspiciuntur, quorum alterũ excessu, alterum defectu peccat. Velut circa liberalitatem, hinc sordes inde prodigalitas cernitur. Quippe in affectibus disceditur à modo, cum id quod est in virtute positum, aut excessu relinquimus aut defectu. Neq; vero qui cum parentes contumeliose suos accipi videt, nihil movetur, neq; qui ex quibuscunq; minimis effertur, moderatus esse in affectib. dicendus est: sed omnino contra. Item qui parentibus vita functis nihil dolet, affectu caret, qui vero mœrore semet conficit, affectus modũ excedit: aut qui mediocriter tristatur, moderate affectus dicitur. Sic qui in omnib. trepidat & plusq̃ oportet, formidolosus: qui nihil omnino metuit, ferox: fortis vero qui in timore simul atq; audacia, servat modũ. Eademq; cæterorũ quoq; omniũ est ratio. Quoniã vero id q medium est in affectib. idem quoq; optimũ est, nec aliud est mediocritas quã id quod inter excessum atq; defectum est medium. ideo virtutes hujusmodi mediocritates dictæ sunt: q in perturbationib. humanis & affectibus, medio quodã modo nos affectos reddunt.

Quoniam vero si quid aliud in nostra potestate consistit, nec coactum est, ejuscemodi præcipue virtus est: (nec enim laude dignum id quod honestũ est, si vel natura, vel divina sorte cõtingeret) sequitur ut voluntaria sit virtus, quæ ex impulsione quadã ignea, generosa nascitur ac stabili. Ex hoc ergo quod voluntaria sit virtus, vi-

tium esse involuntarium concluditur. Quis enim in parte sui præstantissima, id quod malorum omnium maximum est, sponte unquam eligat? Quod si quis in vitium fertur, primum quidem non ut in malum, sed velut in bonum potius inclinatur. Et si in malum nihilominus labitur, certe decipitur, quod hac via per minus aliquod malum ad majus aliquod adspirat bonum, atque hoc modo invitus accedit. Neq; enim fieri potest, ut quis eo animo ad mala feratur, ut hęc consequatur: non spe boni alicujus, aut metu majoris mali. Quamobrem omnia quæ improbe improbus agit, ab invitis fiunt. Nam cum injustitia involuntaria sit, multo magis injustè agere involũtarium erit, quod deterior ipsa vitii actio est quam ociosus ejus habitus. Quamvis autem involuntaria sint quæ injustè fiunt, puniendi nihilominus qui agunt injustè: & quidem non uno modo, quemadmodum quæ inferuntur per injuriam ab illis diversa sunt damna. Involuntarium præterea in ignorantia quadã vel perturbatione consistit. Quæ profectò omnia, vel ratione, vel bona cõsuetudine averti possunt, vel diligentia. Tantum vero malum injustitia est, ut injuria affici præstet, quam injuriã inferre. Alterum enim improbi, alterum est infirmi. Et cum turpe sit utrunq; tanto tamen injuriam inferre pejus est, quanto turpius. Conducit præterea improbo dare pœnas, quemadmodum ægro corpus curandum dare medico. omnis enim castigatio, quædam peccantis animæ est medicina. *lib. de doctr. Platonis cap. 28. & duobus seqq.*

Iulianus Imp. Facinorum pleraq;, sive omnia potius, à fortuna, à satellitibus, à militum copiis, ab equitum aut peditum ordinibus communiter geruntur. quæ ab virtute profecta sunt, ejus solius censentur, qui fecerit; eaque laus quæ ex iis sequitur, cum vera ac sincera sit, ejus qui compos est propria ac præcipua. *Panegyr. 1. in Const. Aug.*

Iulianus Cæsar: Divini viri cùm multa privatim singuli dicunt; tum ad virtutis commendationem tanquam ad summam quæ dicunt omnia referuntur. Cæterum illam inhærere animo dicunt, eumq; felicem, ac regalem, & utiq; Reipublicæ administrandæ atq; imperandi peritum efficere prædicant, nec non magnificum ac verè divitem; non quod Colophonium aurum possideat,

Nec qua marmorea clauduntur Apollonis æde,

illo scilicet tempore, quo Græcorum res florebant. Neq; magnificẽtissimas nationes aut lapillos Indicos, aut agri infinita jugera: sed quod omnibus his præstantius ac divinius est, quod & è naufragio servatur & in foro atq; in populo, domi, in solitudine, inter medios latrones, ab immanissimis Tyrannis tutum atq; securum est. Nihil enim omnino est fortius, quod violenter eam detineat, aut ei qui possidet eripiat. Sunt enim hæc animi bona ejusmodi prorsus, qualis est Solis illius lux, atq; splendor. Nam cum templum illius ac consecrata donaria multi sæpenumero prædati sint, ac perdiderint; cujus sacrilegii pœnas alii dederint, alii propterea neglecti sunt, quod indigni essent, quos ad sanitatem pœna ulla revocaret, illius tamen lucem auferre nulla vis potest: non hæc quæ in coitu sub orbem illius subit, atq; ejus radios excipit Luna: unde nobis repente lux, quod ajunt, ex meridie nascitur. Sed neque ipsemet sua se luce spoliat, cum Lunam objectam ex adverso collustrat, ac naturam eandem cum ea communicat. Neq; porro cum ingẽti illi & admirabili Mundo lucem ac diem impertit. Ita & vir bonus, cum alterũ virtutis suæ participem facit, nihilo quã antea minus possidet. Adeo divinum quoddam & eximium bonum illud est, neq; falsa hæc est hospitis illius Atheniensis sententia: quicunq; tandem ille est egregius vir ac præclarus. Neq; enim aurum omne, quod sub terris, aut in terris est, cum una est virtute comparandum. Quamobrem qui ea præditus est, hunc nos sine ulla cũctatione divitem appellemus. Addam etiám, si cui idem videtur, & nobilem, & ex omnibus Regẽ. Est enim & nobilitas ignobilitate præstantior, & virtus ea animi affectione melior, quę non omni ex parte ac probitate cõjuncta est.

Nec est quod quisquam usum vocum ac consuetudinem respiciens orationẽ hanc meam contentiosam esse, aut violenter ꝙ vult exprimere putet. Etenim pleriq; nobiles illos censent, quorum jam tum olim majores divites extiterunt. Quam est vero absurdum illud, coquum nescio quem, aut sutorem, aut sanè figulum aliquem, si ab arte sua, aut aliunde magnum pecuniarum quæstum fecerit, neq; nobilem neq; apud vulgus illustrem videri, sin ejus forte filius hæres atq; successor hæreditatem ad posteros transmiserit, hos vero mirum in modum insolescere, ac de nobilitate cum Pelopidis atq; Heraclidis contendere! At ne ille quidem, qui, cum optimis majoribus editus sit, contrariũ nihilominus ad vitæ statum ac momentum deflexit, de illorum propinquitate jure possit gloriari. Neque enim in Pelopidarum familiam adscribi licebat iis, qui non in humeris expressa generis indicia ferrent. Quin etiam in Bœotia ferunt lanceam eorum, quos Spartos vocabant, generi à Nutrice tanquam signum quoddam humeris inscriptum fuisse. Idemq; ab hac gente diu quadam successioni servatum est. In animis vero nihil ejusmodi impressum atq; inscriptum esse oportere putabimus, quod parẽtes nostros manifeste nobis demonstret, ac fœtum legitimum esse convincat? Nam apud Germanos fluvium esse memorant incorruptum probis ac generis arbitrum: cui neq; matres gemebundæ persuadent, ut flagitium occultet: neq; Patres dum pro conjugibus ac liberis judicii exitum perhorrescunt: sed verus ille est ac sincerus. Nos autem & opes corrumpunt, & robur, ac corporis species, & majorum potestas, quæ extrinsecus obumbrat, nec pervidere aut animum intueri sinit. Quo cum præstemus cæteris animantibus, meritò secundum illum de nobilitate judicabimus.

Quod mihi, naturæ atq; ingenii solertia quadam usi veteres illi, non arcessitam ac studio quæsitam prudentiã adepti, neq; compositè ac simulate, sed naturæ sponte philosophantes, intellexisse videntur; cum Herculẽ Jovis filium esse prodiderunt; nec non & Ledæ liberos, atq; etiam Minoem illum Legislatorem, & Rhadamãtum Gnossium eadem fama ac gloria celebrarunt, atq; ita alios ex aliis procreatos dixerunt. Siquidem animũ ipsum & facta cõtuebantur, non opes immensas ac vetustate canescentes, neq; transmissam ad ipsos ad Avis ac Proavis potentiam. Quanq̃ erant illorum nõnulli non obscuris parentib. nati; verum propter singularẽ virtutis præstantiam honore illos cultuq; prosequebantur, ac Deorũ esse filios existimabant. Quod quidẽ ex eo manifestum est. Nam aliorũ veros parentes cum ignorarent, eorum virtuti gratificãtes ad Deum originem referebant. Nec fides iis habenda, qui dicunt illos præ inscitia deceptos hæc de Diis mentitos esse. Nam si in aliis Diis, aut Dæmonibus falli consentaneum erat, hominum formis atq; ejusmodi imaginibus iis affingendis, quorũ natura sensu percipi & attingi non potest, sed præter cognationẽ ac propinquitatẽ ægre in perspicacem mentis aciem incurrit; non tamen idem in manifestis numinibus fieri ab illis oportuit; cum & Æetam Solis filiũ dixerint, & Luciferi nescio quẽ alium, & alios aliis ortos esse voluerint. Sed, quẽadmodum dixi, nos ita de iis persuasos esse, itaq; in illorum nobilitatem inquirere oportet, ut quicumq; præclaros parentes sortitus fuerit, & horũ ipse similis fuerit, hunc audacter nobilẽ esse pronunciemus. Quisquis verò parentes habuit virtute minimè præditos, cujus ipse sibi possessionẽ vindicaverit, ejus parentẽ & auctorem generis esse Jovem existimandũ est, nec ei minus q̃ iis defe[...] [illegible], qui cum parentib. bonis nati essent, illorũ virtutem imitat[i] sunt. Sed qui malus ac depravatus à bonis ortum accepit, hic inter illegitimos ac spurios habendus est. Nec qui ex pravis orti illorũ similes sunt, eos unquã nobiles appellare debemus: tametsi decem millia talenti in bonis habeant, aut majorũ suorum quamplurimos Principes percenseant: aut Olympiacas victorias, vel Pythicas, sive etiam bellicas (quæ multò illis splendidiores sunt) à majoribus suis reportatas numero plures ostendere possint, quã primus ille Cæsar retulerit: vel etiam Assyrias illas fossas, & muros Babylonios, nec non Ægyptiacas Pyramidas & si quæ alia opum ac pecuniarum & luxus indicia fuerint, mentisque ambitione æstuantis; & quærentis quosnam in sumptus opes expendat, quarum copiam in eos usus conjiciat.

Non enim ignoratis, neque divitias antiquas, aut nuperrimè affluentes Imperatorẽ facere posse, non purpureas vestes, non Tiarã, aut Sceptrum, ac Diadema, sed neq; Legionarios milites, aut Equites innumeros, neq; etsi universi simul homines in unũ convenientes Regem illum pronuncient: quoniam neq; virtutem largiri illi possunt, sed potentiam dumtaxat, eamq; non admodum ei qui acceperit felicem, sed illis potius qui eã contulerint. Hanc enim qui ejusmodi est cum acceperit, jactatam ac fluctuantem ut plurimum recipit, quæ nihil à Phaetontis fabula casuq; differat. Neq; vero aliis ad orationis fidem exemplis opus est: cum universa hominum vita istiusmodi sit calamitatibus & narrationib. referta. Quid si mirum illud vobis videtur, egregiam hanc & divinam appellationem non eos sibi vindicare merito, qui amplissimæ regioni, atq; infinitis nationibus præsunt ad voluntatem arbitriumq; suum, quique sine mente ac prudentia, & hujus comitib. de obviis quibusq; judicent, scitote ne liberos quidẽ illos esse, non solum si præsenti rerum statu sine ullo impedimento potiantur, ac potestate sua satientur: sed etsi incurrentes contra se hostes debellent, aut in aggrediendo ipsi intolerabiles sint, ac sustineri nequeant.

Quod si quis nostræ huic orationi fidem non adhibeat, manifestissimis testibus tam Græcis quam Barbaris nequaquam carebimus: qui cum prælia & multa & fortissima gessissent, ac victoriam consecuti essent, etsi gentes ex eo multas obtinerent, easq; sub tributi formam redigerent, multo tamen illis turpius voluptati ac deliciis & libidini, ac lasciviæ atq; injustitiæ serviebant. Ejusmodi verò homines ne fortes quidem prudens ullus appellaverit, tametsi in eorum factis magnitudo quædam appareat atq; elucescat. Talis enim ille solus est, qui cum virtute fortis est, & magnificus. At qui voluptate vincitur, quiq; iracundiam, & omnia cupiditatum genera cohibere non potest, adeò ut etiã à minimis oppugnatus prosternatur, ac deficiat, hic nec robustus, neq; fortis humano quidem robore dicendus est. Quanquam ei fortassis permittẽdum est, ut quẽadmodum tauri, aut leones, aut pardi de robore glorietur, nisi adhuc etiam iis amissis, fucorum instar, alienis laboribus immineat, cum ipse mollis pugnator ac timidus sit, & libidinibus addictus. Quisquis porrò est ejusmodi, nõ solum veris opibus indiget, sed vel laboriosis & honestis, & quæ ob adipiscendi laborem charæ sunt ac jucundæ. Ex quibus infinitorum hominũ animi suspensi quotidiani lucri gratia variis laborib. ac molestiis conflictantur: qui & navigationes suscipiunt, & instituram exercẽt, & latrocinantur, & dominatus ac Tyrannides occupant. Etenim vivunt illi perpetuò ad rem & quæstum attenti, & nihilominus indigent semper: non illis dico necessariis cibo potuq;, ac vestibus: opes enim istæ optimè sunt à natura definitæ: neq; iis aves quisquã aut pisces fraudare vel belluas potest, sed neq; frugi homines ac temperantes. Sed quicunq; pecuniarũ cupiditate atq; infelici amore jactantur, hos toto vitæ tẽpore esurire necesse est, multoq; iis miseriores esse, qui quotidianis alimentis careant. Etenim isti, cum ventrẽ impleverint, pacẽ ac quietẽ

obtinent,

obtinent, & ab eo dolore liberantur. Illis contra neque dies ulla jucunda est, quæ sine lucro præterit, neque nox, quæ membra laxare, & curas dissolvere somno solet, continui doloris quietem iis ac cessationem indulget, sed eorum potius animos in pecuniis numerandis torquet, ac cruciat. Neque earum cupiditate, aut quæ ex ea sequitur infamia exolvere homines possunt Tantali opes, aut Midæ, neque maxima asperrimæque Dæmonum Tyrannis. An enim de Dario Persarum Rege non audistis, homine quidem non mercenario, sed qui pecuniarum ingente quodam desiderio flagraret, & mortuorum loculos præ summa cupiditate perfoderet, & maxima tributa sibi subditis imponeret? Unde præclarum illud nomen sibi peperit, quod ad omnium hominum notitiam pervenit. Eum quippe Persarum Principes eodem nomine quo Sarambum Athenienses vocabant. *Paneg. 3. ad Const. Imp.*

Libanius: Dii solent virtuti incumbentis mercedem tribuere, communem prosperitatem, & liberos nobilitate ingenua celebratos. *Declamat. 25.*

Basilius Imperator: Sola virtutis dotatio plus ornamenti affert regibus, quam universa quæ mundus hic habet grata & delectabilia. Nam forma & decor aut morbo, aut certè ætate flaccescunt. Opes, ignaviæ & voluptatum plerumque sunt fomites. Robur, corpus quidem victoriis honestat, sed animi luminibus obstruit. Virtutis autem acquisitio quibus contingit, & divitiis & nobilitate generis est prior atque utilior: & quæ aliis fieri non posse videntur, illa cum Dei auxilio ad faciendum expedita subjicit oculis. *Cap. 8.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: De fratre noli desperare. sæpe rediere virtutes. *Declamat. 287. fine.*

Quintilianus Senior: Age; quisquis non est avarus, demens est? Varii sunt mores. puta me nolle optare, non concupiscere præmium. non invenio quid optare possim: deinde patriam onerare nolo bello afflictam. deinde gratuitæ debent esse virtutes deinde hoc est præmium, intueri debitorem populum. *Declamatione 367. m.*

Nazarius: Certum est pro negotii modo animosam esse virtutem; quod ex se rerum captum suum temperat. in parvis propè ad securitatem remissa; in mediocribus modicè intensior, ubi magna venerunt, juxta magnitudinem exanclandi operis erigitur. *Orat. in Constantinum Aug. cap. 23.*

Symmachus: Verus & maximus laudis profectus est, quoties sequentibus priora vincuntur. *lib. 4. Epist. 60.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 3. præceptorum ad Virgg.

—— Μεσάτη δ᾽ ἐ κακῶν ἀρετὴ κατάκειται,
Ὡς ῥόδον ἐν συγγενῆσι καὶ ὀξείῃσιν ἀκάνθαις
—— *in medio virtus est fixa malorum,*
Haud secus ac spinas inter rosa mollis acutas.

Prudentius lib. poster. adv. Symmachum.

Virtutem nil vile decet. nam vile quod ætas
Eripit. æra cadunt, aut fulvum defluit aurum,
Aut candor perit argenti, si defuit usus,
Et fuscata situ corrumpit vena colorem.
Viva tibi princeps, debetur gloria, vivum
Virtutis pretium, decus immortale secuto,
Regnator mundi Christo sociabere in ævum.

Lucillius.

Virtus, Albine, est pretium persolvere verum,
Queis inversamur, queis vivimus rebus potesse.
Virtus est homini scire id quod quæque habeat res.
Virtus scire homini rectum, utile, quid sit honestum:
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inhonestũ:
Virtus quærendæ finem rei scire modumque.
Virtus divitiis pretium persolvere posse.
Virtus id dare quod reipsa debetur honori.
Hostem esse atq; inimicum hominum morumq; malorum
Contra defensorem hominum morumq; bonorum.
Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum
Commoda præterea patriai prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaq; nostra.

M. Terentius Varro.

Unam virtutem propriam mortalibus fecit:
Cætera promiscam voluit communia haberi.

¶ EMBLEMATUM.

Had. Junius Emblemate 64.

Quid mulier dextra candentia lilia tendis,
Pallam, ne remora sit tibi, læva regit?
Nam virtus nivea, ad claros contendit honores,
Demissa, illius splendor ubique micat.

Batillius 122.

Invia virtuti nulla est via.

Nunquam non homini est virtus tutissima, nullam
Et non evadit qua via nulla viam.

Sic tergo exceptus φιλομούσου piscis Arion
Per tumidas tuto tramite fertur aquas.

Camerarius 35. Centur. 1.

Intacta virtus.

Sic illæsa malis constat pulcherrima virtus:
Laurus ut est diris integra fulminibus.

Camerarius 89. Centur. 1.

Semper inclyta virtus.

Quamlibet è mediis consurgunt lilia spinis:
Sic virtus ipsis crescit ovatque malis.

Camerarius 13. Centur. 2.

Hoc virtutis amor. Rhinoceros in gremio Virginis dormiens.

Quem non vincat amor casta virtutis & ardor?
Virtus tanta potest, vincat ut illa feram.

Camerarius 83. Centur. 2.

Virtus lorica fidelis. Erinaceus loricatus Mexicanorum.

Virtus ipsa suis firmissima nititur armis,
Sævam hiemem sortis spernere docta mala.

Camerarius 17. Centur. 3.

Cursu prætervehor omnes.

Quantum vis humilis, cursu tamen anteit omnes
Struthio: Sic virtus quolibet alta loco est.

Camerarius 20. Centur. 3.

Sibimet pulcherrima merces.

Pulchra suis veluti est volucris Iunonia pennis:
Sic virtus proprio lumine clara nitet.

Camerarius 67. Centur. 3.

Merces hæc certa laborum.

Spernit humum picus, petit ardua: sic quoq; virtus
Appetit excelsis sacra reposta locis.

Camerarius 81. Centur. 4.

Invia virtuti nulla. Anguis obeliscum circumplicans.

Sudore hac magno conscendit culmina serpens,
Nempe est virtutis semita difficilis.

¶ APOPHTHEGMATUM SACROR.

Theodoretus: Inimici, inquit, præstantes adversariorum virtutes, magnitudine rerum gestarum ad id compulsi, etiam admirari solent. *Theodoretus eccl. hist. lib. 3. cap. 32.*

Anonymus: Quidam dixit unam esse Naturæ virtutem, ejusque formam in animæ viribus effigiari. Nam & lumen solis sine forma est: formam autem id recipit fenestris per quas penetrat. *Nicepho. eccles. histor. lib. 11. cap. 43.*

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Petrus Aldobrandinus Card. Virtutis tandem nobis penetralia subeunda. ejus enim possessione nulla est honestior aut diuturnior: ideoque summis votis expetenda. Ad quod non parum nos incitavit CARD. ALDOBRANDINUS, qui rogatus, quid esset virtus; *Prædium*, aiebat, *Plutonis*. Insinuabat illum verè divitem, qui possessionem haberet virtutis. *Henr. Farnesius, in Apophtheg. De Principe.*

Idem: Sciscitanti Clementi VIII. Pont. Max. quos in administratione publici muneris maximè probaret; *Qui Dei*, respondit, *viva sunt simulachra.* non fastu, sed virtute illustres viros ostendens. *Ibid.*

Idem: Cùm de juventutis sedula educatione institutioneq; ageretur, rogabatur, quænam Italiæ Gymnasia maximi faceret: *Non*, inquit, *quæ ornamentum habent marmoris, sed virtutis.* Hinc Plato in Academiæ suæ ingressu scripserat Ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω, id est, Nullus Geometriæ ignarus huc accedat. Virtutem appellabat Geometriam, quod in æquâ affectuum mensura consistat. *Ibid.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A virtute multi incipiunt in vitiumque desinunt.
Abjicit frondes fructusque virtus illam ni colas.
Ad gradus Virtutum eosdem pervenire, haud omnium est.
Admodum raro est Virtutis ac Fortunæ copula.
Ægrius virtute cedat quis quam fortuna alteri.
Aliud est virtutem habere, aliud similitudinem.
Alterius minimè virtuti livet qui fidit sua.
Amplitudines virtutum nullis cohibe finibus.
Certat ob virtutem honestus, parvus ob pecuniam.
Colle stant celso penates, usque quas Virtus colit.
Conditio nota virtutis durior quam incognita.
Cui virtus est, arma nunquam diripienda possidet.
Cursus ut cursu, sic virtus & virtute vincitur.
Cum Virtutibus voluptas nil habet commercii.
De virtute ego cernundi do potestatem omnibus.
Delicato virtus esse non potest in corpore.
Discitur labore virtus, nequitia ultro adnascitur.
Eandem virtutẽ istam veniet tempus quo graviter gemes.
Eccubi virtutis haud sunt gratuita præmia?
Ecquis est, placere virtus absque dote cui queat?
Est item virtute in ipsa non inutilis modus.

Et vivu virtutis ignem vel puella præstat.
Evehit hominem ad Deos hinc Virtus inde Veritas.
Exerit sese approbatque virtus maxime in malis.
Facile sibi facunditatem virtus argutam invenit.
Fama virtuti oblatrare sed nocere non potest.
Filius Plutus Fortunæ: filia est Virtus Jovis.
Fraus scelusque plus prodesse nemini ac virtus nequit.
Fructu ovat virtus gemello: laus hic, ille est charitas.
Gloriosa est virtus, nec se dat modo sed ingerit.
Gratuita est tota virtus, ulla mercenaria est.
Haud juvat virtutis absque actu suo possessio.
Hei quam lubrica ad virtutem semita est & aspera!
Hercules virtute vinci indomita docuit omnia.
Heu quam adhuc virtus timori à morte carnifici suo est!
Hostium illico obsidetur populo Virtutis cliens.
Imperat nihil virtuti, sponte ipsamet sua est.
In cujuscunque animo virtus inest, ei tribuas plurimum.
Invenias virtutem in castris, in macello ignaviam.
Invidere honori virtutum extremissimi omnium est.
Ipsa se magis magisque extollit virtus mortui.
Ipsa ubi est in honore virtus, cuncta ibi aucta plausibus.
Ipsa virtus, ipsum honestum innascitur statim omnibus.
Iure plurimi fit cuius animo virtus hospes est.
Maximo sudore laudis arduum Virtus rapit.
Militant circa virtutes usq; sumptus ac Labor.
Multa compleas virtutium in vita licet brevi
Nec datur dono alma virtus cuipiam nec traditur.
Nec virtutum oblivi scendum est luctuoso tempore
Nemo ei favet virtuti quam desperat assequi.
Nemo exors virtutis exstat, sit licet vel pessimus.
Nemo virtutem optat, omnes eius optant præmia.
Nemini non ipsa virtus est honora, imò sacra.
Nemini potest placere virtus ipsa cui haud placet.
Neminem virtus se amari credit, à quo reijcit.
Neminem virtus superbo respuit fastidio.
Nil pete ex virtute præter ipsam. præmium sui est.
Nil tam altum natura fecit, virtus quo eniti haud queat.
Nomen in parente, virtus est amanda in cæteris.
Non dat virtutem natura, summa ars est fieri bonum.
Non lethees horret amnes virtus laudis conscia.
Non nocere at oblatrare fama virtuti potest.
Non potes virtutem odisse, quin spem & ejeres bonam.
Non potest subjecta virtus esse incertis casibus.
Non quærenda homini virtutem habenti in imbre penula
Non virtus modo est colenda præsens, sed absentior.
Nudo homini est contenta virtus, non censum aut domum eligit.
Nulla rupes tam alta virtus, eniti quo non queat.
Nulli adhuc virtutium omnis obtigit symphonia.
Nulli non vivo & mortuo virtus retulit gratiam.
Nunquam ad umbras adque manes virtus fertur inclita.
Nuspiam virtus moratur se ut semel dedit via.
Omnis haud fortuna danda sed virtuti dignitas.
Omnium virtutum elementa, honoris Spes, pœna Metus.
Omnibus natura semen indidit virtutium.
Pessimi quoq; usq; & usque virtutem ore gestitant.
Præmium haud petit laborum virtus, præmium est sibi.
Præmium virtutis aut heic, aut in cælis accipis.
Promptius virtus ad luxum, quam hic ad illam transeat.
Quem penes virtus, ei adsunt vel bona orbis omnia.
Qui secundum unam virtutem agit, secundũ omnes agit.
Quid mortalium virtutes sunt? mera ostentatio.
Quis virtutem dicat caussam adversitatum quam malus?
Quis virtutibus florere cunctis non desideret?
Quod fortuna cunque peccat id virtute corrigas.
Quod non ducit ad virtutem recta, magnũ ne putes.
Quod pote effici virtute cur tentes pecunia?
Quod super terram ac sub terra est auro virtus prævalet.
Quonam eat, non quid sibi virtus sit passura cogitat.
Regulam virtutis in se quisque habet; connascitur.
Regnum opesq; eripere quivit sors, virtutem nequit.
Res melius Romana stat virtute quam pecunia.
Sæpe virtus in dolores & neces agit suos.
Sæpe virtutem admiramur, clam, palam cui irascimur.
Sede in una vix morantur Virtus ac Pecunia.
Sed durat sola auferri ab homine virtus non potest.
Sola victus nec donatur muneri nec traditur.
Subjacet virtus livori, nemini sed invidia est.
Sufficit sibi una virtus ad beatitudinem.
Tam libenter virtus vivit, quam libenter mortem adit.
Turpe aliquem se ornare alienis, cui domi virtus sua est.
Vir probus, virtute latus semet involuit sua.
Virtus ac voluptas una stare non potest domo.
Virtus ante quam voluptatem ullam admittit, excutit.
Virtus atque fortitudo proprium hominis est bonum.
Virtus est amans sui, se noverit quod optimè.
Virtus est loquax, ostendit nec modo se sed ingerit.
Virtus maxime honori est ubi viget bona.
Virtus nil cupit quod abest: solidè gaudet præsentibus.
Virtus nomen est inane, virtus sorti subjacet.
Virtus optimè æstimatur cum facilime gignitur.
Virtus se si recognoscat facilè injuriam solverit.
Virtus uno est atque eodem animo in mala re quam bona.
Virtutis modestiaque pulcra, pol certatio est.
Virtuti comes voluptas, at vitio molestia est.
Virtuti nullum theatrum majus conscientia est.
Virtuti studere qui vult, externa rei haud eget.
Virtute animus induratus est invulnerabilis.
Virtute atque relligione bestias homo anteit.
Virtute unâ destitutus, destituitur omnibus.
Virtutes suas morte obsignare non est omnium.
Virtutum astris adplicari, scintilla est sapientiæ.
Virtutum est opumq; passim dulce contubernium.
Virtutum chorea tota à caritate pendula est.
Virtutem putat dolorem consiliorum expers furor.
Vix saltu repentino arcem virtutum occupaverim
Unica à Fortuna virtus sugillari non potest.
Ut rosa inter spinas, medius sic & virtus in malis.
Ut vivas bene ac beatè sola virtus sufficit.

¶ Jambica.

Abire noli à virtute ob pecuniam.
Adversa sors virtutum amorem haud eximit.
Adversa virtus hosti etiam colitur suo.
An una virtus alteri contraria est?
Auferre virtutem unicam Mavors nequit.
Aurum orbis omne longè virtus antest.
Augusta virtus sana mentis incolit.
Cælo receptas propter virtutem Hercules.
Cum naufrago virtus suo unica enatat.
Discreta virtus cernitur manifestius.
Diu latere magna virtus non potest.
Ea vera virtus cui comes prudentia.
Etiam exhiberi in lectulo virtus potest.
Etiam qui non sequuntur virtutem vident.
Fecisse recte, quis decus facti putat?
Fructus duo virtutis, laus & caritas,
Haberi alumnus quisque virtutis cupit.
Humana virtus jungit & cælestia.
Imperia dura tolle: quid virtus erit:
Ignota virtus, vitio notatur novo.
In lectulo virtuti item est locus suus.
Insigne virtus Regi regalissimum.
Inter se amicitia omnium virtutium est.
Locorum ubivis signa virtus dat sui.
Mali nihil agere, primus virtutis gradus.
Mortalium Virtus, bonum vel maximum est.
Nativa virtus nec sera aut claustris eget.
Nativa virtus nil magistri voce eget.
Natura non dat virtutem, est fieri ars bonum.
Ne mortuos Virtus quidem alma deserit.
Nil orbe virtuti inclita toto invium.
Nocere virtuti ulla nescit pravitas.
Noverca cuivis virtuti sors prospera est.
Nullo inquinantur radii Solis stercore.
Nunquam documentum nolle virtutis stat.
Nunquam potest non esse virtuti locus.
Nunquam suo virtus latet dispendio.
Omnes colit virtutes, unam qui colit.
Omnes ei insunt, una virtus cui obtigit.
Omnes habet virtutes qui vel unam habet.
Orbata marcet virtus adversario.
Pecuniâ nusquam virtus conducitur.
Perfecta virtus, oculis hominum se eripit.
Persæpe & inter nascitur vepres rosa.
Præclusa virtus nemini est: cunctis patet.
Præcone virtus haud eget, præco est sibi.
Pulcerrimum est virtus sibi ipsa præmium.
Qui per virtutem perit, perit, at non interit.
Quicunq; laudat virtutem, laudat Deum.
Quod ars potest, & usus, id & virtus potest.
Quodcunq; virtuti est rebelle, eam incitat
Se pigra nunquam virtus astris extulit.
Semel recepta exire virtus non potest.
Semper Labor Sumptusq; adest Virtutibus.
Servire virtus non potest: usque imperat.
Sudore virtus gaudet, ac quærit virum.
Uberrimus virtutis est honos cibus.
Ubi gula est, ibi esse virtus non potest.
Via ardua est virtutis, at fructus juvat.
Virtus aliorum æque ac sui scientia est.
Virtus animo nisi instituto haud accidit.
Virtus amatorem haud admittit sordidum.

Virtus priores vult anteire, non sequi.
Virtus bonum mortalibus vel maximum est.
Virtus eo est pretiosior, quo rarior.
Virtus etiam infelix hosti in reverentiâ est.
Virtus hebescit, cum in pretio est pecunia.
Virtus heri expers omnis, aut hera est sibi.
Virtus minime inter belli capiatur præmia.
Virtus moneta hominibus est recondita.
Virtus, potens sui, repulsa nescia est.
Virtus potest ægrescere: emori haud potest.
Virtus premi quidem potest, non opprimi.
Virtus profecto merces ipsamet sui est.
Virtus profectò nascitur quovis loco.
Virtus profecto rebus anteit omnibus.
Virtus proferri ultra, nec referri potest.
Virtus quidem premi potest, non opprimi.
Virtus sequenda ei sequi vult qui Deum.
Virtus sibi ipsa merces est pulcerrima.
Virtus sibi multum lacessita adjicit.
Virtus sua est rebus quoque abjectissimis.
Virtus suisq; osoribus miraculo est.
Virtus solida mage nascitur quam fingitur.
Virtus suo marcet sine adversario.
Virtus supremi est indumentum Numinis.
Virtus valentem poscit adversarium.
Virtus ubi est, ærumna ibi esse non potest.
Virtus ubi festinas, annos transilit.
Virtus, vitiumque, ejusdem non sunt pectoris.
Virtus focatur, prosperum ac felix scelus.
Virtutis æternum manet præconium.
Virtutis amplum præmium est finis bonus.
Virtutis auro fructus est præstantior.
Virtutis ergo, lexque jusq; conditum.
Virtutis haud unquam interit possessio.
Virtutis est domare quæ cuncti pavent.
Virtutis est forma æmulari quam optimos.
Virtutis est gradus, malo si temperes.
Virtutis est regina magna Veritas.
Virtutis etiam in lectulo est suus locus.
Virtutis expers turpis omnis actio est.
Virtutis haud juvat absq; actu processio.
Virtutis immortalitas gloria est.
Virtutis usque fida & constans gloria est.
Virtutis usque præmium est felicitas.
Virtutis usus semper auget gloriam.
Virtuti abest cuicunque ostentatio.
Virtuti amica austera sunt & fortia.
Virtuti etiam suus est in lectulo locus.
Virtutem alunt, metus, pudor, cupiditas.
Virtute cultum pectus est pulcerrimum.
Virtute gaudet mente sana præditus.
Virtute in ipsa nullus exstat terminus.
Virtute in ipsâ tota sita est sapientia.
Virtute nil in orbe fructuosius.
Virtute nil præstantius, nil pulcrius.
Virtute, non casu, imperat mundo Quiris.
Virtute parta fama vivit perpetim.
Virtute partum non videt mortem decus.
Virtute pulcrum, turpe vitio cernitur.
Virtute qua vis res fit expugnabilis.
Virtute quis sit gratior pecunia?
Virtute qui caret una, & omnibus caret.
Virtute testes compara vita tua.
Virtute vel sola fieri felix queas.
Virtute vis frui? voluptates fuge.
Virtute vita hujus procellas vincimus.
Virtutem amorem adversa nulla exemerint.
Virtutibus vita ipsa fit contractior.
Virtutibus vitium hoc illudve proximum est.
Vitam beatam sola virtus perficit.
Vt eripi virtus nequit, sic nec dari.

Vis aut Violentiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Quod voluntarium non est, ne diuturnum quidem est; quemadmodum nec fluenta aut stirpes quæ per vim retinentur. quod autem voluntarium est, tum diuturnius est, tum certius. *Oratione* 37.

D. Chrysostomus: Non est quidquam quod Deum ad iracundiam perinde incitet, ut rapere & vim inferre, aliosque circumvenian quid ita? quia perfacile est ab hoc flagitio abstinere. neque enim naturalis quædam cupiditas hæc est, negotium facessens, sed ab animi segnitie ortum trahit. inde violentior corporum quam pecuniarum, cupiditas. quem enim magnum virum opum cupiditas invasit? neminem profecto, sed miseros admodum & abjectos; Giezi scilicet, Achab, Judam, Judaicos sacerdotes. at corporum cupiditas magnum illum Prophetam superavit &c. *Homilia* 23. *ad Corinth*. 2.

¶ ORATORUM GRÆCORUM.

Isocrates: Quamvis nos Athenienses sciremus, à Græcis ceteris ac barbaris, eos inprimis magnos fieri, qui pulsis finitimis copiosam & facilem sibi vivendi rationem constituerunt; nulla tamen harum rerum sumus ad insulares violandos impulsi, sed soli ex eis qui magna potentia præditi sunt, tenuius vivere non recusavimus, quam hi qui servire scilicet dicebantur. *in Panegyrico*.

Aristides Rhetor: Quod & poëtæ & legislatores, & proverbia, & oratores & omnes denique jubent, ut vim vi repellamus, id est aggressus Cimon; & ad hoc Græcos compulit, non quid suavissimum, sed quid esset justissimum reputans. *Oratione* 2. *Platonica, pro Quatuor viris*.

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Quid est vis? hæc fit alias patientia, alias metu quorum alterum ad corpus, alterum ad animum pertinet. *Declamatione* 386. *m*.

¶ POETARUM.

Plautus Captivis 3. sc. 5. v. 92.

Vis hæc quidem hercle est, & trahi & trudi simul.

Plautus Rudente 3. sc. 2. pr.

Prò Cyrenenses populares! vestram ego imploro fidem,
Agricolæ, accolæ, propinqui, qui estis his regionibus,
Ferte opem inopiæ; atque exemplum pessimum pessundate,
Vindicate, ne impiorum potior sit pollentia,
Quam innocentum, qui se scelere fieri volunt nobiles,
Statuite exemplum impudentiæ; date pudori præmium;
Facile hic lege potius liceat, quam vi victo vivere.
Præterquete injuriæ collum, prius quam ad vos perveniat.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ante vim tentanda cuncta vir prudens existimat.
Arma ubi fulgent fungatur inde justa mox dea.
Cum bona quidvis componas gratia quam cum mala.
Desperata vi convertas omne consilium ad moras.
Et patienti & inferenti vis honesta est cum juvat.
Major est vis quæ animo infertur, quam quæ infertur corpori.
Nil rapi absque vi; amoveri etiam aliquid absque vi potest
Nulla vis adversus ipsos est Deos mortalium.
Nulla vis contra Deorum numina est mortalibus.
Nulla vis est, absque ferro vulnerumque incommodo.
Omne res divina regnum, seque vi servat sua.
Pauca Principes vi tractant quo quies sit ceteris.
Res ubi geritur vi, è medio ibi sapientia pellitur.
Rem gerunt manu priores; jure rem gerunt pares.
Vis est, cum quis quod suum est, non impetrat per judicem.
Vis ubi est, locum sibi ensis iuris asper vindicat.
Vis ubi est, ibi periculum, ibi est invidentia.
Vis ubi est, ibi ratio exit, exit & sapientia.
Vis in illum iniusta non est, ius pati æquum qui abnuit.
Vis salutaris decori est; iniuriosa prægravat.
Vim facit qui non reposcit quod suum est per iudicem.
Vim vetant inferre leges innocenti ætatulæ.
Vi mera noli obtinere quod potes prudentiâ.
Vulpina adsuenda pellis ubi leonis deficit.

¶ JAMBICA.

Ab hoste iustitia obtinet, quod vis nequit.
Adferre vim non æquum in corpus liberum.
Alia fori vis est alia triclinij
Contra vi agentes nulla lex quidquam potest.
Haud facere vim videtur iure qui utitur.
Hominum nihil vires queũt contra Deos.
Humana vis divina nulla restitet.
In viribus ius omne fortitudini est.
Iustissimum omne est viribus quod obtines.
Moderatione plura, quam vi perpetres.
Nil non patres vis si adsit & pecunia.
Per vim metumque gesta sunt plane irrita.
Pestifera vis est ad nocendum quæ valet.
Præsente vi lex robur haut habet suum.
Quæ facta, facere infecta nulla vis valet.
Quem viribus non es pote hunc dolo occupes.
Quidquid mera vi constat, haud durabile est.
Quod non potes vi, fraude tentes adsequi.
Vbique plus ferè potest qui plus valet.
Violentia summas frangit infirmatq; opes.
Violentia coerceas violentiam.

Vis æqua non est: tamen iniqua æquum facit.
Vis hæc quidem hercle est, & trahi & trudi simul.
Vis lasivus terret potentum quàm nocet.
Vis nulla major est Dei pio metu.
Vim promptius quis perferat quàm injuriam.
Vim temperatam in majus & Dii provehunt.
Vim vi repellas jure quovis gentium.
Vim vi repelle: nil naturâ justius.
Vires hominum nulla sunt adversus Deos.

Videantur plura titulo *Acquisitionis, Possessionis, Dominii, Rapinæ.*

Visus.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Virginis hujus amore Cyprianus captus est: unde & quomodo, haud scio; quippe virginis omni ex parte tutæ, ac morum gravitate præditæ. Nam procaces & avidi oculi, ea etiam quæ attingere nefas est, attingunt, organum nempe omnium promptissimum atque avidissimum. *Oratione 18. de Mart. Cypr.*

D. Nazianzenus: Vereor ne mihi contingat quod oculis adversum solem intuentibus. Nam quò quis amplius & accuratius eum cernere cupit, eò magis sensum lædit; ac per amplius illud, quod appetit, etiam quoquomodo cernendi facultate privatur, eò nimirum quod cernitur oculorum aciem superante; siquidem totum conspicere quispiam voluerit, ac non quantum tutò cernere licet. *Orat. 29.*

D. Chrysostomus: Propterea & Christus eum supplicio multavit, qui mulierē impudico aspectu fuerat contuitus, ut majore labore nos liberaret, jubens adversarium antè domo expellendum, quàm vires capiat, cùm videlicet extrudi facilè potest. Quid enim, quæso, te tibi cogit supervacaneum negotium facessere, manusq; cum adversariis conserere, in manu tua cùm sit, citra omnem conflictum, trophæum statuere, & vel ante luctam præmium ferre? non enim tantus homini labor, à formosæ mulieris aspectu omninò abstinenti, quantus illi esse solet, qui post aspectum se continet. Atque adeò prius illud ne labor quidem fuerit, quin potius post ipsum aspectum multus sudor ac labor ingeneratur. Ergo dum labor levior, seu verius dicam, dum omninò ne labor quidem aut sudor, sed lucrum etiam majus existit: quid causæ esse debet, ut studeamus in tam multorum malorum mare præcipites ferri? nam qui mulierem ne aspicit quidem, is non solùm facilius, sed & purius quoque concupiscentiam ejusmodi superat: quemadmodum qui aspicit, is & majore cùm labore, & præterea cum macula quadam inde se eximit. Nam qui pulchram speciem non est intuitus, is & ab appetentia quoque inde enascente purus castusq; evadit: at qui videndi desiderio paruit, victa dejectaq; prius animi ratiocinatione, eademq; itentidem cōscelerata, tum demum notam à desiderio inustam eluit, si modò eluit. *Homilia 12. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Qui perperam vident, nisi clausis oculis se aliis tradiderint, sed pravo ac corrupto oculorum visui sua permiserint, longe plus peccabunt, quam qui non vident. *Homilia 10. ad Corinth. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Omnia facito secundum exemplar ostensum in monte. Quoniam auditus noster est ad discendum tardior quàm visus. Non enim quæ audierimus similiter animo mandamus atque quæ viderimus. *Homilia 14. ad Hebræos.*

Isidorus Pelusiota: Omnes quidem, si fieri posset, mulierum cœtus atque colloquia defugere oporteret, ut quæ ad emolliendum animum vim quandam ac facultatem habeāt. Quoniam autem ob necessarios quosdam casus, aut pauperum dispensationes, hoc minimè fieri potest, curandum est, ut oculis humi defixis eas alloquamur. Quamplurimis enim, aut etiam iis fermè omnibus, qui fœminarum pulchritudine subacti sunt, hoc accidit, ut mors per fenestras ad eos ascenderet: quippe quæ etiam magnum illum prophetam ac regem vicerit, cum ad pestiferum illud balneum oculos conjecit. *lib. 1. Epist. 89.*

S. Isidorus Pelusiota: Non idem est, optime vir, repentè videre, ac sauciari, & consultò ac de industria pulchritudines alienas aucupantem in eandem fraudem labi. Nam qui repentè conspexit, ac vulnus accepit, is prudenti ratione potest, & telum extrahere, & vulneri mederi. Præstantissimum porrò huic morbo remedium in jejunio situm est, atque in eo, ut posthac eam, quæ vulnus ipsi inflixit, minimè prospiciat, aut etiam, si necessitas hoc ferat, oculis habenas injiciat, eosque in terram (ex qua flos ille effloruit, & in quam haud multo post marcore affectus dilabetur) convertat. At qui assiduè ac dedita opera fœminam intuetur, etiamsi corpore scelus minimè perpetret, at animo certè perficiet. Nam cum per aspectum libidinem deliniat, per animi assensum scelus explet. Nisi enim ipsi animi vires cupiditas emollisset haudquaquam eam videre properasset, quam effusissimo cursu fugere oportebat. Ob eamque causam divinum oraculum non eos qui simpliciter duntaxat & fortuitò viderunt, ac vulnus acceperunt (sæpe enim contingit, ut id præter voluntatem existat) verum eos qui cernunt, atque hoc pro opere habent, adulteros esse pronunciavit, his verbis utens, Quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo. *lib. 2. Epist. 278.*

S. Asterius: Accepisti corpus à creatore ex partibus pluribus compositum, & in quinque sensibus ad usum commoditatemque vitæ instructum, qui nec ipsi liberi sunt, verum pro se quisque legibus certis adstringuntur. Et quod ad visum quidem attinet, qui princeps censetur, contuere naturam, & contemplare quæ visu ac præclara. Solem terrarum orbem collustrantem, lunam tristem & obscuram faciem noctis illuminantem: stellas cæteras exiguum illas quidem atque nobis sufficiens ex sese lumen præbentes, verum tamen decus nescio quod speciemque scintillantem quam sortita sunt ejaculantes. Aspice terram plantis omnigenis herbisq; comantem, ac mare æquabilem in planiciem expansum, ubi pura tranquillitas stravit ac fixit. Ad hæc & talia licet oculis utare. cætera vero spectacula, quæ per oculos noxam animæ inferunt, fuge & prætercurre, velumq; ne videant obducito. Satius enim sensui tenebras obducere, quàm operibus tenebrarum occasionem præbere. *Homilia de Oeconomo iniquitatis.*

§ LATINORUM.

Egesippus: Plerique tanquam jam de superioribus pugnantes Romanos videre sibi videbantur; quodq; metuebant animo oculis præfigurabant, & mentis pavor fiebat imago visus. Deniq; pro certo jam hostem cervicibus suis incumbere credentes, quibus adhuc tres turres superant cæteris validiores. *cap. 49. libri quinti excid. Hieros.*

Ennodius: Quidquid mente fugimus, ingestum oculis vix videmus. *lib. 9 Epist. 27. a. m.*

Ennodius: Quas naves ad littora inhumana tendentes non primus inspexi, & quidquid vanescente visione non sequebantur oculi, mente comprehendi; quia sagacius inspiciunt aliquid, qui promptius præstolantur. *Dictione 21. §. 7. pr.*

Chrysologus: Imperfectis oculis grandescunt formæ, turbantur species, res falluntur ipsæ: quia non jam visionem capiunt, sed adhuc umbram sustinent visionis. *sermone 175.*

§ ORATORUM GRÆCORUM.

Heliodorus: Non quidem me occidi ob malum divinitus immissum, sed clam patria me expuli, & solitudinem domus procul fugio. Magnum est enim adjumentum ad oblivionem malorum, recordatio animi, oculorum amotione obscurata. *libro Æthiopicorum secundo.*

Heliodorus: Cùm Chariclia comparuisset, continuò totum theatrum in se convertit. Cæterum haud scio an nemo oculum Theagenis anteverterit. velox est enim amans ad videndum id cujus desiderio tenetur. *libro Æthiop. 4.*

Heliodorus: Chariclia cum è longinquo cognovisset Theagenem (acris enim est in cognoscendo amantium aspectus, sæpiusq; motus tantum & habitus, quamvis è longinquo, aut etiam à tergo, similitudinis opinionem præbuit) tanquam ista illius aspectu, turibūda ad ipsum fertur, & hærens in amplexu è collo nulla voce edita pendebat, lugubribusque lamentis eum salutabat. *libro 7. Æthiopic.*

Heliodorus: Chariclia planè victa erat & mancipata amori, magis quam prius cum iterum Theagenem vidisset. Amantium enim mutuus aspectus affectus recordatio & redintegratio est: & inflammat mentem conspectus, perinde atque ignis materiæ admotus. *lib. 4. Æthiop.*

§ ROMANORUM.

Quintilianus: Ergo rabidi super cadavera incubuimus, & clausis oculis, quasi visus conscientia acerbior esset, tota corpora morsibus consumpsimus. *Declamatione 12. §. 11.*

§ POETARUM.

Oppianus lib 4. κυνηγετ. v. 14.

Quis omnia perspiciat, & quis tantum cernat,
Qui homo natus sit? Soli Dei facilè omnia pervident.

Plautus Menœchmis 4. sc. 2. v. 51.

Nihil hoc confidentius, qui quæ vides, ea pernegat.

Plautus Milite 2. sc. 3. v. 70.

Ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos fero.

Post 2. sc. 4. v. 15.

Tun' me vidisti? atque his oculis quidem. P. carebis credo
Qui plus vident, quàm quod vident. S. nunquam herclè deterrebor,
Quin viderim id quod viderim.

Eodem versu 51.

Nunc demum experior, prius ob oculos mihi caliginem obtigisse.

Vitæ.

Vitæ.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Basilius Iuliano*: Etenim quibus ad levitatem flexibilis & prona mens est, harum vitam quoque instabilem atq; inconstantem esse, nemo miratur. Quorum verò sententia fixa, sibi perpetuò constans atque eadem est, eos vitam etiam consiliis agere consentaneam, est verisimile. Nam in gubernatoris manu positum quidem non est, tranquillitatem aquæ, cum velit imponere. Nos verò vitam extra fluctus & tempestates constituere nullo negotio possumus, si perturbationes, quæ ex intimis oriuntur affectibus reprimamus, & animum omnibus extrinsecus advenientibus excelsiorem geramus. Nam neque infortunia neque morbi, neque ulla vitæ incommoda, bonum fortemq; virum, opprimunt, donec animum deo morigerantem & obsequentem præbet, ut, & perinde re futura, & turbines in terra concitatos facile superare possit. Nam qui vitæ curis & anxietatibus impliciti sunt, ij perinde, ut aues præpingues quæ frustra gerunt alas, deorsum cum pecoribus feruntur.

D. Greg. Nyssenus: Cogitemus quam fragilis fluxaque sit vita nostra, quàm velociter labatur tempus, ut sisti cohiberique non possit, ut omnia quæ metitur ad interitum ducat. Atque utinam breve tantum esset spatium vitæ, modò certum esset, modò reddendæ rationi non obnoxium. Nunc illud nos meritò torqueat, quod & singulis horis instat periculum; & incorruptus adeundus est judex, apud quem non solum eorum quæ fecimus, sed & quæ diximus, reddenda nobis est ratio. *Orationis extremo de amandis pauperibus.*

D. Greg. Nyssenus: Videmus omne studium eò spectare, ut in vita permaneamus. Nam idcirco domicilia quoque à nobis, ne vel per æstum vel frigus ab aëre fuso corpus affligeretur & conficeretur, ad inhabitandum excogitata sunt. Agricultura verò quid est aliud, quam vitæ apparatus & subsidium? nam cura atque solicitudo vitæ metu mortis prorsus adhibetur. Quid item medicina? qua de causa ab hominibus in honore habetur? an non propterea quia pugnare quodammodo cum morte ea ars videtur? thoraces verò, loricæ, clypei, ocreæ, galeæ, & innumera arma, quib. vim homines à corpore propulsant: murorum item ambitus, portæ ferreæ, fossarum munitiones, cæteraque ejusdem modi, qua alia de causa fiunt, præterquam causa mortis? Cum igitur naturaliter mors adeo terribilis ac formidabilis sit, qui facile obtemperare potest ei, qui jubeat superstitem ob alterius mortem expertem ægritudinis permanere? *De anima & resurrectione.*

D Greg. Nyssenus: Qui magno altoque animo est, omnes mundi glorias ignominiasque paria esse, neq; rem unam alteri præstare putat: quoniam ex rebus inter se contrariis vitæ cursus æquè perficitur, æqualisque in utraque vitæ conditione, & bene & male vivendi inest facultas, & æquè ex gloria, quàm ex ignominia, in quibus quidem rebus, is qui pura mente fuit & incorrupta, rerum veritatem intuitus est, ab ortu ad obitum præfinitum sibi tempus percurrendo, rectà hunc ipsum vitæ cursum conficit; cùm neque voluptatum blanditiis molliatur, neque rebus gravibus debilitetur ac deprimetur: sed viatorum more longius progressus, parvam earum rerum, quæ se illis ostendunt, rationem habet. Illud enim in consuetudine est peregrinantium, ut sive pratis, sive cultis agris, sive vastis disertisque locis iter faciant, neque rei ullius oblectatione, neque molestia impediti, itineris cursum conficere maturent: parique ratione hic, neque diverticula, neque viarum flexiones respiciendo, ad illud quod sibi maxime propositum est, omnino perveniet; sed in cœlum solum contuendo, hunc vitæ cursum, tanquã aliquis optimus gubernator, conficiet, qui cœleste aliquod sidus intuendo ad id navis cursum dirigit. Ille verò cui obtusior est mentis acies, inferiora respicit, & ad corporis voluptates, tanquam ad pabulum pecudes, animum adjicit, ventrique cæterisq; ventris vitium consequentibus deditus vivit; ut sunt imperii cupiditas, inanis gloria, perturbationum multitudo, &c. *de Virginitate, cap.* 4.

D. Greg. Nyssenus: Tu verò, quid boni, quæso, vides? considera quibus in rebus vita spectetur? Non profero tibi vocem Prophetæ dicentis, Omnis caro fœnum: ornat enim ille & honestat magis ea similitudine miseriam naturæ: forsitan enim melius esset, fœnum eam esse potius, quam id quod est: quare? quia nullam à natura injucunditatem fœnum habet: caro verò nostra tetri odoris est officina, quicquid acceperit corrumpẽdo inutile reddens. Quod verò supplicium est æquè grave, atque omni tempore ministerio ventris obnoxium esse? Videte enim hunc perpetuum tributi exactorem, ventrem dico, quantam quotidie necessitatem adferat exactionis? cui etiamsi aliquando amplius quam statutum & ordinatum sit, antè dependerimus, nihil de insequenti debito ante solvendo deduximus: quemadmodum animalia quæ in pistrino labore conficiuntur, tectis oculis vitæ molam circuimus, semper per similia obambulantes, & ad eadem revertentes. Dicam tibi hunc ambitum circularem: appetitus est, satietas, somnus, vigilia, evacuatio, repletio: semper ab illis hæc, ac nunquam in orbem obambulare desinimus, donec extra moletrinum evaserimus. Rectè Solomon dolium perforatum, & domum alienam nominat hanc vitã. Verè enim aliena domus est, & non nostra: quoniam in nostra potestate non est, vel quando volumus, vel quamdiu desideramus, in ea esse: quin etiam nescimus quemadmodum introducamur, neq; novimus quando migrare jubeamur. Porro dolii ænigma atq; involucrum intelliges, si ad inexplebiles & insatiabiles cupiditates respexeris. Vides, ut homines sibi semper affundant & aggerant honores, potentatus, glorias, & omnia ejusmodi? At quod immittitur, effluit, & non permanet in eo quo continetur: nam studiũ quidem gloriæ, potentatus & honoris semper exercetur & viget, sed cupiditatis doliũ inexplebile manet. Quid itẽ pecuniæ studiũ? annon vere dolium perforatũ est, toto fundo profluẽs? cui si vel totũ mare affundas, ea natura est, ut expleri nõ possit. Quid igitur molestũ & acerbum est, si à vitæ malis beata ista segregata est, & veluti lema quadã, corporis sordib. abjectis, pura anima ad immortalẽ & incorruptam vitam transit? in qua fraus non exercetur; calumniæ non creditur; adulatio locum non habet; mendacium non immiscetur; voluptas item & ægritudo, metus & fiducia, paupertas & divitiæ, servitus & dominatio, omnisq; talis vitæ inæqualitas quam longissimè ab illa vita remota est. *Oratione funebri Placilla.*

D. Chrysostomus: Nihil nobis profuerit Solem intueri, comedere, bibere, nisi vita bonis operibus constãs adfuerit. Quid enim, obsecro, prodest regi ei qui conchyliatus purpuratusq; est, quiq; bellicorum armorum instructu nõ caret; si idem subditos nullos habeat, sed omnibus objectus sit insultare injuriamq; afferre volentibus. Eadem ratione nullum Christiano ei lucrum accedet, qui fidem habuerit, suumq; ad credendum Deo animum induxerit, tum donum id acceperit, quod baptisma ipsum consequitur: affectibus autem objectus obnoxiusq; interim fuerit. Sic enim major illi cõtumelia, majus dedecus inuretur. Nam quemadmodum ille diademate redimitus, purpurea veste amictus, ab eo quidem ornatu non solum nihil quicquam lucri ad domesticam dignitatem tuendam assequitur, sed & illam quoque per privatum dedecus contumelia afficit: ita & fidelis corruptè ac perditè vivens, non solum non veneratione dignus, sed vel magis ludibrio habendus. *ad Romanos Homilia* 11.

D. Chrysostomus: Somnus est præsens vita, nihilq; ab insomniis differunt quæ in illa geruntur. Et quemadmodum qui dormiunt, & delirant sæpenumerò, & nihil sani vident: ita & nos. Imò verò multò etiam pejus. Nam qui turpe quid in somno vel fecit vel dixit, quamprimum à somno liberatur, protinus & ab ipsa turpitudine liber, nullas dat pœnas: heic verò non ita, sed & turpitudo & supplicium perpetuò durant. Rursus qui somniando divites sunt, orto die, frustrà divites se factos apparuisse sibi deprehendunt: heic verè & ante diem sæpè deprehensio illa incidit, & antequam hinc abeatur, vana hujusmodi somnia jam avolarunt. *Homilia 24. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Nemo nostrûm sibi ipsi vivit, liberi non sumus: dominum habemus qui nos & vivere vult, & mori non vult, & quem utraque ista magis concernunt quam nos. *Homil. 25. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Viventes non eò solum à mortuis differunt, quod solem atque aërem cernunt, sed eò quod boni aliquid faciũt. Id quippe nisi adsit viventibus, nihilo defunctis meliores erunt. *Homil. 13. ad Corinth.*

D. Chrysostomus: Hoc est Christum didicisse, rectè vivere. qui enim improbè vivit, Deum ignorat, & ab eo ignoratur. *Homil. 13. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Ubi vita reprehensibilis fuerit, dogma item hujusmodi sit, necessarium est, ac videas plurimos in profundum malorum corruisse, atque ad gentilem ritum fuisse conversos. *Homil. 5. ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Ut magistratum quidem assequaris, nihil non facis: unigeniti autem regni futurus particeps, non in mille enses insilis? non in ignem te injicis? Et hoc nondum est grave. sed quod etiam excessurus, lamentaris: & hîc lubenter versaris, quum sis amator corporis. Quid verò, etiam mortem censes esse terribilem? Hujus rei causa sunt deliciæ & otium. Nam qui vitam degit acerbam, vel alatus esse cuperet & hinc discedere. Nunc autẽ hoc ipsum nobis usuvenit quod pullis, qui molles redduntur & teneri in nido volentes manere perpetuo: sed quo diutius mãserint, hoc fiunt imbecilliores. Nidus. n. est vita præsens, conglutinata ex paleis & luto. Etiãsi mihi magnas ædes ostẽderis, & ipsas regias multo auro & gẽmis fulgẽtes, existimabo eas nihil differre à nidis hirudinum. Nam Deus quoq; noctẽ & die simul appellat, illud quidem, ad peccatores: hoc verò, respiciens ad justos. Ita ergo nunc quoque eum voco hyemem. Si æstate non fuerimus benè enutriti, ut possimus volare quum hyems advenerit, non accipient nos matres, sed nos fame sinent enecari, aut nido cadente interire. Nam sicut nidum, imo vero eo facilius, omnia tunc expurgat Deus, omnia destruens reparansque & componens. Involucres autem & qui non possunt ei obviam fieri in aëre, sed adeo sordidè & illiberaliter sunt educati ut leves pennas habere non possint, ea patientur quæ consentaneum est eos pati qui sic sunt affecti. Atque hirundinum quidem nidus quum ceciderit, citò perit. Nos autem non perimus, sed perpetuò punimur. Hyems erit quod tunc erit tempus, imo vero hyeme gravius ac molestius. Non enim trahuntur torrentes aquæ, sed fluvii ignis. Non existunt tenebræ è nubibus, sed tenebræ indissolubiles, & luce penitus carentes: adeo ut neq; cœlum videant nec aërem, sed in majores redigantur angustias quam qui infossi sunt in terra. *Homil. 2. ad Coloss.*

Basilius Seleuc. Vita hominibus certamen est, & creator agonotheta, cuiq; exacto vitæ cursu finem distribuens congruentem: virtuti coronas plectit, vitiosis verò moribus, judicium apparat. Neq; enim frustra homo vectigal de creatura legere doctus est, neq; sine causa mundus universus hujus usibus subservire jussus. Nam si solem loquaris, ideo cursus sui peragendi mandata cepit: si terram, ideo fructum homini sufficere jussa est: si mare, hominum cursibus substratum est: si aërem, suas auras sursum ventilatus offert, quo creaturæ fruens homo creatorem agnoscat, gratitudine creatori respondeat. Quod si datas creaturas in luxum homo vertat, perversa ratione creatorem despicit, diabolum lætitiis implet, quòd ejus animo volupe est, faciens, atq; bene merente Deo fugit, & ad hostē transfugit. Ecquis hic finis? reus ipse judicet. Tam enim in confessores est, ut vel adversarius jam reus perfacile veritati consentiat. Intus enim quisque, vel invitus, conscientiam accusatricem habet. *Orat.17.pr.*

S. Isidorus Pelusiota: Umbra, & insomnium, & fumus, optime vir, & quidvis eorum, quæ quàm ocyssimè avolat, hominum vitá meritò appellata est. Ac propterea ne ipsi quidem addictum animum habere oportet, nec delicias delicias existimare. Majorē quippe partem ita habet, ut earum sensu careat. Etenim prima ætas ingenti amentia referta est. Ea item, quæ ad senectutem tendit, omnē eum, qui nobis inest, sensum debilitat & extinguit. Atque exiguum quiddam interjectum est, quod deliciis & voluptate cum sensu frui queat. Imo ne hoc quidē pure ac liquide ipsius particeps est: quippe quam infinitæ curæ ac labores & molestiæ labefactent. Atque etiamsi & dure & syncere (quod fieri non potest) frueretur, tamen id, quod medium est extrema superare minime deberet, verum ab utroque superari. Cum autem media vitæ pars innumeris tempestatibus, & curis, & periculis, & insidiis, & laboribus, aliisque, quæ nunc prætermitto, perturbetur, ubinam tandem delicias & voluptates mihi demonstraturus sis, velim exponas. *lib.2.Epist.165.*

S. Isidorus Pelusiota: Facere & docere, eximiæ cujusdam ac singularis laudis est. Facere autem, non autem docere, minorem laudem habet. Unde etiam λογικὸς, hoc est, loquendi facultate præditus homo est. Nam si fecisse, docuisse esset, à Christo minime dictū fuisset, Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Quid enim tantum roboris optima vita habet, cùm dei dogmatibus certamen proponitur: atque is qui adulterinæ doctrinæ patrocinium suscipit, magno conatu & impetu adversus recta dogmata fertur? At verò docere ac non facere, & si folia habere videtur, fructu tamen caret, nec risus ac ludibrii, & condemnationis expers est. *lib.3.Epist.120.*

S. Isidorus Pelusiota: Eo, qui turpiter quidem & fœdè vivit, eximia autem ac singulari dicendi facultate pollet, præstantior est ille, qui ad dicendum quidem non perinde idoneus est, cæterum vita & moribus clarus est, atq; justitiæ & continentiæ laude excellit. Quod si quis, & sermone, & vita exsplendescat, hic nimirum comparationem omnem excedit, per res ipsas judicium ac censuram fore confitens, atque eos, qui, propterea quod ad exequenda divina mandata ignavi ac languidi sunt, ea, quæ omnino eventura sunt, hyperbolicè dicta esse arbitrantur, refutans. *lib.3.Epist.123.*

S. Isidorus Pelusiota: Si vincimus hæreticos, & paganos, & Judæos dogmatum rectitudine, æquum fuerit eosdem etiam operibus vincere, ne in illo victi, in hoc se vincere arbitrentur, neque vitam nobis proferant, qui fidem abnegârunt, neq; objicere possint talia quædam: Vos qui circa ea quæ manifesta sunt hallucinamini, qua fronte postulatis de iis, quæ occultata atque obscura sunt vobis fidē haberi. Quanquam enim princeps atq; præcipua est pietas, tamen opus ei est etiam recta probaq; vitâ, ut absolutissima ac summa sit laudis perfectio. Atque his quæ dixi adstipulatur quoq; divina scriptura, cum ait: Fides absque operibus mortua est. Quare omni vi ad accuratam recte vivendi rationem nosmetipsos assuefaciamus, ut ita per omnia vincentes, taciti quoq; adversarios obloqui nobis atque obstrepere audentes refutemus ac retundamus. *lib.4.Epist.226.*

Synesius: Recte vitam instituere perinde arbitror ac sapientiæ initium, quod vetustissimi ac sapientissimi viri summopere procurandum esse declararunt. Ei enim qui impurus sit, rem puram attingere nefas esse divina vox testatur. Sed vulgus istud ipsum recte vivere, non ad sapientiam referri, sed ipsum per se consistere putat, hoc est iter ipsum, non iter, sed id ad quod per illud contendere oportet esse statuens, ac perperam de rebus judicans. Etenim rationis quædam expers temperantia, & à carnium usu abstinētia, plerisque est admodum animantibus à natura indita. Sed neq; cornicem laudamus, nec aliud quippiam eorum, quæ nativam hanc virtutem adepta fuerint, quod prudentia careant. Vita autem quæ secundum mentem est, finis est hominis. hanc nos omni studio quæramus, ac cùm è Deo divina sapere postulemus, tum ipsi quacunq; ratione possumus, undequaque sapientiam comparemus. *Epistola centesima trigesima sexta.*

§ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Ferè quidquid in turba profanæ multitudinis agitur, comœdiæ quàm rei gestæ similius est. Varia figura temporum, actuum quædam varietas est. Porro actibus personæ deserviunt, dum in eis fortunæ jocantis ludus impletur. Quid enim aliud est, quod novum quemlibet & ignotum, nunc amplissimo induit potentatu, nunc alium purpuratum antequam natū, de regni culmine in catenas hostiles projicit, & servituti addictum, in miserias postremas præcipitat. *lib.3.Policr.cap.8.*

Io. Sarisberiensis: Vita hominum tragœdiæ quàm comœdiæ videtur esse similior; quod omniū ferè tristis est exitus, dum omnia mundi dulcia quantacunq; fuerint, amarescunt, & extrema gaudii luctus occupat. Quantumlibet in viis suis iniqui floreant, & prosperorum concursu inaurentur, eisque ad nutum fortuna serviat, subvertet in fine gressus eorum, & tandem amara erit quasi absynthium.

Idem mox: Ut ergo gentilium figmentis pium accommodemus auditum, rerum omnium tragicus finis est: aut si nomen comœdiæ gratiosius est, non duco contentionis funem, dum constet inter nos quod ferè totus mundus, juxta Petronium, exerceat histrioniam. *Lib.3.cap.8.*

§ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Xenophon: Nam optime quidem arbitror eos vivere, qui maxime dant operam, ut quam optimi fiāt: jucundissime vero, qui maxime fieri se meliores sentiunt. Quæ sane hactenus evenire mihi animadverti, ac partim alios homines conveniens, partim meipsum ad alios collatum inspiciens, sic de me semper statui. Neq; tantum ego, sed amici etiam mei de me constanter ita judicant: non illi quidem propterea, quod me ament, quando qui alios amant, ita suos in amicos adfecti esse solent: sed quod seipsos etiam ex consuetudine mea quam optimos existimēt evasuros. Quod si diutius vivam, fortasse necessarium erit ea confiteri, quæ in senectutem cadunt, & me minus audire, minus cernere, minus intelligentia valere, ineptiorem ad discendum reddi magisque obliviosum, in iis denique deteriorem, in quibus antehac præstiterim. Atqui si hæc aliquis non sentiat, quî fieri potest, ut non & pejus & injucundius vivat? Enimvero si interficiat injuste turpitudo ea in auctores mortis meæ redundabit. *cap.37. lib.4. Memorabilium.*

Diogenes; Adeò mihi vita incerta est, ut dum hanc ad te epistolam scribam: me victurum dubitem: feci autem ea dignum monumentum. Divina enim, quàm humana, majora sunt. At unum nobis duntaxat certissimum est, corruptio post generationē. Quod cum mihi dubium minime sit, inanes corpusculi nostri spes, & brevi evolantes, abjiciendas, neve supra hominem sapias, admoneo. *Epistola 22. Agesilao.*

Lysias: At hinc cùm aufugisset, vitabat tutelares hujus loci Deos, exulabat patria, exulabat iis locis, ad quos prius unquam accesserat; & quodnam poterat esse vitæ sive desiderium, sive solatium, in qua semper affligebatur, reficiebatur nunquam? *cap. 8. in Andocidem.*

Aristides Rhetor: Tribus rebus humana constat vita; rerum necessariarum copia, scientiæ bono, & bellico apparatu: duorum etenim temporum pacis ac belli, primum utrique commune est, alterum ad pacem pertinet; tertium defensionis facultatem præbet. *Oratione Panathenaica.*

Lucianus: *Merc.* Siquidem omnia videre vis Charon, hæc ambo consistere nequeunt: ut periculo vaces, & spectandi sis cupidus. Sed dextram meam prehende, & ne pedem in lubrico ponas, cave. Euge, tu quoq; conscendisti. Jam verò siquidem biceps est Parnassus, altero uterq; occupato, sedeamus. Tu verò oculis in orbem circumductis, omnia contemplare. *Ch.* Amplam video terram, & paludem quandam ingentem circunfluentem, & mōtes, & fluvios. Cocyto & Phlegetonte majores, & homines plane exiles, & horum nidulos quosdam *Merc.* Urbes illæ sunt, quos tu nidos arbitraris. *Ch.* Nosti Mercuri quàm nihil nobis effectum sit: quin frustra cū Castalia Parnassum, & Oetam aliosq; montes sede movimus. *Merc.* Quid ita? *Ch.* Equidem è sublimi nihil exacte despicio. Volebam autem non urbes solum ipsosq; montes ceu in tabula depictos intueri, sed ipsos homines tum quæ faciunt, tum quæ dicunt: sicuti quum tibi primùm obvius factus sum & ridentem intuitus interrogasti quid riderem. Cùm enim quiddam audivissem summopere sum delectatus. *Merc.* Quidnam hoc erat? *Ch.* Quidam ab amico puto ad cœnam invitatus: in posterum, inquit, diem veniam maxime. Atque interim dum hæc diceret, delapsa tecto tegula, nescio quo movente, ipsum interemit. Risi hominem, ut qui promissa nō præstitisset. Sed nunc, ut melius & videam, & audiam, descendendum censeo. *Merc.* Quietus es: hoc enim tibi curabo: atq; incantatione quadam ab Homero accepta, oculorum aciem acutissimam brevi tibi reddam. Ac posteaquam carmina pronunciaro, memineris non amplius hallucinari, sed aperte cuncta contueri. *Ch.* Dic solum. *Merc.*

Dimovi nubem, visum qua texerat ante,
Vt tandem agnoscas, qui sint homines've Dei've.

Ch. Quid est? *Mer* Annon jam vides? *Ch.* Maxime: cæcus sane Lynceus ille, si mecum componatur. Itaque velim hoc me prædoceas, atq; interroganti respondeas. Sed vin' tu ut te versibus Homericis interrogem, ut intelligas neque me esse Homericæ elegantiæ contemptorem? *Mercur.* Et unde tui illius aliquid scire posses, nauta semper remexque cùm sis? *Charon.* Vides, hæc opprobria sunt in artem. At ego cùm illum vita functum trajicerem, multa canētem audivi, quorum nonnulla etiamnum memini. Porrò tempestas non parva tunc nos corripuit. Cùm enim cantilenam quandā navigantibus non auspicatam auspicatus esset, ilico Neptunus, nu-

bes coëgit, & injecto tridente tanquam quodam hamo pontū turbavit, omnesq; procellas excitavit: cumq; multis aliis carmine cōmotis turbis mare permisceret, parum abfuit quin tempestas & caligo derepente incumbens, navim nobis subverterit. Tunc etiam nauseabundus ille ipsi Scyllæ, & Charybdi, & Cyclopi bonam carminum partem evomuit. *Merc.* Non ergo difficile fuit ex tanto vomitu pauca quædam reservare. *Ch.* At dic mihi,

Crassus, & ille quis est, vir magnus conspicuusq;,
Vertice sublimi, atque humeris latissimus amplis?

Merc. Milo hic est athleta Crotoniates: ei autem applaudunt Græci, quòd sublatum taurum per medium stadium ferat. *Ch.* At quanto justiùs me laudarent Mercuri, qui Milonem ipsum paulo post correptum, naviculæ imponam, quum ad nos venerit à morte adversariorum invictissimo superatus, nesciens quomodo ipsum supplantarit? Tum profectò plorabit, recordatus harum coronarum, & applausus. Nunc verò sese effert quoniam est admirationi, propterea quod taurum gestarit. Quid igitur arbitremur? num putare se aliquando moriturum? *Merc.* Quid? ille mortis in tanto vigore recordaretur? *Ch.* Missum hunc facito, risum nobis haud ita multò post exhibiturum quando navigabit, & ne culicem quidem, nedū taurum ferre poterit. Sed illud tu mihi dicas velim: quis hic alius vir gravis? Græcus non est, ut ex veste videre est. *Merc.* Cyrus, ô Charon, Cambysis filius, qui imperium quod olim Medi obtinebant, ad Persas transtulit, idemq; Assyrios nuper devicit, & Babylonem expugnavit, & nunc expeditionē in Lydiam moliri videtur, ut superato Crœso imperio in omnes potiatur. *Ch.* At ubi etiam est Crœsus ille? *Merc.* Illuc oculos in magnam illam arcem deflecte, quæ triplici muro est septa Sardis illa. Annon Crœsum ipsum jam vides in aureo solio sedentem, & cum Atheniense Solone disserentem? vis auscultemus qua de re verba faciant? *Ch.* Maxime sanè. O hospes Atheniensis, quia jam divitias meas, & thesauros, & quātum mihi sit rudis auri, aliamq; supellectilem preciosam vidisti, dic mihi quem omnium hominum fœlicissimum esse arbitreris. *Ch.* Quid tandem dicet Solon? *Merc.* Bono es animo nihil ineptum ô Charon. *Sol.* Pauci quidem, ô Crœse, fœlices sunt. Sed ex iis quos novi, Cleobin & Bitonem sacerdotis illius filios arbitror fœlicissimos extitisse. *Ch.* Argivæ illius hic dicit, qui nuper una mortui sunt postquam jugum subeuntes, matrem vehiculo insidentem ad tēplum usq; traxerunt. *Cræ.* Esto: habeant illi fœlicitatis primas: at quis tenebit secundas? *Sol.* Atheniensis ille Tellus, qui & bene vixit, & mortem pro patria oppetivit. *Cræ.* Ego verò sceleste non tibi videor fœlix esse? *Sol.* Nondum ô Crœse novi, nisi ad vitæ finem perveneris. Hujus enim rei mors est accuratus index, & vita fœliciter ad metam usq; transacta. *Ch.* Optimè Solon, qui nostri non sis oblitus, sed cymbam ipsam harum rerum judicio dignam censes. Sed quinam sunt illi quos Crœsus emittit, aut quid humeris gestant? *Merc.* Lateres aureos Pythio dicat, pro mercede oraculi, quo paulo post peribit. Est autem vir ille vatibus mirifice deditus. *Ch.* Illud est aurum splendidum, quod cum rubore refulget subpallidum: illud enim nūc primùm video, cùm semper audiverim. *Merc.* Hoc celebre illud est nomen, cujus gratiā tantopere pugnatur. *Ch.* Atqui non video quid boni ipsi insit, nisi hoc solum, quod qui ferunt, eo gravantur. *Merc.* Nescis quot propter ipsum bella, quot insidiæ, quot latrocinia, quot perjuria, quot cædes, quot vincula, quàm longinqua navigatio, quot mercaturæ, quot servitutes? *Ch.* Idcirco ne Mercuri, quod parum ipsi æri præstat? Nam æs novi, ut qui à singulis vectoribus obolum, ut nosti, accipiam. *Merc.* Maximè. Verùm æris magna est copia: ideoq; non habetur in pretio ab ipsis. Hoc verò paucum ex loco valde profundo metallorum scrutatores effodiunt. Hoc tamen ex terra, ut & plumbū & reliqua metalla provenit. *Ch.* Gravem hominum stultitiam narras, qui pallidam, gravemq; possessionem amore tanto prosequuntur. *Merc.* At Solon quidem ille, Charon, eam, ut vides, videtur non amare. Crœsum enim ipsum, hominisq; barbari jactantiā irridet, & ut mihi videtur, vult ipsum aliquid percunctari. Quamobrem auscultemus. *Sol.* Dic mihi Crœse, putas-ne Pythium his lateribus indigere. *Cræ.* Puto per Jovem. Nullum enim istiusmodi donarium Delphis habet. *Sol.* Arbitraris ergo fore ut Deum reddas beatum, si inter cætera lateres aureos possideat? *Cræ.* Quidni? *Sol.* Magnam mihi, Crœse, paupertatem in cœlo dicis esse, si Deos, cùm optent aurum, ex Lydia advehere oporteat. *Cræ.* Ubi enim tantum proveniat aurū, quantum apud nos? *Sol.* Dic mihi, num & ferrum in Lydia nascitur? *Cræ.* Nullum prorsus. *Sol.* Ergo potiore metallo indigetis. *Cræ.* Quinam ferrum est auro præstantius? *Sol.* Si respondere citra stomachum velis, facile intellexeris. *Cræ.* Interroga Solon. *Sol.* Utri præstantiores, an qui servant, an vero qui servantur? *Cræ.* Qui servant profectò. *Sol.* Si igitur Cyrus, ut quidam, in vulgus ferunt, Lydos adoriatur, aureos-ne gladios exercitui facies, an ferro tunc opus erit? *Cræ.* Ferro sane. *Sol.* At nisi hoc comparaveris, captivum ad Persas aurum tibi iverit. *Cræ.* Bona verba quæso. *Sol.* Absit ut hoc accidat. At saltem videris ferrum confiteri præstātius. *Cræ.* Ferreos ergo lateres me Deo consecrare, aurum autem revocare jubes? *Sol.* At ne ferro quidem ille indiguerit. Sed sive æs, sive aurum dicaris, aliis sane, nimirum Phocensibus, aut Bœotis, aut Delphis ipsis, aut denique alicui tyranno prædoni futuram possessionem, & lucrum insperatum appenderis. Deus autem tuos aurifices parū curat. *Cræ.* Tu semper divitias mihi oppugnas, & invides. *Merc.* Non fert Lydus iste, ô Charon, libertatem & veritatem verborum: quin ei res absurda videtur, hominem pauperem, ea quæ urgeant, non trepide sed liberè dicere. Atqui Solonis paulo post meminerit, quum oportebit ut à Cyro captus rogum cōscendat. Nam Clothonem audivi nuper legentem, quæ cuiq; destinata sunt, in quibus & hæc erant scripta, Crœsum quidem à Cyro captivum duci, Cyrum autē ipsum à Massagetide illa occisum esse. Viden' Scythicam illā equū album agitantem? *Ch.* Video per Jovē. *Merc.* Tomyris illa est, quæ Cyri caput propria manu truncatum, in utrem sanguine plenū intrudet. Sed & filium ejus adolescentem vides? Cambyses ille est, Hic post patrem regnabit, ac ubi mille modis in Lydia & Æthiopia errarit, tandemq; insaniverit, occiso Api morietur. *Ch.* O risum inexhaustum! Sed numquis ipsos aspicere sustineat quum alios ita contemnunt? aut quis crediderit fore ut ille brevi sit captivus, hic in utre sanguine pleno caput habeat? Quis vero ille est Mercuri, cui pallam purpuream fibula nectit, quem diadema decorat, cui coquus pisce dissecto, annulum tradit, ubi Insula septa mari & regis se nomine jactat? *Merc.* Belle certe versum sermoni assuis ô Charon. Cæterùm Polycratem Samiorum tyrannum vides, qui se ab omni parte fœlicem putat? Hic tamen ipse ab assistente famulo Mæandrio proditus Orœtæ satrapæ, miser sane momento fœlicitate lapsus, cruci suffigetur. Nam hæc quoq; ex Clothone audivi. *Ch.* Præclare ô Clotho, generosè ipsos ô optima, ipsorumq; capita trunca, & crucifige, ut se homines esse norint. Verùm adeò in sublime attollantur, ut quanto altiori ruina, tanto graviori dolore decidant. Ego autem tum ridebo, quum horum unumquemque in navigio nudum agnovero, nec purpuram, nec tiaram, nec solium aureū afferentem. *Merc.* Ita certe res illorum se habebunt. Multitudinē autē vides Charon, quorum alii navigant, alii bellum gerunt, alii litigant, alii agriculturam exercent, alii fœnerantur, alij mendicant. *Ch.* Variam quandam video turbam, vitamq; perturbationum plenam, eorumq; urbes apum examinibus similes: in quibus propriū quisq; aculeum habet quo vicinum lancinat: pauci autem ex ipsis velut crabrones, inferiorem agunt feruntq;. At agmen illud quod ipsos clanculum circunvolitat, quinam sunt? *Mer.* Spes, ô Charon, metusque, amentia, voluptates, avaritia, iræ, odia, & id genus alia. Ex his autem ignorantia infimæ turbæ est permixta: atq; in ea Republ. per Jovem degit ira, odium, zelotypia, imperitia, hæsitantia, avaritia. Metus autem, & spes desuper volitantes, ille quidem illapsus horrorem incutit, aliquando verò tantum trepidare facit. Hæ verò spes supra caput sublatæ, ubi maxime quispiam eas prehensurum se putat, avolantes abeunt, illis ore hiante relictis: quod ipsi Tantalo in aqua vides apud inferos accidere. Quod si oculos intenderis, Parcas etiam in alto conspicies unicuique fusum volventes, unde ex tenuissimis filis omnes pendent, quæ vides ut veluti araneorum stamina ex fusis in unumquemq; descendunt? *Ch.* Equidē tenuissimum unicuiq; filum utplurimum video innexum: hoc quidem illi, illud vero alii. *Merc.* Recte ô portitor: nam est in fatis ut ab hoc ille, hic ab alio interficiatur: atq; ut hic sit illius hæres cujus filum fuerit brevius: ille verò, hujus. Nam tale quid hæc connexio portendit. Vides ergo cunctos à tenui filo suspensos? Atq; hic quidem in altū attractus, sublimis est: verùm paulo post ubi sustinendo ponderi non amplius par fuerit, dirupto lino decidens, ingentē strepitum edet. Alius autem qui paululum tantum à terra fuerit subductus, tametsi cadat, sine strepitu jacebit, adeo ut ruinam vix ipsi vicini exaudiant. *Ch.* Hæc ô Mercuri sunt prorsus ridicula. *Merc.* Atqui ne verbis quidem pro dignitate possis exprimere quàm sint ridicula Charon: in primis nimia ipsorum studia, quodq; inter spes intereunt ab optima morte arrepti: cujus nuncii & ministri ut cernis, permulti sunt: epiali, febres, tabes, pulmoniæ, gladii, latrocinia, cicutæ, judices, tyranni. Et horum omnino nihil ipsos subit, dum rebus secundis utuntur. At ubi spe exciderint, illud in ore frequens ohe! hæ! hæ! hei mihi! hei mihi! Sed si inde ab ipso initio perpenderent mortales se esse, & postquam in vita breve tempus fuerint peregrinati, relictis in terra rebus omnibus, tanquam ex somno migraturos, prudentius profectò viverent, & moriendo minus angerentur. Nunc autem quia præsenti rerum statu sperant se in perpetuum usuros, quum irruens minister aut vocarit, aut abduxerit irretitos febre, vel tabe, abduci se ægrè ferunt, quod se nusquam ab his abstrahendos expectarint. Sed enim quid non faceret ille qui domū diligenter ædificando operarios urget, si noverit fore ut finē ea habeat: is verò decedat, qui fastigium imposuerit, relicta hæredi domus ipsius fruitione, in qua ne cœnaverit quidem ipse miser. Ille verò qui lætatur, quod sibi masculam prolem uxor pepererit, ideoq; amicos convivio excipit, & patris nomen imponit, si sciret puerum septimo ætatis anno periturū, nūquid tibi videretur gaudere quod is sit natus? Verùm in causa est, quod in eum intuetur, cui res in filio prosperè cedunt, & qui pater est athletæ qui vicerit Olympia: vicinum autem qui natum cremandum effert non intuetur, neq; novit à quo subtegmine ipsi pendeat. Quin & eorum qui de finibus diffident vides quanta sit turba, & eorum qui pecunias coacervāt: attamen priusquam ipsis fruantur, ab imminentibus illis quos dixi, nunciis & ministris avocantur? *Ch.* Video isthæc omnia, & apud me cogito, quid sit ipsis in vita jucundum, aut quidnam sit illud, quo privati tantopere stomachantur. *Merc.* Si quis etiam ex regibus eos aspiciat qui fœlicissimi videntur, extra aleam, & ut dicis, extra ancipitem fortunam constituti, tristia plura jucundis comperiet eis inhærere, metus, turbas, odia, insidias, iras, adulationes: his enim omnes distringuntur. Prætermitto luctus, morbos, animi-

queper

que perturbationes, ipſis æquè atque vulgo dominantes: quandoquidem horum mala recenſere non minus temporis exigeret, quã quæ ſunt privatorum. *Ch.* Volo igitur Mercuri, dicere tibi, cuinam aſſimiles homines mihi videantur, eorumq; vita omnis. Vidiſtin' aliquando bullas illas, torrente cum ſtrepitu ſcaturiente, exurgentes: flatuoſos dico tumores ex quibus ſpuma cogitur? Illarum igitur, aliæ quidem parvæ ſunt, quæ protinus ruptæ evaneſcunt: aliæ verò diutius durant, ſibiq; adjunctis aliis vehementer intumeſcũt, ac in maximum tumorem attolluntur: ac tandem aliquando illæ etiam prorſus ruptæ diſſolvuntur. Neq; enim ſecus fieri poſſit. Hæc tibi hominum vita. Singuli flatu tumeſcunt, hi majores, illi minores, atq; alii momentaneam moxque deficientem inflationem habent: alii ſimul atque conſtituti ſunt, deſiſtunt. Itaq; omnes rumpi neceſſe eſt. *Merc.* Tu nihilo deterius Homero Charon, hominum vitam ſimilitudine expreſſiſti, qui genus ipſorum foliis aſſimilat. *Ch.* At tales quamvis ſint, vides tamen qualia faciant, ut inter ſe avidè contendant de imperiis, honoribus, poſſeſſionibus, quibus omnibus relictis, ipſos unico cum obolo ad nos venire oportebit. Vis igitur ſiquidem in edito loco ſumus, ut maxima voce acclamando eos adhorter, ut ab inanibus quidem laboribus abſtineant, vivant autem, mortem ob oculos ſemper habentes, hisque verbis utar, O ſtulti quid hæc tanto ſtudio proſequimini: deſiſtite à laboribus, neque enim in perpetuum vivetis: nihil ex iis quæ hîc præclara habentur, eſt ſempiternum, nec aliquid horum moriens quiſquam ſecum auferre poſſit. Sed neceſſe eſt quemvis nudum abire, domum autem, agrum, aurum, eſſe ſemper aliorum, & dominos ſubinde mutare. Hæc & id gen⁹ alia, ſi ipſis unde exaudiri poſſent, inclamarem, annon vitæ magno putas emolumento fore, ita ut longe prudentiores evaderent. *Merc.* O beate, neſcis ut ipſos ignorantia, & error affecerit, adeò ut ipſorum aures ne terebro quidem amplius aperiri queant: tam multa cera eas obturarunt, haud aliter ac ſociis Ulyſſes, veritus ne Sirenũ cantus exaudirent. Quinam igitur audire poſſint, etſi vocem in tantum efferas ut rumparis? Nam quod apud vos Lethe poteſt, id apud nos ignorantia præſtat. Verumtamen ex ipſis pauci ſunt qui cera in aures non recepta in veritatem inclinant, acutum in rebus cernunt, & quales ſint agnoſcunt. *Ch.* Illis igitur acclamem? *Merc.* Illis ea quæ ſciunt, dicere fuerit ſupervacaneum. Vides ut à plebe ſemoti rident, quæ alii faciũt, eaq; nullatenus probant, ſed jam à vita ad vos fugam apertè meditantur? etenim etiam odioſi ſunt illis quorum imperitiam redarguunt. *Ch.* Bellè ô generoſi, verùm perpauci ſunt ô Mercuri. *Merc.* Vel hos eſſe ſatis fuerit. Sed jam deſcendamus. *Ch.* Unum adhuc ſcire opto Mercuri, quod quum me docueris, perfectam ſane inſtitutionem tradideris: nimirum videre velim repoſitoria corporũ, ubi terram defodiunt. *Merc.* Monumenta, tumulos, ſepulchra hæc vocant. At videſ-ne ante urbes aggeres illos, columnas, & pyramidas? Illa omnia ſunt cadaverum receptacula, & corporum conditoria. *Ch.* Quid ergo ſaxa illi coronant, unguentoque inungunt? alii præ tumulis conſtructo rogo, ac fovea effoſſa, ſumptuoſas illas exurũt cœnas, & vinum mulſumq; (quantum ſaltem conjecturis aſſequi poſſum) in ipſas foveas infundunt? *Merc.* Neſcio, Portitor, quid hæc ad eos pertineant, qui apud inferos agunt. Verum illis perſuaſum eſt umbras ab inferis reduces, circum nidorem & fumum quãtum poſſunt, volitando cœnare, & ex fovea mulſum bibere. *Ch.* Illos adhuc bibere & edere, quorum aridiſſimæ ſunt calvatiæ: atqui ridiculum eſt me tibi hæc dicere, cùm eos quotidie deducas, ac proinde ſcias an poſtquam ſemel terram ſubierint denuo redire queant. Quin etiam ego prorſus ridicula paterer, Mercuri, tot negotiis occupatus, ſi oporteret ipſos non ſolum deducere, ſed etiam bibituros reducere. O ſtulti, quæ hæc amentia? Neſcitis quàm longo finium intervallo res mortuorum & viventium ſunt diſcretæ, quoq; pacto ſe res habeant, apud nos, ubi

Mortuus eſt æquè tumuli qui neſcit honorem,
Quiq; ſcit: unus honos Agamemnonis, unus & Iri eſt:
Therſita & ſimilis Thetidos formoſus Achilles,
Umbra nam pariter ſicca, nudaq; pererrant
Aſphodeli campos confracto vertice cuncta.

Merc. Hercule, quàm multa ex Homero hauris! Sed quia ſubmonuiſti me, volo tibi ſepulchrum Achillis indicare Vides illud quod mari adjacet? Sigeum quidem illud Trojanum eſt: è regione autem eſt conditus eſt Ajax in Rhœteo. *Ch.* Non magna ſunt monumenta. Verum inſignes illas urbes mihi jam commonſtra, de quib⁹ tam magnifica in inferis audimus, Ninum Sardanapali urbem. Babylonem, Mycenas, Cleonas, ipſumq; Ilium, multos enim illinc oriũdos memini trajicere, adeò ut totis jam decem annis, neque navim ſubduxerimus, neque ea interim refrixerit. *Merc.* Ninus quidem ô Portitor jam eſt everſa, ita ut ne reliquum quidem ſit ejus veſtigium, nec ubi olim ſita fuerit, facile dixeris. Babylon autem illa eſt, multis turribus præclare munita, magnoq; ambitu mœnium ſepta, haud ita multò poſt deſideranda & ipſa, quemadmodũ nunc Nin⁹. At Mycenas & Cleonas me tibi commonſtrare pudet, ac in primis Ilium. Præfocabis enim ſat ſcio Homerum ubi deſcenderis, qui urbem illam tam magnificis verſibus celebrarit. Verum olim fœlices fuerunt: nunc autem etiam hæ interierunt. Moriuntur enim etiam urbes ô Portitor, quemadmodum homines. Quodq; longè mirabilius, ſolidi etiam fluvij, ita ut Inachi ipſius in Argo ne monumentum quidem ſuperſit. *Ch.* Vah, quæ laudes Homere, & quæ nomina, ingens, viiſque patentibus Ilium, tum Cleonæ bellè ſtructæ. Sed interim dum loquimur, quinam illi ſunt qui dimicant, aut cujus rei cauſa ſe mutuò cædunt. *Merc.* Argivos vides & Lacedæmonios, ô Charon, atq; ſemimortuum imperatorẽ Othryadem, ſuo ipſius nomini trophæum inſcribentem? *Ch.* Cujus rei cauſa cœptum eſt hoc bellum? *Mer.* Pro ipſomet agro, in quo pugnant. *Ch.* O amentiam hominum, qui neſciunt ſe, etiamſi nunc eorum quiſq; totam Peloponneſum poſſideat, vix tamen pedis unius locum ab Æaco accepturos. Hunc autem agrũ aliàs alii colent, hoc trophæo à fundamentis per aratrum ſæpe revulſo. *Merc.* Hæc quidem hoc modo ſe habebunt. At nos jam hinc deſcendamus, ac montibus his in ſuas ſedes repoſitis, diſcedamus: ego quò ſum juſſus ire, tu ad pontonem. Ad te autem brevi veniam mortuos adducens. *Ch.* Beneficio me affeciſti Mercuri, atque in eorum album adſcriberis, qui de me ſunt bene meriti: quandoquidẽ tua ope in hac peregrinatione ſum adjutus. O qualia infelicium hominum negotia, reges, lateres aurei, hecatombæ, prælia. Charontis autem nulla habetur ratio. *titulo Charontis, ſive contemplantium.*

Epictetus: Memento ſic in vita eſſe verſandum, tanquam in convivio. ſi quid circumferendo ad te pervenerit, porrecta manu partem modeſtè capito. præterit? ne detine. nondum adeſt? ne longè appetitum extendito, ſed exſpecta dum ad te perlatum fuerit. Sic erga liberos, ſic erga conjugem, ſic erga magiſtratus, ſic erga divitias ſi fueris affectus, aliquando dignus eris convivio Deorum. At verò ſi oblata etiam non acceperis, ſed deſpexeris; non conviva Deorũ modò, ſed & imperii conſors eris. Sic enim cũ facerent Diogenes, Heraclitus, & ſimiles, meritò divini, ut erant, ita & dicebantur. *cap. 21. Enchiridii.*

Epictetus: Actorem eſſe fabulæ talis, qualis magiſtro probata fuerit, te memento: ſi brevis, brevis; ſi longa, longæ. ſi mendicum agere te voluerit, fac eam quoq; perſonam ingenioſè repræſentes. Ita ſi claudum, ſi principem, ſi plebejum. hoc enim tuum eſt, datam perſonam bene effingere; eam autem eligere, alterius. *cap. 23. Enchirid.*

Arrianus: Socrates monebat, vitam cujus ratio non conſtaret, vitandam eſſe. *cap. 26 fine, libri 1. Epicteti.*

Hierocles: Nihil eorum age quæ neſcis, ſed diſcito quæcunque decent: atq; ita vitam perages jucundiſſimam. Nihil adgredi, quod non ſciamus, id tantum cavet, ne peccemus: at ea diſcere, quæ ad vitam optimam conferunt; præterquam quod inculpatos reddit; efficit etiam, ut a nobis generantur quæ præclara ſunt. Exſcindit enim intelligentia temeritatem ignorationis, quæ per opinionẽ excitatur; affert autem actionum libertatem ſcientiæ poſſeſſio. Eſt verò utrumq; in bonis habendum, ſi neſcire nos non ignoremus; ſiq; noſcamus quæ ignoramus; ex quibus vita ſequitur optima ſimul, atq; jucundiſſima. Fuerit autem ejuſmodi, quæ opinione liberata ſcientia referta ſit; nullisq; attollatur, quæ ignorat; ſed ea lubens addiſcat, quæ ſcitu digna ſunt. Sunt verò generis iſtius ea tantum, quæ Deo ſimiles nos reddunt, quæ ante opus conſulere faciunt, ne ſtulta committantur. quæ nos à nullo, neq; verbis, neq; factis, avocari ſinunt. quæ reddunt idoneos ad occurrentium ſermonum diſcrimen faciendum. quæ divinitus miſſas calamitates ferre moderatè, iiſq; mederi perſuadent. quæ mortem, quæ paupertatem pati æquo animo, quæ juſtitiam colere; quæ ventrem ipſum, & ea, quæ ventrem ſequuntur, continere. quæ leges tradunt amicitiæ, & debitum parentibus honorem. quæ deniq; ſuperiorum generum cultum demonſtrant. Iſta ſunt, inquã, ejuſmodi q; alia, quæ diſci oportere præſens innuit oratio; & quæ ſequitur vita jucundiſſima. Voluptates enim, quarum pœnitere nunquam poteſt, ille etiam, qui virtute præditus eſt, percipit, quæ virtutis ſtabilitatẽ imitantur.

Ita ſiquidẽ natura comparatũ eſt, ut voluptas omnis actionis cujuslibet comes ſit. Nõ.n. illa per ſe ſubſiſtit; ſed nos alia atq; alia gerẽtes comitatur. Unde fit, ut deteriores actiones illæ etiã ſubſequãtur voluptates, quæ malæ ſunt; præſtãtiores aũt, quæ bonæ: nec eo quod honeſtũ eſt, homini nequã is præſtat, qui bonus eſt; ſed tantũ ipſa etiam voluptate, qua ſolum ad vitia duci videtur improbus. Quantò enim affectionem affectione præſtantiorem eſſe contigit: tantò & voluptatem voluptate magis appeti. Quoniam igitur quæ ſecundum virtutem vita eſt, revera divina eſt; quæ autem vitia ſequitur, belluina, atq; à Deo aliena: nemini ſane dubium eſt, hominis virtute præditi voluptatem divina gaudia imitari, quæ mentem, Deumq; ipſum ſequatur: improbi autem voluptatem (detur enim commune nomen) ad appetitus belluinos & vecordes eſſe referendam. Sunt enim voluptates atque dolores in medio poſita: ex quorum fontibus, unde liceat, & quando, & quantum qui hauriat, non poteſt non felix exiſtere: miſer autem, qui iſtorũ modum non teneat. Sic ergo tantum ſine peccato vita eſt, quæ ſe opinionis errore purgavit: felix autem & perfecta, quæ ſcientiam adepta, eademque jucundiſſima, atque optima.

Nunquam igitur quæ neſcimus faciamus: ſed geramus, cùm oportet, quæ novimus. Inducit enim in errorem inſcitia: Peritia verò tempus quærit opportunum. Sunt enim bona multa, quæ temporum commutatione mala fiunt. Ordine ergo præceptum intelligamus, & ipſo quidem, quod actiones nos jubet cohibere, peccãdi licentiam tollere: eo autem, quod non omnia diſcere adhortatur; ſed quæcunq; oportet; ad optima agenda nos etiam inducere. Non enim in minime peccando bene agere ſitum eſt; ſed in cogno-

ſcendo

scendo quæ deceant. & illud quidem efficit stultæ opinionis purgatio: istud autem scientiæ possessio. Si verò non peccare habetur etiã in recte agendo; vide jam quod tibi futurum. ita vitam exiges jucundissimam. Verùm, quænã ista? Quæ ex virtute adepta sit quod delectat. In qua simul concurrat cum delectatione probitas. Si igitur boni cupiditate, si jucundi afficimur; quidnam illa fuerint, cùm simul convenerint? vita, inquit, jucundissima. Qui enim delectationẽ cum turpitudine amplectitur, quantumvis exiguo temporis spatio voluptate inescetur; turpitudine tamen in gravem pœnitudinem agitur. Qui verò honestatem cum laboribus, potiorem ducit, etsi primum insueta acerbitate gravetur, boni tamẽ conjunctione dolorem facit mitiorem, puramque tandem cum virtute voluptatem percipit. Si enim cum voluptate, contra honestatẽ geratur aliquid; id ipsum quidem elabitur quod jucundum est, manet autem quod turpe. Unde necessariò vita fit acerbissima, quæ nequissima; jucundissima autem, quæ optima. Atque hæc quidem de istis.

Iulianus Imperator: Et Mercurius in Marcum intuitus, Tibi, inquit, ô venerande, quis pulcherrimus vitæ finis esse videtur? cui ille graviter admodum & moderatè, Deos, inquit, imitari. Visa est statim hæc responsio non modò non ignobilis, sed etiam omnia complectens. At Silenus, Quid existimas esse Deorum imitationẽ? at ille, Quàm paucissimis indigere, & quàmplurimis benefacere. Tu verò, infit Silenus, nullane re indiguisti? Ego quidem, inquit Marcus, nulla: hoc verò meum corpus fortasse quàm paucissimis. *in Cæs.*

Libanius: Alios mœror optare mortem coëgit. quare & egò idem opto tristitia impulsus. Vivere me quis hortatur? monet eum qui non potest. Quid ais? egone vivam vicini domo ità pulchrè se habente, cùm oculos habeam? cùm aures mihi sint? illa videns? de his audiens? & quid ab illis differrem qui apud inferos torquentur? non tam certè vivere præclarum est, Senatores, quàm cum tranquillitate vivendi libertatem nactum esse. Siquidem hoc vitã in bonis collocat, lætitiam autem si sustuleris, mulcta est non emori, quapropter ne reservetis me luctui perpetuo, mæstitiæque & lachrymis: neve rursus ad ea me remittatis à quibus egredior. *Declamatione octava.*

Libanius: Dii bona tribuunt hominibus aliis alia dantes: quæ dum quis obtinet, vivere lucrum est. sin autem excidat, mori præstat. Nam si voluptatis gratia vivendum est, hanc verò sine bonis assequi non licet; quomodo si quis facultatibus nudatus fuerit, non etiam unà vitam amisit? *Declamatione* 11.

Heliodorus: Pacis falso & adulterino nomine, conditio proposita prælio ipso gravior; ut scilicet una cum veste tantum nave excederent; morte ei edicta qui violasset. Sed est hominibus, ut videtur, anima omnibus rebus pretiosior: propter quam tunc quoque Phœnices, spe opum navis spoliati, tanquam jacturam non fecissent, sed lucrum consecuturi essent, ut alius alio prius scapham conscenderet, celerabant; quilibet se in primis & celerius quàm cæteros superstitem esse magna contentione expetens. *libro quinto Æthiopicorum.*

Basilius Imperator: Tui mores ejusmodi sint, ut fide digniores habeantur, quàm sermones, quo te non solum loquentem, sed tacentem etiam revereantur homines: neq; eos tibi assume qui verbis probi, factis ea non confirmant. sunt enim nonnulli, qui cùm honestissimè loquãtur, turpissimè vivunt. Cave ergo ne aut tu similis eorum sis, aut eis similes tibi adjungas: sed eos elige, & tibi in contubernium adhibe qui suos mores non honestant verbis, sed verba potius condecorant moribus. Et quæ te facere pudet, ea dicere te quoque pudeat: & quæ dicere pudor vetat, ne cogitare quidem lubeat. *cap.* 16.

Basilius Imperator: Existima, fili, vitam istam nihil fixum, nihilque stabile aut perpetuum habere: nam subinde res aliter atque aliter variantur: & rotæ in morem quæ circumvolvitur, ea quæ sursum sunt, deorsum feruntur, & quæ deorsum jacent, sursum evehuntur. Quapropter neque secundis rebus extollere, neq; adversis dejicere, sed utraque in fortuna constans esto, & invariabilis: unum hoc tibi proponens semper, benefacere; cætera Deo committe: neque cùm secunda fortuna uteris, metu adversæ à superba elatione retrahere; neque cùm adversa, spe melioris à præcipiti dejectione relevare. Hoc enim exigui animi est, & non regia virtute subnixi: & quod futurum est videri nequit. Neq; ergo tristi ac abjecto, neque renidenti & procaci unquam vultu in publicum prodi: ita enim gravis & prudens existimaberis, & quæ utrinque imminent errata vitabis, neque curiosè maledicis ullam ansam præbebis obloquendi de iis quæ tibi accident. *cap.* 38.

❡ ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Quod ad meum quidem comitatum attinet, nullum recuso periculum quod salutis spem ostendit. Nam sine causa quidem spiritum, tanquam rem vacuam, impendere, nec vos quidem existimo velle. *Satyrico.*

Calpurnius Flaccus: Dulcis est omnibus vita; & jucunda vel miseris hujus lucis usura. *Controversia* 26.

Quintilianus: Si cuncta gaudia nostra, si voluptates, & quæcunq; ex hac universitate mundi vel sollicitant aspectu, vel blandiuntur usu, diligenter excutias; tota vita hominis, unus dies est. Humiles prorsus abjectæque mentes, quas non implent hæc eadem semperque redeuntia: ut qui honestis operatus artibus sciat quis finis bonorum, quæ vera felicitas, nunquam sibi videbitur prækmatura morte periturus: & lucis causas ad animum mentemq; referentium, neminem quotidie vita non satiat. Relaturum me nunc putatis, quanto plura sine in hac vitæ brevitate fugienda: comparaturum gaudiis, prosperis, metus, calamitates? Illa æstimemus propter quæ fatigamus votis Deos, propter quæ brevem querimur ætatem? Nempe sunt vanitas, cupido, luxuria, libido. Non pudet propter hæc ferre debilitates, luctus, spatia morborum, & cum liceat evadere, malle pati? Finge tibi velut ipsam proclamare Naturam: Receptus es in hoc pulcherrimum mundi rerumque consortium, & per succedentium vices in ordinem mortalitatis natus, bona nostra vidisti: admitte posteros, cede venientibus. Nescis te quanto diutius vixeris, tanto magis impatientiam parere? Quantumlibet prorogentur tempora, jungantur ætates, quandoq; tamen non potest non exitu perire miseri, qui moritur invitus. Miraris quod suprema mea ipse præcipitem? Nunquid enim non hoc agunt singuli dies? Omnis nos hora per tacitos fallentesque cursus applicat fato, & in hac turpissima perpetuitatis cogitatione districti, per exigua festinantis ævi momenta præmorimur. Faciamus potius de fine remedium, de necessitate solatium: exeamus sponte, consilio, pleni securitatis, gratias agentes. Solus vixit quoad voluit, qui mori mavult. &c. *Declamatione* 4. § 10. *&* 11.

Plinius junior: Illud notabile: Silius ultimus ex Neronianis Consulibus obiit, quo Consule Nero periit. quod me recordantẽ, fragilitatis humanæ miseratio subit. Quid enim tam circumcisum, tam breve quàm vita hominis longissima? Annon videtur tibi Nero modo fuisse, cum interim ex iis qui sub illo gesserant Consulatum nemo jam superest? Quamquam quid hoc miror? nuper L. Piso dicere solebat, neminem se videre in Senatu, quem Consul ipse sententiam rogavisset. Tam angustis terminis tantæ multitudinis vivacitas ipsa concluditur: ut mihi non venia solum dignæ, verum etiam laude videantur illæ regiæ lachrymæ. Nam ferunt Xerxem, cum immensum exercitum oculis obiisset, illachrymasse, quod tot millibus tam brevis immineret occasus. Sed tanto magis hoc quidquid est temporis futilis ac caduci, si non datur factis, (nam horum materia in aliena manu) certè studiis proferamus; & quatenus nobis denegetur diu vivere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur. *fine ferè Epist* 7. *lib* 3.

Plinius junior: Dum suppetit vita, enitamur ut mors, quàm paucissima quæ abolere possit, inveniat. *lib.* 5. *Epist.* 5. *fine.*

❡ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 15. de vitæ itineribus.

Multas vita vias habet ærumnosa, viarum
Cunctarumq; suo nulla dolore caret.
Nec bona sunt hic ulla malis non mixta: bonorum
Atque utinam non pars cederet ipsa malis.
Divitiæ infida, solium quoque fastus inanis:
Vincula pauperies, atque subesse labor.
Fulgure forma brevis major est æstusq; juventa
Temporis, & vitæ meta senecta gravis.
Sermones celeres, decus aër, robur aprorum:
Et veteri constat sanguine nobilitas.
Ingluvies petulans, vinclum connubia: cura est,
Si bona sit, morbus, si mala, progenies.
Discitur inq; foro vitium, tranquillaq; vita
Invalida est: artes vilia corda decent.
Angusta est offa alterius: labor arva secare:
Per mare quot currunt, pene tot orcus habet.
Patria cuique sua est barathrum, terra extera probrum:
Cuncta homini hic risus, cuncta laborq; gravis.
Lanugo, spectrum, ros, & levis umbra, vaporque,
Flumineus fluxus, fluctus & æquoreus:
Somnia, fluctivagæ navis vestigia, ventus,
Penna celer volitans, pulvis, & aura levis:
Circulus, æquali qui motu cuncta volutat,
Constans atque rotans, fixus & interiens.
Namq; anni partes volvit, noctesq; diesq;
Duraque, mæstitias, terribilemq; necem.
Et morbos, casusq; graves: ac rursus amœna
Gaudia, & optata prospera sorte habet.
Nil autem hic firmum providit Christus ut esset:
Quo tua firmorum pectora tangat amor.
Cuncta ego perlustravi animo nova, priscaq;: verum
Par nihil esse homini debilitate potest.
Unum illi, verumq; bonum, certumq; putandum est,
Ut levis hinc abeat, perferat atque crucem.
Ut ruat in sanctos gemitus, divinaq; curet,
Huic, puris gaudens, irradietq; Trias:
Carnalem affectum ut solvat: quamq; hausimus ipsi
Cælitus effigiem, servet ut incolumem.

D. Nazianzenus Carmine 62.

Σὸς λόγος, ἔργον ἐμοῖο. ὅς οὐ καλὸν ἔργον ἔρεξεν,
Εὐεπίην ἐχέτω σύμμαχον ἀστρεφέος.
Sit tibi sermo bonus, mihi contra innoxia vita:
Ambiguum à verbis quærat iniquus opem.

Lucianus in vitam humanam.

Omnia mortales fugiunt mortalia cum sint:
Et si non fugiunt, nos tamen hac fugimus.

Terentius Adelph. 5. sc. 4.

Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus, semper aliquid adportet novi,
Aliquid moneat, ut illa quæ te scire credas, nescias;
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.
Quod mihi evenit nunc. nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,
Prope jam decurso spatio mitto.

Terentius Andriæ 4. sc. 6.

Quid vos? quo pacto hic? satin ne recte? M. nos ne?
Sicut quimus, ajunt; quando ut volumus, non licet.

C. Cilnius Mecænas.

Debilem facito manu;
Debilem pede, coxa;
Tuber adstrue gibberum:
Lubricos quate dentes:
Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi vel acutam,
Si das, sustineo crucem.

Martialis lib. 2. Epig. 90.

Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam. properat vivere nemo satis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
Atriaq; immodicis arctat imaginibus.
Me focus & nigros non indignantia fumos
Tecta juvant, & fons vivus, & herba rudis.
Sit mihi verna satur: sit non doctissima conjux:
Sit nox cum somno: sit sine lite dies.

Martialis lib. 5. Epigr. 21.

Si tecum mihi care Martialis,
Securis liceat frui diebus,
Si disponere tempus otiosum,
Et veræ pariter vacare vitæ:
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumq; triste,
Nossemus, nec imagines superbas.
Sed gestatio, fabula, libelli,
Campus, porticus, umbra, virgo, thermæ:
Hæc essent loca semper, hi labores.
Nunc vivit sibi neuter, heu; bonosque
Soles effugere atque abire sentit;
Qui nobis pereunt, & imputantur.
Quisquam vivere cum sciat, moratur?

Martialis lib. 5. Epig. 59.

Cras vives? hodie jam vivere, Postume, serum est.
Ille sapit quisquis, Postume, vixit heri.

Martialis lib. 10. Epig. 23.

Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est,
Vivere bis, vita posse priore frui.

❡ EMBLEMATUM.

Adeod. Seba. Cubus intra circulum.

Stare cubum in tereti cernis quicunque figura,
Hinc vitæ verum discito cautus iter.
Mores illa docet teretes, hic fidere jussa
Te jubet immotos in statione gradus.

Batillius. II.

Eunt anni more fluentis aquæ.

Tam cita vita fluit, cita quam fluviatilis unda
In mare deproperans, nec reditura, fugit.
Nascentes rapimur, nec retro flectere cursus,
Aut spatium emensum vita iterare datur.

Batilius IV.

Vitæ & mortis series.

Ut qui aliis alii instantes certamine cursus,
Ardentem ad metas lampada ferre ruunt;
Tendimus ad mortem properi, quò qualibet ætas
Et quos prætereat, quosve sequatur habet.
Tendimus huc omnes spatiis hac ultima nostris,
Hac serie, hac vitæ meta terenda data est.

Batilius VI.

Quid est homo? Sicut lucerna in vento posita.

Quàm tenues præstat nocturna in lumina flammas,
Quàm facile extingui parva lucerna potest;
Flamma homini vita tam parco constat olivo,
Tam vario mortis turbine rapta perit.

Batilius XII.

Ita est vita hominum, quasi quum ludas tesseris.

Iudice nempe Deo, sortis sic alea nostra,
Talorum ut lusu tessera missa, cadit.
Ut numerorum ergo, vita sic quoque tueri,
Corrigere aut casus, quâ datur arte, decet.

Batilius Embl. cc.

Sic vita instituenda, ut à multis ad unum tendat, & in uno finiatur.

Grandia mole basis tenui in fastigia cono
Pyramis exurgens astra propinqua ferit.
Ad summum extimo, à multis ut tendat in unum,
Hoc nobis vita est instituenda modo.

Camerarius LXIX. Centur. I.

Brevis est usus.

Vita fugax, quam causa levis tua stamina rumpit?
Pulsa levi flatu sic Anemona cadit.

Camerarius XCVI. Centur. I.

Digrii omnes.

Extremum statuas ut quamlibet esse dierum,
Fida tibi monitrix Hemerocallis erit.

❡ APOPHTHEGMATUM SACROR.

Iacob Patriarcha: Quum Joseph patrem suum adduxisset, ut Pharaonem salutaret, & rex quæsivisset quot annos natus esset Jacob, ille dixit, Dies annorum peregrinationum mearum, sunt centum triginta annorum: pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, neque attigerunt dies annorum vitæ patrum meorum, quibus diebus illi peregrinati sunt. *Genes. 47. 9.*

Salomon: Morte vita est potior, inquit Sapiens, Eccles. 9. 4. 5. 6. *est incerta*, Proverb. 27. 1. & Eccles. 8. 8. *in miseria non optabilis*, Eccles. 6. 3. 4. 5. 6. *quomodo instituenda*, Proverb. 3. 5. 6. 7. 8. & 20. 24. & 16. 2. 15. & 19. 21. & 21. 19. & Eccles. 9. 10. *qualis sit vita justorum*, Proverb. 16. 17.

Iesus Christus Dominus noster: Introite, inquit, per angustam portam: quoniam lata est porta & spatiosa via quæ abducit in exitium, multique sunt qui introeunt per eam. Quia angusta est porta & stricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniant eam. *Matth. 7. 13. 14.* Vitæ exemplum non petendum est à multitudine.

Idem. Regulam tradens de vita cum proximis ut decet transigenda, paucis secundæ tabulæ Decalogi summam complexus est, dicens, Quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis. ista enim est Lex & Prophetæ, *Matth. 7. 12.* In hanc regulam extant innumera dicta Apostolorum & Apostolicorum virorum: quæ ad præceptorum posterioris tabulæ explicationem pertinent.

Ammianus Admirabilis. Eusebius, vir eruditione & pietate excellens, cùm in parva domuncula se inclusisset, cum nullo loquens, neque lucem intuens, sed perpetuò inclusus, verè monasticam vitam profiteretur, ab Ammiano, cognomento Admirabilis, ut propositum mutaret, & aliis inservire vellet, his verbis inductus est: Dic mihi Eusebi, cuinam placere existimans, laboriosam hãc sordidamque & squalidam vitam es persecutus? Deo sanè, qui est virtutis & legislator & magister. Quoniam ergo Deum amas, ego tibi modum ostendam, per quem & amorem magis accendes, & ei quem amas servies. Nam quòd omnis tua cura & industria in teipsum convertitur, non effugiet, ut sentio, crimen nimij in teipsum amoris. Lex n. divina jubet, proximum amare ut teipsum. Multos autem opum sumere participes, hoc est proprium veri muneris charitatis, quam Paulus appellavit Legis implementum, & summam Legis ac Prophetarum, *Romanorum decimo tertio ad Galatos quinto.* Dominus quoque in Evangeliis, Petro qui confessus est eum amare plus aliis, præcepit pascere oves suas. Eos autem qui hoc non fecerunt reprehendens, clamat per Prophetam, *Ezech. 34.* O pastores, qui seipsos pascunt, non oves! Et ideo magnum Eliam qui solitudinem quærebat, jussit versari in medio impiorum: & secundum Eliam, tantopere celebratum Joannem, qui amplectebatur solitudinem transmisit ad ripas Jordanis, illic baptizare jubens & prædicare. Quoniam ergo tu quoque es Dei, qui te fecit, ardens amator, multos quoque tecum effice alios amatores. Hoc enim est valde gratum communi Domino: propterea Ezechielem quoque appellavit speculatorem, & peccatoribus jussit testificari: ac Jonam jussit currere Ninivem, & nolentem transmisit in vinculis. Quum hæc & similia diceret, divinum virum mãsuefecit, & voluntario illo effosso carcere eduxit & abduxit, & suorum sodalium ei curam tradidit. *Theodoret. hist. Sanct. Patrum. vita 4.*

Chrysagonus: Satis manifestum est lucem abscondere tenebras: sic etiam post infirmitates advenit salus, & post mortem vita piis conceditur. Eundem sane & secundæ & adversæ humanorum negotiorum res habent finem, ut scilicet neque humiles ad mœrorem se dejiciant, neque superbi gloriantes efferãtur. Unum namque est mare, in quo corporis nostri decurrunt navigia, atque ea ab uno gubernantur rectore. Quorum igitur naves carinis firmis probe munitæ sunt, nullo detrimento cursum per undas tenent. Infirmæ autem etiam absque fluctibus cælo tranquillo periculum ineunt. Non longe enim à pernicie & interitu absunt, quæ ad salutis portum non contendunt *Nicephorus eccl. hist. lib. 15. ad calcem.*

Olympius abbas: Quidam interrogavit Olympium abbatem monasterii sancti Gerasini, dicens, Dic mihi verbum. Qui dixit ei, Ne sedeas cum hæreticis: contine linguam & ventrem: ac ubicunque sederis, dic assidue, Peregrinus sum. *Ioannes Moscus, in prato spirituali, cap. 12.*

Messolanus: Messolanus vir spectatæ sanctitatis & senio confe-

ctissi-

fectissimus, ad insequentis diei convivium invitatus, Quid, ait, me invitatis? ego quidem à multis annis crastinum non habeo. *Theodorus Zuingerus, volumine 7. lib. 4. theatri.*

C. Martinus: Lethali morbo laborans B. Martinus, ad Deum conversus, dixit, Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua. *Sulp. Severus. epist. 3.*

Gilimer: Gilimer, Vandalorum rex in Africa, captus à Belissario Justiniani Imperatoris duce, & in triumphũ ductus Constantinopolim, cum in hippodromo Imperatorem in alta sede constitutũ, populumq; circunstantẽ conspexisset, constitit, ac suum fatum cõsiderans, illud Ecclesiastis exclamavit, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Justinianus humanæ vitę vicissitudines æstimãs, ipsum solvit vinculis, & apud se aliquandiu magno honore habuit: tandẽ cum omnib. suis in Galatia quædam loca inhabitare cõcessit. *Evagrius lib. 4. c. 17. Procob. lib. 3. de bello Vandal. Paulus Diacon. lib. 17.*

Isocasius: Anno imperii Leonis magni decimo, Isocasius Antiochiæ Quæstor, homo literatus, per calumniam delatus est, quasi qui alienus à religione & pietate Christiana, Ethnicismo clam esset addictus. Imperator totius rei cognitionẽ Posæo Constantinopoleos præfecto demandat. Is collegæ quondam suo manibus post tergũ revinctis, habituq; lugubri ad tribunal adducto, sarcasmo insaltans dixit, Vidésne Isocasi, quo habitu adstes? Video, inquit, neq; miror, homo enim in calamitatem incidi humanam. Tu vero ita mihi jus dicito, sicut me collega solebas dicere. Tandem re cognita absolutus est Isocasius, magno cum circunstantis coronæ gaudio. *Grinæus in Habacuc, pag. 104. ex Zonara.*

Sultanus Agarenorum: Agarenorũ exercitu à Romanis legionibus devicto, eorum Princeps quem Sultanum vocant, captus, & à rege Francorum Capuam est perductus. Ubi quum biennium versatus esset, nunquam à quoquã risisse visus est, ut rex miratus diceret, se ei qui Barbarum risisse nuntiaret, præmium daturum. Quem quum quidã semel risisse nuntiasset accersito Sultano risus causam quæsivit. At ille, Rotas currus (inquit) vidi, quarum quum altera terræ incumberet, altera sursum tolleretur, mox ea quæ sublimis fuerat depressa, quæ humilis in altum elata est. Unde conjectura capta, res humanas etiam eodem modo moveri & transferri, in risum erupi: posse fieri cogitans, ut & rerum mearum idem status esset: ac me quemadmodum è sublimi sum humi depressus, sic ex humili loco in altum elatum, sublimem fore. Rex & veritate orationis considerata, & Sultani ob fortunæ mutationem misertus eum liberius habitum in familiam suam ascivit, &c. *Zonaras tom. 3.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Ægidius Assisinas: Quamvis neminẽ ante obitũ beatũ dixerint veteres, quòd tum demũ in veram quietẽ recipiatur homo: potest nihilominus etiam in hac vita, sua haberi felicitas & perfectio. de qua cum sciscitaretur quispiam B. Ægidium, quisnam videlicet in hac vita dicendus esset beatus; hoc ab eo responsum habuit: *Qui amat, & non desiderat amari. Qui timet, & non appetit timeri. Qui servit, & serviri sibi non cupit. Qui deniq; se erga alios bene gerit, non tamen eo fine, ut se erga illũ vicissim benegerãt.* Magna hæc sunt, & à paucis bene enucleata. *Ex Sent. aureis Ægidii.*

Canis Scaliger Veronæ Dominus: Ille diversis orbis partibus adventantes, quacumq; conditione in Palatii sui hospitium excipiebat. dicebat autẽ: *Nihil in hac vita beatius, quã invicto animo, sua pariter atq; aliena fortuna obviã ire; & perpetuis beneficentiæ ac liberalitatis operibus, insita virtutis famam extendisse.* Jovius lib. 1. Elog.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque divina vitalis nemo providentia est.
Ad rationem nemo, cuncti ad similitudinem vivimus.
Alteri vivas oportet, si tibi vis vivere.
Ambulans vita est cadaver, vita mortis est tumor.
Ante quidam desierunt, quam inchoassent vivere
Bulla, bulla, bulla, bulla, vita, eheu, mortalium est.
Cive Romano, per orbem nemo vivit rectius.
Corpus vitam temporalem, sempiternam anima expetit.
Cum brevis sit vita, cur non absque curis est, Deus?
Cuncta risus, cuncta pulvis sunt, & cuncta sunt nihil.
Diligentius vivit cui aliquid superest integri.
Effluit non sentienti vita tota improvidè.
Emori noli priusquam discas quid sit vivere.
Eripi vita immerenti nemini à Deo potest.
Est niger vita lapillus cuiq;, rarus candicat.
Fortuna proposita telis vita nostra est omnibus.
Hoc acerbior cuique vita quæ est & nequior.
Humanæ vitæ brevitas est criminum damnatio.
Improbis convitium fit grande vivendo bene.
In bilance vitæ habemus plus mali usq; quàm boni.
In vita beatius nil quam mori feliciter.
Incusare homines Deosve, est eius qui vult vivere.
Maior est habenda vitæ ratio quam pecuniæ.
Multi vitam transiere dum instrumenta eius petunt.
Multi vivere desierunt antè quàm inchoaverant.
Nil deest vitam ad beatam cui domi virtus sui est.
Nemo adhuc genus vitæ illud vivit, ipse quod cupit.
Nemo non eripere vitam, nemo mortem, homini potest.
Nemo non ita è vita exit, tanquam intraverit modò.
Nemo novit an victurus lucem adhuc sit crastinam.
Nemo nummos, unusquisque vitam multis dividit.
Nemo vindicat sibi se, in alium alius consumitur.
Nemo unquam bene vitã rexit nisi qui jam contempserat.
Nemini cura est quam rectè victitet, sed quam diu.
Nemini in necessitate vivere est necessitas.
Nil deest vitæ cui virtus cuique adest felicitas.
Nostram ei vitam debemus, nobis qui illam reddidit.
Nulla vita est quæ virtutis materia esse non queat.
Nullus est vitæ peractæ judex quam mors certior.
Nuspiam invenire vitam est cui non sit comes dolor.
O beatos, arbitratu qui exeunt vitam suo!
Pessimo ruit fato acta vita cui olim pessima est.
Plurimi sunt qui diem unum non vixere unquam sibi.
Plus voluptatis quam honesti vita activa continet.
Quam diu decet vivendum est, haud quam diu juvat.
Quam diu vivis, tibi ullo haud desperandum est de malo.
Quam magis mors est propinqua, dede amori te ac jocis.
Quàm miserum est, nihil esse in vita proprium mortalẽ datum!
Qui viam vitæ est ingressus, ad finem mox pervenit.
Quis sibi mortalis ausit polliceri crastinum?
Quisquis inquit, vixi; surgit quotidie ad novum lucrũ.
Quotidie vitæ suæ summam imponit sapiens manum.
Rectius vives si post te quàm ante te respexeris.
Si Deus vita est, Deum qui non videt, vitam haud videt.
Sic in orbe vive, cælo vivere inde uti queas.
Stat virtute vita humana; ea interit flagitiis.
Tam diu vivas, tibi ipsi quamdiu unus sufficis.
Tantum abit de vitâ quantum accedit illi temporis.
Tetrico parum probatur vita amœna judici.
Tolerabilior pœna haud posse quàm nescire vivere.
Turpius profectò quisque vivimus quàm nascimur.
Vera vita non est, nisi ubi vivitur feliciter.
Verè vita est quæ sudorem, quæ labores non habet.
Vivere haud in nobis est, in nobis rectè vivere est.
Vita cui sua est in horas tota, tempore haud eget.
Vita cui virtus moriendi non adest, est servitus.
Vita cui, vita quoque illi ornamenta, serviunt.
Vita cuiq; certo agenda est genere quodam, haud quolibet.
Vita debita est naturæ; vita sed bona, artibus.
Vita demum est illa quam quis gaudet ipse vivere.
Vive dum vivis, diesque singulas vitas puta.
Vita ea est beata quæ mihi ex mea sententia est.
Vita fermè cuique talis qualis est oratio.
Vita gazis, vita regno, vita præstat omnibus.
Vita in hac ita est vivendum ne excidamus altera.
Vita jucunda at beata dote fit sapientiæ.
Vita jucundissima illa quæ quoque est jucundissima.
Vita nec bonum malumve est; est locus boni ac mali.
Vita nil sapientis tota quam mortis meditatio est.
Vita nomine est suavis; at re nil est quàm labor.
Vita non quam diu, sed quam bene acta cuique sit refert.
Vita nulli tam beata est, quisque quam exoptat sibi.
Vita omnis sapientum mortis vera cogitatio est.
Vita præsens nónne tela putris est aranea.
Vita quæ falso vocatur, est cadaver ambulans.
Vita quam longa est sapienti sine molestia fluit.
Vita quam vulgi sequenda melior, non contraria.
Vita res pusilla: sed res magna vitam temnere.
Vita suavis gloriosaque à Deo uno atque unica est.
Vita talis est ut nolit repuerascere vir senex.
Vita intemperie majori rapitur quam ratis in mari.
Vivimus morimurve? nostro vivimus morimurque horo.
Vivus est qui se quit uti; qui nequit jam est mortuus.
Vixit optime optimam qui vitæ imponit clausulam.
Ut voluptuetur vita cara cuique maximè est.

¶ Jambica.

A te recede, rectè si vis vivere.
Ad bene vivendum, minima portio, vivere est.
Aliis odium vita est, aliis fastidium.
Bene vivere omnes cupimus, at non possumus.
Bona vita semper gaudium solidum obtinet.
Citra dolores vita, fit felicitas.
Contemne vitam: si nequis, ipsam rege.
Cum desinendum est, turpe incipere vivere est.
Cui vita dura, vita eidem vilitas.
Cui vita vita ei & ornamenta serviunt.
Cum desinendum est tunc incipimus vivere.
Dispar facultas cuique vivendi data est.
Divina vita constat in virtutibus.
Exigua pars est vitæ quam nos vivimus.
Ferè omnibus vita mors consentanea.
Heu, quàm est pusilla vitæ nostræ portio!
Humana vita somnus, imo somnium est.

Humana vita ubique & usque naufraga est.
In luce blanda vita ærumnosos tenet.
In singulos vivit dies mortalitas.
Ita vita est hominum, quasi ludas tesseris.
Legendo & scribendo vitam protollito.
Mala plura vitæ semper, quam bona accidunt.
Multas vias vita ingredi perarduum est.
Multi incipiunt tunc vivere, cùm mors advenit.
Nec vitæ amor nec vitæ odium est ei qui sapit.
Nec vitam amat, nec odit antistes Dei.
Nemo in vita teneri, nisi velit, potest.
Nil aliud est malè vivere, quam diu mori.
Nil carius cuiquam vita mortalium.
Nil morte dignum facito, si vis vivere.
Nil pejor est quàm vita pro libidine.
Nil spiritu mortalibus dilectius.
Nil suavius mortalibus quàm vivere.
Nil vita differt nostra tota à nundinis.
Non ad rationem; ad similitudinem vivimus.
Non est bonum ipsum vivere, sed bene vivere.
Non est diu vivendum; vivendum est satis.
Non sorte, sed virtute vita ducitur.
Non vivit is, sibi qui vivit, sed qui alteri.
Nulli datur mancipio vita: usu omnibus.
Plana eligitur via, vita sed gratissima.
Plerique nolunt vivere, & nesciunt mori.
Posterior vita de priore judicat.
Primus dies vitam ultimumq; continet.
Quæ vita nostra dicitur, mors est mera.
Quid aliud hominum vita præter somnium est?
Quid tota vita est præter ærumnæ chaos?
Quid vivere est mortalium? diu mori.
Qui vivere semper incipiunt, vivunt malè.
Quid vita nostra aliud quam animæ est ergastulum?
Quid vita nostra est? scena momentanea est.
Quid vita nostra est, temporis quam punctulum?
Quid vita tota est punctulum quam temporis?
Quis omnium est qui vivere haud optet benè?
Quis quæso nostrum respicit vitam suam?
Quod vivimus punctum est: adhuc puncto est minus.
Quot capita, tot sunt dispares vitæ modi.
Quovis emenda vita nullis præmio est.
Reddenda cunctis vita, tanquam debitum.
Regi haud petenda est vita, ast honestissima.
Res herclè non est delicata, vivere.
Saltem bonam, eia! impone vitæ clausulam.
Sapiens putat illud quod vivit, stipendium.
Sequere optimam vitam, non iucundissimam.
Sic vive, ne frustra te natum existimes.
Sic vivito hora tanquam adesset ultima.
Talisq; vita qualis est oratio.
Turpe est Quiriti mendicare spiritum.
Vis esse nunquam tristis? vitam agas bonam.
Vita à Deo data est homini facillima.
Vita inquieta est omnis ob Meum & Tuum.
Vita bona verum adsitum usque gaudium est.
Vita indecora mortem praoptes quamlibet.
Vita indecora nulla mors facit satis.
Vita invenire vix viam est, nedum ingredi.
Vita trementi nullibi est iucunditas.
Vitam alteri quicunque debet, perdidit.
Vitam minare sicui votum est mori.
Vitam reget benè is, qui vitam despicit.
Vita frui priore, bis est vivere.
Vitâ parantur vita in queis consumitur.
Vix ulla nobis vitæ pars quam vivimus.
Vixit satis quicumque cum Alcide occidit.

Vitæ Activæ.

SENTENTIÆ.

DAmascius: Natura homines otiosæ vitæ, virtutem tribuunt; cum meo quidem judicio sic se non habeat. Virtus enim in media Republ. in civilibus officiis & sermonibus versans, animum ad fortitudinem exercet, & experientia magis confirmatur quid sanum sit, quid integrum; quidq; fictum & adulterinum latitet in hominum vita, hoc omne reprehenditur, & citius emendatur. Boni autem & utilitatis quantũ est in rebus publicis, quantum & confidentiæ & fortitudinis. Quare orationes privatim habentes, & multa optimè & graviter de justitia, de temperantia philosophantes, ad res coacti descendere, valde inepte se gerunt. *è Bibliotheca Photij.*

Maximus Tyrius: Difficile est invenire vitam undequaq; perfectam, sicut & hominem. Nullum enim facile dixeris cui non desit aliquid ad perfectionem summam. Semperque ea potior dicenda est reliquis, cui quam minimum deest. Sic urbanorum felicitatem prædicat agricola, quod jucundam hilaremque vitam agant. Contra qui in concionibus & judiciis versantur, magnaque in iis autoritate pollent, sortem deplorant suam, neq; aliud quàm cũ rastris, parvoque rem habere rusculo optant. Militem audies vitam pacificam laudibus in cœlum efferre: eum contra qui non est expertus bellum, militarem admirari. Quod si Deus aliquis singulis vitam quam agunt, præsentisq; conditionis habitum, (ut in scena fieri solet) exuat, quæque nunc aliorum sunt pro iis induat, nihilo minus ipsi illi priora optabunt iterum, præsentia contra deplorabunt. Ita nihil est quod facile probent homines, quin contra querulì semper & morosi vitam transigunt, nec quæ propria illis sors esse voluit amplectuntur. Et vulgi quidem vota ac fastidia nihil necesse est referre (non magis quam pecudum aut brutorum mehercule) ipsos verò philosophos merito accuses ac infelices judices, qui cum nihil aliud jactent, quam prudentiam, recte vivendi modum, usumque rationis, nondum tamen sibi temperare possunt, quia secum partim, partim cum aliis rixentur, ac de vitæ genere quam ingressuri sint, contendant. Qui idem mihi agere videntur quod gubernatores solent, qui cum omnia quæ ad navigationem pertinent diligenter præparaverint, navem maximam, apparatum firmissimum, instrumentorum copiam, nautarum obsequium, accuratam artis peritiam, aptumq; saburræ onus, in ipsa tamen navigatione errant, nec satis quo eundum sit inveniunt; cum multos quidem portus videant, nullum tamen certum. Reliquos igitur cũ sua vivendi ratione prætermittamus: quales sunt qui in mediis voluptatibus liquescunt, qui terram colunt, qui in mari errant, qui stipendia merent, qui in concionibus clamant, qui in judiciis volutantur. Quemadmodum in corporum certaminibus homines infirmi, & qui sola victoriæ spe plus audent, quam oportet, cito deficiunt; at qui virtute freti in certamen descendunt, constanter perdurant, ac de victoria contendunt: ita in hoc vitæ certamine reliquos omnes ejectos esse à nobis, & succubuisse putemus. Solaque interea Contemplativa inter se vita & Activa, tanquã æmuli duo, & qui de victoria contendere debeant, rationis armis in præsentia concurrant. Utra ergo prior in hoc judicio nostro causam suam aget? Certe Activa, me judice: vel quod præsentis animi sit, & confidentior, vel quod versari cum populo, meliusq; vivere consuerit. Quam ita causam suam agere fingamus.

SI QUIS ubi primum vitam hanc ingredimur singuli mortalium, quasi imperator urbis aut conditor, nascentes exciperet, qui pedem inferre portis non permitteret, priusquam quod vel opus vel quam in commune Reip. bonum utilitatem conferre possint singuli, audisset è nobis; eos qui domos ædificant, responsuros arbitror, suum esse, lapides componere, atque ex iis munimenta, quibus ab injuria æstus frigorisque tuti esse possint homines, exstruere. Textores, licio & subtemine vestes contexere, quæ simul tegant & exornent corpora. Faber lignarius aratrum se afferre dicet, aut grabatum, & si quid præterea ab arte illius expectatur. Ferrarius, quæcunque ex ære aut ferro tam belli quam pacis tempore solent fieri. Etiam illa quæ voluptatis tantum causa fiunt, ut verisimile est, admittentur. Quo in genere pictores statuariosque pono, quorum ars oculos oblectat. Quibus unguentarios adde coquosq;, qui odores venditant ac succos, tum quotquot vel tibiis vel cantu vel tripudiis aurium student voluptati. Sed & aliquis ut morionem, aliquis ut mirionem agat advocabitur, alius ut verbis delectet & sermonibus. Sicut Homerus in mediis quoq; castris Nirei formæ locum dedit. Adeo ut nemo sine ulla, quod dici solet, symbola in vitam hanc veniat: quin aut usum aliquem, aut artem præbeat, aut voluptatem. Esto. In quo horum opus philosophi ponemus. Neq; enim solum hunc sine utilitate ulla tanquam fucum intrasse, sed ut sociale animal, & qui ad communem vitam aliquid conferre possit, non minus quam reliqui, omnibus notum est. Quam ergo dicemus in hac societate adferri à philosopho symbolam, aut quo in ordine hunc virum ponemus? An inter operarios cum Tuchio, aut coquos cum Mithæco, an miriones cum Phrynione, aut ridiculos cum Philippo, aut populi principes cum Cleone? An verò solus hic sine tribulareque, quod dici solet, vagabitur? Habet certe & ille opus suum, quanquam quodnam id sit ignoramus. Si ex ipso quæras: ocium dicet ago, solusque mecum rerum naturam contemplor, multaq; veritate me pasco. Næ tu beatus es cum hoc ocio tuo ô noster: siquidem si navem conscendisses, quantum intelligo, non tantum non gubernatoris, sed ne remigis quidem fungi velles munere: imo nec juvare eos qui discurrunt, & aliquid ad salutem navis conferũt, nec saltẽ agiles vectores imitari, qui quamvis nautæ non sint, interdum tamen aut rudentem tangunt, aut si magna sit tranquillitas, remum in manus sumunt. Verum ex eorum numero, qui sine ullo usu jacent & vehuntur, nihil aliud quã pondus, quod dici solet, navis. Nisi forte existimes, minus auxilio egere urbem in terra, ut tueri se possit, quam navem in mari. Multo magis illa in terra, ut arbitror, in qua pauci sunt qui aliquid agunt, cum sarcina sit maxima. Adde, quod urbs quiddam è diversorum subsidiis compositum est & conflatum, sicut corporis ratio diversas habet partes, neque paucis eget. quæ dum singulæ aliquid ad obsequium totius conferunt, totum servatur. Sustinent pedes, operantur manus, vident oculi, audiunt aures, atque ita deinceps, ne sim prolixior.

Jam ponamus à Phrygio illo fabulatore fingi fabulam, in qua

pes introducatur, qui reliquis corporis partibus succenseat, negetq; se labori amplius suppeditare posse, tantoq; oneri ferendo esse diutius, ideoq; ociari in posterum velle. Dentes vicissim molares cibū qui tantæ sufficiat turbæ, molere se & præparare posse. Atq; ita singulæ incipiant neglecto opere suo, contemplationi vacare. Quem alium fabulæ finem expectas, quā ut homo moriatur? Eodem modo in communi hoc in Reip. corpore agitur. In quo si singuli, tædio laboris, nihil reliquis suppeditent, sed abrupta societate quisq; ociari incipiat, quid obstabit quo minus totum pereat ac dissolvatur corpus? An arbitraris firma ædificia, quamdiu inter se cohærent lapides, vincta manere & consistere, sin minimum è tota compage tollas, tota dissolvi: universæ verò vitæ salutem non ex apta inter se partium commixtione pendere.

Præterea si alii cessare incipiant, nemo adhuc sentit: sicut Thersites discessu suo è castris Græcos non turbasset: Achilles contra dum irascitur, dum in tentorio suo quiescat, dum ocio, dum cithara & cantu animum oblectat suum, plurimis exercitum implevit malis. Cujus enim juvare potest præsentia, illius nocere necessario debet absentia. Quis autem ille est, quem contemplari, quē veritati operam dare, quem ociari debere dicis, nisi vir prudens & sapiēs? Quid ergo? Num in navi qui optime gubernat, locum suum aliis cedit qui minimè possunt? aut imperator exercitus, imperium suū tradit iis qui imperare nesciunt? Præterea, non possum videre, quid omnino minus cum gloria ac dignitate sit conjunctum, quam ut veritatem aliquis cognoscat, sterilemq; in animo suo thesaurum, inertem, atq; infœcundum colligat, qui neq; ipsi, neq; alii cuiquā prodesse possit. Nisi fortè auditus pulcher videtur tibi, ut audias tātum, non ut concentum aliquem percipias aut vocem: aut visus, ut videas tantum, non ut solis lumen aspicias, aut divitiæ, licet apud aliquem sine ullo usu in terra jaceant defossæ. Eodem modo scientiæ, ne singula commemorē, quis usus esse potest, nisi ea agamus, in quibus prodest scientia? Quid enim medico cum scientia, nisi ex præscripto ejus rectè valeat? Quid Phidiæ cum arte sua, nisi ebori eam admoveat & auro? Sapiens introducitur ab Homero Nestor: video tamen effectum illius sapientiæ. Conservationē, dico, exercitus, pacem Reip. liberorum obsequium, populi virtutem. Sapiens Ulysses: sed opera ejus video terra mariq; gesta.

Multorum mores populorum vidit & urbes,
Ipse suam servans animam, reditumq; suorum.

Sapiens & Hercules erat; non sibi tamen: sed ut per terras omnes omnia & maria sapientiam diffunderet suam. Hic enim ille est, qui tot feras sustulit, tyrannos in officio continuit, servientibus libertatem peperit, liberis leges tulit, justitiam confirmavit, statuta sancit: qui denique veritatem in verbis, in agendo regiam secutus est viam. Quod si procul à societate hominum vitam ducere, si ociari, si ociosam sequi maluisset Hercules sapientiam, pro Hercule revera sophista fuisset, nec quisquam eum Jovis filium dicere ausus esset. Quia nec ipse Jupiter ociatur. Nam cū eo & moveri cœlum, & nutrire terra, & fluere fluvii, & aquæ in mare labi, & vices suas mutare anni tempestates desinerent: nec Parcæ deniq; munus sortiri suū, nec Musæ canere pergerent. Cessaret & virtus hominum, & vita reliquorum animalium, & fructuum fœcunditas. Totū deniq; universum hoc in se abire denuo & confundi inciperet.

Nunc verò administratio Jovis, indefessa, perpetua, ac vigilantissima cùm sit, nec unquam deficiat, aut ab opere suo recedat, perpetuæ quoque conservationis rebus creatis causa est. Hoc est cur bonos reges Joviq; quam simillimos, moneat in somnis Jupiter:

Turpe viro totam prudenti stertere noctem
Cui populi commissa salus, & munera tanta.

Hæc cum videat philosophus, nec Jovem tamen, nec Herculem, nec reges bonos imitabitur, sed vitam potius hominis in solitudine nati, desertam, à societate alienam, ducet; vitam Cyclopum non hominum. His tamen ipsis, cum terra, ut poëta ait, triticum ferret hordeumque:

Cur nemo sereret, cur voq; instaret aratro.

Nihilominus singuli uxoribus suis & liberis leges dictabant, nec nihil erat quod agerent. Nihil enim omnino agere, cui conveniat, nisi mortuo? Quod si actio cum virtute conjuncta non esset, præstaret virtutem sequi; actionem omittere: at si contra virtus non in verbis, sed in opere atq; in actione quæ societatem respicit humanam & civilis usu vitæ consistit. hæc potissimum sequenda sunt cum quibus ipsa quoque virtus haberi possit.

Nam cuivis homini vitium sese oggeret ultrò,

Ut Bœotius poëta ait. At

Virtutem posuere Dei sudore parandam.

Nisi quis athletam laudet, qui ante sudorem coronam postulet. Atqui, dices, eum qui in Reip. administratione versatur, periculum sequitur, damna, insidiæ, invidia, exilium, mors, & infamia. Quid si cogitare eodem modo gubernator incipiat, infidam esse plenamq; periculorum navigationem & laborum: multa esse incerta in ea, tempestatem undique imminere & ventos. Quid si cogitare idem imperator incipiat, ambiguos esse belli exitus, periculum æquum utrique, discrimina maxima esse in proximo, vicinam mortē. Hæc si illi cogitent quicquamne obstabit, quo minus nemo in mari naviget, libertatem suam, ne per somnium quidem imperatorū penuria, vulgus tueatur: omnes deniq; vitam lumbricis similem, timidam inertemq; inter metus transigant? Sardanapali vitam dicis, Epicuri vitam narras. Opponamus his alios, Sardanapalo quidem Cyrum, Persam Assyrio: qui cùm ociose posset tranquilleque vivere, laborare tamen maluit, expeditiones suscipere, sitire sæpè, sæpè esurire: nec ullis aut noctu aut interdiu abstinere molestiis. Oppone & Epicuro alios multos, Græco Græcos. Ex Academia Platonē, è castris Xenophontem, è Ponto Diogenem. Plato unius amici pauperis causa qui in exilium conjectus erat cum tanta tyranni congressus est potentia terram nullam, nullū mare peragrare dubitavit; non iram tyranni, aut exilium, non pericula ulla metuit: ut vel tantillum præter philosophi officiū faceret. Cum tamē in Academia sua contemplari, & veritatis studio sese explere posset. Xenophontem ex longo ocio, rerumq; contemplatione, ad militiā munusq; imperatorium, & conservanda tot Græcorum millia, vocat Proxenus, emittit Apollo, & cum Apolline Socrates. Nam de instituto Diogenis quid necesse est dicere, qui relicto ocio suo vicinas gentes adiit, non segnis, me hercules, aut ignavus morum inspector. Verum qualis Ulysses ille:

Qualemcunque virum regum de stirpe videret,
Lenibus hunc verbis adstans retinebat euntem:
Quem verò è populo clamantem, & vana moventem,
Hunc sceptro percussit.

Adeo ut nec ipse sibi parceret, verum à se ipse pœnas cum necesse esset exigeret, multasque ipse sibi exhiberet molestias.

Sese etiam crebro percussit verbere multo,
Injecitq; humeris pannosum fortis amictum.

Ut illud prætermittam, posse virum bonum, si in agendo perseveret, nec retrò eat, aut improbis cedat, & salutis sibi autorem esse, & alios quoq; in meliorem viam reducere: contra si cedat tergumq; ostendat, temeritatem insolentiamque, atque audaciam improbis addi, propriam verò salutem prodi:

Converso quonam tergo fugis, improbe rerum?

Mane, consiste, perfer ictus, timere cave. Imbellis est hostium exercitus, ictus irriti. Ultro si hostem petas, nemo impetum sustinebit tuum, si fugias, omnes unum hoc petent caput. Sicut Ajacem Trojani, sicut Socratem Athenienses: qui non prius desierunt, quam solo virum allisissent. Quomodo ergo securè aliquis in medio vivet hostium? Cum præsertim nihil sit infestius virtuti hominum, quam improbitatis undique circumfusæ copia? In arcem me recepi, ait Socrates: unde reliquos jactari, & palantes ire video. Ostende nobis arcam aliquam tutam, ô Socrates, in qua ictus possimus adversariorum contemnere. Nam si qualis ea est, in quam temet ipse recepisti, talem mihi quoque ostendas, video unde peti possim. Video Anytos multos, multos Melitos. Expugnari potest hoc munimentum. *Dissertatione quinta. Vitam activam præferendam contemplativa.*

Vitæ Æternæ.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Chrysostomus*: Si quis te in regiam deducat, perficiatq; ut in conspectu omnium tecum rex in colloquiū veniat, tum autem eadem te mensa, eodem secum victu dignetur, te certè ipse omnium fœlicissimum censeres: in cœlum autem conscensurus cùm sis, inibiq; propter ipsum rerum universarum regem adsessurus, tum autem splendorem angelico splendori oppositū rediturus, & arcana illa gloria fruiturus: dubitas num tibi sit pecuniarum jactura facienda? cùm tamen si vel vita ipsa deponenda foret, exultare, gloriari, prę voluptate nimia erigi, ac veluti volucrem fieri conveniret. *Homilia 14. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Quomodo non credere resurrectioni, facit supinos: ita etiam negligentes reddit & socordes, existimare omnes eadem consequi & iisdem frui. Quamobrem cùm duos fecisset ordines justorum & peccatorum, hos ipsos rursus secat in duas partes: ostendens quod neq; justi, neque peccatores eadem assequentur; neq; justi omnes eadem quæ justi, neq; peccatores eadem quæ peccatores. Facit ergo primùm unam sectionem justorū & peccatorū, dicens, corpora cœlestia, & corpora terrestria; per terrestria quidem hos tacitè significans, per cœlestia autē illos. Deinde de cætero introducit differentiam peccatorū à peccatoribus, dicēs: Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem pisciū, alia autem volucrum & pecorū. Atqui sunt omnia corpora: sed alia quidem viliora & abjectiora, alia verò minùs. In vita quoq; similiter & in eadem constitutione. Et cùm hoc dixisset, ascendit rursus in cœlum, dicens: Alia gloria solis, & alia gloria lunæ. Quomodo in terrestribus corporibus est differentia, ita etiā in cœlestibus est differentia; eaque non vulgaris, sed etiā usq; ad extrema. Non solum enim est differentia solis à luna, neq; lunæ à stellis, sed etiā stellarū à stellis. Nam etsi omnia sint in cœlo: alia tamen majorem, alia verò minorem habent gloriam. Quid ergo hinc discimus? Quod etsi omnes sint in regno, non omnes tamen eadem consequentur & iisdem fruentur. etsi omnes peccatores in gehenna, non omnes eadem sustinebunt. *Homilia 41. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Tametsi gehenna non esset; quantum tamen illud est, hos quidem honorem, illos verò ignominiam reportare? Intolerabilis res est gehenna, fateor, & valde quidem intolerabilis: attamē intolerabilius mihi videtur de regno decidisse. Cedo enim, si quis rex, vel regis filius domo profectus, multis bellis egregie cō-

fectis, magnaque sui admiratione commota, universo comitatus exercitu in civitatem aliquam ingrederetur cum vehiculo, cũ trophæis, cum sexcentis militum ordinibus auro onustorum, cum satellitibus & apparitoribus omnibus aureos clypeos gestantibus; universa autem civitas coronata esset, omnesq; orbis principes cũ ipso, à tergo autem ipsum sequeretur omnis quoq; ætas exterarum nationum captiva; tum verò coram legatis, consulibus, dynastis, principibus omnibus, in præclara illa pompa obviam sibi prodeuntes cives amplexetur, osculetur, manum porrigat, omniaq; de se illos sibi polliceri velit, atq; in omnium conspectu cum ipsis, ut cũ amicis colloquatur, totumq; illud iter ipsorũ causa sibi susceptum dicat; atq; hos quidem in regiam suam perducat, alios verò quosdã derelinquat; quantum id omni supplicio majus est; etiam si illi supplicio non afficiantur? Quod si apud hominem adeo amarum est de gloria illa decidisse; multo magis apud Deum, quum superæ potestates unà cum Rege adsunt; quum dæmones vincti, atque incurvi; diabolus ipse manibus revinctis agitur, omneq; adversariorum robur, quum virtutes cœlorum, quum ipse in nubibus advenit? Credite mihi, præ dolore, qui animum meum ex hac narratione occupavit, orationem ad exitum perducere non possum. *Homilia 13. ad Philippenses.*

D. Chrysostomus: Si cupis his, quæ in mundo sunt, frui; cœlum quære: si vis etiã præsentia consequi, toto illa studio despice. Quærite enim primum, inquit, cœlorum regnum, & hæc omnia adiiciẽtur vobis. Quid parva ista miraris? Quid ad ea quæ abjectissima sunt, inhias? Quamdiu inops eris? Quamdiu pauper esse persistes? In cœlum intende aciem, cœlestesq; divitias animo versa, aurum irride. Disce cujusmodi sit illius usus, quamdiu nobiscum duret: usq; ad præsentem tantum vitam fragilem atque mortalem, illius usus extenditur. Quantum deniq; arena, imo verò quantum stilla ab immenso abysso distat, tantum vita præsens ab æternis atq; immortalibus bonis. Non est hæc vera possessio, usus est, nec ipse quidem satis proprius. Quo enim pacto? quandoquidem te expirante, velis nolis, alii tua omnia accipiunt, & ipsi rursus aliis tradunt, & illi itidem aliis. Omnes enim peregrini atq; advenæ sumus, atque dominus domus fortè magis est mercenarius domus. Sæpe enim illo defuncto hic permanet, plus quã dominus fruens domo. Quod si iste mercede conducit domum, & prior ille mercede item ædificavit, magnoq; cum labore & ærumna construxit, verbo tantum ea dominatio est: re autem vera omnes alienarum rerum domini sumus. Illa tantum nostra sunt, quæ illuc prætermittere cautè studemus: quæ autem hic sunt, non nostra, sed viventium sunt, imo viventes sæpe derelinquunt. Illa sola nostra sunt, quæq; virtutis animæ propria sunt, eleemosyna scilicet, ac pia in pauperes miseratio. Porro ista exteriora dicuntur etiam apud ipsos externæ sapientiæ auctores, quippe quæ extra nos sunt: ea igitur juris nostri faciamus. Neq; enim possibile eleemosyna data proficisci: imo vero ipsa etiã præmittam[9], ut nobis in æternis mansionibus tabernaculum præparent. Pecuniæ enim è græco vocabulo ab usu dicuntur, nõ quod propiè sint, imo & possessiones ipsæ, usus, non dominatio sunt. Dic enim quæso, villa quælibet quot habuit dominos? quot itidẽ habitura est? Dicitur quoddam vulgo proverbium, & sapienter quidem. Neq; enim passim contemnenda sunt, quæ vulgo dicuntur, si quid in se rectè habent. Ager, inquit, quam multos habuisti, & quã multos habiturus es dominos? hoc & ad domos & ad pecunias ritè dici potest. Sola igitur virtus nobiscum migrare consuevit. Virtus sola ad æternam vitam pertransit. *Homilia 11. ad Timoth. 1.*

Isidorus Pelusiota: Habet in divina scriptura pullulantes earum rerum, quas seris, fructus: Cernis egregiorum tuorum certaminum palmas: nẽpe & pro sponte suscepta paupertate, centuplo ampliora tum hic tum illic bona pollicente bono illo pastore ac salvatore: & pro subitis adversus vitia certaminibus, ac palæstris, corruptionis expertem coronam tibi nectente Paulo, generoso inquam illo in hujusmodi rebus pugile, ac victore. *lib. 1. Epist. 212.*

❡ Latinorum.

S. Valerianus: Hæc est illa via per quam Justi pergunt, & sancti immaculatiq; gradiuntur: per quam illis iter est qui humilitate, integritate, sanctitate præditi, indefessi Christum nostrum prosequũtur. Hujus ergo viæ & eligendus nobis & muniendus accessus est: quia sicut est arduus, ita & pervius. Facilem autem se volentibus præstat, si non aut vanitas impediat, aut fallax hujus mundi ornatus obsistat. Liberum autẽ & exutum omnibus impedimentis illũ esse convenit qui iter ardui montis aggreditur. Sicuti autem videmus injusto fasce vacillare vestigia; ita multis lapsibus subjacet anima, si fuerit iniquis actibus occupata. Unde exonerandum corpus est sæcularibus desideriis impeditum: ne per ardua & excelsa tendentibus, aut periculum mortis incumbat, aut desperatio laboris adcrescat. Quis igitur sapiens, animal suum impeditum sarcina per angustum iter dirigat, cujus unum latus excelsi montis moles premat, aliud rupes præceps adstituat? ubi si temeritas prævaluerit aut revertendum est, aut evadendum. Similis est & hominis illius causa qui viam religionis ingressus est. Opus est ergo ut semper resecet quæcunq; aut inhonesta videantur, aut turpia, qui animam suam ad cœlestem gloriam desiderat pervenire. *Homil. 2.*

Idem paulò pòst: Difficile est, ut ad ea quæ præparavit Dominus credentibus in se, tibi perveniendi sit aditus, nisi onustum vitiis pectus exoneres, atq; omnes injustitiæ culpas religiosæ disciplinę auctoritate compescas. Superfluè autem te putas ardui itineris & viæ asperę semitas tenere, si animæ impediaris errore. Ponite vobis ante oculos, duos ad superiora tendentes, quorum unus gravi pondere onustus pergat, alter levi tantum baculo nixus incedat: & videbitis quis facilius ad superiora perveniat. Respicite prius ad illũ qui gravatur onere, & videbitis hominis illius pendentia retrorsum festinare vestigia, atq; ita flexo genu incedere, ut putetur redire; modò descendenti, modò cadẽti similis, ita in diversam partem penduli itineris toto corpore per singula momenta jactatur, ut ipsa necessitas ambulandi penè plus desperationis habeat quã laboris. Convertite modò oculos vestros ad illum, cujus cervicibus nihil ponderis imminet, & videtis quam liber incedit, quam facile illi est per ardua exutis ire plantis, & in locis scrupeis pendulis hærere vestigiis, nunc levi cursu procerus attollitur; nunc per diversa tota animi alacritate portatur; ut ostendat difficultatem locorum liberis non impedire corporibus, nec laboriosa esse cuiquam itinera quamvis sint ardua, si exoneretur mens injustis ponderibus occupata. Similis est ratio, sive his quos iniqui actus onerant, sive illis quos veteri exutos culpa pœnitentiæ lachrymæ commendant. Debet itaque quæ sunt onerosa deponere qui vult ad judicium securus venire, & terrena contemnere, cui est animus cœlestia possidere. Sane quo facilius illius ardui itineris exuperemus angustias, sinceræ mentis adhibenda sunt studia, & removendum si quid litiũ, aut infelix sermo seruit, aut in opprobrium domus alienæ injuriæ fortè veneni lingua commovit. &c.

S. Valerianus: Si comparemus æternis præsentia, satis vilia & inutilia constat esse quæ temporaliter possidemus. Require denique gratiam debitæ hæreditatis, & intelliges hujus mundi divitias displicere, ac judicabis nil auro obscurius, nil argenti splendore sordidius. In comparatione autẽ paradisi, vitro similis est gemma pretiosior. Ita est enim hujus lucis & futuri temporis dignitas, ac si stante in cœlo Luna, oculis hominum radius se matutinalis infuderit: Tamdiu enim placet lunare commercium, quamdiu tenebrosæ nocti constitutis legibus præstat officium: quæ quamvis placeat candore nocturni luminis, obscuratur tamen supervenientis sideris claritate melioris. *Homilia decima quinta.*

S. Salvianus: Cum omnes perpetuò velint vivere, omnes id agere deberent, ut vitam participare possent: quia inconsultissimum ac stultissimum est, id quosdam agere, ut quod affectu ac voto volunt, id ipsum re atq; actu nolle videantur. *libro 1. contra avaritiã.*

S. Salvianus: Nemo est inter homines qui cùm beatus esse valeat; miser esse malit: nemo est qui cum haberi possit delicias summi boni, pati velit supplicium summi mali. *lib. 3. contra avaritiã.*

Chrysologus: Verè illa vita est, quæ sudorem nescit, dolorem non habet, non habet finem. *Sermone 11. f.*

Chrysologus: Quid ergo cum terra illi, qui possidet cœlum? Quid illi cum humanis, qui adeptus est jam divina? nisi fortè placent gemitus, eliguntur sermones, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala bonis sunt gratiora collatis. *sermone 15.*

Chrysologus: In agone isto terreno qui vincere volunt, abstinent se à cibis quibusdam, à potu nimio: abstinent ab omni immunditia, sub tanta castitate, ut etiam propria conjugia non requirant: nec aliter se vincere posse sperant, nisi corpus suum castum, pudicumque servaverint. Et post tantum laborem quid aliud quã parvam, & corruptibilem, & vilem quidem coronam accipiũt? Si ergo pro corruptibili corona tantus labor à quibusdam suscipitur: quãto magis nos omnem laborem sustinere debemus, quibus præmiũ cœleste, & æternæ gloriæ corona promittitur? Est ergo nobis agonizandum non levi certamine: certamus enim contra spiritualia nequitiæ, contra diabolum & angelos ejus: certamus contra injustitiam, contra impietatem, contra malitiam, contra impudicitiã, contra diversas illecebras peccatorum. Et si certantes vincimus, tot coronas accipimus, quot vitiorum victores fuerimus. Magnus itaque agon iste est, in quo spectaculum domino exhibemus: spectamur enim certantes à domino, spectamur ab angelis ejus: in terra vincimus, sed præmium virtutis in cœlestibus accipimus. Denique sancti martyres in agone certaminis positi, non solum vitia peccatorum, sed ipsam mortẽ vicerunt, & præmia immortalitatis susceperunt. In hoc agone primo Dominus & salvator noster, & certavit & vicit, ut nobis exemplum certaminis & victoriæ demonstraret. *sermone 119. ante finem.*

❡ Principum Græcorum.

Iulianus Imp. Et Getarũ quidem gentẽ penitus everti & delevi. Sunt aũt illi omniũ, qui usquã sunt, bellicosissimi, cum quod corporis robore plurimũ valent, tũ etiã maxime propter eã quã eorũ animis defixit opinionẽ, qui apud ipsos colitur Zamolxis. Etenim cùm planè confirmatum habeant, se nõ omnino interire, sed aliò ad habitandum traduci, multò sunt paratiores ad subeunda pericula, quippe qui migrationẽ præstolentur. *in Cæss. loquitur Trajan[9].*

Basilius Imp. Istam regiã multi reges quasi inquilini habitarũt, sed pauci regnũ cœleste, quasi domũ suã tenuerunt. Tu verò, amãtissime fili, enitere nõ solũ regno isto terreno recte defungi, per omnẽ morũ probitatẽ: sed etiã cœleste velut hæreditario jure consequi, per omnimodæ virtutis exercitationẽ. hodie.n. tua sunt ista palatia, crastina die fortasse nõ erũt, & perendie alterius fient: ac post perendinũ diẽ alius adhuc post aliũ: ita ut nullius unquã sint propria: nã si multos vicissim permutãt dominos, tamẽ propriè nullũ legitimũ habent. Quoniã ergo nos aliis cedere oportet istinc dominationẽ, properemus per iter virtutis illò ubi regnũ est, nec morti nec vicissitudini obnoxiũ, cũ cætera omnia defluant ac prætereant. *Cap 41.*

Basilius imperator: Obnoxius es morti corpore, sed animo permanebis immortalis. in iis ergo quæ corporis propria sunt, mortale capias: in iis verò quæ animi, immortale amplectere: mundum istum corruptibilẽ corpore mortali: animo verò beatitudinẽ æternam atq; incorruptibilẽ, quasi immortalis. etsi enim modò in sublime solium elatus es, post aliquantum temporis tamen ab eo descendis: & si totum orbem terrarum tuæ ditioni subjugaveris, post mortem tamen non amplius quã pedes quatuor & semissem occupabis. Proinde cura regnum hoc terrenũ, quasi mortalis: sed enitere ut immortale acquiras per virtutũ adeptionem, quasi immortalis. propterea enim terrena potentia donatus es, ut per eam cælestem atq; æternam dominationem acquiras. *cap. 45.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 3. Præcept. Virgg.

Durum iter & salebris infestum carpe libenter,
Conscendensque vide, ne quid vestigia fallat:
Vt tibi propositam pedibus contingere metam
Detur inoffensis, perque arctam tendere portam
Ad sedes superas: ubi gloria luxque perennis,
Et jucunda quies nullo interrupta dolore.
Si metuis, stipulam quia parvulus excitat ignis,
Pone metum, flammam ingentem tibi cælicus imber
Sopiet, atq; preces, gemitus, lachrymaq; diurna,
Atque graves curis noctes, totusq; supernum
Ad regem contensus amor, sedesque beatas.

Prudentius contra Marcionitas.

At diversa procul regionibus, in paradisi
Præmia constituit majestas gnara futuri
Spiritibus puris, & ab omni labe remotis,
Quiq; Gomorrhæas non respexere ruinas,
Adversis sed ritè oculis post terga tenebras
Liquerunt miseri properando pericula mundi,
Ac primam facili referuntur ad astra volatu,
Vnde fluens anima structum vegetaverat Adam.
Nam quia naturam tenuem declivia vitæ
Pondera non repriment, nec tardat ferrea compes;
Concretum celeri relegens secat aera lapsu,
Exuperatque polum fervens scintilla remensum,
Carcereos exosa situs, quibus hæserat exul.
Tunc postliminio redeuntem suscipit alto
Cana Fides gremio, tenerisq; oblectat alumnam
Deliciis, multos post diversoria carnis
Ore renarrantem querulo quos passa labores.
Illic purpureo latus exporrecta cubili
Floribus æternis spirantes libat odores,
Ambrosiumque bibit roseo de gramine rorem.

Prudentius lib. 2. adversus Symmachum.

Simplicis ergo via dux est Deus. ille per unam
Ire jubet mortale genus, quam dirigit ipse
Sublimem dextro celsa ad fastigia clivo.
Prima via facies inculta, subhorrida, tristis,
Difficilis, sed fine suo pulcerrima, & amplis
Prædita divitiis, & abundans luce perenni,
Et quæ præteritos possit pensare labores
Multiplicis dux Dæmon at est, qui parte sinistra,
Centifidum confundit iter. trahit inde sophistas.
Barbatos, trahit hinc opibus vel honore potentes,
Illicit & volucrum linguis & aruspice fallit,
Instigat bacchantis anus ambage Sibylla,
Involvit mathesi, magicas impellit in artes,
Omine sollicitat, capit augure, territat extis.
Cernis ut una via est multas anfractibus errans,
Talem passa ducem qui non sinat ire salutis
Ad dominum, sed Mortis iter per devia monstret?
Devia, picta bonis brevibus, sed fine sub ipso
Tristis, & in subitam præceps immersa Charybdim.

¶ Emblematum.

Adeod. Seba. Avis ruptâ caveâ evadens.

Libera ceu volucris, cavea mox carcere clausa,
Libera confracto carcere rursus abit:
Liber homo natus, mortis dein clausus in antro,
Rursus abit Christo liber ad astra duce.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Iesus Christus Dominus noster: De vita beata differens, discipulis suis & toti Ecclesiæ dixit, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolationem accipient. Beati mites: quoniam ipsi terram obtinebunt. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsis misericordia tribuetur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persequutione invaduntur justitiæ causa: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati eritis quum convitiati fuerint vobis, & persequuti fuerint, & mentientes dixerint quidvis mali adversus vos, propter me. Gaudete & exultate, quoniã merces vestra multa est in cœlis. *Matth. 5. 3. 4. &c.*

Idem: Dicente Thoma, Domine nescimus quo abeas: quomodo igitur possumus viam scire? Respondit ei Iesus, Ego sum via, & veritas, & vita. nemo venit ad Patrem nisi per me. Si nossetis me, Patrem etiam meum nossetis: & jam nunc cognoscitis eum, & vidistis eum. *Ioann 14. 6. 7.*

D. Cyprianus: Descriptis, sublimi illa ad Donatum epistola, seculi miseriis & vanitate, nobili admodum Apophthegmate sermonem claudit, dicens, Una igitur placida & fida tranquillitas, una solida, firma, & perpetua securitas, si quis ab his inquietãtis seculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cœlũ oculos tollat à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente jam proximus, quidquid apud cæteros, in reb. humanis sublime ac magnũ videtur, intra suam conscientiã jacere glorietur. Nihil appetere jam, nihil desiderare de seculo potest, qui seculo maior est. *Et paulo post*: Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus est, ut hominis summa vel dignitas, vel potestas elaborata mole pariatur: sed gratuitũ de Deo munus, & facile est. Ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat: ita se Spiritus cælestis infundit. Postquã auctorem suum cœlum intuens anima cognovit, Sole altior, & hac omni terrena potestate sublimior, id esse incipit, quod se esse credit. Tu tantum, quẽ jam spiritalibus castris cælestis militia signavit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam. sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nũc cum Deo loquere, nunc Deus tecum. Ille te præceptis suis instruat, ille disponat, quẽ ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria esse nulla jam poterit, cum semel pectus cœlestis sagina saturaverit. Jam tibi auro distincta laquearia & pretiosi marmoris crustis vestita domicilia sordebunt, cum scieris te excolendum magis, te potius ornandum, domum tibi hanc esse potiorem, quã Dominus insedit templi vice, in qua Spiritus sanctus cœpit habitare. *lib. 2. ep. 2. ad Donatum.*

Epiphanius: Quum Episcopi ex urbe Constantinopolitana Epiphanium ad mare deducerent, & ipse navim esset conscensurus, dixisse ad eos fertur: urbem hanc & imperatoriam aulam, vitæq; hujus actionem & fabulam vobis relinquo: ego vero abeo, in civitatẽ aliam transire properans. *Niceph. eccl hist. lib. 13. cap. 13.*

Anonymus: Monachus quidã Ægyptius, cum patris mors ei significaretur, illum qui significabat sic allocutus est, Desine loqui blasphemias. Nam pater meus immortalis est. *Socrat. hist. eccl. lib. 4. cap. 18.*

Iulianus eremita: Vereor, inquit, ne dum terrena dilatamus habitacula, minuamus cœlestia. Atqui hæc quidem sunt ad tempus, & quæ nobis parum cõveniunt: cœlestia autem sunt æterna, & quæ nullum finem possunt capere. *Theodor. hist. Sanct. Patrum.*

Monica: Cùm D. Augustinus in Africã rediturus apud ostia Tyberina cum Monica matre de vitæ hujus fragilitate & alterius beatitudine loqueretur, mundus illis inter verba cum omnib. delectationibus vilescere cœpit. Tum illa, *fili, quantum ad me attinet, nulla jam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic sim nescio, jam consumpta spe hujus seculi. Vnum erat propter quod in hac vita aliquantũ immorari cupiebam, ut te Christianũ Catholicum viderem prius quam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit, ut te etiam contempta felicitate terrena servum eius videam. Quid hic facio?* Neque vero decem abiere dies, cum animam sanctam creatori suo reddidit. *D. Augustinus, lib. 9. Confess. cap. 10.*

D. Fulgentius: Cum Romam venisset, omnesq; fideles, quorum in brevi notitiam capere potuit, humili obsequio salutasset, in loco qui palma aurea dicitur Theodorico 2. in Italia Gotthorum rege cõcionem faciente, Romanæ curiæ nobilitatem, decus, ordinemq; distinctis decoratam gradibus adspectans, & favores liberi populi castis auribus audiens, qualis esset hujus seculi gloriosa pompa, cognovit. Neq; tamen in hoc spectaculo aliquid libenter intuitus, neque magis illis secularibus superflua illectus delectatione consensit, sed inde potius ad illam supernam Hierusalem feliciter desiderandam vehementer exarsit: salubri disputatione præsentes sic admonens, Fratres, quam speciosa potest esse Hierusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris! Et si in hoc seculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem: qualis honor & gloria & pax præstabitur sanctis contemplantibus veritatem? *Autor vitæ, cap. 13.*

Theodoricus: Theodoricus Coloniensis ecclesiæ pontifex prudẽtia & authoritate inter electores imperii facilè princeps, quærenti Sigismundo Cæsari, quonam pacto felicitatem consequi posset? Inter mortales ait, frustra requiris: petenti rursum ad cœlestem illam quo itinere pergeret? Rectà, inquit. instanti tertio, quid agens rectà vaderet? si vitam tuam ita institueris duxerisq; respondit, ut facturum te promisisti, dum calculus, aut podagra, sive alia valetudo acrius te oppressit. *An. Sylv.*

De Vitæ æternæ Felicitate.

Augustinus: 1. Illi cœli superiores, ignoti nobis in terra laborãtibus, & p humanas cõjecturas utcunq; ista quęrentibus, quomodo sint super invicẽ, vel quot sint, vel quibus modis distincti sint, quib. incolis impleri, qua dispositione regantur, quomodo ibi unus quidam hymnus indeficienter cõcinnes, ab omnibus prædicet Deum: multum est ad nos invenire, satagimus tamen pervenire. Ibi est enim patria nostra, quam longa fortasse peregrinatione obliti sumus. *In Psal. 31. Conc. 2.*

2. Audiamus & desideremus videre, unde cives simus nos, & quomodo in nobis reformetur amor patriæ & civitatis nostræ,

diuturna peregrinatione obliti fueramus. Misit quippe inde ad nos epistolas pater noster, ministravit nobis scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium: quia peregrinationem nostram diligendo, ad hostes faciem posueramus, & dorsum ad patriam. *In Psal. 64.*

3. Te decet hymnus, ô Deus, inquit Propheta. sed ubi? in Sion (quæ interpretatur speculatio, i. visio & contemplatio. Nescio quod nobis in vita æterna promittitur spectaculum, & hoc ipse Deus est, qui condidit civitatem.) in Babylone non decet. Etenim quisque cùm cœperit innovari jam corde in Sione & Hierusalem cantat, dicente Apostolo, Cõversatio nostra in cœlis est. In carne enim ambulantes, inquit, non secundum carnem militamus. Jam desiderio ibi sumus, cùm spem in illam terram, quasi anchorã præmisimus, ne in isto mari turbati naufragemus. Quemadmodum ergo de navi, quæ in anchoris est, rectè dicimus, quod jàm in terra sit, adhuc tamen fluctuans, sed in terra quodammodo educta est contra ventos & tempestates: sic contra tentationes hujus peregrinationis nostræ, spes nostra fundata in illa civitate Hierusalem facit nos non abripi in saxa. *In eundem Psal. 64.*

4. Quandiu sumus in corpore, inquit Apostolus, peregrinamur à Domino, Quodlibet ergo hic abundet, nondum sumus in illa patria quo redire festinamus. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam. Si dulcis est patria, amara est peregrinatio. Si amara est peregrinatio, tota die tribulatio. Quando non erit tribulatio? quando in patria delectatio. *In Psal. 85.*

5. Inimicus ille qui modò invidet ne ad illam patriã veniamus, illic cuiquam insidiari non poterit, quia nec esse ibi permittetur. Si enim modo excluditur de corde credentium, quomodo non excludetur de civitate viventium? Quid erit? quid erit (rogo) esse in illa civitate, de qua loqui tantum gaudium est? Huic futuræ vitæ corda præparare debemus. Quisquis ei cor præparaverit, totã istam præsentem vitam terrenam & caducam contemnit. *In Psal. 147.*

6. Nondũ sumus in patria. quando erimus in patria? quando triumphabimus de victo inimico & insidiatore diabolo. *In Ps. 148.*

7. Si à patre homine peregrineris, miser esses: à Domino peregrinaris, & felix es? Qui autem intelligunt, in qualibet circumfluentia copiarum & voluptatum, quamvis ad nutum cuncta deserviant, quãvis nihil molestũ irrepat, nihil adversum terreat: tamen in malo se esse quandiu peregrinantur à Domino, acutissimo oculo vident se tribulationem & dolorem invenisse. *In Psal. 83.*

8. Hoc ipsum quod cum Deo nondũ sumus, hoc ipsum quo inter tentationes molestiasque versamur, quod sine timore esse non possumus, maxima tribulatio est. Non enim est illa securitas quæ nobis promissa est. Hanc tribulationem peregrinationis suæ qui non invenerit, ad patriam redire non cogitat. Certè modo facimus bona opera, quando porrigimus panem esurienti, domum peregrino, & contribulatio est hæc. Invenimus enim miseros super quos misericordiam facimus. Et si miserorum miseria facit nos compatientes: quantò melius ibi jam essemus, ubi non invenis esurientem quem pascas, ubi non invenis peregrinum quem suscipias, nõ nudum quem vestias, non ægrum quem visites, non litigantem quem concordes? Omnia enim ibi summa sunt, vera sunt, sancta sunt, æterna sunt. *In Psal. 49.*

9. Quid dicis? In vita æterna nulla sunt bona? Imò verò ibi sola sunt bona, non malis mixta bona: securitas in quib. gaudeas quantum vis, & nemo dicat tibi, Tempera te. Hic autem de bonis terrenis gaudere molestum est, & periculosum nimis: ne sic gaudeas ut hæreas, & gaudendo malè pereas. Nam unde Deus miscet tribulationes gaudiis terrenis, nisi ut tribulationem sentientes & amaritudinem, amare & desiderare æternam dulcedinem discamus? *In Psal. 137.*

10. Gemimus in peregrinatione hac, exultabimus in patria. Qui autem non gemit peregrinus, non gaudebit civis: quia desiderium non est in illo. *In Psal. 148.*

11. Paucis dieb. hic vivimus & transimus. Inquilini enim hic sumus: habitatores in cœlo erimus. Ibi es inquilinus, unde auditurus es vocem Domini Dei tui, dicentis, Migra. Nam de domo illa æterna in cælis, nemo te jubebit migrare. Hic ergo inquilinus. Unde etiã dicitur in Psalmo, Inquilinus ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei. Hic ergo inquilini sumus: ibi Dominus nobis mansiones dabit æternas. Multæ sunt: inquit Christus, mansiones apud Patrem meum. Mansiones illas non tanquam inquilinis dabit, sed tanquam civibus in æternum mansuris. *In Psal. 60.*

12. Ibi sunt & angeli concives nostri. Sed quia nos peregrinamur, laboramus: illi autem in civitate expectant adventum nostrum. De illa civitate, unde peregrinamur, literæ nobis venerunt: ipsæ sunt scripturæ, quæ nos hortantur ut bene vivamus. Quid dicam venisse literas? Ipse rex descendit, & factus est nobis via in peregrinatione, ut in illo ambulantes, nec erremus, nec deficiamus, nec in latrocinãtes incidamus, nec in laqueos irruamus, qui ponuntur juxta viã, sed ut ad illam civitatem perveniamus. Ambulãtes ergo in Christo & adhuc peregrinantes, donec perveniamus, & suspirantes desiderio cujusdam ineffabilis quietis quæ in illa civitate habitat, nõ nos avertat inimicus à via, ut qui colligit nos tanquam pullos suos sub alis suis, foveat nos: nec aberremus ab alis ejus, ne accipiter æthereus capiat implumes adhuc pullos. *In Psal. 86. 89. 90.*

13. Finita via habitabimus in illa civitate quæ nunquam ruitura est, quia & Dominus habitat in ea & custodit eã, quæ est visio pacis æterna Hierusalem, pacis illius cui laudandæ lingua non sufficit. Ubi nullum hostem jam sentiemus, nec in Ecclesia, nec extra Ecclesiam, nec in carne nostra, nec in cogitatione nostra. Absorbebitur mors in victoriam, & vacabimus ad videndum Deum in pace, facti cives Hierusalem civitatis Dei. *In Psal. 134.*

14. Quæ lingua docere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sunt gaudia, Angelorum choris interesse, cũ beatissimis spiritib. gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumẽ videre, nullo mortis motu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? *Serm. 181. de tempore.*

15. Non qualis est ista vita, ita invenietur & illa. Quantum autem distat inter hãc & illam? Hic falsitas, ibi veritas. Hic perturbatio, illic fida possessio. Hic pessima amaritudo, illic sempiterna dilectio. Hic periculosa elatio, illic est secura exultatio. Hic timetur, ne qui erat amicus efficiatur subito inimicus: illic semper qui est, manet amicus: quia nullus illic admittitur inimicus. Hic quicquid est bonũ, timetur ne pereat: illic quicquid acceperis, ab illo servabitur, qui fecit, ut ne tu trãseas, & quod acceperis, non amittas. Hic mors, ibi vita. Hic omnia quæ creavit Deus, illic ipse pro omnib. & in omnibus Deus, & quæ Deo digna dicuntur: si tamẽ aliqua dicuntur. Non enim sufficit humana lingua laudare, quod sensus mortalium non valet comprehendere. Ibi videbimus quod oculus nõ vidit: ibi audiemus, quod auris hic non audivit. Ibi intelligemus, quod cor humanum comprehendere hic non valebat: videntes scientesq; exultabimus inenarrabili gaudio. Et quale gaudium erit, ubi nullus erit timor? Quale gaudium erit, cum te videris socium esse angelorum, participem regni cælorum, regnare cùm rege, nihil concupiscendo omnia possidere, sine avaritia divitem, sine pecunia administrantẽ, sine successore judicantem, sine metu barbarorum regnantem, sine morte æterna vita viventem? *Orat. contra Paganos, Iudæos, & Arianos, cap. 21.*

16. Angeli in cælo laudant Deum, videntes ipsam speciem veritatis, sine ulla caligine visionis, sine interpolatione aliqua falsitatis. vident, diligunt, laudant non fatigantur. *In Psal. 56.*

17. Omnis numerus sanctorum ex hominibus commutandorum, ut fiant æquales angelis Dei, adjuncti etiam ipsis Angelis, qui modo non peregrinantur, sed expectant nos, quando à peregrinatione redeamus: omnes simul unam domum Dei faciunt, & unam civitatem. Ipsa est Hierusalem. *In Psal. 126.*

18. In terrenis civitatibus alia est fabrica ædificiorum, alii sunt cives inhabitantes in fabrica. Illa verò civitas Hierusalem civibus suis ædificatur, ipsi ibi sunt lapides qui sunt cives. Lapides enim sunt vivi. Et vos, inquit Petrus, tanquam lapides vivi ædificamini in domum spiritualem. *In Psal. 86.*

19. Domus dicitur vita æterna, ubi semper manebimus. In ista peregrinatione dicitur quidẽ domus, sed propriè tabernaculum appellatur. Tabernaculum peregrinantium, & quodammodo militantium, & adversus hostes pugnantium est. Ergo hic tabernaculum, ibi domus. Sed & hoc tabernaculum interdum per abusionem vicinitatis, dicitur domus: & domus aliquando, secundum eundem modum, dicitur tabernaculum: propriè tamen illa domus est, hoc tabernaculum. Quandiu ergo habemus hostem cum quo pugnemus, tabernaculum Deo faciemus. Cum autem transierit tempus pugnæ, & venerit pax illa, quæ præcellit omnem intellectum (quantumcunq; enim cogitaveris de pace illa, minus eam capit animus adhuc in ista corporis gravedine constitutus) cum venerit inquam, illa pax & patria, jam domus erit. Non procedemus ad pugnãdum, sed permanebimus ad laudandũ. Quid enim dicitur de illa domo? Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. In tabernaculo adhuc gemimus, in domo laudabimus. Quare? quia gemitus est peregrinantiũ, laudatio jam in patria & in domo cõmanentium. Qui in illam intrant, ut inhabitent, ipsi sunt, qui intrant, ut inhabitentur: In domum tuam ut inhabites, intras: in domum Dei, ut inhabiteris. Est enim melior Dominus, qui cùm te cœperit inhabitare, beatum te facit. Nam si tu ab illo non inhabiteris, miser es. *In Psal. 26. & 131.*

20. Multum laborat præliator hic, tenens concupiscentem adversus spiritum carnem: tunc erit plenè quodvis, cum absorpta fuerit mors in victoriam. Ibi dicetur, Ubi est mors aculeus tuus? Non enim relinquetur, nec in animo, nec in corpore, quod rebellet adversus amorem Dei. Plena victoria, plena pax erit. *In Psal. 143.*

21. Quando corruptibile hoc induerit corruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem: tunc plena erit pax, tunc firma pax. Nihil litigabit adversus animam in homine, non ipsa adversum se ex quadam parte saucia, nõ carnis fragilitas, non indigentia corporis, non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo, non ulla inopia, non provocatio rixæ, non certè ipsa solicita cautela & vitandi inimici & diligendi. *In Psal. 147.*

22. Quis non desideret illam pacem, unde amicus non exit, quò inimicus nõ intrat? ubi nullus tentator est, nullus seditiosus, nullus dividens populum Dei, nullus fatigans Ecclesiam Dei in ministerio Diaboli, quando ipse Princeps ipsorum mittitur in ignem æternũ, & cum illo quicunque illi consentiunt, & recedere ab eo nolunt. Erit ergo pax purgata in filiis Dei, omnibus amantibus se, videntibus se plenos Deo, cum erit Deus omnia in omnibus. Commune spectaculum habebimus Deum. Quicquid enim est, quod modo nobis dat, ipse nobis erit pro omnibus quæ dat: ipse erit perfecta & plena pax. *In Psal. 84.*

23. Servatur ergo nobis neſcio quod dulce pacis ſpectaculum omnino: & ſi cogitari ex aliqua parte in ænigmate & per ſpeculum poteſt, dici tamē nullo modo poteſt pulchritudo illius dulcedinis, quā ſervat Deus timentibus ſe. Noli mirari ſi in laboribus pararis, ad magnum aliquid pararis. Unde vox illa juſti confirmati, (nempe Pauli Apoſtoli) Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Quæ erit futura gloria noſtra, niſi æquari angelis, & videre Deum? *In Pſal.* 36.

24. Ergo viſuri ſumus quandam viſionem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit: viſionem quandam præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atq; camporum, pulchritudinem maris & aëris, pulchritudinem ſolis & lunæ, pulchritudinem ſtellarum, pulchritudinem angelorum: omnia ſuperantem, quia ex ipſo pulchra ſunt omnia. *Tract.* 4. *in epiſt. Ioan.*

25. Si te delectant bona iſta (creata) quæ non ſunt per ſe bona (omnia enim mutabilia non ſunt per ſe bona) qualis erit contemplatio incommutabilis boni æterni, ſemper eodem modo manentis? Quandoquidem iſta dicuntur bona, nullo pacto nos delectarēt, niſi eſſent bona: nec alio pacto eſſent bona, niſi ab illo eſſent, qui ſimpliciter bonus eſt. Omnia enim bona ipſe fecit: ipſe eſt bonus, quem nemo fecit. Ille bono ſuo bonus eſt, non aliunde participato bono. Ille à ſeipſo bono bonus eſt, non adhærendo alteri bono. *In Pſal.* 26. & *in Pſal.* 134.

26. Non poſſumus dicere quale bonum ſit Deus, & non permittimur tacere. Ergo ſi non poſſumus dicere, & præ gaudio non permittimur tacere, nec loquamur, nec taceamus. Quid ergo faciemus, non loquentes, & non tacentes? Jubilemus. *In Pſal.* 102.

27. O vita, quam Deus præparavit his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita caſta, vita ſancta, vita ignara mortis, vita neſcia triſtitiæ, vita ſine labe, ſine dolore, ſine anxietate, ſine correptione, ſine perturbatione, ſine varietate & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis pleniſſima, ubi non eſt adverſarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi eſt amor perfectus & timor nullus, ubi dies æternus & unus omnium Spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens ſine defectu ſatiatur! Libet me tuæ intendere claritati, delectant me bona tua avido corde: quantò plus valeo mecum conſiderare, tanto plus amore langueo, tuo vehementi deſiderio, tuaq; dulci memoria admodum delector. Libet itaque, libet cordis in te oculos attollere, ſtatum mentis erigere, affectum animi conformare. Libet ſanè de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre, de tua beatitudine & gloria quotidie legere, & lecta ſæpius ſub corde revolvere, ut vel ſic poſſim ab hujus mortalis perituræq; vitæ ardoribus, periculis & ſudoribus, ſub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio tranſire, & tranſiens in ſinu tuo feſſum caput dormiturus vel paululum reclinare. Hujus rei gratia ſcripturarum amœna prata ingredior, viridiſſimas ſententiarum herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino, atq; congregando tandem in alta memoriæ ſede repono, ut tali modo tua dulcedine deguſtata, minus iſtius miſerrimæ vitæ amaritudines ſentiam. O tu vita feliciſſima, ô regnum vere beatum, carens morte, vacās fine, cui nulla tempora ſuccedunt per ævum, ubi continuus ſine nocte dies neſcit habere tempus, ubi victor miles illis hymnidicis angelorum ſociatus choris, cantat Deo ſine ceſſatione canticum de Canticis Sion! Utinam conceſſa mihi peccatorum venia, moxq; hac carnis ſarcina depoſita, in tua gaudia veram requiem habiturus ingrediar, & tuæ civitatis præclara atque ſpecioſa mœnia, coronam vitæ de manu Domini accepturus intrem, ut illis ſanctiſſimis choris interſim, ut cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris adſim, ut præſentem Chriſti vultum cernam, ut illud ſummum, ineffabile & incircumſcriptum lumen ſemper aſpiciam, ſicq; nullo mortis affici, ſed de incorruptionis perpetuæ munere lætari poſſim ſine fine.

Ibi dulcis ſolennitas omnium ab hac triſti peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi Prophetarum providus chorus, ibi duodenus Apoſtolorum numerus, ibi innumerabilium martyrum victor exercitus, ibi ſanctorum confeſſorum ſacer conventus, ibi veri & perfecti ſolitudinis cultores, ibi ſanctæ mulieres, quę voluptates ſeculi & ſexus infirmitatem vicerunt, ibi pueri & puellæ qui annos ſuos ſanctis moribus tranſcenderunt, ibi ſunt oves & agni, qui jam terrenæ voluptatis laqueos evaſerunt: exultant omnes in propriis manſionibus. Diſpar eſt gloria ſingulorum, ſed communis eſt lætitia omnium. Plena & perfecta ibi regnat charitas, quia Deus eſt ibi omnia in omnibus, quē ſine fine vident, & ſemper videndo in ejus amore ardent, amant & laudant, laudant & amant. Omne opus eorum, laus Dei ſine fine, ſine defectione, ſine labore.

Felix ego, & verè in perpetuum felix, ſi poſt reſolutionem hujus corpuſculi audiam illa cantica cæleſtis melodiæ, quæ cantantur ad laudem regis æterni ab illis ſupernæ patriæ civibus, beatorumque ſpirituum agminibus. Fortunatus ego nimiumq; beatus, ſi & ego ipſe dignus factus fuero cantare ea & adſiſtere regi meo, Deo meo, duci meo: & cernere eum in gloria ſua: ſicut ipſe polliceri dignatus eſt, dicens, Pater, volo ut quos dediſti mihi, ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam habui apud te ante conſtitutionem mundi. *Item*, Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. *Et iterum*, Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. *Lib. Meditationum, cap.* 22. & 25.

Ex D. Bernardo: 1. Ubi vacabimus & videbimus quam dulcis eſt Dominus, & quam magna multitudo dulcedinis ejus. Videbimus gloriæ decorem, ſanctorum ſplendorem, & regiæ poteſtatis honorem: cognoſcemus patris potentiam, filii ſapientiam, Spiritus ſancti benigniſſimam clementiam: & ita habebimus notitiam illius ſummæ Trinitatis. Nūc corpora per corpus videmus, imagines etiam corporum ſpiritu cernimus: tunc vero ipſam Trinitatem puro mentis intuitu videbimus. O beata viſio, videre Deum in ſeipſo, videre in nobis, & nos in eo, felici jucunditate, & jucunda felicitate!

2. Quidquid deſiderabimus totum habebimus, nihil amplius deſiderātes. Et quicquid videbimus, amabimus, ipſo amore beati. Beati dulcedine amoris, & ſuavitate contēplationis, hęc erit ſumma illius contemplationis, hæc erit ſumma illius felicitatis, quoniam intelligetur in ſuo puro eſſe ſincera divinitas, comprehendetur in ea incomprehenſibilis Trinitas. Patebūt arcana divinitatis, videbitur & amabitur Deus: & hæc viſio & delectatio totum cor hominis implens & ſatians, tota erit illius beatitudinis conſummatio.

3. Una erit omnium lingua, jubilatio indefeſſa, unus affectus, amor æternus. Patebit veritas, implebitur charitas, erit integra corporis & animæ ſocietas, fulgebit, ſicut ſol, humanitas glorificata. Quieta erit & concors carnis & ſpiritus ſocietas. Angelorum & hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum cōvivium. Non languebit amor, nec liqueſiet dilectio. Præſentibus omnibus bonis nulla erit dilationis afflictio, quoniam beatifica divinę majeſtatis præſentia omnib. erit omnia, & erit communis omnium potentia, ſapientia, pax, juſtitia & intelligentia. Non erit in illa pace diverſitas linguarum, ſed pacifica & concors concordia morum & affectuum. In torrente illius voluptatis nihil ultra appetet cumulata ſatietas: tanta erit felicitas! Ibi ſiquidem erit cumulus felicitatis, ſupereminens gloria, & ſuperabundans lætitia.

4. Sed quis ad hæc idoneus? Profecto verus pœnitēs, bonus obediens, amabilis ſocius, fidelis ſervus. Verus pœnitens ſemper in labore & dolore, dolet de præteritis, laborat pro futuris cavendis. Bonus obediens paratus quodcunque præceperit Deus facere, paratus Deo vacare, proximis miniſtrare, ſeipſum cuſtodire, & in cœleſtiū contemplatione requieſcere. Amabilis ſocius eſt omnibus officioſus, & nulli oneroſus. Omnibus eſt officioſus, quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, & ſobrius ad mundum: Domini ſervus, proximi ſocius, mundi Dominus. Nulli eſt oneroſus: ſed inferiora redigit ad utilitatem mediorum & ad honorem ſuperiorum, ſuperiora ſequens, inferiora trahens, ab illis poſſeſſus, iſta poſſidens. Fidelis ſervus eſt in contemplatione Dei & in cuſtodia ſui. *Lib. meditat. cap.* 4.

5. Petitiones cordis in tribus credo conſtare: nec video quid præter illa electus quiſq; ſibi debeat poſtulare. Duo quidem hujus temporis ſunt, id eſt bona corporis & animæ: tertium verò beatitudo æternæ vitæ. Nec mireris quod bona corporis à Deo dixerim eſſe quærenda: quoniam ejus ſunt corporalia omnia, ſicut & ſpiritualia omnia bona. Ab eo ergo petendum & ſperandum nobis eſt, unde poſſimus in ejus ſervitio ſuſtentari. Verumtamen pro neceſſitatibus animæ orandum nobis eſt, & frequentius & ferventius, id eſt pro obtinenda gratia Dei animæq; virtutibus. Sic & pro vita æterna tota pietate & toto nobis orādum eſt deſiderio, ubi nimirum corporis & animæ plena & perfecta ſit beatitudo. In his ergo tribus ut cordis petitiones ſint, tria nobis ſunt obſervanda. Nam & in prima quidem ſuperfluitas, & in ſecunda impuritas, & elatio interdum ſurrepere ſolet in tertia. Nonnunquam enim temporalia quæri ſolent ad voluptatem, virtutes ad oſtentationem. Sed & vitam æternam fortaſſis aliqui non in humilitate quærunt, ſed tanquam in fiducia ſuorum meritorū. Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciam donet orandi, ſed non oportet ut in ea cōſtituat quiſquam fiduciam impetrandi: hoc ſolum cōferunt hæc præmiſſa dona, ut ab ea miſericordia, quæ tribuit hæc, ſperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio, quæ pro temporalib. eſt, circa ſolas neceſſitates reſtricta: ſit oratio, quæ pro virtutibus eſt, animæ etiam, ab omni impuritate libera, & circa ſolum beneplacitū Dei intenta: ſit ea, quæ fit pro æterna vita, in omni humilitate, præſumens de ſola, ut dignum eſt, miſeratione divina. *Serm. de triplici modo orationis.*

Ex Apocalypſ cap. 21. & 22. *Audivi vocem magnam è cælo dicentem, Ecce, tabernaculum Dei eſt cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit, Deus ipſorum.*

Et abſterſurus eſt Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors amplius non extabit, neq; luctus, neque clamor, neque dolor extabit amplius, quia prima abierunt.

Neque urbs iſta eget Sole vel Luna ut luceant in ea: nam gloria Dei illuſtravit eam, & lucerna ejus eſt agnus.

Nec portæ ejus claudentur interdiu: nox enim non erit illic. Et adferetur gloria & honor Gentium ad eam. Non intrabit in eam quicquam quod inquinat, aut abominādum quippiam patrat, vel menaacium loquitur: ſed qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

Nec ullum maledictum erit amplius: ſed ſedes Dei & agni in ea erit: & ſervi ejus ſervient ei. Et videbunt faciem ejus: & nomen ejus in frontibus ipſorum erit. Et nox illic non erit, neque opus eſt eis lumine lucernæ, neq; lumine Solis: quoniam Dominus Deus illuſtrat eos: & regnabunt in ſecula ſeculorum. Amen.

Vitæ contemplativæ.

§ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

M*AximusTyrius*:Si coram judice nos accusaret aliquis,graviter ferremus, si non ex æquo utriq; nostrum agendi potestatem judex faceret: sed tyrannum imitaretur potius. Cum autē calculi judiciorum & fortunæ, longè à philosophica ratione absint. hoc tamen cōveniat,quod & hic ratio rationi, amicus amico,veritatis inquirendæ studio,adversetur: atq; illud cum judiciorū ratione,hæc inquirendæ veritatis ratio cum cōmune habeat, concedamus hodie defensionem parti alteri,alteriq; homini,quem contemplativa delectat vita,qui non aliter q̃ si coram judice agendum esset,magna vi animi accusationē à se demoliatur.Sit autē hæc aut similis accusatio. Improbissime agit Anaxagoras, qui cum in Clazomeniorū urbe terraq; vivat,iisdem sacris, ceremoniis, legib. nutrimento,cæterisq; omnibus quib.Clazomenii,utatur,tamen ab iis sicut ferum animal se subducit: nec in cōcionibus, neq; in festis Liberi,neq; in judiciis,aut ullo in loco cū civibus conspicitur.Sed& agros suos domumq; desertam relinquit:solusq; secum præclaram illam,si diis placet,philosophiā sursum deorsumq; ventilat,&scrutatur. Atq; hæc quidem sit accusatio: cui hunc in modum Anaxagoras respondeat.Equidem nihil minus objici mihi posse,ô Clazomenii, quam ut ulla in re injuriam vobis faciam,id vero certo scio. Nec enim fortunas unq̃ vestras præter jus & æquū imminui, tum vero ne obscurior per me inter Græcos vestra esset Resp. id vero serio operā dedi. In negotiis porro & ea quæ cum singulis intercedit societate,neq; molestum me vobis exhibui, neq; alium quā decet. Adde quod & leges, eamq; cujus ex præscripto vivimus Reip. formam,non est qui minus me contēnat.Superest ergo,si neq; quotidiana hac mea consuetudine, neq; vitæ institutæ ratione vos lædo, & tamen judicio falli videor,ut ab hoc saltē crimine,quo publice in in urbē vestram injuri' esse dicor,absolvar: nec accusatores sed præceptores potius,qui privatim vitæ meæ cō'ulant, à vobis impetrē. Quare statui nihil in tota causa mea vos celare: quanvis non dubitem vix sine risu institutū meum vos audituros esse.Ego certe quāta res sit,præesse civitati,cū omnibus versari, luci hominū actiones suas cōsecrare,rerū usum subire,probe perspectū habeo.Sed nec illud ignoro, q; hæc ipsa quæ tam præclara sunt, si virtus accedat, & probitas,sicut multū ei prosunt qui præditus sit iis:ita, si secus, deprimunt contra& dejiciunt,neq; hoc ipsum,ut improbitatē suā velare possit,permittunt. In aperto namq; hominē cōstituit dignitas: quo fit ut quantū à boni viri officio aliq̃s recedit, in tantū ejus crimina omniū oculis exponat. At si quis consilii dexteritate actionū suarū splendorem in tutū recepit,huic multū ꝓdest civilis potestas, qui verò mentis cōsiliiq; inops,quę in ea requirūtur aggreditur,eū necesse est profunda quadā ignorantia,&instrumentorū inopia decipi,nec recte ea potestate uti. Hæc cū cogitarē,aliud mihi prius curandum putavi,ne videlicet si imparatus ad Remp. accederē; in administratione ejus lapsarem semper,& impingerē. Neq; enim si in choro à vobis constitutus essem, ut cum reliquis canerem, injuriam cuiquam facerem, si priusquam vocem exercuissem satis, ab eo abstinerem. Propterea de agris meis,quo pacto eos recte colerem,non admodū sollicitus fui,sed hanc amplexus sum vitam,ex qua scientia animo sicut lux oculis accederet,&quicquid reliquum est itineris,tutū præstaret.Quæ certe lux nō cōparatur illis quæ vulgo vocamus Panathenaicis:neq; viæ quæ ad eam ducūt nugæ sunt & ineptiæ; qualis agricultura est, aut forenses curæ, aut popularia commercia:sed veritatis amor,naturæ contemplatio,&similia studia.Cùm hac mihi eundū putarem, solam rationem quæ eo duceret, secutus sum, quæq; in via adhuc vestigia prisca restabant, diligenter observavi. Et hæc quidem quod ad institutum meum.

Restat ut ostendā hoc ipsum non modo non nocere,sed& plurimum prodesse. Scitis.n. salutē in eo Reip.verti, nō ut muri vestri optime ac scitissime ædificati sint,nec ut porticus,ut luci, ut gymnasia,ut fana, ut vasa sacra sint integra (hæc enim ut ab hostib. ut ab igne,aliaq; simili calamitate tuta sint,tamē ætas cōsumet) sed ut ipsa apte temperata,bene sit cōstituta.Idē ego sentio.Hoc a.bonæ leges efficiunt:bonas vero leges virtus civiū conservat, virtutē parit eruditio,eruditionē exercitatio, exercitationē veritas, veritatē studium in ejus investigatione collocatū.Nec enim est profectio aliud quo virtus paretur instrumētū,quā vera ratio:à qua exacuitur animus & accenditur. Ita quæ ignorat discit,quæ didicit cōservat,quæ conservat ad usum confert,in usu non fallitur.Hæc est illa meditatio,hoc illud quod accusatis ociū;veritatis studiū,ars rationis, vitæ robur,animæ præparatio,ꝓbitatis exercitatio. Hæc si cuncta nihil ad virtutē honestamq; conferunt vitam,aut si conferunt,non tamē institutione ad ea cōsequenda aut exercitatione opus est,si quidem temere & fortuito nobis contingunt; rem atrocē affers & quæ merito in judiciū vocāda sit. Quod si nemo tam insanus est ut hoc dicat,nemo qui nō fateatur,veritatē veramq; rationē & virtutem, legum præterea justitiæq; scientiā,non aliter q̃ multo studio comparari posse (sicut nullus sutor esse potest, qui nō prius arti suæ vacavit, ferrarius faber, qui non diu prius circa caminum & ignē hæsit, gubernator,qui nunq̃ navigavit,nunquā tractavit mare) nos quoque in neminē injurii sumus dum hæc agimus. Contra si hæc negligerentur à nobis,nostrumq;animum pro deserto jacere ac sterili pateremur, merito accusādi, merito deferēdi in jus essemus.Et ego quidē quæ vera simul & æqua esse existimo vobis respōdi,viri Clazomenii: à vobis a.peto,ne in præsenti quicquā statuatis,sed tantisper judiciū differatis,dum eadē hæc studia mecū inspexistis:è quibus si q̃ ad vos utilitatē redundare ipsa re experiemini,me ut absolvatis:sin minus,vos quidē quod videbitur judicabitis, ego vero ne sic quidē bono consilio ea in re destituar. Orationē hanc defensionemq;,ut verisimile est,ridebunt Clazomenii: nec enim magis credendus esse videbitur quā accusatores.Si quis vero judex sit, quem non faba creavit,sed scientia,quæ sola est legitima judicis creatio; apud hunc vel idem ille Anaxagoras Clazomenis, vel Ephesi Heraclitus,vel in Samo Pythagoras,vel Abderis Democritus, vel Colophone Xenophanes, vel Eleæ Parmenides,vel Apolloniæ Diogenes,aliusve aliquis ex divinis illis viris,nō sicut noxii solent aut rei, causam suam aget: sed ex æquo sapientib. apud sapientem,veris apud verum,divinis apud divinum judicem utetur.His nimirum.

Triplicem animæ humanæ facultatē Deus immortalis tribuit, triplicemq; sedem & naturā: non aliter quam si una in urbe diversos congregasset homines. Quarum primā,cui imperiū, cui prudētiam tribuit, in ipsa arce locavit ac constituit, neq; illi aliud præter munus assignavit rationis. Alteram,cui rigorem quendā externum concessit &efficaciā, quæ in actione eorum quæ jam deliberata sunt versatur, ut promptius priori illi quæ deliberat, morem gereret, cū ea conjunxit & quasi connexuit. Tertiā vero,quæ nihil aliud est, q̃ iners quædam,intemperans,illiberalis multitudo, quæ cupiditatibus,amoribus,petulantia,voluptate nō una diffluit,tertio loco cōstituit: quā vere possis segnem,multivocā, mutabilem, insanamq; plebeculā dicere. Tot modis in cōstitutione humana cum sese habeat anima,non aliter quā in urbe,oriri solet seditio. Jam urbs quæ beatissima est,regio paret imperio, reliquaq; pars hominū ex præscripto divino ei cedit,qui & imperare potest,& in hoc natus est, Si quę vero minus beata est,ea imperium summorum aliquot,penes quos præcipue est potestas, Aristocratiā vocat: quæ ut regno cedit, ita postulari statu melius est constituta; potens rebusq; gerendis idonea: qualis aut Laconicæ,aut Creticæ,aut Mantinicæ,aut Pellenicæ, aut Thessalicæ est cōstitutio Reip. Cæterū ambitiosa nimis, turbida,seditiosa: sed & multorum satagit, & temerarie multa agit & audacter. Tertia forma est, cui speciosum fecere nomen Democratiam,cum revera nihil sit quam summa plebis infimæ potestas, qualis vel Attica, vel Syracusia,vel Milesia, aut si quod aliud divisum, intemperans, inconstansq; est populi imperium.

Tribus his Reip. formis, tria animo nostro respondent vivendi genera. Parti primæ illi unde cōsilia proficisci diximus, & qua imperamus,quæ ab actione externa ac operatione est remota, cōtemplativū. Secundum genus tam hic q̃ ibi, cui secundus honos tribuitur,activū est.At vero Democratiā invenire in homine nullo negotio possumus. Plurima.n. hujus Reip. formæ vestigia per totā animā diffusa sunt. Quod lubenter in præsentia prætermittamus,quādoquidem de primo loco in certamen venire nequit.Satis est si activam cū contemplativa conferamus,cum utraq; bonū cōsequatur, altera,scientia:altera, virtute. Utram ergo præferemus? Respondet ipsa ratio si usum spectemus,actionē præferendā esse: si causam rei bene gerendæ,contemplativā. Quare melius alterā alteri cōciliabimus,& tam ipsius animæ potentias,q̃ vivendi genera hominib. vel pro natura singulorū,vel pro ætate, vel pro fortuna distinguemus. Primo enim nō una aut eadem omnium hominū natura est. Alius enim infirmus, actioneq; impar, ad contemplandum promptam expeditamque habet animam. Alius contemplando cito defatigatur: actioni contra sufficit. Secundo, ætas quoq; non una eademq; homines distinguit. Juventuti enim convenit actio, quod Homerus voluit, cui assentior, cum dixit:

—— decet quodcunq; juventam.

Philosophus ergo dum juvētus patitur, agat, dicat, Remp. administret, militet, imperet. Nā & crebri illi Platonis in Siciliā discursus, crebriq; labores,& quicquid Dionis causa egit, in ipso ætatis flore acciderunt. Senectutē contra Academia,profundū ocium, pulcherrimæ disciplinæ,atq; inoffensa excepit contemplatio: in multo deniq; atq; ingēti veritatis studio,extremū vitæ finē posuit.Ita Xenophontē laudo,qui in actione juventutē,in sapientiæ contemplatione senectutē egit. Postremo nec fortuna una eadēq;. Alii enim potentiam,magnamq; actionū præbuit materiē,alii quietem ociumque lene indulsit.Quorū alterū laudo: q; ubi necesse est virū se probet:alterū & laudo &beatū judico. Beatum ocii causa judico, laudo scientiæ. Etenim si quis modo ex Europa in Asiā trajicit,ut Ægypti sitū,aut Nili ostia,aut altissimā Pyramidum molē,aut aves peregrinas,aut bovē videat aut hircū,beatum ꝓpterea eum judicamus. Ut omittam q̃ multi Istrū aut Gangē spectatum abeant, quam multi Babylonis rudera, Sardianos amnes, sepulchra Trojana, aut oram Hellesponti propriis usurpare oculis gestiant. Quam multæ ex Asia classes in Græciā, vel ad artes Atticas, vel ad fabulas Thebanas, vel ad Argivorum regionem perlustrandā quotidie veniant. Ut Homerum prætereā, qui longi erroris causa Ulyssem sapientē vocat, quod

Multorumque hominum mores lustrat & urbes.

Et tamen quid Ulysses, præter Thracas, Barbarosq; Ciconas, aut obscuros Cimmerios, aut mactatorem hominum Cyclopa, aut veneficam, infernasq; imagines, aut Scyllā Charybdinq;, aut hortos Alcinoi aut Eumæi stabulū lustrarat; quę momētanea, caduca, fabulosa sunt omnia? Hominis verò philosophi spectacula cui comparabo? Somnio, me hercules, evidētissimo, in quo ubiq; circumferri nobis videmur. In quod quidem corpus eundem servat locum, animus totam circuit terram, è terra in cœlum fertur: mare universum cir-

guit,

cuit, univerſam humum pervagatur, univerſum aërem pervolitat: ubi cum ſole & luna circumfertur, cum cætero aſtrorum populo conſiſtit, & propemodum cum Jove univerſa regit & ordinat. O peregrinationem beatam! ô ſpectacula pulchra! ô ſomnia veriſſima. *Diſſertat. 6. Vitam contemplat. præferendam activæ.*

Alcinous: Cum verò duplex ſit vita, altera quę in contemplatione, quæ in actione verſatur altera, præcipuũ in veritatis cognitione contemplativæ munus conſiſtit, ſicut activæ in actione eorum quæ dictat ratio. Quare primaria contemplativa vita eſt: ſecundo poſt hanc loco, & quaſi neceſſaria, activa. Id ita ſe habere, ex his facile probari poterit. Contemplatio eſt functio intellectus, ea quæ intelligibilia ſunt intelligentis: actio verò, operatio animæ rationalis, quæ miniſterio corporis perficitur. Animus namq; cum divinitatẽ ipſam ejuſq; notiones contemplatur, quàm optimè affici dicitur. Atq; hæc ejus affectio, ſapientia nuncupata eſt: quam quidem nihil aliud quam ſimilitudinem cum divinitate ipſa recte appellaveris. Quamobrẽ primaria hæc ac pręcipua habenda eſt; ſicut maxime expetenda, hominiq; eſt propria, utpote cui nulla obſiſtant impedimenta quo minus in noſtra poteſtate conſiſtat, & quæ finis nobis propoſiti efficiens ſit cauſa. Activa autẽ vita & id quod ad agendũ confert, cum corporis miniſterio plurimum utantur, impediuntur ſæpenumero. Quare quæ in contemplativa vita ad emendandos hominum meditari mores ſolet, ad actionem, quoties ita poſtulat neceſſitas, transferet philoſophus. Tunc demũ ad civilem ergo adminiſtrationem ſe conferet vir bonus, cum male à cæteris eam hominibus geri ſenſerit. Inter ſecundaria autem habebit, ducere exercitum, judicia exercere, legationes obire. Inter præcipua vero quæ actio requirit & primaria, leges condere, Rempub. ordinare, ſeditiones componere, inſtituendæ diſciplinam juventutis tradere. Quapropter oportet philoſophum nunquam veritatis indagandæ ſtudium omittere, ſed fovere eam & promovere ſemper: ad activam autem vitam, tanquam quæ ſubſervit priori, nonnunquam ſe dimittere. *cap. 2. lib. De doctrina Platonica.*

Vitii.

❡ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus:* Hæc eſt virtutis natura, ut eam homines nõ facili negotio conſequi poſſint, quemadmodum nec humida materia ignem facile excipere ſolet: contra ad vitium contrahendum homines maxima ex parte prompti & idonei ſunt, nõ ſecus, ut opinor, ac ſtipula quædam ad ſcintillam & ventum, ob naturæ ſiccitatem facile accẽditur ac conſumitur. Citius enim exiguum vitium uberrimè largiſſimeq; quiſpiam perceperit, quàm ngentem & copioſam virtutẽm parcè ac tenuiter. nam & parum abſinthii amaritudinem ſuam melli celerrimè impertit, cùm contra mel quidem, ne dupla quidem parte copioſius, dulcedinem ſuã abſinthio infundat, ac parvo quidem lapide ſubmoto, flumen totũ in pronum trahitur: ejuſdem autem impetus firmiſſimo etiam aggere cohiberi reprimique vix poteſt. *Orat. 1. Apologetica, de fuga in Pontum.*

D. Nazianzenus: Non male quidam tradidere, virtutibus finitima & quodammodo vicina eſſe vitia nihilq; facilius eſſe, quã ut ab illis, qui hujuſmodi rerum ſcientiam non tenent, res quædam aliud eſſe judicetur, quam revera ſit. Unde iidem homines fortem temerarium appellant; prudentem ac circumſpectum, timidum; temperantem, agreſtem & inhumanum; juſtum, aſperum ac contucem. *Orat. 20. in laudes D. Baſilij.*

D. Nazianzenus: Nimirum vafri homines facile adducuntur, ut vitia de aliis partim ſuſpicentur, partim loquantur. *Orat. 28.*

D. Nazianzenus: Nos ita comparata eſſe vitæ ratione oporteat, ut à vitio quidem ad virtutem facili motu impellamur, à virtute autem ad vitium nullo modo incitemur. *Orat. 40*

D. Greg. Nyſſenus: Velut in ſtagno aqua pura atque immobilis manet, niſi aliqua extrinſecus perturbatio incidit, quæ illius motũ agitet; ſi autem lapis inciderit aliquis, totum una cum patre commovetur: nam præ gravitate, & pondere in imum gurgitem ille fertur: cumq; aquæ fluctus circa eum in gyrum mutuo ducantur, medioque motu impulſi in ſummum aquæ æſtum erumpant, omnis ſumma ſtagni aqua, cum ima pars mota ſit, æſtuum ambitu agitatur: pari ratione trãquillitas & animi quies, ſi unus aliquis affectus in eum invadet, tota tamen ſimul concutitur, & partis detrimentũ una etiam ſentit. Commemorant enim ii qui hæc ipſa indagarunt, virtutes inter ſe minime diſiunctas eſſe; neq; fieri poſſe, ut q unius rationem diligenter accurateq; percurrerit, cæteras quoq; non attingat: ſed cui una ex virtutibus ineſt, reliquas neceſſario cum conſequi dicunt: quin etiam contra alicujus rei, quæ nos attingit vitiũ ad omnem honeſtam vitam pertinet, vereq;, ut eſt apud Apoſtolũ, totum cum partibus afficitur: ſive enim una pars patitur, totum ſimul dolet: ſive gloria afficitur, totum una gaudet. *cap. 14. de Virg.*

D. Greg. Nyſſenus: Vides improbos cuſtodes idololatriæ, quæ exexcetur in impietate & in avaritia quemadmodum vigilent in malorum cuſtodia; damnũ eſſe exiſtimantes privari iniquitate. in aliis quoq; licet videre eos qui penitus ſuſceperunt voluptatem, aut ſuperbiam, aut faſtũ, aut aliquid hujuſmodi, quemadmodum omni ſtudio ea mala amplectãtur, lucrum eſſe ducentes, ab hujuſmodi vitiis nunquam puram eſſe animam. *Hom. 2. in Cantic.*

D. Chryſoſtomus: Quam verò nobis inimica ſit vitioſitas, & amica virtus, multis argumentis cõſtat. Ac ſi vultis, primum id ſpectemus in uno ex iis, quæ contraria ſunt, id eſt in ſcortatione. Scortatio nos dedecoris plenos, pauperes, ridiculos facit, ac tales reddit, qui ab omnibus contemnamur: Hæc vero facere inimicorũ eſt. Sæpe a. hæc, & morbos, & pericula affert. Multi vero etiam ſcortorum cauſa perierunt, & vulnera acceperũt. Quod ſi ſcortatio hęc affert; multo magis adulterium. Num igitur eodẽ modo eleemoſyna? neutiquam, ſed perinde atq; tenera mater filiolo, magnam venuſtatem, decus, gloriã conciliat; facitq; neceſſariis muneribus obeundis vacare: non ſinit nos langueſcere, neq; à neceſſariis abducit; ſed animum prudentiorẽ etiam reddit. Scortatoribus enim nihil imprudentius. Sed vis ne avaritiam inſpiciamus? & hæc eodem modo erga nos affecta eſt, quo inimici ſolent: quomodo? odium & hæc nobis ab omnibus conciliat, facitq; ut omnes nos execrentur, non ſolum illi, qui injuriam acceperunt, ſed etiã, qui non acceperũt: nam & illorum vicem dolent, & ſibi ipſis metuunt: quamobrem veluti cõmunes quoſdam hoſtes intuentur, veluti feras, veluti dæmonas. Sexcentæ undiq; accuſationes, inſidiæ, obtrectationes: quæ quidem inimicorum ſunt. Contra a. juſtitia omnes amicos, omnes uſu cõjunctos, omnes benevolos nobis facit: ab omnibus preces pro nobis funduntur: ita ſtatus noſter in tuto collocatur; nullum periculũ, nulla ſuſpicio: ſed & ſomnus ſecuritatis plenus advenit, nulla ſolicitudo, nullus ejulatus. Vides hanc longe meliorem eſſe? Quid? dic mihi, ſatius ne eſt videre: an gratulari, & alienæ lætitiæ participem fieri? Hæc omnia expendamus, ac ſane inveniemus virtutem quidẽ, ut matrem vere amantẽ, afferre ſecuritatem, atq; in tuto collocare; vitioſitatem vero conjicere in pericula: res enim omnino eſt periculorum plena. Audi prophetam dicentem, Firmamentũ eſt dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius manifeſtabit ipſis. Neminem timet, qui nullius criminis ſibi eſt cõſcius. Nemini contra fidit, qui cum improbitate vivit, ſed famulos etiam metuit, eoſq; cũ ſuſpicione intuetur. Ecquid dico famulos? conſcientiæ ipſius tribunal ferre non poteſt: non ſolum quæ externa ſunt, ſed internæ etiã ratiocinationes ipſum fodicant, nec quieſcere unquam ſinunt. *Homilia 15. ad Philippenſes.*

Chryſoſtomus: Cur Apoſtolus vitium vocavit ſomnum? Quoniã primum quidem qui eſt ejuſmodi, caret omni actione virtutis. Deinde viſione & phantaſia apprehẽdit, nihil verum videt, ſed eſt plenus ſomniis. Si quid autem boni viderit, nihil habet firmum nec ſolidum. Talis eſt vita præſens: eſt plena ſomniis & viſione: Divitiæ ſunt ſomnium & gloria, & quæcumq; ſunt hujuſmodi. Qui dormit, ea quæ ſunt & quæ vere conſiſtunt non videt. Quæ autem non ſunt tanquam quæ ſunt viſione apprehendit. Tale eſt vitium, & quæ in vitio agitur vita. Non videt quæ ſunt, hoc eſt quæ ſunt ſpiritualia, cæleſtia manentia: ſed quæ fluunt & avolant, & cito à nobis reſiliunt. *Homil. 9. ad Theſſal. 2.*

D. Io. Chryſoſtomus: Non dixit, Ne loquaris quæ ſunt Patrum, ſed ne eorum recorderis, nec tibi in mentem veniant. Vides quanto intervallo vult nos abeſſe à vitio. nam qui non meminit, non cogitat, nec loquitur. qui autem non loquitur, nec aget. *Homil. 14. Epiſt. ad Hebræos.*

D. Io. Chryſoſtomus: Neſcitis ipſos quoq; malos irridere eos quorum ſunt iidem mores, & eos damnare. Nam quoniam Deus indidit nobis judicium quod labefactari & nunquam corrumpi non poteſt, etiamſi ingreſſi fuerimus in ipſum vitii profundum, ideo & ipſi mali ſeipſos condemnant: & ſi quiſpiã eos id quod ſunt vocaverit, eos pudet id eſſe quod ſunt, contumelia afficiuntur, rem eam dicunt eſſe contumeliã. Ita ſi non factis, verbis certè condemnant quæ faciunt per conſcientiam, imò verò etiam factis. Quum enim clanculum & in occulto faciunt, ſententiæ quam de re habent maximum proferunt indicium. Eſt enim vitium adeò manifeſtum, ut omnes ejus ſint accuſatores, etiam ii qui ipſum uſurpant. Tanta autem res eſt virtus, ut in admiratione habeatur etiam ab illis qui eã non æmulantur. Nam & ſcortator laudabit temperantiam & continentiam, & avarus condemnabit injuſtitiam: & iracundus admirabitur patientiam, & vituperabit puſilli animi vitium, & laſciviam. Quomodo ergo, inquit, hæc uſurpat? Ex multa ſocordia, quum nõ eſſe bonum judicaverit. Alioqui eum rei nõ puduiſſet, neq; negaſſet alio accuſante. Multi autem etiam præoccupati, dedecus nõ ferentes ſe ſuffocarunt. Honeſti & decori tantum nobis ineſt teſtimonium. Ita quæ bona ſunt & honeſta, ſunt ipſo Sole ſplendidiora, & quæ ſunt eis contraria, ſunt omnium deformiſſima. *Homilia 24. Epiſt. ad Hebræos.*

S. Iſidorus Peluſita: Agricolæ lolia ea, quæ cum tritico enaſcuntur, radicitus evellũt: quo purus fructus ad meſſem evadat. Eodem igitur modo tibi quoq; faciendum eſt, ut vitia, quibus mens tua inficitur, exſcindas, ut ſana, omniſq; vitioſæ affectionis expers cõſciẽtia cibum in vitã æternam manentẽ conficiat. *lib. 1. Epiſt. 433.*

S. *Iſidorus Peluſiota:* Permulti, imò, ut ſic loquar, omnes homines, & virtutes, & vitia habent: atq; illis quidem gloriantur, his a. erubeſcũt. Tu verò, ut aiunt, cũ vitiis plenus ſis, virtutib. prorſus cares. Ac profecto q ventris illecebris cedens, libidinis quoq; affectib. ſuccũbas, nihil mirandũ eſt. Nã illi magna ex parte ventrem ſequũtur. etenim qui ventrem imperio tenuerit, libidini quoq; imperare poterit. Quoniam autem alia etiam omnia vitia in te ſedem habere

ajunt, teq; vitii promptuarium atq; impudentiæ thesaurum appellant, hoc verò mihi mirandum videtur: atq; adeo admirationem omnem excedens. Sunt enim nonnulli sævi & crudeles, verum pudici: aut quæstus turpiter cupidi, verum modestia præditi: impuri quidem ac libidinosi, cæterùm faciles ac mansueti. At te per omnia grassari criminãtur. Etenim & linguam adversus homines probos ac virtutis amantes armare dictitant, & turpibus lucris involutum, hinc etiam gloriari: & cum omnes, qui unquam ob libidinem celebres extiterunt, superes atq; obscures, hoc quoque nomine tibi placere: cumq; ob tua facinora, quæ ne commemorare quidem fas est, supercilium demittere debeas, id tamen supra tempora efferre: atque, ut summatim dicam, omne corporis membrum animi socordiam & contumaciam indicare. Quanquam enim alterum cum altero pugnat: utrumq; tamen in te concurrisse affirmat. Quocirca, si vera loquuntur, hic pœnitentiam age: ne in altero ævo citra ullã utilitatem id facias. *lib.2. Epist.108.*

S. Isidorus Pelusiota: Vitium & homines à Deo avertit, & eos inter se disiunxit. Quamobrem illud quàm celerrimè fugere oportet, ac virtutem consectari, quæ & nos Deo conciliat, & internos connectit. Virtutis porrò ac philosophiæ regula est, simplicitas cum prudentia conjuncta. *lib.2. Epist.131.*

S. Isidorus Pelusiota: Cum duo summa vitiorum genera sint, alterum quod animo & cogitatione concipitur: alterum quod opere perpetratur: hoc quod opere perpetratur, olim per legem interdictum ac vindicatum est: illud autem quod in cogitatione positum est, per Evangelium repressum atq; coercitum. Evangelium quippe non opus, post flagitium editum, punit: verum id providet, ut ne ortum quidem omnino vitium capiat. Tum enim manui, nunc autem animæ lex lata est. *lib.2. Epist.243.*

S. Isidorus Pelusiota: Cum nuper nobis de virtute ac vitio sermo excitatus esset, ac multi multa dicerent, ad hunc modum ipse locutus sum: Neminem mortalium esse arbitror, qui non & vitia & virtutes habeat: verum optimi quique ac probatissimi parva quidem & tenuia vitia, maximas autem & excellentes virtutes habent: alii vero aut pares vitiis virtutes, aut superiores, aut etiam inferiores: Sunt enim homines qui licet crudeles sint, pudici tamen sunt: aut si impudici ac libidinosi sint, tamẽ ad misericordiam propensi sunt: aut si audacissimi sint, facilè tamen commutantur: aut si injustitia laborent, modestia tamen præditi sunt: aut si rapaces sint continentes tamen sunt: aut si intemperanti lingua sint, à voluptatibus tamen abstinent: aut si ab iis non abstineant, abstinentis tamen linguæ sunt: aut si ventris cupiditatibus succumbant, iracundia tamen superiores sunt. Atq; ut summatim loquar, non facilè adduci queam, ut ullum hominem esse credam, qui vel vitiis careat, vel virtutibus omnibus destitutus sit.

Quod ut demonstrarem, pro his quidem iniquum illum judicẽ proferebam, qui cum nec Deum timeret, nec hominem vereretur, tamen probum opus perpetravit, ut qui viduam sine ulla intermissione ipsius opem implorantem misericordia prosecutus sit, in eosque, ipsi injuriam inferebant, animadverterit: pro illis autem illud Scripturæ, Quis gloriabitur se castum habere cor? aut quis liberè hoc prædicabit, Purus sum à peccato? Cum autem ab omnib. qui aderant, hæc oratio laudibus efferretur, ac supra spem omnem plausus excitaretur, ego quidem erubui (siquidem ita natura comparatus sum, ut ad laudes meas rubore potius suffundar, quam insolenter efferar) unus autem ex iis, qui aderant, vir & vitæ laude, & doctrina clarus (neque enim veritatem reticebo, quamvis ille ea, quæ à me dicta fuerant, evertere conaretur) exiguo silentio usus, tuam, optime Zosime, vitam proferens, orationem meam refutare nitebatur: illud videlicet ostendens, vitia quidem omnia in te velut choreas agere, virtutis autem nec vestigium ullum esse.

Cum autem ego fidem his verbis minime haberem, omnes, qui aderant, eum vera loqui testabantur, tuisq; vitiis exponendis omnẽ linguam imparem esse dictitabant. Cum autem ego his auditis tacerem (contendere enim absurdum esse judicabã) hujusmodi verbis illi ad me usi sunt: Non ut orationem tuam evertamus, vir sapientissime, hæc dicimus (nam ea vera est, atque omni laude præstantior) sed quia eum ab humani generis cœtu proscribimus, atq; belluam humanam formam gerentem, aut pestiferum dæmonem, naturæq; hostem esse statuimus. Atq; hoc omnes fere, velut ex uno ore, loquebantur. Quidam autem ex ipsis majorem in modũ à me contendebant, ut hæc ipsa tibi significarem. sic enim fortasse te ad meliorem mentem rediturum esse. Ego vero primum quidem id facere detrectabam: post autem eorum precibus cedens, scripturum me ad te recepi. Tuum autem jam fuerit, teipsum cõsiderare, atq; operam dare, ut & dicteriis, & ludibrio, & pœna teipsum liberes. Quod si, quia mortem ad interitum omnia perducere existimas, idcirco absq; metu peccas, imprudens te decipis. Mors quippe quæ nobilem plantam arefacere videtur, nihil aliud est, quam animæ & corporis disiunctio. Id si non credis, audi quid dicat Plato: Morte hominem invadente, mortalis, ut videtur, ipsius pars mori videtur: quod autem immortale est, salvum & incolume abit, posteaquam morti velut fasces submisit. *lib.3. Epist.248.*

¶ PATRUM LATINORUM.

Salvianus: Cæteri homines etsi nonnullis flagitiorum vitiis obligati sunt, quibusdam tamen non implicantur: etsi violentia non carent, malevolentia carẽt: etsi libidine æstuant, rapacitati non serviunt: multos deniq; etsi accusat incontinentia corporum, simplicitas commendat animorum. in Afris penè omnibus nihil horum est quod ad utrumq; pertineat, id est bonum æque ac malum, quia totum admodum malum; adeo exclusa naturæ originalis sinceritate, aliam quodammodo in his naturam vitia fecerunt. exceptis enim paucissimis Dei servis, quid fuit totum Africæ territorium quàm domus una vitiorum. *lib.7. de gubern. Dei.*

Salvianus: Sicut in sentinam profundæ navis colluviones omnium sordium, sic in mores eorum quasi ex omni mundo vitia fluxerunt. nullam enim improbitatem scio, quæ illic non redundaverit; cum utique etiam paganæ ac ferinæ gentes, etsi habeant specialiter mala propria, non sunt tamẽ in his omnia execratione digna. Gothorum gens perfida sed pudica est: Alanorum impudica, sed minus perfida: Franci mẽdaces, sed hospitales. Saxones crudelitate efferi sed castitate venerandi: omnes deniq; gentes habent, sicut peculiaria mala. ita etiam quædam bona, in Afris pene omnibus nescio quid non malum. si accusanda est inhumanitas, inhumani sunt; si ebrietas, ebriosi sunt; si falsitas, fallacissimi; si dolus, fraudulentissimi; si cupiditas, cupidissimi; si perfidia, perfidissimi. impuritas eorum atque blasphemia his omnibus admiscenda non sunt; quia illis malis aliarum gentium vitia, his autem etiam sua ipsorum vicerunt, &c. *lib.7. de gubernat. Dei.*

Chrysologus: Humana conditio ad adscensum difficilis, facilis invenitur ad lapsum. *Serm.12.f.*

Chrysologus: Vitiis semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis: virtutibus austera & fortia sunt amica. *Serm.74.m.*

Ennodius: Vitia maturos nesciunt, nisi quos primævos imbuerint. Inficiatio in hominibus nova non germinat. quidquid in moribus nostris est, & sequitur, & præcessit. *lib.7. Epist.26.m.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Hierocles: Qui sui pudore afficitur, cavet idem ne usquam in vitium prolabatur. existunt autem vitiorum genera permulta: in eo quidem quod rationis est capax imprudentia; in quo autem excitatur animus, timiditas; in quo vero appetit, voluptatis & divitiarum studiũ, in omnibus deniq; facultatibus simul, injustitia. quo fit, ut quatuor virtutum generibus ad ejusmodi malorum fugam opus fuisse videatur: prudentia quidem in eo, quod ratione utitur, fortitudine autem, in quo versatur animi motus; continentia, in quo vis appetens, justitia deniq; in quo simul habentur facultates omnes tanquam perfectissima, ceterasque virtutes uti partes proprias, in se cõtinens. Nempe qui recta ratiocinatione utitur, sociam sibi acquirit, in laboribus quidem fortitudinem, in voluptatib. autem temperantiam, in universis verò simul justitiam. atq; ita fuerit virtutum quidem initium prudentia, finis autem justitia; medię verò fortitudo atq; temperantia. Vis enim illa quæ omnia discutit, & quæ semper quod rectum est in singulorum actionibus quærit, ut rationi cuncta consentiant, prudentiæ habitus est, optima nimirum naturæ nostræ rationis participis dispositio, cujus ope reliquis etiam facultatibus ita splendor accedit, ut in fortitudinem quidem evadat iracundia, in temperantiam autem cupiditas. quæ verò justitia nominatur, nihil à ratione alienum patiatur, & illa mortalis noster homo, sed virtutis ubertate, quæ inest homini immortali, exornetur. primum enim à mente in animum ratione præditum splendorem virtutes emittunt, hujusq; sunt propria forma, & perfectio, vitæq; felicitas. in id autẽ quod rationis expers est, inq; ipsum mortale corpus, virtutum quædam transit participatio; ut illa etiã, quæ rationali naturæ conjuncta sunt, pulcritudine ac mensura impleatur. *cap.14. Carm. Pythag.*

Themistius: Non injuria quidem ab antiquis hominibus in Hercule Jovis, & Alcmenæ filio factum est, ut & illum in Deorum numerũ inferrent & privata ei templa ædificarent & sacra instituerent, non modo quæ Herois, sed quæ Dæmonis insuper, imo quæ Dei in honorem celebrari meritò possent; Propterea quod Hercules virtutis in se exemplum expresserit, & universam terrã obiens, eã à crudelissimis tyrãnis, & immanibus belluis repurgaverit. Ego vero ita existimo, vitium & apris omnibus esse vehementius, & leonib. violentius, & multiformi cane audacius, & pluribus, quam Hydra capitibus præditum. Quare æquum iis esse qui hoc monstrum expugnarint, & imbecillitatem illius ostenderint publice templa erigi, & sacerdotes constitui. Consentaneum enim est eos quoq; divinam aliquam sortem esse cõsecutos, posteaquam corpore exsoluti sunt, faustos, averruncos, hominum custodiam habentes. *Orat. 2. in Patris obitum.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus senior: Non sunt ejusdem pectoris vitia & virtutes. *Declamat.377.a.m.*

Nazarius: Nulla est libido tam vecors, quam non capiat cum in consortium temperantia venerit. Dejicit oculos deformis ignavia ubi ei pulcritudo virtutis objecta est. Tergiversari atq; hærere petulantiam videas, gravitate modestiæ & decoræ confusam, *cap.9. Orat. in Constant. Aug.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm.3. præcept. ad Virgines.

—— ἑτοιμότεροι δέ τε πάντες
Εἰς κακίην τελέθουσι. ῥόος δ' ἐπὶ πρηνὲς ὁδεύει.
—— *ad vitium ferimur proclivius omnes,*
Non secus ac per prona solet rapidissimus amnis.

D. Nazianzenus Carm. 27. pro sua anima.

Vitantur terra saevi discrimina ponti;
Objectoq; gravem clypeo vitaveris hastam;
Arcetur tecto nix cana & frigoris aestus:
At vitium late fusum est, nec sedibus ullis
Clauditur, ut nulla possit ratione caveri.

Nazianzenus Carm. 61. ad Nemesium.

Maxima pars hominum prava est ac vel duce nullo,
Labilis in vitium: rara est qua tramite recto
Incedat teneatq; viam qua ducit ad astra.
Difficile est amnis rapidum compescere cursum.
At contra facilis per pronum volvitur idem.

Prudentius contra Marcionitas.

Inventor vitij non est Deus. angelus illud
Degener infami conceptum mente creavit.
Qui prius augustum radiabat sidus, & ingens
Ex nihilo splendor nutrito ardebat honore.

§ Apologorum.

De Heremita & Milite. Fab. 50.

Heremita quidam vir sanctissimae vitae militem hortabatur, ut relicta seculi militia, quam absque Dei offensa, & animae discrimine pauci exercent, tãdem se corporis traderet quieti, & animae consuleret saluti. Cui miles: Faciam, inquit, quod mones pater. Verum enim est, quod hoc tempore milites, neque stipendia exigere valeant, licet exigua sint, neq; praedari possint.

Fabula significat, multos vitijs renunciare, quia illa amplius exercere non possunt. Laur. Abstemius.

De Sene ob impotentiam libidinem carnis relinquente. Fab. 74.

Vir quidam sanctitate praeditus singulari senem quendam admonebat, ut tandem vitium libidinis dimitteret, cui vehementer insudarat. Cui senex: Obtemperabo, inquit, pater sancte, sanctissimis optimisq; admonitionibus tuis. Nam usum Veneris admodum mihi obesse sentio, & virga amplius non arrigitur.

Fabula indicat, multos non amore virtutis & Dei, sed timore poena & impotentia consuetis vitiis solere desistere. Laur. Abstemius.

§ Emblematum.

Batillius CXIII.

Principis est vitium tanto conspectius in se,
Quanto alijs Princeps est mage conspicuus:
Ceu minima insurgens papula est conspectior ori,
Quam si parte alia grandior illa subest.

Camerarius. VI. Centuria 1.

Tanto Vberius. *Olea putata ramis vetustioribus.*

Tu quoque sic reseces vitiis marcentia multis,
Virtutum ut soboles pullulet uberior.

Camerarius XXXIV. Centuria 3.

Renovata juventus.

Exuviis vitii abiectis, decus induere recti,
Ad Solem ut plumas accipiter renovat.

Vitium specie Virtutis. Embl. XXXVII.

Blandius arridet pellaci flore Cicuta,
Et tamen interius, quo perimamur, habet.
Cum vitium specie sese Virtutis obumbrat,
Promptius in casses pectora nostra rapit.

Florent. Schonhovius.

§ Monosticha Trochaica.

Illico sunt vitia nata, ut ipsa virtus gignitur.
Incenduntur vitia auctores dum eis inscribuntur Dei.
Maximus vitiorum fructus est monstrari & conspici.
Na tu propediem, hanc ut rem video, istius obsaturabere.
Nemo probris inquinari omnibus potest simul.
Non modo à virtute, verum & à se vitium discrepat.
Nostra vitia à tergo sunt, aliena in oculis condimus.
Nuda virtus apta caelo est, vitium opertum tartaro.
Pessimi valent vitiis, boni valent virtutibus.
Quae latent specie virtutum vitia sunt turpissima.
Rege sub malo virtutum vitia praemium auferunt.
Virtus ante se tuetur, vitium à tergo respicit.
Vitia turpiora sunt quae specie virtutum latent.

§ Jambica.

Contra naturam vitia pugnant omnia.
Etiam carendum vitiis est mediocribus.
Etiam sua quidam intelligunt vitia atque amant.
Etiam vitium contactu proximis nocet.
Facilius vitium excluditur, quam expellitur.
Heu quot scatemus intus homines belluis!
Inimica semper vitia sunt virtutibus.
Inter vitia viventi nil vel ordinis.
Lenocinantur semper vitiis dulcia.
Multi vitiis sapientiam inscribunt suis.
Nil est levis parvique in vitio ponderis.
Non prona solum ad vitia, etiam praeceps via est.
Nulla est ibi ratio; est ubi sortitio.
Nulli vitium est, nisi esse cui virtus potest.
Nunquam bona vitia ulla mansuescunt fide.
Parvo colas virtutem, magno vitia.
Quia nostra amamus vitia, etiam defendimus.
Quot vitia sunt hominis, tot animae sunt cruces.
Vbi vitia non sunt, ecquis virtuti est locus?
Vitium atque virtus pectore uno non habent.
Vitium impotens, virtus vocatur improbo.
Vitium specie virtutis saepius subit.
Vitio carere, virtutis primordium est.

Vltionis.

§ Monosticha Trochaica.

Adversarios ulcisci minime injurium est suos.
Alterum vix vindicabit qui se non ulciscitur.
Crebra vindicta odium reprimit paucorum, omnium excitat.
Dulcius nil ultione passo amaram injuriam.
Est ubi non criminis poena ipse at ultor displicet.
Haud genus vindicta honesta majus ignoscentia.
Laesus est qui ultioni indesinenter incubat.
Maxime ultione gaudent puerculi atque feminae.
Miserum est, male promerita, ut merita, si mihi ulcisci non licet.
Musca splen, formica bilem vindicando se obtinent.
Nemo ita est pusillus, ipsum vindicare quin queat.
Non modum debet, reponi: qui scelus, sed qui facit.
Qui fuit saevus perit saepe absq; misericordia.
Qui se vindicare quaerit, saepe cum inimico interit.
Qui se vult inimico ulcisci saepe dat poenas sibi.
Qui suam mortem est bene ultus bella ceu victor gerit.
Quod laesis longum est angustum plus nimis laedentibus.
Saepe ad ultionem desit ductor; animus non deest.
Saepe ne quidem absq; scelere sese vindicant probi.
Saepe parva rei vindicta servitutem repperit.
Saepe plus nocet vindicta vindicanti, quam bono est.
Serviam libens vitam omnem dum à malis me vindicem.
Serviam vita vel omni dum male ulciscar malos.
Tam nemo est humilis sperare quin poenam summi queat.
Vindicare te de inimico si vis, usque sis probus.
Vindicari tam jucundum haud est quam miserum decipi.
Vltio non est viri, pueri ultio atque feminae est.
Vltio quidem potentia: ignoscere at victoria est.
Vltionem ne mineris laesus; solum ulciscito.
Vltione eget communi pluribus quod obfuit.

§ Jambica.

A contumelia ultio differt ordine.
Aculeum apis ubi perdit & vita excidit.
Bis vindicat qui cum potest non vindicat.
Confessio est sui doloris ultio.
Damnosa multis saepe facta est ultio.
Dulce est referre, ferre acerbum quod fuit.
Et calce mulam referit ictus Ctesiphon.
In quaestu habetur ultio; oneri gratia est.
Injurium haud est ulcisci adversarios.
Iustitia & ipsa vindicat mei mortuos.
Nimium bonos, quamvis invitos vindices.
Non vindicando, vindicamus maxime.
Odio dumtaxat vitamus, haud faciendo injuriam.
Par redditur Deo qui se haud ulciscitur.
Propria ultioni fas commune praeferas.
Prius saluti quam ultioni consulas.
Quantum ô bonum est perferre posse injurias!
Quisquis dolorem vindicat, nil respicit.
Res nulla laesis ultione dulcior.
Se vindicare nemo invitus cogitur.
Si stimulos pugnis caedis, manibus plus dolet.
Solatio vindicta contumeliae est.
Vindex doloris nemo juste fit sui.
Vindicta de nimis minore ingloria est.
Vindicta docili saepe patet solertia.
Vindicta forti maxima est, ignoscere.
Vindicta quaevis proxima est injuria.
Vindicta res est homini jucundissima.
Vlcisci inimicum vis? de ipso bene dicito.

Vnguentorum.

§ Sententiae Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Coronarum autem & unguentorũ usus non

non est nobis necessarius: ad libidines enim & voluptates impellũt, maxime cum nox prope est. Scio quod cum unguenti alabastrum ad sanctam cœnam mulier attulisset, unxit pedes Domini, & eum delectavit. Scio etiam veteres Hebræorum reges auro & lapide precioso ornata gestasse diademata. Sed mulier quidem Verbi nondũ fuerat particeps: erat enim adhuc peccatrix. Eo autem quod apud se esse pulcherrimum existimabat, nẽpe unguento, honoravit Dominum. itaq; etiam ornamento corporis, nempe capillis suis, abstersit unguẽtum quod redũdabat, libans Domino lachrymas pœnitentiæ: propterea ejus peccata remissa sunt. Potest autem hoc esse signum ac symbolum doctrinæ Dominicæ & ejus passionis: pedes n. qui unguntur unguento odorifero, doctrinam divinam significant, quæ cum insigni gloria orbem terræ pervadit. Exiit enim sonus eorum in fines terræ, atque adeo, si non nimium importunus videor, pedes Domini unguento delibuti, sunt Apostoli, prophetiæ suaveolentis unguenti, scilicet sancti spiritus participes. Itaque Apostoli, qui universum orbem terræ obierunt, & Evangelium prædicarunt, per allegoriam dicuntur pedes Domini, de quib. per Psalmographum quoq; prædicit Dominus: Adoremus in loco ubi steterunt pedes ejus. hoc est, quo pedes ejus pervenerũt, Apostoli, per quos prædicatus venit ad fines terræ. Lachrymæ autem sunt pœnitentia: & soluti capilli prædicabant liberationem à nimio amore superflui ornatus, & quæ cum prædicatione propter Dominum suscipienda erat, afflictionem in tolerantia, veteri illa per novam fidẽ soluta vana gloria. Quinetiam significat passionem Domini. Mystice sic intelligentibus, oleum est ipse Dominus, à quo ad nos pervenit misericordia. Vnguentum autem, adulterinum inquam oleum, est Iudas proditor, quo pedes unctus est Dominus, dum à cõversatione in mundo liberabatur: unguntur enim mortui. Lachrymæ a. sumus peccatores, qui in ipsum credidimus, quibus peccata remisit. Et capilli soluti, flens est Hierusalem, quæ inuncta fuerat, propter quam propheticæ fuerunt lamentationes. Nos a. docebit ipse Dominus Iudam esse falsum & adulterinum: Qui intinxerit mecum, dicens, in catinum, hic me tradet. Vides convivam dolosum. Hic ipse Judas osculo prodidit Dominum: fuit enim idem hypocrita & simulator, fraudulentumque ac dolosum habens osculum, alium veterem imitans hypocritam, & populum illum arguens propter quem dictum est: Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Est ergo satis probabile, eum quidẽ oleum significare, ut discipulum qui consecutus fuit misericordiam. Fraudulentum a. utpote proditorẽ, oleum infectum ac venenatum. Hoc ergo erat quod prædicebant pedes unguento delibuti, Iudæ nempe proditionem, cum Dominus pergeret ad passionem.

Quinetiam ipse Servator lavans pedes discipulorum, ad præclara eos mittens agenda, eorum abitum ad benefaciendum gentibus, idonee & pure propria eas præparans potestate: iis fragravit unguẽtum, & suavis odoris opus ad omnes perveniens ab iis celebratum est. Domini enim passio nos quidem bono odore replevit, Hebræos a. peccato. Hoc apertissime ostendit Apostolus, dicens: Deo gratia, qui nos semper facit triumphare in Christo, & odorem suæ cognitionis per nos manifestat in omni loco, quoniam Domini bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt: his quidem odor ex morte in mortem, illis vero odor ex vita in vitam. Porro a. reges Iudæorum ex auro & gemmis composita ac varia corona utentes, Christi vocati Christum in capite symbolice gestãtes, imprudentes capite Domini ornabantur. Lapis quidem certe preciosus vel margarita, vel Smaragdus, ipsum Verbum significat. Aurum autem rursus est ipsum Verbum ab interitu alienum, qui corruptionis virus minime recipit. Atq; ipsi quidem nato aurum obtulerunt Magi, quod est regni symbolum. manet autem corona immortalis ad imaginem Domini: non enim veluti flos flaccescit.

Jam vero non illa Cyrenæi Aristippi. Molli ac luxuriosæ vitæ erat deditus Aristippus. Is ejusmodi sophisticam proponebat orationem: Equus qui unguento ungitur, in viri virtute non læditur, nec unctus canis in virtute canis. Subjunxit, ergo nec homo: & ita conclusit syllogismum. Atqui quo quidem & cani nulla est ad unguentum cognoscendum ratio: quibus a. sensus est ratione magis præditus, iis illorum usus est magis vituperandus, ut qui pueriles odores adhibeant. Horum autem unguentorum sunt infinitæ differentiæ. Bienthium, Metallium, & Regium, Plangonium, & Psagdæ AEgyptiæ. Simonides autem in Jambis non veretur dicere:

Vnguebar unguine & bonis odoribus,
Et baccari.

nam quidam mercator aderat. Porro autem utuntur etiam unguẽto ex liliis, & unguento Cyprio, & Nardus apud eos est in maximo precio: unguentum quoq; ex rosis, & alia quibus utuntur mulieres, & humida, & sicca, & quæ asperguntur unguenta, & quibus fiunt suffitus: indies enim ab eis nova excogitantur, ut inexplebilem cupiditatem boni odoris insatiabilitate expleant: quocirca nimiam quandam decori pulchriq; curam redolent. Atque eæ quidem & sua vestimenta, & vestes stragulas, domosq; suas suffumigant & aspergunt, atq; adeo vel ipsas propemodum matulas olere cogunt unguenti delitiæ. Quamobrem recte mihi videntur nonnulli, cum ægreferrent tantum studii in unguenta conferri, ut vel virilitatem ipsam effœminarent, & eorum artifices, nempe unguentarios, à civitatibus quæ bonis legibus & institutis reguntur expellere, atque adeo ipsos etiam floridarum lanarum infectores. Nefas est enim vestes dolosas & unguenta in civitatem veritatis ingredi.

Oportet autem viros in primis apud nos unguenta non olere, sed vitæ probitatem. Spiret autem fœmina Christum, qui est regalis unctio, non unguenta & diapasmata: divina autem semper ungatur pudicitiæ unctione, sancto delectata unguento, nempe spiritu. Hanc suavis odoris unctionem hominibus notis suis Christus comparat, ex aromatibus cœlestibus hoc unguentum componens. Hoc autem unguento ipse quoque Dominus ungitur, sicut per David meminit: Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Myrrha, & lacte, & casia à vestimentis tuis. Cæterum ne forte sicut vultures unguenta abhorreamus, aut sicut scarabæi: hos enim rosaceo unguento delibutos mori inquiunt, pauca quædam ex his unguentis sunt eligenda fœminis, quæ virum minime torpefaciunt. Nimiæ enim unguentorum unctiones, justa quæ fiunt mortuis, potius quam familiarem vitæ redolent consuetudinem. Quanquam ipsum quoque oleum apibus & insectis est inimicum, verum id prodest nonnullis hominibus, nonnullos autem ad pugnam excitat, & qui prius erant amici, id unctos in stadiis eo deducit, ut omni contentione omnibusque viribus in certamine depugnent: unguentum autem, cum molle sit oleum, non existimatis generosos mores posse effœminare? Quemadmodum autem delitias à gustu amovimus, ita certe à visu & odoratu sensus titillantem voluptatem amandamus, ne quam fugavimus intemperantiam per sensus, tanquam per portas quibus desunt custodes, ei in animam aditum patefaciamus. Quod si suavis odoris suffitum, pontificem magnum, nempe Dominum dicant Deo offerre, ne id esse sacrificium & suavis odoris suffitum intelligant, sed gratam & acceptam charitatem, spiritalem scilicet odoris suavitatem, Dominum altari offerre accipiant.

Sufficit itaque ipsum oleum & ad superficiem cutis pingue faciendam, nervosque relaxandos, & ad corporis graviorem reprimendum odorem, si etiam oleo ad hoc opus habeamus. Suavis autem odoris studium, est esca ocii & mollitiei, quæ ad libidinosam & intemperantem cupiditatem paulatim attrahit. Qui est enim intemperans, undiquaque ducitur ac trahitur, & à cibo, & à strato & à conversatione, & ab oculis, & ab auribus, & à maxillis, atque adeo etiam à naribus. Et sicut boves annulis & funibus, ita etiam intemperans suffitibus, & unguentis, & suaveolentibus coronarum odoribus trahitur. Quoniam autem voluptati nihil loci tribuimus, quæ cum nullo usu qui vitæ conferat conjuncta est, agè hic quoque eas distinguamus, id quod utile eligentes. Sunt enim suaves quidam odores, qui neque torporem afferunt, neque ad amores impellunt, neque impudicam conjunctionem ac meretricium contubernium redolent, sed sunt una cum temperantia salubres: ac cerebrum quidem alunt quando male affectum fuerit, & ventriculum corroborant. Multum ergo abest ut oporteat refrigerare floribus, quando quis vult nervos leves agilesque reddere. Nõ est enim usus eorum omnino ablegandus, sed unguento tanquam medicamento & auxilio utendum est, & ad vires languentes excitandas, & ad catarrhos, & ad refrigerationes, & ad fastidium. Quemadmodum alicubi quoque dicit Comicus: Vnguentis manus ungitur, quod est pars sanitatis maxima, ut cerebri bonos odores faciat. Quinetiam pedum, per eorum quæ calefaciunt aut refrigerant unctionem, fricatio exercetur utilitatis gratia: ut scilicet iis qui sunt repleti in capite, fiat quædam attractio & diversio ad corporis partes, quæ sunt minus principales.

Voluptas autem, cui nulla accedit utilitas, meretriciorum est morum opprobrium, & medicamentum ad provocandum. Omnino autem multum differt μυραλοιφεῖν, hoc est, esse unguento delibutum, ab eo quod est ungi unguento: illud enim est effœminatũ: unguento autem ungi nõnunquam est utile. Aristippus itaq; Philosophus cum unguento unctus esset, dicebat, malos male perdendos esse cinædos, qui ut unguenti utilitas male audiret effecerant. Honora autem medicum propter ejus utilitatem, inquit Scriptura: ipsum enim creavit Altissimus. A Domino autem est medicina. Deinde subjungit: Et unguentarius faciet mixtionem. videlicet quod data essent unguenta ad utilitatem, non autem ad suavem sensuũ titillationem. In unguentorum enim incitamentis nequaquam ponendum est studium, sed est id quod est in eis utile eligendum, cum etiam Deus hominibus oleum nasci permiserit ad levandos labores.

Desipientes autem mulieres quæ canos quidem tingunt, capillos autem ungunt, celerius canescunt propterea quæ desiccant aromata. Quocirca sunt etiam qui unguntur sicciores: facit autem siccitas caniores. Sive enim canities est pilorum exsiccatio, sive calidi defectus, siccitate proprium pilorum nutrimentum ebibente humidum, & efficiente canos, quomodo unguenta adhuc amaverimus propter quæ cani fiunt, qui canos fugimus? Quemadmodũ autem qui naribus sunt sagacibus canes, feras odore investigant: ita ex nimis curiosa unguentorum fragrantia, qui moderati sunt & temperantes, venantur intemperantes.

Porro autem talis quoq; usus coronarum ad comessationem & in vino protervia comparatus effluxit. Ne caput mihi corona cinxeris. Ver est. In roscidis pratis & mollibus variisq; germinantibus floribus degere pulchrum est, nativa & syncera odoris suavitate apum ritu fruentes. Ex puro autem prato contextam coronã pro ornamento domi circumferre non est moderatorum hominũ. Non enim rosarum baccis, vel violis, vel liliis, vel aliis ejusmodi floribus epulatricem comam herbis ac floribus variegantes, tegere

convenit. Refrigerat enim capillum sponte sua circumposita corona, tum propter humiditatem, tum propter frigiditatem. Ea de causa medici cum cerebrum esse frigidum ex diligenti naturæ contemplatione cognoscant, pectora esse unguenda sentiunt & supremas nasi partes, ut sensim transiens calida exhalatio, ejus frigiditatem possit recte fovere. Longe ergo abest ut is sit floribus refrigerandus. Accedit his, quod florum quoque delectationem perdũt ij qui sunt coronati. Quippe nec usu fruuntur qui habent coronam supra oculos revinctam. Sed neque odoris suavitate, cum supra respiratoria instrumenta sint flores. Cum enim odor secundum naturam sursum emittatur & exhaletur supra caput, respiratio nulla delectatione fruitur, cum suavitas odoris abripiatur. Sicut ergo pulchritudo, ita etiam flos delectat dum videtur, & oportet nos eorum quæ pulchra sunt aspectu fruentes, laude & gloria afficere opificem.

Vsus autem eorum est noxius, & celeriter præterit, pœnitentiæ supplicio affectus. Statim autem probatur eorum vitæ brevitas: ambo enim flaccescunt, & flos & pulchritudo. Cæterum eos quidẽ qui ea contrectant, ille quidem refrigerat, hæc vero incendit & inflammat. Vt uno autem verbo absolvam, qui præter aspectum usus eorum percipitur, petulantia est & lubido, non autem delectatio. Oblectari autem nos honeste oportet tanquam in paradiso, Scripturam vere sequentes. Mulieris quidem corona vir est existimandus, viri autem matrimonium, matrimonii autem flores, amborum liberi, quos quidem carnalium pratorum divinus colligit agricola. Senum autem coronæ sunt filiorum filii: filiis autem gloria, inquit, sunt patres. Nobis autem Pater universorum & universæ ecclesiæ corona Christus est.

Quemadmodum autem radices & herbæ, ita etiam flores proprias habent qualitates: & has quidem utiles, illas vero noxias, alias autem periculosas. Hedera itaque refrigerat: nux autem emittit spiritum, qui torporem & veternum immittit, ut vel ipsa ostendit nominis etymologia. Narcissus vero flos est gravis odoris: id arguit nominis appellatio, ut qui nervis νάρκην, hoc est, torporem afferat. Rosarum autem & violarum qui emittuntur odores, cum sint modice frigidi, gravedines capitis comprimunt & coercent. Nobis autem nullo modo non solum una inebriari, sed ne mero quidem uti permissum est. Quinetiam crocus & flos ligustri in somnum minime molestum deducunt. Porro autem multa ex iis cerebrum quod est natura frigidum suis fovent odoribus, dum excrementa cerebri subtilia & minuta efficiunt. Hinc etiam dicunt rosam Græce ῥόδον fuisse nominatam, quod odoris fluxum emittit ingentem, & ideo cito marcescit.

Cæterum nec apud antiquos quidem Græcos fuit ullus adhuc coronarum usus: Neque enim proci, nec qui luxuriosam vitam agebant Phæaces eis usi sunt. In certaminibus autem primo fuit donum Athletarum, secundo autem plausus & excitatio, tertio foliorum conjectio, ultimo autem fuit corona, cum Græciæ post tẽpora Medica, magna ad delitias facta esset accessio. Qui à Verbo itaque seu ratione instituuntur, à coronis arcentur, nec existimant rationem esse à se obligandam quæ in cerebro sita est: non quod convivialis quæ per vinum excitatur, petulantiæ sit corona symbolum, sed quod ea sit dedicata simulachris. Sophocles certe narcissum, antiquam magnorum deorum coronam appellavit, id dicens de terrestribus: Sappho autem coronat Musas rosa. Non es rosarum Pieriarum particeps. Junonem autem dicunt delectari lilio, & Dianam myrto. Etsi enim flores quidem maxime propter hominem facti sunt, eos tamen cum stulti accepissent, non ad propriũ usum, quo grato animo uti poterant, sed in ingratum dæmonum ministerium abusi sunt. Ab eis ergo abstinendum est propter conscientiam.

A turba autem & negotio remotæ segnitiæ corona signum est. Qua de causa mortuos quoque coronant, quo nomine re ipsa suo testimonio idola mortua esse asserunt: qui enim bacchantur, nec absque coronis orgia sua celebrant: postquam autem flores circũposuerint, postremò mirandum in modum incenduntur. Cum dæmonibus ergo nullo modo communicandum est. Sed nec viva Dei imago mortuorum simulachrorum ritu est coronanda. Pulchra enim amaranti corona ei est reposita qui se recte gesserit. Hunc florem terra ferre non potest: cœlum solummodo eum potest producere. Accedit his, quod à ratione alienum est, ut qui audierimus Dominum spinis fuisse coronatum, ipsi venerabili Domini passioni per ludum insultantes, habeamus capita redimita floribus. Domini enim corona nos prophetice significabat, qui fuimus aliquãdo infrugiferi, qui circa illum positi fuimus per ecclesiam, cuius ipse est caput. Quinetiam est typus fidei. Vitæ quidem, propter ligni substantiam: lætitiæ autem, propter coronæ appellationem: periculi vero, propter spinam: neque enim citra sanguinem licet ad Verbum accedere. Contexta autem corona marcescit, & pravitatis perplexum sertum dissolvitur, & flos exsiccatur. Marcescit enim gloria eorum qui Domino minime crediderunt. In altum autem elatum Jesum coronaverunt, suam testantes inscitiam. Hac enim ipsa de causa cum duro corde sint, sapienter prolatam non intelligunt prophetiam, quam ipsi appellant Domini probrum & contumeliam. Non cognovit Dominum populus qui aberravit: ratione ac consideratione minime fuit circumcisus: non fuerunt ejus illuminatæ tenebræ: non novit Deum: negavit Dominum: verum esse, Israelem perdidit: Deum persecutus est: Verbum speravit afficere contumelia: & quem tanquam maleficum crucifixit, tanquam regem coronavit. Quapropter in quem hominem non crediderunt, eum benignum Deum Dominum agnoscent, & justum. Quem exacerbaverunt ut se Dominum ostenderet, hoc de eo in altum sublato testati sunt, diadema justitiæ ei super omne nomen exaltato tribuentes, per spinam semper florentem. Hoc diadema est inimicum iis qui insidiantur: iis autem qui in ecclesia simul versantur, amicum, eos circunsepsit ac muniit. Hæc corona flos est eorum qui crediderunt in eum qui glorificatus est, cruentat autem & castigat eos qui non crediderunt.

Porro autem hoc quoq; signum est rei à Domino bene gestæ, cum ipse suo capite & principali parte corporis omnia mala nostra portaverit, propter quæ pungebamur. Cum ipse enim ab offensionibus & peccatis & ejusmodi spinis, nos propria passione liberasset, diabolumque infirmasset & abolevisset, orans merito dixit: Vbi tuus ô mors stimulus? Atq; nos quidem uvas ex spinis colligimus, & ficus ex rubis: illi autem consauciantur ac laniantur, ad quos manus extendit nempe, ad populum infidelem & infrugiferum. Possem aliud quoque tibi mysticum dicere. Nam cum omnipotens universorum Dominus, quando cœpit per Verbum legem ferre, & Mosi suam potentiam voluit manifestare, ei divina visio ostenditur formatæ lucis in rubo ardente (Spinosa autem plãta est rubus) Postquam Verbum legem ferre & cum hominibus conversari desiit, mystice rursus Dominus corona coronatur, hinc illuc unde descenderat abiens, veteris descensus principium instaurans, ac de integro veluti in summam redigens, ut quod primum per rubum Verbum visum fuerat, per spinam rursus assumptum, ostenderet omnia esse unius potentiæ, cum sit unus, & Patris qui unus est, Filius, principium & finis sæculi. Sed à pædagogica docendĩ ratione ad genus orationis quod versatur in docendis dogmatibus digressus sum: rursus igitur revertor ad propositum.

Quod ergo loco medicamenti, curationis gratia, & nonnunquam etiam moderatæ recreationis, non sit rejicienda quæ ex floribus sentitur oblectatio, & quæ ex unguentis & suffitibus accipitur utilitas, ostendimus. Quod si dixerint aliqui, quænam est ergo amplius florum gratia iis qui eis non utuntur? Sciant ex eis quoq; componi unguenta, eaque esse admodum utilia. Susinum quidem componitur ex liliis & lirinis. Est autem calefaciens, aperiens, & attrahens, humefaciens, abstergens, subtilium tenuiumque partium, bilem movens, molliens. Narcissinum autem, quod componitur ex Narcisso, æque juvat ac Susinum: Myrsinum vero, quod ex myrtis & myrsine constat, est constipans: qui ex corpore autem emittũtur odores, coercet ac continet. Quod ex rosis autem est, est refrigerans. In summa enim, ut eis bene utamur, ea facta sunt. Exaudite me, inquit, & tanquam rosa plantata in fluentis aquarum germinate. Tanquam Libanus suavem odorem emittite, & benedicite Dominum super opera ejus. De his autem multa dici possent, cum nos flores & aromata ad necessarias utilitates, non ad delitiarum insolentiam facta esse dicamus. Quod si est etiam aliquid concedẽdum, odore florum uti sufficit: nequaquam autem coronentur. Hominis enim curam gerit Pater, & ei soli suam præbet artem propriã. Dicit itaque Scriptura: Aqua & ignis, & ferrum & lac, similia frumenti, & mel, sanguis uvæ, & oleum, & vestis, hæc omnia piis ad bona sunt. *lib. 2. Pædagog. cap. 8.*

D. Chrysostomi: Quid memorem pretiosorum aromatum, quæque ex India, etiam quæ ex Arabia, & quæ ex Perside convehuntur? Arida simul & liquida, unguentorum atque odorum nimis delicatum usum: quæ omnia sumptum afferunt inutilem prorsus, atque superfluum? Quid unguentis ô mulier, corpus ungis, quod intrinsecus immunditia plenum est? Quid putredine pervium corpus pretiosis aromatibus condis, veluti si quis unguentum injiciat cœno, aut molli lateri balsamum? Sunt si vis unguenta pretiosa, sunt pleni cælestis fragrantiæ odores, quibus inungere animum possis, quæ non ex Arabia, neque ex AEthiopia, neque ex Perside, sed ex ipso convehuntur cælo: emunturque non auro, sed voluntatis præstantissimo instituto, & fide non ficta. Hujusmodi tibi unguenta eme, quorum odor implere orbem possit. Huiusmodi fragrantia & Apostoli spirasse noscũtur. Odor. n. inquit, suavitatis sum⁹, aliis q̃dẽ in mortem, aliis vero in vitã. Quid a hoc sibi vult? Fertur nẽpe & sua fragrantia odoris suffocari. Non autem corpus Apostolorum tantum, verũ & indumenta ipsa unguento spiritualis gratiæ plena erant.

Ita enim Pauli indumenta suavissimum spirabant odorem, ut etiam dæmones pellerent. Quod folium, quam casiam, quam myrrhã hujusmodi odor non suavitate atque utilitate transcendat? Nam si fugabant dæmones, quid aliud non potuisse credantur? Huiusmodi nobis conficiamus unguentum. Conficit autem ipsum per eleemosynam gratia spiritualis. Hanc odoris fragrantiam & quum hinc profecti fuerimus, spiraturi sumus: & quemadmodum hic omnes in se convertunt, hi qui unguentis delibuti sunt: & sive in balneum, sive in ecclesiam, sive in alium quemlibet populosum locum abscesserit qui hujusmodi ex se emittit odorem, omnes ex eo pendent, omnes ad eum se convertunt: ita & in futuro seculo, quum animæ hinc profectæ odoris spiritualis secum intulerint gratiam, stupent omnes, omnes cedunt: in hac etiam vita dæmones, ac vitia omnia accedere ad huiusmodi animam non præsumunt, neque sustinent, eo quippe odore suffocantur.

Illa igitur aromata circumferamus: hæc enim nobis & lasciviæ opinionem inferunt, & nocent plurimum: illa vero fortitudinis, atque miraculi nos admiratione concelebrant, ingentemque nobis fiduciam præstant. Hujusmodi aromata non germinat tellus, sed virtus inclyta gignit. non marcescunt, sed florent: hujusmodi odoribus angimur, quum baptismatis fonte renascimur, tunc honestissimam hanc fragrantiam spiramus. Postea vero studii nostri sit necesse est, si hujusmodi odorem spirare velimus. *Homilia* 3. *ad Tim.* 1.

¶ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Xenophon: Profecto mi Callia, inquit Socrates, convivio nos absoluto rebus omnib. excipis. Non enim tantum cœnam minime contemnendam nobis adposuisti, sed etiam spectacula & acroamata jucundissima exhibes. Tum ille: Quid ergo? inquit, si quis unguentum nobis adtulerit, ut etiam fragrantia odoris excipiamur? Nequaquam, ait Socrates. Nam uti vestis alia viro, alia mulieri pulchra est: sic alius odor virum, alius mulierem decet. Nemo certe virorum unguento viri causa sese ungit. Mulieres vero, præsertim si sponsæ sint, quemadmodum jam est illa Nicerati, & Critobuli, nec illæ quidem unguento indigent aliunde. Nam ipsæmet unguentum redolent. At odor olei, quo in gymnasiis utimur, si quidem adsit, gratior est, quam unguenti mulieribus, & magis si absit expetitur. Etenim si quis unguẽto sit delibutus, sive servus, seu ingenuus; mox illorum quivis eodem modo redolet. At qui sunt ex laborib. exercitationes & longum tempus desiderant, si quidem & suaves & liberales esse debeant. Tum Lyco: Hæc igitur ad juvenes pertinent, ait. Nos autem, qui exercitiis illis non amplius utimur, quid redolere debemus? Virtutem profecto & honestatem, ait Socrates. Atq; unde quis illud unguentum sumserit? Nequaquam certe, ait, ab unguentario. Vnde igitur quæso? Theognis dixit

Tradent nempe boni bona, sed si vixeris inter
Pravos, amittes quod tibi mentis adest.

Tum Lyco: Audis hæc, inquit, fili? Audit profecto, ait Socrates, & quidem ad usum confert. Quapropter ubi talis quinquertii victor fieri volet, te in consilium adhibebit, ut ejus uti consuetudine possit, qui ad exercendum hoc studii genus illi maxime conducturus videbitur. *cap.* 4. *Convivii.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ilico exspirant unguenta: margarita heredem habent.
Insectis oleum est inimicum, hominibus utilissimum est.
Leniendo hominum labori nata oliva Pallados.
Plus coquo quam medico servit natio unguentaria.
Plus unguenti apud Campanos fit, quam olei apud ceteros.
Sunt meliora unguenta terrã quæ sapiunt quã quæ crocũ.
Vulturi mors fit unguentum, mors scarabæo fit rosa.

¶ JAMBICA.

Cum sis anus, relinque unguenta ætatula.
Frustra perungas unguento jam mortuum.
Vnguenta homines recreant sues anima exuunt.
Vnguenta odora vase quis putri excipit?
Vnguenta olet quicumq; oletque feminam.
Vnguento oleant puellæ; anus oleat allium.

Vnius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Est unus timens melior, quam mille filii impii.
Affici satius malo unico unum, quam omnes publico.
Gratiam omnium virtutum destruas hora unica.
Hectoris dies supremus idem qui patriæ fuit
Improbi unius reatum sæpe vel tota urbs luit.
Interire unum pro multis, quam multos pro uno æquius.
Invenias bonum facilius unum, quam plures bonos.
Luxuriosus unus ad luxuriam plures incitat.
Mens ferax plus una præstat mille quam virûm Phalanx.
Naufragium omnium virtutum facto incurras unico.
Ordinem delevit omnem collega unius scelus.
Sæpe nominis turba expers unico cadit viro.
Sæpe spes opesq; regni in uno sunt sitæ viro.
Sæpe vir præstabit unus plus phalange militum.
Sæpius delictum unius publica attrahit mala.
Sæpius muri urbis uno stant homulli in pectore.
Troia tandem impulsa unius corruit solo manu.
Vita sæpe unius salvusq; integri est exercitus.
Vna eruca & mille cunctæ fronde nudet arbores.
Vna eruca & universas horti opes detondeat.
Vnicum malim Catonem, quam trecentos Socratas.
Vnico facto universas virtutes evertere est.
Vniversa fas servare damno unius oppidi.
Vnius scelus nefandi sæpius tota urbs luit.

¶ JAMBICA.

Benefacta mille une malefacto adobruas.
Bucephalus unus, semper sentit quem vehit:
In margaritis plurimis una Vnio est.
Multorum adinstar est homo unus millium.
Murum tamen, mille inter, unus occupat.
Non utique Vlysses unus ipse est callidus.
Pauci videre æque aliquid ac multi queant.
Persæpe mille præstat unum jugerum.
Pestis fuit multorum, unius pravitas.
Plus est in uno sæpe, quam in turba boni.
Pro millibus centum mihi unus est Cato.
Sæpe una totum in urbe regnum viceris.
Sæpe unus est homo pluris, quam integra natio.
Summus dies idem Hectori ac Trojæ fuit.
Totius unus sæpe vir belli mora est.
Tyrannidi exstinguendæ & unus sufficit.
Vel multa nocte perpetramus unica.
Vnus mihi pro populo, & populus pro uno mihi est.
Vnus Timon sibi amicus, hostis ceteris.

Vocationis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Basilius Seleuc.* Dominus Deus dum varia hominum ingenia multiformi vocatione tractat, multas ad salutem vias aperit hominum generi. Et quemadmodum medicorum optimi varias texunt rationes, quibus morbos expugnent: sic bonus hominum fictor multiplices, easque voluntarie admissas conspicatus animorum ægritudines, plurima & ipse benignitatis suæ medicamenta promit per unũquodq; cujusq; salutẽ perficiẽs. Si publicanũ viderit publicanorũ lucris inquinatũ, medelã dat purgatricẽ voluntatis: si formam, quæ voluptates nundinetur, transfert affectũ, in amorem plane divinum, si furem prioris vitæ statum retractantẽ, per fidem trahit, si insecutorem per ignorantiam furentem, fulgure in sagenam compellit: si militem fidelem, per misericordiam attrahit: alius denique virginitate membra decorat, & majoris pretii apud Deum est: alius mansuetudinem amat, & in sacris literis in admiratione est: alius zelo cælesti obarmatur, & Deum laudatorem sibi comparat. Verum etsi plures saluti congruant modi; tamen omnibus humilitatis ornamentum convenit. Ea comite continentia in admiratione est, & fides fit amabilior, & justitia purgatior, & verior misericordiæ fructus, & pænitentia tunc creditur, quando cũ humanitate conjugata est. *Orat.* 28 *pr.*

D. Basilius Seleuc. Periti scientesque medici tunc plus de arte cient admirationis, non cùm ferro, & igni in belli modum vim mali domant, sed cum levibus pharmacis affectæ parti adulantes ægrum scite persanant, & artis severiora præcepta cohibent; miti interim, ac familiari quodam victu dolore sopito ægrotum à morbo liberum ostendunt. Ad eum modum rex Dominus noster Jesus Christus medicus, qui totus sapientia est, impietatis ægritudine terram laborantem conspicatus, ac per mundanas deceptiones ardentem idolomania, non igneos imbres cælo dejicit, non maris fluctus in continentem impetum dare jubet, neque violentiam elementorum contra impietatem armat; sed miraculis fidem facit, & beneficentia pellicit, verbisque cælestibus incensas animæ passiões sedat, Immo vero discipulos quoq; minimi pretii deligit, eorum manibus, & linguis curationem orbis terrarum credit; *initio Orationis* 30.

S. Isidorus Pelusiota: Divina gratia humanæ mixta industriæ animique promptitudini, salvum facit hominem. Quocirca etiam Apostolus, qui Christum habebat in se loquentem, dicebat: Cooperatur iis, qui secundum propositum vocati sunt. Non enim sola vocatio (omnes enim vocati sunt quidem; sed non obedierunt vocationi) verum etiam propositum voluntatis animique propensio & studium obsequendi in vocatis salutem operatur. Non enim coacta est vocatio, neque violenta, sed voluntaria ac spontanea. *lib.* 4. *Epist.* 51.

¶ APOPHTHEGM. SACROR.

Amos Propheta. Cum Amasias quidam Amosum apud regem Israelitarum accusaret conspirationis, discessumque ipsi consuleret, respondens Amos dixit ad Amasiam, Neque eram Propheta, neque filius Prophetæ, sed bubulcus & perquirens sycomora, cum assumpsit me Jehova à sequendo grege, & edixit mihi Jehova, Abi, prophetato apud populum meum Israelem. Nunc igitur audi verbum Jehovæ, &c. *Amos*, 7. 14. 15. Primum asserit vocationem suam, confirmans æquum esse, ut potius pareat Deo quam hominibus. deinde in Amasiam verbis Dei sententiam pronuntiat.

Ionas Propheta. Vocationem Dei detrectans, committit se mari, ubi exorta tempestate, & sorte conjecta, se Judæum fassus, mortis sententiam in seipsum fert, dicens nautis, Tollite me, & projicite me in mare, ut conticescat mare ab infestandis vobis: nam agnosco propter me procellam maximam hanc infestare vos. *Ion.* 1. 12.

Hazarias sacerdos. Huzija rex ubi confirmatus est in regno, superbia elatus est adeo ut se corrumperet, & prævaricaretur contra Jehovam Deum suum: ingressus enim est in templum Jehovæ, ut adoleret super altare suffitus. Ingressus vero post eum Hazarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Jehovæ octoginta robusti. Obstiteruntque regi dicentes, Non est tuum, ô Huzija, adolere Jehovæ: sed sacerdotum filiorum Aaronis qui consecrati sunt ad adolendum: exi è sanctuario, nam prævaricatus es, neque futurum est tibi gloriæ à Jehova Deo. Tum rex indignatus contra sacerdotes, voluit adolere Jehovæ, sed lepra exorta est in fronte ejus, &c. 2. *Chronic.* 26.18.

Iesus Christus Dominus noster. Videns duos fratres piscatores, Simonem & Andream jacientes rete in mare, dixit eis, Sequimini me, & faciam vos piscatores hominum. Illi vero statim omissis retibus sequuti sunt eum. Idem dicitur de Jacobo & Joanne Zebedæi filiis *Matth.* 4.18. &c.

Idem. Quidam in via quum dixisset Jesu, Domine, sequar te quocunque ieris, dixit ei Jesus, *Vulpes habent lustra, & volucres cæli, nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Dixit vero ad alium quendam, *Sequere me.* Ille autem dixit, Domine permitte mihi ut prius abeam, ac sepeliam patrem meum. Dixit autē ei Jesus, *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu vero profectus, annuntia regnum Dei.* Dixit autem etiam alius, Sequar te, Domine: sed permitte mihi prius, ut valedicam iis qui sunt domi meæ. Ait autem ei Jesus, *Nemo qui manu sua admota aratro respexerit ad ea quæ retro sunt, appositus est ad regnum Dei.* Luc. 9.57.58. &c. Christum sequuturi, ad quævis incommoda subeunda sese cōparare debent. Dei vocatio quibusvis in homines officiis sine ulla exceptione est anteponenda Oportet Christum sequuturos mundi sollicitudinibus semel renuntiare.

Idem. Dixit ei quidam è turba, Præceptor, dic fratri meo, ut partiatur mecum hæreditatem. Ipse vero dixit ei, Heus tu, quis me vobis judicem aut partitorem præfecit? *Luc.* 12.14 Christus tribus de causis recusat esse familiæ herciscundæ judex. Primo, ne carnalem Iudæorum de Messiæ regno opinionem foveat. Secundo, ut politicum imperium ab Ecclesiastico ministerio distinguat. Tertio, ut iis occurrendum doceat, qui Evangelii prætextu, atque adeo ministrorum nomine ad privata commoda abutuntur.

Idem. Adduxerunt ad Jesum Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & judicium ejus de illa quærebant, sed pessime animati. Illis autem instantibus dixit Jesus, Qui vestrum immunis est à peccato, primus in eam jaciat lapidem. Et paulo post illis furtim recedentibus, dixit mulieri, Quum nemo te condemnaverit, nec ego te condemno. Vade, & ne amplius pecca. *Ioan.* 8.7 11. Christus repressis hypocritis qui plusquam severi aliorum censores suis vitiis indulgent, noluit civilis magistratus partes ad se trahere, ad fidem & resipiscentiam peccatores adducere contentus.

Apostoli. In Apostolicis epistolis frequēter occurrunt, post dogmatum fidei confirmationem, præcepta ad omnes & singulos, ut in vocatione sua constantes permaneant. Magistratibus, subditis, maritis, uxoribus, parentibus, liberis, dominis, servis, regulæ vitæ proponuntur, quæ eos jubent in eo gradu quo Deus eos collocavit summi illius regi voluntatem placidis animis expectare. Nihilque Deo magis gratum quam ut quisq; in sancto & honesto vitæ genere Deum colat. Vide *Epist. ad Rom.* 12. 13. *cap.* & 1. *ad Corinth. cap.* 7. & 45.6. *cap. epist. ad Ephes. postrema item capita epist. ad Coloss. Philippens. epistolas item ad Timotheum, Titum & Thessal.* 12. & 13. *cap. epist. ad Hebr. epistolas D. Iacobi, &* 1. *Petri.*

Vitalis. Quum Vrticinus medicus Ravennæ propter Christi nomen multa sustinuisset tormenta, & tandem trepidaret ad aciem gladii, ac secum de abnegatione cogitaret, Vitalis miles, cum Paulino judice urbem ingressus, eum confirmavit his verbis, Noli frater Vrticine, medice, qui alios curare consuevisti, teipsum æterna morte occidere. Quibus ille verbis corroboratus, cervicem securi præbuit. Paulo post Vitalis ob Christum accusatus, vivus in terram defossus est. *Vincentius, lib.* 9, *cap.* 50.

Malachias Episcopus. Quum ex Ecclesia sua ad aliam administrandam pene invitus traheretur, Ad mortem, inquit, ducitis me, sed obedio spe martyrii: hac tamen conditione, ut si juxta fidem vestram res in melius cedat, & vendicet sibi Deus hæreditatem suā à diripientibus eam, tunc demum omnibus consummatis, & Ecclesia pacem habente, liceat redire ad priorem sponsam meam & amicam de qua rapior ob paupertatem, & pro me illic alium substituere, qui tunc fortè idoneus repertus fuerit. *D Bernard. lib. de vita S. Malachiæ Episcopi.*

Contendentibus quibusdam ut iret, aliis ut maneret, illè cupidus pacis & mortis non timidus, Sinite (inquit) fratres sinite imitari magistrum meum. Sine causa sum Christianus, si Christum non sequor. forte flectam humilitate tyrannum: etsi non, vincam tamen, exhibens ovi pastor, sacerdos laico quod mihi ille debuerat. Vos quoque, quod in me est, non parum ædifico exemplo tali. Quid enim si contingat occidi? Non recuso mori, ut vos vitæ ex me teneatis exemplum. Oportet episcopum (ut ait episcoporum princeps) non dominari in clero, sed formam fieri gregis. Haud aliam sane formam ab illo accepimus, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Quis mihi det hanc relinquere filiis meo sanguine signatam? Experiemini certe an sacerdos vester digne satis à Christo didicerit mortem non timere pro Christo. *Ibid.*

MONOSTICHA TROCHAICA.

Haud opus sumptu, labore, tempore: ad Deum veni.
Nuspiam veni invocatus: musca ubique audit male.
Quo vocat fatum sequare: si negas te ipsum trahet.
Rarus est vocationi qui facit satis suæ.
Vir bonus Deum vocantem sequitur primo, dein prait.
Vir probus Deo vocanti paret haud ingratiis.

IAMBICA.

Ad qua vocaris munia esto industrius,
Quocunque honestum ducit ac vocat veni.
Vocationis quisque obeat munus suæ.
Vocationi obtempera usque Numinis.

Voluntatis.

SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D*Clemens Alexandrinus:* Tribus autem modis Dei volūtas est nobis accipienda: vel ut signum aperiens, vel ut præceptū confirmans ad rectam institutionem, vel prædicens, ut prophetia. *lib* 1. *Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Atque est quidem timorem incutiens, mentis ad aliquid vel ab aliquo impulsio. Affectio autem seu perturbatio est nimia impulsio vel quæ plus quam par sit extendit mensuras rationis: vel impulsio quæ effertur, & non paret rationi. Præter naturam ergo animæ motus, ex ea quæ est rationi inobedientia, sunt perturbationes seu animi affectiones. Defectio autem & recessus & inobedientia sunt in nostra potestate, sicut etiam est in nostra potestate, obedientia. Quocirca judicantur etiam quæ sunt voluntaria. Iam si quis persequatur unamquamq; animi perturbationem, eas à ratione alienas invenerit. Non judicatur ergo, id quod est involuntarium. id autem est duplex, unum quidem quod fit ex ignoratione, alterum vero, necessitate. Nam quomodo judicaveris de iis qui dicuntur peccare modis involuntariis? Aut enim qui seipsum ignoravit, ut Cleomenes & Athemas qui erant correpti furore: aut rem quam facit, ut Aeschylus qui in scena effatus mysteria in Areopago dicta causa fuit absolutus, cum ostendisset se non esse mysteriis initiatum: aut ignorans id quod agitur, ut qui emisit adversarium, & domesticum occidit pro inimico: aut id in quo agitur, ut qui præpilatis exercetur lanceis, & aliquē interfecit, cum pilā lancea amisit: aut ignorans quemadmodum esset faciendum, ut qui in stadio occidit adversarium, non enim ut occideret, sed ut vinceret certabatur: aut id cujus gratia agitur, quemadmodum dedit Medicus salubre antidotum, & occidit. Is autem non ea de causa dedit, sed ut eum servaret. Ac puniebat quidem tunc quoq; lex eū qui non sponte interfecit ut eum qui non sponte laborabat profluvio seminis. sed non æque atq; eum qui sponte. Quanquam ille quoq; punietur tanquam propter voluntarium. si quis animi perturbationem traduxerit ad veritatem. Revera enim est puniēdus is qui est verbi genitalis incontinens, quod ipsum quoq; est animi affectio aliena à ratione, quæ prope accedit ad futilem loquacitatē. Fidelis autem eligit res celare spiritu.

Quæ sponte ergo & ex electione suscipiūtur, puniuntur. Dominus enim scrutatur corda & renes, & judicatur is, qui respexit ad concupiscentiam. Quare etiam dicit, Ne concupiscas. Et hic populus, inquit, honorat me labiis: cor autem ipsorum procul est à me. Deus enim respicit ad animum. Nam uxorem quoq; Loth quæ sua sponte solum erat conversa ad mundanū vitium, reliquit insensilem, efficiens eam ut petram salis, & statuens, ne ulterius progrederetur, non stultam & quæ nihil efficeret imaginem, sed quæ condire & confirmare posset eum qui potest perspicere spiritualiter.

Volūtarium autem est, vel quod est ex appetitione, vel quod ex instituto ac electione, vel quod ex cogitatione. Iam vero hæc quodammodo inter se proposita sunt, peccatum, infortunium, scelus seu injuste factum. Et est peccatum quidem, verbi gratia, luxuriose & intemperanter vivere. Infortuniū autem, amicum tanquam inimicum inscienter occidere. Scelus autem est, sepulchrorū effossio, aut sacrilegium. Peccare autem constat ex eo quod nesciat quis judicare, quidnam facere oporteat: sicut certe in fossam quoq; incidit aliquis, vel quod ignoraverit, vel quod transilire non potuerit propter imbecillitatem corporis Sed in nostra quidem certe est potestate, & ad nostram deduci disciplinam, & parēre præceptis, quoniam nisi voluerimus esse participes, iræ & voluptati nos ipsos dedētes, peccabimus, vel potius injuria nostram afficiemus animam. Laius enim ille dicit in tragœdia:

Nihil me eorum quæ mones latet quidem,
Natura sed me cum sciam, rapit tamen.

Hoc est, se tradidisse animi perturbationi. Medea quoq; ipsa similiter clamat in scena:

Factura quænam sim fateor scio mala:
At ira major consilii vires domat.

Sed nec tacet Ajax, sed sibi manus illaturus vociferatur:

Rei ergo mentem est nulla qua sic liberi
Mordet viri, ac iniqua injusta infamia.
Affectus ipse sic sum ego, quem nunc rapit
Condensa labes, ex profundo commovet
Stimulis furoris concitum peracribus.

Atq; hos quidem ira, alios vero innumerabilis cupiditas deducit in tragœdiam, Phædram, Anthiam, Eriphylem,

Quæ sibi dilecti preciosum acceperat aurum.

Comicum enim Thrasonidem alia scena: Puellula, inquit, vilis me sibi servum fecit. Infortunium autem, est peccatum mentis præter rationem. Peccatum autem est voluntaria injustitia. Injustitia autem est vitium voluntarium. Est ergo peccatum quidem meum voluntarium. Et ideo dicit: Peccatum vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege sed sub gratia, dicens iis qui jam crediderant. Quoniam ejus nos livore sanati sumus. Infortunium autem est alterius in me actio involuntaria. Injustitia autem invenitur solum voluntaria, sive sit mea, sive alterius.

Has autem peccatorum differentias significat Psalmographus, beatos dicens quorum Deus delevit iniquitates, texit autem peccata, & alia non imputavit, & dimisit reliqua. Scriptum est enim: Beatus cui non imputaverit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus. Hæc beatitudo facta est super electos à Deo per Iesum Christum dominum nostrum. Operit enim charitas multitudinem peccatorum. Delet autem is, qui magis vult pœnitentiam quam mortem peccatoris. Non imputantur autem quæ non constant ex instituto & libera electione. Qui enim concupivit, jã inquit, mœchatus est. Et remittit peccata Verbum illuminans. Et in tempore illo, inquit Dominus, quærent injustitiam Israel, & non erit, & peccata Iudæ, & non invenientur. Quoniam quis sicut ego, & quis stabit contra faciem meam? Vides unum Deum annunciari bonum, qui retribuit pro meritis, & peccata remittit. *lib. 2. Stromatum.*

D. Chrysostomus: Qui ultrò accessistis nullam vim perpessi, quã tandem habere veniam, quam defensionem obtendere possitis ad pristina reversi? *Homil. 11. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Etenim & hoc & illud est situm in nostra potestate; nempe ut & demur præcipites in gehennam, & ut regnum cælorum assequamur: quoniam Deus sic voluit. Ecce enim, inquit, ignis & aqua. Ad quod voles extendes manum tuam &: si volueritis, & me audieritis; bona terræ comedetis. At dicet fortasse quispiã, volo: & nemo est tam stultus, qui se dicat nolle: sed non sufficit mihi velle. Atqui sufficit; si velis ut oportet, & facias eã quæ sunt volentis. Nunc autem non vis admodum. Hoc ipsum autem in aliis quoque perpendamus & meditemur, si videatur. Nam dic mihi; qui vult uxorem ducere, satisne habet quod velit? Minime: sed & quærit pronubas, & rogat amicos ut secum vigilent, & cogit pecunias. Rursus mercator non domi sedens contentus est quod velit: sed & navem conducit, & nautas & remiges eligit, & pecuniam dat fœnori, & de agris & rerum venalium pretiis curiose inquirit. Quomodo ergo non est absurdum, ad res quidem terrenas tantam curam ostendere & studium, cælum autem mercaturos satis habere quod solum velint? imo vero ne id quidem ostendant cum eo quo par est studio. Qui enim vult ut oportet; res quoque tangit, quæ ducunt ad id quod vult. Nam quoniam esurire necessitatem affert ut alaris; non expectas ut cibi sua sponte ad te veniant, sed omnia facis ut cogas alimentum. Et in siti, & in algore, & in aliis omnibus, similiter operaris, esque instructus, & paratus ad curam gerendam corporis. Hoc fac etiam in regno. & id omnino consequeris. Propterea enim te fecit Deus libero arbitrio præditum; ne postea Deũ accuses, ut qui sis alligatus necessitate. *Homelia 14. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Ita interdum est, cum bonum opus non ex bono proposito fit, nulla illi merces est proposita, sed supplicium manet. nam quoniam ideo Christum prædicabant, quod Christi prædicatorem Paulum in majora pericula conjectum vellent; non modo nullam capient mercedem, sed etiam supplicio erunt obnoxii ac pænas dabunt. *Homil. 2. ad Philip.*

Chrysostomus: Non mensuram rerum quæ dantur Deus spectat, sed animam dantium. licet & pauperi, & pauca danti totum consequi exigit enim Deus pro cujusque facultate: neque divitiæ regnũ conciliant, neque paupertas gehennam, sed utraque bonus vel malus animus *Homil. 10. ad Philipp.*

S. Isidorus Pelusiota: A voluntate animique destinatione, vir optime, res perpenduntur. Quo fit, ut qui sponte aliquem sauciarit, nec tamen interfecerit, eo, qui non sponte atque consulto interemerit, sceleratior esse judicetur: ac proinde is qui dedita opera vulnus intulit, omnino puniatur, qui autem haud voluntarie occiderit, veniam obtineat. Quemadmodum enim si quis accepto gladio vias circumeat, ut aliquem obtruncet, cum autem minime nactus, infecto negotio redeat, non propterea homicidii crimen effugit (siquidem ex conatu, animique intentione, non ex eventu, talis esse judicatur) eodem modo mulier quoque ornandi corporis nimium studiosa, atque ob eam causam in forum se conferens, aut per fenestras prospiciens, ut juvenes irretiat, etiamsi à conatu suo excidat, tamen, perinde ac si eos irretiisset, condemnatur. Id enim omne, quod in ipsius potestate erat, effecit, ut quæ & venenũ miscuerit, & retia expãderit, & laqueos omni studio ac diligentia statuerit. Quod si vir item ob eandem causam, lascivius quàm virum deceat, se ornarit, ipse quoque acerbissimas pœnas omnino pendet, tametsi etiam nulla reperiatur, quæ poculum bibat.

At vero si mulier graviter & pudice atque honeste incedat, eam autem conspicatus quispiam vulneretur, hoc non mulieri conspectæ, sed ei qui vulneratus est, assignari debet. Eodemque modo si vir gravibus & concinnis gressibus incedat, ac mulier quædam eo conspecto saucietur, id non viri, sed ejus quæ sauciata est, culpa cõtingit. Quod si quis hæc ita se habere neget, is perturbatione atque confusione omnia implebit, atque & Saram & Josephum, & Susannam in crimen vocabit, propterea quod alii his conspectis vulnerati sunt. Illa enim Pharaonem, alter dominam, postrema illud impudicorum hominum par cepit. Quod si illi non modo ab omni reprehensionis nota immunes sunt, verum etiam laudem omnem excedunt, profecto qua ratione ipsi culpa liberantur, eadem quoq; oratio ea, quæ eos incessit, qui, cum nihil minus captent, aliquem vulnerant, refutatur. *lib. 2. Epist. 289.*

S. Isidorus Pelusiota: Quotidie morior, ideo dixit Apostolus, quod ad id paratus esset. Nam qui ad aliquid paratus est, & si reipsa id non sufferat, expectatione tamen animique promptitudine id suffert. Siquidem res à conatibus plerunque, non ab effectibus judicantur: atque ab animi sententia & voluntate, non à fine, corona nectitur. *lib. 3. Epist. 399.*

S. Isidorus Pelusiota: In illis quidem rebus, quæ ad hanc vitam pertinent, ita comparatum est, ut non statim iis qui volunt, etiam facultas comitetur: Nam plebejorum hominum vires superãt magnorum operum effectiones:) In spiritualibus autem, quibus adest voluntas iisdem & facultas non deest. Nam quod pro virili quisq; sua fecerit boni, id ad cœlum usque pertingere demonstratur. Quã ob causam vidua illa, quæ duo minuta in sacrum thesaurum conjecit, quasi omnes & reges & reginas longo post se intervallo reliquerit, ita celebratur: Non enim id cœlestis ille arbiter quod posuit vidua, æstimavit, quantum esset per se; sed animi ipsius propositũ, quo omnem suam substantiam consecrarat corona dignum censuit. *lib. 4. Epist. 193.*

§ LATINORUM.

Salvianus: Mens boni studii ac pii voti, si effectum non invenerit cæpti operis, habet tamen præmium voluntatis. *præfat. 1. de prov.*

S. Salvianus: Superflue dudum de uno malo locuti sumus: aut omnes enim aut omnes pene flendi atque lugendi sunt. nam aut plurimi tales sunt, aut certe (quod non minus criminosum est) cupiunt tales esse, & laborant actu malorum operum non impares videri. ac per hoc, etiamsi minora mala faciunt quia minus possunt, minus tamen mali sunt, quia nollent minus esse si possent. deniq; quod unum possunt, vel voto tales sunt ac voluntate non cedunt; & in quantum facultas suppetit superare contendunt. est enim, licet in dissimillimis rebus hæc illorum æmulatio quæ bonorum: ut sicut boni optant cunctos honestate mentium vincere, sic pravi cupiãt pravitate superare. nam sicut hæc bonorum gloria est, ut quotidie meliores sint, sic malorum omnium ut deteriores: & sicut optimi cupiunt virtutum universarum culmen ascendere, sic pessimi optant palmas sibi universorum scelerum vindicare. *lib. 6. de guber. Dei.*

S. Salvianus: Totum durum est quidquid imperatur invitis. *circa finem lib. 4. contra avaritiam.*

Io. Saruberiensis: Et proverbio dici solet, qui non vult cum potest, non utique poterit cum valet. *lib 8. Policratici cap. 17.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Lysias. Quod ad modestiam hujus attinet, respondeo, non esse inquirendum, an nunc honeste se gerat, quando procaciter ipsi vivere non licet: sed illud tempus potius respiciendum, quo, dum suo ipsi modo vivere licebat, improbe & proterve in republ. versatus est. Quod enim nunc nihil delinquit, his qui obstiterunt, tribuendum; quæ autem tunc contigere, ex hujus, & horum qui permisere moribus profecta sunt. *cap. 2. orat. 25. de probatione Evandri.*

Lysias: Adhæc absurdum plane fuerit, ipsi gratiam habere pro iis quæ invitus fecit; & nullam ab ipso sumere pænam propter peccata quæ voluntarie commisit. *cap. 5. Orationis 29. in Nicomachum.*

Brutus Pergamenensibus. Decretum vestrum, à legatis vestris mihi Abderis redditum est, cum Italici excercitus inspectionem agerem. Accepto autẽ, de negligentia vestra & tarditate questus sum. Pergamenenses enim jam dudum hujus fuisse sententiæ vellem, & omnino oportebat. Laudavi vero tum alacritatem & studium vestrum in aliis, tum munus ducentorum talentorum, quo satis planum fecistis vos invitos antea Dolobellæ quinquaginta dedisse. *Epistola 9.*

Pergamenses Bruto. Et maturè, quæ ad officium nostrum spectarent, in mentibus nostris infixa sederunt, & jam non tarde sed cum facultas nobis concessa est, ea quæ visa sunt, re factoque explemus. Qui igitur in summa divitiarum abundantia non plus quinquaginta talentis Dolobellæ dedimus, quadruplum tibi licet ad maximam mendicitatem redacti, contribuimus, ut intelligas, quantum voluntariam pauperum opera atque studium, invitos in summa affluentia coactosque superet & excellat. *Epist. 10.*

Arrianus: Hæc demonſtratio maxima eſt calamitatis & infelicitatis. Volo aliquid, & non fit: & non volente, fit. Quo quid infelicius? Hoc etiam Medea cum non ſuſtineret, ſuorum liberorum cædem eſt aggreſſa. Ingenioſe, hac quidem ratione. In ea enim ſententia fuit, qua eum eſſe decet, cui ea quæ vult non procedunt. Deinde ſi ulciſcar eum qui me læſit, qui me injuria & contumelia affecit. Et quæ utilitas eſt hominis ita male affecti? Quo pacto igitur fiet? Occidam liberos? At & meipſam puniam. Quid vero ad me attinet? Hic eſt error animi, magnos nervos habentis. Nec enim nôrat, ubi ſitum eſſet facere quæ vellemus ſed non ſumendum eſſe extrinſecus, neque res transferendas & mutandas. Noli appetere maritum. Sic nihil quod voles, non fiet. Ne velis eum omnino tua uti conſuetudine: ne velis manere Corinthi. Denique nihil velis aliud, niſi ea quæ Deus vult, Quis te prohibebit? Quis coget? Nemo: Non magis quam Iovem, ſi talem habeas ducem, conjunctamque cum eo voluntatem & appetitionem. Quid, etiamnum times ne fruſtreris? Si tuam appetitionem & averſationem paupertati & opulentiæ donaris: fruſtraberis, incides in ea quæ nolles. Si ſanitati, calamitoſus eris. Si magiſtratibus, honoribus, patriæ, amicis, liberis: denique, cuivis earum rerum quæ in noſtra poteſtate non ſunt. Sed Jovi donato eam, & cæteris Diis: illis tradito, illi gubernatori: cum illis ſtanto in acie: ubi tum ſucceſſu carebis? At ſi invides, ô miſer, & misereris, & æmularis, & tremis, & unum non intermittis diem quo nō & tibi & Diis opplores: quid adhuc te eruditum eſſe dicis? *cap.17. lib.2. Epict.*

Arrianus: Nihil voluntati non obnoxium: ſed ipſa ſeſe, ubi depravata fuerit impedire ſolet. quapropter hæc ſola vitii eademque virtutis effectrix eſt. Eſt quidem ſuus cuique honos tribuendus. Habet & aſinus ſuum uſum, ſed non tantum quantum bos. Habet canis, ſed nō quātū famulus. Habet famulus, ſed nō quātū cives. Et hi, ſed non quantū magiſtratus. Non ergo eo quod alia præſtantiora ſint, ea contemnenda ſunt quæ ſuum uſum præſtant. Eſt quædam dignitas etiam dicendi facultatis: ſed non tanta, quanta volūtatis. Cum ergo hæc dico, ne quis veſtrum petet me auctorem eſſe artis dicendi negligendæ. Neque enim vel oculos, vel aures, vel manus, vel pedes, vel veſtem, vel calceos negligi jubeo. Sed cum ex me quæris, quid omnium rerum optimum ſit, quid dicam? Eloquētiam non poſſum, ſed voluntatem rectam. Hæc enim eſt, quæ illa etiam utatur, cæteriſque omnibus tam parvis quam magnis facultatibus. Nam hæc ſi recte ſe habuerit, homo non bonus, fit bonus. Sin ſecus, homo evadit malus. Hæc eſt, quæ res adverſas & proſperas efficiat. Hac alii alios reprehendimus, & approbamus. Denique ea eſt, quæ neglecta infelicitatis, probe curata felicitatis auctor exiſtat. *in Epictetum lib.2 cap 23.*

Arrianus: Sunt quædam quaſi lege conſtitutæ pœnæ, iis qui divinæ gubernationi refragantur. qui aliud quiddam præter voluntaria bonum judicarit; invideat, concupiſcat, aduletur: qui aliud malum, doleat, lugeat, ejulet, ſit infelix. quamvis autem tam acerbe mulctemur, deſiſtere tamen non poſſumus. *cap.11. lib.3. Epicteti.*

Simplicius: Præterea qui libertatem tollunt, qui velle & nolle, qui delectum (*αἵρεσιν*) & conſilium (*προαίρεσιν*) qui appetitionem & declinationem ſimileſque animorum motus tollunt, ſimul diſcrimen etiam virtutis & vitii tollunt, nec laudationem aut vituperationem juſtam relinquunt, atque etiam bonas leges hiſce de rebus latas evertunt. His vero ſublatis, vita cujuſmodi eſt futura? Quid ab immanitate beluarum diſtabit? At dicat aliquis: nonne ſæpe à tyrannis aut noſtris affectibus, amore atque odio coacti, alia atque alia ſuſcipimus, aut admittimus, non volentes? Quo pacto ergo tum poteſtas noſtra & libertas cernetur? Reſpondeo, tum etiam delectum ſui juris eſſe. Quamvis enim principaliter id optabile non ſit, ad quod neceſſitate ferimur: tamen deteriori collatum optabile videtur, itaque id amplectimur, neque fieri poteſt, quicquam ut agas, niſi prius aſſenſus te facturum eſſe. Nam qui non conſulto aliquid facere videtur, ut qui nolens in foveam incidit impulſus ab alio: is inanimæ rei inſtar id facit, ac pati quam agere verius dicitur, Quare licet inviti agamus: tamen ſic agere volumus. Proinde eadem neceſſitate propoſita, alii majoris mali metu id ſuſcipiunt, quod majus malum exiſtimant id facere quod jubeantur, quam pœnas contumacibus propoſitas ſubire. Sic in iis etiam qui inviti aliquid agere videntur, poteſtas & libertas noſtra manet. Nec enim idem eſt voluntarium, & id quod in noſtra poteſtate eſt: ſed voluntarium id eſt, quod præcipue experitur. In noſtra vero poteſtate, quod amplecti poſſumus, ſive propter ſeſe, ſive ob mali gravioris fugam. Fit etiam interdum, ut voluntarium cum invito miſceatur: cum res expetenda, non plane expetenda fuerit, ſed & eius particeps quod averſemur. Hanc quaſi miſturam voluntarii & inviti probe deſcripſit Homerus, cum ait: Volens, invito pectore quamvis. *ad cap.1. Epict.*

Simplicius: Et Deus & bonæ leges & homines cordati bonas & malas hominum actiones non factis & eventu metiuntur, ſed conſilio & voluntate: quodque & honorem habent, & pœnas irrogant, & laudant & vituperant, ſolum conſilium & voluntatem intuentes, quæ noſtri juris noſtrique arbitrii ſunt. Iis autem quæ coactis fiunt, quamvis graviſſima ſint, ignoſcunt: & peccatum non agenti, ſed cogenti tribuunt: quod hic ſua voluntate nolentem coegerit, ille autem contra ſuam volunt. *ad cap.34. Epict.*

Libanius: Sunt etiam qui & locupletum domos ſcrutati, inde publicum conſervarunt; ipſos edocendo, non eſſe ſuccenſendum ſi quis ab invitis ſumeret, quæ ſi ſponte impertiviſſent, meliores fuiſſent. *Declam.12.*

Libanius: Sed nolo, inquis: verum velis. at enim melius eſt velle, ubi nolle malum fuerit: & oportet utique eum qui non vult, jure videri noluiſſe: quod ſi ratio ad actionem inducat, hic vero repugnet; is merito certe cogi poſſet *Declam.20.*

Libanius: Manus quidem munus tragice extollit; conſilium vero cui manus ſubminiſtrabat ante manus acta, expendere negligit: Et tamen ubique cauſam videmus tantam vim habere, ut cum aliquis etiam male agere vult, tametſi non poſſit, odio habeatur: & qui læſerit, benefaciendi animo, inter bene meritos ſtatuatur: ita ſemper voluntati plus quam effectui tribuitur: *Declamatione vigeſima tertia.*

Libanius: Omnia, ut par eſt, alacris voluntas recte feliciterque gerere ſolet. ſicubi vero fortunæ levitate ac temeritate labatur; nihilo ſecius eſt admirationi apud eos, quibus virtus habetur ſtudiū ac conatus. Emendantur autem ſecundis recte factis, & ſucceſſibus ea quæ anteverterunt. virtus enim facilius reparare novit lapſus, bona ſpe cogitationem fovens. *Declam.24.*

Libanius: In legibus capitalibus quę facta ſunt judicantur è mēte. Nonne ex homicidis duobus, alter fugit & redit; alter aufugit, prorſus à ſeipſo condemnatus, aut niſi fecerit; remanens, moritur? quid horum cauſa eſt? numquid quod hic potius quam ille interfecerit? minime; non enim magis aut minus emori licet: ſed quia ab hoc facinus conſulto & compoſito aggreſſum eſt: alterum nolentem & invitum infeliciter agere contigit: quapropter hunc lex odit; alterum miſericordia proſequitur: Si defenderit ſe inquit, impune ferat. Item, ſi in prælio pugnans familiarem, hoſtem eſſe ratus, interfecerit, damnas non eſto: tantum in operibus pollet mens & voluntas: atque ad ipſam reſpicientes, conſuevimus quod factū eſt vel rectum, vel pravum cenſere. *Declam.40.*

Themiſtius: Duo ſunt principia quibus hominum, ut ita dicam, vita gubernatur. Horum aliud ex judicio, voluntateque noſtra aptum, atque ſuſpenſum eſt, aliud ex rebus externis dependet: Hujus domini ac moderatores ſumus, idque quod in eo bonum aut malum cernitur, à nobis ipſis proficiſcitur: illud in plures dominatus eſt diſtributum. Nam aut divina providentia, aut neceſſitas, aut caſus ipſe externas nobis cauſas tractat atque moderatur. Quamobrem boni, malive, vel laude & prædicatione, vel è contrario vituperatione digni ſecundum illam animi noſtri partem ſumus, cujus illa ſunt omnia velut arces ac receptacula quædam, ex quibus ad agendum erumpit. Sed felices, aut infelices, fortunati, aut è cōtra miſeri, per externam adminiſtrationem, & moderationem efficimur. Cum igitur (Imperator) humanas omnes actiones in ea Principia Philoſophia partiatur, ſive naturæ potius noſtræ partitionem ſequatur; tum in unoquoque quod à nobis editum videtur exemplo, diligenter conſiderat, undenam id omne proficiſcatur, nū ex interioribus, atque ex ditionis noſtræ poteſtatiſque finibus proceſſerit, num aliquid eorum quæ ſunt extra nos in eo quod geſtum eſt dominationem, ac principatum teneat, ſit ne virtutis teſtimonium an felicitatis: vituperiumne an miſerationem requirat. *Oratione 9.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Non unum eſt promittendi genus. Volūtas hominum non tantum voce, ſignata eſt. An vero ſi manu promiſiſſet, an vultu annuiſſet, dediſſe fidem & confirmaſſe ſpem puella videretur, quæ facie affectum, quæ totis oculis miſericordiam prodidit? flevit, idem fecit quod illi qui rogabant: ad mentionem periculi, ad mentionem carnificis uberes lacrimas profudit. certe nō video affectum qui occidat. *Declam 247. a. f.*

Symmachus: Intelligo literis benevolentiæ tuæ effectum reſpōdere potuiſſe, ſi honoris tui tempus felicitas provinciæ prorogaſſet. Sed quamvis depoſitis Reipubl. habenis nequeas promiſſis terminum dare: ego tamen fateor ita me vadatum gratia ut ſi ſperata perfeceris. Voto enim faventis non exitu rei animus obligatur. *lib. 9: Epiſt.69.*

¶ POETARUM.

Greg. Nazianzenus de vita ſua.

Τὸ γὰρ ὁμόγνωμον πιστὸν εἰς συμφυΐαν.
Nam par voluntas arctius mentes ligat.

Plautus Caſinæ 2. ſc.4. v.7.

Quin ſi id arbitrare emittis me manu? ST. quin id volo.
Sed nil eſt cupere me factum, niſi tu factis adjuvas.

¶ APOLOGORUM.

De Trabe & Bobus eum trahentibus. *Fab.* 11.

Trabs ulmea de bobus conquerebatur, dicens: Ingrati, ego multo tempore meis vos frondibus alui, vos vero me nutricem veſtram, per ſaxa & luta trahitis. Cui boves gemitus, ſuſpiriaque noſtra, & ſtimulus quo pungimur, te docere poſſunt, quod te trahamus inviti. Ignovit trabs.

Hæc nos docet fabula, ne in eos excandeſcamus, qui non ſua ſponte nos lædunt. Abſtemius.

De Olitore, qui Talpam occidere volebat. Fab. 144.

Olitor talpam capiens, eam interimere volebat. Cui illa: Ne occidas, inquit, mi here me famulam tuam, tam pulchra pelle contectam, & hortulos tuos gratis fodientem. Non me, respondit olitor, his blandulis delinies verbis, quum me invito hortulos meos, ut dicis, fodiens, herbas omnes, ut te ipsam pascas, radicitus eruas, & me ad inopiam redigas.

Fabula indicat, in cunctis rebus voluntatem hominum esse spectandam. Laur. Abstemius.

¶ Emblematis.

Et voluisse sat est. *Accipiter velatus lorisque pedes vinctus.*

Sapius excelsis tenuis res officit ausis;
Et tamen attollit mens generosa caput.

¶ Apophthegmatum Christianor.

S. Basilius. Aggrediamur illud, cui nec Leges imperant, nec Principes dominantur. Estque Voluntas humana, quæ sola inter potentias vere libera est, & nulli subjecta, nisi qui eam habet: cuius etiam promptitudo ad bonum laudabilis est. Venerat ad Basilium muliercula, litteras ab eo postulans, quo à vectigalium solutione redderetur immunis. quas cum ad Satrapam regionis detulisset, ille iis visis, se id facere non posse respondit, ne quidem in Basilii (cui multum deberet) gratiam. Cui iterato Basilius: *Si voluntas prompta fuit, & defuit facultas, tolerabile est: si autem potuisti quidem, & noluisti, Christus te redigat in ordinem inopum ut ubi volueris, non possis.* quod & evenit. *Sur. tom. 1. in Vita ejusd.*

S. Hugo Lincolniens. Episcopus. Ille cum nihil aliud in hac vita desiderare se diceret, quàm ut in Sacerdotem consecraretur, à cœnobii præfecto reprehensus, quod eam rem suscipere vellet, quam vix ullus digne suscipit, semper deinceps voluntati suæ cessit. Quare ab Henrico II. Angliæ Rege ad Carthusiensis cœnobii præfecturam vocatus quidque de ea sibi videretur, interrogatus, *Voluntati*, respondit, *mea de statu meo nihil penitus reservare jam pridem edoctus sum.* Sur. tom. 6. in Vita.

Pastor Abbas. Hoc frequenter usurpabat: *Murus ferreus est propria voluntas, qui hominem à Deo separat atque divellit.* Doroth. Serm. 5.

Anonymus Abbas. Iste etiam ad calcem adjiciendus. Venerant ad eum visendum peregrini monachi: cumque hospitalitatis ergo eum ad cibum sumendum induxissent, rogant: Anne tristaris Pater? quibus ille: *Mea tristitia est, si propria voluntati obtemperavero.* In vitis PP. cap. De hospitalit.

¶ Monosticha Trochaica.

A voluntate, heu diversum virus est discordia.
Computat Deus pro facto, quidquid vis & non potes.
Cuncta agit cito atque recte cui voluntas plurima est.
In maleficiis voluntas penditur non exitus.
Inscientia aut vi factum, nil voluntatis tenet.
Nil voluntati aeque quam vis ac metus contrarium est.
Omnibus leges regesque, at haud voluntati imperant.
Optimum est lucrum volentis quod quis effert è domo.
Par voluntas arctiore vinculo mentes ligat.
Pulcrum abunde haud adsecutis est voluisse rem adsequi.
Qui patris domini ve imperio obsequitur, velle haud creditur.
Quidquid vis nequisque, facti computat Deus loco.
Sponte fit, quod nec per vim fit, aut per inscientiam.
Vinculum necessitatis est voluntas maximum.

¶ Jambica.

Alacris voluntas & vicem facti obtinet.
Aliud nihil velimus, quam quod vult Deus.
Nulla est voluntas, interdictum est cui bonis.
Plerumque pro facto voluntas est bona.
Quod vos jus cogit, id voluntate impetret.
Si sponte prastas plus habebit gratia.
Velle atque nolle idem res est dulcissima.
Velle idem, odii quandoque causa maxima est.
Velle unicum adsit; consequeris omnia.

Voluptatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

Clemens Alexandrinus: Si est itaque venter continendus, & ea quæ sunt sub ventre, clarum est quod jam olim à Domino accepimus, per legem exscindere debere nos cupiditatem. Id autem perfecte fiet, si cupiditatis fomitem, voluptatem inquam, non ficte damnaverimus. Dicunt ejus hanc esse notionem, lenem & blandum motum cum aliquo sensu. Ei servientem Menelaum post Trojam captam dicunt, cum impetu ferretur ad occidendam Helenam, ut quæ tot & tantorum fuisset causa malorum, id tamẽ non potuisse efficere, victum pulchritudine, per quam in mentem venit recordatio pristinæ voluptatis. Vnde ludificantes Tragici, cũ probro ac dedecore in eum exclamant:

At tu papillam contuens gladium abjicis,
Et proditrici figis osculum cans.

Et rursus,

Hebescit ensis ergo pulchritudine.

Ego vero Antistheni assentior qui dicit: Ego Venerem si acciperem, jaculis confoderem, quod multas nostras pulchras ac bonas uxores corruperit: & naturæ vitium dicit Cupidinem, à quo cum vincuntur miseri, morbum Deum appellant. Per hæc enim ostenditur vinci imperitiores, propter ignorationem voluptatis, quæ non est admittenda, etsi Dea dicatur, hoc est, etsi divinitus data sit ad usum liberorum procreationis.

Et Xenophon voluptatem aperte vitium dicens, inquit: O misera, quid vero tu bonum nosti, aut quid sit honestum cõsideras, quæ ne eorum quidem quæ sunt jucunda, expectas cupiditatem? priusquam esurias quidem comedens: priusquam autem sitias, bibens: & ut jucunde quidem vescaris, obsoniorum conditiores excogitas: ut autem suaviter bibas, sumptuosa vina comparas, & æstate circũcursans nivem quæris. Vt autem jucunde dormias, non solum molles lectos, sed etiam quæ lectis supponantur fulcra paras. Vnde, ut dicebat Aristo, ad totum tetrachordon, voluptatem, inquam, & dolorem, metum & cupiditatem, exercitatione magna & pugna opus est.

Hi namque ad intima usque penetrant viscera,
Fluctusque in animo concitant mortalium.

Eos enim qui magni & excelsi animi existimantur, voluptas facit cereos, ex sententia Platonis: quoniam unaquæque voluptas, unusquisque dolor corpori affigit animam, ejus qui non se separat ab animi perturbationibus, easque cruci affigit. Qui perdiderit animam suam inquit Dominus, servabit ipsam: aut eam tradens, lubenter adeundo pro Domino pericula, aut eam perdens, ex ea quæ est ei cum hac vita consuetudine. Si enim solvere, abducere, & segregare (id enim crux significat) animam volueris ab ea quæ est in hac vita voluptate & delectatione, habebis eam, in ea quæ exspectatur spe inventa & conquiescentem. Hoc enim fuerit meditatio mortis, si solis iis quæ sunt secundum naturam dimensæ appetitionibus, & quæ ea quæ sunt secundum naturam nihil excedunt, declinando ad id quod exsuperat, vel quod est præter naturam, in quo peccandi enascitur potestas, contenti esse velimus.

Oportet ergo nos Dei induere armaturam, ad hoc ut possimus resistere insidiis diaboli: quoniam arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed Deo potentia, ad destructionem munitionum, cogitationes destruentes, & omnem altitudinem se extollentem adversus Dei cognitionem, & captivantes omnem intellectum ad obediendum fidei, ait divinus Apostolus. Viro utique opus est qui admirabiliter & inconfuse iis rebus sit usurus, à quibus proficiscuntur animi perturbationes, quemadmodum divitiis & paupertate, gloria, & ignominia, sanitate & morbo, vita & morte, labore & voluptate. Vt enim indifferenter utamur differentibus, magna nobis opus est differentia, ut qui multa imbecillitate prius male affecti simus, & in mala educatione, & institutione prius versati cum ignoratione.

Simplex ergo ratio nostræ philosophiæ, dicit omnes animi perturbationes & vitia, esse impressiones mollis & cedentis animæ, & veluti obsignationes potestatum spiritualium, adversus quas nobis est colluctatio. Maleficarum enim, ut puto, potestatum est opus, proprii habitus aliquid conari, sigillatim operari, ut nos qui eas abrenunciavimus, in certamine superent, & suos efficiant. Est ergo jure consequens, ut aliqui quidem in lucta prosternantur. Quicunque autem certamen magis athletice aggrediuntur, omni contentione decertantes, ad coronam usque perveniunt: prædictæ autem potestates in multo sudore & cruore tunc deficiunt, victores admirantes. Eorum enim quæ moventur, alia quidem ex appetitione moventur & visione, sicut animalia: alia autem per translationem, sicut inanimata: ex inanimis autem plantas quoque dicũt moveri transeundo ad augmentum, si quis eis esse plantas inanimas concesserit. Et habitum quidem lapides, naturam vero plantæ & appetitionem & visionem, & ea rursus quæ prius dicta sunt, bruta quoque participant, Ratiocinandi autem potestas, quæ est propria humanæ animæ, non debet similiter impelli atque animãtia ratione carentia, sed visa quæ impellunt discernere, & non ab eis abduci.

Hæ ergo de quibus diximus potestates, pulchritudines & glorias, & adulteria & voluptates, & tales ejusmodi inescantes visiones, iis quæ facile seduci possunt, animabus protendunt, quemadmodum qui pecora abigunt, eis frondes porrigunt. Deinde cum eos astu circumvenerint, qui non possunt veram voluptatem à falsa discernere, fluxamque ac caducam injuriæque obnoxiam à sancta pulchritudine, ducunt redactos in servitutem. *Libro Stromatum secundo.*

Clemens Alexandrinus: Scio me in quandam incidisse hæresim: qui autem ei præerat, dicebat se per usum voluptatis pugnare cum voluptate,

voluptate, per simulatam pugnam ad voluptatem transfugiens præclarus hic gnosticus. Se enim dicebat esse gnosticum, id est, cognoscendi potestate præditum: dicebat enim, nō esse magnum abstinere à voluptate qui eam non esset expertus, sed eum qui in ea versatus esset non vinci. Vnde propter eam dicebat se in ea exerceri. Seipsum autem miser imprudens decipiebat arte voluptaria. In eādē ergo, ut patet, venit sententiam Aristippus quoq; Cyraneus, in quam sophista qui se jactat tenere veritatem. Cum itaque probro ei daretur, quod cum meretrice Corinthia assidue versaretur: Habeo, inquiebat, Laidem, sed ab ipsa non habeor. Tales autem sunt etiam qui dicunt se sequi Nicolaum, adducentes ejus viri aliquid literarum monumentis mandatum, sed ab eis detortum, nempe oportere carne uti. Sed ille quidem vir præclarus significabat oportere voluptates arcere & cupiditates, & hac exercitatione marcidas flaccidasq; reddere carnis appetitiones & insultus. Qui autem instar hircorum sunt effusi in voluptatem, veluti corpus contumelia afficientes, suavi fruuntur delectatione, nescientes quod id quidē, cum sit natura fluxum, sentum, squallidum pannosumque redditur: ipsorum autem infossa est anima in cœno vitii, ut qui decretū ipsius voluptatis, non autem viri Apostolici sequantur. Quid hi enim differunt à Sardanapalo? cujus vitam significat epigramma:

Hæc habeo quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit, at illa jacent multa & præclara relicta.
Namque & ego cinis ecce, Nini Rex maximus olim.

Non est omnino necessaria affectio voluptatis, sed accessio quædā & consequentia quædam naturalium necessitatum, famis, sitis, frigoris, matrimonii. Si itaque fieri posset ut absque ea vel biberetur, vel alimentum susciperetur, vel liberi procrearentur, non posset ostendi alius ejus usus. Neque enim operatio, neque affectio, sed neque aliqua pars nostri est voluptas, sed vicarii ministerii gratia in vitam accessit, quemadmodum dicunt accessisse sales nutrimenti concoquendi causa. Ea autem effrænata, & domus administrationem vi sibi usurpans, primam generat cupiditatem, quæ est desiderium, & appetitus à ratione alienus ejus qui est ei gratificatus.

Ea Epicuro persuasit ut philosophi finem poneret voluptatem. Divinam itaque rem is esse statuit, firmam ac stabilem bonam carnis constitutionem, & quod ea ita sit futura spem certam. Quid enim est aliud deliciæ, quam libidinosa liguritio, supervacanea redundantia eorum qui sunt dissoluti ad suavem sensum delectationis? significanter scribit Diogenes in quadam tragœdia:

Effœminatis quorum mero ac fœtentibus
Cor alligatum est usque & usque luxibus.
Qui nec laboris diligunt tantillulum,

& quæ deinceps sequuntur. quæ turpiter quidem dicta sunt, sed promeritis eorum qui sunt dediti voluptati. Divinitus itaque mihi videtur lex voluisse, ut metus impenderet necessario, ut cautione & attentione hoc sibi pararet, & conservaret philosophus, ut esset minime sollicitus, à lapsu alienus, & peccato non affinis, in omnibus permanens. Pax enim & libertas non aliter accedit, quam per perpetuam & indefatigabilem adversus animi nostri motus repugnātiam. Sunt enim hi adversarii crassi & Olympici, & vespis, ut uno verbo dicam, acriores: & maxime voluptas, quæ non solum interdiu, sed etiam nocte in ipsis insomniis, nos cum præstigiis inescando, insidiatur & mordet.

Quomodo ergo possunt adhuc Græci jure legem insectari, cum ipsi quoque voluptatem doceant servire metui? Socrates itaque jubet ea cavere quæ persuadent ut non esurientes comedant, & bibāt nō sitientes: & pulchros aspectus & oscula, ut quæ scorpiis & araneis gravius venenum naturaliter emittant. Antisthenes autem vult potius insanire, quam voluptate affici. Et Crates Thebanus:

Hæc vincas rectis exultans moribus, atque
Te auro haud addicens, cupidis nec amoribus unquam
Servam: nec mercatores sunt amplius ulli.

Et totum colligit veluti in epilogum:

Mancipat at quem non turpis tangitq; voluptas,
Regnum immortale, & libertas huic quoque amatur.

Hic autem alibi recte admodum scribit, rerum venerearum effrænati desiderii cataplasma esse famem: sin minus autem, laqueum. Zenonis autem Stoici quænam esset doctrina, testantur Comici, licet ei detrahentes, hoc modo:

Sapientiam iste Zeno quam vanam docet,
Quippe esurire qui suos tantum decet,
Panis sit unus, caricaque, & aquam bibas.

Hi omnes utique non erubescunt aperte confiteri eam quæ ex cautione accipitur utilitatem. Quæ est autem vera & non expers rationis, sapientia, non solis verbis confidens & decretis, sed tegamentis invulnerabilibus & mysteriis efficacibus, & in divinis præceptis meditans & se exercens, vim divinam per eam quæ ex ipsa inspiratur partem, à verbo seu ratione accipit. *libro Stromatum secundo.*

Clemens Alexandrinus: Meritò ergo nunquam jucundum præfert utili, nec si casu aliquo invadat eum meretricioque more forte fortuna provocet formosa mulier. quoniam nec Ioseph quidem ab instituto abducere potuit uxor domini. Ab ea autē exui se patitur, per vim tenente tunicam, ut qui à peccato quidem fuerit nudatus, honestatis autem & temperantiæ ornamentum induerit. Nam etsi oculi domini, Ægyptii inquam, Ioseph non videbant, at omnipotentis quidem certe inspiciebant. *lib. 0 Stromatum 7.*

D. Gregor. Nyssenus: Fieri non potest, ut vel sine lacrimis vivat, si quis diligenter res humanas inspexerit & consideraverit, vel non in rebus tristibus & acerbis versari existimet eum, qui hujus vitæ voluptatibus sese immergat quemadmodum in brutis & rationis expertibus animalibus id videre licet. quid enim est miserabilius privatione carentiaq; rationis? sensum tamen calamitatis nullum habent, sed per quandam voluptatem etiam ab illis vita transigitur. superbit & ferocit equus; taurus pulverem spargit; sus erigit setas; catuli ludunt; vituli saltant; atq; unumquodq; animal videre licet per certa quædam signa voluptatem indicare. quæ si rationis oblectamentum aliquo modo cognitum haberent, stupidam & ærumnosam suam vitam cum voluptate non transigerent. Ita se res etiam habet in hominibus, qui nullam cognitionem habent illorum bonorum quibus natura nostra privata est, ab his per voluptatem præsens vita transigitur. consequitur autem ut hi qui præsentibus delectantur atque acquiescunt, potiora ferè non desiderent aut requirant. *Orat. 3. de beatitudinibus.*

D. Greg. Nyssenus: Cum voluptas, genere una sit; veluti aqua aliqua quæ ab uno fonte manans in varios rivulos partitur; sic illa per singulas sensuum vias sese in voluptatum amatores infundit. Igitur qui ex uno aliquo ejus voluptatis sensu quæ sibi inhæret, victus est, ex ea parte plagam in corde accepit. itaque qui vidit, qui audivit, qui tetigit, qui denique omnem facultatem ad aliquem voluptatis usum dissolvit, is corde peccati labem concepit: quare coercendus est animus ne ullam admittat voluptatis cupidinem, eamq; maxime quæ gustatu percipitur. *capit. vigesima prima de virginitate.*

D. Greg. Nyssenus: Quomodo qui scribunt in aqua, manu quidem efficiunt scripturam, typos characterum describentes in humido; ex characteribus autem nihil manet in figura, sed scribendi opera est tantum dum scribitur; manum enim semper sequitur aquæ superficies, id quod est impressum levigans: ita omne studium & operatio quæ ponitur in fruenda voluptate, apparet in iis quæ fiunt. nam cum cessaverit operatio, deletur etiam sensus voluptatis, neque ejus quidquam amplius reconditur, neque iis qui lætentur remanet ullum vestigium aut reliquiæ operationis quæ erat ex voluptate. *fine Homil. 4. in Ecclesiasten.*

D. Chrysostomus: Si voluptate frui volumus, ante omnia aliæ fugiamus vitia virtutemque sectemur. aliter enim nobis non licet voluptatis participibus fieri, ut ad ipsum etiam regium solium cōscenderimus. *fine Homil. 1 ad Roman.*

Chrysostomus: Si dicis mihi voluptatem quæ ex vitio oritur, cogita quod eam quoque majorem percipimus ex virtute. Etenim bonam habere conscientiam, & ab omnibus haberi in admiratione, & bonam spem expectare, est omnium jucundissimum ei qui consideraverit naturam voluptatis: quomodo etiam contraria sunt omnium molestissima ei, qui novit naturam doloris, ut probris ab omnibus appeti, à seipso accusari, tremere, & tam futura quā præsentia formidare. Et ut sit quod dico manifestius, ponamus, exempli causa, quendam habentem uxorem proximi cubile perfodere, & capere voluptatem ex improbo furto ejus quam amat. Deinde ex adverso ei statuamus rursus alium, qui sua sola fruitur, amet etiam illam quæ admittit adulterium; contineat autem se ab amore & nihil mali faciat. Quanquam ne hoc quidem est pura temperantia: cæterum ex abundantia, ut discas quanta sit voluptas virtutis; propterea sic actum finximus. His ergo compositis; sic ambos interrogemus, cujusnam vita sit jucundior. & videbis hunc quidem gloriantem & exultantem propter victoriam, quam est assecutus de libidine; illum vero: imò ne expectare quidem oportet, ut ab ipso aliquid discas. Videbis enim ipsum, etsi millies inficietur, miserius affectum, quam qui sunt in vinculis. Omnes enim timet & habet suspectos; & suam uxorem, & maritum ejus cum qua committit adulterium, & eam ipsam cum qua committit, & familiares, & amicos, & cognatos, & parietes, & umbras, & seipsum, &, quod est omnium gravissimum, vociferantem habet conscientiam, & in dies latrantem. Quod si etiam Dei judicium ei venerit in mentem, ne stare quidem poterit. Et est voluptas quidem brevis: qui ex ea autem existit dolor, est perpetuus. Nam & vespere, & nocte, & in solitudine, & in civitate, & ubique sequitur accusator; acutum ostendens gladium, & cruciatus intolerabiles, & metu ipsum consumens.

Ille autem temperans liberatus est ab his omnibus. & est in libertate, & secure videt suam uxorem, liberos, amicos, & liberis oculis videt omnia. Si autem qui amat quidem, se autem continet, tanta fruetur voluptate: qui ne amat quidem, sed pure ac syncere est temperans: quonam portu, quanam tranquillitate non jucundiorem & placidiorem habebit animam? Propterea quidem certe adulteros videris paucos, temperantes autem plures. Si hoc autem esset jucundius, id multi elegissent. Nec mihi dicas timorem, qui incutitur à legibus. non is est enim qui eos cōtinet; sed summa turpitudo & absurditas, & quod molesta sunt plura jucundis, & sententia quam fert conscientia.

Et

Et adulter quidem eſt eiuſmodi. Si vultis autem, avarum quoque adducamus in medium, alium rurſus iniquum ac ſceleratum, à morem aperientes. Nam hunc quoq; eadem timere videbimus, & non poſſe pura frui voluptate. Etenim mente verſans eos qui iniuria afficiuntur, & eos qui ipſorum miſerentur, & omnium communem de ipſo ſententiam; innumerabilibus agitatur fluctibus. Neque hoc ſolum eſt ei moleſtum: ſed nec frui poteſt amica. Tales n. avarorũ mores. Non habẽt ut fruãtur, ſed ut nõ fruãtur. Si hoc a. eſſe tibi videtur ænigma, audi quod eſt eo adhuc pejus & magis perplexum. nempe quod non ſolum hac ratione privati ſunt eorũ, quæ habent voluptate, quod his non audeant uti ut velint; ſed etiam quod iis nunquam ſatientur, ſed vexentur perpetua ſiti: quo qui fieri poteſt moleſtius & gravius? Sed non eſt ejuſmodi vir juſtus: ſed à tremore, & odio, & metu, & ab hac incurabili ſiti eſt liberatus. & quomodo illum omnes execrantur, ita huic omnes bene precãtur: & quomodo ille nullum habet amicum, ita hic nullum inimicum.

Cum ergo de his nulla ſit controverſia: quid vitio fuerit injucundius, aut virtute jucundius? Imo vero etiam ſi dixerimus innumerabilia: nemo nec illius, nempe vitii, dolorem, nec huius, virtutis ſcilicet, voluptatem verbis poterit exprimere; donec ea fruamur. tunc enim & felle amarius inveniemus vitium quando mel virtutis guſtaverimus. Nam nunc quoque eſt injucundum, & grave, & moleſtum: & necii, qui ipſum colunt & amplectuntur, contradicunt. Quando a. ab eo diſceſſerimus, tunc exactius ſentimus acerba ejus juſſa. Si a. multi ad ipsũ currũt, nõ eſt mirũ. Nam pueri quoque, cum ſæpe minus jucunda elegerint, deſpiciunt ea quæ magis delectant & qui ægrotant, pro fluxa & momentanea gratia; perpetuam firmamque & ſtabilem amittunt lætitiam. Si quis autem alia quidem virtuti concedat, libertatem, ſecuritatem, à curis eſſe liberum, neminem timere, neminẽ habere ſuſpectum, voluptatem autem non concedat: tunc mihi venit in mentem profuſe ridere.

Quid enim eſt aliud voluptas; quàm liberum eſſe à cura & metu, & animæ ægritudinibus non eſſe obnoxium? Quis eſt enim, dic quæſo, in voluptate? isne, qui furit, & agitatur, & à multis pungitur deſideriis, & ne eſt quidem apud ſe; an is, qui eſt liber ab omnibus eiuſmodi fluctibus, & tanquam in portu ſedet in philoſophia? An non eſt perſpicuum, quod hic? Sed hoc cernitur proprium virtutis. Quamobrem vitium ſolum habet nomen voluptatis, re autem ipſa caret: & antequam quidem ea fruaris, ea eſt inſania, non voluptas; poſteaquam ea frui contigerit, ipſa ſtatim extinguitur. Si ergo neq; in initio, neque poſtea licet ejus videre voluptatem; ubi cernetur, & quando? Vt autem apertius diſcas, quod dico: quod dicitur aperiamus exemplo. Conſidera autem. Captus eſt quiſpiam amore cuiuſdam pulchræ & ſpecioſæ mulieris: is donec quidem aſſecutus fuerit ut fruatur amore, eſt ſimilis iis qui ſunt emotæ mentis & delirant: poſtquam autem eſt aſſecutus, extinguit deſiderium. Si ergo neque in initio voluptas accipitur, res enim eſt inſana. neque in fine, nam concubitu compeſcit œſtrum amoris: ubi eam deinceps inveniemus? Sed non ita ſe habent res noſtræ: ſed & initio liberæ ſunt ab omni perturbatione, & ad finem uſque manet florens ac vigens voluptas: imo vero ne eſt quidem voluptatis finis apud nos, neque bona finem habent, neque adhuc diſſolvitur & interit ipſa voluptas. *Homilia 22. ad Corinthios 1.*

D. Chryſoſtomus: Quodnam vis eſſe tempus voluptatis, idnẽ quod eſt ante coitum? Sed non eſt. eſt n. furoris & inſaniæ & mẽtis emotæ. Dentibus enim ſtridere, & è ſtatu mentis dimoveri, non eſt voluptatis. Si eſſet autem voluptatis, non ea tibi feciſſet quæ ſuſtinent qui carent ratione.

Pugiles. n. tã qui percutiunt, quã qui percutiũtur, ſtridẽt dẽtib. & parturiẽtes mulieres, quæ diſtrahũtur doloribus, id faciunt Quamobrem non eſt id voluptas, ſed potius mentis exceſſus, tumultuſq; & perturbatio. At tempus quod poſt ſequitur. ſed nec hoc. Neque enim eam quæ peperit dixerimus eſſe in voluptate, ſed in liberatione à doloribus

Non eſt autem plane hoc voluptas, ſed potius imbecillitas & diſſolutio. Multum autem intereſt inter utrumque. Quodnam eſt ergo tempus voluptatis, dic quæſo. Nullum eſt. Quod ſi eſt, eſt adeo breve, ut ne appareat quidem. Cum millies quidem certe cõtenderimus eam deprehendere & retinere, non potuimus. Sed temperantis & moderati tempus non eſt ejuſmodi, ſed late patet & eſt omnibus evidens: vel potius tota ejus vita eſt in voluptate; cum ei coronetur conſcientia; cum ſedati ſint fluctus, cum nulla ex parte ullus oriatur tumultus. Cum ergo hic magis eſt in voluptate, libidinoſus autem & voluptuarius in animi ægritudine & tumultibus: fugiamus libidinem & intemperantiam, amplectamur temperantiam & moderationem; ut bona etiam futura conſequamur. *fine Homilia 37 ad Corinth. 1.*

Chryſoſtomus: Vtri quæſo in voluptate ſunt, qui præſenti vita ad luxũ ac delicias abuſi ſunt, an qui ex Chriſtianæ philoſophiæ præceptis vitam ſuam moderati ſunt? Tu fortaſſe illos dices; ego autem hos eſſe oſtendam. nam & pronubas ſæpe diris omnibus devoverunt, etiam ipſo die quo thalami ſtrati ſunt; eoſque felicitatis nomine prædicarunt, qui uxorem non duxerunt Quin multi quoque juvenes, cum ineundi matrimonii poteſtas eſſet, non aliam ob cauſam ab uxore ducenda abhorruerunt, quam ob moleſtias, quas id vitæ genus haberet. Neque vero hæc eo à me dicuntur, ut matrimonium accuſem (honorabile enim eſt) ſed eos, qui eo præpoſtere uſi ſunt. Quod ſi hi, qui matrimonium inierunt, acerbiſſimã plerumq; hanc vitam eſſe indicarunt: quid de iis dicemus, qui in proſtibulorum voraginem prolapſi ſunt, ac captivo quovis ſervilius & miſerius ſeſe affecerunt? quid de iis, qui in deliciarum cœno cõputruerunt, ac ſexcentis morbis corpus involverunt? *Homilia 9. ad Corinth. 2.*

Chryſoſtomus: Vir quidem probus, tametſi innumeris tormentis excrucietur; habet tamen ſpem lætam, cujus adminiculo nititur ac levatur: improbus contra, etiamſi innumeris voluptatibus fruatur, ineſt tamen in ejus animo futuri ſupplii metus, voluptatẽ ipſius interpellans atque perturbans. Nam ne hic quidem ſupplicii modus parvus eſt, quemadmodum nec contrarius, hoc eſt voluptatis & oblectationis. *Homil. 9. ad Corinth. 2.*

D. Chryſoſtomus: Quomodo lana ab iis perditur, ex quibus naſcitur: ita etiam vetus homo. Amor enim gloriæ perdit, & ſæpe perdunt voluptates, & decipit cupiditas. Non eſt enim ea res voluptas; ſed amaror, deceptio, ſimulatio, & imitatio ſcenica. & rerum quidẽ facies eſt ſplendida: res autem ipſæ non ſunt aliud quam plenæ miſeriæ, & injucunditatis, & multæ paupertatis. & ſi perſonam abſtuleris, & faciem oſtenderis, videbis deceptionem. Deceptio enim eſt, quando quid ſit non apparet, ſed quod non eſt oſtenditur. Ita fiunt fallaciæ & paralogiſmi. *Homil. 13. ad Epheſ.*

D. Chryſoſtomus: Hujuſmodi nempe eſt natura peccati, habet antequam perpetretur aliquam voluptatem: ubi vero conſummatum fuerit, voluptas illa ceſſat, atque marceſcit: ſubit autẽ continuo mœſtitudo ac triſtitia ingens. E contrà vero juſtitia initio quidem labores habet, in fine autem voluptatem, ac requiem: neq; illic voluptas jucunda eſt expectatione infamiæ & pœnæ: & hic labor moleſtus nõ eſt præmiorũ ſpe. Quid de ebrietate dicemus? Nonne in hauſtu ſolo voluptatem præbet? Imo vero ne in bibendo quidẽ voluptas ſæpe deprehenditur Quum enim quis præ ebrietate in amentiam labitur, neminemq; præſentium intuetur, ſed inſanis deterior effectus eſt. quis jam voluptati locus erit? Ne in ipſa quidem libidine voluptas ulla eſt. Quum enim præ morbo vitioſo anima judicium ſenſus amiſerit, quænam huiuſmodi voluptas eſt? Quod ſi ea dici voluptas debet, & ſcabies itidem voluptatem habet, voluptatem illam equidem dixerim, quæ vera eſt, quũ anima nulla perturbatione diſtrahitur, nullaq; corporis impedimenta perpetitur. Quænã enim hic voluptas dici poteſt, dentes fervore collidere, verſare oculos, atq; ultra debitum modum incaleſcere? Adeo a. non eſt illa voluptas, ut ab ea citius evadere ſtudeamus, & poſt modũ dolore conficimur. Si itaq; voluptas eſt, noli eam effugere; perſiſte in voluptate. Vides ut nomen tantum modo voluptatis ſit? ſed profecto noſtra non huiuſmodi ſunt, verum omni jucunditate pleniſſima. Non illa cum obſcæna flamma voluptatẽ præſtant, verum & liberam ſubeunt animam, & lætificant, ac ſuavitate perfundunt. Hujuſmodi erat Pauli voluptas, quum diceret: Et in hoc gaudeo, ſed & gaudebo & rurſum: Gaudete in Domino ſemper. Illa nempe falſa voluptas & confuſionem habet, & deſperationem, clamque committitur, atque innumeris peſtibus plena eſt: hæc autem noſtra evaſit his omnibus libera. *Homil. 3. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chryſoſtomus Nihil tam durũ ætati adoleſcenti eſſe poteſt, ut ſuperare noxias ac mortiferas voluptates. neq; enim aut pecuniarum amor, aut gloriæ ſtudium, aut cujuslibet rei alterius concupiſcentia; ita hanc perturbat ætatem, ſicut corporum amor, veſanaq; libido. *Homil. 4. Epiſt. ad Titum.*

D. Io. Chryſoſtomus: Si quis de plebe vel ipſum fuerit cõſecutus regnum, primo die & ſecundo & tertio vigens habet deſiderium: procedente autem tempore, manet quidem in voluptate, ſed non tanta: deſinit a. ob conſuetudinem qualiſcunq; ſit. In cœlo autem non ſolum minuitur ſed etiam creſcit. *Hom. 6. ad Hebr.*

D. Io Chryſoſtomus: Qui amara bibunt medicamenta, prius quidem quoddam ferunt tædium & moleſtiam, & tunc ſentiunt utilitatem talis eſt etiam res virtus, & tale illic vitium. Prima quidẽ eſt voluptas, deinde angor animi, & tunc voluptas ſed minime ſunt paria. non eſt enim par, cũ moleſtia prius fueris affectus, poſtea lætari, & cum prius lætatus fueris, poſtea moleſtia affici: nam hic quidem expectatio futuræ triſtitiæ præſentem minuit voluptatem: illic autem expectatio futuræ læticiæ detrahit de vehemẽtia prioris animi ægritudinis: adeo ut contingat illic quidem nunquam lætari; hic a. nunquam triſtitia affici. *Homil. 30 Epiſt. ad Hebræos.*

S. Iſidorus Peluſ. Non te fugit, vir clariſſime, vitiũ quidẽ peſtiferam voluptatẽ habere: virtutem a. laborẽ cũ gloria nominiſq; ſplẽdore cõjunctũ Siquidẽ gloria ſudorib. libenter irrigatur. Oportet igitur illud fugere, hanc autem mordicus retinere. *Lib. 2. Epiſt. 12.*

S. Iſidor. Peluſ. Cũ in unoquoq; pene congreſſu multi de virtute ſermones habeantur, parva tamen apud multos ejus cura eſt, magna a. apud paucos. Cæterũ omnes, nõ modo ipſius amãtes ac ſtudioſi, verũ etiã hoſtes, eã laudib. efferũt. Tanta ipſius pulchritudo eſt! Improbitatẽ cõtra, & hoſtes & amatores vituperãt. Tãta ipſius deformitas eſt! Verũ præſenti voluptate tanquã armis quibuſdã inſtructa, tametſi alioqui belluina forma prædita, eã, quæ divina pulchritudine fulget, apud pleroſq; ſuperat. Operæpretiũ itaq; eſt illud noſſe, quod etiãſi præſens voluptas, majorẽ vim habere videatur, quam quod in poſterum utilitatem allaturum eſt, at in exitioſum tamen ac peſtiferum finem deſinit.

Quocirca satius ac præstabilius est à laboribus ad requiem, quam à voluptate ad cruciatum proficisci. *lib. 2. Epist. 174.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui voluptates, quas multi expugnari minime posse existimant per temperantiam & continētia n velut tyrannide opprimit, hic, cum liberam ab omni vitiosa affectione animam habeat, id meretur, ut multis ac præclaris trophæis exultet. Qui autem, cum ab illis prorsus constrictus teneatur, atque à barbaricis corporis vitiis tyrannide prematur, barbaricis tamen trophæis gloriatur, hic profecto mihi & stolidus, & servilis animi esse videtur. Quippe ob majorum malorum metum ac formidinem (etiamsi hoc & dictu & factu mirum sit) fortis & strenui viri speciem gerit. Dum enim id timet, ne aut ipse, aut ipsius filii serviant, bellū gerit. *lib. 3 Epist. 291.*

Synesius: Vlysses quidem ne voluptatis illecebris periret, Sirenum littora devinctus est prætergressus. At hic, meum mancipium nequam, ne vectores lenocinio voluptatis corrumpat, nauclero si sapiat vincietur. nam præter cætera cumprimis blandum malum est, ut ad voluptates alus præeat. *Epist. 32.*

Synesius: Equidem non ab aliam causam arbitror Sirenas poetarum probris ac maledictis exagitari, quam quod mellita vocis suavitate interitum moliebantur; eum qui fidem habuisset, illicientes; Memini vero me nescio quem olim sapientem audire, qui sic fabulam istam allegorice enarraret. Etenim Sirenas ajebat, voluptates illas significare quibus fruimur, quæ succumbentes atque earū blandimentis illectos, paulatim perderent. Quidnam igitur abest, quominus Sirenes sint quædam literarum tuarum illecebræ, quibus ego gravitate constantiaq; illa posita, totus Herculiani factus sum. *Epist. 144.*

❡ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Scitum & scitu dignum est Aristotelis dictum, quo voluptatum initia oblivioni mandanda asseruit, & solos exitus recordandos: fessas enim pœnitentiæque plenas, quominus avide repetantur, subjicit animus, & quod in eis jucundum est, ne redeant, jubet abscondi. *cap. 6. Policrat. lib. 8.*

❡ Philosophor. Oratorumque Græcorum.

Xenophon: Id scire videor, multo plures posse in vincendis hostibus, quam voluptatibus superiores evadere. *cap. 33. fine, Vita Agesilai.*

Idem: Præclarum quiddam esse putatur, inexpugnabiles muros ab hostibus superari: verum ego multo præclarius esse judico, parare animum suum, ut à pecuniis, voluptatibus, metu sit inexpugnabilis. *cap. 44. Vita ejusdem.*

Plato: Petis an rectius ponatur in salutationibus, Plato Dionysio gaudere: an quemadmodum ego solitus sum scribere ad amicos, Bene agere. Tu quidem, ut ajunt hi qui tecum in Delphis affuerunt, ita Deum ipsum blande appellasti, ac similiter scripsisti: Gaude, vitamque tyranni jucundam serva. Ego autem neque Deum hoc modo, neque hominem salutarim. Non Deum: quia contra illius naturam loquar. Nam procul à molestia & voluptate divinitas. Non hominem: quia sæpius detrimentum & dolorem ipsi affert voluptas, hebetudinem in animo, & oblivionem, insipientiam & petulantiam pariens. *Epistola tertia ad Dionysium.*

Epictetus: Rarissimæ quæque voluptates maxime delectant, sed si quis excesserit modum, suavissima quæque fiunt molestissima. *apud Stobaum.*

Epictetus: Morosos dicunt eos esse philosophos, qui voluptatem esse naturæ consentaneam non putant: sed consequi ea quæ secundum naturam sint, justitiam, modestiam, libertatem. Cur ergo animus commodis corporis, quæ minora sunt, gaudet: maximis vero bonis suis non lætatur? Atqui. Natura mihi dedit verecundiam: & sæpe erubesco, si quid mihi videor turpe dicere. Is motus mihi obstat, quo minus voluptatem bonum & vitæ finem statuam. *apud Stobaum.*

Epictetus: Si voluptatis alicujus imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis: sed & rem examina, & tibi ipse deliberandi præbe spatium: deinde utriusque temporis memento, tum ejus quo voluptate perfrueris, tum ejus quo percepta jam voluptate dolebis, teque ipse objurgabis, atque his illa confer: Si abstinueris, fore ut gaudeas, teque ipse collaudes. Quod si tibi suscipiendæ rei videbitur esse tempus, cave ne te vincant ejus blandiciæ & suavitates & illecebræ; sed illud oppone quāto præstantior sit talis victoriæ conscientia. *cap. 56. Enchiridii.*

Simplicius: Quia cum vero bono semper & vera voluptas est conjuncta, ubicumque animus adumbratum aliquod voluptatis simulacrum animadverterit, non considerans verane ea sit, veroq; bono cognata, an vero fallax & adulterina boni umbra, tanquam ad bonum accurrit: nec illud expendit, multo plus inesse molestiæ tam consequentis quam antecedentis. Neque enim esu delectatur quisquam, nisi prius famis molestiam senserit: neque potu qui non sitierit, molestia denique cum voluptate cohæret. Proinde si voluptatem quæ bibendo percipitur, inhibueris, sitim adhuc inesse videbis: voluptasque durat, quamdiu molestia ei adhæret. Nam ubi fames, sitis, algor, aut simile aliquid sedatum fuerit: suavia illa esse desinunt, ac potius adversa fiunt, & fastidium cient. Omnino certe molestia eos comitatur, qui voluptatis impulsi illecebris, excedunt modum, & è jucundi boni studio peccata nostra omnia oriuntur, sicut è studio veri boni recte facta. *ad cap. 1. Epicteti.*

Simplicius: Voluptas corporis, nocentissima est animo, Quælibet enim, quasi clavis aliquib. affligit animum: eaq; de causa Deus eam fecit brevem. Nam & in cibis & potionibus tamdiu voluptas durat, quamdiu in ore eas senserimus: cum vero deglutiverimus, prorsus interit, & in coitu ipso tantum actionis tempore sentitur voluptas: quæ cū præteriit, perinde est ac si nulla fuisset. Ac in sensu esse voluptatem constat. Quod enim non sentit, etiam voluptate caret omnino. Sed & externarum rerum oblectationes, uti vestiū, ornamentorum, pecuniæ, instrumenti domestici, parum & ipsæ durant. Harum enim adeptione exhilarati, ubi eis assueverimus, voluptatem porro nullam sentimus. Sin eæ nobis eripiantur, dolor vehemens succedit, voluptate multo durabilior. Ita voluptas ubi per exiguum tempus duravit, maximeque corporis, abit, noxa suæ modis omnib. animo relicta, interdum vero etiā corpori, si suavitas illa excesserit modum. At continentia voluptatum, durabilem affert & corpori & animo utilitatem; & aliud voluptatis genus parit cum ipsa natura conjunctum, & innoxium & perpetuum. Nunc his ita expositis, videamus quid dicat Epictetus. Cum voluptatis, inquit, alicuius imaginem animo conceperis, ut in aliis, veluti divitiis, principatu, aut similibus rebus externis, ita & in hac, ac magis etiam, statim ipse te custodi, ne visum illud atque imago ad rē ipsam te impellat, sed ea quidem paulisper exspectet: tu vero spatio impetrato à te ipso, & animadversione excitata, tempus considerato, tum suavitatis illud brevissimum, tum secuturum noxæ diuturnum & pænitentiæ plenum, in quo ipse te victum accusabis. His etiam illud tempus cōfer, quo, si te continueris, & diuturnam utilitatem, & synceram voluptatem percipies, teipsum & laudaturus & approbaturus. Nam si eius imperium represseris: facile conquiescet appetitus, tam luculentæ victoriæ verecundia. Quod si iterum atq; iterum feceris: ita deprimetur, ut molestus esse desinat. Quamobrem si voluptas statim post opus desinit, ac tum nihil inter eum interest qui eam percepit, & eam qui non percipit, excepta cogitatione suavitatis, nihil habet voluptas magni æstimandum: idque declarat eorum memoria, quibus in somnis fruimur, quæ obscurum habet voluptatis vestigium. Sed quia interdum voluptatib. nonnullis recte frui possumus, cujusmodi est conjunctionis appetitus procreandi causa, aut balnei post febrem: cum, inquit, occasio fuerit huiusce modi alicuius operis attingendi, vide ne te suavitas illius atque illecebræ decipiant, ut tui oblitus totum te voluptati tradas, sed eo tempore contentionem facito, quanto pulcrius sit vincere voluptatem quam ab ea vinci. Tanto nimirum, quanto pulcrius est imperare brutis affectibus quam servire, & hominem esse quam bestiam. *ad cap. 56. Epict.*

Maximus Tyrius: *Difficile est bonum esse*, ut in veteri carmine est. Scire velim utrum equo difficile sit virtute equi, & cani virtute sua excellere, an vero proprium illi bonum sine difficultate consequantur, singulisq; virtutis suæ facilis sit possessio: siquidem ab arte equus tener adhuc, ut oportet, dometur, & à teneris venationi assuescat canis. Solus vero homo ad investigationem boni sui non nisi ægre pervenit, nec facile assequitur, nec facile discernit: nullaq; adhuc inventa ars est qua commode & perfecte instituatur hoc genus . . . . Nulla enim unquam sophistis differendi deerit, aut disputandi, aut docendi occasio. Nemo sibi spem consequendi finis præcidet sui, nemo rationum ambiguitate deterritus, salutē abjiciet suam, sed potius ipsa expectatione sese acuens, novus semper integerq; accedet, nec proficere unquam dubitabit. Nō ut nauseabundi solent, cum primum ingrediuntur mare: quos si minima excipiat tempestas, inusitatæ rei specie deterriti, navem relinquunt, artis præsidium negligunt, in fluctus desiliunt, priusq; quam navis ipsa, pereunt. Non aliud mihi agere videntur philosophiæ studiosi, qui simul ac diversitatem, quæ in ea est plurima, opinionum inspexerunt, non ferunt hanc animæ vertiginem, nec futurum unquam confidunt, vt in portum eos quietum deducat ipsa ratio. An opiniones affectionesque mortalium, causasq; earum, initia, remedia, & salutem, de quibus quotidie inter se velitantur dissentiuntq; philosophi, rem esse ignoras non parvam neq; simplicem, non directam aut expeditam, quales nonnulli sunt fluvii, quibus si navem committas, ipso cum fluxu quo volueris abibit? Sed & hic mare latum vastumq; est, omni Siculo AEgyptioq; intricatius. Ars vero viam tenet, cœlum intuetur, portus agnoscit. Accidit autem & his quod gubernatoribus plerisq;, vt scire velint omnes, recte autem sciant pauci. Ergo à portu aberrant, aliiq; in cautes asperas, alii in cœnosa littora, alii in Sirenum scopulos, alii in Lotophagorum terram, similesq; deferuntur homines, quos vel inhospitales improbitas, vel Deorum ignaros fecit imperitia, vel corrupit voluptas. Si quis vero bonus peritusq; est gubernator, recta portum subit tranquillum,

——Vbi vincula naves
Nulla tenent, unco non alligat anchora morsu.

Quis vero hic gubernator est, aut cui nos committemus potissimum? Noli id ex me quærere, priusquam & alios inspicias examinesq; mi homo. Ante omnia autem fac prodeat deliciosus ille voluptatique deditus, huic navem demus, quæ è terra intuentib.

appareat jucundissima, in mari vero inutilis & ad omnia tarda sit ministeria ac inepta; armamentis præterea privata omnibus, ut irruenti facile tempestati cedat, nudumque undę præbeat latus. Quãdoquidem autem similitudinem à mari desumptam sua sponte nobis suppeditavit ipsa oratio, ne demittamus hanc priusquam totum quod volumus nobis depinxerit. Ac primum Epicuri philosophiam cum prætoria Æetæ regis navi nobis conferat. Nec fabulam referre volo: sed non ita diu est cum rex quidam ex Ægypto Trojam versus navigaret, homo barbarus, è numero eorum, qui supra Phœnices colunt,

—— Nec norunt æquora ponti
Nec Iovis Aegiochi reverentur numina ——
Nec Divos alios.

Hic impius marisque imperitus, rex maximam sibi latissimamque strui navem jusserat: in qua quascunque vellet secum voluptates veheret. Et intus quidem regiam sibi quam pulcherrimam fabricarat, thalamos, lecticas, curricula,

Extra aulam magnus fuit hortus, limina juxta.

In eo arbores crescebant diversæ, punicæ, pyri, mali vitesque. Alibi lavacrum suum habebat & gymnasium alibi locum cocis destinatum, alibi meretricum cubilia, alibi triclinium, alibi aliud, in quo non secus quam in urbe voluptatibus fracta oblectaret genium. Accedebant & colores qui navem commendarent varii, visu jucundissimi: neque auri deerat aut argenti copia. Denique similis erat homini imbelli qui arma gestaret aurea. Mirabantur hoc spectaculum AEgyptij, felicemque uno omnes ore judicant dominũ; neq; deerat qui gubernatoris munus involaret animo, & qui vehi ea vehementer optaret. Cum autem jam solvendi tempus esset, exire cœpit magna hæc atque opulenta navis, multumque jactata vix egressa est portum. Non aliter quam insula quæ in aqua natat. Egressæ sunt & naves aliæ vulgares, succinctæ ad navigationem atque expeditæ. Tantisper ergo dum à ventis esset in mari tranquillitas, longe voluptatibus suis superior erat navis regia, plenaq; omnia nidore erant. Tum,

Tibiaq; fremitusq; hominum, & stridebat arundo.

Simulac autem è malacia illa subita aerem turbavit tempestas, multoque ventus in mare fremitu descendit, tum demum quis voluptatis esset usus, quis artis cœpit intelligi. Aliæ namq; vela legere naves, paria cum fluctibus facere, venti sustinere impetum, mali vim expugnare. Sola vero misera illa navis, non secus quam magni corpus hominis quod gravedine aut ebrietate vertitur, huc illuc impelli, adeo ut gubernator artis explorare opem, nec effœminata illa turba posset, ut qui omnes hic illic metu attoniti jacerent. Interim præclara illa omnia tempestas dissipavit,

Plurimaq; vertit radicitus ardua ligna.

Ibi ergo dissipari regia, thalami, lavacra: eratque mira res visu, ut non navis unius sed totius urbis naufragium fluctus terræ appulisse videbantur.

Ast olli fulicum similes hinc inde carinam
Fluctibus in mediis cingebant.

Hunc finem stolidissimus, navisque inutilis importunus vector habuit. Iam ad priorem sermonem, cujus causa usi hac similitudine sumus, denuo redeamus. Videtur enim & ille, non ad dies aliquot, aut unius modo navigationis, sed totius vitæ tempus approbare nobis voluptates velle: quæ nihilo sunt marinis illis certiores. Nec dum tamen rationem, quæ voluptatem nobis è bonorum tollendam numero esse persuadeat, admittimus. Contendat interea si volet, & operam det, si forte hoc possit. Quod si ne mutari quidem voluptatem deprendero, jam concedam hoc, virtutemque negligam libenter: hac lege dico, ut voluptatem mihi solidam ostendas, nullis vitiatam doloribus, voluptatem quam nulla excipit pœnitentia, voluptatem laude dignam. Quomodo autem ostendas? non magis certe quam dolorem. Nihil enim horum omni ex parte solidum penitusque sanum natura hominibus concessit: ubique enim voluptati mœror adhæret, alterumque extemplo imbutum est altero. Vt necesse sit alterum si eligas, alterum quoque extemplo contingat tibi. Hæc enim quasi natura sint congenita, ita alterum alteri supervenit, reciprocosque mutant ortus, ut nunc hoc adsit, nunc illud. His cum fluxibus refluxibusque turbetur animus, quænam spes, ut doloris aliquando expers agat; relinquitur? præsertim cum iis, quibus aliquando carendum est, fruatur bonis. Ego nec mari credo, quamvis venti sileant, quamvis sit tranquillum. Suspectum est enim hoc silentium. Quippe si serenitati me velis confidere, in aliquod quod mutationem non recipit mare, me deducas necesse est.

Quod neque tempestas insana, nec humidus unquam Imber agit,
—— Semperque innubilus æther
Cingit, & hinc illinc lux circum candida currit.

Eadem est animi nostri ratio, eodem jactatur modo. Si enim gubernator absit, absitque ars, licet serenitatem videat, tempestatem metuit rursus: in tempestate si versetur, serenitatem expetit. Vita enim hominis voluptate dediti, mobilis, meticulosa, infida, omniq; salo est incertior. Nonne procos vides quantis se oblectent voluptatibus, pingues capras ut comedant, molliculis hædis se ut expleant, tibias audiant, vinum misceant, disco sese oblectent, tragulas emittant? Quis non hanc illis voluptatem invidisset? Adest tamen vates optimus, futuri non ignarus, qui dicit illis,

O miseri, quæ vos cingunt mala! vestra tenebræ
Involvunt capita.

Instabat miseria eorum, aderat malum. Sicut & Alexandro instabat, cum magnam illam è Peloponneso furtim advexisset voluptatem. Statim in eum Græcorum instructa classis venit: quæ sexcenta magno illi voluptatis amatori, sexcenta toti urbi advexit mala. Voluptates Assyrias omitto, quas statim cum ipso auro, cum ipsis meretricibus ignis invasit. Nec Ionicas Polycratis dico, quas ne honesta quidem mors secuta est. Plena voluptatibus Sybaris erat, sed cum cultoribus suis interierunt voluptates. Etiam apud Syracusanos fuerunt, sed calamitatibus admoniti ad frugem redierunt. Sed nec apud Corinthios diu permanserunt. *Dissert.* 31. Voluptatem etsi bonum, non tamen esse stabile.

Voluptatem etsi bonum non tamen esse stabile.

Idem: Quædam nuperrime nobis conatæ sunt persuadere rationes, voluptatem siquidem diuturna dari stabilisque possit, eligendam esse. Sophisticæ vere & ad decipiendos mirifice instructæ homines. Quæ, cum de natura voluptatis, quatenus in bonis ea malisve numerari aut utri assignari debeat, agendum esset potius, quasi in confesso esset in bonis voluptatem esse; an stabile hoc bonum esset quæsiverunt. Quomodo autem immobile semper & instabile dari bonum poterit? Sicut enim toti terræ stabilitatem immobilitatemque suam si demas, soli contra motum cursumq; si tollas suum, essentiam tollis utriusque: Eodem modo, bono illud si demas quod exquisitissimum in eo est, perseverantiam dico, naturam ejus sustulisti. Nec enim pro tempore, sicut forma corporis florere potest bonum. Quomodo ergo de voluptate agat aliquis, qui bonum esse concedat, stabile esse neget? Si enim illud quod bonum est, simul & stabile esse sit necesse, una cum stabilitate ejus qua caret bonum ejus abit. Vter autem magis vero similia dicit, qui voluptatem bonum esse vult, quamvis instabile, an qui bonum esse negat, nisi sit stabile? Ego certe alterum puto. Pręstat enim è bonis voluptatem tollere, stabilititamque illis suam relinquere, quam inter bona voluptatem ponere, nec stabilitatem illi dare.

Quoniam autem non semper jucundum est omne bonum, semper vero est stabile; illud autem quod jucundum est non semper est bonum, instabile autem est semper; restat è duobus alterum, ut vel neglecto bono voluptatem sequamur, vel relicta voluptate, eligamus bonum. Puto autem nihil expeti nisi quod sit bonum: fieri vero opinione boni, ut pro bono sequamur non bonum. Sicut à nummulariis fieri vides, qui adulterinos sequuntur nummos, non qua sunt adulterini, sed qua sua cum veris similitudine vitium abscondunt. Et ut ibi à vero adulterinum distinguit argentarius, ita in bonorum distributione, à veris bonis, quæ videntur bona nec sunt tamen, quidni, distinguit ratio? Nisi forte malimus, quod inepti solent nummularii, adulterini nobis boni congerere thesauros.

Quo autem hæc modo investigabimus? aut quæ probandi nobis relinquitur ratio? Agedum si quis ab aratro bovem solvat, à curru equum, mutatoque utriusq; munere, bovem currui aratro submittat equum, nonne naturam violare, animalibus illudere, artem ignorare, laborem sine fructu suscipere, in ipso ridiculus esse videbitur opere? Aut ut etiam absurdiora ponamus. Si alas suas demas avibus, tantumq; incedere eas postules, homini alas addas, velisque in altum cum avibus ferri; quid hac mutatione erit stultius? Quandoquidem nec Dædalum suum rem tam ineptam moliri ipsa passa est fabula: sed deorsum in terras filium ejus ex alto cum alis suis dejecit. Ajunt & Pœnum aliquando juvenem leonem ab ipso lacte cepisse, quem inusitata educatione mansuetum reddidit, degenerique quadam victus ratione animos enervavit belluæ. Adeo ut sarcinis tandem impositis per mediam urbem non aliter quam asinum vectaret. Verum paulo post tanquam legum violator morte mulctatus est à civibus: quod conditione quidem privatus esset, natura vero tyrannus & indole. Sicut ergo ad conservationem sui cursus equis, bobus labor, alæ avibus, robur leonibus, aliisque aliud assignatum est à Deo: sic & homini quædam annata est facultas, quæ hoc genus conservaret. Hanc aliam seorsim à reliquis oportet esse, siquidem nec robore homo se conservat, ut leo, nec cursu, ut equus: nec onus subire cum asino, nec arare cum bove, nec volare cum avibus, nec natare possit cum piscibus. Sed & huic peculiare necesse est opus esse quo vitam conservet, si quidem sua singulis divisa animalibus sit facultas, eaque prout usus flagitat singulorum. Ita functiones propriæ singulorum potentiæ, instrumenta vero functionibus respondent ac bonis. Et ut brevius dicam, bonum singulorum in operibus propriis, opera in usus necessitate, usus in facilitate potentiæ, potentia in aptitudine instrumentorum, instrumenta in varietate naturæ consistunt. Varia enim est natura.

Atque hæc causa est, cur singulis diversa arma ad conservationem sui concesserit animalibus. His unguium robur, illis vim dentium, aliis acumen cornuum, aliis velocitatem pedum, animos

alis,

aliis, alris venenum Horum quidem homini conceſſit nihil: nam & nudum edidit, & imbellem, ac depilem: robur exiguum, velocitatem propè nullam dedit: volandi facultatem omnino negavit, natandi vix parvam indulſit Quid ergo? Occultam qua ſe tueri poſſet quaſi ſcintillam conceſſit ei: quam mentem dicunt homines. Hoc uno ſe tuetur, hoc uno quicquid deeſt reſarcit, reliquaq; quæ conceſſa ſunt corpori explet: hoc uno ſingula quibus reliqua antiſtant animalia, facile compenſat. Hoc uno cæteris imperat: ratione hujus & lege cuncta ſibi ſubjicit. Quære ex me jam de homine. Quomodo bonum hujus aut qua ratione inveſtigabimus? Eodem modo quo de leone, de avibus, reliquiſq; animalibus, reſpondebo tibi. Quære bonum hominis ubi ejuſdem eſt functio. Functionem vero ubi inveniam? Ubi inſtrumentum. Inſtrumentum ubi? ubi id quod conſervat hominem. Hinc jam incipiamus. Hominem quid conſervat? Voluptas. Rem communem dicis, qua nulla pars naturæ caret, ideoque quare cæteris præponi debeat, nondum video. Voluptate & bos & aſinus & ſus afficitur, & ſimius. Vide jam quo loco ponas hominem, quos illi ſocios bonorum adjungas Quod ſi id eſt voluptas, quod conſervat hominem: quære quod ſit inſtrumentum voluptatis. Multa invenies ac diverſa. Et ad oculos quidē uſq; atq; aures inſtrumēta laudo. Quod ſi porro pergas, reliquaſq; voluptatis ingrediaris ſemitas; vide quibus inſtrumentis conſervationem aſſcribas hominis. Inſtrumēta inveniſti, quære functiones. Helluetur lingua, libidine tabeſcant oculi, voluptate liquefcāt aures, impleatur venter, Veneri ſerviant partes illi deſtinatæ. Inveniſti functionem, inveniſti bonum. Hæccine eſt conſervatio? hæccine felicitas? *Diſſert. 32. Voluptatem etſi bonum non tamen eſſe ſtabile.*

Idem adhuc: Æſopus Phryx ille, fabellas conſcripſit quaſdam, in quib. mutua inter ſe conſuetudine bruta utuntur animalia. Interdum vero & arbores introducuntur, & piſces, aliud cum alio, vel una cum homine. Breviter autem mortalem ſenſum continent hæ fabulæ, occulteq; quaſi innuunt veritatē. Celebratur inter reliquas & talis. Cervam proſequitur leo: illa fuga evadit, denſoq; quodam abdit ſe in nemore. Leo vero qui quantum robore cervam vincit, tantum velocitate à cerva vincitur, nemus adit, quæritq; ex paſtore ſicubi latitantem vidiſſet cervam. Negat paſtor, ſimulque manu protenſa, locum oſtendit. Atq; ita cervam miſerrimam invadit leo. Vulpecula autem (hanc enim callidam ubiq; Æſopus facit) næ tu, inquit paſtori, imbellis ſimul improbuſq; es: coram leone quidem imbellis, improbus vero in cervam. Videtur mihi hæc hominis Phrygii fabula, adverſus eos qui voluptatē accuſant, uti poſſe Epicurus: qui voce tenus fortes videntur, animum vero, ut ille digitū, ibi habent. Quis enim tam ſibi inimicus eſt, ut rem quæ omnium natura ſua maxime nos allicit, ſpōte ſua aſpernetur? Reliqua enim quæ ſequuntur homines, aut experientia intelligenda nobis dedit, aut artis approbavit induſtria, aut de iis fidem nobis fecit ratio, aut longi indicium temporis ea conciliavit nobis. Voluptas nec ratione eget, & arte eſt antiquior, & experientiam prævenit, nec tempus exſpectat. Ut ineffabilis quidam ejus amor una cum corporibus nobis innatus ſit, qui quaſi fundamētum aliquod animalium ſubſicitur ſaluti, quod ſi quis tollat, ſtatim id quod natum eſt evaneſcere ſit neceſſe. Scientiam enim rationemq;, & id quod ab omnibus intellectus dicitur, progreſſu temporis, paulatim congredientibus cum rebus ipſis ſenſibus, longa experientia colligit homo conſervatque. Voluptatem autem ſponte ſtatim à natura ipſa, haurit atq; accipit. Hanc amplectitur, oditq; quicquid dolorem affert. ab hac ſervatur, ab illo corrumpitur. Quod ſi vituperanda eſſet voluptas, neq; nobiſcum ea naſceretur, neq; omnium quibus conſervationem debemus noſtram, eſſet antiquiſſima.

Quæ autem vulgo à ſophiſtis objiciuntur voluptati, Sardanapali luxus, Medicæ deliciæ, mollicies Jonica, menſæ Siculæ, Sybaritica tripudia, Corinthiæ meretriculæ, hæc omnia, & ſi plura etiam his adferre velis, non voluptatis ſed artis rationiſque ſunt effectus: longo namque poſt tempore accedente plurimarum lenocinio artium, voluptatem violarunt homines. Sicut autem rationem rem natura ſua honeſtam, nemo negat eſſe, quamvis ea in re minime natura ſua honeſta quis utatur: ita neque de voluptate ſecus loquendum eſt, ſed qui voluptate abutuntur. Deo autem hæc cum in animo ſint hominis, ratio & voluptas, rationi ſi admiſceatur voluptas, neceſſarium ejus uſum non tollit ſed emollit. Voluptati contra ſi accedat ratio, modum ejus nimia intendit copia, eique quod natura delectat uſum demit neceſſarium. Atqui non propria inquies hominis voluptas eſt, ſed & reliquis communis animalibus. Jam illud ſcilicet quod in voluptate maxime ſalutare eſt reprehendis, quod omnia quæ vivunt conſervat: ſiquidem eo tibi diſplicet nomine, quod multis eſt communis. O circumſcriptor avare! Tu, ut video, ne ſolis quidem lumen amabis, quia omnibus oculis commune eſt. Solum enim te judice id intueri oportebat hominem: ideoque non conducet homini hoc lumen. Non aer qui corpora inſpirat permeatque, & diſponit, non fluviorum latices, non terræ fructus. Quo enim ulterius quæcunque maxime neceſſaria ſunt excuſſeris, communia videbis eſſe omnia, proprium autem nihil alicujus. Eodem loco & voluptatem pone: in ſocietate dico boni illius, quod naturam omnem ſenſu præditam conſervat. Quandoquidem autem cum voluptate confertur virtus, virtuti quidem obtrectare haud decretum eſt mihi (nec enim virulenta aut maledica poteſt eſſe quæ de voluptate inſtituitur oratio) hoc tantum dico, ſi quis virtuti voluptatem demat, cum vim ejus præcidere, auferre autem potentiam. Nullum enim, ſi voluptas abſit, petitur honeſtum. Quippe qui laborem ſponte ex virtutis ſubit præſcripto, amore voluptatis aut præſentis id facit, aut futuræ. Sicut enim in re quæſtuaria nemo ſciens talentum cum drachma permutat, nec cum argento aurum,

—— niſi cui mentem eripit omnem Iupiter, ——

ſed in permutatione quanvis æqualis ſit, permutantis ſpectatur commodum, prout uſus flagitat accipientis. Sic omnino in ſubeundis nemo laboribus, laborum cauſſa laborem ſubit (infeliciſſimum enim hoc votum eſſet.) Præſentes vero labores cum pulchro, ut quidem ex agreſtioribus diceret aliquis, ut vero illi qui verius judicant, cum voluptate commutat. Pulchrum enim quanvis dicas, voluptatem nominas. Niſi forte aliquid pulchrum ſit, cui non adſit voluptas. Ego vero contrarium ſequi ex his arbitror, omnibus nimirum voluptatem præferendam eſſe rebus, cujus cauſa morbum aliquis & vulnera & labores, & ſexcenta ſubit alia. Quanvis enim alias aliis cauſas aſſcribas, ut Achilli cum vindicandi cauſa Patrocli lubens moritur, amicitiam, Agamemnoni vigilanti ante reliquos ac deliberanti, curam regni, Hectori exercitum ducenti, primaque in acie pugnanti, ſtrenueque rem gerenti, patriæ ſalutem: nihil adhuc aliud quam voluptatis attuliſti nomina. Quippe quemadmodum in corporum morbis ſecari non recuſat æger aut uri, ſitim etiam perferre famemque, & quicquid natura ingratum eſt; ut pro his poſtea ſomno ſuo frui poſſit: quod ſi ſpem futuri tollas boni, etiam præſentium tolles malorū patientiam. Ita in actionibus noſtris laborū cum voluptatib. viciſſitudo intercedit & permutatio. Quam tu quidē virtutem dicis: ego vero ut virtutē non tollo, ita unū hoc ex te quærā. Utrum ſine amore ullo virtutē perſequatur animus. Hunc ſi das amorem, voluptatem dediſti. Licet enim nomen permutes, nec voluptatem voces ſed gaudium, diverſa admitto nomina, rem tamen ipſam video, voluptatem agnoſco. Quæ ſola effecit, ut qui tot tantiſque ſeſe obtulit laboribus Hercules, tot quotidie mala ſuſtinuit: qui cum belluis certavit, tyrannos invaſit, feras aggreſſus eſt, cum violentis totius terræ congreſſus eſt imperatoribus, terramque ſecuram vacuamque monſtris reddidit & quaſi purgavit, qui Oetam petiit, ignem acceſſit, non alio manuductore, quam magnis diviniſq; quibuſdam uſus voluptatibus, quarum aliæ comitabātur labores, ſequebantur aliæ, ſponte ſua ſubierit hæc omnia. Atqui ſolos quos ſubit labores intueris, voluptates vero quibus paſcitur non vides. His ipſis dum ageret delectabatur Hercules, ac propterea agebat: nec egiſſet niſi delectatus fuiſſet. Nam de Bacchi quid opus eſt dicere voluptatibus, quæ ſacrorum vicem ſunt? Nocturni illi diſcurſus, thyaſi, choreæ, tibiæq; ac cantus. Quæ omnia nihil aliud ſunt quam diverſæ voluptates Bacchicæ, quæ repræſentantur in myſteriis.

Quid de Baccho loquor aut Hercule? Fabuloſa ſunt hæc, aut heroica. Adducamus Socratem. Alcibiadem amas, ô noſter Socrates, poſt hunc Phædrum, poſt Phædrum Charmiden. Amas, ô Socrates, nec ulla te latere poteſt pulchritudo Attica. Age fatere cauſam, nec ignominiam time. Caſtus enim cum voluptate poteſt eſſe amor, ſicut cum dolore impudicus. Quod ſi abſque voluptate ulla ſolum animum non etiam corpus amas, Theætetum ama. Atqui hunc non amas, ſimus quippe erat. Ama ergo Chærophontem. Sed ne hunc quidem amas, pallebat enim. Ariſtodemum ergo ama. Atqui nec Ariſtodemum amas, deformis enim erat. Quem ergo amas? Si quis delicate comam alit, ſi quis formoſus, aut venuſtus aut pulcher eſt. Et de virtute quidem tua dubitare non poſſum, quin impudice non ames: nec diffido tamen animo, quin voluptatis cauſa id facias. Non enim corpori diffido quin ab igne calere, nec oculis quin ab eo illuſtrari, nec auribus quin tibiæ modis affici poſſint, ſicut nec Heſiodo diffido qui à Muſis docetur, nec Homero qui Muſicæ ſuæ ſuavitatem Calliopæ, nec Platoni qui orationis ſuæ ſublimitatem Homero debet. Omnia enim hæc, oculi, aures, corpora, ſermo, à voluptate trahuntur.

Etiam Diogenem illum in dolium ſuum voluptas deduxit. Quod ſi virtus comitetur quoque, cur excluſum propterea is voluptatem? Delectabatur dolio ſuo Diogenes, ut Babylone ſua Xerxes. Delectabatur ſicco pane, ſicut condimento ſuo Smindyrides. Delectabatur omnibus frontibus, ut Choaſpe ſolo Cambyſes. Delectabatur ſole, ſicut purpuris ſuis Sardanapalus. Delectabatur baculo ſuo, ſicut haſta ſua Alexander. Delectabatur pera ſua, ſicut omnibus theſauris Crœſus. Quod ſi voluptatem alteram confers cum altera, vincit Diogenis. Plena quidem voluptatum ſunt illorum omnia, ſed quæ moleſtiam ſecum trahant. Prælio devictus lamentatur Xerxes, vulneratus gemit Cambyſes, exuſtus ejulat Sardanapalus, rejectus dolet Smindyrides, captivus lachrymatur Crœſus, pugna prohibitus luget Alexander. At voluptates Diogenis ſine ulla lamentatione aut gemitu, ſine lachrymis ſunt aut mœrore. Tu interim labores eas vocas. Quia enim ex natura tua illius hercule metiris ingenium, menſura ... edius fidius iniqua. Tibi namque labor erit eadem ſi agas, Diogeni voluptas. Auſim ego amplius dicere, nullum unquam veriorem fuiſſe voluptatis amatorem Diogene. Domum quam adminiſtraret non habuit: moleſta eſt domeſticæ rei adminiſtratio. Remp. non attigit, res enim eſt graviſſima. Uxorem non duxit: de Xanthippe audiverat. Liberos non eduxit: pericula ante

oculos habebat. Sic omnis immunis mali, liber ſecuruſq;, ſine metu aut mœrore ullo, ſolus mortalium tãquam domum unam totã colebat terram. Voluptatibus apertis fruebatur, incuſtoditis, affluentibus.

Ad legislatores tranſeamus à Diogene, ipſaſq; inſpiciamus Reſpub. Noli de Sybaritarum arbitrari me dicturum eſſe. Aut de Syracuſiorum, quorum deliciæ, aut Corinthiorum, quorum voluptates, aut Chiorum, quorum opulentja, aut Lesbiorum, quorum vina, aut Mileſiorum, quorum veſtimenta celebrantur. Ad principes ipſos accedo, ad Athenienſes venio, Lacedæmonios lubet intueri. Hic flagella ſunt plagæq; Laconicæ, hic venationes curſuſq;, tum cœnæ parciſſimæ, ſtragulaq; viliſſima. Etiam in his tamen voluptates video. Macte Lycurge: qui pro minimis laboribus voluptates introducis magnas. Parva das, magnas accipis. Labores inſtituis breviſſimos, voluptates pro iis accipis perpetuas. Quę ſunt voluptates, inquies, Spartanæ? Urbs ſine muris, ſine metu, intacta ab igne: quæ nec hoſtem unquam nec peregrinum vidit clypeum, quæ luctum nullum, nullas unquam minas audivit. Quid autem metu triſtius, aut ſervitute durius, aut neceſſitate eſt moleſtius? Quibus ſi ſemel urbem liberaris, multas pro illis reddis voluptates. Illius voluptatis alumnus erat Leonides, illius Othryades, illius Callicratides. Atqui hi fuere cæſi. Ita, ſed honeſte. Quarum autem voluptatum cauſſa? Non aliter quam in corpore fieri ſolet, in quo partes amputãtur ut ſervetur totum. Pars Reip. Spartanæ erat Leonides, ſed pro tota Spartanorũ occidit Rep. Pars erat & Othryades, pars & Callicratides. Ergo parvis hiſce in bello interfectis partib. domi vigebant cives, voluptate fruebãtur integra. De Athenienſiũ vero rebus quid neceſſe eſt dicere? Omnia ibi feſtorũ plena, hilaritatis omnia, ut ipſa anni tempora diviſiſſe inter ſe voluptates videantur. Vere Dionyſia celebrantur, autumno myſteria. Et ita deinceps ſingulas anni partes aliquis ſibi vindicat Deus. Panathenæa, Scirrophoria, Haloa, Apaturia. Dum alii navali prælio certant, alii domi feſta agunt. Alii terreſtrẽ ineunt pugnã, alii Dionyſia cum riſu celebrant. Sed nec ipſa bella, quæ res omnium eſt ſæviſſima, carent voluptatibus: ſed & his tuba Tyrrhenica, tibia triremica, cantus militaris interjungitur. Vides voluptatum copiam. *hactenus Maximus Tyrius.*

Ariſtides Sophiſta: Etenim qui tantopere voluptates omnes cõtempſit, ut earum nulla ſit captus, is verè fortis eſt, temperãs & patiens. nam cum Urbes ſæpenumerò, quamvis invictæ viderentur, à vulgaribus hominibus captæ ſint, voluptatibus contra multos etiã clariſſimos viros ſuperatos videmus. *in M. Antoninum Philoſ.*

Ariſtides Rhetor: Aliorum quidem voluptates ſuum ſunt ferè propriæ; mea autem verè humana, qui literis ſtudeo & delector. *Orat.* 1. *ſacrorum Sermonum.*

Philoſtratus: Vitellius etiam meretricibus ſubditus, nuptiis inſidiatur; jucundiores inquiens amores eſſe, qui cum periculo habentur. *lib. Apollonii* 5. *cap* 10.

Procopius Sophiſta: Veſtris literis acceptis magno gaudio ſum affectus. Cum autem in eas opus producere vellem, non habui miniſtrantem promptitudini facultatem. Cauſſam verò non ego fortunam dixerim, & præſertim apud vos, ſed omnino Dei providentiam, quæ pro libito omnia noſtra regit & gubernat. *Epiſt.* 1.

Simocatta: Etiã Poeſeos ludicra plena ſunt omni ſapientiæ genere. Cera ſocios Ulyſſis aures obturaſſe dicit Homerus, cum navibus ad luxurioſas Sirenes deducerentur, Ulyſſem verò ſe vinculis ligaſſe, quaſi in carcere aliquo, unde non patet aditus. Sub fabula explicantur philoſophiæ myſteria. Sirenas enim exiſtimo turpes voluptates Poeſin fingere, atq; admiror Homerum ſupra modum, conferentem rebus veritatem, & Cyceonem nectare ſuaviorem noſtris auribus immiſcentem, quaſi aqua mendacio, vinum fortiſſimum quoddam veritatem temperantem. Sic enim neq; figmentis decipimur, neq; difficili rerum comprehenſione animum defatigamus. Itaq; cera quidem imperitiam, vinculis autem philoſophiam oſtendit. Hinc Ulyſſem ſolum dulciſſimas cantiones audiẽtem introducit ac vinculis cupiditatem reprimere. Malorum enim declaratio eſt philoſophica virtus. Diceſſio verò à voluptatibus, id philoſophiæ partum è certamine trophæum eſt. Quoniam igitur, Antimache, Ulyſſis errorum præſens vita imago eſt, & in mari tumultuum ac perturbationum, homo miſer circumnavigat, & Sirenicarum nos voluptatum circumeunt figuræ, & inſtar ventorum nunc hinc nunc aliunde dominãtur nimium: Penelopes conjugem imitemur, irruptum quoddam virtutum ac divinum vinculum parantes philoſophiam. *Epiſt.* 82.

Baſilius Imperator: Legitimum integrumq; ac verum regem, fili, homines te judicabunt, cum non ſolum ſubditos in manu habebis, ſed voluptatibus etiam omnibus imperabis. Sit ergo tibi corona quidem pro ſigno externo imperii, ſed coronæ ſemper adjuncta ſit comes Juſtitia. Purpura bene veſtieris, ſi temperantia omnibus & dictis & factis tuis efflorebit. Calcei rubri decenter pedes tuos exornabunt, ſi in ipſis ſuperbiæ faſtum pedibus calcabis: illa enim momentanei imperii tibi notas & ſigna adhibebunt: iſta verò ab æterno ſupplicio defendent, & immortalitatis regno donabunt. *Cap.* 63.

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Etiamſi brevis, tamen eſt grata voluptas. *Declamat.* 247. *fine.*

¶ POETARUM.

Plautus Aſinariæ 3. ſc. 3. v. 51.

Non omnia eadem aquè omnibus, here, ſuavia eſſe ſcito.
Vobis eſt ſuave amantibus complexos fabulari.
Ego complexum hujus nil moror; meum autem hic aſpernatur.

Plautus Bacchid. 5. ſc. 2. v. 72

—— Non tibi venit in mentem, amabo, ſi dum vivas
Tibi benefacias, jam pol id quidem haud per longinquum?
Neq; ſi id hodie amiſeris, poſt in morte id eventurum eſſe unquam?

Plautus Mercat. 2. ſc. 3. v. 33.

—— Vbi
Voluptatem ægritudo vincat, quid ibi ineſt amœni?

Plautus Pœnulo. 5. ſc. 4. v. 90.

—— Nunc ego ſum fortunatus:
Multorum annorum miſerias nunc hac voluptate ſedo.
A. Vix hoc videmur credere.

Plautus Pſeudoli prologo v. 20.

Vbi lepos, joci, riſus, vinum, ebrietas decent,
Gratia, decor, hilaritas atque delectatio:
Qui quærit alia, is malum videtur quærere.

Terentius Andriæ 4. ſc. 3. principio.

Nilne eſſe proprium cuiquam? Dii veſtram fidem!
Summum bonum eſſe heræ putabam hunc Pamphilum;
Amicum, amatorem, virum, in quovis loco
Paratum. verum, ex eo nunc miſera quem capit
Dolorem? facile hic plus mali eſt, quam illic boni.

Terentius Andriæ 5. ſc. 5.

Ego vitam Deorum propterea ſempiternam eſſe arbitror,
Quod voluptates eorũ propriæ ſunt. nã mihi immortalitas
Parta eſt, ſi nulla huic ægritudo gaudio interceſſerit.

Terentius Phorm. 1. ſc. 3.

Vtinam ne Phormioni id ſuadere in mentem incidiſſet,
Neu me cupidũ eò impuliſſet, quod mihi principiũ eſt mali
Non potitus eſſem: fuiſſet tum mihi illos ægrè aliquot dies,
At non quotidiana cura angeret animum.

Auſonius ad Gallam ſeneſc. Epigr. 13.

Dicebam tibi, Galla, ſeneſcimus, effugit ætas.
Vtere rene tuo; caſta puella, anus eſt.
Sprevisti. obrepſit non intellecta ſenectus.
Nec revocare potes qui periere dies.
Nunc piget, & quereris, quod non aut iſta voluntas
Tunc fuit, aut non eſt nunc ea forma tibi.
Da tamen amplexus, oblitaq; gaudia junge.
Da fruar, etſi non quod volo, quod volui.

Claudianus in Sirenas.

Dulce malum pelago Siren, volucreſq; puellæ,
Scyllæos inter fremitus, avidamq; Charybdim,
Muſica ſaxa fretis habitabant dulcia monſtra.
Blanda pericla maris; terror quoque gratus in undis.
Delatis licet huc incumberet aura carinis,
Impleſſentq; ſinus venti de puppe ferentes,
Figebat vox una ratem: nec tendere curſum:
Delectabat iter reditus, odiumque juvabat:
Nec dolor ullus erat: mortem dabat ipſa voluptas.

Guntherus lib. 1. v. 602.

Non tamen in tanto rerum ſplendore locatus,
Vſque adeo nulla eſt, homini ſincera voluptas,
Gaudia plena capit tranquillo pectore Rector.

¶ APOLOGORUM.

Æſopi Fabula Leonis & Virginis: Leo quidem amabat virginẽ; conventoq; puellæ patre, petiit ut ſibi puellam nuptum daret. Veritus autem pater denegare, rogavit leonem ut cum dentibus etiam ungues deponeret, ne inde, inquit, puella terreatur. Leo præ amore perſuaſus, exarmatus venit: qui cum veniſſet, ad necem uſque fuſtibus verberatus eſt.

De Heremitã virgine ægrotante. Fab. 29.

Inſitum eſt à natura omnium animalium generi, ut rei venereæ libidine incitẽtur, à quaſi qui homines qui corvo albo rariores ſunt, ſe abſtinere volunt, ſæpe in graves morbos incidere ſolent. Quidam igitur heremita ab ipſa adoleſcentia ita titillationes carnis evicerat, ut uſq; ad quintum & vicisimum ætatis annum virgo permaneret. Cum autem in eam ætatem graviſſime ægrotare cœpiſſet, Medici nullum aliud ſalutis ejus remedium ſe invenire dicebant, niſi ut cum aliqua muliere coiret. Diu heremita recuſavit, mori ſe potius velle dicens, quam virginitatem, rem tam præclaram, & Deo maxime gratam amittere. Aſſueti enim virtutibus, ægrè illas diſcedere à ſe patiuntur. Victus tandem precibus & cupiditate vitæ, qua nihil homini ſanæ mentis dulcius eſt, adductæ ſibi mulieris infuſus gremio, placidum petivit per membra ſoporem. Experrectus autẽ vehementer angebatur, & tantam vim lachrymarum effundebat, ut omnes qui aderant, illius miſererentur. Quiſq; igitur eum ſolari, & ut bono animo eſſet, hortari, quoniam Deus clementiſſimus pater ei ignoſceret, quia non voluptatis, ſed recuperandæ ſanitatis cauſa opus tale patraſſet. At ego, inquit, iſtud non fleo, ſed quod tantam dulcedinem citius expertus non ſum.

Hac indicat fabula, humanam naturam adeò peccatorum illecebris delectari, ut vitiorum voluptatem facile virtutum amaritudini anteponat. L. Abstemius.

¶ Emblematum.

Batillius X.
Dulci & amaro temperata vita.

Esse neget grato quis Punica mala sapore?
Ille acidus tamen est asperiorque sapor.
Mortalis vita nulla est sincera voluptas,
Implicat huic aliquis seque subinde dolor.

Batillius 160.
Maxima victoria victa voluptas.

Maxima cunctarum Victoria victa voluptas,
Inclita nec virtus altius ire potest.
Herculis eximiis laus summa è laudibus ista est,
Terrigenam potuit qui superare Libyn,
Et presso validus procul à tellure lacertis
Eripere altricis sic alimenta sua.
Par erit Alcidæ, qui pectoris Anthea vincet
Ipse sui: Affectus & Ratione premet.

Batillius 151,
Sirenes voluptatum.

Sirenum voces, cithara dum personat Orpheus,
Argolicum surda præterit aure ratis:
Quo tibi tuta magis peragatur vita, voluptas
Pessima Sirenum defugienda tibi est.

Batillius 162.
Voluptatum servi omnium abjectissimi.

Quam malè conveniant, & in una sede morentur
Et Virtus & Amor, picta tabella docet,
Ille fatigata tandem qui jussa noverca
Vicerat, axem humeris sustuleratque suis.
En quantum Alcidê Alcides mutatus ab illo
Dedecorat turpi facta priora notâ!
Cui veteres cultus pharetræ, spoliumq; leonis
Et posita ante pedes ferrea clava jacet.
Cui levis hirsutum circundat fascia pectus,
Compositasque premit Lydia mitra comas,
Mæonidis domina incingit quem zona puella
Nec calathum ferre aut carpere pensa pudet.

Batillius. 163.
Blanda quidem vultu, sed quâ non tetrior ulla est.

Prima hominis facies & pulchro corpore virgo,
Sed quæ pube canes inguinibusq; premit,
Ac nuda è Siculis exertans ora latebris
Illectas naves in vada cæca trahit.
Talia deformi calata sub inguine Phrynes
Monstra canum, illecebræ blanditiæque latent.
Eripite ô Iuvenes, validisque insurgite remis,
Atque alia vobis cymba feratur aquâ.

Camerarius 37. Centur. 2.
Allicit ut perimat.

Luxuriem juvenes malefidos spernite amores,
Nam necat illectus Pardus odore feras.

Camerarius 80. Centur. 2.
Versutior errat. Mustela cui caput in ore bufonis.

Cætera qui vincis, tibi cur dominata voluptas
Te haud improvisum mergit in exitium?

Camerarius 95. Centur. 3.
Purus ut erumpam. Bombyx ovo erumpens.

Cæca voluptatum, ô juvenes, abrumpite vincla,
Libera erunt vestra his pectora vindiciis.

Camerarius 97. Centur. 3.
Brevis & damnosa voluptas. Cornix circa lucernam.

Qui circum volitat deceptus amoris ad ignes,
Nunquid naturam papilionis habet?

Camerarius 29. Centur. 4.
Vltro se volvere capi. Pisces arundine capti.

Dum capimus, capimur, si linquimus, haud capiemur,
Instructas vitat, qui sapit, insidias.

Camerarius 48. Centur. 4.
Empta dolore voluptas.

Nemo voluptatum facile hamis se explicat, ustam
Vt testudo nequit mergere sole cutim.

Jac. Catsius Emblemate sacro 11.
Pœna comes sceleris.

Ah, quoties falsa nos ludit imaginis error!
Mus sibi dum fingit prandia, carcer adest.
Et vorat & capitur, nec erit mihi dicere promptum,
Quid prius eveniat, num sapor, anne dolor.
Mus, peccator homo est: quisquis mala gaudia carpit
Corpore, quod pectus mordeat intus habet.
Pœna voluptatis comes est, dolor ipsa voluptas.
Impurus nunquam gaudia pura tulit.

Catsius Emblemate Sacro 36.
Surgite & orate.

Fronde super viridi, radiis tepefactus Eois
Otio dum serpens desidiosus agit,
Ex alto tenui se librat Aranea filo,
Et colubrum parva cuspide fundit humi.
Otia virus habent, & habet sors læta venenum.
Deliciis vitiis mentis aperta via est.
Sperne voluptatum illecebras, puer, otia sperne,
Hoste sub aerioni cecidisse velis.

Sardanapalus inter pellices. Embl. 8.

Imbelli digito dum carpis fila, columque,
Fœmineos inter Sardanapale greges,
Servus es infamis; Quid enim servilius illo,
Quem premet imperiis fœda libido suis.

Flor. Schonhovius.

Voluptatis prœmium. Emblem. 47.

Cum coit, & dulci Veneris jacet ebria motu
Vipera, detruncat insidiosa marem:
Hoc Venus omnis habet, primo sua gaudia fundit
Postmodò sed stimulis corda fruentis agit.

Flor. Schonhovius.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

Evagrius: Voluptati, inquit, quæ jam quasi in manibus est, nullus terminatus modus: sed ex ea quidem alia atq; alia usq; adeo incenditur, ortumq; habet, quoad aliquis vel ita sibi imperare aggrediatur, uti totum voluptatum imperium abs se penitus repellat, deque cætero regno potiatur ille ipse, vel earum tyrannide oppressus ad extremum usq; spiritum illis inserviens, tandem ad inferos miser detrudatur. *Evagr. hist Eccl. lib. 3. cap. 1.*

Anonymus: Ægyptius quidam monachus interrogatus, Cur adeò se omnib. corporis voluptatib subtraheret? respondit, ut hac ratione omnem iræ causam & rationem præcidam. Ira quippe ut de voluptatibus certans accenditur, ita voluptatem suppressione sopitur. *Niceph. lib. 11. Eccl. hist. cap. 43. ex Euagrio.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Ludovicus XII. Gall. Rex. Veluti turpe admodum, meretricem in nobilium matronarum cœtum; ita in virtutum concilium Voluptatem adducere, indecorum. est enim ea cum quadam lubrica suavitate ad illicita fœdæ mentis inclinatio. Pulchrè igitur Ludovicus Rex, dum intellexisset nobilem quemdam ob puellam Neapolitanam deperire; *Gravis*, dicebat, *Tyrannis est voluptas, quæ ea demum concupiscit, quorum est copia angustior.*

——— Vsque adeo nulla est syncera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis intervenit.

P. Æmil. in Vita.

Petrus Aldobrandinus Card. Quid expectatis à præclaro illo viro? Interrogatus quandoq;, quænam Religioni pestis acerbior infligi posset; respondit: *Voluptate nulla atrocior.* Facit enim voluptatum illecebra, ut Religionis lumen obtenebretur. *Henr. Farnes. supra.*

Thomas Morus: Ruminabat ille toto vitæ suæ tempore, ut auctor est T. Staplut. *Nulla est animi peior affectio, quam ea re delectari, quæ nisi peccando obtineri non potest.* Insinuans mundi voluptates noxias, & possessores in peccati servitutē trahere. Idem convenienti Emblemate expressit Georg. Sabinus, dum ita canit:

Cum puer alueolo furatur mella cupido,
Furanti digitum cuspide fixit apis.
Sic etiam nobis est brevis & peritura voluptas
Quam petimus, tristi mista dolore nocet.

¶ Monosticha Trochaica.

A voluptate occupatus, vivit infeliciter.
Abrumpit mediam voluptas vitam & adolescentibus.
Ad recedentem voluptatem aspice, haud ubi advenit.
Adjuvat voluptates opum superfluentia.
Ah voluptati servire unáque publico nequis.
Certior nulla est voluptas, quam quæ jam eripi nequit.
Cui bono est summo voluptas, est magis pecus quam homo.
Cuique plus Dii dolorum, quam voluptatum oggerunt.
Cum palpat, sævit voluptas, cum blanditur, enecat.
Cum voluptate haud eadem sede Virtus permanet.
De voluptate ardua est, sed rarior victoria.
Ebrius voluptate, ad se vix redit jam mortuus.
Esca cuilibet voluptas est malorum, ah, omnium.
Est comes dolor voluptati, est comes molestia.
Est datus dolor ac voluptas pro clave mortalibus.
Est voluptas intuenda tunc cum abit, non cum venit.
Est voluptas sed crudelis, hominum quæ fit è malis.
Est voluptatum, clientes acri ut œstro agant suos.
Ex visu ac factu voluptas, omnium fœdissima est.
Falsa hominem ferè voluptas verum ductat ad malum.
Grata ibi non est voluptas, regnum ubi virtus tenet.
Grata nemini voluptas quæ dolore empta est mero.
Hamus ut pisces, voluptas sic homullos abripit.

Haud summum bonum est voluptas: imo ne quidem est bonum.
Hominem amplectitur Voluptas, verũ ut inde strangulet.
Iis odio solum est voluptas ubi ea qui non queunt.
Imperat cunctis Voluptas qui vident solis jubar.
Improbum tam nil est cui non & voluptas sit sua.
In voluptatum fuga, ingens est voluptatum seges.
In voluptate, haud voluptas est diu durabilis.
Intuenda fronte non est, verùm a tergo volupia est.
Invictus labore vinci ipsa à voluptate an potest?
Literatorum voluptas est humana, alia suum.
Longior voluptatum memoria, quam præsentia est.
Maxima est probo voluptas in voluptatum fuga.
Maxima omnium voluptas nil voluptatum in se habet.
Maximam sui voluptas partem habet ipso ex corpore.
Memoriam voluptatum aufert, præ manu molestia.
Ne voluptates quidem inter cessat à scelere improbus.
Nec sibi alterive prodest cui voluptas imperat.
Nemini voluptas unquam profuit, multis obfuit.
Non est virtutis voluptas præmium, est accessio.
Non summum bonum est voluptas, summum imo potiùs malum est.
Nulla certior est voluptas, quam quæ jam eripi nequit.
Nulla maior est voluptas, quam voluptate haud capi.
Nulla maior est voluptas quam voluptate haud frui.
Nulla major est voluptas, quam voluptatum in fuga.
Nulla sincera est voluptas: felq; melli intervenit.
Nulla tam fœda est voluptas fautor absit cui suus.
Peius à voluptate omni quam dolore vincimur.
Pluribus cura est voluptas: rarus instat utili.
Publica adfluit voluptas si exulat Palatiis.
Qui fugit voluptatem, agmen hostium invictum fugit.
Qui voluptati dominatur vitam agit feliciter.
Quis voluptatem rejectat, quis rejectat gloriam?
Quo diutius voluptas durat hoc est suavior.
Quo mage indulgens voluptati hoc fit effrenatior.
Regnum ubi obtinet voluptas, nullo ibi Virtus loco est.
Sola germana est voluptas ad sapientem quæ venit.
Spe voluptatis futuræ præsentem spernit canis.
Spectat ad finem voluptas dum incipit, rosa modo.
Suavior nulla est voluptas quam venit quæ ex arduo.
Tam malũ ingens est voluptas, quã virtus ingens bonũ est.
Temperat animos voluptas rara, dissolvit frequens.
Tollitur statim omne natum, si voluptas tollitur.
Vincit & suos Voluptas, vinculis sed floreis.
Vivere ut capit voluptas, vera vita mortua est.
Vix voluptas est quæ abit venitque more fulminis.
Vllane est voluptas quin simul ut venit statim avolet?
Voce Voluptatem accusamus: animo colimus maximè.
Vt cito floret voluptas sic cito fit marcida.

§ JAMBICA.

Absit voluptas omnis quam excipit dolor.
Brevis voluptas, longa pœnitentia est.
Carnis voluptas omne per nefas ruit.
Cave volupiam, à sanitate separat.
Consorte quæ caret voluptas, mutila est.
Cui voluptas cara, ventrem habet Deum.
Curam voluptas nulla unquam gravem effugit.
Etiam sua est rebus voluptas bellicis.
Etiam voluptas calamitatis fit parens.
Etiam voluptas sæva ingenia ad se rapit.
Finis voluptatem improbat, curam approbat.
Franget voluptas, arma quem non vicerant.
Frangit voluptas omne robur corporis.
Homines voluptas plus facit quam cereos.
Injusta voluptas fine acerbo clauditur.
Laxat voluptas modica animum, non temperat.
Malum est voluptas magnum adæque quam dolor.
Morbus voluptates non tollit, excitat.
Nil est voluptas quam furens canicula.
Nocet voluptas quæ fit tempore haud suo.
Non est ibi voluptas, est ubi timor.
Non sit lætitia, item voluptas est bonum.
Nulla est voluptas absque rerum opulentia.
Nulla est voluptas cui comes non sit dolor.
Nulla est voluptas quæ satiari non queat.
Nulli est voluptas pura, quam post funera.
Pecoris voluptas certè, non hominis bonum est.
Quam minimo pretio fac voluptatem expleas.
Quam multa sunt quæ per voluptatem necant!
Quid est voluptas, præterquam umbra & somnium?
Quo maior hoc & est voluptas turpior.
Regnum voluptas mutat in tyrannidem.
Semper famem voluptas magnam habet sui.
Semper voluptas magnam habem famem sui.
Turpe est senescere saxa apud Sirenia.
Turpis voluptas est, cuius post pœnitet.
Vbi est voluptas, cura ibi asseclas agunt.
Vbi voluptas regnat, Virtus servula est.
Vicisse voluptatem est voluptas maxima.
Vita voluptatem, est parens molestiæ.
Vsus voluptatem illecebrat rarior.

Voti.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D*io Chrysostomus*: Magnum quoddam est & salutare bonũ, votum atq; euche, animarumq; nostrarum firma custodia, tutissimumq; præsidium: sed ita demũ si dignè vixerimus, neq; nos per mala opera omni merito ac virtute privemus. Nam quæ à Deo consequi volumus, ea prius proximis debemus impendere.

S. Isidorus Pelusiota: Deo munus minimè promisisse, periculo vacat. cum verò aliquid voveris, id minimè præstare, condemnatione dignum est. *Epist.* 461. *lib.* 1.

§ LATINORUM.

S. Valerianus: Infinitum est, quid beneficia gratiæ capiant, si ante diem creditorem suum debitor solutione præveniat. Quicunq; autem commodatam pecuniam ultrò reddiderit, sibi reponit. non difficile enim homo cùm opus fuerit quodlibet impetrat, si fœneratori suo celeri satisfactione respondit. ille verò quem perfidia arguit, semper creditoris sui januam clausam invenit, & quamvis frequenter pulset ac supplicet, tristis & vacuus cum increpatione recedit. Si ergo homo homini mentiendo adversum se odia excitat, quanto magis si Deo fallat, & cælestis majestatis Dominum lubrica promissione decipiat? Hæc præposuimus, quia solent aliquanti imminentibus periculis ita animorum vota componere, ut accedente tempore obliviscantur, se aliquid Domino promisisse. hic hostiam corporis sui offert: ille pœnitentiæ lacrimas repromittit: alius in amore Ecclesiarum: alius in honore Sanctorum voti reus extitit.

Sed ista tam facile est promittere quam negare: circa quos tamdiu durat spes devotionis implendæ, quamdiu dolor sentitur in capite. ita paulatim cõsuescit promissa denegare, postquam mortem cœperit non timere. Et miramur quare aliquoties Dominus undantibus lacrimis tam tarde respondeat, neq; exaudiat supplicantium voces justis doloribus servientes. Miramur quare non sollicito agricolæ lætior se solito cultura componat? quare non fœcundo cespite multiplex spica parturiat? quare non pingues oleæ exhibeant pretiora commercia? quare non plenis torcularib. sudet copiosa vindemia? nemo hic terræ imputet, nemo intemperiem aëris accuset. manus arida nihil colligit, aut si collegerit, mox amittit. infructuosi agricolæ semper vacua & otiosa sunt horrea. nam & inde descendit, quod aliquoties non invenit medicina quos sanet. Difficile est ut medicus manum fideliter accommodet, quem frequenter languẽtis promissio vana destituit. Ecce hic filii infirmitate suspirat, & sanctorũ januas die nocteque precibus inquietat. hæc mariti, ille uxoris suæ valetudine afflictus secretum pectoris sui pulsat, & flebili oratione auxilium cœlestis miserationis implorat, se suumq; munus Deo offerens. sed ista succedentibus votis videmus aliquoties universa subitò animum excedere; ut æstimes miseros oblivionis magis bibisse poculum, non salutis. ita non semper fallacibus votis profutura respondent. Quando autem est, ut beneficium inveniat qui debitum non reportat? Non potest fieri ne aliquando suæ perfidiæ pœnas luat, qui inanibus verbis patientiam judicis frequenter illuserit. Inde est quod otiosis Dei auribus hominum preces evanescunt, nec habet effectum intercessio lacrimarum: quia difficile est ut exaudiantur, quo Deo suo frequenter vana promissione blandiuntur. Beati apud quos manet fides placiti, & nullum studium mentiendi. Melius est profectò non promittere quam promissa fraudare: ubi quamvis homo inhumanitatis notetur culpa, nulla tamen subdolæ circumventionis gravatur injuria. *Homil.* 4. *de promissis non redditis.*

S. Valerianus: Vota mea Domino reddam in atriis domus domini. Obligatus legitima debiti est sine dubio pactione, qui cõvincitur Domino aliquid promisisse. qui autem redditurum se loquitur, necessariò debitum confitetur. Tam diu enim juris tui est patrimonium tuum quamdiu chirographi fide alteri non fuerit obligatum. In omni itaq; placito sive quod amicitia obtulerit, sive quod voluntas adscripserit, non lentanda redhibitio. nam omnis oblati muneris gratia perit, ubi caussa repetitionis incumbit. ita, nihil suis votis præstitit cui necesse est invito reddere quod promisit. *Homilia* 4.

Idem eadem Homil. Vovete & reddite Deo vestro munera. In hoc loco caussam magnificentiæ non importunè prosequitur, quia testimoniis competentibus admonemur, si quidem infructuosis hominibus acquiescamus, ut ista vox adfectum indicet postulãtis. Numquid à te Deus ideo aliquid requirit quia illi desit? quid autem non habet qui totum possidet? Numquid quia in tribulationibus tuis promittis aurum, aut in doloribus polliceris

argen-

argentum, Dei usibus necessarium est? aut ideo aliquis pretiosos lapides, aut vestes offert, quia his Deus indiget? ob hoc à te tuum munus quæritur, ut ipse fulgeas tuo auro, ipse tuo niteas argento, ipse tuis gemmis orneris, ipse tuo serico vestiaris. tuis donis tuam vult Dominus animam componi, quam videt aut superbiæ, aut nequitiæ, aut avaritiæ, aut luxuriæ vitio depravatam.

Ennodius: Nefas est hominem uno eodemque tempore universa optata promereri. *lib.* 1. *Epist.* 5. *m.*

Ennodius: Potest optare quis alteri, quod ipse jam perdidit. *Apolog. pro Synodo.*

Ennodius: Deum tota mentis intentione mundis tenete visceribus, & circa vos precum frequentatione mulcete: nullis ab eo animarum fornicationibus, nulla transactione deducti. Fovete etiam proximos, quos facit naturale collegium; & ne quod vobis factum dolori esset, vos fecisse gaudeatis. Hujus boni fructus est, quidquid optatur. *paranesi didascalica pr.*

Ennodius: Avara sunt vota diligentum. *Dict.* 8. *f.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Xenophon: At Socrates non solum ita se gerebat ipse, sed etiam alios, ut idem facerent, cohortabatur. Quòd si qui aliter facerent, eos & superstitiosos, & vanos homines esse censebat. Precabatur etiã deos simpliciter, ut bona largirentur: quod dii optime scirent, cujusmodi res essent bonæ. At qui aurum, vel argentum, vel tyrannidem, vel quid aliud hujusmodi à diis peterent: non dissimile quid petere putabat, quam si aleam, vel prœlium, vel quid aliud earum rerum peterent, quæ omnino sunt obscure, cujusmodi sint eventum habituræ. *lib.* 1. *cap.* 17. *Memorabil.*

Epictetus: Ne postules ea quæ fiunt, arbitratu tuo fieri; sed si sapis, ita fieri quæque velis, ut fiunt. Morbus est corporis impedimentum, instituti non item, nisi ipse velis. claudicatio pedis est impedimentum, instituti non item. Quod si singulis in rebus, quæ incidunt consideraris; invenies eas alterius cujuspiam rei, non tui, esse impedimentum. *cap.* 13. *Enchiridij.*

Aristides Sophista: Nunc demum re vera cognosco me in summo versatum esse discrimine, nec fuisse præ maris tempestate mentis compotem, qui ea voverim, quæ nec facile persolvere, nec citra temeritatem aggredi possim, dum Jovi hymnum me dicturum pollicebar. *initio Orationis Hymni in Iovem.*

Aristides Orator: Solent plerique qui terra marive iter faciunt, quod cuique visum fuerit vovere: adeo ut poëta quidam per jocum, thus auricorne vovisse se dixerit. *principio Encomii Romæ.*

Aristides Rhetor: Aliis Principibus metus cives conciliat: verum pro his vota publicè & gratiarum actiones ab omnibus, non officii modo caussa, sed ex animo sincerissimo fiunt. *Oratione Panegyrica Cyzicena.*

Lucianus Lycinus: Annon dicebam quod pridianum cadaver in propatulo positum vultures citiùs lateret, quàm novum aliquod spectaculum, Timolaum, etiamsi uno spiritu Corinthum illi esset curriculo abeundum? propterea spectaculorum es amans, & ad talia impiger. *Timolaus.* Quidnam me vacantem, agere oportebat Lycine, cum audivissem navim supra modum ingentem in Piræum appulsam esse, unam videlicet earum quibus ex Ægyto in Italiam frumentum importari solet? Existimo autem & vos, cum te, tum hunc Samippum, non aliam ob causam ex urbe huc esse profectos, quam ut navigium hoc videretis. *Lyc.* Per Jovem Adimantus quoque Myrrhinusius comes veniebat: sed nescio ubinam ille nunc sit, in multitudine spectatorum errans. Nam ad navim usque venimus unà, in quam quum ascenderimus, tu quidem Samippe præibas, & sequebatur Adimantus: deinde ego illum, manibus ambabus apprehensum. Atque ille me per totas schalas manu ducens transmisit calceatũ ipse discalceatus. Sed ab eo tempore ipsum non vidi amplius, neque intus, nec postquam descendimus. *Sam.* Scis Lycine, ubi nos reliquit, puta quando formosus ille adolescẽs ex domicilio prodivit, puro amiculo indutus, religata à tergo coma, ad utramque frontis partem reducta. Proinde si Adimantum bene novi, arbitror illum conspecto tam venusto spectaculo, ei pro more lachrymantem astitisse, cùm in lachrymas ad res amatorias sit propensus: & Aegyptio illi navis fabricatori, navim circumagenti longum vale dixisse. *Lyc.* Atqui non adeò formosus, Samippe, adolescens ille mihi est visus. Adimantum percellere potuerit, quem Athenis tot formosi sectantur, ingenui omnes, loquendo garruli, & palæstram spirantes: quibus etiam illachrymari non est ignavum. Hic autem præterquam quod colore fusco est, habet etiam prominentia labia, nimiúmque gracilia crura: loquitúrque dissolutum, & incompositum quiddam, continuatis ac volubilibus verbis, Græcè quidem, sed ad patrium morem concitato strepitu, & inflexo vocis accentu. Porrò coma, atque ille à tergo convolutus capillus, haudquaquam liberum esse, ipsum arguit. *Timol.* Hoc quidẽ Lycine, coma videlicet, Aegytiæ nobilitatis est signũ. Omnes enim ingenui pueri eam religant. Et ad pubertatem usque majores nostri Pallenenses, quibus decorum videbatur ut senes comam nutrirent, redimiti crobyllo sub aurea cicada religato *Sam.* Rectè quidem Timolae Thucydidis commentarios nobis in memoriam revocas: quæ ille de veteri nostra luxuria in prœmio dixit in Jonibus, quando tum illi simul in coloniam missi fuerunt. *Timo.* At nunc demum in mentem mihi venit Samippe, ubi Adimantum reliquerimus, quando videlicet diu stetimus ad malũ sursum spectantes, coria alia alijs super imposita numerantes, & nautam admirantes per funes ascendentem, deinde per antennã supernè tuto currentem, cornibus antenarum apprehensis. *Sam.* Rectè dicis: quid igitur facto hîc opus? utrum hîc expectemus ipsum, an vis ut ad navim abeam iterum. *Tim.* Nequaquam: sed pergamus. Nam verisimile est illum jam præteriisse, in urbem sese recipientẽ, postquam nos non amplius invenire potuit. Sin minus, viam novit Adimantus, neque metuendum est, ne à tergo relictus, à nobis seducatur. *Lyc.* At videte ne inhumanum sit relicto amico abire. Eamus tamen si Samippo quoq; videtur. *Sam.* Etiam videtur, si fortè apertam adhuc palæstram deprehendere poterimus. Sed inter loquendum, quanta navis, viginti & centum cupitorum longitudine, ajebat navis fabricator, latitudine verò supra quartam maximè hujus partem: tum à summis foris ad fundum usque, quà profundissima est, juxta sentinã, novẽ & viginti cubitos alta. Præterea quantus malus, quantum erigit antennã, quali rudente uritur, & astringitur. Ut vero puppis paulatim assurgit inflexa, imposito aureo anserculo: è regione autẽ æqua proportione prora prominet, in anteriorem partem longè porrecta, cognominẽ navi Deã Isidem utrinq; habens. Cætera enim ornamenta, picturæ, veli parasium flammeũ, & ante hæc, anchoræ, vertendi, & circumagendi instrumenta, & illæ post puppim habitationes, omnia admiranda mihi sunt visa. Jam & nautarum multitudo cum exercitu comparari posset. Dicebatur a. tantum frumenti ducere, quantum in annuum victum omnibus Atticæ incolis sufficeret. Atq; hæc omnia parvus quidam humuncio senex jam, conservabat, tenui pertica tanta gubernacula circumagens. Nam mihi monstratus fuit calvaster quidam crispus, Heron opinor nomine. *Tim.* Ille in arte sua mirabilis, ut navigantes ajebãt, & rerum marinarum Proteo peritior. Audistis autem quo pacto navem huc appulerit? qualia navigantibus acciderint, aut ut ipsos stella servarit? *Lyc.* Nequaquam Timolaë: sed nunc id libenter ex te audierimus. *Tim.* Narravit mihi nauclerus ipse, homo probus, & colloquio benignus. Ajebat a. cum à Pharo solvissent, flatu non admodum vehementi, septimo die Acamantem vidisse. Exinde zephyro ex adverso spirante, trãsversos abreptos fuisse ad Sidonem usque. Inde a. tempestate magna jactatos, per angustias illas ad Chelidoneas pervenisse die decima, ubi parum abfuit quin omnes submergerentur. Novi a. ipse qui Chelidoneas aliquando sum prætervectus, quanti se eo loci attollant fluctus, & maximè flante Africo, quando & Austri partem assumpserit. Nam ab eo loco contingit Pamphilum mare à Lycio dividi: & fluctus ipsi utpote multis undis, circa promontorium illud velut intersecti (præruptæ a. & acutæ sunt rupes, & incursionibus aquarũ acuminatæ) & procellas excitant terribiliores & fragorem magnum: ac fluctus plerunque æquè magnus est ac ipse scopulus. At talia se deprehendisse dicebat nauclerus, cum adhuc nox esset, & caligo profunda: sed Deos gemitibus ipsorum flexos, & ignem à Lycia ostendisse, ut locum illum agnoscerent: & stellam quandã splendidam, Dioscurorum videlicet alterum, in carchesio consedisse, navimque ad sinistram in altum iterum direxisse, cum jam in præceps ferretur. Atque ex eo cum jã semel à recta via excidissent, per Aegæum navigantes, septuagesimo die, quàm ab Aegypto solverant, adversus etesias, per obliquum, & transversè actos in Piræum heri appulsos esse, tantũ in partẽ inferiorem abreptos: quos conveniebat Creta ad dextram relicta, supra Maleam navigantes, jam in Italia esse. *Lyc.* Per Jovem mirabilem dicis gubernatorem Heronem, vel Nereo coætaneum, qui tantum à via aberrarit. Sed quid hoc? an ille est Adimantus? *Tim.* Omnino Adimantus ipse. Vocemus hominem. Adimante, te dico Mirrhynusium, Strobichi filiũ. *Lyc.* Ex duobus alterum illi accidit: aut enim nobis est infẽsus, aut obsurduit. Nam omnino Adimantus ille est, neque alius quisquam. Jam admodum plane video: cum pallium ipsius est, tũ incensus; & abrasa ad cutem coma. Gressum tamen acceleremus, ut eum assequamur. Nisi veste apprehensum te convertamus, Adimante, nos inclamantes non audiveris? At etiam cogitabundus videris, rem non exiguam, neque parvi momenti cogitatione volutans. *Adim.* Nihil grave Lycine: sed nova quædã cogitatio, quæ inter eundum, mihi in mentem venit, ut ne vos audirem, fecit, dũ intentè, ac tota mente in illam incumbo. *Lyc.* Quænam ista est? Nec n. graveris dicere, nisi id sit aliquid plane arcani. Atqui initiati sum⁹, ut scis, & celare didicimus. *Adim.* At pudet me vobis dicere: adeò juvenile vobis videbitur id quod nunc cogito. *Lyc.* Num amatorium quiddam est? Neque enim hoc profanis nobis narrabis, sed & ipsis splendida face lustratis. *Adim.* Nihil, ô præclare, istiusmodi: sed opulentiam quandam mihi ipsi affingebam: quam inanem felicitatem vulgus appellat: & mihi in summa vi opum & deliciarum versanti, supervenistis. *Lyc.* Proinde illud quod omnibus est in ore, Cõmunis Mercurius inquiunt: & in medio has opes depone. Aequũ n. est nos quoque parte aliqua frui voluptatũ Adimanti, amici cum simus. *Adim.* Relictus sum à vobis ubi primum in navim conscendimus, postquã te Lycine in tuto collocassem. Nã cum anchoræ magnitudinẽ metirer, nescio quo à me discessistis. Omnibus tamen perlustratis, quendã ex nautis interrogavi quantũ lucri hæc navis in singulos annos domino referret ut plurimũ. Ille autẽ, duodecim, inquit, Attica talenta, si quis ad minima usq; supputarit. Exinde igitur rediens mecũ ipse cogitabam, si quis Deorum

rum hanc navem derepente meam esse faceret, quàm beatam vitam agerem, amicis benefaciendo, & in ea ipse interdũ navigando, servos interdum emittendo. Deinde ex duodecimillis talentis, etiam ædes ædificarẽ, in opportuno loco paulum supra Porticum pictam, relicta paterna illa quã juxta Ilissum habeo: & servos, vestes, vehicula, & equos emerem. Ac jã nunc navigabã, & à vectoribus omnibus fœlix prædicabar, & nautis formidãdus, & tantùm non rex existimabar. At tu, dũ ea quæ in navi sunt, compono, & portũ eminus aspicio, superveniẽs Lycine, opulentiã hanc omnẽ mihi submersisti, navẽq; ipsam secũdo voti spiritu labentẽ, subvertisti. *Lyc.* Proinde ô generose, correptũ me abduc hinc ad prętorẽ, veluti piratã aut demersorẽ, ut qui tãti naufragii sim author: idq; in terra, quâ ex Piræo in urbẽ itur. At vide quo solatio tuũ lapsum levabo. Quinq; enim si placet, pulchriora & majora Aegyptio isto navigia jã habe: & quod maximum fuerit, etiam immersabilia: quæ quinquies ex Aegypto quotãnis tibi frumentũ importet. At nunc ô naucleorum præstantissiem, jã nunc præ te fers, quã nobis tũ intolerabilis futurus sis. Nã siquidẽ unius hujus navigii cùm sis dominus, nos exaudire clamãtes noluisti, si præter hoc quinque possideres, tribus velis instructa, & tempestatibus invicta, nempe ne aspiceres quidẽ amicos. Proinde tu quidẽ secũda navigatione utere, vir optime: nos a. in Piræo sedebimus, eos qui vel ex Agypto, vel ex Italia navigabunt, interrogãtes, numquis magnũ illud Adimanti navigium, Isidem puta, norit. *Adim.* Vides, ideo pigebat me dicere, quid animo volevrem, quòd scirẽ fore ut meũ votum risu, & dicacitate prosequeremini. Quare quũ hîc aliquantulũ substitero donec vos progressi fueritis, hinc iterum mea in navi navigabo. Nã multò satius est cum nautis me colloqui, quàm hîc à vobis irrideri. *Lyc.* Nequaquam: nam tecũ illam conscendemus, ipsi etiam subeuntes. *Adim.* At ego ante vos ingressus scalas subtraham. *Lyc.* Proinde nos adnatando sequemur vos. Ne enim putes facile tibi esse tanta navigia possidere, quæ neq; emeris, neq; compegeris. Nos autẽ à Diis non petituros, ut multa stadia possimus indefessi natare. Atqui primùm etiam in Aeginam ad festũ Dianæ scis quàm parva navicula omnes simul amici, datis quisque quatuor obolis trajecerimus: nec tamen ægrè ferebas quòd tecum navigaremus. At nunc indignaris quòd tecum consensuri simus, & scalas antè ingressus subtrahis. Petulãtem agis Adimante, & in sinum non spuis: neque agnoscis, quisnã ipse sis qui navim gubernas. Adeò te sublimem evexit domus ista, in pulcherrimo urbis loco ædificata: & servorũ multitudo. At ô bone per Isidem quæso, etiam Niliaca salsamenta, tenuia ista muneris ex Aegypto huc nobis advehere, ut unguentum à Canopo, aut Ibin ex Memphide: quinetiam, si navis sufficiet, ex pyramidibus unam. *Tim.* Satis jocorum, Lycine. Vides ut erubescere Adimantũ fecisti, cũ adeò multo risu navigium inundaris, ita ut jam sit inexhaustum, nec ei quod influit, amplius resistere queat. Et quoniam adhuc multum nobis viæ restat ad urbem usque, diviso in quatuor partes itinere, suo cuique attributo stadio, postulemus à Diis quæ videbuntur. Ita enim nos laborẽ viæ non percipiemus, simulq; exhilarabimur, perinde ac si in jucundissimũ somnium inciderimus ultro, quod quandiu voluerimus nos beet. Nam penes unumquẽq; sit voti modus, & supponatur Deos omnia concessuros, & si natura sint incredibilia. Quod a. maximũ est, hoc erit specimen ejus qui divitiis & precibus optime sit usurus: indicabit enim qualis foret, si dives evasisset. *Sam.* Recte Timolae, & credo tibi: qúmque tempus vocaverit, optabo quidquid videbitur. Nam si Adimantus vult ne interrogandũ quidem opinor, ut qui in navi alterum pedẽ habeat. Oportet a. etiam Lycino idem videri. *Lyc.* At ditescamus, si hoc satius, ne communi fœlicitati invidere videar. *Adim.* Quis igitur incipiet? *Lyc.* Tu Adimante: deinde secũdo loco hic Samippus, tertio Timolaus: ego verò, paulo ante dimidiũ stadium quod usque ad Dipylum superest, idque quoad fieri potest percurrendo, votũ incipiã. *Adim.* Proinde ego quidẽ neq; nũc à navi discedã sed si modò licet, etiam aliquid voto adjiciã. Mercurius a. quæstuosus ille omnibus annuat. Navigium, & quæ in eo sunt, mea sint omnia, onus, mercatores, mulieres, nautæ, & si quid aliud jucũdissimũ insit ex omnibus facultatibus. *Sam.* Nescis te in navi habere. *Adim.* Puerum istum inquis Samippe, comatum? Ille igitur sit meus. Quantum a. est frumenti, totus granorũ numerus in aurum signatũ convertatur, totidémque Daricos. *Lyc.* Quid hoc Adimante? submergetur tibi navigiũ: non enim idem pondus est tritici, & æqualis numero auri. *Adim.* Ne invidias, Lycine: sed quum ad te pervenerit votum, Parnethem si placet, totã auream facias licet: atque ego tibi tum tacebo. *Lyc.* At ego quò magis in tuto navigares, hoc agebam: ne videlicet omnes unà cum auro periretis. Et quod ad vos attinet mediocriter periclitamini: at formosus ille adolescentulus, suffocabitur miser, cum natare nesciat. *Tim.* Bono sis animo, Lycine: delphines enim ipsum tergo subvehentes, in terram deportabunt. An tu putas citharœdum quempiam ab illis esse servatum, & hanc sui carminis accepisse mercedẽ: deinde & alium quendã puerum mortuum, in Isthmũ à delphine eodem pacto apportatum: Adimanti autẽ servum hunc novitium nullum habiturum delphinẽ amatorem? *Adim.* Etiam tu Timolae imitaris Lycinum, & ingeris dicteria, idque cùm hujus rei sis author. *Tim.* Melius enim esset ut hoc verisimilius fingeres, & thesaurum sub lecto invenisses, ne hoc tibi foret negotii ut ex navi aurum in urbẽ transferres. *Adim.* Rectè dicis. Effodiatur igitur thesaurus sub Mercurio illo marmoreo, qui nobis in aula est, auri videlicet signati mille modii. Statim itaque juxta Hesiodum: primum ædes quàm maxime insignes habitarem: deinde quæ circum urbem sunt, omnia jam coemissem, præterquã quæ in Isthmo, Delphis, & Eleusine sunt: quæ mari adjacẽt, circúmq; Isthmum pauca, certaminũ gratia, siquando ad Isthmia me conferrẽ, & Sicyonium campũ: denique quicquid opacum, irriguum, & fœcundũ in Græcia fuerit, id omne brevi tempore sit Adimanti. Aurum a. concavum nobis sit ex quo cibum capiamus: pocula verò non levia, ut Echecratis illa, sed unumquodque duorum talentorum pondo. *Lyc.* Quo pacto pocillator poculum adeò grave, plenũ tibi porrigat? aut quomodo accipies ab eo sine labore, non scyphum, sed Sisyphium pondus illo tradente? *Adim.* Mi homo ne mihi disturba votum. Ego mensas quoque auri solidi faciã, aureosq; lectos: & ni tacueris, etiam ministros ipsos. *Lyc.* Vide modò, ne quemadmodũ Midæ, ne panis potusque tibi in aurũ convertantur, & ditescendo miser pereas, fame ista pretiosa enectus. *Adim.* Tua igitur veresimilius compones Lycine, quũ postmodũ optare incipies. Vestis adhæc sit purpurea, victus quàm maximè delicatus, somnus, quoad fieri potest, suavissimus: amicorum salutationes, & petitiones: & me vereantur, adorentque omnes: atq; alij quidẽ primo statim mane ad fores sursum ac deorsum obambulẽt. Inter ipsos a. Cleænetus & Democrates viri clari, quibus accedentibus, & ante alios intrò recipi volẽtibus, septẽ janitores adstãtes, ingentes barbari, in frontẽ statim impingant januã, perinde atq; ipsi nunc aliis faciũt. Ego vero, quando visum fuerit, prospiciẽs quemadmodũ sol illorum quidẽ nonnullos, ne aspiciam quidẽ. Si verò pauper quispiã, qualis ego fui ante repertũ thesaurum, illũ humaniter complectar, ac lotũ ad cœnã sub tẽpus venire jubebo. Tũ discruciabuntur isti divites, aspicientes vehicula, equos, pueros que formosos circiter bis mille, ex omni ætate delectos, ut quisque fuerit maximè floridus. Deinde cœnæ in auro appositæ (vile n. argentum, & nihil ad nostrã fortunã) ac salsamentum quidẽ ex Hispania, vinum a. ex Italia: oleum quoq; ex Hispania: mel verò nostras ignis expers, obsonia undequaque allata, sues, lepores, & volatilia quævis, gallina ex Phaside, pavo ex India, & gallus Numidicus. Qui vero singula parãt, sophistæ sint circa bellaria & sapores exercitati. Quòd sicui præbibero, scypho, vel phiala petita qui ebiberit, auferat secũ & poculum. Qui a. nunc sunt divites, præ me Iri, & mendici videãtur omnes. Neq; amplius argenteã quadram, scyphum ve Dionicus in pompa ostẽtabit: & maximè quum servos etiam meos argento tã multo uti videbit. Civitati a. à me hæc seponantur. Pecuniarũ quidem distributiones, singulis mensibus drachmæ, civi quidem centum, inquilino vero quinquaginta. Publicè verò ad ornatũ urbis, theatra, & balnea parabo, & mare usque ad Dipylũ adducam: eritque portus, huc adducta per fossam magnam aqua, ut navis mea propius appelli, & ex Ceramico conspici possit. Amicis a. vobis, Samippo quidẽ, œconomum jubebo viginti modios auri signati metiri, Timolao verò chœnices quinque, unam Lycino, eamque abrasam, quia loquax est, meumque votum irridet. Atque hanc vivere vitã vellem, supra modũ ditescens, & delicatè agens, omnibusque voluptatibus copiosè fruens. Dixi. Ac mihi illa velis perficere Mercurius. *Lyc.* Ergo scis Adimante, quàm tenui de filo puer iste Plutus pendeat, quod si rumpatur omnia evanescent, & carbones tibi hic thesaurus erit? *Adim.* Quî dicis hoc Lycine? *Lyc.* Quia ô optime, incertum est quandiu locuples sis victurus. Quis n. scit an adhuc apposita tibi mensa aurea, priusquã manũ admoveas, & pavonem, aut Gallum Numidicũ degustes, exhalata animula abiturus sis, vulturibus & corvis ista omnia relinquens? An vis ut enumerem tibi alios quidem statim, priusquam divitiis fruerentur, mortuos: alios autem vivos, iis quæ possidebãt, ab aliquo Deo spoliatos, qui hæc ipsis invidebat? Annon audis Crœsum & Policratẽ, qui multo te opulentiores fuerunt, brevi bonis omnibus excidisse? sed ut tibi missos hos faciam: nũ tibi valetudinem adeò firmam putas fore, atque constantẽ? An non vides multos divitũ doloribus vexatos infœliciter ætatem agere: ac alios ne vadere quidẽ posse, alios a. cæcos esse, aut intus affectu aliquo laborare? Nam quòd ne alteram quidem tantã opulentiã possidere velles, eadémque cum Phanomacho divite istô pati, paritérque ut ille effœminatus esse, sat scio, etsi non dixeris. Non dico quàm multas insidias cum divitiis conjunctas norim, præterea prædones, invidiã, & odium apud vulgus obeundum. Vides qualium tibi rerum author sit hic thesaurus. *Adim.* Semper tu mihi, Lycine, adversarius es: quare neque chœnicem etiam accipies, ut qui perpetuo meum votum insecteris. *Lyc.* Hoc quidẽ jam divitum multorum more detrectas, & promissum revocas. Sed tu Samippe, jam opta. *Sam.* Ego verò, Arcas enim sum ex Mantinea in continente habitans, ut scitis, navim quidẽ mihi obvenire non postulabo, ut quam meis civibus spectandam exhibere non possem. Neque scrupulosè adeò cum Dijs rationem inibo, thesaurum petens, & aurum ad mensuram accumulatum. Sed (possunt enim omnia Dii, etiam ea quæ videntur esse maxima: & lex voti quam Timolaus: tulit, jubet nihil vereri postulare, tanquam illis nihil abnuentibus) postulo rex esse, non qualis Alexander Philippi filius, aut Ptolemæus, aut Mithridates, aut si quis alius accepto à patre regno, imperavit. Sed mihi à latrocinio primum exorso, socij & conjurati circiter triginta, fideles admodũ, & audaces adsint. Deinde paulò post treceni, alii super alios nobis accedentes: postea mille; nec multò pòst, decies mille:

postre-

poſtremò tota armatorum ſumma, quinquaginta millia: equitum
autem circiter quingenta millia. Ego verò ſuffragijs cunctorum
antepoſitus, Imperator optimus eſſe videar: qui & hominibus præ-
eam, & res adminiſtrem: ut hoc utique ipſo jam major ſim cæteris
regibus, ut pote qui virtute electus fuerim ad imperandum exerci-
tui, non per ſucceſſionem hæreditariam accepto regno, ad quod a-
dipiſcendum alius laborarit. Nam hoc Adimanti theſauro non diſ-
ſimile foret. nec ipſa res eodem modo ſuavis, ut quum aliquis vi-
detur ipſe per ſe ipſum aſſequutus eſſe principatum *Lyc.* Papæ Sa-
mippe, nihil exiguum, ſed bonorum omnium caput petiiſti, ut tã-
tæ ſcutatorũ aciei imperes, optimus ipſe judicatus à quinquagin-
ta millibus. Talem nobis regem Mantinea, & præclarum impera-
torem à ſe nutriri non animadvertebat. Verùm age, regna, præi
militibus, & equeſtres turmas, aciémque clypeatam adorna. Cu-
pio enim ſcire quônam ex Arcadia tam multi profecturi ſitis, aut
contra quos miſeros primùm expeditionẽ facturi. *Sam.* Audi Ly-
cine: imò verò ſi tibi placet, nos ſequere: nam te quinque millibus
equitum præficiam. *Lyc.* At pro honore iſto, ô rex, gratiam tibi
habeo, & Perſico more procũbens, adoro te, circumactis poſt ter-
gum manibus, rectam iſtam tiaram, & diadema venerando. At tu
ex robuſtis illis aliquem equitatui præfice. Nam à re equeſtri ma-
gnopere ſum alienus, neque antehac omnino equum conſcendi.
proinee metuo ne tubicine claſſicum intonante, delapſus ego in
turba à tot ungulis conculcer: aut etiam ferocior equus, arrepto
fræno, in medios hoſtes efferat me: aut denique oporteat me alli-
gari ephippio, ſi ſuper eo manere, & frœnũ tenere debeam. *Adim.*
Ego tibi, Samippe, ducam equites: Lycinus verò dextrum cornu
teneat. Meritus autem ſum, qui maximos honores abs te conſequar,
ut qui te tam multis auri ſignati modiis donaverim. *Sam.* Ipſos e-
quites interrogemus, Adimante, num reſpicere te velint præfe-
ctum ſuum. Cui placet, equites, Adimantũ hunc veſtrum eſſe præ-
fectum, ille manum attollat. Omnes, ut vides Adimante, ſuffragã-
tur tibi. Proin tu quidem equitatui præſis, Lycinus autem dextrũ
cornu teneat. Porrò hic Timolaus ad lævum collocabitur. Ego ve-
rò mediam aciem regam, ut ſolent Perſarum reges, quando aliquos
aſſidere ſibi volunt. Sed jam verſus Corinthum progrediamur per
montanam viã, Jovem regium comprecati. Ac poſtquam ea quæ
in Græcia ſunt, omnia ſubegerimus (neque enim quiſquam erit
qui nobis reſiſtat oppoſitis armis, cùm tam multi ſimus, ſed ſine
pulvere vincemus) conſcenſis triremibus, & equis in naves impoſi-
tis (apparatum autem eſt in Cenchreis frumentum ſufficienti co-
pia, & ei ferendo paria navigia, cæteraque omnia) trajiciamus per
Ægæum in Joniam. Exinde ſacris ibi Dianæ peractis, & captis ci-
vitatibus immunitis, & præfectis ibidem facile relictis, in Syriam
pergamus per Cariam: inde per Lyciam, Pamphyliam, Piſidas, &
utramq; Ciciliæ oram, maritimam videlicet, & montanam, donec
ad Euphratem pervenerimus. *Lyc.* Me ô rex, ſi placet, Græciæ ſa-
trapam relinque: ſum enim formidoloſus, neque domo longiùs
abire libenter ſuſtineam. Videris autem in Armenios & Parthos e-
xercitum eſſe ducturus, gentes bellicoſas, & ſagittandi perquàm pe-
ritas. Quare alteri alicui dextrum cornu committe: me vero Anti-
patrum quempiam in Græcia relinque: ne quis etiam me ſagitta
trasfigat, miſerum in parte nuda feriens, circum Suſa, vel Bactra
phalangi præfectum. *Sam.* Aufugis Lycine cohortem, meticulo-
ſus cùm ſis: atqui lex jubet ei caput amputari, qui ordinis deſertor
viſus fuerit. Sed quoniam ſecundum Euphratẽ jam ſumus, & flu-
vius ipſe ponte junctus eſt: & quæcunque à tergo reliquimus tutò
nobis habent, omniáque præfecti occupant, quos unicuique gen-
ti ſuperinduxi: atque hi etiam abeunt, nobis interim Phœniciam,
Palæſtinam, deinde & Ægyptum adjuncturi: tu primus, Lycine,
tranſi dextrum cornu ducens: ego deinde, & poſt me hic Timolaus.
Poſtremò tu equitatum duc Adimãte. Ac per Meſapotamiam, nul-
lus hoſtis nobis occurrit: ſed ultrò ſeipſos, & arces, homines dedi-
derunt. Et quum Babylonem veniſſemus, præter expectationem
intra muros ingreſſi ſumus, ac urbem ipſam tenemus. Rex autem
ad Creſiphontem commorans, adventum noſtrum accepit. Proin-
de Seleuciam profectus, exercitum comparat, equites quampluri-
mos, ſagittarios, & funditores accerſens. Renunciant itaque ſpecu-
latores, circiter centum myriadas hominum ad pugnam aptorum
eſſe congregatas, & ex his viginti, qui ex equis jaculantur. Necdum
tamen Armenius adeſt, neque Caſpii maris accolæ, neque Bactria-
ni: ſed vicini tantùm, & qui in regni ſuburbijs habitant: adeò faci-
lè tot myriadas conſcripſit. Tempus igitur eſt ut videamus quid fa-
cto ſit opus. *Adim.* At ego quidem cenſeo oportere vos, pedeſtrem
videlicet exercitum, proficiſci ad Cteſiphontem: nos autem eque-
ſtres turmas, manere hîc, & Babylonem aſſervare. *Sam.* Etiam tu
formidas Adimante, quum ad periculum propiùs eſt ventum. Sed
tibi quid videtur Timolaë? *Tim.* Omnibus cum copiis obviam
hoſti eſſe eundũ, neque expectandum dum illi ſeſe melius parãrint,
auxiliis undique ipſis accedentibus. Sed dum adhuc in via ſunt ho-
ſtes, adoriamur ipſos. *Sam.* Rectè dicis. Tu verò Lycine quid cen-
ſes? *Lyc.* Equidem tibi dicam. Poſteaquam defeſſi ſumus itinere
continuo, ex quo mane in Piræum deſcendimus, & jam nunc tri-
ginta ferè ſtadia proceſſimus, & ſolis ardor magnus (nam circa
meridiem maximè jam eſt) hîc alicubi ad oleas, ſuper columnam
iſtam inſcriptionibus inſignitam reſidentibus, eſſe quieſcendum:
deinde hinc ſurgentibus, eundum, & reliquum viæ ad urbem abſol-
vendum. *Sam.* Etiam-ne Athenis, ô beate, eſſe putas, qui circa Ba-
bylonem in campo ante muros ſedes inter tot milites de bello deli-
berans? *Lyc.* Submonuiſti: ego verò ſapere me putabam: & tu, eo
quòd ſententiam proferres. *Sam.* Accedemus igitur, ſi tibi videtur:
& facite ut ſitis viri fortes in periculis, neque patrios ſpiritus pro-
datis. Jam enim & hoſtes pugnam capeſſunt: quare Enyalius eſto
teſſera. Vos autem poſtquam tubicen claſſicum cecinerit, exultan-
tes, & clypeos haſtis pulſantes, properate cum adverſariis manus
conſerere: atque intra teli jactum conſiſtite, ut ne plagas accipia-
mus, dum illis velitari concedimus. Et poſtquam ad manus ventum
jam eſt, ſiniſtrum cornu, & Timolaus, Medos cum quibus congreſ-
ſi ſunt, in fugam verterunt. Ego verò æquo adhuc Marte pugno:
Perſæ enim ſunt, interque eos ipſe rex. Univerſus autem barbaro-
rum equitatus in dextrum cornu noſtrum fertur. Quare, ô Lycine,
& ipſe ſis vir fortis, & eos qui tecum ſunt, hortare ut impreſſionem
fortiter excipiant. *Lyc.* O fortunam! adverſum enim me equites
cuncti, ſoluſque viſus ſum idoneus, qui contrà ferar. Ac mihi vi-
deor, ſi vim adhibeant, transfugiturus eſſe, in palæſtram hinc cur-
rens, vos etiamnum belligerantes relinquens. *Sam.* Nequaquam:
tu enim ipſos ex parte jam vincis. Ego verò, ut vides, etiam ſingu-
lari prælio cum rege congrediar. Provocat enim me, & pugnam
detrectare, omnino turpe fuerit. *Lyc.* Per Jovem ab eo confeſtim
vulneraberis: nam regium eſt de regno dimicantem vulnerari.
Sam. Rectè dicis, At hoc vulnus ſummam tantùm cutem mihi per-
ſtringat, nec in aperta corporis parte, ne poſtea deformis obduca-
tur cicatrix. Cæterum vides quo pacto incurſando una plaga, & i-
pſum, & equum emiſſa haſta tranſadegerim? Deinde amputato ca-
pite, & ablato diademate, rex jam factus ſum, qui ab omnibus a-
doror. Barbari me adorent: ego juxta Græcorum legem imperabo,
atque imperator unus nominabor. Præterea cogitate quàm multas
civitates mihi cognomines condam, quamque multas per vim ca-
ptas deſtruam, ſiquæ aliquam contumeliam regno meo intulerint.
At omnium maximè Cydiam iſtũ divitem ulciſcar, qui cum mihi
jam vicinus eſſet, agro me expulit, intus fines paulatim ingrediens.
Lyc. Deſine tandem Samippe. Tempus enim eſt ut tanta pugna
potius, victoriæ convivium Babylone celebres (ſex enim ſtadio-
rum opinor eſt tibi imperiũ) & ut viciſſim optet Timolaus quic-
quid voluerit. *Sam.* Quid igitur Lycine? qualia tibi videor poſtu-
laſſe? *Lyc.* Longe, ô præclariſſime regum, laborioſiora, & violen-
tiora, quam quæ Adimantus, quatenus ille in deliciis verſabatur, &
aurea pocula duorum talentorum pondo compotoribus por-
rigebat. Tu verò in ſingulari certamine vulnerabaris, & me-
tuebas, & curis noctu, & interdiu diſtinebaris. Non ſolum
enim ea quæ ab hoſtibus fierent, formidanda tibi erant, ſed & inſi-
diæ innumerabiles, & familiarum invidia, odium, & aſſentatio.
Amicus autem nullus verus, ſed ad metum omnes, vel ad ſpem be-
nevolentiam ſimulantes. Fruitio voluptatum, ne per ſomnium
quidẽ: ſed gloria ſolùm, & purpura auro variegata, & candida fa-
ſcia circum frontem, & ſatellites præeuntes. Cæterum labor into-
lerabilis & acerbitas multa. Et vel iis qui ab hoſtibus veniunt re-
ſpondendum, vel jus dicendum, vel mittenda ad ſubditos edicta.
Et vel gens aliqua defecit, vel ab iis qui degunt extra imperium,
fiunt incurſiones. Quare omnia timenda, & habenda ſuſpecta. De-
nique ab omnibus potius quam à te ipſo beatus prædicaris. Nam
hoc quoque annon humile & abiectum, quod eodem modo cum
privatis ægrotas, & febris in nullo diſcrimine te regem habet, ne-
que mors tuos ſatellites metuit, ſed ſuperveniens quando viſum
fuerit, te plorantem ducit, non verita diadema? Tu verò ille tam
ſublimis delapſus, & abreptus à ſolio regio, eandem viam cum vul-
go abis, eodemque honore in mortuorum gregem ageris: tumu-
lum excelſum ſupra terram, & longam columnam, aut pyramidem
depictis angulis inſignem relinquens, intempeſtiva, & inſenſibi-
lia ornamenta. Imagines autem illæ, & templa, quæ colentes ci-
vitates erigunt, magnumque hoc nomen, omnia paulatim deflu-
unt, neglectaque abeunt. Quòd ſi etiam quàm diutiſſimè perdu-
rarint, quis quæſo fuerit amplius eorum fructus, cum ſenſu care-
as? Vides, qualia dum vives negotia habiturus ſis metuendo, co-
gitando, laborando: qualia & poſt mortem futura ſint? Sed jam tu-
um eſt optare, Timolaë: ac ut ſuperes iſtos vide, ut virũ prudẽtem,
rerũq; peritũ, decet. *Tim.* Conſidera igitur Lycine, nũquid repre-
hẽſione dignũ optabo, & quod arguere quiſpiã poſſit. Nã aurũ, &
theſauros, & nummorũ modios aut regna, & bella, & terrores pro
imperio, quæ tu meritò reprehendiſti, nõ poſtulabo. Caduca n.
hæc multiſq; inſidiis referta: & plus moleſtiæ habẽt, quàm dulcedi-
nis. Sed velim ut Mercurius obviam mihi veniẽs, annulos det qui
vim hujuſmodi habeant: unũ quidẽ, ut rectè ſemper valeã, & cor-
pore ſanus ſim, inſauciabilis, & affectionis expers: alterum autem,
ut conſpici non poſſit qui eum obduxerit: qualis fuit ille Gygis:
tertium verò ut robore ſuperẽ virorũ decem millia: & quod onus
hominũ ſimul decẽ millia vix movere poſſent, id ego facilè ſolus
in humeros attollam, præterea procul à terra ſubvectus volem.
Ad hoc quoq; annulũ habeã, quo in ſomnũ attrahã, quos volue-
ro: & mihi accedenti pateat omnis janua, laxata ſera, & dimotò
vecte, quæ ambo poſſit unus anulus, Et quod maximũ eſt; alius ſit
ſupra omnes ſuaviſſimus, qui me reddat amabilẽ, obductus pueris
formoſis, mulieribus, totiſque populis: neque quenquam amoris
expertem eſſe ſinat, & cui non ſim deſiderabiliſſimus, atq; in ore

ita ut multæ mulieres amoris impatientia sese suspendant: meique desiderio adolescentuli insaniant, seq; fœlices putent, si tantum aspexero quempiã ipsorum: si vero despexero, etiã illi mœrore pereant. Denique Hyacintho, vel Hila, vel Phaone Chio sim pulchrior. atque hæc omnia habeã, non brevi moriturus, nec ad humanæ vitæ mensurã victurus: sed per mille annos juvenis ex juvene renascẽs, ævum exacturus, circa decimum septimum quemque annum, senectutem more serpentum semper exuendo. Nihil enim mihi deerit, quum hæc habebo: siquidem aliena omnia essent mea, quatenus possem & fores aperire, & custodes sopire, & ingressus ipse invisibilis esse. Quod si apud Indos, aut Hyperboreos spectaculum aliquod mirum foret, aut res aliqua pretiosa, aut quicquid esu vel potu jucundum, advehi non curans, sed eò ipse advolans, omnibus ad satietatem usque fruerer. Et quia gryps alata fera, aut phœnix apud Indos à cæteris videri nequit: ego eam viderem. Nili quoq; fontes solus scirem, & terræ quicquid est inhabitabile: & siqui Antipodes ex adverso habitant, australem terræ partem dimidiam tenẽtes. Præterea stellarum, lunæ, ipsiusque solis naturã facile nossem, ut qui ab igne lædi non possem. Et quod omnium suavissimum fuerit, eodem die Babylonẽ delatus annunciare possem, quis Olympia vicisset: & si fortè in Syria pransus essem, cœnare in Italia: & si quis mihi foret inimicus, istum ex occulto ulcisci, injecto in caput saxo, ita ut ipsi calvaria comminueretur: amicis contrà benefacere, aurum dormientibus ipsis effundendo. Quin si quis superbus foret, aut tyrannus, dives contumeliosus, sublatum ipsum ad stadia viginti, per præcipitia supernè dejicerem. Cum pusionibus autem, nemine prohibente, conversari mihi liceret, cum videri non possem ingressus, omnesque solis illis exceptis sopirem. Quale vero etiam illud foret, quòd belligerantes tuto spectare possem, extra teli jactum in altum sublatus? Et si videretur, adjungendo me victis, & sopiendo victores, fugientibus ex fuga reversis victoriam præberem. In summa, ludum quendam facerem vitam humanam omniáque mea forent, Deusque cæteris viderer. Atque hæc summa fœlicitas est, quæ neque perire, neque insidiis peti potest: & maximè cũ sanitate per longam ætatem. Quid igitur est, Lycine, quod in hoc voto culpare queas? *Lyc.* Nihil Timolae: neque enim tutum fuerit adversari alato viro, & qui robore decem hominum millia superat. Veruntamen illud interrogabo te, ecquem alium videris inter tot gentes, quas volando oberrasti, virum jam senem mente à statu suo ita dimota, qui exiguo annulo vectus, totos montes digito movere potuerit, amabilem omnibus, idque cum calvus esset, simoq; naso. At vero etiam hoc responde mihi: cur tandem unus annulus omnia ista tibi præstare non possit: sed tam multis revinctus incedes, sinistra per singulos digitos gravata. Imò vero excedit numerus, & necesse erit etiam dexteram oneri ferendo succedere. Atqui unus, isque maximè necessarius deest, qui obductus, te stultitia cohibeat, multo hoc fastu derso: alioqui helleborus meracior haustus, hoc efficere potest. *Tim.* At omnino Lycine, tu quoque jam tandem aliquid optabis, quo discamus qualia sis postulaturus, quæ videlicet reprehendi & culpari nequeant, tu qui alios refellis. *Lyc.* At ego voto non opus habeo. Jam enim Dipylum pervenimus: & optimus hic Samippus, dum circa Babylonem singulari prælio dimicat: & tu Timolae, dum in Syria quidem prandes, in Italia autẽ cœnas, etiam ea stadia, quæ ad me pertinebant, absumpsistis, rectè sanè facientes: præsertim cum non probem in breve tempus ditescere, & subventaneam opulentiam dolendo, postmodum tenuem mazam comedere: quod vobis non multò pòst accidit, postquam hæc fœlicitas, magnæque divitiæ vobis relictis avolarint: ipsi autem digressi à thesauris & diadematibus istis, tanquam ex suavissimo aliquo somnio excitati, domi dissimilia omnia inveneritis, perinde ut histriones, regum personas agentes quorum plerique ex theatro regredientes, fame conficiuntur: idque cum paulò antè Agamemnones, aut Creontes fuerint. Mœrore igitur afficiemini, ut consentaneum est, vobisque res domesticæ displicebunt: & maximè tibi Timolae, quando necesse tibi erit idem pati, quod Icarus olim, ut dissolutis alis de cœlo delapsus humi incedas, amissis illis annulis, qui digitis ultro effluxerint. Mihi autem hoc sat erit, ut pro thesauris omnibus, ipsaque Babylone, suaviter admodum rideam ea quæ optatis, tam præclara scilicet: idque cum ipsi Philosophiam laudetis. *titulo Navigii sive Votorum.*

Iulianus Imp. Atque utinam (ô Servator Jupiter, & sancte Mercuri) contingat Jamblichum optimum, id est, commune orbis terrarum commodũ, longissima vita frui. Certe cum veteres pro Homero, Platone, Socrate, & si quis alius in orbem hunc incidit, justa vota feliciter atque ex animi sententia fecerint, vitamque illorum hoc modo produxerint: non erit incommodum, hominem nostra ætate viris illis & vita & oratione parem, similibus votis ad summã senectutem cum omnium felicitate transmittere. *Epist. 35.*

Heliodorus: Non est quod metuamus, ne aut dono demur aut ante interimamur, qui sumus ex voto Deis consecrati; quod violari à viris pietatis studiosissimis fas non est. *lib. 9. Aethiopic.*

¶ Romanorum.

Plinius: Nuncupare vota & pro æternitate imperii, & pro, salute ovium, imo pro salute Principum, ac propter illos pro æternitate imperii solebam⁹. hæc pro imperio nostro in quæ sint verba suscepta operæpretium est annotare: Si bene Rempubl. et ex utilitate omnium rexeris. Digna vota quæ semper suscipiantur, semperque solvantur. Egit cum Deis ipso te auctore Cæsar respubl. ut te sospitem incolumemque præstarent, si tu ceteros præstitisses; si contra, illi quoque à custodia tui oculos dimoverent, teque relinquerent votis quæ non palam susciperentur. Alii se superstites reipubl. optabant faciebãtq;: tibi tua salus invisa est si nõ sit cum reip. salute conjuncta. nihil pro te pateris optari nisi expediat optantibus, omnibusq; annis in consilium de te Deos mittis, exigisque ut sententiam suam mutent, si talis esse desieris qualis electus es. Ingenti conscientia, Cæsar, pacisceris cum Deis, ut te si merceberis servent; cum scias an merearis neminem magis quam Deos scire. Nonne vobis P. C. hæc diebus ac noctibus agitare secum videtur: ego quidem in me, si omnium utilitas ita posceret, etiam præfecti manum armavi: sed ne Deorum quidem aut iram, aut negligentiam deprecor; imo quæso & obtestor, ne unquam pro me vota respubl. invita suspiciat, aut si susceperit, ne debeat. Capis ergo, Cæsar, salutis tuæ fructum ex consensu Deorum. nam cum excipias ut ita demum te Dei servent, si bene remp. & ex utilitate omnium rexeris, certus es te bene gerere, cum servent. *cap. 68. paneg. ad Traianum.*

Plinius: Non te Jupiter Capitoline distringimus votis: nec enim pacem, aut concordiam, aut securitatem, aut opes oramus vel honores simplex cunctaque ista complexum unum omnium votum est, Salus principis. *cap. 94. paneg. ad Traianum.*

Incertus Panegyristes Constantino Aug: Quæsumus te, Deus, ut hunc in omnia sæcula Principem serves. parum est enim optare tantæ virtuti tantæq; pietati quem longissimum habet vita progressum. Est certe summa in te bonitas, est pietas: & ideo quæ justa sunt, velle debes: nec abnuendi caussa est cùm possis, nam si est aliquid quod à te benemeritis denegetur, aut potestas cessavit aut bonitas. *capite ultimo*

Nazarius Oratione ad Constantinum Aug. Eat quin imò in immensum felicis imperii cursus, nec humanorum terminos curent qui semper divina meditantur. certe cupitorum irriti non sumus, qui cum optemus maxima, id faciamus benignius quam securius; quod propter cœlestem in illo favorem, tam certa adipiscendi spes est, quam optandi soluta libertas. *cap. 2.*

Nazarius Orat. ad Constantinum Imp Calamitate obsessis, finis est voti miseria liberari: & mox vacuitas miseriarum parum grata est, nisi lætitia consequatur. *cap. 33.*

Symmachus; Nos ut à metu præsentium respiravimus, ita voto futura munimus. *lib. 2. Epist. 48 f.*

Symmachus: Non sunt avara vota, quæ seculi excitavit humanitas. de exemplis venit ista fiducia. magna sumendo, majora præsumimus. *lib. 10. Epist. 22. f.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 2. de Virginitate.

At quem pauperies rerumque angusta cogit
Implorare Deum; quamprimum tristis egestas
Fugerit, extemplo divinum linquet amorem.

Lucianus in librum suum.

Lucianus scripsi hæc, antiquaque stultaque doctus:
Id quoque enim stultum est, quod tibi valde sapit.
Nil homini certum est, nec voto vivitur uno:
Sed ridens, eadem hic elevat, ille probat.

Plautus Rudente 3. sc. 6. v. 35.

Tibi obtigit quod plurimi exoptant sibi.
L. Quid est? C. ut id quod quærant inveniant sibi.

Terentius Adelph. 4. sc. 5.

Quid? credebas dormienti hæc tibi confecturos Deos?
Et sine opera illam in cubiculum iri deductum domum?
Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo.

Terentius Heautontim. act. 5. sc. 1.

Ohe jam desine uxor, Deos gratulando obtundere,
Tuam esse inventã natã; nisi illos tuo ex ingenio judicas;
Ut nil credas intelligere nisi idẽ dictum est centies.

Ausonius de patre suo.

Omnia quæ voluit qui prospera vidit, & idem
Optavit quidquid, contigit ut voluit.
Non quia fatorum nimia indulgentia: sed quod
Tam moderata illi vota fuere viro.
Inde & perfuncta manet hæc reverentia vita,
Aetas nostra illi quod dedit hunc titulum:
Ut nullum Ausonius quem sectaretur habebat:
Sic nullam qui se nunc imitetur habet.

Ausonius de socero.

Optabas tu me generum florente juventa,
Optare haud tantum, verùm & habere datum.
Vota probans Superi; meritisque faventia sanctis
Implent fata, viri quod voluere boni.

§ Apologi.

Aesopi Apes & Iupiter: Apes mel suum hominibus cùm præbuissent, venere ad Jovem rogantes ut aculeis suis lethiferam vim inderet. Iupiter earum offensus invidentia, eas sic constituit, & cũ aliquem pungunt, aculeos amittant insuper & salute priventur.

Aesopi Naufragus: Pecuniosus quidam Atheniensis, cum aliis quibusdam navigabat. Suborta autem tempestate, subversaque

nave

nave, reliqui omnes tranataverunt. Atheniensis verò, subinde Minervam invocans, sexcenta promittebat si servaretur: cùm adnatās ex cōnaufragis unus; cum Minerva, inquit, tu quoq; manū move.

Æsopi: Pastor & Canis. Pastor solitus erat demortuis ovibus pascere. Eum aliquando apud agnam ægrotantem stare cùm vidisset, humi defixum lachrymantique similem, demulcens dixit, Benè agis qui condoleas, sed quæ cupis ne eveniant.

Æsopi: Pater & Filia. Habens quis filias duas hanc olitori, illam figulo, nuptui dedit. postea vero ad olitoris conjugē cum venisset, quomodo valeret & quo in statu res essent interrogaret? respondit illa, omnia quidem adesse sibi, unicum vero illud à Diis postulare, imbrem & pluviā exoriri, ut olera irrigentur. Paulo post ad figuli conjugem itidem veniens, pariter interrogavit quómodo haberet? illi vero respondenti cæteris non indigere, illud solum postulare ut serenitas solque lucidus continuetur ut exsiccentur urcei; respondit, si tu serenitatem postulas, soror vero imbrem, cuinam vestrum preces meas adjungam?

Babrias. Περὶ Καμήλου καὶ Διός. Fab. 34.

Κυρτὴ Θεὸν Κάμηλος ᾔτει κέρα,
Ἣν ἐξεμυκτήρισε τῆς ἀβουλίας.
Ζημιοῖ γὰρ αὐτὴν λοιπὸν ὦτα καὶ κάραν,
Ὡς ἂν γε παντάπασιν αἰσχίστη πέλῃ.

Ἐπιμύθιον.

Οὐ δεῖ παρὰ τοῦ Θεοῦ αἰτεῖν τὰ προσήκοντα.

De Camelo & Jove.

Curva Camelus à Deo petebat cornua,
Quam derisit ob malum consilium.
Minuit enim ei de cætero aures & caput,
Ut ab omni parte foret turpissima.

Affabulatio.

Quòd oporteat à Deo convenientia petere.

De Rustico impetrante, ut triticum absque aristis nasceretur. Fab. 2

Impetraverat à Cerere rusticus quidam, ut triticum absque aristis nasceretur, ne metentiū triturantiumq; manus læderet. Quod ubi maturuit, à minutis ovibus depastum est. Tum rusticus, quàm digna, inquit, patior, qui parvæ commoditatis causa, emolumenta quàm maxima perdidi.

Fabula indicat, parva incommoda majori utilitate pensanda. *Abstemius.*

De Vulpe orante foramen domus, modo dilatari, modo contrahi. Fab. III.

Vulpes ingressura domum rustici, ubi gallinas audierat, foramē per quod transeundum erat, dilatari cupiebat: Sed rursus quum raptam gallinam ferens inde fugeret, & latratum canis audiret, deos precabatur, ut cani foramen esset angustum, ne inde posset exire.

Fabula indicat, mortales pro commodis suis vota mutare. *Laur. Abstemius.*

¶ Emblematum.

Had. Junius Emblemate XI.

Latoiden Cadmæa Tyros devinxerat auro:
Gradivum tenuit compede Sparta gravem:
Præpete privarunt penna Victoriam Athenæ,
Quisque suis votis cogit adesse Deum.

Batillius CCXIX.

Non semper eventus votis respondet.

Non semper feriet quodcunq; minabitur arcus:
Non si hastâ Cephali certior ille foret:
Omnia nec voto semper tibi reddita cedent,
Optatâ & paucis annuit aure Deus.

Votis ignavis Fortuna repugnat. Embl. V.

Rebus in humanis nostrum solamen opemq;
Nil juvat ignavâ sollicitare prece;
Audentes Fortuna juvo: conamina vestra
Iungite, & hoc nostrum præsto erit auxilium.
Flor. Schonhovius.

¶ Apophthegm. Sacror.

Iacob Patriarcha: Postquam vidisset mirabilem illam scalam constitutam in terra, cujus summitas pertingebat ad cœlum, & Angelos Dei ascendentes ac descendentes per eam, expergefactus & inde discedens vovit votum dicendo, Quum fuerit Deus mecum, & servaverit me in via ista qua ego profecturus sum, dederitque mihi panem ad comedendum, & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prosperè ad domum patris mei, denique fuerit mihi Jehova Deus: tunc hæc strues lapidum, quam disposui in statuam, erit domus Dei: & quicquid dederis mihi (ô Deus) ejus decimas daturus sum tibi. *Genes. 29. 19. &c.*

Israelita: Quum audivisset Cenahanæus rex Haradi, inhabitans Australem partem, adventare Israelitas via ipsa exploratorū, pugnavit contra Israelem, & captivam fecit ex eo captivorū multitudinem. Quapropter vovens Israel votum Jehovæ, dixit, Quum omnino tradideris populum istum in manus meas, devotas efficiam civitates eorum. *Num. 21. 1. 2.*

Anna mater Samuelis: Vovit votum Domino, dicens, Jehova exercituum, si omnino respiciens ad afflictionem ancillæ tuæ recordaberis mei, & non oblivisceris ancillæ tuæ, sed dabis ancillæ tuæ semen masculum: utiq; dabo ipsum Jehovæ omnibus diebus vitæ eius, & novacula non admovebitur capiti eius. *1. Sam. 1. 11.*

David: De votis quæ ad Dei gloriam & piorum salutem promovendam spectant præstandis agit *Psal. 50. 15. & 66. 12. & 76. 11.*

Summa eorum quæ de votis apud veteres Theologos occurrunt hæc est, Vota quæ Dei gloriam, piorum ædificationem, salutē nostram spectant, prudenter, zelo secundùm scientiam verbi Dei concepta, possibilia, honesta, omnino prestanda sunt. In malis promissis autem rescindenda est fides, mutandum in turpi voto decretum. Quod incautè promissum est, non faciendum: impia enim est promissio quæ scelere adimpletur.

Veterum testimonia aut scitè dicta, quum ad dogmatum explicationem pertineant, in præsentia relinquimus.

Clodoveus I. Rex Francorum: Quum nec Remigii Episcopi monitis nec Clothildis uxoris precibus atque obtestatione addici unquam potuisset, ut superstitionem majorum exueret, Alemannis congressus qui Galliam ingentibus copiis invaserant, & se ab iis vinci cernens, Deus (inquit) quem Clothildis mea uxor colit, si hodie victor ex hostibus redeo, caput hoc meum ac gentem tibi omnem trado dicoque. Nec defuit precationi tam piæ felix eventus. Victi statim hostes terga vertunt: ut duplex orbi miraculum esset, & victos eos qui paulo ante victores erant, & regem Christianum factum, qui ab eo nomine tantùm priùs abhorrebat. *Annales Franciæ. Sigebertus, Hincmarus in vita Remigii. Ivo in Chronic.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ardua ac maiora votis exequi promptum est Deo.
Bona tamen servanda vota sunt mala inter tempora.
Cui non es par actione, illi ut par sis voto vide.
Cum spei nihil relictum est, vota maxime valent.
Cur vovet alios potentes facere qui voti potest?
Difficillima assequuti sunt quibus voto haud opus.
Dum sibi camelus optat cornua aures perdidit.
Impetrant modesta quidvis vota, vasta aufert Notus.
Neminem est reperire qui non voto mortem arcesserit.
Non omnes eadem vovent homines eademq; devovent.
Plurimis voto potiri, maximo stetit malo.
Quem palàm ferro nequimus, voto eum clam tollimus.
Quis modestè optat potentem se illico voti facit.
Qui modesta optat, sibi ipsi dat quod optat, pro Deo.
Quis sibi nihil boni optat; ne malam sortem gemat.
Quo quis optat pauciora hoc est & idem ditior.
Seminat benignitatem id omne quod votis favet.
Tunc potissimus votorum est, cum spei nullus locus.
Tutius nihil vovere, quam post votum haud reddere.
Vota longè nostra summi dona vincunt Numinis.
Vota nostra non exorant; admonent tantum Deos.
Votorum omnes sunt avari, maxime tamen patres.

Jambica.

Avara vota mutuose amantium.
Aures Dei vota aqua nunquam respuunt.
Contingat id quod expedit, non quod volo.
Etiam impium votum sceleris vicem tenet.
Heu quam laborant votis plurimi suis!
Manum moveto cum Minerva masculam.
Opta tibi, non quod vis, sed quod expedit.
Peiora dum timentur, in voto est locus.
Perversa nigram vota culpam traxerint.
Quem quæso non cruciat votorum inanitas?
Quis vota Diis non insusurrat turpia?
Quo paucioca quis optat, hoc est ditior.
Scelesta vota grata non sunt Numini.

Vocis.

¶ Sententiæ Patrum.

B*asilius Seleuc.* Enimverò quidem est caput: nec tamen Joannis vox tacet, æternum loquetur post funera. Accusatorem in te, mulier, armasti: neque enim cum capite vocem quoq; præcidisti. Etiam post jugulationē superstes tibi est accusator, plena criminum tuorum terra, audaciam maria ipsa mirantur, cœlum supernè cum Joanne vociferatur. Linguam unam sustulisti, sed vice linguæ Joannis totus est mundus ad te accusandum creatura plena vocis est. Nec dum etiam immortale illud tribunal loquor; tribunal, quod nulla ratione falli potest, animadversionis æternæ terrorem, tenebras externe circumfusas, cum ipse lotus à Joanne Christus lotorem vindicabit, quando cujusque facta nuda prostabunt, adstabunt Angeli prolatas in quemcumque sententias properanter perficientes. *Oratione 18. ipsam circa finem.*

Ennodius: Pudorem ab statione non expulit, qui quod loquitur debet imperio. Vos videritis quale sit quod jussistis offerri. Ego vos sine frontis mei dispendio meruisse æstimo, quod desiderastis accipere. *lib. 3. Ep. 24. m.*

S. Isidorus Pelusiota: Illud ignorare videris, idem verbum, & idem nomen, & eundem sermonem, dispari contentione prolatum, nunc quidem rationis ac prudentiæ, nunc autem iræ fructum præ se ferre. *lib. 3. Epist. 301.*

¶ Orato-

§ ORATORUM.

L. Annæus Seneca: Plus & viva vox & convictus sapientum, quam oratio proderit. In rem præsentem venias oportet. Primùm quia homines amplius oculis quam auribus credunt: deinde quia longum iter est per præcepta; breve & efficax per exempla. *Epistola 6.*

Quintilianus: Non habent incredibilia vocem. Quædam majora sunt quam ut illa capiat modus sermonis humani. *Declam. 19 & 16. m.*

§ POETARUM.

Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit, & salve mediis intervenit armis.
Respondent & saxa homini. percussus ab antris
Sermo redit, redit & nemorum vocalis imago.
Littoreis clamant scopulis, dant murmura rivi,
Hyblææ apibus sepes depasta susurrat.
Est & arundineis modulatio musica ripis;
Cumq; suis loquitur tremulum coma pinea ventis,
Incubuit foliis quoties levis Eurus acutis.
Dindyma Gargarico respondent cantica luco.
Nil mutum natura dedit. non aeriæ ales,
Quadrupedesve silent: habet & sua sibila serpens;
Et pecus æquoreum tenuis vice vocis anhelat.
Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltus
Icta pedum, tentis reboant cava tympana tergis.
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus;
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quoties radiis ferientibus icta
Respondent dociles moderato verbere pelves.
Tu velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet,
Obnixum, Pauline, taces. agnosco pudorem,
Quod vitium fovet usq; suum cessatio jugis.
Dumq; pudet tacuisse diu, placet officiorum
Non servare vices & amant longa otia culpam.

P. Syrus Mimus.

Heu, quàm miser est qui in tormento vocem haud habet!

§ APOPHTHEGM. SACRI.

Spiridion: Quum quidam nomine Tryphilus, Ledranus Episcopus, in conventu Episcoporum Tyri concionaretur, & in Evangelii expositione, Tolle grabatum tuum, loco grabati aliam concinniorem vocem, ut sibi videbatur, insolentius commutasset: Spiridion ex pastore Episcopus Trimethuntis Cypri, sub Constantino magno miraculis clarus, fastuosum concionatorem duriter reprehendit, publicè cum eo expostulans & dicens, Num eo melior es, qui prius grabatum dixit? *Simeon Metaphrastes, Tom. 5.*

Videantur plura titulo *Linguæ, Oris, Sermonis; Orationis.*

Vrbanitatis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Chrysostomus*: Ludis, deliciaris, facetaq; & urbana dicis, & risum moves, remque nihil existimas? A lepidis & urbanis dictis, quot perjuria, quot damna; quàm multa verba turpia & obscœna? *Homilia 17. ad Ephesios.*

Idem paulò post: Ubi est turpitudo, illic est etiam urbanitas & dicacitas. Ubi est risus importunus, illic est etiam urbanitas & dicacitas.

D. Chrysostomus: Qui urbanè loquitur & facetè, citò erit maledicus: maledicus autem alia innumerabilia mala sibi accumulat. *Homil. 17. ad Ephesios.*

§ APOPHTHEGM. SACRA.

Constantinus: Acesius Episcopus Novatianus à Constantino rogatus cur se à communione segregasset, cùm exquisitam severi cujusdam Canonis observationem in medium adduxisset, qua lapsos post baptismum à communione Ecclesiæ arcebat, Imperator ait, Erigito tibi scalam Acesi, & ad cœlum solus ascendito. *Socrat. hist. Eccl. lib. 1. cap. 7.*

Alamundarus: Is fuit Agarenorum princeps, qui ab Orthodoxis institutus, credidit & baptizatus est, ad quem Severus Episcopus hæreticus duos misit, ut eum ad suam hæresin pertraheret, qui quum docerent duas Christi naturas in unam esse confusas, unde colligeretur etiam deitatem Christi cum carne passam esse, ille convicturus eos, ut qui absurda dicerent, & incredibilia docerent: quendam ex domesticis subornat, qui sibi aliquid in aurem diceret. Quo facto, tetrico vultu mœrorem præ se ferens, ejus causam sciscitantibus episcopi, nunciatam sibi esse respondet Michaëlis Archangeli mortem. Quem nuncium quum isti esse falsum asseverarēt, neq; enim posse mori Archangelum, subjicit ille, Si igitur Archangelus non moritur, qua ratione vos affirmatis deitatem & passam & mortuam, cum carne contemperatam & confusam, & in unam naturam conflatam? Ex hoc dicto Episcopi hominis acumen admirati, spe traducendi ejus in suam opinionem abjecta, discesserunt. *Zonaras, tom. 3.*

Sisinnius: Quum Leontius Ancyræ apud Galatas episcopus tēplum Novatianis abstulisset, & Constantinopoli quadam die versaretur, Sisinnius Novatianorum episcopus ad eum accedens, rogavit ut templum illis restitueret. Leontio autem recusante, & Novatianos conviciis afficiente, quod pœnitentiæ doctrinam & praxin tollerent: Atqui (inquit Sisinnius) nemo tanta pœnitentia discruciatur, atq; ego. Interrogante ibi Leontio, Quamobrē tandem? respondit. Quòd te aspexerim. *Sozom. eccl. hist. lib 8 cap. 1.*

D. Martinus: Ovem recens tonsam fortè conspexerat: Evangelicum, inquit, mādatum ista complevit: duas habuit tunicas, unam earum largita est non habenti: ita ergo vos facere debetis. Item cum subulcum algentem, ac penè nudum in pellicea veste vidisset, En, inquit, Adam ejectus de paradiso, in veste pellicea sues pascit, sed nos illo vetere deposito, qui adhuc in isto manet, novum Adam potius induamus. Boves ex parte prata depaverant, porci etiam nonnulla suffoderant: pars cætera quæ manebat illæsa, diversis floribus quasi picta vernabat. Speciem, inquit, gerit pars illa conjugii, quæ pecore depasta, etsi nō penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa vero quam porci pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit: cæterum illa portio quæ nullam sensit injuriam, gloriam virginitatis ostendit, herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat, & ultra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat. *Sulp. Sever. dialog. 2. cap. 11.*

Pius II. Pontifex: Pius II. Pontifex mala de se opinantes vel loquentes coercuit nunquam: libere enim in libera civitate loqui omnes volebat. Quærenti nescio cui apud eum, quod male audiret, respondit, De me quoque qui malè sentiant, si in campum Floræ proficisceris, multos audies. *Platina.*

Fridericus Palatinus Rheni: Anno Christi 1469. Fridericus Rheni Palatinus Carolum marchionem Badensem, Joannem episcopum Spirensem, & Huldricum Comitem Wirtenbergensem obsidentes, & de urbe oppugnanda consultantes, equitatu suo ex improviso circundatos cœpit: populares ex urbe procurrentes, undiq; disclusos hostes memorabili victoria superarunt. Captos Principes & magna pecuniæ vi redemptos, splendido excepit convivio. Obsonia regali luxu illata, panis solus deerat. Causam rogatus Fridericus, respondit, Vastatis vestra incursione segetibus, quam rusticis meis eam & mihi injuriam intulistis. Discite nunc subditorum sudoribus parcere, quorum laboribus victum nostrum constare videtis. *Hedio in Chronico. Nauclerus.*

Amedeus Dux Sabaudiæ: A quibusdam Principum legatis, rogatus, haberet-ne canes venaticos? Imò vero optimos & sagacissimos respondit: & in aula amplissima magnā turbam pauperum, quos alebat quotidie, illis ostendit. Canes religiosæ venationis videtis, inquit, quorum odoris precibus in saltus usq; cælestes venando in dies excurro. *Munster. lib. 2. Cosmographia.*

Alphonsus Rex: Cum essent qui apud regem causam bestiarum contra homines defenderent, & modo turturis castitatem, modò cornicis, quæ mortuo compare novem hominum ætates vidua perduret, modo formicarum providentiam, modò canum sagacitatem, modo ciconiarum pietatem, modo apum in regem observantiam, & id genus multa pro brutis animalibus afferrent in medium, Regem ita respondentem audivimus: sive id brutis inclinatione naturæ, sive Dei dono datum sit, se non alia causa datum ac concessum esse existimare, quam ut homines, turpiter nequiterq; viventes, erubescant à brutis & à rationis expertibus superari. *Ant. Panormit de dictis & gestis Alphonsi.*

Bernardinus Senensis: Usuram ita demum sine peccato exerceri posse divus Bernardinus Senensis affirmavit, si pecunia his crederetur, qui nec capitalem summam reddere possent. *Aen. Syl.*

Sigismundus Imperator: Quum de Cleri reformatione coram eo ageretur, multiq; multa proferrent quæ plausibilia viderentur: & nulli à Francisci sodalitio initium faciendum esse judicarent, cujus sectatores fratrum minorum nomine gaudent: Minimè gentium, respondit Sigismundus: immò verò à fratribus majoribus inchoanda est ista reformatio. Eo nomine intelligens ipsos Pontifices, Cardinales, &c. *lib. 1. [illegible]st Martyrum.*

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Maxime est urbanus in quo nuspiam est urbanitas.
Non potest urbanus esse quam cui est civilitas.
Plurimum est urbanitatis rusticitate in simplici.
Quod urbanitas negabat, meruit impudentia,
Rusticitas non est dolori sicut est urbanitas.
Rusticitas si quando ridet irridetq; urbanitas.
Rusticitas urbanitati cedit elegantia.

§ JAMBICA.

Argutaq; non, rustica est urbanitas.

Dicacit

Dicacitatis mater est urbanitas.
Quamplurima est urbanitas vernaculis.
Vita severa condimentum urbanitas.
Vrbanitas in ore hominum temeraria est.
Vrbanitas ubi est, ibi est dicacitas.
Vrbanitatis rara jam est civilitas.
Vrbanitatiq; adsita est procacitas.

Vrbis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D*Nazianzenus*: Acerba quidem res est, mors hominis. Quidni: hodie viventis & cras morituri, neque ad nos reversuri: multò autem acerbior est, urbis interitus, quam Imperator condidit, & tempus constituit, & longa annorum series conservavit. De Diocæsarea loquor, quõdam civitate, nunc autem à civitatum albo expuncta, nisi tibi placidum quiddam annuas. Hanc per nos pedibus tuis advolvi existima. Ac vocem quoq; habeat & lugubrem habitum induat, & comam laniet, velut in Tragœdia; talique oratione te alloquatur: Porrige mihi manum humi jacenti, succurre laboranti. Ne ad temporis acerbitatem, impetum tuum adjungas, nec Persarum reliquias evertas. Honestius tibi fuerit, urbes extruere, quàm laborantes delere. Civitatis conditor existe, vel ei quippiam addendo, vel integram conservando. Ne patiaris eam usq; ad imperium tuum civitatem esse, & post te jam non esse, &c. Cæterum causam haud dico quin tu in eos qui in tuæ potestatis edictum peccarunt animadvertas; etsi audax hoc facinus nequaquam à communi consilio, sed à temerario quorundam adolescentum impetu profectum esse narrant. Cæterum majorem iræ partem remitte; ac sublimius rem tecum considera. Doluerunt matrem opprimi, ac veluti enecari: non tulerunt se civium nomen habere, & civitate carere. Furore perciti à legibus recesserunt, salutis suæ spem abjecerunt. Calamitatis novitas eos de mentis statu deturbavit. Idcirco-ne urbem everti oportet? Absit à te vir præclare, ut hoc statuas. *Epist. 49.*

Synesius: Nihil enim jam Athenæ splendidum habent, præter celeberrima locorum nomina. Ac velut ex hostia consumpta, sola pellis superest, animalis, quod olim aliquando fuerat, indicium: sic inde deductâ philosophia, restat ut oberrando Academiam, ac Lycæum mireris, atque etiam variam illam porticum, à qua Chrysippi secta nomen accepit; quæ quidem minimè nunc varia est. Nam Proconsul tabulata sustulit, in quæ artem omnem suam Polygnotus Thasius contulerat. Nunc itaque nostra ætate Ægyptus alit, quæ ab Hypatia sapientiæ semina suscepit. Athenæ verò quõdam civitas fuit, Sapientum domicilium; nunc eam mellatores celebrant. *Epist. 135.*

§ LATINORUM.

Egesippus: Multæ urbes Judeæ, sed inter omnes Hierosolyma eminet; ita ut quasi caput in corpore, non obumbret sua membra, sed regat, atq; eis tuitioni sit & pulchritudini. *fine capitis 6. lib. 3. de excidio Hieros.*

Egesippus: Decernebant itaq; in una urbe tria genera exitialium calamitatum, tyrannides, bellum, seditio; quarum unaquæq; non unam sed plurimas urbes deleret. *cap. 13. libri 4. de bello Iudaico.*

Salvianus: Urbium principe ac quasi matre contenti sumus ad exemplum ac testimonium cæterarum; ut intelligamus scilicet, quales illæ fuerint civitates quæ minores habuerint probi officii procurationes, cum viderimus qualis extiterit, ubi semper fuere rectores. *libro 7. de gubernatione Dei.*

S. Salvianus: Video quasi scaturientem vitiis Carthaginem; video urbem omnium iniquitatum genere ferventem, plena quidem turbis, sed magis turpitudinibus; plenam divitiis, sed magis vitiis; vincentes se invicem nequitia flagitiorum suorum, alios rapacitate, alios impuritate certantes, alios vino languidos, alios cruditate distentos, hos sertis redimitos, illos unguentis oblitos; cunctos vario luxus marcore perditos, sed penè omnes una errorum morte prostratos; non omnes vinolentiæ temulentos, sed omnes peccatis ebrios. Populos putares non sani status, non sui sensus, nõ animo incolumes, non gradu; quasi in morem Baccharum crapulæ catervatim inservientes. Jam verò illud cujusmodi aut quam grave, genere quidem dispar, quia majus: proscriptiones dico orphanorum, viduarum afflictiones, pauperum cruces; qui ingemiscentes, quotidie ad Deum finem malorum imprecantes, & quod gravissimum est, interdum vi nimiæ amaritudinis, etiam adventum hostium postulantes, aliquando à Deo impetrarunt, ut eversionẽ tandem à barbaris in commune tolerarent, quam soli ante à Romanis toleraverant. *libro septimo de gubernatione Dei.*

Ennodius: Illa ipsa mater civitatum Roma juvenescit, marcida senectutis membra resecando. Date veniam, Lupercalis genii sacra rudimenta: plus est occasum repellere, quàm dedisse principia. *Paneg. Theod. cap. 16. pr.*

§ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Brutus Milesiis: Non est in civitate ferendum, ut pecuniis egeat. Paupertas enim longè antè cautio & prospectio esse debet. Quod autem in tanta multitudine, non reperiuntur viri, qui se fortiter in pugnam periculumq; offerant, id vero non solum fortunam, sed etiam salutarem justamque sententiam abesse, judicio est. Sin verò, neque virtutem colitis, neque quæ requiruntur ad robur, comparatis, injuria civitatis nomine venire vos scitote. *Epist. 47.*

Milesiorum ad hæc responsio: Et opibus & pugnatoribus carere turpe est & ignominiosum, non quidem iis, quibus privatim non est opus, verum iis potius, qui quamvis domi affluunt, tamẽ quoniam nihil satis est, aliena concupiscunt. Nos autem & animorum causa, & fortunæ in hoc usque tempus, civitatis nomen tueri satis possumus, donec licet non aliis suppeditamus, at ne alienis quidem indigemus. *Epist. 48.*

Apollonius Scribis Ephesiorum: Lapidum in urbe atque picturarum variarum: Item Peripatorum ac Theatrorum, nullus est usus, nisi mens insit & lex. Mens autem ac lex, non hæc, sed ab his sunt. *Epist. 32.*

Idem Milesiis: Liberi vestri patribus indigent, juvenes senibus, mulieres viris, viri principibus, principes legibus, leges philosophis, philosophi diis, dii fide. Ex bonis majoribus estis progeniti, præsentia spernite, odioque habetote. *Epist. 33.*

Aristides Rhetor: Velut in pulcro corpore, ita & in urbis alicujus factis, primum quodque semper pulcherrimum existimo. *Oratione Panathenaica.*

Aristides Rhetor: Duæ sunt omnium civitatum probationes, pax & bellum. *medio ipso Orationis Panathenaicæ.*

Aristides Rhetor: Cùm omnes optimi esse nequeant, tum ex ducis præstantia laudem capit civitas: ita si princeps urbs honorem sortiatur se dignum, is ornatus ad omnes pertinet. *fine Orationis Panathenaicæ.*

Aristides Sophista: Etiamsi nec opibus nec aliis rebus publicè vobis utilis fuisset, qui tamen eum inter Græcos locum tenuit, id vobis meritò sit gloriosum. Ipsius namque gloria in totam civitatem redundat. Nam cum honorificum sit & genti & urbi summum aliquem virum protulisse, vos certè uberrimum præ cæteris fructũ percepistis. Nemo enim tantopere unquam patriam suam celebravit. &c.

Paulò post: Quin imò si Smyrnæis Homeri, Pariis Archilochi, Bœotiis Hesiodi, Cæis Simonidis, Himeræis Stesichori, Thebanis Pindari, Mitylenæis Sapphonis & Alcæi, aliisque populis aliorum virorum ortus gloriosus fuit (Athenas enim nunc omitto) vos etiã meritò de illo, qui hos omnes ornavit & patefecit, jactare vos potestis. *In oratione funebri Alexandri.*

Aristides Rhetor: Alcæus poëta olim protulit, multique postea usurparunt, non lapides nec ligna, nec fabrorum artem civitates efficere; sed ubi viri sint qui seipsos servare norint, ibidem & urbes esse & mœnia. Quocirca Athenienses non revera urbem se relinquere volebat Themistocles, verùm ut in scenâ pro occasione transferre: quemadmodum nec in fabulis actorum quisquam suã perdat naturam, quamvis habitum in præsentia mutet. &c. *Oratione 2. Platonica pro quatuor viris.*

Dio Prusæus: Existimatis enim ô viri, vos ipsos felices & beatos, quod magnam inhabitetis civitatem, & bonam depascatis regionem, & plurima apud vos & copiosissima videatis necessaria, & fluvius vobis iste per mediam fluat civitatem. Præterea accedit his, quòd Tarsus sit metropolis omnium in Cilicia. Archilochus autem, quem Apollini placuisse ajo, de duce loquens ita dicit:

> *Non diligo magnum ducem,*
> *Stupido nec animo praditum,*
> *Nec gloriantem pendula*
> *Cæsarie, & adrasum undique:*
> *Magis sed incurvum probo,*
> *Tutoque qui ponit gradum,*
> *Et qui pilosus mente sit,*
> *Conducat ut quid cogitet.*

Ne igitur illum putetis non diligere quidem ducem, qui talis sit qualem dixit, neq; in corpore magnitudineque & coma ducis ponere utilitatem, civitatem autem laudaturum fuisse unquam horum respectu, aut fluminum aut balneorum, & fontium, & porticuum, & multitudinis domorum, magnitudinisque; hæc enim omnia comæ & cæsariei palam similia sunt: sed mihi magis videtur eum tali fuisse prælaturum, parvam & exiguam, modestè habitatam, etiamsi sita sit supra petram. At Archilochus quidem sic dixit: Homerus verò an non ita quoque? Ulysses sane insulanus erat, neque mediocrium insularum, neque frugiferarum: sed solum quum laudare vellet, dixit eam capris pascendis aptam. Attamen ait huius consilio & sententia Troiam esse captam, tantam civitatem, & tot gentibus imperantem,

> *Quos Lesbos supra locupletum grata virorum*
> *Concludit, sedes quot & in regione morantur*
> *Dice Phrygum infra, & quot magnus tenet Hellespontus.*

Quam ab omnibus ait vocari auro & ære opulentam. Nihil igitur illis profuit divitiarum magnitudo, aut subditorum sociorumque multitudo, aut camporum & Idæ pulchritudo, aut Simoentis aut Xanthi vorticosi,

> —— *Genuit quem Iupiter ipse.*

Quin etiam dicit, & fontes quosdam valde pulchros esse in suburbio, Unum quidem remisse fluentem, & oppido mitis aquæ, ut etiã

fumus

fumus ab eo excitetur, alterum autem frigiditate consimilem glaciei æstate, ita ut tam æstate quam hyeme non difficulter lavare possint pulchræ Trojanorum filiæ. Non solùm autem divitiis & regionis fertilitate & copia præstiterunt, verùm etiam homines formosissimi apud eos nascebantur, & viri & mulieres, & equi velocissimi: & diis chari esse videbantur, & mœnibus fortissimis erant circumsepti. Et mœnia quidē ipsis Neptunus ædificarat, & Apollo. A Jove autem inter omnes sub sole civitates eam præcipuè ait fuisse dilectam: equorum autem velocitas tanta erat, ut etiam in summis possent aristis currere. Ob pulchritudinem verò Ganymedem Jupiter fecit stare ad cyathum: Alexandrum, ex Græcia optima quæ illic erant mulierum secuta est: at Cassandram Homerus Venere non inferiorem forma ait. Attamen postquam deliciæ & incontinentia ad eos sunt ingressæ, atque eruditione & modestia nihil se putarunt indigere, longè omnium infelicissimi evaserunt. Nonne per omnem terram illorum calamitates sunt divulgatæ? & nihil illis profuit neq; equorum velocitas, neque Jupiter, neque Ganymedes: sed à viro ex tam tristi & ignobili civitate oriundo perditi sunt, & prævaluit Ithacæ civis omnes ex Ilio superare, atq; illam latis compitis urbem totam expugnare & capere? Neque enim jam ipsi dii diligunt lascivos & imprudentes & incontinentes, & in superbiam declinantes & socordiam deliciasque.

Quare nolite his confidere, neque amplectimini congratulantem vobis, vosque admirantem sermonem, neq; vehementer eloquentes ad laudandum. Hi enim decipiunt vos, & frustra erigunt, quemadmodum pueros infantes. Sed illum magis, qui vobis vestrorum aliquid delictorum ostensurus sit, & in primis (si fieri poterit) vos ita absoluturus, ut sapiatis: quia propter ea quæ dixi, non estis felices, neq; si Nilus per vestram fluat civitatem, perspicacior Castalia factus: neq; si Pactolus hic visus, non arenulis aurum vobis afferat, sicut ajunt Lydis olim, sed densum tanquam limum: neq; si Ægyptum aut Babylonem ædificiorum sumptuositate superetis. Nam si hæc reddere possunt homines beatos, vel flumen, vel aëris temperies, vel locus terræ, aut portus maris, aut templum aut mœnia, dici non potest quanto Byzantinis illis sitis inferiores, ad ipsum pontum habitantibus paulumq; extra ostium: quibus interdum ultro pisces ejiciuntur: sed tamen nemo dixerit propter pisces beatos esse Byzantinos, nisi pariter & laros. Neq; Aegyptios propter Nilum, neque Babylonem propter mœnia. Nonne Penæus per desertam fluit Thessaliam? Nonne Ladon per vastatam Arcadiam? Nonne ipse Cydnus suprà purior est? Num igitur illic habitantes meliores esse vobis dicetis? Forsan quidem si dicatis, verū dicetis. Quippe deliciarum inexpertos, & astuciarum, eos ego dico melius dicere. Quid autem ipsius Italiæ urbes? Nonne Sybaris quidem quanto magis deliciis studuit, tanto magis disperiit? Croton autem, & Thurii & Metapōtini & Tarentum, quæ tanto quondam fuerunt in vigore, tantamq; habuerūt potentiam, qua civitate jam non sunt desertiores?

Multum esset negotii omnes recitare, qui propter delicias perierunt: Lydos olim, & Medos, & Assyrios antea, postremo Macedonas, qui quondam vilibus erant pannis amicti, & pastores dicti, quique pro panico bellum cum Thracibus gesserant, mox Græcos sibi subjecerunt: cumq; transiissent in Asiam, ad Indos usq; imperium tenuerunt. Postquam verò Persarum bona acceperunt, consecuta eos sunt & mala. Igitur simul sceptra & vestes purpureæ, & Medica mensa, & genus ipsum defecit, ut si quis nunc pertranseat Pellam, ne signum quidem ullum videbit civitatis, sed multas regulas contritas esse in loco. Atqui manent reges civitatum, quas dixi, & gentium, quales & prius erant, & flumina nemo aliò avertit: sed tamen quos sumptuositas & deliciæ attigerint, ii longum tempus perdurare non possunt. Ne enim putetis, arietes & helepoles aliasq; machinas ita civitates evertere, ut delicias: sive quis virum eversum videre velit, sive civitatem.

Non flumen est, neque campus, neq; portus, qui civitatem faciat felicem: neq; pecuniarum multitudo, neq; ædificiorum, neq; deorum thesauri, quibus nihil afficitur divinitas: neq; si quis in civitates montes quosdam & saxa cum multis ærumnis & laborib⁹ infinitisq; sumptibus transferat: sed modestia sapientiaque, ea sunt quæ conservant, ea faciunt utentes beatos, ea diis sunt accepta: nō thus, neq; myrrha alicunde, neque radices, neq; arborum lachrymæ, neque Indorum aut Arabum sarmenta. Vos autem, si fortuna quadam flumen immutatur, aut fluit turbior, molestè fertis: & illis qui primum apud vos peregrinantur, causam dicitis: mores autem civitatis quum videatis immutatos pejoresq; factos, semperq; magis fieri perturbatiores, non curatis. Et aquam quidem non solum bibere vultis puram, sed etiam videre: mores autem puros & moderatos non quæritis.

Verùm sæpius aliquos audire licet, Num nos soli sumus immutati, & non ferè omnes? Est autem hoc ejusmodi, ut si quis in pestilentia, eo quod omnes aut plurimi ægrotent, nullam velit salutis suæ habere rationem, ut eam tueatur: aut (per Jovem) si tempestate jactatus in mari, omnesq; videat qui sunt in navi periclitantes, ipse suam negligat salutem. Quid autem, si tota submergatur classis? An propterea id quod accidit, minus est absurdum? Quid igitur nos peccamus? *Oratione 33.*

Dio Prusæus: Et quum multas innominatas civitates, tum verò multos locupletes vicos habetis subjectos. Indicium autem vestræ potentiæ maximum est, tributorum multitudo. Quemadmodum (opinor) ea jumenta fortissima videntur, quæ plurimùm trahunt: ita & civitates verisimile est optimas esse, quæ plurimùm argenti solvunt. Adhæc judicia alternis annis apud vos fiunt, & congregatur multitudo hominum infinita, jure agere volentium, judicantium, rhetorum, præfectorum, ministrorum, servorum, lenonum, mulionum, cauponum, meretricum & opificum: ut venalia qui habent, maximo distrahant pretio, nihilque sit ociosum in civitate, neq; juga, neq; ædes, neq; mulieres. Hoc autem non modicum momentum est ad felicitatem. Ubi enim quamplurimæ hominum turbæ conveniunt, ibi plurimum etiam argentum necesse est confici, & locum illum verisimile est omnib⁹ abundare: quemadmodum ajunt terram eam ubi oves stabulantur, optimam esse agricolis, propter stercus: pastoresq; rogantur à multis, ut oves apud ipsos stabulentur. Quapropter maximum ego reor esse ad civitatis robur, judiciorum conventus, & nullam ob rem omnes tantū adhibuere studium. Illarum autem jus habent insigniores civitates vicissim annis alternis. Ajunt autem longius nunc tempus una in civitate duratura. Homines enim perferre nolle, ut assiduè huc illuc pellantur. Quin etiam in templis Asiæ jus vobis est: sumptus verò tantos confertis, quantos illæ civitates in quibus templa sunt. Igitur ego sane hanc nullam feliciorem novi civitatem, neque homines melius viventes, exceptis Indis. Illic enim (ut aiunt) flumina, non aquæ, ut apud vos, fluunt; sed hoc quidem lactis, illud verò limpidi vini, aliud autem mellis, aliud olei. Fluunt autem è propinquo, è collibus, tanquam ex terræ mamillis. *Oratione 35.*

Dio Prusæus: At civitatem operibus contristavi. De his verò ut facta sint, sæpius audivistis. Oportet autem & nunc forsan etiam in memoriam revocare. Ego enim, ô viri, quòd civitatem velim ornatam & instructam, non porticibus solum & aquis, verùm etiam, si fieri potuisset, mœnibus & portubus, navalibusq; confiteor: atq; nunc esse ita apud me amorem, sive cum puerilem sive stultum quis dicat, haud nego. Et, quod nunc quoque velim à multis habitari civitatem; hominumque multitudinem in eam quantam possem deducere, non solum indigenarum, sed si fieri possit, etiā alias huc civitates convenire. Quemadmodum Epaminondas olim Bœotiā deduxit in Thebas, & Theseus Atticam in Athenas; & Milesii olim dicuntur, qui Aeolidem obtinerent, & loca circa Hellespontum & Troada, omnemque Lesbon, in unam ipsorum congregati esse civitatem. *Oratione 45.*

§ ROMANORUM.

Latinus Pacatus: Magnas urbes ingressi, solemus primum sacras ædes & dicata Numini summo delubra visere, tum fora atque gymnasia, & pro suis extenta porticibus ambula miramur. &c. *cap. 21. Panegyrici Theodosio Aug. dicti.*

Vegetius: Agrestem incultamque hominum in initio sæculi vitam, à communione brutorum animalium vel ferarum, urbium constitutio prima discrevit. In his nomen reipublicæ peperit communis utilitas. Ideo potentissimæ nationes & principes consecrati, nullam majorem gloriam putaverunt, quàm aut fundare novas civitates, aut ab aliis conditas in nomen suum sub quadam amplificatione transferre. In quo opere clementia serenitatis tuæ obtinet palmam. Ab aliis enim vel paucæ, vel singulæ, à pietate tua innumerabiles urbes ita jugi labore perfectæ sunt, ut non tam humana manu conditæ, quàm divino nutu videantur paratæ. Cunctos itaque Imperatores felicitate, moderatione, castimonia, indulgentiæ exemplo, studiorum amore præcellis. Regni animique tui bona cernimus: & tenemus, quæ anticipare & superior optavit ætas, & extendi in perpetuum ventura desiderat. Quibus rebus tantum universo orbi præstitum gratulamur bonum, quantum vel humana mens petere, vel gratia potuit divina conferre. Sed dispositionibus vestræ clementiæ, quantum profecerit murorum elaborata constructio, Roma documentum est, quæ salutem civium Capitolinæ arcis defensione servavit, ut gloriosius postea totius orbis possideret imperium. Ad complementum ergo operis majestatis vestræ præceptione suscepti, rationes quibus vel nostræ civitates defendendæ sunt, vel hostium subruendæ, ex diversis autoribus in ordinem digeram: nec laboris pigebit, cum omnibus profutura condantur. *Prologo libri quarti.*

Idem: Urbes atque castella aut natura muniuntur, aut manu, aut utroque, quod firmius ducitur. Natura, aut loco edito vel abrupto, aut circumfuso mari sive paludibus, vel fluminibus. Manu, fossis, ac muris. In nullo naturali beneficio, tutissimo eligentis consilio, in plano quæritur fundantis industria. Videmus antiquissimas civitates ita in campis patentibus constitutas, ut deficiente auxilio locorum, arte tamen & opere redderentur invictæ. *Civitates aut opere, aut natura, aut utrique debere muniri. Cap. 1.*

Idem: Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus arietum esset expositus, sed sinuosus anfractibus jactis fundamentis clausere urbes, crebrioresque turres in ipsis angulis ediderunt propterea: quia si quis ad murum tali ordinatione constructum, ut scalas, vel machinas voluerit admovere, non solum à fronte, sed etiam à lateribus & propè à tergo veluti in sinum circumclusus opprimitur. *Non directos, sed angulosos muros faciendos. Cap. 2.*

Vege-

Vegetius: Murus autem, ut nunquam poſſit elidi hac ratione perficitur. Intervallo vicenûm pedũ interpoſito, duo intrinſecus parietes fabricantur. Deinde terra, quæ de foſſis fuerit egeſta, inter illos mittitur, vectibuſque denſatur: ita ut à muro primus paries parum inferior, ſecundus lõgè minor ducatur, ut de plano civitatis ad ſimilitudinem graduum quaſi clivo, molliuſque ad pugnacula poſſit aſcẽdi. Quia nec murus ullis poteſt arietibus rũpi, quem terra confirmat, & quovis caſu deſtructis lapidibus, ea quæ inter parietes denſata fuerit, ad muri vicem ingruentibus moles obſiſtit. *Quemadmodum muris terra jungatur egeſta. cap.* 3.

Idem: Cavetur præterea, ne portæ ſubjectis ignibus exurantur. Propter quod ſunt coriis & ferro tegẽdæ. Sed amplius prodeſt quod invenit antiquitas, ut ante portam addatur propugnaculum, in cujus ingreſſu ponitur cataracta, quæ annulis ferreis ac funibus pendet, ut ſi hoſtes intraverint, demiſſa eadem extinguantur incluſi. Ita tamen ſupra portam murus eſt ordinandus, ut accipiat foramina per quæ de ſuperiore parte effuſa aqua, ſubjectum reſtringat incẽdium. *De cataractis, & portis, ne exurantur ab ignibus. cap.* 4.

Idem: Foſſæ a. ante urbes latiſſimæ altiſſimæq; faciendæ ſunt, ut nec facilè poſſint coæquari replerique ab obſidentibus, & cùm aquis cœperint inundari, ab adverſario cuniculum continuari minimè patiantur. Nã duplici modo opus ſubterraneũ peragi, earum inundatione & altitudine prohibetur. *De foſſis faciendis. cap.* 5.

Vegetius: Formidatur, ne multitudo ſagittariorum, de propugnaculis exterritis defenſoribus, appoſitiſque ſcalis, occupet murum. Adverſum quod cataphractas atq; ſcuta in civitatibus debent habere quàm plurimi. Deinde propugnacula duplicia, ſaga ciliciá que tenduntur, quæ impetum excipiunt ſagittarum. Nec n. facilé tranſeũt ſpicula, quòd cedit ac fluctuat. Inventũ quoq; remediũ eſt, ut de ligno crates facerent, quas metellas vocaverunt, lapidibúſque complerent: ea arte inter bina propugnacula conſtitutas, ut ſi per ſcalas aſcendiſſet hoſtis, & partem aliquam ipſius contigiſſet, ſuper caput ſuum vergeret ſaxa. *Ne ſagittis hoſtium homines lædãtur in muro. cap.* 6.

Idem: Multa defenſionum oppugnationumq; ſunt genera, quæ locis competentibus inſeremus. Nunc ſciẽdum eſt, obſidendi duas eſſe ſpecies. Unam, cum adverſarius opportunis locis præſidiis ordinatis, continuis inſultibus impugnat obſeſſos. Alterã, cùm vel aqua prohibet incluſos, vel deditionem ſperat à fame, quando omnes prohibuerit commeatus. Hoc enim conſilio, ipſe ocioſus ac tutus fatigat inimicum. Ad quos caſus, poſſeſſores, quamvis levi ſuſpicione pulſati, omnem alimoniam victus intra muros debẽt ſtudioſiſſimè collocare, ùt ipſis exuberet ſubſtantia, adverſarios inopia cogat abſcedere. Non ſolum a. porcinum, ſed & omne animaliũ genus, quod incluſum ſervari non poteſt, deputari oportet ad lardum, ut adminiculo carnis frumenta ſufficiant. Aves autem cortales, & ſine impenſa in civitatibus nutriuntur, & propter ægrotantes ſunt neceſſariæ. Pabula equis ſunt præcipuè congerẽda, & quæ apportari nequiverint, exurenda. Vini, aceti, ceterarumque frugum vel pomorũ congerendæ ſunt copiæ, nihilq; quod uſui proficiat, hoſtibus relinquendũ eſt. Nã ut hortorũ cura in viridariis domorum, vel areis exerceatur, utilitatis ac voluptatis ratio perſuadet. Parum a. proficit plurimũ collegiſſe, niſi ab exordio dimenſione ſalubri per idoneos procuratores erogatio temperetur. Numquam periclitati ſunt fame, qui frugalitatem inter copiã ſervare cœperũt. Imbecillis quoq; ætas ac ſexus propter neceſſitatẽ victus portis frequẽter excluſa eſt, ne penuria opprimeret armatos, à quibus mœnia ſervabantur. *Quibus modis providendum ſit, ne famem patiantur obſeſſi. cap.* 7.

Idem: Exurimenta, bitumen, ſulphur, picem liquidam, oleum, quod incendiarium vocant, ad exurendas hoſtium machinas, convenit præparare: ad arma facienda ferrum utriuſque temperaturæ, & carbones ſervantur in conditis: ligna quoq; haſtilibus ſagittiſq; neceſſaria reponuntur. Saxa rotunda de fluviis, quia pro ſoliditate graviora ſunt & aptiora mittentibus, diligentiſſime colligũtur, ex quibus muri replentur & turres. Minima fundis ſive fuſtibalis vel manibus jacienda. Majora per onagros dirigũtur. Maxima vero põdere, formáque volubili, in propugnaculis digeruntur, ut dimiſſa per præceps, non ſolùm obruãt ſubeuntes, ſed etiã machinamenta confringãt. Rotæ quoq; de lignis viridibus ingentiſſimæ fabricantur, vel interciſi ex validiſſimis arboribus cylindri (quas taleas vocãt) ut ſint volubiles lævigantur: quæ per pronum labentia ſubito impetu bellatores ſternunt, èoſq; ſolẽt deterrere. Trabes quoq; & tabulata, vel diverſæ magnitudinis clavos ferreos eſſe oportet in promptu. Nã opugnantium machinis per alias machinas conſuevit obſiſti, præcipuè cum ſubitis operibus addenda ſit muris vel propugnaculis altitudo, ne adverſariorũ mobiles turres ſupereminẽãt; & capiant civitatem. *Quæ ſpecies præparanda ſint pro defenſione murorum. cap.* 8.

Vegetius: Nervorum quoq; copiam ſummo ſtudio expedit colligi: quia onagri vel baliſtæ ceteraque tormenta, niſi funibus nervinis intenta, nihil proſunt. Equorũ tamen ſetæ de caudis ac jubis ad baliſtas utiles aſſeruntur. Indubitanter verò & crines feminarũ in ejuſmodi tormentis non minorẽ habere virtutem, Romanæ neceſſitatis experimento cognoſcitur. Nam in obſidione Capitolii corruptis jugi ac longa fatigatione tormentis, cùm nervorum copia defeciſſet, matronæ abſciſſos crines viris ſuis obtulere pugnantibus, reparatiſq; machinis adverſariorum impetum repulerunt. Maluerunt enim pudiciſſimæ feminæ deformato ad tempus capite liberè vivere cum maritis, quàm hoſtibus integro decore ſervire. Cornua quoque vel cruda coria proficit colligi ad cataphractas tegendas, aliaque machinamenta ſive munimina. *Quid faciendum, ſi nervorum defuerit copia. cap* 9.

Idem: Magna urbis utilitas eſt, cùm perennes fontes murus includit. Quòd ſi natura non præſtat, cujuslibet altitudinis effodiendi ſunt putei, aquarumque hauſtus funibus extrahendi. Sed interdum ſicciora ſunt loca, quæ montibus ſunt ſaxiſq; munita, in quibus ſuperpoſita caſtella extra murum inferiores reperiunt fontium venas, ac de propugnaculis vel turribus deſtinatis protegunt telis, ut aquatoribus liber præſtetur acceſſus. Quod ſi ultra jactum teli, in clivo tamen civitatis ſubjecta ſit vena, caſtellum parvulum (quẽ Burgum vocant) inter civitatem & fontẽ convenit fabricari, ibique baliſtas ſagittarioſque conſtitui, ut aqua defendatur ab hoſtibus. Præterea in omnibus publicis ædificiis, multiſque privatis, ciſternæ ſunt diligentiſſimè ſubſtruendæ, ut receptacula aquis pluvialibus, quæ de tectis effluunt, præſtent. Difficilè enim vincit ſitis eos, qui quãvis exigua aqua ad potũ tantum in obſidione ſunt uſi. *Quid faciendum, ne aqua inopiam patiantur obſeſſi. cap.* 10.

Idem: Si maritima ſit civitas, & ſal defuerit, liquor ex mari ſumtus, per alveos atq; patula vaſa diffunditur, qui à calore ſolis duratur in ſalem. Quod ſi hoſtis ab unda prohibeat (nam hoc ſæpe accidit) harenas, quas exagitatum ventis mare ſuperfuderat, aliquãdo colligunt, & dulci aqua eluunt, quæ ſole ſiccata nihilominus mutatur in ſalem. *Si ſal defuerit, quid faciendum. cap.* 11.

Vegetius: Violenta autem impugnatio, quando caſtellis vel civitatibus præparatur, mutuo utrinq; periculo, ſed majore oppugnantium ſanguine exercentur luctuoſa certamina. Illi enim qui muros invadere cupiunt, terrifico apparatu expoſitis copiis, in ſpẽ deditionis formidinem geminant, tubarum ſtrepitu hominumq; permixto. Tunc, quia timor magis frangit inſuetos, primo impetu ſtupentibus oppidanis, ſi diſcriminum experimenta non norunt, dum admotis ſcalis invaditur civitas, reſiſtere debent omni virtute. Quòd ſi à fidentibus ſive militaribus viris repellatur prima congreſſio, ſtatim clauſis creſcit audacia, & jam non terrore, ſed viribus & arte confligitur. *Quid faciendum, cum primo impetu venitur ad muros. cap.* 12.

Idem: Admoventur etiam teſtudines, arietes, falces, vinei, plutei, muſculi, turres, de quibus ſingulis qualiter fabricentur, quo etiam pacto prœlientur, vel repellantur, ediſſeram. *Enumeratio machinarum, quibus muri oppugnantur. cap.* 13.

Idem: De materia ac tabulatis teſtudo contexitur, quæ ne exuratur incendio, coriis vel ciliciis centonibusq; veſtitur. Hæc intrinſecus accipit trabem, quæ aut adunco præfigitur ferro, & falx vocatur, ab eo quod incurva eſt, ut de muro extrahat lapides: aut certè ipſius caput veſtitur ferro, & appellatur Aries: vel quòd habet duriſſimam frontem, quæ ſubruat muros; vel quod more arietum retrocedit, ut cum impetu vehementius feriat. Teſtudo a. à ſimilitudine vera teſtudinis vocabulũ ſumpſit: quia ſicut illa modò reducit, modò profert caput, ita machinamentũ interdum reducit trabem, interdum exerit, ut fortius cædat. *De ariete, falce, teſtudine, cap.* 14.

Idem: Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari barbaricoq; uſu cauſias vocant. E lignis levioribus machina colligatur, alta pedibus octo, lata pedibus ſeptem, longa pedibus ſex. Hujus tectum munitione duplici, tabulatis cratibuſq; contexitur. Latera quoq; vimine ſepiũtur, ne ſaxorũ telorúmq; impetu penetrẽtur. Extrinſecus a. ne immiſſo concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis vel centonibus operitur. Iſtæ, cùm plures factæ fuerint, jungũtur in ordinem, ſub quibus ſubſidentes tuti ad ſubruenda murorũ penetrant fundamenta. Plutei dicuntur, qui ad ſimilitudinem abſidis contexuntur è vimine, & ciliciis vel coriis proteguntur, terniſque rotulis, quarum una in medio, duæ in capitibus apponuntur, in quamcumq; partem volueris admoventur more carpenti: quos obſidentes applicant muris, eorumque munitione protecti, ſagittis ſive fundis vel miſſilibus defenſores omnes de propugnaculis civitatis exturbant, ut ſcalis aſcendendi facilior præſtetur occaſio. Agger autem ex terra ligniſque extollitur contra murum, de quo tela jactatur. *De vineis, pluteis, & aggere. cap.* 15.

Idem: Muſculos dicunt minores machinas, quibus protecti bellatores, ſi lutum obfuerit, aut civitatis foſſatum, apportatis lapidibus, lignis, ac terra, non ſolum complent, ſed etiam ſolidant, ut turres ambulatoriæ ſine impedimento jungantur ad murum. Vocantur autem à marinis beluis Muſculi. Nam quemadmodum illi, cum minores ſint, tamen balenis auxilium adminiculumque jugiter exhibent: ita iſtæ machinæ breviores, deputatæ turribus magnis, adventui illarum parant viam, itineraque præmuniunt. *De Muſculis. cap.* 16.

Vegetius: Turres autem dicuntur machinamenta, ad ædificiorum ſpeciem, ex trabibus tabulatiſque compacta: & ne tantum opus hoſtili concremetur incendio, diligentiſſime ex crudis coriis vel centonibus communita, quibus pro modo latitudinis additur altitudo. Nam interdum tricenos pedes per quadrum, interdum quadragenos vel quinquagenos latæ ſunt. Proceritas autem ipſarum tanta fit, ut non ſolum muros, ſed etiam turres lapideas altitudine

ſuperent. His plures rotæ mechanica arte ſubduntur, quarum lapſu volubili magnitudo tam ampla movetur. Præſens autem periculũ civitatis eſt, ſi ad murum fuerit turris admota. Plures enim accipit ſcalas, & diverſo genere conatur irrumpere. Nam in inferioribus habet arietem, cujus impetu deſtruit muros: circa mediã verò partem accipit pontem, factum de duabus trabibus, ſeptumq; de vimine, quem ſubito prolatum inter turrim murumque conſtituunt, & per eum egredientes de machina bellatores in civitatem tranſeunt, & occupant muros. In ſuperioribus autem turris illius partibus cõtati, & ſagittarii collocantur, qui defenſores urbis ex alto contis, miſſilibus, ſaxiſq; proſternant. Quo facto civitas capitur ſine mora. Quid enim auxilii ſupereſt, cùm hi qui de murorum altitudine ſperabant, repentè ſupra ſe aſpiciant altiorem hoſtium murum? *De turribus ambulatoriis. cap.* 17.

Idem: Huic tam manifeſto diſcrimini multis occurritur modis. Primum ſi confidentia vel virtus eſt militaris, eruptione facta, globus egreditur armatorum, & vi hoſtibus pulſis machinamentum illud ingens direptis coriis de lignis exurit. Quòd ſi oppidani exire non audeant, majores baliſtas, malleolos, vel phalaricas cum incendio deſtinant, ut perruptis corijs vel centonibus, intrinſecus flãma condatur. Malleoli velut ſagittæ ſunt, & ubi adhæſerint (quia ardentes ſunt) univerſa conflagrant. Phalarica autem ad modum haſtæ valido præfigitur ferro, inter tubum & haſtile ſulphure, reſina, bitumine, ſtupiſque convolvitur infuſo oleo, quod incendiarium vocant, quæ baliſtæ impetu deſtinata, perrupto munimine ardens figitur ligno, turritamque machinam frequenter incendit. Depoſiti quoque homines funibus, cùm hoſtes dormiunt in laternis portant lucernas, & incenſis machinis rurſus levantur in murum. *Quemadmodum ambulatoria turris poſſit incendi. cap.* 18.

Idem: Præterea partem muri, ad quam machina conatur accedere, cæmento atque lapidibus, vel luto, ſine lateribus, poſtremò tabulatis extruendo faciunt altiorem, ne defenſores mœnium deſuper urbi ventura poſſit opprimere. Conſtat autem inefficax machinamentum reddi, ſi inveniatur inferius. Verùm obſidentes ejuſmodi dolum adhibere conſueverunt. Primò talem extruunt turrẽ, quæ propugnaculis civitatis videatur inferior. Deinde ſecretò aliã de tabulatis intrinſecus turriculam faciunt, & cùm muris fuerit machina ſociata, ſubitò funibus trochleiſq; de medio turricula illa producitur, de qua egredientes armati (quia altior invenitur) ſtatim capiunt civitatem. *Quemadmodum altitudo muris addatur. cap.* 19.

Idem: Interdum longiſſimas ferrataſque trabes opponũt machinæ venienti, eámque à muri vicinitate propellunt. Sed cum Rhodiorum civitas oppugnaretur ab hoſtibus, & turris ambulatoria murorum altitudinem ac turrium omnium ſuperaret, mechanici ingenio inventum eſt tale remedium. per noctem ſub fundamento muri cuniculum fodit, & illum locum, ad quem die poſtero turris fuerat promovenda, nullo hoſtium ſentiente, egeſta terra cavavit intrinſecus: & cum rotis ſuis moles fuiſſet impulſa, atque ad locum qui ſubtus cavatus fuerat; perveniſſet, tanto ponderi ſolo cedente, ſubſedit, ut nec jungi muris, aut moveri ulterius potuerit. Ita & civitas liberata eſt, & derelicta machina. *Quo pacto ſuffodiatur terra, ut machina nocere non poſſit. cap.* 20.

Vegetius: Admotis turribus, funditores lapidibus, ſagittarii jaculis, manubaliſtarii vel arcubaliſtarij ſagittis, jaculatores plumbatis ac miſſilibus, è muris ſubmovent hoſtes. Hoc facto, ſcalis appoſitis occupant civitatem. ſed qui ſcalis nituntur, frequenter periculum ſuſtinent, exemplo Capanei, à quo primum hæc ſcalarum oppugnatio perhibetur inventa: qui tanta vi occiſus eſt à Thebanis, ut extinctus fulmine diceretur. Et ideo ſambuca, exoſtra, & tollenone obſidentes in murum hoſtium penetrant. Sambuca dicitur à ſimilitudine citharæ. Nam quemadmodum in cithara chordæ ſunt, ita in trabe, quæ juxta turrim ponitur, funes ſunt, qui põtem de ſuperiore parte trochleis laxant, ut aſcendat ad murum, ſtatimque de turri exeunt bellatores, & per eum tranſeuntes mœnia urbis invadunt. Exoſtra dicitur pons, quem ſuperius expoſuimus, qui de turri in murum repente protenditur. Tolenon dicitur, quoties una trabes in terram præaltè defigitur, cui in ſummo vertice alia tranſverſa trabes longior dimenſa medietate connectitur, eo libramento, ut ſi unum caput depreſſeris, aliud erigatur. In uno ergo capite cratibus ſive tabulatis contexitur machina, in qua pauci collocantur armati. Tunc per funes uno attracto depreſſoque, alio capite elevati imponuntur in murum. *De ſcalis, ſambuca, exoſtra, & tollenone. cap.* 21.

Idem: Adverſum hæc obſeſſos defendere conſueverunt baliſtæ, onagri, ſcorpiones, arcubaliſtæ, fuſtibali, ſagittarii, fundæ. Baliſta funeribus, nervis, chordiſque tenditur, quæ quanto prolixiora brachiola habuerit, hoc eſt, quanto major fuerit, tanto ſpicula longius emittit: quæ ſi juxta artem mechanicam temperetur: & ab exercitatis hominibus, qui menſuram ejus antè collegerint, dirigatur, penetrat quodcunque percuſſerit. Onager autem dirigit lapides, ſed pro nervorum craſſitudine & magnitudine, ſaxorum põdera jaculatur. Nam quanto amplior fuerit, tanto majora ſaxa fulminis more contorquet. His duobus generibus nulla tormentorum ſpecies vehementior invenitur. Scorpiones dicebant, quas nunc manubaliſtas vocant: ideo ſic nuncupatos, quod parvis ſubtilibuſque ſpiculis inferant mortem. Fuſtibalos, arcubaliſtas & fundas deſcribere ſuperfluum puto, quæ præſens uſus agnoſcit: ſaxis tamen gravioribus per onagrum deſtinatis, non ſolum equi eliduntur & homines, ſed etiam hoſtium machinamenta franguntur. *De baliſtis, onagris, ſcorpionibus, arcubaliſtis, fuſtibalis, fundis, per quæ tormenta defenditur murus. cap.* 22.

Idem: Adverſum arietes etiam vel falces, ſunt plura remedia. Aliquanti centones & culcitras fuſtibus calcant, & illis opponunt locis, qua cædit aries, ut impetus machinæ materia molliore fractus, non deſtruat murum. Alij laqueis captos arietes, per multitudinẽ hominum de muro in obliquum trahunt, & cum ipſis teſtudinibus evertunt. Plures in modum forficis denatum funibus illigant ferrum, quem lupum vocant, apprehenſumque arietem, aut avertunt, aut ita ſuſpendunt, ut impetum non habeat feriendi. Interdum baſes ſolumnæque marmoreæ vibrato impetu jaciuntur è muris, arieteſque confringunt. Quod ſi tanta vis fuerit, ut murus arietibus perforetur, & (ſæpe accidit) decidat, ſalutis una ſpes ſupereſt, ut deſtructis domibus alius intrinſecus murus addatur, hoſteſque inter binos parietes (ſi penetrare tentarint) perimãtur. *Adverſum arietes proſunt culcitra, laques, lupi & colũna graviores. cap.* 23.

Idem: Aliud genus oppugnationis eſt ſubterraneum atque ſecretum, quod cuniculum vocant: à leporibus, qui cavernas ſub terris fodiunt, ibique conduntur. Adhibita ergo multitudine ad ſpeciem metallorum, in quibus auri argentique venas Beſſorum rimatur induſtria, magno labore terra defoditur, cavatóq; ſpecu in exitium civitatis inferna quæritur via: quæ fraus duplicibus operatur inſidiis. Aut enim penetrant urbem, & noctu non ſentientibus oppidanis egrediuntur per cuniculum, reſeratiſque portis ſuorum agmen ducunt, hoſteſque in ipſis domibus perimunt ignorantes: aut certè cum ad murorum fundamenta pervenerint, ſuffodiunt eorum maximam partem & appoſitis ſiccioribus lignis, ruinam muri tumultuario opere ſuſpendunt. Sarmenta inſuper jungunt, aliaque fomenta flammarum. Tunc præparatis bellatoribus ſubter ignis immittitur, combuſtiſque columnis ligneis atque tabulatis, muro ſubitò corruente, irruptione aditus reſeratur. *De Cuniculis, per quos murus defoditur, aut civitas penetratur. cap.* 24.

Idem: Innumerabilibus declaratur exemplis, ſæpe cæſos ad internecionem hoſtes, qui invaſerant civitatem. Quod ſine dubio evenit, ſi oppidani muros ac turres obtinuerint, vel altiora occupaverint loca. Tunc enim de feneſtris ac tectis omnis ætas ac ſexus irrumpentes obruunt ſaxis, alijſque generibus telorum: quod ne ſuſtineant obſidentes, portas civitatis aperire conſueverunt, ut reſiſtere deſinant, fugiendi poteſtate conceſſa. Neceſſitas enim quædã virtutis eſt deſperatio. In hoc caſu unum oppidanis auxilium eſt, ſive per diem, ſive per noctem hoſtis intraverit, ut muros turreſque teneant, ac loca ſuperiora conſcendant, hoſteſque per vicos & plateas undique obruant dimicantes. *Quid facere debeant oppidani, ſi hoſtis irruperit civitatem. capite* 24.

Vegetius: Frequenter dolum excogitant obſidentes, ac ſimulata deſperatione longius abeunt. Sed ubi poſtmodum, murorum vigiliis derelictis, requieverit incauta ſecuritas, tenebrarum ac noctis occaſione captata, cum ſcalis clanculum veniunt, muroſque conſcendunt. Propter quod major eſt adhibenda cuſtodia, cùm hoſtis abſceſſerit, & in ipſis muris ac turribus tuguriola collocanda, in quibus vigiles hybernis menſibus, ab imbribus vel frigore, æſtivis defendantur à ſole. Illud quoque uſus invenit, ut acerrimos ac ſagaciſſimos canes in turribus nutriant, qui adventum hoſtium odorare præſentiant, latratúque teſtentur. Anſeres quoque non minore ſolertia nocturnos ſuperventus clamoribus indicant. Nam ingreſſi Capitolinam arcem Galli, Romanum nomen eruerant, niſi clamore anſeris excitatus Manlius reſtitiſſet. Mira diligentia ſive fortuna viros, qui univerſum orbem erant miſſuri ſub jugum, avis una ſervavit. *Qua ſit adhibenda cautela, ne hoſtes furtim occupẽt murum. cap.* 26.

Idem: Non ſolum in obſidionibus, ſed in univerſo genere bellorum ſupra omnia ducitur, hoſtium conſuetudinem explorare diligẽter, ac noſſe. Oportunitas n. inſidiarum aliter non poteſt inveniri, niſi ſcias, quibus horis adverſarius à laboris intentione diſcedat, quibus reddatur incautior: interdũ ad veſperum, ſæpe nocte, aliquando eo tẽpore, quo ſumitur cibus, cùm utriuſq; partis milites ad requiẽ aut curanda corpora diſperguntur. Quod in civitate cùm cœperit fieri, obſidentes aſtu ſe prœlio ſubtrahũt, ut adverſariorũ negligentiæ licentiã tribuant. Quæ ipſa impunitate cùm creverit, repentè admotis machinis, vel appoſitis ſcalis occupant civitatẽ. Et ideo in muris ſaxa ceteráq; tormẽta ponuntur in promtu, ut cognitis inſidiis accurrẽtes, ad manũ habeant quod ſupra, capita hoſtiũ evolvãt atq; jaculẽtur. *Quomodo oppidanis inferantur inſidiæ. cap.* 27.

Idem: Cũ negligẽtia intervenerit paribus inſidiis ſubjacẽt obſidẽtes. Nã ſive cibo, ſive ſomno fuerint occupati, ſive ocio aut aliqua neceſſitate diſperſi, tunc oppidani repentè prorũpunt, ignorãtes perimunt, arietes, machinas, ipſosq; aggeres ignibus concremant, omniáq; in pernitiẽ ſuã fabricata opera ſubvertũt. Propter quod obſidẽtes ultra jactũ teli foſſam faciũt, eámq; non ſolũ vallo & ſudibus, ſed etiã turriculis inſtruũt, ut erumpentibus ex civitate poſſint obſiſtere, quod opus Loriculã vocãt, & ſæpe cùm obſidio deſcribitur, invenitur in hiſtoriis, Loricula urbẽ eſſe circumdatam. *Quid faciant obſidentes, ne ab oppidanis patiantur inſidias. cap.* 28.

Idem

Idem: Sed ex alto destinata missilia, sive plumbatæ, sive lanceæ, veruta, vel spicula in subjectos vehementius cadunt. Sagittæ qu q; arcubus missæ, & saxa manibus, fundis, sive fustibalis directa; quanto de excelsiori loco exeunt, tanto longius penetrant. Balistæ verò & onagri, si à peritis diligentissimè temperantur, universa præcidunt, à quibus nec virtus ulla, nec munimina possunt defendere bellatores. Nam more fulminis quicquid percusserint, aut dissolvere, aut irrumpere consueverunt. *Quo genere tormentorum civitates defendantur. Cap.* 29.

Vegetius: Ad capiendos muros, scalæ vel machinæ plurimum valent, si ea magnitudine compactæ fuerint, ut altitudinem exuperent civitatis. Mensura autem colligitur duplici modo: aut enim linum tenue & expeditum uno capite nectitur in sagitta, quæ cùm ad muri fastigia directa pervenerit, ex mensura lini, murorum altitudo deprehenditur: aut certè cùm sol obliquus umbram turrium murorumque jaculatur in terram, tunc ignorantibus adversariis, umbræ illius spatium mensuratur. Itemque decempeda figitur, & umbra ipsius similiter mensuratur. Quo collecto, nemo dubitat, ex umbra decempedæ inveniri altitudinem civitatis, cùm sciatur, quantum umbræ mittat in longum. Quæ ad oppugnandas vel defendendas urbes autores bellicarum artium prodiderunt, vel quæ recentior necessitatum usus invenit, pro publica (ut arbitror) utilitate digessi, illud iterumque commonens, ut solertissimè caveatur, ne quando aut potus inopia emergat, aut cibi, quibus malis nulla arte succurritur; ideoque intra muros tanto plura condenda sunt, quanto scitur clausuræ tempus in obsidentium potestate consistere. *Quemadmodum mensura colligatur ad scalas vel machinas faciendas. Cap.* 30.

¶ Poetarum.

Aristophanes Vespis v. 1227.

At magnum ille furens habes imperium, ô bene,
Neque tu urbem quate: vergit ad exitium satis.

Ausonius de Priamo.

Ast ego quum lacerum sine nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illic & natos, Troiamq; Asiamq; sepultam
Inveni: & nostrum quidquid ubiq; jacet.

Ausonius de Tolosa.

Qua modò quadruplices ex se cùm effuderit urbes,
Non ulla exhausta sentit dispendia plebis:
Quos genuit cunctos gremio complexa colonos.

In Romæ ruinas. Incerti.

Vrbs cecidit; de qua si dignum dicere quidquam
Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.
Non tamen annorum series, non flamma, nec ensis,
Æternum potuere hoc abolere decus.
Cura hominum potuit tantam componere molem,
Quantam non potuit solvere cura Deûm.
Confer opus, marmorq; novum, superûmq; favorem,
Artificum vigilent in nova facta manus;
Non tamen aut fieri par stanti machina muro,
Aut instaurari sola ruina potest.
Tantum restat adhuc, tantum ruit; ut neq; stans pars
Æquari possit, diruta nec refici.

¶ Monosticha Trochaica.

Aeneos habere muros tutius quam terreos.
Antequam obsidebis, alta mœnia an sint noveris.
Aut fame aut siti otiosè quam vis urbem proruas.
Aut manu, aut naturâ, aut utreque, urbem quamvis munias.
Castiganda non vastanda civitates Gracia.
Ceteros, exemplo cladis urbs eversa continet.
Civium mores sint urbi fortibus pro mœnibus.
Civitas qua iam inclinari capit, haud quati debet.
Civitates instaurare promptius quam condere est.
Cuncta atrocia, aut pudenda Romuli in urbem confluunt.
Disciplina ubi est, ibi omnis civitas perflorida est.
Fluminum opportunitate, & ubere agri, urbs florida est.
Fortitudo civitates servat & concordia.
Haud benè urbi est singulis si non & civibus benè est.
Heu quàm non diu steterunt urbium illa sacula!
In fide tenebis urbes non malo verùm bono.
Infimis nascuntur urbes maxima exordiis.
Invenit magna urbs domi hostem si foris fortè haud habet.
Invidiosa res in Vrbe aurum, in sacris vel maximè est.
Iustius furto servantur, quàm evertuntur oppida.
Legibus manus maiores sunt ubi, urbs ibi perit.
Litera urbem non decorant, sed magis mores boni.
Longa quam atas firmat urbem, hora dissolvit brevis.
Lubrica urbs est in qua piscis pluris quam bos veneat.
Mercuri, mage urbi es, quàm Mars turbulentus utilis.
Meta summa apexq; laudum, civitatis est salus.
Mœnia haud evertit aries bellicus primo impetu.
Mœnibus scala altior sit urbem invadere qua cupis.
Mœnibus valloq; virtus se haud tenet, verùm pavor.
Morbus urbis est acutus omnis imo pestifer.
Navis est urbs, nauta civis, esse salvam qui fecit.
Ne leonem alas in urbe: sin, eidem obtemperes.
Nemo vitia singulorum adscribit urbibus.
Non diurnat urbs timoris ac pudoris indiga.
Non modò suis urbs magna gaudet, Orbis ast bonis.
Non potest suam obtinere urbs rem absq; plurimis viris.
Nulla adhuc urbs nata magna est: magna fit de parvula.
Nulla urbs qua non aliquando cives habeat improbos.
Oppidi stantis, quam incensi pulchrius spectaculum est.
Oppidi summum ornamentum, multitudo civium.
Oppugnatur parte murus debilis qua maximè est.
Omnia urbs est in qua forti atq; ignavo datur suum.
Optima urbs in qua increbrescit vox Meum, atq; Nõ meũ.
Parte qua capi haud putatur posse, semper urbs perit.
Periculosum ostendere urbi quanto pluris sint.
Pestilens exhaurit urbes cælum; at non & has feret.
Plena turbis urbs fereq; plena turpitudini est.
Quo volis licet cacare in civitate libera.
Sape flamma civitatem haud obruit, sed expiat.
Sape legibus fundata Vrbs, legibus subvertitur.
Servat urbes fortitudo juncta temperantia.
Si incola bene sunt morata, pulchrè munitum oppidum.
Tam malum haud extinguere, urbem, quam malum est incendere.
Tuta ea urbs sat est gubernat quam fides sat mutua.
Tutior nulla urbs est, urbe quam viri incolunt boni.
Vnda quod lustralis urbi est, ferrum item illi est publicum.
Vrbs beata est, ubi nec dives civis nec pauper nimis.
Vrbs beata, ubi magistrant cives non mali at boni.
Vrbs bonos qua non distinguit à malis, mox corruet.
Vrbs capi solet parte qua omnium tutissima est.
Vrbs est nulla qua sapientem, aut qua sapiens possit pati.
Vrbs, itinera cui sunt arcta, obnoxia est incendiis.
Vrbs quâ maxima est munita parte maximè patet.
Vrbs vel interit hora una: nascitur vix saculo.
Vrbs, velut lyra, est inusui absq; consonantia.
Vrbis est imago non urbs destituta civibus.
Vrbis magnitudo bona, multitudo cui deest.
Vrbi aut hostis aut amicus, salus esto & civibus.
Vrbem una hora evertas annis quam non erigas decem.
Vrbe capta, neminem atas dignitasve protegit.
Vrbium est honorem habere vel privis virtutibus.
Vrbium est ruina robur cui desit prudentia.
Vrbium morbis statim obsta si sanari unquam cupis.
Vrbium muro repenteis hostium impetus caves.
Vrbium pendet salus à pœnis atq; pramiis.
Vrbium portas contra ignes coria ac ferrum protegit.
Vrbium proscriptio, eheu! dignitas sublimium est.
Vrbium turres; virorum sunt corona liberi.
Vrbibus Dei irascuntur qua scelus non puniunt.
Vrbibus magnis honestum; infimis cura est salus.

Jambica.

Aequè urbis est pars, qui paret, quam qui imperat.
Alia egredi urbem quam per portas non licet.
Beatus esse non pote urbe si cares.
Dei absq; ope, absq; ope urbis, nulli vivere est.
Capta urbe vi, victori cedunt omnia.
Captivitas urbis, populi interfectio est.
Cœlum est, manus non victa quidquid condidit.
Contaminamur oppidorum moribus.
Ex initiis nascuntur urbes infimis.
Mirúm ne in urbe si unus est magna malum?
Munitur urbs muro, palude sed magis.
Nascuntur urbes ex initiis infimis.
Nil perdit urbe vir pius capta sui.
Quascunq; lex tuetur urbes ac pudor.
Rerum caput Princeps qui omittit, desipit.
Pœna metu pars maxima urbis est proba.
Sape urbe totum regnum in una vincitur.
Salubritati urbis nocet solis vapor.
Salvum potest quid esse Roma si perit?
Se pascit ipsum rus; macellum urbs postulat.
Senecta in ipsis Vrbibus, res est sacra.
Severitas urbi nocet plus quam bonum est.
Totas levis pernicies urbes non movet.
Vbi est metus in urbe, ibi est modestia.
Vis urbium spectanda non pompa urbium.
Vrbs capta, promptius retinet obsequium integra.
Vrbs florida est, ubi ordo, ubi lex imperat.
Vrbs magna si diu quiescit, corruit.
Vrbs nulla templis, nulla Divis urbs caret.
Vrbis salus ab ipsis pendet legibus.
Vrbis salus cuiusq; constat legibus.
Vrbi tuenda civium est concordia.
Vrbem diu corona si oppugnas, capis.
Vrbes flagitia citius grandes pertegunt.
Vrbes tuentur arma, sed leges regunt.

Vrbis expugnandæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

XEnophon: Cyrus iis, quos oporteret, convocatis, dixit: Urbem, socii undique contemplati sumus: atq; equidem, quo pacto quis adeo firmos & excelsos muros oppugnando capere possit, videre mihi non videor. Quantò autem plures homines in urbe sunt, quando ad pugnandum non exeunt, tantò citius fieri arbitror, ut fame in potestatem redigantur. Nisi igitur aliquem alium modum habetis, quem nobis ostendatis, hoc ipso nobis istos expugnandos esse ajo. Et Chrysantas inquit: Hiccine fluvius per urbem mediam labitur, cuius latitudo stadia duo superat? Ita profecto ait Gobryas, ac tanta quoque profunditas eius est, ut ne duo quidem viri, alter alteri insistentes, supra aquam exstare possint. Quo fit, ut fluvio sit urbs etiam munitior, quam mœnibus. Et Cyrus: Missa faciamus hæc, ait, mi Chrysanta, quæ viribus nostris potiora sunt. Adhibita verò mensura quamprimum fossa latissima profundissimaque vobis erit agenda, pro parte cuique sua, quo paucissimis custodibus vobis sit opus. Sic igitur undique circa murum spatia dimensus relicto à flumine intervallo, quantum sufficeret magnis propugnaculis, ingentem fossam circum murum undique egit, terra versus seipsos adgesta.

Ac primum quidem turres propter flumen exstruebat, palmis fundatas, quarum non minor erat, quam jugeri longitudo. Nam hac maiorem etiam in longitudinem excrescunt. Palmæ verò quũ aliquo pondere premuntur, sursum velut in gibbum quemdam incurvantur, quemadmodum & asini clitellarii. Has autem palmas operi propterea subjiciebat, ut quammaxime videretur id facere, quod solent, qui ad urbem obsidendam sese comparant: ut tametsi flumen in fossam dilaberetur, ipsas turres non everteret. Etiam multas alias turres supra terram egestam excitabat, ut quamplurima essent excubiarum loca. Et has quidem illi res agebant. Qui autem in muro stabant, obsidionem hanc irridebant: quod eis commeatus esset copiosior, quam in annos viginti. Quæ Cyrus quum audiisset, in partes duodecim exercitum divisit, ut pars quælibet unum anni mensem in excubiis esset. Quibus iterum auditis, multo etiam Babylonii magis irridebant, qui cogitarent secum, Phryges ac Lycios, & Arabes, & Cappadoces futuros contra se in excubiis: quos omnes arbitrabantur animis erga se magis esse benevolis, quam erga Persas.

Ac fossæ quidem jam actæ erant. Cyrus verò quum audiisset, celebrari Babylone festum quemdam eiusmodi diem, quo Babylonii omnes nocte tota potarēt & comesarentur: quamprimum eo die tenebræ accessissent, magna mortalium multitudine adhibita, fossarum ostia versus amnem aperuit. Hoc quum factum esset, aqua noctu in fossas manabat, & alveus fluvii per urbem tendens, hominibus permeabilis esse cœpit. Id ubi de flumine hoc modo ei successisset, Persicis Cyrus & peditum & equitum tribunis imperat, apud se adessent, & mille suos in binos explicatos singuli ducerent: reliqui socii hos à tergo subsequerentur, instructi quemadmodum prius. Et hi quidem aderant, quum Cyrus in fluminis partem siccam suis adparitoribus, tam peditibus, quam equitibus immissis, explorare jussit, an vadum fluminis permeari posset. Postea quam illi posse permeari renuntiarunt, tum vero peditum equitumque ducibus convocatis, hujusmodi verbis ad eos est usus: Flumen hoc nobis amici, viam in urbem concessit. Itaque præsentibus animis ingrediamur in urbem, nihilq; metuamus: sed cogitemus hos, quos adgressuri nunc sumus, eosdem esse: quos & à sociis instructos, & omnes vigilātes, & sobrios, & armatos, & in acie dispositos vicimus. Jam vero adversus eos tendimus, quo tempore multi eorum dormiunt, multi sunt ebrii, universi nullos in ordines dispositi. Posteaquam autem senserint, etiam nos intus esse: multo magis, quam nunc usui nulli futuri sunt, quia exanimati erant. At si hoc in mentem alicui venit, quod fertur esse formidabile urbem intrantibus, ne tectis illi conscensis hinc inde tela in nos conjiciāt: id ipsum maximè vobis animos addat. Nam si qui conscendent ædes, opitulator nobis est Deus, Vulcanus. Et sunt eorum vestibula crematu facilia. Nam januæ palmarum è materia fabricatæ sunt, & bitumine sunt inunctæ, quod ignem facile concipit. Nobis autē & faces plurimæ sunt, quæ ingens incendium cito parient: & copia picis ac stuppæ, quæ cito magnam flammam eliciunt. Quò fiet, ut vel celeriter necesse sit hos ab ædibus aufugere, vel celeriter exuri. Verum agite, arma capite: Diis equidem juvantibus præibo. Vos autem Gadata & Gobrya, demonstrate nobis itinera, quum vobis ea cognita sint: & ubi jam intus erimus, quamprimum ad regiam ducite. Atqui ajebant illi, qui erant cum Gobrya, non mirum fuerit, si ne portæ quidem ipsius regiæ clausæ sint. Urbs enim tota videtur hac nocte comesationi esse intenta. Sed in excubias tamē ante regiæ portas incidemus, quod ea semper istic collocentur. Non negligenda res est, ait Cyrus, sed eundum, ut quammaxime imparatos offendamus. Quæ quum essent dicta, pergebant.

Si qui eis obviam venirent, partim cæsi peribant, partim retro vicissim fugiebant, partim clamorem edebant. Cum his & Gobryani clamores edebant eosdem, velut ipsi quoque comesationum socii. Simul pergentes, qua celerrime progredi poterant, ad regiam perveniunt. Et hi quidem Gobryæ Gadatæque adjuncti, portas regiæ clausas inveniunt: qui vero adversus regiæ custodes ire jussi fuerant, irruunt in eos ad ignem luculentum potantes, statimque hostili cum eis more agunt. Orto autem clamore ac strepitu, quũ ii, qui erant intus, tumultum sentirent, & inspici rex juberet, quid illud esset rei: apertis aliqui portis foras procurrunt. Eas quum patefactas Gadatæi conspicerent, irruunt: & illos rursus fugientes intro sequuti, ac ferientes, ad regem accedunt: eumque jam erectum cum acinace, quem strictum tenebant, inveniunt. Hunc Gadatæi & Gobryani numero plures opprimunt, interfectis etiam iis, qui regi aderant, ac partim aliquid objiciebant, partim fugiebant, partim se quacunque re poterant, tuebantur. Cyrus autem cohortes equitum per vias passim dimittebat, edicens, ut si quos extra domos invenirent, occiderent: at illis, qui adhuc in ædibus essent, per Syriacæ linguæ peritos denuntiari præconio jussit, ut intus manerent. Quod si quis foris deprehenderetur, eum morte multandum. Et hi quidem hæc exsequebantur. Gadatas autem & Gobryas quũ accessissent, Deos primum venerati sunt, quod de impio rege pœnas sumpsissent: deinde manus & pedes Cyri deosculabantur, quũ præ gaudio simul & lachrymas copiose profunderent, & lætitiæ signa darent. Posteaquam illuxisset, ac sensissent illi, qui arces tenebant, tum urbem esse captam, tum regem occisum: arces etiam tradunt. Cyrus eas statim occupat, & præsidiorum magistros cũ præsidiariis in illas immittit. Mortuos sepeliendi potestatem propinquis facit, & præcones proclamare jubet, ut omnes Babylonii arma deferrent. In quacumque verò domo arma deprehenderentur, in ea denuntiabant omnibus esse moriendum. Et illi quidem arma deportabant, quæ Cyrus in arces imposuit: ut in promptu essent, si quando eis esset utendum. Quæ ubi peracta fuerunt, primum arcessitis Magis, quia bello capta urbs esset, jussit: ut diis primitiæ manubiarum, & fana seligerentur. Postea tum alias domos, tum principum ædificia dividebat in eos: quos illorum, quæ gesta fuerant, socios existimabat. Atque hoc modo, tribuit, uti dudum fuerat decretum, optima quæque præstantissimis. Quod si putaret aliquis sibi minus obtigisse, mandabat, ut accedens id ipsum doceret. Edixit etiam, Babylonios agros esse colendos, & tributum pendendum, & iis obsequia præstanda, quibus singuli traditi essent. Persas vero & Persarum participes, & quotquot ex sociis apud eum remanere vellent, jussit tamquam dominos cum iis, quos sibi traditos accepissent, loqui. *Cap. 27. & seqq. lib. 7. Cyropadia.*

Xenophon: Quibus perfectis, adduci Crœsum ad se præcepit. Is ubi Cyrum vidit: Salve, inquit, domine. Nam id nomen deinceps fortuna tibi tribuit, quo ego te compellem. Salve tu quoque, ait, Crœse, quando quidem homines ambo sumus. Verum mi Crœse, velisne mihi consilium dare? Etiam mi Cyre, inquit, aliquid boni tibi reperire velim. Nam idem arbitrarer etiam mihi fructuosum fore. Audi ergo, Crœse: Quia video milites multis laborib⁹ exhaustos, multisque versatos in periculis, nunc etiam putare, se urbe totius Asiæ, post Babylonem, opulentissima potitos: æquum judico, ut aliquid utilitatis ad eos perveniat. Nam futurum intelligo, ut nisi quem laborum suorum fructum percipiant, dicto eos audientes diu non sim habiturus. Sed urbem tamen eis deripiendam, non est animus. Nam & urbs, mea sententia, prorsus interiret: & in direptione plurimum utilitatis caperent, qui maxime sunt improbi. Quæ ubi Crœsus audisset: Me verò dicere sinito Lydis, ait, quibus ego voluero, impetrasse me abs te, ne direptio fiat, neve permittatur, ut liberi & conjuges ex oculis eorum abstrahāntur: proque hoc tibi policitum esse, futurum omnino, ut Lydi lubentes offerant tibi, quidquid Sardibus pulchrum & præclarum sit. Nam si hæc audierint, adlaturos scio, quidquid pulchræ rei vir aut mulier heic habuerit. Itidemque alterum in annum multis ac pulchris rebus iterum urbs tibi referta erit. Quod si eam diripueris, etiam artificia tibi, quæ bonorum fontes esse perhibent, perierint. Præterea licet tibi, postquam hæc intuitus sis, etiam ita pergere, deque direptione adhuc consultare. Primum autem, inquit, ad meos thesauros mittito, atque hos à custodibus meis tui custodes accipiant. Atque hæc omnia sic fieri censuit oportere Cyrus, uti Crœsus dixerat. *Cap. 3. lib. 7. Cyropadia.*

Libanius: Vobis libentissimè urbem recens captam proponerem, ut ex aliorum cladibus, quantis vos eruerim malis agnosceretis. Nam quæ talem subiit fortunam, maxima sui parte solo adæquata jacet; exigua vero pars superest, ut antiqui status monimētum sit prætereuntibus. Ac mulier ante oculos viri violentam petulantiam patitur: & puella in conspectu matris: & liberi coram parentibus jugulantur: atque infantes sæpe è matrum uberibus evelluntur: quinetiam si prægnans instante partu occurrat, cũ ipso fœtu trucidatur. Licet etiam corporum insepultorum ingentē cumulum inspicere: & vetulos ex ipsa canicie trahi per projecta passim ductos cadavera, eorumque interdum liberos illachrymari volentes: sed doloris magnitudine prohibitos, sunt enim certè majores lachrymis ærumnæ. *Declamatione vigesima prima.*

Egesippus: Non difficile fuit urbem properatò capi, quæ nec naturali fulta esset munimine; & à suis esset dilabentibus deserta ac destituta. *Cap. 16. libri 4. de excidio Hieros.*

Vſuræ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Greg. Nyſſenus*: Valedic ſuperfluæ rerum copiæ & uſuris, pauperumq; amorem in te excita; & mutuum petentem ne averſeris. ob inopiam tibi fit ſupplex, foribuſq; tuis aſſidet: egens confugit ad tuas copias, ut à ſe depellas pauperiem. At tu contrarium facis: opitulator verteris in hoſtem. non enim fers opem, ut evadat egeſtatem; ſed feris afflicto mala, nudum exuens, vulneratum denuo vulnerans, curas curis accumulans, doloreſque doloribus addens. nam qui pecuniam cum fœnore reddendam accipit, pignus & arrham accipit paupertatis, ſpecie beneficii exitiũ domum reportans: quemadmodum is qui precibus victus febricitanti poculum porrigit; exhilarat quidem ægrum brevi tempore dum id exhaurit; at non longe poſt acerbiſſimam & decuplo graviorem febrim miſero parit. Sic & qui egeno pecuniam ſub fœnore commodat, neceſſitatem ejus non ſublevat, ſed calamitatem potius auget. Ne vixeris igitur ſpecie humanitatis vitam efferatã, neque eſto medicus qui perimat, nomen quidem & formam præ te ferens quaſi ſerves, ſicut & ille propter artem: voluntate autem tua & animo ad alterius, qui ſe tibi committit, perniciem abutens. Segnis & exitiabilis eſt vita uſurarii. neſcit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, ſed uno in loco conſidens immanes domi ſuæ feras nutrit. vult omnia ſibi ſine ſatu & inarata progigni; cui quidem aratrum eſt calamus, ager charta, ſemen atramentum, pluvia tempus, quod illi pecuniæ fructus occultis incrementis adauget & educat. falx illi eſt repetitio, area domus in qua miſerorum fortunas ventilat. Cùm videt omnia eſſe alicujus propria imprecatur hominibus calamitates, ut coacti ad ipſum cõfugiant: odit qui rebus ſuis contenti vivunt, & quos ſibi conſpicatur non eſſe obæratos in hoſtium numero habet. Aſſidet curiæ & foro, ut inveniat quem ſors adverſa adfligit. Exactores & procuratores ſemper ſequitur, ut vultures caſtra & acies. circumfert autem loculos, ut miſeris eſcam oſtendat, ut ei ob neceſſitatem inhiantes, devorent ſimul uſuræ hamum. Quotidie numerat lucrum, ſuamq; cupiditatẽ minime explet. Dolet ob argentũ domi repoſitũ, quod otioſum eſt & infructuoſum. Imitatur colonos, qui ex acervo frumenti ſemper ſemen petunt. non relinquit miſerandum aurum intactum, ſed ex manu in manum transfert. Aſpicis igitur opibus abundantes ſæpe domi ſuæ ne unum quidem nummum habere, ſed omnes ſpes ejus in charta ſitas, omnes fortunas in pactis & conventis: qui nihil habet, & nihil poſſidet, contrario modo Apoſtolicis monitis vitam inſtituens, qui omnia largitur petentibus, non humanitatis, ſed cupiditatis gratia. eligit enim pauperiem ad nonnullum tempus, ut pecunia inſtar laborioſi ſervi operans, cum mercede ad ipſum revertatur. *Orat. contra uſurarios.*

¶ POETARUM.

Ariſtophanes Nubibus v. 1287.

Age, ſi argenti laboras nunc penuria,
Solve uſuram. S. uſuram? quid hoc animantis eſt?
A. Quid enim aliud, niſi quod per menſem & per diem
Subinde magis ac magis creſcit pecunia,
Senſim labente tempore?

Videantur plura titulo *Fœneris.*

Vſus.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

C*lemens Alexandrinus*: Putei qui exhauriuntur, emittunt aquam magis perſpicuam: corrumpuntur autem ii quorum nullus eſt particeps. Ferrum quoq; uſus ſervat purius, uſus autem defectus ei generat rubiginem. Ut ſemel enim dicam, exercitatio ſalubrem habitum ingenerat & ſpiritibus & corporibus. Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui accepti fuerint convivio. Quid enim juvat ſapientia, quæ non ſapientem efficit eum qui poteſt audire? *lib. 1. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Nec ignis, nec cibus, nec ferrum, nec res ulla alia ſuapte natura vel maximè utilis eſt, vel maximè noxia; verum ut iis qui utuntur placet. atq; adeo ex ſerpentibus beſtiis quaſdam interdum ſalutaribus medicamentis admiſcemus. *Orat. 20.*

D. Chryſoſtomus: Tunc cernitur uniuſcujuſq; virtus, quando ducitur ad aptam ſui muneris functionem: quando autẽ ad alieni nequaquam. Ut vinum datum eſt ad lætitiam, non autem ad ebrietatem; panis ad nutritionem, coitus ad liberorum procreationem. *Homil. 12. ad Coloſſ.*

¶ LATINORUM.

Chryſologus: Captores piſcium fiunt hominum piſcatores: de labore tranſeunt ad laborem. quia labor neſcit laſſeſcere meditatus. Omnia quæ de uſu veniunt non fatigant. Virtus exercitio perſeverat. *Serm. 28.*

Ennodius: Quæ dura ſunt, continuatione franguntur. multum de gravitate oneris uſus incidit. Flebilis conditio ad optata, quæ non ſunt manſura, perducit. levior ſors eſt curis jugibus occupari. hoc ſum infelicior peccatorum faſce, quod de bonarum rerum ſapore guſtavi. *lib 6. Epiſt. 19. a. f.*

Io. Sariſberienſis: Quod Cicero in præceptis eloquentiæ ad Herennium ſcribens, de arte dicendi aſſeruit, eam ſcilicet inefficacem & inutilem eſſe ſine uſu & exercitatione dicendi, ad omnes artes arbitror transferendum, quatenus non firmantur uſu, nec exercitio roborantur. Adeo quidem ut ſi artem uſumque diſſocies, utilior ſit uſus expers artis, quam ars quæ ſui uſum non habet. Nam & David in funda & lapide, quorum peritiam & uſum habebat, Allophylum ſtravit, & in baculo ſuo aggredi auſus eſt virum cunctis terribilem, & bellatorem ab adoleſcentia ſua. Rejecitq; loricam regiam & arma, quibus exercitatus non fuerat, ratus eſſe omnia impedimento militiæ, quorum uſus exercitio non firmatur. Cæterũ ſicut ars ſterilis eſt uſus ignara, ſic & uſus imperfectus eſt, qui ex arte provenit. Eſt ergo ſingulorum initium à natura, qua reluctante, & (ut dici ſolet) invita Minerva, nihil recte aggredimur. Progreſſus ab uſu, ab arte perfectio, ſi tamẽ jugi exercitatione fuerit ſolidata. Obtinet hoc in liberalibus, virilib. & mechanicis, aut ſi quæ ſunt, quarum nondum audierimus mentionem, ut ars infœcunda ſit ſine uſu, & uſus temerarius ſine arte. Militia ergo ſine arte iners eſt, inofficioſa ſine uſu. Quocirca qui miles eſſe voluerit, prædiſcat artem, eamq; uſu & exercitio firmet, ut cum electus fuerit & militiæ ſacramento aſcriptus reipublicæ, & ſibi utiliter vivat, & non ſit, prout Plutarchus ait, manus manca. *lib. 6. Policr. fine cap. 19.*

REGUM.

Philippus Rex Macedon: Sine mente & intelligentia, neq; actiones utilitatem habent, neq; vires uſui ſunt. Quamobrem ante conſiderare oportet uſum bonorum, quàm conſecutionem, & tum ad faciendum accedere, atq; eum maximis & plurimis ſucceſſibus uti. Etenim non poſſidere divitias, non tantum adfert detrimenti. At poſſeſſis malè uti, perdit omnino etiam ea quæ ad vitam ſunt neceſſaria. Hæc igitur noctes ac dies animo volvens, deſpice quid imperii cenſibus ac redditibus utile ſit. Sic enim neceſſario regno copioſum maximumq; incrementum accedet. Cum domus virtutis propria fuerit, ejus vero dominus non egeat probitate. Cæterum utilitatis curam gerito. *Epiſt. ad Olympiam uxorem.*

¶ ORATORUM ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Facit me fortiorem etiam uſus quidam. pugnantem illum ſæpius vidi. Scio quid maximum fratrem meum fefellerit; quomodo is qui ſecundo loco pugnavit, deceptus ſit. *Declamat. 271.*

Plinius Iunior: Me docuit uſus, magiſter egregius. *lib. 1. Epiſtola 20. medio.*

Symmachus: Noſtrum eſt paſtorales inflare calamos, tuum ſacris tibiis carmen incinere. nos obtundit otium; te uſus exercet. Niſi forte hanc noſtram privatæ vitæ vacationem magis opportunam frequentandis putas. Vides non eodẽ motu flumina de ſtagno ſerpere, & de fonte properare. Omne quod in curſu eſt viget. Continuatio experientiæ vires ſuas renovat. *lib. 7. Epiſt. 60. m.*

¶ POETARUM.

Phœdrus Fab. 42.

Uſu peritus Hariolo velocior
Vulgo eſſe fertur. ——

Petronius Arbiter.

Nam nihil eſt quod non mortalibus afferat uſum.
Rebus in adverſis quæ jacuere juvant.
Sic rate demerſa fulvum deponderat aurum:
Remorum levitas naufraga membra vehit.
Cum ſonuere tubæ, jugulo ſtat divite ferrum:
Per fera contemptus prælia pannus abit.

Auſonius Epigr. 137.

Re fruere ut natus mortalis, dilige ſed rem
Tanquam immortalis: ſors eſt in utroque verenda.

¶ APOLOGI.

Phœdrus Fab. 51. Pulli ad margaritam.

In ſterquilinio pullus gallinaceus
Dum quærit eſcam, margaritam repperit;
Iaces indigno quanta res, inquit, loco!
Hoc ſi quis pretii cupidus vidiſſet tui,
Olim rediſſes ad ſplendorem maximum.
Ego qui te inveni, potior cui multò eſt cibus,
Nec tibi prodeſſe, nec mihi quidquam potes.

¶ EMBLEMATIS.

Batillius. CXXIV.

Torpet non exercita virtus.

Ut ſtadio ſolitus qui vincere Olympia, ſolus
Si ſteterit longo tempore, languet equus;
Haud aliter virtus nullo in luctamine torpet
Viribus, & ſecum ſola fatiſcit iners.

❡ Monosticha Trochaica.

A Deo nihil creatum est, cui non usus sit suus.
Cui relictus usus est; uti potest, frui haud potest.
Cum frui partis nequimus tunc fere ditescimus.
Cuncta sumit usus, unam sed firmat prudentiam.
Ecquid dignum laude magna absque usu fas est consequi.
Et supellex multa, qua non utitur emitur attamen.
Non suum tellus ad usum fructus fert, sed ad tuum.
Nullus ex quibus usus ad res quam malas, non sunt bona.
Nulli rei magis parcēdum est, quā cujus est usus frequens.
Omne vas, quod est ad usum congruens, fit utile.
Posse armis bene uti pulcrum est, pulcrius pecunia.
Possidet bonus virtutem qua beatus utitur.
Quale quodque sit si quaris nosse; ab usu discito.
Qui pedis modum demigrat calceus nulli usui est.
Quidquid usum excessit, onus est & superfluum & grave.
Quod caussâ tibi tuâ dat lex, eo uti non licet?
Quod magnopere quaesierunt, id frui non queunt.
Sunt alta quidem cupressus, sed fructū quemnam ferunt?
Tam brevis bona rei usus est, quam sensus est levis.
Tam diu sumus divitibus cordi, quamdiu usui.
Tantum sibi natum esse, bellua effera est.
Temperes bono agrè, usurum quo diu te non putes.
Tunc fere ditamur, uti cum nequimus copiis.
Vita ad usum dirigenda facta sunt nostra omnia.
Vsus indicat quis in re qua sit excellentior.
Vsui libidinique nemo pareat simul.
Vsui prius deinde amœnitati consulas.
Vsu opes metire, parvo dives, cuncta possidet.
Vt gladius splendescit usu, sic situ rubiginat.

❡ Jambica.

Animalia nulla ad usum rudia sunt sui.
Cedunt in usum res omnes sapientia.
Certa est inopia, haud uti posse re qua eges.
Decerpe dum sunt flores sponte decident.
Etiam è veneno usus est homini suus.
Haud Iupiter fias accepto fulmine.
Is plurimum prosit, qui plurimum potest.
Legatus usus haud abusus feminis.
Minimè beant mortalem opes; usus beat.
Nequam sibi, esse nemini bonus potest.
Nil est, quod usus non reddat facillimum.
Nullum invenias animal rude ad usum quod sui.
Paucissimi uti divitiis rectè queunt.
Qui nescit uti, perdere est dignus bona.
Quod approbatur usibus, longe optimum est.
Rerum magister usus omnium optimus.
Sacrum ô malum, bonum videre, nec frui!
Solum sibi immanes nata sunt bellua.
Vita carere usu quam fructu suavius.
Vsus magister omnium rerum optimus.
Vsum sapientia rerum novit omnium.
Vsu libido crescit, usu deficit.

Vtilitatis.

❡ Sententiæ Patrum.

D. *Chrysostomus*: Quid refert magnum esse, si nemini prosis? quemadmodum videlicet nil prodest medicum artis suæ peritum esse, si nulli ægrotantium medeatur. *Homil. 27. ad Corinthios 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Perhibent regem quendam, cum vellet pugnam navalem adversus hostes pugnare, vidissetq; hostium naves longè plures quam suas, cedentem hostibus invadentibus dixisse: Non fugio, sed potius utilitatem persequor retrò sitam. &c. *lib. 4. Epist.* 175.

S. Salvianus: Dicite mihi, numquid est ullus hominum, qui nõ omnia quæ fecit, vel salutis suæ, vel certè utilitatis gratia faciat? nemo opinor. omnes enim ad affectum atq; appetitum utilitatis suæ naturæ ipsius magisterio atq; impulsione ducuntur. ideoq; & qui militant id sibi pulcrum; & qui negotiantur id sibi utile; & qui agricolantur id sibi fructuosum esse existimãt. quid plura? fures quoq; ipsi & latrones, & venefici, & sicarii, & omne improbæ conversationis genus, id sibi quod agit congruum putat: non quod ulli prava conveniant, sed quod ille qui pravis utitur, hoc sibi credat congruum esse quod pravum. *lib. 2. contra avaritiam.*

❡ Philosophorum Græcorum.

Arrianus: Cùm Jupiter pluvius esse vult, & frugifer, & pater hominumq; Deorumq;, nonne vides eũ hæc opera & has appellationes consequi non posse, nisi in commune prosit? Deniq; animal ratione præditũ sic omnino instruxit, ut nullo suo bono potiri possit, nisi aliquid utilitatis in commune afferret. sic privatæ utilitatis studium à communitate non excluditur. nam quid expectas? idne ut aliquis à seipso recedat, & à privata cõmunitati? Quo pacto autem unum idemq; principium adhuc animantibus omnibus erit necessitudo illa, qua ipsæ secum conciliantur. *cap. 19. lib. 1. Epict.*

Arrianus: Potestne fieri, ut is qui læditur bonisq; frustratur sit beatus? non potest. Potestne cum sociis eam habere consuetudinẽ quam decet? quo pacto id fieri potest? ego enim ad id nutu naturæ feror, quod mihi conducit. si è re mea est agrum habere, è re mea est vestem habere; è re quoq; mea est eam furari è balneo. Hinc bella, seditiones, tyrannides, insidiæ. Quo pacto jam potero conservare officium erga Jovem? nam si lædor, & frustror; mei curam abjecit. & quid mihi cum illo rei est, si me juvare non potest? & rursus quid mihi cum eo rei est, si ita vult agi mecum ut agitur? jam eum odisse incipio. Itáne Jovi ipsi, ut malis Geniis? ut Febri? quo pacto ergo adhuc Servator est? quo pacto Pluvius? quo pacto frugifer? enimvero si tali quopiam loco naturam boni ponamus, hæc omnia consequuntur. *cap. 22. lib. 1. Epict.*

Arrianus: Catellos non aliquando vidisti abblandientes invicem, & inter se colludentes, ut dicas; nihil illis esse amantius? Sed ut videas quis iste sit amor, carnem illis objicito: cognosces. Ponito inter te & puerum, agellum: cognosces, puerum te quamprimũ velle sepultum: te vero pueri mortem optaturum esse. Dices: Hei mi, qualem filium educavi? Pridem me effert. Produc bellam puellam. Eam & senex adamat, & ille adolescens. Si gloria proposita sit, si periclitandum sit: easdem voces edes, quas Admeti pater: Lux est tibi jucunda? patri non putas? Videre lucem vis? parentem non putas? Nonne putas illi suum filium, dum parvus esset, fuisse carum? Non anxium fuisse, cum febricitaret? non sæpe dixisse, Utinam ego potius febri laborarem? Postea cum ad rem ventum est, vide quid dicat. Eteocles & Polynices nõne eadem matre, eodemq; patre nati erant? Non una educati? non conjuncti? non compotarant? non una dormierant sæpe? non inter se deosculati erant? Adeo ut dubio procul, si quis eos vidisset, portenta philosophorum quæ de amicitia disserunt, derisisset. Tamen cum imperium tanquã caro in medium incidisset, vide quid dicant? Ubi tandem stabis pro turribus? Quid me interrogas? Ibi contra hunc, cum occisurus, idq; mihi cordi est: & cõsimilia vota faciũt, omnino cavete ne decipiamini. Nullum animal alteri ita cõciliatũ est, ut suæ utilitati, cui quicquid obstare videtur, sive frater sit, sive pater, sive filius, sive amasius, sive amator: odit, aversatur, exsecratur. Ita enim natura cõparatum est, ut nihil perinde amet atq; utilitatem suam hęc pater, hæc frater est, & cognatus, & patria, & Deus. Dum certe quidẽ, cum obstare nobis videntur dii. ipsis quoq; maledicimus, eorumq; statuas evertimus, & sacella incendimus. quẽadmodum Alexander Æsculapii fana cremari jussit, amasio suo mortuo. Quapropter si quis eodem conferat utilitatẽ & honestatem & patriã & parentes & amicos: salva sunt hæc omnia, præponderante utilitate. Ubi enim Ego, & Meũ est: eò inclinare necesse est animal. Si in carne: illic esse principatum: si in consilio, illud esse: si in rebus externis, illud esse quod ponderis plus habeat. Si ergo illic ego sum, uti est consiliũ & voluntas: ea sola ratione & amicus ero qualem esse oportet, & filius, & pater. Hoc enim mihi expediet, fidem, verecundiam, æquanimitatem, abstinẽtiam, beneficentiam, omne officium erga omnes ut conservem. Sin alibi me collocato, alibi honestũ: ibi vero invalescit Epicuri ratio, quæ honestum aut nihil esse, aut ab opinionibus pendere asseverat. Ista ignorantia in causa fuit, cur Athenienses & Lacedæmonii inter sese diffiderent, & Thebani cum utrisq; & Magnus rex cum Græcia; & Macedones cum utrisq;, & nunc Romani cum Getis: atq; olim etiam res ad Trojam propter hæc gestæ sunt. Alexander Menelai hospes fuit: quos si quis blandiri inter sese vidisset, fidem, negãti eos amicos esse, non habuisset. Verum projecta est in medium particula, elegãs muliercula, deq; ea bellum ortum. Nunc etiã, cum vides caros fratres cõcordare inter sese, noli statim pronuntiare quicquã de illorũ amicitia: ne si jurent quidem, ac fieri posse negent, ut discessio fiat inter ipsos. Vitiosi hominis animus incõstans est, judicii expers, alias aliis visis vincitur. Verum tu noli ea expendere, quæ cæteri: An iisdem nati sint parẽtibus, unaq; educati, & sub eodẽ pædagogo. sed illud tantũ intuere, ubi suas utilitates collocẽt, externisne in rebus, an in voluntate? Si in externis, ne dicas eos amicos, nõ magis quam fidos, aut constantes aut fidentes, aut liberos: imo ne homines quidem, si sapis. Neq; enim humanũ decretum est, quod causam præbet mordendi invicem, & convitiandi, & solitudines aut forum tanquã montem occupandi, & in judiciis ea designandi, ut latronum receptacula esse videantur. Neq; id quod continentes, & mœchos, & corruptores efficit, aut ad alia delicta, quib. hominum consociatio violatur, impellit, ob unicum & solum hoc decretum, quod se suaq; iis in rebus collocant, quæ penes ipsos non sunt. Si audieris illos homines vere ibi dumtaxat statuere bonũ, ubi libera voluntas est, ubi rectus usus visorum: ne sis porro solicitus, sit ne filius an pater, an frater, neq; an diuturna fuerit illorũ consuetudo & societas: sed hoc uno cognito, audacter pronuntia, amicos esse: quẽadmodum esse fidos, esse justos pronuntias. Nam ubi alias est amicitia, nisi ubi fides, ubi verecundia, ubi communicatio hoc est: alterius vero rei nullius? At cum tanto tempore me coleret, non amabat? Unde scis mancipium, an ita te coluerit, quemadmodum calceos suos spongia tergit, ut jumentum suum curat? Unde scis, an te, cum vasculi usum præbere desieris ita sit abjecturus, ut cõfractam tabellam? At uxor mea est, tantoque tempore una viximus. Quãtum vero Eriphyle cum Amphiarao, & liberorum mater multorum?

torum? Verum monile intercessit. Quid autem est monile? Decretum hujusmodi de rebus: hoc fuit immane illud, hoc amicitiam diremit: hoc uxorem esse uxorem, matrem esse matrem non sinit. Vestrum etiam quisquis vel ipse amicus alicujus esse, vel alterius amicitiam ambire studet: is decreta hæc excidat, hæc oderit, hæc expellat ex animo suo. Sic primum ipse sibi non maledicet, non repugnabit, non mutabit consilium, non seipsum excruciabit. Deinde, cujus alteri plane idem erit, si sit ipsius similis: Dissimilem vero tolerabit, lenis erit erga eũ, mansuetus, facilis ad ignoscendũ, ut ignoranti, ut maximis in rebus erranti. Nemini erit molestus, cum Platonicum illud satis sciat: Omnem animum veritate invitum privari. Alioqui cetera quidem omnia, quæ amici, facietis: una potabitis, una venabimini, una navigabitis, & ex ijsdem eritis nati. Sed quoad ferina ista & nefaria decreta tenueritis: nihil à serpentibus differetis. Decreta enim serpentes sunt: sed nec hi inter sese amici sunt, neque vos. *libro 2. cap. 22. Epict.*

Libanius: Absurdum est aliorum quidem esse labores, aliorum verò fructus. *Oratione Patrocli ad Achillem.*

¶ Poetarum.

P. Syrus Mimus.

Est pecunia ancilla, si uti scis; si nescis, domina est.

Phœdrus Fab. 56.

Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.

¶ Apologorum.

De Cane & Domino suo. Anonymus.

Armavit natura canem pede, dente, juventa.
Hinc levis, hinc mordax, fortis & inde fuit.
Tot bona furatur senium: nam robore privat
Corpus, dente genas, & levitate pedes.
Hic leporem prendit, fauces lepus exit inermes.
Elumbem domini verberat ira canem.
Reddit verba canis, dum me pia pertulit ætas,
Nulla meum potuit fallere præda pedem.
Defendit senij culpam, laus ampla juventa,
Pro sene qui cecidit facta priora vigent.
Nullus amor durat, nisi fructus servet amorem.
Quilibet est tanti, munera quanta facit.
Magnus eram dum magna dedi: jam muscidus annis
Vileo, de veteri mentio nulla bono.
Si laudas quod eram, quod sum culpare protervum est;
Si juvenem recipis, pellere turpe senem est.
Se misere servire sciat, qui servit iniquo:
Parcere subjectis nescit iniquus homo.

De Simia & Vulpe. Anonymus.

Simia de turpi queritur nate, porrigit autem
Vulpes, non recipit mente, sed aure preces.
Simia sic fatur, natis ut mihi dedecus ornem,
Sufficeret caudæ pars mihi parva tuæ.
Quid prodest nimia campos insculpere cauda?
Quod mihi prodesset, est tibi pondus iners.
Illa refert: nimio damnas de pondere caudam,
Est brevis estque levis; hæc duo damna queror.
Malo verrat humum, quam sit tibi causa decoris,
Quam tegat immundas res bene munda nates.
Id nimium nimioque magis ditaret egenum,
Quod nimium minimo credis avare minus.

De Luscinia cantum accipitri pro vita pollicente. Fab. 92.

Luscinia ab accipitre famelico comprehensa, cum se ab eo deforandam intelligeret, blande eum rogabat, ut se dimitteret, pollicita pro tanto beneficio ingentem mercedem sese relaturam. Cum autem accipiter eã interrogaret, quid gratiæ sibi referre posset: Aures, inquit, tuas, mellifluis cantibus demulcebo. At ego, inquit accipiter, malo mihi ventrem demulceas, sine tuis enim cantibus vivere, sine cibo vero non possum.

Hac fabula innuit, utilia jucundis anteponenda. Abstemius.

¶ Emblematum.

Camerarius 19. Centuria 1.

Umbra tantùm.

Umbram, non fructum Platanus dat: Sic quoque multis.
Vana alios specie ludere sæpè placet.

Camerarius 97. Centur. 1.

Nullo docente magistro. *Cucurbita aquam attrahentis, oleum spernentis.*

Utilis attrahitur plantis, at noxius humor
Spernitur. Anne homines in sua damna ruent?

Camerarius 95. Centur. 4.

Morte medetur. *Scorpius oleo maceratus.*

Vivens mortem homini instillo, moriensque medelam,
Quam mira alternant vitaque morsque vice?

¶ Monosticha Trochaica.

A timore ab utilique turba in orbe omnis Deûm est.
Cognitum mage est Deo, quam nobis, quidquid expedit.
Est ager serendus ante quàm metas adoream.
Grata quisque audire mavult; nemo poscit utile.
Gratiam plerique spectant non item quod utile est.
Nil tam est utile, quod non culpa transferat in contrariũ.
Omne quod præter virtutem est homini non fit utile.
Omne vulgus æquitati antepo nit utile.
Omnium plus utilitati consulendum quàm unius.
Omnibus qui inutilis est, sibi utilis esse non potest.
Quid juvat quenquam esse magnum, nemini si est utilis?
Quid minus utile fuit quàm ulcus tangere?
Rebus extremis honestam ne sequare, ast utile.
Rebus utiles humanis sunt utique ignoscentia.
Utile à justo quicunque segregant, sunt impii.
Utile est quod est honestum, turpe contra inutile est.
Utilem haud solum esse oportet quem sibi, sed proximo.
Utilis non est sibi ipsi, qui alteri est inutilis.
Utilis tibi esse nescis, utilis nisi alteri es.
Utilitas communis vinclum societatis maximum est.
Utilitas Timorque Divûm sunt parentes omnium.

¶ Jambica.

Antiquius plerisque honesto est utile.
Deûm parentes sunt utilitas ac timor.
Domus scelestus urbi esse utilis nequit.
Etiam esse post mortem utilis quærit probus.
Haud posthabendum ullo loco justum utili.
Inutilis sibi, inutilisque & alteri est.
Inutilis sibi, omnibus est inutilis.
Ipsi utique honesto prævalet quod expedit.
Nil arbitrandum turpe, quod regi utile est.
Nil est utilius, quam fieri utilem sibi.
Nil tam utile est, quod prosit etiam in transitu.
Non lux sibi, non sal sibi ipsi est utile.
Pari utilitas Pietasque inambulant gradu.
Possessionem illud voco quod utile est.
Præfertur utique utilitas consuetudini.
Prodesse vita, munus est sapientia.
Quisquis placet vulgo, sapientia displicet.
Spectanda hominum mage utilitas quam gratia.
Superfluum quod est, idemque inutile est.
Ubi utile est, justum est ibi, est ibi pium.
Ubi utile est mortalium, est ibi & pium.
Ubi utilitas, ibi pietas, ibi Deus.
Utilia multa, at virtus utilissima est.

Vulgi.

¶ Sententiæ Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Multitudo, etiamsi in præsens impetus cupiditatesque suas coerceat (quemadmodum ignis in materia latens, aut amnis repressus) oblata tamen occasione accendi atque erumpere consuevit. *Oratione 3. Heliteutica 1.*

Isocrates: Vulgus hominum ita natum est, ut nullam excellentiam ferre possit. *Panathenaico.*

Isocrates: Nos & pietatem colimus, & justitiam exercemus, ceterisq; studemus virtutibus, non ut deteriore simus quam alii conditione, sed ut bonis in vita quã plurimis fruamur. *Initio Nicoclis.*

Halicarnassæus: Non enim multitudinis lacessere atque irritare iracundiam, sed placare ac mitigare, oratoris est munus. *cap. 54. de judicio historia Thucydidis.*

Epictetus: Sicut nec strepitu anser, nec balatu ovis percellit: ita neq; vecordis multitudinis vox terreat. Utq; multitudo temerè aliquid suum postulans, te non perturbat; sic tu neque populum inique obturbantem tibi reformidato. *apud Stobæum.*

Themistius: Phocio ille vir bonus, cum orationem habenti Athenienses sibi studiosius acclamãtes videret, nunquid, ait, imprudens aliquid mali dixi? *Oratione sexta de Imperat. audiendi cupiditate.*

¶ Romanorum.

Ennodius: Momentis plerunque incerti favoris aura popularis impellitur; & nescia examinis turba Quiritium, dum rapitur, amat incognitos. *Dictione prima § 3.*

L. Annæus Seneca: Cũ de beata vita agitur, non est quod mihi illud discessionum more respondeas; Hæc pars major esse videtur: ideo enim pejor est. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. argumentum pessimi, turba est. Quæramus quid optimè factum sit, non quid usitatissimum; & quid nos in possessionem felicitatis æternæ constituat; non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. Vulgum autem tam chlamydatos quàm coronam voco. non enim colorem vestium quibus prætexta corpora sunt, aspicio: oculis de homine non credo. habeo melius certiusque lumen, quo à falsis vera dijudicem. Animi bonum, animus inveniat. *cap. 2. de vita beata.*

Quin-

Quintilianus: Fallitur quisquis ullum facinus in rebus humanis publicum putat. Persuadentium vires sunt quicquid civitas facit: & quodcumque facit populus, secundum quod exasperatur, irascitur. Sic corpora nostra motũ nisi de mente non sumunt, & ociosa sunt membra donec illis animus utatur. Nil est facilius, quã in quemlibet affectum movere populum. Nulli, cum coimus, sua cogitatio, sua mens, ulla ratio præsto est, nec habet ulla turba prudentiam singulorum: sive quòd minus publicos capimus affectus, sive negligentior est, qui se non putat solum debere rationem: & multi fiducia facimus omnium. Quam non possit rempublicã turbare, confundere, si quis repente proclamet, prodidit vos imperator vester, addixit? ut nunc ille liberos habet. Si mehercle post hãc inimice vocem templa monstrasses, sacrilegũ continuò flagrasset incendium si convelli simulacra voluisses, fecisset omne de numinibus suis facinus audacia. *Declamtione* 11. §, 8.

§ Poetarum.

Aristophanes Equitibus. 710.

Ac tibi nebuloni nemo hominum adhibet fidem
Ego vero ludos populum faciam, prout volo.
AG. Quam pulcre tu populum tuum esse judicas?
CL. Quippe ego novi, quibus inescetur ferculis.
AG. Nutricum more tu populum pascis male:
Quia ubi præmanderis, in os paulum ipsi ingeris,
Tu vero triplo plus, quam alumnus devoras.
CL. Ego, per Iovem, mea possum sollertia
Populum angustum latumque juxta reddere.
AG. Meus hoc idem anus pernovit optime.

§ Apologorum.

Phœdrus Fab. 73.

——— *vulgus fictile*
Simul atq; offendit ad fortunam frangitur.

Phœdrus Fabular. lib. 4. fine.

Palam mutire plebejo periculum est.

§ Emblematis.

Batillius. CV.

Multitudini quæ servit, serviendum.

In laqueos volucres ut frondibus abditus auceps
Pellaci cantu consimilique trahit;
Sic stolide quisquis captat suffragia plebis,
Flectere se illius novit in obsequium.

§ Apophthegm. Christianor.

Ioannes XXIII. *Pont. Max.* Vulgus, quod fluctu mobilius Seneca, ignobile dicit Virgilius, huic operi tandem, vel invitus infero: quòd ejusdem censuras & judicia mihi parata hîc sciam. at solatur me celeberrimum illud Joannis Pontificis responsum: qui rogatus, quid esset à vero remotius; *Vulgi sententia,* inquit: *quidquid enim laudat, vituperio dignum est: quidquid cogitat, vanũ: quidquid loquitur, falsum: quod improbat, bonum est: quodque approbat, malum: & quidquid denique extollit, infame.* Ita sanè

Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosdem colit atque odit.

Seneca in Hipp. Phil. Camer. In Oper. successf. c. 40.

§ Monosticha Trochaica.

Æquorum instar vulgus omnis aut tumet aut detumet.
Ex mediocritate vulgo haud multa sunt pericula.
Ex opinione vulgus judicat, veri inscium.
Hactenus fides promissis vulgi, quatenus expedit.
Heu quanta domus ruina redimitur vulgi favor.
Iussa dura impube vulgus hinc metu inde ira movent.
Labitur qui plus potest, qui nil potest affligitur.
Nil tam inane est quo rumorem pascere haud vulgi queas.
Non nisi artibus pudentis quæritur vulgi favor.
Optima rei cujusque judex vulgus pessimus.
Pauca vulgus veritate, multa opinione æstimat.
Sæpe vulgi falso rumor, vera raro nunciat.
Sævitiæ clementiæq; nullus est vulgo modus.
Vulgus à crudelitate prompte it in clementiam.
Vulgus fictile, ad Fortunam simul offendit, frangitur.
Vulgus immodicũ in mœrore est, immodicũ inque gaudio.
Vulgus maximè erubescit quos vel maximè timet.
Vulgus omne aut impudenter regnat, aut servit pavens.
Vulgus omne quod protervum est insolensq; suspicit.
Vulgus ut pars non est, sic nec cura ei respublica est.
Vulgi ullius nec dolendum nec gaudendum honoribus.

§ Jambica.

Ad deteriora fermè vulgus promptior.
Audit nihil vulgus, nihil vulgus videt.
Calcat jacentem vulgus: invisum opprimit.
Conflata in unam è multis vulgus bellua est.
De nulla honesta re bene vulgus judicat.
Etiam invidet vel nudo vulgus nomini.
Haud semper errat vulgus; est ubi eligit.
Mediocritatis in vulgo invenias nihil.
Medium modestos vulgus affectus tenet.
Nil audet ultra verba vulgi ignavia.
Peccata vulgi ferre, animi est vel maximi.
Præceptor est ad prava vulgus insolens.
Quieti & otio vulgus adversissimum est.
Sola obsequii relicta vulgo gloria est.
Surda atq; cæca tota vulgi factio est.
Vulgus fere sua flagitia aliis objicit.
Vulgus maris instar, aut quietum aut turbidum est.
Vulgus minus est honoris cupidum, quam lucri.
Vulgus viris haud sat fidit prudentibus.
Vulgi pavor quid semper audito adstruit.
Vulgo adsimilare, si placere ei cupis.
Vulgo videtur optimum, quod quæritur.

Vulneris.

§ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Chrysostomus:* Si quis militem videret ex acie cruentatum prodiisse, innumeris vulneribus saucium; num posset illum ignaviæ proditionisve damnare, argumenta fortitudinis in ipso corpore gestantem? *cap. 6. ad Galatas.*

Basilius Seleuc. Bellator quovis tempore victor, & mediis in hostibus perdurans invulneratus, magna quædam res est, & admirabilis: longè verò admirabilius vulneratum pugnã non prodere, nec hosti, qui vulnerarit, ea re lætitiam adferre. Ex hoc enim vidẽtes docet, neque oportere percussum ab hoste victoriam prodere, neque saucium ex infortunio suo claudicare in officio, neque collapsum jacere, & secundã sustinere plagam, neque hosti gloriæ occasione præbere. *Oratione* 17. *p.*

S. Isidorus Pelusiota: Per summam curam ac diligentiam grassetur vulnerum animi curatio. Nam quæ cicatricem præmaturè duxerunt, plerumque aperiri ac recrudescere consueverunt. *lib.* 2. *Epist.* 152.

S. Isidorus Pelusiota: Etsi grave atque acerbum vulnus est, atque immortalẽ mortẽ accersit: tamẽ si divinũ auxiliũ, quod & turbidos animi motus, & vitium omne vincit ac profligat, imploraris: ne vestigium quidem vulneris relinquetur. *lib.* 2. *Epist.* 187.

§ Latinorum.

Egesippus: Adversus eã Antipater, non verborum referens vicẽ sed rerum assertorem, scidit vestem, & nudus vestimentorum, plenus vulnerum, diloricato amictu, efferens oculis circumstantium spectatæ indicia virtutis: En, inquit, malevolentiæ meæ in Cæsarẽ testimonia, defendant reum, quæ tanquam animi lumina micant. Has ego cicatrices tibi Cæsar voluntatis internæ obsides tribuo. Hæc ego fidei meæ depono pignora, & inscriptos cordis apices gero. Si civibus non creditur, hostes interrogentur, pro quo vulnera illa susceperim. Quod in me aliud, nisi fidem, quam tibi deferrem, persequebantur? *lib.* 1. *cap.* 25.

§ Oratorum.

Lysias Adhæc nullum vulnus appellatur [ex sententia Legislatoris] ἐκ προνοίας, seu de industria illatum, nisi quãdo, quẽ occidere conatus est, quispiam vulneravit. Quis n. adeo fatuus est, ut diu præmeditetur, quo suorum inimicorum alicui vulnus tantùm infligat? Constat a. nostrarum legum authores, non, si quis pugnãdo caput alteri obtrivisset, ideo patria eum pelli voluisse: (alioqui profectò multi fuissent pulsi:) sed si qui, dum interficere conantur, lædant, quamvis interficere non potuerint, de his tam graves pœnas sumendas esse constituerunt: existimantes ipsos dare eorũ pœnas oportere, quæ deliberata voluptate perficere conati essẽt: quia, quanquam propositũ non erant assecuti, fecisse tamen quod in ipsis erat. Atq; hæc jã sæpe temporibus præteritis de vulnere quod consulto factum est, statuistis. Grave enim esset & iniquũ, si qui aut ebrietatis, aut dissidii occasione; aut puerilium amorum, aut convicii, aut scorti gratia pugnantes, vulnerati sint; aut alterius alicujus pudendæ rei caussã, cujus ipsos pœniteat, cum respiciunt; pro iis tanta tamque gravia supplicia sumere, ut civium nonnulli urbe expellantur *Apologia in Simonem cap.* 12.

Quintilianus: Unde tantum virium cæco, ut uno statim ictu mors peragatur? Incertum vulnus sit necesse est, cujus imperium non regitis oculi: nec possis custodire destinatum ferro locum, dũ ad colligendum vulneris pondus dextra redire permittitur. *Declamatione* 2. § 16.

§ Poetarum.

Prudentius passione Cassiani.

Omnia membra manus pariter fixere ducenta,
Totidemq; guttæ vulnerum stillant simul.
Major tortor erat qui summa pupugerat infans,
Quam qui profunda perforarat viscera,
Ille levis, quoniam percussor morte negata
Sævire solis scit dolorum spiculis.

His

Hic quanto interius vitalia condita pulsat,
Plus dat medela dum necem prope applicat.
Este, precor fortes, & vincite viribus annos:
Quod desit avo, suppleat crudelitas.
Sed male conatur tener, infirmusq; laborat;
Tormenta crescunt dum fatiscit carnifex.

Ausonius Epigr. 2. de fera à Cæsare occisa.

Cedere qua late nescit fera saucia ferro,
Armatiq; urget tela cruenta viri:
Quam grandes parvo patitur sub vulnere mortes,
Et solam lethi vim probat esse manum.

De eadem Epigr. 5.

Quod leo tam tenui patitur sub arundine lethum,
Non vires ferri, sed ferientis agunt.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad tactus suspicionem, condolescunt ulcera.
Ah, molestiora noctu quam die sunt vulnera.
Aspidis vulnus pusillum est, attamen in mortem sopit.
Corporis longe minora sunt quam mentis vulnera.
Corpori magno ac minuto vulnerum par est dolor.
Debet esse validius quod lædit eo quod læditur.
Dum latus protegimus unum, vulneramur altero.
Fortium è plagis plus manat gloria quam sanguinis.
Mille cuplo graviora mentis vulnera sunt quam tergoris.
Fortitudo haud in stupore, sed dolore vulnerum est.
Non virtutis est contemnere vulnera; est ignavia.
Nullum tam grave animæ vulnus est quin sit sanabile.
Ridiculum est monstrare pauca tacti vulnera corporis.
Sæpius, datum unde vulnus, inde contigit salus.
Sanguinis minus in adverso vulnere est quam gloria.
Saucius ex acie reversus mage spectatur, quam integer.
Testimonium virtutis sunt vocale vulnera.
Vir bonus certamine omni vincit absque vulnere.
Vulnus adversum est honestum, vulnus aversum secus.
Vulneris quemvis dolorem mortis exturbat metus.
Vulnere in creberrimo omnis militaris gloria est.
Vulnere in gravi haud dolere, gravius ipso vulnere est.
Vulnera haud statim sanantur, qua lavaris vel semel.
Vulnerum asperet fervorem tolerandi impatientia.

§ JAMBICA.

Amans, amantis solum agnoscit vulnera.
Apes relinquunt aculeos in vulnere.
Clypeusque sero sumitur post vulnera.
Cui læditur corpus, quoque et mens læditur.
Etiam sua sunt vulnera conscientiæ.
Facere est facilius, quam sanare vulnera.
Ferrum homini corpus, verba mentem sauciant.
Fiunt cito lingua, haud cito abeunt vulnera.
Honesta sunt accepta pectore vulnera.
Inferre vulnus qui vult, sæpe interficit.
Mollem admoveto vulneri magno manum.
Nati Deorum non sunt vulnerabiles.
Non sentiunt in acie fortes vulnera.
Quæ sectionem plaga admittit, haud necat.
Quicunq; tergo vulnus animo fert fugam.
Se nemo sanat alterum qui vulnerat.
Semen Deorum nulli vulnerabile est.
Sentire vulnus sanguis heroum haud potest.
Virtus hebescit omnis absque vulnere.
Vulnus cavendum est omne quod curat dolor.
Vulnus dolorem non habet, quamdiu calet.
Vulnus renovatum pejus post curam dolet.

Vultus.

§ SENTENTIÆ PATRUM.

D. *Chrysostomus*: Inimica furi lux est. vir justus vel solo aspectu peccatoribus gravis ac molestus est. neque enim ipsius radios ferre queunt; quemadmodum nec solares radios qui ægris oculis sunt. Quin multis quoque pravis hominibus, non aspectu modo sed & auditu gravis est: ac proinde scelerata illa Herodis uxor, quamvis ne Joannem quidem ipsum vidisset, nec ipsius vocem audisset, tamen ad ejus cædem animum adjecit, usque adeo extimescebat. *Homil. 28. ad Corint. 2.*

§ ORATORUM.

Isocrates: Assuefac te, ut sis vultu non torvo, sed severo. nam illud insolentiæ, hoc prudentiæ tribuetur. *Paranesi.*

Lucianus: *Tri.* Scio equidem, quod neque parvam, neque cõtemptu facilem rem apud te volvis, sed admodum etiam arcanam. Nam & color, & quod taurinum quiddam tueris, quodq; pedibus consistere nequis, sed sursum atq; deorsum inambulas, conspicuũ te facit. Verum respira aliquantulum à malis, & nugas istas evome, ne quid patiare mali. *Solacista.*

Heliodorus: Et quod Græci sitis cognovi, & quod bono genere nati, ex iis quæ in vobis cernuntur, argumentũ capere licet. vultus enim adeo liberalis & elegans forma, specimen præstantis generis exhibent. *lib. 7. AEthiopic.*

Heliodorus: Habes ibi una cum aliis legatis virum talem, ut vel solis moribus generositatem declarare possit; & dignum, ut vel vultu tantum vel facie, à te quod petit impetret. *libr. 10. AEthiopicorum.*

Eumenius: In ipso, Cæsar, tuo vultu videbant omnia signa virtutum, in fronte gravitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in sermone justitiæ. *cap. 19. Panegyrici dicti Constantio Cæs.*

§ POETARUM.

Nonnus lib. III. Dionysiacon.

Cognatus Emathion forum gravisonum relinquens,
Admirabatur viri formam, cum sane ei ingenita juventa
Fortitudinem & pulcritudinem commiscuisset compare forma:
Obstupuit tantam formam. valde sapientum enim regum
Spontaneus nuncius mutus est vultus.

Plautus Epidici 1. sc. 1. v. 58.

——Nescio edepol quid tu timidus es,
Trepidas, Epidice: ita vultum tuum video; videre commeruisse
Hinc me absente in te aliquid mali.

Martialis lib. 1. Epig 25.

Aspicis incomptis illum, Deciane, capillis
Cujus & ipse times triste supercilium?
Qui loquitur Curios, assertoresq; Camillos?
Nolito fronti credere: nupsit heri.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Arduum est non prodere ipsa fronte mentis crimina.
Corporis figura tacita, qualis homo sit indicat.
Cum faciem videas, videtur esse quantivis pretii.
De facie exteriore cerni ingenium intimum queat.
Fronte supercilioque mollis contegit libidines.

§ JAMBICA.

Cujusque mores ipse vultus indicat.
Ex vultibus cujusque mores colligas.
Frons atq; vultus animi omnino janua est.
Lingua haud loquente sæpe vultus disserit.
Plerumque vultus animi sensus indicant.
Plerumque animos ipsomet è vultu æstimes.
Quamvis tegatur, proditur vultu furor.
Secreta mentis, ora confusa exserunt.
Tacente lingua sæpe vultus garrulus.
Vultus boni sunt moribus fere malis.
Vultusque imago est animi, oculi sunt indices.
Vultu quoque ingens præferas ipso malum.

Videantur plura titulo, *Aspectus, Formæ, Hominis creatio, Faciei, Frontis, Oculorum, Similitudinis, Visus.*

Vxoris.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Bonum conjugium à Deo conciliari, externi quoq; sentiunt: siquidem illorum hoc est; Nullam proba uxore meliorem rem cuiquam obvenire posse, nec rursus improba pejorem. *Oratione 19. in funere patris.*

D. Chrysostomus: Etsi nobis subjecta est mulier, est tamen ut mulier, ut libera, & ut quæ est honore æqualis. *Homil 26. ad Cor. 1.*

D. Chrysostomus: Si externis dexteram percutientibus oportet alteram præbere maxillam: multo magis ferocientem maritum ferre oportet. Neq; hoc dico, ut verberetur mulier: absit. hoc enim extrema contumelia; non ei quæ verberatur, sed ei qui verberat. Sed si casu aliquo tibi sors ejusmodi obtigerit, ut talem habeas conjugem, ne ægrè feras; quæ tibi pro eo est reposita cogitans mercedem, & quæ in vita præsenti tibi paratur laudem. Porro autem viris quoque illud dico: nullum sit ejusmodi peccatum, ut vobis afferat necessitatem verberandæ uxoris. Et quid dico uxoris? Ne ancillam quidem verberare, & ei manus inferre, viro ingenuo fuerit tolerandum. Si autem viro servam verberare est probrum, multo magis in liberam manus intendere. Hoc autem etiam ex externis videris legislatoribus: qui eam, quæ talia est passa, non amplius cogunt habitare cum eo qui verberavit; ut qui sit indignus, qui cum ea habeat consuetudinem. est enim extremæ iniquitatis: vitæ sociam, & quæ in rebus necessariis, & summe est tibi conjuncta; eam tanquam mancipium afficere ignominia. Quamobrem ejusmodi virum, si vir est appellandus & non bestia, instar patricidæ & matricidæ ego dixerim. Nam si propter eam & patrem & matrem jussi sumus di-

mittere; non illis injuriam facientes, sed divinam legem implentes, ipsis parentibus adeo desiderabilem; ut & ipsi qui relinquuntur gratiam habeant, & cum magno studio id efficiant: quomodo non est extremæ insaniæ eam contumelia afficere, propter quam etiam parentes Deus jussit dimittere? Num autem solum est insania? Dedecus autem & ignominiam quæso quis feret? Quænam autem oratio eam potuerit explicare; quando fletus & ejulatus feruntur per vicos & compita, & ad ædes eius qui tam indecore se gerit cursim accedunt vicini; perinde ac si aliqua fera quæ sunt intus vastet ac perdat. Satius est, ut ei, qui tam petulanter insultat terra dehiscat; quam de cætero in foro appareat. At est, inquit, mulier audax & insolens. Sed cogita mulierem esse vas imbecillum, te autem virum. Propterea enim factus es rector & princeps, & datus es instar capitis, ut feras eius quæ à te regitur imbecillitatem. Effice ergo, ut sit tuus principatus & imperium splendidum: erit autem splendidum, quando eum qui tuo regitur imperio ignominia non affeceris; & quomodo qui fungitur munere regio, eo apparebit præclarior & magnificentior, quo præclariorem & magnificentiorem suum effecerit vicarium. Sin autem despicatui habuerit, & contumelia affecerit dignitatis illius magnitudinem: suæ quoque gloriæ nō parvam amputabit partem. Tu quoque si eam quæ post te imperat probro & dedecore affeceris, non levi damno afficies honorem tui principatus. Hæc ergo omnia apud te reputans, te modeste gere: & cum his illum quoq; cogita vesperam, qua tibi vocato pater tanquam aliquod depositum suam tradidit filiam; & ab omnibus abductæ, & à matre, & à se, & à domo, totam eius curationem tuæ cōmisit dexteræ. Cogita quod post Deum per ipsam habes liberos, & pater factus es: & ideo sis ei mitis & clemens. Non vides quemadmodum terram quæ semel suscepit semina, omni ratione culturæ colant agricolæ; etiam si sint innumerabilia, quæ ei officiant & detrimentum afferant; etiam si sit terra arida & exilis, etiam si malas ferat herbas, etiam si propter naturam situs ei imbres insultent? Tu quoque ita facias. Sic enim tu prior frueris & fructibus, & tranquillitate: est enim mulier portus, & maximum medicamentum tranquillitatis animi. Atque si portum quidem ab undis & fluctibus liberaveris, à foro rediens magna frueris securitate: sin autem tumultibus & turbis impleveris, tibi gravius comparas naufragium. Ne hoc ergo fiat, fiat quod dico. Quando aliquid molestum domi evenerit, quod ea peccarit: consolare, nec auge dolorem. Nam etsi omnia amiseris; nihil est molestius, quam non cum benevolētia intus habitantem habere uxorem: & quodcumque peccatum dixeris; nihil dices quod majorem afferat dolorem, quam cum illa agitare seditionem. Quamobrem eius dilectio est omnibus pretiosior. Nam si oportet alterum alterius onera portare, multo magis uxoris. etsi sit pauper, ne exprobres: etsi sit stulta, ne insultes; sed potius eam corrigas & emendes. est enim membrum tuum, & facti estis una caro. Sed est garrula ac nugatrix, ebriosaque & iracunda. Propterea ergo dolere oportet, non irasci; & Deum rogare, & eam admonere, & ei consulere, & omnia facere ut vitium amputes. Si autem verberes & conteras, morbus non curatur. Audacia enim solvitur lenitate, non alia audacia. Simul etiā cogita, quæ à Deo præbetur merces. Quando enim cum eam tibi liceret excindere: nō hoc feceris propter Dei timorem, sed tam multa eius vitia tuleris; de iis legem latam metuens, quæ vetat ejicere uxorem, quocunq; morbo laboret: ineffabilem accipies mercedem; & ante mercedem maximum lucrum facies; & illam efficies obedientiorem, ipse quoq; ea ratione effectus lenior & clementior. Dicitur quidem certe quidam ex philosophis externis, cum malam haberet uxorem, & nugatricem, & convitiatricem; rogantibus, cur eam habere sustineret, dixisse; ut domi haberet gymnasium & palæstram philosophiæ: ero enim, inquit, cæteris mitior, si in ea quotidie erudiar. Magna voce exclamastis: sed ego valde defleo, cum Græci sint nobis sapientiores; nobis, qui jussi sumus angelos imitari; imo vero qui jussi sumus Deum æmulari in ratione mansuetudinis. Atq; dicitur quidem philosophus, cum malam haberet uxorem, propterea eam non ejecisse. Quidam autem dicunt, eum ipsam propterea duxisse. Ego autem, quoniam multi ex hominibus sunt à ratione alieniores, suadeo quidem, ut ab initio omnia faciant, ut bene compositam accipiant cōjugem, & omni virtute plenam: sin autem contingat, eos aberrasse, & nō bonā neq; tolerabilē domū duxisse sponsā; tūc eū Philosophū æmulari & eā omni ex parte cōponere, & nihil eorū objicere. Nā mercator quoq;, priusquam cum socio pacta conventa fecerit, quā possint pacem conciliare; non prius navem deducet in mare neq; aliā attinget negotiationem. Et nos ergo omnia agamus, ut negotiationis nostræ vitæ sociam & huius navis cum omni pace intus teneamus. Sic enim & alia nobis erunt tranquilla, & securi præsentis vitę pelagus percurremus. Hoc pluris quàm domum, & mancipia, & pecunias, & ipsas res civiles faciamus: & nobis sit pretiosius ac prę stabilius; nobiscum in ædibus sedentem non agitare seditionem, neq; à nobis dissidere. Ita enim & alia nobis erunt secunda, & in spiritualibus etiam magnam habebimus facilitatem, hoc jugum trahentes cum concordia: & omnibus rectègestis; bona reposita consequemur. *Homil. 26 ad Cor. 1.*

D. Chrysostomus: Qui amat amantem, nihil videtur magnum facere. Qui autem eum qui odit observat & colit, is est maxime qui coronatur. Eodem modo tu quoq; reputa: quod si gravem & importunum tuum maritum tuleris, præclaram accipies coronam. Si autem mitem & mansuetum, cuiusnã rei tibi dabit Deus mercedē? Hæc autem dico; non jubens maritos esse sævos & asperos, sed suadens mulieribus ut sævos & asperos ferant maritos. Quando enim studuerit unusquisque implere quæ sua sunt, statim sequentur etiā quæ sunt proximi: ut quando parata fuerit mulier etiam sæviētē & ferocientem ferre maritum, & maritus etiam acerbam & molestam uxorem contumelia non affecerit; tunc sunt omnia tranquilla, & sita in portu libero à fluctibus. *Homil. 26. ad Cor 1.*

D. Chrysostomus: Si in ancilla fueris mitis, & nō difficilis aut molesta, multo magis talis eris in marito. nam si cum in tua sit potestate perspicuum sit te nihil tale facere, multo magis nihil tale facies quando est quod prohibet. quo fit ut quæ in ancilla exercetur philosophia, multum vos juvet ad conciliandam maritorum benevolentiam. *Homil. 15. ad Ephes.*

§ Latinorum.

Egesippus: Atque ea arte Archelaus multo amplius impellebat Herodem, ut ille sibi filium redditum putaret, si conjugium ejus non solveretur: Quod ille uxorem impense diligeret, ex qua etiam filios suscepisset, dulces avo, gratos parentibus, hoc munus restituti sibi filii fore, quia non mediocri ex parte bona uxor viri sui reprimeret errores, aut compensaret officiis invidiam flagitiorum. Quæ si ab eo divelleretur, nullum remedium viro futurum, quin præceps in omne rueret nefas. Molliores enim fieri solere scelerum præsumptiones, quæ domesticis affectibus revocarentur. *lib. 1. cap 40.*

Ennodius: Vxorem habui ad pudicitiam naturæ luce transmissā. cui splendor oriundi creverat institutis: ut gemino defensa propugnaculo nullatenus facinorum crederetur ictibus subjacere, nec duram castimoniæ obscenitatis evisceratione mollire. Illa nunquā fulvum metalli quæsivit ornatum; nec pretiosorum candore lapidum nivem corporis imitata est. non ulla habuit decoris adjumenta, dū placuit. scivit conjugalis jura sacramenti fucatis studiis non juvari: nec obligatum tenuisse conjugem, quando alium præter eum, qui descendit à moribus, quæsivit nupta fulgorem. Mansit illa educandorum pignorum servitus libera, dum talem se præbuit, quæ & desiderari meruerit, & virum nunquam putaret absentem. Illa sexum mentis firmitate duraverat; dum illa muliebris imbecilla consilii de virili ceperāt auctoritate substantiam. Iam lapsibus ordinis sui doctrina medicante repugnabat, & translata in usus alteros feminarum ridebat excessus. In summa, talis periit, quales solent à maritis lacrymas impetrare. Circæo, ut ajunt, poculo à se translata est, & in votum migravit adulteri. *Oratione 24. m.*

Io. Saruberiensis: Adjecit lex, Non habebit rex mores plurimas. Patriarchæ & uxores & earūdē ancillas adscivere, atqui reges perpetuæ prohibitionis laqueus tenet, & à plurium uxorum amplexibus arcet: & cum in aliis plures unius esse licitum fuerit, in regibus perpetuo obtinet, ut una unius sit. Nunquid fornicari vel adulterari, stuprumve committere licet cum pluribus, cum nec etiam generis multiplicandi causa, aut procreandi heredis, liceat uxoribus admisceri? Quomodo stupra, adulteria, aut quaslibet fornicationes puniet potestas eisdem subjecta criminibus? *lib. 4. Policratici c. 5.*

§ Philosophor. Oratorumque Græcorum.

Hippocrates: Domum meam valde per opportunam inhabitabis, cum mea uxor propter meam profectionem apud parētes maneat, illius tamen vitam observa, quo pudice degat, & ne ob viri absentiam alios viros usurpet. Modesta ab initio fuit, & probos habuit parentes, patrem autem mirum in modum virilem, & vehementer malos odio prosequentem, ac egregie senem. Semper tamen eo qui modeste coerceat mulier opus habet. Natura enim insitam intemperantiam habet, quæ nisi quotidie resecetur, velut arbores supervacuis frondibus & inutili fruticatione luxuriat. At ego amicū parentibus diligentiorem in muliere custodienda existimo. Neq; enim hic, velut illi, benevolentiæ affectu cum ea conjunctus est, quo plerunq; admonitioni tenebras offundunt. In omni autem re, quod sine affectu prudentius est, quod nimirum benevolentia frāgi non possit. *Epist. 8. ad Dionysium.*

Xenophon: Possum etiam commonstrare quosdam, qui nuptas sibi uxores ita tractant, ut earum adiumento rem familiarem augeant: alios, ut damna maxima accipiant. Hac etiā in parte, mi Socrates, vir one, an uxori tribuenda culpa est? Si pecus, ait Socrates, male adfectum sit, plerumque pastorem accusamus: si equus lædat aliquem, plerumque crimen in equitem confertur. Vxor à marito si recte instituta male segerit merito culpam ipsa sustinet: at si vir ea, quæ honesta & laudabilia sunt, non docuerit illam, atq; ita horum ignara utatur, an non in virum merito ea culpa conferri debeat? Omnino mi Critobule, inquit, (sumus enim amici, quotquot hic adsumus) verum nobis dicito. Est ne aliquis alius, cui plus rerum seriarum committas, quam uxori? Nemini, ait. Est ne vero quispiā, cum quo minus colloquare, quam cum illa? Si minus, inquit, cum nemine; saltim cum non multis. An vero eam puellam admodum duxisti, aut saltim quæ, quam fieri potuit, minime multa tum vidisset, tum audivisset? Maxime. Multo igitur magis mirum erit, si, quid dicendum faciundumve sit, sciat, quam si peccet. Quibus autem bonas tu dicis uxores esse, mi Socrates, num illi eas sic instituerunt? Nihil vetat, id à nobis considerari. Atque equidem etiam Aspasiæ te commendabo, quæ multo peritius hæc omnia tibi ostendet. Existimo autem uxorem, quæ in domo bona sit socia, tantumdem na-

bere momenti ad utriuſque utilitatem, quantum vir habeat. Nam plerumq; viri opera facultates in domum veniunt, & maxima pars earum uxore promente conſumitur. Quæ quidem ſi recte fiãt, amplificantur domus: ſin autem, deminuuntur. *cap. 11. lib. 5. œconomica.*

Xenophon: Tu quidem, mi Socrates, quod de me quærebas, domi ego tempus non admodum tero. Nam ad res domeſticas adminiſtrandas uxor ipſa ſatis eſt idonea. Quin hoc quoq;, inquam ego, mi Iſchomache, perlubenter de te quærerem, num uxorem ipſe talẽ inſtituendo effeceris, qualem eſſe oportet, an à patre matreq; acceperis peritam earum rerum adminiſtrandarum, quæ ad ipſius officium pertinent. Et quid mi Socrates, inquit, ſcire poterat, quum eã ducerem, quæ necdum annos nata xv. ad me venerit, ac ſuperiore tempore magna cura adſervata vixerit ut quam minimum cerneret, quam minimum audiret, quam minimum ſciſcitaretur? An nõ autem boni conſulendum tibi videtur, quod ſaltim venerit perita conficiendi accepta lana veſtem, ac animadverſa ratione penſi ancillis dandi? Nam quod gulam adtinet, hac in parte, mi Socrates, recte admodum inſtituta venit: quæ quidem mihi diſciplina tum in viro, tum fœmina videtur eſſe maxima. Ceterane, inquam ego, mi Iſchomache, uxorem tuam inſtituendo ipſe docuiſti, ut curandis iis, quæ ad munus ipſius pertinent, ſufficiat? Non prius profecto inquit Iſchomachus, quam rem ſacram feciſſem, & precatus eſſem, ut quæ utrique noſtrum eſſent optima, tum ipſe docerem, tum ex me illa diſceret. Ergo, inquam ego, etiam uxor rem ſacram tecum faciebat, & una tecum hæc precabatur? Omnino, ait Iſchomachus, & quidem multum diis teſtibus promittens, fore ſe talem, qualẽ eſſe oportet: nec obſcurum erat, minime in iis, quæ doceretur, negligentem futuram.

Quæſo te per deos, inquã ego, mi Iſchomache, narra mihi, quid eam primum docere ceperis. Nam jucundius id mihi fuerit ex te narrante audire, quam ſi vel gymnicum, vel equeſtre mihi certamẽ longe pulcherrimum narres. Et Iſchomachus reſpondens: Quid vero, inquit, mi Socrates? poſteaquam manſueta jam, & cicur fieret, ita ut colloqueremur: hoc quodam, inquit, modo ipſam interrogabam: Dic mihi, mea uxor, jamne animadvertiſti, qua tandem de cauſa tum ego te duxerim, tum tui parentes mihi te tradiderint? Nõ enim copiam nobis alterius nullam fuiſſe, qui cum cubaremus, te ipſam perſpicere ſcio. Quũ autem ego quidem de me, parentes vero tui de te conſultaremus, quemnam conſortem optimum domus & liberum caperemus: ego te delegi & parentes tui me, quemadmodum videtur, ex iis, quos poterant. Quod ſi liberos Deus aliquando nobis dederit, tum de illis conſultabimus, quo pacto eos quam optime poſſimus inſtituere. Nam & illud bonum utrique noſtrum erit cõmune, ut & ſocios, & eos, qui nos in ſenectute alant, longe optimos conſequamur. Nunc domus hæc nobis communis eſt. Nam & ego cuncta, quæ mea ſunt, in medium exhibeo: & tu quæcumq; adtuliſti, omnia in commune depoſuiſti. Neq; jam ejus habenda eſt ratio uter noſtrum numero plura contulerit: ſed ſciendum eſt, eum res majoris pretii conferre, qui ſe hac in ſocietate rectius geſſerit.

Ad eã, mi Socrates, uxor mihi reſpondebat: In quonam ego tibi eſſe adjumento poſſim? quæ mea facultas eſt? In te omnia ſita ſunt. Mei muneris eſſe mater ajebat, ut frugi ſim. Profecto, inquam ego, mea uxor etiam hoc meum eſſe dicebat pater. Verum frugi hominum munus eſt, ſive quis vir ſit, ſive mulier, ita ſe gerere, ut & facultates, quæ adſunt, optimo ſint loco, & aliæ quamplurimæ honeſtis juſtiſq; rationibus accedant. Et quidnam tu vides, inquit uxor, quo efficiundo poſſim ego tecum domum noſtrã augere? Enitere profecto, inquam, ut illa quam optime efficias, quæ à natura tibi dii tribuerunt, ut poſſes, & quæ lex comprobat. Ea vero quid ſunt? ait illa. Meo quidem judicio, inquam ego, non minimi momenti, niſi etiam apum illa dux in alveari minimi momenti operibus præeſſe juſſa eſt. Nam mihi, dixiſſe ſe ajebat, videntur dii, mea uxor, maxima conſideratione par hoc conjunxiſſe, quod mas & femina vocatur, ut ad ſocietatem mutuam plurimum ſibi conduceret. Primũ enim, ne animantum genera deficerent, par hoc conjunctũ liberos procreat. Deinde facultas hominib. conceditur, ut ex hac conjunctione adquirere ſibi poſſint eos, qui ſenes alant. Præterea non ſub dio jumentorum inſtar homines vivunt, ſed tectis ſcilicet indigent. Quamobrem neceſſe eſt ii, qui conſequi volunt, quod ſub tectum importent, habeant aliquos, qui operas obeũdas ſub dio ſuſcipiãt. Nam & arvorum renovatio, ſeminum ſparſio, & conſitio, & paſcẽdi opera ejuſmodi ſunt, quæ omnia ſub dio curentur: & ex eis neceſſaria comparantur.

Requiritur autem, poſteaquam hæc intra tectum illata fuerint, ejus etiam opera, qui hæc ſervet; & qui ea conficiat opera, quæ non niſi ſub tectis fieri poſſunt. Requirit vero tecta liberum recens natorum educatio puerilis, & cibi ex illata ſegete cõfectio tecta requirit: ac ſimiliter etiam veſtis ex lanis elaboratio. Et quoniam hæc utraque tum interiora, tum externa, labores & curam requirunt: idcirco etiam Deus, dixiſſe ſe perhibebat ſtatim naturam præparavit feminæ quidem, ad opera & curationes interiores: viri autem, ad opera & curationes externas. Nam viri corpus & animum ſic condidit, ut magis & frigora, & calores, & itinera, & expeditiones militares tolerare poſſet. quo factum, ut opera illi externa injungeret. Mulieri vero quia minus ad hæc firmum corpus à natura largitus eſſet, idcirco illi opera interiora, dixiſſe ſe ajebat, mandaſſe mihi Deus videtur. Et quia ſciebat, quod & à natura indidiſſet, & mandaſſet fœminæ, ut ea recens natos liberos educaret: idcirco majorẽ etiam amorem erga modo natos liberos ei, quã viro tribuit. Quia item illata cuſtodiendi curam mandavit fœminæ, idcirco Deus, qui ſciret animum timidum ad cuſtodiam minime deteriorem eſſe, majorem eſſe, majorem etiam metus partem fœminæ, quam viro impertivit. Quod ſciret opus eſſe defenſione, ſi quis opera foris facientem lædat, rurſus huic audaciæ plus tribuit. Quod utroſq; tum expendere, tum recipere neceſſe ſit, idcirco memoriam & diligentiã utriſq; in medium poſuit. Itaq; non facile poſſis diſcernere, utrum fœmineum, an virile genus hac in parte excellat. Etiam Deus in medio poſuit ambobus abſtinentiam à rebus iis, à quibus abſtinẽdum eſt: & poteſtatem eis fecit, uter foret melior, ſive vir, ſive mulier, is ut hujus boni partem majorem conſequeretur. Quia vero natura utriuſq; non eſſet ad hæc omnia recte comparata, idcirco etiam alter alterius magis indiget, fitq; par hoc ſibi ipſi utilius, quum alterius in poteſtate ſint ea, quibus alterum deſtituitur.

Hæc dicebam ad eam, quum ſciamus, mea uxor, nimirum quæ utrique noſtrum à Deo ſint imperata: enixe operam dare debemus, ut uterque noſtrum ea, quæ ſui officii ratio poſtulat, quam rectiſſime præſtemus. Etiam lex, dixiſſe ſe ajebat, hæc adprobat, marem ac fœminam copulans. atque uti Deus liberum ſocietatis inter ipſos auctor eſt, ita lex domus ſocietatem eis inſtituit. Præterea lex ea pulchra eſſe demonſtrat, quæ naturæ Deus indidit, ut præſtare poſſit uterq; rectius. Eſt enim fœminæ pulchrius, intra ædes eam ſe continere, quam foris agere: viro autem turpius, intus manere, quã res exteras curare. Quod ſi quis aliud agit, quam quod ipſius naturæ Deus indidit: fortaſſis occultum eſſe Deo non poteſt, ordinem ab ipſo perturbari, adeoq; pœnas dat ſive quis opera ſibi conveniẽtia negligit, ſive muliebria facit. Ac mihi quidem videtur, inquam, etiam apis illa, quæ ceterarum dux eſt ſibi divinitus præſcripta cõſtanter elaborare. Quænam vero, ait hæc apum illa dux opera tractat, illis actionibus conſimilia, quæ mihi conveniunt? Quod illa, inquam, in alveari manens otioſas eſſe apes non patitur: ſed quas foris laborare oportet, eas ad opus emittit, ac quidquid adtulerint ſingulæ, novit & accipit, tamque diu ſervat, donec eo ſit utendum. Id vero tempus ubi jam adeſt, juſtam cuique partem tribuit. Præeſt etiam favis, qui intus texuntur, uti recte celeriterq; texantur: & fœtus, qui naſcitur, educandi curam habet. Is poſteaquã educatus eſt, jamque operi faciundo idoneæ ſunt apiculæ: coloniam ex eis deducit, adjuncta ipſis quadam quaſi nepotum duce.

Num igitur me quoq;, ait uxor, hæc facere neceſſe erit? Erit, inquam ego, neceſſe domi ut maneas ac emittere famulos, quibus foris eſt laborandum: quib. autem intus faciundum opus, eis præeſſe debes, & quæ inferuntur, recipere. Præterea diſtribuendum erit tibi, quidquid eorum expendendum eſt: quæque ſuperare debebunt, de iis prudenter proſpiciendum tibi erit, & cavendũ, ne ſumtus in annum reconditus uno menſe abſumatur. Quum lanæ in domum illatæ fuerint, adhibenda cura, ut veſtes illis parẽtur, quib. convici debent. Curandum item, ut frumentum aridum idoneum ad veſcendum fiat. Vna, inquam, curatio ex iis, quæ tui ſunt muneris, fortaſſis ingratior eſſe videbitur; quod famulorum omnium cura tibi ſuſcipiẽda erit, ut ſi quis ex iis ægrotet, curetur. Illud profecto, ait uxor, longe gratiſſimum fuerit, ſi quidem curati gratiam habituri ſint, animoq; erga me magis benevolo futuri, quam prius. Quam ipſius reſpõſionem, ajebat Iſchomachus, admiratus equidem: An nõ, inquam, mea uxor, propterea quod apum illa dux in alveari ſic earum commodis proſpicit, ea eſt viciſſim aliarum apum erga hanc adfectio: ut alveum ſi deſerat, nulla ſe abeſſe putet ab illa debere, ſed omnes ſequantur?

Tum illa mihi reſpondens: Mihi vero mirum videatur, ait, non potius ad te ducis officium pertinere, quam ad me. Nam mea rerũ, quæ intus ſunt, cuſtodia & diſtributio, ridiculam ſpeciem habuerit, ni tu curam adhibeas, ut extrinſecus aliquid inferatur. Mea quoq;, inquam ego, ridicula videbitur illatio, niſi ſit, qui illata ſervet. Non vides, inquam, quo pacto illorum homines miſerari conſueverunt, qui pertuſum in dolium aliquid haurire dicuntur, idque propterea, quod laborare fruſtra patentur? Video certe, ait uxor, ac ſunt ſane miſeri, ſi hoc faciunt. Sunt & aliæ, inquam ego, curationes propriæ tuæ, mea uxor, futuræ non injucundæ: ut quum imperitam lanificii nancta, peritam efficies, atq; ea tibi deinde duplo pluris erit: quũ imperitam condendi promendique, & miniſtrandi nancta, talem efficies, quæ horum perita, & fida, & in miniſtrando prompta quantivis tibi ſit pretii: quum tibi modeſtos, ac domui tuæ utiles adficere beneficio licebit, ac ſi quis improbus eſſe videatur, punies. Quod deniq; omnium jucundiſſimum eſt, quum me eſſe melior videberis, meque famulum tuum effeceris, neque verendum tibi ſit, ut ne ætate procedente minus in domo tibi honoris exhibeatur: ſed perſuaſum habueris, te ætate provectiori tanto majore futuram in honore, quanto tum mihi conſors, tum liberis cuſtos domus melior extiteris. Nam honeſtorum egregiorumq; dignitas non propter virtutes in vita mortalium incrementa ſumunt. Hujuſmodi quædã me, mi Socrates, primum cum ipſa colloquutum eſſe, meminiſſe videor.

Tum ego: An etiam intellexiſti, inquam, nonnihil ex his eam commotã ad diligentiam? Intellexi profecto, inquit Iſchomachus, atq; etiam memini, quũ valde morderetur & erubeſceret propterea, quod me quiddam eorum poſcente, quæ à me illata fuerant, dare id non poſſet. Quod ego quum eam graviter & ægre tuliſſe vidiſſem: Ne ſit hoc, inquã, animo tuo moleſtum, mea mulier, quod

dare non potes id, quod ego nunc forte abs te posco. Nā certa paupertas est, quum alicujus indigeas, uti eo non posse. Verum minus est in hac penuria molestiæ, quum quid inveniri quærendo nō potest, quam si ab initio non quæras; non ignorans scilicet, illud abesse. Enimvero hæc ad te culpa non pertinet, sed ad me: qui non omnia tibi tradiderim designato singulis loco, quo ea collocari deberent, ut tu scires, ubi ea reponenda, & unde rursus essent promenda. Nihil est autem, mea uxor, in rebus humanis vel utilius, vel pulchrius ordine, &c *Vide sequentia tit. de Ordine.*

Epictetus: Mulieres statim ab anno decimoquarto à viris dominæ vocantur. proinde cum vident se nihil aliud habere muneris, nisi ut cum viris concūbant, comere se incipiunt, atq; in ornatu spē collocant omnem. quare operæprecium est dare operam, ut sentiant sibi non ob aliud honorē haberi, nisi quod & modestas se præbeant, & verecundas, ac temperantes. *cap. 62. Enchir.*

Simplicius: Plerique mortales, inquit, uxoribus à prima ætate adulantur, & honorem habent, easq; dominas vocant, solius concubitus causa. Quare non immerito illæ ad hoc sese parantes, comūtur, & in ornatu spem suam omnem collocant. Nec tam illæ reprehendendæ sunt quam mariti qui eas propterea colunt. Quare ab initio statim sic informandæ consuefaciendæq; sunt, ut intelligant, se non alia ulla de causa à nobis honoratum iri, nisi quod sint ornatis modestisq; moribus, & marito verecunde pareant & obsequūdent. Quibus dotibus si qua mulier prædita fuerit, jam & ad tuendā rem familiarem, & ad educationem liberum, & ad mariti curationē, & ad vitæ frugalitatem facile assuefiet: quæ officia honestas matronas decent. *ad cap 62. Epict.*

Libanius: Enimvero tibimet ipsi, inquit, auctor es molestiarum, habens tam garrulam conjugem; cum non institueris mulierem, ut ea faceret quæ tibi grata essent: neque mores illius ingenio tuo aptaveris. quippe eam docere, monere, adhortari oportuit. Et quis adeo stultus est, ut quod ita in promptu, expeditumq; est, nec videat nec faciat? nulla dies fuit, nulla hora, nulla semihora, qua istud intermiserim; nec profui. *Declam. 6.*

Libanius: Solum à patre sciscitabar, An ex temperantibus orta est, mi pater, & continentiæ pudicitiæ studuit? sciebam quippe, cum hoc decus adesset, & inopiam mulieris, & deformitatē, & quidquid dicere quis posset, leve quiddam esse: si abfuerit, & opes, & formā, & genus, nullum ad consolationem momentum habere. Etenim quod bonum quis tanto malo opposuerit? huic vero quis tantum vulnus inflixerit? dirum profecto fuerit, tametsi latere posset: nunc autem simul ac peractum est, etiam pervagatur; & qui primum sensit, cuidam indicat, & ille alii & hic alteri, atq; hic rumor ad forum perlatus canitur. Propterea nullius alterius rei memor, de continētia certior fieri volebam. *Declam. 34.*

Libanius: At enim abdicaris, inquit, quia non vis uxorem ducere. Et quænam lex hoc coercet? quis non ducens uxorem, injurius est? quis ad id unquam adactus est? quis pænas dedit cælibis vitæ, aut nunc, aut antehac, aut apud nos, aut apud finitimos. an vero commune est istud apud Græcos? Egone solus quæso istam elegi viam, neque ulla referre possem exempla & antiqua & nova? qui ergo non absurdum fuerit, eadem multos affectare; me autem solum ex omnibus periclitari: & cum operum consortes habeam, iracundiæ præter alios effectum percipiam? verum neque de illis quisquam, opinor, bonus expostularet; & eodem jure ego sum solutus. Enimvero utriusque domini constituimur, & ducendi uxorem, cū id melius est; & non ducendi, quando expedit. quemadmodum ergo iis qui conjugium honorant, propositum periculo vacat: sic etiam cælibatum eligentibus indemne esse consilium oportet. Omnino maleficia & scelera explorantur, ac distinguntur ab iis quæ non sunt crimina: quod illa quidem prohibeantur, hæc vero minime. Quapropter ad illam veluti normam dirigentes judicemus. non enim leges promulgaturi, mi pater, hodie venimus: sed jam latis obsecuturi responde mihi, amabo, quare furari iniquum esse censemus? quoniam, inquies, scriptum est non oportere surripere. ac de proditoribus sane eadem est ratio, & de contumeliosis, & sicariis, & adulteriis, & iis qui ad eversionem status popularis coeunt. Iterum igitur quæram, quamobrem agros colere non est crimen, neq; vero navigare, neq; philosophari, nec rempublicam administrare? quivis utique dixerit: quia nihil horum latis & ratis legibus vetitū est. Ergo quod illorum singula crimine liberavit: hoc ipso nuptiarum fuga non obnoxia mulctæ censuræve redditur. Etenim si leges violando, propter hoc ipsum pænas pendemus: quæ vero fas est agendo, nihilo secius puniemur, cito civitatem judiciis vacuam reddemus. verum neq; hoc unquam antea factum est, neq; jure nūc initium caperet: sed hæc optima judicii regula est, Quisquis legem violarit, plectitor. Qui nullam moverit, absolvitor. Quænam ergo lex à me ducere uxorem nolente spreta est? nulla. Nam unicuique enim civium opinor, in ejusmodi rebus lex fit voluntas. *Declamatio 38.*

Libanius: Ipse, mi pater, uxorem ducito. sed enim jam ingravescente ætate & senex es? nimirum tibi opus est uxore non tam liberorum procreandorum causa quam senectæ fovendæ pleræq; ejusmodi in urbe sunt. *Declam 44.*

Dionysius Sophista: Scripsi tibi nuptias agenti. Et quidem veniam tibi do tacenti post nuptias. Neque enim est ulli, ut videtur, libertas loquendi, qui mulieris illecebris vinctus tenetur. *Epistola 45.*

§ ROMANORVM.

Quintilianus Senior: Vxorem perdidisti? nam in hac quidem tibi multum desiderii est. quomodo enim vos divites recipitis matrimonia? aliæ vos rapiunt voluptates, illa ministeria, illi imitati feminas pueri: inde fit ut ne liberos quidem ametis. *Declamationis 337. fine.*

Plinius Iunior: Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat: fuerat Pætus in partibus; & occiso Scriboniano Romam trahebatur. erat adscensurus navem. Arria uxor milites orabat ut simul imponeretur. nempe enim inquit daturi estis Consulari viro servulos aliquos quorum è manu cibum capiat, à quibus vestiatur, à quibus calcietur: omnia vel sola præstabo. non impetravit. cōduxit piscatoriam naviculam ingensque navigium minimo secuta est. Eadem apud Claudium, uxori Scriboniani, cum ea profiteretur indicium; Ego inquit te audiam, cuius in gremio Scribonianus occisus est, & vivis? Quin etiam cum Thrasea gener ejus deprecaretur ne mori pergeret; interque alia dixisset; Tu vis ergo filiam tuā, si mihi pereundum fuerit, mori mecum? respondit. Si tam diu tantaque concordia vixerit tecum quam ego cum Pæto, volo. Auxerat hoc responso curam suorum: attentius custodiebatur. sensit, & nihil agitis, inquit: potestis enim efficere ut male moriar; ut moriar, non potestis. dum hæc dicit, exiluit cathedra, adversoq; parieti caput ingenti impetu impegit, & corruit. Refocillata; dixeram inquit, vobis inventuram me quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis. *lib. 3. Epist. 16.*

Plinius Iunior: Cum sis pietatis exemplum, fratremque amantissimum tui pari caritate dilexeris, filiamque eius ut tuam diligas; nec tantum amitæ ejus, verum etiam patris amissi affectum repræsentes: non dubito maximo tibi gaudio fore, cum cognoveris dignam te, dignam avo evadere. Summum est acumen, summa frugalitas: amat me; quod castitatis indicium est. accedit his studium literarum, quod ex mei caritate concepit. meos libellos habet, lectitat, edíscit etiam. Qua illa sollicitudine, cum videor acturus, quanto cum egi, gaudio afficitur? disponit qui nuncient sibi, quem assensum, quos clamores excitarim, quem eventum judicii tulerim. Eadem si quando recito, in proximo discreta velo sedet, laudesque nostras avidissimis auribus excipit. Versus quidem meos cantat, formatque cithara, non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus. His ex causis in spem certissimam adducor, perpetuam nobis majoremque indies futuram esse concordiā. non enim ætatem meam, aut corpus, quæ paulatim occidunt ac senescunt, sed gloriam diligit: Nec aliud decet, tuis manibus educatā, tuis præceptis institutam: quæ nil in contubernio tuo viderit, nisi sanctum honestumq; &c. *lib 4. Epist. 19.*

Plinius: Eadem, quam modica cultu? quam parca comitatu? quam civilis incessu? Mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita instituit. nam uxori sufficit obsequii gloria. An cum videat, quam te nullus comitetur ambitio, non & ipsa cum silentio incedat, ingredientēque pedibus maritum in quantum patitur sexus imitetur? decuerit hoc illam etiam si tu diversa facias. *cap. 83. fine paneg. ad Trajanum.*

§ POETARUM.

Solon apud Ausonium.

Par pari jugator conjunx: quidq uid impar, dissidet.

Aristophanes Equitibus v. 1053.

Fert onus & mulier quod ei indit forte maritus,
Nec pugnat: nam turpe cacet, si ferre recuset.

Aristophanes Thesmophor. v. 781.

Nos igitur vos ipsas commendabimus progressa,
Et si unusquisq; muliebri generi mala multa dicit,
Quod omne sumus malum hominibus, & ex nobis sunt
omnia:
Lites, contentiones, seditiones, difficilis molestia, bellum. age vero nunc,
Si malum sumus, quid ducitis uxores nos, si modo revera
malum sumus?
Et prohibetis ac præcipitis neque egredi, neque prospicientem è fenestra deprehendi.
Sed ita multo studio malum vultis custodire.
Et si egressa fuerit muliercula aliquo, & deinde invene-
ritis ipsam foris,
Insanias insanitis, quos oportet sacrificare & lætari. si
modo revera,
Ab interiori parte invenistis evanidum malum, & non offenderit intus.
Et si dormierimus in alienarum mulierum ædibus ludentes, elaborantes ac fessa.
Vnusquisque malum hoc quærit, circa lectos obambulans.
Et si ex fenestra prospexerimus, quærit malum spectare.
Et si erubescens recesserit, multo magis unusque cupit
Rursus promoventem caput videre malum. Ita nos perspicue
Vobis sumus multo meliores, experimentumque adest, ut
videatur.

Quæstionem ac periculum damus, utri pejores. nos enim dicimus vos,
Vos vero nos. Consideremus vero & contendamus, ac comparemus ad unamquamque rem,
Comparantes & mulieris ac viri nomen unumquodque.

Mox v.806.

Ita nos multo meliores viris gloriamur esse.
Neque si furata mulier accusatur, ad quinquaginta talēta
In urbem veniret ex publicis pecuniis. sed si maxima surripuerit,
Sportulam triticorum viri furata, eodem die ipsa ea quæ furata sit, reddidit.
Sed nos multos ex his
Ostenderemus hæc facientes,
Et ad hæc helluones vobis
Existentes magis, & fures,
Et scurras, & pradones.
Et quidem profecto etiam paterna quidem bona
Pejores nobis sunt servare.
Nobis enim salva adhuc etiam nunc est
Phiala, regula vel calamistrus, quasilli,
Vmbella.
Nostris autem viris hic
Periit quidem multis lorum & retinaculum scuti
E domibus cum ipsa lancea:
Multis vero aliis ab humeris
In militiis
Projectum est scutum.

Oppianus lib.4. ἁλιευτ. v.206.

Assyrii plures connubiales lectos uxores
Distincta curant, & concumbunt omnes
Noctes alternantes: magnus autem ipsos stimulus continuatur
Zeli cruciabilis: Zelo autem pereunt,
Semper in se mutuo gravem acuentes martem.
Quam nullus æmulatione pejor hominibus dolor
Inest: multos vero luctus, multosq; affert
Ejulatus: furoris enim impudentia est socia:
Furori autem libenter commiscetur: inque gravem
Noxam evadit: finis vero ei est exitium.

Plautus Amphitr. 2. sc. 2. v. 186.

Quid ego tibi deliqui, si cui nupta sum, tecum fui.
AM. Tun' mecum fueris? quid illac impudente audacius?
Saltem tute si pudoris egeas sumas mutuum.
AL. Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me impudicitiæ captas, nos potes capere.

Plautus Aululariæ 2. sc. 1. v. 26.

—— Quod tibi sempiternum salutare
Sit liberis procreandis, ita dii faxint!
Volo te uxorem domum ducere. M. hei! occidi.
E. Quid ita? quia mihi misero cerebrum excutiunt
Tua dicta soror. lapides loqueris. E. eja hoc face
Quod te jubet soror. M. si jubeat, faciam. E. in rem
Hoc tuam est. M. ut quidem emoriar priusquam ducam.
Sed his legibus, si quam dare vis, ducam quæ
Cras veniat, perendie foras feratur soror.
His legibus quam dare vis cedo: nuptias adorna.

Ibidem versu 40.

Post mediam ætatem qui media ducit uxorem domum,
Si eam senex anum prægnantem fortuito fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?

Plautus Casinæ 2. sc. 2. v. 15.

Vir me habet pessimis despicatam modis,
Nec mihi jus meum obtinendi copia est.
M. Mira sunt, vera si prædicas. nam viri
Ius suum ad mulieres obtinere haud queunt.

Ibidem versu 26.

Nam peculii probam nihil habere addecet
Clam viro; & quod habet, partum ei haud commode est,
Quæ viro subtrahat, aut stupro invenerit.
Hoc viri censeo esse omne, quidquid tuum est;
CL. Tu quidem tuam adversum amicam omnia loqueris.
M. Tace sis stulta, & mihi ausculta: noli sis tu illi
Adversari: sine amet, sine quod libet id faciat:
Quando tibi nil domi deliquium est.

Plautus Casinæ 2. sc. 5. v. 9.

Quid istuc est? qui cum litigas Olympio?
O. Cum eadem qui a tu semper. ST. cum uxore ne mea?
O. Quam tu mihi uxorem? quasi venator tu quidem es,
Dies atque noctes cum cane ætatem exigis,

Plautus Casinæ 2. sc. 7. v. 57

Quid tibi tactio hunc fuit? C. quia jussit Iuno hæc mea.
O Patiundum est; siquidem me vivo mea ux r imperium exhibet.

Plautus Menæchmis 1. sc 2. pr.

Ni mala, ni stulta sis, ni indomita imposque animi,
Quod viro esse odio videas, tute tibi odio habeas.
Præter hac si mihi tale post hunce diem
Faxis, faxo foris vidua visas patrem.
Nam quoties ire volo, me retines, revocas,
Rogitas quo ego eam, quam rem agam, quid negocii geram,
Quid petam, quid feram, quid foris egerim?
Portitorem domum duxi; ita omnem mihi
Rem necesse loqui est, quidquid egi atq; ago.
Nimium ego te habui delicatam.
Nunc adeo ut facturus dicã ego: quãdo tibi ancillas penũ,
Lanam, aurum, vestem, purpuram bene præbeo, nec quicquam eges,
Malo cavebis, si sapis: virum observare desines.

Plautus Menæchmis 5. sc. 2. v. 37.

—— Quoties monstravi tibi, viro ut morem geras:
Quid ille faciat, ne id observet? quo eat? quid rerum gerat?
M. At enim ille hinc amat meretricem ex proximo. S. sane sapit.
Ob istam industriam etiam faxo amabit amplius.
M. Atq; ibi potat. S. tuan' quidẽ ille causa potabit minus,
Sive illic, sive libebit? quæ hæc, malum impudentia est?
Vna opera prohibere, ad cœnam ne promittat postules,
Neve quempiam accipiat alienum apud te. servire' tibi
Postulas viros? dare una opera pensum postules,
Inter ancillas sedere jubeas, lanam carpere,
M. Non equidem mihi te advocatũ pater adduxi, sed viro.
Hinc stas, illinc causam dicis. S. si ille quid deliquerit,
Multo tanto illum accusabo, quam te accusavi amplius.
Quando te auratam & vestitã bene habet; ancillas penũ,
Recte præbet, melius sanam est, mulier, mentem sumere.
M. At ille suppilat mihi aurum & pallam ex arcis modo:
Me despoliat, mea ornamenta jam ad meretrices degerit,
S. Male facit, si istuc facit; si non facit, tu malefacis,
Quæ insontem insimules.

Plautus Mercat re 4. sc. 1. p.

Quoniam à viro ad me rus advenit nuncius
Rus non iturum, feci ego ingenium meum,
Reveni ut illum persequar, qui me fugit.

Plautus Trinummo 1. sc. 2. v. 13.

Quid agit tua uxor? ut valet? M. lus quam volo.
C. Bene hercle est, illam tibi bene valere & vivere.
M. Credo hercle te gaudere, si quid mihi est mali.
C. Omnibus amicis quod mihi est, cupio esse idem.
M. Eho tua uxor quid agit? C. immortalis est,
Vivit, victuraq; est. M. bene hercle nuncias;
Deosq; oro ut vita tua superstes suppetat.
C. Dum quidem hercle tecum nupta sit, sane velim.
M. Vin commutemus, tuam ego ducam & tu meam?
C. Habeas ut nactus: nota mala res optima est.
Nam ego nunc si ignotam captam, quid agam nesciam.
M Edepol proinde ut bene vivitur, diu vivitur.

Plautus Trinummo 5. sc. 2. v. 59.

Hæc tibi pacta est Calliclis filia. L. ego ducam pater;
Etiam si quam aliã jubebis. H. quanquam tibi succẽsui.
CA. Miseria una uni quidem homini est affatim, CH. imo huic parum est:
Nam si pro peccatis centum ducat uxores, parum est.
L. At jam posthac temperabo CH dicis. si facias modò.

Terentius Adelph. 1. sc. 1.

Ego hanc clementem vitam urbanam, atq; otium
Secutus sum; &, quod fortunatum isti putant,
Vxorem nunquam habui.

Terentius Andriæ 1. sc. 2.

—— Omnes qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt.
PA. Ita aiunt, SI. tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum;
Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumq; applicat.

Terentius Andriæ 3. sc. 3.

Vxorem demus. spero consuetudine, &
Coniugio liberali devinctum Chreme,
Dehinc facile ex illis sese emersurum malis.

Terentius Heautontim 4. sc. 1.

Perii! quid ego feci? CH. at rogitas? SO. si peccavi, mi Chreme,
Insciens feci. CH. id quidem ego, & si tu neges, certe scio,
Te inscientem atq; imprudentem dicere ac facere omnia.
Tot peccata in hac re ostendis.

Terentius Heautontim. 4. sc. 1.

Primum te hoc oro, ne quid credas me adversum edictum tuum

Facere ansam.CH.Vis tibi me istuc,etsi incredibile est, credere:
Credo.

Terentius Heautontim. 5.sc. 3.

——Oh pergin mulier esse? ullamne ego
Rē unquā volui,quin tu in ea mihi adversatrix fueris? at
Si rogitem jam,quid est quod peccem, aut quamobrem id faciam,nescias.
In qua nunc re tam consideter restas stulta? So. ego nescio.

Terentius Hecyræ 1.sc.2.

Hac, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens,modesta,incommoda atq; injurias
Viri omnes ferre,& tegere contumelias.

Terentius Hecyræ 2 sc.2.

Etsi scio,Philumena,meum jus esse,ut te cogam,
Qua ego imperem facere: ego tamen patrio animo victus faciam
Vt tibi concedam,neq; tua libidini adversabor.

Terentius Hecyræ 2.sc 3

Aedepol na nos aque sumus omnes invisa viris,
Propter paucas: qua omnes faciunt, digna ut videamur malo.
Nam ita me amēt Dii,quod me accusat nunc vir,sum extra noxiam.
Sed non facile est expurgatu: ita animū induxerūt socrus
Omnes esse iniquas.

Terentius Hecyræ 3.sc.1.

Vxori obnoxius sum;ita olim suo me ingenio pertulit;
Tot meas injurias quanunquam in ullo patefecit loco.

Terentius Hecyræ 3.sc.1.

Quonam modo Philumena nunc te offendam affectam?
Nam si periculum ullum in te, perisse me una haud dubium est.

Terentius Hecyræ 4.sc 1.

Sed ego stultior,meis dictis parere hanc qui postulem.

Terentius Phorm.1.sc.5.

Itane tandem uxorem duxit Antipho,injussu meo?
Nec meum imperium? ago, mitto imperiū; non simultatem meam
Revereri? saltem non pudere? ô facinus audax!

Petronius Arbiter.

Vxor legitimus debet quasi census amari.
Nec censum vellem semper amare meum.

Ausonius de matre sua.

Morigera uxoris virtus cui contigit omnis,
Fama pudicitia,lanificaque manus,
Conjugiiq; fides,& natos cura regendi,
Et gravitas comis,lataq; serietas?

Idem de Avia.

Hac non deliciis ignoscere prompta pudendis,
Ad perpendiculum seq; suosq; habuit.
Hac me prareptum cunis & ubere matris,
Blanda sub austeris imbuit imperiis.

Ausonius de adfine.

Inviolata tuens casta praconia vita,
Rexit opes proprias,otia agente viro.
Non ideo exprobrans,aut fronte obducta,marito,
Quod regeret totam femina sola domum.

Ausonius Epigr.17.de se & uxore.

Laidas & Glyceras lasciva nomina fama,
Conjux in nostro carmine cum legeret;
Ludere me dixit falsoq; in amore jocari.
Tanta illi nostra est de probitate fides.

§ APOLOGORUM.

Phædrus Fab.33.decalvati Senis.

A feminis utcumque spoliari viros
Ament,amentur,nempe exemplis discimus.
AEtatis media cuidam,mulier non rudis
Tegebat annos celans elegantia.
Animosque ejusdem pulcra juvenis ceperat.
Ambo videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere capere invicem.
Qui se putaret pingi cura mulierum
Calvus repente factus est.nam funditus
Canos puella,nigros anus evellerat.

De Muliere virum morientem flente,& Patre eam consolante. Fab. 14.

Mulierem adhuc juvenem,cuius vir animam agebat,pater consolatur,dicens: Ne te afflictes tantopere filia. Alium enim virum tibi inveni,isto longe formosiorem, qui prioris desiderium facile mitigabit. At mulier doloris impatiens,ut quæ maritum ardenti amore prosequebatur, non modo verba parentis non admittebat, sed intempestivam alterius mariti mentionem accusabat. At ubi maritum defunctum videt,inter lachrymas & luctus parentem interrogat,an adsit ibi juvenis ille, quem sibi in virum dare velle se dixerat.

Fabula indicat,quam cito defunctorum maritorum amor ex uxorum animo excidere soleat. Abstemius.

De Muliere ignem in mariti domum ferente. Fab 97.

Vir quidam prudens uxorem ducebat.Interrogatus autem ab amicis,quid sibi vellet facula illa, quam nova nupta accensam à paterna domo effert,rursusq; mariti domum ingressura accendit, & introfert, Significat,inquit, me hodie ignem è soceri mei ædibus ablatum,in domum meam inferre

Fabula significat, sapenumero mulieres ignem quendam esse, qui mariti bona comburit. Abstemius.

De Damone uxorem recusante. Fab. 194.

Dæmon defuncta uxore,quemadmodum morosam & difficilē habuerat,in perpetuo cœlibatu permanere decreverat. Ingressus autem quendam hominem,ut inde exiret,nullis adjurationibus ac minis poterat adduci. Tandem exorcista, cum omnia prius frustrà tentasset,sciens nullum uxore majus esse tormentum, minatus est, nisi egrederetur se uxorem illi daturum. Tum dæmon alta voce clamavit,egredior,egredior,noli me jugalibus vinculis irretire,statimq; exivit.

Fabula indicat, difficili & morosa uxore nihil esse miserius. Abstemius.

§ EMBLEMATUM.

Had.Junius Emblemate XII.

Illaqueata sedet pedicis pundibundaque velat
Vultum Venus Spartana flammeo.
Vxorem castus pudor, & constantia amoris,
Custodia & sui laris decet.

Had.Junius Emblemate XXXVIII.

Cum ruit in Venerem,blanditur Echidna marito,
Mox satura insertum prascidit ore caput.
Improba palpatur,tentigine fervida conjunx;
Continuo letum poscit anhela viri.

Had.Junius Emblemate L.

Testudo premitur pede,clavem dextra retentat;
Vacat obstruendo dentium septo altera.
Ne vaga discurset conjux,neu futilis esto;
Ipsamque cura opum tuendarum addecet.

Batillius CLXXV.

Vxor custos ædium.

Cur depicta Venus stans in testudine? Casta
Femina ut hinc discat limen amare viri
Hocque agere,ipse illi sunt ut custodia tectus
Vna sit,& suma consulat inde sua.

Batillius. CLXXVII.

Vxor morosa.

Tectum auro & gemmis speculum est ut inutile, quod non
Opposito formas aqueris orbe refert:
Sic minus apta viro,quamvis ditissima dote,
Qua minus apta viri moribus uxor erit.

Camerarius XXXI. Centuria 1

Nec dum cessat amor. Amygdalus reflorescens viso Demophonte.

Omnia cum rapiat mors,non extinguit amorem,
Quo devincta sibi est usque marita fides.

Camerarius LIX. Centuria 1.

Servavi & servare meum est.

Seque aliasque pudens matrona acumine servat:
Putrorem milium ceu procul esse facit.

Camerarius XXI. Cent. 3.

Cum pudore læta fæcunditas. Pavo.

Me beat & forma & numerosa copia prolis,
Vt sim matronis dulcis imago bonis.

Catsius Emblemate Ethico III.

Qualis mater,talis filia.

Ex asinis asinus,bubo bubone creatur;
Et similes catulos simia mater habet.
Non leporem catulus generat,non falco columbam:
Arboris indomita fructus acerbus erit.
Nosse cupis qualis tibi virgo futura sit uxor?
Matris ad ingenium respice,certus eris.
Dissimilem licet arte sui se monstret amanti,
In vitium tandem nata parentis abit.

Catsius Emblemate Ethico. XLVII.

Apud leves gravitas vitium est.

Simia saltatrix,& qua solet usque vagari,
Non secus ac pestem te,domi porta,fugit.
Lascivi juvenes mores odere modestos,
Castaque vesanus respuit ora puer.
Si qua puella loquax minus est,ea torva vocatur,
Et pudor, heu! nomen rusticitatis habet,
Stulte puer,petulans,audax,vaga,garrula virgo,
Sit licet apta foro, non erit apta thoro.

Idem Emblemate nuptiali. XVII.

Culta nimis fit fæda situ?

Persica cum florent, nihil est formosius illis;
Sordidius contra flore cadente nihil.
Fit plerunque situ, fit squalida sordibus uxor
Excoluit formam si qua puella nimis.
Forma nocet miseris nimis ambitiosa puellis:
Anxia de cultu, vix erit apta toro:
Cura cui vultus, incuria sæpe mariti est:
Quæ speculo gaudet non amat illa colum.

Catsius Emblemate nuptiali XLIV.

Sufficit unus.

Insitor agnatos exscindit in arbore ramos,
Omnis adoptivum germen ut humor alat.
Funditus illa vagos animo deturbet amores,
Germina legitimi si qua caloris amat,
Protinus ut junxit tibi tæda pudica maritum,
Vnicus ille tibi mente fovendus erit.
Non congerro vetus tua postmodo tecta frequentet,
Nec juvet innupta quæ comes ante fuit.
Anxia nec matris, nec sit tibi cura sororis;
Alterius succos ne bibat alter amor.

§ Apophthegmat. Sacr.

Salomon. Timens Dei modesta & proba *uxor, corona viri* dicitur Proverb. 12. 42. *ejus laudes & opus*, Proverb. 31. 10 usque ad finem capitis: *eam invenisse est favor Dei*, Prov. 18. 22. & 19. 14. *quomodo sit habenda*, Proverb. 5. 18. 19. *Rixosa uxor descripta*, Prov. 19. 13. & 21. 9. 19 & 25. 24. & 27. 15. 16.

Monica Mulieres quædam viris Christianam religionem profitentibus nuptæ, apud Monicam D. Augustini matrem de maritorum suorum injuriis assiduisque contentionibus conquerebantur, dicentes se mirari rationem vivendi qua illa uteretur, quibusve prædita esset moribus, quod pacifice cum viro Christianismi hoste & animi præferocis habitaret. Quibus Monica, Dilectæ, inquit, sorores, vos ipsæ fortassis ad rixas maritos vestros morositate & contumacia vestra impellitis, contentionibusque frigidam quasi suffunditis. Dum maritus meus vehementissime sævit, ego taceo, multa dissimulo, animumque precibus ad Deum fundendi occupo. Hisce moribus iracundiam mariti mei frango, & ut stabiliamur concordia efficio: quin animum ejus sic inflexi, ut una mecũ colere Christum cœperit. Ita etiam erga maritos vestros vos gerite: tunc omnes rixas vitabitis, & maritis utemini perhumanis ac officio suo fungentibus. *August. Confess. lib. 9. cap. 9.*

§ Monosticha Trochaica.

A viri parum abest contemptu, quæ nimis se suspicit.
Æquor est ingens malorum in scelesta femina.
Alteri qui formam uxoris laudat, sæpe ea excidit.
Barbaro una non sat uxor est, fatigat plurimas.
Clam viro, probam peculii habere nil quidquam addecet.
Cui bona uxor est tantundem vir habet boni ac mali.
Cui comes uxor, is vagatur cum domo ac penatibus.
Cum fide illico etiam uxoris nomen perdit femina.
Dignitatis nomen uxor est, voluptatis Lupa.
Divites uxores nacti servitutem serviunt.
Ducere uxorem malum est, sed id malum est necessitas.
Ex mariti commodo uxor comparet sua commoda.
Fer viri tui uxor omnes & tege contumelias.
Fiat ut par vir & uxor: sit minor suo hæc viro.
Gymnasium patientiæ illi, cui domi est uxor mala.
Heu quam sæpe torquet uxor ducta maximo ambitu!
In ducenda uxore mores discutiendi non decor.
In mala uxore atque inimico sumptus est quod sumitur.
Ius suum viri ad mulieres obtinere non queunt.
Liberum quærendorum uxor ducitur potissimum.
Mortuus vivo inter vivos, mortem dum uxoris inhio.
Nec cum uxoribus, nec absque uxoribus bene vivere est.
Nemo ullam queat, ipsa quæ se venditat, tutarier.
Nil melius bona est uxore: uxore pejus nil mala.
Non amatur uxor quæ exhiberi alteri potest.
Non amatur uxor quæ quoque alteri ostendi potest.
Non tam amandus est maritus, quam ipsum matrimoniũ.
Nullus est proventus ex uxoris pulcritudine.
Obsequens plebeia haud æque fit viro quam nobilis.
Patiundum est, siquidem me vivo mea uxor imperium exhibet.
Pauca faciunt, ut videamur digna omnes viris malo.
Pauci oculis ducunt uxores articulis quamplurimi.
Pectora uxorum ferè ipsis obrigescunt toris.
Pejor est viro suo uxor, sit licet deterrimus.
Perdidit fidem uxor? ipsi nomen uxoris periit.
Pica pulvinaris admodum efficax os obtinet.
Propter paucas feminæ omnes sunt æque invisæ viris.
Pulcritudini fere uxor æmula est ancillula.
Quæ suo casta est viro uxor, imperat dum obtemperat.
Quam grave est dormire solas mentula absque feminas!
Quam magis paret viro uxor, hoc magis viro imperat.
Quanto plus culpa in mala, hoc laus maior uxore in bona est.
Quid custodiat virum uxor quum viro ipsa obtemperet?
Quid libentius mas videat, quam formosam comparem?
Quis vir ad virtutum amorem adducere uxorem studet?
Quo magis cedit marito hoc mage uxor imperat.
Quod viro est odio, videat sibi mulier odio habeat idem.
Rem curet domesticam uxor, vir rem curet publicam.
Rem nullam unquam volui adversa quin in ea fuerit vostrata.
Sæpe vir jam unam suscepit dum uxor dormit filiam.
Se vir oblectare nescit, feminam id si non juvat.
Serva hera metu est fidelis, ast amore uxor viro.
Si subest viro uxor, uxor & vir vere sunt pares.
Sit canis bona uxor; aspera exteris lenis tibi.
Tam malum foris est amica, quam malum est uxor domi.
Tam nihil grave est quin uxor ac vir concordes ferant.
Tantum uxori quam marito juris præbet æquitas.
Turpis omnis in aliena; nimius in sua, est amor.
Vis ab uxore æstimari? maxime ipsam item æstimes.
Vis tacentem uxorem habere? linguam ei ferro amputa.
Vitæ societas quodammodo uxorem dominam facit.
Vivam uxorem amare, voluptas est; religio, mortuam.
Vllane uxor est virum quæ facere meliorem studet?
Vnicuba semper fuere feminas inter decus.
Vxor est nequaquam cui hortus est indiligens suus.
Vxor felix & pudica nunquam nubit nisi semel.
Vxor hostis est invita quæ ad virum nuptum datur.
Vxor quæ pudica, servit; impudica viro imperat.
Vxori vir est magister, non uxor contra viro.
Vxorem invenit bonam qui quæritat solum bonam.

§ Jambica.

Alieno amare uxorem animo, durissimum est.
Anteambulo Maritus Pœnitentia est,
Bene cum facimus, tamen audimus male apud viros.
Castæ virum haud sequuntur, prægredi solent.
Culpa est mariti, si uxor excedit modum.
Ducenda non est post juvenem uxor filium.
Ducenda si uxor, per vicinam ducito.
Etiam maritum crimen uxoris tenet.
Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
Fulmenta lectum scandunt cum uxor imperat.
Habeas ut nactus: nota mala, res optima est.
Inescat uxor quemvis, maxime senem.
Leve esse credis, pellicis, nupta, malum?
Matrona suave tunc olet cum nil olet.
Ne sit tibi uxor, fratris uxor quæ fuit.
Nil interest, de uxore fingas, an putes.
Nunquam vir absens compari est suus bonus.
Omnes qui amant, graviter dari uxores ferunt.
Optandum uxorem, quæ non vereatur viri.
Probam invenit sponsam ille qui quærit probam.
Quædam est voluptas cum virum uxor corripit.
Qui consulit sibi ipsi uxori consulit.
Qui pauper uxorem accipit ter sit miser.
Sine corporum contactu haberi uxor nequit.
Sua imputant errata maritis feminæ.
Torquet fere magno ducta uxor ambitu.
Tutamen est uxoris, umbra vel viri.
Vagatur uxor nacta quæ vagum est virum.
Vir nascitur solummodo uxori suæ.
Viri facilitas multa mali uxorem decet.
Viri omne censeo esse, quidquid est tuum.
Viri, ubi ad uxores ventum est tunc fiunt senes.
Viro seni puella uxor non convenit.
Vix cuiquam legitur uxor, sed pecunia.
Vxor beata, vere est insolens malum.
Vxor bona, optima: uxor mala, est res pessima.
Vxor contenta est, quæ bona est, uno viro.
Vxor domo est columen, ruina uxor domo est.
Vxor generosa longe præstat diviti.
Vxor quid faciat, in manu non est viri.
Vxor viri domicilium sequitur sui.
Vxor viro peculii instar pauperi est.
Vxor virum, patrem sequuntur liberi.
Vxoris vitia, oportet tollas, aut feras.
Vxorem amat curatque vir cui cor sapit.
Vxorem habere, improsperum juvenes putant.
Vxorem quære firmamentum familiæ.
Vxore ubi opus est, animum ad uxorem applices.

POLYANTHEÆ TOMI SECVNDI LIBER XX.

Zelus atque Zelotypiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Zelus res laudabilis, modo intra fines suos consistat. *Orat.* 14.

D. Nazianzenus: Animi acrimonia, cum ad pietatem accesserit zelum parit: zelus autem fidei præsidium. *Orat.* 23.

D. Chrysostomus: Zelotypia laborant eorum animi, qui erga eos quos amant ardentius affecti sunt. neque enim aliunde oriri queat zelotypia quam ab acri & vehementi amicitia. *Homil.* 23. *ad Corinth.* 2.

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Xenophon: Interrogans Cyrus: Dic mihi Tigranes, inquit, ubi tandem est vir ille, qui nobiscum venari solebat? tu quidem mihi videbaris hominem plurimum admirari An non, ait, pater hic meus eum occidit? In quod deprehensum facinore malo? Dicebat, me ab ipso corrumpi. At vero mi Cyre, adeo præclarus & honestus vir erat, ut tum etiam, quum moriturus esset, arcessito mihi diceret: Ne tu patri, Tigranes, quidquam succẽsueris, quod me morte multabit. Non enim hoc ex malevolentia, sed ignorantia facit. Quæcumque vero per ignorantiam peccant homines, ea præter animi sententiam committi, equidem arbitror. Ad quæ verba Cyrus ait: Hem qualem virum. Armenius autem hoc modo loquutus est: Nec illi, mi Cyre, qui viros alios cum uxoribus suis familiarius versantes deprehendunt, ob hanc culpam eos interficiunt, quod magis intelligentes reddant uxores suas: sed quod existimant, amorem eos sibi debitum præripere, idcirco pro hostibus illos habent. Itidem & ipse illi homini invidi, quod facere mihi videbatur, ut filius meus ipsum magis, quam me, admiraretur. Et Cyrus: Profecto, inquit, mi Armenie, humanitus quid deliquisse videris: tuque adeo, mi Tigranes, ignoscito patri. *cap.* 9. *lib.* 3. *Cyropædia.*

Theano: Accepi ex hominum sermonibus, de mariti tui perversitate & amentia, eum cum scorto rem habere, teque id indigne ac molestissime ferre. Ego vero amica, multos novi eodem morbi genere ægrotos. Capiuntur enim, ut apparet, ab his mulieribus atque tenẽtur, neque quicquam animi possident. At tu dolore cruciaris noctes ac dies, & mœstitia conficeris, semperque aliquid contra ipsum machinaris. Cave tu id faxis, Vxoris enim virtus est non observatio & custodia viri, sed obedientia. Obedientiæ vero est, insaniam perferre ac pati. Nam cum scorto voluptatis causa consuetudinem habet, cum uxore utilitatis. Vtile est autem malis mala non miscere, neque amentiam amentia cumulare. Quædam vero peccata sunt, quæ carpta, magis magisque irritantur involuta silentio sedantur & comprimuntur: quemadmodum ignem sensim ac paulatim ajunt extingui. Si enim te clam habere vult, & tu carpiendo velum crimini detraxeris, palam etiam delinquet Tu vero ne ponas amicitiam mariti in probitate. In hoc enim sita est societatis gratia. Sic igitur persuasum habeas, ad scortum quidem libidinis causa eum accedere, tibi ut una vivat adesse atque te ex animo charam habere, illam tantummodo per libidinem. Hæc autem exigui temporis est. Etenim aliquando satiatur, & quemadmodum commovetur subito, sic statim desinit. Breve namque tempus cum scorto consumit vir, non plane malus ac flagitiosus. Quid enim vanius est ea cupiditate quæ fruitur suo damno? proinde sentiet aliquando, se vitæ commoda diminuere, & famam projicere. Nemo enim sapiens in spontaneo damno permanet. Revocatus igitur per jus conjugii quod ei tecum intercedit, & cum vitæ detrimentum animadvertit, cognoscet aliquando te, & cum sceleris injuriam pati non potuerit, confestim animum mutabit.

Verum tu, amica, vitam age nequaquam meretriciæ respondentem, sed modestia & probitate erga virum, cura erga familiam, cõmercio erga familiares, amore erga liberos, insignem & excellentem. Non debes tu Zelotypia contra illam commoveri. Nam ad pudicas & honestas æmulationem dirigere pulchrum est. Sed teipsam reconciliationi semper idoneam & aptam præbere. Nam honesti mores atque animi, etiam inimicorum sibi benevolentiam conciliant, amica. Et à sola probitate atque integritate honor proficiscitur. Hac enim ratione viri quasi copiam habere uxor potest, & in precio potius esse quam inimicum observare. Sic objurgatus à te, magis pudore suffunditur, & citius redire in gratiam volet. Vehementius etiã amabit, cum suam in te injuriã cognoverit & vitæ sanctimoniam præstantiamque animo reputarit, periculumque tui in se amoris fecerit. Quemadmodum autem afflictionum corporis, jucundus quidam est finis & exitus, sic amicorum controversiæ, in placidiorem gratioremque reconciliationem desinunt Tu vero etiam consilia damni inter se contende. Etenim si ægrotet ille, te quoq; facit ægrotare mœrore, & si peccaverit in famã, te quoq; famæ jacturam facere, & si lædat vitæ commoda, te quoque utilitatẽ lædere, dum cum ipso conjuncta esse videberis, & puniens ipsum te quoque punire. Et etiamsi illum reliqueris, & à priore marito sejuncta ad alterum te applicabis? & si similiter ille deliquerit, rursus ad alium? Non est adolescentibus fœminis tolerabilis viduitas: aut sola perseverabis absque marito quasi cœlebs? at negliges domũ & virum perdes? Miseræ & acerbæ vitæ simul damnum feres. Sed ulcisceris scortum? observabit te nimirum & sicubi voles ulcisci, pugnax hercle mulier est quæ pudore vacat. At pulchrum est, quotidianas cum marito disceptationes habere? Et quid magis? Disceptationes enim & jurgia non finem imponunt intemperantiæ, sed inimicitiis incrementum addunt. At aliquod contra ipsum consilium inibis? Ne faxis amica. Zelotypiam vincere Tragœdia docet compositionem Dramatum continens, in quibus Medea scelus patravit. Sed quemadmodum ab oculorum ægrotatione cohibendæ sunt manus, ita tu quoque da operam, ut à dolore simulationem abstineas. Etenim patientia ac perseverantia, citius damnum extingues. *Epist. ad Nicostratem laborantem zelotypia.*

Simocatta: Non amplius Didotam amas, extinctis amatoris flammis. Non enim tibi zelum movet, quod eam cum Lysistratorem habere conspicaris. Nihil magis æmulationum plenũ est, quam amores. Et quomodo amas, cum tantum dolorem sapienter perferas ac patiaris. *Epist* 63.

Heliodorus: Haud facile inde quo semel contendit, revocari aut deflecti potest barbaricum ingenium: & si saluti suæ desperaverint, prius tollere consueverunt quoscunque charos habent barbari, aut secum una esse velle post mortem etiam oberrantes, aut à vi hostiũ & injuria vindicari. Eandem ob causam & Thyamis omnium quæ erant præ manibus oblitus, præcipue cum veluti retibus, hostium copiis circumdatus esset: amore vero & zelotypia & ira furens, cũ ad antrum contento cursu venisset; nactus Græce loquentem, injicit capiti sinistram manum, & pectus juxta mammam gladio trajicit. *lib. AEthiopic.* 1.

Heliodorus: Hæc dixit, & ira simul & zelotypia, amoreq; & frustratione percitus (quæ res alioqui & alium, nedũ ad homine barbarum perturbandum sufficerent) cogitationem quæ inciderat non expendens ratione, sed primo impetu approbans, equum ascendit. *fine libri* 7. *AEthiopic.*

¶ ROMANORVM.

Tacitus: Armenii armis regiam circumveniunt; neq; aliud Rhadamisto regi subsidiũ fuit, quam pernicitas equorum, quib. se & cõjugẽ Zenobiã abstulit. Sed conjunx gravida, primã utcunq; fugã ob metũ hostilẽ, & mariti caritatẽ toleravit, ubi quati uterus, & viscera vibrantur orare ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur. Ille primo amplecti, allevare, adhortari, modo virtutẽ admirans; modo timore æger, ne quis relicta potiretur. postremo violẽtia amoris, & facinorũ non rudis distringit acinacẽ, vulneratãq; ad ripã Araxis trahit, flumini trabit, ne corpus etiam auferretur. *lib* 12. *Annal. cap.* 51.

¶ POETARUM.

Oppianus lib. 3. κυνηγετ. v. 237.

Iupiter pater, quam est zeli sævum cor!
Illum etiam natura fortiorem videri
Fecisti, ô Rex, dedistiq; ei ignis acutum impetum:
Dextra autem ferre admantinum tribuisti gladium.
Non liberos (ille) servat catos dulcibus parentibus.
Non sodales, affinesque, ubi quem invaserit, non novit consanguineos,
Quando difficilis & impetuosus venerit.
Ille etiam quondam in suos armavit liberos
Ipsos semideos, & laudatas Heroidas:
AEgiden videlicet Theseum, & AEolidem Athamantem;
Atticamque Prognen, & Threiciam Philomelam:
Colchicamque Medeam, insignemque Themistonem.
Verumtamen post genus hominum ærumnosorum
Feris quoque Thyestem perniciealem apposuit me sum.

EMBLE-

¶ Apologi.

De Viro Zelotypo, qui uxorem dederat cuſtodiendam. Fab.62.

Vir Zelotypus, uxorem, quam parum pudice vivere compererat, cuidam amico, cui plurimum fidebat, dederat cuſtodiendam, ingentem pollicitus pecuniam, ſi eam ita diligenter obſervaret, ut nullo modo conjugalem violaret copulam. At ille ubi aliquot dies expertus, cuſtodiam hanc nimis difficilem, & ingenium ſuum verſutia mulieris vinci comperiſſet, ad maritum accedens dixit, ſe amplius nolle hanc tam duram gerere provinciam, quandoquidē ne Argus quidem, qui totus oculeus fuit, mulierem invitam poſſit cuſtodire. Addidit præterea, ſi neceſſe ſit malle ſe anno integro ſaccum plenum pulicibus quotidie in pratum deferre, ſolutoque ſacco eos inter herbas paſcere, veſpereque facto, omnes domum reducere, quam una die impudicam mulierem ſervare.

Hac fabula indicat, nullos cuſtodes eſſe tam diligentes. qui impudicas mulieres valeant cuſtodire. Laur. Abſtemius.

¶ Emblematis.

Batillius. CLXXVIII.

Zelotypia damnoſa.

Credula res amor eſt. Quantum cito credere lædat,
Exemplum nobis non leve Procris erit.
In ſilvis Auram Cephalo dum credit amari,
Et fidei quærit qualibet arte fidem;
Abdit ſe fruticum ramis, tacitamque recondit,
Grata quies laſſo quæ ſolet eſſe viro;
Iamque æſtu moriens redit ille, jacetque per herbas
Inque ſinus auram ſæpius ore vocat.
Mox illa, ut patuit ſuſpectæ pellicis error,
Oppoſitas frondes inde abitura movet.
Eſſe feram credit Cephalus, telumque repente
Exitiale jacit. credula Procris erat.

¶ Apophthegmata Sacra.

Moſes Dux Iſraelitarum. Quum Iſraeliticus populus vitulum aureum conflaviſſet, circa quem conſtituto die cantaret & luderet, Moſi de monte cum tabulis teſtimonii in manu ſua deſcendenti dicebat Joſua audiens tumultum & vociferationem populi, ſonus belli eſt in caſtris: Qui dixit, non eſt ſonus quo ſtrenui clamant, neque eſt ſonus quo debiles clamant, ſonum cantantium ego audio. Re tota cognita autem dixit ad Aaronem, Quid fecit tibi populus iſte quod induxeris ſuper eum peccatum maximum. Et Levitis, Sic ait Jehova, Deus Iſraelis, Apponite quiſque gladium ſuum fœmori ſuo: tranſite & redite per caſtra de porta in portam, ut occidatis quiſq; fratrem ſuum, & quiſque amicum ſuum, & quiſque propinquum ſuum. Conſecrate manum veſtram hodie Jehovæ (nam conſecranda eſt cuique contra filium ſuum & fratrem ſuum) ut imponat vobis hodie benedictionem. item ad populum, Vos peccaſtis peccato maximo, nunc itaque aſcendam ad Jehovam, forte expiationem faciam pro peccato veſtro. Reverſus vero ad Deum dixit, utique peccavit populus iſte peccato maximo, cum fecerunt ſibi Deos aureos. Attamen nunc an condonare vis peccatum eorū? nam ſi non ita eſt, Dele me nunc de libro tuo quem ſcripſiſti. *Exod. 32. verſ. 17. 18. 21. &c.*

Nehemias. Rogatus ab Artaxerxe rege, quare vultu eſſet ſubtriſti & afflicto, reſpondit, Quare non eſſet afflictus vultus meus, cum civitas ipſa locus ſepulchrorum majorum meorum vaſtata, & portæ eius maneant conſumptæ igne? Tum dicente rege, Quid illud eſt ſuper quo requiris? oravit Nehemias Deum cœli. & dixit, Si regi bonum, & ſi gratus eſt ſervus tuus coram te, ut mittas me in Jehudæam, in civitatem ſepulchrorum majorum meorum, & ædificem eam, &c. *Nehem. 2. 3. &c.*

Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Jacobus & Joannes videntes Samaritanos noluiſſe hoſpitio excipere Chriſtum, dixerunt, Domine, vis dicamus ut ignis deſcendat è cœlo & conſumat eos, ut et ā Elias fecit? Sed converſus Jeſus objurgavit eos dicens. *Neſcitis cuius Spiritus vos ſitis. Filius enim hominis non venit ut perderet animas hominum, ſed ut ſervaret.* Abierunt igitur in alium vicum. *Luc. 9. 55. 56.*

Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Ingreſſus in templum cœpit ejicere eos qui vendebant in eo, & qui emebant, dicens eis, Scriptum eſt, domus mea domus precationis eſt: vos antem feciſtis eam ſpeluncam latronum. *Luc. 19. 45. 46. Vide Ioann. 2. 14. 17.*

Aphraates. Quum Valens imperator, Ariana lepra infectus, Aphraatem ſanctitate vitæ & orthodoxæ fidei profeſſione celebrem monachum cum aliis piis hominibus ad ripam fluvii ſpectaſſet ambulantem, quærens quonam tenderet, dixit, Eo precatum pro terrarum orbe & pro imperio. Rurſus Valens, Et quanam, ait, de cauſa vitam profitens ſolitariam, ſecure per plateas ingrederis, ſilentio & quiete relicta? Ille autem, Dic mihi, inquit, Imperator, Si eſſem virgo abſconſa in thalamo, vidiſſem autem aliquem in domum patris ignem conjicientem, quid me juberes facere? intus ne ſedere, & domum quæ crematur deſpicere? Sed ſic ego quoq; conſumpta fuiſſem ab incendio. Sin autem dicis oportere properare, aquam ferre, & ſurſumq; deq; currere, flammamq; extinguere: ne me reprehendas, ô Imperator, ſi id ipſum facio. Quod enim tu virginem juberes exequi, hoc ego cogor facere qui vitam profeſſus ſum monaſticam. Quod ſi tu me reprehendis qui quietem reliquerim, teipſum reprehende qui hanc flammam in domum Dei conjeceris, nō me qui conor illam extinguere. Quod enim oporteat opem ferre domui paternæ quæ uritur, ipſe quoq; confiteberis. Quod autem Deus ſit magis verus & germanus pater quam ii qui ſunt in terra, eſt cuivis apertum, etiam ei qui rebus divinis non eſt omnino initiatus. Nihil ergo abſurdum facimus, ô Imperator, neque cœpto & inſtituto noſtro contrarium, ſi veræ religionis alumnos congregamus & paſcimus, & eis herbam divinam exhibemus. His dictis imperator tacite aſſentiebatur, juſtam defenſionem conſiderans, &c. *Theodoretus hiſt. Sanct. Patrum, vita 8.*

Anonymus. Simulatque edictum contra Eccleſias Chriſti editū, in Nicomedia propoſitum fuit, vir quidam non obſcurus & ignobilis, ſed (ut hominum fert opinio) longe illuſtriſſimus, incredibili amore erga Deum, & ardenti fide incitatus, ocius prodit in mediū: & illud in aperto & publico loco affixum tanquam profanum & maxime impium, manu avellens dilacerat: idque cum duo ex imperatoribus in civitate adeſſent. *Euſeb. libr. 8. hiſtor. Eccleſ. cap. 5.*

Apphianus. Apphianus Cæſarienſis cum Vrbanum Maximini Cæſaris præfectum jam ſacrificantem acceſſiſſet, & abſque formidine ejus dextram apprehendiſſet, extemplo ab immolando coercuit, prudenterque admodum & graviter cum divina quadam animi confeſſione & alacritate, ab errore deſiſtere hortatus eſt. nam parum rectum eſſe, ut uno & ſolo vero Deo relicto, idolis & dæmonibus hoſtias offerret. Iſtud plane, ut videtur, adoleſcētulus aggreſſus eſt, divina vi & potentia ipſum ad hanc rem impellente, & per facinus ab illo admiſſum pene in aures omnium inclamante: tantum abeſſe ut Chriſtiani à pietate abducantur, ut non modo minas, terrores, & omnia ſuppliciorum genera quæ eoſdem ſequi ſolent ſtrenue ſuperent: ſed deinceps etiam magis fidenter loqui, & lingua ingenua ac neutiquam metu hæſitare, fidem libere confiteri, & (ſi fieri poſſet) etiam perſecutores ipſos & carnifices ab ignorationis cæcitate avocare, & ad unum ſolum Deum agnoſcendum impellere audeant. *Euſeb. lib. 8. hiſt. Eccl. cap. 14.*

Anonyma. Modeſtus, Edeſſæ præfectus, quum prima luce juſſu Valentis Cæſaris ad templum Chriſtianorum properaret manu armata ut multitudinem obrueret, mulierculam puerulum manibus geſtantem & ad templum properantem videns jubet ad ſe adduci, & rogat quo ſe conferre vellet? Tum illa Cognovi, inquit, inſidias contra famulos Dei paratas, & in animo eſt ad fratres fide mecum conſentientes contendere, magno flagrans deſiderio cædem à vobis intentatam una cum illis ſubeundi. At infantem, ſubjicit præfectus, quorſum tandem tecum fers? Vt mecum, inquit, mortis optatiſſimæ fiat particeps. Quæ cum præfectus à muliere accepiſſet, & ex eius animo aliorum omnium alacritatem perſpiceret, refert ad imperatorem & cædem diſſuadet: nam & ipſi, inquit, nihil præter dedecus inde conſequimur ac paratum ſtudium haudquaquam extinguemus *Theodoret. eccl. hiſt. lib. 4. cap. 16.*

Milites Chriſtiani. Quum Julianus Imperator, cognomine apoſtata, variis artibus milites Chriſtianos qui ſub ſignis ſuis militabant à fide orthodoxa avertere nequicquam ſtuduiſſet, tandem hoc commento uſus eſt, ut vocati ad munus accipiendum de manu Imperatoris, de præſentia ſua recedentes thuris grana quædam honoris gratia in focum quendam proximum conjicerent, ipſo Juliano & ejus ſatellitio adſtante, qui ceremoniam hanc ut idolis factam & Chriſtianiſmi abjurationem tacitam interprebantur: quamvis nulla adhiberentur verba, nullæ genu flexiones, nulla ſacrificia. Ferunt quoſdam eorum qui per ignorationem capti ac circūventi fuerant, poſtquam contracta hac calamitate domum ſe recepiſſent, una cū contubernalibus ſuis ad menſam accubuiſſe. Deinde, cum convivium ad conſuetam frigidæ portationem proceſſiſſet, non ſecus ac ſi nihil gravius ipſis accidiſſet, ad aquæ poculum ſublatis in altū oculis Chriſtum cum crucis ſigno appellaſſe. Cumque contubernalium quidam id miratus fuiſſet, dixiſſetque, Quidnam hoc eſt: Chriſtū poſt abjurationem invocatis? Illos ſtatim, his verbis exanimatos dixiſſe, Quo tandem modo abjuravimus? & quinā hic novus ſermo eſt? Hunc vero reſpondiſſe, Quoniā ad ignē thus adoleviſtis, quod idem omnino eſt ac Chriſtum abnegare. Tū vero illos nulla interpoſita mora è convivio exilientes, velut furioſos mente captos, ac zelo & iracundia æſtuantes, per forum cucurriſſe, atque in hæc verba exclamaſſe: Chriſtiani, Chriſtiani animo ſumus, audiant omnes mortales, & ante omnes Deus, cui & viximus, & moriemur. Fidem tibi datam, Chriſte Salvator, nō fregimus: beatam confeſſionem non abjuravimus. Siquid manus peccavit, mens certe minime ſecuta eſt Imperatoris fraude circumvēti, non auro ſauciati ſumus. Impietatem exuimus, per cruorem purgamur. Poſteaque ad Imperatorem celeriter profectos, atque aurum forti & ſtrenuo animo projicientes, ad hunc modum exclamaſſe: Nō dona accepimus, Imperator: ſed morte damnati ſumus. Non honoris cauſa vocati, ſed ignominia notati ſumus. Da hoc beneficiū militibus tuis: Chriſto nos macta atque obtrunca, cuius unius imperio ſubjicimur. Ignē igni repende: pro illo cinere in cinerē nos redige. Manus amputa, quas ſcelerate porreximus: pedes quib. male cucurrimus.

rimus. Alios auro dona, quos accepisse postea non pœniteat. Nobis satis superque est Christus, quem instar omnium habemus. Quam cum orationem habuissent, simulque alios hortarētur, ut fraudem intelligerent, atq; ab hac temulentia se colligerent, Christoq; sanguine suo satisfacerēt: tum vero Imperatorem ira incensum, apertè quidem illos interficere noluisse, ne Martyres efficerētur, qui, quantum in ipsis erat, Martyres erant: exilio tamen mulctasse, ac pœna ea contemptum sui vindicasse, maximoq; eos beneficio affecisse, quos à piaculis suis versutisq; consiliis procul removisset. *Orat. 3. adv. Julian.*

Idem. Animi acrimonia, inquit, cum ad pietatem accesserit, zelū parit: zelus autem fidei præsidium est. *Orat 23.*

Laus zelum parit, zelus virtutem, virtus beatitudinem, quæ rerum expetendarum culmen est: ad quod omnis probi viri agitatio tendit. *Ead. ratione.*

Zelus res est laudabilis, modo intra fines suos consistat. *Orat. 14.*

Pulchra res zelus. testis Phinees, qui Madianitidem una cum Israelita gladio trajecit, ut Israelis filios à probro & infamia vindicaret, atq; ex animi instituto nomen traxit: testes etiam post eum illi, qui his verbis utebantur, Zelo zelatus sum pro Domino omnipotente: & Æmulor vos æmulatione: &, Zelus domus tuæ comedit me, nec solum hoc dicebant, sed etiam sentiebant. *Orat. 16.*

Chrysostomus. Justorum zelo Deus placatur. *Serm. in Heliam Prophetam.*

Equidem laudo, inquit (fideles alloquens) quod fratrum doletis ignaviam, & admiror zelum. Vellem autem vos zelum temperare misericordia. Zelus enim veniam negans, potius furor est quam zelus: & admonitio misericordia carens, tortura quædam est, &c. *Homil. de habenda cura salutis proximi*

D. Augustinus. Fratres, inquit, unusquisque Christianus in membris Christi zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia, quæ forte ibi videt perversa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit Si emendare non potest, tolerat, gemit. *Paulo post.* Unumquenque Christianum zelus domus Dei comedat, in qua domo Dei membrum est. Non enim magis est domus tua, quam domus ubi habes salutem sempiternam. Domum tuam intras propter requiem sempiternam. Si ergo in domo tua, ne quid perversum fiat, satagis: in domo Dei, ubi salus proposita est, & requies sine fine, debes pati, quantum in te est, si quid forte perversum videris? *Tract. 10. in Ioann.*

D. Ambrosius Bonus zelus, inquit, & utilis in Sacerdote, ne negligens, ne remissus sit. Melius est ut unius aut duorum damnatione plurimi liberentur, quam duorum absolutione plures periclitentur.

Zelus Dei, qui exquirit, qui supervenit, qui se justi infundit pectori, gratia & vita Dei est.

Zelum Dei qui habent, omnes sibi suos inimicos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratres, sorores.

Valida est sicut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Durus zelus quem vitæ huius nulla vincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, ut vivamus Deo. Angeli quoq; sine zelo nihil sunt, & substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent.

Zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur.

Dominus Jesus dixit, Zelus domus tuæ comedit me, increpans Judæos quod domum orationis fecerit speluncam latronum, fecerint & domum negotiationis. Sed non solum locum Ecclesiæ zelare debemus, sed hanc quoque interiorem in nobis domum Dei, ne sit domus negotiationis aut spelunca latronum. Si enim lucra, quæstus pecuniæ & emolumenta aucupemur, domum negotiationis fecimus: si invadamus alienas possessiones, fines viduæ vel pupillorum latronum speluncam fecimus. Veniat ergo verbum Dei, & de hac domo projiciat fures, direptores, caupones, ut mundum sit cor tuum, pectus tuum.

Beatus qui zeli noverit disciplinam, & oderit eos qui Domini gratiam relinquētes salutem propriam deserunt: errorem sibi fraudis adsciscunt. *Hæc Ambrosius enarrat. Psal. 118. serm. 18.*

D. Gregorius Magnus. Nullum (inquit) omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Hinc enim Psalmista ait, Zelus domus tuæ comedit me. *In Ezechielem, Homil 12.*

Anonymus. Noli, ait, cogitare te malis videri præstantiorem: sed tristare quod sis bonis inferior. *Anton. Sermon de zelo.*

D. Bernardus. Importabilis, inquit, absque scientia est zelus. Ubi ergo vehemens æmulatio; ibi maxime discretio est necessaria; quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absq; scientia minus efficax minusq; utilis invenitur: plerumq; autem & perniciosus valde sentitur. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorq; charitas: eo vigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. *Sermon. 49. super cantica.*

ZELI ERGA DEUM ET ECCLESIAM.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Aphraates Monachus. Ad portum huius operis properantibus, pius erga Deum, cuius auxilio præsidioque huc usq; pervenimus, nobis superest proponendus affectus, quem Zelum dicimus: quantumq; eo claruere viri sancti & timorati. Inter quos principem, meo quidem judicio, locum debeo Aphraatę monacho. qui, ut erat summus contemptæ religionis ultor, cum Valentis Imper. persecutiones ægrius ferret, & Antiochiā celeri gradu pergens, ab ipso Imp. rogaretur, quonam tam citus properaret; Zelo Dei succensus, *Turbatis, ait, tua culpa Ecclesiis, necessitate compellor omnem ad earum salutem affectare viam.* Theodor. lib. 4.

S. Ambrosius Episc. Jungat se Aphraatæ Ambrosius, ætate, non tamen hoc affectu inferior. Qui post patratam Theodosii jussu cædem Thessalonicam, dum ipsum Theodosium sacro fulmine percussum à templi limine arcuisset, & is nihilominus ad illud properaret; concitus eodem quo prior zelo, ita Ruffinum Ducem compellabat: *Ego vero Ruffine prædico, quod sacra limina eum ingredi prohibebo: sin autem Imperium in Tyrannidem mutaverit, necem lubens suscipiam.* Idem lib. 9. cap. 30. Trip. Hist.

Terentius Dux. Quid vero Terentium pietate & armis inclytū & invictum Ducem extremum eloquar? Fecerat ei potestatem Valens Imperator, postulandi quidquid vellet. at is tali occasione arrepta; *Peto*, ait, *Imperator, pro meritis omnibus mihi rependi, unica Antiochia Ecclesia Catholicis permittatur.* Quid ad hæc parum eo nomine dignus Valens? Supplicationis libello frustratim comminuto, aliud postulet, mandat. Sed ille divino fidei zelo repletus, discerpta libelli frusta recolligit: & magna voce: *Donum*, ait, *teneo Imperator, oblatum accepto, neque aliud petam. Consilii enim mei judex erit, qui est judex & vindex omnium.* Æmulamini hoc factum Heroes inclyti, hanc dextram amplectimini Duces fortissimi, & Religionis quam in Baptismo professi, protestati, zelum ad seros nepotes trāsmittite. *Niceph. Callist. Hist. Eccl. lib. 11. cap. 49.*

FINIS.

ARGENTORATI,
Sumptibus Hæredum Lazari Zetzneri.



Anno M DC XXIV.